Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala 0
Estante 33
3

BIBLIOTECA HOSPITAL REAL
GRANADA
Sala: A
Estante: 44
Número: 20

Nº 3
48

Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala B
Estante 33
3

BIBLIOTECA HOSPITAL REAL
GRANADA
Sala: A
Estante: 44
Numero: 20

De Collegio ... de Granada

# THEATRI HVMANAE VITAE

## Volumen Quartum

DE

Habitibus ORGANICIS ſiue FACVLTATIB. Logicis uulgò dictis h.e. de PHILOSOPHIAE INSTRVMENTIS

*QVATVOR LIBRIS pertractans.*

Expurgado

Por comiſsion de los sres. Inquisidores corregi
este libro conforme al expurgatorio de 1640
Diego de Ribera



# Vt Gentis, ſic Virtutis antiquæ

D. CHRISTIANO BARNEKOVIO DANO

Literatæ Nobilitatis ornamento

THEOD. ZVINGERVS MEDICVS

Quartum hocce THEATRI VITÆ HVMANÆ Volumen

QVATVOR LIBRIS expoſitum

QVORVM

I. *De* G*RAMMATICA agit.*

II. *De* R*HETORICA.*

III. *De* P*OETICA (cuius apud Danos olim regnum fuit præmium)*

IV. *De* L*OGICA diſſerit.*

OPT.

Artium occaſione ſuſceptæ amicitiæ monumentum

*D D D*

# TOMI QVARTI LIBRORVM DISPOSITIO

ORGANICI *habitus non Rerum, ſed Conceptuum, qui de rebus habentur, cognitionem informant. Eapropter nec* ἐπιστῆμαι, *neque* τέχναι *ab ijs, qui propriè loqui uolunt, ſed* δυνάμεις *tantùm* λογικαὶ *merentur appellari,* ἀπὸ τοῦ λόγου *facta deriuatione: cuius ambitu Græci & rationem humanam & orationem, quæ rationis interpres eſt, complectuntur. Facultates Logicæ quatuor numero, ad ſuos reuocatæ fontes, ſubiecti ratione primùm differunt, mox etiam ratione formæ. Aliæ namq; dirigunt & informant humanam*

- Orationẽ, *uel*
  - Nudam *& ſimplicem, quæ abſque ullo ornatu atque fuco animi ſenſa explicare ſtudet, uſu & conuerſatione populi inprimis nitens, mox etiam præceptis.* GRAMMATICA *dicitur, ab excellentiore parte* τῆς ἑρμηνείας, *à ſcriptione uidelicet, deducta appellatione. Etſi enim ſcriptio poſterior eſt locutione, & eius ueluti imago, multò tamen admirabilior: cùm illa natura, hæc arte tantùm conſtare uideatur. De qua* LIBER PRIMVS *diſſeret.*
  - Non *nudam, ſed ornamentis quibuſdam ueſtitam. Ornatus duplex. Alter cõuenit* λόγῳ
    - Ἀμέτρῳ, *libero, nullis metri numeris adſtricto: quantumuis ſuos & ipſe certis locis numeros admittat, &* ἔρρυθμος *euadat, non metricè, ſed numeroſè. Hanc orationẽ* RHETORICA *profitetur. De qua* LIBRO SECVNDO *agemus.*
    - Ἐμμέτρῳ, *non libero, ſed metricis ueluti uinculis coarctato. Hũc moderatur* POETICA. *De qua* LIBRO TERTIO.
- Rationem, *ut ueritatem recta expeditaq; Methodo mens humana aſſequi poſſit, in quocunque genere philoſophicorum habituum.* LOGICA *& Dialectica. De qua* LIBER QVARTVS.

# LIBRI PRIMI TITVLORVM DISPOSITIO.

GRAMMATICAE Materia Vox eſt humana, quã à præcipuo loquendi organo Græci γλῶτταν, Latini Linguã uocãt. Forma uerò eſt & Significationis conſtitutio, & Vocis artificioſa inflexio, in literis, ſyllabis, dictione, oratione: cuius conſideratio arti & eſſe dat et nomen. Perpendamus ergo ſingillatim huius facultatis tum

- Habitũ, à rectã Ratione pendentẽ. Sic Grãmatici habitus, natura inſiti, arte propagati, uſu confirmati, perpendatur
  - Κτῆσις, quatenus
    - Acquiritur. Vel
      - Per ſe. INVENTIO Grammatica in
        - Genere, *Linguarum.*
        - Specie:
          - Literarum *Figuræ & Poteſtatis.*
          - Syllabarum *quantitatis, Proſodiæ.*
          - Vocũ
            - Significationis
              - Neceſſaria.
              - Non *neceſſariæ. Affectata* Nouitas uocum.
            - Flexio.
      - Ab alio docente, & ſuum habitum cõmunicante diſcenti. Hic igitur occurrunt Grammaticæ
        - DOCTORES, ſiue doceant
          - Præceptionib. *traditis*
            - Viua *uoce.*
            - Scripto. *Scriptores Grammatici.*
          - Vſu & *Conuerſatione.*
        - DISCIPVLI, ſiue diſcant
          - Dictionem, Linguas,
            - Præceptionibus.
            - Vſu & Conuerſatione: et uel
              - Facilè, Difficulter.
              - Peregrè.
              - Exactè, Deprauatè.
          - Scriptionem.
    - Poſsidetur, uel
      - Hiſtoricè. Habitus grammatici poſſeſsio, quoad
        - Dictionem, ſiue LINGVAS. Huc Linguarum
          - Cognitio. Linguarum
            - Periti
              - Quarum.
              - Quot. *Multarum linguarũ periti.*
              - Qualiter:
                - Exactè.
                - Deprauatè.
            - Imperiti.
          - Nobilitas.
          - Antiquitas.
          - Integritas. Vel
            - Conſeruata.
            - Mutata.
        - Scriptionem. SCRIPTVRAE uarij modi reſpectu
          - Materiæ, *ſeu Figuræ, quæ pingitur.*
          - Formæ, *hoc eſt, Ordinis & Deductionis & Seriei literarum.*
          - Efficientis *inſtrumenti:*
            - In *quo.*
            - Quo.
          - Finis:
            - Aperta.
            - Occulta.
      - Theoricè, *ratione Præceptionum. Et hi* GRAMMATICI *ſunt, uel*
        - Periti.
        - Imperiti.
  - Χρῆσις, *Vſus in Vocis efformatione perſpicitur: quæ uox Conceptuum ſiue τοῦ λόγου interni nota eſt, & propterea Latinis Oratio, quaſi Oris ratio dicitur.* EXERCITATIO *Grammatica dicatur. Vide ſignum* Aa.
- Cultum, *amorem, ſtudium, tum per ſe, in iis, qui habitum hunc literarium amplectuntur: tum reſpectu aliorum, in quibus hanc cognitionem admirantur & uenerantur. Sic ergo offeret ſe reſpectu*
  - Materiæ, LINGVARVM
    - Studium & *amor.*
    - Odium & *Contemtus.*
  - Formæ, GRAMMATICAE *artis*
    - Studium & *amor.*
    - Odium & *Contemtus.*

Aa. Con



Aa. Conſiderari autem poteſt Exercitatio Grãmatica uel reſpectu

- Subiecti, *circa quod grammaticè exercetur: nempe circa Orationem, uel*
  - Materialiter, *ut Literarum & Syllabarum uaria Compoſitione cõſtat, tanquã Corpore quodam cadente ſub Senſum*
    - Auditus: & *Dictio ſiue Locutio dicitur.* EXERCITATIO *grammatica cõſiderata reſpectu Vocis ſeu Dictionis, quoad*
      - Cõpoſitionẽ
        - Rectam:
          - Seruatam.
          - Non *ſeruatam.* Huc Solœciſmi, Barbariſmi.
        - Solutam, *Numeroſam.*
      - Motionem, *per quã cõmunicatur alteri.* PRONVNCIATIO *dicatur in genere. Sic ferit auditum alterius, quoad ſyllabarum*
        - Quantitatem, *reſpectu*
          - Vehementiæ, *cũ aliæ altius, aliæ depreſsius pronũcientur.* TONVS *hic eſt, ſiue Accentus tũ in*
            - Oratione tota.
            - Vocibus ſingulis.
          - Celeritatis; *cum aliæ Longiore, aliæ breuiore tempore pronuncientur.* TEMPVS *ſiue Quantitas.*
        - Qualitatẽ in
          - Genere.
          - Specie
            - Clarè. Obſcurè.
            - Purè, *Impurè.*
    - Viſus, *& Scriptio dicitur.* EXERCITATIO *grammatica conſiderata reſpectu* SCRIPTIONIS. *In qua perpendenda Characterum*
      - Cõpoſitio, *Formatio*
        - Recta
          - Obſeruata.
          - Non *obſeruata.*
        - Elegans
          - Obſeruata. καλλιγραφεῖν.
          - Non *obſeruata.*
        - Inſolita, *Noua.*
      - Motio, *ut ſcribuntur.* Huc Scriptores
        - Celeres.
        - Tardi.
  - Formaliter, *ut Significat.* EXERCITATIO *grammatica reſpectu* SIGNIFICATIONIS *conſiderata. Sic Oratio, ſic Vox ratione*
    - Rerum
      - Vera *uel Falſa*
        - Oratio.
        - Vocũ *etymologia.*
      - Ambigua. Obſcura.
      - Propria. *Impropria.*
    - Perſonarum
      - Vetuſta. *Affectata antiquitas.*
      - Noua. *Affectata nouitas.*
      - Honeſta, *Inhoneſta.*
- Modi, *qui uarius eſt, ſed tamen in uniuerſum reſpicere uidetur partim grammaticam*
  - Cognitionem cauſa
    - Suiipſius, *ut illam ſibi comparet*
      - Legendo. LECTIO
        - Recta.
        - Vitioſa.
      - Colligendo.
      - Interrogando. INTERROGATIONES, *Quæſtiones grammaticæ.*
      - Audiendo.
    - Aliorum, *quibus illam communicet tum*
      - Docendo. DOCTORES
        - Linguarum. Literarum.
        - Auctorum.
      - Interpretando. INTERPRETATIO *cõſiderata reſpectu*
        - Subiecti. *Interpretes*
          - Concionum *ſacrarum.*
          - Legationum.
          - Librorum *ſacrorũ.*
        - Succeſſus. *Interpretatio*
          - Recta.
          - Vitioſa.
          - Nulla.
  - Veritatem, in
    - Iudicando. IVDICIVM *grammaticum rectum uel ineptum de*
      - Scriptoribus. Doctoribus.
      - Literis. Pronunciatione.
      - Proprietate *uocum.*
      - Vtilitate *artis.*
    - Defendendo. CERTAMINA *grammatica. In*
      - Genere.
      - Specie, *pro ſubiecti uarietate. De*
        - Literarum *ſignificatione.*
        - Scriptione.
        - Pronunciatione.
        - Proprietate *uocum.*
        - Flexione.
        - Conſtructione.
        - Interpretatione *librorum.*

# Voluminis Quarti

## Liber I.

# De Grammatica.

## INVENTORES GRAMMATICÆ. HVIVS SVNT LOCI

### IN GENERE. INVENTORES LINGVARVM.

De PRIMIS hominib. hæc ſcribit Horat. lib. 1. Sat. 3.

Quum prorepſerunt primis animalia terris,
Mutum, & turpe pecus, glandem atq; cubilia propter,
Vnguibus, & pugnis; dein fuſtibus, atq; ita porrò
Pugnabant armis, quæ pòſt fabricauerat uſus:
Donec uerba, quibus uoces, ſenſusq́; notarent,
Nominaq́; inuenêre: dehinc abſiſtere bello,
Oppida cœperunt munire, & ponere leges:
Ne quis fur eſſet, neu latro, neu quis adulter.

Quatuor linguæ Græcæ dialectos à totidem nationib. GRÆCORVM deducit Strabo libro 8. & poſt eum Iulius Cæſar Scaliger lib. 1. Poëticæ.

### IN SPECIE. INVENTORES

#### LITERARVM Figuræ & Poteſtatis. NOTARVM.

Homo animal ſociale. Cõmunicat ergo animi ſui conceptus alteri mediis ſenſibus, auditu & uiſu. Auditus obiectũ Vox eſt: uiſus autem Literæ, tanquam ſenſibiles quædã notæ inſenſibilium conceptuum. Græci γράμματα & χαρακτῆρας ab inſcribendo & exculpendo uocant. Literæ in duplici ſunt differentia. Aut enim notæ ſunt conceptuum, aut uocum, quæ conceptuum ſimulacra ſunt. Conceptuum quidẽ notæ ſunt literæ Aegyptiorũ Hieroglyphicæ, quò maioris ingenij, eò operoſiores, & philoſophis tantùm, Aegyptiis ſacerdotibus olim cognitæ. Vocum uerò notæ, quibus uariæ ſonorum differentiæ tam ſimplices, quàm compoſitæ exprimuntur, ſunt literæ propriè dictæ. Quarum inuentio, ut antiquiſſima, ſic controuerſa eſt. Etſi enim uariæ ſunt linguæ, & peculiares ſingulæ literas habent, tamen alij ſuas literas priores extitiſſe, cæteros à ſuis mutuatos affirmant. Quòd ſi uerò ſacrarum Scripturarum auctoritate hæc lis diiudicanda eſt, nullos certè alios quàm Adami filios ante diluuium uniuerſale, literarum inuentores fuiſſe conſtabit. Namq; filij Sethi in duabus columnis diſciplinam rerum cœleſtium à ſe primò inuentam conſcripſere. At tum Hebraica lingua unica erat. Atteſtatur huic nomen Adami & Euæ, quorum illud ruffum, hoc matrem uiuentiũ in nulla alia lingua quã Hebræa ſignificat. Ergo etiam characteres Hebræi, quos procul dubiò Adamus à Deo acceptos liberis ſuis cõmunicauit. Sic poſt diluuium filij Noachi auitas literas retinuêre, ad Babylonicam uſq; linguarũ diuiſionem. Linguę tum uarię, principe illa Hebræa cũ ſuis literis ad paucas reducta, ſingulæ nouos characteres meditatæ ſunt. At Hebraicarũ mentio poſt diluuiũ prima in tabulis à Domino Moſi traditis. Quapropter MOSES literarum inuentor eſſe uiſus eſt, teſte Eupolemo apud Euſebium lib. 10. de præparat. Euang. uel Moſe antiquior ABRAHAMVS, teſte Philone. Iudæi autem à Moſe acceptas, ſuperato mari rubro in Palæſtinam & Phœniciam intulerunt. Eapropter Phœnices literarum inuentores habiti. Vnde Lucanus,

Phœnices primi, famæ ſi credimus, auſi
Manſuram rudibus uocem ſignare figuris.

Vide Ioan. Tzetzem Chil. 12. Variæ hiſt.

Quæſtio eſt inter Iudæos, num puncta uocalia & accentuum Moſi tradita fuerint in monte Sinai cum literis. Aſſerũt alii, legem Moſi perfectam omnibus ſuis numeris, traditã, ut ne apex aliquis defuerit: alij negant. & horũ rurſus alii ſeptuaginta Seniorum inuentum arbitrantur, qui à Moſe didicerãt oretenus legendi modũ. Alii uerò anno mundi 3989. Chriſti 229. ſecundùm noſtram ſupputationẽ, ſecundùm Hebręã uerò, anno Chriſti 476. & ab excidio Hieroſolymitano 436. IVDÆOS quoſdam eruditos & eloquentes, Tiberitas dictos, in Mœſia Paphlagoniæ, legem, quæ erat quaſi paſuc ſiue ſententia una, ſine ulla uerſuum & dictionum diſtinctione, punctis uocalibus inſigniuiſſe, uoces ſeparaſſe, periodos per accẽtus deſignaſſe, & innumeris mẽdis Biblia repurgaſſe. Hos, THALMVDISTAS & MAGISTROS Maſoreth, hoc eſt, traditionis uocarunt. Elias Leuites in pręfatione libri Maſoreth hãmaſoreth, & Seb. Munſterus in Grãmatica.

Iidem olim Hebræorum & Samaritanorum characteres fuerunt. ESDRAS uerò ſcriba legiſque doctor, inſtaurata ſub Zorobabele Hieroſolyma, uti legem & religionẽ reſtituit, ita literas illas antiquas acroamaticas eſſe uoluit, quibus pura lingua Hebræa contineretur: alias ipſe reperit tanquam exotericas & profanas, quibus Syriacè loquentes Iudęi uterentur, qui characteres Syriaci dicũtur. Sic D. Hieron. in pręfatione in libros Regum, & [redacted]

GRÆCI, qui generis antiquitatem, quam rationibus nõ poſſunt, fabulis aſtruere conantur, ante diluuium Deucalioneũ ſe literas habuiſſe gloriantur, teſte Diodoro: qui Actinum Solis F. è Græcia in Aegyptum profectum, aſtrologiæ præcepta tradidiſſe ſcribit: at Græcia diluuio oppreſſa, literarum monumenta fuiſſe deleta. Multis pòſt ſeculis CADMVS Agenoris F. è Phœnice literas in Græciam reuehẽs, earum inuentor exiſtimatus eſt. Eas ſedecim primùm fuiſſe Plin. lib. 7. c. 56. & 58. teſtatur. Quibus Troiano bello PALAMEDES ex uolatu gruum adiecit quatuor, Θ Ξ Φ Χ. Totidem SIMONIDES Melicus Ζ Η Ψ Ω. Ariſtoteles XIIX. priſcas fuiſſe putat. duas poſtea ab EPICHARMO additas, Θ & Χ. Hinc ab Auſonio Cadmi nigellæ filiæ dicuntur. Herodotus lib. 5. Cadmum cum multis aliis ſcientiis literas Græcis communicaſſe ſcribit, quibus Iones uicini ſuas cõmiſcuerint, & cõmuni nomine Phœniceas appellarint: quarum exempla apud Thebas Bœotias in Iſmenij Apollinis templo in tripodibus inciſa, Ionicis conſimilia ſe uidiſſe teſtatur. Iones certè βίβλους appellant pelles caprinas & ouillas, quibus olim penuria librorum, hoc eſt, ſirporum, inſcribebant. Ioſephus lib. 1. contra Appionem, ante Homerum nullas Græcorum fuiſſe literas ait, cùm nullus eo uetuſtior ſcriptor fuerit. At Cicer. in Bruto, & Euſebius libro 10. de pręp. Euang. Linum, Philammonem, Thamyram, Amphionem, Orpheum, Muſæum, Epimenidem, Ariſtæum inuentores fuiſſe & ſcripſiſſe commemorant.

De PROMETHEO hæc leguntur in Aeſchyli Prometheo, citante Stobæo ſerm. 79.

*Καὶ μὴν ἀριθμὸν ἔξοχον σοφισμάτων*
*ἐξηῦρον αὐτοῖς· γραμμάτων δὲ συνθέσεις*
*μνήμην, ἁπάντων μουσομήτορ' ἐργάτην.*

Eodem loci ex Philemonis Apolline hi uerſus citantur:

*Οὐχὶ μόνον εὗρε πῶς λαλήσομεν*
*αὐτοῖς, ἀπέχοντες πολὺ ἀπ' ἀλλήλων χρόνον.*
*ἀλλ' ὃν τρόπον μηδέποτε μηδ' εἰς πάλιν*
*ἐπιλήσεθ' ἡμῶν μηδὲν, ἐμβλέψας δ' ἴδοι,*
*πολλοῦ χρόνου τοῦ παντὸς εἴσετ' · ἀλλὰ καὶ*
*ψυχῆς ἰατρὸν κατέλιπε τὰ γράμματα.*

Neq; multo pòſt etiam hæc ponuntur:

*Τὰ τῆς γε λήθης φάρμακ' ὀρθώσας μόνον*
*ἄφωνα καὶ φωνοῦντα συλλαβὰς τιθεὶς,*
*ἐξεῦρον ἀνθρώποισι γράμματ' εἰδέναι.*
*ὥστ' οὐ παρόντα ποντίας ὑπὲρ πλακὸς*
*τἀκεῖ κατ' οἴκους πάντ' ἐπίστασθαι καλῶς·*
*παισίν τ' ἀποθνήσκοντα χρημάτων μέτρον*
*γράψαντας εἰπεῖν, τὸν λαβόντα δ' εἰδέναι.*
*ἃ δ' εἰς ἔριν πίπτουσιν ἀνθρώποις κακὰ*
*δέλτος διαιρεῖ, κοὐκ ἐᾷ ψευδῆ λέγειν.*

THEVTH dæmon quidam Aegyptius, cui ſacra eſt Ibis, primus



mus inuenit numerum & computationem, & Geometriam & Aſtronomiam. Præterea & talorum & cuborum ludum. Ipſas quinetiam literas. Inuenta ſua Thamo Aegyptiorum regi obtulit, utque iis Aegyptij omnes inſtituerentur hortatus eſt. Et Thamus quidem ea, quæ probabantur, laudauit: literas uerò: quas Theuth memoriæ inſeruituras aſſerebat, improbauit, quòd memorię potiùs offuturę & homines ad excolendam memoriam inertes redderturæ uiderentur, fretos literarum præſidio. Eaq; propter non memoriæ, ſed admonitionis medicamẽtum literas eſſe, pronunciauit. Plato in Phædro. & Cælius lib. 22. c. 15.

Cornelius Tacitus libro undecimo, dum de literarum differit inuentoribus: Primi (inquit) per figuras animalium AEGYPTII ſenſus mentis effinxerunt, & antiquiſſima monumenta memoriæ humanæ impreſſa ſaxis cernuntur: ac literarũ ſemet inuentores item perhibent. Inde PHOENICAS, qui mari præpollebant, intuliſſe Græciæ memorant, gloriamq́; adeptos, tanquam repererint, quæ ab Aegyptiis acceperãt. Ammianus Marcellinus obeliſcum dicit ſcriptilibus effigiatum elementis. Apuleius lib. 11. Aſini, literas ignorabiles uocat. Cælius lib. 29. c. 26.

Anticlides, in Aegypto à MENONE rege inuentas tradit literas, XV. annis ante Phoroneum uetuſtiſſ. Græciæ regem. Epigenes apud Babylonios DCCXX annorum obſeruationes ſiderum coctilibus laterculis inſcriptas docet: Beroſus & Critodemus CCCCLXXX. annorum. Ex quo apparet æternus literarum uſus, inquit Plin. lib. 7. c. 56. & 58.

Apud SAMIOS inuentas eſſe uigintiquatuor literas à Calliſtrato, Andron in Tripode tradit: & Ionum literas tradit Athenienſibus. Probabile eſt igitur, à repertis traditisq́; literis, iocum prouerbialem Samiorum πολυγραμμάτων ſeu literatorũ, fuiſſe uerſum ad ſtigmata. Nam Samij ſimul & accipiebant, & tradebant infames notas. Eraſmus in Adagiis.

Apud Latinos SP. CARBILIVS Grammaticus, primus G literam reperit, cùm pro ea priùs C uterentur. Quod etiamnũ hodie in lingua Hetruſcorum apparet, qui aſpiratè proferunt ea, quæ à reliquis Italis abſque ſpiritu enunciantur: ut quando pro Ceruo, Geruo dicunt.

APPIVS Claudius Iurecoſ. R literam Romanis dedit, ut pro Valeſiis Valerij, pro Fuſiis Furij dicerentur. Pomponius Digeſt. de orig. iur. Tit. 2.

MOECENAS notas quaſdam inueniſſe dicitur, quibus celerrimè uerba excipi poſſent.

M. TVL. Cicero notas præpetes (uti uocantur ab Auſonio) primus docuit, easq́; ſcribis communicauit primùm, in oratione Catonis contra Catilinam in Senatu habitâ excipiẽda (qui hinc nomen Notariorum traxiſſe uidentur) quæ minutis & breuibus figuris multarum uim literarum complecterentur. Plut. in Catone minore.

CLAVDIVS Cæſar inuenit X, & antiſigma pro PS. Sed poſt eius imperium euanuêre, teſte Quintiliano.

METHODIVS philoſophus Venedas ſeu Slauicas literas inuenit, uertitq́; diuina oracula in Slauorum ſermonem, circa annum Chriſti 872. Auentinus lib. 4. Annal. Boiorum.

CHILPERICVS rex Sueſſionum, literis Gallicis quatuor addidit Ω, Χ, Φ, Θ, à ſe inuentas, publicoque edicto eas recipi, & in ſcholis doceri, & in ſcripturis exprimi mandauit. Aimoinus lib. 3. c. 42.

#### SYLLABARVM Quantitatis, & PROSODIÆ.

PHERECYDES Syrus, Pythagoræ pręceptor, proſodiam primus inueniſſe dicitur. Laërtius.

#### VOCVM SIGNIFICATIONIS. NOMINVM impoſitio, tum

*Neceſſaria.*

Si nominum ratio ad Grammaticos pertinet, qui de Etymologia tractant, certè primus Grammaticus ADAMVS fuerit. Ad eum enim cùm Deus opt. max. omnia animantia adduxiſſet, nomina illis impoſuit: quibus natura illorum, quantum eius fieri poterat, exprimeretur. Quòd ſi igitur nominũ impoſitionem ſpectes, Grammaticum: ſin uerò rationẽ, cuius ductu ſingulis ſua nomina indere potuit, Philoſophum ſummum uereq; ſapiẽtem Adamum fuiſſe fatebimur. Neq; id mirum. A quo enim uitam acceperat, ab eodem & ſermonem, omnem deniq; ſapientiam liberaliſſimè conſecutus erat, ſi modò eam ſeruare [redacted] Voluiſſet

Norat HOMERVS uetuſtam uocabulorum originem: nempe eos, qui primi rebus nomina fecerunt, multas ab accidente aliquo appellationes traxiſſe: ſonosq́; articulatim non editos, ſcriptis uocibus expreſſiſſe. Cuius generis ſunt φυσᾶν, quod eſt ſufflare: & πρίζειν, id eſt, ſerra findere, & μυκᾶσθαι mugire, & βροντᾶν tonare, ac horum ſimilia. Proinde ipſe quoq; nomina quædam noua finxit, ea rebus, quas deſignarẽt, cõformans: ut δοῦπος eſt, & ἄραβος, & βόμβος, & ῥοχθεῖ, & ἀνέβραχε, & σίζε, ac quæ talia porrò ſunt: quibus ſignificantiora non inuenias. Plut. de Homero.

PLATO philoſophus, primus Grammaticæ uim ſpeculatus dicitur: nimirũ quia Etymologias ſtudioſè inueſtigauit in Cratylo. Laërt. lib. 3.

ATHENIENSES, aſperitatem rerum benignis & blandis uocabulis contegentes, inuidia nominis urbanè emollita, ſcorta appellarunt amicas, tributa deſcriptiones, præſidia ciuitatum ſtationes, carcerem cuſtodiam. Id primũ cõmentum, ni fallor, fuit Solonis, qui æris alieni cõdonationem, nouas tabulas appellauit. Plut. in Solone.

CAROLVS Magnus Imp. non imperij tantùm ampliatione, ſed & temporum & conſtitutionum diſtinctione, de Germania patria bene meritus eſt. Menſibus propria nomina impoſuit, qui ante id tẽpus partim Latinis, partim barbaris nominibus enunciabantur. Et Ianuarium quidem appellauit Vvintermaen, Februariũ, Horningh: Martiũ, Lemmaen: Aprilem, Oſtermaen: Maium, Vvinnemaen: Iunium, Brackmaen: Iulium, Heumaen: Auguſtum, Arnemaen: Septembrẽ, Vvynmaen: Octobrem, Harueſtmaen: Nouembrem, Zoremaen: Decembrem, Heilichmaen. Item uentos duodecim ſuis nominibus inſigniuit, quum non antè plurium quàm quatuor nomina inuenirẽtur. Et Subſolanum quidem Oſtenvvindt: Eurum, Sudoſt: Euroauſtrum, Sudſudoſt: Auſtrum, Suden: Auſtroaphricum, Sudvveſt: Aphricum occiduum, Sudſudvveſt: Zephyrum, Vveſt: Corum, Nordvveſt: Circium, Nordnordvveſt: Septentrionem, Nord: Aquilonem, Nordoſt: Vulturnum, Oſtnordoſt. Cranzius libro ſecundo Saxoniæ, c. 8. & Cuſpinianus.

*Non neceſſaria. Affectata nouitas uocum.*

COQVI olim ſtudebant nominum nouitati. Vide Athen. libro 9. cap. 8.

DIONYSIVS Siculus ſophiſta uirginem Menandrum dictitabat, quia uirum expectet. Et columnam Menecratẽ, quia manet, & fortiter ſuſtinet. Ballantium iaculum, quia contrà iacitur. Murium latibula, myſteria, quia mures defendunt. Attlianes libro rerum Sicularum primo eundem affirmat Dionyſium bouem Garotam appellaſſe, & ſuem Iacchum.

ALEXARCHVS Caſſandri regis Macedonum frater, qui ciuitatem condidit Vranopolim nominatam, peculiare intulit idioma: gallum orthoboam, tonſorem brotocerẽ, drachmam argyridem, domeſticorum uiuarium pedicas, caduceatorem apytem nominauit. Ad Caſſandrenſium Imperatores hæc aliquando ſcripſit Alexarchus Marmon: Primis gaudere ſolares ouium, noui cum relinquerem diuinorum operum uictores fatali fortuna confirmatos, Dei fontibus ſe abſtergentes, montanosq́; cuſtodes. Quæ epiſtola quid ſignificet, ne ipſum quidem oraculum cognoſcere poſſe arbitror. Athen. lib. 3. c. 10.

DEMADES Aeginam, Piræi dixit eſſe portum, Samum uerò ciuitatis propaginẽ, ephebos uer populi, mœnia, ciuitatis ueſtem, tubicinem, communem Athenienſium gallum. Athenæus libro tertio, capite decimo.

## DOCTORES GRAMMATICÆ.

*Quandoquidem πολιτικὸν καὶ κοινωνικὸν ζῶον homo eſt, oratione opus habuit, qua Rationis conceptus exprimeret. Oratio ex cõpoſito ſiue ex pacto hominũ pendet, quib. hoc uel illo ſono rem quàlibet efferre placuit. Habet interim quæuis lingua idiotiſmos, hoc eſt, peculiares quaſdã rationes, non tantùm in uſu uocabulorum, uerumetiam in inuentione. de qua Plato in Cratylo abundè diſputat. Porrò magiſtri orationis, ſiue τοῦ ἑλληνίζειν (ut eſt in primo Alcibiade) gemini ſunt. Nã ſi uſum ſequamur, magiſter erit populus, Quem penes (ut ille inquit) arbitrium eſt & ius & norma loquendi: ſi uerò præcepta, magiſtri erunt Grammatici, qui non τὸ ὅτι tantùm, uerumetiam τὸ διότι tradunt, & conſuetudinem loquendi arte dirigunt.*

### PRAECEPTIONIBVS. Docent alij

*Viua uoce.*

*Conſule Tit. Grammaticorũ. item, Præceptorum tàm publicorum, quàm priuatorum.*

Grammaticam ſcribit Laërtius libro decimo, ex Hermippo EPICVRVM philoſophum primùm docuiſſe.

*Scriptis. Qui de Grãmatica arte ſcripſere.*

Platonis tempore Grãmatica nihil aliud admodũ fuit, quàm literas legere & ſcribere. At in Philebo uidemus à PLATONE tractatum, qua uia deceret literarum doctrinam inſtitui:

ſtituit:nec Cratylo eiuſdem philoſophi dialogo ſingulari, aliud quàm grammaticum argumentum diſputatū eſt, quippe qua ratione nomina rebus eſſent impoſita. ARISTOTELES ultra Platonis initia progreſſus, genera, quę primis elementis efficerentur, comprehendit, comprehenſaq; poſteritati mandauit. THEODECTES Ariſtotelem magiſtrū imitatus eſt, ingeniumq; in grammaticis ſtudiis exercuit, adeoque philoſophus uterque, grammaticæ artis uelut inuentor aut certè inprimis auctor à Quintiliano efficitur. Sic enim ait lib.1.c.4. Ariſtoteles quoq; atq; Theodectes uerba modò & nomina & coniunctiones tradiderunt: uidelicet, quòd in uerbis uim ſermonis, in nominibus materiam (quia alterum eſt, quod loquimur, alterum de quo loquimur) in coniunctionibus autem, rerum complexum eſſe iudicauerunt, quas coniunctiones alij uocant. Paulatim à cæteris philoſophis, maximeq; Stoicis, grammatica res augeri atq; amplificari cepta eſt. Vnde intelligimus, literarum ſtudium apud Græcos in eo laudis & dignitatis loco fuiſſe, ut ſummi philoſophi huius artis cōmendatione, nominis ſui famam memoriamq; poſteris gratam eſſe uoluerint. Petrus Ramus libro 1. Scholarum grammat.

NICANOR Alexandrinus grāmaticus populari ioco dictus eſt Stigmatias, quòd de ſcripturę diſtinctiunculis, quas Gręci στιγμὰς appellant, curioſè ſcripſerit. Eraſmus in Adagiis.

M. VARRO Philoſophus ſummus, de Grāmatica arte ſcripſit libros doctiſs. quos Latinæ linguę cōmētarios inſcripſit.

M. TVLLIVS artis huius (ait Quintilianus lib.1.c.7.) diligētiſs. fuit, & in filio (ut ex epiſtolis apparet) certè loquendi uſquequaq; aſper quoq; exactor: imò uerò etiam doctor Grāmaticæ fuit, eamq; in prima elocutionis parte ſtatuit, ut percipitur Oratorio 3. in præceptis Latinitatis.

C. IVLIVS Cæſar, bello ciuili, ad Ciceronem de Analogia, hoc eſt, de ratione Latinè loquendi accuratiſſimè ſcripſit, primoque in libro dixit, uerborum delectum originem eſſe eloquentiæ. Cicero in Bruto.

TERENTIANVS Carthaginenſis, ſub Diocletiano, ſcripſit opus carmine, quod adhuc extat, de Literis, ſyllabis, & metris: cuius auctoritate Seruius & Priſcianus ſæpe utuntur. Lud. Viues in lib.6. Aug. de Ciu. Dei, cap.2.

Summum illum pietatis Chriſtianæ doctorem D. HIERONYMVM non puduit ad Lętam de inſtitutione filiolę grammatica in hæc uerba ſcribere: Fiant ei literæ uel buxeæ, uel eburneæ, ſuis nominibus appellentur. Ludat in eis, ut & luſus ipſe eruditio ſit. Et non ſolùm ordinem teneat literarū, ut memoria nominum in canticum tranſeat: ſed & ipſe inter ſe crebrò ordo turbetur, & mediis ultima, primis media miſceantur: ut eas non ſono tãtùm, ſed & uiſu nouerit. Cùm uerò ceperit trementi manu ſtilum in cera ducere, uel alterius ſuperpoſita manu teneri, regantur articuli, uel in tabella ſculpantur elementa, ut per eoſdem ſulcos incluſa marginibus trahantur ueſtigia, ut foràs non queant euagari.

CAROLVS Magnus Imp. grammaticam patrij ſermonis, h.e. Germanici, inchoaſſe dicitur. Cranzius lib. 2. Saxoniæ, c.8. & Auentinus lib.4.

OTFRIDVS monachus, exemplo Caroli Magni Germanicam grammaticam ſcripſit: idemque opus Euangeliorum, tanquam pietatis Germanorum primitias, patriis rhythmis edidit. Spanheimenſis, & Trithemius.

### VSV, CONVERSATIONE.

*Huc illi, quorum imitatione Linguæ diſcuntur.*

Nullum ſermonem meliùs aut tenaciùs diſcunt pueri, nullum expreſſiùs, quàm maternum: illum cum uitiis ipſis aut uirtutibus, ſi quid horum habet, reddunt. In Valentiam à Iacobo Aragoniæ rege Agarenis pulſis, immigrare iuſſi ſunt frequentes uiri Aragonij, & mulieres ILLERDENSES, à quibus incoleretur. Ex utriſque nati filij, ſermonem matrum tenuerunt eum, quem iam per plures quàm ducentos & quinquaginta annos Valentini loquuntur. Viues lib. 2. de Chriſt. fem.

## DISCIPVLI GRAMMATICÆ. PVTA

### DICTIONIS. LINGVARUM. Vel

### PRÆCEPTIONIBVS.

*Conſule locum Inſtitutionis, ubi Præceptorum tam publicorum, quã priuatorum mentio fit, & per conſequens etiam Diſcipulorum grammatices.*

IOANNES Segobienſis Hiſpanus, à Felice V. Pp. Cardinalis creatus, ſub Nicolao V. abiecto honore, Cæſarienſi eccleſiæ præfectus, in altiſſimis montibus paruo monaſterio cōtentus, uocatis ex Hiſpania Arabicę linguæ magiſtris, Alcoranum Mahumetis conuertit & confutauit. Aeneas Syluius, cap.42. Europæ.

IO. CAPNIO Hebraicæ linguæ operam dans Romæ, pro ſingulis horis Hebræo doctori aureum unum perſoluit. Ioachimus Cureus in Sileſiæ Annalibus.

### VSV & CONVERSATIONE, Hucilli, QVI linguas diſcunt

*Facilè, Difficulter.*

Quod Lyricus de Græcis, nos iuſtiùs de BELGIS efferre poſſemus,

Belgis ingenium, Belgis dedit ore rotundo
Muſa loqui:

dedit eadem tantàm in imitando facilitatem, ut uulgato circumferatur prouerbio, In ſacco circumgeſtatum per regionem quamuis Belgã, eius idioma unà cū aëre imbiturū.

*Peregrè.*

ROBERTVS Retenenſis, Anglus, archidiaconus Papilonenſis in Hiſpania, circa annum Domini 1143. peragratis Galliarū, Italię, Dalmatię & Gręciæ ſcholis celebrioribus, tandem in Aſia inter Saracenos linguam Arabicam exactè didicit. Rogatu Petri Cluniacenſis abbatis, tranſtulit in Latinū ſermonem Mahumeti Alcoranum. Balæus Cent.2. cap.80. ſcriptorum Britanniæ.

ANDREAS Alpagus Bellunēſis Medicus, in Syriam nauigãs, Arabicam linguam didicit, & pręter multos alios Saracenorum libros, etiam Auicennam Latinè interpretatus eſt.

### SCRIPTIONIS.

GERMANIA poſt Friderici II. Rom. Imp. fata, ſuum ſermonē literis Latinis demùm depingere didicit. Auentinus lib.1. At idem lib.4. tradit, Carolum Magnum patrij ſermonis grammaticam ſcripſiſſe.

Concilio Toletano, anno 1117. patres cum Bernardo Toletano primate, multa de officiis eccleſiæ ſtatuerūt: ſed & illud, uti deinceps SCRIPTORES omnes omiſſo charactere Toletano, quem Gulfilas Gothorum epiſcopus inuenerat, Gallicis literis uterentur. Rodericus Toletanus libro 6. rerum Hiſpanicarum, cap.30.

## LINGVARVM POSSESSIO. QVOAD

### COGNITIONEM. LINGVARVM

### PERITIA. Reſpectu Quantitatis.

*Multarum linguarum periti.*

GERYON tricorpor ſophiſta aliquis fuiſſe uidetur: qui propter tres linguas, quas callebat, tria corda atq; adeò tria corpora habuiſſe dicitur. Victus eſt tamen ab Hercule, non linguarum copia, ſed ſapientia & rerum cognitione.

ERICHTHONIVM Vulcani F. biformem fuiſſe fabulati ſunt, parte corporis inferiore draconis, ſuperiore hominis, ob Aegyptiæ Græcæque linguæ peritiam. Natalis Comes libro 9. cap.11.

LARENSIVM Athenæus libro primo, capite primo Dipnoſophiſt. appellat Aſteropæum quendam, ob utriuſq; linguæ peritiam. Homeri alluſione, apud quem Aſteropæus ambidexter introducitur.

MITHRIDATES Ponti & Bithyniæ rex, duarum & uiginti gentium, quæ ſub eius regno erant, linguas calluit: neque unquam interprete uſus eſt. Gellius lib.17. cap.17. & Valerius Maximus lib. 8. c.7.

Q. ENNIVS poëta, tria corda ſeſe dicebat habere, quòd loqui ſciret Græcè, Oſcè, & Latinè. Gellius lib.17. c.17.

CLEOPATRA Aegypti regina multarū linguarū perita fuit. Per ſeipſam enim reſpōſa dabat Aethiopibus, Troglodytis, Hebræis, Arabibus, Syris, Medis, Parthis. Multarum inſuper linguas gentium aliarum dicitur tenuiſſe. Plut. in Antonio.

Cùm peſtis in urbe Roma ſæuiret, Italiam procurante Narſete Exarcho, IVVENIS quidã natione Liburnus, paſtor, ingenio minimè malo, correptus peſte, cùm putaretur penè mortuus, ſtatim ad ſe reuerſus eſt: & uocato domino nunciauit ei, Se in cœlo intellexiſſe, q & quot ex ea domo peſte morituri eſſent, eoſq; nominatim declarauit. Et ut fides dictis haberetur, oſtēdit ſe linguas oēs didiciſſe: atq; ea ipſa hora cū domino Gręcè, cū aliis alia lingua locutus eſt, cū tamē antea ſolã Rom. didiciſſet. Poſt biduū iterū mortuus eſt, ſecutiq; ſunt eum, quos morituros ſignificauerat. Fulg. lib.1. c.6.

EPIPHANIVS Salaminę in Cypro epiſcopus, πεντάγλωσσος dictꝰ eſt: quoniã quinq; linguis cōtra Origenē ſcripſit, eiꝰq; libros damnauit. Hieron. in Apologia aduerſus Ruffinū.

AMALASVNTHA Theoderici Oſtrogothorum regis F. teſte Sabellico libro 2. Enneadis 8. & Platina, linguas omnium gentium tenuit, quibus adhuc aliquid commercij erat cum Romano imperio. Quod & uni Cleopatræ, quã Octauius



uius Auguſtus uicit, & Mithridati Pontico in regibus, quod ſciam, contigit.

CAROLVS Magnus Imp. non Barbaras tantùm linguas, ſed & Latinam perfectè tenuit: Græcam ita, ut eam intelligeret. Itaq; Michaëlis Rancabe Imp. legatos Aquiſgrani Gręca linguã perorantes, humaniſſimè audiuit: & magnis munerib. honeſtatos, remiſit in urbē ad Leonē III. Pont. Max. à quo fœderis libellum acceperunt. Cuſpinianus.

FRIDERICVS II. Imp. in mechanicis artibus induſtrius, in diſciplinis eruditus, Italicè, Latinè, Germanicè, Gallicè, Gręcè & Turcicè doctus, ad miraculum uſq;. Leander Bononienſis in Italia ſua.

CHRISTIANVS archiepiſcopus Moguntinus, qui cōtra Alexandrū III. Pp. pro Friderico I. Imp. res geſſit in Italia maximas, Latina, Græca, Italica, Gallica & Brabantica lingua, Thuringus natione, utebatur. Cranzius libro 6. Saxoniæ, cap.28. & 34.

GODOFREDO Bolionio Comiti regnum Hieroſolymitanum à Latinis ducibus ultrò delatum fuit, tum propter alias animi corporiſq; regias dotes, tum uerò etiam quòd trilinguis, ac ueluti triplici patria (ut qui Gallus natus, Italus propter magnum auunculum Stephanum Pp. Romanum, Germanus, quia ſub Auguſtorum ſignis meruiſſet) Sacro bello cunctorum animos in ſe uerterat; & peritia linguarum, diſcordes ſæpe conciliauerat. Aemilius lib.4.

CAROLVS IV. Imp. Italicam, Gallicam, Alemannicam, Boëmicam, & Latinam callebat. Cuſpinianus.

MATHIAS Coruinus Vng. rex, præter Turcicam & Græcã, omnes Europæ linguas calluit. Bonfinius libro octauo, Decadis quartæ.

Turcæ Barbarorum ferociſſimi, & à literis maximè alieni, cùm reipſa linguarum utilitatem maximam eſſe uideant, quot linguas QVIS callet, totidem uiris illum æquiualere, uulgato prouerbio dictitant. Guil. Poſtellus.

MAXIMILIANVS I. Imperator, ab Infantia penè in nonum uſq; ætatis annum elinguis, ut pleriſq; mutus uideretur. Sed ut difficultas illa loquendi in pueritia fuit pleriſq; moleſta, ita in prouecta eius ætate, facundia omnibus etiam exteris fuit admirabilis: qui ſupra patriam Latinè, Gallicè & Italicè eleganter loquebatur. Cuſpinianus in eius uita.

### Qualitatis. Cognitio linguæ

*Inchoata.*

PVER barbarus, Athenis Græcas literas tres didicerat α β γ. quumq; in patriam remeaſſet, magno popularium fauore exceptus, contra prætorem quendam Græcè concionantem poſitus eſt. Qui poſtea quàm perorauit, ut erat uocaliſſimus (quum illud Ciceronis uerum eſt, Pleroſque ſuæ conſcios imbecillitatis, ἐπὶ τὴν κραυγὴν, ὥσπερ χωλοὺς ἐφ' ἵππον πηδᾶν, ad uociferationem uti claudos in equum inſilire) exclamare perrexit α β γ: quo clamore perterritus prætor, ſiluit. Barbari uerò ciuem ſuum uiciſſe exiſtimantes, illum magno plauſu domum reduxerunt.

### IMPERITIA.

SVENONEM quendam ex Noruegia oriundum, Sueno II. Danorum rex ſuum ſacerdotem fecerat, hominem literarum prorſus ignarum, attamen regi admodum charum. Cuius æmuli, cùm in precationis formula pro rege dicēda, ut Deus regem ſuum famulum protegat, &c. priores duas literas exculpſiſſent, ipſe uerò Latini ſermonis ignarus, Mulum appellaſſet regem: omnium eum ludibrio & riſui expoſuerunt. Ea irriſione motus Sueno, regiis ſumtibus peregrinatione literaria ſuſcepta, Latinæ linguæ cognitionem tanta felicitate percepit, ut breui ſuis æmulis non tantùm eſſet admirationi, ſed etiam cōmunibus cleri ſuffragiis Gulielmo Roſchildenſi epiſcopo ſurrogaretur. Hieroſolymã deuotionis cauſa profectus, in Rhodo obiit. Saxo Grammaticus lib.11. & 12.

IORDANES, patria Saxo, ordinis Prædicatorum princeps, qui in peregrinatione Hieroſolymitana anno ſalut. 1236. Acone obiit, uitę ſanctimonia & concionandi dono clarus, cùm à quibuſdam Templariis rogaretur, uti feſto die ſacram concionem haberet Gallica lingua, cuius ipſe tamen non uſque adeò peritus erat: conſcenſo ſuggeſtu, argumētum concionis Gallicè quãtùm potuit enarrauit, interpretationem uerò, ſermone ſubtexuit uernaculo. Indignantibus iis, Ergo, inquit, ſi prominentes aſini auriculas poſt maceriam deliteſcentis uideatis, totum inſuper aſinum, diruta maceria, in conſpectum produci peteretis? Leander Albertus lib.1. de Viris illuſt. ord. Prædicatorum.

[redacted]

Poëta quidam Franciſco I. Gallorum regi Epigramma mane ad ſacrum prodeunti obtulerat. Illo rex ita delectatus fuit, ut coram ſuis in prandio fateretur, lautiore ſe ſæpe, ſuauiore nunquam ientaculo exceptum, uſque adeò palato ſuo Epigramma illud ſatisfeciſſe. Aderat SENEX quidam è principibus uiris, armorum & aulæ alumnus, literaturę omnis (quæ cum rege illo tum primū adoleſcere cepit) expers. Is peregrinæ alicuius uolucris nomen, Epigramma eſſe putans, ut erat gulæ addictus, properè coquo imperauit, Epigramma tantoperè à rege probatum conquireret. Illo uerò & nomen & rem incognitam ſibi eſſe affirmante, magna cū indignatione negligentiam eius increpauit. Regis aures nō minus iocus ex Epigrammate natus, quàm ipſius animū Epigramma oblectaſſe fertur.

Ridiculum quid de Cancellario regis Galliæ uel narratur, uel fingitur. Henrici IIX. Anglorum regis orator apud ANTONIVM à Prato magni alioqui nominis uirum, ſed literaturæ imperitum, Latinè munus regium extollebat, q ſex Moloſſos, qui uix Indicis cederent, adduceret. Cancellarius regem Franciſcum I. adit, & Mulos ſex ab Anglo, muneris loco mitti affirmat (Mulettos pro Moloſſis interpretatus) Frãciſcus mirari, neque rationem doni ſatis intelligere. Poſteaquam uerò Legatus munera exhibuit, non minus uoluptatis ex Cancellarij barbarie, quàm ex Angli oratoris facundia ſeſe percepiſſe, Frãciſcus, doctorum hominum ſummus fautor, liberè profeſſus eſt.

### ANTIQVITATEM, DVRATIONEM.

Populorum origines, quæ à Moſe traditæ ſunt, CHALDAICÆ & HEBRAICÆ linguæ, quæ ſola dialecto differunt, ea ueſtigia retinent, quæ nunquam potuerunt in tanta linguarum uarietate aboleri: eſt enim prima illa lingua, quæ ab Abrahamo Chaldæo ſuæ genti data eſt: prius enim quã Græcæ aut Latinæ linguæ ulla imago extitiſſet, populi ac regiones Hebraicis appellationibus utebantur. Ioannes Bodinus Methodi hiſtoricæ capite nono. Sed Io. Goropius Becanus, magno uolumine edito Originum Antuerpienſium, Cimbricæ linguæ, omnes nomenclaturas acceptas refert: quàm rectè, periti iudicent: quàm religioſè, illi, qui hoc admiſſo, linguæ ſanctæ auctoritatem clàm periclitaturam, nō iniuria uerentur.

### NOBILITATEM.

Nobiliſſimæ lingua, ſi Subiectum ſpectes, cuius interpretatio eſt, HEBRAICA ſacroſanctæ Sapientiæ obſtetrix, & GRÆCA profanæ Philoſophiæ. Sin uerò Adiunctū, nempe Propagationem, LATINA olim ratione Imperij, cuius colonię etiamnum florent, Italica, Hiſpanica, Gallica: hodie uerò Sclauonica, ſui ambitu Hungaricam, Boëmicam, Polonicã, Turcicam complectens.

### INTEGRITATEM, CONSERVATIONEM, MVTATIONEM.

Mutationes LINGVARVM tribus potiſſimùm de cauſis (omitto eam, quæ eſt à Moſe allata, quæ ſimul ac ſemel Babylone contigit) fieri conſueuerunt. Vna eſt in ipſo decurſu temporum: quibus non modò linguæ, ſed etiam res omnes immutantur, ac tota rerum natura ſeneſcit. Ita Polybius ſcribit, anno minùs quinquageſimo, quàm ictum fœdus erat inter Pœnos & Romanos, uerba fœderis, quæ ipſe antiqua uocat, uix intelligi potuiſſe: carmina uerò, quæ in ſacris ex uetere formula canebantur, à pauciſſimis intellecta. Sic uidemus paulatim omnes omnium populorum linguas aliter atque aliter mutari. Altera cauſa eſt in coloniarum ac populorum inter ipſos confuſione. Argumento ſit Italia & Græcia, quæ tot ſeculis puritatem Græci ac Latini ſermonis tenuerunt, totoque terrarum orbe diſſeminarunt: poſteaquàm Scythæ & Gothi utranque inuaſerunt, tanta mutatio conſecuta eſt, ut nec Latium nec Attica, ubi nunc ſunt, unquam extitiſſe uideantur. Ita quoque Coloniæ Tuſcorum, qui ex Italia pulſi erant à Gallis, & Gallorum, qui in Germaniam olim deſertam migrabant, tertium loquendi genus ab utriſque diuerſum conflauerunt: Anglorum quoque in Britanniam, & Saxonum in Belgicam à Carolo Magno deductæ Coloniæ, tum etiam Gallorum in Saxoniam, ſermonis uarietatem pepererunt. Conſimiliter Parthi Perſicum, Arabes Punicum & Parthicum: Turcæ, Tartari, Sclaui Græcum, Latini Gallicum & Hiſpanicum ſermonem deprauarunt. Poſtrema linguæ mutandę cauſa in ipſa regionis natura uerſatur. Proprium eſt enim omnium populorum, qui magis inclinant ad Septentrionem, uoces conſonantibus aſperrimè colliſis, ſine uocalibus, ex intimo pectore, & cre-

& crebras aſpirationes efferre: idq; propter ſummam ſpirituum uim & impetum caloris. Nam Saxones & accolę Balthici maris ubiq; ferè medias pro tenuibus, & aſpiratas pro mediis pronunciant. Auſtrales uerò, quib. tēperatus eſt calor, & ſpiritus debilis, leniſſimè pronunciant: lenius etiā feminę, quòd uiris ſpiritum & calorem habent debiliorē: idq; facilè intelligitur in Molonia Saxonū, quā Carolus magnus in Belgas deduxit. cùm enim Saxones equum uocēt Pfert: Flamingi cœlo mitiore educati Pert pronunciant. Omitto loci cuiuſq; propriam & inſitam ex aquis naturam, quæ uoces ac linguas immutant: ut in agro Labdano Galliæ Narbonenſis, omnes labdaciſſimo balbutiunt: & in Valedoca Taurinorum. Ita quoq; Sabini ueteres fœdum pro hœdo, fircum pro hirco dicebant, quémadmodum Varro ſcribit: ut apud Gallos Vaſcones hocum pro foco, hilium pro filio: ita quoq; Pariſij & Aurelij ueterum Hetruſcorum more Valeſium & Fuſium, pro Furio & Valerio uſurpant. Io. Bodinus Methodi hiſtoricæ, cap. 9.

## INSOLENTIAM.

Regnum NAVARRÆ in Hiſpania, cuius præcipua urbs eſt Pompelon, partim Hiſpanis aliis, partim Auſetanis, Vaſconibus, Aquitaniſq; circundatum, nulla ſui parte pertingit ad mare. Vbi nonnihil mirandum eſt, quòd tam parua regio per ſe, cum exiguis aliquot aliis populis, ſuam linguam habet adeò abhorrentem à cætera Hiſpania, ut non magis abhorreat Hebrea, uel Græca. Nam & Granatenſium, quæ & ipſa diſcrepat, ut hęc lingua, nō alia eſt, quā Syrorū, Afrorū, Maurorū, à quib. anguſto traiectu diuiſi ſunt, & à quib. leges & inſtituta ceperunt. Reliqui autē Hiſpani, etſi differunt ſermone, tamen ita, ut Itali inter ſe, ut Galli & Germani differunt. Valla lib. 1. de Ferdinando.

# SCRIPTVRA. SCRIBENDI VARIETAS, reſpectu

## MATERIAE ſeu FIGVRAE, QVÆ PINGITVR.

Lucanus (& ante illum Herodotus) duo genera literarum docet AEGYPTIIS fuiſſe: ſacrū ꝑ imagines animantiū, & uulgare in chartis ex byblo, id eſt, papyro confectis, quādo ait:

Nondum flumineas Memphis contexere byblos
Nouerat, in ſaxis tantùm uolucreſq; feræq;
Sculptaq; ſeruabant magicas animalia linguas.

Sunt AETHIOPVM literę uariis animantibus, extremitatibuſq; hominum, atq; inſtrumentis, ſed præcipuè artificum perſimiles. Nō enim ſyllabarum cōpoſitione aut literis, uerba eorum exprimuntur, ſed imaginum forma, earū ſignificatione, uſu memoriæ hominum tradita. Scribunt quidē accipitrem, crocodilum, ſerpentem, hominis oculum, manū, faciem, & cætera eiuſmodi. Diod. lib. 3. c. 1.

In BEATORVM inſulis ad Meridiem ſitis utūtur literis, quas habent uiginti & octo ſecundum uirtutem ſignificandi, characteres uerò ſeptem: quorum quiſq; quatuor modis trāſformatur. Non ſcribunt per latus, ut nos, ſed à ſuperiori parte recta linea ad inferiorem. Diod. lib. 2. c. ult.

Seleuci quinto de Helleniſmo traditur: ATHENIENSES aſpirationis natura amplius perpenſa, illam uocalibus uelut apicem non ſuperponere, uti accentiunculas alias, ſed præponere potiùs. Quin & ueteres, inquit, opinor flatilem per H conformaſſe: quo argumento Romani quoq; aſpirandis initiis eadem utuntur figura, eius innuentes τὸ ἡγεμονικόν. Cælius lib. 12. c. 12. A. L.

M. Tul. CICERO in Sicilia quęſtor, diis argenteo munere oblato, quum (uti aſſolet) adderetur epigramma, prænomen Marci Tullijq; nomen apponi integrum iuſſit. Ciceronis autem loco, quod ſequebatur, facetè, ciceris granum ab artifice inſculpi uoluit. Cælius lib. 29. c. 26.

## FORMAE, ORDINIS, SERIEI, DEDVCTIONIS LITERARVM.

Scripturæ modi uarij. Ab homine formantur ſeu potiùs depinguntur characteres, ex quorū connexione uoces, ex uocum continuata ſucceſſione, oratio conſurgit, nunc unico uerſu conſtans, nunc pluribus. Verſus autem metaphora ab agricolis deducta uocari cepit: quòd ut illic ſulco per longitudinē latitudinémue agri ducto uerſus fit, ſubinde alius atque alius ſuſpenſo uerſoq; aratro: ita hîc abſoluta linea, uerſio quædā fiat & reditus ad illud caput, à quo characteres exarare ceperamus. Termini ſcriptionis duo, A quo & Ad quē, diſponuntur uel ſecundum longitudinē uel ſecundum latitudinem. Secundum latitudinem quidē, uel à latere dextro in ſiniſtrum, motum primi mobilis ab Oriente in Occidentem imitando: qui ſcribendi modus Hebręis uſitatus eſt: uel à ſiniſtro in dextrum, qui motū planetarū uidetur ęmulari, à Græcis & Latinis introductus. Secundū longitudinē uerò, à ſummo ad infimū: & hinc rurſus aſcendendo & deſcendendo ueluti per ſpiras, quales Sol annuo motu per Zodiacum facere dicitur. Hunc ſcribendi morem Gothos ueteres in ſaxis uetuſtiſs. quæ etiamnū extent, obſeruaſſe ſcribit Olaus Magnus in hiſtoria Septentrionalium.

GRÆCI ſcribunt literas & calculis cōputant, à ſiniſtro in dextrum ferentes manum. AEGYPTII uerò & HEBRÆI à dextro in ſiniſtrum: & hoc facientes, aiunt ſe in dextrū, Græcos facere in ſiniſtrum. Herod. lib. 2. Hebræum morem illum Sex. Pōpeius Tæpocon à Græcis appellari ſcribit. Pauſanias lib. 5. in arca, qua ſeruatus eſt Cypſelus Corinthiorum tyrānus, dedicata Olympiæ in Iunonis fano, inciſas fuiſſe ait priſcis literis inſcriptiones quaſdam recto ordine & uſitato, alias in gyros reuolutas, quod Græci βουστροφηδὸν uocant: à fine ſcilicet prioris uerſus ſecundum uerſum conuertere, ut in diaulo curſu fit: ab arandi ratione ductum, cùm in extremo ſulci, in alterum ſulcum boues conuertuntur. Vnde Verſus dicti ſecundùm Iſidorum lib. 6. quia ita ſcribebant antiqui, ſicut aratur terra: à ſiniſtra enim ad dextram primùm deducebant ſtylum, deinde conuertebatur ab inferiore rurſus ad dextram uerſus: quos & hodie ruſtici uerſus uocant. Gyraldus Dialogo 1. Hiſt. poëtarum.

AVGVSTVS Imp. in more habuit non diuidere uerba, nec ab extrema parte uerſuum abundantes literas in alterū transfert, ſed ibidem ſtatim ſubijcit, circumducitq;. Suetonius.

## INSTRVMENTI TVM In quo ſcribitur.

Rudes illi ITALIÆ homines, quos Caſcos Ennius appellat, qui ſibi (ut in Rhetoricis Cicero ait) ritu ferino uictum quęrebant, ante chartæ & membranarum uſum, aut in dedolatis è ligno codicillis, aut in corticibus arborum mutua epiſtolarum alloquia miſſitabant. Vnde & portatores earū tabellarios, & ſcriptores à libris arborum, librarios uocauere. Hieronymus ad Nitiam. Hinc etiā Codices dicti, à Caudice.

Papyrum Alexandri Magni uictoria repertā, auctor eſt M. Varro, condita in AEGYPTO Alexandria. Antea nō fuiſſe chartarum uſum, ſic dictarum à loco, in quo conficiebantur, ipſo frutice in tenuiſſimas phylluras acu diuiſo. In palmarum foliis primò ſcriptitatum (ſic apud Verg. 6. Aen. --in foliis tantùm ne carmina manda) deinde quarundam arborum libris. Vnde Libri & Codices nomen traxere. Poſtea publica monumenta plumbeis uoluminibus, mox & priuata linteis confici cepta, aut ceris. Pugillarium enim uſum fuiſſe etiam ante Troiana tempora inuenimus apud Homerū. Illo uerò prodente, ne terram quidem ipſam totam fuiſſe, quæ nunc Aegyptus, intelligitur, cùm in Sebennytico ſaltem eius nomo omnis charta naſcatur. Poſtea adaggeratam Nilo. Siquidem à Pharo inſula, quæ nunc Alexandriæ ponte iungitur, noctis dieiq; uelifico nauigij curſu, terram fuiſſe prodidit. Mox æmulatione circa bibliothecas regum Ptolemæi & Eumenis, ſupprimente chartas Ptolemæo, idem Varro membranas à tectu membrorum dictas, Pergami tradidit repertas. Itaq; uulgò charta Pergamena dicitur. Poſtea ꝓmiſcuè patuit uſus rei, qua conſtat immortalitas hominum. Plinius lib. 13. c. 11. Idem tamen libro eodem, cap. 13. exēpla longè uetuſtiora chartarum recitat, de libris Numæ Pompilij, Sibyllæ, & Sarpedonis. Lōgè ueriora tradit Ioſephus in XII. Antiq. ab Eleazaro pontifice ſacros libros in tenuiſs. membranis ſcriptos per 72 interpretes ad Ptolemæum Philadelphū miſſos, tenuitatem membranæ, & incomprehenſibilem eorum compaginem, admirantem. Herodotus in quinto teſtis eſt, priſca conſuetudine in pellibus caprinis & ouillis eſſe ſcriptitatum: quas cùm Biblos uocarent priſci Iones, tranſlatum eſt inde hoc nomen ad ipſa ſcripta. Polyd. lib. 2. cap. 8. de Rerum inuent.

De uarijs chartarum generib. de Hieratica, quæ poſtea Auguſta: de Amphitheatrica, quæ & Fannia: de Saitica, de Tæniotica, de Emporetica, uide Plin. lib. 13. c. 11.

Papyri noſtratis, quæ ex contuſis fit linteis, incertus eſt auctor. Itaq; deorum potiùs, quàm hominum induſtria, uidetur reperta eſſe. De ea uaticinatam putat Theodorus Bibliander Sibyllam (αἴλινος αὐτόθι καιρὸς, ὅταν λίνος αὐτὸν ὀλεῖται) quādo filium perditionis lino periturū canit, hoc eſt, charta ex lino confecta, & uerbi diuini notis inſcripta.

MALABARES Indi in ſcribendo neq; charta utūtur, neq; papyro: ſed ſtylo in foliis arborum ſylueſtrium, quas, propter nonnullam ſimilitudinem, palmas appellant, literas exarāt. Multorum uerò ſeculorum memoriam libris ad hunc modum factis, diutiſſimè conſeruant. Multa eiuſmodi folia ita præcidunt, ut omnia longitudine paria ſint: in quib. annales & res hiſtoria dignas literis mandant. [illegible] extremitates perforant: his autem cōpingendis duo ligna cōplanata, & ad eum modū perforata coniungunt. Tum foliis ordine cōpoſitis, & lignis intrinſecus adiectis, utrinq; per foramina funiculos immittunt, & omnia complicant, & arcte



deuinciunt: & quod, poſt ita compactum uolumen, funiculorū utrinq; ſuperfluit, circa illud inuoluunt, & illud nodis aſtringunt. Quoties aūt legere uolunt, nodos laxant, & folia rurſus explicant. Oſorius lib. 2. rerū Emmanuelis. Poggius lib. 4. de Fortunæ uarietate.

*Quo ſcribitur.*

ROMANI olim ferreo graphio ſcribebant. Poſtea uerò oſſeo ſtylo uti cepere. Sic T. Quintius Atta in ſua comœdia inquit: Vertamus uomerem in ceram, mucroneque aremus oſſeo. Gyraldus Dialogo octauo hiſtoriæ Poëtarum.

## FINIS. SCRIPTIO *Occulta.*

*Huc Modi occultæ ſcripturæ. Cuius exempla inter Exercitationis grāmaticæ ſpecies infrà pertinent.*

AVGVSTVS Cæſar, quoties per notam ſcribit, B pro A, C pro B, ac deinceps eadem ratione ſequentes literas ponit: pro X autem duplex A A. Suetonius.

# GRAMMATICI LITERATI.

*Grammaticus & Grammatiſta Latinis ſunt Literatus & Literator, ut Suetonius docet. Sunt (ait) qui Literatum à Literatore diſtinguant, ut Græci Grammaticum à Grāmatiſta: & illum quidem abſolutè, hunc mediocriter doctum exiſtimant. Quorum opinionem Orbilius etiam exemplis confirmabat. Nam apud maiores (ait) cùm familia alicuius uenalis produceretur, non temerè quem Non literatum in titulo, ſed Literatorem inſcribi ſolitum eſſe, quaſi non perfectum literis, ſed imbutum.*

Meleſigenes, PHEMII ludimagiſtri Smyrnæi opum hæres, & ſcholæ ſucceſſor, in peregrinationibus cùm uiſum amiſiſſet, lingua Aeolica HOMERVS, quaſi cæcus dictus eſt, & ſcriptis ſuis arcem poëticæ occupauit.

ANAGALLIS, Corcyręa grammatica, Sphæræ inuentionem Nauſicaæ Alcinoi filiæ aſcribit. Suidas.

PAMPHILA in Grammatica cōmentarios ſcripſit, eiuſq; auctoritate utitur. Gellius lib. 15. c. 16. & Volat. lib. 18. Anthrop.

RHIANVS Cretenſis, uel Ithacenſis, primùm fuit palæſtrę cuſtos & ſeruus: deinde eruditus grammaticus euaſit, æqualis Eratoſthenis. Scripſit Heracliadem. Suidas.

PHILETAS Cous, filius Telephi, Philippi & Alexandri ętate, grammaticus Criticus: qui extenuatus in inquirendo ψευδομένῳ λόγῳ, obiit. Fuit præceptor Ptolemæi ſecundi. Scripſit epigrammata, & elegias. Idem.

ZENODOTVS Epheſius uerſificator & grammaticus, Philetæ diſcipulus, ſub Ptolemæo primo, primus Homeri corrector, bibliothecis Alexandrinis præfectus, & filiorum Ptolemæi præceptor. Idem.

ZENODOTVS Alexandrinus grammaticus, in urbem uocatus ad ea, quæ ab Ariſtarcho in poëta improbabantur. Scripſit aduerſus Platonem, de diis: de Homerica cōſuetudine: Solutiones Homericarum dubitationum: in Heſiodi Theogoniam, & alia multa. Idem.

CALLIMACHVS F. Batti & Meſatmes, Cyrenæus, diſcipulus Hermocratis Iaſenſis grammatici. Sororis eius filius fuit iunior Callimachus, qui uerſu de inſulis ſcripſit. Tanta fuit induſtria, ut quouis carminum genere poëmata ſcriberet. Sunt libelli eius amplius DCCC. Fuit tēporibus Ptolemæi Philadelphi: cui, priuſquam cōmendaretur, literas in uiculo Alexandriæ Eleuſine docuit, & uſq; ad Euergetē ætate proceſſit. Idem.

DAPHNIS ſeruus, grammaticus, à Cn. Piſaurenſi M. Scauro uenditus fuit, trib. millib. & 700. ſeſtertiis. Plin. lib. 7. c. 39.

ARISTOPHANES Byzantius grammaticus, filius Apellis tribuni militum, diſcipulus Callimachi & Zenodoti, Olympiade XLV. Suidas.

ARISTARCHVS Samothrax, Alexandrina ciuitate donatus, patre Ariſtarcho, claruit 156. Olymp. ſub Ptolemæo Philometore, cuius & filium erudiit: Scripſit commentariorum libros ſupra 800. Diſcipulus Ariſtophanis. Cū Cratete Mallote Pergameno diu certauit, & analogiam contra Cratetis anomaliam defendit. Diſcipulos plus quàm 40 reliquit. Obiit 72. anno ætatis, inedia ſeipſum propter hydropem cōficiens. Reliquit filios Ariſtarchum, & Ariſtagoram, ambos fatuos. Homericos uerſus in ordinem redegit & illuſtrauit, tanta licentia, ut in prouerbium abierit. Interrogatus, Cur ipſe non ſcriberet? reſpondit, Neq; ſe poſſe, quemadmodum uellet, ſcribere: neq; uelle, quemadmodum poſſet. Quidam eum ſub Piſiſtrato uixiſſe falſo arbitrantur. Gyraldus Dialogo 7. Hiſt. poët. ex Suida.

APOLLODORVS Athenienſis grammaticus, diſcipulus Panętij Rhodij, & Ariſtarchi grammatici; ſcripſit hiſtoriam Athenienſem. Cui Amphyctiones, ſanctiſſimum Græciæ concilium, honores habuerunt. Quod decus nulli (quod ſciam) contigit in aliquo genere artis, niſi Hippocrati, qui in peſtilentia auerruncanda fuit Græciæ utiliſſimus. Sabellicus lib. 10. cap. 8.

ASCLEPIADES Diotimi filius, Myrleanus (urbs hęc eſt Bithyniæ, poſterius Apamea uocata) à prima ſtirpe Nicænus, diſcipulus Apollonij. Vixit ſub Attalo & Eumene, Pergamenis regibus. Scripſit Philoſophicorū librorum correctiones. Docuit Romæ ſub Pompeio Magno. Scripſit multa. Suidas.

SOSIBIVS Lacedæmonius grammaticus, ex iis, qui ἐπιλυτικοί, à reſoluendo uel explicando, dicuntur. Idem.

Apud Romanos olim grammatica ne in uſu quidem, nedū in honore fuit, cùm bello potiùs quàm diſciplinis liberalibus operam darent. Antiquiſſimi poëtę & oratores, ut Liuius & Ennius, ſemigræci erant, & Græcè docebant: ſi quid Latinè cōpoſuiſſent, prælegebant. Primus itaq; ſtudium grammaticæ in urbem intulit CRATES Mallotes, Ariſtarchi æqualis: qui miſſus ad Senatum inter ſecundum & tertium bellū Punicum, ſub ipſam Ennij mortem, ab Attalo rege, cùm in Palatij regione in cloacæ foramen prolapſus crus fregiſſet, per omne legationis ſimul & ualetudinis tempus plurimas ἀκροάσεις fecit: ac Romanis exemplo fuit ad imitandū, præſertim C. Octauio Lampadioni, qui Næuij Punicū bellum, quod unico uolumine & continenti ſcriptura expoſitum erat, diuiſit in ſeptem libros: item Q. Vargunteio, qui Annales Ennij certis diebus in magna frequentia pronunciabat. Auxerunt deinde Lælius Lanuuinus gener Q. Aelij, & Seruius Clodius, equites Rom. Hæc Suetonius Tranquillus, ex quo etiam ſequentia ſumſimus.

LÆLIVS Præconinus, à patre præcone, & Iſtilo, quòd orationes nobiliſſimo cuiq; ſcribere ſoleret, Q. Metellum Numidicum in exilium comitatus eſt. Poſt hunc magis magiſq; gratia & cura artis increuit, ut ne clariſſimi quidem uiri abſtinuerint, quo minus & ipſi aliquid de ea ſcriberent: utq; temporibus quibuſdam ſupra 20 celebres ſcholæ fuiſſe in urbe tradantur. Clari profeſſores ſequentes fuerunt.

SÆVIVS Nicanor, Marci libertus, primus ad famam docendo peruenit. Ob infamiam quandam in Sardiniam ſeceſſit, & obiit.

AVR. Opilius, Epicurei cuiuſdam libertus, primò philoſophiā, mox rhetoricam, tandem grammaticam docuit. Dimiſſa autem ſchola, Rutilium Ruffum damnatum in Aſiam ſecutus, Smyrnæ conſenuit. Scripſit uaria.

M. ANTONIVS Gnipho, ingenuus in Gallia natus, ſed expoſitus, à nutritore ſuo manumiſſus, & inſtitutus Alexandriæ in contubernio Dionyſij Scythobrachionis: magno ingenio fuit, & ſingulari memoria, comis & liberalis, nunquam de mercede pactus. Docuit primùm in C. Iulij Cæſaris domo, pueri adhuc: deinde in ſua priuata. Grammaticæ Rhetoricam coniunxit. Eius ſcholam etiam M. Cicero prætor intrauit. Multa ſcripſit.

M. POMPILIVS Andronicus Syrus, Epicureæ ſectæ ſtudio, in profeſſione grammatica deſidioſior fuit, minuſque idoneus ad tuendam ſcholam. Itaque cùm ſe in urbe non ſolùm Antonio Gniphoni, ſed peſſimis etiam quibuſuis poſtponi uideret, Cumas ſeceſſit, & ibi in otio pauperrimus uixit, multaq; compoſuit.

ORBILIVS Pupillus Beneuentanus, primò apparitor, inde miles, mox ad ſtudia rediit, & in patria docuit. Anno demū 50 Romam tranſiit, Cicerone conſule: docuitq; maiore fama quàm emolumento. Acerbus fuit in reprehendendo, & plagoſus. Vixit propè ad centeſimum annum, & memoriā amiſit. Statua eius Beneuenti in Capitolio oſtenditur marmorea, ſedentis ac palliati, appoſitis duobus ſcriniis. Reliquit filium Orbilium grammaticum.

ATTEIVM Philologum Athenienſem, libertinum, Capito Atteius Iureconſ. inter grammaticos rhetorem, inter rhetores grammaticū fuiſſe ait. Diſcipulus fuit Antonij Gniphonis. Erudiit multos nobiles adoleſcentes: inter quos etiam duo Claudij, Appius & Pulcer, fuēre, quorum comes in prouincia fuit. Philologum ſe ob uariam eruditionem appellauit. Coluit C. Salluſtium, & eo defuncto Aſinium Pollionem, quos in ſcribenda hiſtoria aliquantum iuuit.

VAL. Cato, Burſenni libertus ex Gallia, Syllanis temporibus patrimonio exutus, docuit nobiles multos. Vnde diſtichon illud:

Cato grammaticus, Latina Siren,
Qui ſolus legit & facit poëtas.

Senex obiit, in magna paupertie, cùm uilla eius Tuſculana creditoribus ceſſiſſet. Auctor eius carminis à Gyraldo exiſtimatur, quod Vergilio tribuunt, & Diras uocant.

CORN. Epicadus, & L. Corn. Syllæ dictatoris libertus, filio eius Fauſto gratiſſimus fuit. Librum, quem Sylla de ſuis reb. imperfectum reliquerat, ipſe ſuppleuit.

L. TA-

L. TABERIVS Hiera, ſuo hero emtus de cataſta, & propter literarum ſtudium manumiſſus, docuit inter cęteros Brutum & Caſſium. Temporibus Syllanis, proſcriptorum liberos gratis & ſine ulla mercede in diſciplinam recepit.

CVRTIVS Nicia, Gn. Pompeij & C. Memmij amicus, item & Ciceronis. Sed cùm codicillos Memmij ad Pompeij uxorē de ſtupro pertuliſſet, proditus ab ea, Pompeium offendit, domoq; ei interdictum eſt.

LENÆVS Pompeij Magni libertus, & penè omnium expeditionum comes, eo cum filiis ſublato, ſchola ſe ſuſtentauit: docuitq; in Carinis, ad Telluris ædem. Hic in Saluſtium pro Pompeio Satyram acerbiſſimam ſcripſit.

Q. CÆCILIVS Epirota, Tuſculanus, libertus Attici Satyrij equitis Rom. ad quem ſunt Cicerouis epiſtolæ. Cùm filiā patroni nuptā M. Agrippæ doceret, ſuſpectus in ea, & ob hoc remotus, ad Corn. Gallum ſe contulit: quod ipſi Gallo inter grauiſſima crimina ab Auguſto obiicitur. Poſt damnationē mortemq; Galli, ſcholam aperuit: ſed ita, ut paucis, & adoleſcentibus tantùm, prætextato nemini, niſi ſi cuius parenti hoc officium negare non poſſet. Primus Latinè extemporè diſputauit, primusq; Vergilium & alios poetas nouos prę legere cœpit. Vnde Domitij Marſi uerſiculus:

Epeirota tenellorum nutricula uatum.

VERRIVS Flaccus libertinus docendi genere maximè inclaruit, cùm pueros inter ſe cōmitteret, nō ſolùm materia quā ſcriberent, uerumetiam præmio propoſito. id erat liber aliquis antiquus, pulcer, aut rarior. Quare ab Auguſto præceptor quoq; nepotibus eius electus, tranſiit in Palatium cū tota ſchola. Docuit in atrio domus Catilinæ, & ſextertia cē tena in annum accepit. Sub Tiberio obiit. Præneſte ſtatua ei poſita eſt, propter faſtos ordinatos.

L. CRASSITIVS Tarentinus, libertinus, cognomine Panſa, initiò circa ſcenam uerſatus eſt: deinde in Pergula docuit, donec commentario Smyrnæ edito plurimū inclaruit. Nobiles multos erudiuit, & in his Iul. Antonium Triumuiri filium, ut Verrio quoq; Flacco compateretur. Sed dimiſſa repentè ſchola, tranſiit ad Q. Septimij philoſophi ſectam.

SCRIBONIVS Aphrodiſius, Orbilij ſeruus & diſcipulus, à Scribonia Libonis filia, priore uxore Auguſti, redemtus & manumiſſus, coæqualis & æmulus Verrij fuit.

C. IVL. Hyginus, Hiſpan⁹, Auguſti libertus, imitatus eſt Corn. Alexandrum grammaticum Græcum, Polyhiſtora cognomine. Præfuit Palatinæ bibliothecæ, plurimosq; docuit. Familiariſſimus fuit Ouidio poetæ, & C. Licinio conſulari hiſtorico, qui inopiam eius ſuſtentauit. Huius libertus fuit Iulius Modeſtus, patroni ſtudia imitatus.

C. MELISSVS Spoleti natus ingenuus, ſed ob diſcordiam parentum expoſitus, literas didicit: & Mecœnati pro Grammatico dono datus, ab eo manumiſſus, curam ordinandarum bibliothecam in Octauiæ porticu ſuſcepit. Anno ætatis 60 libellos Ineptiarum ſiue Iocorum ſcripſit.

M. POMPONIVS Marcellus, pugil olim, ſermonis Latini exactor moleſtiſſimus, in aduocatione quadā (nam interdū & cauſas agebat) ſolœciſmum ab aduerſario tanta acerbitate reprehendit, ut Caſſius Seuerus interpellatis iudicibus dilationem petierit, quoad litigator ſuus alium adhiberet grammaticum: quādoquidem non de iure, ſed de ſolœciſmo controuerſia ageretur. Idem cùm ex oratione Tiberiū Cæſarem reprehendiſſet, affirmante Atteio Capitone, & eſſe illud Latinum, & ſi non eſſet, futurum certè: Iam inde mētitur Capito, inquit. Tu enim Cæſar ciuitatem dare potes hominibus, uerbis non potes.

Q. RHEMMIVS Palęmon, Veicetinus, mulieris uerna primò, ut ferunt, Textrinum, deinde herilem filium dum comitatur in ſcholas, literas didicit. Poſtea manumiſſus, Romæ docuit, & Grammaticorum princeps fuit: quanquam omnibus uitiis infamis, ut nemini minus inſtitutionem puerorū uel iuuenum committendam Tiberius & mox Claudius Impp. prædicarent. Capiebat tamen homines cùm memoria rerū, tum facilitate ſermonis, & poemata extemporè faciebat. Arrogantia fuit tanta, ut M. Varronem porcum appellaret: ſecum & natas & morituras literas iactaret. De ſe, tanquam critico ſummo, Vergilium in Bucolicis præſagiuiſſe aſſerebat, quando Palæmoni iudicium inter paſtorum carmina committit. Luxuriæ dediti ſſimus fuit, libidinoſiſſimus uſq; ad infamiam oris, ſimul & auarus.

M. VAL. Probus Berytius centurionatum diu fruſtrà petiit, donec tædio ad ſtudia ſe contulit. Totus fuit in antiquorum ſcriptis emendandis, diſtinguendis & adnotandis: nulli prę terea grammatices parti deditus. Hic non tam diſcipulos quàm ſectatores habuit. Reliquit obſeruationes ſermonis antiqui. Hæc hactenus ex Tranquillo.

SPVRIVS Carbilius Romæ ludum grammaticę aperuit, mercede docens. G literam primus inuenit, quum pro ea C litera priùs uterentur. Libertus eius Carbilij, qui primus uxorem apud Rom. repudiauit. Rauiſius.

TIMAGENES Alexandrinus ſub Pompeio Magno captiuus Romam ductus, à Gabinio eſt emtus. Docuit Romæ uſque ad Auguſti tempora.

ASINIVS Pollio Trallianus, docuit Romæ tēpore Pompeij Magni. Succeſſit ſcholæ Timagenis. Scripſit bellum ciuile Cæſaris & Pompeij.

TRYPHON Ammonij F. Alexandrinus, grammaticus & poeta, Auguſti temporibus, & antè. Scripſit multa. Suidas.

C. SVETONIVS Tranquillus, grammaticus Romanus, ſcripſit uaria. Suidas.

TYRANNIO, Epicratidis & Lindiæ Alexandrinæ F. Amiſenus, ſub Pōpeio Magno, diſcipulus Heſtiæi Amiſeni, à quo Tyrānio dictus eſt, ꝙ exagitaret cō diſcipulos, cū Theophraſtus antea diceretur. Aemulus Demetrij Erythręi. In excidio urbis pōticæ Amiſi captus à Lucullo, & Murenæ petēti donatus, manumiſſus fuit ab eo. Vſus eſt eo munere Murena illiberaliter. Nolebat enim inſigni uirū eruditione Lucullus e prius ſeruū fieri, inde libertinū. Quippe ereptio præſentis erat illa ſimulatæ libertatis donatio. Habuit tria librorū millia. Et Ariſtotelis libros à Sylla Athenis allatos correxit. Podagra confectus ſenex obiit. Suidas & Plut. in Lucullo.

TYRANNIO iunior, Phœnix, Artemidori F. diſcipulus Tyrannionis ſenioris: unde & Tyrannio dictus eſt, cùm Diocles antè uocaretur. Captus & ipſe bello Antonij & Cæſaris, à quodam Dymante liberto Cæſaris emtus, deinde Terentiæ donatus Ciceronis uxori, ab eaq; manumiſſus, Romæ docuit: & libros ſcripſit octo & ſexaginta. Suidas.

ALEXANDER Mileſius, qui & Polyhiſtor, & Cornelius cognominatus, eo quòd Cornelio Lentulo uenditus, eius pædagogus factus eſt, & poſtea manumiſſus, Syllæ temporibus Laurenti periit, ædibus, in quibus erat, flamma cōſumptis. Vxor laqueo ſibi conſciuit necem. Fuit Cratetis diſcipulus: & libros ſcripſit innumerabiles, & de Roma libros quinque, in quibus ait: Hebręam fuiſſe mulierem Moſo nomine, cuius ſcriptum ſit lex Hebræorum. Suidas.

Chalcenterum appellatum tradunt grammaticum DIDYMVM Alexandrinum, ſub Auguſto, Didymi ſalſamentarij F. ob infatigabile ſtudium: ſicuti à Demetrio Trœzenio (ut ſcribit Athenæus lib. 4. cap. 4.) dicebatur Bibliolathas, ex uoluminum numeroſitate, quæ incredibiliter concinnaſſet, quando fuêre tria millia ſuper quingenta. In quorum ſex uaniſſimè in Ciceronem inuehitur, ſillographos imitatus maledicos ſcriptores. Cælius lib. 19. cap. 9. A. L.

SELEVCVS Alexandrinus, cognomento Homericus, Romæ docuit. Commentarios ſcripſit in omnes penè poetas. De Diis libros centum. Suidas.

DEMETRIVS Adramyttenus, temporibus Auguſti, Pergami degebat. Ixion dictus, quòd in aurearum bractearum Alexandrinæ Iunonis furto eſſet deprehenſus: aut, quòd Euripideum Philotimum Ixione fabula ſpoliaſſet. Alij tradūt, quòd cum Ariſtarcho magiſtro contendens, Ixionis ingratitudinem fuerit æmulatus. Scripſit de uerbis in μι deſinentibus, enarrationem Homeri atque Heſiodi. Suidas.

LVPERCVS Berytius grammaticus, paulo ante Claudij Cæſaris poſterioris tempora. Scripſit de particula ἄν, quæ poſſe, debere, uelle, ſolere aliquid fieri ſignificat, 3 libros. Suid.

APOLLONIVS Alexandrinus Romæ docuit ſub Claudio, auditor Apionis Mochthi. Feruntur eius libri de Grammatica duo. Anterotis nomen obtinuit, propter mutuum amorem Heraclidis Pontici. Suidas.

APION Pliſtonici filius, cognomēto Mochthus, id eſt labor, Alexandrinus uel Cretenſis, diſcipulus Apollonij Archibij, docuit Romæ ſub Tiberio Cæſare, & Claudio: ſucceſſor Theonis grammatici, æqualis Dionyſij Halicarnaſſei. Scripſit hiſtoriam de ſingulis gentibus, & alia. Suidas.

DIONYSIVS Alexandrinus Glauci F. à Nerone uſq; ad Traianum docuit, ac bibliothecis præfuit. Fuit & ab epiſtolis, & à reſponſis, & legationes obiit: præceptor Parthenij grammatici, diſcipulus Chæremonis philoſophi, cui etiam Alexandriæ ſucceſſit. Suidas.

EPAPHRODITVS Chæronenſis grammaticus, Archiæ Alexandrini grammatici alumnus: à quo inſtitutus, à Modeſto Aegypti præſide emtus eſt: cuius filium cùm inſtituiſſet, Romæ claruit ſub Nerone, uſq; ad Neruam, quo tempore Ptolemæus etiam, Hephæſtionis F. uixit. Cùm autem ſubinde libros mercaretur, ad 30000 coegit, eosq; bonos & exquiſitos. Corpore fuit magno & nigro, inſtar elephanti. Deceſſit anno ætatis 75, ſcriptis compluribus relictis. Suidas.

IVL. POLLVX Naucratica grāmaticus, ſub Commodo principe docebat Athenis: ſcripſit ad Commodum Imperatorē Onomaſticon libris 10. & alia quædam, quæ non extant. Eum Philoſtratus inter Sophiſtas ponit: cuius characterem in dicendo narrat, nec laudans, nec uituperans. Volat. lib. 18. Anthrop. ex Suida.

APOLLONIVS Archibius Alexandrinus, docuit Romæ ſub Traiano principe. Scripſit cōmentaria in Epigr. Callimachi.

AVL. GEL-



AVL. GELLIVS tempore Traiani ſcripſit Noctes Atticas. Fauorinā maximè coluit. Hunc alij Agellium uocant. Aequalis eius FIDVS Optatus, qui librum Aeneidos Vergilij autographum in Sigillariis XX. aureis redemit. Gell. lib. 2. c. 3.

DOMITIVS Inſanus, grammaticus in urbe Roma, id cognomentum adeptus eſt, quòd eſſet intractabilis, & ualde moroſus. Gellius lib. 18. cap. 7.

NICANOR Hermiæ filius Alexādrinus, ſub Adriano Cęſare. Scripſit de punctis apud Homerum, & quod diſcrimen in ſententiis inde exiſtat. De punctis in uniuerſum libros ſex: & horum epitomen, librum unum. De punctis Callimachi. De uoce ὦναξ, id eſt, ô rex, & de puncto, & alia. Ob qđ opus à quibuſdam per deriſum Stigmatias, id eſt, Notis compunctus uocabatur. Suidas.

ATHENÆVS Naucratita grammaticus, tempore Antonini, ſcripſit librum Dipnoſophiſtarum, in quo cōmemorat eos, qui inter ueteres ſplendidi conuiuatores habiti ſunt. Suid.

Aelius DONATVS grammaticus, D. Hieronymi præceptor, Romę cum Victorino rhetore, ethnicus. Sigonius lib. 5 Imp. occid. Cùm de Iuliani Imp. Apoſtatæ morte nuncius Romā perlatus eſſet, iocabūdus dixit: Quomodo Chriſtiani dicūt Deum ſuum eſſe patientem & ἀνεξίκακον? nihil iracundius, nihil hoc furore præſentius, ne modico quidem ſpacio indignationem ſuam perferre potuiſſe.

EVGENIVS Grammaticus, ob eloquentiam aſcitus in palatium Valentiniani iunioris Imp. Arbogaſti Gothi ducis auxilio, Imp. noctu Viennæ Galliæ ſuffocat, de laqueo ſuſpendit, imperium Occidentis arripit. Eum non ſine ſanguine & diuina ope, quando humana iam nutare cęperant auxilia, Theodoſius Imp. Orientis ſuperauit. Socrates lib. 5. cap. 25. & Hieronymus in Epitaphio Nepotiani, anno Sal. 394.

PRISCIANVS Cæſarienſis ſcripſit de arte Grāmatica ad Iulianum coſs. Ad Coſroen uerò Perſarum regem, librum de Naturalibus quæſtionibus, conuertit in Latinum ſermonē. De ſitu orbis carmina edidit. Claruit Athenis tempore Iuſtiniani principis. Volat. lib. 18. Anthrop.

HELLADIVS grammaticus Alexandrinus, ſub Theodoſio iuniore ſcripſit Lexicon ex ordine literarum. Item de laudibus Theodoſij, & quædam alia.

LONGINVS Caſſius, Porphyrij philoſophi præceptor, multæ eruditionis, criticus. Vixit Aureliani temporib. ab eodē interemtus, quòd cum Zenobia conſueſſet, Odenati uxore. Cælius lib. 18. c. 26. A. L. ex Suida, & Eunapij Porphyrio.

AMMONIANVS grammaticus, Syriani philoſophi cognatus, proceritate corporis atq; ſalubritate ei ſimillimus, enarrationem poetarum, & Græcæ dictionis correctione artem occupatam diligebat. Hic Ammonianus ille fuit, cui contigit aſinum habere ſapientiæ auditorem. Suidas.

PALLADAS Grammaticus in primo Epigramm. Græcorum ſic de ſeipſo ſcribit:

μῆνις ἀχιλλῆος καὶ ἐμοὶ πρόφασις γεγένηται
οὐλομένης πενίης γραμματικευσαμένῳ.
εἴθε δὲ σὺν δαναοῖς με κατέκτανε μῆνις ἐκείνη,
πρὶν χαλεπὸς λιμὸς γραμματικῆς ὀλέσῃ.
ἀλλ' ἵν' ἀφαρπάξῃ βρισηΐδα πρὶν ἀγαμέμνων,
τὴν δ' ἑλένην ὁ Πάρις, πτωχὸς ἐγὼ γένομαι.

Grammatici Burdigalenſes celebrati Auſonij carminibus, LEONTIVS Beatus, cum fratre Iucundo, Phœbicius & Macrinius. cui Auſonij — principiò Credita puerities Nil opis inde tulit. Item, Herculanus ſororis F. Thalaſſus, Citarius Syracuſanus, Nepotianus, Attilius Glabrio. Item, Ammonius Anaſtaſius Pictauienſis, Marcellus Narbonenſis, Criſpus, & Vrbicus.

DIOSCORIVS Myreus, grammaticus, præfectus prætorio Leonis imperatoris, & præceptor filiorum eius.

CHALCIDIVS Græcus grammaticus, diſtinctionibus in primis inuigilabat. Lexicon ſcripſit, quod obitu ipſius ſuperueniente Iouinianus eius diſcipulus ſibi uendicauit. Volaterranus lib. 21. Anthrop.

CONSTANTINVS Conſtātinopolitanus Meſſanæ docuit, & paruum Grammaticę Græcæ opuſculum edidit. Volaterranus lib. 2. Anthrop.

DOMITIVS Calderinus, patria Veronenſis, acri uir ingenio, primus qui ſuo ſeculo poëtas duriuſculos diligentiùs cœperit enarrare, & in eos commentarios edere admodum iuuenis. Volater. lib. 21. Anthrop.

Grammaticorum nomen priſci affectarunt complures, ob iudicandi auctoritatem, à qua Critici ſunt dicti. Nec ætate noſtra defuerunt doctiſſimi, qui ornari ſe appellatione eiuſmodi arbitrati ſunt: inter quos ANGELVS Politianus, & ANTONIVS Nebriſſenſis Hiſpanus: qui pro uaria & latè patenti eruditione, quum eſſet diligenter in omni ſcriptorum genere uerſatus, potuiſſet quodcunq; nomē uſurpare, non ſolùm cum bona profeſſorum eiuſce artis uenia, ſed cum magna etiam lætitia, quòd non parum gloriæ profeſſioni ſuæ acceſſurum ex huiuſmodi hominis ſplendore, & nominis celebritate exiſtimaſſent: nihil tamen dici & haberi maluit quàm Grammaticus. Nec PIVS II. pontifex urbis Romæ nomen eiuſmodi abhorruit. Lud. Viues de Cauſis corruptarum artium libro 2.

GVARINVS Veronenſis nomen magnum adeptus in Latina lingua uindicanda, quanquam maiore affectu quàm ingenio, felix diſcipulorum profectu: quorum celebritas, quantus uir ille fuerit, facilè declarauit. Parem laudem in eo genere adeptus VICTORINVS Feltrenſis, Guarini æqualis, & in principum affectatione æmulus: Gonziacis hic familiaris, ille Eſtenſibus. Sab. lib. 14. En. 10.

FRANCISCVS Philelphus, ætatis ſuæ homo doctus & fortunatus, inter ſui æui poëtas famam carmine primùm auſpicatus eſt: à principibuſq;, qui eo tempore floruerunt, magnis honoribus, & re familiari auct⁹, & honeſtatus fuit. Cuius uitia ineuntis adoleſcentiæ, poſtquam deferbuere cupiditates, cùm iam ętate matura ſeneſceret, magnis poſtea uirtutibus emendauit. Alex. lib. 1. cap. 23.

ANT. VRCEVS Brixienſis patria, Grammaticus clariſs. cùm eſſet Foroliuij, accidit, ut princeps Foroliuienſium Pinus, Antonio ſe commendaret, in uia fortè ſibi obuiam facto. Cui Antonius ſubridens, Dij boni, inquit, quàm bene ſe rę habeat, uidetis: Iupiter Codro ſe commendat. Hinc omnes eum mutato nomine Codrum appellauerunt. Ex eius ſchola uiri doctiſs. prodiêre. Inter cæteros Phil. Beroaldus iunior. Bartholomæus Bononienſis in uita Codri.

IO. Ant. Campanus natione, patre ruſtico, Neapoli Laur. Vallam audiuit, qui illi uni ex tot hominum millibus in diſputando palmam permittebat. Peruſij literas docuit. Pio II. pontifici gratiſſimus Teramenſis epiſcopus creatur. Ob liberiorem reprehenſionem Sixti IIII. in damnationem incurrit, & in exilium Neapolim abiit. Mœrore inde cōfectus, Senæ obiit quinquagenario maior, anno Sal. 1477. Scripſit inter cætera Vrbinatium hiſtoriam. In oratoria certè & poętica eo tempore primam laudem meruit. Michael Fernus in eius uita.

## GRAMMATICI INDOCTI. LITERATORES.

THESTORIDES Phocenſis ludimagiſter imperitus, cùm Homeri hoſpitis eruditionem ſubodoratus eſſet, eum domum ſuam recepit, ea lege, ut carmina, quæ faceret, ad ſe deferret, & à ſe deſcribi pateretur. Fecit ergo apud illum minorem Iliada, & Phocaidem. Quorum copiam nactus ille, in Chium conceſſit, erectoq; ibi ludo, carmina illa pro ſuis, magna omnium cum admiratione, publicauit. Herodotus in Homeri uita.

Alcibiades, ubi ex pueris exceſſit, adiit LVDIMAGISTRVM, poſtulauitque uolumen Homeri. Qui cùm nihil ſe diceret Homeri habere, inflicto colapho reliquit eū. Cùm ALIVS habere diceret ſe Homerum, quem ipſe emendaſſet: Et tu, inquit, literas doces, qui uales emendare Homerum? Quin iuuenes inſtruis? Plut. in Alcibiade.

De HELIODORO literatore ſic ſcribit Lucillius in ſecundo Græcorum Epigramm.

Αν τοῦ γραμματικοῦ μνησθῶ μόνον ἡλιοδώρου,
εὐθὺ σολοικίζον τὸ στόμα μου δέδεται.

In AVXILIVM Grammaticum Auſonius ſic inuehitur:

Emendata poteſt quænam uox eſſe magiſtri,
Nomen qui proprium cum uitio loquitur?
Auxilium te nempe uocas, inſcite magiſter:
Da rectum caſum, iam ſolecismus eris.

Auſonius ad PHILOMVSVM, qui arbitrabatur ſe doctum, librorum copia:

Emtis quòd libris tibi bibliotheca referta eſt,
Doctum & grammaticum te, Philomuſe, putas.
Hoc genere & chordas, & plectra, & barbita conde,
Omnia mercatus, cras citharœdus eris.

PAPIAS grammaticus, è regione Tranſpadana oriundus, tempore Innocentij III. pontificis, ſcripſit Dictionarium Latinum ex ordine literarum, quo aliquandiu ſibi auctoritatē apud imperitos cōparauit. Volater. lib. 18. Anthropol.

MARTINVS quidam inſigne apud Danos nomen habuit, quòd grammaticulis metaphyſica proponeret perdiſcenda, miſceretq; inaniter longiſſimè diſtantia, inuento ridiculo opere modorum ſignificandi: in quo uſq; hodie magnis boatibus tonant muti grammaticelli, quaſi rotati uertigine, quum nunquam ad elocutionem perueniant: inde gloriam captantes, unde rideri merentur homines inepti. Hic oratorem egit Erici IX. Danorum regis Romæ, apud Clementem V. Cranzius lib. 8. Metrop. cap. 56.

# EXERCITATIO GRAMMATICA CONSIDERATA RESPECTV VOCIS SEV DICTIONIS IN

## COMPOSITIONE, FLEXIONE

### RECTA

*Non obſeruata. Solœciſmi, Barbariſmi.*

Hammonis SACERDOS, quum adeuntem Alexādrum Græcè cuperet ſalutare, ac παιδίον, id eſt, filiole, uellet dicere, per barbariem παῖδιος (inquit) id eſt, Iouis fili. Vnde cœleſtis originis captata creditur gratia, cui initia error dederit. Cælius lib. 22. cap. 20. A. L.

CHRYSIPPO Stoico, qui plurima ſcripſit, ſolœciſmus familiaris fuit: teſte Galeno lib. 2. de Hipp. & Plat. decretis, cap. 5.

DATIS quiſpiam erat Perſarum ſatrapes, ſub Dario rege excellens in rei bellicæ gloria: Græcè loqui conatus conſueuerat dicere, ἥδομαι, καὶ εὐφραίνομαι, καὶ χαίρομαι. id eſt, Delector, gaudeo, lætor. Ea cùm ſæpiùs ac malè Græcè pronunciaret, res in uulgi iocum abiit, Δάτιδος μέλος. Suidas.

Νῦν τοῦτ᾽ ἐκεῖν᾽ ἥκει τὸ Δάτιδος μέλος,
ὃ δειφόμενός ποτ᾽ ἦδε τῆς μεσημβρίας,
ὡς ἥδομαι καὶ τέρπομαι καὶ χαίρομαι. *id eſt,*
Adeſt, ut aiunt, cantilena Datidis,
Quod maſtrupans is cecinit in meridie,
Vt lætor, ut delector, utq; gaudeo.

Interpres Ariſtophanis in Pace addit, Datiſmum uſurpari pro barbariſmo, eo quòd χαίρομαι dixerit pro χαίρω, ſecutus uocum conſonantiam, τὸ ὁμοιοκατάληκτον. Nam χαίρομαι Græcis non dicitur. Eraſmus in Adagiis, & Cælius libro uigeſimonono, capite decimotertio.

Cùm rebellaſſent Athenienſes, DEMETRIVS Poliorcetes capta urbe, quæ iam fame macerabatur, illicò pro concione, quæ ei erat aduocata, largitus eſt dono iis frumentum. De quo cùm ad populum uerba faceret, eſſetq; locutus barbarè: quidam ex iis, qui in concione ſedebant, quemadmodū uerbum illud eloquendum eſſet, ſucclamauit. Tum ille: Ergo huius quoq; emendationis gratia, altera uobis quina millia medimnûm dono. Plut. in Apophthegmatibus. Suidas in uoce θεραῶ ſic ſcribit: Cùm ſub Alexandri ſucceſſoribus Athenienſes pecunia egerent, & quidam PEREGRINVS ſe mutuam illis daturum δανειῶ barbarè promiſiſſet: tumultuati, benignitatem eius repudiarunt. Sed cùm errore correcto δανείσω dixiſſet: tum demum liberalitate eius uſi, hominem collaudarunt.

Martialis in primo Epigrammatum CÆCILIANVM ſolœcizantem ſic inſectatur:

Cùm dixi Ficus, rides quaſi barbara uerba,
Et dici Ficos, Cæciliane iubes.
Dicemus ficus, quas ſcimus in arbore naſci,
Dicemus ficus, Cæciliane, tuos.

Hinc colligit Priſcianus, & uitium & fructum, poſſe quartæ eſſe declinationis, genere autem differre. Verùm à L. Valla reprehenditur, quòd pro uitio ſecundæ tantùm ſit, & propterea in ultimo uerſu pro Ficus, Ficos legi debere. Cæterùm Priſcianū reprehendens Valla, etiam ipſe labitur, dum pro fructu quartæ declinationis ficum eſſe uult, maſculino genere. Semper enim & pro fructu & pro arbore feminini generis eſt. P. Ramus lib. 13. Scholarum gram.

De RVFO rhetore Pictauienſe imperito, ſic ſcribit Auſonius.

Qui Reminiſco putat ſe dicere poſſe Latinè,
Hic ubi Co ſcriptum eſt, legeret Cor, ſi cor haberet.

DEMOSTHENES Valentis Imp. legatus, miſſus ad Baſilium Magnum, cùm in eum uehementer debaccharetur, barbariſmo quodam fortè lapſus eſt. Ad quod riſu Baſilius exclamauit: Vidimus & nos Demoſthenē ſine literis. At cùm importuniùs oblateraret, ita obiurgauit, Tuum eſt de pulmentariis cogitare, & non diuina dogmata decoquere. Sozom. libro ſexto, capite 16.

PRESBYTER quidam Bauarus, Latinæ linguæ ignarus, baptizarat puerum, In nomine patria, filia, & ſpiritus ſancta. Bonifacius epiſcopus Moguntinus puerum iuſſerat rebaptizari: Saleburgenſis epiſcopus Virgilius, & Sidonius pontifex Laureacenſis apud Boios, baptiſmum ratum eſſe uolebant. Turbæ excitatæ erant maximæ. Zacharias pontifex Rom. diſſidium ſoluit, & Virgilij opinionem confirmauit, circa annum Chriſti 745. Auentinus libro tertio Annalium. Gregorius III. in epiſtola ſecunda ad Bonifacium inquit: Illi qui baptizati ſunt per diuerſitatem & declinationē linguarum gentilitatis, tamen quia in nomine Trinitatis baptizati ſunt, oportet eos per manus impoſitionē & ſacri chriſmatis unctionem confirmari.

BARTOLVS Iureconſultorū neotericorum princeps, uti cætera bene, ita hoc malè, cum ſummo tamen applauſu dixit, De uerbibus non curat Iureconſultus. Lud. Viues libro I. Corrup. diſciplinarum.

PARISIENSES olim Theologi eò confidentiæ proceſſere, ut ſacrarum literarum profeſſoribus merum imperium in omnes artes & ſcientias attribuerent, & uel inuito Priſciano, Ego amat, ſi non Grammaticè, at certè Theologicè dici poſſe, affirmarēt. Vix demum ſynodo Pariſiis habita, barbaries ſeuero edicto coërceri potuit. Cuius rei memoria extat in uetuſtis exemplis Magiſtri ſententiarum Lutetiæ excuſi. P. Ramus lib. 2. Scholarum grammaticarum.

SIGISMVNDVS Imp. cùm in concilio Conſtantienſi, lapſu fortè linguæ, alioqui diſertus ac facundus, multarumq; linguarum peritus, à Grammaticæ regulis aberraſſet, & ſchiſma maſculino, non neutro genere (ut Grammatici docent) protuliſſet, à Placentino reprehēſus eſt Cardinale. Cui mox extemporè dixit: Placentine, Placētine, ut omnibus placeas, minimè nobis places, qui minoris nos auctoritatis quàm Priſcianum grammaticum, quem offendiſſe me aſſeris, exiſtimas. Maximo omnium, qui aderāt, cachinno ſuſcepta eſt Cæſaris excuſatio. Cuſpinianus.

SODALIS quidam noſter Lutetiæ, inquit Viues, quoties diſputaret, tot ſolœciſmis, tot barbariſmis, ut intelligi à nemine poſſet: Suppoſita, inquiebat, incongruitate. Lud. Viues de cauſis corrupt. artium lib. I.

### NVMEROSA VEL

*Obſeruata.*

ERASMVS Roterodamus per iocum Thomæ Linacro uiro eruditiſs. epiſtolam ſcripſerat metro trochaico tetrametro, ſed ita temperata compoſitione, ut aliud agenti non ſuboleret eſſe carmen. Admonuerat in epiſtolæ frontiſpicio, ut ſibi caueret: nam ſibi in animo eſſe ipſum ea epiſtola fallere: in calce etiam adiecerat, ſeſe iam feſelliſſe, niſi falleretur. Eraſmus de Conſcrib. Epiſt.

## PRONVNCIATIONE.

Quo ad

### TONVM IN

*Oratione.*

D. AVGVSTINVS in libris Confeſſionum narrat, ſibi etiamnum puero in ſcholis frequenter acclamatum fuiſſe, ubi Iunonis apud Maronem in Troianos ſtomachantis uerba & affectus feliciùs cæteris adumbraſſet. Eraſmus Roterod. de Ratione conſcrib. epiſt.

*Vocibus ſingulis.*

DEMOSTHENES adhuc iuuenis cùm pro cōcione per Aeſculapium iurans, non ἀσκληπιὸν, ſed proparoxytone ἀσκλήπιον pronunciaſſet, quòd is deus ἤπιος, hoc eſt, propitius eſſet: à populo tamen nouitatis cauſa exploſus eſt. Cùm non ſatis aptè omnia pronunciaret, ſæpius à Satyro deriſus eſt. Literam primā ſuæ artis, R ſcilicet, difficulter pronuncians, lapides in os accipiens, habitum loquendi ſibi fecit. Volat. & Alex. lib. 6. cap. 14. ex Plutarcho. Eubulides Mileſius, Megaricæ ſectæ aſſecla, Demoſthenem docuit P literam pronunciare. Laertius.

### TEMPVS.

De MARCO quodam corripiente primam ſyllabam nominum Facundia & Facundus, ſic ludit Henricus Stephanus in Epigrammatis:

Dum laudaretur Marco facundia Galli,
Fraudata eſt metro uox ea ſæpe ſuo.
Laudibus ac tandem miſcens ubi uota, precatur,
Vt longùm hæc terras lingua facunda colat:
Tunc ego: Quam terris longùm uis Marce morari,
Omine non fauſto cur facis eſſe breuem?

In QVENDAM alium, qui primam uocis Facetus ſyllabam produxerat, hæc ſcribit:

Ille, poëtarum quos ſecula noſtra tulêre
Magnus Ariſtarchus (iactat ut ipſe quidem)
Verſibus in paucis, quos iam declamat ubiq;,
Facetus ſcripſit: nonne facetus homo eſt?

### QVALITATEM IN

## Genere.

☞ *Ariſtoteles Sectionis XI. problemate 30. diſtinguit τραυλότητα, ψελλότητα & ἰσχνοφωνίαν. Traulosin autem definit, quū quis literam quampiam non poteſt exprimere, non quamlibet, ſed certam aliquam. Hanc Theodorus uertit bleſitatem. Alii etiam βατταρίζειν uidentur appellaſſe. ψελλότητα uerò, quū litera quæpiam aut ſyllaba ſupprimitur, ueluti quum πιστεύει dicitur, pro πιστεύει: hanc Theodorus uertit balbutiem. ἰσχνοφωνίαν uerò, quū non ualent expeditè ſyllabam ſyllabæ contexere pronunciando, quam Theodorus uertit linguæ hæſitantiam. Quæ uitia frequentiùs accidunt pueris, ſenibus, ac uinolentis. unde Flaccus balbam ſenectutem uocat. In cauſa putat Ariſtoteles uirium imbecillitatem, quæ non queat animo ſubſeruire. Eraſmus in prouerbio, βατταρίζειν. De his in præſens reſpectu Vocis, ſiue Pronunciationis uitioſæ. De quibus alioqui etiam inter Corporeas functiones læſas, egimus. Iam quia Rhetori quoque pronunciatio grāmatica inſeruit, fit ut Rhetori uitio uertatur ſæpe, quod Grāmatico propriè, uitio dandum erat. De qua re ſub Actione inepta.*



Theocritus ad GRAMMATICVM quēdam ludimagiſtrum malè pronunciantem accedens, rogauit: Qui fit, quòd Geometriam non doceas? Is quum reſpondiſſet: Quoniam ignoro. Quid tum? dixit. nam legere etiam neſcis. Notauit autem pronunciationis uitium in Grammatica, qui nō tātùm ipſe lingua promtus eſſe debet: ſed aptus etiā, ut aliorum uerba & uoces formet. Theocriti dictum extat apud Stobæum Serm. 2. de Imprudentia.

THEOPHRASTVS philoſophus, cùm percontaretur Athenis ex anicula quadam, quanti olera uenderet? reſpondit illa, & addidit: Hoſpes non pote minoris. tulit ille moleſtè, ſe non effugere hoſpitis ſpeciem, cùm ætatem ageret Athenis, optimeq; loqueretur. Ex ipſo ſono uocis hoſpitem eſſe cognouerat (erat enim Leſbius) non Athenienſem. Cicero in Bruto.

## Specie. Secundùm

*Claritatem.*

Duo ſunt in primis oris uitia, quorum alterò peccātes. Iſchnotetas uocat Fabius, quum gracilis eſt nimium, & tenuis literæ enunciatio: alterum uitium, Plateaſmum appellauit idē à uocis (ut opinor) pinguetudine. Quo modo qui loquitur, & curioſiùs gutture utitur, λαρυγγίζειν Græcè dicitur. Meminit pro Creſiphonte & Demoſthenes. DORES prçcipuè, ut platyſtomi, inceſſuntur à Græcis; quòd iuſto frequentius in dictionibus A literam ingerant. undè apud Theocritū, garrulæ mulierculæ coarguuntur πλατειάσδοισαι ἅπαντα, ut quæ Syracuſiæ forent. In COTTA literarum damnabatur dilatatio. Cælius lib. 13. cap. I. A. L.

*Puritatem uel Impuritatem & Craſſitiem.*

Omnes, qui craſsè loquuntur, Barbari dicuntur: quales ſunt nationes omnes, præter Græcos. Alia quædam barbara loquendi prauitas in lingua Græca eſt, ſi quis non perfectè Græca pronunciet, ſed ita quemadmodum barbari ſolent, qui ad Græcam dictionem introducti, expedire linguam non poſſunt: quemadmodum nec nos illorum orationem. quod apprimè Caribus contigit, quos propterea Homerus βαρβαροφώνους appellat. Nam alij non multùm cum Græcis diuerſabantur, nec Græcè uiuere, nec eorum dictionem ediſcere pertentabant, niſi perrari admodum, ac fortuitò uiri uiro congredientes. At Cares, barbari ex illo ſunt appellati, ex quo in Græcia militarunt. Poſteaquam uerò in Aſiam profecti ſunt, Iones cum eis ac Dores traiecêre. Ab ea cauſa barbariſmus dictus eſt. Eum in his dicere conſueuimus, qui malè græciſſant, non autem in iis, qui Caricè loquuntur. Strabo lib. 14.

Iephtha Galaadites Iſraelitarum iudex, uictos EPHRAIMITAS inſecutus ad Iordanem uſq;, cùm eos à ſuis dignoſcere non poſſet, in ripa fluuij deprehenſos, tranſitumque petentes, & ſe Galaaditas eſſe ſimulantes, iuſſit, ut pronunciarēt Schiboleth, quod lingua ſacra ſpicam ſignificat. At cùm illi gentis uitio Sibolet dicerent, ſuo indicio tanquam ſorices detecti, trucidati fuêre. Iudicum cap. 12.

ALCIBIADES blæſus fuit, ita tamen ut blæſitas uoci illius ſplendorem, & ſermoni gratiam afferret, teſte Euripide. Ariſtophanes in Veſpis comica feſtiuitate eum ſic loquentem introducit:

ὁλᾷς Θέωλον τὴν κεφαλὴν κόλακος ἔχειν;
Pro, ὁρᾷς Θέωρον τὴν κεφαλὴν κόρακος ἔχειν.
Celnis Theolum? capite coluino ille adeſt.

Et Archippus filium Alcibiadis perſtringens:

Graditur, inquit, nitens, uix pallium luxu trahens:
Ne non patri ſit ſimilis ipſe filius,
Inflectit & collum, ſimul balbutiens. Plut. in Alcibiade.

Vice φ, uſurpant β, MACEDONES, qui βίλιππον. βαλακρὸν, & βερονίκην dicunt. At DELPHI uice π. Namq; πατεῖν, βατεῖν, πικρὸν, βικρὸν ferè dicunt. Plut. in quæſt. Græc.

ΕΡΕΤΡΙΕΩΝ ῥῶ, in prouerbium abiit; quoniam crebriùs & aſperiùs eam literam pronunciarint. Strabo lib. 10. Meminit Plato in Cratylo, οἶσθα οὖν ὅτι ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἡμεῖς μὲν φαμὲν σκληρότης, ἐρετριεῖς δὲ, σκληροτήρ. Ex quo liquet, Eretrienſes adamaſſe hanc literam ρ, quam loco σ, ſuppoſuerint; quum contrà Athenieſes eam uerterint in σ, ut θαρσεῖν pro θαρρεῖν. Eraſmus

Scribit Diomedes, eſſe Iotaciſmum, quum I litera ultra iuſtum decorem enunciatur. Idem & in Lambdaciſmo intelligit, quum L ſono profertur pleniore. Inuenimus tamen aliter à Martiano libro quinto uitia hæc finiri. Eſſe quippe Metaciſmum, quum uerborum coniunctio M literæ aſſiduitate colliditur: ut ſi dicas, Mammam ipſam amo, quaſi meam animam. Lambdaciſmum uerò, ubi L plurimùm diſſonat: ut ſi dicas, Sol & Luna lucent luce alba lactea. Iotaciſmum, uti ſi enuncies, Iunio Iuno Iouis iure iraſcitur. Polyſigma, ubi S litera crebriùs geminatur: Soſia in ſolario ſoleas ſarciebat ſuas. Cælius libro decimotertio, cap. I. Antiq. Lect.

PAVSANIAS Cappadox qui Cæſareæ docuit, grammaticus in primis clarus, & Ariſtidis æqualis, Herodis Attici diſcipulus, enunciabat pingui lingua, more Cappadocum, collidendo conſonantes, longa contrahendo, & breuia producēdo: ex quo uulgò Cocus uocabatur, quòd ex multis ſumtuoſis cibis non ſuaue obſonium præpararet. Philoſtratus apud Volaterranum lib. 18. Anthrop.

Cicero irridet TESTEM qui contra Fundanium dicebat, cùm primam Fundanij literam pronunciare non poſſet, auctore Quintiliano. Vel quia digāma ſolis Aeolibus familiare eſſet, uel quia tanquam V conſonantem pronunciabat.

ARRII cuiuſdam uitioſam pronunciationem (quam hodie inter Germanos Heluetij, inter Italos Hetruſci, populariter imitantur) his uerſibus taxat Catullus:

Chommoda dicebat, ſi quando commoda uellet
Dicere, & Hinſidias Arrius Inſidias.
Et tum mirificè ſperabat ſe eſſe locutum,
Cùm quantum poterat, dixerat Hinſidias.
Credo ſic mater, ſic liber auunculus eius,
Sic maternus auus dixerat, atq; auia.
Hoc miſſo in Syriam, requierant omnibus aures,
Audiebant eadem hæc leniter, & leuiter.
Nec ſibi poſt illa metuebant talia uerba,
Cùm ſubitò affertur nuncius horribilis,
Ionios fluctus poſtquam illuc Arrius iſſet,
Iam non Ionios eſſe, ſed Hionios.

In QVENDAM malè recitantem, Martialis Epigram. libro 4. ſic ludit:

Quid recitaturus circumdas uellera collo?
Conueniunt noſtris auribus iſta magis.

Cùm GENVENSES bellum contra Venetos gererent, multorum annorū maximis cladibus utrinq; nobilitatum, aiunt deprehenſos in urbe Veneta hoſtes, cùm ſe Genuenſes eſſe negarent, Cabra (quæ uox Capram lingua Italorum ſignificat) pronunciare iuſſi, gentili metatheſi Craba protulerunt, ſuoque proditi indicio, de Riui alti ponte præcipitati ſunt in ſubiectum canalem.

# EXERCITATIO GRAMMATICA CONSIDERATA reſpectu SCRIPTIONIS, Quo ad CHARACTERVM

## COMPOSITIONEM, FORMATIONEM

### RECTAM

*Non obſeruatam.*

MAGNESII Anaxenoris citharædi ſtatuam dedicarant, cum inſcriptione ex Homeri Odyſſea mutuata,

ἤτοι μὲν τόδε καλὸν ἀκουέμεν ἐστὶν ἀοιδοῦ,
τοιοῦδ᾽ οἷος ὅδ᾽ ἐστὶ θεοῖς ἐναλίγκιος αὐδῇ.

Hic cū artifex incōſideratè ultimā ſecundi uerſus literā, I nimirū, prætermiſiſſet, q̄ baſis longitudo nō ſufficeret: ciuitas barbariſmi accuſata eſt, contendētibus Grāmaticis, propter ambiguitatem, quæ oritur ex ſcriptura, num ultima dictio in nominatiuo caſu accipienda ſit ΑΥΔΗ, an in datiuo ΑΥΔΗΙ. Nam multi Datiuos ſine Iota ſcribunt. Strabo lib. 14.

AVGVSTVS Cæſar Orthographiam, id eſt, formulam rationemq; ſcribendi à grammaticis inſtitutam, non adeò cuſtodiit: ac uidetur eorum ſequi potiùs opinionem, qui perinde ſcribendum ac loquendum exiſtiment. Suetonius.

[redacted]

### ELEGANTEM

*Obſeruatam.* Καλλιγράφοι.

☞ *De his ſub Mechanicis, diuerſo reſpectu.*

*Non obſeruatam.*

In Pſeudolo Plautina, quidam literas ab AMICA ſcriptas irridens, notulis malè concinnatis, cuiuſmodi fermè ſcriptura mulierum, Quærūt, inquit, hæ literæ ſibi liberos. Alia aliam ſcandit. Has quidem pol credo nemo niſi Sibylla legerit,

interpretari alium poſſe reor neminem. An obſecro hercle habent quoque gallinæ manus? Nam has quidem gallina ſcripſit. Eraſmus in Adagiis.

NOVAM, INSOLITAM.

*Conſule Tit. Stratagematum, de Literis occultè mittendis. quandoquidem ars ſcriptoria uarios admittit dolos.*

MOTIONEM. SCRIPTORES VELOCES.

*Vide Celeritatis locum.*

Orationem Catonis, quam in Senatu contra Catilinam habuit, perhibent unam extare: quòd conſul Cicero expeditiſſimos SCRIBAS antè docuiſſet notas, quæ minutis & breuibus figuris multarum uim literarum complectebātur: inde alium alibi paſſim diſpoſuiſſet in curia. Nondum enim uſi fuerant, neque habebant exceptores actuarios: ſed tunc primùm rudimenta eos aſſerunt poſuiſſe. Plutarchus in Catone minore. De his Martialis,

Currant uerba licet, manus eſt uelocior illis:
Vixdum lingua, ſuum dextra peregit opus.

AQVILA libertus Mecœnatis, ab hero edoctus (qui primus notas celeres reperit) & ſcribere potuit uelociſſimè, & notas has etiam alios docuit. Dion in Auguſto.

TARDI.

*Conſule locum Tarditatis.*

## EXERCITATIO GRAMMATICA RESPECTV SIGNIFICATIONIS CONSIDERATA. Quatenus ſcilicet

VERA VEL FALSA VERBORVM *Significatio.*

*Non hîc de Veritate practica, ſed grammatica loquimur, cuius uox nota uerè eſt, uel non eſt.*

*Deductio. Etyma.*

Græci Hyadas ἀπὸ τοῦ ὕειν appellarunt: quoniam ſideris huius exortu magni oriantur nimbi. ROMANI ſimilitudine decepti, quaſi à ſuibus nomen impoſitum eſſet, Suculas appellauêre. Plinius lib. 18. cap. 26.

CAIVS Granius Cœlibes dictos putat quaſi cœlites, quòd onere grauiſſimo uacent. Pari ratione Græcis ἠϊθέους dici. MODESTVS uerò, quia cœlo Saturnus genitalia abſciderit, hoc nomine appellatos putat, qui uxore careant. L. AELIVS pituitam, quia petat uitam. M. VARRO agrum (quę tamen Græca uox eſt) quia agatur in eo aliquid: & Graculos, quia gregatim uolent (cùm tamen à uoce ſic dicantur) dictos, Ciceroni perſuadere uoluit. Quintilianus. Idem Varro Furem à furuo, hoc eſt, atro, dictum opinatur, quòd per noctem, quæ atra ſit, faciliùs furetur. At Græcorum imitatione, ut illis φῶρ, ſic Latinis Fur dicitur, ut Gellius & Priſcianus libro primo.

AMBIGVA.

*Vide ſuprà, Certamina grammatica, de Literarum ſignificatione.*

A ROMANIS conſultum oraculum de peſtilentię ſæuitia: reſponderat: Id accidere, quòd dij deſpicerentur. At illi non intellexerunt: donec Circenſium die puer de cœnaculo pompam ſupernè deſpexit, & matri narrauit, quo ordine Arcana pilenti, quod uehiculi genus eſt, compoſita uidiſſet. Qua re Senatui nūciata, tunc placuit loca uelis cōregi, qua pompa ſequeretur. Polyd. lib. 6. cap. 11. de Rerum inuent.

HADRIANVS IV. Pp. diadematis Imperatorij beneficium ſe in Fridericum I. Imp. contuliſſe ſcribens, magnarum turbarum auctor fuit. Vide ſuprà Tit. Interpretatio recta.

OBSCVRA.

*Obſcuritas ueluti peſtis quædam cognitionis, partim philoſophica eſt, hoc eſt, ex rei perplexæ & cognitu difficilis natura pendet, qualis ferè in Metaphyſicis & Mathematicis reperitur: partim organica, & quodammodo accidentalis, inopia organorū ad explicandum conferentium, Rationis ſcilicet & Orationis. Rationis fax eſt Methodus, cuius ignorantia obſcuritatem parit Logicā. Orationis dux eſt & Grammatica & Rhetorica: quæ ſi deficiant in uerborum delectu, compoſitione, uſurpatione, obſcuritatem grammaticam inuehūt. Cæterùm ne nimium uideamur λεπτομερίζειν ſingula, Obſcuram orationem, ſiue illa ſtudio ſit affectata, ſiue uitio quodam quacunq; de cauſa oriatur, uno ueluti faſce complectemur, ne idem Titulus diuerſis in locis, diuerſo licet reſpectu, ſit repetendus. Conſule Tit. Oracula obſcura.*

[redacted] RON Chalcidenſis, poeta obſcuriſſimus, præſertim [redacted] tragœdia, quam Alexandram inſcripſit, quæ σκο- [redacted] Grammaticis dicitur: floruit ætate Pto- [redacted] Philadelphi, & inter ſeptem poetas (qui tunc inſignes [redacted] erant fuit: quos à numero Pleiadas ſeptem [redacted] inter ſeptem Pleiades una uix cōnſpicitur, [redacted] inter ſeptem illos obſcuriſſimus eſt Lycophrō. Eiuſdem numeros Latinis uerſibus Carmentalibus, ut ita loquar, pari felicitate, maiore etiam obſcuritate, expreſſit magno illo Iul. Cæſar Scaligero dignus F. Ioſephus.

Καρκίνου ποιήματα, id eſt, CARCINI poemata. Dicebantur ea, quæ uiderentur obſcuriùs & inſtar ænigmatis dicta. Vide Tit. Tragicorum.

EVRIPIDES obtulit Socrati librum ab HERACLITO conſcriptum, eo lecto, rogauit, quid illi uideretur? Per Iouem, inquit, quæ intellexi, mihi præclara uidentur, qualia puto & ea, quę non intellexi: ſed opus eſt Delio quopiam natatore. Notauit perquàm falsè affectatam eius ſcriptoris obſcuritatem, unde & σκοτεινὸς cognomen inditum eſt. Laertius.

Melanthus interrogatus, quid ſentiret de tragœdia DIOGENIS? negauit ſe uidiſſe, quòd eſſet obtecta uerborum inuolucris. Notans, ambitioſa uerborum copia rem obſcurari. Refert Plutarchus περὶ τοῦ ἀκούειν.

Demonax cùm QVENDAM neſcio quid interrogaſſet, atque is obſcuris planè uerbis reſpondiſſet: Non intelligo, inquit, quid dicas. Loqueris enim cum apertè tecum loquente, quaſi Agamemnon adhuc uiueret. Eraſm. l. 8. Apophtheg.

TIBERIVS Cæſar in oratione Latina ſecutus eſt Coruinum Meſſalam: quem ſenem adoleſcens obſeruauerat. Sed affectatione & moroſitate nimia obſcurabat ſtylum: ut aliquanto extemporè, quàm à cura, præſtantior haberetur. Sueton.

Ad SEXTVM ſic ſcribit Martialis Epigram libro decimo:

Scribere te, quæ uix intelligat ipſe Modeſtus,
Et uix Claranus, quid rogo, Sexte, iuuat?
Non lectore tuis opus eſt, ſed Apolline, libris,
Iudice te, maior Cinna Marone fuit.
Sic tua laudentur: ſanè mea carmina, Sexte,
Grammaticis placeant, & ſine Grammaticis.

Fauorinus philoſophus audiens ADOLESCENTEM obſcurioribus & inuſitatis uerbis loquentem: Curius (inquit) & Fabricius, dilucidè cum ſuis fabulati ſunt, neq; Aruncorum, Sicanorū aut Pelaſgorū uerbis quicquā ſunt loquuti. Gell.

AETIVS Labeo Iliada Homeri, ætate Perſij, ita obſcurè uertit, ut nec ſua ipſe agnoſceret. Gyraldus Dial. 8. hiſt. poët.

D. Hieronymus irridens IOVINIANI ſtylum, ut perturbatū & obſcurum, ſcribit, Plautinarum literarum illud in eū quadrare, Has præter Sibyllam leget nemo.

ANTIQVA, OBSOLETA. ANTIQVITAS AFFECTATA.

CECIDES peruetuſtus quiſpiā Dithyramborum poëta fuit, cuius ſcripta iam ſitum olebant, unde in iocum uulgarem abierunt. Quemadmodum iure ridentur hodie, qui immodica & intempeſtiua affectatione uetuſtatis, è duodecim tabulis, ex Ennio, Lucilioque petunt ſermonem, perinde quaſi cum Euandri matre loquantur: nec ullum uerbum elegans eſſe putāt, niſi quod ſit ab uſu uulgi remotum. Eraſm.

Lucianus in Dialogo, qui ΛΕΞΙΦΑΝΗΣ inſcribitur, ineptū uetuſtiſſimarum uocum uſurpatorem introducit: quem Archigenes tandem uomitorio exhibito curat.

Auguſtus Cæſar, cùm genus orationis ſimplex, elegans & temperatum ſpectaretur, Cacozelos, & antiquarios, ut diuerſo genere uitioſos, pari faſtidio ſpreuit. Exagitabat nonnunquam in primis MECOENATEM ſuum, cuius myrobrecheis (ut ait) cincinnos uſquequaq; perſequitur, & imitando per iocum irridet. Sed nec TIBERIO parcit, & exoletas interdum, & reconditas uoces aucupanti. M. quidem ANTONIVM, ut inſanum, increpat: quaſi ea ſcribentem, quæ mirentur potiùs homines, quàm intelligant. Suetonius.

CAVSIDICVS quidam ad prætorem magna uoce inclamabat pro ſuo cliente, Rogo prætor ſubueni, ſuccurre, quoniam uſque nos bouinator hic demoratur. Commurmuratio fieri cœpta eſt à pleriſque, qui aderant, quaſi monſtrum uerbi admirantibus. At ille ſeriò geſtiens: Non enim Lucilium, inſquit, legiſtis, qui tergiuerſatorem bouinatorem uocat. Gellius libro 11. cap. 7.

ROMANVS quidā cauſidicus, affectator uetuſtatis, de quodam equite Rom. qui ſordidè miſereque uiueret, loquens, in hæc uerba prorupit: Hic eques Rom. apludam edit, & flocces bibit. Turbati primò aſtantes, inuſitatis uerbis, mox tanquam Thuſcè aliquid aut Gallicè dixiſſet, uniuerſi riſerunt. Legerat ille Apludam apud Plautum à ruſticis uocari frumenti furfurem: floces uerò apud Cæcilium, uini fæcem è uinaceis expreſſam. Et his uocabulis orationem ſuam ſtultè uolebat ornare. Gell. lib. 11. cap. 7.

BAPTISTA Pius Mantuanus, Mediolano Bononiam iturus, equum à ueterinario certa in dies mercede conduxit. Deinde



de remiſſo equo, per literas ueterinarium certiorem fecit, his uerbis: Pegaſus, qui me tollutim ſuccuſſit, apud Campanæ peluis copam erit. inde petito, phoretrumq; ex eo tēpore præcidito. Veterinarius quū chirographum non intellexiſſe aſſereret, integram lapſi temporis mercedem poſtulabat. Eorum cōnſenſu, qui de re pecuaria ius dicebant, placuit literatorem condemnari, qui ignorabili huiuſmodi ſermone uti non debuit. Alciatus de Verb. ſignif. lib. 2.

NOVA. NOVITAS AFFECTATA.

*Vide ſuprà, Inuentores Vocum.*

Conuentus aliquando agebatur, in quo TRIPHYLLIVS erat Lederenſis epiſcopus, literarum artibus probè eruditus, & legibus diſcendis diu Beryti uerſatus. Hic epiſcoporum iuſſu populum docens, Spyridone epiſcopo præſente, quū dictum quoddam referre deberet, quo Chriſtus ad paralyticum eſt uſus, illud ſcilicet, Tolle grabbatum tuum, & ambula: pro grabbato, lectum dixit. Quòd moleſtè ferens Spyridon: Non tu quidem, inquit, præſtantior es eo, qui grabbatum dixit: qui igitur, malum, pudor ille eſt, uerbis illius cùm decoro non uelle uti? Atque his dictis in cōſpectu omnium epiſcopali ſede exurgens; faſtum & ſupercilium eorum, qui oratione affectata ſeſe efferrent, contrahere eſt conatus. Nicephorus lib. 8. cap. 48.

De RVFO Pictauienſe rhetore Auſonius ſic ſcribit:

Rufus uocatus Rhetor olim ad nuptias,
Celebri fit ut conuiuio,
Grammaticæ ut artis ſe peritum oſtenderet,
Hæc uota dixit nuptiis:
Et maſculini, & feminini gignite,
Generiſq; neutri filios.

QVIDAM noſtræ ætatis ineptam loquentiam aulicā exoſus, ſolus cùm eſſet in conclaui, & à ſtrabo quodā multa cū pluralitate adiretur, iterum atq; iterum circumſpectans reſpondit, Cęteros abiiſſe, ſe ſolum eſſe: ſi quid uellet, oportuniore tempore rediret, dum illi adeſſent. Ille negat ſe quenquam præter ipſum unum quærere. Tum alter hominē percontatur, quot illic lectos uideret. Quum unū duntaxat, reſpondiſſet. Et quæ tandem intemperiæ te agitant, aut è qua popina nobis probè potus ades, ut ego tibi non unus uidear, ſed multi? Eraſmus de Conſcrib. epiſtolis.

[redacted]

## EXERCITATIO GRAMMATICA CONSIDERATA RESPECTV MODI. SIC EXERCENTVR

*Facultas Grammatica duas habet partes, Theoricam alteram, in præceptorum cognitione poſitam: alteram Practicam, quæ in exercitatione ſpectatur, in Γενέσει nimirum & in Ἀναλύσει. Γένεσις partim uiua uoce, partim ſcriptis perficitur. Ἀνάλυσις uerò aliorum ſcripta dictaq; tum cognoſcit, audiendo, legendòue: tum iudicat. Cognitio in duobus conſiſtit: ut aliorum ſcripta tum intelligantur (hi fortè Ἐπιλυτικοί apud Suidam dicūtur, à reſolutione ſcilicet: qualis fuit Soſibius Lacon) tum intellecta memoriæ commēdentur. Sic Cælius lib. 13. cap. 31. Antiq. Lect. apud Senecam Grammaticos Analectas nuncupari contendit; qui lectione multa exercitati, memoria ſint firmiſſima & indubitata, ut quicquid legerint uel audierint, ferè habeant ad manū & in numerato: quoniā ἀναλέγεσθαι ſignificet Græcè ἀναμφιβόλως ἔχειν, καὶ ἐννοεῖσθαι, id eſt, firmiter tenere ac concipere. Fortè etiam ἀπὸ τῶν ἀναλεκτῶν, quòd ueluti reliquias ciborum conſeruent ea, quæ in auctoribus uariis legerunt. Quo in numero fuere apud Latinos Gellius, Macrobius, & alij. Iudiciū uerò, Criticos ex ſe Grammaticos denominari facit, hoc titulo mirū quantū ſuperbientes; ita ut non γράμματα tātùm, ſed & res ipſas ſuæ arti ſubiectas aſſerere non uereantur. Exempla è Tit. Grammaticorum petantur. Illic in genere Poſſeſſio habitus; hîc Exercitatio conſideratur.*

LEGENDO. LECTIO *Vitioſa.*

SVENO Suenonis II. Danorum regis ſacerdos, eique intimè charus, at Latinæ linguæ imperitus: cùm in precatione pro rege dicenda, Vt Deus regem ſuum famulū protegat, æmuli eius priores duas literas expūxiſſent; Mulum pro famulo legit. Saxo Grammat. lib. 11. & 12.

COLLIGENDO.

Græci ueteres grammatici libros conficiebant, in quibus uarias & multiplices res explicarent: illos aut, [illegible] συμμίκτους plerumq; uocabant. Meminit Philemonis grammatici συμμίκτων Porphyrius Tyrius in quæſtionibus Homericis nec non Didymi Ammonius in libello, de Similibus & diſcrepantibus uocabulis. Politianus uolumen ſuum Miſcellanea inſcripſit. Victorius lib. 34. Var. lect. cap. 13.

INTERROGANDO. QVAESTIONES Grammaticæ.

GRAMMATICOS Homero ſumma tribuere, & meritò quidem, in confeſſo eſt. Ex eo tanquā Oceano, quæſtionū omniū grammaticarum exēpla petēda. Itaq; cùm quæreretur, unóne uerſu omnes orationis partes à poëta comprehenſę eſſent, productus eſt iſte,

αὐτὸς ἰὼν κλισίηνδε, τὸ σὸν γέρας ὄφρ' εὖ εἰδῇς. Apud Plutarch.

TIBERIVS Cæſar maximè curauit notitiam hiſtoriæ fabularis, uſq; ad ineptias atq; deriſum. Nam & grāmaticos, quod genus hominū præcipuè appetebat, eiuſmodi ferè quæſtionib. experiebatur: Quæ mater Hecubæ, quod Achilli nomen inter uirgines fuiſſet, quid Sirenes cantare ſint ſolitæ. Cùm ſoleret ex lectione quotidiana quęſtiones ſuper cœnā proponere: comperiſſetq; Seleucum grammaticum à miniſtris ſuis perquirere, quos quoq; tempore tractaret auctores, atque ita præparatū uenire: primùm à contubernio remouit, deinde etiam ad mortem compulit. Suetonius in Tiberio.

Familiare fuit Antonino GETÆ, Seueri Imp. F. has quęſtiones grāmaticis proponere, ut dicerēt, ſingula animalia quomodo uocē emitterent, uelut agni balant, porcelli grunniunt, palūbes minurriūt, urſi ſæuiunt, leones rugiunt, leopardi rictāt, elephāti barriūt, ranæ coaxāt, equi hinniūt, aſini rudūt, tauri mugiūt, eaſq; de ueterib. approbare. Spartian. in Geta.

Apud Plut. lib. 9. Con. quæſt. 4 MAXIMVS orator quęſiuit de Zopyrione grāmatico ex Homeri carminib. utrā manū uulneraſſet Veneris Diomedes. Rogante uiciſſim Zopyrione, utro crure Philippus claudus fuiſſet: Non eſt, inquit, ſimile, Maximus. nullam enim Demoſthenes huius argumentum dedit. Tu uerò ſi neſcire fateare te, alij oſtendēt: ubi ſauciatam manum intelligentibus demonſtret Homerus. Zopyrione hærente, Maximus oſtendit, dextra uulneratam fuiſſe.

Quum apud REGILLIANVM fortè cœnarent milites, affuit & tribunus Valerianus, ſiue Valerius: à quo illata quæſtio, undénā credatur Regilliani nomen deductū: & unus, à Reflexū, opinor. At qui aderat fortè ſcholaſticus, grammatico more inflectere orſus eſt, Rex, regis, regi, regillianus. Succlamatū eueſtigiò ab militib. Rex ergo eſſe poteſt? &, Regere igitur nos poteſt? &, A Deo inditum huic nomen. Quid amplius? quū poſtridie publico ſe cōmiſiſſet, à principibus Imperator eſt conſalutatus. Cælius lib. 24. c. 6. A. L. & Cuſpin.

Vicellinus, natus de Quernhamelen Saxoniæ, manſit aliquandiu in Euerſteen cum matre Conradi Comitis, ad inſtituendos & erudiendos filios. Inuidebat illi SACERDOS, quòd apud dominam pro humilitate & uirtute uideretur multis acceptior, & ab illo interpellatur, propoſito uerſu ex Achilleide Statij: illoq; obmuteſcente, ſacerdos eum increpauit, qui præſumeret docere, quū ipſe nihil didiciſſet? Vicelinus pudore correptus, profectus Padeburnā, ſub magiſtro, qui ibi literas profitebatur, uigilanter impēdit operam ſtudiis. Ea namque ætate, apud eccleſias cathedrales magiſtri habebantur. Profecit autem Vicelinus non tā lectione quàm oratione. Quantū enim incūbebat literis, tantū alternantibus horis in religione per deuotionē creſcebat. Vocatus inde ad eccleſiā Bremenſem, ibi quod didicit docere cœpit, ut magiſtri ſui coadiutor in erudiendis ſe minorib. fieret. Deinde in Franciā peregrinatus, ibi quoq; doctiores audiuit. In-



BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

de Magdeburgum ſe contulit, & mox Rodulpho Hildeſe-
mēſe & Ludolpho Verdenſe canonicis, aſcitis ſociis, gentē
Vādalorum in religione inſtituit. Cranzius lib. 5. Saxo c. 29.

## AVDIENDO.

GRAMMATICORVM eadem toties recitari audientiū mi-
ſerias, Iuuenalis Satyra 7. exaggerat, inquiens:

Occidit miſeros crambe repetita magiſtros.

Crambē repetitam appellat declamationem maximo cum
tædio iterum atq; iterum audiendam. Eraſmus in Adagiis.

C. Plinius, qui recitatorē quiddā perperā pronūciantē amic[redacted]
QVISPIAM re[redacted]iſſet, & ut repeteret coegiſſet. Quid,
inquit, an intellexeras? quū ille annuiſſet: Cur ergo, inquit,
reuocabas? Decem amplius uerſus iſta tua interpellatione
perdidimus. Tanta erat parſimonia temporis. Eraſmus lib.
8. Apophthegm.

## DOCENDO. DOCTORES

*Linguarum.*

Satis conſtat fuiſſe olim, quicunq; intra Iſthmū habitarūt, Ae-
oles nominatos: mox uerò intra extraq;, præter Athenieſes
cū Megarēſibus, & ipſos Parnaſi accolas Dorienſes, cæteras
Peloponneſo circūiectas gētes in Aeolici nominis appella-
tionē abiiſſe. Hinc DORES Heraclidas in Peloponeſum
ſecuti, in ea terra eſſe perſeuerarūt. Contigitq; ex perpetuo
eius gentis cū Aeolibus incolatu, ut duæ gentes, procedēte
tempore, in unā coaluerint. Id rei argumento eſt, quòd præ-
ter Arcades, quib. rara cum cæteris Peloponnenſibus fuere
cōmercia, quicunq; intra Iſthmum poſtea habitarunt, indif-
ferenter ſunt utraq; lingua uſi, atq; ob eam rem nunc Aeo-
les, nunc Dorienſes dicti[redacted]ā in Ionica, quæ eadem fuit
& Attica, euenit. Nam quū ab initio Iones ATTICI uoca-
rentur, ob colonias inde in Aſiā miſſas, accidit, ut qui in an-
tiquis ſedibus manſere, Atticè loqui ſint dicti: cæteri in co-
lonias tranſcripti, Ionicè. Sab. lib. 8. En. 1. ex Strab. lib. 8.

*Literarum.*

ROMANOS pueros non modò Græcis, ſed Hetruſcis quoq;
literis erudiri ſolitos, Liuius li. 9. tradit. Ex quo ſcire licet, He
truſcos etiā ſuas olim habuiſſe literas, quarum nunc ne no-
ta quidem cognita extat. Has autem literas Cornelius Taci
tus libro Auguſtæ hiſtoriæ 11. autor eſt, DEMARATVM
Corinthium Hetruſcos primùm docuiſſe.

Apud Latinos ſerus fuit literarum uſus. Eaſdem autem fuiſſe
Latinas cū Græcis, indicio fuit Delphica tabula ænea: quæ
Romæ in palatio Mineruæ dicata, in bibliotheca conſpicie
batur, Plinij (ut ipſe teſtatur) temporib. In Latiū eas, teſte Pli
nio & Solino, intulere PELASGI. Quidam uolunt NICO-
STRATAM Euandri Arcadis matrē, Latinis primùm dediſ
ſe. Eapropter Carmentæ nomen meruit, non magis à uatici
niis, quàm à uerſibus & carminibus, literarū figuris excipiē-
dis & exprimendis. Dionyſius in primo ait, ARCADES pri
mos attuliſſe in Italiā, qui poſt Pelaſgos uenerāt. Liuius E-
VANDRVM auctorē uocat, lib. 1. Decadis primæ, profugū
ex Peloponneſo, auctoritate magis quā imperio ea rexiſſe
loca, inquiens, uenerabilem fuiſſe miraculo literarū, rei no-
uæ, inter rudes artium homines. Sentit idem Cornel. Taci-
tus, q tradit Aborigines ab Euādro Arcade didiciſſe literas.

Digāma ab Aeolibus acceperūt LATINI, hac notā F, quod,
teſte Priſciano, apud antiquiſſimos eandem uim atq; apud
Aeoles habuit, uidelicet Ph. At Tib. CLAVDIVS Cæſar, Ta
cito teſte, F loco V conſonantis recipiendum conſtituit, ut
Fulgus, pro uulgus, Fixit, pro uixit, ſcriberetur Ita Germanū
uulgus latinè loquēdo, etiamnum pronunciat. Polyd. lib. 1.
cap. 6. de Rerum inuent.

Anno Domini 796. MICHAEL Curopalates Imperator Con
ſtantinopolitanus, characteres ad ſcribendum Bulgaris mi
ſit, quos etiam Rutheni omnes ſuſceperunt: & ab hoc tēpo-
re illa, quæ poterant antè & pòſt geſta recordari, literis man
darunt. Guagninus in deſcriptione Poloniæ.

## AVCTORVM.

Q. CÆCILIVS Epirota, Tuſculi natus, Attici Satrij equitis
Romani libertus, primus dicitur latinè ex tempore diſputaſ
ſe, primuſq; Vergilium & alios poëtas nouos prælegere cœ
piſſe. Refertur inter illuſtres Grammaticos à Sueton. cap. 45.

## INTERPRETANDO. INTERPRETES
### conſiderati reſpectu
### SVBIECTI.

*Opera hæc mechanica eſt per ſe: at reſpectu Habitus, à
quo promanat, huius loci propria.*

*Concionum.*

Ad OSVALDVM Northūbriæ regē Donecualdus Scotorū rex,
Aidanū epiſcopū Cormano uiro doctiſſ. qdē, ſed cōciona-
tori inepto ſucceſſorē miſerat, cuius concionib. populus ad
religionē Chriſti perduceretur. Cæterùm cū Aidanus à Sa-
xonibus non intelligeretur, Oſualdus è uicino ſuggeſtu in-
terpretē agebat, ita ut ſeptē diebus XV M. baptiſma ſuſcepe
rint. Aidanus idem Northumbrorum pōtifex dictus, pium
gregem, & ſacris monitis, & uiuendi exemplo erudiuit, atq;
ab Ethnicorū uiolētia, additis nonnunquā Dei uirtute mira
culis, egregiè eſt tutatus. Scoti monachi ac ſacerdotes, ſacra
doctrina inſignes, uariis ex locis, ciente Oſualdo, confluxe-
re ad Aidanum: ut ſanctiſſimo uiro in populo erudiendo
auxiliares eſſent. H. Boëthius lib. 9.

Omnes Vandalorum populi, qui ad Aldēburgenſem pertine-
bant curam, tēpore GODSCALCI principis, Chriſti fidem
ſunt amplexati: cùm is tanto diuinæ religionis amplifican-
dæ ſtudio arderet, ut ſermonē exhortationis frequenter ad
populum in eccleſia ipſe faceret: ea ſcilicet quæ ab epiſco-
pis & presbyteris Latinè dicebantur, Vandalicis uerbis in-
terpretans. Cranzius lib. 3. Vandaliæ, cap. 1.

*Legationum.*

Cùm ab Athenienſibus Romam miſſi eſſent legati, Carneades
Academicus, & Diogenes Stoicus, datus eſt illis ſenatus:
cumq; per interpretē loqui cogerentur, L. AQVILIVS id
officij ſibi demandari obnixè petiit, honoris ergò: eorumq;
orationes in ſenatu, magna cum admiratione græcæ elo-
quentiæ, interpretatus eſt. Plut. in Catone maiore.

In concilio Florentino ſub Eugenio IV. ubi de proceſſione ſpi
ritus Sancti inter Latinos & Græcos actū, ciuis Florētinus,
NICOLAVS Euboicus, utriuſq; linguæ peritiſſimus, mul-
tis aſſiſtentibus utriuſq; linguæ gnaris teſtibus, accepta La-
tinè reddidit Græcè, & rurſus Græcè accepta reddidit Lati-
nis Latinè, ſummā apud omnes laudem meritus. Cranzius
lib. 12. Vandaliæ, cap. 7. Aen. Syl. cap. 54. Europæ, Nicolaum
Saguntinum appellat.

*Librorum ſacrorum.*

Quicunq; optimorū auctorū ſcripta ex una lingua in aliā trāſ-
ferendo, Socratica quadam μαιεύσει de Repub. literaria præ
clarè merentur, huius ſunt loci. Inter quos SEPTVAGIN-
TA illi ſeniores, qui Biblia tranſtulerunt in linguam Græ-
cam, ſic excellūt, ut de iis Ariſteas peculiarem edere librum
non ſit ueritus. Vide locum Theologorum.

AQVILA Iudæus natione Pōticus, cuius uxor Priſcilla, ſecun
dus legis Moſaicæ interpres poſt LXX. Platina in Sixto I.

ORIGENES rogatu & ſumtibus Ambroſij Mediolanenſis e-
piſcopi, Cæſareæ ſacram ſcripturam totam XIIX annis in-
terpretatus eſt. Suidas.

D. HIERONYMVS cùm Græcè, Hebraicè, Babylonicè, Syrè
atq; Latinè calleret, omnem Scripturā ſacram in Latinum
uertit ſermonem. Cuius traductionis elegātia atq; ueritas,
omnes ante eum factas traductiones excluſit. nā ſtatutum
fuit, ut Hieronymi ſola traductione, Catholica uteretur ec-
cleſia. Fulgoſ. lib. 8. cap. 7. & Egnat. lib. 8. cap. 7.

Gulfila ſiue VLPHILAS Gothorū epiſcopus, Theophili ſuc-
ceſſor, primùm orthodoxus, mox ſub Valente Arianus, non
tā inuenit Gothicas literas (ut Socrates lib. 4. c. 33. opinatur:
quas multis antè ſeculis Gothos habuiſſe teſtatur Ioannes
Magnus) quàm iis primùm in ſacris literis interpretandis u-
ſus eſt, ut propterea earum inuentor extitiſſe uideatur.

C[redacted]

## SVCCESSVS. INTERPRETATIO

*Recta.*

Cùm ADRIANVS IV, Papa, coronā Imp. Friderico Aenobar
bo Romæ impoſuiſſet, eiq; ſcripſiſſet, ſeſe illius erga ſe bene
ficij non pœnitere: cōmotus eo uerbo Imperator, quaſi Pa-
pa Germanicū imperiū Feudū eſſe ſtatueret, atq; Imperato-
rē illo feudali beneficio à ſe affectū, ſtomachosè reſcripſit,
Papā mentitum eſſe: neq; ita multo pòſt bellū ei acerrimum
intulit. Cuius rei hiſtoriā Otho Friſingenſis Epiſcopus, Ioā-
nes Abbas Vrſpergenſis, Ioannes Abbas Trithemius, Nau-
clerus, & alij cōplures, literis mandarūt: atq; in his Radeui-
cus, cuius in lib. 1. c. 9. Adriani epiſtola extāt, ex qua hāc par-
ticulā deſcribemus. Debes enim ante oculos mentis reduce
re, quā gratanter alio anno mater tua, Romana Eccleſia te
ſuſcepit. Neq; tamen pœnitet nos deſideria tuæ uoluntatis
in omnib. impleuiſſe: ſed ſi maiora beneficia excellētia tua
de manu noſtra ſuſcepiſſet, nō immeritò gauderemus. Qui-
bus uerbis, incēſus Fridericus Imp. his reſcripſit uerbis apud
eundē Radeuic. c. 10. Cumq; per electionē Principum à ſolo
Deo Regnū & Imperium noſtrū ſit, quicunq; nos imperia-
lem coronā pro beneficio à Do. Papa ſuſcepiſſe dixerit, diui
næ inſtitutioni & doctrinæ Petri contrarius eſt, & mendacij
reus



reus erit. Itaq; Papa moderatione adhibita, ſic reſpondit c.
22. Occaſione ſiquidē cuiuſdam uerbi, quod eſt Beneficium,
tuus animus, ſicut dicitur, eſt cōmotus: quod utiq; nedum
tanti uiri, ſed ne cuiuſlibet minoris animū, meritò cōmouiſ-
ſet. Licet enim hoc nomen, quod eſt Beneficiū, apud quoſ-
dā in alia ſignificatione, quā ex impoſitione habeat, aſſuma
tur: tunc tamen in ea ſignificatione accipiendū fuerat, quā
nos ipſi poſuimus, & quā ex inſtitutione ſua noſcitur retine
re. hoc enim nomen ex bono & facto eſt dictū, & dicitur be-
neficiū apud nos, non feudū, ſed bonū factum. In qua ſigni-
ficatione in uniuerſo ſacræ ſcripturæ corpore inuenitur: ubi
ex beneficio Dei non tanquā ex feudo, ſed uelut ex benedi-
ctione & bono facto ipſius, gubernari dicimur & nutriri. Et
tua quidem magnificentia liquidò recognoſcit, quòd nos
ita bene & honorificè imperialis dignitatis inſigne tuo ca-
piti impoſuimus, ut bonum factum ualeat ab omnibus iu-
dicari. Hotoman. de Feudis cap. 1.

*Vitioſa.*

[redacted]

Thucydides, peſtilentem morbū à ſummo capite deſcendentē,
pectus tuſſi infeſtare ſolitū, inde ſtomachū penetrantē, deie
[redacted]ctiones bilioſas induxiſſe ſcribit, ὁπότ' ἐς τὴν καρδίαν στηρίξαι,
[redacted] χολῆς ἐπῄεσαν. Quē locū LVCRETIVS interpre-
tatus, καρδίαν Cor interpretatur, ignarus Atticorū cōſuetudi
[redacted]nis, ueterū καρδίαν os uentriculi ſignificare. Victor. l. 28. Var. c.
17. Rurſus inquit Lucretius, fuiſſe quoſdā qui mortis metu,
poſtquā omnis uis morbi in extremas partes corporis in-
[redacted], æquo animo paſſi ſint à chirurgo ea mēbra ſibi ampu
tari, aut ipſimet ſibiipſis ea mēbra amputauerint. At Thucy-
dides lib. 2 critica morbi ſolutione expulſum ultimas extre-
mas partes fuiſſe, quò corruptæ ſua ſponte deciderint.

ACTIVS Labeo Iliada Homeri, ut obſcuriſſimè, ſic ineptiſſi-
mè uertit, ætate Perſij. Gyraldus lib. 8. Hiſt. poët.

Anno Domini 1148. è Britannia quidā in Gallias uenit EON di
ctus, cognomē de Stella habēs: qui aſſeuerabat, ſe Eum eſſe,
qui uenturus eſſet iudicare uiuos & mortuos, ad nomen
ſuū alludens. Nec aliud fundamentum ſuæ inſaniæ habuit,
quàm quòd in Eccleſiaſticis exorciſmis dicitur, per Eum,
qui uēturus eſt iudicare uiuos & mortuos, & ſeculū per ignē.
Cùm igitur ipſe lingua Gallica Eun diceretur, delirauit, de
ſeſe pronomen illud, Eum, eſſe pronunciatum. Robertus
Abbas in Chronicis.

ACCVRSIVS Gloſſator legū, pro Roſtris leges XII. Tabu-
larū à Decēuiris poſitas interpretatus, hoc eſt, ante ora po-
puli Rom. ut imperitiā linguæ Latinæ excuſaret, Hiſpanā uo
cē Roſtro, quæ faciē & os ſignificat, in ſubſidium aſſumſit.

M. Bruti uitā à Plut. deſcriptā Frāciſcus I. Gallorū rex inter epu
las, prælegente anagnoſte, attentus audiebat, & heroicū in
libertate Reip. uindicanda animū, multis uerbis cōmenda-
bat. Regi aſtipulantib. cęteris, QVIDAM Latinæ linguæ ſi-
mul & hiſtoriæ imperitus, Magnum quidē uirū, ſed magnū
quoq; adulterū, inquit, laudatis. Admirantibus nouitatem
cunctis, Ouidij uerſum ex Epiſtolis protulit, ubi ait,

Obrutus inſanis eſſet adulter aquis.

uocandi caſu O Brutus à poeta ſcriptum eſſe contēdens. Sic
Henricus Stephanus in Epigrammatis:

Regis apud menſam Franciſci, mentio Bruti
Crebra eſt, per uarios & repetita dies.
Tunc quidam, Ah Brutus, Brutus, famoſus adulter;
Dignúſne eſt epulas ſemper inire tuas?
Vnde probet mœchum quærenti: rettulit illud,
Obrutus inſanis eſſet adulter aquis.

*Nulla.*

ACCVRSIVS Gloſſator legum, linguæ Græcæ imperitus, ſic
ut axiomatis loco paſſim inculcet: Græcū eſt, ergo legi non
poteſt. §. itē preciū. Inſtit. de emt. & uend. §. itē lex Cornelia.
Inſt. de publ. indic. Hoc totū, inquit, quod ſequitur (ſequun-
tur aūt Græca) omittas. Præterea l. de ætate. §. quod aūt. de
interrog. act. ubi Iurecoſ. inquit. Omnino nō reſpondiſſe ui-
detur, qui ad interrogatū non reſpōdit προσκείμενος, ipſe è Græ-
cis Latina faciēs legit, id eſt, Pro ſe poſcit, ſubintellige, reſpō
ſum. Belliſſimè, ex uerbis I. C. nōn intellectis, atq; falſum in-
terpretē ſecutus, mentē tamen & uoluntatē I. C. coniiciens.

## IVDICANDO. IVDICIA
### GRAMMATICA DE

*Scriptoribus.*

Permiſſum fuit olim GRAMMATICIS de ſcriptoribus cuiuſ
que generis iudiciū: quo, ſicut Quintilianus refert, ita ſunt
ſeuerè uſi ueteres, ut non uerſus modò cenſoria quadam
uirgula notare, & libros, qui falsò uiderentur inſcripti, tan-
quam ſubdititios ſubmouere familia, permiſerint ſibi: ſed
auctores ipſos in ordinem redegerint, alios omnino exemē
rint numero. Tales inter cæteros fuerunt Ariſtophanes, non
auctor ueteris comœdiæ, ſed Grammaticus Byzantius ge-
nere, & Zenodotus, & Ariſtarchus, qui cognominatus eſt
Cenſor auctorum, & alij permulti. Cui tandem uel philoſo-
phorum, uel eorum qui maximis titulis ampliſſimas diſci-
plinas, quaſq; nemo non ſuſpicit, & profeſſi ſunt, & præſti-
terunt, tantum eſt permiſſum? nedum iſtis fumoſis, qui con-
temnendo omnia uideri uolunt omnium callentiſſimi. Vi-
ues lib. 2. de cauſſis corrupt. diſcip.

RHEMMIVS Palæmon Grammaticus ſibiipſi de ueteribus
omnibus iudicandi facultatem adeſſe arbitrabatur, atque
adeò Vergilium diuino furore percitum, futurum aliquan-
do Palæmona cenſorem omnium poetarum, præuidiſſe,
quando cecinit,

Iudicet hæc quiuis, uel qui uenit ecce Palæmon.

Suetonius.

CALLIMACHVS Grammaticus magnum librum magno
malo parem eſſe dicere ſolebat. Athen. lib. 3. cap. 1. Dignum
profectò inepto Critico iudicium. Quaſi moles librū faciat,
& non potius doctrina atq; methodus.

Grammaticos ineptos non moratur ſuorum ſcriptorum iudi-
ces Horatius, Satyra ultima lib. 1. Sermonum ſic ſcribens:

Mén' moueat cimex PANTILIVS? aut crucier quòd
Vellicet abſentem DEMETRIVS? aut quòd ineptus
FANNIVS Hermogenis [redacted]
Plotius, & Varius, Mecœnas, Vergiliuſq;,
V[redacted], & probet hæc Octauius optimus, atq;
Fuſcus, & hæc utinam Viſcorum laudet uterq;.
Ambitione relegata te dicere poſſum
Pollio, te Meſſala tuo cum fratre, ſimulq;
Vos Bibuli, & Serui, ſimul his te candide Furni:
Complureis alios, doctos ego quos, & amicos
Prudens prætereo: quibus hæc, ſint qualiacunq;,
Adridere uelim, doliturus ſi placeant ſpe
Deteriùs noſtra. Demetri, teq; Tigelli
Diſcipulorum inter iubeo plorare cathedras.

Lib. 6. Aeneid. Eruet ille Argos, Agamemnoniaſque Mycenas,
Ipſumque Aeacidem, genus armipotentis Achilli, Vltus a-
uos Troiæ, tēpla & temerata Mineruæ. Phthia patria eſt A-
chillis, in Phthiade regione Macedoniæ. Eā L. Aemilius Pau
lus Rom. ſubdidit, uicto Perſeo. Mycenæ in Argolide ſunt, ad
quas ab Argis eſt regnum tranſlatum. Eas cum reliqua A-
chaia cœpit L. Mummius. IVLIVS Hyginus erratum dice-
bat eſſe à Vergilio his uerſibus in hiſtoria. nam non idem
eruit Argos, & uicit Pyrrhum: ideo eximendum uerſum il-
lum cenſebat, ipſumque Aeacidem. Sed SERVIVS, Illeque
ſubaudiendum eſſe ait, ut de Curio intelligatur. Viues in li-
brum 5. de Ciuitate Dei, cap. 12.

CALIGVLÆ Cæſari, ut auctor eſt Suetonius, uſq; adeò pla-
cebat ardor ac uis in dicendo, ut Senecæ orationem, ſine
calce arenam, ſit ſolitus appellare, tanquam diſſolutam ac
neruis carentem & ordine: quæ quodammodo compages
eſt totius ſermonis ſuo quidque loco diſponens. Quan-
quam autem Caligula multa parum integræ mentis dedit
argumenta, tamen in hoc iudicio minimùm aberrauit à
ſcopo. Seneca fertur impetu quodam, minimè ſeruiens or-
dini. Eraſmus in Adagiis.

*Doctoribus.*

ALCIBIADES, ubi ex pueris exceſſit, adiit ludimagiſtrum,
poſtulauitque uolumen Homeri. Qui, cùm nihil ſe diceret
Homeri habere, inflicto colapho reliquit eum. Cùm alius
diceret habere ſe Homerum, quem ipſe emendaſſet: Et tu,
inquit, literas doces, qui uales emendare Homerum? Plutar
chus in Alcibiade.

*Literis.*

Theuth dæmon quidam Aegyptius, poſteaquam primus inue
niſſet numerū & cōputationē & Geometriā & Aſtronomiā,
præterea talorum & cuborū ludum: ipſas quinetiā literas:

inuenta ſua Thamo Aegyptiorũ regi obtulit, utq; iis Aegyptij omnes inſtituerentur, hortatus eſt. THAMVS laudatis iis, quæ probabãtur, literas improbauit, quòd memoriæ potiùs, offuturæ, & homines ad excolendam memoriã inertes redditurę uiderentur, fretos literarũ præſidio. Cęlius lib. 22. cap. 15. Eaq; propter non memoriæ, ſed admonitionis medicamentum, literas eſſe pronunciauit. Plato in Phædro.

AMERICÆ incolæ ab Hiſpanis ſubacti, literarum uſum diuinitatis certiſſimum argumentum eſſe putabant, cùm chartæ ſcriptæ uocem occultam ineſſe animaduerterent. Petrus Cieza Tomo 2. hiſtor. Peru, cap. 34.

*Pronuntiatione.*

Theophraſtus philoſophus, cùm percontaretur Athenis ex ANICVLA quadã, quãti olera uenderet? reſpõdit illa, & addidit: Hoſpes, nõ pote minoris. Tulit ille moleſtè, ſe nõ effugere hoſpitis ſpeciẽ, cùm ætatẽ ageret Athenis, optimeq; loqueretur. Ex ipſo ſono uocis hoſpitẽ eſſe cognouerat (erat enim Lesbius) non Athenienſem. Cicero in Bruto.

*Proprietate Vocum.*

M. POMPONIVS, Latini ſermonis exactor moleſtiſſimus, iudicio quodã (nã & cauſas dixit) tandiu inſolenter aduerſarij ſolœciſmũ carpſit, quoad Caſſius Seuer⁹ à iudicib. petiit, ut eius rei cognitionẽ differrẽt, donec litigator ſuus ab grãmaticorũ aliquo patrociniũ imploraret. Sab. lib. 9 En. 6.

Ludouico Caſteluitreo Mutinenſi, Clauennæ Rhetorum ſanctè mortuo, cuius ſummam in omni politiorum literarum genere excellentiam, etiã æmuli ſunt admirati, fraterna pietate tale monumẽtum in templo ſaxo inciſum fuerat. D. O. M. MEMORIÆ Ludouici Caſteluitrei Mutinenſis, uiri ſciẽtię, iudicij, morũ, ac uitæ incõparabilis: qui dũ patriã ob improborũ hominũ ſæuitiã fugit, poſt decennalem peregrinationẽ tandẽ hìc in libero ſolo liber moriẽs, liberè quieſcit. Anno ætatis ſuæ LXVI. Sal. uerò noſtræ M.D.LXXI. die XX. Febr. FR. M. M. P. Cęterùm inuidia improborum, qui uocem Incomparabilis ſoli Deo cõuenire, inter homines nulli, aſſerebant, ut prætextũ haberent ſuæ nequitiæ, deiectũ eſt. Sic doctiſſimorum ſuæ ætatis cenſor, indoctiſsimos epitaphij ſui criticos nactus eſt.

*Vſu & utilitate artis.*

[redacted]

CERTANDO. CERTAMINA grammatica, reſpectu

EORVM QVI CERTANT.

FRANCISCVS Philelphus Tolentinas, Emmanuelis Chryſoloræ gener, in literis Græcis exercitatiſſimus, cum TIMOTHEO quodã Græculo de ui ſyllabæ contendens, barbam uicto, inexorabili ſuperbia deraſit. Sic enim inter eos conuenerat, ut barba uictus multaretur. Iouius in Elogiis.

Quàm indecoræ doctorum hominum pugnæ fuerunt, POGGII cũ Valla & Philelpho, POLITIANI cum Scala & Merula, de uerbulis, de ſententiolis leuiſſimis, ſæpe etiã obſcenis, de uerſiculo, de literula, de nugis nugaciſſimis? Reges non tam acriter pro magnis regionibus ac prouinciis decertant, nec intemperantes homines de ſuis uoluptatibus. Si quis conuitia, & curam, atq; anxietatem audiuiſſet orationũ, quoduis ſibi uadimoniũ deſerendum duxiſſet, ut tantã rẽ cognoſceret: putaſſet inter illos doctos duntaxat homines & tantæ exiſtimationis dimicationẽ eſſe, uel priuatim de alterius aut etiam utriuſq; uita, uel publicè de ſtatu ciuitatis. Vbi uerò de tenuiſſimis inter illos rebus agi cognouiſſet, deſpicatiſſimis illos eſſe animis indignabundus clamaſſet, & homines abiectos: qui de rebus adeò uilibus, non de lana caprina, ſed de ariſtula, aut ſiliqua uolitante, os aperire ſuſtinuiſſent: ut nuſquam commodiùs uidiſſet uetus uerbũ congruere, Magnas nugas magno conatu agi. Ludo. Viues de Concordia & diſcordia lib. 2.

REI DE QVA CERTANT. VT DE *Literarum ſignificatione.*

Anaxenori citharœdo Magnetio, qui M. Antonio Triumuiro acceptiſſimus fuit, ciues ſui in theatro ſtatuam æneam poſuêre, cum hac inſcriptione, ex Homeri Odyſſea mutuata,

ἤτοι μὲν τόδε καλὸν ἀκουέμεν ἐστὶν ἀοιδοῦ,
τοιοῦδ᾽ οἷος ὅδ᾽ ἐστί, θεοῖς ἐναλίγκιος αὐδῇ.

Qui epigramma inſcripſit, incõſideratè ultimã ſecundi uerſus literã, nimirum ι prætermiſit, cùm baſis latitudo non ſufficeret. Quæ res ciuitatem barbariſmi accuſare uiſa eſt, contendentibus GRAMMATICIS, propter ambiguitatẽ, quę oritur ex ſcriptura, num ultima dictio in nominatiuo caſu accipienda ſit ΑΥΔΗ, an in datiuo ΑΥΔΗι. Nam multi datiuos ſine iota ſcribunt, & conſuetudinẽ reiiciunt, quæ naturalem cauſam non habet. Strabo lib. 14.

AESOPVS fabulator Phryx, Xantho philoſopho Samio ſeruiebat. In arcem aũt profectus Xanthus, marmora quędam antiqua perlegebat. Inter quæ cippus quidam erat ſeptẽ tãtùm literas inciſas habens Α Β Δ Ο Ε Θ Χ. Aeſopus theſaurũ ſubeſſe indicat: & libertatẽ auriq; dimidiũ cũ hero pactus, quatuor paſſus à cippo diſtans, fodere cœpit, & theſaurum reperit. Xanthus ea re lætus, porrò etiã interpretationẽ literarũ efflagitauit. Aeſopus hunc in modũ explicauit: Α ἀποβάς, Β βήματα, Δ τέσσαρα, Ο ὀρύξας, Ε εὑρήσεις, Θ θησαυρὸν, Χ χρυσίου. Xanthus ſapientiæ ſerui inuidens, ſe promiſſis ſtaturum negauit. Tum Aeſopus: Niſi fidem ſerues, theſauri domino, Syracuſanorum regi rem omnẽ enunciabo: idipſum enim literæ monent: Α ἀπόδος, Β βασιλεῖ, Δ Διονυσίῳ, Ο ὃν, Ε εὗρες, Θ θησαυρὸν, Χ χρυσίου. Xanthus regis aurum eſſe audiens, dimidiũ lucri Aeſopo conceſſit. Aeſopus uerò: Non tu mihi hoc, ſed is, qui theſaurũ defodit, largitus eſt, reſpondit: quandoquidẽ hoc ipſum literæ indicãt: Α ἀνελόμενοι, Β βαδίσαντες, Δ διέλεσθε, Ο ὃν, Ε εὕρετε, Θ θησαυρὸν, Χ χρυσίου. Planudes in eius uita.

P. RVTILIVS Rufus cum M. Aemylio Scauro conſulatũ petens, repulſam tulit. Accuſauit ambitus competitore Scaurũ, conſulem deſignatũ: & uiciſſim a Scauro iam abſoluto uocatus eſt in iudicium. Oſtendebat Scaurus in Rutilij tabulis has literas, A. F. P. R. eaſq; ſic interpretabatur: Actũ Fide P. Rutilij. Rutilius econtrà ſic. Ante Factũ Poſt Relatũ. C. uerò Cannius eques Romanus, q[redacted]ilio aderat, exclamauit, neutrũ illis literis ſignificari. Et cùm Scaurus interrogaſ[redacted]pondit: Aemylius fecit, plectitur Rutilius. Quo [redacted] manifeſtum eſt, quàm incer[redacted] ſignificatio. Rutilius in uita Publij Rutilij Iureconſulti.

*Scriptione.*

HEBRÆORVM certam[redacted]libus pete ex Tit. ſuperiore Grammaticæ inuentorum.

*Pronuntiatione.*

MENSTRIVM Florum conſula[redacted]ESPASIANVS Imp. admonitus ab eo, plauſtra potiùs quàm ploſtra dicẽda, die poſtero Flaurum [redacted] Suetonius.

[redacted]

Anno Chriſti 1542. grauiſſima orta eſt controuerſia in Anglia de diuerſo pronũciationis genere Græcę linguę, inter duos uiros doctiſs. habita. Erat ibi pędagogus Regius IOANNES Checus, qui uocales atq; diphthongos iuſtis temporibus ac ſonis proferre docebat, & Eraſmi pronũciationem aſſerebat. Ei ſe oppoſuit STEPHANVS Vintonienſis epiſcopus, Academiæ Cantabrigienſis Cancellarius, & edicto propoſito dira minatus eſt illis, qui à uulgari pronunciandi ratione deflecterent, proſcriptiones & exilia præceptorib. diſcipulis ferulam & uerbera. Edictum Londini publicatũ XVIII. Cal. Iun. Suffridus Petrus in Orat. 2. De utilitatẽ linguæ Græcæ recitat.

*Vocum proprietate.*

SOPHOCLES in Chio puerum formoſum, pocillatorem uidens, cùm is erubuiſſet, ad aſſidentem inquit, Phrynichus ſcitè dixit, Splendet autẽ in purpureis genis amoris nitor. Ad quod Eretrius literarum magiſter reſpondit: Sapiens tu quidem es in poëſi, ô Sophocles, at non tamen Phrynichus purpureas genas pulcrè appellauit. Nã ſi pictor huius pueri genas purpureo colore inficiat, nõ amplius formoſus uidetur. Tũ Sophocles, Ergo neq; tibi placeat, inqt, ô hoſpes, illud Simonidis dictũ, quod Græcis omnib. probatur, Purpureo ex ore mittens uocem uirgo. Neq; enim quia poeta dixit auricomum Apollinem, pictor ſtatim aureos capillos Deo effecerit. Neq; cùm roſeos digitos appellarit, colore roſeo digitos tinxerit: ſic enim purpureas manus, non autẽ pulcras faceret. Athen. lib. 13. cap 27.

M. POM-



M. POMPONIVS Marcellus Grammaticus, cùm ex oratione Tiberium Cæſarem reprehendiſſet, affirmante ATTEIO Capitone, Et eſſe illud Latinum, & ſi non eſſet, futurum certè. Iam inde mentitur, inquit, Capito. Tu enim Cæſar ciuitatem dare potes hominibus, uerbis non potes. Tanti itaque imperator grammatico non fuit, ut grammaticæ legibus ſolueretur. Suetonius.

*Vocum flexione.*

Duo Græci Grammatici illuſtres, ARISTARCHVS & CRATES Mallotes, ſumma ope, ille ἀναλογίαν, hic ἀνωμαλίαν in declinandis & coniugandis uocibus defenſitauit. Ἀναλογία eſt ſimilium ſimilis declinatio, quam quidam Proportionẽ uocant. Varro Similium obſeruationem. Ἀνωμαλία eſt inæqualitas declinationum, conſuetudinem ſequens. Gellius lib. 2. cap. 25. Noct. Atticarum.

M. VARRO philoſophus ſummus, de lingua Latina octo libros ſcripſit diuinos, & in iis quæſtionem magnificè perſecutus eſt, conſtarétne ſermonis uſus ratione aliqua naturali perpetuaque, id eſt, analogia: an incerta & errante, pro multitudinis arbitrio, anomalia uagaretur. Chryſippus περὶ τῆς ἀνωμαλίας libros ſex confecerat, quem Crates erat imitatus: Ariſtarchus & ipſius æmuli analogiam tuebantur. Varro Ariſtarchum eſt amplexatus, ſequendam nempe analogiam: ſed quæ communi conſuetudini non repugnet: Populus uniuerſus, ait, debet in omnibus uerbis uti analogia: & ſi perperàm eſt conſuetus, corrigere ſeipſe. Populus enim eſt in ſua poteſtate, ſinguli in illius. Itaque ut ſuam quiſque conſuetudinem, ſi mala eſt, corrigere debeat, ſic populus ſuam. Ego populi conſuetudinis non ſum ut dominus, at ille meę eſt. ut rationi obtemperare debet gubernator, gubernatori unuſquiſque in naui: ſic populus rationi, nos ſinguli populo. P. Ramus lib. 2. Scholarum grammaticarũ ex Gellij lib. 2.

Controuerſia de Tu pronomine ueteribus fuit. Triphõ uoca[redacted]tiuum tantùm eſſe cenſuit, & ei tantùm apoſtrophen dedit. APOLLONIVS uerò etiam nominatiui caſus eſſe uoluit. Priſcianus lib. 17.

*Conſtructione.*

Cùm CN. POMPEIVS ædem Victoriæ dedicaturus foret, cuius gradus uice theatri eſſent, nomenq; eius & honores inſcriberentur: quæri cæptum eſt, utrum Conſul tertiò ſcribendum eſſet, an tertiũ. Tandem Cicerone arbitro, notam ternarij, loco dictionis integræ ponere uiſum eſt, Coss. III.

Verrius Flaccus libertinus, docendi genere maximè claruit. Namq; ad exercenda DISCENTIVM ingenia, æquales inter ſe committere ſolebat, propoſita non ſolùm materia, quam ſcriberent, ſed & præmio, quod uictor auferret. Quare ab Auguſto quoq; nepotibus eius præceptor electus eſt. Docuit deinde in atrio Catilinę, ubi ſeſtertia centena in annum accepit. Suetonius cap. 16.

*Interpretatione librorum.*

Narrat in tertia ad HIERONYMVM epiſtola Auguſtinus, tumultuationẽ alicubi ortã ex eo, quòd Epiſcopus prælegi in eccleſia, Hieronymi tranſlationem inſtituiſſet: Quidam frater, inquit, noſter Epiſcopus, cùm lectitari inſtituiſſet in eccleſia, cui præeſt, interpretationẽ tuam, mouit eũ quiddam longè aliter ab ea poſitum apud Ionam prophetam, quàm erat omnium ſenſibus memoriæque inueteratum, & tot ætatum ſucceſſoribus decantatum: factus eſt tantus tumultus in plebe, maximè Græcis arguentibus & inclamantibus calumniam falſitatis, ut cogeretur Epiſcopus Iudæorum teſtimonium flagitare. Verùm illi, imperitia, an malitia, hoc eſſe in Hebraicis codicibus reſponderunt, quod & Græci & Latini habebant. Coactus itaque fuit homo mendum corrigere, ne remaneret ſine plebe. Irridet hanc fabulam Hieronymus, & Auguſtinum accuſat, quòd locum eum in Iona, quis fuerit, nõ indicarit, epiſtola prima ad Auguſtinum.

## LINGVARVM STVDIVM.

*Si fieri poſſet, ut confuſio Babylonica funditùs à medio tolleretur (cuius ſpecimen Spiritus ſanctus in die Pentecoſtes euidenter exhibuit Hieroſolymis) πολυγλωττία nullum ampliùs locum habitura eſſet apud eos, qui rebus potiùs quàm uerbis ſtuderent. Sic Romani rerum domini, qui πολυγλωττίας difficultatem & damna uidebant, confuſionem hanc unà cum imperio è medio tollere, & uni linguæ Latinæ domi foriſq; ſuos aſſuefacere uoluerunt. Idipſum quoq; Turcæ hodie conantur. Nam unicuiq; ſuum pulcrum. Itali certè omnes artes in linguam Etbruſcam magno conatu traducere tentant. Non inconſultè illi quidem, modò imperium tantis conatibus par ſortirentur. Itaq; ſeu natura duce, quæ uarietatem hanc linguarum exoſa eſt, ſeu gloriæ ſtimulo, nemo tam abiectus aut barbarus eſt, qui non omnes gentes & populos lingua ſua uti: cæteras uerò tanquam ſuperfluas & inutiles explodi cupiat.*

VNIVS ALICVIVS, PVTA Patriæ.

MAGISTRATVS priſci Romanorum, ad ſuam populique Romani maieſtatem, inter cætera obtinendæ grauitatis indicia, illud quoque, magna cum perſeuerantia cuſtodiebãt; ne Græcis unquam niſi Latinè reſponſa darent: quinetiam ipſa linguæ uolubilitate, qua plurimùm ualent, excuſſa, per interpretem loqui cogebant, non in urbe tantùm, ſed etiam in Græcia & Aſia: quò Latinæ uocis honos per omnes gentes uenerabilior diffunderetur. Nec illis deerant ſtudia doctrinæ, ſed nulla non in re pallium togæ ſubiici debere arbitrabantur: indignum eſſe exiſtimantes, illecebris & ſuauitate literarum, imperij pondus & auctoritatem domari. Primus Molo rhetor, qui ſtudia M. Ciceronis acuit, Græcis actionibus in curia locum fecit. Eum namque ante omnes exterarum gentium in Senatu, ſine interprete auditum conſtat. Valer. Max. libro ſecundo, capite primo. Curabant Romani, ut & in prouinciis plurimi Latinè loquerentur: ita ut Hiſpanias & Gallias Latinas prorſus fecerint, ueteribus illarum gentium linguis abolitis.

M. CATO Trib. militum M. Attilium ducem in Græciam aduerſus Antiochum Magnum comitatus. Diu hæſit Athenis. Dicitur autem oratio quædam eius extare, quam Græcè ad populum habuerit, in admiratione ueterum uirtutem Athenienſium habere ſe, urbemque pulcritudinis & amplitudinis cauſa libenter uiſiſſe. Hoc tamen uerum non eſt, ſed per interpretem eſt populum Athenienſem allocutus: non quin facultatem haberet, ſed quòd retinere uellet morem patriũ, & derideret illos, Græca qui ſtuperent. Poſthumium Albinum quidem, qui hiſtorias ſcripſerat Græcè, ueniam petentem irriſit: dandam dicẽs, ſi illud opus, Amphictionum decreto ſubactus, aſſumſiſſet. Demiratos Athenienſes aiunt eius celeritatem & curſum dictionis: quæ enim hic exprimebat ſtrictim, longo tractu interpretem & multis uerbis explicaſſe. Breui, reliquiſſe eis opinionem, uerba Græcis ex labiis, ex corde Romanis procedere. Plut. in Catone.

TIBERIVS Cæſar ſermone Græco quanquam aliàs promptus & facilis, non tamẽ uſquequaq; uſus eſt: abſtinuitq; maximè in Senatu: adeò quidẽ, ut Monopolium nominaturus, priùs ueniam poſtularit, quod ſibi uerbo peregrino utendum eſſet: atq; etiam in quodam decreto patrum, cùm ἔμβλημα recitaretur, commutandam cenſuerit uocem, & pro peregrina noſtratem requirendam; aut ſi non reperiretur, uel pluribus, & per ambitum uerborum, rem enunciandam. Militem quoq; Grecè teſtimonium interrogatum, niſi Latinè, reſpõdere uetuit. Suetonius.

[redacted]

POMPONIVS Lætus Calaber ita fuit deditus linguę Quiritium Romanorũ, ut Græcam nõ auſus ſit attingere, ne qua peregrinatione contaminaret Latinam. Quaſi uerò ut quiſque olim Romæ fuit Latiniſſimus, ita non etiam fuerit Græciſſimus. Tantus admirator illius Romanæ uetuſtatis, ut Petri nomẽ mutarit in Põponiũ. L. Viues de Veritate fidei l. 2.

[redacted]

[redacted]

EDOVARDI III. Anglorum regis, qui Gallorum regem Ioannem cepit, ſententia decretum eſt, ut iudices item atque litigatores, patroni, procuratores, cauſarum cognitores, non ampliùs Gallicè, uel potiùs Normanicè (quemadmodum hactenus feciſſent, conſuetudine introducta iam inde à Gulielmo Normano rege) ſed Anglicè loquerentur: ac cauſarum actiones, ſententiæ, & cætera acta, lingua Anglica Latináue conſcriberentur. Id quod populo fuit commodo: quippe quem deinceps in cauſis agendis non oportuit interprete uti. Polydorus lib. 19.

SCOTI mõtani, qui priſca etiamnũ lingua utũtur, peculiares adhuc literas retinent, quæ illis olim uulgares erant, aſpirationes diphthongoſque omnes & quantumuis barbaras uoces optimè exprimentes. Sunt qui eas adhuc ruri profitentur, magnis ceremoniis poëtas regia auctoritate creantes. Præter autem uarias artes, quas in eam linguam aut traductas, aut à maioribus traditas acceperunt, in primis medicinam excolunt, nec mediocriter cæteris præſtant, qui ab illis didicerunt, herbarum illic natarum naturas uireſque perſpectas habentes, eaſque propè ſolas curandis morbis adhibentes. Nulla enim regio adeò auerſa à Sole infœcunditatis ſterilitatiſque damnata eſt, quin ad uſus humanos omnibus abundè per diuinam prouidentiam cuncta ſuppeditentur: ſi ſit modò qui uti ſciat. H. Boëthius in Scotia.

OTHOMANNI Turcarum imperatores, ſi quid ſanctè & religioſè promittunt, lingua Turcica utuntur: ſin fallere uolunt, neq; promiſſis ſtare, aliena lingua oratores alloquuntur. Hanc fraudem barbaræ gentis cùm Andreas Grittus Venetis ſuis (quorum poſtea dux factus eſt) detexiſſet, à crudeliſſimo tyranno diu Conſtantinopoli in uinculis detentus fuit. Bembus lib. 4. hiſt. Ven.

Recens exemplum, ſuaque nouitate perilluſtre habemus IOAN. Goropij Becani, Medici doctiſſimi, qui ad hiſtoriam Antuerpienſem ſcribendam inuitatus, ea futuri operis fundamenta iecit, ut quemadmodum Cybelen deorum omnium matrem poetæ fingunt, ſic ille non urbis, ſed orbis, omniumque adeò gentium antiquitates, ne Hebræis quidem, & quæ in primo auctoritatis & ueritatis loco eſſe debent, Biblicis exceptis, ex uetere Germanorum lingua, per nomenclaturas abſtruſas, admirabili conatu, pioque erga patriam ſtudio, deducat.

## Peregrinæ, Vrputa

*Hebreæ.*

D. HIERONYMVS tanto ſtudio Hebræam linguam didicit, ut Bethlehemę magno labore & precio compararit ſibi nocturnum præceptorem, Barrabanum quendam Iudæum, qui interdiu docere Chriſtianos, propter metũ Iudæorum non audebat. Multis quoque numis redemit Lyddæum quendam præceptorem, ſummæ apud Hebræos auctoritatis. Teſtis ipſemet in Epiſtola ad Pammachium & Oceanum. Item in Præfatione Iob. IDEM ut Barbararũ uocum ſtridores exprimere poſſet, lima ſibi anteriores dentes atteri curauit. Fulgoſ. lib. 8. cap. 7.

PAVLA Romana Hebræam linguam, quam ego (inquit D. [redacted]) ab adoleſcentia multo labore ac ſu[redacted] ex parte didici, & indefatigabili meditatione non deſero, ne ipſe ab ea deſerar, diſcere uoluit, & conſecuta eſt: ita ut Pſalmos Hebraicè caneret, & ſermonem abſque ulla Latinæ linguæ proprietate perſonaret.

Primus omnium qui noſtro æuo Hebræam linguam excolere cepère, fuit IO. CAPNION Phorcenſis. Eiuſdem in Tubingẽſi Academia, licèt ætate multo minor, ſocius, CONR. Pellicanus Rubeacenſis. Tertius his acceſſit SEBASTIANVS Munſterus, anno 1509. Quartus VOLFGANGVS Ca[redacted], anno 1518. Bruxellis Matthæi Adriani è Iudaiſmo [redacted] diſcipulus. In Italia PETRVS Galatinus & SANTES Pagninus floruère. In [redacted] STVNICA. Tandem anno Sal. 1518. ELIAS Iudęus Germanus, in Noua ciuitate pro[redacted] Norimbergam natus, ex probatiſſimis Hebræis, Grammaticam collegit, eamque Romæ, uel inuitis Iudæis, curauit excudendam: qua ceu ſplendidiſſima face, linguæ ſan[redacted] tenebras diſcuſſit. Eam pòſt Munſterus in Latinum conuertit ſermonem. Vide Præfationem eius.

PAVLVS FAGIVS Germanus, [redacted] Maria regnante (ubi Hopperus etiam ac Thomas Gramerus, duo Anglici epiſcopi, hæreſeos nomine flammis traditi ſunt) refoſſus & combuſtus eſt. Edidit libros multos partim Hebraicos, partim à ſe conuerſos & expoſitos, adiutus opera Venetiis acceſiti Iudæi Eliæ Leuitæ, uiri eloquentis, ac Hebraicè ad miraculum eruditi: cui multùm debẽt S. linguæ ſtudioſi: ut ipſe teſtatur in Præfatione in Thisbiten Heliæ, à ſe trãſlatum. Michael Neander in Erotematis linguæ Sanctæ.

*Græcæ.*

ISTRINA Scytharum regina, Ariphitis uxor, ipſa Sylem filiũ Græcis literis inſtituit.

THEMISTOCLES in exilium pulſus, cùm regem Perſarum Xerxem accedere uellet, ne peregrina lingua regis aures offenderet, Perſicam linguam breuiſſimo ſpacio priùs didicit. Plutarchus in eius uita.

GALLI Maſſilienſium imitatione ita φιλέλλωνες ſunt redditi, ut cõtractus quoque Græca ſcriberentur lingua. Et hinc fortaſſis ad huc hodie in uulgari lingua Gallorum, licèt corrupta admodum, Græcæ linguæ phraſes & uoces aliquot reperiuntur. Strabo lib. 4.

P. CRASSVS cùm in Aſiam ad Ariſtonicum regem debelandum conſul ueniſſet, tanta cura Græcæ linguæ notitiam animo comprehendit, ut eam in quinque diuiſam genera, per omnes partes ac numeros penitùs cognoſceret. Quæ res maximum ei ſociorum amorem conciliauit, qua quis eorum lingua apud tribunal eius poſtulauerat, eâdem decreta reddenti. Val. Max. lib. 8. cap. 7.

AVGVSTVS Cæſar Græcarum diſciplinarum magno ſtudio tenebatur: in quibus & ipſis præſtabat largiter, magiſtro dicendi uſus Apollodoro Pergameno: non tamen, ut aut loqueretur expeditè, aut componere aliquid auderet Græcè: ſed ſi quid res exigeret, Latinè formabat, uertendumque alij dabat. Suetonius.

A. POSTHVMIVS Romanus linguam Græcam mirè affectabat, ut iam propter illum, etiã natu maioribus & ſumma præditis auctoritate Romanis, Græcitas inuiſa eſſet. Suidas.

CLAVDIVS Cæſar magna cura, Græca ſtudia ſecutus eſt, amorem præſtantiamque linguę, occaſione omni profeſſus. Cuidam Barbaro Gręcè & Latinè diſſerenti, Cùm utroque, inquit, ſermone noſtro ſis peritus. Et in commendanda patribus cõſcriptis Achaia, Gratam ſibi prouinciam, ait, communium ſtudiorum commercio. Ac ſæpe in ſenatu legatis perpetua oratione reſpondit. Multum uerò, pro tribunali etiam, Homericis locutus eſt uerſibus. Quoties quidem hoſtem, uel inſidiatorem ultus eſſet, excubitori Tribuno ſignum de more poſcenti, non temerè aliud dedit, quàm

Ἀνδρ' ἐπαμύνασθαι, ὅτε τις πρότερος χαλεπήνῃ.

Denique & Græcas ſcripſit hiſtorias, Tyrrhenicon XX. Carchedoniacon VIII. Quarum cauſa, ueteri Alexandriæ Muſæo additum ex ipſius nomine, inſtitutumque: ut quotannis in altero Tyrrhenicon libri, altero Carchedoniacon diebus ſtatutis, uelut in auditorio recitarentur toti à ſingulis per uices. Tres literas nouas Græcæ linguæ addidit: quas poſtmodùm omnes non ſine admiratione coluerunt. Græcæ prouinciæ principem, quòd Latinè neſciret, albo iudicum eraſit, & peregrinatum miſit. Suetonius.

ADRIANVS Imperator impensè adeò Græcæ doctrinæ inuigilabat, ut à pleriſque Græculus uocaretur. Sextus Aurelius.

Iuuenalis, Satyrica licentia perſtringit ROMANORVM nimiam in Græcorum lingua moribuſque affectationem,
—Omnia gręcè. —Concumbunt denique græcè. Item,
—Non eſt hîc ſermo pudicus In uetula, quoties laſciuum interuenit illud Ζωὴ καὶ ψυχή. Et Romani fortaſſis ob conuerſationem gentis eruditiſſimæ, uenia digni maiore. NOSTRIS uerò hominibus quibuſdã quid facias, qui uel abiectiſs. chartas, modò Græcis ſint exaratæ characteribus, ſuſpiciunt, & modò non adorant?

IO. Capnio, cùm in auditorio Io. Argyropyli, Thucydidis periodum Græcam ſcitè interpretatus eſſet, tum ſenex illacrymans exclamauit, Ergo etiam Alpes, exilio noſtro tranſuolauit Græcia? Ioach. Cureus in Sileſiæ Annalibus.

*Latinæ.*

Tradit Strabo lib. 3. HISPANOS ſua ætate pleroſque Romanam didiciſſe linguam, cùm eâdem ius diceretur.

CVMANIS à populo Rom. tributum fuit, ut publicè Latinè loqui liceret, utq; præconibus, Latinè uendendi auctionandiq; facultas foret. Alex. lib. 2. cap. 30.

ISABELLA Ferdinandi Catholici, regina Hiſpaniæ, Hiſpano ſermone loquebatur grauiter & ornatè: Latinos oratores & ſermones libentiùs audiebat quàm alios, quamuis Latini ſermonis ignara. Delectabatur enim ſuauitate linguæ Latinæ bene proferentis. Quam ob rem ſcientiæ cupidiſſima, bellis in Hiſpania iam confectis, etſi multis magniſque negociis occupata, Grammaticæ tamen lectionibus operam dedit. In quibus per unius anni ſpacium, tantum profecit, ut non ſolum Latinos oratores intelligere, ſed etiam libros



bros interpretari facilè poſſet. Marineus lib. 21. rerum Hiſp.

SIGISMVNDVS Imp. cùm peritus eſſet multarum linguarum, & inter illas ſermonis quoque Latini, quo tunc in concilio Baſilienſi cauſæ omnes agebantur: ut nullos magis, quàm Germaniæ principes, illius rudes eſſe animaduertit (ferè enim ad ſingula uerba Latina interprete indigebãt) adhortari illos cœpit, ut ſaltem liberos ſuos, bonis literis præceptoribus erudiendos traderent: ne inter idiotas, & illiteratos, non ſatis nobilitati decora uocabula, numerarentur. Dubrauius libro 25.

GERMANI Latinæ linguæ iam inde à pueris ſtudent, colloquendo præſertim, Itali non item: uel ne promiſcuo Latinæ linguæ uſu à Ciceroniana puritate recedant: uel certè quia Hetruſcæ ſuæ omnia tribuunt.

*Oſcæ.*

Cùm Oſcorum gens in Campania defecerit, eorum lingua ROMANIS ſalua manet, ut more quodam patrio ſcripta poëtica Atellana in ſcenicum certamen perueniant, hiſtrioneſq; pronuncient. Strabo lib. 5. Quemadmodum hodie apud Italos lingua ruſtica, Patauina & Neapolitana.

*Arabicæ.*

IO. SEGOBIENSIS Hiſpanus, Cardinalitio honore abiecto, Cæſarienſi eccleſiæ præfectus, in altiſſimis montibus paruo monaſterio contentus, uocatis ex Hiſpania Arabicæ linguę magiſtris, Alcoranum Mahumetis conuertit & confutauit. Aen. Syluius cap. 42. Europæ.

ANDREAS Alpagus Bellonenſis Medicus, in Syriam nauigans, Arabicam linguam didicit, & præter multos alios Saracenorum libros, etiam Auicennam Latinè interpretatus eſt.

NICOLAVS Cleonardus, cùm incredibili deſiderio linguæ Arabicæ arderet, neq; uel uiuos præceptores Louanij, uel mutos magiſtros habere poſſet: forte quadam Pſalmos Arabicis characteribus deſcriptos abſq; punctis nactus, admirando ſtudio & inexhauſto labore conſonantes Arabicos hac arte deprehendit. Pſalmorum in Arabico codice numerum ex interſtitiis & rubricis colligens, eundem cum Hebræis codicibus conſentire deprehendit. Mox coniectura quadam augurans, propria nomina eadem in utraq; ſeruari lingua, iiſdemq; conſonantibus ſcribi: eos pſalmos, qui propriis abundarent nominibus, ſelegit, & uerſus Arabicos uerſibus Hebræis uerſa uerbis conferens, ſolo obſeruato numero, ex uariarum uocũ obſeruatione, conſonantes tandem aliquot Arabicos inuenit. Tandem in Hiſpaniam profectus, Salmanticæ præclarè in ea profecit, & Lexicon Arabicum concinnauit. Teſtis ipſemet in 2. lib. Epiſtolarum.

*Perſicæ.*

THEMISTOCLES patria pulſus, & ad Xerxem, quem paulo antè deuicerat, confugere coactus, ut regiis auribus familiarem & aſſuetum ſonum uocis adhiberet, Perſico ſermoni ſe aſſuefecit. Valerius Max. libro 8. capite ſeptimo: & Plutarchus in eius uita.

## VARIARVM LINGVARVM ſtudium.

D. HIERONYMVS, cùm cõſtituiſſet arcanas interpretari literas, [redacted] inæſtimabili ſudore, trium linguarum peritiam ſibi comparauit. [redacted]

CAROLVS IIII. Imp. in Bulla aurea uulgò dicta, qua de Electione Imp. agit, illud quoque iubet, ut Electorum filij, primis ab annis, Italicam, Latinam & Illyricam linguam addiſcant, quò ſermonem cum multis gentibus communicare poſſint. Sleidanus libro 1.

[redacted]

# LINGVARVM ODIVM ET CONTEMTVS.

## PATRIAE.

Aelius Spartianus in uita SEVERI, qui Apher fuit, ſcribit, Sororem, quæ ad eum uenerat, quum uix loqueretur Latinè, ab eo pudore ſuffuſo, domum remiſſam.

## PEREGRINAE.

CARTHAGINENSES eo bello, quod contra Dionyſium Siciliæ tyrannum geſſere, quum ſe literarum Græcarum cõmercio proditos ſenſiſſent, ac quicquid fuiſſet ab ipſis decretum, Dionyſio ſignificatum: ſenatuſconſulto cauerunt, ne quis poſtea Carthaginenſis, aut literis Gręcis aut ſermoni inſueſceret ſtuderétue. Cælius lib. 22. cap. 17. Antiq. Lect. & Alex. lib. 2. capite 30.

C. MARIVS neque literas Græcas guſtaſſe, neq; Græcam linguam ulla in re ſeria uſurpaſſe dicitur: quaſi ridiculũ foret literas addiſcere eas, quarũ aliis ſeruirent præceptores. Poſt ſecundum triumphum, cùm in ædis cuiuſdã ſacræ dedicatione ſpectacula Græco more ederet, ingreſſus theatrum aſſediſſe tantùm, mox diſceſſiſſe. Plut. in Mario.

M. Tul. Cicero grauiter accuſatus eſt à ROMANIS, quòd Syracuſis ſenatui Syracuſano Græcè locutus eſſet. Teſtis eſt in Verrinis ipſe Cicero.

TIBERIVS Imperator nõ indoctus, Græco idiomate cauſas in urbe agere, aut teſtimonia dicere prohibuit. Centurioni uolenti Græcè in ſenatu teſtimonium dicere, non permiſit. Etſi enim antea in eo complures cauſas audierat Græco ſermone, & multas examinauerat, id tamẽ non ſatis conſtanter conuenienterq;. Preterea cùm uſum ſericarũ ueſtium interdixiſſet, & poſtea à quibuſdum dubitaretur, an ea quoq; quæ haberent emblemata interdicta eſſent, de hoc etiam edixit: & quanquam Latinè id propriè ſignificare non poterat, tamen id uerbum, eo quòd Græcum eſſet, edicto miſceri noluit. Dion Nicæus lib. 57.

VLID rex Arabum, Chriſtianorum templum Damaſci diripuit, ſub Iuſtiniano ſecundo: & uetuit in poſterum codices ſcribi Græcis literis, ſed tantùm Arabicis. Paulus Diaconus libro 20. rerum Romanarum.

M. CATO Cenſorius, ut rigidus erat Romanæ diſciplinæ obſeruator, ſic Græcæ elegantiæ, tanquam lenocinij animorũ hoſtis acerrimus. Venerãt Romã miſſi ab Athenienſibus legati Carneades Academicus, & Diogenes Stoicus. Hos ilicò ſtudioſiſſimi quiq; adoleſcentes adibant, frequenteſque audiebant & celebrabant, ſic ut reliquarũ uoluptatum obliti, unũ Carneadem, omnia delinientem & allicientem, fanatico quodã furore perciti admirarentur, prædicarent. Cùm cæteri Romani adoleſcentiã libẽter uiderent Græcis imbui diſciplinis, unus Cato ſtomachabatur, influxiſſe in urbẽ Gręcæ literaturæ ſtudium, ueritus, ne iuuentus eò conuerteret ſtudium, atq; eloquentiam rei bellicę anteferret. Poſteaquã uerò orationes eorũ elegantiſſimæ in Senatu, interprete C. Aquilio, ultrò id muneris ſibi delegari obnixè petenti, auditæ ſunt: tum demùm Cato maiori quàm unquã antea conatu, legatos quamprimùm honeſta ſpecie ablegandos cenſuit, incuſauitq; adeò Senatũ, qui de die in diem negocium extrahendo, iuuentutẽ à Græcis hominib. faſcinari ſineret: domũ illos remittendos, ut inter Græcorũ filios eloquentiã ſuam oſtenderent: Romanos uerò legibus & magiſtratui parére ſinerent. Hæc ille non priuato aliquo odio, ſed totius literaturæ Græcæ contemtu: quippe cùm Socratẽ quoque loquacẽ & ſeditioſum fuiſſe, & antiquis inſtitutis euerſis, tyrannidẽ occupare uoluiſſe diceret. Iſocratis diſcipulos deridebat, ꝙ apud illum diſcipuli conſeneſcerent, apud inferos cauſas acturi. Filium à literis Græcis ſeuera uoce reuocauit, uaticinans, infectos diſciplinis Gręcis amiſſuros imperium Romanos. Euentus tamen prædictionẽ eius confutauit, cùm Roma ad rerum culmen euaſerit, poſteaquã ſe Græcæ eruditioni dediſſet. Neq; uerò philoſophis tãtùm & grãmaticis, ſed medicis quoq; infeſtus erat. Hoc puta inquit, uatẽ dixiſſe. Quandocunq; gens iſta ſuas literas dabit, omnia corrumpet: tunc etiã magis, ſi medicos ſuos huc mittet. Iurarunt inter ſe barbaros necare omnes medicina. Sed hoc ipſum mercede faciunt, ut fides iis ſit, & facilè diſperdant. Nos quoq; dictitant barbaros, & ſpurciùs nos quàm alios opicos appellatione fœdant. Audierat nimirũ Cato de Hippocrate, quòd accitus ab Artaxerxe Perſarum rege, accedere recuſarit, cum hoc reſponſo: Nunquam ſe hoſtibus Græcorum barbaris operam daturum. Ergo Cato omnia Græcorum ſtudia laude digniſſima reprobauit, non tam rerum odio, quàm linguæ & ipſius gentis contemtu: quæ antiquæ fortitudinis ſpiritus maiores, quàm quos Romana ferret ambitio, oſtentare ſolebat. Plutarchus in Catone, & Plinius lib. 29. cap. 1.

POMPONIVM Lætum in omnem uitam à Græcis abſtinuiſſe ferunt, ne qua peregrinitas Romani ſermonis caſtimoniam uitiaret. Eraſmus Roterod. in uita Hieronym.

## GRAMMATICÆ STVDIVM. TVM RESPECTV

### ARTIS. BARBARIEI ODIVM.

*Vide Tit. Grammaticæ ſcriptores.*

LACONES literas uſus gratia addiſcebant: cæterarum diſciplinarum urbe interdicebant non magis doctoribus quàm artibus. Diſciplina uerò erat iis una ad bene parendum, ad tolerandum labores, & ad uincendum in pugna aut occumbendum. Plut. in inſtitutis Laconicis.

Cùm ſub Alexandri ſucceſſoribus ATHENIENSES pecunia egerent, & quidam peregrinus ſe mutuam illis daturum (δανειῶ) barbarè promiſiſſet: tumultuati, benignitatẽ eius repudiarunt. Sed cùm errore correcto δανείσω dixiſſet: tũ demũ liberalitate eius uſi, hominẽ collaudarũt. Suid. in uoce ϑερῶ.

Poſt [illegible] Stilonem, qui uixit Sylla dictatore, cura Grãmaticæ artis Romæ increuit, ut ne clariſſimi quidem VIRI abſtinuerint, quò minus & ipſi aliquid de ea ſcriberent: utque temporibus quibuſdam ſuper uiginti celebres ſcholæ fuiſſe in urbe tradantur, precia [illegible]desq; grammaticorum ingentes: & hæc quidem ea ætate, qua uidebantur ad eum ſermonem, quem ſuxerant cum lacte, non admodum arte hac indigere. Sed illi nihil negligebant, quod poſſet aliquanto prouectis utilitatem aliquam adferre. Idcirco de ſingulis literis. C. IVL. Cæſar dictator & Coruinus MESSALA, non ſolum oratorum æui ſui, ſed ciuitatis quoque principes, ſingulos libros conſcripſere. Lud. Viues de cauſis Corruptarum artium libro 2.

CAROLVS Magnus ſcripſit Grammaticam patrij ſermonis, quam extare aiunt. Conatus eſt regulis ac præceptis cultiorem & elegantiorem ad æmulationem Græcorum Romanorumq; [illegible] Teutonicam reddere, omniq; barbarie [illegible]. Vniuerſos ueteris ac noui Teſtamenti libros librariorum imperitia, lectorum oſcitantia, interpretum inſcitia, & iniuria temporum deprauatos, ad amuſſim & ueritatem fontis correxit. Extat publicum decretum, nec ſinit, ut ipſe loquitur, in diuinis lectionibus, tẽpliſq;, inter ſacra officia, inauditos ſolæciſmos, barbariſmoſque inconcinnos obſtrepere. Auentinus lib. 4. annalium Boiorum.

FRANCISCVS I. Gallorum rex morem illum à Canoniſtis acceptũ, Arreſta curię lingua Latina publicandi, an. ſal. 1539. è medio ſuſtulit, & patria lingua deinceps uti ſuos uoluit: offenſus, ut aiunt, barbarie cuiuſdam edicti, in quo inter cętera eiuſdem farinæ hæc quoq; legebantur, Nos debotauimus, & debotamus.

### PROFESSORVM.

Apollodoro grammatico AMPHYCTIONES Græciæ honorem habuêre. Plin. lib. 7. cap. 37.

Grammaticis tantus fuit honor Romæ, ut conſtet Luctatium Daphnidem grammaticum ducentis milibus numûm Q. CATVLO (alij M. Scauro habent) emtum, ac breui manumiſſum. Itẽ L. Apuleium ab EFICIO Caluino equite Rom. prædiuite quadringenis annuis conductum, multos edocuiſſe. Suetonius de illuſt. Grammaticis.

L. Cæcilius Epirota, qui primus Romæ Grammaticæ ludum aperuit, primuſq; Vergilium & alios poetas nouos prælegere cœpit, tam familiaris ac charus C. IVLIO Cæſari fuit, ut cũ eo pila luſitarit: ut auctor eſt Macrobius.

Orbilio Pupillo Beneuentano, inſigni grãmatico, ſtatua ROMÆ eſt erecta: quæ oſtenditur in Capitolio ad ſiniſtrum latus, marmoreo habitu ſedentis, ac palliati, appoſitis duob. ſcriniis. Tranquillus de illuſt. Grammat. cap. 8.

Verrius Flaccus libertinus, propter inſignem eruditionem & ſtudium, quod in inſtituenda iuuentute Romanorum adhibebat, ſtatuam promeruit: quæ poſita fuit PRÆNESTE in inferiore fori parte, contra hemicyclum, in quo faſtos à ſe ordinatos, & marmoreo parieti inciſos publicari curauit. Suetonius capite 16. de Gram. illuſt. & Volat. lib. 18. Anthrop. Alij Valerium uocant.

Lenæus ludimagiſter in urbe Roma ob ingenium à Cn. POMPEIO manumiſſus eſt. Plin. de Illuſtrib. grammat.

TIBERIVS Imp. cum grãmaticis familiariter iocari ſolebat, etiam uſque ad ineptias, atque deriſum: tam ſtudioſus fabularis hiſtoriæ, ut eiuſmodi ferè quæſtionib. grammaticos experiretur. Quæ mater Hecubæ: quod Achilli nomen inter uirgines fuiſſet: quid Sirenes cantare ſint ſolitæ. Suetonius.

CAROLVS Magnus liberalia literarum ſtudia, penè iam obliterata, inſtaurauit. Ex Hybernia duos Scotos, Clementem & Albinum acciuit, ut tum erant tempora, eruditiſſimos. Item ex Anglia alterum Albinum euocauit. Albinum Scotum Ticinum miſit, ibique ludum literarium aperire iuſſit. Commilito huius Clemens mandato Caroli Lutetiæ Pariſiorum conſedit: eique Carolus Magnus annonam & ſtipendia è fiſco tradidit: procerum, pauperumque pueros commiſit. Albinum Anglum ſecum detinuit, & D. Martini cœnobio, in agro Turonum ſito, ubi doceret, cùm in aula non eſſet, donauit, Valdonemque Augiæ Maioris magiſtrũ ad Diui Dionyſij templum in agrum Pariſiorum, ex Sueuia, docendi ergô, tranſtulit. Cùm longo pòſt tempore in Galliam diuertiſſet, pueros, quos Clementi commiſerat, epiſtolis, uerſibus, carminibus, orationibus, panegyricis ſcriptis, ſui profectus ſpecimen exhibere iuſſit. Vbi tenuiores præter ſpem profeciſſe, nobiles uerò cultum animi neglexiſſe deprehendit, illis ad dexteram ſegregatis: Vos quidẽ macti uirtute, inquit, eſtote filioli pientiſſimi, qui noſtro imperio grauiter defuncti eſtis: ueſtra erunt ſacerdotia locupletiſſima, & pontificatus maximi. Ego uos in aulam adſciſco: ex uobis ſenatores cooptabo, uos in album prætorum & patrum curiam adlegam. Deinde ad nobilium liberos, quos à læua collocarat, uultu iram non diſſimulans, ait: At uos comatuli & delicatuli, freti opibus & ſplendore parentum, noſtram maieſtatem ſpreuiſtis: uitia, otia, luxum & inertiam, bonis literis & uirtuti, contemto decreto noſtro, prætuliſtis. Deum ergo immortalem teſtor, nihil penitùs commodi honoriſque à me ad uos peruenturum: quinimò edam in uos exempla, niſi reſipueritis, & negligentiam diligentia expiaueritis. Auentinus lib. 4. annalium Boiorum.

Domitius Calderinus Veronenſis, uir acri ingenio, cùm primus ſua ætate poetas grauiſſimos enarrare cœpiſſet, in PRINCIPVM uirorum dignationem maximam uenit, & ditiſſimus factus eſt. Volater. lib. 21. Anthrop.

## GRAMMATICÆ ODIVM, CONTEMTVS. RESPECTV

### ARTIS.

EPICVRVS Athenienſis, grammaticos & ſophiſtas exoſus, quòd percontati ſibi, quidnam eſſet apud Heſiodum Chaos, explicare non potuiſſent, ad philoſophiam ſeſe contulit. Laertius libro 10.

DOMINICVS quidam in eccleſia Nazarethana monachus, uita ad miraculum uſque auſtera, cùm Gerardus à Nazareth operã ei ſuam in literarum elemẽtis docendis offerret, reſpuit, dicens, ſe Deo placere magis poſſe iuſtè uiuendo, quàm tẽpus perdere inutiliter nugas eiuſcemodi addiſcendo. Teſtis Gerardus cap. 6. de conuerſatione ſeruorum Dei.

PARISIENSES theologi ueteres eò confidentiæ proceſſere, ut ſacrarum literarum profeſſoribus merum imperium in omnes artes & ſcientias attribuerent, & uel inuito Priſciano, Ego amat, ſi non Grammaticè, at certè Theologicè dici poſſe affirmarent. Vix demum ſynodo Pariſiis habita barbaries ſeuero edicto coërceri potuit. Cuius rei memoria extat in uetuſtis exemplis Magiſtri ſententiarum Lutetię excuſi. P. Ramus lib. 2. Scholarum grammaticarum.

### PROFESSORVM.

DIOGENES Cynicus grammaticos irridebat, quòd cùm Vlyſſis mala inquirerent, ſua domeſtica ignorarent. Laërtius libro ſexto. Similia extant Epigrammata quædam Græca in Grammaticos, in farragine Epigrammatum à Maximo Planude congeſtorum, quorum auctores ſunt ipſimet Grammatici.

Athenæus lib. 5. citat HERODICVM, qui contemtus gratia grammaticos appellat μονοσυλλάβους, inquiens

Γωνιοβόμβυκες, μονοσύλλαβοι.

quòd in angulis latitent bombcyum more, quodque de minutiis uocularum tractent. Eraſmus in Adagiis.

De Grammaticorum miſeriis & laboribus eleganter PALLADAS in primo Græcorum Epigram. alludens ad principium Iliados Homericæ, quam nocturna diurnaque manu Grammatici uerſare ſolebant:

Ἀρχὴ γραμματικῆς πεντάστιχός ἐστι κατάρα.
πρῶτος, μῆνιν ἔχει. δεύτερος, οὐλομένην.
καὶ μετὰ δ' οὐλομένην, δαναῶν πάλιν ἄλγεα πολλά.
ὁ τρίτατος ψυχὰς εἰς ἀΐδην κατάγει.
τοῦ δὲ τετάρτης, τὰ ἑλώρια, καὶ κύνες ἀργοί,
πέμπτῃ δ', οἰωνοί, καὶ χόλος ἐστὶ διός.
πῶς ἂν γραμματικὸς δύναται μετὰ πέντε κατάρας,
καὶ πέντε πτώσεις, μὴ μέγα πένθος ἔχειν;



# LIBRI SECVNDI TITVLORVM DISPOSITIO.

IN RHETORICAE Titulis digerendis conſiderabimus partim Eloquentiæ

- Poſſeſſionem, quæ & Præceptorum theoria & Exemplorũ praxi, dicẽdo, declamando, ſcribendo abſoluitur. Siue iam ratio habeatur ipſius
  - Habitus cõſiderati
    - Per ſe, in
      - Genere. ELOQVENTIA in uniuerſum conſideratur in iis quib. ineſt, uel
        - Simpliciter & abſolutè, uno ueluti faſce omnia ea, quæ ad artem pertinent, complectendo. ELOQVENTES in genere.
        - Reſpectu certæ alicuius partis, qua excellũt. Vt puta reſpectu
          - Materię, in INVENTIONE
            - Felices. Inuẽtio apta in
              - Genere.
              - Specie.
            - Infelices. Inuentio inepta.
          - Formæ, in
            - Rerũ Diſpoſitiõe, quã ſequitur Memoria. Huc ergo
              - DISPOSITIO rhetorica
                - Apta.
                - Inepta.
              - MEMORIA rhetorũ
                - Felix.
                - Infelix.
            - Verborum decẽte & ornata
              - Λέξει ſiue Apparatu. ELOCVTIO tum
                - Apta in
                  - Delectu uerborum.
                  - Copia & grauitate.
                - Neglecta.
                - Inepta.
              - Ὑποκρίσει ſiue Pronunciatione. ACTIO rhetorica
                - Elegans, apta.
                - Inepta.
      - Specie. ELOQVENTIA conſiderata reſpectu Efficientis cauſæ. Alia
        - Natura inſita, Naturalis.
        - Arte comparata, Artificialis.
    - Reſpectu qualitatis perſonarum. Vide ſignum Aa.
  - Exercitationis. In qua duo perpenduntur: nimirũ
    - Conatus ipſe atq; Vſus Eloquẽtiæ, tum in
      - Γνώσει, quatenus opus aliquod artis facit, atq; deſignat, h. e. Eloquẽtiæ facultate utitur loquẽdo ſcribendoue
        - Per ſe: quando ea, quæ ad facultatẽ hanc faciunt
          - Non cognita inuenit. INVENTORES Eloquentiæ.
          - Cognita cõmunicat aliis; tum
            - Pręcepta Docẽdo. ELOQVENTIAE magiſtri, doctores, uel
              - Præceptores.
              - Exẽplis quæ
                - Imitentur.
                - Recitẽt. Qui orationes aliis ſcribuntur.
            - Exempla proponẽdo. RHETORICA exercitia, reſpectu
              - Subiecti ſiue Argumẽti. Exerceri in
                - Quæſtionibus uel Contradictoriis in utraq; partem uel Abſurdis uel Periculoſis.
                - Collectaneis.
              - Quantitatis:
                - Frequentes.
                - Raræ.
              - Modi. Vel
                - Memoriter.
                - E ſcripto.
              - Temporis:
                - Extẽporaneæ.
                - Præmeditatæ.
        - Reſpectu aduerſarij. CERTAMINA eloquentiæ
          - Rhetorum.
          - Politicorum.
          - Cauſidicorũ.
      - Ἀναλύσει, quatenus alienæ eloquentiæ cenſurã agit. IVDICIVM rhetorũ
        - Aptum.
        - Ineptum.
    - Succeſſus, Perſuaſio ſcilicet ipſa, quatenus uel
      - Succeſſit. ELOQVENTIAE uires, effectus.
      - Non ſucceſſit. ELOQVENTIA irrita. Rhetores uel Oratores qui non perſuaſerunt.
- Cultum, amorem, ſtudium, quatenus facultatem dicendi
  - Colunt, amant, admirantur. ELOQVENTIAE amor & ſtudium tum in
    - Seipſis.
    - Alijs.
  - Non colunt. ELOQVENTIAE uel Rhetoricæ neglectus, odium, uel in
    - Seipſis.
    - Aliis.

- Ad. Perſonæ eloquentia inſtructæ conſiderari poſſunt uel ſecundùm
  - Profeſſionem. Aut enim eloquentiã
    - Otioſè in umbratili uita profitentur, dicendo, declamando, ſcribendo, cauſas agendo fictas. ELOQVENTIAE profeſſores otioſi. RHETORES, Declamatores alij
      - Docti, diſerti.
      - Indocti, imperiti.
    - Negotioſè in uita quotidiana exercent. ELOQVENTIAE profeſſores negotioſi, in ſuo quiq; profeſſionis genere, tum
      - Theorico, ſeu Philoſophico, cui ueritatis cognitio propoſita eſt. Huc pertinent DISERTI
        - THEOLOGI.
        - IVRECONSVLTI.
        - HISTORICI.
        - MEDICI.
        - PHILOSOPHI.
      - Practico uel
        - Factiuo. MECHANICI diſerti.
        - Actiuo. In uita practica potiſſimùm exercentur Rhetores, ut imperito populo orationē ornata ea perſuadeant, quæ Philoſophus nuda ueritate propoſita nunquam perſuaſiſſet. Verſantur autem uel in negotiis
          - Reip. & uel coram
            - Suis, tum
              - Domi, cum populo, cum Senatu, publicas cauſas qualeſcunque agentes. POLITICI homines diſerti, Oratores, Δημαγωγοί.
              - Foris, cum militibus. DVCES eloquentes.
            - Alienis & peregrinis gentibus: ut
              - LEGATI diſerti.
              - INTERPRETES diſerti.
          - Priuatorum, tam ſuis quàm alienis, coram quocunque iudice, qualeſcunque cauſæ fuerint. CAVSIDICI, Rabulæ forenſes, Rhetores eximiè dicti, alij
            - Periti.
            - Imperiti.
  - Ætatem. ELOQVENTES
    - Pueri.
    - Senes.
  - Sexum. ELOQVENTES
    - Viri.
    - Mulieres.

# Voluminis Quarti Liber II.

## DE RHETORICA.

### ELOQVENTES IN GENERE.

MERCVRIVM Iouis & Maiæ filium ἑρμῆν appellarūt Græci, quòd τῆς ἑρμηνείας, hoc eſt interpretationis, quæ uoce fit, auctor eſſet. Nuncius igitur deorum fingitur: quoniam ſermo diuinæ illius particulæ, quæ in nobis eſt, mentis ſcilicet, index exiſtit. Caput alato petaſo, pedes talaribus munit. Dextra caduceū gerit. Lateri harpax accingitur. Eloquentiæ præſidio omnes homines indigent, tum in uita theorica (cuius ſymbolū eſt caput petaſo tectum) tum in uita practica. Hæc duplex. Occupatur enim uel ἐν ποιήσει, quam pedes talarib. inſignes denotant: uel ἐν πράξει, quæ media eſt inter Theoricā & Mechanicā uitam. Πρᾶξις ipſa πολιτική, omne genus uirtutum cōplectitur & uitiorū. Ad uirtutis aūt exercitationē alij honeſtate ipſa; alij metu & formidine incitantur. Honeſtatē caduceus ſignificat, cui gemini angues implicati ſunt: quandoquidem prudentia uirtutes omnes moderatur. Metum & formidinem harpax denotat, lateri accinctus. Caduceo mortuos ducit, atque reducit: hoc eſt, inſontes liberat, ſontes damnat. Somnos infert & adimit: populū modò ad pacem, modò ad bella incitat.

Galli nō Mercurio, ſed HERCVLI, quē ſua lingua OGMIVM uocant, eloquentiæ laudem tribuunt. Simulacrum illius tale eſt, Senex caluus in occipitio; cæterà canus: cute rugoſa & exuſta, leonis exuuio indutus, clauam dextra, arcum læuā tenens, pharetra de humero ſuſpenſa. Ex ore cathenulæ tenuiſſimæ linguæ extremo apici annexæ prodeunt, auro electroq; puriores, quibus hominum magnam turbam auribus ſummis ſuſpenſam, ad ſe alacrem, neq; reluctantē omnino pertrahit. Scitè admodum eloquentiæ naturā hac pictura Galli expreſſerunt. Senex eſt, quoniam dicendi facultas non niſi matura ætate abſoluitur. Armis uariis inſtructꝰ eſt, ut nolentes & reluctantes ui argumentorum, tanquam è pharetra depromtorum, cogere poſſit. Accedit deinde oratoria ſuauitas, qua homines ex aurib. religatos detinet. Herculem itaq; Galli non tam corporis uiribus, quàm eloquentia & eruditione tot monſtra confeciſſe, hoc eſt, arrogantiſſimos ſophiſtas ſuperaſſe arbitrantur. Lucianus in ἡρακλῆσει.

Homerus NESTOREM ſenem, eloquentiæ & prudentiæ laudibus celebrat: τοῦ καὶ ἀπὸ στόματος μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

AETHALIDES, præco inſignis, propter eloquentiā, Mercurij filius creditus. Val. Flaccus primo Argonaut.

Eloquentia non apud quoſuis Græcorum cœpit, ſed apud Athenienſes, non naſcentibus, ſed iam adultis Athenis. Ante PERICLEM & THVCYDIDEM litera nulla eſt, quæ quidem ornatum aliquem habeat, & oratoris eſſe uideatur. Periclem Xanthippi filium Anaxagoras philoſophus erudiit: eius ſuauitate maximè hilaratæ ſunt Athenæ, eius ubertatē & copiam admiratæ, eiuſdē uim dicendi terroremq; timuerunt. Hæc igitur ætas prima, Athenis oratorem propè perfectum tulit. His ducibus eloquentia excoli cœpit, & magiſtri dicendi multi ſubitò extiterunt, Gorgias Leontinus, Thraſymachus Chalcedonicus, Protagoras Abderites, Prodicus Chius, Hippias Elæus: ISOCRATES tamen omnes uicit, & LYSIAS, quem iam propè audeas oratorem perfectum dicere. Nam planè quidem perfectum, & cui nihil admodū deſit, DEMOSTHENEM facilè dixeris. Huic HYPERIDES proximus, & AESCHINES fuit, & LYCVRGVS, & DINARCHVS, &, cuius nulla ſcripta extāt, DEMADES. Hæc enim ætas effudit hanc copiā: & ſuccus ille & ſanguis incorruptus uſq; ad hanc ætatem oratorum fuit, in qua naturalis ineſſet, non fucatus nitor. Cic. in Bruto.

DEMETRIVS Phalereus ſucceſſit his ſenibus adoleſcens, eruditiſſimus ille quidem horum omnium, ſed non tam armis inſtitutus, quàm palæſtra: itaq; delectabat magis Athenienſes, quàm inflammabat, ut qui non è militari tabernaculo, ſed è Theophraſti philoſophi umbraculis in ſolem & puluerem proceſſiſſet. Primus igitur inflexit orationem, & eam mollem teneramq; reddidit. Cic. in Bruto.

Poſtea ut ſemel è Piræeo eloquentia euecta eſt, omnes peragrauit inſulas: atq; ita peregrinata tota Aſia eſt, ut ſe externis oblineret moribus, omnemq; illam ſalubritatem Atticæ dictionis, quaſi ſanitatem perderet, ac loqui penè dediſceret. Hinc ASIATICI oratores non contemnendi quidem, nec celeritate, nec copia: ſed parū preſſi, & nimis redundantes. RHODII ſaniores, & Atticorum ſimiliores. Ibidem.

Apud Romanos diu exulauit eloquentia. Primus M. CORN. CETHEGVS (qui bello ſecundo Punico conſul fuit cum P. Tuditano, 140 annis ante Ciceronem conſulem) eloquēs fuiſſe ſcribitur, cuius eloquētiæ eſt auctor Q. Ennius. Hunc, Florem delibutum populi, Suadæq; medullam homines uocabant. Ibidem.

M. CATO Cenſorius annis nouē poſt Cethegum conſul fuit, cùm aliis, tum eloquentiæ laudibus inſignis: quem Cicero Lyſiæ conferre non dubitat. Romanus Demoſthenes à quibuſdam dictus eſt: teſte Cælio lib. 25. c. 3. Cum hoc Catone grandiores natu fuerunt, C. Flaminius, C. Varro, Q. Maximus, Q. Metellus, P. Lentulus, P. Craſſus, Sex. Aelius. De minoribus autem, C. Sulpitius Gallus, Tib. Gracchus P. F. P. Scipio Naſica, Annius Luſcus, L. Paulus, qui Africanum adoptauit, eloquentes habiti ſunt.

C. LÆLIVS & P. Scipio Africanus in primis eloquentes fuerunt. Sed paululum his ætate antecedens SER. Galba eloquentia præſtitit, & princeps ex Latinis, illa oratorum propria tractauit, ut ornandi cauſa digrederetur à propoſito, ut delectaret animos, ut permoueret, ut augeret rem, ut miſerationibus, ut locis communibus uteretur. Dicendi laus eſt in Lælio illuſtrior quàm in Africano: uerbis priſcis libenter utitur. Elegantia in Lælio, uis dicendi in Galba fuit. Hāc ob cauſam Lælij orationes laudantur, quoniam mens etiā in ſcriptis ſpirare uidetur: Galbæ interciderunt, quoniam omnis illa uis, & quaſi flamma orationis, qua ille in agendo utebatur, in ſcriptione ipſa fuit extincta. Ibidem.

M. AEMILIVS Lepidus, Porcina dictus, paulò minor natu Galba, ſummus orator fuit habitus. In quo primùm lenitas illa Græcorum, & uerborum comprehenſio, etiam artifex ſtylus apparuit.

Eius auditores fuēre C. CARBO, & TIB. Gracchus: quibus ſi talis mens ad Remp. bene gerendam fuiſſet, quale ingenium ad bene dicendum fuit, profectò nemo his uiris gloria præſtitiſſet. Gracchus diligentia matris Corneliæ à puero edoctus, & Græcis literis eruditus fuit. nam ſemper habuit exquiſitos è Græcia magiſtros; & in eis iam adoleſcēs Diophanem Mitylenæum, Græciæ temporibus illis diſertiſſimum. Carbo in multis iudiciis cauſisq; fuit cognitus: canorus orator, uolubilis, ſatis acris, uehemens, ualde dulcis, perfacetus, induſtrius & diligens, & in exercitationib. commentationibusq; multum operæ ſolitus ponere. Hic optimus illis temporibus eſt patronus habitus: eoq; forum tenente, plura fieri iudicia cœperant. Nam & quæſtiones perpetuæ hoc adoleſcente cōſtitutæ ſunt, quæ antea nullæ fuerunt: & iudicia populi, quibus aderat Carbo, iam magis patronum deſiderabant, tabella data. Ibidem.

C. CVRIO illuſtris orator fuit. Item C. GRACCHVS, cuius immaturo interitu res Romanæ Latinæq; literæ damnū fecerunt. Qui, ſi uixiſſet, eloquentia parem habuiſſet neminē.

C. GALBA, Seruij filius, P. Craſſi, eloquentis & iuris periti gener, in medio curſu cecidit, & oppreſſus eſt, publico iudicio condemnatus.

Q. CATVLVS, nō antiquo illo more, ſed hoc noſtro (inquit Cicero) eruditus, incorrupta quædam Latini ſermonis integritas. Cauſas egit. Cic. in Bruto.

M. ANTONIVS & L. CRASSVS ſummi perfectiq; oratores fuerunt, ut utrum alteri præferas ignores, 34. annis ante natum Ciceronem. Et uidetur ſanè Cicero hæc tempora conferre cum Periclis & Thucydidis ætate, quam maxima oratorum copia ſubſecuta eſt. Demoſthenes tamen omnium princeps fuit apud Græcos, apud Latinos, Cicero. Apertè quidem hoc non profitetur: ſed Antonium & Craſſum laudādo, ſimul etiam, quæ illis defuerint, indicat, eaq; ſibi ineſſe, quamuis obſcurè, affirmat. L. Craſſus eloquentium iuris peritiſſimus, Q. Scæuola iuriſperitorū eloquentiſſimus putabatur. Et SER. quidem Sulpitiū Scæuolæ, SEIPSVM uerò Craſſo confert. Rurſus Sulpitium Craſſi, COTTAM uerò Antonij imitatorem fuiſſe ait. Idem. Libris de Oratore mortem Craſſi deplorans, omnes illum ſemper eloquentia, paucis uerò ante obitum diebus, ſeſe etiam uiciſſe commemorat. Certatim quoq; eloquentiæ ſtudioſi, ad eum locum, quē nouiſſimè pedibus ille calcauerat, poſt ipſius mortem redierunt: capti dulcedine ac recordatione ſermonis, quem ex eo nuper audierant, & uelut iterum audituri. Addit etiā id uni Craſſo ſingulariter contigiſſe, ut quoties perorarет, toties ſolito altiùs, ac ſine exemplo locutus uideretur. De eo ſic Cicero: Craſſo dicente, nemo tam arrogans fuit, qui ſimiliter ſe unquam dicturum eſſe cōſideret. & iterum: Omnibus auditis orationibus, ſine ulla dubitatione ſic ſtatuo & iudico, neminem omnium tot & tanta, quanta ſint in Craſſo, habuiſſe ornamenta dicendi.

Duobus ſummis Craſſo & Antonio L. PHILIPPVS proximus accedebat, longo tamen interuallo. Cic. in Bruto.

Q. VARIVS rebus inueniendis & uerbis expeditus, fortis actor & uehemens, uerbis nec inops nec abiectus.

CN. POMPEIVS, uir ad omnia ſumma natus, maiorē dicendi gloriam habuiſſet, niſi eum maioris gloriæ cupiditas ad bellicas laudes abſtraxiſſet. Erat oratione ſatis amplꝰ: rem prudenter uidebat: actio uerò eius habebat & in uoce magnum ſplendorem, & in motu ſummam dignitatem. Idem.

C. PISONE genero ſuo neminem ſe nec ſtudio nec induſtria maiore cognouiſſe, Cicero teſtatur ibidem.

Q. HORTENSII, ut ſummi oratoris laudes multis uerbis perſequitur Cicero in Bruto, eumq; ſe magno ſtudio imitatum eſſe affirmat: ſuperaſſe, ex ipſius uerbis ſubintelligi poteſt. Idem.

C. IVL. CÆSARIS eloquentiam magnis laudib. Cicero extollit, & omnium ferè oratorum Latinè loqui elegātiſſimè, idq; non domeſtica modò conſuetudine, ſed etiam literis multis & magno ſtudio conſecutum aſſerit. Idem.

ASINIVS Pollio Auguſto familiaris, cum Cicerone de eloquentiæ primatu contendere fuit auſus.

C. LICINIVS Caluus Ciceronis æmulus, tanta ui Vatinium accuſaſſe dicitur, ut Vatinius exurgens exclamarit: Rogo uos iudices, num quia hic diſertus, ego condemnabor? Ex hac inimicitia Odium Vatinianum in prouerbium abiit.

Omnium eloquentiſſimus extra urbem fuit T. BETVTIVS Barrus Aſculanus, cuius ſunt aliquot orationes Aſculi habitæ, & illa Romæ contra Cæpionem: cui orationi, Cæpionis ore reſpondit Aelius. Apud maiores diſertiſſimus habitus fuit ex Latio L. PAPYRIVS Fregellanus, Tib. Gracchi ferè ætate.

CASSIVS Seuerus orator eloquentiſſimus in agendo, in declamationibus parum ualēs. Oratio eius ualde culta, ingentibus plena ſententiis: nemo minus paſſus eſt aliquid in oratione ſuā otioſum eſſe: nulla pars erat, quæ non ſua uirtute ſtaret. Nihil in quo auditor nō ſine damno aliud ageret. Omnia nitentia, & intenta aliquò, aliquid petentia. Seneca in Declam. Tacitus in lib. de claris oratoribus. Hunc Quintilianus ponit inter oratorum principes.

NVMERIANVS Cæſar, Cari Imp. filius, cùm aliquando orationem ad Senatum miſiſſet, tantum eloquentiæ in ea poſuiſſe fertur, ut illi ſtatua à Senatu, quaſi rhetori, in Vlpia bibliotheca decerneretur, hac inſcriptione: NVMERIANO CÆSARI ORATORI TEMPORIBVS SVIS POTENTISSIMO. Gyraldus Dial. 5. hiſt. Poet.

ALEXANDER VI. Pont. Max. eloquentia uix ſimilem ſuo tempore habuit. Nemo erat, qui rem cautiùs proponeret, aut acriùs defenderet: ſeu, quóuis cuperet, impelleret. Seſe unum omnium animis accõmodabat, cum iucundis de remiſſione, cum ſeueris de diſciplina, cum paribus de Repub. doctiſſimè ſemper, & mira quadã facũdia loquebatur. Volaterranus lib. 22. Anthrop.

CHRISTOPHORVS Longolius eloquentiam ſuam ad Ciceronis imitationem, ſuaſu Petri Bembi, compoſuit. Auctor uitæ.

## QVI IN VNA ALIQVA PARTE RHETORICES VEL EXCELLVERVNT, VEL IMPEGERVNT.

*Exempla plurima ex Ciceronis Oratore & Bruto colligere poterit, cui otium erit hæc tractandi. Nobis ſatis eſt digitum ad fontem intendiſſe, & Titulos deſcripſiſſe.*

### INVENTIO.

*Inuentio ἐντέχνων, ſecundùm Ariſtot. triplex eſt. Quædam ex reipſa ſumũtur, λογικαί: quædam à perſonis, tum auditoris, & παθητικαί dicuntur: tum oratoris, & uocantur ἠθικαί. Et ut logicæ ſunt internæ, ita patheticæ ferè externæ, in oculos hominum incurrentes: eaq́; propter ad Actionem referuntur à nonnullis. Eas tamen nos ſuo potiùs quàm alieno loco, tractare noluimus: quando Prudentiæ oratoris non parum atteſtantur.*

### APTA, INGENIOSA.

*In genere.*

Si Theophraſto credimus, uiro præ cæteris philoſophis multę inquiſitionis & lectionis, inueniendi ea, quæ cauſæ conferrent atq; excogitandi, omnium fuit ALCIBIADES acerrimus. Cùm uerò inueſtigaret non tantùm quæ dicenda eſſent, ſed & quibus quæq; nominibus & uerbis, atq; eum illa ſubinde præterirent: offendebat, & inter dicendum obmuteſcebat, interquieſcebatq;, fugiente ipſum dictione, excutiens memoriam, & rem reputans. Plut. in Alcibiade.

C. MACER cauſarum patronus, in inueniendis componendisq́; rebus mirè accuratus fuit, ut non facilè ullum diligentiorem maioremq́; Cicero cognouerit: ita tamen, ut citiùs ueterator, quàm orator dici potuerit: uox, geſtus, & omnis actio ſine lepôre. Cic. in Bruto.

SER. Sulpitius Iurecos. arte omnes uincebat, cùm Iuriſprudẽtia multos pares haberet. Cicero certè in Bruto eum Q. Scęuolæ pręfert, ob artem ſolam: quoniam Iuriſprudentiæ Dialecticam coniunxiſſet, ſimul & loquendi elegantiam.

M. TVL. Cicero de ſe ſimul atq; M. BRVTO gloriatur, quòd ex ueteris Academiæ præceptis uim iſtam & copiam argumentorum hauſerint. Cic. in Bruto.

*In ſpecie.*

Ob Aſtynomen Chryſis ſacerdotis Sminthij filiã, patri ab Agamemnone non redditam, Græci Troiam obſidentes, maxima affligebantur peſtilentia. Calchas augur, reddita Chryſeide, finem mali futurũ afferebat. Negabat feriò Agamemnon. ACHILLES commotus rei indignatione, ſimul pernicie defeſſi exercitus anxius, defunctorum corpora miſerandum in modum confecta, undiq; in conuentu ante ora omnium proiici fecit. Quo ſpectaculo adeò cõmoti reges gentesq́; omnes, uti aduerſus Agamemnonem pergerent, duce atq; auctore Achille, ut uel nolens reddere cogeretur. Dictys lib. 2.

Athenis interdicebat præco dicturis in concione, ne uel pręfatione, uel affectibus uterentur, rem modò exponerent, ἄνευ φροιμίων καὶ παθῶν, abſq; procœmiis & affectibus: ut aliquot locis indicat Lucianus.

HERACLITVM philoſophum Epheſium rogarant ciues, uti ſententiam ſuam proferret de Concordia. Inſcendens ille eminentiorem locum, aquæ frigidæ calicem ſibi protinùs afferri iuſſit: in quem ubi farinæ aliquantulum inſperſiſſet, permiſcere glichonis herbæ puluerem cœpit, moxque hauriens, ne uerbo quidem facto, inde ſe proripuit: prudentib. intelligendum relinquens, ſi uilioribus ac obuiis acquieſcerent, nec ſumtus affectarent immodicos, pacem habituros inter ſe, atq; concordiam. Cælius lib. 13. c. 5. A. L.

Moris erat Athenis, ut, qui capitis accuſati eſſent, ad commouendam iudicum miſericordiam, uxores quoq; & liberos ſuos in iudicium producerent. DEMOSTHENES, cùm ex cõcubina liberos ſuſcepiſſet, in actione, quam de Aureo habuit, filios quidem in conſpectum iudicum produxit, ad captandam miſericordiam: matrẽ non produxit, ne impudentiæ ſuſpicione, indignationem populi incurreret. Athen. lib. 13. capite 23.

Cùm uetarent DEMOSTHENI aliquando Athenienſes in concione uerba facere: pauca habere ait ſe, quæ ipſis referret. Quibus conticeſcentibus: Adoleſcens, inſit, ſub æſtatis tempus, aſinum Athenis Megaram conduxit. Flagrante meridie ſole, uterq; eorum aſini umbra quærebat ſe tegere, repellebatq́; alter alterum: atq; hic locaſſe prętendebat ſe aſinum, non eius umbram: qui eum conduxerat, omnem eius uſum ſuum eſſe. Quæ poſtquàm narrauit, recedebat. Retinentibus eum Athenienſibus, atq;, ut abſolueret ſermonem, rogantibus: Ita ne uerò de aſini umbra, inquit, uultis audire, dicentẽ de rebus ſeriis non uultis? Plut. in uita Demoſth.

Phryne Theſpia meretrice capitis damnata, cùm HYPERIDES pro ea orans, nihil ſe proficere intelligeret, ueſtes illius lacerauit, pectusq; nudum oſtendens, iudices ad miſericordiam inflexit. Subinde lex lata eſt, ne quiſpiam reum aſpiciens iudicaret. Athen. lib 13. c. 22. At Plut. Decephrynen meretricem legit, in uita Hyperidis.

LEO BYZANTIVS, auditor Platonis, & ſophiſta nobilis, Philippo cõtra Byzantium uenienti occurrens: Dic agè, inquit, Philippe, quæ te cauſa trahit oppugnatum noſtra mœnia? At ille: Amor, inquit, tuæ patriæ, qua uti potiar, ueni. Leo excipiens: Atqui, reſpondit, non inſtrumento Gallico, ſed Muſico, amantibus eſt opus. Quo dicto ducẽ à bello Byzãtio auertit: cùm Demoſthenes multa ſuper hoc apud Athenienſes, Leo uerò pauca apud Philippum uerba feciſſet. Philoſtratus.

M. MENENII Agrippæ Apologus de corporis humani abdomine, cæterisq; membris, quo populum Rom. ſenatui recõciliauit, à Plut. in Coriolano, & à Liuio pulcrè deſcribitur.

M. MANLIVS, à Q. Capitolino affectatæ tyrannidis accuſatus, cùm lacrymans Capitolium oſtenderet, quod à Gallorum armis nuper defenderat: adeò recẽtis beneficij memoria populum mouit, ut quamuis reum, damnare nõ potuerit, niſi poſteaquam cauſæ actio aliò traducta fuit, unde aſpici Capitolium non poſſet. Fulg. lib. 8. c. 10.

CATO Cenſorius ut S. P. Q. R. ad ſuſcipiendum tertium Punicum bellum moueret, plùs oſtenſa ficu profecit, quàm antè Hiſpaniarũ Saguntiq́;, item Trebiæ, Thraſymeni ac Cannarum commemoratę clades fecerant. Metuens enim, ne iterum urbi Romæ Carthago exitium moliretur, in Senatu ficum recenter ab arbore decerptam oſtendit, & à Senatu petiit, Qua die ab arbore decerptam putarẽt. Cùm omnes, Recenter decerptam, dicerent: affirmauit, Nondum tertium exceſſiſſe diem, cùm in arbore Carthagine penderet. Et uos tridui itinere remotos hoſtes infenſiſſimos patiemini? Suſcepto igitur tertio bello Punico, Carthago euerſa eſt. Plutarchus in eius uita.

Cùm L. Paulo Aemilio de Perſeo rege triumphaturo milites, Capitolio obſeſſo, triumphum denegaſſent, Sergio Galba tribuno militum inſtigante: ægrè ferentes prædam regiam uiritim non fuiſſe à conſule diuiſam: M. SERVILIVS uir conſularis, qui tres & uiginti hoſtes ex prouocatione interemerat, conſcenſo ſuggeſtu, militarem reprehendit audaciam, populiq; erga uirum de repub. optimè meritum ingratitudinem. Simul ſe nudauit, oſtenditq́; infinitas cicatrices aduerſo corpore exceptas. Inde conuerſus adaperuit quædã, quæ ad populũ uelanda erant: atq; ad Sergium Galbam reſpiciens, Tu quidem hæc, inquit, derides: ego uerò apud ciues glorior iis, quæ pro his, in equo dies noctesque perſedendo accepi. Sed agè, uoca hos ad ſuffragiũ: ego oẽs aſſectabor, notaboq́; improbos & ingratos, eosq́;, q ſibi in bello obſecutũ magis ꝗ imperatũ uolunt. Adeò perhibent hac oratione repreſſam & immutatã militarem turbam, ut oẽs tribus ſciſcerent Paulo triumphum. Plut. in Aemilio.

Cęſaris funere in forum delato, laudauit eum de more M. ANTONIVS. Qui cùm moueri oratione ſua cerneret populũ, flexit ad commiſerationem, correptamq́; Cæſaris ueſtem cruore oppletam explicauit, & ut dilacerata eſſet uulnerũ multitudine, oſtendit. Ibi uideres nihil iam geri compoſitè: ſed alij interficiendos homicidas uociferabantur: pars, ut Clodio plebis concitatori factum fuerat antè, ſubſellia & menſas ex officinis corripientes & coaceruantes, grandem pyram ſuccenderũt, impoſitumq́; in rogum cadauer, in medio frequentium locorum ſacrorum, frequentium etiã inuiolatorum atque intactorum combuſsêre. Vt flamma eluxit, accurrentes alius aliunde, & titiones arripientes ſemiuſtos, ad tecta diſcurrerunt interfectorũ Cæſaris inflammanda. Verùm illi obſepti antè, periculum propulſauerũt. Plut. in Bruto, & Cicerone.

SCO-



SCORIVS Dacarum dux, cùm diſſidentibus inter ſe Romanis, Dacas à bello Romanis inferendo, quamuis inter ſe diſſidentibus, dehortari uellet, in conſilium duos feroces canes adduci iuſſit. Qui ut ſoluti fuerunt, ſtatim tanquam inter ſe cõmiſſi, mordicùs certare cœperunt. Non multo pòſt, lupum quoq; adduci curauit. Quo conſpecto, nihil morati canes, omiſſo prælio, concordes lupum ambo petierunt. Ab ea contentione Scorius ſermonem orſus, oſtendit, nihil eſſe quod facilius Romanorum dirimere contentiones poſſet, quàm ſi ſe Dacarum bello peti ſenſiſſent. Contrà autem fieri poſſe, ſi nullis externis armis impeterentur, ut inter ſe ciuilibus armis conſumerentur. Ea oratione Dacæ permoti, Scorij conſilium ſequi decreuerunt. Fulg. lib. 8. c. 10.

DOMITIVS Afer, mortis periculo proximus, mirabiliter euaſit. Nam cùm Caius Caligula in curia longã contra eum orationem recitaret (omnes enim oratores ſe uincere putabat, & Domitium uirum eloquentiſſ. ſuperare conabatur) neq; quicquam contrà dixit, neq; ſe defendit, ſed eloquentiam hominis ſe mirari, eaq́; obſtupeſcere ſimulans, orabat & ſupplicabat: ſeq́; oratorem magis timere, quàm Cæſarẽ, profitebatur. Quibus rebus Caligula delectatus, & Domitium à ſe dicendi ui ſuperatũ credens, iraſci deſiit. Zonaras.

Seditionem Romæ inter plebem ac milites excitatam, in qua permultum ſanguinis effuſum eſt, ſenior PVPIENVS Imperator, non oratione, non imperij maieſtate frenare potuit: quin ſaxis quoq; ipſemet petitus eſt. Quamprimùm autem infantulum Gordianum ſeditioſis oſtendit, uirtutem, meritaq́;, ac mortem aui & patris, ſupplex populo ac militibus commemorans, omnes ſtatim arma abiecerunt. Idem.

GREGORIVS IX. Pp. cùm pop. Romanum inclinare ad Fridericum II. Imp. cerneret, apoſtolorum Petri & Pauli capita cepit, & lacrymabili uoce ſanctorũ reliquias populo cõmendãs, ita omnium animos immutauit, ut qui antè rebelles atq; hoſtes erant, contra Fridericum arma caperent. Fulgoſ. lib. 8. cap. 10. & Egnat. lib. 8. cap. 10.

FRANCISCVS Marcheſius iureconſultus, à Genuenſibus ad Galeatium Mediolanenſem ducẽ orator miſſus (quem Genuenſes priùs principem ſuum eſſe uoluerãt, ſalua interim libertate ſua: mox cùm eum de tyrannide cogitare uiderẽt, ab eo ſeſe abalienauerant) cùm difficilem ad Galeatium haberet aditum, die quà ſancti Ioannis ſacra celebrabãtur: Galeatio munus baſilicæ herbæ, uas plenum miſit. Dux Franciſcum ſtatim ad ſe acciuit, ut miſſę herbæ cauſas intelligeret. Franciſcus omiſſis iis, quæ à Genuenſibus mandata erant, paucis explicauit. Ego, Princeps, Genuenſium ad te orator ueni: quorum ingenia baſilicæ herbæ perſimilia ſunt: leuiter tacta, ſuauem perfundunt odorem: contrita, ſcorpiones procreant. Hac parabola, adeò Principis animum mouit, ut qui antea rationibus nullis flectebatur, tum ęquas aures in poſterum præberet. Fulg. lib. 8. c. 10. Aegidius Corrozetus de Dictis & factis memorab. Genuenſem ciuem, qui oratorem Ludouici Sfortiæ inuitarat, hoc uſum cõmento ſcribit.

LAVRENTIVS Ridolphus Florentinus, cùm preſſus armis Philippi Mediolanenſis ducis Florentinus populus, ſæpiùs incaſſum à Venetis opẽ petiiſſet: is ultrò, nullo publico nomine, Venetias profectus, poſteaquã in Senatu facũdè multa de populi Florentini periculis diſſeruit, in perorãdo, tanquam irarum & indignationis plenus, turbato uultu, turbataq́; uoce hæc ſubiunxit: Culpa ueſtra Veneti, ſuperiore anno Genuenſis populus, cùm diutiùs Philippi ducis arma ſuſtinere non poſſet, dominum accepit, atq; urbis ſuæ libertatem illius iugo ſubiecit. Eum nos quoq; hoc anno regẽ faciemus: ſequenti autem, uos eum imperatorio diademate ornabitis. Atq; ita è Senatu egreſſus eſt. Veriti Veneti, ne deſperatione acta Florentina ciuitas, in grauem aliquẽ caſum ſe demitteret, inito cum ea fœdere, iunctisq́; armis, Philippi impetum compeſcuêre. Fulg. & Egnat. lib. 8. c. 10.

Cùm Venetis ob Ferrariam occupatã Clemens V. aqua igniq́; interdixiſſet: FRANCISCVS Dandulus ad deprecandam culpam, à Venetis ad Pontificem in Galliam miſſus, catena ferrea collo iniecta, tandiu ad Pontificis menſam, canis inſtar iacuit, donec expugnata eius ira, ignominioſam patriæ notam exemerit. Atq; ex eo fuit illi poſtea Canis cognomẽ inter ſuos. At à ciuitate ſummi honoris poſtea inſignib. coronatus fuit. Sab. lib. 7. Enn. 9. & Egnat. lib. 7. c. 2. & lib. 3. c. 3. & lib. 6. cap. 2. & 4. Exempl.

Carauagienſi Venetias nunciata clade, (ubi ingentes Venetorum copiæ profligatæ ſunt, duces capti, caſtra cum ampliſſ. præda direpta) FRANCISCVS Foſcarus dux, ſtatim priuatam pecuniam omnem ſuam in Senatũ transferri iuſſit: Patribus eam utendam obtulit, legati nomine diſcinctum aliquantulum in caſtra ſe profecturum pollicitus eſt: adeoque omnium mouit animos tum dicendi uis illius, tum profuſa coram omnibus auri copia, ipſeq; ad hæc paratus ad omnia: ut ſenatuſconſultum de bello inſtaurando ſtatim ſit factum, ingentesq́; copiæ paratæ, quibus & Sfortia Mediolanenſium dux repulſus eſt, & Veneti imperij maieſtas in ſuo ueſtigio conſtitit. Egnat. lib. 8. c. 10.

### INEPTA, INFELIX.

DIOPHANTI exemplum pete ex Tit. Rhetorum.

GORGIAM, qui de Helena ſcripſit, maximè laudat Iſocrates inter eos, qui dicendo aliquid illuſtrare uoluerũt, quòd eã mulierem celebrandam duxerit, quæ & genere & forma & gloria multùm excelluerit. Sed interea reprehendit illũ, qui nõ animaduerterit, cùm ſe laudationem eius ſcribere profiteretur, defenſionem potiùs factorum eius edidiſſe. Non autem eiuſdem generis eſſe, nec de rebus iiſdẽ haberi eandem orationem. Defendẽdi enim ſunt, qui alicuius iniuriæ accuſantur: laudandi, qui bono quopiam aliis antecellunt.

Acutè increpuit aduerſarium DRANCEM magnum oratorem, Turnus, acris animi iuuenis, apud Virgilium, quòd propinquis hoſtibus, aggrediq́; urbem parantibus, oſtentaret importunam illam ſuam eloquentiam: neq; enim tunc linguę munus ualde requiritur, ſed magnum opus: quòd ſi conſilij quoq; uſus eſt, id ſubita expoſitione cõtentum eſt. Non malè igitur inde orationem exorſus, inquit: Larga quidem ſemper Drance tibi copia fandi Tum cùm bella manus poſcunt. Victorius lib. 2. Variorum, c. 16.

Ariſtion tyrannus Athenienſium Athenis à Sylla obſeſſus, uix tandem aliquando miſit ad agendum de pace DVOS aut tres ex compotoribus ſuis. Quibus nihil ſalutare poſtulantibus, ſed Theſea, Eumolpum, parta de Medis decora iactantibus: Sylla, Faceſſite, inquit, beati, atq; uerba iſta referte uobiſcum. Ego quidem Athenas nõ diſcendi gratia ſum à populo Romano miſſus, uerùm ad domandos rebelles. Plutarchus in Sylla.

CALLISTRATVS ſimili ineptia Arcadas Athenienſib. conciliare, & à Thebanis & Argiuis abducere nitebatur, exprobrans iſtis Oreſtem & Alcmæonem, Argiuos matricidas: & Oedipum, parricidam inceſtuoſum. At Epaminondas admirari ſe dixit ſtultitiam rhetoris Attici, qui non animaduerteret, innocentes illos natos, domi ſcelere admiſſo, quum patria eſſent pulſi, receptos eſſe ab Athenienſibus. Probus in eius uita.

L. Saturninus ſeditioſiſſimus Tribunuſpl. à Senatu hoſtis iudicatus & interfectus eſt. Cùm igitur paulo pòſt C. DECIANVS P. Furium, hominem omnibus inſignem notis turpitudinis, ſummo ſtudio bonorum omnium pro Roſtris accuſaret, atq; in concione, quadam actionis ſuæ parte, de morte Saturnini queri auſus eſſet: neq; reum damnauit, & inſuper uox illa ſua temeraria ei exitium attulit. ipſe enim Decianus accuſator, non Furius, damnatus eſt. Nam eo qui damnationem ipſe mereatur, accuſante: alterum ſi nõ uirum optimũ, at ſatis certè bonum ciuem, capite damnari, neq; iuſtũ neq; honeſtum uideri poſſe. P. Aerodius ex Cicerone, pro C. Rabirio, & Valerio Maximo lib. 8. cap. 1.

Herodes Atticus ſophiſta, ob Regillam uxorem prægnantem interfectam cędis poſtulatus fuit apud Rom. ſenatũ à BRADEA Regillæ fratre. Is maiorum claritate longè princeps, nec minor nobilitatis oſtentator, argumentum generis ferebat in calceis epiſphyrion menoides eburneum, fibulã corniculantem, qualis fermè figura eſt in luna decreſcente. Prodiens igitur is magno paratu, ad peragẽdum reum, de cauſa quidẽ pauca ferè, aut nihil, in laudibus uerò propriis totus. Cùm multa iam de familia perilluſtri emugiſſet homo imperitus, ſcommate illum excepit Herodes: Tu, inquiens, in aſtragalis, h. e. talis geſtas nobilitatem. Cælius Rhodig. lib. 11. cap. 27. Antiq. L.

C. ALBVTIVS Silus Nouarienſis, cùm in lite quadam centũuirali aduerſario, quem ut impium erga parẽtes inceſſebat, iuſiurandum quaſi per figuram ſic obtuliſſet: Iura per patris matrisq́; cineres, qui inconditi iacent. & alia in hunc modum. arripiente eodem conditionem, nec iudicibus aſpernantibus, nõ ſine magna ſui inuidia negotium afflixit. Et rurſus in cognitione cædis Mediolani apud L. Piſonem proconſulem, defendens reum, cùm cohiberent lictores nimias laudantium uoces, ita excanduit, ut deplorato Italiæ ſtatu, quaſi iterum in formam prouinciæ redigeretur: M. inſuper Brutum, cuius ſtatua in conſpectu erat, inuocarit, legum ac libertatis auctorem & uindicem. Quæ uerba cùm ad ſeditionem pertinere uiderẽtur, penè capite pœnas luit. Suetonius de claris Rhet.

### DISPOSITIO APTA.

Hanc laudem Q. HORTENSIO præter cæteras dotes eximiam dat Cicero in Bruto, quòd attulerit in forum minimè uulgare dicendi genus: duas quidem res, quas nemo alius: Partitiones, quibus de rebus dicturus eſſet, & Collectiones, memor & quæ eſſent dicta contrà, quæq́; ipſe dixiſſet. Maximè uerò in M. ANTONIO hanc facultatem prædicat, quòd ei omnia uenirent in mentem: eaq́; ſuo quæq; loco, ubi plurimùm proficere & ualere poſſent, ut ab Imperatore



BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GENOVA

ratore equites, pedites, leuis armatura, ſic ab illo in maximè oportunis orationis partibus collocabantur.

## MEMORIA RHETORVM

*Felix & firma.*

*Vide Tit. Memoriæ: ut quæ illic in genere dicta ſunt, huic loco in ſpecie inſeruiant.*

M. PORTIO Latroni, oratori grauiſſ. memoria natura quidē felix, ſed plurimùm adiuta etiam arte: nunquam illa, quæ dicturus erat, ediſcendi cauſa relegebat. Edidicerat, quū ſcriberet. Dicebat ita, ut in nullo unquam uerbo eum memoria deceperit. Hiſtoriarum omnium ſumma notitia. Iubebat aliquem nominari ducem, & ſtatim illius geſta curſu reddebat. Cæl. lib. 11. c. 13. Antiq. Lect. ex Seneca.

*Infelix.*

ALCIBIADES ob nimiam in delectu uerborum diligentiā, memoria uiſus eſt inter dicendū hebetiore. Plut. in Alcib.

## ELOCVTIO RHETORICA

### APTA IN

*Delectu uerborum, & Ornatu.*

GORGIAS Leontinus dictionem figurauit primus, antithetis præcipuè excellens, ac iſocolis, & pariſis, homœoteleutiſq;, idq; genus aliis, quæ tunc nouitate ipſa, & διὰ τὸ ξένον, mirè grata erant, ut ſoli ex omnibus apud Delphos aurea conſtitueretur ſtatua. Gorgiæ porrò feſtiuitates (ſic enim Cic. cenſet) moderatiùs temperauit Iſocrates, quum is inſolentiùs abuteretur: nam quum & Thraſymachus numeros orationi adiunxiſſet primus, ſed immodicè, tranquillior in eis ac ſedatior apparuit idem Iſocrates. Cæl. lib. 11. c. 25. A. L.

POLVS Agrigentinus ſophiſta, Gorgiæ auditor, primus in oratione inueniſſe dicitur pariſa, antitheta, & ſimiliter deſinentia. Quod minimè uerum eſt: ſed iam inuentis ſæpe uſum fuiſſe, conſtat ex Platone. Cùm ſe iactaret inſolentiùs, Plato ſic hominem taxauit: ὦ πῶλε, ἵνα προσείπω σε κατὰ σέ, id eſt, O Pole, ut te tuo alloquar modo. Polus Græcè ſonat pullum equinum: ipſo itaq; ſtatim nomine tetigit hominis arrogantiā. Imitatus eſt & ὁμοιόπτωτον: πῶλε σε κατὰ σέ. Laert. lib. 3.

Laudat mirum in modum Dionyſius Halicarnaſſeus diligentiam PLATONIS, qua utebatur in componendis uerbis, probatq; ſtudium ipſius, qui cùm pectus haberet refertum plurimis ſcientiis, iamq; ad octogeſimum ætatis annū perueniſſet, non ceſſaret tamen expolire ſermones illos ſuos: præcipuè autem recta conſtructione uerborum ipſos ornaret. τοὺς ἑαυτοῦ διαλόγους, inquit, κτενίζων, καὶ βοστρυχίζων, καὶ πάντα τρόπον ἀναπλέκων οὐ διέλιπεν, ὀγδοήκοντα γεγονὼς ἔτη. Victorius lib. 9. Var. lect. cap. 5.

ALCIBIADES cùm inueſtigaret non tantùm res quæ dicendæ eſſent, ſed & quibus quæq; uocibus aptiſſimè efferentur: obmuteſcebat ſæpe inter dicendum, dum uerba conuenientia, memoria ſecum repeteret, & ueluti excuteret. Plut. in Alcibiade.

CVRIO, cùm in cogitando tardus, & in inſtruendo diſſipatus eſſet, in actione & memoria cachinnos ridentium commoueret: tamen quia ſplendidioribus uerbis utebatur, & Latinè non peſſimè, uſu aliquo domeſtico loqueretur, inter eloquentes habitus eſt ætate Ciceronis. Cic. in Bruto.

SCOPELIANVS Clazomenius ſophiſta Polemoni obiicienti, quòd inter dicendum pulſaret tympanum: Tympanizo, inquit, ſed Aiacis clypeo. haud inficians, ſe in agendis cauſis interdum uti uerbis ac figuris uehementioribus: at non inani ſtrepitu, ſed ad cauſæ patrocinium accommodis. Philoſtratus in Sophiſtis.

*Copia & grauitate uerborum & ſententiarum.*

*Brachylogia & Macrologia infrà ſub Studio odioq; Rhetorices. Hic eloquentem tantùm breuitatem & prolixitatem conſiderare uolumus.*

PHOCIONIS oratio uerborum paucitate preſſior, erat perbreuis, multa uerò ſententiarum magnitudine ac grauitate: adeoq; huic uni erat intentus, ut quandoq; theatro iam pleno, quum obambularet cogitabundus, dicente quodā, σκεπτομένῳ ἔοικας ὦ Φωκίων, Videre ô Phocion conſiderationi intentus. Bene coniectas, inquit: diſpicio nanq;, ecquid poſſim eximere ab iis, quæ apud Athenienſes ſum uerba facturus. Plut. in eius uita. Sequuti ſunt hæreſin eandem & plerique alij non omnino infantes: ſicuti in Latina eloquentia GRACCHI, in quibus umbra recognoſcitur & quaſi color opacæ uetuſtatis, ac oratio nō prorſus accurata & quodammodo facta: & ſenior quoq; CATO, quem Romanū Demoſthenem nūcupatum, auctor M. Tullius eſt: quemq; ætatis ſuæ eloquentia non contentum, id iam tum facere adortum, dilucet, quod diu pòſt implerit Cicero. Cæl. lib. 25. cap. 3. A. L. M. Tullius ſcribit eum nullum unquam emiſiſſe uerbum, quod emiſſum doleret. Quanquam Auguſtinus laudem quidē uideri hanc clariſſimā ſcribit: credibiliorem tamen de fatuo potiùs, quā de ſapiente perfecto. Cæl. libro 13. capite 5.

*Numero.*

Cicero in Oratore tradit ISOCRATEM in ſenectute temperaſſe ſibi iudicio ac uoluntate à frequentia numerorū: quaſi cognoſſet uſu, nimis uinctam illam numeris orationem, quam antea adamarat, uitio non carere: comprobatq; hoc teſtimonio ipſius auctoris, quem affirmat hoc ſcripſiſſe in oratione ad Philippum Macedonem. Verba tamē Iſocratis uidentur potiùs ſignificare, idipſum feciſſe labore deterritum, quòd tantum moleſtiæ, confectus annis, ſuſtinere non poſſet: ita enim ſeipſum purgat magno illi regi, ad quem librum miſit. Nam cùm apertè narret, ſe priùs hoc ornatu uti ſolitum, primumq; ipſum aliis oſtendiſſe: addatq; bona ipſius, dicēs illarum rerum auxilio orationem iucundiorem, magiſq; aptam ad perſuadendum effici: non uidetur cōuenire ſententiæ illius, qui hanc rationem damnet. Victorius lib. 2. Var. lect. cap. 17.

### NEGLECTA.

Cultum uerborum uel non curaſſe, uel aſſequi nequiiſſe, certè non præſtitiſſe M. VARRONEM, ex eius libris liquet. L. Viues in lib. 6. Auguſt. de ciuit. Dei, cap. 2.

### INEPTA.

*Conſule Tit. Orationis affectatæ. Materia ipſa ad Grammaticum pertinet. Delectus & uſus etiam ad Rhetorem.*

Antigonus rex RHETOREM audiens affectata oratione dicentem, χιονοβόλος ἡ ὥρα γενομένη λεπτοβοτανεῖν ἐποίησε τὴν χώραν, hoc eſt, Anni tempus niues parturiēs, regioni herbæ ſterilitatem inuexit: Non deſines, inquit, mecum tanquā cum populo agere? Plut. in Regum Apoph.

DEMOSTHENES, cùm iterū ſe ad cōcionandū contuliſſet, ac noua quædam dixiſſet, riſu fuit exceptus, ut perſtrinxerint eum in comœdia Antiphanes & Timocles:

μὰ γῆν, μὰ κρήνας, μὰ ποταμούς, μὰ νάματα.
Per terram, & fontes, per fluuios, & latices.

Ita cùm iuraſſet ad populum, tumultum exciuit. Iurauit per Aeſculapium quoq;, pronunciās antepenultima acuta; docebatq; ſe dicere rectè: eſſe enim blandum hūc deum. Qua de cauſa ſępiùs ei obſtrepitum eſt. Cęterùm, cùm Eubulidę dialectico Mileſio operam dediſſet, correxit omnia. Plutarchus in uita Demoſthenis.

Inter ea, quæ duram atq; inſuauem orationis compoſitionē efficiunt, uix quicquam eſt, quod magis reprehendatur à dicendi magiſtris, quàm crebra & continuata eiuſdem literæ repetitio. Itaq; in Vergilio: --- Caſus Caſſandra canebat. in TERENTIO, Tantam tam improuiſam, & Conſilia cōſequi conſimilia: in CICERONE, Statua tua ſtabat: &, Inuiſæ uiſæ: & in Cæliana, Vnquam quanquam: eiuſdemque modi alia in aliis primæ claſſis auctoribus notantur. Apud EVRIPIDEM Medea, cùm Iaſoni exprobraret, illū ſua opera ſeruatum eſſe, ita loquitur:

ἔσωσά σ', ὡς ἴσασιν Ἑλλήνων ὅσοι
ταὐτὸν συνεισέβησαν Ἀργῷον σκάφος.

quorum uerſuum in priore, crebra illa repetitio literæ σ, locum etiam comicis iocis ac ſalibus dedit: ſiquidem Plato comicus, & Eubulus, eiuſdem homo artificij, Euripidem ea de cauſa urbaniſſimè tetigiſſe tradūtur. Alterum SOPHOCLIS, & quidem ea in fabula, quæ quaſi regnum poſſidere inter tragœdias dicitur. ibi enim Oedipus cū Tireſia iurgans, eiq; & aurium, & mentis, & oculorum cæcitatem obiiciens, hoc eum uerſu indignabundus inceſſit:

τυφλὸς τά τ' ὦτα, τόν τε νοῦν, τά τ' ὄμματα εἶ.

ubi cùm ſæpiùs etiam inculcauerit literam τ, quàm ille alter literam σ, tamen Euripides dicacium aculeos expertus eſt, Sophocles à nemine, quod ſciam, notatus. Sophoclei non diſſimilis eſt Ennianus ille:

O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tuliſti.

Muretus lib. 1. Var. lect. cap. 15.

Titium ſaltare dicebantur, qui incompoſitè ac ſolutè geſtiebant. Fuit enim huiuſmodi ſaltationis genus, quod à TITIO quodam malo oratore nomen inuenit. M. Tul. lib. de Claris oratoribus: Quos Sextus Titius conſequutus, homo loquax ſanè & ſatis acutus, ſed tam ſolutus & mollis in geſtu, ut ſaltatio quædam naſceretur, cui ſaltationi Titius nomen eſſet. Ita cauendum, ne quid agendo dicendóue facias, cuius imitatio rideatur. Corn. Tacitus in dialogo de Oratorib. ſignificat, hoc conuitium fuiſſe uulgò iactatum in ORATORES ſuorum temporum, qui laſciuia uerborū & leuitate ſententiarum, licentiaq; compoſitionis, hiſtrionales modos exprimebant: atque adeò laudis, & glorię, ingeniique loco iactabant, ſaltari cantarique commentarios ſuos: oratores temerè dicere, hiſtriones diſertè ſaltare. Eraſmus in Adagiis.

Quam-



Quamuis multum tribuerit CICERO rectæ collocationi uerborum, ac ſupra cęteros Romanos homines numeroſæ orationi ſtuduerit: aliquando tamen tam accuratam diligentiam contemſit, inciditq; inſtructuram eam, quam uitioſam eſſe, ſummoq; ſtudio declinandam Iſocrates, huius concinnitatis obſeruator mirificus ac magiſter, putauit. quod etiā notat Quintilianus in IX libro ita præcipiens: Videndum etiam, ne ſyllabæ uerbi prioris ultimæ, ſint primæ ſequentis. Id ne quis miretur, Ciceroni in epiſtolis excidit. Res mihi inuiſæ uiſæ ſunt Brute: & in carmine, O fortunatam natā me conſule Romam. Victorius lib. 16. Var. lect. c. 19.

OSCVS rhetor, cùm eloquentiſſimus eſſet, illius tamen orationem nil aliud uitiabat, quàm affectatio: nihil enim ſine ſchemate dixit unquam. Ideoq; cùm Pacatus rhetor Maſſiliæ ei obuiam factus eſſet: Poteram, inquit, dicere, Aue Oſce. Affectatorem affectata ſalutauit oratione. Vſus enim eſt ironica occupatione, præter omnem neceſſitatem, ut irrideret hominem, ſemper affectatè loquentem. Bruſonius lib. 4. cap. 31. & Eraſ. l. 8. Apoph. Oſcius, inquit Seneca, non incōmodè dixit, ſed ſibi nocuit, quum nihil ſine ſchemate dicere cupit: ita oratio eius non figurata eſt, ſed praua.

Anneus SENECA culpatur, qui tanta ſententiarum continuatione nullum relinquebat umbris locum. quod fieri in pictura conſueuit. Itaque obruebat lumina, & gratiam perdebat. Quod tamen ipſe in Oſcio carpebat. Lud. Viues lib. 2. de Rat. dicendi.

Dictio VLPIANI ſophiſtæ, quia ueteres tantùm imitari uoluit, in declamatorio genere prorſus iners, mortua, & uitalis ſucci expers eſt: uideturq; in eo genere caruiſſe doctore, ſiquidem pleraq; etiam uulgaria & uel pueris perſpicua, ignorauit: in epiſtolis uerò & id genus aliis ſalutationib. & alloquiis, abundè aſſurgit, & ad exemplū ueterum ſcriptorum ſeſe accommodat. Eunapius in eius uita.

SOPOLIS rhetor Athenienſis, præceptor Eunapij, dicendi genus ad priſci ſeculi characterem efformauit, neq; ocioſè dearum fores pulſauit, ſed raro apertas. Quin ſi quādo uerſi cardines ſtriderent, exigua quapiam diuini flatus particula intrò allapſa, auditores percellebantur, neque ferebāt ui extortā illā Caſtalij laticis guttam. Eunapius in eius uita.

## ACTIO, PRONVNCIATIO RHETORICA.

*Literarum & uocum, alia grammatica eſt pronunciatio in ſono aptè exprimendo: alia rhetorica, in apto & decente motu oris, oculorum, capitis, manuum ſita. De priore ſub Grammaticis: poſterior huius eſt loci. Geſtus præterea motuſq; corporis à Rhetore in primis formatur, à Poeta poſtmodùm amplificatur, & per Hiſtriones propagatur. Exempla utriuſq; hoc loco ſub communi Titulo proponemus: qui ex Tit. Mimorū illuſtrari poterit, quatenus ὑποκρίσει ſua mouent auditores & ſpectatores. Porrò ad Actionem propriè dictam, referunt quidam (inter quos & Cāpoſulgoſus eſt) πίστεις παθητικὰς, externo geſtu ad mouendum accommodatiſſimas. Sed eas nos ſub Inuentionem paulo antè retulimus.*

### ELEGANS, VENVSTA, DECENS.

Plato, etſi LYSIÆ inuentionem non laudat, & notat confuſionem, pronunciationē tamen decantat, & quòd unaquæq; uox detornata eſſet dilucidè & rotūdè. Plut. de Audiendo.

AESCHINES fuit uoce canora, ut ex Demoſthenis uerbis & Democharis oratione patet. Plut. in uita Aeſchinis.

Multitudini mirificè DEMOSTHENIS actio placebat. Elegātiores, in quibus eſt Demetrius Phalereus, humilem eius geſtum, abiectum & mollē cenſebant eſſe. Aeſiona refert Hermippus de ueteribus rogatum oratoribus & de ſuis æqualibus, dixiſſe: Illos ſi audires, admirareris modeſtiam & magnificentiam eorum, quæ ad populum diſſerebant: Demoſthenis uerò orationes, ſi eas legas, multum excellūt artificio & acrimonia. Sanè orationes ſcriptæ eius nemo negat, quin multum auſteri habeant & amari. Plut. in Demoſthen. Aeſchines, cùm propter iudicialem ignominiam, relictis Athenis, Rhodum petiiſſet, atq; ibi rogatu ciuitatis ſuā priùs in Cteſiphontem, deinde DEMOSTHENIS pro eodem orationem, clariſſima & ſuauiſſima uoce recitaſſet, admirantibus cunctis utriuſq; columinis eloquentiam, ſed aliquantò magis Demoſthenis: Quid ſi (inquit) ipſum audiſſetis? Tātus orator, & modò tā infeſtus aduerſarius, ſic inimici uim ardoremq; dicendi ſuſpexit, ut ſe ſcriptorum eius parum idoneum lectorem eſſe prædicaret: expertus acerrimum uigorem oculorum, terribile uultus pondus, accommodatū ſingulis uerbis ſonum uocis, efficaciſſimos corporis motus. Ergo etſi operi illius adiici nihil poteſt, tamen in Demoſthene magna pars Demoſthenis abeſt: quòd legitur potius, quàm auditur. Val. lib. 8. cap. 10.

ANTIPHON Athenienſis, ob orationis dulcedinem Neſtor uocatus eſt. Stephanus Grāmaticus, & Plut. in eius uita.

C. GRACCHVS eloquentiæ, quàm propoſiti felicioris adoleſcens (quoniam flagrantiſſimo ingenio, cùm optimè remp. tueri poſſet, perturbare impiè maluit) quoties apud populū concionatus eſt, ſeruum Erycinum poſt ſe Muſicæ artis peritum habuit, qui occultè eburnea fiſtula pronunciationis eius modos formabat, aut nimis remiſſos excitādo, aut plus iuſto concitatos reuocando: quia ipſum calor atq; impetus actionis, attentum huiuſce temperamenti ęſtimatorem eſſe non patiebatur. Val. Max. lib. 8. cap. 10. & Gell. lib. 1. cap. 11. ex Cic. & Cælius lib. 9. cap. 1.

L. CRASSVS id unum ſingulare habuit, ut quoties peroraret, toties ſolito altiùs, ac ſine exemplo locutus uideretur. Cicero in Oratore.

L. APVLEIVS Saturninus, ſeditioſorum omnium poſt Gracchos eloquentiſſimus uiſus eſt. magis ſpecie tamen & motu atq; ipſo amictu capiebat homines, quàm aut dicendi copia, aut mediocritate prudentiæ. Cic. in Brut.

CN. Lentulus multò maiorem opinionem dicendi actione faciebat, quàm quanta in eo facultas erat. Qui cùm eſſet nec peracutus (quanquā & ex facie, & ex uultu uidebatur) nec abundans uerbis (etſi fallebat in eo ipſo) ſic interuallis, exclamationib. uoce ſuaui & canora, admirādo irridebat, calebat in agendo, ut ea, quę deerāt, non deſiderarentur. Cic. in Bruto.

Q. CATVLVS ſummè fuit laudatus propter lenem ſuauemq; literarum pronunciationem. Cic. in Bruto.

P. LENTVLI excogitandi & loquendi tarditatem tegebat formæ dignitas, corporis motus plenus & artis & uenuſtatis, uocis & ſuauitas & magnitudo. Ibidem.

C. LENTVLVS cæterarū uirtutū dicendi mediocritatē, actione occultauit, in qua excellens fuit. Cic. de Claris oratorib.

Q. HORTENSIVS plurimùm in corporis decoro motu repoſitum credens, penè plus ſtudij in eodem elaborādo, quàm in ipſa eloquentia affectanda impendit. Itaq; neſcires, utrū cupidiùs ad audiendum eum, an ad ſpectandum concurreretur: ſic uerbis oratoris aſpectus, & rurſus aſpectui uerba ſeruiebant. Conſtat Aeſopum Roſciumq; ludicræ artis peritiſſimos, illo cauſas agente, in corona frequenter aſtitiſſe, ut foro petitos geſtus in ſcenam referrent. Val. Max. lib. 8. c. 10. & Vol. lib. 13. cap. 3. Anthrop.

Q. HATTERIVS orator inſignis, ut, quēadmodū olim Gracchus, pronunciationē rebus, quas tractabat, accōmodaret, ſeruū poſt terga habebat: qui uel lentiùs uel uehementiùs agentem, ueſtis contactu moneret. Nam propter nimiā in dicendo attentionem ſibiipſi diffidebat. Fulg. lib. 8. cap. 10.

C. IVLIVS Cæſar pronunciaſſe dicitur uoce acuta, audenti motu, geſtuq;, non ſine uenuſtate. Suetonius.

TRACHALVS orator Domitiani temporibus habuit ſummam uocis felicitatem. Pronunciatio enim uel ſcenis ſuffectura & decora ei inerat. Volat. lib. 20. Anthrop.

PIVS II. Pont. Max. pronūciabat uoce ſonora & graui, uerùm eodem ſpiritu ſemper & crebris interuallis, ut dicere ex tēpore & ſine cura uideretur. Campanus in eius uita.

ROBERTVS Licienſis, qui Minorum ordinem profitebatur, inter concionatores ætate ſua princeps, rogatus à conciue, ut filio ſacerdoti quoſdā ſermones ex iis, quos eo anno ornatiores habuerat, dare uellet: ei morem geſſit. Verùm poſteaquam pater filium eos recitantem audiuit, arbitratus neq; efficaces ad rem, neq; ornatos eſſe, cum Roberto grauiter queſtus eſt, ſe ab eo eluſum: quòd non eos ſermones, quos ipſe antea ſingulari audientium attentione pronunciauerat, ſed alios deteriores dediſſet. Cui Robertus priùs ſatisfacere non potuit, quàm ipſe denuò eoſdem pronunciauit: & oſtendit, ueluti in muſicis idem carmen in diuerſo inſtrumento magiſtroq;, ſic eundem ſermonem à diuerſis pronunciatum, diuerſum uideri. Fulg. lib. 8. cap. 10. Exemplū Satyri erga Demoſthenem imitatus, cuius Plut. meminit.

### NVLLA.

Fama eſt HYPERIDEM citra ullam actionem dicere ſolitū, tantùm quæ geſta eſſent, exponere. Plut. in uita Hyperidis.

### INEPTA ET VITIOSA.

*Huc pertinet Balbuties, & Vocis hæſitantia aut aſperitas, ſi in eos, qui eloquentiam profitentur, cadat. Alioqui inter Corporis mala ſuo loco referenda.*

Motus & homines incōditos & arte carentes M. Tullius in Oratore teſtatur à Græcis appellari ἀπαλαίστρους, quaſi dicas à palæſtra alienos: quòd in palæſtra exercitati, etiam in cæteris actionibus uenuſtatem quandam habent: quemadmodum indicat in Oratore ad Brutum, Non, inquit, ut in ea tamen omnia ſint, ſed ut ſic adiuuent, ut palæſtra hiſtrionem. Talis eſt ſaltatio Cyclopica & Sileni. Eraſmus in Prouerbio, ἀπάλαιστροι.

CARNEADEM Stoicum, cùm nondum magnæ auctoritatis eſſet, in gymnaſio diſſerentem, miſſo quopiam gymnaſiarchus monuit, uocem acutam ut remitteret. Fuit enim uocaliſſimus. Cùm ille reſpondiſſet: Da mihi uocis modum. non ineptè occurrit, Do eum, qui tecum ſermocinatur. An quòd haberet unicum auditorem? Plut. de Garrulitate.

ISOCRATES inter familiares dicere ſolitus eſt, ſe quidem docere decem minis: cæterùm qui ipſum docuiſſet audaciā & uocalitatem, mercedis loco ei ſe daturum decem millia. Quæ quoniam naturæ ſunt, non artis, à præceptoribus dari non poſſunt.

DEMOSTHENES princeps Atticæ facundiæ, primùm ad populum uerba faciens, tumultibus excipiebatur & deridebatur: quòd confuſis circuitibus, & nimis aſperè contortis argumentis uteretur, ad hæc etiam uoce exigua minimeq; firmis lateribus eſſet. Quem cùm in Piræeo, abiecto animo conſpexiſſet iam exacta ætate Eunomus Thriaſius, increpauit eum: quòd cùm facundia ſua germana eſſet Periclis, ſibi ipſe deeſſet præ timiditate & ignauia, qui neq; turbas ſuſtineret animosè, neq; corpus ad actiones inſtrueret, ſed inertia ſineret torpeſcere. Alio tempore aiunt, cùm exploſus domum ſe capite obuoluto & mœſto animo reciperet, ſecutū SATYRVM mimum appellaſſe eum. Conquerente lamentabiliter apud eum Demoſthene, quòd qui inter omnes eſſet oratores laborioſiſſimus, corporisq; in eo uigorem penè conſumſiſſet, non placeret populo tamen: ſed temulenti, nautæ, indocti audirentur, tenerentq; ſuggeſtum, ipſe reiiceretur: Rectè ais, Demoſthene, dixiſſe Satyrum. At ego citò medebor cauſæ, ſi mihi carmina aliqua Euripidis aut Sophoclis memoriter uelis pronunciare. Quę ubi pronunciauit Demoſthenes, repetiſſe eadem poſt Demoſthenem, Satyrum: itaq; egiſſe & reddidiſſe uultu decenti & apta actione eoſdem uerſus, ut planè Demoſthenes alios putaret. Vt iam intellexit, quantum ex actione dignitatis atque uenuſtatis accederet orationi, rem tenuem atque inanem duxit declamationem, ſi pronunciationem & actionem negligas. Plut. in Demoſthene. At in uita Aeſchinis, Andronico mimo hāc admonitionem tribuit, qui demonſtrauit dictionem eius præclaram eſſe, tantùm deſici eum actione: commemorauitq;, quæ concio de eo prædicaſſet. Qui fide habita, tradidit Andronico ſe. Vnde requiſitus, Quidnam primum in oratore eſſet? Actio, inquit. Quid ſecundum? Actio. Quid tertium? Actio.

Quodam tempore uox DEMOSTHENEM inter concionādum defecit, ob multitudinis fremitum. Id obiicientibus, ita reſpondit: Hiſtriones è uoce iudicare par eſt, oratorem è mente: ὑποκριτὰς δεῖ κρίνειν ἐκ τῆς φωνῆς, τοὺς δὲ ῥήτορας ἐκ τῆς γνώμης. Hiſtrio ſeruit populo, orator conſulit: ille delectat, hic prodeſt. Ad bene conſulendum non refert quàm ſis uocalis, ſed quàm opportuna ſuadeas. Actori uoce opus eſt, quę uincat multitudinis fragorem: orator talis eſſe debet, ut populus ipſum ultrò tacitus & attentus auſcultet. Plut. in uitis Decem. Eraſ. lib. 8. Apoph.

Inter cōuitia, quibus Aeſchines lapidat DEMOSTHENEM, etiam τὸ βοιωτιάζειν obiicit, quòd Bœotorum more uociferaretur immodicè & indecorè, inſtar bouis, uel quòd Bœotorum partibus faueret. Eraſmus.

Cùm Demoſthenem adiſſet QVIDAM, ut cauſam ſuam ſuſciperet orans, commemoraretq; à quopiam ſe cæſum: dicitur Demoſthenes reſpondiſſe: Tu uerò nullam iniuriam, ut dicis, paſſus es. Hîc cùm homo uocem intenderet ac uociferaretur: Ego uerò Demoſthene, iniuriā non ſum paſſus? Nunc, dixiſſe, ego uocem audio læſi & uiolati. Tanti referre arbitrabatur ad fidem faciendam, uocis contentionem & actionem dicentis, & in primis oratoris. Plut. in Demoſth.

CLEON Athenieſis, demagogus ſcurrilis & audax, cùm Spartanos CCCC in Sphacteria inſula cepiſſet, impotenti ſumta audacia cùm alias reipub. inuexit calamitates, quarum in ipſum magna pars redundauit, tum decorum ſuſtulit in ſuggeſtu, inter concionandum exclamauit primus, pallium aperuit, femur percuſſit, & curſu inter dicendum eſt uſus: atque hinc ea, quæ poſtea confudit totam rempublicam, licentia, & honeſtatis contemtu imbuit rempub. gerentes. Plutarchus in Nicia.

Q. POMPEIVS, qui Bithynicus eſt dictus, ſummo ſtudio dicēdi, multa doctrina, incredibili labore atq; induſtria fuit. Huius actio non ſatis commendabat orationem: in hac enim ſatis erat copiæ, in illa lepóris parum. Cicero in Oratore.

C. MACER patronus cauſarum, in inueniendo acutiſſimus fuit & diligentiſſimus: ſed uox, geſtus & omnis actio ſine lepóre. Cicero in Bruto.

SEX. Titius, homo loquax & acutus, tam ſolutus & mollis fuit in geſtu, ut ſaltatio quædam naſceretur, cui ſaltationi Titius nomen eſſet. Ita cauendum, ne quid in agendo dicendóue facias, cuius imitatio rideatur. Cic. in Bruto. Quintil. libro 11. Eraſmus in Adagiis.

Domitius Afer MANLIVM Suram multùm in agendo diſcurſantem, ſalientem, manus iactantem, togam deiicientem ac reponentem; non agere dixit: ſed ſatagere. Actio enim oratoris eſt. Satagit autem, qui fruſtrà miſereq; conatur. Quint. lib. 11. de Pronunc.

M. CALLIDIVS Q. Gallum accuſauit, M. Tullio defendente. Quumque accuſator affirmaret, ſe teſtibus, chirographis, quæſtionibus probaturum, ſibi à reo fuiſſe præparatum uenenum: ſed interim rem tam atrocem, remiſſo uultu, languida uoce, ac reliquo geſtu parum concitato pronunciaret: M. Tullius, Tu (inquit) niſi fingeres M. Callidi, ſic ageres? Ex actione colligens, illum non ex animo loqui. Cic. in Bruto.

In COTTA damnabatur literarum dilatatio, & agreſtis quędam, & planè ſubruſtica pronunciatio. Cælius libro 13. capite 1. Antiq. lect.

CVRIO orator, præterquam quòd in cogitando eſſet tardus, in inſtruendo diſſipatus, parumque rerum propoſitarum meminiſſet, in utramque etiam partem toto corpore uacillabat in oratione. In hunc urbanè C. Iulius iocatus eſt: quæſiuit enim, quis loqueretur è lintre? Et Cn. Sicinius, Tribun. pleb. impurus homo, cùm Curionem & Octauium conſules produxiſſet, Curioque multa dixiſſet, ſedente Cn. Octauio collega, qui deuinctus erat faſciis, & multis medicamentis propter dolorem artuum delibutus: Nunquam, inquit, Octaui, collegę tuo gratiā referes, qui niſi ſe ſuo more iactaſſet, hodie te iſtic muſcæ comediſſent. Cic. in Bruto.

Cicero ORATORES, qui inter dicendum uociferantur, dicebat claudis eſſe ſimiles, qui ex imbecillitate ſic ad clamorem, ut illi ad equos, confugerent. Plutarchus in Cicerone & in Apophtheg.

Vrbanè Flauius Virginius ANTISOPHISTAM quendam ſuum interrogauit, Quot millia paſſuum declamaſſet? Taxans eum, quòd in declamando diſcurreret, nimiumq; crebras, longas ac tumultuarias haberet ambulationes: cùm M. Tullius oratori non concedat procurſiones, niſi raras, moderatas, ac breues. Quintil. lib. 11.

Salſum eſt illud Caſſij Seueri, qui aduerſus PATRONOS immodicè diſcurrentes, ut interdum ſe proriperent in aliena tribunalia, popoſcit lineam: alludens ad certamina curſus, in quibus una linea deſignabat unde curſus inciperet, altera ubi deſineret. Idem accommodari poteſt in eos, qui digreſſionibus immodicis diuertunt ab inſtituto. Eraſmus libro 8. Apophtheg.

TESTIVS Penarius in dicendo mentum intorquebat. In hunc Cæſar ita iocatus eſt: Dic, ſi quid uelis, ait, quum nucem perfregeris. Notauit incompoſitos mores, ac geſticulationes parum decoras. Nam qui habet in ore nucem duram, in rumpendo, mentum ſolet intorquere. Bruſonius libro 4. capite 31.

PHILISCVS illaudatus rhetor, quum cauſam ageret pulcrè ueſtitus, ſed tumultu irruens in tribunalia, uoce ſemimuliebri, lingua ſupina, quóuis potiùs ſpectans quàm ad ea quæ agebantur: auerſatus dicentem Imperator, ſtuduit illi os occludere: totaq; actione aquam intercipiebat, breues ſubinde percontatiunculas obiiciens. Ad quas quum parū appoſitè reſpondiſſet Philiſcus: Virum, inquit Imperator, arguit cæſaries, Rhetorem uox. Græca pluſculum habent lepóris, τὸν μὲν ἄνδρα δείκνυσιν ἡ κόμη, τὸν δὲ ῥήτορα φωνή: notans illum, quòd attonſa cæſaries declararet uirum, ſed oratio non declararet eſſe rhetorem, ſed feminam potiùs. Philoſt. [redacted]

ELOQVENTIA CONSIDERATA RESPECTV EFFICIENTIS CAVSAE. ELOQVENTIA PRAEDITI

NATVRALI.

Sunt auctores, nullo uſum fuiſſe præceptore AESCHINEM, ſed ex ſcriba in tribunalibus, ubi tunc uerſabatur, inclaruiſſe: primùm oppugnauiſſe ad populum Philippum: unde cùm celebris eſſet factus, creatum ad Arcadas legatū. Quos ut adiit, decem illa millia in arma coegiſſe aduerſus Philippum. Plut. in uitis Decem.

Clariſſimi quique uiri in Repub. & Athenienſium & Romanorum, antequam eloquentiæ ars & præcepta inuenta eſſent, naturali eloquentia nitebantur. Sic ante Periclem & Thucydidem eloquentes multi habiti ſunt, nemo tamen orator uerè dici potuit. Apud Romanos L. BRVTVS, quo Cōſule reges ſunt exacti, natiua eloquentia proculdubiò præditus fuit. M. VAL. Dictator, paucis annis poſt reges exactos, cùm plebs



plebs propè ripam Anienis, montem ſacrum occupaſſet, dicendo ſedauit diſcordias, eamq; ob cauſam Maximus fuit appellatus. L. VALERIVS Potit⁹, poſt Decemuiralem inuidiam, plebem in patres incitatam, legibus & cōcionibus ſuis mitigauit. APPIVS Claudius ſenatum iamiam inclinatum, à Pyrrhi pace reuocauit. C. FABRICIVS ad Pyrrhū de captiuis recuperandis orator miſſus eſt. T. CORVNCANVS ex Pontificum commentariis longè plurimùm ingenio ualuiſſe uidetur. MAN. Curius trib. pl. interrege Appio cæco, diſerto homine, comitia contra leges habente, cùm de plebe conſulem non acciperet, patres antè auctores fieri coegit. M. POPILIVS conſul, cùm ſacrificium publicum cum læna faceret, quòd erat flamen Carmentalis, plebis cōtra patres concitatione nunciata, ut erat læna amictus, ita uenit in concionem: ſeditionemq; cùm auctoritate, tum oratione ſedauit. C. FLAMINIVS, qui trib. pl. legem de agro Gallico & Piceno uiritim diuidendo tulit, & conſul apud Thraſymenum interfectus eſt, dicēdo ualuiſſe uidetur. Sed eos oratores habitos eſſe, aut omnino tum ullum eloquentiæ præmium fuiſſe, hiſtoriæ non tradunt: tantummodò coniectura ducti, ſuſpicari poſſumus. Primus CORN. Cethegus, Ennij auditor, eloquēs habitus eſt. Cic. in Bruto.

SCIPIONVM familia, & eruditionem & eloquentiam hæreditariam propè habuit. Nam Cicero in Bruto, Scipionis collegæ ſui eloquentiam extollit, & ex ipſius ſapientiæ ſtirpe generatum aſſerit. Nā & duos auos habuit clariſſimos, Scipionem & Craſſum: & tres proauos, Q. Metellum, P. Scipionem, qui Tib. Gracchum occidit, & Q. Scęuolam augurem, iuris peritiſſimum: duos deinde abauos illuſtres, P. Scipionem Corculum, bis conſulem, & C. Lælium omnium ſapientiſſimum. O generoſam, inquit, ſtirpem, & tanquam in unam arborem plura genera, ſic in iſtam domum, multorum inſitam atq; illuminatam ſapientiam. Idem.

GRACCHI duo non tam in gremio, quàm in ſermone matris Corneliæ, quæ eloquentiſſima fuit, educati ſunt.

LÆLIA Caij filia, patris elegantia tincta fuit. Filiæ eius MVTIÆ ambæ, & neptes LICINIÆ, L. Craſſi filiæ; quarū altera Scipionis fuit uxor, & filium habuit Craſſum eloquentiſſimum, qui Craſſi teſtamento fuit adoptatus. Cic. in Bruto.

C. CARBO, filius eloquentiſſimi uiri Carbonis, non ſatis acutus orator fuit. Facilè tamen dicebat, & auctoritatem naturalem quandam habebat oratio. Idem.

CVRIO ætate Ciceronis literarum admodum nihil ſciebat, memoria infirma erat, inuentione tardus, diſpoſitione confuſus: & tamen uſu quodam domeſtico, Latinè nō peſſimè loquebatur: ut natura potiùs quàm arte eloquentiam adeptus uulgò uideretur, quamuis reuerà eloquens nō eſſet.

C. LICINIVS Caluus à magiſtris parum inſtitutus, naturam habuit admirabilem in dicendo. Idem.

M. CALPHVRNIVS Piſo orator, à natura genus quoddam acuminis habuit, quod erat in reprehendendis uerbis acutum atq; ſolers, ſed ſæpè ſtomachoſum, interdum etiam facetum. Cicero in Bruto.

ARTIFICIALIS.

*Exempla huius ex ſeq. Titulis petantur.*

HERACLITVS Lycius ſub Seuero celebris, ſolus ſophiſtarum ad artem dicendi induſtria & labore, natura minimè adiuncta, contendit. Volaterranus libro 15. Anthrop.

ELOQVENTIAE PROFESSORES OTIOSI, SCHOLASTICI. Huc pertinent

RHETORES, DECLAMATORES, DICENDI MAGISTRI.

*Hoc Titulo & eos, qui artem eloquentiæ profitentur, eăq; ſe alios docere poſſe aſſerunt: & eos, qui umbratili exercitatione contenti, priuatas ſuas habent exercitationes, neq; in lucem hominū prodeunt, complectemur. Quòd ſi id, quod ſæpe uſuuenit, uel theoricum, uel practicum uitæ genus amplectantur, & in eo excolendo eloquentiæ utantur præſidio, ad ſequentes locos pertinebunt. Proinde ex Titulo Oratorum, δημαγωγῶν, Politicorum, exempla nō pauca, Demoſthenis, Lyſiæ, Ciceronis, & ſimilium, petenda erunt: quatenus & illi Rhetores fuerunt, ſed artis exercitationem è ſchola in forum, ex umbra in ſolem produxere. Ex Sophiſtarum catalogo rationem pete, cur & olim & poſteris temporibus ſub Imperatoribus Sophiſtarum appellationem Rhetores induerint. Nam quando Philoſtratus, Eunapius, Quintilianus de Sophiſtis loquuntur, Eloquentiæ doctores & profeſſores intelligunt: non eos, qui ut nomine, ſic & rerum cognitione à philoſophorum excellentia quàm longiſſimè abſunt.*

PARIDEM Priami filium educatum ferunt patris iuſſu, in loco, quem Amandrum dixére, mox uerò & Parion de ipſius nomenclatura, tribus ferè annorum decadibus. Atq; inibi quū natura ingenioſus foret, Græcis imbutum diſciplinis. In quibus ubi haud parū promouiſſe eſt uiſus, etiam Veneris laudes, oratione edita, prolibauit: inq; ea Palladi ac Iunoni præſtare contendit. Quando, ut uidetur, deæ nomine concupiſcentias eſſe intelligendas ſignificabat, atq; uoluptates (ſicuti meminit Athenæus quoq;) unde mala omnia ſeſe mortalibus affundant. Atq; hinc fabellæ occaſionem datam, inter diſceptantes deas captum iudicem, datumq; Veneri malum, id eſt, uictoriam. Quin & Paris idem in eandem hymnum ceciniſſe narratur, quem uocāt Ceſton. Hinc à patre accerſitus, emiſſusq;, ad rem diuinam obeundam, quum Spartam appuliſſet, Helenam rapuit. Cælius lib. 19. cap. 19. Antiq. Lect.

PITTHEVS rex Trœzeniorum, maternus Theſei auus, artem dicendi Trœzene docuit, in Muſarum cella, quæ eſt in foro, non procul à tribus ſoliis, in quibus ius dicere ſolebat. Pauſanias ſe librum à Pittheo ſcriptum, ab Epidaurio uerò homine editum, legiſſe teſtatur in Corinthiacis.

ANTIPHONTEM Rhamnuſium Rhetoricam primum inueniſſe dicunt: quidam uerò inuentam excoluiſſe atq; auxiſſe. Homo fuit dulci admodum pronunciatione. Ex Philoſtrato recitat Volat. lib. 13. cap. 3. Anthrop.

CEPHALVS Athenienſis orator, primus prooœmia & epilogos induxit. Suidas.

PROTAGORAS Abderites, uel Teius, Artemonis F. aut Męandrij, cùm baiulus eſſet, collocutus cum Democrito, eruditionis amore captus eſt: & philoſophatus, ad eloquentiā ſe contulit, primusq; Sophiſta eſt cognominatus. Nam primus ἐριστικοὺς λόγους, hoc eſt, contentioſas orationes inuenit, certamen uerborum inſtituit, & centum minas à diſcipulis exegit. Itaq; λόγος ἔμμισθος, Sermo mercenarius, eſt cognominatus: Prodici & Iſocratis magiſter. Libri Protagoræ ab Athenienſibus cremati ſunt, quòd aliquando ſic exorſus eſſet orationem: De diis ſcire non poſſum, neq; an ſint, neq; an nón ſint. Suidas, & Cæl. lib. 13. cap. 7.

PRODICVS Ceius, ex inſula Ceo, urbe Iulide, philoſophus & ſophiſtes, æqualis Democriti, diſcipulus Protagoræ, Athenis hauſta cicuta periit, quòd adoleſcentes corrumperet. Ab hoc prouerbium manauit, Προδίκου σοφώτερος, Prodico ſapientior. Primus quinquaginta drachmis declamitauit. Meminit Plato eius in Protagora, & Xenoph. in Apomnemoneumatis. Suid.

HIPPIAS Diopithis F. Eleus, ſophiſtes & philoſophus, diſcipulus Hegeſidami, finem bonorum ſtatuebat αὐτάρκειαν, ſiue animum ſua ſorte contentum, ſiue earum rerum facultatem, quæ ad uictum cultumq; & corporis & animi pertinerent, ſeu potiùs utrunq;. Scripſit multa. Suidas.

ZOILVS ſophiſta Amphipolitanus Macedoniæ, cognomento Homeromaſtix, quòd Homerum derideret. Quapropter Olympiæ ſpectatores eum de Scironiis rupibus præcipitem egerunt. Grammatica quædam ſcripſit contra Homerum: Poeſeos lib. 9. Hiſtoriam ab ortu deorum uſq; ad obitum Philippi: Libros tres de Amphipoli, & contra Iſocratem oratorem, aliaque plurima, in quibus fuit & Homeri uituperatio. Suidas.

GORGIAS Charmantidæ F. Leontinus, Empedoclis diſcipulus, magiſter Poli Agrigentini, Periclis, Iſocratis, & Alcidamātis Eleatæ, qui in ſchola illi ſucceſſit. Frater Herodici medici. Primus neglectam adhuc dicendi ex arte rationem excitaſſe dicitur, & de ea ſcripſiſſe. Dedit magnum eloquentię ſpecimen, & in quinquennali Olympiæ celebritate, & in ea legatione, qua functus eſt Tiſiæ collega apud Athenienſes: ſed eo longè clarior. Eum Iaſon Theſſaliæ tyrannus pluris multò fecit, quàm Polycratem, qui nulli fuit in Athenienſiū ſcholis eloquentiæ laude inferior. Vixit annis haud minus quinq;, amplius quàm centum. Statuam in Alti Olympiæ habuit, dedicatam ab Eumolpo Deicratis nepote, ſororio ſuo. Pauſanias lib. 6. & Suidas. Cic. lib. 3. de Orat. ſtatuam ei aureum Delphis à Græcis poſitam ſcribit. Philoſtratus adiicit, orationi hoc Pythiæ tributum.

Sophiſtarum artem, perinde ac in patrem, in Gorgiam referimus. Sophiſtices, quæ ſecunda dicitur, principem ferūt AESCHINEM. Qui tametſi ut φιλοπότης ἡδὺς, καὶ ἀνειμένος, hoc eſt, uini appetens, uoluptarius ac remiſſior inceſſitur: primus tamen inter ſophiſtas creditus eſt, θείως λέγειν. Cælius lib. 19. cap. 17. Eloquentiſſimum eum fuiſſe, ſatis conſtat, & quidem ampla & decora uoce: nec deſunt, qui proximū ei poſt Demoſthenem locum aſſignent: natura magis ualuit, quàm arte. Quidam illum nullius fuiſſe diſcipulum tradunt, ſed repentè è ſcriba factum oratorem, dixiſſeq; primùm aduerſus Philippum Macedoniæ regem: hinc famam popularem gratiamque auſpicatum, ideo & miſſum ad eundem regem legatum. Alij magiſtros ei dant Platonem & Iſocra-

Iſocratem, quidam Leodamanta. Genus illud dicendi Rhodium, inter Aſianum & Atticum medicum, Aeſchines Rhodi in receſſu inſtituit, cùm ibi aperuiſſet ſcholam.

TISIAS Siculus, collega Gorgiæ in legatione apud Athenienſes, dicendi facultate omnes antecelluit ſuæ ætatis oratores. Colligitur id ex oratione eius ſubtili & peracuta, quam in lite Syracuſanæ mulieris habuit. Gratior tamen fuit Gorgias. Pauſanias lib. 6.

ISOCRATES Theodori F. fiſtularum fabri, Athenienſis, natus Olympiade LXXXVI, poſt bellum Peloponneſiacum: ob uocis imbecillitatem & uerecundiam cauſas non egit, In Chio artem docuit, magna auditorũ frequentia, ſed & Magiſtratus Chij ordinauit, eandemq́;, quæ in patria ſua erat, reip. rationem: tantumq́;, quantum nemo ſophiſta alius pecuniæ quæſiuit, ut inſtructã ſuis impẽſis præberet triremẽ. Orationes ſcripſit XXXII. Cumq́; annos 90. uel CVI. uixiſſet, accepta ad Cheroneam clade, quatriduana media ſemetipſum confecit. Diſcipulus Gorgiæ, aut Tiſiæ, aut Ergini, aut Prodici, aut Theramenis à Socrate cõmendatur in Phædro, & à Cicerone, multùm licet diſſentiente Bruto. Ex eius ſchola, tanquam ex Troiano equo, prodiit numeroſa illa cohors eorum, qui in dicendo & Repub. adminiſtranda plurimùm in Græcia ualuerunt. Eloquentiam teſtantur diſcipuli, & monumenta ingenij: in quibus eſt mira ſermonis dulcedo, & aptiſſima compoſitio, numeris ad ornatum adſtricta. Cicero in oratore fatetur ex illius opibus ornatiorẽ ſe ac locupletiorem fieri. Itaq́; maximo precio atq́; honore eſt per genteis omneis habitus: nactusq́; eſt ſine foro, intra domeſticos parietes, eam gloriam, qualem rari ex iis, qui in ſolem certamenque prodierunt, ſunt conſequuti. Conſtat, perbreues ſæpè orationes ab eo ſcriptas, ingenti auri pondere à principibus uiris repenſas eſſe: ut ab Artemiſia regina Cariæ, & à Nicocle rege Salaminæ. Plutarchus in uitis decoris & Suidas.

ISOCRATES, Ampelę philoſophi F. Apollonię in Ponto aut Heracleæ natus, diſcipulus & ſucceſſor maioris Iſocratis, Platonis auditor, cum Theodecte, Theopompo Chio, & Erythræo Naucratita, de eloquentia certauit in funere Mauſoli, regis Halicarnaſſi. Suidas. Hũc Harpocration, qui ſit ἱκαυτὸς ὀρχ⟨ος⟩ exponens, Parænefeos ad Dæmonicum auctorem facit. Quam tamen ipſam tertio ISOCRATI, qui tẽporibus Cicero floruit, Dionyſius Halicarnaſſeus in lib. de Arte Rhetorica, hibuit, quem ſuũ & Echecratis, ad quẽ ſcribit, ſodalem facit. Muretus lib. 1. c. 1. Variarum Lect.

PHILISCVS Mileſius, Iſocratis auditor, fuit priùs tibicẽ maximè admirabilis: propterea Iſocrates eum αὐλοτρύπην, tibiarum perforatorem uocabat. Suidas.

THRASYMACHVS Carthaginenſis ſophiſta periodum & colon, id eſt membrum priùs monſtrauit, & modum, qui nunc eſt Rhetorices, induxit. Fuit diſcipulus Iſocratis. Scripſit de arte Rhetorica. Suidas.

Conſtat ARISTOTELEM philoſophum iam doctrinæ nomine clariſſimum, animaduerſa Iſocratis oratoris gloria permotum, ad eloquentiæ ſtudium uertiſſe animum. Quod cùm in multis locis, tum in Oratore Ciceronis habetur expreſſius, his uerbis: Ariſtoteles cùm florere Iſocratem nobilitate diſcipulorum uideret, quòd ipſe ſuas diſputationes à cauſis forenſibus & ciuilibus ad inanem ſermonis elegantiam tranſtuliſſet, immutauit repentè totam formam propriæ diſciplinę. Itaq́; ornauit & illuſtrauit doctrinam illam, & omnem rerum cognitionem cum orationis exercitatione coniunxit. Nec uerò hoc fugit ſapientiſſimum regem Philippum, qui hunc Alexandro filio doctorẽ addiderit, à quo & ſciendi præcepta perciperet, & loquendi. Cicero ipſe in Rhetoricæ ſuæ libris, non diſſimulat illum arti Rhetoricæ plurima adiumenta atq́; ornamenta ſubminiſtraſſe. Veteres, inquit, ſcriptores artis à principe illo atq́; inuentore Lyſia, unum in locum conduxit Ariſtoteles, & nominatim cuiuſcunque præcepta, magna conquiſita cura perſpicuè conſcripſit, atque denudata diligenter expoſuit. Hinc tantum inuentoribus ipſis ſuauitate & breuitate dicendi præſtitit, ut nemo illorum præcepta ex ipſorum libris cognoſcat: ſed omnes, qui, quod illi præcipiant, uelint intelligere, ad hunc quaſi ad multò commodiorem explicatorem reuertantur.

THEODECTES Ariſtandri filius, Phaſelites, Lycius, orator, diſcipulus Platonis, Iſocratis & Ariſtotelis. Vide Tit. Tragicorum. Scripſit artem oratoriam uerſu, & alia quædam ſoluta oratione. Habuit FILIVM eiuſdem nominis, qui ſcripſit inter alia etiam Artem dicendi. Suidas.

AMPHICRATES Athenienſis Rhetor exulaſſe dicitur Seleuciæ ſuper Tigrim poſitæ. Rogantes autem ciues, ut ludum ibi aperiret, reiecit, inquiens: Nec patinam Delphini capacem eſſe. Cùm inde contuliſſet ſe ad Mithridatis filiam Tigrani nuptam, preſſus calumniis, atq́; interdicta ſibi Gręcorum conſuetudine, uitam inedia finiuit. Plut. in Lucullo.

L. PLOTIVS Gallus, primus Latinè Rhetoricam docere cœpit, puero exiſtente Cicerone, magna cum frequentia. Dolebat Ciceroni, quòd eum audire non poſſet: continebatur enim doctiſſimorum hominum auctoritate, qui exiſtimabant Græcis exercitationibus melius ingenia ali. Suetonius de Claris orat.

L. OCTACILIVS Pilitus, ſeruus oſtiarius primò, deinde ob ſtudia manumiſſus, Rhetoricamq́; profeſſus, Gn. Pompeiũ Magnum docuit, eiusq́; patris res geſtas ſcripſit: primus omnium libertinorum hiſtoriam ſcribere aggreſſus, non niſi ab ingenuis ſcribi ſolitam. Idem.

EPIDIVS Rhetor, inter cæteros docuit M. Antonium & Auguſtum. Idem.

SEX. Clodius Siculus, Latinæ Græcæq́; eloquentię profeſſor, malè oculatus & dicax, M. Antonio triumuiro amiciſſimus extitit, & ab eo dicacitatis cauſa ingenti congiario donatus. Quod quidẽ Antonio obiicit Cicero in Philippicis. Idẽ.

C. ALBVTIVS Sylus Nouarieñſis Romæ docuit. Egit etiã cauſas, ſed paruo cum ſucceſſu. Iam ſenex Nouariam rediit, & conuocata concione, cauſas propter quas mori deſtinaſſet explicauit, & inedia ſeipſum necauit. Idem.

APOLLONIVS Molo Rhodius, præceptor Ciceronis Rhodi, Rhetor clariſſimus, ſcriptor præſtantiſſimus, in adnotandis animaduertendisq́; uitiis, in inſtituendo docendoq́; acutiſſimus. Cicero in Bruto.

STRATO Rhetor M. Bruti ab Octauio & Antonio uicti ad Philippos, comes, ultimum ei officium præſtãs, latusq́; ſic petenti aperuit, ne à ſeruo occideretur: quanquam aliquandiu tam triſte miniſterium amico denegarit. Sabellicus libro 8. Ennead. 6. ex Plut.

VARVS Geminus declamator Cæſari dixiſſe fertur: Cæſar, qui apud te audent dicere, magnitudinem tuam ignorant: qui non audent, humanitatem. Suetonius.

APOLLODORVS Pergamenus, Cęſaris Auguſti præceptor & familiaris, ſcripſit de arte Rhetorica. Strabo.

TIMAGENES, regij argentarij filius, Alexandrinus, uel Aegyptius, ſub Pompeio Magno bello captus, Romamq́; perductus à Gabinio, & à Fauſto Syllæ filio redemtus, Romæ docuit, ſub Pompeio, & Auguſto. Cùm ob linguæ libertatem ſchola excidiſſet, in Tuſculano uitam peregit: Mortuus eſt, cùm poſt cœnam uomere uellet, uertigine correptus. Multos libros ſcripſit. Suidas.

ASINIVS Pollio, Trallianus ſophiſta & philoſophus, Romæ docuit ſub Pompeio Magno, ſchola Timagenis ſuſcepta. Scripſit quædam. Suidas. Primus omnium Romanorũ aduocatis hominibus ſcripta ſua recitauit. Seneca in Declamat. & Quintilianus libro decimo. Declamationes ſuas nũquam populo commiſit, uir alioqui naſutiore iudicio. Carpebat in Liuio Patauinitatem, in Cæſaris commentariis infidelitatem, in Salluſtio uerba obſoleta, in Cicerone ſtylum nimis exanguem. Primus Romæ bibliothecam publicauit.

DOMITIVS Afer Nouarienſis, Neronis temporibus, uerborum arte & toto genere dicendi præferendus, & quem in numero ueterum recenſet Quintilianus lib. 1. cap. 1.

CLODIVS SABINVS, declamator tempore Senecæ, lepido uir ingenio. Seneca.

M. PORTIVS Latro orator grauis, nec citra ſuauitatem, fuit in omni re nimius, quod Seneca ſcribit. Quippe nec remittere, inquit, ſtudia ſciebat, nec repetere. Vbi ſe ad ſcribendũ concitaſſet, iungebantur noctibus dies, & ſine interuallo grauiùs ſibi inſtabat: nec deſinebat, niſi deficeret. Rurſus, quum ſe remiſerat, in omnes luſus & iocos reſoluebatur. Quum uerò ſe ſyluis & montibus tradiderat, omnes illos agreſtes in ſyluis ac montibus natos laboris patientia ac uenandi ſolertia prouocabat: & in tantam ſic uiuendi perueniebat cupiditatem, ut uix poſſet ad priorem conſuetudinẽ retrahi. At, quum ſe reuocaſſet, tantis uiribus incumbebat in ſtudium, ut non tantùm nihil perdidiſſe, ſed multum acquiſiuiſſe deſidia uideretur.

POTAMON Mitylenæus, filius Lesbonactis, docuit Romæ ſub Tiberio. Scripſit de Alexandro Macedone, Limites Samiorum, Bruti laudationem, De perfecto oratore. Suidas.

ACVSILAVS Athenienſis, Agatbocliæ F. ſub Galba Romam profectus Rhetoricam docuit: & locupletatus, Athenienſibus moriens reliquit CM. drachmarum, ex uſuris. Suidas.

M. FAB. QVINTILIANVS Caliguritanus, ut Euſebio placet, Inſtitutionum oratoriarum libros 16. adeò quidem utiles, & poſteritati probatos ſcripſit, ut D. Hieronymus eos ſe diligenter lectitaſſe, & inde plurimum profeciſſe fateatur. Romam ex Hiſpania ductus eſt ab Imp. Galba, teſte Suetonio. Volaterr. 19. lib. Anthrop.

T. CASTRITIVS Rhetoricæ artis doctor Romæ, ſumma uir auctoritate apud Hadrianum principem, quo ſe magiſtro uſum Gellius dicit lib. 13. cap. 20.

ZENODOTVS docuit Romæ ſub Adriano: ſcripſit Epitomen prouerbiorum Didymi, conuertit in Græcum ſermonem hiſtoriam Salluſtij.

NICETES



NICETES Smyrnæus, ſophiſta, Hadriani principis tempore, quum cauſas tentaret in foro, etiam ampliſſimus uidebatur. Adeò ingenium ad utramque dicendi rationem accommodarat, ut iudiciale, ſophiſtica quadam facultate exornaret, ſophiſticum uerò & umbratile, forenſibus aculeis roboraret. Philoſt. in Sophiſt.

ARISTOCLES Pergamenus, ſophiſta, ſub Traiano & Adriano ſcripſit Artem rhetoricam. Suidas.

DION Pruſaënſis, ſophiſta, quem Chryſoſtomum appellabant, pelle leonina amictus in publicũ procedebat. Pro Homero contra Platonem libros 4. ſcripſit. Item de uirtutibus Alexandri Magni lib. X. & laudem Herculis. Traiano fuit familiaris. Suidas.

LONGINVS Caſſius, philoſophus & orator, Porphyrij magiſter, uir magna doctrina, ab Aureliano Imperatore occiſus eſt per cauſam conſpirationis cum Zenobia Odenati uxore. Suidas. Fuit hic ſpirans quædam bibliotheca, & uiuum Muſæum, cui de ueteribus iudicandi poteſtas permiſſa erat. Eunapius.

POLEMON Laodicenſis, ad Lycum fluuium, ſophiſta, Smyrnæ docuit, Ariſtidis oratoris magiſter, ſub Traiano, diſcipulus Timocratis philoſophi, Pontici Heracleotæ, & Scopeliani ſophiſtæ. Anno ætatis 56, ſeipſum in ſepulcrum coniecit, necemq́; ſibi conſciuit inedia, propter morbi articularis cruciatus. Cùm autem à propinquis, & amicis lugeretur, dixiſſe fertur: Date mihi aliud corpus, & aſcendam. Et medicis, à quibus diutiùs ſecabatur, Quamprimùm, inquit, Polemonis latomias excidite. Suidas.

HERMOGENES Tarſenſis, cognomine Xyſtor, anno ætatis XV tantam gloriam eſt adeptus, ut Marcus Imperator, & Muſonius philoſophus, eius audiendi amore caperentur. Auditorium ingreſſus Marcus, eo diſſerente eſt delectatus, & extemporè loquentem, admiratus. Ad Marcum Imperatorem extant uerba illa: Venio, inquit, ad te Imperator, pædagogo indigens rhetor, & rhetor ætatem expectans. Quo nomine à Marco Antonino Imp. munificè dimiſſus eſt. Anno ætatis IIXX. Artem ſcripſit, quæ etiamnum cum admiratione omnium teritur manibus. Cæterùm ipſe hic ingenioſus adeò, & ultra ætatem diſciplinis imbutus, agens quartum & uiceſimum annum, mente lapſus eſt, nulla euidenti cauſa. Vixit quidem diu, ſed ut unus ex multis. Memoriæ proditum eſt, mortui corpore diſſecto, cor hiſpidum fuiſſe repertum, ſed & magnitudine uiſenda. Cælius libro uigeſimoprimo, cap. 16. Antiq. Lect. ex Philoſtrati Sophiſtis & Suida.

ECEBOLIVS ſophiſta Conſtantinopolitanus, ſub Conſtantino Magno Chriſtianus ardentiſſimus uiſus, mox ſub Iuliano principe, apoſtata apparuit. Suidas.

PROÆRESIVS Cappadox, Vlpiani Anthiocheni rhetoris diſcipulus, mox Athenis Iuliani, αὐτοσχεδιαστικῇ eloquentia & memoria ad miraculum uſque pollebat. Procerus & pulcer admodum. Pede uno cæteris altior extabat. Iuliano ſucceſſit Athenis, ſed æmulorum calumniis inde pulſus eſt. Conſtantem Cæſarem in Gallias ſecutus, Barbaris tanquam deus admirationi fuit. Romæ ſtatuam meruit. A Cæſare precarium munus obtinuit inſulas tributarias & uectigales Athenarum ciuitati in pendendo frumento, & Caſtrorum præfecti nomen accepit. Obiit nonagenarius. Eunapius.

DIOPHANTVS Arabs, Rhetorices profeſſor Athenis, Proæreſij æmulus, præceptor Libanij, orationem funebrem in morte Proæreſij habuiſſe dicitur, eiuſmodiq́; elogium addidiſſe, Nunc ſilentio obrutæ iacetis Salamin atq́; Marathon. Quanta etenim ueſtris trophæis atq́; uictoriis tuba interiit? Eunapius in eius uita.

ANTIPATER ex Hieropoli Aſiæ ciuitate, ſophiſta nobiliſſimus, præceptor filiorum Seueri principis. Philoſtratus.

HERMOCRATES Phocenſis, clarus ſophiſtica facultate, Seueri principis filiam, Imperatore compellente in uxorem duxit. Idem.

HERACLITVS Lycius, domi uir clarus, ſed multò clarior ſophiſtica facultate: qui cùm olim apud Seuerum principem extemporali facultate, præſentibus quoque aulicis diceret, exterritus ſermone excidit. Solus ſophiſtarum ad hanc artẽ induſtria & labore, natura minimè adiuuante, contendit. Volat. lib. 15 Anthrop.

IVLIANVS Cappadox ſophiſta, Athenis floruit, Aedeſij ſophiſtę diſcipulus, Conſtantij principis tempore: ad quem omnis undique iuuentus diſcendæ Rhetoricæ gratia confluebat. Eunapius.

LIBANIVS ſophiſta, Phaſganij F. Diophanti & Proæreſij diſcipulus Athenis, ex Antiochia Cœloſyriæ ciuitate, aduerſis procellis agitatus, in patriam reuerſus eſt, ibique Rhetoricam docuit, in qua multos uiros excellentes reddidit: inter quos D. Gregorius, Chryſoſtomus & Baſilius fuêre. Quamobrem in Iuliani principis dignationem ueniens, ab eo pluribus honoribus ornatus, præfectique prætorij honorem tituiotenus oblatum reſpuit, dictitans: plus eſſe Sophiſtam agere, quàm præfectum: in hoc gloriam citò perituram, in illo perpetuam eſſe. Suidas & Eunapius, & Socrates lib. 4. cap. 26.

ACACIVS rhetor, è Cæſarea Palæſtinæ oriundus, uehemens in dicendo, & modum referens antiquum, ætate admodum adoleſcens: qui ira tamen ſuſpiciebatur, ut Libanij ſophiſtæ (cuius ſodalis erat) famam ſuperaturus uideretur, niſi iuuenis deceſſiſſet. Eunapius.

LVCIANVS Samoſatenſis, cognomento Blaſphemus, ſiue Dyſphemus, maledicus, inauſpicatus, impius, quòd in ſuis Dialogis diuina oracula pro ridiculis inducit. Sub Traiano Cæſare initiò cauſidicus Antiochiæ fuit: quæ res cùm ei malè ceſſiſſet, ſe ad ſcribendum contulit, ſcripſitque infinita. Interiiſſe fertur à canibus, cùm rabiem ſuam contra ueritatem exercuiſſet. Nam in Peregrini uita perſtringit Chriſtianiſmum, & ipſi Chriſto maledicit, homo conſceleratus. Suidas. Eunapius hominem γελωτοποιὸν, ad concitandum riſum factum ait.

ANTIPHON, à perſuadendi potentia Neſtor cognominatus, nepenthes auſcultationes promittere ſolebat: quandò nullus tam atrox erat, infeſtusque dolor, cuius uellicationes ciuili eloquentia non lenire modò, ſed excutere etiam nôſſet. Ex quo arbitror Plutarchum ſcribere, ab Antiphonte excogitatam τῆς ἀλυπίας τέχνην, artem alypiæ: quæ uox triſtitiæ carentiam indicat. Cælius libro decimonono, capite 3. Antiq. Lect.

OSCVS rhetor, cùm eloquentiſſimus eſſet, illius tamen orationem nil aliud uitiabat, quàm affectatio. nihil enim ſine ſchemate dixit unquam. Ideoq́; cùm Pacatus rhetor Maſſiliæ ei obuiam factus eſſet: Poteram, inquit, dicere, Aue Oſce. Affectatorem affectata ſalutauit oratione. uſus enim eſt ironica occupatione, præter omnem neceſſitatem, ut irrideret hominem, ſemper affectatè loquẽtem. Bruſonius lib. 4. c. 31. & Eraſ. lib. 8. Apoph.

HIPPODROMVS Theſſalus Lariſſæus, circa M. Antonij tempora Athenis ſcholæ ſucceſſit, ſophiſta clariſſimus. Philoſtratus.

DAMIANVS Epheſius, ſophiſta nobilis, circa M. Antonini principis tempora diuitiis ac potentia inter ſuos præditus, uiros doctos liberalitate proſequutus eſt. Eloquentiæ quoque genus, ſecundum naturam imitatus. Philoſtratus in Sophiſtis.

SCOPELIANVS Clazomenius inter nobiliſſimos ſophiſtas à Philoſtrato refertur, Herodis Attici præceptor. Docuit Smyrnæ magna celebritate. Quo iam ſeneſcente, cùm Polemon orator de rebus magnis Smyrnæorum mitteretur, cõuerſus aduerſus ad eum ait, Δός μοι ὤμοιϊν τὰ σὰ τεύχεα θωρηχθῆναι. Hoc eſt, Arma humeris tua nunc concede in prælia noſtris, Quæ tibi me ſimilem faciant. Verba autem ſunt Patrocli ad Achillem, apud Homerum. Philoſtratus.

HERODES cognomento Iulius, genere Aeacides, Athenienſis, è Marathonio municipio, ſophiſtes, theſauro reperto tãtas opes conſecutus, ut & ſtadium conderet Athenieñſibus, & theatrum tecto munitum. Pater eius Atticus, Plutarchi F. Aſiæ præfuit. Conſulatum bis geſſit. Sub Adriano & M. Antonino uixit. Fauorini & Polemonis diſcipulus. Obiit anno ætatis circiter LXXVI, tabe confectus. Suidas. Orator in dicendo ſublimis habitus, ornatu non dithyrambico, neq́; uerba ex poëtica mutando, ſed receptiſſima, breuitate alioqui accommoda rebus, in defenſionibus uehemens & grauis, Atticæ linguæ ſobrius imitator. Vox ei tragœdorum haud affectata, ſed facilis & tempori accommodata. Habebat & figurarum uarietatem, & cum perſpicuitate receſſum. Ob ſplendorem & magnitudinem orationis, à quibuſdam ſiccitatem amantibus, Orator ſaginatus eſt appellatus. Philoſtratus in eius uita.

ADRIANVS rhetor, Herodis diſcipulus, & ſucceſſor, ſub Marco Antonino, æmulam Ariſtidi rhetori ſcholam Athenis habuit. Docuit etiã Romæ, & à Commodo ἀντιγραφεὺς conſtitutus eſt, ut exempla literarum in codicem referret. Suidas. Erat quandoq́; in Ionia Imp. Marcus, necdũ ARISTIDEM nouerat. Euocatum ergo ad ſe ita interrogare perrexit: Quando, inquit, te audiemus? Hodie, ait ille, proponas, cras uerò audias. οὐ γὰρ ἐσμὲν τῶν ἐμούντων, ἀλλὰ τῶν ἀκριβούντων: hoc eſt, non ex uomentibus ſumus, ſed ex eorum numero, qui accuratè dicunt. Vomentes uerò intelligebat, qui extemporali uterentur oratione. Ad quam quum minùs ipſe procliuis foret natura, rem totam ut incurioſam aſpernabatur irridebatq́;. Hic porrò ſcommate Philippum laceſſere non expauit, quum Arimaſpos μονομμάτους, id eſt, unoculos illi cognatos dictitaret. Polemonis rhetoris Smyrnei auditor, item Herodis Attici, & Ariſtoclis Pergameni. Cælius libro 21. cap. 8. Antiq. Lect.

CL. AELIANVS ſophiſta, Præneſtinus Pontifex, Meligloſſus

ſeq

ſeu Meliphthongus cognomine, docuit Romæ poſt Adrianum. Hic quũ minus ſibi uirium ac uehementiæ uel ſpiritus adeſſe nõ eſſet neſcius, quàm ut declamatoriã palæſtrã calefaceret, in qua deſudarẽt quidẽ multi, laudem referrent perpauci: ad Syntaxes, quo ſe uixiſſe apud poſteros teſtatiſſ. faceret, ſe totum contulit, uſq; ad ſtuporem. In dicẽdo aphelliam maximè affectauit, hoc eſt, ſimplicitatem: quęq; (uti ꝓdit Fabius) ſimplex & inaffectata haberet quendam purum, qualis etiam in feminis amatur, ornatum. Nicoſtrati uetuſtatem expreſſit, ad Dionis tonum reſpicit quandoq;. Cælius lib. 21. c. 32. A. L. & Suidas.

LEONTIVS uel LEO ſophiſta Athenienſis, orator inſignis, ſed & aſtrologus magnus, filiis hæreditatem omnem reliquit: Athenaidem filiam propria fortuna contentam eſſe debere, aſſerens. Eo mortuo, cùm iuris ſui perſequendi cauſa Conſtantinopolim ueniſſet, Pulcheriæ ſorori Imp. Theodoſij inſinuata propter eruditionem, eiuſdem conciliatione Imperatori nupſit, & in baptiſmo nomen Eudoxiæ ſuſcepit. Zonaras.

PHILAGRVS, Cilix patria, Lolliani auditor, coæqualis Herodis Attici, ſophiſtarum uehementiſſimus, ſed & maximè iracundus. Narratur quandoq; dormitanti auditori pugnũ in malam impegiſſe. Natura porrò difficilis erat, & minùs tractabilis. quæ res nec ipſum fefellit: nam ſcitanti amico, quid ita nõ placeret ei filios tollere? Quoniã, inquit, nec mihi ipſi placeo. Cælius lib. 21. c. 7. A. L.

GENETHLIVS, Genethlij F. Palæſtinus, Petræus, ſophiſta, Minutiani & Agapeti diſcipulus: docuit Athenis, æmulus Callinici, illuſtris uiri. Solerti fuit ingenio, totamque declamationem auditam memoriter recitauit. Obiit iuuenis, annos XXVIII natus. Scripſit ſermones ſeu diſputationes & declamationes. Suidas.

ARNOBIVS ſub Diocletiano rhetor in urbe Africæ Sicca, Lactantij præceptor, ſeptem inter alia aduerſus Gentes luculẽtiſſimos libros, Tertullianum imitatus, elucubrauit, eorumque arcana myſtica profanauit, hoc eſt, ſceleſtiſſimo & impuriſſimo dęmoni laruam detraxit. Sed lectore opus habet, antiquitatis & hiſtoriarum & fabularum perito.

LACTANTIVS Firmianus Arnobij diſcipulus, in declamatoria palæſtra multos annos uerſatus, haud uulgarem tandem in propagandis literis Latinis operam apud Celtas inſumſit. Ab illo ipſo Criſpus Cæſar in Conſtanti, Auguſti filius in Gallia fuit inſtitutus. Eius linguam unicè miratur D. Hieronymus.

POSTHVMVS iunior, quem pater Caſſius Labienus Poſthumus ſub Galieno à Gallis Imp. declaratus, Cæſarem appellauit, ac deinceps Auguſtus eſt dictus: eloquentiſſimus declamator, & ob hanc ſolam uirtutem notus. Cuſpin.

CYPRIANVS Afer, teſte Hieronymo, primùm Rhetoricam docuit: deinde ſuadente presbytero Cæcilio, Chriſtianus factus eſt. Vir de pietate Chriſtiana optimè meritus, niſi quòd labecula quadam abſurdi dogmatis aſperſus fuit. Volater. lib. 14. cap. 2. Anthrop.

Floruere ſub Cõſtãtino Magno eloquẽtię laude Romę NAZARIVS, qui rhetoricã docuit, & MINVCIVS Felix, qui cauſas orauit, & Lampridius, Spartianus, Capitolinus, & Vopiſcus: qui uitas ſuperiorum Imperatorum literis mandauerunt. qui quanta dicendi facultate ualuerint, ex ſcriptis eorũ perſpici poteſt. Poſt Nazarium inde Paterius rhetor, & Eunomia Nazarij filia eximiè celebrati: quorũ D. Hieronymus meminit. Sigonius lib. 3. Imp. occid.

Conſtãte regnante, Romæ eloquentiæ laude floruerunt MINERVIVS Burdegalenſis, & MARIVS Victorinus Afer, qui Romæ Rhetoricam docuit. Hic uirtutis ergò ſtatua in Foro Traiani donatus eſt, ac demùm iam ætate confectus, teſte in Confeſſionibus S. Auguſtino, baptiſmum, accepit. Sigonius libro 5. Imp. occid.

Theodoſius I. uicto Maximo tyranno, cum Honorio filio Romam perrexit, & cum Valentiniano II. urbem triumphans iniuit. In ſenatu à LATINO Pacato, uiro eloquentiſſimo, laudatus eſt oratione elegantiſſima. Sigonius libro nono Imp. occid.

Rhetores Burdigalenſes ſuis parentalibus immortalitati conſecrauit Auſonius, TIBERIVM Victorem Mineruium, Lainum Alcimum Alethium, Lucidum, Attium Pateram cum Attico Tirone Delphidio, Alethium Mineruium, Cẽſorium Atticum Agricum. Item Aemilium Magnum Arboriũ, Exuperium, Toloſates.

IO. BAPTISTA Egnatius presbyter Venetiis, 40 ferè annos humaniores literas publicè profeſſus eſt: adeò uniuerſæ Venetæ ciuitati ob ſingularem eruditionem, ac morum probitatem charus, ut ex Senatus decreto, ducentis aureis numis quotannis iam publico munere defunctus, quoad uiueret, donaretur. Omnia præterea eius bona ex edicto decemuiralis conſilij, publico cenſu exemta ſunt. Moriens tres ampliſſimas patricij ſanguinis familias, Molinam, Lauretanam & Bragadenam ſupremis tabulis honorauit. Deceſſit octogenarius anno Chriſti MDLIII, ſecunda Iulij.

## RHETORES INDOCTI.

*Huc maior Sophiſtarum turba pertinet, qui nomine quidem ſe ſapientes profitebantur olim, cùm reuerà tamen ἀγνοίᾳ κατὰ διάνοιαν laborarent, Platone teſte.*

De SABINEO frigido rhetore, Martialis Epigrammatum libro 3. ſic ludit:

Si temperari balneum cupis feruens,
Fauſtine, quod uix Iulianus intraret:
Roga, lauet ut, rhetorem Sabineum,
Neronianas is refrigerat thermas.

In ſtatuam RVFI rhetoris ſemiuiri & elinguis, Auſonius hæc profert:

Rhetoris hæc Rufi ſtatua eſt: nil uerius ipſa,
Ipſa adeò linguam non habet, & cerebrum:
Et riget, & ſurda eſt, & non uidet. omnia Rufi.
Vnum diſſimile eſt: mollior ille fuit.

# ELOQVENTIAE PROFESSORES NEGOTIOSI.

## Huius ſunt loci DISERTI & eloquentes

## PHILOSOPHI.

Si omnia à philoſophis eſſent petenda, ueteris ACADEMIÆ & PERIPATETICORVM inſtitutis commodiùs fingeretur oratio: quorum in doctrina atque præceptis, diſſerendi ratio coniungitur cum ſuauitate dicendi & copia. Quis enim uberior in dicendo Platone? Iouem ſic, ut aiunt philoſophi, ſi Græcè loquatur, loqui. Quis Ariſtotele neruoſior? Theophraſto dulcior? Lectitauiſſe Platonem ſtudioſè, audiuiſſe etiam Demoſthenes dicitur: idque apparet ex genere & granditate uerborum. Tamen philoſophica iſta dicendi conſuetudo nec perficere oratorem poteſt per ſeſe, nec ſine ea orator eſſe perfectus. Cic. in Bruto.

XENOPHON Grylli filius, Athenienſis, Socratis diſcipulus, tantum eloquentiæ uiribus potuit, ut Muſa Attica appellatus ſit. Extant adhuc Commentarij eius de Cyri inſtitutione, ſed & de Expeditione Cyri: qui licet argumenti ratione hiſtorici ſint, at elocutionis reſpectu ſunt oratorij, & propter omnigenæ philoſophiæ intermixtos floſculos, philoſophici. Nempe philoſophica elegantia non aliunde, quàm ex rhetorices & poëtices & philoſophiæ ſobria permiſtione prouenit.

PLATONIS eloquentiam apes, quæ eius labris, dum infans eſſet, inſederunt, teſtatæ ſunt: experta deinde fuit Academia: Nos etiam ex illius ſcriptis eandem colligimus. Adeò ut non propter res tantùm, ſed etiam propter uerba θείου nomen meruerit. De eo ſic Timon cecinit, referente Laërtio:

τῶν πάντων δ' ἡγεῖτο πλατύστατος, ἀλλ' ἀγορητὴς
ἡδυεπής, τέττιξιν ἰσογράφος, οἵθ' ἑκαδήμου
δένδρει ἐφεζόμενοι ὄπα λειριόεσσαν ἱεῖσι. id eſt,

Cunctos anteibat latiſſimus ille, ſuauis
Orator, cuius non cedunt ſcripta cicadis,
Quæ ſuper arboribus reſident lucis in opacis.
Ac mittunt uocem modulato gutture amœnam.

Eraſmus in Adagiis.

ARISTOTELES à præceptore non ſcientiam ſolùm, uerum etiam eloquentiam hauſiſſe uidetur: ut quamuis eo genere docendi non utatur, quo Plato, (ille enim Dialogico genere, quod omnis generis ornamenta admittit, hic uerò εἰρημένῳ λόγῳ, continuata orationis ſerie philoſophatur) tamen eloquentiæ ſuæ non obſcura dat indicia: ut Cicero eloquentium princeps, aureum Ariſtotelis flumen appellare non uereatur. Antipater ſcribit de eo, iam defuncto, inter cæteras uirtutes etiam facultate præditum eum fuiſſe flectendi quò uellet animos. Plut. in Catone.

TYRTAMVS ex Ereſſo Lesbi ciuitate, Ariſtotelis diſcipulus, Theophraſtus ob eloquij ſuauitatem dictus eſt. Laërtius in eius uita. Nam cùm Ariſtoteles diſcipulos ſuos omnes eloquentes fecerit: tum uerò Theophraſtum eloquẽtiſſimum. Strabo libro 13.

LYCON ex Troade Stratonis diſcipulus, è Theophraſti ſchola, quàm eloquens ac diſertus fuerit, uel ipſum nomen demonſtrat, quòd addita litera G, Glycon ſit nominatus. Laërtius.

DEMETRIVS Phalereus eruditiſſimus fuit & eloquentiſſimus, qui magis delectauit Athenienſes, quàm inflammauit: ut qui



ut qui non è militari tabernaculo, ſed è Theophraſti philoſophi umbraculis, in ſolem & puluerem proceſſiſſet. Primus inflexit orationem, & eam mollem teneramq; reddidit. Cicero in Bruto.

BEROSVS Aſtrologus, ob eloquentiam & inſignem ſapientiam ab Athenienſibus ſtatuam meruit, lingua deaurata. Plinius lib. 7. cap. 37.

CARNEADES Cyrenæus, nouæ princeps Academiæ, tantum eloquentia ſua ualuit, ut facilè dicendi uiribus, de qualibet re quoſuis in ſuam traheret ſententiam. Ideoq; etiam Romam legatus miſſus ab Athenienſibus, unà cum Diogene Stoico & Critolao Peripatetico, ſuſpectam fecit Romanis legationem: dicente M. Catone in ſenatu, Ab eo uiro cauendum eſſe, qui ob eloquentiam & diſſerendi facultatem facilè, quæcunque uellet, impetrare poſſet. Volaterranus libro 14. capite 2. Anthrop. Quintilianus uerò libro duodecimo, capite primo ait, eum Romæ, audiente Cenſorio Catone, non minoribus uiribus contra iuſtitiam dixiſſe, quàm pridie pro iuſticia diſſeruerat. De eiuſdem eloquentia ſcribit Gellius libro ſeptimo, capite 14. & Crinitus libro 22. capite 4. de Honeſt. diſcip.

CARNEADES, alter philoſophus Athenienſis, Anaxagoræ diſcipulus, ſophiſta inſignis, & philoſophi ſententiam & oratoris uehementiam, in dicendo retinuit, teſte Philoſtrato.

STILPO Megarenſis, ex Euclidis ſectatorum familia, inuentione & eloquentia ſuperabat omnes alios intantum, ut omnis Græcia eum coleret, ſuſpiceret & admiraretur, atque adeò μεγαρίζειν diceretur. Laert. lib. 2.

HERACLIDES Ponticus in omni orationis genere uarius, & dictione diſtinctus, maximam habuit uim capiendi animos & oblectandi. Laert. lib. 5.

ANTISTHENES Athenienſis inter omnes Socraticos acutiſſimus fuit, & ex ſuauitate colloquij quemlibet capiebat atq; ducebat. Laert. lib. 5.

BION Boryſthenites primus philoſophiam uario orationis flore ueſtiuit, teſte Eratoſthene apud Laert. lib. 4.

ARCESILAO Pitanæo magna inerat in diſſerendo facilitas atque πειθώ, ita ut plurimi ad eum audiendum confluerent, quamuis immodico acumine illius offenderentur. Ibidem.

ANAXIMENES Lampſacenus, diſcipulus Diogenis Cynici & Zoili Amphipolitani grammatici, præceptor Alexandri Magni, patriam hoc dolo ab obſidione Alexandri liberauit. Cùm audiret rex, eum pro patriæ interceſſione ſe acceſſurum, contrarium omne, quod petiturus foret, ſe facturum eſſe iurarat. Id Anaximenes cùm percepiſſet, à rege patrię & incolarum exciſionem petiit. Rex iureiurando obſtrictus, uel inuitus Lampſacenis pepercit. Suidas.

CALLISTHENES philoſophus, Alexandro comes additus pro Ariſtotele. Inter pocula iuſſus Macedonas laudare, tam profluenti oratione hoc tractauit argumentum, ut exilientes ei plauderent, & coronas ingererent. Alexander uerò ibi dixit ei,

-- Qui dictionis nactus eſt
Campum bonum, haud ægrè fit iſthic eloquens.

At oſtende facultatẽ tuã uituperandis Macedonibus, quò emendentur, auditis delictis ſuis. Ita ad retractãda ille priora uerſus, multa in Macedonas magna libertatè diſſeruit, Græcorumq; diſſenſionem demonſtrauit, cauſam fuiſſe Philippi incrementi & potentiæ,

Diſſidio in populi capit & ſceleratus honorem.

Acerbã inde inuidiam in eum & grauem concepêre Macedones: ac dixit Alexander, non eloquentiæ ſuæ Calliſthenem, ſed maleuolentiæ dediſſe Macedonibus documentum. Calliſthenes animum ab ſe alienatum regis cùm percepiſſet: digrediens, bis aut ter ad ſeipſum dixit, ἔθανε καὶ Πάτροκλος ὅπερ σέο πολλὸν ἀμείνων. Non abſurdè igitur dixiſſe apparet Ariſtotelem (ex cuius conſobrina Hero editus, ab illo educatus fuerat) facundum eſſe & magnum in dicendo Calliſthenem, uerùm mentem non habere. Plutarchus in Alexandro.

## THEOLOGI.

*Exempla ex Titulo Doctorum Eccleſiaſticorum petantur. Vtitur certè Spiritus ſanctus ſua quoque Rhetorica, non phalerata illa, & præter elegantiam uerborum nihil in ſe ſucci continente: ſed ſolida, & ex rerum æternarum fontibus deducta: cui non uериſimilitudo, ſed ueritas immutabilis propoſita eſt. Nam cùm omnes creaturæ in ſuo quæque genere excellentiſſimæ, Deum laudare debeant, quidni etiam artes Rationis & Orationis, gloriæ Dei primaria inſtrumenta cenſeantur?*

APOSTOLI non armis, ſed eloquentia à Spiritu ſancto cœlitùs infuſa, totum orbem ſubegerunt, & in Chriſti uerba iurarę coegerunt. Itaque Petrus in die Pentecoſtes tria millia conuertit: alia quoque uice quinque millia. Habet enim Spiritus ſanctus quoq; ſuam rhetoricam.

## HISTORICI.

*Conſule Tit. Hiſtoricorum, quatenus hiſtorias eleganter ſcribunt.*

XENOPHON Athenienſis, Cyri pædiam tanta ſcripſit facundia, ut non hiſtoriam, ſed regni ſanctiſſimi ideam deſcripſiſſe uideatur. Neque enim Cyrus ille talis fuit, ſi Platoni credimus, idipſum in Legibus ſtatuenti, à M. demùm Tullio confirmatum in epiſtola ad Q. fratrem. Sed ſingularis facundiæ philoſophus, effigiem quandam iuſti imperij conceperat animo, & eminentiſſimi principis: quæ ſummam grauitatem cum ſingulari comitate coniungeret. Hanc ille ſub perſona Perſici regis exprimendam potiſſimùm cenſuit. Adeoque ſcopum attigiſſe uiſus eſt, aut ſcopi umbilicum uerius: ut Africanum Scipionem, quanquam ſpolio ex tertia orbis parte rapto, celeberrimum, non temerè legamus eum librum de manibus ponere ſolitum. Cęlius libro 8. A. L. cap. 1.

THVCYDIDES Olori F. Athenienſis, genus ſuum ab Miltiade ducens, exul bellum Peloponneſiacum ſcripſit. Cælius libro 3. cap. 19. A. L.

HERODOTVS hiſtoriam Muſarum nomine, ſingulari eloquentia ſcripſit, & in Græcorum panegyri Olympiæ, maximo cum applauſu recitauit.

C. IVL. Cæſar, teſte Cicerone quantũuis hoſte, Commentarios ſcripſit ualde quidem probandos: nudi ſunt, recti & uenuſti, omni ornatu orationis tanquam ueſte detracta. Sed dum uoluit alios paratam habere, unde ſumerent, qui ſcribere uellent hiſtoriam, ineptis gradum fortaſſe fecit, qui illa uellent calamiſtris inurere: ſanos quidem homines à ſcribendo deterruit. Eoſdem libros, ſcriptor Cæſaris laudum (ut fama fert) Iulius Celſus, ut Suetonio uidetur, Hircius, ita commendat: Difficillimam rem ſuſcepi, Cæſaris noſtri Commentarios rerum geſtarum Galliæ. Nec multò pòſt: Quos utinam, qui legerint, ſcire poſſint quàm inuitus cœperim ſcribendos, quò faciliùs caream ſtulticiæ atque arrogantiæ crimine, qui me mediis interpoſuerim Cęſaris ſcriptis. Conſtat enim inter omnes, nihil tam operosè ab aliis eſſe profectum, quod non horum elegantia ſuperetur: qui ſunt editi, ne ſcientia tantarum rerum ſcriptoribus deſit: adeoque probantur omnium iudicio, ut prærepta, non præbita facultas ſcriptoribus uideatur. Cuius tamen noſtra maior quàm reliquorum eſt admiratio. Cæteri enim quàm bene quamq; emendatè, nos etiam quàm facilè atq; celeriter eos perfecerit, ſcimus. Hæc ille.

## MECHANICI.

*Quemadmodum oratio Mechanicis artibus non per ſe, ſed per accidens, quatenus homini ab homine communicantur, inſeruit, ita etiam orationis ars. Quòd ſi Philoſophia non dedignatur cauſa publicæ utilitatis ſua theoremata mechanicorum uſibus ueluti elocare, quidni etiam Rhetorica, quæ Philoſophiæ famula eſt? Sic quoque Sol mundi oculus non excelſa tantum regum palatia, ſed & humiles paſtorum caſas ſuis radiis luſtrat.*

Athenis, cùm aliquando de architectis duobus, uter ad opus publicum eſſet conducendum præſtantior, quæreretur: ALTER diſertus & feſtiuus oratione habita, quam commentatus erat de opere efficiendo, permouit populum. Alter, qui arte quidem excellebat, ſed erat infans, in medium progreſſus: Athenienſes, inquit, ſicut hic dixit, ſic ego faciam. Plut. in præceptis Politicis. De eo ſic ſcribit Valerius libro octauo, capite decimotertio. PHILO architectus armamentarium Athenis ſumma arte & elegantia extruxit: nec minore facundia rationem inſtituti ſui populo reddidit, ut diſertiſſimus populus non minùs eloquentiam quàm opus illius, fuerit admiratus.

PETRVS Rex, textor pannorum, Brugenſis, homo plebeius, puſillo corpore, cocles, ſexagenarius, Flandrorum plebem in ſocietatem rebellionis contra Philippum Pulcrum Gallorum regem eloquentia ſua pertraxit, & in acie Curacenſi, equeſtri dignitate à Guidone comite Flandriæ ornatus fuit. Ioannes Villanus libro octauo, capite quinquageſimo quarto Hiſtoriarum.

## ΠΟΛΙΤΙΚΟΙ, ΔΗΜΑΓΩΓΟΙ, ORATORES, VIRI IN REPVBLICA ADminiſtranda illuſtres ſimul & diſerti.

*Cicero Oratorem definit eſſe uirum bonum, dicendi peritum. Vir bonus idem eſt, qui & iuſtus. Iuſtitia uirtus eſt ethica, & in conuerſatione quotidiana locum habet. Proinde Orator ille erit, qui πολιτικὸς Græcis dicitur. Πολιτικὸς enim in Repub.*

*adminiſtranda uerſatur, & utroq; tempore, belli ſimul & pacis, ea, quæ ad utilitatẽ publicã facere poſſunt, inuenire, & oratione explicare poteſt conueniente. Conuenientem appello, reſpectu eorum, quibus conſilia ſua proponit. Qui quidem ſi omnes philoſophi eſſent, & ueritatẽ ſimplicem uel aſſequi, uel approbare poſſent, Rhetorica opus non eſſet. Nunc uerò quia maior pars ciuium imprudẽs & imperita eſt, Politici erit, & ea, quæ bona ſunt, ſuadere, & mala diſſuadere. Πολιτικοὶ igitur à materia ſubiecta nomen ſuum traxerunt, quoniam in ciuitatis negociis occupantur. Oratores ab ipſa oratione, ut & Rhetores ἀπὸ τοῦ ἐρέσθαι. Et nomen quidem Oratoris latiùs patet, quàm nomen Politici: definitio uerò eadem eſt. Eoq; factum, ut quidam hanc definitionem tanquam impropriam reprehendere fuerint auſi. Nihil enim ad Oratoris naturam, quatenus Orator, conducit, ut uir bonus ſit, uel malus: modò ea adhibeat, quæ ad perſuadendum facere poſſunt. Accidit eloquentiæ, ut interdum uiri boni, ueri ſcilicet Politici & Oratores, interdum uiri improbi, quos δημαγωγοὺς Ariſtot. in Politicis uocat, ea utantur. Iiſdem pharmacis & Medicus ſanat, & Veneficus interficit: Iiſdem locis ad perſuadendum, eadem facultate dicendi & πολιτικὸς Remp. erigit, & δημαγωγὸς ſubuertit. Nunc ad exempla, & πολιτικῶν propriè dictorum, & δημαγωγῶν accedamus: cùm habitu eloquentiæ per ſe non diſtinguantur, ſed ex adiuncta uirtute uel improbitate ethica. Δημαγωγοὶ enim Oratores atque Rhetores dici poſſunt, ſi ſpectes artem eloquentiæ: ſi uerò inſtitutum, Κόλακες & Adulatores populi. Eſt enim adulator is, qui priuatæ utilitatis cauſa ad gratiam omnia facit & loquitur. In Democratiis certè hoc genus hominum plurimum ſemper potuit: id quod ex Romana & Athenienſi Repub. manifeſtè conſtat. Exempla plura ex Tit. Eloquentum. item, Eloquentiæ uires: item, Aſtutiæ in occupanda tyrannide, mutuari poterunt: quinetiam ex Tit. Rhetorum, quatenus ipſi etiam eloquentiæ profeſſores interdum in concionem populi prodeunt, & cauſas agunt publicas.*

Homerus NESTOREM Pylium in Iliade ſua eloquentiæ nomine commendat, & in eo ideam nobis proponit oratoris, inquiens:

--- τοῖσι δὲ Νέστωρ
ἡδυεπὴς ἀνόρουσε, λιγὺς Πυλίων ἀγορητής,
τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή,
τῷ δ᾽ ἤδη δύο μὲν γενεαὶ μερόπων ἀνθρώπων
ἐφθίαθ᾽ οἵ οἱ πρόσθεν ἅμα τράφεν ἠδ᾽ ἐγένοντο
ἐν Πύλῳ ἠγαθέῃ, μετὰ δὲ τριτάτοισιν ἄνασσεν.

ἡδυεπὴς, ſi Elocutionem ſpectes: λιγὺς, ſi pronunciationem: in quibus cùm eloquentia potiſſimùm conſiſtat, ſtatim infert, melle dulciorem ex eius ore fluxiſſe orationem. Inuentio & diſpoſitio rerum ſunt propriæ: rerum cognitio, de quibus orator politicus tractat, in prudentem hominem cadit: prudentia, uſu & exercitatione acquiritur, quæ in ſenibus maximè reperitur. Eapropter commendat ſtatim Neſtorem ab ætate, quòd ſcilicet tres iam hominum ætates uixerit. Quo ipſo auctoritas & prudentia eiuſdem nobis inſinuantur. Propterea ſubnectit ſtatim,

ὅ σφιν ἐυφρονέων ἀγορήσατο καὶ μετέειπεν.

Oportet enim oratorem ἐυφρονεῖν, hoc eſt, auctoritatem apud populum habere, & præconceptam iam in animis hominum uirtutis & beneuolentiæ opinionem, aut certè πίστεις ἠθικὰς adhibere cogetur, quibus mores ſuos commendet. Alter orator apud Homerum VLYSSES eſt, uerùm minore auctoritate & experientia, & propterea regum contentionibus, Achillis ſcilicet & Agamemnonis, non adhibetur à poeta: quia non eloquentia tantùm opus erat, ſed etiam auctoritate & prudentia, quæ in Neſtore maiora erant, quam in Vlyſſe. Iam uerò Iliados β. in retrahendis Grecis à fuga introducit primùm Vlyſſem δημαγωγὸν, qui popularem gratiam captat, & ſummopere cauet, ne quid populo minus gratum dicat. Eapropter eius orationi tota concio acclamat. Deinde uerò Neſtorem uirum bonum, & ueritatis potiùs, quàm popularis gratię rationem habentem, qui abſq; phaleris id, quod res eſt, dicit: cuius prudentiam ſolus admiratur Agamemnon.

SOLON Salaminius, legiſlator Athenienſium, eloquentia ſua ad optimum Reip. ſtatum Atheniẽſes deduxit: & uerus politicus fuit, cùm Reip. commoda, non priuatam utilitatem quæreret. Cum quo è diametro pugnabat Piſiſtratus. Solet enim ferè natura extrema extremis opponere, ſummis uirtutibus ſumma uitia.

PISISTRATVS eloquentia ſua Athenienſi populo perſuaſit, ut præſidium militum ſibi concederet contra inimicorum inſidias. Eo accepto, tyrannidem inuaſit. Potuit certè plus facundia ſua in Repub. euertenda, quàm Solon in eadem conſeruanda.

PERICLES Xanthippi & Agariſtes F. uitæ politicæ congruentem dicendi facultatem uelut organum inſtruens, paſſim Anaxagoram explicabat, rationes phyſicas facultati dicendi uelut tincturæ ſuffundens. Cùm enim altam illam mentem atque omnium efficientem, ut Plato in Phœdro ait, ex naturali diſciplina ad præclaram indolem ſuam adiunxiſſet, & quod eſſet ex uſu, ad artificium dicendi accommodaſſet, longè antecelluit omnes. Vnde cognomen eum memorant Olympij inueniſſe: quamuis nonnulli à monumentis, quibus exornauit urbem, alij à potentia, quam domi militiæque habuit, eo nomine arbitrantur inſignitum. At comœdiæ, quòd qui ea tempeſtate docebant eas, & ſerias & ridiculas uoces in eum multas eiacularentur, traxiſſe ex ui dicendi eum oſtendunt hoc cognomen. Tonare enim & fulminare concionantem, & uehemens eum in lingua fulmen dicebant gerere. Thucydides Mileſius, qui diu Periclis in repub. aduerſarius fuit, cùm requireret ex eo Lacedæmoniorum rex Archidamus, ipſe an Pericles melior lucta eſſet? Vbi ego, inquit, luctando eum proſtraui, ille refellens perſuadet ſe non cecidiſſe, atque in eam traducit ſpectatores opinionem. Cùm ad concionandum accederet, ſemper precabatur deos, ne ullum uerbum, quod ad rem præſentem non conueniret, inuito excideret ſibi. Plut. in Pericle, & in præcept. Politic. De eo Eupolis comicus in comœdia cui titulus Δῆμοι, ſic ſcribit:

Κράτιστος οὗτος ἐγένετ᾽ ἀνθρώπων λέγειν,
Ὁπότε παρέλθοι, ὥσπερ οἱ ἀγαθοὶ δρομεῖς
Ἐκ δεκάποδος ᾕρει λέγων τοὺς ῥήτορας.
Ταχὺς λέγειν μέν, πρὸς δ᾽ αὐτοῦ τῷ τάχει
Πειθώ τις ἐπεκάθιζεν ἐν τοῖς χείλεσιν. id eſt:
Hic inter homines plurimum unus polluit
Dicendo, quoties præteribat, uti bonus
Agiliſq; curſor, ſedecim ſpacio pedum
Linquebat à ſe cæteros iam rhetores.
Sermone celer erat, celeritati aderat huic
Suadela quædam illius inſidens labris.

Hos uerſus & Ariſtophanes adducit in Acharnenſibus, adiunctis his duobus:

Οὕτως ἐκήλει, καὶ μόνος τῶν ῥητόρων
Τὸ κέντρον ἐγκατέλιπε τοῖς ἀκροωμένοις. id eſt:
Adeò mouebat, atq; ſolus rhetorum
Aculeum in animis liquit audientium.

Eiuſdem immodicam eloquentiam idem taxauit in eadem comœdia:

Ἐντεῦθεν ὀργῇ Περικλέης οὑλύμπιος
Ἤστραπτ᾽, ἐβρόντα, ξυνεκύκα τὴν Ἑλλάδα. id eſt:
Pericles at indignatus hinc Olympius,
Tonat, coruſcat, miſcet omnem Græciam.

M. Tullius in Bruto, deam Suadã Ennio dictam, ſiue Suadelam, hoc eſt, Lepôrem, in Periclis labris ſeſſitauiſſe, ex Eupolide refert. Eraſmus in Adagiis, & Cælius lib. 25. cap. 3.

Ex oratoribus familiaribus Periclis, per quos omnia transfigebat, unus fuit EPHIALTES, qui ſenatus Areopagi fregit potentiam, ciuibuſq; affatim, ut ait Plato de Repub. libro octauo, meram propinauit libertatem: qua equi luxuriantis more, Comici dictitant poſtea deſiſſe populum audire principes, & mordere Eubœam cœpiſſe, & in inſulas inſultare. Plutarchus in Pericle.

ALCIBIADES non perinde impotens concionator, uerùm ſicut Aegyptiorum tellus ubertate dicitur edere ſimul

Φάρμακα πολλὰ μεμιγμένα ἐσθλὰ καὶ λυγρά:

ita in partem utramque exuberans Alcibiadis ingenium & excellens, ad res multas nouas aperuit feneſtram. Plutarchus in Nicia.

THERAMENES Athenienſis, Agnonis F. Prodici Ceij diſcipulus, in repub. uerſatus, Iſocratis magiſter: cum alia multa, tum duo indigniſſima facinora edidit. Nam & duces, qui ad Arginuſas pugnarant, in carcerem coniecit: & oppreſſa libertate, XXX tyrannos Athenis conſtituit. Ab ipſis XXX eſt interfectus, Critia accuſatore. Quidam dicunt, ab ara, ad quam confugiſſet, auulſum fuiſſe. Hunc ob uerſatile ingenium, Cothurnum cognominabant: cùm aduerſariorum in Repub. utrique factioni ſe adiungeret, tempori ſeruiens, & priuatam utilitatem fidei anteponens. Tria decreta pœnalia fecit: aut in tabula proſcribi, aut cicutam bibere, aut exulare oportere. Suidas.

ARISTOGITONIS ſycophantæ Athenienſis conciones nihil non Martium ſpirantes, & de bellicis rebus bellicum quodammodo canentes, populum in diſcrimina ſæpè maxima coniecêre, quum alioqui mollis ipſe foret. Die quadam delectum haberi audiens, ſimulata ualetudine crus obligat, ac baculo innixus, uelut grauiter uulneratus, ſe in publicum proripit. Eum elonginquò conſpicatus Phocion, ex uultu Aethiopem agnoſcens, uociferans, inquit: Scribe Ariſtogitonem claudum, & eundem improbum ac mendacem. Cælius lib. 25. cap. 10. ex Plutarcho.

Oratio PHOCIONIS utilibus ſententiis & conſiliis ſalubris fuit, coniuncta cum imperioſa, auſtera, & triſti breuitate. Quippe, ut Zeno ait, mente tinctum proferre philoſophum ſermonem debere: ita habuit Phocionis oratio



plurimum ſententiæ in conciſa dictione. Proinde Sphettius Polyeuctus dicebat, oratorem eſſe Demoſthenem optimũ, ſed in dicendo acutiſſimum Phocionem. Quomodo enim habet monetæ æſtimatio, exigua in mole maximum ualorem, ſic huius orationis uim cenſebat uerbis paucis multa ſignificare. Ferunt Phocionem aliquando completo theatro ſub ſcena inambulaſſe cogitabundum, & cùm amicus quidam diceret, Videris aliquid Phocion tecum meditari: Sanè uerò, inquit, meditor, an quid de oratione, quam habiturus ſum ad populum, queam reſecare. Demoſthenes magnoperè contemnebat cæteros oratores: at cùm ad dicendum Phocion ſurgeret, ſolebat ad amicos dicere ſummiſſe: τῶν ἐμῶν λόγων κοπὶς πάρεστι, orationum mearum ſecuris adeſt. Plut. in Phocione.

EPAMINONDAS tam fuit diſertus, ut nemo Thebanus par eſſet eloquentia: neque minus concinnus in breuitate reſpondendi, quàm in perpetua oratione ornatus. Maximè eius eloquentia eluxit Spartæ: quò cùm omnium ſociorum conueniſſent legati, coram frequentiſſimo legationum conuentu ſic Lacedæmoniorum tyrannidem coarguit, ut non minus illa oratione opes eorum concuſſerit, quàm Leuctrica pugna. Tum enim perfecit, quod pòſt apparuit; ut auxilio ſociorum Lacedæmonij priuarentur. Probus in Epaminonda.

Decem antiquos RHETORES ſimul Athenis ætas una tulit. Antiphontem cognomento Neſtorem, Andocidem, Lyſiam, Iſocratem (quem inter Rhetoras potiùs quàm Politicos referas) Iſæum, Aeſchinem, Lycurgum, Demoſthenem, Hyperidem, & Dinarchum, quem hordeaceum Demoſthenem nuncuparunt, quia inflatus ac leuis eſſet. Horum decem uitas poſteris reliquit Plutarchus. De eorum dicendi charactere Hermogenes περὶ τοῦ πολιτικοῦ λόγου. Cicero libro de claris oratoribus. Quintilianus libro decimo. Brodæus in Epigrammatis. Rempub. Athenienſium oratores contra Philippum & Alexandrum reges Macedonum, inflammarunt, inquit Plutarchus in Phocione, Demoſthenes, Hyperides, Lycurgus, Charidemus, Demades, Leoſthenes. Quorum improbitati obſiſtere uoluit magis quàm potuit, Phocion. Suidas inquit, Antipater, ſuſcepto Macedoniæ regno, à Græcis Lamiæ in Theſſalia obſeſſus, Aetolis primùm, deinde cæteris digreſſis, euaſit, ac uictor, decem Oratores poſtulauit, quos ei dediderunt, Athenienſes: Demoſthenem, Hyperidem, Lycurgum, Polyeuctum, Ephialtẽ, Thraſybulum, Charetem, Charidemum, Diotimum, Patroclum, Caſſandrum. Diſcrepat ergo Suidas à Plutarcho in decem Oratorum nominibus.

ANTIPHON patrem habuit Sophilum, populo Ramnuſius fuit. Hic cùm patris fuiſſet auditor (nam fuit ille ſophiſtes, cuius ludum etiam Alcibiadem aiunt puerum adhuc frequentaſſe) facultateque dicendi natiua præditus, contulit ſe ad rempub. ludumque aperuit: ab Socrate philoſopho in diſputationibus diſſentiebat, ueritatis inquirendæ gratia. Scripſit orationes quaſdam ciuibus, qui id ab eo contenderunt: ad certamina forenſia primus, qui ei rei ſe dedit. Ex iis certè, hunc qui anteceſſerunt, nullius extat iudicialis oratio: ſed nec ex coætiis ei. Primus artificium rhetoricum, ingenio acuto præditus, uulgauit. Vnde eſt Neſtor dictus. Vixit bello Perſico, & Gorgiæ ſophiſtæ fuit æqualis, ætate tamen inferior: perueniitque ad illud temporis, quo reipubl. popularis ſtatus eſt à quadringentis tyrannis diſſolutus: ad quod moliendum hunc apparet adiutorem fuiſſe: qui modò duas triremes armauit, modò exercitum duxit, multis præliis uictoriam retulit, ſocios illis multos conciliauit, iuuentutem in arma coegit, triremes compleuit LX. Legatus, quando muniebatur Etionia, ad Lacedæmonios fuit. Oppreſſis quadringẽtis tyrannis poſtulatus cum Archeptolemo uno ex quadringentis & damnatus eſt, ſuppliciumque de eo ut proditore ſumtum, atque inhumatus eſt proiectus, & cum ſtirpe ſua, infamia notatus. Alij tradũt, legatum Syracuſas nauigaſſe, quo tempore Dionyſij maioris dominatio uigebat. Cùm autem incidiſſet quęſtio, quod optimum æs foret, inter multorum diſſenſiones eſſe illud eum oſtendiſſe optimum, ex quo Harmodij & Ariſtogitonis ſtatuæ factæ eſſent. Quo audito, ſuſpicantem Dionyſium id dictum cohortationem eſſe ad conſpirandum in ſe, præcepiſſe, ut hic de medio tolleretur. Alij, quòd tragœdias ſuas carpſiſſet, inflammatum. Plut. in uita eius.

ANDOCIDES patre fuit Leogora, qui pacem quondam inter Athenienſes & Lacedæmonios pepegerat, nobili genere natus, ex Mercurij ſtirpe. Ad eum enim uſque, caduceatorum gens ad Aethalidem genus ſuum referens, pertinet. Ieiunus eſt & incomtus in orationibus facilisque, & figuris caret. Floruit Socratis philoſophi tempore. dies eius natalis incidit in LXXVIII. Olympiadem. Ita inferior hoc Lyſias fuit circiter centum annis. Plutarchus in uita Andocidis.

LYSIAS Cephali Syracuſani, qui Athenas Periclis ſuaſu commigrarat, F. à XXX tyrannis proſcriptus, inde rurſus cum Thraſybulo reuerſus, uixit annos 83. & adoleſcentem uidit Demoſthenem. Vulgatæ ſunt orationes eius quadringentæ uiginti quinque: ex quibus germanas eius eſſe referunt Dionyſius & Cecilius ducentas triginta: nec niſi in duabus offendiſſe dicitur. Fuit facundiſſimus ac ſuccinctiſſimus, uulgauitque populo & plebi orationes ſuas. Scripſit etiam de arte rhetorica, conciones, epiſtolas, laudationes, orationes funebres & amatorias, Socratis defenſionem, quam in iudices direxit. Videtur eſſe, ſi dictionem eius reſpicias, facilis: cùm eum tamen non quiuis facilè imitetur. Plutarch. Puritate dictionis neminem habuit imitatorem, præter Iſocratem. Suidas. Cicero in Bruto de ipſius ſtylo ſic ait: Lyſias gracile dicendi genus ſectatus eſt, quanquam in eo ſunt lacerti ſic, ut fieri nihil poſſit ualentius: ueruntamen eſt genere totò ſtrictior. Habet tamen ſuos laudatores, qui hac ipſa ſubtilitate delectentur. Eius tamen mentionem facit in libro de Finibus, & Quintilianus libro 10. capite 1. Phauorinus dicere ſolebat, ſi ex Platonis oratione uerbum aliquod demas, mutéſue, atque id commodiſſimè facias, de elegantia tantùm detraxeris: ſi ex Lyſia, de ſententia. Gellius libro ſecundo, capite quinto.

ISÆVS genere fuit Chalcidenſis. Hic cùm Athenas ſe contuliſſet, in dictionum ſtructura & rerum ſolertia operam Lyſiæ dedit: ut niſi admodum peritus horum formæ ſis, utrius horum orationes ſint, haud facilè diſcernas. Floruit poſt bellum Peloponneſiacum, pertinuitque ad Philippi regnum. Is etiam Iſæus docuit Demoſthenem ab otio auocatum, decem millium drachmarum mercede. Vnde uel maximè inclaruit. Hic etiam orationes aduerſus tutores, ut quidam uolunt, ſcripſit Demoſtheni. Reliquit orationes ſexagintaquatuor: quarum tamen ſunt ueræ eius quinquaginta tantùm. Primus conformare cœpit & conuertere ad genus dicendi politicum, mentem, quod potiſſimùm Demoſthenes adumbrauit. Plut. in uita Iſæi.

LYCVRGVS, patre genitus Lycophrone Lycurgi filio, quem triginta tyranni necauerunt; populo Butades fuit, genere Eteobutadarum: auditor Platonis, initiò philoſophię operam dedit. Inde Iſocratis oratoris aſſecla cùm fuiſſet, rempub. magna cum gloria dicendo & agendo tractauit, & uerò etiam adminiſtrationi ærarij præfectus, urbi & comprehendendis facinoroſis: quos in exilium omnes egit. Hinc dicebant ſophiſtæ nonnulli, Lycurgum non atramentum, ſed mortem illinere contra facinoroſos calamo, & ſic ſcribere. Quare cùm eum Alexander depopoſciſſet, non dedidit populus. Vir eſt moderatus, quàm diu uixit, habitus, in dicendoque commendatus: qui nulla in cauſa, quamuis multis accuſantibus, ſuccubuit. Inſtante fato, in Cereris matris fanum & curiam iuſſit ſe deferri, quòd uellet rationes reddere actionum ſuarum. Cùm accuſare nemo eum præter Meneſæchmum ſuſtineret, dilutis calumniis domum relatus, expirauit. Plutarchus in uita Lycurgi.

Demoſthenes gladiorum faber, Pæanienſis, DEMOSTHENEM oratorem ex Cleobule filium habuit. Cui pupillo tutores dati ſunt tres, Aphobus, Demophõ, Therippides. Qui cùm & ipſum & patrimonium eius negligerent, ipſe Iſęo ſe erudiendum tradidit. Eruditus, curatores, reos tutelę peregit. Rhetoricam docere cùm uellet, ab eo inſtituto receſſit, propter calumniam de Moſchi filio, nobili adoleſcente, ſubortam. Pòſt, orationes ſcribere aggreſſus, cùm ibi quoque crimini daretur, contrarias eum edere orationes Phormioni & Apollodoro: eo etiam ſtudio relicto, rempub. capeſſit. Quanquam autem balbus erat, & humerum indecorè mouebat, & imbecilli auditu, & ſpiritu infirmo: hæc tamen incommoda correxit omnia, exercitatione. Actionem & pronunciationem eius Andronicus excoluit. Functus eſt ædilitate, triremes inſtruxit, captiuos redemit, puellis elocandis adiumento fuit. In ædilitate à Midia uerberatus, ter mille drachmis, ut aiunt, placatus eſt. In gerenda Repub. Philippo eſt aduerſatus, eloquenter magis quàm fortiter. Fœderis cum Thebanis ineundi auctor fuit Athenienſibus, atque adeò cladis ad Chæroneam à Philippo acceptæ. Aduerſatus eſt etiam Philippi F. Alexandro. Cui quum Harpalus magna pecunia ſurrepta, ad Athenienſes confugiſſet: Demoſthenes, qui & ipſe partem accepiſſe putabatur, Trœzenem in exilium profugit. Alexandro Babylone mortuo, in patriam reuocatus eſt: ſed Antipater, ſuſcepto Græciæ principatu, decem Oratores ſibi dedi per legatos poſtulauit. Demoſthenes in Calauriam fugit, &, ne ab Archia Antipatri legato per uim ex Neptuni æde extraheretur, quæ aſylum erat, ueneno, quod ſub anuli pala habebat, exucto, mortuus eſt an. ętatis 82. cùm per 22. annos in Rep. uerſatus fuiſſet. Suidas. Hic eſt ille Demoſthenes, qui in artem contulit dicendi, quicquid ei uel natura uel exercitatio ſolertiæ & eruditionis tribuit. Transgreſſus eſt neruis & ui di-

cendi æquales ſuos, qui in iudiciis & foro uerſabantur: grauitate & ſplendore eos, qui demonſtratiuum genus & oſtentationi natum tractauerunt, argutia & arte ſophiſtas. Plutarchus in Vitis.

AESCHINES Athenienſis, Atrometi literatoris & Glaucotheæ, ſiue Leucotheæ ſacrificulæ filius, hiſtrio primùm, deinde ſcriba, poſt orator, diſcipulus Alcidamantis Eleatis. Cùm uiolatarum legum reum feciſſet Cteſiphontem, à quo corona Demoſtheni decreta erat, uictus Rhodum conceſſit, ibique docuit. Cùm cauſæ cuiuſdam aduocatus, iudices corrupiſſet, unà cum eis in carcerem coniectus, aconito hauſto interiit: eorumque res familiaris publicata eſt. Orator inſignis, dulcis, remiſſus, & facetè pronuncians, Dorica Atticis moribus commiſcuit, extemporalemq; orationem cum copia primus inueniendo, magnam laudem adeptus eſt. Nam in procinctu dicere (rem antea intentatam) dono quodam diuino adflatus uidebatur. Auditor & Platonis & Iſocratis, longè plura ex ſuo ingenio adduxit. Nam & perſpicuitatem in dicendo retinuit, molliciemque & ornatum, & ſimul cum grauitate iucunditatem, & in totum, forma eius orationis melior, quàm ut imitatione ſubigi poſſit. Philoſtratus in Sophiſtis, & Suidas, & Volaterranus libro decimo tertio, capite tertio, Anthrop.

HYPERIDES Glaucippi oratoris, aut Pythoclis F. Athenienſis, unus è decem, diſcipulus Platonis & Iſocratis, bonus quidem orator euaſit, ſed uictus eſt à mulieribus. Præfertur à multis Demoſtheni: orationes eius legitimæ extant 52. Eum rex Antipater ex æde Cereris, quæ eſt Hermionæ, per Archiam eduxit, cognomento Phygadotheram, quaſi exulum uenatorem dicas: reſectaq; lingua interfecit. Filius eius Glaucippus oſſa in patrio monumento ſepeliit. Orationes ſcripſit quinquagintaſex. Suidas & Plut. in uitis Decem.

DINARCHVS Socratis uel Soſtrati, Corinthius, adoleſcens etiamnum, quo tempore Aſiam Alexander petierat, Athenas ſe contulit, collocatisq; ibi ſedibus audiuit Theophraſtum, qui Ariſtotelis ſcholam ſuſceperat. Conſuetudinem etiam cum Demetrio Phalereo habuit. Cùm clariſſimis oratoribus pugnauit: non in concionem prodeundo, quod facere dubitabat, ſed orationes aduerſariis eorum ſcribendo: ac, poſtquam effugit Harpalus, in eos, qui in crimen uocabantur captæ pecuniæ, orationes conſcripſit complures, quas accuſatoribus precio ſubminiſtrauit. Ob ſtudium Antipatri & Caſſandri proſcriptus, XV. annis Chalcide exulauit, & ingentem ex arte quæſtum fecit. Reuerſus Athenas, in hoſpitio publico aurum amiſit. Obiit Peloponneſi procurator ab Antipatro conſtitutus, Polyſperchontis inſidiis, poſt Antipatri obitum. Suidas.

DEMADES, Demeæ nautæ filius, nauta, & naupegus ipſe etiam, & portitor: hoc quæſtu relicto, ad Rempublicam ſe contulit, factus Demagogus, ut homo callidus & fortunatus. Iudicia euertit, & oratoria certamina. Proditionis nomine poſſeſſiones Bœoticas dono à Philippo accepit. Demoſtheni Olynthios defendenti refragatus, Euthynatem Olynthium ignominia notatum, decreto reſtituit in integrum & Athenienſium procuratorem effecit. Cùm geſti magiſtratus rationes referens, exploſus eſſet, peregrè abiit. Neque ipſi ueſtri iuris (inquit) eſtis, & iuris in me nihil habetis. Scribebat autem Philippo, & filium ad eum mittebat: alebat equos, uictor Olympiæ. Decreta etiam fecit, ut Græci Philippo parerent. Ad Chæroneam captus, dimiſſus eſt: & legatus, captiuos à Philippo impetrauit. Bis eſt uiolatarum legum reus peractus. Suidas. Cùm ad Macedonum & Antipatri nutum rempubl. gerens, multas leges rogare, multaque dicere cogeretur, præter ciuitatis dignitatem & morem: ignoſcendum dicebat ſibi eſſe, quòd naufragia ciuitatis gubernaret. Reuerà autem erat ipſe naufragium reipub. qui ita inſolenter uixit, ut de illo diceret Antipater iam ſene, ex eo ſicut hoſtia immolata linguam modò & uentrem ſupereſſe. Addebat & illud, duos ſeſe Athenis amicos habere, Phocionem & Demadem: quorum hunc dando implere, illum ut quicquam caperet, inducere nequiret. Legatus miſſus ad Antipatrum iam animam agentem, à Caſſandro tribuno militum, quòd cum hoſtibus faceret, cum filio crudeliſſimè necatus fuit. Plutarchus in Phocione. Eum quidem omnes, ubi naturam ſuam ſequeretur, fatentur cæteris præfulſiſſe, ac ſuperatas ab eius extemporanea dictione Demoſthenis lucubrationes & apparatum. Plutarchus in Demoſthene.

DEMADES Laciades, Athenienſis, à ſuperiore Demade adoptatus, & demagogus, tibicina natus, pater Demeæ oratoris, ab Antipatro Caſſandri patre, Alexandri ſucceſſore, in lacum Amphipolitanum coniectus periit. Suidas.

EVBVLVS demagogus clariſſimus, diligens atq; induſtrius, cùm magnam pecuniam coegiſſet, eam Athenienſibus diſtribuit. Vnde factum, ut ciuitas illo gubernante ignauiſſima & deſidioſiſſima euaderet. Suidas.

NICOSTRATVS Macedonum orator, relatus eſt in numerum eorum, qui ſecundum à decem oratoribus locum tenuerunt, æqualis Ariſtidis & Dionis Chryſoſtomi, ſub M. Antonino Imp. Suidas.

Apud Romanos TRIBVNI plebis, ſeditioſiſſimi homines, non populari tantùm gratia, uerùm etiam eloquentia plerunque ualuerunt: ſi non uera illa & laudabili, at certè ea, quam populus cum plauſu exciperet & approbaret. Itaque factum, ut optimatibus politicis, plebeij δημαγωγοὶ opponerentur. Tales fuerunt TIBERIVS, & C. GRACCHI, & poſt Gracchos L. APVLEIVS Saturninus: quorum in Bruto Cicero mentionem facit. TIB. Graccho Agrariam legem proponenti diuites & locupletes ſeſe opponebant: uerùm nihil proficiebant: ſiquidem in præclaro argumento & iuſto decertans Tiberius facundia, qua ualebat redimire uel turpiores materias, uehemens erat & inexpugnabilis, cùm circumfuſa concione conſiſtens in Roſtris hoc modo ageret pauperum cauſam: Feras etiam Italiam incolentes luſtra habere & cubilia ſingulas ſtabulaque. Illis uerò, qui arma ferrent pro Italia, & ſanguinem profunderent, nihil præter aera & lucem concedi, ſed ſine tectis ſedibusque cum liberis & coniugibus uagari. Ludibrio haberi ab imperatoribus milites, cùm eos adhortantur in acie, ut pro aris & focis dimicent. Nemini enim in tanto numero ciuium uel aram paternam eſſe uel domum auitam: uerùm pro alienis deliciis opulentiaque belligerare & emori. Nominari orbis terræ dominos, qui ne glebam quidem, ubi pedem ponant in ſuo, habeant. Hæc uerba à magno animo & uero animi motu in populum demiſſa, quæ fanaticum eum & lymphatum reddebant, nemo ſuſtinebat aduerſariorum. Plutarchus.

C. GRACCHVS etiamnum iuuenis, uocaliſſimus erat, & firmiſſimis lateribus ad dicendum. Cùm amici cuiuſdam Veſtij rei cauſam defenderet, populo præ gaudio lymphato & bacchante, cùm eum audiret, oſtendit cæteros oratores nihilo pueris præſtare. Plut. in Caio.

Ennius CETHEGVM Suadæ medullã uocauit: ut quam deam Πειθὼ in Periclis labris Eupolis ſcripſit ſeſſitare, hui⁹ hic medullam Cethegum fuiſſe dixit. Cic. lib. 3. de Oratore.

M. CATO Cenſorius antequam Reipub. ſe daret, orationem ſicut alterum corpus & organum, non honeſtum modò, uerùm etiam neceſſarium uiro, qui non in obſcuro ſit neque in otio uicturus, continuo patrocinio eorum, qui operam ſuam requirebant, in finitimis uicis & oppidulis inſtruxit & aptauit. Ac primùm acris habitus eſt cauſarum actor, deinde orator inſignis: ita ut multi eum Demoſthenem togatum appellarint. Oratio moribus eius conueniens, lepida ſimul & grauis erat, iucunda & fulminans, faceta & auſtera, ſententioſa & acris: qualem Plato Socratem dicit, foris rudem, dicacem & mordacem uiſum conuenientibus, intus ſerij plenum fuiſſe, & rerum, quæ lacrymas excitent, & cor uerſarent auditorum. Sunt qui Catonis dictionem Lyſiæ orationi comparent potiſſimùm, ſed parum rectè. Plutarchus in Catone.

M. CRASSVS ex literarum ſtudio artem oratoriam, & eam, qua uti in publico poſſet, potiſſimùm eſt meditatus. Qui quanquàm eſſet inter Romanos eloquentiſſimus, ſedulitate tamen & labore ſuperauit ſummè ad eam artem factos. Nullam enim referunt cauſam fuiſſe adeò tenuem & leuẽ, ad quam imparatus accederet: ſed Pompeio frequenter & Cæſare recuſante dicere, ac Cicerone, ille abſoluebat defenſionem. Qua de cauſa imprimis gratus fuit, tanquam ſolicitus, & ad ſuccurrendum promtus. Plut. in Craſſo.

Cùm Cn. Manlius, homo ſumma temeritate, pernicioſiſſimas leges ferre uellet, ut libertinis in omnib. tribubus adſcribi & ſuffragari liceret, CN. DOMITIVS prætor eloquentiſſimus, hominem importunum luculentiſſima oratione adeò confregit, ut ſublata rogatione turpiſſimè deſtiterit. Alexander ab Alex. lib. 1. cap. 17.

M. DRVSVS grauis orator fuit, cùm de Repub. diceret M. OCTAVIVS Cn. F. legem Semproniam ſtrumentariam populi frequentis ſuffragiis abrogauit. Cic. in Bruto.

L. TORQVATVS, non tam rhetor quàm πολιτικὸς fuit. Erant in eo plurimæ literæ, interiores quædam & reconditæ, diuina memoria, ſumma uerborum & grauitas & elegantia. Idem.

M. ANTONIVS Triumuir, Antonij Critici F. M. Antonij oratoris nepos, in Græcia facultatem dicendi excoluit. Secutus eſt Aſiaticum dicendi genus, quod ea tempeſtate maximè florebat, oppidò moribus ſuis congruens inſolentibus, elatis, inaniſque iactantiæ & inconſtantis ambitionis plenis. Plutarchus in Antonio.

LVCVLLVS eloquens ualde fuit, atque utraque lingua exercitatus. Itaque rerum ſuarum geſtarum commentarios ab ſe ſcriptos Lucullo dedicauit Sylla, ad concinnandam & digerendam politiùs hiſtoriam. Fuit enim eius non ad uſum modò



modò forenſem accurata & promta oratio, uerumetiam honeſtas haſce atque ingenuas, quas uocant, literas parauerat etiamnum adoleſcens. Cicero in Bruto eum acutum oratorem uocat. Aetate iam prouectiore mentem ex multis certaminibus laxatam, ad otium & quietem detulit philoſophiæ, eamq; ad rerum cognitionem excitauit, inhibens in tempore & conſtringens ex cõcertatione cum Pompeio ambitionem. Plut. in Lucullo.

CATO minor excoluit etiam dicendi in concione facultatem. Haud præſentibus aliis tamen exercuit ſe, neque quiſquam audiuit declamantem: ſed & amico dicenti, Homines ſilentium tuum Cato reprehendunt. Modò, inquit, ne uitam. Tunc ad dicendum accingar, cùm non dicturus ſim ſilentio digna. Baſilicam, quæ Porcia dicitur, dedicauerat in cenſura Cato Maior. In ea Tribuni plebis dare audientiam ſoliti, cùm columna ſubſelliis officere uideretur, eam deliberauerãt remouere uel traiicere. Id Catonem primùm ꝑtraxit in forum, inuitum. Nam obiecit ſe illis, mirificumque dedit eloquentiæ pariter & animorum ſpecimen. Etenim nihil oratio eius iuuenile, nihil fucatum habebat: ſed erat elata, plena, & aſpera. Vrbanitas tamen aures mulcens ſententiarum diſtinguebat breuitatem: moreſque eius in oratione elucentes, condimentum quoddam & mel ſeueritati præbebant non iniucundum. Vox ſatis erat canora & ſufficiens, ut à tanto populo exaudiretur. Vires & latera firmiſſima habebat & indefatigata. Nam ſubinde, cùm integrum diem diceret, non eſt confectus. Cùm eam cauſam obtinuiſſet, reduxit ſe ad ſilentium de integro, & ad commentationem. Plut. in Catone.

C. IVL. Cæſar Rhodi Apollonio Moloni operam dedit. Dicitur ad urbanam facundiam optimè fuiſſe comparatus, ingeniumq; excoluiſſe ſedulò, ſecundas ut citra controuerſiam ferret: primas uerò in ea, ut potentia potiùs & armis eſſet primus, reliquiſſe aliis: neque eam, quò ducebat eum natura, uim dicendi, (quò expeditionibus & tractandæ reipublicæ uacaret, quibus artibus imperium quæſiuit) eſt aſſecutus. Ac poſtmodum in oratione, qua Ciceronis Catoni reſpondet, deprecatur: ne quis hominis militaris dictionem cum oratoris ſolertis multumq; ea in re otij ponentis, contendat eloquentia. Plutarch. in Cæſare.

M. CICERO cùm doctiſſimus, humaniſſimus & prudentiſſimus fuit, tum non eloquens, ſed miraculum eloquentiæ. Effinxerat enim uim Demoſthenis, copiam Platonis, iucunditatem Iſocratis. Nec uerò quod in quoque optimum fuit ſtudio conſecutus eſt tantùm: ſed plurimas, uel potiùs omnes ex ſeipſo uirtutes extulit, immortalis ingenij, ut ait Quintilianus, beatiſſima ubertas. Non enim pluuias, ut ait Pindarus, aquas colligit, ſed uiuo gurgite exundat, dono quodam prouidentiæ genitus, in quo totas uires ſuas eloquentia experiretur. Quare non immeritò ab hominibus ſuæ ætatis regnare in iudiciis dictus eſt: apud poſteros uerò id conſecutus, ut non hominis, ſed eloquentiæ nomen habeatur. tantaq; illius eſt in dicendo diuinitas, ut ille etiam multum profecerit, cui Cicero ualde placebit. Eum tamen, ſicuti eſt ſcriptum à Quintiliano, ſui temporis homines inceſſebant ut tumidiorem, & Aſianum, & redundantem, & in repetitionibus nimium, & in ſalibus aliquando frigidum, & in compoſitione fractum, & exultantem, ac penè, quod procul abſit uiro, molliorem. Idem ipſe de ſe non negat, quin Aſiaticus fuerit in adoleſcentia, ideoque reformandam ſe Apollonio Moloni apud Rhodios tradidiſſe: qui orationem eius redundantem nimis ac ſuperfluentem iuuenili quadam impunitate & licentia repreſſerit, & quaſi extra ripas diffluentem coercuerit. Sed meliùs eum ætas cõpreſſit, quàm magiſter. Lud. Viues lib. 2. de rat. dicendi, ex Plutarcho. Vide Cælium lib. 25. c. 3.

ANATOLIVS Berytenſis Iurecoſ. eloquentiſſimus, præfectus prætorio Romæ ſub Conſtantio, problema de Statu omnibus Græciæ rhetoribus per literas propoſuit, ad quod, ubi in Græciam ueniſſet, reſponderent. Eunapius in Proæreſio.

## DVCES.

☞ *Conſule Tit. Principum doctorum. item, Oratorum: quatenus ſcilicet iidem interdum domi, interdum foris in bello, ſuæ eloquentiæ dant ſpecimina. Ex Tit. quinetiam, Ad bellum accendere, & Milites ad pugnam hortari, non pauca huic loco idonea mutuari poſſunt.*

ALCIBIADES Athenienſis, dux belliCoſus & eloquentiſſimus fuit, teſte Demoſthene & Theophraſto, apud Volaterranum lib. 13. cap. 3. Anthrop.

C. IVLIVS Cæſar eloquentia militari (qua aut æquauit præſtantiſſimorum gloriam, aut exceſſit) poſt accuſationem Dolabellæ haud dubiè principibus patronis annumeratus eſt. Certè Cicero ad Brutum oratores enumerans, negat ſe uidere, cui Cæſar debeat cedere: aitque eum elegantem, ſplendidam quoque, ac etiam magnificam ac generoſam quodammodo rationem dicendi tenere. & ad Cornelium Nepotem de eodem ita ſcripſit: Quid? oratorum quem huic antepones eorum, qui nihil aliud egerunt? Quis ſententiis aut acutior, aut crebrior? Quis uerbis aut ornatior, aut elegantior? Suetonius.

## LEGATI.

Athenienſes Oropum ſociam urbem diripuerant. Romani multam talentûm ferè quingentûm eis impoſuerãt. Quam ut deprecarentur, legatos miſere tres Romam, CARNEADEM Academicum, DIOGENEM Stoicum, & CRITOLAVM Peripateticum: qui in Senatum introducti, interprete uſi ſunt Cæcilio Senatore. Ipſi alioqui ſeorſum quiſque oſtentandi ingenij gratia, magno conuentu hominum diſſeruerunt. Carneadis oratio ampla, uehemens & rapida: Critolai gracilis, teres, & uenuſta: Diogenis in medio horum, modeſta & ſobria fuiſſe perhibetur. Gellius libro 7. capite 14. Noctium Atticarum, & Plutarchus in Catone. M. Cato certè, Carneade audito, palàm dixit in ſenatu, Ab eo uiro cauendum eſſe, qui ob eloquentiam & diſſerendi facultatem facilè, quæcunque uellet, impetrare poſſet. Volaterranus lib. 14. cap. 2.

CINEAS Theſſalus, auditor Demoſthenis, legatus Pyrrhi, cùm ad ciuitates mitteretur, ſuffragabatur Euripidis dicto; Omne id expugnare uerba comta, ferrum quod minax poſſit. Pyrrhus certè profitebatur, urbes plures per Cineam oratione quàm armis, ab ſe ſubactas. Habebat eum perpetuo in honore rex, eiuſque utebatur maximis in rebus opera. Plutarchus in Pyrrho.

CRATES Mallotes Pergamenus Romam inter ſecundum & tertium bellum Punicum miſſus legatus ab Attalo, primus grammaticæ ſtudium in urbem intulit. Cùm enim in Palatij regione in cloacæ foramen prolapſus crus fregiſſet, per omne legationis ſimul & ualetudinis tempus plurimas ἀκροάσεις fecit. Suetonius.

ANAXIMENES Ariſtoclis F. Lampſacenus, diſcipulus Diogenis Cynici & Zoili Amphipolitani grammatici, præceptor Alexandri Macedonis, eumque in bellis ſecutus, ad Alexandrum Lampſacenis iratum, quòd Perſis ſtuderent, legatus miſſus eſt. Alexander cauſa aduentus cognita, cùm per deos iuraſſet, ſe contraria precibus eius facturum: Anaximenes, Hoc ergo peto (inquit) ut uxores & liberos Lampſacenorum, ſub corona uendas, & templa incendas, & urbem ſolo æques. Rex iureiurando obſtrictus, uel inuitus Lampſacenis pepercit. Suidas.

Edixerat Domitianus Imperator, ne in Aſia uites haberentur: quoniam uini ubertate, ſeditionibus agitari uideretur. Legationem publicam uiſa tum res exigere, uirumque prudentem & eloquentem. Omnium ſuffragiis huic muneri præficitur SCOPELIANVS ſophiſta. Qui ſuæ eloquentię ui, non ſolùm id conſequutus eſt, quod erat caput, ne cui fraudi foret, plantaſſe uites: ſed inſuper ut pœna irrogaretur, qui eo munere abſtinuiſſet. Cælius libro uigeſimo, capite undecimo, ex Philoſtrato.

EVSTATHIVS Cappadox, Aedeſij ſucceſſor in patria, eloquentia ſumma, Iamblichi diſcipulus, ad Saporem regem Perſarum legatus miſſus, ſic deliniuit in conuiuio regem, ut parùm abfuerit, quin rex tiaram abiecerit, & paludamentum, cum penula Euſtathij commutarit. Sed aulici prohibuerunt, qui merum præſtigiatorem eſſe dicebant, & Imp. Romano reſpondere iubebant, Cur pro legato ſeruum ſophiſtam mitteret. Tota Græcia pro reditu eius uota faciebat: neque tamen rediit. Soſipatram duxit uxorem, ſapientiſſimam feminam & fatidicam. Eunapius.

## INTERPRETES.

NICOLAVS Saguntinus utraq; lingua diſertiſſimus, interpres fuit Græcorum & Latinorum in concilio Ferrarienſi primùm, deinde Florentino. Aen. Syl. c. 54. Europæ.

## CAVSIDICI, PATRONI, RABVLAE FORENSES, PERITI.

☞ *Horum duplex munus eſt, Accuſare & Defendere. Vtrunque, ſi in uirum bonum cadat, laudabile eſt: ſi in improbum, uituperabile. Accuſatio certè plus iuſtitiæ, Defenſio plus humanitatis in ſe continere uidetur. Clariſſimi uiri olim defendere potiùs quàm accuſare, maluerunt: eoq; ſeſe Patronos, pleno humanitatis uocabulo, appellari uoluerunt. Ex Cicerone de Oratore & Quintil. libro 12. capite 3. diſcimus, oratoribus Græcis olim in iudiciis miniſtros ſe præbuiſſe infimæ ſortis homines, πραγματικοὺς dictos. In Repub. Romana clariſſimi uiri forenſibus actionibus multorum amicitias ſibi pepererunt, & officiis huiuſcemodi*

 aditum

*aditum ſibi ad ampliſſimas dignitates fecerunt. Conſule Tit. Eloquentium, & alterum Iureconſultorum, quorum plerique olim cauſas egerunt, antequam auri ſacra fames omnes honeſtas artes corrumperet. Item Tit. Accuſatorum, uel Abſolutorum ab hominibus. Præterea Tit. Defendere inſontes in iudicio.*

## VIRI CAVSIDICI.

BIAS Prienæus in cauſis orandis clariſſimus fuit, & iuſtiſſimus. Quinimò iam ſenex, cùm cauſam pro cliente peroraſſet & laſſus in nepotis gremio caput reclinaſſet, ut iudicum calculis ſe uictorem declaratum cognouit, præ gaudio animam efflauit. Laertius in eius uita. Itaque prouerbij loco utitur Hipponax: Cauſidicus Biante Prienenſi præſtantior. Suidas.

ANTIPHON Rhamnuſius, orator antiquus, Athenis præcepta dicendi tradidit, teſte Quintiliano: quo neminem unquam meliùs orauiſſe capitis cauſam, cùm ſe ipſe defenderet, ſe audiente teſtatur Thucydides. Cic. in Bruto.

MELITVS orator Athenienſis Socratem accuſauit, æmulus Periclis in Repub. unde pulſus, dux Samiorum factus eſt. Volaterr. lib. 17. Anthrop.

HYPERIDES Decephrynæ meretrici, cùm uiolatæ religionis cauſam diceret, aduocatus, cùm iam damnanda eſſet, eam in medium adduxit, ac ueſte lacerata, pectus eius detexit. In cuius pulcritudinem cùm contuiti eſſent iudices, liberata fuit Plut. in uita Hyperidis.

DEMOSTHENES primùm reparandæ rei familiaris cauſa accinxit ſe ad dicendum, & contra tutores ſuos perfidos orationes ſcripſit. Hinc parata arte & facultate in republica iam quaſi coronatorum certaminibus primatum inter ciues in dicendi palæſtra certantes obtinuit. Plutarchus in Demoſthene.

ZENODOTVS Adramytenus orator clarus, Aſiatici ſtyli, in ſenatu pro Aſia dixit, Mithridaticæ factionis nomine accuſata. Strabo.

Orator QVIDAM Ariſtippum Socraticum, reum defendit in iudicio, uicitque litem. Is cùm uelut artem ſuam præferens philoſophiæ, diceret: Quid tibi profuit Socrates, Ariſtippe? Hoc, inquit, quòd oratio, quam pro me dixiſti, uera fuit. Laertius.

M. CATO Maior, Tuſculi natus, uim dicendi ſibi parauit, aſſiduò reos in pagis & oppidis Sabinorum (in quibus prædia paterna colebat) defendendo. Mox à Valerio Flacco, qui prædia Catonis uillæ contigua habebat, Romam ut proficiſceretur perſuaſus, ſtatim ut in urbem uenit, defendendis reis multos ſui admiratores amicosque inuenit: & ſic tandem ope Valerij Tribunus militum, pòſt Quæſtor factus eſt. Pro ſeipſo quadragies ſexies reus cauſam dixit, eſtque ſemper abſolutus. Valuit enim plùs eloquentia, quę humanis rebus dominatur, & innocentia, quàm omnes inimicorum inſidiæ. Sabellicus libro primo, capite ſexto, ex Plutarcho. Rhodienſes, Romanis cum Perſeo rege Macedoniæ bellum gerentibus, legatos Romam ſæpè miſerant, pacis componendæ cauſa: minati etiam quidam eorum, niſi pax fieret, ſe Perſeum adiuturos. Nulla tamen auxilia Perſeo unquam miſere. Deuicto Perſeo, legatos Romam miſere, qui temeritatem quorundam popularium ſuorum excuſarent. Romanorum plurimi Rhodienſes pro hoſtibus habendos cenſebant, illorum opibus inhiantes. At M. Cato oratione pulcerrima Rhodienſes in ſenatu defendit, quæ in libro quinto Originum ſcripta eſt: quam inſulsè admodum Tyro Tullius, M. Tul. Ciceronis libertus, reprehendit. Gellius lib. 7. cap. 3.

Q. METELLVS pro L. Cotta dixit, accuſante Africano. Hunc Gellius oſtendit inter principes ſui temporis oratores fuiſſe. Volaterranus.

C. CARBO in cauſis agendis diſertiſſimus habitus eſt. Cicero in Bruto.

M. SCAVRVS, P. RVTILIVS, cauſarum patroni: neuter tamen ſummi oratoris habuit laudem. Cic. in Bruto.

M. BRVTVS accuſator uehemens & moleſtus: ut facilè cerneres, naturale quoddam ſtirpis bonum degenerauiſſe uitio deprauatæ uoluntatis. Idem.

L. CÆSIDIENVS accuſator de plebe fuit, homo penè infimus, quo nemo ſuſpicioſiùs aut criminoſiùs unquam dixit, teſte Cicerone.

C. & L. MEMMII oratores mediocres fuerunt, accuſatores acres atq; acerbi. Itaq; in iudicium capitis multos uocauerunt, pro reis non ſæpè dixère. Idem.

Q. SERTORIVS, & C. GORGONIVS eques, ſolertiſſimi in dicendo & acutiſſimi fuerunt. Cic. in Bruto.

M. ANTONIVS, L. CRASSVS, L. Philippus, Cæſar, Cotta & Sulpitius, ſex patroni illuſtrium cauſarum eodem tempore, doctiſſimi ſimul & eloquentiſſimi.

CVRIO, cauſarum patronus, pro Sex. Næuio contra Ciceronem dicens, qui Titiniam Cottæ defendebat, ſubitò totam cauſam oblitus eſt. Erat enim memoria nulla, naturali tantùm elocutione inſtructus. Cic. in Bruto.

P. ANTISTIVS rabula probabilis, cùm multos annos tacuiſſet, non contemni ſolùm, ſed irrideri etiam ſolitus, in Tribunatu contra C. Iulij extraordinariam conſulatus petitionem, ueram cauſam agens eſt probatus, & in precio cœpit haberi. Vixit ſub L. Sylla. Idem.

Q. HORTENSIVS anno ætatis 19, primùm in foro dixit, & eiusq; ingenium ſimul aſpectum & probatum eſt. Incidit in clariſſimorum oratorum tempora, & in patronorum numero annos 4 & 40 fuit. Cic. in Bruto.

C. STALENVS feruido quodam, & petulanti, & furioſo genere dicendi, gratus fuit multis. Idem.

C. & L. CÆPASII fratres, ignoti homines & repentini, oppidano quodam & incondito genere dicendi, Quæſtores celeriter ſunt facti. Idem.

Q. ARRIVS infimo loco natus, & honores, & pecuniam, & gratiam conſecutus fuit, ſine doctrina, ſine ingenio: quòd multorum obedire tempori, multorumq; uel periculo uel honori inſeruire ſciebat. Idem.

Q. SERTORIVS priuſquam ad caſtra accederet, in cauſis dicendis ita ſe exercitauit, ut facundia ſua aliquid potentiæ ſibi Romæ parauerit. Plutar. in eius uita.

M. CÆLIVS orator inſignis, iuuenis adhuc multum in accuſando potuit, teſte Quint. lib. 10. cap. 1. De eo Cicero de Oratore hunc in modum loquitur: Eius actionem ſplendida & grandis, & eadem inprimis faceta & perurbana commendabat oratio. Graues eius orationes aliquot fuère: acres accuſationes tres, eæq; omnes è Reipub. contentione ſusceptæ defenſiones.

P. COMINIVS Spoletinus C. Cornelium accuſauit, defendente Cicerone: & T. ACCIVS Piſaurenſis A. Cluentium, pro quo extat Ciceronis oratio.

M. CALIDIVS non fuit orator unus è multis, potiùs inter multos propè ſingularis fuit. Q. Gallium accuſauit, ueneni dati ſuſpicione: quem Cicero defendit.

C. LICINIVS Caluus, qui diu cum Cicerone de primatu eloquentiæ contendit, uſq; eò uiolentus accuſator & incitatus fuit, ut in media eius actione ſurgeret Vatinius reus, & exclamaret: Rogo uos iudices, num ſi iſte diſertus eſt, ideo me damnari oportet? Hac re inter Vatinium & Caluum contractum eſt odium, quod deinde in prouerbium abiit. Seneca in Controuerſiis.

L. VARGVNTEIVS defenſus eſt ambitus ab Hortenſio oratore inſigni, ut apparet ex Ciceronis oratione habita pro Sylla.

Accuſatus M. Aquilius repetundarum, id eſt, parum ſincerè pecuniam publicam tractaſſe, cùm iam in eo eſſet, ut damnaretur: M. ANTONIVS orator, qui eius cauſam defendebat, aperta ipſius tunica, iudicibus ac populo cicatrices oſtendit, eorum uulnerum, quæ in pectore pro patria exceperat. Quibus moti iudices, ſtatim eum abſoluerunt. Fulg. lib. 8. cap. 1. ex Liuij lib. 69. & 70.

M. TVL. Cicero orator ſummus, patronus tam felix, quàm diſertus. Eius patrocinio uſus eſt C. Rabirius eques Romanus, perduellionis accuſatus à T. Labieno tribuno plebis, quòd Saturninum hoſtem patriæ in tumultu occidiſſet. Defenſus ſemihoræ curriculo. Volaterranus libro decimonono Anthrop. Item L. Flaccus, à D. Lælio ſuggeſtione Aſianorum & Græcorum accuſatus, quòd prouinciam & prouinciales iniuſto grauaſſet onere & remigum & pecuniæ, defenſus à Cicerone, abſolutus eſt à iudicibus. Aſconius Pedianus. Similiter Q. Mutius tribunus plebis, cùm interceſſiſſet, ne lex ambitus à Calphurnio Piſone ferretur, accuſatus à L. Caleno furti, à Cicerone defenſus eſt. Idem.

Sthenius Thermitanus, per calumniam coram Caio Verre Prætore accuſatus, quòd literas publicas corrupiſſet, Thermis Romam profugerat: atq; interim abſens, rei capitalis ab alio poſtulatus, Verres nomē eius receperat, edicto propoſito, ut Syracuſis ad diē certum adeſſet. Sua die citatus, non reſpondit. Ipſe etiam accuſator M. Pacilius non affuit, & tamē qui abſens reus factus erat, abſente accuſatore condemnatur. Hac de cauſa paulo pòſt Romæ ex edicto Tribunorū plebis, quo non licebat quenquā in urbe eſſe, qui rei capitalis damnatus eſſet, ad Tribunos ductus & accuſatus eſt, quòd Roma non abiiſſet. CICERO cauſam Sthenij defendit: Quod iudiciū de Sthenio abſente factum erat, ratū non uideri: quia nomen abſentis deferri ac recipi non ſoleat: rem enim alioqui iniquiſſimám & acerbiſſimā eſſe. Deniq; ſi præſens Sthenius reus factus eſſet, ſi manifeſto in maleficio teneretur, tamen cùm accuſator non adfuiſſet, Sthenium damnari non oportuiſſe, ſed è reis eximi: non ergo ducendam hanc damnationem eſſe, quæ contra leges & inſtituta maiorum interuenerit. Ex aduerſo dicebatur, ſufficere, ſi quis rei capitalis condemnatus erit: æquè an iniquè, non intereſſe, propter rerum iudicatarum auctoritatē. Præterea nomen Sthenij abſentis ideo receptum, quòd pro præſente haberetur, qui ne de corruptis tabulis cauſſam diceret, Thermis Romam aufugiſſet, non eſſe hanc legitimam abſentiam. Sed quia conſtabat damnatum eſſe reum, cuius crimen deficiente accuſatore aboleri debuit: Tribuni plebis omnium ſententia pronunciarunt, nō uideri Sthenium edicto impediri, quò minus ei liceret Romæ eſſe. Aerodius ex 4. Verrina Ciceronis.



Q. Ligarius à Q. Aelio apud Cæſarem accuſatus eſt, quòd legatus in Africa tempore belli ciuilis contra eum fuiſſet: quodque ipſum cum patre ſuo ea prouincia, quam ſorte fuerant conſecuti, prohibuiſſet, defenditur à CICERONE luculenta oratione. Aſconius Pedianus.

M. Cælius orator ab Atratino quodam ad iudicium capitis acceſſitus, quòd in coniuratione Catilinæ malè de Republ. cogitaſſet, quodque aurum à Clodia Clodij ſorore infame extorſiſſet, eiq; demùm uenen. propinaſſet, à CICERONE defenſus eſt. Oratio extat. M. Aemylius Scaurus iunior, Romam reuerſus ad petendum conſulatum, accuſatus à Sardis repetundarum, à Cicerone unà cum quinq; aliis defenſus. Aſconius Pedianus. Deiotarum Galatiæ regem, accuſatum apud Cæſarem, quòd ei apud regem diuertenti in Aſia inſidias parauiſſet, Cicero defendit luculenta oratione. Aſconius Pedianus. A. Cluentius à matre Saſſia accuſatus, quod Oppianicum uitricum interfeciſſet, defenſus eſt ab eodē. Similiter M. Fonteius, qui accuſatus erat malè adminiſtratæ prouinciæ Galliæ.

Libertus Syllæ Chryſogonus bona cuiuſdam, quem detulerat ut inter proſcriptos interfectum, uiginti millibus æris emit. Id acerbum interfecti filio & hæredi cùm eſſet Roſcio, probaretque hæreditatem ſexagies H-S. ualere: offenſus Sylla, quòd argueretur, crimen ei interprete Chryſogono intulit parricidij. Hic cùm nullum appareret auxilium, ſed omnes Syllæ ſæuitiam exhorreſcerent, deſtitutus ab omnibus adoleſcens contulit ſe ad CICERONEM, quem accenderunt amici, ſubiecerunt que gradum ipſum ad gloriam habiturum poſthac ſpecioſiorem & pulcriorem nullum. Suſcepta defenſione obtinuit cauſam, unde laudem conſecutus magnam eſt. Cæterùm metu Syllæ in Græciam profectus eſt uulgans ob corporis curam abire. Plutarchus in Cicerone. Fuit certè aureum illud os, priuatorum innocentiæ aſylum, Reipublicæ, cùm aliàs tum inprimis contra M. Antonij & Catilinæ furores, unicum propugnaculum.

L. LVCVLLVS admodum iuuenis, priuſquàm ad petitionē honorum deſcendiſſet, aut Rempublicam attigiſſet, rudimenta in poſtulando peculatus accuſatore patris ſui poſuit Seruilio Augure. Ea uiſa res eſt populo Romano magnifica, eamque ut ingens decus celebrauit. Et quidem uidebatur alioqui uel non ſuppetente cauſa res non pudenda accuſatio: ſed delectabantur iuuenibus improbos ut generoſis canibus feras conſectantibus. Atqui ingenti exorta in eo iudicio contentione uſq; ad aliquorum uulnera & cædes, Seruilius eſt liberatus. Plut. in Lucullo.

Cicero de LABEONE Antiſtio Cinna in Bruto, Rabula, inquit, ſanè probabilis: qui, multos cùm tacuiſſet annos, neq; contemni ſolùm, ſed irrideri etiam ſolitus eſſet, in Tribunatu primùm contra C. Iulij illam conſulatus petitionem extraordinariam, ueram cauſſam agens eſt probatus. Itaque poſt Tribunatum primò multę ad eum cauſſæ deinde omnes, maximæ quæcunque erant, deferebantur. Hotomannus in Iuriſconſ. uitis.

C. IVL. Cæſar poſt mortem Syllæ in urbem rediit, in foro eloquentiam exercitans, unum & uigeſimum agens ętatis annum. Cornelium Dolabellam repetundarum accuſauit, ſed damnatus non eſt: licèt oratio tam luculenta eſſet, ut poſteris admirationi foret, teſte Tacito. In perorandis cauſis maximum aſſequutus ſplendorem, maximā etiam plebis gratiam adeptus eſt, ut C. Pompilio competitori in tribunatu præferretur. Cuſpinianus ex Suetonio.

VINVTIVS ciuis Romanus, Auguſti tempore, quo nemo in agendis cauſis præſtantius habuit ingenium, quicquid longa cogitatio illi præſtatura erat, prima intentio animi dabat, extemporè cauſas agebat: ſed non deſiderabat hanc conditionem, ut extemporè agere uideretur. Volaterranus lib. 20. & Seneca in Declam.

POETÆ omnes à M. Tullio uſque ad Traianum, uel cauſas aliquas egerunt, uel fictas declamarunt. Gyraldus Dialogo 4. Hiſt. poet.

VAL. LICINIANVS Prætorius, eloquentiſſimus cauſarum patronus, Romæ propter Corneliæ, Veſtalium maximæ inceſtum, relegatus in Siciliam, de ſenatore rhetor factus eſt. Plinius.

TIBERIVS Cęſar ciuilium officiorum rudimentis regem Archelaum, Trallianos & Theſſalos, uaria quoſque de cauſa Auguſto cognoſcente, defendit. Pro Laodicenis, Thyatirenis, Chiis terræmotu afflictis, opemque implorantibus, Senatum deprecatus eſt. Fannium Cepionem, qui cum Varrone Murena in Auguſtum conſpirauerat, reum maieſtatis, apud iudices fecit, & condemnauit. Suetonius.

IVLIVM Gallicum Claudius Cæſar, cauſam dicentem, in Tiberim iratus pcipitari iuſſit. In eū DOMITIVS Afer, optimus illius ætatis patronus facetè admodum iocatus eſt. Nam cùm quidam à Gallico deſtitutus, eius auxilium imploraſſet: Quis tibi, inquit, narrauit, me natatorem illo meliorem eſſe? Zonaras.

NERO apud Claudium Cæſarem patrem pro Bononienſibus Latinè, & pro Rhodiis atque Ilienſibus Gręcè, uerba fecit. Suetonius.

Galbæ Imp. PATER conſulatu functus, quamuis breui corpore, atque etiam gibber, modicæq; in dicendo facultatis, cauſas induſtriè actitauit. Idem.

TERTVLLVS cauſidicus à Iudæis conductus, ut contra Paulum apoſtolum Cæſareæ coram Felice prætore cauſam ageret. Actorum 24.

ANDRONICVS Hieroſolymitani templi antiquitatem & ſanctitatem contra Sabbęum & Theodoſium Samaritanorum oratores, coram Ptolemæo Philopatore rege Aegypti tanta eloquentia defendit, ut aduerſarios rex morti tradiderit. Ioſephus lib. 13. cap. 6. Antiq.

NICOLAVS Damaſcenus Herodis Iudæorum regis legatus ad Cæſarem Auguſtum cōtra Syllæi Arabis calumnias. Eo mortuo, Archelaū, qui ex teſtamento patri ſuccedebat, contra Iudæorum legatos, libertatem depoſcentes, defendit, & ut Archelaus in regno ſuccederet, effecit. Ioſephus lib. 16. & 17. Antiquitatum Iudaicarum. Idem quoque Iudęos Antiochenos defendit coram Marco Agrippa contra Græcos, illos ob religionis diuerſitatem expellere conantes. Ioſeph. lib. 12. Antiq. cap. 3.

LVCIANVS Samoſatenſis ſub Traiano Cæſare initiò cauſidicus Antiochiæ fuit: quæ res cùm ei malè ceſſiſſet, ſe ad ſcribendum contulit. Suidas.

OPILIVS Macrinus, qui poſtea Imperator factus eſt, in Africa cauſidicus fuit. Dion in Macrino.

IVO natione Brito, ſub Carolo IIII. Imp. præter doctrinam & ſingularem eloquentiam, mira etiam pietate, celeberrimus Romæ habitus eſt. Angelica fuit continentia, quæ in ea urbe coruo rarior albo eſt inter ſeculares: & uitam ſuam à uino & ab eſu carnium omninò conſeruauit intactā, corpus cilicio operuit: ieiuniis, uigiliis & orationibus diſciplinas pluſquam monaſticas adiungebat: nudam pro cubili terrām luteā, rigidū ſaxum pro ceruicali: ſacrorū Bibliorū uolumen, quod indeſinenter portabat, capiti aptabat: ſuamque omnem cum pauperibus, quos procurando defenſitabat, conuerſationem duxit humillimam. Patrimonium amplum cùm haberet, eo pauperum & orphanorum & uiduarum cauſas protexit, omnium procuratorum & aduocatorum unica meritò lucerna. Vita functus, quum crebris fulgeret miraculis, inter ſanctos aggregatus eſt. Eius feſtū VI. Calend. Septembr. peragitur. Cranzius libro nono Metropoleos, cap. 34.

Alphonſus Aragonum rex, cùm audiſſet GALLVM medicū clariſſimum, relicta medicina ſophiſtam in cauſis forenſib. agere, omniaque ſophiſmatibus ſuis inuoluere, decreto in ſophiſtas promulgato, Gallum foro prohibuit: & ut omnis lis, quam Gallus Romanus ſuſcepiſſet, iniqua & iniuſta haberetur, edixit. Panormitanus libro quarto, de Rebus geſtis Alphonſi.

VENETI patricij uel mercaturam exercent, & rei familiari conſulunt: uel cauſas in foro agunt, multorumque amicitias honeſtiſſimo genere lucri ſibi comparant: uel ad Rempublicam capeſſendam & gerendos magiſtratus accedunt. Itaq; Romanos illorum rerum dominos non obſcurè imitantur. Hoc tantùm intereſt, quòd propter imperij magnitudinem & inexhauſtā dominandi libidinem Romani non mercatura, ſed publico latrocinio, nomine Reipubl. ſuſcepto, ex uniuerſo orbe prædam egerunt. Veneti uerò honeſtiſſima ratione, & multorum commodis, & priuatæ utilitati, abſque iniuria, mercimoniis ſuis conſulunt. Proinde nemini mirum uideatur, Venetam Rempub. quamuis inferiorem, ſi imperij amplitudinem & potentiam ſpectes, Romanam tamen imperij diuturnitate & ſtabilitate uiciſſe.

## MVLIERES, QVÆ PRO ALIIS, VEL pro ſeipſis cauſas egerunt.

☞ *Vide paulo pòſt Titulum, Mulieres eloquentes.*

## CAVSIDICI IMPERITI.

In MENECLEM cauſidicum ineptum, Lucilius in ſecundo Epigrammatum:

*Χοιρίδιον καὶ βοῦν ἀπολώλεκα, καὶ μίαν αἶγα:*
*ὧν χάριν εἴληφας μισθάριον, Μενέκλεις.*

ὄυτε δέ μοι κοινόν τι πρὸς ὀθνείων γεγένηται,
 ὄυτ᾽ ἀπάγω κλέπτας τοὺς ἀπὸ θερμοπυλῶν.
ἀλλὰ πρὸς εὐτυχίδην ἔχομεν κρίσιν. ὥστε τί ποιεῖ
 ἐνθάδε μοι ξέρξης καὶ λακεδαιμόνιοι;
πλὴν κἀμοῦ μνήσθητι νόμου χάριν, ἢ μέγα κράξω,
 ἄλλα λέγει μενεκλῆς, ἄλλα τὸ χοιρίδιον.

Quos uerſus ſic interpretatus eſt Eraſmus Roterod.
Sucula, bós, & capra mihi periêre, Menecles,
 Ac merces horum nomine penſa tibi eſt.
Nec mihi cum Othryade quicquã éſtue fuítue negotî,
 Nec fures ullos huc cito Thermopylis:
Sed contra Eutychidem nobis lis. Proinde quid hic mî
 Aut Xerxes facit, aut quid Lacedæmonij?
Ob pactum & de me loquere, aut clamauero clarè,
 Multò aliud dicit ſus, aliud Menecles.

Cum huius epigrãmatis argumẽto conuenit & illud, quod eſt apud Martialem lib. 6. in POSTHVMVM:
Non de ui, neq; cæde, nec ueneno,
Sed lis eſt mihi de tribus capellis:
Vicini queror has abeſſe furto:
Hoc iudex ſibi poſtulat probari.
Tu Cannas, Mithridaticumq; bellum,
Et periuria Punici furoris,
Et Syllas, Marioſq;, Mutioſq;,
Magna uoce ſonas, manuq; tota.
Iam dic Poſthume de tribus capellis.

In DIODORVM Rhetorem Ammianus in ſecũdo Epigrammatum hæc ſcribit:
Ῥήτορα πρὸς διόδωρον ἀνὴρ δείλαιος ἀπελθὼν,
 ἤρετό μιν τοίης ἀμφὶ δικασπολίης.
ἡμετέρη θεράπαινα, φύγεν ποτέ. τὴν δέ τις εὑρὼν,
 ἀλλοτρίην τ᾽ εἶναι λάτριν ἐπισάμενος,
ζεῦξεν ἑῷ θεράποντι. τέκεν δ᾽ ὑπὸ παῖδας ἐκείνῳ.
 καὶ τίνι δουλεύειν εἰσὶ δικαιότεροι;
ὃς δ᾽ ὅτε μερμήριξε, καὶ ἔδρακε βίβλον ἑκάστην,
 εἶπεν ἐπιστρέψας γηρὸν ἐπισκύνιον·
ἢ σοὶ, ἢ τῷ ἑλόντι τὴν θεράπαιναν, ἀνάγκη
 δουλεύειν κείνους, ὧν χάριν ἐξερέεις.
δίζεο δ᾽ εὑρίσκοντα δικασπόλον· αἶψα δ᾽ ἀποίσῃ
 ψῆφον ἀρειοτέρην, εἴγε δίκαια λέγοις.

Alciatus hoc ſic explicuit. Cùm partus, rei furtiuæ pars non ſit, ſequitur, ut uſucapi à bonæ fidei poſſeſſore poſſit: quod intelligendum eſt, niſi apud furem conceptus ſit. Matrem enim contrectando, & eum contrectare, qui uiſcerum portio eſt, uidetur. quod in furis hærede non eſt, licèt ipſe propter auctoris ſui malam fidem uſucapere nequeat.

CASSIVS Seuerus poeta & orator, cùm omnes ferè, quos accuſaret, abſoluerentur: Auguſtus in eum iocatus dicitur, cũ architectus fori Auguſti, expectationem operis diu traheret: Vellem ut Caſſius meum forum accuſaſſet. quaſi diceret, iam abſolutum eſſet. Macrobius teſtis.

Catulus audiens ORATOREM malum perorantem, cùm in orationis fine mouere ad miſericordiam auditores ſe putaret, finita oratione ab eodẽ interrogatus, num egregiè miſericordiam mouiſſet: Magnam ſanè, inquit: neminem enim tam imperitum, tamque ſtupidum fuiſſe credo, cui oratio tua non miſeranda uiſa ſit. Cicero libro ſecundo de Oratore.

M. VAL. Martialis Hiſpanus Romam profectus, cùm agendis cauſſis minimè ſe idoneum uideret, omnem operam atque diligentiam retulit ad ſcribenda Epigrammata. Crinitus de poetis Latinis. Teſtatur ipſemet in Epigramm. ad Sextum, ſic ſcribens:
Egi, Sexte, tuam pactus duo millia cauſſam,
 Miſiſti nummos quot mihi? mille. Quid eſt?
Narraſti nihil, inquis, & à te prodita cauſſa eſt:
 Tanto plus debes, Sexte, quòd erubui.

In MARCVM rhetorem indoctum Lucilius in Epigram.
Οὐ δέχεται μάρκον τὸν ῥήτορα νεκρὸν ὁ πλούτων,
 εἰπὼν, ἀρκείτω κέρβερος ὧδε κύων.
εἰ δ᾽ ἐθέλεις πάντως, ἰξίονι, καὶ μελίτωνι
 τῷ μελοποιητῇ, καὶ τιτυῷ μελέτω.
οὐδὲν γὰρ σου χεῖρον ἔχω κακὸν, ἄχρις ἂν ἐλθὼν
 ὧδε σολοικίζει ῥοῦφος ὁ γραμματικός.

C. ALBVTIVS Silus Nouarienſis rhetor, cauſas egit parùm feliciter. nam cùm in lite quadam centumuirali aduerſario, quem ut impium erga parentes inceſſebat, iuſiurandũ quaſi per figuram ſic obtuliſſet, Iura per patris matriſque cineres, qui inconditi iacent, & alia in hunc modum: arripiente eo conditionem, nec iudicibus aſpernantibus, non ſine magna ſui inuidia negotium afflixit. Et rurſus in cognitione cædis Mediolani apud L. Piſonem proconſulem, defendẽs reum, cùm cohiberent lictores nimias laudantium uoces, ita excanduit, ut deplorato Italiæ ſtatu, quaſi iterum in formam prouinciæ redigeretur, M. inſuper Brutum, cuius ſtatua in conſpectu erat, inuocarit, legum ac libertatis auctorem & uindicem. Quæ uerba cùm ad ſeditionem pertinere uiderentur, penè pœnas capite luit. Suetonius de Claris rhetoricis.

In CINNAM Martialis Epigramm. lib. 8. ſic ludit:
Hoc agere eſt cauſſas, hoc dicere, Cinna, disertè,
 Horis, Cinna, decem dicere uerba nouem?
Sed modò clepſydras ingenti uoce petiſti
 Quatuor, ô quantum, Cinna, tacere potes.

Ad NÆVOLVM cauſidicum Martialis Epigramm. lib. 1.
Cùm clamant omnes, loqueris, tu Næuole, ſemper,
 Et te patronum cauſſidicumq; putas.
Hac ratione poteſt nemo non eſſe diſertus:
 Ecce tacent omnes, Næuole dic aliquid.

HENRICVS de Monteleone cauſarum procurator in curia Romana, ſenex admodum, ſed parũ felix, uulgò *Meſſer perde el piato*, appellabatur, id eſt, Dominus perdens lites. Cùm ab eo poſtularetur, cur in omnib. cauſis ſuccumberet? Quoniam nullus, inquit, iuſtam cauſam habens, ad me uenit. Faceta imperiti hominis reſponſio.
Poggius in Facetiis.

# ELOQVENTIA CONSIDERATA RESPECTV SEXVS ET AETATIS. HVC EXEMPLA eloquentium

## VIRORVM.

*Vide Titulum Eloquentum in genere, & Cauſidicorum.*

## MVLIERVM.

CORNELIA Gracchorum mater eloquentiſſima, à cuius uberibus filij ſuadæ illam medullã ſuxerũt. Plut. in Gracchis.

AMESIA, prætoris ſententia rea, cauſam ſuam Lucio Titio prætore iudicium cogente, populi maximo concurſu egit: motuſque omnes ad neruos defenſionis nõ ſolùm diligenter, ſed etiam fortiter executa, & prima actione, & ferè cunctis ſententiis liberata eſt. Quam, quia ſub ſpecie feminæ uirilem animum gerebat, Androgynem appellabant. Valerius libro 8. capite 3.

HORTENSIA, Q. Hortenſij filia, cùm ordo matronarũ graui tributo à Triumuiris eſſet oneratus, nec quiſquam uirorum patrocinium eis accommodare auderet: cauſam feminarum apud Triumuiros & conſtanter & feliciter egit. Repræſentata enim patris facundia, impetrauit, ut maior pars imperatæ pecuniæ his remitteretur. Reuixit cum muliebri ſtirpe Q. Hortenſius, uerbiſq; filiæ aſpirauit. Cuius ſi uirilis ſexus poſteri, uim ſequi uoluiſſent, Hortenſianæ eloquentiæ tanta hæreditas, una feminæ actione abſciſſa non eſſet. Ibidem.

CAIA Afrania Licinij Bructionis uxor, promta ad lites contrahendas, pro ſe ſemper apud prætorem uerba fecit: non quòd aduocatis deficeret, ſed quòd impudentia abundabat. Itaque inuſitatis foro latratibus aſſiduè tribunalia exercendo, ad muliebris calumniæ notiſſimum exemplum euaſit: adeò ut pro crimine improbis feminarum moribus, C. Afraniæ nomen obiiciatur. Prorogauit autem ſpiritum ſuum ad C. Cæſarem, itemque M. Seruilium conſulem. Tale enim monſtrum magis, quo tempore extinctum, quàm quo ſit ortum, memoriæ tradendum eſt. Ibidem.

EVNOMIA uirgo Chriſtiana, ſicut apud Hieronymum legitur, Nazarij rhetoris filia, in eloquẽtia patri coæquatur. Ludouicus Viues, de Chriſtiana femina lib. 1.

Facundia feminę nõ congruit. Multarũ linguas antiquitas eſt mirata, ut Corneliæ Gracchorum, Mutiæ, Læliæ, Hortenſię: non tam quòd multa facundè diſſererent, quàm quòd pauca, purè ac incorruptè: deniq; non tam didicerant illas artes, quàm eis ex domeſtica conſuetudine erant infectæ: ut ſine labore aut ſenſu ullo diſcendi, à patribus eas uideãtur accepiſſe. Hodie uerò in AVLIS educatam, ſi diis placet, nominant, imprudenter ac impudenter loquaculam: quæ multa effutiendo, neq; unquam faciendo finem loquendi, tenere confabulonem in multas horas poſſit, ne facto utrinque ſilentio, ſit diſcedendum. Quid exiſtimandum eſt locuturam tam diu imperitam puellam cum adoleſcente nõ multò ſapientiore, niſi uel ſtulta, uel obſcena? Et hanc demùm uocant diſciplinam aulicam: uidelicet illius ſcholæ, in qua & aliæ diſcuntur artes, magiſtri diaboli. En quò mores hominum ſunt delapſi, quàm inuerſa omnia, ut tacere feminam turpe exiſtimetur: id eſt, pulcerrima eius uirtus, fœda uideatur ac deformis. L. Viues de Officio mariti.

ADO-



## ADOLESCENTVM.

DEMOSTHENES, ut in ętatẽ uenit tutelę, egit cũ tutoribus ſuis, qui partem patrimonij eius interuertant. Tres erant, Aphobus, Theripides, Demophon uel Demea, quem præcipuè accuſauit auunculum ſuum, ſingulisque litem æſtimauit denis talentis, eoſque damnauit. Verùm ex condemnatione nihil exegit, ſed alios pecunia, alios gratia inductus, liberauit. Plut. in uita Demoſthenis.

HERMOGENES Tarſenſis XIIX ætatis anno ſcripſit ea, quæ cum admiratione leguntur, præcepta. Quadriennio pòſt incerta de cauſa mentem amiſit, & ut unus è multis ad ſenectutem peruenit.

## SENVM.

*Conſule Tit. Eloquentum & Rhetorum, ne eadem exempla ſæpius repetere ſit neceſſe.*

# ELOQVENTIÆ, RHETORICÆ INVENTORES.

*Conſule Titulum Rhetorum. Illic Habitus, quem poßident: hîc ratio habetur Modi, ipſius ſcilicet Inuentionis, quo habitus acquiritur.*

Rhetoricam POLYHYMNIA inueniſſe dicitur. Diodoro uerò & Poetis MERCVRIVS. Eapropter Horatius ſic in illum canit:
Mercuri facunde nepos Atlantis,
Qui feros cultus hominum recentum
Voce formaſti, &c.

Quamuis in ſexto Diodorus Mercurium ἑρμῆν dictum uelit, hoc eſt, interpretem: non quòd orationis fuerit inuẽtor, ſed quia diligentiùs quàm cęteri mandata referebat. Ariſtoteles primum EMPEDOCLEM artis inuentorem facit, & Quintilianus idem ferè ſentit in tertio. Artis ſcriptores antiquiſſimi fuerunt CORAX & TISIAS Siculi, quos GORGIAS Leõtinus ſecutꝰ eſt. Polyd. lib. 1. c. 13. de Rerũ inuent.

Conſtat, CADMVM ſolutæ orationis auctorem fuiſſe: Zenonem uerò Eleatem, & Alexamenem Teium ſiue Scyriũ, Dialogorum, teſte Ariſt. de Poetica.

CLEON, orator Athenis ſua ętate uehemens, primus inter agẽdum uociferatione uſus eſt, percuſſitq; femur manibus, in pulpito diſcurrens: quæ res adeò inoleuit, ut noſtri quoque nõ olim modò idem factitarint, ſed morem ex Græcia receptum ad poſteros tranſmiſerint. Sabellicus lib. 6. cap. 2. ex Plutarcho.

CEPHALVS Athenienſis orator, primus Procemia & Epilogos introduxiſſe dicitur. Suidas.

# ELOQVENTIÆ DOCTORES, ET MAGISTRI. TVM

## PRAECEPTIS.

*Conſule Tit. Rhetorum, quatenus docent alios.*

ISOCRATES Theodori F. Platone ſeptem annis maior natu, Gorgiam, Tiſiam, Theramenem audiuit. Ne ad rempub. accederet, in cauſa fuit linguæ hæſitantia, animi timiditas, & quòd patrimonij bello Peloponneſiaco naufragium feciſſet: aduocatum autem præſtitiſſe ſe aliis apparet. Vnam tantùm cauſam òrauit illam de antidoſi. Habuit autem cœtus: atque ad philoſophiæ ſtudium, & ad ſcribendum, contulit ſe. Orationem Panegyricã & nonnullas in generę deliberatiuo conſcripſit, quas partim ipſe recitauit, partim aliis parauit, ea ratione ratus Græcos ſe ad recta ſtudia capienda excitaturum. Quod inſtitutum cùm eum falleret, temperauit ab orationibus ſcribendis, ac ludũ aperuit primùm, ut nonnulli autumant, Chij: ubi auditores nouem habuit. Quo tempore cùm numerari uidit mercedem, in lacrymas effuſus: Nunc nimirum hoc me precio uenundatũ agnoſco. Vacauit quibuſlibet, diſtinxitq; princeps actiones iudiciales à publicis, in quibus elaborauit. Auditores habuit ad centum, inter multos alios Timotheum Cononis. Quem ad multas urbes proficiſcentem comitans, epiſtolas, quas ille Athenienſibus mittebat, compoſuit. Quapropter donauit Timotheus ei talentum de ea pecunia, quę ex Samo parata erat. Illo rhetoricam docente, ac mille drachmarum precium à diſcipulis exigente, Demoſthenes cùm non poſſe ſe tantum pendere profiteretur, ducẽtas ſaltem, quò quintam artis partem diſceret, daturum pollicitus eſt. Reſpondit ille, Non concidimus Demoſthene commentationem noſtram fruſtulatim, uerùm ut inſignes piſces, totos uendimus: ità ego tibi, ſi lubebit à me accipere diſciplinam, integram artem tradam. Solitus erat diſcipulis ſuis dicere, minis ſe decem docere: qui ipſum docuiſſet animoſum eſſe & uocalem, ei ſe decem millia daturum. Roganti, Quid, qui ipſe ineptus eſſet ad dicendum, alios aptos faceret: Quia, inquit, nec cotes incidere ualent, quæ tamen ferrum ad incidendum reddunt aptum. Sunt qui artem rhetoricam eum aiunt conſcripſiſſe, alij non uia & ratione, ſed uſu ualuiſſe. Plutarchus in uita Iſocratis.

AESCHINES orator, Philippo defuncto, cùm iam in Aſiam Alexander tranſcendiſſet, arceſſiuit Cteſiphõtem, quòd rogationem contra legum interdicta de Demoſthenis honoribus promulgaſſet: ac cùm minus quinto quoque calculo tuliſſet, Rhodum iuit exulatum, quòd mille drachmas multæ dependere nollet. Illic ſcholam aperiẽs docuit, recitauit Rhodiis uenditandæ eloquentiæ ſuæ cauſa orationem contra Cteſiphontem. Mirantibus cunctis, eum hac oratione habita ſuccubuiſſe: Haud miraremini, inquit, Rhodij, ſi huic reſpondentem Demoſthenem audiuiſſetis. Vbi ſcholam quoque, qui ludus Rhodiacus fuit appellatus, reliquit. Inde Samum nauigauit, degenſque in ea inſula, breui pòſt extinctus eſt. Plut. in uita Aeſchinis.

## EXEMPLIS. QVAE VEL Imitentur.

Tiberius & C. Gracchi eloquentiam ſuam, qua potentiam Senatus & patriciorũ opprimere conabantur, à matris CORNELIÆ uberibus primùm ſuxerunt: deinde eiuſdem domeſtica conuerſatione didicerunt: adeò ut nullius pari eloquentia, ſed armis tantùm, uis tanta domari poſſet. Plutarchus in Gracchis.

Hortenſia Q. HORTENSII F. non tam inſtitutione quàm conuerſatione, ex aureo paternæ eloquentię fonte riuulos ſuos deduxit, ut quantus ille inter Romanos, tantum hæc inter Romanas excelluerit. Valerius lib. 8. cap. 3.

## Recitent. Qui orationes ab aliis habendas ſcribunt.

*Conſule Tit. Rhetorum, & Politicorum eloquentium.*

LYSIAS compoſuit orationes, Iphicrati unam aduerſus Harmodium: alteram, qua perduellionis Timotheum accerſit, atque utramque cauſam tenuit. Profeſſus enim cùm Iphicrates fuiſſet, quicquid geſſiſſet Timotheus, ſe geſtum auctore, ratione reddita actorum, perduellionis crimen reparans, defendit ſe Lyſiæ oratione. Atq; fuit ipſe quidem abſolutus, ſed Timotheo magna multa pecuniaria dicta. Plutarchus.

# RHETORICA EXERCITIA CONSIDERATA RESPECTV

## SVBIECTI. EXERCERI IN QVÆSTIONIBVS, DECLAMATIONIBVS, ORATIONIBVS

*Contradictorijs. In utramq; partem.*

Cùm inter ſecundum & tertium Punicum bellum Athenienſes Romam legatos miſiſſent, Carneadem Academicum, & Critolaum Peripateticum, & Diogenem Stoicum, tres nobiliſſimos illius ætatis philoſophos: CARNEADES uel exercendi ſui, uel oſtentandi ingenij gratia, pro iuſtitia elegantem & acutam habuit orationem, Catone priſco, Galba, & aliis plerìſque principibus uiris præſentibus. Poſtridie pro iniuſtitia orauit eiſdem audientibus: diluitque omnia pridiana argumenta, aliaque attulit pro iniuſtitia fortiora. quod fecit ex more ſectæ, cuius inſtitutum eſt, nihil ipſos affirmare, tantùm confutare aliena. Ex hac poſteriore diſputatione L. Furius Pilus apud Cic. lib. 3. de Rep. aggreſſus eſt accuratiſſima oratione iuſtitiam uituperare, ut eloquentiam Lælij excitaret ad laudes illius uirtutis: eadem mente, qua Glauco libro de Republica Platonis ſecundo iniuſtitiam laudat, ut Socratem de iuſtitia diſſerentem audiret. Ludouicus Viues in librum ſecundum Auguſtini de Ciuitate Dei, capite 21.

*Abſurdis.*

HORTENSIVS philoſophiam uituperauit. Chryſoſtomus DION eloquentiſſimã in philoſophos orationem ęcudit.
Tacco

Taceo Sillorum opus abſinthio conſperſum, quod TIMONI philoſophorum expreſſit irriſio. Cælius lib. 29. cap. 8.

PHAVORINVS philoſophus exercēdi ingenij gratia, libenter in ἀδόξοις καὶ ἀτόποις ὑποθέσεσι dicebat. Itaq; Therſitem laudauit, & Febrem quartanam. cui Heſiodi illum uerſum ſcitè accommodauit:

ἄλλοτε μητρυιὴ πέλει ἡμέρη, ἄλλοτε μήτηρ.

Nam cùm ita ſit, ut in rebus humanis bene aut malè uice alterna ſit: hæc febris biduo medio interuallata, quantò eſt fortunatior, in qua eſt μία μητρυιά, δύο μητέρες? Gel. lib. 17. c. 12.

*Periculoſis.*

CARINA Secundus orator, exilio à C. Caligula Romanorū Imp. damnatus eſt, quòd exercendi ſui cauſa, contra tyrannos declamaſſet. Xiphilinus.

CL. AELIANO Prænestino ſophiſtæ olim occurrens Lemnius Philoſtratus, librum indignanter & cōcitatè lectitanti, inſtitit quærere, Quidnam foret ſub incude: Elaborauimus, inquit, Gynnidis accuſationem: ſic enim tyrannum uoco, qui paulo antè Romano imperio infamiæ labem inuſſit, morū turpitudine. Cui Philoſtratus grauiter admodum: Admirarer (inquit) impenſiùs, ſi uiuentem accuſaſſes. Siquidem ſuperſtitem tyrannum laceſſere, uiri opus cenſeo: functum uerò fato, cuiuſq;. Suidas, & Cælius lib. 21. c. 32. A. L.

COLLECTANEIS.

Syntaxes Grammaticæ à Grammaticis ſimplici orationis genere inſtituuntur: Rhetoricæ uerò à Rhetoribus ornato ſtylo. Sic Macrobius, Gellius Varias lectiones: ſic Valerius Maximus, Aelianus Prænestinus, & ex recētiorib. M. Ant. Sabellicus, Io. Bapt. Egnatius, Campofulſus, Leonic9 Thomæus, Exempla hiſtorica congeſſere.

## QVANTITATIS.

*Ex Tit. Rhetorum exempla quædam huc pertinebunt.*

## MODI. VEL

*Memoriter.*

*Conſule Tit. Memoria qui ualuere.*

*E Scripto.*

AVGVSTVS Cęſar, ne periculum memoriæ adiret, aut prolixitate odioſus eſſet, inſtituit recitare omnia in Senatu, in cōcione, apud milites. Suetonius.

## TEMPORIS. DECLAMATIONES

### PRÆMEDITATÆ.

PERICLES Athenienſis uerba facturus apud populum, non niſi præmeditatus in concionem progrediebatur: optabat interim à diis immortalibus, ne uerbum ullum ſibi excideret, quod quemuis ciuium offendere poſſet. Plut. in eius uita. Primus ſcriptam orationem in iudicio habuit: cùm ij, qui illum anteceſſerant, extemporè dixiſſent. Suidas & Sabellicus lib. 5. Enneadis 3.

DEMOSTHENES habitus eſt parum ingenioſus, ſed uim & facultatem dicendi parare ex labore. Cuius magnum indicium uidebatur, quòd haud temerè quiſquam Demoſthenem audierit extemporè dicentem: ſed cùm in concione ſæpè ſederet, & populus nominatim eum exciret ad dicendū, niſi eſſet meditatus ad id & paratus, non procederet. Hinc alij concionatores illudebant eum: & Pytheas irridens lucernam olêre ait enthymemata eius. Cæterùm hunc amarè Demoſthenes retudit: Nempe non eorundem, inquit, tibi & mihi, Pythea, conſcia eſt lucerna, furti & libidinis illū arguens. Demoſthenē nunq̃ extinxiſſe, ſcriptū eſt, lucernā, dū uſq; ad annum ætatis quinquageſimū perueniſſet, formantem dictionem ſuam. Ipſe aquam oſtēdit ſe potaſſe. Improperanti Epicli, quòd perpetuò meditaretur: Nempe puderet, inquit, me, ſi, cùm tanto populo conſulā, oratione uterer tumultuaria. Antelucanis uigiliis cū fabris contēdebat. ſed & ſtudiū ſuū nō planè id ibat inficias: ſed fatebat, nō omninò ſcriptionē adhibere ad dicendū, neq; dicere tamē etiam ſe ſine ſcriptione. Imò popularem hominem oſtendebat eſſe eum, qui ad dicendum meditaretur. eum enim pertinere ad obſeruantiam populi Athenienſis apparatum. In oratione contra Midiam, lucubrationis fructū clarè ob oculos ponens: Ego uerò, inquit, commentatum eſſe me aio, atque haudquaquam inficias eam. Sanè, quantum ualui, meditatus ſum. Etenim miſer ſim, ſi cùm ita accept9 ſum & accipior, ea, quę dicturus de his eram, neglexiſſem. Plut. de Inſtit. liberis. Neceſſitate tamē urgēte, & ueræ etiā oſtentandæ artis cauſa ꝓ occaſionē nōnunq̃ ex tempore dixit, ſed raro. Demades, illo aliquādo perculſo exurrexit promtè, eumq; in dicendo expeditè iuuit: Demadem ille nunquam. Adeóque apparet, reuera Demoſthenem cætera Periclis neglexiſſe, actionem uerò eius & conformationem, néue derepentè, neq; omni de re diceret fortuitò, uelut hinc creuiſſet, ſecutū eſſe, & ut quam maximè poſſet extemporè dicere, noluiſſe tamen frequenter ſuam facultatem credere fortunæ. Plutarchus in Demoſthene, & in uitis Decem.

LYCVRGVS orator Athenienſis meditabatur & noctu & interdiu, quòd non bene eſſet ad ſubitò dicendum comparatus. Ac quò faciliùs excitaretur & meditaretur, in lectulo cubabat, in quo uillus tantùm & puluinus erat. Obtrectanti cuidam, quòd exercēs ſe ad dicendum, mercedem ſophiſtis penderet: Ego uerò, inquit, ſiquis filios meos mihi ſe oſtendat redditurum meliores, non mille drachmarū, ſed dimidium cenſus mei impendam. Plut. in uita Lycurgi.

PHOCION Athenienſis cùm in concione ſederet ſeorſim, acceſſit quidam, qui diceret: Vidêre cogitabundus, ô Phociō. Rectè quidē conjectas, reſpondit: cogito enim, ſi quid queā detrahere his, quæ dicturus ſum apud Athenienſes. Plutarchus in Apopht. Græcorum.

C. CARBO canorus orator, uolubilis, ſatis acris, uehemens, ualde dulcis, perfacetus, induſtrius, diligens, in exercitationibus commentationibusq; multum operæ ſolit9 ponere. Cic. in Bruto.

Dicitur CICERO non ſecùs ac Demoſthenes, in actione laboraſſe: eaq; de cauſa ſedulò nunc Roſcio Comœdo, nūc Aeſopo Tragœdo operam dedit. Eum ſatis conſtat, contendere cum Q. Roſcio hiſtrione ſolitum, utrū ille ſæpiùs eandem ſententiam uariis geſtib. efficeret, an ipſe per eloquentiæ copiam ſermone diuerſo pronunciaret. Quæ res ad hāc artis ſuæ fiduciam Roſcium abſtraxit, ut librum conſcriberet, quo eloquentiam cum hiſtrionia compararet. Macrob. lib. 3. Saturn. cap. 14. & Plut. in eius uita.

IDEM, cùm cauſam oraturus eſſet apud Centumuiros, iamq; dies inſtaret, Erotam ſeruum manumiſit: eo quòd nunciaſſet, cognitionem in poſterum diem fuiſſe prorogatā. Tantum enim temporis ſibi ad examinandum ea, quæ cōcepiſſet, datum eſſe gaudebat.

AVGVSTVS neq; in ſenatu, neq; apud populum neq; apud milites locutus eſt unquam, niſi meditata & compoſita oratione: quamuis non deficeret ad ſubita, extemporali facultate. Suetonius.

ARISTIDES patria Adrianus ex Myſia, ſiue Bithynia, Eudęmonis philoſophi filius, dicendi copia & ui expreſſit Marco Imperatori, ut Smyrnam motu terræ ac hiatibus labefactatā, & funditùs penè euerſam, reſtitueret: cùm monodia, hoc eſt, oratione querula & flebili frequēs eliceret ſuſpiriū, mox uerò etiam lacrymas, ac demùm intuliſſet, ζέφυροι ἐρήμην αὐτὴν καταπνέουσιν: hoc eſt, deſolatam perflant Zephyri.

### EXTEMPORANEÆ, Αὐτοσχεδιαστικαί.

Extemporalis orationis, quam αὐτοσχέδιον & σχέδιον λόγον Græci uocant, princeps uidetur eſſe GORGIAS Leontinus, patre Carmantida natus, neglectum cultum in orationibus approbans, ut in Eliacôn ſecūdo ſcribit Pauſanias. Is enim Athenis in theatrum progreſſus, primus auſus fuit dicere, προβάλλετε, id eſt, Proponite: innuens nihil omnium latêre ſe, & quauis de re propoſita paratum diſſerere, ut Philoſtratus commemorat. quod & Cicero non uno in loco repetit his uerbis: Is princeps ex omnib. auſus eſt in cōuentu poſcere, qua de re quiſq; uellet audire. Quin apud Platonē Gorgias de omni re, quæcunq; in diſceptationem quæſtionemq; uocaretur, copioſiſſimè ſe dicturū profitetur. Alij Aeſchinem Atrometi filium inueniſſe τὸ σχεδιάζειν ſcribunt, qui tempore Mauſoli Cariæ regis Rhodum profectus, extemporanea oratione illū celebrauit. Sunt qui à Pericle fluxiſſe σχεδίων λόγων fontes memorāt: neq; deſunt qui ad Pythonem Byzantinū huius inuentionis gloriā trahunt. Cogn. lib. 3. Narrat.

ANAXIMENES Lampſacenus, ſophiſta & philoſophus inſignis fuit, & primus extempore dicere fuit auſus. Pauſanias lib. 6. & Suidas.

CALLISTHENES extemporanea laudatione & uituperatione Macedonum, exitium ſibi peperit. Vide tit. Diſerti philoſophi.

DEMADES, ualebat extemporali dictione, quum Demoſthenes non niſi de ſcripto diceret. Plut. in Græcorum Apoph.

DEMOSTHENES, etſi non niſi pręmeditatus dicere conſueuerat, tamen neceſſitate oblata, gloriæ occaſione uſus eſt. Sic Byzantium Pythonem inſultantem & inuehentem flumine orationis in Athenienſes, ſolus ſurgēs refutauit: & cū Lamachus Mirinęus (Terinæus in uita Decem legitur) regū laudationem conſcripſiſſet Alexandri & Philippi, qua multa probra cōgeſſit in Thebanos & Olynthios, eamq; in conuentu recitaſſet Olympiaco: ſubitò ſurgens, commemoratis exemplis & argumentis multorum Thebanorū & Chalcidenſium erga Græciam meritorum, contrà multis calamitatibus, quæ adulatoribus Macedonum referendæ acceptę eſſent: uſqueadeò commouit auditores, ut perculſus tumultu ſophiſta ſubduceret ſe ex conuentu. Plut. in Demoſth. At idem in uita Decē oratorū eum pleraſq; orationes extempore habuiſſe ſcribit, quòd ad eam facultatē habilis eſſet.

AESCHI-



AESCHINES, Demoſthenis æmulus, extemporanea dicendi facultate præditus fuit. Vide tit. Eloquentum.

CARNEADES Academicus, DIOGENES Stoicus, CRITOLAVS Peripateticus, ab Athenienſibus legati Romam miſſi ſunt. Hi legationem in Senatu uetuſto more per interpretem peregerunt, petentes multæ remiſſionem, quam propter Oropi uaſtationem S. P. Q. R. populo Atheniēſi indixerat. Quæ quidem multa, ut eſt in Saturnalibus, fuerat talentum D. Celeberrimo poſtea urbis loco, maximo populi concurſu, oſtentandæ eloquentiæ gratia, ſeparatim quiſque extemporè diſſeruit: traditumq; eſt memoriæ, Carneadis impetuoſam & torrentem, Diogenis prudentē & iucundam, Critolai circumſpectam & ſuauem eloquentiā fuiſſe.

PROÆRESIVS Armenus ſophiſta, Rhetorices profeſſor Athenis, æmulorum technis urbe pulſus, poſtliminiò reuerſus eſt. Ibi Proconſul animi cauſa Sophiſtarum cœtum conuocauit, & extemporè de propoſita quęſtione dicere ſingulis iuſſit. Tergiuerſantibus cunctis, & Ariſtidis rhetoris uerba proferentibus, Quòd non eſſent uomentium è numero, ſed elaboratè aliquid enitentium: Procōſul Proæreſium de hoc ipſo compellauit. Ille animaduertens duos ex aduerſariis ſuis in angulo deliteſcere, eos in medium produci petiit, ut quam uellent quæſtionem proponerent. Coacti illi, atq; inter ſe collocuti, propoſitionem è uulgo petitam, ab omni ornatu oratorio prorſus alienam, protulerūt. Ibi tum Proæreſius notarios dicta ſua excepturos ſibi dari, &, ne qs plauſum daret, concedi ſibi petiit. Mox tanta cum eloquentia & orationis flumine negotium peregit, ut omnes illum tanquam Deum ſuſpicerent. Vbi ad agonem uentum erat, tum demum uix aſſequentibus eum ſcribis, & corona ęgrè ſilentium tenente, cōuerſo ad ſcribas uultu, Obſeruate, inquit, diligenter, meminerímne omnium, quæ dixi hacten9, & ſi uel uerbo ullo titubem aut peccem. Eandemq; orationem denuò ordine recitare cœpit: ſic ut nec Proconſul nec auditores ampliùs ſilentium tenerent, ſed ſophiſtæ pectus uelut ſimulacrum Dei alicuius circumlamberent, alij manus, alij pedes deoſcularentur ſupplices, nonnulli Mercurij eloquentiæ præſidis typum nominarent. Proconſul certè eum cum omni ſatellitio ſuo comitatum è Theatro honorificè deduxit. Quin ſæpe aliàs extemporalis eloquentiæ ſuæ ſpecimen dedit, uti narrat Eunapius in eius uita.

# CERTAMINA ELOQVENTIAE

## RHETORVM.

Inter PROTAGORAM ſophiſtarū acerrimū & EVATHLVM diſcipulum, lis & cōtrouerſia ſuper pacta mercede hæc fuit. Euathlus adoleſcens diues, eloquētiæ diſcendæ, cauſarūq; orandi cupiens fuit, is in diſcipulum Protagoræ ſeſe dedit, daturumq; promiſit mercedem, grandem pecuniam, quantam Protagoras petiuerat: dimidiumq; eius dedit iam tunc ſtatim priuſquàm diſceret, pepigitq;, ut reliquum dimidiū daret, quo primùm die cauſam apud iudices oraſſet & uiciſſet. Poſtea cùm diutulè auditor aſſectatorq; Protagoræ fuiſſet, & in ſtudio quidem facundiæ abundè promouiſſet, cauſas tamen non reciperet, tempuſque iam longum tranſcurreret, & facere id uideretur, ne reliquum mercedis daret: capit conſilium Protagoras, ut tum exiſtimabat, aſtutum, petere inſtituit ex pacto mercedem, litem cum Euathlo conteſtatur. Et cùm ad iudices coniiciendæ conſiſtendæq; cauſæ gratia ueniſſet, tum Protagoras ſic exorſus eſt: Diſce, inqt, ſtultiſſime adoleſcens, utroq; id modo fore, uti reddas qđ peto, ſiue contra te pronunciatum erit, ſiue pro te. Nam ſi contra te lis data erit, merces mihi ex ſententia debebitur, quia ego uicero: ſin uerò ſecundum te iudicatum erit, merces mihi ex pacto debebitur, quia tu uiceris. Ad ea reſpōdit Euathlus: Potui, inquit, huic tuæ tam ancipiti captioni iſſe obuiam, ſi uerba ipſe nō facerem, atq; alio patrono uterer. Sed maius mihi in iſta uictoria proludium eſt, cùm te non cauſa tantùm, ſed etiam in argumēto uinco. Diſce igitur tu quoq; magiſter ſapientiſſime, utroq; modo fieri, uti nō reddam, quod petis, ſiue contra me pronunciatum fuerit, ſiue pro me. Nam ſi iudices pro mea cauſa ſenſerint, nihil tibi ex ſententia debebitur, quia ego uicero: ſin contra me pronūciauerint, nihil tibi ex pacto debeo, quia ego non uicero. Tū iudices dubioſum hoc inexplicabileq; eſſe, quod utrinque dicebatur rati, ne ſententia ſua utramcunq; in partē dicta eſſet, ipſa ſeſe reſcinderet, rem iniudicatam reliquerunt, cauſam in diem longiſſimum diſtulerunt. Gellius libro 5. Noctium Atticarum.

CORAX quidam primus Syracuſis, poſt mortem Hieronis, inſtituit artem rhetoricen mercede profiteri. Cum hoc adoleſcens quidam TISIAS hac lege pactus eſt, ut tum demū mercedem perſolueret, ubi iam artem perdidiciſſet. Dein ubi iam arte cognita, præmium reddere cunctaretur, Corax in ius diſcipulum uocat. Ibi iuuenis huiuſmodi dilemma proponit. Percontanti quis eſſet artis finis, ubi Corax reſpōdiſſet, perſuadere dicendo, Agè, inquit, ſi perſuadeo iudicibus, me nihil debere, non reddam, quia uici cauſam: ſin minus perſuadeo, non reddam, quia non perdidici artem. At Corax Tiſiæ dilemma tanquam uitioſum & ἀντιστρέφον, in diſcipulum retorſit ad hunc modū: Imò, inquit, ſi perſuades, dabis, quia tenes artem, & debes ex pacto: ſin minus, dabis, quia ſentētiis iudicum damnatus. Quod commentum tam uafrum, tamq; callidum ubi iudices audiſſent, admirati uerſutiam adoleſcentis, ſucclamarunt, κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν. Sunt qui narrent hoc ſucclamatum à corona circumſtantium, cùm alter alteri litem intenderet. Eraſmus in Adagiis.

Demoſthenes, profectus ad Olympiacam Græciæ celebritatē, audienſque ibi Lamachum Terinæum (Mirinęum habet in uita Demoſthenis) qui Philippi & Alexandri laudationem recitabat, Thebanos autem & Olynthios inſectabatur: obiecit ſe ei, atq; ueterum poetarum elogia de rebus à Thebanis & Olynthiis præclarè geſtis protulit, ut obmuteſceret deinceps Lamachus, atq; ex conuentu fugeret. Plutarchus in uita Decem.

Mortuo Alexandro, Athenienſes reſpirantes paululum, cōtra Macedones inſurrexere. Demoſthenes, qui in exilio erat, legatis Athenienſium aſſocians ſeſe, conatus eorum adiuuit, quò ciuitates coniunctis uiribus Macedones adorirentur. In Arcadia PYTHEAM & DEMOSTHENEM memorat Phylarchus, dum hic pro Græcis, ille uerba facit pro Macedonibus, ad mutua progreſſos conuitia fuiſſe. Perhibetur Pytheas dixiſſe, ut domum, in quam lac aſininum infertur, omnino laborare aliquo morbo arbitramur: ita urbs non poſſe fieri quin ægrotet, quam legatio adiret Athenienſiū. Demoſthenem uerò retorſiſſe exemplū hiſce uerbis: Et lac aſininum ad ſanitatem inferri, & ad ſalutem ægrotantium adeſſe Athenienſes. Quibus populus Atheniēſis captus, reditum Demoſtheni decreuit. Plut. in Demoſthene.

RHETORVM certamen annuum Lugduni ad confluentem Araris & Rhodani à Iulio Cæſare inſtitutum. Antonius Pinetus in deſcript. Vrbium.

C. ALBVTIVS Silus Nouarienſis, ędilitate in patria functus, Romam uenit: receptuſq; in Planci oratoris cōtubernium, cùm ab eo prouocatus, ſplendidè eleganterq; perorando, Planco ſilentium impoſuiſſet, ex eo clarus propria auditoria inſtituit. Suetonius de Claris orat.

ANATOLIVS Berytenſis, Conſtantis Imp. præfectus prætorio, eloquentię amator, Athenas properauit, & pręmiſſo ad ſophiſtas problemate quodam, De ſtatu problematis, iuſſit omnes in eo ingenij neruos intendere. Formidabilior fuit illius in Gręciam deſcenſus ſophiſtis, quàm Xerxis olim. Omnes enim ſe fatigabāt, dum pro generali quęſtione & ſtatu problematis, ſuam quiſq; opinionem excolit atq; expolit. Vbi uenit Anatolius, ſophiſtas ad certamen in dictum prouocauit. Illi certatim pro ſe quiſq; alius alium præuertere ſtudebat, oſtentandi ingenij cauſa. Anatolius uerò illos ridebat, & uicem parentum dolebat, quorum liberi ab eiuſcemodi præceptoribus inſtituerentur: illorumq; ridens diſſidia, Si plures quàm tredecim fuiſſent profeſſores, inquit, adinueniſſent fortè & alios ſtatus, ut unum idemq; problema multifariam commentarentur. Solum uerò Proæreſium laudauit, qui conciliata ſibi familiarium Anatolij beneuolentia, & ab iis edoctus ſtatum, quem ille laudandum ſuſceperat, etſi nullius momenti res erat, aptè tamen & extemporè dixerat. Eunapius in uita Proæreſij.

IVLIANO rhetore Athenis extincto, poſtquam ciuitas incenſa fuit ſtudio deligēdi ſucceſſorē, qui in docēdo prærogatiuam referret, plurimi docēdę ſophiſtices munus ambiētes, nomē ſuū ꝓfeſſi ſunt. Cæterū ex omnib. delecti ꝑ ſuffragia Proæreſius Armenus, Hephęſtion, Epiphanius, & Diophantus Arabs. Acceſſit ad numerū Sopolis, clādeſtino & deſpecto ſupplemēto, & Parnaſius quidā è uiliore etiam: oportebat enim ex inſtituto Romanorū, Athenis uiciſſim alios dicere, alios auditores eſſe. His ergo per ſuffragia creatis, una pars Minorū gentiū uocabatur & ſimplicior, cui9 poteſtas finiebatur tribunaliū ſubſelliis & ſuggeſto, in qđ aſcēdebatur: mox in Maiorū gentiū, & præſtātiores ſophiſtas diuiſa fuit ciuitas: nec ea modò, quin cūctæ nationes Romano nomini ſubditæ: neq; diſſenſio erat inter illos de eloquentia, ſed de totis nationib. propter eloquētiæ facultatem cui cederent. Siquidem totus Oriens ceu magiſtratus quiſpiā aut honorarium Epiphanio in delectū abiit haud obſcurè: Diophantus Arabiam ſortitus eſt: Hephæſtion reuerentia Proæreſij pariter & reliquit Athenas, & ex hominibus exceſſit: Proæreſio Pontus uniuerſus, Bithynia, Helleſpōtus, Lydia, Aegyptus uniuerſa ob celebritatem in dicēdo, ceu peculiū obuenerat, & quæ plaga ſupra Aegyptum ad Libyā extrahitur, & incognitis finibus, ſed tñ habitatis, circumſcribitur.

Neq;

Neq; uerò eloquentia tantùm, ſed & miris artibus ineſcabant & alliciebant auditores. Habebant ſinguli ſuarum partium ſtudioſos naucleros, caupones, addo etiã meretrices: & è naui egreſſos ſtudioſos captabant ad hunc uel illũ profeſſorem adducere. Sicuti Eunapius in uita Proæreſij & Vlpiani docet, Vlpianum inſidiis Diophanti auditorũ, à ſchola Proæreſij abductum aſſerens.

### POLITICORVM.

THVCYDIDES rogatus ab rege Spartiatarum Archidamo, ipſe an PERICLES luctâ præſtaret? Nemo, inquit, id poſſit dicere. Nam ſi quando luctando eum ego proſtraui, ille ſe negans cecidiſſe, uincere perſuadet ſpectatoribus. Id uerò non illi modò laudem, uerùm etiam ſalutem ciuitati peperit. Dum enim ei obſecundat, conſeruauit opes ſuas, & reb. externis abſtinuit. NICIAS, qui idem conſilium ſectabatur, quia ea facundia deſtituebatur, & quaſi molli freno parabat oratione populum deflectere, non retinere eum neq; reprimere ualuit: ſed ui ablatus in Siciliam eſt, atq; unà cũ repub. effuſus. Plut. in Pericle, & in præceptis Politicis.

Incredibilis amor Danorum procerum in Frotonem III. regem, eos coegit de regno cõſulturos, ut decernerent, illum fore regem, qui excellentiſſimo & rariſſimo elogio defunctum regem cohoneſtaſſet. Tanto præmio propoſito, certabant uniuerſi, defuncti gloriã extollere. ALIVS cũ commemoratione rerum geſtarum diis æquabat: alius iuſtitiã eius tẽplo etiam honorandã cẽſebat. HIARNVS uerò, mediocris fortunæ homo, poetices in ſua lingua peritiſſimus, ſi epitaphio condito, regis memoria ad poſteros tranſmitteretur, ſummi honoris argumentum fore teſtatus, edito carmine, quum illud complacuiſſet, coronam regni obtinuit. Carmen illud Saxo Latinè reddidit:

Frotonem Dani, quem longum uiuere uellent,
Per ſua defunctum rura tulere diu.
Principis hoc ſummi tumulatum ceſpite corpus,
Aethere ſub liquido nuda recondit humus.

Sed tandem à Frideuo Frotonis F. ex Ruſſia reuerſo, oppreſſus eſt Hiarnus. Cranzius lib. 1. Daniæ, cap. 33.

### CAVSIDICORVM.

*Ex Tit. Cauſidicorum petantur exempla, quatenus contra antagoniſtam certant.*

M. Marius Gratidianus C. Sergio Oratæ uendiderat ædes eas, quas ab eodem ipſe paucis antè annis emerat. Hæ Sergio cuidam alij ſeruiebant: ſed hoc in mancipio Marius non dixerat. Adducta res in iudicium eſt. Oratam M. Craſſus, Gratidianum defendebat M. ANTONIVS. Ius Craſſus urgebat: quicquid fuiſſet incommodi, id ſi uenditor ſciſſet, neq; in mancipij lege declaraſſet, præſtare debere. Aequitatem Antonius, quando id uitium ignotum Sergio non fuiſſet, q̃ illas ædes eidem antea uendidiſſet, quo etiam tempore ſeruiebãt, nihil fuiſſe neceſſe dici: nec eum eſſe deceptum, qui id, quod emerat, quo iure eſſet, teneret. Quid Centumuiri pronunciarint, non refertur à Cicerone. Sed ex iure noſtro certum eſt, cùm ædes non ita uenierunt, VTI OPTIMÆ MAXIMÆ, liberas tradi neceſſe non fuiſſe. P. Aerodius lib. 1. Decret. ex Cic. lib. 3. Offic. & lib. 1. de Oratore.

## IVDICIVM RHETORICVM DE ALIORVM ELOQVENTIA.

### RECTVM.

PHILIPPVS Macedoniæ rex illis, qui deferebant ad ipſum conciones Demoſthenis, dicebat, etiam ſe ipſum, ſi dicentẽ audiſſet Demoſthenem, deſignaturum illum fuiſſe ad gerẽdum ſecum bellum. Comparabat huius orationes propter pompoſos neruos militibus, Iſocratis athletis: oblectationem enim præbere has theatralem tantùm. Plut. in Decem.

ISOCRATES requirenti ex ipſo, Quid ars oratoria polleret? reſpondit, Parua magna, & magna reddere parua. Plutarch. in uitis Decem.

THEOPHRASTVS philoſophus interrogatus, qui ſibi uideretur Demoſthenes orator, reſpondit, Dignus hac urbe. Qualis Demades? Supra urbem. POLYEVCTVS Sphettius unus ex iis, qui per id tempus remp. Athenis gerebant, dixit, Summum Demoſthenem oratorem eſſe, ſed acerrimum in dicendo Phocionem. Plurimum enim eum, pauciſſimis uerbis ſententiæ cõplecti. DEMOSTHENEM aiunt, quoties contra ſe dicturus pulpitum conſcenderet Phocion, ad familiares ſuos dicere ſolitum: Mearum ſecuris orationum exurgit. Incertum eſt autẽ, de oratione illius ſic ſentiret Demoſthenes, ánne de uita & exiſtimatione: quòd permultis & prolixis circuitibus, unum uerbum & nutum exiſtimaret probati uiri, eſſe ualidiorem. Plut. in Demoſthene.

M. CATO Cenſorius cùm philoſophum Carneadem de iuſtitia Academico more in utranq; partem diſſerentem Romæ audiuiſſet, patribus ſuaſit, hominem hunc citò dimittendum, ne ſua eloquentia animos ciuium corrumperet. Quintilian. lib. 12. Inſtit. cap. 1.

ASINIVS Pollio, Trallianus ſophiſta & philoſophus, Declamationes ſuas nunquam populo commiſit, uir alioqui naſutiore iudicio. Carpebat in Liuio Patauinitatem, in Cæſaris Commentariis infidelitatem, in Salluſtio uerba obſoleta, in Cicerone ſtilum nimis exanguem.

PHAVORINVS philoſophus dicere ſolebat, ſi ex Platonis oratione uerbum aliquod demas, mutéſue, atq; id commodiſſimè facias, de elegantia tantùm detraxeris: ſi ex Lyſia, de ſententia. Gellius lib. 2. cap. 5.

Cicero Rhodum profectus, APOLLONIVM oratorem Molonis F. audiuit. Hunc Apollonium fama eſt, quòd imperitꝰ eſſet Romanæ linguæ, à Cicerone ut declamaret Græcè, cõtendiſſe: Ciceronem ei morem geſſiſſe libenter, ita fore ratum, meliùs ut corrigeret ſe ille. Poſtquam declamauit, cæteris ſtupore defixis, & certatim collaudantibus eum, Apollonium non hilarem fuiſſe, dum audiret dicentem: & cùm peroraſſet, diu ſediſſe cogitabundum: tandẽ ubi id momordit Ciceronem, dixiſſe: Te quidem laudo Cicero & admiror, Græciæ uerò miſeret me conditionis: cùm cernam, quę reliqua nobis ſola erant ornamenta, ea quoq; te ad Romanos tranſtuliſſe, literas & eloquentiam. Plut. in Cicerone.

M. TVL. Cicero oratores, qui magnos edebant clamores, irridens, ex impotentia dicebat in clamorem, ſicut claudos in equum inſilire. Plut. in Cicerone.

EIVSDEM iudiciũ de quinq; nobiliſſ. Gręciæ ſcriptorib. tale: Quid aut Herodoto dulcius, aut Thucydide grauius, aut Philiſto breuius, aut Theopompo acrius, aut Theophraſto mitius inueniri poteſt? Victorius lib. 10. Var. lect. cap. 10. ex Cic. Hortenſio, apud Nonium.

C. Licinius Caluus, Ciceronis æmulus, tanta ui VATINIVM accuſaſſe dicitur, ut Vatinius exurgens exclamarit: Rogo uos iudices, num, quia hic diſertus, ego condemnabor?

MESSALA exactiſſimi uir ingenij, & Latini ſermonis obſeruantiſſimus, quum audiſſet M. Portium Latronem declamantem, dixit, Sua lingua diſertus eſt. Sic ingenium concedens, ſermonem obiicere illi uidebatur. Cælius lib. 11. capite 13. Antiq. Lect.

CALIGVLÆ Cæſari uſqueadeò placebat uis ac feruor in dicendo, ut Senecæ orationem, ſine calce arenam ſit ſolitꝰ appellare, tanquam diſſolutam ac neruis carentem & ordine: quæ quodãmodo compages eſt totius ſermonis, ſuo quicque loco diſponens. Quanquam autem Caligula multa parum integræ mentis dedit argumenta, tamẽ in hoc iudicio minimùm aberrauit à ſcopo. Seneca fertur impetu quodã, minimè ſeruiens ordini. Hoc inter egregias uirtutes habet næui. Suetonius in Caligula.

Romanis rogantibus PROÆRESIVM ſophiſtã, uti propriũ ſuum diſcipulum ad ſe mitteret Athenis, Euſebium Alexandrinum eò miſit, qui cum urbis Romanæ morib. ualdè congruere uidebatur: quippe is ad aſſentationem eruditus, proceribus palpari norat, & Athenis ſeditioſus homo habebatur, alioſq; præ ſe contemnere, ſeſe maximi facere conſueuerat. Quapropter hominem urbanarum nequitiarũ haud imperitum eò ſubmiſit. Nam quod ad oratoriam facultatẽ attinet, id dixiſſe ſatis ſit, quòd Aegyptius fuerit. Eunapius.

IO. PICVS Mirandula, Pauli epiſtolas oratorum omniũ ſcriptionibus eloquentia præſtare dicebat, Tullij & Demoſthenis lucubrationes nominatim citans: non quòd eſſent, ut illæ, calamiſtris inuſtæ, & corraſis undique fucis & cincinnis conſtipatæ, ſed quòd ueram ſolidamq; redolerent & ſaperent eloquentiam, ueris ſententiis, uera arte ſuffultam, eſſentq; Aegyptiorum opibus non conſultò ſuffarcinatæ. Omnia porrò ueteris legis eloquia conſummatiſſimæ ſcientiæ, & ſapientiæ plena prædicabat. Ioannes Franciſcus in eius uita.

### INEPTVM.

Rhetoricam definit CHRYSIPPVS eſſe artem, quæ de ornatu & pronunciandæ orationis eleganti digeſtione tractat. Præterea libro primo hæc ſcripſit: Nõ modò ingenui & ſimplicis ornatus eſt in oratione habenda ratio, ſed & conuenientis actionis in congruentibus modis uocis, & oris manuumq; conformationibus. At è diuerſo eodem in libro cũ de uocalium colliſione priùs egiſſet: Non ſolùm hæc, inq̃t, negligenda, incumbendumq; potioribus: uerumetiam obſcuritates nonnullæ, defectiones, & uerò ſolœciſmi, quorũ cauſa alij non pauci erubeſcũt. Plut. de Stoicorum pugnis.

Lyſias CVIPIAM in iudicium adducto conſcripſit orationẽ.





Quàm ubi accepit, & ſæpiùs perlegit, animo abiecto adiit Lyſiam, narrans, cùm eam primùm percurriſſet, mirè ſibi orationem placuiſſe: uerùm iterum ac tertiũ repetenti, prorſus elumbem uiſam eſſe & languidam. Cui Lyſias arridens: Quid tum, inquit, nónne eam ſemel apud iudices habebis? Plutarchus de Garrulitate.

PYTHEAS, Demoſthenis orationem lucernam dixit redolere, ſophiſticamque & argutam ſedulitatem duris enthymematibus & uerborum ambitibus ad regulam & circinum elaboratam. Plut. in præcept. Polit.

Iuuenalis Satyra 7. ROMANOS in diiudicanda oratorum eloquentia his uerbis reprehendit:

—— Ciceroni nemo ducentos
Nunc dederit nummos, niſi fulſerit annulus ingens.
Reſpicit hoc primùm, qui litigat, an tibi ſerui
Octo, decem comites, poſt te an ſit ſella, togati
Ante pedes. Ideo conducta Paulus agebat
Sardonyche, atq; ideo pluris, quàm Coſſus, agebat,
Quàm Baſilus: rara in tenui facundia panno.

ADRIANVS Imp. amauit uetuſtum dicẽdi genus, ob eamq; rem Catonem Ciceroni prætulit, Virgilio Ennium, Saluſtio Cæcilium. Sab. lib. 4. Ennead. 7.

## ELOQVENTIÆ VIRES, SVCCESSVS, EFFECTVS.

## ORATORES QVI

### PERSVASERE.

*Conſule Tit. Actio elegans. Hæc enim tanti eſt in perſuadendo momenti, ut Demoſthenes de uirtute oratoris ter rogatus, Agere, ter reſponderit.*

Cùm Phaceas Iſraeliticus rex, Achazum Iudęorum regem bello uiciſſet, & Iudæorum circiter ducenta millia captiua duceret: ei OBED propheta occurrit, adeoque blandè agendo, orando, monendoque profecit, ut ex immani ſuperbóque (quales uictoria homines facere ſolet) ad ſummã clementiam, uictorem traduceret. Impetrauit enim, ut non ſolùm captiui liberarentur: uerùm etiam, ut, qui amiſſis omnibus nudi erant relicti, ueſtirentur. Fulgoſus libro octauo, capite nono.

Cùm recèns eſſent homines nati, magnus inter hos ac reliqua animantia tumultus erat, propterea quòd non poſſent inuicem uti ſeſe. Nec enim ulla res intercedebat, quæ illos conciliaret: uerùm qui potentiores erant, opprimebant inferiores. Neque ſatis erant idonei, ut reliquis animantibus reſiſterent. Omnibus enim illis omni ex parte inferiores erant, aliaque in re ab aliis uincebantur. Veluti ab uniuerſo genere uolucrum, celeritate. Vnde factum eſt, ut, quod ait Homerus, Pygmæis accidere à gruibus, id tum tẽporis paſſim à robuſtioribus auibus paterentur mortales. Rurſum quantum ad uires attinebat, longè ſuperabantur & à leonibus, & ab apris, & aliis item compluribus. Atque hunc in modum ſilentio peribant. Iam uerò quo ad munitionem ornatumque corporis, non coruis modò, uerumetiam cochleis cedebant, neque cuiquam ex ipſo ſuppetebat, quod ad tuendam uitam erat opus. Itaque cùm ad eum modum interiret hominum genus, ac paulatim dilaberetur, Prometheus orator aſcendit in cœlum, mortalium nomine: non ille quidem miſſus ab eis (neque enim dum id temporis legatos ullos erat cernere) ſed ipſe ultroneus abiit. At Iupiter partim in gratiam Promethei, maximè qui iuſta poſtulare uideretur: partim negotio apud ſeſe conſiderato, filiũ ſuum Mercurium iubet ad homines deſcendere, Rhetoricen ſecum adducentem. Edixit autem ut eam mortalibus impertiret, non (quemadmodum Prometheus omnibus ex æquo ſenſus reliquaque corporis membra, perinde quaſi theatralem pecuniam diſpertierat) ut omnes ex æquo rhetorices eſſent participes, non aliter, quàm oculorum, manuum ac pedum: ſed ut præſtantiſſimos quoſque, ingenióque generoſiſſimo pręditos deligeret, atque iis munus hoc impertiret, ad ſuam ipſorum & aliorum incolumitatẽ tuendam. Porrò poſteaquam rhetorica iam ad mortales perueniſſet, cùm negotium, quod habebant cum belluis moleſtiſſimum, licebat effugere, tum uerò deſierunt undequaq; inter ſeſe ſimultatem exercere, reperto commerciorum initio. Digreſſique de montibus, alij in aliam orbis partẽ iungebantur, principiò quidem ſub dio uiuentes: pòſt autem ubi uerbis inter ſe communicaſſent, & ciuitatem condiderunt, ac diſtributi ſunt: non, quemadmodum antea, temerè, uerùm in ordines plebis ac belli duces, ſanctiſque legibus, tum principes, tum reipubl. ſtatum inſtituerunt. Diis munera cœperunt offerre, primitias auſpicantes ab oratione. Quibus nunc quoque uel maximè gaudere deos conſentaneum eſt: quandoquidem hac contigit, ut primùm eſſe deos, cognoſceremus. Hinc deinceps ita creuit homo, ut qui initiò debilis fuerat atque inualidus, poſtea in altũ tolleretur: quique antea pro nihilo habitus, ac deſpectus erat, deinceps factus eſt omnium, quæ ſunt in terra, dominus: cui quibus uti liberet, ius eſſet, non alio propugnaculo ſibi parato, quàm oratione. Ariſtides in ſecundo libro, quem contra Platonem pro rhetorica ſcripſit. Extat fabella non diſſimilis apud Platonem in Protagora. Eraſmus in prouerbio, κοινὸς ἑρμῆς.

DEVCALION ex ſaxis homines formaſſe fingitur, nõ aliam ob cauſam, quàm quia oratione ſua primos homines ad mitiorem uitam traduxit.

ORPHEVS Thrax, & AMPHION Thebanus, ore ſuo ſaxa, ſyluas, uolucres atque feras mouiſſe dicuntur. Primi enim fuerunt, qui agreſte genus hominum eloquentia ſua in unũ collegerunt: & communis ſocietatis utilitate propoſita, ut domos primùm, deinde uicos, mox urbes colerent, auctores fuerunt. Præclarè igitur Horatius in Arte poetica:

Syluestres homines ſacer interpreſque deorum
Cædibus & uictu fœdo deterruit Orpheus:
Dictus ob hoc lenire tigres, rabidoſque leones.
Dictus & Amphion Thebanæ conditor urbis
Saxa mouere ſono teſtudinis, & prece blanda
Ducere quò uellet. Fuit hæc ſapientia quondam,
Publica priuatis ſecernere, ſacra prophanis,
Concubitu prohibere uago, dare iura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno.

Magni illi & Ioue prognati REGES, ut ait Homerus, purpuris, ſceptris, ſatellitibus, & diuinis oraculis faſtum ſibi ipſis conciliantes, atque ampla illa ſpecie mancipantes ſibi uulgus, quaſi auguſtiores: uoluerunt tamen,

Dicere uti poſſent rectè, res & gerere amplas,

neque repudiauerunt dictionis elegantiam, neque

Suggeſtus, quo præclarum ſibi nomen haberent:

neque Iouem conſilij auctorem ſolùm ciebant, neq; Martem bellatorem & bellonam Mineruam: uerùm Calliopen quoque implorabant,

Reges nimirum reuerendos quæ comitatur,

demulcens blandimentis, & deliniens populorum contumaciam & ferociam. Plutarchus in præcept. Polit.

THESEVS, cùm in unam ciuitatem ex agris Athenienſiũ populum compuliſſet, Veneris popularis & Suadelæ cultum induxit: huic propter politiæ conſtitutionem, quoniam eloquentia ſua rudi populo cõuerſationem hanc politicam perſuaſiſſet: illi ob ciuitatis conſeruationem. Pauſanias in Atticis.

SOLON Salaminius, cùm inter Athenienſes & Megarenſes ferè uſque ad internecionem pro Salamine depugnatum eſſet, & capitale apud Athenienſes eſſe cœpiſſet, ſi quis legẽ de aſſerenda inſula ferret: furore poetico ſe percitum ſimulans, in concionem lymphatici habitu prodiit, & carmina per præconem populo propoſuit (cùm priùs tamen ignarus poeticæ ab omnibus haberetur) ciuiumque animos ad bellum ſuſcipiendum, & Salaminem repetendam, animauit. Rhetorices ope uſum quis neget? Poeticam tamen ſimulauit, ut plus auctoritatis ſibi conciliaret, & dei afflatu uerſus edere uideretur. Polyænus libro primo. Verſus autem quibus illos potiſſimùm perſuaſit, hi fuerunt, teſte Laertio:

Εἴην δή τοτ' ἐγὼ φολεγάνδριος ἢ σικινήτης,
ἀντί γ' ἀθηναίης, πατρίδ' ἀμειψάμενος.
Αἶψα γὰρ ἂν φάτις ἥδε μετ' ἀνθρώποισι γένοιτο,
Ἀττικὸς οὗτος ἀνὴρ τῶν Σαλαμῖν' ἀφέντων·
Ἴομεν ἐς Σαλαμῖνα μαχησόμενοι περὶ νήσου
Ἱμερτῆς, χαλεπόν τ' αἶσχος ἀπωσόμενοι.

PISISTRATVS dicendo tantùm ualuit, ut ei Athenienſes regium imperium, oratione capti permitterent, cùm tamẽ ex contraria parte amantiſſimus patriæ Solon niteretur. Sed alterius ſalubriores erant conciones, alterius diſertiores. Quo euênit, ut alioqui prudentiſſima ciuitas libertati ſeruitutem præferret. Valerius libro octauo, capite nono, & Volaterranus lib. 18.

PYTHAGORAS ad Crotonem Italiæ urbem (cuius populus graui prælio attritus, armorum deſperationem, atque omnis uirtutis odium ſimul hauſerat) uocatus, labentes & iam in luxuriam prolapſos ciuitatis mores, ſapientiæ ac eloquentiæ ſuæ præſidio firmauit, erexitque. Tantumque apud eos ualuit, ut populum non minùs uitiis quàm ferro domitum, aſſiduis monitis ad antiquæ uirtutis habitum traduceret. Petrarcha, & Volaterranus libro decimooctauo Anthropologiæ.

TYRTÆVS Athenienſis ludimagiſter, Lacedæmonios ſuis carminibus ita inflammauit, ut cùm à Meſſeniis ter eſſent uicti, illius eloquentia priſtinam fortitudinem recupera-

rint. Itaque ſinguli ſua parentumque nomina libro inſcripta, lacertis alligarunt, ut ſi in prælio cecidiſſent, corpora internoſci à neceſſariis, & rogo mandari poſſent. Vide Titulum Poetarum Ethicorum.

THEMISTOCLES eloquentia ſua Athenienſibus perſuaſit, ut argentifodinarum annuos reditus, qui quotannis populo uiritim diuidebantur, ad ædificandam claſſem transferrent, ſuaque alimenta reipubl. commodis deuouerent. Plutarchus in eius uita.

PERICLIS reipub. gubernandæ ratio uerbo, ut ait Thucydides, popularis: re, ſub uiro primario ob eloquētiæ uim fuit principatus. Plutarchus in præceptis Politicis. Ille liberis Athenarum ceruicibus iugum ſeruitutis, eloquentia ſua impoſuit. Egit enim illam urbem, & uerſauit arbitrio ſuo. Cumque aduerſus uoluntatem populi loqueretur, iucunda nihilominùs & popularis eius uox erat. Itaque ueteris comœdiæ maledica lingua, quamuis potentiam uiri perſtringere cupiebat, tamen in labris hominis, melle dulciorem lepôrem fatebatur habitare: inque animis eorum, qui illum audierant, quaſi aculeos quoſdam relinqui, prędicabat. Fertur, cùm quidam admodum ſenex primæ concioni Periclis adoleſcentuli intereſſet, idemque iuuenis Piſiſtratum decrepitum iam concionantem audiuiſſet, non tamen temperaſſe ſibi, quò minùs exclamaret, Caueri illum ciuem oportere, quòd Piſiſtrati orationi ſimillima eius foret oratio. Nec hominem aut æſtimatio eloquij, aut morum augurium fefellit. Quid enim inter Piſiſtratum & Periclem interfuit? niſi quòd ille armatus, hic ſine armis, tyrannidem geſſit. Valerius Maximus lib. 8. c. 9.

EPAMINONDAS Thebanus, cùm in Græcię cōcilio de Lacedæmoniorum tyrannide & libidine dominādi multa diſſeruiſſet: uſque adeò Græcorum animos commouit, ut à Lacedæmoniis deficerent, & Leuctricæ calamitatis ocioſos ſpectatores ſeſe exhiberent. Itaque priùs lingua ſua, quàm armis, Lacedæmonios uicit Epaminondas. Probus in eius uita.

THVCYDIDES populo Athenienſi præfuit. tandem patria pulſus, ad exilij ſolamen Tragœdiam ſcripſit, tanta arte, ut cùm eam Athenienſes audiuiſſent, publico conſenſu eum ab exilio reuocarint: cuius imperium neglexerunt, eius (ut ait Plinius) eloquentiam mirati. Petrarcha.

A GORGIA Leontino primo uariæ dicendi artes & exornationes inuentæ traduntur: tum in exercitatione & declamandi uſu peritiáque cæteros adeò ſuperauit omnes, ut à diſcipulis minas centum acciperet pro mercede doctrinæ. Is miſſus à ciuibus ſuis ad auxilia ab Athenienſibus contra potentiam Syracuſanorum impetranda, Athenis in populi conuentum adductus, multa uariè diſſerere cœpit: & peregrino quodam dicendi artificio uſus; adeò diſerta lingua ſingula quæque proſequi uiſus eſt, ut Athenienſes ingenio quidem acuto, & natura eloquentes (alioquin quoque ſermonis percupidos) tam comti, tamque felicis admiratione proloquij captos, in ſtuporem conuerterit, & auxilia impetrauerit. Diodorus lib. 12.

Panegyricæ orationis, quam ISOCRATES iam ſenex Gręcis exhibuit, fama in Macedoniam peruenit: atq; primùm quidem Philippum aduerſus Aſiam extimulauit: illo uerò mortuo, Alexandrum filium eius hæredem paternæ uirtutis, ad regnum Perſarum euertendum adhortata eſt. Aelianus lib. 13. de Varia hiſtoria.

DEMOSTHENES magnum ex eloquentiæ ſtudio nomen reportauit, totius Græciæ conſenſu, quæ eo loquente pacē & bella ſuſcepit, ſuſcepta depoſuit, fœdera cum regib. iunxit, iuncta quoque diſſoluit. Sabellicus de Senectute libro primo, capite ſexto. Eius eloquentiam cùm alia commendant, tum id præcipuè, quòd Athenienſibus ad Amphipolim à Philippo cæſis, & Thebanis Phocica calamitate territis, mutis reliquis præ metu, ſolus perſuadere potuerit, ut inito fœdere, contra Philippum, etiam poſt uictoriam pacē petentem, arma ceperint, & ſeſe ad Chæroneam Macedonibus obiecerint. Admiratus eſt eum Perſarum rex, & muneribus deliniuit, ut eloquentia ſua Græcos in Philippum concitando, regni Perſici æmulum peſſundaret. Plutarchus in Demoſthene.

PHILIPPVS rex Macedonum, non minores res oratione quàm prælio confecit, & magis ſibi placebat, ſi quam uerbis adeptus eſſet uictoriam, quàm ſi quos armis in ſuā poteſtatem redegiſſet. Horum enim partem ſibi uendicare milites exiſtimabat: at illa ad ſuam unius laudem pertinere. Polyænus lib. 4.

HEGETORIDES Thaſius eloquentia ſua, contra legem, fœdus cum Athenienſibus faciendum eſſe, Thaſiis perſuaſit. Poliænus lib. 1.

HEGESIAS Cyrenaicus, tam potentis fuit eloquij, ut cùm uitæ huius deploraret miſerias, plurimi audientium, uitam ſponte reliquerint. Itaque Ptolemæus rex uitæ ſuorum conſulens, indicto ſilentio eius ſcholam clauſit, calamum non excuſſit. Librum enim reliquit, in quo enumeratis hominum calamitatibus ita definit, nulli omnino mortalium ut uiuat, expedire. Inuentus eſt igitur, qui lecto Hegeſiæ libro, nulla uel animi uel corporis interueniente moleſtia, ſe in undas maris ex muro præcipitem dedit. Cuius tumulo Callimachus titulum inſcripſit, genus & cauſam mortis continentem. Cicero in Tuſcul. & Valerius Maximus libro octauo, capite nono.

CINEAS, Pyrrhi Epirotarum regis legatus, plures urbes eloquentia ſua, quàm Pyrrhus armis ſubegit: idque uel ipſius Pyrrhi teſtimonio. Plut. in Pyrrho.

CARNEADES philoſophus, legatus Romam ab Athenienſibus miſſus, cùm pro iuſtitia & iterum contra iuſtitiam mira facundia diſſeruiſſet, M. Cato Cenſorius eum hominem citò expediendum & amandandum cenſuit, ne eloquentia ſua animos ciuium corrumperet. Quintilianus libro duodecimo, capite primo.

Conſtituerat Alexāder funditùs euertere Lampſacenos, quòd Perſis ſtuderent: eratque iam in procinctu. Ad eum miſſus eſt à ſuis ANAXIMENES Ariſtoclis F. Lampſacenus, Alexandri præceptor, culpę deprecandæ cauſa. Quo cognito, rex per deos iurauit, contraria ſe precib. eius facturū. Tū Anaximenes, Hoc ergo peto, inquit, ut uxores & liberos Lāpſacenorum ſub corona uendas, & templa incendas, & urbem ſolo æques. Rex iureiurando obſtrictus, uel inuitus Lampſacenis pepercit. Suidas.

PHILOPOEMENES Megalopolitanus, occupata Megalopoli à Cleomene Spartano, cùm ciues ſui, qui Meſſanā profugerant, de urbe recuperanda conſilia agitarent: oratione tamen ſua iis perſuaſit, ut patria aliquandiu carere, & bene gerendę rei occaſionem expectare potiùs, quàm temerario conatu, & capita & fortunas ſuas certo exitio exponere mallent. Fulgoſus lib. 8. c. 9. ex Plutarcho.

HIERO Syracuſanus orta domi ſeditione, inermis in forum prodiit, blandaque oratione populum in officio (erat enim ex duce tyrannus factus) continuit. Volaterranus libro 16. Anthrop. ex Aeliano.

Regibus exactis plebs diſcedens à patribus, iuxta ripam fluminis Anienis, in colle, qui Sacer appellatur, armata conſedit: eratque non ſolùm deformis, ſed etiam miſerrimus Rei publ. ſtatus, à capite eius cætera parte corporis peſtifera ſeditione diuiſa: ac, ni P. VALERII ſubueniſſet eloquentia, ſpes tanti imperij in ipſo penè ortu ſuo, corruiſſet. Is namque populum noua & inſolita libertate temerè gaudentē, oratione ad meliora & ſaniora conſilia reuocatum, Senatui ſubiecit: id eſt, urbem urbi iunxit. Verbis ergo facundis, ira, conſternatio, arma ceſſerunt. Valerius libro octauo, capite nono.

MENENIVS Agrippa tantum eloquentia ualuit, ut plebem à patribus diſſidentem, ſolus ſua oratione, quò uoluit, flexerit. Plinius cap. 18. de Viris illuſt. & Plutarchus in Coriolano. Liuius.

Oreſte Coſs. in Sardiniam cum exercitu miſſo, cùm atrox ſimul & inſalubris hyems occurriſſet, ueſtemque imperator in exercitum ciuitatibus imperaret: miſerunt Romam id deprecatum. Quorum accepta à ſenatu excuſatione, iuſſóque duce aliunde ueſtitum militibus parare: cùm conſilio ille deficeret, & affligerētur milites: adiit C. GRACCHVS, quæſtor Conſuli additus, ciuitates, induxitque, ut ſua ſponte mitterent ueſtem, & Romanis opitularentur. Hæc Romā perlata, uiſaque plebis illiciendę pręludia eſſe, terrorem inieccerunt patribus. Itaque ſenatuſconſultum fecerunt, ut militibus ſuccederetur: Oreſtes autem permaneret ibi, quò Caius quoque ob quæſturam ibidem remaneret. Quod ei cùm oblatum eſſet, extemplò ira frendens deceſſit, ac Romæ nec opinantibus conſpectus, non ab iniquis modò eſt reprehenſus, ſed plebi etiam uiſum inuſitatum antè, conſulem decedere quæſtorem. Veruntamen cùm dies ei dicta apud cenſores eſſet, poſtulata audientia, ita animos uertit auditorū, ut cum ea diſcederent opinione, eum quàm maximè læſum fuiſſe. Stipendia enim ſe demonſtrauit duodecim feciſſe, cùm alij cogerentur facere decem: quæſtorem apud imperatorem triennium permanſiſſe, cùm lege ſibi reuerti exacto liceret anno. Solum ex militibus zonam ſe, quam in prouinciam plenam intuliſſet, exportaſſe inanem: cæteros exhauſto, quod importauerant, uino, auro & argento, domum plenas amphoras retuliſſe. Plutarchus in Caio.

FVRIVS Camillus populum, Roma migrare Veios uolentē, eleganti concione retinuit: in qua omnes urbis dotes laudeſque licet agnoſcere. Volaterranus libro decimoquarto, cap. 2. Anthrop. ex Liuio.

M. POPILIVS Lænas, cùm conſul eſſet, eodemque tempore ſacrificium publicum cum læna faceret, quòd erat flamen Carmentalis, plebis contra patres ſeditione nunciata, ut e-





rat læna amictus, ita uenit in cōcionem: ſeditionemq; cùm auctoritate, tum etiam ſua oratione ſedauit. Vnde Lænæ agnomen meruit. Cic. in Bruto.

M. CATO maior, cùm omnes penè ciuitatis Romanę potentiſſimos & primos haberet aduerſarios, & ad ſenectutē uſque inſtar athletæ decertaret, conſeruauit ſe incolumē. Plurimis uerò publicis iudiciis, hinc reus, hinc accuſator, multos damnauit, & omnibus liberatus fuit: propugnaculo uitę & ualenti inſtructus organo eloquētia: cui uerius, quàm caſui uel fortunæ eius, quòd illæſa permanſerit dignitate, acceptum referas. Plutarchus.

Bello ciuili, cùm C. Marius in ciues ſæuiret, M. ANTONIVS orator apud amicum fidum, tenuem licèt & plebeium, occultabatur. Qui, cùm urbis Romæ primarium uirum ex pręſenti copia tueretur, ſeruum miſit ad uinum petendum à uicino caupone. Cùm guſtaſſet ſeruus curioſiùs, & melius poſtularet: Quid hoc rei ſit rogat, quòd non nouum, ut ſolebat, & uulgare, ſed exquiſitum & precioſum emat? Qui ubi ſimpliciter, ut familiari & noto, reſpondit, M. Antoniū, qui apud dominum ſuum latitaret, ab eo inuitari: nefarius & conſceleratus caupo, ſimul ut ſeruus eſt digreſſus, ipſe ad Marium contendit iam cœnantem. Ad quem introductus, Antonium ſe oſtendit ei traditurum. Quo nuncio exclamaſſe dicitur, manibusque ex lętitia plauſiſſe. Parùm etiam abfuit, quin exurgeret ipſe, atque illuc properaret. Cæterùm retentus ab amicis, Annium (Valerius Maximus libro octauo, capite nono, habet P. Antronium) cum globo militum miſit, præcepitque, ut properè Antonij caput referret. Vbi ad ædes illas uenêre, reſtitit Annius ad fores. Milites uerò ſcalis in cubiculum ſcanderunt: ac conſpicientes Antoniū, excitabant alius alium ad cædem, & ſibi ſurrogabant. Nempe hæ ueneres illius orationis, hic lepos erat, ut exorſum dicere & necem deprecari, nemo nec attingere nec ſuſtineret aſpicere: ſed defixo in terram uultu illachrymarent omnes. Intercedente mora aſcendit Annius, atque Antonium uidens diſſerentem, militesque ab eo obſtupefactos ac delinitos, accurrit ipſe, atque Antonium obtruncauit. Plutarchus in Mario.

M. TVL. Cicero, ut princeps Romanæ fuit eloquentiæ, ita etiā incredibilia præſtitit. De priuatis cauſis, quas egit, non loquor: publicas tantùm attingo. Proſcriptorum liberis perſuaſit, ut fortunis & honoribus carere, quàm nouum bellū inteſtinum excitare mallent. P. Rullo Tribuno plebis Agrariam legem promulgaturo, de agris populo in capita diuidendis, populum, quamuis famelicum & eſurientem, eloquentia ſua eò compulit, ut legem repudiaret: hoc eſt, alimenta ſua abdicaret. Nempe hic uir potiſſimùm, quantum adferat honeſto condimentum eloquentia, oſtendit populo Romano: atque inuincibile, quod eſt iuſtum, eſſe, ſi rectè dicatur: debereq; eum, qui ſedulò tractare rempub. intēdit, ſemper in rebus quidem agendis honeſtum blandienti anteferre, ſed in dicendo acerbum eximere conducibili. Iam cùm equites in theatris permiſti plebi, & unà cum populo indiſcreti ſpectarent, M. (ſeu potius L.) Otho prætor equites honoris cauſa primus à cætera plebe diſcreuit, ac ſeparatum iis locum in theatro, quem nunc quoque tenent præcipuum, attribuit. Id interpretatus in contumeliam factum ſuam, populus ingreſſum in theatrum exibilauit Othonem probroſè. Equites inuicem magno plauſu exceperūt eum. Intendit ex integro populus ſibilum, mox plauſum illi. Ita inter ſe commiſſi lacerauerunt ſe mutuò maledictis, ac confuſio theatrum magna tenebat. Qua re audita, cùm contuliſſet ſe illuc Cicero, concioneque ad Bellonæ conuocata increpaſſet populum caſtigaſſetque, reuerſi in theatrum ingentem plauſum Othoni dederunt, certaueruntque cum equitibus de illius honoribus & laude. Idem quoque oratione ſua L. Catilinam ciuem facinoroſiſſimum urbe eiecit. Denique cùm interfecto Cæſare, maxima in urbe orta eſſet ſeditio, eam ipſe & auctoritate & oratione ſua ſedauit. Plutarchus in Cicerone. De eo ſic Plinius libro ſeptimo, capite 30. ubi conſulatus tantùm illius opera attingit: Te dicente, legem agrariam, hoc eſt, alimenta ſua, abdicauerunt tribus: te ſuadente, Roſcio theatralis auctori legis ignouerunt, notataſque ſe diſcrimine ſedis æquo animo tulerunt: te orante, proſcriptorum liberos, honores petere puduit: tuum Catilina fugit ingenium: tu M. Antonium proſcripſiſti. Salue primus omnium parens patriæ appellate, primus in toga triumphum, linguæque lauream merite, & facundiæ Latiarumque literarum parens: atque (ut dictator Cæſar hoſtis quondam tuus de te ſcripſit) omnium triumphorum lauream adepte maiorem, quantò plus eſt, ingenij Romani terminos in tantum promouiſſe, quàm imperij.

ANTIPHON ſophiſta, Neſtor cognomine, Nepēthes acroaſes promittebat. Vide Tit. Rhetorum.

Cùm edixiſſet Domitianus Imp. ne in Aſia uites haberentur, quoniam uini ubertate ſeditionibus agitari uideretur: legatus ad Imperatorem mittitur SCOPELIANVS ſophiſta. Is eloquentiæ ſuæ ui non ſolùm id cōſequutus eſt quod erat caput, ne cui fraudi eſſet, plantare uites: ſed inſuper, ut pœna irrogaretur, qui eo munere abſtinuiſſet. Cælius libro 20. cap. 11. ex Philoſtrato.

Cùm Smyrna Ioniæ ciuitatum pulcerrimā, ſub M. Antonino terræmotu & hiatu terræ miſerandum in modum corruiſſet: Theodoſius præfectus Aſiæ reſtituit, iuſſu Imperatoris, quem ARISTIDES rhetor Monodia de eius clade ſcripta (cùm inter cætera etiam hoc intuliſſet, Ζέφυροι ἐρήμην αὐτὴν καταπνέουσιν, Deſolatam perflant Zephyri) ita flexerat, ut inter legendum & ſuſpiriis crebris, & lacrymis dolorem ſuum teſtatus ſit, & Theodoſio ſtatim præceperit, uti eam reſtauraret. Philoſtratus.

AMBROSIVS, præfectus Mediolanenſis, cùm uideret populum propter Arianam perfidiam in diuerſa ſtudia partium concitatum, in electione præſulis diſſidere: tumultum eloquentia ſua ſedauit: & mox omnium conſenſu epiſcopus ipſe declaratus eſt. Ruffinus lib. 6.

LEO primus Pōtifex, Valentiniani iunioris Imperatoris ſuaſu ad Padum profectus, cum Attila in colloquium uenit. Itaque Hunnorum regem ab ultima Tartaria profectum, nec Alpes, nec munita loca, neq; arma auertere potuerant, quò minùs in Italiam, Veronam uſq; deſcenderet, magna Rom. imperio clade illata, cui toti internecionem minitabatur. Eum autem dicendo adeò commouit Leo, ut perſuaderi ſibi Attila paſſus ſit, ut in Vngariam regredi uellet, neq; iam ultrà Romanum imperium infeſtaret. Fulgoſus libro octauo, capite nono. & Volaterranus libro 22. & Egnatius libro octauo, capite nono.

Cùm Rachiſius Longobardorum rex, magnis uiribus Peruſiā urbem obſideret, ad eum in caſtra ZACHARIAS Pontifex cum paucis profectus, non ſolùm eum impulit, ut urbis obſidionem ſolueret: uerùm etiam dicendo ita præſentis uitæ uanitatem, præmia pœnaſque futuras eius animo impreſſit, ut tradito Aiſtulpho fratri regno, ipſe monachalem ordinem Romæ profiteretur. Fulgoſus libro octauo, capite nono.

SIGISMVNDVS Hungariæ rex à procerib. captus, & uiduę, cuius maritum interfecerat, cuſtodiendus datus, ſua eloquentia tantum effecit, ut ab ea dimitteretur. Volaterranus lib. 23. & Cuſpinianus.

FRANCISCVS Foſcarus, Venetorum dux, cùm Florentini graui bello à Philippo Mediolanenſium duce, regnum Italiæ affectāte, premerentur, auctor ſuis fuit, belli cōtra communis libertatis hoſtem ſuſcipiendi. Tanta enim in eo dicendi uis fuit, ut quod ille ſemel proponeret, omnes etiam in ſenatu approbarent. Feliciter illud bellum Venetis ceſſit, nam Brixiam, & magnam partem Galliæ Ciſalpinæ, imperio ſuo adiecerunt. Egnatius libro 8. cap. 9.

Præerat LAVRENTIVS Medices Florentinæ Reipubl. ſumma cum poteſtate, eo tempore, quo bellum grauiſſimū gerebatur inter Florentinum populum, & Ferdinandum Aragonium Neapolis regem. Laurentius cernens, quanto in diſcrimine uerſaretur Florentinum nomen, tametſi ſciret, ſe unum præcipuè à Ferdinando peti, quem de medio tolleret: clàm tamen ipſemet Neapolim nauigauit, & ad Ferdinandum inexpectatus ueniens, tantum dicendo effecit, ut pacem Florentino populo impetrarit. Ibidem.

### QVI NON PERSVASERE.

*Conſule Tit. Certamina Rhetorum, item Cauſidicorum. Vbi enim uictor eſt, ibi uictum quoque alium oportet eſſe.*

## ELOQVENTIAE, RHETORICES STVDIVM, AMOR, CVLTVS. Tum in

### SEIPSO.

#### RECTÆ ELOQVENTIÆ.

Ad rempub. cùm ALCIBIADI magnas feneſtras natales, opulentia, ſtrenuitas in pręliis, frequentia amicorum & familiarium aperirent, ex nulla re malebat, quàm ex dicendi lepôre ad plebem, ualere. Nam eloquentem eum fuiſſe cùm Comici teſtificantur, tum inter oratores diſertiſſimus, qui in oratione contra Midiam, Alcibiadem oſtendit inter cętera eloquentiſſimum fuiſſe. Plut. in eius uita.

DEMOSTHENES rogauit pædagogū (quod Hegeſias Magnes tradit) ut Calliſtratum Empedi Aphidnæum clarum oratorem, qui præfectus equitum fuerat, & dedicauerat aram Mercurio Agoræo, orationem habiturum ad populū audiret. Quem ut audiuit, captus illius orationibus, eū mo

dico tempore, quã diu fuit in urbe, audiuit. Vt uerò in Thraciam ille fugit, Demoſthenes autem ex ephebis exceſſit, tũc applicuit ſe ad Iſocratem & Platonem. Inde Iſæo in domeſticam conſuetudinem adſcito, exprimens eius orationes, quadriennij ſpacio ſeipſum ſubegit. Ferunt in ſpeluncã concedere ſolitum, atque illic exercere ad dicẽdum ſe, parte dimidia capitis raſa, ne prodire in publicum auderet, anguſtoque in grabato cubare, quo citò excitaretur ſomno: uireſque ad dicendi facultatem exercuiſſe: ac cùm humerum in meditãdo indecorè moueret, id correxiſſe ueruculo, uel, ut alij ferunt, pugione ex lacunari ſuſpenſo, ut eius metu quietè ageret. Cùm primam artis ſuæ literam dicere non poſſet, uitium oris ſui tanto ſtudio expugnauit, ut ea à nullo expreſſiùs proferretur. Deinde propter nimiam exilitatem, acerbam auditu uocem exercitatione continua ad maturum & gratum auribus ſonum perduxit. Lateris etiam firmitate defectus, corporis uires negatas à labore mutuatus eſt. Sed & Neoptolemo mimo decem millia drachmarum dedit, ut integros uerborum ambitus uno ſpiritu pronunciare poſſet. Multos uerſus uno impetu ſpiritus complectebatur, eosq; ardua loca celeri gradu ſcandens pronunciabat: ac uadoſis litoribus ad Phalericum inſiſtens, declamationes fluctuum fragoribus obluctantibus edebat: ut ad fremitus concitatarum concionum patientia duratis auribus in actionibus uteretur. Domi magnum habuit ſpeculum, cuius ex aduerſo ſtans declamare ſolebat. Fertur quoq; ore inſertis calculis, multum ac diù loqui ſolitus, quò uacuum promtius eſſet & ſolutius. Val. lib. 8. c. 7. & Plutarch. in eius uita, teſtimonio Demetrij Phalerei, & in uitis decem Rhetorum.

IPHICRATES quòd etiam declamationes domi in cœtu meditaretur, oſtentui fuit. Nam etſi rhetor bonus, non ineptus eſſet, debebat tamen in gloria militari acquieſcens ludo cedere ſophiſtis. Plutarch. in Præceptis politicis.

Apud ROMANOS quamuis ſerò eloquentia excoli cœpit, & armorum ſtrepitus omnem rhetoricæ cultum turbauit: tamen clariſſimi quique in republica uiri, naturali quadam facundia præditi, de rebus grauiſſimis, & ad ſalutem ciuitatis pertinentibus, in ſenatu, in curia, pro Roſtris dicere potuerunt. Deuicta tandem Græcia, eloquentiæ ſtudium patricios pleroſque inuaſit. Cic. in Bruto.

Agẽti C. GRACCHO ſeruus Erycinus eburneola fiſtula modos incinebat. Cælius libro nono, capite primo Antiquarum Lectionum.

M. TVLLIVS Cicero, Romanæ eloquentiæ pater, cùm iam cauſas aliquot in foro egiſſet, nimia tamen uocis contentione periculum ſibi imminere uideret, in Aſiam abiit, & Aſiaticis ſimul & Rhodiis rhetoribus, Apollonio præſertim Moloni, ſeſe recoquendum dedit. Itaque factum, ut quotidianis declamationibus laterum imbecillitatem corrigeret, & plus artis conſequeretur. Plut. in eius uita.

In Catilinæ cõiuratione nonnulla ſuſpicione aſperſus fuit M. Craſſus, Cicerone clàm mordente. Quamobrem Ciceroni ſemper infeſtus Craſſus fuit: uerùm ne propalàm eum læderet, eſt per filium impeditus. PVBLIVS enim, Craſſi filius, qui eloquentiæ & literarum ſtudioſus eſſet, cupidus erat Ciceronis, adeò ut cum reo ueſtem mutaret, ac reliquã iuuentutem ad idem faciundum impelleret. Induxit denique parentem, ut rediret cum Cicerone in gratiam. Plutarchus in Craſſo.

C. CALIGVLA ſolebat proſperis oratorum actionibus reſcribere, & magnorum in Senatu reorum accuſationes defenſioneſque meditari: ac, prout ſtylus ceſſerat, uel onerare ſententia ſua quemque, uel ſubleuare: equeſtri quoque ordine ad audiendum inuitato per edicta. Suetonius in Caligula.

### FVCATÆ LOQVENTIÆ.

*Μακρολόγους huc connumeramus, quatenus natura uidentur ad eloquentiæ quandam umbram formati. Macrologia alioqui ipſa inter uitia potiùs rhetorica uenit connumeranda.*

IONAS legimus *μακρολόγους*, quòd longiore uterentur uerborum ambitu. Cælius libro decimooctauo, capite quarto, Antiquarum Lectionum.

In POSTHVMVM ſic ludit Henricus Stephanus in Epigrammatis:

Affectata tibi ſemper ſunt Poſthume uerba,
Proque decem, centum fundere ſæpe ſoles.
Hæc tibi nempe placent, auris quia putida iudex,
Et probat hæc quicquid putida lingua probat.
Sola ſit auditrix ergo, ſoliq; loquaris,
Lactucas habeant ut tua labra ſuas.

Philippæ Varanæ Comitiſſæ Camerini epitaphium Ferrariæ extat apud S. Marcum della Valle: Quæ ſunt, pro iis quæ nõ ſunt, &c. quod ut multorũ ingenia torſit, ſic ab ALEXANDRO quodam Guærino compoſitum fuiſſe, Ludouicus Caſteluitreus Mutinẽſis ex acroaſi cuiuſdam diſcipuli illius cenſebat, hoc unum ex inſtituto literatorum tunc temporis FERRARIENSIVM agente, ut magno conatu nihil diceret: ſed nos ἐποχῇ utentes Academica, inter exempla Iudicij philoſophici hiſtoriam retulimus.

### ALIIS. RHETORIBVS HABITI HONORES.

Gorgiæ Leontino (qui de omni re, quęcunque in diſceptationem ueniret, ſe copioſiſſimè dicturum dicebat) tantus honor habitus eſt à GRÆCIA ſoli, ut Delphis non inaurata (ut cæteris) ſtatua, ſed aurea planè conceſſa ſit. Cęlius Rhodiginus libro decimonono, cap. uigeſimo, ex Ciceronis libro tertio de Oratore. Philoſtratus in Sophiſtis, orationi Pythicæ excellentiſſimæ hoc datum ſcribit. Pauſanias libro ſexto illi in Alti Olympiæ ſtatuam dedicatam ſcribit ab Eumolpo ſororio.

Demoſtheni in Calauria mortuo POPVLVS Athenienſis meritum honorem habens, ſtatuam ex ære poſuit, & maximo gentis uictum decreuit in Prytanæo præbendum. Inſcripſit præterea baſi ſtatuæ hoc peruagatum epigramma:

Menti Demoſthenes par ſi tu robur haberes,
Non foret Aemathiæ Græcia uicta manu.

Longo pòſt tempore circa ſtatuam hoc ferunt contigiſſe. Euocatus à præſide miles ad cauſam dicendam fuit. Hic quicquid haberet auri, in manibus ſtatuę Demoſthenis depoſuit. Habuit illa digitos inter ſe implicatos, & iuxtà enata fuit non magna platanus. Ex ea multa folia (ſiue uentus ea decuſſerat, ſiue idem qui depoſuerat aurum iniecerat) circumiacentia & circunfuſa aurum longo tempore occuluerunt. Poſtquam homo ille reuerſus eodem loco inuentum aurum recepit, ac fuit rumor hic diſſipatus: multi adoleſcentes urbani, ſumto hinc in Demoſthenis abſtinentiam argumento, certarunt inter ſe epigrammatibus. Plutarchus in Demoſthene.

IIDEM Demetrio Phaleræo CCCLX ſtatuas erexerũt, quòd rempub. cum laude geſſerat. Laertius.

M. Tullium Ciceronem, nouum hominem & inquilinum, ad conſulatum euexit ROMÆ, præteritis primariis ciuitatis uiris, non Arpinum aut ueterum imagines, ſed inſignes literarum tituli, & adducta è rhetorum ſcholis in forum ſenatumque eloquentia. Pontanus libro de Principe.

Potamon Mitylenæus rhetor, Romæ, tempore TIBERII Cæſaris, maximo in precio fuit: quem redeuntem in patriam Imperator eiuſmodi ſyngrapha proſequutus eſt: Si quis Potamoni Mitylenæo iniuriam fecerit, cogitet an mihi quoq; bellum indicere poſſit. Suidas.

Proæreſium Armenum, rhetorem & profeſſorem Athenienſem, è Galliis à Conſtante Imp. redeuntem, cùm uarias ob dotes honorare decreuiſſent ROMANI, ſtatuam illi ex ære pari magnitudine conſecrarunt, cum iſthac inſcriptione: Regina rerum Roma, regi eloquentiæ. Reditum Athenas paranti Imperator conceſſit, ut precarium munus poſceret. At ille poſtulauit inſulas non paucas numero neque exiguas, tributarias & uectigales Athenarum ciuitati in pendendo frumento. Donauit iſtas Imperator, & primariam dignitatem adiecit, ut Caſtrorũ præfectus uocaretur, ne quis inuideret, quòd è publico tantam uim opum referret. Eunapius in eius uita.

Quintilianus ex Hiſpania ueniens, ſtipendium à fiſco accepit ab EVSEBIO, ſub Domitiano. Budæus libro ſecundo, de Aſſe.

T. Caſtritius, rhetoricæ profeſſor inſignis, & A. Gellij præceptor, ab HADRIANO Auguſto propter eruditionis rarũ theſaurum, morumque integritatem, plurimùm dilectus eſt. Gellius libro decimotertio, capite 20. Maximam ætatis partem exegit apud Traianum Cæſarem, ut etiam curru imperatorio ueheretur.

Numeriano adoleſcenti, Cari Imp. F. SEN. Rom. ſtatuam in bibliotheca hac inſcriptione poſuit: Numeriano oratori potentiſſimo. Vopiſcus.

Libanius ſophiſta à IVLIANO Imperatore p̃fectus prætorio creatus, dignitate uti noluit. Vide Tit. Rhetorum.

Victorino urbis Romæ præfecto, uiro ſua tempeſtate uirtute animi & ſermonis elegantia nemini ſecundo, COMMODI Romanorum Imperatoris tempore ſtatua poſita eſt. Dion Nicæus, & Xiphilinus in Commodo, & Fulgoſ. lib. 8. capite 16.

PIVS II. Papa inſtituto nouo collegio Abbreuiatorum, uiris ſeptuaginta literatura & moribus ex omni natione promiſcuè delectis, redacturus ad caſtigatiorem elegãtioremque ſtylum acta publica uidebatur, quod iam ab initio Pontificatus deſtinauerat. Sed deterritus diuerſitate controuerſiarum ac legum, differre ſe in magis otioſa tempora, non omittere, teſtatus eſt. Ioannes Campanus in eius uita.



VICENTINI M. Ant. Sabellicum rhetorem, obſcuri adhuc nominis, peregrè tranſeuntem, dicendi facultatem in eo admirati, argentea patera magni ponderis, &, quòd plus fuit, ciuitate donarunt. Sabellicus lib. 7. c. 5.

Ioanne Campegio Bononienſi, publico decreto in Patauinũ gymnaſium accerſito, poſteaquàm eius acceſſus appropinquare dictus eſt, ob excellentem eruditionem à MAGISTRATIBVS urbis (quod non niſi regibus, aut ſummis principibus dari conſueuerat) à gymnaſiarchis, & omniuariam profeſſoribus, ingentique officiorum frequentia itum eſt obuiam, ut nulla hominum memoria profeſſorem honorificentiùs acceptum uiderit Patauina ciuitas. Sabellicus libro 7. cap. 5.

Ioan. Bapt. Egnatius, ob ſingularem eruditionem ducentis aureis numis, quoad uiueret, à VENETIS fuit donatus: omniaque eius bona ex edicto Decemuiralis conſilij publico cenſu exemta ſunt. Moriens, tanti beneficij memor, tres ampliſſimas patricij ſanguinis familias, per quas profecerat, Molinam, Bragadenam & Lauretanam, hæredes inſtituit.

## NEGLECTVS, CONTEMTVS, ODIVM RHETORICES ET ELOQVENTIAE, SEV VERAE, ſeu fucatæ: tum in

### SEIPSIS.

Inter philoſophos STOICI in diſſerendo prudentiſſimi ſunt, in dicendo inopes: quandoquidem omnis illorum cura in Dialecticis conſumitur: uagum illud orationis, & fuſum, & multiplex non adhibetur genus. Cic. in Bruto.

### ALIIS.

Athenis in AREOPAGO interdicebat præco dicturis in concione, ne uel præfatione, uel affectibus uterentur, rẽ modò exponerent, ἄνευ προοιμίων καὶ παθῶν, id eſt, Abſque procœmiis & affectibus. Vt aliquot locis indicat Lucianus.

DIOGENES Cynicus rhetores paſſim inſectabatur, quòd ſtuderent iuſta dicere tantùm, non autem facere. Idem docente Anaximene rhetore, pernam prętendens, auditores in ſe conuertit. Indignante illo, Diſputationem, inquit, Anaximenis oboli precium diſſoluit. Laërt. lib. 6.

Lacones, ut omnes olim diſciplinas, ita quoque eloquentiam odio habuerunt. QVIDAM ex plebe, cùm luſciniam comprehendiſſet, neque corpulentiam uoci reſpondere uidiſſet, eam abiecit: Tu quoque nihil aliud quàm uox es, inquiens. Plutarchus in Laconicis. Neque id mirum. nam cùm bellica reſp. eſſet, ea tantùm ſtudia, quæ ad bellum cõducerent, laudabat.

LACONES Cephiſophontem ſophiſtam eiecerunt, qui ſe profitebatur de re quauis totum diem poſſe dicere, dicentes: Boni oratoris eſſe, ſermonem habere rebus parem. Plutarchus in Laconicis apoph.

AGESILAVS rex Spartanus, quum audiret rhetorem quendam laudari, quòd mirificè res exiguas uerbis amplificaſſet: Ego, inquit, ne ſutorem quidem arbitrer bonum, qui paruo pedi magnos inducat calceos. Plutarchus in apoph. Laconicis.

Abderitarum legatus apud AGIDEM regem, Archidami filium, multa loquutus, quum tandem dicendi finem feciſſet, rogaretque, quid ciuibus ſuis eſſet renunciaturus? Agis, Illud, inquit, renuncia, quantum temporis tibi fuit opus ad dicendum, tantum me ſilentem audiſſe. Plutarchus in Apophtheg.

Samij, à Polycrate tyranno exacti, Spartam uenerunt: & adeũtes principes, multa ſanè, more ſupplicum, commemorabant. LACEDÆMONII illis primo cœtu reſponderunt, eorum, quæ dixiſſent, priorum quidem oblitos eſſe ſe, poſteriora uerò non intelligere. Secundo congreſſu Samij nihil aliud dixerunt, niſi allato panario, illud pane indigere. Lacedæmonij reſponderunt, Panario ſuperfuturum. Itaq; opem ferendam eis cenſuerunt. Herod. lib. 3.

LACON oratorem, qui magnos uerborum ambitus torquebat, audiens: Næ ille, inquit, homo ſtrenuus in argumento nihili bene noluit linguam. Plut. in Laconicis.

Glorianti cuidam ob artem rhetoricam: At herclè, inquit LACON, niſi tractet ueritatem, ne ars non erit. Plutarchus in Laconicis.

Laudationem Herculis inſtituente ſophiſta recitare: At quis, inquit ANTALCIDAS, eum uituperat? Plutarchus in Apophtheg.

ANTIGONVS audiens quendam oratorem, qui prædicaret infeſtam niuibus tempeſtatem penuriam herbæ inuexiſſe: Non deſines, inquit, me pro uulgo habere? Plutarchus in Apophtheg.

ROMÆ olim rhetores urbe eiecti fuerunt, C. Fannio Strabone, M. Valerio Meſſala conſulibus, M. Pomponius prætor ſenatum conſuluit: Quòd uerba facta ſunt de philoſophis & rhetoribus, S. C. de ea re ita cenſuerunt, ut M. Pompeius prætor animaduerteret, curaretque (uti ei è republica fideque ſua uideretur) uti Romæ ne eſſent. De iiſdem interiecto tempore Cn. Domitius Aenobarbus, L. Licinius Craſſus cenſores ita edixerunt: Renunciatum eſt nobis, eſſe homines, qui nouum genus diſciplinæ inſtituerũt, ad quos iuuentus in ludos conueniat, eos ſibi nomen impoſuiſſe Latinos rhetoras: ibi homines adoleſcentulos totos dies deſidere. Maiores noſtri, quæ libros ſuos diſcere, & quos in ludos itare uellent, inſtituerunt. Hæc noua, quæ præter conſuetudinem ac mores maiorum fiunt, neque placent, neque recta uidentur. Quapropter & iis, qui eos ludos habent, & iis, qui eò uenire conſueuerunt, uiſum eſt faciendum, ut oſtenderemus noſtram ſententiam, nobis non placere. Suetonius de Clar. orat. & Gellius libro 15. cap. 11.

# LIBRI TERTII TITVLORVM DISPOSITIO.

**LIBRI TERTII Tituli in ordinem redigendi partim reſpectu**

- **Habitus.** *Poeticæ famulatur Hiſtrionica. Itaq; Habitũ Poeticũ alium ſtatuimus*
  - **Primariũ** *ſiue principẽ. Huius conſideranda*
    - **Acquiſitio,** *ſiue fiat*
      - Propria *induſtria.* POETICAE *inuentores.*
      - Aliena *inſtitutione.* POETICAE *magiſtri, doctores, præceptores, tum uiua uoce, tum ſcripto.*
    - **Poſſeſſio,** *qui ſint artis huius poſſeſſores. Conſiderãtur uel*
      - Per *ſe. Ariſtot. in Poetica docere uidetur, alios propriè poetas dici, alios impropriè. Propriè quidem, qui in quacunq; materia ſubiecta uerſentur, materiam propriam, hoc eſt, fictionem admiſcent: formam quinetiã poeticam, hoc eſt, λέξιν ſimul & τάξιν poetæ conuenientem. Impropriè uerò, qui uel fictionem non adhibent, quãuis metro utantur: uel adhibent, ut & cætera omnia, quæ ad delectandum conferre poſſunt, metro tamen non utuntur. Vide ſignum I.*
      - Per *accidẽs, quo ad Poematis ipſius uſum & utilitatem.* POETICAE *uſus conſiderata*
        - Per *ſe, & ex profeſſo. In*
          - Genere.
          - Specie: *in*
            - Sacris.
            - Bello.
            - Moribus.
        - Per *accidẽs, quando Poetarũ carmina tanquã oracula quibuſuis aliis reb. accõmodantur. Id quod Rhapſodorum proprium eſt munus. Accommodatio alia*
          - Recta, *apta.*
          - Inepta, *importuna, intempeſtiua.*
    - **Exercitatio.** POETICA *Exercitia cõſiderata*
      - Per *ſe, ſecũdum*
        - *γένεσιν. Huc Poetæ, qui uel poemata ſcribunt recitántue*
          - Multa.
          - Multum.
          - Expeditè, *è tempore. Poeticã ius αὐτοσχεδιαστικόν.*
        - *ἀνάλυσιν. Cuius generis ſunt*
          - QVAESTIONES *poeticæ.*
          - IVDICIVM *poeticum.*
      - Reſpectu *alterius, cum quo certat.* CERTAMINA *poetarum.*
  - **Secundaria,** *principi famulantem, Hiſtrioniã ſcilicet, ſiue poemata recitando tantùm auribus audienda, ſiue eadem agendo oculis quoq; ſpectanda proponat. Hiſtriones in genere conſideremus tum*
    - Per *ſe. Sic diuidũtur in*
      - Bonos. *Horum nõ una ſpecies. Nam qui uerſantur circa poemata*
        - Epica, *& poetæ uerſus recitant, alij*
          - Per *ſe,* RHAPSODI *dicti, carmina poetarũ recenſent & interpretantur.*
          - Per *accidens, uoluptatis captandæ cauſa, Rhapſodorum dicta omnia inuertẽtes, & auditores feſſos grata nouitate demulcentes,* PARODI *nuncupantur.*
        - Dramatica, *agunt perſonas tanquã ſuas, nõ recenſent tanquã poetæ carmina. Vtuntur autẽ uoce, ſæpe etiã motu corporis. Tales ſunt*
          - HISTRIONES
            - Comici.
            - Tragici.
          - MIMI, *Satyri, Saltatores ſcenici.*
      - Malos. *Eaſdem habent ſubdiuiſiones. De iis nos in genere.* HISTRIONES *& Mimi.*
    - Reſpectu *mutuo, quatenus concertant de artis præſtantia.* HISTRIONVM *certamina.*
- **Cultus,** *in ſeipſo, uel etiam in aliis. Ergo*
  - Poeticam *alij*
    - Amãt. POETICAE *ſtudiũ & amor, in*
      - Seipſo.
      - Aliis, *in*
        - Genere.
        - Specie. *Spectãtur in*
          - Cõmodis *dãdis. Cuiuſmodi ſunt*
            - Salaria, *Alimenta.*
            - Pecunia. Liberatio.
            - Abſolutio. Amicitia.
          - Ornamẽtis *conceſſis. Puta*
            - Dignitates, *Magiſtratus.* Statuæ.
            - Coronæ. Oſculũ. Obſequiũ.
            - Tẽpla. Hymni. Sepulcra.
            - Libri, *Poemata in precio habita.*
            - Patria *culta.* Poſteri *culti.*
            - Inimici *odio habiti.*
    - Oderunt. POETICES *odium & contemtus.*
  - Hiſtrionicam *alij*
    - Amant.
    - Oderunt.



**I. Quo ſuppoſito, Poeticæ artis habitu præditi ſunt alij**

- **Perfecto,** *qui idcirco* POETAE *ſimpliciter appellantur, cõſiderati*
  - **Eſſẽtialiter** *reſpectu ſcilicet*
    - **Materiæ,** *tum*
      - In *qua, ſiue circa quã uerſantur. Subiectum Poeta commune habet cum reliquis facultatibus organicis. Verſatur enim circa omnia ea, quæ oratione hominis, tum uiua, tum ſcripta, poſſunt explicari: ſiue ſint Præcepta uniuerſalia, ſiue particularia Exempla.* POETARVM *differentiæ reſpectu Subiecti cõſideratorũ. Materia porrò iſta perpendi poteſt uel*
        - PER SE, *& ex ſui natura: quia uel eſt*
          - Phi*loſophicatum*
            - Theorica, *ſiue præcepta ſiue exempla.* POETAE
              - Phyſiologi.
              - Medici.
              - Mathematici.
              - Vates.
              - Theologi.
            - Pra*ctica; & uel*
              - Præcepta. *Sic alij docẽt*
                - Virtutes *ethicas.* GNOMOLOGI.
                - Vitia. TVRPES *& impudici.*
              - Exẽpla. POETAE *Hiſtorici, qui res geſtas uel quaſi geſtas populorum, uirorũq; illuſtrium (quos Heroas uocant) quouis genere carminis perſequuntur, in primis tamen hexametro, Heroico dicto.*
          - Mechanica. POETAE *qui ſcripſere de*
            - Agricultura, *Paſtoritia.*
            - Mercatura.
            - Piſcatione, *Venatione.*
            - Coquinaria.
        - PER ACCIDENS, *ſecũdum ſcribẽtis προαίρεσιν. Detegit enim Poeta in carmine animi ſui ſenſa, tũ*
          - Rati*onalis iudicium partim*
            - Sacrum, *erga Deum, per*
              - Hymnos *ad aras.* HYMNOGRAPHI.
              - Pæanes, *pro uictoria, cum acclamatione.*
            - Profanũ, *de iis, quæ in hominẽ mediatè uel immediatè cadunt tum*
              - Bonis, *ea*
                - Laudando, *extollendo, per Encomia.*
                - Commẽdando, *approbando, per Gratulationem, Cõmendationem, Amplificationẽ: cuius generis ſunt Epithalamia, Hymenæi, Epinicia, Triumphalia carmina.*
              - Malis *uituperandis, inſectandis, per Sillos, Iambos, Satyros.*
          - Irra*tionalis affectũ, puta*
            - Gaudiũ, *per Ionica, Sotadica, Feſcenina, per Scolia, in cõuiuiis obliquè ex ſitu diſcumbentium decantari ſolita, exhilarationis cauſa. Huc etiam pertinẽt Hilarodi ſiue Simodi, Magodi, Lyſiodi. Præterea Cãtiones uariæ nautarum, piſtorum, paſtorum, de quibus eruditè Scaliger lib. I. Poeticæ.*
            - Dolorẽ *in*
              - Genere: *Elegia, Threni.*
              - Specie, *ob defũctos, ad*
                - Rogum, *Nenia.*
                - Tumulũ, *Epitaphia.*
                - Inferias, *Epicedia.*
            - Spem, *Vouendo. Vota, Preces.*
            - Metum. *Deprecando.*
            - Amorẽ. *Proſodia carmina, in occurſum Imp.*
            - Odium, *deteſtando. Imprecationes, Diræ.*
      - Ex *qua ſuã contexunt poeſim. Ea ſunt τὰ ποιήματα propriè dicta, figmenta ſcilicet, & fabulæ. Quib. in poemate ſcriptor uel*
        - Vtitur. *Et tunc Poeta propriè dici meretur. Heliodori Æthiopica hiſtoria propter hanc ipſam conditionem Poemati quàm Hiſtoriæ ſimilior eſt.*
        - Non *utitur. Ergo cùm deſtinatur materia propria, Poeta minus propriè dicitur. Lucretius metro quidẽ utitur; caret tamen fictionibus.*
    - **Formæ,** *cuius merito Poetica à reliquis organis ſeparatur. Vide ſignum* II.
    - **Efficiẽtis.** *Sic* POETAE *alij reſpectu* EFFICIENTIS *nituntur potiſſimum*
      - Natura.
      - Arte *& ſtudio.*
  - **Accidẽtaliter,** *reſpectu*
    - Sexus. *Poetæ*
      - Mares.
      - Feminæ. POETRIAE.
    - Characteris, *quo utuntur. Sic dãtur Poetæ*
      - Hebræi. Græci. Latini. Hetruſci.
      - Hiſpani. Galli. Germani. Poloni.
    - Morũ. *Sic ſunt Poetæ*
      - Libidinoſi.
      - Auari. Impij.
- **Imperfecto.** *Qui* POETAE *inepti, indocti uocantur, & ex operibus ineptis iudicantur.*

II. Vt rectè imitetur Poeta, neceſſe eſt materiam ſubiectam tũ cognóſci probè, tum probè diſponi. In diſpoſitione enim ſiue τάξει iudicium Poetæ potiſſimum elucet. Deinde uerò reſpectu materiæ Ex qua, tum

- Res ipſæ cõuenienti modo ſunt enarrandæ. Modus eſt duplex: eoq́; poemata diſtinguuntur. Aut enim Poeta ita ſcribit, ut
  - Ipſe uideatur aliorũ dicta atq; facta recitare tãtũ. Poema διηγηματικὸν et ἐξηγηματικὸν dicitur: ſiue narrationẽ faciat uoce
    - Simplice, & uel
      - Diexodicam. EPICI poetæ dicuntur in genere, ἀπὸ τοῦ ἔπους. Quæ uox carmini hexametro, continuo orationis filo fluenti, excellenter cõpetit. Horũ ueluti ſimiæ ſunt PARODIARVM ſcriptores.
      - Synopticam & compendioſam. Quæ Epigrammata dicuntur, quoniam priſco more ſtatuis, imaginibus, ſepulcris, Hermis ſubſcriberentur & inſcriberentur, ut breuia propter loci anguſtiam, ſic ſenſu arguta. Quorum imitatione deinceps quæuis alia carmina ſuccincta & ingenioſa Epigrammatum appellationem ſubière, quòd licet non inſcriberentur, formam tamen haberent conuenientem epigraphæ. EPIGRAMMATOGRAPHI.
    - Modulata cantu, aut etiam muſico ſono. MELOPOEI in genere, & in ſpecie LYRICI poetæ, à lyra omnium organorũ antiquiſſimo, cui carmina accinebãt.
  - Alij non Poetæ carmina recitare, ſed ſua dicta & facta conuenientibus perſonis aſſumtis proferre uideatur. Poema διαλογικὸν, προσωπικὸν, & ab agentium geſtu δραματικὸν. Poetæ Scenici à loco dicti. Horum rurſus alij
    - Principes, uidelicet
      - COMICI.
      - TRAGICI.
    - Non principes, ſed à principibus deducti, nimirum à
      - Comicis, MIMOGRAPHI.
      - Tragicis, SATYRICI.
- Verba ita connectenda & diſponenda, ut oratio Poetica euadat, hoc eſt, ἔρρυθμος ſimul & ἔμμετρος: cum Rhetorica oratio ſit ἔρρυθμος, uerùm ἄμετρος. A metri igitur genere Poetæ diuidi poſſunt. Quandoquidem uel utuntur
  - Hexametro uerſu, pede nimirum Heroico. POETAE Hexametri, in quocunque argumento uerſentur: propriè tamen Heroico generi conuenit.
  - Pentametro carmine, quod Elegiacũ dicitur, & luctui propriè cõuenit. Transfertur tamen ad alia quoq;. ELEGIOGRAPHI.
  - Iambico carmine. IAMBOGRAPHI, quamcunque materiam perſequantur, licet propriè in reprehendendo & inſectando occupẽtur. Et ſic de cæteris.

# Voluminis Quarti Liber III.

## De Poetica.

PRIMI homines, quia agreſtes erant & inculti, à Sapientibus non uera ſolùm oratione, ſed & iucunda, ad uitam manſuetiorem traduci potuêre. Iucunditas orationis alia Rhetorica eſt, alia Poetica: ſed hæc tanto excellẽtior, quòd præter phaleras ipſas cum Rhetore cõmunes, figmenta multa, cum quodam ἐνθουσιασμῷ & afflatu diuino, cuius opinione rudes animi uehemẽter percelluntur, adhibere uidetur. Eapropter Poetæ ἀπὸ τοῦ ποιεῖν nomen traxêre, uel quia primi opus literariũ tum uiua uoce, tum ſcripto ediderint: uel quia materiam ſubiectam cõmunem Logico & Rhetori, ex media philoſophia hominumq; uita petitã, materia propria, fabulis ſcilicet, uelare, illuſtrare, exornare norint. Quo ergo plura in Poeta requiruntur, quã in Rhetore, eo quoq; operoſior eſt facultas: & quia naturæ potius bonitate quàm ſtudio & diligentia nititur, diuini ſpiritus in hominẽ transfuſi quædã ueluti propago uidetur eſſe. Hinc illud, Eſt Deus in nobis: & ἀοιδοὶ ὡς σφόδρα εἰδότες, dicti putantur. Ipſa alioqui artis cõſtitutio, certis præceptis comprehenſa, nõ inſcitè τῇ ῥητορικῇ ἀντίστροφος dici poterit, quemadmodum Ariſt. Rhetoricã Dialecticæ ἀντίστροφον eſſe pronũciauit. De cuius natura, cauſis, effe-



ctibus diſputare, alterius eſt loci: qandoquidem hîc exempla tantùm conſiderare inſtituimus. Poetarum hiſtoriam Pet. Crinitus, & quidam alij ſcripſerunt, abſolutiſſimè uerò Lilius Gregorius Gyraldus, cuius nos auctoritatem ferè ſequimur, qui Poetas in certas claſſes, reſpectu formæ, diducit, in Epicos nimirũ (ſub quibus Iambos & Elegias cum Hexametro) in Scenicos (ſub quibus Tragœdos, Comœdos & Mimos complectitur) & in Lyricos. Iidem uerò, ſubiecti merito, diuidi poſſunt in ſacros & profanos. Sacri rurſus in Chriſtianos (quorũ ſcripta GEORGIVS Fabricius accuratè collegit) & Ethnicos. Profani in medicos, philoſophos, hiſtoricos, & ſimiles. Nos utramque rationem ſequemur, ita quidem, ut à ſubiecto principe, quod præ cæteris coluit, & in quo potiſſimùm excelluit, claſſem poeta ſortiatur. Sic Maronem inter poetas Epicos referimus, propter Aeneida, quamuis Eclogas & Bucolica & Epigrãmata ſcripſerit: Horatium inter Lyricos, licet in Satyris quoque excelluerit. Iul. Cæſ. Scalig. lib. 1. Poet. cap. 2. POETARVM, inquit, modi tres: ſecundùm ſpiritum, ætatem, & ſubiectum. Spiritu diuerſos eſſe ait tum Plato, tum Ariſt. Alios enim naſci tales, alios natos uel rudes, uel etiam feros atque auerſos, furore rapi atque abſtrahi à uulgari materia, deorum opera: qui diis ipſis, tanquam miniſtris, utantur. Itaque idem Plato eos & ἑρμηνέας, & ὑπηρέτας deorum uocat in Ione. Idcirco igitur inuocant Poetæ Muſas, ut furore imbuti peragant, quod opus eſt. Horum autem θεοπνεύστων duo adhuc ſunt genera. Vnũ, cui cœlitùs aduenit illa diuina uis, aut ultrò, nec opinanti, aut ſimpliciter inuocanti. Quo in numero ſeipſum ponit Heſiodus: Homerus aũt ponitur ab omnibus. Alterũ acuit meri exhalatio, educẽs animæ inſtrumẽta, ſpiritus ipſos, à partibus corporis materialibus. Talẽ ait Enniũ Horatius: talẽ nos Horatium. De Alcæo & Ariſtophane idẽ memoriæ proditũ. Nec Alcman caruit ea calumnia. Sophoclẽ quoq; Aeſchylo id obieciſſe, Vinum, nõ ipſum eſſe illius auctorẽ tragœdiarũ. Ab ætate aũt tria genera. Vetus illud priſcum, rude, incultum: quod ſui tantùm ſuſpicionem, ſine nominis memoria, reliquit, niſi in eo, tanquam principẽ, Apollinem cenſeamus. Alterũ illud uenerãdum, à quo primùm Theologia & Myſteria. Inter quos Orpheus, Muſæus, Linus: Olympum quoq; inter uetuſtos Plato nominat. Tertij ſeculi Homerus auctor & parens: Heſiodus quoq; & alij. Quanquã, ſi hiſtoriæ non extarent, putare potueris, Muſæũ Homero iuniorem: adeò ille cultior & politior eſt. Orœbantiũ quoq; Trœzeniũ, itemq; Phrygiũ Dareta ante Homerũ floruiſſe ſcribit Aelianus: ſuisq; tẽporibus illius Iliadẽ in honore habitã. Ante Orpheũ quoq; & Muſæum idem auctor eſt, fuiſſe Syagrum poetã, qui Troianum bellũ primus ſcripſerit. Tertiæ claſſis poetæ à profeſſione, quod Græci ὑποκείμενον, Barbari Philoſophi ſubiectũ rectiſſimè: Latini paulò ſupinius, Argumentũ uocant. Horũ tot ſunt genera, quot res ipſæ. Artis tamen gratia ad ſumma tria faſtigia reducantur. Primum eſt Theologorum: cuiuſmodi Orpheus & Amphion: quorum opera tam diuina fuerit, ut brutis rebus etiam mẽtem addidiſſe credantur. Secundũ genus Philoſophorũ: idq; duplex, Naturale, quales Empedocles, Nicander, Aratus, Lucretius: Morale ſecũdùm ſuas partes, ut Politicum ab Solone & Tyrtæo: Oeconomicum ab Heſiodo: Commune à Phocylide, Theognide, Pythagora.

## POETICAE INVENTORES.

Poeticæ origo admodum uetuſta eſt, & teſte Euſebio in lib. 11. de præparat. Euãgel. apud antiquiſſimos HEBRÆORVM, qui multò ante Græcorum poetas fuêre, primùm floruit. Nam Moſes magnus Hebræorum imperator, cùm ex Aegypto eos in patriam reduceret, ſtatim atq; mare rubrũ tranſgreſſus eſt, diuino numine afflatus, hexametrum carmen, quo Deo gratias ageret, edidit. Deinde Dauid ille diuinus Dei uates uario metro hymnos compoſuit. Ioſeph. lib. 1. & 7. Antiquit. Non immeritò igitur huius artis initium Hebręis acceptum referre debemus, ueluti reliquarum propemodum diſciplinarum. Polydorus libro primo, capite octauo, de Inuentione.

CLONAS elegus poeta & epicus, tibicinicas regulas & concentus conſtituiſſe memoratur primus, ſicuti TERPANDER citharœdicas leges princeps omnium perueſtigaſſe narratur. Elegias, heroica item carmina POLYMNESTVS Colophonius. Sunt tamen qui elegum carmen primitùs enunciatum tradant à Naxio quodam THEOCLE furente, ſiue is fuerat Eretrienſis: aut ab Callinoo, ſicuti Terentiano placet: ac inde ab Horatio dictum in Arte poetica, ex hac opinionum inter auctores inconſtantia,

Quis tamen exiguos elegos emiſerit auctor,
Grammatici certant, & adhuc ſub iudice lis eſt.

Cælius lib. 8. cap. 3. Antiq. Lect.

PIERVS Macedo, quòd primus & poema feciſſe, & filias, quibus Muſarum nomina indiderat, inſtituiſſe dictus eſt, creditus fuit ab aliquibus Muſarum pater. Scaliger libro primo Poetices.

THALIA Comœdias, MELOPOMENE Tragœdias reperit, MESON Comicus Perſonam, DITHYRAMBVS Thebanus uerſus Dithyrambicos, DAPHNIS paſtor, carmen Bucolicum. Cælius lib. 13. cap. 34 PHEMENOE carmen hexametrum, ARCHILOCHVS Iambum non inuenit (multo enim antè in Margite Homerus eo uſus dicitur) ſed ad nouum maledicendi genus traduxit.

Perſæ bello Græciam cùm premerent, Dianę Caryatidis ſacra, à uirginibus fieri ſolita, ſunt intermiſſa. Quocirca AGRESTIVM aliquot in fanum, officij ergô ſeſe intulerunt, & peculiaribus cantiunculis Dianæ laudes dixêre. Quos cantus cùm ualde probari uel religio iuſſiſſet, uel numerorum lepos perſuaſiſſet: ex caſu mos, deinde etiam lex facta eſt Bucolico carmini. Caryatidis autem cognomentum à Laconiæ uico, cui Caryæ nomen erat. Ex quo uerbum quoq; ſaltationis καρυατίζειν, quem modum edocti fuiſſent ab regionis illius principibus Caſtore & polluce. Nonnulli ORESTEM aiunt è Tauris Dianæ ſignum deferentem, oraculo monitum, elui debere ſeptem fluuiorum de uno fonte erumpentium aqua. Inuentis in Italia amnibus propè Rhegium, inde in Siciliam profectum, in pago, quem Tyndaridem uocat Strabo, deæ ſignum ſtatuiſſe, & numinis laudes unà cum agreſtibus, à quibus receptus fuerat, non ſine cantibus inſtituiſſe. Aliam præterea afferunt fabulam. Syracuſis orta ſeditione, mutuis utrinq; cladibus exercitam occidionem, ab iis qui reliqui bello fuiſſent, Dianæ placandæ conſilium initum: ad quam ciuitatis calamitatem, tanquam auctorem referebant. Itaq; AGRESTIVM frequentia, deę tẽplum donis auctum. Numineq; & his & cantionibus pacato, initium factum anniuerſariæ feſtiuitatis: ac propterea Dianam Lyam cognominatam. Contrario ſanè uſu, atq; accepimus nos. Luem namq; morbum dicimus, cuius ui corpora ſoluantur. Illi ita deam nuncuparunt, propterea quòd inteſtinam diſcordiam ſuſtuliſſet. Alij cognomen hoc, ut & fatentur, & attribuunt, ita rationem cauſamq; aſſignant aliam. Ante Hieronis regnum graui morbo quum laboraret inſula, ad auerruncandam numinis iram ludos paſſim per agros, in quos captandæ liberioris auræ gratia ſeſe contuliſſent, inſtitutos: Dianamque tum ea de cauſa Luam, quæ morbum luiſſet, appellatam. Dicti inde βωκολιασταί, qui hoc carminis genere uel per ſe, uel certãdo cum alio, uterentur. Scaliger lib. 1. Poet. cap. 4.

ALCMAN poeta Lyricus, Laconicus ſiue Meſſenius, circa Olympiad. XXVII. inuentor amatorij carminis, ſcripſit lingua Dorica. Suidas apud Volat. lib. 13 cap. 3. Anthrop.

ARION Methymnæus Lyricus, Olymp. XXXVIII uixit, Tragici carminis inuentor, Chorum inſtituiſſe dicitur. Suidas.

AESCHYLVS Tragicus Athenienſis, primus Tragœdias protulit. Subtilis eſt, & grauis, & grandiloquus ſæpe, uſq; ad uitium. Quintil. lib. 10. cap. 1. & Volater. lib. 13. Anthrop. cap. 3. Chamæleon Aeſchylum inquit, primum choros formaſſe, nullis uſum magiſtris, & choris ſaltationum figuras feciſſe, omnemq; prorſus tragœdiarum apparatum illi tribuit. Athen. lib. 1. cap. 16.

Ἀρχιλόχου μέλος: id eſt, Archilochi cantio, dicebatur hymnus, qui ad multos poterat accommodari, qualem ferunt ARCHILOCHO fuiſſe repertum. Nam quum Pindarus & alij hoc genus lyrici, ſingulos propriis laudibus exornarent Archilochi carmen erat idem in omnes, quod cithara canebatur: citharœdus tantùm ad ſingula cantionis interualla, uictorum nomina uoce ſua repetebat: ueluti ſi Herculem laudabat, accinebat, Tenella Callinice χαῖρ' ἄναξ ἡράκλεις, aut aliud, ſi quem aliũ canebat. Eraſm. in Adagiis.

Nænia carmen erat lugubre, quod in laudem mortui ad tibiã canebatur à præfica ſola, cæteris flentibus: cuius inuentorem Horatius SIMONIDEM poetam fuiſſe ſignificat.

PRATINAS Phliaſius tragicus, primus Satyras docuit. Suid.

EVRIPIDES primus fabularum principiis argumenta inſeruit. Gyraldus.

ARISTOPHANES Comicus, Rhodius ſiue Lyndius, tetrametri & octometri carminis inuentor. Suidas.

Pompeius Feſtus ſcribit Claudiana tonitrua appellari, quia CLAVDIVS Pulcer inſtituit, ut poſt ſcenam, lapidum coniectus ita fieret, ut uerorum tonitruum ſimilitudinem imitarentur. Cæl. lib. 8. cap. 8. Antiq. Lect.

Feſcenini carminis ortum Horat. lib. 2. Epiſt. 1. AGRICOLIS ueteribus tribuit, inquiens:

Agricolæ priſci, fortes, paruoq; beati,
Condita poſt frumenta, leuantes tempore feſto
Corpus, & ipſum animum, ſpe finis dura ferentem,
Cum ſociis operum, & pueris, & coniuge fida
Tellurem porco, Syluanum lacte piabant,
Floribus & uino Genium memorem breuis æui.
Feſcenina per hunc inuenta licentia morem
Verſibus alternis opprobria ruſtica fudit:
Libertasq; recurrentes accepta per annos
Luſit amabiliter: donec iam ſæuus apertam
In rabiem uerti cœpit iocus, & per honeſtas
Ire domos impunè minax. Doluêre cruento
Dente laceſſiti: fuit intactis quoq; cura
Conditione ſuper communi: quinetiam lex,
Pœnaq; lata malo, quæ nollet carmine quenquam
Deſcribi. Vertêre modum, formidine fuſtis
Ad bene dicendum delectandumq; redacti.

## POETICÆ MAGISTRI, PRÆCEPTORES, DOCTORES, VIVA VOCE, SCRIPTO, EXEMPLIS.

Extant omnes apud HOMERVM formæ Tragœdiæ: actiones grandes, & à communi opinione alienæ, deorum apparitiones orationes ab elato animo profectæ, quibus quæuis ingenia, quiuis mores exprimantur. In ſumma, nihil aliud ſunt Homeri poemata; quàm fabulæ, quæ in ſcena agantur. Graues proponuntur res: eæq; amplificatæ uerbis, ſententiis, actionibusq;. Neque tamen adſunt nefariorum facinorum commemorationes, qualia ſunt inceſtæ nuptiæ, parentum aut liberorum cædes, aut quæ alia portenta nouæ tragœdiæ ſunt inuenta, ut qui tragœdiam, magnificam quidem illam, ſed non inhumanam quoq; ſcripſerit. Nihilominus Comœdia quoq; hinc anſam cepit. Inuenias enim apud eum quædam etiam, quę interim riſus materiam præbeant. Omnino enim humanæ naturæ conſentaneum eſt, non intendi modò animum, ſed remitti etiam, ut ſufficere poſſit ad uitæ labores. Itaq; talis animi oblectatio à poeta inuenta eſt. Quòd autem ij, qui poſtea comœdias ediderũt, riſus captandi gratia, turpibus & nimis apertè obſcenis uerbis uſi ſunt: certè non poſſint dicere, ſe melius aliquid inueniſſe. Sobriè enim Homerus amatorias affectiones ac ſermones memorauit: at reliqui poetæ incontinenter, ac ultra modum iſto affectu captos homines propoſuerunt. Plutarchus de Homero.

Cùm nemo eam artem docere poſſit, quam ignorat: neceſſe eſt omninò eos, qui Poeticã docent, Poetas eſſe. ARISTOTELES itaq; Stagirites, cùm in aliis ſcientiis omnibus, tũ etiam in poeſi excellens fuit, ſiue artem ſpectes, ſiue carminũ compoſitionem. De Poetica, de Tragœdiis, Elegias ad Eudemum, Homericarum ambiguitatum lib. 6. Pæana in Hermiam eunuchum, item Peplum ſcripſit, in quo ducum, qui in bello Troiano fuêre, genealogias complexus eſt.

ZENO Cittieus, Crateris diſcipulus, Stoicorũ princeps, de Poetica auditione ſcripſit. Laert. lib. 7.

DEMOCRITVS Abderites de poeſi ſcripſit, de carminis uenuſtate, de Homero ſiue uerſuum rectitudine, de carmine. Laertius libro 9.

HERACLIDES Ponticus, Speuſippi diſcipulus, de poetica & poeticis librum unum edidit. Laert. lib. 5.

Q. ORA-



Q. HORATIVS Flaccus Lyricorum Latinorum princeps, de Arte poetica compendioſè, uerùm artificioſiſſimè commentatus eſt.

VAL. CATO Grammaticus, Burſenni libertus, ex Gallia, Syllanis temporibus patrimonio exutus, docuit nobiles multos. Vnde diſtichon illud:

Cato Grammaticus Latina Siren,
Qui ſolus legit & facit poetas.

IVL. Cæſar Scaliger Poeticam artem libris ſeptem elegantiſſimè & eruditiſſimè complexus, præcepta optimorum ſcriptorum exemplis ſic illuſtrauit, ut nihil in hoc genere perfectius uel à ueteribus uel à recẽtioribus elaboratũ uideatur. Cuius ſcripta ab omnibꝰ Poeticæ ſtudioſis diligenter legẽda cenſeo, noſtro pręſertim ſeculô, quo multos grãmaticos metro utẽtes, & ut uno uerbo dicã, uerſificatores, raros uel potiùs nullos uidemus Poetas. Etſi enim poeta naſcitur magis quàm fingitur: artis tamen præcepta naturæ fœcunditatem promouere, uitia emendare poſſunt & corrigere.

## POETARVM DIFFERENTIAE RESPECTV SVBIECTI PER SE CONSIDERATI. Sic tractant uel

### ORGANICA.

THEODECTES Ariſtandri filius, Phaſelites, Lycius, orator, diſcipulus Platonis, Iſocratis & Ariſtotelis. Scripſit artem oratoriam uerſu. Suidas.

### PHILOSOPHICA. HVC POETÆ

#### PHYSIOLOGI.

*Phyſiologia alia uniuerſalium præceptorum eſt Theorica, alia particularium exemplorum Hiſtorica. Ergo & qui præcepta tradunt naturalium rerum, & qui hiſtoriam naturalem, huius erunt loci. Quocirca ex Tit. Mechanicorum poetarum, exempla quædam mutuanda erunt eorum, qui de uenatione & piſcatione ſcripſere. Hic hiſtoriæ Piſcium rationem habemus, illic ipſius Piſcationis.*

PRONOPIDES, qui πρωτοκόσμον ſcripſit, & CREOPHILVS Samius, uel Chius, Homeri magiſtri. Alij tamen Creophilum generum, alij hoſpitem Homeri uolunt fuiſſe, cui Homerus Oechaliæ captiuitatem dono dederit.

XENOPHANES Colophonius, Phyſicus cognomento, Olymp. 50. claruit, Eleaticæ ſectæ auctor: ſecundùm quoſdam in philoſophia opus duum millium uerſuum ſcripſit.

PARMENIDES Eleates, Xenophanis diſcipulus, ſiue Anaximandri. Huius ſucceſſores Empedocles & Zeno. Scripſit Coſmogoniam, & στοιχειοποιΐαν, item de Natura.

EMPEDOCLES Agrigentinus, filius Metonis, uel Archinomi, uel Xenetæ, diſcipulus Parmenidis, aut Xenophanis, aut Telaugis filij Pythagoræ, uentos ſiſtere poterat. Vnde inditum illi cognomen, ἀλεξανεμίας, & κωλυσανεμίας. Auream coronam capite geſtabat, in manibus ſtemmata Delphica, in pedibus amyclas, calciamenti genus. In Aetnæ crateres ſe iniecit, ut deus factus uideretur. Scripſit de Natura libros tres, item hymnos & tragœdias. Eius nepos ex filia, Empedocles quoq; dictus, tragœdias 24 docuit.

PALÆPHATVS Athenienſis, Actæi F. ante Phemonoen, uetuſtiſſimus poeta, κοσμοποιΐαν ſcripſit uerſibus quinquies mille, & multa alia. Suidas.

CRANTOR Solenſis philoſophus, permulta ſcripſit poemata, quæ anulo obſignata Solis, in fano Mineruæ condidit. Mirabatur potiſſimùm Homerum & Euripidem.

ERATOSTHENES Cyrenæus, nouus Plato dictus, atq; etiã Pentathlos, propter omnigenã eruditionem. Primus Philologi nomen meruit. (poſt eum id adeptus eſt apud Latinos Atteius) Athenis Alexandriam à tertio Ptolemæo uocatus. Floruit Olymp. 141. uixit annos 82. inedia conſumtus, cùm ophthalmię remedium quæreret. Ex eius libro, qui Hermes inſcribitur, Virgilius de cœli Zonis omnia ſumſiſſe dicitur à Val. Probo. Permulta ſcripſit in philoſophia & aſtrologia, in poetica & hiſtoria.

ANTIMACHVS Heliopolitanus, Aegyptius, Coſmopœiam, id eſt, ortum ſiue cõditionem mũdi, uerſibus heroicis 3780 deſcripſit. Suidas.

MANETHVS Dioſpolites ex Aegypto, Phyſiologiam carmine perſcripſit.

HERACLITVS Epheſius 69 Olymp. floruit, & propter ſermonis obſcuritatem Scotinus eſt dictus: librum ſcripſit, in tres diuiſum partes, De uniuerſo, de Repub. & de Theologia, quem in templo Dianæ depoſuit. Eum cùm Euripides Socrati aliquando legendum obtuliſſet, reſpondit, Quæ intellexi præclara ſunt, puto & quę non intellexi: uerumtamẽ eis opus eſt Delio natatore, ne in eo ſuffocetur.

T. LVCRETIVS Carus, Romanus, Epicureus, de Natura ſcripſit opus imperfectum, natus Olymp. 171. Philtro hauſto à Lucillia amica, in furorem uerſus, manu propria ſe tandem interfecit, anno ætatis 43. eo die, quo uirilem togam ſumſit Virgilius.

M. VARRO Romanorum eruditiſſimus, De rerum natura carmine ſcripſit.

PLOTIVS Criſpinus Stoicus, placita Stoicorum uerſibus cõplexus, propter loquacitatem Aretalogus dictus: lippus fuit. Eſt quidã alius L. Plotius poeta à C. Mario dilectus, quòd illius ingenio res ſuas geſtas celebrari poſſe putaret.

SERAPION, ſub Traiano & Nerua, Athenienſis, philoſophiam uerſibus ſcripſit: & genus hoc ſcribendi ab antiquis tantùm, Orpheo, Parmenide, Thalete, uſitatum, reuocauit, teſte Plutarcho.

#### MATHEMATICI.

THALES Mileſius uerſibus philoſophica quædam ſcripſit, & meteora. Vnus è ſeptem.

ARATVS Solenſis, filius Athenodori & Lenodoræ, temporibus Philadelphi: diſcipulus Menecratis Epheſij in grammatica, in matheſi Ariſtotheti, in philoſophia Timonis & Menedemi, præcipuè Perſij, cũ quo in Macedoniam profectus ad nuptias Antigoni regis & Philæ uxoris, apud eos poſtea reliquũ uitæ exegit. Homeri aut Heſiodi potiùs imitator, ſcripſit Phęnomena, primùm à Cicerone, deinde à Cæſare Germanico (alij à C. Iulio Cęſare) poſtea à Naſone Ouidio breui carmine, tandè à Sex. Ruffo Auieno cõuerſa in Latinam linguã: item Hymnos, Pægnia, Aſtrologiam & Aſtrotheſiã, Anthropogoniam, Epigrammata, Elegias. Cicero in Oratore, inter doctos conſtare ait, Aratum mathematices ignarũ, optimis uerſibus de cœlo & ſtellis ſcripſiſſe: ſecutum Eudoxi & Hipparchi ſcripta. Arati ſepulcrum Solis Mela refert exiguum eſſe, ad quod iacta ſaxa diſſiliant, cauſa incerta.

M. MANLIVS, uel Manilius, Antiochenus, in Mãliam familiã adoptatꝰ, aſtrologus celebris: mortuus adhuc uiuẽte Auguſto. Apoteleſmata ſcripſit, at opus imꝑfectũ extat: nã de planetis meminit, ſed imperfectè, imitatus Dorotheũ Sidoniũ.

#### MEDICI.

MVSÆVS ante Homerum ἀκέσεις νόσων ſcripſit. Euſtathius in Prooemio Iliadis.

THALETAS Cretenſis ante Homerũ Lyricos uerſus ſcripſit, tanta citharæ ſuauitate, ut morbos & peſtilentias curaret. Fuit alter Thaletas rhapſodus, quem Lycurgus Spartam miſit, ut ad leges ſuſcipiendas Spartanos accenderet.

DAMOCRATES Seruilius poeta & medicus, ut & Eudemus & Heliodorus: quorum compoſitiones carmine deſcriptas Galenus recenſet.

ANDROMACHVS Cretenſis, ſenior, medicus illuſtris, Neronis tempore Theriacam carmine elegantiſſimo ſcripſit.

NICANDER, Xenophanis filius, Clarius ciuis, atq; ſacerdos Apollinis, aliis Colophonius, grãmaticus, medicus & poeta, Attali minoris ętate, Antimachũ dicendi genere æmulatus eſt: ſcripſit Theriaca & Alexipharmaca, Georgica & Prognoſtica Hippocratica, de omnibus oraculis. Suidas.

PHILO Tarſenſis medicus, nobile illud ſuum Philonium ænigmaticis carminibus deſcripſit, tãtoperè ueritus medicamenti ut ſaluberrimi, ſic, niſi ab artifice propinetur, ancipitis admodum proſtitutionem. Cuius formulam Galenus traditam expoſuit.

AEMYLIVS Macer Veronenſis, ſcripſit libros de auibus, ſerpentibus, herbis, Nicandrum imitatus. Suppleuit ea, quę ab Homero de bello Troiano relicta ſunt. Vnde ab Ouidio Iliacus uocatur, item Theogoniã. Obiit in Aſia, 190 Olymp. Liber, qui eius nomine circumfertur, ſpurius eſt. nam Plinij mentionem facit: quo tamen Macer integro ſeculo antiquior eſt, ut qui Ouidio familiaris fuerit.

RVFVS Epheſius medicus, ſub Traiano quinq; libris uerſu hexametro egit de herbis, teſte Galeno.

Q. SERENVS de Medicinæ facultate & morborum remediis carmen compoſuit.

PETRICVS de re Medica uerſus ſcripſit, teſte Plinio.

RHEMMIVS Fannius grammaticus & poeta, Arnobij diſcipulus, tempore Conſtantini Magni, ad Lactantium elegõ carmine librum de Medicinalibus ſcripſit.

#### VATES.

*Cum Vaticiniũ inter homines ſummã admiratione dignũ ſit, neq; in hominẽ, quatenus homo eſt, cadere uideatur, ſed quatenus diuino quodã ſpiritu afflatus eſt: Poetæ etiã à Latinis κατ' ἐξοχὴν, ab excellẽtiſſimo poetici furoris genere Vates appellati fuerũt, ſiuè uaticinia ederet, ſiue quiduis aliud caneret. Nos tamen hoc in loco Vates poetas χρησμολόγους intelligimus. Conſule Tit. Poetriarũ, quatenus aſtutiſſimus dæmon, cùm poetas in magno olim precio uideret eſſe, ut ſuis quoq; oraculis maiorẽ pareret auctoritatem, carminibus reſponſa per mulieres dedit.*

DAVID rex Iudæorum, uerè entheus poeta, uario genere carminis Pſalmos ſuos immortali Deo decantauit.

HIERE-

HIEREMIAS propheta Threnos conſcripſit, quatuor integris literarum ordinibus: è quibus primo & ſecundo, quaſi Sapphico metro, tertius trimetro, quartus primo & ſecundo ſimilis eſſe uidetur.

ESAIAS prophetiam ſuam ſacris uerſibus condidit, quibus nihil iucundius eſſe D. Hieronymus teſtis eſt: ut & cæteri prophetæ.

MELAMPVS Argiuus, Amythaonis & Aglaiæ filius, uaticinio clarus, & medendi arte.

HYSTASPES antiquiſſimus Medorum rex & uates, cuius uaticiniis Medi uſi ſunt. Ab eius nomine fluuius dictus. Gyraldus Dial. 3. hiſt. Poeticæ.

BACIS, aliis Bacchis, Chreſmologus cognominatus, cuius oracula Plutarchus Sibyllinis confert. Mulieres Spartanas à furore purgauit. Eius frater GLANIS uates.

OPHIONEVS Meſſenius, à natiuitate cæcus, uehementi capitis dolore uiſum conſecutus, denuò cæcus factus. Vates & poeta.

PRYLIS Lesbius, Mercurij & Iſæ nymphæ filius, Græcis ad Troiam proficiſcentibus à Palamede perſuaſus, equo ligneo urbem capiendam prædixit.

LICHAS in terra Attica oracula dedit. Herodotus eum inter Spartanos Euergetas reponit.

ABARIS Scytha, Seuthi filius, Apollinis iter ad Hyperboreos deſcripſit, & multa alia. Hic ab Apolline ſagittam accepit, quam iaculans, ſimul & ipſe cum ea ferebatur. Itaque populos uelociſſimè tranſmeans, per eam reſponſa dabat. Vnde αἰθροβάτης dictus. Iamblichus Pythagoræ diſcipulum fuiſſe aſſerit. Alij Olympiade 3. alij 56. alij 82. floruiſſe aiunt. Legatus Athenas ueniens, ad ſuos Hyperboreos rediit nil comedens, Herodoto teſte.

EVENIVS Apollonius genere ex Ionia, à ciuibus excæcatus, à diis mentis acie donatus eſt, & opibus auctus. Filium habuit DEIPHOBVM, itidem uatem.

MARTII quidam fratres Romani fuerunt, quibus Sibylla prædixit futura. Horum deinde oracula cum Sibyllinis in templo Apollinis ſeruabantur, unà cum libris Begoes nymphæ, quæ artem apud Thuſcos fulguritarum ſcripſit. Maurus Seruius, & Cic. in lib. de Diuinatione.

PVBLIVS uates Romanus, oracula edidit, quæ à Rom. diu multa religione obſeruata fuêre. Cic. de Diuin.

## THEOLOGI.

### *Sacri.*

SALOMON, Dauidis filius, in hortis Engaddæ Canticum canticorum in morem dramatis cecinit, quo nihil ſuauius eſſe in Hebræorum lingua aſſerunt: nihil ſanctius, allegorica interpretatio docet.

THEANVS hexametro uerſu grande uolumen de iis, quæ ad Chriſtianam religionem pertinent, ſcripſit.

APOLLINARIS Syrus, Heroico carmine Hebræorum antiquitatem ſcripſit, uſque ad tempora Sauli, 24. uoluminibus, Homerum imitatus. Item Comœdias, Tragœdias, & Lyricos uerſus, imitatus Menandrum, Euripidem & Pindarum. Cum antiquitate certaſſe potuit uideri, teſte Sozomeno. Laodiceæ poſtea Syriæ pontifex, in Pauli Samoſateni errorem incidit, uel ipſe potiùs nouam confinxit hæreſim: corpus ſcilicet, non animam, à Chriſto ſuſceptum fuiſſe. Ea cauſa uidentur omnes illius lucubrationes tanquam hæreticę, fuiſſe damnatæ & ſuppreſſæ. In eo certè laudatur, quòd cũ Iulianus Imp. Apoſtata, Chriſtianorum liberis omni diſciplinarum Ethnicarum genere interdixiſſet, primus hic res ſacras carmine expoſitas, pueris diſcendas propoſuerit, impij tyranni dolum nefarium pio dolo eludens. Cuius exemplum alij deinceps imitati ſunt.

NONNVS Panopolita ex Aegypto, Ioannis Euangelium Heroico carmine ſcripſit. Scripſit alius quidam, uel hic idem, Gigantomachiam, & Dionyſiacôn libros 48. ut ſunt Homeri Rhapſodiæ, opus fabulis refertiſſimum.

CÆLIVS Sedulius Scotus, anno Chriſti 430. ſcripſit hexametro uerſu Opus mirabilium, ſiue Paſchale. Item hymnum ad Chriſtum, cuius Acroſtichides totum continent alphabetũ. Item carmen ad Theodoſium iuniorem.

L. CÆLIVS LACTANTIVS Firmianus, unus eloquentiæ Ciceronianæ inter Chriſtianos præcipuus æmulator, uerſus compoſuit de Chriſti nece, & reſurrectione. item Phœnicen, & ὁδοιπορικὸν ex Africa in Bithyniam uſq;.

MARIVS Victorinus Afer, rhetor, Romæ docuit ſub Conſtantio Imp. & ſtatuam in foro Traiani meruit. Præceptor fuit [redacted]ronymi. Senex tandem ad fidem Chriſti conuerſus, uerſu Heroico ſeptem Macchabæorum mortem cum matre cecinit, & hymnos quoſdam de S. Trinitate. Libros contra Arrium proſa ſcripſit, ualde obſcuros.

CÆCILIVS Cyprianus Afer, epiſcopus Carthaginenſis, carmina ſcripſit de S. Crucis ligno.

GEORGIVS diaconus Conſtantinopolitanus, & chartophylax, id eſt, archiui præpoſitus, Hexaemeron Iambico carmine tribus uerſuum millibus ſcripſit: item bellum Perſarum ad Heraclium Imp.

PETRVS de Riga Rhemenſis, utrunq; Teſtamentum carmine complexus eſt, quod & Auroram inſcripſit.

IO. DAMASCENVS Magnus, theologus Græcus, cognomẽto Maſur (quem plerique Ioannem Meſue eſſe crediderunt, qui de Medicamentis ſcripſit) ſub Leone Imp. & Gregorio III. Pont. uixit, uir ſua ætate doctiſſimus. Præter cætera & Suſannæ drama compoſuit: & Canonicorum regulas cùm iambicis, tum proſa oratione.

ALCIMVS Auitus epiſcopus Viennenſis, ſub Zenone & Anaſtaſio Impp. anno Chriſti 500. Galliam ab Ariana labe defendit, & poemata quædam ſcripſit, quæ adhuc extant.

PROSPER Hiſpanus, uel Aquitanus miles, Romæ à Leone pontifice ſuſceptus, & eius primùm ſcriba, deinde Regij Lepidi epiſcopus factus, de Prouidẽtia Dei, & de Ingratis carmine ſcripſit: item Epigrammata ex D. Auguſtini ſententiis.

FVLGENTIVS Placiades Teleptæ natus, ex nobili ſenatorum Carthaginenſium genere, anno Chriſti 480. uel circa, primùm cauſarum procurator, deinde Rhuſpenſium epiſcopus, exulatum miſſus in Sardiniam cum 120 epiſcopis Africæ, à Thraſimundo Vandalorum rege. Chriſtiana poemata ſcripſit, duriuſculè tamen.

C. SOLLIVS Sidonius Apollinaris, Aruernus Gallus, floruit tempore Theoderici Gothorum regis, ſtatuam Romæ in foro Traiani, duplicemq; coronam meruit: poeta, ut ea tempora ferebant, tolerabilis.

IVVENCVS Hiſpanus presbyter, ſub Conſtantino Magno, quatuor Euangelia hexametris uerſibus ſcripſit.

ARATOR Diaconus, hexametris uerſibus Acta Apoſtolorũ ſcripſit, & Vigilio pont. Max. obtulit. Vixit an. Chriſti 560.

GVIDVS ſacerdos, poſtea præſul, ad Clementem V. Bibliæ margaritam ſcripſit carmine, ſuper utrunque Teſtamentum, mira facilitate.

### *Ethnici.*

LINVS Chalcidenſis uel Thebanus, Apollinis & Terpſichores filius, primus ex Phœnicia literas in Græciam intulit, primus Lyricos modos & Doricos concinuit. Lichanon, mediam citharæ cordam appellauit, à Muſis inuentam. Intentionem citharæ, à patre Apolline accepit, quam ille obſeruarat in arcu Dianæ ſororis intenſo. Diſcipulos habuit præcipuos tres, Thamyram, Orpheum & Herculem: à quo etiamnum puero interfectus eſt plectro, quia eum duriùs corripuiſſet. Pauſanias in Bœot. ex ſententia Thebanorum duos facit Linos. Antiquiorem, Vraniæ & Amphimari Neptuni filiũ, ab Apolline ob canendi arrogantiam interfectũ, à Græcis & Barbaris deploratum, Thebisq; ſepultum. Hinc lugubria & funebria carmina αἴλινοι dici cœpêre. Iuniorem, Iſmenij F. ab Hercule diſcipulo occiſum.

PIERVS Lini filius, Macedo, cùm Theſpias profectus eſſet, nouem ibi Muſas conſtituit, montemq; Pierium uocauit, qui antè Helicon dicebatur. Alij primum de Muſis ſcripſiſſe, alij Muſas eius filias fuiſſe aiunt. Ouidius, filias eius cum Muſis certare auſas, in picas mutatas fabulatur.

THAMYRAS filius Philammonis & Arſinoes, Thrax Odryſius, ante Homerum quintus uel octauus, Theologiam tribus uerſuum millibus ſcripſit. Primus à nonnullis παιδεραστὴς fuiſſe dicitur. Cùm Muſas in certamen prouocaſſet, ab iis excæcatus eſt. Vnde prouerbium, Θάμυρις μαίνεται. Suid.

AMPHION Thebanus, Iouis & Antiopæ filius cum Zeto. A Mercurio lyram accepit dono, quòd primus ei aram poſuiſſet: hac Amphion Thebas Bœotias condidit, & primus uocem lyræ iunxiſſe dicitur.

ORPHEVS ex Libethris Thraciæ oriundus, Apollinis & Calliopes filius, cui ab Apolline lyram datam quidam aſſerunt, quam nouichordem primus inſtituerit, cùm Mercurius ſeptichordem tantùm habuiſſet. Ante Troiana uixit tempora, per XI γενεὰς. γενεὰν intelligunt ſpacium ſeptem annorũ. Ipſe uixit nouẽ generationes, hoc eſt, ad 63 annum, qui climactericus eſt. A Ciconum mulieribus diſcerptum aiunt, eo quòd relicta Eurydice uxore, pueriles amores ſequeretur, uel potiùs (ut Pauſanias in Bœoticis) quòd ſecum uiros quacunq, errans, huc illuc traheret. In Græciam aſtrologiã & magiam adduxiſſe dicitur à Luciano. Feras cantu ſuo, & Bacchas flexit. Tanti eum Græcia fecit, ut diuinitatem ei tribuerit. Caput eius in Lesbo oracula dedit, quod unà cum lyra per Hebrum fluuium in mare deuolutum fuit. Orpheus Hebræos ſacerdotes ſub Iudicibus audiuiſſe dicitur. Itaque primus πολυθεότητα impugnauit, quã antea docuerat. Fuerunt tamen quatuor alij Orphei, ut tempore, ita & dignitate poſteriores.

Muſæus ORPHEI diſcipulus fuit. Alij Lini, alii Orphei, alij Eumolpi Athenienſis filium fuiſſe uolunt. Theogoniam primus ſcripſit, & ſphæram inuenit. Orphei lyram poſt mortem obtinuiſſe dicitur: quàm, quòd ea indignus eſſet, Iupiter in cœlum tranſtulit, Arati interprete teſte. Fuêre & alij Muſæi; Muſæi, Eleuſinius, Thebanus Thamyræ filius, melicus poëta, qui ante Troiana tempora floruit, & Epheſius Epicus.



EVMOLPVS Eleuſinius uel Athenienſis, Muſęi filius (aliis pater) quibuſdam Neptuni & Chiones filius dicitur, Orphei diſcipulus. Claruit in Pythicis certaminibus, Lyricis uictor. Cẽreris myſteria, & χειροσκοπικά, & Bacchica ſcripſit. Suidas.

ZOROASTRES Perſa, Meſraimi Chami filius, qui magicæ artis tradidit diſciplinam. Hic aſtris multum tribuens, cùm ex illis ſcintillas quaſdam eliceret, tandem à dæmone ſuccẽſus eſt: & Zoroaſtres à ſuperſtitioſis hominibus dictus, quaſi ζῶον ἄστρον, uiuens aſtrum, cùm priùs Zarades diceretur. Beroſus filium Noachi Chamum, Zoroaſtrem dictum ait, propter ueneficiorum peritiam, quibus Noachum patrem impotentem ad uenerem reddiderit. Hermippus centum millia uerſuum à Zoroaſtre condita ſcribit, præceptore uſum Agonace, quinque millibus annorum ante bellum Troianum. Viginti annis in deſerto, ſolo caſeo uixit. Infans recèns natus riſit, & cerebrum eius inſolito more palpitauit, futuræ præſagio ſcientiæ. Alter Zoroaſtres fuit rex Bactrianorum, à Nino, prælio uictus. Tertius Proconneſius Magus, circa Xerxis tempora.

EPIMENIDES Gnoſius, uel Phæſtius, ex Creta, miſſus à patre Phæſto aut Doſiade aut Agiaſarcho, ut ouem rure deduceret, meridiano æſtu in antrum ſeceſſit, & ibi per annos 77. (alij 40. alij 47.) dormiuit. Domum reuerſus, cùm omnia mutata inueniſſet, à fratre agnitus, Deorum poſtea amicus habitus eſt. Poëta fuit, & uates. Plurima ſcripſit. Vixit annis 157. uel 299. uel 154. Anima eius, quoties uolebat, è corpore egredi & remigrare conſueuerat. Mortui pellis longò pòſt tempore, notis quibuſdam inſcripta, reperta fuit, unde prouerbium, ἐπιμενίδειον δέρμα, de reb. miraculoſis. Athenas à Cylonio ſcelere luſtrauit, XLIIII Olymp. iam ſenex. Scripſit Initia & luſtrationes. Suidas.

ARISTEAS Proconneſius, Democharidis filius, cuius animã relicto corpore uagari ſolebat, & uniuerſum orbem perluſtrare, ſapientiæ ergô. Scripſit Theogoniam mille uerſibus, & Arimaſpia. Floruit temporibus Crœſi & Cyri, Olympiade quinquageſima.

HESIODVS Homero coæuus fuit, quamuis alij eum longè poſteriorem faciant, uidelicet 130. annis. Certauit cum Homero in Oelyci Theſſali exequiis, & Amphidamantis Chalcidenſis, & uictor extitit, iudicio Panidis regis Chalcidis. Sed Porphyrius & plerique, Homero minorem faciunt annis centum, ut 32 tãtùm annis primam Olymp. anteceſſerit. Natus eſt Cumis Aeolicis, patre Dio Ampelidis filio: qui propter æs alienum ſolum uertens, Aſcram Bœotiæ uicum migrauit, ubi Heſiodus educatus, Aſcræus dictus eſt. Hîc cũ armẽta puer cuſtodiret, à Muſis amatus, guſtata lauro, poëta euaſit. Cum Mileſio comite & Troilo puero Heſiodus apud quendã hoſpitatus eſt, ut refert Plutarchus. Mileſius hoſpitis filiam corrupit. Puellæ fratres Heſiodum ſtupri conſcium arbitrati, eum inter paſcua cum puero occiderunt, & cadauer in mare proiecerunt. Id exceptum, Delphini in litus portauerunt. Re cognita, interfectores fuga ſibi conſulere uolentes, coorta tempeſtate, in mari perierũt: poſtea Heſiodi corpus in Nemea Locridis ſepultum fuit. Senex admodũ obiit. Vnde prouerbiũ, Heſiodia ſenectus. Obtrectatorem habuit Cercopem quendam. Oſſa eius oraculi iuſſu exportata ab Orchomeniis, & in medio foro tumulata. Ex Cteme ne Phyſigei filia, Steſichorum poëtam genuiſſe dicitur. Scripſit Theogoniam, Opera & dies, Scutum, & alia. Suidas.

CYNETHON Lacedæmonius Theogoniam carmine ſcripſit poſt Heſiodum, tertia Olympiade. Diuerſus à Cenætho Chio, qui 69 Olymp. floruit, & Rhapſodiis Homeri, multos uerſus Syracuſis inſeruit.

NVMA Pompilius de diis deorumq; rebus uerſus cõpoſuit, iiſq; in ſacris ludiſq; publicis ritè cantatis, ferociſſimã gentem ad humaniores mores tranſtulit.

IVLIANVS, Iuliani philoſophi Chaldæi filius, M. Antonino Pio Theurgica uerſibus edidit. Cùm Romani magna afficerentur ſiti, magica arte pluuias impetrauit.

PORPHYRIVS Tyrius philoſophus, Chriſtianis infenſiſſimus, ſub Iuliano, cùm de connubio ſacro, [redacted] poëma compoſuiſſet, & illud Plotinus audiuiſſet, ad eũ cõuerſus: Oſtendiſti, inquit, te Porphyri ſimul & poëtam ſummum eſſe, & philoſophum, & ſacerdotem.

## ETHICI, QVI VEL PRÆCEPTA MORALIA, uel Leges uel Apologos uerſibus ſcripſerunt. GNOMOLOGI.

*Vetus Philoſophia ethica olim per Hypothecas, ſiue Gnomas tradebatur: hoc eſt, Sententias quaſdam morales: quibus & ad uirtutem accenderentur homines, & à uitiis auocarentur. Tales ſeptem illi Sapientes Græciæ ediderũt. Vt autem numero quoque acceptiores eſſent, uerſibus plerunq; ſententias iſtas propoſuerunt. Eodem conſilio quoque Legiſlatores uetuſtiſſimi leges ſcripſerunt. Vt enim carmina ad memoriam plurimum faciunt, ſic etiam neſcio quem enthuſiaſmum in ſe continere uidentur.*

PITTHEVS Aethræ pater, atq; adeò maternus Theſei proauus, anguſtam urbem Trœzeniorum coluit, & uerſibus per ea tempora ſententias quaſdam condidit. Plut. in Theſeo.

DRACO Athenienſis, tribus uerſuum millibus Hypothecas ſcripſit, & leges dedit Athenienſibus, omnibus delictis, mortis pœnam ſtatuens: unde non atramento, ſed ſanguine leges ſcripſiſſe, à Demade dictus eſt: & φονικοὶ νόμοι uulgò dicti. Vixit 39. Olymp. qua & ſeptem Sapientes: præceſſit Solonem 47 annis. In Aegina inſula in theatro ſedens, ueſtibus plurimis iniectis necatus, & in theatro ſepultus eſt.

PITTACVS Mitylenæus, tyrannus patriæ, tyrannide tamen ſeſe poſtea abdicauit. Sexcentis elegis ciuibus ſuis leges dedit, unus ex ſeptem Sapientibus à pleriſque exiſtimatus: ut & PERIANDER Corinthius, qui floruit 38. Olymp. & Hypothecas duobus uerſuum millibus ſcripſit. Ab Athenæo ἐλεγειοποιὸς cognominatur.

SOLON Poëtica ab initio non ullam ad rem grauem, uerùm ludibundus uidetur, temporis per otium fallendi gratia, uſus obiter, atq; in ea ſe exercuiſſe. Pòſt & ſententias incluſit uerſibus philoſophicas, & ex iis, quę geſſerat in rep. intexuit multa: non ſcribendi hiſtoriam uel memoriæ cauſa, ſed ad defendendas actiones ſuas: interim ad excitandos, caſtigandoſq; & obiurgandos Athenienſes. Tradunt aliqui & leges ſuas aggreſſum in carmine illigare. Plutar. in Solone.

HIPPARCHVS Piſiſtrati tyranni filius, qui Homeri Rhapſodiarum auctor fuit, & poëtas poëta ipſe plurimi fecit, Simonidem, Anacreontem. Tandem ab Ariſtogitone & Harmodio interfectus eſt, quòd Harmodio nobilem quendam adoleſcentem præripuiſſet. Columnas (quas Hermas dicunt) in compitis erexit, legibus & elegis uerſibus inſcriptas.

TYRTÆVS Archimbroti F. Mileſius aut Athenienſis, Spartanus tamen dictus, ab aliis etiam Mantinęus, elegiographus & tibicen, deformis aſpectu, ætate penè par ſeptẽ Sapientibus, Olymp. 35. Scripſit elego & heroico carmine permulta de Rep. Lacedæmoniorum. Lacones ter iam à Meſſeniis uicti, auxilium ab Athenienſibus ex oraculo petierunt. Athenienſes ergo Tyrtæum eis in contemptum dederunt, cùm ludimagiſter eſſet, claudus, luſcus, & ab omnib. irrideretur. At ille carmine militum animos ita inſtammauit, ut tãdem Meſſanam expugnarint. Eapropter ciuitate donatus eſt: & in tanta porrò fuit exiſtimatione, ut cum hoſte congreſſuri, eius poëmata canerẽt, & domi Trichoriam ſaltationem ex eius præſcripto exercerent. Suidas.

HESIODVS in ἔργοις Gnomologias multas immiſcet. de quo ſub Poëtis Theologis.

PYTHAGORAS Gnomas edidit, χρυσῶν ἐπῶν nomine.

BABRIAS, ſiue Babrius, fabulas ſeu fabuloſa choriambicis uerſibus, libris decem deſcripſit, Aeſopi proſa in carmen tranſlata. Suidas in uoce χωλίαμβος.

ANACHARSIS Scytha, patre Gnyro, matre Græca, fratrem habuit Caduia Scytharum regem. Crœſi tempore floruit, & leges uerſibus deſcriptas, ſuis Scythis ferre uoluit. Compoſuit & Ethica alia permulta uerſibus octingentis. Græcorũ ſacris initiatus eſt. In patriam rediens, ad 100. annum uixit, & ſagitta in uenatione percuſſus interiit.

THEOGNIS Megarenſis ex Sicilia, natus 59. Olymp. relictis fabulis primus Gnomas & Elegias paræneticas ſcripſit, itẽ de Syracuſarum obſidione. Suidas.

PHOCYLIDES Mileſius floruit poſt tempora Troiana annis plus minus 647. Theognidis æqualis, ſcripſit gnomas, elegias, hexametros, & cephalæa quædam, quæ ex Sibyllinis depromta uidentur. Suidas.

## TVRPES, IMPVDICI, QVI VITIORVM præcepta dederunt.

*Si Formam dicendi ſcribendi ue ſpectes, huius ſunt loci: ſin Materiam, ad doctores Libidinis & Intemperantiæ uenereæ pertinebunt. Mulierum exempla aliquot è Tit. Poetriarum petes.*

Melos, ſiue Oden, quibus curas amatorias decantãt, primùm excogitaſſe ALCMANA tradunt: primumq; aiunt dediſſe μέτρον ἀκόλαστον, id eſt, laſciuũ. Alij dicũt AMETOREM Eleutherneũ, primum apud ſuos ciues amatorias ceciniſſe cantilenas: cuius propterea poſteri Ametores item dicti ſunt. In hoc genere plurima fuit Sappho. Anacreon autem non ſolùm dedit hæc μέλη, ſed etiam in ipſis mella. Scaliger lib. 1. Poëtices, cap. 44.

A[redacted]ACREON Teius, primus poſt Lesbiam SAPPHO magnam carminũ ſuorum partem in obſcenis amoribus exprimendis conſumſit. Pauſanias in Atticis.

BATALVS Epheſius, poëta laſciuus, & molliſſimus. Hinc Batalos Græci uocant cinædos & pathicos. Demoſthenes certè à mollitie ſic cognominatus fuit. Alij tibicinem fuiſſe uolunt hoc nomine, deformem, qui uerſus compoſuerit.

SOTADES Cretenſis Maronites, φλυαξῶν, id eſt, nugaciũ carminum poeta. Primus Phlyacas ſiue cynædos carmine iambico condidit, ſermone Ionico: unde & Cinædica oratio Ionici logi dicta eſt. Vſus eſt hoc genere etiam Alexander Aetolus, Pyrrhus, Mileſius, Theodoras, Timocharidas, & Xenarchus, Suida teſte. Lyſis quoq; adhibito cantu, & ante hũc Simus. Strabo lib. 14. Ab hoc inuentum carmen Sotadeum: cuius uariæ ſpecies, & uulgatiſſima τῶν παλινδρομούντων, ſiue recurrentium. Vnde Martialis: Nec retrò lego Sotadem cinędum. Periit plũbeo uaſi incluſus, & in mare demerſus, cùm de rege Lyſimacho & Ptolemæo plura impudentiùs ſcripſiſſet: dignus hoc exitu.

ZONÆVS amatorias Epiſtolas ſcripſit, item de pilæ luſu, & agreſtes epiſtolas.

POETARVM fabulas obſcenas, de diis præcipuè, Plato in ſecundo de Repub. unà cum ſuis auctoribus è ciuitate eiiciendas arbitratur, uti peſtes adoleſcentiæ.

HERMESIANAX Colophonius, de patria ſua ſcripſit, & Leontij meretricis nequitias & amores, trib. libris expoſuit.

PETRONIVS Arbiter, Maſſilienſis, laſciuè & impudicè Satyras ſcripſit, & amatorum argumenta, & fabulas.

HEMITHEON Sybarita libellos laſciuiſſimos compoſuit, de quibus tamen ſeſe Auguſto purgauit.

PAXAMVS ſcripſit duodecim artes, id eſt, de obſcenis motibus. Suidas.

P. OVID. Naſo elegiographus, de Arte amandi ſcripſit, & diuinum ſuum ingenium eiuſcemodi nugis profanauit. Is de ſeipſo 2. Triſtium:

Crede mihi, diſtant mores à carmine noſtro:
Vita uerecunda eſt, Muſa iocoſa mea eſt.
Nec liber indicium eſt animi, ſed honeſta uoluntas
Plurima mulcendis auribus apta refert.

MARTIALIS tam impudicus quã ingenioſus, dignus quem Conrad. Geſnerus pio cõſilio, ſed à ſemichriſtianis parum laudato, caſtrauerit. Ipſe de ſeipſo ſic ſcribit libro primo:

Innocuos cenſura poteſt permittere luxus.
Laſciua eſt nobis pagina, uita proba eſt.

Sed & alibi de ſuis ſcriptis ait:

Tu quoq; nequitias noſtri luſuſq; libelli
Vda puella leges, ſis Patauina licèt.

QVI Priapeia ſcripſit, non ſanè Parthenius ille & diuinus Maro, ut impudici carminis auctor extitit, ita non niſi à lenonibus, meretricibus & cinædis legi debet, cloacæ inſtar Virgiliano palatio adiici ſolitus.

C. Coſconius Seruilia lege (cuius de pudicitia caput aliquod fuiſſe interpretor) reus, & ſine ulla dubitatione nocens: tamen cùm VALERII Valentini accuſatoris ſui recitaſſet in iudicio carmẽ, quo puerum prætextatum, & ingenuam uirginem à ſe corruptam, poetico ioco ſignificauerat: iniquũ eſſe iudices exiſtimarunt, eum uictorem dimittere, qui palmam non ex alio ferre, ſed de ſe dare merebatur. Magis ergo Valerius in Coſconij abſolutione damnatus, quàm Coſconius in cauſa ſua liberatus eſt P. Aerodius, ex Valer. Max. libro 1. capite 1.

Martialis lib. 12. Epigram. Poëta alioqui laſciuiſſimus, inſectatur tamen

MVSÆI pathiciſſimos libellos,
Qui certant Sybariticis libellis,
Et tinctas ſale pruriente chartas.

In SABELLVM, idem Epigram. lib. 12. ſic ſcribit:

Facundos mihi de libidinoſis
Legiſti nimium, Sabelle, uerſus,
Quales nec Dydimi ſciunt puellæ,
Nec molles Elephantidos libelli.
Sunt illic Veneris nouæ figuræ,
Quales perditus audiat fututor,
Præſtent & taceant quid exoleti,
Quo ſymplegmate quinq; copulentur,
Qua plures teneantur à catena,
Extinctam liceat quid ad lucernam.
Tanti non erat eſſe te diſertum.

Noſtra quoq; ætate PETRVS Aretinus, canis regius, ſycophãta impuriſſimus, ne quid ſceleris intentatum ſupereſſet, & ſcriptis & imaginibus ea proponere non eſt ueritus, quæ olim cœleſti igne à Deo Opt. Max. punita fuère. Et hũc tamẽ diuũ, ſi diis placet, uulgò appellant. Itaq; ludũ iocumq; ueterũ idololatriam dicere poſſis, quando Chriſtiani in media ueritatis luce, ex diabolis diuos facere non erubeſcunt.

[redacted]

HISTORICI; QVI RES GESTAS VEL quaſi geſtas, quocunq; genere carminis decantarunt, HEROICI.

*Heroici ab Herouin geſtis, quæ cantunt, appellationem traxere. At quia dactylicum carmen huic generi poematis aptiſſimum eſt, iccirco carmen Hexametrum uulgò cœpit appellari, quantumuis materia diuerſa eſſet. Nos hic proprio uocis uſu Heroicos à materia, non à metro, denominari uolumus.*

IOBVS ex terra Hus; librum [redacted] conſcripſit. In quo ubi ex perſona ſua ſermonem exorſus eſt, ad uſque libri calcem carmine hexametro dactylico cuncta complexus eſſe dicitur.

CORINNVS Ilienſis, feruente adhuc bello Troiano, Iliada dicitur ſcripſiſſe, Palamedis diſcipulus: cuius inuenta literis Doricis deſcripſit. Dardani bellum contra Paphlagonas quoque ſcripſit. Ab eo pleriq; uolunt Homerum argumenta cœpiſſe, & libris ſuis inſeruiſſe. Suidas.

PRODICVS Phocæus, Epicus uetuſtus. Scripſit Minyada: opus uariis hiſtoriis refertum, ex quo Polygnotus picturarum nonnullarum ſumſit argumentum.

POLYCRITVS Siculorum geſta uerſibus mandauit, teſte Ariſtot. in lib. de Admirandis in natura.

PHANOCLES, Ganymedem non à Ioue, ſed à Tantalo raptũ aſſeruit, eamq; cauſam belli inter Troẽ & Tãtalũ fuiſſe.

EVMELVS Corinthius, Bacchiadum unus, claruit Olymp. 9. cum Sibylla Erythræa. Corinthi hiſtoriam, & Titanomachiam ſcripſit.

DEMODOCVS Corcyræus poeta, item PHEMIVS Ithacenſis, uel Smyrnæus. Homerus in ſuis Rhapſodiis Phemiũ quidem apud Penelopem, Demodocum uerò apud Phæacas canentem introducit.

ARCHIMVS, ſeu Arctinus, Telei F. Homeri diſcipulus, Olymp. nona uel quarta, Aethiopicam & Iliacam cladem ſcripſit. Suidas.

SYAGRIVS ante Homerum Iliada ſcripſit, & ei ualde fuit infenſus.

HOMERVS (priùs Meleſigenes dictus) à cæcitate nomen habuit: cæcos enim, Iones & Cumæi Homeros uocant, quaſi μὴ ὁρῶν. Alij cæcum fuiſſe aiunt, hoc eſt in refrænandis animi affectibus (qui per oculos potiſſimùm irritantur) impotentem. Parentes eius incerti. Ariſtoteles in 3. de poetica daemonem ei patrem tribuit, matrem Critheidem Ieſem. Ephorus Cumanus Critheidem à Mæone tutore conſtupratã, & Phemio Smyrnæo ludimagiſtro obtruſam, apud Meletem fl. filiũ peperiſſe aſſerit. Antipater facit Calliopes Muſæ & Apollinis filium. Incerta etiã patria, nec enim ſeptem tantùm urbes, ſed tota ferè Græcia de eius natalibus gloriatur. Sunt qui Babylonium, Suidas etiam Lucanum aut Romanum fuiſſe ſcribit. Plutarchus Smyrnæ natum, in Io tumulatum aſſerit, augurio eius diuinitatis: cùm Smyrna myrrham, Ios uiolam ſignificet. Tempus itidem, quo floruit, incertum. Quidam poſt Troica 120. Herodotus 168, Crates 80. Archilochus 500. nimirum 22. Olympiade. Incertitudo ex eo nata uidetur, quòd octo alij præter hunc fuerint Homeri, tempore tamen & eruditione longè inferiores. Obiit anno ætatis 108. cùm ex Samo in Ion nauigaſſet: uel ex animi mœrore, quòd propoſitum à piſcatoribus ænigma explicare non potuiſſet: uel morbo. Maxima eius fuit auctoritas apud omnes ſemper. Fuit alius Homerus, inter Pleiadas poetas connumeratus, qui uixit Olymp. 23. & 57. Fabulas ſcripſit. Reliqui eiuſdem nominis, minùs clari.

RHIANVS Cretenſis, primùm palæſtræ cuſtos atque ſeruus, mox grammaticus & poeta: ſcripſit Theſſalica, Meſſeniacà & Heracleada.

PHILOSTRATVS Athenienſis, Epaminondæ & Pelopidæ uitas, item Theſeida, compoſuit.

LESCHES Lesbius, Olymp. 30. paruam Iliada conſcripſit, ex qua Pindarus quædam deſumſit.

PISANDER, Alexandrinus ſeu Rhodius, filius Piſonis & Ariſtæcmiæ, quem Eumolpi ætate quidam floruiſſe, & ab eo amatum ferunt: alij Heſiodo ſeniorem, alij 33. Olymp. uixiſſe aiunt. A nuptiis Iouis incipiens, uniuerſas hiſtorias uſq; ad ſua tempora contexit, Troiæ etiam cladem complectẽs: quam Verg. in Aeneida ſua tranſtulit, teſte Macrobio. Herculis labores duobus libris abſoluit, & primus Herculi clauam tribuit. Suidas. Hic tanta laborabat melancholia, ut ſibi continuè timeret, ne ſuæ ipſius umbræ occurreret [redacted] enim ſe uiuens deſtitutum exiſtimabat.

PANYASIS Poliarchi F. Halicarnaſſei aruſpicis & poetæ tanta fuit auctoritas, ut eum nonnulli ſtatim poſt Homerum inter poetas recenſeant: alij poſt Heſiodum & Antimachũ, quem Panyaſis familiarem & diſcipulum quidam faciunt. Herodoti hiſtorici patruelis, uel auunculus. Vixit Olymp. 78. de Herculis laboribus multa ſcripſit 14. uoluminib. Heracleia, item Ionica. Hic dicere ſolebat: Primum poculum Gratiis, Horis & Dionyſio dicatum ſit: ſecundum Veneri & Dionyſio: tertium Iniuriæ & Damno. Suidas.

ANTIMACHVS Colophonius, Hipparchi filius, grammaticus & poeta, ſeruus Panyaſis, ſecundùm nonnullos, Steſimbroti



broti auditor, & Platone aliquãto ſenior. Hic cũ cõuocatis auditoribus, Thebaida ſuã (in qua antequã ſeptẽ duces ad Thebas perduceret, 24 libros cõſumſerat) recitaret & eum omnes præter Platonem reliquiſſent, dixit: Plato inſtar omnium. Huic ſecundas in heroico dedit. Quintilianus.

SIMONIDES Magneſius, Sipyli filius, Olymp. 150. res Antiochi Magni ſcripſit, & bellũ contra Galatas. Alius Caryſtius, qui Græcorum in Aulide conuentum duobus trimetrorum uerſuum uoluminibus complexus eſt.

COLVTHVS Lycopolites ex Aegypti Thebaide, ſcripſit Calydoniaca, Helenæ raptum, & Pelei Thetidiſq; nuptias.

CHOERILVS Samius, ſiue Halicarnaſſeus, ſiue Iaſius, Olympiade 75. à Samio domino profugus, Herodoto hiſtorico aſtitit, & ab eo amatus eſt. In Macedonia tanti Archelaus uerſus eius fecit, ut quotidie illi minas 4 penderet: quas tamen ille obſonando abſumebat. Scripſit Gręcorũ uictoriam contra Xerxẽ, cuius poematis uerſus ab Athenieñſib. ſinguli ſingulis aureis repẽſi fuère, decreto facto, ut eum uerſibus Homeri recitarentur. Suidas. Fuit & alius Chœrilus tragicus. Tertius, & diuerſus ab utroq;, ineptus ille: de quo ſub Tit. Malorum Poetarum.

ANTAGORAS Rhodius cum Antigono rege Macedoniæ uerſatus eſt, & Thebaida ſcripſit. Hic cùm militiæ congrum coqueret, & uas concuteret, ſuperueniens Antigonus dixit: Homerúmne putas, Antagora, cùm Agamemnonis res geſtas deſcriberet, congros coxiſſe? Tum ille: Túne, inquit, rex putas, cùm tantas res ageret Agamemnon, adeò curioſum fuiſſe, ut ſcire uellet, an in exercitu quiſquam congrum coqueret?

APOLLONIVS, Rhodius dictus, eo quòd propter poetarũ inſidias (editis Argonauticis) Alexandriam patriam relinquere coactus fuerit. Succeſſit Eratoſtheni in Alexandrinæ bibliothecæ præfectura. Contra eum, ut ingratum diſcipulum, Callimachus uirulentiſſimum carmen Ibidis ſcripſit. Argonautica eius tantùm extant, ex quibus Medeæ amores in Didonem ſuam Vergilius tranſtulit.

DIONYSIVS Mitylenæus uerſificator, Scytobrachion & ſutor dictus: deſcripſit Bacchi & Mineruæ expeditionem, Argonautas libris ſex ſoluta oratione, Fabuloſa ad Parmenonem. Suidas.

Q. ENNIVS floruit 136. Olympiade: ſtipendia ſub Africano ſuperiore fecit. Romam deductus fuit ex Sardinia à M. Catone quæſtore ex Africa decedente. Patria Rudiæ, Calabriæ oppidum: unde Rudinus ab Auſonio, Rudius à Cicerone. Hieronymus eum Tarentinũ facit. Ex ſtirpe Neptuni, à Meſſapo originem ſuam deduxit. Homeri animam ſe habere iactabat. Acer in ſententiis; in uerbis rudis. Hinc Vergilius aurum ſe ex Ennij ſtercore colligere dicebat. Tria corda ſe habere profitebatur, quòd Græcè, Latinè & Oſcè loqui poſſet. Scripſit Annales, item bella Pop. Rom. quorum librum 12. anno 46. ætatis ſcripſit. Item Phagetica, Comœdias & Tragœdias plures, ita ut ei decimum inter Comicos locum det Volcatius. Obiit Q. Martio & Cn. Seruilio Coſs. poſtquam Thyeſtem fabulam docuiſſet, iam ſeptuagenarius, ex arthritide, quam nimio potu cõtraxerat: ſepultus in Scipionis monumento, uia Appia.

HOSTILIVS Annales Rom. poſt Ennium ſcripſit.

TRIMATIVS Iliada Latinè compoſuit, & primus Victoriæ deæ Præpetis epithetũ addidit. Iliada quoq; NVMMIVS Craſſus & Cn. MANLIVS ſcripſerunt. Manlius in ſua hoc habet: —Celerriſſimus aduolat Hector.

HOSTIVS bellum Hiſtricum carmine ſcripſit, plura ex Homero mutuatus. Ex quo multa, quæ Homeri uidentur, Vergilium deſumſiſſe, auctor eſt Macrobius.

A. LICINIVS Archias, Antiochenus patria, ob eruditionem ab Heraclienſibus, Tarentinis, Rhegynis, Neapolitanis & Romanis, ciuitate donatus eſt. A Lucullis, Metellis, Catulis, Craſſis, in primis à M. Tullio amatus, & ab eo etiam defenſus. Extemporali facultate carminum condendorum pollebat. Scripſit Cymbrica Græcè, & de conſulatu M. Tullij carmen exorſus eſt, item Epigrammata quædam.

THEOPHANES Mitylenęus Epicus, Magni Põpeij geſta deſcripſit: & propterea ab eo pro concione laudatus & ciuitate donatus eſt. Mortuo Græci diuinos honores tribuerunt.

P. TER. Varro in uico Atace prouinciæ Narbonenſis natus Olymp. 174. qui poſtea 34 anno ætatis Græcas literas didicit. Scripſit Argonautica, & maiorem partem ex Apollonio traduxit. Item de puella Leucadia, quam amauit.

P. VERG. MARO, poetarum deus ſiue Plato (ut Alex. Imp. dicebat) prope Mantuam in uico Andes (unde Andinus ipſe) qui hodie Pictole uulgò dicitur, natus eſt 177 Olymp. Pompeio & Craſſo Coſs. Brunduſij mortuus, Saturnino & Lucretio Coſs. Oſſa Neapolim tranſlata, ſecundo ab urbe lapide. Moribus adeò modeſtus, ut uulgò Parthenias diceretur. Priapeia eius non ſunt, ſed uerſus ſunt uariorum poetarum in hortis Mecœnatis Priapi ſacello affixi. Adrianus Imper. ipſum Ennio poſtponebat. Caligula cum damnabat, & penitùs abolere conabatur. Græci eius Opera in ſuam linguam conuerterunt.

PEDO Albinouanus Theſei geſta & Epigrammata ſcripſit: unde ab Ouidio ſublimis, altiloquus, & alicubi ſidereus appellatur.

C. RABIRIVS magni oris ab Ouidio dicitur, quòd Epicus eſſet poeta, & grandiloquus. Scripſit præter Heroica, etiam Elegias, & Epigrammata, & Satyras.

TVTICANVS, Ouidij à teneris amicus, mutuoq; ſibi operã dabant in emendandis carminibus. Phæacida ex Homero uertiſſe dicitur.

PONTICVS bella Thebana carmine deſcripſit, Ouidij amicus.

CORN. Seuerus, poeta & declamator egregius. Scripſit bellum Siculum, ſed non perfecit. Carmen de monte Aetna, quod Vergilio tribuitur, eius fuiſſe putatur.

Annæus LVCANVS Cordubenſis, Perſij cõdiſcipulus, eques Rom. Cunis eius apes inſederunt. Præceptore uſus eſt Palęmone, Verginio, Cornuto. Neroni charus, quæſtor adhuc iuuenis factus eſt: poſteà etiam ſacerdos, cùm Pollam Argentariam doctiſſimam mulierem duxiſſet; quæ tres primos libros Pharſaliæ unà cum marito emendauit, reliquos eo mortuo. Cùm quinquennali certamine acto, Nero per Clinium Ruffum [illegible] oben ſe pronunciaturum indixiſſet, Lucanus oſtẽtandi ingenij cauſa Orphea extemporè recitauit, & corona à iudicibus donatus eſt. Offenſus ea re Imperat. interdixit ei foro, theatro & poetica. Lucanus ergo ultionis ſpe, Piſonianæ coniurationi adhæſit. Qua detecta, crimen faſſus, impunitatis ſpe, Aciliam quoque matrem inter conſcios nominauit. Largiter epulatus, in balneum deſcendit, & uenas medico ſecandas prębuit. Periit ergo pridie Calend. Maij, Attico Veſtino & Nerua Syllano Coſs. anno ætatis 27. Bona eius Nero patri Melæ conceſſit. Indomito ſimilis equo in carmine fertur, qui in medio prato acriter quidem & animosè, ſed inconcinnè ſaliat. Fabius eum magis oratoribus quàm poetis adſcribit. Statius & Martialis Vergilio & Homero conferre audent. Iuuenis Saturnalia, Syluas, Incendium urbis, Medeam tragœdiam, itẽ Epigrammata quædam ad Pollã ſcripſit: præter notos libros Pharſaliæ.

SOTERICHVS ex Oaſi urbe Libyæ, ſub Diocletiano laudes eius ſcripſit, item Dionyſiaca, Pythona, Alexandriaca, Panthiam Babylonicam, & Ariadnem.

ARRIANVS Gręcus tralationem ex Vergilij Georgicis fecit, item de Alexandro Macedone 24 Rhapſodias.

CLEMENS Apuleij familiaris, totã Alexandri hiſtoriam pulcerrimo carmine illuſtrauit.

SYLLIVS ab Italica Hiſpaniæ urbe Italicus dictus, aliis ab Italica Pelignorum metropoli: natus Romæ creditur, & nutritus. Orator primùm & cauſidicus, deinde poeta. Maiore cura carmina compoſuit, quàm ingenio. Vergilij natalem religiosè colębat Neapoli, ad eius monumentum: item & Ciceronis manes, cuius Academiam inſtaurauit. Ter fuit conſul; In primo eius conſulatu Nero periit. Cùm clauo inſanabili torqueretur, uitæ tædio, inedia periit. Inter cætera Punicum bellum 17. libris ſcripſit.

P. PAPINIVS Statius pater, præceptor Domitiani, & ab eo in certamine Albano auro donatus & corona, propter eruditionem nomen ſuum tam fecit celebre, ut duæ urbes, Sellæ, Epirotarum, & Neapolis Cumanorum, de eius patria certent. Ex Agellina uxore filium P. Papinium Statium genuit, eumq; ipſemet in literis educauit. Anno 65. lethargo obiit. Multa & proſa & carmine ſcripſit, quorum nihil ad nos peruenit. Filius Claudiam Claudij Apollinaris filiam, quæ tibicini nupta fuerat, uxorem duxit, amoris impatiẽs: cum qua ſenex Neapolim in communem ambobus patriam rediit. Domitianus Cæſar Albano certamine eadem, qua patrem corona donauit. Quidam præacuto ſtylo à Domitiano cõfoſſum aiunt. Dantes Statium Chriſtianum quoque fuiſſe aſſerit, conuerſum his Vergilij uerbis; Iam redit & uirgo, redeunt Saturnia regna. Scripſit Thebaida, item Achilleida, Syluas, Tragœdiam.

C. VAL. Flaccus Setinus, Patauinus fuit (quamuis alij Campanum à Setia urbe, alij Romanum fuiſſe uelint) Veſpaſiano dicauit Argonautica: ſed immatura morte abreptus, perficere non potuit.

Q. CALABER Græcus, libros XIIII ſcripſit eorum, quæ in bello Troiano ab Homero relicta ſunt, quę τὰ ὁμήρου παραλειπόμενα inſcribuntur. Cœpit autem ab Hectore tracto.

CALLISTVS ſub Iuliano meruit, & eius res geſtas uerſibus ſcripſit.

CL. CLAVDIANVS ſub Theodoſio uixit, Alexandrinus ex Aegypto. Petrarcha Florentinum ait: ſed patrem eius mercatorem, ob bella in Aegyptum ſeceſſiſſe. Florentino uiro clariſſimo fuit gratiſſimus. Landinus Chriſtianum fuiſſe autumat: Contra D. Auguſtinus & Oroſius ethnicũ, & quidem

Chriſtianorum ſummum hoſtem. Quòd ſi quædam Claudiani Chriſtiana leguntur, uel in gratiam Theodoſij compoſita ſunt ab eo, uel certè ſunt Claudij Mamerci Viennenſis ex Gallia, quem Sidonius laudat. Statua in foro Romæ erecta eſt Claudiano, cum teſtimonio Impp. quo eum Vergilij mentem & Homeri Muſam Arcadius & Honorius habuiſſe teſtantur. Nitidus & ferox in ſententiis, maiorq; inuentione quàm figura carminis: ſic quoque talis, ut ſi in recentiorum numero ponas, ſit haud dubiè primus, ut ueterum ultimus. Sabell. lib. 9. Ennead. 7.

RVFFVS Feſtus Auienus, Hiſpanus, Dionyſium Punicum de ſitu orbis, item Arati Phænomena uertit, & de Oris maritimis. Floruit ſub Theodoſio Imp. Seruius eum Liuium iambicis uerſibus deſcripſiſſe ait.

VENANTIVS Honorius Fortunatus, Rauennæ inſtitutus fuit, & ab oculorum lippitudine D. Martini ope liberatus, eiuſdem laudes 4 libris carmine perſecutus eſt. Poſtea in Galliis Pictauorum epiſcopus deſignatus, ſcripſit excidium Thuringorum, Hymnos, Hodœporicum ad Iuſtinum iuniorem Imp. Floruit anno Chriſti 570.

ALANVS, uniuerſalis doctor cognominatus, Cimber, præfuit aliquandiu Lutetiæ, per tempora Adulphi, & mox Alberti Impp. anno 1300. Scripſit contra Claudiani Ruffinum librum, quem Anticlaudianum inſcripſi[illegible]

GVNTHERVS Germanus duodecim libr[illegible] Federici Cæſaris geſta deſcripſit carmine heroico, tanquam Scythicus quidam Lucanus.

THEODVLVS & GODELBERTVS, per tempora Zenonis & Anaſtaſij Impp. ille de miraculis ueteris Teſtamenti & poëtarum fabulis, hic uerſu heroico opus ingens per hiſtorias & earum allegorias, à mundi exordio uſque ad partum Virginis condidit.

IOANNES Hanuillenſis, cognomine Architrenius, monachus Cantuarienſis, ſeculo maximè barbaro, poëſin exercuit, ut miraculum eloquentiæ profluentis uideretur. Scripſit Architrenium carmen libris nouem, de Rebus occultis, Epigrammata, & alia nonnulla. Circiter annum 1200. Balæus centuria 3. cap. 49.

## MECHANICI, QVI DE MECHANICIS ſcripſerunt. Vtputa de

### AGRICVLTVRA, PASTORITIA.

HESIODVS ἔργα ϰ̀ ἡμέρας ſcripſit, & omnem ruſticandi modum ſimul & tempora diligenter executus eſt. Eo libro olim pro Ephemeridibus ruſtici utebantur.

THEOCRITVS Cous, uel Chius, uel (ut plurimi) Syracuſanus, Praxagoræ & Philinæ filius, diſcipulus Philetæ & Aſclepiadis, Epigrammatum poëtarum. Floruit tempore Ptolemæi Lagi & Philadelphi. Scripſit Eidyllia Bucolica Ionico & nouo Dorico ſermone: item Elegias, Hymnos, Iambos & Epigrammata. Periit laqueo, quòd Hieronis tyranni filium acerbiùs reprehendiſſet. Suidas.

MOSCHVS Siculus, grãmaticus & poëta, familiaris Ariſtarcho, Grammaticorum tum facilè principi. Bucolica eius perierunt. extat Amor fugitiuus, & Amor arans.

BION Smyrnæus (non ille inter ſeptem Sapientes connumeratus) tertiam palmam in Bucolicis meruit.

P. VERG. Maro in Bucolicis Theocritum, in Georgicis Heſiodum imitatus eſt, fortè etiam ſuperauit.

IVL. T. CALPHVRNIVS Siculus, Bucolica ſcripſit, Charo principe, & filiis Charino & Numeriano imperantibus.

### MERCATVRA.

HESIODVS in ἔργοις ſuis tempora nauigationis commodæ docet.

PANCRATES Arcadicus, ἔργα θαλάσσια ad Heſiodi imitationem ſcripſit. Hic Pompilum ſacrum piſcem nuncupauit.

### PISCATIONE, VENATIONE.

SELEVCVS Emiſenus, grammaticus excellens, carmine artem piſcatoriam ſcripſit, ἀσπαλιευτικὰ uocat, quatuor libris: item Parthica, & commentaria in Lyricos.

CÆCILIVS Argiuus epopœus, Halieutica, id eſt piſcatoria ſcripſit: ut & NVMENIVS Heracleota, Pancrates Arcas, Poſidonius Corinthius. Suidas.

OPPIANVS Corycius Cilix (alij Anazarbæum faciunt) poëta & grammaticus, ſub M. Antonino & Seuero floruit. Libros Halieuticôn quinq;, Cynegeticôn IIII. Ixeuticôn, II. Huius pater Ageſilaus, cùm plurimùm opibus & auctoritate ualeret, ſeſe Philoſophiæ tradidit, filiumq; Cyclicis ſiue liberalibus artibus erudiit. Cùm Seuerus Imp. Anazarbum ueniſſet, obuiã illi omnes urbi primores prodiêre: id Ageſilaus, ut philoſophus, facere neglexit. Iratus Cæſar, patrem cum filio in Melitam inſulam relegauit. Seuero mortuo, Oppianus filio eius Antonino opus de Piſcibus dedicauit, & pro quolibet uerſu aureum numum accepit (unde carmina aurea dicta) ſimul & reditum in patriam cum patre impetrauit. Periit peſte, annos natus 30. Suidas.

GRATIVS Phaliſcus, Cynegetica compoſuit, teſte Ouidio.

OVIDIVS ipſe Halieutica.

AVR. Olympius Nemeſianus Carthaginenſis ſcripſit Cynegetica, Halieutica & Nautica.

PETRVS Angelus Bargæus noſtra ætate Cynegetica ſeu de Venatione lib. 6. Ixeutica ſeu de Aucupio lib. 1. carmine & eleganter & methodicè ſcripſit. Cuius laborem P. Victorius omnibus aliis eiuſdem generis, ne ueteribus quidem exceptis, præferre uidetur.

### COQVINARIA.

EVTHYDEMVS Athenienſis multa compoſuit: ſed ea Heſiodi titulo inuulgauit, ut lectorum iudiciũ experiretur. Nonnulla de ſalſamentis circumferuntur, quæ Heſiodi non eſſe patet: quia loca quædam commemorat, Heſiodi tempore nondum ſic appellari ſolita.

ARCHESTRATVS Syracuſanus, uel Gelous, Terpſionis diſcipulus, terras mariaq; circuiuit, ut ea, quæ ad gulam facerẽt, deſcriberet. Poema illius γαστρονομίαν inſcriptũ eſſe, Chryſippus prodit: alij γαστρολογίαν, uel ἡδυπάθειαν, δειπνολογίαν, uel ὀψοποιΐαν dixêre. Chryſippus quandam metropolim Epicureæ philoſophiæ appellabat, & quandam ſuum Theogoniam. Summa preſſus fuit egeſtate: & propterea minùs nobilis. Olim ei quidam dixiſſe fertur: Si cum Alexãdro fuiſſes Archeſtrate, tui cuiuſque carminis præmium Cyprum aut Phœnicem tuliſſes.

TIMARCHIDAS Rhodius Cœnas deſcripſit carmine, libris undecim. Numenius condimenta, & Maſtreas Pitanæus, & Hegemon Thaſius, cognomento Lens, & Artemidorus, pſeudoariſtophanius, qui culinarias dictiones collegit: & Philoxenus Claudij filius, à quo etiam Philoxeniæ placentæ nomen habent. Suidas.

EPICHARMVS Syracuſius, ad ſingula conuiuiorum fercula uerſiculos & adagium adiecit. Id carmen Clearchus Solenſis Dipnologiam, alij Opſologiam, & ἡδυπάθειαν, Chryſippus Gaſtronomiam, nominibus ab epulis, deliciis & uentre factis, alij luxuriam uocant. Suidas.

# POETARVM DIFFERENTIÆ RESPECTV SVBIECTI Accidentaliter conſiderati. Huius ſunt loci

## HYMNOGRAPHI, DITHYRAMBICI.

*Conſule Titulum Melopœorum. Hîc Materiæ, illic Formæ ratio habetur.*

### PII.

MOSES Hebræorum legiſlator, cum ſorore Maria primus hexametrum carmen Deo Opt. Max. modulatus eſt, ſiue heroicum: poſtquam Iſraeliticum populum per rubrum mare duxiſſet incolumen.

Hymnorum lyricorum (ſunt enim alij hexametri ſiue Heroïci) DAVID rex auctor fuiſſe uidetur: apud Græcos SIDON ſiſia Ponti, teſte Euſebio.

POETAS, qui ſeruatis Chriſtianorum regulis, ante Conſtantini Magni tempora uerſus ſcripſerunt, paucos inuenire licet. Tametſi Philo Iudæus ait, THERAPEVTAS (ſic enim ille Chriſtianos anachoretas uocat) ſolitos canere hymnos, & ſacra carmina componere. Et Dionyſius Areopagita Hierotheum magiſtrum ſuum ait amatorios hymnos compoſuiſſe, ex quibus & ipſe quædam nonnunquam excerpit, in cuius laudem librum proprium compoſuit Dionyſius.

SYNESIVS Cyrenæus, epiſcopus Ptolemeẽſis, qui ſub Theodoſio iuniore uixit, decem hymnos ſacros diuinitati conſecrauit, qui elegantia cum antiquis certare, pietate etiam ſuperare poſſunt: hoc uno excepto, quòd Pythagoricos numeros & Platonica de Mente & Hyle dogmata, incautiùs diuinis cõmiſcet myſteriis. Eos Latinitate donarunt Vv. doctiſſ. Guil. Canterus Vltraiactenſis, hinc Fr. Portus Cretenſis.

HILARIVS Pictauienſis epiſcopus hymnos plurimos compoſuit, quos quotidie canit Eccleſia. Vixit ſub Conſtantio.

D. AMBROSIVS Mediolanenſis epiſcopus hymnos inſtituit, qui adhuc Ambroſiani uocãtur, ut à plebe catholica in morem Orientalium decantarentur, ad leuandum mœrorem, quem ex Arianorum inſidiis aſſiduè capiebat.

PONTIVS Paulinus Burdegalẽſis, Auſonij Galli diſcipulus, Chriſtianus factus, Auguſtino & Ambroſio familiaris fuit, nec poſtea gentiles Poetas legere uel nominare uoluit.

Diuerſus eſt ab hoc fortaſſe PAVLINVS Nolanus epiſcopus, qui multa breui uerſu ſcripſiſſe dicitur, & inter cætera Hymnorum librum.

AVR. Prudentius Clemens, Hiſpanus, plurima carmina ſacra uario poematum genere ſcripſit, ſub Theodoſio iuniore.

LICENTIVS Hipponenſis, Auguſtini amicus, hymnos & epiſtolas ſcripſit.





GENNADIVS Afer, Pont. Rom. hymnos ſcripſit, qui adhuc in ſacris habentur ritibus.

BEDA Venerabilis, anno Domini 732. item PAVLVS Diaconus hiſtoricus & poëta, primùm Aquileiæ diaconus, mox Deſiderio Longobardorum regi ab epiſtolis & ſecretis. Captus cum Deſiderio in Gallias à Carolo Magno perductus, poſtea in inſulas Diomedeas relegatus eſt, quòd clàm Dionyſij rebus faueret. Profugit inde ad Arachin Deſiderij generum, ubi ab Adelberga Arachi uxore rogatus, duos Eutropij hiſtoriæ adiecit libros. Mortuo poſtea Arache, Caſſinenſis monachus factus eſt. Carmine uitam D. Benedicti contexuit, & hymnos ſcripſit. Vixit anno Chriſti 780.

RABANVS Maurus, Fuldenſis, Bedæ diſcipulus, ſextus Moguntinorum pontifex, Pariſienſis ſcholæ fundator cum Alcuino, mirabile Opus ſcripſit, in quo per literas carminum uarias rerum figuras exprimit: quo libro nil laborioſius, nil quoque ingenioſius eſt. Vixit Gregorio quarto pont. Rom. Eius diſcipulus fuit STRABVS, qui ordinariam gloſſam Bibliorum, & Hortulum carmine hexametro condidit.

THEODVLPHVS pontifex Aurelianenſis, cùm in ſuſpicionem coniurationis contra Ludouicum Pium Imper. & Francorum regem ueniſſet, in uincula coniectus, in die Palmarum, illac tranſeunte Ludouico, carmen quod compoſuerat, alta uoce, harmonia ſuauiſſima concinuit:

Gloria, laus & honor tibi ſit rex Chriſte redemtor,
Cui puerile decus prompſit Oſanna pium.
Iſrael es tu rex, Dauidis & inclyta proles,
Nomine qui in Domini rex benedicte uenis.
Plebs Hebræa tibi cum palmis obuia uenit,
Cum prece, uoto, hymnis adſumus ecce tibi.
Hi tibi paſſuro promebant munia laudis,
Nos tibi regnanti pangimus ecce melos.
Hi placuêre tibi, placeat deuotio noſtra,
Rex pie, rex clemens, cui bona cuncta placent.

Eo rex delectatus, iuſſit eum ſtatim liberari. Scripſit etiam Hymnorum librum.

HVDALBERTVS Cenomanenſium antiſtes primò, deinde à regibus ſuorum temporum uariis afflictus modis, tãdem ab Honorio ſecundo pont. Max. Turonenſis epiſcopus factus: obiit anno ſalutis 1100. Heroica ſcripſit, & Elegias, & Hymnos. Mirè facilis, purior ſtylo, & antiquis propior.

### IMPII.

PARIS Priami filius hymnum in Venerem ſcripſit, quem Ceſton ueteres uocauêre, in quo Veneris laudes complectitur, eamque Palladi ac Iunoni præfert. Hinc cauſa præſtita fingendi de Paridis iudicio, & Veneris ceſto. Gyraldus ex Suida.

OLEN Dymæus, aliis Hyperboreus uel Lycius, hymnos uetuſtos edidit, qui in Delo cantantur, dum cinis, qui eſt ſupra ſepulcrum Opis (quæ Hecaerges dicitur) ſuper ægrotorum turbam inſpergitur. Olena quidam primum carmen hexametrum reperiſſe aiunt. Pauſanias in Phocicis.

GITIADAS Lacedæmonius, cùm Lacones Palladis Chalciœcæ ædem ſtatuamq; ponere decreuiſſent, ſolus dignus inuentus eſt, qui & ſtatuam faceret, & hymnum componeret, quem in eius deæ celebritate canerent. Scripſit autem Dorica carmina.

THYNICVS Chalcidenſis, cùm antea poema nullum aliqua memoria dignum edidiſſet, hymnũ in Apollinem omnium canticorum abſolutiſſimum, Muſarum afflatu ac inſpiratione quadam inuenit. Teſtis Socrates apud Platonem.

PAMPHVS, apud Athenienſes hymnorum maximè priſcus auctor, qui primus carmina in Gratias cecinit. Pauſanias in Achaicis & Bœoticis. Hymnum in Iouem ſcripſit. Gyraldus.

Dithyrambici poëtæ ad Hymnographos pertinent: quandoquidem ſpecies quædam Hymnorum eſt Dithyrambus, modis tantùm diuerſa, in honorem Bacchi, uerbis ampulloſis & ſeſquipedalibus utens. Nomen traxit ab ipſo Baccho, qui Dithyrambus uocatur, ueluti Lythirambus, ut eſt apud Pindarum, quòd Iupiter illum aſſuiſſet femori, ac mox eo in lucem prodituro, inclamaſſet: λῦθι ῥάμμα, λῦθι ῥάμμα: quod perinde eſt ac ſi dicas, Solue ſuturam. Vel, quòd ſecreta promens os dithyron faciat: nam eidem loquacitatis ratione cittam, id eſt picam, eſſe ſacram prodidêre. Inde poëtæ Dithyrambici nuncupati. Quibus quum frequentiſſimi eſſet moris ita exordiri, ἀμφί μοι ἄναξ, inde Amphianactes facetiſſimè dici cœpêre: quin & ἀμφιανακτίζειν, pro eo quod eſt προοιμιάζεσθαι, uſurparunt multi. PERICLETVS Lesbius dictionem dithyrambicam ceciniſſe fertur primus. MILESIVS Melampides dithyramborum libros ſcripſit plures. Ex ueteribus nonnulli ita de dithyrambis exiſtimarunt, ut qui muſicam corrumperent. Proinde Callimachus de iis, νόθοι δ᾽ ἤνθησαν ἀοιδοί, id eſt, Spurij floruerunt poetæ. Ipſorum peculiare fuit, uerbis uti compoſitis ϰ̀ πολυπλόκοις, id eſt nodoſis implicitiſque, ſed & tumentibus: unde dithyrambicus intellectus de obſcuro dicitur, nec cuiuis peruio. Cælius libro ſeptimo Antiq. Lect. capite 5. & Scaliger libro primo, capite 46. Poeticæ.

# POETARVM DIFFERENTIÆ CONSIDERATORVM reſpectu FORMAE. Huc pertinent

## EPICI. RHAPSODIARVM ET PARODIARVM SCRIPTORES.

*Τὰ ἔπη poemata ea dicuntur, quæ continuata oratione à poeta enarrantur: & ſic Dramatis opponuntur, quæ non ut enarrentur, ſed ut agantur, perſonarum dialogiſmis diſtincta ſunt. Cui quidem orationi continuæ cùm carmen hexametrum, quo heroum geſta decantantur, ſit aptiſſimum: exempla Epicorum eadem erunt, quæ Hexametrorum poetarum, reſpectu formæ: eadem quæ Heroicorum, reſpectu materiæ. Iam quemadmodum Dramatum poetæ olim ſuas ipſi agebant fabulas, mox ubi arti gratia & quæſtus maior acceſſiſſet, Hiſtrionibus id negotij dedere: ita quoque Epici olim ſua carmina recitabant & interpretabantur, donec Rhapſodi tanquam ſuppoſititij quidam miniſtri hoc munus inuaſere, & Homeri primum, mox & cæterorum poetarum illuſtrium ſimias ſe profeſſi ſunt, ut non tantùm uerſus eorum memoriter recitarent, & geſtus conuenientes de ſuo adderent, ſed & ex iiſdem de quauis re propoſita centones conſuerent: quales ex Vergilio Proba Falconia, ex Homero Eudoxia Græca Imp. conſarcinaſſe perhibentur. Porrò, uti rixa rixam, ſic ludo ludum trahente, nouum genus poematis exortum. Digreſſis enim Rhapſodis, & recitationem intermittentibus, luſus gratia prodibant Parodi, qui omnia à Rhapſodis pronunciata cum riſu inuerterẽt, & præter rem ſeriam propoſitam, alia ridicula ſubinferrent. Ergo ut Satyra ex Tragœdia, Mimus è Comœdia, ſic Parodia de Rhapſodia nata eſt. Et Rhapſodi quidem & Parodi, inter Poetarum miniſtros connumerandi ſunt. Parodiarum uerò & Rhapſodiarum ſcriptores Epicis poetis iure uidentur poſſe ſubnecti. Niſi quis Parodos propter luſum atque iocum ad Comicos referri debere contendat.*

Complures parodiarum poetæ fuerunt, at celeberrimus omnium EVBOEVS Parius, qui Philippi tempeſtate floruit, Athenienſium reprehenſor acerbus. Athenæus libro decimoquinto, capite 23.

HEGEMON Thaſius, qui parodias conſcripſit, Lens cognomine dicebatur. Acceſſit in Theatrum aliquando comœdiam docens, ac ueſtem habens lapidibus plenam. Quos cùm in Orcheſtram coniiceret, ut admirarentur ſpectatores effecit, paulumque intermittens ait:

Iſti lapides, ſi quis uolet, coniiciat.
Aeſtate lens bona eſt, bona & per frigora.

Recitantem in theatro ſumma cum uoluptate audiebant Athenienſes: ita quidem, ut eo etiam die, quo clades Sicula fuit nunciata, nemo diſceſſerit, cùm tamen ſingulis ferè amici periiſſent: partim ſtudio hiſtrionis, partim ne deiectiore, quàm par eſſet, animo, calamitatem eam ferre uideretur. Athen. lib. 9. cap. 26. Ariſtoteles Hegemonem Thaſium primum parodias ſcripſiſſe prodidit. Alij Hipponactẽ inuentorem autumant. Scaliger lib. 1. Poetices, cap. 42.

Compoſuit parodias HERMIPPVS poeta antiquæ comœdiæ, atque primus in certamen deſcendit cùm Hegemone. Athenæus lib. 15. cap. 23.

MATRON poeta Græcus multa millia Homericorum uerſuum ad culinam & macellum inuertit iuſto poemate. Scaliger lib. 1. Poet. cap. 42.

## EPIGRAMMATOGRAPHI.

CHERSIAS Orchomenius, qui cum Periandro diu ſimultates exercuit: tandẽ Chilone ſequeſtro reconciliati ſunt. Eius uerſus, Orchomenij in Heſiodi ſepulcro commemorant.

ARCHIMELI epigramma in nauem Hieronis Syracuſani (de qua & opus Archimedes compoſuit) commendatur, propter quod Hieron Archimelo in Pyræeum uſque mille miſit tritici medimnos. Inter Græcos quoq; Epigrammatiſtas recenſentur PALLADAS, THEÆTETVS diuerſus à Platonico, STRATON, Theodorus, Lucillius Tarræus, Athenæus, diuerſus à Naucratite Dipnoſophiſtarum ſcriptore, & à medico, Democritus diuerſus à philoſopho illo, Archytas, diuerſus à Tarentino, Doricas uel Dorias, Dorus, Erycius, & multi alij Græci: quorum nomina ex Græcis epigrammatis colligi poſſunt.

Apud Latinos, VAL. Aedituus & PORTIVS Licinius.

Q. CATVLVS, Græcè Latineque ita doctus, ut ei linguæ ſubtilitatem & elegantiam omnes concederent, teſte Cicerone

in Dialogo de Oratore, in Epigrammatis uenuſtus & dulcis: grauis alioqui & ſeuerus, iocoſa tamē carmina ſcripſit.

Q. HORTENSIVS orator, à Cicerone ſecundus, cuius mortē deflet Cic. in Bruto. Epigrammata ſcripſit. Sicuti & M. BRVTVS, & METELLVS, ut & M. OCTACILIVS Pytholaus, qui Iulium Cæſarem carminibus perſtrinxit, & oſtiarius primùm ſeruus fuit, donec ob ingenium manumiſſus, rhetoricam profeſſus eſt, & Cn. Pompeium docuit: uideturq; ex Octaciliorum familia patronum habuiſſe.

SVEVIVS doctiſſimus uir, Eidyllium compoſuit, quod Moretum inſcripſit, quod Vergilius imitatus eſt. Quædam eius carmina ſuis libris inſeruit Vergilius, Macrobio teſte.

C. VAL. Catullus, in hoc genere princeps, natus in peninſula Sirmione lacus Benaci, in agro Veronenſi, Olymp. 170. obiit nondum 30 natus annos. C. Iul. Cæſarem perpetuis ſtigmatibus carmine ſuo notauit. Amauit Clodiam, quam Leſbiam appellauit.

C. LICINIVS Caluus cum Cicerone de eloquentiæ principatu certauit: Epigrammata quoq; ſcripſit, & Quintiliæ amicæ mortem prematutam, carmine defleuit. Catullo amicus fuit. Poſt famoſa carmina C. Iul. Cæſari reconciliatus eſt. Obiit iuuenis adhuc.

C. HELVIVS Cinna, adeò doctus fuit, ut Verg. in Bucolicis fateatur, nondum ſe Cinnæ digna dicere. Opus Smyrnam cōpoſuit integro nouennio: in quam cùm L. Craſſitius grammaticus commentarium edidiſſet, plurimum gloriæ aſſecutus eſt. Obſcurior tamen fuit in ſententiis. Quidam hunc in funere C. Iul. Cæſaris à plebe Romana per errorem, affinitate nominis, pro Cornelio Cinna tribuno occiſum, & caput haſtæ profixum aſſerunt.

LAVREA Tullius, M. Tullij libertus, adeò doctus, ut ſtudiorum patroni comes, ſit appellatus. quemadmodum & Tyro Tullius. Scripſit Epigrammata.

DOMITIVS Marſus, in Epigrāmate clarus habitus. Scripſit & Amazonida. Amauit Melænem puellam. Orbilio grammatico infenſus fuit.

C. TICIDA clarus epigrammatiſta, Metellam amauit, quam ficto nomine Perillam uocauit. Sicuti GETVLICVS Ceſenniam uerſibus celebrauit.

VAL. Martialis, ex Bilbili Hiſpaniæ, ſub Domitiano, Nerua & Traiano Romæ uixit, in patriam iam ſenex reuerſus.

SENTIVS Augurinus à Plinio lib. 4. Epiſt. propter poematia mirum in modum laudatur.

CANIVS Gaditanus riſu delectabatur. Puellam Theophilam indoctam amauit, facundus & lenis in Epigrammatis, Martiale teſte.

FABILIVS Græcus, Maximini Imp. magiſter, Græca permulta Epigrammata compoſuit.

D. AVSONIVS Gallus, Burdegalenſis, Pæonius cognominatus, Gratiani Imp. magiſter, à quo Conſul factus eſt: Biſſulā amauit. Laſciuior eſt, quàm Chriſtiano poetæ conueniat.

AGATHIAS Scholaſticus Smyrnæus, plurima carmine ſcripſit, & primus, Græcorum Epigrammatum uolumen collegiſſe putatur: quamuis alij hoc Maximo Planudi monacho tribuant.

HVGVBALDVS de laude Caluorum ad Carolum Caluum ſcripſit, à cappaciſmo opus ſuum exorſus. Circa annum Chriſti 880.

DAMASVS Hiſpanus, Pontifex Rom. ſub Theodoſio, in Poëſi excellens. DD. Petri & Pauli aram (quod ille Platoniā uocabat) & multorum martyrum ſepulcra, uerſibus ornauit.

## ☞ MELOPOEI IN GENERE. LYRICI, MELICI.

☞ *Proxima Heroicæ maieſtati Lyrica nobilitas: ut illa à cantu Rhapſodia & Epos, ita hæc Ode, & μέλος, & μελῳδή. Neque enim ea ſine cantu atq; lyra pronunciabāt. Vnde & Lyricorum appellatio. Odas quoq; à canendo, titulum ſuorum librorum fecit Horatius. Grammatici Pindaricas inſcripſere cantiones, μέλη: alij uerò maluerunt ᾠδή. Vnde diminutiuum Idyllion, quia poemata eſſent rerum quaſi ſpecies quædam. Quanquam autem μέλος Lyricorum tantùm fuit: Melodia tamen eſt omnibus cantionum ſonis attributa. Sic Chamæleon in libro, quem de Steſichoro ſcripſit, μελῳδηθῆναι non ſolùm ait Lyrica, uerùm etiam & Archilochi, & Heſiodi, & Mimnermi, & Phocylidæ, & Homeri. Quare Harmoniam etiam inuenias Melodiam appellatam. Porrò Lyricorum genera multa. Melos ſiue Ode, quibus curas amatorias decantant. Scolia μέλη in conuiuiis, quibus uirorum fortium laudationes, & quæcunque adhortationes ad uirtutem continebantur. Dithyrambica, Ithyphallica, Sotadica, Choriambica, in Cybelen, Bacchum, Silenum, Pana, Faunum, Priapum. Epipompeutica, quæ in pompis accinebantur. Epinicia, quæ in certaminibus uictori canebantur. Pæanes, quibus gratulabantur diis pro uictoria bellica; cum acclamatione, ἰὴ παιάν, quod Græci ἐπίφθεγμα & ἐπίρρημα uocabant. Hymni ad aras dicebantur. Scaliger libro 1. capite 45. Poetices. Cæterùm quia metro ſonum quoque harmonicum uocis uiuæ organi ue muſici adhibebant, Lyricorum quorundam etiam ſub Muſicis mentio fiet.*

MARSYAS Lydus, Satyrus, Lyricus poëta, Iudicū Hebræorū tempore Phrygios modos excogitauit, ante Troianorum tēpora Cybelen Mæonis regis Phrygum filiam, amauit, quę ſyringa inuenit: cumq; ei amorē ſuum indicare uereretur, tibias inuenit, ut cōmodiùs ei amoris flammā indicaret. Hæc poſtea ab Apolline quoq; amata fuit. In certamine muſico ab Apolline uictus, excoriatus eſt: & uicinus fluuius ab eius nomine Marſyas dictus. Quidam tibias à Minerua propter oris deformitatē abiectas, & à Marſya collectas ſcribūt.

PHILAMMON (pater Thamyridis Thracij) ex Brinchis Edonum ciuitate, ex Philonide Deionis filia, & Apolline natus: primus uirginum choros inſtituit, & cum Argonautis quoque ad aureum uellus profectus eſt.

ACHILLES Pelei & Thetidis filius, ab Homero lyra illuſtriū uirorum geſta ceciniſſe, narratur.

LASVS Hermioneus, floruit 80 Olymp. tempore Darij Hyſtaſpis filij. Primus ſcripſit de Muſica, & Dithyrambum in certamen primus inuexit. Primus Cyclios choros inſtituit. Oden quoque ἄσιγμον, id eſt ſine litera σ ſcripſit: & hymnum ſimilem in Cererem.

SIMMIAS Rhodius 406 annis poſt Troiæ excidium floruit, origine Samius: quorum & dux conſtitutus eſt, ut poſt direptionem Sami ex reliquiis coloniā deduceret. Ab hoc quidam primùm iambos ſcriptos aiunt.

TYRTÆVS Elegiacus & Melicus, Athenienſis ludimagiſter, & claudus, cùm ab Athenienſibus mitteretur Lacedæmoniis petentibus ducem aduerſus Meſſenios, eorum animos ſua poëſi excitauit. Pauſanias in Meſſenicis.

TERPANDER Lesbius, ex Heſiodi uel Homeri nepotibus prim⁹ ſeptichordē lyrā cōſtituit, hoc eſt, ex tetrarchordo heptachordum: primus etiā νόμους λυρικοὺς inuenit. quamuis alij horū inuentionem Philammoni tribuant. Inuenit Cepionē νόμον, Bœotium, Aeolium, Trochæum, Oxyn. Volunt etiam eum Elegi carminis inuentorē fuiſſe, & quater in Pythiis uiciſſe. Lacedæmoniis aliquando inter ſe diſſidentib. uocatus è Leſbo, ex oraculo, ſeditionem eorum, cantus ſuauitate ſedauit. Vnde ab eo tempore Lacedæmonii, quoties cantorē aliquē audirent, protinùs exclamabant, μετὰ λέσβιον ᾠδόν: quod poſtea in prouerbium abiit de iis, qui ſecūdas partes aſſequuntur. Plutarchus eum ab Ephoris multatum aſſerit, eiuſq; citharam affixam, quòd antiquam immutaſſet muſicam, unumq; neruum ſuperfluò intendiſſet: nihil enim ex Lycurgi inſtituto de priſca muſica immutari fas erat. Ab eodem Lesbij & Iones à pleriſq; morbis liberati fuerūt cātus dulcedine. Floruit Olymp. 35. antiquior Archilocho & Anacreonte: ita ut primus omniū Carnia uiciſſe dicatur, quę Olymp. 27. Lacedæmone inſtituta fuerunt. alij, ætate Lycurgi.

CLEPION diſcipulus Terpandri, cuius tēpore citharę figura cōſtituta fuit, trichordis tantūmodò, Aſias & Aſiatis dicta: quoniā Lesbij citharœdi Aſiæ proximi, ea primùm ſunt uſi.

ARISTOXENVS Selinuntius, Epicharmo longè antiquior, primus anapæſtico metro uſus eſt.

PERICLETVS Lesbius, cantu citharæ Lacedæmone Carnia uicit. Quidam dithyrambicam dictionem ab hoc inuentam referunt. Eo mortuo, excellens modulandi ars per ſucceſſionem defecit, teſte Plut. Hipponacte fuit antiquior.

PHRYNIS Mitylenæus, Athenis primus citharœdicam docuit, & in Panathenæis Callia principe uicit. Patre Canope ſeruus natus eſt, & Hieronis coquus, Ariſtoclidis diſcipulus, antiquam & maſculam muſicam in nouam traduxit.

ARCHILOCHVS ex Paro inſula, Olymp. 23. uel 28. floruit. Pater eius Teleſicles de puero nato percontatus, oraculum accepit, ἀθάνατός σοι παῖς καὶ ἀοίδιμος, ὦ Τελεσίκλεις. Iambo primus uſus eſt ad maledicendū, quo ad alia antè utebantur. Falsò enim quidā ei Iambi inuentionē tribuunt, cùm conſtet Homerū in Margite eo uſum. Vſus aūt eſt contra Lycāben ſocerum, qui promiſſam ſibi filiam Neobulen denegarat. Epodon ex trimetris & dimetris commentus, eo ſocerū cum tribus filiabus ad laqueū cōpulit. Lacedæmonij eum urbe expulerunt propter impudicos uerſus: & quòd ſatius eſſe ſcripſiſſet, clypeum abiicere, quàm animā amittere. Maledicus adeò, ut ne ſibiipſi quidem parceret. Interfectus eſt in bello à Calonda Naxio milite, qui Corax dicebatur: quē propterea Pythia templo expulit, μουσάων θεράποντα κατέκτανες, ἔξιθι νηοῦ. neq; priùs admiſit, quàm ad Tænarū profectus, τέττιγος, id eſt cicadæ manibus parentaret. τέττιγα autem ſeipſum Archilochus propter garrulitatem uocabat.

TELLEN melopœus, & unà tibicen, mordacibus uſus iocis in iis, quę Pægnia dicuntur. Vnde prouerbium in falsè mordentes, ἀεὶ δὲ τὰ Τέλληνος: uel ᾆδε τὰ Τέλληνος.

HIPPONAX Epheſius, Iambographus, floruit Olympiade 60. & Clazomenas migrauit, ibiq; delituit, Athenagora & Coma tyrannis. Valde deformis fuit. Vnde cùm à Bupalo & Athenē ſiue Anthermo fratrib. ſculptorib. celeberrimis, eius imago, ridentium circulis proponeretur, indignatus Hipponax, amaritudine carminū eos ita diſtrinxit, ut ad laqueum cōpuliſſe dicatur. Ab hoc Hipponactium carmen uocatum: quia pro iambo inductis trochæis, contra legē trimetri iambici, metrū innouauit, atq; ita Archilochium infregit. Iambum quidam à uetula Iambe dictum uolunt, quę cùm fortè lauaretur in ſolio, & inde Hipponax præteriens uas contigiſſet, illa Hipponacti ait: Homo hinc abi, conuertis hocce uaſculum, atq; ex hoc Iambum primùm confectum.



PYTHERMVS Teius, Ionicos modos ſiniſtros inuenit, τὰ μέλη σκαιά.

SACADAS Argiuus, ter Pythia uicit modulando. Primus tibiarum cantum Pythicum apud Delphos ceciniſſe dicitur, & ſtrophen in ſingulis tonis feciſſe: nomonq; trimerem, ut primus chorus Doricus, ſecundus Phrygius, tertius Lydius eſſet, inſtituiſſe.

CINESIAS Athenienſis, uel Thebanus, qui Pyrricham, genus ſalutationis compoſuit, ἄθεος, Dithyramborum poeta.

ARION Methymneus Lesbius, Cyclei F. Lyricus & citharœdus, Olymp. 38. Periandro Corinthiorum tyranno gratiſſimus: ſcripſit cantilenārum procemia, ad duo ferè uerſuum millia. Quidam eum Chorum, & Tragicum modum & Dithyrambum, primum conſtituiſſe uolunt: & Satyros etiam induxiſſe, qui per metra canerent. Alcmanis diſcipulus. Suidas. A delphino per mare ex manibus piratarum uectus. Cuius rei ſignum in Tænaro poſitum, cum inſidente. Herod.

LYRICI nouem à Græcis recenſentur hoc ordine: Pindarus, Simonides, Steſichorus, Ibycus, Alcman, Bacchylides, Anacreon, Alcæus, & Sappho. Quibus Iſaacius decimam addit Corinnam, in primo Græcorum Epigram. his uerbis:

> Ἔκλαγξεν ἐκ Θηβῶν μέγα Πίνδαρος. ἔπνει τερπνὰ
> ἡδυμελιφθόγγου μοῦσα Σιμωνίδεω.
> λάμπει Στησίχορός τε, καὶ Ἴβυκος. ἦν γλυκὺς Ἀλκμάν.
> λαρὰ δ' ἀπὸ στομάτων φθέγξατο Βακχυλίδης.
> πειθὼ Ἀνακρείοντι συνέσπετο. ποικίλα δ' αὐδᾷ
> Ἀλκαῖος κύκνῳ Λέσβιος Αἰολίδι.
> ἀνδρῶν δ' οὐκ ἐνάτη Σαπφὼ πέλεν, ἀλλ' ἐρατειναῖς
> ἐν μούσαις δεκάτη μοῦσα καταγράφεται.

ALCMAN, Pittaco coæuus, Olymp. 43, uel 28. Alij Laconem, alij Meſſenium, alij ex Sarde Lydię urbe. πολυβρώματος fuit, id eſt guloſus, & amatorij carminis princeps. Lingua Dorica melicos uerſus ſcripſit. Seruus fuit Ageſydis: ſed ab eo libertate donatus, phthiriaſi periit.

ALCÆVS Mitylenæus, Olymp. 60. floruit cum Sappho. Pittaco, quem Mitylenæi contra exules eos, qui patriæ cum Alcæo inſidiabantur, ducem creauerant, hoſtis ex profeſſo fuit. Eum tamen cùm Pittacus cœpiſſet in pugna, incolumem dimiſit: tantùm admonuit, quid in opprimendo poſſet. Cùm Mitylenæi contra Athenienſes pugnarent, & uincerentur, Alcæus abiectis armis aufugit, quæ hoſtes in templo Palladis ſuſpenderunt.

TISIAS Himeræus ex Sicilia, uel Catanenſis (certāt enim pro ciue ſuo hæ ciuitates inter ſe) quòd cantu citharæ chorum primus cōſtituerit, STESICHORVS dictus eſt. Filius Heſiodi ex Clymene, uel Euphorbi, uel Hyetis, uel Euclidis, Alcmane iunior. Infantis ori luſcinia inſediſſe dicitur. Claruit ab Olympiade trigeſimaſeptima, uſque ad quinquageſimamſextam, qua obiit: ut ad nonagintaquinque peruenerit annos. Filias habuit parente dignas, quas propter obitum patris, Phalaris tyrannus conſolatur. Carmina Epodica ſcripſit, in quibus tria eſſent, Strophe, Antiſtrophe, & Epodos. Vnde prouerbium in indoctos, Neque Steſichori tria noſti, teſte Suida. Scripſit & Heroica. Imitatus eſt regulas Olympi, eaſque illuſtrauit. Cùm Helenam uituperaſſet, cæcus factus, non priùs uiſum recepit, quàm palinodiam ceciniſſet. Phalaride tyrannidem occupante, cùm ciues ſuos Himerenſes diu fruſtrà monuiſſet, ne nimiùm illi fiderent, néue auxilio eius uterentur, à tyranno captus, propter eruditionem dimiſſus eſt. Sepultus Catanæ ante urbis portam, quæ Steſichoria dicta eſt, octangulo ſepulcro: à cuius forma, caſus quidam in ludo teſſerarum, Steſichorius dictus eſt. Aiunt octo colūnas, octo gradus, octo angulos habuiſſe. Vnde prouerbium, πάντα ὀκτώ, cùm rei nihil deeſſe ſignificamus. Hunc Quintilianus, ſi modum tenuiſſet, Homerum proximè æmulaturum fuiſſe aſſerit: ſed redundare eum, & effundi nimiùm. Dorica lingua uſus eſt.

SIMONIDES Leoprepis F. Iulites, ab urbe Ceæ inſulæ, Melicertes, à cantus ſuauitate dictus. Floruit Olympiade 56. aliis 62. & peruenit uſque ad 78. Vnde quidam eum coæuū, alij poſteriorem Steſichoro fuiſſe uolunt. Dorica lingua ſcripſit Cambyſis & Darij regnum, & Xerxis nauale prælium: itē bellum ad Artemiſium, uerſu elego: ad Salaminē, lyrico. Scripſit & Threnos, & Epigrammata: Pæanas & Tragœdias. Nonageſimum annū exceſſit. Interrogatus quandiu uixiſſet: Parum, inquit, at annos multos. Memoria excelluit, quam ſibi epotis quibuſdam medicamentis comparauit; teſte Marcellino. Primus μικρολογίαν, hoc eſt, breuem loquendi modum induxiſſe dicitur. Syracuſis cum Hierone rege diu uerſatus eſt, pecuniæ ſtudio. Tenuis alioqui in carmine fuit, præcipuaque eius in commouenda miſeratione uirtus. Suidas.

PINDARVS inter nouē Lyricos longè princeps: floruit Olymp. 76. ortus 65. Thebanus: natus in uico Cynocephalorum. De eius parentibus lis eſt: Scopelino tamen tibicine ſatus dicitur. Diſcipulus fuit Laſi Hermionei lyrici, item Myrtidis mulieris. Puero in cunis apes in ore tanquam in aluea ri, mella depoſuerunt. Compoſuit ultra 17 libros, Dorica dialecto. Maior pars periit. Simonide iunior, Bacchylide ſenior fuit. Cum Corinna certans, uictus eſt, iudicum imperitia. In gremio pueri Theoxeni dilecti in gymnaſio ſedens repentè obiit, annum agens 55. Alij aliter referunt. Suidas duos facit, maiorem Daiphanti, lyricum: minorem Scopelini F. conſobrinum.

ANACREON Teius, ex Teo urbe Ioniæ; uini & turpiſſimæ Veneris appetentiſſimus, pueros, deos ſuos appellabat. Vixit Olympiade 61, uel 62. quo tempore & Polycrates Sami tyrannidem exercuit: à quo Anacreon plurimùm amatus dicitur: & ab eo quinque talentis donatus, cùm duabus propterea noctibus inſomnis ferè iacuiſſet, reddidit ea Polycrati, inquiens, οὐ τιμᾶσθαι αὐτὰ τῆς φροντίδος. Scripſit Hymnos, Elegias, Iambos, & Mela, Anacreontia dicta. Barbyton, eius inuentum eſſe, Neanthes Cyzicenus aſſerit, ut trigonon, Ibyci. Vixit annis 85, acino uuæ ſuffocatus. Suidas.

IBYCVS Rheginus ex Italia, inde digrediens, in Samum inſulam migrauit, quo tempore pater Polycratis Rempublicam Samiorum adminiſtrabat, Olymp. 50. In puerorum amoribus obſceniſſimus fuit. Excogitauit ſambycam, ſiue iambycam, quæ triangularis citharæ ſpecies eſt, qua iambea canerentur. A latronibus interfectus in ſolitudine: qui tum poſtea ſuomet indicio, occaſione gruum proditi, Corinthi capitali ſupplicio affecti fuerunt. Ab eo Ibycinum inſtrumentum muſicum, quo Galli & Romani in militia uſi fuerunt. Laudantur eius opera ſeptem, Doricè ſcripta.

CALLIMACHVS Cyrenenſis, Batti filius, Hermocratis Iaſij diſcipulus, floruit ſub Philadelpho, uſq; ad Euergetem, Olymp. 125. literas publicè docuit in Eleuſini Alexandriæ uico: deinde in aulam regis receptus eſt. Scripſit uolumina plùs quàm octoginta, Tragœdias, Comœdias, Epodon, Mela, Fabulas diuerſas, Hymnos.

BACCHYLIDES, nepos Simonidis ex fratre, ex Iulide Ceæ inſulæ, Olymp. 81. floruit. Scripſit Hymnos & Epigrammata. Iulianus Cæſar adeò eius carminibus delectatus eſt, ut ab eo uiuendi quoq; præcepta deſumſerit. Hieron Sicilię tyrannus ea Pindaricis prætulit. Suidas.

DIAGORAS Melius, ex Melo una Cycladum, poeta canticorum fuit: & cùm ſeruus eſſet, à Democrito decem millibus drachmarum redemtus, & ab eodem eruditus, ut philoſophus quoq; haberetur. Vixit poſt Pindarum & Bacchylidem. Ἄθεος fuit; & propterea Athenis pulſus, talento etiam interfectori propoſito. Obiit Corinthij. Alij Dithyrāborum poetam faciunt.

MENALIPPIDES, Melius, lyricus, ſcripſit Dithyrambos, Epica, Epigrammata, & Elegias. Floruit 66 Olymp. & cum Perdicca rege uixit. Multa hic in Dithyrambis innouauit.

PHILOXENVS ex Cytheris nobilis lyricus, à Lacedemoniis captus, & Menalippidi uenditus: Dionyſij tyranni inepta poemata approbare noluit, maluit potiùs in latomias detrudi. Donatus fuit à Dionyſio Laide puella: quam cùm Corinthum duxiſſet, in nobiliſſimum euaſit ſcortum. Laconicam harmoniam reperit. Scripſit Dithyrambos, Aeacidarū genealogiam, Tragœdias. Obiit Epheſi, cùm aliquandiu cū Antigono rege uixiſſet.

THELESTVS, Dithyramborum poëta, cui monumentum Sicyoniorum tyrannus Ariſtratus conſtrui fecit, & Alexander eius libros ſimul & Menalippidis ſibi per Harpalum afferri iuſſit. Patria fuit Selinuntius.

TIMOTHEVS Mileſius, Therſandri, aut Neomyſi F. citharœdus, Euripidi coæuus, ſub Philippo rege. Hic antiquam & duriorem muſicam, in manſuetiorem molliorēq; cōuertit. decimam quoq; & undecimā chordam addidit. Damnatus proinde à Lacedæmoniis, quòd ſeptē antiquę citharæ chordis quatuor addidiſſet: & cithara eius in Sciade porticu ſuſpenſa. Cùm Alexandro artē oſtētare uellet, peritè adeò Palladis carmen Orthium ſeu Phrygium modulatus eſt, ut ardore cantus ad arma ſtatim Alexāder proſilierit: rurſus eodem quaſi receptui canente, depoſuerit. Pecuniæ fuit auidior. Annum agens nonageſimumſeptimum, obiit, in Macedonia ſepultus. Scripſit Nomos citharœdicos multis uerſuū millibus: item Artemin, Encomia, Perſas uel Nauplion, Phinidas, Laerten, Dithyrambos 18. Hymnos 21. Suidas.

PHALECVS Ceronæus, unus ex Pleiadibus poetis: à quo carmen Phalecium, non inuentum quidem, ſed quòd primus ipſe hoc carmine integra poëmata confecerit.

CTESIPHON Athenienſis lyricus Colabus. Colabi autem dicuntur, à colabis citharæ clauiculis, quibus chordæ intenduntur. Epitonia citharæ uocat Suidas. Vide Athenæum ultimo de Dipnoſophiſtis libro, de Colabis poëtis.

Q. HORATIVS Flaccus Venuſinus, patre præcone libertino natus, Torquato & Cotta Conſulibus, biennio ante Ciceronem conſulem. Mox Romæ ſub Orbilio grammaticæ operam dedit. Inde Athenas profectus, Epicuri ſectam ſecutus: poſtea tamen ſenior, Academiæ ſe tradidit. Bello ciuili Brutum & Caſſium ſecutus, poſt Philippenſem cladem ad poeticam rediit, & Vergilio Varioq; intercedentibus, Mecœnati & Auguſto inſinuatus eſt. Vixit annis 57, uel ut alij 70. Eum ex Lyricis ſolum legi dignum, arbitratur Fabius. Primus ſe iambos & lyricos ſcripſiſſe gloriatur: cùm tamē antè ipſum hoc carminum genere Liuius Andronicus ſcripſerit hymnos: item Val. Catullus, Tegula, C. Lænas & Lucullus: ſed hi aliqua tantùm, non ut Horatius, plena uolumina.

CÆSIVS Baſſus lyricus, ſub Claudio floruit, ad Veſpaſianorum uſque tempora. Veſuuio monte conflagrante, unà cum uilla ſua incendio periit.

VESTITIVS Spurina lyricus, uir clariſſimus, ſub Domitiano & Traiano exercitus dux, Bructerum Barbarorum regem debellauit. Suauiſſimè utraque lingua ſcripſit. Vixit annos ſeptuagintaſeptem, ex ſenectute nil habens præter prudentiam. Filium ex Coccia uxore Coccium habuit, qui immatura morte periit, eiq; Cęſar in parentis ſolatium ſtatuā triumphalem poſuit.

MESOMEDES Adriani Imp. libertus & amicus ſummus, Cretēſis, lyricus egregius, Antinoum, Adriani delicias, deorum numero aſcriptum miris extulit laudibus. Ab Antonino cenotaphio honoratus eſt, quòd ab eo nomos citharœdicos edidiciſſet.

MAVRVS Terentianus Carthaginenſis, lyricorum cæterorúmque uerſuum dimenſiones regulaſque iiſdem ipſis carminum generibus proſecutus eſt. Quo tempore uixerit, incertum. Meminêre eius Auguſtinus, Ruffinus, Priſcianus & Seruius.

Martialis ætate, LVCIVS Hiſpanus Horatium maiore conatu quàm ſucceſſu imitatus eſt.

## COMICI.

*Scaligeri eruditio magna in omnibus, auctoritas penes nos maxima. Eius itaque uerba ex lib. 1. Poet. cap. 7. tranſcribere placuit de Comœdiæ ætatibus. Tres comœdiæ narrantur ætates. Vna uetus, quo tempore ſummum imperium penes populum Athenis fuit. Iccirco licuit illius ſeculi poetis riſum aucupari ex quocunque genere iocorū, ſiue ij ſale, ſiue acerbitate aſperſi eſſent. Non enim æquo ſolùm, ſed etiam libenti animo audiebat populus, quæ in iudicium iniquitates, prætorum mala uel facinora uel euenta, prauorum ciuium corruptos mores, dicta iacerentur. Id tum impunè fuit maledicis poetis: quaſi malæ famæ metu deterriti, componerent animos auios à uirtutibus, atque appellerent ad frugem bonam. Graſſabatur ergo ea licentia in omnes ordines, ætates, ſexus, conditiones impune: idq; non in tranſcurſu tantùm, ſed integro fabularum tractu, ac primario ſtudio. Quod in Ranis & in Nubibus conſtat Ariſtophanis. Vexatio autem illa tametſi ſparſim, atque ut ſeſe res daret, exercebatur, ipſi tamen Choro potiſſimùm eſt attributa. Attritis deinde populi opibus, reductaq; illius inſana & licentia & inconſtantia ad tyrannicam paucorum libidinem, continuit poetas metus potentiorum in officio benedicendi. Quocirca ſublatus Chorus fuit: cuius illæ uidebantur eſſe præcipuæ partes, ut potiſſimùm, quos liberet, læderet. Quare cùm cætera nihil mutata eſſent, manſit ſpecies quidem prior, parte tantùm deſiderata. Vnde mediæ nomen ortum eſt: non tunc quidem, ſed poſteaquam nouæ Comœdiæ appellatio fuit inſtituta: inter quam & ueterem illam quæ intercederet, μέση fuit nominata. Interceſſit autem & tempore, & forma: quando neque huius, neque illius faciem repræſentaret: tempore quoque poſterior fuit ſuperiore, & poſtrema prior. Quippe noua ſub Alexandro florere cœpit: cuius ætas oligarchiam ſubſecuta eſt. Chori autem loco παρεβάσεις quædam fiebant, in quibus aliorum poetarum dicta ſcriptaq; ſine maleficij crimine aut pœnæ ſuſpicione irridebantur. Illud conſtat, Cratinum, ad priſtinam licentiam cùm eſſet auſus reuerti, βάπτας fabulam edidiſſe: unde illi contigit interitus. Ab illis enim, in quos fuerat inuectus, captum ac uinctum, atque in mare proiectum, ea merſione imitatum eſſe nomen ſuæ fabulæ. Floruerunt in antiqua Cratinus, Ariſtophanes, Eupolis, Phrynichus, Theopompus, Archippus, Plato, Teleclides, Pherecrates, Stratis, Crates. In media uerò Philippides, Strato, Anaxiles, Mneſimachus, Epicrates Ambraciota, Nicoſtratus, Sotades. Aſtrictior eſt noua certis legibus tam ad argumenta, quàm ad dictionem. Non enim ridicula dramata in noua, ut ex qualibet materia riſum captet. Quinque partitionibus ſecta tibicinem interſerit. Vocabula noua non fabricat ad riſum, aut ad cauillum. Et populari ſermoni de medio ſumto propior noua fuit apud Græcos. Neque excurrit ad alios uerſus, ſolis iambicis aut trochaicis contenta. In ueteri multas carminum ſpecies uidemus. Hæc ille.*

SVSARION Megarenſis, theatrum ingreſſus in Dionyſiorum celebritate, cùm infeſtæ iunctus eſſet mulieri, hæc 4. carmina cecinit:

Audite populus: Suſarion hæc dicit,
Filius Philini Megarenſis Tripodiſcius:
Malum ſunt mulieres. Sed tamen, ô populares,
Non eſt domum inuenire ſine malo.

Primus Comicus fuiſſe, & Comœdiæ nomē dediſſe dicitur.

EPICHARMVS Syracuſanus, uel Megarenſis ex Sicilia, Samius, uel Cous (fortè à Co inſula, in qua exularit) duas inuenit literas, Θ & Φ, teſte Ariſtot. qui eum cum Phormo Comœdiam inueniſſe ait. In Epithetis excelluit. Cùm liberiùs obſcenum quid ante Hieronis uxorem locutus eſſet, à tyranno in exilium miſſus eſt. Vixit 97 annos. Docuit fabulas 52. uel 35. Hunc Plautus imitatus dicitur ab Horatio. Filium habuit Dinolochum comicum: qui, ut & pater, Dorica lingua fabulas 14. ſcripſit, & Olymp. 72. uixit. Suidas.

MAGNES ex Icaro urbe, ut & Theſpis, Lydiis modulis ualdè delectatus eſt, omnium animantium uoces imitatus, à quibus & fabulis nomina indidit. Comœdias nouem docuit, in quibus bis uicit.

PHORMVS Syracuſius, familiaris Gelonis tyranni, æqualis Epicharmi, eiuſque filiorum educator. Primus in ſcena, talari ueſte ſiue podere uſus eſt, ſcenamque puniceis pellibus obduxit. Fabulas ſeptem docuit. Suidas.

ANTIPHANES, Demophanis filius, aut Stephani, Smyrnæus: ſecundum Dionyſium, Rhodius: mediæ Comœdiæ comicus, ſeruili natus genere. Vixit Olympiade XCIII. Scripſit comœdias 365. uel 280. Vicit XIII. Filium habuit Stephanum, comicum & ipſum. Obiit in Cio, annos natus LXXIIII, caſu pyro ictus. Suidas.

PHILIPPIDES 45 fabulas docuit, nouæ Comœdiæ poeta: qui cùm in poëtarum certamine iam grandis natu præter ſpem uiciſſet, inter illud gaudium repentè mortuus eſt. Hūc ſummoperè Lyſimachus rex amauit, propter integritatem uitæ, cumque occurrentem ſemper boni ominis loco haberet: eius denique cauſa multa Athenienſibus benefecit.

CHIONIDES Athenienſis, primus antiquam comœdiam publicè fertur egiſſe, & annis octo ante bellum Perſicum fabulas edidiſſe. Suidas.

CRATES Athenienſis priſcæ Comœdiæ poeta, ab Ariſt. uidetur inter primos poni, qui apud Athenienſes fabulas docuerint. Diuerſus ab hoc eſt Thebanus Crates, tragicus, Cynicæ ſectæ ſtudioſus, cuius uxor fuit Hipparchia: qui ſcripſit Tragœdias altiſſimo philoſophiæ ſenſu ac ſtylo, ſoluta autem oratione, Platoni ſimilis. Vixit 113. Olymp.

ANAXANDRIDES Anaxandri F. Camiræus ex Rhodo inſula, uel Colophonius, Olymp. ferè 101. natus, Philippi Macedonis temporibus. Scripſit fabulas 65. & decies uicit. Nonnulli ab hoc Amores in ſcena primùm inductos, & uirginū raptus aſſerunt. Contra Athenienſes ſcripſit, & eos ſanctiſſimas quidem leges habere, prauiſſimis tamen uti dixit: quare ab eis fame necatus eſt. Platonem quoque ipſum maledictis lacerauit. Suidas.

PLATO Athenienſis, priſcæ Comœdiæ poëta, 81 Olymp. 28. fabulas compoſuit, ſtylo ſplendido & elegāti: cuius uerſus in Cyneſiam Galenus in Hipp. Aphoriſmis recenſet. Suidas.

PHILISTION Pruſaenſis, aut Sardianus, obiit tempore Socratis, immodico riſu extinctus. Scripſit Comœdias, & librū Philogelum. Suidas.

CALLIAS Athenienſis, comicus, Lyſimachi F. cognomento Schœnion, quòd pater eius retiarius eſſet. Suidas.

CRATINVS Athenięſis, Platonis æqualis, fabulas 21 ſcripſit, ex quibus nouies uictoriam conſecutus eſt. Audax ab Horatio dicitur, quòd Athenienſes mira dicendi acerbitate, dum Dionyſia eſſent, proſciderit. Vixit annos 97. Ariſtophane ſenior: uino ita deditus, ut poëtam fieri poſſe negaret, qui non uini eſſet appetentior. uinum enim uice magni equi poëtis eſſe, nec aqua bonum condi carmen. Libidinoſus admodum. Periit, cùm Pytinen fabulam uiciſſet, & ex ea uictoriam retuliſſet: quo tempore primùm in Atticam Lacedæmonij irruerunt. Sunt qui periiſſe ſcribant, cùm pleno uaſe uinum effundi cerneret.

TIMOCREON Rhodius, priſcæ comœdiæ, pentathlo uicit pugil. Cum Simonide & Themiſtocle inimicitias exercuit: &, quia in Themiſtoclem inuectiuum carmen ſcripſiſſet, in exilium miſſus eſt. Floruit Olymp. 77.

EVPOLIS Soſipolis F. Athenienſis, 88 Olymp. floruit, Apollodoro principe Athenis. Septendecim natus annos, ſeptemdecim fabulas exhibuit, ſeptieſque uicit. Cùm Alcibiadem



acerbiùs perſtrinxiſſet, edicto Alcibiades cauit, ne quis nominatim quempiam ſuis carminibus perſtringeret. ex quo factum, ut priſcæ comœdiæ acerbitas in leniorem formam immutaretur. Aiunt quidam, Eupolim ab Alcibiade in mare deiectum, uix euaſiſſe in Aeginam, & ibi ſepultum: ad cuius tumulum canis Moloſſus, Augeas nomine, mœrore & inedia ſeſe confecit. Cratinum pręcipuè imitatus eſt: uerùm illo rudior, magiſq; ridiculus. Suidas.

EVAGES paſtor, idiota & illiteratus, celebris tamen poeta comicus habitus eſt, quodam afflatus numine: Hydreates patria, ex inſula Hydrea, quæ ante Trœzena ſita eſt.

MACHON Sicyonius Comicus ſuas comœdias non oſtendit Athenis, ſed Alexādriæ. Erat autem bonus poeta, ſi quis alius, poſt ſeptem. Iuuenis Ariſtophanes cum illo uerſatus eſt. Athen. lib. 14. cap. 32.

ARISTOPHANES inter ueteris Comœdiæ conuitia, & nouæ illecebras, medium quoddam dicendi genus Atticiſſimum adinuenit. Cydathenæus fuit, ex Pandionis tribu, patre Bione, homine miræ dicacitatis. Vitia ita inſectatus eſt, ut ne Cleoni quidem, tum temporis tribuno plebis parceret. cumq; nemo hiſtrionū in fabula, quæ ἱππεῖς inſcribitur, Cleonis perſonam, propter eius potentiam, auderet agere: Ariſtophanes ipſemet minio oblitus egit. cuius cauſa ab Equitibus quinq; talentis multatus eſt. Niciam quoque ſummum ducem, in fabula, quam Georgiam inſcripſit, acriter ut deſidem & agricolam taxauit. Effecit ergo, ut Reipub. principes mediam quandam uiam ſectarentur, ne in eos ille ſtyli aciem dirigeret. Sacræ oliuæ ramo coronatus eſt, & Athenienſium eloquentiſſimus habitus. Cùm Dionyſius tyrannus Platonem rogaret, ut aliquam quaſi ſpeciem & imaginem Reipub. Athenienſis ſibi oſtenderet, ille Ariſtophanis Νεφέλας ei miſiſſe dicitur. Mortuus Athenis, cùm 54 uel 44 fabulas docuiſſet. Cùm rex Perſarum in Græciam deſcendiſſet, quæſiſſe traditur, ubinam eſſet Comœdiæ poeta? eo nomine per excellentiam Ariſtophanem intelligens.

AGATHON Samius Platonis philoſophi pręcipuus amicus: cuius fabula ἄνθος inſcripta, ab Ariſtotele celebratur. Gorgiam in iambicis imitatus eſt.

THEODORVS archæę comœdiæ ſcriptor, Athenięſis, Theodectis filius, poſt Ariſtophanē, 24 fabulas docuit. Hic in Autochari Platonem acerbè perſtrinxit.

NICOSTRATVS comicus multi nominis, Clytæmneſtra cognominatus, optimè etiam hiſtrionicā exercuit: unde prouerbium in eos, qui rectè & peritè aliquid faciunt, ἐγὼ ποιήσω πάντα κατὰ Νικόστρατον.

MYRTILVS & HERMIPPVS fratres, ueteris Comœdiæ poëtæ, Athenięſes. Hermippus 40 Comœdias docuit, fuitque ἑτερόφθαλμος: & Aſpaſiam accuſauit, quòd Pericli ingenuas mulieres conciliaret.

EVBVLVS Cettius Athenienſis docuit fabulas 24. inter quas illa, quam Clepſydram à Meriches meretriculę nomine uocauit: ſic dictæ, quod ad clepſydram, quouſq; ea exinanita eſſet, ueneri operam dare ſoleret. Aſclepiade teſte, & Athenæo lib. 13. floruit Olymp. 101. mediæ ferè comœdiæ poëta.

PHERECRATES Athenienſis, Cratetis ęmulus, uicit hiſtrio in theatro. Comœdias ſeptem edidit, & inter Atticiſſimos connumeratur. Sunt qui eum Alexandrum Magnum in exercitu ſecutum dicant.

CHÆREMON Socratis diſcipulus, comicus, multas fabulas ſcripſit. in Hippocentauro mixtam omni metrorum genere rhapſodiam fecit, ſi credimus Ariſtoteli.

CALLIMACHVS Cyrenenſis Batti F. Hermocratis Iaſij diſcipulus, floruit ſub Philadelpho, uſq; ad Euergeten, Olymp. 125. Literas publicè docuit in Eleuſini Alexandrię uico: deinde in aulā regis receptus eſt. Scripſit uolumina plus quàm octoginta, Tragœdias, Comœdias, Epodon, Mela, Tabulas diuerſas, Hymnos.

PHILEMON nouæ comœdiæ poeta, uel mediæ, Damonis F. Syracuſanus, Menandro paulò antiquior, floruit Olymp. 111. Scripſit fabulas 90. Vixit annos 97, uel 99. Menāder cùm ab eo iudicum inuidia in certamine ſuperaretur, ei dixit: Quæſo Philemon, bona uenia dic quæſo, cùm me uincis, num erubeſcis? Secundas tamen à Menandro, Fabio teſte, meretur. Filium habuit eiuſdem nominis & artis, qui 54. fabulas docuit. Obiit riſu nimio, cùm aſinum ficos mādentē uidiſſet, & puero iuſſiſſet, ut aſello poſt ficos potum afferret. Alij aliter eum periiſſe narrant. Suidas.

RHINTHON Tarentinus, à quo ioculare & ridiculum fabularum genus Rhinthonicæ dicuntur, quas Græci Hilarotragœdias, alij Latinas, alij Italicas uocarunt, mixtæ ex comœdia & tragœdia, unde & Tragicomœdia dicta. Floruit ſtatim poſt Alexandrum, figuli filius. Fabulas triginta octo docuit. Suidas & Stephanus, Epitaphium eius in 3. Epigram. Græcorum extat.

MENANDER, nouæ Comœdiæ princeps, Diopithis F. Athenienſis, comœdias 108. compoſuit: uicit ex omnibus octo, iudicum inuidia. Claruit 115. Olymp. Theophraſti philoſophi, & etiam Alexidis poetæ diſcipulus. Hic ſociis Gratiis præcipuè probauit ſe theatris, confabulationibus, conuiuiis, ſiue legere, ſiue diſcere quid, ſiue contendere uelis, cōmunem. Hic efficit, ut inter præclara, quæ edidit Græcia, poëſis numeretur: oſtenditque, quæ & quanta ſit orationis dexteritas: quę, quoquò ſe conuerterit, mirè flectit animos, tenetq; aures & mentes omnium, qui Grææ linguæ ſint. Plut. in comp. Men. & Ariſt. Amicus uſque adeò Aegypti & Macedoniæ regibus, ut eum ad ſe honorificentiſſime inuitarent. Demetrio quoque Phaleræo ita familiaris, ut cùm Demetrius ab Athenienſibus in exilium actus eſſet, Menander propter eius amicitiam de capite periclitaturus fuerit, niſi à Teleſphoro Phaleræi genero defenſus fuiſſet. Antiquorum poëtarum furem eum faciūt Euſebius & Porphyrius. Fabularum inuentionem & diſpoſitionem tanti fecit, ut cùm aliquando fabulam diſpoſuiſſet, necdum eam uerſibus adornaſſet, ſe tamen eam iam perfeciſſe diceret, teſte Acrone & Plutarch. In mari ſubmerſus dicitur, in Piræeo portu natās. Eius tamen ſepulcrū in Attica uenientibus à Pyræeo oſtendi, tradit Pauſanias.

DIPHILVS κωμικώτατος καὶ γνωμικώτατος à Clemente appellatur, Sinopenſis, ferè coæuus Menandro, fabulas centum ſcripſit. Eius uerſus de futuro iudicio, Clemens libro quinto Stromaton commemorat. Plautus eum imitatus eſt. Obiit Smyrnæ.

LYNCEVS Samius, Grammaticus cognominatus, Thuridis hiſtorici (qui Sami tyrannidem exercuit) frater, & Theophraſti familiaris, fabulas quaſdam edidit, & Menandrum uicit. Scripſit & coquinariam artem.

ALEXIS Thurius, Menandri patruus, comicus multas ſcripſit fabulas: ὀψοφάγος fuit. In extrema ſenectute, quid ageret, interrogatus: Paulatim, inquit, morior.

Inter comicos LATINOS qui primum, qui ſecundum dignitatis gradum ferant, pete ex Tit. Iudicij Poëtici.

LIVIVS Andronicus primus apud Latinos fabulam docuit, Q. Claudio Cethego Appij Cæci F. & M. Sempronio Tuditano Coſs. anno, antequam naſceretur Ennius, ab urbe condita 500. poſt Sophoclis & Euripidis mortem annis plus minus 160. Menandri 52. Liuij Salinatoris ſeruus fuit, eiuſq; liberos erudiit. Mox manumiſſus, & Liuij nomine donatus, cùm priùs Andronicus diceretur. Scripſit præter fabulas, etiam Hymnos & Odyſ.

CN. NÆVIVS Campanus, cui in comœdia tertias tribuit Volcatius, fabulas tum primùm docuit, cùm Sp. Carbilius Ruga cum uxore fecit diuortium. Bello Punico ſtipendia fecit. Mortuus Cethego & Tuditano Coſs. 160. annis ante Ciceronem. Euſebius 144 Olymp. Vticæ exulem obiiſſe uult, urbe pulſum à Metello & Africano, quos ille acerbiùs perſtrinxerat. Fabulas docuit uiginti. Item Epigrammata & bellum Punicum ſcripſit. Superbus alioqui, & uerè Campanus homo: quod ſatis arrogans eius Epitaphium, quod ſibi V. F. indicat. Facetiſſimus alioqui fuit, in eorum præſertim genere, quæ præter expectationem ambiguitate ſua riſum mouent.

M. ACTIVS Plautus (ſiue Plotus, à pedum planicie dictus) Sarſinas Vmber fuit, & aliquo tempore cum Næuio uixit. Floruit anno decimoquinto Punici belli ſecundi. Imitatus eſt Epicharmū in primis, dein Diphilum & Philemonem. Quæſtum fecit in fabulis adeò, ut etiam mercaturam facere uoluerit. Quæ cùm ei malè ceſſiſſet, Romam inops reuerſus, molas truſatiles egit pro uictu cōparando: & in eo piſtrino Satyrionem, Addictum, & tertiam quandam fabulam compoſuit. Obiit Olympiade 145. non multò poſt Ennium, annis uiginti poſt Cethegi & Tuditani conſulatum, P. Claudio & L. Portio Coſs. Scripſit fabulas 21. teſte Varrone, à quo poſtea Varronianæ ſunt dictæ: Gellius ætate ſua 130 circumlatas aſſerit, ſed alij maiorem harum partem M. Aquilio tribuunt: aliquam etiam Plautio comico, à quo Plautianæ primùm, dein propter nominis affinitatem Plautinę perperam ſunt appellatæ. Volcatius ſecundas Plauto in comœdia tribuit. Iocorum uenuſtate præcelluit. Varro ſcribit, Muſas Epij Stolonis ſententia Plautino ſermone locuturas fuiſſe, ſi Latinè loqui uoluiſſent.

STATIVS Cęcilius, comicus, genere ſeruus, quod nomē Statij ſatis indicat. Floruit Olymp. 150. Catoni coæuus: Gallus, ex urbe Mediolani. Contubernalis Ennii, eodēq;, quo ille, anno mortuus, & iuxta Ianiculum ſepultus. Huic inter comicos palmam tribuit Volcatius. Menandri plurimas fabulas Latinas fecit, ſed Venerem illam tranſmarinam non eſt aſſecutus. Terentij Andriam cùm audiuiſſet, ingenium & elegantiam Terentij miratus eſt.

P. TERENTIVS Afer, ex Carthagine, libertinus fuit Terentii Lucani ſenatoris: Scipioni Africano & C. Lælio familiaris: iis tamē maior natu. A quibus etiam in ſcribendo adiutus fuiſſe dicitur. Q. enim Memmius in Oratione pro ſe ait,

P. Afri-

P. Africanum à Terentio perſonam mutuatum eſſe, ut quæ domi luſerat, ipſe nomine Terentij in ſcenam deferret. Alij tamen à Sulpitio Gallo, Q. Fabio Labeone, & M. Pompilio adiutum aſſerunt. Trigeſimo quinto ætatis anno in Græciã nauigauit, uitandæ opinionis cauſa, ne aliena pro ſuis edere uideretur. Rediens ex Græcia, cùm 108 fabulis conuerſis è Menandro, in mari periit: aut (quod alij) Romam reuertẽs, ob amiſſas fabulas tædio & mœrore confectus obiit, in Arcadia Stymphali ſinu Leucadiæ, Cn. Corn. Dolabella, & M. Fuluio nobiliore Coſs. Afranius eum omnibus præfert comicis. Volcatius etiam Licinio & Attilio poſtponit.

APHRANIVS in Togatis & Atellanis ſcribendis excelluit, quas tamen fœdis amoribus coinquinauit. Ex cuius fabula Stella, hi uerſus afferuntur à Gellio:

Me genuit Vſus, mater peperit Memoria.
Sophiam me uocant Graij, uos Sapientiam.

SEX. Turpilius, inter comicos ſeptimo loco à Volcatio connumeratur, Olymp. 189. Sinueſſæ mortuus, qua die M. Cicero Arpini natus eſt. Terentium amauit.

LICINIVS Imbrex à Volcatio in quarto ordine comicorum connumeratur: ſicuti quinto M. ATTILIVS, uel Accilius, quem à Licinio ferreũ poetam appellatum eſſe ſcribit Cicero. Q. TRABEA octauum locum obtinet apud Volcatium.

C. TITINIVS Togatas ſcripſit, magni nominis.

T. QVINTIVS Atta, Togatarum ſcriptor, Romæ diuerſatus, ubi 170. Olymp. mortuus eſt. Atta dictus, quòd ob crurum aut pedum uitia plantis inſiſteret, & terram magis attingeret quàm ambularet. hi enim Attæ dicuntur, teſte Feſto.

PHILISTION Magneſianus, uel Niceus, claruit Olymp. 196, Auguſto imperante: & riſu mortuus dicitur. Eius fabulæ in precio fuerunt. Scripſit & librum φιλόγελων.

NICOLAVS Damaſcenus comœdias & tragœdias ſcripſit, uir in omni diſciplinarum genere uerſatiſſimus: Herodi & Auguſto Imp. familiaris adeò, ut Auguſtus palmarum balanos pulcerrimos & maximos (propter eius proceritatem & formam) Nicolaos appellaret. Hic integram diſciplinã longæ cuidam peregrinationi ſimilem dicebat. alibi diuertimus, cœnamus, prandemus, quieſcimus, tranſimus: donec ad id, quod deſideramus, tãquam ad propriam ſedem perueniamus, ad ueram ſcilicet ſapientiam.

C. MELISSVS Vmber, ex Spoleto, natus ingenuus: ſed ob parentũ diſcordiã expoſitus, Mecœnati dono datus, & ab eo manumiſſus, Mecœnas Meliſſus dictus eſt: & tandem Auguſto inſinuatus, ordinandarum bibliothecarum in Octauiæ porticu curã ſuſcepit. Anno ætatis 60 libellos Iocorum ſcripſit, & abſoluit Iocos 150. Excogitauit & Togatarum fabularum nouum genus, quas Trachatas inſcripſit.

VERGILIVS, Romanus comicus, cuius laudes Plinius Secũdus 6. Epiſtolarum lib. recenſet.

## TRAGICI.

EPIGENES Sicyonius tragicus, cùm tragœdiam Bacchi ſcripſiſſet, quæ Deo indigna uidebatur, quidam è ſpectatoribus acclamauit, οὐδὲν πρὸς Διόνυσον. Ea uox poſtea in prouerbium abiit. Vide Eraſmi Adagia. Hunc Suidas Tragœdiæ facit inuentorem.

THESPIS ex Icaro urbe, uel certè Athenienſis, Icarij F. ſecundus ab Epigene, tragœdias ſcripſit, ad quas agendas plauſtro circa Græciæ ciuitates uehebatur, quas canerent agerentq; perũcti fæcib. ora. Horatius ipſos hiſtriones in plauſtris circumuehi ſolitos ſcripſit. Ab hac fæce, quam τρύγα Græci uocant, quidam tragœdiam, quaſi τρυγῳδίαν appellari uoluêre. Suidas Theſpin primùm faciem ceruſſa oblitum tragœdias actitaſſe, dein perſonatæ herbæ foliis obtexiſſe, tum demum & lineas perſonas induxiſſe ſcribit. Vixit 61 Olymp. qua & Solon: qui cùm eius fabulam ſpectaſſet, ad ſe accerſiri iuſſit, illique ait: Num ipſum puderet coram tot teſtibus mentiri? Theſpide reſpondente, Per iocum licere: tum Solon terram baculo pulſans, dixit, Id ſcilicet propediẽ uidebitur in noſtris legibus, an iocus iſte tuus laudem mereatur. Suidas.

PHRYNICHVS Athenienſis, Polyphradmonis aut Minyræ F. Theſpidis diſcipulus, tragicus, Olymp. 67. primus muliebrem perſonã in ſcenam introduxit, fuitq; tetrametri inuẽtor. Mille drachmis ab Athenienſibus multatus eſt, quòd fabulam feciſſet Miletũ à Dario captã, & in theatro omnib. ſpectatoribus lacrymas excuſſiſſet. Nouem tragœdias ſcripſit. Filium habuit Polyphradmonem tragicum. Suidas.

ALCÆVS Athenienſis tragicus, ſcripſit fabulas Cœlũ & Pollucem. Diuerſus à comico Mytilenæo, & Lyrico alio. Hunc primum aliqui tragicum fuiſſe perhibent. Suidas.

HOMERVS, Andromachi & Myronis Byzantiæ filius, grammaticus & tragœdus. Quapropter ſeptem illis annumeratus eſt, qui ſecundas partes inter tragicos obtinent, & Pleiadis cognomentum habuerunt. Floruit Olympiade 24. ſcripſit tragœdias 45. Suidas.

SOSICLES Syracuſius tragicus, edidit fabulas 73. uicit ſeptẽ. Vnus ex ſeptem tragicis, qui nominati ſunt Pleias. De quibus uide Tit. Iudicij poetici. Fuit ſub extrema tempora Philippi, aut (ut alij tradunt) Alexandri Macedonis. Obiit Olympiade 111. alij 114. Suidas.

AESCHYLVS Athenieſis tragicus, Euphorionis filius, & Cynegiri (qui in Marathone cõtra Perſas acerrimè pugnauit) frater. Perſonã & pallam inuenit, & artem tragicã nimis cõfuſam & crudelem mitigauit, & in ordinem redegit: choros in unũ contraxit, abſtulit crebras hiſtrionum reſponſiones: neces inſuper in ſcena fieri uetuit, ne coram populo homines trucidarentur: addidit habitus heroicos, item pulpita, quo è ſublimi recitantes faciliùs uiderentur, & audirentur. Eapropter Aeſchylum tragœdiæ parentem appellarunt Athenienſes, & mortuum in Dionyſiis inuocabant. A Baccho per ſomnium iuſſus eſt tragœdias ſcribere, cùm adhuc adoleſcens in agro uuas cuſtodiret. Vini appetentior fuit. Vixit Olym. 70, qua mortuus eſt Pythagoras, cuius ſectator quoque fuit Aeſchylus. Duos habuit filios, Euphorionẽ & Bionem, tragicos itidem poëtas. Iam grandis natu cum Sophocle puero certauit, & uictus iudicum uel inuidia uel odio, quòd myſtica quædam in ſcena patefeciſſet, ut inquit Euſtratius, ad Hieronem tyrannum in Siciliam migrauit: ubi cùm in agro nudus capite ſederet, aquila ſupernè uolans teſtudinem marinam in caput eius caluum demiſit, ſaxum eſſe arbitrata, eumq; interfecit, cùm annos 58 natus eſſet, ſepultus apud Gelem fluuium. Scripſit fabulas 90, & de iis 28 uicit. Lycurgus Athenieſium orator, ſtatuam illi æneam poſuit, & alteram Sophocli, amborumque tragœdias publicè cuſtodiri mandauit. Suidas.

PHILOCLES Polypithis F. Aeſchyli ex fratre uel ſorore nepos, Euripidis tempore fuit, tragicus: moribus adeò aſper, ut uulgò χολὴ appellaretur. Fabulas centum compoſuit. Eundem & ἁλμίωνα uocabant. ἅλμιον enim πικρίαν, id eſt, amariciem uocant, teſte Suida. Duos habuit filios, Morſimum & Philippidem.

MORSIMVS patri ſtylo & moribus æqualis, aſper & inſulſus, & ocularius inſuper medicus. Taxat eum Ariſtophanes uariis epithetis, ut helluonem & fœdum hominem.

ASTYDAMAS filius Morſimi, tragicus, docuit fabulas 240, & quindecies uicit. Primùm tamen Iſocratem in eloquẽtia ſecutus eſt. Filium habuit eiuſdẽ nominis tragicum. Suidas.

PRATINAS Pyrrhonidę ſiue Encomij F. Phliaſius, tragicus, primus Satyras docuit. Certauit cum Aeſchylo & Chœrilo 70. Olymp. Fabulas innumerabiles ſcripſit, inter quas Satyricas 32, una uicit. Cùm fortè fabulas populo Athenis exhiberet, contigit, ut tabulata caderent, in quibus ſpectatores ſedebant. Vnde poſtea factum, ut ſtabile theatrũ Athenienſes conſtruerent. Suidas.

ION Chius, tragicus & lyricus, Olymp. 82. ſcribere cœpit fabulas 12, uel 30, uel 40. Item & Dithyrambos, & Meteora. Hic eſt, de cuius nomine Plato Dialogum inſcripſit.

LYCOPHRON Chalcidenſis ex Eubœa, Soclei uel Ariclis F. grammaticus & tragicus poëta. Scripſit iambo Caſſandram, poema obſcuriſſimum, & fabulas multas alias. Item Satyras. Sagitta periit. Suidas.

CHOERILVS, Athenieſis tragicus, ſexageſima quarta Olympiade in certamen deſcendit, & fabulas edidit centum & quinquaginta. Vicit tredecim. Hic ſecundum quoſdam laruas & ſcœnam inchoauit. Suidas.

SOPHOCLES Sophili filius, ex Colonia, uel Coloneo, Socrate decem & ſeptem annis ſenior, natus 73 Olymp. cum eo tamen floruit. Propter ſuauitatem ſermonis μέλιττα dictus. Tres hiſtriones primus inſtituit, & fabularum chorum ex 15. perſonis confecit, cùm antea ex 12 conſtaret. Verſatus eſt etiam in Reipublicæ adminiſtratione. Cum Pericle contra Lacedæmonios miſſus, uictor rediit. Filios Sophocles habuit plures, inter eos & IOPHONTEM, à quo ſenex delirij accuſatus eſt: qui & ipſe tragicus fuit, ut pater. Accuſatus, Oedipum Coloneum tragœdiam, quam in manibus habebat, iudicibus recitauit, & abſolutus eſt. Fabulas 123 docuit, & quater uicies uictor extitit. Obiit uel ex gaudio nunciatæ uictoriæ, uel grano uuæ ſtrangulatus, anno nonageſimo quinto ætatis, cùm Lacedæmones urbem Athenieſium obſiderent. Lyſandro regi Bacchus in ſomnis apparuit: monuitque, ut pateretur humari delicias ſuas. Pacem ergo funeri dedit Lyſander. Suidas.

EVRIPIDES ab Ariſtotele τραγικώτατος dictus. eo die natus in Salamine Atticę, 70 Olymp. quo in Euripo pugnatum eſt contra Xerxem, nomen accepit: patre Mneſarchide caupone, matre Clito, agreſtia olera uendẽte. Pater eius Bœotius, in patria corbis ignominiam paſſus, cùm æs alienum non diſſolueret, Athenas uenit: & cùm ex oraculo filium uictorem in certaminibus fore cognouiſſet, interpretatus, athletam eſſe debere, gymnaſticam exercere coegit, ita ut pancratio etiam uictor extiterit. Sed his exercitiis relictis, Ana-

xagoræ



xagoræ Clazomenio operam dare cœpit in phyſicis, in rhetoricis Prodico Ceo, Socrati in ethicis. Cum Platone poſtea in Aegyptum nauigans, cùm ægrotaret, marina aqua à ſacerdotibus priſtinæ ualetudini reſtitutus eſt. Hinc ipſe in fabulis, θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά. Anno ætatis 18. Tragœdiã ſcribere cœpit. Philochorus in inſula Salamine ſpeluncã horridam oſtẽdi ait (eamq; Gellius lib. 15. cap. 20. ſe uidiſſe aſſerit) in qua fabulas ſuas ſcripſerit. In Macedoniam ad Archelaum regem profugit, propter uxoris impudicitiam: ubi à rege benignè ſuſceptus, à canibus tãdem incerta cauſa laceratus eſt, 93 Olymp. annos natus 75. & oſſa Pellam tranſlata. Athenienſes eius cineres à Macedonibus fruſtra petierunt: cenotaphium tamen ei in foro extruxerũt. Sophocles eius morte audita, atrata tunica induit ſe, & ſine corona tragœdias ſuas agi uoluit. Fabulas ſcripſit 92. inter quas 8 Satyricas. in his quindecies tãtùm uicit, iudicum inuidia. Primus fabularum principiis argumenta inſeruit. Suidas quinquies tantùm uiciſſe aſſerit: uiuum quater, mortuũ ſemel, actore fratris filio Euripide.

ARISTARCHVS Tegeates, Tragicus, cũ ex morbo quodam ab Aeſculapio recreatus, gratiam pro ſanitate referre iuberetur, tragœdiam ſibi cognominẽ edidit. Aequalis fuit Euripidis: & primùm ad eam, quæ nunc eſt, prolixitatem tragœdias extendit. Tragœdias edidit ſeptuaginta; uicit duabus. Vixit ultra centum annos. Suidas.

ACHÆVS, Syracuſanus tragicus, ſcripſit tragœdias X. Alius Pythodori filius, Eretrienſis, natus LXXIIII Olympiade, fabulas edidit XLIIII. uicit unam, paulò iunior Sophocle. Suidas.

CHÆREPHON tragicus, cùm Pythiam de Socrate amico conſuleret, reſponſum tulit:

Ἀνδρῶν ἁπάντων Σωκράτης σοφώτατος.

Inter fabulas eius, Heraclidę reponũtur. Hic propter nocturnas lucubrationes, Nycteris, id eſt noctua, appellatus eſt: itẽ propter pallorem, πύξινος, id eſt, Buxeus. Vnde prouerbium in pallidos, οὐδὲν διοίσεις χαιρεφῶντος φύσει. & Ariſtophanes, οὐδὲν διοίσεις ἡρακλειδῶν.

CARCINVS Agrigentinus tragicus, cùm fabulam meditaretur, à ſerpente morſus occubuit.

PLATO iuuenis admodũ, dithyrambos, deinde mele, mox etiã lyricos uerſus ſcripſit: maturior quoq; tragœdias. Quas cùm in Dionyſij theatro recitaturus eſſet, in Socratẽ incidit, & eius ſyrene delinitus, philoſophiæ operã dare cœpit, poemata igni tradidit, inquiens: Ἥφαιστε πρόμολ' ὧδε, Πλάτων νύ τι σεῖο χατίζει. Huc, ô Vulcane, Plato tua ope indiget.

NICOMACHVS Athenienſis, Euripidem & Theognim, incertum qua fortuna, fabulis uicit.

ANTIPHON Athenieſis Sophili filius, Thucydidis magiſter, αὐτοδίδακτος poeta, Dionyſium tyrannũ in tragœdiis cõponendis quoq; iuuit. Cõmentus eſt idem artẽ ad animi mœrorẽ leuandũ, qua ueluti medicus ægris animis ſubueniret. Atq; ideo cùm Corinthi uerſaretur, prope forũ domicilium habuit: ſcripto profeſſus, ſe ægris animis curationẽ adhibere. Mœroris cauſam diligẽter percõtabatur, dein cõgrua oratione conſolationem afferebat. Hoc, neminem unquã capitis cauſam meliùs orauiſſe, Thucydides aſſerit, qui ei cauſæ ſe aſtitiſſe ſcribit. Cùm ad ſupplicium raperetur, & ſocios morituros capita uelaſſe uideret per portam exeũtes: Quid ita, inquit: an ne horum quiſpiam cras nos uideat, timetis?

THEODECTES Phaſelites ex Lycia, tragicus (qui priùs arti oratoriæ operam dedit) in dedicatione Mauſeoli, quod Artemiſia Olympiade 103 conſtruxit, cum Naucrate Erythręo, & Iſocrate Apolloniate, & Theopompo Chio certauit, atq; uictoriam aſſecutus eſt: tametſi alij Theopompum uictorẽ aſſerant. Suidas. Scripſit & tragœdiam Mauſolum, quæ ualde placuit. Hic, cùm in quapiam tragœdia, ſacra quędã prodere uoluiſſet Hebræorum, luminibus captus eſt: & uix tandem multorum dierum ſupplicatione & precibus, Deum optimum maximum placare potuit: ut Ariſteas, Ioſephus libro duodecimo Antiquitatum, & Euſebius teſtãtur. Tragœdias ſcripſit quinquaginta: item artem rhetoricam carmine. Diſcipulus fuit Platonis, Iſocratis & Ariſtotelis, & Alexandri Magni condiſcipulus. qui cùm in Lyciam contra Perſas iturus ueniſſet, Theodectis ſtatuam in foro poſitam coronauit, eiq; parentauit. Memoria ita excelluit, ut ſemel auditos multos uerſus protinus repeteret, teſte Fabio. Obiit Athenis, annos natus 41.

ISOCRATES Theodectis magiſter, præter orationem numeroſam, cuius ipſe uel auctor, uel certè excultor fuit, 37 tragœdias docuit: quãuis eas ingrati diſcipuli, Theopompus Chius & Ephorus Cumæus, ut tibiarum artificis uel tibicinis (fuerat enim pater Iſocratis Theodorus tibicen) calumniari fuerint ſoliti.

EVBVLIDES Mileſius Megaricus, philoſophus & dialecticus inſignis, tragœdias multas ſcripſit, quibus in certaminibus excelluit. In dialectica etiam longè plura edidit, quàm in poetica, & in primis quæ Sorites & Ceratinæ uocantur.

NEOPHRON Sicyonius tragicus, 120 fabulas docuit. Medea, quæ Euripidi tribuitur, huius fuiſſe creditur. Primus pædagogos introduxit, & domeſticorum ac familiarium experimentum. Floruit Alexandri Magni tempore, & cùm Calliſthene philoſopho & amico, ſupplicio affectus eſt propter conſpirationem. Suidas.

ALEXANDER Aetolus tragicus, unus ex Pleiadib. Scripſit etiã elegias, & Ionica poemata. Ex eius libro, qui Muſa inſcribitur, quædã Vergilium deſumſiſſe, teſtatur Macrobius.

AESCHINES Athenienſis, Atrometi literarum magiſtri & Glaucotheæ filius, adoleſcens tragœdias actitauit, cùm uocis claritate polleret: & cum Ariſtodemo in Dionyſiis certauit. Demùm ſe Oratoriæ & Reipublicæ tradidit, Iſocratis & Platonis diſciplinæ ſe committens. Quamuis alij cùm in iudiciis fortè ſcribæ officio fungeretur, nullo docente, eum in tantam eloquentiæ exiſtimationem ueniſſe aſſerãt. Cum Demoſthene poſtea ſimultates exercuit in Republica: & tãdem, cùm Cteſiphontem περὶ στεφάνου accuſaſſet, uictus, Athenis fugiens, Rhodum ſeceſſit: ubi dicendi genus Rhodium (quam nouam ſophiſticã uocat Philoſtratus) inſtituit. Mortuus in Samo.

CRATES Thebanꝰ Cynicꝰ, tragœdias quoq; ſcripſit altiſſimo philoſophiæ ſtylo: quale illud eſt de Hercule, teſte Laert. l. 6.

Οὐχ εἷς πάτρα μοι πύργος, οὐ μία στέγη,
Πάσης δὲ χέρσου καὶ πόλισμα καὶ δόμος
Ἕτοιμος ἡμῖν ἐνδιαιτᾶσθαι πάρα.

PHILISCVS Corcyræus, Diogenis Cynici diſcipulus, Bacchi ſacerdos, Ptolemæi Philadelphi tẽporib. inter Pleiades connumeratus. Docuit fabulas quadraginta duas, quas aliqui Diogeni tribuunt præceptori. Ab hoc carmen Philiſciõ: quo tamen multo antè uſus fuit Simmias Rhodius.

SOSITHEVS Syracuſanus, aliis Athenienſis, & unus ex Pleiadibus, tragicus, cùm aliquando in theatro Cleanthẽ Stoicum carmine perſtrinxiſſet, à ſpectatoribus è ſcena exploſus eſt. Floruit Olymp. 164.

ISAGORAS tragicus, diſcipulus Chreſti Byzantij, ſummi ſophiſtę, fabulas ſcripſit, & ſoluta oratione, multa. Floruit Antonini Imp. tempore.

POSIDIPPVS Caſſandræus, tertio anno à Menandri obitu triginta fabulas edidit, & in precio ſummo habitus eſt.

ARISTON Chius tragicus, dum cogitabundus per ſyluam incedit, folia arboris manu percuſſit. Decidit ſerpens, quẽ eum lethali uulnere in dextra ſauciauit.

M. PACVVIVS Brunduſinus, Ennij ex ſorore nepos, qui Romæ, quandiu uixit, picturam exercuit. Senex & æger Tarentum migrãs, nonagenarius obiit, Olymp. 157. Amicus & hoſpes C. Lælij apud Ciceronem.

L. ACTIVS, Serrano & Mancino Coſs. libertinis parentibus natus, ſene iam Pacuuio floruit. Pacuuij, cùm in Aſiam proficiſcerentur, Tarenti hoſpitio uſus, apud eum Atreum tragœdiam compoſuit, & Pacuuio recitauit. Grandia ille & ſonora, ſed duriora paulùm & acerbiora eſſe quę ſcripſiſſet, aſſeruit. Actius reſpondit: Neq; eius me pœnitet. nam quod in pomis eſt, ut quæ dura & acerba naſcuntur, pòſt fiant mitia: quæ uerò mollia & uieta, ſtatim putreſcunt: idem & in ingeniis accidit. Decio Bruto ita charus, ut eius uerſibus tẽplorum & monumentorum frontes & aditus exornarit, teſte Cicerone. Quod ſi uerum eſt, alium hunc Actium fuiſſe oportet: neque enim temporis ratio patitur. Diuerſus ergo eſt Actius à priore illo, qui etiam C. Iulio Cæſari in poëtarũ collegium ueniẽti, nunquam aſſurrexit, quòd in comparatione communium ſtudiorum, maiorem ſe eo in loco eſſe conſideret. Scripſit autem L. Actius præter fabulas, etiam Annales, eiq; plus uirium quàm Pacuuio tribuitur.

L. POMPONIVS Bononienſis, Atellanarum ſcriptor egregius, Olymp. 172. Fuit alius P. POMPONIVS Secundus Veronenſis, Plinij gentilis & conterraneus, tragicus poeta, Caio & Claudio imperantibus: cuius uitam Plinius Secundus duobus uoluminibus executus eſt. Conſularis etiam fuit Romæ; & cùm in Germania ſuperiore Cattos deuiciſſet, triumphum meruit. Hic nunquam ructaſſe dicitur. Si à quopiam fortè in tragœdiis reprehenderetur, Ad populum prouoco, inquit: ita ex populi uel ſilentio, uel applauſu, aut amici, aut ſuam ſententiam ſequebatur.

PVPPIVS tragicus, quoties uolebat, populum ad lacrymas prouocabat. Extat illud eius de ſeipſo:

Flebunt amici & bene noti morte mea,
Nam populus omnis, me uiuo lacrymatus eſt.

Huius poemata Lacrymoſa appellat Horatius.

VARIVS Epicus, Vergilio antiquior, inter cætera de Morte ſcripſit. Eum etiam Vergilius imitatus eſt. Quidam hunc eundem exiſtimant qui ſcripſit Tragœdias, & Elegias, & Heroica. Celebratur eius fabula Thyeſtes, quam omnes ſummis laudibus extollunt, & cùm Gręcis certare poſſe aſſerũt: & à Vergilio ſcriptam, uxori Varij, admodum literatæ, do-

no

no datam; quam deinde uxor marito dederit, ille pro ſua re
citarit. illudq; tacitè innuere Vergilium, quando inquit:

Quem mea carminibus meruiſſet fiſtula caprum.

ASINIVS Pollio, Olymp. 195. orator & conſularis, qui de Dal
matis triumphauit, & 80 anno obiit: apud Auguſtum in
ſumma auctoritate, Ciceronis æmulus, leporum & facetia-
rum pater, & omnium horarũ homo dictus eſt. Primus Ro-
mæ Bibliothecam aperuit: primus quoque Græcam hiſto-
riam Latinè compoſuit. Tragœdias & ipſe ſcripſit. Huius fi-
lius C. Aſinius Gallus, Ciceronis manes inſectatus eſt, & ei
patrem prætulit. Ciceronem tamen poſtea Claudius Cæſar
defendit. A Tiberio diris affectus eſt ſuppliciis, Olymp. 199.
anno ante T. Liuij mortem.

CASSIVS Seuerus Parmenſis, M. Antonij partes ſecutus, fra-
cto Antonio apud Actium, Athenas ſe contulit. Vbi concu-
bia nocte curis cõfectus, ad ſe hominem horrendi aſpectus
uenire exiſtimauit: qui interrogatus quis eſſet, Cacodæmo
na ſe eſſe, reſpondit. Nec multo pòſt à Quintilio Varo ab
Auguſto miſſo, in ipſis ſtudiis interfectus eſt. Thyeſtes eius
celebratur. Diuerſus eſt ab iſto Caſſius Seuerus orator &
poëta: in reprehẽdendo & accuſando uehemẽs, ſed infelix.

C. MECOENAS eques Romanus ab antiquo Hetruſcorum
regum ſanguine, Auguſti Cæſaris intimus amicus, ita ut Au
guſtum ab ira ſæpe ad manſuetudinem flexerit. Terentiam
Murenæ eius, qui in Auguſtum coniurauit, ſororem feruidè
amauit, quãm alij Terentianam & Terentillam uocant: alij
uxorem eam habuiſſe aiunt, & propter eius repudium trien
nio integro non dormiuiſſe. Amauit & Bathyllum hiſtrio-
nem. Moribus effeminatus fuit & mollis, ita ut Malthinus,
ſeu Malcinus cognominaretur. Seneca eius mollitiem in e-
piſtola ad Lucilium exprimit. Primùm oratoriæ operã de-
dit, deinde poëticæ. Scripſit Tragœdias, & multa alia poe-
mata. Prometheum fabulam Seneca, Priſcianus Octauium
citat. Circunfertur eius uerſus,

Nec tumulum curo, ſepelit natura relictos.

Febre obiit, qua per totam ætatem laboraſſe dicitur. Hic ex-
quiſitas dapes excogitauit, & aſinarũ pullos, primus condi
uit. Molli ſtylo fuit. Summus alioqui eruditorum patronus.

ANNÆVS SENECA Hiſpanus, prioris Senecæ philoſophi
frater, uel filius, tragicus. Octo eius tragœdiæ etiamnũ cir-
cunferuntur, quæ tamen à Criticis in ordinem rediguntur.
Tanta olim auctoritate, ut quò quiſq; plures uerſus ex eis
recitare poſſet, eò doctior eſſet. Fabius, propter odium for-
taſſe gentis Senecarum, ſua cenſura dignas nõ eſſe putauit:
uel fortè quia adhuc Seneca uiuebat.

IVLIVS Maternus, tragicus celebris fuit.

M. AEMYLIVS Scaurus cùm Atreum tragœdiam docuiſſet,
in qua adhortabatur quempiam, ut regis inſaniam æquo
ferret animo: id in ſe dictum Tiberius ratus, Me tu quidem
Atreum, inquit, ego te Aiacem efficiam. Itaque metu ſibiipſi
manus intulit.

GREGORIVS Nazianzenus epiſcopus, Theologus cogno-
mine dictus, ea auctoritate inter ſuos, qua olim Pythago-
ras. Triginta millia uerſuum ſcripſiſſe dicitur. Extat Tragœ-
dia eius de Chriſti morte, doctiſſima.

## MIMOGRAPHI.

SOPHRON Syracuſius, Agathoclis F. Xerxis primũ, dein Eu-
ripidis temporibus, mimorum ſcriptor, tantopere probatus
à Platone, ut eius libros antea neglectos, primus Athenas
inuexerit, quæſtumque ex eis duxerit: eoſdem quinetiã dor-
miens atq; moriens, capiti ſuppoſitos habuerit, teſte Laert.
Scripſit mimos muliebres ſoluta oratione, lingua Dorica:
difficili tamen & obſcuro & ſtylo, prouerbiis refertiſſimus.
Suidas. Eſt alius quidam comicus hoc nomine, qui Danaen
Leontij Epicuri amicæ filiam dilexit.

CERCIDAS Megalopolita, optimus legiſlator & poeta mi-
mographus.

DECIVS Laberius mimographus, eques Rom. quo ſummè
delectatus eſt C. Iul. Cæſar, adeò ut eum in fine ſuorum lu-
dorum anulo aureo, & quingentis ſeſtertiis donauerit, atq;
e ueſtigiò in quartumdecimum ordinem ad ſpectandum
tranſmiſerit. Ei aliquando ſedile quærenti, M. Cicero dixit:
Recepiſſem te, niſi anguſtè admodum ſederem. Cui Labe-
rius: Mirum ſi anguſtè ſedes, qui ſoles duabus ſedere ſellis.
Senex autem à Cæſare coactus eſt ſcenam ingredi, de quo
Laberius ipſe in Prologo conqueritur. Puteolis obiit deci-
mo menſe poſt cædem Cæſaris.

P. SYRVS natione, mimographus, Laberio iunior. Vide Tit.
Saltatorum, ex Macrobio. Variæ huius leguntur ſententiæ,
inter quas & hæc, quò nullum melius carmen inueniri dice
bat Caſſius Seuerus:

Tam deeſt auaro quod habet, quàm quod non habet.

CN. MATTIVS uir doctiſſimus, mimographus excellens, in
uocabulis nouandis celebris.

M. MARVLLVS mimographus audax, ut etiam M. Antoninũ
Philoſophum Imp. inceſſere ſolitus ſit. Parum grammaticæ
regulas curabat, ut riſum excitaret. Eius filium Galenus ex
neglecto pectoris abſceſſu grauiſſimè laborantem, curauit.

## SATYRICI, QVI VITIA AETATIS SVÆ, VEL CERTORVM QVORVNdam hominum, reprehenderunt.

Apud Grecos olim uetus COMOEDIA hoc habebat, ut libe
rè taxaret potentiſſimorum uitia, idq; publicè in theatro.
Quæ tamen licentia Athenis poſteà è medio fuit ſublata, &
antiquæ Comœdiæ noua ſucceſſit, tum modeſtior tum iu-
cundior. Ipſa autem Satyra à Satyris Bacchi comitibus no-
men ſumſit: & propterea, uti Mimographi Comicorum: ita
Satyrici Tragicorum ἔκγονοι cenſendi ſunt. Neq; obſtat, Sa-
tyros libidinoſos, aliorum uitia & libidinem taxare: cùm
hoc ferè uſu uenire uideamus, ut quo quis uitij genere ob-
ſtrictus eſt, illud idem in aliis grauiſſimè reprehendat. Dica-
ces alioqui ſunt Satyri, & tum quia ſemidei, tũ quia ruſtici,
liberiùs alios reprehẽdũt. Vide Scaligeri libros de Poëtica.

ARCHILOCHVS Parius, Iambo primus uſus eſt ad maledi
cendum contra Lycamben ſocerum, qui promiſſam ſibi fi-
liam Neobulen denegarat. Epodon commẽtus ex trimetris
& dimetris, eò ſocerum cum tribus filiabus ad laqueum cõ
pulit. Maledicus adeò, ut ne ſibiipſi quidẽ parceret, Τέττιγα
ſeipſum ob garrulitatem uocans. Interfectus eſt in bello à
Calonda Naxio milite.

HIPPONAX Epheſius, Iambographus, floruit Olymp. 60.
Cùm à Bupalo & Athene ſiue Anthermo, fratribus ſculpto-
ribus celeberrimis, eius imago ridentium circulis propone
retur: indignatus Hipponax, amaritudine carminum eos
ita diſtrinxit, ut ad laqueum compuliſſe dicatur. Ab hoc Hip
ponactium carmen uocatum: quia pro Iambo introductis
trocheis, cõtra legem trimetri Iambici metrum innouauit,
atque ita Archilochium infregit.

PRATINAS Phliaſius, tragicus, primus Satyras docuit. Suid.

CALLIMACHVS Cyrenenſis contra Apollonium diſcipulũ
ingratum Ibin edidit. Quẽ inter Latinos imitatus Ouidius.

C. LVCILLIVS, ex Arũca urbe, uel Canuſinus, qui primus na
ſi ſtylum acuiſſe à Plin. dicitur. Natus, quo tempore Cartha-
go Romanis deditionem fecit. Pompeij Magni maior auun
culus: nam Lucillij ſoror, Pompeij auia fuit. In reprehenden-
do adeò acer, ut lex poſtea fuerit lata (quod & Athenienſes
rogante Alcibiade fecerant) ne cui liceret nominatim quẽ-
piam carpere. Amauit Collyram puellam: compoſuit Saty-
ras, Tragœdias. Horatius lutulentum uocat poetam. Quin-
tilianus Satyricorum principem facit. Adrianus Imp. cum
Vergilio quoq; præferebat. Græca paſſim miſcuit. Obiit Nea
poli, ætatis anno 46. publico funere elatus.

CATO Vticenſis Iambicum carmen in Metellum ſcripſit: &,
quamuis ſeuerus, laſciuiùs interdum uerſibus luſit.

M. TER. Varro, quo nemo doctior, nec apud Græcos, nec a-
pud Latinos, teſte Lactantio: omnigeno carmine Satyras
ſuas ſcripſit, imitatus Menippũ: unde & Menippeus dict⁹ eſt.

L. LVCVLLVS iambographus improbatur, quòd Gentium
& Macedonem pueros, ueris nominibus ſuis carminibus
proſtituerit. Meminit eius Cicero ad Atticum.

AELIVS Saturninus, quòd in Tiberium uerſus cõpoſuerat,
ab eo in Senatum ductus, è Capitolij rupe præcipitatus eſt:
ut & SEX. Paonianus in carcere ſtrangulatus.

A. PERSIVS Flaccus Volaterranus, natus 203 Olymp. anno
Chriſti 37. Tiberij 22. diſcipulus Rhemmij Palæmonis, & Ve
ginij Flauij, mox Cornuti Stoici philoſophi, & tragici poe-
tæ. Obiit 29 ætatis anno ex uitio ſtomachi. Peruenit ad 12.
Neronis annũ, quẽ ſub nomine Midæ in Satyris taxat, uirgĩ
nalis modeſtiæ plenus. In Satyris doctus, ſed obſcurus eſt.

ANTISTIVS Soſianus in Neronem carmina componens, ea
celebri conuiuio, apud Hoſtorium Scapulam uulgauit: &
poſt Piſonianam coniurationem in exilium miſſus eſt. ma-
lis tamen artibus rediit. Nam cùm Neronem facilè delato-
ribus aures præbere intelligeret, Parmenis Chaldæi geneth-
liaci amicitiam iniit, ad quem Romanorum literæ de futu-
rarum rerum euentu crebrò deferebantur. Itaq; Antæi lite-
ras intercepit, ſimul etiam Parmenis libellos clàm furatus
eſt, quibus dies genitalis eius & euentura occultabantur,
atq; Hoſtorij etiam Scapulæ. Neroni mox ſcripſit, habere ſe
quæ ſaluti eius conducerent, ſi breuem exilij ueniam impe-
traſſet. Quam rem Nero facilè conceſſit, eumq; per Liburnĩ
cas aduehi præcepit: eiuſq; uerbis fidem habens, Antæum
& Hoſtorium perdidit. Gyrald. Dialog. 4. Hiſt. poet.

D. IVNIVS Iuuenalis, Aquinas, diſcipulus Frontonis &
Quintiliani, ad mediam uſque ætatem declamauit: inde Sa
tyras ſcribere aggreſſus eſt. In quibus cùm Paridem Panto-
mimum, Domitiano chariſſimum, perſtrinxiſſet, iam octo-
genarius in Pentapolim Aegypti relegatus eſt, ubi angore
& tædio periit.

HE-



## HEXAMETRI.

*Conſule Tit. Poetarum Hiſtoricorum: Herous enim pes da-
ctylus eſt, & carmen dactylicum Heroicum, quòd illo res geſtæ
Heroum præclaræ decantentur.*

## ELEGIOGRAPHI.

CALLINVS elegiographus, Elegiaci carminis inuentor à
Mauro Terentiano dicitur: Theocli Naxio ſeu Eretrienſi Sui
das, alij Midæ Phrygi, alij Terpandro hoc inuentum tribu-
unt. Scripſit Cimmeriorum aduerſus Eſionenſes impetum,
& Sminthij Apollinis hiſtoriam.

ANTHES Anthedonius, primus apud Græcos θρήνους condi-
diſſe dicitur: quorum apud Hebræos auctor fuit Hieremias
propheta.

OLYMPVS Myſius, diſcipulus & amor Marſyæ, Hyagnidis fi-
lij, qui Hyagnis primus tibiis uſus dicitur. Compoſuit ele-
gias & cantica, atq; in Chromatica Muſica princeps fuit. In
Pythonis funere tibias inflauit, & funebre carmen modoſ-
que Lydios concinuit.

CLONAS Tegeates uel Thebanus, elegiographus & epicus,
Nomos muſicos inueniſſe dicitur: quorum tamen inuen-
tionem alij Ardalo Trœzenio tribuunt.

THYMITVS Laomedontis filius, unà cùm Orpheo claruit,
diu peregrinatus, cùm ad Nyſam, ubi Bacchus nutritus fu-
erat, ueniſſet, ab incolis Dionyſij ſacra didicit, & poema
Phrygium conſcripſit.

SOLON philoſophus & poeta præſtantiſſimus, 46 Olymp.
ex Cypria Salamine oriundus: cui non minus tribuit Plato
& Ariſtoteles, quàm Homero & Heſiodo. Hic ſecundùm
quoſdam, auctor Homeri rhapſodiarum fuit. Elegias ſcri-
pſit & Iambos.

DROPIDAS frater Solonis, à quo maternum genus duxit
Plato: celebris quidem poeta, ſed cuius famam fratris glo-
ria obſcurauerit.

ANTIMACHVS poeta, extincta ſua coniuge, quam charam
habebat, Lyde, leuamen ſibi doloris, elegiam condidit, quæ
Lyde uocatur: enumerauitq; ad eleuandum miſeriis alienis
mœrorem ſuum ærumnas heroicas. Plutarchus in Oratio-
ne conſolatoria.

CHILO Damageti filius, Lacedæmonius, ſeptem Sapientum
unus: à quo breue dicendi genus Chilonium dictum. Cu-
ius ſententiæ ſunt, Γνῶθι σεαυτόν, & ἐγγύη πάρα δ᾽ ἄτη. Laudatur
Elegia eius ducentorum uerſuum.

PHILETAS Cous, filius Telephi, floruit primùm ſub Philip-
po, deinde ſecundi Ptolemæi magiſter fuit. Criticus gram-
maticus inſignis. Cum ψευδόμενον quendam λόγον ſoluere
non poſſet, præ mœrore contabuit. Secundas in Elegis me-
ruit. Exili adeò fuit corpore, ut plumbeis ſoleis uti cogere-
tur, ne ui uenti in ſublime raperetur. Battida puellã amauit.

TYRTÆVS, elegiacus poeta & tibicen, æqualis ſeptem Sapi-
entum. Scripſit Rempub. Lacedæmoniorum, & Præcepta
uitæ uerſibus elegiacis, & carminum bellicorum libros 5.
Vide Tit. Ethicorum poetarum.

LAMINTHIVS Mileſius elegiographus, Lyden quandam
in ſuo poemate celebrat.

EVENVS elegiographus, cuius uerſus citat Ariſtoteles de
conſuetudine, magiſter Philiſti illius, qui ſecundùm præce-
pta Rhetorica hiſtorias conſcripſit: item & Socratis (ut qui-
dam uolunt) in Poeticis.

MNIMERMVS, uel Mimnermus, à memoria & interpretatio
ne deducto nomine, tibicen Smyrnæus, Lyrgitiadæ Colo-
phonij filius, natus 38. Olymp. coæuus Soloni. Propter car-
minis ſuauitatem Ligyaſtades dictus. Summum bonum, in
dolentiam & tranquillitatem animi ſtatuit. In Elegis excel-
luit, & Nanno tibicinam adamauit.

POLYMNESTVS Colophonius & EVHEMERVS Meſſe-
nius, elegiographi. Euhemerus ἄθεος à Plutarcho dicitur,
quoniam res geſtas deorum, uitas & mortes deſcripſit: quẽ
ſecutus eſt Ennius, Cic. teſte. Caſſandro regi amicus fuit, cu
ius gratia compulſus fuit regias quaſdam ſententias confi-
cere, magnaſq; ideò peregrinationes per Oceanũ ſuſcepit.

EVPHORION Chalcidicus, Polymneti filius, claruit 126 O-
lymp. cùm Pyrrhus bellum Romanis inferret. Amatus à Ni-
cæa (cuius filius Alexander Eubœæ dominabatur) & diues
factus, in Syriam conceſſit: & apud Antiochum regem bi-
bliothecæ præfectus, Antiochiæ uel Apameæ moritur. Scri-
pſit Elegias, & Mopſopia ſiue ἄτακτα: item ex oraculis, mil-
le annorum libros quinque. Eum in Elegiis Corn. Gallus i-
mitatus eſſe uidetur.

ZENODOTVS Epheſius grammaticus & poeta, Philetæ di-
ſcipulus, paulò ante Philadelphi tempora, cuius tamen bi-
bliothecæ præfuit: & in ea docuit. Criticus magnus, Homeri
uerſus in ordinem redegit, & ſimul Ptolemæi filios inſtituit.

PARTHENIVS Chius (qui & Chaos dictus) Heraclidis F. ex
Homeri progenie, Elegiarum & diuerſorum carminum po-
eta, captus à Cinna Mithridatico bello, Romam ducitur, &
propter eruditionem liberatur: quo præceptore Virgilius
in Græcis uſus uidetur. Hunc Tiberius in carminibus dici-
tur imitatus, & fortaſſis etiam Ouidius in Metamorphoſi.
Virgilius etiam in quibuſdam. Extat eius Opus τῶν ἐρωτικῶν.
Eſt & alius hoc nomine Nicæus. Suidas.

CN. CORN. Gallus Foroliuienſis, primus Aegyptum in prõ-
uinciam redactam rexit. Tranſtulit ex Græco Euphorionẽ.
Amores de Cytheride Volumnij liberta compoſuit 4 libris,
quam Virg. Lycorida uocat. A Virg. tantùm amatus, ut in e-
ius gratiam mediũ quartum librum Georgicôn ſcripſerit.
Quam tamen poſtea in Ariſtæi fabulam commutauit, quan
do Gallus propter inſolentiam & tyrannidem accuſatus,
ferro ſponte incubuit, anno ætatis 43. Falsò eius nomine
circumferuntur hodie Elegiæ aliquot, quæ Maximiani cu-
iuſdam ſunt.

C. CORNIFICIVS Virgilij æmulus, à militibus deſtitutus
interiit, quos ille ſæpè fugientes, galeatos lepores appella-
bat. Cornificia ei ſoror fuit, cuius Epigrammata ſuo tem-
pore inſignia fuiſſe ſcribit Hieronymus.

ALBIVS Tibullus Eques Rom. natus eodem anno quo & O-
uidius, A. Hircio & L. Panſa Coſſ. eodem etiam die, ſcilicet
Quinquatriis Mineruæ, intra Calend. Apriles. Deliam ama-
uit, quæ proprio nomine Plania dicebatur: item Nemeſin,
Neæram, Sulpitiam. in Elegis princeps habetur. Scripſit &
hexametrum, ſed diſpare felicitate. Obiit adhuc iuuenis.

SEX. AVR. Propertius Vmber, ex Meuania uel Aſſiſio oppidò,
quod ipſemet Axim uel Aſſim uocat. In diuiſione agrorum
ueteranis militibus ſub Auguſto facta, ſuis agris ſpoliatus
eſt. Hoſtiam puellam (quam ficto nomine Cynthiam appel-
lat) amauit. Callimachum Cyrenæum & Philetam Coum
in Elegis imitatus eſt.

P. OVID. Naſo Sulmonenſis, ordinis equeſtris, cauſas in foro
agere à patre coactus: eo mortuo ad Muſas reuerſus eſt. In
exilium Tomos relegatus, quòd cum Iulia Auguſti filia ſtu
prum feciſſet (quam nomine ficto Corinnam uocauit) uel
quòd Auguſtum cum filia iacentem uidiſſet. Obiit in exilio
199 Olymp. Scripſit plurima in omni genere carminum,
ſumma facilitate, nimiumque luxuriante copia: nec defuit
ei iudicium ad compeſcendam carminum ſuorum licen-
tiam, ſed animus.

BOETHVS Tarſenſis, M. Antonio de habita apud Philippos
uictoria gratulatus carmine, patriam tam diu rexit, donec
Athenodorus Sandonis, qui à uico Cananita cognomina-
tus fuit, Cæſaris præceptor, ſenex in patriam rediit, & beni-
gnitate Cæſaris priorem Reip. Tarſenſis ſtatum correxit, a-
ctis in exilium malis ciuibus. Extemporè uerſus fundebat,
quamuis non uſque adeò bonos.

SABINVS Epiſtolis Ouidianis reſcripſit. Scripſit & Trœze-
nia. Triſenen puellam amauit. Faſtos imperfectos reliquit.

ARVNTIVS Stella Patauinus elegiographus, amicus Statij
ſummus, qui eius cum Violantilla (quam Hyanthida uocat
Martialis) nuptias celebrauit. Scripſit Epigrammata, & ui-
ctoriam Domitiani contra Sarmatas.

VOCONIVS Victor, Romanus eques, mirè elegans & eru-
ditus, ut Muſæ eius ore uerſus pangere uiderentur. Adria-
no Cæſari ita charus, ut etiam eius tumulum uerſibus exor
narit: Laſciuus uerſu, mente pudicus eras. Iuuenis Theſty-
lum puerum amauit.

## IAMBOGRAPHI.

*Conſule Tit. Melopœorum & Satyricorum. Idem namq;
poema diuerſimodè conſideratum ad diuerſos Titulos
pertinere poteſt.*

SCYTHINVS Teius Iãbos doctiſſimè ſcripſit, & alia quædã.

# POETÆ CONSIDERATI RESPECTV EFFICIENTIS CAVSAE.

*Tritum eſt illud, Naſcitur poeta, Fit orator. Nempe quòd Naturæ maior quàm Artis in poeſi habeatur ratio. Na-
turam autem intelligimus tum placidam, tum furioſam, quam ἐνθουσιασμόν & Furorem poeticum uocant: de quo uide
Platonis Ionem. Huic famulantur ea, quæ ſpiritus poeticos excitare & exercere poſſunt, Venus atque Bacchus.
Artem uerò ipſam Inſtitutionem, ab homine homini communicatam. Vide Exercitia
αὐτοσχεδιαστικά, & Certamina poetica.*

**NATVRALES POETAE.**

Ariſtoteles in Problematis meminit de MARACO quopiam Syracuſano, qui tum meliora fecerit poemata, cùm mente eſſet alienatus. Eodem ſpectat illud Horatianum,

Adde poemata nunc, hoc eſt, oleum adde camino.

Eraſmus in Adagiis.

IVLIS, quæ exigua pars inſulę non amplæ eſt Ceæ, & AEGINA, quam Athenienſis quidam iuſſit ut lemam detraheret Piræeo, hiſtriones bonos & poetas alit. Plut. in Demoſth.

**ARTIFICIALES POETAE.**

*Ex Poetarum loco delectus habeatur.*

## POETÆ ACCIDENTALITER CONSIDERATI, RESPECTV SCILICET

**SEXVS. SIVE SINT**

**VIRI.**

*Ex Poetarum Titulis huc pleraq;.*

**MVLIERES. POETRIÆ.**

MARIA Moſis ſoror à lepra liberata, diuino ſpiritu afflata hymnum Deo cecinit.

PHEMENOE Apollinis filia, 25 annis ante Linum floruit, prima apud Græcos carmen hexametrum inuenit, & Acriſio oracula cecinit. Vnde cùm Plin. inquit, Carmen heroicum nos Delphico oraculo debere, quidam de Phemenoe intelligi uolunt, quę Acriſio, hoc carmine uaticinata ſit Delphis. De Herophile Delphica, de Cumana, de Sabba Palæſtina, uide Pauſan. in Phocicis.

SIBYLLAS decem fuiſſe, uulgò aſſerunt. Sed longè plures fuerunt. Omnes enim mulieres, quæ diuino afflatæ numine futura prædicerent, Aeolica lingua Sibyllas dictas uolunt, ὡς σιὸς (id eſt, Dei) βυλὰς. Prima fuit SAMBETHE, ſiue Sabbe, Perſica, Hebræa & Chaldæa (perperàm Chalcidica) dicta, Beroſi filia: tempore Noachi uixit, uni filiorum eius nupta, arcam ingreſſa: de turri Babylonica, de Alexandro, de Chriſto clariſſimè uaticinata eſt. Secunda, Libyca. Tertia, Delphica, ARTEMIS, ante Troiana tempora, Troiæ excidium prædixit: ex cuius uerſibus Homerus multa dicitur mutuatus. Quarta, Cimmeria ex Italia, quæ à Lactãtio perperàm Cumæa dicitur. Quinta, Erythręa, (quã HEROPHILEM uocat Suidas) ex regione Erythris, q̃ olim Batti dicebatur, filia Lamiæ, uel Theodori, uel Ariſtocratis & Hidoles, quam Phœbus amauit, & tot annos uiuere dedit, quot arenæ granula pugillo contineret. Huius eſſe Sibyllinos libros Romanorum, quidam arbitrantur: ſed malè. Alij Siculam uocant, alij Sardam, alij Rhodiam, alij Libyſſam, alij Samiam. Apollodorus & Suidas, tempore belli Troiani uixiſſe, & Troiæ excidium prædixiſſe aiunt: Homeri quoq; nugas, & Aeneæ errores, donec menſas ambederent. Cyrillus eam 9. Olymp. floruiſſe ait, Auguſtinus ſub Romulo. In lucem primùm edita, loqui cœpit de rebus grauiſſimis. Sexta, Samia, PHYTO, aliis Phemenoe, Olymp. 17. Septima, Cumæa ſeu Cumana, AMALTHÆA ſeu Herophile, Iouis & Lamiæ Neptuni filia: quæ prima inter mulieres oracula cecinisse dicitur. In Troadę deceſſit, in templo Smynthij Apollinis ſepulta. Hanc Vergilius Deiphoben Glauci filiam facit: & ſcriptorũ pleriq; Tarquinio Priſco libros Sibyllinos ab hac oblatos eſſe dictitant. De qua re ſub tit. Precium iuſtum exigero, ſub loco Liberalitatis. Extat adhuc eius crypta Cumis, in qua expugnanda Narſes plurimùm laborauit, cùm Gothi Cumas tenerẽt. Octaua, HELLESPONTIA: & à pago Marpeſo, Marpeſia: floruit tẽpore Cyri & Solonis: cuius imaginem Gergithij ciues unà cum Sphinge in ſuis exprimebant monetis. Decima, Tyburtina, ALBVNEA, quæ Tyburi ut dea colebatur. Aliis Leucothea dicitur. Quam ſtupidi quidam Auguſto Cæſari Virginis filium è cœlo oſtendiſſe aiũt: quo loco in Capitolio Cœli ara adhuc eſt erecta. Multæ aliæ hoc nomine circumferuntur, ut Manto: Daphne Tireſiæ filia, quæ captis Thebis Delphos miſſa eſt: Caſſandra Troiana, Xenoclea, Heliſſa, Lampuſa.

SAPPHO Mitylenæa, Scamandronymi ex Cleide uxore filia, nupſit Cercolæ ex Andro inſula, uiro ditiſſimo, ex quo Cleida filiam ſuſcepit. Quo mortuo, uariis & impudicis amoribus diffamata eſt, adeò ut uulgò Tribas uocaretur. Huius tres diſcipulas facit Suidas, Anagoram Mileſiam, Gongylam Colophoniam, & Eunecam Salaminiam. Totidem ab ea puellas amatas, Atthida, Teleſillam & Megaram: addunt alij Pyrino, Mnaida, Anactorien, Cydno, Cyrenen, Amythonen: tandem & Phaonem Lesbium adoleſcentem. Quamuis Suidas alteri Sappho Lesbiæ quidem, ſed non Mitylenææ, uerùm Ereſſiæ, hoc tribuat: quæ ſe deſiderio Phaonis abſentis in Sicilia, ex Leucade in mare præcipitem dederit. Quidam ab ea plectrum excogitatum ſcribunt. Scripſit nouem libros Lyricorum, Epigrammata, Iambos, Elegias, Monodias, Epithalamium, & alia quædam. Aeolico charactere uſa eſt. Ab hac Sapphicum carmen deductum, item Aeolicum & Anapæſticum. Harmoniam præterea Mixolydij reperit. Gratiam in carmine maximam habuit ex anadiploſi. Alcæo coæua, ſed Anacreonte ſenior, tempore Alyattis patris Crœſi Olymp. 60. Ei ſimilem nullam fuiſſe, Strabo aſſerit, unquam. Gyraldus ex Suida.

CORINNA Thebana, uel Tanagræa, Achelodori & Procratiæ filia, Pindarum quinquies uicit: tum quia Corinna Aeolicè ſcripſerat, Pindarus Doricè: tum quia pulcritudine ſua iudicum animos facilè flexerat. Eam ob rem Tanagræi eius imaginem in gymnaſio, loco illuſtri poſuerunt, caputq; tænia reuinctum, teſte Pauſania in Bœot. Myrtidis diſcipula fuit: & eſt Myia, id eſt Muſca, ab aliquibus dicta. Fuit enim Myia Theſpiaca mulier, quæ lyricos uerſus ad lyram aptiſſimè concinebat: item & altera Spartana, quæ hymnos in Apollinem & Dianam conſcripſit. Scripſit Nomos lyricos, & Epigrammata. Ab hac amicam ſuam falsò Corinnam nominaſſe Ouidium, quidam aſſerunt. Fuerunt duæ aliæ Corinnæ lyricæ, Theſpia, ſeu Corinthia, quæ & ipſa lyricos nomos ſcripſit: altera Thebana, & ipſa Muſca cognominata. Gyrald. Dial. 9. Hiſt. poet. ex Suida.

THEANO Locrenſis poetria, hymnos, cantica lyrica & mele ſcripſit. Fuit alia uxor Pythagoræ, poetria itidem. Fuit tertia Thuria, uel Metapontina, Lycophronis filia, Pythagorica, Chariſti uel Crotonis Brontini poetæ uxor, teſte Suida. Idẽ.

CHARIXENA, carminum, quæ Crumata dicuntur, poetria. Suidas tamen fatuam ac ſtultam meretricem fuiſſe ait.

MOERO puella, hymnum elegantiſſimum in Neptunum cecinit. Ibidem.

THARAXANDRA, Theſprotis, Phaennis, Nicoſtrata Euandri mater, à carminibus Carmenta, priùs Themis appellata, & ſimiles aliæ, mulieres & doctrina & uetuſtate celebres.

BOCO mulier Delphorum indigena, oracula & hymnum apud eos compoſuit. Hæc ex uigeſimo dialogo Hiſtor. poeticæ Gyraldi.

CLEOBVLE Lyndia ex Rhodo, filia Cleobuli unius ex ſeptẽ Sapientibus, aliàs EVMITE & Cleobulina dicta, eodem ſcribendi genere patrem ſecuta, Griphos & Aenigmata ſcripſit, quale eſt illud quod circumfertur:

Eſt unus genitor, cui uni ſunt pignora bis ſex:
His quoq; triginta natæ, ſed diſpare forma.
Hæ niueæ aſpectu, nigris ſunt uultibus illæ:
Sunt immortales omnes, moriuntur & omnes. Suidas.

PRAXILLA Sicyonia, 82 Olymp. floruit, quam Antipater Theſſalus primam inter nouem Lyricas enumerat. Scripſit & Dithyrambos, metrumq; Praxillium ab hac dictum. Hæc in metro inducit Adonidem apud inferos interrogatum, quid formoſiſſimum apud ſuperos reliquiſſet? reſpondiſſe, Solem, Lunam, ficus, mala, & cucumeres. Ex quo prouerbium in ſtupidos, ἠλιθιώτερος πραξίλλης ἀδώνιδος. Admirabilis fuit in conuiuialibus carminibus, Scoliis dictis. Athen. libro 15. capite 21.

NOSSIS poetria, cuius epigrammata Græca leguntur: eam Antipater quoq; inter Lyricas connumerat.

MYRO Byzantia Elegias & Mele ſcripſit. Mater Homeri, unius ex Pleiadibus, dicitur fuiſſe. Vxor Andromachi philologi illuſtris. Eius ſtatuam fecit Cephiſiodotus, teſte Taciano.

ERINNA Lesbia, & Sapphus concubina (ſecundùm Tacianũ) uel Teia, uel Rhodia, uel Telia (ab inſula Telo, quæ Cnido propinqua eſt) uel Tenia, à ciuitate Laconiæ Teno. Quidam eam adhuc uirginem 19 ætatis anno obiiſſe ſcribunt. Notum eſt Epigramma in eam, σαπφῶ δ᾽ ἠρίννης ὅσσον μελέεσσιν ἀμείνων, ἠρίννα σαπφοῦς τόσσον ἐν ἑξαμέτροις. Scripſit Dorica & Aeolica lingua ἠλακάτην poema trecentis uerſibus, & alia Epigrammata. Verſus eius ad Homericam maieſtatem acceſſiſſe feruntur. Suidas.

ANYTE Epigramma in Themiſtoclem, & uerſus quoſdam in aues, qui adhuc hodie leguntur, compoſuit. Vide Titul. Cæci curati.

MYRTIS Anthedonia, Ochnæ puellæ necem (quæ Eunoſti herois mortis cauſa fuerat) deſcripſit.

TELESILLA Argiua, ſiue Theſſelis, Praxillæ coæua, cùm Lacedæmonij Argos expugnaſſent, ipſa aſſumtis mulieribus, Laconas armis repulit, patriamque tutata eſt. Eius rei cauſa ſtatua ei Argis poſita eſt, ante templum Martis muliebris: ad cuius pedes libri erant ſparſi, galeam uerò manibus tenebat, tanquam eam capiti impoſitura eſſet. Scripſit Odas & Epigram. Suidas.

Antipatri in primo Græcorum Epigram. tale eſt epigramma de MVLIERIBVS doctis:

Τάσδε θεογλώσσους ἑλικὼν ἔθρεψε γυναῖκας
ὕμνοις, καὶ μακεδὼν πιερίας σκόπελος.

Πρηξίλ-



Πρήξιλλαν, Μυρώ, Ἀνύτης στόμα, θῆλυν ὅμηρον
λεσβιάδων Σαπφὼ κόσμον ἐϋπλοκάμων.
Ἤρινναν, Τελέσιλλαν ἀγακλέα, καὶ σὲ Κόριννα,
θοῦριν ἀθηναίης ἀσπίδα μελψαμέναν.
Νοσσίδα θηλύγλωσσον, ἰδὲ γλυκυαχέα Μύρτιν,
πάσας ἀεννάων ἐργάτιδας σελίδων.
ἐννέα μὲν μούσας μέγας οὐρανός, ἐννέα δ᾽ αὐτὰς
γαῖα τέκε θνατοῖς ἄφθιτον εὐφροσύναν.

ASPASIA Mileſia à Pericle amata, & à Socrate, ſophiſtria fuit, nec minùs poetria. Athenæus quoſdam eius uerſus recitat. Gyraldus in Hiſt. poet.

CLITAGORA Lacedæmonia, cuius Ariſtophanes meminit, Alexandrina HESTIÆA, de qua Strabo multa, de Homerica Iliade ſcripſit. Idem.

HEDYLE, Hedylogi Samij mater, qui poeta dicitur fuiſſe ab Athenæo libro 4. Filia fuit Moſchinæ Atticæ Iamborum poetriæ. Scripſit poema Scyllam inſcriptum, de amoribus Glauci. Idem.

MEGALOSTRATE poetria amata ab Alcmane poeta.

DAMOPHILA, Pamphili uxor, Sapphûs amica & imitatrix: cuius hymni in Dianæ Pergeæ ſacris concinebantur, Aeolico Pamphylicoq; ritu. Scripſit & amatorios libros. Idem.

ELEPHANTIS & Elephantine, laſciuiſſima femina, quæ tanquam Spinthria, uaria concubituum genera deſcripſit. Ex cuius libellis Lalage Priapo dat donum in Priapeis poematiis: & Tiberius Cæſar cubiculum expoſitis figuris inſtruxerat, ne cui libidinis exemplar deeſſet. Gyraldus in Poetarum hiſtoria.

PHILÆNIS meretrix Leucadia, uita & carmine impuriſſima, Elephantim imitata eſt. Vtraque tamen, ſi Suidæ credimus, ASTYANASSAM Helenæ Menelai ancillam imitata eſt, quæ prima fertur κατακλίσεις in Venere inueniſſe, & de concubituum figuris libros reliquiſſe. Idem.

CORNIFICIA uirgo Romana, imperante Auguſto, in omni poeticæ genere Cornificio fratri poetæ inſigni, par habita. Fulgoſus lib. 8. cap. 3.

ARGENTARIA Polla Lucani coniunx, quæ marito mortuo Pharſaliæ opus emendauit, etiàm adiutaſſe in ſcribendo uirum dicitur: inſignis genere, opibus, forma, ingenio, pudicitia. De qua ſic Calliope apud Statium Lucano loquitur:

Nec ſolum dabo carminum nitorem,
Sed tædis genialibus dicabo
Doctam, atq; ingenio tuo decoram,
Qualem blanda Venus daretq; Iuno,
Forma, ſimplicitate, comitate,
Cenſu, ſanguine, gratia, decore.

Lud. Viues de Chriſtiana femina lib. 1. & Fulg. lib. 8. cap. 3.

Idem de CALPHVRNIA coniuge Plinius Secundus ſcripſit. Fulg. lib. 8. cap. 3.

THEOPHILAM, cuius Cecropia pectora uoce madent, ſuis celebrat uerſibus Martialis, quam

Carmina fingentem Sappho laudarit amatrix.
Caſtior hæc, & non doctior illa fuit.

SVLPITIA Domitiani tempore uirum habuit Galenum, cũ quo 15 annos coniunctiſſimè uixit. Epigrammata ſcripſit, & ſua tempora defleuit. Commendat eius ſcripta Martialis libro 10. Epigram. illuſtri præconio:

Omnes Sulpitiam legant puellæ,
Vni quæ cupiunt uiro placere.
Omnes Sulpitiam legant mariti,
Vni qui cupiunt placere nuptæ.
Non hæc Colchidos aſſerit furorem,
Diri prandia nec refert Thyeſtæ,
Scyllam, Byblida nec fuiſſe credit:
Sed caſtos docet & pios amores,
Luſus, delicias, facetiaſque:
Cuius carmina qui bene æſtimarit,
Nullam dixerit eſſe ſanctiorem.
Tales Egeriæ iocos fuiſſe
Vdo crediderim Numæ ſub antro.
Hac condiſcipula uel hac magiſtra
Eſſes doctior, & pudica Sappho:
Sed tecum pariter, ſimulq; uiſam
Durus Sulpitiam Phaon amaret.
Fruſtra namq; ea nec Tonantis uxor,
Nec Bacchi, nec Apollinis puella
Erepto ſibi uiueret Caleno.

EVDOCIA Theodoſij iunioris Imp. uxor, carminum ſtudioſiſſima (unde φιλοεπὴς dicta) Leontij ſophiſtæ Athenienſis filia, Athenais appellata: poſtea cùm Imperator nuptias illius expeteret, eam baptizari curauit ab Attico magno epiſcopo Conſtantinopolitano, & pro Athenai Eudociam nominari, quòd ſcilicet regi optimè placuiſſet. Quidam huic Cẽtonem de Chriſto domino adſcribũt, ὁμηρόκεντρα dictũ, quẽ alij Probæ tribuunt. Cyrum Panopolitam poetam ad præfecturam prætorij extulit. Gyraldus in hiſt. Poetica.

PROBA VAL. Falconia, Romana matrona, Adelphi Romani uiri proconſularis uxor, ſub Honorio ac Theodoſio iuniore, Centonem Vergilianum de Chriſti uita compoſuit, & Eudociæ Theodoſij coniugi tranſmiſit. Idem quoq; in Homeri uerſibus feciſſe dicitur, ὁμηρόκεντρα appellant: quamuis alij hæc Eudociæ tribuant. Idem.

HELPIS uxor Boetij Seuerini, Rom. patricij, Sicula natione, literarum ſtudio & inprimis poeticæ celebris. Extant eius hymni in Apoſtolos, non uulgari dicendi ſtylo,

Aurea luce: &, Felix per omnes.

Quos eius eſſe, omnes conſtanter aſſerunt. Gyraldus Dialogo 5. hiſt. Poet.

ROSOITA uel Roſuida, monialis Germana apud Saxones, Othone primo & ſecundo imperantibus, ſcripſit Panegyricum de Othonum geſtis: Comœdias ſex: laudes Virginis matris elego uerſu: D. Dionyſij uitam, & alia.

**CHARACTERIS. POETAE.**

**GRÆCI, LATINI.**

*Horum ex præcedentibus pleraq; exempla.*

**ITALI.**

DANTES Aligerius Florentinus, Hetruſca lingua Lucretius alter: uir doctiſſimus, & in Theologia ſcholaſtica uerſatiſſimus, ſcripſit de Purgatorio, de Inferno, de Paradiſo.

FRANC. Petrarcha Florentinus, in Latina lingua ætatis ſuæ iniuria non magnus, at in uernacula maximus, rhythmis lyricas cantiones & epigrammata amatoria in Lauram ſuam ſcripſit, adeò propitiis Muſis, ut cùm reliqua eius opera (& illud potiſſimùm, in quod omnes ingenij ſui neruos intenderat, de Remedio utriuſq; fortunæ) apud Italos penè ignorentur, aut ſaltem pro deſpectis habeantur, hæc omnium manibus terantur, omnium linguis decantentur: & pro Barbaro habeatur, qui Petrarchæ minùs ſtudioſus fuerit.

**HISPANI.**

IOANNES de Mena, Hiſpanorum poetarum celeberrimus, claruit ſub Ioanne ſecundo, rege Caſtellæ. Scripſit metro Hiſpano opus uarium, omniq; eruditionis genere refertum, poſteritatiq; adeò admirandum, ut non iniuria inter tot poetas Caſtellani uatis cognomentum meruerit, quod & elegantiſſima eius carmina luce clarius indicant. Tarapha de regibus Hiſpaniæ.

**GALLI.**

[redacted]

**GERMANI.**

IOANNES Saxo, ſutor Norimbergenſis, lingua uernacula rhythmos edidit tribus Voluminibus magnis comprehenſos, pari facilitate & perſpicuitate: ut, magno etiam cum ſtomacho & pudore literatorum inertium, admiratione dignum uideatur, hominem idiotam, & quidem uictus cauſa ſutrinæ addictum, tãtum otij in perlegendis hiſtoriis ueterum, quas paſſim ſuis poematiis atque dramatis inſeruit, habere potuiſſe, quantum ſibi ſola inuentio & elocutio poetica depoſcebant: neq; minus laudabile, naturæ bonitate ad extremam uſq; ſenectam in hocce ſtudio perſtitiſſe.

**POLONI.**

Zamolxis Pythagoræ ſeruus Medicinam Thracibus atq; Getis, Anacharſis philoſophiam Scythis, ſed uterq; in Græcia peregrinatus, communicauit. At IOAN. Cochanouius ipſum Parnaſſum cum Muſis in mediam Sarmatiam tanta cũ felicitate & dexteritate traduxit, omni genere metri Dauidicos hymnos ſermone patrio pſecutus, ut nõ magis uario uel in Italica, uel in Gallica lingua decantari potuerint.

**MORVM. POETAE**

*Libidinoſi.*

*Conſule locum Intemperantiæ Venereæ.*

*Auari.*

SIMONIDEM tradunt primùm aſtutiam & quæſtum in artem induxiſſe. Erant illi duo ſcrinia, alterum Gratiarum, alterum Præmiorum: quæ cùm poſt tempus aliquantum aperuiſſet, Gratiarum arculam ſemper offendebat inanem, præmiorum ſemper plenam. Hoc commento ſignificans, ſe nolle gratis donare carmina. Meminit huius rei Plutarchus in



libello,

libello, περὶ τῆς πολυπραγμοσύνης. Vnde Ariſtophanes apud Suidam, ἄδειν σιμωνίδου μέλη. i. Cane, Simonidis carmina. Hinc prouerbium, Simonidis cantilenæ, de uaſris ac ſubdolis dictum eſt.

Refert Ariſtoteles lib. Rhet. 3. In certamine mulorum, quum is, qui uicerat, dixiſſet exile precium pro carmine, SIMONIDES recuſauit, indignans mulos celebrare ſuo poemate: uerùm ubi uictor dediſſet ſatis magnum præmium, carmen tale fecit:

Χαίρετ' ἀελλοπόδων θυγατέρες ἵππων. id eſt,
Saluetote uolucripedum ſoboles equorum.

Siluit enim, quòd eſſent ex aſinis quoq; nati, &, quod honeſtius erat, expreſſit, equorū filias appellans. Eraſm. in Adag. *Iocoſi*.

Ferunt TELLENEM quendam iocos quoſdam uerſibus lepidiſſimis deſcripſiſſe, non ſine multo ſale ſcommatum. Meminit huius Diarchus Meſſenius apud Zenodotum, item Plutarchus in Apophthegmatis. Inde prouerbium, Cane Tellenis cantilenas. Eraſmus in Adagiis.

Memorant quempiam ad ARCHESTRATVM poetam feſtiuum, qui in mendicitate tamen & obſcuritate conſenuit, dixiſſe: Tu uerò ſi Alexandro contemporaneus fuiſſes, in ſingulos uerſus Cyprum tibi uel Phœniciam donaſſet. Plut. orat. 2. de Alex. fortuna.

## POETÆ INDOCTI, INEPTI. VITIA POETICA.

*Conſule Tit. Imitationis theoricæ curioſæ & ineptæ.*

TYNNICHVS Chalcidenſis poeta ineptus Pæanem tamen in Apollinem ſcripſit, omnium carminum reuera pulcerrimum, quem ipſe uocauit Muſarum inuentum, quaſi illarum afflatu, non arte propria illum ſcripſerit. Quo ipſo putat Socrates apud Platonem in Ione deū oſtēdere uoluiſſe, præclara poemata non eſſe ex hominibus, ſed ex diis nata.

Apud Ariſtophanem in Ranis, Bacchus inducitur deſcendens ad inferos, ut Euripidem, aut bonum aliquem poetam inueniret. Apud SVPEROS enim neminem reperiri niſi malum. Eraſmus in Adagiis.

Μουσῶν ὄρνιθας. i. Muſarum aues, Theocritus in Thalyſia appellat POETAS, quòd luſciniarū in morem aſſiduè canant ſua poemata. Scholiaſtes admonet, omnes aues canoras Muſarum aues appellari. Sentit autem ſibi diſplicere poetas, qui cuculorū more audent Homero occinere. Eraſm. in Adag.

CHOERILVS ineptus poeta, circa Olymp. 113. caſtra ſecutus eſt Alexandri Magni, eiusq; geſta perſcripſit adeò ineptè, ut Alexander dixerit, malle ſe Homeri Therſiten eſſe, quàm Chœrili Achillem. Cum eo præterea pepigit, ut pro ſingulis bonis carminibus ſingulos aureos, pro malis colaphos acciperet. Verùm opere iam perfecto cùm recitaret, tot mala inuenta eſſe dicuntur, ut alaparum multitudine enectus ſit. Gyraldus Dialogo 3. Hunc Ariſtoteles in Topicis Homero opponit, quando exemplis Homericis, non Chœrileis utendum eſſe præcipit.

HELYMON malus & ineptus poeta, ab Alexandro Magno [redacted] Apollonij appellatur. Gyrald. Dial. 3. Hiſt. poet.

Demonax ADMETO poetæ inſulſo, iacta[redacted] epigrāmma monoſtichon, quod teſtamento mandaſſet ſuæ addendum ſtatuæ (carmen erat,

Corpus humo tegitur, Admetus ad aſtra uolauit)

reſpondit, adeò ſibi placere carmen, ut magno emtum cuperet, ſi iam nunc eſſet aſſcriptum. Tectè optans illi mortē, qui uita erat indignus. Eraſ. lib. 8. Apoph.

AGIS Argiuus, poeta peſſimus poſt Chœrilum, cum Alexandro uarias regiones perluſtrauit, eique aſſentatus eſt. Item CLEON Athenienſis, demagogus ſcurrilis & audax. Plutarchus in Nicia.

PERIANDER quidam (non ille Corinthius) medicus egregius, poetam tamen ſe uideri uolebat. Poemata ergo illepida quædam paſſim recitabat. Vnde Archidamus Ageſilai filius illi dicere ſolebat: Quî fit, ô Periander, ὅτι ἀντὶ χαρίεντος ἰατροῦ κακὸς ποιητὴς καλεῖσθαι ἐπιθυμεῖς; Gyrald. in 3. Dial. hiſtor. Poet. ex Plut. Laconicis.

ARISTYLVS, ridiculus, turpis & infamis poeta, quem Ariſtophanes in Pluto perſtringit.

ARISTARCHVS Tegeates tragicus, Olymp. 82 uixit, docuit fabulas 70, atque in iis bis tantùm uicit, ſuo potius quàm auditorum uitio. Vixit annos ſupra centum.

THEOGNIDEM tragœdiarum ſcriptorem, frigidiſſimum fuiſſe, teſtatur Suidas.

CARCINVS Athenienſis tragicus, 160 fabulas docuit, in una ſola uicit. Floruit 100 Olymp. ſub Philippi Macedonis tempore. Ab Ariſtophane in fabula quæ εἰρήνη inſcribitur, grauiſſimè reprehenditur, cum ſuis filiis. Ab hoc prouerbium manauit, Carcini poemata, pro obſcuris & ænigmaticis ſcriptis. Induxit enim ille Oreſtem, obſcuris uerborum inuolucris parricidium fatentem. Cùm Stratonicum quendam parum ſcitè canentem audiret, & cuius id carmen interrogans, Carcini eſſe, reſponſum fuiſſet: Καρκίνου μᾶλλον, ἢ ἀνθρώπου: Multò quidem magis cācri, q̄ hominis, reſpondit.

DIONYSIVS Siciliæ tyrannus, Olympiorum tempore inſtāte, miſit pro certamine habendo quadrigas ut multas, ita celeritate aliis omnibus præſtantes, miſit quoq; pro panegyricis ludis, ſcenas auro artificioq; precioſas. Acceſſiuit deniq; cantores, quos mitteret, præſtantiſſimos, qui poemata eius in panegyri accinentes, magnam ei laudem & gloriam pararent. Erat enim poeticæ ualde ſtudioſus. Hiſce omnibus tanquam procuratorem præfecit fratrem ſuum Theariden. Qui, quum in panegyrin ueniſſet, in magna eſt habitus exiſtimatione, tam propter ſcenarum pulcritudinē, quàm quadrigarum multitudinem. Poſtquàm autem cantores recitare Dionyſij poemata cœpiſſent, primùm quidē propter uocis ſuauitatem ingens hominum multitudo concurrit, qui omnes admirabantur. Poſtea uerò, quum poematum uitia animaduertiſſent, non minus deridere Dionyſiū cœperunt, & adeò contemnere, ut quidam eorum etiam ſcenas diſrumpere auſi fuerint. Lyſias rhetor, qui in Olympiis tum erat, multitudinem hortabatur, ne ſacris ludis admitterent ab extremæ impietatis tyranno miſſa ſpectacula, cùm q̄dē panegyricā à ſe ſcriptam orationē populo recitauit. Finito autem Olympico certamine, accidit fortè fortuna, ut Dionyſij quadrigę partim à curſu exciderent, partim in ſe inuicem impulſæ, contererentur. Parum etiam abfuit quin nauis quoque, qua redeuntes à certamine in Siciliam ſpectatores uehebantur, procul ab Italia ui uentorum depulſa, Tarentum compelleretur. Vnde nautas fertur, ſaluos Syracuſas reuerſos, paſſim per urbem rumorem ſparſiſſe, non ſolùm hiſtriones, ſed & ipſas quadrigas unà cum naui propter carminum uitia eiectas eſſe. At Dionyſius audita poematis ſui irriſione, non quidem à poetica animum abiecit: aſſentatorū oratione cōfirmatus: omnibus nāq; rebus præclaris uſuuenire, ut etſi diu inuidi eas calūniati ſint, poſtremò tamen ijipſi admirari eas & deprædicare cogantur. Ob lætitiam de tragœdiæ uictoria periit, cùm oraculo futurum accepiſſet, Pereūdum ſibi, poſtquam meliores uiciſſet. Diod. lib. 14. & 15. Plin. Gyraldus Dialogo 7.

MELITVS Larij filius Athenienſis, tragicus ὑπόψυχρος dictus, qui cum Lycone & Anyto Socratem accuſauit. Superbus & improbus homo. Eum irridet Ariſtophanes. Poſt mortem Socratis, Athenienſes pœnitentia ducti Melitum lapidibus obruerunt. Pro Samiis quoque dux fuit contra Sophoclem poetam, Athenienſium imperatorem, Olympiade 84.

LYCVS & AMEPSIAS inepti comici, in quos Ariſtophanes eſt inuectus. Amepſias in Socratem ſcripſit, palliatumq; in fabula induxit. Laertius & Suidas.

MNASEÆ Colophonio poetæ, Salpæ cognomen populari ioco fuit inditum, eo quòd in carmine uarius eſſet. nam is piſcis mirè picturatus eſt, aureis rubentibusque lineis à ceruice ad caudam uſque per argentea latera certis interuallis deductis, quum alioqui ſit illaudatî ſaporis. Eraſmus in Chiliadibus.

THEOGNIS Tragicus, à carminum frigiditate Chion dictus eſt, à niue ſcilicet. Gyraldus.

BATTVS Lyricus, dum ſimulacra & ſtatuas uerſibus ac hymnis celebraret, menſum excedebat legitimum, eandemque ſæpicule cantilenam recinebat. Quod iterationis uitium & nimietatis, inde etiam Battologia nuncupatur. Quo & OVIDIVM laboraſſe, Seneca ſcribit. Propterea Montanum declamatorem, ſententias ſuas repetendo corrumpentem, dum non eſt contentus unam rem ſemel benedicere, Scaurus inter oratores, Ouidium uocare ſolebat: qui & ipſe neſciat, quod bene ceſſit, relinquere. Quum Polyxena eſſet adducta tumulo Achillis immolāda, Hecuba dixit, - Cinis ipſe ſepulti - In genus hoc pugnat. Poterat eſſe contentus a: dicit, - Tumulo quoq; ſenſimus hoſtem. Neq; hoc contentus, addidit, Aeacidæ fœcunda fui. Aiebat Scaurus, Non minus magnam



magnam uirtutem eſſe, ſcire deſinere, quàm ſcire dicere. Cælius lib. 13. cap. 1. A. L.

PHILONIDES Athenienſis, filius Meletei, primùm fullo, deinde comicus priſcus. Quem Ariſtophanes propter inſcitiā carpit: item quòd paraſitos aleret, & Laidis meretricis amore, Corinthi uerſaretur. Hinc prouerbium, ἀπαιδευτότερος φιλωνίδου τοῦ μελετέως. Gyraldus Dialogo 6. hiſt. Poet.

ANTIMACHVS Colophonius, Hipparchi F. grammaticus & poeta, Platone aliquantò ſenior: cùm conuocatis auditoribus, Thebaida ſuam (in qua, antequā ſeptem duces ad Thebas perduceret, 24 libros cōſumſerat) recitaret, & eum omnes præter Platonem reliquiſſent, dixit: Plato inſtar omnium. Huic ſecundas in Heroico dedit Quintilianus. At certè ob Macrologiam inter ineptos connumerari meretur.

CINESIAS Athenienſis, uel Thebanus, dithyrambopœus, pyrrhichiam ſaltationem compoſuit planè ineptam, ut in prouerbium abiiſſe uideatur, ἡ κάμηλος πυῤῥίχην ἔμαθε κινησίου, Vel camelus Cineſiæ pyrrhichiam edidicit. Gyrald. Dialog. 9. hiſt. Poet. De eo ſic Plut. de gloria Athenienſium: In poeſi uel modis condendis non habuit Athenienſium urbs artificem celebrem. Nam Cineſias odioſus fuiſſe uidetur dithyramborum poeta, atq; ipſe infœcundus & inglorius extitit. Deriſui autem & ludibrio habitus à comicis, infelix ad gloriam fuit.

In EVTYCHIDEM poetam Lucullus in 2. Epigr. ſic ludit:

Τέθνηκ' εὐτυχίδης ὁ μελογράφος· οἱ κατὰ γαῖαν
φεύγετ', ἔχων ᾠδὰς ἔρχεται εὐτυχίδης,
καὶ κιθάρας αὐτῷ διετάξατο συγκατακαῦσαι
ὀκτωκαίδεκα, καὶ κίστας εἰκοσιπέντε νόμων.
νῦν ὑμῖν ὁ Χάρων ἐπελήλυθε. ποῦ τίς ἀπέλθῃ
λοιπὸν, ἐπεὶ καὶ γῆν εὐτυχίδης κατέχει;

POETA quidam de plebe, L. Syllę, proſcriptorum bona uendenti, rude obtulit epigramma, alternis tantùm uerſibus lōgiuſculis. Ei ſtatim Sylla partem bonorum, quæ uendebantur, largitus eſt: ea tamen conditione, ne quid in poſterum ſcriberet. Cic. pro Archia.

BOETHVS quidam Tarſenſis, inepto carmine in M. Antonij uictoriam Philippicam conſcripto, gymnaſio præficitur. Strabo libro 14.

CORDVBENSES poetæ mali, craſſum, pingue & peregrinum quid ſonantes, à Cic. pro Archia introducuntur: quorum ſcripta tamen L. Lucullus ſpe gloriæ immortalis legere & audire non recuſauit.

SEXTILIVS Hena Cordubenſis, ingenioſus magis quàm eruditus, uerſus de morte Ciceronis edidit. Gyraldus.

ANSER, petulans & indoctus poeta, Vergilij æmulus, & M. Antonij triumuiri amicus, cuius laudes cōpoſuit, & ab eo agro Phalerno donatus eſt. Meminit huius Verg. in Bucol.

- argutos inter ſtrepere Anſer olores.

AQVINVS apud Catullum ineptus poeta, ſibi tamen plurimùm placēs. Ciceroni etiam notus. Similes huic CALVVS apud eundem, & CÆSIVS, qui duos libros ſcripſit, in quorum priore hoc carmen erat:

Has res ad te ſcriptas Luci miſimus Heli.

MÆVIVS Vergilij & Horatij æmulus, quem, quòd putidus eſſet, Horatius olentem appellat, ſuis ignoſcentem uitiis, aliena mordaciſſimè inſectantem. Egomet mî ignoſco, Męuius inquit. Hic cùm Athenas petulanti carmine laceraſſet, in carcerem coniectus, inedia perire coactus eſt. Gyraldus Dialogo 4. hiſt. Poet.

M. BAVIVS poeta, Vergilij æmulus, in Cappadocia moritur, Olymp. 186. Hunc cum Mæuio, Catullus infaceto infacetiores rure fuiſſe, ait.

PARO Vergilij æmulus, qui in Bucolicis duas Eclogas inſulſiſſimè deriſit his uerſibus:

Tityre ſi toga calda tibi eſt, quo tegmine fagi?
Dic mihi Damœta, cuium pecus, anné Latinum.
Non, uerùm Aegonis. noſtri ſic rure loquuntur.

FANNIVS quidam (non ille Lælii gener, hiſtoricus) ante Vergilium, poeta ineptus, ſed garrulus & locuples. Qui cùm ſine liberis eſſet, hæredipetæ carmina eius laudabant, & in bibliothecas transferebant: ſtatuas quoq; & imagines ponebant, ut ſcilicet ab eo hæredes ſcriberentur. Gyrald. Dialogo 4. hiſt. Poet.

SVFFENVM urbanum ſcurram, ſed ineptum poëtam, mirè interim ſibiipſi placentem, Catullus ſuis perſtringit carminibus:

Suffenus iſte Vare, quem probè noſti,
Homo eſt uenuſtus, & dicax, & urbanus,
Idemq; longè plurimos facit uerſus.
Puto eſſe ego illi millia aut decem, aut plura
Perſcripta, nec ſic, ut fit, in palimpſeſto
Relata: chartæ regiæ, noui libri,
Noui umbilici, lora rubra, membrana
Directa plumbo, & pumice omnia æquata.
Hæc cùm legas, tum bellus iſte & urbanus
Suffenus, unus caprimulgus, aut foſſor
Rurſus uidetur: tantùm abhorret, ac nutat.
Hoc quid putemus eſſe? qui modò ſcurra,
Aut ſi quid hac re tritius uidebatur,
Idem infaceto eſt infacetior rure,
Simul poemata attigit: neq; idem unquam
Aequè eſt beatus, ac poema cùm ſcribit:
Tam gaudet in ſe, tamq; ſe ipſe miratur.
Nimirum idem omnes fallimur. Neq; eſt quiſquam
Quem non in aliqua re uidere Suffenum
Poſſis. Suus cuiq; attributus eſt error:
Sed non uidemus manticæ quod in tergo eſt.

De ineptis POETIS ſui temporis ſic ſcribit Horat. in Arte:

Vt mala quem ſcabies, aut morbus regius urget,
Aut phanaticus error, & iracunda Diana,
Veſanum tetigiſſe timent, fugiuntq; poetam,
Qui ſapiunt: agitant pueri, incautiq; ſequuntur:
Hic dum ſublimeis uerſus ructatur, & errat,
Si ueluti merulis intentus decidit auceps
In puteum, foueámue, licet, Succurrite, longum
Clamat, Iò Ciues, non ſit, qui tollere curet.
Si quis curet opem ferre, & demittere funem,
Qui ſcis, an prudens huc ſe deiecerit, atq;
Seruari nolit? dicam: ſicuti q; poetæ
Narrabo interitum. Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Aetnam
Inſiluit. Sit ius, liceatq; perire poetis:
Inuitum qui ſeruat, idem facit occidenti.
Nec ſemel hoc fecit: nec ſi retractus erit, iam
Fiet homo, & ponet famoſæ mortis amorem.
Nec ſatis apparet, cur uerſus factitet: utrùm
Minxerit in patrios cineres, an triſte bidental
Mouerit inceſtus: certè furit, ac uelut urſus
Obiectos caueæ ualuit ſi frangere clathros,
Indoctum, doctumq; fugat recitator acerbus:
Quem uerò arripuit, tenet, occiditq; legendo,
Non miſſura cutem, niſi plena cruoris, hirudo.

ACTIVS Labeo, poeta indoctus, ætate Perſij Satyrici uixit; & Iliada Homeri, uerſibus fœdiſſimè in Latinum uertit, ita ob ſcurè, ut nec ſua ipſe agnoſceret. Gyrald. Dialog. 8. Hiſtor. Poet.

De LIGVRINO Martialis Epigram. lib. 3. hæc habet:

Fugerit an menſas Phœbus cœnamq; Thyeſtæ,
Ignoro: fugimus nos, Ligurine, tuam.
Illa quidem lauta eſt, dapibusq; inſtructa ſuperbis:
Sed nihil omnino te recitante placet.
Nolo mihi ponas rhombum mullúmue bilibrem,
Nec uolo boletos, oſtrea nolo: tace.

Ad PONTILIANVM idem Epigram. lib. 7.

Cur non mitto meos tibi, Pontiliane, libellos?
Ne mihi tu mittas, Pontiliane, tuos.

Ad VARVM idem Epigram. lib. 8.

Cùm facias uerſus nulla non luce ducentos,
Vare, nihil recitas. Non ſapis, atq; ſapis.

In RAVCVM poetam collum lana tegentem, Martialis Epigram. lib. 6. ſic ludit:

Qui recitat, lana fauces & colla reuinctus,
Hic ſe poſſe loqui, poſſe tacere negat.

Ad BASSVM idem lib. 5.

Colchida quid ſcribis, quid ſcribis amice Thyeſtem?
Quid tibi uel Niobe, Baſſe, uel Andromache?
Materia eſt, mihi crede, tuis aptiſſima chartis
Deucalion: uel, ſi non placet hic, Phaethon.

In MAMERCVM idem lib. 2.

Nil recitas, & uis Mamerce poeta uideri:
Quicquid uis eſto, dum modò nil recites.

Ad THEODORVM lib. 5.

Non donem tibi cur meos libellos
Oranti toties, & exigenti,
Miraris, Theodore. Magna cauſa eſt:
Dones tu mihi ne tuos libellos.

De EODEM lib. 11.

Pierios uatis Theodori flamma penates
Abſtulit: hoc Muſis, hoc tibi, Phœbe, placet.
O ſcelus, ô magnum facinus, crimenq; deorum,
Non arſit pariter quòd domus, & dominus.

In malum poetā, quem mutato nomine VTRICELLVM uocat, ſic ludit Iouianus Pontanus:

Non ſunt carmina, ſed cacationes,
Quæ ſe ſcribere iactat Vtricellus.
Eſt merdoſius omnibus latrinis,
Quod ſe ſcribere iactat Vtricellus.
Obtura miſerum Camœna naſum,
Ne te carmina tam cacata lædant.
O merdoſa poemata, ô quid unquam
Erit uel fuit his magis cacatum?

Quamprimùm medicos, mei ſodales,
Ad me ducite: nam maligna febris
Dudum me tenet. Vt dij deæq;
Iſti dent mala multa, qui nec unquam
Scribit carmina, ſed cacationes.

In POSTHVMVM ſic ludit Henricus Stephanus in Epigrammatis:

Eſſe tuos dicis limatos, Poſthume, uerſus:
Hoc tamen è multis credere nemo poteſt.
Scilicet ignorant quídnam tibi lima uocetur,
Limanda & quónam ſint tua ſcripta modo.
Nanq; ut erant olim pro pectine raſtra Cyclopi,
Pro lima certè ſic tibi ſerra fuit:
Aut pro denticulis ingentis, Poſthume, ſerræ
Limam illam dentes tunc habuiſſe reor.

Leo X. Pontifex BARABALLVM Caietanum, qui inſulſiſſimos uerſus ab omni uocum & numerorum enormitate ridendos facere, & palàm recitare ſolebat, ſeq; alterum Petrarcham in Hetruſcis rhythmis eſſe prædicabat, eò perpetuis adulationibus inflammatum gloriæ cupiditate perpulit, ut meritum geſtandæ laureæ honorem poſtularit: ac ſubinde ut inſigni pompa in Capitolium duceretur: quòd in Capitolio Petrarcham coronatum quondam fuiſſe audiuiſſet. Ibi quum diu ad oſtentationem abſolutæ artis ineptiſſimè multa carmina decantaſſet, omnibus iam in ipſa riſus compreſſione defatigatis, ad extremum in area Vaticana deſpectante Pontificem elephantem aſcendit, aurato ephippio ſuperſtante, triumphali ſella inſtratum. Iouius in Leone X. lib. 4.

## POETICÆ VSVS TVM

### PER SE, EX PROFESSO.

#### IN GENERE.

POETAS omnigenæ uirtutis, prudētiæ, ſapientiæ magiſtros, Homerum imprimis, Theologię & Philoſophię Oceanum, pleriq; dictitant, ex eo nimirum, quòd charactere poetico uſi ſcriptores primi, animos uulgi ceperint, & quadam diuinitatis opinione imbuerint. Cæterùm quàm id uel nullo uel exiguo ſaltem Poetarum merito fiat, Plato in libris de Repub. diſertè oſtendit. Vtut ſit, Horatij uerſus ex lib. 2. Epiſtola 1. de Poeticæ præſtantia, digni ſunt obſeruatione, quibus inquit,

Os tenerum pueri balbumq; Poeta figurat:
Torquet ab obſcenis iam nunc ſermonibus aurem:
Mox etiam pectus præceptis format amicis,
Aſperitatis & inuidiæ corrector & iræ.
Rectè facta refert, orientia tempora notis
Inſtruit exemplis: inopem ſolatur, & ægrum.
Caſtis cum pueris ignara puella mariti
Diſceret unde preces, uatem ni Muſa dediſſet?
Poſcit opem Chorus, & præſentia numina ſentit:
Cœleſtes implorat aquas docta prece blandus:
Auertit morbos: metuenda pericula pellit:
Impetrat & pacem & locupletem frugibus annum.
Carmine dij ſuperi placantur, carmine manes.

Porrò in Arte ſic ſcribit:

Syluestreis homines ſacer interpresq; deorum
Cædibus & uictu fœdo deterruit ORPHEVS:
Dictus ob hoc lenire tigreis, rabidosq; leones.
Dictus & AMPHION Thebanæ conditor arcis
Saxa mouere ſono teſtudinis, & prece blanda
Ducere quò uellet. Fuit hæc ſapientia quondam,
Publica priuatis ſecernere, ſacra profanis:
Concubitu prohibere uago, dare iura maritis:
Oppida moliri, leges incidere ligno.
Sic honor & nomen diuinis uatibus, atq;
Carminibus uênit. Poſt hos inſignis HOMERVS,
Tyrtæusq; mares animos in Martia bella
Verſibus exacuit: dictæ per carmina ſortes,
Et uitæ monſtrata uia eſt: & gratia regum
Pieriis tentata modis, ludusq; repertus,
Et longorum operum finis: ne fortè pudori
Sit tibi Muſa lyræ ſolers, & cantor Apollo.

#### IN SPECIE. VTPVTA AD *Fortitudinem Bellicam.*

TYRTÆVS ab Athenienſibus per ludibriū Spartam miſſus in auxilium contra Meſſenios, carmine militum animos ita inflammauit, ut tandem Meſſanam expugnarint. Eapropter ciuitate donatus eſt, & in tanta porrò fuit exiſtimatione, ut cum hoſte congreſſuri, eius poemata canerent, & domi Trichoriam ſaltationem ex eius præſcripto exercerent. Pauſanias in Meſſenicis.

*Mores.*

De uſu TRAGOEDIARVM, Timoclis comici apud Athenæum extat lib. 6. Dipnoſophiſtarum, & apud Stobæum in παρηγορικοῖς, tale carmen.

Ὦ ταῦ ἄκουσον, ἤν τι σοι δοκῶ λέγειν.
ἄνθρωπός ἐστι ζῶον ἐπίπονον φύσει,
καὶ πολλὰ λυπηρὸ ὁ βίος ἐν ἑαυτῷ φέρει.
παραψυχὰς οὖν φροντίδων ἀνεύρετο
ταύτας· ὁ γὰρ νοῦς τῶν ἰδίων λήθην λαβὼν,
πρὸς ἀλλοτρίῳ τε ψυχαγωγηθεὶς πάθει,
μεθ' ἡδονῆς ἀπῆλθε παιδευθεὶς ἅμα.
τοὺς γὰρ τραγῳδοὺς πρῶτον εἰ βούλει σκόπει,
ὡς ὠφελοῦσι πάντας. ὁ μὲν γὰρ πένης,
πτωχότερον αὐτοῦ καταμαθὼν τὸν Τήλεφον
γενόμενον, ἤδη τὴν πενίαν ῥᾷον φέρει.
ὁ νοσῶν τι μανικὸν, Ἀλκμαίων' ἐσκέψατο.
ὀφθαλμιᾷ τις, εἰσὶ Φινεῖδαι τυφλοί.
τέθνηκέ τῳ παῖς, ἡ Νιόβη κεκούφικε.
χωλός τίς ἐστι, τὸν Φιλοκτήτην ὁρᾷ.
γέρων τις ἀτυχεῖ, κατέμαθεν τὸν Οἰνέα.
ἅπαντα γὰρ τὰ μείζον' ἢ πέπονθέ τις
ἀτυχήματ' ἄλλοις γεγονότ' ἐννοούμενος,
τὰς αὐτὸς αὑτοῦ συμφορὰς ἧττον στένει.

Amice, quæ dicturus ipſe ſim, cape.
Natura homo laborioſus eſt ubi,
Viuensq; multa fert profectò triſtia,
Solamen inuenit mali tragœdiam.
Obliuione mens ſuarum percita,
Correpta aliorumq; inde paſſionibus,
Cum gaudio ac inſtructa diſcedit ſimul.
Quantum iuuent hi protinus conſidera
Omnes Tragœdi. Pauper eſt hic, Telephum
Mendiciorem nouit ut factum, tulit
Sortem ſuam melius. At ægritudine
Furoris actus, nouit hic Alcmæonem.
Oculus dolet, cæcos uidet Siphinidas.
Defunctus eſt cui filius, Niobe ſtatim
Solatur hunc. Si claudus es, Philoctetem
Vides. Senex miſer, uidebis Oeneum.
Maiora demum, quàm quis paſſus eſt, mala
Cùm cæteris iniuncta ſpectet, ipſe fert
Quæcunq; ſors huic attulit non dulcia.

### PER ACCIDENS. CARMINVM accommodatio.

#### RECTA, APTA, OPORTVNA

☞ *Verſuum oportunitas, non tantùm gratiam, uerùm etiā utilitatem non nunquam continet. Plut. lib. 9. Conuiual. quæſt. 1.*

Homeri tanta exiſtimatio fuit olim, ut illius uerſibus ciuitates inter ſe de finibus contendentes, tanquam incorruptiſſimi & ſanctiſſimi teſtis uti non uererentur. AETOLI Calydonem obtinuerunt ab Aeolibus, quoniam in Catalogo nauium Homerus Calydoniorum ſub Aetolis meminiſſet. Similiter ABYDENI Seſtum ab Athenienſibus receperunt, propter hunc uerſum:

καὶ Σηστὸν καὶ Ἄβυδον ἔχον καὶ δῖαν Ἀρίσβην.

Mileſiis cum Prienenſibus de Mycale cōtendentibus patrocinio fuerunt Homerici uerſus:

οἳ δὲ Μίλητον ἔχον, Φθειρῶν τ' ὄρος ἀκριτόφυλλον,
Μαιάνδρου τε ῥοὰς, Μυκάλης τ' αἰπεινὰ κάρηνα.

Solon deniq; ATHENIENSIBVS Salaminem adiudicauit, quòd Aiax Salaminiorum dux Athenienſes, teſte Homero, ſecutus eſſet. Euſtath. Iliados β. ubi & hoc addit, legibus ſancitum fuiſſe à quibuſdam ciuitatibus, uti Homeri Bœotiam, hoc eſt, Catalogum nauium, pueri memoriæ commēdarent: & inter eos Cerdiam quendam hoc patriæ ſuæ conſuluiſſe ſcribit. Homerum enim ueras genealogias & chorographias & priſcas maximè urbium appellationes ſequi. Eoq; factum, ut & Apollodorus Athenienſis XII. libris, & Menogenes XXIII. commētarios in Bœotiam ſcripſerint.

RHAPSODVS quidam, in Ptolemæi nuptiis, cùm ſororem duceret uxorem, ac rem exiſtimaretur deſignare abſurdam & nefariam, auſpicatus eſt à carminibus illis,

Iuppiter affatur Iunonem, quæ fuit illi
Et ſoror & coniunx. Plut. lib. 9. Quæſt. con. 1.

QVIDAM apud regem Demetrium paratus à cœna canere, cùm is ad eum filium ſuum puerum etiam num miſiſſet Philippum, ſic cepit τὸν παῖδα μοι τόνδ' ἀξίως Ἡρακλέους ἡμῶν τε θρέψαι. hoc eſt, Filium hunc, ut Hercule nobiſq; eſt dignum, educato. Idem.

ANAXARCHVS, cùm ab Alexandro ſuper cœnam peteretur malis, exurgens dixit,

Te hominis petet deorum quiſpiam manu. Idem.

Omniū cōmodiſſime PVER Corinthius captiuus, cùm urbs illa exciſa eſſet, & L. Mūmius ex ingenuis pueros, q. literas noſſent, iuſſiſſet ſe inſpectante ſcribere, uerſum ſcripſit:





Ter Danai atq; quater, qui tum periere, beati.

Namq; ita commotum fuiſſe, ut lacrymas profunderet, perhibent Mummium, omnibusq;, qui puerum genere contingebant, libertatem concederet. Idem.

Theodori tragœdi VXOR, concubitum eius, inſtantibus ludis, non admiſerat. Vt uerò palmam conſecutus ad eam eſt ingreſſus, complexa illum ait:

Agamemnonis proles tibi illa nunc licent. Idem.

ARISTOTELES cùm iudiciorū metu Athenis profugiſſet, interroganti cuidam, Qualis eſſet ciuitas Athenienſium? reſpondit: Pulcerrima, ſed in eam (quod de Alcinoi hortis ſcribit Homerus)

ὄγχνη ἐπ' ὄγχνῃ γηράσκει, σῦκον δ' ἐπὶ σύκῳ

pyrus ſuper pyrum, & ficus ſuper ficum conſeneſcit: ſycophantas intelligens. Aelianus de Var. hiſt. lib. 3.

ANTIGONVS Aſiæ rex auctor fuit Demetrio Poliorceti F. admodum iuueni, ut Philam, Antipatri Macedoniæ regis F. Crateri, quem prę omnibus Alexandri ſucceſſoribus Macedones dilexerant, uiduam, multò licèt ætate maiorē duceret. Abhorrenti dicitur in aurem hoc Euripideum inſuſurraſſe:

ὅπου τὸ κέρδος, παρὰ φύσιν γαμητέον.

Vbi lucrum ſuadet, reluctetur licet
Natura, ducas coniugem.

Vbi, γαμητέον ducas coniugem, pro, δουλευτέον ſeruias, ſcitè ſubiecit. Sed is eum illi habuit honorē, ut impudenter cum multis ſcortis & liberis etiam mulieribus cōſueſceret. Plut. in Demetrio.

Cn. POMPEIVS poſt aciem Pharſalicam in Aegyptum fugiens, ut tranſiturus ex triremi erat in nauē piſcatoriam, quā rex miſerat, conuerſus ad uxorem & filium, aliud nihil quā hoc Sophoclis dixit:

Quiſquis domum elatam tyranni acceſſerit,
Fit illius ſeruus, uenit liber licet.

Vt tranſcēdit in eam, gladio ictus, uno edito ſuſpirio, nihil locutus eſt, ſed obuelato capite permiſit ſe percuſſoribus. Plut. in Apopht.

PHAVORINVS philoſophus exercendi ingenij gratia laudans Febrem quartanam, Heſiodi illum uerſum ſcitè accōmodauit:

ἄλλοτε μητρυιὴ πέλει ἡμέρη, ἄλλοτε μήτηρ.

Nam cùm ita ſit, ut in rebus humanis bene aut malè uice alterna ſit: hæc febris biduo medio interuallata, quātò eſt fortunatior, in qua eſt μία μητρυιὰ, δύο μητέρες? Gell. lib. 17. c. 12.

A Sexto memoriæ proditū eſt, SOSTRATVM, doctum & acutum uirum, cùm miſſus foret à Ptolemæo ad Antigonū, ut rem, ſi poſſet, regi illi ſuo accommodatam, ab eo extorqueret, negāte ipſo, obtinuiſſe quod uolebat ſtatim, his tantum Homericæ Iridis uerſibus pronunciatis:

Οὕτω δὴ κέλεαι γαιήοχε, κυανοχαῖτα,
τόνδε φέρω Διὶ μῦθον ἀπηνέα τε κρατερόν τε,
ἤ τι μεταστρέψεις; στρεπταὶ μέν τε φρένες ἐσθλῶν.

Auditis enim illis, cōſilium mutaſſe Antigonum. uti etiam Neptunus, cùm iuſſus ab Iride diſcedere ſubitò è pręlio, parere nollet, & elato animo reſpondiſſet, ipſa illis uerbis ita uerſauit animum ipſius, ut protinus dicto audiens Ioui fuerit. Victorius lib. 34. Var. lect. c. 18.

Dion in 37. libro Hiſtoriarum facit ſequētes uerſus Herculeos à M. BRVTO pronunciatos, cùm deſperatis ſuis rebus, ne in manus aduerſariorum ueniret, ignominiam illam morte uitauit. Ait igitur: ὦ τλῆμον ἀρετὴ, λόγος ἄρ' ἦσθ', ἐγὼ δέ σε ὡς ἔργον ἤσκουν, σὺ δ' ἄρ' ἐδούλευες τύχῃ, hocque dicto notauit quendam, ut ſe interficeret. At Plutarchus duos uerſus Gręcos commemorauit pronunciatos fuiſſe à M. Bruto, cōuerſis in cœlum, ſtellarum plenū, oculis: quorum alterum, qui præſens illic aderat, Volumnius hunc eſſe commemorauit, Ζεῦ μὴ λάθοι σε τῶνδ' ὃς αἴτιος κακῶν: alterum uerò idem affirmauit è memoria ſibi excidiſſe. Victorius lib. 23. Var. lec. c. 2.

Equites, quibus præceptum erat, ut NERONEM, in ſuburbano Phaontis deliteſcentem, uiuum attraherent, appropinquantes ipſe ſentiens, trepidanter effatus,

ἵππων μ' ὠκυπόδων ἀμφὶ κτύπος οὔατα βάλλει:

ferrum iugulo adegit, iuuante Epaphrodito à libellis. Suetonius in Nerone.

CENTVRIO quidam German⁹, cùm urbs Roma capta iam foret, nonnulli tamen priuatam domū munire uellent, cunctaq; ſedulò pararēt, quæ ad eam tuendā facere uidebātur, ſpectato illorū inani ſtudio, exclamauit Maronianū illud:

—Non tali auxilio, nec defenſoribus iſtis
Tempus eget.— Victorius lib. 34. Var. lect. c. 18.

#### INEPTA, INTEMPESTIVA, Importuna.

Apud Eurip. in Andromacha, Peleus confutās orationem Menelai: accuſat prauam conſuetudinem Græcorum, qui cùm uictoriam aliquā nacti eſſent, trophæaq; conſtitui deberēt, ſinerent ut imperator ſuum tantū illic nomen adſcriberet, uniq; ſibi eam laudem adſciſceret: cùm tamē totius exercitus labore ac uirtute res bene geſta eſſet. Eos uerſus cùm CLITVS in ſympoſio, laudes ſuas Alexandro ingeminante, non ſatis ſobrius, ad eos, qui infra ipſum cubabant, retuliſſet ita, ut ſon⁹ magis, quàm ſermo exaudiri poſſet, quod Alexandrū itidē ebriū grauiter offendit. teſte Q. Curtio & Plutarcho in Alexandri uita. Victorius lib. 28. Var. lect. c. 22.

IDEM, iurgio inter eum & Alexandrum Magnum orto, conuiuio excedēs, mirè ſecurè & ferociter, Euripidis hoſce uerſus ex Andromache pronūciās, In Græcia mores mali ſunt proh dolor. ab Alexandro haſta transfigitur. Plutarchus in Alexandro.

Cn. Pompeio Magno fama eſt, à magna illa reduci expeditione, MAGISTRVM eius filiæ ſpecimen dantem, cùm allatus liber eſſet, puellæ huiuſcemodi exordium præbuiſſe:

Es iam ex Marte redux: utinam tu illic periiſſes.

Plut. lib. 9. Quæſt. conuiualium 1.

Ad Caſſium Longinum cùm rumor incerto auctore filium eius peregrè deceſſiſſe allatus eſſet, neq; uerum poſſet dicere, neq; eximere ſuſpicionem: VIR ſenatorius adiens eum natu iam grandior: Non contemnes, inquit, Longine incertam futilitatem & improbam famam: quaſi neſcias, neque legeris hoc,

Fama ſemel non unquam extinguitur ulla. Idem.

ILLE, qui Rhodi uerſum poſcenti grammatico, cùm in theatro ederet ſui ſpecimen, obtulit:

Abſcede hinc hominum celeri deterrime curſu.

incertum iocóne inſultauerit ei, an inuitus errauerit. Atque hæc quidem turbam compreſſerunt urbane. Idem.

## POETICA EXERCITATIO. HVIVS LOCI EST POETICA

### ΓΕΝΕΣΙΣ. QVI POEMATA ſcripſere

#### EXPEDITE', FACILE'.

L. Anneus SENECA moriens iam in ſolio aquæ calidæ Epitaphium carmine ſibiipſi compoſuit. De quo in commētariis noſtris Epitaphiorum, ſub titulo Philoſophorum.

BOETHIVS Seuerinus Rom. patricius mira in uerſibus facilitate. Gyraldus de Poetis.

CICERO dexteritate in uerſibus condendis animi gratia utebatur. Dicitur cùm ad id ferretur, carmina facere una nocte quingenta ſolitus. Plut. in Cicerone.

#### EXTEMPORE'. Αὐτοσχεδιαστική Poetica.

HOMERVS αὐτοσχεδιαστικῇ faciendorū uerſuum facultate polluit. Licet hoc uidere ex Herodoto, qui eius uitam conſcripſit. Nam ut quamlibet officinam accederet, aut cum quibuſuis hominibus conuerſaretur, loco temporique conuenientes uerſus fundebat.

AESCHYLVM, proditum eſt memoriæ, tragœdias uino indulgentem ſcriptitaſſe: non ſicut Gorgias dixit hanc Septē in Thebas, quæ eſt una eius fabularum maxima, Martis eſſe, ſed ſunt Liberi patris omnes. Plutarchus lib. 7. Quæſt. conuiualium 10.

Calliſtratus Miſcellaneorum libro ſeptimo tradit, SIMONIDEM apud quoſdam æſtate feruentiſſima, quum pincernę potui aliorum niuem admiſcerent, eius autem minimè, extemporè compoſitum hoc epigramma pronunciaſſe:

τήν ῥά ποτ' Οὐλύμποιο περὶ πλευρὰς ἐκάλυψεν
ὠκὺς ἀπὸ Θρῄκης ὀρνύμενος Βορέης,
ἀνδρῶν δ' ἀχλαίνων ἔδακε φρένας, αὐτὰρ ἐκάμφθη
ζωὴ Πιερίην γῆν ἐπιεσσαμένη,
ἔν τις ἐμοὶ καὶ τῆς χείτω μέρος· οὐ γὰρ ἔοικε
θερμὴν βαστάζειν ἀνδρὶ φίλῳ πρόποσιν.

Quam Boreas ocior [illegible] olim texit Olympi,
E Thracia curſu concitus alipede,
Quæ nudos anxit [illegible] relanguit illi
Pierio ſimulac eſt amicita ſolo:
Eius partem aliquis fundat mihi: namque ſodali
Haudquaquam potum ferre decet calidum.

Athenæus lib. 3. Dipnoſophiſtarum.

Scribit Chamæleon in libro de Simonide, quòd cùm apud Hieronem SIMONIDES cœnaret, neque illi lepus, ut illis cæteris, appoſitus fuiſſet, ſed Hieron poſtea dediſſet, dixit extemporè:

Cùm foret ille amplus, tamē haud peruenerat ad me.

Athen. lib. 14. cap. 28.

DIOGENEM quendam Tarſenſem ſcribit Strabo, trago-

dias ſolitum ἀποφοιβάζειν, uelut quodam inſtinctum oraculo effundere, argumento poſito. Cælius libro 10. capite 18. Antiquarum Lectionum.

ANTIPATER Sidonius de quauis re extemporè uerſus faciebat. Quintilianus lib. 10. Inſtit. Vixit tempore Cottæ & Craſſi, teſte Cic. pro Archia.

LVCILIVS, teſte Horat. lib. 1. Sermonum, Satyra 4.

Emunctæ naris, durus componere uerſus,
—— in hora ſæpe ducentos
Vt magnum uerſus dictabat, ſtans pede in uno.

P. OVIDIVS Naſo Sulmonenſis de ſeipſo in 4. Triſtium ſic ſcribit:

Sponte ſua carmen numeros ueniebat ad aptos:
Et quod tentabam dicere, uerſus erat.

BOETHVS Tarſenſis, extemporè uerſus effundebat potiùs, quàm componebat. Vide Tit. Poetarum.

A. LICINIVS Archias, Ciceronis præceptor, ſæpe cùm literam ſcripſiſſet nullam, magnum numerum optimorum uerſuum de his rebus, quę tum agerentur, dicebat extemporè: ſæpe reuocatus eandem rem dicebat, commutatis uerbis atq; ſententiis. Cicero pro Archia.

Maſgabæ tumulum cùm ex triclinio animaduertiſſet, magna turba, multiſque luminibus frequentari, uerſum compoſitum extemporè clarè pronunciauit AVGVSTVS, quamuis æger,

Κτίςου δὲ τύμβον εἰσορῶ πυρούμενον.

Conuerſusq; ad Thraſyllum Tiberij comitem, contrà accubantem, & ignarum rei, interrogauit, cuiúſnam poetæ putaret eſſe? Quo hæſitante, ſubiecit alium:

Ορᾶς φάεσσι Μασγάβαν τιμώμενον.

De hoc quoq; conſuluit. At cùm ille nihil aliud reſponderet, quàm cuiuſcunq; eſſent, optimos eſſe: cachinnum ſuſtulit, atq; in iocos effuſus eſt. Suetonius.

Q. RHEMMIVS Palæmon, grammaticus, & dicebat, & uerſus faciebat extemporè. Vide Tit. Grammaticorum.

LVCANVS poeta extemporè Orpheum tragœdiam recitauit, Neronis æmulatione. Vide Tit. Poetarum.

ADRIANVS Imperator ad laceſſendum pariter & reſpõdendum, ſerio aut ioco, promtiſſimus fuit, proſa & carmine. Itaque cùm aliquando poeta quidam dicacior, Florus nomine, illum inter Scythas & Britannos uerſantem uideret, in eum luſit:

Ego nolo Cæſar eſſe,
Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas.

Adrianus urbanè ſic ſtatim reſpondit:

Ego nolo Florus eſſe,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Culices pati rotundos.

Spartianus teſtis. Sub Tit. Doctorum principum, reperies uerſus quos iam moriens pronunciauit.

GALIENVS Imper. ſceleſtiſſimus & ignauiſſimus, extemporanea poetices facultate polluit. Vide Titulum Doctorum principum.

LEO X. Pont. Max. uerſibus extemporè cùm Camillo Querno, qui ſe archipoetam iactabat, certare potuit. Nam cùm Quernus ex podagra malè habens, ad menſam Leonis, more ſolito aſtaret, & ex præſcripto bina ſaltem carmina tributi nomine perſoluere cogeretur, in hunc hexametrũ erupit:

Archipoeta facit uerſus pro mille poetis.

Demum cùm hæſitaret, inexpectato Leo hoc pentametro perargutè reſpondit:

Et pro mille aliis archipoeta bibit.

Tum uerò cùm Quernus ſeſe recolligens inferret,

Porrige quod faciat mihi carmina docta falernum.

Leo repentè à Vergilio mutuatus ſubdidit,

Hoc etiam eneruat debilitatq; pedes.

Iouius in Elogiis uirorum illuſtrium.

[redacted]

## ANAΛYCIC. HVC PERTINENT

### QVÆSTIONES POETICÆ.

*Ex Titulo Iudicii poetici, huc quædam.*

Aratus à TIMONE Nicæo quæſiuit, Quónam pacto Homeri poema ſine menda conſequi poſſit? Reſpondit Timon: Vetuſta conſuleret exemplaria, non noua. Laert. lib. 9.

### IVDICIVM POETICVM

*Rectum, Aptum.*

SIMONIDES, auctore Plutarcho, τὴν μὲν ζωγραφίαν ποίησιν σιωπῶσαν προσηγόρευσεν, τὴν δὲ ποίησιν ζωγραφίαν λαλοῦσαν. id eſt, Picturam tacitam poeſin appellauit: Poeſin autem, loquentem picturam. Proinde Horatius:

Vt pictura poeſis erit.

Antiquitùs quinq; IVDICIBVS datum erat negotium, ut de comicorum fabulis pronunciarent, ut teſtis eſt apud Zenodotum Epicharmus.

CORINNA Pindarum oppidò etiamnum iuuenem & facundiam oſtentantem corripuit, ut inertẽ, nec fabulas condentem, quod ad poetices munus ſpectat. Lingua abuſiones, interpretationes, modos, numeros rebus ad oblectandum ſuggerit. Quibus dictis magnoperè Pindarus animum intendens, hoc carmen fudit:

Iſmenon aut Meliam ſagittis cum aureis,
Cadmúmue, ſacrum aut Spartiatarum genus,
Aut Herculis robur præcellens uincere.

Quod ut Corinnæ oſtendit, ridens illa, Manu dixit ſemen ſpergendum, non toto culeo. Quippe reuera collectitiam quandam fabularum Pindarus farraginem congeſſit, atq; in hoc carmen effudit. Plut. de gloria Athenienſium.

PLATO iuuenis etiamnum poeſi oblectatus eſt. Poſteaquam uerò Socratis inſtinctu Philoſophiæ operam dare inciperet, poemata à ſe in iuuentute compoſita igni tradidit, inquiens, Ἥφαιστε πρόμολ᾽ ὧδε, Πλάτων νύ τι σεῖο χατίζει. Etſi Plut. alicubi ſcribit, deſperatione Homericæ felicitatis & maieſtatis id feciſſe, cùm uerſum illum ſumma cum admiratione legiſſet:

ἠιόνες, βοόωσιν ἐρευγομένης ἁλὸς ἔξω.

in quo non aures tantùm ſono, ſed & ipſi oculi aſpectu impleri uidentur. Cæterùm Homeri eruditionẽ lib. 10. de Rep. examinat, & imitatorem tantùm ſapientiæ, non effectorem eſſe, reipſa probat: quòd nulla opera earum rerum, quarum cognitionem habere dicitur, uulgò præſtiterit. De Medicina loquitur: at Hippocrates eò maior eſt. de Iure & legibus: at nemo eſt, qui illum Lycurgo comparare auſit. de reb. naturalibus, at Thaleti cõferri dignus nõ eſt. & ſic de cæteris.

ALEXANDER Macedo, ſi quando Homeri carminũ in confabulationibus uel inter pocula fieret cõtentio, alio alium uerſum præferente, ille ut omnium præſtantiſſimum probabat hunc:

Ἀμφότερον, βασιλεύς τ᾽ ἀγαθὸς, κρατερός τ᾽ αἰχμητής.
Vtrunque, inſignis rex, iuxtà ac fortis in armis.

Plut. orat. 1. de Alexandri fortuna.

Tragœdiam GORGIAS eſſe ait captionem: qua, qui deceperit, iuſtior ſit eo, qui non decepit: & deceptus non decepto intelligentior. Plut. de Aud. poetis.

De Tragicis loquens FABIVS: Longè clarius illuſtrauerunt hoc opus Sophocles atque Euripides: quorũ in diſpari dicendi uia, uter ſit poeta melior, inter plurimos quęritur: idque ego ſanè, quoniam ad præſentem materiam nihil pertinet, iniudicatum relinquo. Illud quidem nemo non fateatur neceſſe eſt, iis qui ſe ad agendum comparant, utiliorem longè Euripidem fore: namq; is ſermone (quo ipſum reprehendunt, quibus grauitas & cothurnus & ſonus Sophocle uidetur eſſe ſublimior) magis accedit oratorio generi, ſententiis denſus: & in iis, quę à ſapientibus tradita ſunt, penè ipſis par: & in dicendo atq; reſpondendo cuilibet eorũ, qui fuerunt in foro diſerti, comparandus: in affectibus uerò cũ omnibus mirus; tum in iis, quæ miſeratione conſtant, facilè præcipuus. Hunc & admiratus maximè, & eum ſecutus, quanquam in opere diuerſo, MENANDER.

CICERO lib. 16. Epiſt. famil. ſingulos Euripidis tragicorum principis uerſus, ſingula axiomata ſe putare, ſcribit.

Fama eſt MENANDRO familiarẽ quempiam dixiſſe: Inſtant Menander Bacchanalia, nec comœdiam tu feciſti. Reſpondiſſe illum: Ego mediusfidius comœdiam condidi. Digeſtũ eſt enim argumentum, cui accinant uerſus oportet: quòd illi ipſi etiam uerbis res magis neceſſarias & antiquiores ducant. Plut. de gloria Athen.

THEODORVS tragœdiarum actor ad comicum Satyrũ dixiſſe perhibetur: Ad riſum adducere ſpectatores, non eſſe rem magnam: ſed ad lacrymas & fletum. Plutarch. de Suiipſius laude.

Olim QVIDAM Archeſtrato Syracuſano, poetæ pauperrimo, qui γαστρονομίαν ſiue γαστρολογίαν conſcripſit, dixiſſe fertur: Si cum Alexandro fuiſſes, Archeſtrate, tui cuiuſq; carminis præmium Cyprum aut Phœnicem tuliſſes. Plut. orat. 2. de Alex. fort.

Κρημνοποιὸν ARISTOPHANES appellat Aeſchylum, quaſi præcipitiorum auctorem, ob grandia uocabula. Suidas.

LEONI-



LEONIDAM priſcum ferũt rogatum, Qui ei Tyrtæus poeta fuiſſe uideretur, reſpõdiſſe: Bonus ad accẽdẽdos iuuẽtutis animos. ſiquidem quaſi afflati carminibus eius, ruebant in prælia. Plut. in Agide. In Laconicis Laconi incerto tribuit.

Oppiani INTERPRES, ſex per excellentiam quandam poetas hoc ordine recenſet: Homerum, Eupolim, Heſiodũ, Antimachum, Nicandrum, & Panyaſin.

A ſtellis, quæ ſeptem ſimul apparent, ſeptem poetæ Pleias dicti ſunt: inter quos unus fuit tenebroſus & obſcurus, ut inter ſeptem eas ſtellas una uix apparere uidetur. ISAACIO Lycophronis interprete auctore, hi numerantur: Theocrit⁹, Nicander, Callimachus, Apollonius, Homerus tragicus, Aratus & Lycophron, qui tenebras, & eas quidem Cimmerias habere uidetur: ea eſt enim ſententiarum & uerborum plerunque obſcuritate offuſus, ut etiam Tzeze Iſaacio, inſigni grammatico lumen præferente, uix cõſpici poſſit. Theocriti tamen enarratores Pleiada & ipſi commemorant, ſed non eoſdem poetas: quippe qui hos enumerent, Theocritum, Aratum, Apollonium, Aeantidem, Philicon, Homerũ iuniorem tragicum, & Lycophronem. Fuerunt tamẽ & qui ſeptem inter Tragicos eodem Pleiadis nomine uocitarũt, quorum ita meminit Hephæſtion in Enchiridio: Tempore, inquit, Ptolemæi Philadelphi ſeptem inſignes fuêre tragici, quos Pleiadum nomine uocitarunt, quòd uidelicet in tragœdiæ poeſi eſſent, ueluti ſunt Pleiadum ſtellæ. Fuerunt uerò hi, Homerus, non ille antiquus poeta, ſed Myrus Byzantiæ poetrię filius, tum Soſitheus, Lycophron, Alexander, Anantiades, Soſiphanes, & Philiſcus. Gyraldus Dialogo 3. hiſtoriæ Poeticæ.

PHILOXENVS Dithyramborum ſcriptor, Syracuſis in conuiuio, lecto malo Tyrãni Dionyſij poemate, quid de eo ſentiret interrogatus, liberiùs paulò reſpondit. Tyrannus offenſus, quaſi per inuidiam poema eius reprehendiſſet (poeticæ enim ſtudio inſaniebat) confeſtim in Lapicidinas abduci eum iuſſit. Poſtero uerò die, Philoxeno placatus, in cõuiuio rurſus poemata ſua iactans, & uerſus quoſdã, qui feliciùs conditi uidebantur, producens, qualiánam ei poemata uiderentur, interrogabat. Cui nihil ille reſpondit, ſed euocatis famulis Dionyſij, iuſſit ſe in Lapicidinas duci. Ad quem ſermonis lepôrem ſubridens Dionyſius, libertatem eam tunc tulit, riſu reprehenſionem obtundẽte. Paulo pòſt Tyranno commemorante uerſus quoſdam commiſerationis affectum ſæpiùs exprimentes, interrogatus Philoxen⁹, Qualiánam ſibi hæc poemata uiderentur: reſpondit, Miſerabilia. Dionyſio reſponſum placebat: quia putabat dicere eum, uerſus plenos eſſe commiſerationis affectu, quod bonorum poetarum eſſe nouerat: adeoq; laudatum ſe à Philoxeno exiſtimabat. Alij ueriorem ſenſum apprehendẽtes, miſeram poematis naturam dixiſſe eum putabant. Diodorus lib. 15. Plutarchus in lib. de Fortuna Alexandri refert, Philoxenum à Dionyſio coniectum in latomias (id erat nomẽ teterrimo carceri, quòd tragœdiam, quam illi caſtigandam tradiderat, ἀπὸ τῆς ἀρχῆς μέχρι τῆς κορωνίδος περιέγραψεν, uidelicet circunducta linea ſignificans, totam eſſe diſpungendam. Eraſmus in Adagiis.

ARISTOPHANES comicus, cùm à Ptolemæo Philadelpho inter poetas certantes arbiter conſtitutus eſſet, præter omnium expectationem uictorem eum declarauit, qui & regi & ſpectatoribus ineptiſſimus eſſe uidebatur. Cauſam rogatus, cum rege in Bibliothecam profectus, reliquorum furta detexit: & eum, quem uictorem declarauerat, ob idipſum, quòd ſua pro ſuis in medium attuliſſet, præmium auferre uoluit. Vitruuius lib. 7.

VOLCATIVS Sedigitus in libro, quem ſcripſit de poetis, iudicium ſuum de Comicis, quo quenque in loco & honore ponat, his uerſibus ſuis demonſtrat, recitante Gellio libro 15. capite 24.

Multos incertos certare hanc rem uidimus,
Palmam poetæ comico cui deferant.
Eum, me iudice, errorem diſſoluam tibi,
Vt contrà ſi quis ſentiat, nihil ſentiat.
Cæcilio palmam ſtatuo de comico.
Plautus ſecundus facilè exuperat cæteros.
Dein Næuius, qui feruet, precio in tertio eſt.
Si quid quarto detur, dabitur Licinio.
Poſt inſequi Licinium facio Attilium.
In ſexto conſequitur hos Terentius.
Turpilius ſeptimum, Trabea octauum obtinet.
Nono loco eſſe facile facio Luſcium.
Decimum addo antiquitatis cauſa, Ennium.

Varro ſcribit, Muſas, EPII Stolonis ſententia Plautino ſermone locuturas fuiſſe, ſi Latinè loqui uoluiſſent.

L. Actius tragicus, PACVVII, cùm in Aſiam proficiſceretur, Tarenti hoſpitio uſus, apud eum Atreum tragœdiam compoſuit, & Pacuuio recitauit. Grandia ille & ſonora, ſed duriora paulùm & acerbiora eſſe quæ ſcripſiſſet, aſſeruit. Actius reſpondit: Neq; eius me pœnitet: nam quod in pomis eſt, ut quæ dura & acerba naſcuntur, pòſt fiant mitia: quæ uerò mollia & uieta, ſtatim putreſcunt: idem & ingeniis accidit. Gyraldus.

P. Pomponius Veronenſis, tragicus, qui nunquam ructaſſe dicitur, ſi à quopiam fortè in tragœdiis reprehenderetur: Ad POPVLVM prouoco, inquit. ita ex populi uel ſilentio, uel applauſu, aut amici aut ſuam ſententiam ſequebatur. Idẽ.

Plautinas comœdias non aliis iudicibus, quàm moribus ingenij atque linguæ ipſius Plauti internoſci poſſe, M. VARRO iudicauit. Qua norma uſus, ex CXXX, fabulis, quæ Plauti nomine circumferebantur, XXI tantùm Plautinas eſſe aſſeruit, quæ propterea Varronianæ ſunt dictæ. Cæteras cuiuſdam Plautij fuiſſe, aut alicuius ueterum poetarum, quæ Plautianæ rectè appellantur. Pari norma etiam aliorum auctorum ſcripta diiudicanda, Ariſtotelis potiſſimùm, λέξει nimirum atque πράξει. Gellius libro ſecundo, capite 3. Noct. Atticarum.

Q. Ennius acer in ſententiis, in uerbis rudis. Hinc VIRGILIVS aurum ſe ex Ennij ſtercore colligere dicebat.

De QVINTILII iudicio ſic ſcribit Horatius in Arte:

Quintilio ſi quid recitares, corrige ſodes
Hoc, aiebat, & hoc. Melius te poſſe negares,
Bis terque expertum fruſtra, delere iubebat,
Et malè tornatos incudi reddere uerſus.
Si defendere delictum quàm uertere malles,
Nullum ultrà uerbum, aut operam ſumebat inanem,
Quin ſine riuali teque & tua ſolus amares.
Vir bonus & prudens uerſus reprendet inerteis,
Culpabit duros: incomtis allinet atrum
Tranſuerſo calamo ſignum: ambitioſa recidet
Ornamenta: parum claris lucem dare coget:
Arguet ambiguè dictum: mutanda notabit:
Fiet Ariſtarchus: nec dicet, Cur ego amicum
Offendam in nugis? Hæ nugæ ſeria ducent
In mala deriſum ſemel exceptumq; ſiniſtrè.

Natura magis an arte poeſis conſtet, inter auctores controuerſum eſt. HORATIVS in Arte, iudicium ſuũ tale interponit:

Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quæſitum eſt. Ego nec ſtudium ſine diuite uena,
Nec rude quid proſit uideo ingenium alterius: ſic
Altera poſcit opem res, & coniurat amicè.

IDEM lib. 1. Satyra 10. purgans ſe, quòd Lucilium lutulentum fluere, Satyra quarta ſcripſerit, hæc addit:

—— Fuerit Lucilius (inquam)
Comis & urbanus, fuerit limatior idem
Quàm rudis, & Græcis intacti carminis auctor,
Quamq; poetarum ſeniorum turba. Sed ille
Si foret hoc noſtrum fato dilatus in æuum,
Detereret ſibi multa: recideret omne, quod ultra
Perfectum traheretur: & in uerſu faciendo
Sæpè caput ſcaberet, uiuos & roderet ungueis.

Virgilius Maro Poetarũ deus, ſiue Plato ab ALEXANDRO Mammeæ F. Imp. dictus. Idem certi & gemmas magni precij oblatas neglexit, plures ſe in Marone & quidem ęternas maximeq; ſecuras reperire profeſſus. Lampridius.

Lucanus Cordubenſis indomito ſimilis equo in carmine fertur, qui in medio prato acriter quidem & animosè, ſed incõcinnè ſaliat. FABIVS eum magis oratoribus quàm poetis adſcribit. Statius & Martialis Vergilio & Homero eum conferre audent.

AVGVSTI iudicium circa poetas laudat Horat. lib. 2. Epiſt.

At neq; dedecorant tua de ſe iudicia, atq;
Munera, quæ multa dantis cum laude tulerunt,
Dilecti tibi Vergilius, Variusq; poetæ.

C. Lutorius Priſcus, eques, poeta nobilis, ægrotante adhuc Druſo Tiberij filio, carmina de morte illius ſcripſerat. Indigniſſimum hoc meritò SENATVI uiſum eſt. Quid enim aliud ex eo dici aut coniici potuit, quàm his uerſibus liquidò Priſcum perſuadere unicuiq; uoluiſſe, aut mortis illius cum Aelio Seiano & Liuilla Druſi, ſe conſcium eſſe, aut quidem certè cupidum? quorum utrunque pœnam meretur. Quare à Senatu condemnatus, uita deceſſit. Aerodius ex Dionis libro 57.

Porphyrius Tyrius philoſophus, Chriſtianis infenſiſſimus, ſub Iuliano, cùm de connubio ſacro [redacted] poëma compoſuiſſet, & illud PLOTINVS audiuiſſet, ad eum conuerſus: Oſtendiſti, inquit, te Porphyri ſimul & poetam ſummum eſſe, & philoſophum & ſacerdotem.

Cùm FRAN. Petrarcha Veronæ eſſet, & ad uidẽdũ ipſum multi ueniſſent, & ut illi cõplacerent, carmina ſuæ Aphricæ cantare cœpiſſent, protinus lacrymas emiſit, rogans, ne ulteri⁹ procederent. Cùm percontarẽtur, quare hoc faceret: reſpõdit: Vtinam iſtud opus propriis manibus cõburere poſſem. Hier. Squarzaficus in eius uita.

PETRO

PETRO Bembo Cardinali poetaſter quidam uolumen rhythmorum emendandum obtulerat, ſic ut locis ſuſpectis ceram in margine affigeret, ne ſcripturæ elegantia corrumperetur. Bembus id ſe facturum reſpõdit. Rediit ſtato die poeta ille, & cùm ceram nullibi affixam animaduerteret: Beatus ergo ſum, inquit, qui tuo iudicio mea poemata ſubiecerim. Tum Bembus: Subiecisti ſanè: ſed quàm beatus, tute uideris. Ne tot ceris opus ſit, ut & compendio & labori conſulatur, pharmacopœum accede, & ſimul ac ceceos formã tem uideris, librum tuo arbitratu totum immerge, ut ſic una cera omnium ſit inſtar. Hieronymus Garimbertus libro 3. de Vitis Pontificum.

IVLIVS Cæſar Scaliger, quo doctiorem noſtra nõ uidère ſecula, in Comment. Poeticæ cenſuram fert de Poetis ueteribus ſimul & recentioribus. Sexto primùm libro, quẽ Criticum inſcripſit, Græcos cũ Latinis, mox Latinos inter ſe confert: ita tamen, ut primum dignitate, diligentia & eruditione Maronem ſtatuat, eumq; Homero, quem tamen ut omnis ſapientię Oceanum doctiſſimi quiq; omnibus ferè ſeculis modò non adorarunt, multis numeris antecelluiſſe aſſerat. (Quam opinionem poſt Scaligerum, pererudito Lucullianarum quæſtionũ opere BARTHOLOMÆVS Maranta Venuſinus ex profeſſo tractauit & illuſtrauit.) Septimo deinde libro, qui Hypercriticus dicitur, quinq; ætates Latinæ poeſeos facit, & ſingillatim cùm ueterũ tum recentiorũ rationem habet. Nam poſt rudimẽta prima ſui ortus à Gręcis mutuata, poeſis ſuam adoleſcentiam à Liuio atque Ennio per Accium, Nęuium, Plautum tranſegiſſe uidetur: hinc ad conſummatum florensq; robur tranſmiſſa (quod in Terentio, Catullo, Tibullo, Horatio uiguit, in Vergilio etiã luculentè ſplenduit:) ad Martialem, Iuuenalem, Silium, Statium deuergens, paulatim effloruiſſe: tum aũt quarto ueluti decurſo ſpacio, hæſiſſe in ſenij ueſtigiis cum Sereno, Sidonio, Seuerino, Auſonio. Longo pòſt tẽpore deintegrò rediuiua, nouam ſub Petrarcha pueritiam inchoauit, atq; inde Fr. Philelphi ſtudio clara admodum incrementa cepit: tãto ingeniorum prouentu, ut ſi unum modò Vergiliũ excipias, Palingenium, Aonium, Politianum, Cerratum, Vidam, Pontanum, Sanazarum, Fracaſtoriũ habeas, quos cum quouis ueterum compares, multis, ſed nõ ignobilibus, anteponas.

INEPTVM.

*Vide Tit. Poetices contemtus, odium: quatenus ex ignorantia proficiſcitur iudicandi temeritas.*

Πανίδης ψῆφος, id eſt, Panidis ſuffragium. In eos torquebatur, qui ſtultè atq; ineruditè iudicarẽt. Aiũt PANIDEM Chalcidis regem fuiſſe, qui Heſiodum Homero prętulerit. perinde quaſi dicas, MIDÆ ſuffragiũ, quòd is quoq; Panis agreſtẽ cantionem antepoſuerit Apollinis muſicæ. Eraſm. in Adag.

PROTAGORAS Homerum irridebat, quòd cùm uellet precari, diis imperaret, inquiẽs, μῆνιν ἄειδε θεὰ, uti teſtatur Ariſt. At precatur illic Homerus, nõ imperat: & Protagoras fatuis Grammaticorum ſomniis deceptus eſt. Petrus Ramus lib. 14 Scholarum gram.

Eupolis reprehendit ATHENIENSIVM iudicia ſiniſtra de poetis ſuorum temporum apud Stob. Ser. 4. his uerſibus:

Ἀλλ' ἀκούετ' ὦ θεαταὶ πολλὰ, καὶ ξυνίετε,
ῥήματ'. εὐθὺ γὰρ πρὸς ὑμᾶς πρῶτον ἀπολογήσομαι·
ὅτι μαθόντες τοὺς ξένους μὲν λέγετε ποιητὰς σοφούς·
ἢν δέ τις τῶν ἐνθάδ' αὐτῶν μηδὲ ἓν χεῖρον φρονῶν
ἐπιθῆται τῇ ποιήσει, πάνυ δοκεῖ κακῶς φρονεῖν,
μαίνεταί τε καὶ παραφρονεῖ τῶν φρενῶν τῷ σῷ λόγῳ.
ἀλλ' ἐμοὶ πείθεσθε, πάντως μεταβαλόντες τοὺς τρόπους,
μὴ φθονῆθ', ὅταν τις ὑμῶν μουσικῇ χαίρῃ νέων.

Agite ſpectatores, pluri b. audite, & intelligite rem; ad uos enim rectà cauſæ noſtræ dictionem eloquar. Nam cùm peregrinos poetas audiuiſtis, ſtatim ſapientes ipſos eſſe aſſeritis. Si quis uerò noſtratium, nihilo illis ſapientia inferior, aggrediatur poeſin, omnino deſipere iudicatur: quin uerò inſanit, & mente non conſtat, ut uos clamatis. Sed agitè audite me, & moribus planè immutatis, ſi quis è ueſtratibus muſica delectetur iuniorum, ne inuidete.

DIONYSIVS tyrannus de ſuis poematis ita magnificè ſenſit, ut ad ea decantãda in Olympicam panegyrim præſtantiſſimos uoce hiſtriones miſerit. Qui primùm quidem propter uocis præſtantiam in magnam admirationem auditores adduxerunt: mox uerò poematũ uanitate cognita, non ſine magno riſu, deſpectui ſunt habiti. Quo Dionyſius au[illegible] primò triſtitiam, deinde etiam furo[illegible] dit, ut omnes amicos ſuſpectos habere inciperet. Diodorus Siculus lib. 15.

De ALEXANDRI Magni iudicio de poematis inepto, Horatius lib. 2. Epiſt. 1. per contentionem ſic ſcribit:

Gratus Alexandro regi magno fuit ille
Chœrilus, incultis qui uerſibus, & malè natis
Rettulit acceptos, regale numiſma, Philippos.
Sed ueluti tractata notam, labemq; remittunt
Atramenta, ferè ſcriptores carmine fœdo
Splendida facta linunt. Idem rex ille, poema
Qui tam ridiculum, tam carè prodigus emit,
Edicto uetuit, ne quis ſe præter Apellem
Pingeret, aut alius Lyſippo duceret æra
Fortis Alexandri uultum ſimulantia. Quòd ſi
Iudicium ſubtile uidendis artibus illud
Ad libros, & ad hæc Muſarum dona uocares,
Bœotum in craſſo iurares aëre natum.

Apud Hom. Achilles uenientibus ad ſe legatis Græcorum Patroclo iuſſit, ζωρότερον δὲ κέραιε, hoc eſt, Meracius infunde, οἱ γὰρ φίλτατοι ἄνδρες ἐμῷ ὑπέασι μελάθρῳ, Namque meas uenère uiri cariſſimi ad ædes. Id quaſi Achilli non conueniret, reprehendit ZOILVS. Qui non conſiderabat primùm, cùm cognoſceret Phœnicem & Vlyſſem Achilles, ætate uiros grauiore nõ delectari uino diluto, ſed ut cæteros ſenes meraciore, intẽdi cum iuſſiſſe uinum, quod diffunderetur. Deinde qui diſcipulus eſſet Chironis, nec rationis uictus rudis, reputaret nimirum deſidentibus & feriantibus præter morem corporibus, laxiorem & molliorem uictum conuenire. Siquidem equis cum reliquo pabulo obiicit apiũ, non temerè: ſed quoniam otiantium præter conſuetudinem equorum pedes, uitium contrahunt, cui incommodo potiſſimùm occurrit apium. Aliis certè equis haud inuenias in Iliade apium uel alium eius generis paſtum obiicientẽ. Verùm Achilles, qui medicus eſſet, cùm equorum pro temporis ratione conuenientem curam agebat, tum corpori rationem uictus leuiſſimã, ut in otio ſaluberrimam parabat. Enimuero quòd uiros, qui totum diem in prælio & certamine fuerant, non pari exiſtimaret accipiendos uictu, plus diluì iuſſit uinum. Plut. lib. 5. Conuiu. quæſt. 4.

Phœnix apud Homerum, in cuius caput pellicis cauſa execratus fuerat pater, inquit:

Hunc ego conſtitui diſtricto occidere ferro.
Verùm aliquis diuûm bilem tenuit, populo qui
Subiecit rumorem, hominumq; opprobria multa,
Percuſſor patris ne dicerer inter Achiuos.

ARISTARCHVS aliqua religione adductus, uerſus hos expunxit: cùm tamen tempori ſint accommodati, erudiente Phœnice Achillem, quid ira ſit, & quò per bilem homines progrediantur, quando frenum rationis mordent, nec lenientibus moleſtias auſcultant. Plut. de Aud. poet.

Sæpe multumque ſuis tragœdiis antitheta intertexebat Agathon. Ea cùm QVIDAM, uelut emendaturus, ex dramatis ipſius tollere uellet: Quid, inquit, bone uir? quomodo tuijpſius oblitus es, ut Agathonem ex Agathone reiicere, atq; delere coneris? Adeò his delectabatur, ut ea ſuam tragœdiam efficere putaret. Aelianus lib. 14. Var. lect.

Memoriæ proditum eſt, Euripidẽ ab ARCHELAO rege Macedoniæ, cuius in fide ac clientela eſſet, rogatũ, ut de ſe Tragœdiam ſcriberet: Ne, inquit ille, Iupiter, ne tantum mali. Scaliger lib. 1. Poetices cap. 6. ex Diomede grammatico.

Nemo feſtiuiùs pecuniæ tyrannidem deſcripſit, quàm Euripides in Bellerophonte. Referuntur à Seneca lib. Epiſt. 21. epiſt. 116. uerſus iſti conuerſi:

Sine me uocari peſſimum, ut diues uocer.
Nemo an bonus: an diues, omnes quærimus.
Non quare, & unde: quid habeas, tantùm rogant.
Vbique tanti quiſque, quantum habuit, fuit.
Quid habere nobis turpe ſit, quæris? nihil.
An diues, omnes quærimus: nemo an bonus.
Aut diues opto uiuere, aut pauper mori.
Bene moritur, quiſquis moritur dum lucrum facit.
Pecunia, ingens generis humani bonum:
Cui non uoluptas matris, aut blandæ poteſt
Par eſſe prolis, non ſacer meritis parens.
Tam dulce ſi quid Veneris in uultu micat,
Meritò illa amores cœlitum atq; hominum mouet.

Cùm hi, inquit, nouiſſimi uerſus in tragœdia pronunciati eſſent, totus POPVLVS Athenienſis ad eiiciendum & actorem & carmen conſurrexit, uno impetu: donec Euripides in medium ipſe proſiliit, petens, ut expectarent, uiderentque, quem admirator auri exitum faceret. Dabat in illa fabula pœnas Bellerophontes, quas in ſua quiſque dat. Eraſmus in Adagiis.

ATHENIENSES Bacchanalium certamine Dionyſium tyrannum Syracuſanum uictorem de Tragœdis declararunt. Acceperat ille multo antè oraculum, tum ſibi pereundum, cùm meliores uiciſſet. Diod. lib. 15.

Ariſtoteles, ne bis in philoſophiam peccandi occaſionem daret ATHENIENSIBVS (apud quos, inquit, ὄγχνη ἐπ' ὄγχνῃ γηράσκει, σῦκον δ' ἐπὶ σύκῳ, ad ſycophantas & calumniatores alludens) exilio ſolum uertit, impietatis accuſatus ab hierophanta Eurymedonte, quòd tale carmen in Hermiam Atarnenſem eunuchum Mitylenęorum principem ſcripſiſſet, referẽte Laertio, emẽdante Iul. Cæſare Scaligero.

Ἀρετὰ



Ἀρετὰ πολύμοχθε
γένει βροτείῳ,
θήραμα κάλλιστον βίῳ,
σᾶς πέρι παρθένε μορφᾶς
καὶ θανεῖν ζηλωτὸς ἐν Ἑλλάδι πότμος,
καὶ πόνους τλῆναι μαλεροὺς
ἀκάμαντας· τοῖον
ἐπὶ φρένα βάλλεις
καρπὸν τ' ἀθάνατον,
χρυσοῦ τε κρέσσω, καὶ γονέων
μαλακαυγήτοιό θ' ὕπνου.
σοῦ δ' ἕνεκεν ὁ δῖος Ἡρακλῆς
Λήδας τε κοῦροι πόλλ' ἀνέτλασαν,
ἔργοις σὰν ἀγρεύοντες δύναμιν·
σοῖς δὲ πόθοις Ἀχιλεὺς,
Αἴας τ' Ἀΐδαο δόμους ἦλθον·
σᾶς δ' ἕνεκεν φιλίου μορφᾶς
καὶ Ἀταρνέος ἔντροφος
ἀελίου χήρωσεν αὐγάς·
τοιγὰρ ἀοίδιμον ἔργοις
ἀθάνατόν τε μιν αὐξήσουσι Μοῦσαι
Μνημοσύνης θυγατέρες,
Διὸς ξενίου σέβας αὔξουσαι,
φιλίας τε γέρας βεβαίας.

Scolium hoc carmen pleriq; Grammatici uocant, & Athenienſes ſtupiditatis accuſant, qui Pæana ſoli Deo debitum hunc putarint eſſe. Nam cùm careat acclamatione, ἰὴ παιὰν, Pæana dici non poſſe. At Scaliger lib. 1. Poet. c. 44. Pæanas etiam ſine acclamatione dari oſtendit, neq; diis tantũ cum acclamatione ob uictoriam de hoſtib. partam tribui, ſed uirorum etiam fortium laudes iiſdem celebrari, ſine acclamatione tamẽ. Neq; in Hermiam tantũ, ſed etiam in Lyſandrũ Lacedæmoniũ Pæana ſcriptum, qui in Samo olim publicè canebatur. Quemadmodum Delphis alter in Craterum Macedonem, admodulãte lyra puello impubere. Itaq; uel ſtupidos planè fuiſſe Athenienſes in poemate diiudicãdo, uel certè malignos.

Nero Imp. recitauit carmina non modò domi, ſed in theatro, tanta VNIVERSORVM lætitia, ut ob recitationem ſupplicatio decreta ſit, atq; pars carminum aureis literis Ioui Capitolino dicata. Suetonius.

ROMANI populi in diiudicandis poematis ſtultum iudiciũ, Horat. lib. 2. Epiſt. ad Auguſtũ eleganter reprehendit.

HADRIANVS VI. natione Belga, ad pontificatum euectus, odio poetices Paſquillum in Parione, de principibus uiris liberè obloquentem, abolere, inq; Tyberim præcipitare cogitauit. Sed Ludouico à Corduba, principe Sueſſano, Caroli V. apud Pont. legato diſſuadente, Quòd Paſquillus uel in imo uado ranarum more nõ eſſet taciturus: reſpondit Pontifex: Exuratur ergo in calcem, ne eius ueſtigij ulla omnino memoria ſuperſit. Tum rurſus Sueſſanus, Rectè, inquit, ſed tam crudeliter concremato, poetæ clientes non deerũt, qui patroni cineres inuidioſis carminibus proſequantur, & ſupplicij locum quotannis ſtatuto ſolenni die concelebrent. Quibus uerborum luſibus, Pontifex ab iracundia ad iocos hilaritatemq; ſenſus omnes leniſſimè reuocauit. Iouius in Hadriano VI.

CERTAMINA POETICA.

Inter maiorum auctorum partem conuenit, in Sicilia inuentũ carmen Bucolicum, appellatumq; βουκολιασμόν. Propoſitis uerò præmiis certare conſueuiſſe PRISCOS, nõ uaſis aut bucula, aut capro, ſed pane, in quo eſſent ferarum expreſſæ imagines: ipſi aut ſtantes, aut ſedentes, aut ducentes gregẽ, cum pera erant omnium ſeminũ referta genere, quod Græci πανσπερμίαν nominant. Habebãt etiam uinum in utre caprino: & ad manum baculum paſtoralem, quod Latini Pedum, ab uſu conſiſtendi atq; adhærendi, Græci καλαύροπα, & à uenatione λαγωβόλον uocant, etiam κορύνη dictum, à clauæ ſpecie, quam præ ſe fert craſſitie capitata. Nodoſus erat pręterea, cuiuſmodi deſcripſit Maro, & nos nunc quoq; uidemus è ſpino arbore, aut corno, æneis circulis obeũtibus, atq; umbilicis adornatum. Canebant autem coronati. Ceruorum quoq; cornua propoſita illis certaminibus legimus. Victi uictor panem, peram, utrem auferebat: atq; ex eo libabat Muſis. Victus abibat per ſuburbia ac uiculos: neque enim ei urbem ingredi licebat. Panẽ quoq; rogare ad ueſcendum ex præſcripta lege mos fuit: quippe qui ſuum iuſto in certamine amiſiſſet. Victor urbẽ abibat Syracuſarũ: in qua manendi, quoad ei liberet, ius fuit. Tantum uerò aberat, ut panem rogando uicti conditione uteretur, ut ultrò ciuium limina tum frugibus tum uino aſpergeret, porriciens libamenta cum cantu hoc:

δέξαι τὰν ἀγαθὰν τύχαν, δέξαι ὑγίειαν,
τὰν φέρομες παρὰ τῆς θεοῦ, τὰν ἐκαλέσσατο τήνα.

E quibus percipiamus carminis luſusq; originem à peſtilentię ſedatione: quum in iis ſanitatem quaſi uerbis conceptis profitebantur. Tranſiit deinde in artem luſus, atq; etiam in quæſtum abiit. Circumire igitur prouincias, & certare in Italia, qui ſe βουκολιαστὰς prædicarent, atq; alio nomine λυδιαστάς. Vnde & ludionum uox perpetua manſit Latinitati. Inter quos ea tempeſtate præſtitit Daphnis, adeò ut heroũ ritu, à paſtoribus certatim eius interitus fuerit celebratus. Vtebantur autem muſico inſtrumento, quam Græci à ſibilo σύριγγα, Latini ab hiatu, fiſtulam nominant: materia arundinacea, aut à cicutis petita. Singulares primùm tubuli, mox bini cohærentes lino & cera. Setas quoq; (ut ad manum eſſent, quàm linum, magis præſtò) pro lino in uſu fuiſſe arbitror. Pòſtremò ad ſeptenos uſq;, magnitudine omnes inter ſe impares, ſed proportione certa ad alæ figuram: in ſummo qua inflabantur æquales, inæquales, qua exit ſpiritus. Deſcripſit & materiam & modum & numerum poeta illo uerſu: Eſt mihi diſparibus ſeptem compacta cicutis Fiſtula. Scaliger lib. 1. Poetices cap. 4.

Σκολιὰ μέλη, in quibus uirorum fortium laudationes continebantur, nihil à Pæanib. differunt, niſi materia ſiue argumento. Canebantur in conuiuiis, in quib. poculum circulatum ᾠδὸς appellabatur, quod non liceret abſq; cantu uel propinare uel excipere. Eius meminit Tryphon Grammaticus, ἐν ὀνομαστικοῖς. Nec differebant Pæanes à Scoliis, niſi acclamatione, quæ pæanibus erat peculiaris: ἰὴ παιὰν. Quod Græci epiphthegma uocabant, & ἐπίρρημα. Tametſi hoc quoq; poſtea deſitum eſt. Nõnulli putarunt Scolion carmen eſſe conuiuiale, quod à primo cœptum, nequaquã à proximo, ſed ordine flexuoſo ultrò citroq; exciperetur. Neq; hoc diſplicet: conuenit enim cum poculo, quod canenti pręmiũ propoſitum dicebamus. In nuptiis cani ſolitũ à diſcumbentib. lauro aut myrto coronatis, nemo dubitat. Tres recitãdi modi: unus, quum plures concinebant, ut in choris & nuptiis: alter quũ in conuiuiis nõ ſuccedebant ſeriatim, ſed ut cuiq; uiſum fuiſſet, à cantu myrti lauriue ramus dabatur ei, q magis idoneus iudicaretur: alij malunt à primo lecto cœptũ, altrinſecus primo lecto datum ramum ſimul cum cantionis iure: inde ab illo ei, q ſecundus erat in aduerſo lecto: ab hoc ei, qui exaduerſum in altero ſecundo diſcumbebat. ita erat σκολιὸν, ſicuti reptatio ſerpentum, & quaſi ſerræ dentes. Carminis uerò materia non ſolùm erat in laudibus uirorũ fortium, ut putarunt quidam: ſed etiam in cõmunibus ſententiis & adagiis, & quocunq; genere adhortationis ad bene beateq; uiuendum. Eo carmine qui uiciſſent, poculo donabantur, quod à cantu illo ᾠδὸς dicebatur: cùm cęteris in certaminibus acciperent Lyrici iuuencam, quã & immolabãt, & hircum Tragici, taurum Epici. Bucolici uel uini, uel lactis libatione contenti erant: idq; Apollini, Muſis, Baccho, Inuo & Gratiis. nam cætera præmia à uicto auferebant, nõ ea ab iudice donabantur. Scaliger lib. 1. Poetices, cap. 44.

EPHESII, dedicato templo Dianæ, ampliſſimis pręmiis poetas ingenioſiſſimos, ut in Deam carmina diuerſa componerent, inuitarunt. Macrob. lib. 5. Saturn. c. 22.

POETIS hymnos in Bacchi honorem canentibus, taurus pro præmio dabatur.

Olympiæ in ELIDE, poetæ accepto themate, carminibus certabant, uictorq; coronã ferebat donũ. Alex. lib. 6. c. 19. Vicit ibi per hiſtriones recitatis ſuis comœdiis Dionyſius Syracuſiorum tyrannus. Vide Tit. Poetæ inepti. itẽ, Poeticæ ſtudiũ.

DELPHIS ad Pythios ludos citharœdi, tibicines & fidicines concurrebant. Idem.

SPARTÆ in certamine poetarum præmium erat ex farina & melle, quod Syrmeam dixère. Alex. lib. 5. c. 8.

HESIODVS poeta Cumæus, in certamine Muſices repulſus fuit, eo quòd non didicerat unà cum cantu citharam pulſare. Pauſan. apud Volat. lib. 15. Anthrop.

Apud ATHENIENSES moris erat in feſto, quod Lenęũ appellant, poetas inter ſe cõcertare, ſcriptis carminibus ad riſum concitandũ accõmodatis, quæ ſedentes in plauſtris pronunciabant, inuicem ſibi conuitia dicentes. Eraſm. in adag.

TRAGOEDI olim quatuor celebritatib. feſtis certabãt, Dionyſiis, Lenęis, Panathenęis, & Chytris: quartum autem poema erat Satyricum. Laert. in Platone.

Cùm Theſei oſſa à Cimone ex inſula Scyro Athenas reportata eſſent, populus in Theſei memoriam tragœdorũ celebratum iudicium conſtituit. Nam cùm primã fabulã SOPHOCLES etiamnũ iuuenis dediſſet, contentio aũt eſſet & concertatio ſpectatorum, Arepſion archon non erat ſortitus iudicẽs certaminis. Vbi uerò Cimõ cum collegis ducib. theatrum ingreſſus ſolẽnia libamina deo fecit: non dimiſit eos, ſed illos decẽ ex ſingulis tribubus ſingulos coegit iuratos conſidere & diſceptare. Exceſſit autem ob dignitatẽ iudicũ, certamen ambitionem. Victore Sophocle, AESCHYLVM fama tenet diſcruciatum, atq; id iniquo animo ferentẽ, non diu Athenis hæſiſſe, inde profectum fuiſſe ex indignatione in Siciliam: ubi defunctus quoque, & circa Gelam humatus eſt. Plutarchus in Cimone.

Apud

Apud ueteres Græcos quæſtiones ænigmaticas inuicem ponere receptum erat. Ad Amphidamantis exequias Chalcidem clariſſimi POETÆ, eius ætatis ſapientiſſimi, conuenere. Fuerat uir politicus Amphidamas, uexatisq; multum Eretrienſibus in cōflictibus de Lilanto occubuit. Cùm compoſita à poetis carmina ſpinoſum & contortum propter æmulationem iudicium facerent, ac nomen certatorum HOMERI & HESIODI magnam perplexitatem iudicib. incuteret, deflexerunt ad huiuſmodi quæſtiones: Ac poſuit, ut auctor eſt Leſches, Homerus:

> Muſa mihi memora, quę nam nunquam ante fuerunt;
> Poſtque futura haud ſunt.

Reſpondit Heſiodus extemporè:

> Cùm Iouis ad tumultim ſonipes contriuit equorum
> Par celeres currus, palmæ cauſa properantum.

Hinc præcipuè in admiratione habitus, dicitur tripodē obtinuiſſe. Plut. in Conuiuio.

Peliam Acaſtus filius funerans, certamē poeticum commiſit: in quo uictrix fuit SIBYLLA. Plut. lib. 5. Conu. quæſt. 2. ex Aceſandro in libro de Lybia.

Polemon Athenienſis de theſauris Delphicis ſcripſit: ibiq; refert, in theſauro Sicyonio librum fuiſſe dedicatū ARISTOMACHES donum, Erythreæ, poetriæ, quæ ludis Iſthmiis uictrix fuit. Plut. lib. 5. Con. quæſt. 2.

Artemiſia Cariæ regina Mauſoleum dedicatura, uiros literatiſſimos è tota Græcia ad funebria certamina euocauit. Certarunt tragœdiis THEODECTES Phaſelites, Naucrates Erythrę⁹, Iſocrates Apolloniates, & Theopōpus Chius. Quidam Theodectem, alij Theopompum uictorem fuiſſe aiunt. Suidas & Gellius lib. 10. cap. 18. ex Hygino.

Scyrum inſulam, Dolopibus loco eiectis, Cimon Athenienſis ſubegit, unde Theſei oſſa, ſepulcro multa cura inquiſito, triremi una Athenas deportauit. In cuius rei memoriam tum primùm conſtitutū eſt Poeticum certamen, in quo Aeſchylus Tragicus iam ſenex à SOPHOCLE penè puero uictus ex Athenis in Siciliā nauigauit, uoluntarij exilij cauſa, ibiq; uita defunctus apud Gelam ſitus eſt. Sab. lib. 3. En. 3. ex Plut.

NICERATVS Heracleota & ANTIMACHVS Colophonius Lyſandria poemata egerunt. Lyſander Nicerato coronam auream, Antimacho nihil donauit. Antimachus indignatus, carmina ſua aboleuit. At iuuenis adhuc Plato, Antimachi ingenium admiratus, eum ſic ſolari cœpit: Id uerò eſt ignorantium uitium, ut meliora deteriora iudicēt. Plut. in Lyſandro.

EVRIPIDES Tragicus LXXV. Tragœdias ſcripſit, & quinq; ſolis uicit: ſuperatus ab ignauiſſimis poetis. Gellius ibidē ex Varrone.

MENANDER Comicus CV. fabulas ſcripſit, ex quibus tamē omnib. ſolis octo uicit, teſte Apollodoro in Chronicis. Victus à Philemone, iudicū inuidia, ad eum conuerſus: Quæſo, inquit, Philemon, bona uenia dic mihi, cùm me uincis, non erubeſcis? Gell. lib. 17. c. 4.

THESSALO & ATHENODORO tragœdis in certamē inter ſe deſcendentibus, ſumtum præbuerunt reges Cypri, iudices fuerunt delectiſſimi duces. Vt palmam tulit Athenodorus: Mallem, inquit, Alexander regni portionem amiſiſſe, quàm Theſſalum uidere uictum. Cæterùm neq; uerbum cum iudicibus commutauit, neq; de iudicio eſt queſtus, q' omnibus debere exiſtimaret ſe præcellere, concedere tamē iuſtitiæ. Plut. orat. 2. de Alex. fortuna.

Inter Reges Alexandriæ & Pergamenos hæc (ut Galenus ait) præclara contentio fuit prę ardore ac ſummo ſtudio literarum, uter maiorem copiam ueterum librorum in Bibliothēca compararet. Quamobrem in hac Pergami ducenta millia narrat Plutarchus Chæroneus in M. Antonio: in altera, Gellius millia ſeptingenta fuiſſe uoluminum. Sed uti numero uicere Ptolemæi reges, Attalicos: tum eo maximè, quòd cùm nulla alia re magis diſciplinæ propagātur, quàm æmulatione & contentione. Muſis atq; Apollini ludos dedicarunt, quibus ut Athletarum, ſic omnium ſcriptorum uictoribus honores ac prēmia darentur. His ita inſtitutis, & cùm ludi adeſſent, iudices literatos legi placuit, q̄ probarent ea, quæ primò, quæ ſecundò, quæ deinceps meliora dicerētur. Lecti ſunt alij, ſed & ſeptimus quidē Ariſtophanes, qui prę fectus Bibliothecæ, ſummo ſtudio ſummaq; diligentia ſingulos libros ex ordine quotidie perlegebat. Ergo iudices cùm ſediſſent, & primo POETARVM ordine ad certationem inducto, dum ſcripta recitabantur, alij quidem id obſeruabāt, quibus carminibus applauderet maximè uniuerſus populus. Itaq; ſententiā rogati ſeparatim, omnes in eoſdem conuenère. neq; enim eum optimum poetam, oratorem, eſſe, non uideri poſſe, qui omnibus placeat. Veruntamen Ariſtophanes, cùm ab eo ſententia rogaretur, eum primum pronūciari iuſſit, qui minimè populo placuiſſet. Quo rex & uniuerſus populus cùm uehementer indignaretur, dixit, Oportere iudicantes non furta, ſed ſcripta comprobare. Vnum eum autem eſſe poetam, cæteros aliena recitauiſſe. Itaq; memoria fretus, ex armariis quibuſdam innumera uolumina protulit, quæ cum iis conferēdo, quæ ab aliis recitata erant, coegit eos furtum de ſe confiteri. Quare hac de cauſa dicitur Ptolemæus, ut cum iis furti ageretur, imperaſſe: & cognitione facta, damnatos eos eſſe ſumma cū infamia. Mihi uerò placet non furtum, ſed peculatum appellare: quia quod totius poſteritatis amantiſſimi illi præclari auctores uſui publico ſuis monumentis conſecrarunt, auferri, intercipi, in rem ac nomen alterius uerti nō poſſit abſque publica iniuria; plagio & ſacrilegio: quę extra ordinem certè puniri debent. Porrò aliena prędicare pro ſuis, & aliis uiolandis, non propriis cogitationibus & inuētis gloriam quærere, impium profectò & mali exempli eſt. Nam ſi omnes, qui antea fuerunt, Oratores, Poetæ, Hiſtorici, Philoſophi, ſuam ſibi laudem ereptam, alijs conceſſum iri cogitaſſent, inteſtati deceſſiſſent, hoc eſt, eam ſummā eruditionē, quam multis lucubrationibus adepti ſunt, inuidiosè poſteritati ſuppreſſiſſent, ne quid ſecundùm eorum tabulas poſſideret. P. Aerodius ex Vitruuio, lib. 7.

NICOMACHVS Athenienſis tragicus, incertū qua fortuna, EVRIPIDEM & THEOGNIM tragicum uicit. Gyrald. in hiſt. Poet.

PINDARVS poeta Thebis, in contentione imperitis auditoribus uſus, ſuperatus eſt à CORINNA quinquies, tū quia Corinna Aeolicè ſcripſerat, Pindarus Doricè, tum quia pulcritudine ſua iudicum animos flexerat. Redarguens uerò ruditatem ipſorum Pindarus, uocauit Corinnam. Quaſi diceret, auditores ignorantia pares eſſe Corinnæ. An potiùs prouocauit ad ipſammet Corinnam: fiducia nimirum ſuæ artis. Aelian. de Var. hiſt. lib. 13. & Gyraldus dialogo 9.

Olympiade prima & ſexta, qua Exænetus Agrigentinus uicit ſtadium, contenderunt inuicem XENOCLES & EVRIPIDES. Et primam palmam conſecutus eſt Xenocles, quiſqs is tandem eſt, Oedipode, Lycaone, Bacchis, & Athamante ſatyrico: cùm Euripides Alexandrum, Palamedem, Troianos, & Siſyphum ſatyricum protuliſſet. Sed iudices aut ſtupidi fuerunt, aut pecunia corrupti. Aelian. lib. 2. Var. hiſt.

Victo Philippo Macedone à T. Quintio Flaminio, Aętoli id decus in ſe tranſtulerūt per ſuos poetas, & præſertim ALCÆVM, qui hoc epigramma edidit, in Philippi ignominiam cęſorum numerum affingens:

> His indefleti campis ſine honore iacemus
> Theſſaliæ, proh, ter millia cæſa decem,
> Aetolis domiti turmis ſimul atque Latinis,
> Quos Titus è lata duxerat Italia.
> Ingens Aemathiæ clades: tumidusq; Philippi
> Spiritus, ut cerui, profugit ille, leues.

Hi uerſus cùm paſſim iactarentur & à multis, T. Quintium quàm Philippum plùs mordebant. Hic enim Alcæum uiciſſim rodens, illis uerſibus comparauit hoſce:

> Quam tu in monte crucem nudatam fronde, uiator,
> Conſpicis, Alcæo figitur aeria.

Plut. in Flaminio.

Quinquennale ludicrū Nero Cęſar primus ad morem Græci certaminis, è Græcia ROMAM traduxit: Iouiq; Capitolino dicauit: in quo tam uerſu quàm proſa oratione, Græcè Latineq;, tum muſica per citharœdos & cithariſtas, tū Gymnicis ludis certabatur. Cùm quinquennali certamine acto, Nero per Clinium Ruffum Nioben ſe pronunciaturum indixiſſet, Lucanus oſtentandi ingenij cauſa Orphea extemporè recitauit, & corona à iudicibus donatus eſt. Alex. lib. 6. capite 19.

NEAPOLI quinquennale certamen fuiſſe tradunt Muſicum & Gymnicum: illorum æmulum, quæ in Græcia ſumma laude celebrabantur. Ibidem.

HORATIVS lib. 1. Sermonum, Satyra 4. inquit:

> CRISPINVS minimo me prouocat. Accipe, ſi uis,
> Accipe iam tabulas: detur nobis locus, hora
> Cuſtodes: uideamus uter plus ſcribere poſſit.

FLORVS in Adrianum Cæſarem luſerat:

> Ego nolo Cæſar eſſe,
> Ambulare per Britannos,
> Scythicas pati pruinas.

Reſpondit uerò ADRIANVS facetè admodum:

> Ego nolo Florus eſſe,
> Ambulare per tabernas,
> Latitare per popinas,
> Culices pati rotundos.

Cæl. lib. 26. c. 23. A. L.

Cùm in conuiuio quodam literatorum, puellæ puerique Anacreontia & Sapphica, & alia amatoria ceciniſſent, & Gręci, qui aderant, præ his Latina omnia contemnerent: ANTONIVS Iulianus Rhetor reſupinus, capite conuelato, uerſus licèt impuros, ſuauiſſimos tamen & mundiſſimos, ueterum poetarum, Val. Aeditui, Portij Licinij, & Catulli, uoce ſuaui decantare cepit. Gell. lib. 19. c. 9.

Domi-



Domitianus Imp. P. PAPINIVM Statium patrem Albano certamine, auro & corona donauit, uictorem in poëſi, & pręceptorem ſuum. Eodem poſtea honore affęcit & filium eius P. PAPINIVM Statium iuniorem. Gyraldus Dialogo quarto hiſtoriæ Poëticæ.

L. VAL. PRVDENTIVS poëta tredecim annos natus, Romæ in certamine ſacro Iouis-Capitolini, omnium iudicum conſenſu inter Latinos poëtas coronatus eſt, ſtatuāq; meruit. Cuius inſcriptio adhuc inter antiqua elogia habetur. Vide Gyraldum Dialogo 5. hiſt. Poëticæ.

AVR. Olympius Nemeſianus, Carthaginenſis, cum quo NVMERIANVS Imp. doctiſſimus in poëtica facultate certauit, ſcripſit Cynegetica, Halieutica & Nautica. Omnibus coronis poëticis illuſtratus emicuit.

[redacted]

EOBANVS Heſſus, [redacted] cū SINAPIO certamen iniit, uter corū diſtichon plurium pedum extemporè facere poſſet. Et hic quidem Hexametrum protulit. Eobanus uerò ſic cepit:

> Mille boues paſcunt, uitulorum millia centum:
> Muſca ſuper uitulum quemlibet una ſedet.

Sic uictor abiit: quòd nihil referre diceret, metrici ne pedes, an ζωτικοὶ intelligerentur.

Mos eſt GERMANORVM puellis, æſtiuo tempore ſertis caput ornare, & poſt cœnam in compitis choreas in orbē ducere. Accedunt iuuenes, & cantare & reſpondere parati, qui carmina patrio idiomate in uirginum choro decantant, & uariis ænigmatibus, ita ut coram uirginibus decet, honeſtè certant. Victori ſertum cedit eius uirginis, quam pulcerrimam iudicarit. Amatoria quidem certamina, ſed honeſta tamen, & coniugij ueluti præludia: quibus & uocis & ingenij ſpecimen edunt iuuenes, à crapula interim uel turpialea abſtinentes.

## RHAPSODI.

Rhapſodiæ cognomentum Piſiſtrati opera inuentum putant, qui quum Homeri carmina ſparſa ac diuulſa offendiſſet, atque digeſſiſſet: à cantu & ſutura fecit, ut ῥαψῳδία diceretur. Verùm ante Piſiſtrati tempora & nomen hoc extitit, & opera diuerſa fuit. Heſiodi profectò carmen extat,

> μέλπομεν ἐν νεαροῖς ὕμνοις ῥάψαντες ἀοιδήν.

Quo apertè uidemus ῥαψῳδεῖν eſſe uerſuum ipſam cōmentationem. Atq; ita & Philochorus eſt interpretatus: & Nicocles ait, primum omnium Heſiodum etiam ante Homerum ῥαψῳδῆσαι. Aelianus in XIII. Variæ hiſtoriæ, Homeri carmina diſſita ac penè diſcerpta fuiſſe ſcribit: quæ particulatim canerent priſci, & Lycurgum Lacedæmonium uniuerſa Homeri opera ex Ionia primum omnium in Gręciam portaſſe: quæ in duo corpora Iliadem atq; Vlyſſeam compoſuerit Piſiſtratus. At idem in octauo ſcripſit, non Piſiſtratum, ſed Piſiſtrati filiū Hipparchum, primum Homeri uerſus Athenas importaſſe: & Rhapſodos Panathenaicis feſtiuitatib. eos canere inſtituiſſe, ſatis conſtat, non ſolùm eos, qui Homericos uerſus, uerumetiam, qui & Sophoclis & aliorū recitarent, nominatos ῥαψῳδούς. At illi neq; diſperſi fuerant, neq; diſſiti, quos conſuerent. Quare Homeri carmina ob excellentiā Poëtæ ita eſſe dicta uidentur: propterea, quòd & aliis pręferrentur, & frequentiùs recitarētur ab iis, qui ſunt ὁμηρίδαι appellati: ſiue ab officio, ſiue ut aliqui uoluère, quòd ex eius familia illius cantum tanquam hæredes circumferrēt. CINÆTHVM appellatum produnt eum, qui primus Homeri carmina publicis conuentibus recitauit. Neq; enim uerum eſt quod aiūt, Demetrium Phalereū primùm dediſſe eos, quos Homeriſtas cognominarunt: Nam Homeridarum appellationē etiam apud Pindarum legimus. Plato in Ione ῥαψῳδοὺς non ſolos cantores, aut recitatores τῶν ἐπῶν, ſed & interpretes agnoſcit. Eoſdem uerò nō modò ῥαψῳδοὺς ſed ῥαβδῳδοὺς quoq; dictos, legere eſt: itēq; ῥαβδωροὺς & ῥαβδῳδούς: quippe cū ſcipionibus prodibant rubris, qui Iliadem profitebātur: ſignum illud cædiū & cruoris: croceis, qui Vlyſſeam: quòd eiuſmodi colore exules deſignarentur. Menæchmi ſententia nę digna quidem eſt, quæ refellatur: quū ait ῥαβδῳδούς idcirco dictos, quia uerſus ipſi à quibuſdam ῥάβδοι ſint appellati. Illuſtrium autem Rhapſodorum nomina hęc, MNASION, CLEOMENES, HEGESIAS, HERMOPHANTVS: quorum aliqui non Homeri ſolius, ſed Heſiodi, Empedoclis, Archilochi, Mimnermi, Phocylidis pronunciarēt. Neq; Heroica tantùm, ſed & Simonidę, & Archilochi. Scaliger lib. 1. Poëtices c. 41. & Cæli⁹ lib. 7. c. 29. A. L. De iis ſic Athenęus lib. 14. c. 7. inquit: Eos, qui nunc Homeriſtæ nuncupantur, primus Demetrius Phalereus in theatra introduxit: Antilochi carmina Simonides Zacynthius in ſella ſedēs, in theatris recitabat. Mnaſion Iambos Simonidis recitauit. Cleomenes recitator, Empedoclis expiationes in Olympiacis recitauit. Iaſon lib. 3. inquit: Hegeſiam Comicum, rerum Herodoti hiſtrionem fuiſſe, at Hometicarū HERMODOTVM. Athenæus lib. 14. c. 7.

THALETAS, à Lycurgo Spartam miſſus: ut ad leges ſuſcipiendas Spartanos accenderet.

## PARODI.

*Quemadmodum Satyra ex Tragœdia, Mimus è Comœdia: ſic Parodia de Rhapſodia nata eſt. Quū enim Rhapſodi intermitterent recitationem, luſus gratia prodibant; qui ad animi remiſſionem omnia illa priora inuerterent. Hos iccircò παρῳδοὺς nominarunt: quia præter rem ſeriam propoſitam alia ridicula ſubinferrent. Eſt igitur Parodia, Rhapſodia inuerſa, mutatis uocibus ad ridicula ſenſum retrahens. Hæc Scaliger lib. 1. cap. 42. Poeticæ, ubi & de habitu illorum agit.*

EVBOEVS Parius, parodiarū poëta excellentiſs. cùm Athenienſibus maledixiſſet, & in eum idcirco eſſent animaduerſuri, quatuor ſuarum Parodiarum libris fuit liberatus. Sub Philippo Macedone. Gyraldus Dial. 9. Hiſt. poet.

## HISTRIONES.

*Poetæ ueteres ſuas ipſi fabulas docebant. Mox cùm in precio Comœdi & Tragœdi eſſe cepiſſent, inuēti ſunt, qui operam ſuam poetis in agendo locarent, quæſtus dulcedine allecti, perſonatiq; in ſcena apparerent, Græcis ὑποκριταὶ, Latinis Hiſtriones dicti: uel quòd ex Hiſtria primùm ad Thuſcos uenerint, uel quòd Hiſtor uocabulo Thuſco ſignificet ludionē: uel quòd ἵστορες quidam ſint, qui aliorum dicta factaq; quadam palingeneſia in ſcenam producant. Quorum exempla hîc ſubnectere libuit, quòd ueluti ſerui quidam & famuli ſint poetarum. Alia namque ratione; quatenus ſcilicet riſum mouent, & uitæ urbanæ inſeruiunt, ad locum Vrbanitatis pertinent. Porrò quia actio hiſtrionum quoque uidetur eſſe, ne titulos multiplicare cogeremur, ſub Actione rhetorica eam complexi ſumus; præſertim cùm non deſint, qui magna cum ratione Actionem Rhetoricæ propriam eſſe ſtatuant, in Poeticam tamen uelut coloniam paulo pòſt deriuatam fuiſſe, & ab hiſtrionibus ita excultam, ut in alieno quàm in ſuo ſolo & fertilior & ſuauior eſſe uideretur; tanto cum ſucceſſu, ut principes oratorum, Demoſthenes & Cicero, ab hiſtrionibus actionem mutuare non erubuerint: hic à Roſcio, ille à Satyro. Iam quia hiſtrionum non unum eſt genus, operæprecium fortaſſis erit ex Scaligero differentias horum, breuibus attuliſſe. Imitatio poematum fit partim Voce, partim Motu corporis. Voce, Nō modulata, quā ueteres Aſſam dixère, Dramatibus inſeruiunt Primariis quidem, Hiſtriones in ſpecie dicti, qui in ſcenam prodibant pedes tecti; comici ſocco, tragici cothurno: Secundariis uerò, tum Mimi, Planipedes dicti, à nuditate pedum, Comœdiarum aſſeclæ: tum Satyri, capripis induti pellibus, Tragœdiarum ſimiæ. At uoce Modulata, eaq; Naturali, Cantores, Chorus ipſe, primùm in ſcena, pòſt extra ſcenam. Artificiali autem, Qui modos tibiis faciebant. At imitatio, quæ Motu corporis fit, Saltatio dicitur. Vnde Saltatores: qui in Orcheſtra ſimul cum Choro & Modos facientibus erant, & in genere Thymelici dicebantur.*

[redacted]

Trygodæmones, apud comicum Ariſtophanem in Ne[redacted] di cuntur POETÆ, quòd fæcibus, quas Græci τρύγας uocant, [redacted]ueti, in iis, curribus inſidentes, ne cognobiles fierent, poëmata concinebant, cauillis probri[redacted] laceſſentes eos, qui præterirent. Hinc quiſquis impudenter nimis conuiciando iniurius eſt, de curru loqui dicitur. Cælius lib. 2. c. 7. A. L.

MÆSON comicus hypocrita Megarenſis, perſonã excogitauit primus, quã de eius nomine Mæſona uocant. Byzantius Ariſtophanes in cõmentatione De perſonis, ab eo inuentã ſcribit ſerui perſonã, nec non coqui. Scõmata quoq;, quibus id genus homines præcipuè ſcoptici mordaceſq; utuntur, Mæſonica uocantur. Cælius lib. 6. c. 17. A. L. ex Athen. lib. 14. c. 31. & Eraſmus in Adagiis.

NICOSTRATVS comœdiarum actor talis apud Græcos, qualis apud Romanos Roſcius. Propter cuius artis peritiã reliquit locũ prouerbio, Ego faciam omnia more Nicoſtrati. Cælius lib. 14. c. 17. & Eraſmus ex Suida.

L. ROSCIVS GALLVS comœdus, præceptor Ciceronis in pronunciationis & geſtus exercitatione, quẽ is propterea ſuas uocare delicias conſueuerat, eò uenit præſtantiæ, ut cùm de perfecto aliqua in re uel arte loquimur, Roſciũ dicamus in arte ſua, aut Roſcium in ſcena. Hic cùm obliquos haberet oculos, turpiſq; eſſet aſpectu, primus perſona in ſcena uſus eſt: populus tamen eũ ſine perſona intueri malebat, ob pronunciandi dulcedinẽ. Cic. lib. 2. de Orat. Cicero grauiſſima oratione populũ obiurgauit, quòd agẽte Roſcio tumultum mouiſſet. Conſtat Ciceronem contendere cũ ipſo hiſtrione ſolitum, utrum ille ſæpius eandem ſententiam geſtibus efficeret, an ipſe per eloquentiæ copiã ſermone diuerſo pnunciaret. Quæ res illuc Roſcium prouexit, ut librum conſcriberet, quo eloquentiam cum hiſtrionia cõpararet. Idem in oratione pro P. Quintio ait, Videri ſibi ore duriſſimo, qui præſente Roſcio geſtum agere conaretur. Qui uerò cũ ipſo cõtenderent, eos etiamſi quid antea recti aut uenuſti habere uiſi ſunt, id amittere. Meminit huius & Fabius cùm alibi, tum libro undecimo: Roſcius (inquit) citatior, Aeſopus grauior fuit, quòd ille comœdias, hic tragœdias egit. Dicere ſolebat Roſcius, diſcipulum, quẽ quidẽ probaret, reperire potuiſſe neminem: nõ quòd nõ eſſent quidam probabiles: ſed quia ſi aliquid modò eſſet uitij, id ferre ipſe non poſſet. Item caput eſſe artis, Decere, quod tamen unũ id eſſe, quod tradi arte nõ poſſit. Lib. 2. de Oratore, Quàm ſoleo, inquit, Cicero, ſæpe mirari eorum impudentiam, qui agunt in ſcena geſtum, ſpectante Roſcio. Quis enim ſe cõmouere poteſt, cuius uitia ille non aduertat? L. Syllæ adeò charus fuit, ut anulo aureo ab eodem Dictatore donatus ſit. Tanta præterea tum gratia, tum gloria, ut mercedem diurnã de publico mille denarios ſine gregalibus acceperit. Macrob. lib. 3. c. 7. & Cælius lib. 14. c. 17.

STEPHANIO hiſtrio à Suetonio Togatarius uocatur, quòd primus togatus ſaltauerit fabulas, teſte Plinio. Hunc Auguſtus per duo theatra uirgis cæſum relegauit, quòd circumtonſam in puerilem habitum matronam, ei miniſtraſſe comperiſſet.

RVBRIVS apud Plinium hiſtrio dicitur, cui L. Plancus cognomen impoſuit.

M. OFILIVS Hilarus, hiſtrio & comœdus, quum populo admodum placuiſſet natali die ſuo, conuiuiumq; haberet, edita cœna calida, potionem in pultario popoſcit: ſimulque perſonam eius diei acceptam intuẽs, coronam è capite ſuo in eam tranſtulit: taliq; habitu rigens, nullo ſentiente, expirauit. Plin. lib. 7. c. 53.

SACVLIONEM hiſtrionem M. Brutus in bello contra M. Antonium cepit, teſte Plut.

SPINTER, hiſtrio: à cuius nomine uocatus eſt Lentulus Spinter, quòd eius ſimilitudinem referret maximè.

CASTOR & DOCILIS hiſtrionum ſunt nomina apud Horatium, in Epiſtolis ſcribentem:

Ambigitur quid enim? Caſtor ſciat, an Docilis plus.

Quem tamen locum alij de uno tantùm hiſtrione Caſtore intelligunt: ut ſit ſenſus: In dubium reuocari, an Caſtor plus ſciat, an magis ſit docilis.

M. Brutus Prætor, interfecto Cæſare, ludos quamuis abſens, non intermiſit: Scenicos ipſe Neapolim profectus pleroſq; conuenit. De CANVTIO quodam hiſtrione, qui in ſpectaculis placebat, ſcripſit ad amicos: agerent cum eo, ut in ſcenam eum induceret. Nam Græcum ui adducere nemini ius erat. Scripſit & Ciceroni, orans, ne prætermitteret, quin intereſſet ludis. Plutarchus in Bruto.

## TRAGICI.

SOPHOCLES primus traditur tribus uſus hiſtrionibus. Hinc τριταγωνιστὴς, hiſtrio ſcenicus, qui in tertiis concertat. Sic Demoſthenes oratorem illum nobilem Aeſchinem τριταγωνιστὴν uocat, quaſi tertio hiſtrionum ordine dignus uideretur. Fuerat enim Aeſchines tragicus hiſtrio. Cælius libro 27. c. 21. Antiq. Lect.

PHRYNICHVS tragicus, primus muliebrem perſonam in ſcenam introduxit: milleq; drachmis ab Athenienſib. multatus eſt, quòd fabulam feciſſet Miletum à Dario captam, & in theatro omnibus ſpectatoribus lacrymas excuſſiſ[redacted] Suidas. [redacted]

THEODORO tragœdo Aeropem agente, Alexander Pheræ[redacted] ſium tyrannus miſericordia motus, lachrymas tenere nõ potuit, ſed exurgens abiit: Turpe dicens eſſe, hiſtrionis uoce ficta moueri, cùm à ueris ſuorum ciuium lacrymis non moueretur. Aelianus lib. 14. de Var. hiſt. IDEM ad comicum hiſtrionem Satyrum dixiſſe perhibetur: [redacted]ſum adducere ſpectatores, rem ſtupẽdam: ſed ad lacrymas & ad fletum. Plut. de Suiipſius laude.

ASTYDAMAS hiſtrio Morſimi filius, cui ſtatua in theatro ponenda decreta erat, quòd in agendo Parthenopœum ſeſe gnauiter ac ſcitè geſſiſſet. Itaq; titulum conſcripſit, quo ſuas ipſe laudes complectebatur. Vnde natum adagium, Laudas teipſum Aſtydamæ in modum. Eraſmus in Adagiis.

DIONYSIVS tragicus hiſtrio, uxorem ſuam, licèt formoſiſſimam, nunquam attigit. Aelian. lib. 3.

Fuit THEOCRINES primùm tragœdiarum actor, deinde calumniator & ſycophanta. Vnde & Demoſthenes in oratione pro Cteſiphone, Aeſchinem tragicum Theocrinem uocat. Eraſmus in Chil.

AESCHINES Athenienſis orator, tragœdias egit in ſcena. Ideo Demoſthenes in oratione de Corona, πίθηκον τραγικὸν eum uocat. Quintilianus hypocritam eum fuiſſe dicit, id eſt, hiſtrionem. Plut. in Decem rhetoribus exercuiſſe eum tragœdias ſcribit. Aeſchines ipſe epiſtola quadam ad populum Athenienſem affirmare uidetur, hiſtoricam ſe artẽ deſiiſſe, antequam ad remp. accederet.

CALLIPIDES geſticularius & tragœdiarum hiſtrio, cùm Ageſilao regi occurriſſet, arrogantiùs eum ſalutauit, ſubinde illi ſe oſtentans: arbitratus fore, ut comiter à rege exciperetur. Verùm quum ſeriis rex intenderet, nec animaduerteret ad Callipedem: Non admodum, inquit, noſſe me uideris, ô rex. Tum ſubridens Ageſilaus: At non, inquit, Callipides ille dicelictas? id eſt mimus, Spartanorum uocabulo. Quibus uerbis ludionis tumorem retudit. Eum ſimia geſticuloſiorem Ariſtoteles in Poëtica aſſerit. Plut. in Ageſilao. Cælius lib. 11. cap. 16.

Tragœdia uehementiſſimis conſtat affectibus: ita ut tragœdias agere, uideatur eſſe quiddam inſaniæ ſimillimum. Proinde Lucianus in commentario, cui titulus, πῶς δεῖ τὴν ἱστορίαν συγγράφειν, narrat ABDERITIS ex Euripidis tragœdia, recitante tragœdo Archelao, publicitùs febrim obortã: eam ſeptimo pòſt die tranſiſſe in inſaniam: ita ut omnes ingenti uoce uerſus quoſdam ex Archelai Andromeda pronunciarent. Eraſmus in Adagiis.

POLVS hiſtrio, cùm unicum filium amiſiſſet, Athenis Electrã Sophoclis agens, urnam cum Oreſtis oſſibus, Electræ habitu ferens, pro fictis lacrymis ueras dedit, & ſub Electræ perſona Oreſtem fratrem, ſub propria filium tanto luctu proſecutus eſt, ut omnes ſpectatores ad miſericordiam commouerit. Itaque cùm agi fabula uideretur, dolor actitatus eſt. Gellius lib. 7. c. 5.

AESOPVS tragœdus, amicus Ciceronis, ex hiſtrionica tantas opes ſibi comparauit, ut patinam haberet ſexcentis ſeſtertiis taxatam, filiumque reliquerit Apitium, adeò diuitem & prodigum, ut uniones aceto liquefactos cœnis apponeret. Plinius ait, patrem poſuiſſe in patina aues cantu aliquo, aut humano ſermone uocales, millibus ſex ſingulas coëmtas: nulla alia inductum ſuauitate, niſi ut in his imitationem hominis manderet: dignus prorſus filio, à quo deuoratas diximus margaritas. Volaterranus libro decimotertio, cap. 3. Anthrop.

PVPPIVS tragicus, quoties uellet, populum ad lacrymas prouocabat. Eapropter Horatius Lacrymoſa poemata Puppi uocat.

## MIMI, PANTOMIMI, PLANIPEDES, SALTATORES, THYMELICI.

*Saltatores, agilitatis & roboris corporei nomine inter Corporis exercitia referũtur: at reſpectu Imitationis poeticæ, ad hunc locum pertinent. De Theatrali tantùm ſaltatione hîc agimus, in qua Mimi, præter uocalem imitationem, corporis quoque geſtum adhibent.*





Lesbonax Mitylenæus, planè uir honeſtus ac bonus, SALTATORES Chiriſophos .i. manu ſapientes, nominare ſolitus eſt: ibatq; frequẽter ad illorum ſpectacula, quaſi melior à theatro ſubinde eſſet reuerſurus. Lucianus de Saltatione.

Videtur antiquus ille fabuloſus PROTEVS, ſaltator, quiſpiã aut hiſtrio fuiſſe egregius, qui ſciret ſe in omnia formare, omniaq; imitari, ita ut aquæ humorẽ, & ignis acumẽ per motionum celeritatem imitaretur, leonis feritatem, iram pardalis, arboris ſuſurrum, & omnino, quicquid collibuiſſet, referret. Natalis Comes lib. 8. c. 3. Mythol.

Fuit apud Spartanos comici luſus ſpecies, uerùm ſtudij nõ magni, frugalitatem in eo quoq; affectante ciuitate. Dicendi ꝑtenuis erat formula, argumentum nõ aliud ferè, quàm pomorum furta, & id genus pleraq;. Qui eiuſmodi ludos obirent, ab Laconibus DICELICTÆ nuncupabantur, uelut Scenopœos dicas, & Mimetas .i. imitatores. At pro locorũ diuerſitate conuariant horũ appellationes. Siquidẽ Phallophoros Sicyonij dicunt: Autocabdalos alij: quidã itẽ Phlyacas. Thebani, quibus frequens eſt diſparata ab aliis nomenclatura, Ethelontas. Erant in genere eodem Ithyphalli quoque. Cælius lib. 6. cap. 17. Antiq. Lect. Conſule Scaligerum libro 1. Poëticæ.

De Magœdis, Hilarœdis, & aliis hiſtrionum atq; mimorũ appellationibus, uide Athen. lib. 14. c. 8. & Scaligerũ lib. 1. Poët. c. 52. cuius hæc uerba ſunt: HILARODI (inter quos Simus quũ fuiſſet prꝍſtantiſſimus, SIMODI ſunt poſtea cognominati) prodibant in ueſte candida, uirili, auro coronati. Calceis primùm uſi, deinde crepidis. Similes his Aulodi, Magodi, Lyſiodi. Erat AVLODVS Hilarodo per omnia ſimilis & par. Sed Hilarodus puero puelláue pſallente canebat: Aulodus tibicine modos faciente. Aulodo & Hilarodo præmiũ corona, tibicini & pſaltæ nulla. Ac quemadmodũ hi duo ſimiles: ita Magodo & Lyſiodo argumentum idem, modus diuerſus. Ille muliebribus perſonis uirilia negotia: LYSIODVS muliebria uirilibus agere. Ille ad tympanum: hic ad cymbalum. Introducta hæc quoq; inter fabulas à quibuſdã: ſicut & Mimi & Satyri: Hilarodus à Tragodo, Magodus à Comico. Aiunt Magodos dictos ab argumento, quod primùm propoſitum fuit, Mago producto. Mutata poſtea materia, nihilo ſecius manſit nomen. Hæc ille.

CISSVS adoleſcens Liberi patris hiſtrio ſaltatorq;, dum coram deo Thyaſos exerceret, in terræ hiatum caſu lapſus, interiit, Tellus autem in gratiam Bacchi florem produxit adoleſcenti cognominem. Dionyſius Vticenſis.

HERODOTVS Logomimus, & ARCHELAVS ſaltator, maximè omnium amicorum ab Antiocho rege in honore habebãtur, ut teſtis eſt Hegeſander. Nec mirum profectò, cùm pater eius Antiochus, Soſtrati tibicinis filios in ſuiipſius cuſtodiam receperit. Athen. lib. 1. c. 13.

TELESIS, uel Teleſtes ſaltationum magiſter, multas figuras inuenit, manibuſq; ſummis eas ipſas dictas demonſtrauit. Ita fuiſſe ingenioſum Teleſtem Aeſchyli ſaltatorem, ſcriptũ reliquit Ariſtocles, ut inter ſaltandum ſeptem ad Thebas actum, per ſaltationem res ipſas apertè demonſtrarit. Dicunt prꝍterea THESPESIAM, Pratinam, Cratinum, Phrynichũque antiquos poëtas ſaltatores fuiſſe appellatos, non ſolũ quòd in Chori ſaltationem ſuos actus detulerunt, ſed quia extra etiam ſua poëmata ſaltare uolentes, docebant. Athenæus lib. 1. c. 16.

SATYRVS mimus, familiaris Demoſthenis oratoris, cùm Demoſthenes deploraret ſuum caſum, quòd à populo ſemel atq; iterum exploſus fuiſſet: ſeſe illi condolere finxit: & remedium tamen daturum pollicitus eſt, ſi Euripidis aut Sophoclis aliquot uerſus priùs recitaſſet. Paruit Demoſthenes, & ſuo more, timida molliq; lingua, carmina quædam recitauit. Quæ eadem cùm Satyrus paulo pòſt retuliſſet, eo geſtu eoq; uultu extulit, ut diuerſa planè uiderentur. Hac igitur ratione Demoſtheni oſtẽdit, non artẽ, ſed actionẽ ei deeſſe: &, ut hanc quoq; difficultatem ſtudio euinceret, auctor illi fuit. Plut. in Demoſthene.

THYMELE mulier, prima ſaltationem docuit. Hinc Thymelici dicuntur ſaltatores mimi. Martialis:

Qua Thymelem ſpectas, deriſioremq; Latinum.

Iuuenalis:

Attendit Thymele, Thymele tunc ruſtica dicit.

ATELLANI dicuntur priuatim Perſonati: quoniam id erat illis ius, ne in ſcena perſonam deponere cogerentur: quod hiſtrionibus aliis pati neceſſe erat. Hinc quæ ab iis agebantur fabulæ, peculiari appellatione nuncupabantur Perſonatæ, Cælius lib. 8. c. 8. A. L.

PVBLIVS natione Syrus, cùm puer ad patronum domum eſſet adductus, promeruit eum nõ minùs ſalibus & ingenio, quàm forma. Nam fortè cùm ille ſeruum ſuum hydropicum iacentem in area uidiſſet increpuiſſetq;, quid in ſole faceret? reſpondit, Aquam calefacit. Ioculari deinde ſuper cœnam exorta quæſtione, quódnam eſſe moleſtum ocium, aliud alio opinante, ille, Podagrici pedes, dixit. Ob hæc, & alia manumiſſus, & maiore cura eruditus, cùm mimos componeret, ingentiq; aſſenſu in Italiæ oppidis agere cepiſſet: productus Romꝍ per C. Iul. Cæſaris ludos, omnes, qui tũc ſcripta & operas ſuas in ſcenã locauerãt, prouocauit: ut ſinguli ſecum, cõpoſita inuicem materia, pro tempore contenderent. Nec ullo recuſante, ſuperauit oẽs: in queis & Laberiũ. Vnde Cæſar arridens, hoc modo pronunciauit: Fauente tibi me, uictus es Laberi à Syro. Statimq; Publio palmã, & Laberio anulum aureum cũ quingentis ſeſtertiis dedit. Tũc Publius ad Laberium recedentem ait: Qui cum contendiſti ſcriptor, hunc ſpectator ſubleua. Sed & Laberius ſequenti ſtatim cõmiſſione, mimo nouo interiecit hos uerſus:

Non poſſunt primi eſſe omnes omni in tempore.
Summum ad gradum cùm claritatis ueneris,
Conſiſtes ægrè: & citiùs quàm aſcendas, decides.
Cecidi ego, cadet, qui ſequitur. Laus eſt publica.

Publij ſententias Macrobius lib. 2. c. 7. Saturn. recenſet.

PYLADES Cilix & BATHYLLVS egregij ſaltatores, Auguſti Cæſaris temporibus ſæpenumerò populum concitarũt. Dion & Suetonius in Auguſto. Iuuenalis Satyra 6. Chironomo Ledam molli ſaltante Bathyllo. Italicam inueniſſe ſaltationem dicuntur, ex comica, quæ dicitur Chordax: ex tragica, quæ Emmelia: & ex ſatyrica, quæ Sicinnis nuncupatur: unde Sicinniſtæ ſatyrici dicũtur, cuius inuentor fuit SICINNVS, uir quidam barbarus. Sunt tamen qui Sicinnum Cretenſem fuiſſe arbitrentur. Erat Pyladæ ſaltatio faſtu plena, & affectata laborioſaq; admodum: Bathylli uerò iucundior, quia ſaltationib. erat is idoneus, & cantilenis. Athen. lib. 1. cap. 16. & Plut. lib. 7. Sympoſiacôn. Seneca inquit, Pylades in Comœdia, Bathyllus in Tragœdia, multum à ſe aberant. Cùm in Herculem furentem prodiſſet Pylades, & nonnullis inceſſum hiſtrioni conuenientem non ſeruare uideretur: depoſita perſona, ridentes increpuit, μωροί, μαινόμενον ὀρχοῦμαι. Hac fabula & ſagittas iniecit in populum. Eandem perſonã cùm iuſſu Auguſti in triclinio ageret, & intendit arcũ, & ſpicula immiſit. Nec indignatus eſt Cꝍſar, eodem ſe loco Pyladi, quo pop. Rom. fuiſſe. Hic quia ferebatur mutaſſe rudis illius ſaltationis ritum, qui apud maiores uiguit, & uenuſtã induxiſſe nouitatem: interrogatus ab Auguſto, quæ ſaltationi contuliſſet, reſpondit: αὐλῶν συρίγγων τ' ἐνοπὴν, ὅμαδόν τ' ἀνθρώπων. Macrob. lib. 2. c. 7. Fuit & alter PYLADES Traiano Imperatori cariſſimus, teſte Dione: cuius amore diſcruciatam mulierem Rom. deprehendit Galenus medicus. Brodeus in 1. Epigram.

CLEON Mimaulus cognomento, optimus fuit Italorum mimorum, nulla extrinſecus perſona aſſumta, per ſe ſufficiens hiſtrio. Athen. lib. 10. c. 16.

CYTHERIS mima, cum qua M. Antonius poſt Pharſalicam pugnam uectus eſt curru, quem generoſi ſpiritus leones trahebant. Plin. lib. 8. c. 15.

NESTOREM pantomimũ Caligula etiam inter ſpectacula oſculabatur.

PARIS pantomimus hiſtrio, libertus Domitiæ, Neronis amicæ, Neronẽ tempore cœnꝍ demulcere ſolebat. Cor. Tacitus. Tranquillus ait eum à Nerone occiſum, quaſi grauẽ aduerſarium. Idem ſcribit, Domitianum repudiaſſe uxorem, Paridis hiſtrionis amore perditam. Eum cùm Iuuenalis perſtrinxiſſet in Satyra, ab Imp. in exilium fuit actus.

Proditum memoriæ eſt à Luciano, de Saltatione, Cynicũ Demetrium, cui uilior erat ſaltatio, dicere ſolitum, id genus artificij tibiarum uideri & fiſtularum parerga quædam, quando ipſum argumento conferret nihil; motum modò adhiberet uanum, & ab intellectu ſeiunctum omnino. Id quum inaudiſſet Neronis tempeſtate celebris SALTATOR, multa hiſtoriarum memoria præcellens, & ſaltandi artifex mirus: Quæſo (inquit) Demetri, ne ſit oneroſum, me ſaltantem tua præſentia honeſtare: idq; nullis incinentibus tibiis, aut cantibus prorſum demulcentibus: mox ſi uideretur, id artificij exploderet allideretq;. Adnuit Cynicus. Saltauit ille Veneris adulterium & Martis, Vulcanum à ſole commonitum utriq; ſtruentem inſidias, illos claudi artificis fabri technis irretitos, aſſiſtentes ſpectaculo deos, ſuffuſam rubore Venerem, timidiùs ſupplicantem belli deum, ac quæcunq; fabella continet. Omniaq; tam ſubtili, tamq; artifici geſtu, tanta rerum (quod difficillimum eſt) perſpicuitate, tanta denique uenuſtatis gratia, tamq; plauſibili ingenio, ut exclamaret Demetrius, iam (ut uidetur) hilarior, plurimumq; negotio oblectatus, ἀκούω ἄνθρωπε ἃ ποιεῖς, οὐχ ὁρῶ μόνον, ἀλλά μοι δοκεῖς ταῖς χερσὶν αὐταῖς λαλεῖν: Audio, ô homo, quꝍ facis: nec uideo ſolùm, ſed etiamnum ipſis manib. mihi uideris loqui. Quidam homo regius è Ponto, cùm ex negotio ad Neronẽ Romam ueniſſet, unaq; cum aliis hunc ſpectaſſet ſaltatorem adeò ſaltantem perſpicuè, ut quanquã nihil eorum, quæ canebãtur, audire poterat (erat enim lingua ſemigræcus quiſpiam) omnia tamẽ callidè intelligeret: cùm iterum ad ſuos

regreſſurus eſſet, eumq; Nero benigniùs atq; amantiùs inuitaret,& ſi quid uellet poſtulare liberaliter iuberet, ſeque promtè daturum polliceretur: Da mihi, inquit, hunc ſaltatorem, & me hoc munere plurimùm exhilarabis. Percontante uerò Nerone: Cui rei domi tuæ utilis tibi futurus eſt? Sūt mihi, inquit, uicini barbari, lingua diſpares: ad illos intelligendos, interpretum parare copiam haud mihi promtū & facile eſt: Itaq; ſi alicuius egēs ero, ille innuēs ſingula queq; mihi interpretabitur. Tantùm docilis imitatio, & artifex peritia, concinnusq; ac peragilis motus geſtúſue auctoritatis adeptus erat, ut nec immeritò Pantomimi nomen Italiæ irrepſerit. Cælius lib.5.c.3.A.L.

ALITVRVS Iudæus mimorum actor, Neroni ita carus erat, ut cùm Poppeæ Cæſaris uxori innotuiſſet, confeſtim per eā abſolutionem captiuorum quorundam ſacerdotum, ab Felice ob leuiſſimam culpam Romam miſſorum, impetrarit. Ioſephus in ſua uita.

Canis MIMO cuidam, qui plures perſonas in agenda fabula repræſentabat, adhærens, cùm alios geſtus motibus & negotiis pro argumento reddebat cōuenientes, tum panem medicamento, cuius in illo faciebant periculum, temperatū ſoporifero, fingebatur autem mortiferum eſſe, ſumſit: eoq; deuorato paulo pòſt fingebat tremere ſe lapſariq; & grauedine tentari: deniq; protēſis membris, pro mortuo iacebat, patiebaturq; trahi auferriq; ſe, ut fabulæ argumentū poſtulabat. Vt uerò articulum ex iis, quæ dicebantur & agebantur, aduertit: primū, quaſi ex profundo ſomno ad ſe reuerteretur, leniter mouit ſe, capiteq; elato ſuſpexit. Hinc ſtupentibus omnib. exurgens contulit ſe, ad quē oportebat & decebat, lætus & geſtiens: ut totum theatrum & Cæſar (intererat enim pater Veſpaſianus in Marcelli theatro) permouerentur. Plut. de Animantium comparatione.

FAVO archimimus, in funere Veſpaſiani Imp. perſonam eius tulit, uiriq; (ut moris erat) facta & dicta imitatus eſt. Interrogatis itaq; ab eo procuratorib. exequiarum, quanti conſtaret funus: ut audiuit, ſeſtertiûm cēties: exclamauit, Centum ſibi ſeſtertia darent, ac ſe uel in Tyberim proijcerent. Quib. uerbis taxabat Imp. auariciam, qui indignaretur tantā impenſam in funere ſuo factam fuiſſe. Suetonius.

AGRIPPVS hiſtrio, quem ob uoluptatis ingluuiem ἀπόλαυστον cognominabant, comes L. Veri Antonini Imp. Volater. lib.23. Anthropologiæ.

GENESIVS Arelatēſis patria, mimus apud Domitianū, Chriſtianos turpiſſimis geſtibus irridebat. Tandem & ipſe ſub Imperatore paſſus eſt. Rauiſius.

QVINTILIA mima, à Timidio accuſata, quòd Pompidij ſenatoris animi ac conſiliorum aduerſus Caligulam conſcia eſſet, tam cōſtans fuit in negatione, ut liberata tandem, permulta illi munera ad lenienda mala, quæ pertulerat, collata fuerint. Fulgoſus.

LVCEIA mima centum annis in ſcena pronunciauit. & GALERIA Copiola Emboliaria reducta eſt in ſcenam Cn. Pōpeio, Q. Sulpitio Coſs. ludis pro ſalute D. Auguſti uotiuis, annum 104. agens. Plin. lib.7.c.48.

PELAGIA Antiochena mima, non modò corpus uulgauerat, uerùm Antiochiæ quoq;, ſcenę ac theatro operam ſuam locarat. Hæc poſtea mutato uiuendi genere, cùm in deſerta loca ſe contuliſſet, abſtinentia aliiſq; uirtutibus permultos monachos atq; eremitas ſuperauit: editiſq;, & dum uixit, & poſt mortem, miraculis, in ſanctarum numerum referri meruit. Fulg. lib.6.c.9.

DOMINGVELLVS Hiſpanus mimus aſtutiſſimus, cùm ſciret Lupum Arenem equitem, Zorithæ arcem clàm Alfonſo octauo Caſtulonenſi rege occupaſſe: ueluti alius Zopyrus oſtendit ſe rationem inueniſſe recipiendæ arcis, modò equitē inueniret, qui ficta contentione uulnus ſibi in os inferri pateretur. A rege requiſitus Petrus Didacus, corā Alfonſo cū Dominguello uerbis contendere cepit, ac Lupū proditionis infamia criminari. Dominguellus primò humanè tueri Lupum, atq; hominē excuſare: ſed cùm acerbius eum Petrus urgeret, Dominguellus ſtricto gladio os Petri ꝑcuſſit, ſtatimque ad Lupum Zoritham profugit, factum commemorat. Mox rumore etiā per alios delato, Lupus credulus unum hunc arci prę aliis pręfecit, in deliciiſq; habere cepit. Dominguellus hoc modo inſinuatus, per occaſionem Lupum occidit, atq; à muris ſe demiſit, ut cū rei nuncio ad Alfonſum aduolaret. Haud multo pòſt Lupi nepos ſecutus, Zorithæ arcem Alfonſo reſtituit. Fulg. lib.7.c.4.

## HISTRIONES ET MIMI INEPTI.

*Conſule Tit. Hiſtrionum & Mimorum. Vbi certamina mimorum quædam referuntur, & uirtutes cum uitiis imitationis componuntur.*

ARCHIAS hiſtrio tragicus primùm, inde Antipatro Macedonum regi inſinuatus, ſatellitum dux factus, & Phygadotheras dictus, quaſi uenator exulum & proſcriptorū, rege decē Rhetores ſibi dedi poſtulāte, in Neptuni tēplo, qđ eſt in Calauria inſula, Demoſthenē cōuenit, multiſq; argumentis, ut ſe fidei Antipatri cōmitteret, perſuadere conatus eſt. At Demoſthenes, Nec hiſtrio unquam perſuaſiſti, ô Archia, nec legatus nunc perſuadebis. Ad hæc illo iam cōmotiore, & uultu minabundo extrema minante, Nunc Macedonici tripodis reſponſa pateſeciſti, dixit. Nec mora, ueneno clàm hauſto interiit. Cælius lib.8.c.14.A.L. ex Plut. in uitis Decem, & in Demoſthene.

Priſci LATINI in pagis aut oppidis unico tantū tibicine fabulas agitabant, ad cuius modulatum, uocem ac geſtū accommodabant hiſtriones, alioqui ob imperitiam nō ſeruaturi carminis rationem. Is igitur tibicen poſteaquam uni actori præcinuerat, cogebatur ad alterum huic reſponſurum tranſire, eiq; uiciſſim incentu tibiæ, metri modulos præire, atq; hinc rurſus ad alium: quòd ruſticani homines abſque præeunte tibicine non poſſent aptè ſaltare uerſus aut mimos. Hinc uidetur ortum prou. apud Cic. pro Murena, quādo ait, Iureconſultum inſtructo petitore, Latini tibicinis more tranſire ad eum à quo petitur, & illum ſolennibus uerbis inſtructurum. Eraſmus in Adagiis.

Celebrabantur Smyrnæ Olympici ludi, præſidebat Polemo Sophiſta celebris: tragœdia fortè actitabatur: inibi inſulſus ACTOR, quum, O Iupiter, exclamaſſet, manum in terrā protendere perrexit. Rurſum quum diceret, ὦ γᾶ, in cœlū ſuſpectabat, manum eòdem intentans. Demiratum uerò hominis imperitiam Polemonem ferunt, ex theatro ſe proripuiſſe inſuſurrātem, ἔτος τῇ χειρὶ ἐσολοίκισε, Manu hic ſolœciſmū fecit. Hinc Oratoriarum inſtitutionū primo Quintilianus, in geſtu quoq;, nonnūllos putaſſe ſcribit, ſolœciſmi uitiū ineſſe, quum aliud uoce, aliud nutu uel manu demonſtratur. Cælius lib.20.c.25.A.L. ex Philoſtrato.

In PAVLVM hiſtrionem ineptum, Palladas in ſecundo Epigrammatum ſic ludit:

παύλῳ κωμῳδῷ κατ' ὄναρ φάς ἄπε μένανδρος,
οὐδὲν ἐγὼ κατὰ σοῦ, καὶ σὺ κακῶς με λέγεις.

In ARISTONEM ineptum mimum, Lucillius in 2. Epigrammatum εἰς ὀρχηστάς:

πάντα καθ' ἱστορίην ὀρχούμενος, ἓν τὸ μέγιστον
τῶν ἔργων παριδὼν, ἠνίασας μεγάλως.
τὴν μὲν γὰρ νιόβην ὀρχούμενος, ὡς λίθος ἔστης·
καὶ πάλιν ὢν καπανεὺς, ἐξαπίνης ἔπεσες.
ἀλλ' ἐπὶ τῆς κανάκης ἀφυῶς, ὅτι καὶ ξίφος ἦν σοι,
καὶ ζῶν ἐξῆλθες. τοῦτο παρ' ἱστορίην.

In MEMPHIM Palladas ibidem:

δάφνην καὶ νιόβην ὀρχήσατο μέμφις ὁ σιμὸς·
ὡς ξύλινος, δάφνην· ὡς λίθινος, νιόβην.

Hæc ſic conuertit Auſonius:

Deceptæ felix caſus ſe miſcuit arti:
Hiſtrio ſaltauit qui Capanea, ruit:
Idem qui Niobem ſaltauit ſaxeus, ut tum
Spectator ueram crediderit Nioben.
In Canace uiſus multo felicior ipſa,
Quòd non hic gladio uiſcera diſſecuit.

Et rurſus in eorundem:

Daphnen & Nioben ſaltauit Simius idem,
Ligneus ut Daphne, ſaxeus ut Niobe.

## HISTRIONVM ET MIMORVM CERTAMINA.

ALEXANDER Magnus in Phœniciam ex Aegypto regreſſus, diis honores habuit, pompaſque egit, chorum etiā encyclium & Tragicorum agonas, concertationibus etiam nedum apparatu celebres: quippe fuerunt Cypriorum reges choragi, ſicut apud Athenienſes ſorte ex tribubus electi. Certauerunt mira inter ſe contentione: Nicocreon præſertim Salaminius, & Solius Paſicrates, ſtudio decertauēre acri. quādo his ſorte euenerat, ut hiſtriones maximè conſpicuos exhiberent, Paſicrates Athenodorum: Theſſalum, cui ipſe fauebat Alexander, Nicocreon. Non antè detexit tamen ſtudium ſuum, quàm ſuffragiis uictor eſſet renunciatus Athenodorus. Tūc uerò in digreſſu laudare ait iudices ſe: ſed maluiſſe portionis regni facere iacturam, quàm uidiſſe Theſſalum uictum. Plut. in Alexandro.

Fama eſt, cùm clarus foret mimus Parmenon, AEMVLOS alios ſpecimen ex aduerſo ſui dediſſe. Sed cùm præoccupati homines eſſent, dicerentq;: Præclarè quidem, ſed nihil ad Parmenontis ſuem: attuliſſe unum ſub ala ſua porcellum. Cùm



Cùm autem illi, qui uocem audiebant germanam ſuis, ſucclamarent: Quid hic ad Parmenontis ſuem? dimiſiſſe hunc in medium porcellum, oſtendiſſeq;, ex opinione eos non ex ueritate iudicaſſe. Plut. lib.5. Quæſt. conuiualium 1.

Tragœdiarum actor THEODORVS dixiſſe aliquando ad comicum perhibetur SATYRVM: Non eſſe ad riſum adducere ſpectatores rem ſtupendam: ſed ad lacrymas & fletum. Plut. de Sui laude.

Cùm in Iſthmiis lex eſſet, ut neq; comœdia certaret quiſpiam, neq; tragœdia: NERONI placuit tragœdos ſuperare. Ac prodierunt ad hoc certamen plures quidē: EPIROTA aūt quidā, ut qui uoce optimè ualeret, & ob eā artē etiā celebraretur, & in admiratione eſſet, clariùs ſolito fingebat & coronā amare ſe, & nihil de ſtudio remittere uelle, priuſquàm à Nerone decē talenta pro uictoria acciperet. At ille exaſperabatur, ſimul & inſani more ferebatur: nā & auditus iam ſub ſcena fuerat, in ipſo uidelicet certamine. Acclamantib. autē Græcis, Epirotæ mittit ſcribam, qui iuberet hunc ſubmittere ſibi ſeſe. Sed pergente eo, & ſupra modū attollente uocē, populariterq; ac liberè cum ipſo contendente, immittit Nero in pulpita ſuos hiſtriones, tanquā qui ad hoc negotium pertinerent. Nam & libellos elephantinos & duplices habebant: quibus præ ſe intentis, ueluti pugionibus utebantur. Atque hi Epirotam ad proximam columnam erigētes, guttur ipſius fregerunt, cædētes obuerſis in rectum libellis. Lucianus in Nerone.

Auguſtus, DVOBVS pantomimis inter ſe cōmiſſis, ut alternis geſtibus certarent, alterum dixit ſaltatorem, alterum interpellatorem: quòd ille immodicè geſticularetur, alter nō geſticulari, ſed ſaltantem interpellare uideretur. Eraſmus lib. 4. Apoph. ex Suetonio.

PYLADES hiſtrio, qui primus uetuſtum & inconditum ſaltādi morem decora nouitate permutauit, clarus in opere ſuo fuit temporibus Auguſti, & HYLAM diſcipulum uſq; ad ęqualitatis contentionem eruditione prouexit. Populus deinde inter utriuſq; ſuffragia diuiſus eſt. Et cùm cāticū quoddam ſaltaret Hylas, cuius clauſula erat, τὸν μέγαν ἀγαμέμνονα, ſublimem ingentemq; Hylas uelut metiebatur. Non tulit Pylades, & exclamauit è cauea, σὺ μακρὸν οὐ μέγαν ποιεῖς. Tunc eum populus coēgit idem ſaltare canticū. Cumq; ad locum ueniſſet, quem reprehenderat, expreſſit cogitantem: nihil magis ratus magno duci conuenire, quàm pro omnibus cogitare. Saltabat Hylas Oedipodē, & Pylades hac uoce ſecuritatem ſaltantis caſtigauit, σὺ βλέπεις. Idem cùm ꝓpter populi ſeditionē pro contentione inter ſe Hylamq; habita, concitatam indignationem excepiſſet Auguſti, reſpondit: καὶ ἀχαριστεῖς βασιλεῦ. ἔασον αὐτοὺς περὶ ἡμᾶς ἀσχολεῖσθαι. Macrobius lib.2.c.7. Saturn.

## POETICES STVDIVM, AMOR, HONOR. TVM

### IN SEMETIPSO.

Vt monetæ uſus probatus eſt, ſi ſit notus & uſitatus: ita quoq; ſermonis. Ergo cùm ANTIQVI olim pro orationis moneta uſurparent uerſus, modos & cantus, in omni narratione grandiorem & grauiorem uocem requirente, in ipſis etiam ſacris: PYTHIA quoque Apollinis ſacerdos, ſiue diuino ſiue humano conſilio, ſortes uerſibus dedit, ut ex ipſo orationis genere maieſtas & auctoritas oraculo maior adeſſet. At pòſt cùm philoſophi perſpicuā magis & ſimplicem, quàm ampulloſam & pompoſam orationem ſequi cepiſſent, Pythia eandem amplexa eſt. Plut. de Pythiæ oraculis.

SOCRATES, ubi ex certis inſomniis dedidit ſe poëticæ, non fuit, ut qui per totam uitam ueritatis athleta fuiſſet, artificioſus uel appoſitus mendaciorum architectus. Aeſopi fabellas uerſibus expoſitas putabat fabulās: quaſi poëſis non ſit, cui abeſt mendacium. Sacrificia enim ſine choro & tibia uidemus, at nō uidemus uacantem fabula uel mendacio poëſim. Plutarch. de Audiendis Poetis.

THEOGNIS de ſeipſo ſic ſcribit:

μή ποτέ μοι μελέδημα νεώτερον ἄλλο φανείη,
ἀντ' ἐρατῆς σοφίης· ἀλλὰ τόδ' αἰὲν ἔχων,
τερποίμην φόρμιγγι, καὶ ὀρχηθμῷ, καὶ ἀοιδῇ,
καὶ μετὰ τῶν ἀγαθῶν ἐσθλὸν ἔχοιμι νόον,
μήτε τινὰ ξείνων δηλεύμενος ἔργμασι λυγροῖς,
μήτε τιν' ἐνδήμων.

Nunquam mihi cura maior ſit alia loco amabilis ſapientiæ: ſed hanc ſemper habens, oblecter cithara, & ſaltatione, & carmine: & cum bonis bonam habeam mentem: neq; quenquam externum offendens factis improbis, neq; quenquam ciuium.

DIONYSIVS Maior Siciliæ tyrannus, tragœdiā laudib. euehebat: à comœdia uerò abhorrebat, eo ꝙ ad riſum tantùm accōmodata eſſet. Aelianus lib.13. de Varia hiſtoria.

IDEM, finito aduerſus Carthaginenſes bello, in ſumma pace & otio ad poëmata ſcribenda animum appulit. Et accerſitis in arte ea præſtantiſſimis quibuſq;, in magno eos precio habens, cōmorari eos ſecum, & poematum ſuorū magiſtros & correctores eſſe uolebat. A quibus quum propter beneficia collaudatus fuiſſet, multo magis gloriabatur cauſa poëmatum, quàm quòd in bello præclarè quiddam geſſiſſet. Quinetiam in Olympicam panegyrim præſtantiſſimos uoce hiſtriones eius decantaturos apud populum poëmata miſit. Qui primùm quidem propter uocis præſtantiā in magnam admirationem auditores adduxerunt: mox uerò poëmatum uanitate cognita: non ſine magno riſu deſpectui ſunt habiti. Quo Dionyſius audito, in magnam incidit triſtitiam: qua magis ac magis aucta, tandem furor quoq; animum eius inuaſit, ita ut omnes amicos ſuſpectos habere inciperet, & multos, efficta aliqua cauſa, occideret, nec paucos in exilium mitteret: inter quos erant quoq; Philiſtus & Leptines frater eius, uiri fortiſſimi, & de eo præclarè meriti. Diod. Sic. lib.15. Idem cùm Comœdias & Tragœdias ſuas contemni, & uulgi fabulam eſſe cognoſceret, nulli rei parcebat, ut Aeſchyli pugillares, quibus ille ſua poemata deſcribere fuerat ſolitus, aſſequeretur: quibus adeptis, iam ſe Aeſchyli doctrinam omnem & ſcribendi rationem habere exiſtimabat. Gyraldus Dialogo 7.

APPIVS Claudius cæcus, uir clariſſimus in Rep. Muſis ita deditus, ut ante Liuium & Enniū uerſus feciſſe dicatur, quos Panætius philoſophus probaſſe dicitur, teſte Cicerone.

M. TVL. Cicero puer, poeticę plurimum ſtuduit. Scripſit carmine tetrametro Pontium Glauciam, Arati Phænomena conuertit, Limonem quoq; carmen citat Donatus, elegiā Thalemaſtin inſcriptam. De ſuis temporibus libros tres, itē poëma quod Marius inſcribitur. Carmina tamen eius forū potiùs quàm Caſtalij fontē redolēt, & oratorios potiùs quàm poëticos ſpiritus habent.

Carminibus OVIDIVS ab ineunte ætate deditum ſe fuiſſe, 4. Triſtium 10. canit:

At mihi iam puero cœleſtia ſacra placebant,
Inq; ſuum furtim Muſa trahebat opus:
Sponte ſua carmen numeros ueniebat ad aptos,
Et quod tentabam ſcribere, uerſus erat.

AEGYPTIA gens, poëtices ſtudio mirum in modum inſanit, ita ut ſeria tractans Mercurius ab iis diſceſſerit. Eunapius in Proæreſio.

De ROMANORVM ſtudio erga poëſin ſic ſcribit Horatius lib.2. Epiſt. 1.

Romæ dulce diu fuit, & ſolenne, recluſa
Manè domo uigilare: clienti promere iura:
Cautos nominibus certis expendere numos:
Maiores audire: minori dicere, per quæ
Creſcere res poſſet, minui damnoſa libido.
Mutauit mentem populus leuis, & calet uno
Scribendi ſtudio. Pueri, patreſq; ſeueri
Fronde comas uincti cœnant, & carmina dictant.

### IN ALIIS. TVM

#### IN GENERE.

De Veterū ROM. ſtudio erga poetas ſic ſcribit Ouid. 3. de Arte:

Cura ducum fuerant olim regumq; poetæ,
Præmiaq; antiqui magna tulere chori:
Sanctaq; maieſtas, & erat uenerabile nomen
Vatibus, & largæ ſæpe dabantur opes.
Ennius emeruit Calabris in montibus ortus
Contiguus poni, Scipio magne, tibi.
Nunc hederæ ſine honore iacent, operataq; doctis
Cura uigil Muſis, nomen inertis habet.

De IISDEM per contentionem ſuorum temporum Iuuenalis Satyra 7. inquit:

Quis tibi Mœcenas? quis nunc erit aut Proculeius,
Aut Fabius? quis Cotta iterum? quis Lentulus alter?
Tunc par ingenio precium: tunc utile multis
Pallēre, & toto uinum neſcire Decembri.

#### COMMODA POETIS DATA.

*Salaria. Alimenta.*

Pancrates poeta Alexādrinus, cùm Imp. Adrianus Alexandriā ueniſſet, lotum, roſæ ſpeciem præ ſe ferentem, Antinoiū nominari oportere aſſeruit, quia emiſſa fuiſſet à terra, cùm leonis Mauruſij ferociſſimi ſanguinem excepiſſet, in Libya Alexandriæ finitima ab Adriano in uenatione interfecti. Hoc cōmento adulatoris ADRIANVS lætatus, alimenta illi in Muſis conceſſit. Athen. lib.15.

VESPASIANVS Imp. rhetorib. ac poetis tam Gręcis quàm Latinis primus è fiſco annua ſalaria conſtituit: ingenia & artes uel maximè fouens. Suetonius.

*Pecuniæ, Munera.*

CROESVS Halyattis filius, & Lydorum rex ditiſſimus, Pindarum, quantum caperе poſſet auri, accipere iuſſit. Pindarus, & Zezes in Chiliadidus de Varia hiſt.

Anacreon Teius, poëta lyricus, maximo in honore apud POLYCRATEM Samiorum regem fuit, & quinq; ab eo talentis donatus eſt. Aelianus & Herodotus lib. 3.

Sub Alexandro comœdi fuerunt Lycon & Scarpheus (aliis Scapheus.) Huic, cùm comœdiæ cuipiam uerſum intertexuiſſet, qui petitionem contineret, arridẽs ALEXANDER, decem talenta largitus eſt. Plut. orat. 2. de Alex. fortuna.

LYSANDER Lacedæmonius ex ciuib. perpetuò in comitatu ſuo Chœrilum habebat, qui res ſuas geſtas celebraret carmine. Antilocho, qui certum numerum uerſuum in laudem ſuam condiderat, lætus pileum dedit argenti plenum.

Chœrili Samij, ſiue Halicarnaſſei uerſus tanti fecit ARCHELAVS, ut quotidie illi minas quatuor penderet: quas tamẽ ille obſonando abſumebat. Scripſit Græcorum uictoriã cõtra Xerxem: cuius poëmatis uerſus ab Athenienſibus ſingulis ſingulis aureis repenſi.

HIERO Syracuſanus tyrannus magnis muneribus ad ſe euocauit Simonidem ac Pindarum, cum quibus animum oblectaret. Aelianus lib. 9. de Varia hiſt.

L. SYLLA in concione, cùm ei libellum malus poeta de populo ſubieciſſet, quòd Epigramma in eum feciſſet tantummodo alternis uerſibus longiuſculis: ſtatim ex ijs rebus, quas tunc uendebat, iuſſit ei præmium tribui, ſub ea conditione, ne quid poſtea ſcriberet. Cic. pro Archia.

VESPASIANVS tantũ cõceſſit Saleio Baſſo, poetę lyrico, ut propter ingeniũ ſingularemq; eruditionẽ auri quinquaginta ſeſtertia eidem ſit elargitus. Tacit. in Dial. de Oratoribus.

Oppianus cùm M. ANTONINO Imp. opus ſuum de Piſcibus dedicaſſet, pro quolibet uerſu aureum numum accepit (unde carmina aurea dicta ſunt) ſimul & reditum in patriã cum patre impetrauit. Eidem iuſſu Imp. ſtatua eſt erecta, cum huiuſmodi elogio: Oppianus ſum ſuauiloquens uates, Quem crudelis atq; inhumani inuidia fati ante diem eripuit. Quod ſi lõgiùs in luce moras dediſſet, Nullus mihi par gloria mortalium in terris foret. Volat. lib. 17. Anthrop.

*Liberatio, Abſolutio.*

Steſichorus poëta à PHALARIDE tyrãno Agrigentino captus, quamuis ei in occupanda Himera patria diu reſtitiſſet: tamẽ propter eruditionẽ non modò liber dimiſſus, ſed maximis etiã donis ornatus fuit. Gyraldus Dial. 9. Hiſt. poët.

ATHENIENSES Eubœum Parium, in quem propter maledicentiam animaduerſuri fuerant, quatuor Parodiarũ libros oſtendentem, liberarunt. Gyraldus.

Iulius Calidius poëta, quum à Publio Voluſio in proſcriptorum numerum relatus eſſet, ab ATTICO propter ingenium & elegãtem eruditionem abſolutus eſt. Corn. Nepos in uita Attici.

Theodulphus Aurelianenſis epiſcopus ob conſpirationem contra LVDOVICVM Pium Imp. captus, Andegaui in carcere, die feſto Palmarum, quo ſupplicationes fiunt, prætereunte cuſtodiam Imperatore cum clero ac uniuerſo populo, uoce ſonora hymnum à ſe factum (quo pòſt omnes eccleſiæ ſunt uſæ) cecinit: Gloria, laus & honor tibi ſit, Rex Chriſte redemtor. Populo in ſtuporem uerſo, Imperator epiſcopum liberauit. Cuſpinianus.

*Amicitia.*

MENTES, Leucadius mercator frumẽti, Homerum ita admiratus, ut eum peregrinationum ſocium aſſumeret. Herodotus in Homeri uita.

Euhemerus Meſſenius elegiographus CASSANDRO regi Macedoniæ amicus fuit, cuius gratia compulſus fuit regias quaſdam ſententias conficere, magnasq; ideo peregrinationes per Oceanum ſuſcepit. Gyraldus.

Cùm REX Perſarum in Græciam deſcendiſſet, quæſiſſe traditur, ubi nam eſſet Comœdiæ poëta? eo nomine, per excellentiam, Ariſtophanem intelligens.

REGES Macedoniæ & Aegypti, Menandrum Comicũ & claſſe & per legatos ad ſe uenire petierunt. Ille uerò atticæ uitæ otium prætulit literarium. Plin. lib. 7. c. 30.

ARCHELAVS Macedonię rex, Euripidem tragicum Athenis fugientem odio uxoris adulteræ, benignè ſuſceptum, inter amicos intimos annumerauit, ita ut Euripidis cauſa regem ipſum interfectum, in quinto Politicorum ſcribat Ariſtoteles, à Decamnicho, uel Decanico, q regis iuſſu ab Euripide uapularat: quòd illi oris graueolentiam obieciſſet. Cũ quidã à rege aureũ ſcyphũ dono petiiſſet, Euripidi illũ rex dari iuſſit, dicens: Tu enim petere, ipſe uerò capere dignus eſt uel non petens, h. e. græcè σὺ μὲν γὰρ αἰτεῖν, οὗτος δὲ λαμβάνειν ἄξιός ἐστι καὶ μὴ αἰτῶν. Gyraldus de hiſt. Poet.

Aratus poeta, & inſignis grammaticus, qui Olymp. 124. regnãte Antigono claruit in Macedonia, apud Demetrij Poliorcetis FILIVM, ad extremum uſque maximo in honore fuit. Suidas & Volat. lib. 13.

P. SCIPIO & C. LÆLIVS, quãti fecerint Lucillium poëtã, teſtatur Horat. lib. 2. Sermonum, Satyra prima, inquiens:

--Vbi ſe à uulgo, & ſcena, in ſecreta remorant,
Virtus Scipiadæ, & mitis ſapientia Læli,
Nugari cum illo, & diſcincti ludere, donec
Decoqueretur olus, ſoliti. Quicquid ſum ego, quãuis
Infra Lucili cenſum, ingeniumq;: tamen me
Cum magnis uixiſſe in uita fatebitur uſq; Inuidia.--

M. CATO maior Quæſtor ex Africa decedens, Q. Ennium poetam ex Sardinia deduxit. Quod non minoris æſtimamus, quàm quemlibet ampliſſimum Sardinienſem triumphum. Probus in eius uita.

Ad PRISCVM ſuum patronum ſic ſcribit Martialis Epig. li. 12.

Quod Flacco, Varioq; fuit, ſummoq; Maroni,
Mecœnas atauis regibus ortus eques:
Gentibus & populis hoc te mihi Priſce Terenti
Fama fuiſſe loquax, chartaq; dicet anus.
Tu facis ingenium, tu ſi quid poſſe uidemur,
Tu das ingenuæ munera pigritiæ.

Dantes Florentinus exul, in ſua lingua poeta ingenioſiſſ. apud CANEMGRANDEM, Veronæ principẽ, & Guidonẽ Spoletanum, in precio fuit. Volat. lib. 21. Anthrop.

☞ ORNAMENTA POETIS CONCESSA.

*Dignitates, Magiſtratus.*

Phrynichus cùm Pyrrhichiſtis in quadã tragœdia, conuenientes & bellicos modulos feciſſet, adeò tenuit uniuerſum theatrũ, ut cõfeſtim eũ ATHENIENSES belli ducẽ elegerint: arbitrantes eum bellicis reb. cum utilitate præfuturum, qui à uiris armatis non abhorrentia carmina poemataq; in dramate confeciſſet. Aelian. de Var. hiſt. lib. 3.

Cor. Gallus elegiographus, fauore AVGVSTI ad præfecturæ Aegypti gradum conſcẽdit, tribunusq; cohortium effectus eſt. Crinitus.

DOMITIANI beneficio Syllius ad tertium conſulatũ prouectus eſt. Vnde Martialis:

Auguſto pia thura, uictimasq;
Pro noſtro date Syllio Camœnæ,
Biſſenos iubet en redire faſces.

Aurelius Prudentius beneficio THEODOSII Imp. ad præfecturam militarem prouectus eſt.

EVDOCIA Theodoſij iunioris Imp. uxor, poeticæ ſtudioſa, ſupra modum admirata fuit Cyrum Panopoliten, cumque patricium & conſularem creauit, & prætorio præfecit. At ubi illa Hieroſolymam abiit, Cyrus gradu deiectus, Epiſcopus factus eſt in Cotyaio Phrygiæ, uſque ad Leonem Imperatorem. Suidas.

Defuncto Frothone III. DANORVM rege, cùm filium eius Fridleuum, qui apud Ruſciam educabatur, falſo extinctum ſuſpicarentur: eum ſceptro digniſſimum arbitrati ſunt, DANI proceres, qui Frothonis tumulo plenum laudis carmen affigeret, famamq; extincti regis, ſpecioſo poſteris titulo cõmendaret. Ergo Hiarnus Danicæ poëſis peritus, præmij magnitudine inuitatus, more ſuo barbarum condidit metrum, cuius intellectum quatuor uerſiculis editũ in hæc uerba tranſcripſit:

Frothonem Dani, quem longum uiuere uellent
Per ſua defunctum rura tulere diu.
Principis hoc ſummi tumulatum ceſpite corpus,
Aethere ſub liquido nuda recondit humus.

Eũ proinde Dani diademate remunerati ſunt. Ita ab eis epitaphium regno repenſum, imperijq; pondus paucarum literarum cõtextui donatum eſt. At ubi Fridleuum uiuere cognouerunt, miſſis, qui eum accerſerent, Hiarnum regno cedere iuſſere, quod ipſum precariò ac perfunctoriè gerere uideretur. Saxo lib. 6.

*Statuæ.*

Plin. lib. 35. c. 2. nullum maius felicitatis ſpecimẽ eſſe putat, quã ſemper omnes ſcire cupere, qualis fuerit aliquis. Id quod HOMERO contigiſſe ait. Itaq; uirorum illuſtrium uultus finguntur, & incertitudine ſua deſiderium pariunt.

ALEXANDER Magnus, cùm in Lyciam cõtra Perſas iturus ueniſſet, Theodectis tragici condiſcipuli olim ſui ſtatuã in foro poſitam coronauit, eiq; parentauit.

LYCVRGVS Athenienſium orator, ſtatuam Aeſchylo æneam poſuit, & alteram Sophocli, amborumq; tragœdias publicè cuſtodiri mandauit. Suidas.

STERTINIVS, uir clariſſimus, Martialis adhuc uiuentis imaginem, more ueterum in ſua bibliotheca poſuit. Crinitus.

Claudiano inter cæteras artes præclariſſimo poetarũ, ad memoriam ſempiternam, ARCADIVS & Honorius feliciſſimi & doctiſſimi Imperatores, Senatu petente, ſtatuam in foro diui Traiani erigi, collocariq; iuſſerunt. Volat. lib. 14. c. 2. Anthropologiæ.

Coro-



*Coronæ.*

Cùm Antimachus Colophonius & Niceratus quidam Heracleotes carminibus Lyſandria in honorem Lyſandri Lacedæmonij certarent, donauit Niceratum corona. Ea re Antimachus offenſus, aboleuit poëma. Plato autem, qui iuuenis id temporis erat, & Antimachum ob artem poëticam colebat, ablatam ſibi palmam moleſtè ferentem alleuauit excitauitq;, ignaris dicens malum eſſe ignorantiam, ſicut cæcitatem non uidentibus. Plut. in eius uita.

PTOLEMÆVS Philopator Homeri poëmata plurimi fecit: Homero templum extruxit, ipſum ſedentẽ collocauit: circũcirca uerò iuxta ſimulacrum eas ciuitates, quæ Homerũ ciuem ſuum eſſe iactant. Aelianus lib. 13. de Varia hiſtoria.

Statium DOMITIANVS magnifico atq; apparatiſſimo donauit conuiuio, coronaq; inſigni & aliis muneribus honeſtauit. Crinitus de Latinis poëtis.

Albertino Muſſato Patauino, poëtæ ſua ætate celeberrimo, & Latinæ linguæ primo reſtauratori, tãtus eſt honos habitus, ut publicè laureã poëticam à PACANO Turriano antiſtite, & Alberto Saxoniæ duce, tũc Patauini gymnaſij moderatore, acciperet, & pro Muſſato Muſatus (à Muſis ſcilicet) diceretur: quod nomẽ familiæ adhuc manet. Pręterea ſingulis annis in natali Domini tota Academia ſolẽni pompa tubis pręcinẽtibus, ad pontẽ Molarem, in Cunio, medio inter duos pontes uico, ubi ædes eius erant, poëtã ipſum cereis funalibus honoris ergò donabat: qui honos nulli alteri exhibitus legitur. Bernard. Scardeonus in hiſt. Patauina.

Franciſcus Petrarcha Florentinus, pulſo à Guelfis patre, quia Gibellinas partes fouebat, Aretij natus, poſteaquam relicto Legum ſtudio, Poëticæ ſe totum mancipauit, in principum uirorum amicitiam peruenit. In primis quidem STEPHANI Cardinalis Columnenſis, qui eum Ioanni XXII. Pp. Auinione reſidenti cõciliauit, ſuisq; illum per multos annos ſumtibus & hoſpitio liberaliſſimè fouit. A Pontifice quoq; non ſemel & Romam & ad Philippum Gallorum regem legati nomine miſſus eſt. Illud uerò ſingulare, quòd Africę poemate ſic paſſim innotuit, ut uno eodemq; die & anno, & à Senatu ROMANO & ab Academia PARISIENSI ad ſuſcipiendam lauream poëticam inuitatus fuerit. Sed amicorum conſilio, Romam Lutetiæ prætulit: & ad Robertum regem Siciliæ profectus, eius auctoritate priùs coronam ꝓmereri, recitata per triduum Africa, uoluit, quàm Romã adiret. ROBERTVS, ut erat ingeniorum cẽſor acerrimus, omnibus modis illi perſuadere fuit conatus, ut laureæ honorẽ in Neapolitana Academia ſuſciperet. Is uerò in propoſito cõſtãs, anno ſal. 1342. (Platina habet 1338.) ętatis ſuę XXXII: ipſo die Paſchatis, in Capitolio, ab Vrſo Anguillariæ Comite, Rom. ſenatore, nomine pontificis Benedicti XII. coronã ſuſcepit. Hinc à Corregienſibus Parmæ dominis, Archidiaconatum opimum obtinuit. Inde à IACOBO Carrarienſe Patauino principe Canonicatum Patauij accepit, & in Arcuato oppido in Euganeis montibus ſito, conſenuit, otio honeſtiſſ. ſtudiorum perfruens. Sæpius hinc Venetias excurrit, tantã apud ANDREAM Dandulum Venetorum ducẽ gratiã, ut hoſpitiũ & alimenta ſemper illi de publico pręberẽtur, & in comitatu Ducis primum ſtatim poſt legatos regum, locũ obtineret, teſte Egnatio lib. 4. c. 7. & lib. 8. c. 15. Exẽplorum. Scalanis quoq; Veronenſibus unicè charus fuit, eximiè uerò GALEACIO Vicecomiti Mediolanenſi, ita ut ad nuptias quoq; Leonelli Anglorum regis filij & Violantę Vicecomitis inuitaretur. Quinto anno ante obitũ à FLORENTINIS, Gibellinorum factionem alioqui extremo proſequentibus odio, in patriam ſolo nominis ſplẽdore inſignis reuocatur, maximorum honorum & paternorum bonorũ reſtitutione illi benignè oblata. Quam tamen conditionem uel quia ætate feſſus, uel quia ſtudiis inimica, uel quia parũ quietis habitura uideretur, cum Euganea ſolitudine cõmutare noluit. Obiit Arcuati ſeptuagenarius morbo comitiali. FR. Carrarienſis regulus cũ comitatu honorificẽtiſſimo, Politico, Academico, Eccleſiaſtico eũ extulit, ut uiri principis exequiæ ſplendidiùs adminiſtrari non potuerint. Hieron. Squarzaficus, & Alexander Velutellus in eius uita.

Aeneas Syluius è cõcilio Baſilienſi Orator ad FRIDERICVM III. Imperatorem à Felice Pontifice miſſus, tantum dexteritate ingenij ualuit, ut eum corona poëtica donatum, in amicos & protonotarium Imp. reciperit: ita eos Germani appellant, quos principes ſecretis adhibent. Platina.

Corn. Celtis à peregrinatione Sarmatica rediens, FRIDERICI Saxoniæ ducis familiaritatem nactus, eius ſuaſu & ductu coronam poëticam à Cęſare meruit, ætatis ſuæ anno 32: primusq; eius dignitatis titulum & inſignia apud Germanos geſſit. Sodalitas literaria Rhenana in eius uita.

*Oſculum.*

MARGARITA Scota Ludouici Delphini, qui pòſt XI. dictus eſt, Alanum Charterium, Carolo VII. à ſecretis, hominem doctũ, & ut ea ferebant tempora, elegantem, cùm fortè interdiu in ſcamno dormiret, multis ſpectantibus diſſuauiata eſt. Admirantibus cunctis, quòd tam fœdum turpemq; hominem oſculari ſuſtinuiſſet. Non ipſum, reſpondit, ſed Muſas atq; Gratias in eius ore habitantes ſuauiata ſum. Aegidius Corrozetus de Dictis & factis mem.

*Obſequium.*

Poëtę tanti apud GALLOS fiunt, ut cùm inſtructa acie exercitus eductis enſibus iactisq; iaculis propinquant, non ſolùm amici, ſed hoſtes quoq;, eorum interuentu à pugna cõquieſcant. Ita apud agreſtiores barbaros ira cedit ſapiẽtiæ, & Mars reueretur Muſas. Diod. lib. 5. c. 9.

*Templa.*

PHALARIS tyrãnus Steſichoro mortuo tẽplum ædificandũ curauit, & filias eius ſcripta epiſtola conſolatus eſt.

*Hymni.*

ARGIVI Homero palmã tribuebant, ab eo reliquos omnes ſecundos ponebant. In hoſpitalitiis inuocabant Apollinem & Homerum. Aelianus lib. 9. de Varia hiſtoria.

*Sepulcra.*

Sophocles tragicorũ princeps, Athenis mortuus eſt, cùm à LYSANDRO Spartano obſideretur. In ſomniis ſępius Lyſandrum Bacchus monuit, ut delicias ſuas ſepeliri pateretur. Ea re Lyſander motus, cùm Sophoclem mortuũ eſſe audiuiſſet, extra urbem funeri pacem dedit. Plin. lib. 7. c. 29.

Africanus Q. ENNII ſtatuã ſepulcro ſuo imponi iuſſit: clarũque illud nomen, imò uerò ſpolium, ex tertia orbis parte raptum, in cinere, ſupremo cum poetæ titulo legi. Plin. lib. 7. c. 30. & Cic. pro Archia.

P. Ouidius, quum ſeptem annis apud GETAS in exilio duraſſet, diis iubentibus in fata conceſſit. Cui mortuo gens illa, quamuis barbara, & à manſuetioribus Muſis prorſus aliena, ſolẽnes exequias celebrauit, & ſepulcrum erexit magnificum. Pontanus de Magnificentia.

Voconius uictor, Romanus eques, elegiographus ADRIANO Cæſari ita carus, ut etiam eius tumulum uerſibus exornarit. Gyraldus.

Meſomedes lyricus ab M. ANTONINO cenotaphio honoratus eſt, quòd ab eo nomos citharœdicos edidiciſſet. Ideq; ADRIANO Imp. fuit cariſſ. quòd de Laudibus Antinoi carmen ſcripſiſſet, teſte Suida.

*Libri, Poëmata in precio habita.*

INDI uernacula lingua deſcripta Homeri poemata cantare ſolebant, item Perſarum reges. Aelianus.

ATHENIENSES legem tulerunt, ut quinto quoq; anno in Panathenæis, Homeri carmina publicè canerentur: ita enim cogitabant, leges præcipere quidem, quid faciendum ſugiendũq; ſit, ſed ꝓpter breuitatẽ nõ docere: at poetas, qui uitã hominũ imitantes, res præclarè ac fortiter geſtas copioſè exponerẽt, easq; propemodũ ante oculos conſtituerent, aptiores eſſe ad perſuadendũ. Muretus lib. 6. Var. lect. c. 6.

LACEDÆMONII, etſi à poeticis ſtudiis alieni erant, lege tamẽ cõſtituerũt, ut quoties cũ hoſtib. dimicaturus in ꝓcinctu conſtitiſſet exercitus, conuocarentur milites in tabernaculum regiũ: ibiq; audiendis Tyrtæi carminibus ad ſpernendã pro patria uitam incitarentur. Idem.

Apud ATHENIENSES floruit tragœdia, inclaruitq;, ac mirificum eius ætatis hominum acroama & ſpectaculum eſt exiſtimatum: præbuitq; fabulis & affectibus captionem, ut ait Gorgias: qua qui cepit, iuſtior quàm qui non cepit, captusq; non capto ſapientior ſit. Qui cepit, iuſtior, qui hoc profeſſus ſit: captus ſapientior, quòd facilè teneatur ab orationis ſuauitate, qui non eſt ſtupidus. Plut. de gloria Athen.

LYCVRGVS orator Athenienſis rogauit leges, ut ludi comici pariter illis, qui Chytri dicuntur, agerentur in theatro: & qui uiciſſet, quod antè ius non erat, in ciuitatem aſſcriberetur, exoletos referens illos ludos. Aliam, ut ſtatuæ ex ære poetis ponerentur, Aeſchylo, Sophocli, Euripidi, eorumq; tragœdiæ publicis mandatæ tabulis ſeruarentur, atq; altrinſecus hæc lex ciuitatis ex aduerſo hiſtrionib. recitaretur: neq; enim ius eſſe eas agere. Plut. in eius uita.

Hegemonem Thaſium recitantem in theatro, cum uoluptate audiuerunt ATHENIENSES: ita quidem, ut eo etiam die, quo clades Sicula fuit nunciata, nemo diſceſſerit, cùm tamẽ ſingulis ferè amici periiſſent. Athen. lib. 9. c. 26.

Plutarchus in libro de Exilio, commemorat ſummos philoſophos, Platonem, Xenocratem, Polemonem, in Academiæ modico agello æquo animo uitã egiſſe: niſi quòd XENOCRATES ſingulis annis ad unum tantùm diem in urbem deſcendebat καινοῖς τραγῳδοῖς. Victorius lib. 9. Var. lect. c. 20.

Sophrona Mimorum poetam tanti PLATO fecit, ut moriens libros eius capiti ſubiectos narretur habuiſſe. Cælius lib. 7. cap. 1. Antiq. Lect.

Septima ode Olympiorum Pindari, quanto fuerit in precio à GRÆCIS habita, in ſcholiis Græcis indicatur, quæ docet,



quòd

quòd aureis literis in Lunaris Mineruæ templo conſecrata conſpiciatur, in Pindari & Diagoræ honorem. Fuit aūt Damageti Rhodij filius, Diagoras.

HIPPARCHVS filius Piſiſtrati, maximus natu inter ſuos fratres, omnium Athenienſiū ſapientiſſimus, cùm Homeri poëma maximè probaret, eius carmina primus Athenas attulit, coëgitq; rhapſodos ea in cōmuni Græcorum conuentu canere. Simonidem Ceum maximi fecit: Anacreontem Teium miſſa pentecontoro ad ſe inuitauit. Aelianus lib. 8. de Varia hiſtoria, ex Platonis Hipparcho.

Lyſander Lacedæmonius Athenas ceperat, muroſq; diruere, & Rēp. mutare uolebat. Id cùm ægrè ferrent Athenienſes, in conſilio ſociorū propoſuit, de redigendis in ſeruitutē Athenienſibus. Quo tēpore Thebanum Erianthum ſuaſiſſe aiūt, ut urbem ſolo æquarent, agrum relinquerent deſolatū. Pòſt tamen cū epularentur unà DVCES, atq; inter pocula Phocēnſis quidā ex Euripidis Electra ingreſſum chori caneret, cuius eſt exordium: Agamemnonis adeò ô ſoboles Electra. Ad agreſtis culminis atria tua: fractos omnes fuiſſe, ac rem cenſuiſſe indignā, tam claram talium alumnam uirorū delere urbē. Itaq; ſatis habuêre, muros diruere, & præfectos decem Piræo, XXX urbi imponere. Plut. in Lyſandro.

Galenus Pergamenus, de caſtigatis Hippocratis exemplarib. agens: Cùm, inquit, PTOLEMÆVS Aegypti rex, ab Athenienſibus petiiſſet Sophoclis & Euripidis autographa exemplaria, ad eorum emendationem, quæ in Alexandrina bibliotheca ille poſiturus eſſet, ijq; negaſſent: cumq; mox hi frumento indigerent, propter Atticę eius tēporis penuriā: Ptolemęus ex Aegypto frumētū eos exportare prohibuit, quouſq; illi penuria cōpulſi, illa ipſa exēplaria regi dono miſere. Quib. acceptis, non modò gratus rex, ut frumenta ex Aegypto exportarent, conceſſit, ſed ſine etiā uectigali. Tanti ſcilicet rex literarum ſtudioſiſſimus, caſta & emendata exemplaria faciebat.

ARCESILAVS Pitanæus ex omnib. Homerū ita cōplectebatur, ut ſecū ſemper haberet, & ante ſomnū ſemper aliquid ex eo legeret: uocitans eum amaſium ſuum. Laërtius.

ALEXANDER Macedo ob Homeri ſtudium φιλόμηρ⊚ uocabatur. Cùm nuncius quidam gaudio geſtiens ad eum accurreret, rem proſperè contra hoſtes geſtam narraturus: Quid mihi, bone uir, magni nunciabis, niſi nuncies Homerum reuixiſſe? Neq; negligenter tantū poetam eum legerat, ſed ipſum etiam emendatum & meliorem undiq; factum habere ſtuduerat: in quam rem operā etiā ſtudiūq; ſuū præbuerat ei Ariſtoteles. Habebat igitur ſæpe in manibus Alexander Homeri librum correctum, qui poſt illius interitum, cū diuulgatus eſſet, appellata eſt editio illa ἐκ τοῦ νάρθηκ⊚, ut diſtingueretur ab aliis non paucis, quæ ualde celebres ueteres illa ætate erant. nam multi & fortunati uiri & ſcientia multarum rerum clari, in eā curam incubuerant. Cùm autē è diligentia principis Peripateticorum prodiiſſe illa editio credita & dicta ſit: Strabo tamen cōmemorat, Alexandrum unà cū Calliſthene & Anaxarcho, accuratè Homerum legiſſe, & non pauca tunc in ſuo libro adnotaſſe: quem librū poſtea in ferulam condidit, inuentā à ſe in Darij gaza. Poſt Darium prælio uictum, adeptus ſcrinium in regia præda ex auro & gemmis fabrefactum, ſciſcitatus ab iis, qui Perſicæ erant luxuriæ non ignari, Ecquis nam eſſet tam precioſi operis uſus? ubi regia audiuit in eo unguenta ſeruari ſolita: Quin, inquit, rei magis precioſæ ſit poſthac cuſtos: Homerūq; in loculo clauſit. Dignus ipſe, qui præconem, quē Aeacidæ inuidit, eſſet aliquando ſortitus. Sab. lib. 7. c. 5. ex Plin. lib. 7. c. 29. & Plut. Alexandro. Victorius lib. 31. Variarū, c. 19.

Athenienſes quidam capti à SYRACVSANIS ad Aſinarum amnem, fuerunt Euripidis cauſa conſeruati. Nam præter cęteros Græcos deſiderauerunt illius uerſus hi, qui Siciliā incolebant. Quòd ſi qua ſpecimina & guſtus horum adferrēt ij, qui quotidie appellebant, ea ediſcebant, lætiq; inter ſe cōmunicabant. Plures aūt tunc cōmemorant, qui ſoſpites domū reuerſi ſunt, Euripidem benignè ſalutauiſſe, ac prędicaſſe alios, fuiſſe ſe manumiſſos, ꝙ quæ ipſius carmina tenuerant memoria, illos ea docuiſſent: alios palātes poſt pugnā fuiſſe cibo & potu adiutos, cùm uerſus illius canerent. Neq; id nouum eſt, quia Caunium nauigium ferūt, cùm litori appelleret Siculo, prementibus nauibus prædatoriis, Siculos primò non recepiſſe, ſed repuliſſe: tandem rogatos, noſſéntne cantica Euripidis? ubi ſcire oſtenderūt, tum applicare nauigium permiſiſſe. Plut. in Nicia.

AVGVSTVS carmina Virgilij cremari contra teſtamenti eius uerecundiā uetuit: maiuſq; ita uati teſtimonium contigit, quàm ſi ipſe ſua carmina probauiſſet. Plin. lib. 7. c. 30. Eiuſdē diem natalem (qui fuit Idib. Octob.) quotannis celebrabat, & quibuſdam uelut ceremoniis uenerabatur.

*Patria culta.*

P. Papinius Statius pater, propter eruditionē nomen ſuū tā fecit celebre, ut duæ urbes, SELLÆ Epirotarū, & NEAPOLIS Cumanorū de eius patria certēt. Eundē Domitianus Imp. diſcipulus Albano certamine aurea donauit corona.

ALFONSVS ſenior, Calabrię dux, uicto captoq; Antonio Caldora, cum exercitu in Pelignos profectus, cùm perueniſſet in locū unde Sulmo poterat deſpici: percunctatus, an ea, ut ferretur, Ouidij eſſet patria? & qui aderant affirmaſſent, urbē ſalutauit, gratiasq; Genio loci egit, in quo tantus olim poeta genitus eſſet. De cuius laudib. cùm nō pauca diſſeruiſſet, tandē famæ eius magnitudine cōmotus: Ego, inquit, huic regioni, quæ non parua regni Neapolitani nec cōtemnēda pars eſt, libenter ceſſerim, ſi tēporib. meis datum eſſet, hunc poetam, ut haberēt: quē mortuū pluris ipſe faciā, quàm omnem Brutiorum ditionem. Pontanus de Principe.

*Poſteri culti.*

ALEXANDER Macedo, Thebis captis, ciuiū nonaginta millia occidit, triginta millia ſub haſta uendidit: ſolam Pindari Lyrici poetæ familiā honorauit: & Pindari, qui eius ex Scopelino nepos erat, & ipſe lyricus, domum intactam & integram cōſiſtere paſſus eſt: ut oſtenderet, quàm magni poetā tam præclarum faceret. Aelianus lib. 13. de Varia hiſt. & Plin. lib. 7. c. 29. & Suidas ex lib. 1. Arriani.

Idipſum antea quoq; LACEDÆMONIOS feciſſe legimus, propter hanc in ipſius poëtæ domo metro trochaico hypermetro factam inſcriptionem: Πινδάρου τοῦ μουσοποιοῦ τὴν στέγην μὴ καίετε. hoc eſt, Pindari poetæ tectum ne cremate. quę uerba ab Alexandro pro ædibus inſcripta fuiſſe, Dion teſtatum reliquit. Gyraldus Dialogo 9. hiſt. Poet.

Aelius VERVS Imp. lepôres atq; iocos Martialis tanti fecit, ut ſuum Virgilium eum uocaret. Crinitus de Poetis.

*Inimici odio habiti.*

APOLLO Delphicus Archilochi interfectorem è templo eiecit. Plin. lib. 7. c. 29.

## POETICAE NEGLECTVS, ODIVM, CONTEMTVS, IN SEIPSO ALIIS'VE.

*In genere heic de Contemtu agimus, quacunque fiat de cauſa.*

Meleſigenes, cū Colophone uiſum amiſiſſet, paupertate preſſus, reuerſus Cumam, in ſenum paſſim conuenticulis carmina ſua oſtendit. Intelligens igitur CVMANOS poeſim ſuā recipere: ſi publicè eum alere uellent, ciuitatē eorum ſe celeberrimam redditurum recepit coram Senatu. Interim dum ſenatores agitarent, quidnam par eſſet homini reſpondere, uiſumq; eſſet, petitionem admittendam: VNVS tantùm è ſenatoribus euicit, ne aleretur: nam ſi ſemel ὁμήρους, h. e. cæcos alendos ſuſciperent, fore, ut continuò turbam habeāt & multam & inutilem. Atq; hîc primùm Homeri nomē Meleſigeni inditum, à cæcitatis uidelicet calamitate. Nam Cumani cæcos ὁμήρους appellant. Herodotus in uita Homeri.

SOLON, cùm fabulam Theſpis comici ſpectaſſet, ad ſe accerſiri iuſſit, illiq; ait, Nū ipſum puderet corā tot teſtib. mentiri? Theſpide reſpōdente, Per iocū licere: tū Solon terrā baculo pulſans dixit: Id ſcilicet propediē uidebitur in noſtris legibus, an iocus iſte tuus laudem mereatur. Suidas.

Poetas in uniuerſum ex ſua Repub. PLATO eiicit, quòd uenenum melle conditū pueris inſtillarent, & fabularum illecebris, deorum prætextu, ad maxima incitare uiderentur adoleſcentes ſcelera. Ipſe ſaltem Homero, reuerentia multiiugæ eruditionis, coronato & unguentis perfuſo, honorifico comitatu ad portas urbis educto, uiam diſcedendi monſtrari iubet.

PYTHAGOREI poetas è ſcholis ſuis eiecerunt; quoniam Empedocles & Plato Athenienſis myſteria acroamatica ꝓfanaſſent. Laertius in Empedocle.

ZENO Citticus Stoicorum princeps dicebat, ad perceptionē diſciplinarum nihil eſſe ineptius poetica. Modum fortaſſis docendi reprehendit, non autem quòd Poetico charactere tradi poſſet negauit: quandoquidem ipſe etiam de poetica auditione ſcripſit. Laertius lib. 7.

EPICVRVS, cùm omnes liberales artes, tum Poeſim inprimis, tanquam deliramenta anicularum, deridebat. Eapropter Plutarchus in libello de Audiendis poetis, ἀκάτιον ἐπικούρειον, id eſt, Nauiculam Epicuri, uocat, ſecurum omnium artium contemtum.

ERATOSTHENES poeticē γραώδη μυθολογίαν. i. anile quoddam fabulamentum definiuit. Cælius lib. 7. c. 1. A. L.

De HOMINIBVS amuſis ſuæ ætatis ſic ſcribit Theocritus Idyllio 16.

τίς τῶν νῦν τοιόσδε; τίς εὖ εἰπόντα φιλήσει;





οὐκ οἶδ'. οὐ γὰρ ἔτ' ἄνδρες ἐπ' ἔργοις ὡς πάρος ἐσθλοῖς
αἰνεῖσθαι σπεύδοντι, νενίκηνται δ' ὑπὸ κερδέων.
πᾶς δ' ὑπὸ κόλπου χεῖρας ἔχων, πόθεν οἴσεται ἀθρεῖ
ἄργυρον, οὐδέ κεν ἰὸν ἀποτρίψας τινὶ δοίη,
ἀλλ' εὐθὺς μυθεῖται, ἀπωτέρω ἢ γόνυ κνάμα,
αὐτῷ μοί τι γένοιτο. θεοὶ τιμῶσιν ἀοιδούς.
τίς δέ κεν ἄλλου ἀκούσαι; ἅλις πάντεσσιν Ὅμηρος,
οὗτος ἀοιδῶν λῷστος, ὃς ἐξ ἐμεῦ οἴσεται οὐδέν.

Inter fabulas adeò eſt comœdia abiecta & illepida habita apud ATHENIENSES, ut lege ſancitum ſit, ne quis comœdiam componeret Areopagita. Plut. de gloria Athenienſiū.

Pheræorum ALEXANDER tyrannus, dum ſpectat tragœdiā quandam, percitus fuit ex titillatione motu maiore miſerationis. Vnde proſiliens ex theatro properantiùs ſubduxit ſe: Rem indignam eſſe ferens conſpici ſe, qui tam multos ciues iugulaſſet, Hecubæ & Polyxenæ calamitatibus illacrymantem. Nec multùm abfuit, quin malè tragœdum multarit, quòd animum ſuum ferri modo liquefeciſſet. Plutarchus orat. 2. de Alex. fortuna.

Habuit Archidamus rex Spartanorum filiam Cyniſcam nomine, quę ad Olympicas uictorias uirili propemodum animo aſpirauit. Et prima hæc Olympicam palmā quadragies tulit. At cùm SPARTANI & Poëticen & omnem, quæ ex ea hominibus contingere poſſit, glóriam, omnium minimè admirentur: niſi in Cyniſcam epigramma feciſſet Simonides, nihil omnino, quod Lacedæmoniorum reges geſſiſſent, fuiſſet poetæ cuiuſquā carminibus celebratum. Pauſanias in Laconicis.

Negat SOCRATES uacare ſibi ad interpretationem fabularum poeticarum, quoniam nondum norit ſe: & ridiculum ſit eum, qui ſe non norit, aliena ſcrutari. Lud. Viues de Tradendis diſciplinis lib. 5.

ROMANI olim poeticam planè ſpernebant. Hoc colligere licet ex M. Catonis libro, qui inſcriptus eſt, Carmen de moribus: Veſtiri, inquit, in foro honeſtè mos erat, domi quod ſatis erat. Equos cariùs quàm coquos emebant. Poeticæ arti honos non erat. Sī quis in eą re ſtudebat, aut ſeſe ad conuiuia applicabat, Graſſator uocabatur. Gellius lib. 11. cap. 2. & Cælius lib. 7. c. 1.

Improbiſs. quemq; ROM. & Satyra digniſſimum poetas odiſſe, Horatius lib. 1. Sermonum Satyra 4. his uerbis teſtatur:

- quem uis media erue turba,
Aut ob auaritiam, aut miſera ambitione laborat:
Hic nuptarum inſanit amoribus, hic puerorum:
Hunc capit argenti ſplendor, ſtupet Albius ære:
Hic mutat merces ſurgente à ſole ad eum, quo
Veſpertina tepet regio: quin per mala præceps
Fertur, uti puluis collectus turbine, ne quid
Summa deperdat metuens, aut ampliet ut rem.
Omnes hi metuunt uerſus, odêre poetas:
Fœnum habet in cornu, longè fuge: dum modò riſum
Excutiat ſibi, non hic cuiquam parcet amico:
Et quodcunq; ſemel chartis illeuerit, omneis
Geſtiet à furno redeuntes ſcire, lacuq;
Et pueros, & anus. -

M. Aemilius Scaurus, cùm Atreū tragœdiam docuiſſet, in qua adhortabatur quempiam, ut regis inſaniam æquo ferret animo: id in ſe dictum TIBERIVS Imp. ratus, Me tu quidem Atreum, inquit, ego te Aiacem efficiam. Itaq; metu ſibiipſi manus intulit. Gyraldus.

Cùm SEVERVS Imp. Anazarbum ueniſſet, obuiam illi omnes urbis primores prodiêre. Id Ageſilaus Oppiani pater, ut philoſophus, facere neglexit. Iratus Cæſar patrem cum filio in Melitam inſulam relegauit.

D. Iunius Iuuenalis cùm in Satyris Paridem pantomimū DOMITIANO cariſſimum perſtrinxiſſet, iam octogenarius in Pentapolim Aegypti relegatus eſt, ubi angore & tædio periit. Gyraldus.

D. GREGORIVS lib. 9. Epiſt. cap. 48. Deſiderium Gallorum epiſcopum, uirum alioqui opt. reprehendit, quòd Grammaticam quibuſdam exponere diceretur, adeoq; nugis & peculiaribus literis ſtudere. Vnum namq; os Iouis & Chriſti laudes nō capere: & nefandū eſſe epiſcopis id canere, quod nec religioſum laicum deceat. Ex quibus patet, illum Grammaticæ nomine Poetarum profanorum interpretationem intellexiſſe.

Franciſci Petrarchæ ætate poeticum nomen ita exoſum erat, ut qui illa ſtudia ſequeretur, magus, ſortilegus, hæreticus diceretur. Hæreticæ prauitatis inquiſitor quidā MARCVS Picenus de Solipodio oriundus, frater ordinis Prædicatorū, bonarū omniū literarū expers, temerario auſu nonnullis humaniorū literarū ſtudioſis iniicere manus tentauit. Maxima hinc oriebantur ſcandala. Sed cognita illuſtriū hominū ſcientia, Solipodius exploſus eſt: neq; tamen ſine labore ſe purgauit Petrarcha. Hier. Squarzaficus in eius uita.

PAVLVS II. Pont. poetas maximo odio proſecutus eſt: id nominis nihil aliud præ ſe ferre arbitratus, quàm impietatem. In Decretis diſtinct. XV. papæ Gelaſij uerbis, Cælij Sedulij Scoti opus ſic cōmendatur: Viri uenerabilis Sedulij opus Paſchale, quod heroicis uerſibus deſcripſit, inſigni laude proferimus. Librariorum incuria pro Heroicis, Hæreticis legebatur. Et hoc mendum quibuſdam imperitis legum profeſſoribus occaſionem dedit ſuſpicandi, omnia poemata, quamuis ſacra, eſſe hæretica. Pierius Valerianus in Oratione pro ſacerdotum barbis.

HADRIANVS VI. Pont. eloquentiæ cultioris flores, & poetarum amœnitates contemnere erat ſolitus: ſiue quòd putaret eas ſibi aliquid de grauiſſimorum ſtudiorum auctoritate detrahere, ſiue quòd caſtis & piis ingeniis poetarum luſus, prauos mores importare, & religionibus plurimùm officere arbitraretur. erat enim ſeueritate Chriſtianā adeò uerecundus, ut nihil niſi ſobrium & pudicū uel iocul ariter auribus admitteret. Suſpecta habebat poetarum ingenia, utpote qui minus ſincero animo de Chriſtiana religione ſentire, & damnata falſiſſimorum deorum nomina, ad ueterū imitationem ſtudioſè celebrare dicerentur: ita ut Paulo Iouio uſui fuerit non attigiſſe poemata. Sacerdotium enim amplū contulit, cum hac Præfatione, quòd licet politioribus literis eruditus eſſet, non tamen poeta eſſet. Grauiſſimè tulit, ſe famoſis carminibus apud Paſquilli ſtatuam fuiſſe laceratum: ſed id poſtea ciuili animo tulit, cùm didiciſſet, eam maledicendi licentiam, obſcurorum hominum libertati atque nequitiæ dari: ut cùm inſignes uiros impunè carpſerint, fortunam ſuam ea uindictæ uoluptate conſolentur. Decreuerat Paſquilli ſtatuam, quæ erat in Parione, demoliri, atq; eā in Tiberim præcipitare: ſed Ludouicus à Corduba, princeps Sueſſanus, Caroli V. apud Pontificem legatus, urbano ſalſoq; ingenio, id fieri debere pernegauit, ſubdens: Paſquillū uel in imo uado, ranarum more nō eſſe taciturum. Ad id uerò Pontifex, Exuratur ergo, inquit, in calcem, ne eius ueſtigij ulla omnino memoria ſuperſit. Tum rurſus Sueſſanus, Rectè, inquit, ſed tam crudeliter concremato poetā clientes non deerunt, qui patroni cineres inuidioſis criminibus proſequantur, & ſupplicij locum quotannis ſtatuto ſolenni die concelebrent. Quibus uerborum luſibus Pontifex ab iracundia ad iocos hilaritatemque, ſenſus omnes leniſſimè reuocauit. Iouius in Hadriano ſexto.

## HISTRIONVM, MIMORVM CVLTVS. NEMPE

### STVDIVM.

*Conſule locum Vrbanitatis. Illic Spectacula & Acroamata ludicra conſiderantur cauſa Voluptatis, quam ex hiſtrionibus percipiunt: heic uerò ipſius Artis habetur ratio.*

Cùm eſſet Athenodoro hiſtrioni Tragico ab Athenienſib. multa dicta, quòd ad Bacchanalium ludos non occurriſſet, atq; ab ALEXANDRO Magno ille, ut pro ſe deprecaretur literis, poſtulaſſet: id ei denegauit, ſed multam miſit de ſuo. Cū Lycoon Scarphenſis in theatro placeret, intexuiſſetq; in Comœdia uerſum, qui petitionem cōtinebat decem talentûm, arridens largitus eſt ea. Plut. in Alexandro.

Q. Roſcius, L. SYLLÆ cariſſimus fuit, & anulo aureo ab eodē dictatore donatus eſt. Tanta aūt fuit gratia, & gloria, ut mercedē diurnā de publico mille denarios, ſine gregalibus, ſolus acceperit. Aeſopū uerò ex pari arte ducenties ſeſtertiûm reliquiſſe filio Apitio, cōſtat. Macrob. lib. 3. Saturn. c. 14. Cicero elegantiſſima oratione populū Rom. obiurgauit, quòd Roſcio geſtū agente, tumultum mouiſſet. Plin. lib 7. c. 39. eū ſeſtertia quingenta annua meritaſſe ſcribit.

D. Laberius quū in ſpectaculis mimos ſuos egiſſet palàm, donatus eſt à C. IVL. Cæſare quingentis ſeſtertiis, cū anulo aureo, qui erat inſigne cenſus equeſtris. Suetonius.

Immunes uerberum hiſtriones, AVGVSTVS aliquādo reſpōdit. Hiſtrioniam non eſſe pudori in Græcia, ſcribit Liuius. Cælius lib. 8. c. 8. A. L.

### ODIVM.

Tragœdiarū hiſtrio Callipides, cuius inter Grecos celebre nomē, & fama apud oēs ingens erat, aliquādo occurrēs AGESILAO regi Lacedæmoniorū, primùm ſalutauit eū, deinde faſtuoſè inſerēs ambulantibus oſtentauit ſe, exorſurum ratus eum aliquā in ſe comitatē: poſtremò ait, Nō me rex noſcis? Ille eū reſpiciens reſpondit: Tú ne Callipides es dicelictas ille? ita Mimos uocant Lacedæmonij. Cùm inuitaretur ad audiendū quendam, qui luſciniam imitabatur: detrectauit, ac, Ipſas, infit, multoties audiui. Plut. in Ageſilao.

# LIBRI QVARTI TITVLORVM DISPOSITIO.

**In Logicæ facultatis Titulorum deductione ratio habenda tum**

- **Habitus**, *reſpectu ſcilicet*
  - **Acquiſitionis**, *quæ fit uel*
    - Propria *induſtria. Inuentores Logicæ artis, ſiue præceptorum.*
    - Aliena *doctrina. Magiſtri & præceptores Logices.*
    - Horum *exempla ex ſequenti titulo Logicorum petes, uitandæ cauſa tautologiæ.*
  - **Poſſeſsionis.** LOGICI, *Dialectici.*
  - **Exercitationis.** LOGICA *exercitatio conſiderata reſpectu*
    - **Subiecti.** *Sic uerſatur in*
      - Propriis. *Huc* — Iudicium *Logicum.* / Certamina *Logica.*
      - Alienis. *Exempli cauſa in*
        - Religione *uſus Logicæ* — Rectus. / Peruerſus.
        - Medicina.
        - Furto → Deprehendendo. / Defendendo, *Excuſando.*
    - **Modi.** *Sic exercetur*
      - Docendo, *Dicendóue, Methodicè.*
      - Diſputando *uel*
        - Rationibus — Ingenioſè, *ſubtiliter.* / Infeliciter. / Contentioſè. / Sophiſticè, *Fallaciter.*
        - Reipſa, *Factis.*
- **Cultus.** *Logicam alij uel per ſe, uel in aliis*
  - Amant, *uenerantur.* LOGICAE *amor, ſtudium.*
  - Oderunt, *negligunt, contemnunt.* LOGICAE *contemtus, odium.*

# Voluminis Quarti Liber IV.

## De Logica.

De face mentis humanæ, quam Logicam uocant, nunc agimus. Cuius uſus cùm ad ueritatis cognitionem mirificè conducat, ab aſtutiſſimo dæmone, ueritatis æterno hoſte, plus quàm Cimmeriis tenebris inuoluta fuit & obſcurata. Rationis illa magiſtra eſt, & pediſſequa, χεὶρ χειρῶν, & ὄργανον ὀργάνων, inter Organicas facultates omnes principatum tenens, ſiue ſubiectum ſpectes, quòd reliquæ orationem, hæc mentem informet: ſiue finem ipſum, Veritatis ſcilicet & inuentionem & iudicium.

### LOGICI. DIALECTICI.

*Logica nullam peculiarem habet materiam ſubiectam, ſed circa omnia uerſatur. Eapropter uix è ueteribus aliquem reperias, qui nudam logicam ſit profeſſus: ſed innumeros, qui uſum illius in una certa arte oſtenderint. Proinde è Laertij Vitis non Philoſophorum tantùm hiſtoriam, ſed & Logicorũ ſucceſſionem lector petet: quam quia P. Ramus lib. primo Scholarum Dialecticarum ſecundùm philoſophorum genera diſtinxit, laboribus illius tanquam Præceptoris, hoc in loco uti fruiq; non uerebimur. Poſſunt quinetiam ex Tit. Philoſophorum, ſimiliter & Rhetorum, non pauca exempla huc transferri.*

Omnium antiquiſſimus Logicus PROMETHEVS artificioſæ methodi auctor & inuentor, in Philebo Platonis traditur: cùm Socrates docet, omnes homines natura logicos eſſe, ſed naturalem hunc humanæ rationis ardorem temerarium



rium eſſe, niſi conſilio regatur. Affirmat ergo donum deorũ eſſe, ad homines alicunde ex diis, per Prometheum, unà cũ quodam igne clariſſimo delapſum. Proinde fingitur Prometheus, poſt diluuium, anno mundi M D C. hominem igne illo cœleſti formaſſe effigiem moderantum cuncta deorũ. Ergo primos logicæ artis magiſtros, deos fuiſſe, Plato autumat, eorumq; internuncium & interpretem Prometheũ facit, id eſt, in Sacris literis Noeum. Hic enim poſt diluuiũ, humani generis inſtaurator eſt: ut Hebræorum gloria hæc logica teſtimonio Platonis eſſe uideatur.

PARMENIDES, Xenophanis ac Diochetæ Pythagorei auditor, Logicum iudicium tum ueritatis, tum etiam opinionis, carmine ſuo pereleganter expoſuit,

Oportet uerò te omnia cognoſcere,
Partim quidẽ ueritatis ſuaſu facilis accuratã ſententiã,
Partim mortaliũ opiniones: quarũ non iam fides uera.

Deinde iudicium opinione fieri prohibet, ex accurata ueritate fieri admonet:

Ne te Deus ancipitem uiam iuxta hanc cogat,
Vt iudices inconſiderato oculo, & reſonante auditu,
Et lingua, ſed ratione perpẽdas ambiguũ argumentũ.

Atque hunc poetam, logicæ etiam philoſophiæ magiſtrum fuiſſe, argumento eſt Platonis logicus dialogus, nomine Parmenidis inſcriptus: cuius tota diſputatio ad logicam artem attinet. Quinetiam de Pythagoreis Archytas exiſtimatur à nonnullis Categoriarum auctor fuiſſe, quæ hodie ad Ariſtotelem auctorem referuntur: & certè Ariſtoteles de Archytea philoſophia cõmentarium conſcripſit.

ZENO Eleates, Parmenides auditor, quia uel ad ueterum artes tantùm adiecit, aut eas diſperſas in unum corpus redegit: logicæ artis apud Laertium octauo & nono libris, teſte Ariſtotele, inuentor efficitur. Atquamuis Zenonis monumenta omnia perierint, tamen eius ueritatis licet à Platone quiddam agnoſcere, apud quem Parmenides ſignificat, Socratem in dialecticis à Zenone fuiſſe inſtitutum. Zenonis Logica, Platonis dialogis multa continentur: ut in Parmenide, rei qua de agitur, ortum, motum, accidentia, interitum: id eſt, cauſas, quib. res generatur & effecta, & adiunctas accidentias, & oppoſita, quibus res corrumpitur & interit. Item comparatorum genera, ſimile, diſſimile, maius, minus, par: item de genere & ſpecie atque ideis plurima ibidem diſputatio eſt: ut in Sophiſta & Politico, de genere rurſus & ſpecie, toto item, & parte, itemque de diuidendi & definiendi ratione & lege. His enim duobus dialogis Socrates à Zenone logicis diuidendi & definiendi legibus informatur. [redacted]

DEMOCRITVS Ab[redacted] Socrate fuit, cuius [redacted] tametſi nihil ad logicam Laertius referat: tamen, qui uideantur ad logicam referri poſſe, quidam ſunt, ſi tituli tamen non fallunt.

PROTAGORAS Abderites, Democriti diſcipulus, ſophiſticen exercuit, & de nominibus primus litigare, & ſuperficiale illud contentionis genus inducere cepit. Vnde de eo Timon, πρωταγόρης τ' ἐπίμικτος ἐριζέμεναι εὖ εἰδώς. Socraticum dicendi genus primus mouit, & Antiſthenis rationem, qua demonſtrare nititur contradici non poſſe, ut Plato in Euthydemo inquit, ἄγετο fuit. Laert. lib. 9. Eius argutias in Philoſophia oſtendit Ariſt. & Plato in Protagora.

HIPPOCRATES medicus, horum ætate paulò inferior, & inuentionis & diſpoſitionis partes propoſuit: ſimilitudinẽ & diſſimilitudinem commendauit: uitia diuiſionis in ueteribus (ut Galenus ait) ſtudioſè reprehendit: imò uerò effectorum, adiunctorum, unà cum methodica & artificioſa diſpoſitionis forma, locum comprehendit. Quæ cùm à Socrate in Phædro medici & oratoris inducta collatio eſſet, producuntur. Eum certè Plato Methodi parentem appellare nõ ueretur. Galenus uerò libro 5. Meth. cap. 10. omnium Methodorum auctorem facit: licèt non omnia methodicè ab eo in arte medica pertractata aſſerat libro ſexto, capite quarto, & libro 9. cap. 8.

SOCRATES uniuerſos unus, non tantùm Ethica, ſed Logica lõgiſſimè ſuperauit: qui tametſi magiſter in ſchola nunquã fuit, nunquam artis cuiuſquam profeſſor ac doctor uideri noluit, imò literam nullam ſcriptam reliquit: è diſcipulorum tamen, atque in primis Platonis ſermonibus [redacted] omnium philoſophorum ſuperiorum non ſolum natu[redacted] ſed arte & uſu λογικώτατον fuiſſe. Galenus [redacted] Philoſophicæ, Socratem [redacted] non ſolùm Ethicæ [redacted] etiam Logicæ perfectorem, cùm ait: Dialecticam facultatem, qua ducuntur homines, perfectè animaduertit. Etenim Zenoniæ [redacted] tenuit, ſed inutilia ab util[redacted] de ideis altercationem, ut Parmenides Platonis [redacted] iam tum iuuenis refutauit: A ſe ipſo autem quàm multa logicæ artis adiumenta depromſerit, è Platonis dialogis poeta intelligere. Ariſtoteles alioqui laudis alienæ parciſſimus, Philoſophiæ libro 13. Socrati logicas laudes maximas attribuit, definiendi & diuidendi.

Deinceps ſectæ uariæ exortæ ſunt, Socratemque philoſophi præcipuè quinque, logicis artibus celebres ſunt conſecuti, Anaxarchus, Ariſtippus, Euclides, Antiſthenes, Plato. ANAXARCHO ſatis conſtat, logicam Socraticæ inſcientiæ ſcientiam non placuiſſe, cùm diceret, ne ſe idipſum ſcire, quòd nihil ſciret. Socrates una exceptione ſe nihil ſcire profitebatur: Anaxarchus etiã hanc exceptionẽ ſuſtulit, ſeq; in rebus agendis, probabilitatis ſpecie duci, nõ certa ſcientia moueri dixit. Anaxarchum PYRRHO Elienſis audiuit, & hãc ſectam acatalepſiæ & retentionis amplificauit, unde non curantia & in differentia rerũ omniũ ſequebatur: eiusq; ſectatores Pyrrhonij, Aporetici, Sceptici, Ephectici, Zetetici, quòd dubitarent, conſiderarent, inhiberent, inquirerẽt, dicti ſunt: teſte, Laertio lib. 9. quorum proprium nil affirmando docere, ſed inficiando aut comparando. Atq; ut mirabilis eſt hominum natura, cùm logicas artes conuellere uelle uideantur, ad confirmandum tamẽ inſtitutum ſuum, id eſt, ad omnem ſenſus & intellectus certam perceptionem ſciẽtiamq;: ad iudicium, demonſtrationem, diſciplinam tollendum, ad omnium, quæ ſentirentur, quæq; intelligerentur, incomprehenſibilitatem confirmandum, logicis & rationum & teſtimoniorum probationibus utebantur.

ARISTIPPVS, omnesque Ariſtippi ſectatores Cyrenaici & Epicurei, logica naturali contenti, logicam artificioſam uidentur contemſiſſe, tametſi Ariſtippus de Arte logica libros, ut è titulis coniectura eſt, cõſcripſit, de exercitatione, de diſciplina, interrogans, de chriis. Et de Cyrenaicis locus eſt apud Laertium, quòd logicam, propter eius uſum ſummum, attingebant. Et Epicurus ſeptem annis natus poſt Platonis obitum, licet uerbo logicam artem, ut inanẽ affirmaret, tamen reipſa quandam retinebat: Dialecticam aut Logicam non appellabat, cæterorum philoſophorum more, Canonicam dicebat: & libros argumenti logici multos ſcripſit: de ſectis, de iudicio aut principio, aut canon, aut (tanquam diceres) elementarium. Veri iudicium referebat ad ſenſus & anticipationes, & affectiones. Epicurei præterea adiecere phantaſticas mentis conceptiones. Itaq; iammenti iudicia tribuebant Epicurei, ſed quæ à ſenſus obſeruationibus & iudiciis eſſent orta, ſecundùm & incidentiã & propoſitionem & ſimilitudinem & compoſitionem, aliquid etiam ratiocinatione conferente.

EVCLIDES Megaricus, totaq; eius ſucceſſio & ſecta, logicã in primis arripuit, ſed Parmenideam illam Zenoniam, nonnihil Sophiſticam, quam idcirco Socrates non probabat, ideoque ſectatores Euclidis, Contentioſi primò ſunt appellati Ἐριστικοί, & poſtea Dialectici, quid diſputationes interrogatione & reſponſione conficerent. Demonſtrationibus autem inſiſtebat Euclides, non ſecundùm ſumtiones, ſed ſecundùm illationes. Eius diſcipulus EVBVLIDES Mileſius conſimiles Dialecticæ modos reperit, Mentientem, latentem, electram, occultum, ſoritem, cornutum, caluum: & conſimili cum doctore nota, procax & petulans appellatus eſt. Fuit enim diſputator acer, & Demoſthenem oratorem formauit: ut ſibi à ridiculis & nouis & & populo ingratis caueret (teſte Plutarcho in uitis Decem oratorum) ſed diſſenſit ab Ariſtotele, eiusq; multa decreta labefactauit. Eubulides, ALEXINVM Elienſem diſcipulũ contentioſiſſimum, ſucceſſorem reliquit, Zenoni infeſtiſſimum. In eadem ſecta fuit DIODORVS Cronus, primusq; occultum & cornutũ diſputationis genus, Ceratinas quæſtiones inueniſſe exiſtimatur. Ex eadem ſchola fuit CLITOMACHVS Thurius, qui primus de axiomatis & categorematis ſcripſit.

STILPO Megarenſis, Euclidis auditor, inuentione & eloquẽtia ſuperauit omnes, ut Græcia in illum intenta diceretur μεγαρίζειν. Diſputator erat acerrimus, & ſpecies tollebat.

MENEDEMVS Platonis atque etiam Stilponis auditor, eius ſcholæ poſtremus, tollebat axiomata negantia, affirmantia autem conſtituebat: atque ex iis ſimplicia amplectebatur, compoſita tollebat. Heraclides tamen ſcribit Dialecticam contemſiſſe. In diſputationibus autẽ ita pugnax erat & fortis, ut liuor in oculis exprimeretur. Atq; huiuſmodi logica Euclidea, de categorematis, axiomatis, ſophiſmatis, degenerauit à Socratis logica, & ad ſophiſticam nonnihil inclinauit: fortis tamen ac robuſta fuit.

ANTISTHENES Athenienſis, inter Socraticos omnes acutiſſimus & ſuauiſſimus, Scholæ Cynicæ ſimul & Stoicæ auctor, dialecticam ualde celebrauit, de ea quoq; ſcripſit quædam, ſi Laertio lib. 6. credimus. Diogenes eius ſucceſſor eãdem non quidem ſcripto, ſed reipſa excoluit.

Stoici è Cynicis orti, logicas artes accuratiùs excoluerũt, primusque ſectæ huius inuentor ZENO Cittiæus, diligenter cum

cum Philone Dialectico ſeſe exercuit. Scripſit uniuerſalia, de toto, de dictionibus, de artificioſa ſolutione & reprehē-ſione. CLEANTHES Aſſius Zenonis diſcipulus logicos libros plures conſcripſit, quàm magiſter. de Dialectica, de Categorematis, de ratione, de iudicando, de modis, id eſt, ſyllogiſmorum figuris (ſic enim Stoici loquebātur) de propriis, de ambiguis, de arte, quomodo philoſophi philoſophari debeant, de chriis, de exercitationibus. SPHÆRVS Cleanthis auditor fuit, ex cuius libris ad Logicam referri uidentur, de Arte dialectica, de Categorematis, de ratione, de affectionibus (ſic enim interdum ab Ariſtotele uocantur accidentia) de iis, quibus contradicitur, de ſimilibus, de definitionibus, de opinione, de exercitationibus, de ambiguitatibus, de Erethriacis philoſophis, id eſt, Pyrrhoniis. Sed omnium non modò Stoicorum, uerùm etiam logicorum omnino magiſtrorum πολυγραφώτατ☉ CHRYSIPPVS Solenſis, Cleanthis ſucceſſor, libros 371 logicos, ut Laertius affirmat, ac præterea multos conſcripſit: tantumque ob hanc artem in Græcia nomen habuit, ut plerique dicerent, Deos, ſi dialectica uti uellent, non alia, quàm Chryſippea uſuros eſſe.

Qualis quantusq; logicus PLATO fuerit, ex eius cōſtat Dialogis. Neq; logica Platonis tantùm 4 dialogis, Politico, Cratylo, Parmenide, Sophiſta, cōtinetur, ut uidetur Laërtius dicere: ſed omnibus ferè aſpergitur.

E Platonis ſchola ſectæ duæ factæ ſunt, Academicorum & Peripateticorū. In Academia SPEVSIPPVS, Platonis nepos, annos octo docuit, ſcripſit dialogos circa negotiū ſimiliū, diuiſiones, & ad ſimilia argumenta: de generum & ſpecierū exemplis: diſpoſitiones commentationum.

Condiſcipulo Speuſippo XENOCRATES in Academia ſucceſſit, annosq; uigintiquinq; præfuit: & de libris eius, qui logici uideantur fuiſſe, nongenti ferè, niſi numeri mēdoſi ſint, atq; etiam plures, numerantur.

ARCESILAS Pitanæus, primus mediam Academiam inſtituit, primusque in utramque partem diſſeruit, Platonicūque diſſerendi interrogando reſpondendoq; modum, contentioſiùs exercuit, & ex umbra in certamen eduxit, ingenioſus & copioſus, ut Theophraſtus aiebat. Nullum librum ſcripſi: Platonem maximè, deinde Pyrrhonem imitatus eſt: tum Diodorum ſibi propoſuit. Erat aūt in reperiendis argumētis & enunciatis & probationibus acutiſſimus. Theophraſti auditor fuit, poſtea Crantoris Solenſis: & mortuo Crate ſcholam rexit. Laertius lib. 4.

LACYDES Cyreneus, Arceſilai ſucceſſor in noua Academià, dialecticus inſignis. Laertius.

CARNEADES Academicus, Stoicorum libros ſtudioſè lectitauit, eiſque modeſtè contradixit, dicereque conſueuit: Niſi Chryſippus eſſet, non eſſem ego. Athenienſes oratores ad eum audiendum conueniebant. Vehementer erat terribilis, & in quæſtionibus pugnax. Nihil unquam oppugnauit, ait Cicero, quod non expugnarit. Philoſtratus illum ſophiſtis annumerat.

Inter PERIPATETICOS artes logicæ mirificè excultæ & celebratæ ſunt, atque in primis in ARISTOTELE, huius ſectæ principe, defunctiſque Speuſippo & Xenocrati paululùm ſuperſtite. Primus hic Alexandri Magni beneficio, libros innumerabiles undique congregauit: unde Ariſtotelis philoſophia tanquam omnium philoſophorum bibliotheca quædam ſtatui poteſt. Libri logici uidentur ex Laertij libro quinto, fuiſſe cētum & quinquaginta minimùm, partim totam artem nomine Rhetoricæ & Dialecticæ, partim etiā partes complexi. Veteres appellat Dialecticæ ignaros in primo Philoſophiæ diuinæ, capite ſexto: & pugilibus inexercitatis & artis expertibus comparat, cap. 4. tum uerò balbutientibus infantibus ſimiles eſſe prædicat, cap. 7. denique affirmat in peroratione logici Organi, ante ſe de logica nō hoc uel illud, ſed omnino nihil, fuiſſe traditum. In totis Phyſicis atque Ethicis & phyſicos & ethicos permultos appellauit, neque ſibi philoſophiæ uel phyſicæ uel ethicæ inuentionem uel perfectionem attribuit. At in logico Organo neminem logicæ doctorem citauit, imò nominatim ſeſe artis uniuerſæ & inuentæ & perfectæ auctorem prædicauit: ut ſi iam Ariſtoteles interrogetur, quānam philoſophiæ parte in primis laudari atque ornari uelit, logicam iſtam palmam ſine dubio nominet. Et quidem tantum ingenij fructum nōn uerbis inanibus affectauit, ſed magno ſtudio & opere ſibi uindicauit. Nam logicas artes, propoſita in utramque partē diſcipulis de rebus omnibus diſſerendi ratione, uehementer exercuit, indeq; aurei fluminis laudem, ut credibile eſt, Cicerone iudice, meruit.

Ariſtotelis diſcipulus, & in Lyceo ſucceſſor THEOPHRASTVS, multa quoq; de logica perſcripſit, & librorum multitudine magiſtrum ſuperauit: tantum abfuit, ut perfectā ab Ariſtotele logicam crediderit. Quinetiam magiſtrum multis in locis tam liberè reprehendit, quàm Ariſtoteles antè ſuperiores omnes, inprimisq; Platonem magiſtrum reprehēderat, uti docent Ariſtotelis interpretes.

STRATO, Theophraſti diſcipulus & ſucceſſor, quamuis phyſicam præcipuè excoluit, attamen eloquentiſſimus fuit, & logica quædam conſcripſit: ſi modò tituli apud Laertiū non fallunt.

Stratoni LYCON ſucceſſit: qui, quòd in dicendo ſuauiſſimus eſſet, idcirco γλύκων dicebatur. Eloquentiam ſuorum maiorum hic eſt æmulatus.

DEMETRIVS Phalereus, Theophraſti auditor, diſputator ſubtilis, orator parū uehemens, ſed dulcis tamē, ait Cicero.

EVCLIDES Platonis auditor primùm, deinde Speuſippi, ſcripſit de nominibus, de imaginibus, contemplatiuum de coniecturis, de præſcientia ſolutionū contentioſarum, de ſpeciebus, ſolutiones. Laertius affirmat, ſuo tempore monimēta eius, nominatim de Dialectica, lecta eſſe. Ergo Peripatetica logica in Ariſtotele aurea, in Theophraſto diuina, in Stratone eloquentiſſima, in Lycone & Phalereo dulciſſima fuit. Vnaquęq; hæc ſchola logicis laudib. facilè reliquas ſcholas omnes ſuperauit. Cæterùm ab Ariſtotelis obitu, id eſt, anno tertio Olympiadis 114. uel anno urbis Romæ 431. uſq; ad uictorem Græciæ Syllam, latuit annos ducentos quadraginta. Ille enim libros Ariſtotelis Athenis Romam ſecum auexit: quibus poſteriores Peripatetici uti cepêre.

ADRASTVS, ASPASIVS, ALEXANDER, primi de Peripateticis poſterioribus Ariſtotelis logicam in publicas ſcholas induxerunt, & iuuentuti propoſuerunt. Illorum meminit Galenus, Alexandri non item, cuius magiſter Soſigenes fuit.

GALENVS Medicus Pergamenus, cùm ſe logicis philoſophorum decretis cognoſcendis dediſſet, animaduertit non modò ſectarum cum ſectis aliis in logica theoria diſcordiam, ſed ſingularum inter ſe ſectarum diſſenſionem eſſe: in Peripateticis logicis nonnullam, in Academicis maiorē, in Stoicis maximam. Itaque nulli ſectæ ſe præcipuè addixit, ſed electiuus tantùm, ut è ſingulis eligeret, quæ placerent. Quāobrem cùm logicas ſectas omnes cognouiſſet, ſcripſit de ſuo iudicio, nōn ex Ariſtotelis arbitrio, de Demonſtratione libros quindecim, aliaque permulta. quę uel in Pacis incendio, uel amicis donata, uel furto ſublata, periiſſe ait. In libro de Demonſtratione, omnes à ſe logicas methodos enarratas teſtatur libro primo Methodi, capite quinto. Quorum iacturam IACOBVS Schegkius Schorndorfenſis, profeſſor Tubingenſis Academiæ, Philoſophus & Medicus [redacted] riis de Demonſtratione editis ſuppleuit. Videtur autem Galenus ultimus è philoſophis logicas ſcholas reliquiſſe. Nam qui poſtea ſecuti ſunt, amiſſa iudicandi libertate, ſeruorum potiùs quàm philoſophorum nomine dignandi uidentur. Hæc ex Ramo.

Circa annum ſalutis 1364. erat graue bellum inter epiſcopum Hildeſemenſem Gerardum, & Othonem ducem Brunſuicenſem: & Gerardus in ſocietatem belli pertraxerat archiepiſcopum Magdeburgenſem Theodericum & ALBERTVM Halberſtadenſem. Acie uictor Gerardus, Albertum Halberſtadenſem inſignem logicum, qui ingenij ſui teſtimonia etiam nunc inter ſcholaſticos habet, cepit. Et quia Gerardus orator non uulgaris erat, prouerbium inter ſtudioſos ortum, Logicam ſuccubuiſſe Rhetoricæ. Cranzius libro 9. Saxoniæ, c. 33.

RODOLFVS Agricola, Friſius, Heidelbergenſis profeſſor, Dialecticorum noſtro ſeculo coryphæus, quòd relictis ſophiſticis altercationibus, præcepta omnia ad uſum in philoſophis, oratoribus, poetis, in quotidiana denique uita oſtendendum, pertinere uoluerit: & Adraſti [redacted] ab inferis reuocans, Inuentionem & Iudicium duas [redacted]mas Logicæ partes ſtatuerit, id quod libri eius de Inuentione abundè teſtantur. Eruditionem illius uel Itali, parci alioquin Barbarorum, quos uocant, laudatores, [redacted] applauſu excepêre, ut Hermolaus Barbarus in epitaphio non dubitarit de illo ſcribere, Scilicet hoc uno [redacted] Germania quicquid Laudis habet Latium, Græcia quicquid habet.

[redacted]





## LOGICA EXERCITATIO RESPECTV SVBIECTI. IN

PROPRIIS. HVC pertinent

IVDICIVM LOGICVM

*Aptum.*

CHRYSIPPVS Solenſis ad dialecticum quendam, Cleanthi præceptori multis ac prolixis ſophiſmatibus obſtrepētem, Deſine, inquit, ſenem à magis ad rem pertinentibus auocare: ſed nobis iunioribus iſta proponito. Docuit uir ſapientiſſimus, dialecticæ ſtudium magis ſpectare ad iuuenes exercitatione indigentes, quàm ſenes grauioribus rebus occupatos. Laërtius lib. 7. c. 3.

ZENO Cittæus, Scoicorum princeps, diſputantem, in morē hiſtrionum uoce uiribusq; magnum eſſe oportere dicebat: os tamen aperire non debere immodicè, ut inepti homines faciunt. Laërtius.

IO. PICVS Mirandula aiebat, eas diſputationes prodeſſe, quę placido animo ad inueſtigandam perquirendamque ueritatem priuatis in locis, ſemotiſque arbitris exercebantur. At illas obeſſe plurimùm, quæ in propatulo fiebant, ad oſtendendam doctrinam, uel ad captandam uulgi aurā, atq; imperitorum applauſum. Vixq; poſſe fieri omnino cenſebat, ut honoris cupiditati, qua effrontes illi diſputatores exagitantur, inſeparabili uinculo annexum non ſit illius, cū quo diſputatur, deſiderium infamiæ confuſioniſq;, lethale uulnus animæ, & uenenum caritatis mortiferum. Ioan. Franciſcus in uita Pici.

*Ineptum.*

EVCLIDES Megarenſis diſputationem ex cōparatis ſuſtulit. Quòd ſi ex ſimilibus reuerà eſſet, præſtaret circa ipſam potiùs rem, quâm circa ea, quę illi ſimilia eſſent, uerſari: ſin uerò ex diſſimilibus, ſuperuacanea foret. Ob quā Sophiſticam dialecticā notatus eſt à Timone, uelut ſophiſta, quòd Megarenſibus rabiem contentionis inuexiſſet. Laërtius.

DIOGENES Cynicus, Platone de Ideis differente, & nominānte menſalitatem & cyathitatem: Equidem (inquit) ô Plato, menſam & cyathum uideo: menſalitatem uerò & cyathitatem, nequaquam uideo. Rectè (inquit Plato) oculos enim, quibus menſā cyathusq; conſpicitur, habes: mentem uerò, qua menſalitas & cyathitas uidetur, non habes. Sic Diogenes Platonis ideas cauillatus eſt: ſed paulò acerbiorem cauillum à Platone retulit. Platone rurſus definiente, Homo eſt animal bipes, implume: cùm placeret ea definitio, nudatum & deplumem gallum in eius ſcholam iniecit, & ait, Hic Platonis eſt homo. Laërtius.

AENEAS Syluius, qui poſtea pontifex fuit ſub Pij II. nomine, epiſtola 165. libri 1. Epiſtolarum, ubi Viennenſem Academiā deſcribit, Maximum huius Gymnaſij uitium eſt, inquit, quòd nimis diutinam operam in dialectica, nimiumq; temporis in re non magni fructus terunt. Si ueram logicam intellexit, inſcitè hoc dixit: ſi ſophiſticen, malè fecit, qui nomē artis ſplendidiſſimę, tenebrarum parenti indiderit.

[redacted]

CERTAMINA LOGICA.

CHRYSIPPVS decem duntaxat pronunciatorum, quæ ἀξιώματα dicunt, concurſus, narrat numero decies centena millia excedere. Cæterùm hoc quidē refellit HIPPARCHVS: qui demonſtrauit affirmatiuum complecti connexorū centum millia, ſupraq; mille quadringenta nouem: eius negatiuum trecenta decem millia, & extra hæc nongēta quinquaginta duo. Plut. lib. 8. Conu. quæſt. 9.

ADRASTVS Peripateticus Logicam in Inuentionem & Iudicium partitus eſt. At ALEXANDER, Themiſtius, Porphyrius, Ammonius, Simplicius, & cæteri, ex enunciati diuerſitate uti ſyllogiſmum, ſic è ſyllogiſmo poſtea Logicam totā in Apodicticā, Topicam ſiue Dialecticam, & Sophiſticā diuiſerunt. Ramus lib. 2. Scholarum dialect.

RVCELINVS, Brito natione, primus ſectam Nominalium inſtituit, contra Reales, & nominum cognitione, rerū quoque cognitionem comprehendi, magno conatu defendit, ſub annum Domini 1140. ita ut eam ob rem in Pariſienſi Academia cruenta fuerint excitata prælia inter ſtudioſos. Præceptor fuit Magiſtri Petri Abelardi hæretici. Ad dogmatis eius intelligentiam recitat uetus epigramma Auentinus libro ſexto:

Quas Ruceline doces, non uult Dialectica uoces,
Iamq; dolens de ſe, non uult in uocibus eſſe.
Res amat, in rebus cunctis uult eſſe diebus.
Voce retractetur, res ſit, quod uoce docetur.
Plorat Ariſtoteles, nugas docendo ſeniles,
Res ſibi ſubtractas per uoces intitulatas.
Porphyriusq; gemit, quia res ſibi lector ademit.
Qui res abrodit, Ruceline, Boëthius odit.
Non argumentis, nulloq; ſophiſmate ſentis,
Res exiſtentes, in uocibus eſſe manentes.

Secta Scholaſtica, quæ à GVLIELMO Occhamo defluxit, & Nominalium ſe appellauit, ridet, quæ IOANNES Scotus, & ij, qui Reales dicuntur, de punctis, de momentis, de interuallis, de indiuiſibilibus affirmant: & tamen illi ipſi diſputaturi, uel in Logicis, de Incipit & Deſinit, uel in Phyſicis de Motu, & Tempore, opinionem Scoti tanquam ueram ſubijciūt, ut ſit dimicatio diuturnior. Ludouicus Viues de Cauſis corrupt. artium lib. 1.

Venceslao Ignauo Boëmis imperante, BOEMIS ægrè ferentibus Academiæ Pragenſis gubernacula penes Germanos eſſe, quidam Boëmus Ioannis Vicleſi Angli libros de Realibus uniuerſalibus Pragam deuehens, tela Boëmis ſuppeditauit. Ioannes, ex pago Hus oriundus, Vicleſi ſubtilitatib. Germanos magiſtros uexare cepit, [redacted] Vēceſlao regi perſuaſit, uti Pragenſe gymnaſium Pariſienſis ritu gubernaretur. Offenſi ea re Germani, relicta Praga Lipſiā cōmigrarunt. Boëmis ſcholæ adminiſtratio liberè patuit. Aen. Syluius in Boëmia.

[redacted]

ALIENIS. LOGICAE usus in

RELIGIONE

*Rectus.*

In primitiua eccleſia MARTYRVM quarundā admirāda fuiſ in Chri-

in Chriſto confitendo conſtantia: nec minor in redarguendis & confutandis Gentilium ſuperſtitionibus diuinitùs infuſa gratia & eruditio. Nam ſpiritus ille, cuius inſtinctu loquebantur, eam quoque facultatem illis largitus eſt, ut nō [redacted] poſſent: ue- [redacted] errores detegere, eoſque ueritatis [redacted] (quod peruicacibus & [redacted] cuit, qui ignorantia [redacted] mentem reuocare [redacted] detinentur, [redacted] diſcere tamen cupiunt: quam ignorantiam [redacted] Plato nominat, uti priorem il- [redacted] & caſtitate diſſerens, non modò Valerianum [redacted] cohibuit, [redacted] ſanctiorem eſſe oſtendit: uerumetiam Tiburtium ſponſi fratrem ad Chriſtianam religionem amplectendam compulit. Marulus lib. 5. c. 6.

CATHARINA Alexandrina ſub Maxentio, ſophiſtas omnes ſancti Spiritus uirtute confutauit: & magnam eorum partē, ut Chriſto nomina darent, perſuaſit. Ceſſit mundi ſapientia ſapientiæ diuinæ: & qua ſola diſſerendi ac diſputandi arte gloriabantur ſophiſtæ, eam quoq; uirginis diuino acumini ſubmittere fuēre coacti. Idem.

ORIGENES fortiſſimus Chriſti & inuictus athleta, cum hæreticis ſæpiſſimè congreſſus eſt, tanta felicitate & celeritate diſputandi, ut manus uel inuiti dare cogerentur. Itaq; Beryllum Arabem, & Ambroſium, à Valentiniana Marcionisque hæreſi liberauit. Hortabatur ille ad ſtudia philoſophiæ diſcipulos, quaſi abſq; his, reſiſtere hęreticis nō poſſent. Euſebi9.

Dialectici & Sophiſtæ plurimi ad Nicenam Synodum confluxēre, ſiue Arianis ſiue Orthodoxis patrocinari parati. Vnus præ cæteris ambitioſior & impudentior, cùm cauillis ſuis omnes ſuperaret, tandem à bono quodā ſene SPIRYDONE, epiſcopo Trimethuntis Cypri, qui ex paſtore propter pietatē & miracula epiſcopus factus erat, prouocatus eſt. Ibi cū ſenex formulam fidei recitaſſet, Si credis, cōſtanter reſponde, nec logomachiis iſtis in Dei opt. max. contemtum utere: acclamauit. Tunc quaſi uoce diuina perculſus Dialecticus, & ſe credere faſſus eſt, & comites ſuos ad credendū induxit, in hæc uerba prorumpens: Quantum intereſt, de rebus nudis abſque ullo fuco diſputare, & inanibus logomachiis tempus terere? Socrates lib. 1. cap. 8. & Sozomenus lib. 1. cap. 18. qui nomina non exprimunt. Sed Nicephorus exprimit libro 8. cap. 14.

MALCHION rhetor & dialecticus inſignis, presbyter Antiochenus, præ cæteris ſolus Pauli Samoſateni lubricas fraudes deprehendere & redarguere potuit. Euſebius libro ſeptimo, cap. 29.

ARCHELAVS epiſcopus Meſopotamiæ, Manetē in Caſchara Meſopotamiæ urbe publicè diſputando conuicit, ita ut profugere cogeretur: deinde rurſus in alio quodā Caſcharorū pago Diodoride. Floruit ſub Probo, teſte Hieronymo.

*Peruerſus.*

*Conſule Tit. Hæreticorum.*

ARIVS presbyter Alexandrinus, inſignis dialecticus & hæreticus. Socrates lib. 1. c. 5 & 6.

AETIVS Syrus primùm aurifaber, deinde ſtudiis addictus, breui ita in illis excelluit, ut Antiochiæ in diſputationibus publicis etiam ſenes exagitaret & ſuperaret, ob eam immodeſtiam eiectus fuit à catholicis. Inde medicus factus, & philoſophus, & ad Arianiſmum propter Categorias Ariſtotelis malè intellectas lapſus, Antiochiæ à Leontio diaconus ordinatus: cùm contentioſis diſputationibus de Deo, ſuæ quoque ſectæ homines intricaret, pro heterodoxo habitus, in exilium pulſus eſt. Sozomenus lib. 5. & Epiphanius lib. 3. tomo 1. hæreſi 76.

MEDICINA.

MAGNVS Antiochenus, Zenonis Cyprij medici auditor, diſputando quàm medendo ingenioſior, curatos ab aliis demonſtrabat adhuc morbo teneri: cumq; priſtinæ ualetudini redditi, & iam ſoſpites medicis ſuis gratiam habere ſe teſtarentur, ille uerbis & quæſtiunculis obiectis, os medicis obſtruebat. Eunapius in eius uita.

FVRTO

*Excuſando.*

LASVS piſcem aliquando piſcatoribus quibuſdam per iocū ſurripuit, ac cuidam dedit aſſiſtēti: adiurare autem coactus, neq; ſe habere piſcem iurauit, neq; ſe ſcire quòd alius ſurripuerit: quia ipſe ceperat, alter habebat. Illum rurſus ita iurare docuit, quòd neq; ipſe cepiſſet, neq; alium habentē noſſet. Athen. lib. 8. c. 5. Dipnoſ.

*Deprehendendo.*

Cæcum & pedibus captum accuſabat olitor, ingreſſos fuiſſe hortum, & fructus eius comediſſe. Reſpondenti cæco, At nihil uideo, nec hortum, nec arbores: capto pedibus dicenti, Non ſunt mihi pedes quibus iuerim: regeſſit OLITOR, Cęcus captum pedibus baiulauit, hic duxit illum. Sic cōiunctī fecerant, quod nunquam ſeorſim potuiſſent.

# LOGICA EXERCITATIO, RESPECTV MODI.

## DOCENDO, DICENDO'VE. METHODICI.

Ob ſolius logicæ peritiam Cicero in Bruto, SER. Sulpitium Q. Scæuolæ præfert: & ſeipſum quoq; è Dialecticorum ſcholis inuentionem hauſiſſe teſtatur. Exiſtimo, inquit, Iuris ciuilis magnum uſum & apud Scæuolam & apud multos fuiſſe, Artem, in hoc uno: quod nunquā effeciſſet ipſius iuris ſcientia, niſi eam præterea didiciſſet artem, quę doceret rem uniuerſam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obſcuram explanare interpretando, ambiguam primùm uidere, deinde diſtinguere: poſtremò habere regulam, qua uera & falſa iudicarentur: & quæ quib. propoſitis eſſent, quęq; non eſſent conſequentia. Hic enim attulit hanc artem, artiū omnium maximam, quaſi lucem ad ea, quæ confuſè ab aliis aut reſpondebantur, aut agebantur.

## DISPVTANDO. VEL RATIONIB.

[redacted]

οὔσῃ (καὶ διὰ τὴν σοφίαν ἀνιείσῃ, εἰ μίαν κεφαλὴν [redacted] τοῦ λόγου, πολλὰς ἀντὶ τῆς μιᾶς) καὶ καρκίνῳ ἑτέρῳ τινὶ σοφιστῇ ἐκ θαλάττης ἀφιγμένῳ, νεωστί μοι δοκεῖν καταπεπλευκότι. ὃς ἐπειδὴ αὐτὸν ἐλύπει, οὕτως ἐκ τοῦ ἐπ' ἀριστερᾶ λέγων καὶ δάκνων, τὸν Ἰόλεων τὸν ἀδελφιδοῦν βοηθὸν ἐπεκαλέσατο. ὁ δὲ αὐτῷ ἱκανῶς ἐβοήθησεν. ὁ δ' ἐμὸς Ἰόλεως Πατροκλῆς εἰ ἔλθοι, πλέον ἂν θάτερον ποιήσειεν: id eſt, Nō iniuria inquā fugio. Nam cū alterutri ſim impar, cur nō fugiam ambos? Equidē Hercule multò ſum imbecillior, qui tamen pugnare pariter nō ualuit & aduerſum Hydrā ſophiſticam (cui propter ſapientiam pro uno ſermonis capite amputato multa repullulabant) & aduerſum Cancrum ſophiſtam quēdam è mari profectum, & nuper, ut arbitror, aduectum. A quo cùm Hercules ad ſiniſtram angeretur, uerbisq; acriter morderetur, nepotis ſui Iolai auxilium implorauit, qui abundè illi ſuccurrit. Meus autem Iolaus Patroclus [redacted] certaminis partem ſuſtineret. Mordaci uidelicet allegoria, Socrates è fratribus ſophiſtis alterum hydram, alterum cancrum nominat, ſe Herculem: Cteſippum, Iolaum.

Ariſtoteles Rhet. lib. 2. tractans de locis [redacted]

GALENVS diſſerendo adeò ualuit, ut [redacted]

[redacted] decimū, Athenæi ſectatorē conicit [redacted]

[redacted] creto legationem cū quodā [redacted]

SISIN-



SISINNIVS, Nouatianorum epiſcopus, uir eloquēs & ſummus philoſophus, in dialecticis ualde exercitatus, ita ut Eunomius hæreticus ſæpe diſputationes eius uitarit. Suidas.

CASSANDRA Fidelis Veneta, nō ſolùm ad lyram cōmodiſſimè concinebat Latinos uerſus, quos ipſa magna eruditione cōpoſuerat: uerumetiā Patauij in Academia diſputando magnam laudē meruit, cùm omnib. in omni doctrinarū genere appoſitè reſponderet. Edidit etiam de Ordine ſcientiarum librum. Fulg. lib. 8. c. 3. & Egnat. lib. 8. c. 3.

*Infeliciter.*

DIODORVS Iaſeus, cognomine Cronus, apud Ptolemæum Soterem, cùm argumenta quędam à Stilpone propoſita extemporè nequiuiſſet ſoluere, à rege per contumeliam Cronus, fatuus, uocatus, & mox per aphęreſin ὄνος asinus: cōuiuio exceſſit, deq; ea propoſitione librum conſcripſit, & uitā mœrore finiuit. Laërtius lib. 2.

*Contentioſè.*

Eſt HOMINVM genus, qui nunquam agnoſcunt, ſe uictos in diſputādo, etiā cū maximè ſint deiecti. Quales depingit Galenus lib. περὶ φυσικῶν δυνάμεων ſecūdo, Ἀλλ' ὅταν τις ἀναισχυντῇ περιπλέκων τε καὶ μήπω καταπεπτωκέναι συγχωρῶν, ὅμοιός ἐστι τοῖς ἰδιώταις τῶν παλαιστῶν, οἳ καταβληθέντες ὑπὸ τῶν παλαιστρῖτων, καὶ κατὰ τῆς γῆς ὕπτιοι κείμενοι, τοσούτου δέουσι τὸ πτῶμα γνωρίζειν, ὥστε καὶ κρατοῦσι τῶν αὐχένων αὐτοὺς τοὺς καταβάλλοντας, οὐκ ἐῶντες ἀπαλλάττεσθαι, κᾀν τούτῳ νικᾶν ὑπολαμβάνουσι. i. Verū ubi quis redargutus eſt, nihilo ſecius cōplectitur tamen, nec agnoſcens ſe conciſiſſe, ſimilis eſt uulgarib. iſtis palæſtritis, qui deiecti à luctatoribus, & humi iacentes ſupini, tantum abeſt ut lapſum agnoſcant, ut etiam ceruices eorum, à quibus deiecti ſunt, teneant, non ſinentes illos auelli, ac uel ita ſe uiciſſe arbitrātur. Eraſmus in Adagiis.

*Sophiſticè, Fallaciter. Sophiſmata uaria.*

HIPPARCHIA Metroclis ſoror, Cratetis Cynici uxor, Theodorū impium, cui cognomen erat ἄθεος, huiuſmodi ſophiſmate conſtrinxit: Quod faciens Theodorus non diceretur iniuſtè agere, idem ſi faciat Hipparchia, non diceretur iniuſtè agere. Quū annuiſſet ille, ſubiecit: Sed Theodorus ſeipſum percutiens, non diceretur iniuſtè agere: nec igitur Hipparchia, ſi idem faceret. Ad id Theodorus nihil reſpōdit, ſed ſuſtulit illius pallium, ut nudaret pudenda. Quum illa nihil hac re turbaretur, obiecit ei uerſu iambico, quòd à muliebribus officiis ad uirile inſtitutum defeciſſet,

γυνὴ τὰς παρ' ἱστοῖς ἐκλιποῦσα κερκίδας.

Radios apud telas reliquit femina. Cui illa: Num tibi uideor malè mihi conſuluiſſe, quæ, quod temporis impenſura fueram telis, impendi diſciplinis? Eraſmus ex Laërtij lib. 6.

CHRYSIPPVS philoſophus tales ſermones interrogabat: Qui non initiatis myſteria dicit, impiè facit. At ædit.uus non initiatis ea dicit. Aedituus igitur impiè facit. Et iterū: Quod in urbe, id etiam in domo eſt. Non eſt aūt puteus in urbe: ergo neq; in domo. Eſt quoddam caput, illud uerò nō habes: & eſt caput quoddā, quod non habes. Non igitur habes caput. Si quis eſt Megaris, nō Athenis: Homo aūt eſt Megaris, nō igitur eſt homo Athenis. Si quid loqueris, per os tuū trāſit. Currū aūt loqueris, quare currus per os tuū trāſit. Si quid nō amiſiſti, hoc habes: Cornua nō amiſiſti, ergo cornua habes. Suidas. Sed hæc ſophiſtarū potiùs ſunt, quàm philoſophi Stoici. Plato certè in Dialogis, cùm aliis, tum præſertim in Euthydemo, tales ſophiſtarum nugas recenſet.

STILPO Megarenſis de ſtatua Mineruę, quā Phidias finxerat, ita percontatus eſt. Num Iouis Minerua dea eſt? Quum reſponſum eſſet, Eſt: At hæc, inquit, non eſt Iouis, ſed Phidiæ. Id quum eſſet conceſſum, collegit: Non eſt igitur hæc dea. Ob hāc uocem apud Areopagitas, impietatis reus peractus eſt. Ille uerò ſic conatus eſt elabi, ut diceret, non negaſſe illam eſſe deam: ſed deū, hoc eſt maſculum. nam θεὸς apud Atticos communis eſt generis. Attamen iuſſus eſt ire exulatū. Theodorus autem cognomento ἄθεος, his auditis, dixit: Vnde hoc nouit Stilpo, niſi fortè ſublatis ueſtib. inſpexit Mineruam? Laërtius lib. 2. c. 12.

Chamæleon Heracleotes ſcribit, LASVM crudum piſcē ὀπτὸν eſſe dixiſſe: quæ uox uiſibilem ſignificat, ſignificat & aſſum. Qua poſteriore ſignificatione cùm illi uſum putarent, atq; adeò mirarentur, ille priorem huiuſcemodi ratiocinatione ſubintulit: Quod audire licet, id eſt audiri idoneum: quod ſcire licet, ſciri: & eodem pacto quod uidere licet, illud eſt uiſibile. Quare cùm piſcē cernere liceat, ὀπτὸν eſſe neceſſe eſt. Athen. lib. 8. cap. 5.

PHILOTAS Amphiſſenſis medicus, allectus inter cliētes Antyllij, filij M. Antonij natu maximi ex Fuluia, medicū aliquādo inſolentem, qui multa negotia cœnantibus ipſis exhibebat, hac cauillatione repreſſit: Febricitanti aliquatenus frigida propinanda eſt: Omnis autē febricitans aliquatenus febricitat: Omni ergo febricitanti propinanda frigida. Icto homine atq; obmuteſcente, oblectatus Antonij F. riſit ac dixit: Hæc tibi Philota cuncta dono, oſtendens multis & grandibus poculis cumulatam menſam. Plut. in Antonio.

REIPSA, FACTIS.

Spherus Cleanthis diſcipulus accerſitus in Alexādriā à PTOLEMÆO rege, in cereas aliquādo aues, in cœna appoſitas, manus extendens, à rege fuit irriſus, quòd falsò aſſenſus eſſet. At is reſpondit, ſe non aſſenſiſſe ꝙ eſſent aues, ſed quòd rationi foret cōſentaneum, eſſe aues. Differre enim ἰσχυρὰν ὑπόληψιν ab ὀρθῷ λόγῳ. Athen. lib. 8. c. 8.

Cùm Polyxenus dialecticus DIONYSIO tyranno diceret, Ego te conuinco: Nimirū uerbis, inquit: at ego te reipſa, qui tuis relictis, me meaq; colas. Significans, illum à ſchola ad aulā, à philoſophis ad tyrannū tranſiſſe: id aūt nō facturū fuiſſe, niſi hāc uitā illa iudicaſſet beatiorē. Plut. in Reg. Apoph.

Operam dederat Logicæ per aliquot annos honeſto genere natus Adoleſcens, Pariſiis. Domum reuocatus, ut ſuam ſapientiam oſtenderet, in menſa patri aſſidēs, cùm duo oua ſorbilia eſſent illata, Quid tribus opus erat, cùm duo tantū ſimus? exclamauit. PATRE mirante, quomodo tria eſſe diceret, Annon unum & duo ſunt tria? ſubintulit. Tum pater. Ego igitur, fili, quia ouis delector, duo iſta accipiam: tu tertio ſi uoles utere, fruere.

# LOGICES STVDIVM ET AMOR.

Exodi 28. cap. Pectorale in ſacerdotis pectore deſcribitur nō ſolùm auro & gemmis, ſed duabus illuſtribus notis, Vrim, & Thumim, diſtinctum & ornatum. Vrim nēpe ſignificat ſplendorem mentis, lucemq; ad cogitandū & perſpiciendū: Thumim ordinis perfectionem ad integrè incorrupteq; iudicādum: unde & pectorale ipſum à Moſe Iudicij λογεῖον appellatur: tanquam nullis hominum ſophiſmatis inquinata, ſed perfecta & omnibus numeris abſoluta conſiderandi iudicādique logica, λογεῖον illud eſſet. Itaq; per Vrim & Thumim, ueluti perfectas abſolutæ ſapientiæ uias, petita oracula, in Sacris literis memorantur. [redacted]

Inter philoſophos STOICI in diſſerendo prudentiſſimi ſunt, in dicendo inopes: quandoquidem omnis illorum cura in Dialecticis conſumitur: uagum illud orationis, & fuſum, & multiplex non adhibetur genus. Cic. in Bruto.

ZENO Cittiæus Stoicus, cùm pecunias non haberet, quibus Polemoni dialectico ſatisfaceret pro mercede, per poſ[illegible] clàm irrepſit, u[illegible] docentē audiret. Tum Polemon, Sat uideo, inquit, te furar[illegible] dogmata, quæ aliis poſtea mercede uendas. Quū illi dialecticus Philo in ſermone, quē illi θερίζοντα, [illegible]oſt, metentem appellant, oſtendiſſet ſeptem ſpecies dialectices: rogauit, q[illegible] peteret mercedis à diſcipulis? ponſ[illegible] centum, dedit ducentos. Tanta erat in homine diſcendi dialecticen cupiditas. Laërtius lib. 7. c. 1.

GALENVS nihil prius neq; ſtudioſius diſcendum ſibi demōſtratiua theoria duxit: ut & aliorū diſputationes cognoſcere uerè ne illę eſſent, an in ſpeciē apparentes: tum ipſe uia quadā inſiſtens, circa quodq; eorū, quæ inueſtigari ſolent, ad inuentionē eius peruenire poſſet. Cùm autē diu multūq; à philoſophis tum Stoicis tum Peripateticis, illam inquiſiuiſſet, ac ſolidi nihil ab illis acciperet, ſed controuerſa apud illos etiam pleraq;, imò nonnulla naturali rationi pugnantia reperiret: ad Pyrrhoniorū ferè hæſitantiam recidiſſet: niſi arithmeticæ, geometriæ, dialecticæq; cognitione, quib. iam à puero inſtitutus erat, retentus fuiſſet. Cùm uerò reputaret ſecū, manifeſtè ueras eſſe eclipſium prædictiones, horologiorū clepſydrarumq; inſtrumenta, quæq; alia iuxta architectonicen inueniuntur: ſatiùs arbitrabatur, typorū Geometricorū demonſtratione uti: maximè cùm eos etiā philoſophos, qui dialectices callentiſſimi habebantur, non inter ſe ſolū, ſed ſibi quoq; ipſis diſcordare uideret: quanquā ex ęquo omnes, has geometricas apodixes cōmendarent. Vnde pleniùs cognouit, ab illorum dictis abſtinendum eſſe, ſequendos uerò charecteres illos & lineares oſtēſiones: quas deinde ſequutus, illam de demonſtratione operoſiſſimā tractationem inſtituit. Geſnerus in eius uita.

DIONYSIVS Mileſius hiſtoricus & ſophiſta acutiſſimus, Hadriano principi ob ingenij felicitatem adeò [redacted] inter ſatrapas & equites ſit numeratus: & menſæ, in qua omnes uiri docti in toto terrarum orbe continebantur, particeps ſit factus. Philoſtratus in Sophiſtis.

OTHO Friſingenſis epiſcopus, rationem diſputandi Ariſtotelicam primus docuit, ſeu potiùs introduxit apud Bauaros, circa annum Chriſti 1142. Syluius.

LOGI-

## LOGICES ODIVM ET CONTEMTVS.

*Conſule Tit. Iudicij Logici inepti. Illic quatenus de aliis iudicant: hic quatenus id, quod ineptè iudicant, oderunt, conſiderantur.*

MENEDEMVS Eretrienſis, Platonis primùm, inde Stilponis diſcipulus, à quo Eretriaci philoſophi nomen habuêre: tollebat proloquia negatiua, affirmatiua probabat, & maximè ſimplicia. Dialecticorum argutias ridebat, cùm ipſe tamen in diſputando ita acris eſſet, ut oculis ardere uideretur. Rempub. quoq; Eretrienſium cum laude adminiſtrauit. Laërtius lib. 2.

POLEMO Athenienſis, qui in Xenocratis ſchola ad honeſtiorē uiuendi rationē fuit reuocatus, philoſophus clariſs. in reb. exerceri oportere dicebat, non in Dialecticis ſpeculationibus: ne breuem quandam artem ſorbentes atq; meditãtes, dum in interrogationibus mirifici ſumus, moribus ineptiſſimi eſſe deprehendamur. Laërtius in eius uita.

DIOGENES Cynicus dialecticas argutias ualde oderat: unde Euclides Megarenſis σχολὴν, χολὴν uocabat, propter contentiones & rixas diſputantium, & Platonis διατριβὴν, κατατριβὴν, hoc eſt conſumtionem. Laërt. lib. 6.

DEMONAX philoſophus Dialecticos irridere & calumniari ſolebat. Vnde in Herminum Peripateticum, qui ſemper in ore habebat decem Ariſtotelis Categorias, ita luſit: Equidē arbitror Hermine, te non indignum decem Categoriis. Iocus eſt ex ambiguo uocis. Categoriæ Græcis uel prædicamenta dicuntur, uel accuſationes. Eraſmus lib. 8. Apoph.

Demonax ad AGATHOCLEM Peripateticum, arrogãter iactantem, ſeſe & ſolum & primum eſſe dialecticorum. Si ſolus, inquit, es, qui primus eſſe potes? ſi primus, qui ſolus? Eraſmus lib. 8. Apoph.

EPICVRVS Athenienſis Dialecticam damnabat, quãdo Philoſophia ſimplicibus ac propriis rerum uocabulis comprehendi poſſet. Laërt. lib. 10. Eiuſdem ſententiæ fuerunt CYRENAICI philoſophi, Ariſtippi ſectatores, teſte Clitomacho & Meleagro apud Laërtium lib. 2.

MEDICI Romani, Galeni æmuli, ut imperiti erant logicæ, & propterea methodi expertes, ita quoq; Logicam in Galeno ut nugacitatem reprehendebant. Teſtis ipſe cùm aliàs, tū etiã in lib. Quòd optimus medicus ſit optimus philoſophus. Eundē quoq; præceptor quidam ex Athenæi Attalei diſcipulis, primas qualitates prima elementa eſſe ſtatuens, ob id quòd calidum non unius generis eſſe Galenus, quantũuis XIX tantũ annorũ eſſet, protuliſſet, ſeriò reprehendit, quòd nutritus in dialectica, & ea, quę inde prouenit, ſcabie repletus, ſubrueret ac cõfunderet omnia. Nos, inquiēs, ſophiſmata ſoluere non didicimus, ſed artem medicam docere. Gal. lib. 1. de Elem. c. 6.

VOLVMINIS QVARTI FINIS.

# THEATRI HVMANAE VITAE

## Volumen Quintum

DE Philoſophicis HABITIBVS THEORICIS, Veri cognitionem potiſsimùm ſpectantib.

*QVATVOR LIBRIS differens.*

# Nobiliſs. uiro

## D. ANDREAE DVDITIO

PHILOLOGO & POLYHISTORI EXIMIO

Quintum hocce THEATRI VITAE HVMANAE Volumen

QVATVOR LIBRIS cõprehenſum

QVORVM

I. *De SAPIENTIA ſeu Philoſophia Theorica in uniuerſum agit.*

II. *De PHILOSOPHIA Naturali & MEDICINA.*

III. *De MATHEMATICIS diſciplinis.*

IV. *De PHILOSOPHIA diuina: ſiue de THEOLOGIA & DIVINATIONE pertractat.*

THEOD. ZVINGERVS RAVRACVS

Amicæ obſeruantiæ pignus

*D D D*

# TOMI QVINTI LIBRORVM DISPOSITIO

ORGANA cognitionis ſequitur Rerum cognitio, ex qua Sapientes denominantur. Sapiens ſolus Deus. Huius amator eſt & imitator Philoſophus, in intelligendo ſimul & agendo. Amat ut potiatur, Imitatur ut exprimat. Potitur, corporis ergaſtulo ſolutus ſpiritus, ad Deum creatorem ſuum rediens. Exprimit, Verum cognoſcendo, Bonum agendo. Iure igitur Philoſophiam mortis commentationem Plato nuncupauit, quæ Iouialis inſtar aquilæ geminis alis Ganymedem Deorum conuiuio ſublimen infert, & ex caducarum rerum admiratore & obſeruatore, θεωρὸν, καὶ τῶν θείων ὁρατὴν, iucundiſsima facit metamorphoſi. Θεωρία igitur in uniuerſum Habitus Philoſophicos omnes ſuo complectitur ambitu, tanquam forma quædam cognitionis, ἀπὸ τῶν θεωρημάτων, ab uniuerſalibus præceptis, nomẽ trahens. At reſpectu finis, quotquot ex his habitibus Veri cognitionem perſequuntur, generis appellatione ad ſpeciem excellentiſſimam tranſlata, Theorici denominantur: qui uerò Boni poſſeſſionem cum actione externa iunctam affectant, differentiæ cauſa Practici nuncupantur. Sic etiam Deo Opt. Max. Intellectio eſſentiæ ſuæ & Veritas per ſe, Bonitas uerò & Actio, reſpectu Creaturarum tantùm, uidetur conuenire. Horum ſinguli ſuis conſtant certis theorematis uniuerſalibus, ſuis itidem ſingularibus exemplis. Experientia enim ſimulacra obſeruat, Ratio ideas colligit, Memoria eaſdem conſeruat. & uiciſſim Memoria ideas depromit, Ratio deducit, Experientia accommodat & confirmat. Proinde ſicuti Theoria ſuam habet praxin ſiue exercitationẽ ſingularium: ita Praxis ſuam theoriam ſiue cognitionem uniuerſalium, denominatione ab excellentiore ſemper facta. Vterque tamen habitus, ut ſunt diuina omnia fœcunda, & communicandi ueri boniq́ue ſtudioſa, in mediam hominum uitam quaſdam ueluti colonias effectuum Mechanicorum deducit, ſuæq; theoriæ ſimul & praxeos mortalium generi, cui omnes uiuere debent, rationem dat comprobatq́ue. Finium diſtinctionem ſubiecta æmulantur. Theorici enim habitus diuinæ quodammodo αὐταρκείας æmuli, ad Theorici intellectus ὁμοιώματα cum reb. conſentientia (qui conſenſus Veritatis nomen obtinuit) omnia referunt, nec niſi per accidens ad ea, quæ foris circũſtant, deflectunt. Proinde Mentis humanæ perfectiones quædam cenſeri poſſunt. Practici uerò diuinæ εὐεργεσίας æmuli, ad intellectus Practici ἐνεργήματα properant, ut rectæ Rationi Affectus bruti obediãt, & hoc ipſo hominem ad umbratilem Boni poſſeſſionem perducant. Nos digni-

ff 2 tatis

tatis merito de Theorica Philoſophia priore loco agemus, eandemque Quatuor libris, ſequentis Typi argumento, ex ſuis fontibus, καθ᾽ ὅσον οἷόν τε, deducemus.

HABITVS Philoſophici Theorici Veritatem pro fine habentes conſiderandi ueniunt tum in

- Genere, quatenus ex ijs Sapientes & Philoſophi denominantur, non expreſſo interim ſapientiæ certo genere. De PHILOSOPHIA ſiue Sapientia in uniuerſum. LIBER PRIMVS.
- Specie, ex ſuis cauſis ſingillatim. Veritas in conuenientia Rerum eſſentiæ & Intelligentiæ noſtræ poſita eſt, ut quales ſunt res, tales de iis conceptus, Senſu obſtetricante, Ratione colligente, habeãtur. Id quod intelligitur, Ens eſt. Huius τὸ ὅτι uel ſola intelligẽtia, uel etiam ſenſu apprehenditur. τὸ διότι uerò ſiue Eſſentiæ ratio, cuius ſolius beneficio intelligi poteſt, per theoriam Philoſophicam à materia ſenſibili uel
  - Non ſeparatur, ſed ut actu rei naturam & eſſentiam conſtituit, ita etiam ab artifice rei naturam declaraturo adhibetur. Sic corpora naturalia tum demũ rectè ſciuntur, quando materia & forma illorum cognoſcuntur, ad quas cauſas accidentia cætera referuntur. In hoc genere intelligentia uerſatur ΦΥΣΙΚΗ ἐπιστήμη, & ſubiecto & intellectione materialis. Proinde δοξαστὴ ſtatuitur à Proclo lib. 1. c. 5. & 6. Elementorum. Quam SECVNDO LIBRO exequemur.
  - Separatur, ita quidem, ut intelligentiæ huius fundamẽta non ex rei ſubiectæ natura, ut actu eſt, deſumantur, ſed per abſtractionem quandam λογικὴν ſeu φανταστικὴν ſupponantur eſſe, ut ex hiſce hypotheſibus, eorum, quæ uerè ſunt, rationes aſſignari poſſint. Porrò illud, cuius cauſa λογικῶς inueſtiganda eſt, à materia ſenſibili actu abſtractũ uel
    - Non eſt, ſed intelligẽtia tantùm abſtrahitur, & cauſæ quoq; abſtractæ excogitantur, per quas ſenſibilium effectuum rationes demõſtrari queant. Quũ ergo tum ſubiectum tum cauſæ demonſtrationis à reb. abſtrahantur: propterea ἀπὸ τοῦ μαθεῖν ΜΑΘΗΜΑΤΙΚΗ ἐπιστήμη dicitur, κατ᾽ ἐξοχήν: quaſi hoc genus doctrinæ ſit ſubtiliſſimum, ex imaginariis principiis (nã Muſicus numeros, Aſtronomus circulos, Geomẽter figuras ſupponit) effectus certos deducens, qui in rerum natura reapſe deprehenduntur, licet naturalibus principiis demonſtrari nequeãt. Eapropter à Proclo διανοητὴ ſtatuitur. De qua LIBRO TERTIO agetur.
    - Eſt, & proinde etiam intelligentiæ ductu abſtracta principia excogitantur. ΠΡΩΤΗ φιλοσοφία hæc ſpecies, & Theologia, à ſubiecti dignitate: à theorematum autẽ abſtractione Σοφία, Sapientia, eximiè nominatur: denique ab ordine docẽdi, quoniam naturalium cognitionẽ ſubſequi debeat, à poſterioribus Peripateticis Metaphyſica dicẽ cepit. Hanc QVARTVS LIBER perſequetur.



# LIBRI PRIMI TITVLORVM DISPOSITIO:

PHILOSOPHIAE in uniuerſum conſideremus

- Habitum, quatenus
  - Acquiritur. Vel
    - Proprio ſtudio. INVENTORES philoſophi.
    - Alieno beneficio. Huc Philoſophiæ → DOCTORES, Magiſtri. DISCIPVLI.
  - Poſsidetur. Conſiderãda Habitus philoſophici tum
    - Profeſsio. Propter eruditionẽ commendãtur alij
      - Per ſe, nimirum propter excellentiam & perfectionem habitus. Qualis iis uidetur ineſſe, qui SAPIENTES, σοφοὶ olim, & poſtea PHILOSOPHI ſunt dicti. Perpendantur
        - Sectæ philoſophorum:
        - Philoſophi.
        - Populi ſapientes.
      - Per accidens, reſpẽctu adiuncti alicuius alterius boni mali ue, cuius coniunctiõe celebrior redditur eruditio. Eruditionis enim habitus per ſe laudabilis, in admirationẽ uenit interdũ propter adiunctum
        - Externũ aliquod uel
          - Bonum, cuius ſpecie non minus ornatur, quàm mundo formoſa mulier. Sic DOCTRINAE iungitur bonum aliquod uel
            - Corporis, ut Robur, Forma, Sanitas. DOCTI Corporis uiribus præſtantes, Athletæ, Pugiles, Formoſi.
            - Fortunæ, ut Dignitas. DOCTI Principes.
          - Malum & incõmodũ, quod cùm doctrinæ per ſe officiat, commendatiorem facit ſapientem, qui impedimenta iſta uirtutis ſtudio ſuperauerit. DOCTRINA iunctum habẽs malum aliquod externum
            - Corporis, ut
              - Valetudinẽ aduerſam.
              - Sexus imbecillitatem. DOCTAE mulieres, in genere.
            - Fortunæ, ut Paupertatẽ. PAVPERES qui docti euaſerunt.
        - Internũ habitum uel
          - Bonum. DOCTRINA iuncta cum bono aliquo habitu tum
            - Ethico. PHILOSOPHI ſeu uiri docti in politicis aut œconomicis cum laude uerſati. Huc pertinent uiri docti
              - Legiſlatores; magiſtratus, cõſiliarij.
              - Duces bellici.
            - Mechanico. DOCTI uiri in mechanicis etiã celebres.
          - Malũ, qui licet doctrinæ perfectioni nihil addat, uel detrahat, tamen exercitationi eiuſdem ſæpe non parum incommodat. DOCTRINA ſiue ſcientia theorico malo alicui coniuncta, tum
            - Ethicæ
              - Ineptiæ. DOCTI uiri inepti ad politiam aut œconomiam: uel quia nolunt, uel quia propter imperitiã non poſſunt.
              - Improbitati. DOCTI uiri improbi in
                - Genere.
                - Specie:
                  - Auari.
                  - Impij.
                  - Tyranni.
            - Mechanicæ imperitiæ. DOCTI uiri inepti ad mechanica.
    - Priuatio. Vide ſignum Aa.
  - Exercetur, tum
    - Per ſe. SAPIENTIAE
      - Vſus
        - Aptus. In
          - Theologia. Scena.
          - Conuiuio. Bello.
        - Ineptus.
      - Fructus.
    - Reſpectu aliorum
      - Certando. CERTAMINA Sapientum & Philoſophorum in genere, nulla mentione facta certi habitus. Ænigmatum acuti coniectores.
      - Iudicando. IVDICIVM philoſophicũ
        - Aptum.
        - Ineptum.
- Cultum, ſtudium & obſeruantiam. Sic ergo Philoſophiam in genere ſumtam alij
  - Amant atq; colunt. PHILOSOPHIAE amor & ſtudium in
    - Seipſo.
    - Aliis.
  - Oderunt. PHILOSOPHIAE odiũ & contemtus
    - Per ſe.
    - Reſpectu aliorũ.

Aa. Ignorantia conſideratur
- Per ſe. INDOCTI. Ignorantia ex Platonis & Ariſtotelis ſententia uel eſt
  - Ἀποφατικῶ, eorum qui cùm nihil ſciant, tales quoq; uulgò uidentur eſſe. Tum
    - Populi rudes, Gentes indoctæ.
    - Homines ſinguli indocti.
  - Ἐκθετικῶ eorum, qui ne id quidem ſciunt, quòd nihil ſciant, ſe falsò ſibi & aliis perſuadent ſe ſapientes eſſe. SOPHISTAE. Δοξόσοφοι. Eruditionis famãn opinionem affectantes.
- Per accidens, propter cõiunctionem alicuius boni maliue. IGNORANTIA iuncta alicui
  - Externo
    - Bono cui ſummoperè officit. Vt INDOCTI Principes, aut DIVITES indocti.
    - Malo, à quo magis efferatur. Vt PAVPERES indocti.
  - Interno habitui uel
    - Bono, tum
      - Theorico. INDOCTI & Hæretici.
      - Ethico. INDOCTI, ſed boni interim politici aut œconomici.
      - Mechanico. INDOCTI, ſed in mechanicis periti.
    - Malo. INDOCTI ſimul &
      - Improbi in Ethicis.
      - Stupidi in Mechanicis.

# Voluminis Quinti Liber I.

# DE HABITIBVS PHILOSOphicis THEORICIS in genere.

## INVENTORES PHILOSOPHIAE.

*Exempla ex Tit. Sapientum & Philoſophorum petantur, tautologiæ uitandæ cauſa. Heic Inuentio, illic Poſſeſſio ipſius habitus ſpectatur.*

### DOCTORES, MAGISTRI PHILOSOPHIÆ.

Sapphro Aſſyriorũ, & Orthopolo Sicyoniorum & Criaſo Argiuorum Regnãtibus regibus, fuiſſe à quibuſdam creditur PROMETHEVS, quẽ propterea ferunt de luto formaſſe homines, quia optimus ſapientiæ doctor fuiſſe perhibetur: nec tamen oſtenditur, qui eius temporibus fuerint ſapientes. Auguſt. lib. 18. de Ciuit. Dei, c. 8.

HOMERVS ſub fabularũ inuolucris Phyſica & Ethica tractauit. Neq; alienũ à ratione uideri debet, ſi quædã per ambages & fabulas indicauit. Hæc enim cauſa eſt poëſeos, iſque mos ueterum, ut & qui diſcendi ſtudio tenẽtur, quadã ſubtilitate illecti, eò faciliùs inquirerent ueritatẽ, atq; inuenirent: & indociles ea nõ contemnerent, quæ nequirent aſſequi. Neſcio enim quomodo id, quod occultè dicitur, in admiratione habetur: cùm contrà uile uideatur, quod manifeſtò effertur. Plut. de Homero.

SOCRATES, cùm ſpectris, fabulis & ſuperſtitione refertam accepiſſet à Pythagora & Empedocle philoſophiam, atque ad miram inſaniam perductam, aſſuefecit in rebus ipſis prudentiam quærere, & ſobria ratione perſequi ueritatem. Plutarchus in Soc. dæmonio.

Socrates in actiua excelluiſſe memoratur: Pythagoras uerò magis cõtemplatiuæ, quibus potuit intelligentiæ uirib. inſtitiſſe. PLATO utrunq; iungendo philoſophiam perfeciſſe laudatur, quã in tres partes diſtribuit. Vnã moralẽ, quæ maximè in actione uerſatur. Alteram naturalem, quæ contemplationi deputata eſt. Tertiã rationalem, qua uerũ diſterminatur à falſo. Quæ licet utriq; id eſt, actioni & contemplationi ſit neceſſaria, maximè tamen contemplatio peripectionem ſibi uendicat ueritatis. Ideo hæc tripertitio nõ eſt contraria illi diſtinctioni, qua intelligitur omne ſtudium ſapientiæ in actione & contemplatione conſiſtere, inquit, D. Auguſtinus lib. 8. de Ciu. Dei.

Euſeb. lib. Præparat. Euang. hanc Platonis philoſophiæ ſectionẽ ab Hebræis deriuatã eſſe dicit, aſſertq; ſentẽtiã Attici philoſophi, quã diuiſio illa declaratur apertiùs, docetq; Platonẽ cõiunxiſſe partes omnes philoſophiæ in unũ uelut corpus, diſperſas priùs ceu mẽbra Penthei: nã Thales & eius diſcipuli phyſicæ totos ſe tradiderãt: ſex alij ſapientes ethicæ: Zeno & oẽs Eleatici, dialecticæ. Plato hæc omnia coagmentauit, & oſtẽdit hominibus, nõ lacerã philoſophiã, ſed integrã atq; abſolutã: cui ſuffragatur Ariſt. ipſe lib. 7. Philoſ. Laertius in Plat. philoſophiæ ratio olim circa unã tantùm phyſicẽ ſpeciẽ uerſabatur: acceſſit Socrates, & addidit ethicen: tertiã Plato philoſophiæ dialecticen adiecit, & cõſummato philoſophiæ operi extremã manũ impoſuit. Apuleius in dogmate Platonis, de ipſo loquens: Quapropter inuenta Parmenidis ac Zenonis ſtudioſiùs executus, ita omnib. quę admirationi ſunt ſingula, ſuos libros expleuit: ut primus tripertitã philoſophiã copularet, ſibiq; inuicẽ neceſſarias partes, neq; pugnare inter ſe tantummodò, ſed etiã mutuis adiuuari auxiliis oſtenderit. Lud. Viues ibidem.

DICENEVS, Straboni Ceneus, philoſophus Aegyptius, Boroiſtam (quẽ Bonfinius uocat Boſtuſcã, Cranzius lib. 1. Sueciæ Berobiſtã) Getãrũ regẽ philoſophicis ſtudiis erudiuit, & regis exẽplo populũ quoq; ad ſapientiæ amorẽ ſub Auguſto Imp. excitauit. Preterea ut iuſtitiã colerent, pacificeq; uiuerent, leges Getis prẽſcripſit: quas in unũ uolumẽ compactas lingua Gothica Belagines appellauit. Atq; ut rex ſapiẽti cõſiliario paruit, ita populi prudenti regi in omnib. obediuerunt. Siquidẽ ingentis obediẽtiæ argumentũ erat, q̃ à Diceneo perſuaſi, uites excidere, & ſine uino uitã agere cõſenſerunt. Io. Magnus lib. 3. c. 18. & Bonfinius lib. 2. Dec. 1.

ANTIOCHVS Aſcalonita fuit, docuitq; Ciceronẽ, Varronẽ, Lucullum & alios plerosq; nobiles Romanos, ſequebaturque ueterem Academiã, ſed ita, ut ad Zenonicam ſectã inclinaret: eamq; non tam Stoicã diſciplinã nouã uocandam autumabat, quã antiquæ Academiæ correctionẽ: idcirco eius Antiochi, & de aliis reb. permultis, & inprimis de ſummo bono ſententia, Bruto, qui eius fratrem Ariſtium audiebat, cæterisq; Stoicis uehemẽter probabatur. Lud. Viues in lib. 19. Aug. de Ciuit. Dei, c. 3.

HISPANI duo philoſophi Athenas profecturi, ui tempeſtatis in Scotorum litus eiecti, & ad regem Ioſinam ducti, hoſpitalitatis ergò ſolum Scoticum maiores diuitias intra ſua uiſcera, quàm in ſuperficie continere edocuerunt, & ad metalla inquirenda animos addidere: quinetiam, ut ferarũ abdicato cultu (quem à maioribus ſuis Aegypto oriundis acceperant) unum Deum cœli colerent, non paucis perſuaſerunt. H. Boëthius lib. 2.

FRIDERICVS II. Imp. libros Ariſtotelis omnes, & pleraque alia, in ſacris & prophanis literis, uniuerſamq; philoſophiæ ſupellectilem ex Græco atq; Arabico ſermone, per interpretes doctiſſimos uertendã curauit, & Academiis legendã exhibuit. Quibus rebus ſe à teneris unguiculis oblectatũ fuiſſe profitebatur. Auent. lib. 7. Annal. Boiorum.

Conſtituerat in animo ſuo ALEXANDER de Ales, Philoſophus ſummus, nihil cuiquam denegare, qui precibus ſuis interponeret diuam Mariam. Ergo Minorita quidam cũ his uerbis aggreſſus eſt. Innotuiſti mundo, magnum habes ubique nomen: ſed uide an hæc uia ſit ad æternitatem. Vides ordinem pauperum fratrum Minorum, in quo multi ſimplices & boni fratres, ſed pauci docti: qualis & quanta meſſis tibi offerretur? Adeoq; obſecro te per diuam Mariam, ut nobis te adiungas. Ille miſſum à Deo credidit hominẽ, & quia per



per nomen Mariæ rogatus fuerat, conſenſit: & ordinem ingreſſus eſt Minorum. Cranzius lib. 8. Metrop. cap. 31.

## DISCIPVLI PHILOSOPHIAE.

*Vide Titulum, Diſciplinæ. Qui didicere. Item, Philoſophiæ ſtudium.*

ERGAMENES rex Aethiopum Græcis doctrinis & philoſophiæ deditus fuit. Diod. lib. 3. c. 1.

Reges AEGYPTIORVM ex bellacibus deſignati confeſtim in ſacerdotum collegium allegebantur, ueniebantq; in conſortium philoſophiæ tectæ propemodum fabulis, quæ exilia ueritatis ſimulacra & ſcintillas continet. Diodorus.

Plato Athenienſis, cùm Dei cuiuſdam ductu Siciliam liberare uolentis, in Siciliam appuliſſet, DIONIS primùm, qui frater erat Ariſtomaches, Dionyſio maiori tyranno Syracuſanorum nuptæ, amicitia uſus, per illum quoq; tyranno innotuit. Dion quamuis tinctus moribus eſſet ſub tyrãno abiectis, uitæq; obnoxiæ & trepidę arrogãti famulitio, inſolẽtib. delitiis aſſuetus, ut primùm tamen doctrinã guſtauit, & philoſophiam ad uirtutem ducem, ilicò eſt ad eã animo incẽſus: atq; ex ſuo ad honeſtatẽ procliui animo ſimpliciter planè & iuueniliter exiſtimans ab iiſdem præceptis pariter Dionyſium motum iri: contendit & effecit, ut potiũ ille cõueniret & audiret Platonem, ſed abſq; fructu. Plut. in Dione.

Veniens in Siciliam Plato euocatus à DIONYSIO tyranno, primo aduentu eximio honore eſt exceptus, & Tyrãnus tanquam magno bono imperium ſuum eſſet auctum, ſacrificauit. Pudor in conuiuiis, aula compoſita, atq; ipſius tyranni in omnib. reſponſis, iudiciisq; lenitas ſpem ciuibus miram præbebat conuerſionis. Ardor erat ad diſciplinas & philoſophiã omniũ. Tyrannidis ſedẽ, ut fama eſt, puluis occupabat, ob numerũ eorũ, qui geometriæ incumbebant. Idem.

LYSIMACHVS Macedo, qui poſtea ad regnum Thracię peruenit, claris ortus natalibus, ſed militari gloria & laude ingenij clarior, adeò philoſophiæ ſtudiis ab initio captus fuit, ut Calliſthenem, quem ob coniurationis ſuſpicionẽ Alexander occidit, auribus, naſo, labiis, crudeliter truncis, cauea cũ cane incluſum, audire perſeuerarit, eiq; in remedium malorum, uenenum miſcuiſſe ſit creditus: tuliſſetq; id ille à rege ſuperbiſſimo haudquaquam impunè, niſi maior fuiſſet uirtus quàm ſupplicium. Sab. lib. 7. En. 4.

PORPHYRIVS Romæ PLOTINVM audiebat. Verùm & rerum altitudine, & Plotini affectata obſcuritate uictus, cõcepto corporis uitæq; odio, clàm in Lilybæum Sicilię abiit, ibique conuerſationẽ hominum auerſatus, ſuãq; infelicitatem deplorans, inedia ſemetipſum perimere uolebat. Plotinus eius morbum ſubodoratus, decumbenti ſuperuenit, & remotis uerborum inuolucris cũ eo diſſerens, à mortis limine reuocauit. Sermones inter ipſos habitos in ſcripta retulit Porphyrius: & deguſtato perſpicuitatis remedio ita delectatus eſt, ut philoſophorum porrò myſteria omnia ſcriptis Cõmentariis illuſtrare fuerit conatus. Proinde uti Plotinus ob ingenij uim cœleſtem & dictionem ænigmaticam à populari captu alienus erat: ita Porphyrius tanquam Mercurialis quædam catena ad mortales demiſſa, cuncta apertè dilucideque explicabat. Eunapius.

## SAPIENTES. PHILOSOPHI.

*Cùm homo Dei imitatione ad Agendum ſit & Contemplandum natus: Contemplationi Rerum cognitio propoſita eſt, Actioni uerò ſuiipſius. Ergo iam inde à primo hominum ortu inuenti ſunt, qui non modò in agendo, uerùm etiam in contemplando exercerentur. Ab actione uiri Boni, à contemplatione Sapientes appellabantur. Hi apud Barbaras gentes aliis atq; aliis nominibus celebres habiti ſunt. Apud Græcos uerò σοφοὶ primùm fuere dicti, quaſi ſapiẽtiæ poßeßores: mox etiam σοφισταὶ, à ſapientiæ profeßione, quodq; eam methodo adhibita alios docere poßent. Pythagoras nominis inſolentiam exoſus, non ſe σοφὸν, quòd hoc nomen ſoli Deo conueniret: non σοφιστὴν, quòd arrogantis eßet, earum rerum cognitionem aliis polliceri, quarũ ipſe uix umbram attigißet: ſed φιλόσοφον appellari uoluit, Amatorẽ ſcilicet ſapientiæ. Quam Pythagoræ modeſtiam ita ſunt amplexi poſteri, ut ſtulto τοῦ σοφοῦ, ſuperbo τοῦ σοφιστοῦ nomine repudiato, Philoſophos ſe porrò pro Sapientibus & Sophiſtis dici mallent. Cæterùm ut inſtabilia ſunt humana omnia, Imperatorum Rom. temporibus Sophiſtæ appellatio denuò honorifica cœpit eße, cùm quicunque dicendo ualerent, & ex rhetorica quæſtum facerent, eo ſe nomine dignari gauderent. Itaque Sophiſtas appellabant eloquentiæ profeßores. Philoſophos uerò & Sapientes eos, qui rerum cognitionem, diuinarum præſertim, atque adeò ipſius magiæ, traderent: quos Tacitus Sapientiæ profeſſores nuncupat. Quorũ uitas Philoſtratus & Eunapius perſecuti ſunt. De ſapientib. ergo & philoſophis hoc Titulo agemus, quatenus in genere docti & eruditi homines eſſe iudicantur. Cæterùm quia & Sapientia & Philoſophia multis modis dicuntur, operæprecium erit de his uocibus, quantum ad rei cognitionem ſatis erit, in medium afferre. Sapientia itaque ſiue σοφία perfectißimum habitum Theoricum ſignificat. Habitus uel generalis eſt, & omnium rerum principia & effectus cognoſcit: uel particularis, qui alicuius rei naturam tantùm aſſequitur. Priore ſignificatione ſapientes ὅλως uocarunt omnes eos, qui rerum cœleſtium, naturalium, diuinarũ cognitionẽ haberẽt, & in illarũ inueſtigatione potiùs quàm in Reip. adminiſtratione uerſarentur. Teſtis eſt Ariſt. in 6. Ethic. inquiens: Διὸ Ἀναξαγόραν καὶ Θαλῆν καὶ τοὺς τοιούτους, σοφοὺς μὲν, φρονίμους δ' οὔ φασιν εἶναι, ὅταν ἴδωσιν ἀγνοοῦντας τὰ συμφέροντ' αὐτοῖς, καὶ περιττὰ μὲν καὶ χαλεπὰ, καὶ θαυμαστὰ καὶ δαιμόνια εἰδέναι αὐτούς φασιν· ἄχρηστα δ', ὅτι οὐ τὰ ἀνθρώπινα ἀγαθὰ ζητοῦσιν. At poſteriore ſignificatione eos ſapientes uocamus κατὰ μέρος (ut Ariſtoteles inquit) qui in aliqua ſcientia theorica, uel arte mechanica excellentißimi ſunt. Sic Phidiam ſapientem ſtatuariũ, Hippocratẽ ſapientẽ medicum, Ariſtarchum ſapientem grammaticum appellamus: quoniam ad ſummum eius artis, quam profitentur, peruenerunt. Tot igitur Sapientiæ particularis ſpecies erunt, quot erunt habitus theorici & factiui. Inter Theoricos rurſus, cùm Theologia ſubiecti dignitate cæteros omnes uincat, certè Sapientiæ uocabulum ei potißimùm conuenijet. Eapropter Σοφίαν appellare conſueuerunt, & πρώτην φιλοσοφίαν, excellentiæ habita ratione. Cùm ergo Sapientia alia ſit uniuerſalis, quæ uno ueluti faſce omnes theoricos habitus complectitur, cuius uera poſſeßio in ſolum Deum cadit, uſurpatio & uſufructus, quidam umbratilis in hominem: alia uerò particularis, quæ ſingulos habitus theoricos continet: nos de uniuerſali illa hoc loco agemus, particularem in ſingulis ſpeciebus poſtea declaraturi.*

### SECTAE PHILOSOPHORVM

#### HEBRÆI, CHALDÆI, Aegyptij.

HEBRÆORVM ſapiẽtię ſignũ illud certiſs. eſſe, Ioſephus li. 2. contra Apionẽ aſſerit, quòd cùm Græcorũ philoſophia in uarias ſit diducta ſectas, Hebræorũ ſemper una permãſerit. [redacted]

Antiquitas, AEGYPTIORVM ſacerdotes tantoperè fuit admirata ſapientiæ nomine, ut præſtantiſſ. Græcorũ philoſophi ad eos peregrinati ſint, eruditionis cauſa. In Magia excellebãt, & eandẽ diſcere uolentib. cõmunicabãt, cùm religione nõ impedirentur, ut IVDÆI: qui ſecretiores & acroamaticas diſciplinas (quas Cabaliſticas uocãt) Gẽtilib. nõ circũciſis manifeſtare nefas eſſe ducebant. Eo factũ, ut quamuis uera ſapientia apud Iudæos eſſet, ex Aegypto tamen peteretur, quòd illic uenalis proſtaret. Pythagorã certè cũ Iudæis ſacerdotib. conuerſatũ, hiſtoriæ produnt, nõ priùs tamen, quàm Iudaicis ſacris initiatus eſſet. Potuit igitur tantiſper religionẽ ſimulare, donec ſapientiã ab illis extorſit: poſtea ad uomitum rediit. Heliopolim dicunt olim ſacerdotũ habitationẽ fuiſſe, philoſophiæ & aſtronomiæ deditorum. Strabonis ætate is ordo ac ſtudiũ defecerat, nec quiſquã tali exercitio prẽerat, ſed homines tãtũ, qui ſacrificia curarẽt, atq; ritus eos peregrinis commonſtrarent. Strabo lib. 17.

CHALDÆI Babyloniorũ antiquiſſimi, eum locũ in ſua rep. quẽ in Aegypto ſacerdotes obtinuêre, hi per omnẽ uitam philoſophari, aſtrorũ peritiam tenere, nunc auguriis, nunc car-

carminibus ſacris,mala hominibus auertere,bono afficere, auguria,inſomnia,prodigiaque fida interpretatione explanare. Nec foris inſtituebantur,ut Græci,ſed à parentibus diſciplinam uelut hæreditariam ſortiti pueri domeſticè diſcebant:qua perpetua cura, facilis ſequebatur prouectus, una conſtansq; diſcendi ratio,non uaria & anceps, qualis apud Græcos,ubi qui eam tradere conſueuerunt, uaria de principiis, & rerum cauſis, atq; inter ſe repugnantia diſſerebant, Sab.lib.2.Enn.2. ex Diodori libro 2. Extat de his uetus oraculum apud Euſebium lib.9.de Præp.euang.

μῦνοι χαλδαῖοι σοφίαν λάχον, ἠδ' ἄρ' ἑβραῖοι,
αὐτογένεθλον ἄνακτα σεβαζόμενοι θεὸν ἁγνῶς.
Chaldæis quæ uera eſſet ſapientia tantùm
Hebræisq; ipſis conceſſum agnoſcere,pura
Aeternum qui mente colunt regemq; Deumq;.

INDI.

BRACHMANES apud Indos, aliàs Gymnoſophiſtæ, Abrahami patriarchę filij ex concubinis,in Orientem à patre ſuo cum donis ablegati dicuntur,libro Geneſeos.Dona proculdubiò maxima & ampliſſima fuêre, artes & diſciplinæ reconditæ,Aſtrologia uera, ipſa deniq; Magia naturalis, qua non olim tantùm per totum terrarum orbem celebres erāt, uerumetiam adhuc hodie (ſi ueræ ſunt Luſitanorum nauigationes)tantū pollent, ut cùm ſeparatis intelligentiis pro libito uerſentur.Eos ex Oneſicriti ſententia partitur Strabo lib.15.& Plin.lib.7.c.2.bifariam, alios Brachmanas uocans, alios Germanas.BRACHMANES ex generis ſucceſſione, ſapientiam uelut hæreditariam ſectabantur. Hi præſtabant, quòd eorum decreta magis eſſent conſentanea. GERMANES,alterum eorum genus,electione ad Philoſophię profeſſionem adſumebantur. Eorum honoratiſſimi HYOBOLI, quòd in ſyluis Indięq; ſolitudinib.ſub dio agerēt,appellati.Solis frondibus & ſyluestrib.frugibus uiuebant:ab omni carne abſtinebant.Nudis incedentib.(unde nomen Gymnoſophiſtarū)ueſtis fuit arborū cortex:uel Diodoro,lineū è mollibus filis indumētū.Id uerò nec igne cōburebatur, nec aquis expurgabatur:ſed ubi ſordidū maculisq; plenū erat, in flammā proiectū,planè candidū poſtmodū reddebatur. Vini & ueneris,coniugijq;, niſi poſt annos ſeptē & triginta in eo uitæ genere conſumtos,expertes erant. De Republica cum Regibus,deque diuinis,ſacrisq; rebus diſputabāt,deq; ſideribus, quæ diligenter obſeruabānt:& decæteris,quę ad naturam perſcrutandam pertinent. Eoq; ab iis colebantur. Ab omnibus enim uoluptatibus,quib. hominū uita corrūpitur, abſtinebant: quapropter maxima erat apud omnes uirtutis eorum auctoritas.Solem ab exortu ad occaſum,ſtātes & immobilibus oculis,contuebantur, & feruentib. arenis ipſi toto die alternis pedib.inſiſtebāt. Caucaſi niues,hyemalemq; uim ſine dolore perferebāt: cumq; ad flammas ſe applicuiſſent,ſine gemitu,ut Cicero ait,adurebantur. Corpora autem ſic ad laborem exercebant:quo mentes confirmarent ſuas,quibus motus omnes ſedarent, & bona per ipſos omnib.cōſulendi publicè priuatimq; uera facultas præſto eſſet.Itaq; omnis eorū philoſophia eò tantū ſpectabat, ut bene uiuendo,bene quoq; morerentur. Ad eos his rebus claros,Apolloniū illum Tyaneum profectū fuiſſe,Hieronymus ex Philoſtrato teſtatur: quo nimirū Iarcham in throno ſedentem aureo,& de Tantali fonte potantē, inter paucos diſcipulos de natura & motib. ſiderū ac dierū curſu docentē audiret:in Aethiopiā deniq; perrexiſſe,quò Gymnoſophiſtas,& celeberrimā Solis menſam, uideret in ſabulo. Præcipuè enim Solis numini maieſtatiq; deuoti conſecratiq; Brachmanes erant.His intenti Philoſophiæ ſtudiis, Alexandrū, cū ad eos in Indiæ expeditione penetraſſet, acriter increparunt,quòd cùm mortalis eſſet,mortali tamen ſorte non contētus,uniuerſum Orientē latrociniis infeſtaret.Alij inter hos Germanes extitere,qui,tanquā Medici, circa corpus hominis ſuā philoſophiā exercerent.Hi,nō ſub dio degebant: oriza iis & farina cibus:per cibos medicinā faciebant:ex medicamētis unctiones pręferebant,& cataplaſmata. In laborib. attamē,ueluti Hyoboli,tolerantiæ conſtantiā pręſtabant,adeò,ut quotidie in geſtu immoti perſeuerarent.Alij Germanes fuêre diuinatores & incantatores.Hi rituum, & eorum, quæ de defunctis uita feruntur,peritia ualuere: perq; uicos & urbes errabant:ea,quæ de inferis cōmemorantur,didicerant,quæ uidelicet ad pietatē ſanctimoniāq; ſpectāt. Oppoſitum omnib.hiſce Gymnoſophiſtis Philoſophorū id genus fuit,quos PREMNAS appellarunt. Cōtentioſi erant iſti, totiq; in reprehendendo poſiti: Brachmanes, q̄ phyſiologiæ & aſtronomiæ ſtudiis incumberent, tanquam ſtolidos, deriſere.Horū alios Strabo Montanos, alios Gymnetas, alios Ciuiles ac Domeſticos nominari,ſcribit. Io.Metellus.

Hodie Gymnoſophiſtarū poſteritas apud Indos etiamnū durare dicitur.De quib.Io.Metellus in ea,quā Oſorij hiſtoriæ de reb.Emmanuelis regis præfixit epiſtola,hæc affert. Sapientiæ apud Indos opinio penes eos eſt,quos Philoſophos appellamus Philoſophorū autē illis eſſe præcipui memorantur,Baneanes,& Bramanes.BANEANES (tametſi nūc potiùs Negotiatores , quàm Philoſophi,nominandi ueniant) ſunt ſectis inter ſe diuiſi.In eo tamen religione quadā omnes conueniunt,ut rem anima præditam,neq; occidant,nedum occiſa ueſcantur.Hoc pręceptum tam ſtrictè obſeruāt, ut pleruną; captas aues redimant; quas deinde priſtinæ libertati reſtituant.Neq; napis,alliis,pulmentis rubro colore infectis,neq; uino aut aceto,neq; Nimpa,neq; Ortaqua,potionum generib.utuntur.Intenti longis ieiuniis ſe macerāt, nocte tantū modò ſumentes pauxillū ſaccari, cū lactis aut aquæ potu.Superſtitioſiores, interdū cibò uiginti dieb. abſtinent.Formicis & auibus aquā bibendā præbent, ſaccaro dulcatam. Quinimò ex eorū inſtituto, noſocomium auium eſt in Cābaiete,in quo omnis generis aues curantur,quę ſanitati reſtitutæ,dimittuntur liberæ. Hæc eſt apud illos eleemoſyna.Morituri,ſolent nōnulli certā facultatū portionem teſtamento legare uiris quibuſdā,qui per ſolitudinē uagentur,& aquā peregrinis & iter faciētib.dent.Eodē ueſtium genere,quo Gymnoſophiſtæ uſi fuiſſe perhibentur, amiciuntur, & animarū tranſmigrationē in alia atq; alia corpora credere,rumor eſt.BRAMANES ſimilem cū Baneanibus de animarū tranſmigratione opinionē traduntur ſequi. Degūt in Balaguate,Cābaia & Malauare. Cibū non attingūt,niſi primùm loti toto corpore. Habentur in maiore ueneratione, quā Baneanes.Ex his enim Scribę Regibus deligūtur,& Negotiorum procuratores,tum Quæſtores & Legati. Hi tamē omnes, & qui in maritimis locis,quæ Cuncama dicūtur, habitant,omni carniū genere,excepta uaccina & porcina domeſtica,ueſcuntur.Animas,uti Pythagorei, mortuis corporibus,in alia corpora tranſmigrare,credunt, aliaq; multa ridicula.Libros quoſdā & Prophetas habent,quib. ſuperſtitionē ſuā (ſunt enim Indicorum ſacrorū antiſtites) ſtabiliunt. Curā phanorū gerūt,quæ Idolis ſunt dedicata.Aedes, quas cū Idolis inhabitāt,Pagodes appellātur.Vaccas adorant, eaſq; nō mactandas docent.Deū opinantur eſſe nigrū, hunc colorē,qui familiaris ipſis eſt,pulcerrimū arbitrantes. Hinc etiā utplurimùm ipſorū idola nigrore ſunt horrida ; impuroq; oleo perfuſa:uiſu uerò adeò fœda , ut uel ſolus eorum adſpectùs intuēti terrorē incutiat. Cōplurib . è plebe, idola admodū eſſe edacia,perſuadent:ideoq; pecuniā ipſis, & uaria eſculentorum genera afferenda,perſuadent.Hoc nimirū cōmento,ſibi ſuisq; uictum largè procurant.Hinc bis quotidie,nimis credulum uulgus , per domeſticos numū diis offert.Illi uerò,furioſorum more,ſaltantes ſiſtratiq; epulātur. Tunc idola cibum capere,miſeris perſuadentes ; & ne quid ſibi ſuiſue deſit,idola uehementer eſſe irata,populo denunciant,quòd imperata non fiant : & niſi deos placet muneribus,fore confirmant,ut aut occidantur ab iis,aut calamitatibus afficiantur,aut in ipſorum ædes immittantur dæmonia.His eos technis in errore detinent. Quod quidem interdum etiam eorum aliqui non diſſimulāt, ſed egeſtate ſe purgare conantur : quòd præter ſaxea iſta idola, nihil in bonis habeant.Amaracum herbam magna ſuperſtitione & ceremoniis pro numine uenerantur. Quamuis interdum inter eos aliqui reperiantur,præter cętera,Aſtrologiæ peritiſſimi, & in magnis dignitatib.conſtituti: plerique tamen plus maliciæ,quàm literarum habent. Polygamiam naturæ lege prohibitam agnoſcunt.Præcepta quoque diuina illa decem, & accuratam ſingulorum interpretationem,literarum monumentis ſibi traditam, callēt. Quibus libris illud etiam quaſi uaticinium contineri fatentur:fore tandem aliquando, ut omnes uni tantummodò legi pareant. Quos in diſciplinā ſuā admittunt,eos ſanctè polliceri compellunt,ſe myſteria, quæ ſunt audituri,nemini unquam mortalium prodituros. Inter hæc autem myſteria illud etiam numerant,nimirum,ne unquam profiteantur,adorandum eſſe creatorem cœli & terræ,qui in cœlis eſt,ſed idola potiùs,quæ dæmones eſſe cognoſcunt.Linguam peregrinam,uti Latinam noſtri, Magiā etiam & incantationes in ſcholis docent. Dies dominicos, qui doctores ex illis ſunt,religioſiſſimè uenerantur : in quibus nihil aliud,quàm hanc orationem frequenter pronunciant:Adoro te Deus, cum tua gratia & auxilio in æternū. [redacted] perquàm acuto ſunt. Capillos à pueritia [redacted]

GRÆCI.

[redacted] *Græci non tam inueniendo, quàm imitando magni; nec minus aſtuti quàm ambitioſi, dum à Barbaris, hoc eſt, Hebræis & Aegyptiis ex Indis accepta diſciplinæ ſemina, nouo fuco illita, pro ſuis uenditare ſatagunt, in uarias ſectas diducti ſunt, cùm de iiſdem rebus alij aliter ſentirent. Quas quidem* [redacted] *ctas nos ex Laertij libro primo, ſubiicere proponemus.*

PHI-



Philoſophorum GRÆCORVM ſectæ diuiduntur reſpectu *Cauſarum*.Nam quo ad

MATERIAM ſubiectam,alij occupantur potiſſimùm in
- *Organis* ſeu methodo , in ipſa ſcilicet Logica.DIALECTICI dicuntur,inuentore Zenone Eleate.
- *Rebus* conſtantibus uel
  - *Natura*.PHYSICI.Ab Anaximene uſque ad Archelaum.
  - *Voluntate* hominis. ETHICI. Inuentor , ſeu potiùs princeps Socrates. Hinc decem ſectæ Ethicæ ſunt ortæ: uidelicet
    - *Academica* partim
      - *Vetus*,à Platone.
      - *Media*,ab Arceſilao.
      - *Noua*,à Lacyde.
    - *Cyrenaica*,ab Ariſtippo Cyrenæo.
    - *Eliaca*, à Phædone Elienſe.
    - *Megarica*,ab Euclide Megarenſe.
    - *Cynica*,ab Antiſthene Athenienſe.
    - *Eretriea*,à Menedemo Eretrienſe
    - *Dialectica*,à Clitomacho Chalcedonio.
    - *Peripatetica*,ab Ariſtotele Stagyrita.
    - *Stoica*,à Zenone Cittiæo.
    - *Epicurea*,ab Epicuro Athenienſe.

FORMAM ſiue Modum philoſophandi, alij ſunt
- Δογματικοὶ,quoniam de rebus diſſerunt , quaſi cōprehendi & intelligi certò poſſint ab homine.
- Ἐφεκτικοὶ,quoniam de rebus diſſerunt,quaſi in comprehenſibilibus.

EFFICIENTEM,duo antiqua philoſophiæ genera extitere. Alterum quidem fluxit à
- *Pythagora* Samio,& Italicum dictum eſt,quòd in Italia (quæ tūc Magna Græcia dicebatur) potiſſimùm philoſopharētur. Ordo talis: Pherecydes Syrus , Pythagoras,Telauges F. Xenophanes,Parmenides, Zeno Eleates dialecticæ inuētor,Leucippus,Democritus. Democrito tū alij,tū clariſſimi ſucceſſere,Nauſiphanes,Naucides, & multo pòſt Epicurus,in quo deſiit hæc ſecta.
- *Anaximandro* Mileſio,Thaletis diſcipulo:& quia Miletus Ioniæ urbs eſt clariſſima, Ionicū genus philoſophiæ appellatū fuit. Ordine ſucceſſere tali : Thales, Anaximāder,Anaximenes,Anaxagoras,Archelaus, Socrates.Hic Phyſica relicta,Ethicē eſt amplexus.Ex cuius ſchola,tāquam ex equo Troiano,Philoſophorum ſectæ prodierūt clariſſimę Inter Socratis enim diſcipulos præcipui fuere
  - *Plato*,Academiæ ueteris inuentor.Huius diſcipuli
    - *Speuſippus*, Academiā coluit. Succeſſere huic
      - *Xenocrates*.
      - *Polemon*.
      - *Crantor*.
      - *Crates*.
      - *Arceſilaus*,mediæ Academiæ inuentor.
      - *Lacydes*,nouæ Academię inuentor. Cui ſucceſſit
        - *Carneades*.
        - *Clitomachus*.
  - *Ariſtoteles*, relicta Academia in Lyceo Peripatū inſtituit. Huic Theophraſtus in ſchola Peripatetica ſucceſſit.
  - *Antiſthenes*,Cynicæ princeps. Succeſſio ſcholę talis:Antiſthenes, Diogenes Cynicus,Crates Thebanus , Zeno Cittiæus , Stoicæ ſectæ repertor, Cleanthes, Chryſippus.

*Accidentis*,uidelicet ratione
- *Loci*. A loco
  - *Natiuitatis*,ut à
    - *Regionibus*,alij
      - *Ionici*. *Italici*.
    - *Vrbibus*,alij
      - *Elienſes*.
      - *Megarenſes*.
      - *Eretries*.
      - *Cyrenaici*.
  - [redacted] alij
    - *Academici*,ab Academia.
    - *Peripatetici*,à Peripato in Lyceo.
    - *Stoici*,à στοᾶ ποικίλῃ dicta.
    - *Cynici*, à Cynoſarges.
- *Temporis*.Sic Philoſophia
  - *Vetus*,quæ uſq;.ad Socratem durauit,alia fuit
    - *Ionica*. *Italica*.
  - *Noua*,à Socrate cepta , in uarias & ipſa diducta eſt ſectas.Inter quas Academica ſimiliter diducta eſt in
    - *Veterem*.
    - *Mediam*. *Nouam*.

Ex PYTHAGOREIS, qui contemplationi rerum uacabant, σεβαστικοὶ,id eſt cultores numinis dicebantur : qui mathematis,Geometrici & Arithmetici:& qui Pythagoræ conſuetudine uſi fuerant,Pythagorici:horum uerò diſcipuli , Pythagorei:cæteri extra familiaritatem admiratores eorum , Pythagoriſtæ. Suidas.

*Britanni, Galli, Germani, Gothi, Scythæ.*

Apud Gallos & Germanos in ſumma exiſtimatione fuêre à quercetis inhabitatis , ἀπὸ τῶν δρυῶν dicti DRVIDÆ. H. Boëthius lib.2. à Fynnano rege Scotorum primùm inſtitutos tradit, & Durcerglios dictos , ſacrorū præſides & interpretes.Strabo lib. 4.Bardos & Vaties Druidib.adiicit: quorum hi naturalium rerum cauſis dediti eſſent inueſtigandis, illi laudationibus & poëticis rebus. Cæſar uno nomine omnes Druidas uocat. Eoſdem in Mona inſula Britanniæ uicina ſedes habuiſſe Tacitus ſcribit,atq; illinc uelut ex Academia prodire ſolitos.Hi ſacrificia curare publica & priuata,religiones interpretari, adoleſcentes diſciplinis inſtituere, eorundemq; cœtibus præcipuè coli. Iidem de cæde, de finibus , cæteriſque controuerſiis cognoſcere, pœnaſque conſtituere.Si quis ſiue publicam, ſiue priuatam perſonam gerens decreto non ſtetiſſet,ſacrificiis interdicere, quę præcipua fuit in gente animaduerſio.Druides omnem hominū congreſſum & ſermonem declinare,ne contagione polluerentur. His petentibus,neque ius dici cuiquam potuit,neq; honos ullus publicus communicari. Vnus omnibus præeſſe,cui in uniuerſum ordinem ſumma erat poteſtas: In huius defuncti uelut antiſtitis locum alius ſuffragio ſurrogabatur. Cogebatur horum conſilium certò anni tempore,in Carnutum finibus(eſt is locus Galliarum ferè medius)controuerſiaſq; ex uniuerſa gente eò delatas ſuo componebāt decreto.Vulgò poſtea receptum id inſtitutum, ſed ex Britānia translatitium.A bellicis rebus Druides aberant, neque ad tributum cogebantur.Multa millia uerſuum ediſcere neceſſe erat,qui tali ſe diſciplinæ tradidiſſet, ita ut pleriq; annos uiginti in ea comparanda morarentur, neque fas erat quippiam ad eam cognitionem pertinens literis commendare,quòd ad memoriæ cultum, & ſcientiæ auctoritatem putabatur pertinere. Sabellicus lib. 1.Ennead. 4. A Tiberio Cæſare propter humanas uictimas penitùs deleti fuêre.Plinius libro 30.capite 1.& libro 16.capite ultimo. [redacted]

Scythæ philoſophos præſtantiores TARABOSTESCOS, item PILEATOS olim appellabant: è quibus ſacerdotes ac reges, Aegyptiorum more,creare conſueuerant.Bonfinius lib.2.Dec.1.

PHILOSOPHI, SAPIENTES.

*Ex Titulo Rhetorum non pauca exempla huc trāsferri poſſunt, quatenus iidem & Eloquentiæ & Philoſophiæ profeſſores fuere. Item ex Tit. Legiſlatorum.*

Cùm uera ſolidaque ſapientia in hominem non cadat, ſed in ſolum Deum:in IESV Chriſto,Dei filio , ueroque homine, hanc ipſam nobis propoſitam fuiſſe,ideæ inſtar,nemo Chriſtianus ambigere debet:ut qui pro nobis grauiſſimum ſupplicium pertulit,ſummæ quoque perfectionis exemplū nobis exhiberet. Quis igitur auſpicatius huic titulo dabit exordium,quàm qui exemplar fuit uirtutum omnium , qui omneis docuit gentes , rex fuit , quin potiùs rex regum , per quem uia ad cœlum homini patefacta eſt, & omne uirtutū ſpecimen in aperto poſitū?Nam quod ad hoc pertinet,quis Chriſto fuit unquam ſapientior,cuius nomen in Sapientiæ appellationem abiit? Quis potētior, quàm qui propria uirtute operatus eſt,ut cæci uiderent, audirent ſurdi,claudi ambularent,mortui reuiuiſcerent?Quis fortior, quàm qui moriendo mortem uicit? Aut quis prouidentior , quàm qui tacitos intra præcordia cogitatus hominum præuidit?qui rogare uolentibus toties occurrit? quæ in ſe poſtremò euentura erant,tanto priùs præuidit ac prædicauit? Quis frugalior aut continentior,quàm qui cùm omnia poſſet, nihil tamen habuit,nihilq; habere uoluit? Quis humilior, quàm qui piſcatores ſibi comites legit, qui publicanum nō auerſatus eſt?Quis demùm clementior , quàm qui latroni dedit ueniam,meretricem flentem non à ſe repulit? Fuerunt equidem alię uirtutes in aliis:in Chriſto Nazareno omnes fuiſſe,fatetur humana pietas.Sab. lib.1.c.5.

Cùm ADAM protoplaſtus à perfectiſſimo Deo perfectiſſimus homo

homo fuerit creatus, ſapientiſſimum quoq; fuiſſe oportet. Cuius quidem indicia manifeſta dedit, quando animantib. omnibus nomina apta, & illorum naturæ cõuenientia, Deo opt. max. iudice, indidit. Nam cùm nomen rei naturam proximè exprimere debeat, non cuiuſuis eſt (ut in Cratylo docet Plato) nomina imponere: ſed eius tantùm, qui rerum eſſentiam optimè perſpectam habet. Geneſ. 2. Sed & illud obſeruatione dignum, Adamum cælibem philoſophatum fuiſſe, & brutis nomina indidiſſe. At poſteaquam ſociam uitæ accepit, philoſophari deſiiſſe, relicta theoria praxin cõplexꝰ.

MOSEM Sacræ literæ omni ſapientia Aegyptiorum inſtructũ fuiſſe aſſerunt. Verùm quia profana hæc erat ſapiẽtia, acceſſit inſuper diuina uocatio & illuſtratio, cuius præſidio numeroſiſſimum populum à crudeliſſimo tyranno liberare, & per 40 annos in uaſta ſolitudine ſeruare potuit. Vehementer errat Plinius, qui Moſem multis annis poſt Zoroaſtrem Magiam profeſſum ſcribit: Græcorum fabulis plus credens, quàm ueritati. Philo certè Moſem magnis laudibus commendat, quòd unus omnium mortalium fortiſſimus imperator, prudentiſſimus legislator, ac diuiniſſimus propheta extiterit. Io. Bodinus Methodi hiſtoricæ, c. 3.

SOLOMO Iudæorum rex, Arabas & Aegyptios omnes ſapientia ſuperauit, ipſos quinetiam Hebræorum ſapientes tũc celebres, Ethanem Ezraitam, Hemanem, Calcholem & Dardam Macholis filios. Tria millia ſententiarum protulit: carmina quinq; ſupra mille condidit. Diſſeruit de omni natura à cedro Libani uſq; ad hyſſopum, de uolucribus, ſerpentib. piſcibus, quadrupedibus. 3. Reg. 4. Illius fama impulſa Aethiopum regina Nicaula, Hieroſolymam uenit, audiuitque regem nobilis hoſpes: & quę abſens mirata fuerat, pręſens uenerata eſt, donauitq; amplis muneribus: ſed ipſa multo amplioribus aucta, ueritatem ſcilicet adepta, quam tum omnis cæterarum gentium miſerabilis ſapientia ignorabat. Sab. lib. 1. cap. 5. Eidem à Deo conceſſum fuit, ut artem contra dæmones ediſceret ad hominum ſalutem: curationes item inſtitueret, quibus ægritudines poſſent mitigari. Quam edoctus artem Eleazarus, ſpectante Veſpaſiano, eos curabat, qui à dæmonibus uexabantur. Ioſephus lib. 8. Antiquitatum. Satis conſtat, cũ rege Tyriorum, propoſitis ultro citroq; ex media rerum natura depromtis quæſtionibus [redacted]litum, & uictorem præter ſapientiæ laudem munera [redacted] poſtponit, & fauore numinis & hominum [redacted] tione excidit: ut uel eius exemplo conſtare [redacted], ſapientiã abſq; pietate ueram eſſe ſtultitiam.

MAGI, hoc eſt ſapientes, ab Oriente uenerunt, Chriſtum natũ adoraturi, ex Brachmanum & Gymnoſophiſtarum gente, quorum munera Chriſtus Deus, cui nulla eſt cũ Belial ſocietas, acceptauit. Impia proinde & legibus coërcenda illorum opinio, qui dæmonibus uectoribus illos tantũ itineris emẽſos ſcribunt, homines & Theologiæ & Hiſtoriæ imperiti, licet ſeſe Monarchas Medicorum iactitent.

Quæ à Poëtis narrantur de formatis à Prometheo è luto hominibus, indicant PROMETHEVM Iapeti & Aſię ſiue Clymenes F. uirũ ſapientem (ut Cicero eum uocat, & Theophraſtus, & Ariſtides rhetor ſimiliter docent) ex hominibus agreſtibus & rudibus, pia & honeſta inſtitutione politos, moribus atque literis & diſciplina excultos effeciſſe. Terram igitur aquæ commiſcens, Mineruam hortatus eſt, ut in opere abſoluendo ſibi ferret ſuppetias, teſte Seruio. Minerua dea eſt ſapientiæ, nata è Iouis cerebro. Ea Promethei ingenium admirata, ſe illi daturam promiſit, quicquid apud ſuperos eſſet, quod ad operis perfectionem pertineret: atq; adeò eius opera in cœlũ ſublatus eſt. Vbi cùm corpora omnia cœleſti igni uidiſſet animata, ferulam quam ſecum tulerat, ſolis ſphæræ admouit, eaque accenſa, in terras delapſus, luteũ ſuum hominem eo animauit, hoc eſt, oſtendit primus ignis uſum hominibus, qui profuit, quamdiu rectè illo ſunt homines uſi. Heſiodus in ἔργοις ait Iouem mortalibus ignem abſtuliſſe, Prometheum reſtituiſſe: idcirco Pandoram iuſſu Iouis à Vulcano factam, ut Promethei furtum ulciſceretur: quam feminam donatam à diis omnibus, unde nomen inuenit, deferendam in terras Mercurio mandarit, dono dandam Epimetheo Promethei fratri: quæ in eius domum recepta, detexit dolium malorũ omnium, quæ per orbem in genus humanum ſparſa ſunt, ſola Spe in fundo reſidua. Prometheus uerò, ut ait Aeſchylus, ad XXX annorũ millia in Caucaſo religatus eſt, iuxta Caſpias portas, aquila iecur illius arrodente, ſicut Lucianus inquit. Philoſtratus in Tyanæo, duo refert in Caucaſo eſſe cacumina, ſtadio inter ſe abiuncta, quibus affixas Promethei manus accolæ narrent. Idem Lucianus ſignificat: & aquilam hanc nõnulli, ſicut Hyginus narrat, Typhone & Echidna genitam, alij Terra & Tartaro tradunt, complures à Vulcano factã. Eam Hercules ſagitta ſua interemit: quæ ob id meritum in cœlũ tranſlata eſt, quatuor ſtellis inter duos circulos, æſtiuum & æquinoctialem.

MERCVRIVS Triſmegiſtus, Aegyptius, ante Pharaonem, ſic cognominatus, quòd maximus rex, maximus ſacerdos, maximus eſſet philoſophus. Suidas uerò ob Trinitatis myſterium, ab ipſo primo inter Ethnicos reuelatum, hoc nominis traxiſſe aſſerit.

SANCHONIATHON Tyrius philoſophus, belli Troiani tẽpore, ſcripſit de Mercurij phyſiologia, Inſtituta Tyriorũ, Aegyptiacam theologiam, & alia quædam. Suidas.

PALAMEDES Nauplij & Climenes Agamemnonis ſororis F. Argiuus poëta & philoſophus, πάνσοφος dictus, quòd in theoria ſimul & in praxi excellentiſſimus eſſet. Gyraldus.

VLYSSEM ſapientiæ nomine plurimi fecit Aeolus, ut Parthenius in Eroticis capite 7. teſtatur. Alij econtrà Vlyſſem ad Aeolum ſapientiæ cauſa profectum eſſe arbitrantur: & idipſum Homero quoque ſub fabularum inuolucris placuiſſe ueriſimile eſt.

PITTHEVS Theſei auus, oppidum non amplum Trœzeniorum incolis auxit, habuitq; præ omnibus illius ſeculi nomẽ docti uiri & ſapientiſſimi. Erat ſapientiæ illius ea ſanè ſpecies & uis, qua Heſiodus uſus commendatur, præcipuè ex ſententiis, in libro quem Opera appellat. Vnam harum illã ferunt Pitthei fuiſſe:

μισθὸς δ᾽ ἀνδρὶ φίλῳ εἰρημένος ἄρκιος ἔστω.

Sufficiat merces, quæ decernatur amico.

Atq; hoc Ariſtoteles philoſophus quoq; tradit. Euripides dum Hippolytũ ſacri Pitthei appellat alumnũ, celebrem repræſentat Pitthei exiſtimationem. Plut. in Theſeo.

SEPTEM ſapientes Græcia habuit Solonis tempore. Inter quos ſola uidetur Thaletis ſapiẽtia uſum exceſſiſſe ſpeculatione: reliqui ciuilibus ab artibus nomen inuenerunt ſapiẽtiæ. Fuiſſe unà perhibentur & Delphis & pòſt Corinthi, ubi cõmunem quendam conuentum eorum & conuiuium Periander inſtruxerat. Maiorem auctoritatem iis & gloriã mẽſæ orbis, & per omnes circulus, mutuaq; inter ipſos cũ honorifica modeſtia conceſſio conciliauit. De quo inconſtãs eſt fama. Quidam aiunt, Ionicos adoleſcentes quoſdam à piſcatoribus Mileſiis iactum retis emiſſe. Capto deinde & educto tripode, orta contentio, nõ antè ſedata eſt, quàm Delphos à Mileſiis miſſo, reſponſumq; à Deo eſt:

τίς σοφίῃ πάντων πρῶτος, τούτῳ τρίποδ᾽ αὐδῶ.

Huic tripodem addico, cui ſit ſapientia prima.

Datur ergo Thaleti, Thalesque illum alij dat, & rurſus alius alij, donec ad Solonem uentum eſt. Qui deum primum eſſe ſapientia aſſerens, tripodem Delphos miſit. Callimachus in Iambis tradit, Bathyclem Arcadem phialam reliquiſſe, atq; iuſſiſſe dari ſapientiſſimo: datam ergo Thaleti, eoque recuſante, rediiſſe tandem per orbẽm ad Thaletem, quam ille Apollini Didymæo miſerit. Eudoxus ait Anacharſin aureum poculum à rege Crœſo accepiſſe, ut illud ſapientiſſimo Grecorum daret: ipſumque Thaleti dediſſe, perueniſſeque ad Chilonem. Dædacus Platonicus & Clearchus phialam à Crœſo ad Pittacum miſſam, atque ita in orbem circumlatã ferunt. Andro uerò in Tripode, Argiuos ait uirtutis præmiũ ſapientiſſimo Græcorum tripoda conſtitiſſe, eumq; Ariſtodemum Spartanum fuiſſe iudicatum: qui item conceſſerit Chiloni. Plerique à Periandro ad Thraſybulum Mileſiorum tyrannum onuſtam nauem miſſam referunt. Quæ cùm circa Coum naufragium feciſſet, inuentum pòſt à piſcatorib. tripodem, qui ea uehebatur. Phanodicus circa mare Atticum repertum, atque in orbem delatum ſcribit: factaque contentione, ex decreto publico Bianti miſſum. Alij à Vulcano fabrefactum tradũt, ac pro munere Pelopi à deo datum, cùm ille uxorem duceret: demùm ad Menelaum perueniſſe, raptumque cum Helena ab Alexandro, in Coum mare fuiſſe demerſum, ſuaſu Helenæ, ne rixarum cauſam præberet. Poſtea cùm quidam Lebedij iuuenes retis iactum in eo loco mercati eſſent, tripoda quoque fuiſſe extractum. Verùm cũ exorto cum piſcatoribus iurgio, Coum aſcendiſſent [redacted] quę proficerent: Miletum, quæ erat metro[redacted] tulerunt. Miſſi à Mileſiis legati, qui eam rem componerent, infecto negotio reuerſi ſunt. Mileſij, ut ſe contemtos uiderunt, aduerſus Coos armis decernere parant: plurimisque hinc inde cadentibus, oraculo reſponſum eſt, ſapientiſſimo dandum tripoda:

ὅς τ᾽ ἴδαν τά τ᾽ ἐόντα, τά τ᾽ ἐσσόμενα, πρό τ᾽ ἐόντα.

Mox in Thaletem utræque partes conſenſere. Hunc ille poſtea Didymæo deuouit Apollini. Laërtius lib. 1. in Thalete, & Plutarchus in Solone. Hi qui fuerint, maxima eſt inter Græcos diſſenſio, ambitioſè ſuis unoquoque fauente. Priſci homines omnes, qui aliqua præſtarent arte, ut nos na-

rum



rum, aut ſcium illius, ita illi σοφὸν uocabant, hoc eſt, ſapientem. Tum poëtæ ſapientes ſunt dicti, ut Heſiodus, & Homerus. Hinc Thales dictus eſt ſapiens, & Bias, & Pittacus, & Solon. De his enim Dicæarchus conſtare ait: Quinam uerò his ſint adiungendi, controuerſiſſimum eſt. Plato in Protagora Periandro Myſonem repoſuit, Cheneum, quem ferunt fuiſſe hominum oſorem, ut Timonem, & Apemantum. Leandrius nec Myſonem relinquit, nec Cleobulum, ſed Leophãtum Epheſium, & Epimenidem Cretenſem. Ephorus Periandro ſubſtituit Scytham Anacharſim. alij alios addũt, Ariſtodemum Pamphilum, & Scabram Argiuum. Hermippus 17. ſapientes tradit: Solonem, Thalem, Pittacum, Biantem, Cleobulum, Chilonem, Periandrum, Anacharſin, Acuſilaum, Epimenidem, Leophantum, Pherecydem, Aryſtodemum, Pythagoram, Laſium, Hermionem, Anaxagoram. Viues in librum decimumoctauum Auguſt. de Ciuit. Dei. In Epigrammatis Græcis, ſeptem Sapientes breui & eleganti carmine comprehenduntur:

Ἑπτὰ σοφῶν ἐρέω κατ᾽ ἔπος πόλιν, οὔνομα, φωνήν.
μέτρον μὲν Κλεόβουλος ὁ Λίνδιος εἶπεν ἄριστον.
Χίλων δ᾽ ἐν κοίλῃ Λακεδαίμονι, γνῶθι σεαυτόν.
ὃς δὲ Κόρινθον ἔναιε, χόλου κρατέειν, Περίανδρος.
Πιττακός, οὐδὲν ἄγαν, ὃς ἔην γένος ἐκ Μιτυλήνης.
τέρμα δ᾽ ὁρᾶν βιότοιο Σόλων ἱεραῖς ἐν Ἀθήναις.
τοὺς πλέονας κακίους δὲ, Βίας ἀπέφηνε Πριηνεύς.
ἐγγύην φεύγειν δὲ Θαλῆς Μιλήσιος ηὔδα.

THALES Examij & Cleobulinæ filius, Mileſius (ſiue, ut Herodoto placet, Phœnix) Olympiade XXXV. natus. Scripſit multa. Obiit ſenex in ſpectaculo gymnici certaminis, à turba preſſus, & æſtu reſolutus. Primus cognomẽ Sapientis tulit, primus animam dixit immortalem, & eclipſes & æquinoctia deprehendit. Laërtius & Suidas.

SOLON Salaminius Athenienſium legislator, Piſiſtrato rerũ potito, in Aegyptum nauigauit: atque inde Cyprum profectus, poſtremò ad Crœſum peruenit. Ab Crœſo in Ciliciam abiit, & ibi Solos urbem, coloniam Athenienſium quorundam condidit. Floruit circa Olymp. 46. cuius tertio anno princeps Athenienſium fuit. Obiit in Cypro, ætatis anno octuageſimo, & cineres ſuos Salaminem in patriam transferri, ibiq; diſpergi mandauit.

CHILO Damageti F. Lacedæmonius, ephorus fuit Olymp. 55. Obiit Piſæ, amplexus & oſculatus filium, quòd in Olympia fuiſſet coronatus.

PITTACVS filius Caici aut Hyrradij Thracis, Mitylenæus, Phrynonem pancratiaſten Athenienſium ducem, reti inuolutum in ſingulari certamine occidit: Melanchrum patriæ tyrannum expulit, & per decem annos princeps Mitylenęorum, ſponte ſua ſe abdicauit magiſtratu: id unum cauſatus, ὡς χαλεπὸν ἐσθλὸν ἔμμεναι. Scripſit Leges proſa, & Elegos. Floruit Olymp. 42. Moritur anno tertio 52 Olympiadis, cùm uixiſſet ſupra annos ſeptuaginta decem annis poſtquam ſe in ordinem redegerat, & in Lesbo ſepultus eſt. Laërtius & Suidas.

BIAS Prienæus à Satyro omnibus aliis ſapientibus præfertur. Prȩter reliqua ſtudia & Reipub. curam, etiam cauſas iam ſenex egit. Cumq; pro amico cauſam dixiſſet, & caput in ſinu nepotis ex filia reclinaſſet, ut ſe uictorem à iudicib. declaratũ audiuit, præ gaudio expirauit. Contra Alyattem regẽ, qui urbem obſederat, ſtratagematis certauit feliciter.

CLEOBVLVS Euagoræ F. Lindius, ex Caria, uirib. & forma excellens, in Aegyptum philoſophiæ cauſa abijt. Filiam habuit Cleobulinam poetriam. Obiit anno ætatis 70. Scripſit cantica & griphos. Laërtius & Suidas.

PERIANDER Cypſeli F. Corinthiorum tyrannus, uxorẽ Lyſiden (quam ipſe uocabat Meliſſam) prægnantem, miſſam ſub gradus calcibus percuſſit, atq; necauit, pellicum ſuaſu: quas poſtea igne cremauit, puerumq; Lycophrona, matrẽ fletu perſequentem abdicauit, & in Corcyram ablegauit. Reuocatum poſtea, cùm ei tyrannidem per manus tradere uellet, Corcyrenſes interfecerunt. Periander mœrore contabuit, annos natus fermè 80, ante 49. Olymp. Cum matre quoq; Cratea congreſſus dicitur, & cum uxore mortua. Scripſit præcepta uitæ. Obiit præ mœſticia. Primus hic ſtipatores corpori adhibuit. Tyrãnidem exercuit annos 40. Et hũc tamen non pudet inter ſapientes recenſere? Niſi fortè duo fuerint Periandri, Corinthius tyrannus, & Ambraciotes ſapiens: patrueles, ut Neanthes Cyzicenus opinatur. Laërtius & Suidas. Sotion & Heraclides, & Pamphila, non hunc Corinthiorum tyrannũ, ſed alterum quendam Periandrum aiunt fuiſſe ſapientem, Ambraciæ natum. Ariſtoteles etiam hunc ſapientem Corinthi eſſe natum perhibet, & quidẽ tyranni patruelem quidam putant. Plato Corinthium negat fuiſſe. Lud. Viues in librum decimũoctauum: Auguſt. de Ciuitate Dei, cap. 25.

ANACHARSIS Scytha, Gnuri filius, Caduidæ Scytharum regis frater, matre Græcus, & utriuſq; linguæ peritus, Athenas philoſophandi cauſa uenit, 47 Olymp. ſub Eucrate principe, & Soloni ſeſe inſinuauit. In patriam reuerſus, cùm Scytharum leges in Græcas conuertere uellet, in uenatione à fratre ſagitta interficitur.

MYSON Chenæus, uico Laconiæ, patre tyranno ortus. Cùm ab Anacharſide quæreretur Pythia, Quis ſe eſſet ſapientior? reſpondit, Myſonem Chenæum. Anacharſis eò profectus, eum reperit æſtate ſtiuam aratro aptantem. Fuit autem hominum oſor, & ſolitudinis amator. Pleraq; illius Piſiſtrato tyrãno adſcribunt, propter ignobilitatem generis. Eum Plato in Protagora pro Periandro inter ſapientes numerat. Moritur anno 97. Laërtius.

EPIMENIDEM Phæſtium in numero Sapientum quidã reijcientes, Periandrum recenſent ſeptimum. Habebatur is uir religioſus, in rebusq; ſacris ſapientia præcellens fanatica & myſtica. Vnde Nymphæ filium Balthæ nomine, ac nouum Cureta eum illius ætatis homines dicebant. Athenis Soloni uiam præmuniit ad leges conſcribendas. Nam res diuinas reddidit minoris impenſæ, ciuesq; ad luctum manſuetiores, ſacrificia quædam ſtatim exequiis adiiciens, detracta aſperitate barbarica, qua deuinctæ ante mulieres fuerant: & quod caput erat, propitiationibus, procurationibus, ac ſignis, dedicandis, luſtrãs urbem atque expians, parentes iuſtitiæ, magisq; ſequaces ciues reddidit ad unitatem. Fertur hic, cùm Munychiam uidiſſet, diuq; conſideraſſet, dixiſſe ad coronam: Quàm cæcutit ad futura homo? Suis ipſorũ dentibus pereſuri hunc locum Athenienſes ſint, ſi præuiderent, quantum is fatigaturus ſit ciuitatem. Plut. in Solone. Suidas in Curete, & Lact. Firm. lib. 1. cap. 21. Miſſus à patre, ut ouem domum ferret, ſub meridiem in ſpeluncam laſſus diuertit, atque ibi per 57 annos dormiuit. Olymp. 27. Athenas uocatus, urbem expiauit, & peſtilentiam ſedauit, cùm ignoto deo ſacra eos facere iuſſiſſet. Aræ Ignotorum Deorum meminit Pauſanias in Atticis. Obijt, in patriam reuerſus, anno ætatis 157, uel 299, uel 154. A nymphis cibum accipere ſolebat, eumq; intra bouis ungulam recõdebat. Itaq; à nemine unquam uel edere uel egerere uiſus eſt. Laertius.

PHERECYDES Babius, Syrius: eſt autem inſula una Cycladum Syra, non procul à Delo. Vixit tempore Halyattis, æqualis ſeptem Sapientum, natus circa quadrageſimamquintam Olympiadem, præceptor Pythagoræ. Præceptorem ipſe non habuit (alij tamen Pittaci diſcipulum faciunt) ſed ſeſe exercuit libris Phœnicum reconditis comparatis. Primus pedeſtri oratione ſcripta edidit: licèt hoc alij Cadmo Mileſio tribuant. Primus ſermonem de animorum in alia corpora tranſmigratione habuit. Aemulatus eſt Thaletis opinionem. Phthiriaſi obiit circa 69. Olymp. Alij Delphos profectum, è monte Corycio ſe præcipitaſſe tradunt. Suidas. Eius ſepulcro hoc carmen inſcriptum fuiſſe, teſtatur Laertius lib. 1.

Τῆς σοφίης πάσης ἐν ἐμοὶ τέλος. ἢν δέ τι πλεῖον,
Πυθαγόρῃ τὠμῷ λέγε ταῦθ᾽, ὅτι πρῶτος ἁπάντων
ἐστὶν ἀν᾽ Ἑλλάδα γῆν, οὐ ψεύδομαι ὧδ᾽ ἀγορεύων.

PYTHAGORAS, relicta Samo patria, ob Polycratis tyrannidem, in Italiam nauigauit. Fuit is Mneſarchi anulorum ſculptoris filius, ut Hermippus prodidit: circa Crotonem diuerſatus, ibique uelut nouum ſapientiæ dogma, quod Italicum eſt dictum, inſtituit. Id illi nomen Ariſtippus inditum prodidit à Deo, quòd nihilo minus Pythio uera loqueretur. Fabuloſum putant, eum idcirco necari animalia uetuiſſe, quia nobiſcum ius animæ commune habere arbitraretur: ſed ut mortales facilioribus cibis aſſueſcerent: in quibus parandis igni alióue maiore apparatu non eſſet opus: aquam ut biberent, uelut inde ualetudo corporis maiusque exiſteret ingenij acumen. Sunt uulgo nota, quæ de animarum erroribus ſolitus ſit prædicare. Ariſtoxenus pondera & menſuras ab eo Græciæ inuectas prodidit. Heſperum & Luciferum idem eſſe ſidus, primus deprehendit. Fuerunt, qui eius domum à Crotoniatis ob tyrannidis ſuſpicionem incenſam crederent, ipſum cum quadraginta philoſophiæ ſectatoribus urbe egreſſum perſequentibus iugulum nudaſſe, atque ita cum pleriſque ſuorum interfectum. Alij non publico conſilio id factum meminerunt, ſed diſcipuli fraude, quia eum cæteris non fuiſſet à Pythagora admiſſus. Dicæarchus Metaponti in muſæo incenſa domo ſe tenuiſſe ait, ibique inedia confectum. Hermippus bello periiſſe tradidit, quod inter Agrigentinos & Syracuſanos ſit geſtum. Ipſe diu peregrinatus, cum Chaldæis eſt congreſſus, & cum Epimenide Cretenſi: Pherecydi hiſtorico adoleſcens operam dedit, quorum uterque, ſi uera Euſebius colligit, Superbi Tarquinij temporibus claruit. Sabellicus libro 7. Ennead. 2.

EMPEDOCLES, ſiue Metonis, ſiue Archinomi, ſiue Xeneti F. Agrigentinus, primùm Parmenidem audiit, cui eum in deliciis fuiſſe tradit Porphyrius. Alij Telaugis Pythagorę F. diſcipulum faciunt. Aureum coronam geſtans in capite,

& au-

& aureis calceis indutus, & coronas Delphicas in manib. gerens, pertranſibat urbes, ut opinionem diuinitatis conſequeretur. Senex ſe in craterem Aetnæ coniecit noctu, ut à diis raptus putaretur: ſandalium tamen eius eſt ab igni eiectum. Suidas.

ZAMOLXIS Geta, Pythagorę auditor (Salmoxis Crãzio) domum reuerſus, ad manſuetiorem uiuendi rationem ſuos ꝑtraxit, immortalitate animorum illis perſuaſa. Herodotus lib. 4. Suidas.

DICINEVS, Straboni Ceneus, Gothorum philoſophus, regem eorum philoſophicis ſtudiis erudiuit, & regis exẽplo populum quoq; ad ſapientiæ amorem ſub Auguſto Imp. excitauit. Præterea leges Getis præſcripſit, quas in unum cõpactas, lingua Gothica Bilagenes appellauit. Vites quoque excindere iuſſit, & ſine uino uitam agere. Io. Magnus lib. 3. c. 18. & Bonfin. lib. 2. Dec. 1.

PARMENIDES, Pyretis F. Eleates, diſcipulus Xenophanis Colophonij, aut Anaximandri Mileſij, præceptor Empedoclis, & Zenonis Eleatis. Scripſit Phyſiologiam uerſibus. Suidas.

ZENO Teleutagorę Eleatę filius, circa Olympiadẽ LXXIIX, diſcipulus Xenophanis aut Parmenidis. Scripſit enarrationẽ uerſuũ Empedoclis: aduerſus philoſophos de Natura. Hunc aiunt inuentorẽ fuiſſe Dialecticæ, ut Empedoclẽ Rhetoricæ. Cùm uel Nearchum uel Diomedontem Eleæ tyrannum pellere uellet, captus, ab eoq; rogatus de cõiuratis, linguam ſuam præmorſam in os tyranni expuit: & in mortariũ coniectus, tundendo contritus eſt. Idem.

DEMOCRITVS Abderites, Thrax, Hegeſiſtrati filius, aut Athenocriti, aut Damaſippi, Socratis æqualis, circiter 80. Olympiadẽ, diſcipulus Anaxagoræ & Leucippi: Magorum itẽ & Chaldæorum, & Perſarum. Diſcipulus eius illuſtris fuit Metrodorus Chius: cuius auditores fuerunt Anaxarchus, & Hippocrates medicus. Cognomen habuit Democritus Σοφία κὴ Γελάσινος, Sapientiæ & Riſoris, quòd inania hominũ ſtudia rideret. Germani eius libri ſunt duo: Magnus Diacoſmus, id eſt, gubernatio & diſtinctio naturę rerum: & de natura mundi. Athenas adire contemſit: nolens à loco mutuari gloriam, ſed loco gloriam impertiri ſtatuens. Hippocrate præſente, lac conſpicatus, dixit eſſe capræ nigræ, quę primũ peperiſſet. Sed & puellam, quæ cum Hippocrate uenerat, primo die ita ſalutauit: Salue puella. Poſtridie uerò, Salue mulier. fuerat enim ſtuprata noctu puella. Iam ſenio confectus, cùm morti uicinus eſſet, mœſtam ſororem, quòd initiis Cereris eſſet obiturus, bono animo eſſe iuſſit: & calentis panis odoratu ſe per triduũ ſuſtentauit: eoq; elapſo, exceſſit è uita. Suidas. Hic ab Anaxagora oratore Socratis diſcipulo πένταθλος dicebatur, quòd in omni genere philoſophiæ exercitatus eſſet, in phyſicis, ethicis, mathematicis, metaphyſicis atq; logicis. Laërtius lib. 9. & Suidas.

HERACLITVS Bloſonis, ſeu Bleutonis, aut Horacini F. Epheſius, cognomento Obſcurus: nullius philoſophi diſcipulus, ingenio & diligentia magiſtris uſus. Quidam tamen Xenophanis & Hippaſi Pythagorei auditorem faciunt. Prorſus negligi corpus iuſſit, idque ſterquilinio fœdius eſſe iudicandum: adhibita curatione expeditiſſima, quoad Deus inſtrumento iuſſerit uti. Aqua intercute laborans, medicorum curationem aſpernatus, ſe totum fimo bubulo perunxit. Soli expoſitum canes lacerarunt. Alij arena obrutum periiſſe dicunt. Vixit Olympiade LXIX, ſub Dario Hyſtaſpis filio. Scripſit multa. Suidas.

EPICVRVS, Neoclis & Chœræſtrates F. Athenienſis, è Gargetio municipio: philoſophari cepit anno ætatis duodecimo, & peculiaris ſectæ fuit auctor. Primùm Sami uerſatus cum parẽtibus, deinde Mitylenis, unum annum ſcholę pręfuit: pòſt Lampſaci, ac demùm Athenis in ſuis hortis. Audiuit Nauſiphanem, Democritum philoſophum, & Pamphilum Platonis diſcipulum. Natus eſt ſeptem annis poſt Platonis obitum. Schola eius permanſit uſq, ad Cæſarem primũ, annos 235. quibus ſucceſſores habuit 14. Scripſit multa. Numen nihili fecit. Scripſit κυρίας δόξας, quæ illud etiam continebant, Vniuerſitatem hanc temerè ferri, non uoluntate & iudicio deorum: ac celebres illas atomos à ſe mutuò feriri & ſeparari, eque his fieri aërem, terram & mare: deinde commiſtiones diſtingui, & cõgreſſus, & prorſus in atomos reſolui. Idem.

NVMENIVS Apamenſis Syrus, philoſophus Pythagoreus, Platonis ſententiam coarguit, tanquam ex Moſaicis ſcriptis de Deo & ortu mundi ſurreptam, eaq; de cauſa dixit: Quid eſt Plato, niſi Moſes Atticè loquens? Idem.

ANAXIMANDER, Praxiadis F. Mileſius, cognatus, diſcipulus, & ſucceſſor Thaletis: primus æquinoctium inuenit, & ſolſtitia, & horologia, & terram in medio ſitam eſſe docuit. Inuenit & gnomonem, geometriæ denique compendium edocuit. Scripſit de natura rerum, terræ ambitum, de ſtellis fixis, Sphæram, & alia quædam. Idem.

ANAXIMENES Euryſtrati F. Mileſius, diſcipulus & ſucceſſor Anaximandri Mileſij, ut quidam & Parmenidis, circa Olympiadem LV. Suidas.

ANAXAGORAS, Anaximenis Mileſij diſcipulus, Hegeſibuli filius, Clazomenius, cognomento MENS, quòd materiam & mentẽ, rerum omniũ principia diceret. Solem, ignitam eſſe maſſam dixit, & propterea ab Athenienſib. in carcerẽ coniectus, uix à Pericle diſcipulo liberari potuit. Lampſacũ ꝑfectus, annos LXX natus, inedia ſibi necem conſciuit. Olympiæ uellere tectus ſtadium ingreſſus, tempeſtatem imminentem prædixit. Agros ſuos gregibus & camelis depaſcendos reliquit, dum ſapientiæ cauſa peregrinatur. Eapropter Apollonius Tyanenſis dixit, eum ouibus potiùs quàm hominib. fuiſſe philoſophatum. Idem.

SOCRATES Sophroniſci ſtatuarij, & Phænaretes obſtetricis filius; primùm ſtatuarius fuit, mox philoſophatus eſt, audito Anaxagora Clazomenio, Damone, Archelao. Militauit ad Amphipolim, & Potidæã, & ad Delium. In matrimonio habuit uxores duas: Xanthippen, ex qua habuit filiũ Lamproclẽ: & alterã Myrto, Ariſtidis iuſti filiã, ex qua natus fuit Sophroniſcus & Menedemus, aut Menexenus, ut quibuſdã uidetur, circa Olympiadẽ 77. Vixit annos octoginta, imprudentia Athenienſium compulſus ad bibendam cicutã, deceſſit, nullo ſcripto relicto: aut, ut quidam uolunt, hymno in Apollinem & Dianam, & fabula Aeſopica uerſibus reddita. Ex eius ſchola tanquam ex equo Troiano philoſophi ꝓdière doctiſſimi, Plato, Ariſtippus Cyrenaicus, Antiſthenes Cynicus, Euclides Megarenſis, Bryſon Heracleota, ſectarũ principes, & alij innumeri. Idem.

AESCHINES, Charini fartoris, aut Lyſaniæ filius, Athenienſis, Sphettius, philoſophus Socraticus. Dialogos ſcripſit. Idem.

CHÆREPHON, ex municipio Sphettio, celebris philoſophus, auditor Socratis. Nihil eius ſcriptorum extat. Idem.

ARISTOCLES Ariſtonis F. Athenienſis, natus eſt Olympiade 88. poſt initia belli Peloponneſiaci. A frontis latitudine PLATO dictus. Suidas ab amplitudine ſermonis ſic appellatum ſcribit. Primùm omnium heroica carmina facere cepit. Poſtea cùm ad Homeri uerſus examinans, longè deteriora eſſe uideret, iis exuſtis, ad tragœdias animum applicuit, & elaborata tetralogia, iam de palma uolebat contendere. Verùm ante Bacchanalia audito Socrate, captus illius ſirene, non ſolùm à certando tunc deſtitit, ſed in totum etiam ſcribendarum tragœdiarum ſtudio abiecto, philoſophiam amplexus eſt. Vixit annos octuagintaduos, nuptiarum & ueneris expers. Epulatus in feſto, & dormiens, uita exceſſit. In ſchola ei ſucceſſere SPEVSIPPVS, XENOCRATES, POLEMON, CRANTOR, CRATES. Sunt germani eius Dialogi LVI, Suidas & Aelianus libro 2. Variæ hiſtoriæ.

PHILOSOPHVS, qui Platonis leges diuiſit in libros duodecim (decimumtertium enim ipſe addidiſſe fertur) Socratis & Platonis auditor, in rerum ſublimiũ meditatione uerſatus, ſcripſit multa. Suidas.

THEÆTETVS, Athenienſis aſtrologus & philoſophus, uel Socratis uel Platonis auditor, Heracleæ Ponticæ docuit: ac primus de quinq; ſolidis corporibus ſcripſit. Idem.

CEBES Thebanus philoſophus, Socratis diſcipulus. Dialogi eius tres, Hebdome, Phrynichus, Tabula eorum, quæ apud inferos fiunt, & alia quædam. Idem.

HERACLEOTES Põticus, oriũdus à Damide, una ex iis, qui Thebis coloniã Heracleã duxerũt, Platonis diſcipulus: quo in Siciliã profecto, relictus fuit, ut ſcholę pręeſſet. Hic draconẽ manſuefactũ concubinũ habuit: qui ſolus in lecto inuentus eſt, cùm Heraclides ſanus cubitũ iuiſſet. Ac alij quidẽ eũ immortalẽ eſſe factũ, alij ſe ob immortalitatis opinionẽ in puteum præcipitaſſe putant. Scripſit multa. Idem.

PHÆDON Eleus, Socratis auditor, auctor ſectæ Eliacæ: quæ deinde à Menedemo Eretrienſe, Eretriaca appellata eſt. Captus ab Indis, deinde uenditus lenoni cuidam, & proſtitutus ab illo Athenis, cùm in Socratem incidiſſet, illius diſputationum amore captus, petiit ut redimeretur. Is perſuaſit Alcibiadi, ut illũ emeret: atq; ex eo philoſophus extitit. Scripſit dialogos. Idem.

SPEVSIPPVS, Eurymedontis filius, diſcipulus & nepos Platonis ex Potone ſorore, & ſucceſſor Academiæ Olymp. 108. Conſcripſit plurima, & maximè philoſophica, auſtero & iracundo ingenio. Idem.

POLEMON, Philoſtrati aut Philocratis F. Athenienſis, diſcipulus Xenocratis & ſucceſſor. A libidinoſa uita conuerſus philoſophari cepit, multoſq; libros conſcripſit. Delectabatur Sophocle & Homero, & utrunq; pari præditum ſapientia dicebat: ac Homerum quidem heroicum eſſe Sophoclẽ, Sophoclem uerò, tragicum Homerum. Idem.

LACYDES, Alexandri Cyrenæi F. nouæ Academiæ auctor. Scripſit philoſophica, & de natura. Idem.

ARISTIP-



ARISTIPPVS, Aritadæ filius, Cyrenæus, Socratis auditor: à quo ſecta Cyrenaica initiũ duxit. Primus Socraticorũ mercedẽ inſtitutionis exegit. Inimicus Xenophonti fuit: ea dexteritate ingenij, ut & tẽpori & loco ſe accõmodaret. Ac iis quidẽ, quę aderant, fruebatur, uoluptatemq; ſectabatur: ad eas uerò delicias fruẽdas, quæ nõ adeſſent, laborẽ nullũ capiebat. Vnde canis regius à Diogene uocabatur. Eum aſſiduè filia ARETE audiuit: cuius filius ARISTIPPVS minor, dictus eſt Metrodidactus, à matre edoctus. Suidas.

THEODORVS cognomento Atheos, audiuit Zenonem Citticum, itemq; Bryſonem & Pyrrhonem Ephecticum, ac ſuã quandam ſectam à ſe Theodoream nominauit, multa ſcripſit. Suidas.

EVCLIDES Megarẽſis, unde Megarica familia, mox Eriſtici, poſtremò Dialectici nũcupati, quoniã ita ſciberent, ut interrogare & reſpõdere uiderẽtur, à Dionyſio Carthaginenſi ſic primùm appellati. Fuit ex Socratis aſſectatoribus unus, à quo Eubulides Mileſius Soritem, Caluum, Inuolutũ, Ceratem, & alios in Dialectica Griphos, cõmentus dicitur. Itidẽ Ariſtoteli infeſtus, cuius errata ſit quędã corrigere adortus. Dedit Eubulidi operam Diodorus, cognomento Cronus: qui quum apud Ptolomæum Sotorem Dialecticum ſophiſma à Stilpone propoſitũ ſoluere nequiuiſſet, uitam mœrore finiuit. Sab. lib. 2. En. 4. ex Suida.

STILPON Megarenſis, ſub primo Ptolemæo fuit, diſcipulus Paſiclis Thebani, qui audierat fratrẽ Cratetem, & Dioclidẽ Megarenſem: alij Euclidis diſcipulũ faciunt, Platonis auditoris. Præfuit Megaricæ ſcholæ, & Dialogos ſcripſit. Tantũ acumine ingenij docendiq; dexteritate præſtitit aliis, ut tota penè Græcia illũ intuens, μεγαρίζειν diceretur, hoc eſt, Megaricam ſectam amplecti. Suidas in dictione μεγαρίζειν.

PYRRHON, Pliſtarchi F. Eleus, Philippi Macedonis temporibus, principiò pictor, pòſt ſe ad philoſophiã cõtulit, aſſiduéque Bryſonem audiit, Clinomachi diſcipulum. Deinde Alexandrũ, Metrodori Chij diſcipulũ, cuius magiſter fuerat Metrodorus Abderites. Senſit, nihil honeſtum aut turpe eſſe natura, ſed opinione & cõſuetudine. Ab hoc PYRRHONII dicti, iidemq; Aporetici, Sceptici, Ephectici, Zetetici. Zetetici, ꝙ ueritatem perpetuò quærerent: Sceptici, à perpetua cõſideratione, cùm nihil unquam inuenirent: Ephectici, ab eo quod illis poſt inquiſitionem accidebat, ut ſuſtinerent aſſenſionem: Aporetici, quòd ſemper dubitarent. Suidas.

ANTISTHENES Athenienſis, ex oratore philoſophus Socraticus, obſcuri patris filius, & Thraciæ matris. Cõſcripſit tomos X. Cynicæ ſectæ princeps fuit: ſic dictæ, quòd in Cynoſarges gymnaſio doceret, Diogenis canis & reliquorum præceptor. Immedicabili morbo laboranti Antiſtheni, pugione porrecto: Si inquit, amici eges officio, en adſum tibi. Suidas.

DIOGENES Sinopenſis, Heceſij argentarij F. Antiſthenis diſcipulus, primùm Cleon cognominatus. Huic ſciſcitanti, quo pacto primas ferret? reſpondit Apollo (nam in Republ. uerſabatur) εἰ παραχαράξειεν, ſi perperàm cuderet. Igitur monetam adulterauit: eaq; de cauſa profugus Athenas uenit. Cumq; in Antiſthenem cõtra gloriam differentẽ incidiſſet, philoſophatus eſt. In nauigatione ſenex à Scirtalo prędone captus eſt, & uenditus, ac præcone proclamante, rogatus quid noſſet: Imperare, inquit, hominibus. & Xeniadem Corinthium quendam hominem diuitem & luxurioſum conſpicatus: Huic, inquit, me uendito: nam domino eget. Qui eo emto, & Corinthum perducto, bonum genium ſuas ædes ingreſſum dixit. Obiit Olympiade CXIII, crure à cane morſo: deſpectaque curatione, eadem die, qua Babylone Alexander, deceſſit. Suidas.

CRATES Aſconidæ F. Thebanus, diſcipulus Diogenis & Bryſonis Achæi: re ſua familiari in nũmos redacta, pecuniaque argentario data, mandauit, ſi filij ſui philoſopharentur, ut eam reipub. daret: ſin minùs, liberis redderet. Vxore ducta Hipparchia Maronitide, nuptias ſuas κυνογαμίαν, id eſt caninum matrimonium, appellauit, & filium ex ea ſuſcepit Paſiclem. Cognominatus eſt θυρεπανοίκτης, apertor ianuarum, quòd audacter cuiuſuis domum ingrederetur. Agros ſuos incultos in ouium paſcua reliquit. Conſcenſa ara, dixit: Manumittit Cratetem Thebanũ Crates. Philoſophica ſcripſit. Dictum eius eſt, Amorem ſedat fames: ſin minus, tempus: ſi ne id quidẽ, laqueus. Philoſtratus Lemnius, eum pecuniam ſuam in mare abieciſſe, ait. Suidas.

MENIPPVS Cynicus furiali habitu utebatur, ab inferis inſpectorem ſe delictorum miſſum, eaq; illò renunciaturum dicens. Veſtis illi erat pulli coloris, ad talos uſq; demiſſa, aſtricta cingulo Perſico: pileus Arcadicus, in capite duodecim Zodiaci ſigna habens intexta: calcei tragici, barba ingens, baculus in manu fraxineus. Suidas.

ZENON, Mnaſeæ ſeu Demij filius, Cittieus (Cittium urbs Cypri eſt) Stoicæ diſciplinæ autor, in στοᾷ porticu docebat Athenis, quæ primùm Peſianactea, deinde à picturis ποικίλη, id eſt uaria, dicta fuit: Cratetis Cynici diſcipulus, & Polemonis Athenienſis. Obiit nonagenarius, cibo abſtinens. Huic oraculum conſulenti, qua ratione optimè uicturus eſſet? reſpõſum ferunt, εἰ συγχρωτίζοιτο τοῖς νεκροῖς, ſi mortuis concolor fieret: uel, ſi mortuorum conſuetudine uteretur: id eſt, ſi ſcripta ueterum legeret. Cognomento Phœnix dictus eſt, quòd id oppidulum Phœnices incolas haberet. Floruit ſub Antigono Gonata, Olympiade CXX. Prouerbium, Zenone continentior, ob ſummam eius in uictu frugalitatem. Suidas. Laertius. Nonius citat ex Varronis Eumenidibus, primũ Zenonem nouam hæreſim, nouo paxillo ſuſpendiſſe. Zenonẽ notans, qui primus Athenis inuexit ſectam Stoicorum, idq; nouis rationibus ac paradoxis. Eraſmus.

CLEANTHES Phaniæ F. Aſſius, diſcipulus Cratetis, deinde Zenonis, cui ſucceſſit: magiſter Chryſippi Solenſis & Antigoni regis. Pugil Athenas profectus, amore philoſophiæ captus eſt: adeò tolerãs laborum, ut alter Hercules diceretur. Noctu mercede aquam hauriebat, interdiu diſciplinis & libris uacabat. unde Phreãtles, hauſtor puteorum, cognominatus eſt. Plurima ſcripſit. Suidas.

CHRYSIPPVS Apollonidæ filius, Solenſis aut Tarſenſis, diſcipulus & ſucceſſor Cleãthis, in Stoica ſchola. Obiit annos tres & LXX natus, mero hauſto, & uertigine oborta. Alij ferunt nimio riſu expiraſſe, 142. Olympiade. Scripſit libros ampliùs ſeptingentos, & philoſophicos & hiſtoricos, & grammaticos. Suidas.

SPHERVS condiſcipulus Chryſippi apud Cleanthem. Athenæus lib. 8. cap. 8.

ARISTOCLES Lampſacenus Stoicus, ſcripſit libros Enarrationum in Chryſippum. Suidas.

PANÆTIVS Rhodius multa ſcripſit, à philoſophis multùm celebratur. Eſt alius minor, Nicagoræ F. Rhodius, Stoicus, Diogenis diſcipulus, præceptor Scipionis Aphricani, poſt Polybium. Mortuus eſt Athenis. Suidas.

POSIDONIVS Apamenſis Syrus aut Rhodius, Stoicus, cognomento pugil, ſcholam habuit Rhodi, diſcipulus & ſucceſſor Panætij. Venit & Romam ſub M. Marcello. Scripſit multa. Suidas.

ATHENODORVS Stoicus, familiaris Auguſto, omnibus rebus cùm naturæ, tum rectæ uoluntatis, ad philoſophiam inſtructus. Eum Salluſtius igni ſimilem eſſe dicebat, propinqua omnia incendenti. Suidas.

EPICTETVS Phryx Hierapolitanus, ſeruus Epaphroditi ſatellitis, imperatoris Neronis, pede mutilatus ex fluxione, habitauit Nicopoli, urbe nouæ Epiri. Vixit uſq; ad tẽpora M. Antonini. Scripſit multa. Suidas.

ARRIANVS Nicomedienſis, Stoicus, cognomento nouus ſeu iunior Xenophon: Romæ ſub Adriano, & Antoninis Impp. ad conſularem uſq; dignitatẽ euectus, ut Heliconius ait, ob eruditionis excellentiam. Scripſit plurima. Suidas.

ARISTOTELES, Nicomachi medici Aſclepiadæ filius & Phæſtiadis, Stagira urbe Thraciæ natus Olymp. 99. diſcipulus Platonis, balba uoce. Habuit filiũ Nicomachũ ex Herpyllide concubina, quã poſt Pythiadẽ Hermiæ eunuchi, principis Atarnei in Troade, filiã, ab Hermia abduxerat. Peripateticæ ſectæ præfuit annos XIII: inde dictæ, ꝙ in ambulacro ſiue horto doceret: Chalcide obiit aconito hauſto, quòd ob hymnũ in Herniã eunuchũ ſcriptũ, in ius uocatus eſſet. Alij morbo deceſſiſſe dicunt, anno ætatis LXX. Suidas. Eius diuinũ ingeniũ admirari faciliùs, quàm imitari poſſumus. Primus omnium philoſophiæ omnigenæ præcepta in unũ collegit, & ſemina à ſuperiorib. philoſophis accepta, tãta diligentia excoluit, ut, Platone excepto, ad philoſophiæ arcẽ ſolus penetraſſe uideri poſſit. Teſtantur hoc ſcripta illius: quibus ſi maiorem pleriq; operam impenderẽt, meliùs cum re literaria ageretur. Vide Cælium lib. 17. cap. 17.

TYRTAMVS, ſiue Melanthi fullonis, ſiue Leonis filius, Ereſſius, Auditor Ariſtotelis, & ſcholæ Peripateticæ ſucceſſor, ob diuinã dictionẽ Euphraſtus ab Ariſtotele, pòſt THEOPHRASTVS dictus eſt. Diſcipulos ampliùs 4470. habuit. Honoratus eſt à Caſſandro Antipatri filio. Deceſſit, aſſidua ſcriptione fatigatus. Scripſit innumera. Suidas.

NICOMACHVS filius Ariſtotelis, diſcipulus Theophraſti, & (ut quidam tradunt) amaſius. Scripſit de moribus libros ſex, & de phyſica auditione patris ſui. Suidas.

DICÆARCHVS Phidiæ F. Siculus, Meſſenius, Ariſtotelis auditor, philoſophus, orator, geometer: ſcripſit dimenſiones montium Peloponneſi, Græciæ uitam, Rempublicam Spartiatarũ: qui liber, ut quotannis in Ephororũ prętorio puberibus auſcultantibus recitaretur, lege ſancitum fuit apud Lacedæmonios, & longo tempore obſeruatum. Suidas.

DEMETRIVS Phanoſtrati filius, Phalereus (eſt autem Phalerum Atticæ portus, Phanos olim dictus) Theophraſti diſcipulus, libros complures ſcripſit, adeò uenuſtus, ut per calumniam in deliciis habitus, & à quibuſdam à ſplendore Lampeto, & Charitoblepharos propter elegantiam cilio-



rum

rum diceretur. Ad magnam potentiam ab Antipatro euectus, à Demetrio Poliorcete pulſus Athenis, in Aegyptum uenit: & apud Soterem Ptolemæum degens, ex morſu aſpidis periit. Suidas.

CALLISTHENES, uel Demotimi uel Calliſthenis F. Olynthius, diſcipulus Ariſtotelis, & conſobrinus, quem Alexandro Macedoni comitem adiunxit. Is eum corti ferreę incluſit, unà cum Nearcho tragico: ubi à pediculis conſumtus dicitur, eo quòd ipſi ſuaſiſſet, ne ſe ab Athenienſibus dominum uocari pateretur. Quidam uerò eos, ut Alexandro inſidiatos, dicunt interfectos. Valuit extemporali dictione, magnoque impetu ferebatur. Suidas.

ARISTOCLES Meſſenius Siculus Peripateticus, compoſuit libros de Philoſophia X, utrum Homerus præſtantior, an Plato? Recenſet autem in iis omnes philoſophos, eorumq; opiniones. Scripſit etiam præcepta Rhetorica, & de Serapide, libros de moribus IX. Suidas.

ERATOSTHENES, Aglai ſiue Ambroſij F. Cyreneus, Ariſtonis Chij philoſophi, Lyſaniæ Cyrenæi grammatici, & poëtę Callimachi diſcipulus. Accerſitus Athenis à tertio Ptolemæo, uixit uſq; ad quintum. Quia uerò in omni doctrinæ genere ſecundas à ſummis ferebat, Βῆμα, Gradus, cognominatus eſt. Alij Platonem alterum, alij Quinquercionem dixerunt. Natus eſt CXXVI Olympiade: obiit anno ætatis LXXX ex inedia, propter aciem oculorum hebetatam, diſcipulo inſigni relicto, Ariſtophane Byzantio, cuius diſcipulus fuit Ariſtarchus. Scripſit philoſophica & poemata & hiſtorias, aſtronomiam, ſeu ſitum ſtellarum, De ſectis philoſophorum Dialogos multos, & de Grammatica. Suidas.

VALERIVS Soranus, Latinus homo, doctiſſimus togatorum, ut Craſſus dicit in primo de Oratore Cic. Tributũ hoc eſt Varroni, ſed ante Varronem Sorano. Functus eſt Romæ honoribus, præcipuè Tribunatu plebis: ſed quòd nomen illud arcanum urbis Romæ, quod euulgari eſt nefas, auſus eſſet enunciare, pœnas luit. Plinius, Solinus, Macrobius, Plutarchus in Problematis. tametſi idem in Pompeio, Q. Valerium philoſophum (quod multi non dubitant de Sorano dici) à Pompeio narrat occidi iuſſum. Sunt qui putent, hunc ſubita morte corruiſſe: alij, ſuffixum eſſe cruci, ut Seruius. L. Viues in lib. 7. Auguſt. de Ciuit. Dei, cap. 9.

NICOLAVS Damaſcenus, uir in omni literarum genere doctiſſimus, Comœdias & Tragœdias ſcripſit. Herodi & Auguſto Imp. familiaris adeò, ut Auguſtus palmarum balanos pulcerrimos & maximos, propter eius proceritatem Nicolaos appellaret. Hic integram diſciplinam longę cuidam peregrinationi ſimilem dicebat, alibi diuertimus, cœnamus, prandemus, quieſcimus, tranſimus: donec ad id, quod deſideramus, tãquam ad propriam ſedem, deueniamus: ad ueram ſcilicet ſapientiam.

Apud Romanos SEMPRONIVS Iurecoſs. primus & poſtremus à populo Σοφὸς dictus eſt. Pomponius Tit. 2. ff. de Origine iuris.

PHILON Iudæus, natus Alexandriæ, ex familia ſacerdotum, Tiberij Alexandri Alabarchæ (ſic in Aegypto Iudæorũ ſummum magiſtrum uocant) frater (eius qui Romæ inter conſulares Veſpaſiani amicos ſtatuam habuit, ſicut Iuuenalis cũ ſtomacho meminit) eruditione non minùs celebris, quàm germanus opibus. Græcorum philoſophiam amplexus, ita profecit, ut etiam in prouerbium apud Græcos abierit: Aut Plato Philoniſſat, aut Philon Platoniſſat. tanta eſt ſimilitudo & ingenij & dictionis cum Platonica. Scripti ſunt ab eo libri infiniti. Ad Caligulam legatus ſuæ gentis miſſus eſt. Cùm denuò Claudium in eadem urbe cõueniſſet, diſſeruit cum Petro apoſtolo, eaq; de cauſa ſtudioſos Marci, diſcipuli Petri, Alexãdriæ uerſibus ornauit. D. Hieronymus de Scriptoribus eccleſiaſticis. Suidas, & Euſebius lib. 2. hiſt. eccleſ. & Ioſephus lib. 18. Antiq. cap. 15. & Auguſtinus contra Fauſtum lib. 12. cap. 2. Huic quidam ſapientiæ librum, Solomoni regi inſcriptum, tribuunt.

IVSTINVS philoſophus, habitu philoſophorum utens, ex Neapolitana Palæſtinæ prouincia Priſci Bacchij F. Antonino Pio, & Senatui Romanorum, libellum contra Ethnicos obtulit, opprobrium crucis nihil ueritus. Romæ ſcholam habens, odium ſuſcepit Creſcentis Cynici, Chriſtianis maledicentis, guloſum & prodigum & intemperantem appellans. Cuius tandem inſidiis pro Chriſto ſupplicium paſſus eſt. Suidas.

PLVTARCHVS Chæronenſis, Bœotius, Ammonij Aegyptij diſcipulus. Traianus dignitate conſulari eum ornauit: edixitque, ne quiſquam Illyriæ magiſtratuum quicquam abſq; conſenſu eius ageret. Scripſit multa. Fuit alter PLVTARCHVS Neſtorij F. Athenienſis, magiſter Syriani, qui præceptor fuit Procli Lycij, & ſcholæ philoſophicæ Athenienſi præfuit. Scripſit multa. Suidas.

In PHAVORINO philoſopho, (quẽ tamẽ alij ſophiſtam eſſe nolunt, propter eloquentiam & ſtudium rhetoricæ ſingulare) Arelatenſe Gallo, tria fuêre maximè mira, & primũ quidẽ, quòd Gallus quum foret, Græcè tamen optimè ſciuerit. Deinde, quũ foret eunuchus, adulteraſſe tamẽ cõſularis uiri uxorem creditus, ſubiit eo nomine iudicium ab eodem poſtulatus: adeò libidinis etiã erat præferuidæ. Poſtremò principi Adriano factus offenſior, nihilominus inde nullo affectus incommodo ſuperuixerit. Quæ laus imperatoris eſt uel maxima, qui ex ęquo diſceptaret cum eo, quem iure ſuo poſſet euertere: ex quo illud ſic à Philoſtrato enunciatur, κρέσσων δὲ βασιλεύς, ὅτε χώσεται ἀνδρὶ χέρηι, ἢν ὀργὴν κρατῇ, id eſt, Præſtabilior cenſetur rex, ſi inferiori iratior indignationem comprimat. Cælius lib. 19 cap. 12.

SEXTVS Chæronenſis, Plutarchi nepos. M. Antonini Cæſaris temporibus, Herodoti Philadelphæi diſcipulus, Pyrrhoniæ ſectæ, in tanta apud Imperatorẽ auctoritate, ut unà cũ eo ius diceret. Scripſit de moribus, & Scepticos libros. Suid.

AMMONIVS philoſophus Alexandrinus, cognomento Saccas, profanus è Chriſtiano factus, ut ait Porphyrius, Ammonij Alexandrini diſcipulus: qui & in ſchola ſucceſſit Ariſtarcho. Suidas.

PLOTINVS Lycopolita, diſcipulus Ammonij, baiulus, Romæ philoſophatus eſt, ſed ob nimiam obſcuritatem minimè popularis habitus. Eius ueluti interpres habebatur Porphyrius diſcipulus. Sub Galieno ſenex mãſit uſq; ad annos ſeptem, & compoſuit libros 54: qui in nouenos diuiſi, dicuntur Enneades. Fuit corpore imbecilli, ob morbum ſacrum. Suidas & Eunapius.

AMELIVS, Apamenſis philoſophus, diſcipulus Plotini, præceptor Porphirij, ęqualis Origenis & Ammonij. Suidas. Eunapius condiſcipulum Plotini facit.

PORPHYRIVS Tyrius, Malchus proprio nomine, Phœnicum lingua, quòd regẽ ſonat, ſed detorta appellatione ad purpurã, regium inſigne, à Longino Porphyrius dici cœpit. Suidas proprio nomine Baſilium uocatũ ſcribit. Diſcipulus Longini Caſſij Rhetoris: & Romæ Plotini, Amelij, Origenis & Aquilij condiſcipulus. Iamblichi præceptor. Eloquentia & ſapientia & magia inſignis, Romæ uixit ſub Aureliano ad Diocletianum uſq;. Obiit ualde ſenex. Scripſit plurima, & perſpicuitate Plotinũ ſuperauit. Contra Chriſtianos ſceleratam linguam exercuit. Eunapius & Suidas.

Philoſtratus DIONEM ſophiſtam appellat ἀμαλθείας κέρας, ueluti omni genere uirtutum expolitum.

IAMBLICHVS è Chalcide Cœloſyriæ, Anatolij primũ, mox Porphyrij diſcipulus, ſola eloquentia magiſtro inferior, cũ non ſacrificaſſet Mercurialibus muſis. Præceptor Sopatri Syri, Aedeſij, Euſtathij Cappadocis, & plurimorũ aliorũ. Frugalitate uictus ſumma, humanitate mirabili. Inter fundendum preces cubitos pluſquam decem in altũ tollebatur. Magus inſignis, ad multam peruenit ſenectam. Eunapius.

SOPATER Apamenſis Syrus, diſcipulus Iamblichi, Conſtantinopolim uenit, ut Conſtantini Magni religionem impediret. Ibi uerò æmulorum calumniis, qui eum uentos uinxiſſe dicebant, ne frumentariæ naues ex Aegypto appellerent, circũuentus, Ablabij prætorio profecti opera, occiſus eſt. Scripſit de prouidentia. Suidas & Eunapius.

ALYPIVS philoſophus Alexandrinus, in Dialecticis exercitatiſſimus, Iamblichi æmulus, ſed diſputando longè ſuperior. Eius uitam Iamblichus ſcripſit. Eunapius.

AEDESIVS Cappadox, Iamblichi diſcipulus & ſucceſſor, nobili genere natus, magus inſignis, Pergami ſcholã aperuit. Magiſter Maximi. Valde populari ingenio, & ſingulari fide in docendis & exercendis auditoribus. Eunapius.

CHRYSANTHIVS Lydus, Aedeſij diſcipulus, eloquentia admirabili, magiam ſtudioſè amplexatus eſt; diuinationis ita peritus, ut multi, meliùs illum futura cernere, quàm prædicere, dictitarent. A Iuliano Apoſtata in aulã uocatus, cùm paulo pòſt religionis mutationẽ futurã præuidiſſet, parêre noluit, ſed pontificatũ Sardib. conſecutus, calamitates eas, in quas Maximus incidit, euitauit. Præceptor Eunapij, qui illum Socrati comparat. In cõgreſſu comis & urbanus, in diſputãdo rarus, ſed diuino quodam impetu feruidus. Filium habuit Aedeſium, qui puer etiamnum oracula fundebat. Senex iam ex nimia phlebotomia periit. Eunapius.

MAXIMVS ſophiſta, nobili genere natus, Aedeſij diſcipulus, cana barba, pupillis oculorũ uolubilib. eloquens admodũ, & uehemens in dicendo, ſic ut nemo cõtra illũ hiſcere auderet. Epheſi ſcholã habuit. Præſentib. cõdiſcipulis Hecates ſimulacrũ renidere fecit, & faces, quas manu geſtabat, inflammari. Iulianus Imp. illũ ad ſe Conſtãtinopolim uocauit: ubi aulæ deliciis ineſcatus, molliùs, quã philoſophũ deceret, uixit. A Valente Imp. poſtea in carceres cõiectus, dira pertulit tormẽta. Eũ Clearchus Aſiæ præfectus liberauit. Maximus Conſtantinopolim reuerſus, Valentis mortẽ prædixit. Antiochiæ à Feſto præfecto Aſiæ trucidatus eſt. Eunapius.

HIEROCLES philoſophus Alexandrinus, excellẽti ingenio & facundia, pulcerrimorum nominũ & uerborum copia in ſui admirationem auditores rapiebat. Exilio multatus, Alexandriam tandem reuerſus, more ſuo cũ diſcipulis philoſophabatur. Scripſit in aurea Pythagoræ carmina; & de prouidentia, & alios libros multos. Suidas.

SYRIANVS Alexandrinus, Athenienſi ſcholæ præfuit, magiſter Procli, qui ei ſucceſſit, & propterea Διάδοχος dictus eſt. Scripſit in totum Homerum. In Rempublicam Platonis. In Orphei theologiam. Conſenſum Orphei, Pythagorę & Platonis, De oraculis lib. 10. & alia quædam. Suidas.

PROCLVS Lycius, diſcipulus Syriani, philoſophicæ ſcholæ Athenis præfuit. Diſcipulus & ſucceſſor eius Marinus Neapolitanus. Permulta ſcripſit Philoſophica & Grammatica. Hic alter à Porphyrio, impuram cõtra Chriſtianos linguam exacuit. Sed Ioannes Philoponus præclariſſimè XVIII. eius Propoſitiones refutauit: eumq; in Græcis etiam rudem atque indoctum eſſe, oſtendit. Suidas.

DOMNINVS, ex Laodicea ſiue Lariſſa urbe Syrię, diſcipulus Syriani, Procli condiſcipulus, in Mathematicis diſciplinis & reliqua philoſophia exercitatiſſimus. Multa Platonica ſuis ſententiis euertit. Proclus librum integrum aduerſus eum ſcripſit Repurgatorem, ut eſt in dogmatum Platonicorum inſcriptione. Suidas.

HERMIAS Aegyptius, Ammonij & Heliodori, & Syriani diſcipulus, induſtria nullo ſodalium inferior, ac ne ipſo quidem condiſcipulo uetere Proclo. acutus ſupra modum, atque bonus, etſi ab eloquentiæ perfectione aberat, in uirtute tamen ita præclarè exercitatus, ut nec Momus illum reprehendere, nec liuor odiſſe poſſet. Si quid emebat, librum pręſertim, ſi uenditor fortè illum minoris indicaſſet, plus adiiciebat: iuſtũq;, licèt multò maius, preciũ perſoluebat. Suid.

THEMISTIVS Ariſtotelis interpres, ab Imp. Iuliano præfectus Cõſtantinopoleos deſignatus eſt, ut Suidas ſcripſit. Coram Iouiniano Conſtantinopoli librum recitauit conſularem. Valentem, cùm atrociſſimè in Homouſianos ſæuiret, libro oblato, mitigauit, ut eos non ampliùs morte, ſed exiliis multaret. Socrates lib. 3. cap. 26. & lib. 4. cap. 32. & Sozomenus lib. 6. cap. 37.

IOANNES Grammaticus Alexandrinus, cognomento Philoponus, plurima ſcripſit, grammatica, philoſophica, arithmetica, rhetorica: ſacras quoq; literas tractauit. Scripſit & contra Proclum & Seuerum. Ab eccleſiæ doctoribus, ut Tritheites, id eſt, qui tres eſſe deos aſſerat, in orthodoxorum catalogum non admittitur. Suidas.

OLYMPIODORVS Alexandrinus fama celebris. Ad hunc audiendum Proclus Lycius, Ariſtotelicæ doctrinæ cognoſcendæ cauſa ſeſe contulit. Olympiodorum uerò cùm audiret, uirum eloquentem, quique ob linguæ uolubilitatem & celeritatem à paucis auditoribus intelligeretur, ſic approbatus ab illo eſt, ut filiolam, & ipſam philoſophicè inſtitutam, deſpondere ei uoluerit. Suidas.

AVERROES Mahumetanus apud Cordubã Hiſpaniæ urbẽ, circa annum Domini 1149. inter cætera excellẽter in omnes Ariſtotelis libros ſcripſit, ut Cõmentatoris cognomẽ meruerit: item de ſectis & de ſubſtantia orbis. Libro Colliget dicto, totam fermè medicinam complectitur, tãto acumine, ut Cos medicorum fuerit appellatus. Auicennæ medici, etſi ſeculi unius ſpatio eo poſterior, æmulus, ut eũ in ſuis libris nominare uereatur. In commentariis ſuis in Ariſtotelẽ, Gręcos maximè imitatus eſt: ut Alexandrũ & Themiſtium. A nonnullis Stimulus medicorum uocatur: & Galeno locis non paucis contradicit. Ob ſcientiæ profunditatem nomen accepiſſe dicitur, quod lingua Arabum nihil aliud, quàm Abyſſum ſapientiæ ſignificet. Symphorianus Campegius. & Con. Geſnerus in Bibliotheca. [redacted]

AVEDADIS Alpharabio coætaneus (ut Sabellicus auctor eſt) philoſophus & medicus, multos in Ariſtotelis libros edidit commentarios: ut Bergomenſis annotat.

Anitius Seuerinus BOETHVS, conſul Romanus, primus omnium Ariſtotelicam diſciplinam Latinis literis illuſtrare cœpit: tantæ apud poſteros auctoritatis, ut ab eius ſententiis nulla fermè ſit prouocatio. Neq; in exilio modò, ut aliqui arbitrantur, (in quod Ticinum à Theodorico rege Gothorum relegatus eſt, & demum religionis nomine, quòd Arianæ ſectæ nollet conſentire, capite truncatus) ſed & in mediis Reipub. occupationibus pleroſq; eorũ, quos habemus de philoſophia libros, edidit. Vir ſummus in omni literarum genere. Cuius morte magnam rem & à multis fruſtra tentatam, Platonis & Ariſtotelis concordiam, quam pollicitus fuerat, amiſimus. Iul. Martianus Rota in eius uita.

IOANNES Scotus complures annos Athenis literis Græcis inſudauit. Inde ab Ludouico Romanorum Imp. accitus in Galliam, pręter alia ſtudiorũ monimenta Hierarchiam diui Dionyſij fecit Latinam. Extat opus inſigne, magna ueneratione apud eruditos, ab Hugone à ſancto Victore theologo Pariſienſis ſcholæ inſigni, graphicè expoſitum. Profectus aliquanto pòſt tẽpore in Britanniã, Caroli tertij Romani principis legatus ad Alarudũ Anglorũ regem, optimo principi gratulaturus, quòd poſt partã aduerſus Danos uictoriam, pacẽ cum Scotis ac Francis iam tum ſociis & confœderatis populis coluiſſet perſtitiſſetq; in officio: ob eximiã eruditionẽ, Anglica nobilitate uehementiùs hortante, ex legato Alarudo factus eſt hoſpes, regiiſq; liberis adhibitus præceptor. Ad eum diuinã humanamq; ſapientiã in Maluiesberienſi cœnobio docentẽ frequens auditor ex omni Anglorũ ordine confluxit. A diſcipulis ſeuerè reprehenſis, inter legendum pugionibus confoſſus periit: [redacted] Boëthius lib. 10. & Platina in Leone 4.

ALEXANDER de Ales philoſophus acutiſſimus, Franciſcanorum ordini ſeſe deuotionis cauſa ſubiecit. Cranzius.

ALBERTVS Magnus ordinis Prædicatorũ in Sueuia clariſſimis parẽtibus, in agro Lauingenſi, ex regulis Bolſtatẽſibus, an. Chriſti 1193. natus, ob eruditionẽ uariã Germanorũ Varro. Scripſit Dialectica, Mathematica, Phyſica, Chymica, Metaphyſica, Ethica, Theologica, [redacted] adeò exquiſitè, ac ſi ſingulis dũtaxat ſolis operam nauaſſet. Primus apud Latinos in oẽs Ariſtotelis, Euclidis, Petri Lombardi, & aliorũ libros Cõmentaria ſcripſit. Pariſiis teſtimonio Matthæi Palmerij, an. Chriſti 1275. publicè docuit. Thomæ Aquinatis præceptor extitit. Poſtea Colonienſis cœnobij apud Dominicanos lector, Alberto epiſcopo Ratisbonẽſi deiecto ſubſtitutus, cùm per annum pontificatu functus eſſet, ad Philoſophiam rediit, & Coloniæ mortuus eſt, anno 1280. ætatis 87. in medio choro conuẽtus ſui humatus, inteſtina Ratisbonam delata. Hieron. Zieglerus in Hiſtoria illuſtrium uirorum Germ. & Platina in Vrbano 4. & Cranzius lib. 8. Metropol. cap. 31.

THOMAS de Aquino, cùm aliquandiu Pariſiis publicè profeſſus eſſet, & quatuor libros Com. in Sententias ſcripſiſſet: Romam ab Vrbano IIII. accerſitus; ſpretis dignitatibus, quæ ultrò ei offerebantur, totum ſe lectioni & ſcriptioni dedit. Nam & ſcholã Romæ inſtaurauit, & rogatu Vrbani multa conſcripſit, & totam ferè naturalem philoſophiam ac moralem, commentationibus expoſuit: & contra Gentiles librum edidit. Declarauit & Iobum, catenamque aureã contexuitq; Chymicis quinetiam claruit. Platina.

IOAN. PICVS Mirandula, nobilitate familiæ fortuniſque ſatis cognitus, tantam in omni literarum genere laudẽ conſecutus eſt, ut cæteris omnibus, qui noſtro præcepta ſapientiæ tradiderunt æuo, fulgore quodã ſuæ claritatis tenebras induxerit. Quinq; linguarũ notitiam habuit: in quibus ſingulis cùm multum emineret, ubi tamen excelleret potiſſimùm, ambigebatur. Reliquit non mediocrem ſyluam ad poſteros monumentorum, quæ nunc in manibus habẽtur: plura & meliora ſcripturus, niſi in ſummo perfectiſſimæ laudis ſplẽdore 32 agens ætatis annum, extinctus fuiſſet. Vir ſuprà humanum faſtigium magnitudine ingenij præditus. Aderant nec non fortuita, corpus procerum, decora facies, flaua cæſaries, comis tum etiam congreſſus. Barthol. Blanchinus in uita Philip. Beroaldi.

[redacted]

## POPVLI DOCTI, GENTES LITERATÆ.

*Vide Tit. Philoſophiæ ſtudium. Illic Studium & Cultus, hic Habitus & Profeſſio conſideratur.*

## DOCTRINA IVNCTVM HABENS BONVM ALIQVOD externum Corporis aut Fortunæ. Huc pertinent

### DOCTI SANI, FORMOSI, ROBVSTI, ATHLETÆ, PVGILES.

CLEOBVLVS ex Lindo fuit, quæ urbs eſt Rhodi inſulæ. Alij Carem uolunt, ut Duris. Fuit patre Euagora, uirib. formaq; cunctos ætatis ſuæ antecellens. In Aegypto didicit. Eius fi-lia Cleobulina inſignis fuit uates ænigmatum heroicis uerſibus conſcriptorũ. L. Viues in lib. 18. Aug. de Ciuit. Dei, c. 25.

EVRIPIDES tragicorum princeps, cùm pater oraculo accepiſſet, [redacted] certaminibus futurum, primò athleticæ ſtuduit, ita quidem ut Eleuſinio & Theſeo certamine pugnarit, & coronatus ſit. Gyraldus Dial. 7. hiſt. poet.

M. POMPONIVS Marcellus, pugil olim, poſtea factus grammaticus, in aduocatione quadam ſolœciſmum aduerſarii tanta acerbitate reprehẽdit, ut Caſſius Seuerus interpellatis iudicibus dilationem petierit, quoad litigator ſuus alium adhiberet grammaticum: quandoquidem non de iure, [redacted] uerſia ageretur. Suetonius.

PROÆRESIVS Cappadox ſophiſta Athenięſis ſub Conſtãtio, corpore firmiſſimus, forma pulcerrimus. Eunapius.

### DOCTI PRINCIPES.

DAVID rex Iudęorum, primus uario genere carminis laudes Deo optimo maximo ad citharam decantauit.

SALOMON eius filius, Sapientis nomen etiam Chriſti Ieſu benedicti teſtimonio meruit.

SISYPHVS Corinthiorum rex, quaſi θεόσοφος dictus. Siquidem deos in Peloponneſo Sius dicunt, & ratione Aeolica Syphos dicitur ſapiens. Medicinę ſtudioſus uidetur fuiſſe, & peſtilentiam arte ſua curaſſe, ita ut nulli ampliùs ſua ætate mortales ea perierint, quoad peſtem ſecuta ſunt bella. Euſtathius Iliad. 3. Cælius lib. 24. cap. 5. A. L.

ARTVASDES Armeniorum rex, tragœdias, orationes & hiſtorias ſcripſit, quæ ad ipſius uſq; Plutarchi tempora extabant. Gyral. Dial. 5. Hiſt. poët.

ANTIPATER Iolai, ſiue Iuli filius, ex urbe Macedoniæ Paliura, dux Philippi, deinde Alexandri, & regni ſucceſſor: diſcipulus Ariſtotelis. Scripſit Perdiccæ res geſtas in Illyriis. Solus ex Alexandri ſucceſſoribus Deum appellare Alexandrũ recuſauit, impium id eſſe ratus. Vixit annos 79. Succeſſorẽ reliquit filium Caſſandrum. Suidas.

PERIANDER Corinthius tyrannus, doctus adeò, ut inter ſeptem Græciæ ſapientes fuerit connumeratus.

PISISTRATVS Athenienſes graui tyrannide preſſit: at ille idem tamen ingenia eorum excoluit, Bibliotheca primò omnium publicata, quam poſtea Xerxes maximi theſauri loco ad Perſas tranſtulit. Gell. lib. 6. cap. 17.

HIPPARCHVS Piſiſtrati F. Homeri ſcripta in unum collegit, eaq; rhapſodos in Panathenæis memoriter ex ordine recitare coëgit. Hermas ſtatuas per uicos & cõpita erexit, quib. ethica præcepta inſcripſit ſaluberrima. Plato in Hipparcho.

Non inconſultè & præcipitanter ALEXANDER ad adoriendam Perſarum potentiam profectus eſt: ſed animi ſublimitate, intelligentia, temperantia, fortitudine inſtructus à philoſophia, pluribuſq; à præceptore Ariſtotele, quàm à Philip[redacted] preſidiis ſubornatus, in Perſas [redacted] Odyſſeam pro leuamine laborum, traducendi temporis, & [redacted] fallendi otij causa comites aſſumſit: uerùm autem [redacted] præcepta philoſophiæ fuere, & [redacted] animi fiducia de fortitu[redacted]entia item & excelſitate animi commẽrarii. [redacted] empe cõperietur ex dictis ſuis, ex factis, ex præceptis phi[redacted] Hyrcanos fœdera connubialia docuit [redacted] colere, agriculturam tradidit Araſchoſiis: Sogdianos indu[redacted] patres ut alerent, non occiderent: Perſas, ut uenerarentur [redacted] rices ſuas, atque earum abſtinerent cõnubiis. Eo ſubiugãte Aſiam, legebatur Homerus: Perſarum, Suſianorum, & Gedroſiorum filij Euripidis & Sophoclis tragœdias cantabant. Si plurimùm hinc philoſophi [redacted] quòd rudes & rigidos mores mitificent & componant: innumerabiles autem nationes & ingenia fuiſſe ab Alexandro immanem apparet flexa: meritò ſummus philoſophus numeratur Alexander. Omnibus denique ut dictis ſic factis ſuccla[redacted]re licet, Philoſophicè, qua uoce complectimur omnia rectè dicta & facta. Plut. orat. 1. de fort. Alex.

MAMERCVS Catanæ tyrannis, poëmatibus ſcribendis & tragœdiis delectabatur. A Timoleonte Corinthio tandem uictus, cùm ſeſe Syracuſanis purgare fruſtra contendiſſet, abiecto pallio, medio ſe proripuit theatro: atq; impetu in unum ex cuneis illiſit caput. Spirans adhuc abſtractus inde, & latronum more plexus eſt. Plut. in Timoleonte.

DIONYSIVS Siciliæ tyrannus, in poëſi ita uerſatus, ut etiam tragœdias ſcriberet, philoſophorum Platonis & Ariſtippi conuerſatione ſummopere delectatus, cùm exul Corinthi ludum aperiret, hoc ſibi ex philoſophia præſidij contigiſſe dicebat, quòd aduerſam fortunam maiore animo quàm ſecundam ferre poſſet.

HIERO Syracuſanus tyrannus, cùm per morbum à politica adminiſtratione feriari cogeretur, Simonidem accerſiuit poëtam, & ab eo inſtructus, doctiſſimus euaſit. Aelianus libro 2. Variarum hiſtor.

PTOLEMÆVS Philadelphus, Aegypti rex, Stratonis diſcipulus, omni literarum genere inſtructiſſimus, quamuis infirma ualetudine uteretur: Bibliothecam Alexandrinam maximis ſumtibus, ſed maiore ſui nominis gloria, & incredibili poſteritatis utilitate, conſtrui fecit.

IVBA Ptolemæi pater, qui primus utrique Mauritaniæ imperauit, ſtudiorum claritate memorabilior etiã quàm regno, miranda prodidit de Atlante: ibique gigni herbam euphorbiam nomine, ab inuentore medico ſuo appellatam: cuius lacteum ſuccum miris laudibus celebrat in claritate uiſus, contraque ſerpentes & uenena omnia, priuatim dicato uolumine. Plin. lib. 5. cap. 1. Iuba, Libyæ & Mauruſiæ rex, quem Romani captum, & flagris cæſum in triumpho duxerunt, non tamen occiderunt, ob eruditionem. Fuit ſub Auguſto Cæſare: & Cleopatræ filiam Selenen, id eſt Lunam, quam è C. Cæſare natam adoptarat, uxorem duxit. Scripſit multa. Didymus Chalcenteros, æqualis eius, multa contra eum ſcripſit. Suidas.

ROMVLVS cura Fauſtuli paſtoris regij ab ineunte pueritia cum Remo fratre Gabiis muſica & literis Græcis inſtitutus: inde regnum adeptus, ciuitatem moribus & inſtitutis continuò componere eſt adortus, tam politicis quàm ſacris. Ab eodem quoq; annus in decem menſes digeſtus. Quibus nemo non poteſt intelligere, fuiſſe Romulum diuinarum humanarumq; rerum non imperitum, nec ante Numæ regnũ, populum Romanum ſine moribus & religione, ut pleriq; autumant, manſiſſe. Sab. lib. 2. Enn. 2.

NVMA Pompilius, ſecundus Rom. rex, cùm eſſet ingenio ad omnem uirtutem accommodatus, ſeipſum magis per diſciplinarum laborem philoſophiamque excoluit: ut non modò animi deteſtandas perturbationes, ſed laudatam quoque inter barbaros uim & habendi cupiditatem à ſe amoueret. Plutarchus in eius uita.

CORN. Sylla, comœdias Satyricas lingua Latina compoſuit, teſte Athenæo.

C. IVLIVS Cæſar, quem armorum laus & uictoriarũ gloria cœlo æquarunt, à ſtudio literarum, quamuis in medio bellorum furore, non abhorruit. Accedit operum fides. Præter enim adoleſcentiæ ſuæ libros (quos publicari, dum bibliothecas ordinat, Auguſtus uetuit) anni totius ordinem, & biſſexti rationem, quicquid de menſura æui uetuſtioris ad eũ diem uel ignotum uel confuſum fuerat, ſummo ſtudio digeſſit, literiſq; & memoriæ tradidit poſterorum: atque ut in Saturnalibus ſcriptum eſt, omnem conſtantiam temporis uagam adhuc & incertam, in ordine ſtatæ diffinitionis coëgit, & edicto palàm poſito publicauit. Scripſit Anticatones duos, ſcripſit & de Analogia auſpiciorũ, item (teſte Suida) Metaphraſim Phænomenon Arati, & Grammaticam artem. Verùm præter hæc, rerum à ſe geſtarum tam Gallici quàm ciuilis belli libros edidit, ſuaui uenuſtate. Scripſit poëma, Iter dictum: item tragœdiam Oedipũ, nec non Herculis laudes: item alia quædam carmina, quæ in bibliothecis repo[redacted] eſſe teſtatur Tacitus. Captus à piratis, cùm uerſus face[redacted]darent, eos uocabat homines [redacted] baros, dignoſq; cruce: quos & paulo pòſt liberatus cruci ſuffixit. Gyrald. Dial. 5. Hiſt. poë. ex Suetonio. [redacted]

Cæſar AVGVSTVS, ſtudia liberalia, ab ętate prima cupidè & laborioſiſſimè exercuit: Mutinẽſi bello in tanta mole rerum & legiſſe, & ſcripſiſſe, & declamaſſe quotidie fertur. Nec Latinis modò, ſed Græcis, in quibus Apollodoro Pergameno præceptore iam ſene utebatur: nec rhetoricis tantùm, ſed & philoſophicis delectatus eſt. Librũ hexametro uerſu ſcripſit, Siciliam dictũ: item Epigrammata, quæ ferè balnei tempore meditabatur. Tragœdiam Aiacem exorſus, non ſuccedente ſtylo, aboleuit: quærentiq; Lucio tragœdiarum ſcriptori, reſpondit, Aiacem ſuum in ſpongiam incubuiſſe. Scripſit & Achillem tragœdiam, & Feſcenninos uerſus in Pollionem. Interrogatus Pollio, cur non reſponderet? Non facilè eſt, inquit, in eum ſcribere, qui poſſit proſcribere. Gyrald. Dial. 5. Hiſt. poët. Orbem quoq; deſcripſit: id quod ex Itinerario Antonini Pij patet, & ex 3. libro Plinij, qui ſe Auguſti ordinem in partitione Italiæ ſequi negat. Cuſpinianus.

TIBERIVS Cæſar priuignus Auguſti, & adoptatus in filium, lyrico carmine ſcripſit Conqueſtionẽ de Iulij Cæſaris morte, & Græca Epigrammata, imitatus Euphorionem, Arianum & Parthenium: quos in publicas bibliothecas cũ ſuis imaginibus repoſuit. Homeri Rhapſodias memoriter edidicit. XL. Hiſtoriarum libros, impulſore T. Liuio ſcripſit. Dion in eius uita. Volat. lib. 23. Anthrop. ex Suetonio.



CALIGVLA Imp. inter innumera uitia hanc unicam habuit uirtutem, quòd fuit orator facundus, & peritus utriuſque literaturæ tam Græcanicæ quàm patriæ: facileq; intelligebat omnia, ad quorumuis orationes reſpondens extemporè: & uel in maximis negotiis ſuadendi facultate præditus, ſi quis alius, quam uel ingenij felicitate, uel diuturna exercitatione ſibi parauerat: ad cuius laudis æmulationem magnos ſtimulos ei pater adiderat, Tiberij Imp. ex fratre nepos, eximius in hoc ſtudiorum genere, à quo degenerare in hac parte erubuit, qua cæteros ciues à tergo reliquerat. Ioſephus lib. 19. cap. 2. Antiq.

GERMANICVS, ex Druſo Tiberij fratre & minore Antonia natus, triumphauit de Germanis, periitq; ſecundo ſuo conſulatu Antiochiæ, ueneno per Piſonem dato, à Tiberio, cui uiri indoles & gratia apud multitudinem ſuſpecta fuit, eò ad componendum Orientis ſtatum expulſus. Ingenium in utroque doctrinæ genere præcellens, conciliandæq; hominum gratiæ, amoriſq; promerendi efficax ſtudium. Triumphales cauſas orauit, reliquitque inter cætera ſui ſtudij monumenta Græcas comœdias, domi foriſque ciuilis & frugi. Sabellicus lib. 2. Ennead. 7. ex Suetonio.

CLAVDIVS Imp. coluit inſigniter Græca & Latina ſtudia, ſcripſitque utroque ſtylo hiſtoriam bellorum ciuilium unum & quadraginta uolumina, à Cæſaris dictatoris cæde ad ciuilem pacem ſerie deducta. Scripſit & octo de uita ſua magis ineptè quàm ineleganter. Cyrenaicorum libros XX. Græcè, & Carthaginenſium octo, qui ſtatis diebus Alexandriæ quotannis legi conſueuerunt. Veteri literarum numero tria addidit elementa, ſed quæ eo principe tantùm in promiſcuo uſu fuêre. Sabellicus lib. 2. Enn. 7. ex Suetonio. Suidas in uoce φαῦλος.

NERO Cæſar liberales diſciplinas omnes penè puer attigit. A philoſophia matris ſuaſu abhorruit, in poëtica ambitioſè uerſatus eſt. Scripſit Troica, Hymnos & Tragœdias. In theatro quoque carmina recitauit tanta omnium lætitia, ut ob recitationem ſupplicatio decreta, atque pars carminum aureis literis Ioui Capitolino dicata ſit. Cogitabat de rebus geſtis Rom. uerſibus ſcribere: & euoluit magnum numerum librorum, antequam aliquid componeret. Dion & Suetonius.

Duo Fl. Veſpaſiani filij, alter deliciæ humani generis TITVS, alter flagitium DOMITIANVS. Titus in poëtica excellẽs, ita ut poëmata & tragœdias Græcas ſcriberet, ſcripſit de Cometa ſuis temporibus uiſo præclarum carmen. Plin. lib. 2. cap. 25. Ioſephum Iudæum eruditionis ergò & uita donauit, & maximis affecit honoribus. Domitianus à Quintiliano maximus poëta dicitur, fortaſſis adulandi cauſa, quoniam à Domitiano ſororis filiorum inſtitutioni præfectus fuerat. Tacitus eum poëticam non amaſſe, ſed ſimulaſſe ſcribit: ut fratris Titi ſtudia æmulatus, populo gratior eſſet. Gyraldus. In Tito certè memoria ſingularis, docilitas immenſa ad omnes diſciplinas fuit. Græcę Latinæq; linguæ adeò peritus, ut ſiue oraret, ſiue poëmata fingeret, facilè ſine labore & penè extemporè ageret. Muſicam ita callebat, ut canere pſallereq; iucundè ſciret. Quæcunq; uellet chirographa imitabatur: ut ioco, dum per ludum certaret, falſarius quandoque uocaretur. Cuſpinianus.

NERVA Cæſar Imp. puer adhuc, à carminis dulcedine Tibullus dictus eſt.

Vlp. TRAIANVS Imp. doctrina non minus quàm bonitate & rerum geſtarum gloria admirabilis fuit. Vſu autem po[redacted]tiùs quàm inſtitutione. Cuſpinianus.

ADRIANVS Imp. literis, præſertim Græcis, eruditiſſimus, ut etiam Græculus appellaretur. Arithmeticæ & Geometriæ peritiſſimus. Pinxit egregiè, muſicam excellenter calluit, Aſtrologiam ſimiliter, ut Marius Max. dicat eum cuncta de ſe ſciſſe, & omnium dierum uſq; ad horam mortis futuros actus antè perſcripſiſſe. Cùm omnes profiteretur artes, omnes exagitabat doctores, ſæpe aliqua propoſita quæſtione certando. Et Alexandriæ quondam in Muſæo multa & propoſuit & ſoluit. Extant adhuc quædam eius Epigrammata Græca, ualde lepida. In carminibus facilis, ut cum poetis extemporè quoq; certaret. Multa amatoria carmina de dilectis ſuis, quos Catamitos honeſtiore uocabulo appellare ſolebat, ſcripſit. Compoſuit & alia, quæ amicis dabat publicanda ſuis nominibus. Phlegõtis Tralliani liberti à ſecretis, libri Olympiadum eius eſſe creduntur. Homerum abolere, & eius loco Antimachum introducere in ſcholas conabatur. Ennium Vergilio, Catonem Ciceroni, Cæcilium Saluſtio præferendos cenſebat. Moriens hos uerſus fecit:

> Animula uagula, blandula,
> Hoſpes comeſq; corporis,
> Quæ nunc abibis in loca
> Pallida, rigida, nudula?
> Nec, ut ſoles, dabis iocos.

Volat. lib. 23. Anthropologiæ.

L. Ceionius COMMODVS, Aelius Verus Cæſar dictus, ab Adriano adoptatus, omniuariã literis eruditus, immatura morte obiit. In lecto ſemper habuit Ouidij & Apicij libros Amorum. Martialem Virgilium ſuum appellabat. Carmine facilis fuit.

M. ANTONINVS Rom. Imp. ſub Sex. Bœoto philoſopho præceptore adeò in philoſophię ſtudiis profecit, ut Stoicorum præcepta ad unguem didicerit, atque ob philoſophiæ excellentiam Philoſophus ſit cognominatus. In rhetoricis & philoſophię præceptis Cor. Frontonem & Herodem pręceptores habuit. Sub eo certè magna hominum multitudo philoſophiæ operam dare cœpit, quæſtus & honorum ſpe. Scripſit de Vita ſua lib. 12. Suidas, Dion, & Xiphilinus.

L. VERVS Antoninus, carminum tragicorum maximè ſtudioſus, diſcipulus Scauri grãmatici, & Valerij Harpocrationis Græci rhetoris. In pueritia uerſus fecit. Mox ſe orationibus tradidit, meliorque orator factus eſt quàm poëta. Apud Altinum apoplexia periit, cùm an. XI cum M. Antonino regnaſſet. Gyraldus.

PVB. AELIVS Pertinax Ligur, Imperator doctiſſimus, & in poëtica eruditus.

OPILIVS Macrinus Imp. in Africa exulans, uerſus & epigrammata multa cõpoſuit. Vt & CLODIVS Albinus, qui à Seuero occiſus fuit Lugduni, cùm Imp. nomen aſſumſiſſet, Georgica ſcripſit, & fabulas Mileſias. Gyraldus.

Sept. SEVERVS Imp. acutiſs. & excellentiſs. ingenio, ſtudioſus bonarum artium, præſertim Matheſeos, conſilio plus quàm uerbis poterat. Otium à grauioribus negotiis nactus, in Græci Latinique ſermonis ſtudio uerſabatur, Punica tamen lingua promtior. Dion Nicæus, & Volat. lib. 23. Anthrop. Vitam ſuam publicam priuatamque ipſe compoſuit: & quæ in uita ſua conſcripſit, publicè in tabulis picta dedicauit, teſte Herodiano.

ALEXANDER Seuerus, Mammeę filius, gente Syrus, uirtute ad imperij culmen in primo flore ætatis euectus, fuit præclarus poeta & orator: ſed Græca magis quàm Latina lingua. Bonorum principum uitas uerſibus ſcripſit: modulatè etiam cantauit, ſed nunquam alio conſcio, niſi pueris ſuis. Vergilium aſſiduè legebat, eumq; poëtarum Platonem appellabat. In aruſpicum quoq; diſciplina excelluit.

Senior GORDIANVS, fertur libris XXX uitas Antonini Pij & Marci carmine ſcripſiſſe: quos Antoniniados, ut Vergilius Aeneidos, & Statius Achilleidos, inſcripſerit. Item cuncta illa, quæ Cicero ex Demetrio & Arato uertit, & Alcionas, & Vxorium, & Nilum. Capitolinus, & Sab. lib. 6. Enn. 7.

BALBINVS cum Puppieno & Gordiano iuniore à Senatu Imp. creatus, nobili genere ortus, ingenio nobilior: ſcripſit multa poëmata.

GALIENVS Imp. proſa & carmine clarus, cùm fratrum ſuorum filios matrimonio iungeret, omneſq; poëtæ Græci epithalamia dixiſſent per dies plurimos, ille cùm nubentium manus teneret, ita ceciniſſe fertur:

> Ite ſimul pueri, pariter ſudate medullis
> Omnibus inter uos: non murmura ueſtra columbæ,
> Brachia non hederæ, non uincant oſcula conchæ.

Quod carmen inter centum poëtas præcipuum habitum fuit. Gyraldus.

SATVRNINVS oriundus ex Galliis, quem Aurelianus ducem limitis Orientis conſtituerat, præcipiens, ne unquam Aegyptum uideret, contemto præcepto principis, Aegyptũ intrauit, & ibi Imperator ſalutatus eſt. Vir fuit magnæ literaturæ, quæ uel ex oratione eius cognoſcit[redacted]a difficultatem imperandi copioſè enarrat. Vopiſcus.

NVMERIANVS Imp. Cari F. (cui Mars in armis familiare numen præbuit, Minerua peculiaris affuit, & citharam præbuit Apollo) miles, orator ſimul & poëta, à ſocero ſuo Apro occiſus, tanta fuit eloquentia, ut ſtatua illi decerneretur in bibliotheca Vlpia, cum tali ſubſcriptione: Numeriano Cęſari oratori temporibus ſuis potentiſſimo. Poetas omnes ſuæ ætatis uicit, geſta parentis iambis deſcribendo. Cuſpinianus.

CONSTANTINVS Magnus, & in imperio propagando fortunatiſſimus fuit, & in eodem adminiſtrando prudentiſſimus. Quorum etſi utrunq; Chriſtianæ religioni, quam primus eſt amplexus, acceptum referri debet: conſtat tamen illum ex literis non ornatum tantùm, ut multi credunt, uerumetiam fructum maximum cepiſſe.

IVLIANVS Imp. ingenio & literatura mirabili præditus fuit, cuius extant Orationes & Epiſtolæ Græcè conſcriptæ. Eius quoq; amicitiam atq; domum frequentauêre nobiles ſophiſtæ, dicendiq; magiſtri: Libanius inprimis, Oribaſius, Proęreſius, Maximus philoſophus, Ammianus Marcellinus, qui

qui comes eius expeditionis fuit, eiuſq; uitam diligentiſſimè conſcripſit. Volat.lib.23.Anthrop. Scripſit de Cæſaribus ab Auguſto exorſus: de tribus figuris, Saturnalia, Miſopogonem, id eſt Oſorem barbæ: ad Cynicum Heraclitum, quo pacto ſecta Cynica tractanda ſit: Epiſtolas omnis generis, & alia. Septē libros uerbis petulantiſſimis contra Chriſtum effudit, quibus reſponderunt Methodius, Euſebius atq; Apollinaris, teſte Hieronymo. Idcirco fuit quibuſdam dictus Græcanicus litterio, loquax talpa, græculus fallax, & ſub ſpecie ſapientię, ſtolidus. Suidas & Cuſpinianus.

IOVINIANVS Imp. ſanctiſſimus, Iuliano crudeliſs. Chriſtianorum hoſti ſuccedens, & religione & eruditione clarus fuit. Et magna iam de illo ſpes erat concepta: ſed in ipſis imperij auſpiciis tantum decus mors terris abſtulit. At Græci gentiles, religionis odio, indoctiſſimum appellabant. *

THEODOSIVS Maior, princeps optimus & doctiſſimus, quem (ſi pauca demas) omnes principes tanquam ideam quandam imitari deberent.

GRATIANVS filius Valentiniani Imperatoris & Seueræ Auguſtæ, genitus Syrmij, literis ab ineunte ætate inſtitutus, Auſonio præceptore, carmen facere, ornatè loqui, explicare cōtrouerſias more Rhetorum ſolitus, pleriſq; fuit admirationi. Quare pater uix puberem, imperii inſignibus ornatum, Auguſtum appellauit. Cuſpinianus.

COSROES Perſarum rex, quem Heraclius Imp. ſexennali bello tandem ſuperauit, Græcorum literatura occæcatus, inſtar Iuliani apoſtatæ, Chriſtianorum religionem crudeliſſimè inſectatus eſt.

NICEPHORVS Botoniates Imp. Conſtantinopolitanus ſtudiis tantùm uacabat, ut inutilis planè Reipub. uideretur.

LEO V. literis ac Aſtronomiæ deditiſs. Baſilij filius, Philoſophus cognominatus, anno Chriſti 887 Orientis imperium per 25. annos tenuit. Eius filius CONSTANTINVS Ducas: cuius liber ille celebratus eſt, quem moriens Romano filio reliquit, in quo ſummam totius imperij, fœdera, hoſtium uires complexus eſt, quem Veneti hodie ſeruant in ſua Bibliotheca. Huius fortaſſe ſunt XX. illi libri de re Ruſtica, qui hodie leguntur. Huius filius & Michaelis Pſelli philoſophi & chymiſtę inſignis diſcipulꝰ fuit MICHAEL Ducas, Parapinaceus dictus (à fame, quæ in exordio eius principatus Conſtantinopolim inuaſerat) cæterà ignauus, niſi quòd bonis artibus, & in primis factitandis uerſibus à Pſello inſtitutus fuit. Gyraldus Dial.5. Hiſt. poet. & Cuſpinianus ex Zonara.

MANVEL Comnenus Imp. Gręcorum, natura facundus, non elegantes tantùm epiſtolas ſcribebat, ſed & religionis inſtitutiones parturiebat, ac publicè declamabat. Tādem etiam de diuinis dogmatibus, & ipſo Deo diſſerebat: ſæpe etiam dubitationem præ ſe ferens, quæſtiones è Scripturis proponebat: ſed ea pertinacia, ut quæ rationibus non poſſet, auguſta auctoritate conaretur euincere. Nicetas lib.7.

CAROLVS Magnus, non ſolùm patria lingua, ſed etiam peregrinis linguis eruditus: carmina, quibus ueterum regum bella & acta canebantur, emendauit. Inchoauit etiam Grāmaticam patrio ſermone. Menſibus anni iuxta Teutonicam linguam uocabula impoſuit: uentos etiam duodecim propriis nominibus appellauit, cùm antea quatuor cardinales uenti tantùm nominarentur. Sigebertus, & Aemilius libro 2. regum Francorum.

Inter omnes principes Germanos ab expeditione Hieroſolymitana redeuntes, Paulus I. Pontifex Romæ regiis ſumtibus ARNOLDVM principem Egmontanum ſolùm excepit, eruditionis nomine. Gulielmus frater his ſtimulis motus, quàm primùm domum rediit, filios omnes literis imbuendos Luteciam miſit: nec priùs in patriam reuocauit, quàm Philoſophiæ laurea inſignitos accepit. Reinhardus Hadam. in Inſtit. princ.

FRIDERICVS II. Imp. Latinam, Græcam, Saracenicam, Gallicam & Germanicam linguas optimè calluit. Otium omne lectioni librorum tribuebat. Libros multos ex Græco & ex Arabico Latinos fieri curauit, inter quos & Ariſtotelis uolumina fuêre, & multa medicorum. Cuſpinianus.

Gothorum, poſt ſubactā Meſiam, Thraciam & Valachiam uetuſtiſs. rex fuit ZENTA, philoſophus doctiſs. qui ut erat uirtute & religione inſignis, Gothos ſuos (quos ob ſubactam & poſſeſſam Scytharum regionem Scythas Græci dixêre) humanioribus aſſueſcere legibus ſtuduit. Ioan. Magnus libro primo, capite 33.

THEODATVS Gothorum rex in Italia, ita Græcis & Latinis literis edoctus fuit, ut & temporum ſuorum hiſtoriam eleganter ſcripſerit, & Platonicam diſciplinam optimè calluerit: ſegnis tamen ad res agendas habebatur. Hortante Amalaſunta uxore, Burgundiones & Alemannos felicibus prælijs ſuperauit. Platina.

AISTVLFVS Longobardorum rex, tantæ literaturæ fuit, ut edicta Longobardorum in leges retulerit. Platina.

ROBERTVS Hugonis Capeti F. rex Francorum, doctrina & ſanctitate omnes reges Chriſtianos ita anteibat, ut diſputationibus nulli ſecundus haberetur: longè aliter ſentiens, quàm quod noſtrorum temporum reguli arbitrantur, nequaquam principe dignū eſſe dictitantes, ſcire literas: cùm eos maximè deceat, qui populos regunt, bene gubernandi rationem ex aliorum præceptis colligere: quod fieri ſine doctrina & lectione non poteſt. Platina in Ioanne 11.

ALFREDVS Oſuuij regis Northumbrorum filius ex concubina, regnante Egfredo fratre, exilij otium literis tribuēs, doctiſſimus euaſit. Hinc adeptus regnum, hoſtium iniuriis deuaſtatum, bonis artibus inſtaurandum curauit, & contentus finibus, quos poſt cladem fratris à Pictis uictoribus recipere ſine certamine potuerat, paci ac honeſto otio ſtuduit, atq; ab externis armis per decem & nouem imperij annos, quieuit. Polyd. lib.4.

IOANNES, Henrici Magnopolēſis ducis filius, diu literis inſtitit apud Pariſios, factus in Theologia magiſter: reuerſus in terram, irriſione ſuorum literas contemnentium, appellatus fuit, patrio nomine, Kneſe Ianike. Crāzius lib. ſeptimo, Vandaliæ, capite 42.

ANDREAS Dandulus, Venetus dux, duplici ſtylo (ut Cariſinus prodidit) res Venetas ſcripſit: priore magis fuſo, & ob id fortaſſis minus eleganti: altero cohibito, & in quo plus omnino fuit eloquentiæ, qualis uidelicet eſſe potuit in eius ætatis homine. Sab. lib.8. Ennead.9. & lib.3. Dec.2.

ALFONSVS X. Caſtellæ & Legionis rex 38. in regem Rom. electus, ſapientiæ nomine toti Chriſtiano orbi notiſſimus, aſtrologia ita delectabatur, ut uulgò Aſtrologus uocaretur. Circunferuntur tabulæ Aſtrologicæ eius nomine. Fuit etiam legibus deditiſſimus. Omnium ferè populorum & gentium de legibus uolumina euoluit: ac ſeptem libros pro æquitatis moderatione, quos Partitas uocant, collegit: ut & hominibus & diuino cultui neceſſaria ſingulis innoteſcerent. Vniuerſi præterea orbis hiſtoriam, quam Generalem Hiſpani uocant, per Coſmographos ſcribi curauit. Ob ingenium toti orbi erat quàm commendatiſſimus. Cuſpinianus & Ritius lib.3. Reg. Hiſp.

ALPHONSVS ſenior Calabriæ dux, auus Alfonſi regis, nunquam ſine libris in expeditionem proficiſcebatur: ex quib. magno ſuo cum fructu longè meliùs præſtantiſſimorum uirorū uirtutes ſe cognoſcere poſſe affirmabat, quàm ex mutis imaginibus. Antonium Panormitam ueteres auctores interpretantem, quamuis maximis curis preſſus, diligentiſſimè audiebat. Pontanus in lib. de Principe.

ALFONSVS Aragonum & Siciliæ rex potentiſſimus, dicere ſolebat, ſe malle priuatum uiuere, quàm eruditione carere. Cæſaris Commentarios in omnibus expeditionibus ſecum habebat. Capuæ, dum ægrotus decūberet, lectione Q. Curtij ſeſe curatum fuiſſe aſſeruit. Febricitās cum Auriſpa uiro doctiſſimo, multa de literarum ſtudiis, & erroribus Hieronimi hæretici contulit. In urbium direptionibus, libri ex præda omnes ad eum magni muneris inſtar deferebantur. Librum apertum pro ſuo inſigni gerebat. Ioannes deniq; Eſernitanus, acerrimi iudicii uir, de Alfonſo dicere ſolebat: Niſi rex fuiſſet, philoſophum eximium futurum fuiſſe. Panormita de rebus geſtis Alfonſi.

CASIMIRVS I. Polonorum rex, è cœnobio Gluniacenſi ad regnum uocatus, primus inter reges Poloniæ literis mediocriter eruditus fuit, circa an. Chriſti 1040. Cromerus lib.4.

IO. BAPT. Campofulgoſus, Genuenſiū Reip. aliquandiu pręfuit. In exilium poſtea pulſus, optimarum literarum ſtudiis, hiſtoricorum præſertim, ſe dedidit, & præclarum opus Exēplorum edidit: cuius auctoritatem nos in hoc noſtro Theatro ſæpius adducimus, ſub nomine Fulgoſi.

Erat BAIAZETES II. Turcorum Imp. tantæ doctrinæ philoſophus, ut Auerrois placita ſecutus, nequaquam totas Mahometis Prophetæ fabulas admitteret: in hac perſuaſione Mahometi patri diſſimilis, qui quum duo tantùm numina Virtutem & Fortunam uiris colenda prædicaret, religiones omnes exploſiſſet. Iouius in Conſaluo.

LADISLAVS rex Hungariæ ac Bohemiæ, quamuis adhuc puer, cùm eſſet Romæ, non uideri ſibi aiebat homines, qui literas ignorarent. Aen. Syl. lib.3. Com. in Panorm.

MATHIAS Pannoniæ rex, à teneris feliciter didicit linguā Latinam, ut etiamnum puer in maximis negotiis eſſet orator & interpres patris. Ad regnum euectus, artes honeſtas inprimis dilexit, & multos eruditos ad magnas dignitates euexit. Inſtruxit bibliothecam maximo ſumtu, ex qua noſtra ętate prodierunt utiliſſimi libri, Polybius, Diodorus Siculus, Nicephorus, & alij. Ioach. Curęus in annalib. Sileſię.

LAVRENTIVS Medices Petri F. princeps doctiſſ. inſtitutione & domeſtico exemplo matris, feminę omni uirtutum genere inſuper & eruditione inſtructiſſimæ, euaſit: Ioannis Argyropoli Peripatetici ſimul & Marſilij Ficini Platonici præceptionibus. Poëticis ita delectabatur, ut Satyram non



cupidè ſolùm legerit ab aliis ſcriptam, ſed ipſe quoq; ſcripſerit, facilitate quadam mirifica. Brutus lib.5. hiſt. Flor.

Ea ingenij ſubtilitate SOLYMANVS Turcorum Imp. fuit, ut non modò ſacris literis, quibus ſuperſtitionis ſuæ leges cōtinentur, eſſet eruditus, ſed aſtronomiæ, coſmographiæq; præſertim, curioſè operam daret, Hammone medico ex Bethica oriundo perdocente: quum uir acutus ſingulas terrarum regiones, ſinuſq; maris in membranis depictiſque orbibus demonſtraret, ut inde regius animus per otium utili & peramœna delectatione caperetur. Sabel. ſupplem. lib. 24.

### DOCTI PONTIFICES, EPISCOPI.

ALBERTVS de Rickmerſtorpe uilla, ruſtico patre natus, Pariſiis tātum nominis meruit ab ingenio, ut pontificatū Halberſtadenſem in patria acciperet. Extāt de eius nomine, quę uocantur Alberti Sophiſmata: præfuitq; eccleſiæ annis uiginti quatuor. Cranzius lib.9. Metrop. cap. ult.

## DOCTRINA IVNCTVM HABENS MALVM ALIQVOD externum Corporis Fortunæúe. Huius ſunt generis

### DOCTI VALETVDINARII.

*Conſule Tit. eorum Quos à ſtudio ſapientiæ ne morbē quidem corporis auocare potuerunt.*

### MVLIERES DOCTAE.

*Sexus muliebris cum uirili collatus, ſiue animum ſiue corpus ſpectes, debilior & imbecillior eſſe uidetur, eaq; de cauſa hic inter Mala cōnumeratur, qui alioqui ratione ſui finis inter Bona locum obtinere meretur. Iam quo ad præſens inſtitutum, cùm ingenij acumen ex frigidiore ſanguine & pura cerebri ſubſtantia proueniat, ut Phyſici docēt: mulieribus in uniuerſum non minus ingenij ineſſe exiſtimandum eſt, quàm uiris: ſingillatim uerò, ut inter uiros mulieroſi, ſic inter feminas, uiriles dari animos, ipſa docet experientia. Præclarè Chorus apud Euripidem in Medea.*

—— ἀλλὰ γάρ ἐστι
μοῦσα καὶ ἡμῖν, ἣ προσομιλεῖ
σοφίας ἕνεκεν. πάσαισι μὲν οὔ·
παῦρον δή γένος ἐν πολλαῖσιν
εὕροις ἂν ἴσως
κοὐκ ἀπόμουσον τὸ γυναικῶν.

*At enim eſt Muſa & nobis, quæ nobiſcum uerſatur propter ſapientiam: omnibus quidem non: paucum ſanè genus inter multas inuenires forſan & non indoctum mulierum. Innuit, fortuna potiùs & occaſione, quàm naturà, mulieres à uiris ſuperari, inueterata opinione, nihil magis à muliere alienum eſſe, quàm pro lana atque colo literas tractare. Accedat inſtitutio & eruditio: non pauciores feminas doctas & eruditas uidebimus, quàm uiros. Conſule Tit. Poetriarum. item Monacharum.*

MVSAS, uti & reliqua Gentilium numina, uirgines doctas & pudicas fuiſſe, ueriſimile eſt: quibus ſtulta uetuſtas ueri Dei ignara, diuinos honores poſt obitum tribuit. Eas plurimi ſcriptores tradūt Iouis & Mnemoſynes, hoc eſt Memoriæ filias: pauci ex poetis, in quibus eſt Almæon, filias eſſe Cœli ac Terræ aiunt. In numero quoque diſſentiunt. Quidam tres, alij nouem aſſerunt extitiſſe. Verùm nouem numerus inualuit, comprobante Homero & Heſiodo. Harum cuique ſua officia tribuunt, eorum, quæ ad muſicæ artem ſpectant. Multi aſſerunt, eas fuiſſe uirgines, quoniam uirtutis diſciplina incorrupta eſſe uideatur. Muſas ἀπὸ τοῦ μῶσαι dictas, ab inueſtigando, quòd homines bona utiliaque docent, & quæ ab indoctis ignorantur. Clio propter gloriam, quæ ex poetarum laudibus oritur, dictam uolunt. Euterpem, propter uoluptatem, quæ ab audientibus ex honeſti eruditione percipitur. Thaliam, quòd in longum tempus poetarum laus parta uireſcat. Melpomenem à melodia, qua audientes demulceantur. Terpſichorem, eo quòd audientes oblectat propter bona, quæ proueniunt ex doctrina. Erato, quòd docti homines ab omnibus amentur. Polymniam, quoniam cantus ſuauitate poetas reddit gloria immortales. Vraniam, quòd uiros eruditos ad cœlum tollat. Gloria enim ac ſapientia eleuat animos ad cœleſtium contemplationem. Calliopem, quòd cātus ſuauitate cæteras antecedens, magni ab auditoribus ęſtimetur. Diod. lib.4. cap.1. & Pauſanias in Bœoticis. Phurnutus in Muſis, Tzetzes in Heſiodum. Cicero de natura Deorum 3. & Plutarchus in Sympoſ.

NICAVLA, regina Saba, ex intima Aethiopia ad Salomonem regem Hieroſolymas profecta, arduas quęſtiones regi propoſuit. Quas cùm ille pro ea, qua præditus erat, ſapiētia, ſoluiſſet, in regnum ſuum & eruditione & fœtu, quem ex Salomone conceptum utero geſtabat, auctior rediit. Cambyſes rex miratus eius ſapientiam, cognominauit nomen eius Meroen, teſte Ioſepho: qui idem aſſerit, eam non ſolùm Aethiopiæ, ſed & Aegypti regnum tenuiſſe. Hieron. tom.7. homil.2. in Cantica.

MANTO Tireſiæ uatis filia (quæ Mantuæ nomen indidit) doctrina & uaticiniis claruit: adeò ut ex pecudum fibris, extorumq; intuitu, futura pręſagiret. Rauiſius.

NICOSTRATA ſeu Carmentis, Græcas literas impensè docta, pleraſq; ex Latinis primùm reperit. A cuius nomine carmina Latinis ſuam traxêre appellationem.

HERMODICAM uxorem Midæ regis Phrygiæ, non elegantia formæ tantùm præſtitiſſe perhibent: uerùm etiam ſapiētia & induſtria præditam fuiſſe dicunt, & primam Cymenſibus numiſma percuſſiſſe. Heraclides.

ASPASIA Mileſia, in ſtudiis philoſophicis abundè promouit, Rhetoricen exercuit. Periclis magiſtra, & tandem uxor. Plutarchus in Pericle. Eius in Politica facultate præcepta Socrates ſecutus eſt: ſicut etiam DIOTIMÆ, quā paſſim magiſtram ſuam appellare non ueretur.

LASTHENIAM Mantineam, & Axiotheam Phliaſiam, Platone uſas præceptore, ſcribit Dicæarchus: ornatuq; interim uirili auditorium ingreſſas. Laertius. Cælius libro decimoquarto, capite primo.

THEMISTA Leontei Lampſaceni uxor, unà cum marito Epicurum audiuit: ad quam ſcripſit quędam Epicurus. Laert. lib.10. in Epicuro.

ARETE Ariſtippi Cyrenaici philoſophi filia, poſt patris mortem ſcholam rexit, & filium ſuum Ariſtippum philoſophiā docuit. Laert. lib.2. in Ariſtippo.

Apud Athenæum eſt ANAGALLIS Corcyræa, illuſtris arte grammatica, quæ inuentionem pilæ aſſcripſit Nauſicaæ. Cælius lib.14. cap.1. A.L.

OLYMPIAS Thebana de mulieribus ſcripſiſſe uideri poteſt, cùm Plinius libro 28. capite 19. in remediis muliebribus, eius utatur auctoritate.

THEANO Metapontina, uel Thuria, Pythagorea, filia Leophronis: uxor ſiue Caryſti, ſiue Crotonis, ſiue Brotini Pythagorei: ſcripſit de Pythagora, de uirtute ad Hippodamum Thurium, admonitiones muliebres, & ſcitè dicta Pythagoræorum.

Fuit alia Cretenſis, filia Pythonactis, uxor maioris Pythagorę, ex quo ſuſcepit Telaugen, Mneſarchum, Myam & Arignotem. Quidam Cratini uxorem fuiſſe tradunt, & genere Crotoniatidem. Scripſit cōmentarios philoſophicos & Apophthegmata, & poëma quoddam uerſibus hexametris. Tertia Locrenſis lyrica, ſcripſit lyrica & carmina. Suidas.

ARIGNOTE Samia, diſcipula Pythagoræ maioris, & Theanus, philoſopha Pythagorica: ſcripſit Bacchica epigrammata de Cereris myſteriis, Initia Bacchi, & alia Philoſophica. Suidas.

PAMPHILE, Epidauria, filia Soteridis, uxor Socratidis, ſcripſit Hiſtoricos commētarios libris 33. Epitomen Cteſiæ lib. 3. Epitomas hiſtoriarum, aliorumq; librorum plurimas. De controuerſiis, de rebus Venereis, & aliis multis. Suidas.

DAMA Pythagoræ filia, ingenium & doctrinam, in exponendis paternis ſententiarum inuolucris exercuit. Laertius.

THEMISTOCLEA ſoror Pythagoræ: cuius placitis & opinionibus pleriſque in locis uſus eſt Pythagoras. Fulgoſ. lib. 8. capite tertio.

ISTRINA Scytharum regina, Aripithis uxor, Sylem filium Græcam linguam literaſq; docuit. Herodotus in Melpom.

THARGELIAM feminam ſola illuſtrauit philoſophia. Plutarchus in Pericle.

Philoſophicis diſciplinis ualde excelluit HIPPARCHIA, Metroclis ſoror, Cratetis Cynici uxor. Laertius.

LEONTIVM, Græca adoleſcentula (Gellio meretrix) philoſophicas diſciplinas adeò ſectata eſt, ut etiam non dubitauerit cum magna ſui nominis laude, in Theophraſtum, philoſophum laudatiſſimum, ſcribere. Vnde natum prouerb. Suſpendio arborem eligendam. Fulgoſus libro octauo, cap.3. Plinius in prologo Nat. hiſtor. Cicer. de Nat. deor. & Volater. lib.16. Vrb. com.

HORTENSIA, Hortenſij oratoris F. patrem ita effinxit dicendo, ut honeſtiſſima & uenerabilis femina, orationem ad Triumuiros Reip. conſtituendæ habuerit pro ſexu ſuo: quā poſterior ætas non modò in admirationem & laudem muliebris facundiæ, ſed ad imitationem quoq; legit, ut Ciceronis ſcripta uel Demoſthenis. Lud. Viues de Chriſtiana femina lib.1 ex Val. Max. lib.8. cap 3.

CORNELIA, filia Africani, & Gracchorum mater, ornatiſſimè ſcriptas reliquit epiſtolas, unde & filiorum fluxit eloquētia: teſte Cic. in Bruto Circa literas, circa fides, circa geometrica, perita erat. Plut. in uita Gracchorum.

DE FILIABVS Lælij, & Q. Hortenſij, ſic inquit Quint. libro 1.

cap.1. Lælij filia reddidiſſe in loquendo paternam eloquentiam elegantiorẽ dicitur. Et Q. Hortenſij filiæ oratio apud Triumuiros habita legitur, non tantùm in ſexus honorem.

LICINIARVM in dicendo lepos, à patre L. Craſſo emanauit. Cicero in Bruto.

MVTIÆ duæ filiæ ab utroque parente eloquentiam didicêre. Idem.

CN. Pompeius, mortua ex partu Iulia, iam grandis, uxorẽ duxit CORNELIAM, Merelli Scipionis filiam, uiduam nuper relictam à Publio Craſſi filio, cui collocata uirgo fuerat, apud Parthos interfecto. Ei præter ætatis florem multæ ueneres inerant. Nam literis, lyra, muſica, & geometria erat exculta, præceptiſque non ſine fructu imbuta philoſophicis. His accedebat morum grauitas, ab omni acerbitate & curioſitate aliena: quibus ſcilicet illæ diſciplinæ imbuunt iuuenculas. Fugiens ex acie Pharſalica, comitem eam errorum habuit. Alexandriam ad Ptolemæum proficiſcens, eíque uale dicto, in ipſius oculis ab Achilla trucidatus eſt. Plutarchus in Pompeio.

FVLVIA, M. Antonij uxor, Curioni antea nupta, non muliebres artes edocta, ſed magiſtratus regere, & imperare. Volat. lib. 26. Anthrop.

LVCEIA mima, auctore Plinio, centum annis in ſcena pronunciauit.

Statius Papinius uxorem habuit nomine CLAVDIAM, magno ingenio, doctrinaq; non uulgari præditam.

PAVLA, Senecæ mariti doctrina inſtructa, mores quoq; æmulata eſt. Seneca idem ALBINAM matrem ſuam ſapientum præceptis, mariti iuſſu, imbutam tantùm, non item eruditã dolet. Lud. Viues de Chriſtiana femina lib. 1.

IVLIA Auguſta, Seueri Imperatoris uxor, à Plautiano multis & atrocibus affecta iniuriis, cùm inquiſitiones contra eã, & quæſtiones de nobilibus matronis inſtitueret, illa philoſophari cœpit, & uirorum ſapientum uti familiaritate. Suidas.

Theodoſij Iunioris Imp. uxor, EVDOXIA, eloquentiſs. Leontij ſiue Leonis philoſophi Athenienſis filia, heroico carmine poëmata multa conſcripſit. Homeri Centones concinnauit, cùm patricius quidam opus imperfectum reliquiſſet. Hanc Atticus epiſcopus Conſtantinopolitanus ſacro baptiſmatis fonte abluit, & cùm priùs Athenais uocaretur, Eudoxiæ nomen impoſuit. Eudoxiam filiam Theodoſio genuit, quam Valentinianus Imperator uxorem accepit. Cuſpinianus.

PVLCHERIA, Arcadii Imp. filia, nondũ annos XV. nata, imperium optimè adminiſtrauit, fratrem Theodoſium literis boniſq; moribus inſtituit, ſorores Marinam & Arcadiam, ut idem facerent, impulit: multas eccleſias, peregrinorum diuerſoria, monaſteria condidit, & reditibus inſtruxit. Sæpe etiam numen eiſe oſtendit. Suidas.

ANNA, filia Alexij Comneni Imp. uxor Bryenij, exquiſitè atticiſſans, ingenioque prædita acutiſſimo ad abſtruſiſſimas quaſq; contemplationes, partim naturæ bonitate, partim induſtria propria. Affixa erat libris, & eruditorum conſuetudine haud obiter utebatur. Zonaras.

FABIOLA Romana mulier, quum magno ſtudio ſacras literas amplecteretur, Prophetias, Euangelia, & Pſalmos frequentiſſimè reuoluebat: ut iterata plerunque lectio amorem diuinæ religionis (quo flagrabat) augeret magis. Vnde & D. Hieronymus librum de Veſte ſacerdotali, eidem nuncupauit.

MARCELLA Romana, propter Sacras literas (quas egregiè callebat) frequentibus epiſtolis à D. Hieronymo ſalutata eſt. Ad eam enim ſcripſit de Mundi contemtu, de Decem nominibus, quibus apud Hebræos dicitur Deus, de Fide noſtra & hæreticorum doctrina, de Blaſphemia in Spiritum ſanctum, de Studio Theophili epiſcopi Alexandrini, & alia id genus permulta.

EVSTOCHIVM, Paulę Romanæ filia, Latinarum, Hebraicarum & Græcarum literarum ſtudiis plurimùm excelluit. unde & ſuo tempore Nouum orbis prodigium uocata eſt. Inde geníum ſacris literis deuouit maximè, adeò ut Pſalmos Hebraicè legeret curſim & mira celeritate. Teſtis D. Hieron.

HYPATIA Alexandrina, Theonis geometræ (quem ingenio ſuperabat) filia, uxor Iſidori philoſophi, uixit imperante Arcadio. Scripſit commentarium in Diophantem, aſtronomicum Canonem, in Conica Apollonij. Profeſſa eſt Alexandriæ uaria diſciplinarum genera magno & frequenti auditorio, conuolantibuſq; turmatim & undecunq; diſcipulis. Hanc crudeli mortis genere quidam æmuli eius gloriæ ex clero Alexandrino affecerunt, in eam prodeuntem ex ædibus ſtipatam doctorum agminibus impetu facto, quaſi per eam ſtaret, quò minus Oreſtes præfectus cum Cyrillo epiſcopo Alexandrino recõciliaretur. Diſſidebant autem propterea, quòd Cyrillus Iudæos per uim Alexandria expelli curauerat. Socrates lib. 7. capite 15. & Suidas.

ZENOBIA, regina Palmyræorum, Græci Aegyptiiq; ſermonis fuit peritiſſima, & Latini non ignara. Scripſit epitomen in Orientalem Alexandrinamq; hiſtoriam. Herennianum & Timolaum filios literis erudiit. Elegantiſſimas orationes ad milites ſuos plerunq; habuit, quas galeata recitabat. Pollio Trebellius, & Fulg. lib. 8. cap. 3.

AEDESIA Alexandrina, Syriani philoſophi propinqua, magna & caſtitatis & doctrinæ fama à Suida commemoratur. Volaterranus lib. 13. cap. 3 Anthrop.

SOSIPATRA, circa Epheſum in campis Cayſtriis nata, patre Græco uiro locuplete, quinquennium attigerat, cùm duo ſenes, manticis inſtructi, pelliti ambo, in prædiũ paternum Soſipatræ uenere, & uillico perſuaſere, ut ſibi curam uineæ committeret. Hîc cùm prouentus præter ſpem extitiſſet copioſior, prædij dominus eos menſæ ſuæ adhibet. Illi forma Soſipatræ ſauciati, patri perſuadent, ut ſibi prædium cum Soſipatra in quinquennium concedat. Paret ille, peregrinatum abit: exacto quinquennio redit: facta poteſtate filiam quiduis interrogandi, admirandam eius ſapientiam cognoſcit, cùm quæcunq; ſibi eo quinquẽnio abſenti cõtigiſſent, tanquam præſentia narraret. Itaq; cùm filiam deam factam arbitraretur, ſenũ pedibus aduolutus, obſecrat eos, ut ederent, quínam eſſent. Illi ſe Chaldaicæ ſectæ non alienos eſſe reſpondent: & moxjà cœna digreſſi, uirginem ſecum abducunt, amictũ, in quo ſacris ſtudiiſq; initiata fuerat, in manus tradunt cum libris & arca, in quam reditus totius quinquenij contulerãt, iubentq; cum lacrymis, uti perluſtret ea: ſibi enim ad Occidentis ultimũ ſinum proficiſcendum, mox reuerſuris. Egreſſi mane, nullibi poſtea cõparuere. Pater ergo genios illos eſſe ſibi perſuadens, filiam tãquam diuino afflatã numine ad ſuum arbitrium uiuere permiſit. Illa nullis aliis uſa magiſtris, poetarũ, philoſophorũ, oratorũ ſcripta omnia & intelligebat, & memoriter tenebat, & interpretabatur. Diuinationis pitiſſima, Euſtathij Cappadocis philoſophi clariſs. matrimonium amplexa, ternos ex eo liberos ſuſtulit. Ab eius morte Pergamum regreſſa, Aedeſio familiariter uſa & Maximo, qui illam tanquam numen uenerabantur. Non multo pòſt humanis exemta eſt. Eunapius in uita Attici.

CATHARINA uirgo, Coſti Alexandriæ principis filia, ſacris literis partim ſtudio, partim diuini ſpiritus afflatu adeò fuit imbuta, ut accerſitos à patre undecunq; doctiſſimos uiros & philoſophos ad perſuadendam idololatriam, refellendamq; unius Dei religionem, uiuaciſſimis terruerit argumẽtis, & in ſuam opinionem pertraxerit.

ALPAIDES uirgo, quum religionem magno cultu amplecteretur, cœlitùs meruit Scripturæ ſacræ Bibliorumq; ſenſum percipere. Rauiſius.

ANASTASIA, diſcipula Chryſogoni martyris, & uxor Publij Romani, cuius thorum ſimulato morbo euitauit. Scripſit epiſtolas ad Chryſogonnm, quibus conquerebatur facultates ſuas à ſacrilego uiro abſumi, ſeque in carcere detineri. Hæc ad palum cremata eſt, quòd ſanctis miniſtraret. Volat.

HEDIBIA, nata rhetore Paterio, per Apodemium Bethleemã miſſum propoſuit D. Hieronymo duodecim quæſtiones, ex aliquot ſanctarum ſcripturarum locis: ad quas reſpõdet ipſe tomo quarto. Eadem rurſus cum ALGASIA quæſtiones ei alias miſit explicandas. Habitauit utraq; in extremis Galliarum finibus.

AMALASVENTA (uulgò Amalaſunta. At lingua Gothorum Suenta iuuenculam, & Suen adoleſcentulum ſignificat, quaſi iuuencula ex Amalorum familia nata) patri Theoderico in Italiæ regno, cum filio ſuo Atalarico ſeptenni, quem ex Euthario Gotho ſuſceperat, ſucceſſit. Hanc, uti Caſſiodorus refert, nemo ſine ueneratione uidere potuit, audire loquentem fuit miraculum: Græcis Latiniſq; literis egregiè imbuta, omnium gentium nationumque, quibus cum Romano imperio aliqua eſſet cõſuetudo, linguas exactiſſimè norat: tantæ grauitatis ac prudentiæ, ut cùm improbos acriùs increparet, nihil illi ſibi, quod acerbum eſſet, illatum & dicerent, & ſentirent. Atalaricum F. quamuis multùm repugnantibus Gothorum proceribus, diſciplina Rom. inſtituendum curauit, eiuſq; ætatem ſic moderata eſt, ut aui Theoderici uirtutes præclarè imitaretur. Eo mortuo, ut ſuæ orbitati, & publicæ Gothorum ſaluti conſuleret, Theodatum conſobrinũ, qui ſolus ex Theoderici ſanguine reſtabat, in maritum & regni conſortium aſſumſit, futurum credens, ut quem pater Theodericus uiuens multis magniſq; beneficiis affecerat, in nullo prorſus ab auitis uel paternis moribus degeneraret. Erat enim literis Græcis Latiniſque liberaliter eruditus, & philoſophus inſignis: cætera ignauus & auarus. Sed homo nefarius & ingratiſſimus eam aliquanto pòſt in lacus Vulſinenſis inſulam relegauit, utque atrox facinus atrociore cumularet, crudeliſſimis uiris, quorum ipſa propinquos olim ob Atalarici filij corruptionem occidi fecerat, necandam obiecit. Io. Magnus lib. 10.

HYLDA Scota, Eduuini Northumbrorũ regis neptis, diſcipula Paulini & Adami, Pharenſe cœnobium propriis ſumtibus extruxit: mulier in ſacris literis probè inſtituta, diſſenſiones inter doctores de ceremoniis Romanis, ut de Paſchate, tonſura & unctionibus, cupiens componi, effecit, ut in ſuo cœnobio fieret Synodus circa annũ Domini 664. Scripſit pro ueterum rituum obſeruatione librum unum: & Medit. piarũm lib. 1. & uarias epiſtolas ad uiros eruditos. Obiit anno Domini 685. Beda lib. 3. cap. 25. & lib. 4. cap. 33. Baleus Centuria 1. capite 80.

[redacted]

ROSVIDA, in Germania apud Saxones orta eſt, [redacted], Lothario I. regnante. Hæc ſanctimonialis Ganderſeimenſis fuit, in diœceſi Hildeſemenſi, Græcè & Latinè, omniumq; bonarũ artium peritiſſima. Permulta non ſine magna commendatione ſcripſit, præſertim ad monachas ſuas, dum eas ad diuinũ cultũ atq; uirtutem hortaretur. Sex quoq; comœdias edidit: præterea carmen hexametrũ inſigne, de Othonum Cæſarũ rebus geſtis: item ſanctarum feminarum, atq; in primis Virginis matris uitam laudeſque perſcripſit elegiaco carmine, quod incipit, Vnica ſpes mundi. Cranzius lib. 6. cap. 20. Metropoleos: Fulgoſ. lib. 8. cap. 3. & Egnat. lib. 8. cap. 3.

Roſuidæ diſciplinã atq; ſtudia, ELIZABETHA, Schonaugię abbatiſſa apud Treuiros, ſecuta: Latinè permulta, quæ diuinitùs monita eſt, item ſuaſorias orationes ad conuentus ſui ſorores, atq; ad alios egregiè conſcripſit: opus etiam de Viis, quibus ad Deum acceditur, ac ſimul eruditiſſimarum Epiſtolarum uolumen. Fulg. lib. 8. cap. 3. & Egnat. eodem.

GENEBRIA Veronenſis, tempore Pij ſecundi pontificis Romani, ſua eruditione meruit nomen immortale. Epiſtolas ſcripſit luculentas. Recitabat decoro geſtu, uoce uirili, permixta ſuauitate. Rauiſius.

CONSTANTIA, Alexandri Sfortiæ uxor, excellens doctrina. Ab infantia bonis diſciplinis operam dedit, adeò ut imparata quoq; diſertiſſimè loqueretur. Habebat aſſiduè præ manib. opera Hieronymi, Ambroſij, Gregorij, Ciceronis & Lactantij. Valebat etiam ſcribendis extemporè carminibus, non ſine magna multorum admiratione: quod ſine præceptore ferebatur didiciſſe. Habuit filiam BAPTISTAM nomine, tanta doctrina, ut doctiſſimos quoſque ſua terreret eloquentia. Idem.

HIPPOLYTA, filia Franciſci Sfortiæ Mediolanenſis principis & Blanchæ Philippi filiæ, iuniori Alfonſo Aragonio deſponſata, Mantuæ Pium II. Pontificem eleganti oratione Latina ſalutauit, Galeacio fratre orationem eius excipiente. Campanus in Pij uita.

BAPTISTA, prima Galeacij Malateſtæ Piſaurenſis principis filia, & Guidoni Monteſeltrenſi Vrbinatium comiti matrimonio coniuncta, cum doctiſſimis uiris ſæpè non ſine laude diſputauit: & Latinè de humana frugalitate, atque de uera religione luculentos libros edidit. Fulgoſ. lib. 8. cap. 3. & Egnat. eodem.

ISOTA Nouarula, Veronenſis, cùm philoſophiæ ſtudia non uerbo tãtùm, uerùm reipſa quoque profiteretur, literarum ſtudiis ac perpetuæ uirginitati ſe dicauit. Orationes permultas ad Nicolaum V. & Pium II Pp. ſcripſit: dialogum confecit, in quo diſputatur, qui priùs ac ſuauiùs, Adámne an Eua peccauerit. Fulg. lib. 8. cap. 3. Egnat. eodem.

CASSANDRA Fidelis Veneta, non ſolùm ad lyram commodiſſimè concinebat Latinos uerſus, quos ipſa magna eruditione compoſuerat: uerumetiam Patauij in Academia diſputando ingentem laudem meruit, cùm omnibus in omni doctrinarum genere appoſitè reſponderet: & ut clariùs eruditionis ſuæ documentum præberet, de Ordine ſcientiarum librũ edidit. Fulg. lib. 8. c. 3. & Egnat. lib. 8. c. 3. Politianus eã magnis laudibus cõmendat, quòd pro lana librũ, pro fuſo calamum, ſtylum pro acu tractarit, Latinaſque epiſtolas ſcripſerit. Sic enim de ea principio cuiuſdam epiſtolæ meminit: O decus Italiæ uirgo, quas dicere grates, Quáſue referre parem, quòd etiam honore me tuarum literarum non dedignaris?

HIPPOLYTA Taurella Mantuana, Balthaſſaris Caſtilionii, uiri doctiſs. & apud Leonem X. Pontif. oratoris, uxor, in poëſi excelluit. Primos iuuentæ annos uix ingreſſa, obiit anno Chriſti 1525. in dubio relinquens, pulcrior, caſtior, an doctior fuerit.

Thomas Morus filias ſuas MARGARITAM, Elizabethã, Cęciliam, atq; earum conſanguineam Margaritam Gigiam, non contentus eſſe caſtiſſimas, etiam doctiſſimæ ut eſſent curauit: ſic fore iudicans, ut ueriùs firmiuſq; eſſent caſtæ. Lud. Viues de Chriſtiana femina lib. 1.

Quatuor filias Iſabellæ reginæ Hiſpaniarum, ætas noſtra uidit doctiſſimas, inquit Viues. IOANNA Philippi Auſtrij cõiux, Caroli V. mater, extẽporè Latinis orationibus, quæ de more apud nouos principes oppidatim ſunt habitæ, Latinè reſpondit. Idem præſtitit ſoror CATHARINA, Henrici VIII. Angliæ regis uxor. Idem omnes de duabus aliis, quæ in Luſitania fato conceſſere, narrabant. Quibus quatuor ſororibus nullæ memoria hominum mulieres ſinceriore pudicitia, nullæ puriore ac integriore fama, nullæ populis ſuis gratiores atq; amabiliores Reginæ extiterunt, nullæ magis amarunt coniuges ſuos, nullæ obſequentiùs eis paruerunt, nullæ accuratiùs ſe ac ſuos omnes ſine labe conſeruarunt, nullis magis fœditas aut laſciuia diſplicuit, nullæ abſolutius & exactiùs numeros omnes probæ feminæ impleuerunt. Lud. Viues, de Chriſtiana femina lib. 1.

Habuit quoq; ætas noſtra ſingulare decus, OLYMPIAM Fuluiam Moratam, Ful. Morati Mantuani, Annæ principis Ferrarienſis magiſtri in literis, filiam, Andreæ Grunthleri medici Germani uxorem, quæ multa doctè & eleganter in utraq; lingua ſcripſit, & tandem anno Chriſti 1555. menſe Octobri, ætatis ſuæ 29. Heidelbergæ obiit.

### DOCTI PAVPERES.

*Et quantus hic Oceanus? noſtro præſertim ſeculo. Docti fortaſſis pauci: at pauciores doctorum admiratores. Sint Mecœnates, non deerunt Flacce Marones, inquit ille. Conſule Tit. eorum, qui Seruitutem & Paupertatem ſapientiæ ſtudio ſuperarunt. Item Tit. Pauperum; & Seruorum.*

SIBYNTIVS, Theodectis Phaſelitæ anagnoſtes & famulus, primus ſeruorum arti dicendi ſtuduit. Scripſit præcepta rhetorica. Suidas.

DIOGENES Cynicus ob adulterium monetæ patria pulſus, omnium rerum inops, Athenas uenit, ibique philoſophatus eſt. Laertius.

EPICTETVS Stoicus πενίην ἶρος, καὶ φίλος ἀθανάτοις, Paupertate Irus, ſed diis pietate probatus.

Apuleius in PLATONIS uita, inquit, eũ in hortulo, qui Academiæ iunctus fuit, & in duobus miniſtris, & in patera, qua diis ſupplicabat, reliquiſſe auri tantum, quantum puer nobilitatis inſigne in auricula geſtarit.

AETIVS, cùm Conſtantini Magni temporibus aurificinam ob inopiam exercuiſſet, paulo pòſt ita ſeſe exercuit tum in aliis, tum præcipuè in medicinæ ſtudiis, ut inter huius artis principes enumeretur. Eius uitam deſcribit Eunapius. Vol. lib. 13. Anthrop. cap. 3.

## DOCRINA IVNCTA BONO ALICVI INTERNO, Mechanico Practicóue. Huius ſunt loci

### DOCTI SIMVL ET IN MECHANICIS EXCELLENTES.

*Conſule Tit. Exercitationis numeroſæ, qui in theoricis ſimul & mechanicis ſeſe exercuere. Ex Mechanicarum artium titulis non pauca huc transferre licebit.*

SOCRATES ſeruiuit primùm, & ſtatuarius fuit. Opus illius fuiſſe aiunt Gratias, quæ in arce ſpectantur ueſtitæ. Poſtea Archelaum audiuit, & Anaxagoram. Laert. libro ſecundo, & Pauſanias in Bœoticis.

SIMON coriarius (ad cuius officinam Socrates perſæpè de philoſophia diſputabat) tãta Socratẽ diligẽtia audiuit, atq; eius dicta excepit, ut quædã de eis uolumina ediderit. Laer.

ARISTOTELES abliguritis omnibus pecuniis, quæ ex hæreditate parentis ad ipſum deuenerant, in militiam profectus eſt. Deinde cùm ſiniſtrè maliſq; auibus hoc ei procederet, pharmacopolam egit. Frequentans autem Peripatum, & audiens ſophiſtas, cùm natura multis eſſet præſtantiore, habitum ſibi comparauit, quem deinde in opus produxit. Aelianus de Var. hiſt. libro 5.

PYRRHO Elienſis, à quo Sceptici originem ſuam ſumſerunt, pictor fuit. Elide in gymnaſio λαμπαδιστὰς ab eo non infeliciter pictos aſſeruari tradunt. Laert. lib. 9.

HIPPIAS philoſophus Elæus, diſcipulus Hegeſidemi, non libe-

liberalium modò artium præ ſe ſcientiam tulit, ſed earum, quas Græci mechanicas uocant: ut & ueſtem & anulũ, crepidaſque & omnia, quæ ferebat, manu ſua faceret: qui ita ſe præparauit, ne cuiuſuis ope egeret. Cicero. Volat. lib. 16. Anthrop. Quintil. libro 12. Inſtit. orat. & Fulg. lib. 8. capite 7.

EVRIPIDES tragicorum princeps, pictor egregius fuit, adeò ut Megarenſes pictas tabellas illius oſtendere ſoliti fuerint. Sed tandem Anaxagoram Clazomenium ſecutus eſt, & cum Platone in Aegyptum nauigauit: poſt reditum, ad palmam tragœdiæ ſeſe cõuertit. Gyraldus Dial. 7. hiſt. poet. & Suidas.

Gloriantur Athenæ armamẽtario ſuo, nec ſine cauſa. Eſt enim illud opus & impenſa & elegantia uiſendum. Cuius architectum PHILONEM, ita facundè rationem inſtitutionis ſuæ in theatro reddidiſſe conſtat, ut diſertiſſimus populus non minorem laudem eloquẽtiæ eius, quàm arti tribueret. Val. Max. lib. 8. cap. 13.

THALEM memorant mercaturis faciendis operam dediſſe: HIPPOCRATEM quoq; mathematicum: PLATONI item occaſionem fuiſſe peregrinationis olei in Aegypto diſtractionem. Plut. in Solone.

METRODORVS Carneadis auditor, philoſophus & pictor inſignis, præceptor filiorum L. Aemilij Pauli. Plutarchus in Aemilio.

Quum Zenon Cittieus diſſereret, SAPIENTEM omnia rectè facere, quidam irridens obiecit: Igitur & lẽticulam rectè coquet? Zenon annuit, & collectionem approbauit Laertius. Hinc Timon Phliaſius apud Athenæum lib. 4. καὶ ζηνώνειόν γε φακῆν ἑψεῖν id eſt, Zenonis eſt & lentem coquere.

ANTAGORAS Rhodius, qui in expeditione cum Antigono rege Macedoniæ, Thebaida ſcripſit, militibus etiam cõgros coxit. Ideoq; rogatus ab Antigono, An & Homerus, cùm Agamemnonis res geſtas deſcriberet, ſimul congros coxiſſet? Reſpõdit: Túne rex, putas, cùm tãtas res ageret Agamẽnon, adeò curioſum fuiſſe, ut ſcire uellet, an in exercitu quiſquam congrum coqueret?

CLEANTHEM rex Antigonus, cùm eum longo interuallo uidiſſet Athenis, rogauit: Molis adhuc Cleanthe? Molo, inquit, rex. quod facio, quo uictum quæram ſolùm, nec deſiſtam philoſophari. O ingentes huius uiri ſpiritus: qui ex piſtrino & mactra, manu piſtoria & molendinaria, de diis, luna, ſideribus, & ſole ſcripſit. Plut. de Non fœnerando.

ARISTOMENES Athenienſis comicus, ex iis, qui antiquam comœdiam ſecuti ſunt, belli Peloponneſiaci tẽpore, Olympiade LXXXVII. cognomento Thyropœus, id eſt, ianuarum factor, uel τυροποιός, caſeorum factor. Suidas.

PLAVTVS Comicus, cùm pecuniam omnem, quam in operis artificum ſcenicorum pepererat, in mercationibus amiſiſſet, inops Romam rediit: & uictus quærendi cauſa ad circum agendas molas truſatiles, piſtori operam locauit. Neque tamen ingenium illius piſtrinum domare potuit, quin ibi Saturionem, Aditum, & tertiam quandam comœdias elegantiſſimas ſcriberet. Gellius libro 3. capite 3. Noct. Att. ex M. Varrone.

M. PACCVVIVS tragicus præclarus, Ennij ſorore genitus, Romæ quandiu uixit, picturam exercuit. Aedem Herculis in foro Boario pinxit: & propter Pacuuium picturæ ars clarior facta eſt Romæ, gloria ſcenæ. Plinius libro trigeſimoquinto, capite quarto.

AETIVS Antiochenus, aurifaber primò, eaque arte ſe tamdiu ſuſtentauit, donec in literarum ſtudiis clariſſimus euaſit, Dialecticus, Rhetor, Medicus etiam, Gallo Cæſari familiaris. Tandem in Arianiſmum lapſus, diſcipulos ex ſe Aetianos appellari fecit. Socrates & Sozomenus.

DVNSTANVS Londinenſis epiſcopus doctiſs. arte etiã fundendi & cælandi excelluit. Polyd. Vergilius lib. 7. & Balæus Cent. 2. Scriptorum Britanniæ, cap. 38.

IOSEPHVS Cumia Catinenſis Siculus, commentarium iuſtum in Conſtitutionem Siculam de ſucceſſione feudalium per doctè à ſe ſcriptum, propriis quoque manibus, ſolo Alexandro filio impubere, itemq; ſeruo & ancilla iuuantibus, quòd typographorum opera deſtitueretur, in mille formis excudit. Ita ipſe refert in pfatione operis Catinæ 1563. editi.

## DOCTI SIMVL ET POLITICI, Oeconomíue boni. Huc pertinent PHILOSOPHI LEGISLATORES, Magiſtratus, Conſiliarij.

*Vide Tit. Doctorum principum.*

ZALEVCVS Locrenſium: CHARONDAS Catanenſium primò, deinde exul Rheginenſium: ARCHYTAS Tarentinorum ſepties: SOLON Athenienſium, LYCVRGVS & CHILON Lacedæmoniorum, BIAS & THALES Ionum, PITTACVS Mitylenæorum, CLEOBVLVS Rhodiorum, legiſlator. ANAXIMANDER coloniam è Mileto Apolloniam deduxit.

CARNEADES & CRITOLAVS, philoſophi & rhetores ſummi, ab Athenienſibus legati Romam ſunt miſſi, & Senatum quanuis nolentem in ſententiam ſuam pertraxerunt. Aelianus lib. 3. Var. hiſt.

PLATO inter Dionyſium tyrannum & Dionem ſeſe interpoſuit medium, pacis cauſa. SPEVSIPPVS eiuſdem nepos, Athenienſes ad auxilium Dioni ferendum accendit, & prius Speuſippi conſilio, quàm Dionis armis, tyrannus euerſus eſt. Plutarchus in Dione.

M[redacted]EDEMVS [redacted] philoſophus, rempub. [redacted] ſumma [redacted] auit, poſtquã ciues [redacted] tionem (quem pr[redacted] canem irriſer[redacted]) perſpexiſſent. Laert. lib. 2.

Adminiſtrauit decem annis rem Athenienſem DEMETRIVS [redacted]alereus, Caſſandri [redacted]niæ regis permiſſu, homo in Peripatetica diſciplina clarus. Nulla unquam [redacted] maiores cuiquam honores [redacted] trecentæ [redacted] atque [redacted] equeſtres plurim[redacted] Athenienſibus ill[redacted] erectæ dicuntur. [redacted] gratiæ an fortunæ ſit datum, haud facile [redacted]. Satis conſtat, ciuitatem ab eo uectigalibus & ædificiis magnificè & utiliter auctam. Is portu, Demetrij alia claſſe occupato, quia Athenienſes apertè ad defectionem ſpectabant, cum hoſte egit, ut liceret ſibi Thebas cum amicis & domeſticis proficiſci. Id non ſolùm non eſt à Demetrio Antigoni F. illi negatum, ſed data etiam ab eo opera, ut incolumis cum quibus uellet in tuto ſtatueretur: poſt cuius diſgreſſum Athenienſes, omnes eius ſtatuas euerterunt, præter unam, quæ in arce fuit. Ipſe de ſtatuarum euerſione factus certior, dixiſſe fertur: At illi uirtutem euertere non potuerunt. Poſt Caſſandri interitum, in Aegyptum nauigauit, ibique apud Ptolemæum Soterem diu uerſatus, aſpidis morſu ictus, obdormiſcenti ſimilis obiit. Ioſephus Philadelphum, eius opera in bibliotheca Alexandriæ conſtituenda præcipuè uſum affirmat. Sabellicus libro ſeptimo, Enneadis 4. ex Laert. libro 5.

ATHENODORVS Tarſenſis Stoicus, Sandonis filius, Auguſti Cæſaris præceptor fuit. Senior in patriam reuerſus, malam reip. gubernationem ſuſtulit: dum ciuitas à Boëtho quodam malo poëta perperàm tractaretur. Strabo lib. 14.

ATHENÆVS Seleucius philoſophus peripateticus, ad rempublicam uerſus, aliquandiu in patria populo præfuit. Poſtea contracta cum Murena amicitia, & cum illo fugiens, captus eſt, inſidiarum contra Cæſarem Auguſtum reus. Sed cùm inſons eſſet inuentus, à Cæſare dimiſſus, rediens Romam, multis eum ſalutantibus, illud Euripidis reſpõdit:

> Ἥκω, νεκρῶν κευθμῶνα καὶ σκότου πύλας
> Λιπών.
> Aduenio ab imis atq; cæcis inferûm
> Tenebris.

Breue tempus ſuperuixit, à ruina domus, ubi habitabat, per noctem oppreſſus. Strabo lib. 14.

Alexander ONESICRITVM Diogenis Cynici diſcipulum gubernatoribus præfecit, ut eſt à compluribus memoriæ proditum. Plutarchus orat. 1. de Alexan. fortuna.

ARCHYTAS Tarentinus, Heſtiæi filius, aut Mneſarchi, aut Mnaſagoræ, Pythagoreus, præfuit reip. dictator creatus à ciuibus & circumuicinis Græcis, ſimulque philoſophiam docuit, & celebres multos diſcipulos habuit, ac multos libros ſcripſit. Suidas.

ECDEMVS & DEMOPHANES Megalopolitani, (quos Pauſanias in Arcadicis & Plutarch. in Arato uocat Ecdelum, & Megalophanem) familiares Archelai in Academia, ſummiſſis Ariſtodemo percuſſoribus, patriam ſuam liberarunt tyrannide, & ad Sicyonium tyrannum expellendum Nicoclem, præſtò fuerunt Arato Sicyonio: petentibúſque Cyrenæis mare traiecerunt, ac rempub. eorum concuſſam ſeditionibus & affectam compoſuerunt, concinnaueruntque decentiſſimè. Hi Philopœmenem quoque ad communem Græciæ ſalutem præceptis excoluere philoſophiæ. Plutarchus in Philopœmene.

METRODORVS Scepſius, lepidæ uir facundiæ, & uariæ eruditionis, clarum coniugium apud Carthaginenſes conſecutus, in eum gradum prouectus eſt amicitiæ, ut parens regis Mithridatis diceretur, & reddendo iuri præponeretur: à quo non erat ad regem prouocatio. Hunc Tigranes legatum ad ſe à Mithridate miſſum ad petendum contra Romanos ſubſidium rogauit: Tu uerò quid mihi hîc Metrodore ſuades? Ille ſiue ad id, quod Tigrani expediret, ſiue quòd ſaluum nollet Mithridatem: Vt legatus, inquit, conſulo: ut conſiliarius, deterreo. Id aperuit & renunciauit Tigranes Mithridati, nihil eum arbitratus de Metrodoro grauius conſulturum. At ille hunc interfecit protinus. Cadauer huius funerauit Tigranes ſplendidè: neque ullæ magnificentiæ pepercit in mortuum, quem uiuum prodiderat. Plutarchus in Lucullo. Strabo lib. 13. in itinere mortuum ſcribit, ſiue regis opera, ſiue morbo.

LEON



LEON Byzantius, diſcipulus Platonis, aut Ariſtotelis: ſcripſit uaria. Legatus Athenas miſſus, cùm admodum obeſus eſſet, Athenienſibus riſum mouit. Quo nihil turbatus, legationem peragens: Quid, inquit, ridetis Athenienſes? Eſt mihi uxor longè obeſior. At concordes nos lectulus unus capit, diſſentientes nec tota domus. Hoc opportuno dicto effecit, ut conſentiret populus Athenienſis. Idem cùm Philippũ Byzantio repelleret, ab illo talibus literis eſt perſtrictus: Si tantam Leonti pecuniam largirer, quantam à me poſtulauit, primo impetu Byzantium cepiſſem. Quibus auditis, populus cùm ad Leontis ædes concurriſſet, ueritus ille, ne lapidibus obrueretur, ſe ſuſpendit miſer, nullo fructu ſuæ ſapientiæ & eloquentiæ percepto. Suidas.

CATO Cenſorius in omnib. rebus ſingulari fuit prudentia, & induſtria: nam & agricola ſolers, & reip. peritus, Iuriſconſultus, & magnus Imperator, & probabilis Orator, & cupidiſſimus literarum fuit. Quarum ſtudium etſi ſenior arripuerat, tamen tantum progreſſum fecit, ut non facilè reperire poſſis, neque de Græcis, neq; de Italicis rebus, quod ei fuerit incognitum. Ab adoleſcentia confecit orationes: ſenex hiſtorias ſcribere inſtituit, quarum ſunt libri ſeptẽ. Primus continet res geſtas regum populi Romani. Secundus & tertius, unde quæque ciuitas orta ſit Italica: ob quam rem omnes, Origines uidetur appellaſſe. Probus in eius uita.

CICERO creatus Romæ uerbo conſul, ſed accepta ſoluta & dictatoria poteſtate contra Catilinæ gregales, comprobauit Platonis uaticinium: malis ciuitates explicatum iri, ubi magna potentia & ſapientia coiſſent ſecunda fortuna, cum iuſtitia. Plutarchus in Vitis.

THEMISTIVS philoſophus, conſul Conſtantinopolitanus factus ſub Valentiniano & Valente. In quem ſic Palladas in 2. Epigrammatum:

> Ἄντυγος οὐρανίης ὑπερήμενος, ἐς πόθον ἦλθες
> ἄντυγος ἀργυρέης, αἶσχος ἀπειρέσιον.
> ἦσθά ποτε κρείσσων· ἀνέβης δ' ἐγένου μέγα χείρων.
> δεῦρ' ἀνάβηθι κάτω· νῦν γὰρ ἄνω κατέβης.

Suidas uerò ſub Iuliano præfectum Conſtantinopolis deſignatum ſcribit.

LIBANIVS ſophiſta Antiochenus, præfectura palatij Conſtantinopoli ornatus (par enim erat adminiſtrandæ reipub. & cauſis ciuilibus) accipere noluit: Sophiſtam præfecto maiorem eſſe, inquiens. Eunapius in eius uita.

PLVTARCHVS Chæronenſis philoſophus, Illyrico præfectus à Traiano. SEXTVS quinetiã eius nepos, Pyrrhonius philoſophus, cum M. Antonio ius dicebat. Tanta illi prudentiæ & iuſtitiæ inerat opinio. Suidas.

PAVLVS Florus, qui hexametris res geſtas Iuſtiniani proſequutus eſt, primatum geſſit apud Imperatorem Iuſtinianũ, multaque poëmata laude digna conſcripſit. Sed miro labore, & arte ſingulari de templo Sophiæ, quod inſigni terræmotu uaſtabatur, & ab Imperatore reparabatur, carmen edidit, quo omnes neruos intendit, ut graphicè deſcriberet. Cuſpinianus.

Sub Carolo V. Francorum rege, NICOLAVS Oreſmus, homo doctus, cuius conſilia & monitus rex in primis ſequebatur, ex Latino Ariſtotelis & Ciceronis, aliorumq; auctorum libros permultos traduxit. Auctor Chronici Francorum.

ALBERTVS Magnus, philoſophus doctiſs. epiſcopatum Ratiſponenſem conſecutus, æs alienum ſuperiorum pontificum luxu contractum, breui diſſoluit, parſimonia loco ampliſſimi uectigalis uſus. Hier. Ziegl. de Viris illuſt. Ger.

### *Philoſophi bellica arte clari.*

*Ex Tit. Duces fortes, huc quædam.*

PALAMEDES Nauplij & Climenes Agamemnonis ſororis filius, Argiuus poeta & philoſophus, πάνσοφος dictus, poemata multa ſcripſit: quæ uel Agamemnonis poſterorum, uel ipſius Homeri inuidia perierunt. Literas inuenit Z (alij tamen Z Θ Φ X) & Y ex gruum uolatu: item latrunculos, teſſeras, pondera & mẽſuras, pecunias, numeros, horas, annum & menſes. Suidas. Sapientia omnibus ſuperior. Summę abſtinentiæ. Mortuus, pro Deo cultus eſt, ſacellumque ei cum ſimulacro apud Lapetymnum montem ſupra Leſbum, poſitum. Gyraldus.

ARCHYTAS Pythagoreus dux ſexies electus eſt à Tarentinis.

TYRTÆVS Athenienſis poëta, Lacedæmoniis dux datus per ludibriũ ab Athenienſib. aduerſus Meſſenios: cũ neq; ſatis mente ualere crederetur, alteroq; claudicaret pede. Pauſanias in Meſſenicis.

THALES Mileſius philoſophus, cùm Mileſiorum ſocietatem Crœſus expeteret, obſtitit ille. quæ res poſtea Mileſiis ſalutem peperit apud Cyrum, qui Crœſo deuicto, in ſocios regis paſſim graſſabatur. Laert. in eius uita.

BIAS, cùm Pryene patria ipſius ab Halyatte rege obſideretur, duos mulos ſaginatos probeque curatos, in caſtra regis agi curauit. Quorũ habitu rex territus, de expugnatione urbis deſperans, obſidionem ſoluit. Mulis per exploratorẽ in urbem remiſſis, Bias etiam ingentes arenæ cumulos tritico deſuper opertos oſtendit. Laertius in eius uita, & Suid.

MELISSVS, Ithagenis F. Samius, Parmenidis auditor, grauiſſimus philoſophus, præfectus claſſis Samiorum, magna fortitudinis ſuæ documenta dedit contra Periclem. Laert. lib. 9. & Plut. in Themiſtocle & Pericle.

EPAMINONDAS Thebas, ARISTIDES, PHOCION & THEMISTOCLES, uiri doctiſſimi, Athenas ſæpe opera ſua crexerunt. Aelianus lib. 7. Variæ hiſtoriæ.

Ter SOCRATEM militaſſe ſcriptũ reliquit Plato: in Potidæã ſcilicet, in Amphipolim, ac in Bœotos, quando ad Delium pugna fuit commiſſa. Reliquis effuſè fugientibus, ipſe pedetentim recedebat, ſolo aſpectu hoſtes terrens. At Platonem mendacij coarguere nititur Athenæus lib. 5. cap. 12. Philoſopho ſcilicet iniquior Sophiſta.

XENOPHON Grylli filius, Socratis auditor, & THVCYDIDES, qui res ſuas geſtas ipſimet deſcripſerunt, exercitibus cum laude præfuerunt. Xenophon certè optimus dux iudicatus eſt inter eos, qui unà cum Cyro aſcenderunt. Suidas.

PLATO in oppugnatione Tanagræ & Corinthi militauit.

EVPOLIS, Soſipolis filius, Athenienſis comicus. Naufragio periit in Helleſponto, bello Laconico. Vnde edictum eſt poſtea, ne quis poeta militaret. Suidas.

De ARISTOTELE Epicurus hæc dixit, in epiſtola de Studiis; quòd patrimonio abſumto ad militiam acceſſerit, poſtea ad uendenda pharmaca conuerſus ſit, hinc ad philoſophiã. Hæc ſolus Epicurus contra ipſum dicere auſus eſt, quæ neque Eubulides, nec Cephiſodorus auſi ſunt, quamuis commentaria contra eum ediderint. Athen. lib. 8. cap. 8.

LESCHIDES primùm miles ſub Eumene ſtipẽdia fecit, mox uerſibus operam dedit, & multa à Græcis celebrata compoſuit. Gyraldus in hiſt. Poet.

DION Syracuſanus, inter Platonis diſcipulos facilè princeps, Dionyſium iuniorem, octingentis militibus mercenariis è Zacyntho ſoluens, Syracuſis & Siciliæ dominio exuit, patriamq; in libertatem reſtituit. Plut. in Dione.

ARCHILOCHVS Parius primùm de militari pręſtantia gloriabatur, ſecundo loco de poetica, inquiens:

> Martis me ſeruum capiunt Mauortia caſtra:
> Sunt quoq; Muſarum munera nota mihi.

Similiter AESCHYLVS, cũ multum gloriæ ac ſplendoris ob poeticam conſecutus eſſet, nihilominus uoluit, ut in tumulo ſuo inſcriberetur ſtrenuitas potiùs:

> Indomitum robur referat Marathonia tellus,
> Crinitus Medus dextera qualis erat.

Athen. libro 14. cap. 11.

DICTYS Cretenſis ſub Idomeneo militauit, & bellum Troianum idiomate Græco, literis Phœniceis, deſcripſit. Suidas.

PERSEVS philoſophus ab Antigono præfectus fuerat impoſitus Acrocorintho. Quã dum Aratus Sicyonius oppugnat, euaſit Cenchreas. Hic pòſt perhibetur inter diſputandum dicenti, Solum uideri ſibi ſapientem eſſe ducem, reſpondiſſe: At me herclè id mihi quoq; ex Zenonis præceptis quondã inprimis placuit. Nunc mutaui ſentẽtiam, ab iuuene Sicyonio correctus. Plut. in Arato.

ONESICRITVS philoſophus ex Diogenis Cynici contubernio, Alexandri expeditionũ comes, & ab eo legatus ad Calanum Gymnoſophiſtam miſſus, tandem quoque magiſter gubernatorum claſſis creatus. Plut. in Alexandro.

M. CATO talis erat, ut ſi arma ſumſiſſet, natũ in armis crederes: ſi ſe ad ſtudia cõuertiſſet, inter literas educatũ. Petrarch.

ANTIOCHVS transfuga, natione Cilix, principiò Cynicam ſectam præ ſe ferens, ea re militibus plurimum in bello profuit. Nam eos magno gelu afflictos confirmabat, in niuem ſe abiiciens, ibiq; uolutans. Vnde & opes & honores à Seuero & Antonino eſt conſecutus. Mox cum Teridate ſe cõiunxit, atq; ad Parthos transfugit. Suidas.

M. BRVTVS, ut rempub. Rom. dominatu unius liberaret, C. Iul. Cæſarem interficere non dubitauit: & Philippis contra M. Antonium & Octauium magna cum laude pugnauit. Doctrina & philoſophiæ præceptis mores ita temperauerat, ingeniumque ſolidum & lene excitauerat negotiorum motu ad uirtutem decentiſſimè, ut qui ei coniurationis in Cæſarem cauſa infeſti fuère, ſi quid eſſet geſtum præclarè, aſſcripſerint Bruto, atrociſſima quæq; Caſſio Epicureo philoſopho. Plutarchus in Bruto.

Fl. IOSEPHVS è ſacerdotali genere oriundus, Toparcha & archiſtrategus utriuſque Galileæ, à Romanis captus, Veſpaſiano utriq;, deinde etiam Domitiano cariſſimus, hiſtoricus doctiſs. & celeberrimus, Antiquitates Iudaicas, & bellum Iudaicum ſcripſit.

MISITHEVS, uir doctiſſimus ac eloquẽtiſſimus, quem Gordianus Imp. filia eius Tranquillina ducta, præfectum prætorij fecit, prudentia ſua bellum Perſicum confecit, & multas urbes expugnauit, admiranda ſapientia exercitum rexit, ut

milites

milites cum & timerent & amarent. Semper militum arma inſpexit, caſtra foſſa muniuit, uigilias obiuit. Eo ſublato, ſtatim Argunthis rex Scytharum, Rom. prouincias infeſtare cepit. Cuſpinianus.

SIMEON Labas, ex philoſopho monachus, ex monacho miles & bellator, & mox dux Bulgarorum creatus eſt. Hic occaſionem contra Romanos quærens, mercatores ipſorum uectigalibus iniuſtis premebat. Leo V. Imp. miſit exercitum cōtra ipſum. Simeon uictor nares omnib. mutilauit. & mutilatos Byzantiū remiſit. His iniuriis laceſſitus Imperator, donis multis effecit, ut Turci, qui ad Iſtrum erāt, quiq; Vgri uocantur, contra Bulgaros arma ſumerent. Cuſpinianus.

CHRISTOPHORVS Longolius, uir eloquentiſs. corpus multis magniſq; laboribus ad omnem patientiam ineunte ætate firmauit, mileſq; Neapolitano bello cum Ludouico XII. Gallorum rege, in Italiam uenit, etſi à robore militari multum abeſſet, corpuſq; decorum magis habere quàm robuſtum, uideretur. Auctor uitæ.

## DOCTRINA IVNCTA MALO ALICVI ETHICO MEchanicóue. Huc pertinent Philoſophi, Viri docti

### INEPTI AD POLITIAM VEL OECONOMIAM.

*Hoc nomine potiſſimùm uiri docti ab imperita plebecula accuſantur, quòd ad ciuiles functiones inepti ſint. Hinc illud, μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός. & Gorgias apud Platonem ſeuerè reprehendit Socratem, quòd nimio philoſophiæ ſtudio negligat forenſem rhetoricam: qua deſtitutus, aliquando ſit extremè periclitaturus. Ariſtoteles VI. Ethicorum, Thaletem & reliquos ſapientiæ nomine celebres olim, σοφοὺς μὲν, ἀλλ' οὐ φρονίμους, uulgò cenſeri ait: quòd ea, quæ ſibi in Oeconomia, uel ciuibus in Politia conducant, uidere nequeant. Atqui ſi meliora & præſtantiora mentis acumine aſſequuntur, quidni etiam Politica & Oeconomica? Quin potiùs uoluntate & otio, non ingenio aut facultate deſtituuntur: cumq; plebeiis curis neglectis & abiectis, diuinorum contemplatione mortem meditentur philoſophicam, non tam reprehendendi, quàm laudandi ſunt & commendandi propter ueritatis ſtudium: cùm alioqui uix uni homini detur, in Theoricis ſimul & Practicis excellere: atque adeò præſtabilius uideatur, uni alicui uitæ generi ſeſe addicere, quàm uariis ſtudiis diſtrahi, & negotiorum multitudine obrui. Conſule Tit. Contemplationi dediti theoricæ. item, Opes ſapientiæ cauſa neglectæ uel abiectæ. Nam diuitiarum cura ad Oeconomiam pertinet.*

SOCRATES Apollinis oraculo ſapientiſſimus iudicatus, in concione ridiculum ſe præbuit, quando tribus ſuæ ſuffragia numerare ex recepta cōſuetudine, neſciuit. Plato in Gorgia. Xenoph. lib. 1. rerum Græcarum, & Athen. lib. 5. cap. 13.

CLAVDIVS Imp. tantā negligentiā ſermonis oſtēdit, ut nec quis, nec inter quos, quóue tempore ac loco uerba faceret, ſcire ac cogitare exiſtimaretur. Alioqui liberalibus artibus à prima ætate haud mediocriter eruditus, & Græcè doctus ac Latinè. Cuſpinianus.

POSTHVMVS Cæſar iunior, quem pater Caſſianus Labienus Poſthumus, ſub Galieno à Gallis Imp. declaratus, Cæſarem appellauit, ac deinceps Auguſtus eſt dictus, eloquētiſs. declamator, & ob hanc ſolam uirtutem notus. Cuſpin.

MICHAEL Parapinaceus Imp. ſub Michaele Pſello ſummo philoſopho (cuius adhuc opera extant) nunc Grammaticis intentus, uerſus componebat, nunc more rhetorum declamabat, nunc hiſtorias uoluebat: inutilis prorſus reip. Cuius curam primùm Imperator effectus, Ioanni Metropolitæ Sides eunucho, ſtrenuo homini, & rerum agendarum perito tradidit: poſtea præfecit adminiſtrationi & alium eunuchū Nicephorū Logotheten, qui crudelitate & auaritia ſua Imperatorem omnibus reddidit exoſum, præſertim cùm fames & peſtis crudeliter orbem depaſcerentur. Ergo defecit ab Imperatore in occidēte quidem Nicephorus Bryennius, qui Conſtantinopolim fruſtrà obſedit: in Oriente uerò Nicephorus Botoniates, qui in monaſterium detruſo Michaele imperium accepit. Cuſpinianus.

IOANNES XXII. Vlyxiponenſis, ex epiſcopo Tuſculano pōtifex creatus, etſi doctiſſimus eſt habitus, in medicina præſertim & philoſophia: tamen ignoratione rerum gerendarum, & morum inæqualitate, plus detrimenti quàm honoris & emolumenti, pontificatui attulit. Platina.

RABANVS Fuldenſis antiſtes, uir ea tēpeſtate eruditiſſimus, uates, Theologus inſignis, quòd nimis literis deditus, rem familiarem negligeret, à monachis dignitate priuatus eſt. Auentinus lib. 4. annalium Boiorum.

HADRIANVS VI. Pp. uir doctiſs. ſed in rebus gerendis minùs expeditus, quòd aulicorum nemini ſatis fideret, & Romæ ut nouus homo, à purpuratis populoque contemneretur. Auctor uitæ.

### IMPROBI.

#### IN GENERE.

Epictetus Stoicus philoſophus, conſpiciens QVENDAM impuris moribus, confidenti lingua, improbo tamē ſtudio philoſophantem: O homo, inquit, uide quò mittas, num purgatum ſit uas. nam ſi ad arrogantiam iſta immiſeris, intereant & computreſcant, neceſſe eſt.

TIBERIVS Imp. fuit liberalib. artibus apprimè eruditus, Latinam & Græcam linguam callens, eloquio inſignis: ſed ut Eutropius inquit, ingenio peſſimo, truci, auaro & inſidioſo. Cuſpinianus.

THEODATVS Gothorum in Italia rex, doctiſs. ſed ad remp. gerēdam ignauiſs. homo timidiſſimus & auariſſimus. Procopius & Ioan. Magnus lib. 10.

#### IN SPECIE. SAPIENTES

*Auari.*

PROTAGORAS Abderites, uel Teius, primus Sophiſta eſt cognominatus. Primus ἐριστικοὺς λόγους, hoc eſt, contentioſas orationes inuenit, certamen uerborum inſtituit, & centum minas à diſcipulis exegit. Itaq; λόγος ἔμμισθος, Sermo mercenarius eſt nominatus. Suidas. Cælius lib. 13. cap. 7.

SPEVSIPPVS filius Eurymedontis, ſcholæ Platonicę ſucceſſit, quam octo annos tenuit: mercede docuit, quod ei Dionyſius exprobrauit: & in Macedoniā uſq; cucurrit, ut in Caſſandri nuptiis, ſpe mercedis, epithalamium recitaret, quod confecerat uerſibus, quemadmodum Philoſtratus in Apollonio inquit, ineptis & rigidis. L. Viues in lib. 8. Auguſt. de Ciuitate Dei, cap. 12.

Chryſippus in commentariis de Vitis, SAPIENTEM ait, contubernium regum quæſtus gratia ſectaturum, ludúmque mercede habiturū: ut ab aliis eam præcipiat, cum aliis paciſcatur auditoribus. Libro ſeptimo de Officiis, etiā in caput ter ſaltaturum, talenti præmio. Plut. in Stoicorū pugnis.

*Superbi.*

Oppiani poëtæ Cilicis pater AGESILAVS, cùm plurimū opibus & auctoritate ualeret, ſeſe philoſophiæ tradidit, filiūq; liberalibus artibus erudiit. Cùm Seuerus Imp. Anazarbum ueniſſet, obuiā illi oēs urbis primores ,pdiêre: id Ageſilaus, ut philoſophus, facere neglexit. Iratus Cæſar, patrem cum filio in Melitam inſulam relegauit. Gyraldus.

*Impij.*

THEODORVS Athenienſis, cognomento ἄθεος, obiicientibus, quòd doctrina ipſius multi redderentur deteriores: reſpondit, Id aliorum uitio accidere, qui doctrinam ipſius ſiniſtra exciperent, quum ipſe dextra porrigeret. Plutarchus in libello de Animi tranquillitate.

*Tyranni.*

PERIANDER Corinthius. Vide Tit. Sapientum.

LYSIAS Tarſenſis, Epicureus philoſophus, à patria στεφανοφόρος, id eſt Herculis ſacerdos electus, factus eſt tyrannus. Veſte ſiquidem purpurea alboq; colore diſtincta indutus, ſumtuoſaq; clamyde circumiecta, ac calceos habens albos Laconicos, tum laurea corona aurea coronatus, diuitum opes pauperibus impertiebatur, eoſq; interficiebat, qui eas tradere nolebāt. Huiuſmodi ſunt duces ij, qui à philoſophia proficiſcuntur: de quibus Demochares inquit & Crates, Velut ex ſatureia nemo lanceam conficere poterit, ita ex Socrate nullus ſtrenuum militem. Athen. lib. 5. cap. 11.

HERMIAS eunuchus, trapezitæ cuiuſdam Aſſenſis in Phrygia famulus, Athenas profectus, Platonem Ariſtotelemque audiuit. Poſtea ad dominum reuerſus, cum eo primùm Aternenſes & Aſſenſes ſubegit, poſtea illi ſucceſſit, & Ariſtotelem & Xenocratem ad ſe euocatos, lautè tractauit, Ariſtoteli etiam fratris ſororem dedit. Memnon Rhodius, ſimulata cū eunucho amicitia, hoſpitalitatis nomine, illum ad ſe uocatum comprehendit, & ad regem Perſarum miſit, ibiq; ſuſpenſus eſt. Philoſophi uerò fugientes loca à Perſis occupata, incolumes euaſere. Strabo lib. 12.

ARISTION Epicureæ diſciplinæ præceptis egregiè doctus, ſubita ui patriam adortus, apertam exercuit tyrannidem. Archelaus enim Mithridatis præfectus, maiore Græciæ parte armis ſubacta, ſacrā pecuniam ex Delo, & duo millia hominum, qui eam cuſtodirent, per Ariſtionem Athenas miſerat. Quibus uiribus Ariſtio fretus, primoribus ciuitatis, qui rem ad Romanos trahere putabantur, crùdeliter interfectis, aut ad Mithridatē ire iuſſis, uim patriæ intulit. Sic & CRITIAS olim, ſic & qui cū eo philoſophiæ affectatores fuerant, aliquot antè ætatibus Athenis tyrannidem exercuerunt: ſic & PYTHAGORAS in ea Italiæ parte, quę magna Græcia dicta



eſt, multo crudeliùs, quàm qui literarum ignari fuerūt, in alienam libertatem graſſatus dicitur: ut meritò alij, qui ſapientiæ nomen adepti ſunt, in ſuſpicionem uenerint, otium literarium & paupertatem idcircò cōplexi fuiſſe, quia eis principatum & tyrannidem indipiſci non ſit datum, alienis opibus & imperiis, non tam animi modeſtia & recti ſtudio, quàm inuidia infeſti. Sabellicus libro tertio, Enneadis ſextæ.

Phrygiæ urbs Adramyttiū bello Mithridatico calamitate maxima oppreſſum fuit, culpa DIODORI, qui ciuium conſilium deleuit, cùm regi Mithridati cuperet gratificari, & ſe principem Academicorum philoſophorum oſtendere. Rege autem euerſo, de multis criminibus accuſatus, infamiā non ferens, turpiter & obſtinatè periit. Strabo libro decimotertio.

Cùm in Macedonia uerſaretur cum Perdicca rege EVPHRATVS Platonis diſcipulus, non minùs quàm ille imperabat: conuiuio adeſſe nulli licebat, niſi Philoſophiam aut Geometriam ſciret. At ubi imperium cepit Philippus, Parmenio illum iugulauit. CALLIPPVS Athenienſis, Platonis diſcipulus, Dionis condiſcipulus, cùm Syracuſas cum ipſo profectus eſſet, Dione interfecto, cùm ipſe tyrannus eſſe conaretur, iugulatus eſt. EVAGON Lampſacenus, cùm patriæ argentum fœneratus eſſet, arcemque in arrhabonem accepiſſet, tyrannidem affectauit, donec Lampſaceni eum eiecerunt. TIMÆVS Cyzicenus cùm numos ac frumentum ciuibus dediſſet, ac idcircò uir bonus eſſe putaretur à Cyzicenis, rempubl. per Aridæum adortus eſt. Poſtea captus, in ciuitate quidē cōſenuit, at inglorius uixit. CHÆRON Pelleneus, Platonis & Xenocratis diſcipulus, cùm patriæ tyrannus eſſe cœpiſſet, non ſolùm optimos quoſque ciues ex patria fugauit, ſed etiā eorum prædia & uxores ſeruis conceſſit. Athen. lib. 11. c. ultimo.

Verſabatur in Erymnei Peripatetici ſchola ATHENION quidam: & cùm Erymneus ſeruam Aegyptiam emiſſet, illius amore detinebatur. Quę cùm ſiue ex ipſo peperiſſet, ſiue ex alio quodam eiuſdem nominis cùm domino, filius apud ipſum Athenionem nutriebatur: tum literas diſcens, dominum iam ſeniorem factum, unà cum matre manu ducebat. Quo mortuo hęres relictus, ciuis Athenienſis eſt adſcriptus, puellamq; formoſam uxorem duxit. Poſt euentus huiuſmodi ad ſophiſticas diſceptationes ſe conuertit, adoleſcentes ſcholaſticos obſeruans. Deinde cùm ſophiſta fuiſſet in Meſſena Lariſſaq; Theſſalica, multas accumulauit pecunias, atque Athenas cōtendit: ubi declaratus fuit legatus, cùm res uergerent ad Mithridatem: regemq; circumueniens, factus eſt unus ex intimis. A rege reuerſus, uocata Athenienſium cōcione, perſuaſit illis, duces Rom. à Mithridate uictos, imperium Aſiæ amiſiſſe, & ad libertatem eos hortatus eſt. Populus credulus Athenionē ducem ſuum eſſe uoluit. Sic accepta occaſione tyrannidē inuaſit, & multa crudeliter perpetrauit. Athen. lib. 5. cap. 11.

## INDOCTI.

*De Habitu hîc loquimur. Vide Tit. Docti homines contemti, ſub loco Iniuſtitiæ. ne crambe bis poſita mors ſit. Indoctorum exempla ſunt infinita: & ipſa copia inopiam parit.*

### POPVLI INDOCTI. GENTES INDOCTÆ, à literis alienæ.

Animi mores, corporis temperaturam ſequuntur: hæc autem à uictus ratione multis modis uariari poteſt. Notum eſt illud, παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον. & Pallas, ſapientiæ aſylū de ſuo nomine dictas Athenas conditura, locum ſaluberrimum & temperatiſſimum elegit. Eandem ob cauſam Theſſali, & prędertim BOEOTI, olim ,p ſtupidis habiti fuerunt: quòd promiſcua uictus ratione uterentur, & aërem ambiētem craſſum atque impurum haberent. Vnde Horatius de ſtulto homine:

> Bœotum craſſo iurares in aëre natum.

Simonides interrogatus, Cur ex omnib. Græcis ſolos THESSALOS non adiret? Stupidiores enim ſunt, reſpondit, quā ut à me decipi queant. Plut. de Aud. poetis.

Plut. in Apopht. ſcribit, SPARTANORVM moris fuiſſe, literas modò pro neceſſitate diſcere: reliquarum uerò diſciplinarum nihil omnino admittere, nec homines magis, quàm libros. Erat autem illa ipſis diſciplina, ut honeſtè parerent, labores conſtantiſſimè tolerarent, pugnandoq; aut uincerent aut interirent. Ob quod quum Athenis, rhetorum quiſpiam Lacedæmoniis imperitiam obieciſſet, reſpondit Pauſaniæ filius Pliſtonax, Rectè dicis. ſoli namq; Græcorum nil à uobis mali didicimus. Cælius libro 18. capite 1. Antiquarū Lectio. Si quando ope ſapientum uel ægrotantes, uel perperàm ſentiētes, aut alioquin publica calamitate affecti indigerent, conſulebāt homines peregrinos, ut medicos, aut uaticinium Apollinis. Accerſiuerunt Terpandrum, Thaletē, Tyrtæum, Nymphæum, & Alcmanem fiſtulicinem. Thucydides refert, imperitos fuiſſe doctrinæ & literarum: de Braſida inquiens, eum dicendi imperitum fuiſſe, ut Lacedæmonium, non aliter quàm idiotam quendam. Aelianus lib. 12. de Varia hiſtoria.

Ex ueteribus THRACIBVS neminem aiunt literas nouiſſe. Turpiſſimum etiam putarunt & ſummum dedecus inhabitantes Europam Barbari, literis uti. Aſiatici uerò, ut fama eſt, magis ſunt eis uſi. Vnde affirmare etiam audent, ne Orpheum quidem ſapientem fuiſſe, quòd ex Thracia ſit oriundus: ſed eius carmina uanis mendaciis eſſe referta. Hæc Androtion memoriæ prodidit: ſi cui dignus uidetur, cui fides adhibeatur. Aelianus lib. 8. de Varia hiſtoria.

Tradunt LIBETHRIOS Thracas, muſices ac poetices, breuiter, omnium elegantiorum diſciplinarum ſtolidiſſimos contemtores fuiſſe, adeò, ut apud hos quidam occiſum Orpheum exiſtiment. Eraſmus.

Literas prorſum ab INDIS ignorari, pleriſq; proditur. Proinde legibus uſos non ſcriptis, ac memoriæ præſidio cuncta diſtribuiſſe. Alicubi tamen reperio, in ſindonibus ab illis ſcriptitatum: uerùm elementis haudquaquam peregrinis uti. Cælius lib. 18. cap. 31. A. L.

Pontus Euxinus, in quem Darius rex Perſarum fecit expeditionem, NATIONES exhibet omniū imperitiſſimas, Scythica duntaxat excepta. Nullius enim nationis earum, quæ ſunt intra Pontum, aut aliquid ad ſapientiam pertinens, ,pferre poſſumus, aut aliquem uirum pro erudito habitū nouimus, præter Scythicam gentem & Anacharſim. Herodotus libro 4.

In POP. ROM. quandiu ille uicinis bellis & proximo terrore eſt concuſſus, nullæ omnino fuerunt literæ, uidelicet uſque ad finem belli Punici ſecundi. Itaq; ſua ætate ui omnia geri conqueritur Ennius, inquiens:

> Pellitur è medio ſapientia, ui geritur res:
> Spernitur orator bonus, horridus miles amatur:
> Haud doctis dictis certantes, ſed maledictis,
> Miſcent inter ſe inimicitias agitantes.
> Non ex iure manu conſertum, ſed mare ferro
> Rem repetunt, regnumq; petunt: uadunt ſolida ui.

Liberatus & defunctus propinquis bellis, reſpirauit eius animus, & uacauit ei literas atque humanitatem, hoc eſt, unicum paſtum ſuum requirere. Quicquid enim fuit literarū in illa gente, id totum à domita Carthagine uſque ad Antoninos floruit. Ludouicus Viues lib. 3. de Concordia. Idem lib. 1. de Cauſis corrupt. artium ſic ſcribit: Apud Rom. olim, honore artibus detracto artes iacuerunt: illæ ſolæ ſunt excultæ, quę eſſent in precio: ut Oratoria propter forum & curiam, & Ius ciuile ad conſtitutiones formularum & litium: reliquam eruditionem, qui magni & honeſti cupiebant eſſe in populo, uel negligebant prorſus, uel ſi quam didiciſſent, occultabāt, ne ſe proferret: & tam ſolicitè literas tegebant, quàm erant diſcendæ. M. Antonius orator apud Ciceronem, hoc probabiliorem orationē ſuam populo fore exiſtimabat, ſi omnino didiciſſe nunquam putaretur. Scire ſe diſſimulabant, multò minùs uolebant uideri docere: id munus ad ſeruos eſt delegatum, ſi quos haberēt literatos: aut Græcis & Aſianis hominibus mandatum: liberis quidem, cæterùm non multò meliore conditione, quàm erant libertini. de qua indignitate meritò queritur Seneca: Ante Blandum, inquit, rhetorem, qui eques Romanus Romę docuit, inter libertinos præceptores pulcerrima diſciplina cōtinebatur, & minimè probabili more turpe erat docere, quod honeſtum erat diſcere. Quo factum eſt, ut literas ſcire indignum ſit habitum uiris principibus: docere uerò, ſordidum prorſus & abiectum. Agrippina Neronis mater, Senecæ uiro integerrimo profeſſoriam linguam tanquam probrum obiicit: & quæ nō obiiciebat adulteris adulteria, militi crudelitatem, ſenatori auaritiam, iudici rapacitatem & ſordes, uiro innocentiſſimo & optimo, quòd alios meliores redderet, exprobrabat. Ea perſuaſio ad noſtram ætatem uſq; peruenit, ut potiorem ac præſtantiorem eſſe uulgus exiſtimet diſcipulum magiſtro: uel cerdo aut rhedarius præceptorē filij ſui, iuuenem bono loco natum, quòd præceptor ſit, peiorem filio ſuo cenſeat.

HISPANIA à prima ſua origine in regulos, & proinde in cōtinua bella diſſecta, rudis atque agreſtis literis, & omni penè humanitatis cultu caruit. Pace uerò per Romanos parta, & diuulſis illis partibus in unum uelut corpus redactis, literæ atque eruditio fuit tanta, ut certare cùm ipſa Roma poſſet, ſiue cognitione rerum, ſiue ingeniorum acumine: quod ſatis abundeque teſtantur monumenta literarū, quæ ſunt ante Gothorum aduentū ab Hiſpanis conſcripta. Poſt

Gothos & Agarenos nunquam Hiſpania de manibus arma potuit: ideo tam rara illic eruditio: & ſi qua erat, ſordida, & de fece hauſta. At ubi ſublatis perpetuis hoſtibus, qui octingentos propè annos in uiſceribus illius, tanquam grauiſſimus quidam morbus hæſerant, arma abs ſe in alias nationes conuertit, partaq; eſt aliqua domi quies: incepit ad priſtinum illud decus adſpirare, & ornamẽta illa ingeniorum tam diu amiſſa, per ueras ac ſolidas diſciplinas requirere. Ludouicus Viues de Concord. & diſcordia lib. 3. & Panormita lib. 1. cap. 5. de geſtis Alfonſi.

GOTHORVM fuit inſtitutum, ne literis imbuerentur reges, quòd illæ longo ab fortitudine interuallo abeſſent, ac magnanimitate: quin item effeminari potius animos, remollitosque ad timiditatem dilabi. Cælius lib. 8. cap. 1. A. L. Eapropter Amalaſuentã reginam ſuam, Theoderici regis Italiæ F. fœminam doctiſſimã impensè oderant, quòd Atalaricum F. ſtudiis literarum effeminaret.

Nemo apud NVMIDAS, pręter paucos ſacerdotes, literas addiſcit: neq; enim adeò accuratè, uti Mauri, ſed ſimplici atq; expedito cultu religionibus ſtudent. Iouius lib. 33. Hiſtorię.

BOEMIÆ populi odio literarum, quibus ingenui adoleſcentes ad uirtutem & humanitatem finguntur, impedimento fuerunt, quo minus Venceſlaus IV. Rex, quemadmodũ deſtinauerat, gymnaſium literarium Pragæ excitaret. Attamẽ ut piæ mentis in cauſam piam opus extaret, magnificũ cœnobium, quod Zderas appellant, ædificauit. Dubrauius libro decimooctauo.

## HOMINES INDOCTI.

*De Regibus Indoctis paulopòſt.*

## SOPHISTAE. ΔΟΞΟΣΟΦΟΙ. ERVDITIONIS AFFECTATORES.

*Vt Enti non ens, ita Sapienti Sophiſta opponitur. Honorificum olim fuit Sophiſtæ nomen: ſed hominum auaritia & ambitione odioſum eſſe cœpit. Eorum exempla plurima ex Tit. Logicorum atque Rhetorũ peti poſſunt. Nam cùm philoſophiæ inſtrumenta ſint, Logica, Rhetorica & Poetica, quibus ſapientes ad rerum ueritatem indagandam & explicandam utuntur: Sophiſtæ rerum cognitione deſtituti, ſed inſtrumentis hiſce, locos generales de omnibus rebus dicendi ſcribendiq; continentibus, inſtructi, de omnibus rebus aliquid in medium afferre poſſunt: non ſecus atque proci Penelopes, qui domina potiri non poterant, cum ancillis rem habebant. Qui plura exempla deſiderat, legat Tit. Magorum: item Pſeudoprophetarum: item Ambitionis, in diuinis honoribus ex eruditione affectandis. Ex Tit. quinetiam Sapientũ, fortaſſè non pauca, fortaſſis etiam pleraque huc transferri poterunt: quandoquidem omnis humana ſapientia, pietate religioſa deſtituta, laruata eſt ſtultitia. Philoſtrat⁹ & Eunapius Philoſophorum & Sophiſtarum uitas deſcripſere. At quotus illic bonorum uereq; ſapientum numerus? Philoſophorum nomine Magos, Sophiſtarum appellatione Rhetoras nobis obtrudunt. Ne quis tamen noſtram in iudicando temeritatem accuſet, ſint illi ſanè Philoſophi, & ex Sapientum ſimiliter & Rhetorum catalogis petantur.*

Quàm ſit inconſtans & ludicra humana ſapientia, exempla oſtendunt crebra: ſiue quis in Græciæ SAPIENTES intueatur, ſiue in Romanos, ſiue in gentes illas, quas Græci barbaras nominabant, Aegyptios, Aethiopes, Chaldæos, Perſas, Indos. Illis enim, poſtquam & hominum uoces, & iniuriæ, & contumeliæ, & fama, & morbi corporis, & neceſſitates, & uita ipſa, & omnia quæ pro caris uulgò habentur, erant contemta & ſuperata, intra ſe in ſuis ipſorum animis alij à ſuperbia uexabantur, dum omnes tanquã pecudes ipſi homines deſpiciunt: alij conſtricti tenebantur ignorantia rerum cognitu digniſſimarum, aut quas homini turpe eſt neſcire: alij circa res leuiculas magno erãt conatu detenti atque occupati: alij ſemper irati, alij ſemper mœſti, alij nunquam non læti, alij profuſi in riſus & cachinnos, & quidem cum irriſu generis humani: alij reſoluti in lacrymas, & contracti dolore: alij hoſtes publici hominũ, infenſi omnibus, & omnes rabie quadam proſcindentes: alij uanis ſomniis territi, alij temeraria confidentia in omnia irruentes, alij nimia cæcitate confundentes omnia rerum diſcrimina, alij nimia ſubtilitate nihil non diſcriminantes, alij ſingulari ſocordia nihil rati eſſe Deum, alij ridicula ſuperſtitione nihil non eſſe Deum: quæ omnia etiam pueris ſunt nota & decantata. Quibus è rebus fiebat, ut dum ab externis uenicbant ad interna, rurſum hæc illos in externas inimicitias mitterent. Ita nec ulla erat intus pax, nec externa diuturna: & quies illa uitæ magis erat ſimilitudo pacis, quàm pax uera: nam ſpecie uidebantur homines non curare, intus uerò acriter mordebantur: & qui homines negligebant, etiam oderant. Ergo pax erat non ex amore & charitate mutua, ſed quòd ad iniuriarum ſenſum occalluiſſent, uel hunc affectum iræ diſſimulabant, dum alteri ſeruirent maiori, nempe gloriæ ac ſuperbiæ ſuæ. Ludouicus Viues de Concordia & diſcordia lib. 4.

Hegeſander in octauo Cõmentariorum de ſui temporis PHILOSOPHIS, epigramma dithyrambicũ tale affert, quod huc ex primo libro Poeticæ Scaligeri tranſcribere placuit:

> ὀφρυανασπασίδαι, ῥινεγκαζεπυξογένειοι,
> σακκογενειοτρόφοι, καὶ λοπαδαρπαγίδαι,
> εἱματαπωσείβαλλοι, νηλιποκαιβαλεπέλαιοι,
> νυκτιλαθραιοφάγοι, νυκτιπαζιτοπλάνοι,
> μειρακιεξαπάται, καὶ συλλαβοπευσιλαβῆται,
> δοξοματαιόσοφοι, ζητηρετησιάδαι.

Cùm Socrates totus fuerit in confutandis falſis opinionibus ſophiſtarum ſui temporis, Plato autem ea quæ à Socrate diſputata fuère, memoriæ literarum mandarit: ex Dialogis Platonis ſophiſtarum exempla plurima deſumi poterunt. Ex Cratylo HERMOGENIS, qui nominum rectitudinem à natura, non autem ex pacto hominum pendêre arbitrabatur. Ex Euthydemo, EVTHYDEMI & DIONYSODORI fratrum, qui artem differendi profitebantur: hoc eſt, ipſam ſophiſticam dialecticam. Ex Protagora, PROTAGORÆ & PRODICI. Ex Gorgia, GORGIÆ & POLI. Ex Menone, MENONIS. Ex Hippia, HIPPIÆ & EVDICI. Eo certè tempore ſophiſtarum maxima erat copia: nam & quæſtus maximus. Quibus omnibus Socrates, Herculis inſtar, oppoſitus fuit, ut illorum ueſaniam redargueret. Nominum ſatis eſt hîc meminiſſe. Omnes enim illorũ ineptias perſequi, ut operoſum eſſet, ita à noſtro inſtituto alienum.

Ad PHILOMVSVM, qui arbitrabatur ſe doctum librorum copia, cùm nihil ſciret, Auſonius ſic ſcribit:

> Emtis quòd libris tibi bibliotheca referta eſt,
> Doctum & grammaticum te, Philomuſe, putas?
> Hoc genere & chordas & plectra & barbita conde:
> Omnia mercatus, cras citharœdus eris.

CALLIPHANES dictus Parabrycontis, cùm poematũ multorum principia exſcripſiſſet, eaq; ad tertium uſq; uel quartum tamen memoriter didiciſſet, multæ ſcientiæ nomen ſibi uendicauit. Athen. lib. 1. cap. 1.

# IGNORANTIA IVNCTA ALICVI EXTERNO BONO MALO'VE. HVC PERTINENT

## PONTIFICES, EPISCOPI, SACERDOTES INDOCTI.

HENRICVS comes de Anholt, Magdeburgenſis Metropolitanus, profectus erat Romam, ut pallium cum confirmatione acciperet. Res in longum ducta eſt: uix enim primas literas attigerat, penè laicus. ſed tamen aſſecutus eſt, quod uoluit. Vir ingenio acri: tacitus multa machinabatur: equites peditesq; habuit promtiſſimos. Cranzius lib. 8. Metropol. capite 53.

## PRINCIPES, REGES, IMPERATORES INDOCTI ET LITERARUM RUDES.

*Et hæ non literarum modò, ſed ex literarum odio totius orbis peſtes, cùm aliàs, tum etiam noſtro ſeculo mirum quantum inualuerint.*

C. MARIVS Græcam Latinamq; facundiam æquè aſpernatus dicitur, nec urbanę illius munditię ſtudioſus. Primo certè conſulatu ſuo pro concione dixit, quòd Græcas literas nunquam didiciſſet, probro ſibi dari non oportere: quippe quæ ne Græcis quidem ipſis ad uirtutem quicquam profuiſſent, ipſius gentis imbelliã præclarè id teſtari. Aſt illa multo utiliora reipublicę doctum, hoſtem ferire, pręſidium agitare, nihil metuere, niſi turpem famam: hyemem & ęſtatem iuxtà pati, inopiam & laborem tolerare meliùs quàm literis imbui: præſertim ſi qui ea facienda monſtret, talis ſit, ut non tantùm rectè præcipere, ſed facere etiam uelit, alioqui is dominum ſe ueriùs agat quàm imperatorem. Sabellicus lib. 2. Enneadis 6.

ANTONINVS Caracalla, optimę indolis in primis annis, & literarum ſtudioſus, cum ætate ſenſim & quæ didicerat oblitus eſt, & exitiali odio contra doctos homo ſceleſtiſſimus flagrauit, quaſi illorum opera ſua ſcelera poſteritati nota fore præuideret.

LICINIVS Imp. militaris diſciplinæ acerrimus cuſtos, literis adeò infeſtus ob inſcitiam, qua uix nomen decreto ſubſcribere poſſet, ut uenenum & peſtem reip. nominaret. Oratores & philoſophos ſummo odio inſectabatur. Euſebius libro 8. cap. 13. & Eutropius.

VETRANNIO (qui & Britannion ab aliis dicitur) magiſter militum, imperium in Pannonia apud Murſiã arripuit, quo tempore



tempore Magnentius in Gallia cæſo Conſtante Imp. Cæſar ſalutatus eſt. Illyriciani enim exercitus, grandæuum hunc & cunctis amabilem, diuturnitate & felicitate militiæ ad tuendum Illyricum crearunt principem, uirum ſimplicem & probum, iucundæ ciuilitatis: ſed omnium liberalium artium adeò expertem, ut prima literarum elementa decrepitus iam imperator uix diſceret. Cæterùm cùm Magnentiũ Conſtantius oppreſſiſſet, Britannio, poſita purpura & ueſte indutus Gallica, Conſtanti obuius factus in Thracia, obuolutus pedibus ueniam petiit, & impetrauit. Imperator ſenẽ ducem amplexus, patrem eum uocauit, & cœnæ adhibuit (à quo multa de Magnẽtio ingrato homine intellexit) tum purpura & regno exuit. Iuſſitq; abire Pruſiada Bithyniæ caput, & propinqua oppida in uictum ſenis contribuit. Anno pòſt ſexto deceſſit, homo propè ad ſtultitiam ſimpliciſſimus. Cuſpinianus.

IVSTINIANVS Imp. cùm eſſet analphabetos (utpote à Iuſtiniano patre, ſuum olim cuſtode, in Bedirina Illyriæ ciuitate genitus) facilè à quouis decipiebatur fraudulento ac doloſo: qualis erat Tribonianus adulator, ut inquit Suidas, fraudulentiſſimus ſimul & auariſſimus, omnis religionis, præſertim Chriſtianæ, contemtor, quæſtor Iuſtiniani: qui Iuſtiniano Imperatori perſuaſit: fore, ut is nunquam moreretur, ſed in cœlum cum carne aſſumeretur. Eidem perſuaſit de contrahendis in unum Iureconſultorum ueterum uoluminibus: pro Compendio Legum ſummum Diſpendium inuehens. Nam ſi ſcripta ueterum ad nos perueniſſent: Baldi, Bartoli, & ſimilium barbaris commentationibus fortaſſis non egeremus. Iuſtinianus certè tanta inconſtantia leuitateq; leges tot contrarias poſuit, quas poſteri, licèt anxiè inter ſe digladientur, nunquam tamen concordare poſſunt. Suidas, & Cuſpinianus.

MICHAEL Balbus Imp. literas adeò auerſatus eſt, ut ne pueros quidem iis permiſerit erudiri, ne quis ex iis aut ſtultitiã ſuam arguere, aut oculorum & linguæ uelocitate ſibi laudem in legendo poſſet præripere. Sigonius libro quarto regni Italici.

FRIDERICVM Aenobarbum Imp. extremæ ignorantiæ arguunt quidam hiſtorici, quod cùm ad eum Alexander III. Pp. ſcripſiſſet, Non modò regiam coronã, ſed quoduis præterea aliud beneficium libentiſſimo animo ſeſe ei collaturum: interpretatus fuerit Beneficium ex uulgari & barbara ſignificatione pro Feudo: tanquam Papa ſe patronum, Cęſarem uerò clientẽ uocaſſet: & hanc fuiſſe atrociſſimi ſchiſmatis occaſionem. Alciatus certè Radeuicum Præpoſitum Friſingenſem lib. 1. rerum Aenobarbi, cap. 9. & 10. ſic ſcribere aſſerit, atque adeò accinit: Ea fuit in ipſo Friderico, comitatuque ipſius doctrina, quæ tot ſcilicet ciuitatum excidio lueretur, quot deinde conſtat ab ipſo Friderico tum fuiſſe dirutas: ut uerum ſit, quod inquit Horatius: Quicquid delirant reges, plectuntur Achiui. At Vvolfgangus Hungerus in Cuſpin. Cæſaribus, mendacium hoc impudentiſſimum eſſe oſtendit.

LVDOVICVS Bauarus Imp. fortiſſ. & prudentiſſ. ſed literarum expers. Et hanc ipſam ob cauſam quoque pontifices ei infenſiores fuère, & Electoribus quibuſdam perſuaſere, ut eo uiuente Carolum Boemum, literis excultum, regem ſalutarent. Cuſpinianus.

LVDOVICVS Thuringię Landgrauius literarum imperitus fuit: ideoq; etiam electionem Imperatoriam de ſe factam, cùm aliàs eſſet uir armis clarus, iuſtitiaq; inſignis, penitùs repudiauit. Fulgoſus libro quarto, capite primo.

CAROLVS IIX. Gallorum, rex Ludouici XI. filius, tertium decimum annum agens patri ſucceſſit, Ambaſiæ educatus: præter domeſticos miniſtros à patre rege attributos, nemini eius adeundi uiſendiue copia fuerat. Latinè ſcire pater eum uetuerat, præter illud unum, Qui neſcit ſimulare, neſcit regnare. Aemilius lib. 10.

MAGNVS SFORTIA literas Latinas nequaquam attigerat, ſed admirabatur, ſecut⁹ Hetruſcas, atq; uernaculas, quæ ex uſu militari commodiores uiderentur. His neceſſitate quadam totum id otium, quod ex negotio ſupereſſet, uehemẽter addixerat, ut hiſtorias calleret: quas è Græcis Latiniſq; ſcriptoribus traductas lectitare erat ſolitus, inuitatis liberalitate ad id munus ſuſcipiendum literatis, in queis fuit Porcellij poetæ pater, ob tralatos Cæſarem & Saluſtium, honeſta domo cum hortis donatus. Quòd autem literas neſciret, perurbanè ſeſe excuſabat: quandoquidem una atq; eadem manu librum ſimul & gladium tenere minimè didiciſſet. Iouius in eius uita.

FERDINANDVS Catholicus Hiſpaniæ rex, educatus inter equites & armatos, cùm literis uacare non potuiſſet, eruditione caruit: tametſi magnis ingenij uirib. adiutus, & conſuetudine ſapientum, non minùs prudens euaſit ac ſapiẽs, quàm ſi fuiſſet doctiſſimis præceptoribus eruditus. Nam cùm Hiſpano more legendi ſcribendiq; ordinem didiciſſet, & iam Grammaticæ præceptis incũbere uellet, exorto bello, quod Carolus frater à quibuſdam perſuaſus patri ſuo intulit, puer à literarum ſtudio reuocatus, arma, cùm uix annum decimum compleuiſſet, tractare cœpit. Marineus lib. 19. rerum Hiſpaniæ.

## DIVITES INDOCTI.

Socrates conſpiciens HOMINEM prædiuitem & arrogantẽ, ſed nulla uirtute præditum: Hic, inquit, equus eſt argento circumtectus. Solent enim equi ſtragulis, phaleris, ac bullis argenteis exornari, quum interim tamen nihil aliud ſint quàm equi. Eraſmus lib. 8. Apopht.

Diogenes Cynicus opulentum QVENDAM, cæterùm indoctum, πρόβατον χρυσόμαλλον, id eſt, Ouem aureo uellere, dixit.

Scipio Aemilianus apud Numantiam iratus C. METELLO, dixit: Si quintum pareret mater eius, aſinum fuiſſe parituram. Tarditatem mentis ac deformitatem corporis illi fratribusq; eius exprobrans. Eraſmus lib. 6. Apophth.

In CN. DOMITIVM, Sexti Neronis atauum, cui cognomen fuit Aenobarbo, L. Craſſus orator dicebat, non eſſe mirandum, quòd æneam haberet barbam, cui os ferreum, cor plumbeum eſſet. Os ferreum obiiciens, propter ſummã impudentiam: cor plumbeum, ob ingenij ſtuporem. Eraſmus in Apophthegmatis.

Caius Cæſar IVNIVM Syllanum, pronepotem Auguſti, quia ſegnis ingenioq; minimè acuto eſſet, Pecudem auream appellauit. Corn. Tacitus lib. 13.

Iuuenalis DIVITEM quempiam, ſed infantem & indoctum, Mercurij ſtatuæ ſimilem facit:

> —— truncoq; ſimillimus Hermæ. Eraſ. in Adag.

## PAVPERES INDOCTI.

*Sapientia certum uiaticum. Ea qui deſtituuntur, ſi externis quoq; malis, utputa morbo, paupertate, ſeruitute premantur, omnium euadunt contemtiſſimi. Iure igitur Tit. huius conſideratio hoc in loco proponenda fuit.*

# IGNORANTIA IVNCTA ALICVI INTERNO BONO MALO'VE. HVC

## HAERETICI INDOCTI.

MAHOMETVS propheta Iſmaelitarum, neq; legere neque ſcribere nouit: ut ipſe teſtatur in Alcorano, Azoara 17.

## INDOCTI, SED BONI INTERIM POLITICI, aut OECONOMI.

*Conſule Tit. Ducum uirtute bellica illuſtrium.*

CIMON Miltiadis F. qui in carcere obiit, admodum adoleſcens cum Elpenice ſorore adhuc uirgine & innupta orbus in prima ætate ad populum infamis fuit, & malè audiuit ex luſtris & uinolentia, quaſi auum referens ingenio Cimonẽ, quem aiunt ob mentis ſtuporem Coalemum, id eſt, fatuum fuiſſe dictũ. Steſimbrotus Thaſius Cimoni ferè coætaneus, nec muſica eum, nec ulla alia inſtructum liberali diſciplina & Græcis uſitata memorat fuiſſe, atque ab Attico acumine leporibusq; quàm remotiſſimum: mores uerò inſigni generoſitate & ſinceritate tinctos, potiusq; ingenium huius uiri Peloponneſium fuiſſe,

> Et candidum, ſimplexq; bonumq; in maximis,

ut apud Euripidem Herculis. Et tamen hic ſtupidus homo res geſſit pro Athenienſium repub. maximas. Plutarchus in eius uita.

## INDOCTI SIMVL ET IMPROBI.

Ἀπαιδευτότερος Φιλωνίδου τοῦ Μελιτέως, in prouerbium abiit, Indoctior PHILONIDE Meliteſi. Is cùm magnus erat, tum indoctus, & homo porci inſtar. Ariſtophanes eum perſtringit, ut paraſitos alentem, & ob Laidis amorem Corinthi degentem. Suillus autem cum ſodalibus ſuis dicitur, quòd illos appellaret apros: Laidem Circem, quòd amatores ueneficiis irretiret. Suidas.

## INDOCTI, SED BONI MECHANICI.

*Conſule Titulum, Artificum mechanicorum.*

## CERTAMINA SAPIENTVM, IN GENERE. ÆNIGMATVM ACVTI CONIECTORES.

*Certamina peculiaria cuiuſq; profeßionis pete ex ſuis locis. Hîc in genere Philoſophica certamina, de quacunq; materia propoſita, exequemur. De Ænigmatibus conſule Athen. lib. 10. c. ult.*

SAMSON Hebræorum iudex Thamnatenſibus iuuenibus in nuptiis ęnigma proponit. Vide Tit. Robuſtorum in genere.

SOLOMO rex Iudæorum cum HIRAMO Tyriorũ rege amicitiam exercuit, eíque quæſtiones ænigmaticas propoſuit, quas Hiramus per Abdemonum adoleſcentem Tyrium ſoluit, maximam alioqui pecuniæ multam ſoluturus. Ioſeph. lib. 8. Antiq. & lib. 1. contra Appionem ex Menandro & Dio.

LYCERVS Babyloniorum rex, Aeſopi Phrygij fabulatoris acumine fret⁹, ænigmatib. certauit cũ NECTENABO Aegyptio, & magna cum laude uictor extitit. Maximus Planudes in eius uita.

NICAVLA Aegypti & Aethiopiæ regina, Solomonis regis Iudæorum ſapientiæ fama mota, ad eum magno cum comitatu Hieroſolymos profecta, quæſtiones obſcuras ei ꝓpoſuit. Quas cùm ille nullo negotio ſoluiſſet, donauit 120. auri talenta, præter gemmas & aromata 3. Reg. 10.

Tres Darij regis STIPATORES, rege inultante, certamen ſapientiæ inierunt, quiſnam eorum ſapientiſſimam proferret ſententiam. Vnus, Præpotens eſſe uinum: alter, Regem: tertius Zorobabel Iudęus, Salathielis F. Mulieres, ſed Veritatē omnia uincere, aſſeruit. Libellum quiſq; ſuum obſignatum regis puluino dormientis ſubiiciunt. Rex expergefactus, ſatrapis ſuis conuocatis, ſuam quemque ſententiam probare iuſſit. Omnium igitur aſſenſu Zorobabel uictor declaratus, cùm præmia ſapientiæ ex pacto ei deferrentur, ut purpura ueſtiretur, auro biberet, in auro dormiret, aureis frænis currum, byſſinamq; cidarim, & torquem circum collum haberet, regis familiaris uocaretur, & ſecundus à Dario propter ſuam ſederet ſapientiam: Zorobabel ad regem conuerſus, eum uoti admonuit, quo ſe obſtrinxerat, de Hieroſolymitano templo & urbe inſtaurandis. Rex igitur eius monitis annuit. Atque ita Zorobabel inceptam ſub Cyro, uerùm ſub Cambyſe impeditam templi inſtaurationem, perſecutus eſt. 3. Eſdræ 3. & 4.

Ad Iocaſtam, Laij uiduam, SPHINX uenit, ænigma proponens omnibus ſoluere paratis: hac lege, ut ſi explicuiſſent, ducerent Iocaſtam cum regno Thebarum: ſin non poſſent, perirent. Aenigma erat, Quódnam animal eſſet & quadrupes, & bipes, & tripes? Multis propter ænigma, cùm regni eſſent auidiores, occiſis, OEDIPVS Thebas uenit, & obſcuritatem declarauit. Ita matrem Iocaſtam accepit in coniugem, Thebaſq; rexit: Sphinx ſe ex edito præcipitauit loco. Oedipus, cùm ex Iocaſta liberos genuiſſet, matremque eſſe ſuam reſciſſet, & ſe patrem occidiſſe, luminibus ſeipſum priuauit. Filij armis inter ſe de paterno regno contenderunt. Diodorus, Strabo, Sophocles ac Seneca. Sphingem Chimæra & Typhone natam, tradit Heſiodus. Auſonius in Gryphis triforme monſtrum ait fuiſſe, facie puellari, alis uolucris, & pedibus leoninis. Sic enim ait:

> Illa etiam thalamos per trina ænigmata quærens,
> Qui bipes, & quadrupes foret, & tripes omnia ſolus,
> Terruit Aoniam uolucris, leo, uirgo triformis
> Sphinx, uolucris pennis, pedibus fera, fronte puella.

Reuera autem Sphinx erat mulier acri & ſæuo ingenio.

AMASI Aegyptiorum regi, ſapientiæ certamen fuit cum REGE Aethiopum. Itaq; per literas iuſſit illi edere, quid antiquiſſimum ſit, quid pulcerrimum, quid optimum, quid ſapientiſſimum, quid communiſſimum: & uerò inſuper quid utiliſſimum & nocentiſſimum, quid ualentiſſimum, quid facilimum, expromere. Reſpondit ille, Quid antiquiſſimum? Tempus. Quid maximum? Mundus. Quid ſapientiſſimum? Veritas. Quid pulcerrimum? Lux. Quid communiſſimum? Mors. Quid utiliſſimum? Deus. Quid nocentiſſimum? Dæmon. Quid ualentiſſimum? Fortuna. Quid facilimum? Suaue. Quas ſolutiones Amaſis, partim accepit, partim reiecit. Atqui Thales nullam earum reprehenſione uacare, uerùm claudicare multis modis omnes, multumq; rudes eſſe, cenſet apud Plut. in Conuiuio. Quin potiùs ſic reſpondendum fuiſſe. Quid antiquiſſimum? Deus, inquit Thales. Ingenitus eſt enim. Quid maximum? Locus. Nam reliqua mundus, mundum hic complectitur. Quid pulcerrimum? Mundus. Quicquid enim concinnam ordinationem obtinet, huius eſt portio. Quid ſapientiſſimum? Tempus. Siquidem alia iam inuenit, alia inueniet. Quid communiſſimum? Spes. Quandoquidem, quibus nihil aliud ſuppetit, iis hæc ſuppetit. Quid utiliſſimum? Virtus. Namq; cætera utendo rectè utilia efficit. Quid nocentiſſimum? Vitium. Ferè enim noxã adfert eius cõtagio. Quid fortiſſimũ? Neceſſitas. Eſt .n. una inuicta. Quid facilimũ? Quod naturę cõueniẽs eſt. Qñ uoluptates quidē ſubinde auerſant̃ homines.

Eidem Amaſi REX Aethiopũ præceperat, uti Pontum ebiberet. Id ſi feciſſet, multos eius uicos & oppida ferret: ſin minùs, urbibus ad Elephantim iacentibus cederet. Ergo animi dubius, à Biante Prieneo conſilio accepto, reſpondit: Abſque mora ſe id facturum, ſi priùs ipſe amnes, qui in maria labuntur, inhibuiſſet. Plut. in Conuiuio ſeptem.

PTOLEMÆVS Philadelphus, rex Aegyptiorum, SEPTVAGINTA interpretibus Bibliorum, Hieroſolyma ad ſe miſſis, ſapientiæ illorum explorandæ cauſa, problema in conuiuio ſingulis propoſuit. Ariſteas, & Ioſephus.

Ex GYMNOSOPHISTIS, qui præcipuè Sabbam ad defectionem impulerant, & plurimùm fatigauerant Macedonas, decem acres ad reſpondendum & contractos habitos, ALEXANDER Magn⁹ cepit. His quęſtiones obſcuras poſuit, necem denuncians primo, qui parũ rectè reſpondiſſet, inde ordine reliquis. Vnum natu maximum dedit iudicem. Primus interrogatus, uiuóſne plures eſſe, an mortuos cenſeret? Viuos ait. Neq; enim iam eſſe eos, qui mortui ſunt. Secundus, terrã an pelagus grandiores gigneret beluas? Terram: quippe huius, inquit, pelagus portio eſt. Tertius, quod animal callidiſſimum eſſet? Quod hactenus, inquit, homo non cognouit. Quartus requiſitus, quamobrem Sabbã ad rebellionem concitaſſet? reſponſum dedit, quò honeſtè uiueret, aut malè periret. Quintus rogatus, diem an noctē putaret fuiſſe priorem? diem ait, uno die. Adiecit autem, cùm id rex admiraretur, implicatarum interrogationum neceſſe eſſe, ut eſſent implicatæ reſponſiones. Ita progrediẽs, ſextum percunctatus eſt, quemadmodum quis maximè ſe efficiat carum? Si potentiſſimus, inquit ille, nec formidabilis eſſet. Ex reliquis alius rogatus, quemadmodum ex mortali quis deus euadat? Si quid fecerit, inquit, quod facere denegatum ſit homini. Alius de uita & morte, utra ualentior? reſpondit, uitã tam multa tolerantē mala. Poſtremus, quaten⁹ hominē uiuere deceat? Eatenus, dum mori q̃ uiuere nõ cenſeat præſtare. Ita tandē uerſus ad iudicē, pronunciare eum iuſſit ſententiam. Qui cùm aliũ alio dixiſſet ſegniùs reſpondiſſe: Ergo tu, inquit, primus moriêre, qui ita decernis. Minimè uerò, rex, inquit ille: niſi tu mentiaris, qui primùm dixiſti interfecturum te illum, qui peſſimè reſpondiſſet. Hos igitur muneribus honoratos dimiſit. Plut. in Alex.

Sympotica fuerunt, Aenigma, & Griphus: illud luſum habebat, Griphus uerò etiam ſtudium ac curam. Soluẽti, pręmium erat carnis portio: imperito ac ſegni, multa irrogabatur, ut ſalſam hauriret potionem. Nomen inditum id genus ſermonibus obuolutis, à piſcatorum griphis ſiue retibus. Quæſtiones uerò dicebantur cyliciæ, hoc eſt, ζητήματα κυλίκεια: arbitror, quia κύλιξ, poculum ſignat. Cal. lib. 28. c. 4.

Non aliena eſt à philoſophia, ęnigmatum explanatio: ſiquidē antiqui ſapientiam per huiuſmodi demonſtrationes enucleabant, & inter pocula quæſtiones proponebant, eruditas, nõ ſcurriles, aut gaſtrologiæ potiùs q̃ philoſophiæ conuenientes. Primo igitur iambicũ carmen dicenti, contradicentis alicuius poetæ in eandem ſententiã carmen profertur: atq; ſingulos iambũ dicere oportet, eo metro, quo primus cœpit, ac eodem literarũ ſyllabarumq; ordine. Quin etiam nomen aliquod Troianorũ ducum, uel Græcorũ proferre, aut ex data litera nomen cuiuſpiam ciuitatis dicere, quæ ſit in Aſia, ſequentem uerò, quæ ſit in Europa. Itaq; nõ ineptus prorſus hic eſt ludus, ad declarandum quantopere familiares quiſq; habeat diſciplinas. Præmium coronæ laudeſq; erant, quib. maximè oſcula excitabantur. Hæc Clearchus lib. 1. Prouerb. Eius generis fuêre Rhapſodiæ poeticæ, ut ita dicam, quando ex Homero, uerſu aliquo prolato, & uel initiali litera uel finali notata, ab eadē alios uerſus Homericos incipientes cogebantur in medium adducere. Qui præpoſitum ſibi ænigma nõ ſoluiſſet, bibere cogebatur ſalſuginem in potu, atq; poculum ſine reſpiratione haurire. Antiphanes in Ganymede. Athen. lib. 10. c. ult.

Scribit Hermippus in diſcipulis Iſocratis, THEODECTEM Phaſelitem promtiſſimum fuiſſe propoſitis ſibi ęnigmatib. inueniendis, aliiſq; ipſum aptiſſimè proponere ſolitũ, uelut illud de umbra, & de nocte. Athen. lib. 10. cap. 16.

SOCRATEM cõſtat, imperitorũ ſtultitiam, ſcire ſe aliquid opinantium, etiam in ipſis moralib. quæſtionibus, quò totũ animũ intendiſſe uidebatur, uel confeſſa ignorãtia ſua, uel diſſimulata ſcientia, lepôre mirabili diſſerẽdi & acutiſſima urbanitate agitaſſe atq; uerſaſſe. Vnde & concitatis inimicitiis calumnioſa criminatione damnatus, morte multatus eſt. Sed eum poſtea illa ipſa, quæ publicè damnauerat, ATHENIENSIVM ciuitas, publicè luxit, in duos accuſatores





res eius uſqueadeò populi indignatione conuerſa, ut unus eorum oppreſſus ui multitudinis interiret, exilio autem uoluntario atq; perpetuo pœnam ſimilem alter euaderet. Auguſtinus lib. 8. de Ciuitate Dei, cap. 3.

Quidam ACADEMICVS aduerſus POSIDONIVM Stoicum argumento hoc utebatur, ut abſurditatē illam demonſtraret, quam efficiebat planè fatalis neceſſitas Stoicorum, omnia ex neceſſitate fieri confirmantium: Quòd ille abſoluitur, cui uis facta eſt, & qui ad faciendum aliquid coactus eſt, quia neceſſitas (quod aiunt) non habet legem, nec ſubeſt diſcretioni legum. Itaq; hanc abſurditatem ut effugeret, à ſententia ſua diſceſſit Poſidonius. Galenus lib. de Placitis Hippocratis.

ROMANI Athenas miſere legatos, qui leges decem Tabularum dictas afferrent. ATHENIENSES nouitate rei moti, Philoſophum illis miſere, qui exploraret diſputando, digni eſſent legibus nécne. Romani re cognita, hominem quendam amentem, purpura indutum, & ſatellitib. ſtipatũ, philoſopho obuiam mittunt, ſeuerè interdicentes, ne uerbum aliquod proferret, ſed nutu tantùm ſigniſq; loqueretur: eo conſilio, ut ſi Græcum ſuperaret Romanus, uoto ſuo potirentur: ſin econtrà, legati taciturnitas, reliquorum prudentiam magis ſpectatam redderet. Vbi in conſpectum uenit Philoſophi, ſaxi inſtar immobilis ſtabat. Tum Philoſophus, Pythagoricum uirum adeſſe ſuſpicans, indicem extulit, unũ ſcilicet rerum principium eſſe innuens. Romanus uerò non ſapientiæ, ſed roboris exercendi id ſymbolum ratus, quaſi digito uno unum oculũ ſe effodere uelle minaretur, duos digitos elaturus, præ animi impotentia, pollicem quoq; addidit, ita ut tres extarent. Philoſophus triada admirat⁹, manum planam exporrexit, Deum trinum & unum uniuerſi latè patentis auctorem conſeruatoremq; eſſe ſignificans. At ſtultus contractis in pugnum manibus, ſe pugno contra palmam pugnaturum toruo uultu inſinuans, Græco maiorem ſapientiæ opinionē fecit, quaſi Dei potentiã modò extenſam, modò in arctũ ꝓ arbitrio contractã ſymbolicè uellet indicare. Proinde dignos Romanos eſſe iudicãs, Atticas leges illis cõicandas cẽſuit. Fabulę huius auctor eſt Accurſ. l. 2. §. exactis. de orig. iur. ſi modò fabula dicenda eſt, in qua parum elegantiæ, nihil ueriſimilitudinis ineſt. Et tamē à Stephano Forcatulo Bliterenſe defenditur in Penu iuris.

P. NIGIDIVS uir doctiſſimus, M. Varroni, Cæſari & Ciceroni contemporaneus, multa ſcripſit, & cum VARRONE de palma certauit: quæ tamen propter obſcuritatem derelicta ſunt. Gellius lib. 19. cap. 14.

DIOCLES ſenex & BAGOAS eunuch⁹, Peripatetici, de philoſophica profeſſione inter ſe certarunt, cùm uterq; in demortui locum ſubſtitui cuperet. Salarium erat ſingulos in annos decies mille numûm. Coram iudicib. res acta. Eruditione ſpinoſa pares. Diocles barba & uirilitate ſuperior: Bagoas imberbis & eunuch⁹. Cùm eò res rediiſſet, ut Bagoas uirilitatis ſpecimen edere iuberetur, cauſa integra ad cognitionem Imperatoris Traiani Romam reiecta eſt. Lucianus in Eunucho.

Refert Gell. lib. 18. Noct. Attic. c. 2. ITALOS omnes, q̃ Athenis dabant literis operam, ſæpiſſimè in unum aliquem locum cõuenire ſolitos, ſingulos ex ordine cœnulam inſtruxiſſe, totidemq; res quæſiuiſſe, quot ſtudioſi conuenerant. Præmium ſoluendę quęſtionis, ueteris alicuius ſcriptoris librũ Græcum aut Latinum, & coronam è lauro ponebãt. Rem locumq; dicendi ſors dabat. Quæſtione ſoluta, præmio uictor & corona donabatur: non ſoluta, tranſmittebatur ad eum, qui ſortitò ſucceſſerat. Si nec is diſſoluiſſet, deo, cuius feſtum erat, dicabatur.

Aetate Plutarchi ROMÆ moris erat Muſarũ feriis ſortes circũferre: & q̃ ſorte cõparati eſſent, quæſtiones doctas inuicē ponere. Plut. lib. 9. Conuiu. quæſt. 3.

ERICVS, qui ſub ortum Chriſti Seruatoris apud Suecos regnum obtinuit, non armis tantùm, ſed & eloquentia & ænigmatum interpretandorum ſolertia apud Septentrionales populos excelluit, ſic ut Diſerti cognomen inuenerit. Frothonem certè Danorum regem reſponſorum ſubtilitate ex hoſte amicum fecit, & GVTMARAM Grepiorum à ſe ſingulari prælio occiſorum matrem, lingua uerbiſq; procaciſſimam, reſponſionum argutia ſuperauit, coegitque, ut eximium auri pondus uicta uictori donaret. Olaus lib. 5. c. 24.

Cùm Eugenius IV. Pontifex Ferrariæ cum Græcis concilium agitaret, HVGO Senenſis, qui per id tēpus medicorũ princeps habitus eſt, omnes Græcos philoſophiæ ſtudioſos ad ſe inuitauit. Quos cùm opiparè magnificeq; pauiſſet, finito prandio epulis menſiſq; remotis, eos in diſputationem pellexit. Cùm iam Marchio Eſtenſis Nicolaus adeſſet, & multi in ſynodo excellentes philoſophi aduentaſſent, cunctos in medium philoſophiæ locos adduxit, de quibus inter ſe Plato & Ariſtoteles in ſuis operibus contendere ac magnopere diſſentire uidentur, dicens, eam ſe partem defenſurum, quam Græci oppugnandam ducerent, ſiue Platonem illi, ſiue Ariſtotelem ſequendum arbitrarentur. Cùm Græci certamen minimè recuſaſſent, protracta eſt ad multas horas diſputatio. Poſtremò cùm rex conuiuij Hugo Græcorũ philoſophos, alterum poſt alterum, argumentis & dicendi copia uictos tacere compuliſſet, palam factum eſt, Latinos homines, qui iam pridem bellicis artibus & armorum gloria Græcos ſuperauerant, ætate noſtra etiam literis & omnium doctrinarum genere anteire. Aeneas Syluius cap. 52. Europæ.

## IVDICIVM PHILOSOPHICVM.

### APTVM.

*Ex Tit. Doctorum amatores, huc quædam: quatenus amor & cultus doctorum ex recto doctrinæ iudicio prouenit.*

SOCRATES apud Plat. in Phædone, oſtendit philoſophari neminem rectè poſſe, niſi ſe, quàm maximè fieri poſſit, à cõſortio corporis, id eſt, ab omnib. affectib. ſeiungat: qđ tum optimè fit, cùm anim⁹ liber erit, corporiſq; carcere ſolut⁹: & in hac uita ut quiſq; ſe maximè perturbationib. exoluit, ita liberrimè ueriſſimeq; id quod eſt, uerũq; ipſum, hoc eſt, Deum & diuina contemplatur: idcirco Philoſophia definitur mortis meditatio, id eſt, corporis animæq; ſeparatio, & ceu diuortium quoddam, ut animus purus ſit, corporis fece nõ contaminatus: nam puriſſimũ illud diuinũ uerum ab impuro animo cõtingi nefas. ideo amicis deorũ plura eſſe cognita exiſtimabat, quã impuris hominibus, & qui Deum non ſequuntur. In Cratylo ſolos bonos uiros ſapiẽtes eſſe dicit, & in Epinomide peritiam rerum cœleſtiũ docturũ aliquem, niſi opem deus tulerit, negat.

PLATO in 6. de Rep. deum ait lumen eſſe mentis, non ſecus quã ſit ſol hic, quem uidemus, lumē oculorũ corporis: & ut beneficio huius habemus, quòd cernim⁹: ita beneficio Dei, quòd intelligimus: lumenq; illud ſacrum & diuinũ rebus ipſis ueritatē, nobis uerò uim eius percipiendæ tenendæq; largiri: ac eſſe, ut ex Platone inquit Greg. Nazianzenus, ſolē hunc mundi uiſibilis lumen, deũ uerò mundi inuiſibilis.

PLATO Diogenem inſanum & furentem Socratem appellare conſueuerat. Aelianus de Varia hiſt.

ALCIBIADES apud Platonē in Cõuiuio, Socratis encomiũ dicturus, cũ Silenis ſimilem facit, quòd is multò alius eſſet propius intuenti, quàm ſummo habitu ſpecieq;: quem ſi de ſumma, quod dici ſolet, cute quis æſtimaſſet, nõ emiſſet aſſe. Facies erat ruſticana, taurinus aſpectus, nares ſimæ, muccoq; plenæ. Sannionem quempiã bardum ac ſtupidũ dixiſſes. Cultus neglectus, ſermo ſimplex ac plebeius, & humilis, ut q̃ ſemper aurigas, cerdones, fullones & fabros haberet in ore. Nam hinc ferè ſumebat illas ſuas ἐπαγωγὰς, quib. urgebat in diſputando. Fortuna tenuis, uxor qualem ne uiliſſimus quidem carbonarius ferrè poſſet. Videbatur mirari formas adoleſcentulorum, uidebatur amare, & zelotypia tangi: cùm eum ab his affectibus ὅλως διὰ πάντων abeſſe comperiſſet etiã Alcibiades. Deniq; iocus ille perpetuus nonnullam habebat morionis ſpeciem. Cùm ea tempeſtate ad inſaniam uſq; ferueret inter ſtultos profitendi ſapientiam ambitio, nec unus eſſet Gorgias, qui ſe nihil neſcire iactitaret: & ardelionib. huiuſmodi nuſquã non referta eſſent omnia: ſolus hic hoc unum ſcire ſe dictitabat, quòd nihil ſciret. Videbat̃ ineptus ad omnia reipublicę munia, adeo ut quodã die neſcio quid apud populum adorſus agere, cum riſu ſit exploſus. Atqui ſi Silenum hũc tam ridiculum explicuiſſes, uidelicet numen inueniſſes potiùs quàm hominem, animũ ingentem, ſublimē, ac uerè philoſophicum: omniũ rerum, pro quibus cæteri mortales currunt, nauigant, ſudant, litigant, belligerantur, contemtorem: iniurijs omnibus ſuperiorem, & in quem nullum omnino ius haberet fortuna: & uſq; adeò nihil timentem, ut mortem quoq; nulli non formidatam contemſerit, in tantum, ut cicutã eodem ebiberit uultu, quo uinum ſolet, utq; iam moriens etiam in Phædonem ſuum iocaretur, admonens, ut uoto ſe liberans Aeſculapio gallum perſolueret: perinde quaſi, ſumto pharmaco, iam ſanitatis beneficium ſentiret, cùm exiret è corpore, unde omnes animi morbi ſcatēt, ac pullulant. Proinde nõ iniuria, cùm id tēpeſtatis plena ſophis eſſent omnia, ſolus hic morio, ſapiens oraculo pronunciatus eſt, & plus iudicatus eſt ſcire, qui nihil ſciebat, quàm hi, qui nihil neſcire ſe prędicabant: imò ob idipſum iudicatus eſt plus cæteris ſcire, qđ unus omnium nihil ſciret. Eraſmus in Adag.

Sermones doctrināq; Socratis QVIDAM Pauſonis picturis cõparabat. Pauſonē enim pictorem aiunt, cùm quidam iuſſiſſet ſibi uolutantem equum pingere, currentem pinxiſſe: cumq; qui tabulã illi tradiderat indignaretur, ꝙ contra pactum feciſſet picturam: reſpondiſſe, Verte tabulam, & uolu

rabitur equus, qui nunc currit. Ita quoq; Socratem non explicatè, planeq; diſſerere: at ſi quis ea uertat, planiſſima, ꝓmtiſſimaq; eſſe. Aelianus lib. 14. Var. hiſt.

ANTIPHANES, de dialogis Platonis, ludẽs dicebat: Quemadmodũ apud Scythas quoſdã, uerba à contrahentib. hyeme emiſſa, in medio aëre conglaciata hærerẽt, donec uerni ſolis radiis liquata fluerent, & tunc demum auditu ab aliis perciperentur: ita Platonis ſcripta à iuuenib. conſpici, atque legi, ab adultis tantũ intelligi poſſe. Plut. de Virtut. ꝓfectu.

Numenius Pythagoreus PLATONEM dixit eſſet Atticum quendam Moſen. Theodoretus lib. 2. de Principiis.

DEMONAX interrogatus quãdo cœpiſſet philoſophari, Poſteaquam, inquit, cepi noſſe meipſum. Eraſ. in Adag.

MVSONIVS apud A. Gelliũ, lib. 5. c. 1. in eos, q̃ modulatu uocum ac lenociniis uerborũ excitant inanẽ applauſum auditorum, Scito, inquit, illic non philoſophum loqui, ſed tibicinem canere.

## INEPTVM.

*Doctorum contemtores ad hunc quoq; locum pertinent, quatenus de aliena ſcientia ex ſua imperitia ineptè iudicant.*

## AMBIGVVM.

Philippæ Varanæ, Camerini comitiſſę, epitaphium ſub tumba holoſerico tecta Ferrarię extat apud S. Marcũ della Valle, in tabella depicta, Iuſtitiã à ſiniſtris, Fortitudinem à dextra habens, ſchedã manu tenentẽ cũ hac inſcriptione: EGO illa Philippa Camerina muliebri corpore uiri animũ gerens in lubrico conſtiti: tũ deſpiciendo tum aggrediendo omniũ in me oculos contuli: illos admiratione ſtupentes, hos hęſitantes ſciens reliqui: duos acerrima pugna tyrannos diſtraxi: & quoniam nihil ſine hac mihi ita ſimilitudine iuncta, ut cũ ea, uel ex ea nata uidear, agendũ conſtitui, ex principiis futura proſpiciẽs, hoc præparaui. Sub tabella deinde hęc leguntur: QVÆ ſunt, pro iis quæ non ſunt: Quæ ſi eſſent (alij, Quaſi eſſent) pro iis quæ cũ ſint non ſunt: Quæ uidẽtur eſſe pro iis quæ clã ſunt: in cauſa ſunt, ut quod eſtis ſitis. Vtrinque ad latera mortuorũ oſſa & caluariæ depictæ, cum hoc epiphonemate, Adhuc uiuet. Inſcriptione iſta, digna illuſtriſſima & cruditiſſ. feminæ ſepultura, eruditorum ingenia uel maximè torqueri, Gaudentius Merula lib. 1. Memorabilium c. 8. teſtatur. In ea explicanda cũ TABVLATOR quidam philoſophus, intimus noſter, animi cauſa exerceretur, & cordatã mulierem, prauãrũ cupiditatũ ſupra ſexus ſui uires domitricẽ, hac parænesi uiros ad philoſophicã mortẽ, in ueritatis & uirtutis ſtudio poſitã, excitare uoluiſſe ſuſpicaretur, in duas partes epigraphẽ diuidebat. Quarum prior trib. axiomatib. conſtaret, omnia ea, quæ ab homine in hac uita dicerentur, agerẽtur, cogitarẽtur, continens, relata uel ad Boni poſſeſſionẽ, uel ad Veri cognitionẽ. Bona aũt duũ generũ: Aeterna alia, alia Caduca. De Aeternis axioma primum eſſe: Quæ ſunt (h. e. æterna) pro iis quæ nõ ſunt (id eſt, pro caducis) ſubintellige (Amplecti, beatos facit & immortales. Non amplecti, facit miſeros & mortales) De Caducis axioma ſecundũ eſſe: Quæ ſi eſſent (h. e. caduca ſiue non entia interna, Virtutum ſcilicet habitus, ſi eſſent, ſi ſub ſenſum caderẽt, mirificè ad ſe animos humanos allicerent) pro iis q̃ cùm ſint (h. e. pro caducis externis, quæ ſenſus iudicio aliqd ſunt) nõ ſunt (tamen eſſe dicenda, ſi cũ æternis conferantur) ſubintellige (Amplecti facit bonos: Non amplecti facit improbos) De Vero aũt tertium axioma eſſe: Quæ uidentur eſſe (intellectui noſtro, etſi reuera non ſint) pro iis quæ clam ſunt (pro eſſentia rerũ occulta noſtro intellectui) ſubintellige (Amplecti facit mendaces & ignorantes: Nõ amplecti facit Veraces & Scientes) Iam uerò poſterior pars epigraphes Fnem continet, propter quem humana fiunt omnia, quãdo ait: In cauſa ſunt ut quod eſtis (in hac mortali uita ænigmaticè) ſitis (in uita immortale futuri, abſq; ænigmate ſcilicet & ſummũ bonum poſſeſſuri, & ſummũ uerũ cognituri.) At CÆLIVS Secundus Curio multo breuiùs, in propaganda ſui memoria ad poſteros Philippam ænigmatica hac epigraphe uti uoluiſſe arbitratur, & ſimul quæ nam obliuionis & interitus cauſæ eſſent, per ambages monere. Et quidẽ tria genera eorũ, quæ uulgus bona eſſe putat, cõſtituit, Quę ſunt (Diuitias maximè corporeas, & durabiles) Quæ quaſi ſunt (Voluptates quia tranſeunt) Quæ uidentur eſſe (Honores) iiſdemq; opponi totidem bonorũ genera, Animi nimirum ueras diuitias, uoluptates puras, honores æternos. Sic autem intelligenda eſſe oppoſita iſta, ut priora in ſingulis membris deteriora ſint, poſteriora meliora. Ergo ſi qui inglorij, obſcuri, miſeri deniq; ſint, id propterea fieri, quòd opinione decepti, caduca pro æternis amplectantur: qui uerò contrà, uirtutem hominis uerum bonum adamauerint, ij glorioſi, clari & beati erunt. QVIDAM alius non obſcurus ætatis noſtrę Ariſtippus affirmauit, de Materia prima ęnigma propoſitum ſibi uideri. At LVDOVICVS Caſteluitreus Mutinenſis epitaphium hocce ab Alexandro Guerino Ferrariæ in tẽplo D. Mariæ de Vado, anno MDXIIX. poſitum aſſerit, neque ipſummet de ſenſu illius quicquam prõũciare uoluiſſe, quòd eum ſibi excidiſſe ſimularet. Verùm quidam Alexandri diſcipulus & narrauit, & exemplis quorundam poematum confirmauit, Ferrarienſes tũc temporis, quotquot literis dediti humanioribus eſſent, ei rei interdum ſtuduiſſe, ut magno conatu magnas nugas agerent, h. e. ſplendida licèt & prolixa oratione, nihil tamen dicerent. Eiuſdemq; generis hanc quoq; inſcriptionem uideri: præſertim cùm Philippa iſta, Borſani cuiuſdam Mutinenſis mercatoris locupletiſſ. filia, Ioanni de Varano, Camerini domino, exuli, propter dotis amplitudinẽ nuptui data, pulcra magis quàm pudica fuerit, & tãdem amoris æſtu ad inſaniam redacta, ſæpius per compita Ferrariæ nuda cucurrerit. Ex Ioanne Mathiam F. cum fratribus Varanis dictis ſuſcepit, qui ius ſuum Camerinenſe Paulo III. Pp. uendidêre: quo ille fretus, Camerinum duci Vrbinati eripuit, & pro Parma & Placentia commutauit.

# PHILOSOPHIÆ AMOR, STVDIVM, CVLTVS.

## IN SEIPSO.

*Vide Tit. Diſcendi Studium.*

## POPVLI SAPIENTIÆ STVDIOSI.

Scribit in Protagora Plato, antiquiſſimum apud Græcos, & plurimum ſapientiæ ſtudium in CRETA & LACEDÆMONE extitiſſe, ac ſophiſtas inibi plures, quàm alibi uſquam repertos: diſſimulare autem ſolitos, ac imperitiam prætendere, ne Græcos alios ſuperare ſapientia deprehenderentur, ac ad idem ſtudium accenderentur. Et mox paulò addit, Lacedæmonios optimè ad philoſophiam & ſermones eſſe educatos, etiam ſi à principio rudes uidentur: uerùm eiaculari ſtatim magni momenti uerba contorta, breuiaque, uehementis modo iaculatoris: cuiuſmodi enunciare, uiri ſit tantùm abſolutè docti. Cælius libro 18. cap. 1. Antiq. Lect.

In HISPANIA, antequam auri argentique uenæ reperirentur, & bella ſunt perpauca geſta, & multi philoſophati, & populi ſanctiſſimis moribus uixêre ſecuri quietique. Singuli populi à magiſtratu annuo regebantur uiris præſtantiſſimis eruditione & probitate: æquo & bono tranſigebantur res, non legum numero: licèt ſcriptæ aliquot dicantur, pręcipuè apud TVRDVLOS ſiue TVRDETANOS (quas eandem gentem Strabo facit, Polybius diuerſam) magna uetuſtate temporis: lites controuerſiæque inter ciues propè nullæ: & tamẽ ſi quæ erant, de æmulatione uirtutis erãt: de natura deorum, de ratione naturæ, de moribus probis, eruditi homines ſtatis diebus publicè diſſerebant, ut feminæ quoque intereſſent. Arſerunt uerò quidam montes, metallis grauidi, & auro argentoque eliquatis, ceperunt homines nouam atque inuſitatam admirari materiam. Hinc Phœnicibus, qui quæſtus gratia totũ orbem nauigiis peragrabant, oſtenſas opes cum exigui precij rebus permutabant. Phœnices quæſtu facili magnoque domi oſtenſo, & ex ea regione, & ex reliqua Aſia Græciaque ingentem uim hominum ad cupiditatem promtam diuitiarum exciuerũt: ita modò numeroſis claſſibus, modò ſingulis, binis, terníſue onerariis nauibus Hiſpaniam ſubinde repetebant. Plures uel ſoli uel cœli bonitate capti, alij metalla patrię penatibusque præferentes in Hiſpania remanſere, qui ad ſe cognatos affinesque alios aliis illectamentis pertraxerunt. Tum frequentes ex tota Aſia uicinisque inſulis in Hiſpaniam coloniæ miſſæ. Hi rudes malitiæ ac uitiorum populos Aſiana Græcaque docuêre ſcelera. Hinc ſubitò exorta Hiſpanis ſuorum metallorum admiratio & cuſtodia: hinc lites, hinc rapinæ, cædes primùm priuatæ, & latrocinium paucorum, demùm apertum publicumque gentium inter ſeſe concurrentium, quod uocant bellum, ducibus alienigenis, & inprimis Phœnicibus, tantorum non modò in præſens, ſed in poſterum quoque malorum auctoribus & magiſtris: tum occurſum prauis moribus, tum deſitum æquo ac bono fidi, & leges ferri cœptæ: cõuerſiſq; animis ad metallorũ curam & negotiationẽ, uariis gentibus bellisq; in Hiſpaniã ingruentibus, omiſſum eſt ſtudiũ philoſophiæ: artesq; illæ ut coli deſitę, ita & ferè extinctę ſunt. nã literis cõtinebantur perpaucis: auditione magna ex parte tradebantur, percipiebanturq;: quarum reliquiæ pace à Romanis parta per aliqua meliora ingenia renouatæ, aduentu Gothorum, deinde Agarenorum ad uulgus perierunt. Ludouicus Viues in librum octauum Auguſtin. de ciuitate Dei, cap. 9.



GOTHOS ſapientes, Græcis penè ſimiles fuiſſe, teſtatur Dion, qui hiſtorias eorum patrio ſermone compoſuit: & Tarabuſteos, deinde Pileatos (Cranzius Pelleatos) uocatos ſcribit eos, qui ſapientia nobiliores & illuſtriores habebantur: ex quibus reges & ſacerdotes ſibi cooptabãt. Ioan. Magnus lib. 1. cap. 33. & Cranzius lib. 1. Sueciæ c. 5.

ITALI hoc præ cæteris Chriſtiani orbis gentib. peculiare habent, quòd mirifico ſcientiarum amore flagrant. Mitto nũc priuata ſtudia, in quibus fortaſſe Barbari, quos uocant, illis non magis ceſſerint, q̃ cuiuis è Græciæ ſapientibus Anacharſis: publica uerò eruditionis exercitia, quas uocant Academias, quæ in ſingulis ferè urbibus celebrioribus inter nobiliſſimos ciues, ſymbolam ſuã ſingulis in ſumtus, ſi qui ſunt faciendi, annuatim conferentib. inſtituuntur: illa, meo quidem iudicio, tanti ſunt facienda, ut ſi cum Galliæ & Germaniæ nobilibus, quos, paucis exceptis, arma, pocula, chorcę, uenationes, luſus tantùm delectant, conferantur, barbarici nomine illos meritò uideantur condemnare poſſe. Ortus Academiarum illarum incertus eſt. Videtur tamen renaſcentibus in Italia literis, ſub Coſmo Medice, literatorum patrono, Florentię prima cepiſſe. Cuius æmulatione motæ cæteræ urbes, Florentinorum Academicorum gloriam & æquare & ſuperare ſedulò contenderunt. Hinc apud Neapolitanos Sereni & Ardentes, apud Senenſes Inthronati, apud Papienſes Clauigeri, apud Patauinos Eleuati, Inflãmati, apud Veicentinos Conſtantes, ſunt exorti, ex ipſo uitæ inſtituto aliud atq; aliud nomen ſuæ ſcholæ imponentes.

SINARVM in Oriente populi literis operam dant: qui in illis maximos progreſſus habent, maximis honoribus afficiuntur. In ſtudiis, genere antiquo ſermonis utuntur, imperitis ignoto: quemadmodum apud nos, qui artium maximarum diſciplinis ſtudent, linguam Græcam aut Latinam perdiſcunt. Qui iuri ciuili ſtudent, in magno honore ſunt. Regẽ quaſi quoddam cœleſte numen colunt: qui tamen rarò admodum ſe conſpiciendum exhibet. Reſp. in tres partes eſt diſtributa. Principatum ii, qui in diſciplinis & iuris ſtudio ualdè profecerunt, obtinent. Secundus honoris gradus militibus aſſignatur. Poſtremi ordinis ſunt, qui artes fabriles colunt. In ſtudiis quantum quiſq; profecerit, iudicio eorũ, qui maximis artibus præſunt, examinari ſolet. Sunt autem ordines horum iudiciorum gradatim inſtituti: ita ut ei, qui infimi ordinis approbationem conſequutus eſt, ſi uelit ad altiorem locum dignitatis aſpirare, ſint grauiora doctiorũ hominum iudicia ſubeunda. Qui plurimis & doctiſſimis probatus extiterit, is ampliores in Rep. honores conſequitur. Oſorius lib. 11. rerum Em.

## REGES, PRINCIPES.

*Vide Tit. Docti principes. Hic ſtudium, illic Poſſeſſio conſideratur.*

## QVIVIS ALII.

NEOPTOLEMVS apud Ennium ſic inquit:

Philoſophãdum eſt paucis: nam omnino, haud placet.

Gell. lib. 5. cap. 15.

Negat SOCRATES uitam accepturum ſe ſub hac conditione, ne philoſophiæ, ne admonendis liberè hominibus det operam. Cuius ſanè uerba grauiſſima & pulcerrima ſunt apud Platonem in Apologia: Quòd ſi me, inquit, uiri Athenienſes, ea nunc lege abſolueritis, ut ne ampliùs huic inquiſitioni ſapientiæ nauem operam, neu uerſer in reb. præclaris cognoſcendis, ſi quando in hocce ſtudio deprehẽdar, mors ſit mihi capitis condemnato obeunda: ego aut ſanè conditionem hanc recuſarẽ. Equidem uos uiri Athenienſes ſingulari quadam beneuolentia omnes complector: parendũ tamen & potiùs duco Deo immortali, quàm uobis. Itaque quamdiu & ſpirabo, & potero, nunquam philoſophiæ curã abiiciam, nec ueſtri admonendi, moreq; ac modo meo adhortandi ad uirtutem, quemcunq; fuero ex uobis nactus. Lud. Viues libro de Pacificatione.

LYSIMACHVS Macedo adeò philoſophiæ ſtudiis captus fuit, ut Calliſthenem, quem ob coniurationis ſuſpicionem Alexander occidit, auribus, naſo, labiis crudeliter trũcis, cauea cum cane incluſum, audire perſeuerarit, eiq; in remedium malorum uenenum miſcuiſſe ſit creditus. Sabellicus libro 7. Enneadis 4.

M. CL. MARCELLVS, quinqes conſul. Fuit uſu rei militaris peritus, corpore robuſtus, manu ſtrenuus bellator, natura reliqua modeſtus, humanus, Græcarum literarum & diſciplinarum hactenus, ut coleret præſtantes in iis, & in admiratione haberet, ſtudioſus: ſed parem uoluntati non eſt exercitationem in iis neq; doctrinam, propter occupationes, aſſecutus. Plutarchus in Marcello.

L. LVCVLLVS colebat omnem philoſophiã, neq; ab ullo genere abhorrebat, aut alienus erat: propriè tamen ab ineunte ætate dilexit & ſecutus eſt Academiam, non illam, quam Nouam uocabant, (quamuis eo tempore Carneadis præceptis per Philonem floreret) ſed Veterem, quæ acrem antiſtitem & facundum habebat Aſcalonitem Antiochum, quem omni ſtudio amicum parauit & conuictorem Lucullus, quò cum Philonis opponeret auditoribus, in quibus erat Cicero, qui librum admodum doctum pro ſecta ſua ſcripſit, in eo diſputationem pro comprehenſione Lucullo, ſibi tribuit diuerſam. Titulus libro Lucullus eſt, ſiquidem erant hi ſummi amici & conſiliorum in republica ſocij. Plutarchus in Lucullo.

M. T. CICERO Terentiam uxorem abdicauit. De quo Hieronymus contra Iouianum ſic ait: Cicero rogatus ab Hircio, ut poſt repudium Terentiæ, ſororem ſuam duceret: negauit ſe id facturum, dicens Se non poſſe uxori & philoſophię pariter operam dare.

D. AVGVSTINVS etiamnum iuuenis, oratoriæ totus deditus, lecto Ciceronis Hortenſio, non ad hanc ancillam ſectam, ſed ad ipſam, quæcunq; eſſet, ſapientiam accendente, ſummo philoſophiæ ſtudio flagrare cepit. Teſtis ipſemet libro 3. Confeſſionum c. 4.

## IN ALIIS.

*Sub loco Iuſtitiæ, conſule Tit. Docti in precio habiti. Item Tit. Statuæ philoſophis poſitæ.*

AREOPAGITÆ otij rationem à Menedemo & Aſclepiade philoſophis pauperibus exquirentes, ubi nocturna opera, quam cuidam molitori duarum drachmarum mercede locabant, uictum illos ſuum exercere cognouerunt, ducentis drachmis uirtutis nomine eos donarunt. Athenæus libro 4. capite 20.

ABDERITÆ, cùm ciuem ſuum Democritum ob conſumtum patrimonium ampliſſ. multare decreuiſſent, poſteaquam philoſophiæ eius admiranda dogmata, in quæ opes tãtas inſumſiſſet, cognouêre, laudatum dimiſere. Athenæus libro 4. capite 20.

PHILIPPVS Macedo Alexandro filio iuſſit, ut audiret Ariſtotelem, & philoſophiæ uacaret: Ne, inquit, multa admittas, quorum me admiſſorum pœnitet. Plutarchus in Apophthegmatibus.

ALEXANDER Magnus, Corinthi cùm Diogenem uidiſſet, ex præclara indole ſua amplexus ſtupensque eius animos & celſitatem: Niſi, inquit, Alexander eſſem, Diogenes eſſe uelim. Felicitatem penè dixerim, ſplendoremque & potentiam ſuam, ut uirtutis obſtaculum, quod eum diſtringeret, grauatus, & æmulans uile pallium & manticam: quòd his inuictus Diogenes atque inexpugnabilis eſſet: non, ut ipſe, armis, equis, & ſariſſis. Atqui integrum erat ei philoſophiam ſectanti atque animi habitu fieri Diogeni, ſimulque fortuna manere Alexandro: atque ideo fieri Diogeni magis, quia Alexander & rex erat: quòd aduerſus ingentem fortunam, quæ uehementi uento & fluctibus agitabatur, multa opus haberet ſaburra & gubernatore magno. Plutarchus ad Principem indoctum.

DIONYSIVS iunior multos ſophiſtas oſtendit ab ſe ali, non quòd ſuſpiceret illos, ſed quòd per eos ſuſpiceretur. Plutar. in Apophthegmatibus.

Vticæ cũ M. CATONE dicũtur fuiſſe Apollonides Stoicus, & Demetrius Peripateticus, & Cleanthes medicus. Nam Cato Græcos philoſophos multùm in comitatu habebat, quantumque oderat eos proauus, tantum dilexit pronepos. Nocte, qua ſe occidit ille, ne in Cæſaris manus ueniret, diſputatione ſuper cœnam forte orta de his rebus, quæ ad ueram hominis libertatem pertinerent: Demetrius multa dixit aduerſus ea, quæ conſtantiſſimè affirmabat Cato, de laude eorum, qui ſe occiderent: adeò ut ſuſpicionem aliis faceret, eum ſua ſe manu ſtatuiſſe tollere. Plutarchus in eius uita.

Cùm Imperator AVGVSTVS, uti ferunt, maiorem in modum charum haberet Peripateticum philoſophum Nicolaum, qui moribus blandiſſimis, ſed gracili corporis proceritate erat, ac punicei ruboris facie plena: maximas & pulcerrimas palmas Nicolaos appellauit, atque in hunc uſque diem ita dicuntur. Plutarchus libro octauo Quæſtionum conuiualium 4.

IDEM Alexandrinis hoſtibus, uicto M. Antonio, ignoſcere ſe dixit, propter conditorem Alexandrum, propter urbis elegãtiam, & propter Arium philoſophum amicum, quem ſecum manu ducebat. Plutarchus.

LEO Imperator, qui Martiano ſucceſſit, Eunucho indignè ferenti, quòd Eulogio philoſopho teſſeram frumentariam dediſſet, militibus potiùs largiendam dicens, reſpondit, Vtinã is ſit temporum meorum ſtatus, ut mihi liceat ſtipendia caſtrenſia in ſtipendia literaria commutare. Suidas.

VALENTINIANVS I. Imp. inter tumultus bellicos, cura ſtudiorum liberalium non omiſſa, edictum ad Olybrium urbis Rom. præfectum de ſtudiis urbis Romę miſit, in hæc uerba: Quicunq; ad urbem diſcendi cupiditate ueniunt, primùm ad magiſtrum cenſus prouincialium iudicum, quibus copia danda eſt ueniendi, eiuſmodi literas proferant, ut oppida hominum, & natales, & merita expreſſa teneantur: deinde ut in primo ſtatim profiteantur introitu, quibus potiſſimùm ſtudiis nauare proponant: tertiò ut hoſpitia eorum ſolicitè cenſualium norit officium, quo ei rei impertiant curam, quam ſe aſſeruerint expetiſſe. Iidem immineant cenſuales, ut ſinguli eorum tales ſe in conuẽtibus præbeant, quales eſſe debent, qui turpem, inhoneſtamq; famam, & conſociationes, quas proximas eſſe putamus criminibus, æſtimẽt fugiendas, néue ſpectacula frequentiùs adeant, aut appetant uulgò intempeſtiua conuiuia. Quin etiam tribuimus poteſtatem, ut ſi quis in his non ita in urbe ſe geſſerit, quẽadmodum liberalium artium dignitas poſcat, publicè uerberibus affectus, ſtatimq; nauigio ſuperpoſitus, abiiciatur urbe, domumq; redeat. His ſanè, qui ſedulò operam profeſſionibus nauant, uſq; ad uiceſimum ætatis ſuæ annum Romæ liceat commorari: poſt id uerò tempus qui neglexerit ſponte remeare, ſollicitudine præfecturæ etiam impuriùs ad patriam reuertatur. Scripſit inde III. Kal. Maij de profeſſoribus ad Principium præfectum urbis, ita: Medicis & magiſtris urbis Romæ ſciant omnes immunitatem eſſe conceſſam, ita ut etiam uxores eorum ab omni inquietudine tribuantur immunes, & à cæteris oneribus publicis uacent, eoſdemq; ad militiam minimè comprehendi placeat. Sigonius libro 7. Imp. occid.

Obſeruatione dignum eſt, libros Ariſtotelis Stagiritæ, Peripateticæ ſectæ principis, diuina quadam ſorte per mille nongentos annos, inter tot Barbarorum incurſiones, & maximorum imperiorũ ruinas, & præſtantiſſimorum auctorum interneciones, conſeruatos fuiſſe, & ſingulari quadam ratione quater opimorum ſpoliorũ loco uelut in triumpho ductos. Plut. in Sylla ſcribit, Ariſtotelis bibliothecæ hæredẽ Theophraſtum, legaſſe eos cum ſuis Neleo Scepſio, qui Scepſim urbem Troadis deportarit. Nelei hæredes, imperiti homines, uel inuidia uel auaritia inflammati, cùm Attalicorũ & Aegyptiorum regum inſigne ſtudium in bibliothecis erigendis uidiſſent, loco ſubterraneo eos defodêre, ubi cum blattis & tineis diu pugnarunt, ad Apelliconẽ uſq; Teium, qui eos in Græciam retulit uelut ab exilio. Huius bibliothecam capto Piræeo L. SYLLA Romam in triumpho ueluti duxit: Tyrannion Emiſenus grammaticus, quantum licuit, expolire & integritati ſuæ reſtituere ſtuduit. Andronicus pòſt Rhodius catalogum eorum edidit. Sic græca philoſophia tanquam bellicum ſpolium Romanis communicata eſt, paulò ante monarchiæ Romanæ initia. Ea autẽ propter aſſiduas Barbarorum Septentrionalium incurſiones in Occidente penitùs abolita, Romano põtifice ſuam ſenſim potentiam contra Longobardos reges ſtabiliente: cùm Orientis etiam imperium noua procella à Meridie ductu Mahometi circa annum ſal. 623. coorta adoriretur: latrocinantes primò SARACENI, mox etiam iuſto exercitu, Græci imperij prouincias aggreſſi, Syria, Aegypto, Africa domita, in inſulas ſeſe effudere Mediterranei maris Rhodum, Cretam, Siciliam, & ex illis cum reliqua præda libros etiam Ariſtotelis ſecũ auexere, & cum imperio literas quoq; Gręcis atq; Latinis eripuere. Secundi huius de Ariſtoteleis libris acti triumphi indicium eſt, quòd non modò in linguam Arabicam trãslati fuere, uerumetiam omnium Ariſtoteleorum interpretum principem, Commentatorem magnum dictum Auerroen, Cordubenſis ſchola Saracenorũ nobis dedit. Philoſophia interim apud Latinos per ſexcentos ferè annos frigeſcebat, apud Græcos parciſſimè colebatur: quoad FRIDERICVS II. Imp. fortiſſimus, & niſi Pontifices inimicos habuiſſet feliciſſ. rebus contra Sultanum Aegyptium prçclarè geſtis, & decennalibus pactis induciis, ſuis ipſe ſumtibus è lingua Arabica in Latinam librorũ Ariſtotelis maiorẽ partem transferri curauit (neq; enim à Græcis propter odium gentis petebantur) & ueluti iam tertiò ſpoliũ philoſophicũ Saracenis ereptum, imperio Romano ſub Germanorum tutela refloreſcente, Latinis reſtituit. Debet ergo Germano Imperatori philoſophia Latina ſuam reſtitutionem: perfectionem uerò priuatis Grçcis hominibus, qui euerſo imperio Conſtantinopolitano per Mahometum II. Turcorum tyrannum, anno ſal. 1453. philoſophiam Ariſtotelis & Platonis, quod unum ex tanto incendio ſpolium ſuperfuit, Italiæ inuexêre, & Latinè loquentem Ariſtotelem Io. Argyropylus & Theodorus Gaza noſtro orbi exhibuere. Sic ergo quater uelut in triumpho ductus Græcus Ariſtoteles, captiuus ſemper de uictoribus triumphaſſe uiſus eſt.

FRIDERICVS I. Imp. uictis Mediolanenſib. conuentu Roncalias indicto, tum de aliis ſtatuit, tum uerò etiam legem tulit eorum, qui ſtudiorum cauſa publica gymnaſia frequẽtarent, rationibus aptam, quorum numerus poſt Lotharij Imp. edictum uehementiſſimè creuerat. Ne quis aliquã ſcholaribus iniuriam faceret, nec ob alterius cuiuſq; prouinciæ delictum ſiue debitum, quod aliquando ex peruerſa conſuetudine factum eſſet, aliquod damnum eis afferret: ſi quis feciſſet, aut factum uindicare rector ciuitatis neglexiſſet, is in quadruplum multaretur, notamq; infamiæ ipſo iure ſubiret, ac dignitate in perpetuum careret. Si quis litem ſcholaribus ſuper aliqua re mouiſſet, huius rei optione data ſcholaribus coram domino ſeu magiſtro ſuo, aut ipſius ciuitatis epiſcopo, quibus hanc iuriſdictionem daret, conueniret. Qui uerò ad alium iudicem eos adducere tentaſſet, etiam ſi cauſſa iuſtiſſima eſſet, tali conatu caderet. Sigon. libro 12. regni Italici.

ROBERTVS II. Scotorum rex, doctos uiros ac ſacerdotes ſumma ſemper ueneratione coluit, eorũq; inopiam liberalitate ſua ſubleuauit. H. Boethius lib. 16.

IACOBVS I. Scotorum rex nouam Academiam Sancti Andreæ inuiſit: magni iam templi Abbatiæ Sancti Andreæ pfectè, reædificati magnatum ac præſulum impendiis ingentibus, conſecrationi adfuit. Interfuit nonnunquam ſtudioſorum diſceptationibus: quibus mirum in modum delectatus, plurimis eos priuilegiis donauit. Inter cætera hoc fieri uoluit, ut Theologiæ ac Decretorum doctores optimos quoſq; ad ſeſe ſemper mitterent petitum magiſtratus eccleſiaſticos: reliqui ſcholaſtici ad minora ſacerdotia, quæ ad regiam attinerent donationem. Ad hæc edixit, ne quiſquã, ni ſiut minimum Baccalaureus ſeu Theologiæ ſeu Decretorum, in Eccleſia cathedrali ad canonicatum admitteretur, prçterquam qui inſigni nobilitate clarus eſſet: neue cuiquã hæreditatem inſignem adeundi ius eſſet, qui prorſus iuris ciuilis aut municipalis ignarus eſſet. H. Boethius lib. 17.

MATHIAS Pannoniæ rex inprimis dilexit Io. Regiomontanum, mathematicum: eũq; in aulam uenientẽ menſæ ſuæ adhibebat. Et quidem perpetuò talis erat forma conuiuiorum regiorum, ut aut uiros doctos differentes de aliqua parte doctrinæ ex artibus, uel hiſtoriis audiret, ubi ipſe crebrò & prudenter interfabatur: aut accerſeret muſicum, qui ad lyram geſta præſtantium uirorum in bellis Turcicis ſermone patrio, ut multos ad uirtutem accenderet, decantabat. Ioach. Cureus in annalib. Sileſiæ.

EMMANVEL Luſitaniæ rex fauebat plurimùm literis: de moribus externis multa percontari ſolebat, hiſtorias libenter audiebat, quoties cibum publicè ſumebat: erant epulæ magis iucundo & utili ſermone, quàm coquorum artificio cõditæ. Nam cum hominibus eruditis, & cum iis, qui uarias regiones peragrauerant, ſermonem libentiſſimè conferebat. Oſorius lib. 12. rerum Em.

## PHILOSOPHIÆ ODIVM ET CONTEMTVS.

ATHENIENSES, accuſantibus Melito & Anyto, Socratem impietatis traductum ab Ariſtophane in comœdia, quam Νεφέλας inſcripſit, tam impiè quàm cupidè damnarũt, ignorantia ſcilicet eius, quam ſuſpectam habebant, philoſophię. Pari furore etiam antè Anaxagoram, niſi Periclis ſeria interceſſione exilium impetraſſet, morte fuerant affecturi. Ariſtotelem ob Scolion carmen in Hermian eunuchum, tanquam Pæana ſcriptum, exilio ſponte ſolum uertere coegerunt. Scaliger lib. 1. Poet. cap. 44.

Inuiſi fuerunt ATHENIS & ROMÆ philoſophi, & ipſa adeò philoſophia etiam tum, quum maximè in illa ciuitate ſtudium illud floreret. Indignabantur enim eos, quos rerum & ſapientiæ cognitio meliores debuiſſet facere, peiores eſſe hominibus omnino imperitis. Et erat quodcunque uitium in illis notabilius, qui formationem morum, & ſcientiam omnium uirtutum promitterent. Itaque Athenis & Romæ, quiſquis uituperare uoluit uel philoſophos, uel ipſam philoſophiam, ſecundo admodum populo uſus eſſet. Neq; nunc uerò repugnantẽ haberet multitudinem: quanquam populus noſter multo ſe habeat q̃ ille priſcus moderatius. Nam quum huius ętatis philoſophi, & utilitatis minus adferant, ſiue ad loquendum ſiue ad ſentiendum, quàm illi Athenis aut Romæ, nec probitate aut compoſitione morum antecellant: tamen populus ſeruat adhuc non parum uenerationis iis, qui artes profitentur, etſi nullam præſtent. Neſcio an ea ſit cauſa, quòd Athenienſis &



enſis & Romanus populus, quæ à philoſophis dicerentur, intelligebat: ideo faciliùs poterat de illorum ingenio ac eruditione cenſere: noſter non intelligit, ideo nec iudicat, ſed admiratur. Lud. Viues De cauſis corrupt. artium, lib. 1.

DIONYSIVS ſuperior, poeticæ admodum deditus, philoſophiam ſpernebat. Itaq; Platonem quoque in paruo habuit precio. Plut. in Dione, & Cælius lib. 22. cap. 17.

Epicurei Senatuſconſulto ROMA ſunt exacti: & MESSENII in Arcadia, eos quaſi peſtes adoleſcentum, propter molliciẽ & impietatem, ante ſolis occaſum agro ſuo excedere iuſſerunt, à ſacerdotibus luſtrari fana, & à Timuchis (ſic enim à gerendis honoribus magiſtratus ſuos appellant) totam urbem purgari uoluerunt, tanquam ſordibus & ſentina quadam liberatam. Ferunt & à LYCTIIS in Creta, quoſdam ex Epicureis eò profectos, fuiſſe pulſos: legemq; populari ſermone ſcriptam, qua effeminatæ ſapientiæ ac degeneris & turpis inuentores, & diis inuiſi, Lycto pellerentur. Quòd ſi quis eò per audaciam ueniſſet, contemta lege eum in caſtaſta uinctum, iuxta curiam dies XX. nudum melle & lacte perfundi, ut ab apibus & muſcis conſumeretur. Quibus exactis, ſi ſuperſtes eſſet adhuc, muliebri ueſte indutum de ſaxo præcipitari iuſſerunt. Suidas.

DOMITIANVS Imp. Hermogenem Tharſenſem ob quaſdã figuras in hiſtoria occidit, librariis qui eam deſcripſerant, cruci affixis. Metium Pompuſianum, quòd uniuerſi orbis picturam haberet, & Liuianas hiſtorias euolueret: Maternum ſophiſtam, quòd exercitij cauſa aliquid in tyrãnos dixiſſet: Ruſticum Arulenum, quòd philoſopharetur. Philoſophos omnes urbe Italiaque ſummouit. Suetonius, & Dion. Qua tempeſtate etiam Epictetus Stoicus S. C. Roma deceſſit. Gell. lib. 15. cap. 11.

SALVSTIVS à philoſophia dehortabatur adoleſcentes, alterutra de cauſa: ſiue ut magiſtros offenderet, illorumq; odio philoſophicis ſcholis inſidiaretur: ſiue quòd magnitudinẽ illius uitæ inſtituti reputans, omnes eo mortales inferiores ducebat: Suidas.

ANTONINVS Caracalla Imp. ſtulta æmulatione Alexandri Magni (qui ueneni Stygij, quo per Iolam ille è medio ſublatus creditur, commonſtrator fuiſſe dicebatur) uoluit libros Ariſtotelis comburere: ſodalitates Ariſtoteleorum, & cætera commoda quæ habebant in Alexandria, ſuſtulit: criminatus eos potiſſimùm, quòd Ariſtoteles Alexandrum Magnũ diſcipulum aqua Stygia per Parmenionem tolli curaſſet. Dion Nicæus in Antonino.

Nero liberales diſciplinas omnes ferè puer attigit. A philoſophiæ ſtudiis mater eum AGRIPPINA auertit, identidẽ admonens, inutilem eſſe eam ſcientiam imperaturo: cùm Plato uir ſummus, nil magis putet neceſſarium huic, qui ſit reip. præfuturus. Sed illa non principem, ſed tyrannum agitabat animo, & tam ſibi & aliis pernicioſum, quàm poſtea Nero fuit. Sab. lib. 2. En. 7. ex Suetonio.

Bello ciuili Vitellij & Veſpaſiani, quum legatos ex urbe Vitellius ad Antonium & Veſpaſiani exercitus de pace miſiſſet, miſcuerat ſe legatis, inquit Tacitus, Muſonius Ruffus equeſtris ordinis, ſtudium philoſophiæ & placita Stoicorum æmulatus, captabatque permiſtus manipulis, bona pacis ac belli diſcrimina diſſerens, armatos monere. Id pleriſque ROM. militum ludibrio, pluribus erat tædio, nec deerant qui propellerent, proculcarentq;, ni admonitu modeſtiſſimi cuiuſq;, & aliis minitantibus omiſiſſet intempeſtiuam ſapientiam. Lud. Viues de Concordia & Diſcordia lib. 2.

PERSIVS Satyra tertia in philoſophos, ipſamq; adeò philoſophiã (homines potiùs quã rẽ ipſam inſectans) ſic inuehitur:

—— Quod ſatis eſt, ſapio mihi. Non ego curo
Eſſe quod Arceſilas, ærumnoſiq; Solones,
Obſtipo capite, & figentes lumine terram,
Murmura cùm ſecum & rabioſa ſilentia rodunt,
Atq; exporrecto trutinantur uerba labello,
Aegroti ueteris meditantes ſomnia, gigni
Ex nihilo nihil, in nihilum nil poſſe reuerti.

IVVENALIS cùm ſæpe aliàs, tum Satyra potiſſimùm ſecunda pſeudophiloſophos reprehendit:

Qui Curios ſimulant, & Bacchanalia uiuunt.
Hiſpida membra quidem & duræ per brachia ſetæ
Promittunt atrocem animum: ſed podice læui
Cæduntur tumidæ medico ridente mariſcæ.
Rarus ſermo illis, & magna libido tacendi,
Atq; ſupercilio breuior toga.

LICINIVS Imp. fuit literis adeò infeſtus, ut uirus ac peſtem publicam eas appellaret. Sed cur eas non odiſſet, quarum adeò expers erat, ut ne decretis quidem ſubſcribere poſſet. Euſebius lib. 8. cap. 13. Eutropius.

VALENTINIANVS III. Imp. Gratiani filius, magno literarum odio flagrauit.

TYRANNVS quidam barbarus, quæ philoſophiã continerẽt uolumina, prorſum omnia cremare cõſtituerat: ni Algazeles, cuius inter eruditos non incelebre nomen eſt, cõmento pio, ab infando auertiſſet incœpto. Cæl. lib. 29. cap. 8. A. L.

## SAPIENTIÆ ET PHILOSOPHIÆ VSVS.

### APTVS COMMODVS, Oportunus.

*In Theologia.*

D. AVGVSTINVS poſt XX ætatis annum, perlectis Platonicorum quorundam libris, qui ea, quæ à D. Ioanne Euangeliſta in principio ſui Euãgelij tradũtur, magna ex parte, licet uerbis diuerſis, continebant, plurimum inde lucis & ardoris ad catholicas ſcripturas legendas & intelligendas ſe pcepiſſe teſtatur lib. 7. Confeſſ. cap. 9. hoc uno excepto, quòd Chriſtum Ieſum non haberent, & uelutè ſyluestri cacumine patriam quidem pacis oſtenderent, ſed uiam eò perueniendi ignorarent, iter deuium & periculoſum aliud, à latronibus & dæmonibus obſeſſum, commonſtrantes. cap. ultimo eiuſdem libri.

*In Scena.*

EVRIPIDES, Philoſophus ſcenicus uulgò Athenis eſt appellatus: quando & noua de rerum principiis ſuo carmine placita uel ex ſe, uel ex magiſtro induxiſſe dicitur: aera enim & terram ex cœleſtium imbrium cõceptionibus impręgnatã, omnium gẽtium & animalium fœtus procreauiſſe cecinit. Gyraldus in Hiſt. poet. ex Vitruuio.

Nõ poeta ſolùm AESCHYLVS, ſed etiam philoſophus fuit, atq; is quidem Pythagoreus: quod ex grauitate quoq; ſententiarum: ſubtiliq; diſputatione multarum rerum, qua uſus eſt in fabulis ſuis, cognoſci nullo negotio potuit. Laudatur is multis locis ab Athenæo, cœleſtiſq; ac diuinus appellatur. Victorius lib. 7. Var. lect. c. 11.

*In Conuiuio.*

Aetate Plutarchi mos ROMÆ in cõuiuia admiſſus fuit, ut ex iis Platonis dialogis, qui rem fictam ac fabuloſam tractarẽt, faciliimos ediſcerent pueri, quos memoriter recitarent, cum actione & uocis conformatione cuiq; perſonę conueniẽte. Sed non pauci eam rem moleſtè tulerunt, increparuntque eos, qui Platonem pro ludicro inducerent in conuiuia, & diuinos illius dialogos inter bellaria & unguenta audire ſuſtinerent. Plut. lib. 7. Quæſt. conuiu.

*In Bello.*

EPAMINVNDAS Thebanus dux, fortitudine & rei militaris peritia non ſolùm conterraneos ſuos, uerumetiam alios Græcos omnes multùm excelluit: quoniam omnium propemodum diſciplinarum cognitionem habebat: præſertim autem Pythagoricæ philoſophiæ præceptis imbutus erat: ad hæc phyſicis ſpeculationibus ueram operam nauarat. Itaq; non mirum, quòd coacta parua militum manu, cum uniuerſis Lacedæmoniorũ ac ſociorum copiis congreſſus, inuictos priùs ſuperarit, & ipſum quoq; Lacedæmoniorũ regem Cleombrotum occiderit. Tanta profectò ille præter omnium expectationem fecit, per quandam ſingularem induſtriam & uirtutem, bonarum literarum ſtudio quæſitam. Diod. libro 15.

### INEPTVS.

HEGESIAS diſſerẽdo multos auditores adduxit, ut ſibi mortem conſciſcerent. Plut. de Natiua in progeniem charitate.

Eudamidas PHILOSOPHVM cùm audiſſet diſſerentem, Vnum ſapientem bonum eſſe ducem: Oratio mirifica, inquit: ſed non meretur, qui dicit, fidem. Neq; enim aures eius tubæ ſonum audiuere. Plut. in Apophtheg.

## PHILOSOPHIÆ FRVCTVS.

Plutarchus in libello περὶ τοῦ ἀκούειν, tradit PYTHAGORAM, cùm ex eo quæſitum fuiſſet, quid ei ſupereſſet ex diuturno illo ſtudio ſapientię? reſpondiſſe, Nihil admirari. Victorius lib. 35. cap. 6. Variarum.

Adoleſcentulus quidam ERETRIEVS Zenonis ſcholam literarum cauſa longo tempore frequentauerat. Reuerſum pater interrogauit, Quidnam ſapiẽtię didiciſſet? qui cùm ſe oſtenſurum dixiſſet, indignatus pater, uerbera ipſi inflixit. At ille modeſtè patienterq; ferens, Hoc ipſum (inquit) didici, ut iram patris moderatè ferrem. Aelian. de Var. hiſt. lib. 9.

Plutarchus in Numa auctor eſt, AEMYLIORVM familiam Romæ ἀπὸ τῆς αἱμυλίας, hoc eſt, ab humana urbanitate, quã ex conſuetudine Pythagoræ hauſerant, ab ipſo rege pacis amatore, fuiſſe nuncupatam.

# LIBRI SECVNDI TITVLORVM DISPOSITIO.

- NATVRALEM Sapientiam diuidimus in
  - Primariam, *quæ circa res naturales omnes in uniuerſum occupatur, ut illarum eſſentiam & accidentia in genere primū, mox in ſpecie inueſtiget: & ſic earum ſcientiam acquirat.* PHILOSOPHIA NATVRALIS. *Huius conſideremus*
    - Habitum, *ratione*
      - Acquiſitionis. PHILOSOPHIAE *naturalis acquiſitio uel*
        - Experiundo,
        - Inueniendo. *Inuentio, acquiſitio.*
          - Cauſarum, *Præceptorum.*
          - Effectuum *naturalium quorumuis.*
          - Regionum.
          - Rerum *naturalium quarumuis.*
        - Docendo. DOCTORES *phyſici.* Diſcendo.
      - Poſſeſſionis. *Philoſophiæ naturalis conſideranda*
        - Theorica *cognitio.* PHYSIOLOGI, *Phyſici, Philoſophi naturales in*
          - Genere. *Vel*
            - Periti.
            - Imperiti.
          - Specie. PHYSIOLOGIA *particularis, reſpectu ſubiecti uaria. Huc enim pertinet cognitio*
            - Meteororum
              - Recta. PRAECOGNITIONES, *Prædictiones phyſicæ.*
              - Falſa.
            - Metallorum.
            - Herbarum. Arborum.
            - Animalium
              - Morum, *Actionū, Paſsionum. Vel ex*
                - Ipſorummet *figura. Phyſiognomia.*
                - Aliis.
              - Partiū. ANATOMIAE
                - Periti.
                - Imperiti.
        - Mechanica *operatio.* PHYSICA *Mechanica uaria, uerſatur circa naturalia corpora uel*
          - Tota *et integra, circa*
            - Aquas. *Huc*
              - Salinarij.
              - Hydraulici, *Aquilegi.*
              - Fluminum *deriuatores.*
            - Metalla.
            - Medicamenta.
          - Non *tota, ſed in ea, ex quibus conſtant, per analyſin chymicam reſoluta.* CHYMIA.
      - Exercitationis, *ſiue*
        - Per *ſe, reſpectu*
          - Iudicij. IVDICIVM *phyſicum.*
          - Effectionis *uel*
            - Vtēdo. PHYSICES *uſus*
              - Aptus, *ſiue*
                - Medicus.
                - Bellicus.
                - Politicus.
                - Nauticus.
                - Ruſticus.
                - Ludicrus.
              - Ineptus, *Nullus.* ERRATA *phyſica.*
            - Docendo.
            - Diſcendo, *Cognoſcendo.*
        - Reſpectu *antagoniſtæ.* PHYSICORVM *certamina, tum in genere, tum in ſpecie, Anatomicorum, Herbariorum, &c.*
    - Cultum, *ſtudium.* PHYSIOLOGIAE *cognoſcendæ, exercendæ, approbandæ, uel* Studium & amor: *uel* Odium, *neglectus, contemtus.*
  - Secundariam, *quæ ſuppoſita cognitione uniuerſali, eandem uni alicui certo ſubiecto accommodat, circa quod operari cogitat. Sic* Veterinarij *corpori brutorum, ſic* Medici *corpori humano accommodant omnia naturalia præcepta, operationis cauſa.* Vide *ſignum* Aa.

Aa. Nos



- Aa. Nos *omiſsis aliis, agamus de habitu Medicorum*
  - Bono *& ſalutari, de* MEDICINA *ſcilicet, quo ad*
    - Habitum. *In hoc rurſus perpendimus*
      - Acquiſitionē: *ſiue acquiratur*
        - Diuinitùs, *naturæ occulta quadam ui aut diuino afflatu. Huc ergo* MEDICI *diuini. Medendi donum uel natura, uel diuina quadam ſorte hominibus conceſſum.*
        - Humanitùs, *partim*
          - Per *ſe inueniendo.* INVENTORES *medicinæ, reſpectu*
            - Subiecti, *uel*
              - Artis.
              - Remediorum.
            - Modi: *uel*
              - Ratiocinatione.
              - Obſeruatione.
          - Ab *alio diſcendo.* MAGISTRI *& præceptores medicæ artis tum*
            - Qui. *Puta*
              - Angeli. Reges.
              - Sacerdotes. Legislatores.
              - Parentes. Bruta.
            - Quomodo. *Nempe*
              - Præceptione.
              - Adhortatione.
      - Poſſeſſionem. *Medicina alia*
        - Hominū. *Et uel*
          - Princeps. *Medici ex arte*
            - Per *ſe.* MEDICI *artifices in genere.*
            - Secundū *quid aliud.* MEDICI *per accidēs conſiderati. Puta reſpectu*
              - Habitus *alterius uel*
                - Theorici. *Medici*
                  - Theologi.
                  - Mathematici.
                  - Philoſophi.
                  - Grammatici.
                - Practici. *Medici*
                  - Liberales.
                  - Auari.
                  - Venefici.
                  - Martyres.
              - Profeſsionis *uitæ. Vt puta*
                - Monachi. Milites.
                - Gymnaſtæ.
                - Oeconomi.
              - Ætatis. Sexus.
              - Dignitatis. *Medici*
                - Reges. Pontifices.
                - Cardinales.
                - Epiſcopi.
              - Temporis. Loci.
          - Miniſtrans. *Qui* MEDICAMENTA
            - Acquirunt, *legunt.*
            - Præparant. PHARMACOPOEI.
        - Brutorum. VETERINARII *medici.*
      - Exercitationem, *tū*
        - Per *ſe. Finis reliquas cauſas cōplectitur. Sic ergo* MEDICA *exercitatio alia*
          - Bona, *felix, induſtria, tum*
            - Medicamenta *inueniendo.*
            - Cognoſcendo, *prædicendo, præuidendo.*
            - Cōmunicando *aliis. Vel*
              - Curādo, *Operando.*
              - Docendo, *Scribendo.*
          - Mala, *infelix, inepta*
            - Cognoſcēdo, *prædicēdo.*
            - Operando, *curando.*
            - Medicamentis *componendis.*
        - Reſpectu *aliorū, quatenus*
          - Iudicat *illorum dicta, facta, conſilia.* MEDICVM *iudicat & Aptum & Ineptum.*
          - Certat *cum illis.* CERTAMINA.
      - Cultum, *quatenus uel ipſi artem diſcimus, uel ab aliis excultam præmio honoreúe afficimus.* MEDICINAE
        - AMOR, *Studium, tum in*
          - Seipſis. *Valetudinem propriam*
            - Curando.
            - Aliis *committendo.*
          - Aliis. *Nempe uel in*
            - Medicis
              - Euocandis, *Conducendis.*
              - Conſtituendis, *Probandis.*
              - Remunerandis.
            - Ægris
              - Continendis *in officio.*
              - Obſeruandis.
        - ODIVM, *Neglectus, Contemtus.*
  - Malo *atque pernicioſo, de* VENEFICIO, *tum reſpectu*
    - Efficientis. *Venefici*
      - Natura.
      - Arte.
    - Finis. *In*
      - Genere. *Veneficia.*
      - Specie:
        - Amatoria.
        - Hoſtilia.

VOLV-

# Voluminis Quinti

# Liber II.

## De Philoſophia Naturali, & Medicina.

### Philoſophiæ naturalis acquiſitio, tum rerum, tum Cauſarum, tum Præceptorum.

Huius ſunt loci

**Inventores**

**Cauſarum, Præceptorum naturalium.**

PHERECYDES Syrius primus de natura & diis ſcripſit, Theopompo teſte. Laertius.

ALCMÆON Crotoniata Pythagoræ auditor, primus naturę hiſtoriam inuenit. Suidas.

**Effectuum naturalium quorumuis.**

AEOLVS Ventorum rationem tradidit. Eapropter Ventorū rex dictus eſt: quandoquidem certis indiciis naturalibus futuros uentos prædicere poterat: eoq; factum, ut rudes homines eum uentos immittere poſſe crederent. Apud Homerum Vlyſſes apud Aeolum diuertit, ſapientiæ nimirum phyſicæ ergô. Deſcriptio antri Aeolij, naturæ myſteriis refertiſſima eſt. Strabo lib. 6. & Plin. l. 3. ex fumo inſularum prope Siciliam, in quibus Aeolus regnauit, incolas, quínam uenti flaturi eſſent, triduo prædicere conſueuiſſe narrant: & hinc Aeolo uentos parêre, iactatum fuiſſe.

Adamantis illa inuicta uis duarum uiolentiſſimæ naturæ rerum ferri ignisq; contemtrix, hircino rumpitur ſanguine, nec aliter quàm recenti calidoq; macerata, & ſic quoq; multis ictibus, tunc etiam præterquam eximias incudes malleosq; ferreos frangens. CVIVS hoc ingenio inuentū? quóue caſu repertum? aut quæ fuit coniectura experiendi rem immenſi ſecreti, & in fœdiſſimo animalium? Numinum profectò muneris, talis inuentio omnis eſt: Nec quærenda in ulla parte naturæ ratio, ſed uoluntas. Plinius libro ultimo Hiſtoriæ natural.

CTESIBIVS Alexandrinus, pneumaticam rationem & hydraulica organa inuenit. Plin. lib. 7. cap. 37.

Narrat in Problematis Alexander Aphrodiſieus, PANA quendam, philoſophiæ deditum hominem, huius ſoni, quem Echo nuncupamus, primum cauſam perueſtigaſſe. Suidas in uoce ἀλίπλαγκτος.

**Regionum.**

*Regionis tanquam rei naturalis inuentio, huius eſt loci. Eiuſdem dimenſio & deſcriptio, ad Geometras pertinet. Vtriq; Magnificentia in terris ignotis inueſtigandis famulatur: de qua ſuo loco.*

PSAMMETICHVS rex pueros curauit educari, alios ſine potu, qui Libyæ deſerta aliquando penetrarent: alios ſolis piſcibus, qui Nili fontes ſcrutarentur. Athenæus libro octauo, capite ſexto.

NECVS Aegyptiorum, & DARIVS Perſarū reges, terrarum ſitus inueſtigandi, ſtudioſiſſimi fuere. Herodotus. Diodor.

Priſcis uſque ad Ptolemæum Philadelphum temporibus, nulli Græcorum nedum Aethiopiam, ſed ne Aegypti quidem montes (ita difficiles aditus, periculoſiq; admodum ad Aethiopiam erant) tranſcenderunt. PTOLEMÆVS primus omnium, cum Græcorum exercitu Aethiopiam ingreſſus, diligenter de ſitu earum partium ſcrutatus eſt. Diodorus libro primo, capite tertio.

Cuſtodes ſinus Arabici, Indum quempiam in naui ſolum mortuo ſimilem litori appellentem inuenêre, eumq; ad PTOLEMÆVM Euergetem Aegypti regem deduxêre. Is lingua Græca eum curauit inſtrui. Qua percepta, ex India ſe tempeſtatibus iactatum, amiſſis fame comitibus, in ea loca deueniſſe. Quòd ſi liber dimitteretur, aſſumtis comitibus ſe regi ad Indos uſque facilem oſtenſurum nauigationem. Credidit homini Ptolemæus, & inter alios Eudoxum quoq; Gnidium Aſtrologum ei adiunxit. Qui hac occaſione uſus, Indiam perluſtrauit, & in reditu ad Aethiopiæ litora, Gaditanorum gubernaculo, cui Equi figura inſculpta erat, cognito, quod tempeſtatibus eò iactatum fuerat, ad Occidētem quoque per meridionalem Oceanum uiam patere deprehendens, Alexandriam reuerſus, inde per mare mediterraneum extra columnas Herculis euectus, litora Africæ circuiuit. Strabo lib. 2.

Mithridatico bello CN. Pompeius, qui in Colchidem uſque fuerat hoſtem ſecutus, poſtquam ab eo ulteriùs inſectando deſtitit, pro non paruo habuit negocio, omnia de Iaſonis in eam terram acceſſu argumenta, recognoſcere. Plures auriferi fontes ex Caucaſo ſcatent, locorum accolæ pelles in ima uada demittunt, aurumq; uelleribus implicitum legūt, ita ut in emerſo aurea ſit pellis facies. Vnde poetis materia orta uideri poteſt, tam multa de aureo uellere fabulandi. Sabell. lib. 4. Ennead. 6.

Vltra Gronlandiam, mare unius diei curſu fertur innauigabile. Tentauit hoc experientiſſimus Normannorum princeps HAROLDVS: qui latitudinē Septētrionalis Oceani ſcrutatus nauibus, tandem caligantibus ante ora mundi finibus, immane abyſſi barathrum uix euaſit. Cranzius.

Alebrandi Hamburgenſis pontificis temporibus, circa Chriſti anno 1000. quoſdam nobiles FRISIOS, cauſa peregrinādi, ab oſtio Vuiſaræ (hoc eſt Viſurgi fluminis) directo curſu in Aquilonem, à litore Friſonum, læto celeumate progreſſos aiunt. Deinde inter Daniam & Britanniam, perueniſſe ad Orcades. Quibus à læua dimiſſis, quum Normanniam in dextris haberent, longo tractu Islandiā legerunt. A quo loco ad ultimum Septentrionis axem prouecti, Deo & S. Vuillehardo, patrono ſuo, ſuam commendantes curioſitatem, ſubitò delapſi ſunt in tenebroſam rigentis Oceani caliginem, quæ uix oculis penetrari poſſet. Et ecce inſtabilis Oceani euripus, ad initia quædam ſui (ut putabatur) arcani recurrens, infelices nautas iam deſperantes, & de ſola morte cogitantes, uehementiſſimo impetu traxit ad chaos. Hāc dicūt eſſe uoraginem Abyſſi: in qua fama eſt, omnes maris recurſus, qui decreſcere uidentur, abſorberi, & denuò reuomi. Tunc illis ſolam Dei miſericordiam implorantibus, ut animas ſuſciperet, impetus ille recurrentis pelagi quaſdam ſociorum naues abripuit: cæteras autem reuomens, excurſu longo ab alteris poſt terga repulit. Ita illi ab inſtanti periculo, quod oculis uiderant, oportuno Dei auxilio liberati, toto niſu remorum, fluctus adiuuabant. Ac iam periculū caliginis euadentes, ad quandam inſulam, altiſſimis in circuitu ſcopulis, oppidi ritu munitam, appulerunt. In quam egreſſi, repererunt homines in antris ſubterraneis meridiano tempore latitantes: ante quorum fores iacebant uaſa aurea argenteaq;. Itaque horum ſumta parte, læti remiges, feſtinè remeant ad naues. Tum ſubitò inſequentes uident homines giganteæ ſtaturæ, canes item magnitudinem conſuetam ſuperantes: quorum incurſu, ſociorum unus fertur raptus, & in momento coram eis laniatus: reliqui in naues euaſerunt, gigantibus ponè in altum uociferando ſequentibus. Tali fortuna iactati Friſones, Bremam reuerſi, Alebrando pontifici ex ordine cuncta narrantes, Chriſto grates egerunt. Cranzius in præfatione Noruegiæ.

IOANNES primus, Portugalliæ Rex, maximā claſſem inſtruxit, qua Septam urbem Mauritaniæ munitiſſimam, in ora maritima Gadirani freti ſitam, expugnauit. Inde fuit oblata occaſio Luſitanis, qui in illius urbis præſidio conſtituti fuerant, armis latiùs euagandi. HENRICVS deinde Ioannis filius, claſſes ædificauit, quibus Africæ litora, & eas Mauritaniæ



regiones, quæ extra fretum ad Auſtrum pertinent, infeſtas redderet (Itaq;, teſte Tarapha, uarias inſulas ab hominibus nunquam habitatas adinuenit: inter quas ea, quę uulgo de Madera nuncupatur, ſaccaro proferendo eſt aptiſſima. In hanc & multas alias nouos primus induxit colonos ex Luſitania. Inſulam uero S. Georgij de Picho, Flandris habitandam dedit) Deinde, cupiditate incenſus terras ignotas explorandi, dedit operam, ut ii, quos claſſibus præficiebat, multò longiùs progrederentur. Quo ſtudio factum eſt, ut non ſolùm bona pars Africæ, quæ ad Aethiopiam pertinebat, uerùm & inſulæ permultæ in Oceano ſub imperium Luſitaniæ ſubiungerentur. Eo ſub an. ſal. 1460. mortuo, Rex ALFONSVS, Odoardi Regis, q fuerat Henrici frater, filius, ob bella grauiſſima nihil ulteriùs potuit explorare. At ſub IOANNE II. Alfonſi filio, Luſitanorum claſſes maximam partem Aethiopiæ perluſtrauere: & extra æquinoctialem circulum euecti, cùm eſſent à conſpectu Septentrionis remotiſſimi, alia ſidera in cœlo notarunt, ad quæ curſum dirigerent. Iam cùm quilibet alium nauigationis longitudine ſuperare contēderet: factum eſt, ut inciderent in promontorium, quo nullum unquam maius in terris apparuit, longitudine triginta & nouem graduum, qui efficiunt ſupra duo millia & ſeptingēta miliaria: ab Ortu uerò latus illius multò longius eſt. In eo ſuperando tantis tempeſtatibus iactati ſunt, ut ſæpenumerò omnem ſpem ſalutis abiicerent. Quò factum eſt, ut Tormentoſum illud promontorium appellarent, à Tormenta, hoc eſt, tempeſtate aduerſa. Reuerſi cùm Ioanni huius promontorij ſitum & longitudinem demonſtrarent, tanta lætitia affectus eſt, ut exiſtimaret eſſe ſibi iam aditum in Indiam patefactum: & quaſi felicis euentus augurio commotus, promontorium illud, Bonæ ſpei, nominare iuſſit. Homines interim partim Hebræos, partim Chriſtianos, Alexandriam miſit, inde in Aethiopiam, quæ ſupra Aegyptum eſt, & in Indiam, ut qua ratione commodiùs ille curſus, poſt illum promontorij flexum, in Indiam confici poſſet, intelligerent. Sed hos illius conatus mors oppreſſit. EMMANVEL, qui ei ſucceſſit, multis licèt diſſuadentibus, motus Ioannis conſilio, quo illum iuuenem admonuerat, ut pro uirtutis inſigni, quod regiis inſignibus adiungeret, ſphęram, in qua eſſent cœleſtis regionis circuli deſcripti, geſtaret (quaſi præuideret futurum, ut Emmanuelis, quem iā ut hæredem intuebatur, operâ, incognita ſidera, ultimæq; Solis orientis & occidētis regiones explorarētur) claſſem inſtruxit quatuor nauium. Naui prætoriæ Vaſcus Gama præfectus erat, alteri Paulus Gama eius frater, tertiæ Nicolaus Coelius: quartæ, quæ commeatus ſupplementum con uehebat, Gundiſſaluus Nonius. Aberat Olyſſippone prope littus quatuor paſſuum millia templum religioſum. In id Gama pridie illius diei, quo erat nauem conſcenſurus, ſe recepit, ut noctem cum religioſis hominibus, in precibus & uotis conſumeret. Sequenti die ab omnibus in ſcaphas deductus, alacriter in nauem conſcendit, 7. Id. Iulij, anno à Chriſto nato M CCCC XCVII. Curſum ad Fortunatas inſulas direxit: deinde Inſulam ſancti Iacobi, quæ reſpicit Aethiopiam, luſtrauit. Inde nauigationem Solis ortum uerſus inſtituit, donec terram conſpicatus eſt, & ad eam continuò naues appellere iuſſit: in magnumque ſinum ingreſſus eſt. Quibuſcunque terris inſiſteret, mores gentis & inſtituta perdiſcere ſtudebat: propterea nunquam a terra procul abſcedebat, illius ſitum & fertilitatem conſiderans. Dabat inſuper negotium certis hominibus, ut aliquem ex illis, qui regionem eam colebant, uel aſtu, uel ui caperent, ex quo poſſet id, quod uolebat, cognoſcere. Ad illum perducti homines (quorum linguam nemo ex illius comitatu, qui multas Aethiopiæ linguas nouerant, intellexit) fuêre benignè accepti, atque ueſtiti, & muneribus, quibus capiebantur, allecti, ut alios ad noſtros perducerēt. Munera fuêre tintinnabula, & uitrei globuli, & alia eiuſmodi. Erant in eius claſſe decem homines capite damnati, quibus fuerat ea lege uita conceſſa, ut quibuſcunque in locis à Gama relicti fuiſſent, regiones luſtrarent, hominumq; mores & inſtituta cognoſcerent. Vt ſolennes dies cadebant, qui erant Diuorum memoriæ conſecrati, ita nomina terris, & inſulis, & fluminibus incognitis, quę diebus illis primùm uiderant, imponebant. Columnas lapideas, in quibus erat Crux cum Emmanuelis inſignibus inciſa, in iis portubus erigebat, quos ad Chriſtiani nominis gloriam, & ad Regis clariſſimi monimenta diutiùs conſeruanda, magis oportunos iudicabat: & ad eam rem multæ columnæ eiuſmodi fuerant nauibus illis impoſitæ. Calecutium uſque penetrauit, & in Olyſſiponenſem portum rediit an. 1499. Poſt hæc Emmanuel claſſem XIII nauium anno 1500. mille & quingentos milites habentem, Petro Aluaro Caprali commiſit, eique præcepit, ut quoad fieri poſſet, amicitiam cum Calecutij rege firmaret, ab eoq; peteret facultatem arcis prope urbem ædificandæ, qua Luſitani poſſent uitam ab hoſtium immanitate tueri, & ſine ullo periculo negotiari. Si recuſaret, bellum inferre minimè dubitaret. Miſit unà quinq; monachos religiōis opinione præſtantes, qui Franciſci mores & inſtituta ſequuntur, ut Luſitanis ſacra miniſtrarēt. Eundem curſum, quem Gama, tenuit, donec ad inſulam S. Iacobi peruenit. Cùm uerò ulteriùs progrederetur, ſedata tempeſtate, Occaſum uerſus nauigauit, & in terrā incognitā deſcendēs (quā ſanctæ Crucis nomine celebrari uoluit: nunc Braſiliā appellant) columnā marmoream collocari iuſſit, & Gaſparem Lemium in Portugalliam remiſit, qui Emmanueli de huius terræ ſitu nunciaret. Inde profectus, tempeſtate quatuor naues amiſit. Calecutium petiit. Regis perfidia accepta damna grauioribus damnis rependit, Arabum mercatorum æmulatione. Domum rediit pridie Kl. Aug. anno 1501. Miſerat autem eodem anno Rex Emmanuel in Indiam aliam claſſem trium nauiū, cui præerat Ioannes Nouius, quòd confideret, in ea claſſe, cum qua Capralis anno proximo miſſus fuerat, ſatis præſidij fore uel ad pacem cum Calecutij Rege conſtituendam, uel ad ſpiritus Regis inſolentis & elati comprimendos. Sed cùm è Caprali cognouiſſet inſidias, quibus circumuentus fuerat, anno ſequente miſit rurſus Vaſcum Gamam in Indiam cum claſſe decem nauium. Aliam præterea claſſem inſtrui præcepit, cui Vincentius Soderius præerat, ut teneret Indicum mare, bellumq; Saracenis, qui in Indiam nauigabant, inferret. Aliam inſuper claſſem quinque nauium comparari iuſſit, cui Stephanum Gamam, Vaſci Gamæ fratrem patruelem, præfecit, qui Kalendis Aprilis eiuſdem anni Olyſſippone profectus, eundem curſum tenuit. Anno 1503. rurſum ſex naues in Indiam miſit: tribus Alfonſum Albuquercium, aliis Franciſcum Albuquercium illius fratrem patruelem præfecit. Aliam claſſem Gundiſſaluo Coelio commiſit, qua Braſiliam perluſtraret. Sed nauigandi in regionem parùm cognitam imperitia factum eſt, ut Coelius ex ſex nauibus quatuor uadis alliſas amiſerit, atque duas tantùm, plenas illis rubris lignis, quæ tellus paſſim fert, & pſittacis atque ſimiis, in patriam reduxerit. Oſorius in reb. geſtis. Em.

Nauis quædam in Oceano Atlantico neſcio quò curſum inſtituens, ui tempeſtatis oborta à uento Subſolano grauiſſimè furente, ad terram ignotam, nec ullis cognitam coſmographiæ libris, uiolenter reiecta eſt. Gubernator eius nauis, quem alij Andeluſium alij Luſitanum mercatorem fuiſſe uolunt, cum tribus aut quatuor ſociis fame & penuria fractis, uix tandem ad inſulam Maderam in mari Luſitanico appulit. Habitabat id temporis in illa inſula CHRISTOPHORVS quidam Colonus (quem alij Columbum nominant) non magnæ fortunæ, ſed acris ingenij uir, coſmographus ſolertiſſimus, natione Ligur, qui tabulas nauticas ex Luſitanorum nauigationibus emendandi ſtudio in Luſitaniam profectus, & uxore ex inſula Madera ducta, eò commigrauerat. Ad hunc naufragus ille gubernator, auctarium coſmographicum ſymbolæ loco afferens, ſolus (nam ſocij in ipſo ſtatim portu obierant) diuertit. Sed cùm & ſibi mortem ingruere ſentiret, ſcripturas quaſdam coſmographicas, ac totam mortiferi illius itineris rationem, & incognitarum terrarum, ad quas reiectus fuerat, delineationem, Colono in manus tradidit, & quam hactenus cælauerat rem metu mortis omnem aperuit. Quo facto, ſtatim animam efflauit. Colonus igitur in alta ſpirans, animum ſeriò erigere cœpit ad ea, quæ diu antè animo uoluerat, ut ſcilicet quæreret diuitem Marci Poli Cipangum atque Antipodum terram, & Platonis Atlanticam. Eueſtigiò ergo fratrem Bartholomæum Colonum expedit ad Angliæ regem Henricum VII, cuius regnum ea tempeſtate & pacatum erat & opulentum, ut exponeret, ſi ſibi naues & facultates darentur, effecturum ſe, ut nouis & auriferis regionibus repertis, Angliæ regnum omnium regnorum totius Europæ florentiſſimum redderetur. Sed paſſus hîc repulſam, idem apud Luſitanum Alphonſum V. tentat. At uerò quia hic Meridionalis Africæ oras bello laceſſebat, & iam uiam ſternere Calecutum uerſus incipiebat, miſer Colonus tantum hîc, quantum illic impetrauit. Tertiò rem tentans apud Ferdinandum Catholicum & Elizabetham reges Caſtulonenſes & Aragonios, id temporis bello Granatenſi impeditos, tandem ſuperatis Mauris, ac tota expulſis Hiſpania, retulit quod uoluit. Dantur à rege ſedecim millia ducatorum, datur & claſſis, ſed trium duntaxat nauium: dantur in comitatum homines 120. Hic tam paruus apparatus tantas tamque inauditas poſtea res, quantæ hodie de Indis conſtant, excitauit. Colonus cum exigua claſſe mari ſe exponens uaſtiſſimo, ex Hiſpaniis ſoluens, anno à Chriſto nato 1492. tertio Nonas Aug. ad inſulas Fortunatas, quas Canarias dicunt, peruenit. Hinc progreſſo iter aliquot dierum, tanta graminis per mare fluitantis ubertas claſſi occurrit, & tandem totam circumſepſit, ut tanquam in pratis herba uirentibus nauigare uiderentur. Quare tum etiam magis, quæ de ſubmerſa Atlantica apud Platonem legerat,

uera eſſe, ut credidit, ſic timuit. Nihilominus gramineum tandem mare ſuperans, poſt multa pericula, poſt duram toleratam famem, uix tandem cum ſuis in incognitas, quas quærebat, regiones, nuda, barbara, & inermi gente habitatas, ſed auri diuites, appulit, trigintatrium dierum nauigatione occiduum ſemper ſolem ſecutus. Cùm ex indigenis rogaret de ſua, quam ſemper ſomniauerat, Cipango indicauerunt regionem uocatam Cibao. Ecce iterum, alluſio nominis, quod caſu contigerat, id ut ratione eueniſſe putaret, effecit. Statim naues duas (nam tertia ſcopulis illiſa perierat) auro, gemmis, X. Indis hominibus, gallipauis multis, pſittacis uarij coloris, & aliis multis barbaris rebus onerat, ac tandem anno exacto triumphabundus ad regem Catholicum reuertit. Rex lætari, ac magno honore Colonum afficere: adeò ut mox eum Admirantis Indiarum honorificentiſſimo titulo decoratum diplomate expedito, duodecima parte omnis emolumenti, quod ex profectione Indorumque ſubactione redundaret, donauerit, & cum claſſe maiori eò unde redierat eueſtigiò remiſerit. Alexander VI. Pp. pro ſua auctoritate Hiſpanis priuilegium dedit, Peruanæ terræ ſiue Occidentalis Indiæ occupandæ. Ergo Colonus quater in Indias nauigauit, Hiſpaniolam inſulam occupauit, quater rediit. Obiit in Hiſpania anno Salutis 1506. Creſcentibus deinceps magis atque magis apud nouos Indos Hiſpanorum rebus, alij atque alij ſpe diuitiarum incitati aliquid noui aggredi meditabantur. Atque hoc imprimis memorabile & inſigne fuit incœptum, quod FERDINANDVS quidam Magellanus, natione Luſitanus, cui fretum Magellanicum una nauigatione ſimul & immortalem gloriam, & mortem attulit, tentare auſus eſt. Is enim Caroli V Imperatoris munificẽtia excitus, à ſuo Rege deficiens, ad hunc confugit, perſuadens Regi Catholico, ſi ſibi numi & naues darentur, non antea à nauigatione ſe deſtiturum, quàm aut moreretur, aut fretum aliquod inueniret, qua occidentem uerſus compendioſiore uia, quàm qua Luſitani nauigarent (nam hi nauigando ad orientem tendunt) ad inſulas Moluccas, omnibus aromatum ſpeciebus fœtas, diuerſiſſimo itinere, aditum patefaceret. Rex & huic quinque nauium claſſem, commeatum, armamenta, 223. homines in comitatum ſuppeditat. Anno à Chriſto 1519. mari uaſto ſe committit, ad tractum Peruanum curſum dirigens, inde meridiem uerſus litora legens, poſt acerbas quaſdam clades, amiſſa una naui, & altera inuito eo ad Hiſpaniam redeunte, fretum, quod cogitarat, inuenit, & poſt XXVII diem, ex quo ſinum intrarat, in apertiſſimum oceanum euectus, inde ad Moluccas occaſum uerſus deflectens, in diuerſas, nunquam uiſas, lectas aut auditas inſulas incidit. Quibus dum bellum inferre conatur, confoſſus & dilaceratus à barbaris, multis quoque ex ſuis deſideratis, gloria quæ tanto facinori debebatur, frui non potuit. Nihilo tamen ſegniùs, qui ſupererant ſocij iter inſtitutum proſequuntur, & ad Moluccas perueniunt. Atque hinc tertia naue ob remigum defectum cremata, duabus refectis, quarum alteri Trinitatis, alteri Victoriæ nomen erat, non quâ uenerant redire, ſed totum mundum circuire uolentes, ab oriente in occidentem rectà procurrunt. Et Trinitas quidem in nouum orbem properans, ut ibi reficeretur, in Luſitanorum uenit poteſtatem. Victoria uerò Luſitanis elapſa, cum 18 uectoribus, quibus præerat Ioannes Sebaſtianus à Cano, poſt enauigata duodecies mille miliaria noſtratia, poſt ſexies ſine læſione tranſmiſſam torridam zonam, tertio tandem anno, quàm ex Hiſpanis ſoluerant, eódem cum maxima regis Catholici uoluptate redierunt, cùm diem unum in Calendario anticipaſſent: nam diem illi Mercurij putabant eſſe, cùm dies eſſet Iouis. Sebaſtianus à rege arma gentilia obtinuit, Orbem terrarum, hoc addito ſymbolo, HIC PRIMVS GEOMETRES. Petrus Cieza Tomo 2. rerum Indicarum. Bembus lib. 6. hiſt. Venetorum, Iouius lib. 34. Hiſtoriarum.

BLASCVS Nonius Hiſpanus diu peruagatis Pariæ terræ & Darienæ regionis litoribus, Iſthmum reperit ad Vrabanum ſinum centum paſſuum, quo duo ingentia maria dirimuntur. Itaque breuiorem tranſitum ab America quàm per Moluccas quærens, eius tractus regulis, aut muneribus delinitis, aut cruenta acie ſubactis, quatuor caſtella, ut commeantibus ab utroque mare tutiſſimus eſſet receptus, opportunis interuallis conſtituit, ædificata etiam claſſicula in proximo portu, cui diuo Michaeli nomen fuit. Cæterùm dira auri ſitis, nouiq; imperij libido, Blaſci animum non multo pòſt occupauit, eo rerum exitu, ut affectati regni crimine damnatus, capite plecteretur. Indignus, hercle, eo ſupplicio, niſi perfidioſè defeciſſet, quòd ad læuam longo tractu Perurana & Cuſcana regna auro & gemmis ſcatentia, ſucceſſoribus Franciſco Pizarro & Diego Almagro demonſtrarit. Iouius libro trigeſimoquarto, & Cieza Tomo 2. capite ſexageſimoſecundo.

HENRICVS VII. Anglorum rex, amiſſa occaſione, quæ ei primum Chriſtophorus Columbus obtulerat, ſucceſſum admirabilem Indicæ nauigationis audiens, Sebaſtianum Gabotum Venetum cum duabus nauibus miſit, uti uia longè breuiore per Septentrionem ad Moluccas penetraret, quam Luſitani per meridiem. Gabotus CCC ſecum aſſumtis ſupra promontorium Laboratoris dictum, Iſlandiam uerſus nauigauit. Menſe Iulio ſummum erat gelu, & impetu fluminum delata in Oceanum glaciei fruſta maxima nauibus occurrebant tanta ui, ut defreti Septentrionalis anguſtiis penetrandis planè deſperaret: uerſisq; in Occidentem uelis, Baccalarum terram reperit, litora legit ad IIXL gradus: inde reuerſus eſt in Angliam. Hinc GALLI & DANI ad Baccalaos nauigare cœperunt, præcipuè uerò FRANCISCVS Carterius Gallus circa annum ſalutis 1534. Petrus Cieza Tomo 2. hiſtor. Peruuiæ.

FERDINANDVS Corteſius XI nauibus cum D Hiſpanis res in Indiis nouis geſſit ampliſſimas. Expugnauit Tabaſcum, Mexicum, Motechzumam: nouam Hiſpaniam, & multa alia regna ædificauit: ut quantum tempore ſuperioribus cedit, tantum magnitudine rerum geſtarum illis antecellat. Idem Tomo 2. capite 50.

Inſulas Fortunatas, quas Canarias uulgò dicunt, circa annum ſal. 1393. quædam collecta manus militum inuaſit, & prædam inde abſtulit opimam. Henricus III. Tarraconenſis rex petentibus equitibus quibuſdam feudum eorum locorum, ſi occupare ea poſſent, conceſſit. Inter quos facilè princeps erat IOANNES Betancurt Gallus, interceſſione Roberti Bracamontis Amirantis Franciæ: qui titulo regio tres ex his inſulis occupauit circa annum ſalutis 1417. Et ſic Gallus homo digitum ad fontem intendiſſe, hoc eſt, uiam Indicarum nauigationum commonſtraſſe uidetur: quam Italus pòſt Columbus magno conatu, pariq; ſucceſſu arripuit. Cieza Tomo 2. cap. 222.

BRITANNI, Septentriones, noua in Moſcouiam nauigatione, ab hinc annis uiginti plus minus, illuſtrarunt. Nam bellis Sueticis à Moſcouitarum Naruicoque Liuoniæ excluſi commercio: iter ad illos Oceano, hinc Noruegiæ, Finmarchiæ, Lappiæ, Scricfinniæ, Biarmiæque, illinc Grœnlandiæ litora præteruecti, ultra ſeptuageſimum latitudinis aquilonaris gradum, ſibi patefecere. Quam nauigationem Belgæ poſtea, non ſine tamen cum iiſdem Britannis uelitatione, ſunt ſecuti. Eò uehunt argenti ueteris fragmenta, lineasque ueſtes propè detritas, omniſque generis minutiores merces, ad uſum cultumque corporis hominum utriuſque ſexus, ueluti lintea & byſſea cingula, periſcelides, crumenas, cultros, & id genus ſexcenta. A Moſchis autem, pelles omnis generis precioſas adferunt: tum ſalmones ſalitos, fumoq; duratos. Qui enim eas prouincias frequentant, piſcatores propè omnes ſunt. Soluunt Belgæ ex Batauis circiter Idus Martias, ut ante Solſtitium æſtiuum eò naues adpellant. Moſchi enim in litore Boreali ſedes non figunt: ſed circa æſtatem eò, piſcationis & commercij gratia, tantùm ſe conferunt: poſtea, aduentante hyeme, domum reuertuntur: eoque nomine mercatores in continentem ad eos commeant. Nec illic ultra ſeptem aut octo hebdomadas hærẽt, ne ab aſperitate ingruentis hyemis obruantur. Io. Metellus.

BATAVI quidam, Carolo V. Imperatore contra Gallos bellum gerente, ne in Gallorum manus inciderent, ex Canariis inſulis, curſu ad Boream flexo, per Orcades & Hebudes, indeque per Oceanum Germanicum, Sebaſtiano Bolmano, Schiedamenſi Batauo nauarcho, in Zelandiæ Verienſem portum, maxima commeatus inopia preſſi, peruenere. Ioannes Metellus.

RERVM NATVRALIVM QVARVMVIS.

PROMETHEVS ignis inuentor fuit, eumq; in caua ferula è cœlo in terras detuliſſe dicitur, quòd ex ferro & ſilice ignẽ extundere, & in ferula ſeruare docuerit, teſte Plin. lib. 7. Diodor. lib. 5. disertè materiam, qua ignis fouetur, ab eo inuentam ait. Athenis certè in Academia ardentes lampades ferentes in urbem decurrere, ab ara Promethei, quæ illic eſt, conſueuerunt, & cuius lampas non fuerit extincta, is uictor proclamatur. Pauſanias in Atticis. At uerò Argis in templo Apollinis Lycij ignem Phoronei accendere conſueuerunt: neq; Prometheum, ſed PHORONEVM ignis inuentorem eſſe aiunt. Pauſanias in Corinth.

THALES Mileſius primus immortales animos aſſeruit. Ex Chœrilo poeta refert Laert. lib. 1.

Anno à partu Virgineo 1490. cùm in Buthquhaniam Scotiæ regionem ad Pethslege caſtellum fluctibus lignum putre uermibus plenũ ingẽs delatũ eſſet, eo ſerra diuiſo cõfeſtim erupit multitudo partim uermiũ, aliis adhuc rudibus, aliis mẽbra quædam formata habẽtibus, partim etiã iam formatarũ perfectè anſerũ, Clakis dictarum, inter quas quędã plumas habebant, aliæ implumes erãt. Itaq; rei miraculo ſtupẽtes, iubẽte domino in tẽplũ diui Andreæ Tyre (pago cuidã nomen



nomen eſt) lignum comportant, ubi & hodie manet, undique ſicut à uermibus perforatum. Huius ſimile duobus ſubinde annis in Taum æſtu appulſum ad Bruthe caſtellũ multis accurrentibus oſtenſum eſt. Nec diuerſum eſt, quod exinde duobus rurſum annis Lethi portu Edinburgenſi uniuerſum populum ſpectare contigit. Ingens enim nauis, cui inſigne Chriſtophori erat, ubi tres perpetuos annos ad unam Hebridum in anchoris ſtetiſſet, huc ſubuecta, plena omnia exeſis trabibus, quâ mari ſemper merſa fuerat, uermium huiuſcemodi, rudium partim, aut perfectam nondum auis formam habentium, partim iam abſolutorum, oſtendit. Alexander Gallouidianus, Kilkendenſis Eccleſiæ paſtor, cùm extracta alga marina inter caulem & ramos à radice ſtatim pariter & uſque ad cacumen enatos, quâ coniunguntur, cõchas adnatas uideret, rei nouitate attonitus, eas aperuit, & loco piſcis auem reperit, ac pro illius magnitudine teſtas quoque inauctas: quibus enim paruæ inerant, & ipſæ quoque apertæ eas pro quantitate amplectebantur. H. Boethius in Scotiæ deſcriptione.

DOCTORES, MAGISTRI.

*Vide Tit. Phyſicorum. Hic Communicatio, illic Poſſeſſio habitus phyſici conſideratur.*

## PHILOSOPHI NATVRALES. PHYSIOLOGI, PHYSICI, IN GENERE.

*In rerum natura tradenda & explicanda, tota olim antiquitas occupata fuit. Primi certè Theologi, Liuius, Orpheus, Heſiodus, exotericè quidem res deorum expoſuerunt: acroamaticè uerò naturæ obſcuritatem ſub deorum fabulis rimati ſunt, ne profano uulgo tam præclaræ diſciplinæ proſtituerentur. Et in uniuerſum quæ de diis docti poetæ finxerunt, ad aliquam Philoſophiæ partem reuocari poſſunt. Poſtquam uerò fabularum pertæſi, remotis uelamentis liberiùs philoſophari ceperunt. Thales Anaximenes, Anaxagoras, Pythagoras, Democritus, & cæteri: Phyſica ipſa quodammodo formari cœpit, hoc eſt, ad formam ſcientiæ reduci. In qua tamen ipſa tradenda cùm ſæpe Metaphyſica Phyſicis miſcerent, ſuæq; profeſſionis terminos tranſilirent: & nouæ confuſioni & reprehenſioni occaſionem dederunt. Veterum philoſophorum plerique & Phyſici erant, & Metaphyſici. Proinde exempla ferè eadem erunt, diuerſo tamen reſpectu. Conſule Tit. Poetarum phyſicorum: illic Characteris poetici, hic Scientiæ naturalis ratio habetur. Sub Tit. Magorum, Magos naturales à ſupranaturalibus ſeparauimus.*

SOLOMONEM Iudæorum regem ueræ ſapientiæ antiſtitem, atque à ſuperſtitioſa dæmonum magia alienum fuiſſe conſtat: & ſecundum ſacras Hebræorum hiſtorias, diſputare ſolitum de arboribus & herbis, à cedro Libani uſque ad hyſopum: item de iumentis, uolucribus, reptilibus & piſcibus: quæ omnia rerum ſolùm naturalium cognitionem, uel ſi mauis, naturalem magiam præ ſe ferunt: niſi fortè idololatriæ poſtea in uxorum gratiam, cum curioſas annexuiſſe artes, quis obſtinatiùs ſuſpicari uelit. Vuierus lib. 4. cap. 17. de præſtig. dæm.

Antigonus Caryſtius PROTEVM uirum ſapientem fuiſſe tradit, qui multa de naturali philoſophia ſcripſerit, de plantis, de lapidibus, de natura ferarum, de mutatione elementorum, & quo pacto illa principia ſint omnium naſcentium, quæ ut uires ſingula ſumſerint, ita uel arbores fiunt, uel herbæ, uel animalia. Hinc dictus eſt Proteus deus marinus in illa omnia ſe uertiſſe. Hunc eundem diuinatorem arbitrabantur, quia multa ex obſeruatione ſiderum, & ex rerum præteritarum memoria prædiceret. Alij crediderunt per magicas artes Proteum in prædictas formas ſe mutaſſe: alij dixerũt fuiſſe uirum dicendi peritũ, qui facilè poſſet in quoſuis animorum motus, homines impellere. Natalis Comes Mythol. lib. 8. cap. 8.

PHILOSOPHIÆ naturalis duo fuêre genera. Vnum, quod ab Anaximandro: alterum, quod à Pythagora fluxit. Anaximandri Thales præceptor fuit, Pythagoræ uerò Pherecydes. Appellatumque eſt illud quidem philoſophiæ genus Ionicum, quòd Thales ex Ionia fuerit (Mileſius enim cùm eſſet, Anaximandrum inſtituit) hoc autem Italicum, quòd illius auctor Pythagoras in Italia ut plurimùm philoſophatus ſit. Deſiit autem Ionica in Clitomachum, Chryſippum, & Theophraſtum: Italica, in Epicurum. Quippe Thaleti ſucceſſit Anaximander, Anaximandro, Anaximenes, Anaximeni Anaxagoras, Anaxagoræ Archelaus: huic Socrates, qui primus Ethicen inuexit. Socrati tum Socratici reliqui, tum in primis Plato, qui ueterem Academiam inſtituit: Platoni Speuſippus & Xenocrates, ei Polemon, Polemoni Cantor & Crates: cui Arceſilaus, qui mediam tenuit Academiam. Ei Lacydes, qui nouam Academiam inuenit: Lacydi Carneades, Carneadi Clitomachus. Atque in hunc modum in Clitomachum deſiit. Sic autem in Chryſippum: Socrati ſucceſſit Antiſthenes, Antiſtheni Diogenes Cynicus: ei uero Crates Thebanus, Crati Zeno Cittieus, Zenoni Cleanthes, cui Chryſippus. In Theophraſtum uerò ſic deſiit: Platoni ſucceſſit Ariſtoteles, Ariſtoteli Theophraſtus. Et hunc quidem in modum Ionica philoſophia degenerauit. Porrò Italicæ hæc ſeries fuit: Pherecydi Pythagoras, Pythagorę Telauges filius ſucceſſit, ei Xenophanes, cui Parmenides: huic Zeno Eleates, Leucippus Zenoni, Democritus Leucippo: Democrito cõplures, ſed inter reliquos Nauſiphanes Naucidesq; celebrantur. Eis uerò ſuo ordine ſucceſſit Epicurus. Laert. lib. 1. de Vita philoſophorum.

THALES Mileſius ſeptem Sapientum primus, immortales animos primus aſſeruit, & de natura primus diſſeruit. In animatis quoq; animas ineſſe putauit, argumento ſuccini & magnetis. Principium omnium rerum aquam eſſe, arbitratus eſt. Laert. lib. 1.

PHERECYDES Syrius, Badis filius, Pittaci Mitylenæi auditor, & à quibuſdam inter ſeptem connumeratus, à Theopompo primus omnium de natura & de diis ſcripſiſſe dicitur, teſte Laert. lib. 1.

ANAXIMANDER Mileſius, Thaletis diſcipulus, principium elementum immenſum hoc & infinitum, non tamen aquã aut aerem eſſe, definiebat. Partem enim mutari, totum uerò immutabile eſſe. Terram medio loco centri inſtar rotundam eſſe. Lunam lumen ſuum à ſole mutuari. Solem terræ æqualem eſſe magnitudine, & eſſe puriſſimum ignem. Laertius libro ſecundo.

ANAXIMENES Mileſius, Anaximandri auditor, principium aera dixit, & infinitum. Moueri ſidera non ſupra, ſed circa terram. Ibidem.

ANAXAGORAS Clazomenius, Anaximenis ſtudioſus, primus materiæ mentem adiecit, in rerum principiis aſſignandis. Dicebat ſolem candens ferrum eſſe, & Peloponneſo maiorem: propter quam uocem impietatis damnatus, & Athenis proſcriptus fuit, quamuis intercedente Pericle diſcipulo. Cœlum lapideum eſſe: propter rapidiſſimum autem motum contineri, ne rueret. Hinc diſcipulus illius Euripides in Phaetonte fabula, ſolem auream glebam uidetur appellaſſe. Lunam habitacula in ſe habere, & colles & ualles. Initia rerum eſſe ὁμοιομερείας quaſdam: mentem uerò initium motus. Corpora ſimplicia ex grauitate & leuitate diſtinguebat. Lacteum orbem reflexum eſſe ſolaris luminis, non intermicantibus aſtris, affirmabat. Cometas errantium ſtellarum eſſe concurſum, flammas emittentium: uentos fieri, cùm aer à ſole attenuatur. Tonitru eſſe colliſionem nubium, fulgetrum confricationem, terræmotum ſucceſſionem aeris in terram. Animantes primò ex humore & calore terraq; migraſſe, poſtea ex ſe inuicem natas eſſe: mares à dextris, feminas à ſiniſtris.

ARCHELAVS Apollodori F. Mileſius, Anaxagoræ diſcipulus, primus ex Ionia Phyſicen Athenis inuexit: & appellatus eſt Phyſicus, quòd in eum philoſophia deſierit naturalis, Socrate Ethicen introducente. Duas generationis cauſas aſſerebat, calidum & frigidum. Animalia de limo nata. Aquam calore liquatam, & ignis ardore inflammatam, in terram conuerti: circumfluentem uerò aerem effici. Primus uocem, aeris percuſſum definiuit. Mundum infinitum eſſe ſtatuit. Diſcipulum habuit Socratem. Suidas.

PLATO Socratis diſcipulus, non Ethica modò tractauit, uerumetiam Phyſica, præceptoris ſui exemplo. Neque enim SOCRATES Phyſiologiam penitùs reliquit & reſpuit: ſed primus utramque philoſophiam coniunxit: cùm ſuperiores philoſophi, Phyſici tantùm eſſent. Plato igitur in Timæo naturam rerum ex Timæi Locri ſententia explicat. Primus ideas inuexit, & Antipodas ſtatuit, teſte Laertio libro quarto.

S[redacted]henienſis, Platonis ex ſorore nepos, dea-
n[redacted]

XENOCRATES Chalcedonius, Platonis auditor, de natu-

ra ſcripſit, de infinito, de fato, de uno, de anima, de ideis.

ARISTOTELES Stagirita, Peripateticorum princeps, primus omnium phyſiologiam uniuerſam ad artem redegit.

THEOPHRASTVS Ereſius, Ariſtotelis diſcipulus, magiſtrū imitatus, in Phyſicis multa ſcripſit: præſertim uerò doctiſſimos illos commentarios de Plantarum hiſtoria & cauſis. Conſule Laertium lib. 5.

STRATO Lampſacenus, Theophraſti diſcipulus, Arceſilai F. Ptolemæi Philadelphi præceptor, uir eloquentiſſimus, Phyſici appellationem meruit, quoniam præter cætera ſtudia diligētiſſimè phyſiologiam amplexus eſt. Scripſit de cœlo, de inani, de ſpiritu, de natura humana, de generatione animalium, de leui & graui, de tempore, & multos alios Phyſicos libros. Idem, & Suidas.

HERACLIDES Ponticus, Speuſippi diſcipulus, in naturalibus multa ſcripſit, quæ lib. 5. Laertius enarrat.

ANTISTHENES Athenienſis, Cynicorum princeps, de natura duos libros ſcripſit, item interrogationum de natura totidem.

ZENO Citticus, pater Stoicorum, qui non de Ethicis tantùm, uerumetiam de Phyſicis ſunt philoſophati. Quorum opiniones Laert. lib. 7. recenſet.

PYTHAGORAS in rebus naturalibus ſingularia quædam placita habuit: de quibus Laert. lib. 8.

EMPEDOCLES Agrigentinus, Pythagoræorum diſcipulus, à lite & concordia omnia fieri aſſeruit. Laert. ibidem.

EPICHARMVS Cous, Pythagoræ diſcipulus, de natura rerum, & de medicina ſcripſit. Pariter & ALCMÆON Crotoniates, qui primus de naturę ratione ſcripſiſſe traditur à Phauorino, & Lunam ſempiternam naturam habere dixit: animam immortalem, & ſolis inſtar perpetuò mobilem.

HIPPASVS Metapōtinus, Pythagoræus, finitum uniuerſum, ſemperq́; moueri aſſeruit.

PHILOLAVS Crotoniata, Pythagoræus, omnia neceſſitate & harmonia fieri opinabatur. Demetrius hunc primum Pythagorica dogmata de natura rerum edidiſſe teſtatur, referente Laertio lib. 8.

HERACLITVS Epheſius ex igne omnia conſtare aſſeruit. Fatum introduxit. Animarum & dęmonum omnia plena eſſe. Solem ea eſſe magnitudine, qua à nobis cōſpicitur. Omnia in perpetuo eſſe motu, per contrarietatem omnia fieri, & fluminis more uniuerſa decurrere. Laert. lib. 9. Scripſit librū obſcuriſſimum, quem alij Muſas, alij De natura inſcribunt.

Eo lecto, Socrates dixiſſe fertur: Præclara quidem ſibi uideri, uerùm Delio opus eſſe natatore, ne quis in profundo pelago ſuffocetur.

XENOPHANES Colophonius, Archelai auditor, quatuor ſtatuit elementa, infinitos mundos, animum eſſe ſpiritum. Omnia incomprehenſibilia hunc primùm dixiſſe, Sotion auctor eſt, teſte Laertio lib. 9.

PARMENIDES Eleates, Xenophanis diſcipulus, primus terram globoſam dixit, rotundam, & in medio ſitam: duoque elementa eſſe, ignem & terram: illum opificis, hanc materię rationem habere. Generationem hominum ex ſole primū ortam. Solem calidum eſſe, & frigidum. Animam & mentem idem eſſe. Idem.

MELISSVS Samius, Parmenidis auditor, uniuerſum infinitum, immutabile, immobile & unum eſſe uoluit, ſibiipſi ſimile ac plenum: motumque reuera non eſſe, ſed uiderī tantùm. Idem.

ZENO Eleates, Parmenidis auditor, mundos plures eſſe uoluit: uacuum non dari, ex quatuor primis qualitatibus omnia oriri aſſerit. Generari homines è terra. Animam ex his omnibus commixtam. Idem.

LEVCIPPVS Eleates, Zenonis auditor, infinita omnia, & inuicem mutabilia aſſerebat. Vniuerſum infinitum, atomis plenum eſſe, & inane: mundosq; fieri corporibus in inane incidentibus, & in ſe inuicem implicatis. Atomos igitur primus principia eſſe dixit. Generationem & corruptionem neceſſitate quadam fieri. Idem.

DEMOCRITVS Mileſius, Pythagoreorum auditor, Diacoſmum opus ſcripſit, propter quod à ciuibus ſuis, quingentis talentis fuit honoratus. Atomos & inane principia faciebat. Mundos infinitos, & corruptioni obnoxios. Atomos & numero & figura & magnitudinę eſſe infinitos, ferrique in toto, & ex fortuito concurſu elementa gigni. Viſum fieri ex influxu atomorum. Neceſſitate omnia fieri.

DIOGENES Apolloniates, Anaximenis diſcipulus, aerem principium eſſe opinabatur: mundos infinitos, inane infinitum, ex aeris rareſcentia mundos gigni. Laert. lib. 9.

EPICVRVS Athenienſis de natura 37. libros edidit, item de uacuo & atomis. Vide Laert. lib. 9. ubi epiſtolam Epicuri, omnia illius dogmata complectentem, recitat.

MENESTOR libros naturalium quæſtionum ſcripſit, & Empedoclis ſententiam in animalibus & plantis ſecutus eſt. Theophraſtus lib. 1. de Cauſ. plant. cap. 26.

## PHYSICI IMPERITI.

*Exempla erratorum Phyſiologicorum tum in Theoria præceptorum & cauſarum, tum in Hiſtoria exemplorum, ex Plinij Hiſtoria naturali plurima peti poſſunt.*

In XXXVII. libro Naturalis hiſt. Plinius, ubi de ſuccino diſſerit, ac quantopere in eius cauſa ortuque prodendo, Græci poetæ decepti ſint, docet, adiungit: EVRIPIDES & APOLLONIVS Rhodius lib. 4. Argonaut. in Adriatico litore confluere Rhodanum & Padum ſcribunt. Itaque faciliorem ueniam facit ignorati ſuccini, tanta orbis ignorantia. Victorius libro uigeſimo ſecundo, Variarum lectionum capite 4.

## PHYSIOLOGI PARTICVLARES, IN VNO ALIQVO NATVRALIS PHILOSOPHIAE GENERE uerſati. Vt circa

### METEORA, TVM HVMI, TVM SVBlimi. PRÆDICTIONES Phyſicæ, Aeris, Aquæ, Terræ.

PRÆDICTIONES quæ ab hominibus fiunt, ratione efficientis, ſiue principij, à quo proueniunt, diuidi poſſunt. Aut enim proueniunt à principio

*Interno*, à Ratione ſcilicet & Intellectu hominis, qui homini nomen dat & eſſe. Hic Intellectus uel eſt

*Theoricus.* Reſpectu habito Materiæ Ex qua prædicit, uel uerſatur circa

*Materialia*, ſiue materiæ immerſa corpora inferiora, & ex illorum figuris, formis, effectibus, paſſionibus prædicit. Prædictiones Phyſicorum, quæ huius ſunt loci propriæ.

*Immaterialia*, ſiue à materia corruptibili ſeparata, corpora ſcilicet cœleſtia, ex quorum motu & influxu prædicit Aſtrologus & Aſtronomus. Et hæ prædictiones ſunt Aſtrologicæ. De quibus ſub loco Aſtrologorum.

*Practicus*, & prædicit ex actionibus & obſeruationibus quotidianæ uitæ de Rebuſpub. uel priuatorum hominum euentis. Prædictiones Prudentum ſiue Ethicę, de quibus ſub loco Prudentię agetur.

*Externo*, à communicatione uidelicet luminis alicuius, ſupra naturam hominis, quo illuſtrata mens, diuino, non humano more, prædicit futura. [redacted]a les ſunt Prędictiones Metaphyſicæ. De quib. ſuo loco.

Habitauit AEOLVS in una ex ſeptem inſulis, Aeoliis dictis, quæ Strongyle nominabatur, ut ait Strabo libro 6. Memoriæ prodidit Iſacius, Aeolum fuiſſe rerum naturalium, & in primis uentorum ſtudioſiſſ. ut prodeſſet nauigantibus. Prędicebat igitur uel cùm Sol Tauro propinquaret, quæ maris futura eſſet tempeſtas, aut quæ benignitas cœli, & quo die quáue diei hora, uel quamdiu perduraret Zephyrus. Hinc factum, ut illum uentorum eſſe regem dicerent: ſicut Amaclidem, & Protoclem, & Protocreontem dixit Orpheus: hi enim, quos uellent uentos, dicebantur in utrem includere, & emittere. Scriptum reliquit Strabo libro 1. Aeolum dictum fuiſſe regem Ventorum, quia per fluxum ac refluxum aquarum, cùm habitaret in locis aſperrimis, futuræ tempeſtatis ſigna multo antè prædixerit. Quę cùm ad prædictum tempus euenirent, credidit uulgus mortalium Ventos eſſe in eius poteſtate. Natalis Comes Mythol. libro octauo, capite decimo.

ANAXAGORAS prædixit, lapidem è ſole caſurum. Qui etiā cecidit multis poſt eius obitum annis, ad Aegos flumē, ſub principe Dimylo. Aſſerebat enim, cœlum omne ex lapidibus eſſe compoſitum. Laert. lib. 2.

Fuit in ANAXIMANDRO Mileſio diuinitas quædam, à quo Lacedæmonij præmoniti ſunt, ut urbem & tecta cuſtodirent, quando motus ingens terræ inſtaret: eſtque non multo pòſt pars Taygeti montis magno telluris tremore in ſubiectam urbem prouoluta, attulitque Spartiatis tectorum & hominum cladem ſupra modum calamitoſam: ſed multo maiorem allatura, ſi res non antea prouiſa fuiſſet. Sabell.



Sabellicus libro 10. capite 8. ex Plinij libro 2. capite 79.

PHERECYDES Syrius, Pythagoræ præceptor, hauſta è puteo aqua, futurum ibidem poſt triduum terræmotum prædixit. Laert. lib. 1. ex Plin. lib. 2. cap. 79.

### METALLA.

*Non quia Galenus Medicus, nō quia Dioſcorides de Metallis ſcripſere, idcirco hiſtoria metallica Medicinæ pars eſt. Quatenus ad finem Medicinæ conſequendum metalla conferunt, ad* αἰτιολογικὴν *medicam pertinent. At ut corpora ſunt naturalia, ſic cognitio illorum Phyſici propria eſt: præparatio cuilibetcunque uſui inſeruitura, Chymiſtæ, quem propter opus ipſum inter Mechanicos artifices ablegauimus.*

GEORGIVS Agricola Germanus de Mineralibus tam accuratè ſcripſit, ut occaſione potiùs ob temporis anticipationem, quàm inuentione & iudicio, noſtrę ętatis homines ab antiquis ſuperari, præclaro argumento oſtenderit.

### STIRPES, ARBORES, HERBAS. Herbarij, ῥιζοτόμοι, βοτανολόγοι. QVI de herbis ſcripſere.

*Herbarum hiſtoria ad Philoſophum naturalem non minus pertinet, quàm Corporis humani Anatomia, quàm Animalium hiſtoria, quàm Metallorum. A Medicis autem diligentiùs exculta, occaſionem dedit uulgo, ut hanc ipſam Medicinæ partem non poſtremam eſſe arbitraretur. Atqui non quæ ad artis alicuius uel theoriam uel praxin utilia ſunt, propria eſſe neceſſe eſt. Diſtincti enim ſunt fines & termini artium, totiusq; adeò philoſophiæ, uſus uerò promiſcuus & communis. In genere uerò hic de Herbarum ſtudio agimus, ſiue hiſtoria, ſiue uſus, ſiue cauſæ inueniantur, doceantur'ue.*

Nihil magis ueneranda antiquitas mirata eſt, quàm herbarū uires. Hinc MEDEÆ Colchicæ, CIRCES Italæ, atque etiam CALYPSVS ueneficia, fabulis occaſionem dederunt. HELENAM quoque Homerus ab Aegyptij regis uxore herbas quaſdam accepiſſe ſcribit, & nobile illud Nepēthes, Lethæum uerè poculum. Plin. lib. 25. cap. 2.

Primus omnium, quos memoria nouit, ORPHEES de herbis curioſiùs aliqua prodidit. Poſt eum MVSÆVS & HESIODVS polion herbam mirati ſunt. HOMERVS & alias nominatim herbas celebrat, maximè uerò Moly, cuius inuentionem Mercurio tribuit, & contra omnia uenena præſtare ait. Ab eo PYTHAGORAS clarus ſapientia, primus uolumen de earum effectu compoſuit, Apollini Aeſculapioque, & in totum diis immortalibus inuentione & origine aſſignata: compoſuit & DEMOCRITVS, ambo peragratis Perſidis, Arabiæ, Aethiopiæ, Aegyptique magis. Ibidem.

Rei herbariæ ſtudium multis famam immortalē attulit: GENTIO regi Illyrici Gentiana inuenta, ARTEMISIÆ reginæ Cariæ Artemiſia. Plin. lib. 25. c. 6. & 7.

EPIMENIDEM Cretenſem quidam non obdormiſſe in ſpecu (ut uulgata eſt fama) ſed per montes uagaſſe, & ῥιζοτόμον fuiſſe aiunt, medicinæque ſtudioſum, ut qui poſtea urbem Athenienſium à peſte liberarit. Laert. in eius uita.

CLIDEMI herbarij meminit Theophraſtus libro 1. cap. 10. de cauſis Plantarum.

THRASIAS Mantinenſis frigida uenena, quę mortē inferre poſſent, reperit: rhizotomus inſignis. Sæpe elleborum abſque noxa comedebat: eaq; ratione ꝓbabat omnia pharmaca, ſi ſæpiùs ab homine ſumerentur, & familiaria fierent, uires ſuas amittere, Theoph. lib. 9. cap. 17. & 18.

ALEXIAS Thraſiæ diſcipulus, eruditione præceptorem uicit. Theoph. lib. 9. cap. 17.

ANDREAS Chius, cuius Dioſcorides meminit, & Plin. lib. 22. cap. 7. præterea IOLAS Bithynus, cuius Plin. lib. 7. cap. 20. & Dioſcorides lib. 1.

MNESTHEVS & CALLIMACHVS Medici, de corollis ex profeſſo ſcripſere, quænám nocerent capiti. THEOPHRASTVS de floribus. Plinius.

Braſſicæ laudes proprio uolumine per ſingula membra hominis digeſto CHRYSIPPVS philoſophus & DIEVCHES: ante omnes autem Pythagoras & Çato non parciùs celebrarunt. Plin. lib. 20. cap. 9.

DIOSCORIDES Anazarbæus, cognomento Phacas, quia lentigine facies dehoneſtabatur: uixit ſub Cleopatra & Antonio, teſte Suida. Herbarius inſignis, ſi hiſtoriam ſpectes: nam plātarum cauſas THEOPHRASTVS philoſophus, & ante illum Ariſtoteles: uires uerò, corporis humani uſibus conuenientes, medicus Galenus luculentiùs ęnarrat.

De herbis apud Romanos M. CATO primus & diu etiam ſolus ſcripſit, omnium bonarum artium magiſter, boum etiā medicina non omiſſa. Poſt eum C. VALGIVS ad Auguſtum Cæſarem imperfecto uolumine. Antea POMPEIVS Lenæus, Magni libertus, quo primùm tempore herbarum ſcientia ad Roman. peruenit, deuicto Mithridate. Eius enim gaza potitus Pompeius Magnus, exemplaria medicamentorum à Lenæo in Latinam linguam transferri curauit, uitæq; ita profuit non minus quàm reipub. uictoria illa. Plin. lib. 25. cap. 2.

In Demetrij uita Plutarchus ſcribit, ATTALVM cognomento Philomatora per otium colere conſueſſe herbas φαρμακώδεις, ſiue medicas. Cælius lib. 29. cap. 11.

EVAX rex Arabum, de ſimplicium effectibus ad Neronem ſcripſit. CRATEVAS, DIONYSIVS, METRODORVS Scepſius (ratione blandiſſima, ſed qua nihil penè aliud quàm rei difficultas intelligatur) pinxêre effigies herbarum, atque ita ſubſcripſere effectus. Verùm & pictura fallax eſt, & coloribus tam numeroſis, præſertim in æmulatione naturæ, multùm degenerat tranſcribentium ſors uaria. Præterea parum eſt, ſingulas earum ætates pingi, cum quadripartitis uarietatibus anni faciem mutent. Cæteri ſermone eas tradidêre: aliqui ne effigie quidem indicata, & nudis plerunque nominibus defuncti, quoniam ſatis uidebatur, poteſtates uimque demonſtrare quærere uolentibus. Plinius libro 25. capite 2.

CRATEVAS herbarius, ad quem ſcribit Hippocrates, ut herbas colligat ad liberandum ab inſania Democritum, & inter cætera hoc eius encomium addit. At uerò rem herbariam apud te ſæpè admiratus ſum, quemadmodum etiam uniuerſorum naturam ac conſtitutionem, & ſacerrimum terræ fundamentū (τὸ ἱερώτατον γῆς ἵδρυμα. Sunt qui hoc ad Chymicam quoddam arcanum referant) ex qua animalia, & plantæ, & alimenta, & medicamenta, & fortuna, & ipſæ diuitiæ exoriuntur. Quòd ſcilicet facile ſit ei, qui harum rerum ſcientiam tenet, opes ampliſſimas comparare, niſi quòd ſapientiam ille opulentiæ longè anteponit.

PHANIAS, medicus celeberrimus, librum de urticæ laudibus ſcripſit, ut refert Plin. lib. 22. cap. 13.

DALION herbarius. Plin. lib. 20. cap. 17.

GLAVCIAS de carduis diligentiſſimè ſcripſit. Idem libro 20. capite 23.

CHEREAS Athenienſis, herbarum ſcriptor, ſpinarum quoque generis & carduorum celebrator: cuius lib. 20. cap. 23. meminit Plinius.

ANTONIVM Caſtorem ſuo tempore laudat Plin. lib. 25. cap. 2. in hortulo uariis ſimplicibus refertiſſimo excolendo, qui iam C. annum exceſſerat, abſque ullo corporis malo. Apud illum pleraſque plantas, paucis exceptis, ſe uidiſſe & didiciſſe teſtatur.

AEMYLIVS Macer, Veronenſis, libros de uirtutibus herbarum carmine conſcripſit.

MARTION Smyrnęus de Simplicium effectibus ſcripſit. Rūpi ſcolopendras marinas ſputo, rubetas item, aliasq; ranas aſſeruit, teſte Plinio lib. 28. cap. 4.

De PAMPHILO quodam, qui libros de Herbis compoſuit, ſic ſcribit Gal. lib. 6. Simpl. med. à principio: Planè ex iis, quę uel ipſe ſcripſit, præ ſe fert grammaticum, indicatque, ſe nec conſpexiſſe herbas, de quibus conſcripſit, nec uires earum expertum, ſed iis, qui ante ipſum ſcripſere, fidem habuiſſe citra ullam explorationem. Sic ſanè libros expleuit, annexo ad quanque herbam nominum aceruo, deinde etiam exponens, ſi qua ex homine ferebatur transformatio: tum epodas, ſeu incantationes & libationes, atque thymiamata, quæ in colligendis illis adhibebantur, adſcribens: nec non & alias eiuſmodi præſtigiaturas nugaces. Nec multo pòſt addit: Abſtinendùm ab ANDREA eſt, aliiſq; ſimiliter mendacibus: multoq; etiā magis fugiēdus Pāphilus, qui ne per ſomnium quidē herbas uidit, quarum aggreditur figuras perſcribere. Nam id genus hominum (quomodo aſſimilauit eos Heraclides Tarentinus) ſimillimum eſt præconibus, qui formam ac notas fugitiui mancipij, licèt ipſi non uiderint unquam, præconia tamen publicant: notas enim ab aliis, qui norunt, accipiunt, & ceu cantilenam eas proferunt: ut ſi fortè is, quem præconio indicant, propè adſiſteret, agnoſcere tamen non poſſent. Hæc Galenus: qui ſi hodie reuiuiſcat, in tāta luce, quam Stirpiū hiſtoriæ clariſſimi medici, ex Germania prius, quàm ex Gallia & Italia, intulere, uti noſtro ſeculo gratularetur, ſic multò acerbius quàm Pamphilum reprehenderet eos, qui præter nomenclaturas, neque ipſis fortaſſe Barbaris notas, & aſtrologicas ſtirpium uenationes, pondera inſuper eorum, ex quibus ſingulæ cōponantur, elementorum proponere audent: ut maiora ne portēta, an ingeniorum monſtra ſint, dubitabile ſit. Cæterum quę de μεταμορφώσει plantarum ἐξ ἀνθρώπων Pamphilum ſuis libris aſperſiſſe Galen. ſcribit: ſi eam, quam ſignaturam uulgò plantarum uocant, intelligit, non per ſe, ſiquidem naturalis eſt nota, ſed propter ſuperſtitionem tantùm reprehendenda fuerit.

APVLEIVS Madaurenſis Platonicus, herbarius.

Ex Plinio, qui uolet, magnum antiquorum, qui de herbis ſcripſere, numerum colligat. Nobis ſatis erit nomina indicaſſe. Meminit ergo AGATOCLIS lib. 22. cap. 22. Alcæi libr. 22. cap. 22. Anthei lib. 28. ca. 1. Apellis 28. 7. Apollophanis 22. 20. Apollonii Pitanei 28. 1. & 29 6. Apollodori 22. 7. Artemonis 28. 1. Ariſtogitonis 27. 4. Bythi Dyrrhachini, qui de menſtruo ſcripſit lib. 28. ca. 7. Caſtoris 20. 22. Cęcilii Bionis 28 13. Chryſermi 22. 22. Chryſippi ibidem. Cleempori ibid. Cleophanti 24. 16. Connumerantur etiam Democritus de magicis li. 24. cap. 17. Diagoras, Diocles, Dieuches, Diodotus, Diodorus, Diotimus Thebanus 28. 7. Dorotheus 22. 22. Euenor 21. 31. Eratoſthenes 22. 22. Glaucon 22. 22. Granius 28. 4. Hiceſius 27. 4. Iceridas 28. 7. Lycus Neapolitanus 20. 20. Mago Carthaginenſis. Meges 37. 7. Metrodorus Scepſius epitomen ῥιζοτομούμενα edidit, 20. 20. Miccion ῥιζοτομούμενα ſcripſit 20, 23. Miletus 28 1. Mneſicles, Nicander. Niceratus 32. 8. Ophilius de ſimplicibus 28. 4. Olympias Thebana 20. 21. Petridius Ophiaca ſcripſit 20. 23. Pelops 32. 5. Pollio 21. 21. Pyčton 29. ultimo. Praxagoras. Rabirius 28. 7. Saluſtius Dionyſius 32. 7. Sextius Niger diligentiſſ. medicus 20. 21. & 32. 3. Seſtius 28. 9. Simus 21. 20. Sophocles poeta 21. 21. & 22. 22. Sornatius 32. 7. Theodorus 24. ult. Timariſtus 21 31. Thraſyllus 32. 5. M. Varro. Xenocrates 20. 20. Zenon 22. 22.

FRIDERICVS III. Imp. hortis plurimùm oblectatus, herbarum cognitionem ſummam habuit, ut medicos ſuæ ætatis facilè ſuperaret omnes in ea notitia. Cuſpinianus.

---

MORES, ACTIONES, PASSIONES Animalium. Cognitio per

FIGVRAM, LINEAMENTA, STATVRAM. Huc PHYSIOGNOMI, Chiromantæ, Metopoſcopi.

*Ariſt. in fine ſecundi Priorum, ultimum locum habet περὶ τοῦ φυσιογνωμονεῖν, non quòd naturalium rerum cognitio ex ipſo aſpectu ad Logicum pertineat: ſed ut oſtendat, quàtus ſit Logicæ uſus etiam in hac parte Philoſophiæ. Ad naturalem enim philoſophiam Phyſiognomia referenda eſt: cuius uelutí ſpecies à quibuſdam ſtatuuntur, Chiromantia & Metopoſcopia: illa quidem ex lineamentis manuum, hæc uerò ex rugis faciei & frontis mores hominum colligens. Quarum artium etſi fides non eſt magna, ſunt tamen elegantis & iucundi ingenij ſymbola: & quia nihil ſuperſtitioſum nec impium, ut cæteræ diuinationum ſpecies, continent, ſed naturales tantùm obſeruationes habent, non ſunt penitùs repudiandæ in iocoſo & ludicro uitæ genere.*

Sicut Iunoni brachia, pectus Neptuno, cingulum Marti, renes Veneri, pedes Mercurio, digitos Mineruæ conſecrauit antiquitas, ita frons Genio dicata fuit: quippe deum uenerantes, frontem tangere, & indita ad frontem manu, numina adire ſolebant. Quare Pompeio Magno frontis honorem, & os probum, uelut maximum naturæ munus, tribuerunt. Ipſa enim ſeueritatis & clementiæ index eſt. Ideo minorem frontem, uenuſtum facere & mitem, remiſſum & quietum, multi cenſuerunt. Contrà frons magna, ſegnes: parua, mobiles: rotunda, iracundos: lata, mente flexibiles deſignauit. Quod etiam carmine HOMERVS proſequutus fuit, ut ſingulos membris honeſtaret deos. Namque Iunonem facit candidas ulnas habere, Auroram roſeos lacertos, Mineruã oculos glaucos, Thetidem argenteos pedes, Hebem uerò talos pulcerrimos. In oculis religio fuit, in quibus imago & natura hominis, ac tacitus ſermo mentis maximè exprimitur. Vt enim cauda leonibus, aures equis animorum indicia præſtant: ſic oculis hominum, mentis imago apparet: nam cordis nuncij ſunt. Ex his enim uirtutes uitiaq; agnoſcimus, iratum uel propicium animum, lætum aut affectum perpendimus. Dignitatemque oris exhibere conſueuerunt, uitamque à morte diſtinxerunt. Hos oſculari & amplecti, ac præcipua charitate proſequi ſolemus. Refert uerò Ariſtoteles, caprinos oculos & modicè conniuentes, aut paruos, morum præſtare indicium optimorum: contrà oblongos, peſſimos notare: candidos & protentos, impudentes: carnoſos, uerſipelles: mobiles, inconſtantes. Naſum quoque morum facere indicium, multi arbitrantur. Ideo PERSÆ adunco naſo (quos grypos uocant) præcipuè honorant, quòd talem fuiſſe Cyrum crederent: ſimos uerò, mites facere & gratioſos. In eo enim irriſionis ſedes eſt: quare naſuti & habere naſum, irriſores dicti. In ſuperciliis autem notatur faſtus, qua parte negamus uel annuimus. Ea quidem porrecta, molles ſignificat: nimis deflexa, auſteros: inflexa, deriſores: demiſſa, maleuolos: nam ſi quem faſtidimus, truci ſupercilio deſignamus. Ideo Romanæ mulieres ſupercilia Lucinæ conſecrarunt, quia inde lux ad oculos fluit. In genis autem eſt ſedes pudoris. Has enim, quum pudet, primùm rubore ſuffundi uidemus, pudibundumq; animum ex illis penſitamus. Quare in pueris rubere genas, & ingenuo pudore affici, probitatis ſignum eſt: in his enim pudor, integritas & uirtus oſtenditur. In quo proditum memoriæ fuit, populum Romanum tantum pudori tribuiſſe, ut Philippo regi Macedoniæ pluribus criminibus impetito, nihil æquè profuerit, quàm Demetrij filij pudor, in ſenatu obiecta minimè diluere ualentis. Domitiano uerò Cæſari crebra oris confuſio pro modeſtia putabatur, quum eſſet ſumma immanitas. Ideo qui pudorem abiecère, perfricuiſſe faciem dicti: contrà in auriculis rubor: nam læſæ conſcientiæ & admiſſæ turpitudinis ſignum eſt. Magnas tamen auriculas, ſtultum deſignare uoluerunt & loquacem: mediocres uerò, mores optimos præmonſtrare. PLATO homines rubicundos dixit animoſos: nigriores, uiriles: albos, deo deuotos: mellei coloris & decoloris uultus, nimium amatores. Tametſi communi feratur adagio, iracundiſſimos eſſe flauos rubenteſque, qualis fuit L. Sylla, tum maximè iratus, quando ruberet. In pectore autem ſedem eſſe conſilij, eapropter prætextatis bullam pendere pro pectore, quòd ubi ſedes erat conſilij, ibi cordis inſigne maneret, multi prodidère. Alexander lib. 2. cap. 19.

PYTHAGORAS adoleſcentes, qui ſeſe ad diſcendum obtulerant, ἐφυσιογνώμει primùm, moresq; & naturas illorum de oris atque uultus effigie ſciſcitabatur. Qui diſciplinæ idoneus iudicatus eſſet, ei tempus certum tacendi præſcribebatur, aliis aliud, pro æſtimato captu ſolertiæ: non minus tamen biennio. Hi propterea ἀκουστικοὶ dicebantur. Gellius lib. 1. Noct. Attic. cap. 9.

DEMOCRITVS Abderites ſiue Mileſius, cùm ad eum curandum Hippocrates ueniſſet (eum namq; melancholia laborare ciues ſui exiſtimabant) iuſſit afferri lac: eoq; inſpecto, & capellæ primi partus, eiuſdemq; nigræ lac illud eſſe aſſeruit. Puellam accedentem ſalutauit, Salue uirgo. Poſtridiè uerò, Salue mulier. Fuerat enim ea nocte uitiata. Qua quidem re Hippocratem ſui ſummum admiratorem fecit. Laertius lib. 9. Idem metentem fratrem Damaſum ardentiſſimo æſtu orauit, ut reliquæ ſegeti parceret, raperetq; deſecta ſub tectum. Paucis mox horis ſæuo imbre uaticinatio eius approbata. Plin. lib. 18. cap. 35. Idem Diagoram Mileſiũ ſeruum emit, quòd ex phyſiognomia intelligebat, eum optimo ingenio præditum eſſe. Suidas.

ZOPYRVS phyſiognomon, profitebatur ſe hominum mores naturaſq; oculis, uultu, fronte pernoſcere: ſtupidum, libidinoſum & bardum eſſe Socratem dixit, quòd iugula cõcaua non haberet: obſtructas enim eas partes & obrutas eſſe. Diſcipulos iratos eam ob rem Socrates compeſcuit: uerum Zopyri iudicium futurum, aſſerens, niſi naturæ indecentes motus philoſophiæ ſtudio compeſcuiſſet. Aelianus & Cicero de Fato.

STREPSIADES de filio, Socratica è ſchola redeunte, quem ex ipſa fronte coniicit malam cauſam agere poſſe, quòd neſcio quid Atticæ aſtutiæ ſimul atq; impudentiæ præferret, apud Ariſtophanem in Nubibus ſic loquitur:

Ἐπὶ τοῦ προσώπου τ᾽ ἐστὶν Ἀττικὸν βλέπος. id eſt,

Ac uultu in ipſo aſpectus Atticus eminet.

Vnde & prouerbium, Ἀττικὸν βλέπος, perinde ualet ac ſi dicas, os impudens. Eraſmus in Adagiis.

STRATONICVS muſicus cùm eſſet Pellæ, & in puteum deſcendiſſet, rogauit: Num eſſet aqua potabilis? cùm dixiſſent, qui aquam hauriebant, Nos iſtam bibimus: Non eſt igitur, inquit, potabilis: quòd illos uideret pallidos luridoſq;: nã id interpretabatur malæ ualetudinis argumentum, quam ex aqua contraxerant. Athenæus in Dipnoſoph.

CLEANTHES Aſſius hominis mores ex conſpectu deprehẽdi poſſe dicebat, ſecundum Zenonem. Verùm cùm philoſophum ludere (qui hoc audierant) cuperent, hominem cinædum, ſed multis laboribus ab ineunte ætate exercitatum adducunt, ut artis ſuæ ſpecimen ederet. Cleanthes igitur, cùm hominis faciem, item manus calloſas, & ſole aduſtas uidiſſet, & aliquandiu ſiluiſſet, iuſſit hominem abire foras. Ille, cùm diſcederet, ſternutamento concuſſus eſt. Quo audito, Cleanthes ait: Satis naturam hominis intelligo, mollis eſt. Non enim facilè ſternutant, qui ſub dio laborant. Laertius libro 7. cap. 2.

Cùm L. Sylla legatus obiret Cappadociam, tradunt QVENDAM ex comitatu Orobaſi Parthorum legati Chalcidenſem, inſpecto Syllæ uultu, animiq; & corporis haud defunctoriè obſeruatis motibus, atq; ad artis præcepta expenſa eius natura, prędicaſſe, fieri non poſſe, quin ſummus hic uir futurus eſſet: mirari etiam ſe, quemadmodum patiatur & nunc non eſſe omnium primus. Plut. in Sylla.

Cùm delatum ad C. IVL. CÆSAREM eſſet, M. Antonium & Dolabellam res nouas moliri: negauit craſſos hos & comatos ſibi metuendos, ſed pallidos illos & macilentos, Brutum & Caſſium deſignans. Plut. in Cæſare.

THEODORVS Gadareus, Tiberij Cæſaris in arte rhetorica præceptor, perſpiciẽs in eo adhuc adoleſcente ſęuitiã quandam cum ingenij ſtupore coniunctam, inter obiurgandum, illum ſubinde uocare ſolebat πηλὸν αἵματι συμπεφυρμένον, id eſt, Lutum ſanguine maceratum: luto tarditatem innuens, ſanguine crudelitatem. Suetonius.



P. VIRG. Maro, cùm in ueterinaria arte excelleret, Romæ magiſtri ſtabuli equorum Auguſti amicitiam nactus, equos curabat, & in mercedem ſingulis diebus panes tanquã unus ex ſtabulariis accipiebat. Interea à Crotoniatis pullus miræ pulcritudinis Cæſari dono fuit miſſus, qui omnium iudicio ſpem portendebat uirtutis & celeritatis immenſæ. Maro uerò eum ex morboſa equa natum, nec robore nec celeritate ualiturum reſpondit. Idq; reipſa uerum eſſe, compertũ fuit. Quod cùm magiſter ſtabuli Auguſto recitaſſet, duplicari ipſi in mercedem panes iuſſit. Cùm item ex Hiſpania Auguſto canes dono mitterentur, Virgilius parentes eorum dixit, & animum celeritatemq; habituros. Quo cognito, iterum duplicari panes Vergilio mandat. Dubitauit tandem Auguſtus, Octauij filius eſſet, nécne: & remotis arbitris Maronem ea de re conſuluit, poſſétne idipſum ex phyſiognomia deprehendere. Maro ueniam præfatus, quòd difficile foret hominum æquè ac brutorum cæterorũ natales agnoſcere, tandem tamẽ eum ſe piſtoris filium arbitrari aſſeruit. Admirante id Auguſto, ex muneribus panariis id ſe colligere dixit: ꝙ cùm prædixiſſet hactenus miranda quædã, tamen præter panes nulla tuliſſet munera. Facetiam boni cõſuluit Auguſtus, eumq; Pollioni cõmendauit. Donat. in eius uita.

Titus Veſpaſianus Imp. natus eſt III Kal. Ian. inſigni anno Caiana nece, prope Septizonium, ſordidis ædibus: cubiculo uerò perparuo & obſcuro. Educatus in aula cum Britannico Claudij Imp. ex Meſſalina F. ſimul, ac paribus diſciplinis, & apud eoſdem magiſtros inſtitutus. Quo quidẽ tempore, aiunt, METOPOSCOPVM à Narciſſo Claudij liberto adhibitum, ut Britannicum inſpiceret, conſtantiſſimè affirmaſſe: illum quidem nullo modo, cæterùm Titũ, qui tunc propè aſtabat, utiq; imperaturum. Erant autem adeò familiares, ut de potione, qua Britannicus hauſta periit, Titus quoq; iuxtà cubans guſtaſſe credatur, grauiq; morbo afflictatus diu. Quorum omnium mox memor, ſtatuam ei auream in palatio poſuit, & alteram ex ebore equeſtrem, quæ Circenſi pompa hodie quoq; præfertur, dedicauit, proſecutusque eſt. Suetonius.

HADRIANVS Imperator de Commodo adoptato, & imperij ſucceſſioni deſtinato, dictitare conſueuit: In caducum parietem inclinauimus, & perdidimus quater millies ſeſtertiũ, quod populo & militib. pro adoptione Cõmodi dedimus. Caducum autem parietem uocabat, quòd eſſet ualetudinarius, & reb. gerendis inhabilis eſſe uideretur. Eraſ. in Adag.

D. GREGORIVS Nazianzenus, cùm Athenis Iulianum conſpexiſſet, antequam imperio potiretur, ex ipſa phyſiognomia de ingenio eius iudicãs, exclamauit: Deus bone, quantum malum, Romanum fouet imperiũ? Namq; (ut ipſemet teſtatur) non boni hominis indicia eſſe uidebantur, ceruix non conſiſtens, humeri quos ſubinde iactaret ac reduceret mobiles: oculi errabundi & uagi, furibundum quid minantes: pedes inſtabiles, & genubus nutantes: naſus contumeliam & cõtemtum ſpirans: uultus deridiculus & ridiculus: riſus immoderatus, & corpus cachinno concutiens: nutus ſiue annuens ſiue renuens, ratione carens: ſermo conſiſtẽs, & reſpiratione conciſus: interrogationes incompoſitæ & ineptæ: reſponſiones nihilo illis meliores, aliæ aliis imminentes, ſibiq; minimè conſtantes, neq; ab inſtitutione liberalioris doctrinæ prouenientes. Ex his itaq; notis ſanctiſſimus uir Iuliani impietatem & tyrannidẽ collegit: quę, poſtquam ad imperium peruenit, manifeſtè contra Deũ & probos uiros graſſari cœpit. Niceph. lib. 10. cap. 37. & Nazianzenus in ſecunda inuectiua contra Iulianum. & lib. 9. contra Paganorum mores.

ISIDORVS Hiſpalenſis epiſcopus, qui multa ſcripſit, Mahometum in Hiſpania uidit, antequam incendium illud excitaret: & ex ipſa phyſiognomia præſagiuit, illum peſtem fore Eccleſiæ & Reipub. iuſſitq; eum capi. Sed is admonitus à diabolo, fuga ſibi conſuluit. Antoninus titulo 13. capite ſecundo. §. ſexto.

Alexio Comneno, poſt Manuelis Comneni Imp. obitum Imperium affectante, capto atq; excæcato, cùm omnes ad Andronicum Comnenum (qui rerum potitus Tyrannus uocatus fuit) Chalcedonem nauigarent, poſtremus omnium etiam Patriarcha THEODOSIVS cum primariis ſacerdotibus traiicit. Andronicus ſtatim ei obuiam procedit, ſe ad equi ungulas proſternit: pòſt aſſurgit, & Patriarchæ plãtas deoſculans, eum Imperatoris Alexij Porphyrogeniti pueri, Manuelis Imp. F. ſeruatorem, honeſtatis amatorem, ueritatis propugnatorem uocat, & Ioanni Chryſoſtomo comparandum, nullo honorifico titulo prætermiſſo. Patriarcha uerò, qui tum primùm Andronicum uiderat, accuratiùs eo perluſtrato, animaduerſoq; uiſu truci & affectatis moribus, ſtatura ad decem ferè pedes aſſurgente, ſuperbo inceſſu, ac rectis ſuperciliis, ſeueritate & triſtitia perpetua, miſeratus eos qui talem uirum in perniciem ſuam accerſiuiſſent, Dauidicũ illud adiecit: Vt audiuimus, ita quoque uidemus: ſalſè perſtringens ſimulatum Andronici occurſum & ſubmiſſionem: ſimul etiam repetẽs memoria, uerba Manuelis Imp. qui Andronicum oratione depinxerat, & ignorantis Patriarchæ ueluti oculis ſubiecerat. Nicetas Choniates.

MICHAEL Balbus Imp. poterat prędicere porcorum recèns natorum qui præclarè adulturi eſſent, aut contrà: equis calcitrantibus propè aſſiſtere: aſinos calcitrantes arte quã longiſſimè uitare: de mulis optimè iudicare, & diſcernere, qui oneribus aut qui ſeſſori commodiſſimè ferendo apti forent, ut nullo pauore conſternati eum excuterẽt: equos ſolo intuitu dinoſcere, qui uel curſu celeres, uel bellica fortitudine nobiles eſſent futuri: item de ouium & boum fœcunditate, ac lactis abundantia, & de recenti fœtu iudicare, cuius quiuis matris eſſet. Cedrenus.

Michael Imp. Theophili F. reuerſus à uenatione cũ matre cœnans THEODORA, aliiſq; neceſſariis quibuſdam, intrò uocauit etiam Baſilium Macedonem (qui poſtea ad imperium peruenit) protoſtratorem. In quem Theodora cùm crebrò oculos defixiſſet, contemplandi hominis cauſa, quaſdamque in eo notas & ſigna deprehendiſſet, ſubitò oborta uertigine in terram corruit. Aegreq; animo recepto, interrogata à filio, quæ nam huius caſus cauſa fuiſſet, uix tandem ad ſeſe reuerſa ita reſpõdit: Quem tu, fili, Baſilium nominas, is eſt noſtræ gentis exitiũ. Conſpexi enim in eo notam, olim à tuo patre mihi præmonſtratam: eaq; uiſa, uertigine correpta humi concidi. At Imperator matrem partim ſermone, partim iuramentis à metu reuocauit, aſſeuerans Baſiliũ eſſe & robore inſuperabili, & animi uirtute incomparabili. Cedrenus.

SVLTANVS Aegyptius cùm peregrinos Hieroſolymitanos, quos magni nominis eſſe audierat, porrecta manu ſalutaret, Fridericum Sapientem, Saxoniæ ducem, ex ipſa mẽbrorum proportione & heroico habitu non infimum inter ſocios peregrinationis eſſe ſubolfecit. Ioan. Agricola in prouerb. German. Pulcra anima pulcri corporis hoſpita.

ANTIOCHVS Tibertus Cæſenas, Guidoni Baleono cognomento Guerræ prædixit, quòd ab intimo amico perfidiæ ſuſpicione necandus eſſet. Iouius in Elogiis.

BARTHOLOMÆVS Cocles Bononienſis, Lucę Gaurico aſtrologo auctor fuit, ut uiolenti cruciatus cauſas effugeret, ex chiromantia. Idem.

GALLASIVS Nigriſolus Mantuanus chiromantes, Ludouico Sfortiæ Mediolanenſium principi ex linea Saturnina liuente & intorta carcerem diuturniorem prædixit. Barthol. Cocles lib. 6. paruæ Chiromantiæ, cap. 38. & Bern. Arlunus ſect. 1. hiſt. Med.

QVÆVIS ALIA.

LEO philoſophus, epiſcopus Theſſalonicenſis, ex terręmotu, qui ſub Michaele Imper. Theophili F. accidit, prædixit obitum Bardæ, qui ſecundus erat ab Imperatore, & paulo pòſt à genero fuit interfectus. Cedrenus.

---

PARTES ANIMALIVM. ANATOMIA.

*Anatomia, humani corporis per ſectionem inueſtigatio, nõ tam Medici, quàm Phyſiologi propria eſt. Poſteaquam uerò Phyſiologi eam negligentius tractauere, quòd nihil inde lucri, ſola cognitione excepta, plurimum inuidiæ & infamiæ perciperent: Medici eam ad ſe rapuere, ſummaq; diligentia excoluere, cùm ſine accurata eius notitia nihil laude dignũ præſtare poſſent. Eam nos Phyſicis iure attribuimus: è quorum theſauris mutuatur Medicus ea, quæ ad artis ſuæ finem conſequendum facere poſſe uidentur.*

AEGYPTIOS in diſſecandis corporibus, etiam regum, diligentes, narrat Plinius lib. 19. c. 5.

HEROPHILVS Chalcedonius & ERASISTRATVS, nocẽtes homines à regibus ex carcere acceptos, uiuos incidère, conſiderauerúntq; etiam ſpiritu remanente ea, quæ natura antè clauſiſſet. Celſus lib. 1. de Re medica. Tertullianus Com. de Anima ſcribit, Herophilum, ut hominem cognoſceret, ſeptingenta cadauera ſecuiſſe.

GLAVCIAS in cognoſcenda cadauerum natura diligentiſſimus. Plinius, & Cælius capite uigeſimonono, libro decimoſexto.

GALENVS Pergamenus naturæ miraculum, ab inferis quodammodo diſſecãdorum corporum ſcientiam reuocauit. Cui cùm nec diligentia nec ingenium in ſcrutando defuerit, occaſione tamen humanorum cadauerum deſtitutus (licebat enim ea ætate militibus cum laude uiuentes homines occidere: Medicis cadauer citra ignominiam ſecare non licebat) dum ſimiarum exemplo humani corporis ſtructurã deſcribit, in multis impegiſſe deprehenditur.

Homines ipſum non diſſecuiſſe, quæ uerò in humano corpore obſeruauit, ea uel à ſimiis tranſtuliſſe, uel in abſceſſibus quibuſdam aut chirurgicis operibus uidiſſe, ex libri de Venarum arteriarumque diſſectione, cap. 7. apparet. Geſnerus in eius uita.

ANDREAS Veſalius Bruxellenſis, Anatomicarum adminiſtrationum commentariis editis, & antiquorum gloriam adæquauit, & recentioribus palmam præripuit.

GABRIEL Fallopius Mutinenſis, Chirurgiæ profeſſor Patauinus, in docendo μεθοδικώτατος, in medendo feliciſſ. in ſecando expeditiſſimus, cuius nos diſſectiones aliquot Patauij ſpectauimus, more iam inde à Veſalio introducto, profeſſionem & adminiſtrationem anatomicam ſimul obiit. E Tabulis autem, ſiue Schematiſmis, quos ad hoc ipſum concinnarat, docebat. Veſalij nunquam nō ſine præfatione honoris mentionem faciebat, parentem & reſtitutorem rei anatomicæ, diuinum quinetiam hominem appellans, è cuius fontibus ſuos cæteri riuulos deduxiſſent. Diſſentiebat ab illo in multis, magnique momenti, ſed philoſophica modeſtia. Id quod ex illius ſcripto, quo ἐπεσόδοξα ſua tuetur, intelligere licet.

FELIX Platerus, Baſilienſiū Poliater, Tabulis anatomicis ſuis de ſtudioſis, diſſectionum methodica docendi ratione tam præclarè meritus eſt, meo quidem iudicio, quàm ullus alius eorum, qui diexodicè hanc naturalis philoſophiæ partē ſeu ueteres ſeu recentiores ſunt perſecuti.

## PHYSICA MECHANICA.

*☞ Vt Mathematica quædam eſt Mechanica, ita nos quoq; Phyſicam Mechanicam conſtituere poſſe uidemur. Vtraque ſubtilem commentationem ad craſſam operationem, theoriam ad praxin reuocat, exemplis præcepta illuſtrat, & quod ſeriò Hip. monet, σοφίην ἐς τέχνην μετάγει. Phyſica ergo Mechanica opus facit naturale in corpore naturali, uel integro, uel in ea, ex quibus proximè componitur, non elementa, ſed corpora reſoluta per Chymicam analyſin. De quibus inter Mechanica commodiùs.*

### AQVARIA. HVC SALINARII.

IACOBVS Dondus, medicus & mathematicus Patauinus, ex aquis Aponi ſal coagulare primus docuit, ut ex mille libris aquæ una ſalis conficeretur. Carrarienſium itaque principum auſpiciis conſtructæ ad ſontis Aponi minorem lacunam, quæ reliquas ſalſedine ſuperat, nouæ ædes, pro ſalis confectione, circa annum 1370. Bernardus Scardeonus lib. 2. claſſe 9. hiſt. Pat. & Michael Sauonarola de Thermis.

### HYDRAVLICI. AQVILEGI.

HERCVLES, ut multi alij ueterum heroum, artifex fuit inueſtigandæ cogendæq; aquę. Plutarch. cum Principibus eſſe philoſophandum.

### FLVMINVM DERIVATIONES.

Herodotus hiſtoriam narrat, Prometheum Scytharum regē, cùm non poſſet fluuium Aquilam, qui regionem ſuam allueret, deriuare, diſcruciaſſe uehementer ſe, ac deinde adiutum ab Hercule, qui hoc præſtitit. Diodorus libro primo Prometheum Aegyptium fuiſſe dicit, cuius regionem cùm Nilus totā propè operuiſſet, ac perderet, multis incolis abſumtis, illum de conſciſcenda ſibi morte deliberaſſe, fluuiumque propter curſus celeritatem Aquilam dictum. Herculem & uirtute & magnitudine conſilij inundationē repreſſiſſe, flumenque redegiſſe in alueum priſtinum: unde orta ſit Græca fabula. Ludouicus Viues in librū decimumoctauum Auguſtini de ciuit. Dei, cap. 8.

## IVDICIVM PHYSICVM. TVM

### APTVM.

Crœſus Lydorum rex minatus erat Lampſacenis, niſi parērent, ſe illos in morem pini extriturum. Quam uocem, ut à potentiſſ. rege prolatam, cùm ciues non intelligerēt, LAMPSACENVS quidam naturæ pini arboris non imperitus, interpretatus eſt, unam ſolamque arborum pinum reciſam non ſuccreſcere ampliùs, uerùm interire funditùs, πανωλέθρως: nata inde parœmia, ut exteri dicantur pinus modo, quæ prorſum intercidant. Herodotus lib. 1. Manifeſtum tamen eſt, piceam & cupreſſum idipſum pati, ſed & pleraque alia: niſi fortè cognationem aliquam inter haſce arbores intellexit: proptereaq; uno pinus nomine accipiēdas, conſtituit. Cæl. lib. 25. cap. 2.

GORGIAS Leontinus ad finem uitæ ſpectans, & bene ſenio confectus, cùm aduerſa ualetudine correptus, paulatim in ſomnum prolaberetur, & quidam ex neceſſariis accedens inuiſendi cauſa quomodo ſe haberet quæreret: Iam, inqt, me ſomnus incipit ſuo fratri tradere. Aelianus lib. 2. de Varia hiſtoria.

Sub Periandro Corinthio infantem equa edidit, qui partib. ſuperioribus ad collum uſque & manus, figura humana erat: cætera repreſentabat equum, uoce ſicut pueri recēs nati. Cùm aruſpices monſtrum illud, ſeditionis & diſcordię ſignificationem eſſe profiterentur, THALES Mileſius ſacra expiatoria per otium fieri permiſit: maximè uerò auctor fuit Periandro, ut armentariis equarum iuuenibus daret uxores. Plut. in Conuiuio.

Cùm inſtitiſſet LACON quidam cadauer ſtatuere rectum, ut omnia molitus non ualuit: Oportet herclè, inquit, aliquid intus eſſe. Plut. in Laconicis.

Locus è IIII. Aeneidos negotium faceſſit Seruio interpreti:

> Heſperidum templi cuſtos, epulaſq; draconi
> Quæ dabat, & ſacros ſeruabat in arbore ramos:
> Spargens humida mella, ſoporiferumq; papauer.

neque enim uidetur cibus accommodatus peruigili ſerpenti, cuſtodiq; aureorum pomorum, papauer, quod ſomnum inducit: ſumto enim illo, parum rectè munere ſuo fungi poſſet. At cùm fera admodum truculentaque foret beſtia illa, nec ſine periculo ali, curarique poſſet: oportebat ſæuam illius naturam mollire. Eodem igitur tempore cibaria, quibus in uita eum retineret, cuſtos illa templi præparauit, ac ſibi conſuluit. nam miſcuit infuditq; cibis illis papauer, ut aſperum ingenium ſerpentis mitigaret. Ita quoque in VI. Aeneidos uates illa ſapiens inferorum canem, ne moleſtus eſſet Aeneæ, demulcere uolens:

> Melle ſoporatam ac medicatis frugibus offam
> Obiecit. —

Et Turcarum regem aiunt alere tigrim, quæ catenis etiam uincta, tutò tractari non poſſit: quare cùm aliquò conuehere uolunt curatores ipſius, ſuccum mandragorę uel opium illi præbere ſolent. Victorius lib. 4. Variarum lectionum, capite tertio.

GALENVS quantumuis ætate adhuc minor, Quinti præceptoris uocem non tulit, qualitatum primarum appellationes balneatorum nomina uocitantis: urinas noſſe, ad pictores pertinere dictitantis, & alia eiuſdem uiri: quanquā tanti illum faceret ſemper, ut Corinthum Numeſiani gratia peteret, quòd diſcipulus fuiſſet eius: & Alexandriam quoque adiret, aliaque loca permulta, ubi eſſe aliquem diſcipulum Quinti intellexiſſet.

### INEPTVM.

Eliſæus propheta Galgala reuerſus, cùm fame laboraretur, & uates apud eum degerēt, puero iuſſit, ut ollam magnam in foco poneret, uatibusq; pulpamentum coqueret. Et QVIDAM rus egreſſus ad colligendas herbas, nactus ſyluestrē cucurbitam, collegit ex eius fructu quantum eius ueſtis capiebat, reuerſuſq; in ollam coquinariam, ignaris quid eſſet, ſecat. Deinde effuſo illis pulmentario ad ueſcendum, eo guſtato, protinùs ad prophetam exclamant, uenenum eſſe in olla: neq; ueſci poſſunt. Ille farinam afferri iubet, eaque in ollam coniecta, iubet pulmentum hominibus affundi. Atque illi comederunt, nullo in olla remanente uitio. 4. Regum cap. 4.

Cùm SATYRVS ignē, ut primùm apparuit, oſculari & complecti uellet, Prometheus,

> Heus hirce, inquit, lugebis tuam barbam quidem:
> Quemcunque tangit, urit.

Plut. Qua ratione ex inimicis util. cap.

Cùm Theſeus Sinidem latronem in Iſthmo interfeciſſet, filia eius PERIGVNE, excellentiſſimæ formæ & ſtaturæ, in locum multa ſtœbe & aſparagis obſitum fugerat, hæcq; illa admodum ſimpliciter & pueriliter obſecrabat, uota cum iureiurando nuncupans, ſi ſeruaſſent & texiſſent ſe, nunquam læſurā ſe ea nec crematurā. Quam cū Theſeus alta uoce appellaret, fidemq; daret, ſe nullam ei uim illaturū, prodiit, atque ex complexu illius Melanippum peperit. Plutarchus in Theſeo.

Quum olim lapis in Aegos Thraciæ amnem è cœlo cecidiſſet, ANAXAGORAS, quem etiam prædixiſſe ferunt id futurum, affirmauit cœlum omne ex lapidibus conſtare, ſolemq; ipſum candens eſſe ſaxum. Idcirco Euripides eius diſcipulus in Phaethonte tragœdia ſolem auream glebā nominauit. Eam ob cauſam (ut Sotion in ſucceſſionibus narrante Laertio ſcribit) à Cleone impietatis accerſitus, defenſusq; à Pericle diſcipulo, talentisque quinque atque exilio multatus eſt. alij aliter. Inter omnes penè conſtat, capitali ſupplicio, cui addictus erat ſententiis iudicum, ſubtractum à Pericle, qui opibus & gratia plurimum in ciuitate poterat: ideo à poetis fictum Iouem irritatum impietate Anaxagoræ, iaculatum graue fulmen in eum, ſed Anaxagorā protectum à Pericle, fulmen diuerſum abiiſſe. Ludouicus Viues in lib. 18. Aug. de ciuit. Dei, c. 41.



DEMOCRITVS interrogatus de cane ſemper eidem lateri incubante, quamobrem id faceret? reſpondit: ὅτι ἔχει τὶ κεραμίδι ὅμοιον ἡ κύων. id eſt, quoniam habet canis aliquid cum illo latere ſimile. Id obiter narrat Ariſtoteles lib. Magnorum moralium ſecundo, inter prouerbia ſimilitudinis, irridens Democritum. Quid enim ſimile habet later cum cane? Eraſmus in Adagiis.

HERACLITVS exiſtimauit ſolem ſcaphę ſpeciem habere, eiusq; lumen deficere, quoties cauum ad ſuperiora uertitur, ſed rurſus fieri lucidum poſtquā inuertitur. Idem.

XENOPHANES, putauit in occaſu perire, ſed exortu nouū fieri ſolem. Idem.

CHRYSIPPVS libro quinto de Natura, demonſtrat cimices ex ſomno nos commodè excire, & attētos reddere mures, ne in quaq; re ſecuri ſimus reponenda. Plutarchus in Stoicorum pugnis.

IDEM in libris de Natura complures animantes ſcripſit pulcritudinis gratia à natura eſſe productas, elegantiæ ſtudioſa, & uarietate geſtiente, adiecitq; dictum abſurdum, pauonem caudæ gratia ob eius elegantiam genitum. E diuerſo in libro de Rep. increpat acriter illos, qui pauones ac luſcinias alunt: & quodammodo contrarius legiſlator eſt mundi legiſlatori, deridetque naturam, quæ elegantiæ ſtudium ſuum iis in animantibus exprimat, quibus in ciuitate locū ſapiens non ſit daturus. Idem.

LACON quidam quum duas amygdalas duras duplo uendi conſpiceret: Súntne hîc, inquit, rari lapides? Quaſi nihil intereſſet inter ſilicem & duram amygdalam. Adeò deliciarū erat rudis, ut neſciret, ſub gemino cortice latêre nucleum. Et apparet hoc genus arboris non quibuſlibet regionibus fuiſſe notum, quando Plinius dubitat, an ętate Catonis fuerit in Italia. Plut. in Lacon.

ALIVS quidam echinum in menſa appoſitum ori integrum immiſit, & mandere cœpit. Verùm palato ſpinis exulcerato, O ſceleſtum, inquit, edulium, neque te in præſens dimittam, neque in poſterum unquam aſſumam. Athenæus.

Luciniæ quidam LACO uulſis pennis cùm exiguam carnem reperiſſet: Vox es tu quædam, inquit, præterea nihil. Plut. in Apopht. Laconicis.

GALENVS cōſpecto primùm elephanto proboſcidem illius otioſam eſſe putauit. Pòſt uerò cùm manus inſtar ea uti, & per eam reſpirare cognouiſſet, naturæ ſolertiam admirari cepit. Lib. 17. de Vſu partium, cap. 1.

GOTHI ueteres tam obſtinato animo deorum ſuorum cultum obſeruabant, ut concitato in nubibus fragore, ſagittas in aëra excutientes, oſtenderent ſe opem afferre uelle diis ſuis, quos tunc ab aliis oppugnari putabant. Nec ea temeraria ſuperſtitione contenti, inuſitati ponderis malleos (quos Iouiales uocabant) ingenti ære complexos, magnáque religione cultos, ad eum uſum habebant, ut per eos cœli fragores, quos malleis cieri credebant, exprimerent, tantiq; ſonitus uim fabrilium ſpecie imitantes, deorum ſuorū bellis ſic adeſſe admodum religioſum exiſtimarent. Durauit is Iouialium malleorum uſus uſque ad annum à Chriſto nato milleſimum cēteſimum trigeſimum: cùm Magnus Gothorum rex paganam ſuperſtitionem peroſus, & fanum cultu, & Iouem ſuum Thorum dictum inſignibus ſpoliare ſanctitatis loco habuit: qui propterea ad multa tempora à Gothis perinde ac cœleſtium ſpoliorum ſacrilegus raptor reputatus eſt. Ioan. Magnus lib. 1. cap. 13.

SEVERVS hæreticus Vinum creaturam diaboli eſſe uoluit, adeoq; ſerpentis effigiem habere Vitem. Epiphanius.

MANETIS & MANICHÆORVM deliramenta de reb. naturalibus innumera. Vide Tit. Hæreticorum.

In Buthquhania Scotiæ regione in litus eiecta eſt Electri maſſa, equi longè quantitatem ſuperans. Quam conſpicientes prope gregem ſuum paſcentes PASTORES, ignari quídnam eſſet, ubi haud inſuauem odorem cōiecti forte in ignē cognouiſſent, extemplò ad PAROCHVM ſuum læti recurrunt, thuris loco ad ſacra, uſu haud inutili nec ingrato fore dicentes. Verùm is æquè imperitus, ubi quod ſatis uidebatur accepiſſet, reliquum haud magni faciens, in litore paſtoribus ludibrium reliquit: partibus enim abruptis, candelarum more incenſum, rem auri precio aliquādo habitam, inutili laſciuia prodegerunt. H. Boethius in Scotia.

### NVLLVM.

Theophraſtus multa contraxit & prodidit ſcripto, quorū nos eruere cauſam non ualemus: cuiuſcemodi ſunt iſta. Gallinę à partu feſtuca ſe luſtrāt. Vitulus marinus cùm pinnam cōſumit, non deglutit eam tamen. Cerui decidua cornua defodiunt. Eryngium ſi una capra ore teneat, uniuerſum ſiſtit gregem. Item & ſemen, quòd incidit in cornua boum, frugem contumacem edit. Plutarchus libro 7. Conuiualium quæſtionum 2.

## PHYSICES VSVS, VEL

### RECTVS, APTVS, TVM MEDICVS.

EMPEDOCLES Agrigentinus, montis profundum quendā inter rupes hiatum, qui grauem & peſtilentem per campos Auſtrum inſpirabat, obſtruxit: qua re peſtē exiſtimatus eſt ex eo tractu excluſiſſe. Plut. de Curioſitate.

M. TER. VARRO, Hippocratis imitatione, cùm Corcyrę eſſet exercitus, & claſſis & omnes domus repletæ eſſent ægrotis ac funeribus, immiſſo feneſtris nouis Aquilone, & obſtructis peſtilentibus, ianuaq; permutata, ſuos comites ac familiam incolumes reduxit. Varro lib. 1. de Re ruſtica, c. 4.

### BELLICVS.

*☞ In bello uſum aliquem Phyſices eſſe, cui alioqui cum Muſis nihil eſt commune, patebit ex Tit. Alimenta & commeatum acquirere & parare, exemplo Pauli Aemilij & Cn. Pompeii: itē, Metum eximere militibus ex prodigiis ortum: item, Caſtrametationis.*

Crœſus Lydorum rex contra Cyrum Perſarum regem, expeditionem parans, ubi ad Halym fluuium peruenit, incertus animi fuit, qua parte fluminis traiiceret exercitum: nulli erāt enim ea tempeſtate pontes. THALES Mileſius foſſam præaltam exorſus ſupra caſtra, in ſpeciem lunæ depreſſit, quæ caſtra à tergo amplecteretur. In quam cùm traduxiſſet ex priſtino alueo fluuium, iterum eum, ubi exercitus traiectus eſſet, in ſuum alueum cōpendioſè refudit. Itaq; cùm celerrimè fluuius diductus eſſet, utrinque uado meabilis effectus eſt. Herodotus lib. 1.

EPHIALTES Trachinius ad anguſtias Thermopylarū Leonidæ Spartani commilitones Perſarum manibus tradidiſſe fertur, & Barbaros intra Thermopylas accepiſſe, cùm hoſtibus per montana ſemitam oſtendiſſet. Strabo lib. 1.

Q. SERTORIVS phyſico ſtratagemate expugnauit Characitanos in Hiſpania, antra ſpecusque in ingenti & excelſo colle Aquiloni obiectos inhabitantes. Nam cùm ſubiectus ager omnis limum argilloſum & ſolum haberet ob fungoſitatem friabile, quod nec ingredientes ſuſtinere ualeret, & ſi paululum contrectaretur, calcis uiuæ uel cineris modo latè diſpergeretur: belli metu, præda eò congeſta, ſemper tuti fuerant: donec Sertorius eò ueniens, locum contemplaretur, & animaduerteret uim pulueris à uento in illos ex terra ſuſtolli: quo uento illi eorumq; armenta interdiu refocillabantur. Ergo militibus imperauit, ut ſpongioſæ illius & cineritiæ telluris auellerent fragmenta, cōportataq; ex oppoſito colli in tumulum excitarent. Quod ubi ad noctē uſque feciſſent milites, reduxit eos in caſtra. Ridebāt eos Barbari, exiſtimantes aggeris in ſe molitionem id eſſe. At ubi diluxit, primùm mollis aſpirauit aura, congeſtæ terræ leuiſſimum uelut ſcobem mouens diffundensq;. Mox acri cum ſole increbreſcente uento, cùm colles puluere implerentur: intenti milites cumulum ab imo ſubruerunt, cōciderùntq; limum: aliqui equos ſurſum deorſum egerunt, ad excitandam raram tellurem, atq; in ſublime uento dandā. Qui excipiens, quicquid cōminutū eſſet, & ferretur in aëra, in Barbarorū coniiciebat ædificia Cæciæ obuerſa. Ita Barbarorū oculis citò offuſa caligo eſt, citò ſuffocāte anhelatione correpti ſunt, aſperā multoq; cōmiſtā puluere hauriētes aurā. Itaq; cū ægrè duos dies ſuſtinuiſſent, tertio deditionē fecerunt: non tantū uirib. Sertoriū, quantū gloria cumulātes, quòd armis inexpugnabilia, cōfeciſſet conſilio. Plut. in Sertorio.

### POLITICVS.

IOCASTA apud Eurip. in Phœniſſis Eteocli filio perſuaſura, ut fratrem Polynicem in regni conſortium admitteret, argumento utitur phyſico tali:

> καὶ γὰρ μέτρ' ἀνθρώποισι καὶ μέρη σταθμῶν
> ἰσότης ἔταξε, κἀριθμὸν διώρισε·
> νυκτός τ' ἀφεγγὲς βλέφαρον, ἡλίου τε φῶς
> ἴσον βαδίζει τὸν ἐνιαύσιον κύκλον,
> κοὐδέτερον αὐτῶν φθόνον ἔχει νικώμενον.

ἀλλ' ἄλι

*ἦθ' ἥλιος μὲν, νύξ τε ἀμβλεύει βροτοῖς·*
*σὺ δ' οὐκ ἀνέξῃ δωμάτων ἔχων ἴσον,*
*καὶ τῷδ' ἀπονεῖμαι;*

Etenim menſuras hominibus, & partes ponderum, æqualitas conſtituit, & numerum definiuit, noctiſque obſcurum radium, ſoliſque lumen, æqualem ire annuum circulum: & neutrũ ex ipſis inuidiam habet, cùm uincitur. Ergo ſol quidem, noxque, ſeruit mortalibus: tu uerò non ſuſtinebis domuum habens æquas partes, & huic ſuam tribuere?

CLEARCHVS Ponticus tyrannus, Phyſices peritia ciues necauit. Cùm enim multos ciues de medio tollere cupiẽs, occaſionem & cauſam non haberet: delegit eos, qui eſſent ab anno ſedecimo uſque ad duodecimum, ad expeditionem ſub Caniculæ ardoribus, quaſi urbem Aſtacum oppugnaturus. Poſtquam uerò appropinquauit Aſtaco, ciues quidẽ in paluſtri loco, & æſtuoſo, atque pleno ſtantium aquarum iuſſit caſtra ponere, & animaduertere, ne Thraces è regione apparerent. Ipſe uerò quaſi ſummam oppugnationis moleſtiam toleraturus, cũ mercenariis excelſa loca & umbroſa, aquis affluentia, cepit, & in iis caſtrametatus, eò uſque oppugnationem extendit, donec ſuos ciues perdidiſſet: quia æſtiuo tempore paluſtria morboſa ſunt. Poſtquam autem omnes perierunt, tunc cum mercenariis etiam mouit, peſtique cauſam ciuium interitus aſſignauit. Polyænus libro ſecundo, & Sabellicus libro octauo, Enneadis 4.

PERICLES imbutus rerum ſcientia cœleſtium à Zenone & Anaxagora, non ſolùm ſublimi uſus eſt dicendi genere, puro à plebeia & accerſita garrulitate, unde Olympij cognomentum meruit: uerùm etiam uultus ad riſum immotus, inceſſus comis, modeſtus ueſtitus, animus in dicendo imperterritus, modulatio ſedata uocis, & reliqua eius generis omneis ſupra modum adduxerunt in ſtuporem. Plutarch. in Pericle.

### RVSTICVS.

EMPEDOCLES Agrigentinus, Eteſiis aliquando uehementer flantibus, adeò ut fruges corrumperent, excoriari aſinos iuſſit: factiſque utribus, eos collibus & montium uerticibus affixit, ad flatus cohibẽdos. Ceſſantibus ob id uentis, ab euentu rei *κωλυσανέμας* dictus fuit. Laertius libro octauo, ex Timæo.

### NAVTICVS.

AEOLVS nauigantibus, prædictione uentorum & mutationum aeris naturali, plurimùm commodauit. Hinc factum, ut illum Ventorum eſſe regem dicerent. Natalis Comes Mythol. lib. octauo, capite decimo, ex Strabonis libro primo, & ſexto.

### ARCHITECTONICVS.

In condendis urbibus prima ea cura eſſe debet, ut locus ſaluberrimus eligatur: alter, ut fertiliſſimus: tertius, ut commodiſſimus & ad negotiationes, & ad res bellicas. Id autem quod primum eſt, Phyſiologi certè ſtudio perſpici tantùm poteſt. Hinc Pallas ſapientiæ dea, Muſæum Græciæ conditura, locum in Attica ſaluberrimum & aëris temperie optima præditum elegit. SPARTANI de colonia deducenda conſulto oraculo, reſponſum accepére, contra cæcos ædificarent. CROTONENSES loco ſaluberrimo ciuitatem condere à deo iuſſi. Strabo lib. 6. & Suidas.

### LVDICRVS.

In DIANÆ Epheſiæ templo literis mandatum, Cupidinis telum nullis retentum laqueis pependiſſe. Id ſi æmulari libuerit, leui ferro harundinem pro haſta adiicito, lapidemque herculeum cubiti magnitudine excauatum eximię bonitatis inſerito teſtudini templi, appoſitumque ſpiculum per plura ſecula ſponte pendere uidebitur. Cardanus de Rerum uarietate lib. 12. cap. 58.

Magnetem lapidem nouimus mirabilem ferri eſſe raptorem, inquit D. AVGVSTINVS: qđ cùm primùm uidi, uehementer inhorrui. Quippe cernebam à lapide ferreum anulum raptum atque ſuſpenſum: deinde tanquam ferro, quod rapuerat, uim dediſſet ſuam, communemque feciſſet, idem anulus admotus eſt alteri, eumque ſuſpendit: atque ut ille prior lapidi, ſic alter anulus priori anulo cohærebat. Acceſſit eodem modo tertius, acceſſit & quartus. Iamque ſibi per mutua connexis circulis, non implicatorum intrinſecus, ſed extrinſecus adhærentium, quaſi catena pependerat anulorum. Quis iſtam uim lapidis non ſtuperet, quæ illi non ſolùm inerat, uerumetiam per tot ſuſpenſa tranſibat, & inuiſibilibus ea uinculis ſubligabat? Sed multò eſt mirabilius, quod à fratre & coepiſcopo meo Seuero Mileuitano, de iſto lapide comperi. Seipſum nanque uidiſſe narrauit, quemadmodum Bathanarius quondam comes Africę, cùm apud eum conuiuaretur epiſcopus, eundem protulerit lapidem, & tenuerit ſub argento, ferrumque ſuper argentum poſuerit: deinde ſicut ſubter mouebat manum, qua lapidem tenebat, ita ferrum deſuper mouebatur, atque argento medio, nihilque patiente, concitatiſſimo curſu ac recurſu infrà lapis ab homine, ſuprà ferrum rapiebatur à lapide. Auguſtinus libro uigeſimoprimo, de Ciuitate Dei, capite quarto.

LATOMVS quidam Batauus lupi ſtercus clam in præſepibus abſcondebat. Pecudes eius odore territæ, ueluti in furorem agebantur. Ille, cùm ſe incantationum remouendarum artificem profiteretur, remoto clam ſtercore, malum amoliebatur, & quæſtum inde faciebat. Vierus lib. 4. c. ult. de Præſtigiis dæmonum.

IACOBVS Zuingerus Biſchofzellenſis, patruus noſter, Argẽtinæ zonarũ artifici operam locabat ſuam. Gulielmus Comes Fürſtenbergius, qui bellis Gallicis inter Carolum V. & Henricum II. egregium ſeſe ducem præſtitit, tabernæ incumbens, orichalci ferrique ſcobem permixtam uidens, ad Iacobum conuerſus, per iocum inquit, Et qua mercede ſcobem hanc confuſam ſeparares? Tum is, Minima, reſpondit, uini unica amphora. Pignore in medium poſito, Iacobus Magnetem lapidem è ſcrinio profert, & nullo negotio ferri limaturam à ſcobe orichalci ſegregat: obſtupeſcente Comite, & magicam quandam uim lapidi ineſſe pręd icante, non ſine ſtomacho tamen, quòd à plebeio ſe uictum tacitè fateri cogeretur.

### INEPTVS, NVLLVS. ERRATA PHYSICA.

Bello Syracuſano, cùm NICIAS Athenienſium dux claſſem ſubducere ex portu Syracuſano uellet, & luna defeciſſet, uehementer perturbatus eſt: præſertim cùm natura ſuperſtitioſus eſſet, & tunc ne peritum quidem hariolum haberet. Nam familiaris eius, qui multum detrahebat ei ſuperſtitionis, Stilbides, paulo antè deceſſerat. Prodigium erat alioquin id, ut Philochorus ait, haud fœdum fugientibus, imò admodum fauſtum: ſiquidem occultari, quæ gerũtur cum metu, quærunt: lucem habent infeſtam. Et quidem in ſolis & lunæ laboribus non niſi tribus diebus, ut annotauit in commentariis Autoclides, ſoliti erant ſibi cauere, & eos ſuſpectos habere. Nicias uerò alium ſuadebat expectandum lunæ ambitum. Quaſi uerò non uidiſſet ilicò illuſtratam, ubi locum inumbratum & à terra obſtructum præteruecta eſt. At ille relictis aliis penè omnibus digreſſus ſacrificauit reſes: quouſque ſuperuenerunt ipſis hoſtes, qui copiis terreſtribus murum & caſtra eorum obſederunt, nauibus portum undique cinxerunt, & tandem eos fediſſimè circumuenerunt. Plut. in Nicia.

VIRGILIVS narrat Troianos, induciis factis cũ Latino rege, liberè lignatum profectos: in materia uerò, quã exponit eos tunc cæcidiſſe, numerat cedros: quæ tamen arbos in hac noſtra terra non naſcitur. Verſus poetæ ſunt:

> Robora nec cuneis, & olentem ſcindere cedrum,
> Nec plauſtris ceſſant uectare gementibus ornos.

Vitio autem datur poetis fingere aliquid, quod alienum à uero ſit: nec reſpondeat naturæ illarum rerum, quas tangunt: decet enim poema integrum eſſe, & ab omni macula uacuum. Quis autem neſcit, inſimulatum EVNDEM eſſe, quòd fecit ceruos ab Aenea in Africa ſagittis fixos, cùm tamen in ea terra belua illa non reperiatur? Et ſanè nonnulla huiuſcemodi peccata inueniuntur apud laudatos etiam poetas: ita namque cupidi illi ſunt ornamentorum, ut non caueant, neque magnoperè reformident huiuſcemodi culpas. Aut igitur huc confugiendum eſt, & exemplo reliquorum hæc culpa ipſi condonanda: aut, cùm cedrum appellauit, intellexiſſe ipſum propter ſimilitudinem iuniperum putandum: quod uerius puto. (Quin potius, pace Victorij, per cedrum intellexit oxycedron, non autem iuniperum, cuius tamen lignum, & figuram aliquatenus refert. Huic ſimile eſt illud è Georgicis, neſcio quomodo appellem, quod cùm de paſtoritiis canibus præciperet uenatuque, inquit:

> Sæpe etiam curſu timidos agitabis onagros,
> Et canibus leporem, canibus uenabere damas.

neque enim onagri ulli in Italia (quibus populis uidetur ille artem colendi agros & paſcendi tradere uoluiſſe) neque in uicinis etiam regionibus. Victorius libro 38. Variarum lectionum, capite 1.

ODETTVS Foiſſeius, Lotrechij regulus, Gallici exercitus contra Carolum V. Cæſarem in Italia dux, ab initio obſidionis Neapolitanæ, quorundam exulum Neapolitanorum monitu tam importuno, quàm poſtea exitiali, aquæ perennis aquæductum concidit, ut obſeſſis Cæſarianis copioſiſſimorum fontium, qui multis per urbem locis ſyphonibus largiter lymphas fundunt, commoditatem eriperet. Neceſſario namque tota ea aquæ uis multiuariàm corriuata, per ſubiectam planiciem ita ſpargebatur, ut ſenſim exundante,



undante, & mox ſubſidente humore, eorum camporum gleba putreſceret, oriretur que inde craſſior nebula, excitata quidem, ſed ſemper indomita ſolibus, quæ ideo febres progigneret, & totis caſtris euulgaret. Proinde oborta peſtilentia & promiſcuum uulgus militum abſumſit, & tandẽ quoque ipſum Lotrechium. Iouius lib. 26. Hiſt.

## PHYSICA CERTAMINA TVM IN GENERE, TVM IN SPECIE, VT ANATOMICORVM, HERBAriorum, & ſimilium.

TIRESIAS electus arbiter (ut aiunt) ab Ioue ac Iunone de amoris quantitate contendentibus, tres amoris uncias in uiro, nouem in femina pronunciauit. Cælius lib. 14. cap. 14. Antiquarum Lectionum.

Laio rege à filio Oedipo inter iurgium occiſo, SPHINGEM beluam biformem ueniſſe Thebas aiunt: propoſuiſſeque ænigma, quod qui non ſoluerent, perirent. Ex quo multi ob rem dubiam interierunt. Soluenti præmiũ Iocaſtæ connubium, & Thebanorum regnum propoſitum erat. Id extat libro decimo Dipnoſophiſtarum Athenæi, ex Aſclepiade, in iis, quæ de tragœdia ſcripſit, deſumtum:

> *Ἐστὶ δίπουν ἐπὶ γῆς, καὶ τετράπον, οὗ μία φωνή,*
> *καὶ τρίπον. ἀλλάσσει δὲ φυὴν μόνον, ὅσσ' ἐπὶ γαῖαν*
> *ἑρπετὰ κινεῖται, ἀνά τ' αἰθέρα, καὶ κατὰ πόντον.*
> *ἀλλ' ὁπόταν πλείστοισιν ἐπειγόμενον ποσὶ βαίνῃ,*
> *ἔνθα τάχος γυίοισιν ἀφαυρότατον πέλει αὐτοῦ.*

Eſt bipes ſupra terram, & quadrupes, cuius una eademque uox, & tripes. Mutat uerò naturam ſolùm inter omnia, quęcunque ſuper terram reptilia mouentur, perq; aërem & in mari. Sed cùm feſtinans pedibus pluribus perrexerit, ibi celeritas membris maximè imbecillis exiſtit. Pauſanias, Suidas, & Palæphatus in *μυθολογίαις*. Auſonius poeta in Grypho ternario ſic reddidit: Illa etiam thalamos per trina ænigmata quærens, Qui bipes & quadrupes foret, & tripes omnia ſolus, Terruit Aoniam uolucris, leo, uirgo triformis, Sphinx uolucris pennis, pedibus fera, fronte puella. Sphinx dicta, *παρὰ τὸ σφίγγειν*, quòd mentes hominum ſuis ambagibus conſtringeret. Tandem OEDIPVS nodum explicauit, hominem id animal eſſe, qui infans quatuor iret pedibus: auctus ætate, duobus: iam ſenior factus, tribus, cùm baculo tanquam tertio pede ſuſtentaretur. Sphinx ſeipſam ex loco excelſo præcipitauit. Diodorus libro quarto, capite 6.

In Alexandri comitatu CALLISTHENES Peripateticus, & ANAXARCHVS Abderites fuit. In Hyrcania memorant orto ſuper cœnam aliquando de tempeſtatibus anni & aëris temperatura ſermone, aſſentientem Calliſthenem opinioni illam regionem aſſerentium gelidiorem & rigentiorem Græcia, repugnante obſtinatè Anaxarcho, dixiſſe: Enimuerò non potes non fateri intentiorem hîc quàm illic rigorem eſſe. quippe tu in læna illic hyemem traducebas, hîc tribus uelatus tapetibus recumbis. Id uehementer exaſperauit Anaxarchum. Plut. in Alex.

Diphilus tres Samias PVELLAS inter conuiuium ænigmata proponentes induxit in Theſeo, atque propoſitum fuiſſe à prima ænigma: Quid omnium eſſet duriſſimum. Eamque ferrum dixiſſe, hoc argumento, quòd eo omnia excauarentur, ſecarenturque. At ſecunda fabrum ferro fortiorem eſſe aſſeruit, qui illud flectit, mollit, cudit. Tertia ut erat impudentiſſima, Veretrum fabro plus exhibere dixit negotij, quàm faber ferro. Athenæus libro decimo, capite decimoſexto.

DIOGENES Cynicus rationes illorum, qui motum negabant, appoſitè ſatis eludebat. Quum enim hac de re interrogaretur: Miror equidem (aiebat) cur, ſi motus non ſit, nautæ quotidie clamant, ad Rhodum, ad Cnidum, ad Co. Et ipſe ne tentabat quidem huiuſcemodi diluere ſophiſmata, quæ aduerſarentur his, quæ euidentia ſunt. Galen. de Cauſis procatarticis capite ſecundo, & Sextus Empiricus.

DIODORVS Cronus Scepticus huiuſcemodi argutia motum tollebat. Si quid mouetur, aut in loco, in quo eſt, mouetur, aut in quo non eſt. Atqui nec in quo eſt (manet enim) nec in quo non eſt (quomodo enim aliquid agat in illo, in quo omnino non eſt?) Non ergo mouetur quicquam. Ad eum cùm uocatus eſſet HEROPHILVS medicus, ob luxatum humerum, ſic eum irriſit. Aut in quo loco erat humerus exiſtens excidit, aut in quo non erat. At neque in quo erat, neque in quo non erat. Ergo non excidit. Cronus uerò, ut omiſſis ineptiis oportunum adhiberet remedium, obſecrauit. Sextus Empiricus lib. 2. Pyrrhoniarũ hypotheſeôn cap. 22.

PTOLEMÆVS Aegypti rex SPHERVM Cleanthis Stoici diſcipulum, *ἐποχὴν* in omnibus ſectantem, in cœna irriſit, cùm is ad aues affatiuè ex cera confectas manus extendiſſet, tanquam ad aues ueras. At ille, ne ſibi deeſſet, reſpondit: Nõ ſe aſſenſiſſe ut ueritati, ſed ut probabilitati. Differre enim *ἰσχυρὰν*, ut *ὑπόληψιν*, ob *ὀρθῷ λόγῳ*. Athen. lib. 8. c. 8.

Scribit Plutarchus in Theſeo, nauim qua in Cretam Theſeus delatus fuerat, ad Demetrij Phalerei tempora Athenis ſeruatam cuſtodiri. Et quia longo æuo abſumta materia fuit, lignis antiquioribus detractis, nouiſq; coaptatis, diu manſiſſe. Eaque cùm eadem Theſei nauis diceretur, apud PHILOSOPHOS alioſque phyſicæ ſtudioſos, an eadem eſſet nauis, an uerò altera, ancipitem quæſtionem incidiſſe. Quam ex Hermolai Barbari philoſophi & Iurecõſultorum ſententia Alexan. libro tertio, capite primo, explicat. Quàm rectè, uiderint Phyſiologi. Idem ſiue res eadem dicitur, partim eſſentialiter, partim accidẽtaliter. Eſſentialiter quidem, quando materia eadem formam habet eandem: formam inquam eſſentialem, non accidentalem. Nunc quia Argo nauis formam externam accidentalem quidem habet, uerùm materiam nouam, non eadem erit dicenda, quæ olim fuit. Accidentaliter uerò quando ex accidentibus res dicitur eadem uel diuerſa. Sic apud Iurecoſ. grex noua ſobole ſuffectus, & populus Romanus eandem ſeruans politiæ rationem, idem nomen, eandem urbem, idem nunc eſt, quĩ ante mille annos fuit: & nauis Argo eandem ſeruans nauis formam, licèt tignis detractis ex alia materia coaptata ſit, nauis eadem dicetur.

GALENI Pergameni, diſcipuli, cum præceptore ſuo, uno ex Athenæi Attalei ſectatoribus, qualitates primas non eſſe elementa prima, concertationem, pete ex Gal. lib. 1. de Elem. capite ſexto.

DVO inter ſe Philoſophi contendebant. Alteri aqua lignis grauior eſſe uidebatur, quia aquæ minus ineſſet uacui quã ligno: alter ligna grauiora eſſe contendebat, quia ſubſtantiam haberent conſtrictam denſamq;. Architectum quendam rogabant, quiſnam eſſet modus, per quem deprehendere poſſent, utrum eorum grauius eſſet, cùm neque lancibus, neque uaſis, ob corporum diſparitatem, id fieri poſſet. Architectus illorum ſtupiditatem ridens, quia ea quæ extra mundum ſunt quærerent, cùm quæ in mundo ſunt ignorarent, rationem facillimam, qua ligni & aquæ pondera dĩiudicarentur propoſuit, quam tamen philoſophi illi uix ter repetitam aſſequi potuerunt. Galenus de Cuiuſque animi pec. medela, cap. ult.

Tres alij philoſophi inter ſe digladiabantur. PERIPATETICVS mundum unicum, plenum, extra quem nihil eſſet uacui, aſſerebat. STOICVS mundũ unũ, plenum, ſed uacuũ extra mundũ cõſtituebat. EPICVREVS uti uacuũ magnitudine infinitum, ſic mundos in ipſo multitudine infinitos eſſe uolebat, nullis demonſtrationibus, ſed ueriſimilitudinibus tantùm fretus. Ibidem.

GALENVS medicus Alexandro Damaſceno, Boethi præceptori, quum de uoce & reſpiratione cõtrouerſia incidiſſet, promittebat ſe neruos quoſdam oſtenſurum (in hœdis ac porcis) minutos & capillorum inſtar ſubtiliſſimos, partim è dextro, partim è ſiniſtro latere muſculis gutturis immiſſos: quibus uel laqueo interceptis, uel cultro abſciſſis, uocis impotens animal redderetur, nihil alioqui, quin cætera peragat, impeditum. Tum Alexander interpellans, Si prius (inquit) tibi conceſſum fuerit, nos ſenſibus noſtris credere oportere. Ille uerò hæc audiens, relictis omnibus abiit, hoc unum ſubiiciens, quàm ſe ſua fefelliſſet opinio, non enim ad rudes Pyrrhonios uenturum ſe putaſſe. Nec multò pòſt, conuocatis omnibus & medicis & philoſophis, qui nomen aliquod haberent, diſſertionem magna cum gloria perfecit. Gal. lib. de Præcognit. ad Poſthumum.

IDEM elephanto Romæ iugulato, cum medicis contendit, eandem eſſe illius ſtructuram, quæ in cæteris animalibus, os ſimiliter proportione ſui corporis maximum habere. Teſtis ipſemet lib. 7. de Anatom. adminiſt. cap. 10.

MARTIALIS duos libros in anatomia ſcripſit, ualde probatos. Contra quem GALENVS ſcripſit ambitioſiùs aliquanto librum, quem de anatomia Eraſiſtrati inſcripſit. Teſtis ipſemet de Libris propriis.

PHYSI-

## PHYSICÆ STVDIVM ET AMOR.

VLYSSIS Homerici peregrinatio ad Aeolum, naturalis philoſophiæ ſtudio inſtituta eſſe uidetur: Aeoliq́ue antrum & filiæ multa in ſe recondita habēt phyſicā myſteria. Rex Ventorum Aeolus eſſe fingitur, quia cauſas uentorum, naturā & ortum ſciebat.

GRÆCI in cæteris philoſophię partibus, & in hac potiſſimū, non tam inueniendo acuti, quàm diſcendo induſtrij fuêre. Non piguit illos exilia ueriùs quàm peregrinationes, ut inquit Plinius, ad Aegyptios, ad Chaldæos, ad Indorū Brachmanas eruditionis cauſa ſuſcipere, ut ea, quæ peregrè à Barbaris didiciſſent, domi pro ſuis uenditarent. Lucretius certè libro primo ſtudium illorū, & Epicuri inprimis, his uerbis declarat:

Humana ante oculos fœdè cùm uita iaceret
In terris oppreſſa graui ſub relligione,
Quæ caput à cœli regionibus oſtendebat,
Horribili ſuper aſpectu mortalibus inſtans:
Primùm GRAIVS homo mortaleis tollere contrà
Eſt oculos auſus, primusq́; obſiſtere contrà:
Quem nec fama deûm, nec fulmina, nec minitanti
Murmure compreſſit cœlum, ſed eo magis acrem
Virtutem inritât animi, confringere ut arcta
Naturæ primus portarum clauſtra cupiret.
Ergo uiuida uis animi peruicit, & extra
Proceſſit longè flammantia mœnia mundi:
Atq; omne immenſum peragrauit mente, animoq́;:
Vnde refert nobis uictor quid poſſit oriri,
Quid nequeat: finita poteſtas deniq; cuiq;
Quánam ſit ratione atq; altè terminus hærens.
Quare relligio pedibus ſubiecta uiciſſim
Obteritur, nos exæquat uictoria cœlo.

Fertur DIOMEDES, ut ceruorum uiuacitatem ferę poſteritati notam faceret, torquem æreum cerui collo addidiſſe, circa quem aucta ſit caro, & ceruus poſtea captus ab Agathocle rege Siciliæ in templo Iouis conſecratus. Arcades aiunt Arceſilaum quendam, Lycoſurę incolam, uidiſſe ceruam ſacram Dominæ appellatæ, ſenio grauatam, cui torques circa collum fuerit, hoc uerſu inſcriptus:

Νιβρὸς ἐὼν ἑάλων, ὅτ' ἐς Ἴλιον ἦν Ἀγαπήνωρ,

Hinnulus fui captus, cùm in Ilio eſſet AGAPENOR. Hinc elephanto longè uiuacius animal ceruum eſſe, aliquis affirmet. Pauſanias.

ALEXANDRVM Magnum, Ariſtotelis Stagiritæ diſcipulū, adeò in Animalium hiſtorias propenſum fuiſſe tradunt, ut uix alia eius maior liberalitas, quàm in præceptorem, propter condendam animalium hiſtoriam, celebretur. Octingenta quippe talenta contulit: & inſuper, teſte Plinio, aliquot millia hominum in totius Aſiæ Græciæq; tractu ei parêre iuſſit, quos uenatus, aucupia, piſcatuſq́ue alebant, quibusq́ue uiuaria, armenta, aluearia, piſcinæ, auiaria in cura erant: ne quid uſquam gentium ignoraretur. Geſnerus in Hiſtoria aquatilium.

HEROPHILVS & ERASISTRATVS nocentes homines à regibus è carcere acceptos uiuos inciderunt. Celſus.

ICCIVS, Agrippæ procurator in Sicilia, philoſophię deditus. De eo ſic Horat. lib. I. Epiſt. 13. ſcribit:

Miramur ſi Democriti pecus edit agellos,
Cultaq́; dum peregrè eſt animus ſine corpore uelox?
Cùm tu, inter ſcabiem tantam & contagia lucri,
Nil paruum ſapias, & adhuc ſublimia cures,
Quæ mare compeſcant cauſæ, quid temperet annum,
Stellæ ſponte ſua, iuſſæ ne uagentur & errent:
Quid premat obſcurum Lunæ, quid proferat orbem:
Quid uelit & poſſit rerum concordia diſcors:
Empedoclis, an Stertinij deliret acumen.

M. ANTONINVS Imperator, Seueri F. Oppiani de Animalibus poemata (quæ ſunt de Piſcibus & piſcatione, de Venatione, de Aucupio) inſigni liberalitate accepit. Nam & patris exilium ei remiſit, & pro ſingulis carminibus totidem aureos numos adnumerari iuſſit. Quo munere exhilaratus poeta, characterib. etiā aureis ſua poemata deſcripſit: quæ quidem & has ob cauſas, & quoniam elegantiſſimè condita ſunt, meritò aliquis aurea cognominet. Geſnerus.

NICO Pergamenus, Galeni Medici pater, cùm iam ætate declinante agricultura delectaretur, triticum & hordeum aliquādo ſeminauit, omnibus diuerſi generis ſeminibus, quæ ipſis erant admixta, diligenter ſelectis, quò certò cognoſceret, num ex ipſorum mutatione lolium & ægilops naſcerentur, an propriam hæc quoque ſemina naturam haberent. Idem aliquādo adipē & oleum recondidit, ut illis quàm antiquiſſimis aliquando uti liceret. Et ut familiæ ſuæ de eduliis ſalubrioribus proſpiceret, ſemina & fructus aliquos (ut amygdala, iuglandes, auellanas, legumina diuerſa, triticū) in aqua priùs macerare, aut elixare ſolebat, ut inde, an intumeſcerent, & quantum, & quàm citò, perciperet: atque ita de eorum ſalubritate ſtatueret. Galenus lib. I. de Aliment. facult. cap. ultimo.

GALENVS annum agebat ſeptimumdecimum, quando patris euidenti inſomnio monitus medicinam eſt aggreſſus, cum philoſophia illam coniungens: inprimis uerò naturalem philoſophiā ſtudioſè excoluit, ut inde principia & cauſas uariis in arte medica rebus meliùs accōmodare poſſet.

Aelianus, cuius de Animalibus lib. 17. extant, NERVÆ & ADRIANO Impp. carus & familiaris fuit: Plinius, qui & ipſe de omni animaliū genere copioſè ſcripſit, VESPASIANO: adeò quidem, ut in Naturalis hiſtoriæ ſuæ dedicatione non maioribus titulis, quàm Veſpaſianum ſuum, & iucundiſſimum Imperatorem appellet.

ASCLEPIODOTVS Alexādrinus, à puero acutiſſimus, nunquam inquirere cauſas miraculorum tam naturæ quàm artis opificiorum deſiſtebat. Colorum, quibus ueſtes tinguntur, miſtiones & ornamenta, lignorum infinitas differētias, quomodo eorum uenæ uel rectæ procedant, uel implexæ ſint: lapidum & herbarum facultates & formas inquirebat. Multùm autem fatigabat cuiuſq, generis artifices, aſſidendo frequenter, & de ſingulis accuratiſſimè inquirendo: ſtirpium hiſtoriam & animalium magni faciebat: ea, quæ cerni poterant, oculis luſtrabat: quæ non poterant, audiebat, & ueterum ſcripta lectitabat. Suidas, qui hæc de eo ſcribit, ei fuit familiaris.

GORMONEM, Haraldi II. Danorum regis F. cognoſcendorum mirabilium, quæcunq; uel experimento deprehenſa, uel rumore uulgata fuerant, cepit cupiditas. Itaque Geruthi gigantis regiam, cùm CCC comitibus, Thorkillo duce, inueſtigaturus, in Biarniam contendit: ubi Guthmundum, Geruthi fratrem, obuium habuit, & ab eo hoſpitaliter exceptus, à propoſitis tamen dapibus & oblatis uirginum amplexibus certam ſecum mentis alienationem afferentibus abſtinuit. Ad Geruthi inde regiam magicis præſtigiis refertiſſimā peruentum. Inter cætera dolia ſeptem zonis aureis circumdata uiſebantur, quibus penſiles ex argento circuli crebros inſeruerant nexus. Iuxtà inuſitatæ belluæ dens auro ornatus iacebat: ingens item bubali cornu, gemmis refulgens, affabrè elaboratum: & eximij ponderis armilla. Ad quæ cùm comitum quidā auaras manus applicuiſſent, Armilla in anguem cōuerſa, uenenato dētium acumine eum, à quo gerebatur, appetiit: Cornu in draconem extractum, ſpiritum latori eripuit: Os in enſem uerſum aciem præcordiis geſtantis immerſit. Regio paludamento mirifici operis Thorkillus manum inſerens, cæteris conſentaneum rapinæ auſum temerario porrexit exemplo. Quo facto, penetralia ab imis cōcuſſa ſedibus, inopinatæ fluctuationis modo trepidare cœperunt. Subinde à feminis conclamatum, æquo diutiùs infandos tolerari prædones. Igitur quę priùs expertia uitæ ſimulacra putabantur, è ſuis repentè ſedibus exilientia peregrinos adoriuntur. Tum Broderus & Buchi incurſantes lamias arcuum ac fundarum tormentis obtriuere. Viginti ex omni comitatu regio ſeruati. Cæteri laniatui fuere monſtris. Guthmundus exceptos domi cùm diu ac multum exoratos retinere non poſſet, ad ultimum donatos abire permiſit. Hic Buchi parum diligens ſui cuſtos, unam è filiabus eius complexus, repentino uerticis circuitu actus, memoriam perdidit. Tamen abiturum regem deducens, uadum tranſiens, deſidentibus rotis, ui uorticum abreptus periit. Rex nauigatione primùm proſpera uſus, deinde aduerſa quaſſatus, periclitatis inedia ſociis, paucisq́ue ſuperſtitib. ad uota ſuperis nuncupanda confugit, & Vgarthiloco dæmone placato, ad ſuos uix tandem reuerſus eſt. Saxo libro 8.

FRIDERICVS II. Imperator, cùm aliâs uir eruditus fuit, & Græcè etiam (mirum illo ſeculo) calluit: tum animalium naturæ ſtudioſus fuiſſe uidetur, ex eo quòd (ut tradit Conradus Celtes) lucius piſcis anno ſalutis M CD XCVII. captus eſt in ſtagno circa Hailprun imperialem Sueuiæ urbem: & repertus in eo anulus ex ære cyprio in branchiis ſub cute, modica parte ſplendere uiſus eſt. Anuli inſcriptio fuit hæc: εἰμὶ ἐκεῖνος ἰχθὺς, ταύτῃ λίμνῃ πρωτόπαντος ἐπιτεθεὶς διὰ τοῦ κοσμητοῦ Φεδερίκου β' τὰς χεῖρας ἐν τῇ ε ἡμέρᾳ τοῦ ὀκτωβρίου. Latinè ſonant (ſicuti Ioannes Dalburgus Vvormacienſis epiſcopus interpretatus eſt) Ego ſum ille piſcis, huic ſtagno omnium primus impoſitus per mundi rectoris Federici ſecundi manus, die quinto Octobris. Numeri Græci in epicyclo annum Salutis indicāt, quo id factum eſt, M CC XXX. Inde colligitur, piſcem illum in ſtagno uixiſſe annis CCLXVII. Quo quidem facto ALEXANDRVM Magnum imitatus uidetur. Ceruos enim captos aiunt, teſte Plinio, poſt



poſt centum annos cum torquibus aureis, quos Alexander Magnus addiderat, adopertis iam cute in magna obeſitate. Geſnerus in opere Aquatilium.

FRIDERICVS III. Imperator, ſummum ſtudium adhibuit in re metallica: & ubicunq; licuit, metallicam rem tractauit. Munſterus in Coſmograph.

FRANCISCVS I. Gallorum Rex Petrum Gillium, uirum doctiſſimum, naturæq́; animalium, præſertim aquatilium, mirificè ſtudioſum, liberaliter fouit. Geſnerus.

[redacted]

## PHYSICÆ ODIVM, CONTEMTVS, NEGLECTVS.

EVRIPIDES Tragicus frequenter Anaxagoram Clazomenium audiuit. Sed ad ſcribendum tragœdiam appulit animum, cùm ob dogmata periclitatum illum uidiſſet. Suidas.

CYRENAICI philoſophi, ſectatores Ariſtippi, Dialecticam ſimul & Phyſicam contemnebant, quòd uiri boni (qui rationem bonorum malorumq́ue didiciſſent) & aptè dicturi eſſent, rerum, nō uerborum copia inſtructi, & ſupra naturam omnem, caput elaturi uiderentur, ſuiipſius potiùs quàm aliorum ratione habita. Laertius libro ſecundo refert ex Meleagro & Clitomacho.

PINDARVS, naturæ ſpeculationibus uacantes imperfectum ſapientiæ fructum capere dicebat. Stobæus Serm. 78.

CYNICI philoſophi Logicam & Phyſicam tollunt, ſoli Ethicæ operam dandam cenſent. Laert. in fine lib. 6.

ATHENIENSES non ferebant phyſicos & μετεωρολέσχας tūc appellatos, id eſt, diſputantes de rebus cœleſtibus; quaſi rationib. abſurdis atq; improuiſis potentiis laboribuſq; coactis aſtringerēt id, quod deorū eſt. Qua de cauſa Protagoras in exilium iuit. Anaxagoram (qui primus dilucidiſſimā Eclipſeôn doctrinā ſcripto prodidit, quæ tamē cū cautione & fide inter paucos tantùm uerſabatur) in uincula coniectū magno labore liberauit Pericles. Socrates autem, quamuis eſſet ab iſtis remotiſſimus, tamē philoſophiæ nomine ſublatus eſt. Tandem Platonis effulgēs auctoritas, ob uitā eius, & quia principiis ſubiugauit uincula naturalia diuinis potentioribuſq́;, calumnias his præceptis deterſit, ac diſciplinis mathematicis uiam ad omnes muniuit. Itaq; amicus eius Dion, quo tempore ex Zacyntho ſoluens contra Dionyſium profecturus erat, nihil ſanè defectione lunæ commotus uela fecit, exegitq́; delatus Syracuſas tyrannum. Plut.

Mathematicorum principē PTOLEMÆVM legimus, Theologiam & Phyſicen contemtui duxiſſe: quòd illam præſigni rerum excellentia, humana imbecillitas deprehendere uel conſequi haud queat. Hæc uerò ob inconſtantem perpetuoq́ue fluentem materiam, capi teneriq́ue minimè poſſit. Cælius lib. 26. cap. 14. A. L.

Plinius, ut multis aliis in locis, ſic quoq; lib. 26. cap. 2. de LOGIATRIS, loquacitate inani, experientia nulla inſtructis, hoc ſcribit: Sedere in ſcholis auditioni operatos gratius erat, quàm ire per ſolitudines, & quærere herbas alias aliis diebus anni.

# Medicina.

VBI deſinit Philoſophus naturalis, ibi incipit elegās Medicus, inquit Ariſt. Vt enim plantæ radices ſuas in terra fixas habent, per quas alimentum ſuſcipiunt, conſeruantur tamen ambientis aeris temperie, & uitali ſiderum influxu uegetantur: ita quoq; ars curandi homines, ex media philoſophia principia & fontes ſuos petit, qui deinde particularibus Medicinæ præceptis illuſtrantur & cōfirmantur. Quare Medicina nihil aliud eſt, quàm particularis quædam, & ſenſibus obiecta philoſophia naturalis. Phyſicus enim in uniuerſum omnia naturalia corpora, atq; etiam humanum cōſiderat, ſcientiæ cauſa: at Medicus circa ſolū humanū corpus uerſatur, nō tātum ut ſciat illius naturam, ſed potiùs ut ex hac ſciētia modum operationis & actionis deducat. Quemadmodum ergo ad moralem philoſophiam Iuriſprudentia, ad metaphyſicen Theologia reducitur: ita ad naturalem, ſacra Medicina.

## MEDICI DIVINI. MEDENDI DONVM VEL NATVRA uel diuina quadam ſorte hominibus conceſſum.

*Quandoquidem Medicina Naturalis philoſophiæ propago eſt: Curatio autem occulta, naturæ limites excedere uideatur: iccirco ad Philoſophiam potiùs diuinam referri deberet: niſi quòd hîc generis illuſtrandi cauſa, ſpecies licet diſparata fuit ponenda. Conſule Tit. Morborum cura mirabilis, quatenus naturali uel diuina ratione curantur. Item Tit. Miraculorum, quatenus uel diuina uel magica ui ſanantur homines ab aliis hominibus.*

[redacted] huntur. Idem [redacted]

Theopompus in IX. rerum Philippicarum, de BACIDE cùm alia multa mirabilia narrat: tum, olim Lacedæmoniorum uxores furore correptas, ex Apollinis oraculo ab hoc luſtratas fuiſſe. Suidas.

PYRRHVS Epirotarum rex lienoſis exiſtimabatur opitulari, cùm gallum gallinaceum album immolans, ſupinis iacentibus lienem pede dextero premeret leniter. Neq; erat adeò pauper quiſquam aut abiectus, cui petenti denegaret curationem. Peracto ſacrificio gallum accipiebat, eratque hoc præmij, ei gratiſſimũ. Illius pedis fertur pollex fuiſſe diuina uirtute præditus. Ac cremato poſt fata eius reliquo corpore, repertus inuiolatus eſt & intactus ab igne. Plut. in Pyrrho, & Plinius libro 7. cap. 2.

Alexandriæ VESPASIANVM Imp. pro tribunali ſedentem duo è plebe uiri adierunt, opem ſibi orantes à Serapide demonſtratam. Hic oculis captus, ille debili crure, per quietẽ ſe monitos dicere, fore, ut cæco dies illuceſceret, ſi ipſius oculos ſputo Veſpaſianus inunxiſſet. Amicis hortantibus, utrunque pro concione tentauit: nec defuit euentus. Verebatur ſcilicet dæmon ille, quem ſub Serapidis nomine colebat Aegyptus errorum mater, ne piorum eccleſia recens ibi conſtituta, ex uetuſto illo ſe exturbaret domicilio: præuidítque futurum, ut duo ægri uterque ſua defuncturus eſſet clade, impulitq; proinde ambos, ut à Veſpaſiano opem implorarent: ut quum euentus ſecutus eſſet, eius fauore, qui erat rerũ potiturus, oraculi maieſtas augeretur, nec ex ipſo imperij faſtigio ad ueræ lucis fulgorem animum intenderet. Sab. lib. 3. Ennead. 7. ex Suetonio & Tacito.

HADRIANVS Imp. cùm grauiter laboraret, & mulier quædam ei ſalutem ex ſomnio portẽderet: exacto ſpacio, quod [redacted]

GALLORVM reges ſcrophulas ſolo attactu ſanare dicũtur.

Cùm GVLIELMVS Leo Scotorum rex, & Ioannes Anglorũ, Eboracenſe concilium celebrarent, allatus eſt puellus nobilis oculo ſaniem mittente, lingua impeditus, altera manu arida, pede claudus. Cùm fruſtra tentata cura à medicis destitutus eſſet, Gulielmus cruce ſignatũ dimiſit incolumem. H. Boethius lib. 13.

Solebat EDOVARDVS III. Anglorum rex, diuinitùs ſolo tactu ſanare ſtrumoſos. Quod immortale munus, iure quaſi hæreditario ad poſteriores reges manauit, quibuſdam hymnis priùs recitatis. Polyd. lib. 8. Eiuſdem anulus contra comitialem morbum ſacer, cùm tãgeretur ab illis, qui eiuſmodi tentarentur morbis. Idem.

PRISCI Auſtriæ principes, ab Habſpurgenſibus oriundi, ſtrumas ſanare, diuina quadam ui poterant, cui manu ſua poculum uino plenum bibendum porrexiſſent. In Alſatia certè maiori, uallis eſt Alberti dicta, quæ cùm plurimos ſtrumoſos producat, plurimos quoq; ſalutari eorundem manu curatos uidit. Ioan. Pauli in Spudopædia.

## MEDICINÆ INVENTORES, CONSTITVTORES.

### RESPECTV

### SVBIECTI. INVENTORES

#### ARTIS, IN GENERE.

LIBER pater non tantùm quòd uini inuentor fuiſſet, præſentiſſimi & iucundiſſimi medicamenti, egregius eſt medicus habitus: ſed & quòd hederam, uirtute ſua inprimis repugnantem uino, in honorem adduxiſſet, bacchanteſque coronam ſumere ex ea docuiſſet, ut minus à uino ſolicitarentur: quòd crapulam frigore ſuo reſtinguat hedera. Plutarchus lib. 3. Quæſt. conuiualium 1.

Inuentorem medicinæ facit Aeſchylus PROMETHEVM, Homerus Odyſſeæ PÆONEM. Pindarus uerò ode 3. Pythiorum, CHIRONEM centaurum, qui uires herbarum primus obſeruauit, & ob peritiam Chirurgiæ leuitatemq; manuum in tractandis uulneribus, Chiron fuit nominatus, ἀπὸ τῶν χειρῶν. Hic Saturni, & Philyræ filius dicitur, quia ars medica progreſſu temporis per Experientiam obſeruata fuit. Et ſic χρόνῳ ἐκ τῆς φιλύρας, ſiue φιλης πτέρυγος, per diligentem experientiam, Medicinæ principia produxit. Chironis filia dicitur Ocyrrhoe, quòd præcipua medicinæ pars in eo conſiſtit, ut corpus fluxile reddatur, & uitioſi humores expellantur. Fingitur Chiron altera parte homo, altera equus: quia chirurgia non ad homines ſolũ, ſed etiã ad animalia ſe extendit. Poſt longũ annorũ numerũ à Ioue impetraſſe fertur, ut aliquando mori poſſet: ſunt enim uti rerũ, ſic quoq; ſcientiarum certæ uiciſſitudines: ut quando ad ſummũ excreuerunt, rurſus decreſcant & relabantur. Inter ſidera relatus dicitur, ob artis præſtantiã diuinis honoribus affectus à mortalibus. Natalis Comes Mythol. lib. 4. cap. 12.

Diod. lib. 4. ſcribit CYBELEN Menois uetuſtiſs. Phrygiæ regis F. artem ueterinariam reperiſſe, & infantum morbis lenimenta. Quibus quòd multi curarentur pueri, iccirco eam Magnam matrem nominatam eſſe.

Aſſerunt Aegyptij, ISIDEM plurimum medicæ arti contuliſſe, eamque immortalitate quoque potitam, gaudere hominum cultu, quos cenſuerit dignos. In ſomnis non rectè ualentium morbis auxilia prębet, etiam quorum medici ſalutem deſperarunt. Orum filium à Titanis interfectum, nõ ſolùm in lucem reſtituit, ſed & fecit immortalem. Orum dicũt Apollinem eſſe, ac medendi diuinandiq; artem à matre Iſide edoctum, multum hominibus tum oraculis tum medelis attuliſſe utilitatis. Diod. lib. 1. cap. 2.

Medicinam, teſte Diodoro, uolunt MERCVRIVM apud Aegyptios primùm inueniſſe: at ſecundùm ueteres, APIS Aegyptiorum rex reperit, quòd alij (auctore Plin. lib. 7.) ARABO Apollinis & Babylonis filio tribuunt, alij ipſi Apollini, unde apud Ouidium primo metamorphoſ. dicit.

Innuentum medicina meum eſt, opiferq; per orbem
Dicor.——

Cuius rei Macrob. in 1. Satur. reddit rationem, quia temperatus ſolis calor morbos omnes abigit. Clemens Aegyptiis omnino adſcribit: eius uerò amplificationem AESCVLAPIO primo Apollinis & Ariadnes F. teſte Diod. lib. 5. cap. 15. Meruit & in ea arte laudem tertius Aeſculapius Arſippi & Arſinoæ filius, qui primus (teſte Cicerone 3. de Nat. deorũ) dentis euulſionem, ac purgationem alui inueniſſe fertur. Polyd. lib. 1. cap. 20. De rerum inuent.

GALENI inuenta in arte fuerũt, neruorum curatio: locorum affectorum agnitio, quam primus in artem redegit: medendi ratio methodica: & ſanitatis tuendæ præcepta. In ſectionibus itidem non pauca, circa neruos & muſculos præſertim: ueluti thoracis muſculorum anatomen, & inſtrumentorum reſpirationis: item partium quarundam uſum repererit, adeò ut ante ea tempora manca fuiſſe medicina uideatur. Quin & rebus quibuſdam nomina primus impoſuit, ut ſolutioni continui: & inter ſuccos glutinoſo cõtrarium uocauit rhypticum, id eſt, abſterſorium. De arteriarũ certè pulſibus nihil cùm pertractaſſet Hippocrates (ſiue hoc ad Medicinam nihil pertinere ratus, ſiue rem ignorans) de horũ differentiis, cauſis, & ex ipſis dignotione, prolixè diſſeruit, & hac quoque ex parte medicinam auxit & locupletauit. Geſnerus in eius uita.

#### REMEDIORVM.

HERCVLES Celticus pharmaca multa fertur adinueniſſe aduerſus uenena, & ſerpentum morſus, & hinc ἀλεξικάκου nomen meruiſſe. Gilb. Cogn. lib. 3. Narrat.

Tyrij AGENORIDÆ, Magnetes CHIRONI, qui primi fuiſſe medici perhibentur, primos fructus ferunt. Radices enim ſunt & herbæ, quibus opitulabantur affectis. Plutarchus libro tertio Quæſt. con. 1.

MEDICOS ab agricolis uſum ellebori albi in hydrophobia accepiſſe, teſtatur Oribaſius lib. 7. Collectaneorum, cap. ult. cùm illum canib. rabidis offerri bono cum ſucceſſu à paſtoribus animaduertiſſent.

Inuenêre herbas & uniuerſę gentes. SCYTHIA primùm eam quæ Scythice uocatur, circa Bœotiam naſcens, prædulcis. Aliam utiliſſimam ad ea quę ſpaſmata uocant. Magna & ea commendatio, quòd in ore eam habentes, famem ſitimque non ſentiũt. Idem præſtat apud eoſdem hippice dicta, quòd in equis quoque eundem effectum habeat. Traduntq; his duabus herbis Scythas etiam in duodenos dies durare in fame ſitiq;. Iſchæmonem THRACIA inuenit, qua ferunt ſanguinem ſiſti, non aperta modò uena, ſed etiam præciſa. VETTONES in Hiſpania eam, quæ Vettonica dicitur in Gallia, in Italia autem Serratula. In eadem Hiſpania inuẽta eſt Cantabrica, per diui Auguſti tempora à CANTABRIS. Noſtra ætas meminit herbam in MARSIS repertam conſiliginem. Plinius libro uigeſimoquinto, capite 8.



MERCVRIVS Moly & Linozoſtin, Mercurialem ab eo dictã inuenit. Pæoniam PÆON deorum medicus, Panaces Aſclepium AESCVLAPIVS, Heraclium HERCVLES, Chironium CHIRON centaurus: unde & Centaurea, curatus ea à uulnere inflicto ab ſagitta Herculis, quod idem & Pharnaceon à PHARNACE rege. Ampelos Chironia Chironis inuẽtum, Sideritis Heraclea Herculis, item & Hyoſcyamus. ACHILLES Chironis diſcipulus Achilleon, qua Telephũ ſanaſſe dicitur. Quamuis hoc alij ad æruginem uulneribus utiliſſimam referãt, quòd Achilles primus obſeruarit. TEVCER eadem ætate Teucrion caſu reperit. Nam cùm extra ſuper eam proiecta eſſent, adhæſit lieni, eumque exinaniuit. Plinius lib. 25. cap. 5.

ARTEMISIA uxor Mauſoli, adoptauit herbam, quæ antea parthenis uocabatur. Sunt qui ab Artemide Ilithyia cognominatam putent, quoniam priuatim medeatur feminarum malis. Plin. lib. 25. cap. 7.

Inuenit Mauritaniæ rex IVBA in monte Atlante, quam appellauit euphorbiam, medici ſui nomine & fratris Muſæ, à quo diuus Auguſtus conſeruatus eſt. Idem.

Eupatoriam rex quidam, ſiue Antiochus ſiue Ptolemæus is fuit, cognomento EVPATOR, obſeruauit hepati conuenire. Polemonia à certamine regũ inuentionis dicta eſt. GENTIVS Illyriorum rex Gentianam. Plin. lib. 25. cap. 6. & 7.

CASSIVS quidam inuentor pharmaci, quod Celſus lib. 4. c. 14. κωλικὸν uocat.

DEMOCRATES Seruilius è primis medentium herbam dicitur inueniſſe, quam appellauit Hiberida, ficto nomine, inuentioni eis proprio dicato uolumine. Plin. lib. 25. cap. 8.

Hirundinis roſtri cinis cum myrrha tritus, & in uino, quod bibitur, inſperſus, ſecuros præſtabit à temulentia. Inuenit hoc HORVS Aſſyriorum rex. Plin. lib. 30. cap. 15.

MITHRIDATES Ponti rex Mithridation herbam, Crateua teſte, reperit. Primus ſanguinem anatum Ponticarum miſcuit antidotis, quoniam ueneno uiuerent. Plin. lib. 25. cap. 2. & Gell. lib. 17. cap. 16.

Nuper ab aſpide calcata PERCVSSVS utrẽ aceti ferẽs, quoties depoſuiſſet, ſentiebat ictum, aliàs illæſo ſimilis. Intellectũ ibi remediũ eſt, potuq; ſuccurſum. Plin. li. 23. c. 1. nat. hiſt.

### MODI. VEL

#### INQVISITIONE, Ratiocinatione.

*Ex Catalogo Medicorum exempla Hippocratis, Herophili, Galeni, huc quadrare poſſunt.*

INDIA multã medicamẽta habet, & multas herbarũ radices, tũ ſalutares, tũ noxias. Legẽ eſſe aiũt, ſi qs pernicioſum aliqd excogitarit, & remediũ nõ adinueniat, morte plecti: qđ ſi adinuenerit, honore præmioq; à regib. affici, Strabo li. 15.

#### OBSERVATIONE.

Vetus medicina rudis fuit, & planè empirica. Ea quę caſu inuẽta erãt, alicui pfuiſſe, epilogiſmo etiã reliquis, q ſimili morbo laborare uidebãtur, accõmodare ſolebãt. Propterea ASSYRII ægrotos in uiis ponebãt, & à prætereuntib. exquirebãt, ſcirẽtne aliquod morbi remediũ: legeq; cautũ erat, ut qui aliquãdo ægrotaſsẽt, malè affectos conuenirẽt, docerẽtq; ſingulos, qua ipſi ope potiſſimùm adiuti, aliquando morbo defuncti eſſent. Sab. lib. 6. En. 2. ex Strabonis lib. 16.

Apud GRÆCOS in æde Aeſculapij, Apollinis, atq; etiã ipſorũ Morborũ ſacris locis, remedia cõtra morbos experta affigere cõſueuerãt, & morbi genus, ſigna & ſymptomata deſcribere. Cuius generis etiã Epidemias hiſtorias ab Hippocrate deſcriptas fuiſſe, teſtatur Plin. lib. 29. c. 1. Mos iſte etiam apud Romanos fuit, teſte Val. Max. l. 2. c. 1. cuiꝰ uerba hîc ſubſcribere placuit: ROMANI Febrẽ, ad minùs nocendũ, templis colebãt: quorũ adhuc unũ in Palatio, alterũ in area Marianorũ monimẽtorũ, tertiũ in ſumma parte Vici longi extat. In eáq; remedia, quę corporib. ægrorum adnexa fuerãt, deferebantur. Hæc ad humanę mentis æſtus leniendos cum aliqua uſus ratione excogitata.

Hiſpaniæ populi CALLAICI, Aſtures, Cantabri, ægrotos uetuſto ritu Aegyptiorũ in plateis deponunt, ut qui eo morbi genere tẽtati ſunt, cõmonefacere eos ualeant. Strabo lib. 3.

SCOTI ueteres ante Reutham regem (qui primus medendi promiſcuam licentiam lege coërcuit) certis medicis non utebantur, ſed ueteri Aegyptiorum more (à quibus ortũ ducebant) ægros in forum efferebant, aut in ſtrata publica: ut qui eos adirent, conſulerent, adhortarenturque ad ea, quæ ipſi faciendo effugiſſent ſimilem morbum, aut alium nouerant effugiſſe: nefas erat quempiam ægrotum ſilentio præterire. H. Boëthius lib. 2.

## MEDICINÆ DOCTORES, PRÆCEPTORES, MAGISTRI.

### QVI. QVALES.

*Angeli.*

Nota ex ſacris eſt Tobiæ hiſtoria, cui Angelus RAPHAEL & uiæ comes datus, & Saræ ſponſæ medicus factus eſt.

*Reges.*

ZAMOLXIS rex & deus Thracum, medicinæ auctor ſuis, è cuius ſchola qui prodibant, Medici Zamolxidis dicebantur, in tanta auctoritate, ut homines quoq; ἀπαθανατίζειν dicerentur, hoc eſt immortalitate donare perhiberentur. Eius dictum Plato in Charmide affert tale: Quemadmodum non eſt conandum oculos ſanare ſine capite, neque caput ſine corpore: ita neque corpus ſine animo. & illam eſſe cauſam, cur Græcorum plurimi, morborum curationem ignorarẽt, quòd totum ipſum, cuius maxima cura erat habenda, negligerent. Curari autem animum incantationibus, hoc eſt, præceptis ad temperantiam facientibus.

*Sacerdotes.*

AEGYPTIORVM ſacerdotes (à quibus Pythagoras, Empedocles, Democritus & Plato magiam didicerunt) quo quiſque remedio ſanitati reſtitutus eſſet, id ſimul conſcriptum, Memphis in Hephæſtio, Vulcani & Iſidis ſacrario, deponebant: quemadmodum & Græcorum ſacerdotes magiæ antiſtites, ſuas obſeruationes in adytis templorum Apollinis & Aeſculapij in Pergamo etiam repoſitas cuſtodiebant: quas uelut Aeſculapij oraculo edocti ſacerdotes, ægrotis communicabant, à quibus ſumma cum fiducia eæ acceptari ſolebant. Galenus lib. 5. de comp. loc. & lib. 6. Epidem.

*Legiſlatores.*

ZALEVCI Locrenſis cùm multæ leges extãt, aliæ rectè commodeque poſitæ, tum non illa in poſtremis eſt habenda: Si quis Locrenſium Epizephyriorum ægrotans uinum merum bibiſſet, niſi iubente medico, etiamſi ad priſtinam ualetudinem rediiſſet, mortis ei ſupplicium erat conſtitutum, quoniam non iuſſus biberat. Aelianus libro ſecundo, de Varia hiſtoria.

*Parentes.*

Tradunt AESCVLAPIVM ab Apolline patre inſtitutũ, filios ſuos, qui Aſclepiadarum appellationem à patre traxêre, medicinam docuiſſe: atque in hunc modum artem ſucceſſione quadam hæreditaria, à parentibus propagatam in liberos ad Hippocratem uſque, qui & ipſe ab Hercule & Aeſculapio oriundus fuit. Neque uerò licebat cuiquam communicare, qui ab eodem non eſſet genere ortus. Eapropter peritos artis illius τῶν ἰατρῶν παῖδας, hoc eſt, filios medicorum uocabant.

*Bruta.*

*Conſule Tit. A brutis qui didicere.*

### QVOMODO.

*Præceptione.*

HIPPOCRATES omnium primus ex Aſclepiadis diſperſam artem collegit, & uniuerſalia præcepta rationali methodo condidit: nobiſque uolumina octoginta reliquit, quæ incomparabilem doctrinam eius uitæque innocentiam teſtantur. Eum poſtea ſecuti ſunt DIOCLES Caryſtius, Praxagoras, Chryſippus ſophiſta, Eraſiſtratuſque ex filia Ariſtotelis genitꝰ, qui antiſtites Rationalis ſectæ extiterunt. Sub PHILINO Coo, eodem ferè tempore, factio Empiricorũ eſt orta: cuius fautores fuerũt SERAPION Alexãdrinus, Apollonius Antiochenus, & Menodotus, qui ſanè diſſidebant à rationalibus: quòd illi quidem ratione ſimul & experientia uterentur ad inueſtiganda præſidia morbis ipſis congruentia: hi autem ſolo uſu contenti eſſent eorum, quæ aliàs aliquoties obſeruauerant. Ab utriſque receſſerunt ex æquo Methodici nuncupati, cauſarum abditarum indaginem reſpuentes: nec tribuentes quicquam experimentis particularibus, quibus nitebantur Empirici. Reducebant autem hi omnes, particulares affectus ad generales duos, nempe Aſtrictum & Laxum: & uniuerſas curationes ad aſtrictionem eorum, quæ laxa eſſent, & relaxationem illorum quę aſtricta. Auſpicia huic ſectę dedit THEMISON Laodicenus: abſoluit autem eam THESSALVS Trallianus, qui pollicebatur ſe edocturum artem ſex menſium ſpacio. Poſt quos omnes tandem GALENVS ſecutus, medicinam in tot ſectas diuulſam laceramque, ſuæ integritati atque nitori reſtituit: explodens omnia peruerſa dogmata, reuocans autem Hippocraticam rationem medendi, quę iam plùs quàm ſexcentos annos ſepulta & neglecta fuerat. Andreas Lacuna in præfatione Epitomes in Galenũ. Nam cùm in philoſophia præclarè uerſatus, & ingenio liberali præditus eſſet, rebuſque ad hoc efficiendum, quantum quidem in unum hominem cadere poteſt, omnibus inſtru-

ctus, opus tam eximium & conari uoluit, & perficere (Deo iuuante) potuit. Pleriſque pulcrè inuentis ab Hippocrate, ſed remiſſius atque debilius traditis, rationes ualidiores adiecit: & multas rerum cauſas aſſignauit ab illo prætermiſſas, aut nondum forſitan cognitas, aut exiliter ſanè atque obſcurè traditas. Denique non modò demonſtrationes quæſtionum ſingularum perfecit, ſed ordinem quoque methodi addidit. Ergo tantum lucis addidit arti, ut niſi is tradita ab Hippocrate principia illuſtraſſet, iaceret fortè adhuc Medicina neglecta. Nunc uerò quòd ars eſt exculta, quodque Hippocrates legitur ac intelligitur, quòd eum ex illo fructum capimus, quem ſentimus, hoc beneficium Galeni totum eſt. Geſnerus in eius uita.

*Adhortatione.*

SOCRATES uehementer hortabatur familiares ſuos, ut ualetudinis curam haberent, ac partim à peritis, quæ poſſent, diſcerent, partim per omnem uitam ipſi ſeſe obſeruarent, quínam cibus, qui potus, qui labor eis conduceret: & quo pacto his uſi quàm optima ualetudine fruerentur. Nam ſi quis ita ſui rationem haberet, difficile aiebat eſſe, ut medicum quis inueniret, qui ad ualetudinem conducentia magis ipſo diiudicaret. Xenophon lib. 4. Memorab.

## MEDICI ARTIFICES IN GENERE.

*Obſeruatio & experientia Medicinam primùm conſtituit: ſecuta poſtmodum ratio eandem confirmauit, & ad artem redegit. Opus eſt itaque diligentia in operando, & prudentia in deliberando. Horum utrunque ueteres ſymbolicè expreſſerunt, quando Gallum, uigilantiſſimum animal, & Serpentem aſtutiſſimum, Aeſculapio ſacrum finxerunt. Gemino crure nititur medicus, dextro rationis, ſiniſtro experientiæ. Hinc ſectarum diuerſitas. Exempla promiſcua Medicorum tradiderunt Otho Brunfelſius, Rematlus F. Limpurgenſis, Symphorianus, Rauiſius. Ante hos Plinius lib. 29. cap. 1. de Medicinæ auctoribus & ſucceſſione quædam obſeruatione digna: Nos pro inſtituti noſtri ratione ad fontes hæc ipſa reuocemus. Ergo, ſi ratio habeatur*

MATERIAE *ſubiectæ, circa humanum corpus uerſatur Medicus, ut illius naturam & conſtitutionem partim*
- Ratione *duce inueſtiget. Sic dantur Phyſiologi medici, ad philoſophos naturales proximè accedentes, & ab iis non paucas hypotheſes mutuantes.*
- Senſus *ope per anatomen deprehendat. Sic dantur Anatomici. Quod itidem ſtudium Phyſico potiùs quàm Medico uidetur competere.*

FORMAE, *ſic conſiderat Medicus in corpore humano*
- Interna, *Sanitatem ſcilicet, primariò, eiusq; tum eſſentiam tum accidentia. Pathologici medici.*
- Externa *ſecundariò, quatenus ſanitatem conſequuntur. tum*
  - Actiones *bonas. Quarum curam habet Gymnaſta ex profeſſo: eamq; Medicus à Gymnaſte mutuatur.*
  - Pulcritudinem. *Huius cura κομμωτικῆς & κοσμητικῆς propria, in regno medico inquilina potiùs quã indigena cẽſenda.*

EFFICIENTIS *tum*
- Principis, *ipſius ſcilicet artificis Medici, Naturæ miniſtri, eſſentiales differentiæ Medicorum arte & experientia inſtructorum dantur. In tres olim ſectas diuiſi, quandoquidem alij utebantur*
  - Ratione, *uel*
    - Explicata, *tum*
      - Perfectè, *experientiam coniungendo. Dogmatici ueri dicuntur. Quorum princeps Hippocrates.*
      - Imperfectè. *Quos ex dimidio dogmatizantes, & non ueros dogmaticos Galenus uocat. Qualis fuit Herophilus & Eraſiſtratus.*
    - Confuſa, *nimiumq; communi. Methodici.*
  - Experientia *ſola, abſque ratione. Empirici.*
- Non principis. *Hæc ſunt inſtrumenta medica (quam Materiam medicam uulgò dicunt) eorumq; conſiderationem in uniuerſum Αἰτιολογίαν appellant. Perpenduntur autem uel*
  - Materialiter. *Sic cùm uel arte uel natura conſtent, ut Plantæ, Metalla, Animalia, &c. cognitio illorum Phyſico potiùs quàm Medico conuenit. Eſt enim Philoſophi naturalis proprium, hiſtoriam plantarum, animalium, metallorum inquirere: à quo mutuatur eam Medicus, ſuæq; arti accommodat. Huc ergo Herbarij, Metallarij, ex philoſophia naturali transferri poſſunt.*
  - Formaliter, *quatenus in corpus agunt. Et uel*
    - Abſque *perpeſſione. Talia ſunt inſtrumenta externa, quibus chirurgi potiſſimùm utuntur. His utens Medicus, ἐγχειριστικὸς euadit, ut ita dicam.*
    - Cum *perpeſſione, ſic ut corpus uel*
      - Alant, *Alimenta. In horum præparatione Coquus miniſtrat Medico διαιτητικῷ.*
      - Alterent, *Medicamenta. In quorum præparatione famulatur Pharmacopœus & Chymiſta Medico, ut ita dicam, φαρμακευτικῷ.*

FINIS, *qui poſitus eſt in*
- Cognitione *affectorum corporum per ſua ſigna: hinc Prognoſtici, Prorrhetici, Diagnoſtici uocantur Medici.*
- Operatione, *uerſantur Medici circa corpus*
  - Perfectè *uel*
    - Salubre, *ut conſeruetur. Medicis in*
      - Genere, *Ὑγιεινοί, Sanitatis cuſtodes.*
      - Specie. *Vt circa Pueros. Medicis famulantur Obſtetrices: circa Senes, Γηροντικοί.*
    - Inſalubre *ut curetur. Sic circa Affectus*
      - Internos, *Phyſici uulgò dicti Occupantur.*
      - Externos, *Chirurgi tum in genere. tum in ſpecie: ut Oculary, Lithotomi.*
  - Imperfectè *ſalubre & inſalubre, circa Neutrum ſcilicet, quod progreditur à*
    - Sanitate *ad morbum, & Neutrum decidentiæ dicitur. Προφυλακτικοί.*
    - Morbo *ad ſanitatem, & Neutrum conualeſcentiæ uocatur. Αναληπτικοί.*

CHIRON, Saturni filius ex Phillyra, herbarũ naturas primus inueniſſe, Achillemq; & Aeſculapiũ docuiſſe fertur. Phœnici Amyntoris filio oculis capto uiſum reſtituit. Ab eo nomẽ ſumſit herba, quæ Centaurea dicitur. Plin. cap. 6. lib. 25.

AESCVLAPIVS Apollinis & Coronidis filius quãplurimos deſperãtes ſanitatẽ liberauit à morbo, proptereaq; creditus eſt defunctis uitã reſtituiſſe, ut Hippolyto Theſei, & Androgeo Minois, interfecto ab Athenienſibus. Ob eam rẽ tradũt ipſum apud Ioue à Dite accuſatum, tanquã ipſius imperiũ diminuentem, quòd indies pauciores interirent, curãte Aeſculapio. Ea cauſa exacerbatũ Iouem, fulmine Aeſculapiũ occidiſſe. Plato 3. de Rep. quòd auro accepto diuitẽ quendã animam agentem in uita conſeruaſſet, fulminatum ait. Scribunt quidam Aeſculapium à Chirone artem edoctum, ſanguine, qui ex Gorgonis uenis dextris effluxerat, plurimos homines curaſſe: at eo, qui è ſiniſtris, iugulaſſe. Eraſmus in Adagiis. Reliquit ex Epione liberos, Machaonem & Podalirium: qui arti paternæ dediti, cùm ad Troiam cũ Agamemnone acceſſiſſent, plurimum Græcis in eo bello, curandis ſummo ſtudio uulneribus, opitulati ſunt, maximã ob id gloriam adepti. Machaon Philoctetem uenenata ſagitta Herculis uulneratũ curauit. Ob quæ merita immunitas rerum omnium illis poſt bellum eſt conceſſa. Diodorus lib. 4. c. 9. & Pauſanias in Meſſenicis. Scribit Zezes in Chiliadibus, à Centauro Chirone Aeſculapium fuiſſe edoctum, & cùm Apius primùm diceretur, ob facilitatẽ & manſuetudinem, uel quia dolores ægrotantium medicamentis deliniret (ἤπιος enim blandũ ſignificat) mox quia Aſclen quendam Epidauri tyrãnum ſanauerit, dictum fuiſſe Aeſculapium, utroq; nomine coniuncto. Alij non Aſclen, ſed Aunem tyrannum Dauniæ, qui ex oculis laborabat, ab illo ſanatũ malunt, & ita nominatũ ab artis præſtantia, quia homines mori nõ pateretur: nam σκέλλεσθαι ſiue σκελετεύεσθαι exiccari & exareſcere, natiuo omni humido conſumto, ſignificat: quod morientibus accidere uidemus. Cicero multos Aeſculapios facit in tertio de Nâtura deorum. Primus Apollinis, quẽ Arcades colunt, ſpecillum inueniſſe, & uulnus dicitur obligauiſſe. Secũdus, ſecundi Mercurij frater, fulmine percuſſus, humatus Cynoſuris. Tertius Arſippi filius & Arſinoæ, alui purgationem, dentiſq; euulſionem inuenit. Cuius in Arcadia non longè à Luſio flumine ſepulcrum & lucus oſtenditur. Hunc lucum ſcribit Pauſanias in Corinthiacis fuiſſe montibus undiq; præcinctum, in quo ambitu quenquam uel mori uel naſci religio eſſet, ſicut in Delo inſula. Natalis Comes Mythol. lib. 4. cap. 11. Verùm ſub hiſtoria filiorum Aeſculapij medicum latêre uidetur myſteriũ. Nam cùm corporis morbi uel ab externa ui homini accidant, pungendo, contundendo, ſecando: uel ab interna imbecillitate, ſiue natiua illa ſit, ſiue ex mala uictus ratione aduentitia: operationes quoq; medicę ſunt duæ præcipuæ. Altera quidam chirurgica, in uulnerib. & ulceribus, quæ ſub oculorum ſenſum cadunt, curandis, quibus præeſt Machaon, ἀπὸ τῆς μάχης dictus, neq; in curæ conſortium adhibetur Podalirius apud Homerũ. Altera uerò phyſica uulgò dicta internorũ morborum, quibus Podalirius medetur uel pharmacis uel uictus ratione. Plato teſtatur ueterẽ Medicinam chirurgicam totam fuiſſe. nam cùm optima uictus ratione uterentur, optimè ualebãt, neq; morbis, præterquam uiolenter inflictis, afficiebãtur. Etenim Medicina nõ ſtatim omnib. ſuis numeris abſoluta fuit, ſed ſua habuit ſenſim incrementa. Euſtathius Iliad. δ.

ARABS, Apollinis filius, & Babylonis, quem Plin. lib. 7. medicæ artis apud Aegyptios repertorem dicit.

PÆON medicę artis peritiſſimus, à cuius nomine Pæonia herba nomen ſumſit. Poſt obitum in deorum numerum relatus: & ne otioſus eſſet, deorum medicus conſtitutus.

AMYTHAON, inter claros medicos olim habitus eſt.

MELAMPVS Argiuus, Amythaonis & Aglaiæ filius, uates & poeta uetuſtiſſimus, medicus inſignis, Prœti Argiuorum regis filias 4. Mœram, Euryalẽ, Lyſippen & Iphianaſſam (alij primam Iphinoen uocant) elleboro nigro caprino lacti immerſo à furore liberauit. Gyraldus de Hiſt. poet. Dial. 2.

AEGYPTIORVM ſacerdotes omnes medici ſunt, Platone & Homero teſte. Ipſe certè Plato comite Euripide, cùm ad eos peregrinatus eſſet, morbo correptus, à ſacerdotib. marina lotione fuit curatus. Eapropter dixit poſtea Euripides, teſte Laertio,

*θάλασσα κλύζει πάντα τ᾽ ἀνθρώπων κακά.*

Argiui eos, qui putantur morbum comitialem depellere, uocant ELASIOS. Hi Alexidæ Amphiarai filiæ poſteri habentur. Plut. in quæſt. Græcis.

Apud Indos poſt Brachmanas & Germanas philoſophos, in maximo ſunt honore MEDICI, ut qui circa hominẽ philoſophentur, frugales quidem, non tamen ruſticantes, oryza & ordeacis uiuentes, quæ nemo rogatus illis non irrogat, nemo hoſpitio non libenter ſuſcipit. Strabo lib. 15.

ALCMÆON Crotoniata, Pythagoræ auditor, plurimum in Medicina uerſatus eſt. Laert. lib. 8.

EVDOXVS Gnidius, aſtronomus & medicus ſummus, Philiſtionis Siculi diſcipulus. Idem.

EPICHARMVS Cous, auditor Pythagorę. Scripſit de rerum natura ac medicina cõmentarios: quos adhuc extare in bibliotheca Vaticana, ſcribit Volater. Laert. lib 8.

EMPEDOCLES Agrigentinus, philoſophus & medicus eximius, mulierem defunctam uitæ reſtituit, & Selinuntiis ex fœtore uicini fluuij peſtilentia laborantibus, duos quoſdã ex uicinis amnibus proprio ſumtu in fluuium corruptum immiſit: itaq; factum, ut ex cõmixtione ſalubris aquę fœtor ceſſarit, & peſtis profligata fuerit. Laertius lib. 8. Eundem aiunt Pauſaniæ tradidiſſe Apnum, hoc eſt ſpiritu carens medicamentum: quod ſit huiuſmodi, uti XXX dies conſeruet ſine ſpiritu & cibo corpus. Suidas.

NEBRVS Cous medicus, genere Aſclepiades, pentecontoro ſuis inſtructa ſumtibus, auxilium tulit Amphictyonibus cõtra Criſæos. Theſſalus in legationis ſuæ oratione.

MENECRATES Syracuſanus medicus, nullam ab his mercedem accipiebat, quibus medebatur. Curabat in primis morbum ſacrum, hac lege, ut liberati ſe eſſe ipſius ſeruos faterẽtur, eumq; Ioue appellarent. Ad Ageſilaum Spartę regẽ aliquando ſcripſit, Menecrates Iupiter Ageſilao regi ſalutem. Tum Ageſilaus reſpondit: Ageſilaus Menecrati ſanitatem. Plutarchus in Apoph. & Cælius cap. 38 lib. 6. & Suidas.

ACRON Agrigentinus, Xenonis F. Athenis philoſophatus eſt cũ Empedocle. Mox in Sicilia Empiricen à Dogmatica medicina ſeparauit primus. Galenus ſecundo Methodi, & Plinius lib. 29. cap. 1. Peſtilentia Athenas paſſim occupante, affectorum pleriſq; opem tulit ſalutarem, accenſis in proximo ignibus. Cælius cap 22. lib. 13. ex Suida.

DELPHINVS, Acronis diſcipulus, empiricus.

NICOMACHI tres fuęre. Stagirites primus, Machaonis filius, Aeſculapij nepos, qui ſcripſit in medicina libros ſex, & philoſophiæ unũ. Alter pater fuit Ariſtotelis, pharmacopola & medicus, pro ueteri conſuetudine. Tertius Ariſtotelis filius, itidẽ medicus, qui cõmentarios ſcripſit in libros Phyſicorum Ariſtotelis patris, & Ethicorum libros. Suidas.

HIPPOCRATES ſeptem Coos enumerat Suidas, medicos Aſclepiadas, operibus & ſcriptis celebres. Primus Gnoſidici F. pater Heraclidis, auus Hippocratis, ſcripſit artem medicã. Suidas. Secundus omnium celeberrimus Heraclidæ & Phænaretis filius, ab Hercule uigeſimus, ab Aeſculapio undeuigeſimus fuit. Natus eſt primo anno LXXX Olympiadis, anno ſcilicet mundi 4760. ut Euſebius ſupputat. Hic cùm medicina in denſiſſimis tenebris lateret iam inde ab Aeſculapio, bello Peloponneſiaco eam in lucem reuocauit. Plin. lib. 29. cap. 1. & Strabo lib. 8. Diſcipulus primùm fuit patris, pòſt Herodici Selymbriani & Gorgiæ oratoris & philoſophi: ut uerò quidã tradunt, Democriti Abderitę, nonnulli etiã Prodici. Verſatus eſt in Macedonia, regi Perdiccæ admodũ carus. Mortuus & ſepultus Lariſſæ in Theſſalia annos natus centum & quatuor: uel (ut alij referunt) centũ & nouem. Honores eoſdem cum Hercule à grata Græcia obtinuit, quòd uenientem ab Illyriis peſtem prædixiſſet, eiq; malo per diſcipulos ſuos occurriſſet: ut Sab. lib. 10. c. 8. Statua ei poſita, capite tecto pileo, ſiue hic eius mos fuit, ſiue ritu chirurgico, ſiue ob peregrinandi ſtudium. Filios reliquit Theſſalum & Draconem. Tertius Theſſali F. nepos ſecundi. Quartus Draconis F. medicatus Roxanem Alexandri Magni uxorem. Obiit ſub Caſſandro. Quintus & ſextus Thymbræi filij. Septimus Praxianactis F. Suidas.

THESSALVS Cous, Hippocratis Magni filius. Cuius adhuc quædam opera ſub Hippocratis nomine circumferuntur, ſecundus uidelicet, quartus & ſextus Epidemiorũ, quorum fortaſſis argumenta pater in ὑπομνηματισμοῖς annotauerat. Gal. 8. Methodi. Filios habuit Gorgiam & Hippocratem.

PRODICVS, Selymbriæ natus, Hippocratis diſcipulus, iatralepticen inſtituit, & reunctoribus quoq; & mediaſtinis medicorum uectigal inuenit. Plinius lib 29. cap. 1.

STRATONICVS & SABINVS, diſcipuli Hippocratis, à Gal. in lib. de Atra bile celebrantur.

POLYBVS Hippocratis diſcipulus (ut in ſecundo de Natura hum.) & PSELLVS, de ſalubri uictus ratione Enchiridia ſcripſerunt. Fuit etiam alius Polybus Hippocratis filius, fortaſſe ille idem cum priore.

DEXIPPVS Cous, Hippocratis diſcipulus, accerſitus ab Hecatomno Carum rege, ut filios eius Mauſolum & Pyxodorum curaret: ea conditione illos ſanauit, ſi bellum, quod tũ ei cum Caribus contra Coos erat, deponeret. Scripſit medicum librum unum, de prædictionibus duos. Suidas.

PRAXAGORAS ab Aeſculapio genus ducens, homo non admodum ingenioſus: PHILOTIMO tamen diſcipulo, medico excellentiſſimo, nobilitatus. Meminit utriuſq; Galenus multis locis.

DIOCLES Caryſtius, ſecundas meruit poſt Hippocratem, teſte Plinio lib. 26. cap. 2. & fortaſſe etiam Galeno, qui illius auctoritatibus frequenter utitur. Artem ille medicam, quæ iam ab Aſclepiadum familia exciderat, illuſtrauit, in anatomicis præſertim, & re herbaria.

PETRO poſt Hippocratem ſucceſſit Diocli Caryſtio, ante Herophilum & Eraſiſtratum, qui febricitãtes aquæ frigidæ potu curabat. Celſus lib. 3. cap. 9. Gal. cõ. de Opt. ſecta, Petronã ait ſuillas carnes aſſas & uinum nigrũ meracum propinaſſe, inde uomere compuliſſe, & frigidam ad libitum dediſſe.

HEROPHILVS Chalcedonius empiricos primus damnauit.

uit, & muſicos pedes in arteriarum pulſu per ætatū gradus docuit, ſubtilioris ſectæ auctor. Requirebat doctos auditores, & in philoſophia uerſatiſſimos: propterea citò hæc ſecta deſiit, quoniã literas ſcire oportebat. Plin. l. 11. c. 37. & lib. 26. cap. 2. & lib. 29. c. 1. Putauit plurimarum herbarum uires ignorari: plurimas enim uel calcatas prodeſſe. Idē lib. 25. c. 2.

POLYCLETVS Phalaridem tyrannum Agrigentinum à grauiſs. morbo liberauit, & pręmia ab eo accepit ampliſs. Phalaridis epiſtola ad eum teſte.

HERODICVS Leontinus, Charmantidę F. Empedoclis diſcipulus, ſed magis fratre Gorgia rhetore nobilitatus, quã arte. Pauſanias lib. 6. & Plato in Gorgia.

PAVSANIAS medicus Craterum elleboro purgauit. Plut. in Alexandro.

Archidamus Ageſilai, PERIANDRO præſtanti in arte ſua & inprimis laudato medico, ſed mala carmina ſcribenti: Quid malum, inquit, Periander, pro generoſo medico dici affectas malus poëta? Plut. in Apophthegmatib.

ZENO Herophili diſcipulus apud Gal. in lib. Definitionum, & apud Celſum lib. 5.

PHILIPPVS Cous Herophili diſcipulus, logicis rationibus empiricos primus conuicit: ut uult Gal. in Iſagoge. Illum Gal. in 10. Methodi perſtringit, quòd balneum in maraſmo formidauerit.

CHRYSIPPVS Diocle & Proxagora poſterior, pręceptor Eraſiſtrati, Dialecticus inſignis, logicarum ratiocinationum ſubſidio & ingenti garrulitate Hippocraticam diſciplinam maiore conatu quàm ſucceſſu conuellere & labefactare ſtuduit. Plinius lib. 29. cap. 1.

ARISTOGENES Thaſius medicus, floruit temporibus Antigoni Macedoniæ regis, ad quem libros plurimos ſcripſit de Medicina. Alter Gnidius, Chryſippi philoſophi ſeruus, magnam adeptus eſt famam ex curatione Antigoni Gonatæ regis. Suidas.

PHILIPPVS Acarnas, medicus Alexandri Magni: de quo elegans eſt hiſtoria apud Curtium lib. 3. & Diod. lib. 17. Nam quum Parmenio literas ad Alexandrum dediſſet, quibus eum monebat, ut ab inſidiis Philippi, uelut ab hoſte Dario corrupti, ſibi in ægritudine caueret: Alexander exploratam habens medici fidem, poculum ab ipſo Philippo datū hauſit, demùm literas Parmenionis eidem legendas conceſſit.

CLEOMBROTVS Ceus, quia Antiochum regem ſeruarat, à Ptolemæo rege Megalenſibus ſacris, cētum talentis fuit donatus. Plin. lib. 7. cap. 37.

NICANDER Colophonius, grammaticus & medicus, ſub Attalo iuniore, qui Gallogræcos uicit, ſcripſit Alexipharmaca & Theriaca: item de agricultura: præterea curationum collationes, & Hippocratis Prognoſtica uerſibus edidit.

ERASISTRATVS ex Iulide Ceæ inſulæ, Chryſippi diſcipulus, Ariſtotelis ex filia nepos, Athenis medicinam fecit. ſcripſit medicos libros 9. A Ptolemæo rege C. talentis donatus, ſeruato Antiocho. Sepultus iuxta Mycalen montem, e regione Sarni. Plin. lib. 29. cap. 1. & Suidas.

PHILIPPVS Epirota, Chryſippi diſcipulus, apud Antigonū regem. Celſus lib. 3. cap. 21. hiſtoriam refert. Plin. lib. 19. cap. 13. & Gal. 10. Meth.

ARCHAGATHVS Lyſaniæ filius Peloponnenſis, primus è medicis uenit Romam, L. Aemylio & M. Liuio conſulibus: anno V. C. DXXXV. eique ius Quiritium datū, & taberna in cōpito Acilio emta. Ob id publicè Vulnerarius uocatus, mireque gratus aduētus eius ab initio: mox à ſæuitia ſecandi urendique, nomen Carnificis meruit. Plinius lib. 25. cap. 7. & lib. 29. cap. 1. ex Caſſio Hemina.

TIMOCHARES Pyrrhi medicus, ueneno regem tollere conatus. Q. Curtius NICIAM appellat.

MACAREON & ISIDES, inſignes chirurgi. Quorum pharmaca Gal. 5. Meth. & lib. 2. [illegible] cap. 12. & Aegineta lib. 7. cap. 17. recenſent.

SOCRATES, chirurgus inſignis, apud Aurelianū lib. 5. cap. 1.

EVELPIDES, chirurgus, & ocularius medicus, ætate Celſi, auctor colyrij quod τρυγῶδες, & alterius quod μεμιγμένον dicitur. Celſus lib. 6.

PTOLEMÆVS, Eraſiſtrati ſectator, medicus præclarus, ut teſtatur Cælius Aurelianus.

CTESIAS Gnidius, Xerxis medicus. Strabo lib. 13. & Diod. lib. 2. cap. 9.

GLAVCVS medicus, Ephæſtionis febricitantis in Perſide curam gerebat. Eo ad ſpectaculum abſente, Ephæſtion gallo gallinaceo aſſo adeſo, atque epoto ingenti uini frigefacti cratere, obiit. Alexander rex eius mortem ægerrimè ferens, Glaucum in crucem egit. Plut. in Alexandro.

OLYMPICVS, Apollonidæ Cyprij præceptor, homo nugax, indoctus, & planè Methodicus aſinus. Galenus primo Methodi.

CRATERI, ſummi medici, meminit Cicero in epiſtola quadam ad Atticum, de Attica tunc ægrota loquens: Præterea Horatius in Satyra III. libri 2. Non eſt cardiacus (Craterum dixiſſe putato) Hic æger. Sed & Perſius: Sed quid opus Cratero magnos promittere montes? Huius ſeruus cùm in nouum inauditumque Scelotyrbes morbum incidiſſet, uiperæ carne liberatus eſt. Victorius lib. 9. Var. cap. 12.

NICOSTRATVS medicus. Athen. lib. 13. cap. 19.

OLYMPVS, Cleopatrę Aegypti reginæ medicus. Plutarchus in Antonio.

CRITO ſcripſit libros Coſmeticorum, ex Cleopatra & Heraclide.

PETRONIVS Diodotus medica antilegomena ſcripſit, & cichorium multis argumentis damnauit, contra omnium opinionem. Plin. lib. 20. cap. 8.

ASCLEPION Patrenſis à Cic. lib. 13. Epiſtolarum, epiſtola 21. commendatur miris modis.

DIOSCORIDES Anazarbenſis medicus, cognomento Phacas ob lentiginoſam faciem, uixit apud Cleopatram ſub M. Antonio. Scripſit libros 24. medicos, qui omnes multùm celebrantur. Suidas.

PHILOTAS Amphiſſenſis medicus, inter clientes Antyllii F. M. Antonij Triumuiri allectus, ab eodem menſa argenteis poculis grandibus onuſta donatus fuit ob ſophiſma, quo medicum inſolentem repreſſerat. Plut. in Antonio.

ASCLEPIADES Pruſaenſis, ſub Attalo & Eumene floruit, Myrlea urbe Bithyniæ ortus, & ex grammatico medicus factus, condita noua ſecta, uaria blandimenta & lenocinia commentus eſt ad ægrotorum gratiam & iucunditatem. Siquidem & balneorum conſuetudinem fecit, primuſque lectulos excogitauit ſuſpenſiles: quorum molli iactatione irritaretur & obreperet ſomnus. Plinius libro 7. capite 37. & capite 3. libro 26. Cn. Pompeio familiaris fuit, & rationem primus reperit, qua uinum ægris mederetur. E funere hominem retulit & conſeruauit. Dicebat quinque his ſalutem conſtare, cibi potuſque abſtinentia, præterea geſtatione, ambulatione, & fricatione. Scripſit ad Mithridatē regem uolumina, & præcepta ſanitatis, ſollicitatus ab eo multis muneribus, ut in Pontum ueniret. Super omnia adiuuere eum magicæ artes. Mortuus eſt ſcalarum lapſu, in extrema ſenectute. Fecerat enim cū fortuna ſpōſionem, ne medicus crederetur, ſi unquam inualidus ullo modo fuiſſet. Plin. lib. 25. cap. 2. & lib. 26. cap. 2. & lib. 29. cap. 1.

THEMISON auditor Aſclepiadis, præceptore mortuo, omnia illius dogmata ſua fecit, & Theſſalo Tralliano fundamenta iecit inſaniæ, ut inquit Gal. primo Therap. Damnauit oxymellis & hydromellis uſum. Plantaginem herbam uolumine tanquam inuentor celebrauit. Plin. lib. 25. cap. 8. & libro 29. capite 1.

ARCHONTIVS medicus uulnerarius, iactator & impoſtor magnus: cuius meminēre Galenus & Plinius.

PELOPS Galeni præceptor. Gal. lib. 4. de Loc. aff. cap. 7. & in lib. de Atra bile.

AESCHRONES empiricus, Galeni præceptor: cuius multis in locis meminit.

GALENVS Pergami natus, patre Nicone inſigni geometra & architecto diuite. Vixit Romæ temporibus Marci, Commodi & Pertinacis Impp. Plurima ſcripſit, maximè in Medicina. Itaque eos medicorum Auerroes, in 5. Collect. illum omnibus medicis anteferre non dubitauit. Vixit annos 70. ſecundum Suidam: alij 140 annos aſſerunt, ut teſta[illegible] lius libro decimoſexto Antiquarum Lect. capite 40. In patria tandem fatis ceſſit. Grammaticus, rhetor, dialecticus, mathematicus, philoſophus: inter medicos eloquētiſſimus, inter eloquentes medicus acutiſſimus, inter [illegible] oſque diligentiſſimus, inter omnes denique, maximus. Geſnerus in eius uita.

AELIANVS Meccius, Italus medicus, peſtilentia ingruente, auctor fuit, ut theriaca uterentur homines. Ea multos ſeruauit, plurimos præſeruauit. Eum commendat Gal. lib. de Vſu theriacæ, ob experientiam & humanitatem.

ANTIPATER medicus, Galeno coæqualis, ſexagenarius obiit Romæ, ubi medicinam ſumma cum laude publicè exercebat. Gal. lib. 4. de Loc. affec. cap. 2.

IVLIANVS Methodicus, Apollonidæ Cyprij diſcipulus. Hūc cùm Galenus aliquando Alexandriæ conueniſſet, nihil pręter nugas ab eo didicit. Gal. primo Methodi.

Q. SERENVS Sammonicus, poeta lyricus, & medicus, cuius nobile carmen extat de Morborum remediis: præceptor Gordiani iunioris, cui bibliothecam ſuam legauit. A Caracalla in balneis trucidatus eſt. Spartianus, & Macrobius libro tertio Satur.

IACOBVS, Heſychij medici F. ex Damaſcena prouincia, cognomento Pſychochriſtus, medicus feliciſs. ſub Iuliano. Hauſto ueneno ſub Valente, obiit, Libanio rhetore auctore eo quòd inquiſiuiſſet, quis in imperio Valenti ſucceſſurus eſſet. Suidas.

PAVLVS Aegineta mirabili ardore diſcendi percitus, difficillimas peregrinationes ſuſtinuit, ut medicam artem cognōſceret. Libros reliquit in medicina, non ſua inuentione, ſed Galeni imitatione, cuius ueluti ſimia dici poteſt.



ZENO Cyprius, Medicinæ doctor Athenis ſub Iuliano, Oribaſij præceptor. Eunapius.

ORIBASIVS Pergamenus (aliis Sardianus) diſcipulus Zenonis Cyprij medici Athenis, præceptorem facilitate ſenſa proferendi & eloquentia, longè ſuperauit. Iulianum Apoſtatam ſecutus eſt in expeditionibus, eundemque ad imperium promouit. Secuti Impp. facultates illi omnes eripuerunt, & in exilium eiecēre. Cæterùm inter Barbaros reges ob medendi peritiam tantum eſt gloriæ conſecutus, ut reditum impetrarit, ſimulq; ex ærario opes receperit. Eunapius.

IONICVS Sardianus, medici F. auditor Zenonis, propter eruditionem etiam Oribaſio admirationi fuit. Nominum & rerum medicinalium experientiſſimus, in empeiria potior, anatomiæ peritiſſimus, pharmacopeiæ & chirurgiæ, philoſophus ſummus, in prognoſticis diuinus, ſed & in magia excellens, eloquentiſs. & diſertiſſimus. Eunapius.

ALEXANDER Trallianus, Trallis oppido Lydiæ ad Mæandrum ortus, ab ineunte ætate ita fuit ſtudioſus ſapientiæ, ut σοφιστὴς paſſim appellaretur. Medicinæ ſtudio longas peregrinationes ſubiit, multaque præclara ſcripſit. Alexādri medici problemata circumferuntur. Dubitāt quidam, an idem ſit Aphrodiſiæus philoſophus, & interpres Ariſtotelis, qui ſub Seuero & Antonino Impp. floruit.

AVSONIVS Medicus pater Auſonij poetæ, multis cumulatus honoribus. Id quod ex epicedio eius colligi poteſt.

OCTAVIVS Horatianus Afer, diſcipulus Vindiciani medici Imperatoris Valentiniani: ſcripſit opus in medicina eodem ordine, quo Aurelianus. Filium habuit Euſebium.

EVDEMVS, primus poſt Hippocratem, neruorum anatomen deſcripſit. Aiunt eum adulterium cōmiſiſſe cum Liuia Druſi Cæſaris.

M. ANTONIVS Muſa, Medicus Auguſti, Themiſonis methodici imitator, & dogmatum corrector, cùm contraria uteretur medicina. Plin. lib. 25. cap. 7. & lib. 29. cap. 1.

EVPHORBVS Antonij Muſæ (qui Auguſti medicus fuit) frater, Iubæ Mauritaniæ regis medicus fuit: à quo rex ipſe Euphorbiam herbam denominauit. Hi duo fratres à balneis frigida multa corpus perlui & aſtringi docuēre, cùm priùs calida tantùm uterentur. Plinius lib. 25. cap. 7.

ARTORIVS medicus, Auguſtum ſomnio ſuo monuit, ut in aciem Pharſalicam, quamuis æger, deſcenderet: & ſic uitam eius conſeruauit. Nam Bruti milites, facta in tentorium Auguſti irruptione, eū deprehenſum occidiſſent. Plut. in Bruto.

CLEANTHES medicus Catonis minoris, qui Vticæ, cùm ſibi manus intuliſſet, repoſitis inteſtinis, uulnus eius deligauit. Plutarchus in Catone.

SCRIBONIVS Largus ſub Tiberio floruit.

CHARICLES medicus Tiberij Imp. apud Suetonium.

ARCYON medicus ſub Caligula Ioſephus lib. 10. ca. 1. Antiq.

VECTIVS Valens, adulterio Meſſalinæ Claudij Cæſaris nobilitatus, pariterq; eloquentiæ aſſectator, nouam ſectam cōdidit. Plin. lib. 29. cap. 1.

ALCON, ſeu Alcontius, medicus uulnerum, centum ſeſtertiis à Claudio condemnatus, & exul miſſus in Galliam, demùm [redacted]

THESSALVS [redacted] (eſt autem Trallis urbs Lydiæ, non [redacted] à Magneſia, Aſiaticarum opulentiſſima) ſuperbus & [redacted] uixit tempore Neronis, natus ex patre (ut Gal. inquit) malè lanas carpente, & in gynæceo educatus, princeps ſectæ Methodicorum, cùm methodum quandam in cœlis habitantem fingeret, qua ſex menſibus artem quis ediſcere poſſet. Nullius hiſtrionum equarumque trigarij comitatior egreſſus in publico erat. Tyrannidem in medicina ſuo tempore obtinuit: & omnia artis præcepta, furioſa temeritate obliterare conatus eſt. Itaque monumento ſuo, quod eſt in uia Appia, inſcribi ſe curauit ἰατρονίκην, teſte Plinio libro 29. cap. 1. Inſaniam illius in 3. & 4. Methodi Galenus redarguit.

EVAX rex Arabum ſcripſit ad Neronem de effectibus ſimplicium, teſte Plin. lib. 25. cap. 2.

CORNELIVS Celſus, Latinus Hippocrates, de Rhetorica, de re militari, de re ruſtica ſcripſit: in primis uerò de medicina libros 8. Vixit ſub Nerone, anno Salutis 44. Quintil. libro 10. capite 1.

CRINAS Maſſilienſis, ſub Nerone arte geminata, ut cautior religioſiorque, ad ſiderum motum ex ephemeride mathematica cibos dando, horaſque obſeruando, auctoritate Theſſalum præceſſit, & centies H S. reliquit muris patriæ, mœnibus quoque aliis, penè non minori ſumma extructis. Hi duo regebant fata. Cùm repentè ciuitatē Rom. CHARMIS ex eadem Maſſilia inuaſit, damnatis non ſolùm prioribus medicis, uerùm & balineis: frigidaque etiam hybernis algoribus lauari perſuaſit, merſit ægros in lacus. Videbantur ſenes conſulares uſque in oſtentationem rigentes. Qua de re extat etiam Annæi Senecæ aſtipulatio. Plinius libro 29. capite 1.

STATIVS Anneus medicus ſub Nerone, Anneo Senecę ſummo amico (qui uenas brachiorum & crurum ſibi incidi fecerat, ut eo genere mortis, ſic cogente Nerone, periret) uenenum miſcuit, ut eo citiùs moreretur. Tacitus lib. 15.

IOANNES medicus Alexandrinus, tēpore Plinij uixit, ut multi uolunt: & quia ex ueteribus medicis flores inſtar apiculæ collegit, Serapion, quaſi roſeus, dictus fuit. Plin. lib. 12. cap. 13. Eum primum empiricum auctor Introductorij uocat: eūdemq; Galenus in ſecundo Therapeut. aliquoties notat.

APOLLONII duo, pater & filius, empirici, Serapionis ſectatores. Gal. in lib. de ſectis, & Celſus lib. 1.

MENODOTVS empiricus, ætate Serapionis & Glauciæ: teſte Gal. in lib. Meth. & 4. Acut. 19.

MEDICI Alexandrini ex ipſa urbe nomē olim habuēre. Ammianus Marcellinus.

MNESITHEVS Athenienſis medicus doctiſſimus, teſte Gal. lib. 1. de arte Cur. ad Glauc.

MAGNVS Archiatrus principis, cuius Galenus in theriaca ad Piſonem meminit, & Athenæus in Dipnoſophiſtis, & Aegineta lib. 7. De quo ſic Lucilius in primo Epigram. Græcorū:

Μάγνος ὅτ᾽ εἰς ἀΐδην κατέβη, τρομέων Ἀϊδωνεύς,
εἶπεν, ἀναστήσων ἤλυθε καὶ νέκυας.

SORANVS Menandri & Phœbes filius. Epheſius medicus Alexandriæ uerſatus, Romæ etiam medicinam fecit ſub Traiano & Adriano imperatoribus, cōpoſuit libros plurimos. Eum Gal. primo Meth. & in lib. de Sectis inter Theſſali ſectatores connumerat. Alter SORANVS itidem Epheſius, iunior, muliebrium rerum libros quatuor ſcripſit, uitas & ſectas medicorum, & libros duos compoſitionum, & alia diuerſa. Aſclepiodotus nihil recentiorum medicorum probabat, præterquam IACOBI. Ex antiquioribus autem, poſt Hippocratem, Soranum Cilicem, cognomento Mallotem. Suidas, Cælius, Aurel. lib. 2. cap. 7. Chronion.

ARCHIGENES, Philippi filius, Apamenſis Agathini diſcipulus, Romæ ſub Traiano medicinā fecit, uixit annos LXIII, multaq; medica & phyſica ſcripſit. Suidas.

ANDRONICVS medicus apud Gal lib. 5. Meth. c. 6.

ANTONIVS Epicurus, medicus, ſcripſit de propriorum affectuum ἐφεδρίας. Macrob. lib. 3. Saturn. cap. 17.

HERACLIDES Erythræus, inter Dogmaticos recenſeri poteſt, cùm artem medicam ordine definitiuo tradiderit: ut Gal. in prooemio Artis med. teſtatur. Eſt alter Tarētinus, empiricus Gal. lib. 6. de Loc. affectis, cap 5.

ANDROMACHI duo, pater Neronis archiatrus, Theriaces inuentor, ſcripſit Therapeuticos libros, teſte Gal. Filius, Antonini Cæſaris primarius medicus.

HERMOGENES medicus, Adriano Imperatori, ſe interficere uolenti, circumſcripſit locum ſub mammilla: quo lethaliter percuſſo, celeriùs expiraret. Dion Caſſius.

Martialis Epigram. lib. 10. in Gallum recenſet Chirurgorum aliquot nomina:

Eximit aut reficit dentem CASELLIVS ægrum,
Infeſtos oculis uris HYGINE pilos.
Non ſecat, & tollit ſtillantem FANNIVS uuam,
Triſtia ſaxorum ſtigmata delet EROS.
Enterocelarum fertur Podalirius HERMES,
Qui ſanet ruptos, dic mihi Galle, quis eſt?

RVFVS Epheſius medicus, ſub Traiano, cum Critone. Feruntur eius libri plurimi, de ratione uictus, de uictu nauigantium, de uulnerum medicamentis, de confractione articulorum, de ficubus, de uetere medicina liber unus, de uino, de melle. Suidas.

In SYMMACHVM medicum Martialis Epigrammatum lib. 5. ſic ſcribit:

Languebam: ſed tu comitatus protinus ad me
Veniſti centum, Symmache, diſcipulis.
Centum me tetigēre manus, Aquilone gelatæ,
Non habui febrem, Symmache, nunc habeo.

AETIVS ex Antiochia Syriæ, Eunomij præceptor, ſub Conſtantino magno floruit. Eunapius Oribaſio coæuum facit, & utrunq; Iuliani apoſtatæ errorem ſequutum aſſerit. Aurifaber primùm, deinde medicus & philoſophus. Pauperes gratis curabat, eamque ob cauſam Gallo Cæſari acceptus fuit. Officio fuit diaconus, uerùm hæreſeos Arianæ: in qua ipſa tamen nouum quid excogitauit, ut tit. de Hæreticis, ex Sozomeno colliges. At Ioan. Baptiſta Montanus Aetium, cuius opera medica circumferuntur, Amydenum fuiſſe ait, ex Amyda Meſopotamiæ urbe. Antiochenum uerò hæreticum ſub Conſtantino floruiſſe.

CÆLIVS Aurelianus Afer, cuius opera hodie extant, in Methodicam ſectam magis uidetur inclinare.

GENNADIVS medicus Carthaginenſis, de animorũ immortalitate dubitans, ſomnio ad meliorem mẽtem reuocatus eſt. Vide Tit. Diuinatio per inſomnia.

TRIBVNVS Palæſtinus arte medica nulli ſecundus, uir opt. fuit. Induciis cum Iuſtiniano imperatore factis, Coſroes medicum hunc ſibi in annum concedi petiit. Suidas.

IOSEPHVS Hebræus, Baſilij Magni medicus, ab eodem conuerſus & baptizatus.

AGAPIVS Alexandrinus genere, à puero in liberalibus artibus educatus, & diſciplinæ medicæ enarrator, Byzãtij ludũ inſignẽ aperuit. Ex arte magnã pecuniam collegit. Suidas.

GESIVS Petræus ſub Zenone arte medica celebris, Domno Iudæo præceptore ſuo euerſo, & ſodalibus penè omnib. ad ſe pertractis, ubiq; notus magna gloria floruit. Medendo & diſputando oẽs ſuæ ætatis medicos ſuperauit. Oſtẽtator alioqui, & melior medicus quã philoſophus. Heraiſcũ, dum quæreretur à Zenone Imperatore, domi ſuæ occultauit, cõtemto periculo: & in fuga ex morbo defuncto, iuſta honorificè perſoluit. Baſiliſcus ea de cauſa miſſus, Agapium cæteroſq; philoſophos cõprehenſos in palatiũ perduxit. Suidas.

AVICENNA, Arabũ Cicero & Galenus, qui Galenum nõ inuentione, ſed ordine doctrinæ ſuperauit, nõ fuit Cordubenſis, ſed Perſa; Hali Perſæ uiri primarij & inter regios miniſtros nõ poſtremi F. (unde Ebenhali dicitur) pater ipſius Hali (itaq; Abuhali dicitur, quoniam ſolent Arabes patrẽ à primogenito ſuo denominare) nepos Sinæ (& propterea Ebenſina: corrupta uoce Auicenna) propriũ nomẽ habuit Haſen, ſiue cum articulo Alhaſen: & quia Vzir, hoc eſt, primarius ſecretarius fuit regis Perſarum, Alraiis, hoc eſt, Principis appellationem meruit. Præclara indole præditus, uix decimũ octauũ annum attigerat, quando oẽs in uniuerſum diſciplinas iam perceperat, Medicus, Philoſophus, Magus, Alchimiſta ſummus. Nuch regẽ Bucharæ à graui morbo non ſemel liberauit. Cuius gratia in bibliothecã regiam admiſſus, ſtudia ſua cõfirmauit, & inter multa alia, quæ in Matheſi, Theologia & Alchimia ſcripſit, librũ Canonis edidit, quo uniuerſam medicinam cõpoſitiuo ordine tradẽs, Græcos omnes, Galeno excepto, methodica totius artis traditione longo poſt ſe interuallo reliquit. Ex uenere nimia emaciato corpore, dum purgantibus abſtinet, reſolutionẽ metuens, in colicũ ex cruditate incidit, hinc in comitialẽ. Recidiuã denuò paſſus, obiit anno ætatis LIIX. Hegiræ ſiue fugæ Mahometi 428. qui incidit in annum Chriſti 1021. Nicolaus Maſſa ex Sorzano Arabe, & Andreas Alpagus Bellunenſis.

AVERROES Cordubenſis, dictus Commentator, non practicus, ſed theoricus medicus, floruit anno Domini 1150.

RASIS Afer, cognomine Experimentator. Auicenna Canone 3. Fen. 3 Menaethum eum appellat. Scripſit multa & uaria, & in primis magnum illud Continentis opus. item Aſtrologica quædam.

AVENZOAR, cognomento Sapiens, Auicennæ coæuus, patre medico natus, multa ſcripſit.

IOANNES, Meſuæ filius, genus ſuum in Abdelam regem Damaſci referẽtis, uixit anno Salutis 1160. Pharmacopœorum Euangeliſta, & modò non Deus appellatur. Quidam, an Chriſtianus fuerit, dubitant. Volaterranus.

ACTVARIVS Ioannes, Zachariæ F. medicus inſignis, cuius opera hodie circunferuntur.

ELPIDIVS, medicus Theoderici regis Gothorum in Italia, cui ille melancholiã ex piſcis in menſam illati, tanquã Symmachi coſs. à ſe occiſi eſſet, capite obortam detexit.

ISAAC Benimiram, Salomonis medici filius, ſcripſit de dictis uniuerſalibus & particularibus, de febribus, de urina, de elementis & definitionibus. Hermannus Schedelius.

PETRVS Aponenſis, Patauinus, Cõciliator dictus, Bononiæ docuit. Vocatus ad ægros extra urbẽ, non minoris quàm 50. florenis in diẽ conduci ſe patiebatur. Ab Honorio IIII. pontifice in ſingulos dies centum exegit. Sed cùm ille ſanitatẽ recuperaſſet, mille donatus fuit. Octogenarius obiit, cùm illi Inquiſitores hæreſeos propter uetitas artes dicam ſcripſiſſent grandem.

ARNOLDVS de Villa noua, Narbonenſis, anno Salutis 1300 natus, quo tẽpore Conciliator & Raymundus Lullius claruerũt: linguas Latinam, Græcam, Hebraicã & Arabicam calluit. Philoſophus profundus, medicus excellẽs. Cùm Cõciliatorẽ Bononię ab Inquiſitoribus fidei uexari audiuiſſet, in Siciliam ad regem Fridericum profugit: à quo ad pontificem ſanandũ miſſus, in naui mortuus, & Ianuę ſepultus eſt.

MARSILIVS Ficinus Florentinus, Ficini medici filius, ſacerdos, philoſophus Platonicus clariſs, & medicus inſignis.

MATTHÆVS Syluaticus Mãtuanus, nobili genere oriũdus, ſcripſit ad Robertum Siciliæ regem Opus de ſimplicibus.

MATTHÆVS Gradius Mediolanenſis, Ticini docuit. Scripſit multa, eaq; docta.

GERARDVS Spoletanus, Auicennam ex Arabico in Latinũ conuertit. Volater. lib. 21.

BERTRVCCIVS Bononiẽſis, ſuæ ætatis Aeſculapius. Obiit Bononiæ, ſepultus in æde D. Petronij.

IOANNES Arculanus Romanus, Bononiæ & Patauij diu docuit, Eugenio IIII. ſedente.

BARTHOLOMÆVS de Montagnana Patauinus, Bononiæ & in patria diu docuit ſumma cum laude. Scripta eius adhuc extant. Moritur ſeptuagenarius.

MARSILIVS de S. Sophia Patauinus, uixit anno 1408. & quędam in Hippocratis libros annotauit. Patauij obiit.

IACOBVS Foroliuiẽſis, Patauij docuit, & illic obiit, anno Domini 1424. Scripſit in Galeni Artem, in Hip. aphoriſmos.

HVGO Senenſis ſub Eugenio IV. Ferrariæ in Concilio generali doctiſſimos quoſq; ad cœnam inuitauit, Græcos ſimul & Latinos: & (quod Gorgias olim) profeſſus eſt, ſe de quacunq; re interroganti extemporè reſponſurum. Docuit Patauij. Obiit Romæ, anno 1438.

GENTILIS Fulginas Peruſinus, Auicennę doctiſſimus interpres, octogenarius ferè obiit, Bononiæ apud Dominicanos ſepultus. Petri Aponenſis æmulus.

IO. MICHAEL Sauanorola Patauinus, Antonij Cermiſoni, cuius conſilia extant, diſcipulus, Leonelli Marchionis Eſtenſis medicus, eques Hieroſolymitanus, multa & ualde erudita ſcripſit. Obiit Patauij.

GVL. Harſelius Laudunẽſis medicus Carolum VI. Gallorum regem ab inſania liberauit. Froiſſardus lib. 4. cap. 50.

MICHAEL Scotus ob medicinę ſingularem peritiam non minus Eduardo I. Anglorum, quàm Alexandro III. Scotorũ regibus, carus fuit. H. Boëthius lib. 13.

LVDOVICVS de Pino Sueuus natione, Ioannis epiſcopi Raceburgenſis medicus, de hæreſi ſuſpectus, in arce Schouenberg captus. podagricus, an. æt. 96. Chriſti 1480. moritur. Cranzius lib. 12. Metrop. cap. 18.

NICOLVS Florẽtinus, inter barbaros medicos recentiores, doctiſſimus & ingenioſiſſimus. Opus medicum ex ueterũ auctoritatibus concinnauit. Obiit in patria.

THADDÆVS Florentinus, Bononiæ magna cum laude docuit. Obiit anno Sal. 1270. Sepelitur apud Dominicanos.

CODRVS, medicus Italus, auidus euſq; fuit nouarũ rerum quęrendarum, ut cùm eſſet prędiues, mortuus tamen ſit ſenex in orbis noui Auſtrali parte, iuxta Pumidæ portum, inſulaſq; Zorobari. Cardanus de Subtilitate, libro de Plantis.

DRACO medicus Colomanni Vngarorum regis, cùm regi doloris remittẽdi cauſa, aurib. cataplaſma admouiſſet, idq; rex pati non poſſet, remouit, & unà cum cataplaſmate cerebrum eduxit. Bonfinius lib. 5. Dec. 2.

DYNVS de Garbo Florẽtinus, Brunonis chirurgi filius, Thaddæi diſcipulus, multa præclara ſcripſit. Volater. lib. 21. Eius F. Thomas Florentinus, patre non inferior, Bononiæ obiit.

LVDOVICVS Patauinus chirurgus ab Eugenio IV. Cardinalis factus, luxu & ſuperbia omnes ſuperauit. Fulgoſus libro ſexto, capite 11.

PETRVS Brochias chirurgus Philippi Gallorum regis cubicularius factus. Vide Tit. Ex humili fortuna euecti, & denuò deiecti.

ALEXANDER Benedictus Veronenſis, poſt longas peregrinationes Venetiis diu praxim exercuit, & Patauij cum laude docuit. Scripſit multa præclara.

[redacted]

ANTONIVS Beneuenius, experiens & fortunatus medicus. Eius de abditis morborum cauſis librum poſt mortem frater Hieronymus edidit.

ANTONIVS Guaynerius Ticinenſis, in patria iuuenis admodum docuit, ibidemq; mortuus eſt. Scripſit non pauca.

LAVRENTIVS Laurentianus Florentinus. philoſophiam & medicinam Piſis & Florentiæ profeſſus, Hippocratem tranſtulit. Mox ex nimio ſtudio in atram bilem incidens, in puteum ſe præcipitem dedit. Iouius in Elogiis.

NICOLAVS Leonicenus Vicentinus, duci Ferrarienſi Alfonſo gratiſſimus fuit. Docuit Ferrariæ magno cum applauſu, & primus Ordinum & Methodorũ doctrinam ad ſuperos reuocauit. Obiit nonagenarius Ferrariæ.

IOANNES Manardus Ferrarienſis, diſcipulus Franciſci Bencij, filij Hugonis Senenſis, diu peregrinatus eſt. Pannoniorum regis Vladiſlai medicus fuit: Alfonſo quoq; Eſtenſi cariſſimus. Medicinam puriorem docuit magna cum laude. Obiit Ferrariæ nonagenarius, iuuencula uxore ducta.

NARCISSVS Neapolitanus medicus peritus & fortunatus, Carolo V. Imp. ab adoleſcentia ſemper aſtitit: Cuius opera cùm aliàs tum Bononię, coronã imperij ſuſcepturus, grauiſſima angina laborans feliciter uſus eſt. Supplem. Sab. lib. 12.

Quòd



Quòd ſi noſtra quoque tempora conſideres, non erit cur ſuperioribus inuideas. In Italia poſt MATTHÆVM Curtiũ Papienſem, Patauij publicè docuit IO. BAPT. Montanus Veronenſis: cui ſimilem in methodica ratione docendi, noſtra non uiderunt ſecula. Defuncti locum BASSIANVS Landus Placentinus, præceptor noſter obtinuit, non minore arte & methodo, fortaſſis etiam maiore eloquentia: qui tamen anno 1562, 24 Octobris, domum crepuſculo repetens, à ſicario ſubornato ſeptem uulneribus confoſſus: ultimo Octobris, ſecunda noctis hora, cum totius Academiæ Patauinæ incredibili dolore expirauit. Huc referendi ſunt reliqui profeſſores Patauini, præceptores noſtri colendiſſimi, VICTOR Trincauella Venetus, ANTONIVS Fracanzanus Vicentinus: HIERON. Capiuaccius Patauinus, ALOYSIVS Bellacatus Brixienſis, experiẽtia & ſucceſſu magnus: GABRIEL Fallopius Mutinenſis, chirurgiæ & anatomiæ profeſſor ad miraculum uſque doctus, qui magna ſtudiorum iactura lethali febre conſumtus, paulò ante Baſſianum obiit.

ANDREAS Veſalius Bruxellenſis, patre pharmacopœo Caroli V. Imp. natus, profeſſor Anatomicæ diſciplinæ Patauij, hinc editis admirandis illis anno ætatis 28. Anatomicis cõmen. Imperatoris medicus factus, circa annum Salutis 1564. Iaderæ in Dalmatia periit, ex Hieroſolymitana peregrinatione reuertens.

Galli inquilinos duos habuère, alterum GVL. Copum Baſiliẽſem (cuius doctrinæ, rudi etiamnum illo ſeculo conuerſi in linguam Latinam inter medios bellorum ſtrepitus Galeni commentarij aliquot atteſtantur: felicitati uerò in medendo idipſum, quòd homo peregrinus Franciſci I. regis ualetudini fuit præpoſitus) alterum IVL. Cæſarem Scaligerum, uirum in omni literarum genere ita excellentem, ut plus de hoc ſolo gratulandum ſit nobiliſſimæ Scaligerorum familiæ, quàm de ullis aliis bello & ſanguine partis olim ſpoliis atque trophæis.

IO. FERNELIVS Ambianas, ſcriptis celeberrimus, & uel ipſis Italis admirandus, in praxi medica experientiſſ. cuius arte Catharina Medicea Galliæ regina, cùm ſterilitatis nomine modò non deplorata uideretur, fœcũdiſſima creditur reddita. De quo numerale illud, cùm VI. Kal. Maij obiiſſet,

ConIVge FerneLIVS rapta per CVLſVS, VtaVLæ,
VtLVCIS ſatVr, VtnoMInIS, InterIIt.

IACOBVS Sylulius Pariſienſis. elegantioris medicinæ ſtudioſiſſ. Lutetiæ multos annos docuit.

GVL. Rondeletius Montepeſſulanæ ſcholæ decus, in Medicamentorum ſylua & uſu admirandus, præter multa in arte ſcripta, de Piſcibus quoq; inſigne opus edidit.

[redacted]

HIER. Fracaſtorius Veronenſis, non modò ciuium ſuorum Catulli & Plinij gloriam æmulari, ſed omnes noſtræ ætatis homines præſtantis & elegantis doctrinæ laude ſuperare contendit. Medicus felix & eruditus, poëta eximius, mathematicus excellentiſſimus. Obiit ſeptuagenario maior anno Salutis 1553. dum pranderet, apoplexia correptus. Auctor uitæ.

IOANNES Antracinus Hadriani VI. Pp. medicus: Iouius in uita Hadriani.

LVDOVICVS Vuallus medicus Margaritæ matris Henrici VI. Anglorum regis & Elizabethæ uiduæ Edouardi, oportuno conſilio matrimonij, factiones Lancaſtriorum & Eboracenſium primus ſuſtuliſſe uidetur. Polyd. lib. 25.

CONRADVS Geſnerus Tigurinus, patre Vrſo pellione, matre Barbara Friccia. Bello ciuili Heluetiorum ad Tugium cæſo patre, ob paupertatem Argentinam deſcendit. & Capitoni Theologo inſeruiuit. Senatus Tigurini liberalitate Gallias perluſtrauit, ſed abſq; certo ſtudiorum ſcopo. Vxorem nondum XX. annos natus duxit. Ludimagiſtrum ęgit in patria. Medicinæ ſubſeciuis horis operam dedit. Baſileam ſtudiorum cauſa deſcendit. Lauſannæ Græcas literas profeſſus eſt per triennium. Montepeſſulo reuerſus, Baſileę Medicinæ inſignia ſuſcepit. Tiguri per XXIV. annos Medicinam docuit. Præter linguarum ſtudium, Phyſiologiæ eam partem, quæ de Animalibus, Gemmis, Plantis tractat, [redacted] peſtilentia obiit anno Salut. 1565. XXII die Decembris, quæ decimatertia erat decubitus, quinquagenario minor: liberis nullis, libris relictis innumeris. Ioſias Simlerus in eius uita.

[redacted]

IO. CRATO à Craftheim, Vratiſlauienſis, Io. Bapt. Montani diſcipulus, præceptore non inferior, ἰατρὸς φιλόσοφος, adeóque diuini Hipp. iudicio ἰσόθεος, ſola uirtutis exiſtimatione, nullis commendationum lenociniis, ad ſupremum artis medicæ faſtigium (ad quod pauci è Germanis per multos iam annos peruenere) uirtutis & eruditionis commẽdatione euectus, uti de Repub. Chriſtiana in Ferdinandi I. & Maximiliani II. & Rodolfi II. Imppp. ualetudine tuẽda pręclarè eſt meritus: ita longè præclarius de Repub. literaria, ſi otium illi philoſophicum ex uoto contigiſſet, mereri potuerat. Cæterùm, ut Homerus inquit,

—τῷ μὲν θεοὶ ἄλλο δόσαν, ἄλλο δ᾽ αἰνέσουσιν.

Dedere enim honeſto genere naſci, in literarum ſtudiis præclarè educari, ex arte ornamenta & emolumenta conſequi ampliſs. ſummorum Chriſtiani orbis principum gratia florere opt. doctiſſimorumque hominum amicitiis perfrui, nulli eorum, qui in arte uel ſcribendo uel docendo uel agendo excellunt, inuidere, aliorum ſtudia acceddere, & cotis inſtar acuere. Non dedẽre autem parem uoluntati & facultati commoditatem de poſteritate monumentis literarum bene merendi: niſi fortè per otium iſtud, cui ſeſe ſponte reſignatis aulicæ uitæ laboribus atque honoribus dedidit, quantum à philoſophicæ mortis chriſtiana commentatione ſupererit, tantum in perluſtrandis ſimul & illuſtrandis, medicis & philoſophicis ſuis aduerſariis temporis impendere in animum induxerit.

LVDOVICVS Demoulinus Rochefortius, Bleſas Gallus, ex celeberrimis Chriſtiani orbis Academiis, eruditionis reconditæ theſaurum ſibi comparauit, Margaritæ Valeſiæ, Franciſci I. regis ſorori, Allobrogum Ducis, medicus eruditiſſimus, & quod in hoc ordine Ariſtoteles requirit, χαριέστατος. Profuerunt aliis morbi, aliis exilia & paupertas: huic uerò κυφότης profuit, ut qui ad arma ferenda ex Gallicæ nobilitatis inſtituto aptus non erat, ad literarum ſtudia, excellentiſſimis tantùm ingeniis debita, aptiſſimus euaderet. Is cùm Baſilienſis ſcholæ otium ſplendidiſſimis aulæ negotiis per aliquot annos pręluliſſet, à Duce Allobrogum alumno ſuo, ſtipendiorum pẽdendorum cauſa benignè accerſitus, dum firmitatem corporis periclitatur, catarrhi repentina ui ſuffocatus periit, anno Salutis 1582, Baſileæ ad D. Petri honorificè ſepultus.

THADDÆVM Hagecium ab Hagek, Boëmum, qui in Maximiliani I. Imp. aula medicinam cum laude exercuit, iis quæ in bono requiruntur medico diſciplinis excultũ, matheſeos etiam ſingulari cognitione inſtructum, inter claros ſeculi noſtri medicos reponere iure poſſumus.

HIER. Mercurialis Foroliuienſis, Patauinæ ſcholæ lumẽ, atq; columen, & ſcriptis & uiua uoce Hippocrateam illam εὐχρημοσύνην luculenter adeò exprimit, ut eos demum uerè χαρίεντας ἰατροὺς appellare poſſimus, qui ex ſchola illius tanquam ex equo Troiano prodeuntes diſcipuli, ſeſe ad illius tanquam Polycletei canonis formulam, docendo medendoque compoſuerint.

GVLIELMVS Aragoſius Toloſas, Iuriſprudentię primis annis operam dedit: mox ſuum ſecutus genium, nõ horridam illam & otioſam Barbarorum, ſed elegantem & ad uitæ uſum accommodatam Græcorum ſapientiam ſecutus, atque ex Hip. pręſcripto τὴν σοφίην ἐς τέχνην μετάγων: peculiari quadam ingenij procliuitate ad ipſa naturæ penetralia per artificioſam ſingularium analyſin, paucis ea ætate cognitam, eruenda prouectus, methodicam medicinã (cui ſe ſub opt. præceptoribus Iacobo Syluio Lutetiæ, & Io. Bapt. Montano Patauij addixerat) non parua chymicorum remediorum ſylua, ſuggerente fortunanteque Numine, auxit & ampliauit, tanto cum ſucceſſu & applauſu, ut poſt expeditionem Neapolitanam à Cl. Guiſio polemarcho, Henrico II. Gallorum regi inſinuatus, inter reginæ me[redacted] allectus, fruſtra reluctantib. æmulis, doctiſs. uerò & cordatiſs. medicis regiis, Fernelio, Caſtellano, Capellano, commẽdantibus promouen-

[redacted] mouentibusque, tam ſeſe in [redacted] felicem [redacted] cognoſcendo eruditum & perſpicacem exhibuerit. Franci[redacted] ſco II. humanis exemto, [redacted] inde Venetias excurrens, medicaq; ſupellectile, ueterum Medicorum imitatione, ſuopte marte & arte comparata, inſtructus, in aula Maximiliani II. Imp. Io. Cratonis Cæſarei archiatri familiaritate uſus, medicinam [redacted] cum dexteritate exercuit. Cæterum [redacted] ſtui poſtpoſuiſſe uideretur, ad ſeceſſum Rauracum reuerſus, id unum agit, ut quum innumeris mortalibus per Galliam, Italiam, Germaniam, longo tempore in morbis depellendis operam non minus fidelem quàm felicem præſtiterit, ipſe ſibiipſi porrò proximus futurus, quando annus ætatis iam ppè ſeptuageſimus mortales colligere ſarcinas iubet, mortis per mortem profligandæ, ut uenerãdum, ſic piis omnib. exoptandũ remediũ, diuini Spiritus afflatu, ductuq;, quãto poteſt opere atque ſtudio, cognoſcere & obtinere laborat.

# MEDICI CONSIDERATI PER ACCIDENS.
## [redacted] RESPECTV

## HABITVS [redacted]
### THEORICI. HVC MEDICI
*Theologi* [redacted]

LVCAS Athenienſis, ex medico & pictore Euangeliſta factus eſt. Nicephorus.

*Mathematici.*

☞ *Conſule Tit. Aſtrologorum.*

CRINAS Maſſilienſis, ſub Nerone, arte geminata, ut cautior religioſiorq;, ad ſiderum motũ ex ephemeride mathematica cibos dando, horaſq; obſeruando, auctoritate Theſſalũ præceſſit, & centies H-S. reliquit muris patriæ, mœnib. quoque aliis penè non minori ſumma extructis. Plin. lib. 29. c. 1.

PETRVS Leo Spoletanus, ingenioſus & doctus aſtrologus, ſed infelix medicus. Ad Laurentium Medicen uocatus, cùm parùm proſperè medicamenta ſuccederent, melancholia correptus, in puteum ſeſe præcipitauit. Iouius in Elogiis.

*Philoſophi.*

PYTHAGOREI ſummo ſtudio medicam artem ſunt amplexi, teſte Aeliano lib. 9. de Varia hiſtoria.

*Grammatici.*

POMPEIVS Leneus, Pompeij Magni libertus, grammaticus uerius quàm medicus. Plinius lib. 25. cap. 1.

### PRACTICI. HVC MEDICI
*Libidinoſi.*

☞ *Locum Intemperantiæ & Libidinis conſule.*

*Martyres.*

VRTICINVS Rauennæ medicus, poſt uaria tormenta gladij ictũ metuẽs, de abnegatione cogitabat. Verùm Vitalis militis uoce confirmatus, ceruicem conſtanter præbuit. Vincẽtius lib. 9. cap. 50.

SS. COSMAS & DAMIANVS medici, apud Egram ciuitatem capite multati fuerunt ſub Diocletiano, an. Sal. 274.

CYRVS medicus Alexandrinus, martyr, ſub Diocletiano & Maximino. Simeon Metaphraſtes.

ZENOBIVS medicus martyr in Antiochia Syriæ ſub Diocletiano. Euſeb. lib. 8. cap. 13.

PANTALEON medicus illuſtris Nicomediæ, Chriſtianum ſe profeſſus ſub Diocletiano, pertulit equitum ungulas, faculas, ſartaginem, plumbũ, in mare merſionem, in terra feras. Poſtremò cùm ad rotam clauorum mucronibus aculeatã lancinandus ligaretur, ſolutæ protinus machinæ fragmenta impietatis miniſtros percuſſere, peremereque. Quod uidens Cæſar, cùm grauiora timeret, ſtatim illum obtruncari iuſſit. Marul. lib. 5. cap. 5. ex Bergomenſe.

*Auari.*

☞ *Vtinam magis frequentia ueterum quàm recentiorum eſſent exempla. An fortè accipiendi aſſuetudo auaros reddere ſolet, per ſe alioqui liberales futuros medicos.*

*Ambitioſi.*

Medici ſophiſtæ morbum per ſe leuem, φθεγγώδεα faciunt, apud Hip. periculum fingendo magnum. In eãdem ſententiã Mimnermus ait:

οἷα δὴ φιλῶσιν οἱ ἰατροὶ λέγειν,
τὰ φαῦλα μείζω κ̀ τὰ δεινὰ ὑπὲρ φόβον,
πυργοῦντες αὐτούς.

Sicut medici ſolent dicere, leues affectus maiores, & grauiores, quàm timendũ ſit, ut ſeipſos extollant.

*Perfidi.*

☞ *Conſule Tit. Veneficorum.*

## PROFESSIONIS. HVC MEDICI
*Sacerdotes.*

Olenis hymni uetuſti in Delo cantantur, dum cinis qui eſt ſupra ſepulcrum Opis (quę Hecaerges dicitur) ſuper ægrotos à SACERDOTIBVS inſpergitur. Pauſanias in Phocicis.

*Monachi.*

AEGIDIVS Athenienſis Græcus medicus & philoſophus, mox D. Benedicti [redacted] profeſſus, ſub Tiberio II. anno Chriſti 700. multa ſcripta poſteritati reliquit. Vt de Puſib. librum unũ. Item de Venenis unũ. Vulneratus à uenatore ſagitta, noluit uulnus ſanari, ut aſſiduis doloribus exerceretur. Bergomenſis, & Volat. lib. 21. & Vincentius lib. 23.

CONSTANTINVS Afer, patria Carthaginenſis, Babylone diſciplinis Chaldæorũ, Arabũ, Perſarũ, Aegyptiorũ & Indorũ perceptis, an. 39. peregrinationis in patriã rediit. Metuens aũt ſuorum inſidias, in Italiã traiecit: & monachus Caſſinẽſis factus, ex diuerſis gentiũ linguis tranſtulit cõplura opera artis medicæ. Chronicon Caſſinenſe lib. 3. cap. 34.

IOANNES Damaſcenus, monachus Benedictinus, ſub Anaſtaſio II. põtifice, anno Salutis 484. in theologia & medicina quædam ſcripſit.

TRVSIANVS Florentinus, Thaddæi Florentini diſcipulus, cùm uideret infelicitatem ſuam in medica praxi, Carthuſiẽſis monachus factus, in Artem medicinalẽ Galeni pluſquã commentum edidit.

*Milites.*

MACHAON Aeſculapij filius medicus, bello Troiano militauit. Per Equum ligneũ capta urbe, in quo etiã ipſe latuerat, noctu cæſus eſt. Theſſalus in legatione.

Cùm duce Nicia & Alcibiade Athenienſes Siciliã inuaderẽt, & de medico qui exercitũ ſequeretur in cõcione diſputatio eſſet inſtituta: Hippocrates Cous filiũ ſuuũ THESSALVM priuatis ſumtib. Athenienſiũ ualetudinis curã habere, & ſimul cum illis militare uoluit. Theſſalus in legatione ſua.

PROCOPIVS Cæſarienſis, in Beliſarij caſtris medicinã exercuit, eiuſq; res geſtas contra Gothos & Vandalos ſcripſit. Sab. lib. 3. Enn. 8.

VITOLFVS quidã, Haraldi I. Danorũ regis miles, in caſtris maiore ætatis parte cõſumta, tandẽ in Helſingiæ prouinciæ ſolitudinẽ cæſo à fratre Haraldo cõceſſerat, ibiq; ruſticæ uitæ cultu cõſueta militiæ ſtudia relaxabat. Qui, quòd hoſtilib. ſæpe telis petitus fuerat, non infimã medendi peritiã aſſidua uulnerũ ſuorũ curatione cõtraxerat. Siquis operã eius blandimentis expoſceret, cũ medelæ loco lædere ſolebat; ſin uerò minis, fidelẽ operã præſtabat. Ad eũ Haldanus Ha[redacted]

M. [redacted] uidebat, & nõ modò politiæ, uerũ etiã quæ illius baſis eſt œconomiæ perneceſſariũ, non peculiari alicui artifici, ſed unicuiq; œconomo hanc curã cõuenire aſſeruit, non minus de remediis ægrotę, quã de alimẽtis ſanæ familię proſpicere. Cæterùm multo rectiùs Ariſtoteles patriſamiliâs ne χειρουργικὴν quidem, nedum ἰατρικὴν conuenire exiſtimat exercendi, ſed exercentes tantùm hortandi & inſtruendi cauſa.

*Gymnaſtæ.*

THEON Alexandrinus ex gymnaſte per ὀψιμάθειαν medicus, rudis tamen & ineptus. Scripſit librum de Exercitationibus, cuius meminit Gal. lib. 2. & 3. de San. tuenda.

## SEXVS. HVC
*Mulieres Medicæ.*

HADINGVS Danorũ rex, cùm gigantẽ quendã Nitherorum regis Hagni filiã Regnildã ambire animaduerteret, in Noruagiã profectus, tam fœdũ regiæ uirginis amatorẽ oppreſſit. Ipſa dum gratitudinis ergò uulnerib. Hadingi medetur, crus eius anulo uulneri incluſo obſignatũ reliquit. Poſtmodũ à patre eligẽdi mariti libertate donata, inter multos procos Hadingum latentis anuli indicio deprehenſum in coniugem aſſumſit. Saxo lib. 1.

## DIGNITATIS. MEDICI
*Pontifices, Cardinales, Epiſcopi.*

PETRVS [redacted] qui ingenij, in medicina fuit doctiſſimus, ita ut [redacted] blemata ſcripſerit, & Theſaurum [redacted] Viterbij periit. Platina & Tarapha de regib. Hiſpaniæ.

IOANNES Stalkoper medicus, puella ſibi deſpõſata cùm onera matrimonij anxiè perpenderet, profeſſionem canonicorum



corum regularium ſuſcepit: inde ad epiſcopatum Raceburgenſem prouectus eſt, quòd opes ex arte acquiſitas ampliſſ. Eccleſiæ relicturus uideretur. Cæterùm cùm theſaurũ ſuum amico cuidam Lubecenſi commiſiſſet cuſtodiendum, furtò ablatus eſt. Cranzius lib. 12. Metrop. cap. 10.

HENRICVS Bocholt, plebeia origine, ex medica arte multũ auri conquiſiuit. Decanus Lubecenſis eccleſiæ factus, inde etiam præpoſitus: tandem epiſcopus. Confirmatus à capitulo Bremenſi, & de eiuſdem mandato conſecratus, ſexaginta marcas perſoluit capitulo. Iam cùm in eccleſia ſua primitias perageret, ad duarum marcarum millia ſumtus fecit. Archiepiſcopus Bremenſis tum in Galliis agens, apud ſummũ pontificem Ioannem XXII. euocauit ad iudicium Henricum, quòd confirmationem non à ſe, ſed à capitulo accepiſſet. Lis in ſeptennium protenditur. Septem aureorum millia fertur impendiſſe Henricus, priuſquam efficeret, ut approbaret ſummus pontifex, quæcunq; à ſe in ſpiritualib. & temporalib. eſſent geſta, an. 1324. Eccleſiã maximis reditib. auxit, ut aurifodinas uideretur proprias habere. Sed parſimonia uectigal magnum. Cranzius lib. 9. Metrop. cap. 13.

ALBICVS medicus, Sbinconi Archiepiſcopo Pragenſi à Venceſlao Ignauo rege & Imp. ſuffectus, propter auaritiã pharmacopolis, potiùs quàm Pontificibus adnumerandus, clauem penoris & cellæ uinariæ penes ſe geſtabat ſemper, nec alium, quàm anũ abſtemiã, intromittebat: domi quaſi cauponam & macellũ inſtituerat, uina meraciora, piſces, aues, ferinã aliis uendens, & cum familia ſordida & pauca panẽ atrum cum ſecundana cereuiſia rodens. Palàm prædicabat, ſe multò patiẽtiùs ſerræ ſtridorem ferre poſſe, quàm equorum per noctem dentibus hordeum confringentium ſtrepitum. Proinde non minùs à ſuis, quàm ab aduerſariis Huſſitis contemnebatur. Cùm inualeſcentibus Huſſitis cerneret ſacerdotes ſuos templis expelli, metuens, ne iacturam faceret pontificatus, quem à rege emerat, Conrado Veſtuallo ſubcamerario regio illum uendidit. Dubrauius lib. 23.

LVDOVICVS Patauinus (Mediarotę cognomine, cùm à Venetis in patriciorum ordinẽ cooptatus eſſet, aſſumto: aliis Scarampa dictus, quòd Scarampam familiam hæredem fecerit) obſcuris natalibus ortus, philoſophiæ & medicinæ operam dedit in patria (Fulgoſus chirurgum fuiſſe ait) Romæ arma tractare cœpit: iiſq; breui ſic nobilitatus eſt, ut ab Eugenio IV. in Io. Vitellii locum pontificiis copiis præficeretur. Auxilio miſſus Florentinis, Nic. Piceninum Philippi Vicecomitis polemarchum ad Anglariam magno prælio uicit. Eo nomine Cardinalatus dignitatem promeruit, nutuque ſuo omnia adminiſtrauit, ipſumque pontificem popularibus ſuis planè obnoxium reddidit, ita ut uulgò Romæ circumferretur, etiam ab ipſis mulieribus, *Eia uillano. Se foſſi Padoano Sareſti papa ò caſtellano.* Patriarchatum Aquileienſem quoq; adeptus eſt. Sub Calixto III. exercitui contra Turcas præfectus, eos ad Belgradum profligauit: claſſe Rhodiis ſuppetias tulit; inſulas hoſtibus complures eripuit. Sed morte Calixti ſoluta claſſe, hoſtibus exacerbatis, Græciam in maximo diſcrimine relinquens, Romam rediit; Luxu non reges tantùm ſed & ipſum pontificem uicit. Campum Florę lapidib. ſtrauit. Baſilicam S. Laurentij ædificauit, Sabellum oppidũ monaſterio ornauit, aquæductus inſtaurauit. Romæ obiit anno 1465. Theſauros ex rapinis bellicis & nundinationibus ſacris immenſos comparauit. Supellectilem precioſiſſimam duob. familiaribus ſuis Scarampis reliquit. Paulus II. teſtamento reuocato, Scarampas carceri tantiſper addixit, donec theſauros in ſuam redegit poteſtatem, partemque iiſdem conceſſit. Prædia ſupra quinque millia iugerum Andreæ & Franciſco ab Arena dictis, huic nepoti, illi fratri, legauit: qui impiè partas opes inhoneſtiſſimè prodegerunt, adeò ut Franciſcus pronepos Patauij in xenodochio publico annis confectus miſerrimè uitam finierit. Bern. Scardeonus lib. 2. cap. 6. hiſt. Patauinæ.

*Reges, Principes, Duces.*

SISYPHVS idem eſſe ueteribus uidetur, qui & Theoſophos: ſiquidem deos in Peloponneſo Sius dicunt, & lingua Aeolica συφὸς dicitur ſapiens, communi lingua σοφὸς. Fuit autẽ Corinthiorum rex, & Aſopo fluuio indicauit Aeginam filiã à Ioue raptam. Iupiter iratus, mortem indici immiſit. At Siſyphus mortem robuſtis uinculis ligauit, adeò ut nemo tunc mortalium moreretur ampliùs, donec Mars mortem liberauit. Ex hac fabula uidetur Siſyphus Medicinæ ſtudioſus fuiſſe, ut uetuſti reges plerique, & peſtilentiam fortaſſis à Ioue immiſſam arte ſua curaſſe, ita ut nulli amplius mortales ea perierint, quo ad peſtem ſecuta ſunt bella. Euſtatius Iliados ζ. Fortè uerò & Aceſodyna excogitauit primus, id eſt dolorem ſedantia, ac morborum antipala, ut Græci dicunt, quia ægritudinibus obluctentur. Cælius lib. 24. cap. 35. A. L.

Scribit Plutarchus fortiſſimum heroum HERCVLEM medicinæ peritum fuiſſe. Itaq; quod apud Euripidem legitur de Alceſtide, quam, cùm mortem pro uiro ſuo Admeto obiiſſet, Hercules cum ipſa Morte luctatus, per uim ei eripuiſſe, & uiuam ad Admetum reduxiſſe narratur: ita intelligendum eſſe: cùm Alceſtis ita grauiter ægrotaret, ut depoſita iam & deſperata eſſet, ueniſſe Herculem, & medendi arte, qua excellebat, ei ualetudinem priſtinam reddidiſſe, Admeto ea in re gratificatum. Muretus libro octauo Variarum lectionum, capite 23.

Criſæi circa Delphos habitantes, ob latrocinia & templi Delphici ſpoliationem ab Amphictyonibus bello petiti obſidebantur. Cùm autem peſtilentia exercitum inuaſiſſet, uictores fore reſpondit deus, ſi in Co inſulam profecti, ἐλάφου παῖδα σὺν χρυσῷ adducerent in auxilium, Cerui filium cum Auro. Coi legatos benignè audiuerunt, cæterùm oraculi mentem non ſunt aſſecuti. Surrexit ergo NEBRVS medicus, genere Aſclepiades. is, quòd ceruorum hinnuli Νεβροὶ uocarentur, domique filium χρυσὸν haberet, oraculum ad ſe pertinere cenſuit. Itaque pentecotoro inſtructa ſuo ſumtu, Amphictyonibus ſuppetias tulit. Confeſtim autem peſtilentia remiſit, ueluti placato deo. Cumq; equus pulſato ſolo ungula aquæductum detexiſſet, Nebrus pharmacis aquã corrupit, ſic ut dyſenteria Criſæi perirẽt. Oppugnationẽ inde aggreſſi, cùm Chryſus muros primus cõſcendiſſet, urbs capta eſt. Amphictyones Apollini templum Delphicũ conſecrarunt, cum tota regione Criſæorum, & Chryſum, qui de muro deturbatus perierat, in circo equeſtri ſepelierunt, & Delphis publicè parentarunt, & Aſclepiadis in Co inſula uaticinandi primas partes, ſicuti Hieromnemonibus cæteris, conceſſerũt. Theſſalus in oratione, quam habuit in legatione ſua.

HADRIANVS Imperator, medicinæ ſtudioſiſſimus fuit, & fortaſſe plus ſatis. Proinde ſepulcro ſuo inſcribi uoluit, Turba medicorum perdidit Cæſarem.

DIONYSIVS tyrannus Siculus medicinæ nauabat operam, & ipſe curationes, ſectiones, uſtiones, & reliqua faciebat. Aelianus lib. 11. de Varia hiſtoria.

MITHRIDATES Ponti rex in reliqua ingenij magnitudine medicinæ peculiariter curioſus, & ab hominibus ſubiectis, qui fuêre pars magna terrarum, ſingula exquirens, ſcrinium commentationum harum & exemplaria, effectuſque in arcanis ſuis reliquit. Cn. Pompeius eo deuicto omni regia præda potitus, trãsferre ea ſermone Latino libertum ſuum Lenæum, grammaticæ artis doctiſſimum, iuſſit: uitæque ita profuit non minus quàm reipublicæ uictoria illa. Plinius libro 25. capite 2. In ſanctuariis eius inuenit in peculiari commentario ipſius manu compoſitionem antidoti Mithridaticę dictę, è duabus nucibus ſiccis, item ficis totidem, & rutæ foliis uiginti ſimul tritis, addito ſalis grano: ei, qui hoc ieiunus ſumat, nullum uenenum nociturum illo die. Idem libro 23. capite 8. Cuius certè antidoti beneficio etiamtum, cùm à filio Pharnace obſeſſus, uenenum aſſumſiſſet, mori non potuit, ſed à milite ſe occidi curauit. Galen. in libro de uſu Theriacæ, capite 6. Oroſius libro 6. Serapion libro 7. Pract. cap. 8.

CONSTANTINVS IIII. Pogonatus, Imperator Conſtantinopolitanus, poſt deuictos Saracenos & Arabes, philoſophiæ & rhetorices ſtudia renouauit, agriculturæ compendium collegit, & medicinam ſummo ſtudio amplexus eſt.

IOSINA Scotorum rex medicos coluit, atque chirurgos, cũ quibus in Hibernia puer fuerat educatus, herbarũ uires (quibus ſolis eo temporis Scoti in morbis uulneribuſque medendis utebantur) pulcrè callens. H. Boethius lib. 2.

## LIBERTATIS. MEDICI
*Serui.*

☞ *Medici olim Serui, unde iis à patronis imperabatur. Hinc l. 26. §. de oper. lib. Medicus libertus, quòd putaret, ſi liberti ſui medicinam non facerent (hoc eſt pharmaca pararent) multo plures imperantes ſibi habiturum, poſtulabat ut ſequerentur ſe, neque opus facerent.*

Plato in libris de Repub. alios MEDICOS facit liberos, alios ſeruos.

MEDICVS Aegyptius ocularius ad Cyrum ab Amaſi miſſus, auctor fuit Cambyſi Aegypti occupandæ. Herodotus.

DEMOCEDES, Calliphontis filius, qui fuit Aeſculapij ſacerdos Cnidi, Crotoniates, in Aegina medicinam fecit, Polycratem Sami tyrannum mercede duorum talẽtũm curauit: à rege Dario accerſitus, diu cum illo fuit. Librum ſcripſit medicum. Suidas. Herodotus in Thalia Taliphontis Crotonienſium principis medicũ fuiſſe ſcribit, à Dario rege duobus aurearum compedum paribus donatum, tacita ſeruitutis exprobratione.

Bello ciuili Domitius Corfinij à Cæſare obſeſſus, deſperata ſalute à SERVO medico uenenum popoſcit. Ille pro ueneno ſomniferum dedit: & ſic herum, qui, accepta Cæſaris erga uictos clementia, uitæ ſe cupidiſſ. oſtendebat, imprudentem

[redacted] monentibusque, tam ſeſe in med[redacted] felicem, quam in cognoſcendo eruditum & perſpicacem exhibuerit. Franciſco II. humanis exemto, [redacted] Inde Venetias excurrens, medicaq; ſupellectile, ueterum Medicorum imitatione, ſuopte marte & arte comparata, inſtructus, in aula Maximiliani II. Imp. Io. Cratonis Cæſarei archiatri familiaritate uſus, medic[redacted] magnâ cum dexteritate exercuit. Cæterum [redacted] ſtui poſtpoſuiſſe uideretur, ad ſeceſſum Rauracum reuerſus, id unum agit, ut quum innumeris mortalibus per Galliam, Italiam, Germaniam, longo tempore in morbis depellendis operam non minus fidelem quàm felicem præſtiterit, ipſe ſibiipſi porrò proximus futurus, quando annus ætatis iam ppè ſeptuageſimus mortales colligere ſarcinas iubet, mortis per mortem profligandæ, ut uenerãdum, ſic piis omnib. exoptandũ remediũ, diuini Spiritus afflatu, ductuq;, quãto poteſt opere atque ſtudio, cognoſcere & obtinere laborat.

## MEDIC[redacted]ERATI PER ACCIDENS.
### [redacted] RESPECTV

### HABITVS [redacted]
### THEORICI. HVC MEDICI [redacted]
*Theologi* [redacted]

LVCAS Athenienſis, ex medico & pictore Euangeliſta factus eſt. Nicephorus.

*Mathematici.*

*Conſule Tit. Aſtrologorum.*

CRINAS Maſſilienſis, ſub Nerone, arte geminata, ut cautior religioſiorq;, ad ſiderum motũ ex ephemeride mathematica cibos dando, horaſq; obſeruando, auctoritate Theſſalũ præceſſit, & centies H-S. reliquit muris patriæ, mœnib. quoque aliis penè non minori ſumma extructis. Plin. lib. 29. c. 1.

PETRVS Leo Spoletanus, ingenioſus & doctus aſtrologus, ſed infelix medicus. Ad Laurentium Medicen uocatus, cùm parùm proſperè medicamenta ſuccederent, melancholia correptus, in puteum ſeſe præcipitauit. Iouius in Elogiis.

*Philoſophi.*

PYTHAGOREI ſummo ſtudio medicam artem ſunt amplexi, teſte Aeliano lib. 9. de Varia hiſtoria.

*Grammatici.*

POMPEIVS Leneus, Pompeij Magni libertus, grammaticus uerius quàm medicus. Plinius lib. 25. cap. 1.

### PRACTICI. HVC MEDICI
*Libidinoſi.*

*Locum Intemperantiæ & Libidinis conſule.*

*Martyres.*

VRTICINVS Rauennæ medicus, poſt uaria tormenta gladij ictũ metuẽs, de abnegatione cogitabat. Verùm Vitalis militis uoce confirmatus, ceruicem conſtanter præbuit. Vincẽtius lib. 9. cap. 50.

SS. COSMAS & DAMIANVS medici, apud Egram ciuitatem capite multati fuerunt ſub Diocletiano, an. Sal. 274.

CYRVS medicus Alexandrinus, martyr, ſub Diocletiano & Maximino. Simeon Metaphraſtes.

ZENOBIVS medicus martyr in Antiochia Syriæ ſub Diocletiano. Euſeb. lib. 8. cap. 13.

PANTALEON medicus illuſtris Nicomediæ, Chriſtianum ſe profeſſus ſub Diocletiano, pertulit equitum ungulas, faculas, ſartaginem, plumbũ, in mare merſionem, in terra feras. Poſtremò cùm ad rotam clauorum mucronibus aculeatã lancinandus ligaretur, ſolutæ protinus machinæ fragmenta impietatis miniſtros percuſſere, peremereque. Quod uidens Cæſar, cùm grauiora timeret, ſtatim illum obtruncari iuſſit. Marul. lib. 5. cap. 5. ex Bergomenſe.

*Auari.*

*Vtinam magis frequentia ueterum quàm recentiorum eſſent exempla. An fortè accipiendi aſſuetudo auaros reddere ſolet, per ſe alioqui liberales futuros medicos.*

*Ambitioſi.*

Medici ſophiſtæ morbum per ſe leuem, φθεγγώδεα faciunt, apud Hip. periculum fingendo magnum. In eãdem ſententiã Mimnermus ait:

οἷα δὴ φιλέουσιν οἱ ἰατροὶ λέγειν,
τὰ φαῦλα μείζω καὶ τὰ δεῖν' ὑπὲρ φόβον,
πυγγῦντες αὐτούς.

Sicut medici ſolent dicere, leues affectus maiores, & grauiores, quàm timendũ ſit, ut ſeipſos extollant.

*Perfidi.*

*Conſule Tit. Veneficorum.*

### PROFESSIONIS. HVC MEDICI
*Sacerdotes.*

Olenis hymni uetuſti in Delo cantantur, dum cinis qui eſt ſupra ſepulcrum Opis (quę Hecaerges dicitur) ſuper ægrotos à SACERDOTIBVS inſpergitur. Pauſanias in Phocicis.

*Monachi.*

AEGIDIVS Athenienſis Græcus medicus & philoſophus, mox D. Benedicti[redacted] profeſſus, ſub Tiberio II. anno Chriſti 700. multa ſcripta poſteritati reliquit. Vt de Puſib. librum unũ. Item de Venenis unũ. Vulneratus à uenatore ſagitta, noluit uulnus ſanari, ut aſſiduis doloribus exerceretur. Bergomenſis, & Volat. lib. 21. & Vincentius lib. 23.

CONSTANTINVS Afer, patria Carthaginenſis, Babylone diſciplinis Chaldæorũ, Arabũ, Perſarũ, Aegyptiorũ & Indorũ perceptis, an. 39. peregrinationis in patriã rediit. Metuens autẽ ſuorum inſidias, in Italiã traiecit: & monachus Caſſinẽſis factus, ex diuerſis gentiũ linguis tranſtulit cõplura opera artis medicæ. Chronicon Caſſinenſe lib. 3. cap. 34.

IOANNES Damaſcenus, monachus Benedictinus, ſub Anaſtaſio II. põtifice, anno Salutis 484. in theologia & medicina quædam ſcripſit.

TRVSIANVS Florentinus, Thaddæi Florentini diſcipulus, cùm uideret infelicitatem ſuam in medica praxi, Carthuſiẽſis monachus factus, in Artem medicinalẽ Galeni pluſquã commentum edidit.

*Milites.*

MACHAON Aeſculapij filius medicus, bello Troiano militauit. Per Equum ligneũ capta urbe, in quo etiã ipſe latuerat, noctu cæſus eſt. Theſſalus in legatione.

Cùm duce Nicia & Alcibiade Athenienſes Siciliã inuaderẽt, & de medico qui exercitũ ſequeretur in cõcione diſputatio eſſet inſtituta: Hippocrates Cous filiũ ſuuũ THESSALVM priuatis ſumtib. Athenienſiũ ualetudinis curã habere, & ſimul cum illis militare uoluit. Theſſalus in legatione ſua.

PROCOPIVS Cæſarienſis, in Beliſarij caſtris medicinã exercuit, eiuſq; res geſtas contra Gothos & Vandalos ſcripſit. Sab. lib. 3. Enn. 8.

VITOLFVS quidã, Haraldi I. Danorũ regis miles, in caſtris maiore ætatis parte cõſumta, tandẽ in Helſingiæ prouinciæ ſolitudinẽ cæſo à fratre Haraldo cõceſſerat, ibiq; ruſticæ uitæ cultu cõſueta militiæ ſtudia relaxabat. Qui, quòd hoſtilib. ſæpe telis petitus fuerat, non infimã medendi peritiã aſſidua uulnerũ ſuorũ curatione cõtraxerat. Siquis operã eius blandimentis expoſceret, cũ medelæ loco lædere ſolebat: ſin uerò minis, fidelẽ operã præſtabat. Ad eũ Haldanus Ha[redacted]

M. [redacted] uidebat, & nõ modò politiæ, uerũ etiã quæ illius baſis eſt œconomiæ pernéceſſariũ, non peculiari alicui artifici, ſed unicuiq; œconomo hanc curã cõuenire aſſeruit, non minus de remediis ægrotę, quã de alimẽtis ſanæ familię proſpicere. Cæterùm multo rectiùs Ariſtoteles patrifamiliâs ne χειρουργικὴν quidem, nedum ἰατρικὴν conuenire exiſtimat exercendi, ſed exercentes tantùm hortandi & inſtruendi cauſa.

*Gymnaſtæ.*

THEON Alexandrinus ex gymnaſte per ὀψιμάθειαν medicus, rudis tamen & ineptus. Scripſit librum de Exercitationibus, cuius meminit Gal. lib. 2. & 3. de San. tuenda.

### SEXVS. HVC
*Mulieres Medicæ.*

HADINGVS Danorũ rex, cùm gigantẽ quendã Nitherorum regis Hagni filiã Regnildã ambire animaduerteret, in Noruagiã profectus, tam fœdũ regiæ uirginis amatorẽ oppreſſit. Ipſa dum gratitudinis ergò uulnerib. Hadingi medetur, crus eius anulo uulneri incluſo obſignatũ reliquit. Poſtmodũ à patre eligẽdi mariti libertate donata, inter multos procos Hadingum latentis anuli indicio deprehenſum in coniugem aſſumſit. Saxo lib. 1.

### DIGNITATIS. MEDICI
*Pontifices, Cardinales, Epiſcopi.*

PETRVS [redacted] medicina fuit doctiſſimus, ita ut Canones [redacted] blemata ſcripſerit, & Theſaurum [redacted] Viterbij periit. Platina & Tarapha de regib. Hiſpaniæ.

IOANNES Stalkoper medicus, puella ſibi deſpõſata cùm onera matrimonij anxiè perpenderet, profeſſionem canonicorum regularium ſuſcepit: inde ad epiſcopatum Raceburgenſem prouectus eſt, quòd opes ex arte acquiſitas ampliſ. Eccleſiæ relicturus uideretur. Cæterùm cùm theſaurũ ſuum amico cuidam Lubecenſi commiſiſſet cuſtodiendum, furto ablatus eſt. Cranzius lib. 12. Metrop. cap. 10.



HENRICVS Bocholt, plebeia origine, ex medicà arte multũ auri conquiſiuit. Decanus Lubecenſis eccleſiæ factus, inde etiam præpoſitus: tandem epiſcopus. Confirmatus à capitulo Bremenſi, & de eiuſdem mandato conſecratus, ſexaginta marcas perſoluit capitulo. Iam cùm in eccleſia ſua primitias perageret, ad duarum marcarum millia ſumtus fecit. Archiepiſcopus Bremenſis tum in Galliis agens, apud ſummũ pontificem Ioannem XXII. euocauit ad iudicium Henricum, quòd confirmationem non à ſe, ſed à capitulo accepiſſet. Lis in ſeptennium protenditur. Septem aureorum millia fertur impendiſſe Henricus, priuſquam efficeret, ut approbaret ſummus pontifex, quæcunq; à ſe in ſpiritualib. & temporalib. eſſent geſta, an. 1324. Eccleſiã maximis reditib. auxit, ut aurifodinas uideretur proprias habere. Sed parſimonia uectigal magnum. Cranzius lib. 9. Metrop. cap. 13.

ALBICVS medicus, Sbinconi Archiepiſcopo Pragenſi à Venceſlao Ignauo rege & Imp. ſuffectus, propter auaritiã pharmacopolis, potius quàm Pontificibus adnumerandus, clauem penoris & cellæ uinariæ penes ſe geſtabat ſemper, nec alium, quàm anũ abſtemiã, intromittebat: domi quaſi cauponam & macellũ inſtituerat, uina meraciora, piſces, aues, ferinã aliis uendens, & cum familia ſordida & pauca panẽ atrum cum ſecundana cereuiſia rodens. Palàm prædicabat, ſe multò patiẽtiùs ſerræ ſtridorem ferre poſſe, quàm equorum per noctem dentibus hordeum confringentium ſtrepitum. Proinde non minùs à ſuis, quàm ab aduerſariis Huſſitis contemnebatur. Cùm inualeſcentibus Huſſitis cerneret ſacerdotes ſuos templis expelli, metuens, ne iacturam faceret pontificatus, quem à rege emerat, Conrado Veſtuallo ſubcamerario regio illum uendidit. Dubrauius lib. 23.

LVDOVICVS Patauinus (Mediarotę cognomine, cùm à Venetis in patriciorum ordinẽ cooptatus eſſet, aſſumto: aliis Scarampa dictus, quòd Scarampam familiam hæredem fecerit) obſcuris natalibus ortus, philoſophiæ & medicinæ operam dedit in patria (Fulgoſius chirurgum fuiſſe ait) Romæ arma tractare cœpit: iiſq; breui ſic nobilitatus eſt, ut ab Eugenio IV. in Io. Vitellii locum pontificiis copiis præficeretur. Auxilio miſſus Florentinis, Nic. Piceninum Philippi Vicecomitis polemarchum ad Anglariam magno prælio uicit. Eo nomine Cardinalatus dignitatem promeruit, nutúque ſuo omnia adminiſtrauit, ipſumque pontificem popularibus ſuis planè obnoxium reddidit, ita ut ualgò Romæ circumferretur, etiam ab ipſis mulieribus, *Eia uillano. Se foſſi Padoano Sareſti papa ò caſtellano.* Patriarchatum Aquileienſem quoq; adeptus eſt. Sub Calixto III. exercitui contra Turcas præfectus, eos ad Belgradum profligauit: claſſe Rhodiis ſuppetias tulit, inſulas hoſtibus complures eripuit. Sed morte Calixti ſoluta claſſe, hoſtibus exacerbatis, Græciam in maximo diſcrimine relinquens, Romam rediit. Luxu non reges tantùm ſed & ipſum pontificem uicit. Campum Florę lapidib. ſtrauit. Baſilicam S. Laurentij ædificauit; Sabellum oppidũ monaſterio ornauit, aquæductus inſtaurauit. Romæ obiit anno 1465. Theſauros ex rapinis bellicis & nundinationibus ſacris immenſos comparauit. Supellectilem precioſiſſimam duob. familiaribus ſuis Scarampis reliquit. Paulus II. teſtamento reuocato, Scarampas carceri tantiſper addixit, donec theſauros in ſuam redegit poteſtatem, partemque iiſdem conceſſit. Prædia ſupra quinque millia iugerum Andreæ & Franciſco ab Arena dictis, huic nepoti, illi fratri, legauit: qui impiè partas opes inhoneſtiſſimè prodegerunt, adeò ut Franciſcus pronepos Patauij in xenodochio publico annis confectus miſerrimè uitam finierit. Bern. Scardeonus lib. 2. cap. 6. hiſt. Patauinæ.

*Reges, Principes, Duces.*

SISYPHVS idem eſſe ueteribus uidetur, qui & Theoſophos: ſiquidem deos in Peloponneſo Sius dicunt, & lingua Aeolica συφὸς dicitur ſapiens, communi lingua σοφός. Fuit autẽ Corinthiorum rex, & Aſopo fluuio indicauit Aeginam filiã à Ioue raptam. Iupiter iratus, mortem indici immiſit. At Siſyphus mortem robuſtis uinculis ligauit, adeò ut nemo tunc mortalium moreretur ampliùs, donec Mars mortem liberauit. Ex hac fabula uidetur Siſyphus Medicinæ ſtudioſus fuiſſe, ut uetuſti reges plerique, & peſtilentiam fortaſſis à Ioue immiſſam arte ſua curaſſe, ita ut nulli amplius mortales ea perierint, quo ad peſtem ſecuta ſunt bella. Euſtatius Iliados ζ. Fortè uerò & Aceſodyna excogitauit primus, id eſt dolorem ſedantia, ac morborum antipala, ut Græci dicunt, quia ægritudinibus obluctentur. Cælius lib. 24. cap. 35 A. L.

Scribit Plutarchus fortiſſimum heroum HERCVLEM medicinæ peritum fuiſſe. Itaq; quod apud Euripidem legitur de Alceſtide, quam, cùm mortem pro uiro ſuo Admeto obiiſſet, Hercules cum ipſa Morte luctatus, per uim ei eripuiſſe, & uiuam ad Admetum reduxiſſe narratur: ita intelligendum eſſe: cùm Alceſtis ita grauiter ægrotaret, ut depoſita iam & deſperata eſſet, ueniſſe Herculem, & medendi arte, qua excellebat, ei ualetudinem priſtinam reddidiſſe, Admeto ea in re gratificatum. Muretus libro octauo Variarum lectionum, capite 23.

Criſæi circa Delphos habitantes, ob latrocinia & templi Delphici ſpoliationem ab Amphictyonibus bello petiti obſidebantur. Cùm autem peſtilentia exercitum inuaſiſſet, uictores fore reſpondit deus, ſi in Co inſulam profecti, ἐλάφου παῖδα σὺν χρυσῷ adducerent in auxilium; Cerui filium cum Auro. Coi legatos benignè audiuerunt, cæterùm oraculi mentem non ſunt aſſecuti. Surrexit ergo NEBRVS medicus, genere Aſclepiades, is, quòd ceruorum hinnuli Νεβροὶ uocarentur, domique filium χρυσὸν haberet, oraculum ad ſe pertinere cenſuit. Itaque pentecoroto inſtructa ſuo ſumtu, Amphictyonibus ſuppetias tulit. Confeſtim autem peſtilentia remiſit, ueluti placato deo. Cumq; equus pulſato ſolo ungula aquæductum detexiſſet, Nebrus pharmacis aquã corrupit, ſic ut dyſenteria Criſæi perirẽt. Oppugnationẽ inde aggreſſi, cùm Chryſus muros primus cõſcendiſſet, urbs capta eſt. Amphictyones Apollini templum Delphicũ conſecrarunt, cum tota regione Criſæorum, & Chryſum, qui de muro deturbatus perierat, in circo equeſtri ſepelierunt, & Delphis publicè parentarunt, & Aſclepiadis in Co inſula uaticinandi primas partes, ſicuti Hieromnemonibus cæteris, conceſſerũt. Theſſalus in oratione, quam habuit in legatione ſua.

HADRIANVS Imperator, medicinæ ſtudioſiſſimus fuit, & fortaſſe plus ſatis. Proinde ſepulcro ſuo inſcribi uoluit, Turba medicorum perdidit Cæſarem.

DIONYSIVS tyrannus Siculus medicinæ nauabat operam, & ipſe curationes, ſectiones, uſtiones, & reliqua faciebat. Aelianus lib. 11. de Varia hiſtoria.

MITHRIDATES Ponti rex in reliqua ingenij magnitudine medicinæ peculiariter curioſus, & ab hominibus ſubiectis, qui fuére pars magna terrarum, ſingula exquirens, ſcrinium commentationum harum & exemplaria, effectuſque in arcanis ſuis reliquit. Cn. Pompeius eo deuicto omni regia præda potitus, trãsferre ea ſermone Latino libertum ſuum Lenæum, grammaticæ artis doctiſſimum, iuſſit: uitæque ita profuit non minus quàm reipublicæ uictoria illa. Plinius libro 25. capite 2. In ſanctuariis eius inuenit in peculiari commentario ipſius manu compoſitionem antidoti Mithridaticę dictę, è duabus nucibus ſiccis, item ficis totidem, & rutæ foliis uiginti ſimul tritis, addito ſalis grano: ei, qui hoc ieiunus ſumat, nullum uenenum nociturum illo die. Idem libro 23. capite 8. Cuius certè antidoti beneficio etiam tum, cùm à filio Pharnace obſeſſus, uenenum aſſumſiſſet, mori non potuit, ſed à milite ſe occidi curauit. Galen. in libro de uſu Theriacæ, capite 6. Oroſius libro 6. Serapion libro 7. Pract. cap. 8.

CONSTANTINVS IIII. Pogonatus, Imperator Conſtantinopolitanus, poſt deuictos Saracenos & Arabes, philoſophiæ & rhetorices ſtudia renouauit, agriculturæ compendium collegit, & medicinam ſummo ſtudio amplexus eſt.

IOSINA Scotorum rex medicos coluit, atque chirurgos, cũ quibus in Hibernia puer fuerat educatus, herbarũ uires (quibus ſolis eo temporis Scoti in morbis uulneribuſque medendis utebantur) pulcrè callens. H. Boethius lib. 2.

### LIBERTATIS. MEDICI
*Serui.*

*Medici olim Serui, unde iis à patronis imperabatur. Hinc l. 26. §. de oper. lib. Medicus libertus, quòd putaret, ſi liberti ſui medicinam non facerent (hoc eſt pharmaca pararent) multo plures imperantes ſibi habiturum, poſtulabat ut ſequerentur ſe, neque opus facerent.*

Plato in libris de Repub. alios MEDICOS facit liberos, alios ſeruos.

MEDICVS Aegyptius ocularius ad Cyrum ab Amaſi miſſus, auctor fuit Cambyſi Aegypti occupandæ. Herodotus.

DEMOCEDES, Calliphontis filius, qui fuit Aeſculapij ſacerdos Cnidi, Crotoniates, in Aegina medicinam fecit, Polycratem Sami tyrannum mercede duorum talẽtûm curauit: à rege Dario accerſitus, diu cum illo fuit. Librum ſcripſit medicum. Suidas. Herodotus in Thalia Taliphontis Crotonienſium principis medicũ fuiſſe ſcribit, à Dario rege duobus aurearum compedum paribus donatum, tacita ſeruitutis exprobratione.

Bello ciuili Domitius Corfinij à Cæſare obſeſſus, deſperata ſalute à SERVO medico uenenum popoſcit. Ille pro ueneno ſomniferum dedit: & ſic herum, qui, accepta Cæſaris erga uictos clementia, uitæ ſe cupidiſs. oſtendebat, imprudentem

tem prudens ſeruauit. Plutarchus in Cæſare.

EVDOXIVS medicus, auctor Bagaudę ſeu ſeruilis belli ſub Valentiniano III. ad Hunnos aufugit. Auentinus lib. 2. Annal. Boiorum.

## TEMPORIS.

*Sic Medici, in Veteres & Recentiores diuidi poſſunt.*

## LOCI, PATRIAE.

*Ex Catalogo Medicorũ, ſi nationẽ ſpectes, Medici in Græcos & Barbaros diſtingui poſſunt. Græci in Coos, Gnidios, Rhodios. Barbari in Aſſyrios, Aegyptios, Arabes, Thraces, & ſimiles.*

*De quibus aliquando ex profeſſo. Bern. Scardeonus lib. 2. hiſtor. Patauinæ claſſe 9. Medicos Patauinos omnium ætatum recenſet.*

Medici AEGYPTII ſecundùm receptam & traditam ab antiquis artem primo triduo mederi cogebantur. Eo ſi non caderet morbus, liberum erat medico ingenio uti, & noua remedia adhibere. Ariſt. lib. 3. Politicorum.

INDORVM medici poſſunt & fœcundos facere, & marium & feminarum procreationem per medicamenta præſtare. Medicina plurimùm per cibos perficitur, nõ autem per medicamenta. Ex medicamentis maximè unctiones probantur, & cataplaſmata: cætera maleficij non eſſe expertia iudicantur. Strabo lib. 15.

# MEDICORVM MINISTRI. HORVM ALII MEDICAMENTA

## LEGVNT, ACQVIRVNT.

ROMANI Impp. Antonini inprimis, multos herbarios in Creta aluerunt, quorum cura Romã quotannis herbæ omnis generis ad uſum medicum in uiminibus, quæ idcirco Textilia uocabant, peruèherentur. Gal. lib. 1. de Antid. cap. 2.

## PRAEPARANT. PHARMACOPOEI.

*Facere medicinam propriè Pharmacopolæ dicuntur, quorum etiam tabernæ Romæ Medicinæ (ut ex Plauto conſtat) appellabantur. Hotoman. de Verbis Iuris. Minus propriè uerò Medici medentes, medicinam dicuntur facere, uoce præparationis inſtrumentorum ad eorundẽ uſum translata. Veteres certè medici, quod ex Hip. & Galeno & Græcis poſterioribus ſatis apparet, ipſi ſuis mãibus medicamẽta componebant, & potiſſimùm, quorum ut in agendo magna erat efficacia, ſic magnam in præparando diligentiam requirebãt. Etſi enim opera hæc mechanica, & à medici dignitate aliena eſſe uidetur: at hæc ipſa ſubmiſſio & humilitas pro ſalute ægrorum ſuſcepta, Medicum neutiquam dedecet, non magis quàm urinarum inſpectio, & ſtercorum exploratio, & ſimilia alia. Peſſimè uerò illi de Rep. meriti ſunt, qui primi Pharmacopeiam à Medicina auulſere, & dum otio ſuo plus ſatis indulgent, arma medica ſeruis & miniſtris, maiorẽ quæſtus ſui quàm ſalutis ægrorum & exiſtimationis medici rationem habentibus, præparanda cuſtodiendaq́; commiſere: quorũ deinde uel auaritia uel improbitate factum eſt, ut medicamẽta nobiliſſima, quæ propter euidẽtem ſucceſſum θεῶν χεῖρας appellarunt ueteres, uel proſtituta indoctiſſ. audaciſſimisq́; Empiricis communicarentur, uel corrupta & uitiata auctoritatem ſuam amitterent.*

De ARISTOTELE Epicurus hæc dixit, in Epiſtola de ſtudiis, quòd patrimonio abſumto ad militiam acceſſerit, poſtea ad uendenda pharmaca conuerſus ſit, hinc ad philoſophiã. Hæc ſolus Epicurus contra ipſum dicere auſus eſt, quæ neque Eubulides, nec Cephiſodorus auſi ſunt, quamuis commentaria contra eum ediderint. Athen. lib. 8. cap. 8.

PHILON Tarſenſis medicus, quũ medicamẽta quędã ad medendi uſum exquiſitiſſima cõcinnaret, & regias quaſdã Alexipharmacas poteſtates, eas Deorũ manus appellabat, ueluti diuinas & ſalutares. Cælius lib. 16. cap. 10. ex Galeno.

# MEDICI VETERINARII.

CHIRON Saturni F. primus artem medendi herbariam inuenit: & Veterinarium opus conſcripſit. Qua de cauſa Centaurus appellatus eſt. Suidas.

ASTRAMPSYCHVS ueterinarius, librum medicum de aſinorum curatione ſcripſit, & ſomniorum interpretationem. Suidas.

In mulomedicum quendam SOSANDRVM extat carmen in quarto Epigrammatum, ex nominum etymo captato ioco, cùm Hippocrates Equorum domitorẽ, Soſander Virorum conſeruatorem ſignificet:

> Ἱππῆς μερόπων ἱπποκράτης, ἀλλὰ καὶ ἵππων
> Σώσανδρε, κρυφίης ἴσθ' ἀκεσορίης·
> ἢ τέχνην μετάμειψον, ἢ οὔνομα. μὴ δὲ καλείσθω
> ἄπειρος ἐν τέχνης, ἧς ἕτερος κρατέει.

ABSYRTVS, Pruſaenſis & Nicomedienſis miles, qui ſub Imperat. Conſtantino in Scythia iuxta Iſtrum militauit, Medicinam equorum ſcripſit, & phyſicum librum de Veterinis. Scripſit & CIMON Athenienſis præclarum librum de Inſpectione equorum. Suidas.

ANDRODVS ſeruus à domino ſuo in deſertum Africæ fugiens, in antrum quoddam ſe abdidit. In quod cùm paulo pòſt leo pede ſaucius ueniſſet uoce querula, ille conſpicatus in pede leonis confixam grandem ſpinam, qua ratione potuit, euulſit. Ob quod beneficium per triennium integrum etiam à leone Androdus in deſerto alitus fuit, meliori ſemper prædæ parte illi à leone impertita. Longóque poſt tempore, cùm Androdus dãnatus eſſet, ut in theatro cum leone dimicaret, fortè huic eidem leoni expoſitus fuit, qui non tantùm nihil ſæui in eum molitus fuit: ſed & ueteris conſuetudinis & beneficij memor, ei blanditus pepercit. Gellius ex Appione Polyhiſtore.

HEROPHILVS ueterinarius, ſe C. Marij F. fingẽs, ita ſe extulit, ut eũ coloniæ ueteranorũ cõplures & municipia ſplendida collegiaque ferè omnia adoptarent. At poſtea Cæſaris uiribus urbe pulſus fuit, & cùm Cæſare interfecto, reuerſus in urbem, Senatus interficiendi conſilium cepiſſet, iuſſu patrum in carcere necatus fuit. Valerius Maximus libro nono, capite decimoſexto.

# MEDICA EXERCITATIO BONA.

## MEDICAMENTA INVENIENDO, DOCENDO.

AESCHINES Athenienſis ex crematorum hominum cinere anginis medebatur & tonſillis, uuiſq́;, & carcinomatis. Hoc medicamentum uocabat Botryon. Plin. lib. 28. cap. 4.

CHERIAS Athenienſis apud Plinium teſtis eſt, radicem cardui ex aqua decocta potatoribus ſitim facere, ſtomachum corroborare: & uuluis aliquid conferre, ut mares gignãtur.

CHRYSERMVS bulbi radice in uino decocta parotidas curabat.

LYCVS Neapolitanus atriplicem contra cantharidas bibendam cenſet, apud Plinium cap. 20. lib. 20.

ARTEMON caluam interfecti, igneq́; cremati, propinauit aqua è fonte, noctu, comitialibus morbis, Plin. cap. 1. lib. 28.

CLEOPHANTVS Aſclepiade prior fuit, teſte Plinio, & Celſo lib. 3. cap. 14. Hic uini rationem illuſtrauit, & ſemen paſtinacæ erraticæ dyſentericis prodeſſe docuit.

CASTOR medicus docuit Piperitim herbam (quam alij Siliquaſtrum uocant) bibi contra morbos comitiales. Plinius lib. 20. Idem ſcripſit, ſuccum radicis ferularum, oculorum claritati multum conferre.

AESCHRION Pergamenus Empiricus, præceptor Galeni, ex fluuiatilium cancrorum cinere medicamentum iis, qui à cane rabido morſi eſsẽt, parabat. Gal. lib. III. de ſimp. med.

MITHRIDATES Ponti rex, ſumma diligẽtia ab hominibus ſibi ſubiectis herbarum uires perquiſiuit, & in ſcriniis ſuis recondidit. Quibus potitus Cn. Pompeius Magnus, experimenta ea Pompeio Lenæo liberto ſuo, grammatico doctiſſimo, in Latinam linguam transferenda dedit. Plin. lib. 25. cap. 2. & Gell. lib. 17. cap. 16.

## COGNOSCENDO, PRAEDICENDO.

ACHILLES à Chirone educatus, in arte etiam medica inſtitutus, ab Homero Iliados α introducitur primus de peſtilẽtiæ, quæ Græcos affligebat, cauſis diſputans, & non naturalem, ſed diuinam cauſam eſſe aſſerens, quæ nullis remediis, ſed pace tãtùm Apollinis implorata mitigari poſſet. τῷ δ' ἐπὶ φρεσὶ θῆκε θεὰ λευκώλενος Ἥρη, hoc eſt, ex ipſius aeris cõſtitutione & ſolis pallore hoc cognouerat. Euſtathius.

PHILOTIMVS medicus, cùm quidam ſuppuratus peteret, ut medicinã ſibi aduerſus reduuiã faceret: aduertẽs ex colore & ſpiratione eius ualetudinẽ: Non laboras, bone uir, inquit, reduuia. Plut. de Audiendo, & de Dignoſ. adul.





Pauſanias apud Aeginenſes Achaiæ ſcribit, templum eſſe Cereris, ac fontem proximum, in quem AEGRI poſt peracta ſacra deſpectãtes, morbi ualetudinisq́; exitum uident. Lud. Viues in lib. 7. Auguſt. de Ciuit. Dei, c. 35.

Dione obſidente Dionyſium in arce Syracuſana, Soſis quidã, ut odium conflaret apud Syracuſanos Dioni, nouacula ſeipſum capite læſit, poſteà procurrens in forum exclamauit, iniuriam iſtam ſibi à Dionis ſeruis illatã, quòd pridie quædam liberiùs in eum protuliſſet. Cæterùm rẽ penitius indagantibus Syracuſanis, MEDICI uulnus inſpexerunt, & doſum deprehenderunt. quippe inflicta gladio uulnera ſemper ſunt in medio profundiora: at Soſidis erat undequaq; exile uulnus, & multa habebat initia: quòd per dolorem, ut uidetur, remiſiſſet plagam, mox iterum repetiſſet. Huic acceſſit, quòd nouacula in concionẽ allata fuit à familiaribus, qua ſeipſum uulnerauerat. Preſſus etiam teſtimonio ſeruorum, qui eum multa nocte dicebant egreſſum domum nouaculã manu tenentem, à populo rei capitalis damnatus fuit. Plutarchus in Dione.

ERASISTRATVS medicus, Antiocho rege ægro, manu cordi admota, ex palpitatione, quoties Stratonicen nouercam fortuitò prætereuntẽ uideret, amorẽ deprehendit. Suidas.

LVPVS Macedo, ueluti oracula ex adytis proferre uidebatur, eaque grauitate omnibus ſe admirabilem faciebat. Gal. primo de Facult. nat.

Facilius in ſeruis, quàm in liberis tollitur hydrops: quia quum deſideret famem, ſitim, mille alia tædia, longamque patientiam, promtius ijs ſuccurritur, qui facilè coguntur, quàm quibus inutilis libertas eſt. Sed ne ij quidem, qui ſub alio ſunt, ſi ex toto ſibi temperare non poſſunt, ad ſalutem perducuntur. Ideoq́; non ignobilis medicus Chryſippi DISCIPVLVS, apud Antigonum regem, amicum quendam eius, notæ intemperantiæ, mediocriter, eo morbo implicitũ, negauit poſſe ſanari. Quumq́; alter medicus Epirotes PHILIPPVS eũ ſe ſanaturũ polliceretur, reſpõdit, Illũ ad morbum ægri reſpicere, ſe ad animum. Neq; eum res fefellit. Ille enim quum ſumma diligẽtia non medici tantummodo, ſed etiam regis cuſtodiretur, tamen malagmata ſua deuorando, bibendoq́; ſuam urinam, in exitium ſe præcipitauit. Inter initia tamen non difficillima curatio eſt, ſi imperata ſunt corpori, quies, ſitis, inedia: at ſi malum inueterauerit, non ſine magna moleſtia diſcutitur. Metrodorum tamen Epicuri diſcipulum referunt, quum hoc morbo tentaretur, neque æquo animo ferret neceſſariam ſitim, ubi diu abſtinuerat, bibere ſolitum, deinde euomere. Corn. Celſus libro 3. de Re medica, cap. 21.

GALENVS prima ſtatim uiſitatione, omnia febrium genera (quotidianã, tertianam, quartanam, ſemitertianã, cauſum) mirè diſcernebat: ſicut & alios affectus plerunq; primo die: ſic & hecticam febrim incipientem unà cum putrida agnouit: & aliquando ex ſolo colore locum in uiſceribus affectũ deprehendit. Deniq; ſemper ſummo ſtudio in curando ſimul & præſagiendo ſe exercuit: tantumque profecit, ut aliqui eum uatem eſſe dicerent, tanquam diuinatrice arte, non medicinæ ſcientia, futura prædiceret. Boëthi uiri conſularis & philoſophi Rom. filius Cyrillus puer etiamnum à morbo conualeſcens, recidiuam paſſus erat: deinde ſoluta febri denuò febriebat. Galenus ad eum uocatus, cùm ex pulſu febrẽ abeſſe, commotionem tamen & grauedinem, nullo præcedente motu, adeſſe deprehẽderet, pronunciauit puerũ clàm aliquid comedere. Negantibus uerò & matre & aſtantibus, Boëthus excuti iuſſit lectulum, totumque adeò cubile. Tandem ex uelo muliebri, quod ſellæ impoſitum iacebat, commoto, panis fruſtum excidit, & pręcognitionem Galeni admirabilem fecit Boëtho cæteriſque. Romæ ad Iuſti uxorem uocatus, quæ abſque manifeſta occaſione conſumebatur, ex pulſu (qui ſubitò ad nomen eius quem amabat auditum uariis modis agitabatur, & ſubſultabat, quod & aliàs perturbati animi indicium eſt, & uultus ac faciei color ad eiuſdem nomen immutabatur) eam non modò amare, ſed quẽ deperiret etiam, miro quodam artificio deprehendit. Pari induſtria diuitis cuiuſdam Procuratorem nõ ex morbo, ſed metu, quòd rationem reddere non poſſet, contabeſcere agnouit. Ad Siculum medicum ægrotantem à Glaucone philoſopho deductus, qui ſuum ipſe morbum ignorabat, hepaticum eſſe deprehendit, his argumentis. In primo ſtatim aditu obuiam uenit quidam, peluim è cubiculo efferens, quæ tenuem cruoris ſaniem continebat, carnium nuper mactatarum ablutione haud abſimilem, euidens affecti iecinoris argumentum. In pulſu uerò inflammationis indicium: & iuxta feneſtram hyſſopum ex aqua mulſa decoctũ animaduertit: unde cogitauit medico pleuritidis ſuſpicionem obortam, dolore uidelicet nothas coſtas infeſtante, qualis iecinoris quoq; inflammationibus accidere quandoq; conſueuit. Erat autem & reſpiratio parua crebraq́;, & exigua tuſſi infeſtabatur: ubi uerò magnam reſpirationẽ traheret, dolor in iecoris regione uehementiùs cruciabat, ſentiebatq́; in dextro hypochondrio grauitatem, & iuguli ad inferiora detractionem: quæ quidem omnia Galenus per ſe & obſeruauit & prædixit, magna Glauconis & ægri admiratione. Sextus Imperatoris M. Antonini filius, in morbum inciderat acutũ, adeò ut ſeptimum diem euadere non poſſet, quin iudicaretur. Id euenturum quarto die Galenus cognouit, prædixitq́; ſeptimo uel ſexto die prorſus iudicatum iri: quòd ſi ſexto iudicaretur, reuerſurum: ſin ſeptimo, integram tum ſolutionẽ fore, eamq́; per ſudorem. Aduenit autem iudicatio die ſexto: & quanquam poſt id tempus ipſe Sextus, ut Galeni prædictionem redargueret, & febris non rediret, exquiſita uictus ratione uteretur, die tertiodecimo tamen iterum febrire cepit. Cùm rurſum uocatus Galenus, poſt tres dies eã febrim, quæ ſatis magna iterum eſſet futura, deſiturã, atq; ſeptimodecimo die à primo decubitu iudicationem facturã, prædixit: & rurſus die quintodecimo ſententiam ſuam rogatus, in eadem permanere ſe reſpondit: hoc etiam addens, ſeptimodecimo die aduemente ſudorem hora ſecunda noctis erumpere incepturum. Cùm reuerſus ex bello Germanico M. Antoninus Imp. crederet ſe aliquandò febrire, nec minus medici, qui peregrinationis eius comites fuerãt: Galenus iuſſus arteriam contingere, dixit ſe febrim nullã percipere, ſed potius à cibo aſſumto & æſtuante, eius uentriculum opprimi. Id quod mox Imperator ipſe, ter ita rem ſe habere repetens, confirmauit: ſentire enim ſe cibo frigido grauari. Ventriculum igitur fouens nardino unguento purpurea lanea excepto, calido, bibensq́; Sabinum uinum cum pipere, quemadmodum Galenus ſuaſerat, minimo negotio fuit reſtitutus: unde Galenum poſtea magnoperè cõmendare non deſiſtebat, eum Medicum præſtantiſſimum eſſe, ac tũ uirum ingenuum, tum ſummum philoſophum prædicans. Com. de Procoghit. ad Poſthumum teſtis ipſemet.

Rex ARACAM ſic experitur uxoris futuræ temperamentum: Duodecim uirgines lectas, annos totidem natas, quot illæ ſunt, lotas goſſypino indui iubet panno. Tum ad meridiem uſq; ſub ſole morari in ſumma ædium area incruſtata. Vbi deſudarunt (quod cùm facilè, tum uehementer fit) odor cuiuſq; indumenti exploratur. Quarum malè olet, ſuis eas nuptui dat: beneolentium ſibi retinet. Ne fallatur: patris ac matris nomen ueſtibus inſcribitur. Iul. Cæſar Scaliger de Subtilitate, Exercitatione 189.

IOANNINVS Sanguinacius, medicus Patauinus, doctrina & experiẽtia medendi cunctos medicos longè excelluit, ut nec inſpecta urina, nec exploratis priùs brachiorũ arteriis, ex ſolo aſpectu uultus, & genus & tempus & paroxyſmum morborum diuinaret. Petro Aponenſi æqualis, & eiuſdem ferè fati. Etenim hæreſeos ac magiæ à Franciſcanis monachis accuſatus, Romamq́; ad cauſam dicẽdam pertractus, cùm ſe purgare ſufficienter non ualeret, in Melitam inſulam, in exilium perpetuum relegatus eſt. Bern. Scardeonus libro ſecundo, claſſe 8. hiſt. Pat.

## MEDENDO, CVRANDO.

*Conſule Tit. Morborum curatorum. illic Sanitatis reſtitutæ ratio habetur, heic uerò Artis.*

ACHILLES Chironis diſcipulus, Telephum regem Myſorũ, haſtæ, qua uulnerauerat illum, ærugine, oraculi iuſſu, ſanauit. Euſtath. Iliad. α. & Strabo lib. 1.

De AESCVLAPIO, qui artem à Magnete, ſiue Chirone Centauro didicerat, ſic ſcribit Pindarus ode 3. Pythiorum:

> τοὺς μὲν ὤν, ὅσσοι μόλον, αὐτοφύτων
> ἑλκέων ξυνάονες, ἢ πολιῷ
> χαλκῷ μέλη τετρωμένοι,
> ἢ χερμάδι τηλεβόλῳ,
> ἢ θερινῷ πυρὶ περ-
> θόμενοι δέμας, ἢ
> χειμῶνι, λύσαις ἄλλον ἀλ-
> λοίων ἀχέων
> ἐξᾶγεν· τοὺς μὲν μαλακαῖς
> ἐπαοιδαῖς ἀμφέπων,
> τοὺς δὲ προσανέα πί-
> νοντας, ἢ γυίοις περάπτων πάντοθεν
> φάρμακα, τοὺς δὲ τομαῖς ἔστασεν ὀρθούς.

Quotquot uenerunt ſuapte ſponte ſubnatis ulceribus infecti, aut fulgido ære membra uulnerati, aut lapide eminus acto, aut æſtiuo igni perditi corpus, aut frigore, liberãdo alium ex aliis mœroribus eduxit: hos quidem, mollibus incantationibus medicinam adhibens: illos autem manſuetas & lenes (potiones) bibentes, aut membris adiungens undique pharmaca, alios quoque ſectionibus ſanitati reſtituit. Eum proinde Homerus in hymnis, χάρμα μέγ' ἀνθρώποισι κακῶν θελκτῆρ' ὀδυνάων, uocat.

Alceſtim perhibent ab HERCVLE, artis medicæ perito, cùm illa deplorata ualetudine eſſet, quò gratificaretur Admeto, fuiſſe conſeruatam, qui eam mulierem amabat, & amaſius

fuerat huius. Itaque Apollinem fabulantur Mercede Admeto magnum ſeruiſſe per annum. Plut. Sermone amatorio.

AEGYPTII medici ægros ſecundùm legẽ curãt, ab antiquis medicis comprobatisq́; ſcriptoribus traditam. Si quis normam ſacri libri ſecutus, infirmum ſanare nequiuerit, omni caret crimine. Si præter ea, quæ libris continentur, illum curauerit, morte punitur. Credidit enim legiſlator, ea medendi cura, quæ plurimo tempore ab optimis medicis obſeruata profectaq́; ſit, haud facilè meliorem reperiri poſſe. Diod. lib. 1. cap. 6. Ariſt. in 3. Polit. primo triduo ſecundùm normã curare ſolitos ſcribit. Eo exacto, licuiſſe liberè unumquenque ſuo iudicio & experimento niti.

HIPPOCRATES medicus in magna peſtilentia, non unum ęgrum, ſed multa oppida, ſcientia ſeruauit. Varro lib. 1. c. 4.

ACRONEM Agrigẽtinum ferunt medicum, Athenis ſub magnam peſtilentiam, quòd accendi apud ægrotos ignẽ præſcripſiſſet, inclaruiſſe. Plut. de Iſide.

PHOCVS Ornytionis F. Siſyphi nepos, Antiopen Lyci uxorẽ, mente captam, inſaniæ morbo liberauit, & uxorem duxit. Pauſanias in Bœoticis.

ERIBOTES, Teleontis filius, Oilei uulnus à Stymphalidibus illatum ſanauit. Orpheus in Argonauticis.

Darius rex in uenatu cùm ex equo deſiluiſſet, grauiter diſtorſit pedem, ut talus è iuncturis emoueretur. Itaque medicos Aegyptios, quos ſe præſtantiſſimos habere ſecum putabat, adhibuit. Qui cùm pedem torquerent, malum exaſperabãt. Die demùm octauo, regi pręſtantia DEMOCEDIS Crotoniatę Sardibus captiui medici indicatur. Adductum Darius rogat, utrùm artem noſſet? Negat ille: ueritus, ne prorſus Græcia ſibi carendum eſſet. Verùm cùm Darius flagra & ſtimulos proferri iuſſiſſet; ſe quidem nõ accuratè ſcire artem, ſed medici uſum conſuetudine, medicinam utcunque tenere dixit. Pòſt, permiſſu regis Græcè locutus, remediis efficacibus adhibitis, & ſomnum ei conciliauit, & ſanitatem breui tempore reſtituit, deſperanti iam pedis integritatem. Idẽ Atoſſam Cyri filiam, Darij uxorem ulcus in mamma habentem curauit: obteſtatus, ut ſibi uiciſſim operam nauaret in eo, quod peteret. Petiit autem reditum in Græciam. Suidas ex libro 3. Herodoti.

CRITOBVLO medico ſingularem peperit laudem ſagitta ex oculo Philippi Macedonis, citra oris deformitatem, euulſa. De quo abundè Curtius meminit lib. 8. de geſtis Alexandri. Plin. lib. 7. cap. 37.

M. VARRO, cùm Corcyræ eſſet exercitus ac claſſis, & omnes domus repletæ eſſent ægrotis ac funeribus, immiſſo feneſtris nouis Aquilone, & obſtructis peſtilentibus, ianuaque permutata, cæteraq́; eius generis diligentia, ſuos comites ac familiam incolumes reduxit. Varro lib. 3. c. 4.

CASSIVS ingenioſiſſimus ſeculi ſui medicus, febricitanti cuidam, & magna ſiti affecto, quum poſt ebrietatẽ eum premi cepiſſe cognoſceret, aquam frigidam ingeſſit. Qua ille epota, cùm uini uim miſcendo fregiſſet, protinus febrem ſomno & ſudore diſcuſſit. Celſus lib. 2. de Re medica.

DAMOCRITVS in ualetudine Conſidiæ, M. Seruilij conſularis filiæ, omnem curationem auſteram recuſantis, diu efficaciter uſus eſt lacte caprarum, quas lentiſco paſcebat. Plin. libro uigeſimo quarto, capite 7.

GALENVS, cùm uulnerum neruorum curationem primùm excogitaſſet, uiſum eſt Pergameno pontifici, gladiatorum curationem ei ſoli committere, quãuis iuueni adhuc. Cùm autem prioribus medicis multi antea periiſſent, illi ne unus quidem, ſiue è neruorum, ſiue uulnere alio mortuus unquã eſt. Itaque ſuccedentes etiam aliquot pontifices, gladiatores curandos illi tradiderunt. Idem Romæ Eudemum Peripateticum, laborantem quartana triplici, ob intempeſtiuè adminiſtratam theriacam, (unde febris ſimplex primùm duplicata eſt, deinde etiam triplicata) iam ingraueſcentem ætate, ac media hyeme deſperatum à cæteris, tempeſtiuo uſu eiuſdem antidoti adhibito, reſtituit: prædixitque euentura omnia, quo ſcilicet die quæq́; è tribus febribus abitura eſſet, criſis tempus & modum, morbique ſolutionem: id quod, nomen illius exiſtimationemq́; per totam urbem, plurimùm auxit. Gal. de præcognit. ad Poſthumum cap. 2. Iuueni, ſtatim primo die, quo fuit accerſitus, prædixit, quartanæ febris inſultum eſſe: & in curationem ſuſceptum perſanauit, morbi ſolutionem præfatus. Accitus itidem à Poſthumo, familiarem Charilampi cubicularij, neruo uulnerato laborantem, curauit: quem nemo medicorum, qui Imperatoris aulam frequentabant, ad ſanitatem reuocare potuerat. Poſt hunc, Demadem rhetorem: cuius morbũ celebres quique aulæ medici ne cognouerant quidem.

BRANCA Siculus Cataneus chirurgus ac phyſicus eximius, ſuo ingenio & arte aures, naſos, & labra, quibus cæſa fuerant, inſtaurabat. Huius diſcipulus fuit BALTHASAR Pauonus Siculus. Gilb. Cogn. lib. 3. Narrat.

SCIPIO Lancelotus medicus, Pontificem Iulium II. anguſti ſpiritus doloribus ita oppreſſum, ut per aliquot horas pro mortuo haberetur, ſtomachi uitio proſtratum, & alimenta repudiantem, oblato perſico pomo, ad certam uitæ ſpem feliciter erexit. Iouius in Pompeio Columna.

Eſt Magnetis genus quoddam, quo illita acus uel enſis, citra omnem dolorem uulnus facit. Eius rei periculum in ſeipſo ſe feciſſe Cardanus teſtatur lib. 7. de Subtilitate. Addit & illud, ALEXANDRVM quendam Veronenſem circumforaneum, pueros ſeruosq́; ſuos abſque ſenſu, gladiis hoc lapide perfrictis uulneratos noctu, mox coram populo oleo oliuarum, cui ſarcocollam permiſcuerat, uel thus uel aloen, ne ſimplex oleum eſſe uideretur, infuſo, maximum feciſſe quæſtum, quòd plebs oleo tantas ineſſe uires crederet: cùm id tamen ex natura uulneris eſſet, quod hac ratione inflictum per ſe etiam coit, oleo nihil uel parum conferente.

ALOYSIVS Bellocattus Brixienſis, experientia & felicitate in medendo ſingulari, cùm anno ſalutis 1557. menſe Auguſto Patauij ex duplici tertiana grauiter decumberem, neque Baſſianus Landus, præceptor noſter, uinum permittere uellet, cuius ſummo deſiderio modò non exanimabar: per iocum quidem, ut homini Germano gratificaretur, reuera autem Hip. conſilium ſecutus, qui ξυνεσταλμένην διαίτην κάμνοντος χρονίην ἐπιθυμίην αὐξάνειν, plúſque adeò periculi ex animi turbatione uehementi, quàm ex corporis inflammatione incommodi impendere aſſerit, uinum album, tenue, dilutiſſimum conceſſit. Cuius uſu uires mirificè recreatæ, ad febris profligationem maiore conatu feliciter inſurrexere.

## MEDICA EXERCITATIO MALA, INEPTA, INFELIX.

*Medicos malos hîc eos intelligimus, non qui ἠθικῶς mali ſunt atque perfidi, ægros data opera ſuis necantes pharmacis, quorum exempla ad Titulum Veneficorum pertinent: ſed θεωρικῶς, hoc eſt, qui propter artis imperitiam, uel ſaltem ineptiam in adhibendis quantumuis oportunis remediis peccant, modò cum periculo, modò abſque periculo ægrorum. De quibus ſic Plinius libro 29. capite 1. In hac ſola artium euenit, ut cuicunque medicum ſe profitenti, ſtatim credatur: cùm ſit periculum in nullo mendacio maius, non tamen illud intuemur: adeò blanda eſt ſperandi pro ſe cuique dulcedo. Nulla præterea lex, quæ puniat inſcitiam capitalem: nullum exemplum uindictæ. Diſcunt periculis noſtris, & experimenta per mortes agunt: medicoq́; tantùm, hominem occidiſſe, ſumma impunitas eſt. Hæc ille. Quæ quidem ſi de indoctis dicuntur, ut ueriſſima ſunt, ita ſummam magiſtratus ſocordiam & negligentiam arguunt, qui cùm temeritatem improborum coercere poſſet, impunè eos in capita hominum graſſari ſinit, hoc ſolo titulo munitos, quòd medici ſint. quaſi uerò ſola profeſſio medicum faciat, & non operatio ipſa. Si uerò de omnibus medicis, etiam de doctis probisq́; intelligantur, ut falſiſſima ſunt (neque enim bonus medicus unquam hominem occidet, uti nec bonus princeps Rempublicam damno unquam afficiet) ita medicorum probitatem magis commendant, quibus cùm uitæ necisq́; hominum libera poteſtas data ſit, malint tamen plurimos ſeruare, quàm uel precio uel odio inducti, ægros è medio tollere.*

### COGNOSCENDO, PRAEDICENDO.

In SOCLEM medicum Nicarchus in 2. Epigram.

Ὀρθώσειν τὸν κυρτὸν ὑποσχόμενος Διόδωρον
Σωκλῆς, τετραπέδους τρεῖς ἀπέθηκε λίθους
τοῦ κυρτοῦ στιβαροὺς ἐπὶ τὴν ῥάχιν. ἀλλὰ πιεσθεὶς
τέθνηκεν, γέγονεν δ᾽ ὀρθότερος κανόνος.

EVNOMVS medicus in prognoſtico ineptus, ab Auſonio ſic celebratur:

Languentem è populo moriturum dixerat ægrum
Eunomus: euaſit fati ope, non medici.
Paulo pòſt ipſum uidet, aut uidiſſe putauit
Pallentem, & multa mortis in effigie:

Quis tu?



Quis tu? Caius, ait. Viuiſne? Hoc abnuit. At quid
Nunc agis hîc? Iuſſu Ditis, ait, uenio,
Vt quia notitiam rerumq́; hominumq́; tenerem,
Acciperem medicos. Eunomus obriguit.
Tũ Caius, Metuas nihil, Eunome. Dixi ego, & omnes,
Nullum, qui ſaperet, dicere te medicum.

IOSEPHVS medicus Hebræus Baſilio Magno ægrotanti eo die mortem pręedixerat. Cui Baſilius: Quid ſi & alterum diẽ ſuperuixero? Se ille tunc Chriſtianum fore, ſi id contigiſſet, reſpondit. Igitur Baſilius, ſalutis proximi cupidus, orando à Domino impetrauit exitus dilationem. maneq́; hora tertia ſanus de lectulo conſurgens, ad eccleſiam uenit, ac Iudæum tanto miraculo ſtupentẽ baptizauit: quem ſæpe antea teſtimoniis conuictum Scripturarum flectere nequiuerat. Marul. lib 2. cap. 7.

Medicus indoctus, cùm infirmos adhibito diſcipulo uiſitaret, tangens (ut moris eſt) pulſum, ſi quem contractiorem ſolito ſenſiſſet, culpam in ægrotum conferebat, aſſerens eum quid à ſe prohibitum comediſſe. Quod cùm ſæpiſſimè faterentur ægri, DISCIPVLVS rogauit medicum, quónã modo hoc deprehenderet? Tum ille, Cùm peruenio in cubiculum ægroti, ait, circumſpicio inprimis diligenter, ſi quid reliquiarum in pauimento ſuperſit, ueluti ſi caſtaneæ aut ficus corticem, uel nucis teſtam, aut pomorum fruſta, aut aliud quippiam uiderim, conictor infirmum tale quid comediſſe. Haud multo pòſt diſcipulus & ipſe quoq́; cura medendi ſuſcepta, ſæpius eodem modo ægros accuſabat. Ad ruſticum hominem acceſſit, cui cùm ualetudinem priſtinã ſe eueſtigiò reſtituturum promiſiſſet, & reuerſus grauiùs laborantem uideret, cauſam neſciens, cùm huc atque illuc flexiſſet oculos, nullasq́; reliquias uidiſſet, ęſtuans animo, tandem ſub lectulo aſelli clitellas conſpexit. Tum clamare cœpit eueſtigiò, tandem ſe percipere, cur deteriùs haberet, & mirari illum minimè mortuum eſſe: aſinum quippe ægrum deuoraſſe, relictis clitellis. In ſtultitia ſua deprehenſus homo ridiculus, multis riſum excitauit. Poggius in Facetiis.

ZERBVS, medicus Italus, quum accitus grandi pecunia penetraſſet ad Triballos, ut Scanderbaſſam, recenti & luctuoſa in Euganeos irruptione clariſſimum, intercutis morbo liberaret: nec demùm, quod inflatè promiſerat, morienti præſtaret: à Barbari ſeruis interfectus eſt. Scilicet ut qui malè ſecando cadauera multos diſcipulorum ſeduxerat, ipſe uiuus ſecaretur, & ignorantiæ ſimul ac auaritiæ ſuæ pœnas lueret. Iouius in elogio Turriani.

[redacted]

PETRVS Leonius in prædicendo ex aſtris falſus. Vide Titulũ Aſtrologorum.

In MEDICVM quendam ſic ludit Henricus Stephanus:

Quum iudicaſſet Medicus ægrotum ſuum
Eſſe moriturum poſt duos aut tres dies,
Obiuit ipſe mortem poſt dies duos,
At æger hoſce conualeſcit poſt dies.
Vt mortis huius nuncium quidam audiit,
Et meritò, ait: [redacted]

Indorũ MEDICI herbæ cuiuſdam fumo inebriati, ſiue ſenſus impotes facti, mille de Deorum conſilio nugas referunt, & tum ter quaterue corpus ægri uoluunt, manibusq́; fricant. Os interim ore tenent, quod muliercula, tanquam reliquias, conſeruat. Interrogati de morbo, læta reſpondent omnia. Si ſecus euenit, in promtu eſt excuſatio, lethalem fuiſſe. Conſuetos hoſce ritus neglexiſſe, capitale. Apud nonnullos iidem ſunt medici, qui ſacerdotes. Io. Metellus.

### MEDENDO.

Ad Troiana uſque tempora perexigua fuit medicorum peritia, quando uel Aeſculapij filij, PODALIRIVS & MACHAON, Eurypylo uulnerato farinam & tritum caſeũ mulierem commiſcentem, potumqúe præbentem cum uino Pramnio, non reprehendũt, ut ait Plato in tertio de Repub. cùm illa omnia maximè inflammare uulnus, at non ſedare dolores poſſent. Natalis Comes Mythol. lib. 4. cap. 11. Cæterùm Plut. in Homero factum excuſat, quòd in heroico corpore, robuſto & ualido, nullis prauis humoribus infecto, nullum inflammationis periculum foret.

Diogenes uidens QVENDAM medendi artem iam profitentem, qui priùs fuerat palæſtrites, ſed ignauus: dixit illi, An eos, qui te hactenus deiecerunt, nunc uiciſſim deiicies? Deiicit luctator, quem ſuperat: & deiicit medicus, quos in lectum coniicit, aut etiam in ſepulcrum. Senſit autem Diogenes, illum tam malum eſſe medicum, quàm fuerat ignauus palæſtrites. Similis iocus eſt apud Martialem, de eo, qui ex medico factus hoplomachus, non aliud faceret hoplomachus, quàm quod fecerat medicus. Laert. lib. 6.

ACESIAS quidam medicus imperitus, cuidam pedum dolore laboranti mederi uolens, auxit dolorem. Itaque in prouerb. abiit, Ἀκεσίας ἰάσατο, Aceſias medicatus eſt, de re, quæ ſemper uergit in deterius, quoq́; magis curatur, hoc peiùs habet. Ex Diogeniano Eraſmus.

Nicocles, quum malus QVIDAM medicus diceret, ſe magnã habere poteſtatẽ: Quid ni, inquit, iſta dicere liceat, qui tam multos impunè ſuſtuleris? Maximus Serm. 50.

Stratonicus ad MEDICVM quendam dixiſſe fertur: Laudo tuam experientiam, quia non ſinis infirmos computreſcere, ſed ſtatim eos liberas. Antonius in Meliſſa, par. 1. Ser. 56. Sed hoc Nicocli adſcribit Maxim. Serm. 50.

Hadrianus Imperator moriens, dixit illud uulgatum: Turba MEDICORVM Cęſarem perdidit. Arbitror illum huc detorſiſſe Græcum prouerbium, πολλοὶ στρατηγοὶ Καρίαν ἀπώλεσαν, πολλοὶ δ᾽ ἰατροὶ τὸν βασιλῆ᾽ ἀπώλεσαν. Dion Caſſius.

MANES hæreticus, filium regis Perſarum ęgrotũ, curaturum pollicitus, magica arte malè ſuccedente, pharmaco interfecit. Igitur uiuus arundine excoriatus eſt.

In PHIDONEM Nicarchus:

Οὔτ᾽ ἔκλυσεν Φείδων μ᾽, οὔθ᾽ ἥψατο· ἀλλὰ πυρέξας
ἐμνήσθην αὐτοῦ τοὔνομα, κἀπέθανον.

In Græcis epigrammatis de NICETA hæc ſcribuntur:

Νικήτης ᾄδων τῶν ᾠδῶν ἐστιν Ἀπόλλων,
αὖ δ᾽ ἰατρεύει τῶν θεραπευομένων.

Apollo ἀπὸ τοῦ ἀπολλύειν nomen trahit. Hinc occaſione homonymiæ non excellentia in canendo & medẽdo, ſed pernicioſa taxatur ignorantia.

In DIONEM medicum imperitum ſic ludit Lucillius in ſecundo Epigrammatum:

Πρὶν σ᾽ ἐναλείψασθαι, Δημόστρατε, χαῖρ᾽ ἱερὸν φῶς,
εἶπε τάλαν· οὕτως εὔχρηστός ἐστι Δίων.
οὐ μόνον ἐκτύφλωσεν Ὀλυμπικὸν, ἀλλὰ δ᾽ αὐτοῦ
εἰκόνος ἧς εἶχεν τὰ βλέφαρ᾽ ἐξέβαλεν.

In AGELAVM Nicarchus ſecundo Epigrammatum:

Χειρουργῶν ἔσφαξεν Ἀκεστορίδην Ἀγέλαος·
ζῆν γὰρ χωλεύειν, φησίν, ἔμελλε τάλας.

In ALEXIM Nicarchus:

Πέντ᾽ ἰατρὸς Ἄλεξις ἅμ᾽ ἔκλυσε, πέντ᾽ ἐκάθηρε,
πέντ᾽ ἴδεν ἀρρώστους, πέντ᾽ ἔχρισε πάλιν.
καὶ πᾶσιν μία νὺξ, ἓν φάρμακον, εἷς σοροπηγός,
εἷς τάφος, εἷς Ἀΐδης, εἷς κοπετὸς γέγονεν.

In AGIDEM ibidem:

Ἆγις Ἀρισταγόρην οὔτ᾽ ἔκλυσεν, οὔτ᾽ ἔθιγ᾽ αὐτοῦ,
ἀλλ᾽ ὅσον εἰσῆλθεν, χὤχετ᾽ Ἀρισταγόρης.
τοῦ τοίην ἀκόνιτον ἔχει φύσιν ὦ σοροπηγοί,
Ἆγιν καὶ μάκτραις βάλλετε καὶ στεφάνοις.

De CRATEA ibidem:

Ἰητρὸς Κρατέας, καὶ Δάμων ἐνταφιαστὴς
κοινὴν ἀλλήλοις θέντο συνωμοσίην.
καὶ ῥ᾽ ὁ μὲν, οὓς κλέπτεσκεν ἀπ᾽ ἐνταφίων τελαμῶνας,
ὡς ἐπιδεσμεύειν πέμπε φίλῳ Κρατέᾳ.
τὸν δ᾽ ἀπαμειβόμενος Κρατέας, ὡς ἐνταφιάζειν
πέμπεν ὅλους αὐτῷ τοὺς θεραπευομένους.

AESCHINES Chius empiricus, qui multos uel ſolo aſpectu peremerat, Eunapium ſophiſtam, qui Athenas ſtudiorũ cauſa uenerat, morti iam uicinum, inſtrumẽtis quibuſdam diducto oris hiatu medicamentum infundens, uitæ reſtituit. Subitò enim ſoluta eſt aluus, & æger loqui cœpit. Hoc uno facto ſuperiora errata oĩa obliterauit. Eunap. in Proæreſio.

MEDICVS quidam glandem puero familiaribus rogitantibus ut apponeret, præcepit, ut ex ſtercore conficeretur murium. Quo dicto omnes, qui audierant, in riſum ſoluti ſunt, quòd cùm tot eſſent quæ appoſita ſedi ad excretionem excitarent inteſtinum, ille omnibus præteritis ad muriũ confugiſſet ſtercus. nam reuerà pudendum eſt alia etiam experiri uelle, cùm omnes ceu curioſum & præſtigiatorem condemnẽt eum, qui talia aut faciat aut dicat. Galen. lib. 10. de Simpl. med. facult.

MEDICI Valentiniani I. Imp. oẽs ad exercitum peſtilentia laborantem dimiſſi, cùm is Sabariæ apoplexia corriperetur, nulli adfuere, qui uenã inciderent. Cùm ad peſtilentię morbo tentatũ militẽ hinc inde dimiſſi eſſent. Vnus tandẽ inuentus, uenam eius ſæpius pungens, ne guttam quidẽ ſanguinis elicere potuit. Marcellinus lib. 30.

MEDICVS imperitus & infelix filium ſuum diſciplinæ commiſerat Agathiæ Grammatici. In eum ſic ludit Agathias in ſecundo Epigrammatum:

Ἰητήρ τις ἐμοὶ τὸν ἑὸν φίλον υἱὸν ἔπεμψεν,
ὡς τὸ μαθεῖν παρ᾽ ἐμοὶ ταῦτα τὰ γραμματικά.

ὡς δὲ τὸ μῦθον ἄειδε, καὶ ἄλγεα μυρί' ἔθηκεν
ἔγνω, καὶ τὸ τρίτον τοῖσδ' ἀκόλουθον ἔπος,
πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς ἄϊδι προΐαψεν,
οὐκ ἔτι μιν πέμπει πρὸς με μαθησόμενον,
ἀλλά μ' ἰδὼν ὁ πατὴρ, σοὶ μὲν χάρις εἶπεν ἑταῖρε,
αὐτὰρ ὁ παῖς παρ' ἐμοὶ ταῦτα μαθεῖν δύναται·
καὶ γὰρ ἐγὼ πολλὰς ψυχὰς ἄϊδι προΐαπτω,
καὶ πρὸς τοῦτ' οὐδὲν γραμματικοῦ δέομαι.

In malum MEDICVM, Martialis Epigram. lib. 8.

Hoplomachus nunc es, fueras Ophthalmicus antè:
Feciſti Medicus, quod facis Hoplomachus.

HERMOCRATES medicus ignauus & indoctus, tantæ infelicitatis, ut uel per ſomnium conſpectus interficere crederetur. Mart. lib. 6. Epigram.

Lotus nobiſcum eſt, hilaris cœnauit, & idem
Inuentus manè eſt mortuus Andragoras.
Tam ſubitæ mortis cauſam Fauſtine requiris?
Inſomnis medicum uiderat Hermocratem.

De HERMOGENE ſimile quid Lucillius:

Ἑρμογένη τὸν ἰατρὸν ἰδὼν Διόφαντος ἐν ὕπνοις,
οὐκ ἔτ' ἀνηγέρθη, καίπερ ἴαμμα φέρων.

In EVNDEM idem ſic luſit:

Ἑρμογένη τὸν ἰατρὸν ὁ ἀστρόλογος Διόφαντος
εἶπε μόνους ζωῆς ἐννέα μῆνας ἔχειν.
κἀκεῖνος γελάσας, τί μὲν ὁ Κρόνος ἐννέα μηνῶν
φησὶ λέγει; σὺ νόει, τὰμὰ δὲ σύντομά σοι.
εἶπε, καὶ ἐκτείνας μόνον ἥψατο, καὶ Διόφαντος
ἄλλον ἀπελπίζων, αὐτὸς ἀπεσκάρισεν.

Conuertit hæc Auſonius, ſed ALCONI tribuit, inquiens:

Languenti Marco dixit Diodorus haruſpex,
Ad uitam non plus ſex supereſſe dies.
Sed medicus diuis fatisq; potentior Alcon
Falſum conuicit illicò haruſpicium,
Tractauitq; manum, uicturi, ni tetigiſſet:
Illicò nam Marco ſex periêre dies.

MEDICVS quidam pleuritico lenticulam ex aceto confectā exhibuit in morbi declinatione, qui nihil aliud quàm coctorum expuitionem deſiderabat. Aeger ſequenti nocte ſuffocatus eſt. Galenus libro de Vict. rat. in acutis, Com. 1. Aphoriſmo 27.

Medicus QVIDAM cùm tribus quartanis correpto theriacā ante morbi uigorem dediſſet, auctis omnib. accidentibus, quum febris continua ſucceſſiſſet, hominem peremit. Aetius Tetrab. 2. ſer. 1. cap. 84.

MARCI medici imperitiam hyperbolicè inſectatur Lucillius: quæ Auſonius in ALCONEM tranſtulit:

τοῦ λιθίνου Διὸς ἐχθὲς ὁ κλινικὸς ἥψατο Μάρκος,
καὶ λίθος ὢν καὶ Ζεύς, σήμερον ἐκφέρεται.

Alcon heſterno ſignum Iouis attigit: ille,
Quamuis marmoreus, uim patitur medici.

Ecce hodie iuſſus transferri ex æde uetuſtā,
Effertur, quamuis ſit deus, atq; lapis.

QVINTVS Pergamenus medicus Romæ à prandio diuitem ægrum uiſitabat. Aeger capitis dolore laborans, uini odorem, quem medicus bene potus expirabat, non ferens, modeſtè illum de hoc admonuit. Tum ille, Odorem uini ab homine ſano ægrè ferre noli, quandoquidem neq; ego febricitantis tui odorem auerſor. Galenus lib. 6. Epidem. com. 4. aphoriſmo 9.

De DIAVLO medico Martialis Epigram. lib. 1.

Nuper erat medicus, nunc eſt ueſpillo Diaulus:
Quod ueſpillo facit, fecerat & medicus.

Idem de eodem:

Chirurgus fuerat, nunc eſt ueſpillo Diaulus,
Cepit, quo poterat, clinicus eſſe, modo.

HEBRÆVS quidam, ex Arabia ſe aduētaſſe, & ante alios medicinæ ſcientiam in oculis curandis tenere iactans, cura ſua Regem Boëmiæ Ioannem monoculum planè cæcum effecit. Rex, ad cæcitatem diſſimulandam, ludicra haſtatorum, quibus inprimis delectabatur, ſæpiùs etiam quàm integris oculis ſolebat, ſpectare uoluit, & nunc iſtum, nunc alium, quem in ſpectaculo ſuperiorem euaſiſſe ex nomenclatore audiebat, nominatim magna uoce laudabat. Dubrauius libro uigeſimoprimo.

IOANNES quidam, Abbas, è Scania ad Valdemarū Danorū regem febricitantem accerſitus, ſalutem regi conſtāter promittebat. Cibo ſoporifero refectū, cunctis cubiculo eiectis, quietem capere iuſſit. Eundem paulò pòſt uoce deſtitutum, & ſudore manantem inueniens ſtragulis operiri iuſſit. Ingreſſi manè cubiculum amici, regem ſimilem uiuenti reperiunt, ut nec rigore contractus, nec horrore mutatus uultus eſſet, priſtini caloris habitu totis adhuc membris retento. Serò tandem pallor mortis fidem fecit. Saxo libro decimoquinto.

## MEDICAMENTIS COMPONENDIS.

MEDICIS duobus ſibi notis id accidiſſe ſcribit Aetius Tetrab. 4. ſer. 2. cap. 25. cùm formulis tantùm medicamentorū niterentur, methodum componendi ignorarent: ut amiſſis codicillis, uel caſu uel improbitate aliena, alter quidē mœrore contabuerit, alter medicādi artem profiteri deſierit.

Mos eſt in urbe Roma, ut infirmi urina mittatur ad medicum uno aut duobus argenteis numis, ut conſulat ſanitati. Qui- [redacted]

# IVDICIVM MEDICVM

## APTVM.

HOMERVM de omnibus ferè medicinæ partibus rectè iudicaſſe, Plutarch. in comment. de Homero oſtendit. Contemplatricem medicinam ei notam fuiſſe, hôc uerſu obſcurè indicat Iliados λ.

Τοῖα Διὸς θυγάτηρ ἔχε φάρμακα μητιόεντα.

μητιόεντα dicit medicamenta, nempe contemplatrice peritia apparata. σημειωτικὴν diſertè in Achille proponit Iliad. α. Is enim ut Chironis diſcipulus, primus cauſam luis, quæ Græcos inuaſerat, deprehendit: nimirum ſentiens morbos, qui populum ſimul inficiunt (Epidemios uocant) ab Apolline eſſe, qui idem eſt ſol. Is anni tempeſtates adducit: quæ ubi inæquali temperie conſtant, morbos gignunt. Et in uniuerſum adeò ſalutem ac exitium uirorum Apollini, mulierum Dianæ, hoc eſt, lunæ harum, ſoli illorum adſcribit: ſagittarios eos fingens, ob coniectum radiorum: diuidēs autem maſculum à femineo, quòd illud natura eſt calidius. Propterea Odyſſ. τ. ait Telemachi tantam eſſe ſtaturam uoluntate Apollinis: Tyndarei autem filias ope Dianæ adoleuiſſe Odyſſ. υ. Mortem iiſdem imputat cùm ſæpe alibi, tum de filiis Niobes filiabusq; ubi loquitur, ita diſtinguēs Il. ω.

Hos Titan, illas pernix Diana necauit.

Caniculæ quoque ortum, refert ſignum ac cauſam æſtus morborumque Iliados χ.

Exſuperat ſplendore ſuo qui ſidera cuncta,
Sed mala deſignat, magnum mortalibus æſtum
Ille ferens.—

Cauſas etiam perſequitur, de iis hæc ſcribens Iliad. ε.

Nam neq; edunt Cereris, neq; Bacchi munera potant:
Hinc immortales, & caſſi ſanguine uiuunt.

Alimentum quippe tam ſiccum, quàm humidum, ſanguinē gignit: ſanguis corpus alit, idemque abundans aut corruptus morbos generat. Effectricem medicinam ita tractat, cuius pars eſt etiam ea, quæ uictus ratione utitur. Primum diſcrimē morborū acutorū & diuturnorū aperuit Odyſſ. λ.

Nam quæ te mortis ſpecies dulciſſima mater
Abſtulit? an longi uis morbi? Cynthia uel te
Ipſa ſuis telis ſubitò iaculata peremit?

Manifeſtum quoque eſt, eum tenuem uictus rationem exiſtimaſſe ſalubrem[redacted]tis carnibus ueſci, ciborum curioſum appa[redacted]quoniam uenter ſemper indiget iterata alimētorum ſuggeſtione, poſtquam priores cibi concocti, corpori ſuum ſuccum, ac quod idoneum eſt in cor & uenas tranſmiſerunt, & ſuperflua excreta ſunt: ideo ſic ſcribit Odyſſ. η.

Me ſinite interea quamuis cœnare dolentem,
Nam nihil inuiſo uentre importunius uſquam eſt,
Qui meminiſſe ſui nolentē cogit, & urget. Et ſtatim:
Me iubet ille cibum capere, & potare, malorum
Oblitumq; iubet ſe tantùm explere.—

Vini quoque diuerſos uſus nouerat: nimium, damnoſum: mediocrem uerò, utilem. Itaq; prius ita deſcribit Odyſſ. φ.

Temetum tibi dulce nocet: quod pluribus antè
Obfuit immodicè uinoſis faucibus hauſtum.

Poſterius ſic Iliados ζ.

Auget enim membris quæ languent fracta labore,
Egregias uinum uires.—

Et quòd robur gignat Iliad. τ.

Aſt uir, Lenæi quem dona cibusq; refecit,
Per totam durent quantumuis prælia lucem,
Sufficit, & robur membris, audacia cordi
Acris adeſt: neque eum uires & ſtrenua uirtus
Deſtituunt, campo priùs atque eiecerit hoſtes.

Ac ſuaue quidem conuiuiis adhibet Odyſſ. η.

Sic ait, & grata præſtans dulcedine uinum
Fudit Pontonous.—





Vehemens, & grauem ſoporem gignens, Cyclopi Vlyſſes præbet, Odyſſ. ι. Adſtringens autem, ad medicinam facit. Tale enim eſt uinum Pramnium, q Machaoni ſaucio exhibet. Exercitationib. utendum ſuadet, dum ſemper agentes aliquid introducit. Vlyſſi uerò à maritima iactatione agitato ſomnum immiſſum ſcribit, qui eum quàm celerrimè liberaret moleſta illa defatigatione. Natura enim requirit, ut defeſſum corpus requieſcat: & in quo calor eſt exiguus, cùm is nō poſſit in omnes partes egredi, uult eum in profundo manere. Quòd autem quieſcat corpus animo remiſſo, & ſolutis membris corporis, id euidenter dixit Odyſſ. δ.

Illa reclinata obdormiuit, & omnia membra
Diſſoluit ſopor.—

Quòd autem in omnibus rebus ea, quę modum excedunt, inutilia ſint, id de ſomno quoque pronunciauit, Odyſſ. ο.

Eſt etiam nimio coniuncta moleſtia ſomno:

item Odyſſ. υ. —totam quippe moleſtum eſt
Noctem peruigilare.—

Bonam quoq; aeris temperiem ad ſanitatē conducere cognitum habuit: ut apparet ex his Odyſſ. δ.

Sed te, quà terræ poſtremus terminus extat,
Elyſium ad campum cœleſtia numina mittent,
Quem Rhadamanthus habet: quà uita facillima lōge
Ducitur. Haud campos Iupiter niue conſpuit illos,
Miſcetur uariis neque tempeſtatibus aer:
Nulli imbres: tantùm ſpirat leuis aura Fauoni,
Miſſaq; ab Oceano nimios refrigerat æſtus.

In quibus duo hæc rectiſſimè uidit, cùm uentorum principium ab humore exiſtere, tum animalis innatum calorem refrigeratione indigere. Affectuum quoque corporis remedia ſciuit: animi deliquium refrigeratione curari, ita de Sarpedone ſcribens, Iliad. ε.

Tum reſpirauit rurſum, Boreæ ſimul afflans
Penè exhalantem uitam leuis aura refecit.

Frigoris, calefactionem eſſe remedium. Sic Vlyſſem iactatū ſalo & tempeſtate, Odyſſ. ε. facit ſub arbuſto occultari, ubi & à uentis & à pluuiis eſſet tutus, & ſe præſenti materia tegeret. Lauacris quoque & unctionibus ſuum uſum tribuit: ut cùm Iliad. κ, iis Vlyſſem & Diomedem ſe refeciſſe ſcribit, qui inſomnem exegiſſent noctem. Maximè etiam his uerbis uſum lauacri docet Odyſſ. κ.

Tunc animo gratam ſupra caput atq; humeros mî
Diua effudit aquam.—

manifeſtum eſt enim, quòd, cùm nerui inde exoriantur, rectè etiam defatigationis remedium inde auſpicetur, quod conſiſtit in calefaciendo & humectādo: labor enim ſiccat. Reſtat ut uideamus, quomodo chirurgiam intellexerit. Menelaum ergo Iliad. δ. Machaon curat, primùm ſagittam extrahens, deinde uulnus contemplans, atque ſanguinem exprimens, ac ſiccantia medicamenta inſpergens. Id ſecundū artem fieri, totum euidens eſt. Eurypylo porrò, qui in femore uulnus acceperat, Patroclus Iliad. λ. primùm cultello oblato ſagittam execat: deinde aqua tepida uulnus abluens, ut dolor minueretur, radicem iniicit. Multæ autem paſſim naſcuntur uulnerariæ. Nouit autem hoc quoq;, quòd amara medicamenta ad ſiccandum ſunt apta: uulnera autē ſiccari debent. Neque ſtatim Patroclus adhibita medicina abit: ſed

Aſſidet, oblectatque ſuis ſermonibus.—

Alloquio enim indigebat, qui uehementi dolore uexaba- [redacted]

Leniaq; inſperſit medica[redacted]

Alia quæ bibantur: ut cùm [redacted] medicamentum, quod omnem dolorem & acerbitatem animi aboleat, & obliuionem omnium malorum adducat. Eodem modo ſciebat uenena alia illini, dicens Odyſſ. α.

Quærebat, poſſet quo tela linire, uenenum.

alia potari: Odyſſ. β.

Crateri iniiciat, nos illoque enecet omnes. Hæc ille.

Cicero dicit, HIPPOCRATEM, nobiliſſimum medicū, ſcriptum reliquiſſe, quoſdam fratres, cùm ſimul ægrotare cœpiſſent, & eorum morbus eodem tempore ingraueſceret, eodem leuaretur, geminos ſuſpicatum. Quos POSSIDONIVS Stoicus, multùm aſtrologiæ deditus, eadem conſtitutione aſtrorum natos, eademque conceptos ſolebat aſſerere. Ita quod medicus pertinere credebat ad ſimillimam temperiē ualetudinis; hoc philoſophus aſtrologus ad uim conſtitutionemq; ſiderum, quæ fuerat quo tempore concepti natique ſunt. Auguſtinus libro quinto de ciuitate Dei, capite ſecundo.

AGESILAVS, præſcribente ei medico accuratiorem nec ſimplicem curationem: Per Caſtores, inquit, nulla mihi ſpes eſt uitæ, ne ſi omnia quidem præſtem. Plutarchus in Apoph-thegmatibus.

Veterem medicinam chirurgicam & externam totam fuiſſe, PLATO in 3. Politicorum aſſerit (& propterea Podalirium & Machaonem chirurgos introducit Homerus) internam olim nullam, ſed quæſtus gratia excogitatam. Propterea etiam chirurgos tantùm medicos in ſuam Remp. admittit.

ARISTOTELES cùm morbo teneretur, & medicus ei præceptum quoddam iniungeret: Ne, inquit, me cures uel ut bubulcum, uel ut foſſorem, ſed priùs cauſam ediſſere. ſic enim facili perſuaſione me morigerum reddideris. docens his, nihil ſine cauſa temereque proferendum eſſe. Aelianus de Varia hiſtoria, libro 9.

GALENVS ab adoleſcentia ſemper ſe aſſuefecit præcipitem ac temerarium aſſenſum refugere. Quamobrem ut nulli ſectarum medicarum ſe addixit, ita rationes omnium audire & cognoſcere uoluit: & in iis omnibus, quæ ſenſu aut ratione cognoſcuntur, niſi horum alterutro uel utroque impulſus, pro certo & indubitato nihil habuit. Eodem conſilio ab omni ſuperſtitione & præſtigiatura, quarum hæc ferè ſenſibus, illa rationi pugnat, ſemper alienus fuit. Teſtis ipſe 8. Meth. 3. Etſi Hippocrati tanquam parenti & conditori artis ſummum honorem defert, tamen ueritatis ſtudio multis in locis ſermonem eius & ſcripta arguit, ueluti non exactum, improprium, obſcurum, inconditum, indiſtinctū, & modò imperfectum, modò contrà ſuperfluum: eſt quando diligentiam in eo deſiderat, confuſam & inordinatam traditionem reprehendit: nonnunquam ineptitudinis, obliuionis, imò etiam erroris & mendacij accuſat. Commentario ſecūdo de uictus ratione in morbis acutis, circa pharmaca pleuriticis danda, ab eo diſſentire uidetur. Geſnerus in eius uita.

IDEM nihil unquam (ex ualidioribus præſertim auxiliis) ægrotis exhibuit, cuius uis & uſus per experientiam ei non conſtaret, ut ipſe ſcribit in primum Epidemiorum Hippocratis, commentario ſecundo. Plerorumque experientiam ipſe in ſeſe fecit, non ſolùm guſtando omnia, & ex odore ſaporeq; iudicando, ſed etiam cuti ſuæ imponendo. Sic aceti potentiam ut accuratè experiretur, in ſeipſo periculum fecit: & oxyrhodino ſæpe perfuſus eſt, ut eius uim certiùs teneret. Et ab initio cùm iuuenis adhuc multa egregia & laudata à præceptoribus aliisq; pharmaca nactus eſſet, amicis medicis, ut experirentur, communicauit. Libro quinto de morbis curandis: Horum (inquit) quæ retuli ſiue ea inueni ipſe, ſiue iuxta Hippocratis uiam uſurpaui, nihil ſanè non examinatum ac iudicio comprobatum eſt: ſed per experientiam omnia iudicata, in quibus erroris pericula ipſi pertulimus. Quæ ad comtoriā artem attinent, & ſi quædam nec inutilia, nec iniucunda ſcitu in eis contineantur, & principes uiri ac matronæ ea aliquando à medicis requirant, & apud alios etiam homines honeſtus aliquando eorum uſus eſſe poſſit, Galenus tamē ea ſcribere per uerecundiam omiſit. Venenorum compoſitiones minimè publicari oportere exiſtimauit. Per manus autem tradi amicis, optimis duntaxat, & ætate iudicioque maturis uoluit. Philtrorum (inquit de Simpl. med. facult. libro 10. cap. 1.) & eorum, quæ ἀγώγιμα, ὀνειροπομπὰ ac μισητρὰ uocant quidam, planè, nec ſi abundè illa forem expertus, mentionem facere in animum inducerem: ſicuti nec lethalium medicamentorū, aut ut ipſi loquuntur, πιθοποιῶν. Nam illa ſanè ridicula ſunt, conſtringere ac uincire aduerſarios, ut in iudicio nihil poſſint eloqui, aut grauidæ abortum afferre, aut ut ne unquam deinceps concipiat efficere, & quæcunque eius ſunt generis, uel impoſſibilia, uel certè mortalium uitæ noxia, &c. Eodem loco Xenocratem ſeriò reprehendit, fœda & abominanda remedia, è corporibus humanis petita, tanquam à ſe experta, commemorantem. Puta quoſnam morbos curare ualeat comeſum cerebrum, aut carnes, aut iecur humanum, aut oſſa. Sic enim ſub prætextu medicinę homines ad anthropophagiam legibus Romanis uetitam tacitè traduci. Item ſtercoris inunctionem, ſudoris aut urinæ aut menſium potum: ſeminis per ſe effuſi uel poſt coitum uiri ex ſinu effluentis illitionem. Quæ ipſa, in tantis naturæ omnipotentis opibus uel recenſere nedum adhibere elegantem medicum minimè deceat. Iam quando rara quædam & paratu difficillima proponit, ex baſiliſco, ex hippopotamo, ut ingenium oſtentat, ſic mendacij ſuſpicionem tacitam cordatis ingerit, quaſi inexplorata pro exploratis tradat, eadēque, ne in diſquiſitionē uenire poſſint, uel fabuloſa, uel paucisſimorum experientiæ cognita.

Hippocratis præceptum eſt, Pietatem religioſam medico inprimis curæ eſſe oportere, quòd ad popularem gratiā plurimum opinio iſta faciat: cùm non rarò, qui de ſalute ſua deſperant, ob ipſius medici probitatem tamē deorum iræ

lenienda ſpem aliquam concipiant. Locus extat in Præceptionibus. Quòd ſi ergo multum refert quis ille ſit, qui curam ægri ſuſcipit: non reprehendendum uidetur STARCATHERI athletæ Sueci iudicium, in cura medica admittenda. Nam cùm poſt Angateri cum octo fratribus cædem ſeptemdecim uulneribus propè confectus, in ſaxo effuſis inteſtinis iaceret: quidam curru præteruectus, ab eo quæſiuit, quid præmij daturus eſſet, ſi plagis eius mederetur: At Starcatherus, quis & qua conditione eſſet, rogare cœpit. cumque eum præconem eſſe intellexiſſet, non modò auxilium illius reſpuit, uerumetiam grauiter increpuit, quòd indigna uiro bono munera ſectaretur, accuſando, obſeruando, deferendo, explorando. Superuenit interea alius operam ſuam deferens: qui prioris exemplo conditionem ſuam edere iuſſus, ancillam ſe cuiuſdam in matrimonio habere, eiusque domino, emancipandæ coniugis gratia, ruſticum opus facere teſtabatur. Eum pariter Starcatherus refecit; quòd ſe pudendi connubij cauſa, ſeruum feciſſet. Tertia ſuperuenit femina, piſtrino aſſueta. Quam properè domum abire, & uagienti filiæ mammas præbere iuſſit, ne ab extremæ ſortis muliercula ſubſidium mutuari uideretur. Quartus tandem affuit iuuenis ruſticus curru uectus. Cuius natales & exercitium Starcathero ſic placuere, ut illius curæ ſeſe committeret, eique chlamydem ſuam præmij loco offerret. Is igitur prolapſa inteſtina uimine conſtrinxit & repoſuit. Deinde exceptum uehiculo ſenem, ad regiã uſque Ingelli Danorum regis deportauit. Saxo lib. 6.

HISPANVS quidam morbo Gallico infectus, eius curatione incognita exiſtente, inde mali remedium petendum arbitratus, ubi natales mali fuiſſent, in Americam nauigans, Guaiaci decoctum bibit, curatus eſt, nouique medicamenti, planè diuini, inuentor fuit. Petrus Cieza tomo 2. rerum Indicarum cap. 29.

### INEPTVM.

ABDERITÆ Democritum ciuem ſuum philoſophiæ ſtudio in ſolitudine uerſantẽ, & humana omnia bona malaque ex æquo cachinnis excipientem, inſanire credentes, Hippocratem Cóum medicum ad eum curandum euocarunt. Is cùm Democrito congreſſus, non hoc delirium, ſed conſummatæ ſapientiæ argumentũ eſſe deprehendit: & cui ipſe elleborum propinaturus aduenerat, ab eodẽ ſaluberrima de contemtu humanarum rerum præcepta xeniorum loco accepit. Hip. in epiſtola ad Damagetum.

M. CATONIS iudicium præceps de Græcis medicis, pete ex Plinij libro uigeſimonono, capite primo, & Plutarcho in eius uita.

C. PLINIVS cùm ex libris & commentariis ueterum medicamenta uaria in opus ſuum Hiſtoriæ naturalis congeſſiſſet, eaque ueriſſima & nunquam uariabilia eſſe crederet: (quod idem tyronibus contingit, cùm primùm medicinæ præcepta diſcunt, ut quemuis morbum ſibi oblatum ſe feliciſſimè curaturos confidant) medicos damnare fuit auſus libro 24. capite 1. quòd compoſitis medicamentis uterentur, cùm ſimplicibus uti poſſent: quodque remedia ex ultimis Indiis petita adhiberent, cùm uulgatiſſimis æquè felici ſucceſſu uti poſſent. Sed quàm credulus hac in re Plinius fuerit, cuiuis uel mediocriter in arte uerſato liquere poteſt. Non rem, ſed artem ſe damnare ait. At non uidet, artem abſque re ſubſiſtere non poſſe. Si mores hominum damnat medicina præpoſterè utentium, damnet etiam uinũ, quo plurimi ad ebrietatem abutuntur: damnet uenerẽ, qua genus humanum conſeruatur & propagatur. Quale uerò argumentum illud eſt, quo lib. 22. cap. 24. contra medicorũ cerata, malagmata, emplaſtra, collyria, antidota inuehitur, quòd natura ſimplicia omnia crearit? An non pari ratione coquinariam, & pleraſq; alias mechanicas artes tollet? Cæterùm quia medicinam nunquam exercuit Plinius, iccirco uim illius ignorauit.

RABANVS Fuldenſis abbas, antipathiæ naturalis ignarus, diſciplina & ieiunio corripiendos illos cenſet, qui de iecinore rabidi canis, medicamenti loco dederant illi, qui ab eodem morſus fuerat: in epiſtola ad Reginbaldum.

## MEDICORVM CERTAMINA.

PHILOTAS Amphiſſenſis medicus, cùm Alexandriæ ſtudiorum cauſa hæreret, allectus eſt inter clientes Antyllij filij M. Antonij natu maximi, quem ex Fuluia habebat, ac ſubinde apud eum cum aliis familiaribus cœnabat, cùm non cœnaret ille apud parentem. Is medicum aliquando inſolentem, qui multa negotia cœnantibus ipſis exhibebat, hac cauillatione repreſſit. Febricitanti aliquatenus frigida propinanda eſt: Omnis autem febricitans aliquatenus febricitat: Omni ergo febricitanti propinanda frigida. Icto homine atque obmuteſcente, oblectatus Antonij filius riſit ac dixit, Hæc tibi Philota cuncta dono, oſtendẽs multis & grandibus poculis cumulatam menſam. Cuius cùm amplexus eſſet benignitatem, & quiduis tamen potiùs quàm poteſtatem eſſe putaret tantillo puero tam multa donandi: paulo pòſt arripuit pocula unus ex pueris, atque in uaſe apportauit, iubens ut uas ſignaret. Recuſante ac timẽte Philota accipere: Quid malum, dixit puer, dubitas? Neſcis eum, qui dat, Antonij filium eſſe, cui facultas eſt tantundem auri largiendi? Si tamen mihi credis, permuta nobis pecunia omnia. Fortaſſis enim deſiderabit quædam pater operis antiqui atque ob artem nobilis. Plutarchus in Antonio.

CLEODEMVS medicus apud Plutarchum in Conuiuio ſapientum, ænigma de cucurbitulis propoſitum, cuius etiam Ariſtot. 3. Rhet. meminit, explicare non potuit, quamuis ipſe iis frequenter uteretur, iiſq; nobilitatus eſſet. Eſt aũt tale:

*ἄνδρ' εἶδον πυρὶ χαλκὸν ἐπ' ἀνέρι κολλήσαντα*
*οὕτως συγκόλλως ὥστε σύναιμα ποιεῖν.*

MAGNVS oriundus Antiochia trans Euphratem, quæ Niſibis appellatur, Zenonis auditor, dicendo plus poterat quã medendo: atque adeò curatos ab aliis medicis, & ſe ſoſpites eſſe dicentes, quæſtiunculis quibuſdam obiectis, morbo adhuc teneri oſtendebat, & medicis os obſtruebat. Alexandriæ docuit magna frequentia & gratia. Eunapius.

Quintum morbi diem iuuenis quidam agebat: quo ipſo cùm medici uenam incidere decreuiſſent, nec indicationes (à quibus detrahendum eſſe ſanguinem medici perſuadent) aduerſarentur; GALENVS bene quidem eos in opinionẽ mittendi ſanguinis ueniſſe dixit: uerùm naturam id, quod ſe grauaret, expellere feſtinantem (diligenter enim omnia conſiderârat, quæcunque ab Hippocrate tradita ſunt ſigna illorum, quibus fluxurus eſt ſanguis) breui admodum, etiamſi nihil ipſi egiſſent, idem ultrò facturam. Dum medici hæc admirantur: æger è lecto ſe ſuſtulit, tanquam proſiliturus, interrogatusq; cur exilire uoluiſſet, rubri coloris ſerpẽtem per laquearia repere à ſe uiſum, reſpondit, ideoq; è lectulo ſe aufugere uelle. Reliquis medicis nihil hoc ad futurum ſanguinis fluxum conferre, uiſum eſt: uerùm Galeno cùm alia ſingula perpẽdenti, tum ruborem, qui priùs in dextra naſi parte ad malam uſque obſcurus fuerat, auctum ualde intuenti, ſanguinis paulo pòſt è dextra nare fluxuri, manifeſtum id attulit indicium. Atque ita contigit. Nimiũ autem profluentem ab eo ſanguinem cùm aliis modis nõ poſſet, cucurbitula ad hypochondrium dextrum appoſita, cohibuit.

Ludicrum quid de MAXIMILIANO Imp. circumfertur. Aegrotabat ille, ſeu potiùs ægrotare ſe ſimulabat. Medici ſpe lucri, eò numeroſi confluũt. Singulos ſeorſim introduci iubet: nec dum reddita ſalute, Medice, quot? exclamat. Cæteris reſpondere ſe poſſe negantibus, tacitè uerò delirum imperatorem irridẽtibus, poſtremus introducitur ſenex, experientia quàm doctrina clarior. Is in primo ſtatim congreſſu Imperatori interroganti, Quot? Quod tua pace dixerim, Cæſar clemẽtiſſime, innumeros, reſpõdit. Subridẽs Imperator, Ingenua cõfeſſio, inquit, Cæſareũ te medicum fecit. Sed tu porrò experimẽtis per mortes abſtine, inuẽtis ex fide utere.

[redacted]

Baſſianus Landus Placentinus, medicus & philoſophus ſummus, narrare ſolebat, ſuo tempore Germanum quendã Patauij omnium MEDICORVM calculis à laurea, quam petebat, ignorantiæ cauſa reiectum, unius SENIS oratione eam aſſecutum fuiſſe, quòd is exoptatiſſimam hanc uindictæ de Germanis, qui Maximiliani I. auſpiciis agrum & urbem Patauinam hoſtiliter uaſtaſſent, ſumendæ rationem eſſe diceret, ſi blandos ſicarios, medicorum larua tumentes, ſubmitterent, qui non urbes, ſed homines, non plebeios (quorum pauci in ea gente medicis uterentur) ſed nobiliſſimos quoſq; ſua imperitia è medio tollerent. Accipiamus ſanè pecuniam, & mittamus nõ tantum aſinos, ut olim, ſed & ueneficos in Germaniã. Peruicit adeò ſenis aſtuti ſententia, ut præter omnium expectationẽ in doctorẽ pmoueret.





## MEDICINÆ CVLTVS, STVDIVM, AMOR, HONORES, PRAEMIA.

### IN SEIPSIS, VALETVDINEM

*Curando.*

*Conſule Tit. Sanitatis ſtudium. Hic Artis, illic Effectus habetur ratio.*

AEGYPTII ſingulis menſibus triduo ſe purgabant per uomitum & ſeceſſum: quoniam omnes morbos ex cibis oriri arbitrabantur. Herod. lib. 2. & Diod. lib. 1. cap. 6.

ROMANI ueteres ſalubritatem ſuam; induſtriæ certiſſimo ac fideliſſimo monimento tuebantur: bonæq; ualetudinis eorum quaſi quædam mater erat frugalitas, inimica luxurioſis epulis, & aliena nimiæ uini abundantiæ, & ab omni immoderato ueneris uſu auerſa. Val. lib. 2. cap. 1.

*Committendo aliis.*

AEGYPTII ſingulis ægritudinibus ſingulos adhibebant medicos: neque, qui curandi capitis rationem profiterentur, aliam corporis partem curãdam ſuſcipiebant. Arbitrabantur enim fieri non poſſe, ut unus omniũ curarum diſciplinã rectè teneret, quãuis in una doctus haberetur. Herod. lib. 2.

L. LVCVLLVS ſeruo ſuo hanc de ſe præfecturam dederat, ut uel in Capitolio cœnans, nõ quod ipſe uellet, ſed quod ſeruus ſubminiſtraret, comederet. Pudenda re, inquit Plin. lib. 28. cap. 5. triumphalem ſenem ſeruo faciliùs ſuo parere, quàm ſibi. Lucullum plerique principes hodie imitantur: hoc uno differunt, quòd ille, ut quæ ſalubria eſſent, cognoſceret, medico utebatur: hi uerò, ut interdicto medici gula irritetur, & uehementius rei uetitæ deſiderium excitetur.

### IN ALIIS. Nempe uel in

#### MEDICIS

*Euocandis, Conducendis.*

AEGYPTII in militiam aut peregrinationem profecti, nulla impenſa mercede curantur. Medici enim ex publico uictum ſumunt. Diod. lib. 1. cap. 6.

CYRVS Perſarum rex ab Amaſi Aegyptiorum rege medicum ocularium præſtantiſſimum petiit. Herodotus.

ARTAXERXES rex Perſarum, Hiſtani præfecto Helleſponti literas ſcripſit, ut Hippocratem Coum medicum, quibuſcunq; fieri poſſet præmiis, in familiam ſuam inuitaret. Epiſtola ad hunc ferè modum ſe habebat: Rex regum Magnus Artaxerxes Hiſtani S. Hippocratis medici, Aeſculapio prognati, ad me fama peruenit. Da igitur operam ut aurum illi tribuas in quantũ cupit, aliaq; item quorum indiget, & ad me mitte. Erit enim par honore ſummis in Perſide uiris. Et ſi quis alius fuerit in Europa uir clarus, hunc amicum noſtræ domui redde: nec parce pecuniis. Eidem, quòd peſtem ab Illyriis uenientem prædixiſſet, & diſcipulos ad auxiliãdum circa urbes dimiſiſſet, honores quos Herculi, decreuit Græcia. Plin. lib. 7. cap. 37. & Suidas.

Democedes Crotonienſis, cùm à patre iracundo Crotone cohiberetur, nec eum tolerare poſſet, illo relicto abiit in Aeginam. Vbi commoratus unum annum, primos medicos trãſcendit, etſi imparatus erat, & nihil inſtrumentorum habens, quæ ad artem medicinæ pertinerent. Ex quo factum eſt, ut ſequenti anno AEGINETÆ conduxerint eum talento, ATHENIENSES tertio anno centum minis, POLYCRATES Samiorum tyrannus quarto anno talentis duobus. Ita in Samum profectus eſt. A quo uiro factum eſt, ut medici Crotonienſes primi numerarentur, ſecundi Cyrenæi. Captus fuit poſtea cum Polycrate, ab Orete Sardium præfecto, & in Perſiam miſſus ad Darium. Herod. lib. 3.

MITHRIDATES Ponti rex Aſclepiadem Roma ad ſe magnis muneribus pertrahere conatus fuit, ſed fruſtra. Plinius.

PRINCIPES Romani medicos celeberrimos, Caſſios, Calpitanos, Aruncios, Albutios, Rubrios, CCL. H-S annua mercede conducebant. Q. Stertinius imputauit principibus, quòd H-S quingenis annuis contentus eſſet: (quæ ſunt nummum noſtrorum duodecies millia & quingenti, ſecundùm Lud. Viuem) ſexcena enim ſibi quæſtu Vrbis fuiſſe numeratis domibus oſtendebat. Par & fratri eius merces à Claudio Cæſare infuſa eſt: cenſusq; quanquam exhauſti operibus, Neapoli exornata, hæredi H-S. CCC. reliquêre, quantum ad eam ætatem Aruntius ſolus. Plinius libro uigeſimonono, capite primo.

Imperator M. ANTONINVS Philoſophus intellecta Galeni Pergameni præſtantia, eum accerſiuit: eratq; ſecum abducturus in bellum, quod contra Germanos mouebat: perſuaſus tamen reliquit, cùm audiuiſſet diuerſa deum patrium Aeſculapium iubere. Galenus.

Decami in India rex potentiſſimus, NIZAMOXA nomine, præter mediocrem doctrinam, qua præſtat, ſemper apud ſe Medicos eruditos alit magnis ſtipendiis, tum Perſas, tum Turcas. Io. Metellus.

*Conſtituendis, Probandis.*

REVTHA Scotorum rex, quòd complures aut uulneratos, aut morbo correptos, medicorum inſcitia periiſſe ſciret, ne quiſpiam, niſi longa experientia, medici nomen deinceps aſſumeret, edixit, capitis pœna propoſita in non obtemperantes. H. Boethius lib. 2.

*Remunerandis.*

*Conſule Tit. Gratitudinis erga Medicos: illic Meriti antecedentis, hic Studij ſimpliciter habetur ratio.*

Apud INDOS, poſt Brachmanas & Germanas philoſophos, in maximo ſunt honore medici, ut qui circa hominem philoſophentur: frugales quidem, non tamen ruſticantes, oryza & ordeaceis uiuunt, quæ nemo rogatus illis non irrogat, nemo hoſpitio non libenter ſuſcipit. Strabo lib. 15.

Polycletes cùm PHALARIDEM morbo grauiſſimo laborãtem ſanitati priſtinæ reſtituiſſet, à tyranno ex puro auro phialas quatuor accepit, crateras argenteos duos: poculorum item thericliorum paria decem, puellas intactas uiginti, & cùm his Atticorum argenteorum quinquaginta millia, & alia quamplurima: quæ legere licet in Phalaridis ad medicum epiſtola.

Eraſiſtratus, Ariſtotelis ex filia nepos, is qui ſe ab experimentis ἐμπειρικόν ſiue ἐμπειρικὸν cognominauit, à PTOLEMÆO ob Antigonum patrem ſanatum, talentis centum donatus eſt, drachmis uidelicet centum quinquaginta millibus, id eſt, aureis nummis noſtratibus quindecies millibus; erant enim Syria talenta. Viues de laudibus Philoſophiæ.

MANILIVS Cornutus ex prætoriis legatus Aquitanicæ prouinciæ H-S CC. elocauit in curanda mentagra. Plin. libro 26. capite 1.

C. IVLIVS Cæſar omnes medicinæ & liberalium artium profeſſores ciuitate donauit, ut libentiùs urbem incolerent. Suetonius.

Oribaſius Pergamenus, uel Sardianus, cùm Iuliani principis medicus eſſet, ſuccedentium principum inuidia bonis priuatus, in exilium ad BARBAROS miſſus eſt: ubi tanta gratia & opinione hominum, ob doctrinam & medicinæ experimenta uixit, ut pro deo penè coleretur: & ſic placatis demùm principibus, rediit, bonaq; amiſſa recuperauit. Eunapius in uitis Sophiſtarum.

COSROES Perſarum rex Tribunum medicum, à quo curatus fuerat, maximis affecit honoribus. Petenti enim quoſdam Romanos captiuos ſibi donari, Rex & alios 3000 captiuos, & quos nominatim petierat, uiros doctos, dimiſit. Suidas.

IOANNES XXIII. Pontifex, Gentilem Fulginatem & Dynum Florentinum, medicos inſignes, magnis præmiis & honoribus affecit. Amator enim doctorum uirorum ſummus eſt habitus. Platina.

#### AEGRIS

*Continendis in officio.*

ZALEVCI Locrenſis cùm multæ leges extant aliæ rectè commodeque poſitæ, tum illa non in poſtremis eſt habenda: Si quis Locrenſium Epizephyriorum ægrotans uinum merum bibiſſet, niſi iubente medico, etiamſi ad priſtinam ualetudinem rediiſſet, mortis ei ſupplicium erat conſtitutum, quoniam non iuſſus biberat. Aelianus libro ſecundo de Var. hiſt.

## ODIVM, CONTEMTVS, NEGLECTVS MEDICINÆ.

HERACLITVS Epheſius cùm ob prauam uictus rationem (in montibus enim degens, oleribus ac herbis ueſcebatur) in hydropem incidiſſet, medicos ironicè interrogabat, An poſſent ex imbre ſiccitatem facere? Sibiipſi autem mederi uolens, fimo bubulo ſeſe obrui præcepit, & ſolo capite extante, uel reſolutis ſpiritibus defecit, uel à canibus, monſtri loco laceratus eſt. Laertius libro nono.

ROMANI in accipiendis artibus minimè lenti, anno Vrbis 525. primùm è Peloponneſo Archagathum Lyſaniæ F. L. Aemylio & M. Liuio Coſſ. medicum admiſere: eique ius Quiritium datum, & taberna in compito Acilio emta. Mireque gratus eius aduentus initio. Mox à ſæuitia ſecandi uren-

di urendiq; Carnifex dictus, in tædium & artem & medicos omnes uocauit. Plin. lib. 29. cap. 1.

Aeſculapij templum extra urbem in inſula fecerunt ROMANI, neceſſitate coacti, non uoluntate. Medicinam enim nemo niſi coactus admittit. Quinimò tempore Plinij, ſolam hanc artium Græcarum nondum exercebant Romani, indignam grauitate ſua eam iudicantes: & ſeruis potiùs, iisque Græcis, quàm ingenuis conuenientem. Idem.

ADRIANVS Cæſar moriturus dixit illud uulgatum: πολλοὶ ἰατροὶ τὸν βασιλέα ἀπώλεσαν. Eraſm. lib. 6. Apophth.

M. CATO Cenſorius ſummo odio non medicinam, ſed Græcos medicos proſecutus eſt, ita ut ad Marcum filium ſcripſerit: Bonum eſt eorum literas inſpicere, non perdiſcere. Quãdocunque iſta gens ſuas literas dabit, omnia corrumpet: tum etiam magis, ſi medicos ſuos huc mittet. Iurarunt inter ſe, barbaros necare omnes medicina: ſed hoc ipſum mercede faciunt, ut fides iis ſit, & facilè diſperdant. Nos quoq; dictitant barbaros, & ſpurciùs nos quàm alios opicos appellatione fœdant. Plin. lib. 29. cap. 1.

AVRELIANVS Imp. ægrotus nunquam medicum uocauit, ſed inedia curabat ſe. Sab. lib. 7. Ennead. 7.

In SEPTENTRIONALIBVS regnis rariſſimi medici repeiuntur: non quòd de arte, uel experientia bene curandi addubitent, ſed ob diſſolutum uictum ægrotorum. At Chirurgi plurimi, propterea quòd raro dies abſq; hoſtium incurſu aut priuatis uulneribus exigitur. Olaus lib. 16. cap. 50.

FRAN. Petrarcha conſilia medicorum adeò ſpreuit, ut nunquam eorum pharmacis uti uoluerit, naturam ſibi magiſtram, medicorum conſilia uana eſſe dicens. Hier. Squarzaficus in eius uita.

ALBERTVS II. Imp. Budæ ex immodico peponum eſu læuorem inteſtinorum, contraxerat. Suadebant medici quietem, ne agitatione inteſtina exulcerarentur. At ille mutationem loci, genitaliſq; ſoli auram, plus quàm curam medicorum profuturam ſperans, iter ingreſſus, ut Viennam peteret, haud procul à Strigonio, in pago, quem Lõgum cognominant, ultimum reddidit ſpiritum, cùm nondum toto biennio imperaſſet. Dubrauius lib. 28.

ANGELVS epiſc. Aretinus graui morbo uexabatur. Adhibiti medici, aut pharmacis utẽdum, aut pereundum dicebãt. Cæterùm natura à medicamentis abhorrens, cùm negaret ſe ea ſumturum, precibus tamen amicorum motus, pariturum ſe reſpondit. Illi ſyrupos diebus aliquot ad epiſcopum miſerunt: quas omnes in pelui ſubtus lectum collocauit, tandem quoque pharmacum purgans. Manè cùm medici ægrum fermè liberum à febri comperiſſent, idq; ſuis tribuerent potionibus: tum ille, Magnas enimuerò & priùs incõpertas mihi uires habere uidentur, quæ ſubtus lectum poſitæ ſanitati me reſtituêre. quid facturæ, ſi eas potaſſem? immortalem me profectò reddidiſſent. Hoc dicto, theſaurum medicum proferri, & in cloacam abijci iuſſit. Poggius in Medicinæ & Iuriſprudentiæ comparatione.

## VENEFICI, CONSIDERATI RESPECTV

### EFFICIENTIS. ALII

#### NATVRA.

THYBIES ſeu Thybios, Ponti quõdam accolas, Phylarchus ſcriptum reliquit, non pueris modò, uerùm etiam adultis peſtiferos fuiſſe. Etenim uiſum, animam, & alloquium eorum tabem contactis corporibus & morbum afferre. Plut. lib. 5. Conuiu. quæſt. 7.

#### CONSILIO, ARTE.

*De his quoque ſub Iniuſtitiæ profanæ loco. Ex Tit. Veneno petiti, & interfecti, huc non pauca accommodari poſſunt. Illic Patientium, hic Agentium habetur ratio.*

### FINIS. VENEFICIA

#### IN GENERE.

*Vide Tit. Miracula magica.*

CIRCE Solis fuit filia, Medeæ amita. De matre non cõuenit: Cicero Aſteriam Latonæ ſororem dicit: Homerus Perſan Oceani filiam. Diodorus aliter fabulam narrat. Peritiſſima fuit uirium herbarum, & philtra excogitauit, nupſitq; Scythæ Sarmatarum regi, quem uenenis ſuſtulit. Ideo à ciuibus pulſa, in inſulam quandam Oceani deſertam fugit, ſeu, ut alij tradunt, in promontorium, quod de eius nomine Circeios nominant. Circeium ſunt qui inſulam putent, ſed promontorium eſt in modum inſulæ deformatum, ut inquit Strabo. In maiore Pharmacuſſarum ſepulcrum Circes oſtenditur. Hæc maga, quæ ſocios Vlyſſis in uarias beſtias mutauit, celebratiſſima eſt libris Homeri, Theocriti, Vergilij, & cęterorum poëtarum, tum etiam qui ſoluta oratione ſcripſerunt. L. Viues in lib. 18. Aug. de ciuit. Dei, c. 17.

#### IN SPECIE. VTPVTA

*Amatoria.*

*Exempla aliquot ex Aſtutiæ amatoriæ titulo petantur.*

IYNX, Suadelę filia, cùm Iouem pharmacis in ſui deſiderium attrahere conaretur, à Iunone in auem ſui nominis mutata eſt, quam Motacillam uocant Latini. Natalis Comes Mythol. lib. 6. cap. 6.

*Hoſtilia.*

*Conſule locum Stratagematum, in Commeatu corrumpendo.*

Occa, Hengiſti F. Saxonum dux, ab Aur. Ambroſio Britannorum rege profligatus, pactis in quatuor menſes induciis, Copam Saxonem ſubornat, ut monachi habitu medicique profeſſione aſſumta, regem, qui hectica febre laborãs remedia nulla reſpuiturus uidebatur, ueneno tolleret. Egit ille perſonam tam dextrè, ut tandem ſoporifero poſt longas uigilias exhibito, quem dormire putabant aulici, mortuum inuenerint. H. Boethius lib. 9.

Alfonſus Cardinalis, Pandulphi Petruccij Senenſium tyranni F. unà cum fratre Borgheſio à Leone X. Pp. translato ciuitatis imperio in Raphaëlem Petruccium, domo pulſus, VERCELLIVM circumforaneum chirurgum maximis pollicitationibus perpulit, ut in necẽ pontificis operam præſtaret, ſi curãdæ fiſtulæ ergô, quæ illi in ima ſede abſceſſus nata erat, excluſo uetere medico uocaretur. In hanc ſpem Alfonſus Vercellij peritiam atque felicitatem laudando, per Iulium Blancium Leonis cubicularium, & Cardinales gratia familiaritateq; ualentes aſſiduè commendabat: iamq; exturbato uetere medico, loco Vercellio erat patefactus, niſi Leo cunctis aduerſantibus ſalutari quadam uerecundia, minimè ſe nouo medico aperiendum eſſe iudicaſſet. Detecta autem re per interceptam epiſtolam arbitrariis conſcriptam notis, Alfonſus captus in carcere ſtrangulatur, Vercellius & Antonius Alfonſi ſcriba curru per urbem circumducti, carptimq; diſcerpti, candentium forcipum morſibus, ad extremum ſtrangulati, in fruſta ſecti ſunt. Cardinalibus tribus crimen faſſis, & ſupplicibus, Leo clementer ignouit. Iouius in Leone.



# Voluminis Quinti Liber III.

## De Mathematicis Disciplinis.

MATHEMATVM, quæ philoſophiam Naturalẽ ſequuntur, communis ratio in abſtractione poſita eſt: ſpecies uerò ſunt uariæ. Totum genus μαθηματική dicitur, quòd olim pueris (antequam linguarum neceſsitas inuecta eſſet) primo loco diſcẽda proponerentur, ut ſenſui obiectis demonſtrationibus ad eas, quæ ſola ratione in phyſicis & metaphyſicis traduntur, promouerentur, & per hos ueluti gradus ad arcem ſapientiæ aſcenderent. Interdum ſpeciei nomine Geometria appellatur. Ex quo nominum abuſu ſpecies inter ſe alioqui affines atque ſimiles magis adhuc confunduntur. Quarum accurata diſtinctio, etſi ne ab ipſis quidem Mathematicis circa maiora occupatis traditur, in ea tamen periclitari operæpreciũ duximus, quòd ea neglecta, Tituli mathematici diſertè proponi nequeant. Ex ſubiecti igitur uarietate Mathemata diſtinguemus, ut Titulorum ſeries, magis conſtet. MATHEMATICVS circa res naturales & artificiales dupliciter uerſatur. uel ut ſunt

QVANTAE. *Quantitas materiale uidetur accidens eſſe. Corpora quanta dicuntur dupliciter: uel quatenus*

- Continua, *ſecundum Vnitatem ſiue Continuitatem totius ſubiecti. Huius conſideratur tum*
  - Magnitudo, *ueluti materialis: cuius cognitio per totius dimenſionem habetur. Genus eſto, ARS menſoria. Huius*
    - Principia *traduntur, tum*
      - Dimetiendi *actu, à* GEOMETRIA: *quæ non terram tantùm, ſed & cœlum dimetitur, neq; naturalia tantùm, ſed & artificialia corpora: à terra tamen propter certitudinem ſenſibilem κατ᾽ ἐξοχὴν nomen accepit.*
      - Deſcribendi *ea quæ fueris dimenſus, à* GEOGRAPHIA, *ſic dicta in genere, uti prior illa Geometria.*
    - Principiata *ex ſubiecto diuiduntur. Fiunt enim ex principiis communibus & dimenſiones & deſcriptiones corporum, ut longa, lata, profunda, alta ſunt. Et quidem corporum*
      - Deſcriptio *ueluti uniuerſalium, uel eſt Mundi*
        - Totius. COSMOGRAPHIA.
        - Partis. *Corporum ſcilicet tum*
          - Cœleſtium, *ſic Aſtrorum eſt certa dimenſio.*
          - Elementarium, *uel*
            - Omnium *ſimul.* GEOGRAPHIA *in ſpecie.*
            - Quorundam *ſeparatim, utputa*
              - Regionum. CHOROGRAPHIA.
              - Locorum. TOPOGRAPHIA.
      - Dimenſio *ueluti particularium, uerbi gratia*
        - Turrium, *Doliorum,* STEREOMETRIA *dicitur.*
        - Agrorum, GEODAESIA *appellatur.*

Motus ueluti formalis, ſiue à forma proueniens: cuius cognitio per ſubiecti uariationem & diſsimilitudinem habetur. Genus eſto, ARS motoria. Motus corporum conſideratur uel

Paſsiuè, quatenus à principio interno, à natura ſcilicet mouentur. Sic in reliquis corporibus naturalibus motus conſideratio uidetur Phyſica eſſe, V. G. hydraulicorum, pneumaticorum, &c. At corporum cœleſtium, Mathematica, quoniam propter ingentem diſtantiam non ſenſus iudicio, ſed rationis adminiculo, uarios orbes atque circulos excogitantis, perpendi debent. ASTRONOMIA dicitur. Quæ licet de Aſtrorum magnitudine quoq; agat, nō tamē ex profeſſo, ſed precaria Geometriæ utitur opera: uti etiā Arithmeticæ.

Actiuè, quatenus in alia corpora agunt, ſuamq; qualitatem illis communicant. Reliqua corpora phyſica omnia licet per motum patiantur: attamen & agunt mouendo alia, & ad Phyſici pertinent contemplationem. At cœleſtia, quæ motu, calore & influxu in hæc inferiora agunt, mathematicis ſubijciuntur, ut uarijs ſynodis, oppoſitionibus excogitatis, ratio influxuum probabilis reddi queat. ASTROLOGIA.

Diſcreta, ſecundùm diuerſitatem partium, ex diuiſione ſubiecti ὄντως ἢ φανταστικῶν productarum. Partes iſtæ rurſus conſiderantur dupliciter: uel reſpectu

Totius, quod è partibus quotis conſtituitur, quarum menſura eſt Numerus. ARITHMETICAE propoſita eſt Numeratio. Hæc enim nihil aliud agit, quàm ut totum partium dinumeratione quotum eſſe oſtendat. Atque in his partibus numerus materialiter quodammodo uidetur conſiderari: quandoquidem id quod numeratur, totum quiddam uidetur eſſe, ex partibus numeratis conſtans.

Suijpſius, ſiue inter ſe, quam ſcilicet inter ſe partes hæ quotæ proportionem habeant. MVSICAE ſubiecta eſt Proportio. Namque in eo ſolo occupatur, ut partium numeratarum analogiam declaret. Proinde in partibus iſtis numerus formaliter quodammodo uidetur conſiderari, non ſimpliciter ut numerus, ſed ut numerus analogicus, in quacunque tandem materia ſit, quæ cadat uel ſub uiſum, uel ſub auditum, ut in ſonis. Proportio muſica ratione ſubiecti diuiditur: quoniam uerſatur uel circa

Concreta, conferendo proportiones Rerum (& dicitur proportio Geometrica) quatenus habent

Magnitudinem, menſurando, per Menſuras.

Grauitatem, pendendo, per Pondera.

Abſtracta, conferendo proportiones Numerorum, tum reſpectu

Totius, quod è partibus numeratis conſtat. Proportio Arithmetica dicitur.

Partium, quæ inter ſe certam habent proportionem. Et hæc proportio Muſica κατ' ἐξοχὴν dicitur: quoniam circa proportionum proportiones occupatur.

QVALES. Qualitas formale accidens uidetur eſſe. Reliquarum qualitatum conſideratio ad Phyſicum pertinet. Figura ſola, quatenus uarios effectus uel ὄντως uel φαινομένων producit, peculiarem habet conſiderationem. Conſideranda ſunt igitur hìc tum

Principia. Quemadmodum forma phyſica ex materia phyſica educta, phyſicum corpus conſtituit: ita quoque figura mathematica ex materia mathematica quanta, ex puncto ſcilicet, linea & ſuperficie, corpus mathematicum generat, quod mirandorum effectuum cauſas continet. Propter excellentiam abſtractionis, & certitudinem demonſtrationis, uidetur ΜΑΘΗΜΑΤΙΚΗ κατ' ἐξοχὴν & in ſpecie dici: non ſecus atque in naturali Philoſophia ea pars, quæ eſt de principiis, φυσικὰ nomine generis appellatur.

Principiata, hoc eſt, effectus ueri ex principiis illis imaginariis emergentes, qui ſiue natura ſiue arte conſtent, cauſas haſce ταύτας uidentur habere, ita quidem ut & cauſæ effectibus, & effectus cauſis reſpondere duce ſenſu deprehendantur. Et uerò hìc iam mathematica ad Mechanicas artes ſeſe demittit, & MECHANICA euadit, quoniam dirigit mechanicorum artificum conatus omnes, pictorum ſcilicet, ſtatuariorum, architectorum, fabrorum machinalium, ſpeculariorum, &c. Licet enim artifices iſti Geometriæ quoque ope in dimetienda & deſcribenda materia, cui forma inhæret, ope itidem Arithmeticæ in dinumerando utantur: formæ tamen potior eſt conſideratio, & propterea huic parti nomen Mechanicæ κατ' ἐξοχὴν inditum eſt. In uniuerſum autem quo quæque ars mechanica propinquior eſt mathematicis, eo liberalior exiſtit: uideturq; adeò hæc ipſa ἀρχιτεκτονικὴ uerè dici poſſe, quatenus artificibus mechanicis omnibus imperat: & rectè μέρος τῶν μαθηματικῶν à Strabone libro I. ἀρχιτεκτονικὴ uocatur. Diuiditur porrò Mechanica ex effectuum diuerſitate. Nam effectus iſti, quorum cauſas tradit Mathematica ex figuris, ſiue à natura ſiue ab arte fiant, uel reperiuntur in ſubiecto.

Subtili, & quoad ſenſum quaſi incorporeo, ut puta in

Sono, quem auditus percipit quodammodo ἀΰλως. Sic uerbi cauſa fornices quidam concamerati uocem triplam, ſeptuplam reddunt.

Lumine, quod uiſui obijcitur quodammodo ἀΰλως. Huc tota OPTICE, cum Catoptrica & Meſoptica, pertinet. Effectus enim quem ſpecula edunt, edunt ratione luminis & radiorum ex certis figuris conſurgentium. Licet ergo effectus ſit corporeus, utputa combuſtio corporum, tamen illud, quod cauſa eſt combuſtionis, radij uidelicet, ſunt ſubtilia corpora, & quodammodo ἄϋλα.

Craſſo, & quo ad ſenſum planè corporeo, ita ut ſenſu materialiter deprehendi queat. Sic ſub uiſum Pictura, ſub tactū ſimul & uiſum Statuaria & Architectura cadit, ſiue domos ſiue machinas extruat. Quarum artium principia à mathematicis ſunt ſumenda.



# LIBRI TERTII
## TITVLORVM
### DISPOSITIO.

- PRO Titulorum populari diſtinctione, exemplis accommodata, Mathematicos conſiderabimus partim in
  - Genere ſecundùm
    - Habitum, quem
      - Poſsident. MATHEMATICI in genere. Mathematū in genere inuētores, doctores, profeſſores.
      - Exercent. Huc pertinent
        - IVDICIVM Mathematicum.
        - VSVS Mathematum in genere.
        - CERTAMINA mathematica.
    - Cultum. MATHEMATVM in ſeipſo aliiſue Amor, ſtudium: uel Odium, contemtus.
  - Specie, cùm alij uerſentur circa
    - Quantitatē
      - Continuam, nempe circa
        - Magnitudinem, et Dimenſionem corporum naturalium. GEOMETRIA, Stereometria, Geodæſia, Coſmographia, Geographia, Topographia, Chorographia. Huius perpendemus
          - Acquiſitionem
            - INVENTORES.
            - DOCTORES, Diſcipuli.
          - Poſſeſsionem. GEOMETRAE, Geographi
            - Periti.
            - Imperiti.
          - Exercitationem. GEOMETRIAE et Geographiæ
            - Iudicium.
            - Vſus
              - Aptus.
              - Ineptus.
            - Certamina.
          - Cultum. GEOMETRIAE & Geographiæ Studium, uel Odium.
        - Motum. Vide ſignum I.
      - Diſcretā, nēpe circa
        - Numerum, ARITHMETICAE
          - Habitus:
            - Inuentio.
            - Communicatio. Huc
              - Scriptores.
              - Doctores.
            - Vſus, ratione habita
              - Subiecti. Ad
                - Tēporū diſtinctionē et ſupputationē.
                - Diſciplinas.
                - Contractus & Mercimonia.
                - Tributa.
              - Modi. Vel
                - Aptus.
                - Ineptus.
            - Certamina.
          - Cultus. ARITHMETICAE
            - Studium.
            - Odium, Contemtus.
        - Proportiones, MVSICA. Vide in ſequentibus ſignum II.
    - Qualitatē, circa Figuram ſcilicet, occupati in
      - Principiorum cognitione. MATHEMATICAE excellenter dictæ
        - Inuentores. Scriptores.
        - Diſcipuli. Exercitia.
        - Iudicium mathematicum.
        - Diſputationes, Certamina. Vſus.
      - Principiatorum deductione. MECHANICAE matheſeos
        - HABITVS. Mechanici, Machinarij mathematici. Huc pertinent
          - Inuentores. Doctores. Scriptores.
          - Exercitatio mechanica.
          - Vſus cōſideratus reſpectu
            - Vtentis. Machinæ Huc
              - Aſtronomicæ.
              - Medicæ.
              - Nauticæ.
              - Metallicæ. Bellicæ.
            - Effectus. Cuiuſmodi ſunt Machinæ
              - Mobiles, αὐτόματα.
              - Mouentes, ἑλκτικὰ, σπαστικὰ.
              - Indices
                - Horarum.
                - Ventorum.
              - Sonoræ.
        - CVLTVS. Nēpe Mechanicæ
          - Studiū
            - Artificum.
            - Operum, ea
              - Admirando.
              - Cōmunicando.
          - Odium, Contemtus, Neglectus
            - Artificum.
            - Operum.

- I. Circa motū occupantur cœleſtiū corporum, uel quatenus
  - Mouent. ASTRONOMIAE conſiderādus
    - Habitus. Nēpe quo ad
      - ACQVISITIONEM. Vel
        - Inueniendo.
        - Diſcendo. Huc Aſtronomiæ
          - Doctores.
          - Diſcipuli.
      - POSSESSIONEM. Aſtronomiæ
        - Periti.
        - Imperiti. In
          - Genere.
          - Specie, puta
            - Solis occaſus.
            - Anni. Biſſexti.
            - Eclipſium.
            - Solſtitiorum.
            - Pleniluniorum.
            - Feſtorum dierum.
      - EXERCITATIONEM: uel
        - Theoricam. ASTRONOMIAE exercitatio in
          - Cognoſcendo, Obſeruando.
          - Cōmunicando aliis
            - Doctrinam, Docendo.
            - Effectus, Prædicendo.
          - Iudicando.
          - Certando. Certamina Aſtronomica.
        - Practicam. VSVS Aſtronomiæ reſpectu Finis
          - Proprij. Ad cognitionem
            - Temporum in
              - Genere, nempe
                - Anni.
                - Dierum, Horarum.
              - Specie, quatenus tempus eſt numerus motus. Sic inſeruit cognitioni
                - Ruſticorum operum.
                - Vrbis occupādæ.
            - Effectuum cœleſtium
              - Futurorum. Prædictiones aſtronomicæ.
              - Præſentium. Declarationes Aſtronomicæ.
            - Locorum, Regionum.
          - Improprij. Confert ad
            - Animandū, Metum eximendū.
            - Gloriam.
            - Mortis contemtum.
    - Cultus. ASTRONOMIAE CVLTVS, nēpe
      - Studium, Amor, tum
        - Artis,
        - Artificum.
      - Odium, Neglectus, Contemtus.
  - Mouent. ASTROLOGIAE
    - Poſſeſsio. ASTROLOGI, Chaldæi, Mathematici critici, Genethliaci, tum Docti, tum Indocti.
    - Exercitatio. Huc ASTROLOGIAE
      - VSVS, nempe
        - Præſentium quæ fiunt, fieriue in præſens debent, COGNITIO.
        - Futurorum PRAEDICTIO, præcognitio:
          - Vera, eorū quæ pertinent ad
            - Annum: ut
              - Tempeſtatis.
              - Vbertatis, Fertilitatis.
            - Loca:
              - Loci celebritatis.
              - Vrbium direptionis, excidij.
            - Perſonas in
              - Genere.
              - Specie:
                - Periculi.
                - Mortis.
                - Imperij.
                - Deiectionis ab imperio.
                - Bellorum.
                - Victoriæ.
                - Cladis.
                - Inimicorum.
                - Carceris.
                - Nuncij felicis.
          - Falſa.
      - Iudicium aptum uel ineptum.
      - Certamina.
    - Cultum. ASTROLOGIAE Studium uel Odium.

II. Mv-



- II. MVSICAE conſiderandus
  - Habitus, tum ratione
    - Acquiſitionis
      - Per ſe. INVENTORES muſicæ artis in
        - Genere.
        - Specie:
          - Modorum.
          - Inſtrumentorum.
      - Ab alio. DISCIPLINA Muſicæ. Huc
        - Doctores:
          - Præceptione.
          - Scriptione.
        - Diſcipuli.
    - Poſſeſſionis, tum in
      - Genere. MVSICI in genere.
      - Specie. Muſica alia
        - Simplex
          - Abſque organo, ſola uoce humana conſtans. CANTORES.
          - Cum organo. Huc ij qui uti poſſunt
            - Multis inſtrumētis.
            - Vno inſtrumento: quod ipſum uocis humanæ uſum uel
              - Non impedit, & iccircò liberale olim fuit habitū. Tales ſunt FIDICINES, Lyriſtæ, Citharœdi.
              - Impedit, ut
                - FISTVLICINES.
                - TIBICINES.
                - TVBICINES.
        - Cōpoſitus, ex ſonis, qui ſunt generis
          - Eiuſdem, utputa uel ex Vocibus uariis, uel Sonis uariorum organorum.
          - Diuerſi: nimirum ex uoce & ſono; auctoris uel Eiuſdem (ſic Citharœdus ipſe ſuæ citharæ accinit) uel Diuerſi: ſic tibiæ accinit cantor, Aulœdus: ſic Choraules tibiam cantui accōmodat.
    - Exercitationis, reſpectu
      - Perſonarum. Qui MVSICA exercitia
        - Obierint:
          - Viui:
            - Gentes, Populi. Pontifices.
            - Principes, Reges. Duces. Philoſophi.
            - Ægroti. Liberi. Serui. Captiui.
          - Mortui.
        - Non obierint, neglexerint.
      - Modi. EXERCITIORVM Muſicorum ſpecies. Vtputa
        - Pręcepta dando:
        - Exempla
          - Proponendo. Componendo.
          - Edendo:
            - Peritè.
            - Imperitè.
          - Corrigendo.
        - Iudicando, tū in
          - Genere.
          - Specie. De
            - Artis
              - Modis. Organis.
              - Dignitate, Iucunditate, Vſu.
            - Exercitio
              - Artificum. Certantium.
              - Diſcentium.
        - Diſputando. Diſputationes Muſicæ.
        - Certando. Certamina muſica.
      - Euēti. MVSICES uſus, Effectus. Reſpectu
        - Subiecti, ſiue Perſonarū, quibus conferat. Puta
          - Hominib.
            - Infantib. Oratoribus. Ducibus.
            - Mechanicis. Legatis. Captiuis.
          - Brutis.
        - Tēporis atq; Loci, Qū, et Vbi. Videlicet in
          - Sacris. Cōuiuiis. Acie, Prælio.
          - Spectaculis, Ludis.
          - Cubitu, Somni tēpore. Funere.
        - Finis. Cur. Adhibetur ergo uel ſua uel aliorum cauſa ad
          - Animi motus in
            - Genere.
            - Specie. Sic Muſica poteſt
              - Propheticū ſpiritū excitare. Memoriam firmare.
              - Studia grauiora lenire. Cicurare.
              - Pietatē, Dei cultū promouere. Caſtitatem tueri.
              - Tēperantiæ conſulere. Fortitudinē explorare.
              - Furorem martium immittere.
              - Ad bellum hortari: Ad prælium animare.
              - Furorem extinguere. Iram ſopire.
              - Seditionem ſedare. Timorem exuere.
              - Triſtitiam pellere.
          - Corporis morbos.
  - Cultus. MVSICAE
    - STVDIVM in
      - Arte
        - Addiſcenda. Cōmunicanda. Conſeruanda. Exercenda.
        - Audienda. Vtenda.
      - Artificibus
        - Conducendis, Inſtituendis.
        - Fouendis, Amandis. Ornandis.
    - ODIVM. Tum
      - Cuius, in
        - Genere:
        - Specie:
          - Cantus. Lyræ, Citharæ.
          - Tibiæ. Fiſtulæ.
      - Quē:
        - Artem contemnendo, præferendo alia.
        - Artifices
          - Non audiendo. Deſerendo. Inſectando, Reprehendendo.
          - Sugillando, Irridendo. Defraudando. Multando.
        - Organa corrumpendo.

# MATHEMATICI IN GENERE. INVENTORES, DOCTOres, Profeſſores mathematum in genere.

*De Mathematicis hîc in uniuerſum, quos nomine ſpeciei etiam Geometras dicunt: de ijs inquam, qui uel non in certa aliqua, uel certè in pluribus ſimul Mathematicæ ſpeciebus ſeſe exercuerunt. Sunt enim ita inter ſe cognatæ ſcientiæ Mathematicæ, uti facultates Organicæ: nec facilè quis in una excellit, niſi in cæteris quoq; ſit uerſatus. Hiſtoriam ſucceſſionis mathematicæ diſciplinæ ex P. Rami Procœmio mathematico breuiter deducemus.*

ADAMVS, ſiue diuina reuelatione, ſiue aſtrologiæ peritia, uniuerſalem rerum interitum prædixit: unum incendio, alterum diluuio. Eius nepotes, SETHI filij, per manus acceptā ſapientiam excolentes, ne mathematicæ artes planè perirent, excitarunt duas columnas: alteram lateritiam contra diluuia, alteram lapideam, contra incendia, & utriq; ſua inuenta inſcripſerunt: ut ſi lateritiam diluuio deleri contingeret, lapidea ſuperſtes hominibus diſcendi copiam faceret, teſte Ioſepho lib. 1. cap. 3. Antiq. qui lapideam ſua ætate adhuc in Syria extitiſſe ſcribit. Mathematis igitur ea in gente continuatis, ABRAHAMVS extitit, qui ex mundi huius admiranda harmonia ad unius Dei cognitionem aſcendens, uti Theologus ſummus, ita quoq; Mathematicus fuit excellentiſſimus. At quia Chaldæi & Meſopotamij & Aſſyrij cæteri, contra ipſum mouebantur religionis nomine, in Chananæam uenit. Fame inde exactus, cum Aegyptiis ſacerdotibus congreſſus, magna apud Pharaonem rege auctoritate & gratia, mathemata illis cōmunicauit: & ſic è Chaldæa Mathematum ueluti colonia in Aegyptum deducta eſt. Ager certè à Pharaone AEGYPTIIS ſacerdotibus in ſtipendium mathematicæ profeſſionis aſſignatus eſſe, [redacted]traditur. Apud Hebræos interim, reuerſo in Chananæam Abrahamo, per ſucceſſionem quandam diuini patres: apud Aegyptios, ſacerdotes mathemata ſunt profeſſi.

THALES Mileſius, primus Græcorum, anno ante Chriſtum circiter 584. in Aegyptum peregrinatus, Geometriā ad Græcos traduxit, contemplationem de lineis, quam priùs Euphorbus Phryx inchoauerat, abſoluit, & adſcriptionis trianguli & circuli lætitia elatus, bouem immolauit. Pyramides Aegyptias dimenſus eſt ex proportione umbrarum. Circa æquinoctia & ſolſtitia quædam obſeruauit, item de Vrſa minore, teſte Laertio, Callimacho & Eudemo. Solis eclipſim primus prædixit, auctore Hippia & Ariſt. Primus alia καθολικώτερον, alia αἰσθητικώτερον explicauit. Succeſſit huic AMERISTVS uel Mamercus uel Mamertinus, frater Steſichori poetæ, ſummus in Geometria, nullum tamen illius inuentum narratur. PYTHAGORAS uerò Samius familiam Mathematicorum ingentem extulit, circa Arithmeticam plurimùm elaborauit, Geometriam ad ſummum produxit, teſte Laertio. Thaletis imitator cùm in aliis, tum in hecatombe Muſis ob inuentionem nouam immolanda, ut Laertius & Athenæus lib. 10. cap. 3. teſtantur. Aſtrologica prognoſtica reliquit uaria. Muſicam in aſtris deprehendit, & ad mitigandos animi affectus traduxit. Primus mathematicæ ludum aperuit, & mathemata ἀΰλως καὶ νοερῶς conſiderauit.

Hunc ſecuti ANAXAGORAS Clazomenius & OENOPIDES Chius, quorum Plato in Amatoribus meminit: & ZENODOTVS Oenopidis diſcipulus: magis nomine quàm monumentis clari.

ANAXIMANDER Mileſius, primus horoſcopia fabricatus eſt, primus terræ mariſq; circuitus deſcripſit, & ſphæram conſtruxit, Olymp. 58. Laertius.

HIPPOCRATES Chius, teſte Philopono in primum Phyſicorum, mercator, cùm in Piratarum nauim incidiſſet, Athenas uenerat prædones accuſandi gratia: & cùm diu Athenis perſequendi criminis cauſa moraretur, acceſſit ad philoſophos, quorum conſuetudine tantum in Geometria profecit, ut duas res in Geometria maximas tentarit, ualdeque promouerit, τετραγωνισμὸν, quadraturam circuli, & duplicationem cubi. Circuli quidem quadraturam non inuenit, ſed cùm quadraret lunulam, falſò arbitratus eſt, ex hac circulum quadrari. Nam ex lunula quadrata circulum quadratum eſſe arbitrabatur. Omnium mortalium in diagrammatis ſolertiſſimus fuit. ſicuti poſtea CRATISTVS, Proclo teſte, qui ſine arte, ſolo naturæ acumine promtè quoduis problema diiudicabat. Cæterùm Hippocrates primus στοιχειωτὴς & elementorum ſcriptor dicitur, qui cuncta compoſuit & formauit: ut primus mathematicæ parens uideri poſſit.

BRISONIS quadraturam Ariſt. primo Poſt. & primo Elenchorum, ANTIPHONIS item in primo Phyſicorum reprehendit ut ſophiſticam.

DEMOCRITVS Abderites de geometria, de lineis irrationalibus & ſolidis, de aſtronomia, coſmographia, actinographia, de ſideribus uagis, de muſica ſcripſit.

THEODORVS Cyrenæus, Platonis in mathematis magiſter. Plato in Theæteto.

PLATO, mathematicorum omnium ueluti Homerus, à Pythagoræis in Italia, à ſacerdotibus in Aegypto mathematica inuenta hauſit, excoluit. Primus mathemata nominauit στοιχεῖα, tanquam principia & rudimenta. Primus inchoauit ſectiones conicas & cylindricas: modum demonſtrationis per analyſin inuenit, teſte Proclo & Laertio. Geometriam mirè amplificauit, ſic ut Academiæ quoque ſuæ inſcriberet, οὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω. quod tamen ad iuſtitiam è geometrica proportione, Tzezes nimis allegoricè retulit.

LEODAMAS Thaſius à Platone didicit Analyſeos modum, cuius beneficio multa in geometria inuenit, teſte Laertio & Proclo: & theoremata εἰς ἐπιστημονικωτέραν σύστασιν adduxit.

ARCHYTAS Tarentinus, Platonis poſt Theodorum magiſter, uel certè ſocius, tum alia tum inprimis cubi duplicationem ſcripſit. Primus mechanicam, mathematicis principiis uſus, artificiosè tractauit. Lignea illius columba uolans à Gellio prædicatur.

THEÆTETVS Athenienſis, de cuius nomine Plato dialogum inſcripſit.

NEOCLIDES Leonte diſcipulo celebris, qui Leo modum inuenit, quo problema ſtatueretur poſſibile uel impoſſibile. Mathematicæ uniuerſæ elementa conſcripſit, eaq; ad uſum adaptauit. Ergo tertius doctor & magiſter fuit poſt Pythagoram & Hippocratem: ſecundus ab Hippocrate στοιχειωτὴς, qui mathematicam fecit ἐπιμελεστέραν, hoc eſt, multitudine & uſu accuratiorem.

EVDOXVS Gnidius, in arithmeticis magnus, generalia theoremata amplificauit, totum in Elementis quintum librum de analogiis inuenit, doctrinam ſectionum à Platone inchoatarum auxit, aſtrologicas hypotheſes reuoluentium ſphærarum primus reperit, contra Chaldæorum prædictiones de natali die diſſeruit, teſte Cic. Traduxit & iſte mathematicas meditationes ad uſum mechanicum, ſicuti Archytas: & propterea à Platone reprehenſi ſunt, quòd philoſophiam quodam modo proſtituere uiderentur.

AMYCLAS Heracleotes Platonis familiaris, & MENECHMVS Eudoxi diſcipulus, Platonis uſus conſuetudine, cum fratre DINOSTRATO perfectiorem reddidêre geometriam. Menechmus ſectiones conicas reperit.

THEVDIVS elementa conſcripſit, & è peculiaribus ueterum inuentis pleraque fecit uniuerſaliora: Pythagoræ, Hippocratis Leontiſq; στοιχειώσει correcta. Ergo hic tertius στοιχειωτὴς eſt, qui mathematicam καθολικωτέραν fecerit.

HELICON Cyzicenus, Dionyſio minori ſolis eclipſin prædicens, in magna fuit admiratione: talentoq; ab eo donatus eſt. Plutarchus in Dione.

HERMOTIMVS Colophonius, quartus στοιχειωτὴς, elementa multa reperit, ueterumq; inuenta fecit ampliora.

PHILIPPVS Mendæus, Platonis diſcipulus, explicauit omnia Platonis philoſophiæ conducentia: quem etiam laborem poſtea THEON Smyrnæus ſuſcepit. Alex. Aphrodiſiæo in Meteoris teſte, comperit opticum illud admirabile iridis, quòd inſequentes fugiat, fugientes inſequatur.

XENOCRATES ſcripſit de numeris, de geometria, de aſtrologia.

ARISTOTELES condiſcipulus Xenocratis, mathematica, mechanica, optica, muſica ſcripſit: in eo laudandus, quòd ſpreta auctoritate Platonis præceptoris, ad uſum reuocauit mathemata in mechanicis & opticis. Sicuti ergo Hippocrati, Leoni, Theugio, Hermotimo στοιχειώσεις ſiue præceptorum cognitio, accepta eſt referenda: ita Archytæ, Eudoxo, Ariſtoteli ipſa exercitatio ſiue uſus.

EVDEMVS & THEOPHRASTVS diſcipuli Ariſtotelis. Hic de numeris, de hiſtoria geometrica, de lineis indiuiduis ſcripſit: ille uerò hiſtoriam geometricam, & in Archimedem, teſte Laertio & Proclo.

EVCLIDES Megarenſis Ptolemæo primo familiaris. Valer. Max. lib. 8. cap. 13. conductores ſacræ aræ de duplicando cubo à Platone ad Euclidem relegatos contra Procli auctoritatem teſtatur. Collegit elementa, pleraque in iis Eudoxi compoſuit, pleraque Theæteti perfecit, aliaq; demonſtrationibus exactiùs confirmauit. στοιχειωτὴς ergo quintus hic eſt, non inuentione, ſed diſpoſitione cæteris excellentior. Optica, catoptica, muſica, de diuiſionibus ſcripſit.

ERATOSTHENES Cyrenæus centum annis pòſt, ob excellentiam doctrinæ minor Plato dictus, regiæ bibliothecæ



Ptolemæorum præfectus, duplicandi cubi artifex ſummus: qua duplicatione inuenta, tabulam præclari inuenti interpretem & nunciam, in templo deorum conſecrauit.

ARCHIMEDES Syracuſanus, in quo ideam matheſeos, ſi aliqua poteſt eſſe, conſtituere iure uidemur, inuentione & iudicio ſummus, methodo tamen docendi perobſcurus: Arithmeticam & Geometriam ſcripſit, in qua præcipuus labor maximeque gratus fuit de ratione ſphæræ & cylindri, eaque propter per amicos ſepulcro ſu[illegible]mponi curauit cylindrum ſphæra comprehenſum, præſcripta ratione comprehendentis ad comprehenſum, tanquam id geometricarum inuentionum palmarium eſſet, teſte Cic. in 5. Tuſcul. Vnus Romanis Syracuſas oppugnantibus obſtitit ſuis machinis, teſte Polybio, Plutarcho in Marcello, Liuio, Plinio, Quintil. libro 1. cap. 10. Atque ut in Mechanicis ſummus, ita Platonis perſuaſione nec ullam mechanicam literam tradere uoluit, teſte Plut. Carpus Antiochenus apud Pappum libro 8. nil niſi librum de compoſitione ſphæræ ab Archimede editum, cætera mechanica uelut indigna contemta ſcribit. Vitruuius tamen lib. 8. cap. 7. Archimedem inter machinationum ſcriptores connumerat, de librationibus aquæ, cuius ſchema ſphæroides uideatur Archimedi. Pappus meminit libri de his, quę uehuntur aqua, item συζύγων. Tzezes multa alia à ſe lecta commemorat, & Plutarchum ſimul & Carpum deridet. Theon & Maurolycus Archimedis libros de ſpeculis comburentibus citant, quorum forma ſit parabolica. Scripſit de numero arenæ, ſcioterica item de dimenſionibus corporum per umbras, fabricam ſphæræ, ſphæras anguloſq; ad ſolis magnitudinem uiſu deprehendendam: quæ ad Marcellum in arcula deferebat, quo tempore interemtus eſt. Planetarum motus in ſphæram alligauit, teſte Cicerone in prima Tuſculan. quā Claudianus uitream fecit. Permiſti cum auro argenti furtum ingenioſè deprehendit, teſte Proclo libro 2. capite 3. & Vitruuio libro nono, capite quinto. Expugnatis à Marcello Syracuſis, à milite quodam per imprudentiam occiſus eſt, intentus formis, quas in puluere deſcripſerat, quamuis edixiſſet Marcellus, ut Archimedes ſeruaretur. Plinius libro 7. capite 37. Plutarchus & Liuius.

GEMINVS geometricarum enarrationum lib. VI. ſcripſit. cuius iudicium aliquando Proclus Euclidis iudicio præponit. Præcipuè circa curuarum linearum ſpecies elaborauit, demonſtrauitq; omnium linearum tres tantùm ſpecies eſſe ſimilares, rectam, circularem, cylindricam. Prima illius laus fuit, è particularibus elementis uniuerſalia facere.

PERSEVS idem argumentum aggreſſus de curuis lineis, tres illas ſpecies, Parabolen, hyperbolen, ellipſin inuenit, lætitiaq; geſtiens, deos placauit.

MENELAVS Alexandrinus, Mileus ab Arabibus dictus, poſt Hipparchum ſex de ſubtenſis libros ſcripſit, ſphærica tribus libris.

PTOLEMÆVS Alexandrinus edidit de cœleſtibus rebus uolumina, omnium ſuperiorum ætatum ſectarumq; bibliothecam quandam, uia & arte commodiore definitam & diſtributam, continentia. Hipparchi libros XII, Menelai VI de ſubtenſis, quinque theorematis contraxit: aſtrologiam Aegyptiam, Græcam, Latinam, Cæſaris imperio ſubductam complexus eſt pari compendio. Quadripartitum, muſica apoteleſmata, itinerarium ſtellarum, planiſphærium, analemma, geographia, nobilis ingenij totidem decora ſunt.

PROCLVS eximius mathematicus, libros IIII. in Euclidem, de ſphæra, de hypotheſibus aſtronomicis ſcripſit. Ab hoc diuerſus PROCLVS mechanicus, qui urentibus ſpeculis apud Byzantium, claſſem Saracenorū deleuit, teſte Zonara.

THEON Alexandrinus Euclidem longiſſimè ſuperauit, & στοιχειώτης ſeptimus fuit. Mathematica elementa, quæ uulgò Euclidi tribuuntur, uidentur Theoni tribuenda. Quarto ferè poſt Chriſtum ſeculo floruit. Euclidis στοιχείωσιν ſuſtulit, Aſtrologiam Ptolemæi confirmauit. Videntur eiuſdem eſſe optica, φαινόμενα & δεδομένα. Hi ergo è ueteribus diſſimili genere laudabiles Mathematici. Hippocrates, Leo, Theudius, Hermotimus, Euclides, Theon, στοιχ[illegible] primum laudis fructum ferent. Nobilitate & amplitudine Pythagoras: Plato, Ariſtoteles ſecundum. Vſu & exercitio Archytas, Eudoxus, Eratoſthenes, & inprimis Archimedes tertium. Hęc Petrus Ramus lib. 1. Procœmij Mathematici.

MERCVRIVS quatuor inueniſſe dicitur, Literas, Muſicam, Geometriam & Palæſtram. Eapropter ſtatuas eius (quas Hermas dixêre) in compitis & gymnaſiis olim infernè in quadratum deſinentes fingebant, ſupernè hominis effigie, manibus tamen pedibuſque truncas. Vnde Cyllenium Feſtus, quaſi κυλλὸν, id eſt, truncatum atque mancum appellari ait. Homeri enarrator, & Brodæus in primo Epigram.

THEVTH dæmon quidam Aegyptius, numeros, ſupputationem, Geometriam, talos & aleam inuenit. Plato in Phędro. Cælius lib. 22. cap. 15.

SASOCHIS, ſecundus Aegyptiorum legiſlator, Geometriæ inuentor, incolis aſtrorum curſus oſtendiſſe dicitur. Diod. lib. 3. de Rebus antiq.

ASCLEPIODORVS Alexandrinus, uir ſingulari fuit ingenio ad omnia mathematica: item ad inquiſitionem cognitionemq; lapidum & herbarum. Suidas.

CAMPANVS primus inter neotericos, circa Salutis annum 1001. Gloſſemata in Euclidem fecit, nonnullaque in aſtrologia compoſuit. Volaterranus libro uigeſimoprimo Anthropologiæ.

## IVDICIVM MATHEMATICVM IN GENERE.

SOCRATES Geometriam eò uſque diſcendam aiebat, donec quis poſſit, ſi uſus ita ferat, terram uel recta metiendi ratione accipere, uel tradere, uel diſtribuere, uel opus deſignare. Atque hoc tam poſſe diſci facilè, ut qui animum ad dimenſionem aduertat, is & ſcire poſſit quanta ſit ipſa terra, & cognita metiendi ratione diſcedat. Verùm in Geometria ad deſcriptiones uſque intellectu difficiles diſcendo progredi, planè improbat. Nec enim, quid eæ res uſus haberent, uidere ſe dicebat: (atqui earum minimè rudis erat) poſſe uerò aiebat eas omnem hominis uitam occupare, ac alias multas utileſque diſciplinas impedire. Hortabatur etiam, ut in aſtrorum doctrina ſe exercerent eò uſque, dum & noctis, & menſis, & anni tempora cognoſcere poſſent, tum itineris ac nauigationis, tum excubiarum cauſa, aliarumque rerum, quæcunque uel per noctem, uel in menſe uel in anno geruntur, ut ad ea ſignis uti poſſent, quibus illorum, quæ commemorauimus, tempora dignoſcerent. Atque hæc aiebat diſci facilè ab iis poſſe, qui noctu feras uenantur, & à nauium gubernatoribus, aliiſque multis, quibus, ut hæc ſciant, curæ eſt. At uerò in Aſtronomia diſcenda eò progredi, dum & illa cognoſcantur, quæ in eodem ſunt ambitu, & errantia uagaque ſidera, & ipſorum à terra interualla & circuitus, eorumque cauſas inquirendo diu ſe macerare: id uerò ne facerent, uehementer dehortabatur. Nam ne in his quidem ullam ſe utilitatem uidere dicebat, quanquam eorum rudis non eſſet: atque etiam addebat, in his quoque uitam hominis uniuerſam contineri poſſe, multaſque & utiles res impediri. Denique in uniuerſum dehortabatur, ne quis ſtudium & operam in res cœleſtes impenderet, quo pacto ſcilicet Deus omnia moliatur. Nec enim illa poſſe ab hominibus inueſtigari putabat, nec diis eum gratificari arbitrabatur, qui, quæ illi manifeſta eſſe noluiſſent, inquireret. Addebat, eſſe periculum, ne qui rebus his perueſtigandis occuparentur, ad inſaniam nihilominus quàm Anaxagoras redigeretur: qui maximè fuiſſet elatus propterea, quòd deorum machinas enarraſſet: Nimirum ille dum ait ignem ac ſolem idem eſſe, ignorabat, ab hominibus ignem cerni facilè poſſe, quum ſolem aduerſum intueri non poſſint: quodque illi qui à ſole colluſtrantur, colore reddantur nigriores, quum id ab igne non fiat. Ignorabat etiam, quòd nihil eorum, quæ terra naſcuntur, abſque ſolis ſplendore poſſit augeſcere, quum omnia, quæ ab igne calefiunt, corrumpantur, Idem quum ſolem eſſe lapidem ignitum diceret, etiam ignorabat, lapidem, qui ſit in igne, neque lucere, neque diu perdurare: quum ſol per omne tempus rebus omnibus ſplendidior maneat. Hortabatur etiam, ut numerandi rationem diſcerent, & in hac conſimiliter monebat, ut ab inani occupatione ſibi cauerent: atque adeò tum ipſe hanc eò uſque perueſtigabat, dum eſſet utilis, tum unà cum familiaribus diſquirebat. Xenophon libro quarto Memor.

ARISTIPPVS Socraticus, ut eſt apud Vitruuium in procœmio libri ſexti, naufragio facto cùm eiectus ad Rhodienſiū litus animaduertiſſet geometrica ſchemata deſcripta, exclamauiſſe ad comites ita dicitur: Bene ſperemus, hominum enim ueſtigia uideo.

Ptolemæus Aegypti rex EVCLIDEM aliquando interrogaſſe fe[redacted]n ad Geometriam uia magis compendiaria eſſet, quam στοιχειώσεως ab eo compoſitæ. Cui Euclides, Semita, (inquit) ô Rex, ad Geometriam regia nulla eſt. Quo reſponſo uidetur ſignificaſſe, uiam elementorum à ſe compoſitorum eſſe latam, apertam, ſimplicem, directam, & tam quam militarem, ideoque regiam eſſe: ſemitam autem, breuiorem eſſe, lubricam & ancipitem, neq; ideo regiam.

P. Ramus libro primo procœmij Mathem. ex Proclo.

## MATHEMATICA CERTAMINA IN GENERE.

ARCHYTAS & EVDOXVS, ait Plutarchus in Marcello, mathematicas contemplationes ab animo & rebus in mentis intelligentiam tantùm cadentibus, ad rerum ſenſibilium & corporearum exempla traduxerunt, Geometriam exornantes uarietate demonſtrationis non ſolùm logicæ, ſed etiam practicæ, & uſum omnino Geometriæ in uita permagnum eſſe docuerunt. ὀργανικὴ καὶ μηχανικὴ hæc Geometriæ facultas dicta eſt, machinalis & inſtrumentaria. Verùm indignatus PLATO, quòd nobiliſſimam philoſophorum poſſeſſionem in uulgus indicarent ac publicarent, & uelut arcana philoſophiæ myſteria proderent, utrunque ab inſtituto deterruit. In eadem hæreſi fuit ARCHIMEDES. Quod tamen conſilium P. Ramus in procœmio Mathematum [redacted] refellit.

Petrus Ramus, Decanus profeſſorum regij collegij Pariſienſis, animaduertens à rege Carolo IX deſignatum eſſe profeſſorem Mathematum Dampeſtram quendam Siculum, nullo doctrinæ nomine, nulla eruditionis fama notum, imò, cùm ad prælegendum acceſſiſſet, auditorio perridiculum: Pariſienſem curiam de fraude, quæ reipub. fieret, edocuit, & rogauit ut is, qui ſe factum profeſſorem diceret, examinaretur. Quod à ſenatu decretum, regi quoque ratum ac probatum eſt. At Siculus ſuæ conſcius ignorantiæ, uti examen diſceſſu ſuo anteuertit, ita fructum aliquem, profeſſionis iure alteri uendito, ſecum abſtulit. Ex malis moribus bonæ leges, inquit ille. Quamobrem ut in poſterum dignitas profeſſionum regiarum, doctiſſimis tantùm maximeque idoneis mandaretur, de conſilij ſententia, deliberatione certa, regia auctoritate, uacationem regiæ profeſſionis, cuiuſcunque uel linguæ uel ſcientiæ, per omnes celebres academias ſcholasq; promulgari, omnesq; qui prælectionem & diſputationem à Decano & reliquis profeſſoribus propoſitam ſubire uellet, ad examen admitti decretum: ut ex omnibus, qui prælegiſſent, diſputaſſent, de quibus à Decano & profeſſoribus reliquis renunciatum foret, poteſtas regi eſſet optandi legitimeq; deſignandi probatum maximè maximeque idoneum. Diplomatis regij formulam procœmio Mathematico P. Ramus præfixit.

## MATHEMATICÆ VSVS IN GENERE.

MATHEMATA ſingulis, ait Socrates, inſtrumentum quoddam animæ, cæterarum alioqui diſciplinarum ſtudiis corruptum & occæcatum, tùm expurgatur, tùm recreatur, quod diligentius & accuratius ſeruandum ſit, quàm decem oculorum millia. Hyperbole Platonica, inquies. Sanè, & tamen uera. Nec non Argus ille, qui fingitur à poetis, decem corporeorum oculorum millibus tam acutè tamq; latè unquam cerneret, quàm his duobus Arithmeticæ & Geometriæ luminibus cernitur. P. Ramus lib. 2. procœmij Mathem.

Quantum Phyſicis rebus MATHEMATICA luminis adferat, Timæus Platonis, & Phyſica Ariſtotelis maximo argumento ſunt. In Timæo Platonis Deus mundi animam rationibus arithmeticis & proportionibus componit: deinde corpus geometricis figuris architectatur. Phyſica itaque Platonis è numeris & lineamentis arithmetica & geometrica, id eſt, mathematica eſt, neque ἀγεωμετρήτοις cognobilis: Ariſtotelis uerò tota de motu & quiete, de tempore cœloque, de animalium ortu, progreſſu, hiſtoria, totaque omnino Phyſica, non ſolùm exemplis, ſed fundamentis mathematica eſt. Idem.

Platonis politia mathematicum lectorem uſqueadeò requirit, ut Philippus Mendæus, ut Theon etiam (ſiue Alexandrinus, ſiue Smyrnæus, ut quidam arbitrantur) libro ad eam rem ſeparato mathematicos Platonicæ philoſophiæ locos interpretandos ſibi propoſuerint. Ariſtotelis autem de principe uirtutum iuſticia in Ethicis liber Mathematicus omnino eſt. Idem.

Theologia paganorum mathematicis uelamentis tota inuoluta eſt. In Theologia Chriſtiana Deus creat omnia in numero, pondere, menſura, id eſt, ad regulam arithmeticam, geometricam, iſorropicam. Cùm Deus immenſitatis æternæ ſpacia definire ſtatueret, geometria imprimis uſus eſt, quæ longitudinum, latitudinum, profundorum ſpacia terminaret, omniumque ſymmetriam, rationem, proportionem, ſimilitudinem diſcerneret: quæ aerem leuitate ſublimem tolleret, aquam terramque pondere deprimeret: quæ denique cœleſtes globos ita tornaret, ut ad conuerſionis motum nihil rotundius effingi, nihil aptius expoliri poſſit. Itaque mundi architectus ille ſummus in fabricando machinandoq; uniuerſitatis opificio geometriam imprimis adhibuit, neque Plato quicquam magnificentius loquutus eſt, cùm dixit, Deum μάλιστα πάντων γεωμετρεῖν. Huius uſus tam latè fuſus eſt, ut multarum artium, non unius eſſe uideatur. Nam dum regit agrorum fines Nili inundationibus obrutos, dum ſpaciorum locorumque omnium longitudines, latitudines, altitudines metitur, Geometria uulgò & Geodæſia dicta eſt (uti Diodorus lib. 1. cap. 6. & Herod. docent) Dum uicorum & oppidorum uias ædificiaque deſcribit, Architectura appellatur: dum turres ambulatorias, muſculos, uineas, arietes machinatur, ὀργανικὴ, μηχανικὴ, πολιορκητικὴ nuncupatur: dum inſtruit aciem cuneatã, quadratam, rotundam, nominata eſt τακτική. Hæc enim complura que alia geometricorum operum uocabula ſunt, ſolamque Geometriæ facultatem ſignificant. Itaque geometricis iſtis laudibus clariſſimi geometræ perhibentur Archytas Tarentinus, bellator ipſe præclarus, & quinquies prælio uictor: Archimedes Syracuſanus, aduerſus Romanum exercitum pro ſua ciuitate propugnator mirificus: Eudoxus Gnidius, atque innumerabiles alij: quorum artes Alexandro, Hannibali, Cæſari, cæteriſque magnis ducibus, alienæ gloriæ artifices fuerũt. P. Ramus oratiõe de ſua profeſſione.

MATHEMATICÆ uſum facit Proclus geminum: alterum theoricum, alterum practicum. Theoricus gradum facit ad reliquas diſciplinas: unde μαθηματικὴ, ἀπὸ τῆς μαθήσεως dicta eſt, aſſuefaciens à ſenſibus ad intellectum abſtrahere. Eapropter in Timæo mathematica dicitur ἡ κατὰ παιδείαν ὁδὸς, ad eruditionem uia, ut qui mathematicam didicerit, poſſit reliquas artes facilè perdiſcere. Pythagoræ fortaſſis imitatione, qui infimum ordinem gymnaſij mathematicorum fecit, & παιδευτικὴν nominauit. Et quidem totum hoc genus ſenſibus abductum Plato ſuis uerbis appellat ἑλκτικὸν, ἀγωγὸν, παρακλητικὸν, ἐνεργητικὸν, μεταστρεπτικὸν, νοήσεως, διανοίας, θεᾶς, ἀληθείας: Ariſtoteles uerò ἀφαιρετικὸν, id eſt, eius modi, ut alliciat, impellat, excitet, erigat, conuertat, abſtrahat intelligentiam, ratiocinationem, contemplationem, ueritatem: quod quidem eſt & inprimis logicum. Ex omnibus enim artibus matheſis una præcipuè ueri ſtudioſa, præcipueque logica fuit: neque perſonarum, quamlibet probabilium, aut probatarum auctoritate, ſed argumentorum neceſſitate iudicat, cogitque animum in rebus ipſis attentum eſſe: neque ulla unquam ſchola ſeueriorem logicam quàm mathematica tenuit. Hinc tamen ἀφαίρεσιν phantaſticam Pythagoræi quidam & Platonici degeneres fabulati ſunt, quam Ariſtot. libro decimotertio Metaphyſ. cap. 2. & 3. labefactat. Practicus uerò uſus is & utilitate & euidentia ſua commendatur, & in mechanicis potiſſimùm ſpectatur.

THESSALO filio Hippocrates præcipit, ut Arithmeticam & Geometriam non ſolùm ad ſplendorem uitæ, ſed ad Medicinæ uſum ſtudioſè perdiſcat: Arithmeticam quidem ad morborum periodos, criſes: Geometriam uerò ad membrorum ſitum, luxationemque cognoſcendam.

## MATHEMATVM CVLTVS IN GENERE.

### STVDIVM, ADMIRATIO, HONORES, PRÆMIA.

PHARAO Aegyptiorum rex ſacerdotibus in ſtipendium Mathematicæ profeſſionis agros aſſignauit. [redacted]

Erudiunt ſacerdotes AEGYPTIORVM ſuos filios, & literis, quæ appellantur ſacræ, & aliis quæ ad communem ſpectant doctrinam, ut plurimùm uerò Geometriæ Arithmeticæque ſtudio intenti. Fluuius enim qui ſingulis annis propter inundationem uarias agrorum formas ſuperinducit, magnas contentiones inter uicinos de finibus agrorum excitat: quæ abſque Geometriæ adminiculo haud facilè componi poſſent. Arithmetica uerò & uitæ domeſticæ eſt utilis, & ad Geometriam atque Aſtrologiam maximè confert. Diodorus libro primo, capite ſexto.

PLATONIS Academiæ inſcriptum erat, οὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω. Neque id mirum. Olim namque mathemata pueris proponebantur, ut in iis ſeſe exercendo, ad altiora ſtudia ſibi patefacerent aditum, eam ob cauſam mathemata ἀπὸ τοῦ μαθεῖν dicta fuêre. Quod igitur in ſacris fieri ſolebat olim, ut initiatis tantum τὰ ἐποπτικὰ καὶ μυστήρια communicarentur, illud idem in philoſophia quoque fiebat. Ipſe certè ex ea ſcientia, ſecreta quædam libris ſuis à paucis comprehenſa aſperſit. In Timæo, uel ex ſua, uel ex Pythagoræorum ſententia, animam ex numeris conſtare aſſerit: elementa uerò ex figuris. Igni pyramidem, aeri octaedron, aquæ icoſaedron, terræ cubum tribuit.



PLATO Eudoxo, Archytæ, Menæchmoque uertit uitio, quòd ad organa mechanica ſolidi duplicationem auocare contenderent: quoniam ſic geometriæ bonum periret, denuò ad ſenſum relabentis, nec aſſerentis uendicantiſque, ſibi æternas incorporeasq; ſubſtãtias: in quibus quum ſit Deus, perpetuò Deus eſt. Cœlius libro 7. capite 30. Antiquar. Lect. ex Plutar. Marcello.

XENOCRATES Chalcedonius, Platonis auditor, cuidam qui mathematicorum imperitus ludum ſuum frequentare cupiebat: Abi, inquit: anſis enim & adminiculis philoſophiæ cares. Alij ſic dixiſſe ferunt: Apud me uellera iſta non tinguntur. οὗτος παρ' ἐμοὶ κόπος οὐ κνάπτεται. Laert. lib. 4.

ARISTOTELES Stagirites, & quia Platonis diſcipulus, & quia naturæ miraculum, cùm in omnibus aliis, tum etiam in mathematicis diſciplinis excelluit. Teſtantur hoc plurimi libri, in quibus mathematicas demonſtrationes frequenter adhibet. Scripſit quoque de Diuiſibilibus, item Mathematicum. Laertius libro quinto. Idem Calliſthenem, quem ſuo loco Alexandro Magno Aſiam petenti comitem adiunxerat, monuit, ut ſi caperetur Babylon, Aſtrologia Chaldæorum ad Græcos mitteretur. Et certè conſtat obſeruationes Babyloniæ annorum 1903. ad Ariſtotelem à Calliſthene miſſas. P. Ramus libro primo procœmij Mathem.

ARCHIMEDES Syracuſanus uoluptate incredibili mathemata tractauit. Quinetiam moriens amicos & neceſſarios oraſſe fertur, ut cylindrum ſphæra comprehenſum ſepulcro ſuo imponerent, & inſcriberent ex contenti fundamento ad contẽtum, quænam exceſſus eſſet proportio. Plutarchus in uita Marcelli. Vſqueadeò uel in ipſo agone, mathematici exercitij recordatione delectabatur.

CAROLVS Magnus Coſmographiam & deſcriptionem orbis terrarum in menſa argentea cælatam habuit. Muſicæ & aſtrorum diſciplinæ plurimum operæ nauauit: abaco exercitatiſſimus, cœli ſiderumque meatus, atque naturam curioſiſſimè rimatus eſt. Auentinus lib. 4. annalium Boiorũ.

Nulla in gente tam multas, mathematici ſtudii [redacted] ſies publicis ſtipendiis ornatas, quàm in GERMANIA: cauſaque una uidetur eſſe, ſubterranea illa Plutonis regna: quòd maxima principibus & liberis ciuitatibus pendantur tributa è fodinis auri argentique & cæterorum metallorum, quæ geometrico innumerabilium machinarum artificio præcipuè ſuſtinentur ac fatciuntur. Ergo Germanicus ille Pluto geometricis manibus diuitias ſuas Germaniæ effodit atque eruit. P. Ramus lib. 2. procœmij Mathem.

Illud de ciuitate NORIMBERGENSI ſingulare eſt, atque apud omnes ciuitates prædicandum, ſtipendium dare de publico mathematum profeſſori: non ei ſolùm, qui doctis & eruditis prælegat, ſed ei quoque, qui uernacula lingua Latinè Græceque ignaros opifices erudiat. Hinc etiam nobiles ſine literis artifices: imò mathematicæ diſciplinæ etiam apud poſteros doctores. Hinc Alb. Durerus pictor. Quin ſi qui mechanicorum operum artifices inſignes non ignauia aut culpa, ſed aduerſa ualetudine aut fortuna in egeſtatem inciderint, opem ferre miſeris atque afflictos ſubleuare Norimbergenſes conſueuerunt. P. Ramus libro ſecundo procœmij Mathem.

### ODIVM, CONTEMTVS, Neglectus.

BION Boryſthenites Muſicam & Geometriam pro ludo habuit. Laertius lib. 4.

ARISTIPPVS, ut eſt 3. Metaphyſicorum Ariſt. libro, mathematicas artes cauillabatur, quòd nullam haberent demonſtrationem boni, id eſt utilitatis, ut Syrianus interpretatur. Quod iudicium totæ Epicureorum familiæ ſecutæ ſunt. Quin Epicurus ipſe cùm illa Platonis & Ariſtotelis non ſolùm ornamenta, ſed mathemata contemneret, POLYÆNVM familiarem ſuum Geometriam dedocuit, omneſque liberalibus illis artibus eruditos contumelioſè uexauit, ait Tullius libro 4. Acad. quæſt.

APELLEM quendam, qui eum in admiratione habent & protegunt, ſcribunt, quod à diſciplinis mathematicis ſe à prima ætate abſtinuerit, purum ſeipſum conſeruaſſe. Plut. contra Epicuri ſententiam.

# Geometria.

## GEOMETRIA, COSMOGRAPHIA, CHOROGRAPHIA.

### GEOMETRAE propriè dicti. Coſmographi.

*Geometriam hîc ſtrictè & propriè ſumimus pro ratione dimetiendi terram, cœleſtia corpora (nam Geometriæ ope utitur etiam in hac parte Aſtronomia) res quaſuis alias in uniuerſum. Impropriè alioqui ſumitur pro ipſa Matheſi, nomine ſpeciei ad genus tranſlato.*

### PERITI GEOMETRAE.

Ioſephus lib. 1. Antiq. ſcribit Geometriam ab ABRAHAMO Aegyptiis demonſtratam. Etſi eam Herod. lib. 2. Diodorus lib. 2. & Strabo lib. 17. in Aegypto ortam arbitrantur, nec aliunde illatam, ut annua Nili alluuione agrorum fines turbante, eius terræ accolæ crebra dimenſione artem inuenerint. Cæterùm ſatis honeſtam illi erroris cauſam habuêre, qui quũ ſcirent eam artẽ primò apud Aegyptios uulgatam, pulcherrimi inuẽti, atq; uitæ hominũ utiliſſimi, indigenam hominem, non aduenam auctorẽ opinati ſunt. Sab. l. 1. En. 1.

De partibus deſcriptionis terrarũ HOMERVS primus orſus eſt dicere. Qui illũ ſecuti ſunt, eximia dignitate uiri, & philoſophiæ intimæ dediti fuêre. Ex quibus poſt Homerũ duos tradit Eratoſthenes: ANAXIMANDRVM Thaletis familiarẽ & conciuẽ, & HECATÆVM, Mileſios: illum quidem priùs de ſitu orbis deſcriptã edidiſſe tabulã, Hecatæũ uerò codicem reliquiſſe. Strabo libro primo. Anaximander certè primus terræ mariſq; circuitus deſcripſit. Laert. lib. 2.

IONES quum totam terram in tres potiſſimùm partes diuiderent, Europam, Aphricam, Aſiam, quartum terræ membrum Aegypti Delta annumerare conſueuerunt. Alij Græcorum bipertitò eam dimenſi, hanc Aegypti partem Aphricæ, quæ reliqua fuit Aſiæ, tribuerunt. Sab. lib. 3. En. 1.

TIMOSTHENES præfectus claſſis Ptolemæi Philadelphi, geographus nobilis, ſcripſit de Portubus libros decem.

POLEMON Helladicus ſcripſit de Origine ciuitatum, & Lacedæmoniæ geographiam, & de curſu Solis libros tres.

PAPPVS philoſophus Alex. ſcripſit de ſitu orbis, de fluuiis Africæ, & commentarios in Ptolemæum.

PTOLEMÆVS Aegyptius, præter libros de Siderali ſcientia editos, ſcripſit etiam de Geographia.

MARINVS Tyrius Geographiam ſcripſit, ex qua Ptolemæus ſuam deſumſit. Volat. lib. 17. Anthrop.

ARCHELAVS chorographus, omnem ab Alexandro peragratam terram deſcripſit. Laert. lib. 2.

DIOGNETVS & BETON Alexandri Magni itinerum menſores, qui peregrinationes illius ſcripſere. Plin. lib. 6. cap. 17.

ERATOSTHENES in Aethiopiæ urbe Ptolemaide ex indubitata ratione umbrarum, menſuram terræ prodere cœpit, ducentorum quinquagintaduorum millium ſtadiûm. Quæ menſura, Romana computatione efficit trecenties quindecies centena milia paſſ. Improbum auſum: uerùm ita ſubtili computatione comprehenſum, ut pudeat non credere. Hipparchus & in coarguendo eo, & in reliqua omni diligentia mirus, adiicit ſtadiorum paulò minus uigintiquinque milia. Plin. lib. 2. cap. 108. & lib. 6. cap. 29.

DIONYSIVS Corinthius (ut Suidas ait, ut alij uerò Afer ex Byzante ciuitate) temporibus Auguſti: ſcripſit Geographiã uerſibus hexametris, conuerſam à Priſciano. Volater. libro decimoquinto Anthrop.

DIONYSODORVS Melius, Geometrica ſcientia nobilis, ſenex obiit in patria. Funus duxere ei propinquæ, ad quas pertinebat hæreditas. Eæ cùm ſecutis diebus iuſta peragerent, inueniſſe dicuntur in ſepulcro epiſtolam Dionyſodori nomine ad ſuperos ſcriptam: Perueniſſe eum à ſepulcro ad infimam terram: eſſeq; eò ſtadiorũ quadragintaduo millia. Nec defuêre Geometræ, qui interpretarentur, ſignificare epiſtolã à medio terrarũ orbe miſſam, quò deorſum ab ſummo longiſſimũ eſſet ſpacium, & idem pilæ medium. Ex quo cõſecuta cõputatio eſt, ut circuitu eſſe ducẽta quinquagintaquinq; milia ſtadia pronunciarent. Harmonica ratio, quæ cogit rerum naturã ſibi ipſam congruere, addit huic menſuræ ſtadia ſeptem millia, terramq; nonageſimam ſextam millesimam totius mundi partem facit. Plin. lib. 2. cap. 109.

DICÆARCHVS Siculus, Ariſtoclis auditor, Geometra clariſſimus, ſcripſit de Repub. Lacedæmoniorum & regum, cura mon-

ra montes permenſus eſt, ex quibus altiſſimum prodidit Pelion MCCL paſſuum, ratione perpendiculi, nullam eſſe eã portionem uniuerſæ rotunditatis colligens. Plin. ca. 67. li. 2.

ZENAGORAS Olympum montem dimenſus eſſe, hoc fertur epigrammate:

A fano Pythij uertex ſublimis Olympi
Menſuram ſtadij decies ſuſtollit in altum, &
Sextantis, perpendiculo ut dimenſio facta eſt:
At pedibus quatuor eſt tamen illa minor.
Filius Eumeli menſuram prodidit iſtam
Zenagoras: At tu rex bone fauſtus ades.

Tametſi nec montis altitudinem ferant geometræ, nec profunditatem maris, decem ſtadia excedere: at Zenagoram non obiter, ſed uia & ratione atque inſtrumentis iniiſſe apparet menſuram. Plut. in Aemylio.

M. AGRIPPA orbem terrarum ſpectandum in porticu à ſorore inchoata proponere uoluit: eamque curam Octauius poſteà ſuſcepit. Ea deſcriptione Plinius ſe uſum teſtatur lib. 3. cap. 2. in orbe deſcribendo.

PAVSANIAS Cæſarienſis grammaticus, Ariſtidis æqualis, Hadriani principis tempore, Romæ uixit: ſcripſitq; uniuerſæ Græciæ περιήγησιν, id eſt, Geographiam cum eius hiſtoriis. Volat. lib. 18. Anthrop.

SCYLAX Cariandæus (ex Carianda urbe Cariæ) mathematicus, ſcripſit circuitum menſuramq; maris extra columnas Herculis: telluris item, præterea Antigraphen ad hiſtoriam Polybij. Suidas.

CHRISTOPHORVM Columbum Genuenſem, noui orbis inuentorem, magnum coſmographum & nauticarum cartarum artificem, in Hiſpaniam profectum, ut tabulas quaſdam maritimas ex Luſitanorum nauigationibus corrigeret: gubernator quidam, qui uentis iactatus, in nouum orbẽ expulſus, Maderam reuerſus, mortuis in ipſo portu ſociis quatuor, apud Columbum diuerterat: cùm ſibi mortem inſtare uideret, gratitudinis ergô erroribus ſuis enarratis, ueluti hæredem noui orbis occupandi reliquit. Eius monita ſecutus Columbus, re quinetiam cum doctis communicata, & inprimis cum Ioan. Perezio monacho Rabidenſe, Antipodes neceſſariò dari, audiuit. Platonis quinetiam auctoritate in Timæo confirmatus (qui Atlãticam terræmotu abſorptam teſtatur: ſed & Senecæ uerſibus in Medea, tãquam oraculo quodam perſuaſus, quando inquit:

Venient annis ſecula ſeris,
Quibus Oceanus uincula rerum
Laxet, nouosq; Typhis detegat orbes,
Atq; ingens pateat tellus,
Nec ſit terris ultima Thyle.

Marci inſuper Poli hiſtoriis excitatus, qui de terra Cipangũ auri fertiliſſima mentionem fecerat) admirabilem illam nauigationem ad Antipodas ſuſcepit, & ductu Regis catholici feliciter perfecit, anno Salutis 1492. Petrus Cieza Tomo 2. rerum Indicarum.

### IMPERITI.

Ex priſcis philoſophis pleriq; terram rotundam, & Antichthonas eſſe uoluerunt, ſed non demonſtrarunt. PLATO in Timæo ex ſententia Aegyptiorum ſacerdotum (referente Solone) Atlanticam inſulam orbi noſtro, & ſitu & magnitudine oppoſitam, uehementi terræmotu & aquarum eluuie abſorptam fabulatur. Atlantica illa Nouus orbis eſt, patrũ noſtrorum memoria à Columbo Genuenſe inuentus. Plato igitur in eo errauit, quòd Antipodas fuiſſe olim, ſed non ampliùs eſſe, exiſtimauit.

HERODOTVS Halicarnaſſeus, ſcriptor alioqui doctiſſimus, quàm imperitus fuerit coſmographiæ Septentrionalium regionum Europæ, ſatis indicat libro primo, & circa finem tertij ſuæ Hiſtoriæ: ubi Iſtrum ſimilem Nilo facit, & è Pyrenæis montibus ortum, per mediã Europam fluere aſſerit.

AESCHYLVS in Iberia, hoc eſt, in Hiſpania, Eridanum eſſe dixit, eundemq; appellari Rhodanũ: APOLLONIVS Rhodius lib. 4. Argon. & EVRIPIDES in litore Adriatico confluere Rhodanum & Padum, magna orbis ignorantia. Plinius libro trigeſimoſeptimo, capite ſecundo.

Veterum Geographorũ, PYTHEÆ, Eratoſthenis, HIPPARCHI, Poſidonij, Athenodori, POLYBII errata in orbis deſcriptione, detegit Strabo lib. 1. & 2.

Ἡρακλείας στῆλαι, iam olim in prouerbio ſunt, ut admonet Pindari interpres. Sic enim uulgò dici ſolere, τὰ πέρα γαδείρων οὐ περατά. id eſt, quæ ultra Gades, inacceſſa. Quo ſignificabãt VETERES nauigationum imperiti, ultra columnas Herculis non eſſe quò progrediare. Columnas has Hercules ibi fixiſſe dicitur cùm boues ueſtigaret Geryonis, tanquam illic eſſet ſuprema orbis meta. Pindarus in Nemeis, γαδείρων τὸ πρὸς ζόφον οὐ περατόν. id eſt, Aõ ulterior acceſſus ad Occidentem, ultra Gadira. Item alibi,

—— ἀκ ἐπι πλέον
ἀβάταν ἄλα κιόνων,
ἥρως θεὸς ἃς ἔθηκε,
ὑπὲρ Ἡρακλέους περᾶν εὐμαρές,
ναυτιλίας ἐσχάτας. innuens, Ariſtophanis filium ad extremam perueniſſe laudem, ultra quam nõ poſſit creſcere: qui quidem egregiæ formæ, facta adiunxerit illuſtria. Quòd ſi quis præterea quicquam laudis requirat, id perinde eſſe, ac ſi quis ultra columnas ab Hercule fixas conetur tranſire. Eraſmus in Adagiis.

Clemens I. diſcipulus D. Petri, primus mentionem fecit Antipodum inter Theologos Chriſtianos, teſte Origene & D. Hieronymo. Eum ſecuti pleriq; ueterum THEOLOGORVM, eſſe quidem illos arbitrati ſunt, uerùm propter uaſtas ſolitudines, & immenſa maria, iter ad eos nullum eſſe.

Opinio ueterũ, cui CICERO, MELA, & maximi quiq; ſuffragati ſunt, fuit, Auſtralẽ plagam penitùs nobis incognitam eſſe. Ciceroq; in 6. de Repub. interfuſum maximũ inter nos & illos ἀντίχθονας oceanum putauit, quẽm nemo unquam penetrarit: idq; fuſiſſimè Macrobius perſequitur.

D. AVGVSTINVS lib. 16. de ciuitate Dei, cap. 9. Antipodes eſſe negat, tum quia nulla fiat illorum mentio in ſacris literis, tum quia ab Adamo primo hominum deſcendiſſe nequeant. Videbat enim homo acutiſſimus, ſi concederetur nulli eorum, qui hanc incolimus borealem faſciam temperatam, aditũ ad auſtrales illos patére, ut Cicero magniq; auctores præiudicarant, ſequi neceſſariò illos de genere Adæ non eſſe. Maluit ergo illud negare, quàm argumento premi tam moleſto, tantis auctoritatibus munitò.

LACTANTIVS Firmianus lib. 2. de Falſa ſap. cap. 24. ridet eos, qui mundum æternum & terram rotundam eſſe aiunt: nec minus eos, qui Antipodas ſtatuunt: quòd ſi darentur Antipodes, contraria nobis ueſtigia urgentes, uel nos uel illos in cœlum cadere oporteat.

ISIDORVS Hiſpalenſis in ſuo Etymologico rationem ullã eſſe negat, quæ perſuadeat Antipodas eſſe: Terræ ſitum repugnare, hiſtoricos nullam eorum facere mentionem, Poëtarum hæc eſſe ſomnia.

[redacted]

GRÆCI, propter raptam à Paride Helenam, expeditione in Barbaros ſuſcepta, iter ad Troiam ignorabant, neque ullus erat, qui Troiæ ſitum oſtendere poſſet: id unum, quòd in Aſia ſita eſſet, ſciebant. Itaque mille nauium claſſe in Aſiam profecti, Myſiam primùm inuaſerunt, & illic à Telepho rege magnis affecti cladibus, donec tandem Telephi equus uitis palmitibus implicatus cecidit, eaque occaſione Achilles Telephum humi proſtratum grauiſſimè uulnerauit. Re tamen infecta Græci diſceſſere. Telephus interim, cùm uulnus nullam medelam admitteret, oraculum accepit, ὁ τρώσας ἰάσεται, qui uulnerauit, medebitur. Conſcenſa igitur naui Achillem inſecutus eſt: pactaque mercede ſanationis, inſperſa uulneri ærugine ex haſta Achillis, curatus eſt, præmijque loco Græcos ad Troiam duxit. Euſtathius Iliados α. & Strabo libro primo. Hinc uidetur prouerbium natum, κατὰ τὸν δεύτερον πλοῦν, quod primo non ſucceſſit, iteratò tentatum ſuccedet.

PERSÆ & AFRI, traiectus aquarum quoſdam & freta, uelut nauigationis anguſtias eſſe ſuſpicati, ignorantiæ ſuæ reliquerunt trophæa. Illi quidem Salganei monumentum penes Chalcidis Euripum, quem Perſæ ideo iugularunt, tanquam ex Malea ad Euripum ſuæ claſſis curſum improbè direxiſſet: hi uerò Pelori ſepulcrum, quem & ipſi ſimilem ob cauſam necauêre. Naufragiis etiam XERXIS Græcia referta eſt. Ob regionis marisque naturam incognitam Aeolicorum & Ionicorum colonia quàmplura huius generis errata præbuit: & res itidem proſperè geſtas, ubi per locorum peritiam illuſtria complura geſſiſſe facinora contigit. Strabo libro primo.

Schondiam ueteres LATINI & GRÆCI ferè incognitam habuerunt: argumento eſt, quòd iſthic terrarum zonam frigidam, perpetuis damnatam niuibus, omnisque animantis impatientem dixerunt magno conſenſu. Pauci modò eius mentionem tanquam habitatæ fecerunt. Inter quos Plinius, Quarum clariſſima, inquit libro quarto, Schondania eſt, incompertæ magnitudinis, portione tantùm eius (quod ſit notum) Hilleuonum gente quingentos incolente pagos. qui alterum orbem terrarum eam appellat. Nec eſt minor opinione Eningia, Alij, Plinio etiam antiquiores, fortunatas terras, & homines Macrobios, atq; omnium iuſtiſſimos mortalium, ſub hoc terrarũ tractu poſuerunt: & inde ueniſſe uirgines ferunt, ſolenni religione cum uotiuis donis Delphos, & gentem cuſtodiiſſe inſtitutum hoc, donec uirgines habitæ inter hoſpitas terras ludibrio atque uiolatæ forent. Zieglerus in Schondia.



IAPONIÆ inſulæ incolæ, quibus parum cum exteris cõmercij fuit, è ſua geographia Orbem terrarũ uniuerſum tripartitò diuiſerunt in Iaponẽ ſcilicet, Sionem, & Sinas. & quamuis religionem à Sinis acceperint, omnes tamen præ ſe nationes contemnunt, ſeſeq; cæteris gentib. ingenio ciuiliq; prudentia longè anteponunt. Io. Metellus.

## IVDICIVM GEOMETRICVM

### APTVM.

Fœdere inter Regem Luſitaniæ Ioannem II. & Regem Caſtellæ Fernandum facto, cùm regiones, quas quilibet explorare & debellare ſine alterius iniuria poſſet, definitæ ſunt, ſtatutum fuerat, ut Caſtellani nõ uiam à Luſitanis factam, ſed diuerſam ſequerentur: ut uidelicet cùm Portugalenſes ad ſolis Ortum, Caſtellani ad Occaſum nauigarẽt, orbem marium atque terrarum conficerent. Sic autem cuilibet parti liberum erat, cùm omnes maris atq; terrarum tractus 300 & 60. partibus definiti ſint, centũ & octoginta partes ad perueſtigandũ atq; debellandũ ſibi depoſcere. Limes erat Meridianus. Sic enim appellant lineam à Septentrione ad Auſtrum in cœlo deſignatam: quia cùm Sol eam attingit, meridiem, hominib. ſub ea regione cõſtitutis efficiat: quæ ſecundùm longitudinem (ſic enim ſpaciũ Ortu & Occaſu terminatum nominant) circiter ſex & triginta gradib. Olyſippone diſtat. Error autẽ Magallani & aliorũ, qui ueſtigiis illius ingreſſi ſunt, quo Malucas inſulas ad ius Caſtellæ pertinere contendũt, à multis cauſis originẽ habuit. Primùm quidem ſic natura comparatũ eſt, ut cùm primùm aliquod iter incognitum habemus, quod non poſſumus certis montib. aut anfractibus, & notiſſimis ſignis definire, multo longius nobis appareat: maximè uerò cùm nauigamus, ubi neq; montibus, neq; uallibus, nec ullis certis notis poſſumus ſpaciũ finire. Deinde qui maria incognita nauigãt, ut maius & admirabilius facinus ſe confeciſſe gloriẽtur, ſpacia multò ampliora faciunt, ut, quaſi ex alio mũdo in hunc redierint, ingentem admirationem efficiant. Accedit, ut etiã ipſi uectores, cùm Aſtrologiæ imperiti ſint, quamuis nullam uanitatem orationis adhibeant, fallantur, & cùm uariis circuitib. maria peragrent, rectum iter ſe tenere putẽt. Sic factum eſt, ut cùm inter Indum fluuiũ & Gangem, ſpacium decem graduum, qui circiter paſſuũ millia ſeptingenta conficiunt, interiectum ſit, Ptolemæus triginta gradib. ſpacium illud definierit. Vir enim doctiſſimus terras illas non luſtrauerat: q̃ à uiris fide dignis, imperitis tamen, acceperat, ea monimentis mandabat. Illi uerò cùm ab Indo ad Cori promontoriũ, quod in Auſtrum longiſſimo tractu procurrit, nauigarent, & inde rurſus in Gangem ad Septẽtriones curſum inflecterent: quaſi recta uia, aut paulum ad Auſtrũ inflexa nauigaſſent, itineris ſpacium metiebantur. Alia etiam erroris cauſa Luſitanis obiecta eſt. Cùm enim ultra promontoriũ Bonæ ſpei, aliud promontorium, quod mitius in Auſtrum prominet, flectere ſecundis uelis niterentur, ſe multò maius iter confeciſſe putabant, quàm propter maris impetũ, naues in diuerſa iactantes, facere potuiſſent. Ea namq; ora, quæ in illis regionib. ab Auſtro ad Septentriones pertinet, longiſſimo tractu protẽditur. Venti autem, qui ab Ortu ſolis flant, ſunt anniuerſarij, & ſtatis temporib. ualde uehementes: æſtus ſimiliter, propter immẽſam maris altitudinẽ, Lunæ curſibus nimis obiectam, incitatiſſimi. Ergo cùm fluctus ab Ortu ſolis ad oras maritimas Occidentis incredibili uiolentia contorti, & ab oppoſitis oris repercuſſi, in Auſtrum, quà facilior patet exitus, incitentur, & ex illo promontorio, quod diximus, in aliud longius, quàm credi poſſit, excurrant, noſtrorũ in nauigando curſum retardant. Quod Luſitani non intelligentes, exiſtimabant ſe multò maius ſpacium confeciſſe, quàm nauigando tranſmiſerant. Hæc omnia eam erroris cauſam attulerunt, ut regionum terminos ſatis imperitè deſignarent, & ad Ptolemæi errata, alia etiam multa, parũ ſapienter adiungerent. Hæc tamen controuerſia inter Caſtellanos & Portugalenſes hunc fructum Portugalenſibus tulit, ut ſpacia multo diligentiùs explorarent. Hoc autẽ fieri commodè non potuit, niſi per Lunæ defectus. Cùm enim Luna orbe pleno, interiectu terræ, ut fieri neceſſe eſt, certis temporib. obſcuratur, illa ſplendoris amiſſio non iiſdẽ horis animaduerti poteſt. Neceſſe nãq; eſt, cũ citiùs in India, quã in Portugalia, quæ in occaſum uergit, nocturnæ tenebræ ſint, ut quãuis ille defectus uno tempore fiat, diuerſis nobis horis appareat. Horarum igitur dimenſione omnis controuerſia tollitur. Qualibet enim hora quindecim gradus Sol progreditur. Obſeruatum autẽ eſt ab hominib. peritiſſimis, qui à Petro Nonio Mathematicorũ principe ad id diligenter inſtructi fuerant, ſex horis ab Indi fluminis oſtio, ad Olyſipponis urbis ſitũ Solis curſum terminari. Horæ uerò ſex, gradus nonaginta conficiunt. Ab Indo autẽ fluuio ad ultimos Malacarũ inſularum terminos, qui ad Oriẽtem Solem ſpectant, duo & quadraginta gradus interſunt. Hos ſi nonaginta gradibus adieceris, centũ & triginta duos efficies. Si uerò ſex & triginta gradus, qui Olyſippone ad Occaſum ſecundũ lineam illam meridianam, inter Hiſpaniæ reges fœdere definitam, ut Caſtellani contendunt, addideris, centũ & ſexaginta octo graduũ ſumma fiet. Itaq; ſecundũ hanc computationẽ, adhuc Portugalenſib. duodecim gradus explorandi reſtant, qui poſſunt ſine cuiuſquã Chriſtiani regis iniuria à Portugaliæ regib. occupari: tantũ abeſt, ut Magallanus, uel quiſquã alius inſulas illas, iure atq; meritò poſſit Caſtellæ regib. adiudicare. Hæc tamen controuerſia non mediocres in Hiſpania tragœdias excitauit, uſq; adeò, ut reges optimos, & cognatione, affinitate, & amore coniunctiſſimos, interdum ad inteſtinam ſeditionẽ ſolicitaret: quod totum ab improbiſſimi hominis ſcelere ortũ habuit. Oſorius lib. 11. rerum Emmanuelis.

### INEPTVM.

*Ex præcedente Tit. Geometriæ imperitorum, huc pleraq; quatenus ex Habitu deprauato, quem poſſident, malè iudicant.*

Chriſtophorus Columbus per fratrem Bartholomæum HENRICO VII. Angliæ regi, noui orbis inueniendi conatum primò aperuit, naues atq; ſumtum petens. uerùm nihil obtinuit, non tam odio rei, quàm q̧ Italum hominẽ lucro inhiantem, Angli ſuſpectum haberent. Conuenit de eodẽ negotio ALPHONSVM V. Luſitaniç regem: qui non modò negauit quod petebat, uerumetiam ut delirum hominẽ irriſit, perſuaſus à Calzadilla epiſcopo Viſeenſi, & Roderico magiſtro Theologiæ, pręclaris alioqui Coſmographis, nec terras, nec aurum eſſe in Occidente. P. Cieza tomo ſecũdo, capite decimoquinto.

BASILIVS Moſcouitarũ princeps, qui dono ſibi miſſum poculum geometricum à Suecorum rege ſpreuerat, Paulum quoq; Centurionem Genuenſem an. Sal. 1520. promittentẽ ſe aromatum negotiationem Septentrionalem à Moluccis rectà Moſcouiam deducturum, uelut aretalogum & impoſſibilia attentantem irriſit: uel certè, quòd per aduerſa flumina maxima ſubuehendæ eſſent merces, rei difficultate territus neglexit. P. Cieza tomo ſecundo hiſtoriæ Peruuiæ, capite centeſimoſeptimo.

## GEOMETRIAE ET GEOGRAPHIAE VSVS

### APTVS, INGENIOSVS.

GEOGRAPHIÆ uſum etiã in politica & militari uita, Strabo lib. 1. declarat. Eundem in ſcalarum commenſuratione, quibus mœnia ſuperantur, Polybius lib. 9. docet, ſiue murorum altitudo ſit cognita, ſiue incognita.

CALCHAS, Theſtoris F. uates peritiſſimus, cùm Græci contra Troiam expeditionem ſuſcepturi, ignari eſſent itineris, utpote Geographiæ imperiti, uiæ ductor extitit. Vnde de eo ſic Homerus, Iliados α.

καὶ νήεσσ' ἡγήσατ' ἀχαιῶν ἴλιον εἴσω,
ἣν διὰ μαντοσύνην. ——

Vaticinium appellat, denominatione facta à præſtantiore ſcientia. Aiunt autem Græcos bis contra Troianos profectos: in prima expeditione errantes, re infecta domũ rediiſſe: in ſecunda demùm Calchantis, ſiue, ut alij uolunt, Telephi regis Myſorum ductu eò perueniſſe.

Seſoſtris Aegyptiorum rex, poſteaquam per Aegyptum diuortia aquarum effodiſſet, quibus Nili aqua exciperetur, tum ad ſitim, tùm ad uim hoſtium arcendam, in omnes AEGYPTIOS ſoli quadrati æquam portionem uiritim per ſortem diuiſit: atque hinc prouentum inſtituit, impoſita certa penſione, quam illi quotannis ſoluerent. Quòd ſi cuius portionem alluuione fluuius decurtaſſet, re regi indicata, ex reſiduo proportionẽ taxatum uectigal pendebatur. Atque hinc Geometria orta, uidetur in Græciam tranſcendiſſe. Herodotus lib. 2.

AEGYPTIORVM ſacerdotes, cùm liberos ſuos liberalibus artibus erudiendos præceptoribus traderent, uoluerunt

tamen præcipuè ut Geometriæ præceptis erudirentur. Nilus enim, qui mediam diuidit regionem, ſolus inter reliqua flumina adeò æſtate creſcit, cùm decreſcant cætera, ut totã inundet Aegyptum: hyeme minuitur, cùm reliqua augeantur. Quoniam autem plurima cura moleſtiaq; urgebat accolas eius inundatio, excogitata eſt in Memphi quædam incrementi menſurandi à regibus obſeruatio. Nam quibus id negotij demandatum eſt, per epiſtolas urbibus uicisque ſignificant, quot cubitis quotue digitis fluuius auctus ſit, & ſimul quo tempore cœperit decreſcere: hoc modo uacuus redditur à ſolicitudine populus, & annonæ prouentum præuidet. Iuſtum incrementum cubitorum eſt 16. Minores aquæ non omnia rigant: ampliores tardiùs recedendo, accolarum remorantur commoda. In 12 cubitis famem Aegyptus ſentit: in 13. etiamnum eſurit, 14. cubita hilaritatem afferunt, 15. ſecuritatem: & quæ optima inundatio eſt ſexdecim, delicias. Diodorus libro 1. capite 3. & Strabo libro 17. Naturam fluminis huius Ioſippus contemplatus, duplicis inſomnij ambages Pharaoni interpretatus eſt. quæ diuinationis ratio ingentem illi peperit gloriam: patriq; & fratribus occaſionem dedit ex Cananæa terra in Aegyptũ migrandi. Sabellicus lib. 3. Enneadis 1. At id ſacræ literæ inſomnij Pharaonis interpretatione Ioſephum deprehendendiſſe & præuidiſſe aſſerunt.

THALES Mileſius nullo negotio nulloq; requiſito organo, tantùm fixo baculo, ad terminum umbræ, quã pyramis reddebat, cùm extitiſſent radij ſolaris contactu duo triquetra: oſtendit, quæ proportio eſſet ad umbram umbræ, eandem pyramidis ad baculum eſſe. Plut. in Conuiuio.

Acæna (inſtrumento pedum decem, quod Decempedam Latini uocant) agros metiri in Aegypto exorſus eſt primùm THESSALVS quidam, nomine ab re indito: quia cognoſcentibus ſingulis agri ſui modum, ſublatæ ſunt cædes: unde nuncupata acæna, quaſi στερῆσαι αὐτοὺς τοῦ καίνειν. Hinc & Pelaſgida uocauit acænam Apollonius Argonauticôn tertio, ueluti ab Pelaſgis compertam, id eſt Theſſalis. Cælius libro ſeptimo, capite uigeſimonono, Lect. Antiq. Diuerſo quique more agros metiri ſolent. In Aegypto æſtuaria & foſſas funibus metiuntur aut paſſibus, in Hiſpania iugis, in Campania uerſibus, circa Perſidem ſchœnis, alij paraſangis: alibi pertica, cui nomen acæna: agricolæ iugeribus, nõnulli ſtadiis metiri ſolẽt agros, campoſq;. Alex. lib. 2. c. 13.

Plutarchus in libro, quem ſcribit, ὁπόση ψυχῶν καὶ σωμάτων ἀνθρώποις περὶ εὐφυίαν καὶ ἀρετὴν διαφορά, ſcitè ſubtiliterq; ratiocinatum PYTHAGORAM philoſophum dicit in reperienda modulandaq; ſtatus longitudinisque Herculis præſtantia. Nam cùm ferè conſtaret, curriculum ſtadij, quod eſt Piſis apud Iouem Olympium, Herculem pedibus ſuis metatum, idque feciſſe longum pedes ſexcentos, cętera quoque ſtadia in terris Gręciæ, ab aliis poſtea inſtituta, pedum quidem eſſe numero ſexcentûm, ſed tamen eſſe aliquantulum breuiora: facilè intellexit, modum ſpaciumq; plantæ Herculis, ratione proportionis habita, tanto fuiſſe quàm aliorum procerius, quãto Olympicum ſtadium longius eſſet, quàm cætera. Comprehenſa autem menſura Herculani pedis ſecundum naturalem membrorum omnium inter ſe competentiam modificatus eſt. Atq; ita id collegit, quod erat conſequens, tanto fuiſſe Herculem corpore celſiorem, quàm alios, quãto Olympicum ſtadium cæteris numero factis anteiret. Gellius lib. 1. cap. 1.

IDEM machinatione geometrica inuenit hominis centrum in pudendis eſſe. Nam ſi diſpanſis brachiis, & pedibus diductis ſtatuatur, & in uerendis circini pes collocetur, rotundationis linea per extremas manus & extremos pedes curret. Proinde ut in maiore mundo Terra centrum eſt: ita minoris mundi terra, quę officina eſt procreationis. Iccirco Varro lib. 3. de Lingua latina, χθόνια τὰ Πυθαγόρου partes genitales dici teſtatur.

PHIDIAS ſtatuarius, ſicut narrat Lucianus in Hæreſibus, inſpecto leonis duntaxat ungui, quantus eſſet totus leo perpendit, totumq; ex indicio unguis effinxit. Vnde Prouerb. Leonem ex unguibus. Fit autem hoc mathematica ratione, ſicuti docet Vitruuius libro 3. ut ex membro uel minimo, totius corporis modus colligatur. Plutarch. cõmentario de Defectis oraculis, uidetur ad Alcæum referre. Eraſmus in Adagiis.

SOCRATES Geometriam, cuius callentiſſimus erat, non damnabat, ſed ad uſum Ethicæ uitæ accommodari uolebat. Rogatus enim quamdiu Geometriæ opera eſſet danda? Reſpondit, Quoad quiſque poſſit terram menſura accipere & dare. Laertius libro 2. & Xenophon libro quarto Memorabilium.

ATHENIENSES expeditionem Siculam ſuſcepturi, ut animarent ſuos, quaſi in hoc imperij cardo uerſaretur, tabellis Siciliæ ſitum in myropoliis & tonſtrinis propoſuere. Plutarchus in Alcibiade.

ARISTAGORAS Mileti tyrannus, cùm à Dario rege defeciſſet, Spartã, ſocietatis ergò uenit: & ut Cleomenem regem facilius perſuaderet ad Aſiæ regnum inuadendum, æream tabellam ſecum tulit, in qua terræ mariſq; ambitus deſcriptus erat. Cleomenes tamen audiens Suſa à mari trium menſium itinere diſtare, difficultate rei motus, eum ante ſolem occidentem Sparta excedere iuſſit. Herod. lib. 5.

Geographicam tabulam SOCRATES Alcibiadi propter amplitudinem agrorum ſuperbienti oſtendit, & Græciam primò, mox Atticam inueſtigare iuſſit. Quod cùm promtè feciſſet, Nunc uerò, inquit, fili Cliniæ, in agro Attico oſtende mihi tua prædia, ſi potes. Si non potes, uel Geometram negligentiæ, qui loca tam illuſtria prætererit, uel teipſum incogitantiæ accuſa, qui è tam obſcuris gloriam captes. Plut.

### INEPTVS.

PHILIPPVS rex Macedonum, cùm proditione ciuitatẽ Melitæorum occupaturus eſſet, dupliciter errauit. Nam & ſcalas non ſatis longas attulit, ſicut neceſſitas requirebat: deinde & tempus non ſeruauit. Cùm enim circa mediam noctẽ uenturum ſe conſtituiſſet, ante tempus exercitum è Lariſſa mouit, & in agrum Melitæorum maturiùs uenit: cumq; ſcalarum commenſurationem non haberet, nec per portã ingredi poſſet, quòd coniurati, quos in ciuitate habebat, tempore excluſi, opem illi ferre nequirent, multis ſuorum amiſſis, cum dedecore reuerſus eſt. Polybius Hiſtoriarum libro nono.

VENETI, qui Veronæ per inſidias capiendæ conſilium inierant, eoque noctu milites delectos miſerant, ob ſcalas breuiores eam capere nequiuerunt. Bembus libro decimo hiſtoriæ Venetæ.

LVSITANI, duce Blaſco Nonio Hiſpano, inhiantes Occidentali Indiæ, Moluccas Orientales amiſerunt. Iouius lib. 34. & Petrus Cieza tomo 2. cap. 62.

## CERTAMINA GEOGRAPHICA.

*Conſule Tit. Geographicum iudicium ineptum: quatenus certamen habet iunctum.*

LVSITANI re proſperè geſta contra Mauros, regnum Feſſæ inhabitantes, oram Africæ cœperunt legere, anno Salutis 1475. Alfonſi V. auſpiciis. & quia nemo ferè erat, qui reſiſteret, aromatum per Oceanum ex Oriente conuehendorum ſpem ampliſſimam conceperunt. Viginti annorum ſpacio ad promontorium Bonæ ſpei peruenẽre, hinc Calecutum uſque. Sub id tempus, cùm Chriſtophorus Columbus Genuenſis nouum Orbem, regis Hiſpaniæ Ferdinandi Catholici auſpiciis, reperiſſet, Alexander VI. Pp. ius illarum regionum HISPANIS conceſſit, anno Salutis 1493. atque ut occaſionem litium tolleret (quandoquidem Aluarus Capralis Emmanuelis Luſitaniæ regis claſſi præfectus ann. 1500. Braſiliam attigerat tempeſtate iactatus, & in ea crucem Luſitanam fixerat) lineam à circulo arctico ad antarcticũ ductam, quæ centum leucis ab inſulis promõtorij Viridis Occidentem uerſus diſtaret, terminum Luſitanorum & Hiſpanorum eſſe uoluit. Eam diuiſionem Ioannes II. Luſitanus ægrè ferre, erectus iam animo ad inſulas occiduas occupãdas, & ut terminus ſupra trecentas ſeptuaginta leucas in Occidentem promoueretur, impetrauit. At dum Occidentali Indiæ inhiat, Orientalem cum Moluccis aromatũ inſulis amiſit. Has cùm Ferdinandus Magellanes Luſitanus, poſteaquam ad Hiſpanos defeciſſet, freto per antarcticũ enauigato, ab Occidente in Orientem penetrans reperiſſet, & Ioannes Sebaſtianus à Cano, qui Magellani à Barbaris occiſo ſucceſſerat, ſumma cum Caroli V. lętitia negotiationis aromatum longè compendioſiorem uiam inuentam oſtendiſſet: Luſitani ad ſe Moluccas pertinere dicebant, quòd in Oriente eſſent ſitæ: Hiſpani econtrà in Occidẽte illas ex diuiſione Alexandrina contineri affirmabant. Tandem delectis ex utraq; parte uiris, coſmographiæ reiq; nauticæ peritis negotium demandatum, in confinib. Caſtellæ & Portugalliæ. Tergiuerſantibus Luſitanis, Hiſpani 370 leucis diſtantem ab occidentali inſula promontorij Viridis lineam duxẽre, & hunc terminum ex pontificio uetere decreto eſſe uoluẽre, iuſſere, anno ſal. 1524. quo termino Moluccæ occidentales manebant. Luſitani fremere, minari. At Carolus V. Bononiæ coronam imperij accepturus, CCCL millibus aureorum ducatorum à Luſitano acceptis, pignoris loco Moluccas ei conceſſit, & conuentionem illam arbitrariã ſuſtulit, ſeu diſtulit potiùs, quoad de iure liquidiùs conſtaret. Sæpe poſtea interpellatus Imp. ut pecunia (quã priuati quidam ſe numeraturos pollicebantur, nauigationis regio priuilegio ſibi in ſexennium conceſſo) Luſitanis reſtituta, Moluccas aſſereret, nunquam ad id perſuaderi potuit. Neq; uerò pretermittendum PVERI cuiuſdam, linteamina à matre recèns lota cuſtodientis, ludicrum dictum. Is cùm audiret duos Luſitanos delectos iudices de hoc ipſo negotio diſſerentes, Vtrum & ipſi ex eorum numero eſſent, qui orbem terrarum diuiderent? interrogauit. Affirmantibus illis, detectis diductiſque natibus, En linea naturalis, inquit, in partes æquales orbem longè certius diuidens, quàm imaginaria illa, de qua tantopere contenditis. Petrus Cieza Tomo 2. rerum Indicarum, cap. 100.



## GEOMETRIÆ, GEOGRAPHIAE STVDIVM.

*Inuentio Regionum, Hiſtorici naturalis propria eſt, eaq; propter libro priore pertractata. Quatenus uerò earundem & dimenſio & deſcriptio, ueluti accidentales partes inuentionis, conſiderantur, ad Geometriam pertinent.*

AEGYPTII Geometriæ fuerunt ſtudioſi ob Nili inundationem. Diodorus lib. 1. cap. 3.

PERSÆ, licet in omni diſciplinarum genere liberos ſuos erudirent, prima tamen & præcipua ſemper cura fuit, ut in primis Arithmeticæ & Geometriæ præceptis imbuerentur. Alexand. ab Alex lib. 2. cap. 25.

ALCIBIADES Athenienſis Geometriæ ſtudioſus fuiſſe ſcribitur. Plut. in Alcibiade.

HADRIANVS Imperator Geographiæ ſtudioſiſſimus fuit, teſte Spartiano, ita ut eius ſtudio longinquas peregrinationes ſuſcipere non dubitarit, magno cum ualetudinis ſuæ detrimento.

HIER. Fracaſtorius, Veronenſis medicus clariſſ. Coſmographiam tanto ſtudio colebat, ut terrarum omnium à Luſitanis in Oriente, & ab Hiſpanis in Occidente inuentarum deſcriptiones & loca, ligneis orbibus ad amuſſim fabrefactis, altitudinum & latitudinum adhibitis dimenſionibus, delinearet. Auctor uitæ.

COSMOGRAPHI Indiæ, quæ Luſitanis & Hiſpanis paret, regij, nullam nauium gubernatoris narrationem admittũt, quæ iuramẽti religione, tũ teſtibus, exceptione omni maioribus, non ſit confirmata. Itaque hiſtoriæ produnt, Vaſcum Nunnium Valboam, in Oceano inſtituta ad Meridiem noua nauigatione, id mare detexiſſe, quod uulgò Surum nominant. Ex altiſſimo conſpectum monte, ſocus id oſtendit, eiuſq; poſſeſſionem, Hiſpaniarum Regis nomine, adhibitis ex ſolẽni more teſtibus, & notario, cepit: & paulò pòſt Margaritarum inſulam reperit. Io. Metellus.

## GEOMETRIÆ, GEOGRAPHIÆ CONTEMTVS, ODIVM.

*Conſule Tit. Geometriæ & Geographiæ imperiti, quatenus imperiti ea, quæ ignorant, contemnunt.*

PALLADAS Grammaticus in Geometras ſic inuehitur in Epigrammatis Græcis:

Εἰπὲ, πόθεν σὺ μετρεῖς κόσμον, καὶ πείρατα γαίης,
ἐξ ὀλίγης γαίης σῶμα φέρων ὀλίγον;
σαυτὸν ἀρίθμησον πρότερον, καὶ γνῶθι σεαυτὸν,
καὶ τότ' ἀριθμήσεις γαῖαν ἀπειρεσίην.
εἰ δ' ὀλίγον πηλὸν τοῦ σώματος οὐ καταριθμεῖς,
πῶς δύνασαι γνῶναι τῶν ἀμέτρων τὰ μέτρα;

SOCRATES Geometriam in ſola contemplatione uerſantem, nunquam ad opus accedentem, ſeriò reprehendebat, quòd in iis occupata mens humana, nihil uita dignum pręſtare uideretur, immodico ueri imaginarij ſtudio, boni exercitationem negligens. Xenophon libro quarto Memorabilium.

Metius Pompuſianus, qui Veſpaſiano olim imperium prædixerat, à DOMITIANO in Cyrnum relegatus eſt, eo quòd uniuerſi orbis deſcriptionem atque picturam domi in tabula haberet: atque conciones regum & cæterorum principum, quæ ſunt apud Liuium ſcriptæ, ſtudioſè euolueret. Xiphilinus in Domitiano.

# Aſtronomia.

## ASTRONOMIÆ ACQVISITIO.

### INVENIENDO. INVENTORES ASTRONOMIÆ.

Sideralis ſcientię inuentum ad ZOROASTREM Bactrianorum regem referunt Diodorus, Herodotus, Strabo, qui Nino regi fuit æqualis: quum ante diluuij tempora, Sethi FILII, Adami protoplaſti nepotes. in duabus columnis aſtrorum ſcientiam deſcripſerint, ac deinceps NOE, & qui illi longo ordine ſucceſſerunt, in cognitione eius rei uerſati ſint. Sabellicus lib. 1. Enneadis 1.

Plutarchus in Pyrrho, poſt diluuium, primum Theſprotiorũ & Moloſſorum regem PHAETHONTEM fuiſſe ſcribit: quem Lucianus in dialogo de Aſtrologia Solis idcirco filium currumque accepiſſe credidit, quia ſolis curſum primus deprehenderit. Natalis Comes Mythologiæ libro 6. capite primo.

Fama eſt cum ENDYMIONE in Latmo, Cariæ mõte, in antro quodam Lunam congredi ſolitam. Cicero libro 1. Tuſc. perpetuò dormientem Endymionem ſola oſcula Luna[illegible]cepiſſe, neq; unquam experrectum ſcribit. Qui uerò hi[illegible]cè rem explicant, dicunt Endymionem dictum à Luna amari, quia Lunæ curſum menſtruum in monte Latmo reperiſſet. Plin. lib. 2. cap. 9.

TITANVM fabulam, qui diis bellum intulerunt, quidam allegoricè interpretantur. Pauſanias in Corinthiacis Titanũ aſtronomiæ peritum fuiſſe ſcribit, quare frater Solis dictus eſt, quòd in obſeruandis anni temporibus fuerit diligentiſſimus. Primus ex annuo ſolis curſu cognouit, quibus temporibus quæ ſtirpes, quæ ſemina terræ ſint committenda: quos fructus ſol facilè augeret ac concoqueret. Hanc cognitionem cùm mortalibus perhumaniter impartiuiſſet, dictus eſt & ipſe, & eius filij, cœlum affectaſſe, Iouemque de regno deiicere uoluiſſe. Iupiter fulmen in illos contorſiſſe dicitur, hoc eſt, ardentiſſimum ignem ſiue ſcientiæ rerum cœleſtium deſiderium. Nam cœleſtia ſcire cupientes, diuina bonitas ad ſe rapit. Natalis Comes Mythologiæ libro 2. capite 20.

MERCVRIVS, propter uerborum interpretationẽ Hermes dictus, inprimis obſeruator aſtrorum & curſus ſolaris fuiſſe dicitur Diodorus Siculus.

BABYLONII primi omnium aſtrologiam dicuntur inueniſſe, omnemque curam in contemplatione ſiderum collocaſſe. Ab his Græci polum, gnomonem, & duodecim horas didicerunt. Idem.

De anni menſiumque inuentoribus & conſtitutoribus, conſule Polydorum libro ſecundo, capite quarto, de Rerum inuentoribus.

Menſes hoc eſt, lunę curſus (qui, ut Cicero in 2. de Natura deorum ait, quia menſa ſpacia conficiũt, menſes nominantur) THEBÆOS Aegyptios omnium primos inſtituiſſe, Diodorus affirmat. Quod tamen magis HEBRÆIS, qui haud dubiè primi annum conſtituerunt, tribuendum eſſe uidetur. Ibidem.

ATLAS, Promethei frater, Iapeto & Aſia nympha genitus, à quo Mauritaniæ mons eſt inſignis nominatus. Eum Vrani F. facit Diodorus. Hunc ferunt aſtrologiæ fuiſſe peritiſſimum, deque ſphæra primùm inter homines diſputaſſe: qua ex re uiſus eſt orbem ſuis humeris ſuſtinere, locum prębente fabulis ſphæræ inuentione. Diodorus lib. 3. cap 5. & lib. 4. cap. 3. Scriptum reliquit Zezes hiſtoria 1. quintæ Chil. ATLANTEM Aegyptium, qui multis annis Libyco fuit antiquior, dictum fuiſſe cœlum humeris ſuſtinere, quia rerum cœleſtium & aſtronomicarum primus inuentor fuerit apud Aegyptios. Quæ de Hercule Aegyptio & Atlante dicuntur ab Aegyptiis, Græci ad poſteriorem Atlantẽ & Herculem Alcmenæ F. transferunt. Dicunt enim cœlum ſuſtentandum Herculi ab Atlante datum, quia ſtellarũ motus ab Atlãte didicerit. Refert Pauſan. in Bœot. Poloſum uicũ non procul à Tanagris, in quo Atlas conſederit, & ea quæ ſunt ſub terra reſq; cœleſtes accurata diligẽtia inueſtigarit. Sunt qui dicant Atlantem primũ fuiſſe, qui lunę curſum obſeruauerit: quod alij tamen tribuunt ARCADI Orchomeni filio, unde dicta eſt Arcadia: quare Arcades ante lunam, uel potius

potiùs ante lunæ obſeruationem gloriantur ſe natos eſſe. Natalis Comes lib.4.cap.7.Mytholog. Conſtans fama eſt, HERCVLEM Thebanum, fuiſſe peritum aſtronomię. Quo argumento apparet, quæ plurimorum heroum fuêre, ad eũ qui Alcmenæ fuit, uana perſuaſione referri. Vix crediderim fieri potuiſſe, ut is qui monſtra rerum omnibus ſit terris inſectatus, aſtrorum ſcientiæ tam ocioſè uacare potuerit, ut maior aliquis inde profectus ſit ſecutus. Satis cõſtat Atlantem, à quo Hercules eam diſciplinam adeptus dicitur, Perſeo æqualem fuiſſe, aut aliquanto natu maiorem. Perſeus Alcmenæ fuit proauus. Quo colligitur, neq; ætate, neq; locorum commercio contingere potuiſſe, ut Hercules fuerit ab eo inſtitutus. Nec multo plus conſtabunt tempora, ſi ad eum Atlantem, qui in Italia regnauit, id referas. Neque ad Maiæ patrem, qui Arcadiæ fuit incola, ea inſtitutio referri poteſt, qui multùm diuerſa fuit ætate. Veriora igitur uidentur mihi ſecuti, qui Herculem à Lino edoctum credidêre. Sabellicus libro 5. Enneadis 1. Hyades quinque & Pleiades ſeptem ATLANTIS filiæ dictæ ſunt, quòd ſtellas haſce primus obſeruarit, & filiarum ſuarum nomina illis indiderit. Natalis Comes Mythol.lib.4.cap.7.

Lucianus in Dialogo de aſtrologia, PHRYXVM, qui aurei uelleris ariete uectus per mare Colchos peruenit, rerum cœleſtium ſcientia inſignem, Arietis ſidus primum obſeruaſſe ſcribit. Natalis Comes lib.6.cap.9. Mythologiæ.

ATREVS ſolis eclipſin inueniſſe dicitur. Vnde figmentum illud de ſole retrogrado.

PALAMEDES Nauplij & Clymenes filius, Aſtrologiæ peritiſſimus, annum menſesque ad curſum ſolis apud Græcos accommodauit: primusq; in caſtris uiſam atque formidatam ſolis eclipſin dixit naturalem, minimeq; timendam eſſe, ſacrificareq; ſoli iuſſit. Philoſtratus in Heroicis.

THALES Mileſius Vrſæ minoris inuentor fuit, easq; ſtellas notauit, quas in nauigando Phœnices obſeruare conſueuerunt, teſte Callimacho:

ἐ τῆς ἁμάξης ἐλέγετο σταθμήσασθαι
τοὺς ἀστερίσκους, ᾗ πλέουσι Φοίνικες.

Primus quoque ſolis curſum reperit, à conuerſione in conuerſionem: & ſolis magnitudini lunarem globum comparatum, DCCXX illius partem eſſe affirmauit. Menſis ultimam, τριακάδα uocauit. Primus circuli triangulum rectis lateribus deſcripſit, & bouem immolauit, teſte Pamphila. Laertius lib.1.

HIPPARCHVS Nicæus nouam ſtellam æuo ſuo genitã deprehendit, & primus ſtellas numerauit, organaque excogitauit, per quæ ſingularum loca & magnitudines deprehenderentur. Plinius libro 2.capite 12.& 25. & Sabellicus libro 10.capite 8.

Stellæ Veneris uagam naturam, ſoliſque & lunæ æmulam, PYTHAGORAS Samius primus deprehendit, Olympiade circiter quadrageſima ſecunda, qui fuit urbis Romæ annus centeſimus quadrageſimus ſecundus. Plinius libro 2. capite octauo.

PARMENIDES Eleates, Xenophanis auditor, primus animaduertiſſe uidetur eundem eſſe ueſperum & luciferum, ut Phauorinus teſtatur. Alij tamen hoc Pythagoræ tribuunt. Laertius lib.9.

Vmbrarum rationem, & quam uocant gnomonicen, inuenit ANAXIMENES Mileſius, Anaximandri diſcipulus: primusque horologium quod appellant ſciotericon, Lacedæmone oſtendit. Plinius lib.2.cap.76.

## DOCENDO. DOCTORES ASTRONOMIÆ.

Alexander Polyhiſtor, apud Euſebium, ABRAHAMVM natum ait decima poſt inundationem generatione, in Camarine Babyloniæ urbe, quam alij Vrien uocant, quod Græcè χαλδαιόπολιν ſonat, hoc eſt, Chaldæorum urbem, inuentorẽ apud illos aſtrologiæ: iuſtitia & pietate tãta, ut numini gratiſſimus, iuſſus ſit ab eo in Phœnicem migrare, quam gentem rationem ſiderum, aliasque magnas & præſtantes artes edocuit: itaq; facillimè regi illorũ conciliatus eſt. Nicolaus Damaſcenus lib. Hiſtoriarum 4. Damaſci Abrahamum regnaſſe ſcribit, profectum ex Chaldæa cum exercitu: hinc in Chananæam ueniſſe, quæ poſtea Iudæa dicta eſt, magnamque ſui & diuturnam apud Damaſcenos reliquiſſe memoriam: uillamque ibi oſtendi, quam Abrahami domũ nuncupent. Sed cùm fame Chananæa premeretur, in Aegyptum abiiſſe, congreſſumque cum illis ſacerdotibus, multum eis profuiſſe, & ad rerum cognitionem, & ad pietatem rationemque morum & uitæ. Alexander in Heliopoli uixiſſe eum aliquandiu perhibet, nec profeſſum ſe aſtrologiæ inuentorem, ſed à maioribus ſuis iam inde ab Enoch traditam ſibi per manus. Artapanus auctor eſt, Hebræos ab Abraham nominatos, qui annis XX. in Aegypto fuit, regemque Aegyptium Pharetatem aſtrorum peritiam docuiſſe, hinc in Syriam reuerſum. Ludouicus Viues in lib.18. Auguſt. de ciuitate Dei, cap.2.

Ferunt PROMETHEVM, cùm natu maior eſſet Epimetheo, ultrò illi regnum Theſſaliæ conceſſiſſe adminiſtrandum, ac dediſſe ſe totum rerum contemplationi inquiſitionique, ac inprimis cœleſtium. Ideo altiſſimum aſcendiſſe Caucaſum, ut ſereno cœlo quàm longiſſimè aſtra, ſignorum obitus & ortus ſpectaret. Inde cùm deſcendiſſet, Chaldæos edocuiſſe artem, ſimul & multa quæ ad uitam ciuilem pertinerent: illudque de paſtu iecinoris ad curas & ambiguitates ſubinde alias ex aliis renaſcentes ſpectare credo. Etſi interpres Apollonij Rhodij fluuium eſſe ſcribit Aquilam nomine, qui Prometheæ regionis, quæ ad radices Caucaſi ſita eſt, eparraderet. Ludouicus Viues in lib.18. Auguſt. de ciuitate Dei, cap.8.

Sol ſecundùm fabulas, Rhodiæ nymphæ amore captus, inſulam poſt diluuium exiccatam Rhodum ab ea dixit. Ab eo geniti ſeptem numero, qui dicti ſunt HELIADES, peritiſſimi omnium, ſed maximè aſtrologiæ. Addiderunt quoque ad nauigandi artem permulta. Situm inſuper terræ conſcripſere. Præſtantiſſimus inter eos Tenages fuit, à fratribus ob inuidiam occiſus. Qua re nota, cædis participes aufugerunt: Macer quidem in Lesbum, Candalus in Coon: ACTIS in Aegyptũ tranſiens, in patris honorẽ, Solis condidit urbem, à quo ad Aegyptios aſtrologiæ notitia traducta eſt. Poſtmodum Græcia diluuio oppreſſa, cùm plurimi homines periſſent, & literarum quoque monumenta deleta ſunt. At diluuij expertes Aegyptij, aſtrologiæ artem ſunt proſecuti. Qua in re cùm Græcos ob literarum defectum anteirent, accidit, ut primi Aegyptij crederentur aſtrologiæ extitiſſe repertores. Diodorus libro quinto, cap.13.

Atlas ex Heſperide ſorore ſeptem genuit filias: quæ à patre Atlantides, à matre Heſperides dictæ ſunt. Hæ cùm forma ac prudentia excellerent, Buſiris Aegyptiorum rex cupiditate captus uirginum, piratas ad eas oras miſit, ut ad ſe raptas uirgines apportarent. HERCVLES Thebanus, Emathione Aethiopum rege occiſo, prædones, qui puellis in horto quodam dum luderent, raptis, inque nauibus poſitis ſubitò aufugerant, inſecutus, in litore quodam deprehenſos interemit, uirgines Atlanti reſtituit patri. Quo beneficio motus Atlas, non ſolùm dignis facto munerib. donauit Herculem, ſed aſtrologiam inſuper & ſphæram docuit. Quam cùm ad Græcos tranſtuliſſet, fabulæ locum dedit, quòd feſſo Atlanti in ferendo orbe ſucceſſiſſet. Diodorus lib.4. cap.5.

Defectum lunæ Plutarchus ANAXAGORAM primum mõſtraſſe dicit, in uita Niciæ.

SVLPITIVS Gallus, primus Romani generis, rationem Eclipſeon in uulgus extulit: & tribunus militum, pridie quàm Perſes rex à Paulo Aemylio ſuperatus eſt, ab Imperatore in concionem productus, inani metu militum animos liberauit, & ea etiam de re uolumen edidit. Hic poſtea conſul cum M. Marcello fuit. Plinius libro ſecundo, cap.12.

AVICENNA Aſtronomiæ per decem annos cum Sorzano diſcipulo operam dedit, & inſtrumenta plurima cæteris ignota, ſuis parauit manibus. Sorzanus in eius uita.

## DISCENDO.

Rudis fuit PRISCORVM uita, & ſine literis & matheſi: non minùs tamen ingenioſam habuêre obſeruationem ſiderũ ortus & occaſus, quàm poſteri rationem. Plinius libro decimooctauo, capite uigeſimonono.

HERCVLES ob filias Atlanti reſtitutas, aſtrorum ſcientiam ab eo præmium tulit: cui rei quoniam intentiùs deinceps operam dediſſet, Cœlum humeris ſuſtinuiſſe à poetis traditur. Sab.lib.6.En.1.ex Diodoro.

AEGYPTII mathematicis maximè incubuiſſe pernoſcuntur. Ad quam rem prolectabat eos regionum illarum benignior tractus, patentibus latè campis, ac noctibus ſerenitate perpetua ſiderali contemplationi niteſcentibus. In Epiſtola ad Pherecydem ſcribit Thales, in Aegyptum ſe cum Solone commeaſſe, ſtudio ſacerdotes inuiſendi, & aſtronomos. Quin & ab eiſdem ſe geometricis imbutum, non inficiatur. Cælius lib.16.cap.4.A.L.

Arbitrati ſunt nonnulli dictam fuiſſe PASIPHAEN, Minois uxorem, in amorem tauri incidiſſe: quia cùm ex Dædalo de tauro inter aſtra collocato, deque uniuerſa re aſtronomica audiuiſſet, in aſtronomiæ amorem inciderit, ut ait Lucianus in dialogo de Aſtrologia. Natalis Comes Mythol. libro 7. cap.16.

DEMOCRITVS Aſtronomiæ ſtudio accenſus, ad Aegyptios ſacerdotes primùm, inde etiam ad Chaldæos profectus eſt.

Strabo narrat, EVDOXVM cum Platone in Aegyptum profectum, ibi peritiam aſtrorum didiciſſe, philoſophatumq; in ſaxo, quod de eius eſt nomine nuncupatum.

C.IVL.



C.IVL. Cæſar, Cleopatra in regno Aegyptio confirmata, etſi cum ea intempeſtiua conuiuia aſſiduè celebrabat, uacauit tamen per id tempus aſtrorum cognitioni, breuiq; ita profecit, ut Romam poſtea reuerſus, pontificum correxerit faſtos, annumque ad eam intercalationis formam conſtitueret, qua hodie utimur. Sab.lib.7.Enn.6.

## ASTRONOMIÆ POSSESSIO. ASTRONOMI.

*Aſtronomiam olim Aſtrologiam uocabant. Poſterior ætas diuerſas ſcientias diuerſis quoq; nominibus appellauit. Nos in præſentia de iis, qui ſiderum motus obſeruant, Aſtronomis propriè dictis. Aſtrologos uerò hodie appellant eos, qui ex aſtris iudicant, & Genethliaci atque Iudiciarij & Chaldæi alio nomine dicuntur. De quibus paulò pòſt. Cælius lib.12.cap. 10. Antiq.Lect.inquit: Aſtrologiæ pars eſt Gnomonice, quæ ſolariorum diſcriminatis umbris horas ueruto ſiue gnomone pernotat: ſicut alia pars Meteoroſcopice, quæ eleuationum differentias aſtrorumq; exquirit diſtantias, nec non multa uariaq; alia ad Aſtrologiæ inſpectionem tendentia perdocet. Tertia pars Dioptrice nominatur, ſolis & lunæ cæterorumq; aſtrorum interualla huiuſmodi, internoſcens inſtrumentis: inter quæ Aſtrolabij eſt inuentio, quam Ptolemæo Syneſius attribuit: quod eſt Politiano item obſeruatum: cuius partes, Vagina, ipſa continens Tympana; in quibus æquinoctialis tropiciq; deſcribuntur circi, quiq; alternis horizonti ſunt anaphorici: tum ſupra tympana, quæ uocatur Aranea deſignatur, in qua zodiacus & clara quædam ſidera cernuntur, ut per noctem quota ſit hora, quotumq; temporis momentum, reperiamus.*

## PERITI.

COELVM Saturni patrem, quem ille, inſidiis prope fontes ac fluuios locatis, captum execuit, Diodorus lib.4 ſcribit peritiſſimum fuiſſe curſuum aſtrorum temporumq;, & annum digeſſiſſe, unde illi Cœlo nomen, rudesque homines artes docuiſſe & humanitatem: regnaſſe circa ſeptentrionem & occidentem in Africa, genuiſſeque ex uariis uxoribus liberos quinq; & quadraginta. Ludouicus Viues in lib.7. Aug. de ciuitate Dei, cap.19.

ATLAS magnus fuiſſe aſtrologus dicitur. Vnde occaſionem fabula inuenit, ut eum cœlum portare confingeret. Quamuis mons eo nomine nuncupetur, cuius altitudine potiùs cœli portatio in opinionẽ uulgi ueniſſe uideatur. Auguſt. lib.18. de ciuitate Dei, capite 8.

Lucianus de Aſtrologia, Alatum, inquit equum BELLEROPHONTI fuiſſe, non admodum credo: uerùm arbitror illum aſtrologiam ſectantem, ſublimiaq; cogitantem, & inter aſtra uerſantem, in cœlũ non equo aſcẽdiſſe, ſed animo.

THESSALÆ mulieres præcipuè magicam artem callere putabantur (ſic Ariſtophanes in Nebulis:

Γυναῖκα φαρμακίδ' εἰ πριάμενος Θετταλήν,
καθέλοιμι νύκτωρ τὴν σελήνην.

Veneficam ſi feminam ipſe Theſſalam
Coemero, captabo lunam noctibus.)

quòd eſſent rerum aſtronomicarum peritæ. Inter cæteras Aglaonice uel Aganice, Theſſalorum regis Hegetoris filia, hac ſcientia præſtitiſſe dicitur: quæ quoties immineret lunæ defectus, ſe uelle lunam è cœlo detrahere profitebatur. Plut.in Præceptis connub. & de Orac.def.

HIPPARCHVS Nicęus ſcripſit de Arati Phęnomenis, de ſtellis fixis, de lunæ motu contra Platonem. Solis & lunæ curſum in ſexcentos annos præcinuit, menſes gentium, dies q; & horas, ac ſitus locorum, & uicos populorum cõplexus. Plinius lib.2.cap.12.

ANAXIMANDER Mileſius, Thaletis diſcipulus, lunam alieno lucere lumine, ſolem terræ æquare magnitudinem, & eſſe puriſſimum ignem, aſſeruit. Primus Gnomonem inuenit, eumque Lacedæmone in loco captandæ umbræ idoneo ſtatuit, ut conuerſiones Solis & Aequinoctia notaret. Horoſcopia quoq; & ſphæram fabricatus eſt. Laertius lib. 2. Primus quoque obliquitatem Zodiaci intellexiſſe, hoc eſt, rerum fores aperuiſſe traditur, Olympiade 58. Signa deinde in eo CLEOSTRATVS, & prima Arietis ac Sagittarij. Sphæram ipſam antè multo Athlas. Plinius lib.2. cap.8.

DEMOCRITVS Abderites ſcripſit de Planetis, magnum annum ſiue Aſtronomiam, Cœli deſcriptionem, Poli deſcriptionem, Radiorum deſcriptionem. Laertius lib.9.

XENOCRATES Chalcedonius, de Aſtrologia ſex libros ſcripſit. Laertius lib.4.

EVDOXVS, Aeſchinis F. Gnidius, medicus, Platonis ęqualis, Aſtrologus inſignis, multa ſcripſit eius generis: & Octaeteridem, id eſt, octo annorum circuitum, & aſtronomiam uerſibus eſt executus. Suidas, & Laertius lib.8. Faſtos ſcripſiſſe, ſignificat Lucanus, qui Cæſarem in conuiuio Cleopatræ gloriantem facit:

Nec meus Eudoxi uincetur faſtibus annus.

Ludouicus Viues in librum 16. Auguſtini de ciuitate Dei, capite 23.

THEOPHRASTVS Ereſſius Aſtrologicæ hiſtoriæ libros ſex ſcripſit. Laertius lib.5.

OENOPIDES Chius, Aſtrologiæ inprimis peritus, cùm dedicaret in Olympiis legum tabulam, inſcripſit in ea aſtrologiam 59. ann. affirmans, hunc eſſe magnum annum. Aelian. lib.10. Variæ hiſtoriæ.

Circa Olymp.86. Athenis METO Pauſaniæ filius Lacedæmonius, ſingularis in Aſtrologia eruditionis, tabulam quæ Nouem decennalis circuli inſcribitur, expoſuit, eius ingreſſu tertiadecima die menſis Scirophorionis Athenis dein inſtituto. In eo annorum numero in eundem ſtatum reuertuntur aſtra, quaſiq; magni anni orbem conficiunt. Quapropter à nonnullis curſus ille, Metonis annus appellatur. Diodorus lib.12. & Aelian.lib.10. Var. hiſt.

ARATVS Solenſis, è Cilicia (eſt enim & Cypri urbs Soli) Athenodori filius, natus Olympiade CXXIIII, apud Antigonum Gonatam regem Macedoniæ obiit: ſcripſit Phænomena, quorum initium mirabile eſt, æmulatione Homerica: Hymnos in Pana, Spondophoros, Ludicra, Aſtrologiã & Aſtrotheſiam: commodam Pharmacorum theriacorum compoſitionem: Anthropogoniam, id eſt, ortum hominũ, & alia quædam. Suidas. Alij faciunt Pompeiopolitanum, iuxta quam Ciliciæ urbem in paruo tumulo monumẽtum Arati uiſitur, in quod iacta ſaxa diſſiliunt, incertum qua de cauſa. Phænomena uertit Cicero iuuenis adhuc: fragmentum interpretationis extat: poſtea Iul. Cæſar, ut tradit Firmicus: ſed uulgaris opinio eſt, & ea uerior, mea ſententia, Germanicum Latinè ceciniſſe Aratea, niſi & Firmicus Germanicum Iulium uocet. Poſtremò Hieronymi ætate Auienus Ruffus paraphraſin fecit Latinam. Ludouicus Viues in librum 18. Auguſt. de ciuit. Dei.

CLEOMEDES ſcripſit de circulis cœleſtibus elegantem admodum tractatum, qui adhuc extat: auctore Volat. lib.14. cap.2. Anthrop.

CONON libros de Aſtrologia ſeptem reliquit. De eo Verg. in Bucol. In medio duo ſigna, Conon, & quis fuit alter? Hic Ptolemæo Philadelpho gratificaturus, Berenices comam in cœlum tranſtuliſſe dicitur. Fuit autem hæc Berenice Ptolemæi Soteris & Philadelphi mater, quemadmodũ & Theocritus in Syracuſas meminit. Quam rem Callimachus cecinit, & ex illo Catullus in elegia quadã, cui titulus eſt de Coma Berenices. Huius & Proclus in ſphæra ſua, & Theon apud Aratum meminerunt.

C.MANILIVS Antiochenus, conditione ſeruus, Aſtrologus & poeta, unà cum Plotio poeta mimorũ & Taberio grammatico conſeruus, ex Aſia una naui aduectus fuit, teſte Plinio lib.37. Aſtrologiam uerſibus primus Latinorum aggreſſus eſt, opus Auguſto dedicans: ubi ſe non aliorum uiam ingreſſum, nec aliena proferre, ſed ſua & noua profitetur, tacitè Vergilium notans. Carmen graue, ſedatũ & elegans, ut planè uideatur temporis illius maieſtatem & eloquentiam redolere. Opus uidetur imperfectum, quoniam de ſeptem erraticis ſtellis mentionem non facit. Volaterranus 17. Vrb. comm.

IVL.HYGINVS ad M.Fabium Quintilianum, cui familiariſſimus fuit, de mundi & ſphæræ narratione utile opus Aſtronomicum ſcripſit: præterea de ſignis cœleſtibus aliud, in quatuor libros diſtinctum. Volat.lib.16. Anthrop.

HYPATIA, mulier Alexandrina, Theonis geometræ filia, uxor Iſiodori philoſophi, ſcripſit in Aſtronomia: docuit Alexandriæ, concurrentibus undiq; diſcipulis. Claruit ſub Arcadia Imperatore. Tandem ab Alexandrinis ob inuidiam interfecta. Suidas.

ALPHARABIVS Arabs, philoſophus, & aſtronomus ſuo ſeculo excellentiſſimus, Othonis tertij temporibus in precio fuit: ut Bergomenſis & Sabellicus teſtantur.

PETRVS de Haliaco Alemannus, cardinalis Cameracenſis, abhinc annis centum in Aſtrologia nonnullos tractatus edidit, inter quos de parallelis 12. ad quos omnes Ptolemæi parallelos reducit, multaque ipſius interpolat ac declarat. Volat.lib.21. Anthrop.

ALPHONSVS X. Hiſpanorum rex, profitebatur Aſtronomiam, ſiderumq; ſcientiam: in qua tanta cum laude uerſatus eſt, ut quæ extant Tabulæ, ab eo dictæ ſint Alphonſinæ.

Ritus

Ritiis Neapolitanus libro 5. Regum Hiſpanorum.

IOANNES Monteregius, homo Germanus, Matthiæ Pannoniæ regi, apud quem agebat, gratiſſimus, edidit Ephemeridas, inductis nouis à ſuo nomine calculis, confutataq; Gerardi Cremonenſis theorica. Compoſuit præterea Epitomen in Ptolemæi magnum opus, quod Almageſtum uocant. Volaterranus libro 16. Anthrop. Norimbergam inde profectus, & ad Calendarij emendationem à Sixto Quarto Pontifice Maximo Romam accerſitus, rebus nondum perfectis obiit.

GEORGIVS Purbachius in limitibus Bauariæ Auſtriæq; natus, Ioannis de Monteregio præceptor, Aſtronomicæq; diſciplinæ in Vienenſi Gymnaſio inſtaurator. Floruit ſub Friderico III Rom. Imp. Apud Beſſarionem Cardinalem magna in æſtimatione habitus, dum is legatum Viennæ ageret: eius hortatu ſcripſit ſex primos libros epitomatis Almageſti Cl. Ptolemæi. Mortem obiit, opere adhuc imperfecto, nondum quadragenarius, anno Domini 1462.

Aetate noſtra COPERNICVS, aſtrologus non antiquis ſolum comparandus, ſed in aſtrologia prorſus admirandus, tota antiquitate hypotheſium reiecta, hypotheſes non illas quidem nouas, ſed tamē admirabiles reuocauit, quæ aſtrologiam non ex aſtrorum, ſed ex terræ motu demonſtrarent. P. Ramus lib. 2. Procemij mathem.

IOVIANVS Pontanus poeta, cum hominibus ſuperioris ſeculi conferendus, de Stellis libros V, Meteororū unum ſcripſit, eruditè non minus quàm doctè: quamuis argumētum ipſum ægrè cultum ſermonis & uerborum phaleras admittat. Rauiſius.

## IMPERITI. ASTRONOMIAE ignorantia

### IN GENERE.

Mirum eſt quod Cicero in 1. de Oratore dicit, cōſtare inter doctos, hominem ignarum aſtrologiæ ARATVM ornatiſſimè atque optimis uerſibus de cœlo ſtellisque dixiſſe: tanta eſt uis eloquentiæ. Ludouicus Viues in lib. 16. Auguſt. de ciuitate Dei, cap. 23.

### IN SPECIE. Imperiti

*Solis occaſus.*

Poſidonius VVLGO dici tradidit, Solē in finitimis Oceani litoribus multo maiorē occidere ingenti cum ſtrepitu: perinde ac eo in profundum incidente, in illo reſtinguendo pelagus efferueſcat. At hoc mendacium eſt, uti & illud, Noctem poſt occaſum è ueſtigio ſubſequi. Haud enim è ueſtigio, uerùm ſenſim poſtea. ARTEMIDORVS autem ſolem centies ampliorem occidere aſſerit, continuoq; noctem occupare, ut ipſe quidem perſpexerit. Strabo lib. 3. Huc alluſiſſe uidetur Satyricus, Audiit Herculeo ſtridentem gurgite ſolē. Exercitus profectò Rom. D. Iunio Bruto duce, cùm in Luſitania Solem Oceano ſe immergentem uidiſſet, ſuperſtitione tactus, quaſi deum mœrentē aſpectaſſet, ſumma affectus eſt triſtitia. Sabellicus lib. 5. Enneadis 5.

*Anni.*

Aſtronomiæ imperitia fecit, ut anni conſtitutio apud uarios populos uaria fuerit. ARCADES ſuum annum tribus mēſibus explicabant. ACARNANES ſex. GRÆCI reliqui 354. diebus. ROMVLVS decem menſibus, &c. Vide Macrobium lib. 1. Saturn. cap. 12. & 13.

*Biſſexti.*

MAXIMILIANVS I. Imp. Brugcaſe oppidum in Flandriæ in uigilia D. Mathiæ manè ex compoſito occupaturus fuerat. Cæterùm cùm biſſextilis ille annus eſſet, priori die affuit: fruſtraq; expectato coniuratorum motu, re infecta redire coactus eſt. Ciues in proditores ſæuiere. Cranzius lib. 12. Saxoniæ, cap. 33.

*Solſtitiorum.*

CLEOMENES Spartiates cùm Megalopolim Arcadiæ, quorundam proditione capere propoſuiſſet, quoniam nō præuiderat, quòd circa Pleiadis ortum breues omnino contingit eſſe noctes, exercitum mouit ex Lacedæmone, cùm iam ſol occideret. Orto ergo die, cùm accederet, turpiter multis amiſſis, ac de ſumma rerum periclitatus, reiectus eſt: quiſi, iuxta quod conſtitutum erat, quando ij, qui murum cuſtodiebant, intromittendi illius facultatem habebant, exercitum adduxiſſet, urbem cepiſſet. Polybius Hiſtor. lib. 9.

*Eclipſium.*

*Vide infrà, Aſtronomiæ uſus in Effectuum præſentium declaratione.*

Antequam oſtenſa eſſet uulgo à philoſophis ratio defectuum ſolis & lunæ, HOMINES cùm illa ſidera deficere uiderēt, aut ſcelus aliquod ingens, aut mortem eorum metuebant. Hic pauor non in rudi ſolū erat plebe, ſed in eruditis quoque. Itidem adiuuari putabant lunam in defectibus laborantem ſonitibus permagnis, ne uoces incantantiū eò poſſent peruenire, ut ab ea exaudirentur: idcirco pelues & tympana & cymbala pulſabantur. Propertius:

Cantus & è curru lunam deducere tentant:
Et facerent, ſi non æra repulſa ſonent.

Iuuenalis de femina loquaciſſima Satyra 6.

Vna laboranti poterit ſuccurrere lunæ.

Item Plinius lib. 2. hoc ipſum Pindaro & Steſichoro tribuit. Noſtra memoria POPVLVS fuit, qui lunā ab aſino epotā crediderit, cùm is aſinus de fluuio biberet, qui lunæ ſpeciē, ut fit, reddebat, illaq; obtectu nubis ſubitò ſe condidiſſet, aſinusq; in carcerem coniectus, & poſt legitimam quæſtionem ſectus eſt, ut lunam mundo redderet. L. Viues lib. 10. de ciuit. Dei, cap. 16.

Scriptores quidam Romulum propter tyrannidem à ſenatu diſcerptū dixerunt, ſubornatumq; neſcio quem Iuliū Proculum, qui cum ſibi apparuiſſe diceret, & populo mandaſſe Romano, ut inter numina coleretur: eoq; modo populū, qui contra ſenatum inſurgere ceperat, ſedatum fuiſſe, præſertim cùm eo ipſo tempore ſolis defectio accidiſſet, cuius naturalem rationem cùm ROMANI ignorarent, regis ſui ἀποθέωσιν tribuerunt. Auguſtinus lib. 1. de ciuitate Dei, capite decimoquinto.

NICIAS Athenienſium dux, cùm exercitum XL. millium circa Syracuſas, mutatis caſtris ſeruare poſſet: cùm luna deliquium pateretur, quaſi illa periculum aliquod portenderet, ſuperſtitiosè à motione caſtrorū abſtinuit. Interea muro ab hoſte circumuallatus, cùm ſequenti nocte caſtra moueret, & id hoſtis præſentiſceret, & exercitus & duces in manum Syracuſanorum inciderunt. Polyb. hiſt. lib. 9. & Diod. Sic. lib. 13. & Plin. lib. 2. cap. 12.

ARCHELAVS Macedonum rex, in ſolis deliquio, rerum naturæ ignarus, & pauore attonitus, feſtinantiùs occludi regiam imperauit, & quod aſſolebat in magno plerunq; mœrore, comam filio decuti iuſſit. Cælius lib. 7. cap. 28. Lectio. Antiquarum.

STESICHORVS atque PINDARVS poetæ clariſſimi, Matheſeos ignari, ſolis & lunæ deliquia ueneficiis fieri, iisque æris tinnitum auxiliari, ſunt arbitrati. Plinius libro ſecundo, capite duodecimo.

PERSEVS Macedonum rex contra L. Paulum Aemylium pugnaturus, cùm ſol ſereno cœlo repentè defeciſſet, animo penitùs concidit, prodigium id ad regni excidium pertinere arbitratus. Plut. in Aemylio.

*Pleniluniorum.*

Alcibiadis ACCVSATOR, mendax ex Aſtronomiæ imperitia deprehenſus, cùm à ſe uiſos Hermarum detruncatores noctu aſſeruiſſet, ſilente luna. Plut. in Alcibiade.

*Feſtorum dierum.*

SACERDOS quidam Hetruſcus ad Apenninum, cùm ignoraret anni uarietates, nequaquam indixit quadrageſimam populo, Venit hic ad Terram nouam ad mercatum ſabbato ante ſolennitatem Palmarum. Conſpectis ſacerdotibus oliuarum ramos ac palmulas in diem ſequentem parantibus, admiratus quidnam id ſibi uellet, cognouit erratum ſuum, & quadrageſimam iam nulla obſeruatione ſuorum tranſiſſe. Reuerſus in oppidum, & ipſe ramos palmasq; in poſterum diem parauit, & aduocata plebecula: Hodie, inquit, eſt dies quo rami oliuarum palmarumq; dari ex conſuetudine debent. Octaua die paſcha erit, hac tamen hebdomada agēda eſt pœnitentia, neq; longius habemus hoc anno ieiunium. Carniſpriuium enim propter frigora & difficultatem itinerum hos montes nequiuit ſuperare. Quadrageſima certè adeò tardo ac feſſo gradu acceſſit, ut unicam hebdomadam ſecum ferat, reliquis in uia relictis. Poggius in Facetiis.

## ASTRONOMICA EXERCITIA, SIVE

### COGNOSCENDO, OBSERVANDO.

Atlas frequentes ſuſtulit filios, ſed unum pietate, ac in ſubditos iuſtitia, humanitateque inſignem, quem HESPERVM appellauit: qui cùm in Atlantis montis cacumen ad ſcrutandos aſtrorum curſus aſcendiſſet, ſubitò à uentis abreptus, nequaquam ampliùs uiſus eſt. Caſum hunc miſerata plebs, honores illi præbens immortales, aſtrum cœleſte luc idiſſimum, eius nomine uocauit. Diodorus libro tertio, capite quinto.

In Babylonis medio Semiramis templum Ioui erexit, quē uocant Babylonij Belū. De quo cùm & ſcriptores diſcordent, & opus ipſum uetuſtate collapſum ſit, certi nihil pronunciari poteſt: conſtat tamen miranda altitudine fuiſſe, & à

CHAL-



CHALDÆIS in ipſo obſeruatiões factas eſſe, accuratè cōſiderato & oriente & occidēte, propter operis altitudinem. Diod. Siculus lib. 2.

ANAXAGORAS philoſophus interrogatus, Cur nam ſenatum arbitraretur? reſpondit, Cœli ac ſolis uidendi cauſa. Laërtius. Quam quidem uocem ab philoſophis ſumma exceptam admiratione, riſu proſequitur Lactantius: putans, neſcientem quid reſponderet, in hæc uerba prorupiſſe. Cælius lib. 1. cap. 20. Antiq. Lect.

Ante Heliopolim Aegypti ſpecula quædam oſtenditur EVDOXI dicta, quemadmodum & ante Gnidum, in qua ille cœleſtium motus adnotabat. Strabo lib. 17.

ALFONSVS X. Hiſpanorum rex, maiorem ferè Aſtronomiæ quàm regno operam dabat. Videbat enim plus ex ea gloriæ ſe conſecuturum, quàm ex ipſa regni adminiſtratione.

### DOCENDO.

*Vide Tit. Doctores Aſtronomiæ.*

Sethi FILII, Adami protoplaſti nepotes, cùm ex aui prædictione cognouiſſent futurum rerum omnium interitū, duas columnas fecerunt, ex quibus una ex lateribus conſtructa erat, altera ex lapidibus, ut ſi lateritia ab imbribus deſtrueretur, lapidea permanens integram ſcripturam legentib. præberet. His in columnis ea, quæ ad obſeruationem ſiderum pertinerent, à ſe inuenta inſcripſerunt. Proinde ab Hebræis ad Aegyptios & Chaldæos, & deinde ad reliquos aſtrologiam manaſſe, credere par eſt. Ioſephus in primo Antiq.

### PRAEDICENDO.

*De Prædictionibus infrà ſub Vſu.*

### IVDICANDO. ASTRONOMICVM IVDICIVM.

*Conſule Tit. Aſtronomiæ ignorantia. quatenus Iudicij in ea ratio habetur.*

Atlantis cœlum ſuſtinētis fabulam, qui pedes in terra habeat, humeros ad ortum & occaſum, caput ad meridiem (ut ait Ariſtoteles in lib. de Cauſa motuum animalium) HOMINES periti ad mirabilem uniuerſi conſiſtentiam referūt, ut indicarent mundum firma ſede indigere, circa quam uolueretur: per quam tranſiret diameter, qui ea quæ ſupra nos ſunt, ab inferioribus diſterminaret. Atlantem igitur axem mundi appellarunt, ab α ἐπιτατικῶ, & τλῆμι perfero & ſuſtineo, quia indefeſſus ſit axis in mundi machina ſuſtinenda. Diod. lib. 4. cap. 3.

LEVCIPPVS Eleates, ex atomis totius uertigine circumactis & incenſis ſidera effici uoluit: & ſolis extimum eſſe circulum, lunæ uerò terræ proximum, cætera ſidera media. Sidera omnia ob celeritatem motus igneſcere, ſolem uerò inflammari à ſideribus: lunam paululum ignis habere: ſolem lunamque deficere, quòd terra ad Meridiem uergat, quæ ad Septentrionem ſunt, niuibus conſpergantur, & pruinis algeant. Solem raro deficere, lunam ſemper, propter circulos impares. Laertius lib. 9.

ANAXAGORAS Clazomenius ſolem candens ferrum, & ignitum eſſe, & Peloponneſo maiorem, aſſeruit: uel certè lapidem eſſe ignitum. Prædixit lapidem è ſole caſurum: qui & cecidit ad Aegos flumen Thraciæ, anno ſecundo Olymp. 78. Eaque ratione inductus Euripides illius diſcipulus, in Phaëthōte fabula ſolem aureā glebam appellauit. Lunam habitacula in ſe habere, & colles & ualles, affirmabat. Sidera principiò quidem turbato & confuſo motu ferri ſolita, ita ſecundùm terræ uerticem, cum qui ſemper apparet polum uerſari, poſtea uerò inclinationem accepiſſe. Lacteum orbem reflexum eſſe ſolaris luminis, non intermicantibus aſtris. Cometas errantium ſtellarum eſſe concurſum, flammas ex ſe emittentium: eoſque ueluti ſcintillas ab aere uibrari. Laert. lib. 2. & Plin. lib. 2. cap. 60. & Xenophon lib. 4. Memorabilium.

HERACLITVS Epheſius cœleſtia ſidera ſcaphas eſſe uoluit, per concauum ad nos conuerſas, in quibus euaporationes lucidæ concurrerent, flammamq; redderent. Eſſe autem lucidiſſimam calidiſſimamque ſolis flammam, aſtra cætera remotiora: lunam terræ uiciniorem non per liquidum locū ferri, eoque minus calefacere. Deficere autem ſolem, & lunam, cùm ſcaphæ ad ſuperiora uertuntur: menſtruaſq; figuras lunæ fieri, dum in illam ſenſim uertitur ſcapha. Diem itē & noctem, menſes & annos, annique tempora, ſecundùm euaporationes uarias fieri. Nam liquidam euaporationem in ſolis circulo inflammatam, diem facere: denſam uerò, noctem: atque ex lumine calorem augeri, æſtatemque perficere: ex tenebris humorem abundare, unde hyems oriatur. Laerius.

EPICVRVS aſtra, quum oriuntur, accendi: quum occidunt, extingui aſtruit: perinde ac ſi quis diceret, quum homines conſpiciuntur, naſci: quum non uidentur, mori. Cælius libro 24. capite 13. A. L.

EVDOXVS Gnidius omnium aſtrorum (ſi libeat obſeruare minimos ambitus) redire eaſdem uices quadriennio exacto, putat, non uentorum modò, uerùm & reliquarum tempeſtatum, magna ex parte. Et eſt principium luſtri eius ſemper intercalari anno, Caniculæ ortu. Plinius libro ſecundo, capite quadrageſimoſeptimo.

NICETAS Syracuſius (ut ait Theophraſtus) cœlum, ſolem, lunam, ſtellas, ſupera deniq; omnia ſtare cenſet: neq; præter terram rem ullam in mundo moueri: quæ cùm circum axē ſe ſumma celeritate conuertat, eadem effici omnia, quæ, ſi ſtante terra cœlum moueretur: atq; hoc etiam Platonem in Timæo dicere quidam arbitrātur, ſed paulò obſcuriùs, γῆν ἰλλομένην περὶ τὸν διὰ παντὸς πόλον τεταμένον. Cic. in Lucullo. Plutarchus in libro de Forma, quæ uiſitur in orbe lunæ, CLEANTHEM quendam Samium nominat, qui conatus ſit oſtendere, eadem effici omnia in cœlo quæ nunc nobis apparent, poſito cœlo ipſo manere: terram uerò in obliquo circulo, & circum axem ſuam torqueri. Victorius lib. 22. Variarum Lect. capite 3.

ARISTARCHVS putauit impietatis iudicio perſequendum à Græcis Samium Cleanthem, qui mundi fundamenta moueret: quòd dum tueri laborat ea, quæ comparent in cœlo, id ponat conſiſtere, ac terram circulo obliquo torqueri ſimul circa axem ſuum uolutatā. Plut. de Facie in orbe lunæ.

### CERTANDO. ASTRONOMICA CERTAMINA.

COPERNICVS in libris Reuolutionum, deinde Reinholdus, pòſt etiam Stadius, mathematici nobiles, perſpicuis demonſtrationibus docuerunt, ſolis apſida terris eſſe propiorem, quàm Ptolemæi ætate (floruit autem Adriano principe) duodecim partibus, id eſt, uno ac triginta terræ ſemidiametris, uel potius, ut Germani ſuis ſpaciis metiuntur, XXVI. millibus, ſexcentis & ſexaginta milliaribus Germanicis, quæ Gallicis altero tanto maiora feruntur. [redacted] Quod Iul. Cæſar Scaliger cùm audiſſet, flagris dignos putauit, qui talia ſcribunt. Ioan. Bodinus Methodi hiſtor. cap. 8. [redacted]

Nauis una, quæ Victoria à tam celebri euentu uocata eſt, ductu Ferdinandi Magellanis diſcedens ex Hiſpania uigeſima Septembris, anni MDXIX per Antarcticum fretum uia ad Indos facta, reuerſa eſt anno MDXXII. ſexta Septembris. Cumq; diſceſſiſſent homines 237, reuerſi ſunt octodecim. Numerauerunt autem diem unum plus. Id qua ratione factū ſit, dubitatur. Cęterùm id non ſolùm contingere potuit, euntibus ab occidente uerſus orientem, ſed etiam fuit neceſſarium: uelut euntibus ab oriente uerſus occidentem, unum minus numerare neceſſe foret. Cardanus de Rerum uarietate lib. 12. cap. 62. ex Petro Cieza.

## ASTRONOMIÆ VSVS.

*Aſtra ut naturalia corpora Phyſico ſubiiciuntur, & uſus aſtrorum ad Phyſicos quoque eatenus pertinebit. At reſpectu motus ſui, Aſtronomo ſubiiciuntur. Conſule Tit. Aſtronomiæ imperiti: quatenus damna, quæ ex artis ignorantia proueniunt, eiuſdem uſum commendare uidentur.*

### RESPECTV FINIS PROPRII. Ad cognitionem.

### TEMPORVM. VTILIS EST

### In genere, Cognitioni

*Anni.*

SOLON perſpecta mēſis uarietate, nec curſum lunæ uel cum exortu ſolis, uel cum obitu prorſus congruere, uerùm ſubinde eam ſolem eodem die & aſſequi & prætergredi: hunc ipſum diem ἔνην καὶ νέαν, id eſt, nouiſſimam & primam lunam iuſſit appellari: partem eius, quæ coitum cum ſole lunæ antecedit, deſinenti, reſiduum incoanti arbitratus attribuendam. Et fuit certè primus qui Homerum percepit canentem,

Hic cùm deſierit menſis, tum cœperit ille.

Inſequentē diem νουμηνίαν uocauit. Dies mēſis, qui ſuccedūt uigeſimo, nō attexēdo, ſed detrahendo & retexēdo, ut lumē

Suidas & Cælius libro undecimo, cap. ſexageſimoſeptimo.

EVRYCLES uates fuit quiſpiã, ἐγγαστρίμυθος cognominatus, hinc ni fallor, quòd ex aſtris uera prędiceret, παρὰ τὸ ἐτάζειν. Meminit & Suidas, quanquam apud hunc ἐγγαστρίμυθος ſcriptum eſt, id eſt, diuinus ſiue uentriloquus. Refertur in Collectaneis adagiorũ Plutarcho inſcriptis. Eraſmus in Adagiis.

Bello Cimbrico ATHENIO Cilix ſeruus, aſtrologię peritus, ſeruorum rebellium rex in Cicilia creatus fuit. Diod. lib 36.

Varroni philoſopho, qui Romanorum plurimæ fuit in hiſtoria lectionis, familiaris erat TARRVTIVS (alij Taruntium uocant) mathemathicus, atque etiam genethliacus. Huic propoſuit Varro, ut Romuli natalem deſignaret, ex euentis eius ducẽs rationes, ſicut quæſtionum Geometricarum docent contextus. Eiuſdem eſſe enim diſciplinæ, cùm diem natalem acceperis, uitam cuiuſpiam prænunciare, ac uita propoſita exquirere natalem. Suſcepit prouinciam Tarrutius, poſitiſque ob oculos Romuli caſibus factiſque, ac uitæ ſpacio & mortis genere, atque iſtis comparatis omnibus, confidenter & intrepidè conceptum à matre pronunciauit anno ſecundæ Olympiadis primo, menſis, quem uocant Aegyptij Chœac (December is ſit) tertio & uiceſimo die ad tertiam horam, qua ſol omni ex parte defecit. In lucem editum menſis Toth, quem dicas Septembrem, uiceſimo primo, circa ſolis ortum. Die nono menſis Pharmuthi, qui reſpondet Aprili, urbis incunabula fuiſſe inter ſecundam & tertiam horam. Plut. in Romulo; & Sab. lib. 2. En. 2.

P. NIGIDIVS Figulus (à rotæ figulinæ ſimilitudine nomine accepto) ſecta Pythagoreus, omnium diſciplinarum peritiſſimus, ut cum M. Varrone conferretur. De quo Lucanus l. 1.

At Figulus, cui cura deos, ſecretaq; mundi
Noſſe fuit, quem non ſtellarum Aegyptia Memphis
Aequaret uiſu, numeriſq; mouentibus aſtra.

Floruit Cæſaris temporibus. Nouerat ſupra omnes homines ſuæ ætatis, totius cœli ordinem & curſum: tenebat ſtellarum uim atque differentiam, quid ipſæ per ſe aut cum aliis cõiunctæ poſſint & efficiant. Auguſto Cæſari adhuc infanti, imperium prędixit. Xiphilinus, Suetonius in Auguſto.

FIRMICVS Maternus Auguſti tempore nobilis mathematicus, tractatum edidit in Prognoſtica genethliaca elegantem, qui & temporum illorum eloquentiam referat. Ad noſtram ætatem ſemifractus peruenit, non multis antè annis repertus. Volat. lib. 16. Anthrop.

APOLLONIVS Tyanæus aſtrologus inſignis, inter cætera de conicis figuris nobilem tractatum edidit, qui cernitur (teſte Volat. lib. 13. cap. 3. Anthrop.) in bibliotheca Vaticana. Idem ut Philoſtratus in eius uita teſtatur, de Aſtrologica diuinatione quatuor libros conſcripſit.

CL. PTOLEMÆVS Alexandrinus, ſub Marco Antonino Imp. Aſtrologus, primus apud Græcos cœli rationem omnem diligentiùs explicuit, inuentaque ab Hipparcho inſtrumenta clariùs monſtrauit. Edidit magnam illam compoſitionẽ, quam Syntaxin & Almageſtum uocãt. Opus item quatuor tractatuum ſcripſit, & Centiloquium ſuper his, quæ ad practicam pertinent aſtrorum prognoſticam, centum uidelicet canones, quos Græci καρποὺς uocant, quòd fructum & experimẽtum prognoſticorum eſſe dicant. Volat. lib. 18. Anthropologiæ, ex Suida.

THEON, philoſophus Alexandrinus, ſcripſit de aſtrologia, & commentarios in Ptolemæum. Item paruũ aſtrolabium.

PARMENES Chaldæus genethliacus, à Nerone interfectus fuit, delatione Antiſtij Soſiani, qui priùs acceptas à Romanis & miſſas iterum ad Romanos literas de futurarum rerum euentu ſcriptas intercepit, eaſque, ut ſe exulem Neroni iterum hoc modo reconciliaret, Romam detulit. Gyraldus dialogo 4. Hiſt. poët.

THESBITES aſtrologus & mathematicus doctiſſimus, aliàs Benchorat dictus, genere Iudæus, (alij Hiſpanum fuiſſe dicunt) claruit anno 1190. Scripſit de ſignificationibus Planetarum, de capite & cauda Draconis, de motu octauæ ſphæræ, demonſtrationes in Almageſtum, de Magia naturali, & alia. Balæus Cent. 12. cap. 2.

LAVRENTIVS Miniatenſis, non tam perfectus fuit aſtrologus, quàm primus fermè, qui aſtrologiæ bonas artes & eloquentiæ ſtudia adiecerit, primuſque qui ſuo tempore anni prognoſtica condere cœperit: quem poſtea & plurimi ſunt imitati. Volat. lib. 21. Anthrop.

CICCVS Aſculanus, qui Roberto Siciliæ rege regnante claruit, inter Aſtronomos & Magos excellentiſſimus, qui Ioannæ, Caroli Florentiæ reguli filiæ, fata prædixit, Accurſij inquiſitoris accuſatione extremo ſupplicio affectus eſt. Bonfinius libro nono, Decad. 2.

Regnante apud Hiſpanos Alfonſo IIX. ſurrexit apud Arabes Auentumerth, aſtronomus inſignis, qui iuueni cuidam filio figuli, Abdelmono dicto, prædixit eum regem Arabum futurum. Idem adſciuit ſibi quendam, qui Almohadi uocabatur, & cœpit librum Mahometi, qui dicitur Alcoranus, exponere & docere, & Callphæ de Baldac (qui [redacted] & deſcendit generationis linea de ſemine Mahometi) contraria prædicare; & regi Almorauidum Albadi, qui tunc regnum in Africa obtinebãt, rebellare. Itaq; Abdelmonus adiutus ſuperſtitione Almohadi, & conciliis Auentumerti, Regem Aboali uicit, & interfecit, & totum regnum obtinuit Africanum, & apud Marrochum ſtatuit ſedem ſuã, Almohadi quaſi Dei prophetam in omnibus honorans. In Hiſpaniã progreſſus, Saracenos omnes in ſuas partes protraxit. Mortuus Almohadi, non longè à Marrocho regio funere ſepelitur: in tanta ueneratione habitus, ut in neceſſitatibus ſuis ad eum recurrant ſubſidia petituri. Eius ſectatores Almohades nominantur: etſi alij Almohades, hoc eſt, unitos interpretentur. Abdelmono filius eius Aueniacob ſucceſſit in regno, q in Hiſpania à Chriſtiano occiſus fuit in Portugalia. Cui ſucceſſit frater eius Aduẽniuæephl. Huic Auẽmahomath F. quo in Nauis Toloſæ ab Aldephõſo Rege uicto, Almohades Hiſpania exceſſere. Rodericus Toletanus libro ſeptimo regum Hiſp. cap. 10.

## ASTROLOGI INDOCTI. ASTROLOGIÆ IMPERITI.

*Ex Tit. Aſtrologicæ prædictiones mendaces, indoctorum Aſtrologorum exempla huc transferre licebit.*

De OLYMPII uanitate Lucillius libro ſecundo Epigrammatum εἰς ἀστρολόγους:

Πρὸς τὸν μάντιν Ὄλυμπον Ὀνήσιμος ἦλθ᾽ ὁ παλαιστής,
καὶ πένταθλος Ὕλας, καὶ σταδιεὺς Μενεκλῆς.
τίς μέλλει νικᾶν αὐτῶν τὸν ἀγῶνα θέλοντες
γνῶναι. κἀκεῖνος τοῖς ἱεροῖς ἐνιδών,
πάντες, ἔφη, νικᾶτε, μόνον μή τίς σε παρέλθῃ,
καὶ σὲ καταστρέψῃ, καὶ σὲ παρατροχάσῃ.

De OLYMPICO ſic Nicarchus in 2. Epigram. ſcribit:

Εἰς Ῥόδον εἰ πλεύσει τις, Ὀλυμπικὸν ἦλθεν ἐρωτῶν
τὸν μάντιν, καὶ πῶς πλεύσεται ἀσφαλέως.
χὼ μάντις, πρῶτον μὲν ἔφη καινὴν ἔχε τὴν ναῦν,
καὶ μὴ χειμῶνος, τοῦ δὲ θέρους ἀνάγου.
τοῦτο γὰρ ἂν ποιῇς, ἥξεις κἀκεῖσε καὶ ὧδε,
ἂν μὴ πειρατὴς ἐν πελάγει σε λάβῃ.

AVLVS aſtrologus, ne mendax in mortis hora ſibijpſi prædicenda coargueretur, ſeipſum laqueo necauit. Sic in 2. Epigramatum εἰς ἀστρολόγους:

Εἶπεν ἐληλυθέναι τὸ πεπρωμένον, αὐτὸς ἑαυτοῦ
τὴν γένεσιν διαθείς, Αὖλος ὁ ἀστρολόγος,
καὶ ζήσειν ὥρας ἔτι τέσσαρας. ὡς δὲ παρῆλθεν
ἡ πέμπτη, καὶ ζῆν εἰδότα μηδὲν ἔδει,
αἰσχυνθεὶς Πετόσιριν ἀπήγξατο. καὶ μετέωρος
θνήσκει μὲν, θνήσκει δ᾽ οὐδὲν ἐπιστάμενος.

ANTICRATES aſtrologus impuriſſimus. De quo in 2. Epigram. tale legitur carmen:

Ἀντικράτης ᾔδει τὰ σφαιρικὰ μᾶλλον Ἀράτου
πολλῷ, τὴν δ᾽ ἰδίην οὐκ ἐνόει γένεσιν.
διστάζειν γὰρ ἔφη πότερ᾽ ἐν Κριῷ γεγόνοιτο,
ἢ Διδύμοις, ἢ τοῖς Ἰχθύσιν ἀμφοτέροις.

Marullus BILIOTVM aſtrologum, extinctum boletis, ſcribit:

Dum cauet aſtrologus perituris ſidera amicis,
Dum ſibi boletos non cauet, ipſe perit.

## ASTROLOGIAE VSVS. VIDELICET

### COGNITIO PRAESENTIVM, QVAE FIVNT, FIERIVE DEBENT.

ABIMELECHVS rex Geraris per feneſtram uidit ludentem cum Sara uxore, quàm ſororem ſuam eſſe dixerat, Abrahámum. Feneſtram hanc myſticè Aſtrologiam eſſe, quidam arbitrantur.

BELESES Chaldæus Arbacem Medum ad inuadendum regnum Babyloniorum hortatus eſt, & uictoriam ei promiſerat: quam biennio pòſt, multis utrinq; cladibus datis & acceptis, obſeſſo in urbe Nino rege Sardanapalo, & præ deſperatione ad regiæ incendium adacto, cum imperio obtinuit. Diodorus lib. 2. cap. 7.

Simeon Bulgarorum princeps in Crobatos duxit: ab iiſque in anguſtiis montium prælio uictus, omnem ſuum amiſit exercitum. IOANNES quidam aſtronomus Romanum Lacapenum Imp. acceſſit, cumque monuit, mitteret aliquem, qui amputaret caput columnæ, quæ ſupra Xerolophi fornicem poſita Occidentem reſpiciebat: ita enim Simeonem, cui illa fatalis erat, ſtatim periturum. Paruit Imperator: & qua hora ſtatuæ fuit abſciſſum caput, ea ipſa (quod diligenti inquiſitione poſtea deprehendit) Simeon in Bulgaria cordis morbo interiit. Cedrenus.



LEONEM philoſophum epiſcopum ſuum Theſſalonicenſes ſummoperè ſunt uenerati, doctrinæ ergô, & in rebus mathematicis ſolertiæ. Sterilis & infrugifera erat tellus: erantque in eo omnes periculo, ne aut patrium ſolum uertere, aut fame confici oporteret. Leo captato tempore, quod ei ſiderũ ortus indicabat, terram eos conſerere iuſſit. Quo facto, tantæ fertilitatis auctor fuit, ut eius meſſis fructus ad multos annos ſuffecerint. Cedrenus.

### PRAECOGNITIO, PRAEDICTIO futurorum uera. Putà

#### TEMPESTATIS FVTVRÆ

Memoriæ prodidit Staphylus in lib. de Theſſalia, CHIRONEM Aſtrologiæ peritiſſimum fuiſſe; qui cùm uellet Peleũ celebrem reddere, Actoris Myrmidonis filiam Philomelam ad ſe aduocauit, famamque diſſipauit, quòd Peleus Thetidem unam è Nereidibus, Ioue ita concedente, uxorem eſſet ducturus, ad quas nuptias dij, cùm ingentibus imbribus & tempeſtate acceſſuri eſſent: mox tempus obſeruans, in quo multæ fierent pluuiæ ac uenti de cœlo, Peleo Philomelam dedit. Hinc fama increbuit, quòd Peleus Thetidem duxerit. Natalis Comes Mythol. lib. 4. cap. 12.

DEMOCRITVS metuentem fratrem Damaſum ardentiſſimo æſtu orauit, ut reliquæ ſegeti parceret, raperetq; deſecta ſub tectum. Paucis mox horis ſæuo imbre uaticinatio eius approbata. Plin. lib. 18. cap. 35.

#### VBERTATIS, FERTILITATIS.

THALES Mileſius, cùm ex futuro Vergiliarum ortu, ſequentem annum oleis uberrimum fore perſpexiſſet, uenditores præoccupauit, diu antè olearum eius anni fructibus emtis, haud admodum grandi precio: quòd aliquot iam annis antè, uber olearum fuerat prouentus. Itaque cùm, ut ipſe præuiderat, eo anno copioſæ oleæ, ſequente uerò infœcundæ fuiſſent, ingens lucrum fecit, & apertè oſtendit, non facultatem, ſed uoluntatem opes congerendi, ſapientibus deeſſe. Cic. lib. 1. de Diuinat. Plin. lib. 18. cap. 28. DEMOCRITO hoc tribuit, & idem SEXTIVM Romanũ Athenis feciſſe teſtatur. Ariſt. uerò lib. 1. Polit. ſub finẽ, nõ olearũ fructum coẽmtum (quod monopolium ingenti pecunia, quanta in philoſophũ non cadebat, opus habuiſſet) ſed olearias officinas (ἐλαιουργεῖα) leui precio à Thalete conductas fuiſſe aſſerit: ex quarũ elocatione, cùm uberrimus oleæ prouẽtus ſucceſſiſſet, quæſtum fecit maximum. Idipſum Laërt. cõfirmat.

#### CELEBRITATIS LOCI.

THALES Mileſius corpus ſuum iuſſit poni in abiecto quodã & contemto loco agri Mileſij, cùm ibi aliquando forum Mileſiorum fore præuideret. Plut. in Solone.

#### HVMANARVM ACTIONVM ET PASSIONVM.

*In genere.*

HADRIANVS Imp. non tantùm aliis artibus operam dedit, quæ in omni uita neceſſariæ uidentur: uerùm etiam matheſi. Quod Marius Max. uſqueadeò demonſtrat, ut eum dicat cuncta de ſe ſciſſe, ſicut omnium dierum uſq; ad horã mortis futuros actus antè præſcripſerit.

SEVERVS Imp. defuncta uxore Martia, Baſſiani matre, cùm de conditionibus ageretur apud eum, genituris omnium inſpectis, Iuliam apud Syros haud bono genere natã, quòd imperatoriam haberet geneſim, ſibi coniunxit, è qua Getã ſuſcepit. Volat. lib. 23. Anthrop.

LEONTIVS, Athenienſis philoſophus, cùm filiam Athenaidem, ſplendidam fortunam conſequuturam ex arte cognouiſſet: teſtamento ſuas opes duobus filiis reliquit, filiæ tantùm C. aureis legatis, hac adiecta clauſula, quòd fortuna eius ſuffectura ei eſſet. Ergo à fratribus patrimonium ſibi uindicantibus paterna domo exacta à matertera, Conſtantinopolim perducta eſt: atq; ibi baptizata, per Pulcheriam ſororem, nomine eius in Eudociam mutato, Theodoſio Imp. nuptũ data fuit, ob formę elegantiã & eruditionẽ. Zonaras.

RABALACHAR, Mahometum naſciturum didicit, omnémque hiſtoriam eius aſtrologico teſtimonio cõprobauit. Liber de generatione Mahometi.

Guido Maltrauerſus Patauinus, comes Lucij uici Patauini, ex Conſtantia uxore, filij Obicij marchionis Eſtenſis, Nicolaũ genuit. Quem IAMBONVS Andreades aſtrologus perniciosum patriæ ciuem fore prædixit: & Guidonem tantum mouit, ut eum exhæredare uoluerit, niſi amici obſtitiſſent. Moritur Guido: Nicolaus opibus & gratia potens, in patrię perniciem cum Cane Scaligero conſpirat. Bellũ oritur cruentiſſimum, in quo ultra centum millia hominum occiſa feruntur: & uerum Iamboni uaticinium fuiſſe, exitus ipſe declarauit. Bernardus Scardeonus lib. 3. hiſt. Pat.

Vladiſlao Iagelloni Polonorum regi Sophia uxor Vladiſlaum, & Andream Caſimirum filios peperit. Erat Cracouiæ HENRICVS Boëmus, inſignis aſtrologus: hic infantem recèns natum, longæuum, ſed infelicem fore, Poloniamq; multis ac magnis malis atque calamitatibus eo regnante afflictũ iri, ex aſtris prædixit: fratrem uerò eius Vladiſlaum, clariſſimum atque uictorioſiſſimum futurum: & ni fata longiorem ei uitam inuiderent, multis gentibus imperaturũ. Quæ utraque euentus poſtea comprobauit. Vladiſlaus enim rex Poloniæ & Hungariæ creatus, ad Varnam à Turcis cæſus, anno ætatis XX. præclaræ ſpei non ſatisfecit. Caſimirus uerò, qui fratri in Poloniæ regno ſucceſſit, regnauit annis 45, uixit 64. [redacted] is, quàm Reip. deditus. Cromerus lib. 19. & 29.

Natus eſt Neapoli Ferdinandus Daualus Piſcarius matre Cardonia, gẽti apud Siculos illuſtri, quæ quatuor inſignibũ ello ducũ ſoror fuit. Infans cùm primum materno utero editus in lucem prodibat, ex tenui membrana ueſtem ampliſſimam ſecum extulit, ueluti militare quoddam paludamentum, ex paterno maternoque ſemine, haud obſcuro iure hæreditatis, tantæ indoli deſtinatum. Habuit in geneſi circa cœli uerticem ſidus Martis directo curſu ſua in ſede conſtitutam, & quò feliciùs uictoriæ pararentur, ſalutaribus Iouis radiis delinitum: unde IOVIANVS Pontanus ſupra eloquentiæ laudem etiam ſideralis ſcientiæ peritiſſimus, inſpecto themate, uictorias & lætiſſimos triumphos puero pollicitus eſt. itidem etiam monens, ut faciem aduerſus uulnera diligentiſſimè præmuniret: quaſi ex ferro Mars, alioqui benignus, honeſto ori deformitatem, uti poſtea euenit, manifeſtè minaretur. Iouius in Piſcario lib. 1.

*Periculi impendentis, Inſidiarum.*

Tiberius Cæſar in Rhodo inſula artis Chaldæorum ſtudio magiſtrum THRASYLLVM habuit. Quoties ſuper negotio conſultaret, edita domus parte ac liberti unius conſcientia utebatur. Is literarum ignarus, corpore ualido, per auia ac derupta (nam ſaxis domus imminebat) præceſſerat eum, cuius artem experiri Tiberius ſtatuiſſet. Et regredientem, ſi uanitatis aut fraudum ſuſpicio inceſſiſſet, in ſubiectum mare præcipitabat, ne index arcani exiſteret. Thraſyllus iiſdem rupibus inductus, poſtquam percontanti Tiberio imperium & futura ſolerter patefecit, interrogatur an ſuam quoq; genitalem horam comperiſſet, quem tum annum, qualem diẽ haberet? Ille poſitus ſiderum ac ſpacia dimenſus, hærere primò, dein pauęſcere; & quantum introſpiceret, magis ac magis trepidus, admiratione & metu poſtremò exclamat, ambiguum ſibi ac propè ultimum diſcrimen inſtare. Tum complexus eum Tiberius, præſcium periculorum etiam incolumem fore dixit. Dion in Auguſto, Suetonius, Tacitus.

Io. LICHTENBERGIVS Bauariæ principem in Ephemeridum ſuarum eteſiis prædictionibus, ut ita dicam, ſeriò admonuit tum ſcripto, tum pictura, Leonem Aquilæ metu latebras petiturum. Spreuit ille: at non multo pòſt à Maximiliano Imp. graui bello petitus eſt [redacted] Ioan. Agricola in prouerbiis German.

BARTHOLOMÆVS Cocles Bononienſis, Antiochi diſcipulus, metopoſcopus & chiromantes peritiſs. Lucæ Gaurico aſtrologo auctor fuit, ut uiolenti cruciatus cauſa effugeret. Is mõitis non parens, cùm in Ephemeridibus Ioan. Bentiuolum patria & dominio exceſſurum præſagiſſet, à tyranno ex alta trochlea ſuſpenſo fune quinquies quaſſatus, artis ſuæ pœnas dedit. Iouius in Elogiis.

[redacted]

*Mortis.*

Cõſulenti C. Caligulę Cæſari de genitura ſua, SVLLA mathematicus certiſſimam necem appropinquare affirmauit. Monuerunt & ſortes Antiatinæ, ut à Caſſio caueret. Qua cauſa ille Caſſium Longinum Aſiæ tum proconſulem, occidendũ delegauerat, immemor Chæream tribunum, Caſſium nominari. Suetonius.

CLAVDIVS princeps, paulò ante mortẽ, cùm Coſſ. deſignaret, mẽſem illis, quo moriturũ ſe præſagiebat, metã ſtatuit, conſilioq; nouiſſimo filios ſuos, ut fraternè uiuerent, obteſtatus, Senatui commendauit: deniq; pro tribunali ſedens, licèt abhorrentibus qui aderant, & lætiora precantibus, ſe-

ſe ad mortalitatis terminum perueniſſe iterum iterumque profeſſus eſt. Suetonius.

HADRIANVS Imp. de Vero, quem adoptauerat, ſæpe dixit: Oſtendent terris hunc tantùm fata, nec ultrà Eſſe ſinent. Eo anno, quo è uita exceſſit, uſq; ad menſem tantùm ſcripſit, quo deceſſit, ea rè ſe menſem illum non tranſgreſſurum eſſe oſtendens. Fulg. lib. 8. cap. 11.

ASCLETARION mathematicus ad Domitianum Imp. delatus, φ de eius exitu quædam prædicere eſſet auſus, quũ ne inficiaretur quidem iactaſſe ſe, quæ ex arte præuiſa ſibi eſſent, ira accenſus Domitianus, Dicas inquit, mihi oportet, quis te tandem maneat exitus? affirmantẽ illum fore, ut breui laceraretur à canibus, ad eleuandam ſcientiæ fidem confeſtim interfici iuſſit, corpuſq; accuratiſſimè cremari, ſepeliriq; cineres. Hæc ille. [redacted] Denſus imber cœlo deiectus medio rogum miniſterio reſtinxit, cadauerq; ſemiuſtũ à buſtuariis relictũ, qui in opertũ refugerant, canũ ſuperuentu cœptũ eſt lacerari. Id ei cœnanti quũ Latinus mimus inter cæteras illius diei fabulas enarraret, ita commotus eſt, ut iam inde uitæ diffiſus, omnibus uiueret caſibus obnoxius. Sab. lib. 4 Ennead. 7. ex Suet.

Ab eodem Imperatore Larginus PROCLVS capite damnatus eſt, quòd publicè prædixiſſet, quo die eſſet ille moriturus. Et quidem ab eo, qui Prouinciæ Germaniæ præerat, Romam miſſus, quæ cùm prædixiſſet cõſtantiſſimè Domitiano aſſeueraſſet, breuemq; diem eſſe diceret, quo ueritas aut uanitas artis iudicari poſſet: ſupplicium in hunc diẽ differri placuit. At fuit certa diuinatio. Itaq; diui Neruæ beneficio liberatus eſt, potiti Imperij lætitia magis quàm iure & legibus. Suetonius & Dion lib. 56.

DOMITIANVS Imp. mathematicis prædictionibus ad ſuperſtitionem uſq; deditus, cùm ſibi mortẽ inſtare cognouiſſet, pridie quàm interfectus eſt, quum tuberes ſibi oblatos in craſtinum iuſſiſſet aſſeruari, illud adiecit, Si illis, inquam, uti licebit. Conuerſus inde ad eos, qui proximè ſteterant, Futurũ eſt, inquit, ut cras luna in Aquario cruentetur, exiſtetq; facinus aliquod, de quo homines omnibus terris loquãtur. Cæterùm quia monitus fuerat, ut quintam illius diei horã caueret, ſolicitus perſeuerat aruſpicis cauſam audire, qui de caſu fulminis cõſultus, mutationẽ rerum portendi dixerat. Quum igitur inter agendum uerrucam in fronte ſcalpendo fregiſſet, fluxiſſetq; ex eo attritu paululum ſanguinis, Vtinã, inquit, hactenus. Tum horas requirenti, pro quinta, quam metuebat, ſexta ex compoſito nunciata eſt. Ad eam uocem lætus tanquam inſtans periculum euaſiſſet, ſurgens ad curam corporis feſtinabat, quum Parthenius cubiculi præfectus eum reuocauit, adeſſe nuncians qui magnum neſcio quid afferret, neq; id differendum. Summotis itaq; omnib. in cubiculum ſe recepit, ubi ſeptem uulneribus à Parthenio & coniuratis contrucidatus mortem occubuit, anno ætatis quinto & quadrageſimo: ex quo imperare cœperat quintodecimo. Sab. lib. 4. En. 7.

SEVERVS Imp. in Britanniam profectus, non inde ſe rediturum pronunciauit: idq; in laquearibus ædium, quæ erant in [redacted] tor in Seuero.

Prædixit Alexandri Medicis Florentinorum ducis cædem, à Laurentio Medice propinquo eius perpetratã, BASILIVS Mathematicus: certiſſimè autem GRÆCVS quidam ariolus, ex inſpectione manus, illi non modò cædem, ſed certũ quoq; percuſſorem indicauit, qui eſſet ipſi intimus, habitu gracili, uulticulo buxeo, & ſuſpenſa taciturnitate ferè cæteris in aula inſociabilis. Iouius.

La[redacted] dam ſponſam miſſi peruenerant, cùm rex ætate florente, incerta de cauſa, intra biduum extinctus fuit. Dubrauius lib. 29. hiſt. Boëmicæ.

GEORGIVS Tanſtetter Medicus & Mathematicus inſignis, annis penè ſex integris ob ſolis eclipſim, quæ anno 1518. euentura erat, Maximiliani I. Imp. mortem prædixit. Et propterea iuſſus Cęſarem ægrotum adire, ægrè obtemperauit, ſciens ſe fruſtrà iturum. Cuſpinianus.

Braccius Montonenſis dux clariſſ. hoſtis ſui Magni Sfortiæ in Piſcaria fl. ſubmerſi morte nunciata, defunctũ exquiſitis ueriſſimiſq; laudibus proſequutus eſt: neq; uerò tanto præſentis belli periculo liberatus, alacriorem uultum militibus oſtendit, utpote qui fatalis arcani conſcius ab ASTROLOGIS didicerat, Sfortiam uiolenta correptum morte anteceſſurum quidẽ, ſed paulo pòſt & ipſum, pari ueluti ſorte, eandem exitus fortunam ſubiturum. Vix quintum ſuperuixit menſem, quum ad Aquilam per tredecim menſes fruſtra oppugnatam obſeſſamq;, memorabili tandem prælio, Sfortiani militis gladio ſuperatus ac interfectus, & ſiderum & multorum uatum fidem impleuit. Iouius in uita Sfortiæ.

BARTHOLOMÆVS Cocles Bononienſis prædixerat Copono cuidam, quòd breui ſceleſtus homicida futurus eſſet: ſimiliter & Hermeti tyrãni filio, futurum, ut exul in acie cæderetur. Hermes igitur fatali metu perculſus, Copono clàm imperat, ut Coclitem κακὸν μάντιν interficiat. Præuiderat necis diſcrimen Cocles: ideoq; ſecreta galea caput munierat, ingenti gladio, quem peritiſſimè ambabus manibus regebat, ſemper armatus. Verùm à Copono baiuli habitu perſonato, dum feræ oſtij, calculo iniecto præpeditæ, clauem inſereret, adacta in occipitium ſecuri interfectus eſt: nullam aliam patrati facinoris cauſam afferente Copono, quàm quòd ipſe Cocles breui homicidam futurum aſſeruiſſet. Iouius in Elogiis.

Io. Martinus Belga, pictor elegans, cùm in Italia ab ASTROLOGO didiciſſet, ubi Geneuam attigiſſet, moriendum ſibi eſſe: etſi ariolo non multum tribuebat, accidit tamen, ut Bernam à Thoma Schopfio Medico, Bernenſium ditionẽ chorographicis tabulis illuſtraturo, euocatus, cùm tabulis propemodum omnibus deſcriptis, eam, quæ Geneuam continet, aggrederetur: in ipſo urbis loco & nomine annotando peſtilentia tunc horrendum in modum graſſante correptus obierit, anno Sal. 1577. menſe Auguſto.

*Imperij, Dignitatis.*

Auguſti Imp. ortus incidit in eum diem, quo de coniuratione Catilinæ in curia agebatur. Quò quũ tardiuſculè Octauius pater ueniſſet, excuſaretque uxoris puerperium, P. NIGIDIVS, natali hora inſpecta, affirmaſſe dicitur, Dominum terrarum orbi natum. Ipſe quum Apolloniæ eſſet, etiãnum priuatus, THEOGENIS Mathematici pergulam cum Agrippa aſcendit. Sed quum multa & magna Agrippæ priùs conſulenti Theogenes prædixiſſet, metu ac pudore, ne minor illo inueniretur, uix compelli potuit, ut ſuam uulgaret geneſim. Qua edita, Theogenes continuò exiluiſſe fertur, atque eum adoraſſe. Quæ res tantum illi fiduciæ attulit, ut ſuum poſtea uulgauerit thema, numumq; argenteum nota ſideris Capricorni, quo erat natus, percuſſerit. Sab. lib. 8. Ennead. 6. ex Suetonio.

Cùm Liuia peperiſſet Tiberium, SCRIBONIVS mathematicus præclara ſpopondit: etiam regnaturum quandoque, ſed ſine regio inſigni, ignota ſcilicet tunc adhuc Cæſarum poteſtate. Suetonius.

Nemo Cæſarum unquam tantam fidem habuit diuinationibus, quantam TIBERIVS, nõ uanas expertus aliquoties. Id quod in ſucceſſore imperij deſignando cõſtitit. Ioſephus lib. 18. cap. 8. Clarorum hominum diem & horam natalem inquirebat, & fata ſingulorum indagabat. Proinde Galbæ, qui pòſt imperauit, obuiam factus, dixit: Et tu olim principatum deguſtabis. Pepercit autem ei, quia dicebat, cum in ſenectute, & lõgè poſt ſuum obitum imperaturũ. Zonaras.

Nerò cùm manè ante ſolis exortum naſceretur, ASTROLOGVS quidam inſpecto ſiderum curſu, ſtatim reſpondit, hominem Romæ regnaturum, ſed occiſurum matrem. Quod cùm Agrippina mater intellexiſſet: Interficiat, inquit, modò imperet. Euentus aſtrologum uera prædixiſſe declarauit. Xiphilinus in Nerone.

PTOLEMÆVS Othoni Luſitaniæ proprætori ſæpe affirmauit, non interemturum ipſum Neronem, ob Poppæam, ſed deceſſurum hunc priorem & ſuperfuturũ ei Othonem, Romaniſq; imperaturum. Plut. in Galba. At Suetonius hoc uidetur SELEVCO tribuere: cuius uaticinio Otho captata imperij ſpe, Galbæ conſpirationi contra Neronem initæ ſe coniunxerit.

MATHEMATICI prædixêre Antonino Caracallæ Imp. Macrinum copiarum præfectum inſidiari imperio. Sabellicus lib. 5. Ennead. 7.

LEO Athenienſis ſophiſta, cùm filiam Athenaim ex multiiuga diſciplinarum eruditione magnæ cuiuſdam felicitatis compotem fore prænouiſſet, ſcripto teſtamento bona omnia duobus filiis Valerio & Geneſio reliquit: filiæ centum tantùm aureos numos dari iuſſit, ipſam fortunatiſſimam iudicans, ſi ſuæ ultimæ paréret uoluntati. Fratribus paternam inter ſe diuidentibus ſubſtantiam, cùm Athenais æquam ſibi paternarum opum partem peteret, fratres indignati, paterna eam domo eiecerunt. Illa ad amitam recurrẽs, cũ ea ſimul Conſtantinopolim profecta, iniuriã conqueſta eſt Pulcheriæ ſorori Theodoſij iunioris. Quæ miſerata inopiam, ſimul aſpiciens puellę indolem, bonis diſciplinis eruditam, beneque moratam, ab Attico epiſcopo Conſtantinopolitano





no baptiſari curauit, eamque fratri Theodoſio in matrimonium coniunxit: & quia marito ſummè placuiſſet, Eudociæ nomen indidit. Illa accerſitis ad ſe fratribus, multas egit gratias, quòd paterna eieciſſent ſe domo, alioqui nunquam ad regni ſolium fuiſſe peruenturam: & aſſentiente Imperatore, Valerium magiſtratu honorauit, Geneſiũ Illy[redacted]fecit. Cuſpinianus.

He[redacted] Iſauro inde dicto, ignobili puero imperium prædixere, tanta fiducia, ut iureiurando polliceretur, ſi prædictioni euentus reſponderet, facturum ſe quicquid peteret. Poſteaquam igitur Leo, deiecto Theodoſio III. ad imperium peruenit, anno nono urſerũt illi promiſſa, & nihil aliud petierũt quã ut imagines Chriſti & Deiparæ aboleret. Imperator fidei ſuæ liberandæ cauſa ſimulacra tollit, iconolatras grauiter perſequitur. Cuſpinianus è Zonara.

Leontius à Iuſtiniano II. duobus annis incluſus carceri, ob ſuſpicionem affectati imperij, inde emiſſus cùm Græciæ dux conſtitueretur, PAVLVM Monachum inſignem aſtrologum conuenit, cum quo illi ſumma interceſſerat familiaritas: eique, quòd imperium pollicitus fuiſſet, irrita obiecit promiſſa. Se enim profecturum in Græciam, & fortè mox percuſſores ſubſequuturos. At Paulus omnia fauſta pollicebatur, modò animum non deiiceret. Ergo Leontius animo firmatus, fracto carcere, magnum captorum numerum liberauit: & in templo Sophiæ, adiuuante Callinico patriarcha, Imperator inauguratus, Iuſtinianum, cùm annos ſedecim imperaſſet, amputatis naribus Cherſonam relegauit. Paulus Diaconus lib. 19. & 20. rerum Roman. & Zonaras tomo 3. in uita Iuſtiniani. Cuſpinianus.

AEGYPTIVS quidam è tractu Mendeſio, Conſtantinopolim ueniens, cauponam ingreſſus eſt. Cauponaria (artis quoque obſtetriciæ perita) dum Aegyptio uinum promit, ecce è uicinia accurrens una, in aurem illi narrat, affinem ſuam de ſalute periclitari tertio iam nixu, niſi ocyùs ſuccurratur. Illa, relicto Aegyptio, puerperam à partus laboribus liberauit, & ad hoſpitem recurrit: ira exæſtuanti, moræ ſuæ cauſam aperit. Ille confeſtim tempus diei & horam obſeruans, Abi, inquit, mulier, & puerperæ dicito, quòd tantùm non Imperatorem enixa ſit. hocque elocutũs pleno poculo ſe proluit, nomenque ſuum mulieri cognoſcendum dedit. Nato infanti nomen fuit Ablabis, qui uſqueadeò pila & ludus extitit fortunæ, ut ſub Conſtantino magno præfectus prætorio, Imperatore plus potuerit. Eunapius in uita Aedeſij.

ASTROLOGVS quidam in aula Friderici II. Imp. Rodolphum Comitem Habſpurgenſem, quamuis pauperem, ſumma obſeruantia colebat, cùm reliquos longè potentiores floccipenderet. Cauſam ab Imp. rogatus, reſpondit: Imperatorem futurum uideo Rodolphum, cùm proles tua deficiet: eiuſq; nomen longè lateq; decantabitur, qui iam humilis pleriſq; apparet. Nec caruit euentu præſagium: nam anno Chriſti 1273. Cal. Octob. Rodolphus à Germanis principibus Francofurti in Regem Rom. eligitur, cum Baſileam obſideret. Cuſpinianus in Cæſaribus.

In Magni Sfortiæ genitura, MATHEMATICI præcellentem ſiderum poſituram & ſedes, aſpectuſq; mirabiles conſpicati, ei magnum imperium, immortalem gloriam, felicemque ſobolem prædixerunt: idq; demùm ſubiunxêre, eum nequaquam exacta ætate, & morte quidem repentina periturum. Iouius in eius uita.

BASILIVS Mathematicus, & GRÆCVS quidam Chiromantes Coſmo Medici pro conſtanti pollicebantur, quando in ipſo genituræ horoſcopo Capricorni felix aſtrum mirabili conſpirantium ſiderum aſpectu irradiatum haberet, ſicut olim Auguſtus: fore, ut hæreditate creſceret opulenta, audiente quidem Alexandro, & ſubridente Coſmo, quum abſumendus morte priùs foret magnus propinquorũ numerus, quàm ulla ad ſe uel tenuis hęreditas perueniret. Iouius.

Leo X. Pp. mortuo Iulio II. cui ſucceſſit, Florentia Romã contendens, tanto populi ſtudio poſtremus omnium conclaue eſt ingreſſus, ut proculdubiò conſtanti omnium ſalutantium omine Pontifex euaſurus eſſe crederetur. Auxerat eius ſpei famam ERASMVS Germanus, ſubtiliſſimus Mathematicus, qui pridie, quàm Medices urbem intraret, in corona nobilium neminem fore Põtificem ex his Cardinalibus, qui in Vrbe eſſent, audaciſſimè prædicarat. Ferebant etiam MARSILIVM Ficinum, qui eximiæ auctoritatis fuiſſet aſtrologus, ex fortunata & regia geneſi ei ſacrorum principatum, quum adhuc eſſet puer, nec planè ſacris initiatus, omninò detuliſſe. Iouius in Leone X. lib. 3.

Quum per literas à Gerundenſi epiſcopo conſcriptas in Hiſpaniam perlatum eſſet, HADRIANVM Derthuſenſem epiſcopum, pontificem eſſe renunciatum: & tamen tredecim dierum ſpacio nihil ad confirmandam tãtæ rei famam penitùs adferretur: iam de ea re pleriq; dubitare cœperant; quaſi Galli hoſtes fictitiis literis ad eludendam hominis dignitatem id commenti eſſent. Cæterùm ipſe Hadrianus, ea omnia de ſe, uti Romæ acta erant, ab initio conſtantiſſimè credidit, ſiue ab oraculis fatidicarum uirginum edoctus, quæ tanto rerum euentu promiſſis fidem attuliſſent: ſiue exactiſſima ſiderum ſcientia, qua plurimùm iuuenis oblectabatur, in opinione confirmatus: quum in genitura à ſede planetarum admodum felici, ſtella etiam eximiæ magnitudinis in horoſcopo ad ipſam finitoris lineã, præclara ſummæ fortunæ denunciatione præfulgeret: adeò ut Acredio medico, anxiè nimis & triſti fronte tantæ moræ ſpacium per ſingulos dies ſupputanti, dicere non dubitarit, ut in ſpe concepta permaneret, neque ampliùs eo literarum deſiderio torqueretur: ſe enim creatum eſſe pontificem, & breui fore, ut ab ipſo in ſede principis Apoſtolorum in urbe Roma ſub illa ſolẽni tiara cõſpiceretur. Iouius in Hadriano VI.

Marcelli II. Põtificis pater RICHARDVS Ceruinus, animaduerſo ſtellarum curſu, qui tum erat, quum naſceretur: ex earum coniunctione, uti erat eius artis peritus, ſummũ ſacrorũ principatum filio prædixit. Qui quidem perſuaſioni ſuæ tantũ indulſit, ut quũ poſt multos inde demũ annos à ciuibus ſuis Monteſano oppido agri Piceni ad filii ætatis iam grandis nuptias incitaretur, conſtãter recuſarit: clariſſimum uitæ ſtatum, quem illi aſtra portenderent, illis ueluti uinculis impediri aſſerens. Panuinius & Garimbertus lib. 4.

*Deiectionis ab imperio.*

Suetonius ſcribit, Neroni prædictum à MATHEMATICIS, fore, ut imperio deſtitueretur: unde uocem illam Neronis celeberrimam extitiſſe, τὸ τέχνιον πᾶσα γαῖα τρέφει, quò maiore uenia meditaretur citharœdicam artem, principi gratam, priuato neceſſariam. Itaq; cùm intelligeret ſibi pereũdum, illud identidem dictitabat, Quantus artifex pereo.

BAPTISTA Blaſius, Cremonenſis aſtronomus, pluribus antè menſibus, Franciſci Foſcari Venetorum ducis deiectionem à dignitate prædixit. Sabellicus libro ſexto, Enneadis 10. & lib. 8. Decadis 3.

ANTIOCHVS Tibertus Cæſenas, inſignis Chiromantes, pyromantes & phyſiognomon, prædixerat Guidoni Balneo, cognomento Guerræ, quòd ab intimo amico, perfidiæ ſuſpicione necaretur: Panduſfo item Malateſtæ Ariminẽſium tyranno, quòd ex patria pelleretur, & exul in extrema egeſtate periturus eſſet. Nec multo pòſt Pandulfus Guidonem ob ſuſpectam uirtutem obtruncat: Antiochum ipſum cuſtodiæ mancipat, euentum præſagij expectaturus. Antiochus cuſtodis arcis filiam ita flexit, ut reſti ab ea impetrata, in foſſam demitteretur: ſed compedum ſonitu proditus, & à fuga retractus, cum puella ſecuri percutitur. Pandulfus tandẽ exul & egens ab omnibus deſertus, in hoſpitali diuerſorio ſenex periit. Sic aliis futura prædicere, ſibiipſi cauere non potuit Tiberius. Teſte Iouio in Elogiis.

*Mutationis Reipubl.*

ANDRONICVS ſenior Imp. & Theodorus Metochites, Logotheta, figura aſtrologica delineata, Reipub. confuſionem, ab Andronico iuniore imminentem, coniecerunt. Gregoras libro octauo.

*Bellorum.*

Io. TRITHEMIVS abbas Spanheimenſis, eas cruces, quæ cœlitùs anno 1515. in ueſtibus hominum impreſſæ apparuêre, decennio pòſt, energiam ſuam habituras prædixit. Nec defuit euentus. Anno enim XXV. religionis nomine ſeditioſi ruſtici & ſeipſos & totam Germaniam maximis implicauêre malis, qui ſacræ teſſeræ loco cruces ſuis affixas ueſtibus habebant. Io. Agricola in prouerb. German.

*Victoriæ.*

Mneſarchidi Bœoto cauponi à CHALDÆIS reſponſum fuit, Euripidem filium uictorem in certaminibus fore. Proinde filium in gymnicis certaminibus exerceri uoluit. At poſtea ad Tragœdias ſcribendas conuerſus, omnium uictor extitit. Gellius libro decimoquinto, capite uigeſimo, ex Theopompo recenſet.

QVILICVS Saccus, è Francorum familia, medicus, Blaſio Axareto, Genuenſium claſſis præfecto, ex mathematicis demonſtrationibus, de Alfonſo Aragonum & Siciliæ rege Caietam obſidente uictoriam prædixit. Iacobus Bracellus lib. 3. & 5. belli Hiſp. & Fulgoſ. lib. 1. cap. 4.

Obſidebant Galli Forumliuij, Martino IIII. militantes, Guidonis Appij ductu, eo tempore quo Siculi Gallicas ueſperas celebrauêre, & Aragonios recepêre. GVIDO Bonatus Foroliuienſis, Aſtrologorum princeps, Guidoni Montisferrati comiti Pr. Cal. Maias eruptionis faciendæ contra omniũ expectationẽ auctor fuit, certam uictoriã Comiti cum uulnere coxendicis prædicens: atq; ut medicæ artis peritus erat, oua cum ſtuppis & enæmis aliis ad obligandum uulnus

nus ſecum tulit. Nec præſagio defuit euentus, Gallis ad interneccionem deletis. Platina in Martino IIII. Blondus lib. 8. Dec. 2. Fulg. lib. 8. cap. 11.

*Cladis bellicæ.*

METON, aliis Meſon, cùm Athenienſium copiæ in Siciliam contra Syracuſanos nauigationem inſtituerent, futura pericula cognoſcens, cùm alia multa perpetrauit, ad uериſimilē inſaniæ opinionem reddendam, tum etiam domum, quæ Pœcilæ uicina erat, incendit. Vnde à principibus inſanus iudicatus, ab expeditione immunis fuit. Aelianus lib. 13. de Varia hiſt. Plut. in Alcibiade, Nicia & Pyrrho.

DOMINICVS Maria Ferrarius Nouarienſis Ludouico Sforitiæ in Germania exulanti reditum interdixit, ex aſtris uel mortem uel carcerem ei imminere augurans. At ubi Heluetiorum auxiliis in patriam rediit Ludouicus, Ferrarius uaticinij mendacis crimen deteſtatus, non priùs ſe pedem domo elaturum uouit, quàm contra uulgi expectationem Ludouicum imperio exutum uideret. Arlunus ſect. 2. hiſt. Med. & Coclès lib. 3. Chiromantiæ, quæſt. 27.

*Inimicitiarum.*

IOANNES de Lignano, utriuſque iuris excellentiſſimus doctor Bononiæ, de Vrbano VI. Pp. prędixit, priuſquã ſchiſma fieret, eum multos habiturum aduerſarios, non tamen perditurum põtificatum. Nec falſus uates: cùm Clementē VII. ei Gallici Cardinales oppoſuerint. Cranz. l. 10. Metrop. c. 13.

*Carceris.*

Conſtituerat Barnabas Vicecomes Mediolanenſis Ioannem Galeaciũ per inſidias ſuo priuare dominatu. Eum uates domeſticus, cognomēto MEDICINA, monuit, ut Nonas Maias eo anno trium ſiderum coitu infauſtas caueret, [redacted] Captus enim eſt eo ipſo die à Io. Galeacio, cui ipſe inſidias ſtruxerat. Iouius in Barnaba.

*Nuncij felicis.*

THRASYLLVS, Tiberij Cæſaris Rhodum ab Auguſto uelutі relegati in mathematis magiſter, die quodam cum eo iuxta mare deambulans, enixè, ut meliora ſperaret, hortabatur. Tiberius uerò cùm contrà ſentiret, & Auguſti uitricī ſui iram metueret, atq; parum abeſſet, quin, ut erat ira ſucceñſus, eum in mare præcipitem daret: Thraſyllus aliquãtiſper conſtitit: conuerſiſq; ad mare oculis, ut Rhodum uerſus uenientem uidit nauem, affirmare auſus fuit, ea naui felicia Tiberio afferri. Naue in portum delata, literas ab Auguſto Liuiaq; Tiberius accepit, quibus Romam reuocabatur. Dion. in Auguſto, Suetonius Tacitus, Zonaras.

## PRÆCOGNITIO, PRÆDICTIO FALSA.

Heraclio imperante STEPHANVS Alexandrinus Saracenis ex aſtris uaticinatus eſt, fore eorũ potentiã ac dominationē ualidam per annos CCCIX, inde alios LVI eam turbis, tumultib. ac calamitatib. uexatũ iri. Rerũ itaq; eos potituros annos in uniuerſum utraq; fortuna CCCLXV. Sed uanitatem hominis temporum ſucceſſio coarguit. Cedrenus.

HEBRÆI duo Magi & Aſtrologi, Zitæ Arabum principi imperium & uitam longæuam pollicebantur, ſi Chriſtianorũ templa & imagines diuorũ demoliretur. Paret ille: ſed anno uix exacto repentè moritur. Filius impoſtores punire parabat. Illi in Iſauriam fugiunt: ibiq; Leoni (qui poſtea deiecto Theodoſio III. imperium inuaſit, & Iſaurus dictus eſt) puero ignobili, ſed optima prædito indole imperiũ prædixit. Zonaras.

Anno Domini 793. CONSTANTINVS Imper. Irenes F. perſuaſus ab aſtrologo Pancratio de uictoria, in Bulgariã mouit: & fretus uaticinio, nulla cura nec diligentia acies inſtruxit. At Caianus Bulgarorum princeps in eum irruens, ſtragem magnam edidit: & præcipuos duces, inter quos etiam erat aſtrologus Pancratius, interfecit: & Imperatore uix fuga elapſo, pecuniam, equos, aulea, & omnē regium apparatum cepit. Paulus Diaconus lib. 23. rerum Rom. Henricus de Erphordia, Antoninus titulo 14. capite ſecundo.

In pugna, qua Iſaacius Angelus Imp. Alexium Branam ſeditioſum hominē (quem ducem exercitus aduerſus Blachos miſerat) ad Conſtantinopolim profligauit, occubuit etiam CONSTANTINVS Stethatus Aſtrologorum eius ætatis princeps. Is Branæ ex artis obſeruatione prædixerat fore, ut eo die urbem ingrederetur, & magno ſplendore triumpharet: eaq; propter de uictoria ueluti certus, in tentorio manſerat, hoſtem ingruentem nihil timens. Nicetas lib. 1.

PETRVS de monte Ilicino, congregato apud Conſtantiam generali Chriſtianorum Concilio, iudiciũ de rebus futuris edidit. In quo & Sigiſmundum eo anno coronandũ Romę, & Ioannem XXIII. Papam, qui ad Concilium uocatus ierat, cum gloria redíturũ aſſeruit. At cùm Synodus Ioannem ſummo pontificatu abdicaſſet, Sigiſmundus autem ingreſſu Italiæ multis pòſt annis abſtinuiſſet, arguentibus pleriſq; Petrũ, qui adeò manifeſtè mentitus eſſet: At mihi de duob. ſtultis, inquit ille, iudicandum fuit, de quibus uera profari ne Ptolemęus quidē potuiſſet. Aeneas. Syl. lib. 4. de Alfonſo.

ARNOLDVS Villanouanus Medicus, Antichriſti aduentum uel circa an. ſal. 1355. ob conuentũ trium planetarũ ſuperiorum in Aquario: uel circa an. 1464. fore prædixit. Symphorianus Campegius in eius uita.

## ASTOLOGICVM IVDICIVM APTVM VEL INEPTVM.

*Ex Tit. Prædictionum, exempla petantur. illic eorum, qui Prædicunt, hic eorum, qui prædictiones Iudicant, habetur ratio.*

P. NIGIDIVS Figulus mathematicus inſignis ſub Auguſto, de gemellorum diuerſa conſtitutione & morib. quantũuis eodem partu editis interrogatus, ad figulinam contendit, unde pòſt Figuli nomen meruit: & cùm rotam figuli ui, quãta poterat, intorſiſſet, currente illa, bis numero de atramēto tanquam uno eius loco ſumma celeritate percuſſit: deinde inuenta ſunt ſigna, quæ fixerat, deſiſtente motu, non paruo interuallo in rotæ illius extremitate diſtantia. Sic, inquit, in tanta cœli rapacitate, etiamſi alter pòſt alterum tanta celeritate naſcatur, quanta rotam bis ipſe percuſſi, in cœli ſpacio plurimum eſt. Hinc ſunt, quæcunq; diſſimillima perhibētur in moribus, caſibuſq; geminorum: At hoc figmentũ fragilius eſſe, quã uaſa quę illa rotatione finguntur, D. Auguſt. lib. 4. de ciuit. Dei cap. 3. demonſtrat.

Oracula duo ASTROLOGORVM ludicra Lucillius in Epigrammatis Græcis ſic expreſſit:

> Ὠλθὲς τὸν μάντιν Ὀλύμπιον ὀνήσιμος ἦλθ' ὁ παλαιστὴς,
> καὶ πένταθλος Ὕλας, καὶ σταδιεὺς Μένεκλης,
> τίς μέλλει νικᾶν αὐτῶν τὸν ἀγῶνα, θέλοντες
> γνῶναι, κἀκεῖνος τοῖς ἱεροῖς ἐνιδών,
> πάντες μὲν νικᾶτε, μόνον μή τίς σε παρέλθη,
> καί σε καταστρέψῃ, καί σε παρατροχάσῃ.

Auſonius Hammonis oraculo hæc tribuens, ſic conuertit:

> Doctus Hylas cæſtu, Phegeus catus arte palæſtræ,
> Clarus Olympiacis & Lycus in ſtadiis,
> An poſſent omnes uenturo uincere agone,
> Hammonem Libyæ conſuluere deũm.
> Sed deus ut ſapiens, Dabitur uictoria uobis
> Indubitata quidem, ſi caueatis, ait,
> Ne quis Hylam cæſtu, ne quis certamine luctæ
> Phegea, ne curſu te Lyce prætereat.

PETRVS Leonius Spoletanus, medicus celebris, qui primus ferè prolato Galeno ueræ medicinæ limen aperuit, aſtrologiæ & ueteris magiæ peritiſs. fuit. Itaq; cùm ſibi ſubitæ mortis periculum in aqua portendi cognoſceret, è Patauio Venetiiſq; in Vmbriam & Spoletum emigrauit, ut frequentes nauigationes effugeret. Mox ubi ad Laurentium Medicen uocatus eſſet, & ex aſtrorum fallaci ſcientia morbum ſalubrem eſſe prædixiſſet, omnemq; bene gerendæ rei occaſionem prætermiſiſſet, à Lazaro Placētino illuſtri medico (qui à Ludouico Sfortia Ticino miſſus ſera afferebat remedia) reprehenſus, atq; adeò omnibus inuiſus, poſt mortem Laurentij incertum, an deſperatione actus, an illata ui à Petro Laurentij filio, in proximæ Caregio uillæ puteum præceps datus mergitur. Teſte Iouio in Elog.

Io. MANARDO Ferrarienſi, medico celeberrimo, prædixerat aſtrologus, in fouea periturum. Vitabat proinde Manardus ſuperſtitioſè omnes foſſas, ſcrobes atque foueas: quoad uxore iuuencula ducta periit. Extat in Elogiis Iouij talis in eum iocus:

> In fouea qui te periturum dixit aruſpex,
> Vates uerus erat: coniugis illa fuit.

## ASTROLOGICA CERTAMINA.

Narrat Cedrenus ex Ioſepho, ABRAHAMVM Aegyptiis arithmeticen & aſtrologiam tradidiſſe, & cõuocatis magis, coram rege cum Genethliacis diſputaſſe. Qui cùm neceſſitatem aſtrorum ineuitabilem eſſe dicerent, monitu Abrahami rex uinctum, ignibus iampridem damnatum, produci iubet, & Aſtrologos figura cœli erecta pronunciare, qua morte periturus eſſet. Reſpondent illi, poſt longã deliberationē, incendio moriturũ. Tum rex, At in ueſtro cõſpectu aqua



qua ſuffocabitur. Sic Abrahamus inſania illorũ confutata, Hominē fato quidem natalitio obnoxiũ, tamē (ob arbitrij libertatē) nõ ſubiectũ aſſeruit: atq; ut homines brutis ſuperiores illis pro libito utũtur, ita quoq; hominib. Deum, & Dei uicarium magiſtratum. Itaq; deteſtandum eſſe illorum errorē, qui fatali neceſſitate ſua peccata excuſant: nec minus [redacted] influxu oppugnato, Prouidentiam [redacted] uinam in uniuer[redacted] nitantur.

PTOLEMÆVM uidemus & FIRMICVM Borealibus [redacted] lis triplicitatem ignis tribuere: ALBVMAZAREM uerò in Magno introductorio orientalibus, & triplicitatē aquarũ meridianis, & cum hoc Paulum Alexandrinũ in Inſtit. artis Apoteleſmaticæ, & Henricum Mechlinienſem facere: Alcabicium uerò Capharem, Abenacram, Meſſahalam, & Zaelē Iſraelitam triplicitatem terræ meridianis aſſignare. At ſi certi nihil poteſt in futurum de mutatione rerumpub. cõſtitui, niſi fundamentũ hoc fuerit confirmatũ, quomodo illi tã audacter de regnorum mutationibus affirmare audent? Bodinus lib. 1. Dæmonomaniæ, cap. 5.

De Cometarum materia, natura, ortu & interitu, uariæ uariorum tum ueterum tum recentiorum fuere opiniones: ſed quæ ad Phyſicos pertineant. At de Fine eorundem, cur ſcilicet inſolens hocce lumen occulta Naturę diſpenſatione, uel appareat (ſiue iam ſtella ſit per ſe lucens, ſed non ſemper cõſpicua, ut Chaldæi & Pythagoræi & Seneca exiſtimarũt: ſiue nubes ſit ſublimis illuſtrata, ut Heraclides Ponticus uoluit, cui H. Cardanus accedere uidetur, qui globũ facit à ſole illuminatum, & P. Appianus, qui nõ omnes cometas inflammari, ſed quoſdam illuminari tãtùm arbitratur) uel accendatur (ſiquidem ex Epigenis ſententia ſpiritus eſſet terreus in ſublimi accenſus: quam Ariſtoteles amplias, exhalationē ſiccã in ſublimi accenſam eſſe pronunciauit) de Fine inquã, hoc eſt efficientia & ſignificatione Cometarũ; controuerſia magna eſt: quandoquidem ASTROLOGI, ut aſtris, quorum non minus horribiles quàm inſolentes apparitores Cometæ eſſent, maiorē auctoritatem conciliarent, hanc theoriam ad ſeſe rapuerunt: & ſuppoſita Peripateticorum materià, eandem à certo ſidere attrahi & inflammari aſſeruere. hincq; adeò, ut in hepatis inflammatione ſpiritus naturales, in cordis uitales, in cerebri animales abſumi & aboleri neceſſe eſt: ſic pro natura ſideris, ſub quo cœpiſſet conflagratio, ſimiles in hæc inferiora impreſſiones delabi: nec populariter tantùm bella, famem, peſtilentiam portendi, ſed & uiritim ab illuſtri cauſa, illuſtrium uirorum, quorum aſtra præ cæteris maiorem curam gererent, regum ſcilicet & principum capitibus malum impendere affirmarunt. Hanc Aſtrologorum opinionem, licet Poetarum auctoritate & plebeiorum experientia confirmatam; IOANNES Picus Mirandulę Comes, doctorum Principum exemplar, patrum memoria præclarè confutauit. Noſtro uerò ſeculo inualeſcentibus rurſus Aſtrologis, ſeruata ſuppoſitione Peripateticorum, nihil à Cometis per ſe, ſed per accidens tãtùm portendi, neq; ab illis quid aliud, præter ſiccitates & uētos, etſi non ſemper, non peculiari aſtrorum ui, ſed propter materiæ totius abſumtionem, uel reſiduæ agitationem, effici, & illud ipſum non Aſtrologicè ſed Phyſicè, non ſingillatim, ſed uniuerſim tãtùm ſignificare, nobiliſſ. & clariſſ. uir, ANDREAS Duditius, THOMÆ Eraſti ſummi medici & philoſophi ueſtigia ſecutus, luculenta ad Io. Cratonem Cæſareũ Archiatrum epiſtola oſtendit: MARCELLO Squarcialupo Plumbinenſi, Principis Tranſyluaniæ medico excellentiſs. amicæ συμφιλολογίας cauſa, ſicuti decet ἄνδρας φιλοσόφους, diuerſum tuente.

## ASTROLOGIÆ STVDIVM ET AMOR.

### IN SEIPSO.

Aegypti REGES priſci naſcentium inſpectis genituris, ſi quæ [redacted]uentæ in ſignis horoſcopantes à regni horoſcopo decidentibus, [redacted] minatores prætuliſſent, interfici ſtatim iubebant, ab [redacted] qua doq; inſidias ueriti. Cælius lib. 8. cap. 1. Antiq. Lect.

TIBERIVS Imp. circa Deos ac religiones negligentior fuit: quippe addictus mathematicæ, perſuaſioniſq; plenus cuncta fato agit. Suetonius.

NERO decimoſeptimo ætatis anno, cùm Claudius diē obiiſſet, & proſperum tempus Chaldæi prædicerent, medio diei ante Idus Octobris, egreſſus eſt in publicum ad cohortes excubitorum, proque Palatij gradibus Imperator ſalutatus, lecticę impoſitus, & à militibus per caſtra in curiam delatus. Vbi & à patribus Imperator uocatus, multiſq; honoribus eſt auctus. Cuſpinianus.

Vitellius, L. Vitellij clari uiri & ter cõſulis filius, ex Sextilia probatiſſima femina ex reſponſo Mathematicorum infelici [redacted] PATER magnopere ſemper contenderit, ne qua ei prouincia ſe uiuo committeretur: MATER uerò plurimùm lamentata ſit, cùm Imperatorem [redacted] à legionibus proclamatum audierit, non Germanicum, ſed Vitellium à ſe genitum aſſerens. Cuſpinianus.

VESPASIANVS Imp. habuit uxorem Flauiam Domicillam, Flauii Liberalis ſcribæ quæſtorij filiam: ex qua tres liberos tulit, Titum, Domitianum, & Domiciliam. Quorum genituram ita cognitam habuit, ut cùm multæ coniurationes contra eum fierent, quanquam nec hæreditas iam Cæſares faceret, ſed fortuna, nec ipſe cuiquam ſuorum ſucceſſiſſet: tam conſtanter tamen filium utrunq; ſibi ſucceſſurum ex aſtris præuiderit, ut multas coniurationes & inſidias perpeſſus, tandē in ſenatu non dubitarit aſſerere, Fruſtrà ſe dolis appeti, & inani ſucceſſu: ſe enim ſublato, aut filios ſuos imperium habituros, aut neminem. Nec fefellit oraculo ſimilior uox, quàm mortalis hominis coniecturæ. Idem Domitianum filium ſuper cœnam fungis abſtinentem, cunctis audientib. irriſit, dicens: Nec enim fungos ei metuendos eſſe, ſed gladios. multo antè illi genus ſuæ mortis denunciãs. Petrarcha, & Sab. lib. 4. En. 7. ex Suetonio.

Firminus Rhetor, cùm D. Auguſtinum nondum initiatum de quibuſdã ſuis rebus conſuleret, ex ſuamet geneſi: & ille diceret, propè iam eſſe ſibi perſuaſum ridicula eſſe illa & inania: tum ille narrauit PATREM ſuum fuiſſe librorũ talium curioſiſſimum, & habuiſſe AMICVM æquè illa ſimulq; ſectantem, qui pari ſtudio & collatione flagrabant in eas nugas, ita ut mutorũ quoq; animalium, ſi quæ domi parerēt, obſeruarent momenta naſcentium, atq; ad ea poſitionē cœli notarent, unde illius artis quaſi experimenta colligerent. Dicebat idem, audiſſe ſe à patre ſuo, quòd cùm eundem Firminũ mater in utero geſtaret, & cuiuſdam paterni amici famula pariter prægnans eſſet, factum eſſe, ut cùm ille coniugis, hic ancillæ dies & horas obſeruat, enixæ ſint ambæ ſimul, ita ut eaſdem cõſtellationes uſq; ad eaſdem minutias utriq; naſcenti facere cogerentur, ille filio, hic ſeruulo. Nam cùm mulieres parturire cœpiſſent, indicauerũt ſibi mutuo, quid in ſua cuiuſq; domo ageretur; & parauerunt quos ad ſeinuicem mitterent ſimul ut natum quid eſſet. Atq; ita qui ab alterutro miſſi ſunt, tam ex paribus domorum interuallis ſibi obuiam factos eſſe dicebat, ut aliam poſitionē ſiderum, aliaſq; particulas momentorum neuter eorum notare ſineretur: & tamen Firminus amplo apud ſuos loco natus, augebatur diuitiis, ſublimabatur honoribus: ſeruus autem ille conditionis iugo nullatenus relaxato dominis ſeruiebat. His itaq; auditis Auguſtinus, qui iam antè Mathematicorum fidem ſuſpectam habere ceperat, planè nugas iſtas reliquit. Teſtis ipſemet lib. 7. Confeſſionum, cap. 6.

Quum Maria Raymundi Antiocheni F. MANVELIS Comneni Imp. uxor partui propinqua eſſet, adornata eſt purpura ad puerum ſuſcipiendum. Imperator officij cauſa præſens coniugem ſolabatur, longè magis tamen in ſtellas & punctum edendi fœtus animo intētus. Natus eſt filius Alexius, quem Aſtronomia docebat diuitem fore atque unigenitum, & paterni imperij ſucceſſorem. Nicetas libro quinto. Idem Sicilienſi clade audita, in malè auſpicatum claſſis egreſſum omnia retulit, & ne in poſterum ſimile quid accideret, Aſtrologorum penſitatis diligentiſſimè rationibus claſſem nouam duce Angelo eduxit. Quæ ſimul ac in Siculum fretum peruenit, à Rogerio rege capta eſt. Nicetas lib. 2. Eorundem deliriis ita ſeductus fuit, ut licet inſtante fatali die nihilominus XIIII. annos ſe ſuperuicturũ aſſereret: & quia uaniſſimi homines motum uniuerſi orbis, & maximorum ſiderum congreſſus & concurſus, uentorumq; procellas ingentes & uniuerſitatis rerum penè mutationē prædicebant, neq; annos duntaxat, & menſes & hebdomadas, ſed dies etiam & horæ punctum deſignare non uerebãtur: non ipſe modò Imperator ſpelũcas & meatus ſubterraneos contra uentorum impetum inquirebat, & ad habitandum præparabat, & palatiorum faſtigia demoliebatur: ſed & miniſtri & cognati & adulatores eius, iiſdem rebus intenti, partim terram formicarum inſtar, effodiebant, partim tentoria tripliciter conſuebant, & uectes cubitales, quò minus tabernacula concuterentur, acuebant. Nicetas lib. 7.

MICHAEL Balbus, apud Leonem Imperatorem Comes domeſticorum, maximoque in honore, cuius etiam filium de ſacro fonte leuauerat, à Mathematico perſuaſus imperatoriam ſe habere geneſim, non dubitauit contra Leonē coniurare, eumq; de medio tollere. Volater. lib. 23. Anthrop.

Vix ulla in Chriſtiano orbe gens eſt, quæ Aſtrologorum præſagiis tam ſit addicta, quàm ſunt GERMANI. Atteſtantur huic rei Calendaria, quæ à Mathematicis quotannis lingua uernacula exhibentur, & in ruſticorum quoque gratiam notis Sanctorum plus quàm hieroglyphicis, exornantur. In agricul-

# Muſica.

MVSICA circa numeros uerſatur, quatenns ex illis proportio harmonica cõſurgit. Diuiditur autem in Theoriam & Praxin. Praxis multiuaria eſt, pro organorum diuerſitate, quibus harmonicus concentus exprimitur. Vox tamen humana omnibus aliis uocibus, ſiue ſonis potius, excellit, non modò quia naturalis eſt, cùm reliquæ omnes artificiales ſint: uerumetiam quia mentis humanæ conceptuum harmonicorum nuncius eſt & index. Hoc ueteres ſub fabularũ inuolucris oſtendere uoluerunt, quando Muſas Iouis & Mnemoſynes filias eſſe finxerunt. Quis enim nec Iupiter nec Mnemoſyne canant, ſed in ſola contemplatione tum aliarum artiũ, tum etiam Muſices uerſentur: gignunt tamen Muſas nouem, à quarum nomine Muſica appellata fuit, quæ iam ex profeſſo omne genus harmonicum ad actum reuocant. Et ſic à Theoria Praxis pendet, quæ in opus prodit, & ad uſum reuocat ſingula: nec ſordida nec illiberalis per ſe, ſed tantùm culpa hominũ, qui Muſas uirgines proſtituunt, dum ex pulcerrima arte ſordidum lucrum captant. Quatenus autem ad praxin accedit Muſica, eatenus quoq; & Mechanicæ & Ethicæ uitæ conferre poteſt: non ſecus ac cæteræ Mathematicæ diſciplinæ, ex quarum limpidiſsimis fontibus ſaluberrimi riui in mediam hominum uitam deducuntur.

## MVSICÆ INVENTORES.

*Conſule ſequentes Titulos, Citharædorum, Aulædorum, &c.*

### IN GENERE.

TVBAL, Lamechi F. à Ioſepho in primo Antiq. ſcribitur muſicæ repertor. Græci & Romani ſcriptores hoc inuentum in alios conferunt: arcani huius (unde hæc ſunt) haud dubiè ignari. Sabellicus libro ſexto, capite 2.

Græci, teſte Euſebio de Præparat. euangel. lib. 2. muſicæ harmoniæ inuentionem DIONYSIO attribuunt. Ipſe uerò in X eiuſdẽ operis ZETHVM & AMPHIONEM fratres, qui Cadmi temporibus fuerunt, muſicæ repertores uocat. At Plin. lib. 7. muſicam Amphionis inuentum tradit, & eſſe qui citharam quoq; putent: etſi alij donatum eum cithara à Mercurio tradunt. Lydios etiam inuenit modulos. Val. Probus in Alex in Verg. Amphionẽ & Zetum, Euripides & Pacuuius Iouis ex Antiopa Nyctei filia natos cantando potuiſſe armenta uocare. Teſtantur id Thebæ: quas Apollonius in Argonauticis à fratribus antedictis muris eſſe clauſas ait. Sed Zetus humeris ſaxa contulit operi, Amphion cantu uocauit: ſiquidem ſenſus animalium difficilius quam ſaxa uincuntur. Solinus huius artis ſtudium ex Creta manaſſe putat, cùm IDÆI Dactyli Iouis uagitum crepitu ac tinnitu æris occultando, obſeruatos inde modulos in uerſificum ordinem tranſtuliſſent. Polyb. lib. 4. hoc ARCADVM maioribus aſſignat, qui huius rei ſemper ſtudioſi fuerint, & in Latiũ primi inſtrumenta muſica inuexerint, cùm antea fiſtulis tantùm paſtoralib. uterentur, teſte Dionyſio Halicarnaſſeo.

Beroſus ſcripſit, BARDVM Gallorum regem Muſices fuiſſe inuentorem. Hinc Galli ſuos philoſophos & poëtas Bardos uocauêre.

Ponticus Chamæleon muſicam ab ANTIQVIS excogitatã ſcribit, auium imitatione, in ſolitudinibus canentium. Athenæus lib. 9. cap. 13.

PYTHAGORAS, ut ait Boëthius lib. primo Muſicę artis inuẽtor fuit apud Græcos, per malleorũ ferientium inæqualia pondera, & per chordarum inæqualitatẽ, uel inæqualẽ extenſionẽ, ac per calamorũ inæqualẽ longitudinẽ. Laertius.

### IN SPECIE PVTA

#### MODORVM.

Cùm toni ſint auctoribus Polymneſto & Sacada, tres, Dorius, Phrygius, & Lydius: in ſingulis his tonis feciſſe aiunt SACADAM flexionem, ac docuiſſe chorum cantare Dorium prima, Phrygium altera, Lydium tertia: dictumq; tripartitũ ob eam uarietatem hoc carmen. Quinquam in commentariis Sicyoniis, in quibus poëtæ recenſentur, Clonas inuentor relatus ſit carminis tripertit. Plut. de Muſica.

Sunt qui Lydiam ab CARIO Iouis & Torrhebiæ nymphæ filio primùm repertam uelint: qui quum fortè erraret, incidit in paludem, quam mox de matris nomine Torrhebiam iuſſit appellari: ubi, quum Nympharum, quas etiam Muſas interpretantur Lydi, ut auctor Stephanus eſt, præſuaues inaudiſſet cantus, edidicit. In ea palude ſeu lacu, quem dici item Nymphæum uolunt, Nympharum ſunt inſulæ, quæ tibiarũ cantu in ambitu mouentur: proptereaq; Calaminæ uocantur, à calamis: atq; item Saltares, quoniam in ſymphoniæ cantu ad ictus modulantium pedum mouentur, ut Plinius ſcribit. Cælius lib. 8, cap. 3. Antiq. Lect.

OLYMPVS, ut eſt Ariſtoxenus auctor, exiſtimatur à muſicis generis enharmonij inuentor fuiſſe. Quippe ante eum omnia diatona & chromatica fuerunt. Inuentum autem hoc modo. Cùm uerſaretur in diatono Olympus, modumque ſubinde in diatonon parypaten nunc à parameſe, nũc à meſe traiiceret, ac tranſiliret diatonum lichanum, elegantiam animaduertiſſe eius affectus. Itaq; cùm contextum ex conuenientia cõflatum obſtupuiſſet atq; probaſſet, hoc genus tono Dorio inſeruiſſe. Neq; enim ea, quæ diatoni propria ſunt uel chromatis, ſed nec quæ harmoniæ, illum attingere. Eundem, cui originẽ Græcæ & legitimæ muſicæ acceptam referunt, genus inueniſſe autumant harmoniæ, numeroſq; proſodiacos, in quibus eſt Martis carmen, & quo uſi crebro in Matris deûm ſacris ſunt choreũ. Sunt qui & Baccheũ ad Olympũ inuentorẽ trahant. Eundẽ Ariſtoxenus principem

libro



libro primo de Muſica in Pythonis obitum carmẽ funebre ait modis Lydiis ceciniſſe. Sunt q MENALIPPIDEM modulorum horum referant auctorem. Pindarus in Pæanibus Lydiam harmoniam uult in Niobes nuptiis doceri cœptã. Alij TOREBVM hanc uſurpaſſe harmoniam primũ: ut tradit Dionyſius Iambus. Apud Ariſtoxenum eſt relatum, principem SAPPHO Mixolydię inuentricem fuiſſe, à quã eam accepiſſe tragicos, qui mox eandem cum Doria copulauêrunt: quorum hæc magnificentiam refert & maieſtatem, illa affectus ciet. In commentariis harmonicis tibicen PYTHOCLIDES proditur eius auctor. LAMPROCLEM Athenienſem Lyſis prædicat. Sed & laudatam Lydiam, quę Mixolydiæ eſt aduerſa, aſſimilem Iadi, ab Athenienſi inuentam memorant DAMONE. Modorum ſcoliorum, ut uult Pindarꝰ, fuit TERPANDER inuẽtor. ARCHILOCHVS trimetrorum numeros adiecit, & illam in numeros non eiuſdem generis intentionem immutationemq;, & horum pulſum. Eidem primo epoda, tetrametra, procriticum, & proſodiacum adſcripta ſunt: etiam primi auctus, à nonnullis elegium quoque: ad hæc iambei ad pæanem epibatum, & aucti heroi tum in proſodiacum tum in creticum intenſio. Inſuper, ut iambeorum alia ad pulſum dicerentur, alia cantarentur, monſtraſſe dictitant Archilochũ, inde poetas tragicos ita uſurpaſſe: CREXVM autem ab eo hoc mutuatum deduxiſſe in dithyrambũ. Ad hunc quoque auctorem referunt pulſum ſub cantionẽ. Antiquiores exiſtimant ferè omnes cum concentu fides pulſaſſe. POLYMNASTO cùm hypolydium nũc appellatum tonum attribuunt, tum remiſſionem & digreſſionem longè ab eo factam tradunt maiorem. Plutarchus de Muſica.

Perſæ bello Græciam cùm premerent, Dianæ Caryatidis ſacra, à uirginibus fieri ſolita, ſunt intermiſſa. Quocirca AGRESTIVM aliquot in fanum officij ergô ſeſe intulerũt, & peculiaribus cantiunculis Dianæ laudes dixêre. Quos cantus cùm ualde probari uel religio iuſſiſſet, uel numerorum lepos perſuaſiſſet: ex caſu mos, deinde etiam lex facta eſt Bucolico carmini. Caryatidis autem cognomentum à Laconiæ uico, cui Caryæ nomen erat. Ex quo uerbũ quoq; ſaltationis καρυατίζειν, quem modum edocti fuiſſent ab regionis illius principibus Caſtore & Polluce. Scaliger libro primo Poet. capite 4.

#### INSTRVMENTORVM.

DAVID ille magnus Dei uates uaria inſtrumenta inuenit, teſte Ioſepho in 7. Antiquitatum, Organa longè à noſtris diuerſa, Nabla, Pſalterium, & ſimilia.

MERCVRIVM lyram inueniſſe, ſcribit Pauſanias lib. 5. eámque Apollini, cùm pax inter illos poſt furtum boum orta eſſet, largitum (hinc lyra quaſi lytra dicta fuit, præmium ſcilicet pro redimendis bobus) & ab eo uiciſſim accepit caduceum, ut Seruius in 4. Aeneidos annotat. Ex neruis trium chordarum, inſtar trium anni temporum, auctore Diodoro Siculo libro 1. capite 2. tres inſtituit uoces, acutam ab æſtate, grauem ab hyeme, mediam à uere. Conſule Iul. Cæſ. Scaligerum lib. 1. Poetices, capite 43. & 48. Lucianus in Dialogo Apollinis & Vulcani ſcribit, Mercurium, cùm teſtudinẽ mortuam inueniſſet, quam χέλυν dicunt, brachia adaptaſſe, iugum induxiſſe, calamos agglutinaſſe, & fundo ſubiecto, nouem deinde chordis ſuper calamis, tanquam anſulis intenſis, iucundum quid modulatum fuiſſe. Id cùm in monte Cyllene proximo feciſſet, mõs Chelidorea uocatus fuit, teſte Pauſania in Arcadicis. Natalis Comes Mythol. libro quinto, capite quinto.

Citharę figura fuit apud Græcos primùm concinnata Cepionis tempore, qui Terpandri fuit diſcipulus: & appellata Aſias, propterea quòd à LESBIIS Aſianis fuiſſet importata. Modos certos ante Archilochum primus TERPANDER inſtituit, & leges, quas ab ſe & à diſcipulo uocauit, κηπίωνα & τερπάνδειον. Scaliger libro 1. Poetices, cap. 48. ex Plutarcho de Muſica. Citharę, ut Plinio placet, repertor fuit AMPHION: ut aliis, ORPHEVS: ut aliis, Linus: ut uerò Diodoro, Apollo. Quintam chordam addidit Chorœbus, Atyis regis Lydorum F. Septem chordas addidit Terpãder. Octauam appoſuit Simonides, nonam Timotheus. Citharã ſine uoce primus cecinit Thamyras, cum cantu Amphiõ: ut alij, Linus. Hæc Plinius. At cithara tamen longè antè Tubal Hebræus uſus eſt: quam omnino ab ea diſſimilem fuiſſe, quam illi inuenerunt, teſtatur diuus Hieronymus in epiſtola de Inſtrumentis muſicis, ad Dardanum, aut quiſquis illius auctor eſt, ſcribens citharam apud Hebræos uigintiquatuor chordas habuiſſe, factam ad formã Δ literæ. Quatuor neruis, quibus primùm citharam intendebãt, tres adieciſſe Amphionem uult Pauſanias. Arati cõmentator, & Homerus in hymno Mercurij, citharam ſeptẽ chordas habuiſſe, tres Diodorus, quatuor Pindari ſcholiaſtes cum Boetio, quibus duas Orpheum addidiſſe, nonnulli ferunt. Brodeus in Epigrammatis. Septem in ea chordas appoſitas tradunt iuxta numerum ſeptem Atlantidum, quòd Maia Mercurij mater ex illarũ numero fuiſſet: deinde ſuperadditas duas, ut repræſentarentur nouem Muſæ. Polydorus.

PYTHAGORAS in adytis Anactonon Aegypti fertur Orphei antiquam heptachordon lyram inueniſſe, eiusq; proportiones obſeruaſſe, quam Terpander Lesbius in Aegyptum proficiſcens ibi appẽderat, apud ſacerdotes illos philoſophatus. Laertius.

Fabulantur TRITONEM deum marinum inuẽtam à ſe concham ad id bellum attuliſſe, quod ſuſceptum eſt aduerſus Gigantes. Quam cùm inflaſſet, Gigantes immanem aliquã belluam ac formidabilem rati, ſe in fugam uerterunt. Itaq; uictoria facilis diis ceſſit. Natalis Comes Mythologiæ lib. 8. capite tertio.

Cornua & tubæ TYRRHENORVM inuentum, ſecundùm Athenæum lib. 4. cap. 24. Cui atteſtatur Diodorus lib. 5. cap. 9. pedeſtri exercitu præualidos, tubam à ſe Tyrrhenam appellaſſe ſcribens. Plinius PISEO Tyrrheno tribuit. Rectius Ioſeph. lib. 3. Antiq. MOSI legiſlatori Hebræorum.

Sunt qui APOLLINEM non citharam modò, ſed etiam tibiam inueniſſe tradant. Cui rei argumento ſit ſimulacrum Deli, cuius dextra teneat arcũ, læua Gratias ſuſtineat, quarũ ſingulæ ſingula muſicæ inſtrumenta manibus geſtarent: una lyram, tibias altera, media fiſtulam teneret ore. Puerum præterea, qui laurum tempicam Delphos inferebat, tibicen ponè aſſectabatur. Et quæ ex Hyperboreis ſacra mittebantur, non ſine tibiis, fiſtulis, citharis fuiſſe memorantur. Plutarchus de Muſica.

MARSYAS tibiæ inuentor, teſte Diodoro & Euſebio. Libym uocari tibiam à poëtis, teſtatur Duris lib. 2. de rebus Agathoclis, poſteaquam SIRITES, qui primus uidetur tibiarum artem inueniſſe, Libys fuit ex Nomadibus: qui etiam primus materna tibia cecinit. Athen. lib. 14. c. 5.

OLYMPVS Phryx tibicinam primus ad Græcos intulit, & dactylos Idæos, Midæ regis temporibus, & tibialem inuenit νόμον Polycephalon dictum, fortè non diuerſum à nomo, quem Xynauliam ſiue ſynauliam uocant, quum tibicines duo incinunt idem, aut certè, ubi cithara & tibia concentum faciunt. Fuit autem Marſyæ diſcipulus. Tibia uſum HYAGNIM primum uolunt, aut (ſicuti Apuleius inquit) primus in canendo manus diſcapedinauit, primus duas tibias uno ſpiritu animauit, primus dextris & læuis foraminibus acuto tinnitu & graui bombo concentum muſicum miſcuit. Cæl. lib. 8. cap. 3. Antiq. Lect.

PRONOMVS Thebanus tibicen, cùm diuerſæ eſſent ob diuerſa modorum genera tibiæ, & non iiſdem omnino Dorij, Lydij, & Phrygij modi incinerentur, primus eiuſmodi tibias excogitauit, quæ inflatæ modos omnes eędem redderent. Pauſanias in Bœoticis.

Iuba eam tibiam, quæ ex hinnulorum membris conficitur, THEBANORVM inuentum aſſerit. Elephantinas apud PHOENICES primùm fuiſſe perforatas. Athenæus libro 4. capite 24.

Metrodorus in rebus Troicis fiſtulam & tibiam primũ MARSYAM inquit inueniſſe in Celænis, cùm priùs unico calamo uterentur. MERCVRIVM tamen fiſtulam unius calami inueniſſe, Euphorion poeta teſtatur in libro de Cantilenis, atque quoſdam eſſe, qui MEDIS attribuãt, Seuthæ ſcilicet, & Rhonaci. Ex multis calamis compoſita tibia SILENO attribuitur, at Marſyæ cera coniuncta. Idem.

PYTHAGORAS Zacynthins Tripodem muſicũ inſtrumentum reperit. Athen. lib. 14. cap. 15.

Tibiis canere uoce Trœzenius DARDANVS inſtituit, quæ primò ex tibiis gruum, unde & nomen, mox ex arundinib. factæ ſunt. Plinius libro 7. capite 56.

CYBELE fiſtulam calamis compactam, & cymbalum tympanumque prima adinuenit; puerorum inſuper & pecorum morbis remedia excogitauit. Qua ex re factum eſt, ut Mater ab omnibus appellaretur.

MERCVRIVS Monaulum reperit. Fiſtulam uerò PAN deus Arcadiæ, Syringe nympha in paluſtrem mutata cannam, in amoris ſolatium. Ouidius lib. 1. Metamorph. & Maro, Pan primus calamos cera coniungere plures Inſtituit. —

ARCHYTAS Tarentinus crepitaculum, teſte Ariſtot. in 8. Politicorum.

AEGYPTII ſiſtrum inuenerunt. Plin. lib. 7. cap. 56.

ALEXANDER Cytherius pſalterium chordis impleuit, & cùm in Epheſiorum ciuitate conſenuiſſet, hoc ſapientiſſimum quaſi artis ſuæ inuentum in templo Dianæ depoſuit. Athen. lib. 4. cap. 24.

LYBICVS quidam quatuor cymbala quædam fabricatus dicitur, certis proportionibus ita inter ſe reſpondentia, ut primi ſpiſſitudo epitriti rationem haberet ad ſecundũ, ad tertium hemiolij, ad quartum dupli. Ea pulſata muſicã quandam harmoniam reddebãt. Auctor Zenodotus.

Sambucam, Lyrophœnicem nominatam, ab IBYCO poeta



Rhegin.

Rhegino inuentam, Neanthes Cyzicenus putat, Barbytum ab ANACREONTE. Athen. lib. 4. c. 24. At Clemens & Solinus Troglodytis Africæ adſcribunt. Iobas Aegyptios affirmare ait, Monaulum ab OSYRIDE fuiſſe repertum, ſicut Photingem etiam obtortas tibias habentem. Athenæus lib. 4. c. 24.

BOETIVS Seuerinus, patricius & conſul Rom. inuentor fuit Chiterimi, muſici inſtrumenti. Supplementū Chronicorū.

# MVSICÆ DISCIPLINA. HVC II QVI MVSICAM

## DOCENT. SIVE

### Præceptis, Exemplis.

TIMOTHEVS, cùm in arte muſica omnium prestantiſſimus eſſet, duplicem mercedē exigebat ab his, quos ab aliis magiſtris malè inſtitutos acciperet: quòd hi priùs dedocendi quàm erudiendi erant: à rudioribus uerò & ignaris, ſimplicem. Alex. ab Alex. lib. 2. c. 25.

GREGORIVS Magnus, Pont. Max. in cantu ad extremū uſq; ſpiritum, ſeſe ſuosq; pueros exercuit. Ab illo Cantus in Eccleſia Gregorianus nomen accepit.

GVIDO Aretinus claruit in Italia ſub Conrado II. & Henrico III. Impp. Hic ignotos cantus breuiſſima omnium uia pueros docebat, omnia ad uaria inſtrumenta muſicorū applicans. Sigebertus in Chronicis, eum circiter annum Chriſti MXXIIX uixiſſe ſcribit. Volaterranus libro 21. De eo ſic Cranzius libro 4. capite 18. Metropoleos: Guido per uarias regiones proficiſcens, corruptam muſicam emendauit, & per flexuras articulorum in manibus cantum diſcernere docuit: Scalam uulgò dicunt. Hermānus archiepiſcopus Hamburgenſis & Eluericus Oſnaburgenſis epiſcopus eius opera uſi ſunt. Ex hymno D. Ioannis Baptiſtæ, ſex illas ſyllabas muſicales, Vt, Re, Mi, Fa, Sol, La, mutuatus in ſuis ingenioſè dicitur.

VT queant laxis REſonare fibris
MIra geſtorum FAmuli tuorum,
SOLue polluti LAbij reatum,
Sancte Ioannes.

### Scriptis. Scriptores Muſicæ.

EPICVRVS Athenienſis ſcripſit Ariſtobulum, ſiue de Muſic. Laertius lib. 10.

DEMOCRITVS Abderites librū edidit de Concentu & harmonia. Laertius lib. 9.

ANTISTHENES Athenienſis, Socratis auditor, de Muſica commentatus eſt. Laertius lib. 6.

HERACLIDES Pōticus Speuſippi auditor, libros duos muſicos, de his, quæ apud Euripidem & Sophoclem reperiuntur, ſcripſit: item de Muſica duos. Laertius lib. 5.

THEOPHRASTVS Ereſius Harmoniacôn librum unū, de Muſicis librum unum, de Muſica libros tres edidit. Idem.

ALCIDAMAS Eleates philoſophus, muſicus chariſſimus, diſcipulus Gorgiæ Leontini, de Muſica elegantiſſimos libros ſcripſit, teſte Suida.

SOTERIDAS Epidaurius ſcripſit muſicæ libros tres, ut ait Dionyſius & Volat. lib. 19. Anthrop.

LASVS Herminæus Achæus (qui floruit ſub Dario Olymp. 58.) primus de Muſica ſcripſit, & Dithyramborum certamē primus protulit. Suidas.

DIONYSIVS Halicarnaſſeus, ſub Hadriano Cæſare, ſophiſta, cognomento Muſicus, quòd in ea arte plurimū ſe exerceret. Scripſit rhythmicorum commentariorum libros 24. hiſtoriæ Muſicæ libros 36, in quibus tibicinum & citharœdorum & poetarum omnis generis meminit. Muſicæ diſciplinæ ſiue diſputationum libros 22. Quæ in Platonis Republica Muſicè dicta ſint. Suidas.

## DISCVNT. DISCIPVLI MVSICÆ.

LACEDÆMONII muſicam diſcebant, non tamen exercebant, ut ſaltem iudicare poſſent artem, quam deperditam ter apud illos conſeruatam dicunt. Athen. lib. 14. cap. 11.

Ariſt. in 8. Politicorum IVVENES muſica erudiri uult, ut ſenes facti de ea poſſint iudicare, tum etiam ut & ipſi muſicæ honeſtis uoluptatibus moueri poſſint. Non mouetur autē, niſi qui intelligit qui ſint concentus, quæ uerba.

TELESIAS Thebanus adoleſcens, in optima ueterum Lyricorum muſica eximius, cùm ad ſcenicam & picturatā muſicam Philoxeni & Timothei poematum animum adieciſſet, contuliſſetq; ſe ad modulos condendos, nihil tamen in Philoxeneo genere præſtare laude dignum potuit, propter optimam inſtitutionem à teneris, quam eluere nequibat. Plutarchus de Muſica.

SOCRATES in ſenectute didicit muſicam à Conno fidicine. Cùm aūt ei diceretur: Nunquid nō uerecundaris in ſenectute his operā dare ſtudiis? Maiorē, reſpōdit, uerecundiā eſſe, in ſenectute ignorantes eſſe, q̄ in ſenectute ſtudere. Plato.

# MVSICAE POSSESSIO, IN

## GENERE.

Scriptum reliquit Pauſanias in Atticis, CYGNVM Ligurum fuiſſe Regem eorum, qui habitarunt in Gallia Tranſpadana, laude muſicæ artis clarū. Mortuus ab Apolline in auem ſui nominis mutatus fingitur. Lucianus in Dialogo, q Cygnus inſcribitur, Aſſeſſores fuiſſe Apollinis Cygnos cōmemorat, & amicos homines, muſicæ peritos: qui poſt mortē in aues ſui nominis fuerint mutati. Natalis Comes Mythologiæ libro 7. capite 5.

SIRENES Acheloi fluminis, qui Aetoliā ab Acarnania diſterminat, & Terpſichores filiæ. Nicander lib. 3. Mutatorū Melpomenen Sirenum matrem ſcribit: alij Steropen, alij Calliopen. Iuxta Pelorum Siciliæ promontorium, uel in inſulis Sirenuſis habitarunt, in extrema parte Italiæ. Strabo libro 1. Idem lib. 5. Sirenum inſulas facit ſaxoſas & deſertas, non procul à Capreis. Inferiorem corporis partem habuēre uolucrum, ſuperiorem hominis, ut ſenſit Theopompus in Callæſchro, & Iſacius. Nomina illarum fuerunt Aglaope, Piſinoe, Thelxiepia, uel ut uoluit Chœrilus, Thelxiope, Molpe, Aglaophones. Clearchus uerò Solenſis in Amatoriis libro 3. Leucoſiam nominat, Ligeam, & Parthenopen: à qua Strabo lib. 1. Italiæ ciuitatem Neapolim dictam fuiſſe Parthenopen ait, in iis locis mortuam. Idem lib. 6. Leucoſiam inſulam nomē obtinuiſſe inquit, ab altera Sirene, quæ ibi ſe in profundum abiecerit. Fabulantur unam harum uoce, alteram tibiis, tertiam lyra ceciniſſe, pro ſingularum ingenio, & ad quæ quiſque natura duce maximè procliuis eſſet, tanta cum gratia, ut homines ſui ipſorum obliti, in manifeſtam perniciem ſe trahi paterentur. Cùm Minyæ per ea loca nauigarent, Anceo nauem gubernante, ſe citharam arripuiſſe ſcribit Orpheus in Argonauticis, ſuoq; cantu Sirenum cantum retudiſſe. Nam cùm deorum certamina caneret, minimè auditæ fuerunt cantilenæ Sirenum. Eapropter deſperatione actæ, mutæque factæ, in mare muſica inſtrumenta abiecerunt. Orpheus & Apollonius libro 4. Argon. Vlyſſes à Circe Solis filia edoctus, aures cera ſociis obturauit, ſeque arctiſſimis uinculis malo alligari iuſſit, neque, ſi rogaſſet quidem, uoluit ſolui. Itaque tutò illas prætenauigauit. Sirenes præ deſperatione ſe in mare præcipitarūt, & in ſaxa ſunt conuerſæ. Natalis Comes Mythologiæ libro 7. capite 13.

OSYRIS inſignis muſicus fuit, quemque muſicorum multitudo ſemper ſequebatur: inter quos & nouem Muſæ fuiſſe dicuntur. Diodorus Sic. lib. 1. c. 3.

Nulli magis periti ſunt artis muſicæ quàm ALEXANDRINI, neque pulſandæ citharæ ſolùm, cui uel pauperrimus quiſque priuatus atque indoctus omnis ita eſt aſſuetus, ut quàm celerrimè errores, qui in pulſatione chordarum fiūt, deprendere poſſit: ſed tibiarum etiam ſunt peritiſſimi: nec earum ſolùm, quæ uirgineæ pueriſeſq; uocantur, ſed & earum, quę dicuntur uiriles, perfectę, & ampliores, citharisteriarumque, & dactylicarum. Athen. lib. 4. c. 24.

ARISTOXENVS genere Italus, patria Tarentinus, cognominatus eſt Muſicus, propter peritiam artis. Plutarchus, & Suidas.

TELESILLA poetria muſica, urbem Argiuorum ab impetu Lacedæmoniorū defendit. Cùm enim Cleomenes, interfectis Argiuorum ſupra ſeptem millia, iter Argos direxiſſet: Teleſilla Argiuas armatas ad pugnam eduxit: æeq; in propugnaculis ſtantes, circumcirca muros tuentes, Cleomenē repulerunt. Polyænus lib. 8.

XENOPHILVS muſicus, Chalcidenſis, annos 107 uixit, citra ullum corporis incommodum. Plinius.

SCYLAX Cariandæus mathematicus, claruit arte muſica.

SIMON Magneſius inſignis muſicus, neglecto ſuperiorum muſicorum more, Simodiam introduxit: ſicut & Lyſis Lyſiodiam. Volat. lib. 19. ex Strabone.

THEODVLFVS Aurelianenſis epiſcopus, muſicus inſignis, ob ſuſpicionem coniurationis cōtra Ludouicū Pium Imp. & Francorum regem in uincula coniectus, cùm die Palmarum, quo Ludouicus carcerē tranſibat, hymnum, quē compoſuerat, decantaret, iuſſu regis ſtatim liberatus fuit.

GVL. Roger Anglus, uariis inſtrumentis muſicis celebris, à Iacobo III. Scotorum rege euocatus, multos poſt ſe diſcipulos in aula Scotica reliquit. A Scotis proceribus, capto rege, ſtrangulatus. Appendix hiſt. Scotorum.



## CANTORES.

Dauid rex Leuitis cantores ſacros conſtituiſſe dicitur 288. eorum tres principes, ASAPHVM, HEMANEM & IEDVTHVNEM. 1. Paralip. 25.

Palæphatus AMPHIONEM & Zetum, in condendis Thebis, mercede cantus lapides ab agricolis accepiſſe ſcribit, cùm pecuniam non haberent.

MVSÆ in nuptijs Cadmi (qui Thebas Bœoticas condidit, filius Agenoris regis Phœnicum, frater Europæ) & Harmoniæ, Veneris & Martis filiæ, cecinerunt carmen, cuius partē Theognis recenſet in ſua Gnomologia:

ὅττι καλὸν φίλον ἐςὶ, τὸ δ᾽ ὐ καλὸν ὐ φίλον ἐςί.

GRÆCI ad myrtum canebant, cantorque cantorem myrto tradito inuitabat: quod poſtea prouerbio increbuit. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 25.

Vetuſtum eſt carmen Cradias dictum, quod memorat Hipponax MIMNERMVM ad fiſtulam ceciniſſe. Plutarchus de Muſica.

XENOPHANTVS modulator inſignis, maxima & inaudita modulatione cecinit in funere Demetrij regis. Sabellicus lib. 1. cap. 4. Exempl.

Cùm conuiuaretur cum amicis Aſtyages Medorum rex, ANGARES quidam aderat cantorum omnium celeberrimus, qui inter alia dixit, quòd fera ſylueſtri ſue multò audacior in nemus accedit. Quæ ſi locis his imperarit, contra multos cū paucis facilè pugnabit. Cùm rogaſſet Aſtyages, Quę fera? Cyrum Perſam, inquit, eius nepotem, à quo pòſt regno fuit exutus. Athen. lib. 14. c. 13.

M. CATO Cenſorius ſimpliciter cantare, nequaquam ſeruile duxit opus. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 25.

## MVLTORVM INSTRVMENTORVM PERITI.

Muſicæ artis uirum omnium, qui unquam fuerunt, ſine controuerſia præſtantiſſimū plures annos Venetiæ habuerunt, circa annum Sal. 1470. BERNARDVM cognomento Teutonem, argumento gentis in qua ortus eſſet. Omnia muſicę artis inſtrumenta ſcientiſſimè tractauit: primus in Organis auxit numeros, ut & pedes quoque iuuarent concentū funiculorum attractu. Mira in eo artis eruditio, uoxque ad omnes numeros accommodata, numinis prouidentia ad id natus, ut unus eſſet, in quo ars pulcerrima omnes uires experiretur ſuas. Sab. lib. 8. Enn. 10.

## FIDICINES, CITHARŒDI, LYRISTÆ.

*Qui fidibus canunt, in multiplici ſunt differentia, pro inſtrumentorum diuerſitate. Celebrarunt olim citharam & lyram, propterea quòd & plectro chordas pulſare, & ſimul uiua uoce accinere poſſent. De quibus conſule Scaligerum lib. 1. Poeticæ.*

*Exempla pete ex Tit. Lyricorum poetarum.*

DAVID, Iſſęi F. inſignis citharœdus, Saulum regem dęmonio correptum, ſuo cantu ſæpe mitigauit, necnon hymnos ſacros plurimos compoſuit: quorum ſpiritu adhuc Chriſtiana fruitur eccleſia. 1. Reg. 16. & 2. Reg. 6.

PHILAMMON Delphus, Apollinis filius. Ouidius lib. 11. Metamorphoſeôn:

Carmine uocali clarus, citharaque Philammon.

Latonæ, Dianæ, & Apollinis ortum carminibus edidit, ac choros circa templum Delphicum inſtituit primùm. Plutarchus de Muſica.

LINVS Apollinis & Vraniæ filius, lyricæ muſæ peritiſſimus: in qua magni nominis diſcipulos habuit, Orphea, Thamyram & Herculem. Hunc ab Hercule plectro occiſum ferūt, dum eum canentem acerbè nimis corripuiſſet. Aelianus. At Pauſanias Amphimari Neptuni & Vraniæ muſæ F. fuiſſe, & cum Apolline de Muſices gloria contendentem occiſum ſcribit in Bœoticis. Plutarch. hunc Eubœenſem facit.

THAMYRAS citharœdus Thracius, Lini diſcipulus, à Muſis excæcatus, quòd eas ad certamen cantus prouocaſſet. Bellum Gigantum contra Deos panxit.

De AMPHIONIS cantu, & quòd muros Thebanos in Bœotia ad lyram erexerit, nullam prorſus fecit Homerus mentionem. Hanc in muſicis famam iccirco eſt Amphion conſecutus, quòd à Lydis ob Tantali affinitatem modos didicit, primusque chordas tres ad quatuor à ſuperioribus inuentas addidit. At enim qui carmina in Europam fecit, is memoriæ prodidit, Amphionem Mercurio magiſtro fidibus didiciſſe: cantu uerò ſaxa & feras mouiſſe. At Myron Byzantius heroici carminis, & elegorum ſcriptor, Amphionē tradit, primum omnium Mercurio aram dedicaſſe, & iccirco lyram ab eo accepiſſe. Pauſanias in Bœoticis. Heraclides in Muſicorum breuiario principem citharæ & citharœdicæ poeſeos architectū fuiſſe AMPHIONEM ſcribit, Iouis & Antiopæ filium, in ea inſtitutum à patre. Cui rei fidem faciunt, quæ Sicyone ſeruātur, acta: ex quibus ſacerdotes Argiuas, poetas & muſicos nūcupat. Eodem ſeculo LINVM Eubœenſem lamentationes, ANTHEM ex Anthedone Bœotiæ hymnos, PIERIVM ex Pieria poemata in Muſarū laudem condidiſſe ait.

PHEMIVS Ithacenſis, ἀοιδὸς, eunuchus & muſicus, cuſtos relictus ab Vlyſſe uxori Penelope, ut eius pudicitiam ſeruaret, frater Demodoci. Euſtathius in tertio Odyſſeæ. Introducitur ab Homero, inuitus apud procos canens: uir enim probus erat, uereq; philoſophus. βίᾳ παρὰ τοῖς μνηςῆρσιν ἀείδει, ut in primo Odyſſeæ. Plut. de Muſica.

DEMODOCVS Corcyreus, ἀοιδὸς, frater Phemij, eunuchus & muſicus, ab Agamemnone uxori Clytæmneſtræ cuſtos datus. Nec priùs eius pudicitia ab Aegiſtho potuit expugnari, quàm Demodocum in exilium relegaſſet, & interfeciſſet. Euſtathius in tertio Odyſſ. Diuerſus eſt ab illo, quem Homerus inducit canentē in conuiuio Alcinoi regis Phæacum, Odyſſ. λ. Idem.

ORPHEVM Apollinis & Calliopes filium poetæ faciūt, principem muſæ Lyricæ (nullo, quem imitaretur, exiſtente. At Terpander hunc pòſt imitatus eſt) adeò ut fabulentur delinitas eius cantu arbores, ſuis ſe locis exercuiſſe, ſenſificatas cautes egiſſe choros, fluuios curſum cohibuiſſe, exarmatas feras poſuiſſe feritatem, & alia id genus incredibilia. Fingitur ab inferis cantu ſuo exoraſſe Eurydicen uxorem, ea lege, ut ſequentem à tergo non aſpiceret, priuſquā ad ſuperas auras ambo rediiſſent. Cui legi quum amor nimius ſtare non permiſiſſet uatem, Eurydice demùm euanuit. Ab eo lyra uocatur Hæmonia, Threiicia, Orphea, Biſtonia, & Biſtonis, quòd Thrax fuerit natione.

DORCEVS cantu citharæ apud Thraces, ſecundam poſt Orpheum meruit palmam. Val. Flac. lib. 3. Argon.

OLYMPVS Myſius, poeta melicus, & elegiarum, Marſyæ Satyri diſcipulus, pulſandæ citharæ legem dedit, modosque pulſandi reperit & docuit. Floruit ante bellum Troianum, à quo & mons in Myſia nomen accepit. Suidas.

ARION Methymnæus citharœdus, & poeta Lyricus, primus Corinthi apud Periandrum & fecit & nominauit & docuit Dithyrambum. Opibus & honore auctus in patriam reuerſurus, ſiue, ut Herodotus uult, è Tarento Corinthum nauigaturus, piraticæ naui ſeſe commiſit. In ipſo curſu à prędonibus ad necem poſcitur. Ille hoc unum petit, ut cygni inſtar, cithara priùs luderet, quàm moreretur. Data poteſtate, foris cōſcenſis, Orthium carmen modulari cœpit. Eius cantu allectus Delphin, dorſo exceptum portauit ad litus Tænarium, & exemit à periculo. Gellius libro 16. capite 19. & Herodotus libro 1.

PHRYNIS citharœdus Mitylenęus, primus putatur apud Atheniēſes cithara ceciniſſe, & primas tuliſſe in Panathenęis, Callia prætore. Ariſtoclidis diſcipulus. Suidas.

ARISTOCLIDES ex familia Terpandri, floruit in Græcia bello Medico, celebris cithariſta. Idem.

Tenuem citharæ ſonum ARISTONICVM Argiuum, qui floruit Antilochi tempeſtate, Corcyræque habitauit, primum introduxiſſe, ſcriptum reliquit Menecharmus. Primus LYSANDER Sicyonius cithariſta, pſilocithariſtiam mutauit, cum longos tonos intendiſſet, uocemque feciſſet ſatis magnam. Timarchus STESANDRVM Samium narrat in rebus Cypriis artem plurimùm auxiſſe, primumque Homeri pugnas in Delphis cum cithara cantaſſe. Sunt qui dicant AMETOREM Eleutherǣum Amatorias odas primum ceciniſſe apud Eleuthernęos, cuius minores uocati ſunt Ametores. Scribit Ariſtoxenus, quòd ueluti hexametrorum parodas nonnulli ad riſum inuenerunt, ſic primus OENOPAS ad citharam cantus. Athen. lib. 14. c. 15.

In citharæ cantu excelluerunt maximè, qui OENONAM Italum ſecuti ſunt, qui Cyclopem laſciuè cantantem introduxit, & naufragum Vlyſſem ſolœciſmos, ut ipſe dicit, facientem. Athen. lib. 1. cap. 14.

HIPPARCHION, & RVFFINVS, præcipui apud Græcos citharœdi, quum ſolennibus ludis inter ſe certaturi eſſent, theatri tumultu commotus Hipparchion obticuit. Vnde natum prouerbium, Mutus Hipparchion. de his, qui repentè ſilent, à quibus tamen grande aliquid expectatur. Eraſmus in Chiliadibus.

EPICLES cithariſta, magno quondam in precio apud Athenienſes: quem Themiſtocles orauit, ut apud ſe artem exerceret. Volebat enim domum ſuam à multis adoleſcentibus nobilibus frequentari. Plutarchus.

CONNVS Metrobij F. fidicen, quo præceptore uſus eſt Socrates, & ob idipſum Connum pueri ὡς γεροντοδιδάσκαλον irridebant, teſte Platone.

CONNA citharœdus, ſeu lyriſta, extremę ſortis, deuorato patrimonio

trimonio factus pauperrimus, & homo nihili. Hinc adagiũ natum, Connæ calculus: in hominem nullius momenti. Eraſmus in Adagiis.

AMOEBEAS citharœdus caſtiſſimus, uxorem nunquam attigit. Eum ſcribit Ariſteas in citharœdorum libro Athenis habitantium, apud theatrum habitaſſe, qui ubi cantaturus exiret, Atticum talentum ſingulis diebus capiebat. Athen. libro 14. cap. 9.

De ASPENDIO citharœdo Aſconius Pedanius in tertia Verrina ad hanc fermè ſententiam enarrat: Vulgares citharœdi cum canunt, utriuſque manus funguntur officio, ita ut dextra plectrum teneant, id quod foris canere appellant: ſiniſtra digitis chordas carpant: quod quidem intus canere uocãt. Difficile autem uiſum eſt, quod Aſpendius citharœdus faciebat, qui nequaquam utraque uteretur manu, ſed omnia, id eſt, totam cantionem intus, & ſiniſtra tantùm manu complecteretur: atque ita tacita leuique modulatione ſiniſtra contactis chordis, cantilena peragebatur, ut uox ad citharœdum duntaxat, aut proximè aſſiſtentẽ perueniret. Aſpendius Pamphyliæ ciuitas eſt, auctore Stephano: unde Aſpendij dicebantur, apud quos citharœdi hoc artificio præcelluiſſe uidentur. Eraſmus.

STRATONICVS Athenienſis primus uidetur multas chordas in tenuem citharam detuliſſe, primusq; Harmoniarum diſcipulos habuit, formulasque conſtituit. Ob licentiam in ridiculis à Nicocle Cypriorum rege ſublatus eſt de medio, ueneno hauſto: cùm eius filios cauillatus eſſet. Corinthi cũ Vetula quædam eum intentiùs aſpiceret, cauſam rogauit. Et illa, Demiror, reſpondit, matrem decem te menſibus geſtaſſe: quem per unum diem auditum urbs noſtra faſtidire incipit. Athen. lib. 8. cap. 7. Habuit idem in ludo nouem Muſarum imagunculas, & Apollinis unam, diſcipulos duos. Propterea interroganti cuidam, quot haberet diſcipulos: Cum diis, inquit, duodecim.

TERPANDER Arnæus aut Lesbius ex Antiſſa, aut Cumęus. Alij, oriundum ab Heſiodo ſcripſerunt: alij, ab Homero. Aiunt enim eum Bœi filiũ, qui fuerit filius Phocei, nepos Euryphontis, Homeri pronepos. Primus lyram ſeptem chordis fecit, & modos lyricos primus ſcripſit: quamuis hoc alij Philammoni tribuant. Suidas. Ludis Apollinaribus ſexies uictor fuit, ac temporibus admodum fuit antiquus. Priorẽ facit eum Glaucus Italicus Archilocho in cõmentario quodam, quem de ueteribus poetis & muſicis ſcripſit: quippe fuiſſe demonſtrat eum à primis illis, qui tibiæ cantus condiderunt, ſecundum. Aemulatum Terpandrum Homeri uerſus, Orphei modos. Alexander in Breuiario muſicorũ Phrygiorum pulſandarum fidium OLYMPVM rationem docet in Gręciam principem attuliſſe, inſuper Idęos Dactylos. Heraclides eum narrat, pro ſingulis carminibus uerſus ſuos & Homeri numeris adornaſſe, eosque cantaſſe in præliis. Eundem memorat uocabula primùm carminibus citharœdicis reddidiſſe. Eius exemplo CLONAM, qui carminum tibialium proſodiorumque princeps fuit auctor, elegias & uerſus condidiſſe, ac Colophonium Polymneſtum, qui fuit infra hunc, eadem uſurpaſſe harmata. Plut. de Muſica.

Citharæ olim figura Aſias appellata eſt: ꝙ citharœdi ea LESBII, qui Aſiam accolunt, uterentur. Nouiſſimũ PERICLITVM aiunt citharœdum Carniis Lacedæmone uictoriam obtinuiſſe, natione Lesbium. Quo defuncto, perpetuam apud Lesbios citharœdorum ſucceſſionem expiraſſe. Idem.

XENOPHANTVS certis modis Alexandrum ad arma ſolebat concitare. Eam Muſices uim admirantibus cunctis, quidam ait: Si tantus artifex eſt, incinat modulos, quibus illũ à bellis reuocet. ſentiens, non eſſe magnæ artis hominem eò perpellere, quò ſuapte natura pronus eſt. Eraſmus libro 4. Apophthegmatum.

TIMOTHEVS Mileſius muſicus, decimam & undecimam chordam lyræ addidit, & antiquam muſicam in molliorem modum mutauit. Vixit tempore Philippi Macedonis. Alexander illius modulis excitabatur, & ad res bellicas alacriùs inſtruebatur. Scripſit uerſus de Muſica lib. 19. Suidas, & Cicero ſecundo, de Legibus. Lyram, quæ ſeptem tantùm fides uſque ad Terpandrum Antiſſæum habuerat, in plures chordas diſiecit. Plut. de Muſica.

PYLADES citharœdus, quoſdam Timothei uerſus audiente Philopœmene cantauit ad citharam. Plut.

NICOSTRATVS & LAODOCVS citharœdi, quum inter ſe concertarẽt, dixit Nicoſtratus, Laodocum eſſe in magna arte paruum, ſe autem in parua magnum: ſatiusq; ſibi eſſe non domum diuitiis, ſed artem ſtudio & diligentia augere. Aelianus lib. 4. de Varia hiſtoria.

ANAXENOREM Magneſium patria ualde extulit: ſed magis M. Antonius, qui quatuor ciuitatum ei tributa legenda tribuit. Strabo lib. 14.

EVNOMIVS Locrenſis citharœdus. Huius ſtatua Locris in Italia oſtenditur, quæ inſidente citharæ cicadã habet. Nam cùm in certamine cum Ariſtone Rhegino muſico chorda una fracta defeciſſet, cicada ſuperuolans aſtitit, & ſupplementa uocis fecit. Strabo lib. 6. Eius ſimulacrum Delphis quoque fuit, cum epigrammate, quod in 4. lib. Græcorum Epigrammatum legitur.

ARISTONVS citharœdus, cùm ſexies Pythia uiciſſet, ut Lyſandri Lacedæmonij gratiam iniret, pollicitus eſt, cùm denuò uictoriam habere contingeret, præconis uoce ſe pronunciaturum, Ariſtonum Lyſandri ſeruum uictorem fuiſſe. Plut. in Lyſandro.

IOPAS, nomen citharœdi apud Vergilium lib. 1. Aen.

—— Cithara crinitus Iopas
Perſonat aurata, docuit quæ maximus Atlas.

Idem lib. 9. facit CRETEA quendam Lyricum, ubi ait:

Et Clytium Aeolidem, & amicum Cretea Muſis,
Cretea Muſarum comitem, cui carmina ſemper
Et citharæ cordi, numerosq; intendere neruis,
Semper equos atq; arma uirûm, pugnasq; canebat.

Apud eundem IAPYS nomen auguris & citharœdi, lib. 12.

Iamq; aderat Phœbo ante alios dilectus Iapys
Iaſides, acri quondam cui captus amore
Ipſe ſuas artes, ſua munera lætus Apollo
Augurium citharamq; dabat, celeresq; ſagittas.

STRATONICA cum patre pſalte coram Mithridate rege Aſiæ uictus cauſa canens, adeò regi placuit, ut eam ſtatim in concubinam aſſumſerit, & ſenem ad ampliſſimã fortunam euexerit. Plut. in Pompeio.

HERMOGENES citharœdus Iulio Cæſari ſuauitate cantus admodum placuit. Apud Horatium lib. 1. Serm. nomen cantoris, ubi ait:

Vt quamuis tacet Hermogenes, cantor tamen, atq;
Optimus eſt modulator.——

TERPNVM citharœdum Nero Imp. coluit præter alios, diebusque continuis poſt cœnam canenti in multam noctem aſſidens, paulatim & ipſe meditari exercitarique cœpit, nec eorum quicquam omittere, quæ generis eius artifices uel conſeruandæ uocis cauſa, uel augendæ factitarent. Suet.

Suetonius ſcribit, aliquando NERONI prædictum à mathematicis, fore, ut imperio deſtitueretur: unde uocem illam Neronis celeberrimam extitiſſe, τὸ τέχνιον πᾶσα γαῖα τρέφει, quo maiore uenia meditaretur citharœdicam artem, principi gratam, priuato neceſſariam. Itaque cùm intelligeret ſibi pereundum, illud identidem dictitabat, Qualis artifex pereo: uelut indignum eſſet, qui tantus eſſet muſicus, ut ubiuis gentium uiuere poſſet, nunc fame ad mortem adigi. Eraſmus in Adagiis.

Imperãte Othone Syluio, CITHAROEDVS quidam Neronem Imperatorem ſe eſſe finxit, eoque nomine maximos motus in Græcia atque Aſia mouit. Aiebat enim (cùm Neroni facie & uoce perſimilis eſſet) quo tempore Romæ diſſeminatum fuit, Neronem ſibi uim attuliſſe, alium pro eo fuiſſe mortuum. Fulgoſ. lib. 9. cap. 16.

DIODORVS cithariſtes tempore Veſpaſiani, cuius arte princeps delectatus, multis eum donis cumulauit. Martialis eius meminit.

ECHION & GLAPHYRVS nomina citharœdorum apud Iuuenalem Satyra 6.

Accipis uxorem, de qua citharœdus Echion,
Aut Glaphyrus fiat pater.—

HEDYMELES citharœdus apud Iuuenalem Sat. 6.

Quo tener Hedymeles operam dedit, hũc tenet, hoc ſe
Solatur, gratoq; indulget baſia plectro.

ORVMBELLVS citharœdus de adulterio cum Beatrice uxore Philippi ducis Mediolanenſis falsò ſuſpectus. Iouius in Philippo, & Fulgoſus lib. 5. cap. 3.

## TIBICINES, CHORAVLAE.

Tibicinum laudes pete ex Athenæi libro decimoquarto, capite quinto.

Antiquiſſima tibia eſt, ac ſtatim poſt fiſtulam inter paſtores: non autem cithara, ut aiunt. Quippe Apollinis inuentum tibia. alij malunt Palladis, à qua ille ſit edoctus. Maiores hi natu quàm Mercurius, qui citharam primus commentus eſt ex teſtudine. Quin alij putant HYAGNIDEM ante APOLLINEM tibia ceciniſſe: deinde eius filium MARSYAM: tertium OLYMPVM, teſte Plut. de Muſica. Olympi & famulus & diſcipulus HIERAX, qui etiam ab ſeſe leges & dederit, & nominarit: poſt hos TERPANDER, à quo CLONAS: hunc Tegeatem Arcades, Thebani ſuum prædicabant. Poſt illum ARCHILOCHVS. alij præponunt ARDALVM Trœzenium Clonæ. Qui haſce temperent diſcordias, dixerint Olympum in tibiis primùm leges inſtituiſſe, idque in Apollinis honorem: quam legem à numerorum frequentia nominauit πολυκέφαλον. Alij CRATETI eius diſcipulo adſcribunt hoc. Olympi autem eam extitiſſe legem, quam dixit ἁρμάτειον. Vnde & alia κραδίας νόμος nominata,



minata, frequens Steſichoro Himeræo. Alij primum aiunt PRONOMVM Thebanum tibia ad harmoniam ceciniſſe. Omnino uerò in Phrygia primas tibias agnoſcunt. Adducunt pro ſe MYSORVM gentem, quæ fuerit tibiæ peritiſſima. & Alcmana poetam, qui tibicines barbaro, nec aliò nomine deſignarit, Sambas, Adon, Telus. Item Hipponactem, apud quem nomina eiuſdem notæ, Cion, Codalus, Babus. Vnde prouerbium, κίων, ἢ βάβυς αὐλεῖ. Scaliger libro primo Poetices, capite 20. ex Athenæi libro decimoquarto, capite 10. & 13.

Olim tibiis canendi artem non diſcebant ingenui, tanquam ſordidam, ſed hanc ſola MANCIPIA exercebant: quæ plerunque ex Arabia producebantur. Vnde prouerbium, Arabicus tibicen. Deinde ingenuis uſque adeò placere cœpit, ut indoctus haberetur, quiſquis huius eſſet rudis: donec Alcibiades tibias abiiceret, oris deformitate conſpecta ad ſpeculum. Eraſmus in Prouerb.

Tibiarum conſuetudo cœpiſſe uidetur poſt Medicas uictorias, quum GRÆCI iam de ſe magnificè ſentirent: deſita uerò Athenis diſciplina ea, Alcibiade auctore, quum percrebuiſſet ab illo abiectas infractasque tibias, pudefacto deformitate oris. Quod in commentario Pamphilæ nono & uigeſimo ſcriptum fuiſſe, adnotatum Gellius reliquit. Cælius lib. 9. cap. 4. A.L.

Magnum fuit Muſices ſtudium antiquitùs apud omnes GRÆCOS, quare & ars tibiarum non paruo in precio habebatur. Chamæleõ Heracleotes, oẽs ait LACEDÆMONIOS ac Thebanos tibiis uſos fuiſſe, atque ſuis etiam temporib. Heracleotas in Ponto: ex Athenienſibus præterea clariſſimos, Calliam Hipponici filium, & Critiam Calæſchri. Duris Alcibiadem inquit tibiarum artem non ex uulgari quouis magiſtro, ſed ex PANOSMO, qui celeberrimus erat eo tempore, didiciſſe. Scribit Ariſtoxenus EPAMINONDAM Thebanum ab Olympiodoro & Orthagora tibiæ cantũ didiciſſe. Multi inſuper PYTHAGORICI tibiarũ artem exercebant, ut Euphranor, & Archytas ac Philolyæus, aliique non pauci. Euphranor, commentarium de tibiis reliquit, ſicut etiam Archytas. Epicharmus Palladem inquit in Muſis, Enoplium Caſtori & Polluci cum tibiis ceciniſſe. Athen. lib. 4. cap. 25.

Thebis Bœotiis poſita ſtatua eſt PRONOMI tibicinis, qui unus maximè appoſitè omnium ad aures multitudinis permulcendas tibiis cecinit: & totius corporis motu mirificè ſpectatores in theatris delectauit. Extat eius cantilena, quã Chalcidenſibus Euripi incolis fecit, ut eo carmine Delum uenientes, loci numina ſalutarent. Huic uiro Thebani, & Epaminondæ Polymnidis filio, in eodem loco ſtatuas poſuêre. Pauſan. in Bœot. Vulgatum eſt diſtichon:

Ἑλλάς μὲν, Θήβας προτέρας προὔκρινεν ἐν αὐλοῖς·
Θῆβαι δὲ Πρόνομον, παῖδα τὸν Οἰνιάδου.

Quondam uſque ad Melanippidem dithyramborum poetam ſolebant mercedem à poetis accipere TIBICINES, obtinente tunc priores partes in ludis poeſi, quòd eſſent eorũ, qui fabulas docerent, tibicines adminiſtri. Pòſt hic mos deprauatus eſt. Plut. de Muſica.

MARSYAS Phryx tibicen, tibiis à Minerua inuentis, cum Apolline certauit. A quo uictus, tergore nudatus eſt: quem Nymphæ fleuêre ita, ut earum lacrymis fluuius Phrygię creuerit, ab eius nomine Marſyas uocatus. Volaterranus libro 17. Anthropologiæ.

SACADAS tibicen, primus Pythicum carmen Delphis cecinit, & Apollinem iratum tibicinibus propter Marſyæ & Sileni certamina, reconciliauit. Pauſan. in Corinth.

ANDRONA Catanæum ſcribit Theophraſtus incinentem tibiis primum omnium motiones corporis & rhythmos excogitaſſe. Vnde natum, ut σικελίζειν, id eſt, ſiciliſſare, poſitũ inuenias pro ſaltare. Cælius lib. 5. c. 4. A.L. ex Athenæi lib. 1. capite 16.

PHILISTVS Mileſius orator, Iſocratis diſcipulus, tibicen optimus fuiſſe dicitur. Quapropter eum αὐλοτρύπην Iſocrates uocitabat. Suidas.

SCOPELINVS tibicen pater Pindari, Lyricorum principis. Gyraldus de hiſt. Poetarum.

TELLEN tibicen & poeta Melicus, cuius meminit Diarrhus Meſſenius: ex quo prouerbium, ἄειδε τὰ Τέλληνος, Cane ea, quæ ſunt Tellenis, quòd optima fuiſſent. Volaterranus lib. 20. Anthropologiæ.

MIMNERMVS Colophonius, poeta elegiographus, & tibicen clariſſimus. Strabo libro decimoquarto, & Volaterranus libro 17.

BATALVS Epheſius tibicen, calceamentis femineis primus omnium in ſcena uſus eſt, fractisque cantibus tibiarum artem emolliuit. Hinc Batalos uocamus mulieroſos homines. Eraſmus in Adagiis.

AGATHON tibicen, cantilenarum ſuauitate commendabilis, ſed molliciei nota famoſus. Ab eo Agathonia cantio, dicitur oratio blanda magis quàm fructuoſa. Suidas & Zenodotus.

EVIVS tibicen Hephæſtioni ita fuit acceptus, ut ei ædes reſtitueri t, quas pueri Eumenis ei priores ceperant. Plutarchus in Eumene.

LAMIA ætate Demetrij formoſa meretrix, tibiis optimè fertur ceciniſſe, & canendi ſuauitate magnam apud homines promeruiſſe gratiam. Qua arte ſic Demetrium Poliorcetẽ ineſcauit, ut ille nihil haberet carius, & quod maiore beneuolentia proſequeretur. Plutarchus.

XENOPHANTVS tibicen in funere regis Demetrij Poliorcetis, carmen ſacratiſſimum accinuit: cui concinente remigio, clangor cum modulatione quadam uelut in planctu reſpondit carminum ad tibias ambitibus. Plutarchus in Demetrio.

POLYPREPON tibicen phreneticus, cùm ad eum ueniſſet Dionicus medicus, protinus ille ſurrexit, foribusque occluſis, ac nudato gladio tibias ei tradidit, iisque uti caneret, iuſſit. Deinde ubi id non poſſet, illum percuſſit, ſcuticã ſublata manu geſtans. Lucianus in Conuiuio.

ISMENIAS Choraules peritiſſimus, Antigenidis diſcipulus, qui, teſte Boetio, multis ægritudine laborantibus omnes animi moleſtias abſterſit. Solitus erat gemmis uti fulgentibus & precioſis, ut ea oſtentatione ars pluris ęſtimaretur. Itaq; ſmaragdum, in qua ſculpta fuerat Amymone, ſex aureis denariis in Cypro indicatam, emit. Et cùm duo relati eſſent, imminuto precio, Malè curatum, inquit: multum enim detractum eſt gemmæ dignitati. Eius æqualis fuit DIONYSIODORVS, & æmulus. Plinius libro trigeſimoſeptimo, cap. 1.

Eodem tempore uixit NICOMACHVS, multis gemmis ſed nulla peritia electis uti ſolitus, tibicen & ipſe. Idem.

CONNA primùm erat tibicen uinoſus, atque in conuiuiis aſſiduè coronatus potabat. Nam priſcis mos erat, in compotationibus coronas geſtare. Deinde è tibicine factus eſt Olympionices, atque in Olympiis ſæpe uictor coronam tulit: unde Cratinus eum πολυστέφανον uocat. Alioqui paupertimus, neque tantillo ditior factus ſuis uictoriis. Nihil enim habuiſſe fertur, præter oleaſtrum. Eraſmus in Adagiis.

Pythonem, qui ab Euio tibicine amabatur, ui uolebat Caſſander oſculari. Quo offendi cùm cerneret Alexãder EVIVM, exiliit ira flagrans in Caſſandrum, uociferatuſque eſt: Num nec licet quenquam per uos amare? Plutarchus in Apophthegmatibus.

HIPPOMACHVS tibicen, quum uideret à plebe laudari diſcipulum, quem tamen in arte peccare cognoſcebat, baculo tactum deſiſtere iuſſit, dicens: Maximum erroris argumentum eſſe, quòd ab ignara turba laudaretur. Aelianus de Varia hiſtoria.

ANTIGENIDAS, filius Dionyſij, celeberrimus tibicen: quẽ magiſtrum unã cum tibiis Alcibiades reiecit. Suidas & Gellius lib. 15. c. 17. Antigenides Satyri F. Thebanus tibicen, Philoxeni diſcipulus, calceamentis Mileſiis & laſciuiorib. primus uſus eſt. Huius meminit Plinius. Idem (ut eſt apud Ciceronem in Bruto) diſcipulo frigenti apud populum, dixit: Mihi cane, & Muſis.

Romani TIBICINIBVS in omnibus ferè ſacris ſunt uſi. Hi ab Appio Claudio & C. Plautio cenſoribus prohibiti in æde Iouis ueteri inſtituto epulari, Tybur uno agmine abierunt. Quum igitur nemo in urbe eſſet, qui ſacrificiis præcineret, legati iuſſu patrum ſunt Tybur miſſi, qui publicè peterent, ut darent Tyburtes operam, tibicinibus ſibi quoquo modo reſtituẽdis. Qui quum Tyburtium hortatu nihil mouerentur, diſſimulato negotio, eos uelut ad feſtas epulas inuitant. Hic uino, cuius auidum fermè genus eſt hominũ, oneratos curribus imponunt, ac Romam ſopitos deportant: nec priùs ſuum ludibrium ſenſere, quàm plauſtris in foro relictis, plenos crapulæ adhuc ſemiſomnes lux oppreſſit. Tunc populi concurſus eò factus, impetratumq;, ut Romæ eſſe uellent, reſtituto illis ueſcendi iure. Datum præterea, ut quotannis ſolenni cantu ornati triduum per urbem uagarentur: tot enim dies abfuiſſe credere par eſt. Sabellicus lib. 6. Enneadis 4. ex Val. Max. lib. 2. cap. 1. & Liuio libro 9. Decadis 1.

CANVS choraules & tibicen, multas pecunias accepit à Galba, quum eum in cœna delectaſſet. Martial. lib. 10. De eo ſic Tranquillus, Cano choraulæ mirè placenti denarios quinque donauit, prolatos manu ſua peculiaribus loculis ſuis.

M. OCTAVIVS Herennius, tibicen, poſtquã arti ſuæ diffiſus eſt, inſtituit mercaturam: & bene re geſta, decimam Herculi profanauit: poſtmodum etiam ædem ei ſacrauit & ſignũ: Victoremque inciſis literis appellauit. Macrobius libro 3. capite 6. Saturnal.

## FISTVLICINES.

PANA deum fiſtulæ repertorem faciunt poetæ, cùm Syringa

nymphã perſequẽs, in cannam mutatam ad Ladonis fluminis ripam ori admouiſſet, & dum oſcula figit, ſonum ex ſuſpiriis ortum animaduertiſſet.

MINERVAM aiunt iocantes, cùm tibia caneret, à Satyro admonitam non paruiſſe:

Te dedecet facies hæc, pone tibias:
At arma ſumas, componasq; tibi genas.

Sed cùm in amne quodam uultus ſui ſpeciẽ ſpectaſſet, pertæſam, tibias proieciſſe: quamuis deformitatis habeat illa ars dulce modulamen ſolamen. Plut. de Non iraſcendo.

SATYRVS fiſtulicen perſæpe Ariſtonis philoſophi diſputationibus intererat: & his, quæ dicerentur, mirè affectus aiebat: Cur ego non igni trado hoc nihil utile telum? Subobſcurè ſuam artem ad philoſophiæ ſtudium comparatã extenuans, & nihili æſtimans. Aelian. de Var. hiſt.

TONIVM fiſtulicinem paganum, Saccomuſa ludentem, Mantuanus in Bucolicis eleganter depingit:

Et cum multifori Tonius cui tibia buxo,
Tandem poſt epulas & pocula multicolorem
Ventriculum ſumſit, buccasq; inflare rubentes
Incipiens, oculos aperit: ciliisque leuatis,
Multotiesq; altis flatu à pulmonibus hauſto
Vtrem implet, cubito uocem dat tibia preſſo.
Nunc huc, nunc illuc digito ſaliente uocauit
Pinguibus à menſis iuuenes ad compita cantu
Saltidico, dulciq; diem certamine clauſit.

### TVBICINES.

Apud Iſraelitas in deſerto, FILII Aaronis tubis duabus argenteis clangentes, quid faciendũ eſſet indicabant. Et quidem ſi una tuba clangeretur, concio totius populi conuocabatur. Si duabus ſimplici clangore, conueniebant principes. Si cum ouatu primum, caſtra mouebãt Orientales tres tribus: cùm ſecundum, Auſtrales: cùm tertium, Occidentales: cùm quartum, Septentrionales. Cum hoſte congreſſuri, tubis iſtis clangebant: itidem in ſolennitatibus, ſacrificiis, & menſium initiis. Numeri 10.

Argis Mineruæ Tubæ cognomento ædem HEGELEVS extruxiſſe dicitur, qui Tyrrheni filiꝰ fuit. TYRRHENVS Hercule & Lyda muliere genitus, primùm tubam oſtendit, cuius poſtea cantum Hegeleus Dorienſes eos docuit, qui Temenum ſecuti ſunt: quocirca nominauit templum illud Mineruam tubam. Pauſan. in Corinth.

TRITON, deus & tubicen marinus.

STENTOR, tubicen in bello Troiano, cui Homerus ferream & inuictam tribuit uocem, ut qui quinquaginta alios uoce ſua uincere poſſet.

AGYRTES, nomen tubicinis apud Statium libro quarto Achillidis.

MISENVM Aeolidem Virg. ait fuiſſe tubicinem Hectoris: mortuo demùm Hectore, adhæſiſſe Aeneæ comitem, & tandem à Tritone deo ſubmerſum, quòd ad certamen tubæ deos marinos irritaſſet:

— Quo non præſtantior alter
Aere ciêre uiros, Martemq; accendere cantu.

Amaranthus Alexandrinus, HERODOTVM ſcribit tubicinẽ Megarenſem magnitudinis trium fuiſſe ulnarum cum dimidio, lateraque fortia habuiſſe, ac ſex panis ſemodios ediſſe, carnium libras uiginti: binos uini congios bibiſſe, duasq; tubas ſimul inflaſſe, in leonina pelle dormire conſueuiſſe. Cùm Demetrius Antigoni filius Argos ciuitatem obſideret, nec milites Elepolim muris ob pondus poſſent ſubducere, duabus tubis inflatis, milites machinam promtè ſubducere coegit. Periodum decies uicit. Athenæus libro decimo, capite 1.

AGLAIS Megalocleis tuba cecinit, appoſitum pompę apparatum habens, ac criſtam in capite, in prima magna pompa, quæ ducta fuit ab Alexandro. Edebat carnis duodecim libras, quatuorque ſemodios panis, ac uini congium bibebat. Idem.

## MVSICES EXERCITIA RESPECTV PERSONARVM conſiderata. QVI MVSICAM

### EXERCVERE. SIVE

*Gentes, Populi.*

ARCADES non pueros modò, ſed & adoleſcentes ad XXX uſque ætatis annum, muſica imbuendos curabant. Cantu & choreis Libero patri ludos concelebrant, ſinguli pro ætatis ratione. Denique uita omnis id genus cantionibus ſtudiisque impenditur. Cæteras artes apud eos ignoraſſe, nulla prorſum ignominia eſt. Muſicã neſcire nemo poteſt, quã neceſſariò diſcitur. Eius imperitiam fateri, illic turpiſſimum eſt: nec id laſciuiæ cauſa, uel deliciarum, ſed ut labores aſſiduos in colendis agris, & uitæ pręterea duritiem atque aſperitatem, & auſteriores mores ex cœli triſtitia quadam prouenientes, hac quaſi dulcedine remolliant, ac contemperent. Huius autem rei argumentum ingens ex Cynethenſibus eſt: qui quum inſtituta maiorum peruicaciùs aſpernari cœpiſſent, in eam breui feritatem abiêre, ut in nulla Græciæ totius ciuitate ſcelera maiora, aut crudelitatis exempla ederentur immitiora. Idcirco uates Mantuanus in Bucolico ludicro ſubinde in cantilenæ mentione Arcadas plurimis efferre laudibus non deſinit: — Soli cantare periti Arcades. Cælius libro 9. cap. 9. Antiquarum Lectionum, ex Athenæi libro 14. capite 11. & Polybio. & Sabellicus libro 2. Enneadis 5.

THEBANI & LACEDÆMONII, tibiarum fiſtularumque modulationis perquã ſtudioſi fuêre: teſte Athenæo, & Maximo Tyrio, Sermone 7. Lacedæmonij, inquit Lucianus de Saltatione, qui Græcorum præſtantiſſimi eſſe cenſebantur, cùm à Caſtore & Polluce Caryatiſſare perdidiciſſent (quæ ſaltationis ſpecies à Caryis urbe Laconiæ ducta erat) omnia cum carminibus facere ſoliti ſunt, adeò ut ad tibiarum quoque modulos & rhythmum, & moderatum pedis ingreſſum, prælium committere illi genti moris fuerit. Ac primùm quidem conſerendarum manuum ſignum Lacedæmoniis tibia dari ſolebat. Proinde de omnibus quoque reportarunt uictoriam, muſica & modulorum concinnitate illos ducente.

Menander rhetor in Epidicticorum ratione, LESBIOS & inprimis MITYLENÆOS citharœdica plurimũ ſolitos gloriari, eaq; re ſibi inprimis placuiſſe, ſcribit. Cælius libro 16. cap. 3. Antiq. Lect.

TYRRHENI tibia ſingulari canebant in ſacris, eaque ænea, tanto apud eos in honore, ut quemadmodum ſcripſit Ariſtoteles, non ſolùm ad eius ſonum pugiles certarẽt: uerùm etiam, quum in nexos flagris animaduerteretur, tibiæ ſonũ adiungerent. Quinetiam, quod mirere magis, coqui ipſi ad eius ſonum epulas appararent. Scaliger lib. 1. Poet. c. 20.

HYBERNI agriculturam cæterasque artes non magnopere exercent, præter muſicam, cuius peritiſſimi ſunt. canunt enim cùm uoce tum fidibus eleganter, ſed uehementi quodam impetu: ſic, ut mirabile ſit, in tanta uocis linguæq; atque digitorum uelocitate, poſſe artis numeros ſeruari: id quod illi ad unguem faciunt. Polydorus, & Balæus cent. 13. ſcript. Britanniæ.

*Pontifices.*

GREGORIVS Magnus Pontifex, quamuis æger in lecto decumbens, puerorum cantus moderabatur. Paulus Diaconus. Idem narratur de BEDA Venerabili, qui ne morti quidem proximus hoc genus ſtudij intermiſit.

*Principes, Reges.*

C. CALIGVLA, canendi ac ſaltandi uoluptate ita efferebatur, ut ne publicis quidem ſpectaculis temperaret, quò minus & tragœdo pronuncianti cõcineret, & geſtum hiſtrionis quaſi laudans uel corrigens palàm effingeret. Nec alia de cauſſa uidetur eo die, quo periit, peruigilium indixiſſe, quàm ut initium in ſcenam prodeundi licentia temporis auſpicaretur. Saltabat autem nonnunquam etiam noctu. Et quondam tres conſulares ſecunda uigilia in Palatium accitos, multaque & extrema metuentes, ſuper pulpitum collocauit: deindè repente magno tibiarum & ſcabellorum crepitu, cum palla tunicaque talari proſiluit, ac deſaltato cantico abiit. Suet. in Caligula.

NERO reuerſus è Græcia Neapolim, quòd in ea primùm artem muſices protulerat, albis equis introiit, disiecta parte muri, ut mos hieronicarum eſt. Simili modo Antium, inde Albanum, inde Romam. Sed & Romam eo curru, quo Auguſtus olim triumphauerat, & in ueſte purpurea, diſtinctáque ſtellis aureis chlamyde, coronamque capite gerens Olympicam, dextra manu Pythiam, præeunte pompa cæterorum: cum titulis, ubi, & quos, quo cantionum, quóue fabularum argumento uiciſſet: ſequentibus currum ouantiũ ritu plauſoribus, Auguſtianos militesque ſe triumphi eius clamantibus. Dehinc diruto circi Maximi arcu, per uelabrum forumq; Palatium & Apollinem petiit. Incedenti paſſim uictimæ cæſæ, ſparſo per uias identidem croco, ingeſtæque aues, ac lemniſci, & bellaria. Sacras coronas in cubili circum lectos poſuit: item ſtatuas ſuas citharœdico habitu: qua nota etiam numum percuſſit. Suet.

ALEXANDER Mammeæ, facundia Græca excellens, ad Muſicam pronus, lyra, tibia, organo, tuba cecinit: ſed nunquã alio conſcio, niſi pueris ſuis teſtibus. Cuſpinianus.





*Duces.*

Homerus ingenij cœleſtis uates, uehementiſſimis ACHILLIS manibus canoras fides aptauit, ut earum militare robur leui pacis ſtudio relaxaret. Valerius Max. libro 8. cap. 8. Nam cum præcones Agamemnonis ad tentorium eius aduentaſſent,

τὸν δ' εὗρον φρένα τερπόμενον φόρμιγγι λιγείῃ,
καλῇ, δαιδαλέῃ, ἐπὶ δ' ἀργύρεος ζυγὸς ἦεν·
τὴν ἄρετ' ἐξ ἐνάρων πτόλιν Ἠετίωνος ὀλέσας.
τῇ ὅγε θυμὸν ἔτερπεν, ἄειδε δ' ἄρα κλέα ἀνδρῶν.

CIMON Miltiadis F. Athenienſis, & EPAMINONDAS Thebanus, cùm fidibus egregiè canerent, omnibus aliis Imperatoribus Græcorum antelati fuerunt. Ion cœnatum ſe cum Cimone narrat apud Laomedontem, cùm admodum adoleſcens ex Chio ueniſſet Athenas. Secundum libamina cùm accubuiſſet, cantaſſe eum: quem, cùm non illepidè ceciniſſet, commendatum fuiſſe à conuiuis, ut Themiſtocle feſtiuiorem. Illum enim ſcire ſe negaſſe canere, uel citharã pulſare: urbem uerò amplificare, & opibus augere, id tenere. Plut. in Cimone, & Alex. lib. 2. cap. 25.

*Philoſophi.*

Videtur GRÆCORVM ſapientia per muſica theoremata pręcipuè tradita fuiſſe. Apollinem idcirco omnium deorum, Orpheumq; omnium uirorum muſicæ peritiſſimos ac ſapientiſſimos exiſtimarunt: omnesq; eos, qui hac ipſa arte uterentur, Sophiſtas appellarunt. Athen. lib. 14. cap. 13.

PYTHAGORAS Samius non uulgare ſtudium muſicæ impendit, adeò ut uniuerſi machinam ex muſicis rationibus compoſitam eſſe diceret. Athen. lib. 14. cap. 13. Eius diſcipuli tanti muſicam fecêre, ut ſummo mane excitarentur ad lyram: & quietem capturi, ſono inuitarentur. Alex. ab Alex. libro 2. cap. 25.

Multum ſtudij poſuit in arte muſica PLATO. Auditor Draconis fuit Athenienſis, & Metelli Agrigentini. Plut. de Muſica.

*Aegroti.*

ALBERTVS Erneſti F. Bauariæ dux, podagra ſub imperio Friderici Imperatoris laborans, ſepoſitis cæteris curis, ſectatus muſicam, aſſiduis cantibus ac ſonis animum oblectauit, interdum & uenationi operam dedit. Aen. Syluius, cap. 41. Europæ.

*Liberi, Serui.*

Olim tibiis canendi artem non diſcebant ingenui, tanquam ſordidam, ſed hanc ſola MANCIPIA exercebant, quæ plerunque ex Arabia producebantur. Deinde INGENVIS uſque adeò placere cœpit, ut indoctus haberetur, quiſquis huius eſſet rudis: donec Alcibiades tibias abiiceret, oris deformitate conſpecta ad ſpeculum. Eraſmus in Adagiis.

*Captiui.*

Conſpirationi filiorũ Ludouici I. Imp. contra patrẽ multi põtifices inerant, & inter alios THEODVLPHVS Aurelianenſis epiſcopus. Quem quum in carcerem conieciſſet Ludouicus Andegaui, inq; eo loco Imperator Paſcha facturus, in Palmis intereſſet publicæ proceſſioni, ad repræſentandum Chriſti ingreſſum in Hieruſalem, & iam prope turrim pompa tranſiret, qua uinctus tenebatur Theodulphus: tunc ille proſpiciens quod erat futurum, hymnum inſignem dictauit in honorem eius proceſſionis, Gloria, laus & honor tibi ſit, rex Chriſte redemtor: quem a daperta feneſtra, in hora proceſſionis antedictæ, concinebat clara uoce, ut à cunctis audiretur. Admiratus Imperator, interrogat quæ ſit uox, & cuius hominis, quam audiret. Indicatur, eſſe Theodulphi epiſcopi Aurelianenſis, qui clauſus ibi teneretur. Diligentiùs perpenſo tenore carminis, adeò fertur delectatus Imperator, ut iuberet mox laxari uinctum, reddique libertati. Cranzius lib. 1. Metropoleos, c. 27. & 40.

*Mortui.*

☞ *Etſi ad Deorum Theatrum hoc pertinet, at propter raritatem ſuam hic etiam inſeratur.*

Greg. Turon. narrat cap. 47. DVOS presbyteros Burdegalenſes, quandocunq; clerici in templo conuenirent ad implendum pſallendi officium, ex ſepulcro ſuam uocem cæteris canentibus & pſallentibus adiunxiſſe, ita ut clarè intelligi & diſcerni poſſet, ac ſuauitate concentus mirum in modum animos audientium affeciſſe.

### NON EXERCVERE EXERCITIA MVSICA NEGLECTA.

CYNETHENSES Arcades, Muſicæ intermiſſo exercitio penitùs ſunt efferati. Cælius lib. 9. cap. 9. A. L.

CLYTÆMNESTRÆ pudicitia non priùs ab Aegiſtho expugnari potuit, quàm Demodocum citharœdum, qui caſtum amorem in illius animo muſica fouebat, interemiſſet.

ACHIVI nulla muſica in bellis utebantur, ſed tantùm conſpiratu tacito nitebantur, referente Homero,

οἱ δ' ἄρ ἴσαν σιγῇ μένεα πνείοντες ἀχαιοὶ
ἐν θυμῷ μεμαῶτες ἀλεξέμεναι ἀλλήλοισιν.

Gellius Noctium Atticarum lib. 1. cap. 11.

## MVSICORVM EXERCITIORVM SPECIES. SIC EXERCENTVR ALII

### PRAECEPTA DANDO.

☞ *Vide ſuprà Tit. Doctores muſicæ. Illic Acquiſitio reſpectu Diſcentis: hic Exercitatio Docentis ſpectatur.*

### EXEMPLA. VEL

### PROPONENDO. COMPOSITORES muſici uulgò. Modorum auctores.

☞ *Ex Tit. Inuentores Modorum, huc quædam, quatenus inuenta ſua aliis proponunt.*

DAVID rex, omnibus gentibus pacatis, religionis ſtudia cõplexus, hymnos trimetros edidit, & cum his pentametros uerſus plurimos, qui ſabbatis feſtisq; diebus ſacris ſolennibus canerentur: adiecit his decachordem citharam, nabla 12. uocum, cymbala ærea, grandia & lata. Sabellicus Enneadis 1. lib. 20. Cumq; arcam Domini è Gabaa urbe Hieroſolymam inferret, citharis, nablis, tympanis, tibiis & cymbalis, omneque genus pineis inſtrumentis & ipſe & Iſraelitæ coram arca luſerunt. 2. Reg. 6.

Fama eſt OLYMPVM, ex tibicinibus Phrygiis unum, tibiale carmen in Apollinis laudem condidiſſe, id, quod polycephalum eſt dictum. Fuiſſe hunc primi Olympi, Marſyæ diſcipuli, qui carmina in deorum laudes panxit, ſtirpem. Nam cũ à Marſya, qui eum in deliciis habebat, canere didiciſſet tibia, carmina harmonica, quibus hoc tempore in deorum feſtis Græci utuntur, inuexit in Græciam. Plut.

CLONAS tibialium carminum poeta, paulò poſterior Terpandro, fuit, ut perhibẽt Arcades, Tegeates: ut uerò Bœoti, Thebanus. Terpandrum & Clonam ARCHILOCHVS, ſecutus eſt. Plut. de Muſica.

Alij nonnulli ſcriptores ARDALVM Trœzenium ante Clonam Muſæ tibialis auctorem fuiſſe referũt. Fuiſſe POLYMNESTVM quoq; Meletis Colophonij filium poetam, quẽ & Polymneſtum & Polymneſten carmina condidiſſe. A Clona carmen apotheton & ſchœnionem fictum meminerunt actorum conditores. Polymneſti tam Pindarus quàm Alcman modorum opificis mentionem habuere. Certa autem carmina citharœdica, quæ ad auctorem TERPANDRVM referuntur, à Philammone perhibent illo priſco Delpho ficta. Plut. de Muſica.

Fuit SACADAS Argiuus modorũ & elegiorũ modulis aſtrictorum conditor, eundemq; poetam egregium fuiſſe, & ludis Apollinaribus ter palmam obtinuiſſe, eſt in acta relatũ. Huius meminit Pindarus. Plut. de Muſica.

Carmina citharœdica diu ante tibialia TERPANDRI ætate compoſita fuerunt. Ille etiam citharœdicis nomina impoſuit, Bœotio, Aeolio, trocheo, acuto, Cepioni, Terpandrio: adhæc tetracedio. Plut. de Muſica.

IOANNES Damaſcenus unà cum Coſma Maiumenſi epiſcopo, & Theophane, fratre Theodori Graptorum epiſcopi, melodi ſiue cantores ſunt agnominati, eo quòd melodiis comprehendiſſent eas cantilenas, quas decretum in eccleſiis Chriſtianorum cani iubet. Canticorum certè canones Ioannis & Coſmæ hactenus fuerunt incomparabiles. Suidas & Cedrenus. Tales quoq; ſunt MARCI Hydruntini epiſcopi in magno die Domini, & Theophanis in Virginis matris ſalutatione. Gyraldus Dial. 9. hiſt. Poet.

THEOPHILVS Imp. multum impendit cantilenis operæ, hymnos quoſdam & carmina componens, ac canere ea iubens, de quibus eſt, Benedicite, quarti toni, quod ex Audi filia, octaui toni translatum à ſe atq; concinnatum in eccleſia clara uoce cani mandauit. Ac ferunt, cum carminis amore illectum, in ſolennibus ad magnam ædem conuentibus ne manus quidem ad cantus artificioſam agitationem detractaſſe, clerumq; muſicæ exercendæ cauſa centum libris argenti donaſſe. Cedrenus. In feſto Palmarum ſolebat in Græca eccleſia cantari carmen, à Theophilo Imperatore Muſicis concentibus ornatum: Exite gentes, exite populi. Zonaras Tomo tertio.

LEO II. Pontifex, uir doctiſſimus, ut eius ſcripta indicant, muſices peritus, pſalmodiam compoſuit, hymnosque ad

melioſem concentum redegit, artem exercitatione confirmans. Platina.

RATHBODVS XIV. epiſcopus Vltraiectenſis, uarios in ſanctorum honorem cantus compoſuit, circa annum ſalutis 900. Trithemius.

VITALIANVS I. Pontifex, regulam eccleſiaſticam compoſuit, & cantum ordinauit, adhibitis ad conſonantiam (ut quidam uolunt) organis. Platina.

HVBALDVS, nepos Milonis monachi, ſeptem liberalium artium peritus, in muſica præcipuè claruit, & de multis ſanctis cantus dulci modulatione compoſuit. Sigebert. in Chron. anno 879.

NOTGERIVS monachus S. Galli, conſequentias compoſuit, quas Nicolaus pontifex cantari conceſſit. Martinus in Chronico.

IOANNES Fernandus, cæcus, muſicus ita inſignis euaſit, ut ſolus memoriter quatuor uocum carmen componeret: id quod uix alij ſcribendo conſequi poſſent. Præterquã quòd aliis muſicis inſtrumentis tam peritè ſonos modularetur, ut audientium aures nõn ſolùm ſuauitate demulceret, ſed etiã artificij magnitudine ueluti captos detineret. Fulgoſus.

IO. PICVS Mirandula, primis adoleſcentiæ annis genus omne muſicæ artis adeò excoluit, ut excogitata per ipſum modulamina; notatæq; debitis concentibus harmoniæ, celebres haberentur. Ioan. Franciſcus in eius uita.

EDENDO. VEL

*Peritè.*

*Ex Tit. præcedentibus Muſicorum huc quædam. Illic Poſſeßio, hic Exercitatio conſideratur.*

SIRENES apud Homerum canunt Vlyſſi ea, quibus maximè delectaretur, quæq; eius & ambitioni & ſcientiæ multiplici eſſent conſentanea: dicuntq;, quiſquis eos cantus audierit, eum & cum delectatione recedere, & doctiorem. Suidas.

*Imperitè. Muſici imperiti.*

Tradunt IALEMVM Calliopes fuiſſe filium, infelicem, nulliusq; precij hominem, præſertim in cantu ſupra modum frigidum, unde ἰαλέμου ᾠδὴ, id eſt, Ialemi cantilenam, pro frigida dicunt ac miſerabili. Martialis item iocans in oratorem quendam frigidum ait, Illum unum idoneum eſſe, qui thermas refrigeret Neronianas. Heſychius indicat & hoc pacto efferri prouerbium, ἰαλέμου οἰκτότερος: id eſt, Ialemo miſerabilior. Idem indicat ἰάλεμον dici, quod nullius ſit precij, quemadmodum Latini Nænias appellant, quum ea uox propriè ſonet lugubres cantiones. Eraſmus in Adagiis.

Ferunt Babym fratrem fuiſſe Marſyæ, qui nõ ueritus eſt ipſum Apollinem ad canendi certamen euocare. A quo quum eſſet uictus, ab eodem ſupinus de pinu ſuſpenſus, excoriatus eſt. Deinde cùm Apollo pararet BABYM quoq; perdere, interceſſit Pallas, admonens hunc uſqueadeò infeliciter & indoctè tibiis canere, ut omnino negligendus eſſe uideretur, κάκιον inquiens, βάβυς αὐλεῖ: id eſt, Deterius Babys tibiis canit. Quibus uerbis commotus Apollo, Babyn adeò contempſit, ut eum ne ſupplicio quidem dignum exiſtimaret, ſed ſuę potiùs inſcitiæ iudicaret relinquendum. Vnde prouerbium ortum, Babys multo deteriùs cantat. Eraſmus.

Orphei caput unà cum lyra in Hebrum fluuium proiectum, ad Lesbum peruenit. Lesbij ſuſceptum ſepeliuêre in eo loco ubi Bacchion eſt, Bacchi ſcilicet oraculum: lyram in Apollinis templo ſuſpenderunt. Quam poſt multum tempus NEARCHVS, Pittaci tyranni Mitylenenſium filius, ſacerdote multis pecuniis corrupto, clàm abſtulit, & aliam ſimilem ſubſtituit, ſperans ſe diuina quædam carmina, quibus ſyluę atque feræ mulcerentur, cantaturum. Verùm cùm interdiu ſe in ciuitate parum tutum eſſe arbitraretur, noctu in ſuburbio citharam inconditè pulſans, canes exciuit, qui infelicem citharœdum diſcerpſerunt. Itaque Orpheum non modulis ſed mortis genere imitatus eſt, niſi quòd is à mulieribus, hic uerò à canibus laceratus eſt. Lucianus πρὸς τὸν ἀπαίδευτον πολλὰ βιβλία ὠνούμενον.

MOSCHVS citharœdus imperitus, qui citra reſpirationem diu & in longum producebat uocem: neque tamen ſonabat aliquid, quod ad ſtomachum auditorum faceret. Hinc adagium natum, Moſchus canens Bœoticum. in multiloquos, & intempeſtiuos locutores. Bœoticum autem genus erat cantionis. Eraſmus.

Stratonicus citharœdus de PORPI Rhodio citharœdo, qui corpore erat prægrandi, artis uerò imperitus, interrogatus, qualem eſſe putaret? reſpondit, οὐδεὶς σαπρὸς μέγας ἰχθύς, Nullus malus magnus piſcis. Theophraſtus in libro Ridiculorum, dictum prouerbium à Stratonico in Simylam hiſtrionem aſſerit, Magnus nullus putridus piſcis. Cùm Byzantij CYTHAROEDVS procœmium bene ceciniſſet, at in reliquis aberraſſet, aſſurgens Stratonicus, buccinam inflauit pronunciauitq;, Quiſquis citharœdum, qui procœmium cecinit, inuenerit, mille drachmas accipito. Cùm uocatus fuiſſet aliquando ad audiendum CITHAROEDVM Stratonicus, poſtquam audiuit, Homericum illud dixit:

τῷ μέν τοι θεοὶ ἄλλο δίδουσιν, ἄλλο δ᾽ ἀνένευσαν.

Illi conceſſit pater hoc, aſt abnuit illud.

Tum dicente quodam, Quid hoc? Malum eſſe cithariſtã dedit, bene autem canere, abnuit. Tibicen QVIDAM in ſacris obſtrepebat ineptè. Cui Stratonicus, Deſine, inquit: bene dicere hic oportet, non malè canere. εὐφημεῖν Græci, linguis animisq; fauere, in ſacrorum initiis iubebantur. Idem in citharœdum imperitum, cui nomen erat CLEON, ſed uulgò dicebatur Bos, ſic iocatus eſt: Olim, Aſinus ad lyrã, prouerbio dicebatur: nunc uerò, Bos ad lyram. Athenæus in Dipnoſophiſtis lib. 8. cap. 7.

CITHAROEDVS quidam malus Stratonicum exceperat cõuiuio ſplendido, atq; ſuper cœnam oſtentabat artem. Stratonicus, quum illo canente non haberet qui cum loqueretur, confregit poculum, & popoſcit maius, moxq; ſe uino ingurgitauit, & obdormiit. Quum autem fortè ſuperueniſſent aliquot comeſſabundi, Stratonicus expergiſcens reſpõdit: Hic inſidiator & ſceleratus cantor, me ueluti bouem ad præſepe, dum cœna excepit, occidit. Boues multo cibo ſaginantur, priuſquam mactantur. Athenæus lib. 8.

Diogenes CITHAROEDVM quendã, qui quoties fidibus luderet, ab auditoribus deſerebatur, obuium ita ſalutauit: Salue galle. Quum ille offenſus ſalutationis nouitate, diceret: Quid ita? Quoniam, inquit, cantu tuo excitas omnes. Salſiſſimè autem iocum captauit ex ambiguitate uerbi. Gręcis enim ἀνεγείρειν dicitur, & qui dormientem è ſomno excitat, quod galli gallinacei malè canentes facere ſolent: & qui ſedentem mouet, ut ſurgens abeat. Laert. lib. 6. cap. 2.

Iſmenias tibicen canebat in ſacrificio. Quumq; non litaretur, Is qui conductus fuerat, arreptis tibiis canebat ridiculè: & hoc canẽte, litatum eſt. Incuſantibus autem iis, qui aderãt: Diuinitùs, inquit, contingit uenuſtè canere. Hîc Iſmenias ridens: At me, inquit, canente dij, uoluptate capti, me morabantur: te uerò feſtinante illos abigere, arripuêre hoſtiam. Plutarchus lib. 2. Sympoſiacôn.

In DEMOPHILVM citharœdum indoctum Lucillius in 2. Epigrammatum:

Νυκτικόραξ ᾄδει θανατηφόρον, ἀλλ᾽ ὅταν ᾄσῃ
Δημόφιλος, θνήσκει καὐτὸς ὁ νυκτικόραξ.

In SIMYLVM idem:

Σιμύλος ὁ ψάλτης τοὺς γείτονας ἔκτανε πάντας,
νυκτὸς ὅλης ψάλλων, πλὴν ἑνὸς Ὠριγένους·
κωφὸν γὰρ φύσις αὐτὸν ἐθήκατο, τοὔνεκεν αὐτῷ
ζωὴν ἀντ᾽ ἀκοῆς δῶκε περισσοτέρην.

In NICETAM medicum Ammianus ibidem:

Νικήτης ᾄδων, τῶν ᾠδῶν ἐστὶν ἀπόλλων·
ἂν δὲ ἰατρεύῃ, τῶν θεραπευομένων.

EVANGELISTA Taraſconus Parmenſis muſicus in deliciis fuit propter ineptiam Leoni X. Pp. Iouius.

CORRIGENDO.

ROBERTVS Carnotanus epiſcopus, doctrina & ſanctitate uitæ inſignis, multa ſcripſit, & canendi modum in ſacris meliuſculum reddidit, ſub Gregorio quinto Pontif. & Roberto Gallorum rege, Magni Hugonis filio. Platina.

IACOBVS I. Scotorum rex introduxit nouum cantandi ritũ muſicum (qua in arte ipſe plurimùm pollebat, uirosq; domi in ea peritiſſimos alebat) cum organis. Regis exemplo Scoti deinceps etiam cum Anglis in ea arte certare potuere. H. Boethius lib. 17.

## IVDICANDO. TVM

IN GENERE.

Ariſtot. lib. octauo Politicorum, Muſicam inter ingenua exercitia connumerat: & uult omnino ciues ſuæ reip. in ea inſtitui & exerceri, dum iuuenes ſunt: SENIORES uerò iuuenum concentibus intereſſe, tanquam cenſores & iudices: ne effeminato aliquo mollique rhythmo animi iuuentutis corrumpantur.

PYTHAGORAS iudicium muſicæ per ſenſum reiecit, quòd tenuem eius uirtutem eſſe prædicaret. Quocirca non auditu, ſed harmoniæ conuenientia iudicium de ea faciebat, atque ad diapaſon uſque ſiſtere muſicæ cognitionem eſſe ſatis cenſebat. Plut. de Muſica.

ALEXANDRINI in iudicando concentu argutiſſimi ſunt: ut quàm celerrimè errores, qui in pulſatione chordarum fiunt, deprehendere poſſit priuatus quiſq; & pauperrimus. Athen. lib. 4. cap. 24.

DE ARTIS

*Modis.*

Siquis ex priſca muſica quid tranſiliſſet, non conniuebãt LACONES. Sed & Terpandro, qui magis antiquarius ſuæq; ætatis citharœdus optimus erat, geſtorumque celebrator heroicorum, multam Ephori dixêre, ac citharam eius in palum illiſerunt, quòd interpolandæ uocis gratia chordam tantùm unam intendiſſet ſuperuacaneam. Solos namq; ſimpliciores modos probabant. Plut. in Laconicis inſtitutis.

Vſi ſunt muſica, ſicut ſtudiis aliis omnibus; VETERES reuerẽter. Noſtri uerò temporis HOMINES grauitate eius repudiata, pro uirili illa & admiranda & diis grata eneruem & garrulam in theatra inducunt. Proinde in tertio de rep. Plato in huiuſcemodi muſicam ſtomachatur. Lydiam harmoniam reiicit, quòd lamentationibus ea ſit accommodata: Ionicam, quia mollis: at Doricã, ut bellacibus uiris & temperantibus congruam, elegit: non quòd ignoraret, ut in ſecũdo Muſicorum tradit Ariſtoxenus, referre eas aliquid ad remp. circumſpectam. Plut. de Muſica.

*Organis.*

ARGIVOS à muſicæ uiolatore piacula exegiſſe ferunt, multamq; dixiſſe illi, qui plus ſeptem cordis uti apud ipſos, ac muſicam myxolydio adulterare aggreſſus fuerat. Plutarchus de Muſica.

Scribit Artemon, Timotheum Mileſium uiſum fuiſſe uti compoſitione, quæ plures habebat chordas, quàm Magadis: quare reprehenſus fuit apud LACONAS, quòd muſicam antiquam corrumperet. At cùm uellet quidam ultra conſuetudinem abundantes chordas abſcindere, demonſtraſſe aiunt Apolloniſcã eſſe apud illos, qui lyram habeat ad eandem formam cum totidem chordis. Athen. lib. 14. cap. 14.

ALCIBIADES, ubi ad diſcendas artes ſe contulit, omnibus præceptoribus, ut decuit, ſe morigerum præbuit: tibia tantùm canere noluit, illiberalem eam & ingenuo indignã artem iudicans. nam plectrum quidem & lyram nihil de figura & forma, quæ liberalem hominem deceret, diminuere: fiſtulam autem inflantis uix etiam à familiaribus faciem agnoſci. præterea lyram unà eo, qui utitur, canente, ſonum ſuum edere: tibiam eius, qui uteretur os obſtruere, uocemque intercludere. Proinde, inquit, canant Bœotorum pueri, qui loqui neſciunt: nos Athenienſes exemplum Mineruę & Apollinis (quos urbis noſtræ auctores eſſe, à parentibus accepimus) imitabimur: quorum illa fiſtulam abiecit, hic fiſtulatorem excoriauit. Hæc ſeria inter iocandum referens Alcibiades, & ſe & reliquos ea arte abſtinuit: celeriter eo rumore inter pueros ſparſo, Bene agere Alcibiadem, qui artem iſtam reſpuat, & eam diſcentes rideat. Inde factum, ut hæc ars penitùs è liberalibus diſciplinis excluderetur. Plutarchus in Alcibiade.

*Dignitate, Vſu.*

NVTRIX apud Euripid. Medea ſuccenſet hominibus, quòd hymnos inuenerint conuiuiis, ubi aliàs lætantur homines: nullus uerò muſicam oſtenderit, quæ triſtitias abigat, ubi ea maximè opus eſſet inquiens:

Σκαιοὺς δὲ λέγων, κοὐδέν τι σοφοὺς,
τοὺς πρόσθε βροτοὺς, οὐκ ἂν ἁμάρτοις.
οἵτινες ὕμνους ἐπὶ μὲν θαλίαις,
ἐπί τ᾽ εἰλαπίναις, καὶ παρὰ δείπνοις
εὕροντο βίου τερπνὰς ἀκοάς·
στυγίους δὲ βροτῶν οὐδεὶς λύπας
εὕρετο, μούσῃ καὶ πολυχόρδοις
ᾠδαῖς παύειν, ἐξ ὧν θάνατοι
δειναί τε τύχαι σφάλλουσι δόμους.
καίτοι τάδε μὲν κέρδος ἀκεῖσθαι
μολπαῖσι βροτούς. ἵνα δ᾽ εὔδειπνοι
δαῖτες, τί μάτην τείνουσι βοήν;
τὸ παρὸν γὰρ ἔχει τέρψιν ἀφ᾽ αὑτοῦ
δαιτὸς πλήρωμα βροτοῖσιν.

Ineptos ſi dixeris, nec ulla ex parte prudentes, maiores homines, non errares: quòd quidem hymnos ad celebritates, & ad compotationes, & circa epulas inuenerunt, uitæ iucunda oblectamina: ſtygias uerò mortalium nullus triſtitias inuenit muſica & multichordis canticis ſedare, ex quibus mortes, grauesq; fortunæ ſubuertunt domos. Atqui has quidem utilitas mederi cãticis mortales. Vbi uerò lauta cõuiuia, quid fruſtrà intendunt uocẽ? præſens enim habet oblectationem à ſeſe conuiuij frequentia hominibus.

EVRIPIDES non in conuiuiis, ſed in luctu potiùs Muſicam adhibendam eſſe cenſet: quòd conuiuia ſatis ipſa per ſe læta ſint: in luctu autem quærendum ſit aliquid, quo minuatur dolor. Muretus lib. 6. Var. lect. c 16.

Apud PLATONEM in Protagora Socrates abiectos modò, & imperitos, & circumforaneos homines, tibicines & citharœdos, aut alia id genus acroamata, in conuiuia inducere ſolitos dicit: qui cùm uim eãm non habeant, ut urbana aliqua & eleganti collocutione tempus illud epularis accubationis traducere, & mutuis ſermonibus animos ſuos hilarare poſſint, eius rei remedium à mimis, & ab hiſtrionibus, & à uocum fidiúmue cantibus petunt. At quas ad epulas boni & eruditi conuiuæ conuenerint, in eis neq; tibicinã, neq; pſaltriam audiri, neq; ſaltatricem ſpectari ullam: ablegatis eos eiuſmodi nugis atque ineptiis, modeſtè inter ſe & hilarè colloqui, neque unquàm deeſſe ipſis de quo ſermones iucundiſſimos conſerant, etiamſi multam in noctem conuiuium producatur. Itaque ex illo nobili apud Agathonem conuiuio eiicitur tibicina, & aut ſibi aut mulieribus canere iubetur. At alumnus eiuſdem diſciplinæ XENOPHON in id conuiuium, in quo & Socrates eſſet, & Antiſthenes, atque alij ſapientia præſtantes uiri, non modò Philippum excitandi riſus artificem induxit, uerumetiam ſublatis epulis, Syracuſanum comeſſatorem cum tibicina, & ſaltatrice, & formoſo puero, qui & ipſe tum ſaltãdo, tum fidibus canendo, ſumma eos, qui aderant, uoluptate perfunderet. In Homericis etiam epulis & Phemius canit & Demodocus, & in Virgiliano Iopas Sed hæc fortaſſis aliquis, intemperantium procorum, & luxurioſi regis, & reginæ iam tũ amoris telo percuſſæ, dixerit eſſe conuiuia. Quid quòd epulantibus diis, canere Apollinem & Muſas ferunt; Muretus lib. 6. Var. lect. cap. 16.

ATEAS Scytharum rex Iſmeniam ceperat optimum tibicinẽ. Huic imperauit, ut tibia caneret. Aliis eum admirantibus, ipſe iurauit, iucundiorem auditu eſſe hinnientem equum. Plut. in Apophthegmatibus.

Quum Muſicus quidam feliciter uideretur ceciniſſe, quiſpiam ex iis, qui aderant, rogabat EVDAMIDAM Archidami F. fratrem Agidis, quid de eo ſentiret? reſpondit, μέγας κηληκτὴς ἐν μικρῷ πράγματι, id eſt, Magnus delinitor in re parua. quòd exiſtimaret operoſam eſſe ſcientiam, ſed nihil afferẽtem utilitatis. Plut. in Laconicis.

DE EXERCITATIONE

*Certantium.*

*Ex Tit. Certaminum Muſicorum, exempla huc transferantur, quatenus certaminibus præſunt iudices.*

Inſtituerant CIVITATES Achaiæ, apud quas muſici agones edi ſolent, omnes citharœdorum coronas ad Neronẽ mittere. Eas adeò gratè recipiebat, ut legatos, qui pertuliſſent, non modò primos admitteret, ſed etiam familiaribus epulis interponeret. A quibuſdam ex his rogatus, ut cantaret ſuper cœnam, exceptusq; effuſius: ſolos ſcire audire Græcos, ſolosq; ſe & ſtudiis ſuis dignos, ait. Suetonius.

*Diſcentium.*

ALEXANDER Magnus puer adhuc, citharam didicit pulſare. Et magiſtro iubente chordam quandam tangere modulis conuenientem: Et quid intereſt, inquit, etiamſi hanc pulſauero? in aliam digitum intendens. Reſpondit ille: Nihil intereſſe tum regis. ſed non eodem modo nihil intereſſe futuri citharœdi. Timuit, ne ſi duriuſculè eum inſtitueret, idẽ ſibi eueniret, quod Lino, qui cùm Herculem puerum imperitiùs inſtrumentum tangentem increpaſſet duriùs, ab eodẽ plectro interfectus eſt. Aelian. lib. 3. de Varia hiſtoria.

Erat antiquitùs ignorantiæ argumentum à uulgo probari. Quare, cùm tibicini cuidam applauſum fuiſſet, commoraretur que in proſcenio adhuc ASOPODORVS Phliaſius, Quid hoc, inquit? manifeſtum certè eſt, ingens aliquod malum accidiſſe, quia non alio pacto à plurimis probaretur. Nonnulli hoc ANTIGENIDI tribuunt. Athen. li. 14. ca. 13.

CEPHESIAS tibicen diſcipulum cecidit, qui contentiùs inflaſſet tibias: addiditq; elogium ſanè diuinum, οὐκ ἐν τῷ μεγάλῳ τὸ εὖ, ἀλλ᾽ ἐν τῷ εὖ τὸ μέγα. Scalig. lib. 1. Poetices, cap. 18.

*Artificum.*

Timotheo EVRIPIDES, cùm exibilaretur nouationis cauſa, quaſi leges muſicæ perrumperet, animum addidit, regnaturum eum breui oſtendens in theatris. Plutarchus an Seni tractanda reſpub.

Pſaltes quidam apud ANTIGONVM artis ſuæ ſpecimen edebat. Quum uerò ſæpius Antigonus diceret, Conſtringe netem, & rurſus mediam: indignatione commotus, reſpondit: Auertant, ô rex, à te dij malum hoc, ut me meliùs atque exquiſitiùs hanc artem teneas. Iniquè tulit muſicus eius reprehenſionem, qui à muſices ſtudio planè alienus erat: indignum eſſe putans, artificem reprehendi ab eo, qui manus fidibus nunquam admouiſſet. Aelianus lib. 9. de Varia hiſtoria. Plutar. in Regum & Impp. Apoph. PHILIPPO tribuit.

## DISPVTANDO. DISPVTATIONE MVSICÆ.

Muſicæ ſtudioſos aut Harmonicos dicimus, aut Canonicos. Harmonicos nũcupamus eos, qui aurib⁹ contribuũt auctoritatis plus, q̃ rationi: eiuſmodi fuiſſe Ariſtoxeni ſectatores nouimus. Canonicos aũt, qui rationis perſequuntur examen: ſicuti ab Pythagoreis factitatũ palàm eſt, quos tamen nec genere ab harmonicis abduxeris. Ptolemæus mediam quandã rationẽ inſecutus eſt. Tantũ enim ſenſorio attribuit, quantũ Ariſtoxenij: rurſumq; rationi, quantum Pythagorei. Etenim tum demùm enaſci iudiciũ putat ſincerum ueraxq;, ubi ſenſus & ratio cõſpiratu nituntur cõſono. Quod ipſum & in aſtronomia comprobauit, quum rationis libra ab oculis non abit diuerſa. Cælius lib. 15. cap. 11. A. L.

Cùm

Cùm Ptolemæus cum STRATONICO citharœdo contentioſiùs diſputaret de cithariſtica, ἕτερον ἔφη ἐςὶν, ὦ βασιλεῦ, σκῆπτρον, ἕτερον ἢ πλῆκτρον: Aliud eſt, inquit, rex ſceptrum; aliud plectrum. Athenæus libro 8. & Plinius lib. 35. cap. 10. Idem Minnaco fabro, ſecum de muſica diſceptanti: Non animaduertis, inquit, te ſupra malleum loqui? Caſtigauit hominem, de rebus ſibi ignotis & incognitis loquentem. Idem in eum, qui quum priùs fuiſſet olitor, poſtea factus muſicus, de arte ſecum contenderet, pronunciauit ſenarium Græcum, uulgò celebrem:

ἔρδοι τις ἣν ἕκαςος εἰδείη τέχνην. id eſt,

Quam quiſq; nouit artem, eam canat licet. Mutato uerbo detorſit ad iocum, quod eſt in prouerbio, ἔρδοι τις, &c. Ex Athen. lib. 8. Eraſmus.

Philippo Macedoni cũ FIDICINE memorant de pulſandarũ fidium ratione certanti, cùm putaret illum ſe coarguere, renidentem dixiſſe hominem: Dij melius rex, quàm ut ita ſis infelix, me ut iſta noris rectiùs. Plut. orat. 2. de Alex. fortuna.

## CERTANDO. CERTAMINA MVSICA.

*Conſule Tit. Certamina poetarum. quatenus ſua carmina uoce ſono' ue modulato decantant.*

SIRENES Muſas aliquando in certamen cantus prouocarunt, Iunonis ſuaſu, ut in Bœoticis teſtatur Pauſanias. Muſæ alas uictis euulſerunt, coronasq; ex illis factas ſuis capitibus impoſuerunt, in Creta iuxta ciuitatem illa de cauſa uocatam Apteram, ut ait Crobylus lib. 1. Eapropter alatis capitibus Muſæ poſtea fuêre, præter unam, quæ erat illarum mater. Natalis Comes lib. 7. cap. 13. Mythol.

Iupiter in Pieria congreſſus cum Mnemoſyna, Muſas genuit. Regnabat eo tempore in Emathia Pierus indigena, eique nouem erant FILIÆ, quæ chorum ſuum Muſis oppoſuerunt: certamenque Muſicum eſt in Helicone commiſſum. Quando autem filiæ Pieri canebant, omnia caligine obſcurabantur, nihilque ad choream obtemperabat. At MVSARVM cantu ſiſtebatur cœlum, aſtra, mare, flumina: & Helico uoluptate delinitus, ad cœlum uſq; creſcebat: donec eũ conſilio Neptuni Pegaſus inhibuit, uerticem pede percutiens. Quoniam autem certamen iniuerant mortales cum deabus, Muſę eas in aues transformarunt, numero nouem: quæ etiamnum inter homines nominantur, Colymbas, Iynx, Cenchris, Ciſſa, Chloris, Acalanthis, Neſſa, Pipo, Dracontis. Antoninus Liberalis ex Nicandri lib. 4. Alteratorum.

THAMYRIS, Philammonis & Arſiæ filius, genere Thrax, forma corporis animiq; dotibus clariſſimus fuit. Eius carmen ita concinnum fuit, ut ab ipſis Muſis compoſitum uideretur. Plutarchus in lib. de Muſica, bellum à Titanibus aduerſus deos geſtum, tãta ſuauitate compoſuiſſe ait, ut nullum poema uideri poſſet præſtantius. Cùm in Meſſeniã, ex Oechalia ciuitate Dorium uerſus proficiſceretur, MVSAS obuias habuit, & cum iis pactus eſt. Si uiciſſet, ſe uelle cum omnibus congredi: ſin uictus fuiſſet, illarum arbitratu ſe pœnas ſubiturum, teſte Myrleano Aſclepiade. Victus, oculis captus eſt, & canendi ſcientia priuatus. Homerus Iliad. β. Natalis Comes Mythol. lib. 6. cap. 14.

MARSYAS Phrygius tibicen, Thyagnidis filius eius, qui primus omnium mortalium leges Muſicas ad laudes deorum, quibus in ſolennitatibus Græci uſi ſunt, accommodauit: Rheam deorum matrem, per orbem errantem comitatus eſt, priſtinæ amicitiæ memor. Cùm ad Bacchum in Nyſam urbem ueniſſent, inuenêre APOLLINEM magna exiſtimatione habitum, quòd primus diceretur citharam reperiſſe. Orta inter eos artis contentione, Nyſæos iudices conſtituerunt. Apollo primùm cithara ſimplici uſus eſt, Marſyas uerò tibiis: quibus, ut re noua, audiẽtes obſtupuêre. Eo in certamine, ſoni ſuauitate Apollinem uiſus eſt ſuperaſſe. Porrò aſtantibus iudicibus, cùm artem uterque ſuam præferret, Apollo modulationem cantus ad citharæ ſuauitatem adiecit: quapropter tibiæ ſonum uiſus eſt excedere. Quod Marſyas ægrè ferens, audientes monuit, minimè ſe uictum eſſe: non enim uocis, ſed artis comparationem fieri oportere, ſecundùm quam harmonia ac ſuauitas tum citharæ tum tibiarum eſſet exquirenda: iniquum præterea eſſe, duas ſimul artes uni conferri. Tunc Apollo reſpondiſſe fertur, ſe nihilo plus ad ſonum, quàm Marſyam, adhibere. Nã & illum quoque ore uti, cùm tibias inflaret. Oportere igitur aut ambobus idem licere, aut neutrum ore, ſed manibus oſtendere ſuæ artis modulationem. Cùm uideretur iudicibus æquiora Apollinem poſtulare, artibus item comparatis, aiunt denuò Marſyam eſſe uictum. Apollinem uerò ea contentione exaſperatum, uiuum Marſyam excoriaſſe. Verùm extemplò pœnitentia ductum, ægrè, quod egerat, ferens, proiectis citharæ chordis, inuentam ab ſe harmoniam deleuit. Ad hãc poſtmodum Muſę mediam, Linus, quam lichanon, Orpheus & Thamyras, quam hypaten ac parhypaten muſici dicunt, addiderunt. Diod. lib. 3. cap. 5. & Pauſanias in Phocicis. Certamen commiſſum fuiſſe non procul ab Apamia ciuitate, iuxta lacum, in quo ad uſum tibiarũ optimi calami gignuntur, ſcriptum reliquit Strabo lib. 12. è quo manãt fontes Marſyæ: cùm Ouid. lib. 6. Metam. Marſyam ſcribat fuiſſe ab Apolline in fluuium mutatum. Fama eſt, apud eundem lacũ tibias à Minerua fuiſſe inuentas, quas cùm illa inflaret, & in lacu oris turpitudinem uideret, illas abiecit: Secedite à me, inquiens, malæ corporis deprauationes. Athenæus lib. 14. Has cùm reperiſſet Marſyas, qui multo ante bella Troiana floruit, non ſolùm inflauit, cæterosq; illarum peritia antecelluit, ſed etiam Doricæ muſicæ geminarumque tibiarum fuit inuentor, ſicut Amphyon Lydiæ, ut teſtatur Plutarchus in lib. de Muſica. Marſyas ab Apolline uictus, de pinu arbore ſuſpenſus, & excoriatus eſt. Dicitur ea de cauſa omnibus tibicinibus deinde iratus Phœbus, uix tandem Sacadæ opera placatum, qui primus Delphis Pythium cantum cecinit. Natalis Comes lib. 6. cap. 15. Mythol.

LINVS, Amphimari Neptuni & Vraniæ Muſæ filius, cùm de muſices gloria cum APOLLINE certaret, ab eo occiſus eſt. Pauſan. in Bœoticis.

Rex Phrygiæ Midas, cùm ſyluas ſemper ferè ab hominum frequentia longinquas incoleret, iudex & ipſe & Tmolus mõs inter PHOEBVM & PANA paſtorum deum, de arte muſica contendentes delectus eſt. Phœbus cithara, Pan fiſtula cecinit. Tmolus Phœbum uictorem, Midas Pana, ſuo iudicio pronunciauit: quare indignatus Phœbus, aures aſini Midæ addidit: quòd cum parum iudicio ualeret, tamen iudicare non detrectaſſet. Ita uerò ſcitè illas occultabat Midas, ut nemo, præter tonſorem, rem cognoſceret. Sed cùm id tonſor tacere non poſſet, terram effodit, ac in ſcrobem pertenuis uoce ſubmurmurauit, Auriculas aſini Midas rex habet: & ſcrobe terra operto diſceſſit. Hinc cannæ natæ, uẽto ſubeunte conceptum arcanum emurmurabant, Auriculas aſini Midas rex habet. Natalis Comes lib. 9. Mythol. cap. 15. ex Ouidij lib. 11. Metamor.

Strabo lib. 6. Timæum citat auctorem, quondam in Pythiorũ certamine EVNOMVM Locrenſem & Rheginenſem ARISTONEM, in canendi certamen ueniſſe. Ariſtonem Apollinem inuocaſſe Delphicum, ut ſibi canenti foret auxilio, quòd à Delphis Rheginenſes olim eſſent profecti. Eunomus reſpondit, Rheginenſibus ne certandum quidem omnino de muſica, apud quos cicada uocaliſſimum animal uoce careret. Vtriſq; certantibus, cùm in Eunomi cithara, una inter canendum chorda frangeretur, cicada ſuperuolans aſtitit, ac uocem alioqui defuturam, ſuo cantu ſuppleuit. Atque ita uictor declaratus, ſtatuam citharœdi Locris poſuit, cum cicada citharæ inſidente.

Cùm cœpti iam eſſent Delphis Pythici ludi celebrari, antiquiſſimum fuiſſe omnium certamen memorant, inter eos, qui præmio propoſito hymnum in Apollinis honorem ceciniſſent: & primum quidem omnium pſallentẽ uiciſſe CHRYSOTHEMIN è Creta, cuius pater Carmanor Apollinem de cede latronis Eubœenſis ſacrilegi purgaſſet. Conſecutos PHILAMMONEM Chryſothemidis ipſius, & Philammonis filium Thamyrim. Nam Orpheum myſteriorum ſciẽtia, & reliqua uitæ dignitate elatum, tum etiam Muſæũ, quòd Orpheum ſibi, quem ęmularetur, propoſuiſſet, negãt in muſicum illud certamen deſcendere uoluiſſe. Tuliſſe narrant ELEATHEREN, Pythicã palmam uocis cauſa, cùm alioqui cantilenam non ſuam decantaſſet. Heſiodum tradũt repulſam tuliſſe, quòd carmina ſua ad lyram canere non didiciſſet. Homerus Delphos quidem uenit conſulẽdi, quod opus fuit, cauſa. Sed ei, etiamſi fidibus didiciſſet, propter oculorum calamitatẽ, nulli uſui ars eſſe potuiſſet. Quadrageſimæ demùm & octauæ Olympiadis anno tertio, certamina inſtituerunt Amphictyones. Cantus ad citharam ut pridẽ: cantus item ad tibiam. Ipſarum etiam per ſe tibiarum. Renuntiati uictores ſunt de citharœdis, CEPHALON Lãpi filius: de Aulœdis ECHEMBROTVS Arcas: de tibiis, SACADAS Argiuus. Idem uerò poſtea Sacadas binis deinceps Pythicis ludis præmium meruit. Eadem præterea tũc, quæ in Olympia, athletis indicta ſunt certamina, quadrigis tamen exceptis, lege lata, ut ſoli pueri, tũ longiore, tũ repetito curſu certarent. Altera iã Pythiade ſubmotis præmiis, coronarium duntaxat certamen ut eſſet, ſtatuerunt, aulœdorũ arte repudiata, quòd triſte neſcio quid auditu, & minimè læti ominis tibiis caneretur. Elegi enim & funebres modi cum tibiis congruebant. Pauſan. in Phocicis.

Iſmeniæ in ſacrificio tibiis canenti, poſtquam non litauit, ademit cõductitius QVIDAM tibias, ac ridiculè cecinit. Quẽ cùm incuſarent aſſiſtentes: Canere eleganter, inquit, tibia cœlitùs datur. Ibi ridens ISMENIAS: At me, infit, tibia canente, demulciti dij hic morati ſunt: te canente faceſſere maturantes admiſerunt ſacrificium. Plutarchus libro ſecundo quæſtionum Conuiualium 1.

STRATO-



STRATONICVS citharœdus cùm aduerſarios Sicyone ſuperaſſet, trophæum Aeſculapio poſuit inſcribens, Stratonicus ex malè citharam pulſantibus. Athen. lib. 8. cap. 7.

Athenienſium Odeum, cuius habet interior deſcriptio multa ſedilia multasq; columnas, tectum eſt autem ſubuexum & accliue in unum aſſurgens faſtigium, imaginem ferunt eſſe & ſimulacrum tabernaculi regis. Aedificauit illud Pericles: & tunc primùm ingenti ſtudio Pericles tulit, ut certamen Muſicorum PANATHENÆIS celebraretur, digeſſitq; id ipſe creatus athlothetes, quemadmodum certantes tibia uel uoce uel cithara canerent. Spectarunt & eo tempore & deinceps in Odeo muſica certamina. Plut. in Pericle.

Narrant olim apud Græcos, duos præcipuos fuiſſe citharœdos, HIPPARCHIONEM & RVFINVM. Cùm autem in ſolennibus ludis, qui decimo quoq; anno apud Iuliopolitas agebantur, eſſent inter ſe decertaturi: contigit, ut Hipparchion theatri ſtrepitu turbatus, obticuerit: eaque res in uulgi iocum abiit. Auctor Zenodotus. Eraſmus in prouerbio, Mutus Hipparchion.

NERO Romanorum Imp. Caio Teleſino & Suetonio Paulino conſulibus certauit inter citharœdos, eique uictori magno applauſu corona impoſita eſt. Xiphilinus in Nerone.

## MVSICAE VSVS.

*Muſicæ uſus in omni uita locum habet, non modò in ludicris rebus, ad remiſſionem & relaxationem animi, uerùm etiam in ſeriis. Animus enim noſter concentu & harmonia mirificè delectatur: eamq; ob cauſam Plato animam, harmonicè à primo opifice creatam, aſſerere non dubitauit, quandoquidem ſimile ſuo ſimili oblectari ſolet. Rationem horum in numeros transfert Plato: ſubeſt tamen occulti quid, hoc eſt diuini, quod aliquando corporea mole exuti perfectè cognoſcemus.*

### QVIBVS. CONFERT

#### HOMINIBVS: PVTA

*Infantibus.*

Iouianus Pontanus Neniæ uocem traduxit ad Nutricias cantilenas: propterea quòd uulgus in Italia Nutrices Nenas dicunt: ut opinor, à cantiunculis, quæ ſunt ſimiles cantibus præficarum. Cuius carminis anguſtiis diuinus ille uir ita clauſit laſciuiã immenſi ſui ingenij, ut aliorum excluſerit audaciã. At ueteres nutricũ cãtiones καταβαυκαλήσεις nominarunt. Baucis enim nomen in re futili. Scalig. li. 1. Poet. cap. 50.

*Adoleſcentibus.*

CRETENSES iuſſerunt liberorum filios cum quodam concentu & melodia leges perdiſcere, ut ex muſica uoluptatem caperent, & faciliùs ea memoria complecterentur: & ne, ſi quid contra leges admiſiſſent, per ignorantiã ſe feciſſe poſſent defendere. Secundum, quod eis diſcendum proponebant, erant hymni in honorem deorum facti. Tertium, fortium uirorum encomia. Aelianus de Var. hiſt. lib. 2.

*Oratoribus.*

C. GRACCHVS, quoties apud populum concionatus eſt, ſeruum Erycinum poſt ſe Muſicæ artis peritum habuit, qui occultè eburnea fiſtula, quam Tonation uocant, pronunciationis eius modos formabat, aut nimis remiſſos excitando, aut plus iuſto concitatos reuocando: quia ipſum calor atq; impetus actionis attentum huiuſce temperamenti æſtimatorem eſſe non patiebatur. Val. Max. lib. 8. cap. 10. & Gell. li. 1. cap. 11. ex Cic. & Plutarcho.

*Ducibus, Militibus.*

Tempus oportunũ docens utendi muſica Homerus, ACHILLI negotiis uacuo exercitium inuenit utile & iucundum. Nam cùm bellator eſſet & ſtrenuus Achilles, ex offenſione, quam contra Agamemnonem conceperat, periculis bellicis abſtinebat. Dignum igitur heroi illo exiſtimabat, ut animum eius optimis modulamentis exacueret: quoad expeditionem, quam breui pòſt ſuſcepit, eſſet paratus. Id ſanè efficiebat ueterum res geſtas ad memoriam reducendo. Ea erat priſca muſica, quæ eo conducebat. Accepimus ipſum quoque muſicam tractaſſe Herculem, Achillemque, & alios complures, quos uir ſapientiſſimus Chiron, ut eſt memoriæ traditum, docuit: qui pariter muſicæ, iuſtitiæ, & artis medicæ fuit doctor. Plut. de Muſica.

*Mechanicis artificibus.*

Fuêre apud ueteres multæ cantiones, aliæ aliis artibus, temporibus, nationibus. Nam piſtores habebant quod canerẽt ad molam: ἱμαῖον uocabant: ut eſt apud Ariſtophanem in Atticis, & Callimachum in Hecale: nam ἱμαλὶς Dorienſibus fuit menſuræ genus: ἱμᾶν quoque ſignificabat trahere, & haurire, apud Atheneum & Ariſtotelem. In Aeliani ſeptimo de Varia hiſtoria ſcriptum eſt, Pittacum admodum laudaſſe μύλην: addidit & rationem, Propterea quòd, inquit, paruo in loco diuerſis eſſet poteſtas ad exercitandum. Laertius in eius uita ſcribit, ipſum ad molas ſeſe exercere ſolitum: nec mirum, ſordidus enim fuit. Inde & cantilena ἐπιμύλιος talis, referente Plutarcho: Ἄλει μύλα, ἄλει· Ὁ Πιττακὸς ἀλεῖ Μεγάλης μιτυλήνης βασιλεύων. Nautę quoq; habebãt ſuas. Itaq; in Cõmentariis Ariſtophaniorũ Acharnenſiũ, νίγλαρον legitimus eſſe μέλος quoddã muſicũ & nauticũ παρακελευστικόν. In Theſmophoriis quoq; eiuſdẽ eſt, quòd fœminæ quum pinſerent, cantillarent. Alia texentium telas cantilena αἴλινος, à lino, ut arbitror, appellata: ἴουλος autem ad lanificia, communi nomine cum meſſorum cantu. nanq; ἴουλος quũ tenuem ac frequentem rem ſignificet, tum ſpicam, tum lanam potuit deſignare: quemadmodum ad barbam quoque & ad centipedam eadem ſignificandi proportione accommodari potuit. Ἀμάλας igitur hordeaceos manipulos diuulſos, collectos autem ἰούλους nominabant. Itaque Cereris quoque cognomentum fuit, in ſegete uiridi χλοὴ, in matura ἰουλώ. Teleclides etiam in Amphictyonibus ponit poematium, quo laborem canendo fallerent mercenariæ operæ in agro, quum opus facerent. Balneariis ſuum item erat, ut prodidit Crates in Tolmis. Quemadmodum nunc etiam Dulciarij cruſtularij apud Gallos. Præterea fullones & lignatores. Feſtus in lib. 11. In uindemia, cùm primum muſtũ guſtabant, ita canere mos fuit:

Omnis gratia uetus. Nouum uinum bibo,
Veteri nouo morbo medeor.

Vnde & Meditrina dea, cui libarent tunc, & Meditrinalia ſacra, a medendo. Scaliger lib. 1. Poeticæ, cap. 55. ex Athen. libro 14. cap. 6.

De multiplici muſicæ uſu in Mechanicis Ouid. 4. Triſtium 1. deducit.

Hoc eſt cur cantet uinctus quoq; compede foſſor,
Indocili numero cùm graue mollit opus.
Cantat & innitens limoſæ pronus arenæ
Aduerſo tardam qui uehit amne ratem:
Quiq; refert pariter lentos ad pectora remos,
In numerum pulſa brachia uerſat aqua.
Feſſus ut incubuit baculo, ſaxoq; reſedit
Paſtor, arundineo carmine mulcet oues.
Cantantis pariter, pariter data penſa trahentis
Fallitur ancillæ, decipiturq; labor.

Refert Duris Samius, in Alcibiadis naui ab exilio redeuntis, CHRYSOGONVM fuiſſe quendam modulatorem, qui tanta arte remigum manus dirigebat, ut quum illi remorum pulſum cum Chryſogoni cantu coniungerent, iucundam audientibus redderent harmoniam. Cælius lib. 9. cap. 10. Antiq. lect.

THEON cùm pinxiſſet uirum armatum, qui excurſionem ex urbe repentè faceret, & furore quodam correptus in hoſtes irrueret; non tamen priùs exhibuit picturam, quàm tibicinem iuxtà collocaſſet, quem iuſſit carmen orthium canere, penetrans & clamoſum quàm fieri poſſet maximè, & quod ad prælium animaret. Simulac igitur auditum eſt carmen aſperum & horrendum, atque tuba quaſi armatorum expeditionem ſonante, picturam oſtendit, & miles conſpectus eſt, cùm efficaciorem cogitationem de excurrente in animis hominum cantus excitaret. Aelianus libro ſecundo de Varia hiſtoria.

NICIAS pictor, cùm in opere diligentiſſimus eſſet, laboris tædium cantando ſolebat fallere.

PARRHASIVS pictor inſignis, cantilenis & modulis laborem mitigare ſolitus erat. Theophraſtus apud Aelianum libro 9. de Varia hiſtoria.

*Legatis.*

Complures ex Barbaris legationes de pace cum tibiis ac citharis faciunt, hoſtium animos mollientes. Theopompus libro Hiſtoriarum quadrageſimo ſexto, GETÆ, inquit, citharas habentes, easq; pulſantes, legationes de conficienda pace faciunt. Athen. lib. 14. cap. 11.

*Captiuis.*

Ludouicus Pius Imperator, cùm THEODVLPHI epiſcopi conſilio & inſtinctu, regno exutus, captus, & in carcerem à Lothario impio filio coniectus eſſet, liberatus & reſtitutus in regnum, Theodulphum captum carceri incluſit. In quo cùm hymnum, quem in carcere dictitarat, in feſto Palmarum plena uoce cantaret, Gloria laus & honor tibi ſit rex Chriſte redemtor, &c. motus Imperator, iuſſit conſcriptum carmen uoce pontificis decantatum ſignari: eiusq; dulcedine permollitus, ueniam dedit Theodulpho uitæ ſuæ inſidiatori, & liberum abire permiſit. Cranzius libro 1. capite 27. Metropoleos.

BRVTIS.

### BRVTIS.

ARIONEM exceptum medio mari à delphino ad concentum lyræ, per longa æquorum ſpacia in Tænarum Laconię incolumem delatum, teſtata eſt non tantùm uetuſtas, ſed & ſtatua ex ære, quæ ibi loci fuit, monumentum rei geſtæ, Arion Delphino ſedens. Sabellicus libro 10. capite 8. Et ſanè uero quàm ſimile eſt, ut delphinum ad ſeſe excipiendum incitarit, piratas quoq;, ne ſuum abitum impedire uellent, eodem ſono permouiſſe.

Pindarus auctor eſt ad cantilenæ modos delphinum marinum ſaltaſſe cum geſtu,

Quem mouit in maris tranquilli concinens
Suaue carmen profundo.

Saltantium certè ſpectaculo oblectati lumina attollunt, ac geſticulatione ſimul huc illuc armos ad ſonum iactant. Plutarchus lib. 7. Con. quæſt. 5.

Sybaritarum equos ad tibiam ſaltare aſſuetos, CROTONIATÆ in expeditione aduerſus eos tibiis inutiles reddiderunt. Cùm enim tibiarum ſonum equi illorum audiuiſſent, non exilierunt ſolùm, ſed & ſeſſores habentes ad Crotoniatas transfugerunt, teſte Ariſt. in Repub. & Athen. libro 12. capite 6.

Equabus, quando ineuntur, carmen tibia accinitur, quod hippothoron appellant. Plut. lib. 7. Con. quæſt. 5.

Conſtat apud SEPTENTRIONALES, urſos, delphinos, ceruos, oues atq; uitulos, imò & agnos delectari muſicis melodiis: rurſusq; horriſonis cornibus, ſeu tubis, ab armẽtis arceri lupos & urſos. Itaq; paſtores, bicornibus fiſtulis (Seckpipas illi uocant) ludentes, aliquando per urſos rapti, continuè ludunt, donec fame urgente urſus diſcedat alimoniã conquiſiturus. Tunc accepto caprino cornu, interdumque uaccino, ſonum horridum excitant, & feram à reditu terrent. Pecora & armenta fiſtularum ſono audito auidiùs eſcam ſumunt, atque compreſſiùs paſcuntur in herbis: uti Paulus Diaconus lib. 5. cap. 37. meminit, & Plinius. Olaus libro 18. cap. 31. hiſt. Septent.

### SAXIS, INANIMATIS

Iupiter tres filios ex Antiopa genuit, Amphionem, Zetum, & Calaim. Propterea maritus Lynceus Thebanorum rex eam repudiauit. Pueri cùm adoleuiſſent, ulti repudium matris, Lynceum interemerunt, & Dyrcem eius coniugem, pulſoq; Cadmo ſene, Thebas poſſederunt: & AMPHION cithara mouiſſe lapides dicitur, atq; ita muros Thebanos cõdidiſſe, ſaxis in ſtructuram concurrentibus, numeris muſicis illectis. Hor. in Arte: Dictus & Amphion, Thebanæ conditor arcis, Saxa mouere ſono teſtudinis. Thebas cõdidit Amphion, non quòd lyra ſaxa duxerit (neque enim par eſt id ita geſtum uideri) ſed quòd affatus ſuauitate homines rupium incolas, & incultis moribus rudes, ad obſequij ciuilis pellexerit diſciplinam. Solinus.

## QVANDO, VBI, QVO TEMPORE LOCO'VE. Sic Muſicæ uſus eſt in

### SACRIS.

Vetuſtioribus ſeculis ne notari quidem ferunt GRÆCIS muſicam theatralem, ſed artem eius totam in deorum laudem & diſciplinam iuuentutis fuiſſe acceptam, nullo dum prorſus illa ætate extructo theatro, ſed uerſante adhuc muſica in ſacris, in quibus deos uenerabantur, & uiros fortes celebrabant. Probabile eſt autem eſſe theatrũ poſterius, ac multo antè uerbum θεωρεῖν, id eſt, ſpectare, à deo, qui Θεός Græcè dicitur, appellationem mutuatum. Enimuerò noſtris temporibus tantam fecit hoc diuerſum genus progreſſionem: ut forma illius, quæ faciebat ad erudiendam adoleſcentiã, totum iam exoleuerit, neq; uindicari queat: ſed omnes, qui ſeſe muſicæ dedunt, ad muſam applicent ſe theatralem. Plutarchus de Muſica.

In PRISCORVM ſacrificiis, ſemper inter ueſcendum diis canere ſolebant, quibus ſacrum fiebat. Alex. ab Alex. libro 4. cap. 17. Poſt cantiones aliquas ad aras deorum expletas, accedebat aliquis ſacra certis uerſiculis clauſurus. Hunc appellarunt Epodon: propterea quòd poſt alias cantiones & hymnos pronunciabat: teſte Gal. lib. 17. de Officio partium humanarum. Scaliger lib. 1. Poet. cap. 44.

Apud INDOS nulla fuit numinis ſalutatio, uel ſacrificium, niſi adhibita ſaltatio foret. Ibidem.

In DELO abſq; muſica ſacrum nullum fiebat. Ibidem.

Narrat Philochorus, quòd cùm ſacrificarent ANTIQVI, non ſemper Dithyrambos canere conſueuerant, ſed Dionyſium quidem canebant, cùm libarent inter uina & ebrietatem: cùm libarent Apollini, & ſummiſsè canebant & cum ordine. Athen. lib. 14. cap. 11.

CYBELIS ſacerdotes, cum tinnitu cymbalorum & ſonitu tympanorum ſacra facere ſolebant. Vide Strabonem libro decimo.

Apud CVRETAS nullum fit ſacrum ſine ſtrepitu tympanorum & tubarum. Ibidem.

Liuius lib. 9. ait, tibicines ſolitos præcinere ſacrificiis ROM. & pes ſpondeus ita dictus, quòd in ſacrificiis libantes eo maximè uterentur: cùm Græci σπονδὴν, libamina appellant. Numa Pompilius hunc pedem pontificium nuncupauit, quum ſpondei melos, id eſt, cãtus, patrios placaret indigetes. Præterea thure, incenſis altaribus, tibicinem ſpondeum canere iubebant, ut duabus longis ſymphoniis, quaſi duplicibus & iugibus uocibus, proſpera deorum uoluntas firmaretur. Polyd. lib. 6. cap. 2. de Rerum inuent.

M. ANTONINVS Cæſar, cùm Heliogabalo ſacrum faceret, mulieres Phœniſſas, quæ in orbem curſitarent, cymbalaq; & organa muſica circum aras pulſarent, adhibuiſſe dicitur.

Chori ECCLESIARVM diuiſi ſunt in binas partes, ſub Conſtantio, Conſtantini Magni filio, & Flauiano epiſcopo Antiochię, bitariam Dauidis Pſalmos canentes: quod Antiochiæ primùm cœptum, in omnes totius mundi fines exiuit. Suidas in uoce χορός.

PIPINVS à pontifice rex Francorum creatus, Romanorum ritus & cantus in Gallias attulit, anno Domini 751. Sigebertus. CAROLVS Magnus diſſonãtia eccleſiaſtici cantus inter Romanos & Gallos offẽſus, duos clericos Romã miſit, ut authenticum cantum à Romanis diſcerent, & Gallos docerent. Per quos primùm Metenſis eccleſia, hinc omnis Gallia, ad auctoritatem Romani cantus reuocata eſt: anno Domini 774. Sigebertus, & Aemylius lib. 2. Cùm poſt annos ſedecim iterum in pſallendo & legendo eſſet à Romanis etiã in Metenſium eccleſia uariatum, Carolus per cantores, ab Adriano miſſos, eam diſſonantiam correxit, anno Domini 790. opera Pauli Varnefridi, qui ei à ſacris erat. Sigebertus. Iam cùm ex Gregorij inſtituto, quatuor duntaxat tropi ſeu modi, Phrygius, Dorius, Lydius, Mixolydius, quos uulgus cantorum tonos Authentos uocat, in uſu fuiſſent: ne Latini ulla ex parte Græcis cederent, Ducem à Comite diuiſit, quatuor ſubditiros modos à quatuor primariis diſtinxit; octo tropos fecit: illos cantores Plagios, id eſt obliquos nuncupant. Nec alio conſilio hoc fecit, quàm ut Eccleſia omnem Scripturæ uerborum δεινότητα ac potentiam congruentibus ſonis exprimere poſſet: & ut ſcripturæ concentuum ſuauitate conſpectiores in cœtu Chriſtianorũ redderentur. Cùm Græci legati Aquiſgrani patriis ceremoniis rem diuinam facerent, & pſallerent, Magnus qui occultè ſubauſcultabat, captus dulcedine cantus, iuſſit eos numeros excipi. Auentinus libro quarto annalium Boiorum, & Iacobus Curio libro ſecundo Chronicorum.

### CONVIVIIS.

AEGYPTII in conuiuiis lugubrem cantionem, quam Linũ uocant (à Lino, qui Aegyptiacè Maneros dicitur, filio primi regis Aegyptiorum, quem immatura morte defunctũ, hoc lugubri carmine proſecuti ſunt. Quæ ſola primaq; cantilena apud ipſos inſtituta fuit) decantare conſueuerant, ut & Græci: ut ſcilicet uel inter pocula mortalis conditionis ſubinde memoriam refricarent. Herod. lib. 2.

Ἐκκέκοφθ' ἡ μουσική, Extirpata eſt Muſica. Ferunt OLIM in conuiuiis eruditas quæſtiones eſſe tractatas. Pòſt, pſaltriis & citharistriis introductis, quoſdam nouitatem illam accuſantes, hoc uſos eſſe prouerbio. Suidas.

Videtur Homerus antiquam GRÆCORVM conſtitutionem ſeruaſſe, cùm dicit:

Conuiuij citharam quam dij fecêre ſodalem.

quòd hæc ars conuiuiis ſit accommodata. Erat hoc lege cõſtitutum, ut ſinguli qui ad potum accederent, medicum laſciuiæ ac intemperantiæ muſicam acciperent, quæ audaciã ac temeritatem poſtea mitigaret. Nam cùm animi mœrorẽ expurget, facilitatem liberalemq; hilaritatem operatur. Ex quo Homerus deos induxit muſica Apollinis ſeſe oblectantes in principio Iliadis, cùm placari contentiones ſeditioneſq; oporteret. Athen. lib. 14. cap. 11.

Apud VETERES mos erat, ut in conuiuiis ſinguli ſuam cantionem canerent: quòd ſi quis citharam accipere recuſaſſet, utpote muſices ignarus, is per iocum accepto ramo laureo ſeu myrteo, cogebatur ad eum canere. Porrò priſcis hunc canendi fuiſſe morem, teſtatur & Fabius libro Inſtitutionum primo: Vnde, inquiens, etiam ille mos, ut in conuiuiis poſt cœnam circumferretur lyra: cuius cùm ſe imperitum Themiſtocles confeſſus eſſet, habitus eſt indoctior. Plutarchus primo Sympoſiacôn libro, quæſt. 1. ſcribit, olim fuiſſe morem, ut in conuiuio primùm uoce communi deum canerent παιανίζοντες, ut ait: deinde myrteum ramum unicuiq; tradi ſolere, quem ἄσαρχον uocatum exiſtimat, quòd is, qui eum accepiſſet, caneret. Pòſt lyra circumlata, qui peritus artis fuiſſet, eam accipiebat, canebatq;, ſonum chordarum ad uocem attemperans. Recuſantibus autem muſices imperitis, σκολιὸν carmen dicebatur, quòd non eſſet uulgare, neq; cuiuis facile. Alij dicunt myrtum non ſolere ordine circumduci, ſed à



ſponda ad ſpondam transferri, ut poſteaquam ceciniſſet is, qui in prima ſponda primus ſedebat, ei traderet, qui in ſecundo lecto primus accumberet, hic rurſum tertij lecti primo: deinde rurſum primi lecti ſecundus, ſecundo loco in ſecunda accumbenti ſponda traderet, eumque ad modum per omneis iret. Et ab hoc flexuoſo progreſſu σκολιὸν, quaſi obliquum, non rectũ, uocari cepit. Eraſmus in prouerbio, Ad myrtum canere.

Conuiuialium carminum tria fuêre apud GRÆCOS genera, ſicuti teſtatur Artemon Caſſandreus. Primum, quando omnes canebant. Secundum, quando omnes canebant quidẽ, non tamen ordine, cùm ex quodam ambitu cantum exciperent. Tertium uerò in omnibus ordinem ſeruabat, quem tamen non omnes animaduertebant, ſed prudentes tantùm, quod carmen σκολιὸν fuit appellatum. Canebatur, ubi communia omnibuſq; neceſſaria finem conſequerentur. Canebant autem ſapientes: atq; ſinguli odam aliquam pulcram in medium proferebant, quæ ſententiam utilem uitæ haberet. Athenæus libro decimoquinto, capite uigeſimoprimo: ubi de carminibus conuiuialibus multa habet. Ariſtoxenus & Phyllis muſicus, σκολιὸν ab obliquo flexu tanquam ſerpẽtum uoluminibus dici uolunt, quòd in nuptiis circum unam menſam multos lectos collocantes, alternis ordine, myrtos tenentes, canerent ſententias & amatorias contentiones. Circuitus uerò ille fuit obliquus, ob lectorum collocationem. Suidas.

A diſcumbentibus melos concinebatur, quod Harmodij nuncuparetur, cuius erat initium:

φίλτατε ἁρμόδιε οὔπω τι τέθνηκας.

Dicebatur uerò in Harmodium & Ariſtogitona tyrannicidas. Vnde illud facetiſſimum ex comica officina:

οὐδ' ἐς παρ' ἐμοί ποτε τὸν ἁρμόδιον ᾄσεται·

Apud me nunquam Harmodium canet: id eſt, Mecum conuiuia non agitabit. Cælius libro uigeſimoſeptimo, capite 26. Antiq. Lect.

Extremi Septentrionis POPVLI cithara in conuiuiis præclara ueterum heroum & gigantum geſta patrio carmine decantant, & choreas ducunt: hinc in lacrymas reſoluti, proni in terram concidunt. Tandem citharœdis excitantibus ad lætiora inuitati carmina, ſurgunt, & diem in poculis traducunt. Olaus libro 4. cap. 8.

### ACIE, PRÆLIO.

Cùm ad bellum exeunt LYDI, cum tibiis ac ſyringibus in acie inſtruuntur, ut aſſerit Herodotus. Athenæus libro duodecimo, cap. 4.

CRETENSES cithara, fidibus & tibiis utuntur in prelliis, quibus inſtructas acies accendunt. Alexander ab Alexandro libro 3. cap. 2.

HALYATTES rex Lydorum, in bello contra Mileſios, luxu barbarico, fiſtulatores & fidicines, quinetiã feminas tibicinas adhibuit. Gellius lib. 1. cap. 11. Noct. Att. ex Thucydide, & Plur. de Muſica.

GRÆCORVM mos fuit, duos concinere pæanas, Marti quidem in hoſtibus congrediendis, Apollini mox bello abſoluto. Illum priorem, Enyalium uocant. Dioſcuris Palladem primam Enoplion incinuiſſe nomon, prodidit Epicharmus. Ex quo præcinente tibia congredi cum hoſtibus LACONES orſi ſunt. Cælius lib. 9. cap. 8. Antiq. Lect. & Alex. libro quarto, cap. 2.

PROCLES & TEMENVS Heraclidæ, aduerſus Euryſthidas Spartam tenentes bellum gerebãt. Heraclidæ rem diuinam fecerunt Palladi, montium Hyperbacteria offerentes. Euryſthidæ repentè in eos irruere, & manum conſerere. At Heraclidæ nihil turbari, ſed tibicines, ut omni ſtudio præirent, iubere. Quibus præcedentibus, ac tibias inflantibus, armati ad cantum & numerum ſequentes, irruptos ordines ſeruabant, & hoſtes uincebant. Experientia eos docuit tibiam habere uim & irritamentum in pugnis. Quin & oraculo uictores ſe fore didicêre, ſimulac cum tibicinibus bella gererent. Neque pugna Leuctrica ad tibicines pertinens oraculum confutat. In Leuctris enim non præeuntibus tibicinibus, Lacones cum Thebanis pugnam inibant, quibus patrium erat fiſtulatoriam artem exercere. Itaque colligi manifeſtò ex oraculo dei potuit, penes Thebanos uictoriam futuram Lacedæmoniorum, qui ſine tibia pugnam capeſſerent. Polyænus libro 2.

Inſtructa SPARTANORVM acie, cùm adeſſet hoſtis, rex ſimul capellam immolabat, edicebatque, ut omnes coronas ſumerent, & ut tibicines canerent iubebat Caſtoris carmen, ſimul etiam ordiebatur claſſicum canere. Carmen Embaterium dicitur. Quæ res ſeueram ſimul atque horribilem edebat ſpeciem, numeris ad tibiam incedentium, neque turbantium aciem, neque animis fluctuantium, ſed modeſtè & hilariter ad modos euntium in certamen. Neque enim nimia percelli trepidatione probabile eſt ita comparatos, aut plus ſatis ferocire: ſed animum cum fiducia & audacia ſuſcipere ſtabilem, quaſi dei præſente fauore. Plutarchus in Lycurgo & de Muſica.

Cuidam Ageſilaum roganti, quam ob cauſam SPARTIATÆ ad tibiarum cantum, inituri prælium, exercerentur? Vt quum ad numerum, inquit, incedũt, appareat, qui formidoloſi ſint, qui fortes. Nam anapæſtorum ictus ſtrenuis addebat animum, meticuloſis pallorem ac tremorẽ incutiebat. Itaq; quum pes non reſponderet ad modulos tibiarũ, prodebatur ignauorum imbecillitas. Plut. in Lacon. Apoph. & Ariſtoteles in Problematis, referente Gellio lib. 1. c. 11.

ATHENIENSES, pæana canentes & hymnos Ioui, congredi cum hoſtibus ſolent. Quod frequens etiam apud Gręcos reliquos fuit. Alex. ab Alex. lib. 4. c. 7.

CROTONIATÆ tibiarum cantu Sybaritarum equitatum, equis ad ſaltandum aſſuefactis tibiæ ſono tripudiantibus, perdidere. Athen. lib. 12. c. 6.

In prætoriis caſtris ROM. buccina ſemel, in conſularibus uerò bis ſignum dabatur, qua pedites, equites uerò lituo, ad pugnam aduocabantur. Quoties mouenda erant ſigna, aut caſtra, & ad reliqua belli munia, ſoli cornicines ſignum dabãt: excubias uerò, ſomniq; & uigiliarum tempora, buccina deſignabant. Si legiones ducendæ in hoſtes, & acie decernendum foret, aut receptui canendum, cornuum aut tubarum concentu fieri ſolebat. Alex. lib. 4. c. 7.

### LVDIS, SPECTACVLIS.

ARGIVI ad Stheniorum, ut uocabant, luctam tibiam adhibebant. Hoc ludicrum in Danai honorem inſtitutum prædicant primùm, poſt conſecratum Ioui fuiſſe. Sed & nũc quoque pentathlis moris eſt ad tibiam canere, non carmẽ quidem ullum inſigne aut uetuſtum, nec quale illo ſeculo erat ſolenne (ceu illud, quod ad certamen hoc Hierax condidit, quod Incurſus dicebatur) at licèt languidum & obſcurum, certè aliquid tamen qualecunq; accipitur. Plut. de Muſica.

Priſci LATINI in pagis aut oppidis unico tantũ tibicine fabulas agitabant, ad cuius modulatum uocem ac geſtũ accommodabant hiſtriones, alioqui ob imperitiam nõ ſeruaturi carminis rationem. Is igitur tibicen poſteaquam uni actori præcinuerat, cogebatur ad alterum huic reſponſurum tranſire, eiq; uiciſſim incentu tibiæ metri modulos præire, atq; hinc rurſus ad alium: quòd ruſticani homines abſque præeunte tibicine non poſſent aptè ſaltare uerſus aut mimos. Hinc uidetur ortum prou. apud Cic. pro Murena, quãdo ait, Iurecõſultum inſtructo petitore, Latini tibicinis more, tranſire ad eum à quo petitur, & illum ſolennibus uerbis inſtructurum. Eraſmus in Adagiis.

### CVBITV. SOMNI TEMPORE.

Lyræ ſonum adhibebãt ante ſomnum PYTHAGOREI, quo perturbationes & motus brutos animi excantarẽt ita & mitigarent. Plut. de Iſide.

### FVNERE.

Aiunt primum LINVM poëtam Threnos feciſſe. Alij uerò, eũ Herculi ſuccenſentem, quòd eſſet ineptior ad diſcendũ, ab irato ingratoq; diſcipulo interemtum: ab reliquis diſcipulis defletum carmine, quod ab eius nomine & nota eiulationis Aelinum appellarunt. Cuius uocis etiam in luctu meminit Theocritus. Idem carmen νιγλίαρον & νίγλαρον, id eſt, extremũ uocarunt, Latini Neniam. Elegiam quoque in funeribus primùm dictam par eſt. Id quod innuit Ouidius in funere Tibulli. Eius inuentorem neſcire ſeſe confeſſus eſt Horatius. Theoclen tamen quendam, ſiue Naxius ille, ſiue Eretrienſis fuerit, tradunt furentem effudiſſe primùm Elegos. Neutiquam igitur quaſi εὐλογίαν, παρὰ τὸ εὐλέγειν τοὺς τεθνεῶτας, ut autumant Grammatici: ſed à miſeratione, ἐλεὸν λέγειν. Idcirco miſerabiles appellauit Elegos Horatius. ἔλεος quoque ea eſt nocturna auis apud Ariſtotelem, quam nos Vlulam dicimus. Simplicius quoque etymon ἒ ἒ λέγειν: idem enim quod αἶ αἶ in Aelino. Nam utraque interiectio frequẽs omnibus Tragicis. Didymus definiuit Elegiam θρῆνον ἀδόμενον πρὸς αὐλόν: eſſe enim tibiam lugubre inſtrumentum. Tranſlatus uſus poſtea ad longè diuerſiſſima: ſcilicet ad amores, non tamen ſine ratione. Nam & frequens conqueſtio in amoribus, & ueriſſima mors eſt, quæ à uiris amentiſſimis amentiſſimo & ingratiſſimo ſexui uiuitur. Scaliger libro 1. Poeticæ, cap. 50.

CARES itidem, ut PHOENICES, in luctu tibiis uti ſolẽt magnitudine palmi, lugubre quiddam & ſtridulum ſonãtibus. Eę autem tibiæ Phœnicum lingua Gringes uocãtur, quòd iis in Adonidis luctu ſoleant uti. Porrò Adonidem γίγγρην, id eſt, Gringen appellant. Eraſmus in Adagiis, ex Athenæi lib. Dipnoſoph. 4.

Siticines apud ROMANOS olim dicti, qui apud ſitos, hoc eſt uita functos & ſepultos, canerent, tuba diuerſa à cęteris tubicinibus. Alij Siciniſtas uocant. Gellius libro uigeſimo, capite ſecundo.

## CVR AD ANIMI MOTVS.

### In genere.

*Affectus Animi Muſica leniuntur, quoniã inæqualia adæquantur. Vt enim, quãdo in corpore humano Humor aliquis uel quantitate uel qualitate excellit, ſit ἀπόστασις, & ex ἀποστάσει σῆψις: ita quando in Corde & Arteriis Spiritus, ſit Perturbatio & commotio. Similitudinem uidentur habere Spiritus cum Humoribus: nimirum ut alii ſint Cholerici, à quib. Ira, Indignatio, ἐπιχαιρεκακία: alii Sanguinei, qui Gaudium, Amorem, Pudorem mouent: alii Pituitoſi, à quib. Timor & Segnities: alii deniq; Melancholici, Inuidiæ Triſtitiæ & ſimilium inſtrumenta.*

Muſicam ait Plato elegantiæ & concinnitatis opificem, hominibus à deo non deliciarum cauſa, aut pruritus aurium datam: ſed conceſſam, ut animi periodos & harmonias turbulentas & erraticas in corpore, Muſarum & Gratiarum penuria ſæpenumero per inſolentiam & improbitatem laſciuientes, iterum reuoluat decenter & reducat:

ὅσσα δὲ μὴ πεφίληκε
Ζεύς, ἀτύζονται βοὰν
Πιερίδων ἀΐοντα.
Quæ non amauit Iuppiter,
Hæc obſtupeſcunt grauius,
Cùm Pieridum audiunt uocem.

ut eſt apud Pindarum: ſiquidem efferantur fremuntq;. Plutarchus de Superſtitione.

Veteribus GRÆCIS præ omnibus aliis curæ fuit, ut in muſica inſtitueretur adoleſcentia: cuius animos muſica arbitrabantur formandos & dirigendos ad decorum, quod referat muſica ad omnia, atq; ad actionem omnem ſeriam, præſertim ad diſcrimina bellica. Plut. de Muſica.

Varia rhythmorũ genera apud ueteres fuerunt, de quib. Ariſt. 8. Politic. Aeolius modus ſimplex erat, Aſius uarius, Lydius querulus, Phrygius religioſus, Dorius bellicoſus. Ab effectibus deinde Hormium & Orthium carmen appellabant, quo animi ad prælia excitarentur. Parœnium, quo in conuiuiis utebantur. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 2. Conſule Athen. lib. 14. c. 6. & poſt omnes Iul. Cæſarẽ Scaligerum lib. 1. Poëtices. Erat IONICA modulatio florida & iucunda. Dorica honeſta & grauis. Lucianus in Harmonide: τὸ ἑκάστης ἁρμονίας τὸ ἴδιον, τῆς φρυγίου τὸ ἔνθεον, τῆς λυδίας τὸ βακχικόν, τῆς δωρίου τὸ σεμνόν, τῆς ἰωνικῆς τὸ γλαφυρόν. Caſſiodoro Dorius modus prudentię largitor eſt, & caſtitatis effector, Phrygius pugnas excitat. Athenæus loco dicto. Doricæ harmoniæ tribuit τὸ ἀνδρῶδες, poſt Ariſtotelem Polit. 8. καὶ τὸ μεγαλοπρεπὲς καὶ τὸ σφοδρόν. Plut. de Muſica inquit: τούτων δὴ τῶν ἁρμονιῶν, τῆς μὲν θρηνῳδικῆς τινος οὔσης, τῆς δὲ ἐκλελυμένης, εἰκότως ὁ Πλάτων παραιτησάμενος αὐτάς, τὴν δωριστὶ ὡς πολεμικοῖς ἀνδράσι καὶ σώφροσιν ἁρμόζουσαν εἵλετο. Brodeus in Epigrammatis.

Apud Ericum II. cognomine Bonum, Danię regem, CITHAROEDVS quidam de ſua arte diſſerere cepit, ſuo cantu homines ad furorẽ amentiamq; pertrahi poſſe iactitans. Rex rei nouitate motus, ſpecimen profeſſionis edere iuſſit. Annuit ille: at ne qua nocendi hominibus anſa daretur, iuſſit priùs omnis generis arma efferri, & certis in locis collocari cuſtodes, qui cognito ueſanorum ſtrepitu irrumperent, ereptamq; citharam capiti illiderent, ne & ipſi in rabiem agerentur, reliquos à mutuis uerberibus arcerent. Primò quidẽ inuſitatæ ſeueritatis concentũ edidit, quo auditores in mœrorem ſtuporemq; ſunt uerſi. Deinde adeò ſuauem & iucundam harmoniam, ut mutato animo gaudium etiam externis geſtibus, & motu totius corporis proderent. Tandem uerò acrioribus modulis concitati, uociferari & tumultuari ceperunt. Cuſtodes irrumpunt, ut regẽ cũ aliis furentem contineant. Sed ille effractis atrij foribus, arrepto enſe quatuor trãsfodit. Vix tandẽ puluinariũ mole undiq; congeſtorum obrutus, contineri potuit. Menti reſtitutus, Hieroſolymã expiandorum homicidiorũ cauſa petens, Haraldo F. regni procuratore relicto, in Cypro defunctus eſt, atq; ibidẽ cum coniuge ſepultus, uti Saxo lib. 12. Daniæ teſtatur.

HOTHERVS, Hodbrodi Sueonũ regis ab Helgone Danorũ rege cæſi F. muſicæ omnigenæ peritiſſimus, ad quoſcunque uolebat motus uariis modorũ generibus humanos impellebat animos. Gaudio, mœſtitia, miſeratione, uel odio, mortales afficere nouerat. Saxo lib. 3.

### In ſpecie. Muſica

*Propheticum ſpiritum excitare.*

Ioramus Iſraelitarũ rex, cũ Ioſaphato Iudæorũ rege cõtra Moabitas exercitũ ducens per deſerta Idumeę, ſeptẽ dieb. aqua deſtitutus miſerè affligebatur. Eliſæus uates conſultus, FIDICINEM ſibi canere iuſſit. Eius cantu excitus, uictoriam ei cõtra Moabitas denunciauit, & poſtero die copioſiſſimã ex Idumęorum regione aquam affluxuram. 4 Reg. 3.

Prophetã MICHÆAM legimus ab Achabo rege Samarię accerſitũ, antequam prælij exitum prædiceret, iuſſiſſe, corã rege ut inſtrumentũ muſicũ pulſaretur: eoq; pacto occupatũ à Dei ſpiritu, prophetaſſe. Bodinus lib. 3. Dæmon. c. 6.

*Memoriam firmare.*

CRETENSES iuſſerunt liberorum filios cum quodam concentu & melodia leges perdiſcere, ut ex muſica uoluptatẽ caperent, & faciliùs eas memoria complecterentur. Proponebant præterea hymnos in deorum honorem factos, item fortiorum uirorum encomia. Aelianus lib. 2. de Varia hiſtoria, & Athen. lib. 14. c. 11.

*Studia grauiora lenirę.*

Platonis inſtitutum erat, ut IVVENTVS Muſicæ diſciplinis inter primas artes inſtrueretur, ut grauiora ſtudia honeſta uoluptate lenirent. Id quod Pythagoras quoq; cenſuit, qui repentinos motus animi & mentis perturbationes nulla re magis, quàm uocum concentu, emulceri putauit. Alex. ab Alex. lib. 2. c. 25.

L. SYLLA aut animum laboribus & affectibus diuerſis laborantem refocillaret, optimè cantaſſe dicitur.

HIER. Fracaſtorius Veronenſis, mathematicus, poëta, medicus clariſs. Muſica unicè delectabatur, eaq; ueluti cote ſeriorum ſtudiorum utebatur. Auctor uitæ.

RODOL. AGRICOLA Friſius, puellas amare ſe nõnunquã ſimulabat, uerùm nunquam deperijt. In harum gratiam, patria lingua, amatoria quædam carmina ſcripſit elegantiſſimè, quæ puellis præſentibus, primariisq; amicis, uoce & teſtitudine modulatiſſimè canebat. Huiuſmodi cantionibus animum, intentiore ſtudio grauatum, interdum remittebat. Gerardus Nouiomagus in eius uita.

*Cicurare.*

Veriſſimum illud fuiſſe affirmant, APOLLINEM certis quibuſdam citharœdicis nomis à ſe inuentis uitam multis mortalibus produxiſſe, abſtuliſſeq; feritatem. Lud. Viues de Laudibus philoſophiæ.

ORPHEVS Thracius theologus, & AMPHION Thebanus, ſyluas, ſaxa, feras, cantu ſuo traxiſſe dicuntur. Fabulæ hiſtoria ſubeſt, uel quòd reuerà feras muſica delectarint (nã cerui & armenta paſtorali fiſtula mulcentur, & aues quædam cãtu capiuntur) uel quòd homines rudes, ſtupidos & agreſtes ad mitiorem uitæ cultum partim legibus, partim iucunda modulatione traduxerint.

Cùm BACCHVM Tyrrheni nauicularij tranſuecturi, & Nymphis nutricibus reddituri, ſpe prædæ perdere uoluiſſent, ipſe hoc intelligens, iuſſit comitibus, ut ſymphoniacè canerent. Quo cantu adeò oblectatos Tyrrhenos ferunt, ut ſaltare etiam ceperint, & nimis laſciuiendo ſeſe in mare proiecerint. Olaus lib. 15. c. 29.

Scribit Theodericus rex Gothorum ad Boëtium, ut CITHAROEDVM mittat, qui dulci ſono fera corda Gentilium demulceat. Theodericus Epiſtolarum lib. 2.

*Pietatem, Dei cultum promouere.*

DAVID cithara ſua coram arca luſit, & corporis inſuper concinno motu ſaltans, animi feruidam deuotionem non tam oſtendit quàm excitauit. Eius rei cauſa Eccleſia quoq; organis animos ad pietatem & zelum religionis excitare uoluit.

*Caſtitatem tueri.*

Clytæmneſtram Agamemnonis uxorem non priùs Aegiſthus corrumpere potuit, quàm DEMODOCVM poëtam & muſicum (qui Clytæmneſtræ ab Agamemnone cuſtos erat relictus) è medio ſuſtuliſſet. Teſtis Homerus Odyſſ. 3. Tanta erat muſicæ uis in caſtitate tuenda. Eandẽ quoq; ob cauſam PHEMIVS, Demodoci frater, ab Vlyſſe Penelope uxori cuſtos datus eſſe fingitur, qui (ut in primo Odyſſeæ) βίῃ παρὰ τοῖς μνηστῆρσιν ἀείδει, coactus apud procos canebat, nõ turpes fabulas, ſed miſerabilem Græcorum reditum à Troia. Coactus autem canebat: quia non ut procos oblectaret, ſed ut Penelopẽ cuſtodiret, in Ithaca ab Vlyſſe relictus erat. Euſtathius in 3. Odyſſeæ, & Suidas.

*Temperantiæ conſulere.*

ANTIQVI omnes & moribus & legibus conſtituerunt, ut deorum immortalium hymni in conuiuiis canerentur, ad temperantiam honeſtatemque retinendam. Nam cùm cantilenæ concinnæ eſſent, deorumq; accederet metus, uniuſcuiuſq; mores facilè componi poſſe uidebantur. Athenæus libro 14. cap 11.

*Fortitudinem explorare.*

Ageſilaus, quærenti cuipiam, Quidnam ad tibias dimicarent SPARTIATÆ? reſpondit: Vt, cùm ad modos incedunt, ignaui & fortes eluceſcant. Plut. in Apophtheg.

*Furorem martium immittere.*

TIMOTHEVS, cùm ad Alexandri menſam caneret Orthium modulum, regem repentè, uelut inſanum, ſtatuit in pedes,



des, coëgitque ad arma proſilire: rurſus remittente cantu, continuò & regis remiſit affectus. Sabellicus libro 10. cap. 8. ex Plutarcho.

Alexander, ANTIGENIDE aliquando carmen modulante harmatium, uſq; eò permotus eſt, atq; exarſit animo modis illis, ut concuſſis armis proripiens ſe manus propè accumbentib. iniecerit, ſuffragareturq; Spartiatis cãtantibus,
In ferrum ſerpit citharam pulſare peritè.
Plut. orat. 2. de Alexandri fortuna uel uirtute.

*Ad Bellum hortari.*

SOLON in concionem progreſſus, elegia cecinit, & Atheninſes ad recipiendam Salaminem incitauit, legemque (quæ iubebat, ut qui de Salamine recuperanda mentionem facerent, morte multarentur) abrogare coëgit. Polyęnus lib. 3. & Laërtius lib. 1.

*Ad Prælium animare.*

*Heic artificioſæ tantùm Muſicæ uires in concitandis animis ad martia bella, ut ille ait, conſiderãmus. Ac in Stratagematis etiam inconditos clamores in accendendis ad prælium animis referemus.*

Cùm milites antiquitùs cornu bubulo conuocarentur, & ad prælium incitarentur, ut fortiùs mouerentur milites: TYRRHENVS Piſæus æneam tubam primus inuenit, ad excitandos militum animos.

TYRTÆVS Elegiacus & Melicus Spartanos ad martem aduerſus Meſſenios accendit. Plut. in Meſſenicis.

Plutarchus libro de Fortuna Alexandri ſecundo, declarat hũc uerſiculum apud LACEDÆMONIOS ſolere decantari:
Ἕρπει γὰρ ἄντα τῷ σιδήρῳ τὸ καλῶς κιθαρίζειν, *id eſt,*
Vergit ad lethale ferrum, lepidè cithara canere.
Quo ſignificabant, certis citharæ modis ſedari motus animorum, alius addi uigorem ad præliũ. Eraſmus in Adagiis.

HERODOTVS Megarenſis tubicen trium fuiſſe ulnarum cũ dimidia ſcribitur ab Amarantho Alexandrino, lateraq; fortia habuiſſe. Is, cùm Demetrius Antigoni F. Argos ciuitatem obſideret, nec milites Helepolim muris ob pondus poſſent ſubducere, duabus tubis inflatis milites machinã promtè ſubducere coëgit. Periodum decies uicit. Athenæus libro decimo, cap. 1.

Eo prælio, quo VALDEMARVS Suenoni III. Danorum regi & uitam & regnum eripuit, Valdemari exercitum tam crebri coruorum greges interuolaſſe produntur, ut cõplures ſe erectis militum haſtis feriendos obiicerent. Medias acies interequitabat cantor, qui parricidialem Suenonis perfidiã (ut qui hoſpitij ſimulatione inter medias epulas Canutum interfeciſſet, Valdemarum pariter, niſi fuga elapſus eſſet, perditurus) famoſo carmine proſequendo, Valdemari milites per ſummam uindictæ exhortationem ad bellũ accenderet. Saxo lib. 14.

*Furorem extinguere, coercere.*

Muſica ante alia plurimùm cõtra ſpiritus malignos poteſt. Sic à Saule infeſtando ſcribitur malignus ſpiritus deſtitiſſe, cùm DAVID pulſaret fides. Erat quidem tũc temporis Spiritus ſanctus in Dauide: ueruntamẽ Saulis cruciatus pulſatis demùm fidibus deſinebat: ſiue eo, quòd Muſica res diuina quædam eſt, diabolus uerò nihil tãtoperè quàm diſcordias diligit: ſiue quòd harmonia conſpirans cum anima, effugientem rationem ad ſua principia reuocat: prout annotabant ueteres, à Muſica interuentu animæ ſic curari corpus, ut interuentu corporis curatur medicamentis anima. Bodinus lib. 3. Dæmonom c. 6.

Fama eſt, EMPEDOCLEM Agrigentinum cantiuncula quadam furibundum adoleſcentem, nudoq; ferro hoſpitẽ impetentem ſuum, compreſſiſſe atq; ſedaſſe.

Ad cœnas & conuiuia PRISCORVM ſolebat introduci muſica: quòd elidere uim feruidiorem uini ualeat, ut alicubi refert Ariſtoxenus. Ille enim induci muſicam dixit: quia cũ uinum de ſtatu deiicere ſoleat illorum, qui eo ſunt largè uſi, corpora & mentes: muſica modico ſuo temperamento & competenti ad diuerſum ſtatum reuocat ea & mollit. Plutarchus de Muſica.

LACEDÆMONII tibiarum modulis in præliis ineundis uſi ſunt, non ut aliæ gentes cornuis aut lituis, ut animi moderatiores redderentur: nihil magis ad uictoriam conferre rati, quàm ne in primo ſtatim congreſſu animi militum ferocirent, ſed ad tibiæ cantum cõponerentur, & cũ rhythmo ęqualiter procedentes, integros ſeruarent ordines. Spartę in arce ad læuam Mineruæ, Poliuchi ſiue Chalciœci dictæ, Muſarum ædem dicarunt, quòd Lacedęmonij in pręlia exeunt non ad tubæ cantus, uerùm ad tibiarum modos, & lyrę cantiunculas. Pauſanias in Laconicis. Thucydides. Polybius libro 4. Fabius lib. 1. Plut. in Lycurgo.

In quinto dogmatum Hippocratis & Platonis ſcripſit Galenus uerba Poſidonij philoſophi. Damon, inquit, Mileſius, cùm ad TIBICINEM acceſſiſſet, quæ Phrygiis modis adoleſcentes quoſdam temulentos ad furorem uſq; incẽderat: iuſſit ad Doricas leges tonũ demittere: quo illi demulſi, quieuère. Erat enim Dorica animis componendis. Idcirco idẽ philoſophus ſancit, pueros docendos eſſe τὴν δωριστί, quia media, καὶ πρὸς τὴν ἀνδρείαν μᾶλλον. Scaliger libro primo Poetices, capite decimonono. Boëtius in præfatione Muſices hoc tribuit PYTHAGORÆ, quòd incentione modi Phrygij incitatum, adoleſcentem, patria barbarum, quippe Tauromìnitanum, uino temulentum, ira furentem, quum iam ædibus amicæ, quæ riualem admiſerat, ignem admouere tentaret, tibicina iuſſa ſpondeos ſuccinere, ad ſobriam mentem reuocarit.

*Iram ſopire.*

ACHILLES, Chironis Cẽtauri diſcipulus, in Iliade, cùm accinit citharæ (quam ſolam ex Eetionis ſpoliis ſeruarat) ueterumque res geſtas cãtando ſibi ipſi in memoriam, reuocat, furorem & indignationem contra Agamemnonem conceptã ſopire uidetur. Etenim cùm eſſet muſicus, ex ſpoliis hoſti ereptis primã arripuit citharam. Aelianus lib. 14. de Var. hiſt. & Athen. lib. 14. c. 10.

CLINIAS philoſophus Pythagoreus, ſi quando ad iracundiam ſe præcipitem ferri ſenſiſſet, confeſtim chordis adaptatis, citharam pulſabat. Interrogantibus autem, Ob quã cauſam id faceret? Quoniam, inquit, mitigor animo. Aelianus lib. 14. de Var. hiſt. & Athen. libro 14. capite 10. ex Chamæleonte Pontico.

THEODOSIVS Imp. ad menſas habebat pueros muſicos. Qui cùm à Flauiano epiſcopo Antiocheno inſtructi carmina quædam luctuoſa, & ad commiſerationem mouendam idonea, quibus in ſupplicationibus Antiocheni utebantur, ceciniſſent: ita fuit eis Imperator commotus, ut cùm phialã manibus teneret, lacrymis abſtinere non potuerit. Eaq; ratione urbi, cui grauiſſimè, ob negatũ tributum, & per ſeditionem deiectam uxoris Placillæ ſtatuam, ſuccenſebat, recõciliatus eſt. Nicephorus lib. 12. c. 43.

*Seditionem ſedare.*

TERPANDER Lacedæmoniis aliquando inter ſe diſſidentibus uocatus è Lesbo, ex oraculo, ſeditionem eorum cantus ſuauitate ſedauit. Vnde ab eo tempore Lacedæmonij, quoties cantorem aliquem audirent, protinus exclamabant, μετὰ Λέσβιον ᾠδόν: quod poſtea in prouerbiũ abiit, de iis, qui ſecundas partes aſſequuntur. Gyraldus. ex Plut. de Muſica.

*Timorem eximere.*

CYRVS Perſarum rex, ne hoſtium efferis clamoribus milites perculſi trepidarent, hymnum Polluci & Caſtori canere iuſſit. Quo concentu effecit, ne improuiſa formidine caperentur. Alex. lib. 4. cap. 7.

*Triſtitiam pellere.*

De ORPHEO & ACHILLE Ouidius 4. Triſtium 1. ſic ait:
Cùm traheret ſyluas Orpheus, & dura canendo
Saxa, bis amiſſa coniuge mœſtus erat.
Fertur & abducta Lyrneſſide triſtis Achilles
Aemonia curas attenuaſſe lyra.

GILIMER, Vandalorum rex, obſeſſus in monte Papua à Beliſario, citharam petit ab hoſte, ad ſolamen miſeriarum ſuarum. Procopius lib. 4. Vandaliæ, & Cedrenus.

## CORPORIS MORBOS LENIENDOS, CVRANDOS.

DAVID Iſæi F. ad Saulum regem Iudæorum recenti dæmonum incurſu exagitatum accerſitus eſt, ut cantu demulceret æſtuantem mentis furorem. Quoties in morbum incidebat Saulus, ſtans Dauid ad caput, ſacros hymnos uoce & fidibus canens, ad ſanam mentem reducebat furentem. Ioſephus libro ſexto, capite 9. Antiquitatum Iudaicarum, ex 1. Regum 16.

Homerus luem, quę in GRÆCORVM caſtris graſſabatur, muſica fuiſſe refert procuratam. Eius hęc uerba ſunt:
Magnum perpetuo numen cantu celebrabat
Carmen Achiuorum ſoboles ſcitum modulando.
Phœbum cantabat, quo aures illi exhilaratæ.
Plutarchus de Muſica.

THALETAM Cretenſem, ſorte quadam à Pythio edita, adiiſſe Lacedæmonios, eoſque peſtilentia, ope Muſicæ, liberaſſe, tradit Pratinas. Idem.

Theophraſtus Ereſſius memoriæ prodidit, quarundam uiperarum MORSIBVS, cantus tibiarum, aut fidicinum, atque alia organa artis Muſicæ modulatè adhibita, aptiſſimè mederi. Alexander ab Alexandro libro 2. cap. 17. & Cælius lib. 6. cap. 13.

ASCLEPIADES medicus phreneticos, mente imminuta, & ualetudine animi affectos, nulla re magis, quàm ſymphonia & uocum concentu reſipiſcere, & ſanitati reſtitui, cenſuit. Ibidem.

ISMENIAS Thebanus, Antigenidę diſcipulus, plures Bœotiorum iſchiadicos, & coxendicum dolore laborantes, tibię cantu, bonę ualetudini reſtituiſſe dicitur. Tātus hominis naturæ cum harmonia conſenſus eſt. Boëtius lib. 1. de Muſica. Theophraſtus libro de Afflatione numinis, iſchiadicos ſcribit ſanos fieri, ſi more Phrygio harmoniā aliquis indigena illis accinerit. Athen. lib. 14. c. 10.

Apud CAMPANOS & Neapolitanos phalangio percuſſos, quod uulgò Tarantolam dicunt, nullo alio remedio ſanari compertum eſt, quàm ſi protinus tibicen uarios concinat modos. Eſt autem Tarantola aranei ſpecies, ſic dicta, quòd in Tarentino agro copioſa in terræ cauernis reperiatur, & ꝑ æſtatem meſſores ex improuiſo impetat, ut ocreati tantùm metere cogantur. Operæprecium eſt Alexandri ab Alex. narrationem audire, quam lib. 2. c. 17. Genialium dierum affert. Cùm per Apuliæ campos feruentiſſimos, ubi hoc malum peculiare exiſtit, ſub cane iter faceremus, inquit, undiq; oppida & uici tympanis, fiſtulis aut tibiis circumſonabant. Cuius rei cauſam quærentibus nobis relatū eſt, tarantulæ morbo affectos, undiq; per oppida curari. Cumq; eius rei gratiā in pagum quendam diuerteremus, inuenimus adoleſcentē morbo eiuſmodi affectum, qui uelut repentino furore ictus & mente abalienatus, corporis motu non indecorè & manuum pedumq; geſtib. ad tympanū pſallebat nō incōcinniter, utq; uehementiùs modos acciperet, quaſi illo pulſu demulceri animus & leniri dolor uideretur, ſenſim & placidè aures tympano admouere: mox caput, manus & pedes crebro motu concutere, & demùm in ſaltum ſe attollere uidebamus. Quę res quū ludo & riſu prorſus digna uiſa foret, interim is, qui tympanum pulſabat, ſonitu parumper intermiſſo, pauſam fecit. Atq; illum morbo affectum, ubi præcentio illa quieuit, uelut attonitum, ſtupentiq; ſimilem, repentè animo linqui, & omni ſenſu deſtitui cernimus. Rurſus reſumto tympano, ubi primū modulos audiuit, priſtinas illū uires reſumere, & acriùs in choreas inſurgere ſpectabamus. Creditum eſt, quod à uero non abhorret, uim illam ueneni uirulento morſu & ſanie conceptam, harmonia & uocum concentu, per totum corpus diffundi, atque inde fato neſcio quo, dilabi & exinaniri. Ideo illos, qui morbo eiuſmodi laborarunt, ſi quid reliquiarum reſiduum fuit, quod penitùs curatum non ſit, ſi quando ſono extrinſecùs uel concentu illorum aures affici contigerit, ueluti mente conſternatos, toto corpore & animo concuti, ac manibus pedibusque geſtire compertum eſt, donec uis illa tabifica penitùs extincta fuerit.

Inſania ex ſanguine ortū ſuum trahente, in GERMANIA olim frequens, [redacted], quā morbum à S. Vito immiſſum ſuperſtitioſa plebs credebat, bellico tympano & fiſtula bellica non tam curabatur, quàm magis efferebatur: ſic ut miſeri homines eo correpti, ſupra naturales uires & ſaltando & exiliēdo per aliquot dies abſque intermiſſione uiros etiam fortiſſimos defatigarent: & quamuis uiribus laſſi conciderent, linteis tamen in ſublime excuterentur, quòd quies ipſa periculoſa eſſet, nec priùs hic furor ceſſaret, quàm partim labore conſumeretur, partim ſudore exhauriretur morbi materia.

## MVSICAE STVDIVM, CVLTVS, AMOR.

### IN ARTE. Vtputa

*Addiſcenda.*

NERO Cæſar puer inter, cæteras diſciplinas etiam muſica imbutus, ſtatim ut imperium adeptus eſt, Terpnum citharœdū uigentem tunc præter alios, accerſiit: diebusque continuis poſt cœnam canenti in multam noctem aſſidens, paulatim & ipſe meditari exercerique cepit. Nec eorum quicquam omittere, quæ generis eius artifices, uel conſeruandæ uocis cauſa, uel augendæ factitarent. Sed & plumbeam chartam ſupinus pectore ſuſtinere: & clyſtere uomituque purgari: & abſtinere pomis, cibiſque officientibus, donec blandiente profectu (quanquam exiguæ uocis, & fuſcæ) prodire in ſcenam concupiuit: ſubinde inter familiares Græcum prouerbium iactans, Occultæ muſicæ nullum eſſe reſpectum. Suetonius.

*Communicanda.*

CONSTANTINVS Copronymus, Imp. Orientis, anno 757. inter alia munera, quæ Pipino Francorum regi per legatos miſit, addidit inſtrumētum Muſicæ maximum, Germanis & Gallis incognitū, Organon appellant. Cicutis ex albo plūbo compactum eſt, ſimul & follibus inflatur, & manuum pedumq; digitis pulſatur. Auentinus lib. 3. Annalium Boiorū. Marianus Scotus. Aimoinus lib. 4. c. 64.

*Conſeruanda.*

Manſit citharæ cantus Terpandri ad Phrynidis uſque ætatem oppidò tenuis. Neq; enim ius erat QVONDAM pro ſua cuique libidine, ut nunc, fidibus canere, neq; harmonias & numeros immutare. Siquidem ſingulis carminibus ſuā retinebant intenſionē. Hinc cognomen apud Græcos inuenerunt, ut νόμοι dicantur quaſi leges: quòd cuiuſq; intenſionis receptam formam uiolare nefas foret. At procurata, ut uolebant, ira diuina, repentè ad Homeri & aliorum poëſim ꝑ arbitrio conuolabant: quod ex Terpandri præludiis liquet. Plut. de Muſica.

Terpandrum ab EPHORIS multatum ſcribit Plut. eiuſq; citharam affixam, quòd antiquā immutaſſet muſicam, unūque neruum ſuperfluò intēdiſſet. Nihil enim ex Lycurgi inſtituto de priſca muſica immutari fas erat.

*Exercenda.*

☞ *Conſule paulo antè Tit. Muſicę exercitationis.*

NERO citharœdi habitu prodiit Neapoli primùm: ac ne concuſſo quidem repentè motu terræ theatro, antè cantare deſtitit, quàm inchoatum abſolueret νόμον. Adoleſcētes equeſtris ordinis, & quinq; ampliùs millia è plebe robuſtiſſimæ iuuentutis undiq; elegit, qui diuiſi in factiones, plauſuū genera condiſcerent (bombos, & imbrices, & teſtas uocabāt) operamq; nauarēt cantanti ſibi inſignes pinguiſſima coma & excellentiſſ. cultu pueri, nec ſine anulo leuis, quorum duces quadragena millia H-S, merebant. Cantante eo, nec neceſſaria quidē cauſa excedere theatro licitum erat. Itaque & enixæ quædam in ſpectaculis dicūtur, & multi tędio audiēdi laudandiq;, clauſis oppidorū portis, aut furtim deſiluiſſe de muro, aut morte ſimulata funere elati. Quàm aūt trepidè anxieq; certauerit, quāta aduerſariorū ęmulatione, quo metu iudicū, uix credi poteſt. Aduerſarios quaſi planè cōditionis eiuſdē, obſeruare, captare, infamare ſecretò nōnunquā, ex occurſu maledictis inceſſere: ac ſi qui arte pręcellerēt, corrumpere etiā ſolebat. Iudices aūt priùs, quàm inciperet, reuerentiſſimè alloquebatur, omnia ſe faciēda feciſſe, ſed euētum in manu eſſe fortunę: illos, ut ſapientes & doctos uiros fortuita debere excludere: atq; ut auderet, hortātib. ęquiore animo recedebat: ac ne ſic quidē ſine ſolicitudine taciturnitatē, pudorēq;, quorundā pro triſtitia ac malignitate arguens, ſuſpectoſq; ſibi dicēs. Romę in theatro inſanum Herculē acturus, quū de more uinculis oneraretur, tyrunculus, qui præſidij cauſa in proximo ſtetit, catenas intuitus, ratusque uim illi intendi, cōſternatus animo, eò accurrit opē principi laturus. Quin & in Græciā cantandi ſtudio nauigauit, omnibusq; eius gentis ſpectaculis, cantu, aurigatione, præconio certauit, decemiuges agere conatꝰ. Inde reuerſus, curru quo olim Auguſtus triumphans urbē ingreſſus eſt, præmiorum pompa titulisq; ſingulorū certaminū, lōgo ordine præmiſſis. In certamine muſico ita legi obediebat, ut nunquam excreare auſus, ſudorē quoq; frontis brachio detergeret, atq; etiā in quodā tragico actu, cùm elapſum baculū citò reſumſiſſet, pauidus & metuēs, ne ob delictū certamine ſubmoueretur, nō aliter cōfirmatus eſt, quàm adiurāte hypocrita, nō animaduerſum id inter exultationes, ſucclamationesq; populi. Cōſeruādæ uocis gratia, neq; milites unquam, niſi abſens, aut alio uerba pronunciante appellauit: neq; quicquā ſerio iocóue egit, niſi aſtante Phonaſco, qui moneret, parceret arteriis, ac ſudarium ad os applicaret: multisq; uel amicitiam ſuam obtulit, uel ſimultatem indixit, prout quiſq; ſe magis, parciúſue laudaſſet. Tantum eius ſtudium mathematicorū prædictiones accenderunt, qui eum imperio aliquādo exciſurum præſagiebant. Proinde ut eſſet unde uiueret, muſicæ operam dedit, illud ſubinde iactans, τὸ τέχνιον πᾶσα γῆ τρέφει. Morti proximus illud identidem iactitabat, Quantus artifex pereo? Suetonius.

*Audiendo.*

Apud Platonē Socrates in Phædro aſtruit, in meridie nō dormiendū, ne (inquit) à cicadis rideamur. Nā quos uiderint agētes ut oportet, illis pręmiū tribuūt, qđ deorū cōceſſione traducere ad homines poſſunt. Fertur .n. hoſce olim HOMINES fuiſſe ante Muſas. Natis inde Muſis, cātuq; mōſtrato, illorū nōnullos uoluptate cātus uſq; adeò delinitos fuiſſe, ut canentes cibū potumq; negligerent, imprudenterq; perirēt, ex quib. deinceps cicadarū genus ſit propagatū: munus hoc nactum à Muſis, ut alimonia nō indigeat, ſed abſq; cibo & potu ſemper uiuat, poſtea uerò ad Muſas ꝓficiſcatur, quam quis hic muſam colat, renunciaturū. Ergo Terpſichore renunciantes, qui pręcipuè illam in choreis cœtibusq; celebrarint, eam ipſis propitiā reddunt, atq; itidē aliis pro ſua uenerationis ſpecie. Cælius lib. 17. c. 6. A. L.

ZENO Cittieus ad tibicinū ſpectaculū adoleſcentiam acciuit: ut diſcerent, qualem cornua, ligna, calami, & ſi quæ alia ꝓportionis & concentus conſortium habent, uocem mittāt. Plut. de Genitura animæ.

EMMA-



EMMANVEL I. Luſitanię rex, Muſica multùm delectabatur, ſed non ita, ut Muſicæ ſtudio à ſeriis negotiis auocaretur. In eadem domo multi fidibus pulſabant, & ad citharam canebant: & non pauci quæſtores, & iuriſconſulti, & reliqui uariis muneribus præfecti, ad illum multa regni negotia deferebant, ita, ut ſimul cum honeſtiſſima oblectatione, multa negotia conficeret. Oſorius lib. 12. rerum Em.

*Vtendo.*

☞ *Vide ſuprà, Muſicæ uſus.*

Muſica quanto in precio ANTIQVITVS habita ſit, inde maximè liquet, quòd partim ad excitandos militum in bello animos, partim ad permulcendos animos ſemper adhibita ſit. Signū etiam educendi exercitus, & certaminis conſerendi, in ROMANIS legionibus, concentus tubarum & cornuum fuit. Si quando ſilentio educendæ forent, teſſeram habebant.

### IN ARTIFICIBVS VEL

*Conducendis, Inſtituendis.*

DAVID rex & ASAPHVS cantores inſtituerunt ad laudandum & celebrandum Dominum. Quorum carmina in templo à poſteris fuerunt conſeruata. 2. Eſdrę 12. & 1. Paralip. 25.

*Fouendis, Amandis.*

ETHODIVS Scotorum rex, tubicines & tibicines in magnis habuit deliciis. Sed tandem unius Hebridiani ſanguinis tibicinis, quem ſecretiori præfecerat cubiculo, inſidiis, per noctem eſt ſtrangulatus, ut mortem ulciſceretur ſuorum neceſſariorum, quos rex in Argathelia ob rebellionem interfecerat. Captus quadrigis diſtractus eſt. H. Boethius lib. 5.

MAXIMILIANVS I. Imp. omnes bonas diſciplinas uenerabatur, Muſicam uerò præcipuè. Quod uel hinc maximè patet, quòd muſicorum principes, in omni genere muſices, in eius curia, ueluti in fertiliſſimo agro ſuccreuerunt. Cuſp.

*Ornandis.*

☞ *Vide Titulum Muſicorum ſtatuæ.*

Fuerunt loca multa apud GRÆCOS Muſis conſecrata, à quibus cognomina ſortitæ ſunt, ut Heliconiades ab Helicone monte, quem Otus & Ephialtes illis conſecrarunt: Pierides, Pimplides, Libetrides, Parnaſides & Pagaſides: quæ loca illis conſecrata fuerunt à Thracibus Bœotiæ accolis, ut ait Strabo libro decimo: quia THRACES priſci muſicæ operam dederunt, poeticamque harmoniam inuenerunt: quales fuerunt Ephorus, Orpheus, Thamyras, Muſæus, & Eumolpus, qui quòd ſcitè caneret, nomen obtinuit. Natal. Comes libro 7. cap. 15. Mythol.

Ariſtonicus citharœdus, cùm in prælio cuipiam ſuppetias tuliſſet, ſtrenuè pugnans cecidit. Huic ALEXANDER Magnus ſtatuam æream poni in Apollinis Pythij templo præcepit cum cithara & lancea prætenta: non ſolùm quò illi honorem haberet, uerùm etiam quò ornaret muſicam, ut fortitudinis incitatricem, & quæ feruore lymphatico ardoreque inſtitutos in ea rectè perfunderet. Plutarchus oratione 2. de Alex. fortuna uel uirtute.

## MVSICAE ODIVM, ET CONTEMTVS. NEMPE

### CVIVS.

#### IN GENERE:

AEGYPTII muſicæ nullo modo uacabant, quotidianum illius exercitium iunioribus noxium & periculoſum eſſe arbitrantes, quaſi uirorum animos effeminaret. Diodor. Sic. lib. 1. cap. 6. De reb. antiq.

BION Boryſthenites philoſophus, omnino muſicam & geometriam pro ludo iocoq; habuit. Laert. lib. 4.

EVDAMIDAS rogatus de cantore quodam, qui feliciter cecinerat, qualis ipſi uideretur? μέγας κηλητὴς ἐν μικρῷ πράγματι: Magnus, inquit, in re parua delinitor. Contemſit operoſam artem, cuius nullus erat fructus, præter inanem ac temporariam delectatiunculam aurium. Plut. in Lacon.

#### IN SPECIE:

*Cantus.*

Quidam, ut Cleomeni cantorem quendam commendaret, cùm aliis multis nominibus prædicabat hominem, tùm illud inprimis affirmabat, eum eſſe cantorem inter Græcos præſtantiſſimum. At CLEOMENES rex Spartanorum oſtenſo quodam ex his, qui aderant: Ac per deos hic, inquit, apud me iuris condiendi artifex. Contemſit artem ad ſolā delectationem utilem. Plut. in Apoph.

*Lyræ, Citharæ.*

DEMOSTHENES Mitylenæus pulſauit fores hominis muſicæ ac citharæ deditі. Quumq; is audito pulſu, iuſſiſſet illum introire: Faciam, inquit, ſi priùs alligaris citharam. Subnotans, illū ſubinde cithara canere. Plut. Sympoſiacôn li. 2.

LACEDÆMONIVS quidam, quum in conuiuium eſſet illata lyra: οὐ λακωνικὸν τὸ φλυαρεῖν. Nō eſt, inquit, Laconicum nugari. longè diſſentiens à cæteris Græcis, quibus nullum cōuiuium ſuaue uidebatur abſq; muſica. Plut. in Lacon.

ARCHIDAMVS Zeuxidami F. cùm quidam, qui fidicinem ei commendabat, diceret: Bonus hic eſt fidicen: Apud nos, inquit, bonus eſt coquus. Quaſi nihil interſit, per organorū uocem, an per eſculētorum & iuris condituram, illecebras offeras. Plut. in Apoph.

*Tibiæ.*

Athenæus libro Dipnoſophiſtarum octauo, prouerbio iactatum ſcribit apud Priſcos, TIBICINIBVS nihil eſſe mētis:

Ἀνδρὶ μὲν αὐλητῆρι θεοὶ νόον οὐκ ἐνέφυσαν,
Ἀλλ᾽ ἅμα τῷ φυσᾶν χὠ νόος ἐκπέταται. id eſt,
Dij tibicinibus nunquam mentem inſeruēre,
Sed ſimul ac flarint, auolat illicò mens.

Eraſmus in Adag. & Cælius lib. 9. cap. 7.

ALCIBIADES poſtquam dedit ſe ad diſcendum, cęteros magiſtros attendit ſedulò: at tibia canere (quamuis Pericles auunculus Antigenidam tibicinem opt. accerſiuiſſet) ut rem ſordidam & illiberalem refugit. Nam plectri quidem & lyræ uſum, nihil dicebat geſtum uel formam deprauare libero homini conuenientem: tibiam uerò inflantis hominis ore uel intima familiaritate coniunctos uix agnoſcere uultum. Præterea lyram non adimere pulſanti, quin ſimul loqui & accinere ualeat: tibiam obturare & obſtruere cuiuſque uocem, & incidere ſermonem. Ergo, inquit, canant tibia Thebanorum filij: nam dicere neſciunt. Nobis Athenienſibus, ut à maioribus accepimus, dux Minerua & præſes Apollo eſt, quorum ſuperior tibiam proiecit, alter excoriauit fiſtulatorem. Ita iuxtà ioco ac ſerioſè ipſe Alcibiades & cæteros ab eo ſtudio abduxit: ſtatim enim dilatata eſt inter pueros fama, meritò Alcibiadem faſtidire fiſtulam, & eius ſtudioſos deridere. Vnde ex oblectamentis liberalibus planè fuit exploſa, & prorſus irriſa tibia. Plutarc. in eius uita, & Gell. lib. 15. cap. 17.

*Fiſtulæ.*

TELEPHANES uſq; adeò infeſtus hoſtis extitit fiſtulis, ut tibiarum opifices nunquam permiſerit tibiis eas addere. Sed & eadem de cauſa potiſſimùm abſtinuit ludis Apollinaribus. Plut. de Muſica.

### QVOMODO. NEMPE VEL

#### ARTEM CONTEMNERE

*Præferendo alia.*

Scytharū rex ATEAS (alibi Antheas) tibicini Iſmenię iuſſit in conuiuio tibia canere. Stupentibus tibiæ modulamine cæteris plaudentibusq;, ipſe malle iurauit ſe hinnientem audire equum. Vſq; adeò aures à Muſis remotas animumq; in præſepibus habebat, non ad equos, ſed ad aſinos audiendos natum. Plutar. orat. 2. de Alex. fortuna uel uirtute, & in Regum apoph.

In conuiuio quum lyra circunferretur, cæteriq; ordine canerēt (nam id apud Græcos honeſtum habebatur) GELON Syracuſanus equum iuſſit induci in conuiuium, facileq; ac leuiter in illum inſiliit: ſignificans, hoc eſſe regalius, quàm lyra canere. Plut. in regum Apoph.

Zeuxidami filius ARCHIDAMVS, cùm nimio plus admiraretur quidam citharœdum, uimq; eius laudaret: O præſtantiſſime, inquit, quódnam bonis uiris præmium ſtatues, cui tantùm arridet citharœdus. Plutarchus.

PYRRHVS rex interrogatus, Vter melior tibicen uideretur, Pythónne, an Chariſius (aliis Caphiſius) Polyſperches, inquit: is erat egregius dux exercitus. Contemſit artem, & utrique prætulit ſtrenuum ducem. Idem.

DIOGENES Cynicus cuidam iactanti muſices peritiam, reſpondit:

Γνώμαις γὰρ ἀνδρῶν εὖ μὲν οἰκοῦνται πόλεις,
Εὖ δ᾽ οἶκος, οὐ ψαλμοῖσι καὶ τερετίσμασιν. Laert. lib. 6.

#### ARTIFICES VEL

*Non audiendo.*

AGESILAVS rogatus, ut uellet audire quendam, qui mira ſimilitudine luciniæ uocem imitabatur, recuſauit: Frequenter (inquiens) ipſam audiui. Significans, ineptam eſſe uoluptatem, magis delectari ipſa ſimulatione, quàm natura. Plutarchus in Lacon. Apoph.

*Deſerendo.*

In IASSO inſula apud populum, magna ex parte piſcibus uictitantem, citharœdus quidam in foro oſtentabat artem. Verùm ſimulatque tintinnabulum crepitu ſignum dedit, adeſſe piſces uenales, turba ſubitò deſeruit cantorem, & ad piſcium mercatum aduolauit: uno excepto, qui, quòd ſurdaſter

caſter eſſet, tintinnabuli ſonitum non audierat, aut certè nō attenderat. Huic citharœdus propiùs accedens, gratias egit, quòd & artem honoraſſet, & ipſum non paſſus ſit eſſe prorſus deſertum. Tum ille: An crepuit tintinnabulum? ut annuit: Valebis, inquit, egregiè magiſter: ſeſeq; mox ad piſces proripuit. Citharœdo liberum erat, ſibi canere, & Muſis. Eraſm. lib. 8. Apoph. ex Strabone lib. 14.

*Inſectando, Reprehendendo.*

DIOGENES Cynicus muſicos in ius uocabat, quòd cùm lyræ chordas congruè aptarent, animi mores inconcinnos haberent. Laertius lib. 6.

PHILIPPVS Macedo, cùm Alexandrum filium ſuum audiſſet quodam in loco ſcitè cecinìſſe, obiurgauit, dicens: Nō te tui pudet, qui noris tam bellè nugari? Significans, alias artes regi conuenire. Plut. in Pericle.

ANTISTHENES Cynicus, cùm audiſſet Iſmeniam Thebanum, optimum tibicinem: at, inquit, eſt homo nequam: non enim, ſi probus foret, tibicen eſſet. Muſicos arguens ut unguentarios & miniſtros uoluptatum. Plutarchus in uita Periclis.

*Sugillando, Irridendo.*

DEMARATVS Spartanus, cùm pſaltem bonum audiuiſſet, ſubiecit: οὐ κακῶς φαίνεταί μοι φλυαρεῖν, Non malè mihi uidetur nugari. Plut. in Lacon.

*Defraudando.*

DIONYSIVS ſenior, cùm peritum quendam muſicum magnificis promiſſis ad ſe pellexiſſet, ut quàm optimè canentem audiret, & muſicus per aliquot dies egregiè cecinìſſet, nec quicquam daret rex, cœpit efflagitare mercedem. Tum Dionyſius aſſeuerabat, ſe iamdudum mercedem dediſſe, uoluptatem uidelicet pro uoluptate. Non enim minùs delectauerat muſicum ſpe, quàm muſicus illum cantu. Plutarchus orat. 2. de Fort. Alex. & Ariſt. Ethicorum 9.

*Multando.*

LACONES fidicinem peregrinum, quòd citharam pulſaret digitis, multarunt. Plut. in Laconicis.

ORGANA CORRVMPENDO.

Timotheus Mileſius, Therſandri aut Neomyſi F. citharœdus, antiquam & duriorem muſicam in manſuetiorem mollioremq; conuertit, decimam quoq; & undecimam cordam addidit. Damnatus proinde ab EPHORIS, quòd ſeptē antiquæ citharæ chordis quatuor addidiſſet: & cithara eius in Sciade porticu ſuſpenſa. Gyraldus.

EMEREPES Ephorus Phrynidis muſici duas ex nouem fidibus aſcia abſcidit, inſuſurrans, μὴ κακούργει τὴν μουσικήν, Ne muſicam depraues. Quod ipſum in Timotheo poſtea alij ſunt imitati. Plut. in apophtheg. Lacon. At in Agidis uita uocat Ecprepem.

SOLYMANNVS Turcarum Imperator, cùm à rege Franciſco I. Gallorum, peritiſſimos in omni genere muſicæ artifices dono accepiſſet, illis primò ſummoperè delectatus fuit. Mox cùm Conſtantinopoli ſummo ſtudio populum ad audiendum concurrere, & earum artium diſciplinam affectare cerneret: ueritus ne animi ciuium effeminarentur, inſtrumentis omnibus confractis, & igni abſumtis, muſicos ipſos Gallo remiſit. Carent omnino Turcæ muſicis inſtrumentis, bellicis tantùm tympanis etiam in nuptiis utentes. Cauit enim perfidus Mahometus omnia ea, quæ animos excitare & emollire poſſent: uinum, muſicam, artes denique omnes liberales.

# Mathematica eximiè dicta.

## MATHEMATICIS IN SPECIE.

### INVENTORES.

PYTHAGORAS Samius Geometriam perfecit, cùm antea MOERIS initia elementorum eius inueniſſet, teſte Anticlide. Idem Pythagoras cùm trianguli rectanguli ſubiectum latus, lateribus continentibus æquiualere reperiſſet, lymphatici more in publicum proſiliit, & εὕρηκα εὕρηκα alta uoce præ gaudio exclamauit, Muſiſque hecatomben fecit. Laertius libro 8.

THALES Mileſius, primus circuli triangulum æqualibus lateribus deſcripſiſſe fertur, eoque inuento bouem immolaſſe: quamuis Apollodorus hoc Pythagoræ tribuat. Scalenum quoque, & ea, quæ ad lineæ ſpeculationem pertinent, ab EVPHORBO Phryge inuenta, auxit & propagauit. Laertius libro 1.

ARCHYTAS Tarentinus, Pythagoreus nobiliſſimus, Platoni æqualis, primus cubum reperit, ut Plato in lib. de Repub. teſtatur: primusq; motum organicum deſcriptioni mathematicæ admouit, ex dimidij cylindri ſectione duas medias ſecundum proportionem ſumere quærens, ad cubi duplicationem. Laertius lib. 8.

EVDOXI inuentum Laertius curuas lineas eſſe ait.

### SCRIPTORES.

DEMOCRITVS Abderites ſcripſit de cōtactu circuli & ſphæræ, de mutis ac ſolidis lineis libros duos. Laert. lib. 9.

HERACLIDES Ponticus, Speuſippi diſcipulus, de Geometria quoq; ſcripſit. Laert. lib. 5.

XENOCRATES Chalcedonius de Geometria primùm duos, deinde quinq; libros ſcripſit. Laert. lib. 4.

THEOPHRASTVS Ereſſius, Ariſtotelis diſcipulus, cùm in omni ferè genere diſciplinarum ſcripſit, tum etiam de Indiuiſibilibus lineis unum. Laert. lib. 5.

EPICVRVS Athenienſis de Angulo atomi ſcripſit. Laertius libro decimo.

APOLLONIVS Pergæus geometra, Magnus appellatus, è cuius monimentis ad elementa Euclidis adiecti ſunt libri XIV. & XV. ab Hypſicle contracti. Meminit & aliorum eius ſcriptorum Pappus lib. 2. de Contactibus.

### DISCIPVLI.

DIDYMVS Alexandrinus, præſul Cæſarienſis, licèt oculis captus, Geometriam tamen, quæ uel maximè uiſu indiget, perdidiciſſe dicitur. Volat. lib. 15. Anthrop.

### EXERCITIA MATHEMATICA.

Præcipuus labor in Geometricis rebus ARCHIMEDI gratiſſimus fuiſſe dicitur, de ratione ſphæræ & cylindri: ideoq; amicos orauit, ut ſepulcro ſuo imponerent cylindrum ſphæra comprehenſum, tanquam id Geometricarum uigiliarū & inuentionum palmarium eſſet: quæ ratio demonſtratur in Euclide. Plut. in Marcello.

PAVLVS Florentinus ſub Benedicto XI. inſtrumenta in Geometria & Aſtrologia fecit. Volat. lib. 21. Anthrop.

Narrat Plutarchus in commentario de Dæmonio Socratis: DELIIS ac cæteris Græcis oraculo reſponſum fuiſſe apud Aegyptios, ita demum malorum finem fore, ſi aram, quæ in Delo erat, duplaſſent. Qui cùm non intellexiſſent, quid ſibi uellet oraculum, ridiculè duplatis ſingulis aræ lateribus, imprudentes ſolidum octuplum effecerunt, ob inſcitiam proportionis, quæ longitudine duplum reddit. Cæterùm hac in re conſultus Plato, Geometriæ cum primis peritus, reſpondit, Deum Græcis imperitiam exprobraſſe, monere, ut Geometriæ darent operam.

### IVDICIVM MATHEMATICVM.

PHILO Geometriam ἀρχὴν & μητρόπολιν appellauit omnium diſciplinarum: quòd hæc rerum intelligibilium imagines, ueriq; ueſtigia, tanquam in politiſſimo ſpeculo demōſtret, mentemque purgatam paulatim abducat à ſenſu. Eraſmus in Adagiis.

### DISPVTATIONES, CERTAMINA MATHEMATICA.

E ueteribus tragicis quidam Minoa induxit Glauco ſepulcrum extruentem, auditoq; quòd undique centum pedum eſſet, cùm paruum improbaret regalis ſepulcri monimentum, dixiſſe, Duplum eſto. Cùm autem cubi ignarus Architectus eſſet, duplicans craſſitudine unumquodq; latus ſepulcri, uidebatur erraſſe. Lateribus enim duplicatis, planum quidem quadruplum efficitur, ſolidum uerò octuplū. Quærebatur itaque etiam à Geometris, quomodo datum ſolidum manens in eadem figura quiſpiam duplicaret: ac uocabatur tale problema Cubi duplicatio. Supponentes enim cubum, quærebant ipſum duplicare. Cùm mortales omnes diu multumque hæſitaſſent, primus Hippocrates Chius intellexit: quod ſi inuentum eſſet, quomodo inter duas rectas lineas, quarum maior minoris eſſet dupla, duæ mediæ proportionales ſumerentur in continua proportione, duplicaretur cubus. Itaque difficultas in aliam difficultatem non minorem conuerſa eſt. Aliquanto uerò pòſt aiunt, Delios graſſante morbo, ſecundùm oraculum duplicare quandam aram iuſſos, incidiſſe in eandem anxietatē,



tumque implorando Platonicos in Academia Geometras orauiſſe, ut quæſtionem diſſoluerent. Cùm igitur accuratè ſeipſos cohortati inueſtigarent, duabus datis duas medias aſſumere, Archytas Tarentinus dicitur per ſemicylindros inueniſſe: Eudoxus autem per lineas, quæ curuæ dicuntur. Atque his omnibus accidit, ut apodicticè quidem deſcriberent, at manu atque opere exequi & in uſum deducere non poſſent, præterquam paululum quiddam Menechmus, idq; ægrè ac difficulter. Verùm ab Eratoſthene inuenta eſt quædam facilis organica, qua reperit duabus datis, non ſolùm duas medias, ſed quot quis iuſſerit. Quo inuento poteſt quis omnino datum ſolidum parallelogrammis comprehenſum in cubum conſtituere, aut ex alio in aliud figurare, & ſimile facere, & augere obſeruando ſimilitudinem: itaq; & aras & templa. Poterimus autem & humidorum menſuras & ſiccorum, uerbi gratia, medimnorum metretam, in cubum conſtituere, ac per eius latus uaſa dimetiri ipſorum capacia, quantum capiant. Quinetiam catapultica, & organa lapides iaculantia augere. Hæc ex ipſius Eratoſthenis epiſtola ad Ptolemæum regem recitat Petrus Ramus libro 1. Procœmij mathem.

Timeſias Clazomenius, de ciuibus ſuis optimè meritus, cū quodam tempore præter ſcholam tranſiret: pueri dimiſſi à præceptore, ludis operam dabant. Cumque DVOBVS de linea incidiſſet controuerſia, alter iurabat: Sic ego Timeſiæ cerebrum diſcuſſerim. Hoc audito, ille putans, ſe in communi omnium hominum inuidia eſſe poſitum, ſiquidē & pueri eum odiſſent, nedum ſenes, ſponte atque ultrò è patria exceſſit. Aelian. lib. 12. de Varia hiſtoria.

### VSVS.

Caſtrametatio, ait Plato, Geometrica eſt. Etenim ſignū à centurione tanquam punctum ponitur, unde uel circulus, ſi copias exiguas uideri oporteat, uel quadratum, ſi magnas, circumquaque certo interuallo deſcribitur: dimetiente linea tranſuerſa latera ſecantur. Itinera in pontium & nauium fabrica, in fluminum deriuatione, equitum hinc & illinc inter pedites medios collocatione, Geometrico artificio conficiuntur. Locus iiſdē artibus oppugnatur & propugnatur: hinc enim aggeres, uineæ, turres ambulatoriæ, cæteræque machinæ oriuntur. Machinalis illa geometria fuit Architæ, Eudoxi, Archimedis, Procli, Priſci: è quorum hiſtoria tota iſta utilitatis quæſtio tractari expedirique potuit. Ergo Geometria utilitatem hanc militiæ dedit, ſed eadem ſuis figuris præliorum uarietates admirabiles efficit. Cuneo facto pauci Cæſaris milites, Sicambrorum neſcio quot millia perruperunt, & incolumes euaſerunt. Orbe autem facto trecenti legionarij ſex millia Morinorum amplius horis quatuor ſuſtinuerunt. Quin ſi orbis multitudine hoſtium circumuentus ſit, longitudo quàm maxima ueluti rectæ peripheriam exæquantis porrigatur, alterniſque conuerſis cohortibus corona hoſtium dextro ſiniſtroque cornu media diuidatur, diuiſaque profligatur. Quæ omnia nil aliud, quā uelut in abaco Geometriam demonſtrant. Petrus Ramus libro 2. Procœm. mathem.

Geometriam in caſtrorum metatione neceſſariam eſſe, quando uel mutāda forma, uel ea ſeruata amplifandus eſt locus caſtrorum, aut coartandus, oſtendit Polybius libro 9. neq; enim ex ambitu ac rotunditate hæc tantùm colligi poſſe, ſed Geometriæ ſcientia opus eſſe. Illuſtrat pulcerrima quæſtione, eo tempore agitari ſolita, cùm Megalopolis Arcadiæ L. Spartana autem ciuitas III L. ſtadiorum ambitu contineatur, qui fieri poſſit, ut Sparta Megalopolim duplo excedat? hoc eſt, ut id quod maiorem ambitum habet, maius eſſe uideatur: & tamen id quod minorem habet ambitum reuera ſit maius? Duo hic conſideranda, Ambitus & Planities. Spartæ ambitus minor, at planities æqua, ædificationi commoda, tantum in terra, quantū in aëre ſpatij occupans. Megalopolis uerò ambitus maior, ſed montuoſus, in aere longè minus ſpatium quàm in terra occupans, propter decliuitatem & accliuitatem collium. Nam ſi domos in altū eductas omnes conſideres, manifeſtum eſt, quòd tectis illarum in unam redactis planitiem, par ſit & æqualis diſtantia tam illarum quæ in accliui colle ſunt ſitæ, quàm quæ in planicie. A Polybio deinde Quintilianus ornamentum hoc geodæticum mutuatur. De terminis, ait, menſuraq; rerum ſunt lites & ψευδογραφίαι, quæ Geometrica ſcientia deprehenduntur, qualis eſt illa, Extremis lineis eandem menſuram colligentia eſſe æqualia, quomodo decepti hiſtorici, qui magnitudines inſularum ſignificari nauigationis ambitu crediderunt. At, quæque ut forma perfectior, ita capacior, ut orbis quadrato, quadratum triangulo. Petrus Ramus libro 2. Procœmij mathematici.

# Mechanica.

## MACHINARII, MECHANICI MATHEMATICI.

### INVENTORES.

EVDOXVS Gnidius & ARCHYTAS Tarētinus Pythagoreus, eius præceptor, primi Geometriam uariis cælaturis exornantes, machinamentorum artem inchoauēre, ipſiusque Geometriæ rationes difficileſq; demonſtrationes per ſenſum & inſtrumentorum exempla edidēre. In eos inuectus eſt Plato, quòd Geometriæ dignitatem ſuſtuliſſent, quodq; à cogitatione & rebus incorporeis ad ea quæ ſenſibus percipiuntur declinaſſent, quaſi ad ſui uſum corpore & mercenaria indigeret inertia. Volat. lib. 15. Anthrop. ex Plutarchi Marcello. Archytam primum mechanica, mechanicis principiis expoſuiſſe tradit Laertius lib. 8. Ingenij illius ſpecimē fuit lignea columba, certa ratione compacta, quæ aerem ſemel ſortita, perpetuo uolatu per ipſum inane ſpiritu, intus incluſo agebatur, niſi ſolidum aliquod offendiſſet corpus. Sabellicus lib. 10. cap. 8.

Inter mechanicos magiſtros connumerat Proclus duos θαυματοποιικούς, CTESIBIVM Alexandrinum, tonſoris F. & HERONEM κατ᾽ ἐξοχὴν Mechanicum dictum. Cteſibius pneumatica, hydraulica & horologia reperit, mira quadā ratione, quam Vitruuius lib. 9. cap. 9. explicat, & Plin. lib. 7. cap. 37. & Athenæus lib. 4. cap. 24. muſica quædam inſtrumenta illius enumerat. Hero omnem geometriæ uarietatem, elegantiam, ſubtilitatem perſecutus eſt. Scripſit pneumatica, αὐτοματοποιικά, geodætica, de machinis, geometriam, duplicationem cubicam, ut etiam στοιχειωτὴς extitiſſe uideatur.

Horologiorum & clepſydrarum horariarum inuentionis methodum GALENVS lib. de Cuiuſque animi pec. notitia, cap. 5. deſcribit.

### DOCTORES.

HENRICVS Haſſianus, centeſimo ab hinc & octogeſimo ferè anno, primus mathematicas artes Lutetia Viennam tranſtulit: unde breui tempore per uniuerſam Germaniam proſeminatæ mathematicorum tanquam familiæ, indeque mirabiles tres artes ſunt inuentæ. Primò bombardica ſeu tormentorum bellicorum mechanica: cuius uſus bello Veneto contra Genuenſes (qui ſe interfici ſentiebant, quo tamē teli genere non animaduertebant) circa annum ferè 1400 primùm innotuit mundo, à Germano quodam nominis ignoti primùm repertus: deinde multis modis auctus, & amplificatus. Secundò ex eadem gente mathematico beneficio prodiit typographia. Poſtremò nautica, atq; in omnes uniuerſi orbis oras nauigatio, excitatis iam per uniuerſam Italiam mathematis. Vſus nempe aſtrologiæ uerſatur, ut in medicina, agricultura, ſic præcipuè in nautica: & ea iam olim fuerat Thaletis quædam aſtrologia, quæ mathematicis auſpiciis renouata à Chriſtophoro Columbo anno 1493. ab Americo Veſpucio 1501. Antipodas, terrarumq; atque Oceani tractus omnes aperuit. Petrus Ramus libro 2. Procœmij Mathematici.

### SCRIPTORES.

STRATO Lampſacenus de Metallicis machinis ſcripſit. Laertius libro quinto.

### EXERCITATIO.

Antiquitas Iuſtitiæ deæ libram, Neptuno uectem, ſub tridētis imagine conſecrauit: unde μοχλευτὴς ἀπὸ τοῦ μοχλοῦ dictus eſt, quaſi uectiarius. Hinc Vergilius:

Cymothoë ſimul & Triton adnixus acuto
Detrudunt naues ſcopulo: leuat ipſe tridenti,
Et uaſtas aperit Syrtes, ac temperat æquor.

Plutoni machinas conſecrarunt metallicas. Ex quibus ſatis liquet, uſum mathematicæ apud priſcos diuinum fuiſſe, quādoquidem auctores organorum mechanicorū DEOS fecēre. P. Ramus lib. 2. Procœmij mathem.

Eam altitudinem ingenij, tantaſque præceptorum diuitias tenuit ARCHIMEDES, ut cùm per ea nomen atque opinionem ſibi parauiſſet non humanæ ſed diuinæ ſcientiæ,

nullum de his relinquere commentarium ſuſtinuerit: uerũ illa in parandis machinamentis induſtria, atque adeò omni, quæ ad uſum ſe applicaret & ad utilitatem, arte pro humili & ſordida repudiata, in iis tantùm poſuerit ſtudiũ ſuũ, quæ præclara & eximia per ſe, neque ulli aſtricta neceſſitati eſſent: non conferenda quidem cum aliis, ſed quæ certamen excitent cum materia demonſtrationi: cùm illa mole & ſpecie, exquiſita hæc certitudine & ui excellat incredibili. Neque enim implicatiores in Geometria & cõtortas magis quæſtiones, in ſimplicioribus liquidioribuſq; conſcriptas elementis inuenias. Id dexteritati illius ingenij alij attribuunt. Alij ad laborem referendum putant potiùs indefatigatum, quò quiduis eum efficere ueriſimile ſit facile & citra ſudorem potuiſſe. Nam ſi quæras, per te non inuenias demonſtrationem illius quæſtionum: ubi didiceris, potuiſſe putes, te eam uel tua ſponte inuenire. Adeò ſtrata eſt uia atque expedita, quę ad id, quod intendit demonſtrare, perducit. Plut. in Marcello.

## VSVS CONSIDERATVS reſpectu

### VTENTIS. HVC MACHINÆ,

*Mechanicæ in genere.*

*Mechanici artifices Geometræ quidam practici ſunt, & geometrici uſus diſcipuli, quamuis Geometriam ipſam ignorent.*

*Aſtronomicæ.*

ARCHIMEDES Syracuſanus ſphæram uitream fecit, in qua motus circulorum conſpici poterant. De qua Claudianus:

Iuppiter in paruo cùm cerneret æthera uitro,
Riſit, & ad ſuperos talia dicta dedit:
Huccine mortalis progreſſa potentia curæ?
Iam meus in fragili luditur orbe labor.
Iura poli, rerumq; fidem, legemq; uirorum,
Ecce Syracuſius tranſtulit arte ſenex.
Incluſus uariis famulatur ſpiritus aſtris,
Et uiuum certis motibus urget opus.
Percurrit proprium mentitus ſignifer annum,
Et ſimulata nouo Cynthia menſe redit.
Iamq; ſuum uoluens audax induſtria mundum
Gaudet, & humana ſidera mente regit.
Quid falſo inſontem tonitru Salmonea miror?
Aemula naturæ parua reperta manus.

*Medicæ.*

Machinamentorum arte MEDICI egent ad organa chirurgica in luxatis fractiſq; reſtituendis. Sicuti ex libro Oribaſij de Machinamentis colligere licet.

*Nauticæ.*

ARCHIMEDES Hieroni nauim mõſtroſæ magnitudinis ædificauit, ſed quæ expeditiſſimè & ſecuriſſimè moueretur. Athen. lib. 5. cap. 7.

*Metallicæ.*

In metallifodinis ſubter terram reperiuntur nonnunquam flumina dęcurrẽtia: quorum curſus, ſpe quęſtus, ui magna recidunt: aut, quod mirabilius uidetur, cochleis, quas dicunt Aegyptiacas, diuertunt, ab ARCHIMEDE, cùm in Aegyptum profectus eſt, inuentis. Eiuſmodi inſtrumentis loca, ubi metalla effodiuntur, eiecta ſuperiùs aqua, ſumma arte diligentiaque ſiccant. Diodorus libro 5. cap. 9.

*Bellicæ.*

In Samo oppugnanda ſcribit Ephorus machinis uſum Periclem, cùm captus eſſet nouę rei admiratione, & habuiſſe ſecum ARTEMONA Clazomenium mechanicum: quem, quòd claudus eſſet, & ſi quando neceſſitas eum uocaret ad opera, lectica deferretur, Periphoretum dictum. Id cõfutat Ponticus Heraclides uerſibus Anacreontis, in quibus Artemonis Periphoreti multis ante bellum Samium ætatibus mentio fit. Hic Artemona refert fuiſſe mollem hominẽ, meticuloſum & pauidum, domi ferè reſidem: ſupra cuius caput, nequid decideret supernè, duo ſerui clypeum æneum tenerent. Cùm neceſſe haberet exire, circumferri ſolitum in lectulo penſili humi penè, hinc nuncupatum Periphoretũ. Plut. in Pericle, & Diod. lib. 12.

Hiero Siciliæ tyrannus ARCHIMEDEM orauit, ut tantiſper à ſtudij Geometrici meditatione ad exempla rebus humanis neceſſaria, ueluti ludendo animum abduceret: atque inde machinæ illæ extiterunt, quibus Syracuſæ poſtea aduerſus M. Marcellum LX quinqueremibus omni genere armorum & miſſilium inſtructis oppugnantem, ab ipſo machinatore ita defenſæ ſunt, ut in illa oppugnatione à ſuis πολυμήχανος, à Rom. uerò Briareus & ἑκατόγχειρ ſiue centimanus appellaretur: tanquam poeticis fabulis celebratos gigãtes, uel Iouem potiùs ipſum uiribus æquaret. Vt enim Iupiter fulgure tonitruq; terret orbem terrarum: ſic Geometra unus ſuis tormentis & machinis tantum exercitũ perculit. P. Ramus lib. 1. Procœmij mathem.

CALLIMACHVS arte & ſolertia machinali, Amiſum urbẽ oppugnanti L. Lucullo diu reſtitit. Cæterùm profligato Mithridate, cùm reſiſtere ampliùs non poſſet, urbe incenſa noctu profugit ad Tigranem. Tandem cùm uicto Tigrane, Niſibim (quæ Antiochia Mygdonica dicitur) expugnaſſet Lucullus, Callimachum captum, quamuis grandis pecunię ſe reconditos theſauros profiteretur proditurum, in uinculis haberi imperauit ad pœnas pendendas: quòd inflammata Amiſenorum urbe, gloriam ſibi & benignitatis erga Græcos materiam declarandæ præcidiſſet. Plut. in Lucullo.

PROCLVS non ſolùm Archimedis inuenta tenuit, ſed ex ſeſe noua quædam attulit. Suis enim machinis apud Byzantium claſſem Vitaliani Thracis, qui ſub Anaſtaſio imperatore tyrannidem arripuerat, deleuit. Vrentia ſpecula ex ære fabricauit, eaque de muro è regione hoſtilium nauium ſuſpendit, in quæ cùm ſolares radij incidiſſent, ignis deinde fulminis inſtar erumpens, claſſiarios claſſemq; combuſſit. Zonaras & Cuſpinianus.

PRISCVS, oppugnãte Seuero Imp. Byzantium, naues & machinas harpagonib. quibuſdam ſublimes attrahebat. Quã ob cauſam poſtea apud Seuerum uictorem capitis anquiſitus, ab eodem propter artis præſtantiam abſolutus eſt. Eius opera in Atrorũ expugnatione eſt uſus. Dion in Seuero.

### EFFECTVS. MACHINÆ

*Mobiles.* Αὐτόματα.

VVLCANI tripodum Iliados σ. Homerus meminit, qui rotis interioribus acti, ſponte in Deorum cœtum prodibant, illorum uſibus inſeruituri, uel tanquam menſę, uel tanquã crateres uel lebetes: abſolutoque miniſterio rurſus domum redibant. Ariſt. in 1. Polit. eadem repetit.

DÆDALI αὐτόματα, mechanica fuêre opera, ligna quædam, quę, niſi reuincta eſſent, aufugiebant: teſte Platone in Menone.

Inter artificum NORIMBERGENSIVM Regiomõtani mathematis eruditorum delicias eſt, muſcam ferream ex artificis manu uelut egreſſam conuiuas circũuolitare, tandémq; ueluti defeſſam in domini manum reuerti: Aquilam ex urbe aduentanti Imperatori longiſſimè obuiam ſublimi aere procedere, atque aduentantem ad urbis portam comitari. Deſinamus itaque Archytæ columbam mirari, cùm muſcã, cùm aquilam geometricis alis alatam Norimberga exhibeat. Petrus Ramus lib. 2. Procœmij Mathem.

*Mouentes, Trahentes.* Ἑλκτικὰ, Σπαστικά.

Cùm ARCHIMEDES coram Hierone Syracuſanorum tyranno de præſtantia Geometriæ diſſereret, fiduciaque artis iactaret paradoxũ illud, de quo Plutarchus in Marcello, & Syneſius in epiſtolis, & Pappus in mechanicis, & Tzetzes, Datis uiribus datum pondus tollere: ac ſi mundus alteram terram haberet, ut Democriti decreto ferebatur, hanc illuc poſſet adducere (uel, ut apud Pappum eſt, Δὸς μοὶ, πᾶ στῶ, καὶ κινῶ τὰν γᾶν. Da mihi, ubi conſiſtam, & mouebo terram) Hiero admiratus, rogauit, ut tantæ confidentiæ periculum faceret. Quapropter Archimedes emtam è nauibus regiis unam, & in ſiccum litus eductam grauiuſque oneratam, ſolus machinis ſuis ad ſe perinde pertraxit, ac ſi in mari uelis remiſque moueretur: contrà poſtea ſimili Geometriæ facultate Alexandrinam eiuſdem regis nauim è litore in mare deduxit, quod omnes Siciliæ uires non potuerant, ut apud Athenæum eſt libro 5. capite 7. & apud Proclum lib. 2. cap. 3. & apud Tzetzen, Archimedes triſpaſto, manu læua & ſola, quinquies millenum modiorum pondus attraxit. Quibus ingenij miraculis rex permotus, dixit, Archimedi quidlibet affirmanti credendum eſſe, tanquam tali artifici nihil poſſet eſſe difficile.

*Indices Horarum.*

Horologium ſolarium, in quo umbilici ſolis, quem gnomonem uocant, umbra horas oſtendit, ANAXIMENES Mileſius Lacedæmone, teſte Plin. libro 2. capite 76. primus inuenit (hoc tamen Laertius libro 1. eius præceptori Anaximandro Mileſio tribuit) ipſumque ἀπὸ τῆς σκιᾶς, hoc eſt, ab umbra, ſciotericon appellauit. Romæ multò ſeriùs contigit: in XII. enim Tabulis, ortus tantùm & occaſus ſolis nominabatur.

L. PAPYRIVS Curſor, ſolarij horologij uſum Romę primus intulit, ad ædem Quirini, cùm eandẽ dedicaret à patre ſuo uotam. Accenſus Conſulis, id eſt præco, Solem ortum pronunciabat, quum è curia inter Roſtra & Græcoſtaſim eum proſpiciebat: à columna uerò ænea ad carcerem inclinato ſidere, ſupremam horam pronunciabat: ſed hoc ſerenis tantùm diebus, uſque ad primum Punicum bellum. At M. Varro primùm ſtatutum in publico ſecundùm Roſtra in columna tradit, bello Punico primo, à M. VAL. Meſſala conſule,



Catina capta in Sicilia. Deportatũ inde poſt 30. annos, quã de Papyriano horologio traditur, anno Vrbis 477. nec congruebant ad horas eius lineæ. Paruerunt tamen ei annis 99. donec Q. MARTIVS Philippus, collega L. Pauli in cenſura, diligentiùs ordinatũ, iuxtà poſuit: idq; munus inter cẽſoria opera gratiſſimum fuit. Etiã tum tamen nubilo die incertæ fuerunt horæ, uſq; ad proximũ luſtrum. Tunc Scipio Naſica collega Lænatis, primus aqua diuiſit horas 24. & horologiũ ſub tecto dicauit, anno Vrbis 595. Tam diu pop. Rom. indiſcreta lux fuit. Plin. lib. 7. c. 60.

Horologium ex aqua CTESIBIVS Alexandrinus primus reperit. Cic. lib. 2. de Nat. deorum. Vitruuius lib. 9. Polyd. lib. 2. cap. 5. de Rerum inuent.

BOETIVS Seuerinus primus horologia, quib. hodie utimur, antiquis ignota, libratis uidelicet ponderibus acta, Romæ componi curauit. Poſt cuius obitũ diu Italia eiuſmodi opificio caruit. Dominante deinde in Tranſpadanis Ioãne Galeatio Vicecomite, fabricatum fertur eiuſmodi horologiũ, non ſolùm horarum, ſed etiam ſiderum expreſſis notis atq; temporibus, ac ſolis lunæq; meatibus: cuius operis auctor ignoratur: collocatumq; illud horologium in arce, uel caſtello Papiæ fuit, ubi defuncto principe tam mirabile opus deſpectum iacuit, circulis etiam à ſuo loco ſublatis. Exacto poſtea ſeculo anni milleſimi & quingenteſimi, circa annum uigeſimumnonum, quo Carolus V. Bononiæ imperialẽ coronam ſuſcepit, allatum eidem Imperatori illud horologiũ incõpoſitum (ut erat) ſitu ac rubigine fœdatum fuit. Quo conſpecto, machinam admiratus, curari tanti operis inſtaurationẽ, fabris undiq; euocatis iuſſit. Quib. circa opificij reſtitutionem fruſtrà laborantibus, unus acceſſit IOANNES Cremonenſis, cognomento Ianellus, aſpectu informis, ſed ingenio clarus, qui tantũ opus ſpeculatus, refici poſſe machinam dixit, ſed nequicquam profuturam, ferris rubigine attritis, exeſiſq;, niſi nouum inſtrumẽtum ad illius uetuſti ſimilitudinẽ ac ſymmetriam cõponatur. Aggreſſuſq; opus, ſiue priorem artificem imitando, atq; æmulando, ſiue exæquando, diuturno labore opificium abſoluit, quod deferri in Hiſpaniam Imperator uoluit, magiſtro Ianello ſimul deducto. Bern. Saccus lib. 7. Ticinenſis hiſt.

IACOBVS Dondus, Patauinus medicus (qui à medicamẽtorum collectione Aggregator dictus eſt) inuenit horologij opificium admirandum, quo nõ modò horę diei ac noctis, ſed & annuus ſolis curſus per duodecim ſigna Zodiaci, & Lunæ mẽſtruæ aſpectus, ſingulis diebus, ſicuti in cœlo, cernitur. Menſium quoq; ac Feſtorum dies, fabrili operatione Antonij Patauini ſolertiſſimi artificis, & acuto huius ingenio, apertè conſpici poſſunt: cuius operis ſingulæ cõuerſiones, idem efficiunt in Sole, & Luna, & præcipuis ſtellis errantibus, quod in cœlo ſingulis diebus ac noctibus fieri uidemus. Hic ergo Iacobus medicus à tam nobili inuento omnium ipſe primus, antiquato priore cognomine, ab Horologio deinceps eſt appellatus: & poſt modum tota eius familia: quæ quidem Patauij, & honoribus, & diuitiis, & uiris præclaris in hanc diem ſemper floruit, atque in præſenti floret. Poſitum autem fuit hoc horologium ſuper turrim Palatij Vbertini principis Carrarienſis, anno Salutis 1344. Bern. Scard. lib. 2. claſſe 9. hiſt. Pat.

BERNARDINVS Carouagius, boue capitoſior, oculis emiſſitiis, ore exporrecto, linguaq; blæſus, Horologicam artem Papiæ diſcens, mirabilia fecit: inter quæ illud memorabile fuit, quòd ut Andreæ Alciato, eximio Iuriſconſulto, morem gereret, Horologium compoſuit, in quo per æris ſonitum, quam quiſq; ſtatuiſſet horam exaudiebat, atq; eodem ictu ignis ſcintilla ab inſerto ſilice in ſubiectum ſulphur excuſſa in flammam ibat, quæ repentè ardentis ſulphuris miniſterio ac continuatione, accendebat appoſitæ lucernæ fila, lucemq; reddebat: ita ut compoſito Horologio, ad quam dominus deſtinaſſet noctis horam, & à ſomno excitari, & lumine iuuari ſolius, Horologij ope unuſquiſq; accubãs poſſet. Ber. Saccus lib. 7. Ticinenſis hiſtoriæ.

*Indices Ventorum.*

ANDRONICVS Cyrrheſtes Athenis, teſte Vitruuio, locauit turrim, & in ſingulis lateribus imagines 12. uentorum exculptas, contra cuiuſque flatus: ſupraque metam marmoream poſuit, ac in ea Tritonem æreum, dextera manu uirgã porrigentem: quem ita fabricatus eſt, ut uento circumageretur, ſtaretque ſemper contra uenti flatum, uirga interim ad eius uenti imaginem uerſa. Polydorus libro primo, cap. 17. de Rerum inuent.

*Sonoræ.*

Plutarchus in commentario περὶ τῆς ἀδολεσχίας indicat, in Olympia PORTICVM quandam fuiſſe, ratione mathematica ita compoſitam, ut pro una uoce multas redderet: atque ob id ἑπτάφωνον appellatam.

## MECHANICÆ CVLTVS. NEMPE

### STVDIVM, AMOR IN

### ARTIFICVM CVLTV.

HIERO maximi fecit Archimedis μηχανήματα. Titulo præcedente.

### OPERVM, TVM

*Communicatione.*

Inter munera à Perſarum rege ad CAROLVM Magnum miſſa, ſcribitur fuiſſe horologium αὐτόματον mira arte fabrefactum, quod ſonitu tintinnabuli horas diſtinxit & indicauit. Idq; præcipuè Carolus admiratus & imitatus eſt. Ramus libro 2. Procœmij mathem.

Legati FERDINANDI I. Imp. ad Solymannũ. Conſtantinopolitanum Cæſarem, tulêre munera, excelſum Germanico more ex auro poculum, lectiſſimis exornatum gemmis, eruditæq; inſuper admirationis argenteam machinam, in qua non horarum modò ſpacia, ſed errantium etiam ſiderũ motus, menſtruique Solis ac Lunæ coitus, exactiſſima ratione monſtrabantur: intus ſcilicet dentatis rotis, certiſq; ponderibus, admirabili momento, uel in multum æuum minutiſſimas temporum menſuras diſpenſantibus: quum inter celeres tardoſq; orbes, in tam uario inæqualiq; polorum ordine, audaci quadam ſupremi motoris æmulatione, coniuncta cõgruerẽt. Ea à peritiſſimis aſtronomis excogitata perfectaq;, Maximiliani I. Cæſaris fuiſſe dicebatur, cuius ingeniũ nobili ſemper ſtudio, nec deterrẽte unquam ſumtu, rara atque admiranda concupiuit. Illata ergo illa machina, ſuccollantibus duodecim ſeruis, Solymanni animũ & barbarorũ oculos admiratione compleuit. Adduxerant enim artificẽ, qui ſolutis machinæ fibulis interiora admirabili ratione circumacta repanderet: is libellum quoq; detulerat, attritę uel luxatæ machinæ remedia continentem, tradentemque pręcepta, quibus tot orbium curſus nunquam interitura ratione regeretur. Ea enim ingenij ſubtilitate Solymannus fuit, ut non modò ſacris literis, quibus ſuperſtitionis ſuæ leges continẽtur, eſſet eruditus, ſed aſtronomię coſmographięq; præſertim curioſè operam daret, Hammone medico ex Bethica oriundo perdocente: quum uir acutus ſingulas terrarum regiones ſinuſq; maris in membranis depictiſq; orbibus demonſtraret, ut inde regius animus per otium utili & peramœna delectatione caperetur. Iouius.

## ODIVM, CONTEMTVS, Neglectus. Tum

### ARTIS.

ARCHIMEDES Mechanicam, in qua tamẽ excellentiſſimus erat, uti ſordidam contemnebat præ theorica. Vide Tit. præcedentem.

### OPERVM.

Chriſtianus rex Daniæ, à MOSCOVITARVM principe pacẽ pro Liuonia impetrare cupiens, miſit argenteum αὐτόματον cœleſtium motuum, affabrè atq; artificioſè factum, cũ aliis muneribus. Cætera quidem munera Moſcouita accepit: αὐτόματον uerò cùm didiciſſet cœleſtium motuum organum eſſe, contumelioſè deriſum, Dano remiſit: inquiẽs, ipſum de cœlo ſtultè ſollicitũ eſſe, cùm de terra inter ipſos armis certaretur. P. Ramus lib. 2. Procœmij Mathem.

Vicinus urbi noſtræ PRINCEPS, non illaudatus cætera, à Mathematico quodam donatus horologio machinali ligneo artificioſiſſimo: Equum maluiſſem aut bombardam, reſpõdit: dato tamen honorario hominem dimiſit. Laudantibus uerò quibuſdam operis elegantiam & artem, per iocum illud ea lege Gaſparo Heruagio I. C. conſiliario ſuo, qui pòſt Rœtelanæ pręfecturæ ſcriniis præfuit, donauit, uti pro eo quinq; caſeos Heluetios ſibi muneris loco offerret: ſcilicet ut proportione arithmetica non geometrica inæqualitas iſta adęquaretur.

### ARTIFICVM.

*Ex loco Mechanicarũ artium quædam huc transferri poſſunt, illarum dico, quæ propter Mathematicã originẽ inter liberales cõnumeratæ fuere à ueterib. qualis Pictoria eſt & Statuaria & Architectura.*

# LIBRI QVARTI TITVLORVM DISPOSITIO.

PHILOSOPHIAE diuinæ pomœria longe lateq; ſe diffundũt, nec in Scholas tantũ Metaphyſicorũ & Theologorum, uerũ etiam in uitã quotidianam excurrũt: cũ uel ex profeſſo de diuinis reb. agat, uel ſaltem de humanis diuinè. Obſeruemus ergo philoſophiæ huius

- Habitũ, quo ad
  - Acquiſitionem, & propagationem. Acquiritur uel
    - Propria induſtria, inueniende. INVENTORES eorum, quæ pertinent ad Theologiam, Diuinationem, Magiam.
    - Aliena ope. Philoſophiæ diuinæ
      - DOCTORES, tũ
        - Theologiæ, apud
          - Iudæos, Prophetæ.
          - Chriſtianos, tum
            - Veræ. Apoſtoli, Eccleſiaſtæ, Concionatores ſacri.
            - Falſæ. Hæretici doctores.
        - Magiæ. Diuinationis.
      - DISCIPVLI. Qui à quib. uel totam uel partem diuinæ philoſophiæ didicere: utputa à
        - Vniuerſo. Meteoris.
        - Inanimatis. Stirpibus.
        - Animalibus brutis.
        - Hominibus, qui Theologiam
          - Non profitentur. Puta à
            - Poetis.
            - Martyribus.
            - Sceleratis.
          - Profitentur.
        - Spiritu diuino.
        - Angelis.
        - Dæmonibus.
  - Poſſeſsionem. Philoſophia diuina circa ſubiectũ diuinum uerſatur. Hoc autem tale eſt uel
    - Per ſe, ratione eſſentiæ æternæ, ſiue actu ſubſiſtat omnis materiæ expers, etiam extra intellectum humanum, ut Deus, Angeli, Anima hominis: ſiue actu extra intellectum non ſubſiſtat, ſed ab intellectu hominis æternitati conſecretur: quando per quandam abſtractionem uniuerſalis rerum idea ad diuinum exemplar effingitur. Theologia dicatur in genere: ſiue conſtet
      - Ratione intra limites humanæ naturæ contenta. METAPHYSICI appellentur, uel PHILOSOPHI diuini. Et horum alij
        - Puri: Metaphyſici eximiè & abſolutè.
        - Impuri, fabuloſi, ſuperſtitioſi. Theologi Ethnicorum.
      - Reuelatione, naturæ humanæ limites excedente, mutuata ab intelligentiis, tum
        - Bonis, & proinde Diuina. Sic Theologiæ profeſſores
          - Veræ. THEOLOGI, Sapientiæ diuinæ per reuelationem traditæ profeſſores apud
            - Iudæos.
            - Chriſtianos.
          - Falſæ. HAERETICI. Veræ religionis falſa profeſsio.
        - Malis, & iccircò Dæmoniaca. MAGI Periti & Imperiti.
    - Per accidens, quatenus res diuinas euadit ratione
      - Præcognitionis, quòd non niſi in Deum omniſcium cadat uel futurorũ, uel præſentium à ſenſibus remotorum, uel præteritorum, nulla ratione humanã communicatorum, cognitio, adeoq; diuinæ Sapientiæ hac in parte imitator exiſtat Theologus. Vide ſignum I.
      - Effectionis, quæ hominis uires ſuperat, & diuinæ Omnipotentiæ ueluti radius eſſe uidetur. MIRACVLORVM edendorum dono inſtructi.
  - Exercitationem. Vide in ſequentibus ſignum IV.
- Cultum, in ſemetipſo aliiſue. Cultus tot ſunt ſpecies, quot ſunt Subiecti. Rudi tamen minerua conſiderabimus, tum quo ad Habitum, tum quo ad Profeſſores ipſos, & Studium, & Odium, ſiue Cõtemtum, ſiue Neglectũ,
  - THEOLOGIAE.
  - MAGIAE.
  - DIVINATIONIS.
  - MIRACVLORVM.





I. In Præcognitionis huius poſſeſsione conſideremus et

- Perſonas poſſidẽtes, conſideratas reſpectu
  - Efficientis, Afflatus ſcilicet ſacri. Sic VATES alij ſunt
    - Diuini. PROPHETAE diuini quo ad
      - Sexum:
        - Viri.
        - Mulieres. Prophetiſſæ.
      - Ætatem. Iuuenes, Senes.
    - Dæmoniaci. PROPHETAE dæmoniaci reſpectu
      - Sexus
        - Viri, apud
          - Iudæos. Ethnicos.
          - Chriſtianos.
          - Iſmaelitas.
        - Mulieres, apud
          - Iudæos.
          - Ethnicos.
          - Chriſtianos.
      - Ætatis, Pueri, Puellæ.
  - Subiecti, ipſius ſcilicet Signi diuini, quod interpretantur. INTERPRETES diuini nuncupentur in genere. Quorum etſi tot differentiæ poſſunt aſsignari, quot ſunt ſignorũ ſpẽs; rudi tamẽ minerua diuidãtur in eos, qui interpretantur ea quæ accidũt
    - Dormiẽtibus. SOMNIORVM interpretes.
    - Vigilãtibus. AVGVRES, Aruſpices.
- Rem ſiue Habitum ipſum, qui poſsidetur. In uniuerſum DIVINATIO dicitur, in ſpecies propemodum innumeras & ualde intricatas diſtincta: ut hac in parte diuinitatis æmula humana ſtultitia, nequiſsimorum ſpirituum dolis dementata, dum alia potius quàm ſemetipſam cognoſcere ſatagit, à ſimpliciſſimo diuinæ cognitionis fonte aberrans, ſuperſtitionis & impietatis mancipium abiectiſſimum extiterit. Nos pro inſtituti noſtri ratione Diuinationum tum piarum, tum impiarum, tum uerarum, tum falſarum differentias deducamus alias
  - Eſſẽtiales, deſumtas à Diuinationis ipſius
    - Materia, hoc eſt, ab eo quod diuinum ſeſe offert, tum
      - Vigilantibus, & uel à Deo uel à diis proficiſcitur
        - Immediatè, uel
          - Intra hominem
            - Spirãte. Per Afflatum inſenſilem in
              - Genere.
              - Specie
                - Diuinũ.
                - Diabolicum.
            - Reſidente, per Inſultum ſenſilẽ. ἐγγαστρίμυθοι, γαστρονομία, & στερνομαντεία.
          - Extra hominẽ
            - Spirante. Vox diuina incerto auctore emiſſa.
            - Apparente. Viſio diuina, Spectrorũ, Angelorũ, Dæmonũ.
        - Mediatè per obiecta quædam diuinitate participantia. Vide ſignum II.
      - Dormiẽtibus. DIVINATIO per INSOMNIA:
        - Qualia:
          - Nuda.
          - Inuoluta.
        - Quomodo. Nam uel
          - Captantur.
          - Mittuntur.
    - Forma, ſiue Modo quo ſeſe offert. Sic tria potiſſima Diuinationum genera ſtatui poſſũt, ad quæ materiales prædictæ omnes referãtur. Significãtur .n. hominib. ea quæ ſunt occulta & ignota uel
      - Immediatè, per
        - Deos ipſos, angelos, ſpiritus. REVELATIO dicitur in uniuerſum, facta
          - Vigilantibus.
          - Dormientibus.
        - Creaturas diuinitatis participes, quæ cõmunicãt aliis ea, quæ diuino, nõ naturali inſtinctu hauſerũt. PRAESAGITIO, Iuſſa, Monita, ſiue fiãt
          - Voce
            - Animatorum
              - Hominũ, tum
                - Viuorũ. Vt puta
                  - Infantũ, Puerorũ.
                  - Stultorum.
                  - Dæmoniacorum.
                - Morientiũ.
                - Mortuorũ.
              - Brutorum.
            - Inanimatorum.
          - Scripto.
      - Mediatè, per notas quaſdam & indicia. ADMONITIO per Signa diuina.
  - Accidentales, potiſſimũ à Tempore. Sic DIVINATIO alia
    - Præteritorum, ANAGNOSTICA.
    - Præſentium, DIAGNOSTICA: utputa
      - Diuini fauoris.
      - Victoriæ.
      - Actionũ humanarum quarumlibet.
      - Damni uel infortunij cuiuſcunq;.
    - Futurorum, PROGNOSTICA.

- II. Obiecta iſta diuinitate participantia ſumuntur uel ex
  - Viuētibus
    - Irrationalibus, ex
      - Animalibus in
        - Genere.
        - Specie. Ex
          - Auibus ——
            - Qualis.
            - Quarum.
          - Quadrupedibus.
          - Aquatilibus.
          - Inſectis.
      - Vegetantib.
        - Quomodo.
        - Quibus.
    - Rationalibus, Hominibus ſcilicet, diuinationē proferentibus uel
      - Abſolutè, prædicendo. HOMINVM prædictiones, præſagia, uaticinia.
      - Secundū quid, ſiue per quid aliud, quod ipſum tanquā inſtrumentum diuinationis adhibetur uel
        - Conſultò & ſpōte. Sic diuinandi cauſa adhibentur ea, quæ diuina ſunt
          - Per ſe, tum
            - Dei
              - Nomen. Iuſiurandi diuinatio.
              - Iudicium. Prouocatio ad diuinum tribunal.
            - Res diuinæ. Puta
              - Sacrificia. Sacrorum diuinatio.
              - Scripta ſacra. Sortes ſacræ.
              - Verba ſacra
                - Audita.
                - Pronunciata, recitata.
              - Facta admiranda. Miraculorum editione aliquid cōfirmare uel refellere.
          - Per accidēs, nempe ex inuocatione uel obteſtatione diuinæ ueritatis, iuſtitiæue. Sic diuinatio inſtituitur per
            - Hominum
              - Fortunam. Aduentum.
              - Actiones, Paſſionésue. Ab
                - Armis. Monomachiæ diuinatio in
                  - Genere.
                  - Specie.
                - Igne diuinatio
                  - Qualis.
                  - Cur.
                - Aqua
                  - Epota.
                  - Contacta.
                - Cibo, Potu diuinatio.
            - Res ab hominibus certo conſilio contrectatas, uſurpatas. Sortes dicantur in
              - Genere.
              - Specie. Nempe Poetarum, Chartæ, Vocum, Nominū, &c.
        - Nō conſultò, fortuitò. OMINATIONES. Diuinatio omināſa. Tū in
          - Genere.
          - Specie. Sic diuinant ex iis, quæ homini accidunt, conſideratis
            - Formaliter, ab
              - Actionib. Nēpe ab
                - Apprehenſione. Contrectatione.
                - Scriptione. Sacrificiis. Suffragiis.
                - Donis. Ludo. Occurſu.
                - Alloquio. Excrementis.
                - Sternutatione, Offenſione pedum.
              - Paſsionib. Nēpe à
                - Progreſſu impedito.
                - Interceſſu alterius.
                - Frigore. Splendore corporis.
                - Notis, Maculis. Barba.
                - Incremento corporis.
            - Materialiter. Nēpe occaſione
              - Nominis. Veſtitus.
              - Sedis, Throni. Coronæ.
  - Non uiuētibus, uel
    - Exanimatis, quæ uixēre priùs. Sic DIVINATIO ex mortuis duplex. Reſpectu enim
      - Animæ, ueſtigium illius reliquum eſſe uidetur, per
        - Actiones:
          - Oracula & reſponſa, quæ dant.
          - Miracula, quæ faciunt, diuinæ ſcientiæ & cognitionis indicia.
        - Paſsiones
          - Miras.
          - Inſolentes.
      - Corporis, ſic notæ quædam ſignificantes uel in toto uel in certis partibus ſiue Extis conſiderantur. EXTISPICIVM in
        - Genere.
        - Specie:
          - Quorū.
          - Quomodo.
    - Inanimatis. INANIMATORVM quorumuis conſideratio, inſpectio, adminiſtratio, tum
      - Naturalium. Vtputa
        - Tempeſtatum, Tonitruum, Niuium, Grandinis, Æſtus, Frigoris.
        - Ignis. Aquæ. Lapidum. Gemmarum.
      - Artificialium, puta
        - Simulacrorum, Statuarum, Imaginum.
        - Talorum. Characterum, Figurarum, Numerorum.
        - Numorum. Anulorum.
        - Librorum. Ædificiorum, Murorum.
        - Speculorum, Vitrorum.
        - Cribri. Peluis. Fiſcellæ.
        - Armorum. Ephod.





- IV. Exercitatio diuina dupliciter conſideratur. Vel
  - Abſolutè, quatenus Dei excellentiam imitatur homo, quantum fas eſt, tum ἐν τῷ
    - Θεωρεῖν, qđ Sapientiæ eſt. THEOLOGIA dicatur Theorica. Spectatur autē partim
      - Cognoſcendo ea, quæ captū hominis ſuperant. Cognitio duplex eſſe uidetur, in qua Theologus ſiue philoſophus diuinus exercetur: nempe uel in cognoſcēda Rerum, Actionum, Paßionúmue
        - Exiſtentia, per ſe alioqui humanæ rationis modulo ignotá. Quæ ipſa exiſtentia, ut certis uel præceptis, uel hiſtoriis, uel ſignis comprehenditur, Dogmatum uoce cōprehendi poſſe uidetur: hincq; adeò Exercitatio tota in genere Dogmatica dici poteſt. Sic exercentur alij per
          - Cōtemplationē. CONTEMPLATIO Theologiæ
            - Veræ.
            - Falſæ.
          - Communicationem:
            - DISCIPLINA
              - Theologiæ
                - Veræ
                  - Scriptis.
                  - Voce uiua. Concionatores.
                - Falſæ.
              - Magiæ.
              - Diuinationis.
            - INTERPRETATIO
              - Bibliorum.
              - Sibyllinorum.
              - Somniorum.
              - Auguriorum, Portētorum.
        - Contingentia, quatenus res uel factæ, uel futuræ, uel certè præſentes cognoſcuntur, ſupra quàm cognitionis humanæ cōditio permittat. Exercitatio tota in genere Prophetica dici poteſt. Vide ſignum V.
      - Iudicādo ea, quæ diuina sūt, ſiue pertineant ad deos, ſiue ad homines. IVDICIVM Metaphyſicum
        - Rectū, de
          - Deo.
          - Chriſti ——
            - Potentia. Miraculis.
            - Morte. Meritis.
          - Deorum cultu.
          - Spiritibus. Spiritus explorare.
          - Animorum immortalitate.
          - Beatitudine, & Felicitate.
          - Hominum
            - Prophetia. Operibus religioſis.
            - Conciliis.
          - Antichriſto. Libris ſacris. Rebus ſacris.
        - Falſum, de
          - Deo & Chriſto.
          - Cultu Dei. Inferno.
          - Religionis ueritate.
          - Spirituum
            - Apparitione. Spiritus non explorare.
            - Reſtitutione.
          - Beatitudine & Felicitate.
          - Doctrina & Scriptis.
          - Sacris. Operibus.
          - Oraculis. Oracula non rectè intellecta. Vtputa
            - Religionis mutandæ uel retinendæ.
            - Sanitatis recuperandæ.
            - Mortis. Inſidiatorum, Hoſtium.
            - Excidij regnorum uel urbis.
            - Expugnationis. Bellorum euentus.
            - Regis futuri.
            - Dignitatis conſequēdæ
              - Pontificatus.
              - Regni.
            - Coloniarū. Captiuitatis.
            - Exulum reducendorum.
          - Somniis. Somnia non rectè intellecta.
          - Alimentorū uſu. Veſtitu. Cladibus. Victoria.
          - Pauperibus. Antichriſto. Iudæis.
    - Πράττειν Potentiæ eſt & Voluntatis. Appelletur docendi cauſa THEOLOGIA Practica, in operando uerſans. In opere duo ſpectantur, Modus & Vſus. Diuinum ergò opus, reſpectu Efficientis hominis Magnū eſt, & naturā illius ſuperans: reſpectu uerò Finis Bonum, ad utilitatem uel utentis uel aliorum conferens, ab eo, qui ſolus uerè bonus eſt, inſpiratum. Vide in ſeq. ſignum VII.
  - Reſpectu
    - Aliorum, quibus cum certant. CERTAMINA metaphyſica tum
      - Hominum & Spirituum.
      - Hominū inter ſe: ut puta
        - Theologorū, tū religionis
          - Eiuſdē: ut
            - Iudęorū inter ſe. Ethnicorū.
            - Chriſtianorū. Turcorum.
          - Diuerſę, ut
            - Iudæorum contra Ethnicos.
            - Chriſtianorū contra Iudæos, Ethnicos, Turcos.
        - Vatum. Magorum.
    - Finis. VSVS Metaphyſicæ, Theologiæ.

- V. Homo *qui per ſe nequit, diuinationis adminiculo cognoſcit. Cognitionis autem huius*
  - Finis *primarius uel eſt*
    - Theoricus, *in ueritatis ipſius intelligentia, tum de*
      - Diuinis. *utputa* DIVINATIO *de*
        - Deo. *Puta de*
          - Dei
            - Eſſentia, *Gloria.*
            - Iuſtitia, *Miſericordia.*
          - Chriſti *θεανθρώπου* Natiuitate, *Morte, Reſurrectione.*
        - Intelligentiarum *bonarum malarúmue,* ANGELORVM, *Dæmonum, Diuorum, Sanctorum, eſſentia, gloria, benignitate, uerſutia.*
        - Hominum, *tum in uita*
          - Præſenti, *fide uera aut falſa.* RELIGIONIS *ueræ falſæ'ue diuinatio in*
            - Genere.
            - Specie. *Quo ad*
              - Deum, *Chriſtum.*
              - Synaxin, *Miſſam.*
              - Dies *feſtos.*
              - Merita *humana.*
              - Animorũ *immortalitatem.*
          - Futura, *conditione et ſtatu, tum in*
            - Genere. REVELATIO *alterius uitæ bonorum malorúmue in genere.*
            - Specie, *utputa* REVELATIO *alterius uitæ*
              - Bonorum. *Beatitudinis ſcilicet, tum*
                - Propriæ.
                - Alienæ.
              - Malorũ, *tũ in*
                - Purgatorio.
                - Inferno.
      - Humanis nempe de
        - Animi
          - Bonis. VIRTVTVM *quarũlibet diuinatio: ut*
            - Sapientiæ *diuinæ, Prophetiæ, Sanctitatis.*
            - Eruditionis, *Sapientiæ profanæ, Eloquentiæ.*
            - Fortitudinis. Caſtitatis.
            - Clementiæ.
          - Malis. VITIORVM *quorumlibet diuinatio, Puta*
            - Ignauiæ. Intemperantiæ, *Libidinis.*
            - Auaritiæ. Simoniæ. Ambitionis.
            - Crudelitatis. Superbię. Impietatis.
            - Perfidię *in patriam.* Tyrannidis. Parricidij.
            - Furti. Falſæ *accuſationis.* Periurij.
        - Corporis
          - Bonis. CORPORIS *uariorũ bonorum diuina cognitio: puta*
            - Roboris.
            - Sanitatis, *Morborũ depulſionis*
              - Reuelatio.
              - Oracula, *Prædictiones.*
              - Omina. Somnia.
            - Peſtilentiæ *ſedandæ.*
            - Periculi *cuiuſuis euitandi, euitati, depulſi*
              - Reuelatio. Omina.
              - Auguria. Portenta.
              - Somnia.
            - Vitæ *longæuæ.*
            - Fœcunditatis, *Conceptionis, Partus futuri*
              - Reuelatio.
              - Oracula, *prædictiones.*
              - Somnia.
          - Malis. CORPORIS *malorũ quorumlibet diuina cognitio: utputa*
            - Mortis, *tum propriæ, tum alienæ*
              - Reuelatio. Oracula, *prædictiones.*
              - Omina. Auſpicia *&* *Auguria.*
              - Prodigia, *Portenta, Oſtenta.*
              - Somnia.
            - Peſtilentiæ.
            - Morborum *quorumuis.* Periculi *imminentis.*
        - Fortunæ. *Vide ſignum* VI.
    - Practicus, *in effectione uel omiſſione alicuius rei. Sic ergo* DIVINATIO *alia*
      - Præcipiens *aliquid fieri: nempe*
        - Philoſophiæ *ſtudere.* Docere, *Erudire alios.* Legere, *ſcribere, cõmentari.*
        - Monachatum, *ſacerdotium amplecti.* Sacra *facere, corrigere.*
        - Exercitia, *ludos inſtituere.* Liberis *operam dare.* Liberos *inſtituere.*
        - Expeditionem *ſuſcipere.* Occidere. Fugere. Vrbem *condere.*
        - Vrbem *excindere.* Vrbem, *arcem occupare.* Coloniã *deducere.*
        - Dignitatem *conferre.* Redire *in patriam.*
        - Ædificare. Liberare *captiuos.*
      - Prohibẽs *aliquid fieri, ſuſcipere, conari, perficere: utputa*
        - Contemplationem, *ſtudia relinquere.* Sacrorum *adminiſtrationem.*
        - Condemnationem. Cædem. Sepulturam. Luctum.
        - Liberorum *procreationem, Coniugium.* Peregrinationem, *iter.*
        - Expeditionem. Auxiliarios. Coloniæ *deductionem.*
        - Tributorum *exactionem.* Magiſtratus *electionem.* Oppugnationẽ.
        - Direptionem, *Excidium*
          - Vrbis. Templi, *Oratorij.*
          - Epiſcopatus. Agrorum.
        - Ædificationem, *Extructionem*
          - Templi.
          - Vrbis.
        - Perfoſsionem. Trophæi *erectionem.*
  - Euentus *uel*
    - Reſpondet. DIVINATIO *uera.*
    - Non *reſpondet.* DIVINATIO *falſa,*
      - Prædictionũ.
      - Oraculorum.

VI. Diui-



- VI. Diuinatio *de Fortuitis, tum*
  - Bonis. FORTVITORVM *bonorum diuinatio. Vtputa de*
    - Felicitate.
    - Copia *in*
      - Genere. *Opum.*
      - Specie:
        - Annonæ. Aquæ. Piſcium.
        - Rerũ *præcioſarum: puta*
          - Theſauri.
          - Anathematum *ſacrorum: ut*
            - Signorum, *Statuarum.*
            - Corporum.
            - Librorum.
            - Armorum.
    - Magiſtratu
      - Sacro.
      - Profano:
        - Imperij, Regni
          - Acquirendi, Cõſeruandi, Ampliãdi
            - Reuelationes. Oracula, *Prædictiones.*
            - Omina. Auguria, *Auſpicia.*
            - Prodigia, *Portenta, Oſtenta.*
            - Somnia.
          - Recuperandi.
          - Succeſsionis. Durationis.
        - Magiſtratus, *Dignitatis cuiuſuis alterius.*
    - Republica *Conſtituenda, Pacanda.* Regione *occupanda.*
    - Vrbe
      - Condenda. VRBIS *condendæ*
        - Reuelatio. Oracula, *Prædictiones.*
        - Auguria. Portenta.
      - Occupanda. Reſtauranda.
      - Habitanda. Potente, *bellicoſa, opulenta, populoſa, ſede imperij futura.*
    - Arce *occupanda.*
    - Monaſterio, *Templo*
      - Condendo.
      - Illuſtrando.
    - Loco *ignoto inueniendo.*
    - Victoria
      - Bellica
        - Reuelatio. Oracula, *Prædictiones.* Omina.
        - Auſpicia, *Auguria.* Prodigia, *Portenta, Oſtenta.* Somnia.
      - Athletica.
    - Auxilio *diuino uel humano contra hoſtes.*
    - Liberatione ab
      - Dæmone. Peccato. *Remiſsionis peccatorum*
        - Reuelatio. Prodigia.
        - Somnia.
      - Tyrannide. Seruitute. Obſidione.
      - Carcere. Inundatione. Siccitate, *Sterilitate, Fame.*
      - Terræmotu. Exilio: *Reditu in patriam.*
    - Amicitia *cum hoſtibus ineunda.* Coniugio. Hoſtili *infortunio.*
  - Malis. DIVINA *cognitio fortuitorum malorum. Vt*
    - Mundani *excidij.* Schiſmatum, *Perſecutionum religionis.*
    - Religionis *immutandæ: tum*
      - Veræ
        - Propagandæ.
        - Corrumpendæ, *euertendæ.*
      - Falſæ
        - Propagandæ.
        - Euertendæ.
    - Infelicitatis, *Calamitatis in genere.*
    - Inimicitiæ, *Diſcordiæ*
      - Eccleſiaſticæ.
      - Ciuilis *belli, Seditionis caſtrenſis*
        - Reuelatio. Prædictio. Omina.
        - Auguria. Portenta. Somnia.
      - Belli *externi, Hoſtilis incurſionis, aduentus*
        - Prædictio. Auguria.
        - Somnia.
    - Bellicæ *cladis*
      - Præſentis.
      - Futurę, *imminentis. Expeditionis infauſtæ, Bellicæ cladis*
        - Reuelatio. Prædictio.
        - Omina. Auguria.
        - Prodigia, *Oſtenta.* Somnia.
    - Excidij, *Regnorum, Imperij, Regionis, Reipub. mutandæ*
      - Reuelatio. Prædictio.
      - Omina. Auguria.
      - Prodigia, *Oſtenta.* Somnia.
    - Deiectionis *à dignitate*
      - Pontificatu. Imperio.
      - Regno. Principatu.
    - Imperij, *Magiſtratus*
      - Infelicis. Tyrannici.
      - Breuis. Vilis, *abiecti.*
    - Regionis *uaſtandæ.* Loci *infelicis.*
    - Vrbium *excidij, obſeſsionis, expugnationis, direptionis*
      - Reuelatio. Prædictio.
      - Omina. Prodigia.
    - Monaſterij *euerſionis.* Sterilitatis *agrorum, penuriæ, famis.*
    - Inundationis, *diluuij.* Naufragij. Terræmotus. Incendij. Exilij.
    - Captiuitatis, *carcerum.* Infamiæ, *dedecoris.*



VII. Theo-

- **VII. Theologia Practica** ex hac ſuppoſitione diuinidi poſſe uidetur (non nouādi, ſed docendi cauſa uſurpatis uocib.) in eam, quæ opus diuinum facit
  - Magnū, hoc eſt, hominis facultate maius, inſolēs, & ppterea ad mirandum. Quæ ΘΑΥΜΑΤΟΥΡΓΙΑ Theologis Chriſtianis appellatur: Magis aliàs THEVRGIA dicta. Et hæc quidem exercitatio Potētiæ diuinæ, quantū diuinitùs uel datur, uel permittitur, imitatrix, in deſignandis & faciēdis Miraculis uel
    - Succedit
      - Rectè quidem uirtute Diuina MIRACVLA Diuina. Tum in
        - Genere.
        - Specie. Cuiuſmodi ſunt
          - Præſentia cognoſcere, Præterita reminiſci, Futura diuinare.
          - Virtutem immittere. Vitia compeſcere, redarguere.
          - Morbos tollere, Sanitatem reſtituere. Venena uincere. Vocem adimere.
          - Morbos immittere. Mortuos ſuſcitare. Interficere Homines, Bruta.
          - Animalia infeſta, feras capere, conficere, abigere, cicurare, domare.
          - Cadauera à putredine conſeruare. Dæmones ad officium cogere.
          - Dæmones pellere è Lacu, è Statuis, ex Hominibus, è Brutis.
          - Hoſtes profligare, domare, placare. Victoriam conciliare.
          - Formam immutare ſuam uel alienam. Ab igne non lædi.
          - Ignem cœlitùs elicere. Ignem excitare. Incendia reſtinguere.
          - Tempeſtatem, Inundationem compeſcere. Imbres excitare.
          - Ab aqua non lædi. Aquam elicere. Aquā mutare, corrigere, conuertere.
          - Loca periculoſa tranſire. Flumina ſuperare. Per aerem ferri, Euehi.
          - Alimenta comparare, conſeruare, corrigere.
          - Immobilia transferre, loco mouere. Inanimatis motum dare.
          - Motum impedire, ſiſtere. Seruare ab interitu. Clauſa aperire.
      - Peruerſè uerò uirtute Diabolica. MAGICA miracula. Tum in
        - Genere.
        - Specie:
          - Prædicere futura. Cognoſcere præſentia, remota. Scire occulta, incognita.
          - Expiſcari arcana.
          - Animi bona maláue conciliare. Puta
            - Sapientem efficere.
            - Caſtitatē procurare. Ad amorem pellicere.
            - Ad Clementiam permouere.
          - Ad ſaltandum cogere. Actionem quamuis impedire. Deuorare.
          - Morbos inducere. Puta
            - Sterilitatē, Veneris impotentiā. Pariēdi difficultatē.
            - Lactis defectum. Tabem.
            - Cæcitatem. Graueolentiam. Peſtem.
          - Occidere, necare in
            - Genere.
            - Specie — Homines. Bruta. / Stirpes.
          - Dolores mitigare. Morbos abigere: uel
            - Abſolutè.
            - Translatione in alium.
          - Vitam conſeruare. Reſurgere à mortuis.
          - Dęmones, Manes,
            - Elicere. Capere. Immittere.
            - Pellere ex — Hominibus. / Locis certis.
          - In alias formas conuertere
            - Seipſos.
            - Alios — Homines. / Inanimata.
          - Inuiſibilem reddere
            - Semetipſum.
            - Res alias.
          - Vias infeſtare. Conuiuia inſtituere.
          - Corpus præter naturam mouere tum
            - Suum. In
              - Aere — Eleuando, Aſcendendo. / Volando.
              - Mari. Equo. Præcipitiis.
            - Alienum.
          - Vulnera præcauere. Dignitates acquirere. Theſauros inuenire.
          - Pecunias ſimulare. Vincula exuere. E carceribus liberare.
          - Seruos fugitiuos retrahere, retinere.
          - Hoſtes
            - Vincere.
            - Effugere.
          - Auium uoces intelligere.
          - Belluas, Feras, Serpentes
            - Occidere. Abigere. Cicurare, Domare.
            - Vocales reddere. Efferare. Simulare.
          - Arboribus flores, uocem dare. Inanimatis uitam, motum dare.
          - Naturā rerū puertere. Cuius ſunt generis,
            - Sidera detrahere. In luna ſcribere. Fulgura elicere.
            - Tempeſtatem, Grandinē, Imbres excitare. Tēpeſtates ſedare.
            - Ventos ſedare, retinere. Ventos ciere.
            - Tenebras obijcere. Aerem fœtore inficere. Ignem excitare.
            - Ignis ardorem perferre. Aquā cribro haurire. Solida diuidere.
    - Nō ſuccedit. MIRACVLORVM fruſtratio, tū
      - Hæreticorum.
      - Magorum. Magiæ uſus
        - Infelix.
        - Irritus.
  - Bonū, utile, quo Dei Voluntatē, qua homines cōplectitur ſecūdū Miſericordiā ſimul & ſecundū Iuſtitiā imitatur. ΕΥΛΕΙΤΟΥΡΓΙΑ clarioris doctrinæ cauſa dicatur, Voluntatis diuinæ quantum licet æmula. Quæ ipſa cùm in conuerſatione hominum potiſſimùm ſpectetur, quos inter ſe diuini amoris uinculo colligat, Religionis nomine à Latinis (etſi umbram pro re tantùm ſectantib.) donata fuit. De qua ſub Religioſa Iuſtitia, unicuiq; id qđ ſuū eſt, ſiue Deo, ſiue Homini, ex Theologiæ præſcripto tribuētis, agemus. Hic ADMINISTRATIONIS Diuinæ appellatione cōplectemur Exercitationē ſiue publicam (quæ propriè λειτουργία eſt) ſiue priuatam tum
    - Precū, Sacrorum
      - Aptā.
      - Ineptā.
    - Baptiſmi, Aptā, Ineptam.
    - Euchariſtiæ, Aptam, Ineptā.



# Voluminis Quinti Liber IV.

## DE PHILOSOPHIA DIVINA.

*LOCVS ampliſſimus hic eſt, cùm non ea tantùm, quorum eſſe per ſe diuinum eſt, complectatur: ſed ea quoque, quæ licèt caduca ſint, ſub intelligentiam tamen hominis, non niſi diuina quadam ſorte cadunt. Illa Diuinorum cognitio dici poſſet, hæc uerò Diuinatio, quò frequentior, & ad quotidianam uitam utilior, eò maiore digna ſtudio & conſideratione: quādoquidem & ex Socratis ſententia ſcientiarum fructus in actione potiſſimùm ſpectatur, & quod uerè Franciſcus Minoritarum princeps dicebat, Tantum ſcimus, quantum operamur. Ergo Metaphyſica ſuam habebit Theoriā, ſuam quoque Praxim, non minus, quàm Mathematica, quemadmodum ex typo, qui huic Volumini præfixus eſt, conſtare poteſt. Priſci triplex genus Theologiæ habuêre, unum μυθικὸν, ſiue ἱστορικὸν, poetis maximè attributum. Alterum φυσικὸν, quod myſticum eſt, & ab philoſophis ſuſceptum. Tertium πολιτικὸν, quod in ſingulis ciuitatibus conſuetudine inoleuit, ac mox legibus eſt ſancitum. Quo genere poſtremo continebantur Oracula & Reſponſa. Varro in libro Rerum diuinarum apud D. Auguſtinum de Ciuitate Dei.*

### INVENTORES DIVINÆ PHILOSOPHIAE.

#### THEOLOGIAE, TVM VERÆ.

ABRAHAMVS Patriarcha, uirtute ſapientiæ cæteris præſtantior habitus, conſtituit uulgò receptam de diis perſuaſionē conuellere & cōmutare. Ergo primus auſus fuit affirmare unum eſſe Deum uniuerſorum opificem: de cætero ſi quid ad felicitatem conferat, id non noſtris nobis uiribus, ſed illius uoluntate contingere. Hoc uerò colligebat ex terræ & maris affectionibus, tum eorum, quæ circa ſolem & lunam, ac omnium, quæ circa cœlum contingerent: eſſe nimirum potentiam quandam, quæ his adſit & prouideat, ſingulari ordinis obſeruatione. Hac autem cùm deſtituerentur homines, palàm eſſe, quęcunq; ad noſtram utilitatem attinēt, nō pro noſtra ipſorum facultate, ſed pro Dei iubentis imperio & poteſtate ſuppeditari. Quapropter huic uni honorē deberi, huic gratias agi oportere. Itaque cùm Chaldæi & Meſopotamij cæteri contra ipſum mouerentur, conſilium migrandi cepit, & uoluntate auxilioq; Dei fretus, Chananęam tenuit: ubi ſedibus poſitis Deo ſtruxit aram, & hoſtias mactauit. Meminit illius Beroſus, non tamen eum nominans, his uerbis, Poſt diluuium decima ætate apud Chaldęos fuit quidam iuſtitiæ cultor, uir magnus, & cœleſtium rerum peritus. Ioſephus lib. 1. Antiq. cap. 8.

#### FALSÆ.

*Ethnicæ ſuperſtitionis & idololatriæ auctores ſub loco Iniuſtitiæ religioſæ enarrabuntur. Heic inuentionis Diuini cultus, licèt falſi, habetur ratio: illic uerò ut iniquus & impius rectè damnatur.*

ORPHEVS primus Bacchi ſacra in Græciam introduxit, primosq; in monte Bœotiæ Thebis, ubi Liber pater natus eſt, ſacra Orphica, in quibus ipſe poſtea fuit laceratus, inſtituit: ut ait Lactantius de falſa Religione. Hic multa humanę politicæq; uitę utilia inuenit, ut ait Pauſanias in Bœoticis: nā & deorū initia, & uniuerſam Theologiā primus aperuit, & nefariorum facinorum expiationes excogitauit, & quib. ritibus iratorum deorum mentes placarentur tradidit, & multa morborum remedia adinuenit, ut ipſe de ſeipſo teſtatur in Argonaut. Natalis Comes Mythol. lib. 7. c. 14.

AEGYPTII primi extiterunt, qui dicerent animam hominis eſſe immortalem, quæ demortuo corpore ſubinde in aliud atque aliud corpus, ut quodq; gigneretur, immigraret: atq; ubi per omnia ſe circumtuliſſet, terreſtria, marina, uolucria, rurſus in aliquod genitum hominis corpus introiret. Atque hunc ab ea circuitum fieri intra annorum tria millia. Hanc rationem Pythagorei pro ſua uſurpauerunt, ab Aegyptiis deſumtam. Herodotus lib. 2.

#### MAGIAE.

Dæmoniorū, qui humana corpora obſidebant, & morbis affligebant, exorciſmi inuentio, SALOMONI diuino ſapiētiæ antiſtiti accepta refertur. Deus enim ei pręſtitit uirtutem & artem contra Dæmones ad utilitatem hominū, qua eorum morbos mitigaret. Ioſephus lib. Antiq. 8. c. 2.

ZOROASTRES Bactrianorum rex (contra quem primus Aſſyriorum rex Ninus bella ſuſcepit) primus omnium dicitur artes magicas inueniſſe, mundi principia, ſiderumq; motus diligenter ſpectaſſe. Iuſtin. lib. 1. Plin. lib. 30. cap. 1. Oroſius libro 1. cap. 4. Euſebius libro decimo, de præp. Euang. tempore Abrahami. Alij Magiæ inuentionem ATRACIO cuidā in Thracia tribuunt.

#### DIVINATIONIS CVIVSLIBET.

Nonnulli uoluerunt VVLCANVM peritiſſimum fuiſſe illius diuinationis, quæ fit per ignem, quæ pyromantia à Græcis

nominatur:ſicuti NEREVS habitus eſt inuentor hydromãtiæ, hoc eſt, diuinationis per aquam. Natalis Comes Mythologiæ lib.2.cap.6.

Non ſolam inuentionem ignis PROMETHEO tribuunt, uerùm etiam Medicinæ, pharmacorumq; miſtiones, inprimis uerò leges diuinationũ, & ſomniorum interpretationes. Primus fertur obſeruaſſe auium uolatus, & garritus, & quid ſignificarent. Inuenit idẽ extorum obſeruationes, & colores, & ſitus, & quibus uictimis, & quo ritu mactatis dij ſinguli lætarentur. Fulgura & ſigna de cœlo notauit. Aeſchylus.

Auguria ex auibus CAR, à quo Caria: ex animalibus ORPHEVS. Auſpicia auium TIRESIAS Thebanus. Plinius lib.7.cap.56.

PARNASSVS, Neptuni & Cleodoræ nymphæ F. Delphorum ueterem urbem condidit, quæ diluuio Deucalioneo periit. Ab eo Parnaſſus mons nomen obtinuit. Fertur ille prædictionem ex auium uolatu inueniſſe. Pauſanias in Phocicis.

ARVSPICES cor in extis inſpicere ceperũt Romæ primùm CXXIII. Olymp. L. Poſthumio Albino rege ſacrorũ, cùm rex Pyrrhus ex Italia diſceſſiſſet. Plinius lib.11.c.37.

Somniorum interpretationem, auctore Plinio in ſeptimo, AMPHICTYON primus docuit, quod Trogus IOSEPHO Iacobi filio attribuit, quem omninò peritiſſimè ſomnia eſſe interpretatum Ioſephus in ſecundo Antiquitatum affirmat. Clemẽs uerò TELMESSINIS aſſignat. Polydorus lib. 1. c.ult. de Rerum inuentoribus.

Ab AEGYPTIIS plura prodigia reperta ſunt, quàm à cæteris omnibus hominibus. Nam cùm prodigium extitit, ſcribunt id, obſeruantes quomodo euenerit. Et ſi quãdo poſtmodum huius ſimile extiterit, exemplo prioris putant euenturum. Herod. lib.2.

Aranti cuidam in agro Tarquinienſi, & ſulcum altiùs imprimenti, ſubitò è terra extitit quidam, qui TAGES appellatus, facie quidem puerili, ſed ſenili prudentia, à quo uniuerſa Hetruria aruſpicinam edocta eſt, quæ ab ara & inſpiciendo ſibi nomen uindicauit. Cic. lib.2. de Diuinat. Sed Plin. lib. 7. aruſpicij inuentionem cuidam DELPHO tribuit, ſicut ignispicij AMPHIARAO.

# DOCTORES, PRÆCEPTORES PHILOSOPHIÆ Diuinæ. HVIVS ſunt loci

## THEOLOGIAE DOCTORES. Tum

### IVDÆORVM.

*Prophetæ in ueteri lege etſi à mirando præcognitionis futurorum dono nomen traxere, iidem tamen in diuina uoluntate homines erudiebant. Eorum proinde exempla è Tit. Prophetarum petenda erunt.*

Cùm populus Iſraeliticus moroſitate & cupiditate ſua Moſi grauis eſſet, conqueſtus eſt coram Domino ea de re. Iuſſit igitur Dominus LXX uiros de ſenatoribus Iſraelitarum ſelectos conuocari ad oraculare tabernaculum, iiſq; ſpiritũ, quo Moſes præditus erat, immiſit. Qui ubi illis inſedit, tum ſine intermiſſione uaticinabantur. Reſtabant autem duo in caſtris, ELDADVS & MEDADVS, qui cùm eſſent in numero conſcriptorum, neq; ad tabernaculũ cõceſſiſſent, ceperunt & ipſi ſpiritu afflati in caſtris uaticinarĩ. Quod cùm puer quidam Moſi nunciatum cucurriſſet, Ioſua Nunis F. Moſis de iuuenibus adminiſter, reſpondit, Domine Moſes prohibe eos. Cui Moſes, Num tu pro me inuides? inquit. Vtinam uerò totus Iouæ populus, eius ſpiritu afflatus, uates ſint. Hi poſtea 72 ſeniores cum Moſe populi onus ſuſtinuerunt. Numeri 11.

Apud Iudæos γραμματεῖς, SCRIBÆ (de quibus multa mentio in Euangelio) ſacrorum librorum literam tantùm docebant: nec, ab ea recedebant uel culmum latum. Qui uerò maius quiddam profitebãtur, PHARISÆI nominati ſunt, à Phares, qđ eſt diuiſio, ſe uelut meliores à multis diuidẽtes ſeparãteſq;. Vtrinq; autem tam Scribæ, q̃ Phariſæi, in cathedra Moſis ſedebant, populo legem enarrantes: Scribæ, ad cognitionem literæ, ſenſuſq; hiſtorici, ac uelut introductionem rerum altiorum ac ſecretarum, quas Phariſæi explicabant. Lud. Viues in lib.18. Aug. de Ciu. Dei, c.39.

### CHRISTIANORVM.

*Veræ. Apoſtoli, Eccleſiaſtæ, Concionatores ſacri. Doctores uel Scriptores eccleſiaſtici.*

*Prophetis ſucceſſerunt in noua lege gratiæ Apoſtoli, Apoſtolis Eccleſiaſtæ, Concionatores ſacri, diuini uerbi Præcones, Doctores Euangelici, Scriptores Eccleſiaſtici, ſeu quocunq; tandem nomine appellari gaudent: quorum non tam eſt ea, quæ futura ſunt, prænunciare, quàm ea, quæ præterierũt, quæq; breuiſſimo & ſuauiſſimo Euãgelii nomine cõprehenduntur, populo annunciare: nec docere tantùm, ſed etiam facere. Conſule Tit. Theologorum tum Iudæorum, tum Chriſtianorum. illic Poſſeſſio habitus, heic eiuſdem Acquiſitio conſideratur, quatenus docens diſcenti eundem communicat: quæ communicatio rurſus cùm Exercitii ſpecies ſit, ea de cauſa ſub locum Exercitationis theologicæ quoque referri poteſt. Porrò cùm Theologiæ ueluti colonia exiſtat in mediam hominum uitã deducta Religio, quæ nõ tam cognoſcere, quàm cognita colere, & cuiq; diuinæ rei ſuum tribuere docet, ad Iuſtitiæ religioſæ doctrinam hæc ipſa pertinere ſunt cenſenda. Proinde Tit. Religionis propagatæ, & Conuerſorum, non pauca exempla ſuppeditabit: Titulus quinetiam Monachorum. Illud uerò methodi cauſa in primis obſeruandum, hæc ipſa ad Vitæ religioſæ claſſes transferri poſſe omnia: quando quæ heic tanquam Principia uniuerſalia conſiderantur, illic certo uitæ generi tanquam Principiata accommodantur. Sed ad exempla: quorum pleraque ex Hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſcriptoribus mutuati ſumus: eorum tantùm, qui eximiè docendo ſcribendoúe excelluerunt. Reliquos, in quibus dignitatis uel maior uel ſaltem æqualis doctrinæ conſideratio fuit, ad Epiſcoporum locum retulimus.*

SIMON, qui & Cephas, & Petrus, filius Ioannis, ſeu Ionæ, frater Andreæ, Bethſaidæ natus, piſcator Capernaitanus, auditor Ioannis Baptiſtæ circa Iordanem, ſed Andreæ fratris ductu ad Chriſtum conuerſus eſt. In Ponto, Galatia, Cappadocia, Bithynia atque Aſia Chriſtum docuit. Irenæus & Tertullianus ſub Nerone Romæ crucifixum fuiſſe inuerſis pedibus, teſtantur.

ANDREAS, frater Petri, ætate maior, natus patre Iona in uico Bethſaida, piſcator: Ioannis Baptiſtæ primùm, deinde Chriſti diſcipulus. Patris Achaiæ urbe ſub Aegea, præfecto Edeſſenorum, Sophronius crucifixum aſſerit. Alij uerò in Scythia, quàm Euangelij luce illuſtrarat.

IACOBVS Zebedæi filius, ex Maria Salome, ſiue Iacobi, frater Ioannis, conſobrinus Chriſti, piſcator, deinde Chriſti diſcipulus, in Iudæa Euangelizauit, & Hieroſolymis ab Herode interfectus eſt, anno 3 Claudij, & Chriſti 45. ante diem Azymorum.

IOANNES, frater Iacobi, natu minor, piſcator, Apoſtolus & Euangeliſta, Chriſto cariſſimus fuit. In Aſia Euangeliũ prędicauit. Epheſi Euangelium ſuum conſcripſit, contra Cerinthum & Ebionẽ hæreticos. Anno Domitiani 14. in Patmon relegatus. Exactò anno, ſuccedente Nerua, Epheſum rediit. De eius morte nihil certi conſtat, niſi quòd Hieronym⁹ mortuum Epheſi ſcribit, anno poſt paſſionem Domini 68. & iuxta eam urbem ſepultum.

PHILIPPVS, Bethſaida uico Galileæ natus, à Clemente is iuuenis fuiſſe creditur, ad quem Chriſtus dixerit, Sine mortuos ſepelire ſuos mortuos. Filias habuit duas, teſte Polycrate. In Scythia 20 annis, alij nouem tantùm docuiſſe, & inde ad Septentrionalis Oceani gentes ueniſſe: tandem ab Ebionitis in crucem eſſe adactum, Sabellicus aſſerit. Nauclerus reuerſum ex Scythia, Hieroſolymam rediiſſe, & ſub Tito mortuum. Euſebius anno 12 Claudij, crucifixum & lapidibus obrutum, Chriſti uerò 54. alibi Hierapoli obdormiuiſſe, & cum filiabus honorificè ſepultum teſtatur, poſtquã in Phrygia Chriſti Euangelium prædicaſſet. Adſtipulatur etiam Sophronius.

BARTHOLOMÆVS, regis Syrorum nepos, Indis prædicauit: primus etiam Lycaonibus, tandẽ & Armenis. Nicephorus eum Hierapoli in crucem actum, primùm miraculosè euaſiſſe, deinde iterum ſuſpenſum periiſſe ſcribit. Sabellicus eum à fratre Palymnij Aſtyage in urbe Armenię Albana, pelle detracta excoriatum aſſerit.

MATTHÆVS, aliàs Leui, filius Alphæi, publicanus Capernai, Euangelium Hebraicè ſcripſit, tertiò anno Caligulę. In Aethiopia prædicauit. Nicephorus apud Anthropophagos in ciuitate Myrmena, clauis in terram defixum fuiſſe, auctor eſt. Abdias ab Hirtaco rege Aethiopum, capite truncatum aſſerit.

THOMAS Didymus in Parthia prędicauit, itẽ Medis, Perſis, Germanis, Hyrcanis, Bactris & Magis. Alij lanceis transuerberatum, alij gladio percuſſum obiiſſe tradũt. Hieronymus in ciuitate Calatrina Indiæ obiiſſe, & Edeſſam Meſopotamiæ reliquias translatas, affirmat Ruffinus

IACOBVS Alphæi, item Iuſtus, & minor, frater Domini & frater Iudæ dictus: item Oblias, hoc eſt, murus: & Nazaręus, id eſt, ſanctus: & Apoſtolus, quoniã uiderat Chriſtum, eumq; prædicarat. Quæ duæ conditiones (teſte Hieronymo in epiſtola ad Galatas) in Apoſtolis primitiuę eccleſię requirebãtur. Quidam hunc Ioſephi ex alia uxore, alij Mariæ Cleophę ſororis matris Domini & Alphæi filium fuiſſe aſſerunt. Quidam primum hunc Hieroſolymorum epiſcopũ faciũt, anno Chriſti 33. Tiberij 19. & epiſcopatui præfuiſſe annis 30.

tanta



tanta ſanctitate, ut perpetuam ſeruarit uirginitatem, utque certatim omnes fimbriam ueſtimentorum eius attingere cuperent. Interfectus eſt ſecundus à Stephano, à Iudæis, anno nati Chriſti 63. poſt aſcenſionẽ 24. Neronis 7. ætatis ſuæ 96. teſte Epiphanio. Vt Egeſippus ait, nullum nouit aut uini aut carnis uſum, intonſus, unguenti & balnei expers, & cui ob aſſiduum orandi uſum, genua in camelorum ſpeciem occalluiſſent, quem Iudæi è pinnaculo templi præcipitatũ, quòd Chriſtum prædicaſſet, fullonum fuſte mactarunt.

IVDAS Lebbæus & Thadęus, item Zelotes & Simeon dictus, frater fuit Iacobi, minor natu. Percurrit Iudæam, Galilęam, Samariam, Idumæam, Arabiam, Syriam & Meſopotamiam. Euſebius & Hieronymus eum à Thoma ad Abgarum Edeſſenorum regem miſſum ſcribunt. Abdias & Sabellicus in Perſia pontificum impetu interemtum aſſerunt. Nicephorus uerò, eum Edeſſæ poſt Euangelij propagationem & miracula, placida morte obdormiſſe ſcribit.

SIMONEM Epiphanius Ioſephi filium facit, Sophronius Iacobi: alij uerò Alphæi. At ſiue frater, ſiue ſobrinus, ſiue patruelis Chriſti fuerit, Chananæus certè, hoc eſt, Zelotes dictus eſt. Quidam eum poſt Iacobum Hieroſolymis epiſcopum fuiſſe aſſerunt, annis 46. Euſebius ex Egeſippo eũ ſub Traiano & Attico conſulari, flagris ad mortem uſq; Hieroſolymis cæſum, tandem cruci affixum tradit, anno Chriſti 110. Traiani 10. ætatis 120.

MATHIAS, in locũ Iudæ proditoris per ſortẽ electus fuit. Ex Bethlehẽ trib⁹ Iuda nobili genere natus, & ſub Rabi Simeone in lege inſtitutus traditur ab Abdia. In Aethiopia eũ prędicaſſe, Sophronius ſcribit, ibiq; mortuum eſſe.

PAVLVS, Saulus primò dictus fuit. Eius parentes in oppido Iudeæ Giſcali habitarunt: quo à Romanis capto, Tarſum Ciliciæ migrarunt: & ibi natus eſt Saulus, patre Iudæo, ciue Romano, ex tribu Beniamin. Literis humanioribus imbutus fuit. Mox Hieroſolymam miſſus, à Gamaliele phariſæo legem didicit. Conuerſus eſt anno Chriſti 34. Tiberij 19. auctore Hieronymo. Euodius uerò, teſte Nicephoro, ab aſcenſione ad Stephani lapidationem ſeptem interceſſiſſe annos ſcribit, & Paulum ſexto pòſt menſe conuerſum eſſe. Sic conuerſus, & in tertium etiam cœlum raptus, organum electũ ad prædicandum Euangelium Dei, multas peregrinationes obiuit. Prima in Arabiam. Secunda quartò anno poſt ſuam conuerſionem, Chriſti 37, Tiberij 22. Hieroſolymam relinquens, Syriam & Ciliciam peragrauit. Tertia, Hieroſolymis cùm Barnaba Cyprum abiit, in Pamphyliam, Lycaoniam, Phœniciam & Samariam. Quarta, ex ſynodo Hieroſolymitana cum Sila peragrauit Syriam, Ciliciam, Myſiam, Phrygiam, Galatiam, Bithyniam, Samothraciam, Macedoniam, Theſſalonicam, Athenas, Corinthum, Epheſum, Cæſaream: & tandem redit Hieroſolymam. Quinta, ex Hieroſolymis Antiochiam: inde peragrauit Galatiã, Phrygiam, Macedoniam, Lyciam, & Hieroſolymam reuertitur, ab Aſiaticis Iudæis in templo cõprehenditur. Claudius Lyſias tribunus eum eripit, & ad Felicem præſidem Iudeæ tranſmittit, anno 22. poſt conuerſionem, Claudij 13. Chriſti 55. Sexta, deducitur ad Felicem Cæſaream, & ibi biennio uinctus cuſtoditur, donec Feſtus Felici ſucederet. Cùm Cæſarem appellaſſet, Romam uinctus deducitur, anno 2. Neronis, Chriſti 58. conuerſionis 25. Romæ biennio in clementi fuit cuſtodia, quibuſuis ad eum commeantibus. Septima. poſt biennium apud Neronem cauſam dixit, & abſolutus fuit anno Neronis 4. Annis igitur illis decem uſque ad ultimum Neronis inuiſit eccleſias Syriæ, Aſiæ, Græciæ: inde etiam euangelizauit in Italia, Gallia, atque etiam Hiſpania. Mox Romam denuò pertractus, à Nerone capite multatus eſt, & in uia Oſtienſi ſepultus: eodem anno & die, quo & Petrus crucifixus eſt: nimirum 14 Neronis, aut 12. ut Euſebius uult, Chriſti nati 70. paſſi 37. conuerſionis 36.

MARCVS Euangeliſta matrem habuit Mariam, in cuius domo Hieroſolymis Chriſtiani conuenire ſolebant. Conſobrinus fuit Barnabæ. Cooperarius erat Apoſtolorum in peregrinationibus Paulum in Pamphylia deſerit (incertum qua cauſa) & cum Barnaba nauigauit in Cyprum. Romæ etiam fuit cum Paulo. Petro quoque fidus fuit ſocius, & ex eius ore Euangelium ſuum ſcripſit. In Aegyptum miſſus, Alexandriæ ſuum Euangelium prædicaſſe dicitur. Ibi quoque octauo Neronis anno mortuus eſt, & ſepultus, ſuccedente illi Amano, teſte Hieronymo.

LVCAS medicus Antiochen⁹, ſectator & comes Pauli, ſcripſit Euangeliũ & acta Apoſtolorũ. Vixit 84 annis cœlebs. Sepultus Cõſtantinopoli: ad quã urbem 20. Conſtantij anno oſſa eius cũ reliquiis Andrę apoſtoli trãſlata ſunt ex Achaia. Nicephorus ait, eum in Græcia de olea fuiſſe ſuſpenſum.

PHILIPPVS diaconus & euangeliſta fuit Hieroſolymis, Act. 6.8 & 21. Quatuor filias uirgines prophetico ſpiritu præditas habuit, Act.21. In ciuitate Samariæ concionatus eſt, & miracula magna edidit. Simonem etiam magum cũ Petro uehementer impugnauit. Rediit cũ Petro Hieroſolymam. Mox ductu angeli Gazam abiit, & in Aethiopem eunuchũ Candacis reginæ incidit, eum conuertit & baptizauit. Aethiopẽ non aduertente, à ſpiritu abripitur, & in Azoto urbe collocatur. Inde finitimis omnibus euangelizans, Cæſaream uenit: ibi tranquilla morte deceſſit.

BARNABAS, ſiue Barſabas, hoc eſt filius cõſolationis, atque etiam Iuſtus cognominatus eſt IOSEPHVS quidã, Chriſti diſcipulus, Leuita, Cyprius. Hic cũ Mathia ſortitionẽ ſubiit apoſtolatus: ſed Mathias electus fuit. Idẽ Paulum conuerſum primus Hieroſolymis hoſpitio excepit, anno cõuerſionis 4. Chriſti 37. Tiberij 22. Antiochiam confirmandæ eccleſiæ cauſa mittitur. Tarſum inde profectus, Paulum perduxit Antiochiam, & ibi integro anno cõmune docendi munus habuere. Cum Paulo deinde in Cyprum nauigat. Lycaoniã, Pamphyliã, Phœniciam, Samariam peragrat. Circumfertur eius Euangelium, ſed apocryphum. Alij in Cypro funibus extra ciuitatem protractum, crematum eſſe aſſerunt. Alij in Salamine paſſum ſcribunt.

TIMOTHEVS, delicię Pauli, patre Gręco, matre uerò Eunica fideli muliere natus eſt Lyſtris Lycaoniæ. Comes fuit Pauli in peregrinando, & legatus etiam Epheſi ſubſtitit. Quidam eum Epheſi in porticu templi Dianæ, quòd idololatriã eorũ redarguiſſet, palis & lapidibus obrutum ferunt. Alij ſub Nerua, alij ſub Domitiano occiſum aſſerunt.

TITVS Paulo dilectus filius in fide, ſocius & adiutor, Græcus fuit. Corinthi euangelizauit. Mox à Paulo in Creta relictus eſt, primus Cretenſium epiſcopus. In Creta obiit & ſepultus eſt, priùs in Dalmatiam profectus, cùm Paulus Romę ſecundò captiuus teneretur.

SILAS, Pauli & Barnabæ comes, prophetico ſpiritu claruit. Orto inter Paulum & Barnabam diſſidio, cum Paulo in Syriam & Ciliciam abiit, & eadem cum Paulo pertulit. Vnum è LXXII. diſcipulis fuiſſe, Petrus de Natalibus refert: & epiſcopum Corinthiorum in Macedonia martyrium ſubiiſſe. Videtur hic idem ſub Syluani nomine à Paulo nominari: quamuis alij diuerſos eſſe uelint.

IVDAS quidã inter Hieroſolymitanæ eccleſiæ fratres primarius, & ſpiritu prophetico clarus, cũ Paulo & Barnaba Antiochiam ex Synodo proficiſcitur: & ibi aliquãdiu cõmoratus, multis concionibus fratres exhortatus eſt.

ARCHIPPVS Pauli ſocius & cõmilito fuit. Hieronymus Coloſſenſis eccleſiæ epiſcopum fuiſſe putat.

ALEXANDER quoq; Pauli ſocius, qui in tumultu Epheſino è turba extrahitur, accuſantibus Iudæis.

ARISTARCHVS Macedo ex Theſſalonica, Pauli comes, atq; etiam concaptiuus: in epiſtola ad Coloſſ.4.

MANAHES Herodis tetrarchæ collectaneus, propheta & doctor in Antiochena fuit eccleſia, ante Barnabæ & Sauli prædicandi per gentes ſegregationem. Act.13.

ANDRONICVM & IVNIAM uocat Paulus ſuos cognatos, concaptiuos, ac nobiles apoſtolos.

APOLLO, genere Alexandrinus, Iudæus, uenit Epheſum: & ibi ab Aquila inſtitutus, in Achaiam abiit, & Corinthiis etiã prædicauit.

ZENAS iuriſperitus, cuius ad Titum 3. meminit, Corinthi docuit cum Apollo.

ONESIPHORVS à Paulo mirificè cõmendatur, 2.Tim.1.

CRESCENS à Paulo in Galliam miſſus eſt.

EPAPHRODITVS Roma à Paulo ad Philippenſes miſſus fuit, ut illis euangelizaret.

EPAPHRAS docuit euangeliũ apud Coloſſenſes, cùm Paulus Romæ captiuus teneretur.

EVNVCHVS Candaces reginæ à Philippo diacono conuerſus, Aethiopibus deinde prædicauit, Sophronius eum in Arabia felici & Taprobana inſula maris Rubri euangelizaſſe, & martyrium ſubiiſſe teſtatur.

SANCTINVS epiſcopus Meldenſis, ſub Domitiano, à Dionyſio Areopagita inſtitutus.

EVTROPIVS Perſa genere, anno 14 Domitiani, Petri apoſtoli conſilio in Galliam abiit, & martyr obiit.

MATERNVS, Valerius & Eucharius Rauennam à Petro miſſi à Nauclero traduntur. Henricus Maternum Treuerim, Aegiſthum Bardouicum à Petro miſſos aſſerit, utrunq; ex 72 diſcipulorum numero.

HERMAGORAS à S. Marco conuerſus, à Petro Aquileię epiſcopus conſtituitur. Patitur ſub Nerone.

DIONYSIVS Areopagita, Pauli diſcipulus, qui tempore paſſionis Chriſti eclipſin in Heliopoli Aegypti uidit, & uel mũdi machinã ruiturã, uel Deũ naturę pati aſſeruit, à Paulo Athenis cõuerſus, ad Clementẽ Romanũ epiſcopũ miſſus, & ab eo in Gallias dimiſſus, Pariſiis cũ Ruſtico & Eleutherio ſociis martyrium paſſus eſt.

MELITO Sardenſis epiſcopus, uir eloquens, diſcipulus Frõtonis philoſophi, qui Marcum Imp. erudiit. Pro Chriſtianis apologiam ad Imp. ſcripſit, anno Imperij eiuſdem 17. In

 Orien-

Orientem profectus, eum ipſum numerum librorum ueteris Teſtamenti, qui & nobis hodie receptus eſt, retulit. Plurima ſcripſit. Mortuus Sardibus. Eunuchus fuit, teſte Euſebio lib. 5. cap. 24.

PANTÆNVS Alexandrinus, philoſophus Stoicus doctiſſimus, Chriſtianus factus ſub Cōmodo: dignus habitus fuit, qui primus publicè Alexandriæ Chriſtianam ſcholam aperiret, & Catechiſtes conſtitueretur. Mox cùm Indi Alexandriam miſiſſent ad Demetrium antiſtitem, ut ſibi doctorem idoneum mitteret, Pantænus eò miſſus eſt, ubi Euangelium Matthæi reperit, quod Bartholomæus apoſtolus olim ibi doctrinam Chriſti plantans, Hebraicè deſcriptum reliquerat, atque illud ſecum Alexandriam deportauit, cùm Indiā relinqueret.

BASILIVS Ancyranus presbyter, fidei Nicenæ acer defenſor, cùm ſub Iuliano ad ethniciſmum multi relaberentur, eccleſias circumiit, Chriſtianos in fide confirmans. Tandē ſacra faciens, ab ethnicis captus, & poſt multos cruciatus martyrio affectus eſt. Diuerſus ab hoc Baſilius Ancyranus epiſcopus, Semiarianus & Pneumatomachus.

AEDESIVS & FRVMENTIVS Tyrij, cognati Meropij cuiuſdam Tyrij philoſophi, & ab eo in literis inſtructi, cum eo naui in Indiam ſunt delati. Ibi propter fœdus inter Romanos & Indos ruptum, occiſus eſt innocens Meropius. Pueri ad regem adducti. Ille alterum menſæ regiæ, alterū ſcriniis ſuis præfecit: & moriens, regio puero præceptores dedit. Interea Frumentius, cui primæ cōmiſſæ erant regiæ gubernationis partes, propagandi apud Indos interiores Euangelij prouinciā ſuſcipit (nam uicinos Indos Bartholomæus apoſtolus docuerat.) Quærit ergo inter Romanos mercatores Chriſtianum: cum eo cœtus eccleſiaſticos magno cum fructu cogere incipit. Inde cùm rex ad maturam perueniſſet ætatem, reſignata gubernatione, reditum in patriam à regina, quanquam inuita, impetrauit. Itaq; Alexandriam Frumētius uenit, Athanaſio ſucceſſus ſuos enarrauit: & ab eo Indorum genti tandem miſſus eſt epiſcopus. Aedeſius uerò Tyrum ad ſuos rediit, & presbyterium ſortitus eſt.

KEBIVS Corinnius Britannus, Salomonis Cornubiæ ducis filius, uirtute & ingenio clarus, Galliam petiit, & apud Pictones cum Hilario familiariter uixit: & in religione ita inſtitutus eſt, ut in patriam reuerſus, Venodotas & Monadas, gētes Cambriæ uerſus Boream, exemplis & doctrina inſtituerit, anno Salutis 380.

FRIDOLINVS, Viator propter peregrinationes aſſiduas dictus, regis Scotorum & Hyberniæ filius, Chriſtum prædicauit paſſim, & collegia inſtituit, per quæ fides propagaretur: in primis quidē in Gallia Pictauij ſub Hilario, deinde apud Belgas prope Moſellā, Paulo pòſt in Voſagi cacuminibus, Argentinæ, Curiæ Rhetorum, & alibi per Burgundiæ prouincias. Poſtremò appulit ad inſulā Rheni ſupra Baſileā, ubi nunc oppidum Saccingum eſt, & ibi ædiculā ædificauit. Verùm incolæ eum uirgis cæſum eiecerunt. Adit Clodoueū regem Gallorum, & ab eo donationem iſtius inſulæ liberrimam accepit. Inſtituit ergo ibi collegium feminarum. Poſt mortem Clodouei, cùm incolæ rurſus tumultuarentur, precib. à Deo impetrauit, ut Rhenus relicto dextro alueo ad ſiniſtrum laberetur, & ſibi contra Ethnicos propugnaculum fieret. Quo miraculo incolas conuertit. Reſuſcitauit quoq; Vrſum Claronenſem, qui ei hæreditatem ſuā dono dederat. Nam cùm mortuo Vrſo frater eius Landulphus pactum negaret, & coram Baldeberto Lantgrauio iudicium expediri non poſſet, niſi Vrſus donator coram iudicibus ſiſteretur: Fridolinus Claronam abiit, & Dei uirtute Vrſum reſuſcitauit, ſecumq; ex Clarona ad pagum Rheticum Rancquil per ſex milliaria duxit, ut corā Lantgrauio cū fratre Landulpho de iniuria expoſtularet. Quo miraculo Lādulphus territus, ſuam & ipſe partem hæreditatis Fridolino donauit. Obiit Fridolinus anno Chriſti 514. cū Chriſtum annis 130 peregrinando prædicaſſet. Saccingæ ſepelitur ad ſiniſtrā chori partē, cùm in dextra cubaret Vrſus. Poſtea uerò ex eo loco Fridolinus in ſummum aræ collocatus eſt.

SEVERINVS Afer, monachus, Rauennatenſium inde epiſcopus, mox ad ulteriorem Danubij ripam in Noricorum finibus cœnobium habuit. Poſt mortem Attilæ, Vandalorū crudelitatem fugiens, ad ipſos Vindelicos & Noricos, Romanorum adhuc prouincias, conceſſit. Primùm moratus Batauiæ, ad confluentes Danubij & Oeni, ubi fanum eius nomini dicatum hodie extat. Poſtea ad Fabianam (quæ nunc Vienna eſt) conceſſit, ſub monte Cæcio (qui mons Caluus dicitur.) Tandem Laureacum abiit. Prophetico ſpiritu claruit, & circumeūs omnibus pœnitentiā prædicauit, futuras Barbarorum incurſiones prædicens. Qui paruerunt eius conſilio, à Barbaris clementiùs tractati fuēre, ut Tiburina urbs, Norici tum caput. Hoſtibus etiam ipſis admirationi fuit. Odoacro Rugorum regulo, Italiæ regnum prædixit. Sanationū donis celebris fuit. Laureaco Fanium diſceſſerat: ubi ſenio confectus, uocatis ad ſe Philitheo, eiusq; coniuge Giſa, & Friderico Rugorum principibus, monuit, ut cum Romanis fœdus ſeruarent, & pij eſſent: ſin minus, pœnas daturos: quod & contigit. A Theoderico enim occiſi ſunt. Romanis futurum reditum in Italiam prædixit, atque, ut unà ſecum oſſa ſua aufferrent, petiit. Obiit 6. Idus Ianuarij, anno Chriſti 481. Relata poſtea eius oſſa in Italiam, & Neapoli cōdita in caſtello Lucullano, ubi Seuerini nomine monaſterium extructum, anno Chriſti 494. Diſcipulos habuit Lucillum Pataulenſem paſtorem, & deinde epiſcopum Fabianenſem, qui poſt Seuerini mortem cum Romanis in Italiam rediit: Syluinum Quintianorum myſtem: Conſtantiū Laureacenſem epiſcopū anno 427. ſub quo Seuerinus Laureacum precibus ſuis ab hoſtium ui ſeruauit, anno 477. Paulinum Tiburinæ Norici metropolis epiſcopum, qui ad monitionem Seuerini, triduano indicto ieiunio, urbē ab excidio ſeruauit: Maximum Iuuauienſium epiſcopum, quem Seuerinus monuerat duobus nunciis, ut urbe excederet cum omnibus quotquot ſalui eſſe cuperent: imminere enim urbi extremum fatum nocte inſequente. Altera nocte ab Herulis, & Oſtrogothis, duce Vidomaro, urbs exciſa eſt, Maxim⁹ in crucē actus: ſymmyſtæ eius plures 55 è rupe montis, quò ſeſe abdiderant, præcipitati, anno 576. In æde Amandi (quæ hodie Margaretæ eſt) Salisburgi humatur.

OROSIVS Tarraconenſis ortu, Auguſtini iam grandæui diſcipulus, ſcriptis clariſſimus, contra gentes & Pelagianos acriter pugnauit. Cui eccleſiæ præfuerit, incertū. Floruit anno Chriſti 416. Mortuo Auguſtino, Romā cōceſſiſſe dicitur.

SERVANVS Scotus à Palladio ad Orcades inſulas miſſus, eorum primus Apoſtolus factus eſt, anno Chriſti 400.

NINIANVS Venedota Britannus, poſt Romana ſtudia per Britannorum, Scotorū & Auſtralium Pictorū terras, doctrina & miraculis Chriſti fidem propagauit, & Pictos primus conuertit. Obiit anno Chriſti 432. ſub Theodoſio iuniore.

NICETIVS Lemouicēſis monaſterij abbas, uir ſanctiſſimus: miraculis & prophetiæ atq; ſanandi dono clarus, cōtra Neſtorium & Eutychem ſcripſit: Iuſtinianum Imp. de errore, quòd Chriſtum purum hominem aſſereret, reprehendit: in concionando facundus fuit, & acer. Febre obiit, ſepultus in baſilica S. Maximini.

BARBATVS Beneuentanus epiſcopus, Longobardos (qui licèt baptizati eſſent, tamen idola adhuc adorabant, ut arbores, & aureum uipereæ ſimulacrum) conuertit, arborē ſuccidit, & uiperæ ſimulacrum in calicem mutauit. ſub Iuſtino ſecundo claruit.

RVPERTVS, regio Francorum genere procreatus, Theodonem tertium Boiorum regem (cùm deſpōſata ei eſſet Theodoreti Francorum regis pientiſſimi filia Reginotruda) cum filio Theodeberto ab idolis ad Chriſtum conuertit, & Ratisbonæ baptizauit. Deinde in Danubio nauib. delatus, ubique Boiis certatim confluentibus, cœleſtis doctrinę myſteria expoſuit. Atq; ita Laureacum deuenit, inde per Noricum, Vtinum, quæ Otinga hodie dicitur, perrexit: ibi Vtonē alterum, & Theodoualdam tertium, Boiorū duces, & Theodonis fratres, ſacro lauacro abluit: & cum duodecim ſuis ſymmyſtis, circa Ratiſponam, Veltenburgium, Otingam, & paſſim per omnes Bauariæ regiones templa extrui curauit, anno Chriſti 537.

EVGENIVS eccleſiæ Toletanæ, & prouinciæ Carthaginēnſis metropolitanus, lumen fuit eccleſiarum Occidentis, eruditione & ſanctimonia.

ILDEFONSVS monachus, ſucceſſor Eugenij, Pelagianos & Heluidianos è tota Gallia & Hiſpania diſputationibus ſuis eiecit.

PAVLINVS, ex Italia cum Iuſto, Mellito & Auguſtino, miſſus à Gregorio pontifice in Angliam, Northanymbros ad fidē Chriſti conuertit.

VILFRIDVS, Lindefarnenſis epiſcopus uigilantiſſimus, Friſones ad Chriſtum conuertit, cùm eò tempeſtate eſſet delatus. Miraculis claruit & Auſtralibus Saxonibus pluuiā, qua per triennium caruerāt, impetrauit. Obiit anno Chriſti 710. ætatis ſuæ 75.

CVNIBERTVS Haguſtaldenſis epiſcopus in Scotia, in docendo laborioſiſſimus, tandem anachoreta factus, in uaſta ſolitudine aquam è ſaxo euocauit.

BEATVS Anglus, primus Heluetiorum Apoſtolus, uitam ſolitariam Interlaci egit, cùm priùs Suetonius appellaretur. Bona ſua pauperibus diſtribuit, & in diuorum ordinē poſt mortem relatus eſt. Stumpfius.

BONIFACIVS Moguntinus epiſcopus, natione Anglus, alio nomine Venofridus dictus, Rom. pontificis legatus primus per Germaniam, anno Chriſti 721. in docendo ſedulus fuit, in Gentilium erroribus confutandis ſtrenuus, in uitiis reprehendēdis Erchēbaldi Anglorū regis, ſeuerus. Scripſit etiam quædam. A Barbaris tandem cum 50 ſociis interfectus eſt, anno 755.

VVILI-



VVILIBALDVS, Richardi Anglorum regis F. Bonifacij auūculus, monachus, Hieroſolymam adiit, poſtea Romam. Inde à Gregorio III. pontifice max. in Thuringiam ad Bonifacium miſſus, Erfordiæ & in uicina Haſſia Chriſtū docuit. In Bauariam progreſſus anno 740. ad Almonem fluuiū in uaſta ſolitudine exciſis quercubus, locum urbi extruēdæ legit, Aichſtett dictum A. Bonifacio poſtea epiſcopus Aichſtadiēſis, conſenſu Vtilonis ducis Bauariæ, conſtituitur.

VVLFRANNVS, epiſcopus Senonenſis, in ſomnis monitus, deſerto epiſcopatu in Friſiam ad prædicandum Euangeliū abiit. Conuertit filium Ratobodi regis, & Ingomarum baptizauit. Ratobodus cùm iam in baptiſterio eſſet, rogauit, Pluréſne ſuorum maiorum in inferno, an in paradiſo eſſent? Vulfrannus reſpondit, Plures eſſe in inferno. Tum rex pedē è lauacro retraxit, cum maioribus ſuis ſe in inferno eſſe malle profeſſus. Anno Domini 718.

VVILLEHADVS Anglus in Friſia, poſt mortem Bonifacij, eccleſias diſſipatas collegit. Diſcipulis eius à Bremenſibus interfectis: poſtea in Gallia biennio integro Deū pro Saxonū cōuerſione orauit. Carolus Magnus eum conſtituit epiſcopū Bremenſem. Obiit anno 791. & annos 35 in Friſia docuit.

VVILLEBRORDVS Angloſaxo, monachus, rogatu Pipini à Sergio pontifice maximo Friſonum archiepiſcopus deſignatus, & Clemens appellatus, anno 694. Maximam partem Friſonum Occidentalium conuertit, miræ ſanctitatis & abſtinentiæ uir: prædixitque, Pipinum filium Caroli Martelli (quem baptizarat) omnes reges fortitudine & maieſtate ſuperaturum.

LVDGERVS Friſius, monachus Beneuenti in Francia, ſub Carolo Magno Monaſterienſis epiſcopus, innumeras gentes ad Chriſtum conuertit, adeò ut Apoſtolus Saxonū à Cranzio appelletur.

IOANNES Eboracenſis epiſcopus, Bedam, Accam, Bertinū, Herebaldū, Siggā, uiros clariſſimos, diſcipulos ſuos, [redacted] ad Scripturæ interpretationem traduxit, & Beuerlaci collegium ſtudioſorum inſtituit, ibiq; docuit, poſtquā ſe ſponte abdicaſſet epiſcopatu.

ANSGARIVS Corbeienſis monachus, Gallus patria, fidem Chriſti ad Tranſalbianos Saxones, Danos & Sueones propagauit. Anno Chriſti 833 epiſcopus Hamburgenſis factus, Danos & Sueones in fide confirmauit, ac ſubinde plures cōuertit. Regem Danorum Ericum fecit Chriſtianum. In Suecia, ab Olao rege ſuſceptus, in Byrca eccleſiam erexit. Ericū iuniorem idola inſtaurantem, & Chriſtianos perſequentē conuertit: Nordalbingos Chriſtianos uendentes, Friſios die dominico laborare conſuetos correxit. Cranzius libro 1. Metrop. cap. 42.

VNNO, Hamburgēſis epiſcopus, imperante Conrado ad Danos profectus, regem Guormonem crudeliſſimum conuertere non potuit. Filium tamē eius Haraldum Chriſto lucratus eſt, qui & liberam ipſis prædicandi, Danisque fidē Chriſtianam recipiendi poteſtatem dedit. Huius præſidio munitus Vnno, omnes Danorum inſulas peruagatus, uerbū Dei euangelizauit: & quos fideles captiuos illic offendit, in fide corroborauit. Conſtitutis in Dania rebus Eccleſiæ, ordinatisq; ſacerdotibus, apud Haraldum, ne ſuo eos patrocinio [redacted] diſputabat de cultu ueri Dei, quod nimirum unus eſſet Deus uerus in eſſentia, trinus uerò in perſonis. Dani contrà aſſerebant, Chriſtum quidem eſſe Deum, [redacted] tamen deos & [redacted] Res tandem ad Haraldum [redacted] Poppo geſtatione candentis ferri ſuam fidem probare iubetur. Quod in conſpectu ingentis multitudinis illæſus præſtitit. Quo miraculo & Rex ipſe, ac infinita Danorum multitudo moti, relictis ſuis idolis, Chriſtianam fidem amplectuntur. Poppo uerò pontifex ab Adaldago Bremenſi conſecratur. Vitichindus, Sigebertus, & Saxo Grammaticus: qui temporibus Suenonis, Haraldi ſucceſſoris, hæc accidiſſe ſcribit. Cùm iam ob celebritatem prioris miraculi, ad epiſcopatū Sleſuicenſem euectus eſſet Poppo, iterum ad Danos excurrit, ibique denuò ſuam fidem nouo quodam miraculo probare coactus fuit: ueſte cera copioſa priùs illita indutus, in medio populi circo eam incendit: ipſe uerò nullum ſe ignis calorem ſentire teſtatus eſt, licèt ipſa ueſtis corpori circumdata in fauillas redacta eſſet. Quo miraculo multa millia ex Danis Chriſto ſe addixerunt, & Popponis nomen in hunc uſq; diem apud eos celebre habetur. Cranzius lib. 3. cap. 43. Metropoleos.

OTHINGARVS Albus, natiōe Danus, illuſtri familia natus, uir doctrina & ſanctitate inſignis, Ripenſis epiſcopus, patri[redacted] Eccleſiæ uſibus erogauit, pauperibus liberaliſſimè agros diſtribuit. Finnoniam, Sueoniam, Scandiam, Selādiam, prædicatione uerbi diuini illuſtrauit. Saxo Grammaticus lib. 10. Hiſt. Danicæ: Cranzius in Metropoli lib. 3. c. 38.

REGINBALDVS comes à Dillingen, primus apud Auguſtanos ad S. Vlricum monachorum abbas, à clero Spirenſi anno 1032 ad munus epiſcopale accitus, ſingulis dieb. dominicis cōmiſſum ſibi gregem diuino uerbo erudiit. Anno 1039 rebus humanis exemtus eſt. Contractus.

Ab Alberto Hamburgenſe epiſcopo ad Megapolenſes miſſus IOANNES monachus Scotus, uiuo Godſcalco principe, qui Chriſto iam nomen dederat, non exiguam lucratus eſt plebeculam uerbi diuini prędicatione. A Sclauis aūt ad auitam religionem relabentibus miſeranda morte interiit. Fuſtibus enim cæſus, omniumq; ludibrio, in Sclauorum uicis circumductus, expoſitus fuit. Tandem manibus pedibusq; truncatus: caput uerò reſectum, & conto affixum, ſuo idolo Radigaſto barbari immolarunt. Corpus in plateis omnium pedibus calcandum expoſitum fuit, in metropoli Sclauorū Rethre, anno Sal. 1066. Helmoldus cap. 23.

Nobili genere in Thuringia natus VVIGBERTVS capellan⁹ Henrici II. epiſcopus Merſburgenſis, uir doctus & eloquens, nō modò Germanicè, ſed etiā Vandalicè Euangeliū docuit: ac ut à Zuttiberi cultu reuocaret Zorabos, lucū quēdā ei idolo deſtinatū excidit, & in tantam redegit planiciē, ut nullum eius ueſtigiū nunc accolis appareat, extructo eo in loco S. Romani ſacello. Mortuus eſt, anno 1012.

OTHO Bambergenſis epiſcopus ſub Henrico IV. Imp. Pomeranos cum principe Venceslao ad fidem conuertit. Vnde uulgò Pomeranorum Apoſtolus dicitur. Cùm Stetini prædicaret, idololatricus ſacerdos ad eum locum acceſſit, in quo concionem habebat in foro, & plurimos, qui in eo cœtu erant, adhuc paganos, haſtas gerentes hortabatur, ut ipſum interficerent. Illi impetum iamiam facturi in epiſcopū obrigeſcunt, tanquam ſtatuæ. Ille incolumis euaſit, & oratione impetrauit, ut reſtituerentur ſanitati priſtinæ. Cùm nucem arborem miræ pulcritudinis, quam idolo dicatam Stetini uenerabantur incolæ, iuberet ſuccidi, moleſtè hoc tulit is in cuius agro creſcebat, atq; à tergo accedens, ſecuri bellica, quā manu gerebat, caput epiſcopi ferire conabatur. Verùm aberrans, trabem pontis, ad quem ſtetit epiſcopus, tetigit tanta ui, ut retrahere inde non poſſet. Eum reliqua multitudo trucidaſſet, niſi precibus epiſcopi fuiſſet liberatus.

VICELINVS Mindenſis, paupere loco ortus, ſuo ſeculo doctiſſimus, Holſatos ad fidem Chriſti conuertit, lucos eorum ſuccidit, per annos ferè XXX. Tandem Aldenburgenſis epiſcopus creatur. Obiit anno Sal. 1154. Helmoldus.

*Falſæ, Hæreſcos.*

☞ *Conſule Tit. Hæreticorum, ne eadem exempla bis ſint repetenda. Illic Habitus poſſeſſi, heic acquiſiti habetur ratio.*

Cùm Fridigernus in Oriente Oſtrogothis, Athanaricus Veſtgothis in Occidente in Thracia & Mœſia imperaret, GVDILA epiſcopus eos legem docuit Chriſtianam, & ſcripturas noui ac ueteris Teſtamenti in eandem linguam tranſtulit. Ergo Gothi, qui hactenus idololatricæ ſuperſtitioni dediti, gentilibus ſacrificiis uacabant, Chriſti fide ſuſcepta eccleſias conſtruxerunt, & ſacerdotes euangelicos habuere, ſpecialesq; literas, quas eis cum lege Gudila eorum epiſcopus tradiderat, acceperunt, quæ in antiquis Hiſpanorum & Gallorum libris adhuc extant, & uulgò Toletanę dicuntur. Rodericus Toletanus lib. 2. rerum Hiſpanię, c. 1.

ETHNICORVM.

ZAMOLXIS, Thracum rex, primus immortalitatem ſuis perſuaſit. Ex eius ſchola medica prodiere diſcipuli, Zamolxidis medici appellati, qui homines ἀπαθανατίζειν, hoc eſt, immortales reddere dicebantur, quòd eos ſpe immortalis uitæ ad dura omnia, & uel ad mortē ipſam, ſi opus eſſet, perferendam animarent. Plato.

Cyrenaicus HEGESIAS de Morte, à malis nos abducente, nō à bonis, ita copioſè diſputauit, ut is à rege Ptolemęo prohibitus eſſe dicatur illa in ſcholis dicere, quòd multi, his auditis, mortem ſibi ipſis conſciſcerent. Callimachi quidem epigramma in Ambraciotam Cleombrotum eſt, quem ait, cùm nihil ei accidiſſet aduerſi, è muro ſe in mare abieciſſe, lecto Platonis libro. Cic. lib. 1. Tuſc. quæſt.

TVRCORVM.

☞ *Vide locū, Superſtitionis auctores, Itē Pſeudoprophetarū.*

MAGIAE DOCTORES.

☞ *Conſule Tit. Magorum, quatenus propagationem ſuæ impietatis, docendo alios, tentant.*

[redacted]

[redacted]

ZOROASTRES rex Bactrianorum fuit magicarū artium inſtitutor, quem Hermodotus Platonicus præceſſiſſe ait Troicum bellū annis quinq; millibus. Idē Hermippus, & inſuper cum ab Agnace inſtitutum tradit, ſcripſiſſeq; uicies centum millia uerſuum. Certioribus auctorum ſcriptis traditur eum temporibus uixiſſe Nini Aſſyrij, à quo uictus & regno pulſus eſt, inſtitutor magicæ artis, qui eodem quo natus eſt die riſit, cerebrūq; ita ei palpitauit, ut impoſitam repelleret manum, futuræ præſagio ſcientiæ, ut dicit Plinius. Viginti annis in deſerto caſeo uixit ita temperato, ut uetuſtatem non ſentiret. Lud. Viues in lib. 21. Auguſt. de Ciu. Dei, c. 14.

ANTISTHENES Athenienſis Socratis diſcipulus, & præceptor Diogenis, ſcripſit de Arte magica libros, teſte Volaterrano lib. 13. cap. 3. Anthrop.

FRO deorum interpres ſedem haud procul ab Vpſalia apud Suecos cepit, ubi ueterem litationis morem mutauit, & humanas hoſtias mactare docuit. Saxo lib. 3.

MARCVM quendam in Cherroneſo Græciæ contermina fuiſſe narrant, qui genus ſuum in Meſin fluuium referebat, ſolitudinis amator, & dæmonum cultor eximius, qui de illorum natura pleraq; perſecutus, aliis etiā eſt impartitus. Cælius lib. 2. c. 6. A. L. ex Pſello.

AVICENNA de Magia, quam uocāt occultam philoſophiā, commentarios ſcripſit. Sorzanus in eius uita.

IOANNES Trithemius abbas Spanheimenſis, magus inſignis, librum impium Steganographiæ ſcripſit. Vierus lib. 2. cap. 6. de Præſtig. dæmonum.

DIVINATIONIS DOCTORES.

ARTEMIDORVS Philoſophus Epheſius ſiue Daldianus (eſt autem Daldis urbs Lydiæ) ſcripſit Onirocritica, de ſomniorum interpretatione, item de auguriis & manuum inſpectione. Suidas. Artemidorū noſtro ſeculo & imitatus eſt & ſuperauit HIERON. Cardanus Mediolanenſis libro de Somniorum Syneſiorum interpretatione.

XENOCRATES, non Carthaginenſis ille Platonis auditor, ſed alius quidam, ſcripſit domeſtica auguria, οἰκοσκοπικὰ. POLIS ἐνόδια, quæ inter eundum eueniunt. HELENVS χειροσκοπικὰ. POSIDONIVS παλμικὰ, ex corporis motu quocunq;. Suidas.

HYLAS Græcus de Auguriis ſcitiſſimè ſcripſit. Plinius libro decimo, cap. 16.

Q. METELLVS, qui pontifex maximus fuit, aliasq; prudens habitus & in rep. uerſatus, poſt mēſem Sextilem, qui nūc Auguſtus dicitur, uetuit auſpicari: quoniā auibus utendum eſt uigentibus & uegetis, cuiuſmodi ſunt ante æſtatem. Circa autumnum aliæ infirmæ & affectæ ſunt, aliæ pulli & imperfectæ, aliæ ſemel euanidæ propter anni tempus aliò demigrant. Plut. in quæſtionibus Rom.

## DISCIPVLI PHILOSOPHIAE DIVINAE, QVI A quibus uel totam uel partem didicere.

THEOLOGIAE VERAE.
Diſcunt ab

VNIVERSO.

D. Paulus PHILOSOPHOS Gentilium ex uiſibilibus creaturis inuiſibilem creatorem agnouiſſe, ſed non ut Deum glorificaſſe ſcribit. Præclarum huius rei teſtimonium apud Dauidem extat in Pſalmo, Cœli enarrant gloriam Dei.

MANILII uerſus primo libro expoſiti lectu ſunt digni, de diuina prouidentia, mundum gubernante:

Ac mihi tam præſens ratio non ulla uidetur,
Quâ pateat mundum diuino numine uerti,
Atq. ipſum eſſe Deum, nec ſorte coiſſe magiſtra.
Vt uoluit credi, qui primus mœnia mundi
Seminibus ſtruxit minimis, inq. illa reſoluit
Aequis & maria, & terras, & ſidera cœli,
Aetheraq. immenſos fabricantem finibus orbes,
Soluentemq. alios, conflare & cuncta reuerti
In ſua principia, & rerum mutare figuras.
Quis credat tantas operum ſine Numine moles
Ex minimis, cæcoq. creatum fœdere mundum?
Si ſors iſta dedit nobis, ſors ipſa gubernet.
At cur diſpoſitis uicibus conſurgere ſigna,
Et uelut imperio præſcriptos reddere curſus
Cernimus, ac nullis properantibus ulla relinqui?
Cur eadem æſtiuas exornant ſidera noctes
Semper, & hybernas eadem, certamq. figuram
Quiſque dies reddit mundo, certamq. relinquit?

METEORIS.

HORATIVS in Epicureorū impietatē lapſus, tonitru horrendo ad ſaniorem mentem ſe rediſſe, ut Dei prouidentia omnia adminiſtrari putaret, lib. 1. Ode 34. ex profeſſo teſtatur:

Parcus deorum cultor, & infrequens,
Inſanientis dum ſapientiæ
Conſultus erro: nunc retrorſum
Vela dare, atq; iterare curſus
Cogor relictos. Namque Dieſpiter
Igni coruſco nubila diuidens,
Plerunq; per purum tonanteis
Egit equos, uolucremq; currum:
Quo bruta tellus, & uaga flumina,
Quo Styx, & inuiſi horrida Tænari
Sedes, Atlanteusq; finis
Concutitur.

INANIMATIS.

NICOLAVS Cuſanus Cardinalis in ſummis montibus ſtagnum uidit, in cuius medio ſcaturigo aquæ limpidiſſimæ appareret, è fonte imo, qui oculis non pateret, ſed ſolo intellectu comprehenderetur, promanantis: nec dubitauit hoc ipſo ſymbolo ad ſacroſanctæ Triadis ueritatem [redacted]andam lib. 2. Cribrationis Alcorani contra Mahumetanos uti. Stagnum à Scaturigine, Scaturigo à Fonte differt: tria ſunt, & unum ſunt. Aqua nec influit aliunde, nec effluit: eius tamen humore uicina prata omnia uegetantur.

STIRPIBVS.

Chriſtus opt. max. à rerum terrenarum cura ad diuinæ benignitatis fiduciam NOS exhortans, Aſpicite, inquit, lilia agri, neq; nent, neq; metunt, & tamen eo ſplendore diuinitùs quotannis ornantur, ut omnem Salomonis regium luxum ſuâ uincant pulcritudine.

BRVTIS.

DAVID, propheta regius, ab Vrſo & Leone edoctus prouidentiæ diuinæ auxilium, contra Goliathum Philiſtæum magno prodiit animo.

HORATIVS libro primo, Ode 22. ſcribit Fuſco amico, bonum uirum numinis prouidentia ubique tutum eſſe, uel ſuo exemplo:

Namq; me ſylua lupus in Sabina,
Dum meam canto Lalagen, & ultra
Terminum curis uagor expeditus,
Fugit inermem.

ELIEZES, Turca, iuuenis admodū ſingulari certamine cum Biteze Pannonio congreſſus, eiusq; ſe temeritatis cauſam ab Amurhate rogatus prouidentiæ diuinæ hominū uitā gubernātis documētū à lepore ſe accepiſſe dixit. In Aſia enim (aiebat) puer adhuc leporem in ſuo cubantem nido offendens, XL. ſagittis petitum conficere non potui: ultimæ ſtridore experrectus aufugit, cùm fatalis eius uitæ terminus nondum adeſſet. Proinde & ego me nec armis ſuperari, nec arma euadere, niſi uolente fato, perſuaſum habens, audacter cum Pannonio manus contuli. Chalcocondylas libro 7. de rebus Turcicis.

[redacted]

HOMINIBVS, QVI EX PROFESSO

Non docent. Vt à

*Poetis.*

P. PAPINIVS Statius, poeta inſignis ſub Domitiano, Vergilij ecloga ſexta è Sibyllinis depromta, in qua de Virginis partu myſtica quædam profert, (Iam redit & Virgo, redeūt Saturnia regna, Iam noua progenies cœlo demittitur alto) ad Chriſtianiſmum conuerſus narratur à Dante Aligerio. Gyraldus de Hiſtoria poetarum. Iiſdem uerſibus SECVNDIANVS Togatus præfectus Decij, VERIANVS pictor, & MARCELLIANVS orator conuerſi traduntur. Vincentius libro undecimo, capite 50.

*Martyribus.*

*Conſule Titulum Martyrum.*

IVSTINVS philoſophus conſtantia martyrum Chriſtianorum ad fidem conuerſus prohibetur.

Sce-



*Sceleratis.*

Chorus ARGIVARVM Theſeo ſupplicantium, poſtquam audiſſet luiſſe pœnas ſuæ tyrannidis Thebanos, impios & ſæuientes etiā in mortuos, apud Eurip. in Supplicib. ſic inquit,

Νῦν τήνδ' ἄελπτον ἡμέραν ἰδοῦσ' ἐγὼ,
θεοὺς νομίζω, καὶ δοκῶ τὰς συμφορὰς
ἔχειν ἔλασσον, τῶνδε τισαμένων δίκην.

Nunc hanc inſperatam diem cùm uidi ego, deos exiſtimo eſſe, & uideor mihi calamitates leuius ferre, cùm ij dederint ſupplicium.

Hominibus, qui ex profeſſo docent.

*Conſule Tit. Doctorum diuinæ philoſophiæ. Item Tit. Conuerſorum ad religionem.*

APOLLINARIS Petri diſcipulus, Rauennæ martyrio obiit, anno 3. Veſpaſiani.

C. MARIVS Victorinus, nobilis rhetor ſub Conſtantio, cui ſtatua Romæ in foro Traiani poſita eſt, anno Chriſti 360. ad fidem in extrema ſenectute conuerſus, ſcripſit contra Arianos, & multa alia.

ANGELIS, Spiritu Dei.

*Vide Tit. Reuelationum. Item, Θεοδίδακτοι.*

DÆMONIBVS.

*Exempla aliquot ex Tit. Conuerſorum petantur, quatenus occaſione dæmonum conuertuntur.*

MAGIAE.

Mæandrum Protagoræ ſophiſtæ patrem adeò opulentia & omniuaria rerum copia præcelluiſſe, ſcribunt ex Græcis nonnulli, ut Xerxem Perſarum regem, à quo mox Græcia concuſſa eſt, & domo & donis excipere auſus ſit. Qua occaſiōe illi inſinuatus, PROTAGORÆ filio magorū congreſſum impetrauit: quando Perſarum magi in doctrinæ participatum non temerè quenquam, niſi iuſſu regum admittunt. Vnde is de ratione diuina falſam, immò inauſpicatiſſimam traxiſſe opinionem uidetur. Siquidem quodam loco ita exordiri auſus eſt: De diis utrum ſint, an non ſint, nihil habeo dicere. Quo argumento pulſus is ab Athenienſibus eſt. Magicum uerò dogma eſt, ut Philoſtratus putat, clàm quidē rem diuinam obire, palàm Deum abrogare. Cælius libro 19. capite 17 Antiq. Lect.

Fabulantur duos lares, Picum & Faunum, in montem Auentinum, cùm nondum comprehenſus muris eſſet, uel habitaretur, fontibus autem largis ſcateret, & lucos haberet opacos, commeare ſolitos. Hos cætera Satyris, aut Titanū gentī comparaueris. At medicamentorum facultate, præſtigiarumque magicarum technis, ſimilia dicunt Idæis Dactylis, ut Græci uocant, commentos peragraſſe Italiam. Eos NVMAM Pompilium autumant comprehēdiſſe, cùm fontem, ex quo potare ſolebant, uino miſcuiſſet & melle. Captos in uarias ſe uertiſſe formas, effigiem ſuam depoſuiſſe, nouasq; induiſſe & horrendas imagines. Verùm ubi teneri ſe ualido nexu & inenodabili ſenſerunt, cùm alia multa præcinuiſſe futura, tum fulgurum procurationem, quæ in hanc diem cepis, crinibus, & mænis peragitur, monſtraſſe. Alij negant illos lares prodidiſſe ei hanc procurationem, ſed eos Iouem cœlo deuocaſſe incantamentis, atque hunc infenſum præcepiſſe Numæ, ut capitibus procuraret. Cùm exciperet Numa, Ceparúmne? dixiſſe eum, Hominum. Numam autem denuò præcepti diritatem auertentem interrogaſſe, Crinibúsne? Ac cùm reſpondiſſet Iupiter, Animaris: tum Numam, ut ita diceret, inſtructum ab Aegeria addidiſſe, Mænis: ac diſceſſiſſe Iouem propitium. Locum uerò Elicium ab illo appellatum, quaſi Ilicium, quòd Ileos Græcè propitium ſignificet, atque procurationem ad eum modum peragi. Plutarchus in Numa.

## METAPHYSICI. PHILOSOPHI DIVINI.

*Metaphyſicos eos uocamus, qui ea quæ ſub hominis ſolam rationem cadunt, nec intelligentia tantùm (ut Mathematica) ſed etiam reipſa à materia ſeparata ſunt, cognoſcere ſtudent. Quæ cognitio cùm omnium humanarum artium & diſciplinarum ſuprema ſit, ac ueluti fons & ſcaturigo reliquarum (utpote ex qua inferiorū certitudo & demonſtratio petatur) κατ' ἐξοχὴν Sapientiæ nomen ſibi uendicauit: & quoniam de purè abſtractis agit, etiam Theologiæ. Cæterùm quia ordine cognitionis omnium poſtrema eſt, paſſim Metaphyſica dicitur, quòd non niſi μετὰ τὴν τῶν φυσικῶν ἀμα καὶ ἠθικῶν γνῶσιν diſcenda ſit: ut priores illæ ſcientiæ ſint ueluti initiationes quædam, hæc uerò perfecta contineat myſteria. Veteres hoc philoſophiæ genus inter uerè acroamaticas diſciplinas connumerabant, ut uel nihil de eo ſcriberent, ſed auditoribus tantùm oretenus communicarent: uel ſi aliquid ſcriberent, ita tamen obſcurè, ut ab iis ſolis, qui ἀκροαταὶ, καὶ μὴ ἐξώτεροι eſſent, intelligeretur. Porrò inter Metaphyſicos differentia eadem eſt, quæ etiam inter Phyſicos: nempe quòd alij res ipſas nudas, quamuis obſcurè, docent, ut Ariſtoteles & Theophraſtus: alij fabularum inuolucris uelatas proponunt, deorúmque nomina illis prætexunt, eam ob rem Theologi olim uocati.*

PVRI METAPHYSICI.

[redacted]

Multorum ex ueteribus philoſophis opiniones Ariſtot. in libris ſuis recenſet, examinat & perpendit, quæ niſi metaphyſicæ eſſent, à philoſopho tanquam alienæ relinquerentur. Meminit itaque HIPPASI Metapontini, HERACLITI Epheſij, ANAXIMENIS, eiusque præceptoris ANAXIMANDRI, THALETIS Mileſij, PARMENIDIS Eleatis, EMPEDOCLIS Agrigentini, XENOPHANIS, MELISSI, ANAXAGORÆ Clazomenij, HIPPONIS, LEVCIPPI, DEMOCRITI Abderitis, ALCMÆONIS Crotoniatę, PYTHAGORÆ, PROTAGORÆ, ARISTIPPI ſophiſtæ, ZENONIS & Megaricorū, CRATYLI, Antiſthenis, SPEVSIPPI, qui nepos fuit Platonis ex ſorore, EVDOXI, Calippi, EVENI, Sophoclis & HESIODI poëtarū, ipſius deniq; PLATONIS. Oēs iſti de prima philoſophia uel ex profeſſo, uel in rerū naturaliū tractatione, aliqd dixerūt. At qui ſeparatim & ex profeſſo, diſtinctè ſcilicet & ſeparatim, Metaphyſica tractarint, nullos reperies, præter Ariſtotelem & Theophraſtum. Cæteri omnes, etiam Plato ipſe, Metaphyſica cum Phyſicis miſcuerūt, & propterea ab Ariſtotele paſſim reprehenduntur, non tam propter res ipſas, quàm propter ἀσάφειαν & confuſionem. Nam ſi rerum naturalium naturalia quoque ſunt principia, abſurdum erit metaphyſica & ſupranaturalia (ut ita loquar) principia ſtatuere, qualia Parmenides, Meliſſus, Empedocles, Pythagoras, & reliqui poſuerunt. Hæc cauſa eſt, cur Ariſt. eoſdem in Phyſicis pariter & Metaphyſicis impugnet: illic quidem, quatenus loco naturalium principiorum non naturalia, ſed quæ præter naturam ſunt, fingunt: hîc uerò, quatenus nec ea, quæ fingunt, uerè ſunt metaphyſica. Eadem quoq; de cauſa ijdem à nobis ſub Metaphyſicorum catalogo recenſeri poterunt, quorum ſuprà in Phyſicorum catalogo mentio facta fuit.

FABVLOSI, SVPERSTITIOSI THEOLOGI Ethnicorum.

*Ex Tit. Poetarum Theologorum huc, ii, qui Theogonias ſcripſere.*

ORPHEVS Thrax, Oeagri filius, ut alij putant Apollinis & Calliopes (quod fictum eſt ob cantus ſuauitatem) Artapanus in Aegypto doctum tradit, adiutumque magnopere doctrina Moſaica. Diodorus ſacra Bacchi ex Aegypto in Græciam attuliſſe dicit, dediſſeque Thebanis, quòd ab eis eſſet honorificè exceptus. Hic cantus ſuauitate & beſtias & ſaxa ad ſe fertur allexiſſe. Quin & Parcas dulcedine ſuæ liræ flexit, ut ſibi ſua redderetur Eurydice. Occiſus eſt à bacchantibus feminis: cauſa non conſtat. Alij, quòd uiderit Liberi ſacra, putant: alij, quòd cùm apud inferos deos omnes laudaſſet, Liberum prætermiſerit: alij, quòd cùm adiudicaſſet Adonim dimidio anno Calliopæ, & dimidio Veneri, nec Veneri totum, hæc in eum feminarum furorem immiſit. Hyginus lib. 2. Alij quòd, qui idololatriæ, idem quoque pæderaſtiæ Thracibus auctor fuerit.

LINVS, ut Hermodorus ait, Mercurij & Vraniæ Muſæ filius fuit. Virgilius Apollinis dicit. Diodorus hunc primum in Græcia numeros & melodiam inueniſſe ait. Scripſit mundi originem, ſolis & lunæ curſus, animalium & fructuum generationes, docuit Herculem citharam. Cumque is ingenio eſſet tardo, & ob id obiurgaretur, ac etiam interim uapularet, in magiſtrum Linum inſurrexit, eumq; confecit ictibus citharæ. Alij ſagitta Apollinis periiſſe narrant.

MV-

MVSÆOS non unum commemorat Suidas: tres enim fuiſſe ait. Primum Eleuſinium, Antiphemi filium, Orphei diſcipulum, qui uerſibus ad Eumolpum filium uitæ inſtituta cōpoſuit. Alterum Thebanum, Thamyra genitum, ante Troicam cladem, poëtam melicum, ſcripſiſſeq; hymnos & cantica. Tertium multò recētiorem, Epheſium, item poëtam, qui uixit Eumene & Attalo regibus, conſcripſitq; res Pergamenſium. Muſæum illum Orphei diſcipulum, uulgò Eumolpo patre faciunt: Diogenes initio operis Athenienſem facit, primumq; ait deorum ſcripſiſſe genealogias, ſphæram inueniſſe, & ex uno fieri atq; in idipſum reſolui omnia dixiſſe: quem Phaleræ Atticæ diem obiiſſe, indicio eſt epigramma eius ſepulcro inſcriptum. Hunc ferunt Eleuſiniis ſacris præfuiſſe, cùm Hercules initiaretur. Lud. Viues in lib. 18. Auguſt. de Ciuitate Dei, capite decimoquarto.

HESIODVS Theologus tam præclarus, quàm ueri ſunt ij, quorum ortum in Theogonia ſua tradit, dij.

PHERECYDES Syrius ſcripſit Heptamychum (ſeptem receſſus) ſiue Theocraſian (temperiem deorum) aut Theogoniã (deorum ortum) hoc eſt, Theologiam libris decem deſcriptam, deorum origines continentem. Suidas.

M. VARRO tria genera Theologiæ facit, Mythicon poëtarũ, quo in Theatris utuntur: Phyſicũ philoſophorũ, in Scholis & Politicũ, quo in urbibus. Ipſe de Antiquitatib. rerum humanarum XXV libris prius ſcripſit, de diuinarum uerò libris XVI poſterius, ex opinione hominum non ex rei ueritate ſe de Diis ſcripſiſſe tacitè confeſſus. D. Auguſtinus lib. 6. de Ciu. Dei, c. 4. & 5.

## THEOLOGI. SAPIENTIAE DIVINAE PER REVELATIONEM traditæ profeſſores.

### IVDAEORVM.

*Conſule Tit. Prophetarum & Sacerdotum: apud illos enim myſteria ſacra olim latebant.*

Triplici calle Hebræorũ doctrina incedit: quippe aut ad TALMVDICOS recurrunt, aut ad PHILOSOPHOS, aut ad CABALISTAS. Talmudica hæreſis initia ducere animaduertitur non uetuſta admodum, ut quæ annis paulò minus ducētis poſt Chriſtũ ab Hebræis aduerſum Chriſtianos cōſarcinata deprehēdatur. Qui uerò philoſophicis rationibus Bibliæ arcana explicare adorti ſunt, principe inter eos Aegyptio Moſe, Auerrois tempora non præcedunt: à cuius interitu aguntur plus minus anni trecenti ac triginta. Tertia ſupereſt Cabala, omnium uetuſtiſſima, & uerax in primis: quando ab optimo maximo Deo Moſi inſinuatam, cōſtans opinio eſt: aliis mox ipſum Moſem idoneis maximè patefeciſſe. Initio ſiquidem in monte accepiſſe legem duplicem, literalem, ſpiritualemque. Priorem ex Dei mandato conſcripſiſſe, eamq; populo eſſe impertitum: alterã uerò minimè, ſed ſapientibus modò ſeptuaginta numero cōmunicaſſe. A quibus poſtea cæteris, ad id item deſtinatis, uoce tantùm ſit tradita. Vnde & Cabalę nomen exortum, quod gentis illius uocabulo receptionem ſignat: quia per ſucceſſionum gradus, citra literarum omnino monumenta ulla, ſeruaretur incolumis. Sequenti tamen tempeſtate & hæc ipſa ſunt libris comprehenſa myſteria, in quibus pleraque omnia ferè haud noſtræ fidei diſſentanea comperiuntur: quoniam ante Chriſtum concinnati traduntur, liberis ab omni affectione animis. Sed & tota res perturbata mox apud Hebræos eſt, emergentibus nonnullis, à maleficis nihil admodum diſparatis, qui Cabaliſtarum nomen ſibi uendicent præcipuè, ac Dei nomina tenere ſe in primis prædicent arcana, uirtutibusq; pollere, quibus in dæmonas ius habeant, & miracula item ualeant perficere. Immò & Chriſtum non alia ratione, quàm qua ipſi utantur, tam admiranda ſæpe feciſſe. Aſtruunt inſuper ueram genuinamq; eſſe Cabalam hanc, quę Moſi dicatur à Deo tradita. Quòd uerò magno illi prophetæ Deus ſummus myſteria retexerit, quæ continerentur lege, aſtipulari uidentur multa: ſed in primis illud Eſdræ propheticum, apud quem de Moſe Dominus loquens: Enarraui (inquit) ei mirabilia multa, & oſtendi temporum ſecreta, & finem: præcepi ei, alia palàm faceret, alia apud ſe haberet in arcanis. Cælius lib. 10. c. 1. A. L.

Anno à templi ſecundi incendio 120. Rabbi IVDAS Simeonis filius, quem ob doctrinæ probitatisq; excellentiam ſanctũ uocant, totius Iudaicę ſapientum ſynodi decreto, legis prophetarumq; explanationes, ac ſcripta omnia, quæ cæteri doctores tam antè quàm poſt Chriſti aduentum eatenus ſcripſerant, in unum complexus eſt uolumen, quod Miſna, id eſt, iteratam lectionem nuncupauit, legem ſecundam, continentem traditiones Phariſæorum, quam Iuſtinianus δευτέρωσιν uocat, de Hebræis conſtitutione, cap. 46. eamque interdicit. Anno uerò ab eiuſdem templi uaſtatione circiter 300, R. Iohanan aſſumtis ſibi collegis Rabbi Samuele, ipſum Miſna, & quæcũq; alia ſcripta habere potuit, in unũ colligens, Talmud Hieroſolymitanũ cōfecit. Anno deniq; 146, R. Aſſe, unà cũ Rabina, omnes ſuperiorũ ſcripturas in unũ redigens, ipſum, quo nunc tota Iudæorum regitur ſynagoga, Babylonium contexuit Talmud: ſic dictum, quòd à Rabinis, qui Babylone conuenerant, collectum fuerit: quem tamen, morte præuentus, perficere non potuit. Mor autem eius filius, unà cum Maremar, operi complementum dedit. Eſt autem Talmud, idem quod doctrina, ſiue diſciplinatio, commentaria priora omnia ac ſtatuta, & quaſdam temporum hiſtorias complectens: opus tam diuina ac naturali, quàm politica ac regali ſapientia plenum. Petrus Galatinus de Arcanis catholicæ ueritatis lib. 1. cap. 5.

Anno ante Chriſti natalem circiter ſecundo & quadrageſimo, IONATHAS Vzielis filius, Hillelisque auditor, atque Simeonis Iuſti, qui Chriſtum infantulum ſuſcepit in brachiis, condiſcipulus, totum uetus Inſtrumentum in Chaldæam uertit linguam, atque expoſuit: ita ſenſum è ſenſu traducens, & ita obſcuriſſima quæque exponens uocabula, ut quæcunque de Meſſia dubia & latenter ſcripta erant, certa atque clariſſima reddiderit: adeo ut eius editio non tam interpretatio, quàm gloſſa atque expoſitio uideatur: quam Hebræi Targum, hoc eſt tranſlationem nuncupant: tantæque eſt apud Iudæos auctoritatis, ut non ſolùm ei nemo contradicere audeat, ſed non minùs quoque fidei, quàm ipſi textui paſſim omnes eidem adhibeant, tum ob uiri ſanctitatem ac peritiam, tum maximè ob ipſius interpretationis ueritatem. Ideo quotieſcunque aliquod ambiguum, aut difficile intellectu, in textu ſacrorum Bibliorum inueniunt, ſemper ad illam tranſlationem recurrunt. Vnde de eodem Ionatha (ut in Baua Bathra legitur) dixerunt magiſtri, quòd in hora qua eidem editioni & expoſitioni uacabat, ſi muſca aut quodcunque uolatile ſuper eum uel ſuper chartam uolaſſet, illicò abſque ulla eius chartæ læſione cœlitùs exurebatur. Petrus Galatinus lib. 1. cap. 3. de Arcanis catholicæ ueritatis contra Iudæos.

Rabbi MOSES Aegyptius, ad differentiam aliorum Ben Maymon, filius Maymonis, breuitatis cauſa Rambam dictus, ſcripſit XIII. fidei articulos, & Directorium Theologiæ, etiam Latinè uerſum. Cuius ſcripta tanti faciunt Iudęi, ut à Moſis tēporibus nullũ alium Moſen, hoc excepto Moſe fuiſſe, prouerbio dictitent.

### CHRISTIANORVM.

*De Theologis heic agimus, quatenus Scientiam Theologicam poſsident. Qui ipſi quatenus eandem aliis communicant, uel contra alios diſputando defendunt, ad Doctorum & Certaminum theologicorũ Tit. pertinebunt. Quatenus uerò iidē Eccleſiaſtici quoque magiſtratus munus obeunt, & certo alicui cœtui præficiuntur, ad Epiſcoporum catalogum pertinent, quos Volumine XXVI. in Religioſæ uitæ enarratione deſcribemus. Hic eos tantùm, qui eruditionis nomine celeberrimi fuere, proponimus: ſuum illis ſub Doctorum & Epiſcoporum, & uero etiam Monachorum Titulis locum ſeruantes integrum.*

CLEMENS Alexandrinus catechiſtes, diſcipulus Pantæni, & ſucceſſor. Plurima ſcripſit, & Chriſtiana ethnicis miſcet dogmatibus in libro Stromatum. In multis tamen nō rectè ſenſit. Origenem eius diſcipulum & ſucceſſorem quidam faciunt. Sub Seuero & Caracalla floruit.

IVSTINVS martyr & philoſophus, ex Neapoli urbe Palæſtinæ, patre Priſco Bacchio, in omni genere philoſophiæ exercitatiſſimus, ad Chriſtum conuerſus, eo quòd Chriſtianorum in confitenda fide ſua conſtantiam animaduertebat, inſuper quoque ſenis cuiuſdam colloquio (quem poſtea ampliùs non uidit) inſtructus fuerat. Romam uenit, & ibi literas profeſſus eſt. Antonino Pio Apologiam acerrimam pro Chriſtianis obtulit, eaque impetrauit, ut Imperator Aſianis ſcriberet, ne Chriſtianos, niſi de maleficio conuictos, punirent. Cum Creſcente philoſopho, homine impio, & Chriſtianis ualdè moleſto, diſputauit. Plurima ſcripſit. In Chiliaſtarum tamen errore fuit. Paſſus eſt Romæ anno 7. Marci Antonini Veri, Creſcentis circumuentus ſycophantiis.

THEODORVS Neocæſarienſis epiſcopus, Origenis diſcipulus, poſtea GREGORIVS dictus, & Magnus appellatus, ſiue Θαυματουργὸς, propter frequentia miracula, quibus Gentiles conuertebat.

ANATOLIVS Alexandrinus, epiſcopus Laodicenus, anno Domini CCLXXX. ſub Probo & Caro Impp. uir in omni diſciplinarum genere exercitatiſs. Plurima ſcripſit in ſacris & profanis.

HERACLAS ab Origene conuerſus, & ab eo hypodidaſcalus Alexandriæ conſtitutus: tãdem Demetrio defuncto ſub Gordiano, epiſcopatum Alexandriæ ſuſcepit, ordine 12. Celeberrimus doctrina & auctoritate fuit. Præfuit annis 16.



DIONYSIVS Alexandrinus, Heraclæ in epiſcopatu ſucceſſit, anno Chriſti 251. Philippi 3. Plurima ſcripſit. Plurima pertulit ſub Decij & Valeriani perſecutionibus. Tandem ab exilio reuerſus Alexandriam, obiit, intra Synodos contra Samoſatenum, anno Galieni 12. Chriſti 268. cùm annos 17. eccleſiæ præfuiſſet.

Q. Septimius Florens TERTVLLIANVS Carthaginenſis, natus patre Centurione proconſulari, in omni genere philoſophiæ excelluit. Cyprianus eum Latinorum ſcriptorũ principem appellare non ueretur. Ad fidem Chriſti conuerſus, Romam petiit, & ibi ad mediam uſq; ætatem presbyter manſit. Cōtra Montanum ſcripſit. Mox inuidia Romani cleri expulſus, apertè ad Montani profeſſionem defecit, & contra eccleſiã libros aliquot ſcripſit. Floruit ſub L. Seuero patre, & Caracalla filio. Vixit uſq; ad decrepitam ætatem. Quidã martyriũ paſſum aiunt. Fuit certè martyrij appetentiſſimus. Cyprianus eius ingenium laudat, hæreſim damnat, & ex illius libris bona excerpere iubet, contraria uitare præcipit.

Cæcilianus CYPRIANVS (qui Statij etiam & Thaſcij nomē habuit) Carthaginenſis, rhetor & magus fuit, antequam cōuerteretur. Conuerſatione Cæcilij presbyteri (cuius poſtea nomen ſumſit) conuerſus fuit, omnia bona pauperibus diſtribuit, poſtea presbyter, tandem epiſcopus Carthaginenſis. In lectione Tertulliani aſſiduus fuit, ita ut eum Magiſtrũ uoca[illegible] Multa ſcripſit, contra hæreticos acriter pugnauit. Bis exul, ſemel uoluntariè populi tumultum fugiens: iterũ proſcriptus ſub Galieno & Valeriano: tandem à Galieno Maximo Africæ Procoſ. gladio cæſus, Romæ ſedente Sixto, anno Domini 259. Gallo ac Voluſiano Impp.

ORIGENES Adamantius, Aegyptius, in Alexandria educatus, patre Leonide epiſcopo natus, circa annum Domini 289, Commodi 7. Præceptores habuit, Clementem Alexandrinum, & Ammonium philoſophum Chriſtianum. Cùm pater martyrium paſſus eſſet, bonis in fiſcum redactis, orphanus cùm matre & quinque puerulis fratribus relinquitur: & Alexandriæ à diuite femina, quæ eius indolem admirabatur, ſuſtētatur. Eunuchum ſe caſtitatis ergô fecit. In philoſophicis diſciplinis plurimum operæ poſuit contra hæreticos. Anno ætatis 18 grammaticam docuit, admixtis ſubinde pietatis elementis. Mox à Demetrio epiſcopo catechiſtes conſtituitur. Ducem Arabum cum tota gente hoc efflagitãtem conuertit. Orta deinde ſeditione Alexãdriæ, Cæſaream uenit: reuocatus tandem à Demetrio Alexandriam. Heliogabalo cùm Alexander Seuerus ſucceſſiſſet, mater eius Mãmęa Origenem ad ſe uocauit. Cum ea aliquandiu uerſatus, Alexandriam ad ſcholam rediit, & ſcribere commentarios in S. Scripturam cœpit: ſumtus libenter ſuppeditante Ambroſio, quem ab hæreſi Valentini & Marcionis Origenes conuerterat. Mox in Achaiam ad ſedandas hæreſes miſſus, in itinere ab Alexandro Hieroſolymorum & Theoctiſto Cęſarienſi epiſcopis, Cæſareæ in presbyterum ordinatus eſt. Quam rem cùm Demetrius epiſcopus Alexandrinus inuidia motus ægrè ferret, Origenes Cæſareæ ſubſtitit, & ibi multos clariſs. uiros erudiit. Philippum Imp. qui Gordiano ſucceſſerat, & Seueram coniugem anno 60. ætatis ſcriptis ſuis conuertit: ac tum demum ſcripta ſua à notariis publicè excipi paſſus eſt. Bis in Arabiam contra hæreticos profectus eſt. Habuit multos & ipſe næuos, ita ut Hieronymus in epiſtola ad Pammachium & Oceanum, eum Arij fontem appellarit, quia duos Chriſtos prædicarit. Quamuis Ruffinus eum excuſare tentet, quòd à calumniatoribus eius inſerti ſint, & ab Ambroſio priùs editi, quàm ab eo in extrema ætate corrigi potuerint. Plurima paſſus eſt tormenta, carceres, uincula. Suidas, & Nicephorus libro quinto, capite 32 aſſerunt, in perſecutione ſub Decio ductum eſſe ad aram, ad quam impuriſſimus ſimul Aethiops conſtitutus eſſet: optionemq; ei datam, ut aut ſacrificaret, aut corpus ſuum Aethiopi contaminandum præberet: tunc Origenem ſacrificare potiùs, quàm caſtitatem amittere maluiſſe. Pro qua impietate ab Eccleſia poſtea excommunicatus, Alexandria relicta, in Iudæam uenit, pœnitentiæ & lachrymarum plenus, ac penè deſperans. Obiit ſub Gallo Imp. anno Domini 255. aut circiter, ætatis ſuæ 69. in ſumma miſeria, annis antè Hieronymi ætatem 150. Sepultus Tyri.

CYRILLVS, epiſcopus Hieroſolymitanus, per calumniam ab Acacio (quòd cum eo in Ariana ſententia cōſentire nollet) apud Conſtantium accuſatus, quòd in maxima fame, eccleſiæ ornamenta uendendo, ut pauperibus ſuccurreret, inter cætera etiã ueſtem ſacerdotalem precioſam uendidiſſet: quã deinde à mercatore mulier ſcenica redemerat, eamque inter ſaltandum is, qui eã eccleſiæ contulerat, agnouerat: in exilium pellitur, in quo uſq; ad Theodoſium mãſit, ſub quo reſtitutus eſt. Multa ſcripſit, quę Cyrillia in eccleſia dicta fuiſſe, Nicephor⁹ ait. Sozomenus eũ Homouſianos ſecutũ aſſerit, & cũ Arianis ſæpe cōflictaſſe. Ruffinus tamen eum in cōfeſſione uariaſſe, & Macedonianum fuiſſe, ſed ante Synodũ Conſtantinopolitanam Homouſion amplexum ſcribit.

DIODORVS, primùm monachus, ſub perſecutione Valētis Antiochiam uenit: & cum Flauiano coniunctus, orthodoxam doctrinam promouit & ſuſtinuit: non quidem concionando, ſed ipſos concionatores inſtituendo, & argumenta ſuppeditãdo. Valente mortuo, cùm ſub Gratiano Meletius Antiochiam rediſſet, Diodorum eccleſiæ Tarſenſi Ciliciæ præfecit. Plurima ſcripſit, quantum ſuo tempore nemo.

EVSEBIVS Cæſarienſis epiſcopus, in conſtruenda bibliotheca Cæſarienſi diligens fuit. Hieronymus eum infinita uolumina ſcripſiſſe tradit. A ſynodo quadam Antiochiæ epiſcopus, depoſito Euſtathio, fuit conſtitutus: ſed modeſtè recuſauit. Conſtantino Magno familiaris fuit. Ante conciliũ Nicenum (cui interfuit) Arianus fuit, & Arianè quædã ſcripſit in libro de Præp. Euang. Poſtea tamen ueritatē conſtantiſſimè amplexus eſt. Mortuus eſt anno Chriſti 342. cùm à Conſtantino iuniore Athanaſius ab exilio Treuerenſi Alexandriam reuocaretur. Tanta ei cum Pamphilo presbytero interceſſit familiaritas, ut Pamphili cognomen ſibi ſumpſerit.

GREGORIVS Nazianzi natus (quod oppidum uicinum eſt Cæſareæ Cappadociæ) patre Gregorio ignobili, qui ex Hypſiſtariorum religione fuit. Habebant autē Hypſiſtarij religionē ex Iudaiſmo & ethniciſmo mixtam. Creatorē ſolum uenerabantur: idola, ſacrificia, & circumciſionē reiiciebat: ſabbatum colebant: ignē & lampades uenerabantur, ciborũ delectus ſcrupuloſè ſeruabant. Sed maturè eum errorem reliquit, & in Chriſtiana religione tantũ progreſſus eſt, ut tandē Nazianzēſis eccleſiæ epiſcopus ſit factus. Mater fuit Nōna. Cæſareæ eloquentiæ operã dedit. Alexandriam inde peregrinatus eſt: Mox Athenas, ubi cũ Baſilio, qui Conſtantinopoli eò profectus erat, amicitiã iunxit. Reuerſus inde in patriã, baptizatus eſt. Mox presbyter uel inuitus factus, non diu pòſt in Pontum ad Baſilium abiit, & cũ eo in cōmunib. ſtudiis per 13. annos uixit. Domi interim Cæſarius frater moritur. Pater nonagenarius Gregorium domum reuocat: & quia metu Arianorum ſub Conſtantio, pater fidei Arianorum ſubſcripſerat, Gregorij precibus reſipuit, & Eccleſiæ reſtitutus eſt. Inde cùm Valētis perſecutio cœpiſſet, Euſebius Epiſcopus Cæſarienſis Gregorium in Pontum ad Baſilium miſit presbyterum ſuum, cũ quo ſimultates quædam intercedebãt, ut in tanta eccleſiæ perturbatione priuata odia deponerent. Perſuaſit ergo Baſilio Gregorius, ut Cæſaream reuerteretur: ubi communi opera contra Arianos decertarũt. Poſtea cùm in Euſebij mortui locum Baſilius ſubſtitutus eſſet, Gregorium, epiſcopum Saſimorum conſtituit. Mortuo patre centenario, & matre, priuatus atq; uolens Nazianzi uixit, eccleſiæ gubernationem reſpuens. Tandem diuinitùs Conſtantinopolim uocatus, in paruo quodam templo, cui Anaſtaſia nomen erat (reliqua loca Ariani occuparant) docuit, contra Arianos & Apollinarem Syrum. Ex quibus certaminib. nobilitatus, à Petro epiſcopo Alexandrino, epiſcopatu Conſtantinopolitano dignus eſt iudicatus: à Maximo tamen Cynico impeditus, quem ipſe conuerterat: tandem in ſynodo Conſtantinopolitana 150 epiſcoporum electus, & à Meletio confirmatus eſt, anno altero Gratiani & Theodoſij, Chriſti 383. Verũ, quia Aegyptij & Macedones tardiùs adueniſſent, neq; electionem ratam habere uellent, Gregorius ſponte ſe epiſcopatũ abdicauit, & in prædium Arianzũ hæreditarium ſolitarius concedens, patriam ab Apollinariſtis infectam purgauit. Plurima ſcripſit: contra Arianos, Apollinariſtas, Eunomianos acerrimè diſputauit. Vixit cœlebs per omnem uitam. Obiit nonagenario non inferior, anno Domini 384. poſt mortem Baſilij altero. D. Hieronymi magiſter fuit, epiſcopus in Ponto.

EPHRAEM Niſibēſis patria, à puero in eremo fuit educatus, eruditus & eloquens, cui ab angelo uolumen traditum eſſe aiunt. Ex eremo protractus, diaconus primùm Eccleſiæ Edeſſenæ factus eſt, poſtea presbyter à Baſilio Cæſarienſi lectus. Multa adeò ſcripſit, ut Commentatoris nomen meruerit. Oblatum epiſcopatum ſimulatione inſaniæ reſpuit. Obiit anno Chriſti 380.

GREGORIVS Nyſſenus, epiſcopus in Pōto, frater germanus Magni Baſilij, natu maior, & poſtea patriarcha eccleſiarũ per oram Cæſarienſem à ſynodo Conſtantinopolitana conſtitutus eſt. Contra Arianos & Eunomianos cum Nazianzeno & Baſilio acerrimè pugnauit. Celebs uixit, ut & Petrus & Baſilius fratres. Obiit poſterior aliquantum Baſilio.

BASILIVS Magnus, Cæſarienſis epiſcopus, Gregorij Nyſſeni & Petri Sebaſtæ epiſcoporum frater, patre Baſilio ex Heleno ponto, Ponti oppido, matre Eumele ex Cappadocia. Auus eius in perſecutione ſub Maximino cum ſuis in mōtis ſpecu per ſeptennium latuit, tandem martyriũ paſſus. Pater communis fuit uirtutis præceptor in Ponto, eruditionis ſi-

mul. & religionis. Nutrix fuit Macrina, Gregorij Neocæſarienſis epiſcopi diſcipula, à qua in pietate Chriſtiana à teneris eruditus fuit. Miſſus eſt deinde Cæſaream Cappadociæ, eloquentiæ & philoſophiæ cauſa. Pòſt Conſtantinopolim: tandem Athenas, ubi Nazianzeni amicitiam contraxit. Antiochiæ quoq; Libanio ſophiſtæ operam dedit. Athenas reuerſus, Nazianzeno demùm ſe coniunxit. Inde uarias peregrinationes ſuſcepit ad eccleſias, ut in fide meliùs inſtrueretur. Cæſaream ueniens, per omnes ordines uſq; ad presbyterium aſcendit. Verùm ubi calumniis quorundã Euſebius epiſcopus Cæſarienſis inimicus illi factus eſt: ceſſit Baſilius in Pontum. Sed cùm Valens Arianus Catholicos inſectaretur, Nazianzenus ad Baſilium orator miſſus ab Euſebio, ex orator rediit. Itaq; Baſilius paret, & Cæſaream reuerſus, cũ Euſebio in gratiam rediit: & in dimicatione cõtra Arianos, adiuncto ſibi Nazianzeno, ſtrenuam nauauit operam. Euſebio deinde decedente, in eius locum epiſcopus conſtituitur, poſt Valentis mortem, anno Domini 380. ut quaſi ſcintilla fidei ſolus inter Arianos remanſerit: docendi aſſiduitate & ſtudio, humanitate, conſtantia, miſericordia maximè inſignis. Varia à Valente & Arianis pericula ſuſtinuit: ſed inſtar ſcopuli, fluctus maximos diſcuſſit. Sæpe in exilium eum eiicere Valẽs uoluit, ſed ominibus grauibus ſemper fuit deterritus. Athanaſius eum gloriam Eccleſiæ, Nazianzenus orbis oculum uocauit. Expirauit ſuauiter, poſteaquam ſua uoce ipſe quendam ex ſuis miniſtris fideliſſimum ſucceſſorem nominaſſet, & protuliſſet uerba prophetæ: In manus tuas, Domine, commẽdo ſpiritum meum. anno Chriſti 387. Valentiniani 6.

ATHANASIVS à moriente Alexandro ſubſtitutus, inuictus Chriſti contra Arianos athleta, pari eruditione & pietate: multa ſcripſit, [redacted]. Diaconus cum Alexandro epiſcopo ſene ad Nicenum uenit concilium. Celebs uixit. Cùm Arius reſipiſcentiæ libellum Conſtantino Magno exhibuiſſet, & Imp. eum Alexandriam ad presbyterium redire iuſſiſſet, Athanaſius eum recipere noluit, quãuis irato Imp. Hinc data occaſio Euſebianis (qui Ario patrocinabantur) & Meletianis, uariis calumniis Athanaſio inſidiandi, in Nicomedienſi primùm, deinde in Tyria ſynodo. Tandem cùm eum accuſaſſent, ꝙ impedire uellet, ne frumentũ ex Alexandria Conſtantinopolim deueheretur: Imp. in Gallias Treuerim eum inaudita cauſa relegauit, quòd Athanaſius duriùs ei reſpondiſſet, Iudicabit Dominus inter me & te, quoniam etiam tu cõſentis calumniatoribus modeſtiæ meæ. In exilium ergo miſſus eſt anno Chriſti 339. ubi biennium & 4. menſes exulauit. Reuocatus à Conſtantino iuniore, quia id pater moriens iuſſerat: cùm Alexandriã rediiſſet, Euſebiani eum apud Conſtantium tanquam ſeditioſum accuſant. Conſtantius integros exercitus contra eum armat. Syrianus dux quinq; millibus Alexandria eum pellit. Ex quorũ manibus diuino auxilio in medio pſallẽtium ereptus eſt. Nihil tutum erat ei in orbe, quamuis ad Iulium Rom. põtificem transfugiſſet, qui eius cauſam fouebat. Conſtantius enim præmia etiã propoſuerat, ſi quis uel uiuum, uel ſaltem mortui caput attuliſſet. Latuit ergo apud Treuerim in monaſterio S. Ioannis (poſtea D. Maximini dictum) abbate Odiberto, per ſexennium in puteo tenebroſo & exiccato, ſiue in crypta. Proditus tandem ab ancilla, domini inſtinctu latebras mutauit, & porrò ad Conſtantem fratrem Conſtantij ſeceſſit. Apud quem tantum potuit, ut bellum fratri Conſtans minaretur, niſi Athanaſium reciperet. Indicto ergo concilio Sardicenſi, Athanaſius innocentiam ſuam omnibus patefecit, & à 344. epiſcopis abſolutus eſt, & cum honore Alexandriam remiſſus, cũ ſumma populi lætitia, anno Chriſti 348. Conſtantij 8. Obtinuit tum eccleſiam ſuam per quinquennium, uſq; ad mortem Conſtantis, à Magnentio tyranno interfecti, anno imperij ſui 13. Chriſti 353. Cuius morte Conſtantius audacior factus, omnia reuocauit: Alexãdria Athanaſium per Heracliũ comitem expulit, Georgium Cappadocenſem ſubſtituit in epiſcopatu. Exulauit ergo per decennium, uſque ad Iuliani imperium. Sub quo rediit, anno Chriſti 365. Quamuis quidam referant, eum toto decennio illo Alexandriæ apud ſacram uirginem delituiſſe: & nunciata Conſtantij morte, in templo Alexandriæ ſubitò noctu præter omnium expectationem comparuiſſe. Sed à Iuliano apoſtata idololatra iterum pulſus, Alexandriæ iterum latuit, uſque ad mortem Iuliani. Sub Iouiano opt. principe reſtitutus eſt. Sed eo mortè ſublato, octauo imperij menſe in Cilicia Valens Arianus, quamuis nihil ex profeſſo contra Athanaſium & Aegyptios machinaretur, Athanaſius tamen præfectorum inſidias metuens, menſibus 4. in paterno latuit monumento. Cùm autem eam ob rem populus tumultuaretur, edicto Valens iuſſit, ut Athanaſius liberè eccleſias ſuas repeteret. Nec multo pòſt Athanaſius obiit placidiſs. morte, conſulatu Gratiani ſecundo & Probi, Anno Chriſti 377, cum epiſcopatum Alexandriæ geſſiſſet annis 46, [redacted]

DIDYMVS Alexandrinus, cæcus ex ophthalmia, cùm puer grammaticam diſceret. Vicit tamen oculorum cladem diſcendi ſtudio, ita ut etiam geometriam & matheſin (quæ artes oculis maximè indigent) didicerit. Alexandrinæ ſcholæ præfuit. Grecè plurima ſcripſit, ita ut Hieronymus eum preceptorem agnoſcere nõ erubeſcat: Origeni tamen nimium tribuiſſe uidetur. Familiaris fuit Athanaſio & Antonio monacho. Vixit annos 90.

ARNOBIVS rhetor primùm Siccæ in Africa, & Chriſtianorũ ſummus hoſtis: tandem ſomniis monitus eſt, ut baptiſmũ ſuſciperet. Verùm ſuſpectus Chriſtianis, non priùs receptus fuit, quàm libros contra gentes uehementi ſtylo in lucem edidiſſet. Floruit ſub annum Chriſti 330. Hieronymus in Chronico. Contra hæreſes etiam uarias ſcripſit. Romæ aliquandiu docuit.

LACTANTIVS, Firmij in Piceno Italiæ natus, Romæ Arnobium audiuit, eumq; eloquentia longè uicit. Vixit ſub Diocletiano & Conſtantino. Quinimò à Diocletiano Nicomediam Bithyniæ uocatus eſt, ut rhetoricam profiteretur. Verùm quia Latinam eloquentiam Græci non curabant, relicto docendi munere, ad ſcribendum ſe cõtulit. Senex in Gallia docuit, & magiſter fuit Criſpi filij Conſtantini, quem pater ipſe poſtea interfecit. Scripſit multa & uaria lacteo eloquentiæ flumine: [redacted]

OPTATVS Afer, epiſcopus Mileuitanus, ſub Valentiniano & Valente principibus, multiplici eruditione & pietate inſtructus, ſcripſit contra Parmenianum Donatiſtam. Libri editi ſunt, ſed ualde corrupti.

EPIPHANIVS, in uico Beſanduce, uicino Eleutheropoli Palæſtinæ, natus eſt. Puer in Aegyptum ad monachos miſſus, ad annum uſq; 20. ſtudiis operam dedit. Rediit inde in Paleſtinam: monaſterium conſtruxit, & presbyter illic fuit, in eoque otio opus Panarium contra 80. hæreſes ſcripſit, ſub Valentiniano & Valente. Inde Salaminæ Cypri metropolis (quæ Conſtantia poſtea dicta eſt) epiſcopus factus eſt, multis præſtans uirtutibus, & erga pauperes ſummè liberalis. Tanta apud omnes ueneratione, ut ne Valens quidem Imp. Arianus ei nocere uoluerit. Quinque linguis contra Origenem diſputauit: unde πεντάγλωττος dictus. Cùm Conſtantinopolim nauigaſſet, ut in gratiam Theophili Alexandrini epiſcopi à Ioanne epiſcopo Conſtantinopolitano (quem Theophilus impensè oderat) Origenes condemnaretur, domum rediens, in naui obiit.

HILARIVS Gallus, ex Pictonum gente, eorumq; epiſcopus eloquentiſſimus, orthodoxus, in exilium pulſus à ſynodo Mediolanenſi Arianorum contra Athanaſium, in Thebaida Aegypti, anno Chriſti 360, Conſtantij 20. ſub Iuliano redit. Sextò tamen pòſt anno moritur, poſtquam plurima ſcripſiſſet, anno Chriſti 372. Valentiniani & Valẽtis quinto, ſub Damaſo pontifice Romano.

AMBROSIVS in Gallia ſub Conſtantij imperio natus fuit, patre Symmacho, præfecto Galliæ. Infanti in prætoria domo dormienti apes circa os uiſæ ſunt oberrare. Patrem impubes amiſit. Inde cum matre & ſorore Marcellina Romam profectus, ibi ſtudiis ſeſe addixit: & tandẽ cauſas agere cœpit. Mox à Probo prætorij præfecto, conſiliorum & gubernationis ſocius fuit adſcitus. Cõſulari poſtea dignitate inſignitus, ad regendam Liguriam miſſus eſt, à Probo, his uerbis ominoſis: Vade, age non ut iudex, ſed ut epiſcopus. Mortuo Auxentio Mediolanenſe epiſcopo Ariano, Valentinianus epiſcopum alium, ſed orthodoxum, ſubſtituere cogitabat, conuocata Synodo. Populus interim tumultuari cœpit, quod alij Ariani, alij Orthodoxi eſſent. Res ad ſeditionem ſpectabat. Cùm Ambroſius præſes continuò aduolat, & populum placidè mitigare ſtudet: eius eloquentiam & grauitatem plebs admirata, uno ore conclamat, Ambroſium epiſcopum ſe ſtatuere. Negat ille ſtrenuè. Imperator populi electionem cõfirmat. Ergo omnibus ſacris ordinibus aſſumtis, Ambroſius inauguratur, anno Chriſti 378. ſub Damaſo papa. Plurima ſcripſit. Contra omnes ferè hæreſes acriter pugnauit: etiam contra Iuſtinam Valentiniani coniugem. Nam Valentiniano ex inſidiis interfecto, Ariana coniunx filium ſuum iuniorem Valentinianum contra Ambroſium incitabat, ita ut armata etiam manu Ambroſium in templo obſideret, & tandem in exilium mitteret. Pòſt cùm Maximus tyrannus Valentinum iuniorem ex Galliis expuliſſet, Ambroſius Maximum excommunicauit. Ob quod Aquileiam Ambroſius fugere coactus eſt. Sub Eugenio deinde tyranno, interfecto Valentiniano, in Ethruriam abire coactus fuit, cùm Arbogaſtes dux Mediolanum ueniſſet, & ſe templa in equorum ſtabula mutaturum aſſeruiſſet. Reſtitutus





poſtea, Theodoſium Imp. eo quòd Theſſalonicæ orta ſeditione in theatro immiſſis militibus ſeptem millia trucidari curaſſet, à communione & ingreſſu templi repulit: nec niſi poſt octo menſes pœnitentiæ, ſupplicem atrocibus uerbis increpatum ſuſcepit. Auguſtinum à Manichæa hereſi liberauit. Baſilio Cæſarienſi familiaris fuit. Inimicis etiam tantæ auctoritatis, ut eum reprehendere non auderent, ne ipſe quidem Pelagius. Præfuit epiſcopatui annis 22. obiit anno Chriſti 400, Ar[redacted]ertio, ſenex[redacted]odũ. Diem mortis ita præuidit, ut & fratribus indicarit: dictarit etiam enarrationem Pſalmi 44. Deus auribus noſtris audiuimus: atque inter dictandum conſpecta eſt clypei figura, quæ poſtea dilabens, fulgorem in facie inuſitatum ſparſerit, & ore hauſta ſit. Succeſſorem ſibi delegit ſenem bonum Simplicianum, & ab hora circiter ii. diei, uſque ad illam, qua emigrauit, expanſis orauit manibus, labia ſolùm mouens.

HIERONYMVS Dalmata, ex Stridone oppido (à Gothis ſub Conſtantino Magno, anno Chriſti 331. uaſtato) patre Euſebio, Chriſtiano quidem, ſed tenuis fortunæ, natus: fratrem habuit Paulinianum. Puer Romam miſſus, ubi baptiſmum ſuſcepit, & Grammaticæ operam dedit ſub Donato, quando Iuliani Imp. apoſtatæ interitus nunciatus fuit. Roma diſcedens, Galliam perluſtrauit. Inde in patriam, & Romam rediit. Mox in Orientem, ubi cùm omnia plena eſſent Arianis, ſatiùs ducens inter feras quàm inter homines uiuere, in horridam ſeſe inter Syros & Agarenos ſolitudinem abdit, cum Heliodoro comite: qui eum tamen propter ingenij moroſitatem reliquit. Poſt quatuor annos Romam ob Eccleſiæ utilitatem retractus eſt ab Epiphanio Cypri, & Paulino Antiochiæ epiſcopis, & illic presbyteri dignitatem accepiſſe uidetur. Cyrillus quidam eum cardinalem tunc factum aſſerit, [redacted] Venit tunc in familiaritatem Romanarum matronarum, Paulæ, Marcellæ, Sophroniæ, Principiæ, Euſtochij, cum quibus per triennium uixit: uariis interim Arianorum inſidiis impetitus, qui ſe falsò Origeniſtas nominabant: ſparſo etiam rumore, quòd cum Paula rem haberet. His de cauſis Roma relicta, Syriam repetiit, cum comitibus Paula, fratre Pauliniano, & Vincentio presbytero: ac Bethlehem uenit. In cuius confinio cùm Paula tria extruxiſſet uirginum monaſteria, uirorum unum: Hieronymus uiris, Paula uirginibus præfuit. Magnas ibi Arianorum paſſus eſt inſidias: & cum Ioanne Hieroſolymitano inimicitias exercuit, propter Arianiſmi ſuſpicionem: cùm Ioãnes id reprehẽderet, quòd Paulinianum fratrem annos uix triginta natum, presbyterum ordinaſſet. Scripſit ibi plura, & Lati[redacted]omnes Theologos ſuperauit. Origeni propter Arij odium inimicus fuit: adeò ut in eius condemnationem, uniuerſum orbem incitarit. Ruffinum quoq; Aquileienſem (cum quo à pueritia amicè uixerat) eandem ob cauſam grauiſſimè [redacted] inſectatus eſt, quòd nimium Origeni tribueret. Pari quoq; ratione Ioannem epiſcopum Hieroſolymitanum reprehendit. Quinquaginta annorum ſpacio libros ſuos compoſuit: mortuus an. ætatis 91. Honorij & Theodoſij Impp. 12. Chriſti 422. pridie Calendas Octobris.

HESYCHIVS, Gregorij Nazianzeni diſcipulus, uitæ monaſticæ propter priuata ſtudia ſe dedit. Inde presbyter Hieroſolymorum factus, in uetus & nouum Teſtamentum commentaria doctiſſima edidit. Claruit anno Chriſti 400. ſub Arcadio & Honorio Impp. aliis poſt Theodoſiũ iuniorem.

THEODORETVS Syrus, Cyri urbis epiſcopus (quem mater poſt 16 ſterilitatis annum à Deo precibus Macedoniani cuiuſdam monachi impetrauit, Deoque ſacrum fore uouit) ingenio excellentiſſimo præditus fuit, & Chryſoſtomi in utraque philoſophia diſcipulus, epiſcopus factus eſt circa annum Chriſti 424. Contra hæreſes acriter pugnauit, adeò ut plus quàm mille animas à Marcionis errore liberarit. Multa doctiſſimè & ſanctiſſimè ſcripſit. Poſt 26. annum epiſcopatus, à Synodo Epheſina altera Eutychianorum, ab epiſcopatu deiectus eſt, ſed poſtea reſtitutus. Cyrillum Alexandrinum in gratiam Ioãnis Antiocheni inſectatus eſt: tandem tamen ei reconciliatus. Paupertatem uoluntariam profeſſus eſt. Ab hæreticis multa paſſus. Ipſe quinetiam, cùm in odium Cyrilli, Neſtorio & Eutychi fauere uideretur, in Chalcedonenſem Synodum non priùs fuit admiſſus, quàm palàm & clarè Neſtorio & Eutychi anathema dixiſſet. Sub Leone ſeniore mortuus eſt, cùm in epiſcopatu annis amplius 30. uixiſſet.

THEODVLVS Italus, in Cœleſyriam abiens, illic primùm presbyter, deinde epiſcopus factus, circa annũ Chriſti 480. multis ſcriptis innotuit, carmine & proſa. [redacted]

CYRILLVS Alexandrinus, Theophili epiſcopi (qui ſummus Io. Chryſoſtomi Conſtantinopolitani hoſtis fuit) ex fratre nepos, eiuſque in epiſcopatu ſucceſſor, uir eruditione & uirtute clariſs. anno Chriſti 413. electus: plurima ſcripſit, à Chalcedonenſe primùm concilio, deinde à Conſtantinopolitano, ſub Iuſtiniano approbata. Ad certamina natus uideri poteſt. Nouatianorum eccleſias occluſit, Iudæos Alexandria expulit: quæ res magnas turbas excitauit. Iniquior fuit D. Ioanni Chryſoſtomo, propterea quòd Theophilo patruo inimicus fuiſſet: tandem tamen eum quoque demortuum in diuorum catalogum retulit. Neſtorium ad concilium Alexandrinum uocauit, & damnauit. Verùm quia abſente Ioanne Antiocheno epiſcopo id egerat, Ioannes eum poſteà inſimulatum de Arij & Eunomij erroribus, excommunicauit. Sed tandem cum eo in gratiam rediit. [redacted] In epiſcopatu uixit annos 32. Moriturus, condito teſtamento per ſacra myſteria adiurauit, quicunque ſucceſſor eſſet futurus, ut genus ac cognationem ſuam foueret, neque illi ullo pacto moleſtus eſſet.

Aur. AVGVSTINVS matre Monica, patre Patricio in ciuitate Thageſtenſi natus, Chriſtianus quidem, ſed mediocri fortuna. In puericia à matre de Chriſto inſtitutus eſt, ſed baptiſmus dilatus. A pueris ludum frequentauit, præceptore Manlio Theodoro: Latinas literas amauit, [redacted]. Madaurum conceſſit eloquentiæ gratia, inde Carthaginem. Idem 20. anno ætatis Ciceronis Hortenſium legens, ad philoſophiæ ſtudia excitatus eſt. Ariſtotelis categorias per ſe intellexit. Incidit in Manichæos, & uſque ad 32. annum in ea hæreſi permanſit, matre Monica Deum pro filij conuerſione ſedulò orante. Reuerſus in patriam, docuit Grammaticam: inde Carthagine Rhetoricam. Mox in Italiam tranſiens, Romæ quoque Rhetoricam profeſſus eſt. Mediolanum inde accerſitur, ſub Valentiniano minore, Manichæorũ opera promotus. Ab Ambroſio ſuſcipitur benignè, eiuſque conciones diligenter audit: non doctrinæ, ſed eloquentiæ ſtudio. Senſim tum à Manichæis defecit. Venit eò mater Monica, ſperans filium ab Ambroſio conuerſum iri. Anno 30. ætatis, relicta concubina, de uxore ducenda cogitat. Deſpondetur ei biennio minor quàm nubilis, cuius nuptias tam diu [redacted], cùm prior in Africam rediiſſet. Senſim inde ueritatem ſpectare cœpit: & cum Simpliciano re communicata, qui eum ad lectionem ſacrarum literarum adhortabatur, in hortum cum Alypio ſecedens, lacrymarum plenus, animique dubius, audit ex [redacted]erorum canentium: Tolle lege, tolle lege. Ac cùm nemin[redacted]uideret, diuinam admonitionem exiſtimans, arrepto codice, incidit in locum Pauli: Non in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione: ſed induite Dominum Ieſum Chriſtum, & carnis prouidentiam ne feceritis in concupiſcentiis. His lectis, omnes dubitationis tenebræ ei ſunt diſcuſſæ: ac re cum Alypio communicata, ſtatuerunt ad Chriſtianam tranſire religionem. Poſt dies 20. profeſſione Rhetorices reſignata, cum ſuis in uillam Verecundi ciuis Mediolanenſis profectus, lectioni ſacrarum literarum uacabat, & præparabat ſe ad baptiſmum, quem ad Paſcha ſuſcepit cum Alypio, & naturali filio Adeodato, natus annos 33, poſt Maximi tyranni mortem. Domũ inde in Africam rediit, & in agris ſuis uixit. Mox Hipponenſis eccleſiæ presbyter à Valerio ordinatus, & tandem etiam eius coepiſcopus. Eo mortuo, ad epiſcopatum euectus eſt: quẽ ſanctiſſimè & factis & concionibus & ſcriptis adminiſtrauit. Contra hæreticos acerrimè diſputauit: ut, contra Fortunatum Manichæum Hippone, cùm presbyter eſſet. Firmum mercatorem epiſcopus à Manichæa inſania conuertit. Item Felicem Manichæum poſt tertium congreſſum ad meliorem mentem redegit. Donatiſtarum ſecta multum ei negotij exhibuit. Colluctatus eſt cum Paſcentio Ariano Carthagine publicè: item cum Maximo Gothorum epiſcopo. Contra Priſcillianiſtas & Origeniſtas, contra Pelagianos per decennium laborauit: item contra Iudæos & Ethnicos, abſque nimia acerbitate. Cum mulieribus, ne cognatis quidẽ, propter ſuſpicionem, non habitauit. Veſtitu mundo, menſa frugali utebatur, & uino. Obtrectationem fugiebat. Vrbe Hipponenſi à Vandalis, Alanis & Gothis ad tertium menſem obſeſſa, crebrò Deum precatus eſt, ut aut obſidionem aut uitam ſolueret. In febriculam ergo incidens, Pſalmos de pœnitentia & legebat ipſe, & ab aliis legi curabat, orationibuſque uacabat. Tandem præſente Poſſidonio & aliis,

[redacted] naſtica functione 40.

IOANNES Chryſoſtomus [redacted] tem, patre Secundo, matre Anchuſa, nobili familia natus, Libanio ſophiſta & Andragathio philoſopho præceptoribus uſus. Paulo antè Libanij mortē Chriſtianus factus eſt, conuerſus & baptizatus cum ſuis parentibus à Meletio epiſcopo Antiocheno. Itaq; moriens Libanius conqueſtus eſt, Ioannem à Chriſtianis ut prædam abactum, alioqui utiliter ſcholæ ſuæ præfici potuiſſe. Iuri indè operam nauauit. Sed mox mutato ſtudio, Sacris literis totum ſe dedit, præceptoribus Diodoro & Carterio, item & Baſilio Cæſarienſi epiſcopo. Zenon Gazæ epiſcopus Hieroſolymis reuerſus, Antiochenæ eccleſiæ eum lectorem conſtituit. Poſtea à Meletio diaconus factus, tandem ab Euagrio presbyter. Mortuo Nectario, communibus ſuffragiis populi & cleri, iuſſu Arca[redacted] Conſtantinopolitanus epiſcopus factus, propter elo[redacted] Chryſoſtomi nomen meruit: in concionando aſ[redacted] parceret. Varia certamina contra hæreticos, ſed maiora contra falſos fratres ſuſtinuit. Theophilus Alexandrinus epiſcopus, eum quòd Origenem damnare nollet, odio proſecutus, apud Imperatorem propter libertatem in reprehendendo accuſauit: & adiuuante Eudoxia, in exilium eiecit. Sed populo tumultuāte, paulo pòſt rediit. Iterum Eudoxia eum propter reprehenſionem liberam eiici, & in Pityuntem Ponti deportari curat. Cùm ergo Comana ueniſſet ad Pontum [redacted] dolore capitis & febri correptus, obiit, 14. Nouem[redacted] anno Chriſti 408. ætatis 52. epiſcopatus ſui quinto & dimidio. Mortem eius ſecu[redacted] quorum alij eum damnabant, alij tuebātur. Alexander Antiochenus primus nomen eius in ſacros retulit commentarios. Cyrillus Alexandrinus diu reſtitit. Tandem & ipſe conſenſit, ab Iſidoro Peluſiota perſuaſus. Reliquiæ eius, Proclo epiſcopo Conſtantinopolitano interpellante, Conſtantinopolim à Theodoſio Imp. cum lacrymis ſunt relatæ, rogante ut ignoſceret patri ſuo Arcadio, & matri Eudoxiæ. Succeſſit ei in epiſcopatu ſtupidus Arſacius.

GREGORIVS I. Magnus appellatus, Gordiani ſenatoris filius, Felicis quarti pronepos, monachus primùm fuit, & abbas. Parentibus defunctis, de patrimonio ſex monaſteria in Sicilia extruxit: ædes Romæ in cœnobium conuertit. Angelum ter in ſpecie hominis naufragi excepit, pauit, & pecu[redacted] poſtea miraculis donatus eſt. Tandem poſt [redacted] creatur, ſanctitate uitæ & eruditione poſteriores omnes [redacted] ſtituit: in epiſcopis examinandis acerrimus fuit. Plurima ſcripſit, quorum maior pars ab æmulis combuſta eſt: aliqua tamen, interceſſione Petri Diaconi ſeruata. Primus ſe ſeruum ſeruorum Dei appellauit, [redacted] Erga pauperes liberalis maximè fuit, & caſtitatis amator. Contra Iudæos & hæreticos uaria certamina ſuſcepit. Eutychium epiſcopum Conſtantinopolitanū ipſe adhuc diaconus coram Tiberio Imp confutauit, qui ſcripſerat corpus noſtrum poſt reſurrectionem impalpabile fore. Obiit anno Chriſti 606, Phoca imperante, 4 idus Martii, qui & natalis eius dies fuit. In lecto recubans modulabatur, & pueris baculo moderabatur.

PROCLVS, quintus à Chryſoſtomo epiſcopus, & eiuſdem diſcipulus, Chryſoſtomi & Attici donis fuit inſtructus. Maximiano ſucceſſit Theodoſii iuſſu. Omnibus ex æquo placidus & lenis. Chryſoſtomi relquias Cōſtantinopolim referri curauit. Fuit etiā auctor Eccleſiæ hymni Triſagii, ἅγιος ὁ θεὸς ἅγιος ὁ ἰσχυρὸς, ἅγιος ὁ ἀθάνατος, ἐλέησον ἡμᾶς, ex ſuggeſtione pueri in aera miraculosè rapti, & abſq; noxa demiſſi: q monuit etiam, ne triſagio hymno adderetur clauſula (ut Petrus Gnaphæus Antiochenus epiſcopus confinxerat) Qui crucifixus eſt pro nobis. Eo ergo hymno recitato, ſtatim terræmotus terribilis conquieuit. Præfuit eccleſiæ annis 12. Mortuus eodem ferè tempore, quo Cyrillus Alexandrinus.

LEO XLIII. Eccleſiæ Rom. epiſcopus, Theoderico regi Gothorum à conſiliis fuit. Abſens in Gallia epiſcopus eligitur, an. Chriſti 443, Theodoſii iunioris 17. Eccleſiā [redacted] doctrina ipſemet erudiit, plurima etiam ſcripſit, & contra hæreticos acriter pugnauit, Pelagianos, Manichæos, Eutychianos. Primatum Romanæ eccleſiæ aſſeruit: non tamen ut anteceſſores eius, Innocentius, Zoſimus, Cœleſtinus contra Africanos: ſed erga alias eccleſias. Atilam Gothorum regem ab urbe Roma diripienda auertit: item Genſericum Vandalorum regem ad urbem uocatum ab Eudoxia in mariti Valentiniani interemti ultionem, ita demulſit, ut præda contentus, à cædib. & incendiis abſtineret. Sedit annos 21.

SALVIANVS Maſſilienſis epiſcopus doctiſſimus ſub Zenone, uixit uſq; ad Anaſtaſii tempora, ad annum Chriſti quadringenteſimum nonageſimum. Scripſit multa doctiſſimè.

PROSPER Aquitanicus in urbe Limonum natus, facundus uir, Carthagine Auguſtini diſcipulus fuiſſe uidetur. Reginū fuiſſe epiſcopum aſſerunt. Scripſit multa, contra hæreticos pugnauit, item Auguſtinū acriter defendit. Sub Leone magno claruit, anno Chriſti 460. Moritur anno 465, Hilario Romæ epiſcopum agente. Rexit eccleſiam annos 22. Sepultus in baſilica Apollinaris.

ISIDORVS [redacted]ermanus, [redacted]ione, Gregorij Magni diſcipulus, Leandro in Hiſpalenſi epiſcopatu ſucceſſit, doctrina & uirtute clarus, anno 627. Scripſit plurima, & refutauit plus quàm 70 ſectas: Acephalorum uerò hæreſim exterminauit. Mortuus eſt tandem ſub Heraclio. Mahometum in Hiſpania uidens, ex ipſa phyſiognomia peſtem eccleſiæ & Reipub. fore prædixit.

ADELHELMVS Durotellus, Inæ Anglorum occidentalium regis ex patre nepos, in Bladunenſi, uel Malmesburienſi cœnobio educatus, omnes Theologos ſuæ ætatis ſuperauit. Moritur anno Chriſti 709.

NOTGERVS Germanus, in cœnobio S. Galli abbas, tandem Leodienſis epiſcopus ſub Lothario, philoſophus, poeta, aſtronomus, muſicus & theologus celebris, ſcripſit uolumē Conſequentiarum, de præcipuis ſacrarum literarum expoſitionibus, de Muſica & Symphoniarum modis, Sermones & homilias uarias. Expoſuit etiam aliquot libros ſacræ Scripturæ. Scripſit multos hymnos, cantus, antiphonas & reſpōſoria: quæ hodie adhuc in eccleſiis cantari ſolent. Nicolaus pontifex huius hymnos approbauit, & ad miſſas decantari præcepit. Mortuus eſt circiter annum Domini 850. Spanheimenſis, Trithemius de Viris illuſtribus, Chronicon Hirſaugienſe, Iacobus Vuimphelingus.

F[redacted]ones multos, cantus, antiphonas & reſponſoria compoſuit dulci & iuſta melodia. Trithemius de Viris illuſtribus Germaniæ attribuit ei librum de Quadratura circuli, & librum de Computo eccleſiaſtico. In ſchola publica diſcipulos inſtituit. Præfuit annis 47. Mortuus eſt anno Domini 884. uel iuxta Sigebertum 903.

REMIGIVS monachus, Antiſiodorēſis epiſcopus, ſcripſit in Cantica canticorum, in totum Pſalterium, in Euangelium Matthæi, in epiſtolas Pauli. Trithemius & Bergomenſis libro undecimo. Claruit anno Domini 880, aut 894. ſecundùm Palmerium.

RABANVS, cognomine Magnentius Maurus, Germanus, Fuldæ natus, Albini auditor & diſcipulus, iuuenis adhæſit Benedictinæ [redacted] in Fuldēſi cœnobio, & in omni diſciplinarum genere excelluit. Theologus, philoſophus, aſtronomus, rhetor ac poeta: nec habuit eo tēpore Italia ei ſimilē, nec Germania æqualem. Achaius rex Scotorum, eo uſus eſt [redacted]olum, ad ineundum & confirmandum fœdus inter Scotos & Gallos. In Pariſienſi Academia aliq[redacted] diu profeſſorem egit. Sub Ludouico Pio abbas Fuldenſis conſtitutus eſt: & eccleſiaſticam dignitatem accepit ab Aiſtulpho epiſcopo Moguntino. Poſt annos 20, archiepiſcopatum Moguntinum magno fauore principum Francorū, & cleri & populi electione, poſt Otgarium adeptus eſt, circiter annum Domini 846. Scripſit multa. Doctrinam cœleſtem uoce & ſtylo propagauit indefeſſo ſtudio, & labore longè maximo: ut patet ex monumentis eius. Hæreticos refutauit, Arianos, Sabellianos, Nouatianos, Donatiſtas, Genethliacos, Origenis opinionem de ſaluandis diabolis & impiis. Diſcipulos inſtituit in ſchola Fuldenſi monachos plures. Archiepiſcopus factus, Godeſchalcum hæreticum de libero arbitrio, prædeſtinatione, & de ſanguine Chriſti malè ſentientem, in Synodo Moguntina refutauit, anno Domini 949. Pſeudopropheticiſſam quandam, quæ ex inſtinctu presbyteri cuiuſdam, quæſtus gratia, affirmabat inſtare diem iudicij, ad mentem ſaniorem reduxit. A ſuis diſcipulis & fratribus malè fuit tractatus, eo quòd ſacris ſtudiis intentus, alias res neglıgētiùs curaret. Anno Domini 842. ad Ludouicum ſecundum ſeſe contulit: & licèt à monachis rogaretur, ut rediret, tamen id recuſauit: manſitque apud Ludouicum, donec Otgarius moreretur. Fame graſſante circa annum Domini 851. multis benefecit. Obiit anno Domini 856. ſepultus in monaſterio Albani prope Moguntiam. Sigebertus. Trithemius.

LANFRANCVS Papia oriundus, Cantuarienſis tandem epiſcopus factus, tantæ fuit ob eruditionem auctoritatis, ut ei Romam uenienti pontifex aſſurgeret. Scripſit multa. Polydorus.

PETRVS LOMBARDVS, epiſcopus Pariſienſis, magiſ[redacted] ſen-



ſententiarum Magiſter, & Lumen omnium eſt appellatus. Iouius lib. 3. Hiſtoriarum.

GVLIELMVS Porreta, natione Gallus, epiſcopus Pictauienſis, circa annum Chriſti 1140. Scripſit in Pſalterium, epiſtolas Paulinas, Euangelium Ioannis. Solius Chriſti meritum ad ſalutem prodeſſe cenſuit. Eum D. Bernardus in quibuſdam de hæreſi accuſauit. In Remenſi concilio ab Eugenio recantare coactus eſt. Trithemius, & Bergomenſis lib. 12.

PETRVS Comeſtor, Petri Lombardi frater, ſed nothus, Trecenſis presbyter, ſic dictus, quòd Scripturæ auctoritatem in ſuis ſcriptis & concionibus tam crebrò allegarit, quaſi eas in uentrem memoriæ manducarit. Scripſit hiſtoriam Scholaſticam & Sermones. Schedelius & Trithemius.

PETRVS Alfonſus, Iudæus genere, Moſes dictus, ad fidem ueniens, à rege Alfonſo è ſacro baptiſmate ſuſceptus, anno Salutis 1106. in theologia & philoſophia clariſſim⁹ ſcripſit contra Iudæos. Trithemius.

GVLIELMVS Occam Ludouico quarto Cæſare floruit, ad annum Salutis MCCCXX. & inter alia de ſummi Pontificis poteſtate ſcripſit. Multis in utranque partem expoſitis argumentis, pro magiſtratu ciuili plerunq; decidit, & Ioannis XXII. pontificis, qui tum uixit, leges, uti uocant, Extrāuagātes, inſertas iuri Pontificio, tanquā hæreticas, reprehēdit. Itaq; à ſchola Pariſienſi eiectus eſt & dānatus. Sleid. l. 2.

IOANNES Gerſon, Theologus Pariſienſis magni nominis, uaria ſcripſit: Interfuit concilio Conſtantienſi, [redacted]

# HÆRETICI. VERÆ RELIGIONIS FALSA PROFESSIO.

*Pſeudoprophetas non Prædictionis, ſed Doctrinæ nomine appellamus. Prædictio falſa ſub Exercitationis loco infrà explicabitur. Et uerò hîc Poſſeſſionem ſpectamus falſæ Theologiæ: quæ ipſa, quatenus communicatur alteri, Doctores facit hæreſeos, & Diſcipulos hæreticorum.*

## IVDAEORVM.

Pſeudopropheta QVIDAM Bethelenſis, prophetam uerū Iadonem ſeduxit, & in diuinam offenſam incurrere fecit. Idē quoq; Hieroboamum regem ad idololatriam magis magiſq; accendit. 3. Reg. 13. & Ioſephus lib. 8. cap. 9. Antiq.

PROPHETÆ Baalis erant ſub Achabo, rege Iſraelitarū quadringenti quinquaginta, & lucani uates quadringēti: quos omnes Elias ad Ciſonem fluuium trucidauit. 3. Reg. 18.

Samaritani ſub Tiberio Imp. ab IMPOSTORE quodam concitati, iubente, ut conuenirent in montem Garizim, apud eam gentem ſanctiſſimum, ſe illic eis oſtenſurum ſacra uaſa refoſſa, quæ ibi Moſes depoſuerit: creduli ſumtis armis Tirathabam uicum inſederunt, exſpectantes ibi confluentes cæteros, ut magno agmine montem aſcenderent. Sed Pilatus, Iudeæ præfectus, prior cliuum mōtis occupauit equitibus ſuis & peditibus, qui prælio congreſſi cum Samaritis apud uicum collectis, alios fuderunt, alios in fugam compulerunt: multos etiam uiuos captos abduxerunt, quorū præcipuos & potentiores Pilatus multauit capite. Tum primates adierunt Vitellium uirum conſularē, & Syriȩ præſidem, Pilatumq; cædis accuſarunt, negantes defectionem fuiſſe à Romanis illum concurſum in Tirathaba, ſed refugium contra Pilati uiolentiam. Vitellius Pilatum ad cauſam dicendam Romam miſit. Ioſephus lib. 18. cap 5. Antiq.

Claudio imperante, in Iudæa præſtigiator quidam, nomine THEVDAS, perſuaſit magnæ uulgi multitudini, ut aſſumtis ſuis facultatibus, ſequerentur ſe ad Iordanem fluuium: prophetam enim ſe iactabat, pollicens, ſciſſurum ſe uerbo fluuium, & facilem præbiturum tranſitum, taliq; promiſſione permultis impoſuit. At Cuſpius Fadus, procurator Cæſaris, immiſſis in eos turmis equitum, multos interemit, multos uiuos cepit, & in his ipſum Theudam, cuius caput abſciſſum reportarunt Hieroſolyma. Ioſephus libro 20. capite ſecundo, Antiq.

Sub Nerone Imp. Iudæa cædibus & latrociniis turbatiſſima fuit. Impoſtores enim & MAGI turbas illectas poſt ſe trahebant in ſolitudines, pollicentes, ſe diuinitùs oſtenſuros eis clariſſima ſigna & prodigia: perſuaſaq; multitudo mox pœnas luit dementiæ. Retractos enim eos Felix Iudeæ præſes neci dedit. Eodem tempore QVIDAM ex Aegypto uenit Hieroſolyma, uatem ſe eſſe profitēs, & plebi ſuadens, ut ſecuta ſe in montem Oliueti aſcenderet, qui è regione urbis ad quintum abeſt ſtadium: illic enim uiſuros ſuo iuſſu cadere Hieroſolymorum mœnia, ita ut per eorum ruinas aditus in ciuitatem pateat. Quo cognito, Felix iuſſit milites arma ſumere: ſtipatuſq; multis equitibus ac peditibus, quadringentis occiſis, ducentos uiuos cepit: Aegyptius ipſe pugna elapſus diſparuit. Ioſephus lib. 20. cap. 6.

In excidio Hieroſolymitano, Simon Geraſenus, & Ioānes Giſcalenſis, ſeditionum auctores & tyranni, miſeram plebem PSEVDOPROPHETIS ſubornatis ad obſidionem fortiter perferendam hortabantur, & obſtinationem illorū augebant. Quinimò incenſo iam templo, pſeudopropheta quidam populum hortatus, ut in eam, quæ de templo ſupererat, porticum aſcenderent, ſigna ſalutis à Deo accepturi, cùm illic congregati eſſent ad ſex millia mulierum & pue[redacted] omnes concremati ſunt. Ioſephus lib. 7. cap. 11. belli Iudaici. [redacted]

IONATHAN Iudæus, textor, ſicariorum unus, qui è bello Iudaico in Cyrenaicam prouinciam perfugerat, plebi, ſe prophetam eſſe, perſuaſit, & in ſolitudinem perduxit, miracula multa ſe editurum pollicitus. Cyrenēſes Iudȩi Catullo Pentapolitanæ Libyæ præſidi motum hunc nunciarunt, ne illius culpæ & ipſi aliquando arguerentur. Catullus, miſſo exercitu profligauit ſeditioſos, Ionathanem cepit. Is pœnæ moram quærens, locupletiſſimos quoſq; Iudæorum Cyrenenſium falſò accuſans, Catulli auariciæ & crudelitati occaſionem ſubminiſtrauit ampliſſimam, qui nominatos tantùm à ſicariis trucidabat, eorumq; bona publicabat. Sic ad tria milliá peremit. Perſuaſit autem Catullus Ionathæ & ſicariis, ut Iudæorum quoq; Alexandriæ & Romæ degentiū nobiliſſimos accuſarent. Paruerunt illi, & Romam à Catullo perducti ſunt. Veſpaſiano tamen cognitore, mendacij cō uicti, pœnas dederūt: Ionathas uirgis cœſus, uiuus exuſtus eſt. Catullus ueniam ab Imp. conſecutus, non multo pòſt morbō inſanabili correptus, diris agitabatur, & umbras eorum, quos necauerat, faces ſibi intentare clamans, è ſtratis exiliebat. Tandem defluētibus extis, & inteſtinis exhauſtis, ſceleratam euomuit animam, dignō tyrannidis ſupplicio. Ioſephus libro 7. cap. ult. belli Iudaici.

Tempore Iuſtini, Iudæus quidam, DVNAAS nomine, in Homeritarum regione, Moſen ſe eſſe dicens, multos Iudȩos excitauit, multa oppida cepit & deuaſtauit. Negram munitiſſimam urbem adortus, cùm ui capere non poſſet, pacis ſpecie intromiſſus, omnes Chriſtianos crudeliter & perfidè trucidauit, urbem incendit. Iuſtinus Imp. Elesbaan ducem Aethiopum cum exercitu miſit, ut ſupplicium de ſeditioſis ſumeret. Is primo ſtatim conflictu Iudȩum uiuum capit, & interficit. Hinc depoſito diademate, anguſtā cellulam ingreſſus, ita ut per omnem uitam adiri non poſſet, ſolo pane & [redacted]ctè uitam finiit: ut docet Nicephorus lib. 17. cap. 6.

In Creta MOSES quiſpiam integro anno circuiuit, Iudæos excitans, ſeſe ipſos per mare, non aliter quàm Moſes olim factitarat, traducturū. Iudȩi conuocarūt ſuos omnes, quoſcunq; poterant. Die præſinita miſeros homines, comitante mulierum & liberorum multitudine, pſeudopropheta in præruptum locum eduxit: ibique eis prominentem in mari rupem commonſtrat, ac ſuadet ut in mare inſilientes, tantùm ad eam natēt, poſtea ipſos tutum iter habituros. Inſiliunt plurimi, faſcinati eius largis promiſſionibus: ſed alij merguntur & pereunt in aquis, alij à piſcatoribus caſu interuenientibus ex undis extrahuntur. Ac plures ſecuti fuiſſent, niſi, qui uix liberati fuerant, reuertentes ad reliquam multitudinem, periculum & interitum aliorum expoſuiſſent. Interea dum iſta geruntur, propheta euanuit. Itaq; non abs re iudicatum eſt, fuiſſe cacodæmonem, qui permiſſu Dei miſeram illam turbam ludificaretur, & multos morti traderet. Socrates libro 7. cap. 38.

## CHRISTIANAE RELIGIONIS HÆRETICI.

*De his fuſiſſimè Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Seculares ſcriptores: quorum nos auctoritatem & ordinem temporum, quantum præſentis inſtituti ratio patitur, ſequemur.*

### *Primi ſeculi poſt Chriſtum.*

SIMON Samaritanus ex uico Tritone, magus, Chriſto adhuc uiuo, in Samaria mixtam doctrinam ex [redacted]mo. & Iudaiſmo tradidit. Mox cùm Chriſti doctrinam radices agere uidiſſet, ex Chriſtianiſmo quoq; mutuatus eſt quædam. Sacro baptiſmate luſtratus, ab Apoſtolis Spiritum S. pecunia

EVSEBIVS, primùm Beryti, deinde Nicomedię epiſcopus, frater Euſebij Cæſarienſis, Ario fuit familiaris à prima adoleſcentia: ut cum quo à Luciano presbytero Antiocheno ſacras literas didicerit. Moribus ſuis ſimilem habuit THEOGONIVM Nicenum epiſcopum: apud quem, cùm acta & ſubſcriptiones Nicenæ ſynodi cuſtodirentur, curauit ſibi ſuam & Theogonoti reddi. Mortuo Alexandro, epiſcopatũ Conſtantinopolitanum inuaſit. Inde à Conſtantino multatus exilio, mox ſimulata pœnitentia reuocatus, & ab eo in honore habit⁹, maiores turbas, quàm antè, contra Athanaſium excitauit. Mortuus eſt ſub Iulio Romano epiſcopo, cũ Sardicenſe concilium per Impp. Conſtantium & Conſtantem indictũ eſſet. Hinc Euſebiani acerrimi propugnatores Arij dogmatum extiterunt. Confitentur Chriſtum filium eſſe, non tamẽ naturale Verbum, ſed ratione tantùm, uiribúſque intelligendi, filium appellari.

ARIANI quoq; fuêre, Menephontes Epheſinus, Athanaſius Anazarbæus, Vrſacius Syngiddonæ ſuperioris Mœſiæ, Valens Murſorum ſuperioris Pannoniæ, Theonas Marmaricę, Secundus Ptolemaidis Aegypti, Theodorus Heracleæ, Narciſſus Neropolis Ciliciæ ſecundæ, Iſchyras, Eulalius Antiochenus, Euphronius Antiochenus, Placitus, Leontius Spado, Acacius, Arianus, Euzoius, Gregorius expulſo Athanaſio Alexandrinus, Gorgius Cappadox Alexandrinus, Patrophilus Scythopolitanus, Theodotus Laodicenſis, Marcus Arethuſius Syriæ, epiſcopi. Item Quintianus Gazenſis epiſcopus, Cecropius Nicomediæ epiſcopus, Epictetus Corinthius, Aſterius Cappadox ſophiſta primùm, deinde Chriſtianus.

ARIANA hæreſis ſuis ipſa uiribus confecta fuit, ex ſimplici triplex facta, Aſianorum, Aetianorum ſeu Eunomianorum, & Macedonianorum.

MACEDONIVS, mortuo Alexandro Conſtantinopolitano epiſcopo, eiq; ſuffecto Paulo, & à Conſtantio Imp. eiecto, epiſcopus ſufficitur. Acerrimus primò Homouſianorũ hoſtis: mox uerò Arianorum quoq;, quia filium patri quidem coeſſentialem eſſe negabat, tamen nec factum nec creaturã (ut Arius) affirmare uolebat. Spiritum S. primus creaturam eſſe dixit, unde & Pneumatomachus dictus eſt. Ab Arianis epiſcopatu deiectus prope Conſtantinopolim, apud Pylas priuatus moritur. Sectatores habuit plures, eloquentia inſignes, quos etiam SEMIARIANOS uocabant, quaſi ex dimidio tantùm Arianos: ut fuêre hi, Marathonius Nicomedienſis, Eleuſius Cyzicenus, epiſcopi à Macedonio ordinati: Sophronius Pompeiopoli Paphlagoniæ, Euſtathius Sebaſtæ in Armenia epiſcopi.

DVLIANI, cœtus Arianorum, inde dictus, quia Dei filium unigenitum δοῦλον, hoc eſt ſeruum patris, per contumeliam appellabant.

NOVATIANI à Nouato quodam, Homouſianorum fidem amplectebantur: ſed eccleſias proprias, & epiſcopos per ſucceſſionem habebant. AGELIVS epiſcopus eorum fuit Cõſtantinopoli, iam inde à Conſtantini Magni tẽporibus, homo ſuperſtitioſè religioſus: qui ſine pecuniis uiuebat, nudis pedibus & ſimplici tunica ſimplicitatem Apoſtolicam præ ſe ferens, in defendendo alioqui dogmate ſuo inexercitatus. Nouatianos æquè ac Homouſianos Macedonius perſequebatur. Succeſſit Agelio Marcianus, deinde Ageſius.

LVCIFERIANI, à Lucifero epiſcopo Caralorum, ciuitatis Sardiniæ, qui in Concilio Mediolanenſi ſub Conſtantio contra Athanaſium ſubſcribere nolens relegatus eſt. Poſtea ſub Iuliano reuerſus, quia Antiochiæ epiſcopus ordinatus, quædam, quæ Euſebio minùs probarentur, inſtituerat: ab Euſebio diſcedens, in Sardiniã reuerſus eſt, & ſchiſmati potiùs, quàm hæreſi Luciferianæ, dedit originem. Auguſtinus dubitatiuè tribuit eis hanc opinionem, quòd anima ex trãſfuſione generetur, & de carnis ſit ſubſtantia. Alij Luciferum auctorem faciunt Homonymianorum. Nihil certi de hac hæreſi conſtat.

MARCELLIANI, à Marcello epiſcopo Ancyræ minoris Galatiæ, ſub Conſtantio & Conſtante. Hic primùm cum Catholicis ſenſit. Mox cum Aſterio Ariano pugnare inſtituens, & ſcrupulòſiùs contendens, in Samoſateni, ſiue (ut alij) Sabellii hæreſim incidit. Sectatores habuit præcipuos Photinum (à quo Photiniani, & Paulianiſtæ dicti ſunt) epiſcopum Syrmij ciuitatis Illyriæ, Euſtathium, Hyginum diaconum, Heraclidem. Deum ſingulum eſſe & ſolitarium, non tres perſonas, ſed unam tantùm tribus nominibus appellari aſſerebant. Chriſtum nudum eſſe hominem, neque ante ſecula genitum. Rationes ferè eaſdem cum Arianis habuerunt.

AVDÆANI ſeu ANTHROPOMORPHITÆ, ab Audæo Syro ex Meſopotamia, uiro inſignis pietatis & zeli: tempore Arij, & Synodi Nicenæ. In Aegypto orta & agitata eſt inter monachos hęc hęreſis: Deum habere humanam formã, & membris incluſum eſſe aiunt. Cum catholicis non faciũt preces. Cum Iudæis paſcha faciunt, eòdem ſcilicet tempore. In reliquã uitã piè degunt. Ad Gothos quoque hæc hæreſis penetrauit.

DONATISTARVM hæreſis anno Domini 331. in Africa, à Donato Numida, qui ſchiſmate primùm ſe à Cæciliano epiſcopo Carthaginenſi ſepararat, indignatus quòd præter ſuum conſenſum epiſcopus ordinatus eſſet, mox hæreſim quoq; cepit. MONTENSES etiam dicti ſunt, & Montaniſtæ, item Donatiani. Latiſſimè uagata eſt. Filium patri conſubſtantialem, minorem patre & filio Spiritum S. eſſe aſſerunt. Eccleſiam nullibi quàm in Africa apud ſuos eſſe. Sacramenta ſancta tantùm eſſe, quando per ſanctos homines dãtur. Rebaptizant eos, qui à catholicis baptizati ſunt: liberũ arbitrium aſſerunt in fide: ſine peccato ſe eſſe aiunt, ita ut etiam reliquorum iuſtificatores ſeſe iactent. Violentam mortem, quam uel ſibiipſis ſua manu inferunt, uel ab aliis ſibi inferri curant, martyrium uocant. Priùs autem ſeſe ſaginãt, ut uoluptatibus ſatiati, mortem ſubeant. Eadem de CIRCVNCELLIONIBVS tradit Auguſtinus, quos Philaſter CIRCVITORES uocat, eoſque ſub ſpecie martyrium rapientium latrocinari ſcribit. Contra hos etiam leges ab Imperatoribus fuerunt conſtitutæ.

IOVINIANI hæreſis ſub Iouiniano Imperatore oritur, à Iouiniano quodam diuite, ſed indocto, qui ex monacho clericus eſt factus. Sub Auguſtino repullulauit. Omnia peccata more Stoicorum paria eſſe dicit. Baptiſmo plena fide accepto, non poſſe ampliùs hominẽ peccare, aut à diabolo ſubuerti. Mariam corruptam fuiſſe pariendo. Errorem hunc diuus Hieronymus adeò infregit, ut Iouinianus (quod neſcio an alij hæreticorum cuiquam acciderit) ſectatorem ſui dogmatis habuerit neminem. Sab. lib. 9. En. 7.

APOLLINARISTÆ, ab Apollinari filio presbyteri eiuſdem nominis: qui cùm Laodiceę nimis familiariter cum Epiphanio ſophiſta uiueret, nec monente Georgio epiſcopo deſiſteret, communione ab eo priuatus, in hæreſim incidit, ſub Iuliano Imp. cùm in literis Græcorum eſſet uerſatiſſimus. Solum corpus, non etiam animam, à Domino in diſpenſatione ſuſceptum: carnem tamen modò increatam & ſupercœleſtem, modò Deitati conſubſtantialem eſſe; & loco hominis noſtri interioris, mentem ſupercœleſtem in Chriſto affuiſſe, & loco inſtrumenti eum circumferentia corporis uſum. Deum diuinitate ſua paſſum eſſe. Verbum dixerunt in carnẽ, oſſa, pilos & totum corpus tranſmutatum, & à propria natura immutatum. Carnem Saluatoris ex Maria eſſentiæ ipſius Trinitatis fuiſſe. Ex natura eſſe peccatum. A reſurrectione per mille annos eos ad legem & circumciſionem reuerſuros eſſe. Cùm poëta eſſet, hymnos quoſdam elegantes compoſuit. In Synodo Romana, ſub Damaſo Romano & Petro Alexandrino epiſcopis confutata fuit hæc hæreſis, & in Synodo Conſtantinopolitana penitùs abdicata.

MESSALIANI ſeu EVCHITÆ, hoc eſt precatores, fruticatio quædam Phrygiani & Montani dogmatis. Enthuſiaſtas quoque uocant, & Syriaco nomine Pſallianos. In Oriente ſub Valentiniani tempora fuerunt. Principes ſectæ, Dadoes, Sabas, Adolphius, Hermas, Symeones, & alij. Plures eſſe deos dixerunt, nullos tamen præter Omnipotentem adorarunt. Cœnam Domini nec prodeſſe nec obeſſe cuiquã. Baptiſmũ auferre priora peccata inſtar nouaculæ: nec prodeſſe cuiquam, niſi oratione prorſus excindantur, ut deinceps non ſit opus ieiunio aut doctrina carnẽ refrænare, ſed poſſit etiam coràm diuinam Trinitatem contemplari. Repẽtè & ex improuiſo ſaltant, & ſuper dæmones ſe ſaltaſſe iactant. Sagittantium more digitos extendunt, & dæmones ſe conficere aiunt. Maximam diei partem orationi uacãtes, dormiũt, & in ſomnis reuelationes ſe à Trinitate habere aſſerunt. Syria à Lytoio Melitenæ eccleſiæ paſtore, & Amphilochio Lycaonio, & Flauiano Antiocheno epiſcopo pulſi, in Pamphiliam conceſſere.

EVPHEMITÆ, Martyriani & Sataniani, addicti fuerunt Meſſalianis, in quibuſdam tamen euariarunt. Græci tantùm haberi uolebant, non Iudæi, nec Chriſtiani. Mundo renunciabant, & facultates deſerebant. Permixtim uiri cum mulieribus habitabant. Quæcunque ex ipſis interrogaueris, id ſe eſſe dicunt, prophetam, Chriſtum, beſtiam. Ieiunium ignorant, orationibus indulgent: cùm fameſcunt, comedunt. Multi eorum ab Imperatoribus occiſi: eapropter Martyrianos ſeſe uocarunt. Multi cùm Satanam magnum & potentem eſſe ſcirent, ne quid mali illis inferret, eum colere cœperunt: inde SATANIANI dicti ſunt, cũ aliis nihilominus conuerſantes.

AETIANI, ab Aetio Antiocheno Cœleſyriæ, aurifabro primùm, deinde ſophiſta, mox medico, qui Categoriis Ariſtotelis (ſi credere fas eſt) deceptus, in Arianiſmum lapſus eſt. Antiochiæ à Leontio diaconus ordinatus, propter acutos & inextricatos ſyllogiſmos Arianis ſuſpectus factus, eicitur. Cœpit eius ſecta, cùm Arius ab exilio reuocatus eſſet. Ei



Ei ſucceſſit EVNOMIVS Cappadox, Cyzicenus epiſcopus ſub Valente: qui cõmunicata re cum EVDOXIO (qui mortuo Leontio per uim ſeſe Antiocheno epiſcopatui ingeſſerat) hæreſim iſtã propagauit, & à ſe Eunomianos appellauit. Eoſdem uocant quoque Anomianos, Troglodytas, Exucontios & Exaconitas. Deum ſe exactè cognoſcere tanquam ſenſibile quid aſſerunt, non autem per ſolam fidem. Trinitatis tres diuerſas eſſe ſubſtantias aiunt, ut auri, argenti, æris: filium à patre creatum, Spiritum S. à filio; filium ex non exiſtentibus. Rebaptizant catholicos & Arianos. Aetius quibuſlibet peccatis infectos, modò ſibi crederent, ſaluandos eſſe pronunciabat. Baptizãt tantùm in mortem Chriſti, & caput ad pectus uſque ſemel in aquam intingunt. Eunomius deinde ab Eudoxio, à quo Cyzicenæ eccleſiæ præfectus fuerat, iuſſu Imperatoris reiectus, quòd Aetium expulſum ipſe non recepiſſet, ab Eudoxio quoq; ſeceſſit. Eunomio deinde adhærentes ipſi quoque diuiſi ſunt. Inter eos THEOPHRONIVS quidam Cappadox, propter logicas diſputationes reiectus fuit: ſimiliter & EVTYCHIVS, quia pronunciarat filium ſcire iudicij diem, tanquam creaturam perfectiſſimam, ab Eunomio pulſus fuit Conſtantinopoli. Hinc Theophroniani & Eutychiani, in cęteris cum Eunomianis conſentientes.

PNEVMATOMACHI, Euſtathio & Macedonio auctoribus à catholicis appellati ſunt, quia Spiritum S. nec Deum appellari Euſtathius uolebat, nec creaturam audebat. Omnes denique eos qui S.S. quocunq; modo blaſphemabant, non Deum, ſed creaturã appellantes, hoc nomine appellabant, Arianos, Macedonianos & Eunomianos.

TROPICI dicti, qui S.S. angelorum omnium principem eſſe contendunt, & tropis quibuſdam ſacræ Scripturæ locos exponere uolunt.

ACACIANI, ab Acacio Cæſarienſi epiſcopo, cum Aetianis ſentiunt in cæteris: Filium Patri ſimilem ſecundum uoluntatem tantùm, non autem ſecundum eſſentiam, prædicarũt: ſed poſtea ad Arianiſmum penitùs relapſi, omnino diſſimilem ſtatuerunt. Tandem Conſtantinopoli ad meliorẽ mentem redierunt.

AERIANI Ariani, ab Aerio presbytero, dolente quòd in epiſco[redacted]Euſtathius ſibi prælatus eſſet. Filium aiunt diuerſæ naturæ a Pa[redacted] Spiritum S. eſſe diuerſum, ſicuti locus & tẽpus diuerſa ſunt ab illis qui his utuntur: utq; dictiones hæ, Ex quo, Per quẽ, & In quo, inter ſe differunt, ita etiam perſonas trinitatis. Nuptias damnant, abſtinentiam urgent. unde etiam ENCRATITÆ dicuntur. Paſcha celebrare prohibent, quia Paſcha noſtrum immolatus ſit Chriſtus.

PRISCILLIANVS Hiſpanus, ſiue Galata, ſub Gratiano & Valentiniano Impp. Monſtrum hæreticum ex Manichæorum & Gnoſticorum inſania conflatum. Anno Chriſti 383. Hiſpaniam & Gallias inuaſit. In Synodo Aquitanica apud Cæſarauguſtam abſens damnatur. Sed mox in Hiſpaniam rediens, omnia turbauit. Tandem gladio plexus eſt cum ſociis, Feliciſſimo, Armenio, Latroniano & Euchrocia. Eundẽ eſſe patrem dicebat, qui & Filius & S. S. A diabolo mundũ eſſe factum. Corpus ſecundùm 12. cœli ſigna compoſitum, fato regi. Animas eiuſdem cum Deo eſſe ſubſtantiæ. Coniuges diſiungit, ſi alterutra pars dogmati ſuo non aſtipuletur. Carnes ut immundas eſcas deuitat. Simulare licere, & mentiri tempore perſecutionis, aſſerit: in corde ueritatem retinendam eſſe: confeſſionem oris coram proximo tãtùm, non coram alieno faciendam. Priſcillianus ipſe coram Euclio præfecto faſſus eſt, ſe nocturnos turpium feminarum conuentus egiſſe, nudumq; orare ſolitum. Pro hæretico damnatus Romæ à Damaſo, ad Maximum Imp. prouocans, capite plexus eſt. Mortui corpus in Hiſpanias aſſeclæ tulerunt, & qui ptiùs ut ſanctum, pòſt ut martyrem colere ceperunt, ita ut nomen illius iuramentis religioſis interponerent. Sigonius lib. 8. Imp. occid. in annũ 379. refert.

DOROTHEVS Antiochenus epiſcopus, Arianus, cùm Conſtantinopoli inter Arianos quæſtio eſſet orta, An Deus, antequam filius extitiſſet, pater uocari potuerit: patrem uocari non potuiſſe pronunciauit. Marinus econtrà (cuius epiſcopatum Dorotheus inuaſerat) ſemper patrem uocatum aſſeruit, etiam filio nondum ſubſiſtente. Marino aſtipulabatur Theoctiſtus quidam Pſatyropola, à quo Pſatyriani dicti ſunt: & Gothi etiam, quia Selenam Gothorum epiſcopum ſecum ſentientem haberent.

HELVIDIANI, ab Heluidio Auxentij diſcipulo, homine ruſtico & imperito, Mariam poſt natum Saluatorem Ioſepho nupſiſſe dicunt. Hinc Antidicomarianitæ dicti ſunt, & ab Epiphanio confutati.

COLLYRIDIANI, à placẽtis tortilibus (quas κολλυρίδας uocarunt) dicti, quas ſtato quodam anni die ſellæ quadratæ, expãſo ſuper ipſam linteo, Marię offerebãt. Huic hęreſi pręcipuè mulieres in Thracia, Arabia & Scythia addictę fuerũt.

MILVIVS quidam, quo tempore, incertum, uirginitatem extulit, coniugium damnauit, teſte Athanaſio.

PATRICIANI, à Patricio quodam Romano, ſubſtantiam carnis humanæ non à Deo, ſed à diabolo conditã aſſerunt: eamque ita oderunt, ut quidam ſibiipſis mortem inferant. Eius diſcipuli fuerunt SYMMACHIANI, origine Phariſæi, qui tota lege obſeruata, Chriſtianos ſe dicunt: baptiſma & circumciſionem ſeruant. Chriſtum purum hominem aſſerunt, iudicium non ſperant, ſecularibus concupiſcentiis ſeruiendum prædicant, reſurrectionem negant. Alio nomine quoque NAZARENI dicti ſunt, & inter Iudæos uocantur Minei.

*Seculi quinti.*

ABELOITAS, ruſticanam hæreſim, in exigua quadam uilla Hipponenſis agri, ſuo tempore Auguſtinus extitiſſe, & euanuiſſe ſcribit. Ab Abelo Adami filio ſe uocabant: non miſcebantur uxoribus, cùm tamen ſine uxoribus uiuere ſecta eorum non permitteret. Continenter unà uiuebãt, & puerum & puellam adoptabant ex uicinis, qui curam eorum gererent, & poſt mortem ipſi quoq; ſimiliter alios adoptarent.

PELAGIANI, à Pelagio, cognomento Britone, anno Chriſti 414. qui Honorij & Theodoſij anno quinto: monachus, à catholicis defecit. Roma in Angliam profectus, totam eam inſulam errore imbuit. Chriſtum infantem ſine peccato fuiſſe, quia eius caro ab omni peccati contagio pura fuerit, nõ excellentia ſingulari, ſed natura, quæ omnibus ineſt. Adam etſi non peccaſſet, moriturum fuiſſe corpore, non merito culpæ, ſed conditione naturæ. Animæ Chriſti reliquas paruulorum animas coæquant. Naturę tantùm libertatem eſſe aſſerunt; ut per ſolum liberũ arbirium poſſit aſſequi regnũ Dei. Peccatũ non propagatione, ſed imitatione in alios homines tranſiiſſe. [redacted] Dei gratiam ad liberum arbitrium, & ad legis præcepta referũt. Negant Dei conſtitutionẽ humanas præuenire uoluntates: & aſſerunt, Deum tantùm illos prædeſtinaſſe, quos dignos futuros electione, & de hac uita bono fine exceſſuros cognouerit. Electorum numerum augeri & minui poſſe. Lege olim homines eſſe ſaluatos, ſtudio & obſeruatione uirtutum. Fidem ex natura eſſe, incrementum eius à Deo. Charitatẽ item ex hominibus eſſe. Electos ſuos carere dicunt peccato: nec ſi uelint, peccare poſſe: ut & Manichæi. Infantes extra baptiſmum habere uitam æternã; & quam primùm natos illuminari: eumq; omnibus hominibus eſſe [redacted] innouet. Quæ precibus à Deo impetrare uidemur, ea per noſipſos præſtare poſſe: quia gratiam ſuam Deus ſecundũ merita diſtribuat. Concupiſcentiam carnis ex Deo eſſe aiunt. Diuites baptizatos, niſi omnibus renuncient, non ſaluari. Socios erroris Pelagius habuit Cœleſtium & Iulianum: Cœleſtius Arrianum diaconum Celedẽſem. Auguſtinus cum Alypio ſocio, errores horũ confutarunt. Auguſtinus à quinq; Conciliis Africanis Pelagium damnatum ſcribit: item & à ſexta Synodo Carthaginenſi, anno Chriſti 419. Honorij X. Aſſenſit Pelagio quoq; Iuſtinus Minor.

IOANNES epiſcopus Rauennas, hæreſeos Arianæ defenſor acerrimus, opibus iam olim congeſtis prædiues, in æmulationem Romani pontificis duodecim creauit epiſcopos Arianos. Atilæ Hunnorum regi Rauennã uenienti cum multitudine cleri ac ciuium obuiam profectus, eius indignationem ſupplex deprecatur: pollicitus ſe effecturum, ut ſi Atila eos, qui Romanæ eccleſiæ dicto audientes ſunt, perſequeretur, breui Romana urbe, totaq; Italia Africaq; ſine labore ac periculo potiretur. Aſſenſit Atila: tamen ne poſteri pacto potiùs quàm ui urbem à ſe deuictã gloriarentur, urbis portas occludi iuſſit, ac per certam mœniorum partem dirutã, cum uniuerſo exercitu armatus ciuitatem uictoris inſtar ingreſſus eſt. Nic. Olahus cap. 15. in uita Atilæ.

ANASTASIVS, Neſtorij diſcipulus, presbyter Antiochiæ, Mariam Deiparam negauit, quòd homo Deum párere nequeat, cupiditate decertandi contra Leonem epiſcopum Romanum inſtinctus.

NESTORIVS, ex Germaniciæ oppidulo ortus, & per fraudẽ Conſtantinopolitanus epiſcopus effectus, Anaſtaſij errorem impudentius propagauit, anno Chriſti 429. Theodoſij 5. Deitatem uerbi ab aſſumti hominis ſubſtantia ſeparauit. Duos finxit Chriſtos, unum Deum, alterum hominem: & hominem deificatum, non autem uerbum carnem factum. Diuinitatem & gratiam ei ex merito poſt natiuitatem datã, nec ſemper Deum fuiſſe. Magna pars Orientalium epiſcoporum cum eo ſenſit. Damnatus à ſynodo Epheſina & Chalcedonenſi, ſub Theodoſio ad Thebæorum ſolitudines deportatur, ad oppidum Panos. Vermes linguã eius corroſerunt, ipſe tandem alliſus humo periit. Zeno Imperator ſcholam Edeſſenam, quam Perſicam uocabant, quia Neſtorij dogma doceret, funditùs euertit.

EVTYCHES, Conſtantinopolitanus monachus, ſenex impudens,

dens, anno Chriſti 450, Theodoſij 24. Chriſtum non eſſe perfectum hominem aſſeruit, ſed ex duabus eum naturis ante coniunctionem extitiſſe: poſt eam uerò ex una tantùm: nec eandem nobiſcum carnem habuiſſe, ſed tãtùm per Mariam tranſiiſſe, carne cœlitùs ſecum deſumta, in qua diuinitas ipſa cruci affixa ſit, & reſurrexerit. Sic Valentini & Apollinaris ſectam renouare uiſus eſt. Sectatores habuit plures, eóſque magni nominis. Poſt ſynodum Epheſinam fugit Romam, anno 451. Inde in exilium pellitur: damnatus in tertia ſynodo magna Chalcedonenſi. Eius hæreſim propagauit Dioſcorus, Alexandriæ epiſcopus.

ACEPHALORVM hæreſis anno 460, Leonis Altero, oritur, poſtquàm Eutyches in Chalcedonenſi ſynodo damnatus fuit. Doctrinę illius uindices ſic nominãtur, quòd quis eius factionis auctor extiterit, incertum ſit. Vnam tantùm in Chriſto naturam ſtatuebant, ex coniunctione carnis & deitatis: unde μονοφυσῖται dicti ſunt. Huius ſectæ etiam Ioannes Grammaticus Philoponus, Ariſtotelis commentator, fuiſſe creditur. Sublata eſt anno 526.

ARMENII, ſuaſu Ethanij cuiuſdam, poſt Chalcedonenſem ſynodum, ſecuti ſunt Eutychem & Dioſcurum. Suſceptam à Chriſto carnem, in diuinitatem fuiſſe permutatam aſſerebant. In cœna panem Chriſti corpus eſſe negant, ſed diuinitatis corpus eſſe dicunt. Cultu Iudaico boues & agnos immolant. In Paſchate agnum comedunt: crucem abluunt, ſacrificij ſanguine inungunt: in medio eius clauum figunt in Chriſti nomine, ut oſtendant, in Chriſto unam diuinitatis perſonam crucifixam eſſe.

PRÆDESTINATORVM hæreſis anno Chriſti 415. Honorij Imperatoris quinto oritur, ex libris Auguſtini malè intellectis: nec piè uiuentibus bona opera ad ſalutem, nec impiis [redacted] deſtinati fuerint.

VINCENTIVS Victor, animam non ex nil[redacted] Deum feciſſe aſſeruit. Animam corpus, non ſpiritum eſſe. Animam non ex traduce, ſed ex flatu Dei eſſe. Euchariſtiam pro iis, qui non baptizati obierint, offerendam. Auguſtinus eum confutauit.

PATERNIANI, ſeu Venuſiani, à Paterno quodam, Manichæum ſecuti, corpus inferius à diabolo, ſuperius ſupra umbilicum, à Deo factum eſſe aiunt: nec aliud ab homine requiri, quàm ut animam, quæ in ſtomacho & capite habitet, mundam ſeruet: pubem, etſi omni impudicitia coinquinet, ad ſuam curam non pertinere. [redacted]

*Seculi ſexti.*

ANASTASIVS Imperator, non Trinitatem, ſed Quaternitatem deinceps adorandam propoſuit. Ob quod facinus fulmine percuſſus eſt.

ORIGENISTÆ ſub Iuſtino peccatis ſuis ponere finem negligũt: quia habitura finem iudicia ſuper ſe futura ſperant. Sub Iuſtiniano Imperat. ab Euſtochio epiſcopo Hieroſolymitano eiecti ſunt. Eos ſuſcepit Theodorus Aſcidas Cæſareæ Cappadociæ epiſcopus. Origenes Ethnicorum & Manichæorum zizania, ſimplicitati Apoſtolorum immiſcuiſſe dicitur ab Euagrio lib. 4. cap. 38. ab Hieronymo autem dicitur negaſſe S. S. eſſe ſubſtantiam: ſed ſanctificationem à Patre & Filio procedentem, hoc nomine appellari.

MONOTHELITÆ anno Domini 565. ſub Iuſtino Imp. emerſerũt. Negant duas in Chriſto uoluntates, humanam & diuinam, quia contrariæ uideantur. Aſſenſit his quoque Heraclius Imp. anno 633. Contra hos (quorum princeps fuit Sergius præſul Conſtãtinopolitanus) celebrata eſt ſexta Conſtantinopolitana ſynodus uniuerſalis, anno 685.

CONSTANTINVS Imperator à Paulo Conſtantinopolitano deceptus, expoſuit typum contra fidem catholicam, nec unam, nec duas uoluntates aut operationes in Chriſto definiens eſſe confitendas: quaſi nihil uelle uel operari credendus ſit Chriſtus. Et ob hoc Marcianus Pontifex max. congregata Romæ ſynodo damnauit hæreticos, anno Chriſti 652. Sigebertus in Chron.

EVTYCHIVS Conſtantinopolitanus epiſcopus, corpora in reſurrectione impalpabilia, & aere ſubtiliora fore aſſeruit. Sed Pelagius Rom. Pont. ad eum miſit Gregorium, poſtea Magnum appellatum, qui in præſentia Tiberij Imp. Eutychium refutauit. Itaq; anno Domini 581. hæreſis ſopita eſt, cùm Eutychius mortuus eſſet. Ab eo Eutychiani, qui in Chriſto uictam carnẽ, & in ſpecie Chriſtum eſſe paſſum, & naturam diuinam cum humana in unam coaluiſſe aſſeruerunt.

SADDVCÆORVM hæreſis, qui reſurrectionem negant, à quodã presbytero Gallo renouata fuit: ſed à Gregorio Turonenſi ſedata: ut ipſe lib. 10. cap. 13. Hiſt. recitat.

THEODORVS Meſethenus aliud uerbum, aliud Chriſtum eſſe aſſeruit, & Mariam non eſſe Dei genitricem.

AGNOITÆ diuinam ſapientiam in Chriſto quædam ignoraſſe aſſerunt. Seueritarum etiam iſta propago fuit.

Meminit Nicephorus lib. 18. cap. 47. & 49. CONONIS cuiuſdam epiſcopi, qui tametſi aliquandiu cum Philopono Monophyſita ſenſerat, poſtea tamen eius lucubrationes repudiauit, ac docuit corpora non ſecundùm materiam, ſed tantùm iuxta formam occidere: eaq; denuò confirmari, præſtabiliorem ſpeciem materia ipſa recipiente. Mundi ille quoque creationem iuxta materiam & formam: interitum aũt eiuſdem, iuxta formã ſolũmodò, non autẽ ſecundum materiam fieri dicit. Reſurrectionem tamen mortuorum eſſe, corporis iſtius cum anima rationali unionem indiſſolubilem.

GEORGIVS presbyter, & THEODORVS diaconus eccleſiæ Conſtantinopolitanę, errorem ſparſerunt de Chriſti deſcenſu ad inferos, quòd omnibus ibi concionatus ſit, & quotquot eũ receperint, ſaluarit. Refutauit eos Gregorius lib. 5. Epiſtolarum, in dict. 15. cap. 179. ex dicto Pſalmi: In inferno quis confitebitur tibi? & Pauli: Quotquot ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt. & tandem cõcluſit, quòd Chriſtus deſcendens ad inferos, tantùm illos ab inferni clauſtris eripuerit, quos adhuc uiuentes per ſuam gratiam in fidè & bona operatione ſeruarat.

SEVERVS Sozopoli Piſidiæ ortus, Beryti legum ſcientiæ & actionibus forenſibus primùm operam dedit. Chriſtianiſmo autem nonnihil percepto, Tripoliq; in Phœnicia in templo Leontij martyris baptizatus, animum ad monaſticã uitam adiecit, inter Gazam & Mauitam oppida. Natura fuit contentioſus, & in diſputationibus audax. Nicephorus eũ ἀκέφαλον, id eſt ſine capite, ſcilicet ſano & firmo in ueritate appellatum eſſe dicit. Differebat, unicam tantùm in Chriſto eſſe naturam, atq; Chalcedonenſis ſynodi decreta exibilabat. Monaſterio eiectus, ad Imperatorem Anaſtaſium ſe cõtulit: iuramẽtum ab ipſo Imperatore ſumſit, ſi Antiochenus epiſcopus fieret, ſeſe nullo pacto Chalcedonenſi ſynodo adhæſurum. Compos uoti, ipſo inaugurationis die, cõſcenſo ſuggeſtu, anathemate eam ſynodum percuſſit: diſſentientes à ſe, oppreſſit: ita ut omnes ferè monachi in Palæſtina eius crudelitatem experti ſint. Alamundaro Saracenorũ Phylarcho Chriſtianiſmum amplectente, miſit ad eum duos epiſcopos, qui ſuam ei ſententiam inſtillarent: uerùm Dei cõſilio peculiari factum eſt, ut baptizaretur ab iis, qui ſynodũ probabant. Iuſtini Imp. inſidias ueritus, in exilium abiit. Eũ à Theodora Imperatrice fauente Seueritis, iiſque, qui unam tantùm aſſerebant naturam in Chriſto, reuocatum [redacted]: Euagrius libro quarto, capite decimo & undecimo.

QVIDAM ex Biturico Galliæ, dum ſaltus ſyluarum ingreſſus ligna cæderet ad explendam operis cuiuſdã neceſſitatem, muſcarum eum circumdedit examen: qua de cauſa per biennium amens eſt habitus. Poſt hæc Arelatenſem prouinciam adiit: ibiq; indutus pellibus, quaſi religioſus orabat. Hinc Gabalitanam regionem ingreſſus, ſe Chriſtum profeſſus, aſſumta ſecum muliere quadam pro ſorore, quam Mariã uocabat. Confluebat ad eum multitudo populi: infirmos manu tactos ſanitati reddebat. Conferebant ei aurum argentumq; ac ueſtimenta, aſſeclæ. Ille omnia pauperibus erogabat. Proſternens ſe ſolo, orabat cum ſua Maria: mox ſurgẽs à circumſtantibus ſe adorari iubebat. Prædicebat futura, aliis morbos, aliis damna, paucis ſalutem futuram. Seducta eſt multitudo immenſa populi, non ſolùm ruſticorum, ſed & ſacerdotum ſupra tria millia. Interea cœpit quoſdam ſpoliare, ac prædari, quos in itinere reperiſſet, ſpolia pauperib. largiens. Epiſcopis ac ciuibus minas mortis intentabat, eo quòd ab iis adorari deſpiceretur. Aurelio Auellanæ urbis epiſcopo bellum indixit, & miſit ante ſe nuncios nudos ſaltantes atq; ludentes, qui aduentum eius nunciarent. Epiſcopus miſit legatos quæſituros quid ſibi uellet. Horum unus cùm ſe inclinaſſet, quaſi oſculaturus genua eius, euaginato gladio in fruſtra conſcidit Pſeudochriſtum, diſperſiq; ſunt omnes, qui cum eo erant. Maria tormentis ſubiecta omnes præſtigias illius publicauit. Aſſeclæ tamen eius præſtigiis faſcinati, pleriq; ad ſenſum integrum non ſunt regreſſi: ſed eum quaſi Chriſtum, Mariam autem illam partem deitatis habere profitebantur, eiuſdemq; imitatione adiungentes ſibi mulierculas quaſdam, quæ debacchantes ſanctos eos profiterentur, per Galliam hinc inde errauerunt. Greg. Turonenſis lib. 10. Hiſtor. cap. 24.

Refert Gregor. Turonenſis, ſua ætate QVENDAM in Gallias ueniſſe, qui crucem tulit, ex qua multæ ampullæ ſuſpenſæ fuerunt, oleo ſancto, ut dictitabat, plenæ: & gloriatus eſt, ſeſe plurimas apportare reliquias. Vtque minus deprehenderetur quiſnam eſſet, finxit ex Hiſpaniis ſeſe aduentare. Turonem ueſperi ueniens, proceſſum reliquiis ſanctis flagitauit. Verùm cùm iuſſus eſſet uſque in poſterum diem differre, manè non expectatis aliis, uenit in templum: ibiq; peractis ſuis ceremoniis, & reprehenſis ſuperbè miniſtris, qui reliquiis ſuis honorem denegaſſent, Pariſios abiit. Ibi quoq; ſatis procaciter epiſcopo & aliis inſultãs, qui ob rogationes quaſdam iubebãt reliquias iſtas nouas paulùlum quieſcere, in carcerẽ coniectus eſt, ne turbas aliquas daret: factaq;



diligenti perſcrutatione, inuenit epiſcopus Raguimodus ſacculum magnum, plenum radicibus diuerſarum arborum, & dentes talpæ, & oſſa murium, ungulas atque adipes urſinos: quę quidem omnia in flumen proiecit, ac cruce ademta, urbe eum expulit. Verùm ut erat impudens, alia cruce parata, ebrius templum ingreditur, & ſopore correptus, uomitu ſacrum locum infecit. Tandem agnitus, quòd profugus ſeruus eſſet Amelij, Beoretinæ urbis epiſcopi, domino reſtituitur. Gregorius Turonenſis lib. 9. Hiſtoriarum, capite ſexto.

DESIDERIVS quidam Burdegalenſis apud Turonenſes arte magica hominibus impoſuit, cæcis uiſum reſtituit, & claudos uiolenta tractione ſanauit, & tandem ſe Chriſtum profeſſus eſt: amictus cuculla ac tunica ex pilis caprarum confecta. Præ ſe ferebat abſtinentiam, quam tamen ingluuie [redacted]compenſabat. Dolo cognito, urbe pulſus eſt. Gregorius Turonenſis lib. 9. Hiſt. cap. 6.

*Seculi ſeptimi.*

SEVERITÆ, à Seuero Antiocheno epiſcopo ſuperioris ſeculi, qui tres deos ſtatuebat. Diuiſi rurſus in quinq; ſectas, in Cõtobabditas à loco, qui etiã epiſcopos repudiabãt: in Theodoſianos, à Theodoſio epiſcopo Alexandrino: in Angelitas, ab Angeliis, loco Alexãdrię: & Damianiſtas, à Damiano anteſignano: in Petritas, à Petro epiſcopo: & in Cononitas.

APHTHARTODOCITÆ creatum quidem Domini corpus, ſed idem ab ipſa conceptione incorruptibile eſſe aiũt. Propago eſt Iuliani Halicarnaſſæi, à quo tanquam ex equo Troiano Tritheitæ, Agnoetæ, Theopaſchitæ, Iacobitæ & Seueritæ prodierunt.

Iuſtinianus Imp. cũ iam decrepitæ eſſet ætatis, religionis cauſſa Germaniciam urbem Galatiæ prodiit, ibiq; nouam hæreſim imbibit, eorum, qui immortalitatem carnis Chriſti opinabantur, unde Aphthartodocitæ appellabantur: quæ erat, Chriſtũ non mortalem carnẽ aſſumſiſſe, ſed poſtquã aſſumta eſſet, immortalem euaſiſſe, ac corpus eius prorſus expers mortalitatis, omniũq; humanarũ affectionũ fuiſſe. itaq; cibo & potu ante reſurrectionẽ perinde uſum eſſe, atq; poſt ipſam reſurrectionẽ fuerit. Quã opinionẽ ille ita hauſit, ut, edicto propoſito, aſſeruerit. atq; Eutychium epiſcopũ urbis furentem, atq; eam, tanquam à ueritate Catholica alieniſſimã, refellentem, eccleſiã deturbarit, eiq; Amaſiã, unde uenerat, relegato, Ioannẽ Scholaſticum ſubſtituerit. quæ res magnam poſt decori eius infamię labem impoſuit. Quo facto, Anaſtaſius Antiochiæ epiſcopus cauſam ſuſcepit, ac libros ad hanc labefactandã hæreſim ſcribere, atq; fautores accerſere inſtitit. Iuſtinianus, cùm ad perdendum Anaſtaſium edictum paraſſet, illo nondum promulgato, repentina morte percuſſus eſt. Sigonius lib. 20. Imp. occid.

MONOPHYSITÆ, Eutychianorum propago, oppoſita Neſtorianis. Eius patroni fuere IACOBVS & Io. PHILOPONVS grammaticus: qui à Sergio epiſcopo Conſtantinopolitano inſtigatus, ſcripſit libros plures contra quartam Synodum, & Tritheitarum dux fuit. Aiunt, duas in Chriſto naturas unitas, non duas remãſiſſe, ſed unam eſſe effectam. Horum ueluti propagines ſunt THEOPASCHITÆ, qui diuinitatem paſſam aſſerunt: & CHAZINZARII, ſiue STAVROLATRÆ: nam Chazus apud ipſos crux eſt. Duas in Chriſto diſtinctas naturas, ut nos, aſſerunt eſſe, duas inſuper eſſe perſonas: & in cruce alteram paſſam, alteram ſeorſim paſſionis ſpectatricem fuiſſe. [redacted]

*Seculi octaui.*

FELICIANI, à Felice Vrgelitano epiſcopo in Hiſpania, anno 792, Ieſum Chriſtum adoptiuum & nuncupatiuum Dei filium eſſe aiunt, ſecundùm naturam humanam, ſecundùm diuinam uerò, uerum. Et ſic unam perſonam in duas diuidebant. [redacted]

Orgellorum urbs eſt in Pyreneis ſaltibus. Huius epiſcopus FELIX, conſultus ab Elipando Toletano pontifice, Chriſtum quatenus is homo eſt, filium Dei eſſe adoptiuum, cenſebat: editis quoq; libris id ratiocinũculis probare nitebatur: contra ſcita maiorum religionis noſtræ, in Chriſto ſeruatore noſtro, ſicuti duas naturas, ita duplicem perſonam aſſerebat: nimirum perſonam filij ueri, & perſonam filij adoptiui. Quamobrem deductus in Boiariam ad Carolum Magnum Imp. Ratiſbonæ, in conuentu celebri Pontificum, quos ex omni Germania, Italia, Gallia, rex conuocarat, impietatis condemnatus, recantauit errorẽ. Libri eius combuſti ſunt. Ipſe deinde Romam miſſus, coram Hadriano Pont. Max. in æde diui Petri denuò opinioni peſtiferæ ceſſit. Auentinus lib. 4. Annalium Boiorum.

*Seculi noni.*

CHILPERICVS rex Francorum, ex Arianorum furoribus in Sabellianam incidit hæreſim, Deumque non trinum, ſed unum confiteri, ſuos cogebat. Gregorius Turonenſis præallegata D. Hilarij & Auguſtini auctoritate, Caue ſis, inquit, ô rex, ne dum famulorum Dei auctoritatem contemnis, ipſum quoque Dominum contemnere uidearis. Tum rex: Non ego pluribus tecum, ſed ſapientioribus hoc committam negotij. Et Gregorius: At neque ego ſapientes alios agnoſcam, quàm qui catholicæ fidei ueritatem callent. Saluius quoque Albigenſis epiſcopus, cùm ei Sabellianam cõfeſſionem ex ſcripto recitaret rex, & ſubſcribere iuberet, Abſit, inquit, à me tantum ſcelus. Quin tu, ſi lubet, formulam iſtam mihi trade, ut eam Vulcano expiandam committam. Rex ergo cùm ſuæ hæreſi omnes contradicerent, eam ulterius propagare ſuperſedit. Aimoinus lib. 3. cap. 41. & Vincentius lib. 24. cap. 23. ex Turpino.

MICHAEL Balbus Amoræus, quæ iuuenis imbiberat in patria ſua Amorio ſuperioris Phrygiæ urbe, poſtea creatus Imperator quoq; retinuit, atq; uſurpauit. Fuit Amorium ueluti ſentina quædam turpiſſimarum hęreſium. Cohabitarunt enim in ea urbe Iudæi quidam, confundẽtes Ethniciſmum, Iudaiſmum & Chriſtianiſmum in unum quoddam chaos: item Athingani, & alij uarias opiniones adſerẽtes. Hinc Zonaras Michaelem ex tali officina prodeũtem uocat πανατερμιαν αἱρέσεως. Statuebat enim, Nullã eſſe reſurrectionẽ mortuorum, Vanam eſſe doctrinam de bonis æternis, Nullos eſſe dæmones, Prophetarum ſcripta eſſe nullius auctoritatis, Moſis tantùm inſtituta eſſe ſectanda, excepta præputij reſectione, Scortationem non eſſe peccatum, Iudam adhuc ſaluandum eſſe, Sabbatis iubebat ieiunare, Paſcha Iudæorum more obſeruandum. Diſputationes oderat, & prohibebat eam ob cauſam, ne eius præſtigiæ & impoſturæ diiudicarẽtur. Cùm regnaſſet annos octo, menſes nouem, phrenitide & inteſtinorum dolore periit. Zonaras.

Belga fuit GODESCALCVS, ut Auentinus indicat, presbyter profeſſione, in diœceſi Moguntiaca, circa annum Domini 849. Docebat Deum patrẽ plus eſſe quàm Deum filium. Chronicon Iſennacenſe. Homines quoſuis, ineuitabili lege & neceſſitate prouidentiæ diuinæ, ſiue inferis, ſiue ſuperis deſtinatos eſſe. Auentinus lib. 4. annalium Boiorum. De libero arbitrio, prædeſtinatione & ſanguine Chriſti, malè ſenſit. Hirſaugienſe Trithemij Chronicõ. Moguntię in Synodo à Ludouico Boiorum rege congregata, conuincitur à Rabano, qui poſtea opuſculũ de iſta materia cõpoſuit. Inde mittitur ad Hincmarum epiſcopum Remorum, unde oriundus erat, priùs præſtito iuramento, quòd in Franciam Orientalem ſeu regnum Ludouici non eſſet unquam reuerſurus. Auentinus lib. 4. & Sigebertus.

*Seculi decimi.*

ANTHROPOMORPHITARVM hæreſis in Italia graſſata eſt, & inprimis Paraſſum Lombardiæ urbem uetuſtam occupauit, cuius ciues armis etiam uicinos affligebant. Racherius Veronenſis epiſcopus ſcriptis illorum errores refutauit. Mediolanenſis præſul anathemate percuſſos, uicinarum urbium direptioni exponit, exercitum ducit, oppidum expugnat, diripit, incendit, cuiuſque ſexus & ætatis homines trucidat, mœnia ſolo adæquat. Qui gladium effugerant, catholicam amplexi religionem, in ruinis illis ædificare prohibiti, oppidum Cremam haud procul inde extruxerũt. Agrum Paraſſenſem inter ſe partiti ſunt, Mediolanenſis, Placẽtinus & Cremonenſis epiſcopi. Sigebertus in annum 939 reiicit, Bergomenſis in 951.

Theodorus monachus à Ioanne Zimiſce præfectus eccleſiæ Antiochenæ, quia imperium ſibi prædixerat, Imperatori perſuaſit, uti MANICHÆOS ex toto Oriente expelleret. Imperator eos Philippolim relegauit. [redacted]

*Seculi undecimi.*

BERENGARIVS Turone oriundus, & diaconus eccleſię Andegauenſis, doctrina & morum honeſtate initiò clarus, Frãciam doctrina ſua de euchariſtia, qua ueram corporis & ſanguinis Chriſti in cœna ſacra negabat præſentiam, ualde turbatam multis annis reddidit, ſub annum 1051. autore Sigeberto. Eius hæreſis in ſynodo Turonenſi, deinde Vercellenſi & Lateranẽſi damnata eſt. Ac licèt ipſe præſens, libros ſui dogmatis in medio Concilij igni tradiderit: ac per Deum, nunquã deinceps in uulgus eiuſmodi doctrinę genus ſe ſparſurum,

ſurum, ſed in patrum probata ſententia permanſurum, ſanctè iurauerit: tamen poſtea ad ingenium rediit, ſcriptaq; in diuerſas regiones tranſmiſit. Contra quæ Lanfrancus calamum ſtrinxit. Tandem ſub Gregorio ſeptimo, Romæ in frequenti Concilio errorem faſſus, ueniam impetrauit: non tamen eos quos corruperat, conuertere potuit. Moriens die Epiphaniæ, gemituq; producto, recordatus, quot miſeros ſuo errore infeciſſet: Hodie, inquit, in die apparitionis ſuæ apparebit mihi Dominus noſter Ieſus Chriſtus propter pœnitentiam, ut ſpero, ad gloriam: uel propter alios, ut timeo, ad pœnam. Vincentius lib. 25. cap. 30. Vuilhelmus Malmeſburienſis lib. 3. cap. 58. & 59. de geſtis Anglorum. Sabellicus. [redacted]

Goſlariæ QVIDAM, falſo ſanctitatis prætextu, Manichæorũ quendam errorem conati ſunt ſtabilire: anno Domini 1052. Eſum animalium quorumcunq; eſſe peccatum. Henricus IIII, natalem Domini Goſlariæ celebrans, auctores è patibulis ſuſpendit, ut hac pœnæ ſeueritate credulum uulgus ab iſta hæreſi deterreretur. Hermannus Contractus.

PETRVS de Bruis docuit in Galliis in Septimania, in Arelatẽſi, Ebredunenſi, Dienſi & Vapicienſi epiſcopatibus. Inde autem pulſus Nouempulanam, ſeu Gaſconiam, & Narbonenſem prouinciam ſua doctrina repleuit: in primis uerò Toloſæ publicum docendi locum habuit, ut Petrus Cluniacenſis teſtatur. Eo damnato & concremato, Henricus diſcipulus eadem profeſſus eſt. Infantes non baptizari aut ſaluari aliena fide, ſed oportere ſua, id eſt, propria fide baptizari & ſaluari. Fidem propriam ſine baptiſmo nihil poſſe. Paruulos infra ætatem intelligibilem conſtitutos, baptiſmo Chriſti non poſſe ſaluari: Baptizatos in infantia, poſtea adultos iterum baptizandos: neq; uerò ibi rebaptizari eos, ſed rectè potiùs baptizari. Corpus & ſanguinem Chriſti in Miſſa nõ offerri, neq; eam oblationem fieri pro animarum ſalute. Item, altaria deſtruenda. Cœnam ſacram non dandam nunc hominibus, quia ſemel tantùm Apoſtolis ſit data à Chriſto. Sacerdotes & monachos debere uxores potiùs ducere, quã ſcortari. Cruces non adorandas aut uenerandas. Canticis illis in templis, quæ monachi aut ſacerdotes perſonant, Deum irrideri. Muſicis modulis Deum non poſſe mulceri. Die Dominica & aliis licitũ eſſe ueſci carnibus. [redacted] Petrus Cluniacenſis Abbas hoſce duabus inuectiuis confutauit, & armis etiam perſequendos docuit.

Sub Henrico V. Imperatore NONNVLLI articulum de reſurrectione mortuorum in dubium uocarunt. Erfordienſis capite nonageſimoprimo.

Antuerpianam eccleſiam turbauit TANDEMVS (Tritenhemius Tauchelinum uocat, Meyer Tanchelinum) circiter annum Domini 1124. Laicum fuiſſe tradunt, ſed miræ ſubtilitatis, ut etiam diſertiſſimis clericis faceſſeret negotium. Contendebat, ordines eccleſiaſticos ac ſacerdotalem gradum nullius eſſe momenti. Corporis & ſanguinis Dominici perceptionem non prodeſſe ſumentibus ad ſalutem. Docebat euomere ſacratiſſimum corpus Domini, in die Paſchæ ſuſceptum. Veſtibus deauratis, atque crinibus triplici fune intortis incedebat. Conuiuiorum apparatus amabat. Cynicam turpitudinem exercebat, ſponſas in conſpectu maritorum, & filias in matrum præſentia conſtuprans, dictitans id eſſe opus ſpirituale. Sectatores habebat uiros armatos circiter 3000, quorum opera ad ſui defenſionem & uindictam ſibi reſiſtentium utebatur. Quos faſcinarat, tanta eum reuerẽtia colebant, ut aquam, ex qua ipſe lauiſſet, biberent, & ueluti ſacram aſportarent. Occiſus autem eſt à quodam presbytero, dum unà nauigarent, capite ſauciato uſque ad cerebrũ. Sigebertus, Tritenhemius. Iacobus Meyer in Chronico Flandria, inquit, anathemate eum anno 1113. damnatum, atque à ſacerdotio populoque Brugenſi urbe expulſum, & biennio pòſt occiſum.

In Gallis anno Domini [illegible] fuit magiſter PETRVS Abelardus (quem Platina Baliardum uocat, Bernardus Abailardũ, ut & Phryſingenſis) inſignis philoſophus, ingenio ſubtilis: is prophana nouitate uerborum & ſenſuum Eccleſiam ſcandalizabat, [redacted]. Magiſtrũ habuit Rucelinum Britannũ, qui primus ſcientiam uocũ ſiue dictionum inſtituit, nouãq; philoſophãdi uiã inuenit. De quo ſub Tit. Certamina dialecticorũ, ex Auentino. Sententiam uocũ ſeu nominum Theologiæ admiſcuit. Totum, quod Deus eſt, humana ratione comprehendi poſſe dixit. Eandem eſſentiam eſſe Patrem & Filium & Spiritum ſanctũ, ſicut eadẽ oratio ſit propoſitio, aſſumtio & concluſio. Otho Phryſingenſis lib. 1. cap. 47. Patrem eſſe plenam potentiam, Filium quandã potentiam, Spiritum ſanctum nullam potentiam. Chriſtum non aſſumſiſſe carnem, ut nos à iugo diaboli liberaret. Non peccaſſe, qui Chriſtum ex ignorãtia crucifixiſſent. Spiritum ſanctum non eſſe de ſubſtantia patris, ſed animam mundi. Paſſionem Chriſti ad nihil aliud pertinere, quàm ad exemplum uirtutum. Gaufridus, item Erphordienſis. Fidem dixit eſſe exiſtimationem: quo quidem uocabulo certitudinem Theologicæ fidei infringere uidebatur. In Senonibus cõuentus Gallicorum patrũ aduerſus eius placita habitus. Coactus eſt ſcripta ſua coràm igni dare. Nec idcirco iuuentus ſtudia æmulans ab eo defecit. Die rurſus dictã, cũ quæſtio repeteretur, cõdemnareturq;, Pontificem maximum appellauit. Is & ſectam illam damnauit, & ſilẽtium homini indixit. Aemylius lib. 5. Monachus Cluniacẽſis factus, Cabilloni obiit. Eius diſcipulus ARNOLDVS Brixianus, [redacted] & Robertus Barnus. Eiuſdem ſententiæ ſubſcribens GILBERTVS Porreta Pictauorum epiſcopus, à D. Bernardo Remenſi concilio circa annum 1148 conuictus, palinodiam cecinit. Vincentius lib. 27. cap. 86.

Anno Domini 1148. è Britãnia quidam in Gallias uenit, EON dictus, agnomen De ſtella habens, qui aſſeuerabat, ſe Eum eſſe, qui uẽturus eſſet iudicare uiuos & mortuos; ad nomen ſuũ alludens. Nec aliud fundamentum ſuæ inſaniæ habuit, quã quòd in Eccleſiaſticis exorciſmis dicitur, Per EVM, qui uẽturus eſt iudicare uiuos & mortuos, & ſeculum per ignẽ. Cùm igitur ipſe lingua Gallica EVN diceretur, delirauit de ſeſe pronomen illud, EVM, eſſe pronunciatum. Sectatores ſuos, quoſdam Apoſtolorum, quoſdã uerò Angelorũ nominib. ſtolidè inſigniuit. Cõcilio Remis coacto pſeudochriſtũ Eugenius tertius condemnauit: iſq; carceri traditus, paulo pòſt extinctus eſt. Continuator Sigeberti. Gulielmus Neubrigenſis lib. 1. cap. 19. mira de eius hominis præſtigiis narrat, quòd ita hominum oculos faſcinarit, ut magnam uideretur hominũ multitudinem penes ſe habere, & regiis deliciis ciborum, & apparatus ſplendidiſſimi abundare. Sic dementati homines, cum magno numero comitabantur & uenerabantur. Prouincias magna celeritate interdũ peruagabatur, interdum uerò in deſertis latitabat, ac nonnunquam erumpens, in eccleſias & monaſteria impetũ faciebat. Tandem uerò in concilio Remenſi damnatus, cùm ad ſuppliciũ duceretur, ſæpiùs ad terram dixit, Terra findere. Sed uana uani Dei fuit iuſſio. Robertus Abbas in Chronicis.

Anno 1163 QVIDAM è Tandemi reliquiis, è Flandriæ partib. Coloniam uſq; progreſſi, in quodam horreo foris, cùm palàm ciuitatem ingredi uererentur, ſe aliquandiu continuerunt. Re patefacta, cùm obſeruatum eſſet, ipſos diebus Dominicis nullum ingredi templum, ad iudicium trahuntur, factoq; examine deprehenduntur fanaticas opiniones ſectari. Solos ſe mundos & Chriſtianos eſſe contendebãt: reliquos uerò omnes immũdos & hæreticos. Prælatos, ſacerdotes, clerũ, eſſe deceptores animarũ, & laqueos diaboli. Sacramenta irridebant, & ſacroſanctũ corpus & ſanguinẽ negabant. Laſciuiam cũ quibuſcunq; perpetratã, non eſſe peccatũ. Clerus & maiores ciuitatis Colonienſis Egbertũ Abbatẽ S. Florini in Schonaugia diœceſis Treuerenſis, accerſunt. Egbertus Coloniã uenit, publicũq; diſputationis certamen cũ tribus eius factionis præcipuis ducibus, Arnoldo, Marſilio & Theoderico ſuſcepit, eoſq;, licèt acutiſſimos, cõuicit. [illegible] ſumma pertinacia in ſuo errore perſeuerarent, laicis traditi ſunt, qui eos ante portã flãmis deleuerũt. Fuerũt aũt octo uiri, & duæ feminæ: quarũ iunior à manib. lictorũ exiliens, in mediũ ignẽ ſemetipſam coniecit. Trithemius aſſeuerat, hæreſin hanc Boëmiã, Alſatiã & Thuringiã peruaſiſſe: neq; in inferiori Germania etiamnum deſiiſſe, licèt ob ignis metum ſeſe, qua poſſit, arte ſtudioſè occultet. Chron. Hirſaug. Meminit iſtius hæreſeos Hildegardis in epiſtola ad Canonicos maiores eccleſiæ Moguntinenſis.

SYRIANI, uel SVRANI, in Syria uixere, unde nominati fuerunt, uel à Sur, quæ, ut Iacobus de Vitriaco ait, celebris Syriæ fuit ciuitas. Sequuntur religionẽ & ritus Græcorũ poſſimùm. Negãt Spiritũ ſanctũ à filio, ſicut à patre, procedere. Quartas nuptias nõ admittunt. Romanã eccleſiã non agnoſcunt ſupremam ſuper omnes. Romanorum præſulum excõmunicationes & ſentẽtias nihili pendũt. Sentiũt Latinos omnes eſſe de iure excõmunicatos. Altaria, quib. Latini ſua ſacra peregerunt, abluunt. Sacramentis Latinorum nullam exhibent reuerentiam, nec hoſtiam conſecratam ad ægrotos portanti aſſurgunt: ex fermentato conficiunt Sacramentum. Sacerdotes retinent uxores, cum quibus ante ordines contraxerunt. Subdiaconatum in ordines non reputãt. Paruuli ipſorum ſtatim à baptiſmo, à ſimplici ſacerdote chriſmate conſignantur, non expectato epiſcopo. Diem ſabbati ita ſolennem iudicant, ut liceat in eo ieiunare, excepto Paſchatis ſabbato. Eodem die diuina celebrant, carnib. ueſcũtur. Lingua delectantur Saracenica: cõiuges ſuas ſimili more



recludunt ut Saraceni, alioſq; ipſorum mores æmulãtur, barbas non radunt more Orientalium. Petrus de Vitriaco.

IACOBITAS tum in ſancta terra, tum apud alias nationes fuiſſe hoc tempore, Iacobus de Vitriaco, c. 38. de Hieroſol. hiſtoria, narrat: ſic dictos à Iacobo quodam, eius ſectæ auctore. Horum quidam aſſerunt, poſt aſſumtam humanã naturam à Chriſto, unam ſolam in unica perſona exiſtere naturam. Baptiſmo utuntur & circumciſione ſimul, utrunque inſuper ſexum circumcidunt, more Saracenorum. Peccata ſua non ſacerdotibus, ſed Deo confitentur, & clàm in ignẽ thus mittentes propriis manibus, ſuas orationes ſignificãt ſimili modo in cœlum aſcendere. Infantes ante baptiſmũ, calido ferro adurũt, quia dictum eſt: Baptizabit Spiritu ſancto & igni. Cruces ſibi inurunt alij in brachiis, alij in genis, alij in fronte, ob reuerentiam crucis, utq; à paganis diſcernantur. Vno digito ſe conſignant, unam eſſentiam & trinitatem perſonarum ſignificantes. Sacerdotes lingua utũtur propria, quam laici non intelligunt.

ARMENI non agnoſcunt pontificem, ſed proprium habent primatem, cui obtemperant. Solo uino abſq; aqua ſacram Cœnam [redacted] orientales aliàs in menſa communi [redacted] Domini [redacted] non celebrant. Vulgari lingua in ſacris utuntur ſacerdotes, ſicut & Græci. Iacobus de Vitriaco cap. 41. de hiſtoria Hieroſolymitana.

GEORGIANI in Oriente, Aſſyriis, Perſis ac Medis formidabiles, nomen acceperunt, quia in bellum ituri, inprimis S. Georgium inuocant & colunt. In reliquis, Græcorum rationem imitantur. Abſq; tributo conceditur ipſis uiſitare ſepulcrum Domini. Saraceni enim ipſos metuunt. Iac. de Vitriaco, cap. 41. de hiſtoria Hieroſol. [redacted]

Anno Sal. 648. Rauennas eccleſia à Romana defecit, auctore antiſtite Mauro, qui Bono, ex humanis rebus erepto, ſucceſſit. Ille Conſtantis Imperatoris fauore ſubnixus, neq; conſecrationem neq; pallium à Pontifice ſumere uoluit, uerùm illam à tribus ſuffraganeis ſuis, hoc ab Imperatore accepit, ac ſuffraganeos ſuos iniuſſu pontificis conſecrauit. Ex quo per multos pòſt annos eccleſia Rauennas hæreſi, quam uocabãt AVTOCEPHALIAM, laborauit. Anno tandẽ 678. Theodorus archiepiſcopus, cùm ueterem cleri diſciplinam nimia ſuperiorum antiſtitum indulgentia lapſam uellet reſtituere, clericos pleroſq; nouorum ſeueritate inſtitutorum offendit. Itaq; die natali Domini ad ædem D. Apollinaris Claſſenſem ad rem diuinam de more faciendam ipſum cõtra inſtituta deducere noluerunt. Quam iniuriam ut ulciſceretur, eccleſiam Rauennatem, quod ipſos magno dolore laturos ſciebat, eccleſiæ Romanæ literis ad pontificem ſcriptis reſtituit. Sigon. lib. 2. regni Ital.

Concilio Lateranenſi ann. 1139. ARNOLDVS Brixianus, tanquam hæreticus, Italia excedere iuſſus. Hic ſuperioribus annis ex Francia, in qua ſtudiis literarum uacauerat, Brixiam reuerſus, habitum religioſum aſſumſerat, cumq; dicendi facultate ualeret, nouas ſerere in eccleſia opiniones ſecundis popularium auribus cœperat: neque clericos aliquid proprij, neq; epiſcopos regalia, neque monachos poſſeſſiones habere debere: ea omnia principum eſſe, atq; ab eorum benignitate in uſum tantùmodo laicorum ſuppeditari oportere. Ab epiſcopo Brixienſe ad Concilium accuſatus, ex Italia ceſſit. Paucis pòſt annis ex Germania in Italiam reuerſus, [illegible] Romanæ ſeditionis contra Eugeniũ III. tempore, in Vrbem ſe coniecit, ac ſeditioni per ſe ſatis ardenti maiores quoq; faces admouit, populum ad uetera maiorũ inſtituta, factaq; imitanda, graui inprimis ac præſentib. temporibus opportuna oratione adhortans, qui ſenum conſilio, & iuuenum manu totum ſibi terrarum orbem ſubieciſſent: reædificandum Capitolium, ac ſenatores, equiteſque Romanos renouandos inclamãs: adminiſtrationem Vrbis [illegible] Pontificem non pertinere, ipſum eccleſiaſtico iure contentum eſſe oportere. Quibus uocibus incitati Romani, præfectura Vrbis omnino ſublata, cæteros magiſtratus Patricio ſubiecerunt. Sigon. lib. 11. regni Italici.

Hæretici CAIANI dicti (quia Cainum fratricidam adorarẽt) Iudam proditorem diuinum hominem fuiſſe putarunt, ſcelus eius iactantes beneficium ingens. Præſciiſſe enim quantum humano generi Chriſti ſeruatoris paſſio eſſet profutura, ideoq; Iudæis prodidiſſe.

Noua ſeditionis cauſa in Gallia fuit anno ſal. 1252. ab AEGYPTIO mago excitata, qui è Pannonia uenerat, ubi haud diſſimilibus ludibriis hominum mentes fefellerat. Is apud agreſtes paſtores concionabatur, & ueluti propheta prædicebat, Syriæ partem, quam Chriſtus uiuens peragrauit, & in qua paſſus eſt, per eos recuperatum iri. Quibus uerbis, cùm ad hoc etiam accederet bonitatis exiſtimatio, quæ de eo apud omnes erat, manum circiter ſexaginta millium hominum coegerat, quæ eum ubiq; ſequebatur, atq; in omnibus parebat: mitra pontificioq; habitu utebatur, atq; in matrimoniis diſpenſabat. Cùm autẽ permoleſtè id ſacerdotes ferrent, eorum permultos à ſuis occidi curauit. Quæ manus cùm permulta alia prædando ac ſceleratè agendo nefanda ederet facinora, in duas diuiſa partes, cùm pars Maſſiliam abiiſſet, alij aũt in Biturigibus conſtitiſſent, ut obiq; oppreſ[redacted]g. lib. 9. c. 7.

T[redacted] Auguſti 1030. Hier[redacted] nerunt, ut breui tempore multas diuitias ac tẽpla ſibi compararerint, à quib. Templarij dicti ſunt, quòd frequentes & aſſidui uerſarentur in templis (ſeu potiùs, quòd Hieroſolymis recuperatis per Latinos, peregrinorum ad templũ deducendorum curam haberent. Sicuti Hoſpitalarij, ab hoſpitalitate iiſdem peregrinis exhibita. De quibus ſub Tit. Equitum ſacrorum) Iidem Chriſti ſacris impudentiſſimè abdicatis, in quædam flagitia diuerterunt. Conflauerunt enim ſimulacrum quoddam miro artificio, cui hominis cutem ſuperinduxerunt, collocatis in fronte binis carbunculis, oculorum uice promicantib. Hoc, loco numinis reuerebantur. Morientium cadauera reſoluta in cineres, cæteris dabãt in potum, ut in ea ſecta firmiores eſſent. Natum ex Templarij uirginiſq; coniugio torrebant igne, ſimul ex humore deliquato ſuum perungebant ſimulacrum. Nefanda maſculorum libidine conflagrabãt. Damnati ſunt in Viennenſi concilio, & deuoti flammis, ſententia Clementis pont. max. qui Benedicto ſucceſſit. E diuerſo ſunt qui opulẽtiæ inuidia eos euerſos aſſerant, non aperto iudicio, ſed mirabili ſtratagemate, uno die & hora omnibus iis per totum Chriſtianum orbem ſimul trucidatis.

IOANNES à Poliaco Theologus, cogente Papa Ioanne XXII. à ſententia deductus eſt, & iuſſus palinodiam canere. Aſſerebat fratrib. Mendicantibus confitendum non eſſe de peccatis: quòd ſi quis hoc feciſſet, ad paſtorem & curionem redeundum. Chronicon regum Francorum.

Innocentius III. Pontifex, damnauit errores ALMERICI epiſcopi Carnutenſis hæretici: cuius poſtea cadauer è templo D. Martini erutum Pariſiis, cum ſectatorib. ſuis exuſtum eſt. Qui ad reliquos errores affirmarat, ideas, quæ ſunt in mente diuina, & creare & creari: cùm ex ſententia beati Auguſtini in mente diuina nil niſi æternum & incommutabile ſit. Dixerat præterea in charitate conſtituto nullum peccatum imputari. Platina. Aegid. Corrozetus in Antiq. Pariſienſibus duos libros Metaphyſicorum Ariſt. è græco traductorum, ei errori fomitem ſubminiſtraſſe, & propterea publicè exuſtos tradit.

Sub Bonifacio IIX. noua obrepſit religionis ſecta. FRATERCVLI nuncupati. Canebant illi Deo nocturnos hymnos. Confluebãt mulieres ad orgia illa ueriùs quã ſacra: cæremoniaq; peracta ſacerdos, ſacra uerba profatus, Creſcite & multiplicamini, hortabatur, ut extinctis luminibus omnes almo ſpiritu inuocato, promiſcuè coirent: partus per hunc modum conceptus tamdiu per manus in orbem ſtantium iactabatur in ipſo antro, donec exhalaret. Is, in cuius manibus expiraſſet, pontifex maximus creabatur. Cremabant adhæc ſacerdotes unum aliquem ex infantib. ita procreatis, cineres in cadũ coniiciebant, uino ſuperinfuſo, quo nouitij initiabãtur. Serpſit dirus hic cultus in multas Italiæ urbes, penetrauitq; ad Græcos. [redacted]

Hunc Bonifacius morem inſectatus, ut dirum & deteſtabilem, iuſſit Ferrariæ Hermanni, qui ex Fraterculis unus fuerat, corpus refodi, annos circiter uiginti multa ibi ueneratione cultum, & publicè cremari. Sab. lib. 7. Enn. 9. Hæreſis iſta anno 1307. apud Nouarienſes denuò à DVLCINO & MARGARITA reparata fuit. Quos repetè opprimere Clemens V. Pp. conatus, eò ſtatim milites quoſdam cum apoſtolico legato miſit, qui eos in Alpibus poſitos, partim inedia & frigore, partim armis oppreſſit. Dulcinus aũt & Margarita uiui capti, membratim lacerati, eorumq; oſſa combuſta diſſipata fuere. Blondus lib. 9. Dec. 2. & Platina. Dubrauius lib. 19. ann. 1311. [redacted]

Sub Bonifacio IX. ex Alpibus deſcendit in Italiã an. 1399. ante iubileum PRESBYTER quidã cum magna hominũ multitudine. Is albo indutus panno, tantã modeſtiã uultu ac uerbis præ ſe ferebat, ut ab omnib. ſanctus haberetur. Magnã hominum ac mulierum multitudinem in ſententiã ſuã ipſi breui deduxerat. Linteis albis circumuoluti omnes ſine diſcrimine, mares an feminæ, ruſtici an ciues, ſerui an liberi eſſent, paſſim ueluti pecora, ubi nox oppreſſiſſet, dormiebant.

bant.unde ALBI ſiue ALBATI ſunt dicti. Publicè in uicis epulabantur, perlatis undiq; certatim quaſi ad ſacrum epulis. Crucifixum ſacerdos ipſe præ ſe ferebat, quem lacrymari ob hominum errata dictitabat. Id quoties accidiſſet, ſucclamabãt omnes, ueniã à Deo petẽtes. Laudes beatę Virginis canebãt euntes & ſtantes, hymnũ præſertim, Stabat mater doloroſa. Ex Ciſalpinis autem in Flaminiam, Hetruriã, Picentes, [redacted]. Subſtitit Viterbij cum magna multitudine, labore itineris feſſus: Romam inde, ut ipſe dicebat, ad uiſenda loca ſancta, ſanctorumque corpora uenturus. Sed Bonifacius fraudem ſubeſſe ueritus, quòd diceret, hominem ſuperſtitioſum pontificatum appetere, adiuuante illa multitudine, milites aliquot præmittit, qui hominem cõprehenſum ad ſe perducant. Sunt qui ſcribant huius fraudem quæſtione detectã fuiſſe, hominemq; igne exuſtum fuiſſe. Platina, & Sabel. lib. 9. Enneadis 9. Primi in Italia Lucenſes fuere, utriuſque ſexus, induti albis ad tria millia. Iidemq; etiamnũ Crucifixi imaginem, quam ante ſe ferri fecerant, hodie cum maxima ueneratione conſeruant. Cranzius lib. 10. c. 46. Metrop.

In pernicioſo illo ſchiſmate inter Fridericum II. Imp. & Innocentium IV. Pp. hæreſis pernicioſiſſima ſurrexit in Sueuia, quæ in ſummum pontificem & cardinales os aperuit, Friderici Imperatoris & Conradi eius filij cauſam iuſtificans. Audebant dicere, apud ſummum pontificem nullam reſidere auctoritatem: neq; cardinales & epiſcopos (ꝙ omnes una labe ſimonię macularentur) quicquam tenere à Chriſto poteſtatis: quodq; ſacerdotes in mortali peccato cõſtituti neque ligarent, neq; ſoluerent, neq; conſecrarent: ꝙ nemo in orbe Chriſtiano interdicere poſſet diuinis officiis: quodq; ſine diſcrimine ea audirentur & celebrarentur impune. Et in fine ſuæ prædicationis, Indulgentiam, inquiunt, quã annunciamus, non à papa confictam, non à prælatis compoſitam, ſed ex Deo omnipotenti uobis irrogamus. Conradus rex quum hos tueretur prædicatores, ipſe penè incidit capitis periculum. Nam docti undiq; uiri aduerſus iſta tam friuola & ruſtica dogmata contẽdentes, effecere, ut omnis nobilitas Conradum deſereret, ipſeq; cogeretur clam diſcedere. Cranzius lib. 8. Saxoniæ, c. 16. & lib. 8. Metrop. c. 18.

In Franconia circa an. Sal. 1470. Tympaniſta QVIDAM bubulcus, mentitus ſanctitatem, cepit audaciam concionandi in clerũ & principes, ꝙ uita corũ peruerſa Deũ auerteret à populo, nec audiret preces ſacerdotum, nec reciperet ab his ſacramenta plebi diſtributa: principes errare, & populo ſine cauſa cõtra iuſtitiã telonia & uectigalia imponere, adeoq; uſum itinerũ & aquarũ, naturã liberũ ita, grauare. Ea ſibi ꝑ diuam Mariã, ut publicaret, eſſe mandata. Cœpit frequentari: cõcurrebat ex omnib. agris, uicis & ciuitatibus, magna frequentia. Norimbergenſes tamen magnis conſtitutis pœnis uetuere, ne quis ciuiũ aut habitatorũ eò cõtenderet. Rodolphus epiſcopus Herbipolẽſis eò miſit armatos, & auctorem malorum abreptum in urbem exuſſit. Cranzius lib. 12. Metropoleos, cap. 16.

Sub Othocaro Boemorum rege irrepſerãt ex Saxonia COMPLVRES in Boemiã cũ peregrina religiõe, Lupercali haud multũ diſſimili: nam ut nudi Luperci currebant, ita iſti umbilicotenus nudati ambulabant, lora manibus geſtantes, [redacted] Luperci uultus, ſanguine fœda-[redacted] ſanguinis docentes. Magnus ad illos ſicariorum, adulterorum, & aliorum perditorum utriuſque ſexus hominum fiebat concurſus: ſed habitũ omnes, non aũt mores mutabãt, imò pleraq; prioribus deteriora patrabant. Rex alios igne combuſſit, alios aqua ſubmerſit, plures regno exturbauit. Dubrauius libro 17.

Quo tempore Huſſitæ in Boemia tumultuabantur, PICARDVS quidam ex Gallia Belgica, tranſmiſſo Rheno, per Germaniam in Boemiam penetrauit, qui prçſtigiis quibuſdam fidem ſibi concilians, breui tempore non paruam mulierũ uirorumq; plebẽm ad ſe traxit, quos nudos incedere iubẽs, ADAMITAS uocauit, & Naturæ ductum ſequi in omnib. [redacted] lierem [redacted]gnoſcere: ſed ut quiſq; [redacted] exarſit, eam manu prehendit, & adiens principem, In hanc, inquit, ſpiritus meus concaluit. Cui princeps reſpondit, Ite, creſcite, & multiplicamini, & replete terrã. Aiebant cæteros homines ſeruos eſſe: ſe uerò & qui ex ipſis naſcerẽtur, liberos. Ex iis quadraginta uiri inſulam exiêre, & intrantes uicinas uillas, euaginatis gladiis ſupra ducentos agreſtes interfecêre, quos diaboli filios aſſerebãt. Ioannes Ziſcha uel Ziſco, Huſſitarum dux, expugnata inſula, Adamitas omnes gladio deleuit, duobus tantùm reſeruatis, ex quibus gẽtis ſuperſtitionem cognoſceret. Aeneas Sylu. c. 41. hiſt. Boem. Qui ex iis cõtinẽtiores, matrimoniiq; tenaciores uideri uolebant, nihilominùs hanc licentiã uſurparunt, ut uxor quouis in loco, ſacro aut profano, clauſo aut aperto, marito poſtulanti debitum redderet, diuortiumq; ferre cogeretur, ſi uir fœcundus, ipſa aũt ſterilis aut ſenex eſſe comprobaretur. Ziſco quinquaginta uiros feminaſq;, & inter has duos presbyteros de cœtu illo comprehẽſos, ad pagũ Klokot, comburi iuſſit. Dubrauius lib. 26.

VALDENSES hæretici [redacted] à Petro quodam Valdenſe (ſiue Valdo) ciue Lugdunenſe, qui poſt euerſas facultates in Picardiã ſe contulerit: hinc in Boemiam uel abierit, uel diſcipulos miſerit. Sic Dubrauius lib. 14. Etſi aliorum teſtimonio multùm diuerſi fuerint à Picardis Valdenſes, quandoquidem Ziſcha Huſſitarũ dux Picardos exciderit: & uel ipſemet Dubrauius fateatur, ex Io. Viclefi libello de Veritate inſcripto, Valdenſium ſectam argumenta ſumſiſſe, indignam alioqui quæ inter hæreticos propter imperitiam connumeretur. Ipſa certæ uitæ ratio Valdẽſes & Picardos planè diſiunxit: [redacted]. Doctrinæ Valdenſium capita, ab Huſſitis deinceps defendi ſolita, hæc fuere. In articulis fidei ſummam eſſe ſacræ Scripturæ auctoritatem. Patrum & conciliorum dogmata catenus probanda, quatenus cum uerbo Dei conueniunt. Sacrarũ ſcripturarum lectionem & cognitionem præ hominum traditione, omnib. hominibus, tum laicis, tum ſacratis uiris, liberam & neceſſariam eſſe. Duo eſſe Eccleſiæ Chriſti Sacramenta, Baptiſmum & Cœnam Domini. Vtriuſq; ſpeciei uſum pro ſacerdotibus & laicis à Chriſto inſtitutũ eſſe. Pro defunctis [redacted]. Sanctorum mortuorum inuocationes & cultum eſſe idololatriam. Romanam eccleſiam eſſe meretricem Babylonicã. Papam non habere primatum ſuper omnes Eccleſias Chriſti, nec habere poteſtatem utriuſq; gladij. Eccleſiam Chriſti eſſe, quæ ſincerum Chriſti uerbum audiat, & ſacramẽtis ab ipſo inſtitutis utatur, ubicunq; locorũ ea exiſtat. Vota caſtitatis Sodomam nutrire. Tot ordines, eſſe characteres beſtiæ. Monachatũ eſſe cadauer fœtidũ. Templorũ dedicationes, memorias mortuorũ, benedictiones creaturarũ, peregrinationes, tot coacta ieiunia, tot feſta ſuperflua, ꝑpetuos cantus, ac reliquarũ cæremoniarũ obſeruationes, uerbi doctrinam & inſtitutionẽ manifeſtè impediẽtes, eſſe inuentiones diabolicas. Coniugiũ ſacerdotũ eſſe licitum & neceſſarium. Aeneas Syl. Nauclerus generat. 39. Robertus Gaguin⁹.

BARBARA Sigiſmundi Imperatoris coniux, ſtultas uocabat uirgines ꝓ Chriſti nomine paſſas, ꝙ uoluptatis gaudia nõ guſtaſſent. Dicebat animas cum corporib. interire, nec futuram aliam uitam poſt hanc quam uiuimus. Cuſpinianus.

Cùm Paulo II. nunciatum eſſet, in POLI oppido in Aequicolis poſito, multos hęreticos ineſſe, dominum loci cum uiris octo & feminis ſex comprehenſos, & ad ſe perductos, ignominia notauit, & quidẽ grauiſſima, eos potiſſimũ, qui pertinaciores fuêre. Erant ſectæ, quòd dicerent, nullum uerum Chriſti uicarium eſſe eorum, qui poſt Petrum fuêre, niſi qui paupertatem Chriſti imitati ſunt. Platina.

LAVR. Valla quædam Neapoli non ſenſit ſolùm, ſed publicè aſſeruit, in quib. deprehẽdebatur hæreticus manifeſtus. Res ad inquiſitorẽ defertur. Capitur Valla: cauſam perfidiæ in uinculis dixit. Damnatur pro hæretico. Sed Regis beneficio, ignis ſupplicio liberatur: ea tamen conditione, ut publicè ab eo prolata cùm reuocaſſet & damnaſſet, ſcopis crimen lueret. Itaq; in Prædicatorũ cœnobio manib. reuinctis circum clauſtra ductus, ſpatulas & tergum religioſis uiris, ſcopis cædendas præbuit. Poggius in 2. Inuectiua.

Martinus Bielski, qui annales Polonorum uulgari lingua cõſcripſit, à principio geſtorum Sigiſmundi primi Polonorũ regis, tradit nobilem quendam IACOBVM Melſtinski, pretorẽ de Brezinij ciuitate, ex leuitate quadã animi, nomẽ auctoritatemq; Chriſti ſibi aſciuiſſe, Petrumq; Zatorski ciuem Cracouienſem, cæteroſq; ſibi ſimiles latrones duodecim elegiſſe, ſinguliſq; nomina Apoſtolorũ impoſuiſſe, ſe uerò Ieſum Chriſtũ appellaſſe. Qui per uillas ubiq; ambulantes, prodigia, morionũ, & præſtigiatorum more, exercebant, ſycophantaſq; alios & latrones, uelut mortuos ſubornantes ſuſcitabant, piſces in paludes lutoſas primò impoſitos, ubi nunquã eos naſci poſſibile erat, in nomine Chriſti ſui manib. capiebãt, panes in fornaces imponebãt, in nomine q; Chriſti ſui, cùm illic antè nõ eſſent, depromebãt, cum ingenti ſimplicis uulgi admiratione. Quodã tẽpore ad Ceſtochouiam monaſteriũ, diuæ Virginis imagine celebrẽ, cũ ſuis apoſtolis uenit: cumq; illic aliquot diebus morarẽtur, unũ ex ſuis quaſi obſeſſum à dæmone ſubornauerũt, cuius opera uictũ acquirebãt. Ille enim per hoſpitia ambulãs, car-



nes de coquina rapiebat, in ſuoſq; proiiciebat, qui cruce illa muniẽtes carnes comedebãt. Cùm ingens illic confluxus eſſet populi ad diuæ Virginis imaginẽ, ſycophantæ illi obſeſſum ſuũ ad altare ducũt, duplici ueſte indutũ, in cuius intercapedinem neceſſaria imponere poſſet: lapillos uerò intra induſium ei impoſuerũt: cumq; ad altare deduceretur, ille è manib. ducentium furibundus ſeſe proripiens, in altare donariis onuſtũ irruit, pecuniaſq; rapiens, in ueſtis duplicatę intercapedinẽ eas abſcondit. Monachus ab altari diuino officio intermiſſo aufugit. Cęteri monachi accurrentes, cingulum illius ſoluunt. Ibi lapilli duntaxat in terrã exciderũt, pecunia uerò in ueſte duplicata remanſit. Monachi pecuniã arte dæmonis in lapillos transformatã putãtes, exorciſmis eam in priſtinã formã transformare nitebantur. Sed cùm lapilli permanerent, Monachus librũ ſacrũ indignabũdus in terrã proiecit, dicens: Similem dæmonẽ nunquã habuimus: abite cũ eo ad omnes diabolos. Sycophantę illi cũ pecunia rectà in Sileſiã fugerunt. Ibi apud matronã nobilẽ in quodam pago diuertentes, cùm illa uiro abſente eos recipere nollet, ſaltem mappã uel telam ad ſacrificandũ petierũt. At mulier faſciculũ telę illis obtulit. Tunc illi, Hãc nobiſcũ accipiemus, & Chriſtus tibi benedicet, ut tibi linum abundantius creſcat. Oſtende aliã, ſi habes. Quam cùm ſimiliter accipere uellent, mulier recuſauit, maritu timens. Illi aũt fruſtulum fomitis cũ igne in telã clam inuoluẽtes, mulieri reddiderũnt. Itaq; ciſta à tela, à ciſta uerò domus accenſa conflagrauit. Viro domũ reuerſo, uxor ob Chriſtũ cum Apoſtolis malè tractatũ hoc ſibi iuſtè contigiſſe dixit. At uir ira excãdeſcẽs, Latro hic, inquit, nequiſſimus, & nõ Chriſtus fuit. Itaq; cum uicinis eos inſequitur, & in quadã uilla aſſequitur. Tũ Pſeudochriſtus, ad illũ qui uocabatur Petrus dixit: Petre iã mea paſſio, calixq; quẽ bibiturus ſum, appropinquat. Cui Petrus: Et mihi, ut uideo Domine, imminet. Chriſtus uerò dixit: Petre ego aliter nõ poſſum, niſi per feneſtrã hinc euadere. Tum Petrus: Et ego te, quoad uiuã, non derelinquam, ſed quocunq; fugeris, ſequar. Ergo per feneſtrã aufugit, cæteri quoq; apoſtoli, quã potuerũt, euaſerunt. Ruſtici eos inſecuti, baculis fuſtibuſq; præuſtis cæcidere, dicẽtes: Propheti ſa nobis Chriſte cũ tuis Apoſtolis, qua in ſylua baculi iſti creuerint. Ergo plagis emendati, uitã ſuam poſtea emendarunt, dicentes: Difficile eſt nobis Chriſti paſſionẽ, Apoſtolorũq; tormenta ſubire. Gudgn. in uita Sigiſm. I. Polon. regis.

NICOLAVS Storck, Anabaptiſtarum hæreſim anno Chriſti 1524. cœpit in Germania, & ſub Euangelij blando prætextu latiſſimè diffudit. Stumpſius.

THOMAS Munzerus ſiue Monetari⁹, nouũ genus prophetię per inſomnia profeſſus, Alſtero Saxoniæ oppido, ubi cõcionabatur, ob ſeditioſa dogmata pulſus: inde Norimberga, Mülhuſum Thuringiæ urbẽ ſuo ueneno imbuit, nouumq; ibi magiſtratũ, ſuæ fauentem hæreſi, quem ſuo nutu moderaretur, inſtituit. Iam cùm anno 1525. Ruſtici per Sueuiam & Franconiam in armis eſſent ad milia XL. nouũ ſe Gedeonẽ & Iehu profeſſus, conflatis in æde Franciſcanorũ machinis bellicis, maximam hominũ multitudinẽ ex agris ad ſe perduxit, opinione prædæ ac melioris fortunæ. Albert⁹ comes Mãsfeldenſis, collectis celeriter aliquot equitũ turmis, Anabaptiſtas, qui ducem Phiſerũ audacẽ hominem habebant, fudit: ſic ut Franckhuſiũ fuga petere cogerentur. Vbi dũ morãntur, coeunt Saxo, Haſſus, Brunſuicenſis, & Monetariũ cũ ſuis in monte circũſident. Ille pilas omnes tormentorũ ueſte ſua ſe excepturũ affirmans, cùm fortuitò cœleſtis arcus (cuius effigiẽ in uexillis ſuis depictam habebant) in nubib. cõparuiſſet, ſignũ id uictoriæ interpretatus, ad pugnã, quãuis ſegnes coegit. Victi Anabaptiſtæ, captũ Franckhuſium. Profugerat in oppidũ Monetarius, inq; domũ non procul à porta ſeſe abdiderat, lecto ſe tradens, febricitanti ſimilis. Irrumpit eò nobilis cuiuſdã famulus, & ægri miſertus, crumenam ad lectũ iacentem corripit, ſpe prædæ, literas offendit, quib. Munzerũ admonebat Albertus Mansfeldius, ut ab incepto deſiſteret. Rogat, num ad ipſum eæ ſint datæ: negãti uim intentat. Tum ille deprecatur, ſeq; Munzerũ eſſe fatet᷑. Captus igitur, ad Georgium Saxoniæ principẽ, atq; Landtgrauium adducitur. Ab iis rogatus, quid ita miſeros homines in fraudem pertraxerit? nihil à ſe præter officium eſſe factum, & magiſtratus, qui doctrinã Euangelij nõ ferant, eiuſmodi rationib. eſſe coercendos, reſpõdit. Quæſtioni ſubiectus, cùm præ dolore exclamaret, Saxoniæ dux inquit, Cogita ergo miſerorũ hominũ cladem, qui per te nefariè circũuenti, hodierno die perierunt. Tum ille, magno cũ riſu, Hoc uoluerũt, ait. Mülhuſij è ſeditioſis quamplurimi capite ſunt plexi, & in his quoq; Phiſerus. Eò quoq; adductus Munzerus, admodũ fuit animo perturbato atq; deiecto, neq; ſuæ fidei rationẽ explicare potuit: ſic ut ipſius confirmandi cauſa, Brunſuici dux Henricus, uoce illi pręiret. Moriturus agnouit delictũ ſuum, & principes hortatus eſt ad clementiã erga miſeros homines: ita fore, ut nullum eiuſmodi poſthac ſit ipſis extimeſcendum periculum: ſimul monuit, ut ſacræ Scripturæ libros de Regibus diligenter euoluerent. Eo confecto ſermone, gladio percuſſus, caput adfixum haſtæ, mediis in campis collocatum. Sleidanus lib. 5.

Ex Thomæ Monetarij officina prodiêre ANABAPTISTÆ, qui paruulos arcent à baptiſmo, & rebaptizantur ipſi, uim omnem priori baptizationi detrahentes. Sanctimoniã externã præ ſe ferunt: docent, nõ licere Chriſtianis in foro contẽdere, non gerere magiſtratũ, non iuſiurandum dicere, non habere quid proprium, ſed omnia debere omnib. eſſe communia. Cùm per Germaniam longè lateq; ſerperent, [redacted], magiſtratus etiam animaduerteret, ita quidẽ, ut maiori aliquo numero uix poſſent coaleſcere; tandẽ in Veſtphaliæ urbe Monaſterio ualde munita, locum atq; ſedem occuparũt. Bernardus Rotmannus in ea urbe docebat Euangeliũ, iam ab an. 1532. Venit eò Ioannes Leidenſis Hollãdus, ſartor, Anabaptiſta uehemens, deinde Hermannus Stapreda, Rotmãni collega, qui Rotmannũ occultè uenenũ fouentẽ facilè ad noua induxêre conſilia. Primùm enim Pontificios Euangelici expulêre, mox hos Anabaptiſtæ, tali aſtu. Quidã ipſorum uelut afflatus numine, per urbem diſcurrit, & Pœnitentiã, inquit, agite, & rebaptizamini: ſin minùs, iam ira Dei uos obruet. Hic cœptũ eſt uulgò tumultuari, & quicunq; rebaptizarentur, eadẽ quę ille, eodemq; modo declamabãt: multi, quòd iram Dei metuerẽt, quam iſti tantopere iactabãt, ſimplicitate circũuenti, homines alioqui non mali, morẽ iis gerebãt, alij etiam, quò ſuas fortunas conſeruarent. Aduerſarios enim Anabaptiſtæ malè mulctatos, poſſeſſionib. deiiciebãt. Rotmannus interim & BERNARDVS Cnipperdolingus, facilè primus eius factionis, occultè miſſis literis in oppida uicina, ſui generis homines mouebant, uti fortunis omnib. relictis, ad ſe quamprimùm aduolarẽt. Oppidani, ij præſertim, qui erant re lauta, cùm uiderẽt externis hominib. urbẽ compleri, ſubducũt ſe quã poſſunt cõmodiſſimè, relictis Anabaptiſtis & promiſcua plebe. Ad hunc modũ debilitatis alterius partis uiribus, Anabaptiſtæ nouũ deligunt ſenatũ, ſuæ factionis omneis: creant quoq; conſules, & in his Cnipperdolingum: tẽpla omnia diripiũt, per omnes uias confertim diſcurrũt, & primò quidẽ, Pœnitentiam, inquiũt, agite: mox uerò, Migrate hinc eueſtigiò impij, niſi uitæ diſcrimen ſubire uobis propoſitũ eſt. Simul armati concurrũt, & quicunq; nõ eſſent ipſorũ ſectæ, ſtatim ex urbe propellũt, nulla nec ætatis habita ratione, neq; ſexus: ita quidẽ, ut in his turbis atq; fuga præcipiti, feminæ aliquot grauidæ abortũ facerẽnt: continuò poſt, eorũ, quos eieciſſent, bona occupãt. Ad hoc tempus, primi nominis apud ipſos propheta, (nam hoc ſibi nomen uſurpant, [redacted] Ioannes Matthæus mandabat, ut quod quiſque haberet, deferret in mediũ, capitis propoſita pœna: & in hũc uſum publica fuit cõſtituta domus. Populus ualde attonitus obtemperat: nec integrũ erat cuiquam fallere, aut partem aliquã defraudare: nam puellæ quædã duæ uaticinantes, quod commiſſum eſſet fraudis, denunciabãt. Poſt hæc idem propheta mandabat, ne quis ullũ deinceps librũ haberet, aut ſibi ſeruaret, ꝑter ſacra Biblia: reliquos omneis in publicũ deferri iuſſit & aboleri. Fortè per id tempus faber quiſpiã, Hubertus Trutelingus, ridiculum quid in eos dixerat, qui ſe prophetas ipſi uocabãt. Eo cognito, multitudinẽ illi conuocãt, & armatos iubent adeſſe: mox hominẽ accuſant, capitiſq; damnãt. Primus ex iis propheta humi proſtrato impingit haſtam, & arrepta machina, iacentẽ pila tranſuerberat: ne ſic quidem illo ſtatim extincto, cœlitùs patefactũ ſibi dicebat, nondũ ueniſſe tẽpus, quo mori ipſum oporteret, ac Deũ ſuam ei gratiam impertiuiſſe: uerũ ille paucis poſt diebus uitam finiit. Hic propheta tandem, urbe obſeſſa, prælongã haſtam corripit, & incitato impetu per urbẽ procurrẽs, Deum patrẽ ſibi mandaſſe clamabat, ut hoſtẽ ab urbe reiiceret. Vbi propiùs ad caſtra uenit, exceptus à milite quopiã, confoditur. Proximus autem ab illo uates, Ioannes Leidenſis, iubet eos eſſe animo præſenti: multò enim antè ſibi reuelatũ, illum eſſe talem habiturũ uitæ finem, & quã reliquiſſet uxorem, eam in matrimoniũ ſe ducturũ. Nec multo pòſt cùm id prædixiſſet Cnipperdolingus, Leidẽſis gladiũ tradit Cnipperdolingo, carnificemq; eum cõſtituit: ſic enim uiſum eſſe Deo, ut qui ſummũ antea magiſtratũ geſſerit, & conſul fuerit, nunc infimum locum obtineat, & ſit carnifex. Ille minimè recuſans, gratũ etiam habuit delatũ munus. Obſidebat᷑ interim urbs ab Epiſcopo Monaſterienſi. Poſt fruſtrà tentatam oppugnationem, Ioannes Leidenſis ad quietẽ ſeſe cõponit, & totũ triduũ ſomniat: expergefactus, nullũ uerbũ facit, ſed chartã poſcit, in eaque duodecim uiros deſcribit, & in his aliquot nobili genere natos, qui ſummę rerũ pręeſſent, & tanquam in Iſraele, cuncta gubernarẽt: hanc enim patris cœleſtis uo-

luntatem eſſe dicebat. Cumq; hac ratione per duodecim uiros, ad regnum uia parata iam eſſet, dogmata quædã proponit concionatorib. eaq; poſtulat Scripturę teſtimonio ſibi confutari: quod ſi non poſſint, ad multitudinem ſe relaturum, ut approbentur & ſanciantur. Eorum hæc erat ſumma: Virum non eſſe deuinctum uni coniugi, & licere quantumuis multas in matrimoniũ ducere. Sed cùm ſententiam hanc doctores impugnarẽt, conuocat eos in curiam, adhibitis duodecim uiris. Eò cũ ueniſſent omnes, palliũ ſibi detrahit, & in terrã abiicit, unà cum libro noui Teſtamẽti, per [redacted] ſymbola teſtatur & iurat, ꝙ promulgaſſet dogma, cœlitùs eſſe pate [redacted] natur eis, quaſi Deũ non ſint habituri propitium, niſi cõſentiant. Tandem opinionib. conueniũt, & de matrimonio totum triduum doctores pro concione loquuntur. Mox ille ternas ducit uxores, quarũ una fuerat magni prophetæ, Ioannis Matthæi, coniũx. Hoc exemplũ alij quoq; ſequuntur. Ad octauũ calẽdas Iulias oritur propheta nouus, Dauid aurifex. Is conuocata in forũ multitudine; cõmemorat patris cœleſtis hoc eſſe mandatum & uoluntatem, ut imperiũ totius orbis terrarum Ioannes Leidenſis obtineat, ut cum ualidiſſimis copiis egreſſus, reges atq; principes omneis promiſcuè interficiat & multitudini ſolùm pareat: iis uidelicet, qui iuſtitiam ament: utq; ſedem patris ſui Dauid poſſideat, donec regnũ pater ab ipſo repetat: oppreſſis enim impiis, regnaturos eſſe pios in hac ipſa uita. His rebus palã pronũciatis, continuò Ioannes Leidenſis in genua procumbit, & ſublatis ad cœlũ manibus: Per multos, inquit, dies hæc mihi res comperta fuit, uiri fratres: neq; tamen eam diuulgare uolui: nam fidei faciendæ cauſa pater alio eſt uſus adminiſtro. Sic ergo rex factus, ilicò XII uiros abrogat, & pro conſuetudine regũ deligit ſibi proceres. Quoties in publicum prodiret, comitatus erat ſuis officiariis & procerib. domeſticis: proximè eum ſequebantur adoleſcẽtuli bini, equites, dexter coronam & Biblia geſtabat, alter euaginatũ enſem: eadem erat pompa primariæ uxoris. In foro paratum erat ei ſolium ſublime, panno ueſtitum aureo: quæ deferebãtur ad ipſum actiones & querimonię, plerũq; ad coniuges ꝑtinebant atq; diuortia. Accidit aũt, cùm in foro ſtaret populus, audiendi cauſa, ecce Cnipperdolingus exilit, & manib. pedibuſq; reptans per homines confertim ſtantes, in ſublimi diſcurrit, & in os illis inhalãs, Pater, inquit ad ſingulos, te ſanctificauit: accipe ſpiritum ſanctũ. Alio quodã die coream ducens corã rege, Sic ſolebã, ait, aliquando cum mea meretricula: nunc aũt pater mãdauit, ut in aſpectu regis ita faciam. Rex offenſus hominis importunitate, abit: tum ille conſcendit in ſolium, & pro rege ſe gerebat. Interueniens [redacted] ũ in carcere detinet. Paucis [redacted] omneis ui [redacted] ti conueniant: nam ab urbe profligandũ eſſe hoſtem. Cùm eò uentum eſt, cœnam reperiunt paratã. Iuſſi diſcumbũt ad millia quatuor: deinde cœnant etiam ij, qui interea fuerant in excubiis, circiter mille: rex & regina cum ſuis domeſticis miniſtrãt. Sumto cibo, iamq; ferè peracta cœna, rex ipſe panem ſingulis porrigit, his uerbis: Accipite, comedite, annunciate mortẽ Domini. Regina uerò poculum porrigẽs: Bibite, inquit, & annunciate mortẽ Domini. Propheta inde conſcendit in ſuggeſtum, & rogat, an uerbo Dei uelint obtemperare? Cùm affirmarent omnes: Patris, inquit, mandatum eſt, doctores uerbi eſſe emittendos, circiter XXIIX, qui ad quatuor mundi plagas profecti, doctrinam, quæ hac in urbe celebratur, denuncient. Nominatim deinde recẽſet eos, & quò quemq; proficiſci oporteret, demonſtrat. Inter cœnandũ rex conſurgẽs, militem quendã proditionis inſimulatum, tanquã alterum Iudã decollat, & ad cœnã redit. Dimittit inde Apoſtolos illos, & ſingulis præter uiaticum nummum dat aureum, quem iis in locis, quæ doctrinã ipſorum non admittant, relinquant. Ingraueſcente annona per urbẽ ſic, ut nonnullis etiam fame ac rerum inopia pereundum eſſet: quædã ex reginis miſerata uicẽ populi, fortè ad alias dixit, nõ putare ſe, Deum hoc uelle, ut ad hunc modũ homines inedia conſumantur. Rex qui penũ haberet inſtructam domi, in forum illam producit, capite plectit, mortuã ignominia notat, uti ſcortũ. Eo facto, reliquæ concinũt, & patri cœleſti gratias agunt: deinde coream rex ducit: multitudinem etiam, cui præter panem atq; ſalem nihil iam erat reliqui, ad ſaltationẽ atq; lætitiã cohortatur. Cùm ueniſſet Paſcha, neq; liberatio appareret ulla: Rex, qui magnificè ꝓmiſerat, ut ad excuſationem aliquid inueniret, per ſex dies ægritudinem ſimulat: pòſt in forũ prodit, & aſino cæco ſe inſediſſe, totiuſq; multitudinis peccata ſibi patrẽ impoſuiſſe dicebat: nunc igitur ipſos planè eſſe mundos, & ab omni piaculo ſolutos: hanc eſſe, quã promiſerit, liberationẽ, qua quidẽ debeãt eſſe contenti. Munierat aũt ille ſe XII iuuenũ audaciſſimorũ ſatellitio, ne ab oppidanis dederet hoſtib. Tandẽ fame cõfecti, ciuium plurimi urbem relinquũt. Duo Epiſcopũ adeunt, &, qua parte urbs capi poſſit, oſtendũt. Fides illis habita, & noctu occupata urbs, ſtrenuè licèt ſe defendentib. Anabaptiſtis. Multitudini uenia data. Domus direptæ: Rotmannus in confertam hoſtiũ turbam incurrens confoditur. Rex cum Cnipperdolingo & Crechtingo capitur. Cùm eſſent adducti Teigetum, rex ab epiſcopo rogat, qua fretus auctoritate, tantam ſibi licentiam arrogaſſet in ſuam ciuitatem atq; populum? rogat inuicem, Quis ipſi ius & imperium in eam ciuitatẽ dediſſet? cumq; reſponderet epiſcopus, de collegij populiq; uoluntate ſibi ditionẽ hanc obueniſſe: tunc ille, & ſe diuinitùs eò uocatum eſſe dixit. XIII. deinde calendas Februarij an. 1536. Monaſteriũ reducuntur, ſingulis attribuitur cuſtodia ſeparatim: & omnia aguntur, ut ab errore deducerentur. Rex agnouit peccatum, ac precibus ad Chriſtum confugit: reliqui duo nec ullum fatebantur delictum, & obſtinatè ſua defendebant. Poſtridie rex in locum editiorem productus, alligatur palo: aderant bini carnifices ac forcipes igniti. Ad treis primos morſus cõticuit, deinde miſericordiam Dei cõtinenter implorãs, cùm horam & ampliùs ad hunc modũ laceratus eſſet, transacto demùm per pectus mucrone, deceſſit. Idem ſuppliciũ & ſocios eius perculit. Extincti, caueis ferreis illigati ſinguli, ad ſummã turrem urbis expoſiti penſiles, rex medius, & quanta eſt hominis ſtatura, ſublimiùs. Sleidan. lib. 10.

Anno 1538. ſecta prodiit eorum, qui dicuntur ANTINOMI. Hi pœnitentiam ex Decalogo Non eſſe docendam dicũt, & illos impugnant, qui docent, non eſſe prædicandũ Euangelium, niſi primùm quaſſatis animis atq; fractis per explicationem Legis: ipſi uerò ſtatuũt, quæcunq; tandem ſit hominis uita, & quantumuis impura, iuſtificari tamẽ eum, ſi modò promiſſionib. Euangelij credat. In his fuit facilè primus Ioannes Iſlebius Agricola. Sleidan. lib. 12.

Anno Sal. 1559. DAVIDIS Georgij ſecta deprehenſa eſt Baſileæ. Hic Dauid Delphis in Holandia natus, uel ut alij uolũt, Gandaui, illud potiſſimùm habuit, ut diuinarum literarum libros tolleret, & Chriſtum Ieſum aboleret. Nam ſe tertium Dauidem eſſe aſſerebat: in cuius animam Dei patris & filij & ſpiritus ſacri diuinitas omnis cõſediſſet. Itaq; omnes reliquos, atq; adeò Chriſtum ipſum, nihil niſi meram literam & carnem extitiſſe: ſe uerò eum eſſe, qui ſpiritum ipſum dignis afflaret, cœleſteſq; efficeret. Sibi uni orbis terrarũ imperium à Deo traditum eſſe, ut ad ſe uenientes bearet, reliquos omnes perderet. Sectam in Germania inferiore magnam habuit. Cùm ipſe diu Baſileæ latuiſſet, eſſetque iam mortuus, cum ſcriptis omnib. quæ reperta ſunt, publico iudicio è ſepulcro poſt triennium erutus & exuſtus eſt. Qui cum eo erant, liberis & propinquis, quòd reſipuerint, uenia data. Cœlius Sec. Curio in Sab. Supplem lib. 29.

MICHAEL Seruetus Hiſpanus uarios edidit libellos, inter alia, de Trinitate, prorſus alienos à ſententia totius eccleſiæ. Is cùm anno 1553. Geneuam ueniſſet, comprẽhẽſus eſt. Cùm autem non modò de ſententia non decederet, ſed cõuiciis & maledictis etiam ſua propugnaret, damnatus eſt capitis. Vt ad locum ſupplicij uenit, Chriſtum, æternum Dei filium inuocare noluit, & quum pœnitẽtiæ ſignum nullum daret, cauſam tamen ad populum minimè defendit. Sleidanus libro 25.

MARTINVS Steinbach, uector uinarius ſiue doliarius Seleceſtadienſis, Spiritum ſanctum ſe eſſe dictitauit incarnatũ, uti Chriſtus filius incarnatus: hæreſeos ſuæ fundamentum Hieremiæ c. 48. ſtatuens, ubi inquit: Tranquillus Moabita à pueritia, inq; ſuis quieſcens fæcibus, non eſt ex alio uaſe transfuſus in aliud, nec abiuit in exilium. Et paulo pòſt: Itaque tempus erit, inquit Ioua, cùm ego ei uectores mittam, qui eum uehant, eiuſq; uaſa uacuent, & lagenas collidant, pudebitq; Moabitas Chamoſi, quemadmodũ pudet Iſraelitas Bethelis, ſuæ fiduciæ. Iſto Scripturæ uaticinio de Moabitis, ipſe ad ſuam infamiam confirmandã utebatur. Cumq; ſibi aſſeclas feciſſet circiter 20. ex plebe, obiit: iiſdẽq; ſe poſt mortem appariturum ſplendore luminis affirmauit. Perſtiterunt illi in ruſtica hæreſi non diu. Anno enim 1566. coram magiſtratu accuſati, quidam recantarunt: alij, qui obſtinatiores erant, relegati ſunt. Orationem Dominicam corrigebant. Neq; enim patrẽ in cœlis eſſe, ſed extra cœlum, quoad Martinus in die iudicij cœlum aperiret. Neq; panẽ quotidianum hodie eſſe petendum: ſed panem ſimpliciter, nulla temporis conditione. Neq; orandum, Remitte, ut & nos remittimus: ſed, Remitte & gratiam concede remittendi. Stultam præterea, & inefficacem aſſerebat orationẽ, in qua interiectione ò uteremur. Non ſecus enim hac exclamandi formula diuinam gratiam impediri, quàm aurigæ Germani equorum impetum aduerbio Ho. Hæc ex Renardi Lucij paſtoris Seleceſtadienſis narratione.

MAGI



## MAGI.

Magiæ uocabulum, ut Sophiſtarum quoque & Rhetorum, honorificum olim fuit; cùm ſummam ſapientiæ humanæ perfectionem denotaret: poſtea uerò improborum hominum cupiditatibus planè odioſum eſſe cœpit, qui nõ contenti abſtractarum intelligentiarum nudo commercio, uoluptatum inſuper ſuarum miniſtras eſſe uoluerunt: hacque ratione pro bonis angelis cacodæmones ductores ſortiri, relicto ſummi boni fonte dæmonibus ſacra facere non erubuerunt. Horum cùm uariæ ſint differentiæ, nos illas breui typo priùs enarrabimus.

MAGIAE *cognitio, uti lubrica ualde eſt, ita quoque nomen ipſum amphibolum. Præſertim cùm aſtutiſſimus dæmon in angelum lucis ſe ſubinde transmutare ſtudeat. Diſtinguamus ergo Magiæ genera, ex iis, quæ Cælius lib. 9. cap. 23. Antiquarum Lectionum, & Ioan. Vierus, medicus excellentiſſ. in Comment. de Præſtigiis dæmonum tradidère. Magia alia eſt*

Naturalis, *ex naturæ ſecretis miranda & operans & prædicens, quorum cauſæ uulgò ſunt incognitæ. Sumitur autem ex Phyſiologia, ex Medicina, ex Aſtronomia & Aſtrologia. Sæpius etiam maligni ſpiritus harum ſcientiarum uelamento ſuam tegunt impuritatem. Hæc igitur Magia ad locos pertinet, in genere quidem Sapientum, in ſpecie uerò Phyſiologorum, Medicorum, Aſtronomorum, Aſtrologorum. Tales Magi fuère Abrahami ex concubinis poſteri; Brachmanes dicti; qui primi ex regibus Chriſtum opt. max. in cunis adhuc uagientem ſalutauère: quorum teſtimonium Chriſtus admiſit, munera accepit: alioqui uel ſolas uoces dæmoniacorum deteſtari ſolitus. Tales Medici olim Aſclepiadæ, propter occultas adhuc acroamaticæ artis traditiones pro magis habiti, & propter pharmacorum uſum (quorum appellatione Græci & remedia & uenena complectuntur) φαρμακοὶ ſiue uenefici appellati. Quorum inuentis ſalutaribus cùm improbi quidam abuterentur, uenefici nomen odioſum & deteſtabile cœpit haberi. Sic qui primi ſuccino paleas, magnete ferrum attraxère, Magiæ naturalis exempla rudi populo exhibuère, teſte Plin. lib. 30 Hiſtoriæ naturalis, cap. 2.*

Non *naturalis, ſed ſupra naturam. Quæ Reuelatione potiùs, quàm Inueſtigatione humana percipitur, & uel à*

Deo, *boniſq; intelligentiis. Qualis in Prophetis & Doctoribus eccleſiaſticis fuit, qui huius Diuinæ Magiæ ductu miranda fecère, ſtupenda prædixère. Magia appelletur Pia ſiue Diuina. Quam Dæmones mali tanquam ſimiæ imitantur, & ſacrorum nominũ farragine, ſacriſq; myſteriis adſcitis, ſuas ſordes uelare conantur.*

Dæmone, *maliſq; intelligentiis. Et de hac* MAGIA IMPIA *& Dæmoniaca in præſentia agimus. Magi impij in eo conueniunt omnes, quòd cum impuris ſpiritibus commercium habent, Deum negant, Dæmonem uel mediatè uel immediatè adorant (digni proinde extremo ſupplicio, niſi ſimul cum corpore etiam anima, pro qua Chriſtus mori uoluit, æternæ morti addiceretur) Differunt uerò ratione effectuum. Alij namque ſunt*

Malefici, *& præceptoris ſui, qui ab initio Mendax fuit & Homicida, naturã imitantur uel*

Imaginatione *ſolâ. Nam cùm nihil mali faciant, attamen ita à dæmone phantaſia illorum peruertitur, ut ſeſe mala quæuis facere ſibi perſuadeant, & in tormentis etiam conſtanter id aſſerant: Cuiuſmodi Lamias & Striges uulgò dictas eſſe, Vierus contendit, eamq; Melancholiam elleboro potiùs & precibus expellendam, quàm ignibus expiandam cenſet.*

Reipſa, *cùm uariis malis homines afficiant, ita ut non tantùm propter horrendas blaſphemias erga Deum, uerùm etiam propter iniurias erga Homines ſeueram corporis animaduerſionem mereantur. Lædunt autem homines uel*

Abſque *pharmacis, ſolis carminibus, characteribus, &c. permittente id Deo, propter incredulitatem hominum. Hanc Magiæ ſpeciem γοητείαν uocant, ἀπὸ τῶν γόων, à funeralibus carminibus, quibus ad ſepulcra mortuorum utuntur: uel in genere à querulis uocibus & triſti murmure. Latinis fortaſſe Præſtigiæ dici poſſent: licèt hoc nominis quidam ad ludicra tantùm magorum miracula transferre uideantur.*

Cùm *pharmacis. Et φαρμακεία dicitur, Latinis Veneficium.*

Benefici, *ut blanda atque benigna conuerſatione homines ad idololatriam atque impietatem pelliciant. Hanc Theurgiam nuncupare non erubeſcunt. Porphyrius quandam quaſi purgationem animæ per theurgiam; cunctanter tamen & pudibunda quodammodo diſputatione, promittit. Reditum uerò ad Deum hac arte præſtari cuiquam, inficiatur omnino. Quibuſdam uerò conſecrationibus theurgicis, quas Teletas uocant, idoneam fieri atque aptam ſuſceptionem ſpirituum & angelorum ad uidendos deos, arbitratur.*

Ex Titulo Sapientũ & Philoſophorum aliquot exempla huc transferri potèrunt, ut Druydum & Gymnoſophiſtarũ. Sed & quos Græci poſteriores Philoſophos nuncuparunt, ij ferè ſub philoſophiæ prætextu magiam exercuerunt, Plotinus, Iamblichus, Apollonius, Maximus, & ſimiles alij, de quibus Philoſtratus & Eunapius. Conſule quinetiam Titulum Magicorum miraculorum.

## IN GENERE, POPVLI, FAMILIÆ.

Ex tribus Magorum generibus apud PERSAS, primos, qui etiam doctrina & eloquentia præcellant, præter farinam & olera, aliud nil prorſus in cibum recepiſſe memorant. Cælius lib.13.cap.25. Antiq.Lect.

EPHESI olim plurimos fuiſſe magos, ex eo poteſt colligi, quòd Pauli Apoſtoli concionibus conuerſi, libros magicos innumeri precij exuſſerunt. Erat enim ibi potentia ſatanæ propter idolum Dianæ maxima. Act.19.

Apud ROMANOS magicis ſacris homo immolabatur. Galli ſimiliter ſacerdotes ſuos DRVIDAS habebant, ἀπὸ τῶν δρυῶν, à querce tis, in quibus habitabant, dictos, teſte Plinio lib.16. cap.44. BRITANNI denique in hac ſuperſtitione tam inſignes fuére, ut Perſis dediſſe uideri poſſint. Plin. lib. 30.capite 1.

CABALISTÆ, decem Dei ueri nominibus, & angelorum, quorum in ſacris Bibliis fit mentio, ea, quæ magnificè pollicentur, diabolo operante, & Deo ob præfractam eorum incredulitatem conniuente, plerunque conficiunt. Horum Cabala ligaturis & nefariis magiæ nugis ſcatet, fœtetq́ue: de quibus etiam librum conſcripſit Coſta ben Luca, apud Hebræos. Vierus lib.4.cap.4. de Præſtig. dæm.

CHOATRÆ populi (quos Plinius circa Mæotim locat) fuerunt incantatores maximi. Vnde Val.Flac.lib.6.Argon.

Centoras, & diros magico terrore Choatras.

Triplex quondam Mathematicorum genus, inauditi generis miracula diuerſis exercuere præſtigiis apud Septentrionales. Horum primi fuere monſtroſi generis uiri, quos GIGANTES antiquitas nominauit, humanæ magnitudinis habitum eximia corporum granditate uincentes. Secundi MAGI, poſt hos primam phyſiculandi ſolertiã obtinentes, artem poſſedere Pythonicam: qui quantum ſuperioribus habitu ceſſere corporeo, tantum uiuaci mentis ingenio præſtiterunt. Hos inter Gigantesq; de rerum ſumma bellis certabatur aſſiduis, quoad Magi uictores, ſibi non ſolùm regnandi ius, uerùm etiam diuinitatis opinionem conſciuere. Horum utrique per ſummam ludificandorum oculorũ peritiam, proprios alienosque uultus, uariis rerum imaginibus adumbrare callebant, illicibusque formis ueros obſcurare conſpectus. Tertij uerò generis DEI dicti, ex alterna ſuperiorum copula pullulantes, auctorum ſuorũ naturæ nec corporum magnitudine, nec artium exercitio reſponderunt. His tamen apud deluſas præſtigiis Barbarorũ mentes diuinitatis acceſſit opinio. Saxo lib.1.

BOTHNICI Septentrionales, LAPPI & FINNONES, magi excellentiſſimi, BIARMI itidem, qui ſub polo habitant, quamcunque uolunt figuram, aſſumunt: item quæ in alio gerantur orbe, ab amicis uel inimicis, lineæ ueſtis aut arcus precio dato, explorant. Olaus lib.1.cap.1. & lib.3.capite decimooctauo.

Vltra Cazanenſe regnum TARTARORVM tres Hordæ, qui Thumenski, Schibanski, & Cozaczki appellantur, in campeſtribus habitant, cateruatimque uiuunt, ac tot, quot lubet, ducunt uxores. Potum ex lacte equino habent, frugum uſum neſciunt, pecuniisque non utuntur: exorciſmis & incantationibus ſupra modum dediti, quibus caligines aliasque tempeſtates cœli ſæpiùs excitant, hocque modo hoſtes frequenter profligant. Hæc autem omnia, herbis, uerbis, lapidibus, radicibusq; ab illis miris incantationib. perficiuntur. Alex. Guagninus in Tartaria.

## IN SPECIE, VIRI.

Magica ars olim in magno precio fuit habita, quandoquidẽ ſola artium tres alias imperioſiſſimas humanæ mẽtis complexa, in ſe unam redegit: medicinam uidelicet, religionẽ, & aſtrologiam. Eam uidetur Plinius triplicem facere: Perſicam, Iudaicam & Græcam. Perſicæ auctorem eſſe ZOROASTREM, qui ſex millibus annorum ante Platonem floruerit, præceptore uſus AGONACE, qui 5000 annis ante bellum Troianum uixerit, & uicies centum millia uerſuum de Magia ſcripſerit. Ex iſta familia fuére APVSCORVS & ZARATVS Medi, MARMARIDVS Babylonius, HIPPOCVS Arabs, ZARMOGENIDAS Aſſyrius: quorum nulla extant monumenta. Iudaica, à MOSE & IAMNE & IOTAPE Iudæis pendet: ſed multis millibus annorum poſt Zoroaſtrem. Græca illa uetus fortaſſis per fabulas CIRCES, PROTEI & SIRENVM fuit ab Homero enarrata. Recentior autem (quam Cypriam uocant) inuecta eſt in Græciam ab HOSTANE Perſa, qui Xerxem in Græciam comitatus eſt, & ueluti ſemina artis portentoſæ undique ſparſit, ita ut præſtantiſſimi poſtea philoſophi exilia uerius quàm peregrinationes ſuſceperint, Democritus, Plato, Pythagoras, Empedocles, magiæ perdiſcendæ ergò. Inde HOSTANES ſecundus Alexandri Magni comes, artẽ eam illuſtrauit, & in uniuerſum orbem magiæ ſtudium inuexit. Plin.lib.30. cap.1.

MIZRAIM, Chami F. Noachi nepos, magiæ auctor fuiſſe perhibetur. A quo Aegyptiorum ſacerdotes, Babyloniorũ item & Perſarũ magi, originẽ ſuam duxère. Clemẽs lib.4.Recog.

ZOROASTRES Bactrianorũ rex artes magicas inueniſſe, & de iis centum millia uerſuũ ſcripſiſſe traditur, quæ Hermippus Commentariis explicauit, teſte Plin.lib.30.c.1. & Iuſtino lib.1. Volat.lib.20. c.4. Oroſio lib.1.c.4. Friſingenſe lib.1. cap.6. Hunc quidam Mizraim Chami F. eſſe uolunt: alij uerò diuerſum, floruiſſe enim annis plus octingentis ante bellum Troianum tempore Abrahami. Is autem (ut in Clementis Itinerario legimus) uolens uideri deus, & aſtris multùm intentus, uelut ſcintillas quaſdam ex ſtellis eliciebat, ut rudes in ſtuporem miraculi traherentur. Tandem ab ipſo dæmone, quẽ importuniùs frequentabat, ſuccenſus eſt, ſplendido diſcipulorũ commento, tanquã amicus Dei, uehiculo fulminis ad cœlũ leuatus abiiſſet. Quamobrem nomẽ poſt mortem ſortitus eſt, Zoroaſtres, quaſi uiuens aſtrum. Vixit Nini regis temporibus, cum quo bella geſſit. Prædixit moriens Aſſyriis, ſi cineres ſuos ſeruarent, regnum eorum non interiturum. Suidas.

Rhodus priùs dicta eſt Ophiuſa, & Stadia, poſtea Telchinis, eo quòd TELCHINES inſulã incolerent, Martis filij, quos nonnulli faſcinatores & maleficos dicunt, quòd Stygiam aquam animalib. & ſtirpib. pernicieí gratia inſpergerent, ac (ut Diod. ait lib.5.c.12.) nubes, imbres, grandinem, niuẽ inducerent, ac mutarent proprias formas, cùm uellent, & aliis doctrinam artium inuiderent. Nonnulli contrariũ ſentiũt, quòd artib. præſtantes, à ſimilib. artificib. odio haberentur, unde hanc infamiam ſunt aſſecuti. Et primùm ex Creta in Cyprum uenerũt, poſtea in Rhodũ, & primi ferrum & æs operati ſunt. Nam & harpen Saturno fecerunt. Strabo lib.14.

Cenſent quidã AMPHIONEM, & ORPHEVM (etſi Thrax diceretur) Aegyptios fuiſſe: propterea uerò alteri feras allicere, alteri uerò ſaxa ad muros extruendos mouere attributum, quòd uterq; magica ſcientia excelleret. Ab Amphione PELOPS acceptum quid in curriculo Olympico defodit. Vnde poſtea ſemper eo in loco, equi maximo terrore agitati ſunt. Locum Taraxippum uocarunt. Pauſan.lib.6.

PASES mollis natura, omnes mortales magia ſuperauit: adeò ut ex incantationib. eius & cœnæ ſumtuoſæ apparerẽt, & miniſtrantes quidam. Habuit autem ſemiobolum ex mina à ſe factum, quem cùm uendentibus, à quibus emere aliquid uolebat, daret, cùm uolebat, ad eum redibat. Meminit eius etiam Apion Grammaticus, in lib. de Mago. Hinc prouerbium, τὸ πάσητ☉ ἡμιοβόλιον, Paſetis ſemiobolus. Suidas.

COBARES Medus, magicæ artis profeſſione celeber, quo tempore Alexander bellum mouit in Bactrianos. Curtius libro ſexto.

DARDANVS è Phœnicia magus inſignis, ſicuti etiã APOLLONICES Captidenes. Dardani libros è ſepulcro erutos DEMOCRITVS Abderites commentariis illuſtrauit, circa bellum Peloponneſiacũ, anno V. C. CCC. qua ætate medicinam Hippocrates illuſtrare cœpit. Plin.lib.30.c.1. Ab eo Dardaniæ artes dicuntur. Vnde Columella:

At ſi nulla ualet medicina repellere morbum,
Dardaniæ ueniunt artes.—

PYTHAGORAM magum fuiſſe, plurimi arbitrantur. Quum ſuperuolantem ſuſurraminibus magicis excantaſſet aquilam, ita deduxit, ut mitem redderet, ac prorſus cicurem. Pythagoras (inquit Ammianus) femur ſuum apud Olympiam aureum oſtentauit, & cum aquila colloquebatur ſubinde. Si quando gallum gallinaceum plumantẽ candidiùs comperiſſet, ueluti fratrem amplexabatur, amabatque. Plutarchus in Numa.

Socrates apud Xenocratem à mago quodã GOBRIA ſe accepiſſe ait, Opin & Hecaergon tabulas æneas ex Hyperboreis attuliſſe, quibus contineretur, in corporis ſolutione animam in occultũ ſub terram migrare locũ, in quo Iunonis ſit regia, haud Iouis aula anguſtior: quippe quũ terra mundi medium teneat. Veſtibula uerò Plutonis prouinciæ clauſtris, æneiſq; catenis undiq; uinciri: illum, qui iſta referet, fluuium Acherontem priùs, mox Cocytum excipere: quibus tranſcurſis oporteat ad Minoem & Rhadamanthum duci, in eam regionem, quæ Veritatis campus cognominetur. Cælius lib.10.c.12. A. L. & Crinitus lib.5.c.11.

NVMA Pompilius duxerat uxorem Tatiam, unicam Titi Tatij, qui cum Romulo regnauit, à ſoceroq; ſæpiùs Romã accerſitus, in ſuo inſtituto permanſit, ſine cura & anxietate ulla, ſacros deorum lucos, prataq; uirentia procul ab omni ciuili ambitione frequens inuiſere, per quæ genij cuiuſdam commercium familiaremq; congreſſum adeptus, diuinarũ eſt rerum peritiſſimus factus. Auxit eam opinionem, poſteaquam Romam uenit, quòd cùm manè nihil domi obſoniorum habuiſſet, ueſperi incredibilem cœnæ apparatum eiſdem illis, quos manè induxerat, appoſuiſſet. Quibus interpretari uolebat, ſe ſuaq; familiari deæ, quam Aegeriam uocarent, curæ eſſe. Faunum & Picum ab eo in Auentini parte, magica ope captos aiunt, qui ipſi monſtraſſe traduntur è cœlo Iouem elici, aut fulmina ab eo impetrari, impetrata cæparum capitibus & menadibus piſciculis expiari. Sab.lib.3. Ennead.2.



TVLLVS Hoſtilius Rom. rex, cùm Iouis Elicij ſacra non rectè obiuiſſet, fulmine necatus traditur. nempe dignam à dæmone, quem colebat, mercedem accipiens.

THEOTECNVS magus Athenienſis, ſub Galerio Maximino Imp. cùm eſſet Chriſtianorum hoſtis infenſiſſimus, omnem mouit lapidem, ut Chriſtiani apud Imperatorem deferrentur. Ideo idolum Iouis, præſtigiis ſuis hæc uerba ſonare fecit: Edicere Iouem, ut Chriſtiani in exilium extra ciuitatem, ac ciuitatis agros, tanquam ſibi inimici, expellantur. Euſebius libro octauo.

ANATOLIVS, Chriſtianiſmi ſimulator Antiochiæ; accuſatus ob magiam, Tiberij II. Imp. iuſſu Conſtantinopolim accerſitus, ad imaginem Deiparæ in cuſtodia ſuſpenſam accurrit, manibus poſt tergum complicatis ſupplicem fingẽs. Illa uerò ſpectantibus cuſtodibus ſupplicem auerſata dicitur miraculosè. Euagrius lib.5.cap.18.

MAXIMVS Epheſius magus, Iuliani Apoſtatæ præceptor, ſeu corruptor potiùs, à Valentiniano tandem necatus eſt, Eunapius in eius uita. Socrates libro 3. & Theodoretus libro 4. capite 28.

HERAISCVS Aegyptius ſacerdos (qui ex utero matris, indice ſilentij digito labiis admoto, prodiit, ſic ut ſectione fuerit opus) in adytis & initiis perpetuò uerſabatur: Illum ſanè Bacchum eſſe quidam ſunt opinati. Naturæ impulſu uiuentia & non uiuentia ſimulacra diſcernebat. Primo enim aſpectu cor eius uulnerabatur præ admiratione, ut exultaret tã corpore quàm animo, quaſi numine afflatus. Ac ſi quod eũ ſimulacrum non commoueret, id uerò inanime erat, & diuinæ inſpirationis expers. Sic diiudicauit ineffabile ſimulacrum Aeternitatis, quod ab eo deo tenetur, quem Alexandrini Oſiridis ſimul & Adonidis nomine, arcana quadam Dei commiſtione colebant. Idem ea natura fuit, quæ naturæ pollutiones auerſaretur. Nam ſi mulierem impuram utcunque & undecunque loquentem audiſſet, ſtatim ei caput dolebat: idq; illi argumentum erat menſtruorum. Ac ita uiuenti ſemper aderat aliquid diuini. Mortuo uerò illo, cùm uſitata illa ſacerdotibus Aſclepiades tradere pararet, cùm cætera, tum Oſiridis ueſtes, quibus tegeretur corpus: ſtatim cum lumine elucebant undique è ſindonibus arcanæ deſcriptiones, & circum ipſum conſpiciebantur formæ ſpectrorũ diuinæ, euidenter oſtendentium, quibus diis eius animus contubernalis factus eſſet. Suidas.

LIBANIVS & IAMBLICHVS magi ſub Iuliano & Valente. Theodoret.lib.3.cap.26. Socrates lib.4. cap.19. Sozom. lib.6.cap.35. Paulus Diaconus lib.11. & 12.

IVLIANVS Apoſtata magicis artibus, quas eum Maximus Epheſius edocuerat, perpetuò deditus fuit, easq; exercuit: quod poſt interitum eius tandem deprehenſum eſt, inuenta in templo, quod per milites accuratè, ne quis ingrederetur, cuſtodiri iuſſerat, muliere crinibus ſuſpenſa & manus extendente, cuius aluum in Perſas profecturus aperuerat, ut ſeu uictoriam ſeu belli quemcunq; euentum in iecore eius rimaretur. Eutropius; Ruffinus.

IANNES, Theophili Imp. Conſtantinopolitani præceptor, magus. Cedrenus.

AARON cùm gratia & auctoritate plurimum apud Manuelem Comnenum Imp. poſſet, magiæ accuſatus eſt, & excæcatus, cùm ſimulacrum teſtudinis prolatum eſſet, in quo erat imago hominis, qui ambos pedes habebat in compedibus, & pectus clauo transfixum. Eſt & librum Salomonium euoluere deprehenſus: qui cùm legebatur, legiones dæmonum adducebat, ſubinde interrogantiũ, cur accerſiti eſſent, ac iuſſa alacriter exequentium. Nicetas lib.4.

Manuel Comnenus Imp. SCLERVM Sethum & Michaelem Siciditem excæcari iuſſit: qui ſub Aſtronomiæ profeſſione, magiæ & dæmonum impoſturis operam dabant. At Sethus quidem iiſdem rebus etiam deinceps ſtuduit: alter uerò monachus factus, ſcriptum ſpurciſſimum, ut homo diuina gratia indignus, de diuinis myſteriis compoſuit. Nicetas libro quarto.

Io. Tritenhemius Abbas Spanheimenſis, ſcribit in Chronico monaſterij Hirſgauienſis, ordinis S. Benedicti, anno Domini 970. Bulgaribus imperaſſe duos filios Simeonis monachi, Petrum & Baianum: quorum BAIANVS in arte magica doctiſſimus fuerit, & per eam multa mirabilia fecerit. Quotieſcunque uoluit, mutauit ſe in lupum, uel in cuiuslibet alterius beſtiæ formam, uel etiam ut penitùs à nullo uideretur: & alia miranda & potuit & fecit, quibus homines ad magnam admirationem perduxit.

[redacted]

ERICVS, Ingonis F. Gothorum & Sueonum rex, in arte magica nulli ſecundus, tam familiaris erat malis dæmonibus, ut quocunque uerteret pileum ſuum, confeſtim inde optatus uentus aſpiraret. Eam ob rem uulgò dicebatur Ventoſus pileus. Creditumq; à multis, Regnerum Daniæ regem, huius Erici nepotis ſui ex filia ductu, in remotiſſimas orbis partes Conſtantinopolim uſque, piraticam extendiſſe, multaſq; regiones, & munitiſſimas urbes ſubiugaſſe, & demum cooperatorem fuiſſe; ut tam procerum conſenſu & electione, quàm hereditaria ſucceſſione; in paternum regnum Sueciæ aſſumeretur: quod ei diuturnum felixq; permanſit. Morbo tandem periit. Saxo aſſerit, ipſum ab Oſtano quodã inſidiosè trucidatum. Io. Magnus lib.17.

Siualdo Suetico, Haldani regis æmulo, ſeptem fuêre FILII ueneficiorum periti: ore toruo infremebant, ſcuta morſibus petebant, ore prunas deuorabant, quæuis incendia penetrabant: nec poterat furor alio remedij genere, quàm uinculis, aut humana cæde, mitigari. Olaus Magnus libro tertio, capite decimoſexto.

ODDO Danus pirata abſque carina altum pererrans, hoſtilia ſæpè nauigia concitatis carmine procellis euertit, negotiatoribus infeſtus, clemens agreſtibus. Inito cum Normannis conflictu, ita ui carminum hoſtilem hebetauit aſpectum, ut diſtrictos Danorum enſes eminus radios iactare putarent. Cominus uerò ne ferrum quidem uaginis eductum uiſu excipere poterant: uicta quippe fulgore acies, præſtigioſæ coruſcationis impatiens erat. Saxo libro quinto hiſtoriæ Danorum.

CROCCVS Boemorum ſecundus dux, magus inſignis, tres filias ſibi ſimiles reliquit. Dubrauius l. 1.

HADINGVS Danorum rex, qui Suibdagerum Gothorum & Sueonum regem, atque Aſmundum interfecit, ab incunabulis traditus fuit præceptoribus magiæ peritiſſimis, Vagnopto & Haphlio Sueticis gigantibus. deductus eſt ab illis uiuus ad inferna loca, in quibus plurima arcana mortalibus incognita contemplatus eſt. Didicit quoque ab Harthgrepa Vagnopti filia, in dæmonum auxilio ſpem collocare. Conuerſatus eſt familiariter cum Othinno omnium dæmoniorum nequiſſimo, qui huic primùm humana ſpecie apparens, bellum in Curetes mouere præcepit, uictumque ex eo prelio, ſuauiſſimæ cuiuſdam potionis beneficio, fortiorem uegetioremque effecit: deinde à ſene quodam inſtruendi exercitus induſtriam aſſecutus, uictor euaſit. Sic fallaciſſimi dæmones ipſum plurimis ac uariis bellorum caſibus expoſuerunt, nunc uictorem efferendo, nunc rurſus uictum omni ope deſtituendo. Seipſum tandem ſuſpendio publicè necandum curauit, cùm Hunningi Sueorum regis amiciſſimi mortem audiuiſſet. Ioan. Magnus libro ſecundo.

SEDECHIAS, Iudæus, medicus, ludos coram Ludouico Imperatore & aliis principibus magicos fecit, anno Chriſti octingẽteſimo, ſeptuageſimo ſexto. Homines armatos cum equis & armis deuorauit, uehiculum fœni cum equis & auriga abſorpſit. Capita & pedes hominibus præcidebat, & cum ſanguine in peluim ponebat. Volabat per aerem, uenaticos clamores excitabat, & ſimiles ludificationes multas. Hic tandem Carolum Caluum regem ueneno ſuſtulit. Chronicon Hirſaugienſe.

[redacted]

Matiſconenſem COMITEM, Magorum ſua ætate facilè principem, Hugo Floriacenſis ait excipientem prandio frequentem conuiuarum numerum, ab homine foras euocatum eſſe, atq; (ut non audebat homo Satanæ refragari) equum nigrum præ foribus expectantem reperiſſe, quo ille ſtatim cũ ſuo homine tranſuectus diſparuit, nec unquam ex eo uiſus eſt. Bodinus lib. 2. Dæmonom. cap. 4.

Ioan. Charterius, qui Caroli VII. conſcripſit hiſtoriam, GVLIELMVM Edelinũ, Sorbonę doctorẽ, narrat magicarum ſortium fuiſſe damnatum pridie natalis Chriſti 1453. confeſſumq; ſe per noctem ſæpe in Magorũ conuentus exportatum, Deo ibidem renuntiauiſſe, diabolum hirci figura uiſum adoraſſe, & podici eius oſcula dediſſe. Bodinus lib. 2. Dæmonom. cap. 4.

GVL. Luranus, Theologiæ doctor, cõcionator celebris, ob crimen magiæ Pictauij damnatus eſt, anno M CCCC LIII. die 12. Decemb. teſtimoniis & confeſſione propria conuictus, quòd mutuæ obligationis inſtrumento cum Satana confecto, penes eum deprehenſo, renuncians Deo & ſacrificans diabolo, promiſiſſet ſe prædicaturum (ut fecit) fabulas eſſe, quicquid de Magis dicitur, & crudele factum eſſe ſ. mortem damnari Magos. Bodinus in confut. opinio-

Rudo. Vieri:
us, mia. Habſpurgenſi imperante, FRIDERICVS Struphi-
II. refert ... eliciendorum gnarus, uultu Imp. Fridericum
quas dæmo. ſe eundem eſſe prædicabat, opesq; ingentes,
tibus diſtribuer. ſubminiſtrabant, ueteranis ad ſe confluen-
rat. Cùm ea auctu. magnam hominum multitudinem coege
ciperet, Cæſar cum e. xercitu ... otentia Coloniæ conuentus agere in-
... olonia Fridericum abegit: &
in Cattorum regionem elapſu. perſecutus, à Vetzslarienſibus traditum igni concremari ... ſſit. Auentinus lib. 7. Annalium Boiorum.

HENRICVS Cornelius Agrippa Netteshe... enſis, cùm magicis ſuperſtitionibus deditus eſſet, & caco... mona ſecum canis ſpecie circumduceret, qui collare mag... s quibuſdam emblematis conſpicuum gerebat: Lugduni ... obſcura taberna animam agens, collari canem liberauit, c... his uerbis: Abi perdita beſtia, quæ me totum perdidiſti. Il- le præcipiti curſu in uicinum Ararim ſe demerſit, nec uſpiam poſtea comparuit. Agrippa paulò pòſt uiuis exceſſit. Iouius in Elogiis.

QVENDAM ſe uidiſſe Ioannes Fernelius ſcribit lib. 1. de Abditis rerum cauſ. ut uerborum ſpectra uaria in ſpeculum deriuare; quæ illic, quæcunque imperaret, mox aut ſcripto aut ueris imaginibus ita dilucidè exprimerent, ut promtè & facilè ab aſſidentibus omnia internoſcerentur. Audiebãtur quidem uerba ſacra, ſed obſcenis nominibus ſpurcè cõtaminata: cuiuſmodi ſunt elementorum poteſtates, horrenda quædam & inaudita principum nomina, qui Orientis, Occidentis, Auſtri, Aquilonisq; regionibus imperent. Vierus lib. 2. cap. 7. de præſtigiis Dæmonum.

FACIVS Cardanus, Hier. Cardani pater, dæmonem æthereũ, ut ipſe dicebat, diu familiarem habuit: qui, quamdiu coniuratione uſus eſt, uera illi dabat reſponſa: cùm autem illam excuſſiſſet, ueniebat quidem, ſed reſponſa falſa dabat. Tenuit igitur annis uiginti octo cum coniuratione; ſolutum autem circiter quinque. Dum aſtrictus eſſet, commodum ſe ſatis exhibebat: neq; ſolus ſemper, licèt plerunq;, ſed aliquãdo cùm ſociis etiam ueniebat. Cardanus de Rerum uarietate lib. 16. cap. 93.

IACOBVS Iodoci de Roſa, Cortricenſis; anulum circumgeſtabat, in quo exorciſmis colligatum putabat dæmonem, quem ſingulis quinque diebus; ut minimum, alloquebatur, & de rebus nouis, de morbis & curandi modis conſulebat. Tandem in uincula coniectus eſt Arnhemiæ Geldrorum, & exilio multatus: cùm priùs anulus ille publico loco multis ſpectantibus à Cancellario ferrei mallei ictibus contuſus fuiſſet & perfractus. Actum Arnhemiæ 14 Iulij anno 1548. Vierus lib. 5. cap. 1. de præſtigiis Dæmonum.

BENEDICTVS Berna, annorum ſeptuagintaquinq;, presbyter, annis pluſquam quadraginta cum dæmone familiari ſub forma feminæ concubuit. Eum in forum deducebat, alloquebatur, Hermelinæ nomine. Hic confeſſus, arcana in ſacrificio non protuliſſe: conſecratum munus mulierculis ad ueneficia præbuiſſe: pueris ſanguinem exſuxiſſe, pœnas dedit. Ex Io. Franciſco Mirandula de Prænotione, Cardanus de Varietate lib. 15. cap. 80.

Magduni (oppidulum eſt Galliæ haud ita procul ab Aurelia) maleficus quiſpiam deceſſurus uxori mãdauit, ut quicquid eſſet apud ſe librorum magicorum, reliquaq; eius ſacri arma, CIVI cuidam Aureliano traderet, propediem uidelicet perituro, quòd hunc ſceleris conſcium ac participem habuiſſet. Is domi ſuæ plus triennium nefandum ſacrum uxore filiaq; cõſciis peragitauit: Hoſtiam ſacram in pyxidula quadam ſaligna conditũ ſub lecti ſtramentis abdiderat, eã à ſacrificulo quopiam mercatus. Quoties rem diabolicam facturus eſſet, hoſtia è ſtramentis eruta nudataq; exponebatur. Filia puella neque dum uirum paſſa, enſem nudum manu ſublata tenebat, mucronem intentans, minitanti ſimilis. Tum caput quoddam proferebatur, triplici facie cælatum. Id nouies reducto ambitu cingebatur. In his mille figuræ, infinitis angelorum nominibus inſcriptæ: poſtea totidem ambitus cacodæmonum horrendis uocabulis diſtincti. His ita compoſitis, explicitis libris, execratis precibus, dæmon euocabatur. Is erat ingentium theſaurorum aut opifex, aut certè monſtrator. Promiſerat ſceleſtus ille aureos montes, largitus etiam nonnihil: ſed adeò infra ſpem, ut uirum iam operæ, quippe triennis, cœperit pœnitere. Itaque cùm illo expoſtulat, ſe iampridem ſpe inani duci. Purgat ille ſe contra, negãs id ſua culpa accidere: uerùm deeſſe quiddam ceremoniis, quod hominem literis præditum deſideraret: quẽ ſi nanciſci poſſet, ſe theſauros indicaturum omnium uotis ampliores. Perſuaſus ille, priorem monaſterii Prædicatorũ pone mœnia Aureliana cõuenit, fingit ſibi codices aliquot eſſe domi, inutiles ſibi, quippè idiotæ, uerùm homini literato longè utiliſſimos. Rogat num quos emtos uelit. Theologus proferri iubet, inſpiciundos ſcilicet. Promit ille uetus teſtamentum; quod uulgus Biblia uocat, Gallicè uerſum. Eum codicem ubi contemſiſſet theologus, ecquos alios haberet percontanti, grauatim quidem ac detrectanti ſimilis alium quendam ſinu abditum producit: quo euoluto, reſpondit, Maleficum ſibi uideri librum. Tum ille ſilentij fidẽ obteſtatione ſtipulatus, ait eiuſdem generis aliquot domi ſibi eſſe, ſed eruditi hominis operam deſiderare: alioqui theſauros immenſos poſſe his libris conflari. Ibi arrectior theologus, orat ut eos quoq; ad ſe perferat inſpiciendos, ſibi rem hanc uehementer eſſe cordi, nec omnino in negotio tam diuino indormiendum: ſibi ſpem eſſe certiſſimam, feliciter euenturum. Ergo datis inuicem dextris miſer ille reliquos libros adfert. Theologus expiſcari non deſinit, donec homo iam eius animi ſecurus, omni de re palàm facit. Poſtremò etiam de hoſtia. Ibi ille impenſiùs obſecrat, ut res tãtas ſibi oſtendat, ſe iam toto pectore de maturando negotio cogitare. Hic hominem domum ſuam deducit: myſteria proferuntur, inſpectantur. Monachus rectà inde ad officialem, quem uocant, rem defert. Is hominem per regios miniſtros in uincula conicit, non ſine uxore & filia. Poſtri- nu... in ædes irruptum: myſterium illud honore, quo conueniebat, prolatum, poſtero die uariis ceremoniis & ſplendida pompa in templum Salutiferę uti ſacrum defertur. Maleficus publicè exuſtus eſt. Eraſmus Rot. & Cardanus lib. 19. de Subtilitate.

Raziorum BARO, qui apud Nannetas magicarum ſortium damnatus ſupplicium pertulit) non tantùm faſſus eſt, ſe octo puerulos occidiſſe, & in animo habuiſſe occidere & diabolo ſacrificare nonum ſeum ipſius filiũ, idq; in matris utero, ut ſummoperè gratificaretur Satanæ: uerumetiam ſe in conclaui ſuo procidentem in genua Satanam adorare humana ſpecie comparentem, eiq; adolere: qui deteſtabilium ſacrificiorum ritus apud Amorrhæos olim & Cananæos obtinebat. Huic res admirabiles Satanas ſpoponderat, ac nominatim ipſum fore magnum. Tandem uerò ſe uidens captiuum, & acerbiſſimis malis oppreſſum, omnia cõfeſſus



feſſus eſt, ultimumq; ſupplicium paſſus, & lis adhuc ſub iudice hæret de bonorum eius publicatione. Apud Sprangerum legimus, cùm de quadam malefica, quam damnauit igni, cognoſceret, eam confeſſam eſſe (ut erat obſtetrix) ſe pueros ſuſcipientem è matris utero, diabolo obtuliſſe in aerẽ extollendo, deinde in caput eorum acicula magnam ita, ut non proflueret ſanguis; indidiſſe: tum iis in ſepulcrum elatis abeuntem de nocte eos eruiſſe, furno coxiſſe, carnes comediſſe, pingue ad ſuum uſum aſſeruaſſe: hoc pacto quadraginta puerulos à ſe interemtos eſſe. Hæc Daneſis fuit ad Baſileam. Alteram quoq; Argentoratenſem innumeris occiſis crematam eſſe. Bodinus lib. 2. Dæmon. c. 5.

### MVLIERES.

Quædam ſceleratæ MVLIERES dæmonum illuſionibus ſeductæ, credunt ac profitentur, ſe nocturnis horis cum Diana paganorum dea, uel cum Herodiade, & innumera multitudine mulierum equitare ſuper quibuſdam beſtiis, & multa terrarum ſpacia intempeſta nocte tranſire, eiusq; iuſſionibus uelut dominæ obedire, & certis noctibus ad eius ſeruitium euocari. Canon Concilij Ancyrani.

Arabum MVLIERES ueneficæ ſunt maximæ. Ioſephus libro 17. capite 6. Antiq.

THESSALÆ mulieres pro ueneficis olim habitæ. Menander Theſſalam cognominauit fabulam, complexam ambages feminarum lunam detrahentium. Luciano θεσσαλαὶ φίλαι, & Horatio uox Theſſala & Theſſala portenta, magicum murmur & cãtiones ſunt. Eã ſuperſtitionem in Theſſalos à Medea profectam exiſtimant, quæ illac cùm fugeret, ſcriniolũ magicis herbis plenum deiecerit, eaq; ſparſa ſuppullulaſſe. Suidas in uocabulo θετταλὴ γυνή. Lucanus in Theſſaliæ ſolum uenenorum ferax, herbasq; nocentes procreans, id cõfert, & Theophraſtus περὶ φυτῶν. Pomponius Sabinus in taxum arborem, qua ea prouincia abundat, è cuius ſucco fiat toxicum. Brodeus in 2. Epigrammatum.

Olim Gothi ex Scandiana inſula cum ſuo Rege Berico egreſſi, tandẽ ſub Filimero quinto poſt eũ exitũ Rege, ad Mæotidẽ paludẽ peruenerũt. Filimerus noui regni in illis terris fundator, operæpreciũ iudicabat auſpicia ſui imperij à morũ correctione inchoare: factaq; de moribꝰ inquiſitiõe, reperit in populo ſuo quaſdam magas mulieres, patrio ſermone Adelrunas appellatas. Gothico enim ſermone Runa artem, uel aliquãdo magiam ſignificat: unde etiam hodie lapides complures in Gothia, characteribus Gothicis inſcripti, Runaſten nominantur. Eaſdem mulieres de maleficio conuictas uel ſuſpectas, in remotas Scythiæ ſolitudines abire coegit, ne earum commercio reliqua gens contaminata, in nefarias operationes procliuis collaberetur. Illæ aliquandiu in ſolitudinibus pererrantes, tandem quoſdam Scythici generis homines ſimili errore per deſerta uagantes inuenerunt: quibus connubio ſociatæ, prolem per temporum interualla innumerabilem dederunt. Tali ergo ſtirpe Hunni procreati, uenationibus & arte ſagittaria ſeſe plurimùm exercuerunt. Iornandes & Ablabius. Bonfinius lib. 2. Dec. 1. Cranzius lib. 2. Sueciæ, cap. 19.

LAMIARVM apud ueteres uarias hiſtorias ſeu potiùs fabu-[redacted]

Fa[redacted]

Illa imminẽs à patre periculum, crudelitatemq; in hoſpites ut cauerent, admonuit. Communicato conſilio, Medea ſe adiutricem ad perficiendum certamen propoſitum pollicita eſt. Iaſon iureiurando data fide, uxorem ſibi illam, quoad uita ſuperſtes eſſet, futuram ſpopondit. Tum noctu Argonautæ relictis templo cuſtodibus, cum Medea ad uellus aureum profecti ſunt. Cum iiſdem reuerſa in Græciam, Aeſonem patrem Iaſonis iam ſenio confectum, ſuis artibus reduxit ad iuuentutem. Peliam Iaſonis patruum à filiabus necari curauit, & cum Iaſone per decennium Corinthi uixit. At ubi Glaucen ſiue Creuſam Creontis regis Corinthiorũ filiam ſibi præferri uidit: nouæ nuptę, diſſimulato odio, pallam uenenis infectam muneri miſit. Quam quum illa induiſſet, ſubito flagrauit incendio, pariq; exitio perierunt Creõ & eius regia. Filios ex Iaſone ſuſceptos laniauit palàm. Extincto præ mœrore Iaſone, Thebas fugiens, Herculem ab inſania liberauit. Inde à draconibus in aerem ſubleuata Athenas deuolauit, nupſit Aegeo: eius filium Theſeum potauit Cerberi ſpuma: cuius inſidias fugere compulſa, in Syriam uenit, & regias denuò conſecuta eſt nuptias. Medus filius ex Aegæo ſuſceptus Medis imperauit. Hæc ex Diodori libro 4. capite 3. & Ouidij libro 7. Metamorph. & Sabellici libro 5. Enneadis 1.

THRACIA nympha, ſaga & faſcinatrix, propter peritiam herbarum & ueneficiorum habita eſt loco numinis apud Thracẽs, quorum etiam regioni dedit nomen.

CIRCE Solis & Perſæ nymphæ filia, quum uenefica eſſet peritiſſima, poetarum fabulis dicta eſt commutaſſe ſocios Vlyſſis in porcos. Habitauit autem non procul à Caieta, Campaniæ urbe.

OLYMPIAS Philippi Macedonum regis uxor maga: ad cuius dormientis corpus uiſus eſt Draco exporrectus. Idque aiunt præcipuè regis erga eam amorem & familiarem conſuetudinem extenuaſſe, ut rarò cubitum ad illam commearet: quòd uel timeret faſcinationes eius & ueneficia, uel cõſuetudinem eius, ut quæ conſueſceret cum maiore, deuitaret. Plut. in Alexandro.

Valerius Flaccus CHOASTIS magi meminit inquiens:

Maximus hos inter Stygia uenit arte Choaſtes.

SIMON Samaritanus (quemadmodum Ambroſius in Hexamerone, atq; Clemens pontifex in Itinerario teſtantur) præter eius artis mira permulta, quibus cum apoſtolo Petro cõtendit, dum, ut aliud pro alio appareret, perſępè effecit, pennis per ſublime haud paruum ſpacium in uolantis ſpeciem uectus eſt. Fulgoſ. lib. 8. cap. 11. Hic ope dæmonum Romanos ita faſcinauit, ut meruerit inter duos pontes ſtatuam, hoc titulo: Simoni Deo Sancto. Septimius Florens.

MENANDER magus, Simoni mago ſucceſſit, ipſe quoque genere Samarita: neque ſolùm eius expreſſit impietatem, ſed longè ſuperans, maioribus portentis efferebatur, ſeſe Seruatorem dictitans ex olympo ad hominum ſalutem demiſſum: docebatque, nullo pacto angelos ab hominibus uinci aut cogi poſſe, quàm artis magicæ diſciplina, & baptiſmo, ab ſe traditis: ex quibus immortalitatem humano generi prouenire aſſerebat. Quæ omnia ex libris Irenæi refert Euſebius libro tertio. Vide Catalogum Hæreticorum.

Fuit in Galeotide QVIDAM, qui & morbos uerbis propulſare, & anni temporum intemperiem & ſterilitatem, & penurias profligare ſacrificiis quibuſdam poterat: & mutationes excogitare, atque efficere: & demonſtrare bonas parandarum opum rationes. Hunc in Cretam muneribus à Minoe pellectum ferunt, ut celebrem illum Glauci interitum inueſtigaret. Suidas.

CYNOPS magus D. Ioanni reſiſtens, fingebat ſe ſuſcitare mortuos, & dæmonibus colloqui, in Patmo inſula, quæ eſt una ex Sporadibus. Is tandem precibus Apoſtoli, fluctibus abſorptus perijt.

BARIESVS Elymas, in Cypri urbe Papho à D. Paulo cæcus redditus, quòd Sergium Paulum proconſulem à fide auertere conaretur. Actorum 13.

CARPOCRATES, princeps hæreticorum, qui Gnoſtici dicũtur, uocabulo à ſcientia confi cto, præſtigia Simonis magi non ut ille clàm, ſed palàm tradebat, deq; his doceri omnẽ hominem oportere dictitabat. Euſebius in ſua hiſtoria. Vide Catalogum Hæreticorum.

ARPHAXAT & ZAROES magi, ſe pro diis uenditarunt in Naddauer urbe Aethiopiæ, fictis miraculis clari. Duos dracones in urbe circunducebant. Eos Matthæum apoſtolum ſopiiſſe, & urbe excedere iuſſiſſe, tandem ipſa hora martyrij Simonis & Iudæ apoſtolorum, fulguris ictu exuſtos fuiſſe, tradit Abdias Babylonius epiſcopus libro ſexto certaminum Apoſtolorum.

THRASYLLVS inſignis aſtrologus & magus, ob eius artis peritiam apud Tiberium Cæſarem in maxima fuit dignatione. Dion in Tiberio.

TERE

TERIDATES rex Armeniæ, magus, Neronem etiam cœnis magicis initiauit, adeò ut maior citharæ aut cantus libido non ei fuerit, quàm eius artis: neq; tamen eam illi communicare potuit. Plin. lib. 30. cap. 7.

Ad Taurinum Aurelianenſem epiſcopum, magos CAMBYSEM & ZAMRIM cum diſcipulis irruiſſe legimus, ut eum interimerent, quoniam cum uiuente contendere, neque dictis neq; factis poterant. Illo autem ſeſe ſigno crucis muniente, diuinitùs inhibitos ne propius accederēt, & ob id magis furore concitatos, ſibimetipſis mortem conſciuiſſe. Quā rem etiam maleficorum diſcipuli conſiderantes, Chriſtiani facti ſunt: Marul. lib. 2. cap. 9.

APOLLONIVS Tyaneus philoſophus, Apollonij filius. Mater grauida dæmonem aſtantem uidit, qui diceret, ſe eum eſſe, quem illa geſtaret in utero, Proteum ſcilicet Aegyptiū. Hinc Protei filius eſt habitus. Floruit ſub Claudio, Caio & Nerone, uſq; ad Neruam, ſub quo deceſſit. More Pythagorico tacuit quinquennium: pòſt in Aegyptum abiit: inde Babylonem ad Magos, inde ad Arabes, & ex omnibus illis locis celebres praſtigias collegit. Suidas. Vitā eius deſcripſit Philoſtratus, hoc eſt (ut impiè Eunapius profitetur) Dei ad homines acceſſum. Voluit ſanè aſtutiſſimus dæmon nebulonis huius præſtigiis Chriſti opt. max. miracula in dubium reuocare, eidemq; ueluti antagoniſtam opponere.

IVLIANVS Chaldæus, uocatus Theurgus, filius Iuliani Philoſophi illius, qui ſcripſit de Dæmonibus lib. 4. floruit ſub M. Antonio: ſcripſit Theurgica, τελεστικὰ λόγια. Hunc memorant quidam, laborāti ſiti Romanorum exercitu, ſub M. Antonino contra Marcomannos, prouocaſſe nubes, unde imbres ſtatim decidêre. Alij uerò hoc ad Arnuphin Aegyptium referunt. Suidas.

SEMPRONIVS Rufus, natione Iberus, ueneficus & præſtigiator inſignis, à Seuero Imperatore in inſulam deportatus, deinceps uerò ab Antonino eius filio reuocatus eſt. Dion Nicæus.

CAVPONAM reginā hoc modo deſcribit Apuleius lib. 1. de Aſino aureo: Saga eſt, & diuinipotens, cœlū deponere, terrā ſuſpendere, fontes durare, montes diluere, manes ſublimare, deos infirmare, ſidera extinguere, tartarum ipſum illuminare. Amatorem ſuum, quòd in aliam temeraſſet, unico uerbo mutauit in ferā caſtorem: quòd ea beſtia captiuitati metuens, ſe ab inſequentibus repræciſione genitaliū liberat: ut illi quoq; ſimile, quòd uenerem habuit in aliā, proueniret. Cauponē quoq; uicinū, atq; ob id æmulū, deformauit in ranā: & nunc ſenex ille dolium innatans uini ſui, aduentores priſtinos in fæce ſubmiſſus, officioſis rochis raucus appellat. Alium de foro quidem, quòd aduerſus eā loquutus eſſet, in arietem deformauit: & nunc aries ille cauſas agit. Eadem amatoris ſui uxorem, quòd in eam dicaculè probrum dixerat, iam in ſarcinam imprægnationis obſepto utero, & repigrato fœtu, perpetua prægnatione damnauit. Et ut cuncti numerant, octo annorū onere miſella illa, uelut elephantem paritura, diſtenditur. Et lib. 2. de PAMPHILE Miloni nuptui tradita hæc ſcribit: Maga primi nominis, & omnis carminis ſepulcralis magiſtra creditur, quæ ſurculis & lapillis, & id genus friuolis inhalatis, omnem iſtam lucē mundi ſideralis, imis tartari & in uetuſtum chaos ſubmergere nouit. Nam ſimul quenquam conſpexit ſpecioſæ formæ iuuenem, uenuſtate eius ſumitur, & ilicò in eum & oculum & animum detorquet. Minùs morigeros & uiles faſtidiens, in ſaxa & in pecua, & quoduis animal puncto reformat. Alios uerò prorſus extinguit.

Artem magicam apud Septentrionales populos quantum calluerint olim mulieres, docet Olaus. HAGBERTÆ Vagnoſti gigantis filię eadem tribuit, quę Apuleius Cauponæ. Hadingo rege cœnante, QVÆDAM propter foculum humo caput extulit, & cicutam regi porrigens percontata eſt, qua mundi parte tam recentia gramina, brumali tempore fuiſſent exorta? Cognoſcendi cupidum regem proprio obuolutum amiculo, ſecum ſub terras duxit: oſtenſisq; infernalium regionum monſtris, tādem mundo reſtituit. CRACA Noruegiana mulier, filij ſui Rolleri fortunæ conſultura, pulmentum parat: cui tabificum humorem trium colubrorum ſupernè tenui reſte depenſorum, inſtillabat. Sed Ericus Cracæ priuignus dapem filio Rollero paratam ad ſe tranſtulit: eiusq; opera ad ſummum humanæ ſapientiæ euaſit: ut ferarum pecudumq; uoces intelligeret. Frotho rex, MALEFICÆ in bouem conuerſæ cornibus in maris litore impetitus, occubuit. GVTHRVNA Iarmerici regis Danorum propugnatores ſubitò oculis captos, in ſeipſos arma conuertere fecit. Olaus Magnus lib. 3. cap. 15.

CROCCI Boemorum ducis II. filię tres, patri ſimiles, BELA natu maxima, herbis incantandis Medeā imitabatur, TETCHA natu minor, carminibus magicis Circen reddebat. Ad utramq; frequens multitudinis concurſus fieri: dum alij eorū formam ſibi & amores conciliare, alij cum bona ualetudine in gratiam redire, alij res amiſſas recuperare cupiunt. Qua arte ita Belam excelluiſſe ferunt, ut prouerbij uice, in re inuentu prorſus difficili iactaretur, Ne Belam quidem reperire id poſſe, quod ſit perditum. Hæc arcem Belinam, illa altera arcem Thetin, ex mercenaria pecunia (nihil enim gratuitò faciebant) ædificandam curauit. LYBVSSA natu minima, à nemine quidquam extorquebat, & potiùs fata publica omnibus, quàm priuata ſingulis præcinebat. Itaq; publicis comitiis, in locū patris ſubrogata fuit. Dubrau. li. 1.

MVLIER maga apud Berheliam Angliæ uillam dum conuiuaretur cum ſuis, corniculam, quam in deliciis habebat, uocalius neſcio quid cornicantem audiens, fatalem diem ſibi adeſſe dixit, filiosq; rogauit, uti corpus maternū corio ceruino inſutum includerent in theca lapidea, operculum deinde ferro plumboq; conſtringerent, & lapidem tribus magnis circundarent catenis. Si tribus noctibus ita ſecurè iacuiſſet, quarto die eam ſepelirent. Cantari pro ſe Pſalmos quinquaginta noctibus, & miſſas celebrari totidē diebus præcepit. Matris uoluntatem exequuntur liberi. Primis duabus noctibus, cùm clericorū chori pſalmos canerent circa corpus, dęmones oſtiū templi cōfringentes, duas extremas thecæ funeralis diruperunt catenas, media aūt operoſior permanſit illæſa. Tertia nocte circa gallicinium, ſtrepitu eorum qui oſtio appropinquabāt, totius monaſterij fundamenta uidebātur ſuccuti. Vnus aūt cęteris uultu terribilior, & ſtatura celſior, iannas colliſas in fruſta deiecit, inclamatoq; mortuæ nomine, ut ſurgeret imperauit. Ea reſpondente, Nequeo ob uincula: ſtatim catenā, ueluti ſtupam infregit, thecæq; funeralis operculum pede detruſit, & apprehenſa manu, palàm omnibus eam ad templi fores protraxit, ubi in procinctu ſtabat equus niger horrendùm hinniens, undiquaq; prominētibus uncis ferreis: quibus impoſita miſera, ab intuentiū oculis cū uniuerſo comitatu euanuit. Suppetias tamen orantis clamores miſerabiles, per quatuor ferè audiebantur miliaria. Hæc Vincentius in Speculo hiſtor. lib. 25. cap. 26. ex Guilermo recenſet.

Ferunt in comitū Andegauenſium familia, unde Henricus II. Anglorum rex ortus eſt, principem quādam fuiſſe FOEMINAM triueneficam, maleficāq;, & eam compulſam ad extremum colere & uenerari euchariſtiā, ſubitò è templo per feneſtram à cōſpectu hominum auolaſſe, nec comparuiſſe unquam. Ab hac muliere, poſteriores eius familiæ comites originem duxére. Quare tradunt diuum Bernardum, cùm ei ta aliquando uſu ueniſſet, ut de Henrico rege ſermonem haberet, prædixiſſe futurum ut ipſe cum filiis, & filij inter ſe perpetuò digladiarentur. Polyd. lib. 13.

MEDIOLANENSIS quædam prope portam Comenſem puerū ſtrangulauit & deuorauit. Cùm ſuper ſceleris immanitate torqueretur, ab ipſis diis inferis ſibi perſuaſum aiebat, ſi trimum uel quadrimum puerum immolaſſet, omnia quæcunq; uellet conſequuturam. Proinde grauiſſimum de ea ſupplicium ſumtum eſt: rotarumq; radiis cācellatim inflexam, ægreq; colliſis oſſibus defractam, mors lenta ſæuaque confecit. Arlunus Hiſt. Mediolan. ſect. 1. ſuo tempore hoc accidiſſe ſcribit.

[redacted]



[redacted]

Anno Sal. 1546. Ioannis Vlmeri ciuis Eslingenſis filia, MARGARITA nomine, ex uentris doloribus ita intumuit, ut uentris moles totam faciem obtegere, ac in circumferentia decem palmas excedere uideretur. Dicebat autem, ſe diuerſi generis animalia alere in uentre, cùm interim odoribus tantùm & delicatioribus conditis ſe recreari fingeret. Audiebantur à circumſtantibus lectum, in quo defixa erat, gallorum cantus, gallinarum cocyzationes, anſerum ſibili, latratus canum, ouium balatus, porcorum grunnitus, boū mugitus, hinnitus equorum. Eduxit mirę magnitudinis uermes atq; ſerpentes ex latere circiter centum quinquaginta, quò miraculo fidem faceret. Conſulti ſunt medici atq; chirurgi multi, inter eos quoq; Leonardus Fuchſius, Tubingēſis archiatrus. Demùm Caroli V. Imperatoris ac Ferdinādi Romanorum ac Hungariæ regis, medici acceſſere, aliquot nobilibus comitati, nec quicquam fucatum inuenêre. Cùm penè quadriēnium morbus duraſſet, ac dolores magis magisq; incrudeſcere uiderentur: Magiſtratus Eslingenſis Medicum, cum chirurgis tribus ac obſtetrice miſit, ut puellæ aluum ſectione aperirent. Reluctanti detrahunt tegmina, & uentrem magno artificio manibus fabricatum inueniunt, puluinaribus ſuſſultum, cum uariis arcubus, quibus uētris rotunditas exprimebatur: uirginem interim nudam, optimè compacto, ac ſupra quàm dici poſſit, formoſo corpore. Venter in curiam delatus, & anathematis loco adſeruatus. Mater filiæ uenefica, tormentis examinata, Satanæ inſtinctu lucri gratia hæc à ſe perpetrata fatetur: & fracto priùs collo, publicè exuritur. Filia perforatis ignito ferro genis, perpetuis carceribus intra duos parietes damnata eſt. Lycoſthenes in Prodigiis.

## PROPHETAE DIVINI.

*[redacted]rophetas olim Iudæi uocabant eos, qui Dei afflatu futura prædicerent, & populum propoſito præmio ad pietatem hortarentur, minis ab impietate deterrerent. Ergo & docebant, & uaticinabantur. Vt Doctores ſunt, pertinent ad Titulum Eccleſiaſtarum. Vt uaticinantur & prædicunt futura, huius ſunt loci. Eos à Dæmoniacis uatibus diſtinguit Bodinus lib. 1. cap. 4. Dæmonomaniæ, duabus notis perpetuis: nempè quòd abſq; furore uaticinentur, & ſemper uera dicant. Grammatici diſtinguunt ὑποφήτειαν à Prophetia: quòd Prophetia ſit futurorum: Hypophetia, eius quod ſit aut factum eſt, reſpectu eorum, quæ adſtant, aut etiam iamiam aduentant. Suidas. Prophetas populus Hebraicus Videntes nominauit, qui Dominum aliquid prænunciantem, aut etiam imagines rerum futurarum uiderent, ſi non corporis oculo, certè illo mentis, multò, quàm hic eſt, acutiore. Hinc prophetia eſt Viſio in ſacris literis. In primo libro Regum Nathan appellatur Videns. Primus & homo & propheta fuit Adam, qui myſterium Chriſti & eccleſiæ in ſopore uidit: hinc Enoch, Noe, Abraham, Iſaac, Iacob, & huius liberi, Moyſes, & alij deinceps permulti, qui tamen inter prophetas non numerantur, quia libros de uiſionibus ſuis non reliquerunt, præter Moyſen: cuius uolumina etiam ad ritus, ſacra, ceremonias, legesq; ciuiles ſpectabant: etſi hæc omnia figura rerum futurarum erant. Neque illa tempora prophetarum ſunt dicta: ſicut ea, quibus eſt regnatum, quibus prophetæ nunquam defuerunt, à Samuele (ante quem ſermo Domini rarus erat, & uiſio non manifeſta, ut dicitur primo Regnorum) ad remigrationem è Babylone: ſcriptiq; ſunt libri quatuor maiorum prophetarum, & duodecim minorum. Viues in lib. 17. de ciu. Dei c. 1. Exempla plurima ex Tit. Eccleſiaſtarum & Monachorum peti poſſunt. Epiphanius de Prophetis ex profeſſo ſcripſit.*

### VIRI PROPHETAE, VATES.

Tria prophetarū genera olim fuêre apud HEBRÆOS. Primū fuit eorum, qui, quandocunq; res poſtulabat, oracula, uiſiones, aut fatidica ſomnia impetrabāt: qualis fuit Moſes, Sa[redacted]lij, quos priſca ætas Videntes, uulgus autem Iudæoru[redacted]Prophetas Priores uocare ſolēt. Alterū genus fuit co[redacted]qui cùm oracula, uiſiones, aut ſomnia fatidica pro ſu[redacted]io nunquā elicere poſſent: tamen quoties Deo uiſum[redacted]ſet per eos populum docere, aut admonere, aut obiurgare, diuinitùs inſpirati prophetabant, atque hos Iudæi uulgò Poſteriores uocāt, eo quòd maxima pars eorū ferè poſt Solomonem ſub idololatris Regibus fuerit: ut Eſaias, Hieremias, Ezechiel, & duodecim quos uocant Minores: c[redacted]illud genus, circa Dauidis tēpora ferè deſierit. Tertiū genus eſt eorū, qui quāuis oracula, uiſiones, & ſomnia fatidica à Deo nunquam obtineant: tamen à ſuperioris generis prophetis, tanquā à præceptoribus eruditi, & Sancti ſpiritus interna unctione edocti, literas propheticas rectè intelligunt, easq; aliis enarrare, & ex eiſdem, petentibus recta conſilia dare, & quæ recta ratiocinatione ex eorundē dictis neceſſariò conſequuntur, perſpicere ualent. Hos priſca ætas Filios prophetarum, Paulus autem Corinthiis ſcribens, ſimpliciter Prophetas appellat. Et priora quidem genera quicquid eis ad erudiendam poſteritatem de futuro Chriſti regno diuinitùs reuelatum fuit, in literas relatū poſteris reliquerunt, eaq; omnia adhuc integra ac ſalua ſupereſſe, credendum eſt. Poſterius autem genus ut in docendo plurimū uerſatum eſt, ita à ſcribendo ferè ſemper abſtinuit, præſertim in uetere Teſtamento. [redacted]

Cùm Ioſephus filios ſuos, Manaſſem natu maiorem, & Ephraimum, ad patrē Iacobum propediem moriturū adduxiſſet, ut illis bene precaretur: & Manaſſem ad dextrā, Ephraimū ad ſiniſtram patri locaſſet: IACOBVS quamuis cæcus, fatidico ſpiritu plenus, manus decuſſauit, & dextrā Ephraimo, ſiniſtram Manaſſi impoſuit: futurum dicens, ut Ephraimus magnitudine Manaſſem ſuperaret. Vtriq; tamen benè precatus eſt: Per uos, inquiens, benè precentur Iſraelitæ, hoc modo: Det tibi Deus fortunam Ephraimi & Manaſſis. Gen. 48. Quid ſingulis filiis prædixerit, cap. 49. narratur.

MOSES Hebræorum dux, uaticino ſpiritu omnium maximè claruit. Ei Dominus in mōte Sinai gloriam ſuam patefecit. Seruanti oues apparuit in rubo ardenti, qui tamen nō comburebatur. Deum uidit, quod mortalium nemini contigit unquam. Decalogi præcepta accepit in tabulis Lapideis, quæ dedit filiis Iſrael. De Moſe Iuuenalis:

Tradidit arcano quodcunq; uolumine Moſes.

SEPTVAGINTA duo ſeniores Iſraelitarum, quibus de Moſis ſpiritu

[redacted]
Ann[redacted]
t[redacted]
S[redacted]
[redacted]
Q[redacted]
r[redacted]ron potuit, ſed in diuino cultu aſſiduus, cùm [redacted] diuina, cubaret, ter à Domino uocatus, ter ad Elim cucurrit, ab illo ſe uocari exiſtimans. Vbi diuinum quid eſſe Elis uidens, ut quartò uocanti Domino reſponderet, Adeſſe & audire ſe, monuit. Quod cùm Samuel feciſſet, narrauit ei Dominus omnia ea mala, quæ Iſraelitis & toti domui Elis propter filiorum improbitatem euentura iam olim prędixerat. Manè ab Eli obteſtatus Samuel, quamuis inuitus, omnia, quæ à Domino acceperat, ei patefecit. Cæſa inde 34. millia Iſraelitarum à Palæſtinis, & arca Domini capta. Samuel populum ad Maſpham congregauit: & agno ſubrumo ſacrificans, Palæſtinos ingenti ſtrage affecit. Ius ex eo Iſraelitis dixit Ramathæ, & quotannis Bethel, Galgala & Maſpham iuris dicundi ergô obibat. Regem poſtea Iſraelitis efflagitantibus, Saulum dedit, filium Cis, iubente Domino, eumque unxit. Quo propter inobedientiam reiecto, iuſſus fuit Dauidem, Iſęi F. Bethlehemitam, in regem ungere. Quem poſteàquâm unxit, cum Saulo nullum ampliùs commercium habuit, ſed Ramathæ permanſit. Ad eum cùm Dauid perſequente Saulo profugiſſet, ambo Naiothum ſeceſſerũt. Quò cùm nuncios miſiſſet Saulus ad comprehendendum Dauidem, illic uiſo uatum cœtu propheãttium, & ipſi diuino afflati ſpiritu cœperunt uaticinari. Miſit rurſus alios, itemque tertios. Tandem ipſemet profectus Ramatham, Naiothum uſq; inter eundum uaticinabatur: & exutis ueſtimentis, toto die & noctenudus iacuit, & apud Samuelem prophetauit. Vnde manauit dictum illud, An & Saulus inter uates? Tantum nimirum Samuelis præſentia poterat, ut & qui ad eum accederent, ſpiritus illius diuinitate participes redderentur. Mortuus Ramathæ ſepultus fuit, deflentibus eũm omnibus Iſraelitis. Ex primo Regum. Defuncti Samuelis manes ab inferis per ueneficam exciri Saulus curauit, ut de exitu belli eum conſuleret. Qui excitus, interitum & cladem ei prædixit in monte Gelboe. 1. Regum 28.

GADVS uates Dauidem exulem monuit, ne ſe in Moabitarũ terra contineret, ſed in Iudeę fines concederet. 1. Regum 22. Idem Dauidi peccatum ſuum indicauit, quòd contra Dei mandatum populum recenſuiſſet. 2. Reg. c. ult.

DAVID, ſapientiſſimi Salomonis pater, diuino (ut credi par eſt) afflatus ſpiritu, partem multò maximam eorum, quæ in Chriſto, longo pôſt temporis interſtitio euenerunt, fatidico carmine præcinuit, humanum genus futuræ ſalutis admonuit. Sabell. lib. 1. cap. 5.

NATHAN, è tribu Thok, ex urbe Gabath Galileæ, Dauidis adulterium præſciuit, & regem ſeuerè corripuit.

SEMEIAS uates, Roboamum regem, cum 180. millibus Iſraelitas, qui ad Ieroboamum defecerant, bello aggredi parantem, Domini iuſſu cohibuit: eius defectionis auctorẽ Deum eſſe dictitans. 3. Regum 12.

HANANIS propheta Aſam regem Iudæorum increpauit, quòd cum Benadado Syriæ rege fœdus iunxiſſet, plùs homini quàm Deo confidens. 2. Paralipom. 16.

AZARIAS Odedi F. de Symphata oriundus, precibus ſuis auertit captiuitatem, quam Azara rex Aethiopum machinabatur Aſæ regi Iudæorum. De aduentu Domini multa uaticinatus eſt. 2. Paralip. 15.

IEHV Hananis F. Ioſaphatum Iudæorum regem ob auxilium Achabo Iſraelitarũ regi latũ, ſeuerè corripuit. 2. Paralip. 19. [redacted] prædixit exitium, eo quòd Ieroboami idololatriam, e[redacted] ſet, imitaretur. 3. Regum 16.

IAHAZIEL Zachariæ F. propheta, prædixit Ioſaphato uictoriam contra Syros. 2. Paralip. 20.

ZACHARIAS filius Ioiadæ pontificis, & Ioſabæ Iorami regis filiæ, cùm Ioam regem Iudæorum propter idololatriam reprehenderet, eius iuſſu à populo in atrio templi lapidatus eſt. 2. Paralip. 24.

NAVM natus ab Elckeſi trans Iordanem, uerſus Begabar, de tribu Simeon. Hic Niniues excidium per diluuium, & exuſtionem prædixit poſt Ionam, ſub rege Iudæorum Iothane. Ioſephus lib. 9. cap. 12.

DANIEL è tribu Iuda, patricii generis, puer in Babylonem ductus: natus in Bethebero ſuperiore, prope Hieroſolymã. Ea ſemper fuit morum probitate, ut eunuchus à Iudæis eſſe crederetur. Defleuit urbem Hieroſolymam. A Nabucodonoſor in caminum coniectus, illæſus abiit. Leonibus obiectus, ab Abacuc cibatus eſt. Pro Nabucodonoſor rege in belluam conuerſo ſtrenuè orauit: qui poſt ſeptem annos

[redacted] dem cùm propter Godoliæ necem reliquiæ Iudæorum in Aegyptum dilaberentur, metu Nabucodonoſoris Hieremiam quoque ſecum per uim abduxerunt. [redacted] captiuitatem imminentem illis prædixit. Nam quinq[redacted] pòſt Aegypto ſubacta, reliquiæ etiam Iudæorum Babylonem abductæ fuerunt. Ioſephus libro decimo, capite undecimo Antiq. Apud Taphnas in Aegypto, à plebe lapidibus obrutus periit. Eum mortuum Aegyptij coluerunt, eo quòd aſpides eius beneficio ex illis finibus ſint profligati. Prædixit quoque ſimulacrorum caſum, quando uirgo infantem enixa, in Aegyptum aſcenſura eſſet. Hic eſt ille propheta, qui ante mutationem templi arculam apprehendit, & eam in ſaxo abſorberi fecit, quam in ultima reſurrectione primam reſurrecturam eſſe pronunciauit. De eo ſic D. Hieron. lib. 1. Com. cap. 1. Quum eſſet adhuc puer, prophetare cœpit, anno XIII. Ioſiæ filij Amon regis Iudæ: prophetauitque in imperio eius annis decem & nouem: & poſtea ſub Ioachim filio eius annis undecim: & ſub Sedecia, qui ultimus fuit regum Iuda, annis undecim, uſque ad quintum menſem, quando à Babyloniis capta eſt Hieruſalem: ac per hoc ab exordio prophetiæ ſuæ uſque ad captiuitatem Hieruſalem, in qua & ipſe captus eſt, prophetauit annis quadraginta & uno: præter illud tempus, quando ductus eſt in Aegyptum, ibique prophetauit in Taphnis. Hieronymus libro primo Com. in Hieremiæ cap. 1.

VRIAS Semeiæ F. Cariathiarimenſis, Iudæis excidium denũcians, Ioacimi regis iuſſu, è fuga (in Aegyptum enim, mortis metu, conceſſerat) retractus, interfectus eſt, ei[redacted]que corpus in publicum ſepulcretum proiectum. Hieremiæ [redacted]

EZECHIEL è terra Sarepta, ſub Sedecia Babylonen[redacted]ptiuus abductus, plurima de populi reditu ex Babylone prophetauit, & de aduentu Chriſti. Occidit illum dux populi Iſraelitici, quia eum propter idololatriam reprehenderat. Filiis Iſrael precibus ſuis maximam copiam piſcium impetrauit. Mortuos uitæ reſtituit. Hic quamuis in Chaldæa eſſet, pleraque tamen populo, quæcunque Hieroſolymis in templo fiebant, aperuit: & in Babylone iudicauit tribum Dan & Gad, filioſque impiorum & iumenta à ſerpentibus deuorari fecit.

HAGGÆVS, iuuenis admodum ex Babylone Hieroſolymam profectus, cum Zorobabele, ſub Dario rege, Iudæos ad extruendum templum hortans, & de populi reditu uaticinatus, primus cecinit ibidem Alleluia, Amen. 1. Eſdræ 5.

ZACHARIAS, Barachiæ F. Addonis nepos, cum ZOROBABELE rediens è Chaldæorum terra, inter proficiſcendum permulta populo uaticinatus eſt, & miraculis claruit. 1. Eſdræ 5.



Eſdræ 5. Annunciauit Ioſedeko, quòd habiturus eſſet Ioſuam filium, qui Hieroſolymis Domino ſacrificaturus eſſet. Benedixit Salathiel in filio Zorobabel. De Cyro quoq; uaticinatus eſt. Item de Crœſo Lydorum, & Aſtyage Medorum regibus. Obiit in Iudæa, decrepitus, & iuxta Aggæum ſepultus eſt.

MALACHIAS è tribu Zabulon, poſt reditum populi in Sopha natus eſt, & iuuenis admodum uita apud ſuos functus.

ESDRAS Saraiæ F. ſacerdos & propheta, anno Darij ſeptimo è Babylone cum Leuitis Hieroſolymam profectus, populũ, qui cum Zorobabele iam antè redierat, illegitimè uiuentẽ, in lege Domini erudiuit, cùm Nehemias muros urbis inſtauraret, templo iam antè per Zorobabelem erecto. Scripſit res geſtas eorum, qui redierũt è Babylone, tribus libris: & quartum iis adiunxit, uiſiones & prophetias ſuas, cùm aliàs, tum præſertim ob liberationem decem tribuum à Salmanaſſare Aſſyrio olim abductarum admirabiles.

ACHIAS Silonites, è tribu Iuda, Solomoni decem tribuũ defectionem prædixit: item Hieroboami idololatriam, quòd par bucularum illum à Domino auerſurum eſſet. 3. Reg. 11. Idem Hieroboami uxori, mutato habitu ad ſe uenienti, prędixit mortem Abiæ filioli: præterea calamitatem totius generis, propter idololatriam. 3. Reg. 14.

IADON uates Hieroſolymitanus, Hieroboamo Iſraëlitarum reg[redacted]tulo aureo, quem Bethele erexerat, ſacrificanti, ſuperu[redacted] eique prædixit, oriturum de ſtirpe Dauidis regem Ioſi[redacted], qui ſuper ea ara ſacerdotes ab Hieroboamo inſtitutos mactaturus eſſet (id quod factum eſt poſt CCCLXI annos, ſub rege Ioſia. 4. Regum 23.) & in eius rei fidem aram iam tum commota ſtructura ruituram. Rex manu protenſa ab altari hominem prehendi iubet: & ſubitò illa exaruit, diffiſſaq; eſt ara, & effuſus ex ea cinis. Rex territus, manum ſibi reſtitui petit. Propheta precibus ſuis impetrat: neq; tamen inuitante rege cum eo cibum capere uult, Domino uetante, ſed alia uia domum reuertitur. Ibi tunc Bethele pſeudopropheta quidam ſenex, ueritus ne Iadon in maiore gratia apud regem eſſet, eum inſecutus, ſe quoque prophetam [redacted] hanc [redacted] pœnas morte [redacted] igitur aſino [redacted] à le-o [redacted] da-uer pr[redacted] ophe-ta, qui eius cor[redacted] cum eo poſt fata humaretur, filiis ſuis p[redacted] oſſibus cõmixtis. Nam uerum uaticinium Iadonis fore metuens, ne cadauer ſuum è ſepulcro aliquãdo erueretur, hac ratione prouidere uoluit. Mox Hieroboamum regem adit, & Iadonis interitum commemorat, eiuſq; uaticinium eleuat, regemq; in idololatria ita confirmat, ut indies ſceleratior efficeretur. 3. Regum 13. & Ioſephus lib. 8. c. 9. Antiq.

OSEAS filius Beeri, in Belomoth ex tribu Iſacchar genitus, ſub Hieroboamo Ioæ F. Iſraelitarum, & Achazo Iudæorum regibus, de aduentu Chriſti & apoſtaſia gentis ſuæ uaticinatus eſt.

HELIAS Leuita, ex Thęsbis Arabiæ Galaaditidis, ter ignem è cœlo deduxit, imbrem lingua ſua geſtauit, filium Sareptanę uiduæ Ionam (qui propheta poſtea euaſit) reſuſcitauit, curru igneo in cœlum auolauit.

HELISÆVS Saphati F. ex Abelmuth, editus in Galgalis: eodem die bos aurea in Selom clamore horrendo uociferata eſt, interitum ſui metuens. Ab aratro uocatus ab Elia, iniectu pallij eius prophetare cepit. 3. Regum 19. Elia rapto in cœlum, ſpiritu eius repletus eſt, & ſtupenda fecit miracula, maiora etiã quàm Elias, utpote qui duplo eius ſpiritu præditus eſſet. 4. Reg. 2. & ſeq. Aquas in Hiericho amaras conuertit in dulces. Mortuos reſuſcitauit. Naaman Syrum à lepra ſanauit: puerum ſuum Giezi contrà leproſum reddidit. Fatò functus, attactu ſuo mortuũ ſuſcitauit. De Chriſti aduentu multa uaticinatus eſt. 3. Regum 17. & ſeq. Ioramũ Iſraelitarum regem ſæpe monuit de inſidiis, quas ei Benadadus Syriæ rex tendebat. Conſilia enim ſecretiſſima diuinitùs ſciebat Eliſæus. Eum igitur tanquam proditorem capere cogitauit Benadadus, ſed fruſtrà.

ABDIV ex Sichem, agro Leththachamar oriundus, ter ſemicẽturionem egit. Huic cùm Helias propheta peperciſſet, relicto rege ſuo, Heliæ adhæſit. 4. Regum 1.

IONAS Amittai F. ex terra Cariathamaum, non procul ab Azoto urbe Græcorum, mari uicina. Filius hic fuit uiduæ Sidoniæ in Sarephtha, ab Helia propter hoſpitalitatem à morte reſuſcitatus. Hic poſtea ad Niniuitas miſſus, & à ceto in mari Cilicio abſorptus, in Euxino poſt tres dies eiectus, Niniuitis prædicauit. Vixit ſub Hieroboamo II. Iſraelitarum rege. Ioſephus lib. 9. Antiq. cap. 11. Si cæteri propter ſcriptas prophetias de Chriſto magni habentur: hic propter reſurrectionis Meſſiæ typum, quẽ ſuo expreſſit corpore, maximus cenſendus erit.

ODEDVS uates Samariæ Pekam regem Iſraelitarum, ducenta millia captiuorum è Iudæis abigentem, admonuit, ut eos omnes remitteret, alioqui iram Dei grauiſſimam [illegible]rum. Deum enim uictoriam ei conceſſiſſe propter Achaz Iudæorum regis ſceleratuetare tamẽ, ne fratres ſuos ca[illegible] ducat. 2. Paralip. 27.

ZACHARIAS, Ioiadæ ſacerdotis filius, Ioannis Baptiſtæ parens, quem Herodes interfecit iuxta aram templi, cùm ſacerdos eſſet: Hieroſolymitanus erat de familia Dauid. Poſt cędem illius uariis ſpectris templum repletum fuit: nec oracula ampliùs ex âdyto dabantur, nec ex Ephod ſacerdotes aliquid colligere poterant.

SIMEON Iuſtus è tribu Aaron pontifex Hieroſolymitanus, oraculum acceperat à Spiritu ſancto, nõ priùs ſe moriturũ, quàm Saluatorem uidiſſet. Eum igitur à Maria matre in tẽplo oblatum ulnis excepit, & præclarum illum hymnum cecinit, Nunc dimittis. Lucæ 2.

IOANNES Baptiſta, filius Zachariæ & Elizabetæ, ex tribu Leui, digito nobis oſtendit agnum Dei: prophetarum omniũ nouiſſimus: qui iuuenis, iam iuuenem Chriſtum, non quidem futurum prædixit, ſed tamen incognitum prophetica cognitione monſtrauit: propter quod ipſe Dominus ait: Lex & prophetæ uſque ad Ioannem. Auguſt. lib. 17. de Ciuitate Dei, cap. 24. Ab Herode, propter Herodiadem capite multatus fuit.

AGABVS unus è LXXII. diſcipulis uates Hieroſolymitanus, Chriſtianus, Antiochiæ famem prædixit totius orbis, quæ ſub Claudio Cæſare accidit. Actorum 11. Idem Cæſareæ arrepto Pauli apoſtoli cingulo, & colligatis ſuis manibus ac pedibus, Sic te Hieroſolymis Iudæi colligabunt, dixit. Actorum 21.

Philippus Euangeliſta FILIAS quatuor uirgines habuit Cæſareæ, quæ uaticinabantur, & Paulo apoſtolo uincula prædixerunt. Idem.

Paulus Diaconus ait, BAVDOLINVM quẽdam, uitæ ſanctitate conſpicuum, prophetico ſpiritu claruiſſe, regnãte apud Longobardos Luitprando.

Fuit & eo tempore alter, THEOLAPIVS nomine, qui præſago ſpiritu multa prædixit futura.

Theodoſius Magnus contra Eugenium tyrannum mouens, IOANNEM monachum in Thebaide uaticinij laude florẽtem ſibi conſulendum putauit, cuius reſponſa proximo Maximi bello uera fuiſſe cognouerat: atque Eutropium eunuchum in Aegyptum miſit, ut aut uirum ſanctum ad ſe adduceret, aut de belli, quod animo moliebatur, euentu conſuleret. Ioannes autem, cùm uenire abnuiſſet, uoce oraculum edidit, ac uictoriam illum relaturum, uerùm non incruentam, reſpondit. Qua uoce Theodoſius excitatus, alacri inde, atque erecto animo ſeſe ad humana & pecuniarum, & uirorum, equorumq; præſidia comparanda conuertit. Sigonius lib. 9. Imp. occid.

HOSPITIVS Dei ſeruus, apud Niceam urbem in Gallia, turri incluſus, ac ferreis cathenis uinctus, miraculis & prophetiis claruit. Longobardos in Gallias uenturos, & ſeptem ciuitates uaſtaturos, prædixit: & incolas opes ſuas abſcondere iuſſit. Hoſtes turri conſcenſa, uidentes ipſum cathenis ligatum, cauſam ab eo per interpretem ſciſcitantur. Quibus reſpondit, ſe homicidij reum eſſe. Vnus ex illis gladium ſtrinxit, ſed manus eius adeò riguit, ut eam retrahere non poſſet. Quo miraculo hoſtes territi, rogarunt Hoſpitium ut edoceret, quibus remediis ſanitati reſtitueretur. Hoſpitius impoſito crucis ſigno, eam curauit. Longobardus ſanatus ad fidem conuerſus eſt, ac monachus factus. Greg. Turon. lib. 6. cap. 6.

D. BENEDICTVS Abbas ꝓphetico ſpiritu claruit, uſq; adeò ut Totilam Gothorum regem, mutato licèt habitu ad ſe uenientem, perſonato rege repudiato, ad ſe uocarit, ſucceſſus bellicos, & quòd Romanã urbem bis occupatarus eſſet, enarrarit, ſed & mortis genus aperuerit.

PAVLINVS Nolanus epiſcopus uoluntariæ ſeruituti, ut filiũ uiduæ captiuum redimeret, Vandalis in Africa ſe ſubiiciens, ob futurorum prædictionem & miraculo & terrori Barbaris fuit.

CYRILLVS natione Græcus, Carmelita, reuelationẽ habuit futurorũ. Perſuaſit regi Armeniæ, ut ſeſe Romano Pontifici ſubiiceret: quod ille fecit anno 1181. Decemq; annos in Armenia Euangelium propagauit. Reuerſus ad locum ſuum, uiſionem habuit inter ſacra pueri elegantiſſimi, qui de futuris rebus eum inſtruxit. Mantuanus lib. 5. Faſtorum hiſtoriam hanc uerſibus deſcripſit.

NICETAS Chonarum epiſcopus, eunuchus, futurarum rerũ ita præſcius fuit, ut inter maximos uates haberetur. Nicetas lib. 7. de geſtis Manuelis.

IOACHIMVS abbas in Calabria apud monaſterium Floris

ab eo conditum, in precio fuit doctrina & diuinandi arte, quam ſub ambagibus quibuſdã præferebat, ſub Alexandro III. & Lucio II. Pp. Platina. Vide Monachos XII. ſeculi.

## MVLIERES. PROPHETISSÆ.

DEBORA mulier uates, Baracum ad prælium aduerſus Iabinum regem Chananęum & Siſaram, exercitus eius ducem, Dei iuſſu inflammauit. Iudic.

HOLDA, Sellumi Thecuæ filij uxor, uates, quam Ioſias rex Iudæorum ſanctiſſimus, reperto legis libro per Helciam pontificem, in templo conſuluit, anno regni ſui 18. Minata illa eſt grauiſſima quæq; legis tranſgreſſoribus: regi tamen ꝓpter ſtudium pietatis regnum pacatum, iuſtasque exequias denunciauit. 4. Regum 22.

ELIZABETHA, Zachariæ ſacerdotis uxor, Ioannis Baptiſtæ mater, inter propheti ſſas numeranda, quæ Virginem benedictam ſummi regis matrem agnouerit, & fœtus, quem utero geſtabat, lætitiam perceperit.

ANNA, Phanuelis F. ex tribu Aſeris, 84. annorum, cum uiro ſeptem annis uixit, reliquum temporis uidua in templo Hieroſolymis trãſegit, ieiuniis atq; precationibus Domino ſeruiens die ac nocte. Hæc Ieſum Saluatorem in templo oblatum agnouit, & prophetauit. Lucæ 2.

MARIA Aegyptia, permulta Zozimæ monacho Aegyptio nũciauit, partim futura, partim remotis in locis tũc geſta: eũq; quem antea non uiderat, nominatim compellauit, ac ſimiliter de eius abbate egit. Fulg. lib. 1. c. 6.

HILDEGARDIS abbatiſſa Germana ad Vuibertũ Gemblacenſem monachum de ſuis uiſionibus in hũc ſcribit modũ: Deus (inquit) ubi uult, ad gloriam nominis ſui, & non terreni hominis operatur. Ego quidem trementem timorem habeo, quoniam nullam ſecuritatem illius poſſibilitatis in me ſcio. Sed manus meas ad Deũ porrigo, quatenus uelut penna, quæ omni grauedine uirium caret, & quę per uentũ uolat, ab ipſo ſuſtineat: nec ea, quæ uideo, perfectè ſcire poſſum, quamdiu in corporali officio ſum, & in anima inuiſibilis: quoniam in his duobus homini defectus eſt. Ab infantia autem mea, oſſibus ac neruis ac uenis meis nondũ confortatis, uiſionem hanc in anima mea uſque ad præſens tẽpus ſemper uideo, cùm iam plus quàm ſeptuaginta annorum ſim, animaque mea, prout Deus uult, in hac uiſione ſurſum in altitudinem firmamenti, & in diuerſitudinem diuerſi aëris aſcendit, atque inter diuerſos populos ſe dilatat, quamuis in longinquis regionibus & locis à me remoti ſint. Et quoniam hæc tali modo in anima mea uideo, idcirco etiam ſecundùm uiciſſitudinem nubium & aliarum creaturarum ea conſpicio. Iſta autem nec exterioribus oculis uideo, nec exterioribus auribus audio, nec cogitationibus cordis mei, nec ulla collatione quinque ſenſuum meorum percipio: ſed tantùm in anima mea, apertis exterioribus oculis, ita quod nunquam in eis defectum ecſtaſis paſſa ſum, ſed uigilanter die ac nocte ea uideo. Libro primo uitæ eius, capite octauo.

HEDVIGIS, uxor Henrici Barbati, Vratislauienſium ducis, circa annum 1220. prophetico ſpiritu dotata fuit. Eius rogatu maritus Trebnicienſe monaſterium, tertio à Vratislauia milliario, maximis ſumtibus exædificauit, & puellis Ciſtercienſis ſectæ attribuit. In eo poſtea degens ipſa, neque ęgrotum maritum uiſere, neque mortui funus deducere, aut obuiam ei prodire uoluit: ne quo rerum humanarum cõmercio animus eius à diuinis auocaretur. Quinetiam cæteris uiris iuxtà ac mulieribus plangentibus & lamentantibus, ſola moderatè coniunctiſſimi mariti mortem tulit: impiũ eſſe uoluntati diuinæ aduerſari, dictitans. Ac ne uiuentẽ quidem illum ſæpè adiit, niſi fortè, ut egenis & iniuria affectis opitularetur. Communi enim conſenſu totos ferè triginta annos diſiuncti & continentes uixére: ex quo tempore Henricus barbam promiſit, atque inde Barbatus uocitatus eſt. Eius filio Henrico V. Pio ad Ligniciam à Tartaris cæſo, monachas & nurum, lamentantes, & pectora plangentes comiter conſolata, gratias egit Deo, quòd eius munere [illegible] filium peperiſſet, cuius ipſa uiuentis pietatem ſummam in ſe experta ſemper eſſet, quiq; ad extremũ pro religione & populo ſuo uitã alacer proieciſſet. Anno altero poſt maritum obiit, à Chriſto nato 1243. ſeptimo Idus Octobris. Corpus eius, quod croceum, dum uixit, propter rationem uictus duram atque tenuem, aſſiduaq; ieiunia fuerat, poſt mortẽ inſoluto ſplendore coruſcaſſe fertur. Tertio & uiceſimo anno pòſt, à Clemente pontifice in numerum ſanctorum relata eſt. Cromerus lib. 8.

## IVVENES, SENES.

[redacted]

# PROPHETÆ DÆMONIACI, QVI DÆMONIS INſTINCTU UERA PRÆDICUNT.

*Ex Effectu hi quoque inter Prophetas recipiendi ſunt, quandoquidem prædictionis ueritatem euentus ipſe demonſtrat. At ſi Efficientem ſpectes, patrem ſcilicet mendaciorum diabolum, horumq; præſagia cum diuinis conferas oraculis, Pſeudoprophetis certè annumerandi erunt. Obſeruandum & illud, in Iudæorum, Chriſtianorum & Iſmaelitarum prophetis dæmoniacis enarrandis, ſolius prædictionis rationem haberi: reſpectu doctrinæ, ad Hæreticos referendos eſſe. Cùm autem ij, qui falſa docent, ſua mendacia futurorum prædictione utplurimùm ornare uelint & confirmare, iccircò ex Titulo Hæreticorum multa exempla huc transferri poſſunt.*

## VIRI APVD

### IVDÆOS.

BALAAMVS Beeoris F. qui Pethoræ in Syria ad Euphratem habitabat, ariolus fuit, conductus à Balaco Sephoris F. rege Moabitarum, ut diris ageret Iſraelitas, qui duce Moſe eius regnum inuadebant. Cùm in itinere eſſet, angelus Domini eius aſinæ obſtitit ſtricto gladio. Quem cùm aſina declinaſſet, & Balaamus eam improbiùs cæderet, cepit loqui aſina, & cum eo expoſtulare. Tunc tandem aperti ſunt oculi Balaamo, ut angelum uideret, qui ei præcepit, ut iret quidem cum Balaaci legatis, ſed ea tantùm loqueretur, quæ Dominus ei ſuggereret. Iuit ergo, & terà Balaaco productus ad deuouendos Iſraelitas, Domini oraculum conſulens, eos fauſtis ominibus proſecutus eſt, & præclarè interim uaticinatus de ſtella oritura ex Iacobo, & ſceptro ex Iſraele profecturo, quod omnes Moabitarum principes perdomaret. Numeri 22, 23. 24.

### ETHNICOS.

*Conſule Titulum Sacerdotum, item Poetarum uatum, & Poetriarum, quatenus poetico metro oracula fundunt.*

A Pindaricis proditum interpretibus, ſcimus Argonautas tribus uſos uatibus, MOPSO Ampycis filio, IDMONE Abãtis, deniq; AMPHIARAO Oiclis. Cælius libro 29. cap. 15. Antiq. Lect.

ABARIS Seuthæ F. ex Hyperboreis Theologus, ſcripſit oracula regionibus quas peragrauit, quæ hodieq; extant. Prædixit is quoq; terræmotus, peſtes & ſimilia; ac cœleſtia. Ferunt eum, cùm Spartam aduenifſet, Lacones monuiſſe de ſacris mala auertentibus, quibus peractis, nulla poſtmodò Lacedæmone peſtis fuerit. Apollonius in Mirabil. hiſt.

AEDESIO, Chryſanthij philoſophi Sardiani F. corpus in motu ita fuit agile, ut fidem omnẽ ſuperaret, planeq; iuxta poetas in ſublime raptum efferretur. Tanta eidẽ cum numine erat affinitas, ut capiti laurea impoſita opus non eſſet, ſed oracula uera, & ad genuinam afflati numine ſpiritus ſpeciem conformata, ſolem tantùm aſpectans funderet, quanquam nec uerſuum legem ſciret, nec dum Grammatices præcepta calleret. Eunapius in Chryſanthio.

ABAS uates, quo Lyſander Lacedæmonius uſus eſt. Eius ſtatua Delphis olim ſpectabatur. Pauſanias in Phocicis.

Spartæ ante Auguſti aram in foro ænea eſt AGIÆ effigies. Agian hunc diuinaſſe ferunt Lyſandro, claſſe Athenienſium apud Aegos flumen potiturum, præter triremes X. quæ è fuga ſe in Cyprum recepére. Fuit Agias Agelochi filius, Tiſameni nepos. Pauſanias in Lacon.

APOLLONIVS è Tyanã ciuitate Græciæ, rerum futurarum præſagiis claruit. Præuidit enim Cilicem quendam laſciuũ hominem intra diem tertium occiſum iri: & ita contigit. Aiebat, ſe cunctã facere deo conſultore, & duce dæmone: ſcireq; omnium linguas, & hominum cogitationes introſpicere, futura præuidere, & iam præterita diuinitùs cognoſcere. Somnia interpretabatur, declarabat portenta, damnabat animalium ſacrificia. Eius uitam compendioſè ſatis deſcribit Volaterranus ex Philoſtrato.



ARVNS uates Thuſcus, cuius peritiam in diuinando deſcribit Lucanus:

Hæc propter placuit Thuſcos de more uetuſto
Acciri uates: quorum qui maximus æuo
Aruns, incoluit deſertæ mœnia Lunæ,
Fulminis edoctus motus, uenasq; calentes
Fibrarum, & motus errantis in aëre pennæ.

ASTYLVS Centaurus, Ixionis filius, quum diuinandi peritia clareret, fratres ſuos monuit, ne bellũ contra Lapithas molirentur. Idem prædixit Neſſo uulnus, quod ab Herculis ſagitta erat accepturus. Ouidius in Metam.

ASTYPHILVS Poſidoniates, Cimoni Athenienſi (cui familiariſs. erat) mortem prædixit ex præcedentibus prodigiis. Plut. in Cimone.

Vetuſtiſſimus uates, BACIS ex Bœotia, nympharum inſtinctu diuinaſſe creditur. Pauſanias in Phocicis.

BESSI uates Bacchi apud Thraces. Herodotus lib. 1.

BRANCHVM ferunt Apollinis fuiſſe filium, cui pater diuinãdi artem conceſſerit. Strabo ait, eum ſacerdotum fuiſſe delubri Apollinis Didymæi. Ab eo Branchidarum oraculum apud Mileſios. Vide Tit. Oraculorum loca.

CALLIAS uates Elæus, Amyclis uaticinia reddidit.

CLEANDER uates Arcadicus, apud Herodotum.

CHOREVS ſacerdos fuit Cybeles, diuinandi peritus. Virgilius libro 11. Aeneidos.

CHRYSES uates Apollonis, cuius filiam Chryſeidem quum Græci rapuiſſent, deo iniuriam ulciſcente, peſtilentia in ſuis caſtris laborarunt.

De CVRETIBVS, Corybantibus, Cabiris, Idæis Dactylis, Satyris, dæmonibus quibuſdam, ſeu potiùs à dæmone agitatis hominibus ſacris, uide Strabonem lib. 10.

ENARIES diuinaculi ſunt apud Scythas. Herod. libro 4. Ex Hip. de Aëre aquis locis uidentur Ἀνανδριεῖς appellari, quoniam impotentes ad uenerem.

EVENVS uates Apolloniates, initiò paſtor. Quo dormiente, quum lupi 60. gregem inuaſiſſent, oueſq; ad unã trucidaſſent: re cognita, uocatus eſt in ius, & iudicum ſententia excæcatus. Mox tamen inſitam obtinuit diuinationem, habuitq; filium Deiphonum, qui Corinthiis uaticinabatur. Herodotus in Calliope.

Ariſtophanis interpres in Comœdia, cui titulus Σφῆκες, EVRYCLES inquit engaſtrimythos celebre nomen Athenis indeptus [illegible] qui per aſſiſtentem dæmonẽ, uera prorſum uaticinaretur. Proinde Engaſtritæ ac Euryclitæ diuinaculi omnes ab hoc appellati. Cur uerò engaſtrimythi uocentur, aperit liquidò Poeta ipſe, quum ait:

Μιμησάμενος τὴν εὐρυκλέους μαντείαν καὶ διάνοιαν,
εἰς ἀλλοτρίας γαστέρας ἐνδὺς, κωμῳδικὰ πολλὰ χέασθαι.

Imitatus, inquit, Euryclis uaticinium & mentẽ, in alienos ingreſſus uentres, comica multa effudit. Cælius lib. 8. cap. 10. Antiq. Lect. & Suidas.

EVRYPYLVS uates Græcus, quem Sinon Virgilianus ait Apollinem conſuluiſſe ſuper ſimulato Græcorum reditu in patriam. Eſt & Eurypylus uates medicinæ apud Plinium libro 11. Natur. hiſtoriæ.

GALEOTÆ uates in Sicilia & Attica, à Galeote Apollinis filio. Hos ſolebat conſulere Dionyſius tyrannus.

HELENVS Priami F. uaticinio clarus, cùm ex lapide Siderite urbis Troianæ excidium cognouiſſet, Græcis iam deſperantibus id indicauit. Orpheo auctore Euripides id eum feciſſe aſſerit, quòd Deiphobo Helenam poſt Paridis obitum inuideret. Sophocles uerò ab Vlyſſe captum, inuitum fata Troię enunciaſſe aſſerit. Zezes Iliad. ζ.

Πριαμίδης Ἕλενος οἰωνοπόλος ὄχ' ἄριστος.

HELEVS uates, Polycrati Samiorum tyranno familiaris, à Dario captus, & Democedis medici opera liberatus. Herodotus libro tertio.

IAMVS Eleus, & ab eo Iamidæ uates. Vide Tit. Augurum.

ΙΕΡΟΓΡΑΜΜΑΤΕΙΣ, ſacri ſcribæ apud Aegyptios. Horum quidam regi prędixit, genitum iri quendam apud Iſraelitas, qui Aegyptios afflicturus, Iſraelitas aucturus eſſet, & uirtute omnes ſuperaturus, & gloriam immortalem conſecuturus: de Moſe loquens. Suidas.

IDMON Apollinis & Aſteriæ filius, & ex Argonautis unus, claruit uaticinio. Hunc à ſerpente occiſum ferunt. Seneca in Medea. Ex Idmone autem & Teſtia Teſtor, è Teſtore Calchas uates, ut placet Pherecydi apud Volat. lib. 16. Cõmentariorum urbanorum.

LAMPON ſacrificus, & uates oraculorum, ſolitus iurare per anſerem, uelut auem auguralem. Rauiſius.

LAMVS Apollinis filius, fatidico ſpiritu magnum apud ueteres nomen adeptus eſt. Idem.

LAOCOON uates Troianus, prædixit Græcos in fatali Sinonis machina deliteſcere: Troianosque obiurgauit, quòd eã in urbem admiſiſſent. Virgilius lib. 2. Aeneidos.

LICHAS uates apud Pauſaniam in Laconicis.

LYCVS Pandionis regis Athenienſium filius, uates, qui Magnarum dearum initia Andaniæ (quæ urbs eſt Meſſeniæ) q̃ auguſtiſſima quamq; celeberrima effecit, Eleuſine deportata iam olim à Caucone Oleni F. Phlyi terrigenę nepote, ut memorant Athenienſes. Pauſanias in Meſſenicis.

MEGISTHEVS uel Megiſtias, patria Acarnas, oriundus à Melampode, clarus uaticinio. Floruit ætate Leonidæ Spartani: & quum ſuorum cladem apud Thermopylas præuideret, eos tamen deſerere noluit. Herod. lib. 7.

MELAMPVS Amythaonem uatem, patrem habuit: filium ipſe Ioclen genuit: Ioclis naſcitur ſatu Amphiaraus. Cuius Alcmęon fuit, qui Clytium ſuſcepit è Phegei filia. Hic Elin migrauit, ab auunculis ſecedens, quòd eos cædem ſciebat Alcmæoni machinatos. Hinc Clytidum familia fatidica. Pauſanias lib. 6.

MILTHAS uates, quo in explicãdis prodigiis Dion uſus eſt. Plut. in Cimone.

Plinius lib. 7. ait, maximam fuiſſe diuinitatẽ MELAMPODI apud Græcos, apud Romanos Martio.

MOPSVS omnium uatum peritiſſimus, unus eorum, qui Argonautis futura prædixerunt. Cum hoc in certamen deſcendit Calchas: uictusq; dolore animi in fata conceſſit. Adagiũ fluxit in uulgus, Mopſo certior: de eo, qui citra mendacium futura præuidet & enunciat. Fuit Mopſus Ampyci filius. Ouid. lib. 10. Metamorph. Seneca in Medea. Val. Flac. lib. 1. Argon. Fuerunt & alij eiuſdem nominis, ut Mopſus Tireſiæ filius, de quo ſub Tireſia: alius etiam, è cuius nomine Attica regio Mopſopia uocata eſt.

MVSÆVS Antiophemi F. Orphei diſcipulus fuit, eiusq; lyram poſt mortem obtinuiſſe dicitur: quam, quòd ea indignus eſſet, Iupiter in cœlum tranſtulit, Arati interprete teſte. Theogoniam primus ſcripſit, & Sphæram inuenit.

NAVTES uates Troianus apud Virgilium quinto Aeneidos, dum incenſæ ab Iride in Sicilia comburerentur Aeneæ naues, docuit hoc ipſum fieri Iunonis odio, ut Latio Troianos auerteret: monuitq; Aeneam, ne ſuccũberet calamitatibus, ſed inuicto perſiſteret animo.

Romani cùm in Tarpeio fodientes delubro fundamenta, caput humanum inueniſſent: miſſis ob id à Senatu legatis, Hetruriæ celeberrimus uates OLENVS Calenus, præclarũ id fortunatumq; cernens, interrogatione in ſuam gentẽ transferre tentauit, ſcipione priùs determinata templi imagine in ſolo ante ſe: Hoc ergo dicitis Romani, Hîc templum Iouis opt. max. futurum eſt? hîc caput inuenimus? conſtantiſſima Annalium affirmatione, tranſiturum fuiſſe fatum in Hetruriam, ni præmoniti à filio uatis, legati Romani reſpondiſſent: Non planè hîc, ſed Romæ inuentum caput dicimus. Iterum id accidiſſe tradunt, cùm in faſtigium eiuſdem delubri præparatæ quadrigæ fictiles in fornace creuiſſent: & iterum ſimili modo retentum augurium. Plinius libro uigeſimooctauo, cap. 2.

ONOMACRITVS ſortilegus apud Athenienſes, & Muſæi ſocius, quem Hipparchus Athenis expulit. Herodotus in Polyhymnia.

OPHIONEVS Meſſeniorum uates, cùm ortu cæcus eſſet, huiuſmodi diuinationis genere utebatur. Quærebat de conſultoribus ſuis, quid quiſque uel priuatim uel publicè egiſſet, & inde futura coniiciebat. Hic uiſum recepit, cùm ingenti capitis dolore laboraſſet. Nec multo pòſt iterum uiſum amiſit, ſigno euidenti, calamitatis Meſſanæ imminentis. Pauſanias libro 4.

PAGES Braſilienſium Indorum uates. Oſorius libro ſecundo, rerum Emmanuelis.

PERIPOLTAS uates Theſſalus, Ophelten regem ſuoſq; in Bœotiam populos deducens, familiam multis deinde temporibus nobiliſſimam ex ſe reliquit.

PHILOCHORVS Athenięſis uates, extinctus eſt inſidiis Antigoni Macedoniæ regis, quòd ueniſſet in ſuſpicionem contractæ cum Ptolemæo rege amicitiæ. Scripſit libris 17. res geſtas Athenięſium, & reges & magiſtratus uſq; ad Antiochũ deum: item lib. 4. de Vaticinio. Suidas.

POLLES uates, Ἐνόδια, hoc eſt, auguria occurſuum in uiis ſcripſit: ut, Si quis hoc geſtans occurrerit, hoc ſignificat. Suidas.

POLYBIVS Corinthius, filio Troiam proficiſcenti & multis aliis, mortem prędixit. Cicero.

Fuit in Lesbo uates, PRYLIS nomine, Cadmi, hoc eſt Mercurij filius, & Iſſæ nymphæ, qui appulſis in Lesbum Græcis, ab Palamede permulctus donis, captiuitatis Ilij modũ eſt pręfatus, equi durij, hoc eſt lignei, ratione præmonſtrata, intra quem delituerint tria millia hominum, quinquaginta additis: uel (quod uerius) ΚΓ, id eſt uigintitribus tantum: illud planè poeticum, hoc uerò hiſtoricum. Cælius libro 29. cap. 25. Antiq. Lect.

SCIRVS, uates Eleuſinius, à cuius nomine Minerua Sciras dicta eſt.

SOSTRATVS Athenienſis, Xerxis aduentum in Græciã prædixit. Herodotus.

SPVRINA uates C. Iul. Cæſarem monuit, ut Idus Martias caueret, Tranquillo teſte. Eoq; die interfectus eſt à M. Bruto & Caſſio & coniuratis, in Senatu, XXIII uulneribus. Volaterranus libro decimonono.

STILBIDES, uates optimus: inter eos, qui oracula uetera enarrant, probatus, & celebris. Suidas.

TELLIAS Eleus uates, Phocenſibus contra Theſſalos ſtratagematis excogitandis magno fuit ſubſidio. Pauſanias in Phocicis.

THRASYBVLVS Eleus, multis præſagiis nobilitatus, quo etiam titulo ſimulacrum meruit in Olympia. Rauiſ.

THYODAMAS filius Melampodis, diuinandi peritus. Statius libro octauo:

> Inſignem fama, ſanctoq; Melampode cretum
> Thyodamanta uolunt, quo cum ipſe arcana deorum
> Partiri, & uiſas uni ſociare ſolebat
> Amphiaraus aues: tantæq; haud inuidus arti,
> Gaudebat dici ſimilem, iuxtaq; ſecundum.

TIRESIAS Thebanus uates, in uia ad Haliartũ diẽ ſuũ obiit. Filia eius MANTO, cùm Argiui Thebas cepiſſent, captiua Delphos abducta, iubente oraculo, cum cæteris captiuis coloniam in Aſia deduxit. Ad Claron igitur, Apollinis templo claram, egreſſis, Rhacius Cretenſium dux, qui paulo antè Colophonem deduxerat coloniam, occurrens, Manto in uxorem duxit. Natus inde Mopſus, qui omnes Lelegas è ditionis ſuæ finibus eiecit. Pauſanias in Achaicis.

### CHRISTIANOS.

*Vide Titulum Magorum & Hæreticorum.*

D. Aug. lib. I. contra Academicos meminit ALBICERII diuinatoris Carthaginenſis, ſceleſtiſ. ſed cuius reſponſa ueriſſima eſſe multis experimentis cõſtabat. Cochlearij amiſſi cauſa à quodam aditus, primo ſtatim aſpectu non ſolùm quid quæreret, ſed & cuius eſſet, & ubi lateret, citiſſimè ueriſſimeq; indicauit. Cùm puer mercedem illi ferre iuſſus partem numorũ ſubtraxiſſet, coëgit illum ante oculos heri quos abſtulerat reddere, priuſquàm aut puerum, aut numos ipſos uidiſſet. Flaccianus, qui fundum emerat, illum interrogauit. Poſſet ne id, quod eo die egiſſet, ſubodorari? Tum ille non modò fundum emtum, ſed & nomen inſolens admodum & barbaricum pronunciauit. Cuidam flagitanti, ut diceret, quid ſecum ipſe tacitus cogitaret? Virgilij uerſum reſpondit. Cumque ille, quem nam, peteret? homo literarum imperitus uerſum illum non recitauit tantùm, uerumetiã cecinit.

Iſaacius Angelus, Imperator Græcorum, ad Radœſtum maritimam urbem profectus, BASILACIVM conuenit, inuſitatæ uitæ hominem, eamque opinionem apud omnes conſecutum, quaſi futura præuideret, atque prædiceret. Is uerba confuſa inter ſe diſſidentia & perplexa fundebat. Mulierum ad ſe uenientium mammis exploratis & talis contrectatis, obſcura promebat oracula: ad pleraſque quæſtiones nihil reſpondebat, ſed ſuas diuinationes diſcurſationibus & inſanis geſtibus peragebat. Aſtabant ei cognatæ aniculæ, quæ conſultoribus explicabant, quid illi Baſilacij geſtus rerum futurarum deſignarent: & taciturnitatem, ut ſapientem orationem interpretabantur. Imperatori ſalutanti nihil reſpondit, neque tacito nutu capitis gratias egit, ſed huc atque illuc, inſtar hominis furioſi ſaltans, accedentibus maledixit, Conſtantino Meſopotamitano inprimis, qui tum Iſaacio familiariſſimus erat. Tandem ſcipione, quem manibus geſtabat, imaginis Imperatoris, quæ in eius oratoriæ cellæ pariete depicta erat, oculis eraſis, etiam pileum de capite auferre ſtudebat. Imperator, eo ut deliro deſpecto receſſit. At non multo pòſt à fratre Alexio & oculis & imperio priuatus eſt, & opinio de Baſilacio confirmata eſt, quæ anceps priùs, & in pleriſque dubia fuerat. Nicetas libro 3.

VXII uates, quos ſeculum noſtrum Cinganos uocat, Michaeli Traulo Phrygi, humili genere nato, prædixerũt imperiũ. Is Leoni V. Imperatori ita adhæſit, ut & compater eius factus, & Comes domeſticorum creatus ſit. Eodemq; occiſo, optimatum fauore euectus eſt ad Imperium. Cuſpinianus & Cedrenus.

Hector Boëthius in rebus Scoticis conſtantem fuiſſe famam, inquit, MERLINVM ex incubi & nobilis Britannici ſanguinis feminæ concubitu genitum eſſe. De eo ſic Vincẽtius libro 21. Hiſt. cap. 30. narrat: Vortigernum regem, conſilio capto quid ad ſui tuitionem facere deberet, iuſſiſſe acciri artifices, qui turrim fortiſſimam extruerent. Sed cùm eorum opera tellus abſorberet, ſuaſum eſt regi, ut hominem ſine patre inquireret, cuius ſanguine lapides & cementum cõſpergerentur, quaſi eo modo ſtabile redderetur cementum. Inuentus igitur adoleſcens, Merlinus nomine, cum matre adducitur coram rege, quæ illum ex ſpiritu in hominis ſpecie conceptum eſſe fatebatur. Merlinus hic multa obſcura reuelauit, & futura prædixit. Aperuit enim, ſub fundamẽto eſſe lacum: ſub lacu duos latere dracones, quorum unus rubens populum Britonum, alter uerò albus Saxonum deſignaret: ſimulq; uaticinatus eſt, Aurelium Ambroſium, deuicto Hengiſto, & combuſto Vortigerno, regnaturum. Vierus libro ſecundo, capite quadrageſimoſexto, de Præſtigiis dæmonum.

Eo ſchiſmate, quod grauiſſ. fuit inter Vrbanum VI. & Clementem VII. quidam barbatus eremita, uiſione, ut ferebat, admonitus, ex Gallis ueniens Romam, Vrbanum interpellauit uerbis Dei, ut pontificatu, uero pontifici Clementi cederet, alioqui diuinam ultionem ſubiturus. Interrogabat pontifex, unde noſſet uiſionem ueram, non illuſionẽ phantaſticam, neque diabolica eſſe figmenta. Nihil ille dixit probabile, ſed quæſtionibus ſe ſubiici petebat. Gemmam inſignem præferebat in auro. Hoc non eſſe eremiticum, quum diceret Vrbanus: ille ſe dono & iuſſu, ſanctiſſimi in Chriſto patris, domini Clementis eum ferre aſſeruit. Eam quum poſceret uiſendam pontifex, tradidit proximè adſtanti ex familia: Vide, inquit, ſi quid eſt magicum in ea, cuius te rei peritiſſimum aiunt. Subiectum quæſtioni eò tandem perpulit, ut fateretur diabolica eſſe figmenta. Voluit igne ſumere de eo ſupplicium: ſed interceſſione prælatorum Gallicorũ iuſſit, ut proxima Dominica omnia palàm, quæ dixiſſet, reuocaret, ſeque uanum, mendacem, à diabolo inſtinctum omnia protuliſſe affirmaret. Redditis iumentis & anulo, dimiſſus eſt. Cranzius libro decimo Metropoleos, capite decimonono.

Hadrianus Turnebus Græcarum literarum profeſſor regius, perſimilem Eurycli Ariſtophanis, hominem aſtutum PETRVM Brabantium ſe uidiſſe teſtabatur: qui quoties uolebat, toties ex ima corporis parte labiis immotis loquebatur: & hac ſiue arte, ſiue exercitatione, ſiue dæmonis impoſtura multis paſſim imponebat. Nam cùm Lutetiæ uirginẽ quandam formoſam, ſed patre orbatam, deperiret, nec matrem ſuperſtitem inducere poſſet, ut eam ſibi deſponderet: tandem cùm ultrò citroque hac de re colloquuntur, uocem edit è corpore, qua demortuus mulierculæ maritus de pœnarum grauitate conqueri uidebatur, quas ob uxoris diffidentiam in purgatorio perpeteretur, quòd ea filiam à Brabantio toties expetitam, optimo uiro denega[illegible]quibus illa quæſtubus exterrita, uirique miſerta, petitioni nebulonis aſſenſit: quem tamen non tam filiam, quàm dotem ei à patre in teſtamento cõſtitutam ambiiſſe, ſatis apparuit. Sex enim menſibus pòſt, ubi puellæ bona decoxiſſet, uxore ſocruque relicta, Lugdunum aufugit. Ibi mercatorem quendam ac trapezitam prædiuitem obiiſſe intellexerat. Qui cũ haberetur iniuſtiſſimus, eo quòd omnia per fas ac nefas in uita corraſiſſet, filium Cornutum, eius unicum hæredem, in porticu ponè cœmiterium obambulantem, adit: & eò ſe miſſum innuit, ut quid opus facto eſſet, doceret. Cæterùm dum ei de patris anima potiùs, ac fama, quàm morte cogitandum eſſe dicit, uox inopinatò inter loquendum patrem referens exauditur: quam cùm Brabantius ex uentre daret, ſe tamen expaueſcere mirum in modum ſimulabat. Mouebatur autẽ hac uoce filius, quem in ſtatum pater iniuſtitia ſua decidiſſet: & quantis purgatorii cruciatibus tũ ſui, tum ipſius cauſa exagitaretur, eo quòd iniquorum eum bonorum hæredem reliquiſſet: quamq; nullo modo liberari poſſet, niſi iuſta à nato expiatione facta, & debitis in eos eleemoſynis collatis, qui maximè tum temporis egebant: eos autem eſſe Chriſtianos à Turcis captos. Proinde uiro, qui cum loqueretur, crederet: hunc ad redimendos eos ad Conſtantinopolim à pijs hominibus ablegatum, eiusq; rei ergô diuinitùs ad eum miſſum. Cornutus, homo minimè malus, etſi his auditis dolum haud animaduerteret, quia tamen durum uidebatur iſtud de pecunia uerbum, ſe deliberaturum reſpondit, & Brabantium eò loci poſtridie redire iubet. Interea anxius, de loco ſubdubitabat, in quo uocem exaudierat, quòd umbroſus eſſet, ac opacus, & hominum inſidiis echoque aptus. Quare poſtero die eum in alium apertum, planum, nullisq; uepribus aut umbris impeditum locũ deducit. Vbi nihilominus eadem inter loquendum repetebatur cantilena: hoc etiam addito, ut Brabantio ſtatim ſex Frãcorum millibus numeratis, tres in ſingulos dies Miſſas redimeret pro ſalute patris, alioquin nullam apud inferos fore redemtionem. Vnde filius conſcientia ac religione obſtrictus, licèt ægrè, totidem tamen Brabantij fidei cõmiſit, omni legitimo accepti ſolutique teſtimonio neglecto. Pater ignibus ac Vulcani ictibus liberatus, in poſterum quieuit, nec filium ampliùs interpellauit. Verùm miſer Cornutus dimiſſo Brabantio, cùm ſolito lætior eſſet, idque reliqui menſarij ſatis admirari non poſſent, mox ut ſciſcitantibus cauſam



ſam aperuit, adeò ſtatim irriſus fuit à cunctis, quòd & numis & cerebro emunctus & expurgatus eſſet, ut præ mœrore poſt aliquot dies mortuus ſit, & patrem ad inquirendã ex eo rei ueritatem inſecutus fuerit. Vierus libro 2. cap. 12. de Præſtigiis dæmonum.

### ISMAELITAS.

Omnium prophetarum numerum eſſe, Saraceni aſſerunt, centum & uiginti millia. Legatorũ uerò Dei, trecentos & quindecim: inter quos, quinq; Hebræi, Adam, Seth, Eſdrick, Noë, Abraham: quinq; Arabes, Muth, Schale, Iſmaël, Schaib, Mahometus. Moſen Iudæorum primum, & Chriſtum ultimum prophetam extitiſſe, liber de Chronica Saracenorum aſſerit. Mille prophetas inter Chriſtũ & Moſen in populo Iſrael fuiſſe, & inter Chriſtum & Mahometum quatuor. Prophetis cœlitùs miſſos eſſe libros centum & quatuor: quorum quinquaginta Seth dati, Moſi Teſtamentum, Chriſto Euangelium, Mahometo Alcoranum & Alfurcam.

Credunt TVRCÆ primum magnum prophetam à Deo miſſum fuiſſe Moſen, cui datus eſt liber Tefrit, quem nos Pentateuchum dicimus: ac homines omnes, qui legem hãc cuſtodierunt, fuiſſe ſaluatos. Cùm aũt lex illa per ſocordiã ac hominũ malitiam fuiſſet corrupta, magnus iterũ propheta à Deo miſſus Dauid, librum Tzabur attulit, quem nos Pſalterium uocamus. Sed iterum ad interitũ eunte plebe, Ieſus tertius propheta magnus à Deo miſſus, nouam legem cum libro, cui nomen Ingilis, hoc eſt, Euangelium, cauſa ſalutis apportauit. Deficiente uerò & hac lege, quartũ electũ eſſe prophetã Mahometũ, qui legem cum libro, cui nomen Alcoranus eſt, à Deo acceperit. Cuſpinianus.

MAHOMETVS ex patre Abdalla, genere Perſa ſeu Arabe, & matre Emina Iudæa natus eſt, poſthumus, circa annum Domini 597, ſeu 621. Camelorum primùm paſtor fuit: mox diuite ducta uidua, mercator: inde prophetes. Circiter annum Domini 630, iuxta Sigebertum, aut 621, iuxta Lucidum, aut 606, iuxta Robertum Cetenenſem, alterum Antichriſti regnum ſeu membrum exorſus eſt, horribili Ethnicæ, Iudaicæ & Chriſtianæ religionis confuſione, & Eccleſiæ Dei perſecutione, & Romani imperij (ut à Daniele erat prædictum) detruncatione & mutilatione. Iuuerunt autem eum duo hæretici, Sergius Neſtorianus, & Ioannes Antiochenus Arianus, & quidam Iudæi. Zonaras Tomo tertio. Paulus Diaconus libro decimooctauo rerum Romanarum, & Vincẽtius libro 23. Arte magica, & ſua aſtutia multos dementauit: licentia latrocinandi, & omnis generis ſcelera cum ſpe Paradiſi perpetrandi, plurimos ſibi coniunxit, tum Chriſtianos, tum Iudæos, tum Gentiles. Dux militiæ factus, poſt menſes 18. in Hieruſalem ſe ab Gabriele archangelo translatum, & in cœlum eleuatum, ſua myſteria finxit ſe didiciſſe. A cœlo uerò delapſus, ſocios ſibi adiunxit Eubogaram, & Haly, & Zaid: & profectus Athaiff, publicè docuit ſe prophetam eſſe, per annos decem hinc inde diſcurrens. Tandem contractis aliquot copiis, eos quos fanaticis ſuis oraculis & argutiis ad præſcriptam à ſe religionis & legum formulam perducere non potuit, minis & armis ad conſenſum cõpulit. Iacobus Curio libro ſecundo Chronicorum. Vincentius libro 23. capite 41. Vaticinatus eſt, poſt ſe duodecim ex natione Choraſe dominaturos, & poſt eos fore diſſidia. Prædixit Alcoranum decurſis mille annis interiturum. Iacobus Curio libro 2. Chronologiæ. Eius ſectæ Compendium enarrat Polydorus lib. 7. c. 8. Inuentorum.

HARDVELLES inter Perſas regulus haud ignobilis, cæterùm ingenio ac moribus propè diuinus, quum honores, diuitias, uoluptates, & cultioris uitæ commoda (quæ uulgò munera humanæ felicitatis appellantur) ueras ærumnas, fortunæque ludibria exiſtimaret, eaque palàm ageret mira animi fortitudine, quæ populus continentiæ & doloris impatiens miraretur magis, quàm imitari poſſe confideret: tantam excellentis uirtutis opinionẽ adeptus eſt, ut eum, quanquam imparem regiæ ſtirpi, Aſſimbeius Vſſumcaſſanes Perſarum rex in generum ſibi aſciuerit, tradita ei Martha, quam ex Deſpœna Caloioannis Trapezuntiorum & Ponti regis filia Chriſtiana ſuſceperat. Exiſtimauère pleriq;, regem metu potiùs rerum nouarum, quàm optimi eius uiri obſeruantia eas filiæ nuptias quæſiuiſſe, quoniam Harduelles uulgata noua religione, immutatisq; priſcæ legis myſteriis apud Tauriſium, quum è tota Perſide Armeniaque uiſendi hominis ſtudio innumeri mortales confluerent, tantum ſibi nominis ac uirium comparauerat, ut ſi ſectatores ſuos cogere atque armare uellet, magnas eum copias breui collecturum appareret. Illud inprimis, ueluti diuino ſpiritu afflatus perſuaſerat, neminem ex his poſt mortem cœleſtia regna petiturum, qui Mahometem colerent, niſi eos legis ritus ſequerentur, quos Haly, Mahometis interpres & ſocius, ſcribendo ac docendo poſteris tradidiſſet. Ea erant magna ex parte diuerſa atque aliena penitùs ab perſuaſionibus atque myſteriis, quibus Aſia omnis & Africa ea tempeſtate tenebantur. Nam Homarem alterum ex Mahometis diſcipulis, tanquam grauiùs & certiùs leges interpretantem, Halys doctrinæ præferebant. Vſſumcaſſane uita functo, Iacuppus eius filius in paternum regnum aſſumtus, ne Perſæ, qui antiquorum regum ſtirpi occultè fauebant, ſub ſpecie religionis atque ſacrorum coirent, & excitatis factionibus nouas res nondum firmato imperio molirentur. Harduellem ſubmiſſis percuſſoribus interfecit, ſectatoribus eius aut cæſis aut pulſis. HISMAEL Harduellis filius, puer adhuc confugit in Hircaniam ad Pyrchalim amicum paternum, qui ſupra Caſpium mare paucis oppidis imperitabat. Ex Harduellis uero diſcipulis unus ante alios TECHELLIS, qui poſtea Cuſelbas, hoc eſt, Rubrum caput, cognominatus eſt, ſuperato Euphrate in minorem Armeniam peruenit: poſuitq; ſedem in Antitauro monte. Ibi procul à commercio hominum in altitudinem contemplationis conditus, per aliquot annos duriſſimam uitam egit, contentus his quæ ſponte terræ atque ipſius naturæ benignitate naſcebantur. Is primò à paſtoribus uiſus & agnitus, deinde ab agricolis, qui uictus duritiem pietatemque hominis admirabantur, neceſſariis ad uitam rebus donatus eſt: ac demùm quum reſponſa daret, & iam maior homine uideretur, gliſcente in immenſum diuinitatis opinione, à curioſis in pagos tractus, ac mox inuito ſimilis in proximas deductus urbes, omnem prouinciã ſui fama admirationeque compleuit. Nec publicatis ſemel nouæ legis interpretationibus mortales defuerunt, qui (uti apud Perſas Harduelli acciderat) hominem adorarent, arbitrarenturque niſi ea iuſſa præceptaque capeſſerent, animas poſt interitum corporis, æternos ignis cruciatus ſubituras. Talia frequentiſſimis concionibus atque reſponſis quum omnibus facilè perſuaſiſſet, mobilem gentem ac ſuperſtitionibus deditam, breui ad ſui ſtudium pertraxit, iuſſitque, ut ſectatores turbinatum capitis tegumentum lintea in ſpiras circumdante faſcia pro inſigni nouæ religionis rubro colore diſtinguerent: ita ut nouæ huius hæreſeos ſtudioſi à rubro colore pileorum, Cuſelbaſæ toto Oriente uocitentur: uti Hircani à uiridi tegumento capitis, religionis ſymbolo, Bacepas, hoc eſt, uiridia capita. Mox Iſmaël ubi per ætatem licuit, paternis inſiſtens ueſtigiis, religionis ſpecie & uitæ ſimulata probitate magnam apud omnes gratiam adeptus, Sophi cognomen meruit, quod deorum interpretem ſapientemque ſignificat. His auſpiciis haud dubiè in magnam ſpẽ gerendarum rerum erectus, auunculo Iacuppo ueneficæ uxoris fraude ſublato, paternos agros & modicum illud imperium, quod dotale matris fuerat, repetere cogitauit: armatisq; ſuæ ſectæ promtioribus, & à Pyrchale regulo ſummis auxiliis, ingreſſus Armeniam, fama magis atque hominum beneuolẽtia quàm uiribus, breui paternam ditionem uindicauit. Mox eo ſucceſſu firmior factus, quum multi, qui Harduellis dogmata alieno periculoſoque tempore metu mortis deſeruerant, tunc oblato duce fiducia pleni, eandem hæreſim ſequerentur, adauctis copiis, Media ſubacta, Tauriſio Armeniæ maioris urbe, Perſarum regia, capto, Aluante Iacuppi F. qui Moratchamum fratrem regno eiecerat, & propter crudelitatem omnibus exoſus erat, acie cæſo, Perſarum regno potitus, nouam Mahometanæ ſuperſtitionis opinionem à patre ceptam, ſed metu ſopitam, reſtituit, horrenda ſupplicia iis, qui antiquam ſequerentur legem, proponens. Hæc anno ſalutis 1499. Techellis interea audiens Hiſmaëlis ſucceſſus, & ipſe è ſolitudine progreſſus, cœtus armatos agere cepit, multisque urbibus captis, tandem à Baiazetis Turcorum Imp. ducibus uictus, in Armeniam minorem fugit. Baiazetes exquiſitiſſimis tormentis Perſicæ ſuperſtitionis ſectatores affecit. Cælius Sec. Curio in Sab. ſupplem. lib. 3. ex Iouio. Cuſpinianus.

### MVLIERES. TVM IN GENERE.

Apud Mauruſios nefas eſt, uirum uaticinari, ſed FEMINÆ id muneris expediunt. Procopius de bello Vandalorum libro quarto.

Auctor Agathius eſt in Gothici belli ſecundo libro, Germanos uatibus FEMINIS uſos quandoque, ueriſſimo item euentu. Sacras uocat Plutarchus in Cæſare, ac ex fluminum uorticibus & ſtrepitu futura coniectaſſe. Cælius libro decimooctauo, cap. 20. Antiq. Lect.

ALRVNÆ mulieres fatidicæ Cimbrorum, incinctæ zonis æneis, nudæ pedibus, canis capillis, linteaque tunica & alba ueſte, quæ ſubtus fibulis annexa erat, amictæ, captiuis per caſtra ſtrictis occurrebant enſibus, quos ad humum ſternentes ad æreum pertrahebant craterem: deinde eos in ſublime tollendo, iugulum ferro aperiebant, & profluente tum ſanguine in craterem euentum belli uaticinabantur. Aliæ diſſecto uentre ex inteſtinis uictoriam interpretabantur. Inter præliandum uerò pelles ad carrucarum uelamina extenſas, crebris petebant ictibus, ut ingens ſtrepitus cum

horrore ederetur. Mazonas nos, id eſt, Viragines: Græci Amazonas uocant. Auentinus libro 1. Annalium Boiorum, ex Strabonis lib. 7.

### IN SPECIE, APVD

*Iudæos.*

Saulo regi Iudæorum PYTHONISSA, excito Samuelis prophetæ ſpectro, cladem atq; mortem prædixit.

NOADIA mulier fatidica, Nehemiæ muros Hieroſolymæ inſtauranti, Samaritanorum inſidias detexit: conſulens, ut ſeſe in fani proximi cellam mediam tanquam aſylum reciperet. Quod ille renuens, Non eum ſe eſſe reſpondit, qui fugeret, ſed Dei præſidio tutum, fani latibulis opus nõ haberet. 2. Eſdræ 6.

*Chriſtianos.*

HELENA Simonis Magi contubernalis fatidica.

In Actis Apoſtolorum capite decimoſexto, ANCILLA fuiſſe legitur adoleſcentula, ſpiritum in ſe habens, quem Scriptura uocat ἐγγαστρίμυθον, res occultas euentaque prædicentem multis, denaque mendacia uero uni dicto connectentem (prout ſalutis uiam à S. Petro & Paulo dixit prædicari) quæ ita lucro non mediocri augebat herum: diabolus uerò homines ita ſeducebat, ut ſe auctorem mendacij de ueritate conſulerent. Bodinus lib. 3. Dæmon. c. 6.

PHILVMENA puella fatidica, cuius contubernio Apelles hæreticus, aut (ut alij uolunt) Seuerus uſus eſt. Huic diabolus per phantaſma pueri habitu reſpondebat, modò Chriſtum, modò Paulum ſe eſſe dictitans. Miracula quoque fecit, inter quæ illud præcipuum eſt, quòd in anguſtiſſimi oris ampullam uitream, panem grandem immitteret, eumq; extremis digitulis leuaret illæſum, eoq; ſolo, quaſi diuinitùs dato cibo ſe contentam eſſe diceret. Teſtis eſt Auguſtinus.

PVELLA lunatica Michaëli Curopalati Imp. exitium, Leonemq; Armenium ſucceſſorem eius fore nominatim prædixit. Cedrenus, & Zonaras tomo 3.

MARIA Pſeudochriſti Gallici ſcortum & prophetiſſa. Gregorius Turonenſis lib. 10. Hiſt. cap. 24.

Scribit Cælius, fuiſſe in patria ſua mulierculam humili loco, IACOBAM nomine, ex cuius uentre immundi ſpiritus uocem, prætenuem quidem, ſed tamen ubi uellet dearticulatã & prorſus intelligibilem, audiuerit ipſe, uerùm & innumeri alij, non Rhodigij modò, ſed & tota ferè Italia: quando futuri auida potentum mens ſæpè accerſitam uentriloquam, ac omni exutam amictu, ne quid fraudis occultæ latêret, inſpectare ac audire concupiuit. Cincinnatulus dæmoni nomen erat. Hac ille appellatione geſtiens inclamanti ſubinde reſpondebat. Si de præteritis aut præſentibus ſcitareris, quę reconditiſſima forent, reſponſa dabat ſæpè mirifica. Si de futuris, ſemper mendaciſſimus. Sed & inſcitiam ſuam nonnunquam murmure incerto uel bombo uerius retegebat. Cælius lib. 8. cap. 10. Antiq. Lect.

*Ethnicos.*

DAPHNEN Tireſiæ filiam, apud Delphos ſolitam uaticinari, uerſificatione adeò præcelluiſſe memorant, ut ex eius carminibus multa ad ſui poëmatis cultum tranſtuliſſe Homerus credatur. Cælius libro decimoquarto, capite primo, Antiquarum Lect.

PELIADAS fatidicas Phemenoë Sibylla fuiſſe dicunt ætate ſuperiores, & mulierum omnium primas uerſus illos decantaſſe:

> Iupiter eſt, fuit, atq; erit: ô bone Iupiter alme.
> Quæ tribuit fruges, Tellurem dicite matrem.

Pauſanias in Phocicis.

MANTO filia Tireſiæ (à cuius nomine dicta eſt Mantua) fatidica, & rerum futurarum præſaga. Virgilius libro decimo Aeneidos. Ouidius libro 6. Metamorph. & Statius libro 10. Vide Tireſiam.

CASSANDRA Priami filia, quum Apollini copiam ſui corporis promiſiſſet, ab eodem uates facta eſt. Quum autem non ſtaret promiſſis, iratus deus fecit, ut eius uaticiniis non adhiberetur fides. Hæc prædixit futura ex Helenæ raptu infortunia. Propertius libro tertio. Vergilius lib. 2. Aeneidos, Lycophron in Caſſandra.

Alexander Priami F. Cebrenis filiam OENONEM fatidicam in uxorem duxit: pollicitus, ſe nunquam illam deſerturum. Illa prędixit ei, quòd Helenam non multo pòſt rapturus ſit: & patriam perditurus, uulneratum inſuper in bello non niſi ſuis remediis ſanatum iri. Ridebat ea tamen Alexander. Verùm rapta iam Helena, Oenone ad patrem reuerſa eſt. Vulneratus à Philoctete Paris, Oenonem per præconem accerſiri curat. Zelotypa illa, ab Helena auxilium petere iuſſit. Victa tamen amoris impotentia, feſtinabat ad Paridem. At quia præco reſponſum ab Oenone citiùs retuliſſet, præ animi moleſtia Alexander expirauit. Oenone ſuperueniens quum mortuum iam in terra iacentem uideret, ſeipſam interemit. Parthen. in Eroticis cap. 4. ex Nicandro in lib. de Poetis, & Cephalone Gergithio in Troicis.

Fauno fuit uxor, nomine FATVA, quæ aſſiduè diuino ſpiritu impleta, uelut per furorem futura præmonebat. Vnde adhuc, qui inſpirari ſolent, fatuari dicuntur. Ea Fatua à Fauno occiſa, pro dea culta eſt, appellataque Bona dea: quòd tanta pudicitia fuerit, ut nemo illam, quoad uixerit, præter ſuũ uirum, mas uiderit. Trogus, & M. Varro. Lud. Viues in lib. 18. Aug. de Ciuit. Dei, c. 15.

THEANO & EVEXIPPE, filiæ Scedaſi Spartani, ciuibus ſuis dira fata præcinuerunt. Poſtea ab adoleſcentibus Meſſeniis conſtupratæ, & in puteum coniectæ ſunt. Quod ubi reſciuit pater, animi dolore ſeipſum ad earum tumulum interfecit. Ex eo bellum cruentiſſimum exortum, quod Meſſenios primùm, deinde etiam Lacedæmonios, Thebanorum uiribus peſſundedit.

CARMENTAM, Arcadis Euandri memorant coniugem fuiſſe fatidicam, & uerſibus oracula ſolitam reddere: propterea à carminibus dictam Carmentam, cùm Nicoſtratæ uerum nomen eſſet. Alij uerò probabiliùs Carmentam interpretantur, quaſi mente carentem, ex furore fanatico. Plutarchus in Romulo. Ita non Carmentæ appellationem carmina dedere, uerùm hæc potiùs nomen ab illa inuenere: quòd fortes uerſibus & metris fanatica caneret. Plutarchus in quæſtionib. Rom.

Sibyllæ, mulieres ſunt uates Deo plenæ, ut inquit Diodorus libro quinto. Seruius 4. Aeneid. & Lactantius primo Diu. inſtit. ex Varrone Sibyllam nominatam dicunt, quaſi dei conſilium. nam Aeoles σίους deos uocant, & βυλὼ conſiliũ. Suidas λέξιν ῥωμαϊκὴν eſſe dicit, ἑρμηνευομένην προφῆτιν, Romanam uocem, interpretarique prophetiſſam, hoc eſt, uatem. Quæ uerò & quot SIBYLLÆ, quibus temporibus, quibus locis fuerint, non conuenit. Martianus Capella duas tantùm eſſe dicit, non decem: Erophilam Troianam, Marmeſi filiam, quam eandem putat eſſe Phrygiam, & Cumæã alteram Symmachiam Hippotenſis filiam, quæ Erythrę progenita, etiam Cumis uaticinata eſt. Plinius eſt auctor, Romæ trium Sibyllarum fuiſſe ſtatuas iuxta Roſtra: unam, quã Pacuuius Taurus ædil. pleb. inſtituit: duas, quas M. Meſſala. Solinus eas nominat Cumanam, Delphicam, & Erythręam Heriphilem. Aelianus in Varia hiſtoria quatuor ponit, Erythræam, Samiam, Aegyptiam, Sardianam. Iſtis alij duas addunt, Iudæam & Cumæam. Varro in libris Rerum diuinar. ad C. Cæſarem, quatuor adiungit, ut ſint decem. Nonnulli Græcorum conati ex Sibyllis facere, quod de Iouibus, Herculibus, & aliis (qui cùm multi fuerint, unicum tantùm prodidêre) uaria de Sibylla ſcribunt, & multùm inter ſe diſcrepantia. Alij eam Apollinis & Lamiæ filiam uolunt: alij Ariſtocratis & Hydolis: alij Crinagoræ, alij Theodori. Tum de patria non minùs diſſidetur. Sunt qui Erythræam tradant, ſunt qui Siculam, ſunt qui Sardinicam, ſunt qui Gergethicam, ſunt qui Rhodiam, ſunt qui Libycam, ſunt qui Leucanam, ſunt qui Samiam, quæ omnia magna ex parte de Erythræa opinati ſunt, quam dicunt ante Troiana tempora fuiſſe. Cæterùm decem Sibyllas Varronis percenſebo, ut à Lactantio ponuntur, additis, quæ mihi uidebuntur, partim ex Latinis ſcriptoribus, partim ex Græcis, ut res tota planior fiat. Prima Sibylla fuit Perſica, cuius mentionem fecit Nicanor, qui res geſtas Alexandri Macedonis ſcripſit. Hanc eandem Chaldæam eſſe dicunt, ab aliis Hebræa nominatur, cui proprium nomen SAMBETHA, urbe Noë prope mare Rubrum nata, patre Beroſſo, & matre Erymantha, cuius libri fuerunt quatuor & uiginti: ac de Chriſto Domino innumera cecinit, deque eius aduentu, cui cæteræ quoque Sibyllæ concinunt. Verſus huius paſſim legebantur imperfecti: & interdum parum cohęrentes, uitio non uatis, ſed exſcribentium feſtinanter, ita ut multa coniectura ſit opus: quod non ſine numine contigit, ne ab indignis illa uaticinia intelligerentur. Altera Sibylla fuit Libyca, cuius meminit Euripides in Lamiæ prologo. Tertia Delphica, de qua Chryſippus loquitur in eo libro, quem de Diuinatione compoſuit: hanc putant Delphis natam, dictamque THEMIN, & uixiſſe ante Troicum excidium: cuius plurimos uerſus operi ſuo Homerum inſeruiſſe crediderunt. Hanc Diodorus DAPHNEN Tireſiæ filiam fuiſſe refert, quam Argiui cùm Thebas uiciſſent, Delphos miſêre, ibique peritior diuinandi Apollinis uaticiniis facta, dei oracula conſulentibus edidit, idcirco Sibylla eſt ab omnibus cognominata. Quarta Cumæa in Italia, quam Næuius in libris belli Punici, Piſo in annalibus nominat. Hanc alij Italicam nuncupant, ex Cimerio Campaniæ, uicino Cumis oppido. Quinta Erythræa, quam Apollodorus Erythræus affirmat ſuam fuiſſe ciuem, eamq; Graiis Ilium petentibus uaticinatam, & perituram eſſe Troiam, & Homerum mendacia ſcripturum. Hanc uulgatior opinio eſt, fuiſſe ante obſidium Ilij. At Euſebius in primam ætatem urbis Romæ regnumque Romuli refert. Strabo uerò non unam ponit Erythræam Sibyllam: nam priſcam quandam facit, & aliam recentiorem ATHENAIN nomine, quæ fuerit Alexandri temporibus. Lactantius Sibyllam Erythræam Babylone natam eſſe ait, & ſeſe Erythræam appellare maluiſſe. Sexta Samia, de qua ſcripſit Eratoſthenes in antiquis annalibus Samiorum ſe reperiſſe ſcriptum, dicta eſt nomine PHYTO. Septima Cumana, nomine AMALTHÆA, ab aliis HEROPHILE, uel DEMOPHILE, uel DEIPHOBE nominatur. Suidas Hierophilem dicit, eamque nouem libros attuliſſe ad regem Tarquinium Priſcum, ac pro eis trecentos Philippeos poſtulaſſe, regemque aſpernatum, precij magnitudinem & mulieris inſaniam deriſiſſe: illam in conſpectu regis tres combuſſiſſe, ac pro reliquis idem precium poſtulaſſe. Tarquinium multo magis mulierem inſanire putaſſe. Quæ denuò tribus aliis exuſtis, cùm in eodem precio perſeueraret, motum eſſe regem, ac reſiduos trecentis aureis emiſſe. Huius facti meminerunt plerique ſcriptores, Plinius, Dionyſius, Solinus, Gellius, Seruius: qui Tarquinio Superbo libros oblatos, nõ Priſco tradunt: & Plinius tres libros, non nouem ponit, ac combuſtis duobus tertium ſuperfuiſſe. Suidas nouem libros ſcribit eam attuliſſe peculiarium oraculorum, hoc eſt, ad certum aliquem populum ſpectantium, ſed combuſtos tantùm duos. Solinus huius ſepulcrum dicit uiſi in Sicilia. Cæterùm non hanc nominat Heriphilem: Erythreæ namq; nomen hoc dat, quam antiquiorem facit Cumana. Euſebius Herophilem nec Erythræam, nec Cumanam autumat, ſed Samiam, uixiſſeque Numa rege, Leocrate Athenis archonte. Octaua Helleſpontiaca, in agro Troiano nata, uico Marmiſſo, circa oppidum Gergetium, quam ſcribit Heraclides Ponticus Solonis & Cyri fuiſſe temporibus. Nona Phrygia, quæ uaticinata ſit Ancyræ. Decima Tyburs, nomine ALBVNEA, quæ Tyburi colitur, ut dea, iuxta ripas amnis Anienis, cuius in gurgite ſimulacrum eius inuentum eſſe dicitur, tenens in manu librum. Has Sibyllas tradit Varro. Feruntur & aliæ nõnullæ, ut Colophonia, quæ dicta eſt LAMPVSIA, Calchante nata, cuius uaticinia & reſponſa carmine ſunt olim lecta: & Sibylla ELISSA, cuius etiam uaticinia extiterunt carmine. Venit etiam in numerum Sibyllarum Caſſandra Priami filia: & Epirotica Sibylla, Theſprotiæ nata, quæ oracula ſcripſit: & Theſſalica Manto, Tireſiæ Thebani filia. Poſſet & Sibylla dici Carmentis Arcas Euandri mater, & Fauna Fatua, Fauni regis ſoror & coniux. Dubitauit Didius grammaticus an Sappho Sibylla fuerit, ut eſt apud Senecam in Studiis liberalibus. Hæc Viues in librum decimumoctauum Auguſt. de Ciuitate Dei, cap. 23. Item Sabellicus lib. 3. En. 2.



Fuerunt in Græcia PYTHIÆ, quas poſſidere credebatur deus: ac propterea ἐνθουσιασμὸς dicebatur, cùm Sibyllæ aut Pythiæ, quæ in Delphica Deliáue ſpecu iacuerant ſic occupabantur, & per eas diabolus (quem uocabant Deum Apollinem) reſponſa dabat, quo facto, ab eis ſuperſedebat Dæmon. Bodinus lib. 3. Dæmonomaniæ, c. 6.

PHEMENOE uirgo, prima Delphici Apollinis uates fuiſſe dicitur, carmenq; Heroicum inueniſſe. Pauſanias in Phocicis. Plin. lib. 10. Lucanus lib. 5.

> Phemenoën errore uagam, curiſq; uacantem
> Corripuit, cogitq; fores irrumpere templi.

PHAENNIS mulier uates, tempore Antiochi uixit, qui capto Demetrio regnum Syriæ occupauit. Pauſ. in Phocicis.

C. Marius in caſtris contra Cimbros mulierem quandam Syram, MARTHAM nomine, quæ ferebatur edere uaticinia, in lectica decumbentem, magna circumducebat ueneratione, & ſacra illius monitu faciebat: quam ſenatus pridem, cũ de his diſſerere uellet, & prænunciaret uenientia, repulerat. Verùm poſtquam cum feminis cõgreſſa, documentum dedit ſui, præſertim ad pedes uxoris Marij aſſidens, eamque affata, qui eſſet ex gladiatoribus uictoriam laturus, prædixiſſet: ab ea ad Marium miſſa, in honore habebatur apud eũ, ac lectica ferè uehebatur. Ad rem diuinam puniceo amictu duplici fibulato haſtam uittis redimitam & coronamentis ferens procedebat. At hæc quidem fabula adduxit in dubitationem complures, uerè ne fidem ei Marius haberet, an ſeruiens ex compoſito huic fabulæ, oſtentaret eam mulierem. Plut. in Mario.

SOSIPATRA Alexandrina femina, ac uates doctiſſima, uxor Euſtathij Cappadocis, à quibuſdam numinib. educata dicitur. Eunapius in uita Aedeſij.

### IVVENES, PVERI, PVELLÆ.

Apud TELMESSVM Pueri ſimul & Puellæ uaticinantur, teſte Arriano. Cælius libro decimoquarto, capite primo Antiq. Lect.

## SOMNIORVM INTERPRETES, ΟΝΕΙΡΟΠΟΛΟΙ.

*Somnia diuina uidere non cuiuslibet eſt. Homerus non quoſuis ex plebe, ſed Reges tantùm & Heroes ſomniantes inducit: uel quia dignitatis ratione oracula & præſagia ad Reges potiſsimùm ſpectant: uel quia Heroes corporibus optimè conſtitutis præditi, nulla ex humorum perturbatione ſomnia habent, ſed ea tantùm, quæ à diis mittuntur: cibo præterea & potu non ita ſe obruunt, ut uapores aſcendentes ſomnia inania, uel ab humorum uel alimentorum repletione oriri ſolita, procreare poſsint. Iam uerò Somnia interpretari poſſe, diuinitùs tantùm illuminati hominis eſſe poteſt. Etſi enim naturalia multa ſunt ſomnia, quorum naturales rationes, & naturales effectus aſsignari poſſunt: fatidica tamen diuinitatem in ſe habent, & in hominem non ut mortalem, ſed ut immortalitatis particeps eſt, in mentem ſcilicet ipſam cadunt, quâ diis ſimillimus exiſtit. Heic de ipſius Habitus diuini Poſſeſsione agimus: paulo pòſt de eiuſdem Exercitatione acturi.*

ABRAHAM primus omnium inuolucra ſomniorum ſoluiſſe, ac reliquis patefeciſſe, à Philone dicitur. Cælius Rhodiginus libro uigeſimoſeptimo, capite decimoquarto, ex Iuſtino.

IOSEPHVS Iacobi filius, iam inde à pueris ſomnia futuræ ſuæ felicitatis uidit (quam ob cauſam Somniatorem eum fratres appellabant) & à germanis in Aegyptum uenditus, hac ipſa diuinandi arte & ſeipſum è tetertimo carcere liberauit, & Aegyptiorum regi Pharaoni auctor fuit, ut imminentem annonæ caritatem prouidentia ſua mitigaret. Geneſ. 37. & 40. Trogus & qui eum ſecutus eſt Iuſtinus, Ioſephum magia Aegyptiaca imbutum hæc præuidiſſe teſtatur. At ſi ab Aegyptiis didicit, cur cæteri Aegyptiorum magi ſomnium regis interpretari nequiuêre? Miror ego Cælium Rhodiginum, hominem Chriſtianum, plus fidei dare Trogo & Iuſtino, quàm ipſis ſacris literis, libro uigeſimoſeptimo, cap. 14.

Plinius libro 7. AMPHICTYONI Deucalionis filio, ſomniorum & oſtentorum interpretationem aſſignat. Pauſanias AMPHIARAVM ὀνειράτων διακρίσει excelluiſſe ſcribit in Atticis. Clemens ὁ στρωματεὺς refert TELMISSEOS excogitaſſe primos τὴν δι' ὀνείρων μαντικὴν, futurorum per ſomnia prænotionem: quod repetit & Tatianus Aſſyrius, qui pro Chriſtiana fide mortem oppetiit. Fuit autem Termiſſus Lyciæ oppidulum, Strabone teſte, non Cariæ, ut opinatur Cicero, deceptus Tragicorum auctoritate: in qua urbe aruſpicum diſciplinam excelluiſſe fatetur idem Cicero. Et Arrianus libro 2. de rebus geſtis Alexandri Macedonis, commemorat Telmiſſeos uates, à natura explicandis diuinis rebus & enunciandis futuris eſſe deditos. Gilbertus Cog. lib. 4. Narrationum.

AMPHIARAVS diuinitatis nomen ſibi arrogauit, quòd in explicandis ſomniis prudentiſſimus eſſet. Itaq; poſt mortẽ ad eius tumulum oraculum inſtitutum fuit. Eraſmus.

IVNIANVS Maius Neapolitanus, uir literatus, præterquam quòd in imbuendis doctrina pueris caſtigatiſſimæ diſciplinæ: ſomniorum quoque omnis generis ita uerus coniector fuit, ut ipſius reſponſa, diuina ferè monita haberentur. Ad eum quotidie ſomniantium turba, hominesque celebri famia & multi nominis, de ſomniis conſultum ueniebant. Declarabat definiebatque ille expoſitè atque apertè ænigmata ſeu potiùs oracula ſomniorum, ſiue boni, ſiue mali prænuncia: ita aptè, ut iudicium factum à ueridico diceres. Multi quoque illius monitu, uitæ interitum, nonnunquam animi ægritudines uitarunt. Alexander ab Alexandro libro primo, capite undecimo, hunc præceptorem ſuum in Grammaticis fuiſſe ait.

MATRONA quædam Neapolitana, multi & celebrati nominis, ſæpe referre ſolita eſt uiris bonis ac piis, quamcunque in ſomnis imaginem uidiſſet, eandem ſibi poſtera luce repræſentari. Sæpius etiam, quæ ſibi eo die euentura erant, ſomnio monita, prædicebat. Alexander ab Alexandro libro primo, capite undecimo.

## AVGVRES ET ARVSPICES.

*Qui quæuis alia ſigna diuina, quæ uigilantibus offerri conſueuerunt, explicare poſſunt, Augures & Aruſpices dicuntur. Augures quidem illi propriè, qui auium uoces, uolatum, tripudium obſeruant & interpretantur: Aruſpices uerò, qui exta conſulunt, fulgura examinant, omina, prodigia, portenta & oſtenta quælibet enarrant, ab aris inſpiciendis dicti. Qua de re Alexander ab Alexandro libro quinto, cap. decimotertio & decimonono fuſius tractat. Ex Tit. Prophetarum dæmoniacorum huc quædam: quatenus ijdem, qui afflatu diabolico uaticinantur, interdum quoque dæmones ſub auium ſpecie laruatos conſectantur. Porrò heic Poſſeßio diuinatorij habitus, ut ita loquar, perpenditur.*

*Sub Exercitationis loco Interpretationem Auguriorum particularium conſiderabimus.*

AMPHIARAVS Oiclei filius, augur & uates: quem quum Adraſtus Argiuorum rex in bellum contra Thebas uellet ducere, recuſauit: ac ne cogeretur, ſeſe occuluit, quòd præuideret, ibidem ſe periturum. Fraude tamen uxoris Eriphiles (quàm monili corruperat Adraſtus) proditus eſt, & inuitus ad bellum tractus, in Bœotia, eo in loco, qui Harma poſtea dictus fuit, cum curru & equis terræ hiatu abſorptus eſt. Statius in Thebaide.

AMPHILOCHVS rex & augur Argiuorum.

TYBVRNVM Plinius lib. 16. ait fuiſſe Amphiarai filium, peritum augurij: à quo Tyburtes populi originẽ traxerint, multò ante Romam conditam.

TIRESIAS rex Thebarum, & augur, conſultus à Ioue, utri maior eſſet in uenere uoluptas, uiró ne an feminæ? quum feminæ dixiſſet, ira Iunonis excæcatus eſt. Quam eius cæcitatem Iupiter uaticinio penſauit. Alij excæcatum ferunt, quòd Mineruam in fonte nudam conſpexiſſet. Ouidius lib. 3. Metamorphoſeôn.

Plutarchus, Apuleius & Lactantius grammaticus eatenus fuiſſe augurio nobilem MOPSVM Ampycidem ſcribunt, ut poſt mortem templa ei credantur dicata, quæ oraculi gratia ſæpe adirent homines. Atteſtatur huic rei prouerbium. namque Mopſo certior, dicitur de eo, qui mentis acumine ac rerum peritia præuidet, quid futurum certiſſimè, & prædicit. Quandoquidẽ latẽtia & penè extra hominis captum, diuinandi præſtantia creditur Mopſus egregiè peruidiſſe ac enunciaſſe. Cælius lib. 29. c. 15. A. L.

Inter uatidici ſpiritus uiros, qui celebre apud ueteres ſint nomen indepti, comperio in Eleorum hiſtoria Lamidas, de Lamo quodã Apollinis F. nuncupatione propagata. Inter hos unus egregiè memoratur THRASYBVLVS, prædictionibus multis ſanè illuſtris: quo nomine eſt icone quoque in Olympia inſignitus, in quo galeotes, id eſt muſtela (quanquam alij felem interpretantur) ad dextrum arrepere humerum aduertitur. Aſſiſtit & canis, uerùm interciſus, ac iecur patefaciens. Quod ſanè quàm mirum eſt: ſiquidem ex hœdis addiuinatio & agnis ac uitulis eſſe agnoſcitur utique perantiqua. Quin & ſuillis item extis uaticinia concipere, Cypriorum putatur inuentum. Canibus ad id qui utendum putarit, non ferè, Pauſanias inquit, compertum ad hoc æui eſt. Videtur tamen Thraſybulus hic in eo item animali inſolens excogitaſſe quippiam. Cælius libro decimotertio, capite ſeptuageſimotertio.

EVENIVS, cùm ob negligẽter cuſtoditas Solis oues excæcatus eſſet ab Apolloniatis, à diis diuinationis dono cũ DEIPHONO filio ornatus fuit. Herod. lib. 9.

Cùm Mardonius ad Platæas contra Græcos caſtra haberet, aruſpicem habuit HEGESISTRATVM Eleum. Quem, ante ea tempora Spartiatæ cùm cepiſſent, in uincula coniecerunt, morte affecturi, ut à quo multa intoleranda perpeſſi eſſent. At Hegeſiſtratus, ut erat lineis atque ferratis ſoleis uinctus, commentatus, qua ratione reliquum pedis educeret, ferro præcidit ſibi dimidium pedem, ſubrutoque muro, profugit Tegeam, noctu iter faciens, interdiu ſyluis ſe abdens, ita ut trinoctio Tegeam peruenerit, Lacedæmoniis eum paſſim quærentibus. Sanato uulnere, & ligneo pede effecto, ex profeſſo Lacedæmoniis hoſtis extitit. Ad poſtremum in Zacyntho à Spartanis interfectus eſt. Herodotus libro nono.

GALEOTÆ interpretes portentorum apud Siculos. Cic. lib. 1. de Diuin. Aelianus lib. 12.

TISAMENVS Eleus aruſpex, quinq; uictorias Spartanis peperit. Vide Tit. Ciuitate donati.

MELAMPVS filius Amythaonis, medicus & augur peritiſſimus.

IAPYS Iaſij filius, item TARCHON Hetruſcus augur apud Virgilium.

ARISTANDER & CLEOMANTES Spartanus, diuinaculi apud Plut. in Alexandro.

THEOCRITVS augur, apud eundem in Pelopida.

Ex Seruio 7. Aeneid. PICVM regem Laurentum, Saturni F. fabulãtur eſſe in picũ auem uerſum, quòd augur eſſet, & domi haberet picum, per quem futura noſceret, quod & Pontificales indicant libri. Idcirco lituus, qui eſt augurum prius, ei à Vergilio appingitur:

> Ipſe Quirinali lituo, paruaq; ſedebat
> Succinctus trabea.

ASILAS augur ſuppetias tulit Aeneæ contra Turnum. Virgilius lib. 10. Aeneid.

> -- Hominum diuûmq; interpres Aſilas,
> Cui pecudum fibræ, cœli cui ſidera parent,
> Et linguæ uolucrum, & præſagi fulminis ignes.

RHAMNETES rex & augur, cariſſimus Turno, uti etiam TOLVMNIVS. Idem lib. 9. & 12.

> Rex idem, & regi Turno gratiſſimus augur:
> Sed non augurio potuit depellere peſtem.

MÆON, uates & augur. Statius libro 2. Thebaidos:

> -- Ille hæc præuiderat omnia doctus
> Aëris, & nulla deceptus ab alite Mæon.

Hetruſco quodam arante in agro Tarquinenſi, cùm profundiùs adactus foret uomer, erupiſſe quendam TAGEM narrant, puerili effigie, ſapientia ſenili, & aratorem alloqui cepiſſe: illum uerò perterritum exclamaſſe. Ad cuius uocem finitimorum primò concurſum factum eſſe, inde gradatim progreſſa rei fama, intra dies paucos in eum agrum uniuerſam Hetruriam confluxiſſe. Puerum illum, audientibus cunctis, multa dixiſſe, dicta eius obſeruata & ſcriptis edita: ex quibus accedente longa rerum experientia, omnis aruſpicina proceſſerit: ita quid, ut licet ad alias ſerperet nationes, apud Tuſcos tamẽ præcipuum eius magiſterium uigeret. Petrarcha.

ROMVLVM mirè fuiſſe tradunt religioſum, augurandique peritum, atque eam ob ſcientiam lituum geſtaſſe. Eſt lituus bacillum incuruum, quo, qui auſpicantur, templa capiunt. Hunc in Capitolio ferunt ſeruari ſolitum, ſed capta à Gallis urbe perditum: mox eiectis illis, inter cætera incenſa omnia & corrupta, multo obrutum cinere, inuentum fuiſſe, intactũ autem ab igne. Plut. in Romulo.

ACTIVS Nauius puer, &, quod magis rideas, paſtor, Priſco Tarquinio regnante, litui uſum ſibi uſurpans, repentè quidem è ſubulco augur, uulgataque rei fama ad regem euocatus eſt. Quem rex intuens, & ætatem & habitum fortaſſis irridens, tentauit hoc modo: Vtrum, inquit, quod nunc in animo mihi eſt, fieri poſſit, an non poſſit? interrogo. Nauius cùm augurium peregiſſet, Fieri poſſe, reſpondit. Hic uerò rex eluſiſſe putans: Atqui, inquit, quòd cotem hanc nouacula ſcinderem, meditabar. Ille mirabili conſtantia: Potes ergo, ait: arreptaque nouacula, in conſpectu ſtupentis regis ac populi, cotem ſecuit. Inde ſacrum Romanis augurium. Quæ res quanquam & Annalibus & hiſtoriis omnib. peruulgata ſit, Tullius tamen & hanc commentitiam fabulam uocat. Petrarcha.

Q. FABIVS Maximus proditur duobus & ſexaginta annis ſumma cum laude Auguratum geſſiſſe, ad ultimam ſenectũtem. Fuit enim hoc ſacerdotium perpetuum, & quod uiuenti non adimeretur. Alexander ab Alexandro libro quinto, capite decimonono.

MASSVRIVS & MVTIVS nomina ſunt augurũ Romanorũ, apud Plinium lib. 10. c. 7.

Terentius Varro in libris Antiquitatum ſcribit, VECTIVM in augurandi diſciplina nobilem fuiſſe: eumq; affirmaſſe, futurum Romani imperij terminum poſt MCC. annos.

Romanorum AVGVRVM lucernæ ſemper apertæ erant, abſque operculo. An quia affinis eſt complectenti animum corpori lucerna (nam animus intus lumen eſt) debet pars eius, qua intelligit & ſapit, ſemper patere & eſſe intenta, nunquã uerò occluſa, uel expirare? An ubi uenti ſunt, ibi parũ quietæ ſunt aues, neq; ſigna edunt certa, quòd huc atq; illuc motu inæquali ferantur? Docent igitur eo more, non ſpirante aura, ſed tranquillo & ſilenti cœlo, tractare hoc augures, cũ lucernis uti ualeant apertis. Plut. in quæſt. Rom.

SPVRINA prædixerat C. Iul. Cæſari, ut proximos XXX dies quaſi fatales caueret, quorum ultimus erat Idus Martiæ. Et cùm fortè manè uterque in domum Caluini Domitij ad officium conueniſſet, Cæſar Spurinæ: Ecquid ſcis Idus Martias iam ueniſſe? Et is: Ecquid ſcis illas nondum præteriiſſe? Abiecerat alter timorem, tanquam exacto tempore ſuſpecto: alter, ne extremam quidem eius partem periculo uacuã eſſe arbitratus eſt. Vtinam aruſpicẽ potiùs augurium, quàm patriæ parentem ſecuritas fefelliſſet. Valerius libro 8. capite 11. & Suetonius.

LAMPON aruſpex, inſpecto arietis monocerotis capite, qđ erat ex agris allatum, Pericli imperium prædixit. Cælius lib. 30. cap. 1. Antiq. Lect.

Cimon in expeditione contra Perſas ſomniũ tale habuit. Canis irata ipſum allatrare uiſa eſt, & uocem inde ex humano & canino latratu confuſam talem edere:

> Vade, mihiq; meis catuliſq; futurus amicus.

[redacted] taret, perturbato admodum animo, quò [redacted] animaduertebat eſſe: augur POSTHVMIVS, q eò præſente rem diuinam faciebat, tenſis ad Syllam ambabus manibus, dixit: Vt uinciri ſe iuberet, ac poſtmodum occidi, niſi eius prælij penes ipſum uictoria maneret, felicemque euentum nanciſceretur: ex eo, quod tunc augurali ſcientia præuidere iuſſus erat. Poſtero certè die urbem Romam ingreſſus Sylla, inde Marium expulit, animumque, ut optauerat, expleuit. Fulgoſus lib. 8. cap. 11. ex Plutarchi Sylla.

L. AQVINIVS aruſpex. Vide Tit. Dies infelices.

Hiſpani ADELITTOS & ALMOGANENOS uocant populos, qui ex uolatu auium, ex uoce, ex ferarum occurſu aliarumq; rerum plurimarum ariolantur, quid boni malique ſit euenturum, deq; auguriis omnibus prognoſticis libros habent diligentiſſimè ſcriptos. Horum alteri ſunt duces ac uelut magiſtri, alteri comites ac diſcipuli. Eſt alia horum peritia, inueſtigare tranſitus, nõ equorum modò iumentorũque, ſed hominum quoque, per ueſtitam, per nudam, per duram humum, per lapides, per ſaxa: ut nec numerus eorum, qui tranſierunt unquam ferè eos fallat. Qui appoſita uoce Inueſtigatores dici poſſunt. Hi artis ſuæ ſpecimen ediderunt inſigne bello, quod Ferdinandus contra Mauros geſſit. Nam cùm centum Saraceni equerij apud regem ſuũ deuouiſſent, nunquam reuerſuros, niſi præclarum aliquod aduerſus Chriſtianos facinus edidiſſent: & clàm per inuia ad Chriſtianorum præſidium opprimẽdum acceſſiſſent: Inueſtigatores eorum iter numerumque ſubodorati, certiores de inſidiis ſtationarios reddidêre: & equerios inſecuti, in torrentis alueo utrinque interclusos, ſeſe dedere coëgêre, longa ſerie colligatos unico fune. Laurentius Valla lib. 1. Hiſtoriarum.



## DIVINATIONIS DIFFERENTIÆ.

*Diuinationis, & Magicarum prædictionum ſpecies [redacted] Nos hîc Diuinationum exempla perſequemur, ad Exercitationem alioqui maiore ex parte pertinentia, ut ex his genus ipſum illuſtretur confirmeturq;.*

### AFFLATVS SACER.

*Exempla pete ex Tit. Prædictionum & Oraculorum, quatenus afflatu ſacro futura prædicunt.*

#### IN GENERE.

Legimus in libris Pythagoreorum, quos Platonici è lateritiis aureos fecerunt, duos aſſiſtere nobis Genios: alterum bonum, alterum malum. Boni ductu atque conſiliis, boni uiri coniungunt ſeſe Deo, à quo illum miniſtrum atque ſequeſtrem acceperunt. Is Heroibus quibuſdam ſeſe oſtendit. Aliis nunquam uiſus, ſed auditus eſt. Id quod non uno in loco apud Platonem de ſuo Socrates profitetur. Quibuſdam diuinis ingeniis neque uidetur, neque auditur, ſed ſeipſum ita offert, atque ingerit, ut ſua luce retegat intellectiones rerum arcanarum, quas deſcribant. Quapropter euenit ſæpenumerò, inquit Scaliger, ut cùm deferbuerit calor ille cœleſtis in nobis, noſmetipſi noſtra illa uel admiremur, uel agnoſcamus: aliqua etiam non intelligamus ad eam rationem, ad quam directa dictataque ſunt ab illo. Neque aliter puto contigiſſe Platoni, cuius ſcriptis additum ſit lumen ab interpretibus multo maius, quàm quantum plebeiis iudiciis debeatur. Ego uerò, qui ne cum minimis quidem me conferendum cenſeo: ſi quid unquam nobis excidit imprudentibus, tantundem poſtea non ſperem à me præſtari poſſe. Quæ cauſa eſt, ut ad ſcriptionem aut cõmentationem nunquam accingamur, niſi ab ipſo Genio inuitati, qui nobiſcum intus loquitur, neque auditur, oſtendens diuinitatis latè patentes campos in animis noſtris: quos ab officiis corporis ſuſpenſos atque abſtractos, aliis diſtinet functionibus: ut non penitùs temerè dixerit, Qui Ariſtotelis intellectum agentem, eundem cum Platonico genio exiſtimauit. Vtriuſque habemus exemplum in hiſtoriis. Namque malus Bruto apparuit, eique infelicem prædixit exitum: Philippis, inquit, me uidebis. Bonus Cæſari, cùm traiecit Rubiconem: uiam ei oſtendens ad id, in quo ſummam ſtatueret beatitudinis. Scaliger libro 3. Poetices, capite uigeſimoſexto.

#### IN SPECIE. TVM

*Diuinus, Sanctus.*

*Conſule Tit. Prophetarum diuinorum.*

SAVL, cùm in prophetarum cœtum incidiſſet, ſubitò & ipſe diuino furore correptus, uaticinari cepit. Id admirantes, qui Saulem antea cognouerant, inter ſe dictitabant, Quid accidit Sauli, num & Saul inter prophetas? Ea uox deinde uerſa eſt Hebræis in prouerbium, de re noua & inopinata, ſubitaq;. Eraſmus in Adagiis.

Quomodo Vlyſſi finxit Homerus Mineruam laboribus in cũctis aſſiſtentem: talem uidetur SOCRATI uitæ ducẽ quendam à primo aſſociaſſe demonium, oculi uice,

> Qui ſolus lumen præcedens adderet illi

rebus in obſcuris, quæ humana intelligentia & conſilio expendi non poſſunt. Quippe aſſentiebatur ſæpe ei dæmonium, diuinitatis opinionem eius conſiliis addens. Terpſion Socratis dæmonium ſternutationem fuiſſe tam ſuam quàm aliorum exiſtimauit. Alio præſente ex dextra, ſiue à tergo, ſiue à fronte accidiſſet, contendiſſe illum ad actionẽ: ſin ex ſiniſtra, déterritum fuiſſe. Ex ipſius ſternutationibus illam cunctantis confirmaſſe, hanc iam agentis inhibuiſſe & repreſſiſſe impetum. Plut. de Soc. dæm.

*Diabolicus.*

*Vide Tit. Prophetarum dæmoniacorum.*

Auguſtinus libro de Poteſtate dæmonum inquit: Cœlo extorres improbique ſpiritus, perſpicaciſſimi ſui ſenſus acrimonia, perniciſſimique motus celeritate, futura prænoſcunt: quæ, terrenæ molis grauitate ſenſus noſtros hebetante, nobis certè, quoniam ignoramus, mira uidentur: cùm illi tamen hæc aliunde, ſuæ celeritatis, ſuique ſenſus perniciòris uigore didicerint. Sicut plerunque canes acerrimi, ſui olfactus ui delitentem feram præſentiſcunt, indicantque uenatori, quam ipſe eiuſdem ſui ſenſus imbecillitate ſubodorari non poterat, nec nimia tarditate ſua ſcrutari: atque ita leues aëreique ſpiritus, futura nobis certo ſæpe indicio præmonſtrant, ut adſcitis puluinarium & templorum honoribus, diuini ſibi cultus maieſtatem uſurpent, inſidienturque mortalibus, anxia ſemper curioſitate ſolicitis.

### INSVLTVS DAEMONIACVS.

### ΕΓΓΑΣΤΡΙΜΥΘΟΙ, ET ΣΤΕΡΝΟΜΑΝΤΕΙΑ.

Vocabulum IIDONI apud Hebræos omne dæmonum uaticinantium atque reſponſa dantium genus complectitur: ab rerum omnium cognitione, quam profitentur: à uerbo Iada, hoc eſt, ſcire. Iiſdem uox Ob, utrem aut lagenam ſignificat: unde & eos dæmonas, qui obſcuris uocibus, ex ſemotioribus corporis humani partibus (ueluti ex axillis, aut feminarum pudendis reſponſabant, quaſi ex utre aut lagunculа) Ob, aut plurali numero Oboth, ea gens uocauit. Græci uerò appoſita uoce appellarunt ΕΓΓΑΣΤΡΙΜΥΘΟΥΣ, aut ἐγγαστρίτας, eo quòd ex uentribus hominum proferentur: & diuinationem ipſam Γαστρομαντείαν. Quam uocem Græcam imitati Latinorum quidam, non ineptè Ventriloquos dixêre. Vierus libro 2. cap. 1. de Præſtigiis dæmonum. Hos Pythoneos quidam dicũt. Plato & Ariſtophanes in Veſpis Euryclem, ab Eurycle tali uate. Philochorus libro tertio Diuinationũ, etiam mulieres tradit engaſtrimythos, [redacted] quatuor pedes, ſpiritum pudenda [redacted] Cælius libro octauo Antiq. Lect. capite decimoquinto: & D. Chryſoſtomus.

Στεϱ-

Στερνομαντεία dicebatur, quando pectori uentri'ue incluſi ſpiritus uatidici uel ſuggerebant, uel uinctis compreſſiſque obſeſſorum linguis ipſi efferebant & proloquebantur requiſita præſcitaque uaticinia. Sophocles στερνομάντιν uocat, teſte Suida.

Gregorius Agrigentinus epiſcopus, æmulos habuit Sabinum & Creſcentium diaconos. Illi ut è medio eum tollerent, noctu inhoneſtam mulierculam in eius lecto occultarunt: qua poſtea producta in publicum, curarunt, ut Gregorius in uincula coniectus tranſmitteretur Romam. Verùm correpta MVLIERCVLA à dæmone, prodidit dolum, quòd pecunia ab accuſatoribus fuiſſet corrupta, ut tantum crimen in uirum ſanctum confingeret. Abſolutus igitur ille, loco q; ſuo reſtitutus: accuſatores uerò in exilium acti. Metaphraſtes in eius uita.

## VOX DIVINA, INCERTO auctore emiſſa.

*Reuelationis locos conſule. item Magorum & Prophetarum, quatenus intelligentiarum fruuntur colloquio. Item, Victoriæ nuncius diuinus.*

LYCVRGVS cùm caſu Olympia ueniſſet, & eſſet ſpectator, Vocem ibi à tergo uelut hominis ei accidiſſe narrant, increpantis eum & mirantis, cur ciues ſuos ad concelebrandum ill[redacted] Conuerſus, ubi nuſquam cōpa-[redacted] dius effecit. Plut. in Lycurgo.

VALESIVS, uir locuples, tribus quos habebat filiis peſtilentia laborantibus, dum ante focum ſuos penates orat, ut ſaluis pueris in ſuum caput id mali uertatur: uox repentè audita, filios ſaluos fore, ſi Terentum duxerit, ibique ex Ditis patris & Proſerpinæ ara, petita aqua recreârit. Quod ubi fecit, pueri ſalutari quiete ſopiti, continuò omni morbo liberati ſunt. Val. Max. lib. 2. c. 1.

Romæ, M. CEDITIVS plebeius homo, tribunorum collegio conſulari poteſtate renunciauit, ſe noua uia ſupra ædem Veſtæ, ubi ſacellum poſtea fuit, ſilentio noctis uocem humana clariorem audiuiſſe, quæ iuberet magiſtratibus nunciari, Gallos aduētare. Auctoris humilitas effecit, ut ſpreto oraculo ipſe auctor ludibrio ſit habitus: neque etiam Galli adhuc, hominum qui eſſent, ſatis erant Romanis noti. Plutarchus in Camillo.

Tempore Romani Argyropoli Imp. in Thracenſi prouincia à pud radices montis Cuzenæ, uox miſerabilib. eiulatibus & lamentis à menſe Martio ad Iunium exaudita, cladem ROMANORVM in Cœleſyria portendit. Cedrenus.

IZATIS Adiabenorum regis nondum nati excellentiam diuina uox indicauit. Cubans enim cùm uxore prægnante Monobazus rex, & manum reclinatam habens in uxoris uterum, uocem quandam ſibi audire uiſus eſt, iubentem, ut manum à uentre tolleret, neue premeret fœtum: qui ut non ſine diuina prouidentia inchoatus ſit, ita finem habiturus eſſet fortunatiſſimum. Hac uoce permotus Monobazus, natum hunc filium Izaten nominauit, regniq; hæredem reliquit. Qui Iudæorum religionem amplexus, rebusque cōtra Arabas & Parthos feliciter geſtis, 24. regni, anno fatis ceſſit. Ioſephus lib. 20. c. 2.

Obſeſſis à Tito Veſpaſiano Hieroſolymis, uox diuina, Migremus hinc, in templo audita, HIEROSOLYMITANVM excidium effugere iuſſit. Ioſephus libro ſeptimo, capite ſecundo belli Iudaici.

CASSIVM Chæream Trib. militū uox diuina animaſſe fertur, ut interficeret Caium Imp. Suetonius.

NERONEM paucis ante cædem diebus ex Auguſtorum Mauſeolo uox exaudita fertur nominatim ciens. Suetonius in eius uita.

Vox nocturna, Caue tibi Italia, ATILÆ Hunnorum regis in Italiam aduentum prædixit. Bonfinius libro tertio, Decadis primæ.

THESSALONICENSIS epiſcopus uocem [illegible] ter audiuiſſe fertur. Quam, ſiue ita ſit, ſiue conficta, ſiue è libris Imperatoriis excerpta fuerit, interpretati ſunt, μιχαὴλ ἄναξ ῥωμαίων παλαιολόγος ἀξίως ὑμνηθήσεται, Michaël Palæologus Imperator Romanorum citò celebrabitur. Pachymerius.

[redacted]

NICEPHORI Phocæ Imp. mortem uox nocturna enunciauit, Conſtantinopoli in arce. Quo tempore murus palatij condebatur nocte quadam per mare ſubuectus aliquis, ita uociferatus eſt: O Imperator, erigis muros: & tametſi uel ad cœlum eos educas, intus cùm ſit malum, urbs captu facilis eſt. Muro abſoluto, periit ea ipſa die, cùm ei claues is, cui id negotij cōmiſſum erat, in manus traderet. Cedrenus.

Eldredo Angliæ rege grauiter decumbente, Dunſtanus Cantuarienſis archiepiſcopus ad eum accerſitur. Qui cùm properè ad aulam contenderet, è cœlo uocem audiuit: Ecce rex Eldredus obdormiuit in Domino. Qua uoce equus, quo uehebatur Dunſtanus, concidit. Vincentius libro uigeſimo-quarto, cap. 76.

[redacted]

## VISIO DIVINA, SPECTRORVM, ANGELORVM, DÆMONVM.

*Spectra duum ſunt generum. Alia quidem muta, quorum exempla petes ex Oſtentis, ſuæ applicatis materiæ: alia uerò uocalia, ſiue Angeli, ſiue Dæmonis, ſiue Hominis, ſiue Animalis alicuius ſpeciem induant, atque etiam præſagiant. Cōueniunt utraque in eo, quòd apparent, & mox diſparent. Conſule Tit. Mortuorum præſagia, quorum ueluti larua utuntur mali ſpiritus.*

[redacted] ſertiſſimè uerò VIRGINI matri, ſuper omnes mortales benedictæ.

SAVLVS rex per Pythoniſſam excito Samuelis prophetę ſpectro, de infelici uitæ exitu & clade gētis certior redditus eſt.

D. PETRVS de inſidiis Neronis Romæ edoctus, cùm conſtituiſſet urbe excedere, fertur habuiſſe Chriſtum obuiū. Hunc procidēs in genua, cùm interrogaſſet, Quò pergeret: Romā reſpondiſſe, iterum crucifigi. Petrus id de ſuo exitu dictū eſſe ratus, Romam rediit, ibique inuerſo corpore, pedibus in ſublime elatis, crucifixus eſt. Sab. lib. 2. En. 7. ex Platina, & Egeſippo lib. 3. c. 2.

SIMONIDEM à ruina ædium, in quibus Scopas Theſſalus conuiuabatur, præſeruarunt duo iuuenes (genij uidelicet) qui paulò ante ruinam eum euocarant, & repentè diſparuerant. Idem cùm ad litus nauem appuliſſet, inhumatumque corpus iacens ſepulturæ mandaſſet, admonitus ab eo in ſomnis, ne proximo die nauigaret, in terra remanſit. Qui inde ſoluerant, fluctibus & procellis in conſpectu eius obruti ſunt. Valerius Maximus libro 1. capite ſeptimo. Cicero libro 1. de Diuin.

DION Syracuſanus, liberatis Syracuſis, paulo antè quàm interficeretur, ſedebat fortè diei ſero domi in porticu cogitabundus. Ibi ſtrepitu repentè facto, reſpiciens clara adhuc luce ad alteram porticus partem, conſpexit grandem mulierem, cultu & facie nihil à tragica abhorrentem furia, quæ uerrebat ſcopis domum. Ibi uehem[redacted]ulſus, accitis amicis uiſum narrauit, orauitq; apud ſe ut permanerent, timens ne ſi ſolus eſſet, iterum ſibi monſtrum obuerſaretur. Cæterùm id non eſt reuerſum: ſed filius eius ferè adultus, per dolorem aliquem animi & iram, ex puerili ortam occaſione, de faſtigio, domus ſemetipſum præcipitauit, & interiit. Plut. in Dione.

Ouidius ſcribit lib. 5. Faſtorum, Remum FAVSTVLO & Accę Laurentiæ uxori illius, nutrici ſuæ, noctu apparuiſſe, queſtum eſſe de miſeranda ſua morte, eosque rogaſſe, ut dies ille, quo cæſus erat, inter feriatos haberetur.

Spectrum fiſtulatoris ingentis, claſſicum canens, portendit C. IVLIO Cæſari uictoriam aduerſus Pompeium ad Rubiconis rip[redacted] cùm ſecum reputans conſiſteret Cæſar, quātam cladem eius fluminis tranſitus humano generi importaret; Tranquillus, & Sabellicus libro ſeptimo, Enneadis ſextæ.

C. CASSIVS, in acie Philippenſi, uidit humano habitu auguſtiorem C. Iulium Cæſarem, quem in ſenatu interfecerat, purpureo paludamento amictum, minaci uultu, & concitato equo in ſe impetum facientem. Quo aſpectu perterritus, tergum hoſti dedit, uoce illa priùs emiſſa: Quid enim ampliùs agas, ſi [redacted]parum eſt? Valerius Maximus libro 1. cap. 8.

CVRTIVS Rufus, tenuis adhuc & obſcurus, obtinenti Africam comes hæſerat. Inclinato die ſpaciabatur in porticu: offertur ei mulieris figura, humana grandior pulcriorque: perterrito, Africam ſe futurorum prænunciam dixit. iturum enim Romam, honoresq; geſturum, atque etiam cum ſummo imperio in eandem prouinciam reuerſurum, ibiq; moriturum. Facta ſunt omnia. Præterea accedenti Carthaginē, egredientique nauem (nimirum [redacted] præfecturam [redacted]) eadem figura in litore occurriſſe narratur. Ipſe certè implicitus morbo, futura præteritis, aduerſa ſecundis auguratus, ſpem ſalutis, nullo ſuorum deſperante, proiecit. Plinius libro 7. Epiſtolarum.



Adriano Patricio à Baſilio Imp. contra Carthaginenſes miſſo, nocte quadam dęmones indicarūt PASTORIBVS, captas Syracuſas. Cedrenus.

DRVSVS Conſul factus, nomine Auguſti Cæſaris Germaniæ bellum inferens, eaque magna ex parte ſubacta, cùm ulte[redacted]progredi ſtatuiſſet, mulier ei ſtatura humanā maior ob[redacted]icere uiſa eſt: Quónam properas Druſe inſatiabilis? Nō in fatis eſt, ut iſta omnia uideas. Verùm abito: iam enim & uitæ & operum tibi finis inſtat. Inde rediens in morbum incidit, ex quo deceſſit. Zonaras.

BASILIDIS liberti ſpectrum Veſpaſiano in æde Serapidis, quò de firmitate Imperij facturus auſpicium conceſſerat ſolus, portendit imperium, uerbenas, coronasq; & panificia illi offerens. Suetonius, & Sab. lib. 3. En. 7.

Ouinius GALLICANVS ſub Conſtantino Magno re contra Scythas malè geſta, Philippis obſidebatur. Votum Deo fecit, ſi uictoria potiretur, ſe Chriſti cultui dediturum. Quo facto, oblata eſt illi ſpecies iuuenis ſtatura excelſi, ferentis humero crucem, dicentis, Sume gladium tuum, & ſequere me. Illo uerò obediente, armati ſeſe illi adiungunt milites, & caſtra hoſtium inuadunt. Du[redacted] hoſtium ad pedes ſeſe illius abiecit, & tributo promiſſo, in Scythiam rediit. Sigonius libro [redacted]mp. occid. ex Terentiano.

Arcadius [redacted]mperator, GAINAM cum exercitu ſuo in urbem Conſtantinopolitanam receperat, ut eam defenderet. Ille urbem in ſuam poteſtatem redigere uolens, miſit agmen ad incendendum Imperatoris palatium. Ab illo agmine cōſpecti ſunt denſiſſimi exercitus (angelorum nimirum) armaturam militarem & corpora magna præ ſe ferentes, ideoq; ab incendio diſceſſerunt. Miſit alios, qui idem referebant. Tandē ipſe iuit, uiditq; rem ita habere, & ceptis deſtitit. Socrates & Sozomenus.

Spectrum dæmoniacum GENNADIO Patriarchæ Conſtantinopolitano, cùm noctu ad altare aſtaret, & preces ad Deū pro mundo funderet, prædixit mutationem religionis. Illo quidem uiuo (aiens) ſe ceſſurum atq; quieturum, poſtea uerò modis omnibus Eccleſiam perturbaturum. Nicephorus lib. 15. c. 23. Suidas, Cedrenus.

Anno Domini 1192. CYRILLVS eremita poſt decem prædicationis annos ex Armenia ad Carmelum eſt reuerſus, ubi ſtatim oraculū ualde prodigioſum inter ſacra habuit: de quo Mantuanus in quinto Faſtorum libro ſic ſcribit:

Cyrillus diuinus homo, cùm ſacra litaret
Manè ſub auroram, ſacra ueſtitus abolla,
(Res miranda) puer fulgenti ſplendidus ore
Aſtitit ante uirum, liquidis ſuſpenſus in auris:
Argentumq;, docens animorum fata ſequentum
Protulit, & manibus pronis dimiſit in aram,

[redacted]

ſuis de rebus geſtis apud Camerinum ſermone, quæſiuit de proximis, Qui nam ille fuiſſet, quem in prælio fortiter præ cæteris dimicantem uidiſſet? Reſpondentibus autem illis, neminem ſe fortiùs pugnantem illo ipſo Duce uidiſſe, ſubiecit: Profectò multò me in omnibus rebus meliorem uidi alium, qui me, quoties hoſtium aliquis petiit, ſcuto ſuo protexit. Poſtquam autem Spoleto appropinquauit, ubi beati martyris Sabini epiſcopi ſita baſilica erat, Cuiúſnam illa tam ampla domus foret, rogauit. Cui reſponſum eſt à Catholicis, S. Sabinum martyrem ibi quieſcere, quem Chriſtiani in bello defenſorem haberent, ac propterea opem eius precibus expoſcere conſueſſent. Tum Ariulfus: Et fieri poteſt, inquit, ut homo mortuus aliquod uiuentibus auxilium præſtet? Atque hoc dicto equo degreſſus, baſilicam uiſendi ſtudio iniit. Pleriſque autem in diuinam precationem conuerſis, ipſe picturas baſilicæ luſtrare oculis cepit. Cùm autem figura Sabini martyris occurriſſet, lætus mox iureiurando affirmauit, tali omnino & forma & habitu uirum fuiſſe illum, qui ſe in acie protexiſſet. Sigonius lib. 1. regni Ital.

HADINGVS Danorum rex contra Vffonem regem Sueonum exercitum ducens, integro quinquennio Sueciam afflixit. Tādem ad ultimam neceſſitatem redacti, ſylueſtribus fungis uti, & neq; ab equis, canibus, & humanis artubus abſtinere. Noctu congreſſis exercitibus, duo ſenes, humano habitu tetriores, inter ſiderum micatus triſte uiſu caluitium præferentes, alter Danorum partibus intendebat, alter Sueonum ſtudioſus exiſtebat. Victi tandem Dani. Saxo libro primo.

Mos erat antiquis, ſuper futuris liberorum euentibus Parcarum oracula conſulere. Quo ritu FRIDLEVVS II. Danorum rex Olaui filij fortunam exploraturus, nuncupatis ſolenniter uotis, deorum ædes precabundus acceſſit, & introſpecto ſacello, ternas ſedes à totidē Nymphis occupari cognouit. Quarum prima liberalem puero formam, & uenuſtatem erogauit. Secunda liberalitatem contulit. Tertia puero parſimoniæ crimen affixit. Ita accidit, ut Olauo permixta liberalitati parſimonia tribueret cognomentum. Saxo libro ſexto.

Hodbroddi Sueonum regis ab Helgone Danorum rege cæſi filius HOTHERVS, Geuari tutoris ſui filiam Nannam deperibat. Eandem Balderus Othini magi F. ferro inuiolabilis petebat, & Hothero inſidias ſtruebat. Qui cùm inter uenandum in antrum Nympharum incidiſſet, quæ à ſuo nutu belli fortunam pendere aſſererent, & ut à Baldero riuale ſibi caueret monerent: poſt uaria colloquia caſu repentino antri ſub dio ſe relictū uidit. Geuarum adit, filiam in uxorem petit. Ille gladio Mimingi Satyri Balderum ſuperari poſſe docet: eiuſdemq; per uim cogendi rationē mōſtrat. Paret ille, & ceruis iugalibus loca frigore æterno damnata petens, à Mimingo gladium & armillam, diuitiarum conciliatricem, extorquet. Varia inde fortuna cum Baldero de regno Daniæ certans, cùm poſt aduerſum prælium in ſolitudinem ſe contuliſſet, caſdem uirgines in ſpecu reperit, & ab iiſdem didicit, in expedito uictoriam fore, ſi inuſitatæ cuiuſdam ſuauitatis edulium augendis Balderi uiribus excogitatū præripere poſſet. Itaque Baldero rurſus bellum infert. Ingenti utrinque ſtrage edita, nox prælium ſoluit. Cuius tertio fermè peruigilio Hotherus clàm cunctis in hoſtium caſtra perueniens, tres nymphas arcanæ dapis gerulas Balderi caſtris exceſſiſſe cognoſcit. Quas curſim inſequens, tandem tecta, quibus aſſueuerant, ſubit: & ab his quiſnam eſſet rogatus, citharœdum ſe dixit: oblatamq; chelym arripiens, gratū auribus melos edidit. Tres illis colubri erant, quorum tabo ſolidatiuæ confectionis epulum Baldero temperare ſolebāt. Iamq; anguium aperto ore multa pulmento ſanies influebat: & Nympharum una Hothero ferculum illud datura fuerat, ni maxima natu uetuiſſet, fraudem Baldero fieri proteſtans, ſi ipſius hoſtem robore auxiſſent. At ille ſe non Hotherum, ſed Hotheri comitem dicens, ab iiſdem dono potentem uictoriæ zonam accepit: & mox reuertens, obuij ſibi Balderi latus hauſit. Ille ex uulnere poſt triduum periit. Saxo lib. 3.

DVNSTANVS Anglus, Glaſconienſis abbas, cùm ex dæmonis cuiuſdam ante ſe ſaltantis geſticulationibus, Edmundi Anglorum regis obitum cognouiſſet, ad aulam regiam incitato curſu contendit: & in medio itinere de obitu regis certior factus eſt. Vincentius libro uigeſimoquarto, capite ſeptuageſimoprimo.

Spectrum CADOVALLADRO Britannorum regi exilium per quietem prædixit. Polyd. lib. 3.

Mortis ſpectrum ALEXANDRO III. Scotorum regi tertias nuptias cum Iolanta, filia comitis Draconenſis, celebranti, noctu in fine choreæ ſaltans mortem denunciauit. Siquidē eodem anno equo excuſſus & occiſus eſt. Cardanus de Rerum uarietate lib. 16. c. 93.

MA-

MACHABÆVS amitinus regis Scotię Duncani, & Banquho Stuart Forres uir ſtrenuus, per ſyluas proficiſcentes ad regem, obuiam tres habuêre mulieres inſolita facie. Quarum una inquit, Salue Machabæe thane glammis. Hôc nomen erat dignitatis, quam nuper acceperat. Altera uerò inquit, Salue Caldarie thane. Tertia uerò, Salue Machabæe olim rex future. Tum Banquho, Et uos (inquit) quæcunque eſtis parum propitiæ uidemini, quæ huic præter optimos magiſtratus etiam regnum defertis, nec mihi quicquam. Ad ea, quæ prima fuerat, reſpondit: Imò tibi longè maiora, quàm huic nunciamus: nam hic quidem regnabit, uerùm infauſto exitu, neminem poſt ſe ex ſuis poſteris regem relicturus: at tu longa nepotum ſerie, quæ regnum obtinebit (licèt tu rex futurus non ſis) relicta, decedes. His dictis, è conſpectu ſe proripuerunt. Vana primò uiſa ſunt hæc. Sed ubi Machabęus Caldarius primùm (id nomen dignitatis apud Scotos) inde rex factus eſt præter ſpem, occiſo rege Duncano, cui erant filij duo: memor oſtenti, conatus eſt Banquhonem & unicum eius filium Fleanchum, ad cœnam inuitatos, occidere. Occiſo patre, tenebrarum ſuffragio filius euaſit. Tandem à Malcolmo, tertio Duncani filio, Machabæus occiſus eſt, & poſt multas ſtirpes, regnum in familiam & pronepotes Banquhonis Suart, apud cuius ſtirpis puellã adhuc manet, tranſlatum eſt. Cardanus libro decimoſexto, cap.95. ex Hectore Boëtho.

Ante prælium illud, ad fl. Bannaſborn, quo Scotorum XXX M. ductu Roberti I. regis trecenta millia Anglorum ſuperauere, in Glaſſimbri, pridie Ioannis, ad ABBATEM duo uiri inſignes armis uenere, hoſpitium illius noctis petentes. Qui benignè excepti, rogatique quònam proficiſcerentur, reſponderunt ſe ad Bannoſborn auxilio Scotis in poſterum diem ituros. Sed inde in conclaue ducti, quum ſummo manè curator hoſpitum inſpectum eos, ut fit, ueniſſet, quoniã nemo comparuit, grabbataq; compoſita manſere, creditũ eſt Angelos è cœlo miſſos, ac ſingulare Dei auxilium eo die Scotis adfuiſſe. H. Boëthius lib.14.

Cùm PHILIPPVS Imp. Othonem IV. imperij æmulum in urbe Brunſuico obſideret, D. Auctor Treuerenſis archiepiſcopus, eius urbis patronus, uiſus eſt ſacra ueſte in mœnibus gladium uibrare nudatum. Eo miraculo territus Philippus, exercitum reduxit. Cranzius libro ſeptimo Saxoniæ, capite 16.

Cùm Dani Lubecenſes defectores aggrederentur, ipſo die Mariæ Magdalenæ acie concurrerunt in Bornehouede. Ferunt aduerſum ſolem oculos Saxonum percuſſiſſe: & ciues LVBECENSES uotum concepiſſe eius diei annua ſolennitate celebrandæ, ſi uincerẽt. Apparuiſſe igitur Magdalenam inter nubila, & nubem oppoſuiſſe fulgenti ſoli. Pugnatum eſt acriter, & quum aliquãdiu communis mars ſæuiret, demum uictoria in partem Saxonum ceſſit. Rex Danorum Valdemarus cum filio uix elabitur, Otho dominus Luneburgẽſis capitur. Adolpho Comiti Holſatia, ciuibus Lubecenſibus libertas prouenit ex uictoria. Cranzius libro ſeptimo Saxoniæ, cap.14.

Barth. Gradonico duce Venetiis, cùm aquæ omnes & ſtagna ita ſubitò excreuiſſent, ut omnes de ſalute deſperarent, proditum eſt memoriæ, noctu intempeſta occurriſſe cuidam PISCATORI tres humana ſpecie, qui nauigiũ ingreſſi magnis precibus ab eo contenderent, ut ſeſe incolumes ex eo turbine ſeruaret. Ille uerò accepta conditione, in litus ſic eos deduxit, ut tandem quieſcente tempeſtate, aquiſque decedentibus præmium uecturę acceperit à D. Marco anulum ſuum, quem principi offerret, aſſereretq; ſua ope præcipuè à ſe diuóque Nicolao & Georgio ſeruatam eſſe urbem. Id quum piſcator mane ad ducem profectus enarraſſet, certęque rei indicium anulum protuliſſet: tunc dux piſcatorem prę gaudio complexus, & annuo ſtipendio uiuentem donauit, & rei monimentum perpetuum poſteris eſſe uoluit. Egnatius libro 1. capite 6. & Fulgoſus ibid. & Sabellicus lib.2. Decadis 2.

Ferunt IOHANNEM Bock decanum Bremenſis eccleſiæ, eũ qui pauperes in ſumma annonæ caritate fouit, in publica proceſſione eccleſiæ, die Victoris martyris, uidiſſe militem in eccleſiæ medio, ueſte præclara: & interpellaſſe diaconũ, atq; ſubdiaconum ſibi aſſiſtentes, an illum cernerent? Cùm illi nihil ſe uidere teſtarentur: tum ille egreſſus ſtationis ſuę locũ, illum rogauit, uti dignaretur panem ſecũ in ſua menſa, quem apoſtolus Petrus ſubminiſtraret, manducare. At ille ſe excuſare, quòd adeſſe non poſſet. Sciſcitante inſuper decano, quod illi eſſet nomen: ille ſe Victorem eſſe, cuius feſtum coleretur, reſpondit. Ibi cùm decanus in genua prouolueretur, ſubitò diſparuit. Cranzius libro nono Metropoleos, capite 3.

Felix Malleolus cap.33. ſcribit, anno Domini 1444. ante pugnã illam, quam pauci HELVETII contra ingentes Ludouici Delphini Franciæ copias prope mœnia urbis Baſilienſis, tẽpore Concilij commiſerunt, aliquot noctibus circa illa loca auditos eſſe militum clamores, armorum ſonitus, pugnantium ſtrepitus. Lauaterus parte 1. de Spectris, c.17.

MERCATORES duo non ignobiles, per Taurinos ſaltus in Galliam profecturi, ampliorem humana ſpecie uirum obuium habuere, & ab illo mandatum in hęc uerba ſuſcepere: Ludouicum Sfortiam fratrem meum alloquimini, haſque illi literas nomine meo date. Obſtupentibus illis ac percunctantibus, Quiſnam eſſet? ſeſe Galeacium Sfortiam eſſe reſpondit: & mox ab oculis eorum euanuit. Ille Mediola[illegible] properè redierunt, inde Vigleuanum, ubi Maurus a[illegible]. Literas duci offerũt: quarum hoc argumentum erat: O, ô, ô Ludouice, caue tibi: quoniam Veneti Gallique tuam in perniciem coituri ſunt, tuamq; à ſtirpe rem euerſuri. Verùm ſi mihi tria aureorum millia dederis, dabo operam, ut conciliatis ſpiritibus, ſiniſtra fata auertantur: idque conſequuturum ſpero, ſi mihi non aduerſatus annueris. Vale. Subſcriptio erat: Galeacij fratris tui ſpiritus. Illud ipſum licèt alij ut commentum irriderent: non tamen multo pòſt princeps à Ludouico XII. Gallorum rege principatu deiectus & captiuus abductus eſt. Bern. Arlunus ſect. 1. hiſt. Mediol. oculatus teſtis.

Ludouici Alodiſij pater, Imolæ dominus, haud diu poſteaquã deceſſerat, HOMINI à ſecretis, quem filius Ludouicus Ferrariam mittebat, in itinere, equo inſidens cum accipitre apparuit: huicq;, ut filium in hunc ipſum locum poſtera die uenire iuberet, præcepit, quoniam magni momenti res ei prędicturus eſſet. Ea re audita Ludouicus, tum quia non credebat, tum quòd inſidias uerebatur, alium pro ſe miſit. Ei illa ipſa umbra, quæ antè apparuerat, obuiam facta, uehementer indoluit, quòd filius non ueniſſet: longè enim plura ei dicturam ſe fuiſſe affirmabat. Sed tunc illud tantùm referri iuſſit, quòd tranſacto 22. anno, ac præterea uno menſe, die quoque ſpecificè addito, urbis imperium, quod obtinebat, eſſet amiſſurus. Vt tempus, quod umbra prædixit, aduenit, adhibita magna cura, ea ipſa nocte, quam patris manes ſuſpectã fecerant, ducis Philippi Mediolanenſis confœderati milites, glacie magna conſtrictis foſſis, ad muros penetrarunt: adhibitisq; ſcalis, urbem cum ipſo principe ceperunt. Sabel. lib.1. c.4. Exempl.

INDI, circa emporium Calecut, habent ſuos dęmoniorum ſacerdotes aut uates, Pages uel Charibes uocatos. Horum aliquis poſtquam dies nouem ab uxoribus abſtinuit, in nouo quodam tuguriolo importatis ad uictum, ut regio fert, neceſſariis, mundo lecto à uirgine annorum duodecim ſtrato, totus decumbit ſolus, ſemoto populo inuocans dæmonem, quem Houioulſira nuncupant, per horæ & amplius ſpacium, adhibitis ſuis ceremoniis. Facta deinde inuocatione, dæmon ſæpe ingenti cum ſtrepitu accedit, populo foris expectante, & exclamante, Precamur ut prophetę noſtro uera reueles. Vierus lib.1. c.16. de Præſtig. dæm. ex Petro Cieza Tomo 2. rerum Indicarum.

[redacted]



[redacted]

## ANIMALIVM VIVORVM OBSERVATIO, OCCVRSVS, INSPECTIO, Conſideratio, in genere.

*Ex loco Exercitiorum Diuinationis exempla huc transferri poſſunt, quatenus ſingularia exempla generali habitui atteſtantur. Et uerò quæ hic adducũtur ſingularia Exercitiorum exempla eodem conſilio adhibentur, ne quis uel præceptorum uel exemplorum tautologiam accuſet.*

SCOTI ueteres ad bellum exeuntes, occiſo, quod primum obuium occurriſſet, animali, ſanguine eius gladij cuſpidem tingentes deguſtabant, ea ſibi proſpera fore auſpicia pollicentes. H. Boethius in Scotia.

LAPONES, quod manè animantis occurrit procedentibus, ex eo capiunt omen euentus diei, & idem in diem colunt. Zieglerus in Scondia.

RVGIANI, Balthici maris accolæ, iter facturi, ex primo animalis occurſu, uotorum auſpicia capiebant. Quæ ſi lęta fuiſſent, cœptum alacres iter carpebant: ſin triſtia, reflexo curſu propria repetebant. Saxo lib.14.

## AVIVM DIVINATIO. OPNEOMANTEIA.

### QVALIS. QVOMODO.

*In genere.*

In auibus tria erant diuinandi genera apud ANTIQVOS. οἰωνιστικὴ in genere dicitur à Suida. Aliæ enim aues uolatu, ut præpetes, quarum uolatum Phryges, teſte Clemente, primi obſeruauerunt: aliæ cantu, ut oſcines, ab occinendo: aliæ guſtu, futura prædicebant, nempè ex tripudio ſoliſtimo, ſic dicto à ſolo, quoties offa, quæ pullis dabatur, certo modo caderet in ſolum. Polyd. lib.1. cap.24. de Rerum inuent. Ex auibus uerò, augures quaſdam obſcines, quaſdam præpetes notarunt: obſcines cantu, prępetes uolatu augurium facere & p̃dicere. Sẽper cantus obſcinis, quũ ſiniſter eſt, ſecundiſſimus fuit. Ex præpetibus autem aquila, uulture & buteone, ſanquali & immuſylo, lætantur, eaſq; felicis euentus eſſe, quum ingentibus alis patulæ & porrectæ uolãt. Quaſdam dixere funebres, quæ omine auerſo aliquid fr[illegible]. Alex. lib.5. cap.13.

*Garritu. Auguria propriè.*

Imperante Antonino Caracalla, inſedit obeliſco uociferabundus graculus. Succlamatum à POP. ROM. ceu ex compoſito: Martiali ſalue, Martiali ab tẽpore multo te nõ uidimus. Hæc autem non intelligenda eſt graculi appellatio, ſed eius etiam nomen, à quo interemtus eſt mox Antoninus. Cælius lib.24. cap.4. A.L.

*Tripudio.*

*Ex eſcæ caſu in ſolum, Soliſtima ſunt dicta tripudia. Sed & ex pullorum auiditate & promtitudine. Conſule Auguriorum & Auſpiciorum locus.*

*Rapina.*

Apud OLYMPII Iouis aram ſacrificantibus, miluij, etſi auiũ hoc genus inſigni eſt rapacitate, infenſi non ſunt. Quòd ſi forte exta, uel uiſcerum partem ullam appetierint, dira portendi immolanti creditur. Pauſanias lib.5.

*Volatu.*

Priſcis ATHENIENSIBVS noctuæ uolatus, uictoriæ ſymbolum exiſtimabatur: propterea quòd auis hæc Mineruę ſacra crederetur, quæ quidem dicta eſt etiam malè conſulta Athenienſium benè fortunare. Inde rebus felicibus, atque ex animi ſententia ſuccedentibus dici conſueuit, Noctua uolat. Zenodotus & Suidas. Plutarchus tradit, Pericli è ſuperiore nauis tabulato concionanti, noctuam ad dextram aduolaſſe, ac malo inſediſſe: quod omen effecit, ut omnes irent in illius ſententiam.

*Acceſſu.*

Cùm VITELLIVS Imp. Viennæ pro tribunali iura daret, gallinaceus ſupra humerum, ac deinde in capite aſtitit. Hoc quidam non aliud portendi prædixerunt, quàm Vitellium in alicuius Gallicani hominis poteſtatem uenturum. Nec fefellit coniectura. Siquidem ab Antonio Primo, aduerſarũ partium duce oppreſſus eſt: cui Toloſæ nato cognomen in pueritia Beco fuerat: id ualet, gallinacei roſtrum. Suetoni9.

ROMANVS Diogenes Imp. Turcis bellum facturus, quum uix è portu ſoluiſſet, columba non prorſus nigra, ſed ad nigredinem inclinans, triremem eius circumuolitauit, nec circa illam alas agitare deſtitit, donec manibus comprehenſam Imperatrici Eudociæ miſit. Quod inauſpicatum omen uiſum eſt tam ei, qui cepiſſet, quàm ei, quę accepiſſet. Sed & imperatorium tabernaculum ligno, quo in medio fulcitur, ſpontè confracto concidit. Quæ omnia omina erant inauſpicatæ expeditionis in Orientem. Zonaras.

Cùm Longobardi, ægrotante rege Luitprando, nepotem eius HILDEBRANDVM regem creaſſent, ac pro more contum in eius manus dediſſent: cuculus aduolauit, eiusq; cacumini inſedit. Plerique interpretati ſunt, fore ignauum regem. Itaque pòſt eo deiecto alium elegerunt. Paulus lib.6. cap.16. de Longobardis. Blondus Dec.1. lib.10.

*Coitu.*

Gallus gallinaceus, ſi gallum ineat, non præſente gallina, uiuus concrematur: cùm uates quiſpiam aut aruſpex id magnum & dirum denunciet eſſe oſtentum. Plut. in Gryllo.

*Partu.*

LIVIÆ, cùm recèns Auguſto nupſiſſet, per Veientanam uillam ſuam eunti, aquila in gremium eius gallinam candidam, in ore lauri habentem ramum demiſit. In bonam partem augurio accepto, cùm curari diligenter gallinam iuſſiſſet, magnus ex ea candidorum pullorum numerus prouenit. Plantatus quoque lauri ramuſculus, ingens lauretum protulit. Ex qua ſylua poſtea obſeruatum fuit, ut triumphaturi laureum ramum ſumerent, quem manu in triumpho geſtabant: peractoque triumpho reſtitutus ramus plantaretur, radiceſque mitteret. Illud quoque notatum fuit, deſiccatum eiuſmodi ramuſculum, præſagium fuiſſe mortis illius, qui eum in triumpho geſtaſſet. Cæterùm poſtremo Neronis anno, ut propinqua eius morte Cæſarũ quoq; defectura ſoboles oſtẽderetur, gallinarum candidarum ſtirps tota periit, lauretumque ex toto aruit, defecitq;. Suetonius, & Plin. lib.15. cap. ult.

EADEM prægnans, feminam an marem editura eſſet, præſagio rem explorare uoluit. Ouum itaque gallinæ incubanti ſubductum, nunc ſua nunc ancillæ manu tam diu fouit, donec pullus indè inſigniter criſtatus excluſus ſit. Quo uiſo, marem ſe progeniturum intellexit (is Tiberius fuit) & ex criſtis ad imperium peruenturum ſperauit, coniectura Scribonii mathematici. Suetonius. Plinius lib.10. cap.55.

Gallina Romę peperit ouum naturâ non arte cęlatum ſerpente. Gregorius VII Pp. ouo imperium, ſerpente Henricum IV regem Romanorum deſignari aſſeruit. Auentinus lib.5.

### QVARVM. PVTA

*Pullorum, Gallinarum.* Ἀλεκτρυομαντεία.

Inter auſpicia, quę VETERES maxima cura cultuq; obſeruarunt, annotauere annales, non paruæ æſtimationis pullos fuiſſe, quibus è cauea emiſſis puls dabatur. Et tametſi antiquo augurum decreto, omnis auis tripudium facere poſſit: tamen inter eas præcipui fuêre pulli Melici & Chalcidici: quibus tantum honoris tributum eſt, tantumque religionis, ut niſi his præmonentibus, comitia non haberent, nullos ad honores prouehèrent, nulli prouincias demandarent, non ſenatum conſulerent, non bella uel paces inirent, nihil denique domi foriſque agerent, quod ab his non prædictum, uelut deorum monitu, magna cura penſitarẽt. Hæ enim quaſi internunciæ Iouis & interpretes, futura prę monere dicebantur, quibus pullarius præerat: quotieſque de promouendo negocio, aut re exequenda pullos conſultum ibat, imperato de more ſilentio, pultem illic ante caueam aut offam obiiciebat: eratque tempus conſulendi ſummo mane & primo diluculo. Quòd ſi oblata eſca, è cauea pulli non exirent, aut ſerò progreſſi, eſcam non attingerent, retróue cederent, uel occinerent, aut non ueſcerentur,

ſeu planctu alarum alimenta refugerent, aut euolarent penitus, tunc pullarius quaſi monitu fatorum, diem prelij aut rei exequendæ tempus, diffundebat. Quòd niſi paritum fuiſſet, extremum exitium & perniciem plerunque attulêre. Tiberio Graccho, qua die in turba cæſus occubuit, pulli nõ addixêre, ſed emiſſi è cauea, retroceſſere. Et P. Cl. Pulcer moturus aduerſus hoſtes, non paſcentibus in auſpicando pullis, per contemptum religionis, inito nauali prælio, terribili ſtrage cum omni claſſe profligatus pœnas dedit inſignes. Si autem pulli è cauea egreſſi, obiectã pultem aut offam uolenti animo depaſti eſſent, ita ut illis ueſcentibus fruſtum ab ore decideret, & terram pauiret, quod tripudium faceret ſoliſtimum: quia in terram caderet poſt tripudium olim Terripauium, quia terram pauiret, id eſt, feriret, rem hauddubiè fortunari, & auſpicia ſecunda eſſe, lætoſq; ſucceſſus & ſpem mirificam, præſignarunt. Alex. libro primo, capite 28. & 29.

Ad inquiſitionem nominis eius, qui poſt Valentem eſſet imperio potiturus, Iamblichus & Libanius, literas uiginti quatuor pulueri inſcripſerant, & cuique granum tritici & hordei impoſuerant, & gallum, recitatis carminibus quibuſdã dimiſerant: ut ex quibus literis grana ſumeret, nomen ſucceſſoris cognoſcerẽt. Accepit autem grana ex literis θ, ε, ο, δ. VALENS ea re cognita, Magos amplius centum occidit, cùm Iamblichus ſibi uitam ueneno ademiſſet, nobilesque uiros omneis, quibus Theodori, Theodoti, Theoduli, & ſimilia fuerunt nomina, è medio ſuſtulit. Sic diabolus ſeruis ſuis mercedem rependit. Zonaras tomo 3.

*Vulturum.*

Herodotus Ponticus HERCVLI lætum augurium tradit fuiſſe, ſi uultur ſe obtuliſſet in re agenda. Et eſt hoc animal præter cætera innocentiſſimum, nec ſatis uel plantis uel pecori incommodat. Cadaueribus animalium reliquorũ tantùm ueſcitur: nihil, quod uiuat, perimit, neque ei nocet. Volucribus ob cognationem abſtinet etiam mortuis: cùm aquilæ, noctuæ & accipitres ſui generis aues inuadant, & interimant uel uiuas, ut Aeſchylus ait, Immũda auis ſit, ſi qua auem depaſcitur. Iam uolucres aliæ ferè oculis noſtris obuerſantur: uulturis rarum eſt ſpectaculum, neque quenquã temerè qui pullos uulturinos conſpexerit, inuenias: ſed raritas eorum nonnullis & inſolentia opinionem inuexit nouam, ex alio orbe huc eos commigrare: cuiuſcemodi uates contendunt id eſſe, quod non natura duce, nec ſponte ſe profert ſua, ſed mittitur diuinitùs. Plutarchus in Romulo. Quòd ſi, ut fabulantur Aegyptij, omne eſt eorum femininũ genus, concipiuntque aſpirantem excipientes Subſolanũ, ut Zephyrum arbores: etiam omnino certa ſigna ab eis & fixa ſit edi probabile. Idem in quæſt. Rom.

*Turturum.*

Turtur HVNNEBVRGENSES Bauaros contra Vngaros dura obſidione ſe prementes animauit: ut portis cateruatim erumpentes hoſtem profligarint. Auentinus libro quinto Annalium.

*Hirundinum.*

Hirundines nidulatæ ſub nauis Antoniæ puppi, M. ANTONIO infauſtæ fuerunt. Aliæ enim inuolantes & has exegerunt, & pullos perdiderunt. Plut. in Antonio.

*Paſſerum.*

Primo bello ciuili paſſer cicadam diſcerpens, & partem in æde Bellonæ relinquens, cum altera parte auolans, ROMÆ belli ciuilis augurium fecit. Plut. in Sylla.

## QVADRVPEDVM DIVINATIO.

### ARMENTORVM, BOVM, VACCARVM

*Pabulo.*

Colebatur in AEGYPTO Apis bos in plano antiquiſſimo & ſanctiſſimo, intra ſepta magnæ religionis, in quibus coniecturã diuinæ mentis, & prædictiones futurorũ uenabantur. Sicut in Memphi uacca, & in Heliopoli Mneus bos. His porrectam eſcam accipientibus aut auerſantibus, felicia auguria & exitus fortunati, nonnunquam magna infortunia & repentinum incommodum prædici & præmonſtrari putabant. Alex. lib. 1. cap. 28.

GERMANICVS, cùm oraculum Apis conſuluiſſet, & deus oblatum pabulum renuiſſet, funeſtum omen & indubiam necem, quæ paulo pòſt ſecuta eſt, prænunciauit. Alex. ab Alex. libro 6. capite 2.

*Geſtu.*

EVDOXVM Gnidium Apis de morte conſultus, ueſte apprehendens, non uoce ſed geſtu moriturum præſagiuit. Extat de eo epigramma in primo Græcorum Epigrammatum.

[redacted]

*acti.*

PALÆSTINI diuinatione bucularum uſi ſunt in dignoſcendis calamitatibus ob Arcam domini immiſſis. 1. Reg. 6. & 7. Item 2. Regum 6.

### GREGVM. EX OVIVM, ARIETVM

*Colore.*

Traditur in libro Hetruſcorum, ſi Aries inſolito colore fuerit indutus, portendi imperatori rerum omnium felicitatem. Eſt ſuper hoc liber Tarquinij tranſſcriptus ex oſtentario Tuſco: ibi reperitur, Purpureo aureóue colore ouis ariéſue ſi aſpergetur, principi ordinis & generis, ſumma cum felicitate largitatem auget, genus progeniemq; propagat in claritate, lætioremq; efficit. Huiuſmodi igitur ſtatum imperatori in tranſitu uaticinaturus Verg. in Eclogis ad Pollionem, inquit: Ipſe ſed in pratis aries iam ſuaue rubẽti Murice, iam croceo mutabit uellera luto. Macrobius libro 3. capite 7. Saturn. Sic qua hora Antoninus GETA Mediolani ortus eſt, agnus uellere purpureo editus fuit, & gallina ouum in aula purpureum protulit.

*Lacte.*

Qui ad Galaxion BOEOTII incolunt, dei Apollinis præſentiam lactis copia & affluentia ſenſerunt. Nam

Omnibus ex ouibus lac pingue effluxit, ut hauſtus
Optimus ex uenis, implebant dolia cuncti
Certatim, neq; uter uacuus ſiue amphora quæquam
Hiſce domi manſit, facta omnia dolia mulctra.

Plut. de Pythiæ oraculis.

*Fœtu.*

Ouis leonem pariens, NICIPPO priuato adhuc tyrannidem portendit. Aelian. lib. 1. Var. hiſt.

*Morte.*

Mos fuit SPARTANIS ad bellum proficiſcentibus, greges in extremo agmine habere, quo & ad ſacra & antequam ſigna conferrent ad litandum hoſtiæ in promtu eſſent. Earũ pecudum duces itineris erant capræ, quas catæadas nominant paſtores. Itaque cùm Cleombrotus cum Spartanis ad Leuctra penetraret, gregem inuadentes lupi, ouibus nullam ſanè noxam intulerunt, ſolas uerò catæadas necarũt: non obſcuro indicio futuræ cladis. Pauſanias in Bœoticis.

### PORCORVM

*Acceſſu.*

Porcus multo cœno inquinatus, BYZANTII, antequã caperetur (Andronico ſeniore & iuniore imperantibus) cùm ſacri hymni canerentur in eccleſiam irrumpens portendit mutationem religionis. Gregoras lib. 8.

*Partu.*

Tot porcos ſcrofa parit, quot mammas habet. Si plures pariat, portentum eſt. Itaque cùm ſus Aeneæ Lauinij XXX porcos pepererit albos, factum XXX annis, ut Lauinienſes condiderint oppidum Albam. Cuius ſuis ac porcorum, etiam Varronis ætate, ueſtigia apparebant Lauinij: ſimulacra eorum ahenea in publico poſita, & corpus matris ab ſacerdotibus, quod in ſalſura fuerat, demonſtrabatur. Varro lib. 2. cap. 4.

*Morte.*

Ex hiſtoria compertum, Theodato Gothorum rege curioſiùs futura



futura ſcrutante, inſigni uanitate IVDÆVM hominem porcos triginta paruis ædificiis tribus iuſſiſſe occludi, ac decimo cuique nomina Gothorum facere, & Imperatoris præfectorum, inde ad certum diem quieſcere. Peractis uerò, uti erat iniunctum, omnibus, ad præſtitutum Theodatus cũ Hebræo porcos pergit inuiſere: ubi mortuos comperit, quibus Gothorum facta erant nomina: uiuos autem, quís erant præfectorum nomina impoſita, uerùm ſetas è dorſo defluxiſſe, quarum uiſeretur dimidium. Quo ſanè coniectatum, fore, ut Romani exercitus aboleretur dimidium, Gothis ad internecionem occiſis. Cælius libro decimotertio, capite trigeſimoquinto.

### VRSORVM.

...s trahere dicuntur ij, qui Arctotrophi, id eſt, urſorum altores appellantur: qui quidem in capite & totius animalis ...pore tincturas appendentes, & pilos ex ipſo tondentes, ...s unà cum tincturis dant perinde ac remedia & amuleta, ...quam morbis, & faſcinantibus oculis, conferre poſſint. Theod. Balſamon in Synodum VI. in Trullo.

### LVPORVM.

ARGIVI diuinatione tauri à lupo confecti, regnum Danao attribuerunt. Pauſan. in Corinth.

ROMA... cum GALLIS & Samnitibus ad Cluſium depugnaturis, quum utrinque inſtructi ſtarent, lupus ceruam ex proximis montibus perſecutus, medium inter utramque aciem percurrit ſpacium. Inde cerua ad Gallos curſu delata configitur. Lupus in Romanos ...ſus per medios ordines incolumis euaſit. Victi hoſtes, cùm P. Decius conſul ſe priùs deuouiſſet. Sabellicus lib. 7. En. 4.

### LEONVM

*Sæuitia.*

Leones camelos deuorantes, XERXI infelicis pugnæ indicium fecerũt: quandoquidem Leones, quoties aliunde eſt eis quo indigent, abſtinent ab inuadendis camelis, quod animal nunquam antea nec experti fuerant illic, nec uiderant. Herodotus lib. 7.

*Blanditijs, Manſuetudine.*

SANDROCHVS uel Sandrocottus, fugiens Alexandri piram ad Indos, cùm fatigatione corporis fortè in nemore quodam ſopore preſſus iacuiſſet: leonem ferunt enormi magnitudine ad eum acceſſiſſe, qui ſudorem corpore manantem placidè lampſerit, atque ſomno excitatum, belluæ immanitate exterritum, placidè reliquerit. Hoc prodigio ad ſpem regni impulſus, poſt Alexandri interitum Indis, ut rebellarent, perſuaſit, cæſiſq; Macedonibus regnum occupare eſt auſus. Sabellicus libro ſeptimo, Enneadis 4. & Alex. libro 2. capite 31.

HANNO Pœnus primus leonem manu tractare auſus & oſtendere manſuefactum, capitis damnatus eſt à Carthaginenſibus, quaſi omen id eſſet tyrannidis.

Similiter M. ANTONIVS poſt Pharſalicam uictoriam, cum mim Cytheride curru triumphali Romam ingreſſus, quem leones domiti trahebant, non ſine quodam oſtento temporum, generoſos ſpiritus iugum illius ſubituros ſignificante. Plin. lib. 8. cap. 16.

*Morte.*

Ante obitum LAVRENTII Medicis, inter alia prodigia quæ præceſſerunt, Leo omnium, qui tum in cauea eſſent, nobiliſſimus, Florentiæ aliorum ſæuitia laceratus eſt. Iouius in Leone X. libro 1.

Sub mortem MATTHIÆ Coruini, regis Vngariæ, leones omnes qui Budæ aſſeruabantur, interiere. Bonfinius libro octauo, Decadis 4.

### EQVORVM

*Manſuetudine.*

Bucephalus ſeſſorem unicum, ALEXANDRVM Magnum etiamnum iuuenem patiens, Philippum patrem magna ſpe imperij per illum ampliandi repleuit.

*Hinnitu, Fremitu.*

GERMANORVM proprium, equorum quoque præſagia ac monitus experiri. Publicè aluntur iiſdem nemoribus atque lucis, candidi, & nullo mortali opere contacti, quos preſſos ſacro curru ſacerdos ac rex uel princeps ciuitatis comitantur, hinnituſque ac fremitus obſeruant. Nec ulli auſpicio maior fides, non ſolùm apud plebem, ſed apud proceres, apud ſacerdotes. Se enim miniſtros deorum, illos conſcios putant. Corn. Tacitus de morib. Germanorum.

*Progreſſus.*

RVGIANI, Balthici maris accolæ, Suantouiti idolum colebant magna religione. Alebatur huic ſacer equus albus, cuius iubæ aut caudæ pilos conuellere, nefarium ducebatur. Hunc ſoli ſacerdoti paſcendi inſidendiq; ius erat, ne diuini animalis uſus, quò frequẽtior, hoc uilior haberetur. In hoc equo Suantouitus aduerſum ſacrorum ſuorum hoſtes bella gerere credebatur. Cuius rei præcipuum argumentum extabat, quòd is nocturno tempore ſtabulo inſiſtens, adeò plerunque manè ſudore ac luto reſperſus uidebatur, tanquam ab exercitatione ueniendo, magnorum itinerum ſpacia percurriſſet. Auſpicia quoq; per eundem equum huiuſmodi ſumebantur. Cùm bellum aduerſum aliquam prouinciam ſuſcipi placuiſſet, ante fanum triplex haſtarum ordo, miniſtrorum opera, diſponi ſolebat: in quorum quolibet binæ è tranſuerſo iunctæ, conuerſis in terram cuſpidibus figebantur, æquali ſpaciorum magnitudine ordines diſparante. Ad quos equus ductandæ expeditionis tempore, ſolenni precatione præmiſſa, à ſacerdote è ueſtibulo productus, ſi propoſitos ordines antè dextro, quàm læuo pede tranſcenderet, fauſtum gerendi belli omen accipiebatur. Sin læuum uel ſemel dextro prætuliſſet, petendæ prouinciæ propoſitum mutabatur. Nec priùs certa nauigatio præfigebatur, quàm tria continuè potioris inceſſus ueſtigia cernerentur. Saxo libro 14. hiſtoriæ Danorum, & Cranzius libro quinto Vandaliæ.

*Accurſu.*

DIONYSIVM, Hermocratis filium, Syracuſanũ, aiunt flumẽ equo traiecisse: cumq; in luto equus concideret, eum deſiliiſſe, & ripæ compotem eſſe factum: atq; ſic relicto poſtmodum equo, quaſi non ampliùs ſuo, diſceſſiſſe. Cùm autem ſequeretur equus, & hinniret, apprehendit eius iubam ad aſcendendum: moxq; apum examen manum circumdedit. De his interrogati Galeotæ, monarchiam ea re præſignificari, reſponderunt. Aelianus libro 12. de Varia hiſtor. & Plinius libro 8. capite 42.

*Tractu.*

SYLVESTER II. equorum arbitrio cadauer ſuum plauſtro impoſitum committi poſt mortem imperauit.

*Partu.*

Magi SAPORI regi Perſarum prædixêre, uxorem parituram maſculum, omine ex equa grauida captato. Agathias li. 4.

Equa leporem pariens, infelicem pugnam XERXI portendit. Similiter mula mulum pariens. Vide Tit. Expeditionis infelicis Prodigia.

### ASINORVM.

C. MARIVS exul, cùm Minturnis aſellum repudiato pabulo ad aquam procurrere uidiſſet: protinus conſcenſa nauicula perſecutores Syllanos effugit. Val. Max. lib. 1. cap. 5.

Anno 366. In Italia per Tuſciam Annonariam res ridicula nouam animis religionem iniecit. PISTORII ſub horam diei tertiam, ſpectantibus multis, aſinus excelſum tribunal aſcendit, atq; inde ruditum uſque adeò compoſitum edidit, ut populum accurrentem alloqui, & quædam dicere uelle uideretur. Sigonius lib. 7. Imp. occid.

### CANVM.

CYRO Perſarum regi, cùm ab Aſtyage auo expoſitus infans foret, canem ubera præbentem, illumque à feris defendentem paſtor gregis inueniſſe traditur. Quæ res futuram ipſius magnitudinem hauddubiè portendit. Iuſtinus.

Quo die IO. Ant. Campanus, epiſcopus Aretinus, uita exceſſit gemini canes uenatici, iuſſi pridem ad illum perduci, domo ui ulla, tanquam ad præmortuum herum fruſtra ſe pertrahi intelligerent, educi nunquam potuerunt: iidemq; in poſterum nec latrare nec blandiri alicui uiſi, inedia & ſquallore defecti occubuere. Michael Fernus in eius uita.

Canes LACEDÆMONIIS, ultimo anno belli Meſſenici, ululatu dato in caſtra uenientes, uictoriam portenderunt, Meſſeniis excidium. Pauſanias in Meſſenicis.

HELVETIIS ad Nouariam contra Ludouicum XII. Galliæ regem, pro Maximiliano Sfortia pugnantibus, Gallorum canes relictis caſtris magno continentiq; agmine Nouariam intrarunt: admiſtiq; Heluetiis, qui in ſtatione erant, eorum crura lambere, caudas adulanter quatere, demiſſiſq; blandè auribus, ſingulis applaudere ceperunt. Iacobus Mottinus Vrienſis dux, omine accepto, ad Maximilianum contendit, eique uictoriam de Gallis eſt pollicitus: quòd à maioribus gentis eſſet obſeruatum, in auſpiciis preliorum, procul dubio eorum fore uictoriam, ad quos hoſtium canes, tanquam ex infelicibus caſtris, ad tuta fortunataque hoſpitia perueniſſent. Iouius lib. 11. Hiſt.

### FELIVM.

STEPHANVS Cardanus, uir octogenarius, felem maſculum educabat habebatq; in deliciis. Cùm ægrotans iam ageret animam, eo ſtrepitu, quo plerique morituri ſolent, felis è gradu ſe erexit in ſpondam duobus pedibus, inſpiciensq; diu laborantem dominum, tandem edito clamore ingenti abiit, nec poſtea unquam uiſus eſt. Cardanus.

Simile ferè quippiam auditũ de LANIO, qui felem paruum ac ſcabioſum miſertus educauit, quaſi nolẽte uxore, quòd fœdus nimiùm uideretur. Dormiebat hic inter uirum & uxorem. Contigit quandoq; ut ungues inter mammas uxoris tene-

ris teneret, lædebatq; eam: tum illa, Lædis me, exclamauit. At feles non de more ungues cõtraxit, ſed pedes uertit, ut, qua pilus eſſet, illius carnem tangeret. Coniux territus dixit, Videtur hoc animal ratione præditum: nam & multa magni ſenſus, ſed non tam euidentia ſigna ediderat, & domino uenienti ſemper obuiam ibat. Paucis pòſt diebus uxor lanij mortua eſt, tumq; feles, quamuis diligenter quæſitus, nuſquam comparuit. Cardanus de Rerum uarietate libro 4. capite 75.

SIMIARVM.

Cùm de uictoria legatos ad Dodonæum Iouem LACEDÆMONII miſiſſent, & hi oraculum operientes, uaſculum cũ ſortibus certò poſuiſſent, Moloſſorum regis Simia ſortes ipſas huc illuc ſparſit, confuditq;. Reſponſum eſt, Lacedæmoniis non de uictoria, ſed de ſalute cogitãdum. Has deorum minas ſequens mox fortuna declarauit, famoſa illa pugna Leuctrica Lacedæmoniis afflictis. Petrarcha.

MVSTELARVM.

Quum Vngarorum regis Salomonis & Geyſæ ducis copiæ ad montem Moriorodum prope ſyluam Vaciam iamiam congreſſuræ conſtitiſſent: LADISLAVS Geyſæ frater, quũ equum apprehenſa lancea conſcendiſſet, & uertiſſet in gyrum, ueprem fortè inter flectendum haſta tetigit. Cui cùm muſtela candidiſſima inſediſſet, ueluti imminentis uictoriç nuncia, per haſtam in ducis gremium delabitur. Hinc ſumto felici auſpicio, animos militum confirmauit, & certam uictoriam pollicitus eſt. Bonfinius lib. 3. Dec. 2.

MVRIVM.

Mures ROMÆ aurum in templo ſacratum arrodentes, belli ciuilis inter Marium & Syllam omen fecerunt. Plut. in Sylla.

Mures arroſis Lauinij clypeis argenteis, portenderunt bellum Marſicum. Plin. lib. 8. cap. 57.

In PERV cùm nulli mures eſſent, ſub aduentum Blaſci Nunnez, qui eò à Carolo V. Imp. miſſus erat, repentè tãta copia illorum apparuit, ut maizum, cannas, arbores, cęteraq; ſata corroderent: moleſtiaq; Hiſpanos, terrore Indos afficerent. Cardanus ex Petri Ciezæ Tomo 2. hiſtoriæ Indorum.

SERPENTVM.

Serpentes CROESO Lydorum regi, imperij excidium portẽderunt. Herod. lib. 1. & Plin. lib. 11. cap. 51.

Anguis inuſitata magnitudine conſpectus, infelicem pugnam aduerſus Numantinos C. HOSTILIO Mancino conſuli Rom. præſignificauit. Val. Max. lib. 1. cap. 6.

Angues conſpecti in cubili, Sempronio Graccho, item T. Graccho ad aram mortem portenderunt. Valer. lib. 1. cap. 6.

Serpens à muliere L. Syllæ temporibus editus, bellum ciuile denotauit. Alex. lib. 2. cap. 31.

Leberide in Neronis collo adhuc pueri comperta, cecinêre uates, ὅτι ἰσχὺν παρὰ τοῦ γέροντος λήψεται, id eſt, quòd ex ſene potentiam foret aſſequuturus: quoniam exuta ſenectute, eiuſmodi uiſatur anguis. Cælius lib. 10. cap. 3. A. L.

In pelui, in qua lauabatur, ſępiùs conſpectus ſerpens, qui occidi non potuit, AVRELIANO imperium portendit. Fulgoſus lib. 1. cap. 4.

Vipera ingens irrepens in galeam, ACTIO Vicecomiti uictoriam aduerſus Bononienſes portendit. Iouius in uita Actij: & Petrarcha.

QVIDAM ſerpentes in ſinu geſtantes, qui etiam ἀθίγγανοι dicuntur: hunc quidem die maligno natum eſſe, illum uerò felici ſidere natum dicunt, & futuras felicitates & infelicitates annunciant, & alia quædam nugantur, quę, ne quæ ſcribantur quidem, digna ſunt. Theod. Balſamon in ſynodum VI. in Trullo.

AQVATILIVM, PISCIVM DIVINATIO. EX

*Paſtu.*

In LYCIÆ Myris, fonte Apollinis, quem Curium appellant, piſces ter fiſtula euocati, ueniũt ad augurium. Diripere eos carnes obiectas lætum eſt conſultantibus, caudis abigere, dirum. Plin. lib. 32. cap. 2. Plut. de Anim. compar. apud Surã uicum Lyciæ, inter Phellum & Myram collocat. De Lycio oraculo è piſcibus ita ſcribit Polycharmus lib. 2. rerum Lyciæ. Cùm ad mare perueniunt, ubi nemus eſt in litore Apollini ſacratum, in quo gurges eſt in arena, accedunt oracula petentes, duos obeliſcos habentes, atque in utroq; carnes numero decem aſſatas. Tunc ſacerdos ſilens, apud nemus aſſidet. Ii autem, qui oraculum petunt, obeliſcos in gurgitem proiiciunt, ac expectant quid accidat. Poſt obeliſcorũ iactum gurges impletur mari, tantaque huiuſmodi piſcium copia ingreditur, ut aſpectus ob hanc rem offendatur, ob magnitudinem uerò, ut quandoque aufugiant. Cùm uerò piſcium ſpecies notarunt, ſic oraculum petẽtes, reſponſum accipiunt à ſacerdote, pro quibus orauerunt. Apparent autem cernuæ, glauci, & balænæ aliquando, & priſtes, multique incogniti, neque antea conſpecti. Artemidorus lib. 10. Geographiæ dicere ſolitos narrat incolas, fontem dulcis aquæ natum eſſe, unde accidit gurgites fieri, piſceſq; magnos in loco uorticoſo eſſe, quibus ſacrificantes primitias in ligneis ueruculis iaciunt, periculum eorum facientes, carnes ſcilicet aſſatas ac lixatas, placentas & panes. Nominatur hic portus & locus, Dinus. Athen. li. 8. cap. 2. & Cælius lib. 7. cap. 29.

*Congreſſu.*

AVGVSTVS cùm prope Siciliam contra Pompeianos (quos ideò contemſerat, quòd breui ab Agrippa ſuperati eſſent) infeliciter pugnaſſet, iniquo animo eam ferebat ignominiam: nec antea recepit animum, quàm piſcis, ultrò è mari ſaliens, ad pedes eius accidit: atque à uatibus ob eam cauſam reſponſum eſt, Siciliam in eius poteſtate fore. Xiphilinus in Auguſto.

E lacu quodam Normanniæ eiecti noctu piſces, HENRICO II. Anglorum regi mortem portendêre. Polyd. lib. 13.

Apud NORVEGOS in lacu Mos apparet oſtentum. Serpens miræ magnitudinis, qui, ut cometæ orbi reliquo, ſic is portendit Noruegiæ mutationem rerum. Viſus eſt anno ſalutis MDXXII. altè eminens ſuper aquas, conuolutus in ſpiram, Exiſtimatus eſt, coniectura collecta procul uiſu, cubitorum quinquaginta. Et [illegible]uutá eiectio regis Chriſtierni II. Zieglerus in Scondia.

*Acceſſu.*

Cétus trigintá cubitorum, apud Byzantium apparens, portendit belli Gothici exitum in ITALIA. Cælius li. 8. ca. 11. A. L. ex Procopio.

Anno 1335. prodigij loco habitum eſt, cete grandia innataſſe Trauenam, perueniſſeq; ad Lubecę urbis uicina, longitudine octo, & decem, uiginti, quatuor & uiginti pedum: quæ fuit necdum adultorum, ſed media ætate creſcentium magnitudo. Eodem tempore cœpit inter reges FRANCIÆ & ANGLIÆ diuturna illa de regno Francię conflictatio. Crãzius lib. 8. Vandaliæ, cap. 17.

*Actione.*

Remora piſciculus, prętoriam nauim M. ANTONII Actiaco pręlio tenens, donec exhortatus ſuos, tranſiret in aliam, infelicis pugnæ omen fecit. Plinius lib. 32. cap. 1.

*Dono.*

Teſtudo à piſcatore dono oblata patri CLODII Albini, imperium filio portẽdit. Cùm hiſtoria prodat, id in Cæſarum familia peculiariùs ſeruatum, uti domus paruuli teſtudineis lauentur alueis. Cælius lib. 10. cap. 3. A. L.

*Apparitione inſolenti.*

Eſt notatum apud SEPTENTRIONALES, quotieſcũq; extrahuntur à mari monſtroſi Piſces, leonina uel humana facie, & ſimilibus, quòd ſemper diſcordiam & bella in terris portendant. Olaus lib. 21. cap. 1.

In æſtuario FIFÆ regionis Scotiæ, apparent interdũ malo omine ingentique hominum metu portenta quædam, facie humana cucullos monachorum, ut apparet, induta, ac umbilico tenus aqua extantia, Baſſinatis uernacula lingua. H. Boethius in Scotiæ deſcriptione.

INSECTORVM QVORVMLIBET DIVINATIO.

APVM.

Apes in campis Philippicis ſupra caſtra glomeratæ, M. BRVTO infauſtæ. Plut. in Bruto.

Eædem in caſtris DRVSI, proſperam contra GERMANOS pugnam denotauere. Plin. lib. 11. cap. 17.

MVSCARVM.

Muſcæ poculis & dapibus Rom. militum inſidentes, dum expeditionem in Meſopotamiam parant, TRAIANI mortem portenderunt. Cuſpinianus.

FORMICARVM

MIDÆ illi Phrygio, cùm puer eſſet, dormienti, Formicæ in os tritici grana congeſſerunt. Ditiſſimum fore prædictum eſt: qđ euenit. At PLATONI cùm in cunis paruulo dormienti apes in labellis cõſediſſent, reſponſum eſt, ſingulari illũ ſuauitate orationis fore. Ita futura eloquentia præuiſa in infante eſt. Cicero lib. 3. de natura Deorum.

CIMONI contra Perſas expeditionem ſuſcipienti, agmen Formicarum inter ſacrificandum ſanguinem concretum rapiens, paulatimq; ad Cimonem deferens, & pollici pedis circumiiciens, mortem portendit. Plutarchus in Cimone. Certamen inter formicas maiores & minores, quarum hæ multitudine tandem maiores ad internecionem deleuerunt, ſpectante exercitu Eugenij IIII. commiſſum in agri Bononienſis pyro arbore, Aeneas Syluius capite quinquageſimotertio, Europæ deſcribit. Formicæ anno Chriſti 1521. in regiis hortis Vpſaliæ & Holmiæ infeſtis cõcũtes animis,





Chriſtierno II. regi apud Suecos exiliũ denotarunt. Olaus libro 22. capite 20.

LOCVSTARVM.

Primam expeditionem ſacram Hieroſolymitanam an. 1096. Claromonte inſtitutam, LOCVSTARVM repẽtè nata uis tanta præceſſit, ut nubium inſtar Solis lucem adimeret. Sigonius lib. 9. regni Ital.

BRVCHORVM.

TAMBERLANES Hieroſolymam expugnare inſtituerat: ſed quũ Bruchi exercitum eius uexarent, admonitũ ſe interpretatus à Deo, ea re temperauit. Cranzius lib. 10. Vandal. ca. 5.

ARANEORVM.

Apud THEBAS Bœotias cùm in templo Legiferæ Cereris ſub Leuctricę pugnæ tempus (quando auſpiciis Epaminundæ Spartanos uicerunt) Araneæ albas circa ualuas texuiſſent telas: adorientibus iam fines Macedonibus ductu Alexandri Magni, excidium urbi portendentes, nigro omnia opere compleuerunt. Pauſanias in Bœot. Vates dicebãt portendere telam illam, deorum ab urbe migrationem. Diodorus libro 17.

VEGETABILIVM DIVINATIO.

QVOMODO.

*Ortu.*

Ficus Romæ in Capitolio enata, pudicitiã ROMANORVM euerſam denotauit. Plin. lib. 17. cap. 25.

*Reſtitutione.*

Nucerię, ulmus in luco Iunonis, amputato cacumine, quoniã in aram ipſam procumbebat, reſtituta ſponte eſt, ita ut protinus floreret. A quo deinde tempore maieſtas Pop. ROM. Cimbricis cladibus uaſtata, reſurrexit. Idem factum & in Philippis, ſalice procidua & detruncata: & Stagiris in Muſæo populo alba. Plin. lib. 16. cap. 32.

*Flore.*

Scopæ in palatio florentẽs ſub VALENTINIANO & VALENTE, exaltationem hominum uilium ſignificarunt. Cardanus lib. 15. de Rerum uar. cap. 78.

Cæſo ex inſidiis Alexandro Medice Florentinorum duce, eo ipſo die in COSMI Medicis uilla omnis generis florum ubertas contra anni conſtitutionem cunctis ſtirpibus erupit, & uni iſti Coſmiani horti ad adulti ueris ſimilitudinem floruerunt. Coſmus Florentiam properè è ſuo prædio profectus, principatum adeptus eſt. Sabellici Supplementũ li. 22.

*Fructu, Prouentu.*

Theopompus libro Hiſtoriarum quinquageſimo quarto, in Biſaltia Amphipoli & Creſtonia, Macedonię ciuitatibus, regnante Philippo, ficus fructus medio uere produxiſſe ſcribit, uites racemos, & oleas oliuas: quo tẽpore primùm pullulare æquum uidebatur. Hinc omnia PHILIPPO regi feliciter acciderunt. Athen. lib. 3. cap. 3.

Frugibus oſtentum ſemel (quod equidem inuenerim) ROM. accidit, P. Aelio, Cn. Cornelio Coſſ. quo anno ſuperatus eſt Hannibal. In arboribus enim tum nata produntur frumenta. Plin. lib. 18. cap. 18.

P. Annio TACITO imperium portendit uitis: quæ cùm uuas albas ferre ſoleret, eo anno rubros racemos emiſit. Item uinum album in rubrum conuerſum eſt. Fulgoſ. lib. 1. cap. 4.

Vindemia repetita circa occaſum Pleiadum, IVLIANO Imp. cõtra Conſtantium mouenti incrementũ portendit. Eutropius lib. 11. de Conſtantio, Sozomen. lib. 5. cap. 1. & Nazianzenus orat. 1. in Iulianum.

*Motu.*

M. LVCVLLVS dux Syllanus, dum ad Fidentiam aduerſus hoſtiles cohortes quinquaginta, cum ſedecim rem gereret, & quòd complures ſuorum inermes eſſent cunctabundus ſtaret: flores ex propinquo herbido mollis uentus affatim uehens, coniecit in exercitum eumq; aſperſit ſpontè, adhæreſcentibus iis, ſcutaq; & paleas comprehendentibus, ut coronati putarentur ab hoſtibus. Vnde magis erecti ſigna cõtulerunt, obtinueruntq; uictoriam, cæſis octodecim millibus, inſuper caſtris hoſtem exuerunt. Plut. in Sylla.

Oliuetum in agro Marrucino Vectij Marcelli uiam publicam tranſgreſſum, NERONI portendit excidium. Plin. l. 17. c. 25.

*Caſu.*

Arbores fici tres, quæ ficus eas ferrent, quibus Alexandrinarũ nomen eſt, ſubitò ante ALEXANDRI Seueri Imp. in Germanica expeditione tentorium deciderunt, cùm tentoria imperatoria his adnexa eſſent. Lampridius in Alexandro.

QVORVM. VERBI CAVSA

*Lauri.*

Laurum Apollini ſacram, futurorum habere præſenſionem quandam, creditum uulgò eſt. Siquidem nil crepitantius uritur, ſicuti à Lucretio proditum quoque nouimus. Sed eo prior etiamnum Theocritus canit. Nam & hinc Daphne dici uidetur, uelut Euſtathius interpretatur: etenim δα intentionis uim habet, φωνεῖν uerò loqui eſt, ac canere. Igitur euentus rerum ex crepantis modo ueteres aucupabantur: quod nec Porphyrium latuit. Nam ſi crepuiſſet abundè ac ſonantiùs, haud dubiè portendi felicitatẽ rebantur. Tibull.

Laurus ubi bona ſigna dedit, gaudete coloni.

E diuerſò ſi tacita deflagraſſet, inauſpicatiſſimum infeliciſſimumq; arbitrabantur: quod approbat etiam Propertius.

Et tacet extincto laurus aduſta foco.

Cælius lib. 5. Antiq. Lect. cap. 7.

Lauro coronatæ faſces à Luculli lictoribus donatæ, CN. Pompeij gloriam præſagiunt. Plut. in Lucullo.

LIVIÆ Druſillæ (quæ poſtea Auguſti matrimonij nomen accepit) cùm pacta eſſet illa Cęſari, gallinam conſpicui candoris ſedenti aquila ex alto abiecit in gremium illæſam: intrepideq; miranti acceſſit miraculum, quoniam teneret roſtro laureum ramum onuſtum ſuis baccis. Conſeruari alitem & ſobolem iuſſere aruſpices, ramumq; eum ſeri, ac ritè cuſtodiri. Quod factum eſt in uilla Cæſarum, fluuio Tiberi impoſita, iuxta nonum lapidem, Flaminia uia, quæ ob id uocatur Ad gallinas: mireq; ſylua prouenit. Ex ea triumphãs poſtea Cæſar, Laurum in manu tenuit, coronamque capite geſſit: ac deinde imperatores Cæſares cuncti. Traditusque mos eſt, ramos quos tenuerunt ſerendi. Et durant ſyluæ nominibus ſuis diſcretę. Plin. lib. 15. cap. ult. Fuit mos triumphãtibus, alias confeſtim eodem loco pangere. Et obſeruatum eſt, ſub cuiuſq; obitum, arborem ab ipſo inſtitutam elãguiſſe. Ergo nouiſſimo Neronis anno, & ſylua omnis exaruit radicitus, & quicquid ibi gallinarum erat interiit. Suetonius. Hinc adagium, Gallinæ filius albæ. Conuenit in eos, qui rara & fatali quadam felicitate ſucceſſuq; rerum, utuntur.

*Myrti.*

Myrtus arbor Veneri ſara, prima omnium in locis publicis ROMÆ ſata eſt, fatidico & memorabili augurio. In antiquiſſimo nanque delubro Quirini, hoc eſt, ipſius Romuli, ſacræ fuêre myrti duę ante ædem ipſam per longum tempus, altera patricia appellata, altera plebeia. Patricia multis annis præualuit, exuberans ac læta, quandiu ſenatus floruit; plebeia retorrida ac ſqualida. Quæ poſteaquam eualuit, flaceſcente patricia, Marſico bello, languida auctoritas patrum facta eſt, ac paulatim in ſterilitatẽ emarcuit maieſtas. Plin. lib. 15. cap. 29.

*Vitis.*

Heliopolitanus Iupiter, Vite in partes diſſecta, & ſudario inuoluta, TRAIANO de exitu belli Parthici, & an Romam incolumis rediturus eſſet, conſulenti, mortem prędixit. Macrob. lib. 1. Saturnalium 23.

*Oleæ.*

Oleaſter MEGARIS diu in foro ſtetit, cui uiri fortes arma affixerãt, quæ cortice ambiẽte ætas lõga occultauerat. Fuitq; arbor illa fatalis excidio urbis, præmonitæ oraculo, cùm arbor arma peperiſſet: quod ſucciſæ accidit, ocreis galeiſque intùs repertis. Plin. lib. 16. cap. 39.

*Rubi.*

LOCRO cuidam reddita ſors eſt, Ibi ciuitatem conderet, ubi canis lignea morſum ei infixiſſet. Quo nomine quum ad alterum enauigaſſet maris litùs calcauit κυνόσβατον, id eſt, rubum caninam, ſpinę genus: inde cùm ſuſpicaretur finem habere oraculum, ciuitates condidit, quas Locri habent Ozolæ. Cælius lib. 17. cap. 28. A. L. ex Athen. lib. 2. cap. 33.

*Apij.*

TIMOLEON Corinthius pugnaturus aduerſus Carthaginenſes, ex Apio, quod occurrentes muli ferebant, omen captauit uictoriæ. Plut. in Timoleonte.

*Ordei.*

Mulieres quædam cùm hordeo, ea quæ ab aliis ignorantur, enunciant. Hæ ſunt quæ dicuntur κριθεῖαι, quæ eccleſiis & ſanctis imaginibus aſſidentes, & ſe ex iis diſcere futura prędicantes, non ſecùs ac quæ Pythonis habent ſpiritum, futura prædicunt. Theod. Balſamon in ſynodum VI. in Trullo.

HOMINVM PRAEDICTIONES, PRÆSAGIA.

*Ex Tit. Præſagiorum, exempla, ſuæ iuncta materiæ petantur. Item ex Tit. Prophetarũ: Illic Præcognitio quomodocunq; per quæcunque facta: hic Prædictio tanquam ſpecies Diuinationis perpenditur.*

IVSIVRANDI DIVINATIO.

*Conſule Tit. Fides per deos religioſè concepta. Illic Iuſtitiæ, hic Diuinationis, per quam iuſtitiæ opinio confirmatur, habenda ratio.*

LEO III. Pp. quòd Hadriani, in cuius defuncti locum ſuffectus fuerat, acta permulta reſcinderet, ab illius propinquis

amicisque, qui eius liberalitate creuerant, coniuratione facta comprehenſus, cùm è cuſtodia elapſus, ope Vinigiſij Spoletini Ducis in Franciam ad Carolum Magnum confugiſſet, in Vrbem remittitur, comitibus Epiſcopis, & aliquot proceribus, graui edicto, ne quis eum uiolaret. Anno pòſt cogniturus de Leone Romam uenerat rex. Cùm igitur ad cognoſcendam cauſam conſediſſet: qui in Pontificem maximum manus iniecerant, alienis criminibus audaciam ſeque tegentes, ultrò eum accuſabant. Carolus quæſitor, Leo idem & accuſator, & reus. Coniuratores utrunque, & accuſatores & rei. Francus dici, reticeri, perorari iubebat: hactenus ſilentium actum. Cùm uerò ad rogandas ſententias deſcendit rex, tunc demùm patientia ſilentiumq; ruptum, ac omnis ſimulatio depoſita. Epiſcopi magis ſacroſanctæ poteſtatis, quàm Regiæ maieſtatis memores, conſentienti ore reclamauêre, ſummum optimumque regem eſſe Carolum: ſed cuínam tandem de Pontifice maximo iudicium facere fas eſſe? ſuſciperet Leo in gremium cauſam ſuam: quiq; in cæteros clauium ius haberet, de ſe quoque ipſe incorruptè iudicaret: ſolo numine, uel teſte conſcientię, uel uindice. Ita Leo, haud ægrè ferente Franco, demtum ſibi graue onus de Pontifice maximo iudicandi, ſuggeſtum conſcendit, crimenque iureiurando diluit: moxque ſententia ſua abſolutus, cùm fraudis capitalis coniuratores rei agerentur, interceſſit, ſatisque habuit exilium intendi. Octingenteſimus ſalutis annus agebatur, & rem diuinam natali Domini Leo in ęde Petri faciens, ingenti aſſenſu procerum, Carolum Auguſtum appellatum, infulis, ac cæteris Imperij inſignibus exornauit. Roma & cæteræ Italiæ urbes incredibili lætitia afficiebantur, quadringenteſimo duodeſeptuageſimo circiter anno, quàm inſignia Imperij Romani in Thraciam delata fuerant, uelut poſtliminiò reuertiſſe, ſummiq; nominis dandi ius, in Italiam reuocatum. Aemilius lib. 2.

PELAGIVS Romanus Pontifex de morte Vigilij Pp. inſimulatus, publicè crucem & codicem Euangeliorum tenens in manibus, teſtatus eſt ſuam innocentiam. Sigebertus. Blondus lib. 7. Decadis 1.

SOPHIA, Polonorum regis uxor, de ſtupro accuſata, ſe ſuo ipſius & ſeptem honeſtarum & nobilium feminarum iureiurando purgauit. Cromerus lib. 19.

## PROVOCATIO AD TRIBVNAL COELESTE.

SIDONIVS epiſcopus Auernenſis, presbyterum, qui falſis criminationibus ſibi poteſtatem Eccleſiæ eripuerat, poſt mortem in ſomnis pincernæ eius apparens, ante tribunal Dei comparére miraculosè coegit. Siquidem presbyter ille factus epiſcopus, audito pincernæ ſomnio, timore & horrore correptus, paulo pòſt mortuus eſt.

Cùm tempore Henrici IIII. Imp. Romanorum, MEGINHERVS Herueldenſis antiſtes, & Burcardus Halberſtadenſis epiſcopus, ob decimas decertarent: inuicem ad tribunal Chriſti ſupremi prætoris prouocantes, ambo die dicto ſubita morte abſumti ſunt. Auentinus libro quarto, Annalium Boiorum.

HENRICVS Moguntinus archiepiſcopus, cùm Canonicorum ſuorum diſſolutos mores ferre nollet, ab iis apud Pontificem accuſatur Eugenium III. Mittit ille Arnoldum ſuũ camerarium Romam, qui ſpe epiſcopatus crimina auxit. Papa legatos duos amandat ad cognoſcendã cauſam. A quibus Henricus deiectus, Arnoldus ſuffectus eſt. Hẽricus prouocatione ad Pontificem omiſſa, Ad iuſtum iudicem Chriſtum prouoco, inquit, alteroq; anno obiit. Eius morte audita, Cardinales duo eodem die periêre: alter in latrina animam excacans, alter digitos manuum inſtar ferę arrodens, circa annum ſalutis 1145. Conradus auctor Chronici Moguntini. Stumpſius Vormacienſem epiſcopum facit, & ab Adriano miſſos legatos ait. Sit fides penes auctores.

Ferdinandus IIII. Hiſpaniæ rex, Sanctij IV. F. nouennis, per matrem feminam prudentiſſimam omnia gerebat. Cùm iã quindecim annis regnaſſet, duosq; NOBILES perduellionis reos, ex altiſſima turri præcipites dari iuſſiſſet: iiq; conſtanter crimen negarent, nec aliquid proficerent: eò confugerunt, ut dicerẽt, ſe diuinum tribunal appellare, proindeq; meminiſſet ad dies triginta iudicio ſiſtere. Ferdinandus trigeſimo die, cùm dormire crederetur, in fata corruit. Ritius lib. 3. de Regibus Hiſpaniæ, & Fulgoſus lib. 1. cap. 6.

Cùm Philippi Pulcri Gallorum regis conſilio, Clemens V. põtifex, Templariorum equitum religionem damnaſſet, atq; eorum multos uariis in locis ſupplicio affeciſſet: poſtremò ad eum deductus eſt EQVES Neapolitanus, damnatusque ad ignem in urbe Burdegala, conſpectis in feneſtra Põtifice ac Rege, magna uoce in hæc uerba prorupit: Sæuiſſime Clemens tyranne, poſteaquam mihi inter mortales nullus iam ſupereſt ad quem appellem, pro graui morte, qua me per iniuriam afficis, ad iuſtum iudicem Chriſtum, qui nos redemit, appello: ante cuius tribunal te uoco, unà cum Philippo rege, ut intra annum diemque, ambo illic comparentis: ubi cauſam meam exponam, & ius ſine prauo ullo affectu miniſtrabitur. Intra id tempus Clemẽs repentè morte eſt correptus: nec multo pòſt Philippus quoque interiit. Fulgoſus lib. 1. cap. 6.

GVALTERIVS Burgenſis, miniſter Turoniæ, cùm inuitus præſul Pictauienſis crearetur, uenit in litem pro iure Eccleſiæ ſuæ cum præſule Burdegalenſi: qui paulo pòſt Pontifex creatus, nomine Clementis V. hunc aduerſarium ſuum prę ſulatu deiecit. Gualterius cùm hanc iniuriam æquo animo tuliſſet, moriens huiuſmodi chirographum ſarcophago imponi iuſſit: Ad iuſtum Dei iudicium appello. Volaterranus libro 21. Anthrop.

Britanniæ ducem, cùm diu ſobole caruiſſet, uotum uouiſſe ferunt, liberos ſi haberet, priores duos, alterum Minorum, alterum Prædicatorum religioni conſecraturum. Exin uoti compotem, primum qui ſibi natus eſt Franciſcum appellauit, ſecundum Dominicum. Natus eſt ei & tertius FILIVS, quem in Angliam nutriendum miſit. Is cùm mortuo patre in Britanniam, Franciſco regnante rediiſſet, ab eo captus, & in carcere necatus eſt. Fama eſt eum, cùm neci traderetur, impietatem fratris accuſando, qui non contentus regnum occupaſſe, animam quoque ſibi eriperet, Franciſcum coràm diuino iudicio de parricidio reſponſurum, infra annum citaſſe. Intra quod tempus Franciſcus hydropiſi laborans obiit, Dominicus ei ſucceſſit. Qui cùm ſine liberis deceſſiſſet, Arturum Francorum militiæ principem, patruum ſuum, ſucceſſorem habuit. Aeneas Syluius capite quadrageſimotertio Europæ.

MENVERCVS Paderburnenſis epiſcopus, Henricum II. Imperatorem in Italiam ſecutus, Cluniacum ueniens, inde fratres XIII. eduxit, cum pondere panis & uini, cum libris ac rebus ad obſeruantiam neceſſariis, ac Paderburnam introduxit, ibiq; monaſteriũ inſtituẽs, Eruette prędiũ ab Imperatore impetrauit, pro eccleſia. Abbatem Corbeiæ, reformationi repugnantem, Valonem, deponi curauit. Pro qua re, quum in eum locum deuotionis gratia declinaſſet, nelletque ſacrum peragere, ſacriſta ſacras illi ueſtes ſubduxit: iterum iterumque monitus, tradere recuſauit. Tum epiſcopus, Reddes (inquit) rationem altiſſimo, pro omiſſo hodierno officio. Monachus ille floccipendens, etiam riſit epiſcopum: ſed apparuit in morte eius epiſcopi, quàm non fruſtra eſſet minatus. Nam nihil antè mali ſentiens monachus, in ipſa hora mortis epiſcopi expirauit, anno Chriſti milleſimo trigeſimo ſexto. Cranzius libro quarto Metropoleos, capite quarto.

Apud Veſtrogothos Ioannes Turſon, pater Turonis Tenſon, equitis aurati, & ſupremi iudicis, QVENDAM capite plecti iuſſerat. Is genibus innixus, En morior iniuſtè, inquit, teque uoco hac hora ante tribunal Dei, ut reſpondeas, cur me innocentem morti condemnes. Vix aũt miſer ille carnificis manu obtruncatus fuerat, cùm etiam iudex de equo corruit exanimis. Olaus libro decimoquarto, capite uigeſimo.

Cùm Genuenſium triremes, aduerſus piratas inſtructæ, biremem Catelanam cepiſſent, extra Drepanum urbem, in Catelanorum atque Siciliæ inſulæ contemtum Genuenſes biremis RECTOREM furcis noctu appenderunt. At cùm miſer iniquè ſe id pati à Genuenſibus quereretur, cùm nunquam eos uiolaſſet, poſteaquam perſpexit fruſtrà à ſe ea dici apud eos, qui plus odio gentis, quàm hominis cauſa mouerentur: pro iniuria ad Deum appellauit, citato patrono Genuenſium eo, penes quem grauior mortis ſuæ culpa uidebatur, ut intra ſextum menſem coram Deo comparer et. Intra quod tempus is, quem citauerat, mortuus eſt. Fulgoſus libro 1. cap. 6.

Quum ad Tarentum è caſtris maleficum ſeditioſumque MILITEM ad ſupplicium duci Conſaluus Magnus iuſſiſſet: illeque multum reluctatus ſe iniquiſſimè damnari uociferaretur, & proinde Conſaluum ad dicendam cauſam ad Dei Max. tribunal magna uoce citaret: Vade, inquit Conſaluus, feſtinaque confiſus optimo iudici, & cauſam inſtrue: nam ibi pro me aderit qui opportunè reſpondeat Alfonſus frater, qui nuper è Serra uermegia in cœlum contendit. Tum enim Conſaluo nunciatum fuerat, fratrem à Mauris circumuentum, dignam forti pioq; duce mortem oppetiſſe. Iouius in Conſaluo.

## SACRIFICII, SACRORVM SYMBOLORVM DIVINATIO.

ANDRONICVS Imp. Conſtantinopolitanus, cùm cœleſti pane percepto, ad calicem precioſi & uiuifici ſanguinis bibendum accederet: manibus tanquam ad poculum præhendendum extentis, & uultu ad triſtitiam compoſito, per ueneranda myſteria, ferè omnibus iis aſtantibus & audientibus, qui in ſacro adyto erant, iurauit: Se non alia de cauſa Imperium accepiſſe, niſi ut Alexium Comnenum Imperatorem & conſobrinum iuuaret, eiuſque potentiam ſtabiliret. Nicetas.

In Germania ERKENBALDVS Burbathus, cùm æger ſacrã peteret communionem, & interrogatus, Si eum manifeſtæ cædis, quę in nepotem perpetrata erat, pœniteret? isq;, quia iuſtam putaret, pœnitere negaret: Epiſcopus cum Chriſtiana hoſtia ad templũ reuertebatur. Nec dũ uerò ad tẽpli ualuas peruenerat, cùm ab ægro reuocatus, rogatus eſt ut tabernaculum, in quo hoſtiam ipſam ferebat, recluderet. Vbi cùm non inueniretur hoſtia, æger in ore ſe eam habere oſtendit. Fulgoſ. lib. 1. cap. 6.

Lotharius Lotharingiæ rex, Imperatoris Ludouici II. frater, inſano Valdradæ cõcubinæ olim ſuæ incenſus amore, cum Thietberga uxore diuortium facere geſtiens, Guntharium Colonienſem & Thietgandum Treuirẽſem archiepiſcopos, promiſſis pluribus oneratos, ut ſibi obſequerẽtur, induxit. Conuentu Metis ann. 863. coacto, Thietberga de inceſtu cũ fratre commiſſo poſtulata, teſtibus ſubornatis reuincitur, & non ſolùm à thoro legitimo ſeparatur, ſed etiam omnis ei maritalis coniunctio inhibetur. Sequenti uerò, alter ex compoſito Aquis conuentus cogitur. Ibi Lotharius ſe à concubitu continere, & ſine uxore ſæuientem uigentis æſtum ætatis ſuſtinere nõ poſſe, profeſſus eſt. Decretum proinde, illam iuſtam uxorem non fuiſſe, quæ publico inceſti damnata iudicio eſſet: ipſum Lotharium aliam ritè uxorem ducere poſſe. Lotharius ſtatim Valdradam ſibi matrimonio copulauit. Hæc cõfeſtim ad Nicolaũ pontificem, Thietbergæ fratres detulerunt, iusq; ſibi ac ſorori in cauſſa, quæ ſummã religionis attingeret, popoſcerunt. Arſenius legatus, in Frãcia Lotharium indicto anathemate perpulit, ut nunciũ Valdradæ remitteret, & Thietbergam ueterem in matrimonij ſocietatem reciperet, ſeq;, dum uita ſupereſſet, iuſtæ coniugis loco habiturum iuraret. Inde Valdradæ imperauit, ut Romam ad reddendam ſui rationem contenderet. Eorum neutrum eſt obſeruatum. Lotharius, profecto ex Frãcia Arſenio, Valdradę inſtinctu iterum Thietbergam ream adulterij fecit, ſeque id crimen ſingulari certamine, comparatis ab utraq; parte, quos illi Campiones uocabant, propugnatoribus probaturũ: &, ſi Thietberga inferior fuiſſet, uita eam ſpoliaturum oſtendit. Thietberga cæteris præſidiis deſtituta, ad Carolum Caluum, regem Franciæ, Lotharij patruum ſeſe contulit. Sexennio pòſt Lotharius Romam uenit, magna procerum ſuorum caterua ſtipatus. Ibi rogatus ab HADRIANO II. nũ diligenter omnia pontificis Nicolai prædeceſſoris ſui præcepta ac conceptum iuſiurandum ſeruaſſet, reſpondit, ſe omnia ſanctiſſimè cuſtodiſſe: idq; proceres omnes eius qui aderant, ſuo teſtimonio confirmarũt. Tum Hadrianus, Reliquum eſt igitur, inquit, ut ad Confeſſionem S. Petri accedas, & ſalutaris hoſtiæ, quam pro corporis & animæ tuæ ſalute immolabimus, partem nobiſcum ſumas, ac per hanc membris Chriſti iungaris, unde abſciſſus uidebaris. Quod Lotharius ſummo ſtudio dixit ſe facturũ. Tum pontifex ad rem diuinam faciẽdam progreſſus eſt. Qua perfecta, corpus Domini in manus ſumſit, & in Lotharium uerſus, Age Lothari, inquit, ſi te expertem interdicti à Nicolao adulterij ſentis, ac ſincera fide te in poſterũ à Valdradæ concubitu temperaturum promittis, ſacramentum ſalutis æternæ ad remiſſionem peccatorum tuorum profuturum accipe. Sin minus, caue ne ad internecionem animæ tuæ ſuſcipias. Ille uerò cęcus ſine dubitatione ſuſcepit. Tum ſingulis proceribus eius accitis idem obtulit, dicens: Si regi Lothario in obiecto adulterij crimine nõ fauiſti, & Valdradæ piorum communione priuatæ colloquium refugiſti, corpus & ſanguis Domini noſtri proſit tibi ad uitam æternam. Huius uerò tanti ac tam manifeſti flagitij maturas Deus pœnas expetiit. Siquidem Lotharius domum rediens, cùm Lucæ morbo eſſet oppreſſus, demùm Placentiæ octauo Idus Auguſti mortem oppetiit: & reliqui penè omnes ea ſceleris tabe contacti, ante anni exitum uariis caſibus perierunt. Sigonius lib. 5. regni Ital. ex Sigeberto. an. 870.

GREGORIVS VII. Pontifex, cùm Simoniæ argueretur, coràm omnibus inter Miſſarum ſolennia ſe purgaturus inqt: Ne humano potiꝰ, quàm diuino niti uidear teſtimonio, ut ſatisfactionis compendio omnem omnibus ſcandali ſcrupulum de medio auferam, ecce corpus Dominicum, quod ſumturus ſum, in experimentum mihi hodie fiat innocentiæ meæ, ut omnipotẽs Deus ſuo me hodie iudicio uel abſoluat obiecti criminis ſuſpicione, ſi innocẽs ſum: uel ſubitanea interimat morte, ſi reus. Schafnaburgenſis.

In ſynodo Moguntina ſub Henrico III. Imp. Spirenſis epiſcopus SIBICO, cui adulterij crimen imponebatur, examinatione ſacrificij purgatus eſt. Cranzius lib. 4. Saxoniæ c. 43. Chronicon Hirſaugienſe Sibechonem uocat.

Cùm Latini Alexio Murziphlo imperium Conſtantinopolitanum eripuiſſent, & quatuor Imperij candidati, Bonifacius marchio Montisferrati, Balduinus Flandriæ comes, Ericus S. Pauli comes, & Ericus Dandulus, Venetorum dux, in ęde SS. Apoſtolorum conueniſſent: pro numero candidatorum quatuor calices ordine collocare inſtituerunt, quorum unus incruentam uictimam contineret, cæteris uacuis: eoſq; tradere totidem ſacerdotibus, ut ad cuiuſque principis nomen unum tollerent, & eis redderent. Imperium uerò penes eum futurum erat, qui eum calicem accepiſſet, in quo diuinum corpus & ſanguis Chriſti eſſet. Inde cùm Veneto duci Dandulo deſignationem ſuffragiis committere uiſum eſſet, ex Francis & Longobardis quinq; optimatibus, & ex Venetis totidem iudicibus, lectis plurium ſuffragiis, Imperij decus Balduino Flandriæ comiti obtigit, dolo & ſolertia Danduli. Qui cùm ob cæcitatem numero candidatorũ excluderetur, imperium penes eum eſſe uoluit, cuius priuatus principatus quàm remotiſſimus eſſet à ditione Venetorum: ne ſi qua cõtrouerſia cum illo incidiſſet, plures copias ex ſuo territorio accerſere, aut Venetos fines cõmodè inuadere, aut incurſionibus uexare poſſet: Bonifaciũ itaq; Marchionem repulit, prælato illi Balduino. Nicetas:

## LIBRORVM, SCRIPTORVM SACRORVM DIVINATIO, INSPECTIO.

### Sortes Sacræ.

*Sortes per ſe uaticinia non ſunt, neque de re propoſita per ſe aliquid enunciant: ſed per accidens tantùm, nimirum ex uoluntate & inſtitutione hominũ, quibus ſacra ſcripta, ſacras'ue uoces cõnſulere placet, & ex iis tanquam oraculis, ſeu potiùs ominibus, futurum euentum inueſtigare. Sumuntur autem ex ſcriptis ſacris & fatidicis per epilogiſmum quendam: utputà, Hæc uox à fatidico de hac re pronunciata fuit: ergo ſi ſorte iterum uel ſcripta legatur, uel audiatur, ſimilem euentum denunciabit. Voco autem Sacrã ſcripta, propriè Libros utriuſq; fœderis in uera religione. Quibus ex opinione hominum ſuperſtitioſorum ſimul & impiorum reſponderunt apud ethnicos ſcripta Poetarum. Cæterùm de his paulo pòſt ſub Sortium nomine agetur. At de illis (quæ alioqui, ſi ſubiectum ſpectes, non uiderentur improbãdæ) ratione uſus, à præcepto ſacrarum literarum alieni, ex æquo ſuperſtitioſis et periculoſis; ſic ſcribit Iſidorus lib. 4. Etymologici: κληρομαντεία, ſortilegium. Sunt autem ſortilegi, qui ſub nomine fictæ religionis per quaſdam, quas Sanctorum ſeu Apoſtolorum uocant ſortes, diuinationis ſcientiam profitentur: aut quarumcunq; ſcripturarum inſpectione futura promittunt.*

D. AVGVSTINVS dubius admodum, uxoriámne uitam, ad quam natura ducebatur, an ſacrum cœlibatũ, quem ei mater & Alipius unicè ſuadebãt, ſequeretur: triſtitię plenus ab Alipio ſe proripit, & ſub quadam fici arbore in terrã ſe proiicit. Ibi dimiſit habenas lacrymis, & proruperunt flumina oculorum, in hanc ſententiã multa dicens: Et tu domine uſquequò? uſquequò domine iraſceris in finem? Ne memor fueris iniquitatum noſtrarum antiquarum. Sentiebat enim ſe aſtu libidinis teneri, & iactabat uoces miſerabiles. Et ecco audit uocem pucrilem de uicina domo, cùm cantu dicentis, & crebrò repetentis, Tolle lege, tolle lege. Statimq; mutato uultu cogitare cœpit, utrùmnam ſolerent pueri in aliquo genere ludendi cantare tale aliquid: nec occurrebat omnino audiuiſſe ſe uſpiã. Repreſſo igitur impetu lacrymarum, ſurrexit, quaſi diuinitùs iuberetur aperire codicẽ, & legere quod primum caput inueniſſet. Itaq; rediit ad eum locum, ubi ſedebat Alipius: ibi enim poſuerat codicem Apoſtoli, cùm inde ſurrexerat. Arripit, aperit, & legit in ſilentio capitulum, quod primum obuenit, ad Rom. 13. Non in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione: ſed induite dominum Ieſum Chriſtum, & carnis prouidentiam ne feceritis in concupiſcentiis. Et ſtatim cum fine huiuſce ſentẽtię quaſi luce ſecuritatis infuſa cordi eius, omnes dubitationis tenebræ diffugerunt. Tum interiecto aut digito, aut quo alio ſigno, codicem clauſit, & tranquillo iam uultu indicauit Alipio. At ille petit uidere, quid legiſſet, & quid ſequeretur. Sequebatur uerò, Infirmum autem in fide aſſumite. Quod ille ad ſe retulit, & Auguſtino aperuit. D. Auguſt. lib. 9. Confeſſionum, cap. ult.

Chrannus, Clotharij Francorum regis F. cùm innumeris malis Dei eccleſiam, eiusque miniſtros afficeret, & parentem fratreſq; inteſtino bello perſequeretur, die Dominico in Diuionenſe Galliæ caſtrum religionis ergò uenit. EPISCOPO autem & aliis ſacerdotib. ſacra ibi peragentibus, precibus à Deo futuram Chranni fortunã ſibi reuelari petierũt.

Præmiſſis igitur ieiuniis & orationibus, tribus deinde libris arę impoſitis, Prophetarum nimirum, Apoſtolorum & Euangeliorum, quod cuiq; libro aperto, prima ſtatim uice obuiam ueniret, id uaticinij & præſagij loco recitare iuſſerunt. Aperto itaq; primo omnium Prophetarum libro, repererunt eam Prophetæ ſententiam: Auferam maceriam eius, & erit in deſolationem. Apoſtolorum libri aperti reſpõderunt, Domini diem ceu furem noctu irruentem aduenturum, cùm dixerint, Pax & ſecuritas, &c. Euangeliorum uerò oracula docuerunt, Virum iſtum qui Chriſti uerba non audit, ſimilem eſſe uiro ſtulto, ędificanti domum ſuper arenã, quæ mox pluuiis & tempeſtatibus exortis, cum grauiſſima ruina collabatur. Poſt hæc, cùm patrem inſequentem fugeret cum uxore & filiabus, uenit in Britanniam. Clotharius autem mox filium armata manu eò perſequitur. Copiis igitur in agro Britannico utrinque congreſſis, prelium cõmittitur. Clotharius, fuſis ad Deum precibus, ſuamq; teſtatus hac in cauſa innocentiã, iuſtum Dei contra ſeditioſum ſuũ filium implorat auxilium. Prælio commiſſo, Chranni & Britannorum copiæ fugam capeſſunt. Chrannus uerò cùm uxorem & filias liberare tentaret, à patris exercitu cõprehenſus, cum uxore & filiabus ruſtico tuguriolo includitur, & incenſa caſula igne exuritur. Gregorius Turonenſis lib. 4. Hiſtoriæ, cap. 16. & 20.

HERACLIVS Imp. rebus in Perſide feliciter confectis, de hybernis deliberans, triduo exercitum luſtrauit: apertisq; poſtea inuiolatis Dei Euangeliis, inuenit ſibi mãdari, ut in Albania hyemaret. Cedrenus.

ANDRONICO Seniori Imp. aperto Pſalterio, dubitationũ ſuarum explicationem quærenti, ſtatim oblatus eſt uerſus primus: Dum cœleſtis diſſociat reges, niue conſpergentur in Selmon. Vnde cùm intellexiſſet, omnia quæ in illa perturbatione fierent, à Deo decreta eſſe, Andronicum iuniorem nepotem ſtatim ad reconciliationem & pacta priora prouocauit, pacemq; ſpectauit. Gregoras lib. 8.

Lanfranci in Cadomẽſi cœnobio auditor GVNDVLPHVS, cùm condiſcipuli ludendo dicerent, Experiamur reuolutione foliorum (librum Euangeliorum fortè in manibus habebant) quis noſtrũm futurus ſit epiſcopus, quis abbas, &c. Gundulphus inuenit locum, Fidelis ſeruus & prudens, quẽ Dominus conſtituet ſuper familiam ſuam. Vvalterus uerò, Serue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui. Tertio autem in minùs gratum locũ incidente, exortus eſt cachinnus. Cuius cauſam ubi Lanfrancus, Cantuariẽſis poſtea epiſcopus factus, cognouit, Gundulphum epiſcopum, Vvalterum abbatem, tertium uerò, ſordidæ artis hominem futurum prædixit. Cui interpretationi paulo pòſt reſpondit euentus. Ranulphus lib. 7. c. 6. Polychronici.

Cùm quidam æmulus HIER. Cardanũ Mediolanenſem medicum rogaret, ſi quid ſecreti haberet ad urinam retentam, id ut ſibi communicaret: anxius quid ageret, Deo ſe cõmendauit. Et aperto ſacro libro hæc uerborum ſeries ex Hieremia occurrit: Hæc dicit Dominus, ſic dices ad eum: Ecce quos ædificaui, ego deſtruo, & quos plantaui, ego euello, & uniuerſam terram hanc. Et tu quæris tibi grandia? noli quærere: quia ego adducam malum ſuper omnem carnẽ, ait Dominus: & dabo tibi animam tuam in ſalutem in omnibus locis ad quæcunq; perrexeris. Multa talia ad amuſſim occurrerunt quærenti. Ob id igitur exterrefactus, cùm calamum ſumſiſſet, ut ad illum ſcriberet, deſiit. Ac æger tertio die mortuus eſt. Ad quem ſi acceſſiſſet, maxima cum infamia ſecretum palàm factum eſſet. Cardanus de Rerũ uarietate lib. 14. cap. 68.

## VERBORVM SACRORVM AVDITIO DIVINA.

*Vt Inſpectio & Auditio differunt modo, licèt ſubiecto conueniant; ſic etiam præſens titulus cum priore.*

CLODOVEVS Francorum rex contra Alaricum Veſtgothorum regem Arianũ mouens, cùm per agrũ Turonenſiũ iter faceret, miſſos aliquot ſuorũ ad D. Martini fanum, attendere iuſſit, num auſpicium aliquod uictoriæ cernerent. ac, datis muneribus quæ offerrent, dixit: Si tibi Domine cordi eſt, ut ego hanc gentem impiam & nomini tuo inimicam ulciſcar, fac, ut ſignum aliquod tuæ eluceat uoluntatis. Nuncij uerò, qui miſſi erant, baſilicam ineuntes, primicerium incinentem hanc antiphonam audierunt: Præcinxiſti me Domine uirtute ad bellum, & ſupplantaſti inſurgentes in me ſubtus me, & inimicorum meorum mihi dediſti dorſum; & odientes me diſperdidiſti. idq;, perſolutis donis, regi ipſi renunciarunt. Cùm autem lætus ille propterea, motis caſtris, ad Vigennam amnem perueniſſet, ac flumini, magno fortè effuſo imbre tumeſcenti, exercitum obiicere pertimeſceret, per noctem ſupplex Deum orauit, ut uadũ ſibi ad traiiciendum illud oſtenderet. ac poſtridie mane ceruam tranſeuntem ſequutus, exercitum incolumem tranſportauit. Caſtris inde ad Pictauorum oppidum poſitis, pharum igneam ſibi uidere uiſus eſt ad ſe è baſilica S. Hilarij uenientem: ex qua intellexit, ſe lumine S. Hilarij hæreticorum acies, quas ille uerbo diſiecerat, diſſipaturum armis. quamobrem, ne quid inde à milite raperetur, edixit. Acies inde in campo Vocladenſi, decem ab urbe millibus paſſuum utrinque inſtructæ, ſtrenuè concurrerunt. & poſt dubiam aliquot horarum pugnam, tandem Gothis in fugam conuerſis, Franci ſuperiores fuerunt. Inter cæteros, quos prælij impetus perculit, ipſe Alaricus rex cecidit. Amalaricus Alarici filius puer, rebus Galliæ deploratis, in Hiſpaniam ſe proripuit. Gothi, Giſalarico, ſiue Giſaleuco Alarici notho ſublecto, ad regni defenſionem ſe contulerunt. Theodericus Clodouei filius, iuſſu patris ad urbes Gothicas expugnãdas profectus, Toloſam regni caput ſubitò in ditionem cum omnibus regiis theſauris adduxit. Sigon. lib. 16. Imp. occid.

ANTONIVS monachorum pater, ex euãgelica lectione, cui fortè ſuperuenerat, admonitus fuit, tanquam ſibi diceretur quod legebatur: Vade, uende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlis: & ueni, ſequere me. Et tali oraculo confeſtim ad Deum conuerſus eſt. Auguſt. lib. 8. Confeſſionum, cap. ult.

ROMANVS Diogenes Imp. contra Azanem Sultanum ſuſceperat expeditionem. Bryennius dux, hoſtium multitudine preſſus, ab Imperatore ſubſidium petebat. Imperator hoſtiũ potentiam ignorãs, Bryennij formidinem reprehẽdit. Tum uerò ſacerdos Euangelium fortè legebat, ac caſu hæc uerba dicebat: Si me perſequuti fuerint, perſequẽtur & uos. Simul emiſit magiſtrum Nicephorum Baſilacium cum parte militum: qui ab hoſtibus uiuus captus eſt, neq; ita diu pòſt Imperator ipſe in Azanis poteſtatem uiuus uenit. Cuſpin.

PETRVS Bembus Venetus, poſt prima ſtudia animũ ad Rempub. ſuaſu amicorum adiecerat. Sed cùm inuita Minerua id conaretur, Deum rogauit uti ſibi uitæ genus conueniens oſtenderet. Itaq; cùm eo die ſacris intereſſet, & in Euangelio, quod extra ordinem tunc legebatur, hæc uerba audiuiſſet, Petre ſequere me: tanquam oraculo accepto, Chriſtum imitari uolens, curiam Romanam, relicta Repub. ſequi cœpit, donec ad Cardinalatum aſcendit: uir in Latina & Hetruſca lingua alioqui maximus. Garimbertus in uitis Põtificũ.

## VERBORVM SACRORVM RECITATIO, PRONUNCIATIO DIVINA.

DEVTERIVS Arianorũ epiſcopus, cùm Barbam quendã ſacro fonte inficeret, ac ritu Arianorũ diceret, In nomine Patris per Filium in Spiritu ſancto, repentè aqua ipſa exaruit. Qua re Barbas exanimatus fugam arripuit, ac miram ſpeciem oculis oſtentatam, obuiis omnibus enarrauit. an. 510. Sigon. lib. 16. Imp. occid.

Hildebrandus in Frãciam à Victore II. Pp. legatus, graues aduerſus Simoniacos & Nicolaitas an. 1055. exercuit quæſtiones: cumq; ſex epiſcopos horum criminum manifeſtos damnaſſet, Ebronenſem ARCHIEPISCOPVM ſimonię reum; & impudenter inficiantem, quem teſtibus coarguere non poterat, arte conuicit: quemadmodum eum ſibi narraſſe Petrus Damiani memoriæ prodidit. Etenim in cõſpectu multorum, Age dum, inquit, quando te inſontem huius criminis iactas, ad noxam expiandam pronuncia, GLORIA PATRI, & FILIO, & SPIRITVI SANCTO. Tum epiſcopus ratus ſe eo dicto, grauioris periculi iudicium omne declinaturum, pronunciare inſtituit, ac GLORIA PATRI & FILIO dixit, SPIRITVI SANCTO, quanquam ſæpè conatus, expedire non potuit. Creditumq; eſt, quia in nundinatione ſacrorum læditur Spiritus ſanctus, ut eius culpæ participem dicere nequiuiſſe. Siquidem poſteaquam peccatum ſuum confeſſus eſt, ſine ulla cunctatione pronũciauit. Sigon. lib. 8. regni Ital. ex Martini Chronico.

## MIRACVLORVM DIVINATIO. MIRACVLORVM editione confirmare uel refellere aliquid.

*Ex ſeq. Titul. Diuinationis per Ignem & Aquam exempla quædam huc transferri poſſunt. De Miraculis Mortuorum ſuo loco.*

Virginis Aemylię DISCIPVLAM extincto igne, tutam ab omni reprehenſione, Veſtæ numen præſtitit: qua adorante, cum carbaſum, quam optimam habebat, foculo impoſuiſſet, ſubitò ignis emicuit. Val. lib. 1. c. 1.

CLAVDIA uirgo Veſtalis, ut auctor eſt Hieronymus, cùm in ſtupri ſuſpicionem ueniſſet, & ſimulacrum Ideæ matris ex Peſſinunte adductum, in uado Tyberis hæreret: ad comprobandam ſuam pudicitiam, cingulo nauem pertraxit. Liuius lib. 9. Dec. 3.

TVTIA uirgo Veſtalis, inceſti criminis rea, ſpem ſalutis ancipiti argumento petere auſa eſt. Arrepto enim cribro: Veſta (inquit) ſi ſacris tuis caſtas ſemper admoui manus, effice, ut hoc hauriam ex Tyberi aquam, & in ędem tuam perferam. Audacter & temerè iactatis uotis, ſacerdoti rerum ipſa natura ceſſit. Val. Max. lib. 8. c. 1.



Theodoſius Imperator ſuſpectum habẽs falſi criminis IOANNEM Damaſcenum monachum, quòd Perſis, apud quos captiuus fuerat, proderet imperij arcana: abſciſſa manu eũ multauit. At ea D. Virginis ope palàm reſtituta eſt, ut antè erat: licet eccleſiæ ualuis affixa fuiſſet per multos dies. Fulgoſus lib. 1. cap. 6.

HELENA Auguſta Hieroſolyma profecta, Fano Veneris diſturbato, & terra, quæ ſepulcro ſuperiecta fuerat, diligenter egeſta, V. Nonas Maij ſepulcrum cum tribus non longè iacentibus crucibus, clauisq;, quibus cruci affixus Chriſtus, & titulo, qui cruci ſuperpoſitus fuerat, oculis ſe piorum obiecit. In maxima omnium gratulatione, quòd tantus theſaurus tanta felicitate eſſet inuẽtus, illa ſubitò hæſitatio ingentem animis curam, ac propè mœſtitiam intulit, quòd ex tribus crucibus, quę latronum, quæq; Chriſti corpus ſuſtinuiſſet, incerti animo fluctuabant. Nam titulus, qui omnem erroris caliginem eripere potuiſſet, ab ipſa, cui hæſerat, cruce erat auulſus. Macarius, urbis epiſcopus, mulierem ſummo loco natam, quam graui diu morbo conflictatam fuiſſe liquebat, aduehi, ac ſingulis crucib. admoueri præcepit. Mulier ubi Crucem Domini, quæ tertio fortè ſita loco erat, tetigit, repentè plaudentibus omnibus ſanitatem recuperauit. Inde, ut inquit Sozomenus, S. Sulpitius, & S. Paulinus, uir etiam modò uita functus, aduectus, isq; attactu ſubito uitæ eſt priſtinæ reſtitutus. Veritate, quod ſatis eſſet, explorata, Helena Crucem Domini diuiſit, ac parte una epiſcopo conſeruanda relicta, alteram ſibi ſumſit: ac confeſtim Conſtantinum de re tota miſſis literis, nunciisq; commonefecit. Sigonius lib. 3. Imp. occid. ex Nicephori lib. 8. c. 29.

In Chalcedonenſi concilio ad fidei ueritatem aduerſus Eutychianos explorandam, PATRES formulam fidei utriuſq; in libellis duob. deſcripſere, eosq; ad pedes Euphemiæ martyris clauſos depoſuere: & nocte tota in precibus conſumta, diluculo utriuſq; partis principes adfuere, & monumenti operculo remoto, orthodoxorum libellum, martyris manibus tenaciter apprehenſum conſpexere: Eutychis uerò temerè ad pedes proiectum iacere. Niceph. lib. 15. c. 5.

Poſt diui Hieronymi obitum, hæreſiarcha quidã SABINIANVS opuſculum execrandi dogmatis à ſe confectum, quò errori ſuo adſciſceret auctoritatem, à Hieronymo editũ aſſeuerabat. Eum aũt falſitatis palàm arguens SYLVANVS Nazarenſis epiſcopus, propoſuit conditionem, ut niſi librũ illum die craſtino ipſe Hieronymus, oſtento manifeſto reprobaſſet, tum ſe pœnam capitalem ſubiturum: ſin ecõtrà, idem ſupplicij pro mendacio Sabinianus referret. Qui cùm tale miraculum nunquam euenturũ timeret, ſed magis ſperaret Syluani exitio ſuam ſententiam firmam fore, accepit conditionem. Dies præſtituta uenit, ad eccleſiam Hieroſolymis frequentes conueniunt, ſignum nullum apparet. Syluanus ex pacto ad ſupplicium poſcitur, præbet ceruicẽ, mori pro ueritate paratus. Sed pręſtò illi fuit Hieronymus, cunctisq; cernentibus tenuit ſpiculatoris manũ iam ad feriendum erectam. Mox ad hæreticum conuerſus, acerrimè illũ increpuit, doli & fallaciæ accuſans. Abiit uiſio, & maius ſecutum eſt miraculũ. Sabiniani caput, nemine percutiẽte, ab humeris auulſum in terram procidit. Deniq; qui aderãt orthodoxi, pro uictoria, quam paulo antè deſperauerãt, Deo gratias egerunt. Reliqui ad Syluanum confugientes, illius fidei ſeſe dedidêre. Marul. lib. 2. cap. 11. & Sabell. lib. 5. c. 4. Cyrillus coram ſe Hieroſolymis acta ſcribit.

BASILIVS epiſcopus, uerè columna ignis (ut cuidam uiſum fuit) calore æſtuans charitatis, non eſt ueritus Valentẽ Imp. increpare, quòd eccleſiam quandam, quæ Chriſtianorũ iuris erat, tradidiſſet Arianis. Cœptis iurgiis eò deducta res eſt, ut fidei periculum facerent. Clauſerũt eccleſiæ fores, decernentes, ut ad quorum precationem per ſe patefierent, illis eius poſſeſſio cederet. Ariani, dies tres perpetuis ſupplicationibus incaſſum orarunt. Baſilius uerò, poſtquã precatus eſt, leui bacillo portas tetigit, dicens, Attollite portas principes ueſtras, & eleuamini portę æternales, & introibit rex gloriæ: & ſtatim, ac ſi uocem iubentis ſenſu auriũ, quas non habebant, percepiſſent, ſic obſecundanter patuerũt. Icircò nemine refragante, eccleſia adiudicatur Chriſtianis, & pleriq; etiam, Arianorum relicta hæreſi fidelibus ſeſe iunxêre: quòd ſolis illis apertum eſſe cœli aditum dicerent, ad quorum inuocationem ſic aperiri eccleſiæ aditũ uiderant. Marul. lib. 2. c. 11. Sab. li. 5. c. 4. hoc Euſebio epiſcopo tribuit.

Niceph. lib. 15. c. 23. narrat, archiſynagogum Iudęorum QVENDAM Cõſtantinopoli cum pueris duobus, in tumultu concitato ſub Leone Imp. perinde atq; is auctor eius eſſet, comprehenſum, & crudeliter à uiro cõſulari excruciatum, inter tormẽta uaria uociferaſſe: O Deus ſancti Sergij adiuua me: ſancte Sergi, tu noſti. Indices fingere hæc Iudæum ſuſpicati, ad ignem eum condemnarũt: ſed in media flamma equites [redacted] ris multis illũ [redacted]

VVLSTANVS Vigor[redacted] dis, cùm à Lanfranco Cantuarienſe archiepiſcopo ob inſcitiam remouendus ſede iudicaretur, ſe inſignia epiſcopatus ei, cuius beneficio accepiſſet, redditurũ reſpondens, profectus eſt ad ſepulcrum Edouardi, & exuto inſigni ueſtitu, baculum paſtoralem tam altè monumento lapideo infixit, ut nulla inde ui extrahi poſſet. Quo miraculo Gulielmus Conquęſtor & Lanfrãcus territi, ut ſuo liberè deinceps fungeretur honore, obnixè rogarunt. Polyd. lib. 9.

D. BERNARDVS, ubi de diſſipato exercitu, qui crucem acceperat, rumor in Gallias perueniſſet, allatus ad ipſum eſt cæcus, & rogatus à patre, ut illi opem ferret. Vbi igitur oraſſet, manum cæco imponit, addens hæc uerba: Si uerbũ prędicationis ſuæ de cruce accipienda, exiuiſſet à Domino, ut in illuminatione iſtius cæci id innoteſceret. Et protinus puer dixit, ſe uidere. Auctor uitæ lib. 3. cap. 4.

D. STANISLAVS epiſcopus Cracouienſis, ob reprehenſam tyrannidem, in Boleſlai II. Poloniæ regis odium incurrit. Qui ipſi pagum, quem à Petrico equite Polono emerat & perſoluerat, per defuncti Petrici liberos, quaſi nondum ſatisfeciſſet pro eo, eripere conabat'. Coactus hac iniuria Staniſlaus, cùm ob metum regis nemo ſibi teſtimoniũ ferre auderet, tridui dilatione à rege impetrata, Petrauinũ, ubi conditus erat Petricus, contendit, Deiq; ope implorata, detectũ Petrici cadauer putre, pedo epiſcopali tangit, idq; in ſacroſanctæ Trinitatis nomine ſurgere iubet. Nec mora, attollit ille ſeſe quaſi è ſomno expergefactus, & à Staniſlao per manum deductus ad tribunal regium ſiſtitur. Ibi Petricus, uendidiſſe ſe pagum, & precium omne accepiſſe, fatetur. Regẽ ac deinde propinquos, quòd [illegible] innocenti & ſancto epiſcopo negotium faceſſant, [illegible]rè obiurgat. Ita inuito rege uicit cauſam Staniſlaus. [illegible]romerus lib. 4.

QVIDAM parũ ſecundæ famę iuuenis, accuſauit BONIFACIVM presbyterum Auguſtini, quòd ab eo de ſtupro fuiſſet interpellatus. Quum res idoneis argumentis nec confirmari nec refelli poſſet, iuſſus eſt uterq; ire ad ſepulcrum Felicis martyris, ut miraculo iudicium transigeretur. D. Auguſtinus epiſtola 137.

IVVENIS Atrebatenſis clericus, cùm domi ſuæ hominem occidiſſet, unà cum ſorore eum ſepeliuit. Re detecta, ad ſupplicium ducebantur, ut ambo uiui cremarentur. Conſternati, Chriſtiano more fateri crimina ſua, & à Deo ueniam petere nolebant. Soror, quæ innocens eius criminis erat, cùm iam ſupplicium inſtaret, & diuinitùs monita, luſtrare animam confeſſione decreuiſſet, fratri, ut idem faceret, ſuadebat: ſed fruſtrà. Succenſa pyra, clericus ſolus, incolumi atq; omni ex parte illæſa ſorore, combuſtus eſt. Fulgoſus libro octauo, cap. 1.

D. Hieronymus teſtatur, Vercellis maritum fuiſſe, qui innocentem VXOREM adulterij ream fecerit. Quæ conſtanter crimen negans, in carcere tamen aſſeruata eſt, pręcipuè quum tortus IVVENIS, de ſtupro ſuſpectus, ſeſe noxium fateretur. Quare damnato à iudicibus iuuene, feminaq;, ut capite plecterentur: ductus in publicum iuuenis, ſtatim primo ictu uulnere interfectus eſt. Quum uerò ad feminam uentum eſſet, omnes conatus carnificis irriti fuêre. Poſtremò uerò uulnere affecta, quum mortua crederetur, cadauerq; eius efferretur, uiua domum deducta eſt: curatoq; breui uulnere, pudicitiæ innocentiæq; ſuæ argumentum exhibuit. Egnatius, & Fulgoſ. lib. 8. cap. 4.

MILES quidam argenteam patinam à D. Ladiſlao Vngarorum rege, ſuo patri dono datam, apud VIRVM primarium oppignorarat. Cùm pignus repeteret, alter impudenter pignus negabat. Prætor patinam D. Ladiſlai ſepulcro imponi iuſſit, ac illi adiudicari, qui eam impunè è loco ſacro accepiſſet. Qui pignus negarat, prior numen periclitatus, neque patinam capere, neque loco mouere potuit. Miles uerò cùm ſupplex oraſſet, ut quod patri quondam primipilo dono dediſſet, filio ratum faceret, patinam accepit impunè. Bonfinius lib. 4. Dec. 2.

## DIVINATIO EX HOMINIS VITA.

Vrbium durationis præſagiũ Hetruſca diſciplina ſic accipiebatur. Obſeruabatur NATVS eadem die, qua urbs ædificata eſſet, quum ad perfectam perueniret ætatem, qua fortunæ uſurus eſſet. Sic Numa Pompilius XIII Calendas Maias ortus, qua die Roma ædificata eſt, regnauit, atq; Roma regina urbium facta eſt. Quo uerò die ille excedit è uita, qui naſcitur è ciuibus, ſecundum ſeculum explet. Quo moriente, rur-

te, rurſus natus ea die, qua ille moritur, ad perfectam perueniens ætatem, tertium perficit ſeculum urbis: atque ita ad duodecimum. [redacted]

## DIVINATIO EX HOMINIS ADVENTV.

Sub Conſtantino Magno Imp. mortuo Myræ urbis epiſcopo, cùm nemo facilè reperiretur aptus ad hoc officium, nec qui ſuſcipere uellet ob grauitatem tanti muneris, præſertim iſto tempore, quo non ſolùm perſecutionibus, ſed uariis quoque hæreſibus & ſectis eccleſia oppugnabatur: conſtitutum erat inter epiſcopos & presbyteros alios, ut quicunque ſequenti die primus in templum ueniret, is epiſcopus ordinaretur. Et cùm iam ſeduli in oratione fuiſſent epiſcopi, etiam cum reliquis hominibus piis tota ea nocte, ut Dominus uirum pium in meſſem ſuam extruderet: accidit, ut NICOLAVS priuatus ciuis, ignarus huius conuentionis, ſummo mane ueniret ad templum, oraturus cum aliis pro ſucceſſu eccleſiæ in eligendo epiſcopo. Itaque hac occaſione ipſe ſtatim epiſcopus deſignatus eſt, quanquam ſedulò reluctaretur.

Henrico, Comite Neocomenſe, epiſcopo Baſilienſe ann. 1274. mortuo, cùm in partes diſtraherentur Canonici: tandem conuenerunt, ut ſcribam publicum cum teſtibus aliquot ad minoritas ablegarẽt, & qui primus ex monachis ſeſe offerret, eum pro epiſcopo haberent. Itaque Henrico, Iſnenſi patria, piſtoris F. Theologiæ Doctori, Rudolfi I. Imp. pœnitentiario, ſortem obtigiſſe, Vrſpergenſis narrat. Chriſtianus Vrſtiſius lib. 3. Hiſt. Baſil.

## MONOMACHIAE DIVINATIO.

*Monomachiam diuinatoriam hîc perſequimur, quatenus iuſtam cauſam fouenti diu[illegible] numen adeſſe & uictoriam largiri creditur. Ipſum ali[illegible] certamen ad Fortitudinem propulſantem pertinet.*

### IN GENERE:

GERMANI olim in cauſis ambiguis, maximè criminibus, quę nullo humano teſtimonio comprobari poterant, ad ſummam Dei maieſtatem, quæ falli non poteſt, tanquam ad iudicem omnium rectiſſimum confugiebant. Senatus, populus atque ſacerdotes, qui ſingulare certamen, ac aliam huiuſmodi probationem ſpectatum frequentes uenerant, interim, ut eſt in lege Salica, diuinam opem implorabant: beneficia memoriter cõmemorabant, quæ in ſimili negotio Deus ipſis contuliſſet: comprecabantur, ut ipſe in re pręſenti, innocenti adeſſet, uictoriamq; cœlitùs concederet. Reo eligendi atq; conducendi quemcunq; uellet, copia fiebat. Criminator ipſe pugnare cogebatur. Auentinus lib. 4.

Cornel. Tacitus lib. de moribus Germ. ſcribit, EORVNDEM inſtitutum fuiſſe, ut eius gentis, cum qua bellum gerere inſtituunt, captiuum quoquomodo interceptum cum electo popularium ſuorum, patriis quemq; armis, cõmittant: ut uictoria huius uel illius pro præiudicio accipiatur.

FROTHO III. Danorum rex, de qualibet controuerſia ferro decerni ſanxit, ſpecioſiùs uiribus, quàm uerbis, cõfligendum exiſtimans. Quòd ſi alter dimicantium relato pede circũſcripti orbis gyrum excederet, perinde ac uictus, cauſę detrimentum reciperet. Sin autem quauis de re pugilẽ popularis impeteret, ipſum armatus exciperet, cubitali duntaxat ſtipite pugnaturum. Saxo lib. 5.

Apud MOSCHOS prolata à iudicibus, ab ipſo etiam magno Duce, ſententia, ad ſingulare nihilominùs certamen prouocatio datur, ut uel ipſi cum aduerſario dimicent, uel mercede conductos milites inter ſe committant. Qui duello uicerit, ille etiam cauſa ſuperior exiſtit. Olaus lib. 1. c. 20.

LONGOBARDI in Italia duelli uſum introduxère, ſic ut Agilulfus rex legibus quoq; de iis cauerit. Eo ambiguum ius de poſſeſſionibus, obiecta crimina grauiora, quæ uel saluti uel famæ obeſſent, decidebãtur. Cauſam autem huius tam barbari moris triplicem afferunt. I. Ob legum defectum, quib. ambigui caſus reſoluerentur. Nã cùm nec diuinis nec Romanis legibus acquieſcere uellent, tritum illud proponebant, Si non ſufficiunt iura, ueniamus ad arma. II. Quoniam à maioribus ſuis in Scandia inſula eum morem receperant, belliſque aſſueti, in promtu ſemper exiſtentibus armis, ut familiariſſimam & compendioſiſſimam æquitatis declarandæ rationem amplexati fuerant. III. Ne propter ſimultates priuatas paucorum, gentiles cruenta inter ſe miſcerent prælia, remedij loco monomachia inter capita contentionis permiſſa fuit: ſic tamen, ut qui uel ætate, uel morbo, uel ſexu impediretur, poſſet alium ſuo loco conducere, quem à uoce Longobardica & etiam Germanica Kämpfer, Itali Campionem uocant. Qui ſi ſuccubuiſſet, patronus, cuius nomine pugnauerat, damnatus intelligebatur, non ſecùs ac ſi iudicio conuictus fuiſſet. Certamine à iudice decretò, rex ſtatuere tempus & locum pugnandi utrique conſueuerat, qui locus Campus uocabatur, undiq; tabulis circumſeptus, quibus aditus tantùm, & non proſpectus aſtantium, impediebatur, campoque cuſtodiendo milites præficiebantur. Arma pugnaturi patria afferebant, uidelicet gladium, & ſcutum, in ea forma, qua uti in bello mos erat, & quæ alia ferre utrique tela collibuiſſet, ferebantur. Prodeuntibus ad pugnæ locum ſocij aderant, qui certandi periti monita ſuo quiſque pugili repetebant, quo actu ſe tueri, quo ictu inimicum lædere, ſe ſaluo poſſet: qui ſocius Parentis nomen ab officio obtinebat, hodieque etiam Patrinus dicitur. Aderat etiam alter ſocius, uel comes arma ferens, q Collibertus appellabatur. Peruenientibus ad locum certaminis, ſi ſuſpicio contigiſſet, alterutrum maleficis artibus inſtructum eſſe, inquiſitio ad iudicẽ Campi ſpectabat. Certaminis finis frequenter erat uulnus alterius, ſine mortis caſu, arbitrio Iudicis. Bern. Saccus lib. 9. Ticinenſis hiſtoriæ.

In legibus Caroli Magni Imp. Lombard. lib. 2. tit. 54. l. mentio. ſtatuitur, ut in criminalibus cauſis accuſator & defenſor in campo cum fuſtibus pariter contendant: neque eorum iureiurando res committatur. Quod tamen ita intelligendũ conſtat, cùm aliud probationum ius deficit. Hotom. diſputat. de Feudis, cap. 44.

Lege Imp. Othonis IV. in Romandiola de Principum Italorũ ſententia promulgata, ſciente & non contradicente Papa Ioanne XIII. uniuerſaque ſynodo, quæ tum Rauennę conuenerat (ut apparet ex Lombarda lib. 2. tit. 54. l. antiquis: & legis Franc. lib. 5. tit. 4.) ſtatuitur, ne deinceps tota Italia, etiam iis locis, in quibus iure Romano, id eſt, Iuſtinianeis legibus utebantur, controuerſias iureiurando diſceptent, propter periurorum multitudinem: ſed duello & certamine illas dirimant. Idque inſtitutũ Otho non modò in priuatorum & laicorum, uerumetiam in eccleſiarũ litibus obſeruari iuſſit: l. ult. eodem. Idem.

### IN SPECIE. MONOMACHIA ſuſcepta cauſa

*Religionis:*

Inter SARACENOS, Hiſpanos & Gallos Chriſtianos, ductu Caroli Magni, monomachia fidei ueritas declarata fuit. Sabellicus lib. 8. Enneadis 8. ex Turpino.

*Regni & Dignitatis.*

Liuius lib. 28. & Plutarch. in uita Scipionis, de duobus Hiſpanis, CORBE & ORSVA, fratribus patruelibus ſcribit, qui de principatu ſuæ ciuitatis ambigentes, corã Scipione profeſſi ſunt, ſe ferro certaturos. Cùm uerbis (inquit) diſceptare Scipio uellet, ac ſedare iras, negatũ id ambo dicere communibus cognatis: nec alium deorum hominúmue, quàm Martem ſe iudicem habituros eſſe. Corbis maior erat ætate. Orſuæ pater Princeps proximè fuerat, à fratre maiore poſt mortem eius principatu accepto. Sed Corbis uſu armorum & aſtu ſtolidas uires minoris ſuperauit.

Illud olim in GERMANIA uſitatum, ut ſi in Comitiis duo Imperatores renunciati eſſent, duello inter ſe committerentur, & penes uictorem imperium maneret. Qua de re Albericus Roſatius in Dictionario teſtatur: & exemplum extat in Saxonia Cranzij lib. 9. c. 8.

Apud Michaelem Riccium lib. Neapol. 3. planiùs autem apud Ant. Florent. part. 3. tit. 20. c. 4. §. 8. inter duos Reges, CAROLVM Siciliæ, & PETRVM Arragoniæ, anno 1282. duellum, Papæ Martini, & Conſiſtorij Cardinalitij auctoritate conſtitutum eſt, ut de iure Regni Siciliæ, centenis lectis equitibus, Burdegalæ, Gallię oppido, condicta die, depugnarent. Quam diem cùm Petrus non obiiſſet, Papali iudicio damnatus eſt.

Polyd. Vergil. libro hiſtoriæ Angl. 7. inter EDMVNDVM Anglorum, & CANVTVM Dacorum, Reges, ratio, inquit, inita eſt, ut inter ſe ferro contenderent: & qui uiciſſet, huic alter uictus regni poſſeſſione cederet. Inſpectantibus utriuſque copiis, atque acie utrinq; ordinata, datur ſignum, infeſtiſque armis Reges concurrunt. Poſt diuturnum certamen conuenit inter illos, ut regnum inter ſe æquis ex partibus diuiderent.

HVNDINGVS Saxoniæ, & ROHEVS Danię Reges, ſpectantibus exercitib. duello dimicarunt: ea lege, ut, qui uiciſſet, Iutia terra potiretur. Cranzius lib. 1. c. 4. Daniæ.

Apud eundem lib. Danię 1. cap. 22. inter ATISLVM Sueciæ, & FROVVINVM Iutię Reges, cùm aliquãdiu copiis omnib. ancipiti prælio decertaſsẽt, tandẽ cùm in acie alter alteri occurriſſet, ſingulari certamine negotiũ inter ſe transegerunt.

Radiſlaus Gurimẽſis princeps, Miſtibogij filius, quaſi ſolo armorum terrore D. Venceſlaus Boemorũ princeps expugnari poſſet, agros eius incurſare, nullos legatos de pace audire: nec, niſi tradito ſibi toti9 Boemiæ principatu, ſe ab armis diſceſſurũ minari. Coactus à ſuis Venceſlaus, militem atq; aciem contra Radiſlaum inſtruit: uidenſq;, omnino iam ſibi dimicandum eſſe, claſſicum cani uetat, priuſquã ipſe Radiſlaum alloquatur. Data alloquendi poteſtate, Si aliter, inquit, niſi prælio res componi nequit, cur non potiùs, ſine inſontium ſanguine, ipſi inter nos ſingulari certamine decernimus? Nulla mora: loriculam ſuper cilicinam ueſtem indutus, paruoque enſiculo ſuccinctus Venceſlaus, in arenam prodit. At Radiſlaus cataphractus haſtatuſq;, cum ingenti machæra ſeſe infert. Venceſlaus ſigno crucis frontem pingens, ſubitò angelos uidit, atque hanc uocem uelut ab homine promtam, audit: Ne feri. Et repentè Radiſlaus humi procumbens, ueniam audaciæ popoſcit, ſeque poteſtati uictoris permiſit. Alleuans proſtratum Venceſlaus, dataque uenia, & dignitate ei reſtituta, monuit, ut contumaciam in obſequium debitum uerteret, ne pòſt grauiùs ab irato numine plecteretur. Dubrauius lib. 5.

*Fidei erga principem.*

Cùm EGVINO quidam mediocri loco natus, OTHONEM Baioariæ Ducem apud Henricum IV. Imperatorem, læſæ maieſtatis accuſaſſet, cumque ad duellum prouocaſſet, & Dux cum latrone, primàs cum ignobili congredi recuſaſſet: maieſtatis damnatus, & ducatu ſuo priuatus eſt. Vrſpergenſis.

*Fidei in ſcripto.*

AVSTREGISILVS, Guntranni Gallorum regis aulicus, falſarij crimine accuſat9, monomachia ſuã teſtari uoluit innocentiã. At in circo hoſtem expectãti, nuncius affertur, hoſtẽ in itinere ex equo deturbatum, fregiſſe ceruicem. Itaque innocentia eius perſpecta, epiſcopus poſtea Bituricenſis creatus eſt, anno Chriſti 627. Sigebertus.

*Pudoris tuendi.*

Gondiberga regina, uxor Rodoaldi regis Longobardorum, qui Rotharis filius fuit, & Theodelindæ filia, adulterij rea facta, quòd cum CHARELLO (ſiue Carolo) familiari regis, ſe commiſcuiſſet, carceri mancipata fuit. Quod ægrè ferens, D. Ioanni Baptiſtæ innocentiam ſuam ſupplex cõmendauit. Charellus autem in uinculis poſitus regẽ exorauit, ut quod lege permiſſum aliis erat, ſibi quoque permitteretur: uidelicet, ſingulari pugna ſalutem ſuam, famamque, & reginæ decus tueri (extat enim lex titulo de crimine adulterij.) Pugna Papiæ, rege ac populo ſpectante admittitur, in qua accuſator à Charello occiditur. Regina uerò Regi conciliata, ob rei monimẽtum templum ædificauit, inſtruxitq; opibus, quod ſancti Ioannis Donnarum, id eſt, mulierum, in ſexus ſui honorem nuncupauit, ubi corpuſculum eius loculò conditum cernitur. Bern. Saccus lib. 9. Ticinenſis hiſtoriæ, ex Pauli Diaconi lib. 4. c. 16.

Henricus III. uiuente patre, duxerat filiam regis Anglorum: quæ cùm forma eſſet præſtantiſſima, adulterij rea arguebatur. Quam famam ut deuitaret, puerum ſecum ex patria adductum oppoſuit delatori giganti. Eum PVER ſucciſo poplite proſtrauit. Nauclerus Gener. 35.

CONRADVS Eberhardi Comitis filius, cum quadam regis ne[redacted]iſſe iactitans, à Burcardo Saxone ſuperatu[redacted]machia, mendacij conuictus fuit, anno 950. Reginonis Continuator.

*Nobilitatis. Ortus legitimi.*

LAMBERTVS Thuſciæ marchio, monomachia ſe, ex eadem cum Hugone rege Italiæ matre natum eſſe, euicit: cùm ſuppoſititius Bertæ filius à pluribus crederetur. Hugo propugnatorem pro ſe adoleſcentem dedit. Luitprand. lib. 3. c. 13.

*Iuris ſucceſſionis.*

Orta diſſenſione inter principes de uarietate legis, utrum deberent auis ſuperſtitib. filij filiorum poſt patres defunctos hæreditatem adire: an exhæredatis fratruelibus, deberet hęreditas ad patruos redire: ex Othonis I. Imp. omniumque principum ſentẽtia, cognitio ueritatis commiſſa eſt gladiatorio iudicio, ceſſitq; uictoria his, qui dicebant fratrum filios debere cum patribus hæreditare. Vincentius lib. 24. c. 70. & Vitichindus lib. 2.

*Iuris gladij.*

Sub Friderico I. cùm ambigeretur, an ius eſſet Imperatori iudicium capitis exercere in principes Germanię, extra ipſius principis, qui reus factus eſſet, ditionẽ ac fines: extitit QVI pro Imperatoris iure ſeſe ad duellum offerret. Quia nemo conditionem accepit, ſecundùm Imperatorẽm pronunciatum eſt. Abbas Vrſpergenſis.

## IGNIS DIVINATIO.

*Ignis diuinationem hîc conſideramus, quatenus corpori humano admouetur. De altera illa, quæ citra contactum & iniuriam fit corporis, ſub Inanimatorum diuinationibus agetur.*

### QVALIS. VTPVTA

*Flammæ. Pyræ.*

Mos tranſiliendi flammã, uidetur etiam priſcis Græciæ temporibus uſurpatus fuiſſe: deque illis uerſus hos Sophoclis in Antigone intelligendos:

> ἦμεν δ' ἕτοιμοι καὶ μύδρους αἴρειν χεροῖν,
> καὶ πῦρ διέρπειν, καὶ θεοὺς ὁρκωμοτεῖν,
> τὸ μήτε δρᾶσαι, μήτε τῳ ξυνειδέναι
> τὸ πρᾶγμα βουλεύσαντι, μήτ' εἰργασμένῳ.

Nam μύδρους Heſychius uſurpari teſtatur pro σίδηρα πεπυρωμένα. Cùm igitur rex Creon Polynicis cadauer humare prohibuiſſet: Antigone autem ipſius ſoror illud humo contexiſſet, cuſtodes, ut mortis pœnam à rege conſtitutam uitarent, dicebant ſe paratos eſſe ferrum candens manibus contrectare, & per pyram incedere. Hotoman. diſputat. de Feudis, capite 44.

Chriſtianis Latinis à Corbana Perſa, Antiochiæ Syriæ obſeſſis, PETRVS Maſſilienſis presbyter, qui ſub Toloſate Comite militabat, lanceam ſacram, qua Chriſtus in cruce uulneratus fuit, in ſomnis in æde D. Petri humi defoſſam ſibi monſtratam affirmauit. Itum eſt ad locum, & lancea reperta uexilli loco Latinis contra hoſtes euntibus fuit. Cæſa ad centum millia Perſarum. Mox uerò cùm Toloſas auro corruptus à Turcis deprehenſus eſſet, Maſſilienſis quoque auctor ſacroſanctæ lanceæ effodiendæ, quia comes Toloſatis erat, ad nouam inuidiam illi conflandam incuſari cœpit falſæ religionis. Is ut ſe purgaret, ad iudicium flammæ deſcendit: & aderat dies paſſo Domino ſanctus. Circunfuſo exercitu, ſanctam lanceam nudato corpore manu geſtans, per coaceruatorum latè lignorum ſtruem ardentem medioſq; ignes illæſus euaſit. Mox ad id miraculum ruente turba, oppreſſus periit. Apud multos mors magis ambiguum fecit, quod igne decretum uidebatur. Aemil. lib. 4.

*Prunarum.*

BRICCIVS Turonenſis epiſcopus, prunas candentes ueſtimenti lacinia exceptas, ſine noxa per urbem tulit, ut à falſo ſtupri crimine ſe liberaret. Marulus lib. 5. c. 1.

HARALDVS quidam Hybernus ferebat, ſe Magno rege Noruagiæ (qui Hyberniam uaſtauerat) natum: & ut miraculo quodam rem ſtrueret (id enim ab eo fuit exactum) ſuper ardentes prunas nudis pedibus incedẽs, multos traxit in partes ſuas. Quibus auctoribus, Magnus, Haraldi nepos, Haraldo æquè ad regnum nato, partem regni cedere iubebatur. Illo uerò recuſante ignoto homini ditionem ſuam permittere, uentum eſt ad arma: & ingenti prælio fugatus Haraldus, in Daniam ad Ericum regem (quem ſciebat Noruagiorum regi iuſtis de cauſis inimiciſſimum) contendit: à quo promtè exceptus, Magnum cepit, & in cœnobium detruſit. Cranzius lib. 5. Noruagiæ, cap. 6. ex Saxonis lib. 13.

*Ferri. Vomeris candentis.*

SCLAVIS, poſtquam ueram amplexi ſunt religionem, in arboribus, fontibus & lapidibus iurare, interdictum fuit: ſed de criminibus ſuſpectos, ſacerdoti uel ferro uel uomere examinandos offerebant. Helmoldus cap. 84.

Apud FRANCOS, ſeculo poſt Chriſtũ octauo, in more erat, ut innocentiam ſuam teſtaturi, ferrum candens manib. geſtarent. Quòd ſi non lædebantur, teſtimoniũ erat innocentiæ. Sin uerò lædebantur, ſignum erat quòd rei eſſent. Solebat autem ferrum candens ſic cõſecrari: Deus iudex iuſtus, qui auctor es pacis, & iudicas æquitatem, te ſuppliciter rogamus, ut hoc ferrum ordinatum ad iuſtam examinationẽ cuiuſlibet dubietatis faciendam, benedicere & ſanctificare digneris: ita ut ſi innocẽs (de prænominata cauſa, unde purgatio quærenda eſt) hoc ignitum in manus acceperit, illæſus appareat: & ſi culpabilis atq; reus, iuſtiſſima ſit ad hoc uirtus tua, in eo cum uirtute declarandum, quatenus iuſti- [redacted] ta reorum conſiderari ſoleat.

Popponis presbyteri miraculo moniti DANI (de quo paulò poſt ſub Tit. Religonis confirmandę) abrogata duellorum conſuetudine, pleraq; cauſarum iudicia eo experimenti genere deinceps decernere inſtituerunt, fidemq; Chriſti ſuſceperunt. Poppo à pontifice Bremenſi Adaldago apud Aruſium dignitatem epiſcopatus impetrauit. Saxo lib. 10.

*Veſtis ceratæ.*

POPPO Danus presbyter, ut apud Danos religioni ſuæ fidẽ faceret, ueſte cera copioſa priùs illita indutus, in medio po-

puli circo eam incendit: ipſe uerò nullum ſe ignis calorem ſentire teſtatus eſt, licèt ipſa ueſtis corpori circundata in fauillas redacta eſſet. Cranz. lib. 3. c. 43. Metrop.

*Aquæ feruentis.*

Aqua calidà eiuſdem uſus cum lamina calida, apud FRANCOS his uerbis conſecrabatur: Deus iudex iuſtus, fortis & patiens, qui es auctor & amator iuſtitię, qui iudicas æquitatem: iudica Domine quod iuſtum eſt, quia recta tua iudicia ſunt, qui reſpicis ſuper terram, & facis eam tremere. Tu Domine omnipotens, qui per aduentum filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti mundum ſaluaſti, & per eius paſſionem genus humanum redemiſti: tu hanc aquam per ignem feruentem ſanctifica, qui tres pueros, id eſt, Sidrach, Miſach, Abdenago, iuſſione regis Babylonis miſſos in caminũ ignis, ſeruaſti: tu clementiſſime pręſta, ut ſi quis innocens in hanc aquam feruentem manum mittat, ſicut tres pueros ſuprà dictos de camino ignis eripuiſti, & Suſannam de falſo crimine liberaſti, ita Domine manũ illius ſaluam & illæſam perducas. At ſi quis culpabilis, uel incraſſante diabolo cor induratum, præſumſerit manum mittere: tua iuſtiſſima pietas hoc declarare dignetur, ut in eius corpore tua uirtute manifeſtetur, & anima illius per pœnitentiam ſaluetur. Auentin. lib. 4. Hinc illud in lege Friſ. tit. 3. Si res grandis erit, ſeruum ad iudicium Dei in aqua feruenti examinet. Item, Et ad examinationem feruentis aquæ iudicio Dei probandus accedat. Et tit. 14. Et ſe per ſacramentum iudicio Dei examinandum feruenti aqua innocentem oſtẽdat. Item in Lombard. lib. 1. tit. 10. Si cuiuſlibet hominem interfecerit, iudicio aquę feruentis examinetur, utrum hoc ſponte, an ſe defendendo feciſſet. Hotoman. de Feud. c. 44.

In formula Pacis Alſaticæ apud B. Rhenanum, German. rerum lib. 2. Plebeius autem & minoris teſtimonij ruſticus, aquæ frigidæ ſe expurget iudicio. Sed hanc inſaniam Imp. Lotharius ſuſtulit in Lomb. lib. 2. tit. 54.

CVR. CAVSA

*Religionis conteſtandæ.*

Martianus Imperator ad ſanctum aliquando Simeonem, habitum indutus idiotæ, religionis ergô uenerat: ubi ob factum quoddam obſtupuit, quod accidit duobus EPISCOPIS inter ſe contendentibus, orthodoxo uno, Ariano altero. Arianus quidem dialecticus erat, orthodoxus uerò pius & fidelis. Propoſuit is eam conditionem, ut relictis uerborum concertationibus, rogum ignis ingrederentur: & ſic oſtenderent, utra ſententia magis pia eſſet. Cùm autem Arianus conditionem eam accipere detrectaret, ipſe orthodoxus ignem ingreſſus, è rogo diſſeruit, & illæſus ſeruatus eſt. Theodorus Lector lib. 2.

POPPO diu in Italia & apud ſummum pontificem peregrinatus, annitẽte rege Danorum Suenone, apud portum, cui frequentia glaciei nomen peperit, in Danorum cœtu publicè concionatus, longa ac ſalubri oratione genti ſuaſit perfidiam deſerere, ſinceram Chriſti religionem amplecti. Et ubi hæſitantes inter utrunque conſpexit, ut neq; promtè antiquam religionem ponerent, neque quod uerbis eius opponerent, haberent: percunctatus eſt, Quid ſi ad candentis ferri tactum manus eius cernerent intactas, uellentne ſubire quæ hortaretur? Cunctis ſucclamantibus, uelle, in chirothecæ formam iuſſit ferrum cudi, idq; ignitum afferri. Rubuit igne ferrum. Ille tamen intrepidus manum immiſit ad cubitum, deportauitque ad locum conſtitutum. Ibi quum ad pedes regis proieciſſet, uicta manus dedit concio, ſpontè ſubiens lauacrum regenerationis. Cranzius lib. 4. Danię, cap. 24. V[redacted]indus lib. 3. & Saxo lib. 10. Daniæ.

[redacted]

HIER. Sauonarola, Florẽtinus eccleſiaſtes, religionis ſuæ cõfirmandæ cauſa ignis iudicium ſe ſubiturum prædicabat. Guicciardinus lib. 3.

*Pudoris tuendi.*

KVNEGVNDIS Henrici II. Imp. uxor, de adulterio ſuſpecta, iudicio cãdentium uomerum coram marito ſeſe purgare elegit: Domine, inquiens, Deus creator cœli & terræ, qui probas renes & corda, iudica iudicium meum, & eripe me: te teſtem & iudicem hodie inuoco, quòd neque hunc Henricum præſentem, neq; quemuis alium uirum carnali conſuetudine cognouerim. His dictis, candentes uomeres, ſtupentibus & lacrymantibus plurimis, plantis pedum per XV. paſſus calcauit, & ſine ulla læſione. Hiſtoria Bambergenſis, Gigas. Fulgoſus lib. 8. cap. 1. Cranzius lib. 4. cap. 32. Saxonię, ferrum ab ea portatum ait: lib. 4. cap. 5. Metropol. ſex uomeres ignitos calcaſſe tradit.

Ad igniti ferri contrectationem PVELLAM quandam, illæſam pudicitiam probandi cauſa, deductam, ex Hildeberti Cenomanẽſis epiſtola 17. ad archidiaconum quendam, apparet.

Luithardus, epiſtolarum apud Carolum III. Imp. Magiſter, à Sueuorũ proceribus ſtupri inſimulatus, quòd familiarius, quàm domus Cæſareæ maieſtatis poſtularet, cum Auguſta uiueret, dignitate motus, in Italiam abit. RICHARDA Auguſta, tam ſiniſtro rumore aſperſa, candenti ferro crimẽ adulterij obiectum diluit. Deinde haud unquam tactam ſe à Cæſare, ne dum à quopiam alio mortalium uiolatam eſſe perſanctè deierat. Miſſo ac remiſſo repudio, in Andalavu ſacratarum feminarum ædem, quam ipſa dedicauerat, petit, ibiq; obijt & ſepulta eſt. Auentinus libro quarto, Annalium Boiorum.

Othone III. Imp. in agro Mutinenſi agente, res exempli memorabilis incidit. Maria Auguſta Comitem Mutinenſem in amorem pellicere ſui conata, poſtquam libidini reluctari ſuæ uidit, ira furens ſe ab illo de ſtupro tentatam apud Othonem inſimulauit. Eius rei admonitus Comes totam, ut erat, coniugi ſuę, mulieri prudentiſſimæ patefecit, ſe citiùs millies moriturum, quàm tantum Imperatoris dedecus palàm facturum. proinde ipſam precibus omnibus obteſtari, ut forti atque imperterrito animo apud eum mortui innocentiam ſui purgaret. Neque ita multò pòſt Comes irati & creduli Imperatoris iudicio condemnatus, pœnas capite dedit. Conuentu inde populis ad Roncalias inſtituto, quo die ius uiduis dicebatur, MVLIER proceſſit, atque ex lege Imperatorem ipſum ad ſupplicium, quòd maritum ſuũ iniuſtè necaſſet, poſtulauit. Qua uoce audita, mirabundus Otho: At tu, quónam pacto, inquit, uiri tui, quam iactas, innocentiam comprobabis? Cui illa, Candenti lamina, inquit: atque mox inſpectantibus omnibus ferrum ignitum iuſſu Othonis allatum ſine ulla offenſione prehẽdit. Ea re Otho confuſus, ſe quidem pœna dignum eſſe dicere, uerùm ad eam ſubeundam ſpacium poſtulare. Tum mulier tribus uadimoniis dilatis: Atqui, inquit, ego ſupplicio reginæ contenta ſum, cuius nefaria calumnia maritus eſt meus oppreſſus. Otho muliere collaudata, reginam igne cremari iuſſit: mulierem uerò propter dilata ſibi uadimonia, quatuor in Etruria caſtris donauit. Huius iudicij Gothifredus eſt auctor. Sigonius lib. 7. regni Italici, & Cranzius libro 4. c. 26. Saxoniæ.

Robertus Cantuarienſis epiſcopus, regi Edouardo primùm mirè gratus: cùm ei perſuaſiſſet, ut EMMAM matrem cogeret de ſuſpicione ſtupri cum Aduino Vintonienſi epiſcopo commiſſi ſe purgare per ignẽ, & illa eo minimè læderetur: timore perculſus, fugit in continentem, ubi mœrore animi, anno ſui pontificatus ſecundo extinctus e[redacted] lib. 8. hiſtoriæ Anglicæ.

Subacta & ad Chriſtum conuerſa à Valdemaro Danorum rege Rugia: MATRONA quædam à uiro immerens adulterij inſimulata, cùm purgandæ infamiæ gratia candenti laminæ dexteram obtuliſſet, ſubitò ferrum, quod exceptura erat, perinde atque innoxiæ manus contactum fugiens, neglecto põdere, ſublime ſe extulit, penduloq; motu gradientis feminæ inceſſum comitans, cùm ante aram iactandum erat, inter religioſam aſtantium admirationem proprio impulſu humi decidit. Saxo lib. 14.

*Cædis.*

Lex Francica lib. 4. cap. 57. Si cui de libertate lis mota ſit, & cognatum interfecerit: ſi negauerit, ſe illum occidiſſe, per nouem uomeres ignitos iudicio domini examinandus accedat. Quæ lex extat etiam in Lombarda lib. 1. tit. 11. de parric.

FLANDRIS Philippus comes eiuſmodi legem pro declaranda innocentia tulit, anno 1164. Si quis uulnus in nocte acceptum alij imputauerit, ſi Scabinis dignũ uidetur, ferro candenti ſe excuſabit accuſatus: ſi aufugerit, manum perdet. Item: Si fur uocatus accuſatus fuerit, ferro candenti ſe excuſabit: ſi culpabilis permanſerit, ſuſpendetur. Chron. Fland.

Chriſtianus de Oldẽborg, comes in Saxonia, reuerſus de Terra ſancta, inſidiis Mauricij fratris ſui, quum dormiret in uili horreo, eſt trucidat⁹. INTERFECTORES iudicio duodecim uomerũ, de conſciis interrogati, rotæ ſupplicio ſunt affecti. Cranzius lib. 7. Metrop. c. 14.

*Incendij.*

Carolo IV. imperante, in Saxoniæ oppido Vittenburgo incendium ædium furtim procuratum, imponebatur in eo oppido innocenti. Ille quàm ſanctè iurans, eius ſe culpæ non



non eſſe affinem. Ferrum ignitum ille portauit itinere non paruo: illudq; manibus excutiens, nihil læſionis ſenſit. Euanuit ferrum ex oculis omnium. Annus penè totus interceſſerat, quum alius iam, ſilicibus uiam ſtraturus in oppido publicam, in arena inuento ferro dexteram aduſſit. Re ad loci præfectum delata ad quæſtionem abripitur: confitetur crimen: & fractis rota cruribus necatur. Cranzius lib. 8. Vandaliæ, cap. 30.

*Furti.*

Eſt lex militaris apud Radeuicum lib. 1. c. 26. Si ſeruus aliquis culpatus non in furto fuerit deprehenſus, ſequenti die expurgabit ſe iudicio igniti ferri: uel dominus iuramentum pro eo præſtabit. Hanc autem conſuetudinẽ in Regno Neapolitano Imp. Fridericus II. ſuſtulit, Neapol. conſt. lib. 2. tit. 31. Eorum (inquit) ridendum ſenſum duximus, qui naturalẽ candentis ferri calorem tepeſcere, imò (quod eſt ſtultiùs) frigeſcere nulla iuſta cauſa ſuperueniente confiduat. Hotom. de Feudis, cap. 44.

ROBERTVS, priùs Rollo, dux Normannorum, ſeuerè ſuis interdixerat latrociniis, furtis & rapinis: ruſticos inſtrumenta ſua in agris relinquere uoluit. Reuerſus quidam ex agricolis domum, ab importuna uxore rogatus, cur inſtrumenta non apportaret? ducis pręceptum obiecit. At illa furtim ex agro inſtrumenta ſubduxit, & abſcondit, ut maritũ redderet cautiorem. Reuerſus uir in agrum, ubi non reperit quæ reliquerat, rem ad loci præfectum defert: ille ad ducẽ. Vocatus à duce ruſticus, precium accepit amiſſorum. Iubetur præfectus, ignis purgatione adhibita, furem explorare. Primus conatus irritus fuit: nam ignis furem non prodidit, licèt omnes ruſtici ſubiſſent ſcrutinium. Tum dux, uerſus ad epiſcopum, Deus, inquit, Chriſtianorum, ſi eſt conſcius ſecretorum, cur furem non prodit? Epiſcopus necdum bene firmatum in religone non corripuit: ſed cauſam prætendit, quia ignis nondum furem attigiſſet. Iubetur diligentiùs inquirere præfectus, etiam apud uicinas uillas. Nec ſic quiſquam repertus eſt. Vocatus à duce ruſticus, An cui indicarit rem in agro eſſe, rogatur. Ille nemini præterquam uxori ſe dixiſſe reſpondit. Vxor quæſtionibus admota furtũ fatetur. Tum dux marito clàm uocato, Sciebas, inquit, uxorem furacem eſſe, an non? Ille, Sciebam, inquit. Cui dux, Cur ergo aut non puniuiſti, aut nõ indicaſti? Ergo iuſſit ambos ſuſpendio necari. Et hac ſeueritate legem ſanxit. Cranzius lib. 2. Noruagiæ, cap. 27.

*Simoniæ.*

PETRVS Albanenſis epiſcopus illæſus per pyram ardentem tranſiens, Simonię reum comprobauit Petrum Florentinorum epiſcopum: unde poſtea Igneus eſt appellatus. Vrſpergenſis.

IOANNES Gualbertus Petrum archiepiſcopum Florentinũ, prouocatione ad iudicium pyræ accenſæ, ſimoniæ condemnauit. Fulgoſ. lib. 8. cap. 1.

*Imperij, Regni, Dignitatis.*

Ludouico Germanorum rege mortuo, uelut fatis uocãtibus, re[redacted] ex parte in [redacted] Imperij redacturus Carolus Caluus Imp. [redacted] coegit exercitum. Tres Ludouici filij, Ludouicus, Carolomannus, Carolus Craſſus, ſub recentem patris obitum, dum diuiſione paterni regni finitimarumq; gentium bellis diſtinentur, Caluus Coloniam uſque omnia peruaſit: mox GERMANI oratores affuerunt, ut, quæ Ludouicus Auguſtus in Galliis regna habuiſſet, legibus iureq;, non martis iudicio diuiderentur. Cæterùm cùm nihil æqui ſe uerbis impetrare poſſe crederent, Francos ad iudicium candentis laminæ prouocarunt: & ſunt qui eos illæſos diſceſſiſſe ſcribant. Conſtat Germanos tandem compoſitis domeſticis rebus exercitum Rhenum traduxiſſe, & Caluum magna uictoria ſuperaſſe, capto nobiliſſimo quoque. Aemilius libro 3.

AQVAE DIVINATIO.

*De hac item, ut corpori humano admouetur, in præſens tantùm agimus. De eadem per ſe paulo pòſt, inter Inanimatorum diuinationes.*

EPOTÆ.

Apud ISRAELITAS adulteræ coarguendæ hic modus erat diuinitùs traditus Moſi. Maritus uxorem ad ſacerdotem ducebat, ſimul & libamentum, decimam partem ephi farinæ hordeaceæ, cui neque oleum neque thus indebatur. Id ſacerdos libabat, & ante Dominum ponebat: aquamq; ſacrã in uaſe fictili ſumens, puluerem è ſolo tabernaculi aquę miſcebat. Mulierem coram ara ſiſtebat, eique libamentum in manus tradebat, & ipſe aquam amaram diram (quam Redargutionis uocant) in manu habẽs, iuramento mulierem aſtringebat, in hæc uerba: Si nemo tecum concubuit, & ſi ſtupro non deliquiſti in uirum tuum, illæſa eſto ab hac aqua amara dira. Sin autem in uirum tuum commiſiſti, ſtuprataq; es, & tecum rem habuit uir alius quàm tuus, Ioua exemplum in te ſtatuat dirarũ & periurij apud tuos, femur tibi decutiendo, & uentrem diſtendendo: ueniatq; hæc dira aqua in tua uiſcera ad uentrem diſtendendum & femur decutiendum. Mulier reſpondebat, Amen Amen. Tunc ſacerdos has diras in ſcheda ſcribebat, & aqua amara delebat, eamque aquam amaram diram mulieri bibendam dabat, ſumto priùs de manu mulieris libamento, quod ad arã libabat, & aram ſuffiebat. Aqua epota, ſi adultera eſſet, periurij pœnas luebat, uentre diſtenſo & femore decuſſo: ſin extra noxam, illæſa manebat, & prolem gignebat. Num. 5.

CONTACTÆ. SIVE

*Calidæ.*

*De hac ſub Ignis examine.*

*Frigidæ.*

Gangulfi Burgũdi militis, ſub Pipino Francorũ rege, VXOR de adulterio ſuſpecta, lapillum ex fonte (quem maritus eius in Burgundia emtum, in Franciæ locum, qui Vuarenna dicitur, miraculosè tranſtulit) extrahere iuſſa, brachium ambuſtum eduxit. Sigebertus. Vincentius.

Ludouico Germaniæ rege Frãcofordiæ mortuo, Carolus Caluus Imp. & Franciæ rex, properè Aquas Coloniamq; contendit, ut Lotharingiã, quæ fratris & filij eius Lotharij fuerat, occuparet. Ludouicus tres filios reliquerat, Carlomanum, Ludouicum, & Carolũ cognomine Craſſum. Ex quibus LVDOVICVS, qui paterno funeri interfuerat, ubi patruum paterni regni fines ingreſſum caſtra ad Rhenum poſuiſſe audiuit, ira incenſus, quòd paternum inuadere regnũ eſſet auſus, Francofordia copias mouit, atq; ad alterã Rheni ripam è regione conſedit. Ibi iure primùm, deinde gratia per legatos petita, cùm neutrum impetraſſet, decem homines cum aqua calida, totidemq; cum frigida, decemque alios cum ferro candenti miſit, iuſſos experiri iudicio, utri regnum illud conueniret, quod cum ipſo pater ſuus Ludouicus ſacramẽto interpoſito diuiſiſſet. Qui, re tentata, cùm detrimentum nullum cepiſſent, nihil tamen æqui obtinuerunt. Ob id Ludouicus animo incitatus Rhenum copias occultè traiecit, ac Calui exercitum adortus, ipſum in fugã uerſum profligauit. Victo Caluo, fratribus paterna regna inter ſe partientibus, Carlomano Baioaria, Pannonia, Carantanum, Boemia & Morauia euenit: Ludouico Franconia, Thuringia, Saxonia, Friſia, & pars Lotharingiæ: Craſſo Alemania, & altera Lotharingia. Sigonius lib. 5. regni Ital. ex Aimoini lib. 5. cap. 34.

EX CIBO ET POTV DIVINATIO.

In Achaiæ Gæum, Telluris Euryſternæ fanũ eſt. Ibi taurini ſanguinis hauſtu pudicitia exploratur. Quo epoto, ſi legi fraudem fecerit MVLIER, ſtatim flagitium dicitur morte luere. Pauſanias in Achaicis.

GODVINVS Cantianorum comes, Anglis, mortuo Canuto III. Alfredum Etheldredi regis exulis F. reuocantibus, ipſius uirtutes reformidans, calumniis circumuenit, per inſidias in itinere necauit: auctorq; fuit Anglis, Edouardũ III. Alfredi fratrem ad regnum uocandi. Hic Goduino ſcelus in fratrem commiſſum cõdonauit. Accidit, ut Haraldus filius, qui regium poculum miſcebat, Edouardo prandenti potũ pręberere uolens, uno pede ferè lapſus, auxilio alterius pedis ſeſe ſuſtentarit. Tum pater, Nunc, inquit, frater fratrẽ iuuit. Ad quam uocem Edouardus turbatus animo in Goduinũ conuerſus ait: Sic mihi meus frater auxilio eſſet, ſi per te licuiſſet. At Goduinus iram regis ueritus excuſare ſe cepit, diuinumq; numen, ad innocentiam declarandam, cum iureiurando appellare, dicens: Si unquam rex quicquam in necem fratris tui, aut in te machinatus ſum, precor ut Dei nutu iſtud panis fruſtũ me ſtrangulet. Quæ ubi dixerat, ſumto pane, ſubitò præcluſis faucibus ſuffocatus eſt. Polydorus libro 8. hiſtoriæ Anglorum.

SORTES QVALESCVNQVE. ΚΛΗΡΟΜΑΝΤΕΙΑ. Conſiderata

IN GENERE.

Quædam ſors lege Dei, quædam politicis legibus probata eſt. IOSVAM uidemus cogniturum, quiſnam anathema cepiſſet Hiericunte, ſortem de toto Iſraelitarũ exercitu conieciſſe: ſimiliterque SAMVELEM, cùm rex habẽdus eſſet, coniecta ſorte dixiſſe, Domine da ſortem (quem morem amoliendæ poteſtati & ſorti diabolicæ ueteres uſurpabant) & tũc Beniaminis tribui ſortem accidiſſe: deinde ſortitione de principibus familiarum facta, familiam Cis obueniſſe: è cuius domeſticis coniectam ſortem Sauli accidiſſe, quem Deus regem in populum ſuum declarauerat: ne quis ſce-

ptra regaleſque coronas putaret fortuitò obtingere. SAVLEM poſteà de toto exercitu, ad cognoſcendum quis ieiunij legem feciſſet irritam, ſortitione facta, deprehendiſſe Ionathanem, qui ſolus contra interdictum regis mel comederat. Leuitici quoque cap. 16. legimus, ſortem in duos hircos fuiſſe coniectam, unum ſacrificandum Domino, alterũ Zazeli committendum: quod myſterium LXXII interpretes nolentes Ethnicis reuelare, Zazel ἀποπομπαῖον reddiderunt, id eſt, emiſſarium, quia emittebatur in deſertum, neq; inueniebatur ampliùs. In Actis quoque APOSTOLORVM legimus, ſortitionem Matthiæ & Barnabæ fuiſſe factam. Idem inter Ethnicos pariter fuit obſeruatum. Etenim ſi qua tempeſtas grauis incumbebat mari, ſortem coniiciebant NAVTÆ, & qui ſorte obuenerat, mittebatur in mare, ut Ionæ factum eſt. Ordinariè item frequentatur ſors in ſucceſſionibus diuidundis, & bonis communibus; populorum legibus permiſſa, & ualde neceſſaria rixis & contentionibus, quæ infinitæ forent, euitandis. Sic Romani in cauſis publicis ſortiebantur iudices, & magiſtratus, prouincias oneraque, niſi inter ipſos aliter conueniret: quod Latini dicebant ſortiri aut comparare inter ſe prouincias. Hinc ſæuiſſimi illius belli inter Marium & Syllã occaſio, quòd bellum in Mithridatem ſortitione obtigiſſet Syllæ, & Marius li bello ad populum ſortitionem uoluiſſe eripere. Bodin. lib. 1. Dæmonomaniæ, cap. 5.

IN SPECIE. SORTITIO

*Poetarum. Sortes Homericæ, Vergilianæ.*

HOMERICÆ ſortes in maximo olim precio fuêre. Nã cùm poeta, ſdiuino numine afflatos, uerſus canere crederet antiquitas, ex iiſdem uerſibus ſortitò multa uaticinia erui poſſe exiſtimabat. Ex MVSÆO quinetiam futurarum rerum oracula petebantur à ſortilegis. Talis fuit Onomacritus Athenienſis: qui cùm ſortes Muſæi adulteraſſe deprehenſus eſſet, ab Hipparcho Piſiſtrati F. in exilium eiectus, ad Xerxẽ transfugit: eumq; iiſdem ſortibus ad bellum Græciæ inferendum compulit. Herod. lib. 7.

Sortium genera duo apud Spartianum in Adriani uita. Primũ genus, quod Virgilianum appellabant. Primos enim uerſus, in quos incidebant, legebant, & ſecundùm illos cogitata atque animo concepta interpretabantur. Liuius libro 22. Secundum genus à ſacerdotibus confictum. Inſcribebant enim in foliis arborum tabelliſque diuerſorum euentuum elogia: eaque deorum in puluinaribus diſponebant, eo artificio, ut cùm petituri acceſſiſſent oratũ, in ſpem aut timorem pro libito adducerentur.

ALEXANDER Seuerus Auguſtus, cùm illi Heliogabalus inſidiaretur, ſortẽ in templo Fortunæ Prçneſtinç talẽ accepit:

——Si qua fata aſpera rumpas
Tu Marcellus eris.— Lampridius.

CVIDAM ex ſummis noſtris amicis, puerulo nato, ſortes Vergilianas animi gratia conſulenti, uerſus ille ex ſecundo Aeneidos obtigit:

Hunc tantùm terris oſtendent fata, nec ultrà
Eſſe ſinent.—

Quinto pòſt menſe infans, unò eodemq; tempore cùm matre Aſterie Rudina, lethali ſpaſmo correptus obiit.

*Chartæ, Papyri.*

Ex Tit. Diuinationis ex mortuis, exempla pete, CHRYSANTHII & MVSONII epiſcoporum, item EVAGRII philoſophi: qui uel mortui chartæ inſcripſere ſuam ſententiam rogati.

ZENO Imp. ſolebat in altari collocare chartam, & à Deo petere, ut nomen eius, quem uellet epiſcopum, inſcriberet. Verùm cùm occaſione chartæ, ab Imperatore in aram collocatæ, per fraudem quiſpiam malus ad epiſcopatum ueniſſet, eam conſuetudinem mutauit, & ſacerdotibus ius eligendi reſtituit. Nicephorus libro decimoſexto, capite undecimo & decimooctauo.

*Vocum.*

*De Ominibus uocum, quæ fortuitò accidunt, ſuo loco. Hic de iis tantũ, quæ conſultò captantur, uocibus, diuinationem aliquam habentibus.*

Ex uoce humana prima, quam audiunt, diſcedentes à ſimulacro captant oraculum, QVI Veſtam Pharis Achaiç oppido conſulunt. Pauſanias in Achaicis.

Stephanus indicat, MASSALIAM fuiſſe ciuitatem Liguſticæ, Phocenſium coloniam, auctore Hecatæo: Timæum uerò illud addere, quum nauclerus adnauigaſſet, uiſo piſcatori, proiecto in terram fune, dixiſſe, Alliga rudentem. Et hinc loco nomen inditum Maſſalia. μάσσαι enim Aeolibus eſt, quod alij dicunt δῆσαι, ἁλιεὺς piſcator: ex μάσσαι igitur & ἁλιεὺς dicta Maſſilia. Eraſmus in Adagiis.

CÆCILIA Metelli uxor, dum ſororis filiæ nuptialia petit, ſortes uocum captat. Vide Titulum, Omina mortis.

Lybuſſa, Premiſlai Boemorum ducis uxor, urbem conditura regiam, eo loci prima iuſſit fundamẽta iaci, quo colonum deprehenderent caudicem detruncare. Parent illi, & inuentum COLONVM interrogant, quid ex trunco illo paraturus eſſet? Reſpondet ille patrio ſermone, Prah, hoc eſt, limẽ ſe ſuo parare tugurio: Lybuſſa proinde urbi nomen indidit Prahæ, quòd ea magnis olim regibus & introitum eſſet datura, & ſi in illam impingerent, perniciem allatura. Dubrauius libro 2.

*Nominum.*

ONOMANTIA & ARITHMOMANTIA, fiebat ex eo numero, quem literç proprij alicuius nominis deſignabant in numerorum ordinem relatæ, prout accommodari poterat aliqua ſignificatio. Hæc autem Latinis ſolùm recepta eſt: quamuis numerorum, qui extant, tabulç non cõueniat planè cum facultate literarum numeros ſignificantium: nam litera M quæ deſignat mille, non ampliùs LXXIIX. in tabula efficit, & C deſignans centum, non ampliùs VI. Bodinus lib. 1. Dæmonom. cap. 6.

Nominum & cognominum ANAGRAMMATISMI omnino ſunt ridiculi, cùm ſignificationes ex diametro aduerſantes tranſpoſitio literarum afferat. Primus horum auctor exſtitit Lycophron Chalcidenſis: quibus ſi habetur fides, etſi à ſorte non pendeant, ad ſortem tamen pertinent illicitam. Ibidem.

D. ELIZABETHA, Vngariæ regis F. D. Ioannem Baptiſtam ſorte ducta, patronum accepit, eumq; eximiè uenerata eſt. Bonſinius.

DOMINICVS Michael, Venetorũ dux, uictis Turcis, & Ioppenſibus obſidione liberatis, Hieroſolymam uenit: & quia Balduinus rex à Parthorũ rege captus erat, cum Varimundo Patriarcha de ratione gerendi belli egit. Quæ conſultatio quum aliquot dies tenuiſſet, nec eis omnino conueniret, quam potiſſimùm urbem aggrederentur: tum demùm ferunt, Michaelis conſilio ad diuinas ſortes recurſum, atq; ita ſortè conſtitiſſe, Tyrum inprimis oppugnari oportere. Sortium, de quibus loquor, ratio huiuſmodi fuiſſe traditur: ut nomina oppugnandarum urbium in proximam aram temerè coniecta, manu rudis adhuc pueri miſcerentur. Inde diuinis rebus ritè procuratis, puer ille unam ex ſchedulis, quibus ſingulis ſingularum urbium nomina inſcripta eſſent, ad conſpectum principum deferret. Apparuit ea ratione, ut dixi, à Tyria oppugnatione bellum inchoandũ. Sabellicus lib. 5. Decad. 1.

Bello, quod Mauritius dux Saxoniæ Elector, contra Carolum V. Imp. pro liberatione Landgrauij geſſit, ſolicitis admodum iis ex Mauritianis, quibus tota res erat exploratior: QVIDAM per iocũ iuſſit eos eſſe bono animo: nam à Carolo uinci Mauritium non poſſe. Cauſam rogatus, reſpondit, ueteris diuinationis eſſe eam fiduciam. Nam ut Achillis uictoris nomen numeris, qui literarum notis indicarentur, plenius eſſet, quàm Hectoris: ſic Mauritij ſtatim initio nomen, Caroli nomine eſſe numeroſius. Sed hæc tum ioco dicta familiariter, cum eo exitu, qui notus eſt omnib. congruerunt. [redacted]

FERDINANDVS Corteſius Peruuiæ ſubactor, puer etiamnum morbo laborans deſperato, à parentibus uoto facto XII. Apoſtolis, ſorte ducta D. Petrum patronũ nactus eſt. Cardanus de Rerum uar. lib. 16. c. 92.

*Literarum.*

Diuinabant ROMAMI olim per ſortes, quas in Latio Numerius Suffuſius, teſte M. Tullio in ſecũdo de Diuinatione, primus inuenit, apud Præneſtinos, ſculptas in robore literarũ priſcarum notis, quæ Fortunæ monitu, pueri manu miſcebantur atq; ducebantur: quarum etiam Tranquillus in Tiberio meminit. Polyd. lib. 1. c. ult. de Rerum inuent.

Cùm aliquando DIONYSIO maiori M in ſortibus obueniſſet: quidam per iocum ait, μωρολογεῖς Διονύσιε, Stulta loqueris Dionyſi. At ille detorquens aliò, μοναρχήσω μᾶλλον, Imò potiùs ero monarcha. Atq; poſtquam cõcionatus eſt, mox fuit à Syracuſanis deſignatus prætor. Plut. in Regũ apoph.

*Taleolarum.*

RVGIANI, Balthici maris accolç, tribus ligni particulis, parte altera albis, altera nigris, in gremium ſortium loco coniectis; candidis proſpera, furuis aduerſa ſignabãt. Saxo l. 14.

In legib. Friſ. tit. 14. hæc extat: Sortes tales eſſe debent: Duo tali de uirga præciſi (quos tenos uocant, quorum unus ſigno crucis innoſcatur: alius purus dimittitur) & lana mũda obuoluti, ſuper altare, ſeu reliquias mittuntur, & presbyter ſi adfuerit, uel ſi presbyter deeſt, puer quilibet, unum de ipſis ſortib. de altari tollere debet: & interim Deus exorandus, ſi illi ſeptem qui de homicidio commiſſo iurauerunt, uerũ iuraſſent, euidenti ſigno oſtendat. Si illum, qui cruce ſignatus eſt, ſuſtulit, innocentes erunt qui iurauerũt. Sin uerò alterũ ſuſtulit, tunc unuſquiſq; illorum ſeptem faciat ſuam ſortẽ, id eſt, tenum de uirga, & ſignet ſigno ſuo, ut eum, tam ille, quàm cæteri, qui circumſtant, cognoſcere poſſint: & obuoluantur lana munda, & altari ſeu reliquiis imponantur: & presbyter ſi adfuerit, ſi uerò non, ut ſuperiùs, puer innocẽs, unumquemq; eorũ ſingillatim de altari tollat, & ei, qui ſuã ſortem eſſe cognouerit, porrigat: cuius ſortem extremã eſſe contigerit, ille homicidij compoſitionem perſoluere cogatur, cçteris, quorum ſortes priùs leuatæ ſunt, abſolutis. Hotoman. diſput. de Feudis, cap. 44.



*Cereorum.*

Cùm ANDRONICO Seniori Imp. complures puellæ morerentur, mulierculæ cuiuſdam ſuaſu ſub tempus partus XII cereas imagines uirili ſtatura, totidem Apoſtolorum nominibus inſignitas, accẽdit ordine. Cumq; partus in tempus, quo Simonis ſtatua ardebat, incidiſſet, puella Simonis eſt uocata, pulcerrima, quæ octauo ætatis anno Crali Seruiæ Deſpotæ nubere coacta, corrupto utero ſterilis extitit. Ex G. Pachymerij hiſtoria.

MARIA, Petri Aragonũ regis ſeptimi uxor, priùs ſterilis, tandem dolo erga maritum uſa, concepit, & in ipſo partu, multis orantibus religioſis & equitibus pro ſalute parturientis, filium edidit, cum ſumma lætitia regis & omnium nobiliũ. Infantem natum Regina ſtatim ad eccleſiam miſit, ad imaginem Mariæ uirginis. Cum puero multis eccleſiam ingredientibus, ſacerdotes qui matutinas horas recitabãt, de aduentu infantis ignari, pſalmum canere ceperunt, Te Deum laudamus. Hinc ad aliam eccleſiam cum infante uenerunt, ubi ſacerdotes etiam ipſis ingreſſis canere ceperunt, Benedictus Dominus Deus Iſrael. Tum uerò in aulam reuerſi cũ infante, Reginæ rem narrauerũt: quç ſumma lçtitia affecta, cùm rex Infanti nomen eligeret, duodecim cereos albos eiuſdem longitudinis, ponderis, & craſſitudinis, accendi iuſſit apud altare ſacelli, in laudem & honorem Mariæ uirginis & XII Apoſtolorum: quorum ſingula nomina ſingulis cereis ſcripſerat, uoueratq;, ut illius Apoſtoli nomen imponeret, cuius cereus reliquis extinctis & conſumtis ſolus diutiùs perduraſſet. Hac igitur ratione natus infans, Iacobus fuit appellatus, propterea quòd cereus, in quo diui Iacobi nomen ſcriptum fuerat, reliquos uirtute ſuperauit. Hic pòſt propter res præclarè geſtas Fortunatus fuit dictus. Marineus lib. 10. Rerum Hiſpan.

Legimus in omnib. ferè Anglicis annalibus, recuperata Hieroſolyma, duces Chriſtianos in eligendo rege, conſtituiſſe, ut ſinguli in tẽplo ante principẽ arã, cereas candelas ardentes tenerẽt, orantes Deũ, quò ſibi mentẽ donaret bonã, ut illud munꝰ homini digno deferrẽt: & accidiſſe, ut ROBERTVS Normannorũ dux, diuino nutu rex deſignatus fuerit, quòd eius candela ſubitò extincta, ac mox accẽſa eſt: ſed illũ ſpreto oraculo, id minimè cæteris ducib. pateſeciſſe: imò, ut nõ nemo affirmat, id decoris à cunctis ſibi delatũ temerè repudiaſſe, ut qui ad regnũ Angliæ opulentius ac quietius iam pr[redacted]dipiſcendũ, animum adiunxiſſet. Ex quo ferunt ex e[redacted]inquam Roberto poſthac fortunam fauiſſe. Cæte[redacted]auctores non contemnẽdi, Godofredũ Bononienſe[redacted]unt de communi omnium ſententia regem creatu[redacted]a facta mentione neque de Roberto, neque de tali mo[redacted]regis optandi. Polyd. lib. 10.

*Anulorum.*

*De Sortitione per anulos facta hic tantùm. Reliqua Dactylomanteia paulo pòſt enarrabitur.*

In pugna aduerſus Iceten Leontinorum tyrannum, cùm contenderẽt decuriones de prioribus pugnç partibus: TIMOLEON, iuſſis ſortiri præfectis, accepit anulum à ſingulis. Quos cùm in lacernam ſuam conieciſſet & confudiſſet, primum ſorte eduxit, qui ſigillo trophçum habebat inſculptũ. Quod uidentes iuuenes, læto clamore ſublato, nõ ultrà expectauerunt ſortitionem: uerùm pro ſe quiſq; ocyſſimè ſuperato fluuio Damyra, feliciter cum hoſte manus conferentes, uictoria potiti ſunt. Plut. in Timoleonte.

*Calculorum, Aſtragalorum, Talorum.*

ASTRAGALOMANTIA, ex teſſerarum & oſſiculorum iactu inquirit quid fieri, quid mitti oporteat. Bodinus lib. 1. Dæmonomaniæ, cap. 5.

Terà GERMANIS ſortem fuiſſe iactam teſtatur Cæſar, ad cognoſcendum, Marcúmne Valerium legatum ipſius necaturi eſſent: eumq; ſorte euaſiſſe.

Erant in ſacris menſis olim ASTRAGALI, quorum iactu uaticinia concipiebant: ut, Si me iaciẽte id emerſerit, fiet hoc: ſin minus, haud fiet. Cælius lib. 20. c. 27. A. L. Conſule Tit. Loca oraculorum, de oraculo Herculis Buraici.

TIBERIVS Imp. iuxta Patauium, Geryonis oraculo conſulto, ſortẽ traxit, qua monebatur, ut de conſultationibus in Aponi fontem talos aureos iaceret. Euenit, ut ſummum numerum iacti ab eo oſtenderent: hodieque ſub aqua uiſuntur hi tali, imperij indices. Suetonius.

GRÆCI in ſortiendo principiò Hermem ſiue Mercurium (id folio nomen oleagino) immittebant in κληρωτίδα κάδον, tũ iniectis ſortibus Hermem κληρωτὴν ante omnes è cado educebant. Quæ ratio Ethnica ut corrigeretur, Chriſtiani cùm ſortiuntur Regem, primam Dei educunt ſortem. Bodinus lib. 1. Dæmonomaniæ, cap. 5.

In ſortiẽdo VETERES adhibere ſolitos aquã, è uaſeq; pleno eius humoris ſortes ipſas ducere, Plaut. in Caſina indicat. Pauſanias aũt in Meſſeniacis docet, è terra quoq; aliquãdo illas cõformatas. unde Creſphontes, qui in diuiſione Peloponneſi Meſſeniũ agrum ſibi contingere cupiebat, cùm ſorti res tradita eſſet, dolo eſt uſus: impoſuitq; Ariſtodemi fratris filiis, corrupto Temeno, ſibiq; conciliato, cuius fidei res cõmiſſa erat. Ille namq; in ſitulam (hydriam ipſe uocat) in qua erat aqua, coniecit ſortes ipſas, & Ariſtodemi liberorũ, & Creſphontis, cùm pepigiſſent inter ſe, primos eos partem capere, quã uellent, quorũ ſors prior duceretur, quæ ab illo ipſo fabricatæ forent. Ipſe autẽ Ariſtodemi liberis ſortem è terra, ſole areſacta, fecerat: Creſphonti uerò igne coacta. quare altera illa liquefacta, Creſphõti optio data eſt ſumendi quod uolebat. Atq; dolo hoc ille Meſſenia terra potitus eſt. Victorius lib. 25. Var. lect. cap. 15.

Philochorus apud Zenodotũ auctor eſt, olim tres nymphas, Apollinis nutrices, Parnaſſum incoluiſſe, quæ Thriæ dicerentur: unde poſtea receptũ ſit, ut calculi ſortesq; diuinorũ Thriæ uocarẽtur. Vnde Thrioboli, qui thrias in urnã diuinã iaciunt. Sunt qui affirmẽt rationẽ diuinandi per ſortes, à Minerua fuiſſe repertã: quæ cùm magis floreret, ꝗ oracula Delphica, mendax & uana reddita eſt, idq; opera Iouis, Apollini gratũ facere cupientis. Deinde ubi rurſum mortales Delphica frequentarent oracula, Pythiam ad hunc modum dixiſſe, Πολλοὶ θριοβόλοι, παῦροι δέ τε μάντιες ἄνδρες. Eraſ. in Adag.

Cùm PROBVS (qui poſtea Imperator fuit) adeò iuſtè inter milites ſuos ſpolia diuideret, ut nil præter tela & arma ſibi retineret: quinetiã cũ in præda (an ex Alanis, ſiue ex aliqua gente, incertũ eſt) repertus eſſet equus nõ decorus, neq; ingens, qui, quantũ captiui loquebantur, centũ ad diem milliaria conficere diceretur, idq; per dies octo uel decem continuare: & omnes crederẽt, Probum talẽ animal ſibimet ſeruaturum: Tum ille: Fugitiuo militi potiùs, ꝗ forti, talẽ equũ conuenire aſſeruit. Mox in urnam milites iuſſit nomina ſua mittere, & de eo ſortiri. Et cùm eſſent in exercitu quidã nomine Probi, alij quatuor milites: caſu euenit, ut primum emergeret, cui Probo nomẽ exiſteret, cùm ipſius Probi ducis nomẽ miſſum nõ eſſet. Sed cùm quatuor illi milites inter ſe contenderẽt, ac ſortem ſuam quiſq; defenderet, iuſſit iterũ agitari urnam. Tunc iterum Probi nomen emerſit. tertiò item & quartò. Itaque omnium conſenſu ipſi Probo equus datus eſt. Vopiſcus.

*Characterum, Figurarum, Numerorum, in terra, puluere, cinere, charta, unguib. deſcriptorũ.*

GEOMANTIA, ars diabolica, quæ libris editis & excuſis inualuit maximè, ſita in alea & fortuito illius iactu, qui pũcta ſignauerit, è quibus figurç quindecim conſlantur. Bodinus lib. 1. Dæmonomaniæ, cap. 6.

RVGIANORVM feminæ, foco aſſidentes, abſq; ſupputatione fortuitas in cinere lineas deſcribebant. Quas ſi pares numeraſſent, proſperæ rei præſcias arbitrabantur: ſi impares, ſiniſtri prænuncias putabant. Saxo lib. 14. Danorum.

TEPHROMANTIA fiebat è cinerib. Sic ὀνυχομαντεία perficiebatur oleo & fuligine, in unguem pueri alicuius impolluti illitis, ſoliq; obuerſis. Confici enim ex mixtione olei, fuliginis & radiorum ſolarium ſimulacra rerum expetitarum, opinio erat: quæ tamen formabat mille artifex diabolus, ut ex hac mixtura in ungue reddi ac refulgere uiderentur. Vierus lib. 2. cap. 12.

MAHVMETANI in Feſſa Mauritaniæ urbe ſortilegij ſpeciẽ quandam habent, ex Cabala & Aſtrologia mixtam, Zairagiam dictam. Circulos uarios deſcribunt, & in maiori crucem effingunt. In centro polum, utrinque ad circumferentiam elementa quatuor notant. Quemque rurſus circulum in uarias diducunt partes, eaſq; Arabicis characteribus inſigniunt. Deinde propoſitæ qçſtionis ſiue rei unicam tantùm literam ſumunt, atq; per prçdictorum circulorum partes multiplicant, conferunt, perpendunt, atq; ita deinceps, donec XXIIX characteres prodierint: ex quibus unam dictionem colligunt, ex dictione orationem eliciunt, qua ad quæſtionem propoſitam tanquam ex tripode reſpondere perhibentur. Ioãnes Leo lib. 3. cap. 23. Africæ, ſe quoq; huic arti deditum olim, diem integrum in unius figuræ erectione conſumſiſſe ſcribit.

## OMINOSA DIVINATIO. HVMANAE VOCES, ACTIONES, PASSIONES quælibet naturales.

### IN GENERE.

Οἰκοσκοπικὸν diuinationis genus, cùm EA quæ domi accidunt, obſeruantur tanquã ſigna futurorũ: ueluti ſi in tecto apparuerit aut muſtela aut ſerpẽs, aut oleum effuſum fuerit, aut mel, aut uinum, aut aqua, aut cinis, aut crepitus lignorũ auditus fuerit, aut aliquid aliud. Tale opus cõſcripſit Xenocrates. Ἐνόδιον eſt, ſi exponas ea quæ obiter in uia occurrũt, ſi quis tibi obuiam factus fuerit hoc geſtans, & hoc tibi eueniat: cuiuſmodi opus conſcripſit Polis. Aliud eſt χειροσκοπικὸν, cùm manib. extentis, è rugis aut fiſſuris palmę dicimus, Procreabit filios, aut aliquid ſimile: cuiuſmodi opus ſcripſit Helenus. Aliud eſt παλμικὸν, quãdo ex uibratione corporis aliquid cognoſcitur: ueluti palpitauit dexter aut ſiniſter oculus, aut humerus, aut femur, aut pes pruriit, aut auris tinniit, ergo hoc eueniet: cuiuſmodi opus conſcripſit Poſidonius. Suidas.

### FORMALITER CONSIDERATA Ominatio ſumitur ab

## Actionibus hominis. Nempe ab

*Apprehenſione, Contrectatione.*

PERSICORVM magorũ ſapientia ac diuinandi notitia multorum monumentis celebratur: qui cùm alia multa, tũ Artaxerxis Ochi ſæuitiã aduersùs ſubditos & cędẽ ex ſignis quibuſdã arcanis prædixerunt. Nam cùm Artaxerxe patre uita functo, regnũ Perſarum Ochus capeſſeret, Magi cuidam ex eunuchis pręceperũt, ut poſita menſa animaduerteret, quibus reb. ex obiectis rex primũ manũ iniiceret. Qui cùm oculos in hoc attentos haberet, Ochus utraq; manu protenſa, dextra unũ ex adiacentib. cultris arripuit: altera maximum panẽ accepit, quem carnib. impoſitum ſcidit, & alacriter comedit. Quib. auditis, magi hæc duo uaticinati ſunt, frugum tempeſtiuã fertilitatem, atq; annonæ copiã illo regnãte, & cædium frequentiã: neq; falſi fuerunt. Aelian. lib. 2. de Var. hiſt. & Diod. lib. 17. Bibliotheces, & Cæl. lib. 13. c. 39.

*Scriptione.*

ALEXIVS Comnenus Imp. cùm excæcaſſet fratrem Iſaaciũ, & ad inaugurationem templũ ingreſſus eſſet, ſymbolum fidei, imperatorio colore tardiùs perſcribens, omen fecit improbitatis, imperiiq; ruinæ. Nicetas lib. 1.

Memorant annales Henrici III. Imp. fabulam de Hildebrando puero, quòd quum filius eſſet fabri lignarij, ex ſarmentis ordine cõpoſitis, inſcius ipſe, has literas conſeruerit, quibus adſtans homo literatus, legerit ex ea compoſitione ſcindularũm, Dominabor à mari ad mare. Vnde coniectans diuinum aliquid in puero, ſuaſerit parenti, ut eum literis traderet. Traditus profecit, & in cancellariã regis peruenit, & ſcriniarius euaſit. Somnio admonitus Imperator de eodem, ꝙ cornua uideretur habere, quibus filium ſuũ contereret, hominem in uincula cõiecit: ſed ab Imperatrice uinculis exutus, Cluniacenſe monaſterium petiit. Indeq; profecit primùm in ſubdiaconum, deinde in cardinalem, nouiſſimè in Gregorium VII. Cranz. lib. 4. Metrop. c. 19. & 29.

*Morum mutatione.*

Cæſar CALIGVLA, etſi truculentiſſimus & inhumaniſſimus erga omnes fuit: eo tamen die, quo à Chærea occiſus eſt, omnium cum admiratione præter ſolitum affabilis extitit, cùm Circenſes ſpectaret. Ioſephus lib. 19. c. 2. Antiq.

*Sacrificiis.*

ALCIBIADES reuocatus ab exilio, eaq; die, qua funeſta colebantur ſacra Adonidis, urbem ingreſſus, non multo pòſt occiſus fuit. Alex. lib. 4. c. 20. ex Plut. in eius uita.

Funebria ſacra Adonidis in id tempus, quo aduerſus Siculos bellum ſuſceperunt, incidentia & celebrata à mulieribus, ATHENIENSIVM infelicẽ pugnã denotãt. Plut. in Alcib.

*Suffragiis.*

Fauciam tribum ROM. plurib. cladibus inſignem, ſi quãdo in comitiis prima rogabatur, uelut triſti omine infamẽ & deteſtabilem, omnes abominandã putaſſe, auctores memorãt. Conſtat enim hanc Fauciam tempore captæ urbis, quo ad Alliam fœdè pugnatũ eſt, & Caudinæ pacis, & ad Cremerã infelicis pugnæ, quo pericula & terrores reſpublica perpeſſa eſt maximos, primam rogatam fuiſſe. Ideò ſi quando rogatur prima, triſtitiam & calamitates, exitialeq; omen adferre credita eſt. Alex. lib. 1. cap. 17.

*Donis.*

PERDICCÆ cum duobus fratribus apud regem ſeruienti, omen factum regni Macedonici, Sole mercedis loco à rege oblato. Herod. lib. 8.

ALETES quidam Corintho pulſus, adhortantę oraculo, tentauit, ſi poſſet in patriam redire. Atq; interim ruſtico cuipiã factus obuius, cibum mendicauit. Ille, ludibrij opinor cauſa, glebam ex agro ſublatam porrexit. Aletes eam tanquã felix omen accipiens, effatus eſt, Δέχεται καὶ βῶλον ἀλήτης. Eraſmus in Adagiis.

Aenianes, inquit Plut. in Problematib. poſt ſedes iam ſæpiùs aliunde aliò tranſmutatas, tandem in agrum Inacho uicinum deſcenderunt, quem id temporis Inachienſes & Achęi obtinebant. Oraculũ autem proditum erat, ſi in agrum eos recepiſſent, futurũ ut ueteres incolæ pellerẽtur: ſin uerò noui quid à uolentibus accepiſſent, agrum retinerent. TEMO igitur quidam inter Aenianes, uir ſolers & cautus, ſumta pera, mendici habitu ad Inachiẽſes acceſſit. Ibi cùm per riſum & contumeliã rex mendicanti cibum, ceſpitem dediſſet, in peram coniecit, ac uelut eo contentus, ſtatim è cõſpectu ſe ſubduxit: nec pręterea quicquam rogauit. Seniores tum rei nouitate, tum oraculi recordatione ſubmoniti, rege adito cenſent hominem neutiquam eſſe negligendum, nec è manibus dimittendum. Quod ubi ſenſiſſet ille, fuga ſibi conſuluit: uotaq; protinus hecatombe, & Apolline inuocato, furtim abiit. Poſtea congreſſi prælio, Aenianes, pulſis Achæis & Inachienſibus, illorum agros occupauerũt. Hinc natum prouerbium, Accipit & glebam erro. Idem.

COTHVS & Arclus Xuthi filij, ad quærẽdas ſedes in Eubœã uenerunt, quo tẽpore pleraq; inſulæ Aeoles tenebant. Data erat Cotho dictio, felicem fore ac uictoriam reportaturũ de hoſtibus, ſi illud ſolũ emiſſet. Quare paulo pòſt deſcendit in terram, offenditq; in litore pueros ludentes: quibuſcum comiter ludens, multas res ludicras eis ac peregrinas oſtendit. Vt uidit his pueros captos, negauit aliâs illas daturum ſe eis, niſi terram ab ipſis accepiſſet. Ita pueri humũ tollentes illam dederunt ei, acceptíſq; rebus illis ludicris digreſſi ſunt. Quod ubi Aeoles reſciuerunt, ſimulq; eos claſſe hoſtes ſunt adorti: ira & mœſtitia conſultricibus, necauerũt pueros, quos iuxta uiam, quæ fert ex urbe Chalcidis ad Euripum, condiderunt, uocaturq; locus, Puerorum ſepulcrũ. Plut. in Quæſt. Græcis.

*Ludo.*

Memorãt, magna inter M. ANTONIVM & Auguſtum intercedente neceſſitudine & familiaritate, cùm darẽt crebrò ſe ludo pilæ uel teſſerarum, uel etiam uacarent altilium certamini, coturnicum & gallinaceorum, ſemper uictum diſceſſiſſe Antonium: eumq; reprehenſum monitúmq; frequẽter fuiſſe à quodam eius aſſecla, qui futurorum ſe cõiectorem profitebatur: Quid malum rei tibi cum hoc eſt adoleſcente? fuge eum. Clarior es, natu maior, pluribus imperas, rebus es bellicis exercitatus, rerum uſu præcellis. At tuus genius genium huius trepidat, fortunaq; tua per ſe alioquin ampla, fortunæ aſſentatur huius. Niſi procul ab ea abduxeris te, tranſibit ad illum. Plut. de Rom. fortuna.

*Occurſu.*

Aethiopis occurſus infauſtũ omen M. BRVTO. Plut. in Bruto. Itẽ Seuero Imp. è Britannia Romam reuertenti obuius AETHIOPS ſerto ex cupreſſo coronatus, mortem ominatus eſt. Fulgoſus lib. 1. cap. 3.

*Alloquio.*

In prælio aduerſus T. Quintium Flaminium, ſepulcrum [PHI]LIPPVS Macedoniæ rex conſcendens, & ab eo milites alloquens, infelicis pugnæ omen fecit. Plut. in Flaminio.

*Excrementis.*

Ann. 719. Leonis III. F. CONSTANTINVS cũ ſacro lauacro ablueretur, aquam ſtercore fortè infecit. Qua re animaduerſa, patriarcha ſtatim oraculum cecinit, fore ut is aliquando omnia ſacra pollueret. Ab illa re Copronymi cognomẽ eſt illi inditum. Sigon. lib. 3. regni Ital. ex Zonara & Diacono.

Idem perpetrauit ETHELREDVS Anglorum rex, ut habet Ranulphus lib. 6. cap. 13.

VENCESLAVS VI. Imp. & rex Boemiæ, Carolo IV. Imp. Norimbergæ natus, dum aqua luſtrali tingitur, eandem aquam adhuc infans lotio ſuo reſperſit: alui autem fæcibus aram, in qua nondum bimulus coronabatur, coinquinauit. Addunt Germani, ędem parochialem ad S. Sebaldum, cùm aqua calefieret pro baptiſmate, conflagraſſe: matrem uerò in puerperio periiſſe. Vtrumq; peritiores inter prodigia retulère, portendi per hæc dicentes, futuram, quæ ſub hoc Regẽ euenit, ſacrorum fontium, altariumq; contaminationẽ & uiolationem. Dubrauius lib. 23.

*Sternutamentis, Offenſione pedum.*

Eſſe inter auguria STERNVTAMENTA & OFFENSIONES pedum, in naturali hiſtoria Plinius notauit, quæ Symbola dicta ſunt. Pleriq; contrà: nam ſternutamenta non facere auſpicium cenſent: ſed quum captatis auguriis ſuperueniunt, illa rata facere, ſiue boni prænuncia ſint, ſiue mali: qualiaq; prædicta præuiſaq; fuerant, affirmare & probare ſermonis ueritatem putauerunt, Homeri exemplo, qui Penelope malum procis futurũ ab Vlyſſe referẽte, Telemachũ facit ſternutaſſe. Et Xenophonte ad milites concionãte, ſub



idem tẽpus ſternutãs quidã, omen fecit feliciſſimũ, ita ut totius dux militiæ crearetur. Themiſtocle uerò ad aras ſacrificante, à dextera ſternutãs homo, augurium fecit, quo præcipui captiui immolarentur. Hippiæ dum ſternutat, excuſſus dens augurium fecit calamitatis futuræ. Inde apud ueteres incuſſa fuit religio, in ſternutamentis bonũ omen & ſalutẽ precari, quod Tiberiũ Cæſarẽ mirificè exegiſſe refert Suetonius: ut ſi quid infandi diriq; immineat, ea precatione & ſalute auertatur. Ariſtoteles autẽ, quòd è capite hominis tanquam ex arce ducunt originẽ, quæ pars diuina & ſanctior homini eſt, propterea prodeuntem inde ſpiritum, tanquã ſignum augurale & diuinũ numẽ, nos uenerari decere cenſuit. Ea quidẽ apud eos qui iſta perueſtigare adorti ſunt, miræ obſeruationis fuère: nã ſi eſſent matutina, nefanda ominari, & rei inceptandæ irritos conatus facere: ſi uerò meridiana, firmi auſpicij eſſe, præcipuè à dextris arbitrati ſunt. Sæpè tamen ſymbolũ ueritatis, & prognoſticũ liberationis facere ab inſidiarum metu uoluère. Fuitq; animaduerſum, inter epulas medio accubitu, ſternutamento reuocari ferculum, ſi non poſtea guſtetur aliquid, inter dira & certiſſimo exitio haberi. Offenſiones pedũ infauſti ſemper ominis fuiſſe, ac portẽti & prodigij mali, uulgò proditũ eſt. C. Gracchus qua die ciuili ſeditione oppreſſus fuit, domo egrediens, ita pede limen offendit, ut non parua uis ſanguinis efflueret. Neroni quoq; in expeditionem Alexandriã profecturo, lacinia ſurgenti adhęſit. Craſſi etiã filius contra Parthos proditurus in aciem, ita pedẽ offendit, ut humi proſtratus concideret. Quos omnes oppreſſos, atq; indigniſſimam fortunam expertos ſatis conſtat. Alex. lib. 2. c. 26.

Quidam putarũt SOCRATIS dæmonium fuiſſe πταρμόν, hoc eſt, ſternutamentum, quo dextra in parte obueniente, ad agendum concitaretur: in ſiniſtra uerò, auerteretur. Cælius lib. 2. cap. 10. Lect. Antiq.

## Paſsionibus. Vt à

*Progreſſu impedito.*

HERACLIVS Imp. uicto Coſroë Perſarũ rege, & recepta cruce ab eo, reuertens Hieroſolymã, cùm crucẽ in humeris portaret, ſub porta Hieroſolymitana ui diuina retentus fuit, ut pedem aliquandiu inde mouere non poſſet. Egnatius lib. 1. cap. 6. & Bonfinius lib. 8. Dec. 1. Rerum Vngaricarum.

*Intercurſu alterius.*

Lapidem negant FRATRES, quãdo iter faciunt, in medio capere oportere: ægrè ferũt & ſi canis intercurrat: & id genus formidant multa: ne concordia illorum diſtrahatur. Plut. de Amore fraterno.

*Fulgore, Splendore corporis.*

Proditum monumentis eſt, periculo ingenti circumuentũ in India Magnum ALEXANDRVM quodam prælio, concuſſis armis, uiſum Barbaris lumen fundere, monſtro ſe ante illum oſtentãte. THEODERICI pater ex corpore toto ſcintillas dicitur profudiſſe. Id ipſum & de ſe prodidit ſapiens quidam, ita ut ſcintillantes flammę hinc inde proſilirent, etiam cum ſono. Cælius lib. 15. c. 5. A. L.

BAMBA Gothus Hiſpaniæ rex, cùm in Toletana eccleſia ab archiepiſcopo Quilico pro regni Hiſpanienſis dignitate ungeretur: ab iis qui aderãt uiſus eſt ab oleo, quo ungebatur, uapor clarus ad cœlum conſcendere, & eandem ſequi uiã, qua uertice ipſius egrediebatur flamma. Sab. lib. 1. c. 4.

*Notis, Maculis.*

HIERONYMO Cardano Mediolanenſi eorum quæ euentura eſſent, perexigua ueſtigia in unguib. apparebant. Nigra & liuida malorum, & in medio digito, felicium alba: & ad honores in pollice, ad diuitias in indice, ad ſtudia & res maioris momenti in anulari, ad exiguas inuentiones in minimo: coacta, res firmas: ſi eſſent ueluti ſtellę, res minùs conſtantes, & magis publicas, uerbiſq; plenas denotabant. Teſtis ipſemet de Varietate rerum lib. 8. cap. 43.

*Barba.*

Apud Pedaſenſes, qui ſuper Halicarnaſſum habitant, hoc fertur contingere, ut quoties Amphyenſibus (qui circa eam urbem habitant) aliquid aduerſi certũ intra tempus eſt euenturum, tunc ANTISTITI, quæ illic Mineruæ eſt, grandis barba naſcatur: quæ res bis apud eos accidit. Herod. lib. 8.

*Incremento.*

In LVDOVICO Hungariæ & Boemiæ rege, tria peculiaria ſunt adnotata, cuncta nimis præcocia, quòd citò adoleuerit, ante tempus barbam emiſerit, & uix annum decimumoctauum ingreſſus, canos oſtẽderit. Quale ingeniorum pręcox genus, non temerè peruenire ſolet ad frugẽ. Aliter referũt alij: Natus, epidermide ſeu extrema cuticula caruit, quę linimentis fuit de nouo producenda. Ante ſtatum tempus partus in lucem editus. Præter ętatem barbam adeptus, ſtatim canos emiſit. Dubrauius libro trigeſimonono.

### MATERIALITER CONSIDERATA Ominatio, fit occaſione

*Veſtitus.*

EVDOXVM Gnidium, Apis ueſte apprehendẽs, moriturum præſagiuit. In epigram. Græcorum primo.

Sub Andronico Iuniore ueſtitus mutatus GRÆCIS mutationem Reipub. indicauit. Gregoras lib. 2.

*Sedis, Throni.*

Sub GREGORIO VII. q pręcipiti ſententia ad Henricũ IV. Imp. nullo Cardinalium ſubſcribente, excommunicandum ſurrexerat, ſedes fracta, & in plures partes ſciſſa, indicauit ſchiſma. Benno Cardinalis.

DIONYSIVS Meſſenius regio ornatu in throno Babylone ſedens, omen fecit mortis Alexandro Magno. Diod. lib. 17.

ALEXANDER cùm Suſis regiam ſellam inſediſſet, eaq; eſſet ſublimior, quàm ut corpori ipſius conueniret, puer quiſpiã animaduertens pedes Alexandri haud mediocri interuallo ſolum non contingere, apportauit Darij menſam, pedibúſque regis pendentibus eam ſuppoſuit. Quæ cùm aptiſſimè fuiſſet accommodata, Alexander ualde eius, qui id egiſſet, ingenium commendauit. Tunc in adſtantium turba ſpado, qui tantam fortunæ uarietatem ſecum cõſiderabat, animo affectus, lacrymari cœpit. Alexander hominem cùm interrogaſſet, quæ nam indigna res uiſa, fletum ei excitaſſet? Ille, In præſentia quidem, inquit, tuus ſum ſeruus: ſed cùm prius Darij fuerim, naturaq; dominos meos diligere ſoleam, nõ potui non dolere, rem, quę tantoperè ab illo honorabatur, abs te nunc contemtui haberi animaduertens. Quæ ad uerba animo adiecto Alexander, imperij Perſarum quanta eſſet ruina, ſecum cepit uolutare. propereq; famulũ, qui menſam appoſuerat, accerſiuit, iuſſitq; uti eam auferret. Ibi Philotas, nihil contumelioſiùs à rege factum fuiſſe ait, cùm ipſe illud fieri neutiquam mandaſſet, ſed fauentis potiùs dei cuiuſdam prouidentia & uoluntate eam rem uideri eueniſſe. Traxit eiuſmodi Philotæ dictum Alexãder in fauſti ominis ſignificationem, menſamque, uti erat, ſub ſolio permanere uoluit. Diodorus lib. 17.

*Coronæ.*

Corona Vngariæ amiſſa in itinere, quam à Venzeſlao precariò acceperat, OTHONI Bauaro breue regnum portẽdit. Nam non multo pòſt quàm oſtenſa corona, ab Vngaris receptus eſt, Ladiſlai, Tranſſyluaniæ præfecti inſidiis captus, domum fuit relegatus. Bonfinius lib. 9. Dec. 2.

*Vini.*

LYDI, Perſæ, Iberi & Thraces, non ex auibus, ſed maxima auguria ex uino obſeruarunt. Nam uinum effundere, aut ueſtes uino inquinare, felicis haud dubiè fortunæ ſigna eſſe, augurati ſunt: idq; atteſtante Homero, qui Vlyſſe diſcedente, & bona uerba precante, Alcinoi uxorem humi facit uinũ fundere, uelut preces ratas diis habituris. Alex. lib. 5. c. 13.

*Gladij.*

DARIVS Perſarum rex, acinacis uaginã mutari iuſſit in eam formam, qua tunc Græci utebantur: omine non obſcuro, transferendi ad Græcos imperij. Sab. lib. 4. Enn. 4.

*Ligonis.*

SFORTIA Magnus agricola erat, antequam caſtra ſequeretur. Accidit, ut labore defatigatus rure domum rediret: & cùm Boldrinus dux ea ætate clariſſ. milites conſcribere diceretur: anceps animi, an nomen quoq; ſuum daret, augurij captandi cauſa ligonem in uicinam quercum magna ui cuibrauit. Hæſit ille ramis, nec quamuis ſaxis ſæpè petitus loco ampliùs moueri potuit. Accepit omen Sfortia, & ſacramento militari adſtrictus, prima militiæ rudimenta eo tyrocinio fecit, & ampliſſimi principatus fundamenta iecit. Iouius in eius uita.

## EX MORTVIS DIVINATIO.

*De Mortuis hîc per ſe, ut ſcilicet ex iis diuinatio inſtituitur Mediata. At ut ſub ſpectro mortuorum diuina uel diabolica uis latet, ſic inter Immediatas quoq; referri poteſt. Cæterùm huc ea tantũ Miracula pertinent, quæ ad Cognitionem faciũt. Reliqua Potentiæ diuinæ in ipſis mortuis ſeſe exerentis argumenta inferius ſub Exercitatione practica exequemur.*

### ACTIONES. NEMPE

## Oracula, Reſponſa Mortuorum.

*Sacrificiorum ſpecie animæ defunctorũ primùm fuerunt inuocatæ: atq; hæc Νεκρομαντεία, haud ſcio an prima ſortium magicarum & uetuſtiſſima. Eſaias enim deteſtans impietatẽ iſtam cap. 8. An non quiſq;, inquit, mortuos pro uiuis conſulturus eſt?*

*Iudæorum.*

SAVLVS 1. Sam. 28. exitum poſtremi in Philiſtæos prælij cupiens

piens cognoſcere,magam Endore conſuluit: quæ euocatũ Samuelem,aut Samuelis imaginem ſola uidit,Saule nõ uidente eum. Itaq; rogauit eum Samuel, quamobrem interturbaret quietem ſuam,cùm à Deo relictus, & Deus ipſi inimicus eſſet? adiecit, eum Dauidi regnum tradidiſſe, ꝙ uerbo eius Saul non obſequutus eſſet, ipſumq́; & liberos fore ſecum die poſtero. Bodinus lib. 2. Dæmonom. c. 3.

*Chriſtianorum.*

Ruffinus lib.1.Hiſt.eccleſ.c.5.& Socrates lib.1.c.12.repetit narrationem de SPIRYDONE epiſcopo Cypri. Fuit illi filia nomine Irene, apud quam familiaris quiſpiam precioſum ornatum depoſuerat. Illa cautior æquo,ſub tellure depoſitum abſcondidit,ac paulò pòſt uitam finiuit. Pòſt aliquanto tempore uenit qui depoſuerat: & quum uirginem non reperiret,patrem adorſus eſt, illumq́; nunc incuſauit, nunc obſecrauit. Senex,quoniam damnum eius,qui depoſuerat, ſuam ducebat eſſe calamitatem, uenit ad ſepulcrum filiæ, deumq́; inuocauit orans, ut ante tempus ſibi promiſſam reſurrectionem oſtenderet. Nec fraudatus eſt ſpe ſua. Rediuiua namq; uirgo patri apparuit, ac locum,ubi ornatũ abſconderat,indicauit,& rurſus deceſſit.

DONATVS, qui tum erat ſacerdos, ſed poſtea Aretinorũ factus fuit epiſcopus, impulit Euphroſynam Euſtachij Aretini fiſci exactoris coniugem,ut, quanquam antè mortua & ſepulta, loqueretur, ac detegeret, ubi pecunia eſſet, quam ante mortem condiderat,& nemini reuelarat,ut falſa ſuſpicione alios liberaret. Fulg.lib.1.c. 6.

MACARIVS Aegyptius monachus,abbatis Antonij diſcipulus,cùm ad eius antrum quidam profugiſſet, opis petendæ gratia,quia magiſtratus tanquam reum patratæ tunc cędis inſectabatur,is autem inſontem ſe affirmabat: nominis ſui reuerẽtia magiſtratuum uim repreſſit: & quia ſuſpicio tantùm,non teſtes hominẽ urgebant,effecit,ut qui occiſus fuerat,è tumulo,omnibus, qui aderãt, audientibus, loqueretur,& auctorem cædis detegeret. Itaq; magiſtratus hominem Macario auctore abſoluit. Idem.

VRSVS Claronenſis à D. Fridolino reſuſcitatus, hęreditatem Fridolino à ſe donatã cõfirmauit in Rancquil oppido Rhetico,ad ſex milliaria diſtante à Clarona: ubi aduerſus Landulphum fratrem, negantẽ D. Fridolino pactum, teſtimonium coram Landgrauio dixit.

CVRINA pagi incola in Africa,agri Hipponenſis,cùm in aduerſam ualetudinem incidiſſet,ab omnibus penè pro mortuo habebatur: qñ amiſſis ſenſibus nullo nutrimento aleretur. In hoc ſtatu cùm aliquot dies fuiſſet,id ſolum,ne ſepeliretur,propinquos retinebat,quòd aliquantiſper per nares in cõ reciprocare anima uidebatur. Cæterùm cùm poſtea omnes eum deceſſiſſe arbitrarentur: repentè apertis oculis dixit,ut ſtatim aliquis ad Curinam ferrarium fabrum, qui uicinus erat,uiſum, quid ageret,properaret. Et cùm ea ipſa hora mortuum eum nunciaretur,affirmauit:ſe corã iudice quodam ductum, qui uehementer eos ſpiritus increpuerat, à quibus ipſe erat deductus: quoniam Curinam fabrum ferrarium, & non ſe tolebat, ob eamq́; cauſam ſe uitæ reſtitutum. In hac ecſtaſi uiſum à ſe paradiſum, multaq; alia narrabat: atq; inter alia,Hippone ab Auguſtino ſe baptizatum,ac monitum, ut ita faceret: quoniam,quod tunc uidebatur factum,uiſio erat. Bonæ igitur ualetudini reſtitutus, monita impleuit. Fulg.lib.1.cap.6. & Egnatius eodem, ex D. Auguſtino.

Cùm peſtis in urbe Roma ſęuiret,Italiam procurante Narſete Exarcho, peſte in Valeriani aduocati domo correptꝰ eſt IVVENIS natione Liburnus, paſtor, ingenio minimè malo: qui, cùm putaretur penè mortuus,ſtatim ad ſe reuerſus,uocato domino,nunciauit ei: Verè ſe in cœlo fuiſſe,ibiq́; intellexiſſe, quot & qui ex ea domo peſte morituri eſſent: eiſque nominatim declaratis, affirmauit dominum ſuperuicturũ: & ut fides dictis haberetur, oſtendit ſe linguas omnes didiciſſe: atq; ea ipſa hora cum domino Græcè locutus, aliarũ linguarum,cum his,qui earum notitiam habebant, periculum fecit,cùm antea ſolam Romanam didiciſſet. Cùm biduum ita uixiſſet, penè in rabiem uerſus, mordicùs apprehenſis manibus,iterum mortuus eſt: eumq́; ſecuti,quos nominauerat morituros, domino ſuperſtite, prædicta ab eo impleuêre. Fulgoſ. lib.1. cap. 6.

Greg. Turonenſis lib. de Confeſſorib. cap.32. narrat: Aruerni uirum quendam cum puella, quam duxerat, caſtè uixiſſe ꝑ omnem uitam,nec eam unquam cognouiſſe: PVELLA autem mortua, cùm ſepeliretur, ſublatis in cœlum manibus, in hæc uerba prorupiſſe: Gratias ago tibi omnipotens conditor, quòd hanc puellam, ſicut eam mihi tradidiſti, impollutam & ab omnis uoluptatis contagio puram, ita tibi reſtituo. Illa uerò ſubridens ait: Sile uir Dei,quia non eſt neceſſe proloqui noſtrum,nemine interrogante,ſecretum.

EADMVNDI regis Angliæ à Danis cæſi caput, inter frutera occultatum loquitur, quærentes ad ſe uocans. Ranulphus lib.5.cap.32.

Anno circiter tertio poſt cladem ad Nicopolim à Turcis acceptam, Sigiſmundo imperante, cùm multi in eum campum deſcenderent,emiſſam inter oſſa ſubinde uocem exaudiuẽre, Ieſu Chriſti Saluatoris & Mariæ uirginis nomina reſonantẽ. Loquax inter cadauera CAPVT inueniũt. Quod ubi homines ſibi adeſſe nouit: Quid tam (inquit) ſtupidi hîc ſtatis uiri? Chriſtianus ego ſum, inexpiatus inconfeſſusq́; in hoc bello occubui. Maria mater me æterni ſupplicij reũ eſſe non patitur: hic me adhuc linguæ compotem ſeruauit, ut & delicta fateri, & animum ſacris Apoſtolicis luſtrare queam. Proinde ſacerdotem, qui confeſſionem exaudiat, & me expiatum reddat, accerſite quæſo. Rogatus, Quî tantum à uirgine beneficium promeruiſſet? reſpondit, Peculiare ſibi id in uita fuiſſe numen, ſeptena quotannis feſta eius reuerentiſſimè celebraſſe, religioſiſſimisq́; ieiuniis ex pane duntaxat & aqua decoraſſe, ſacris fuiſſe quàm ſtudioſiſſimè operatum,illi tantùm numini cunctas animi uires dedicaſſe. Accerſito è pago proximo ſacerdote, confeſſionem ritè tranſegit: & impetrata erratorum omnium remiſſione, acceptaq; nouiſſima luſtratione, repentè conticuit, perpetuoq́; quieuit. Bonfinius lib.3.Dec.3.

CONRADVS quidam Germanus,ſcelerum pœnitens Romã uenit. Gregorius VII. Põtifex loricam loco interulæ illum ferre iubet,quinque catenis ligat,literas,peccatorum catalogum continentes obſignatas dat, loca ſancta totius orbis obire præcipit, ſicubi ueniam exorare & peccatorũ remiſſionem conſequi poſſet. Paret ille, & diu multumq́; uagatus,in Vngariam tandem uenit,& S. Stephani regis ſepulcrum in Alba regali accedit. Ibiq́; à prima hora diei ad nonam obſecrationibus incumbens, graui ſomno correptus, hanc uocem audit: Surge mox amice,ne meis quidem meritis opéue apud tribunal dei ueniam impetrabis. Sed filij mei Emerici monumentum, quod iuxtà eſt, adito: qui præ uirginitate ſua præcipuam apud deum gratiam promeruit. Ille ſomno experrectus, exorat diui numen: & opinione celeriùs uincula, quibus erat obſtrictus, undique diſruptæ concrepuere. Pugillares reſciſſo ſigillo ſpontè patuêre, in quibus nullum peccatum, ne minima quidem litera, inſpici poterat. Bonfinius lib.1.Dec.2.

STANISLAVS Cracouienſis archiepiſcopus, emerat eccleſiæ & pauperum uſibus prędium à iuſto domino, preciúmque numerarat, adhibitis (pro conſuetudine regni) teſtimoniis,& poſſederat. Interea uẽditor rebus exceſſit humanis. Hæredes illius poſt interuallũ,apud regem inſtituta in pontificem querela, quòd hæreditatis ſuæ partem teneret occupatam, litem mouent. Pontifex iuſtam interueniſſe emtionem preciíque ſolutionem obtendit: illi pernegant exolutam pecuniam, credere recuſantes. Circumſpexit pontifex teſtimonia, quibus uteretur ad ueritatis oſtẽſionem. Nonnulli ex iis, qui affuere, iam mortem obierant: alij malignitate aut timore ſe ſubtraxerant. Stabat ſolus pontifex. Iuſſus teſtes cum documẽtis producere, aut prædio cedere, poſtulat paucorum inducias dierum, cogitabundus quid faceret: nam eccleſiæ & pauperum cauſam omittere, graue duxit: inuitos ad teſtimonia pertrahere non potuit. Fiducia iuſtitiæ ſuæ reſpexit in deum, & oratione cum lacrymis profuſa tumulum adiit ante quadriennium defuncti uenditoris, & emoueri iubens cum terra lapidem, quaſi præſentem & uiuentem alloquitur: Quia, inquit, Petre (hoc illi nomen erat) periclitatur te abſente eccleſiæ & pauperum cauſa, ſurge & perhibe ueritati teſtimonium. Affuerunt multi exitum præſtolantes. Nulla interpoſita mora ſurgit mortuus, & ut erat uix linteo cinctus, palatium cum archiepiſcopo petit: & aduocato aduerſario, apud regem, ad quod uenerat, perhibuit teſtimonium, ſe accepto à pontifice iuſto precio, eccleſiæ prædium tradidiſſe. Stupore territi qui uiderant & audierãt, inaudito antè miraculo. Pontifex peracto teſtimonio, teſtem ſuum reduxit ad tumulum, & commendato precibus homine, redeũdi, unde uenerat, permiſit licentiam. Ille compoſitus tumulo iterum obdormiuit. Cranzius lib. 3. Vandaliæ, cap. 13.

STEPHANVS Romanus, uir & uirtute & opib. clarus, Conſtantinopolim rerum ſuarum gratia profectus, cùm deceſſiſſet iam die ad ueſperam inclinata, & ob id curari tunc funus eius non poſſet, uſque in poſterum diem domi retentus eſt. Quo tempore ſuſcitatus à mortuis, dixit: Se ante quendam iudicem deductum, illicque magnis clamoribus reprehẽſos eos, à quibus fuerat perductus, quòd iudex nõ illum, ſed Stephanum ferrarium eius uicinum deduci iuſſerat: miſſiq́; ad illum ipſum ferrarium, nunciauerunt, eum illa ipſa hora mortuum eſſe. Hoc autem Gregorius ſe ab ipſo Stephano audiuiſſe teſtatur. Fulgoſ. lib.1. c.6.

REPA-

REPARATVS (de quo Gregorius ſcribit) rigens frigidusq́;, pro mortuo à ſuis conclamatus, ſtatim ad uitam reuerſus, miſit ad Laurentij in Damaſco fanum, in urbe Roma, qui ſciſcitarentur de Tiburtio ſacerdote, quidnam eſſet? Atque interim, dum nuncius reuerteretur, narrauit, à ſe illum eſſe uiſum in inferno magnis ignibus cruciari. Reuerſo autem nuncio, qui ea ipſa hora mortuum eſſe Tiburtium affirmauit, Reparatus quoque ſtatim mortuus eſt. Fulg. lib.1. cap.6. & Egnat. eodem.

EBERARDVS eques Germanus, grauiter laborãs, cùm aliquantiſper ceu mortuus manſiſſet, poſtea ad ſe reuerſus, dixit, ſpiritum ſuum à malignis ſpiritibus Hieroſolymã perductum, deinde in Saladini caſtra (qui eo tempore Aegypti regnum obtinebat) mox in Lombardiam, ubi in quadam ſylua Germanum amicum ſuum alloquutus eſſet: poſtremò ad urbem Romam perlatum, ſedente Innocentio III. deſcripta ipſius ſitus ac locorum ædificiorumq́; forma, atque effigie principum ipſorum graphicè, ut erant. His futura multa addidit, quæ ſecuta ſunt. Quæ omnia cùm mirandam rem faciant, illud tamen admirationem auget, quòd is, quo cum in ſylua ſe locutum aiebat, colloquium habitũ eo in loco temporeq́;, quo is dixerat, confirmabat. Iidem.

*Ethnicorum.*

Maxima manium euocatio (Homeri teſtimonio) apud Auernum traditur fuiſſe, in quo cæſis uictimis, & carmine effuſo, manes defunctorũ ab inferis per diras execrationes eliciebãt: mox tenuiſſima effigie, & hominis ſimulacro ſub noctem apparente, reſponſo excepto, ſuper quo conſultum uenerãt, è conſpectu imago in auras puncto temporis dilabebatur. Alex. lib.5. cap.26.

Ex duobus fratribus, equitibus Romanis, maior natu, nomine CORFIDIVS, cùm ab omnibus pro mortuo haberetur, & iam tabulæ teſtamenti recitarentur, quo alterum fratrem hęredem inſtituebat, in medio funebris apparatus in pedes magna ſe lætitia erexit, dicens: Se apud fratrem fuiſſe, qui filiam ſibi commendauiſſet, & oſtendiſſet, ubi certam uim auri ſub terra conditam haberet, quo ſepulturæ eius exequias ex funerali apparatu facto celebraret. Eo hæc dicente, magna eorum, qui aderant, cum admiratione, allatum de morte fratris nuncium fuit, & aurum, ubi dixerat, inuentum. Fulgoſ. lib.1. cap.6. ex Plinij lib.7. cap.52.

POLYCRITVS quidam Aetolus, à populo Aetolarcha creatus per triennium, uirtutis ergô, uxorem duxit Locridem: cum qua ut tres dormiuit noctes, quarta extremum uitæ diem morte confecit. Mulier domi uidua mãſit: & cùm partus tempus appetiiſſet, infantem peperit binis pudẽdis, maſculino ac feminino, mirificè omnino monſtroſum. Perterriti hoc caſu propinqui, fœtum in forum protulerunt: aduocataq́; concione, & coactis ſacrificulis atq; monſtrorum inſpectoribus, de eo deliberarunt. Horum alij pronunciarũt, diſſidium aliquod Aetolorum & Locrenſium portendi, fœtum enim diuiſum eſſe, matris Locridis, ac patris Aetoli. Alij cenſuerunt, matrem cum fœtu extra fines Aetoliæ deportari, ac cremari debere. Dum hæc conſultantur, ſubitò Polycritus pridem mortuus, in cõcione exiſtit propè infantem, atra amictus ueſte. Is perterritos ciues eo ſpectro affatus eſt, & ſibi infantem ſuum precibus primò, mox etiam minis intermixtis, reſtitui petiit. Negantibus aliis, aliis conſultationem differentibus, ira exardens Polycritus, arripuit infantem, & pleroſq; ferociùs abigens, diſcerpſit eum, ac uorauit. Clamorem multitudo ſuſtulit, lapidibusq́; eum coniectis arcere aggreſſa eſt: uerùm ille nullis ſaxorum obnoxius ictibus, totum infantis corpus, demto capite, abſumſit, ſubitoq́; euanuit. Quod factum cùm Aetoli ægrè ferrẽt, & in anxietatem haud mediocrem uenirent, Delphosq́; mittere uellent, caput infantis in ſolo iacens loqui cœpit, & longa oratione ingentem cladem ciuibus impendere prædixit. Audito Aetoli oraculo, uxores, infantes, & ſenio prouectos expoſuerunt, quò quiſque potuit: ipſi manſerunt domi, &, quid futurum eſſet, expectauerunt. Contigit autem, ut anno proximo inter Aetolos & Acarnanes bellum exiſteret, & utrinq; magna fieret clades. Phlegon Trallianus De mirabilibus & longæuis, ex Hierone.

Bello Siculo, quod inter Octauium Cæſarem, & Sex. Pompeium Magni F. geſtum eſt, GABIENVS Cæſaris claſſium fortiſſimus à Pompeianis militibus captꝰ, inciſa ceruice & uix cohærente iacuit in litore diem totum, quumq́; tenebræ fieri denſiores inciperent, gemitu precibusque congregato uulgarium cœtu, petiit, uti ad ſe iuberent Pompeium quãprimùm uenire, ſe ab inferis remiſſum habere quod nunciaret. Miſit ex familiaribus Pompeius quamplures, quibus Gabienus dixit, Inferis diis placere Pompeij cauſas, & partes pias, argumentum fore ueritatis, quòd peractis mandatis protinùs expiraturus eſſet: idque ita euenit. Plinius libro ſeptimo, capite quinquageſimo ſecundo. Verùm ſatanæ ludibrium euentus ipſe detexit. Cæſar cum ſuperis uictor Pompeium ad inferos ſuos miſit.

Narrat Antiſthenes philoſophus Peripateticus, Acilium Glabrionem conſulem, Antiochum regem Aſię ad Thermopylas uiciſſe. Poſtridiè Romani ſe colligendis iis, qui ab ipſorum parte ceciderant, tum legendis ſpoliis atq; exuuiis & captiuis dederunt. Ibi BVPLAGVS quidam Syrus, qui magno in precio apud Antiochum fuerat, turmamque equorum duxerat, media die è mortuis ſurrexit, uulneribus affectus XII, & in caſtra Roman. uenit, atque hos uerſus exili uoce pronunciauit:

Deſiſte ad manes turbam ſpoliare profectam:
Succenſet Iupiter iam nunc facta impia cernens,
Iratus cædem ob legionis, & ob tua facta,
Immanem gentemq́; tuas immittet in oras,
Imperio tibi quæ tua facta rependat ademto.

Perturbati his uerbis Duces, celeriter multitudinem in concionem conuocarũt, ac de ſpectro conſultarunt. Placuit, ut Buplagus ſtatim à recitatis uerſibus extinctus cremaretur, ac ſepeliretur: luſtraretur exercitus, Ioui Auerruncatori ſacrum fieret: mitterenturq́; Delphos, qui, quid agendum eſſet, perquirerent. Conſultoribus Pythia ſic reſpondit:

Deſine nunc Romane, & ius fac ſit tibi cordi,
Ne longè maiori inſtructum robore Martem
Immittat Pallas tibi, qui fora ciuibus atrox
Atq; domos uiduet. poſt multos ſtultè labores,
Amiſſis opibus repetes tua limina magnis.

Quo audito, Romani omne conſilium expeditionis in aliquem Europæ habitatorem ſuſcipiendæ abiecerunt: & motis caſtris, à dicto loco Naupactum uenerunt, Aetoliæ urbem, ubi commune eſt Græcorum templum, ibique ſacrificia publica & primitias de more adornarunt. Hæc cùm celebrarentur, imperator Publius inſania correptus, multa diuino animi inſtinctu pronunciauit, quædam uerſibus, alia ſoluta oratione. Quæ res cùm eſſet indicata multitudini, omnes ad Publij tentorium concurrerunt, adeò ut quidam uehementiùs preſſi ſuffocarentur. Verſibus ille primũ, mox etiam proſa oratione Romanis ingentem cladem ob uaſtatam Aſiam imminere prædixit, & ex Oriente uenturum uictorem, qui Italiam miſerrimè affligat. Sylla fortaſſis ille fuit. Egreſſus inde caſtris, quercum quandam conſcendit, ſequentemque multitudinem aduocans, hæc dixit: Mihi quidem, Quirites, cæteriq́; milites, conuenit, ut à lupo rufo magno uorer hodie. Vos autem ſcitote, euentura uobis omnia quæ prædixi: ac uera me numine quodam demonſtrante prædixiſſe, hoc certiſſimo intelligite ſigno, quòd mox lupus aderit, & me interficiet. Hoc locutus, diſcedere eos iuſſit, & lupum non impedire, quò minus accedat: dicens, ſi eũ arcerent, malè id ipſis uerſurum. Obtemperante dictis multitudine, paulò pòſt acceſſit lupus. Quem quum uideret Publius, de quercu deſcendit, & ſupinus cõcidit: lupus autem eum laniauit, & uorauit, omnibus uidentibus: cumq́; præter caput omnia conſumſiſſet, montem petiit. Porrò turba accedente, & reliquias tollere, ac ſepelire, uti leges iubebant, uolente, caput humi iacens prolixo carmine ſe contrectari uetuit, cladem impendentem iterauit, Phœbi iuſſu, qui miniſterio lupi ſe ad ſedes beatorum duxiſſet. Quod cùm audiuiſſet multitudo, non leuiter perturbata, fanum poſuerunt Apollini Lycio, ſiue Lupino, aramq́; eo loco, ubi caput iacebat. tum nauibus conſcenſis, domum quiſque ſuam nauigarunt. Cæterùm euenerunt omnia, quæ erant à Publio prædicta. Phlegon Trallianus De mirabilibus & longæuis.

Cùm in terra Caria, Iouis Hoploſinij SACERDOS eſſet occiſus, nec à quo conſtaret, nonnulli audiſſe ſe retulerunt, capite præciſo dicentem ſæpiùs: Virum ſuper uiro Cercidas occidit. Itaque hominem, cui nomen Cercidas, per prouinciam ampliùs quæſierunt, compertumq́; in iudicium perduxêre. Cælius lib.3. cap.23. Antiq. Lect.

## Facta. Miracula à mortuis edita.

CHRYSANTHVS & MVSONIVS epiſcopi in aſſerẽda Trinitatis ueritate, Niceæ Bithyniæ cũ reliquis cõſenſerant, ſed ante ſubſcriptionẽ ũiuis excesſerãt. At reliqui Patres cõſilio captato, libellũ obſignatũ ad tumulũ depoſuerunt, orantes quãdo quidem nunc nullo interpoſito obſtaculo Trinitatis ſplendore illuſtrati clariùs id perſpiciãt, unà cũ ipſis ſubſcribant. Poſtridiè ad locum redeuntes, ſigna inuiolata inueniunt: at libello reſignato, ſubſcriptiones illorum reliquis inſertas cognoſcunt, recentes adhuc, & in hęc uerba conceptas: Chryſanthus & Muſonius, qui cum patribus omnibus in ſancta prima Oecumenica ſynodo Nicena conſenſimus, quamuis corpore tranſlati, manu tamen propria nos quoque libello ſubſcripſimus. Nicephorus libro octauo, capite uigeſimotertio.

bus contendiſſe, uti ſe libidine iſta liberaret. Hunc noctu adſtitiſſe, ac uirilia ſua manu dextra tangentem combuſſiſſe: ſimulque dixiſſe, nihil eſſe, quòd in poſterum ſibi ab iſta metueret concupiſcentia. Se ob uehementem dolorē ſomno excuſſum, talem repertum eſſe, qualem ipſi uidiſſent. Cedrenus, & Zonaras.

AEDESIVS philoſophus Cappadox, per precatiunculam, cui fidebat maximè, ad diuinationem de uitæ inſtituto confugit per inſomnium. Deſcenderat ad preces Deus, & hexametris uerſibus oraculum ediderat, quando diductis ille palpebris, adhuc metu conterritus, dictorum etiam memor, puerum uocat, qui limpidam aquàm, ad extergendam faciem & oculos, adferret. Puer læuam eius manum plenam eſſe extrinſecùs literarum admonet, his uerbis expreſſis:

Parcarum in genibus fatalia penſa trahentum
Sors tibi ſtat uitæ: ſi degere in urbibus, inq;
Cœtibus eſt animus, fama ſuper æthera uiues,
Quando uoles iuuenum diuinas paſcere mentes.
Sin tauros ouiumq; greges tibi paſcere curæ eſt,
Sic quoq; te aucturum cœleſtia numina ſpera.

Aedeſius contemplationi addictior, paſtoris uitæ ſeſe parabat. Diſcipuli uerò minis eum adegerunt, ut in docendo perſiſteret. Itaq; relicta Cappadocia, Pergami ſedem fixit, & multos diſcipulos eruditione inſignes produxit. Eunapius in eius uita.

DIACONVS Tarētinus à D. Cataldo in ſomnis didicit, & poſtea etiā corām ex pridem defuncto ſibi in choro tēpli apparente audiuit, quo loco liber propheticus ab eo conſcriptus de futuro regni Neapolitani excidio, miſeriis, calamitatibus, atq; inſtātibus malis, lateret: eumq; effodere & regi deferre iuſſus eſt, pœnā, niſi fieret, grauiter comminatus. Alex. lib. 3. cap. 15.

IOANNI, Brixionenſi epiſcopo, Venceslaus IV. Boemorum rex piè defunctus, per quietem apparens, interrogauit, Quęnam eius mœſtitiæ cauſa eſſet? Dicenti, ſe mortem eius æquo animo ferre non poſſe: incredulitatem exprobrauit, qui ſacris eloquiis fidem non adhiberet, in quibus hæc uerba potuiſſet aliquando legiſſe: Cùm te conſumtum putaueris, orieris ut Lucifer, & habebis fiduciā, propoſita tibi ſpe, & defoſſus, ſecurus dormies: requieſces, nec erit qui te exterreat, & deprecabuntur faciem tuam plurimi. Subiungēſque, paruam eſſe eius fidem atq; inanem, ſi mortem ſanctorum miſeram putaret, repentè diſparuit. Epiſcopus excitatus, uerba ſibi dicta memoriter quidem tenuit, ſed ubínam ſcripta eſſent in ſacro codice, penitùs ignorauit. Euoluto autem Concordantiarum libro, undecimo apud Iobum capitulo, quod quærebat, inuenit. Aeneas Syluius capite uigeſimooctauo hiſt. Boem.

MEDIOLANENSIS quidam in ſomnis ſcripturam inuenit, qua ſatisfactum eſſe ab eius patre oſtendebatur, pro pecunia, quæ mortuo iā patre ab ipſo repoſcebatur. Per quietem enim uiſus eſt uidere paternam umbram, ut geſta res erat, & ubi ſcripturam inuenturus eſſet, monentem, qua creditor ſibi eſſe ſatisfactum fatebatur. Itaq; ſomno experrectus, quæ uiderat ſomno captus, uera eſſe omnia re ipſa inuenit. Hoc Auguſtinus doctor ſe uidiſſe, ſcriptum reliquit. Fulgoſus lib. 1. cap. 5.

CÆLIVS Rhodiginus libro 27. capite 9. Antiq. Lect. ſe, cùm ætatis annum uigeſimumſecundum ageret, locum quendam in Plinio, quem uigilans aſſequi non potuerat, dormientem enucleaſſe, & librum quoque, imò & phyllurææ partem, ubi is ab alio enarratus eſſet, uidiſſe refert. Excitatum denique, librum arripuiſſe, & omnia, ſicuti ſomniauerat, comperiſſe.

*Oſtenſio.*

ANVS Himeræa Dionyſium Tyrānum in ſomnis uiſum, cùm uideretur ſibi in cœlum duci, inq; Iouis penetralibus uidere uirum rufum, cathena ferrea uinctū, ſub regis ſolio, multis pòſt annis, ubi tyrannide potitus erat Dionyſius, eundem fuiſſe recognouit. Suidas.

PETITIVS, nauis gubernator, in Aegeo nauigās, in ſomnis apertè uidit Cn. Pompeiū profligatū, obſoleta ueſte amictum, petentem, ut ſe expectaret. Fulgoſus libro 1. capite 5. & Alex. lib. 3. cap. 26.

Cùm in Capitolium CICERO Iulium Cæſarem proſequeretur, eique narraret nocte proxima à ſe uiſum Iouem, qui cathena aurea puerulum mira indole à cœlo ad Capitolij portam demiſerat, cui poſtea flagrum in manu dederat: perſpecto tunc Octauio, quem Cæſar uoti ſoluendi gratia in Capitolium duxerat, cognouit eum eſſe, quem in ſomnis uiderat: Triumuiratusque eius, uerè flagrum inſolentis nimiùm Romanæ nobilitatis, certum Ciceronis ſomnium fecit. Suetonius & Xiphilinus in Auguſto.

Q. CATVLVS dedicato Capitolio, per quietem uidit Iouem è multis prætextatis pueris unum delegiſſe, cui ſigna Romana, manu geſtanda dederat: atque ſequenti nocte, cùm dormiens illum ipſum puerum à Iouis gremio pellere uellet, Iouem dixiſſe, ne puerum amoueret, quòd ad reipub. Romanæ tutelam eum ſeruabat. Mane ſequenti in Octauium fortè incidens adhuc puerulum, ab effigie ueſteque cognouit ipſum illum eſſe, quem per quietem uiderat. Suetonius & Xiphilinus in Auguſto.

IOANNES monachus Aegyptius, uitam eremiticam agens, cùm feminarum conſpectu ſemper abſtineret, rogatus à Romano tribuno, ut eius alloqui uxorem uellet, quæ de hoc inſtanter cum uiro agebat: reſpondit, Se, quod conſtituerat, de mulierum non uidendarum propoſito, mutare nolle, cæterùm proxima nocte in ſomnis ei appariturum, id quod re ipſa impleuit. Euigilans enim mane Tribuni uxor, uiro, quis eſſet ueſtitus, ſermoque & effigies Ioannis, atque ea, quæ in ſomniis ſibi ab eo dicta erant, enarrauit. Quod inter miranda ponendum eſt. Siquidem nulla in parte mulier à uero aberrauit: & ſe eremita ad eam dormientem per uiſum acceſſiſſe, ea ſpecie, quæ uiſa erat, & ea dixiſſe, quæ mulier narrauerat, affirmauit. Fulgoſus libro primo, capite quinto.

THEODOSIVS Imp. in ſomnis uidit Meletium Antiochenum epiſcopum coronam ſuo capiti imponentem, quem priùs non uiderat. Aliquanto tempore pòſt in Conſtantinopolitana ſynodo Meletium ex idea per inſomnium concepta, nemine indicante, agnouit & amplexus eſt. Theodoretus libro lib. 5. cap. 6. & 7.

## Inuoluta, Obſcura per notas denotatio.

HECVBA prægnans facem ardentem in Aſiæ & Europæ incendium, ſe utero geſtare ſomniauit. Peperitq; adeò Paridem. Sab. lib. 1. cap. 1.

NICOSTRATVS Cilix inſomnis ante fulcra lecti conſpecto leone, multas Olympiæ uictorias retulit. Pauſanias libro quinto.

Anneus SENECA, Nerone puero in diſciplinam aſſumto, nocte proxima C. Caligulam diſcipulum ſe habere ſomniauit. Petrarcha ex Suetonio & Dione.

Seuerus Romanorum imperator, cùm in Pannonia eſſet, SACERDOS Iouis uidit in ſomnis nigrum quendam hominem, qui irrueret in exercitum Cæſaris, ac poſtea manibus hominum interficeretur. Paulo pòſt fama ad Seuerum perlata eſt, Nigrum Italorum ducem contra Seuerianos ancipiti Marte diu pugnaſſe, & propter tempeſtatem hoſtibus infeſtam, Seuerianos demùm uictoriam reportaſſe, interfectis Nigrianorum uiginti millibus. Xiphilinus in uita Seueri.

Mater ATTILÆ Vnnorum regis, Martem filio ſuo gladium tradere in ſomnis uidit. Bonfinius libro tertio, Decadis primæ.

ROLLO dux Normānorum, è Dania in Galliam irrumpentium dum incerta adhuc ſpe Neuſtriæ occupādæ nauigat, per quietem uidit, ſe elephantia correptum, nitidiſſimo fonte ad radices editiſſimi montis oriente lotum conualuiſſe, moxque uerticem conſcendiſſe. Quod audiēs quidam Chriſtianorū captiuus, ita ei interpretatus eſt: Elephantia cultus deorum eſt, qua laboras: aqua luſtrici fontis ſacra purificatus, ab imo ad ſummas opes peruenies. Tandē Chriſtianam religionem profeſſus eſt, initiante Francione epiſcopo Rotomagenſium, Robertique nomen ei inditum. Polyd. lib. 5. & Aemylius lib. 3.

MONICA D. Auguſtinum filium hæreſi Manichæorum dementatum noctes dieſque flebat. Per quietem uiſa eſt uideri iuuenem quendam ſplendidum à ſe, regulæ cuidam inſiſtente, cauſam mœroris quærere. Cui illa, Filij ſe interitum deplorare, reſpondit. Ille uerò, Nónne ibi, ubi tues, filium quoque eſſe uides? Et illa circumlatis oculis Auguſtinum eidem regulæ inſiſtentem uidit, eoque ſomnio confirmata, de ſalute filij bene ſperare, tantoque ardentiùs apud deum pro illo intercedere cepit, eo quidem euentu, ut tandem ab Ambroſio Mediolanenſe epiſcopo conuerſus fuerit. Teſtis ipſemet libro tertio Confeſſionum, capite undecimo.

GENNADIVS Carthaginenſis medicus, cùm de animorum immortalitate dubitaret, uiuerέntne poſt mortem, an extinguerentur? uiſo bis per quietem iuuene, qui primò urbem pulcerrimam ei oſtendit: deinde poſtera nocte reuerſus ab eo petiit, an eum agnoſceret? reſpondit, & noſſe ſe illum, & ſomnij meminiſſe. Iterum ab eo interrogatus, ubi eius corpus eſſet, & quid ageret? Cùm reſpondiſſet, in lecto eſſe, ac dormire: argumento, cui reſpondi non poterat, didicit, quemadmodum tunc dormiens cernebat per quietem, quamuis clauſis oculis corpus in lecto iaceret: ita uita functo homine, crederet eius ſpiritum uiuere ac uidere poſſe, quamuis tumulo clauſum corpus maneret. A ſomno igitur excitatus, hoc oraculo, ut rectè crederet, monitus eſt. Itaq; relicta hæreſi, catholicæ fidei in poſterum credidit, quemadmodum Auguſtinus ad Eradium ſcribens affirmat. Idem.



## QVOMODO. VEL CERTO DIVInandi conſilio

*Captantur.*

*Conſule Tit. Oraculorum loca.*

ANTIQVI moris fuit, oracula & futurorum præſcientiam, quibuſdam exhibitis ſacris, per inſomnia dare. Mos talis erat, ut uictimas cæderent, mox ſacrificio perfecto, ſub pellibus cæſarum ouium incubantes, ſomnia captarent, eaque lymphatica inſomnia ueriſſimos exitus ſortiri. Alexand. lib. 3. capite uigeſimoſexto.

NASAMONES Pœni diuinant ad ſuorum accedentes monumenta, & illic, ubi preces peregerunt, indormiunt. Vbi quodcunq; per quietem inſomnium uiderunt, eo utuntur. Herod. libro quarto.

Præſes Ciliciæ, improbus homo, cùm in comitatu ſuo nonnullos Epicureos haberet, qui præclara ſcilicet illa naturæ ratione ſuccincti, oraculis illudūt: miſit in manteum Mopſi, tanquam in hoſticum, inſtructum exploratorem libertum. Is tabellam habebat conſignatam: in qua id, quod quæreret, nullo conſcio ſcriptum erat. Cùm iſte de more pernoctaſſet in adyto, & ſopitus eſſet, renūciauit poſtridie eiuſce modi ſomnium. Viſus eſt ei uir pulcer aſſiſtere, qui locutus eſt tantùm, Nigrum, neq; quicquam prætereà: uerùm extēplò digredi. Quod cùm pleriſq; monſtroſum & perplexum uideretur, præſes obſtupuit, adorauitq; illud: ac reſignata tabella, monſtrauit rogatiunculam inſcriptam hanc: Candidum tibi an nigrum taurum immolabo? Vnde & Epicurei pudore perfuſi fuerunt, & ille rem diuinam fecit, Mopſumq; per totam uitam eſt ueneratus. Plutarchus de Oraculorum defectu.

*Non captantur, ſed Miſſa uidentur.*

*Exempla è præcedentibus pleraq; quatenus abſq; ſomniantis προαιρέσει inſomnia diuinitum mittitur. Sic Auguria quoque & Auſpicia ueteres diuidebant: quòd quædam eſſent oblatiua, quæ poſcuntur: quædam imperatiua, quæ optata uenirent.*

Socratis familiaris EVDEMVS Cyprius, in Macedoniam proficiſcens, Pheras Theſſaliæ urbem opulentam & egregiam, ſed Alexandri cuiuſdam inhumana tyrannide preſſam, uenit: illic morbo correptus eſt tam graui, ut de uita eius deſperarent medici. Sic afflicto, iuuenis eleganti ſpecie per noctem adeſſe uiſus, tria denunciauit euentura: ut æger mox ſanitati reſtitueretur: ut eius urbis tyrannus intra paucos dies mortem obiret: ut ipſe poſt quinquennium remearet in patriam. Et prima quidem duo clarè, ut annunciata erāt, euenêre: nam ipſe præter ſpem conualuit, & tyrannus ab uxoris ſuæ fratribus trucidatus eſt: tertium uerò obſcurius. Quinti enim ſub anni finem, dum Eudemus è Sicilia, ubi tunc degebat, in Cyprum reditum expectaret, ad Syracuſas bello interemtus eſt. Coniectores uerò ſic ſomnium excuſaſſe legimus, ut dicerent, hominem tum demùm, cùm è corporeis uinculis euaderet, in patriam reuerti. Petrarcha.

## INANIMATORVM QVORVMVIS INſpectio, adminiſtratio. DIVINATIO per inanimata: ut per

## METEORA VEL

## Apparentia. Nempe per

*Nubium formas.*

Νεφοδιῶκται, hoc eſt, nubium perſecutores dicuntur, qui, quæ multis ignota ſunt, ex nubibus ſignificant. Nonnulli enim nubes aſpicientes, & maximè quando ſole occidente ſunt maximè candentes, ſe ex iis ſcire ueritatem nugantur: & ex hac quidem nube, quæ columbæ, quæ Græcè περιστερὰ dicitur, eſt ſimilis, dicunt περίστασιν, hoc eſt, caſum uel circumſtantiam imminere: ex altera, quę homini enſem intentanti ſimilis eſt, bellum ſignificant: ex alia, quæ eſt leoni ſimilis, Imp. negociorum ſtatum exercitationemq; prædicunt, & alias quaſdam nugas Apollineorum inſtar uatum debacchantur. Theod. Balſamon in Synodum VI. in Trullo.

*Cometas.*

*Horum exempla infrà ſub. Portentis & Oſtentis particularibus.*

## Decidentia. Vtputa ex

*Fulmine.*

MITHRIDATIS Ponti & Aſiæ regis infantis etiamnum fulmē perſtrinxit cunas, corpore illæſo: niſi quòd ignis ueſtigiū quoddam in fronte, quam capillus occupabat, uſtulata, fuit relictum. Iterum poſtquam in ætatem uenit, tactum de cœlo cubiculum eius ipſo fuit dormiente, ſuſpenſamq; pharetram traiecit afflatis iaculis. Vnde uires eius ex ferentariis & leuis armaturæ copiis ingentes fore, fulguratores oſtenderunt. Pleriq; igitur Bacchum illum ab ſiderationibus illius potius quàm à uitij affinitate dixere. Plutarchus libro primo Quæſt. conuiuialium, 6.

*Niue.*

Anno 443. quo Atila Hunnorum rex ad redimendam pacem THEODOSIVM II. Imp. coegit, tanta fuit niuis altitudo, ut triſtis cuiuſdam prodigij opinionem attulerit. Nam uix ſex menſium ſpacio liquefacta, ingentem hominum, pecudumq; multitudinem, ipſa frigoris atque rigoris aſperitate necauit. Sigonius lib. 13. Imp. occid.

Anno ſalutis 1512. regina Maria filium edidit EMMANVELI regi Luſitaniæ, patri ſpecie & forma ſimillimum, qui Henricus appellatus eſt. Eodem die, quo Princeps hic in lucē editus fuit, Olyſippo (in qua quidē urbe propter ſummam cœli temperiem, monſtri ſimile eſt, partem aliquam niuis intueri) plurima niue conſperſa fuit: quod multi ſic interpretati ſunt, ea niue mentis candorem, uitæ puritatem & continentiam, uirtutis eximiæ fęcunditatem, quæ in hoc principe mirabiliter eluxit, præmonſtratam fuiſſe. Oſorius libro octauo rerum Emmanuelis.

*Glacie.*

Anno Chriſti 823. circa ſolſtitium æſtiuum in BVRGVNDIA cruſta glaciei, longitudine pedum quindecim, latitudine ſeptem, altitudine binûm, de cœlo ruit. Secuta eſt dira lues. Auentinus lib. 4. annalium Boiorum.

*Ferro.*

Ferream maſſam, recremento ſimilem, ex aere decidiſſe in ſyluis Nethorianis prope Grimam ſunt qui affirment, multorum pondo, adeò ut in locum illum nec deportari propter grauitatem, nec curru aduehi propter loca inuia potuerit: paulo ante bellū ciuile SAXONICVM, quod inter duces agnatos geſtum eſt. Georgius Agricola capite octauo, de Rebus metallicis.

## AERIS, COELI

*Serenitatem.*

FERDINANDO Catholico Hiſpaniæ rege in oppido Aragoniæ Solio nato, magna repentè ſerenitas orta eſt, & ſol, qui die toto uix apparuerat, multo clarior, quàm ſolebat, effulſit. In æthere præterea corona uariis ornata coloribus & iridi ſimilis uiſa eſt. Quæ ſigna oſtendere uidebantur, puerum clariſſimum inter homines futurum. Marineus libro 19. rerum Hiſp.

*Tempeſtatem.*

Cùm ante mœnia Romana ſtaret Hannibal, iam cum Rom. commiſſurus prælium, cuius præmium erat futura Romana urbs, maxima ſecuta eſt tempeſtas, quæ duas acies diremit. Reuerſis Carthaginenſibus in caſtra, Romanis in urbē, mira tranquillitas cum ſerenitate eſt exorta. Idem contigit poſtridie, cùm inſtructi ad pugnam ambo exercitus cōſiſterent, ſignum expectantes. Quę res in religionem HANNIBALI uenit, tanquam à diis arceretur ab urbe Roma. Itaque moueri inde caſtra iuſſit. Liuius lib. 26.

*Aſperitatem.*

Antè cædem IACOBI I. Scotorum regis anno 1436. tantum gelu fuit, ut uinum multis in locis concreſceret. Cereuiſiæ uerò adeò ubiq; congelata fuit, ut fractis uaſis, coniectáq; glacie in cupas, per pondera in tabernis uenderetur, nec niſi liquefacta ad carbones biberetur. H. Boethius lib. 17.

## IGNEM, ΠΥΡΟΜΑΝΤΕΙΑ. EX IGNIS VEL

*Incendio.*

Incendia Romæ bellum indicarunt. Vide Titulum, Bellorum prodigia.

A. VITELLIVS legatus in inferiorem Germaniam à Galba miſſus, ab uniuerſis militibus in Colonia Agrippinenſi per celeberrimos uicos circumlatus, Imperatorq; acclamatus ab utrinſque Germaniæ legionibus: conſternatiſque, quòd eius caminus incendio flagraret: Bono, inquit, animo eſtote, nobis hæc flamma illuxit. Cuſpinianus, ex Suetonio.

Incendium regij tabernaculi FERDINANDO Hiſpano uictoriam portendit. Vide Tit. Omina uictoriæ.

Ante mortem ALFONSI Ateſtini, ducis Ferrarienſis, conflagrauit Ferrariæ atrociſſimo incendio Prætoria tot principum domus, tanto [illegible] ad reſtinguendos ignes pauore & ſtrepitu, ut tota ciuitas rapaciſſimis & impotētib. flāmis ceſſura crederetur. Verū in ſummo inopinatoq;

natóq; periculo, Princeps medias ædes ſalubri cōſilio euerſis tectis, proſcindi iuſſit. Hoc inuſitati crudelisq; ſpectaculi oſtentum nequaquam ad triſte omen Alfonſus uertit, quoniam is igneus ſplendor certæ lætitiæ euentum prænunciaret. Nec ea opinione deceptus eſt: nam Renata, Ludouici XII Galliæ regis filia, ex filio Hercule nurus, nō multò pòſt exoptatum marem peperit. Iouius in Alfonſo Ateſtino.

Syluarum incendia CAROLO V. infelicem pugnam portenderunt. Vide Tit. Expeditionis infauſtæ omina.

*Extinctione.*

☞ *Vide Sortes ex Cereis.*

TIBERIVS Cæſar conſtātius quod cœperat aggrediebatur, ſi lucubranti ac nullo propellente lumen decideret & extingueretur: oſtentum id ſibi ſuisq; maioribus in omni ducatu expertiſſimum aſſerens. Suetonius.

*Riſu, Crepitu.*

☞ *Et hæc mulierculárum & puerorum deridiculæ diuinationis ſpecies eſt.*

*Fumo.*

Καπνομαντεία, diuinatio ex ſeminum quorundam fumo, præ aliis eſt diabolica: nam thymiama uel ſuffitum coniunctum habet, quo ſubiectum quoddam ac ueluti corpus ſpiritui maligno ſubminiſtratur. Bodinus lib. 2. Dæmon. cap. 1.

AQVAM. ΥΔΡΟΜΑΝΤΕΊΑ, ΠΥΡΟΜΑΝΤΕΊΑ.

Υδρομαντεία uariè uſurpabatur. Aqua implebatur cyathus, anulusq; filo ſuſpenſus ex digito librabatur in aquam: atq; ſic conceptis uerbis poſtulabatur rei quæſitæ declaratio, uel confirmatio. Si quod proponebatur, uerum erat, anulus ſuo nutu, non impulſus, cyathum feriebat conſtitutis ictibus. Vierus lib. 2. cap. 12.

NVMA, ad quem nullus Dei propheta, nullus ſanctus angelus mittebatur, hydromantiam facere compulſus eſt: ut in aqua uideret imagines deorum, uel potiùs ludificationes dæmonum, à quibus audiret, quid in ſacris conſtituere atq; obſeruare deberet. Quod genus diuinatiōis Varro à Perſis dicit allatū: quo & ipſum Numā, & poſtea Pythagorā philoſophū uſum fuiſſe cōmemorat: ubi adhibito ſanguine etiā inferos ꝓhibet ſciſcitari: & νεκυομαντείαν Græcè dicit uocari: quæ ſiue hydromantia, ſiue necromantia dicatur, idipſum eſt, ubi uidentur mortui diuinare. Aug. lib. 7. de ciu. Dei, c. 35.

Apuleius in Apologia de magia, Varronem ſcribit narrare, Trallibus de euentu Mithridatici belli magica percontatione conſulentibus, PVERVM in aqua ſimulacrum Mercurij contemplantem, quæ futura erant CLX uerſibus ceciniſſe. L. Viues in lib. 7. Auguſt. de ciuit. Dei, c. 35.

SETHVS magus, in aquis turbidis concitato dæmone, Andronico Comneno Imp. de ſucceſſore interroganti, monſtrauit literas duas, S & I. Quibus dum Iſacium Comnenum Iſaurum deſignari putat Andronicus, qui paulo antè Cypri tyrannidem inuaſerat, ab Iſacio Angelo, quem ut effeminatum contemnebat, & uita & imperio priuatus eſt. Nicetas libro 2.

In Laconia, non procul à Bœotorum finibus, Aqua Inûs conſpicitur. Palus eſt parua, qua lata eſt: qua uerò ſubſidit, altè deſcendens. In eam feſto Inûs die ſolenne eſt panificia porricere. Ea ſi demergantur, ſecunda ei, qui porrecerit, promitti autumant: contrà uerò aduerſa, quoties illa aqua reiecerit. Eandē habere portendendi uim dicuntur Aetnæ montis Crateres. Abiiciunt enim in eas homines cùm ſigilla argentea & aurea, tum uerò cuiuſuis generis uictimas: Ea ſi abſumſerit ignis, læta ſibi nunciari: contrà ſi regeſſerit, malè euenturum ei, à quo illa miſſa fuerint, interpretantur. Pauſanias in Laconicis.

Beliſario Vrbinum obſidente, aqua ex fonte, qui unicus Vrbini erat, repentè euaneſcente, GOTHI exterriti, ſubitò deditionem fecerunt, ea conditione, ut, incolumitate accepta, Iuſtiniano ſtipendia facerent. Sigonius lib. 18. Imp. occid.

TERRAM. EX

*Terræmotu.*

☞ *Vide Tit. Terræmotuum, & Portentorum.*

Quo tempore LYSIMACHVS intulit Heraclienſibus bellū, in Helleſponti & Cherſonneſi regionibus terra adeò horrendè mota eſt, ut Lyſimachia urbs altero & uigeſimo anno ab eo, quo condita fuerat, magna ex parte conciderit. Fuitq; prodigium illud Lyſimacho, & eius ſtirpi pòſt paulò interituræ, ac malorum omnium, quæ deinceps ſecuta ſunt. Sab. lib. 8. En. 4.

Anno 1520 Imperatore in Saxoniam deſcendente, [redacted] tranſiit in Franconiam. Tum uerò terra mirabiliter intremuit. Menſe Iunio in diœceſi Treuerenſi glacies tantæ magnitudinis decidit, ut ædificia ſubrueret. In Halberſtadenſi autem grando decem uillarum fruges & pecora perdidit. Cranzius libro quinto, Saxoniæ, capite 40.

LAPIDES. EX LAPIDVM

*Imaginibus.*

Λιθομαντεία, uel Κρυσταλλομαντεία. Ex cryſtallis fabrefactis atque expolitis, aſtutiſſimus diabolus (qui ibi ut in pleriſque aliis indutus ſpeciem materiæ alterius deliteſcit) per depictas notas atque figuras, euentus rerum quæſitarum, quaſi uaticinans, ſuis magis renunciat. Vierus lib. 2. cap. 12.

*Pondere.*

In EVBVLEN anum fatidicam, quæ ex lapidis pondere futura prædicebat, Antiphili Epigramma eſt in primo Epigrammatum Græcorum:

Ηραιῶς Εὐβύλη, ὅτε οἱ κατάθυμιον ἦν τι,
Φοίβῳ τὸν περὶ ποσσῶν μάντιν ἄειρε λίθον,
χείρεσι πειράζουσα· ἐῶν βαρύς, ἡνίκα μή τι
ἤθελεν· εἰ δ' ἐθέλοι, κουφότερος πετάλων·
αὐτὴ δὲ πρήσσουσα τὸ οἱ φίλον, ἦν ποθ' ἁμάρτοι,
Φοίβῳ τὰς ἀΐστους χεῖρας ἐπεγράφετο.

GEMMAS.

ADRIANO Adamas donatus à Traiano Imp. omen fecit imperij. Cuſpinianus.

SIMVLACRA, STATVAS, IMAGINES.

Narrat Philo, fuiſſe AMORRHÆIS ſeptem ſimulacra aurea, quas uocabant Nymphas ſanctas: quæ inuocatæ oſtendebant Amorrhæis per ſingulas horas opera eorum. Nomina habuêre ſeptem mulierum, quæ fuerunt uxores ſeptem uirorum peccatorum, qui eas conſecrauerunt poſt diluuiū, uidelicet Chanaan, Phut, Selath, Nembroth, Abirion, Elath, Deſuat. Vierus lib. 1. cap. 4. de prꝍſtig.

In ATABYRIO Rhodi promontorio æneæ boues fuere, quę mugitu ſuo res magnas portendere ſolebant. Pindari Scholiaſtes.

Statua Iulij Cæſaris ad Orientem conuerſa ſub Galba, VESPASIANO in Iudæa abſenti regnum portendit. Sueton.

Statua M. ANTONII ſudore per multos dies manans, bellum ciuile inter Octauium & ipſum indicauit. Plutar. in Antonio, Appianus, & Sabell. lib. 9. Enn. 6.

THEODERICI Gothorum regis ſtatua Neapoli in foro poſita, cùm eius caput, ſuperſtite adhuc Theoderico, derepētè defluxiſſet, & ſua ſpontè, ſoluta lapillorum compage, & mortem eius & poſterorum ſucceſſus demonſtrauit. Procopius lib. 1. de bello Gothorum.

Diſſidentibus inter ſe ANDRONICO Seniore, & Andronico ex filio nepote Impp. columna, quæ ante Orientalem arcem ſtabat, in qua Conſtantini Byzantij conditoris imaginem olim fuiſſe fama erat, ante multos dies & ipſa commoueri cœpit: quę agitatio per complures dies durauit, omnibus ad ſpectaculum concurrentibus. Gregoras lib. 8.

Cùm ex Vintonienſi & Vigornienſi collegio SACERDOTES, qui ſuas uxores retinuerant, auctoritate pontificia à monachis eiecti eſſent: illi uerò de repetundis agerent: cauſa iudicibus delata eſt. Qui cùm Vintoniæ in monachorum conclaui maiori ex partè decernerent presbyteros ad honores priſtinos reſtituendos eſſe, ecce ſubitò uox audita eſt, Non bene ſentiunt, qui presbyteris fauent. Et cùm imago Chriſti de cruce pendentis ibidem uiſa eſſet eam reddidiſſe uocem, ita fides habita eſt oraculo, ut presbyteri cauſa ceciderint: & monachi parta retinuerint. Polyd. lib. 6.

D. Pauli ſtatua, auro exornata, & in S. Quadraginta ęde repoſita, lacrymas profundēs, ANDRONICO Comneno exitium denotauit. Neq; enim multo pòſt pedibus ſuſpenſus inter horribiles cruciatus expirauit. Nicetas lib. 2.

AARON magus ob ſimulacrum teſtudinis, cui imago inerat hominis, pedes in compedibus, & pectus clauo trāsfixum habentis, excæcatus ſub Manuele Comneno Imper. Nicetas libro quarto.

In Gadibus eſt lapis antiquus in margine maris, opere Saracenico optimè ſculptus, ſuper trāſitu, deorſum latus & quadratus, ſurſum ſtrictus, & tantæ altitudinis, quantum ſolet uolare coruus in ſublime; ſuper quem eleuata eſt ſtatua hominis orichalcea, in pedes erecta, faciem habens uerſus meridiem, & clauem ingentem dextra manu tenens. Quæ clauis, ut tradunt SARACENI, de manu eius cadet, anno quo rex futurus in Gallia natus fuerit, qui totam Hiſpaniam Chriſtianis legibus in nouiſſimis temporibus ſubiugabit. Moxq; ut uiderint Saraceni clauem lapſam, gazis ſuis in terra poſitis, omnes fugient. Tradunt Saraceni, quòd idolum illud Mahomet, dum adhuc uiueret, fabricarit: & quandā legionem dęmonum arte magica eò alligarit, quę tam fortiter id obtineat, ut à nullo unquam frangi potuerit: nec Chriſtianos ſine periculo accedere patiatur, ſed ſolos Mahumetanos, & aues ei inſidentes ſubitò enecet. Turpinus Remenſis apud Erfordienſem cap. 68.



Apud SEPTENTRIONALES Biarmos, Lappos, Bothnicos, Finnones, diuinationis magicæ ſpecies frequens eſt huiuſcemodi. Conclaue ingreditur magus, uno comite uxoreq; contentus: ranam æneam aut ſerpentem malleo ſuper incude certis ictibus percutit, carminumque murmure hinc inde reuoluit: continuoque cadens in extaſin rapitur, iacétque breui tempore ut mortuus. Interea diligentiſſimè à prædicto comite, ne culex, muſca, aliúdue animal eum contingat, cuſtoditur. Ad ſe reuerſus, anulum uel cultellum in teſtimonium expeditæ legationis oſtendit, & quid agatur certis indiciis conductori ſuo declarat. Olaus libro quinto, capite decimoſeptimo.

In arce Perlini de ſtatua MAVRICII Saxoniæ ducis caput ſua ſponte auulſum eſt. Ipſe non multo pòſt in acie contra Albertum Brandeburgicum cæſus, anno Sal. 1553. Georg. Fabricius in Miſniacis.

MALABARES Indi annū à Septembri menſe incoant, ſed diem certum, unde menſem incipiant, non habent. Aſtrologos & augures primùm conſulunt, & ab hora, quam illi fauſtam atque felicem fore prænunciant, anni principium auſpicantur. Qui iam decimumquintum annum exceſsêre, faciem eo die inuoluunt, & oculos obtegunt, ne quidquam aſpiciant. Deinde à pueris in fana deducuntur, in quibus uaria deorum ſigna ſunt. Ibi detractis oculorum inuolucris, aſpectum in res oppoſitas repentè coniiciunt. Quòd ſi ſimulacrum dei illius, quem præcipuè colunt, ante res alias contuentur, illum annum ſibi fauſtum fore confidunt. Oſorius lib. 2. rerum Emmanuelis.

TALOS, ASTRAGALOS.

☞ *De his ſub loco Sortium.*

CHARACTERES, IMAGINES, NVMEROS.

☞ *De iiſdem quoque ſub loco Sortium.*

NVMOS.

SERVILIA familia illuſtris in faſtis Romanis, trientem æreū paſcit auro & argento, conſumentem utrunq;. Origo atq; natura eius incomperta eſt mihi. Verba ipſa de ea re Meſſalæ ſenis ponam: Seruiliorum familia habet trientem ſacrū, cui ſumma cum cura magnificentiaq; ſacra quotannis faciunt: quem ferunt, aliàs creuiſſe, aliàs decreuiſſe uideri, & ex eo aut honorem aut diminutionem familiæ ſignificari. Plinius lib. 34. cap. 13.

ANVLOS.

☞ *De ſortitione per Anulos facta ſuprà, inter Sortes egimus.*

Δακτυλιομαντεία appellatur, quando ex anulis ad certos cœli poſitus fabrefactis, uel diabolico ritu conſecratis, diuinãt malefici. Quidam anulum eadem religione ſacratum heroi obtulerat uiginti coronatis uenum, eius ſcilicet uirtutis, ut felicem conſequeretur euentum in quocunque luſus genere, quamdiu hunc comportaret. Cuius rei ut faceret periculum, aſſumto anulo luſit, & quidem fortuna annuente, benignaq;. Quo ſucceſſu illectus coronatos numerat, reditq; ad conſuetæ negociationis exercitium & luſum, ac perdidit duplo plus quàm antea lucrifecerat. Vierus lib. 2. cap. 12.

POLYCRATI Samiorum tyranno anulus, quem in mare proiecerat, in uentre piſcis repertus, ſummæ fuit calamitatis nuncius. Teſte Herodoto.

NERONI auſpicanti Sporus anulum muneri obtulit: cuius gemmæ ſculptura erat, Proſerpinæ raptus. Votorum nuncupatione magna iam ordinum frequentia uix repertæ Capitolij claues. Cùm ex oratione eius, qua in Vindicem, qui in Gallia defecerat, perorabat, recitaretur in Senatu, daturos pœnas ſceleratos, ac breui dignum exitum facturos, conclamatum eſt ab uniuerſis: Tu facies Auguſte. Obſeruatum etiam fuerat, nouiſſimam fabulam cantaſſe eum publicè Oedipodem exulem, atq; in hoc decidiſſe uerſu,

Θανεῖν μ' ἄνωγε σύζυγος, μήτηρ, πατήρ.

Suetonius in Nerone.

In munitione oppidi, quod Sergius GALBA ad opprimendū Neronem ſedem bello delegerat, repertus eſt anulus opere antiquo, ſculptura gemmæ, uictoriam cum trophæo exprimente. Suetonius.

EDOARDO III. Anglorum regi anulus, quem pauperi olim eleemoſynæ loco obtulerat, redditus, mortis fecit omē. Paulo pòſt enim morbo affectus, per quietem à Deo opt. max. illud ipſum edoctus, animã cœlo reddidit. Polyd. lib. 8.

ARNVLFVS, Lotharingiæ princeps, cùm relicto dominatu, Chriſto in ſolitudine ſeruiret, anulum ſuum in fluuium Moſellam abiecerat, tunc ſe pro delictis Deo ſatisfeciſſe crediturus, cùm ille repertus ſibi redderetur. Metenſis poſteà epiſcopus electus, cùm diu Eccleſiam optimè rexiſſet, allatus eſt ei piſcis, in cuius inteſtinis inuentus eſt ipſius anulus. Pro quo Deo gratias egit, epiſcopatuque dimiſſo, eremum repetiit, ibique obiit. Marul. lib. 4. cap. 10. & lib. 2. cap. 12. & Fulgoſ. lib. 6. cap. 9.

ATTILANVS, Zamorenſis epiſcopus per decē annos in Hiſpania, peregrinatione ſancta criminum commiſſorum ueniam impetraturus, reditus epiſcopatus annuos pauperibus erogandos commiſit, & itineri ſe accinxit. Cùm ueniſſet ad pontem propè templum ſancti Laurentij, anulum, quem digito geſtabat, de ponte proiecit in flumen, ſic dicens: Quando anulum hunc recepero, tunc ab omnipotenti Deo delictorum meorum ueniam promerebor. Inde autem diſcedens, cum uno comite, quem plurimùm diligebat, adeò feſtinauit, ut eum defatigatum reliquerit in itinere. Solus itaque ſe pannis induit quàm uiliſſimis, adeò ut à nemine cognoſci poſſet, & duos annos eleemoſynis uixit. Quem tandem uox in ſomnis audita diuinitùs ſic admonuit: Attilane iam iam tuum ad pontificatum perge: tuæ enim exauditæ ſunt preces. Ipſeque, præcepto audito, ſe itineri accinxit. Venit itaque noctu ad eremum, quæ ſancti Vincentij de Cornu uocabatur, & conuicina ſancto ſepulcro, ubi quædam muliercula cum marito ſuo illum in parua domo receperunt, eique cœnam non lautam dederunt. Manè autem maritus & uxor pro piſcibus ad Epiſcopi domum uadunt, ut antea conſueuerant, & Attilanum rogant, ut interim domum cuſtodiat. Illis ergo dantur piſces: ſed quia obliti fuerãt hoſpitis, quē domi reliquerãt, reuerſi pro eo acceperũt piſcē maioris ponderis. Eos piſces Attilanum rogant, ut præparet, donec ipſa pro aqua & maritus pro igne uadunt: quibus Attilanus reſpondit obſequenter. Cumque maiorem piſcem accepiſſet, dum eius uiſcera exenterat, anulum, quem à ponte deiecerat, inuenit. Tunc repentè pronus & genibus flexis Deo gratias egit, & continuò ſponte campanæ ſonitum dederunt, & magna totius ciuitatis admiratio orta eſt. Ciues per omnes domos & hoſpitia atque hoſpitales perquirunt, ſed nihil inueniunt. Cùm eſſent itaque omnes ſoliciti, tandem uir quidam procurator rei familiaris Epiſcopi, meminit de uiro quodam, quem muliercula ſibi dixerat hoſpitatum apud ſe, neſcius cuius dignitatis eſſet. Omnes illuc concurrunt ſacerdotes & tota ciuitas. Attilanus autem ueſte non precioſa neque noua, ſed uili atque detrita inuentus eſt, Deo gratias agens. Quapropter omnes ei gratulantes, & Deo gratias agentes, cum magno gaudio reduxerunt in ciuitatem: qui poſtea uixit annos circiter octo, ſanctis ſemper operibus incumbens. Quem uita functum Vrbanus Pp. in ſanctorum numerum aggregauit, anno milleſimo ſecundo. Marineus lib. 5. rerum Hiſpan.

LIBROS.

Miſſus fuerat ad Roſſos à Baſilio Macedone pontificum princeps, ut eos Chriſto adduceret. Proceres eius gentis cum principe & uniuerſo populo pontificem in concilium eorum uocatum interrogant, Quídnam eos docturus eſſet? Profert EPISCOPVS ſacrum Euangelij librum, & quædã miracula exponit à Chriſto edita. Ibi Roſſus negare, ſe aut ſuos ipſi fidem ullo modo habituros, niſi aliquid horum, prꝍſertim ſeruatorum in flagrãti camino trium puerorum, ſimile uidiſſent. Ad hæc pontifex, Tametſi, inquit, Deum tentare fas non ſit: tamen ſi ex animo ſtatuiſtis ad Deum uos conferre, poſtulate quod uultis. Ii confeſtim poſtularunt, ut codex Euangelij in rogum ſuccenſum mitteretur: promittentes ſe, eo incolumi manente, Deo quem ipſe prędicaret, nomē daturos. Accepta conditione, pontifex orationem ad Deum conuertit, orans Ieſum, ut ſui nominis gloriam aſſereret. Coniicitur liber in caminum. Caminus per multas horas ardens tandem extinguitur: liber uerò incolumis illæſusq; omnino reperitur. Quo miraculo permoti barbari, omni dubitatione abiecta, ad baptiſmū confugerunt. Cedrenus, & Zonaras Tomo 3.

AEDIFICIA, MVROS.

CLODOVEVS euerſo Alarico Veſtgothorum rege Ariano, ſubacta Burdegala, Engoliſmam acceſſit, ac, muris ſub aduentu eius ſponte ſua labentibus, haud religione intactus urbē ſine ullo negotio occupauit. Sigonius libro decimoſexto Imp. occid.

SPECVLA, VITRA.

Υαλομαντεία, non uoce, ſed picturis reſponſa expediebat. Collocabantur uaſa uitrea, rotunda, aquis conferta limpidiſſimis, & circum collocabantur accenſi cerei: cumque euocatio dæmonis ſecreto murmure finita, & quęſtio relata eſſet, adhibebatur puer impollutus, aut mulier prægnans, quæ uitra ſtudioſè accurateq; intueretur, ac circumſpiceret, rogaretq;, imperaret & flagitaret reſponſa. Ea tandem imaginibus aquæ impreſſis, & per uitra perlucida renitentibus, diabolus oſtendebat. Vierus lib. 2. cap. 12.

Κατοπτρομαντεία, ex nitidis terſiſque diuinat ſpeculis, in quibus propoſitarum rerum imagines effictæ redditæue à diabolo fulgent. Ea uſus eſt Didius Iulianus Imperator: & pleraque ſatanæ monitu præuidiſſe, quæ acciderunt, ſcribitur. Idem.

Apud ACHIVOS ante Cereris templum ſpeculum fuit per tenui funiculo ſuſpenſum, & ad aquam fontis ibi exiſtentis demiſſum, in quo ægri, peractis priùs ſacrificiis de more eius loci, uel certam ſanitatem, uel certiſſimam mortem ex offerentibus ſeſe in ſpeculo imaginibus intuebantur. Natalis Comes in præfatione libri 9. Mythol.

FARINAM.

☞ Αλφιμαντεία uel ἀλευρομαντεία extat apud Iamblichum.

CRIBRVM. ΚΟΣΚΙΝΟΜΑΝΤΕΙΑ.

Cribri ſaltatio à ueteribus paſſim uſurpata, ut apud Lucianum legimus: unde prouerbium, κοσκίνῳ μαντεύεσθαι, & nomen diuini κοσκινόμαντις (quaſi cribrouatem dixeris) apud Theocritum,

Εἶπε καὶ ἀγροιὼτ' ἀλαθέα κοσκινόμαντις.

Hac arte multi utuntur palàm. Memini me Lutetiæ ante annos XX, in domo clariſſima, inquit Bodinus, uidere adoleſcentem, qui intactum cribrum, ſine alio naturali aut latente modo, præſentibus multis honeſtis uiris agitauit, enunciatis ſolummodò & reiteratis ſæpiùs uoculis aliquot Gallicis, quas præſtat reticere. Huic autem malignum ſpiritum adfuiſſe eo demonſtratur, quòd eo abſente alter idipſum enuntiatis iiſdem uocibus tentauit facere, nec effecit quicquam. Bodinus libro ſecundo Dæmonomaniæ, capite primo.

Cribro forcipi impoſito, & forcipe binis tantùm apprehenſo atque eleuato digitis, itidemque præfatis precibus, & ſuſpectorum de crimine nominibus recitatis: quocunque nominato cribrum uel tremit, uel nutat, uel uolutatur, eum reum ſtatuunt: At, quàm uerè, teſtatur omnis dęmonum ueritas. Sic Bodinus lib. 3. Dæmon. c. 5. Magum quendam ab alio MAGO apud Ribemontenſis detectum, & uel nolentem adductum ſcribit.

PELVIM.

Λεκανομαντείαν deſcribit Pſellus, & eam fuiſſe in uſu apud Aſſyrios ait: ſed & Chaldæis & Aegyptiis familiaris fuit. Ea etiamnum hodie utuntur Turcæ, licèt nonnihil diuersè. In peluim aqua repletam imponebantur aureæ & argenteæ laminæ, lapideſque precioſi characteribus certis ſignati: & poſtquam conſueta eſſent prolata uerba, quibus dæmon exciebatur, proponebatur quæſtio. Tum primò quidem ſonitus tenuis abſque uoce audiebatur, qui ſignum erat ingredientis dæmonis: pòſt aqua inundante, uoces exiles ex ea emergebant, quibus ad quæſtionem reſpondebatur: at opera data exiles admodum, ne mendacij coargui poſſet dæmonium in his, quæ non nouerat. Vierus libro ſecundo, capite 12.

IANNES pręceptor Theophili Imperatoris, ſolebat peluis uaticinio & præſtigiis futura prædicere. Cedrenus.

FISCELLAM.

EVLALIVS monachus criminis olim ſuſpectus, ut innocentiam probaret, iubente abbate, fiſcellam, quam de palmeis foliis ipſe texuerat, igni impoſuit: atque ubi à flammis eam lædi non poſſe animaduerſum eſt, non ſolùm omni ſuſpicione fuit abſolutus, uerùm etiam ob miraculum uenerationi haberi à fratribus cœpit. Cæterùm ſe in celebritate eſſe indigne ferens, procul inde ſeceſſit in deſertum: maluitq; in ſpeluncis cum feris habitare, quàm in monaſterio ab hominibus honorari. Marul. lib. 1. cap. 4.

VIRGAS. ΡΑΒΔΟΜΑΝΤΕΙΑ.

Sunt apud SCYTHAS permulti uates, & arioli, qui uirgis ſalignis diuinant, ad hunc modum. Grandes uirgarum faſces, humi poſitas, diſſoluunt, ac ſeparatim ponunt ſingulas: hinc uiceuerſa uirgas prehendunt, ac rurſus ſingillatim componunt. ENARIES uerò, qui ſunt androgyni, aiunt ſibi à Venere traditam diuinationem talem. Tiliam ubi quis trifariàm ſciderit, digitis ſuis eam implicando ac reſoluendo uaticinatur. Horum tres maximè probatos accerſit rex, quoties ægrotat. Cui iſti ſemper ferè dicunt, hunc aut illum ciuem (nominant autem hominem, de quo loquuntur) peieraſſe, iurantem per regium ſolium. Eſt autem Scythis mos plerunque iurandi per regium ſolium, cùm maximum uolunt interponere iuſiurandum. Protinus is, quem dixerint peieraſſe, adductus, coarguitur ſcientia diuinandi, tanquam compertus falsò deieraſſe per regium ſolium, & ob id regem ægrotare. Si ille ſe neget peieraſſe, rex duplo numero uatidicos accerſit. Qui inſpecta diuinandi ratione, ſi & ipſi hominem periurij conuicerint, ſine mora capite hominem plectunt, eiuſque facultates inter ſe partiuntur primi uates. Sin uerò illi, qui ſecūdo loco uocati ſunt uates, hominem abſoluerint, alij atque alij præſtò ſunt. Quorum ſi plures abſoluerint, priores illos hunc in modum necant. Plauſtrum concameratum ubi ſarmentis referſerunt, bobuſque iunxerunt, uates pedibus implicatis, & manibus poſt tergum reuinctis, atq; ore obſtructo, extendunt in medium ſarmentorum: incenſiſque ſarmentis, territando agitant boues. Quorum boum multi cum uaticinis concremantur: multi ambuſti, cremato plauſtri temone, aufugiunt. Quos morte rex afficit, eorum ne liberos quidem relinquit, ſed uniuerſos mares interficit, feminis nihil læſis. Herodotus lib. 4.

Ῥαβδομάντειαν MEDICVM Tholoſæ exercentem uidit Bodinus, & ſubmiſſa uoce aliquot uerba murmurantem, ut ambæ unius uirgæ extremitates oſcula iungerent: ſed nihil profecit, eos cauſatus, qui intererant, carere fide. Hoc facto, duo fruſtula eiuſdem uirgæ accipiunt, eaque de collo ſuſpendunt curandæ quartanæ. Bodinus libro 2. Dæmonomaniæ, capite 1.

ARMA, SECVRIM, GLADIVM.

Ἀξινομαντεία, ad perſtringendos atque detegendos occultos ſcelerum auctores, & res alias obſcuras manifeſtandas, magi utuntur. Hanc ſecuri perficiunt rotundo palo infixa, aptataque ad normam, & cum præfatione, ordine enumeratis ſuſpectorum nominibus. Ad cuius uerò mentionem ſecuris uel leui impulſu ſe circumagit aut nutat, cum culpæ reum peragunt. Vierus lib. 2. cap. 12.

Sacer Martis gladius apud Scytharum REGES olim ſeruari ſolebat, quo quicunque potiretur, ei regnum ſperare fàs erat. Paſtor quidam, quum buculam claudicantem offendiſſet, uulneris cauſam ſcrutatus, enſem inuenit, quem incauta beſtia fortè calcauerat. Effoſſum ad Atilam Hunnorum regem detulit. Quo ille accepto, omnium gētium dominū ſe per breui futurum ariolatus eſt. Bonfinius libro 3. Decad. 1. ex Priſco.

EPHÓD.

Iſraelitarum ſummi pontifices ex EPHODO, quod in pectore geſtabant, 12. precioſiſſimis gemmis, pro numero tribuum, inſignitum, & duobus uerbis inſcriptum, Claritas & Integritas, uaticinabantur. Sic Abiathar Achimelechi F. Dauidis exilii ſocius, Dauidem ex ephodo monuit, ut Ceila diſcederet, quoniam Ceilani eum Saulo eſſent dedituri. primo Regum 23. Et rurſus cùm Amalechitæ Siceleg urbem diripuiſſent, & ingentē prædā multo antè abduxiſſent, ephodi oraculo iuſſus, cū 600. uiris eos perſecutus cęcidit, prædamque recepit. 1. Regum 30. De eo ſic ſcribit Suidas. Forma eius fuit, textum ſpithamæ magnitudine, inſtar pectoralis, ex aurei fili arte uaria confectum. In medio habuit ueluti ſtellam, totam auream: utrinque binos ſmaragdos, quorum uterque ſenas tribus Iſraeliticas inſculptas gerebat, Adamante inter utrunque interiecto. Sacerdos Deum aliqua de re interrogaturus, colligebat Ephod in pallio, in medio pectoris, & infernè manus ſupponebat: ita reperiebatur in palmis eius planum inſtar tabulæ, & in Ephod intuens rogabat Deum. Quòd ſi Deo interrogatio placuiſſet, ſtatim fulgurabat adamas, emiſſiſque radiis lucebat. Sin diſplicuiſſet, ſuo loco manebat. Si uerò Deus populum occidendum daturus erat, ſanguineus: ſin peſte afflicturus, niger fiebat. De eo ſic Bodinus lib. 1. c. 4. Dæmonomaniæ. Vrim & Thūmim uoces Hebrææ ſunt, quas LXXII. interpretantur declarationem & ueritatem: Chaldæus (ut mos Hebræorum fuit myſteria condere) ſeruauit ἀνερμηνεύτως: Hebraicè Vrim lumina, & Thummim perfectiones ſonāt. Hoc nomen fuit tabulæ, in quam duodecim gemmæ erant inſitæ, inciſaque duodecim filiorū Iacobi nomina, ex catenulis duabus impendētis maximi Sacerdotis pectori, ut in lib. Exod. 28. legimus. Eleazar itaq; Pōtifex ſucceſſor Aaronis iubetur Num. 27. pro ratione Vrim conſulere, ut res gerantur ex uerbo & reſponſione ipſius. Si res quæ gerenda erat bene caſura eſſet, quæſtione propoſita gemmæ uiuida micabant luce, aut inſpiratus à Deo ſacerdos futura prædicebat: quemadmodum ex Scriptura diſcimus, Eſdræ 2. & Nehem. 7. & Ioſephi Antiquitatum Iudaicarum lib. 3. capite 9. ubi lumen iſtud ante ducentos annos, quàm uiueret, ſcribit deſiuiſſe: ipſe autem trigeſimo anno à Chriſto natus eſt. Græci pectorale iſtud uocarunt λόγιον, id eſt, oraculum, quod uulgus ineptè uertit Rationale. Reges enim in cauſis omnibus grauiſſimis per Pontificem conſulebant Deum, & ſi non edebatur reſponſum, hæc fuit iræ Dei ſignificatio. Quamobrem Sauli cùm à Deo abiectus eſſet (ait Scriptura, 1. Sam. 28.) nihil reſponſum eſt, neque prophetia, neq; ſomnio, neq; Vrim & Thummim.





## REVELATIO DIVINITVS FACTA.

*Omnis cognitio, quæ ſupra hominis captum eſt, cùm nec inuentione nec doctrina humana percipi queat, relinquitur ut ſubſtantiarum abſtractarum beneficio hominibus innoteſcat: qui ob idipſum* θεοδίδακτοι *appellari poſſunt. Totum hoc genus Reuelationem nuncupare placet, quatenus fit ſupernaturali quadam ui: Bona quidem & uera à Deo & angelis, Mala & mendax à Dæmonibus. Et quidem prima hæc eſt ſpecies Diuinationis ſecundùm formam conſideratæ, ex Intelligentiarum uel occulto uel aperto commercio ea, quæ occulta ſunt, quomodolibet cognoſcens. Ex loco Prophetarum tum Diuinorum, tum dæmoniacorum, item Afflatus diuini, item Vocis diuinæ, item Viſionis diuinæ, exempla huc pleraque transferri poſſunt, ad formalium Diuinationis differentiarum confirmationem. Ipſa Exercitatio particularis ſuo loco etiam exempla ſubminiſtrabit certæ materiæ accommodata.*

Ioannes in Euangelio cap. 5. Deum à nemine unquam uiſum, ſcribit. Idem Apoſtolus Paulus confirmat. Sed IACOB ſe uidiſſe Dominum facie ad faciem aſſeuerat. Et de MOSE ſcriptum eſt Exodi 33. quòd loquebatur cum Domino facie ad faciem, ſicuti amicus cum amico ſuo ſolet loqui. Verùm naturam Dei eſſe homini uiuenti inuiſibilem, ita conſtat, ut fuerint plerique, qui ne angelos quidem & archangelos eam cernere exiſtimarint, & prodiderint, ut docent Chryſoſtomus, & Gregorius. Viderunt igitur ſancti patres angelos tanta maieſtate formæ, ut facilè diuinam eſſe intuentibus perſuaderetur: nam angelos patribus locutos, & per illos datam eſſe legem, Paulus eſt auctor ad Hebræos cap. 2. Et Act. 7. ait Stephanus, Iudęos legem accepiſſe per diſpoſitionem angelorum. Et ſpecies illa Dei non erat, qui ſpeciem nullam habet: ſed uiſibilis illa erat, & ſub ſenſus cadebat ſpecies iuſſu Dei ab angelo confecta, tam ſuperans ſolitas à nobis ſpectari, ut diuina crederetur, & erat ad diuinitatē cernendam gradus. Viues in Aug. de Ciu. Dei.

[redacted]

[redacted]

Cùm horrendo terræmotu Conſtantinopolis quateretur, & ciues cum Imp. Theodoſio iuniore ſupplicationes extra urbem obirent, inquiunt hymnum, quem Triſagium appellant, diuinitùs eſſe reuelatum. Cùm enim κύριε ἐλέησον, anxiè uociferarētur, ecce PVER quidam in aërem ſublatus eſt: is rurſum delapſus, dixit, quòd Litaniis ſit hoc inſerendū, Sanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus immortalis, miſerere noſtri: quia angeli corā Deo hoc hymno utātur. Itaq; Theodoſius toti orbi terrarum pręcepit, ne has uoces Eccleſiæ prætcrirent. Paulus Diac. lib. 14. Nicephorus lib. 14. cap. 46.

Euſebius memorabilem narrat hiſtoriam lib. 5. c. 1. 8. & 9. Præp. euang. ad Tiberium Cæſarem fuiſſe perlatā, quæ apud Plutarchum etiam legitur: Multos, cùm Echinadas inſulas prænauigarent, audiuiſſe in aëre uocem ſæpiùs inclamantem, Thamus (hoc autem fuit gubernatori nauis nomen) & huic edicentem, ut cùm Palodes appuliſſet, magnum Pana mortuum eſſe indicaret. Hoc facto, repentè magnos gemitus eiulatuſque per Palodes, nemine comparente, exauditos eſſe.

## INDICATIO DIVINA, HOMINI PER CREATVRAS FACTA. PRAESAGITIO, PRAEDICTIO.

*Secunda hæc eſt ſpecies Diuinationis. Cuius exempla è Titulis uariorum bonorum per Oracula prænūciatorum petenda erunt. Eſt autem Præſagium, prudentia quædam & ſolertia animi futura præſentientis: diſtatq; ab Omine, quod prudens ab imprudente, uigilans ab eo qui dormit. Qui omen facit, neſcit ſe facere: qui uerò præſagit, attētione & ſolertia quadā, quod futurū eſt, præuidet, etſi cauſa non ſemper nota eſt, inquit Sab. lib. 9. cap. 10. At nos in genere Præſagiū illud uocamus, quod prædicitur, & uoce pro certo alicui denunciatur, non fortè fortuna: eoq; ipſo differt ab Omine, quod fortuitò uel fit uel pronunciatur, latentem tamen habet coniunctam diuinationem. Differt item ab Oraculo, quoniam præſagium per bruta, cùm uocem miraculosè fuerint adepta, interdum pronunciatur: ut quod de Aſina Balaami uerè, ac fabulosè de Xantho Achillis equo ſcribitur: ſæpiſſimè per homines diuino quidem numine afflatos, cùm ſupra humanā ſortem ſapere uideantur, non penitùs tamen neq; ex profeſſo fatidicos, ſed tunc tantùm, quando præſagiunt. At Oracula ut deorum ſunt reſponſa, ita non niſi à diuinis hominibus & enthuſiaſtis proferuntur, quos Vates propriè appellant: & ipſa reſponſa, Vaticinia. Ergo hoc loco rationem tantùm habemus prædictionis certæ & diſertæ, ſiue ab homine fatidico atq; uate ſit edita, & Oraculum dicatur: ſiue non ex profeſſo, ſed tunc tantùm uaticinante, & Præſagium appelletur. In genere Vaticinia dicantur non futurorū tantùm, ſed & præteritorum & præſentium indicia. Quorum quidem facultas cùm potiſſimùm ex Reuelatione habeatur, iccircò exempla communia erunt. Reuelatio enim dicitur, quatenus à Deo reuelatur homini: quatenus uerò ab homine, cui facta eſt reuelatio, communicatur aliis, dicitur Præſagium.*

### RESPECTV PERSONARVM. PRÆSAGIVM FACTVM AB

*Infantibus, Pueris.*

CROESO Lydorum regi, quando id concidit regnum, natū filium ſemeſtrem articulatè loquutum, diro & prodigioſo euentu, fatalem calamitatem, quæ poſtea ſequuta eſt, præſignaſſe narrant. Alex. lib. 3. cap. 15. ex Plin. lib. 11. cap. 51.

Mulier profeſſione, non opere religioſa, quę indumenta & linteamina lauare cōſueuerat, ex illicito cuiuſdā coitu pepererat. BRICCIVS Turonēſis epiſcopus, qui D. Martino ſucceſſerat, cōmiſſi reus agitur. Afferri puer nondū menſtruus iubetur: qui Briccio in nomine Chriſti interroganti reſpondit, ipſum non eſſe patrem ſuum: quis aūt eſſet, non indicauit. Plebs magicæ arti deputans, quod uirtute fiebat diuina, in illum fremebat. Ipſe prunas in ſinū congeſtas per urbem tulit, dicens: Sicut ueſtimentū hoc non uritur, ita ego à libidinis flagitio alienus ſum. Neq; tamen perſuaſit, ſed ab epiſcopatu deiicitur. At duob. ſucceſſoribus paucórum dierū ſpacio uita defunctis, ipſe ſeptēnio pòſt in ſedem ſuā reſtitutus eſt. Marul. lib. 5. c. 1. & Sab. lib. 10. c. 2. & Fulg. lib. 8. cap. 1.

DANIEL Aegyptius abbas, cùm rogatus ruſtici cuiuſdam domū adiiſſet, uxori eius ſterili ſobolem oratione à Domino impetrauit. Vicini uerò tumeſcenti uentre mulierē cernētes, quam olim de marito nunquā grauidam factam nouerant, de abbate concepiſſe putauerunt. Poſtquā ergo peperit, Daniel omnibus ad ſpectaculum conuocatis, infantulum per Deum obſecrat, ut quis pater eius eſſet, palàm diceret: & ſtatim puer loqui cœpit. Itaq; tota criminis ſuſpicio in admirationem uerſa eſt uirtutis. Marul. lib. 5. c. 1. & Sab. lib. 10. cap. 2.

EMERICVS, Stephani Hungarorum regis F. puer etiamnum cum patre D. Martini cœnobium, in monte Pannoniæ fundatum inuiſens: monachis longo agmine obuiam prodeūntibus, præmiſſus à patre, oſcula diſparia eis impartitus eſt. Cauſam à patre rogatus, Pro continentiæ (inquit) modo, dedi ſeptena perpetuæ caſtitatis cultoribus. Bonfin. lib. 1. Decad. 2.

Sub BOLESLAO Pudico Polonorum principe in urbe Craouiēſi, Puer quidam ſemeſtris prolocutus eſt Tartaros aduenturos, & Polonorum capita præciſuros eſſe: rogatuſq;, diuinitùs id ſe ſcire, & ſibi quoq; illud malum impendere reſpondit. Quod poſt 12. annum euenit. Cromerus lib. 9.

Hali Abenragel cōmemorat, in regia ſe uidiſſe natum infantē, qui uix dum uigintiquatuor uitæ horis exactis loqui incepit, & manu ſigna facere. Qua re uehementiùs REGE cōterrito, acceſſiſſe miraculum maius. Nam rege (inquit) aſtante, & me quoq; cū multis aliis, exclamauit infans: Sum, inquiens, infeliciter natus, ad prodendam regni amiſſionem, & gentis perniciem ac deſolationem. Quibus ille enunciatis, concidit exanimis. Cælius lib. 29. cap. 14. A. L.

*Vatibus, Prophetis.*

☞ *Conſule particulares Prædictiones.*

Gallorum exercitum ex Europa in Aſiam ad urbium perniciē transmiſſurum, pręſdixit PHAENNIS Delphica, ætate una antequam res gereretur:

Hoſtilis Gallorum acies tunc milite multo
Littora complebit: transmiſſis fluctibus Helles
Vaſtabit populans Aſiam: ſed dij grauiora
Intentant illis, pelagi prope cærula ſedes

Qui poſuere ſuas. Sedenim his quoq; Iuppiter ipſe
Auxilio clari mittet tauri generoſam
Progeniem, triſti quæ ſternet funere Gallos.

Tauri filium dixit Atalum Pergami regem: quem ipſum Tauricornem etiam idem Apollo nominauit. Pauſanias libro decimo.

CYRVS rex Perſarum, ad Iſtrum contra Maſſagetas & Eſſedonas profectus, conſuluit in Lesbo Orphei caput oraculis clarum eo tempore, de belli euentu. Reſponſum accepit: ἐμοὶ ὦ κῦρε σὲ: id eſt, Similem exitum, ut ego, habebis. Exitus oraculo fidem fecit. A Tomyri enim regina Cyrus interfectus & capite truncatus eſt, ſicuti à Thraciis mænadibus Orpheus. [redacted]

Be[redacted] giorum loco [redacted] tempus conquiſitum ac repertum, maximam ciuitati curam attulit. Id partim uerißimo euentu probatum, haud dubiam futurorum fecit fidem. Scripſerat, quiſquis fuit ille MARTIVS, Amnem Troiugena Cannam Romane fuge, necte alienigenæ cogant in cāpo Diomedis conſerere manum: ſed neq; credes tu mihi, donec compleris ſanguine cāpum, multaq; milia occiſa tua deferat amnis, in Pontū magnum ex terra frugifera piſcibus atq; auibus, feriſq; quę incolunt terras his fiat eſca caro tua. Hæc quia magna ex parte ſunt hominum oculis repræſentata (nam & Diomedis campos & Cannam, ubi pugnatum erat, uulgus agnoſcebat) maior cura ſubiit alterius carminis procurandi, quod in hæc fuit uerba cōſcriptum: Hoſtes Romani ſi pellere uultis uomicam, quæ gentium uenit longè, Apollini uouēdos cenſeo ludos, qui quotannis comiter Apollini fiant, quum populus dederit ex publico partem, priuati uti conferant pro ſe ſuiſque, his ludis præerit prætor is, qui ius populo plebique dabit ſummum. Decemque uiri Gręco ritu hoſtiis ſacra faciant. Hæc ſi rectè faxitis, gaudebitis ſemper, fietque res ueſtra melior, nam is diuus extinguet perduellem, qui ueſtros cāpos paſcit placidè. Hoc carmine publicè interpretato, ludi ſunt Apollini uoti, & in Circo celebrati. Sab. l. 4. En. 5.

*Pontificibus.*

PIVS II. Pp. in apparatu belli Turcici ſe periturum quadriennio antè, ſua ipſe manu uerſiculo deſcripto ominatus eſt: in Turcas bellum dū parat occubuit. Campanus in eius uita.

*Regibus.*

Ἀπὸ ναννάκου, id eſt, A Nannaco. Cùm ſignificamus rem ab extrema uſq; antiquitate repetitam. NANNACVS rex ante Deucalionem fuiſſe narratur, qui diluuium futurum præuiderit. Eraſmus in Adagiis.

LEO Philoſophus Imp. Conſtantinum Andronici filium, carcere Saracenorum elapſum, uocatūq; ad ſe, donis uariis affecit: & à primo congreſſu, cùm aureo triclinio eſſet exiturus eum reuocauit: atq; oculis in imagines Chriſti & Deiparæ, quæ ſupernè erāt collocatæ defixis, ſic affatus eſt: Conſtantine uide, ne imponat tibi nomen tuum, néue ob id Romanis te imperaturum opineris. Etenim filio meo Conſtātino id imperium diuinitùs eſt deſtinatum, quod ego comperi prædictionibus diuinorum hominum, caſtitate ſua futurorum præſcientiam nactorum. Locum itaq; tuum tene, neq; te ſuperiora ſomniaueris: alioqui ſcito, tuum, ſi tyrannidem affectaueris, caput, trunco relicto, per hanc portam illatum iri. Et hoc euētu eſt confirmatū. Mortuo enim Leone, Conſtantinus cùm inuaſiſſet Imperium, ibi obtruncatus eſt, caputq; tabo & cruore ſtillans per dictam portam eſt in Regiam allatum. Cedrenus.

D. VENCESLAVS Boëmorum rex à Boleſlao fratre ad filij natalitia per dolū inuitatus, ex arce proſpectans presbyterium, cum locum non multo pòſt, ſacro ſanguine inundaturum cum gemitu teſtatus eſt. Ipſo per inſidias cæſo, Drahomira Boleſlai uxor, ſacerdotes oēs eo loci trucidari & inſepultos abiici curauit. Dubrauius lib. 5.

*Poetis.*

De imperij ROM. duratione tale circumfertur Homeri oraculum:

ἤδη γὰρ Πριάμου γενεὴν ἤχθηρε Κρονίων,
νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο βίη Τρώεσσιν ἀνάξει,
καὶ παῖδες παίδων, τοί κεν μετόπισθε γένωνται.

Quod Maro ſic tranſtulit:

Nunc genus inuiſum Priami Saturnius odit:
Sed ipſius Aeneas Troas dominabitur inter,
Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.

EPICHARMVS Siculus in ſuis ſcriptis ueluti præſagiens, ita loquitur: Vt autē ego puto, imò pro comperto habeo, mearum adhuc erit memoria rerum, meorumq; ſermonum: cóſque aliquis, ſoluto metro, quo nunc conſtāt, colore purpureo miraq; uerborū uenuſtate induet, inuictuſq; ipſe allos facilè ſuperabit. Præſagium uerum fecit Plato, qui Epicharmum in multis imitatus eſt. Laertius.

SENECÆ, de Indiarum inuentione per Hiſpanos anno ſal. 1493. facta, uaticinium in tragœdia, quam Medeā inſcripſit, clariſſimum extat:

Venient annis ſecula ſeris,
Quibus Oceanus uincula rerum
Laxet, nouoſq; Typhis detegat orbes,
Atq; ingens pateat tellus,
Nec ſit terris ultima Thyle.

*Morionibus.*

PETRVS Berenautus, cuius faceta ſtultitia Philippus Lantgrauius Haſſiæ mirificè delectabatur, Principi cauſa neſcio de qua iratus, lymphato ſimilibus, exclamauit: Hiſpani, meo nomine pœnas à te olim exigent. Nec multò poſt temerè miſſam uocem, Caroli V. Imp. ingenioſo commento in poteſtatem redactus Lantgrauius, Machliniæ immiti Hiſpanorum cuſtodiæ traditus eſt.

*Dæmoniacis.*

REMEX quidam Rhodius mente alienatus, teſtari clara uoce cepit, ante diem triceſimum futuras in Græcia ſtrages maximas, rapinaſq; apud Dyrrachium, & incendium & fugam: claſſem uerò ipſam domum eſſe redituram. Id cùm Cn. Pōpeius, qui prætor claſſi præerat, audiſſet, narraſſetque tribus, Ciceroni, Varroni & Catoni: omnes moti, quidam uerò etiam ualde perterriti dicuntur. Paucorum autem dierū interiecto ſpacio, Labienus, fugiens ex acie Theſſalica, ſtragem legionum & ingenti prælio fuſas Pompeij copias nunciauit: confeſtim raptum ex horreis publicum frumentum, totaq; ciuitate conſperſum: qui illic erant, fuga præcipiti digreſſi, & à Rhodiis deſtituti, nolenteſq; ſequi naues incenſę ſunt. Cic. de Diuinationibus.

Ea [redacted] cum S. Io. Baptiſta contendentem, illū conuiciis proſcidiſſe, cùm diceret, caput illi defectum eſſe, ac deinde addidiſſe: Tu me uincis, & meis copiis inſidiaris. Qui uerò aderant, dæmoniacum aliquid de bello, quod cordi erat omnibus, dicere arbitrati, diem & horā notarunt. atque illo plane momento uictoriam eſſe partam, haud ita multo pòſt certis nunciis cognouerunt. Sigonius lib. 5. Imp. occid.

*Morituris.*

SIDONIVS Aruernorum epiſcopus, ante mortem ſe in templum deferri iuſſit, & circumſtantibus ouiculis, & cui ſeſe orphanos relinqueret, rogantibus. Frater meus Aprunculus ſacerdos ueſter erit, reſpondit. Erat is Lingonicæ ciuitatis epiſcopus. Sed quia tanquam Francorum amicus Burgundionibus ſuſpectus haberi ceperat, inſidias fugiens, Aruernum uenit, & mortuo Sidonij inimico, qui ſedē inuaſerat, epiſcopus declaratus fuit. Sigonius lib. 15. Imp. occid.

*Mortuis.*

☞ *De Diuinatione ex mortuis ſuprà egimus uniuerſim. Hic tantùm, quatenus Præſagij ſpecies eſt.*

*Brutis.*

☞ *Conſule magnum opus Prodigiorum Conradi Lycoſthenis.*

EVSEBIVS Pamphili teſtatur, agnum in Aegypto manſuetum, Bochori ingenium, Aegyptiq; felicitatem ſub tam bono rege apertis uerbis prædixiſſe. Fulgoſ. lib. 1. cap. 4.

Anno, quo TARQVINIVS Superbus regno pulſus fuit, teſtantur hiſtoriæ canem & ſerpentem locutum eſſe. Quarto etiam Q. Fabij Maximi conſulatu, & M. Claudij Marcelli tertio, ex Sicilia nunciatum fuit, bouem locutum. Item quinto eiuſdem Fabij & Q. Fuluij Flacci conſulatu, durante Hannibalis bello, aliam Priuerni in Latio bouem in hominis uerba prorupiſſe: & poſtea L. Veturio & Q. Cæcilio Marcello conſulibus, prope urbem Romam. Idem.

Ante Cæſaris dictatoris mortem, in agro Romano bos arator ad ruſticum conuerſus, loqui cœpit: Fruſtra ſtimulis ſeſe agi, priùs enim homines quàm frumenta defutura eſſe. Bellorum ciuilium certo præſagio. Idem.

Paulò ante DOMITIANI mortem, in Capitolio cornix audita eſt Græcè loqui: Omnia bene erunt. Domitiani ſuperbiæ & crudelitati ſuccedentibus Nerua & Traiano, manſuetudine clementiaq; inſignibus. Hoc facit, ut minus uideatur mirum, conſulibus M. Lepido, & Q. Luctatio Catulo in Ariminenſi agro gallum eſſe locutum. Idem ex Suetonio.

Paulo antè, quàm urbē Romam M. OTHO egrederetur cum exercitu, aduerſus Vitellium profecturus (à quo uictus prælio ſibi ipſi mortem poſtea cōſciuit) Romæ nunciatum fuit, in Ethruria bouem clarè locutam, nimirum quaſi uitulo Vitellio regnum portenderet. Fulgoſ. lib. 1. cap. 4.

De nutricatione MAHOMETI, fabulæ & nugæ blaſphemæ recenſentur in libro de Generatione Mahometi: quomodo nimirum uenti & aues & nubes certauerint de eius educatione, & quòd Deus Halimæ eum tradiderit educandum: & quòd aſina ſeſe inclinans dixerit de Mahometo: Hic eſt ſigillum Prophetarum. & quòd tres uiri puerum euiſcerarint, & portionem diaboli ex corde eius repurgarint: & quòd aruſpex eum uoluerit interficere, ut hoſtem & ruinam idolorū: & quòd euanuerit ex manibus nutricis, & iuxta fluuium Tuhene ſub arbore repertus ſit.

In MESOPOTAMIA anno à natiuitate Chriſti 753. terra dirupta uſq; ad duo miliaria, aliaq; terra minùs alba & arenoſa de ꝓfundo aſcēdit, & ex ea animal mulinum aſcendit, incontaminatū, humana uoce loquēs, pronuncians incurſionem gentis ab eremo aduerſus Arabes. Sigeber. in Chron.

Bouem quēdam ſuum paſtorem ter humana uoce allocutum, ac ut Hieroſolymā breui à Chriſtianis capiendam iret, monuiſſe, in Hirſaugienſi Chronico Trithemius recitat.

*Inanimatis.*

☞ *Exempla quædam ex loco Reuelationum petes.*

HELISÆO propheta Galgalis nato, Bos aurea in Selom horrendum edidit mugitum, cùm idololatriæ euerſorem editū dæmon præuideret. Epiphanius in uitis Prophetarum.

Simulacrum Iouis Olympię, quod paulo ante cędem CAIVS Cæſar diſſolui Romamq; transferri iuſſerat, tantùm cachinnum repentè edidit, ut machinis labefactatis opifices diffugerint. Suetonius.

Calligraphus QVIDAM Alexandrię, uenerabilis uir, ex matutina uigilia domum uadens, media nocte uidit ſtatuas ex metallo æris abſtractas, & uoce grandi dicentes, interemtū Mauricium Imperatorem Conſtantinopoli, & filios ipſius apud Byzantium. Manè facto pergens, hæc Auguſtali retulit. Qui præcepit ei, nulli hæc manifeſta faceret: ſcribenſque diem, præſtolabatur exitum. Die nóna nuncius uenit, indicans Mauricij cædem. Tunc Auguſtalis dæmonum uaticinium coram populo publicauit. Paulus Diaconus lib. 17. rerum Romanarum, & Nicephorus lib. 18. cap. 41.

D. Georgij equus pictus Byzantij in Palatij pariete ante Victricis Deiparæ ſacellum hinniēs, BALDVINO Imp. exilium à Palęologo imminens, denotauit. Gregoras lib. 8.

ANDRONICVS Comnenus tyrannus, imaginē D. Pauli uetuſti operis auro exornatā in æde Quadraginta martyrum collocarat. Ea paulò ante ipſius cædem lacrymari uiſa, abſterſis licèt lacrymis, multò largiores ꝓfundebat. Nicet. l. 2.

## RESPECTV MODI PRAESAGIA tradita

### VIVA VOCE.

☞ *Exempla non deſunt ex præced. & ſeq.*

### SCRIPTO. IN

*Cœlo.*

IVDEX quidam Antiochenus, pridie, quàm periit Iulianus Apoſtata in Perſide, iuxta prætorium excubans, uidit congeriem ſtellarum ſereno cœlo, literas in hanc ſententiam exprimentium: Hodie Iulianus in Perſia occiditur. Zonaras.

*Rupe.*

Circa an. ſal. 1251. cū quidā IVDÆVS in Hiſpania ſcinderet rupem uineæ ſuæ imminentē, ut amplificaret uineā, & ſolem admitteret, fertur in concauitate rupis reperiſſe libellū: cùm tamen nullū antè ſciſſionis in rupe ſignū inueniſſet, ſed ſolidam ſcidiſſet. Erat liber non ex membranis aut linteo, ut olim, ſed uelut ligneis tabulis compaginatus, qui tribus linguis, Græca, Hebræa & Latina ſcripturam haberet, magnitudinem æquans Pſalterij. & Loquebatur de triplici mūdo ab Adam ad Chriſtum: proprietateſque & conditiones hominū de unoquoq; mundo diſcernebat. Principiū tertij mūdi ſic dicebatur: Filius Dei naſcetur ex Maria uirgine, pro ſalute hominum patietur. Quod quum legiſſet Iudęus, cum omni domo ſua baptizatus eſt. Erat quoq; ſcriptum in eodem libro, quòd tempore Ferdinandi regis liber ille prodiret in publicū. Crāzius lib. 8. Metrop. c. 34. & lib. 7. Vand. c. 25.

*Columna.*

Apud MEMPHIM Aegypti, columna fuit aurea, Aegyptiis literis in eam ſententiā inſcripta: Tunc demùm fore liberam Aegyptum, quum illuc commeaſſent Romani faſces cum prætexta. Cælius lib. 16. cap. 3. A. L. ex Proculo Grammatico.

*Pariete.*

Seruiebant Iudæi ſeruitutem in Aſſyria, obtinebatq; Meſopotamiæ regnum BALTHASAR, cùm in regia domo manus repentè extitit, ex dealbato pariete, hæc ſcribens: Mane, Thecel, Phares: Numerum ſcilicet, pondus, & fragmētum. Id oſtentū quid ſignificaret, unus omnium Daniel præuidit: docuitq; eius regni excidium appropinquare. Sab. lib. 9. cap. 6.

In Adrianopolitano palatio, ante fores, paulò ſupra limē ſuperius, circulus depictus inuentus eſt, & iuxta circulum quatuor animalia depicta, Leo, pardalis, uulpes, lepus: & ſupra ea uerſus fatidicus, qui ſignificaret, Imperatorem quendam è Palæologorum familia, ubi Theſſalonicam ueniſſet, obiturum eſſe. Is circulus in altum longitudine duorum uirorum à terra diſtabat, ut incredibile uideretur ab homine depictum eſſe, cui occaſio non fuiſſet ſcalis appoſitis aſcendēdi, & per otiū pingēdi, cùm & Imperator adeſſet, & plurimi atq; adeò innumeri & ingrederentur & egrederentur. MICHAEL Andronici F. paulo pòſt ibi mortuꝰ eſt. Gregor. l. 7.

*Ponte.*

Fuit Lyco amni pons ad Xanthiorum oppidum impoſitus, in quo æneæ tabulæ fuiſſe dicebantur, in quibus inciſæ erant literæ, Perſarum imperiū à Græcis olim euerſum iri. Tabellæ cum ponte excuſſæ aliquantò antea quàm ad Granicum pugnatum eſt ab ALEXANDRO Magno, in amnis alueū conciderant. Tabularum fama Alexander permotus, quum aliquandiu dubius ſtetiſſet, in quam potiſſimùm partem flecteret uictoriæ curſum, ad dexteram conuerſus, omnem oram maritimam à Lydia uſque in Phœniciam, mira celeritate ſubegit. Sab. lib. 4. En. 4. ex Plut. Alexandro.

*Horto.*

Tempore IO. Zimiſcæ Imp. in pomario Senatorij cuiuſdam uiri, inuenta eſt tabella, ex Proconneſio lapide, in ſuperficie expreſſas habens duas humanas figuras: unam maris, alteram feminæ: in altera ſuperficie ſcriptum erat, Diu uiuant Ioannes & Theodora Chriſto dediti. Cedrenus.

*Fundamentis.*

Occiſo Procopio tyranno à Valente Imp. CHALCEDONIS mœnia (quòd eius urbis ciues Procopij partibus fauiſſent) ſolo ſunt æquata. Quod dum fieret, in eorum fundamentis lapideam tabulam, cui hæc inſcripta erant, repererunt:

Vrbem cùm Nymphæ choreas ducent prope ſacram,
Ornataſq; uias ſertis: poſtquam & miſeranda lauacris
Mœnia ponendis fuerint conuerſa: uidebis
Mille hominum ſpecies uariis è gentibus acri
In prædam rabie ardentes, ualidis heu uiribus, ire
Trans Iſtrum & mare Cimmerium: tunc Mœſia tellus;
Tunc Scythicæ gentes clade perdentur amara.
Cùm tandem ad Thracas, ducente cupidine lucri,
Irrumpet trux Barbaries, fato extinguetur iniquo.

Hoc uaticinium tum non intelligebatur, ſed pòſt eſt impletum, cùm Valens aquæductum exædificaſſet, & abundantiam aquarum urbi induxiſſet. Is namque exciſis mœnibus, ſaxis ad aquęductum uſus eſt, quem Valentem dixit, de ſuo nomine, ut oppidanis gratificaretur, & balneæ hoc aquęductu iuuarētur: licèt aliqui thermas Conſtantinianas appellārēt. Tandem urbis præfectus Clearchus in loco, cui nomen eſt Tauro, poſtea Platea Theodoſij dicta, Nymphæū extruxit, uti inductæ aquæ gratiam & amœnitatem demōſtraret. Poſt has ędificationes lapidea tabula quoq; Barbarorū aduentum denunciauit, qui in ipſa Thracia poſt factas populationes omnes oppreſſi ſunt. Cuſpinianus in Valente.

Cū urbs TRALLES ab Andronico Michaelis Cōneni Palęologi Imp. F. inſtauraretur, ſaxum inuentū eſt, longo ibi tempore defoſſum, in quo hoc oraculum inſculptū erat: Vrbis Trallium pulcritudo ad tempus extinguetur: eius reliquiæ extremis temporibus à populo, cui non erit princeps, perterreſient: ſed nequaquam capientur. Renouabitur autem à potente, cui à uictoria nomen eſt: qui octuplicem ſplendidè nouenarium uiuet diſcorum, & ter ſeptem uoluens, A. tali urbem illuſtrabit: cui & occidentales urbes parebunt, & feroces ei puerorū inſtar ſupplicabunt. Hoc oraculum ANDRONICVM deſignauit, qui cùm urbem inſtauraret, annum ætatis primum & uigeſimum agebat. Primus autem urbis illius cōditor fuerat Atalus Troianus; qui uetere Troia capta, hāc in patriæ memoriam extruxerat. Vnde Τράλλεις quaſi Τροία ἄλλη dicta. Gregoras lib. 5.

MEDIOLANI euerſionē à Friderico Barbaroſſa Imp. factā, aratro ſuperinducto, lapis antiquus, in demolitione murorum inuentus, continuit, in hæc uerba:

Rex eſt uenturus Mediolanum tibi durus,
Rex tibi crudelis: per quadrum diminueris.

Vrſpergenſis, & Funccius.

*Fluuio.*

Anno ſexto Iuſtini Magni, EDESSA urbs illuuione Scirti amnis miſerè fœdata eſt, & in ripa amnis inuenta lapidea tabula, hieroglyphicis literis inſcripta in hanc ſententiam: Σκίρτος ποταμὸς σκιρτήσει κακὰ σκιρτήματα πολίταις, Scirtus amnis ſaltabit malo ciuium. Cedrenus.

*Sepulcro.*

XERXES Darij filius, effoſſo uetuſto Beli monumento, uitream urnam reperit, ubi iacebat in oleo mortuus: non tamen plena fuit urna, uacuumq; à ſummis labris ferè palmæ ſpaciū habuit. Adiacebat urnæ columna exigua, in qua ſcriptum continebatur: eum, qui ſepulcrum aperuiſſet, neq; repleuiſſet urnam, peſſimè habiturum. Quo lecto, Xerxes expauit; & oleum celerrimè iuſſit infundi: non tamen impletum eſt:

Iterum infundi iuſſit: neque ſic incrementum accepit. Donec fruſtratus omni labore infundendi, ceſſaret: clauſoque monumento, ſumma cum mœſticia diſcederet. Quinquaginta myriadum exercitu aduerſus Græcos conſcripto, magnam cladem accepit: reuerſuſq;, turpiſſima morte uitam finiuit, noctu in ſtratis à proprio filio interemtus. Aelian. lib. 13. Var. hiſt. & Herod. lib. 2.

Trãquillus auctor eſt, paucos ante mẽſes quàm dictator CÆSAR ſit in curia interfectus, tabulã æneã ueteri monumẽto circa Capuã à colonis eò deductis repertã, in quo dicebatur Capys eius urbis cõditor ſepultus, literis & uerbis Græcis ita conſcriptã, quãdo oſſa Capys detecta eſſent, fore, ut ab Iulo prognatus, manu cõſanguineorũ necaretur. Sabel.

Sub Irene matre & Cõſtantino VI. eius F. in Thracia ad Macrõ tœchon cùm quidã foſſam excauaret, reperta lapidea arca in ſepulcro cuiuſdã defuncti, inuenta eſt quædam lamina ænea ſupra mortuum hominem, cum huiuſcemodi literis: χριστὸς μέλλει γεννᾶσθαι ἐκ παρθένου, καὶ πιστεύω εἰς αὐτόν. ἐπὶ δὲ κωνσταντίνου καὶ εἰρήνης τῶν βασιλέων, πάλιν ἥλιε ὄψει με. hoc eſt: Chriſtus naſcetur de Virgine, & credo in eũ. Sub Conſtantino & Irene Imperatoribus, ô ſol, rurſus me uidebis. Quæ res poſteaquã publicè recitata fuit, in locũ reſtituta eſt, ubi antea condita manebat. Fulgoſus lib. 1. cap. 6. ex Cedreno, Zonara, Paulo Diacono lib. 23. rerũ Rom. Sigeberto. Hermannus Gigas in Floribus, Platonis fuiſſe autumat.

Tumba Antenoris Troiani, PATAVII diu latuit. Tandem ſub Alberto Scaligero principe, apud Xenodochium D. Franciſci, dum terra altiùs foderetur, inuenta fuit, & in ea gladius auratus, cum his uerſibus:

Cùm ſuper A ſumes primum tibi Dardane gramma,
Auxilium à ſuperis ſubito tibi numine clama.
Heu Patauum qui te profugus cõſtruxit ab igne,
Multoties tali peſti ſubiecta malignæ.
Mors cita, uita breuis, Patauos in pace uolentes
Viuere non paſſa eſt, genus hoc fatale ferentes
Admonet, & punit nullo diſcrimine ciues.

Qui uerſus barbari longo pòſt tempore à uatidico aliquo in gladio cælati, & ſepulcro Antenoris impoſiti uidentur. Antenor enim ante Chriſtum 1118. uel 1141. obiit. Exitus ipſe uaticinium uerum fuiſſe oſtendit. Semper enim Patauini ab iis principibus, quorum nomina ab A incœperunt, malè ſunt tractati: ut ab Atila Hunno, Agilulpho Gotho, Acciolino tyranno, Anſodiſio Acciolini præfecto, Alberto Scaligero, Andrea deniq; Nerio prætore Carrarienſium. Bernardus Scardeonus in hiſtoria Patauina.

*Libro.*

LEO Armenus Imp. Conſtantinopoleos, fertur in bibliotheca magna Regum, ubi pleraq; de Regibus oracula tenebantur, & quæ præterea Sibyllæ putabantur, librum quendam reperiſſe, cui inſcriptę erant hominum ferarumq; imagines, inter quas erat Leonis figura, cui in dorſo literæ χ forma erat impreſſa: pòſt uir quidam, qui eam haſta per medium transfigebat. Quas ęnigmaticas figuras cùm Imperator interpretari nequiret, Quæſtor quidam interpretatus: In die, inquit, natali Chriſti, rex peribit. Leonem enim Imperatorem eſſe: haſtam mortis genus denotare: X uerò literam nominis Chriſti primam, tempus cædis ſignificare. Neque uerò falſum fuit præſagium. Namque Michaelis Thrauli conſpiratione, Natali feſto in templo cæſus eſt. Cuſpinianus. Cedrenus.

Multo antè quàm moreretur ANDRONICVS Senior Imp. repererat librum, qui & perplexis literis, & obſcuris imaginibus indicia continebat eorum omnium qui unquam imperio potituri eſſent. In quo animi & prudentiæ huius Imperatoris ſignum præter cætera, erat uulpes: obitus autem tali in loco poſita ſella, & duo nigro ueſtitu aſtantes adoleſcentuli apertis omnino capitibus. Niger autem ueſtitus & aperta capita & duo tantùm adoleſcentuli, Imperatori monaſticum cucullum ſignificarunt, & Imperatoriæ calyptræ amiſſionem per biennium. Sub eo habitu duos annos exegit. Gregoras lib. 19.

Ferunt, occupato crudeliter imperio Conſtantinopolitano, MANVELEM in diuinorum carminum libellum incidiſſe, quem dum fortè euolueret, exhorruit uehementer fatidicũ carmen, quo ſignificabatur fore quandoq;, ut ex Hadria uenirent, qui Byzantium occuparent, & reliqua eius regionis. Quæ omnia quum obſcuris uerborum inuolucris operta iacerent, coniectoribus diuinationumq; peritis hominibus adhibitis, inter omnes conſtitit, eos Venetos eſſe, Hadriatici ſinus accolas. Inde odium in Venetos concepit, & Panoniæ regem contra eos excitauit. Cuſpinianus.

METENSIVM epiſcoporum ſucceſſionis liber propheticus Clementi I. epiſcopo ab angelo traditus, Epiſcoporum nomina initialibus tantùm literis, auro, argento, ære, plumbo notata habuit. In eum cùm Theodericus epiſcopus incidiſſet, & nomen ſuum argenteo notatum charactere conſpexiſſet, dixiſſe fertur, Effecturum ſe, ut litera aurea dignus habeatur. Sigebertus, anno 984.

*Foliis.*

Cumana SIBYLLA, ut teſtatur M. Varro, in palmarum foliis oracula ſcribebat. Quod ſecutus Vergilius in 3. Aeneidos,

Inſanam uatem aſpicies, quæ rupe ſub ima
Fata canit, foliiſq; notas & nomina mandat.
Quæcunq; in foliis deſcripſit carmina uirgo,
Digerit in numerum, atq; antro ſecluſa relinquit.
Illa manent immota locis, neq; ab ordine cedunt.

Item in ſexto,

—Foliis ne tantùm carmina manda,
Ne turbata uolent rapidis ludibria uentis.

*Olla.*

Cadmus Agenoris in Rhodo inſula Mineruam Lindiam ornauit donis: in queis olla fuit ærea admodum conſpicua, antiquo more fabrefacta. In ea literis Phœnicum inſcriptũ erat, terram Rhodiam à ſerpentibus uaſtatum iri. RHODII Delphos ſciſcitatum miſere, quo pacto id auerteretur malum. Reſponſum, ut Phorbantem cum ſociis in inſulam aſciſcerent. Hic Lapithi filius cum multis erat in Theſſalia ſociis, patriam ad habitandum quærens: ac citò iuxta Dei reſponſum, Phorbanti pars inſulæ ad habitandum conceſſa eſt. Cuius uirtute deletis ſerpentibus, liberata eſt eo timore Rhodos. Diod. lib. 5. cap. 13.

*Aulæo.*

RODERICI Gothi Hiſpaniarum regis temporibus, Toletũ ueteres ædes, quæ diu clauſæ manſerant, contra omnium ſententiam à Roderico apertæ ſunt, qui theſauros ſe in eis abſconditos putabat inuenturum. Effracto cophino ferrato, Attalici operis pannus duntaxat in eo repertus eſt, hominum figuris barbaris effigiatus, cum hac inſcriptione: Quo tempore hic pannus in lucem eruetur, gens ea forma, quæ in panno expreſſa eſt, totã penè Hiſpaniã delebit. Omnibus ea re territis, in locum, ubi priùs erat, pannus reſtitutus eſt, & palatij fores, ut antè erant, occluſæ. Paulo pòſt Arabes ſimulacris in panno expreſſis perſimiles, in Hiſpaniam traiecerũt: & Roderico occiſo, oppreſſiſq; magna ex parte Gothis, maiorem melioremq; Hiſpaniæ partem ditioni ſuæ adiecerunt. Fulgoſus lib. 1. cap. 6.

## ADMONITIO PER SIGNA DIVINA.

Tertia hæc eſt formalis ſpecies Diuinationis, ſui ambitu Omina, Auguria, Auſpicia, Prodigia, Portenta, Oſtenta, Somnia cõplectens. De quibus ſic ſcribit Alex. lib. 5. c. 13. Gen. dierũ. Auſpiciorum quinq; genera obſeruantur ab augurandi peritis: primum ex cœlo, ſecundum ex auibus, tertium ex tripudiis, quartum ex quadrupedibus, ultimum ex diris. Ex his quędam oblatiua ſunt, quæ non poſcuntur: quædam impetratiua, quæ optata ueniunt. Ex cœlo fit augurium, ut ſi læuum intonuiſſet, quod proſperi euentus putarunt eſſe: idem, ſi fulgur à ſiniſtra in dextram emicuiſſet. Apes quoque & ueſpæ augurium ſæpe fecêre. Ex tripudiis uerò eſſe auguria, ueteres fabulati ſunt: ut ſi pulli non addixiſſent, uel ſi uitulus è ſacrificantium manibus proripuiſſet, aut hoſtia profugiſſet, uel percuſſa mugitum dediſſet, uel ſi inter ſacrificandum aliquid triſte oculis aut auribus occurriſſet, ſeu in extis caput iocineris defuiſſet, quæ omnia fœdi euentus eſſe, nemo dubitauit. Ex quadrupedibus autem fuêre, quæ pedeſtria dicuntur auguria: ut quæ à lupo, ſerpente, equo, uulpe, ceteriſq; reptilibus fiunt. Ex diris ſunt offenſiones pedum, uoces exauditæ, res oblatæ oculis, & alia id genus: ex quibus certa captantur auſpicia: limen offendiſſe, laciniam adhæſiſſe, uel prolapſum occidiſſe, obſcenum oſtentum eſſe, uulgò receptum eſt.





SIGNA *diuina in multiplici ſunt differentia: Omina, Auguria, Auſpicia, Prodigia, Portenta, Oſtenta, Somnia: ab auctoribus confusè admodum & tradita & explicata, quandoquidem unum idemq; ſignum alij omen, alij portentum, alij oſtentum appellant. In tanta igitur incertitudine diuinationis, liceat nobis quoque diuinare, & uериſimilitudinem ſectari, quando demonſtratiuè de rebus dubiis & ambiguis loqui non poſſumus, diuidendo ea ſecundùm omne genus cauſarum. nimirum ex*

Materia. *Sic ex omnibus reb. naturalibus Signa interdum ſumuntur, in tres ſpecies ſummas uulgò diuiſis, in Aues, in Monſtra, & in Exta: hincq; adeò tres diuinationũ formæ,* ὀρνιθομαντεία, τερατοσκοπία, *&* ἱεροσκοπία. *Cæterùm nõ ita ratæ, quin ſingulæ etiam alienas ſpecies ſui ambitu complectantur: ut ſi in ullo alio, in hoc potiſſimùm ſuperſtitioſiſſimo mendacij genere, ipſius mendacij parentis uanitas apertè conſpiciatur. Cæterùm quando in hac cloaca detegenda occupari cogimur, Signa alia ſumi aſſerimus ex rebus*

Corporeis, *& uel mundi*

Superioris. *Vtputa ex Sideribus, eorumq; paſſionibus, motu, eclipſi, coloribus, figuris, quantitate, &c.*

Inferioris. *Nimirum ex corporibus uel*

Simplicibus, *ab Elementis ſcilicet, eorundemq; accidentibus. Cuius generis ſunt Exuſtiones & incendia, Venti, Inundationes, Diluuia, Siccitates, Fluminum tranſpoſitiones, Hiatus, Montium concurſus, Terræmotus.*

Mixtis *naturalibus, tum*

Inanimatis, *uel Supra terram, à Grandine, Niue, Pluuia, & quibuslibet aliis meteoris, uel In terra, uel Subtus terram, à Saxis, Metallis.*

Animatis: *utputa à*

Stirpibus, *earundemq; fructibus in uniuerſum.*

Animalibus, *ſiue*

Rationalibus *hominibus.*

Irrationalibus, *tum*

Terreſtribus, *quadrupedibus, reptilibus: feris cicuribusúe.*

Aquatilibus.

Volatilibus. *Ex uolatilium Oſcinum garritu, uolatu Præpetũ, tripudio Chalcidicorũ.*

Incorporeis, *ex uariis Spectris, quæ uel humi, uel ſublimi, in aere aut aqua ſpectantur.*

Forma. *Signum eatenus ſignum dicitur, quatenus indicat, & in hominis apprehenſionem cadit. Apprehendit autem uel ſenſibus*

Externis, *uigilans. Signa eiuſcemodi, quæ uel id, quod eſſe uidentur,*

Sunt, *& attentionem mouent uel*

Per *accidens, quoniam cùm neq; cauſa neq; effectus præter naturam ſe habeat, ratione tamen accidentium (temporis, nimirum quando, loci ubi, modi item & perſonarum à quibus uidẽtur) diuinationem aliquam in ſe continent. Cuius generis ſunt ea, quæ obſeruantur, tum in*

Hominibus. *Cicero in libro de Diuinatione, Non ſolùm, inquit, deorum uoces Pythagorei obſeruarũt, ſed etiam hominũ, quæ uocant* OMINA: *quæ maiores noſtri, quia ualere cenſebãt, idcirco omnibus rebus agendis, Quod bonum, fauſtum, felix fortunatumq; eſſet, præfabãtur: quoniam non fortuito motu, ſed diuina prouidentia huius notæ monitiones conſtare putabant. Omen ergo, quod uoce hominis fit, quaſi oris minæ, dicitur, ab infauſto & infelici ſymbolo, ex ſpecie genus denominando. At quid ſi ut ab auibus Auguria & Auſpicia, ab aris Aruſpicia, ab extis Extiſpicia, ſic ab homine Omina deriuemus? ut ſic Ominis appellatione non minæ tantùm, uerumetiam rerum proſperarum præſagæ uoces contineantur? neq; uoces tantùm, uerumetiam facta quælibet hominum? Ergo craſſa minerua ea ſint Omina in uniuerſum, quæ homini contingunt naturaliter & conſueto more (ſic differunt à Prodigiis, quæ homini præter conſuetum morem eueniunt: ut ſi infans biceps naſcatur) neque per ſe nouitatis aliquid habere uidentur, ſed per accidens tãtùm, ratione temporis, loci, perſonarum: ut quamuis caſu accidant, paulo pòſt tamen uel eorum auctoribus, uel iis qui ea notarũt, præſagij loco fuiſſe intelligantur. Diducuntur autem in Actiones & Paſſiones. Paſſiones ſunt, uerbi gratia, Sternutamenta, Offenſiones pedum, Palpitationes oculorum (*παλμικὸν *auguriũ olim uocabant) Aurium tinnitus, Maculæ in corpore enatæ, & ſimiles nugæ. Actiones rurſus Dicta & Facta continent. Dicta ſunt uoces ominoſæ (quarum exempla quædam Plinius lib. 28. cap. 2. recenſet) diuerſæ à præſagiis. Nam qui præſagiunt, certò id, quod dicunt, enunciant: qui uerò ominantur, fortuitò tantùm, &* παθητικῶς *magis quàm* λογικῶς, *uerbum, in quo omen ineſt, proferunt. Pertinent quinetiam ad Ominum catalogum Nomina à primo ortu hominibus i[illegible]ſita, quæ eorũ uitæ generi conſentanea fuiſſe, res ipſa declarauit. Quorum non pauca exempla ex loco Fortunæ petenda erunt, de Nominum impoſitione. Facta ominoſa ſunt tot generum, quot ſunt actiones humanæ.*

Auibus. AVGVRIA *&* AVSPICIA. *Ad hoc genus, inſectorum quoque uolantiũ ſigna aliquo modo pertinẽt, utputa Apum, Veſparum, &c. niſi quis ad Prodigia referre malit. Vtplurimùm tamen ad hanc ipſam claſſem etiam reliquorũ Brutorum indicia, tum quadrupedum, tum aquatilium referũtur. Præſtaret autem cuilibet ſpeciei ſua propria ſigna tribuere, ut ſic Auguria & Auſpicia ſolis auibus conuenirent.*

Per *ſe. Eſt enim hîc eſſentialis, ut ita loquar, nouitas: quando uel Effectus nouus, aut ſaltem non adeò frequens, à cauſa eadem naturali prouenit, ut ſi leo pariat agnum: uel Cauſa noua eundem effectum naturalem producit, ut ſi mula pariat mulum, quæ naturâ ſua ſterilis eſt. Huc pleraque* PRODIGIA *&* PORTENTA *pertinent, reſpectu tantùm differentia. Nam ſi terminum A quo ſpectes, hoc eſt deos ipſos, à quibus immittuntur, ut nobis uoluntatem ſuam prodant, Prodigia erũt:*

ſin uerò terminum Ad quem, homines uidelicet, ad quos uel mala uel bona impendentia, quæ præſignificantur, pertinent, ſic à portendendo Portenta nuncupari poterunt. Niſi quis ratione temporis hæc diſtinguenda putet, ut iamiam imminentium fatorum (ut ita loquar) ſigna Prodigia ſint: id enim, quod præ foribus eſt produnt. eorum uerò, quæ longo pòſt tempore euentura ſunt, indicia, Portenta uocentur, quaſi porrò tendentia.

**Non** *ſunt, & ideo contra naturam omnino eſſe uidentur. Cuius generis ſunt* **OSTENTA** *pleraque, ab oſtendendo dicta, quæ eatenus cum Prodigiis & Portentis coincidunt. An fortè Oſtentum Græci φάντασμα appellant, quod uel nihil reipſa eſt, at noſtris ſenſibus obiectum aliquid eſſe uidetur: uel ſi aliquid eſt, aliud tamen eſt, quàm eſſe uidetur: ſiue naturalis alicuius rei ſpeciem præ ſe ferat, ut lactis, ſanguinis, armorum, animalium: ſiue non naturalis & diuinæ, ut dei alicuius, dæmonis, herois. Differt igitur à Prodigio & Portento, quòd Oſtentum nihil eſt, uel certè non eſt id, quod uidetur eſſe: neque naturâ fit, ſed à cauſa aliqua diuiniore. Prodigium uerò id eſt quod eſſe uidetur, & à naturâ prouenit, quamuis præter morem ſuum agente. Sic in cœlo uaria interdum ſpectra conſpiciuntur, quæ uel nihil ſunt, uel ſi quis intelligentiam ſubeſſe contendat, fateatur neceſſe eſt, aliud eſſe, aliud apparere. Quando autem montes concurrunt, terra tremit & mugit, monſtra uaria & brutorum & hominum in lucem edũtur, animalia cicura efferantur, feræ miteſcunt: fiunt iſta quidem omnia à natura, non tamen conſueto more agente. Et propterea illa Oſtenti, hæc Prodigij nomenclaturam ſubibunt.*

**Internis**, *imaginatione ipſa, dormiens. Huc* **SOMNIA** *pertinent.*

**Efficiente.** *Signa iſta proueniunt uel ab efficiente*

**Naturali.** *Cauſa naturalis uel agit more*

**Conſueto**, *ita ut nec effectus nec efficiens cauſa per ſe, ſed tantùm merito circumſtantium, nouitatẽ quandam inuehat.*

**Non** *conſueto. Huius generis ſunt monſtra, in quibus natura aliter quàm conſueuerat, operatur, ſuiq; inſolentia homines in admirationem pertrahit. Quamobrem* **MIRACVLA** *appellari ſolent.*

**Non** *naturali, ſed diuiniore aliqua.*

**Fine**, *ſiue ex ſignato ipſo, ad quod ſigna omnia referuntur. Sic eaſdem admittũt diuiſiones Signa diuina, quas & Reuelationes & Prædictiones. Id quod ex Titulis ſequentibus, ſecundùm uarietatem eorum, quæ ſignificant, in ordinem redactis, cognoſcere licebit.*

## DIVINATIONIS SPECIES EX TEMPORE DESVMTAE.

### ANAMNESTICA PRAETERITORVM.

*Exempla aliquot ex Tit. Diuinationis per inſomnia, pete: item per Monomachiam: item per Ignem. quatenus præteritæ uitæ argumenta hinc petuntur.*

Poeta SOPHOCLES ſæpiùs per quietem conſpexit Herculem, furem eum nominatim accuſantem, qui ex fano ſuo aureum uas furto ſubripuiſſet. Vt rem Ephoris detexit, comprehenſus quem Hercules accuſabat, uerum eſſe furtũ confeſſus eſt. Quamobrem ab eo tempore templum illud indicis Herculis nominatum eſt. Fulg. lib. 1. cap. 5.

Anno toto poſt cædem CÆSARIS, orbis ſolis pallidus ſine fulgore emerſit, debilemq; & tenuem dimiſit calorem. Itaque nubilus aer & grauis extitit imbecillitate eum tenuantis teporis. Vnde fructus crudi immaturiq; elanguerunt ob cœli rigorem, & flaccidi euaſere. Plutarchus in Cæſare.

ANDREAS Fundanus, epiſcopus caſtiſſimus, ſanctimonialẽ apud ſe alebat iam ſenex, eiuſq; amore moueri cœpit. Fortè accidit, ut Iudæus quidã ex Campania Romam profectus, ad cliuum Fundanum ueniens, in Apollinis templo pernoctare cogeretur. Media nocte dæmones adſunt. Vnus ex illis induſtriam ſuam in Andrea epiſcopo ad luxuriam commouendo iactat, & à principe dæmonum ad rem perficiendam inſtigatur. Incidunt deinde in Iudæum (qui ſe, ſuperſtitione potiùs, quàm pietate motus, crucis ſigno munierat) & quia cruce ſignatus erat, exclamant: Væ uæ, uas uacuum & ſignatum. hocque dicto diſparent. Iudæus manè rem Andreæ indicat, & ad Chriſtum conuertitur, Andreas à ſtupro præſeruatur.

Narrat Paulus, Luitprandum Longobardorũ regem aliquando uenantem, grauiter ex lethifero ſororis filij uulnere eſſe affectũ, ſtatimq; nunciũ ad BAVDOLINVM, qui apud Forum iuxta amnem Tanarum miraculis florebat, ut pro iuuenis ſalute Chriſtum oraret, miſiſſe. Baudolinum autem præoccupato nuncio dixiſſe, non eſſe, cur rogaretur: nam puerum illum eſſe defunctum. ex quo apparuiſſe, illum ſpiritu diuino eſſe repletum. Sigonius lib. 3. regni Ital.

### DIAGNOSTICA PRAESENTIVM: VT

*Diuini fauoris,*

LEPROSO cuidã reuelata eſt dedicatio templi Dionyſiaci. Narrauit is pontificibus, qui ad dedicationem conuenerãt, cùm in eo templo nocte illa excubuiſſet, Chriſtum à ſe uiſum, alioſq; ſanctos templum dedicantes: iubente Chriſto, ut, quod uiderat, pontificibus ad dedicationem profectis recenſeret: eiuſq; rei ſignum quòd eſſet à lepra mundatus, cutiſq; à facie, tuberculis eius morbi ulceroſa, tota eſſet ſublata. Ei igitur & fides habita, & pontifices à dedicatione abſtinuerunt. In rei autem memoriam, nunc quoq; detracta ex leproſi uultu cutis, aurea pyxide condita oſtenditur, & dies quotannis inter ſolennes celebratur. Fulgoſ. lib. 1. cap. 6.

*Victoriæ.*

Victis prælio nauali ad Mycalen Medis, eodem die Platæas uſque uictoriæ nuncius excurrens, GRÆCOS contra Perſas pugnaturos plurimùm animauit. Plut. in Aemylio.

Præliũ, quo SYBARIS in Italia exciſa eſt à Crotoniatis, eodẽ die ab iis auditum eſt, qui Olympia in Græcia ſpectabant. Sabel. libro 10. capite 9. ex Plinij libro 7. capite 22. & Plutarchus in Aemylio.

HIRCANVS III. Iudæorum dux & pontifex, cùm filios Ariſtobulum & Antigonum obſidioni Samariæ præfeciſſet, & Samaritani Antiochi Cyziceni opẽ implorasſent: fertur, q. illa ipſa die, qua eius filij conſeruerunt cum Cyziceno prælium, pontifex ipſe ſolus in templo odoramẽta adolens uocem audierit, nunciantem filiorum recentem de Antiocho uictoriam. idque mox progreſſus renunciauit multitudini, & paulo pòſt certius comprobatum eſt eius oraculum. Ioſephus libro 13. capite 18.

Victoriam de Tarquiniis, qui ſociis Latinis arma mouerant, duo uiri eximia & eminenti ſpecie uiſi ſunt, qui breui pòſt recentes à caſtris nunciarunt: hos Tyndaridas fratres coniecerũt fuiſſe. L. DOMITIVS, qui primus eos appellauit pro fonte in foro reficientes equos, qui multo ſudore manabãt (Suetonius rure redeũti obuios factos iuſſiſſe ait uictoriam nunciare) mirabatur uictoriæ nuncium. Mox ferunt, eos arridentes attrectaſſe manibus illius barbam, quam confeſtim in rufam ex nigra uerſam, fidem nuncio, ac uiro Aenobarbæ dediſſe cognomen. Plutarchus in Aemylio, & Suetonius in Nerone.

ROMANI cum Tarquiniis ingenti prælio commiſſo, L. Iun. Brutum conſulem amiſerant. Cæterùm nocte, quę proximè ſecuta eſt, tantus terror hoſtes cœpit, ut irrito incœpto pro uictis Tarquinenſes Veienteſq;, tacito agmine domum diuerſi adierint. Fama eſt, nocte illa, quæ pugnæ ſucceſſit, ex proxima ſylua (Liuius Arſiam uocat: Dionyſius Herois Horatij ſacrum id nemus fuiſſe ait) ingẽtem uocem redditam, ſiue huius fuerit ſiue Fauni, Syluaniue, Vno plus Hetruſcorum prælio occubuiſſe, Romanos acie uincere: quo prodigio territi hoſtes pro uictis ceſſerint. Sabellicus lib 7. Enn. 2. & Val. lib. 1. cap. 8.

Florus eodem die, quo L. Pauli Aemylij ductu Perſeus uictus



fuit, ROMAM duos equites uictoriæ nuncios ueniſſe auctor eſt, qui ad Iuturnæ lacum conſpecti ſint recenti cruore reſperſi, creditiq; Caſtor & Pollux, qui ea in acie pro Romanis ſteterint. Valerius Max. lib. 1. c. 8. P. Vatinio Reatinæ præfecturæ uiro duos iuuenes obuiam ueniſſe ait albis equis ſedentes, qui nunciarint pridie illius diei, Perſeum ingenti prælio uictũ. Id Vatinius quum ſenatui indicaſſet, quaſi contemtor maieſtatis primò ſit in cuſtodia habitus, mox nũciata uictoria, quia Pauli literæ nuncio reſpondiſſent, uinculis liberatum, publicoq; agro & militiæ uacatione donatum. Plutarchus quatriduo, quàm pugnatũ erat, ludorũ die, rumorem incerto auctore totã caueam peruaſiſſe ait, Macedonas à Paulo uictos, populumq; ſedentẽ ingenti læticia exultaſſe, poſteroq; die famã illam, quum nullus certus extaret auctor, pro uana reſediſſe: poſtremò certiorẽ nũciũ ſecutũ, qui quum omnia palàm feciſſet, uulgò creditum, præſagiũ illud fuiſſe, quod priuſquàm nunciata eſſet Po. Rom. ſuæ uictoriæ applauſiſſet. Sabellicus lib. 8. En. 5.

De Cimbris parta uictoria, eo die, quo fuit dimicatum, ROMÆ nunciata eſt. Iuuenes duo laureati pro æde Caſtoris, prætori de eadem re literas reddidiſſe dicuntur, rumorque frequens Cimbricæ uictoriæ peruaſit populum, tum fortè in cauea ſpectantem. Sab. lib. 2. En. 6.

Quo die ad Pharſalum Cæſar cum Põpeio dimicauit in Theſſalia, Patauij C. CORNELIVS augur, quum capturus auguria reſediſſet, primo conſpectu ad ſuos repentè conuerſus: Iam res ipſa conficitur, inquit, iam uiri opus ineũt. mox repetito auſpicio lymphatica uoce exiliit, clamitans: Vincis Cæſar. Ea res quum ſtuporem aſtantibus incuſſiſſet, detractam ille capiti coronam non priùs repoſiturum iuratus eſt, quàm res arti fidẽ aſtipulata eſſet. Liuius & Plutarchus in Cæſare. Plinius perueniſſe ſtrepitum ait duarum acierum ex aduerſo confligentium ad auguris ſenſum in Patauinis montibus ſedentis: auſiq; ob id affirmare, aut mundanam machinam breui ſolutum iri, aut Cæſarem cum Pompeio conflixiſſe. Sab. lib. 7. En. 6. ex Gellij lib. 15. cap. 18.

Cùm à Domitiano Antonius deſciuiſſet, atq; ingens bellum in expectatione eſſet à Germania: urbe conſternata, repentè & ſine auctore populus ex ſeſe famam diſtulit uictoriæ, ac ſermo Romam peruagatus eſt, interfectum eſſe Antoniũ, exercituſq; eius ſtrati nullam partem ſupereſſe. Fuit autem tam certa fides & flagrans, ut magna pars magiſtratuum ſacrificaret. Cùm uerò auctor rumoris quæreretur, nec extaret ullus, ſed ab alio ad alium reiectus refugeret ſermo, & demerſum deniq; in multitudinem immenſam uelut in uaſtũ pelagus ex nulla certa proceſſiſſe origine apparuit: hæc quidem fama properè effluxit urbe. Cæterùm educenti legiones ad bellum Domitiano, nuncius & literæ iam in itinere uictoriam ſignificantes occurrẽre. Huius trophæi & famæ unus fuit dies, locis plus duo millia quingenta miliaria diſtantibus. Plut. in Aemylio.

IOANNES monachus Aegyptius, ſanctitate clarus, prẹter ea quæ de futuris uictoriis & aliis rebus Theodoſium præmonuerat, Hieronymo quoq;, quemadmodum ipſe teſtatur, affirmauit: eo die, quo Hieronymus eum alloquebatur, Alexandriam perlatum eſſe nuncium, de Theodoſij contra Eugenium uictoria, quæ prorſus ignorabatur: neq; de ea adhuc aliud homines ſuſpicabãtur. Quæ res ita contigiſſe inuenta eſt, ut ipſe tunc prædixerat. Fulg. lib. 1. cap. 6.

IOANNES Palæologus Conſtantinopolitanus Imperat. Vladiſlaum Vngariæ regem, qui Turcorum exercitum ad montem Hemum duce Coruino non ita pridem profligarat, per legatos ad perſequendum bellum cohortatus, ut faciliùs permoueret, orationi miraculum adiecit, eo, quo Carambus Baſſeus Turcus, & Amurathis affinis captus eſt, die, Conſtantinopoli, ad portam Macedonicam, uiſum eſſe iuuenem candidatum, equo inſidentem, geſtienti circum lętitia diſcurſare, nunciare Turcarum cladem, & ineundæ in diræ gentis exitium expeditionis admonere. Bonfinius libro ſexto, Decad. 3.

[redacted] to uultu affirmauit, & ad gratias numini agendas imperauit. H. Boëthius lib. 9.

Quo die Robertus I. Scotorum rex, Eduardum II. Anglum ad fl. Bannasborn uicit, eques quidam fulgentibus armis Aberdoniam tranſiens, uictoriam Scotorum maximam nunciauit: idemq; uiſus eſt Pictorum Boſphorum equo traieciſſe. Vulgò autem habitus fuit diuus Magnus, Orcadum quondam princeps. Robertus fama rei illius motus, Orcadenſe templũ quinq; libris Sterlingiis ex portoriis & uectigalib. Aberdonẽſis oppidi quotãnis recipiẽdis donauit, ad panẽ, uinũ, ceramq; ſacris faciundis comparanda. H. Boëth. lib. 14.

ITALI, ſuaſu Victoris papæ, & promiſſione condonationis omnium peccatorum facta omnibus ſub uexillo S. Petri militantibus, Africam infeſtis ſignis ingreſſi, centum millia Saracenorum occiderunt, atq; eorum præcipuam urbem expugnatam euerterũt: quæ quidem uictoria eodem die quo parta erat, in Italia nunciata eſt. Chronicon Caſſinenſe libro tertio, cap. 70.

VLADISLAVS Iagello Polonorũ rex, Suitrigellonem fratrẽ rebellem ad Moraquã fluuiũ magna ſtrage affecit. Abeſt locus ille prælij à Leopoli nõ minùs quadraginta miliaribus bene longis: & tamen quo die hęc geſta ſunt, hoc eſt ultimo Nouembris, cùm rex in templo, ubi tunc totos dies tranſigebat, diuinam opem ſedulus imploraret, nõ ignarus cum quàm grauibus & inſidioſis hoſtibus exercitui ſuo res eſſet, rumor de uictoria ſparſus totam urbem impleuit. Nec auctor eius rumoris inueniri potuit, ita ut uana læticia exultaſſe homines uiderentur. Poſtero deinde die certo nuncio res omnis, ut geſta erat, cognita eſt: gratiæq; actæ Deo, ac dona à rege miſſa militibus. Cromerus lib. 20.

Apud FLORENTINOS (quo die Aretinus populus in Campaldini campis ſuperatus fuit) cùm urbanus magiſtratus, penes quem imperium eſt, nocturnis uigiliis defeſſus, per meridiem quieſceret, clarè pulſantium ad oſtia ſtrepitum audiuit, qui prẹlio uictos Aretinos nunciauerunt. Excitatus hoc nuncio magiſtratus, cùm propter rei magnitudinem à tota urbe ad prætorium fieret concurſus, nunquam uictoriæ, quæ nunciata erat, auctor eſt inuentus: neque antè de proſpera pugna literæ Florentiam, quàm nocte, quæ eam ſequuta eſt diem, allatæ fuẽre: neque enim loci interuallum afferri celeriùs humana ope permittebat. Fulgoſus lib. 1. capite 6. Exemplorum.

MAGDALENA Crucia Hiſpana monacha, quo die Franciſcus I. Gallorum rex ad Papiam captus eſt, & Roma ab Aurantio expugnata, per Sathanæ indicium reſciuit. Caſſiodori Renij acroama.

*Actionum & Paſsionum humanarum quarumlibet.*

EZECHIEL propheta in Chaldæa uidebat ea quæ Hieroſolymis in templo fiebant. Vide Tit. Prophetarum.

ACHIAS Hieroboami regis uxorem, ad ſe mutato habitu uenientem, ſpiritu prophetico agnouit & corripuit. 3. Regum decimoquarto.

Arcades duo Megaram uenerant. ALTER qui apud amicum diuerterat, alterum à caupone noctu impetitum ſuumque implorantem auxilium in ſomnis uidit. Val. Max. lib. 1. cap. 7. ex Cic. lib. 1. de Diuin.

L. LENTVLVS litus prærernauigans, in quo Cn. Pompeij magni, perfidia Ptolemæi regis interemti, corpus conſciſſæ ſcaphæ lignis comburebatur, ignarus caſus eius, cùm ipſi fortunę erubeſcendum rogum uidiſſet, commilitonibus dixit: Quid ſcimus an in hac flamma Cn. Pompeius cremetur? Diuinitùs miſſæ uocis miraculum eſt. Valerius Maximus lib. primo, cap. 8.

APOLLONIVS Tyaneus in Epheſo cùm diſputaret, animo penè abalienatus, intentiſque oculis, tanquam ſi in re præſenti fuiſſet, ſæpiùs dixit: Percute peccatorem Stephane, percute. Poſtremoq; addidit: Mortuus eſt tyrãnus. Qui cùm magna omnium, qui aderant, admiratione auditus eſſet, poſtea acceptum eſt, eadem die, atq; ipſo horæ momento, Romę occiſum fuiſſe Domitianum Auguſtum, ab homine, cui nomen Stephano erat: ſicuti tunc Apollonius declarauerat. Fulg. lib. 1. cap. 6. & Xiphilinus in Domitiano.

IAMBLICHVS philoſophus Pythagoricus, cùm quondam è ſuburbano ſacrificio rediret cum ſuis diſcipulis, ac de ſacris loqueretur, extemplò abrupto ſermone: Diuertamus, inquit, alia uia, quando hæc eſt, uti ſentio, polluta funere, neſcio quo. Pars ergo eum ſequuta, pars autem cœpto itinere pergere perſeuerans, obuiã ueſpillones habuit, qui à defuncti cadauere reuertebantur. Eunapius.

NICEPHORVS patriarcha, cũ in exilium à Leone Armenio Imperatore relegatus, abduceretur: THEOPHANES confeſſor, monaſterij magni Agri præfectus, eũ nauigio præter uehi, diuino inſtinctu ſentiens, cùm in parte prædij quadam ipſe ageret, ſuffitu & cereis proſecutus eſt. Sed & Nicephorus intentis manibus uiciſſim Theophanem ſalutauit, flexiſq; genibus ſummè ueneratus benedixit: cùm quidẽ neuter alterum uideret, ſed acie ſpiritus mutuò ſeſe cernentes, dignum inuicem honorem exhibuerunt. Et cùm quidam unà nauigantium quæreret, quémnam ita manibus in ſublime eleuatis ſalutaret: Sanctiſſimum, reſpondit, Theophanem confeſſorem, & Agri præpoſitum, qui nos facibus & ſuffitu excepit. Neque multo pòſt, exitus ueram prædictionem oſtendit. Nam mox cum multis aliis Theophanes quoque eccleſia eiectus, infinitiſque uexatus modis, confeſſionis, coronã deportauit: neq; ei datum eſt patriar-

cham

cham porrò uidere, ne eius uel hac in parte falleret uaticinium. Cedrenus.

D. BENEDICTVS abbas, Totilam regē diſſimulato habitu ad ſe uenientem, facilè inter reliquos comites agnouit, & prodire iuſſo, fata uictoriç, cladis deniq; & mortis prędixit.

PRÆFECTVS monaſterio S. Diomedis Megalopoli, Baſiliū Macedonem, puellum, cum matre in ueſtibulo ædium dormientē, in ſomnis regem fore didicit. Apparens enim ei S. martyr, iuſſit, ut foris dormientem in ueſtibulo regē intromitteret. Experrectus diaconus, & extra portas tēpli profectus, Baſilium adoleſcentulum reperit dormientem, & ſomniū inane phantaſma exiſtimauit. At ſomno ſe iterū dedēs, fuit iterum atq; tertiò admonitus, ut regem introduceret. Quare excitatū Baſiliū introduxit in templum, & neceſſaria ei ſubminiſtrauit. Iā cùm ſomniū illud diaconus affini ſuo narraſſet, & hic per alium ipſi Baſilio, iureiurando eum adegerunt, ut huius beneficij, regno potitus, memor eſſet. Cuſpinianus ex Zonara & Cedreno.

Eodem die, quo apud Claromontem Sacrum bellum indictū eſt ab Vrbano pontifice, in Galliis, fama decreti belli uſque ad extremas terras peruenit. Sab. lib. 3. En. 9.

EMERICVS, Stephani regis Hungarorum filius, adoleſcēs, D. Martini monachorum caſtitatem agnoſcens, oſcula diſparia eis impertiuit. Cauſam rogatus à patre, Pro continentiæ (inquit) modo, oſcula dedi ſeptena perpetuæ caſtitatis cultoribus. Bonfinius lib. 1. Dec. 2.

PVELLA lunatica ſub Michaele Curopalate Rancabe Imp. duos uiros, qui imperio potituri eſſent reiecto Michaele, in arcem aſcendentes uidit: & eorum alterum mulo inſidentem imperium occupaturum, nomenque Leonis Armenij ipſi eſſe, expreſsè indicauit. Cedrenus, & Zonaras tom. 3.

ADELBERTVS, ſecundus Pragenſium epiſcopus, q̃ Boëmi monita ſacra contemnerent, Romam cū paucis profectus, à Pontifice impetrauit, ut Boëmos iugum Chriſti palàm excutientes, diris deuoueret. Boëmi eo facto offenſi, fratres eius germanos quinq; numero, per rixam de induſtria excitatā interfecerunt. Adelbertus, cùm eo fortè die, quo fratrū occiſorum exequiæ in Boëmia celebrabantur, ſolenne ſacrum Romæ, Pontifice Romano præſente faceret: ſeq;, ut fieri ſolet, poſt calicis ſubleuationem, ad ſilētium, uita functorum memoriæ dedicatū, tacitus componeret, ampliùs duas horas, haud ſecùs quàm ſtipes aræ affixus ſtetit immotus, & ob tam inſolentem morā à Pontifice correptus reſpondit: Se interea in Boëmia exequiis fratrū ſuorum interfuiſſe, ac dum Romam ad rem diuinam peragendam redire feſtinat, alteram è duabus chirothecam, ad feretrum reliquiſſe. Pontifex, qui mira prædicari de Adelberto audiuerat, comperto rem ita ſe habere, & chirothecam relatam alteri, quam retinuerat, planè reſpondere, in admirationem uerſus, Adelbertum cœnobio ſancti Alexij accuratè commendauit. Dubrauius lib. 6.

Qua hora creatus eſt Pontifex Romæ, PIVS II. eadem Laudoniæ ſorori Corſiniani eſt nūciatum, octoginta millibus paſſuum ſpacio: nec uiſus ampliùs, qui nunciauerat. Campanus in eius uita.

*Damni, Infortunij cuiuslibet.*

ZOSIMAS monachus Palæſtinus, quamuis procul abeſſet Antiochia, eius tamen ſeptimo Iuſtini ſenioris anno terræmotu concuſſæ fragorem diuinitùs ſenſit, Deoq; ſupplicauit. Euagrius lib. 4. cap. 7.

SOSIPATRA Alexādrina mulier, quodam tempore coacto familiarium cœtu, diſceptatione orta de anima, dum furore quodam diuino incitata rapitur, repentè uoce uelutiteſciſſa obmutuit, & mox cœpit exclamare: Conſobrin⁹ meus Philometor curru inuectus, loco ſalebroſo euerſus eſt, cubitum oblæſit, manuſq; habet ſaucias, ferturq; ſella, & quidā quiritans. Veritatem dicti res ipſa paulo pòſt cognita confirmauit. Eunapius in Aedeſio.

Nuper in Veſuuino meo (inquit Alexander ab Alexandro lib. 1. cap. 11.) FAMILIARIS meus quiſpiam fuit, homo alioqui exiguæ ſortis, obſcurus & egens, ſed tamen ſpectatæ fidei & exēpli recti: qui ouium greges cuſtodire ſolitus, cùm eſſet grauior annis, & ualetudine non bona, eam curam unico, quem habebat, filio delegerat. Accidit, dum procul à ſtabulo ipſe & filius ſub paruulo lare noctu decubarent, ouem quandam à lupo circumuentam, ſibi in ſomniis obuerſari, illiuſq; dentibus opprimi & lacerari uiſam. Quo ſomnio expergefactus ſenior, filium, qui unà decubabat, excitauit, utq; ad gregem properè accederet, acclamauit: namque ouem, cuius etiam nomen referebat, à lupo circumuentam dilaniari dixit. Qui cùm illuc excitatus pergeret, eandem, quam pater prædixerat ouem, à lupo lacerari atq; opprimi inuenit, uerissimumque, & quale pater prædixerat, inſomnium expertus fuit.

### PROGNOSTICA FVTVRORVM.

*Ne tautologia ſimus moleſti, exempla ſingularia ex ſeq. titulis Prædictionum mortis, imperii &c. mutuanda erunt. In genere uerò ex Titulo Prophetarum atq; Vatum. A prædictione enim futurorum nomen habuere κατ' ἐξοχὴν ipſi Prophetæ, quos alioquin in genere Videntes Hebræi appellabant.*

ATTICVS Conſtantinopolitanus, epiſcopus, contra Neſtorium ſcripſit, cuius tamen hæreſis nondum erat nata. Vide Tit. Theologorum quinti Seculi.

## MIRACVLORVM DONO INSTRVCTI.

*Hîc Habituum ipſorū poſſeſſionem cōſideramus. At infrà ſub Exercitationis loco tum in genere tum in ſpecie eorum exempla connumerabimus, qui uel ueris uel mendacibus miraculis claruêre. Quod hîc Methodi cauſa tantùm innuere uoluimus.*

## THEOLOGIÆ DOGMATICÆ EXERCITATIO. AD HVNC LOCVM PERTINET

### CONTEMPLATIO.

*Huc ex loco Contemplationis Theoricæ religioſæ exempla transferenda. Illic Animi agitatio, hic Habitus perpenditur exercitatio.*

### DOCTRINA, DISCIPLINA.

THEOLOGIÆ VEL

*Apta, Recta.*

*Ex Tit. Doctorum Theologiæ huc exempla pertinent reſpectu Agentium, quatenus docendo exercent habitum, quo ſunt præditi. Illic uerò reſpectu Patientium, quibus per hoc exercitium communicatur habitus, quo carebant.*

*Inepta, Peruerſa.*

DONBVALDVS Scotorum rex, Oſualdo Northumbrorum regi doctorem religionis petenti, CORMANVM, uirū grauem uita, & eruditione inſignem miſit. Qui, ubi annum ferè totam Northumbriam luſtraſſet, multis in locis frequenter concionatus: ingerens fortaſſis (uti plerique noſtræ ætatis faciunt concionatores) ſublimia Dei arcana, ac curioſa, ſuperbo uerborum ſtrepitu, uix homini literato intelligenda, ad multæ lectionis oſtentationem potiùs, quàm ad Chriſtiones erudiendas, nihil penitùs profecit. In Scotiam reuerſus, cùm de peruicacia Northumbrorum conquereretur: nō populi imperitiam, ſed doctoris ineptam inſtitutionem in culpa eſſe, antiſtites cenſuerunt. Datus proinde ei ſucceſſor Aidanus præſul, qui lacte priùs, quàm ſolido cibo tenellas animas gentilium reficeret, & craſſæ potiùs charitatis praxi, quā ſubtilis fidei theoriæ inſiſtens, ſeptem dierū ſpacio, Oſualdo pio rege, in uicino ſuggeſtu interpretem agente, XV. M. hominum conuertit. H. Boëthius lib. 9.

[redacted]

PRESBYTER quidam Mansfeldæ die feſto S. Michaelis ſuggeſtum conſcendens, ut ignorantiæ ſuæ latebram quæreret, in hæc uerba exorſus eſt: De angelis, auditores, uerba hodierno die facere oportebat. Sed quia non ſecus atque piſces in ſumma ſunt poſiti obſcuritate, ut de iis nec maſculinum, nec femininum genus liquidò pronunciari queat, de incompertis tacere præſtat. Angelos eſſe, noſtrum eſt credere: qui qualéſue ſint, nec meum eſt dicere, nec ueſtrum indagare. Ioannes Agricola in prouerbiis German.

IN-



### INTERPRETATIO

*Bibliorum ſacrorum.*

*Interpretes, quatenus docent, ſub Tit. Doctorū Theologiæ ſuperiùs continentur. Hic Exercitationis rationem habemus. De iiſdem ſub loco Exercitationis grammaticæ: illic Modi interpretandi, hic Subiecti reſpectu. Bodinus lib. 2. Dæmonomaniæ, cap. 2.* [redacted]

Ptolemæus Philadelphus, omnes Iudæos, quos Ptolemæus Lagi F. adduxerat ſubiugatos, liberos redire permiſit: inſuper & dona regia in templum Deï miſit: petiuitque ab Eleazaro tunc pontifice, dari ſibi ſcripturas, quas profectò audierat fama prædicante diuinas: & ideo concupiuerat habere in bibliotheca, quam nobiliſſimam fecerat. Has ei cùm idem pontifex miſiſſet Hebræas: pòſt etiam ille interpretes poſtulauit: & dati ſunt ei ſeptuaginta duo, de ſingulis duodecim tribub. ſeni SENIORES, linguæ utriuſq; doctiſſimi, Hebreæ ſcilicet atque Græcæ. Quorum interpretatio ut Septuaginta uocetur, iam obtinuit conſuetudo. Traditur, tam mirabilem ac ſtupendum, planeque diuinum in eorum uerbis fuiſſe conſenſum, ut cùm ad hoc opus ſeparatim ſinguli ſederent (ita enim eorum fidem Ptolemęo regi placuit explorare) in nullo uerbo, quod idem ſignificaret, & tantundem ualeret, uel in uerborum ordine alterū ab altero diſcrepaſſe: ſed tanquam ſi unus eſſet interpres, ita quod omnes interpretati ſunt, unum fuiſſe: quoniam reuerà ſpiritus erat unus in omnibus. Et ideo tam mirabile Dei munus acceperant, ut illarum Scripturarum, non tanquam humanarum, ſed ſicut erant, tāquam diuinarum, etiam iſto modo commendaretur auctoritas, credituris quandoque gentibus profutura, quod iam uidemus effectum. Auguſt. libro decimooctauo, de Ciuitate Dei, capite 42. Iuſtinus narrat in Apologetico ad gentes, Regem, quo fidem certiùs interpretum experiretur, & ex conſenſu ueritatem colligeret, domunculas iuſſiſſe duas & ſeptuaginta conſtrui, ſecedereq; unumquenq; in ſuam, quū interpretaturus eſſet: [redacted] contuliſſe omnium interpretationes, & per omnia [redacted] conſenſiſſe. Veſtigia domuncularum Iuſtinus pro-[redacted] ſe uidiſſe in Phari arce Alexandriæ; Tertullianus [redacted] aduerſus Gentes. Hieron. interdum LXX. interpretib. [redacted] mum deferr. & Spiritu ſancto plenos fuiſſe dicit: ſæpe [redacted] atque imperitè, [redacted] firmat: de cellulis uerò pla-[redacted] ridet. Sic [redacted] Pētateuchi ſcribit: Et neſcio [redacted] primus auctor ſeptuaginta cellulas Alexandriæ, mendacio ſuo [redacted], quibus diuiſi, eadem ſcriptitarent, quum Ariſteas, eiuſdem [redacted], & multo poſt tem-[redacted] ſephus nihil tale retulerint, ſed in una baſilica congregatos contuliſſe [redacted], non prophetaſſe. Aliud eſt enim uatem, aliud eſt eſſe interpretem: ibi ſpiritus uentura prædicit, hîc eruditio, & uerborum copia ea, quæ intelligit, transfert. L. Viues.

*Sibyllinorum.*

GERMANVS augur, Romæ, cum Agrippa Herodis nepote, quòd Caio fauere uideretur, captus ſub Tiberio, cùm uideret bubonem inſidentē capiti Agrippę, regnum ei prædixit: reſpōditque uaticinio euentus. Siquidem poſt ſex menſes Tiberius periit, Caius in imperio ſucceſſit, qui Agrippam regem Iudeæ fecit. Ioſephus lib. 18. cap. 8.

DVVMVIROS ſacris faciundis, qui carminum Sibyllæ & fatorum populi Romani, placandæque & auertendæ deûm iræ, antiſtites erant: quique quoties prodigia nunciarentur, adiri ſolebant: à principio binos fuiſſe accepimus, à Tarquinio Superbo rege, emptis à Cumana Sibylla libris fatidicis inſtitutos, quorum alterum M. Attilium, quòd arcana Sibyllæ promulgare & palàm facere auſus fuerat, uelut parricidam inſutum culeo, proiecit in mare. Lapſis deinde temporibus, à Sextio & Licinio tribunis plebis cautū fuit, ut pro duumuiris ſacrorum DECEMVIRI crearentur, quinque patrum, quinque plebis: manſitq; hic numerus ad Corn. ferè Syllā: quo tēpore QVINDECIMVIRI, qui ſacris faciundis, ſupplicationibus & lectiſterniis præeſſent, quique placamenta deûm & expiationes ediſcerent, officiaque cæremoniarum exequerentur, librorumque & carminum Sibyllæ curam agerent, primùm creati ſunt. Et quamuis decemuiris ſacrorum alij ſuperadditi ſint, ita ut ad ſexaginta excreuiſſe dicantur, ſemper tamen quindecim uiri dicti nominatique ſunt. Alex. lib. 3. cap. 16.

Ex decreto PONTIFICVM enunciata prodigia ſæpiùs procurata fuêre, licèt augurū proprium id munus foret. Nanque augures auſpiciis, pontifices uerò ſacris præfuêre. Cùm enim C. Seruilius pontifex maximus L. Cornelium Dolabellam inaugurare uellet, nec ſe magiſtratu abdicaret, & propterea comitiis indictis, illum populi iuſſu cogeret: quia fœda tempeſtate comitia turbata fuêre, religio fuit ex illo pontificibus inaugurandi, indeque inaugurare deſiêre. Alex. lib. 2. cap. 8.

*Auguriorum, Auſpiciorum, Prodigiorum, Oſtentorum.*

*Ex ſeq. Titulis Auguriorū, Prodigiorū, exempla huc referantur, in quibus Interpretationis ratio habetur.*

*Somniorum.*

*Vide ſub loco Diuinationis conſideratæ reſpectu Cogniti, Somniorum uaria exempla.*

IOSEPHVS hiſtoricus Galileæ præfectus, ſomniorum interpres ſolers fuit. Teſtis eſt ipſemet lib. 3. cap. 14. belli Iud. Veſpaſianus in ſomnis ſe Imperatorem fore didicerat, cùm Nero dentem perdidiſſet. Nero quoq; per quietem uiderat, currum Iouis in ædes Veſpaſiani duci. Quæ quidē omnia cùm egerent interpretatione, Ioſephus natione Iudæus, antè ab eo captus conſtrictuſq; uinculis, ridens ait: Nunc quidem me uincies, poſt annum autem ſolues, cùm fueris Imperator. Xiphilinus in uita Veſpaſiani.

Cùm Nabucodonoſor Chaldæorū rex terroris plenā uiſionē in ſomnis habuiſſet, experrectuſq; ita totius memor non eſſet, ut coniectoribus narrare eam poſſet: uolebat ut coniectores non interpretarentur modò ſomniū, ſed illud quoq; quod oblitus eſſet in memoriam reuocarent: ut ſæpe regib. & magnis principibus mos eſt, quib. poſſibilia omnia, quæ uelint, eſſe uidentur. Cùm in magno coniectorum numero nullus eſſet qui tantam efficere rem poſſet: ſolus DANIEL, adhuc adoleſcens, noctu per quietē uidit illud ipſum, quod Nabucodonoſor ſomniauerat: & præter illud, ſomnij quoque expoſitionem collegit. Itaque cùm regi, quod dormiens uiderat, ex ordine narraſſet, confirmauit rex illud ipſum eſſe, quod ſomniauerat. Id profectò mirum uideri debuit, quod alter ſomniās uidiſſet, inſomnis alium quoque percepiſſe. Fulgoſus lib. 1. cap. 5.

SIMON Eſſæus Archelao Tetrarchæ ſomnium de imminenti ob tyrannidem exilio expoſuit. Ioſephus lib. 17. cap. ult.

THEOCRITVS uates ſomnium Pelopidæ præfecti Sacrę cohortis Thebanorum de humana uictima rectè interpretatus eſt. Vidit enim per quietē Pelopidas Scedaſi filias (quarum ſepulcra in Leuctrico campo erant, ubi ille tunc caſtra habebat) circum ſepulcra lamentantes, & Lacedæmoniis diras imprecantes: ipſum autem Scedaſum ſibi præcipere, ut ſi uictoriam de Lacedæmoniis expeteret, ruffam uirginem filiabus ſuis immolaret. A ſomno excitus, cùm ab humana uictima abhorreret, animique eſſet dubius: equa, nullum adhuc coitum experta, eò loci, ubi conſultabatur, cōſtitit. Quam dum Theocritus fuluo colore rutilantem uidiſſet, Pelopidam compellauit, adeſſe uictimā, neq; aliam uirginem expectādam. Immolata igitur equa fuit: & mox inito prælio memorabilem illam cladem Leuctricam Lacedæmoniis intulit. Plut. in Pelopida.

## DIVINA COGNITIO, DIVINATIO, DE DEO VERO. PVTA DE

### DEI VNIVS ATQVE TRINI ESSENTIA, GLORIA.

ABRAHAMO apparuit Dominus, eumque ex Hur Chaldęorum eduxit, & magnificis promiſſis futuræ poſteritatis erexit. Geneſis 12. & ſeq. Filium mactare iuſſit, ſed paulo pòſt uetuit. Geneſis 22.

IACOBVS, cùm à Berſaba Haranem contenderet, Eſaum fratrem fugiens, in deſerto loco noctu requieuit, & ſaxis pro puluino uſus, in ſomnis ſcalam uidit terræ innixam, capite cœlum attingentem, per quam diuini [redacted] aſcendebant & deſcendebant. Audiuit quinetiā Iouæ uoce, terræ illius poſſeſſionē, gentis incrementū, Meſſiæ deniq;, per quem cœlū humano generi aperiretur, ex ſuo ſemine naſcituri aduentū pollicentis. Itaq; expergefactus, ſaxum, quod capiti ſuppoſuerat, in cippum erexit, & locum illum Bethel nominauit, inquiens, Verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam. Simulque obſtupefactus, Quàm terribilis eſt, inquit, locus [redacted] non eſt hic aliud, niſi domus Dei, & porta cœli. Geneſeos 28. Idem [redacted]

neruo,

nerno,claudicauit. At ubi in uiro Deum agnouit,gloriatus
eſt dicens: Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalua facta eſt
anima mea. Marul. libro 6. capite 16.
MOSI Dominum in flamma rubi apparuiſſe legimus, atque
ad ſe accedenti dixiſſe: Solue calciamētum de pedibus tuis.
Locus enim,in quo ſtas, terra ſancta eſt. Ego ſum Deus pa-
tris tui,Deus Abrahā, Deus Iſaac, Deus Iacob. Expauit ille
tanti nominis horrore perculſus, nec iam aſpicere flāmam
audebat,ad quam auſus fuerat accedere. Sub aliis quoque
creaturarum formis latens creator Moſi apparebat: & ( ut
teſtatur Scriptura)loquebatur ad eum facie ad faciem,ſicu-
ti ſolet loqui homo ad amicum ſuum. & tamen ad ipſum
Moſes: Si inueni gratiam in conſpectu tuo, inquit, oſtendē
mihi faciem tuam,ut ſciam te, & inueniam gratiam ante o-
culos tuos,& iterum: Oſtende mihi gloriam tuam. Cui re-
ſpondit Dominus: Non poteris uidere faciem meam, nō e-
nim uidebit me homo, & uiuet. Poſt hæc Moſes de monte
Synai deſcendens,cùm ad populum uerba faceret,apparuit
facie cornuta, ex conſortio ſermonis Domini. Ea cornua
quoſdam lucis radios fuiſſe, exponunt: & Apoſtolus gloriā
uultus eius appellat. Qua luce ita Iſraelitarū uiſum perſtrin
gebat,ut niſi uelatus aſpici non poſſet. Quidam Moſi ſecun
dum eſſentiam ſuam quandoq; apparuiſſe, aſſeuerant: ex
eo quòd dicitur, Palàm & nō per ænigmata & figuras Deū
uidet. Dictum eſt autem,nō quòd Dei eſſentiam uiderit,ſed
quòd colloquiis eius uſus ſit ſimplicibus & apertis: nō per
ſomnum, neque per ambages uerborū,aut res,aliud quàm
oſtendunt,ſignificantes: ut tantò cæteris prophetis præla-
tus uideatur, quantò minus obſcura oracula meruit accipe
re.Marul.lib.6.cap.16.
ELIAS fugiens Iezabelem, in deſerto ſub quadam iunipero
laſſus obdormiuit,& à [redacted] excitatus,panem depſiticium
& aquæ guttum propè aſtare uidit, & de eo comedens ite-
rum obdormiit. Sed denuò excitatus, & comedere iuſſus,
quòd multum ei itineris ſupereſſet,corpus refecit, atq; eius
dapis ui, quadraginta dies & noctes iter fecit ad diuinum
montem Horebum: ubi antrum ingreſſus, diuino uſus eſt al
loquio. Deus enim tranſibat: eumque uentus primùm uehe
mentiſſimus,etiam montes conuellens antecedebat, dein-
de terræmotus,tertiò ignis: ignem ſequebatur tacita & exi-
lis uox: quam audiēs Elias, læna ſua faciem ſibi obuelauit,
& in antri oſtio ſtetit. Dominus ei præcepit,ut Hazaelem Sy
riæ regem, Iehum Iſraelitarum, Heliſæum ſucceſſorem ſibi
ungeret.3.Regum 19.
EZECHIEL propheta uidit ſuper firmamēto ſedentē in thro
no,& cū multa alia, quæ uiderat, enarraſſet, poſtea intulit:
Hæc uiſio ſimilitudinis gloriæ Domini. Quantæ autem ad-
mirationis,quantíue myſterij ſint ea quæ uidit,legere poſſu
mus,explicare non poſſumus. Quòd ſi tam ſtupenda glorię
ſimilitudo,qualis quæſo ipſa gloria? Marulus lib.6. cap. 16.
Ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus coram PETRO & IACO
BO & IOANNE in monte trāſfiguratus refulſit, ita ut ſplē
dorem illius cernētes, futuræ beatitudinis dulcedinem de-
guſtarent: &, Bonum eſt nos hîc eſſe, dicerent. Nondum ple
nè gloriam eius uidebant, ſed tantùm quoddam gloriæ ſi-
mulacrum: & tamen ubi ipſum ſic coruſcantem uiderunt,
ibi cum ipſo quamprimùm permanere exoptarunt. Moſen
& Heliam circa eum ſtare conſpiciunt: & ecce quos nun-
quam antea uiderant, diuino fulgore mentem illuminante,
agnoſcunt. Exclamat Petrus: Domine,ſi uis, faciamus hîc
tria tabernacula: tibi unum, Moſi unum, & Helię unum. Cur
quartum ſibi fieri non petiit? Quia ſub eodem tabernaculo
cum Domino habitare concupiuit, cuius aſpectum tantæ
ſuauitatis eſſe perſenſit. Sed cur ab eo Moſen & Heliam ſe-
cludebat? Vt oſtenderet, ſufficere ſibi ſolum Chriſtum. Cæ-
terùm ut imbecillitatem humanæ naturæ agnoſcamus,nu-
bis lucidæ ſuperuentu, & de nube diuinæ uocis ſono con-
territi Apoſtoli in faciem ceciderunt. Maiora itaque reſta-
bant, quæ nondum ſuſtinere poterant, quibus nunc glo-
rioſi fruun[redacted] Matth.17. Marci 9. Lucæ 9.
Chriſtum cum gloriæ ſuæ ſublimitate STEPHANVS primus
martyr ante uitæ finem uidiſſe creditur. Sic quippe de illo le
gimus: Cùm eſſet plenus Spiritu ſancto, intendēs in cœlum
uidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris Dei: & ait, Ec-
ce uideo cœlos apertos, & filium hominis ſtātem à dextris
uirtutis Dei. Ple[redacted]tur Spiritu ſancto ſit oportet, qui uult
uidere Chriſti gloriam. Cuius uiſæ iocunditate captus Ste-
phanus, cùm lapidaretur, non ut mortem euaderet, ſed ut
per mortem cum Chriſto uiuere inciperet, orauit dicēs: Do-
mine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum. Marul.lib.6.cap.16.
PAVLVS apoſtolus ad tertium uſq; cœlum raptus, utrùm in
corpore,an extra corpus, neſcit: nō ſenſibus corporis uſus,
ſed alio quodam ſenſu longè puriore diuinioreq;. Et audi-
ui, inquit, arcana uerba, quæ non licet homini loqui. [redacted]
IOANNES in Apocalypſi ſe in cœlo fuiſſe teſtatur, non tamē
cum corpore, ſed in ſpiritu. Ibi uidit ſedentem in throno, uo
ces audiuit, ſenſit tonitrua, lampades conſpexit, & quatuor
animalia Deum laudantia, & uiginti quatuor ſeniores, ho-
norem officiumque deferentes ſedenti in throno. Vidit ſan
ctam ciuitatem Hieruſalem, tanquam ſponſam ornatam ui
ro ſuo. Cuius muri ex lapide precioſo, ipſa aurū mundū, tē-
plum eius Deus omnipotens & agnus. Claritas Dei illumi-
nat illam, & lucerna [redacted], in-
quit, aliquid [redacted] faciens, &
mendacium. Vi[redacted]dentem de ſe-
de Dei & agni, de quo in [redacted]r: Fluminis impetus
lætificat ciuitatem Dei. Vidit lignum uitæ reddens fructum
& folia ad ſanitatem eorū, qui ſeruient Deo, & faciem eius
intuebuntur, & nomen eius frontibus inſcriptum gerent.
Non egebūt, inquit, lumine lucernę, neq; lumine ſolis, quo-
niam Dominus Deus illuminabit illos, & regnabunt in ſe-
cula ſeculorum. Idem.
BENEDICTVS abbas, nocte intempeſta cœlum per feneſtrā
aſpiciens, Deum adorabat. Lumen itaq; uidit, quo nox ipſa
ita reſplenduit, ut cum die poſſet contendere. Mox totum
mundum conſpexit arctè atque anguſtè conſtipatum, pilæ
inſtar. Marul.lib.2.cap.4.

*Iuſtitia, Miſericordia.*

SAVLVS, Damaſco appropinquans, de cœlo fulmine tactus,
Ieſum, quem perſequebatur, uix tandem agnouit: & ope A-
naniæ, ductu angeli, reſipuit. Act.9.
Carolus Martellus ( Cranzio Magnus) petiit ab AEGIDIO
eremita, ut pro ſe oraret, ut ſibi Dominus condonaret deli-
ctum quod perpetraſſet, ſed nemini auderet indicare. Oran
te aūt Aegidio, charta in altari reperitur, continens delictū
Caroli, idq; precibus Aegidij dimiſſum eſſe indicās. ac erat
adſcriptum, Quòd omnia peccata pœnitenti, & iuxta Aegi-
dij uerba concepta oranti, condonentur. Bergomenſis lib.
10. & Cranzius lib.2. Saxoniæ, cap.20.

## CHRISTI ΘΕΟΑΝΘΡΩΠΟΥ
### *Natiuitate.*

PASTORIBVS nouum Euangelium nati Seruatoris angeli
communicarunt. Lucæ 2.
[redacted]
Omnium prodigiorum illud primum, quòd natalitio die IE-
SV Chriſti in urbe Roma trans Tyberim contigit. Ex fonte
enim in quadam priuata domo oleū manauit: ut is liquor
ortum eo die oſtenderet, qui ad humani generis ſalutem
miſericordiæ fons ac lumen erat futurus.

### *Morte.*

PHARISÆI & Scribæ Hieroſolymis de interficiēdo Chriſto
deliberabant. CAYPHAS ſummus pontifex, cæteris hæſi-
tantibus, in hęc uerba prorupit: Expedit ut unus homo mo-
riatur pro populo, ne tota gens pereat. Quæ uox temerè
miſſa, uaticinij uim habuit, Chriſtum ſcilicet pro peccatis
totius populi morte afficiendum, ut credentes in eum ſer-
uarentur. At Cayphas alio ſenſu dixit: Chriſtū ſcilicet è me-
dio tollendum, ne Romani Iudæos tāquam defectores bel-
lo aggrederentur & excinderent. Ioannis 11.

### *Reſurrectione.*

Chriſto reſurgente multi ſancti apparuerunt MVLTIS.
Matth.27. Angelus Domini de cœlo deſcendit, & diſcipulis
apparuit: ſed priùs mulieribus. Ioan. 20. Idem poſt ſuam
reſurrectionem indubitata fide, uidendum ſe atq; palpan-
dum ſuis diſcipulis duodecies præbuit.

### *Imperio.*

IESVS Chriſtus recèns natus, à Magis thure, myrrha & auro
donatus fuit. Thus diuinæ naturæ conueniebat: aurum hu-
manæ, dum uiueret, neceſſitati: myrrha uerò, iam uita
defuncti ſepulturæ. Porrò quæ tam euidēs ſignificatio fuit
in uoce unquā, quàm in puerili illa acclamatione, Oſanna
fili Dauid? Notum eſt carmen, per quod Chriſtus rex pullo
inſidens aſinæ, à uenerabūda ciuitate Hieroſolymā ueniēs
exceptus eſt. Sabell.lib.9. cap.9. Neq; uerò omittendum il-
lud, quod à Pontio Pilato manauit: etſi cùm id diceret, pa-
rum rem uiſus eſt intelligere. Nam cùm dato militibus Chri
ſto, ut crucifigeretur, cauſam inſcripſiſſet, Ieſum Nazare-
num regem Iudæorū: peterentq; Iudæi, ut titulum mutaret,
dice-



dicerentq;, Quia ſe Iudæorum regem faciebat: ut ſententiā
mutaret, nunquam adduci potuit, Quod ſcripſi ſcripſi, aſ-
ſ[redacted]rés: Deo ita agente, ut etiam ex ore hoſtili, glorię Chriſtia-
nę magnitudo teſtata inueniretur. Fulg.lib.1.c.3.
Cicero libro 2. de Diuin. ubi SIBYLLINORVM oraculorum
cēſuram inſtituit, Horum, inquit, interpres nuper falſa quę-
dam hominum fama dicturus in Senatu putabatur, Eum,
quem reuera regem habebamus, appellandum quoq; eſſe
regem, ſi ſalui eſſe uellemus. Ora[redacted] etiam alij aucto-
res atteſtantur. Hanc occaſionem, [redacted]ſuperſtitionis, ſed am-
bitionis ergô, Cæſaris amici arripuêre, ut Cæſarem regem
appellarent, adeoque de eo rege appellando Idib. Martiis,
niſi ea die à coniuratis cæſus fuiſſet, in Senatu relationem
habituri fuerant, ut Plut. in Bruto ſcribit. Apud Suetonium
L. Cotta in libris fatalibus contineri ait, Parthos non niſi à
rege uinci poſſe: eoque Cæſarem regem appellandum. Cæ-
terùm uti oraculum illud Sibylla de Chriſto naſcituro edi-
dit: ita Sibyllinorum interpretes tempus iam huius oraculi
adeſſe præuiderunt, Senatumque Rom. huius rei admonue-
runt: amici uerò Cæſaris ad ipſummet Cæſarem, qui ut re-
uera rex eſſet, regem tamen ſalutari ſe propter inſolentiam
nominis nō patiebatur, tā ſtultè quàm impiè tranſtulerunt.
Vaticinium enim hoc ad Ieſum Chriſtum pertinebat: cui Pi-
latus Romanorum præfectus in Iudæa uel ignorans ſubſcri
pſit, quando regis appellationem è crucis titulo eradi uetu-
it: multo uerò antè Magi ex Oriente uenientes, regem Iudæ-
orum natum eſſe, & Iudæis & Romanis, primi omnium gen
tium apoſtoli, annunciarunt.

# DIVINATIO DE INTELLIGENTIARVM NATV-RA, EFFECTIBVS, STVDIIS. Tum

## BONARVM. ANGELORVM.

Cyprianus ſermone quarto de Mortalitate, cùm QVIDAM,
inquit, de collegis & conſacerdotibus noſtris, iam infirmi-
tate defeſſus, & de appropinquante morte ſolicitus, com-
meatum ſibi precaretur: adſtitit deprecanti, & iam penè mo
rienti iuuenis honore & maieſtate uenerabilis, ſtatura excel
ſus, & clarus aſpectu, & quem aſſiſtentem ſibi uix poſſet hu-
manus aſpectus oculis carnalibus intueri, niſi quòd talē ui-
dere iam poterat de ſeculo receſſurus. Atq; ille ſine quadam
animi & uocis indignatione infremuit, & dixit: Pati timetis,
exire non uultis: quid faciam uobis?
Sozomenus lib. 6. cap.29. ſcribit, PIAMMONEM monachū,
[redacted] ſacra adminiſtraſſet, uidiſſe angelum ad menſam adſta
re, & eos, qui ex monachis adeſſent, in librum annotare, ab-
ſentes uerò expungere.
HENRICVS Comes Holſatiæ nouiſſimus, in ſenecta, quam il
li morbus accelerabat, Bordesholm canonicorum regula-
rium cœnobium inſigne frequentans, audiuit rumorem de
uoce (incertum angelica an humana) quæ, uelut pueri, ſe mi
ſceret uocibus canentium fratrū, & interdū ſacerdotis, mi-
niſterium ad altare ſummum in præcipuis feſtiuitatibus a-
g[redacted]tis. Orat Henricus fratres pro ſe intercedant apud Deum,
ut eius uocis mereatur auditor fieri. Fecere fratres quod uo
luit. Vbi diligentiùs auſcultabat, audiuit concinentem: &
prę gaudio ſe non capiens, locum inſigni dono honeſtauit,
permittens uillam Loęp cum omni iure dicto monaſterio.
Non ſilebo, inquit Cranzius, quod in laudem altiſſimi, com
memorationem promeretur, ætate noſtra geſtum. Nonnul-
li FRATRES ex ſacris ordinibus, quos foris acceperant, nu
mero ſex, [redacted]tes iam ueſpertino officio incoato, ipſi ex
dormitorio lateralem ingreſſi capellam (unde in ſubiectum
chorum eſt proſpectus) audiuere in cantico Magnificat uo-
cem uelut pueri [redacted]ntis: & inter ſe inſpicientes dixere,
Quid? pater noſter unde adduxit canentem puerum, præter
ordinis noſtri conſuetudinem? Et aſpicientes deſuper, pue-
rum non uiderunt: nec tamen uox iſta quieuit. Expleto offi-
cio, quidam ex his detulere patri, quid audiſſent. Ille mira-
tus, ſingulos examinat: auditque conſona uoce teſtari, om-
nes ſe uocem concinentis inter fratres audiſſe pueri. Glori-
ficant illi Deum, certi eſſe tutelaris eius loci, ſancti VICELI
NI, nouiſſimi Aldenburgenſis eccleſiæ pontificis (qui apud
eos corpore quieſcit) uocem: qui fratribus, quos primus ille
inſtituerat, & magno diu labore per Holſatiam prædicans,
monaſterium fundarat, in Faldera, cui nomen reliquit No-
uomonaſterio, Magdeburgū trāſlatis pręſens adeſſet. Nā &
ipſe in terris uiuens in feſtiuitate diui Nicolai, cui erat deuo
tiſſimus, uocem fertur angelicam audiuiſſe. Cranzius libro
10. Saxoniæ, cap.36.

## MALARVM. DAEMONVM

ANTONIO Eremitæ uiro ſanctiſſimo, quum alia multa in ſo
[redacted]
quodam die orbem uniuerſum retibus & laqueis coo-
pertum, ipſumq; exclamaſſe, Mi Domine, quis effugiet hęc?
Cui à cœlo miſſa ſit uox, Animi demiſſio. Ludouicus Viues
de Concordia & diſcordia libro quarto, & Marulus libro
ſecundo, cap.4.
BENEDICTVM olim ſanctiſſimum monachorum patrem,
aiunt monaſterium quoddam ſanctorum uirorum uiſitan-
tem, infinitas dæmonum uidiſſe cateruas, qui cū ſanctis pa-
tribus conflictantes, bona, quæ illi patrabant, opera pertur-
bare conabantur. Mox nundinas in permultis mercib. mul-
tiſq; contractibus frequentes adeuntem, unicum duntaxat
dæmonem, eumq; triſtem & otioſum in ſpecula quadā con
ſtitutum aſpexiſſe: miratumque Benedictum, quòd locum
ſanctum, & orationi deditum dæmonibus plenum, locū au
tem prophanū, & innumeris delictis ſcatentem, ab uno tā-
tùm dæmone cuſtoditum inueniſſet, adiuraſſe dæmonem,
ut ſibi cauſam proderet, illumq; reſpondiſſe: Locum ſanctū
expugnatione dæmonum indigere: qui autem ſua ſponte
peccarent, his non eſſe opus fraude diabolica. Idem.
Penates deos aiunt Aeneam Troia aduectos Lauinij collocaſ-
ſe: inde ab ASCANIO filio eius Albā, quā ipſe condiderat,
tralatos, priſtinum ſacrariū repetiſſe: & quia id humana ma-
nu factum exiſtimari poterat, relatos Albam, uoluntatē ſuā
altero tranſitu ſignificaſſe. Quia non noua dicuntur, ſed tra-
dita repetuntur; fidem auctores uendicent: & noſtrum ſit,
inclytis literarum monumentis conſecrata, perinde ac uana
non refugiſſe. Valerius Max.lib.1.c.8.
Aemiliani oratoris pater Epitherſis narrauit, cùm aliquādo in
Italiam nauigaret, conſcendiſſe nauem ſe, quæ merces & fre
quentes uectores portabat. Sub ueſperum apud Echinadas
inſulas cecidiſſe uentos, nauemq; huc illuc iactatam prope
Paxas delatam fuiſſe: uigilaſſe autem plurimos, complures
etiam adhuc à cœna compotaſſe. Ibi repentè exauditam ex
inſula Paxis uocem cuiuſpiam, qui Thamum quendam clā-
more cieret, ut obſtupeſceret. THAMVS Aegyptius erat gu
bernator, ne eorum quidem, qui in naui erant, multis de no
mine notus. Eum bis appellatum tacuiſſe, tertiò paruiſſe uo
canti. Tunc illum contenta uoce dixiſſe: Cùm ad Palodes p-
ueneris, magnum Pana nuncia interiſſe. Quod qui audiue-
runt, attonitos oſtendit Epitherſes omnes fuiſſe, ac rem ſe-
cum perpendiſſe: faceréne præſtaret imperatum, an nō ſcru
tari de eo curioſè, ſed negligere. Thamum cenſuiſſe, ſi uētus
flaret, ut præternauigarent tacitè. Sin tranquillitas eſſet, ſile-
rentque apud eum locum uenti, ut pronunciaret, quod acce
perat. Vt ad Palodes delati ſunt, & cecidit uētus, nec fluctus
fuit, proſpectantem ad terram Thamum retuliſſe, ut accepe-
rat, Magnum Pana obiſſe. Vix conticuiſſe eum, cùm extitiſ
non unius, ſed multorum cum ſtupore confuſus gemitus.
Eum rumorem, quòd multi præſentes eſſent, citò Romæ p-
crebuiſſe, accitumq; à Tiberio Cæſare fuiſſe Thamū. Tantā
autem à Tiberio ſermoni adiunctam fidem, ut de Pane per-
quireret & indagaret. Conieciſſe uerò eruditos, qui circa eū
erant frequentes, eum eſſe, qui fuit ex Mercurio & Penelope
natus. Plut. de Oraculorum defectu.
DEMETRIVS Tarſenſis grāmatic9, ex inſulis Britānię uicinis
multas aſſerebat eſſe uaſtas & diſiectas: quarū dicatas quaſ-
dam dæmonibus & heroibus eſſe. Nauigaſſe autem ſe con-
templandi & uiſendi gratia, accepto ab Imperatore comita-
tu, in proximam ex deſertis, quæ paucos incolas, ſed ſacro-
ſanctos & inuiolatos à Britannis omnes habebat. Paulo an
tè, quàm eò perueniſſet, procellas in aëre ingentes & prodi-
gia extitiſſe, & truces coortos uentos, præſtereſque delatos
fuiſſe. Poſtquam exſæuiit tempeſtas, dixiſſe inſulares, aliquē
ſorte humanā maiorem deceſſiſſe. Vt enim lucerna, dixiſſe,
accenſa, nihil habet moleſti, extincta multis eſt grauis: perin
de magnæ animæ accenſiones placidas & lenes habent, ex-
tinctiones earum & interitus ſubinde, ut nunc, auras & pro-
cel[redacted]nt, ſubinde peſtifera lue aërem inficiūt. Vnam qui-
dem ibi inſulā eſſe, in qua aſſeruari in uin[redacted]Briareo ſo-
pitum Saturnum: pro uinculo enim ei ſomnum ſtructum eſ-
ſe. Apud eum multos dæmonas eſſe famulos & miniſtros.
Plut. de Oraculorum defectu.
RATHBODO duci Friſonum diabolus apparuit in angelum
transfiguratus, caput cinctus diademate aureo cum gem-
mis, & ueſte auro intexta, inquiēs, Virorum fortiſſime, quis
te ita ſeduxit, ut à cultura deorum uelis recedere? noli hoc
facere: ſed mane in his, quæ didiciſti, & uenies ad domos au
reas quas tibi æternaliter in proximo ſum daturus. Cras er-
go acceſſe Vvlfrannum doctorem Chriſtianorum, & ab eo
quære, quæ nam ſit illa manſio æternæ claritatis, quam tibi
pollicetur. Quam cùm demonſtrare nequiuerit, utriuſque
partis mittantur legati, & ego ero dux itineris, & demōſtra-
bo illis domum auream, manſionemq; pulcerrimam, quam
tibi promitto. Euigilans Rathbodus, narrauit cuncta ſancto

neruo, claudicauit. At ubi in uiro Deum agnouit, gloriatus eſt dicens: Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea. Marul. libro 6. capite 16.

MOSI Dominum in flamma rubi apparuiſſe legimus, atque ad ſe accedenti dixiſſe: Solue calciamētum de pedibus tuis. Locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt. Ego ſum Deus patris tui, Deus Abrahā, Deus Iſaac, Deus Iacob. Expauit ille tanti nominis horrore perculſus, nec iam aſpicere flāmam audebat, ad quam auſus fuerat accedere. Sub aliis quoque creaturarum formis latens creator Moſi apparebat: & (ut teſtatur Scriptura) loquebatur ad eum facie ad faciem, ſicuti ſolet loqui homo ad amicum ſuum. & tamen ad ipſum Moſes: Si inueni gratiam in conſpectu tuo, inquit, oſtende mihi faciem tuam, ut ſciam te, & inueniam gratiam ante oculos tuos, & iterum: Oſtende mihi gloriam tuam. Cui reſpondit Dominus: Non poteris uidere faciem meam, nō enim uidebit me homo, & uiuet. Poſt hæc Moſes de monte Synai deſcendens, cùm ad populum uerba faceret, apparuit facie cornuta, ex conſortio ſermonis Domini. Ea cornua quoſdam lucis radios fuiſſe, exponunt: & Apoſtolus gloriā uultus eius appellat. Qua luce ita Iſraelitarū uiſum perſtringebat, ut niſi uelatus aſpici non poſſet. Quidam Moſi ſecundum eſſentiam ſuam quandoq; apparuiſſe, aſſeuerant: ex eo quòd dicitur, Palàm & nō per ænigmata & figuras Deū uidet. Dictum eſt autem, nō quòd Dei eſſentiam uiderit, ſed quòd colloquiis eius uſus ſit ſimplicibus & apertis: nō per ſomnum, neque per ambages uerborū, aut res, aliud quàm oſtendunt, ſignificantes: ut tantò cæteris prophetis prælatus uideatur, quantò minus obſcura oracula meruit accipere. Marul. lib. 6. cap. 16.

ELIAS fugiens Iezabelem, in deſerto ſub quadam iuniſpero laſſus obdormiuit, & à [redacted] excitatus, panem depſititium & aquæ guttum propè aſtare uidit, & de eo comedens iterum obdormiit. Sed denuò excitatus, & comedere iuſſus, quòd multum ei itineris ſupereſſet, corpus refecit, atq; eius dapis ui, quadraginta dies & noctes iter fecit ad diuinum montem Horebum: ubi antrum ingreſſus, diuino uſus eſt alloquio. Deus enim tranſibat: cumque uentus primùm uehementiſſimus, etiam montes conuellens antecedebat, deinde terræmotus, tertiò ignis: ignem ſequebatur tacita & exilis uox: quam audiēs Elias, læna ſua faciem ſibi obuelauit, & in antri oſtio ſtetit. Dominus ei præcepit, ut Hazaelem Syriæ regem, Iehum Iſraelitarum, Heliſæum ſucceſſorem ſibi ungeret. 3. Regum 19.

EZECHIEL propheta uidit ſuper firmamēto ſedentē in throno, & cū multa alia, quæ uiderat, enarraſſet, poſtea intulit: Hæc uiſio ſimilitudinis gloriæ Domini. Quantæ autem admirationis, quantíue myſterij ſint ea quæ uidit, legere poſſumus, explicare non poſſumus. Quòd ſi tam ſtupenda glorię ſimilitudo, qualis quæſo ipſa gloria? Marulus lib. 6. cap. 16.

Ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus coram PETRO & IACOBO & IOANNE in monte trāſfiguratus refulſit, ita ut ſplēdorem illius cernētes, futuræ beatitudinis dulcedinem deguſtarent: &, Bonum eſt nos hîc eſſe, dicerent. Nondum plenè gloriam eius uidebant, ſed tantùm quoddam gloriæ ſimulacrum: & tamen ubi ipſum ſic coruſcantem uiderunt, ibi cum ipſo quamprimùm permanere exoptarunt. Moſen & Heliam circa eum ſtare conſpiciunt: & ecce quos nunquam antea uiderant, diuino fulgore mentem illuminante, agnoſcunt. Exclamat Petrus: Domine, ſi uis, faciamus hîc tria tabernacula: tibi unum, Moſi unum, & Helię unum. Cur quartum ſibi fieri non petiit? Quia ſub eodem tabernaculo cum Domino habitare concupiuit, cuius aſpectum tantæ ſuauitatis eſſe perſenſit. Sed cur ab eo Moſen & Heliam ſecludebat? Vt oſtenderet, ſufficere ſibi ſolum Chriſtum. Cæterùm ut imbecillitatem humanæ naturæ agnoſcamus, nubis lucidæ ſuperuentu, & de nube diuinæ uocis ſono conterriti Apoſtoli in faciem ceciderunt. Maiora itaque reſtabant, quæ nondum ſuſtinere poterant, quibus nunc glorioſi fruun[redacted]tth. 17. Marci 9. Lucæ 9.

Chriſtum cum gloriæ ſuæ ſublimitate STEPHANVS primus martyr ante uitæ finem uidiſſe creditur. Sic quippe de illo legimus: Cùm eſſet plenus Spiritu ſancto, intendēs in cœlum uidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris Dei: & ait, Ecce uideo cœlos apertos, & filium hominis ſtātem à dextris uirtutis Dei. Ple[redacted]tur Spiritu ſancto ſit oportet, qui uult uidere Chriſti gloriam. Cuius uiſæ iocunditate captus Stephanus, cùm lapidaretur, non ut mortem euaderet, ſed ut per mortem cum Chriſto uiuere inciperet, orauit dicēs: Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum. Marul. lib. 6. cap. 16.

PAVLVS apoſtolus ad tertium uſq; cœlum raptus, utrùm in corpore, an extra corpus, neſcit: nō ſenſibus corporis uſus, ſed alio quodam ſenſu longè puriore diuinioreq;. Et audiui, inquit, arcana uerba, quæ non licet homini loqui. [redacted]

IOANNES in Apocalypſi, ſe in cœlo fuiſſe teſtatur, non tamē cum corpore, ſed in ſpiritu. Ibi uidit ſedentem in throno, uoces audiuit, ſenſit tonitrua, lampades conſpexit, & quatuor animalia Deum laudantia, & uiginti quatuor ſeniores, honorem officiumque deferentes ſedenti in throno. Vidit ſanctam ciuitatem Hieruſalem, tanquam ſponſam ornatam uiro ſuo. Cuius muri ex lapide precioſo, ipſa aurū mundū, tēplum eius Deus omnipotens & agnus. Claritas Dei illuminat illam, & lucerna [redacted], inquit, ali[redacted], & mendacium. Vi[redacted]cedentem de ſede Dei & agni, de quo in [redacted]: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Vidit lignum uitæ reddens fructum & folia ad ſanitatem eorū, qui ſeruient Deo, & faciem eius intuebuntur, & nomen eius frontibus inſcriptum gerent. Non egebūt, inquit, lumine lucernę, neq; lumine ſolis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos, & regnabunt in ſecula ſeculorum. Idem.

BENEDICTVS abbas, nocte intempeſtā cœlum per feneſtrā aſpiciens, Deum adorabat. Lumen itaq; uidit, quo nox ipſa ita reſplenduit, ut cùm die poſſet contendere. Mox totum mundum conſpexit arctè atque anguſtè conſtipatum, pilæ inſtar. Marul. lib. 2. cap. 4.

*Iuſtitia, Miſericordia.*

SAVLVS, Damaſco appropinquans, de cœlo fulmine tactus, Ieſum, quem perſequebatur, uix tandem agnouit: & ope Ananiæ, ductu angeli, reſipuit. Act. 9.

Carolus Martellus (Cranzio Magnus) petiit ab AEGIDIO eremita, ut pro ſe oraret, ut ſibi Dominus condonaret delictum quod perpetraſſet, ſed nemini auderet indicare. Orante aūt Aegidio, charta in altari reperitur, continens delictū Caroli, idq; precibus Aegidij dimiſſum eſſe indicās. ac erat adſcriptum, Quòd omnia peccata pœnitenti, & iuxta Aegidij uerba concepta oranti, condonentur. Bergomenſis lib. 10. & Cranzius lib. 2. Saxoniæ, cap. 20.

CHRISTI ΘΕΟΑΝΘΡΟΠΟΥ
*Natiuitate.*

PASTORIBVS nouum Euangelium nati Seruatoris angeli communicarunt. Lucæ 2.

[redacted]

Omnium prodigiorum illud primum, quod natalitio die IESV Chriſti in urbe Roma trans Tyberim contigit. Ex fonte enim in quadam priuata domo oleū manauit: ut is liquor ortum eo die oſtenderet, qui ad humani generis ſalutem miſericordiæ fons ac lumen erat futurus.

*Morte.*

PHARISÆI & Scribæ Hieroſolymis de interficiēdo Chriſto deliberabant. CAYPHAS ſummus pontifex, cæteris hæſitantibus, in hęc uerba prorupit: Expedit ut unus homo moriatur pro populo, ne tota gens pereat. Quæ uox temerè miſſa, uaticinij uim habuit, Chriſtum ſcilicet pro peccatis totius populi morte afficiendum, ut credentes in eum ſeruarentur. At Cayphas alio ſenſu dixit: Chriſtū ſcilicet è medio tollendum, ne Romani Iudæos tāquam defectores bello aggrederentur & excinderent. Ioannis 11.

*Reſurrectione.*

Chriſto reſurgente multi ſancti apparuerunt MVLTIS. Matth. 27. Angelus Domini de cœlo deſcendit, & diſcipulis apparuit: ſed priùs mulieribus. Ioan. 20. Idem poſt ſuam reſurrectionem indubitata fide, uidendum ſe atq; palpandum ſuis diſcipulis duodecies præbuit.

*Imperio.*

IESVS Chriſtus recèns natus, à Magis thure, myrrha & auro donatus fuit. Thus diuinæ naturæ conueniebat: aurum humanæ, dum uiueret, neceſſitati: myrrha uerò, iam uita defuncti ſepulturæ. Porrò quæ tam euidēs ſignificatio fuit in uoce unquā, quàm in puerili illa acclamatione, Oſanna fili Dauid? Notum eſt carmen, per quod Chriſtus rex pullo inſidens aſinæ, à uenerabūda ciuitate Hieroſolymā ueniēs exceptus eſt. Sabell. lib. 9. cap. 9. Neq; uerò omittendum illud, quod à Pontio Pilato manauit: etſi cùm id diceret, parum rem uiſus eſt intelligere. Nam cùm dato militibus Chriſto, ut crucifigeretur, cauſam inſcripſiſſet, Ieſum Nazarenum regem Iudæorū: peterentq; Iudæi, ut titulum mutaret, dice-



rentq;, Quia ſe Iudæorum regem faciebat: ut ſententiā mutaret, nunquam adduci potuit, Quod ſcripſi ſcripſi, aſſerēs: Deo ita agente, ut etiam ex ore hoſtili, glorię Chriſtianę magnitudo teſtata inueniretur. Fulg. lib. 1. c. 3.

Cicero libro 2. de Diuin. ubi SIBYLLINORVM oraculorum cēſuram inſtituit, Horum, inquit, interpres nuper falſa quędam hominum fama dicturus in Senatu putabatur, Eum, quem reuera regem habebamus, appellandum quoq; eſſe regem, ſi ſalui eſſe uellemus. Ora[redacted] etiam alij auctores atteſtantur. Hanc occaſionem, [redacted]ſtitionis, ſed ambitionis ergô, Cæſaris amici arripuēre, ut Cæſarem regem appellarent, adeoque de eo rege appellando Idib. Martiis, niſi ea die à coniuratis cæſus fuiſſet, in Senatu relationem habituri fuerant, ut Plut. in Bruto ſcribit. Apud Suetonium L. Cotta in libris fatalibus contineri ait, Parthos non niſi à rege uinci poſſe: eoque Cæſarem regem appellandum. Cæterùm uti oraculum illud Sibylla de Chriſto naſcituro edidit: ita Sibyllinorum interpretes tempus iam huius oraculi adeſſe præuiderunt, Senatumque Rom. huius rei admonuērunt: amici uerò Cæſaris ad ipſummet Cæſarem, qui ut reuera rex eſſet, regem tamen ſalutari ſe propter inſolentiam nominis nō patiebatur, tā ſtultè quàm impiè tranſtulerunt. Vaticinium enim hoc ad Ieſum Chriſtum pertinebat: cui Pilatus Romanorum præfectus in Iudæa uel ignorans ſubſcripſit, quando regis appellationem è crucis titulo eradi uetuit: multo uerò antè Magi ex Oriente uenientes, regem Iudæorum natum eſſe, & Iudæis & Romanis, primi omnium gentium apoſtoli, annunciarunt.

## DIVINATIO DE INTELLIGENTIARVM NATVRA, EFFECTIBVS, STVDIIS. Tum

BONARVM. ANGELORVM.

Cyprianus ſermone quarto de Mortalitate, cùm QVIDAM, inquit, de collegis & conſacerdotibus noſtris, iam infirmitate defeſſus, & de appropinquante morte ſolicitus, commeatum ſibi precaretur: adſtitit deprecanti, & iam penè morienti iuuenis honore & maieſtate uenerabilis, ſtatura excelſus, & clarus aſpectu, & quem aſſiſtentem ſibi uix poſſet humanus aſpectus oculis carnalibus intueri, niſi quòd talē uidere iam poterat de ſeculo receſſurus. Atq; ille ſine quadam animi & uocis indignatione infremuit, & dixit: Pati timetis, exire non uultis: quid faciam uobis?

Sozomenus lib. 6. cap. 29. ſcribit, PIAMMONEM monachū, [redacted] ſacra adminiſtraſſet, uidiſſe angelum ad menſam adſtare, & eos, qui ex monachis adeſſent, in librum annotare, abſentes uerò expungere.

HENRICVS Comes Holſatiæ nouiſſimus, in ſenecta, quam illi morbus accelerabat, Bordesholm canonicorum regularium cœnobium inſigne frequentans, audiuit rumorem de uoce (incertum angelica an humana) quæ, uelut pueri, ſe miſceret uocibus canentium fratrū, & interdū ſacerdotis, miniſterium ad altare ſummum in præcipuis feſtiuitatibus agentis. Orat Henricus fratres pro ſe intercedant apud Deum, ut eius uocis mereatur auditor fieri. Fecere fratres quod uoluit. Vbi diligentiùs auſcultabat, audiuit concinentem: & pręgaudio ſe non capiens, locum inſigni dono honeſtauit, permittens uillam Loëp cum omni iure dicto monaſterio. Non ſilebo, inquit Cranzius, quod in laudem altiſſimi, commemorationem promeretur, ætate noſtra geſtum. Nonnulli FRATRES ex ſacris ordinibus, quos foris acceperant, numero ſex, [redacted]tes iam ueſpertino officio incoato, ipſi ex dormitorio lateralem ingreſſi capellam (unde in ſubiectum chorum eſt proſpectus) audiuere in cantico Magnificat uocem uelut pueri [redacted]ntis: & inter ſe inſpicientes dixere, Quid? pater noſter unde adduxit canentem puerum, præter ordinis noſtri conſuetudinem? Et aſpicientes deſuper, puerum non uiderunt: nec tamen uox iſta quieuit. Expleto officio, quidam ex his detulere patri, quid audiſſent. Ille miratus, ſingulos examinat: auditque conſona uoce teſtari, omnes ſe uocem concinentis inter fratres audiſſe pueri. Glorificant illi Deum, certi eſſe tutelaris eius loci, ſancti VICELINI, nouiſſimi Aldenburgenſis eccleſiæ pontificis (qui apud eos corpore quieſcit) uocem: qui fratribus, quos primus ille inſtituerat, & magno diu labore per Holſatiam prædicans, monaſterium fundarat, in Faldera, cui nomen reliquit Nouomonaſterio, Magdeburgū trāſlatis pręſens adeſſet. Nā & ipſe in terris uiuens in feſtiuitate diui Nicolai, cui erat deuotiſſimus, uocem fertur angelicam audiuiſſe. Cranzius libro 10. Saxoniæ, cap. 36.

MALARVM. DAEMONVM

ANTONIO Eremitæ uiro ſanctiſſimo, quum alia multa in ſo[redacted] quodam die orbem uniuerſum retibus & laqueis coopertum, ipſumq; exclamaſſe, Mi Domine, quis effugiet hęc? Cui à cœlo miſſa ſit uox, Animi demiſſio. Ludouicus Viues de Concordia & diſcordia libro quarto, & Marulus libro ſecundo, cap. 4.

BENEDICTVM olim ſanctiſſimum monachorum patrem, aiunt monaſterium quoddam ſanctorum uirorum uiſitantem, infinitas dæmonum uidiſſe cateruas, qui cū ſanctis patribus conflictantes, bona, quæ illi patrabant, opera perturbare conabantur. Mox nundinas in permultis mercib. multiſq; contractibus frequentes adeuntem, unicum duntaxat dæmonem, eumq; triſtem & otioſum in ſpecula quadā conſtitutum aſpexiſſe: miratumque Benedictum, quòd locum ſanctum, & orationi deditum dæmonibus plenum, locū autem prophanū, & innumeris delictis ſcatentem, ab uno tātùm dæmone cuſtoditum inueniſſet, adiuraſſe dæmonem, ut ſibi cauſam proderet, illumq; reſpondiſſe: Locum ſanctū expugnatione dæmonum indigere: qui autem ſua ſponte peccarent, his non eſſe opus fraude diabolica. Idem.

Penates deos aiunt Aeneam Troia aduectos Lauinij collocaſſe: inde ab ASCANIO filio eius Albā, quā ipſe condiderat, tralatos, priſtinum ſacrariū repetiſſe: & quia id humana manu factum exiſtimari poterat, relatos Albam, uoluntatē ſuā altero tranſitu ſignificaſſe. Quia non noua dicuntur, ſed tradita repetuntur, fidem auctores uendicent: & noſtrum ſit, inclytis literarum monumentis conſecrata, perinde ac uana non refugiſſe. Valerius Max. lib. 1. c. 8.

Aemiliani oratoris pater Epitherſis narrauit, cùm aliquādo in Italiam nauigaret, conſcendiſſe nauem ſe, quæ merces & frequentes uectores portabat. Sub ueſperum apud Echinadas inſulas cecidiſſe uentos, nauemq; huc illuc iactatam prope Paxas delatam fuiſſe: uigilaſſe autem plurimos, complures etiam adhuc à cœna compotaſſe. Ibi repentè exauditam ex inſula Paxis uocem cuiuſpiam, qui Thamum quendam clamore cieret, ut obſtupeſceret. THAMVS Aegyptius erat gubernator, ne eorum quidem, qui in naui erant, multis de nomine notus. Eum bis appellatum tacuiſſe, tertiò paruiſſe uocanti. Tunc illum contenta uoce dixiſſe: Cùm ad Palodes peueneris, magnum Pana nuncia interiſſe. Quod qui audiuerunt, attonitos oſtendit Epitherſes omnes fuiſſe, ac rem ſecum perpendiſſe: facere ne præſtaret imperatum, an nō ſcrutari de eo curioſè, ſed negligere. Thamum cenſuiſſe, ſi uētus flaret, ut præternauigarent tacitè. Sin tranquillitas eſſet, ſilerentque apud eum locum uenti, ut pronunciaret, quod acceperat. Vt ad Palodes delati ſunt, & cecidit uētus, nec fluctus fuit, proſpectantem ad terram Thamum retuliſſe, ut acceperat, Magnum Pana obiiſſe. Vix conticuiſſe eum, cùm extitit non unius, ſed multorum cum ſtupore confuſus gemitus. Eum rumorem, quòd multi præſentes eſſent, citò Romæ percrebuiſſe, accitumq; à Tiberio Cæſare fuiſſe Thamū. Tantā autem à Tiberio ſermoni adiunctam fidem, ut de Pane perquireret & indagaret. Conieciſſe uerò eruditos, qui circa eū erant frequentes, eum eſſe, qui fuit ex Mercurio & Penelope natus. Plut. de Oraculorum defectu.

DEMETRIVS Tarſenſis grāmatic9, ex inſulis Britānię uicinis multas aſſerebat eſſe uaſtas & diſiectas: quarū dicatas quaſdam dæmonibus & heroibus eſſe. Nauigaſſe autem ſe contemplandi & uiſendi gratia, accepto ab Imperatore comitatu, in proximam ex deſertis, quæ paucos incolas, ſed ſacroſanctos & inuiolatos à Britannis omnes habebat. Paulo antè, quàm eò perueniſſet, procellas in aëre ingentes & prodigia extitiſſe, & truces coortos uentos, præſtereſque delatos fuiſſe. Poſtquam exſæuiit tempeſtas, dixiſſe inſulares, aliquē ſorte humana maiorem deceſſiſſe. Vt enim lucerna, dixiſſe, accenſa, nihil habet moleſti, extincta multis eſt grauis: perinde magnæ animæ accenſiones placidas & lenes habent, extinctiones earum & interitus ſubinde, ut nunc, auras & procel[redacted]nt, ſubinde peſtifera lue aërem inficiūt. Vnam quidem ibi inſulā eſſe, in qua aſſeruari in uin[redacted]Briareo ſopitum Saturnum: pro uinculo enim ei ſomnum ſtructum eſſe. Apud eum multos dæmonas eſſe famulos & miniſtros. Plut. de Oraculorum defectu.

RATHBODO duci Friſonum diabolus apparuit in angelum transfiguratus, caput cinctus diademate aureo cum gemmis, & ueſte auro intexta, inquiēs, Virorum fortiſſime, quis te ita ſeduxit, ut à cultura deorum uelis recedere? noli hoc facere: ſed mane in his, quæ didiciſti, & uenies ad domos aureas quas tibi æternaliter in proximo ſum daturus. Cras ergo accerſe Vulfrannum doctorem Chriſtianorum, & ab eo quære, quæ nam ſit illa manſio æternæ claritatis, quam tibi pollicetur. Quam cùm demonſtrare nequiuerit, utriuſque partis mittantur legati, & ego ero dux itineris, & demōſtrabo illis domum auream, manſionemq; pulcerrimam, quam tibi promitto. Euigilans Rathbodus, narrauit cuncta ſancto

Vvlſrano. Quj dixit: Præſtigias has eſſe diaboli. Reſpondit dux, ſe futurum Chriſtianum, ſi illam pulcram manſionem ſibi oſtēderet. Mittitur ſtatim quidam Friſo ex parte ducis, & quidam diaconus ex parte ſancti Vvlfrāni. Quj cùm paululum ab oppido proceſſiſſent, obuium habuerunt quendā itineris comitem, qui dixit eis: Properate citò: nam monſtrabo uobis pulcerrimam manſionem, Rathbodo duci præparatam. Illi pergentes uiam latiſſimam, & loca ignota, uiderunt quandam uiam diuerſorum generibus marmorum polito opere decoratam, uideruntque à longè domum quaſi auream, & peruenerunt ad plateam ante domum auro & gemmis ſtratam. Intrantes in domum miræ pulcritudinis & ſplēdoris, uiderunt in ea thronū ſtupēdæ magnitudinis. Tūc ductor itineris ait illis: Hæc eſt manſio præparata Rathbodo duci. Ad hæc diaconus obſtupeſcens, ait: Si à Deo facta ſunt iſta, perpetuò maneant: ſi à diabolo, citò diſpereant. Et cùm ſignaret ſe ſigno ſanctæ crucis, ductor ille trāſiit in diabolum, domus uerò aurea in lutum. Remanſitq; diaconus & Friſo in loco paluſtri & ſenticoſo: triduoq; immenſi itineris conficientes iter, reuerſi ſunt ad oppidum, ducemq; mortuum inuenerunt: narrauerúntq;, quæ uiderant ſancto Vvlfranno, anno 718. Vincentius lib. 23. c. 146. ex Ourone presbytero. Sigebertus. Erphordienſis cap. 66.

Gormo, Haraldi II. Danorum regis F. in extrema ſenecta, quū probabilibus quorundam argumentis animos immortales eſſe compertum haberet, quaſnam ſedes eſſet poſt mortem petiturus, cogitare cepit. Monent quidam æmuli THORKILLI ducis fortiſſimi propitiandum eſſe Vgarthilocum, neminemq; id Thorkillo aptiùs executurum. Fuere quoq; qui eundem inſidiarum reum, ac regij capitis hoſtem deferrent. Thorkillus ultimo ſe periculo deſtinari uidens, criminationis auctores, profectionis comites expetiuit. Tum, qui inſontem notauerant: periculum alieno capiti præparatum in ſeipſos recidiſſe cernentes, conſultum reuocare tentabant. Sed Thorkillo duce nauigare coacti, regionem tenebrarum horrendam ingreſſi, tādem ad uaſtiſſimam ſpecum peruenere. Intra quam Vgarthilocus manus pedesq; immēſis catenarum molibus oneratus uiſebatur: cuius olidi pili tam magnitudine quàm rigore, corneas æquabant haſtas. Quorum unum Thorkillus adnitentibus ſociis mento excuſſum, quò promtior fides ſuis haberetur operibus, aſſeruauit, ſtatimq; tanta fœtoris uis ad circumſtantes manauit, ut niſi repreſſis amiculo naribus, reſpirare nequirent: uixq; egreſſu potiti, ab inuolantibus undique colubris conſpuuntur. Quinque duntaxat Thorkilli comitum, cæteris ueneno extinctis, nauigium cum ductore conſcenderunt. Imminent efferi dæmones, & in ſubiectos uenenata paſſim ſputa coniiciunt. At nautæ prætentis coriis uirus abigunt. Cuiuſdam fortè proſpicere cupientis caput, perinde ac ferro reciſum, ceruici ademtum fuit: alteri oculi effoſſi, tertio manus ablatæ. Et cæteris quidem propenſiora ſibi numina nequicquam deprecantibus, Thorkillus uniuerſitatis deum uotis aggreſſus, eiq; cum precibus libamenta fundens, ad ſuperos reuerſus, tandem in Germaniam Chriſtianis tunc ſacris initiatam appulit, ibique diuini cultus rudimenta percepit. Mox ſociorum manu, ob inuſitatum aëris hauſtum propemodum conſumta, duobus tantùm comitatus, in patriam rediit eo habitu, ut ne ab amicis quidem agnoſceretur. Rex cuncta ex ipſo cognoſcere cupiens, cùm cætera auidis auribus excepiſſet, Vgarthiloci fœditatem exaudire nō ſuſtinens, impatientem dictorum ſpiritum inter ipſa narrantis recitamenta depoſuit. Crinis quoq; fœtor, quem Thorkillus capiti gigantis euulſerat, compluribus exitio fuit. Sax[redacted]bro octauo.

## DIVINATIO DE DIVORVM, SANCTORVM VOLVNTATE, STVDIIS.

VALENS Imp. Arianus, cùm transferre Conſtantinopolim Ioannis Baptiſtæ caput uellet: currus cui impoſitum erat, moueri loco nunquam potuit. Itaque omittere coactus eſt opus, quod ſuſceperat. Hoc autem ipſum caput poſtea facillimè à Theodoſio orthodoxo principe perlatum fuit. Fulgoſus lib. 1. cap 6.

Epiſcopi, Dionyſij fanum à Dagoberto rege extructum dedicare ſexto Kalend. Martij ſtatuerant. Pridie Kalendarum QVIDAM lepra admodū deformis, ab ædituis impetrauit in æde pernoctare: ubi dum uigil in oratione perſeuerat, uidet perſpicuè Chriſtum, comitantibus eum Petro & Paulo unà cum diuis martyribus, Dionyſio, Ruſtico, & Eleutherio, per feneſtram in baſilicam aduentare. Ergo candida ueſte amictus, dedicationis ſacrum munus abſoluit, deindeq; ad lepra contaminatum progreſſus Chriſtus, Tu, inquit, homo dicito pontificibus, cùm craſtina luce ad hanc ædem ſe conferent, eam à me conſecratam: cuius rei fidem fecit infirmi hominis cura. Nam contacta hominis facie lepram omnē Chriſtus auferens, eam proximo lapidi agglutinauit: quæ ad hunc uſque diem per ſummam admirationem uiſitur. Quo miraculo attoniti præſules, à dedicatione abſtinuerunt. Hæc cauſa eſt, quamobrem frequens admodum populus ad eccleſiam ipſam VI. Kalend. Martij conueniat, firmiſſimè credens, id à Chriſto Deo fuiſſe perpetratū. Gaguinus lib. 3. cap. 2. & 3.

Othonis & Philippi Imperatorum bello Coloniam uiſa ſunt redire in tēplum, undecim millia VIRGINVM, trium REGVM corpora, ab abbatia Fuldenſi ex Thuringia, quò à Colonia fuerant tranſlata. Manè enim dum nocturni Pſalmi cātarentur, abbas monachiq; eius monaſterij egredi templo corpora ipſorum trium perſpexère Regum: quæ haud multo pòſt Coloniæ in templo, ubi anteà erant, fuerunt inuenta. Fulgoſus lib. 1. c. 6.

CONRADVS quidam Germanus, ſcelerum pœnitens Romā uenit. Hildebrandus pontifex loricam loco interulæ illum ferre iubet, quinque catenis ligat, literas peccatorum catalogum continentes obſignatas dat, loca ſancta totius orbis obire præcipit, ſicubi ueniam exorare & peccatorum remiſſionem conſequi poſſet. Paret ille, & diu multumque uagatus, nè Hieroſolymis quidem prætermiſſis, in Vngariam tandem uenit, & ſancti Stephani regis ſepulcrum in Albaregali accedit. Quum à prima hora diei ad nonam uſque obſecrationibus incubuiſſet, ante aram graui ſomno correpto, diuus rex apparet: Surge mox (inquit) amice, ne meis quidem meritis opéue apud tribunal Dei ueniam impetrabis. Sed filij mei Emerici monumentum, quod iuxtà eſt, adito: qui præ uirginitate ſua præcipuam apud Deum gratiam promeruit. Ille ſomno experrectus, exorat diui numen: & opinione celeriùs uincula, quibus erat obſtrictus, undique diſrupta concrepuère. Pugillares reſciſſo ſigillo ſpontè patuère, in quibus nullum peccatum, ne minima quidem litera inſpici poterat. Ex eo poſtea huic ſacello tantum religionis acceſſit, ut è remotiſſimis regionibus homines eò confluerent. Bonfinius lib. 1. Dec. 2.

## RELIGIONIS VERÆ FALSÆVE DIVINATIO.

*Et ueras & mendaces reuelationes heic complectimur, τοῦ ὅτι tantùm ratione habita, non τοῦ διότι. Qui his uti uolet, religioſa à ſuperſtitioſis facili ſeparabit negotio.* [redacted] *Poſſunt quoque ex ſeq. Titulis de Beatitudine uel Damnatione exempla peti, quatenus homines uel ſpe uel metu facilè ad quæuis credenda adducuntur. Item ex Tit. Certaminum Theologicorum, reuelationes quædam religionis huc transferri poſſunt.*

### IN GENERE.

Præſens ſe diuinum oſtendit numen HIEROSOLYMIS, ingenti hominum formidine, cùm Iulianus Imperator apoſta ta, in Chriſtianæ religionis contemtum, Iudæos inſtaurare dirutum ſub Tito templum eorum permiſit, demandata eius cura Antiocheno Philippo. Nam poſt iactos in fundamentis primos lapides, terra edito ingenti mugitu, uehemēter tremuit: cepturnq; iam murum à fundamentis, mixta flāma, cum ingenti fabrorum ſtrage reuomuit, omnibus, quæ illic erant uſq; ad ferramenta ipſa conſumtis. Quæ res ut opus intermitterent effecit: proximaq; nocte multis cruces in ueſtibus, quæ deleri non poterant, apparuère. Fulgoſus lib. 1. cap. 6. ex Nicephoro & Sozomeno.

ROLLO dux Normannorum è Dania in Galliam irrumpentium, religionis Chriſtianæ puritatem per ſomnium cognouit. Somniauit enim, ſe elephantia correptum nitidiſſimo fonte, ad radices editiſſimi montis oriente, lotum conualuiſſe, moxque uerticem conſcendiſſe. Hoc ſomnium ei quidam Chriſtianus captiuus ſic interpretatus eſt: Elephantia, cultus deorū eſt, quo laboras: aqua luſtrici fontis ſacra purificatus, ab imo ad ſummas opes peruenies. Ergo Chriſtianam religionem profeſſus eſt, initiante Francione, epiſcopo Rotomagenſium, Robertiq; nomen ei inditum, patre ſacræ ablutionis Roberto regis Odonis fratre. Polydorus lib. 5. & [redacted]



Cùm Amurathes II. Turcorum Imp. in contentione ſacerdotum cum religioſis, pro ſacerdotibus pronunciaſſet, uota & eleemoſynas populi ipſis meritò, ut regno magis neceſſariis, deberi: Religioſi ſupplicarūt, ne hanc ſententiam, priuſquam paulo diligentiùs ſecum hanc rem diſcuterent, promulgaret. Adiecit rex ſeptem dierum inducias. Interea rex nocte quadam ſurgens ſecretiorem locum petiit: ac ſedens è tabula quadam præcipitatus in cloacam, cùm nullum auxilium præſens eſſet, ſanctum aliquem, qui huic neceſſitati opitularetur, inuocauit. Et ecce habitu religioſorum quidā apparēs, O Amyra, inquit, ubi illi ſunt, quos regno tuo perneceſſarios iudicaſti? cur huic neceſſitati non ſuccurrūt? Nunquid illi præferendi, qui, ubi uirtus humana defecerit, inuocantibus ſe ultrò oſtendunt? His dictis regem lecto ſuo illæſum reſtituens, euanuit. Manè rex acta nocturna reuoluens, conuocatis omnibus religioſis, quos habere poterat, diligentiſſimè inquiſiuit, ſi fortè eum inueniret, qui ſibi opitulatus eſſet. Cùm autē talem non inueniret, acceſſit eum maior inter religioſos dicens: Ne mireris, ſi ille, qui nocte tibi opem attulit, hîc non appareat. Vnus enim communem omnium cauſam egit, quoniam de noſtra ſalute fuit tractatū. Ex hac illuſione rex in eam uenit mentis alienationem, ut filio Mahumete adhuc impubere regno præfecto, in Mamiſſam urbem, ubi multitudo religioſorum erat, ſeceſſerit, religioniq; operam dederit. Cuſpinianus.

[redacted] futurum multo antea p[redacted] uem nubem conſcendet, & Aegypti ſimulacra mouebuntur in conſpectu eius, tabeſcetque cor Aegypti in medio ipſius. Sabellicus lib. 1. En. 7.

Gallia ab Atila Vnnorum rege miſerè propter Arianiſmum afflicta, in urbe Naſatenſi uel Vaſatenſi, diuina ope ab Vnnis liberata, cùm EPISCOPVS pro agendis gratiis ſacra faceret, æquales guttas treis ſuper aram cecidiſſe uidet cryſtallo clariores, quæ in unionem unicū redactæ ſunt. Quę cū in gēmata cruce collocaſſent, aliæ mox gemmæ decidere. Imaginem ſanctæ crucis præferebat adorantibus, & ægris ualetudinem reddebat. Quin & fidelium ex hoc religionem augebat, quia piis clarus, impiis contrà obſcurus eſſe uidebatur. Atilæ igitur furorem Naſatenſes idcirco euaſiſſe feruntur, quia de indiuidua Trinitate rectè ſenſerunt. Bonfinius lib. 5. Dec. 1. & Sigebertus anno 453.

In Chalcedonenſi concilio, cùm contra Eutychetis hæreſin diſputatio eſſet inſtituta, placuit PATRIBVS, ut decretum fidei utriuſque partis, in libellis deſcriberetur, & controuerſię iudicium ſanctæ uirgini & martyri Euphemiæ committeretur. Libellos clauſos ad pedes eius deponunt: & noctę tota precationibus conſumta, diluculò utriuſque partis principes adſunt, & monumenti operculo remoto, orthodoxorū libellum martyris manibus tenaciter apprehenſum conſpiciunt: Eutychis uerò temerè ad pedes proiectum iacere. Nicephorus lib. 15 c. 5.

Narrat Nicephorus lib. 8. cap. 23. in Nicena ſynodo Chryſantiū & Muſonium epiſcopos, è uita priùs deceſſiſſe, quàm Nicenæ fidei ſubſcripſiſſent. PATRES itaque ſynodi ad monumenta eorum acceſſiſſe, & ſcriptum manibus tenentes, tanquam ad uiuentes & audientes dixiſſe: Bonum certamen ſancti patres nobiſcum certaſtis, curſum peregiſtis, fidem ſeruaſtis. Si igitur ratum eſſe debet, quod à nobis actum eſt, quoniam nunc nullo interpoſito obſtaculo Trinitatis ſplendore illuſtrati, clariùs id perſpicitis, peropus eſt, uos nobiſcum libello ſubſcribere. Hæc cùm dixiſſent, libellum obſignatum ad tumulum depoſuiſſe, noctemq; totam inſomnē egiſſe. Et poſtridie ad locum redeuntes, ſigna inuiolata inueniſſe: & libello reſignato, ſubſcriptiones illorum reliquis inſertas cognouiſſe, recentes adhuc, & in hæc uerba conceptas: Chryſanthus & Muſonius, qui cum patribus omnibus in ſancta prima œcumenica ſynodo Nicena conſenſimus, quamuis corpore tranſlati, manu tamen propria nos quoque libello ſubſcripſimus.

Anno XX Anaſtaſij, Deuterius, epiſcopus Arianorum, Cōſtantinopoli quendam nomine BARBARVM baptizans, auſus eſt impiè contra inſtitutum Domini ſic dicere: Baptizatur Barbarus in nomine Patris, per Filium, in Spiritu ſancto: Ad quæ uerba ſtatim exiccatum eſt baptiſmi lauacrum, & Barbarus territus fugit, miraculumq; omnib. expoſuit. Cedrenus, & Theodorus Lector lib. 2. Collectaneorum. Nicephorus lib. 16. c. 35. & Paulus Diaconus lib. 15. Sabellicus Enneade octaua, lib. 2. dicit eum, qui baptiſmum adminiſtrauit, Barbam uocatum.

ALEXANDER epiſcopus Conſtantinopolitanus, Conſtantij Auguſti temporibus, cùm Arium hæreſiarcham publicè argueret, ac proinde orta plurimorum utriuſq; partis contentione ſedari tumultus non poſſet: Dominum orauit, nè eccleſiæ catholicæ fidem impiis ludibrio eſſe pateretur. Vix preces finierat, cùm Arius dyſenteriæ morbo laborare cepit. Et dum citam torminibus aluum exonerare uellet, inteſtinis profluentibus expirauit. Reliquos obmuteſcere fecit timor, atq; illum quē prima Nicena ſynodus damnauerat, etiam Dei iudicio damnatum eſſe omnibus palàm fuit. Marulus libro 2. c. 11.

VALENTINVS quidam, Mediolanenſis eccleſiæ epiſcopus, Arianorum defenſor, cùm in eccleſia B. martyris Syri ſepultus eſſet, Iuſtina imperāte, noctu ibi exauditi ſunt horrendi clamores. Duo cuſtodes exciti, accurrunt, & duos cacodæmones uident Valentinum pedibus ligatum & uociferantē ex templo trahere. Manè cadauer Valentini extra templum in alio loco conditum inuenerunt. Gregorius Turonenſis lib 4. Dial. cap. 53.

Iuo in Chronico ſuo annotat, ſub Valentiniano, QVENDAM Arianum in concione Ambroſij uidiſſe angelum ad aures eius adſtantem, & ea, quæ dicenda eſſent, ſuggerere.

Fuit Longobardorum QVIDAM epiſcopus Arianus, qui cùm ad Spoletanam urbem perueniſſet, & locum, ubi ſua ſacra peragerect, nō haberet, cepit ab eius eccleſiæ epiſcopo eccleſiam petere, quam ſuo dedicaret errori. Quod dum epiſcopus eius loci negaret, Arianus ille diui Pauli ſacellum, in uicinia ſitum, altero die per uim ſe occupaturū profeſſus eſt. Quod dum illius eccleſiæ cuſtos audiuiſſet, templum clauſit, ac ſeris muniuit: factoq; ueſpere, extinctis omnibus templi lampadibus ſe abſcondit. In ipſo autem ſubſequentis lucis crepuſculo, Arianus epiſcopus collecta multitudine aduenit, clauſas eccleſiæ ianuas effringere paratus: ſed repentè omnes templi portæ ſua ſpōte diuinitùs cum magno fragore aperiuntur, & deſuper effuſo lumine omnes priùs extinctæ lampades accenduntur: epiſcopus ſubitò excęcatur. Ergo Longobardi, ſacris locis catholicæ Eccleſiæ in poſterum abſtinuerunt. Gregorius Papa libro tertio Dialogorum, capite 29.

Circiter annum Conſtantini Pogonati duodecimum, aut paulo pòſt, ea hora qua Monothelitarum hęreſis in Synodo damnabatur, multæ aranearum telæ de cœlo in medium POPVLVM deciderunt: in teſtimonium, ſordes hæreticæ prauitatis depulſas eſſe. Regino in Chronico.

Hiſpanis 12. Kal. Aprilis, FRANCIS uerò 14. Kalendas Maij Paſcha celebrantibus, miraculo comprobatam eſſe Francicæ eccleſiæ ſententiam, Sigebertus ſcribit. Fontes enim, qui in ſabbato Paſchæ ad baptizandum ſpontè diuinitùs repleri ſolebant, non Hiſpanis, ſed Francis Paſcha celebrantibus, aqua completi ſunt. Circa annum Iuſtini octauum hæc facta eſſe, ex Sigeberti Chronico liquet.

### SYNAXIN, MISSAM.

PLECGILIS presbyter poſcebat ſibi demonſtrari, quæ foret ſpecies latitans ſub forma panis & uini. Dum talia precaretur, angelus de cœlo adueniens affatur: Surge, inquit, properè, ſi Chriſtum uidere placet. Adeſt præſens corporeo ueſtitus amictu, quem ſacra puerpera geſſit. Reſpiciens ergo uidit ſuper aram patris filium puerum, eumq; ulnis trementibus accipit, & deoſculatur. Eundem mox reſtituit in uerticem altaris, & proſtratus, denuò deprecatus eſt Deum, ut dignaretur ipſe iterum uerti in priſtinam ſpeciem. Expleta oratione inuenit corpus Chriſti in formam remeaſſe priorem, uti deprecatus fuerat. Rabanus de Sacramento Euchariſtiæ, cap. 36. Paſchaſius in lib. de corpore & ſanguine Domini, capite 41.

VIDEKINDVM Saxonū ducē quidam Mindæ cōuerſum aiunt, an. 785. Nam ſcrutandi auidum, lemb[redacted]cundū flumen deuectum, lacero habitu inter ſtipem poſcentes conſediſſe. Quumq; ſacratiſſimo die Paſchæ ex more Chriſtiano omnes ſacram cōmunionem ſubirent, uidiſſe Videkindum ad os regis ludibundi ſpeciem pueri, eoq; conterritum miraculo, Chriſtiana ſacra poſtulaſſe. Rex ſuſceptos in gratiā iuſſit baptizari, ipſe ſuis manibus Videkindum honoris gratia ſuſtollens. Inde Saxonia iam pacata quieuit, & ſemel ſuſceptam fidem nunquam reiecit. Cranzius lib. 2. Saxonię, c. 23. & lib. 1. Metrop. c. 9.

Edgarus, Angliæ rex, uenatum iturus, DVNSTANVM Cantuarienſem epiſcopum, ut Miſſam uſq; ad ſuum differret reditum, orauerat. Imminente aūt ſacra peragendi tempore, epiſcopus innixus altari, dum regē præſtolatur, obdormiit: & in ecſtaſi cōſtitutus, audiuit angelos canentes, Kyrieeleiſon, Chriſtieeleiſon, Kyrieeleiſon. Ad ſe reuerſus, regem nō-

dum rediiſſe ex aſtantibus cognouit. Iterum igitur inter preces cùm obdormiiſſet, denuo in cœlum raptus, hæc audit uerba: Ite, Miſſa eſt. Interim regij ſatellites accurrunt, [redacted] mini aduentum nunciantes. At ille Miſſam iam peractam eſſe, reſpondit: & ne diem Dominicum poſthac tribueret uenationi, ſeuerè monuit. Vincentius lib. 24. c. 85.

HENRICVS II. Imp. cùm pro more, nocturnis horis precandi gratia templum D. Mariæ ſacrum Romæ ingreſſus fuiſſet, uidit Chriſtum pontificalibus indutũ procedere, Miſſam celebraturum: quem ſequebatur S. Laurentius, & loco ſubdiaconi Vincentius. Poſt hos, Virgo Dei genetrix, cum multitudine uirginum & angelorum: dehinc Ioannes Baptiſta, cũ patriarchis & prophetis: poſt hos, Petrus & Ioannes, cum cæteris Apoſtolis & Euangeliſtis: S. Stephanus, cũ martyribus: S. Martinus, cum confeſſoribus. Angeli inceperunt Introitum, Suſcepimus Deus miſericordiam: & dum cantaretur, Dextera tua plena eſt iuſtitia: omnes Chriſtum & beatam Virginem imitantes, extenderunt digitos in Henricum. Poſt Euangelium, inedicibili iubilo angelus librum deoſculatum à Chriſto præſentauit B. Mariæ, & poſt eam omnibus per ordinem deoſculandum. Demùm innuit beata Virgo angelo, ut porrigeret librum etiam Henrico ad oſculandum, dicens: Præbe ei pacis oſculum, cuius mihi uirginitas placet. & cùm præ nimio gaudio raptus, neſciret ad plenum intendere, angelus ipſum in neruo tangens, dixit: Hoc tibi erit ſignum dilectionis Dei, propter tuam caſtitatem & iuſtitiam: & exinde uſq; ad mortẽ claudicauit: ex quo euentu uocatus eſt Henricus Claudus. Nauclerus uolumine ſecũdo Chronographiæ, generatione 24. Auctor Bambergenſis hiſtoriæ, ſe apud obſcuros ſcriptores id reperiſſe teſtatur. De Henrici luxata coxa, aliam ſententiam affert Cranzius lib. 4. c. 32. Saxoniæ.

Cùm LEGATI Armeniorum epiſcoporum ſacro altari, Eugenio Romano pontifice Miſſam celebrante Viterbij, aſtarent intenti, unus ex eis, ſplendido fulgore radium ſolis ſuper caput pontificis coruſcare, & in ipſo duas columbas aſcendẽtes & deſcendentes uidit. At Romanus pontifex nõ ſuis hoc meritis attribuens, ipſius potiùs fide cœlitùs hoc ſibi monſtratum affirmabat, ut uidelicet Eccleſia à qua ipſe miſſus fuerat, ſacramentorũ uirtutem, ueritatis luce perfuſam, cognoſceret, & deinceps quaſi ea reuerentia ac forma tractare deberet, addiſceret. Otho Friſigenſis lib. 7. c 32.

### DIES FESTOS. SANCTORVM CVLTVM.

Cùm quidam Italiæ EPISCOPI, anno 417. ſolennem diem Paſchatis integro menſis ſpacio anticipaſſent, diuina uirtute error eorũ eſt patefactus. In una enim eccleſia, aqua, quæ quotannis pridie Paſchatis ſolebat diuinitùs baptiſmi gratia fluere, eos, qui maturiùs, quàm oportuit, id eſt IIX. Kal. Aprilis paſcha egerunt, non emanans eluſit: legitimo autem die, qui erat futurus X. Kalend. Maij ex more fluens, eo die paſcha celebrari debere oſtendit. Sigonius libro undecimo Imp. occid.

[redacted]

cùm hora nocturni officij celebrandi aliquantiſper protelaretur, & ipſe obdormiſceret, uiſus eſt uidere Ieſum infantem quaſi ab utero matris in lucem edi. Vnde ipſi toto uitæ tempore perſuaſum fuit, iſtam uirginei partus fuiſſe horam. Auctor uitæ lib. 1. cap. 2.

Dum octauam natiuitatis B. Mariæ aliquando BRVNO Hildeſianus epiſcopus ſolennẽ ageret, in tẽplo ipſi uiſendam ſe præbuit Maria. Quã in genua procidens epiſcopus ſic compellauit: O cœli regina, quid ex ſublimi ad me miſerũ homũcionem uenire dignata es? Cui illa reſpõdit: Ex animo lętor, quòd te auctore, meæ natiuitatis memoria tãta celebritate peragitur, unde & ſingularis meo filio honor emergit. His dictis, in teneras auras euanuit. Hinc deinceps octaua natiuitatis Mariæ maximè ſacra haberi cepit. Chron. Saxoniæ.

Anno 1495. NICOLAVS Sigiſmundi Quinqueccleſienſis epiſcopi quæſtoris familiaris, Buda ad regẽ Vladiſlaũ ꝓperãs, in uilla, cui Solita nomẽ eſt, magna in aëre luce, cũ ingenti fragore oculis auribusq; ſuis obiecta, repentè rei nouitate exterritus, in terrã procubuit, ſuſpiciẽsq; inde in cœlũ, B. Virginis ſpeciẽ cũ filio, nimbo fulgentiſſimo circũfuſam, per aëra deſcẽdentẽ, & Budã uerſus curſum intendentẽ uidit, idq; ipſum ſtatim Boëmo cuidam & uxori eius hoſpiti, & aurigę ſuo uenerabundus oſtendit. Is dies erat, qui Deiparæ uirginis conceptioni dicatus eſt: quẽ poſtea ſemper Vngari religioſiùs coluerunt. Bonfinius lib. 5. Dec. 5.

### MERITA HVMANA.

[redacted]

### IMMORTALITATEM ANIMORVM.

GENNADIVS medicus Carthaginenſis, immortalitatis animorum argumentum certiſſimum in ſomnis accepit. Vidit enim bis per quietem iuuenem, qui primò urbem pulcerrimam ei oſtendit: deinde poſtera nocte reuerſus petiit, An cũ agnoſceret? reſpõdit, & noſſe ſe illum, & ſomnij meminiſſe. Iterum ab eo interrogatus, Vbi eius corpus eſſet, & quid ageret? Cùm reſpondiſſet, in lecto eſſe ac dormire: argumento, cui reſponderi non poterat, didicit, quemadmodum tũc dormiens cernebat per quietem, quamuis clauſis oculis corpus in lecto iaceret: ita uita functo homine, crederet eius ſpiritum uiuere, ac uidere poſſe, quamuis tumulo clauſum corpus in lecto maneret. A ſomno igitur excitatus, hoc oraculo, ut rectè crederet, inductus eſt. Fulg. lib. 1. c. 5.

## ALTERIVS VITAE BONORVM, MALORVMVE REVELATIO in genere.

MILES quidam in urbe Roma peſtilentiæ morbo extinctus; cùm reuixiſſet, dixit, apparuiſſe ſibi pontem anguſtum, fluuiumq; ſubter labentem, tetrum admodũ & caliginoſum, ac fœtore incredibili grauẽ. At uerò ad ulteriorẽ ripam loca amœna, & quæ oculos florum uarietate, nares odorũ fragantia multũ oblectarent, tum habitacula paſſim diſpoſita diuini cuiuſdã nitoris ac formæ: ſed inter ipſa unum cæteris maius, elegantiusq;, quod totum aureis laterculis adhuc conſtruebatur: cui autẽ conſtrueretur, ſcire ſe nequiſſe. Conſideraſſe tamen, quòd iuſti pontem ſecurè pertranſirent, reprobi uerò laberentur, & in fluuiũ ruerẽt. Tunc uidit (ut aiebat) peregrinũ presbyterũ tam inoffensè per anguſtias illas gradum tuliſſe, quàm hìc piè uixerat. Sed inter eos quoq;, qui ceciderant, quosq; rapidi gurgitis ſpumoſi uortices agitabant, uidit Petrum, eccleſiaſticæ familiæ hierarchã, qui quadriennio antè obierat, ferreis uinculis complicatum, & de horribili alueo enatare fruſtra conantem: atque iccircò ei ſupplicio mancipatum audiuit, quòd reos olim, quos puniendos accipiebat, ſæuiter magis quàm obſequenter punierit. Marulus lib. 6. c. 14.

In caſtris ſanctorum Septem fratrum, ALBERICVS quidã nobilis puer, cùm decimum ageret ætatis annum, morbo correptus, ad extrema perductus eſt. Quo tempore diebus nouem & totidẽ noctibus immobilis, ac ſine ſenſu quaſi mortuus iacuit. Hoc autem interuallo à B. Petro apoſtolo duobusq; angelis per loca pœnarum deductus, ad infernale barathrum deuenit. Demùm ad paradiſi amœna delatus, uidit ſanctorum manſiones: atq; in cœlum ſubleuatus aëreum, à B. Petro ſufficienter edoctus de ueteri Teſtamento, de peccatorum pœnis, gloriaq; ſanctorum: uidit arcana quædam, quæ loqui prohibitus eſt: ſicq; per prouincias ſeptuaginta duas ab eodem Apoſtolo deductus, uitæ redditus eſt. Chronicon Caſſinenſe lib. 4. cap. 68.

GENOVEPHA uirgo Pariſiis ecſtaſi uſq; adeò laborauit, ut triduo iam exanimis, rubentibus tantùm genis obſeruaretur. Vbi ad ſe rediit, ſe ad inferos deductam, beatorum campos & ſupplicia impiorum luſtraſſe affirmauit. Bonfinius libro 5. Decad. 1.

Extat apud Vincentium lib. 27. cap. 98 & 99. longa narratio de TVNDALO, cuius anima tum in locũ ſuppliciorũ infernalium, tum beatorum, tum purgatorij, duce angelo deducta fuerit, ac multos ſibi notos uiderit. In primo beatorum aditu offendit magnam uirorum & mulierũ multitudinẽ, pluuiarum & uentorum iniuriam ſuſtinentes, fame & ſiti tabeſcentes: lumine tamen fruebantur, nulloq; fœtore moleſtabantur. Angelus comes hos reſpondit non ualdè honeſtè uixiſſe, bonaq; temporalia pauperibus nõ fuiſſe largitos: poſt aliquot annos ducendos ad requiem. Venerunt inde ad portam, quæ ultrò aperta eſt eis: quam cùm intraſſent, uiderunt campum floridum, æterna luce plenũ, in quo multæ animæ erant utriuſq; ſexus exultantes: deſtinatũ iis, qui de cruciatibus erepti, nondũ merentur ſanctorũ conſortio coniungi. Fons ibi eſt aquæ uiuæ, è qua bibens uiuet in æternum, nec ſitiet unquam. Procedentes paululùm uiderunt Concobrũ & Donatum reges, in uita ſua crudeles, & inter ſe inuicem multùm inimicos, qui tamen ante mortem ſuam pœnituerant. Concober languens uotum uouerat, ſi uixiſſet, monachum ſe futurum. Donatus autẽ per multos annos in uinculis religatus, omnia, quæcunq; habuit, dederat pauperibus. Vlterius progreſſi incidére in Cormartũ regẽ, ſub quo Tundalus



dalus in ſeculo uixerat: qui in argenteo degens palatio regio prorſus tractabatur more. Miniſtrorum copia aſſiſtebat maxima, pauperum ſcilicet & peregrinorum animę, quibus rex bona ſua largitus fuerat. Spectãtibus illis, obſcurata eſt domus, omnes habitatores conſternati ſunt, rex contriſtatus exiuit cum fletu. Quem cùm Tundalus ſequeretur, uidit miniſtros expanſis in cœlum manibus Deum deuotiſſimè deprecantes, & dicentes: Domine Deus omnipotens, ſicut uis & ſicut ſcis, miſerere ſerui tui. Et reſpiciens, uidit regem in igne uſq; ad umbilicum, & ab umbilico ſurſum cilicio indutum. Hanc pœnam, inquit angelus, quotidie patitur per tres horas, & per uiginti horas & unam requieſcit. Quia legitimi coniugij maculauit ſacramentum, & ideo patitur ignem uſque ad umbilicum. Cilicium uerò portat, quòd iuſſit comitem interfici iuxta ſanctum Patricium, & præuaricatus eſt iuſiurandum. Exceptis his duobus, cuncta ei crimina dimiſſa ſunt.

ALTERIVS cuiuſdam anima per Raphaëlẽ ad ſuperos & inferos deducta, uidit hominẽ in ſella ignita ſedentẽ, in cuius os mulierculæ ornatiſſimæ ardẽtes faces immittebãt, & per poſteriora retrahebant: eosq; cruciatus perpetuò patiebatur, quoniã luxui ac libidini deditus fuerat. Vidit hominem, quẽ diaboli excoriabant uiuum, ſaleq; conſperſum & craticulæ impoſitũ aſſabãt, qui in ſubditos crudelis fuerat. Alius oblatus, equo ardenti inſidens, antè capram, poſt terga monaſticam ueſtẽ geſtans, qui de rapinis uixerat, ac mulierculę cuidã ſuam caprã ſurripuerat: tandẽ monachũ ſimulata pœnitentia induere uoluerat. Vidit diuerſi ordinis religioſos, quorũ alij riſu cachinnoq;, alij conuitiis, alij gulæ ac libidini explendæ ſtudebant, dæmonibus eos ad ſimilitudinẽ perpetratorũ ſcelerum ad hæc cogentibus. Deniq; Iudã proditorem, omnibus dæmonib. damnatisq; hominib. inuiſum, in imo barathro, ubi omniũ ludibriis conuitiisq; expoſitus erat, conſpexit. Hæc cũ contra interdictum homo ille ad ſe reuerſus narrare adſtantibus fratribus cepiſſet, ſtatim S. Benedictus baculo os eius feriit. Et quia, inquit, loquendo peccaſti, uſu ſermonis per dies nouẽ priuaberis. ſic iniuncta pœnitentia diſceſſit. Nouem autem diebus exactis, rem omnẽ ſuo tãdem abbati, ut iuſſus fuerat, aperuit. Abbas uerò, qui tacendi præceptum non acceperat, porrò in publicum produxit. Vincentius lib. 29. c. 8. 9. 10.

Cùm HADINGVS Danorum rex, Regnildã Noruegiorũ regis F. duxiſſet, inter cœnandum, femina cicutarum gerula, propter foculum humo caput extuliſſe conſpecta, porrectoque ſinu percunctari uiſa, Qua mũdi parte tam recentia gramina brumali tempore orirentur. Eius rei cognoſcendi cupidum regem, proprio obuolutum amiculo, ſecum ſub terras abduxit. Primùm igitur uapidæ cuiuſdam caliginis nubilum penetrantes, perq; callem diuturnis adeſum meatib. incedentes, quoſdam prætextatos, amictosq; oſtro proceres conſpicantur: quibus præteritis, loca demùm aprica ſubeunt, quæ delata à femina gramina protulerunt: progreſſiq; præcipitis lapſus ac liuentis aquæ fluuium, diuerſi generis tela rapido uolumine torquentem, eundemq; ponte meabilem factum offendunt. Quo pertranſito, binas acies mutuis uiribus concurrere contemplantur. Quarum conditionẽ à femina percunctante Hadingo, Ij ſunt, inquit, qui ferro in necem acti, cladis ſuæ ſpeciem perpetuo teſtantur exemplo, præſentiq; ſpectaculo præteritæ uitæ facinus æmulantur. Prodeuntibus murus aditu tranſcenſuq; difficilis obſiſtebat: quẽ femina nequicquã tranſilire conata, cùm ne corrugati quidem corporis exilitate proficeret, galli caput, quẽ ſecum fortè deferebat, abruptum, ultra mœnium ſepta iactauit, ſtatimq; rediuiuus ales reſumti fidem ſpiraculi claro teſtatus eſt. Regreſſus igitur Hadingus, patriamque cum coniuge repetere orſus, piratarum inſidias, celeri nauigatione anteuertit. Qui licèt iiſdem penè flatibus iuuarentur, ipſum tamen æquora præſulcantem paribus uelis aſſequi nõ poterant. Saxo lib. 1.

Soleus THESPESIVS, Protogenis neceſſarius & amicus, cũ priorem uitam in maximo luxu tranſegiſſet, atq; ita decoxiſſet citò rem familiarem; aliquantiſper exprimente neceſſitate geſſit ſe improbè: opesq; ex pœnitentia ſectanti idẽ uſuuenit quod ſalacibus: qui uxores cùm habent, non retinent eas: ſed ubi has dimiſerunt, attentant iterum per ſcelus aliis iunctas ſtuprare. Hic ergo, cùm nulla ſe re, quæ faceret ad libidinem aut compendium, abſtineret, cenſum quidem non grandem, ſed famam improbitatis breui conciliauit ingentem: præcipuè uerò famoſum reddiderunt relatæ ex Amphilochi oraculo ſortes. Quò ille credo cùm miſiſſet, conſuluit deum, An reliquam uitam acturus eſſet feliciùs. Hic reſpondit, Feliciùs acturum, cũ uitam depoſuiſſet. Et uerò nõ multo pòſt id ei quodam modo euenit. Siquidem delapſus ex faſtigio quodã in collum, ſola ex colliſione ſine uulnere expirauit, ac tertio die in ipſis iam exequiis reuixit. Qui breui recreatus & ad mentem reuerſus, mirificam uitę uiciſſitudinem fecit. Neq; enim iuſtiorem in cõmerciis norunt Cilices illa tempeſtate extitiſſe alium, neque erga deos religioſiorẽ, neq; leniorem inimicis, uel firmiorem amicis. Is deinde amicis & familiaribus de malorum ſupplicio apud inferos, & bonorum præmiis, quæ uidit, narrauit, quæ narratio apud Plutarchum ſatis longa eſt. Auguſtinus Steuchus lib. 10. de Philoſophia perenni, cap. 26.

TIMARCHVS Chæroneus, Socratis diſcipulus, cùm dæmonij Socratis quæ uis eſſet cognoſcere geſtiret: ut qui adoleſcens eſſet egregius, & modò philoſophiã guſtaſſet, in Trophonij manteum ſolennibus peractis deſcendit. Cùm hęſiſſet in ſpecu duas noctes & diem, ac multi eum iam pro deplorato haberent, & complorarent familiares eius, ſummo diluculo fronte perquam læta prodiit: ac poſtquam ſalutauit uenerabundus deum, & explicuit ſe turba hominũ, multa uidiſſe ſe & audiuiſſe mirãda memorauit. Narrauit, poſtquam deſcendit in manteum, offuſum ſe primũ multa fuiſſe caligine. Inde obſecrationibus factis diu iacuiſſe, non ſatis clarè, uigilaret ſomniarétne, intelligens: niſi quòd uiſę ei eſſent capitis, ſtrepitu accidente percuſſi, dehiſcentes ſuturę animam emittere. Quæ ut excedens cum aëre commixta fuit læta rutilante & limpido, primùm reſpirare tunc uiſam eſſe aliquantum atque exporrigi, & quàm antè fuiſſet, ampliorem fieri, inſtar ueli paſſi: inde percipere parum clarè ſtridorem quempiam ſupra caput circumuolutatum, qui uocem ſuauem emitteret. Cùm autem oculos circumtuliſſet, terrã nuſquam circumſpexiſſe, ſed micantes molli flamma inſulas, commutantes inter ſe alium alias colorem tanquã tincturam accipere, uariante in commutationibus luce. Viſas eas numero infinitas, granditate immenſas, non pares tamẽ inter ſe omnes, ſed æquè orbiculatas: arbitratum autem ſe æthera his in gyrum circumactis illum ſtridorem edere, dũ leniter inter ſe concurſabant. Interiectum illis mare uel lacũ effuſum colore pellucidum ex admixta grandine. Ex inſulis illis paucas uehi recto meatu & decurrere ultra riuum: alias frequentes à recto curſu aberrare uel retrahi impetu, quaſi gurgitibus haurirentur. Duo eſſe mari oſtia, quæ ignis irrũpẽtis aduerſos amnes recipiebant: ita ut longiſſimo ſpacio retro inhibitum mare repellatur, & candefiat glaucedo. Cũ deorſum aciem demiſiſſet, uaſtum apparuiſſe hiatũ rotundum ſicut globi carinati, mirè horribilẽ & profundum, ingentibus tenebris fœcundũ, non ſedatis, ſed turbatis, & frequenter reſtagnantibus: unde exaudiri infinitos rugitus & gemitus animantium, infinitorum ploratum puerorũ, permixtorumq; uirorum & feminarum eiulatus, ſtrepitus uarios, & tumultus ex alto procul obſcuros ſublatos, quibus ſe non mediocriter fuiſſe perculſum. Procedente tempore, cuiuſdam, quem non uidebat, indicio, didiciſſe ex quatuor Perſephones ſortibus unam, quã Styx terminaret. Animarum, Mentium & Geniorum myriadibus frequentari, reliquas tertio pòſt menſe liquidiùs agniturum. Silente uoce, reſpexiſſe ſe ac uoluiſſe, narrauit Timarchus, qui ille eſſet, q loquebatur, ſpectare: uerùm ex ingenti iterum capitis dolore quaſi ui colliſi prorſus de ſtatu mentis dimotum fuiſſe, omnique orbatum ſenſu. Paulo pòſt ſui factum compotem, uidiſſe in Trophonij ſpecu ſe ad ueſtibulum, ubi initio decubuerat, iacentem. Vt autem Athenas regreſſus tertio menſe ex uocis, quæ ei fuerat oblata, prænunciatione expirauit, ac rem Socrati ſtupentes retulerunt: increpauit eos Socrates, quòd non ſuperſtite adhuc Timarcho id ipſi expoſuiſſent. Plutarchus de Socratis dæmonio.

## BEATITVDINIS PROPRIÆ REVELATIO.

*Conſule Titulum, Reuelationes mortis propriæ. Illic mortis, heic Beatitudinis Mortem conſequentis ratio habetur.*

ERASMO epiſcopo martyri, poſt ingentia pro Chriſto fortiter tolerata ſupplicia, uiſi ſunt ſancti Apoſtoli & Prophetæ coronam de cœlo afferre. Qua uiſione delectatus, orauit uitæ huius finem, eoque impetrato ſpiritum exhalauit. Marulus libro 6. cap. 16.

VRSINVS Nurſiæ presbyter, caſtus ac ſanctus, dum animam ageret, lætus exclamauit, gratias agẽs iis, quos ad ſe ueniſſe ſolus cernebat. Et quærentibus, qui ei aſſidebant, Qui eſſent illi, quorum aduentu tantoperè gauderet? Nũquid non uidetis, inquit, Petrũ & Paulũ apoſtolos hìc adeſſe, & euocare me? Mox ad eos, quos tantùm ipſe uidebat, cõuerſus, dũ repeteret, Venio, uenio, ecce uenio: cum iiſdem abiens corpus exanime reliquit. Gregorius lib. 4. Dial. cap. 11.

De PROBO Reatino epiſcopo memoriæ proditum eſt, quòd cùm

cùm ex languore mox ſe deceſſurum cognouiſſet, omnibus qui ei aſſidere ſolebant, tunc fortè ſummotis, præter unum puerum uidit ad ſe intrantes Iuuenalem & Eleutheriũ martyres: quorum aduentu conterritus, & repentino fulgore ſtupefactus, ubi qui eſſent didicit, fugiens prorupit è cubiculo, familiam clamore cõcitat: ad locum ubi epiſcopus iacebat concurrunt, neminem inueniunt, pręter corpus eius iam exanime. Marulus lib. 6. c. 16.

SERVVLVS paralyticus moriens, homines circa ſe pſallentes ſilere iuſſit, quoniam angelos audire cepit. Et cũ ad cœleſtẽ cantũ, quẽ ſentire ſolus poterat, oculos, aures, animũq; intendiſſet, corporis uinculis ſolutus abiit. Tam aũt ſuauis odor à corpore iã exhalauit, ut nemini dubiũ eſſet, quin eius animã cãtus illi, quos ipſe audierat, egredientẽ ſuſcepiſſent, & in beatorum ſedibus collocaſſent. Idem.

QVIDAM religioſæ uitæ uir moriens, Ionam & Ezechielem & Danielem prophetas uidit, uiſos cognouit, cognitos ſalutauit: & dum reuerẽtiæ illis, quos nemo alius cernebat, cùm multi adeſſent, officium exhibet, mortem oppetiit. Teſtis eſt D. Gregorius. Idem.

MEROLO monaſterij Gregoriani Romę monacho, egregia morũ ſanctitudine prędito, in quiete uiſum eſt, coronã candidiſſimis florib. cõtextã è cœlo labi, ac ſuper caput ſuũ ſiſti. Poſt hęc aduerſa ualetudine agitatus, cum magna animi alacritate diem obiit extremum. Anno deinde 14. Petri abbatis iuſſu, aperto eius ſepulcro, incredibilis odoris inde ſuauitas exhalauit. Qua ex re illud quod per ſomnium uiderat, uerum fuiſſe cognitum eſt. Gregorius lib. 4. c. 47.

CATHARINAM uirginem, cùm poſt tormenta capite truncanda eſſet, orantem uox de cœlo conſolata eſt, quę diceret preces eius exauditas eſſe, & iam aperto cœli aditu à Domino aduentum eius expectari. Itaque læta & hilaris ceruicem gladio ſubiecit perſecutoris. Deſecto autem collo, lac pro ſanguine exiliit, corpus ab angelis ad montem Synai delatum eſt. Marulus lib. 6. c. 16.

DOROTHEA uirgo & martyr, ad paradiſum ſpõſi ſui Chriſti ſe per tormenta perueniſſe probauit, brumæ tẽpore miſſis roſis Theophilo ſcribæ. Quam rem impenſiùs conſiderãs, cùm priùs Chriſtianorũ religionẽ irrideret, ſequi cepit, ita ut gratanter & ipſe iugulũ gladio ſubmitteret: nihil iam ambiguus de beatitudine adipiſcenda, quam tali argumento in Chriſto tantùm eſſe didicerat. Idem.

GALLÆ Romanæ, Chriſti ancillæ, ex cancro ægrotanti, Gregorius auctor eſt, apoſtolum Petrum apparuiſſe, atq; illã, ut ſecũ ueniret inuitaſſe, eo quòd peccata eius dimiſſa eſſent. Hanc uiſionem, cùm aliis ipſa retuliſſet, corpore exuto, cum illo utiq; abiit, cui claues datæ ſunt regni cœlorum. Gregorius lib. 4. Dialog. c. 11.

THRASILLÆ uirginis beati pontificis Gregorij amitæ animam, ipſe angelorum rex & Dominus Ieſus Chriſtus comitatus eſt. Huic primùm in uiſu apparuit Felix pontifex, & perpetuæ lucis illi ſedẽ oſtendens: Veni, inquit, & fruere conſeſſu hoc beatorũ. Mox ipſa febri affecta, & iam animã agẽs, uidit ad ſe uenientẽ Ieſum: & eis, qui aderant, ut aſſurgerent imperauit, eo ꝙ aduenissent Dominus. Tũ ad uiſionẽ, quã ſola cernebat, mentẽ oculoſq; dirigẽs, expirauit: atq; ilicò odor ſuauiſs. nares omniũ occupans, nemini dubiũ reliquit, quin uerè ibi Dominus ipſe affuerit. Greg. ibid. cap. 16.

De MVSA puellula idẽ Gregorius cap. 17. tradit, ei per uiſionẽ nocturnã Dei genetricẽ Mariam cum uirginũ choro apparuiſſe, atq; iniunxiſſe, uti riſu iociſq; & omni uanitate abſtineret. Futurũ enim, ut poſt trigeſimũ diẽ ſuo ſuarũq; uirginum conſortio gauderet. Tota itaque immutata eſt, tantoque promiſſo illecta nihil egit, ob quod eo indigna uideri poſſet. Inde morbo implicita, & tandem die, qui prædictus fuerat imminente, eadem uiſione iterũ conſolata, quaſi uocanti reſpondere cepit: Venio domina, uenio. Sub iis uerbis efflauit ſpiritum.

CÆCILIA uirgo, angelorum uiſione fruens, roſarum liliorũque media hyeme uernantium odoramentis, quæ ſibi de paradiſo allata fuerant, Valerianum & Tiburtium conuertit. Tam ſuauiter illa redolebant, ut iſti repentè, contemto ſimulacrorum cultu, Chriſtum ſequerentur, qui ſibi ſeruientes talibus iam impertiret donis: indeque coronari cupientes, libenter ad martyrium perrexêre. Ipſa quoque nullis auerti à Chriſto ſuppliciis potuit: quoniam certa erat, eius conſortio in cœlo ſe uſuram, cuius angelos uidere meruerat in terra. Marulus lib. 6. cap. 16.

PRISCA uirgo, dum Chriſtum confitens torqueretur, luce de cœlo lapſa circumfunditur: cum ſanctis in carcere ſibi apparentibus pſallit, carceris pedor in odorem ſuauiſſimum uertitur, ipſa ab angelis in throno diuini fulgoris glorioſè collocaretur. Idem.

Gregorius lib. 4. Dialog. c. 15. ſcribit, ante cellulam ROMVLÆ monachæ cœleſtes exequias celebratas à duobus choris pſallentium: ac eodem tempore, ipſam ex hoc exilio ærumnoſo in æternam migraſſe patriam.

ANTONIO abbati Alexandrino in ſpiritu uiſum legimus, aliquando ſe ab angelis in cœlũ ferri: & dũ ferretur, malos dæmones iter impedire conatos, obiicientes ea, quę olim ipſe in ſeculo uiuẽs cõmiſerat: ſed ab angelis repulſos, aſſerẽtib. ea omnia monachali ꝓfeſſione deleta eſſe: nec quicquã deinde ſuperextare, quod ab ipſo perperam factum argui poſſet. Hoc modo ipſum ſathanæ moleſtia liberatũ cœlos aſcẽdiſſe, & rurſum rediſſe ad terram. Marulus lib. 4. c. 10. & lib. 2. cap. 12. & Fulg. lib. 6. c. 9.

## BEATITVDINIS ALIENÆ REVELATIO.

### CHRISTIANORVM.

PAVLI apoſtoli caput à corpore diſſectum, ter per humũ proſiliit, ter Ieſu Chriſti nomen inuocauit, tres fonticulos, quà ſaliendo terram contigit, ſcaturire fecit. De uulnere eius lac primò, deinde ſanguis emanauit. Quorſum tot miracula in morte ſancti huius? niſi ut hæc tam magnifica oculis noſtris obiecta penſitantes, quanto illa in cœlo magnificẽtiora ſint eius præmia, quæ oculus uidere non poteſt, cogitemus. Marulus lib. 6. cap. 16.

D. Hieronymi corpus, cũ ſpiritũ reddidiſſet, ſubita lux circumfulſit, uiſi ſunt angeli, & Chriſti uox audita, quæ illũ ad poſſidendũ cœleſte regnũ inuitaret. Lux cũ ſpiritu abiit, odor ſuauiſſimus cum corpore remãſit. Eadẽ hora CYRILLVS epiſcopus Hieroſolymitanus animã eius, angelicis manib. geſtatã, cœlum uerſus tendere cõſpexit. Eodẽ die ſancta hęc anima miro radians fulgore, Auguſtino Hippone apparuit. Turoni etiã, duo monachi lucentẽ globum aëra tranſire, & inde dulciter canentiũ choros audiri, dũ admirantur, intellexerunt Hieronymi presbyteri animam tũc apud Bethlehem defuncti, ab angelis ad paradiſi quietẽ ferri, & hoc quidẽ ꝓ laboribus, quòs ipſe in uita exhauſit, Dei laudib. & hominũ utilitati ſemper intentus. Idem.

ANTONIVS monachus à Paulo domũ remiſſus ueſtis ſepulcralis cauſa, moxq; rediẽs, cùm triũ horarũ ſpacio uiã remeauiſſet, uidit inter angelorũ choros, inter prophetarũ & apoſtolorũ populos, niueo candore Paulum fulgentẽ, in ſublime cõſcendere. Et ſtatim in faciẽ ſuã procidens, ſabulũ capiti inſpergebat: ploranſq; & eiulans, aiebat: Cur me Paule dimittis? cur inſalutatus abis? tam tardè notus, tam citò recedis? Referebat poſtea Antonius, tanta ſe uelocitate, qđ reliquũ erat uię, cucurriſſe, ac uelut inſtar auis ꝓuolaſſe: nec immeritò. Nã introgreſſus ſpeluncã, uidit genubus cõplicatis, erecta ceruice, extenſiſq; in altũ manibus, corpus exanime. Ac primũ & ipſe uiuere eũ credens, pariter orabat. Poſtquã uerò nulla (ut ſolebat) ſuſpiria precãtis audiuit, in flebile oſculũ ruens, intellexit quòd etiã cadauer ſancti Deũ (cui omnia uiuunt) officioſo geſtu precabatur. Igitur obuoluto & prolato foràs corpore, hymnos quoq; & pſalmos de Chriſtiana traditione decantans cõtriſtabatur Antonius, ꝙ ſarculũ, quo terrã foderet, nõ haberet: fluctuanſq; uario mentis æſtu, & ſecũ multa reputãs, dicebat: Si ad monaſteriũ reuertar, tridui iter eſt: ſi hîc maneã, nihil ultrà proficiã. Moriar ergo, ut dignũ eſt, & iuxta bellatorẽ tuũ Chriſte ruens extremũ halitũ fundã. Talia eo animo uoluente, ecce leones ex interioris eremi parte accurrentes, uolentib. per colla iubis, ferebãtur: quib. aſpectis exhorruit. Rurſuſq; ad Deũ referẽs mentẽ, quaſi columbas uideret, manſit intrepidus. Et illi quidẽ directo curſu, ad cadauer beati ſenis ſubſtiterũt: adulantibuſq; caudis circa eius pedes accubuere, fremitu ingenti rugientes: ut intelligeret eos plangere, quomodo poterant. Deinde haud ꝓcul ceperũt humũ pedib. ſcalpere, arenãq; certatim egerẽtes, unius hominis capacẽ locũ foderũt. Ac ſtatim quaſi mercedẽ pro opere poſtulãtes, cũ motu aurũ ceruice erecta, ad Antoniũ perrexerunt, manus eius pedeſq; lingẽtes. At ille animaduertit benedictionem eos à ſe precari. Nec mora, in laudationẽ Chriſti effuſus, quòd muta quoq; animalia deũ eſſe ſentirẽt, ait: Domine, ſine cuius nutu nec foliũ arboris defluit, nec unus paſſerũ ad terrã cadit, da illis ſicut tu ſcis. Et manu annuẽs eis, ut abirẽt, imperauit. Cũq; illi receſſiſſent, ſancti corporis onere ſeniles curuauit humeros. Et depoſito eo in foſſam, deſuper humum cõgregãs, tumulũ ex more cõpoſuit. Poſtquã aũt alia dies illuxit, ne quid pius hęres ex inteſtati bonis nõ poſſideret, tunicam eius ſibi uendicauit, quã in ſportarũ modũ de palmæ foliis ipſe ſibi contexuerat. Ac ſic ad monaſterium reuerſus, diſcipulis cuncta ex ordine replicauit, diebuſq; ſolemnibus Paſchæ & Pentecoſtes ſemper Pauli tunica ueſtitus fuit. Hieronymus in uita Pauli eremitæ.

IDEM Antonius nõ modico locorũ interuallo diſcretus, Ammonis abbatis obitũ cognouit, cũ animã eius multo cãdore illuſtrem, & in ſublime tendentem conſpexiſſet. Marulus libro 6. cap. 16.





Adhæc Paphnutij, Stephani, Aegidij, Spei, abbatũ: Tiburtij, Valeriani, Maximi, Marcellini, Petri, Iuſtini, Paſtoris, Quintini, Seueri martyrũ: Amatoris Antiſiodorenſis epiſcopi, Germani Capuani epiſcopi Onophrij, eremitę in Aegypto, Specioſi in monte Caſſino monachi, cõpluriumq; aliorũ, quos enumerare longũ eſſet, felices animę, quo die corpora ſua reliquerunt, eò ad cœlũ tolli uiſæ ſunt: & dum tollerẽtur, melos interdum lætantiũ angelorũ auditum, Deo uolente felicitatis, ad quã euocabantur, teſtimonium in terra reſidere, ne alios pigeret eorum uitã imitari, quos beatos eſſe tã certo indicio cognouiſſent. Marulus lib. 6. c. 16.

Auguſtinum, quo die corpus eius mandatum ſepulturæ fuit, monachus QVIDAM procul inde manens, & in ſpiritu raptus, uidit infula & pontificalibus indumentis inſignẽ, ſedere intra nubẽ candoris eximij: de oculis eius promicãtes radij totã illuminabant eccleſiam, & ubiq; incredibilis odoris fragrantia nares oblectabat. Poſt hæc à BERNARDO abbate uiſus eſt, dum per noctẽ ſermones eius à fratribus in eccleſia legerentur, limpidiſſimas ore aquas uomens, quib. totum eccleſiæ pauimentum ſupra modum inundabat. Verè enim ille quaſi quidam inundans fluuius eccleſiã Dei ſalutaribus documentis irrigauit, & lumine ingenij Scripturarum obſcura clariora fecit. Sanctitatis etiã uirtutumq; ſuarum odorem tam latè effudit, ut nomen eius & in terris cęlebre ſit, & in cœlo. Idem.

Quodã die abbas QVIDAM duos lectos ineffabili ornatu cõptos, multoq; nitore ſplendẽtes ab angelis ferri uiderat: atque audiuerat, in altero Hugonẽ abbatẽ Cluniacenſem collocandũ, in altero Anſelmum archiepiſcopum Cantuarienſem. Cognouit, ambos tunc ſimul uita iſta defunctos, & in lectis ueræ felicitatis requieuiſſe: de quib. dictũ eſt, Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis. Idem.

Victor martyr perſecutoris gladio cęditur, & continuò uox de cœlo auditur, Viciſti Victor beate. Nõ propter illum hoc cõtigit, qui iam cũ Deo erat: ſed propter ILLOS, qui fortaſſe tormentorum, quæ perpeſſus eſt, memores, beatũ eſſe dubitarent, niſi tam certo indicio uerum didiciſſent. Idem.

MAVRVM Benedicti diſcipulum eo ipſo tempore, quo Benedictus ex hac uita emigrauit, in uiſione quaſi ſtratã uiã palliis & lampadibus coruſcam, recto tramite ab eius cella in cœlum directam uidiſſe, hancq; eſſe uiam, per quã Benedictus in æternam patriam aſcenderet, auctor eſt Iuo in Chronico, & Marul. lib. 5. c. 10.

TVRPINVS inquit: Eram apud Viennã in eccleſia, ante altare orans: & cum raptus in ecſtaſin, pſalmũ, Deus in adiutorium, cantarẽ, uidi tetrorũ ſpirituũ agmina infinita præterire, & tẽdere in Lotharingiam: quos omnes quidã ſimilis ęthiopi longo, inſequebatur lento gradu, Cui dixi: Quò tenditis? Aquiſgranum, inquit, ad mortem Caroli, ut eius ſpiritum ad tartara rapiamus. Tũc ego: Adiuro te per nomẽ Domini noſtri Ieſu Chriſti, ut peracto itinere ad me redeas. Tũc modicum morati, uix expleto Pſalmo, ad me redierunt eodem ordine. Et dixi nouiſſimo, cui primùm locutus fueram, Quid egiſtis? Galecianus, inquit, ſine capite tot & tantos lapides & ligna innumera baſilicarum ſuarum in ſua ſtatera ſuſpendit, quòd magis appenderunt bona eius, quàm mala: & idcirco animam eius nobis abſtulit. Et his dictis euanuit. Vincentius lib. 24. c. 25.

Franciſci Aſſiſiatis (à quo Minorũ ordo cepit) ut uita, ita uitę finis nobilis ac magnificus fuit. Eo expirãte, QVIDAM fratrũ animã eius in ſtellæ ſpecie de ore emicuiſſe, cœlumq; petiiſſe uidit. Eadẽ illa hora miniſter Terræ laboris grauiter ęgrotãs, cùm iam deficiẽte ſpiritu & langueſcẽte lingua obmutuiſſet, repẽtè in uocẽ prorupit, dicẽs: Expecta me pater, expecta me. Et interrogatus, patrẽ Franciſcum ſe uidere dixit, multa cum luce cœlum uerſus tendentem. Hoc dicto de corpore exiit, & uerba re comprobauit, illum continuò ſequens, quem cernere ſe aiebat. Marulus lib. 6. c. 16.

In Dominici Prædicatorũ patris obitu, ad quantã ipſe migraſſet beatitudinẽ, teſtatũ eſt duorũ uiſione, GVALI præpoſiti cõuentus Brixienſis, & RHAONIS fratris. Alteri ſomniãti apparuit cœlũ apertũ, & angeli Dominicũ eò de terra trãſferẽtes, & Ieſus Chriſtus multa cũ iucũditate eundẽ ſuſcipiens. Alter ſenſibus corporis cõſopitis tantũ, ſpiritu uigilãs, illũ cum reuerendo quodã uirorũ comitatu ab urbe Bononia proceſſiſſe uidit, aurea corona micantiq; fulgore conſpicuum, quem nondum uita audierat defunctum. Idem.

Martini epiſcopi Turonenſis uultus, cùm obiiſſet, ſplendidus ap[redacted] auditi.[redacted] mum eius ab angelis a[redacted] ferri uidit. Seuerus etiã monachus ipſum in quiete conſpexit, niueo tegumento, uultu rutilo, radiantibus oculis librum manu gerentẽ, ſumma cœli petere. Et euigilãs, audiuit eundẽ tũc deceſſiſſe, AMBROSIO quoq; Mediolani in ſpiritu rapto uiſum eſt, ſe exequiis eius intereſſe: & cùm ad ſe rediiſſet, nũciauit aſtantibus, Martinum Turonenſem præſulem obiiſſe. Idem.

Thomæ Cantuarienſi archiepiſcopo adhuc uiuo, ſedẽ contiguã ſedib. Apoſtolorũ à Deo cõceſſam ſe uidiſſe dixit QVIDAM, qui mortuus mox reuixerat. Inde dum Thomas pro iuribus eccleſiæ ſibi cõmiſſæ ſtaret, ab impiis cæſus, martyrio coronatur: dumq; illi exequiæ à clero agerẽtur, angelorum accinentium uox audita, teſtis beatitudinis eius fuit: fideq; fecit, haud uana fuiſſe de illo uiſa hominis rediuiui, ꝗ Apoſtolis annumerandum ſignificarant. Idem.

Ricario eremita ſepulto, diſcipulus eius SIGOBARDVS in ſpiritu raptus, uidit ipſum in aula quadam decoris & odoris incredibilis conſidentem, ſplendoreq; coruſcum, ac per hæc uiſibilia beatitudinem inuiſibilem ei obueniſſe, facilè intellexit. Idem.

Mercurij martyris apud Cæſaream paſſi corpus capite truncũ ſplendore fulſit, odore fragrauit: quo miraculo PLVRIMI ad Chriſtianã fidem conuerſi ſunt. Idem.

Duo Valentij abbatis diſcipuli, in Valeria prouincia à Longobardis ad arborem laqueo ſuſpenſi, necatiq;, ueſpere diei illius pſallere auditi ſunt: ita ut CARNIFICES ipſi, qui eos interemerant, attoniti ſtuperent. Idem.

Monachus quidam S. Andonei Rhotomagenſis, nocte amicã inuiſurus, de ponte in aquã cecidit, atq; ſubmerſus eſt. De anima uerò dæmones & angelus certant. Res cõmuni cõſenſu ad RICARDVM Normaniæ ducem, ut is litem dirimat, defertur. Is talem fert ſententiam, ut corpus in eundem pontem, reſtituta priùs anima collocetur: ac ſi monachus eam, quæ ad amaſiam ducat, uiam fuerit ingreſſus, diabolorum ſit in poteſtate: ſin ad ſuã eccleſiã pedes retulerit, penes angelũ ſit anima. Quo facto, monachus ad ſuũ monaſteriũ regreſſus eſt, ſicq; anima ex dæmonum liberata creditur faucibus. Ranulphus lib. 6. c. 7. in Polychronico.

Cùm ad defuncti cuiuſdam Monachi cadauer Miſſa celebraretur, ad cantum, Agnus Dei, ille ex feretro exiliit, Deum blaſphemans, crucem ligneam oſculandi cauſa oblatam cõſpuens, Mariam conuiciis inceſſens, & pſallentes deridẽs, quòd horrẽdis inferni cruciatibus deſtinatus eſſet. MONACHIS uerò ſeſe flagellantibus, pectora pugnis uerberantibus, preceſq; fundentibus: miſer ſaniori recepta mente, Chriſti omnipotentiam laudare, ſatanæ renunciare, crucem adorare, & fornicationem poſt ſuſceptum monachatum perpetratã cõfiteri cepit: Deumq; laudans, altero die placidè expirauit. Vincentius lib. 25. c. 62.

MONACHVS quidam apud Gallos, animam hominis perditiſſimi & profligatiſſimi, qui tamen in agone mortis monaſticum habitum induerat, à dæmonibus catenis ignitis uinciri, & ad tartarum pertrahi uidit: ſed tandẽ interuẽtu Benedicti liberari, quòd eius habitu ornatus nihil mali egiſſet. Chronicon Caſſinenſe.

Maio Caſſinenſis monachus, qui noctu à diabolo è ſublimi feneſtra pręcipitatus ceruicẽ fregerat, CVIDAM eius cœnobij alumno (id enim multis precib. petierat cõuentus ille) in ſomnis à diabolo ſibi hoc mali irrogatũ queritur: ſed D. Benedicti liberatum eſſe auxilio. Chron. Caſs. lib. 4. c. 4.

Primarius quidã diabolus, maxima cacodęmonũ caterua choreas ducẽte ſtipatus, apparuit GEBYZONI monacho Caſſinẽſi, in natali Domini oranti. Qui cauſam lætitię rogatus, reſpondit, ſe de anima Adonis triuphare, quę iumẽtorũ more ligata ad ſuppliciũ traheretur. Gebyzo uerò ꝓ Adone, cui ante monachatũ ualde fuerat familiaris, ſuſcepto pœnitẽtię onere, Deũ rogauit, ut liberaret pœna miſerũ. Quo cognito, ſatan noctu rediẽs, monachũ ad necẽ uſq; flagellis cecîdit, & abiturus ait: Cur ꝓ eo Dominũ precibus fatigas, qui ob innumera ſcelera nobis ſubiectus eſt? Cũ uerò ille nihilominus precib. apud Deũ inſtaret, angelus ei dixit: Ego meiq; ſodales pro Adone laborauimus, ſed age Deo gratias pro eo liberato. Chron. Caſs. lib. 3. c. 4.

Ioannes, filius Iordanis principis, flagitiis nobilitatus, ad tumbam S. Benedicti, indutus habitu religioſo, ſtatim expirauit. Poſt cuius exequias RVSTICVS monaſterio egrediẽs, uidit diabolum procerum digitis unguibuſque proeminẽtibus, manu uirgam tenentem, horridoque aſpectu, qui de geſtis circa defunctum comitem certior factus, exclamauit: Hei mihi Benedicte, cur meos ſeruos quotidie ad te conuertis, meque tam immaniter perſequeris? & nunc te (ruſticum compellans) illicò arriperem, niſi hodie in monaſterio ediſſes, & panem inde allatum in ſinu gereres. Chron. Caſſinen-[redacted] apparuit,[redacted]en precib.[redacted]rari poſſe. Odilo à pontifice monitus, tam diu orando inſtitit, donec per reuelationem ſe exauditum cognoſceret. Sigebertus.

Mortuo Henrico Claudo, EREMITA quidã ſyluæ Thuringicæ, aperta caſæ ſuæ feneſtra, uidit cateruam prætereuntem:

& qui ſint, quóue tendãt, quærit. Tum illi: Dęmones ſumus, & Babenbergam feſtinamus, ut de anima Imperatoris diſceptem⁹. Illi peracto iudicio, adiuratione eremitæ eôdẽ reuerſi ſunt: quiritantes, quòd cùm aduſtus Laurentius in bilancẽ bonorum operum Imperatoris conieciſſet grandem aureã ollam, quam Merſpurgenſi olim eccleſiæ donarat, uicti diſceſſerint, tanta indignatione, ut alteram ollæ anſam fregerint. Hermannus Gigas, Henricus de Erphordia, Legenda S. Laurentij & S. Henrici.

ANVS quædam noctu igneam ex Caſſino ad cœlos ſubuolare uidit columbam. Ea uerò hora Stephanũ quendã monachum Anglum ibidem expiraſſe, pòſt cognouit. Et Angelo monacho efflante iam animam, dæmoniacus quidam Caſſinum ueniens garrire cepit. Quid mihi hac hora Benedicte feciſti? Angli monachi animã, ob uiliſſimi cuculli uſum, meę poteſtati ſubducẽs, tuo in cœleſtibus gregi aſſociaſti. Chronicon Caſſinenſe lib. 3. c. 42.

D. GERMANVS, quum ad Tornodurum ueniſſet, cuiuſdã diſcipuli, qui è Britannia ſe ſequutus fuerat, ſepulcrum inuenit: quem cùm euocaſſet, rogaſſetq;, an'ne ulteriùs ſecũ militare uellet? reſpondit, Sat ſibi eſſe militatum, ſeq; cumulatiſſimis militię præmiis perfrui: proinde orare, ſe miſſione donaret. Quieſce (Germanus inquit) ac uale. At ille depoſito mox capite, in Domino obdormiuit. Cùm Auguſtodunum iter faceret, ad Caſſiani pontificis tumulum, Scythia oriũdi, peruẽnit, & quid'nam ageret, & quomodo ſeſe haberet? interrogauit: Dulci quiete (inquit) perfruor, & expecto Redemtoris aduentum. Ad quem Germanus: Quieſce igitur per lõgum in Chriſto tempus, & pro ſalute noſtra diligentiùs intercede, ut beatiſſimæ reſurrectionis gaudia aſſequi mereamur, & uale. Bonfinius lib. 4. Dec. 1.

Venceslai IV. regis mortem Boëmi magno mœrore proſecuti ſunt. Fuerat enim clementiſſimus princeps, & admirandus opinione ſanctitatis. Is IOANNI Brixionẽſi epiſcopo per quietem apparens, interrogauit, quæ'nam eſſet cauſa mœſticiæ? Dicenti ſe mortem eius æquo animo ferre non poſſe, incredulitatem exprobrauit, qui ſacris eloquiis fidem non adhiberet, in quibus hæc uerba potuiſſet aliquando legiſſe: Cùm te conſumtum putaueris, orieris ut Lucifer, & habebis fiduciam propoſita tibi ſpe, & defoſſus ſecurus dormies. Requieſces, nec erit, qui te exterreat, & deprecabuntur faciem tuam plurimi. Subiungensq; paruam eſſe eius fidem, atq; inanem, ſi mortẽ ſanctorum miſeram putaret, repentè diſparuit. Epiſcopus excitatus, uerba quidẽ ſibi dicta memoriter tenuit, ſed ubi'nam ſcripta eſſent in ſacro codice, penitùs ignorauit. Euoluto autẽ Concordantiarum libro, undecimo apud Iob capitulo, quod quærebat, inuenit. Aeneas Syluius cap. 28. hiſt. Bohem.

Mariam Magdalenam, cùm in ſolitudine uitam ageret, EREMITA quidam presbyter ab angelis in cœlum tolli, & iterum loco ſuo reſtitui uidit. Deinde quid hoc eſſet, curiosè ſciſcitans: didicit, triginta iam annos eam non alio cibo ſuſtentatam, præterquam cœleſtium gaudiorum contemplatione, beatis, quemadmodum ipſe conſpexerat, ſpiritibus eò perducentibus illam ac reducentibus: & iam finem uitæ huius facturam, ut uitam illam inchoet, quæ nullo concluditur fine, nulla carpitur moleſtia, nullo indiget bono. Marulus lib. 6. c. 16.

Agnes uirgo, poſt martyrium PARENTIBVS ad ſepulcrum eius excubantibus, ac lugentibus, glorioſa apparuit, cũ ſplẽdido elegantiq; uirginum comitatu, aureis armillis, candiduloq; amictu effulgens, & agnum niue candidiorem dextera baiulans. Tum repreſſo parumper gradu, parẽtes ipſos dulciter admonuit, ne ſe uelut mortuam flerent, ſed potiùs cũ Chriſto beatè uiuenti congratularentur. A ſanctarum, inquit, uirginum, quas uidetis, recepta collegio, ei in cœlo iuncta ſum, quem in terra poſita toto corde dilexi. Idem ex D. Ambroſij ſer. 90.

Margaritæ uirginis capiti, dum ipſa grauibus afficeretur ſuppliciis, nec interim ceſſaret confiteri Chriſtum, cunctis, qui aderant cernentibus, columba de cœlo aduolans, aureã coronã impoſuit. Eo miraculo quatuor millia HOMINVM, relictis idolis Chriſtum colere cepêre. Idem.

EVLALIÆ uirginis poſt multa tormenta capite cæſæ, anima ſub columbæ uolantis figura uiſa eſt cœlum petere, & nubibus condi. Idem.

Theodora Alexãdrina, quæ ſexu diſſimulato inter monachos perſanctè uixit, cùm deceſſiſſet, ABBATI in quiete apparuit cum quadam nuptiali pompa, ſanctarum exultantium agmine eam circumuallante, ipſa in medio gemmis auroq; coruſcans. Tunc ſe illam eſſe confeſſa eſt, quæ Theodorus monachus diceretur, mas credita. Experrectus abbas, continuò cellam eius adiit, defunctam eſſe reperit, & feminam fuiſſe cognouit. Idem.

Apud Alexandriam PAVLVS Antonij abbatis diſcipulus, in ſpiritu ad cœlum uſq; pertractus, uidit thalamum quendam miro ornatu excultum, lateq; fulgentem: & Antonio paratũ putabat, donec audiuit, Thaidi meretrici illũ ſeruari. Ex quo cognitũ eſt, ei mulieri peccata per pœnitentiã dimiſſa eſſe, & cœleſtem beatitudinem condonatam. Idem.

Scholaſticæ uirginis animam frater eius BENEDICTVS abbas in columbæ forma ad cœlos euolantem uidit. Cognituq; quòd obiiſſet, corpus illius ad monaſterium ſuum deferendum curauit, & in ſepulcro, quod ſibi parauerat, cõdidit. Idem.

Agatha uirgo & martyr, per APOSTOLVM à uulneribus curata fuit, & peracto agonis curſu, cùm mortua efferretur, angeli ſub uiſibili ſpecie exequias celebrarunt: & literis in marmore inciſis, beatitudinis eius teſtimonia reliquerunt, Mentem ſanctam, ſpontaneam, honorem Deo, & patriæ liberationem. Idem.

Septem mulierum, quæ cum beato Blaſio epiſcopo apud Sebaſten martyrium paſſæ ſunt, cùm capite cæderentur, animas uirginali forma à corporib. egredi uiderunt CARNIFICES, cœlumq; uerſus ferri, candidas admodum, & coronis circa capita fulgentibus decoras. Idem.

Thebaidis monaſterij ABBATISSA Euphraxiam uiduã propediem uita deceſſuram intellexit, cùm Antigonum eius uirum in cœleſti beatitudine conſtitutum per ſomnium uidiſſet ſupplicantem, ut ipſa iam de terris euocata, ſibi in cœlo copularetur. Somnij fidem probauit euentus, & Euphraxia breui defuncta eſt. Euphraxiæ quoq; eius filiæ, Deo dicatæ uirginis, eadem abbatiſſa obitum prædixit, deinde præpoſitæ eius Iuliæ, poſtremò ſuum: neq; ſecus quàm prædixerat, euenit. In uno conditorio tres poſitæ, una beatitudine gaudent in paradiſo. Idem.

Gertrudis uirgo Nigellani monaſterij, qua die obiit, ABBATISSÆ Treuerenſis monaſterij ante altare oranti apparuit, ſeque ad ſponſum ſuum ire dixit, cœleſti gloria fruituram. Alio quoque miraculo beatam eſſe patuit. Cùm monaſterium arderet, ſupra tectum uiſa eſt candẽti uelo flammas premens: reſtincto ſtatim incendio, cùm totum ædificium conſumtum iri timeretur, nihil damni illatum fuit, igne uirginis imperio cedente: quia illi iuncta erat, cuius uoluntati ſubiecta ſunt uniuerſa. Idem.

EDELTRVDIS uirginis corpus, cùm poſt XVI obitus ſui annum ad aliud ſepulcrum tranſponeretur, integrum eſt inuentum, ineffabiliq; odore fragans: quinetiam (quod multò mirabilius eſt) in uocem prorupit, dicens: Sit gloria nomini Domini. Idem.

ROMVLA uirgo, cùm ex paralyſi ad finem uitæ perueniſſet, luce repentè circumfuſa eſt. Cuius fulgore attoniti aſſidentes, magis etiam timuerunt, cùm mox conueniẽtis illuc turbæ ſtrepitum perſenſiſſent, & neminem uiderent, cũ incredibili ſuauitate odoris: qui tamdiu permanſit, donec Romula ſpiritum tradidit. Ante oſtium quoq; cellulæ eius pſallentium cantus auditus. Idem.

D. BERNARDVS Galdricum auunculum defunctum poſt aliquot dies noctu uidit. Sciſcitatur quo in ſtatu ſit? Reſpondet auunculus: In proſpero. Quærit iterum Bernardus, quid cauſæ fuerit, ut in agone infremeret, & corpore terribiliter moueretur? Eadẽ (ait ille) hora duo nequam ſpiritus me in puteum profundiſſimum præcipitare nitebantur, unde ita contremui: uerùm accurrente B. Petro, euaſi liber, ne quã mihi uis fieret. Auctor uitæ lib. 1. c. 10.

## ETHNICORVM.

IVLIVS Proculus apud Capream paludẽ uidit, quaſi per ſpectrum, Romulum auguſtiore forma deum factum: ſuosque admonentem, ut deos colerent, & uirtutem ſequerentur: tũ enim fore, ut Roma caput mundi diceretur. Vide Liuiũ, Dionyſium, & Plin. c. 2. de Viris illuſtribus.

## PVRGATORII POENARVM REVELATIO.

[redacted]

*ſit cuique liberum iudicium.*

In ea epiſtola, quam Cyrillus Hieroſolymitanus epiſcopus de ſignis diui Hieronymi poſt obitum factis, ad Auguſtinũ ſcribit, legimus, per id tempus hæreſim quandam inſurrexiſſe, quæ diceret, defunctorum animas, nec beatitudinẽ, nec pœnam ſentire, donec cõmunis reſurrectionis die ſuis iungerentur corporibus. Hieronymus EVSEBIO apparens, iuſſit



iuſſit ſaccum ſuum, quo pro indumento uſus fuerat, triũ uirorum cadaueribus, qui ea nocte obierant, imponi: ut uitæ redditi docerent, quanto errore tenerentur, qui talia aſſererent. Reſuſcitati ergo coram omnibus, qui ad eccleſiam, ut hoc miraculum uiderent, magno cœtu conuenerant, confitebantur, & beatorum præſentem gloriam, & damnatorum pœnam, & eorum, qui minùs plenè pœnitentiam peregiſſent, purgamentum. Quæ omnia, ut uiuis teſtari poſſent, à beato Hieronymo ſe circumductos, & ſic ad uitam redire iuſſos, affirmabant: rurſum die uigeſimo unà cum Euſebio eius diſcipulo deceſſuros, & cũ eodẽ, ſi modò æqualem interim delictis pœnitentiã egiſſent, uitæ æternæ præmia conſecuturos. Itaq; tanto tamq; euidenti miraculo exploſa & exibilata hæreticorum ſententia eſt: atq; illi, qui paulo antè ſubuerſi fuerant, ſtatim reſipiſcentes, catholicã amplexi ſunt fidem: cùm præſertim eos, qui à morte ſurrexerant, pœnarũ recordatione indeſinenter atq; inconſolabiliter flere, lamẽtariq; uiderent: ac tandẽ, qua prædixerant die, Euſebio moriente, & ipſos iterum mori: ut etiam eiuſce rei euentu magis conſtaret, quàm uera eſſent ea, quæ per illos dicta fuerant. Marulus lib. 5. c. 11.

HELIAS, quidam in deſerto Aegypti ſolitarius, beato Hieronymo familiariter uſus, in quiete uidit (ſicut idem Cyrillus teſtatur) animam cuiuſdam epiſcopi Anconitani, cùm ante diuinæ maieſtatis tribunal ſiſteretur, ob uitæ luxum, atque delicias ad æternam pœnam deſtinari: animam uerò Theodoſij ſenatoris, quòd beatum Hieronymum magno ſemper honore coluiſſet, ad purgatorij tormenta deducendã decerni. Cũq; diem ſignaſſet, quo iſta uiderat, cõperit eodem ipſos ambos fuiſſe uita defunctos: & credidit uera eſſe, quę ſibi per ſomnium apparuerant. Idem.

PASCHASIVS Apoſtolicæ curię diaconus, pietate erga Deũ & homines præſtãs (ut à Gregorio traditũ eſt) niſi quod contra Symmachum iam omnium ſuffragiis maximo pontificatu dignum iudicatum, pertinaciùs quàm fas erat, pro Laurentio, quem ipſe digniorem cenſuerat, ſtetit: cùm hanc culpam poſt mortem lueret, à Germano Capuano epiſcopo in Angulanis thermis opera ſerui fungens inuẽtus eſt. Qui Germanus, ut cauſam didicit, abiit, & per dies aliquot pro illo ſupplicationes fecit, ſicuti ipſe rogauerat: atq; eôdẽ rediẽs, liberatum onere illo cognouit, quem iam ibi non cõparere animaduertit. Idem.

PRESBYTER, quidam Centumcellis, cùm ad balnea lauatũ ueniſſet, & homini, qui ibi ſæpe iam illi operam lauandi gratuitam præſtiterat, panes aliquot muneri obtuliſſet, accepit ipſum eis non indigere. Loci enim illius olim dominum fuiſſe, & poſt mortem ibidem anguſtiari, noxæ cuiuſdam expiandæ cauſa, piaculiq; ſoluendi: tamẽ multum profore ei, ſi ipſe panẽ conſecratũ Deo offerendo, pro illo oraret. Quãobrem presbyter ſacram hoſtiam obtulit, Deũ precatus eſt, ad balnea rediit: ſed non inuento homine, à pœna liberatũ intellexit. Idem.

Dum beatus GREGORIVS pontifex (ut ipſe in Dialogo ſuò refert) abbatis adhuc munus obiret, quidã inter monachos nomine Iuſtus, grauiter ægrotans, & iam morti proximus, fratri ſuo ſeculari Copioſo indicauit, ſibi tres aureos nummos eſſe, quos nemo alius noſſet. Cùm ea res percrebuiſſet, abbas indignãs iuſſit, ne quis monachorum, Iuſtũ monaſticæ legis uiolatorem adire, néue cum eo ullum miſcere uerbum præſumeret. Id ille per ipſum, qui ſibi aſſiſtebat, Copioſum fratrem reſciens, conſiderauit ſecum, quantum ea re flagitij cõmiſiſſet: & ut par erat, magis doluit, quòd Deo peccauerat, quàm, quòd ab hominibus deprehenſus eſſet. Vbi autem uita functus eſt, corpus eius in ſterquilinium ſepelierunt, cum aureis illis, quos reliquerat dicentes: Pecunia tua tecum ſit in perditionem. Hoc clarè ad reliquorum terrorẽ actum: illud occultè, ut ſcilicet Precioſus monaſterij præpoſitus per dies triginta quotidie pro iniuſtitia Iuſti offerret Dominicum ſacrificium. Poſtea tandem Iuſtus Copioſo noctu apparens: Hactenus, inquit, in tormentis fui: nunc demũ ſacra cõmunione percepta, ab iis me expeditũ certò ſcias. Nemo præter abbatem nouerat, pro quo Precioſus quotidie rem diuinam faceret. Sed ubi uiſio Copioſi uulgata eſt, & ipſi palàm fecêre, eum iam trigeſimum diem eſſe ſacrificiorum pro Iuſto actorum: proptereaq; illum à purgatorio erutum, cœloq; illatum. Idem.

ODILONI abbati Cluniacenſi Hugo, qui uitam eius conſcripſit, diuinitùs reuelatũ tradit, ſupplicationes pro defunctis die proximo poſt feſtum omnium Sanctorũ ab Eccleſia fieri oport[illegible] ipſe primus obſeruauit, deinde obſeruãdũ uniuerſa recepit Eccleſia. Idem.

Benedictus X. Pontifex maximus, cùm mortẽ obiiſſet, IOANNI Portuenſi epiſcopo apparẽs, cõfeſſus eſt, ſe Odilonis abbatis precibus ab æternę mortis periculo ſeruatũ. Se autem ideo tunc ei apparuiſſe, ut ipſe eundem abbatem rogatum iret, ne ſibi in flammis purgatoriis ardenti ſubtraheret auxilium, quod ferre adhuc in corpore uiuenti cõſueuerat. Hoc nuncio ſibi allato, abbas & ipſe ſuppliciter pro illo orauit: & omnibus, qui cum ipſo erant monachis, ut itidem facerẽt, iniunxit. Haud ita multo pòſt, Benedictus totus lucidus ac refulgens apparuit Edelberto monacho, ſeq; à purgatorio ad beatitudinem trãſlatum dixit, Odilone ac monachis pro ſe deprecantibus. Deinde & ipſi Odiloni ſub eadem forma ſe oſtendens, gratias egit, eo quòd tam grande beneficium per eum potiſſimè accepiſſet. Marulus lib. 5. c. 11.

Rob. Gaguinus refert, IOANNEM anachoretã Anſoaldo Pictauorũ epiſcopo narraſſe, ſe à quodã ſene reuerẽdo ex ſomno excitatũ eſſe, ac iuſſum orare ꝓ anima Dagoberti regis Francorũ eadẽ hora defuncti. Id uerò cũ feciſſet, in medio mari ſe turbã dæmonũ cõſpexiſſe, qui animã regis cymba deuehẽtes ad pœnas rapuerint: illam uerò cõtra eos frequẽter opẽ Martini, Mauricij & Dionyſij martyrũ inclamaſſe: ac mox procellã cũ fulgore & crebris imbribus exortam eſſe, & tres illos uiros candidis ueſtib. ad ſe ueniſſe, profitentes ſe eos eſſe, qui inuocati uelint Dagoberto opitulari: ac ſine mora animã ſupplicis regis tormentis exemiſſe, & ſecũ in cœlũ aſportaſſe. Sigebertus in Chronico, circa annũ Domini 645, narrat cuidã reuelatum eſſe, animã Dagoberti ad iudiciũ raptã, accuſari à multis ſanctis, propter eccleſiarum expoliationẽ: ac malis angelis eã abripere conantibus, Dionyſium Pariſienſem martyrem interueniſſe, eamq; liberaſſe, modo pœnitentiæ præſcripto, ut ad honorẽ Dei & beatorũ Petri & Pauli Apoſtolorum, quos offenderat, eccleſiam ædificaret. Nauclerus Generatione 21.

Circa annũ Domini 1096 prope Vormaciam, multis diebus & noctibus maxima armatorũ multitudo huc illuc diſcurſitãs apparuit: & in uicinũ montẽ, unde prodire cõſueuerãt, ſubinde recurrit. Nocte quadã MONACHVS Limburgenſis, aſſumtis ſociis quibuſdam montẽ accedit, muniensq; ſe ſignaculo crucis, adiurat exeuntes, per uirtutẽ ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, ut ſua proderẽt nomina. Cui unus de turma: Nos ſumus phantaſmata, nec militum uiuentiũ turba, ſed animæ hominũ, principi terrenorũ quondã in hoc mundo militantium, atq; ante paucos annos in hoc loco interfectorũ: arma, habitus & equi, quæ nobis uiuis erant inſtrumenta peccati, nunc in mortuis ſunt indicia tormẽti: omne, quod iam cernitis circa nos, totũ ignitũ eſt nobis, quanquã uos ignem noſtrum minimè uideatis. Quærit porrò monachus, Vtrum iuuari ab hominibus poſſint? Tum ſpiritus illi: Ieiuniis, orationib. & in primis oblatione corporis & ſanguinis Chriſti iuuari poſſumus: & hoc à uobis fieri rogam⁹. His dictis, tota caterua quaſi una uoce tertiùm exclamat: Orate pro nobis. Et ſtatim omnes in ignem reſoluti uidebantur, & mons ipſe ardens ignem cum maximo fragore emiſit. Chronicon Hirſaugienſe.

MAVRILIVS Rotomagẽſis epiſcopus, poſt mortem templo inferendus, reſumta anima circumſtantibus dixit: Vltima paſtoris ueſtri uerba percipite. Naturaliter mortuus ſum: ſed ut, quæ uidi, uobis nunciarem, reuixi: nec diu ſuperſtes ero, quia dormire in Domino placet. Ductores mei, quorũ ueſtitus uultusque longè pulcerrimi, ſermoque iucundiſſimus erat, mihi uerſus Orientem eunti pollicebãtur paradiſum, Hieroſolymisque peracta ſanctorum adoratione, ad Iordanem tendimus: cuius accolis comitatum noſtrum augentibus, lætitia mihi ſuborta eſt. Cùm autem flumen tranſire maturarem, comites Dominum præcepiſſe referebant, ut peccata uenialia, quæ priùs confeſſione non dilueram, pauore ex aſpectu dæmonum concepto purgarentur. Et extemplò aſtitit tantus teterrimorum ſpirituum exercitus, haſtas acutiſſimas uibrantium, ignesque euomentium, ut aër totus ferreus flammeusque uideretur: quo ſpectaculo ſupra modum horrui. Vt igitur ueſtræ ſaluti conſulatis, hoc, recepto habitu uobis dixi: ſtatimque iterum expirauit. Vincentius lib. 25. c. 4.

Petrus Damianus, epiſcopus Hoſtienſis narrat, quendam CLERICVM Colonienſem, quodam tempore equo fluuium tranſeuntem, ſanctum Seuerinum epiſcopum Colonienſem (qui non multo antè è uiuis exceſſerat, & ſepulcro conditus multis miraculis claruerat) in illo uidiſſe. Hũc apprehendiſſe frenum Clerici, ne ulteriùs progrederetur. Clericum obſtupuiſſe, & cur illic tantus uir detineretur? inquiſiuiſſe. Epiſcopum petiiſſe, ut manum ei præberet, ut ſentiret quomodo haberet. Quumq; manum clerici aquæ impreſſiſſet, momento propter ingentem calorem carnes reſolutas diffluxiſſe, ut nuda oſſa tantùm apparerent. Ad quem Clericus, Quũ ſis tam celebris in Eccleſia, quî fit, ut ita crucieris? Reſpõdit Seuerinus, Hãc ſolùm ob cauſam, ꝙ horas canonicas per diſtincta horarũ ſpacia nõ abſolui. fui enim in aula Imp. cõſiliis eius occupatus: manè omnib. coaceruatis toto die negotiis aliis fui implicatus: ideo huius ardoris fero ſupliciũ. Sed omnipotẽtis Dei auxiliũ uterq; imploremus, ut manũ tuã reſtituat: quod ſtatim factũ eſt. Et dixit ad clericũ: uade

uade fili, obſecra fratres eccleſiæ noſtræ, & alios clericos. ut pro me preces fundant, & indigentibus eleemoſynas diſtribuant, ſacrificiorumq; uotis inſiſtant. His enim peractis, ego mox ex tormentis illis liberabor: & expectantibus me beatorum ciuium choris lætus adiungar. Lauaterus part. 1. de Spectris, cap. 14.

# INFERNI POENARVM REVELATIO, TAM ALIENARVM QVAM PROPRIARVM.

## CHRISTIANORVM.

Chriſtus optimus max. introducit in Euangelio, diuitem epulonem lugubriter conquerentem, & ſancto patriarchæ ſupplicantem, ut mitteret Lazarum, qui intincto in aquam digito guttulam unam linguæ ſuæ inſtillaret, eo quòd totus in igne arderet, totusque cruciaretur. Quanta ergo calamitas eſt, ſic torreri? & una aquæ guttâ indigere, nullaque poſtulatione eam impetrare poſſe? Sed huic tam ingenti miſeriæ additur præteritæ felicitatis amara recordatio. Reſponſum enim accipit: Memento quia bonis multis in uita fruebâre, Lazarus uerò preſſus erat malis: tu nunc cruciaris, ille conſolatur. Additur & fratrum ſuperſtitum irrequieta ſollicitudo, cùm tam uehementer expaueſcat, ne eandem & illi perniciem ſortiantur: quos fortaſſe ſciebat haud aliis moribus uiuere quàm ipſe uixerat. Nō ergo ſatis eſt, flammis excoqui, & ne linguam quidem tanti ardoris habere expertē: multiplicium inſuper curarum perpetua anxietudine exæſtuandum eſt. Marul. lib. 6. c. 14.

STACTEVM Epheſium, Ioannes apoſtolus, dum efferretur, ad uitam reuocatum percunctatus dicitur, Quid in alio orbe de illis duobus fratribus diſcipulis ſuis uiderit, qui ſibi aliquandiu religioſè adhærentes, turſum per inconſtantiam lubricitatemq; deſciuerant? Cùm ergo is, quantam beatitudinem cum quali infelicitate permutaſſent, coràm recenſuiſſet, continuò illi ambo omnes diuitias paulo antè repetitas acceptasque (hæ autem erant uirgæ in aurum uerſæ, & lapilli in gemmas, ut his redimerent poſſeſſiones, quas pro amore Chriſti diſtraxiſſe dolebant) ad pedes Apoſtoli effudêre, multis cum lacrymis, rogantes ueniam, ac dicentes, omnia ſe perpeti paratos, tantùm ut priſtinam gratiam apud Deum ſibi recuperare liceret. Idem.

MACARIVS Alexandrinus, dum aliquando per Scythioticā ſolitudinem deambularet, caluariam hominis humi iacentem conſpicatus, cepit per Chriſtum Ieſum obteſtari, & interrogare, cuiàs fuiſſet dum uiueret? quóue nunc in loco animus quondam inhabitator ſuus degeret? Aridum os, carneque & neruis nudum, prorupit in uocem, ac ſe gentilem fuiſſe, proximiq; uici indigenam reſpondit: nūc uerò in foueā barathri infernalis tam altè retruſum anguſtiari, quàm procul à terra diſtet cœlum. Sed etiam ſe profundius ruere Iudæos incredulos, & ſub ipſis hæreticos Chriſtianos, qui reuelatam diuinitùs ueritatem mendacibus peruertere ſententiis moliuntur. Idem.

EADMVNDO Cantuarienſi archiepiſcopo, die quadam in uiſu appaſuiſſe ferunt latè patentem campum, ſqualentibusq; aruis uaſtum: & in eo ruſtici cuiuſdā ſola uitæ prauitate nō ignobilis, exanime corpus ab ingenti coruorum multitudine certatim impeti, diſtrahiq; & dilacerari. Deinde cōpertū, ea ipſa die ruſticum illum uita defunctum. Idem.

IOSA[redacted], Indorum regis filius, Barlaam eremitæ induſtria & diſciplinis ad Chriſtianitatem conuerſus, meretriculæ cuiuſdam forma blanditiiſque & procacitate captus fuiſſet: niſi diuina miſeratione contigiſſet, ut parumper obdormiſcens, & ſanctorum gloriam, & damnatorum pœnas uideret. Eo ſomno confirmatus, in caſtitatis propoſito perſeuerauit. Idem.

Tres QVIDAM ad deſtruendā hæreſin eorū, qui animas non niſi corporibus in extremo iunctas die, beatitudinis uel damnationis participes fore dicebant, D. Hieronymi ſacco tacti & reſuſcitati, palàm teſtari ceperunt, ſe Hieronymo duce loca paradiſi, inferni purgatoriique perluſtraſſe: & cùm damnandi eſſent, eiuſdem apud Deum gratia, antequam iudicarentur, ad uitam redire iuſſos. Enarratis igitur omnibus, quæ uidiſſent, ſola infernalium pœnarum recordatione à lacrymis temperare nullo modo poterant, quòd dicerent, tales ac tantas eſſe pœnas illas, ut nullæ penitùs excogitari poſſent, cum ipſis comparandæ. Itaque ſine intermiſſione flebant, donec peracta 20 dierum pœnitentia, rurſum (ut prædixerant) ſuis exuti corporibus deceſſêre, non ut priùs ad mortem, ſed ad uitam. Marulus lib. 6. c. 14. ex Cyrilli Hieroſolymitani epiſtola.

Idem CYRILLVS refert, dum mœſtus oraret, indicari ſibi petens, qualiter ſe haberet Ruffi nepotis ſui nuper defuncti anima, ſe fœtorē primò ſenſiſſe ſuprà modū grauē, neq; naribus omnino, niſi cōpreſſis tolerabilem: mox deinde ipſum Ruffum cōſpexiſſe cathenis candētis ferri præcinctum flammas fumo mixtas ore uomentē, & toto prorſus corpore ex ardorib. quos intra ſe habere uidebatur, ſcintillantē. Cūq; hoc ſpectaculo cōterritus miraretur, & uehemēter expauidus quæreret: quā ob culpā iuuenis moribus integer, & ob id quondā omnib. carus, talib. pœnis dignus iudicatus eſſet? ab eodē didiciſſe, nihil ei aliud crimini fuiſſe datū, ꝓ quo ita uexaretur, præter aleæ luſionē, quoniam ipſa identidem uſus eſſet, & leuiſſimū uel nullum peccatū exiſtimans, illud ſacerdoti confiteri neglexiſſet. Marulus ibidem.

Quidā in finib. Valeriæ prouinciæ ęgrotans, priuſquā Seuerus presbyter ad ipſum à peccatis abſoluendū adueniret, diem ſuū obiit. Mox die eodē, SEVERI lacrymis ac precib. annuente Domino reuixit. Interrogatus, quid ſibi cū è corpore migraſſet, cōtigerit? reſpondit, ſe à quibuſdā hominibus nigrioribus, quàm Aethiopes ſunt, & qui ore naribuſq; ignē efflabant, repentè correptum fuiſſe, & per opaca loca atque aſpera raptim deductū. Sed dum adhuc duceretur, à candidiſſimis iuuenibus, multaq; luce coruſcantibus obuiā factis dimitti, ac uitæ priſtinæ reſtitui iuſſum, quòd dicerent, Seuero presbytero hoc poſcenti, Deum concedere. Igitur cū peccata ſuà eidē confeſſus pœnitentiam peregiſſet, die ſeptimo iterum, ſed feliciùs, obdormiuit. Marulus ex Gregorio.

Theodericū Italiæ regē Arianum, SOLITARIVS quidam in Lipara Siciliæ inſula Deo ſeruiens, in ollam Vulcani, quę flāmas eructat, uinctū deiici uidit à Ioanne papa, Symmachoque patricio: quos ille catholicā tuentes fidem non multo antè occiderat. Meritò ab ipſis præcipitari uiſus eſt, quos ipſe præcipitatos in mortis ignominiā putauit, dū martyrio coronarētur. Deprehenſum quoq; eſt eodē die ipſum interiſſe, quo talia de illo ſolitarius uiderat. Marulus, ex Simoneta lib. 4. c. 20. & Diacono lib. 15 & D. Gregorio.

EVMORPHVS Romanus, Gallæ uiduæ filius, cùm animam ageret, clamare cepit dicens: Pergite citò accerſitum mihi Stephanum Optionem: ecce enim nauis ambos nunc ad Siciliam uectura in portu nos præſtolatur, iam oram ſoluit, iam uela ſuſpendit. Inſanire putabatur, donec rurſus morantes famulos increpans: Non inſanio, inquit, agitè iamite, ſi libet, & quod uolo, perficere ne cunctemini. Dum eūt, audiūt Stephanū illum deceſſiſſe. dum redeūt, Eumorphum extinctum offendunt. Vtriuſq; exitus eodem temporis puncto contigit: ut talis euentus doceret, haud temerè uiſum eos ad Siciliam euocari, ubi Aetna, ſicut & infernus, igni flagrat inextinguibili. Marulus libro ſexto, capite decimoquarto.

Quo rempore Gothi Italiam uaſtabant, REPARATVS Romanus, improbus magis quàm ignobilis uir, dum defunctus plangeretur, reuixit: Et mittite, inquit, ad eccleſiam Laurentij martyris ſciſcitatum, quid Tiburtius presbyter agat. uidi enim eum rogo impoſitum acriter torreri: uidi & aliū rogum, qui flammæ mucrone cœlum lambere uidebatur: de flamma quoque uocem erumpentem audiui, quæ indicaret, quis ille eſſet, cui pœna hæc parabatur His enarratis, repentè obmutuit, non ſidere, ſed morte percuſſus: atque iterum illuc, unde redierat, abiit. Tiburtius etiam infelicem animam tunc exhalaſſe compertus eſt, de quo hominū præiudicium factum fuerat, nemine non uitam illius deteſtāte. Cùm enim presbyter eſſet, nihil presbyteri habebat, præter figuram ac nomen. Idem.

In Valeriæ ꝓuinciæ regione Curialis QVIDAM cū in uigilia Paſchæ filiam cuiuſdam ſibi amiciſſimi iam adultam ad baptiſmum tenuiſſet, contracta ſpiritali neceſſitudine eam illo die ſecū manere petiit. Conceſſam lautè atq; opiparè accepit, & quaſi à ſe genitæ amoris ſigna oſtendit, longè aliū amorem celans in corde: nocte enim ſuperuenientē, miſellam uitiauit. Cùm illuxiſſet, tanti ſceleris conſcius ad eccleſiam procedere uerebatur: ne tamen de ſe ſuſpicionē aliis præberet, perrexit non cū modico diuinæ uindictæ timore. Die ſeptimo repentè concidit mortuus. Cumque ſepeliſſent eum, flamma de tumulo erumpens ardere non deſiit, donec cadauer ſimul cum conditorio abſumſit. Idem.

TVRPINVS ſcribit, ſe, cùm celebraſſet miſſam pro defunctis, in ecſtaſi conſtitutum, uidiſſe turmam militum quaſi prædam ferentium: ac interrogaſſe, quid ferrent: reſponſumque tuliſſe: Nos Marſirium portamus ad inferna: tibicinem ueſtrum cum multis Michaël fert ad ſuperna. Vincentius libro 24. capite 20.

MONACHVS quidam natione Iberus, cui Petro nomē fuit, cùm non ſatis monaſticè uiueret, mortē obiit. Mox aūt corpori reſtitutus, dixit ſe uidiſſe inferorum tormenta, perpetuumq; gehennæ ardorem: cumq; propè eſſet, ut & ipſe in ignē ꝓiceretur, ab angelo fuiſſe ereptū: & ad mortalē uitā, quam reliquerat, redire iuſſum: hoc addito, ut iam diſceret qualiter ſibi deinceps uiuendum eſſet. In tantum itaque poſtea immutatus eſt, ut ipſa corporis maceratione ſe uerè uidiſſe teſtaretur, quod tantoperè timeret. Marulus libro ſexto, capite decimoquarto.



STEPHANVS Romanus, uir ſua ætate illuſtris, Conſtantinopolim profectus, in ualetudinem incidens, uita deceſſit. Et quoniam ij, qui illum comitati fuerant, officij gratia corpus eius ad patriam referre uolebant, quæſitus eſt pollinctor, q illud exenteratū ſale condiret, ne in itinere putreſceret. Pollinctore tunc non inuento, is qui mortuus iacebat, die poſtero exurrexit uiuus: uixitq; poſtea non parum diu, ſed minùs, quàm debuit, emendatè. Narrare ſolebat, ſe ad inferos deductum, uidiſſe formidabilia illa, quæ olim audita non crediderat: & dum ueluti reus ante iudicis tribunal ſiſteretur, dimitti iuſſum, reprehenſo errore eorū, qui ipſum adduxerant: cùm non ipſe, ſed Stephanus ferrarius adduci iuſſus eſſet. Se autem uitæ reſtituto, eadem hora ferrarium uicinū ſuum defunctum fuiſſe, & tantę uiſionis fidem feciſſe, ne ſomnium putaretur. Ibidem.

GVLIELMVS, puer annos natus quindecim, noctu per uirū quendam ſplendidum in locum tormentorum infernalium duci ſibi uiſus eſt. Ac cùm uariis modis miſerè homines excruciari uidiſſet, tandem ad ipſum diabolum, in mediis flāmis ignea ſella quaſi pro tribunali ſedentem, defertur. Mox teter quidam ſpiritus proſilit, puerum accuſans: Omnia, inquiens, praua huic puero ſemper ſuggeſſi. Verùm eorū peccatorum, quæ puer paulo antè presbytero confeſſus fuerat, nulla prorſus facta eſt mentio. Puer ſuadente ductore, crucis ſigno ſe muniēs, omni damnationis metu eximitur. Vincentius lib. 27. cap. 84.

Fuit Romæ in monaſterio beati Pontificis Gregorij (ut idē tradit) adoleſcens quidam ſecularis, cum fratre monacho manens, ita mundanæ uanitati deditus, ut nulla piæ conuerſationis præcepta admitteret, proteruus, leuis, uecors erat: ut qui magis rei familiaris defectu, quàm amore, fratrē ſecutus eſſet. Hic ipſe peſtilētia percuſſus, cū iam moriens extremōs ederet anhelitus, MONACHIS aſſidentibus, & pro ſalute eius Deum deprecantibus, magno omnes pauore turbauit dicens: Faceſſite hinc, cur probibetis ne à dracone iſto deuorer, ſi illi datus ſum? iam ignitis faucibus hauſit caput meū, & ſtridentibus ſquamis quaſi ſerris tractim terens enecat me. Abite quæſo, nam præſentibus uobis totum abſorbere non poteſt, & iccircò magis cruciat. Cumq; admoneretur, ut ſe crucis ſigno defenderet: Quî poſſum, inquit, cùm & manus & pedes meos caudæ ſuæ ſpiris circumuolutos colligarit? Hoc audito, fratres in terram cum lacrymis prouoluti ardentiùs pro eo ſupplicare ceperunt. Inde ipſe meliuſculus factus, gratias Deo agere, quòd exauditis fratrum precibus à ſe tam immanem beſtiam effugaſſet: inſuper uitam ſe aliā, ſi conualeſceret, inchoaturum polliceri, terrenaque omnia contemturum. Conualuit, & quod promiſerat præſtitit, tam ſanctè poſthac uiuens, quàm anteà petulanter. Marulus libro 6. cap. 14.

Iconij in monaſterio (quod Tongalatōn dicebatur) MONACHVS erat, qui ſimulata ſanctimonia magnam apud omnes æſtimationem ſibi comparauerat. At uerò cùm ægrotans ad diem uitæ ſuæ ſupremum acceſſiſſet, expaueſactus fratres cōuocat, hypocriſim (quam diu celauerat) prodit. &, [illegible]dete, inquit, quò me perduxit diu mentitā ſanctitas. Ieiuniis me affligi fingebam; ſed occultè comedēs, nunquam ieiunabam: nunc inimico traditus ſum. Ecce me terribilis ſerpens tortuoſi corporis uoluminibus implicatum tenet: ecce in os meum, quod clandeſtinis dapibus replebatur, caput indidit ſuum, & lethifero morſu ſanguinem ſuctans adimit ſpiritum. Sub hæc uerba miſer defecit. Marulus libro 6. capite decimoquarto.

CHRYSAORIVS Romanus, opulentus quidem, ſed ſceleſtus homo, cùm ex graui ualetudine iam expiraret, apparuêre illi dæmones, ipſum certatim prehenſantes, trahereque ad inferna nitentes. Ille tremens, maximi filij ſui opem flebiliter implorare, ſeque ſuper lectum, huc atque illuc iactare cœpit. Nemo ſpiritus uidebat, & tamē nemo illos ibi conueniſſe dubitabat, cùm illius geſtus lamētaq; conſideraret. Poſtremò amicorū auxilium deſperans, ad hoſtes conuerſus: Inducias oro, inquit, inducias uel tantùm uſq; manè. Dū hoc poſcendo ingeminat, animam exhalauit. Idem.

Valentinū Mediolanēſis eccleſiæ curatorē, cùm Genuæ defunctus in eccleſia beati Syri martyris ſepeliretur: noctu terribili clamore exciti CVSTODES, uiderunt per pedes uinctū foràs protrahi à dæmoniis, ululantē uociferantēq;. Eo uiſu conterriti, abierunt quiſq; ad cellam ſuā. Manè uerò reliqs fratribus, quæ uiderant referunt, & unà cùm illis adeunt Valētini ſepulcrum, aperiunt, uacuum inueniunt, admirantur. Deinde extra eccleſiam corpus eius quærētes, illic, ubi trāſpoſitum fuerat, iacere conſpiciunt, ſic uinctis pedibus, ſicuti tractum cuſtodes dixerant. Idem.

Romæ TINCTOR quidā in beati Ianuarij martyris eccleſiā ſepultus, nocte ſequēti eiulare auditus eſt: & quòd arderet, grauiter lamētari. Manè adapertà ſepultura, ueſtimēta cum quibus poſitus fuerat, inuenerunt, corpus nuſquā cōparuit. Gregorius lib. 4. Dial. c. 54.

In Sabinorū prouincia Monialē quandam fuiſſe traditum eſt, quæ corporis caſtitatē ſeruans, linguam procacitatis uitio polluebat. Cumq; diē obiiſſet extremum, & in eccleſia ſepulta eſſet, AEDITVVS nocte intēpeſta eccleſiā ingreſſus, uidit illam ante altare diſtentam ſecari per mediū, partemque ſuperiorē igne cremari, inferiorē uerò relinqui intactā. Manè igitur uiſa fratrib. narrans, dū locū in quo eā uri cōſpexerat, oſtēdit, deprehēſa ſunt in marmoreo ſolo ardoris ueſtigia. Greg. Magnus lib. 4 Dial. c. 50. & Marul. lib. 6. c. 14. Vbi de horrēdis damnatorū pœnis multa ex ſacris promit literis.

Carolus Martellus Francorū rex, ſpoliator tēplorū, EPISCOPVM è ſedibus eiecit, ꝙ Ramanfredo ſtuduiſſe eū diceret. Is in ſedē à Pipino Martelli filio reſtitutus, Fulradū ędis Dionyſij antiſtitē ad ſe uocatū, ire ad ſepulcrū Martelli iubet; ac corpus quærere, ſicubi cōpareret: animā enim ſempiternis ſuppliciis deſtinatā. In conditorio Martelli ſerpēs inuentus eſt, ſiue quòd ex hominis ſpina id animantis genus enaſcatur, ſiue id diuinæ iræ teſtimonium eò certius fuit, quòd ſecundùm tam recēs funus, ſepulcrum alioqui inane, & nullis humani corporis ueſtigiis reliquiis ue apparuiſſe dicitur: intus uaſtitas, ſolitudo, horror, diraq; ſpecies: ac uelut incēdio atrum, clauſum deintegro conditoriū, ac ſuis redditū tenebris. Eucherioq; de manibus creditum, qui de corpore ùates uideretur. Aemilius lib. 2. & Martini Chronicon.

Cùm per inuidiam duo presbyteri Sidonium Auernorum epiſcopū à dignitate deieciſſent: & alter horūm cum ſordibus ſimul animā egeſſiſſet, ingreſſurus tēplum: alteri⁹, qui ad epiſcopatum iam euehendus erat, pœna, POCILLATORI in ſomno demonſtrata fuit. Cùm enim coram tribunali Dei à Sidonio accuſari uideretur epiſcopus: & nemo eſſet, qui presbytero nunciaret, ut ſe ad tribunal iudicis ſiſteret: pocillatori hoc muneris fuit impoſitū. Qui experrectus ſomno, cùm nouo epiſcopo in prandio miniſtraret, hoc ei ſomniū enarrauit, monuitq;, ut ſine ulla mora ante iudicis tribunal ſe ſiſteret. Epiſcopus hac narratiōe ita exanimatus eſt, ut poculo è manib. lapſo, ipſe humi caderet & moreretur.

[redacted]

DVNSTANVS Cantuarienſis archiepiſcopus, ob reprehēſas Eduuini Anglorum regis libidines, in exilium ire iuſſus, in templi area diabolum alta ridentem uoce audiuit. Cui magno ipſe animo reſpondit: Nihil ſuper exilio meo gratuleris: quia plus eſt, quod me redeunte doleas, quàm quicquid me exulante lætari ualeas: ſicque diabolus diſceſſit. Porrò non multo pòſt dignitate ſua Eduuino exuto, à fratre reuocatus, ad ſuam eccleſiam rediit Dunſtanus: & cùm in tēplo precibus aliquando intentus eſſet, diabolorum cœtum choreas ducentiū ſibi ob oculos oberrare uidit. Cumq; de tanta dæmonum lætitia diligentiùs inquireret, Eduuinum expiraſſe, eiuſq; animam iamiam gehennæ tradendam ex iiſdē cognoſcit: ſed tamen priùs hoc Dunſtano ex Dei mandato nunciandum. Is uerò mox in terram proſtratus, largas pro rege damnato effudit lacrymas: nec priùs ab oratione deſtitit, quā eius animam liberatam eſſe certior fieret. Redit itaq; diabolorum agmē magno ululatu in Dunſtani conſpectū, in hos clamores erumpēs: O hominē fidei deſertorē, & noſtris ſemper beneficiis minus gratū: ad ulciſcendas iniurias tuas

tuas uenimus, ecce aduerſis increpationibus tuis confuſi redimus. Cumq; ille mandaret dæmonibus, ut ueritatem dicerēt: cognoſcit ex diabolis, animam regis angelica uirtute illis ereptam eſſe, eamq; in ſortem pœnitentium collocatam. Tunc exultās, furores illorum tali ratiocinatione cōpeſcuit: Si peccauit, inquit, homo iſte in Chriſtum, peccauit & in me. Quod ergo Chriſtus & ego dignati ſumus indulgere, uos qua temeritate audetis improbè reprehendere? Hac ſententia terri ſpiritus, quaſi ſagitta percuſſi, muſcarum à uento diſſipatarum inſtar, diffugere. Vincentius libro uigeſimoquarto, cap.77.

Anno Domini 671, iuxta Sigebertum, quidam nomine D R I T H E L M V S in regione Northanumbrorum, quæ uocatur Incunningum, uir pius & honeſtus, incidit in morbum: eoq; aggrauefcente, ueſperi moritur. Diluculo uerò cùm ad feretrum aſſiderent pro more flentes amici & uxor, reuiuiſcit, ſeque erigit. Perterriti omnes, fugiunt primùm: ſed tandem reipſa cognoſcūt eum uiuere. Ille autem ad uxorem inquit: Noli timere, quia iam uerè reſurrexi à morte, qua tenebar, & apud homines ſum iterum uiuere permiſſus. Non tamen ea mihi, qua antè conſueueram, conuerſatione, ſed multū diſſimili ex hoc tempore uiuendum eſt. Statimque ſurgens abiit ad uillulæ oratorium, & uſq; ad diem in oratione perſiſtens, mox omnem quam poſſederat ſubſtantiam in tres diuiſit portiones. E quibus unam coniugi, alteram filiis tradidit: tertiam ſibiipſi retentans, ſtatim pauperibus diſtribuit. Nec multo pòſt ſeculi curis abſolutus, ad monaſterium Mailros, quod Tuidi fluminis circumflexu maxima ex parte clauditur, peruenit. Acceptaque tonſura, locum ſecretę māſionis, quam præuiderat abbas, intrauit: & ibi uſque ad diem mortis in tanta mentis & corporis contritione durauit, ut multa illum, quæ alios laterent, uel horrenda uel deſideranda uidiſſe (etiam ſi lingua ſileret) uita loqueretur. Narrabat autem horrenda, quę uidiſſet de pœnis impiorum. Vide Vincentium lib.23. capite 119. & Antoninum Titulo decimotertio, capite 3.

Cùm Pandulphus princeps Capuanus aureum calicem cœnobio S. Benedicti erupuiſſet, poſt obitum eius, P V E R uenatorius cum ferreis nexibus uinctum, & in cœnoſo & fœtido lacu uſq; ad guttur demerſum, & reſtib. à duob. nigerrimis ſpiritibus in profundum ſubinde demitti & iterum extrahi [redacted] ſe rediſſet, mirandum in modum exterritum, [redacted] in morbum incidiſſe, nec deinceps unquam uiſa ex animo deponere quiuiſſe. Itaq; etiam ubi conualuiſſet ex morbo, mutata uita, pœnitentiam ad ultimam ætatem egiſſe. H. Boëthius lib.14.

Cùm Vdo Magdeburgenſis epiſcopus, ne ſignis quidem ac diuinis uocibus commonitus, ab impudicitia ſibi temperaret, uiri religioſi Deum, ut epiſcopum aut corrigeret aut tolleret rogarunt. Inter eos cùm noctu in cathedrali Eccleſia S. Mauricij F R I D E R I C V S canonicus eiuſmodi precibus operam daret, uehementioris uenti afflatu, omnia, quæ in tēplo erant, lumina extingui perſpexit: nec multo pòſt duos iuuenes uenire, duo candelabra accenſis cereis ferentes, & Chriſtum cum parente eius atq; Apoſtolis ſubſequi. A quibus cùm eſſent uocati ſancti homines, quorum corpora in templo quieſcebāt, uiſus eſt inter eos Mauricius uenire, qui longa atque graui oratione Vdonem epiſcopum accuſauit: quem haud multo pòſt Chriſtus nudum afferri à duob. iuſſit, atque damnauit. Is autem pugno ab ipſorum altero, qui eum portarunt, in mediis renibus grauiter ictus, Chriſtianam hoſtiam, quam in cōmunione pridie eius diei ſumſerat, reuomuit in calicem, qui altari impoſitus fuit: atq; ſecuri percuſſo Vdone, rerum illarum omniū imago euanuit. Qua re uehementer territus Fridericus, cùm ad altare acceſſiſſet, calicemq; in eo eſſe cum Chriſtiana hoſtia inſpexiſſet, & ſimul epiſcopum mortuum humi iacentem, alios religioſos uiros excitauit, qui ablatum inde epiſcopi corpus in agro ſepeliuerunt. Fulg. lib.9. c.12.

C Æ C V S quidam, cui Ebroinus magiſter equitū regis Gallorum effoderat oculos, cùm ad ripam Sagonæ fluuij reſediſſet, orandi gratia: audiebat impetum nauigantiū contra flumen. Cùm uerò interrogaſſet, quò cum naue tenderent? reſpondebatur ei: Ebroinum ad Vulcaniam ollam deferimus, ut iſthic ſcelerum pœnas luat. Adon Viennenſis ætate ſexta.

Paulus Epiſcopus Cracouienſis, homo nefarius, cùm à Boleſlao Pudico Polonorum principe captus, ſe magna ui pecuniæ redemiſſet, uindictæ ſtudio Tartaros & Lituanos ad diripiendam Poloniam ſollicitauit. Hic cùm Cracouiæ apud Dominicanos fratres commoraretur, quadam die cœlitùs increpitus eſſe fertur, huiuſmodi uerbis: Væ tibi Paule epiſcope: meliùs tecum actum eſſet, ſi natus non fuiſſes: atq; hanc uocem à S E P T V A G I N T A hominibus tunc eum circumſtantibus auditam eſſe. M O N A C H V S etiam quiſpiam per quietem uidiſſe dicitur, lupum erectis prioribus pedib. contra eum humana uoce exclamantem: Væ tibi Paule epiſcope, quoniam cepiſti, & occidiſti. Hoc quoq; cùm ille renunciante monacho accepiſſet, expauefactus, fertur ſcelera ſua maiorem in modum deploraſſe. Dumque ſolus in cubiculo fletibus indulget, rurſus talibus dictis compellatū eſſe memorant: Ne timeas Paule epiſcope: age quod lubet, ſeptimo ab hinc anno morieris. Atque cum reſpondiſſe: Optimè ſecum acturam eſſe diuinam miſericordiam, ſi ſibi ſeptem annorum ſpacium ad expianda præterita peccata concederet. Has quoque uoces ab iis, qui ad fores cubiculi obſeruabant, exauditas eſſe. Credibile eſt autem, Satanæ eas fuiſſe, primùm deſperationem, deinde ſecuritatem illi & maiorem licentiam ingerentis. Refrænauit tamē ille aliquatenus audaciam ſuam quandiu uixit Boleslaus. Pòſt rediit ad ingenium. Obiit anno 1292, cùm aliis ſtudiis minimè dignis epiſcopo, tum uenationi ſic deditus, ut uenatorem, quòd feram imprudens à caſſibus repulerat, uenabulo transfigeret. Cromerus lib.10.

In Polonia H O M O quidam ſplendidus equeſtris ordinis, ſed uiolentus & rapax, & ſuis iuxtà ac alienis hominibus grauis, cùm grauiter ægrotaret, admonitus crebrò à religioſis quibuſdam uiris, ut ad Dei clementiam confugiens, animæ ſuæ ſaluti conſuleret, negauit ſibi ueniæ locum relictum eſſe: iam enim diuino iudicio traditum ſe eſſe dæmonum poteſtati. Nec mora, audiuntur à circumſtantibus uehementium uerberum & percuſſionum ſtrepitus. Apparent in corpore ægroti fœdi liuores atque uibices, ita ut omnes obſtupeſcerent. Inter hæc ille infelix nullam uocem, nullumq; gemitum edens, infelicem animam exhalauit. Anno 1276. Cromerus libro 9.

In Pelignis oppidi cuiuſdam dominus ſuperbè auareq; ciuib. imperitabat, ac trucibus dictis factisque in ſubditos ſeruilem in modum animaduertere ſolebat, eoſque licet impe[illegible]rata facerent, neque ſegniter mandata exequerentur, [illegible] ues plerunque cauſas, pœnis & damno multabat. Poſt[illegible]tem, quum H O M O quiſpiam alioqui bonus, ipſius uenaticum canem ad necem uſque uerberaſſet, dominus eum in peſſimum coniecit carcerē: tam foribus quàm omni aditu ob ſepto, ne elabi poſſet. Poſt dies aliquot quum ad illū accederent pro more cuſtodes, eum nuſquam inuenere, & rem ad dominum detulêre. Quod quum credi uix poſſet: poſt tres fermè dies, idem ipſe rurſus in eodem intus carcere apparuit, & attonito ſtupentique ſimilis, ut ad dominum quantocyùs admitteretur, poſtulauit: habere quod illi properè nunciaret. Ad eum admiſſus, ſe quum diutiùs carceris ſqualorem ferre nequiret, malum dæmonem, ut ſibi præſtò eſſet, aduocaſſe dixit. Dæmonem fœdo aſpectu & [illegible] facie ſecum pactum fuiſſe, & per ferrea clauſtra non [illegible] ui preſſura extruſum, in loca inferna actum eſſe præcipitē, ſingulaq; luſtraſſe: impiorumque ſupplicia, & ſedes conſceleratas uidiſſe: reges & ſummos duces in abrupto hiatu & profundo uoraginis, denſa merſos caligine affligi, & furiarum ardentibus facibus agitari: pontifices infulis, & trabeis, purpura & auro diſtinctis, ac gemmis ornatos, aliasq; miſerabiles facies omnis generis hominum, ætatum & ordinum, in cultu uario afflictos, & iacentes inter præaltas uoragines, alios immenſo limo hauſtos æternis ſuppliciis & nocte cruciari, ipſorumq; damnata ſcelera ſempiterno dolore puniri: inter quos plures, quos uiuus nouerat, adnotauit, & præcipuè uicinum quendam, domini æqualem ſodalemque. Ab eo agnitus, & interrogatus, quid rerum ageretur? quum ipſe patriam graui ſeruitio & crudeli dominatu premi



premi reſpondiſſet, illum mandaſſe, ut domino nunciaret, caueret ne quid tale ageret in poſterum: namq; illi uacuam ſedem, quam propè cernebat, præſtitutam eſſe: utq; fidem dicto haberet, meminiſſe (inquit) illum debere ſecreti conſilij & mutuæ pactionis, quam dum unà militarent, & in caſtris agerent, clàm iniuiſſent: cuius nemo particeps aut conſcius unquam fuit. Quod pactum quum ille enunciaſſet, & ſingula uerba, quibus uterque aſtrictus erat, recenſuiſſet, dominus mirum in modum obſtupuit, quomodo, quæ ſoli ſibi credita, & nulli unquam enunciata fuerāt, homo ille reſciuiſſet. Adiiciunt miraculo, interrogatū nunqd aliquo cruciatu affligerentur, qui inſigni ueſte & auro conſpicui forent? reſpondiſſe, perenni incendio, idq; totum quod auro & purpura fulgeret, ignem atque incendium eſſe: quumq; ipſe experiundi cauſa propiùs manum purpuræ admouiſſet, admonitum ab eo fuiſſe, ne tangeret: & tamen efficere nequiſſe, ut non ex caloris afflatu palma ſibi manus, quam tunc oſtendebat, aduretur. Erat enim puſtulis liuentibus, & igne ſacro ferè conſumta. Referunt præterea, qui illum adiuêre, eum, poſtquam ab inferis emerſit, quaſi attonitum hebetique aurium & oculorum ſenſu, ſemper cogitabundum inceſſiſſe, uixque ſæpiùs interrogatum, colloquenti reſpondiſſe: uultu uerò tam tetro, & aſpectu tam deformi, ut à coniuge & liberis uix agnoſceretur. Sæpiusque obortis lacrymis, ob faciei diritatem & ſpeciem hominis fœdiſſimè mutatam, notos affinesq; ipſum alloquutos fuiſſe: ægreq; ut ante obitum, qui mox conſequutus eſt, res ſuas diſpenſaret, ac liberis & poſteritati conſuleret, uitæ ſpaciū habuiſſe. Alex. lib.6. cap.21. Genialium dierum.

## ETHNICORVM.

Plato de Republica lib.10. narrat apologum H E R I Armenij, genere Pamphylij: qui cùm inter multos cecidiſſet in prælio, decimoq; pòſt die cadauera cæſorum tollerentur, reliquis putribus, huius unius cadauer integrum atq; incorruptum adhuc apparuiſſe, domumq; deportatum, ut iuſtis cæremoniis ſepeliretur: die duodecimo, cùm eſſet imponendus rogo, reuixiſſe, ac prodigioſa quædam narraſſe, quæ diebus illis decem apud inferos tum iens, tum rediens conſpicatus eſſet. Val. Max. lib.1. cap.8. & Macrob. in Som. Scip.

Plutarchus in commentario de Dæmonio Socratis narrat, T I M A R C H V M quendam in Trophonij ſpecum ingreſſum: poſteaquam illinc rediſſet, prodigioſa dictu narraſſe ſibi uiſa, non abhorrentia ab iis quę Beda & alij nonnulli Chriſtiani ſcriptores de inferis prodiderunt. Eraſmus in Adagiis.

P Y T H A G O R A S ad inferos ſe deſcendiſſe fabulatus eſt, & Homeri ſimul atq; Heſiodi animas diris cruciatibus affici affirmauit, quòd de Diis turpia & impia finxiſſent.

Fabuloſus eſt V L Y S S I S ad inferos deſcenſus apud Homerū in Necyomantia, item A E N E Æ apud Maronem 6. Aeneidos: fabuloſa etiam quæ de pœnis impiorum & campis Elyſiis afferunt: ſed non ita fabuloſa, quin multo grauiora impios maneant ſupplicia, quæ neque animo concipiendum uerbis exprimi queant.

# VIRTVTVM QVARVMLIBET DIVINA COGNITIO.

## SAPIENTIAE DIVINAE, PROPHETIÆ, SANCTITATIS.

Heliæ prophetæ pater S O B A C, cùm mater puerum ederet, in ſomnis uidit uiros niueis ueſtibus amictos puerum ſalutare, & à matris uberibus auulſo, flammas cibi loco miniſtrare. Epiphanius in Vitis prophetarum.

Quo die H E L I S Æ V S in Galgalis natus eſt, bos aurea in Selom, clamore horrendo uociferata eſt, deſtructionem ſui præuidens. Epiphanius de Vitis prophetarum.

S E P T V A G I N T A interpretes Iudæi, ad Pharon Aegypti ſeparatis ædiculis ſinguli L X X. dierum ſpacio ſacra interpretati ſunt Biblia: tanta diuini ſpiritus efficacia, ut collatis à Ptolemæo Philadelpho rege in unum interpretationibus, una unius hominis interpretatio uideretur. Ariſteas & Ioſeph9.

I O A N N E S, Zacharię filius, nondum in lucem editus, indubitato prophetici ſpiritus argumento, ſub ipſum almæ uirginis ad Eliſabetham matrem ingreſſum, geſtienti ſimilis, uiſus eſt ſentire Seruatorem humani generis adeſſe, qui uirgineo geſtaretur utero. Sab. lib.9. cap.9.

Feliciſſimi prodigij loco is ignis eſt habendus, qui linguarum ſpecie A P O S T O L O R V M capita circumfulſit: qui eorum cordibus charitatem ſapientiamq; eam infudit, qua totum terrarum orbem poſtea ad diuinum cultum incenderunt. Sab. lib.1. cap.4.

Eodem igne correptus in Gallia M A R T I N V S, qui ad Turonenſem epiſcopatum aſſumtus fuit: magna ſpectantium ad [redacted] bius lib.6. cap.29.

A M B R O S I O, præſuli Mediolanenſi, quondam puero in cunis (ut refert Paulinus præſul Nolanus, qui eius uitam conſcripſit) examen apum circa os apparuit: magni uiri melliſluique ſermonis præſagium. Volaterranus & Marulus libro 3. capite 4.

R E M I G I V S, epiſcopus Remenſis, Gallorum apoſtolus, antequam naſceretur, Montano cuidam monacho pro Eccleſiæ Gallicæ pace orante, uox audita eſt, Remigium naſciturum, uindicem Arianæ impietatis: cumque in peccatis quidem conceptum, ſed in utero matris ſanctificatum. Hincmarus in eius uita.

L Y B V S S A, Boemorum princeps, cùm Pragam urbem conderet, per quietem uidit, geminos oliuæ ramos ad aquilonarem urbis partem diuinitùs enatos, quorum ſublimitas uſque ad ſidera pertingeret. Poſt aliquot ſecula tandē diuus Venceslaus, & Adalbertus, ille ut princeps, hic ut Pontifex Boemis præfuêre, ambo in cœlum atque inter numina cœleſtia relati. Dubrauius lib.2.

Bernardi Clareuallenſis abbatis M A T E R, ante diem partus, uiſa ſibi eſt in ſomnis catellum in utero latrantem habere. Id interpretatum eſt, eam diuini uerbi præconem parituram. Marul. lib.3. cap.4.

Dominici Caliguritani M A T E R prægnans, per quietem uidiſſe fertur, parere ſe catulum, incenſam facem ore circumferentem, quo omnes incendio terræ conflagrarēt. Nec defuit nocturno uiſui euentus. Orta namque eſt ex illo ingēs familia, quæ diuina prædicatione, terrarum partem multò maximam inflammauit. Sabel. lib.1. cap.7. de Inſigni ortu, & Marul. lib.3. cap.4.

G E Y S Æ Vngarorum regi reuelatio facta fuit in ſomnis de filio Stephano naſcituro ſanctiſſimo. Bonfinius libro primo, Decadis 12.

Priamus rex ex Hecuba Helenum & Caſſandram ſuſcepit. Infantes in templo Apollinis Thymbræi (ubi γενέθλια celebrabant) colludentes obdormierunt. F A M V L Æ, quibus puerorum cura erat demandata, temulentiores, puerorum oblitæ domum abierunt. Poſtridie in templum reuerſæ, uiderunt ſerpentes linguis puerorum ſenſoria organa obſtruere. Territæ, uociferationem ediderunt. Serpentes clamore excitæ, ſub proximas lauros ſeſe abdiderunt. Pueri exinde uaticinio clarere cœperunt. Scholiaſtes Homeri in ſeptimum Iliados.

## SAPIENTIAE PROFANAE, ERVDITIONIS, ELOQVENTIÆ.

Cyprij H O M E R V M ſibi uindicant, & Themiſtò indigenam feminam, Homeri fuiſſe matrem dicunt: Euclum uerò de ipſius ortu hiſce uerſibus fuiſſe uaticinatum, Pauſanias in Phocicis narrat:

Fluctiſona in Cypro tunc uatem dia Themiſtò
Altiloquum pariet, ditis Salaminos in agris.
Poſthabita hic Cypro, longè prouectus in altum,
Graiugenum terras luſtrabit, carmine ſæuos
Heroum caſus, & triſtia funera dicens,
Nec ſenium metuet, nec inexorabile fatum.

Z O R O A S T R E S Bactrianorum rex, modò natus, riſiſſe dicitur, cùm alij infantes iam editi uitam lacrymis auſpicentur: & cerebrum ita palpitaſſe, ut impoſitam repelleret manum. Quod manifeſtiſſimum magnæ & egregiæ indolis præſagium fuit: & ex euentu etiam apparuit. Nam non tantùm magicas artes inueniſſe, ſed & mundi principia, ſiderumque motus diligenter ſpectaſſe dicitur. Plin. lib.6. capite 16. Solinus cap.4. Polyhiſt.

L Y C V R G I ſapientiam Pythius Apollo admiratus eſt. Quam primùm

primum enim Delphos ad oraculum profectus, atrium ingreſſus eſt, Pythia ſic cecinit:

ἥκεις ὦ Λυκόεργε ἐμὸν ποτὶ πίονα νηὸν,
Ζηνὶ φίλος, καὶ πᾶσιν ὀλύμπια δώματ᾽ ἔχουσι.
δίζω ἤ σε θεὸν μαντεύσομαι, ἢ καὶ ἄνθρωπον.
ἀλλ᾽ ἔτι καὶ μᾶλλον θεὸν ἔλπομαι, ὦ Λυκόεργε. Herod.lib.1.

In ore STESICHORI poetæ infantis, cecinit luſcinia. Plinius lib.10. cap.29.

PINDARVM, cùm eſſet adhuc adoleſcentulus, Theſpias proficiſcentem per æſtatem, meridiano calore feſſum, ſomnus arctior complexus eſt. Aduolarunt apes, quò pauculum de uia diuerterat, & ad eius labia mel adleuerunt. Hoc fuit carmina pangendi Pindaro initium. Pauſan. in Bœot. Aelianus tamē li.12. Var. hiſt. infanti à patre expoſito hoc accidiſſe ait.

Platonem in ulnis ferebat PERICTIONE. Cùm uerò Ariſtiō ſacra litaret in Hymetto Muſis & Nymphis, obeundæq; rei diuinæ darent operam, illa Platonem in proximis myrtetis denſis & ſpiſſis repoſuit. Cui repentè examen apum in os inſidere cœpit, futurum eloquentię augurium. Aelian. li.10. de Var. hiſt. & lib.12. & Val. Max. li.1. ca.6. & Plin. lib.11. ca.17.

SOCRATES Delphico oraculo ſapientiſſimus iudicatus. Suidas.

IDEM in ſomnis diſcipuli Platonis eloquentiam atque philoſophiam præuidit. Nam pridie, quàm ad Socratem à patre Plato puer adduceretur, per quietem uidit candidum cygnum in ſinum ſuum aduolaſſe, qui aerem miris concentibus repleret. Quod ſomnium, uiſo Platone puero, ſtatim enarrauit. Pauſanias in Atticis.

ARCHILOCHI pater Teleſicles de puero nato percōtatus, oraculum accepit, ἀθάνατός σοι παῖς καὶ ἀοίδιμος, ὦ Τελεσίκλεις.

TISIÆ Heſiodi F. infantis ori luſcinia inſediſſe dicitur.

HIPPOCRATES in epiſtola ad Philopœmenem, ſomnium enarrat, quod ſibi meditanti & ſolicito de Democriti, ad quē ab Abderitis curādum uocatus erat, ualetudine ſub auroram obueniſſe dicit: Videbar, inquit, mihi uidere Aeſculapium coràm, & iam ad ipſas Abderitarū portas aderamus. Aeſculapius autem, non ut imagines eum aliâs oſtendunt, mitis ac blandus apparebat: ſed habitu cōcitato & aſpectu horrendo. Sequebantur autem ipſum dracones reptilium generis immanes, longū tractū ducentes, & horribile quiddam uelut in deſertis ac ſaltibus ſubſibilantes. Sequebantur & ſocij, pyxides medicamentarias probè obſignatas geſtantes. Deinde porrexit mihi manum Deus. Quam ubi libentiſſimè apprehendiſſem, rogabam, ut mihi ſimul pergere liceret, & ne in medendo deſtitueret. Verùm is, Nihil, inquit, in præſens me opus habes. Sed hæc immortalium ac mortalium communis dea te peregrinum deducet. Et ego conuerſus uideo mulierem pulcram & magnam, ſimpliciter ornatam, ſplendidam, cuius oculorum circuli puro lumine micabant, ut ſtellarum fulgorem putares. Et Deus quidem diſparuit. Mulier uerò illa apprehenſum me manu, lento gradu benigniter per urbem ducebat, & ubi propè domum eſſemus, in qua hoſpitium mihi paratum eſſe putabā, uelut ſpectrum diſparuit, hoc ſaltem dicens: Cras te apud Democritum deprehendam. Cùm uerò iam ſe illa conuerteret, Rogo, inquam, optima femina, quænam es, & quo nomine uocari debes? Veritas, inquit illa. Cæterùm quam accedentem uides (& de repentè altera quædam mihi apparuit: neq; ipſa mala uidebatur, audacior autem aſpectu & concitatior) Opinio, inquit, appellatur, & habitat apud Abderitanos. Ego igitur, ubi de ſomno ſurrexiſſem, mihiipſi ſomnium interpretatus ſum: quòd non indigeret medico Democritus, quando ſanè ipſe medendi deus diſceſſiſſet, uelut qui medendi occaſionem & materiam non haberet. Sed ipſa quidem Veritas, quòd Democritus ſanus ſit, apud Democritum manet. Opinio uerò, quòd Democritus ægrotet, reuera apud Abderitas habitat.

Annæi LVCANI Cordubenſis cunis, apes inſederunt. Omine non obſcuro poeticæ facultatis.

Ciceronis NVTRICI ſpectrum aiunt ſe obtuliſſe, ac prædixiſſe, ingēns eam bonum omnibus Romanis nutrire. Hæc cùm ſomnia eſſe & uana alioquin uiderentur, ipſe breui oſtendit certum fuiſſe oraculum. Eidem conſulenti Apollinem Delphicum, qua potiſſimùm ratione ſummam gloriam aſſequeretur, ſortes datæ fuerunt, ut ſuum ipſius ingenium, non uulgi exiſtimationem, ducem ſequeretur uitæ. Plutarchus in Cicerone.

HORATIVS lib.3. Ode 4. narrat, ſe olim adhuc puerum in Apulia, lauro & myrto à palumbis tectum, ut à feris tutus eſſet: præſagium id nimirum fuiſſe innuens, quòd poeta & lyricorum amorumq; ſcriptor aliquando eſſet futurus.

Me fabuloſæ Vulture in Appulo,
Altricis extra limen Apuliæ,
Ludo, fatigatumq; ſomno,
Fronde noua puerum palumbes Texêre:
Vt tutò ab atris corpore uiperis
Dormirem, & urſis, ut premerer ſacra
Lauroq; collataq; myrto
Non ſine diis animoſus infans.

Scribit Ioſephus Briuius Mediolanēſis in ſuo Panegyrico, cùm Petrarcha eſſet Mediolani in aula Vicecomitum, inter multos purpuratos & nobiles uiros: Galeacius pcepit FILIO, qui primus poſtea dux Mediolani fuit, tunc puer adhuc, ut ſapientiſſimum ex aſtantibus oſtēderet. Puellus oculis hinc inde uolutis, Franciſcum adiit, & manu apprehenſum patri cum omnium admiratione monſtrauit. Hieron. Squarzaficus in uita Petrarchæ.

Prodigium haud paruum ante IO. AN. PICI Mirandulæ ortum apparuit. Viſa enim circularis flamma eſt ſupra parientis matris aſtare cubiculum, moxq; euaneſcere, fortaſſe nobis inſinuans, orbiculari figuræ intellectus perfectione, ſimillimum eum futurum, qui inter mortales eadem hora proderetur, uniuerſoque terræ globo excellentia nominis circumquaq; celebrandum, cuius mens ſemper cœleſtia, ignis inſtar, petitura eſſet, cuiusq; ignita eloquia flammatæ menti conſona, Deum noſtrum (qui ignis comburens eſt) totis uiribus quandoque celebratura, ſed ſtatim obtutibus hominum ut illa euanuit, occulenda forent. Ioan. Franciſcus in uita Pici Mirandulæ.

Conradus Celtis, noſtro æuo Germanorum poetarum primus, natus infans decem diebus continuis incredibiles uagitus edidit, butyro & mellis fauo foco admotus ægrè leniebatur. Reſponſum eſt à NVTRICIBVS, magnę famę & facūdię uirū fore. Sodalitas literaria Rhenana in eius uita.

IO. Antonij Campani (qui poſtea epiſcopus fuit Aretinus, eloquentiæ ſua ætate princeps) MATER, cùm diu ſterilis fuiſſet, & de prole deſperaret, à peregrina quadam muliere, nūquam antea nec pòſt ampliùs uiſa, laureas baccas contra ſterilitatem accipiens, hauſit: & mox ſe grauidam eſſe ſenſit. Completo pariēdi tempore, rus profecta, partum in gramine abſq; ulla obſtetrice ſoſpitem edidit. Puer primò cœlum fixis oculis ſpectare cœpit. Inde fronte læta laurum ſpectans: mox ad obſtetricem, quæ accerſita aduenerat, cōuerſus, quantum eius diei fuit, maximis eiulatibus conſumſit: neq; priùs à lacrymis deſtitit, quàm obſtetrix puerperæ thalamum de more exornatura, cum reliquis floribus hederam laureaq; ſerta intuliſſet: quorum ſpectaculo delinitus, à lacrymis ſibi temperauit. Exceptā porrò à baiulis domeſticis matrem unà cum fœtu, longa apum examina ad fores uſq; cubiculi conſecuta, à limine cubiculi ad triduū, & tunc quoq; non niſi multo igni ſubmoueri potuêre. Quarto die laurū, ſub qua ſuſceptus puer fuerat, & quam fixis oculis recèns natus fuerat intuitus, contemtis fauis inuentæ ſunt inſediſſe. Quę puriſſimo mox delibuta melle, opere iam deliquente, ita mox exceſſere, ut ſubita nece cognitæ ſint interiiſſe: teſtatæ ſimul ingenij ſuauitatem, gloriæ immortalitatem, & fluxæ eloquentiæ infauſtum alieno in ſolo, poſtremo uitæ ſpacio, fatum. Michael Fernus in eius uita.

HIERONYMVS Fracaſtorius Veronēſis, adhuc infans, cùm à matre in ulnis geſtaretur, fulmine cœlitùs miſſo mater corruit, puer ſeruatus eſt, non obſcuro futurę claritatis pręſagio. Auctor uitæ.

[redacted]

## FORTITVDINIS.

AMARAMIS Iudæorum unus, pietate inſigni, cùm crudeliſſimo Pharaonis edicto omnis Iudæorum progenies pro deplorata haberetur, media quiete iuſſus eſt dare operā procreationi: fore, ut filius ex eo naſceretur, qui fractis Aegyptiorum opibus populum ſeruitio eximeret. Moſes inde oritur, quo nec ſanctior naſci potuit ad religionem ſanciendam, nec ad uindicandam libertatem magis idoneus. Sab. lib.9. cap.5. & lib.1. cap.5. Idem adhuc infans, coronam capiti admotam conſcidit, proiectamq; pedibus conculcauit: omine non obſcuro, eum tyrannidem Pharaonis labefactaturum. Sab. lib.9. cap.9. Exemp. & lib.2. En.1.

HERCVLES, apud Pindarum Ode 6. Iſthmiorum, manus ad cœlū tendens, precatus eſt: Si unquā, ô pater Iupiter, preces meas tuapte ſponte audiſti, nunc tibi, nunc inquam diuinis precationibus ſupplico, ut uiro huic fortem gnatum ex Eribœa coniuge tribuas. Ipſum uerò amicum meum Telamonem ita fortunatum reddas, ut corporis uiribus alioqui ineffabilem, talis animus maneat atq; ſequatur, qualis eſt, quē hæc contegūt exuuiæ leonis, quem olim ante omnia primū certamina in Nemea occidi. Hæc ubi dixiſſet, magnam animi ducem aquilam Deus demiſit: ingenti uerò intus gaudio perfuſus eſt. Hæcq; ceu uates aliquis oraculum edens protulit Hercules. Erit quidem tibi filius, quem petis, Telamon, uocabiſq; prolem ex uiſo alite, excellentem uiribus Aiacem, belli ſudoribus cunctis populis admirandum.

AGARISTIA uel Agariſte Hippocratis F. Xanthippo nupta, uiſa eſt ſibi párere leonem in ſomnis, & paucos poſt dies peperit Periclem. Plut. in Pericle. Herod. lib.6. & Suidas.

ALEXANDER ex gēte Herculis per Caranum, & genere materno Aeacida per Neoptolemū fuiſſe, pro certo creditur. Fama eſt in Samothrace initiatū cum Olympiade Philippū, cùm eſſet ipſe tum adoleſcens, illam item puellā parentibus orbā amaſſe, atq; inde conciliatā fratris uoluntate Arybbæ (Arymbā uocat Diod. lib.16.) nuptias coiſſe. Sponſę ante noctem, qua thoro geniali iuncti fuère, uiſus eſt Ioue tonante uenter ſuus de cœlo tangi, atque ex ictu largum ſuccenſum ignem, qui mox erumpens, in flāmas paſſim diſperſas diſſiparetur. Philippus ſpacio aliquo poſt nuptias uidit in ſomnis uxoris ſe uentrē conſignare. Habebat ſigilli ſculptura, ut uiſa ei eſt, imaginē leonis. Ea uiſione uatibus interpretantibus cæteris Philippo cuſtodiis acrioribus ſepiendam coniugem, Ariſtander Telmeſius uterum illam leoni æquandū ait ferre. nihil enim, quod inane ſit, ſignari, ac concepiſſe eā infantem animoſum. Plut. in Alexan.

Ex L. MARTIJ ducis duorum exercituum, quos interitus Publij & Cnei Scipionum in Hiſpania debilitauerat, capite cōcionantis flamma eluxit. Cuius aſpectu pauidi adhuc milites, priſtinam recuperare fortitudinem admoniti, octo & triginta hoſtium millibus cæſis, magnoq; numero in poteſtatem redacto, bina caſtra Punicis opibus referta cœperūt. Val. lib.1. cap.6.

BASILINA uxor Conſtantij, fratris Conſtantini Magni, cùm Iulianū Apoſtatam utero ferret, ſomniauit ſe pariturā Achillem. Excitata ſomnium marito narrauit, & cùm antequàm pariendi tempus ſentiret, peperiſſet, bona ſpes parentibus de filio fuit. Habuit nanq; formam liberalem, & ingenium tam ad literas quàm ad arma accommodatum. Cuſpin.

ELISABELLA Darca, genere Lotharinga, & inter ruſticanas mulieres in tenui fortuna nata, cùm uicinis narraſſet, uiſum ſibi in ſomnis fulgur párere: ab eis haud longè pòſt irriſa fuit. Puellam enim enixa, nihil minus quàm ullius magni effectus partum edidiſſe uidebatur. Cæterùm puella, quæ nomine Iana Pulicella, hoc eſt uirgo, nūcupata eſt, uirtute, prudentiaq; ſua uictores Britannos (qui totam penè Galliā occuparant) pręlio ita afflixit, ut uerè in eo bello fulgur extiterit. Fulgoſus lib.1. cap.5.

VOISAVA, Ioannis Caſtrioti reguli Epirotarum uxor, prægnans, ſerpentem ſe párere ſomniauit, qui ſpiris ſuis Epirū totam inuolueret, & capite quidem Turcis horrēdo ſtridore immineret, caudam uerò Occidentem uerſus placidè extenderet. Puerum peperit, qui in dextro brachio enſis formam affabrè expreſſam habuit. Pater, Georgij nomen ei impoſuit: eumq; diligenter educatum, cum reliquis filiis obſidem Amurati Turcorum tyranno dedit. Is Georgij indole delectatus, Scanderbechi nomē ei indidit, quod lingua Turcica Alexandrum Dominum ſignificat. Non falſum fuit omen. Nam mortuo patre regnum ab Amurate conſecutus, confeſtim ad Chriſtianam religionem rediit, & Turcos multis cladibus affecit, ut non immeritò Chriſtianus Alexander appellari potuerit. Marianus Barleſius in eius uita.

GALEACIVS Vicecomes Matthæo Magno genitus, nouum id nomen, quod poſteà manauit ad poſteros, primus familiæ intulit, à matre Burra ioco inditum, quū ea fortè in multo gallorum cantu enixa puerum, apertis oculis altè uagiētem Gallacium appellaſſet, idq; arridentes ancillæ ſæpe repeterent, nec abnueret pater, tanquam ab aue Martia militari augurio iucundè accepto, idq; præſertim inſigni euentu fortuna comprobante, quòd ea nocte puerum naſci contigiſſet, qua felici pręlio ad Decimum, interfectis aut captis Turrianæ familiæ proceribus, ab Othone Vicecomite Mediolanenſi archiepiſcopo parta eſt ea inſignis uictoria, quæ & principatus initium fuit. Nec uerò ſine ullis deliciis educatus puer, augurij fidem fefellit, quum ſingulari uigilātia, generoſo ſpiritu, atq; indomito uigore pugnacis animi, ſuperbum & ferocem gallum æmularetur, & conſpicua quędam alludentis naturæ dona hos mores adornarēt: multo quippe rubore ſuffuſa facies, flagrantes oculi, ſubcriſpa & fulua cæſaries, & lato in pectore erecta ceruix, maximi futuri ducis ſpeciem reddebant. Iouius in uita Galeacij.



## CASTITATIS.

*Ex Tit. Diuinationis per Ignem, exempla quædam Caſtitatis per ferrum ignitum, per aquam feruentem comprobatæ, petes.*

IOSEPHVS θεοτρόφος, cùm uideret grauidam concreditam ſibi Mariam, neſciens ſummi Dei conſilium, uoluit clàm deſerere Mariam. Verùm in ſomno ab angelo monitus, recepit Mariam, quum intellexiſſet eam concepiſſe à Spiritu ſancto. Matthæi cap.1.

HELIAS eremita, pater & rector CCC uirginum, cùm metu incontinentiæ curam quandoq; detrectaret, in ſomnis ſibi præcidi genitalia uiſa ſunt. Dum euigilaſſet, ad curam priſtinam rediit, ab omni liber laſciuiæ cogitatione. Volater, libro uigeſimoprimo Anthrop.

BRICCIVS Turonenſis epiſcopus, qui diuo Martino ſucceſſit, accuſatus à perfidis ſceleſtisq;, quòd ſeruam ſuam uiolaſſet, quæ domi ſuæ pepererat: quum conſtanter id negaret, neq; illa tamē ſerua delictum inficiaretur: in exilium, iudicum iniquiſſimorum ſententia actus eſt. In quo ſeptem annos ita uixit, ut tandem poſtea patefacta re, duobus ſucceſſoribus intra hoc ſpacium uita functis, priſtinæ dignitati etiam nolens ſit reſtitutus, hodieq; ad hæc inter diuos colatur. Egnat. lib.8. cap.1. & Fulgoſ. lib.8. cap.1.

Diabolus, cùm SYLVANI Nazarethenſis epiſcopi integritatem peruertere nequiſſet, infamia dehoneſtare decreuit: & formam eius, habitumq; aſſimulatus, matronam quandam noctu adiit, atq; ad concubitum urgere cœpit. Pudica mulier uim timens, domeſticorum opem protinùs inclamat. Ille latebram ſub lecto petiit: ſed ut uolebat, à concurrente familia iuuentus, uerberibusq; & contumeliis affectus, extra ædes eiicitur. Interim rerum inſcius Syluanus, ubi manè tandem percepit, ſe à uulgo diffamari, & pro ſcelere, quod ne cogitarat quidem, iam ad uindictam expeti: furori cedere ſatiùs ducēs, properè Bethlehem ſe contulit. Sed cùm ibi quoq; uitæ ſuæ inſidiarentur, quidam ipſum ferire uolentes, uerſis mucronibus ſibiipſis mortem cōſciuêre. Poſt hæc cùm ad tumulum diui Hieronymi mulier dæmoniaca curationis gratia adducta eſſet, plurimiq, eò ſimul cōfluxiſſent, apparuit Hieronymus: & dæmoni, ut ab ea exiens, quibus præſtigiis Nazarethanos aduerſus Syluanum ludificaſſet, palàm faceret, imperauit. Illicò mulier ſanatur: & præſente Syluano, Syluanus alter iuxta illam cernitur: qui rem ordine confeſſus diſparuit: & uulgato miraculo ceſſauit innocentis infamia, uerſipellisq; impoſtoris aſtus magno omnibus tunc ſtupori fuêre. Marul. lib.5 cap.1.

Mersburgi ſeruant calicem, quem libræ aiunt inieciſſe diuum Laurentium, quum Henrici II. Imperatoris iam mortui trutinarentur bona cum malis. Satanam ferunt, tum anſam libræ defregiſſe, indignantē quòd nihil in eo ſuum reperiret. Cranzius lib.4. Saxoniæ, cap.35.

Cunegundis poſt aliquot annos tumulata eſt cum marito Henrico II. Imperat. Bambergæ, uirgo cum uirgine. Vox (incertum unde) audita, Cede uirgini uirgo locum. Cranzius lib.4. Saxoniæ, cap.35.

Stephanus Vngarorum rex, Diui Martini cœnobium, in monte Pannoniæ fundatum inuiſens, filium EMERICVM ſecū duxit, haud ignarus, quanta Dei gratia puer ille polleret. Quum templo appropinquaſſet, monachi longo agmine obuiam prodiêre. Emericus à patre præmiſſus, oſcula diſparia monachis impartitus eſt: huic duo, tria illi, nōnullis quatuor, pleriſq; ſeptem. Cauſam à patre rogatus. Pro continētiæ (inquit) modo oſcula dedi ſeptena perpetuæ caſtitatis cultoribus. Bonfinius libro 1. Dec.2.

## CLEMENTIAE.

M. ANTONINO Pio imperij tranquillitatem portendit laurea, è deorum ſtatuis in ſinum eius ſponte delapſa, dum in Cilicia ageret. Item quatuor leones, ſua ſponte cicures redditi, eius manſuetudinem portenderunt. Fulgoſ. lib.1. ca.4.

Cùm in Oriente VALENS Arianus imperaret, anno primo, quo Gratianus in Occidente geſſit imperium, in Gallia, diē unam pluit lana iuxta urbem Atrebatenſem: prodigij interpretatione in ambiguo relicta, Vtrum per eam pluuiā Gratiani bonitas, an Valentis perfidia declararetur: id quod poſtea detectum eſt in Valentiniani fratris morte. Fulgoſus libro 1. capite 4.

VENETÆ Reip. ſymbolum, Pax tibi Marce Euāgeliſta meus, manifeſtè oſtendit, artibus pacis magis quàm belli Vene-

tam Remp. conſeruari & propagari. Egnat. lib. 1. cap. 4.

Quum anno 1530. Sexto Calendas Martij, CAROLVS V. Cæſar Bononiæ à Pont. Clemente coronaretur, & remotis mēſis, accepto imperij gladio, pleroſq; nobiles equeſtri dignitate decoraret: accidit, dum nudatum enſem Franciſcus Feltrius dux Vrbinas porrigere uellet, ut pomum manubrio inſertum excuteretur, atq; eo cadente in pauimentum incluſæ gemmæ ad circumſtantium pedes proſilirent. Fuêre qui id prodigij loco accipere uiderentur, quaſi futurum eſſet, ut Cæſar abſens aliquando exercitum bene regere nequiret, capite ſcilicet eximiæ grauitatis indigentem. Alij autem feliciùs interpretabantur, Cæſarem ad Orientis regna, unde gemmæ prouenirent, gladium eſſe uibraturum, ſimulq; futurum, ut duces & milites ab ipſa uictoria, quæ gladio pararetur, ingentibus illis Turcarum opibus potirentur. Iouius lib. 37. Hiſt. An potiùs clementiæ exercendæ hoc fuit ſymbolum, ut gladium quidem ſtringere, at excidente manubrio ſeueriùs illo uti non poſſet? Fuit certè princeps ille tam clemens uictis, quàm hoſtibus formidoloſus.

## RELIGIONIS, CONVERSIONIS AD PIETATEM.

Cùm MONICA Epiſcopum quendam rogaſſet, uti dignaretur cum D. Auguſtino, Manichæorum hæreſi infecto, conferre, & ad meliorem mentem conuertere: quieſcere illam iuſſit, donec ſectę feruor in eo deferbuiſſet: fore enim, ut ſua ſponte, ætatis maturitate accedente, ineptias illas relinqueret (nā ſibi quoq;, à matre Manichæa ſeducto, eiuſq; impietatis acerrimo defenſori, idem accidiſſe) precibus tātùm ad deum pro illo aſſiduis intercederet. Cæterùm cùm illa acquieſcere nollet, ſed inſtaret magis precando, & ubertim flendo: tum ille cum ſtomacho, Diſcede à me, inquit, & ſic uiue: fieri enim non poteſt, ut filius iſtarum lacrymarum pereat. Qua uoce illa, ueluti cœlitùs miſſa, ſummoperè recreata fuit. Teſtis ipſemet libro tertio Confeſſionum, cap. 12.

EADEM inſomnis flens, in regula quadam ſibi ſtare uiſa, & audire, ſupra eandem ſtare quoq; filium: conuerſaq; illum iuxta ſe ſtantem uidit. Ab eo tempore certam putauit filij ſalutem. Ibidem.

Carolo Simplice rege, ROLLO Normannorum è Dania in Galliam irrumpentium dux, dum nauigat, ſomnium habuiſſe fertur, ſe elephantia correptum, nitidiſſimo fonte ad radices editiſſimi montis oriente lotum, conualuiſſe, moxq; uerticem conſcendiſſe. Enarranti quæ in quiete uidiſſet, quendam captiuum coniectorem ita ſomnium ei interpretatum: Elephantia, cultus deorum eſt, quo laboras: aqua luſtrici fontis ſacra purificatus, ab imo ad ſummas opes peruenies. Ergo Chriſtianam religionem profeſſus eſt, initiante Francione epiſcopo Rotomagenſium, Robertusq; nomē ei inditum, patre ſacræ ablutionis Roberto regis Odonis fratre. Polyd. lib. 5. & Aemilius lib. 3.

Ziemomyslo Polonorum principi unicus filius, & is cæcus natus erat. Septimum annum puer attigerat, quo prima coma pueris gentili ritu attonderi, & nomen imponi ſolebat. Aderant ad celebritatem frequentes proceres, epulantur cum principe mœſto, & ſortem ſuam deplorante, cùm inſperata omnibus affulſit lætitia. Puer abſq; ulla medicorum, aut cuiuſquam ope, lucem aſpexit. Nec mora, uidentem mater exultans ad patrem in conuiuium adducit. Conuiuæ miraculo attoniti, effuſo gaudio, principibus, ſibi & Reipubl. tantum bonum diuinitùs oblatum certatim gratulantur. Puero, MIECISLAO, quaſi qui gladio gloriam ſibi pariturus ſit, nomen inditum, ut uult Dlugoſſus: is poſtea à matre & pediſſequis blandiùs, ut fit, Meſco uocitatus eſt. Pater diuinos & ariolos de filij ſucceſſibus & quid portenderet, quòd is cæcus natus, tanto interuallo uidere cœpiſſet, ſciſcitatur. Reſpondent illi, Poloniam eius principatu illuſtratam iri. Puer, ut principe dignū eſt, iuſſu patris educatur. Patre mortuo inauguratus, uxores ſeptē barbarico more duxit: iiſq; & libidini ſuæ liberiùs indulgens, nullos ſuſcipiebat liberos. Suaſu deinde quorundam, religionis Chriſtianæ ueritatem caſtitatemq; prędicantium, poſteritatem & felicitatem principi, ſi eam religionem amplecteretur, pollicentium, priores uxores dimittit, Dambrouucamq; Chriſtianam, Boleslai primi Boemorum ducis filiam uirginem, de conſilij ſententia nouo matrimonio ſibi iunxit, anno Chriſti 965. Cuius ope conuerſus, baſilicas nouem diuerſis locis ædificauit, & locupletauit. Cromerus libro 2. & 3.

# VITIORVM QVORVMLIBET DIVINATIO.

## IGNAVIAE.

Narrat Mneas, cùm Aeginēſes in Achaia debellaſſent Aetolos, ac decimam pentecontorum cepiſſent (ea eſt nauis remigū quinquaginta) hanc Apollini Pythio uictoriæ moniimētū dedicarunt: rogaruntq; deum, Quinam eſſent Græcorum præſtantiſſimi? arbitrantes futurum, ut ob eam uictoriam ipſis prima laus ab Apolline tribueretur. Oraculum hunc ad modum reſpondit:

Ἵππον θεσσαλικὴν, λακεδαιμονίην τε γυναῖκα,
Ἄνδρας δ' οἳ πίνουσιν ὕδωρ καλῆς Ἀρεθούσης.
Ἀλλ' ἔτι καὶ τῶν δ' εἰσὶν ἀμείνονες, οἵτε μεσηγὺ
Τίρυνθος ναίουσι καὶ Ἀρκαδίης πολυμήλου,
Ἀργεῖοι λινοθώρηκες, κέντρα πτολέμοιο.
Ὑμεῖς δ' αἰγιέες, οὔτε τρίτοι οὔτε τέταρτοι,
Οὔτε δυωδέκατοι, οὔτ' ἐν λόγῳ, οὔτ' ἐν ἀριθμῷ. id eſt,

Theſſala equa præſtat reliquis, mulierq; Lacæna.
Porrò uiri, potant qui pulcra fluenta Arethuſę,
Hos quoq; præterea, mediæ gens incola uincit
Tirynthi, Arcadiæq;, bidentibus inclytæ albis,
Argiui ſtimuli bellorum, armiſq; potentes.
At uos, Aegini, neq; tertius accipit ordo,
Nec quartus, neq; biſſenus, neq; deniq; ueſtri
Vlla uſquam ratio eſt, nuſquam numerúſue, locúſue.

Eraſmus in Adagiis.

Cùm Longobardi, ęgrotante rege Luitprando, nepotem eius HILDEBRANDVM regem creaſſent, ac pro more contū in eius manus dediſſent: cuculus aduolauit, eiuſq; cacumini inſedit. Pleriq; interpretati ſunt, fore ignauum regem: ac poſtea eo deiecto alium elegerunt. Paulus lib. 6. cap. 16. de Longobardis. Blondus Decadis 1. lib. 10.

VENCESLAVS Boemus, Rom. rex, Caroli IIII. F. Norinbergæ natus, anno Redemptionis. 1361. Septembris uiceſimo octauo die, matrem Annā in partu interfecit, & baptiſma primo ingreſſu inquinauit, omine non dubio improbitatis. Non ſolum enim ſacramentum baptiſmatis, ſed uniuerſam Chriſtianam religionem coinquinari homo otioſus, ſomno uenerìq; deditus, paſſus eſt. Cuſpinianus.

## INTEMPERANTIAE, LIBIDINIS.

Romæ in Capitolio ficus enata eſt, M. Meſſalæ, C. Caſſij cenſorum luſtro: à quo tempore pudicitiam apud ROM. ſubuerſam Piſo grauis auctor prodidit. Plin. lib. 17. cap. 25.

Andreas Fundanus epiſcopus caſtiſſimus, ſanctimonialem apud ſe alebat iā ſenex, eiuſq; amore moueri cœperat. Fortè accidit, ut IVDÆVS quidam ex Campania Romam profectus, ad cliuum Fundanum ueniēs, in Apollinis templo pernoctare cogeretur. Media nocte dæmones adſunt. Vnus ex illis induſtriam ſuam in Andrea epiſcopo ad luxuriam cōmouendo iactat, & à principe dæmonum ad rem perficiendam inſtigatur. Iudæus manè rem Andreæ indicat, & ad Chriſtum conuertitur: Andreas uerò à ſtupro iam concepto præſeruatur.

Zozimus Pontifex maximus, diaboli ſupplantatione in fornicationem ſemel lapſus, iterum & ſæpiùs lapſurus fuit, niſi Antidij Turonenſis epiſcopi opera ſe à ſcelere retraxiſſet. ANTIDIVS quippe, cùm fortè, qua nocte id commiſſum eſt, multitudinem dæmonum conſpiceret inter ſe iactantiū de illis hominibus, quos captioſa inductione in laqueos mortis impegerant, & unum præ cæteris gloriantem audiret, quòd Zozimum papam annos à ſe ſeptem ſollicitatum, tandem cum uirgine quadam coire feciſſet: eueſtigiò uiſa auditaq; ad ipſum Zozimum detulit. Pontifex ergo pœnitentiam egit: nullam porrò cum feminis conſuetudinem habens: declinans quantum poterat etiam conſpectum earum. Marul. lib. 5. cap. 7.

PIAMON, abbas monaſterij Scythiotici, angelum Domini uidit, monachorum nomina partim ſcribentem, partim ſcripta delentem. Viſa ergo monachis explicans, eos peccato obnoxios comperit, quorum nomina ſubduci uidit. actā diu cum illis lugens orauit, donec iterum apparens angelus, etiam illorum nomina conſcriberet, quorum antè deleuerat. Marul. lib. 2. cap. 12. & lib. 4. c. 10. Sabel. lib. 5. cap. 5.

CAROLVS Boemiæ rex (pòſt Carolus IV. Imp.) Delphini Allobrogum principis ſtuprum, eiuſq; uindictam in ſomnis cognouit. Viſus enim eſt ſibi per quietem uidere, uiri diuina ſpecie præditi iuſſu, præſtanti iuuenem forma, editiorem in locum raptum, detractaq; ueſte exectum: ſibiq; interroganti, Cur & quiſnam tam egregia indole adoleſcens, tam fœdè atrociterq; haberetur? reſponſum, Delphinum aliena cubilia attrectare ſolitum, meritas pœnas numini dare. Et ſanè euentus docuit, Allobrogem in oppugnatione oppidi uulnere accepto ſub idem tempus deceſſiſſe. Aemilius lib. 8. ex Aenea Syluio.

## AVARITIAE.

HILARION deteſtabatur præcipuè monachos, qui infidelitate quadam in futurum reſeruarent ſua, & diligentiam haberēt uel ſumtuum, uel ueſtitus, aut alicuius earum rerum, quæ cum ſeculo tranſeunt. Deniq; unū de fratribus, in quinto ferè à ſe miliario manentem, quia comperiebat hortuli ſui nimis cautum timidumq; cuſtodem, & pauxillum habere nummorum, ab oculis abegerat. Qui uolens ſibi reconciliari ſenem, frequenter ueniebat ad fratres, & maximè ad Heſychium, quo ille uehementiſſimè delectabatur. Quadā igitur die ciceris faſcem uirētis, ſicut in herbis erat, detulit. Quem cùm Heſychius poſuiſſet in menſa ad ueſperum, exclamauit ſenex, ſe putorem eius ferre non poſſe: ſimulq; unde eſſet rogauit. Reſpondente autem Heſychio, quòd frater quidam primitias agelli ſui fratribus detuliſſet: Non ſentis, inquit, putorem teterrimum, & in cicere fœtere auaritiam? Mitte bubus, mitte brutis animalibus, & uide an comedāt. Quod cùm ille in præſepe poſuiſſet, exterriti boues, & plus ſolito mugientes, ruptis uinculis in diuerſa fugerunt. Hieronymus in uita eius.

IDEM, cùm exiturus eſſet ad uiſenda monaſteria (id quod ſingulis annis facere cōſueuerat) & digereret in ſchedula apud quos manere, quos in tranſitu uiſitare deberet: ſcientes monachi quendam de fratribus parciorem, ſimulq; cupientes uitio eius mederi, rogabant, ut apud eum maneret. Et ille: Quid, inquit, uultis & uobis iniuriam, & fratri uexationem facere? Quod poſtquam frater ille parcus audiuit, licèt annitentibus cunctis, uix impetrauit, ut ſuum quoque monaſterium in manſionum ordinem poneret. Poſt diem ergo decimum uenerunt ad eum, cuſtodibus iam in uinea, quà uenirent illi, diſpoſitis: qui cùm lapidibus & glebarum iactu fundæq; uertigine accedentes deterrerent, ſine eſu uuæ manè omnes profecti ſunt, ridente ſene, & diſſimulante ſcire quod euenerat. Porrò ſuſcepti ab alio monacho, cui Sabas nomen eſt; quia dominicus erat dies, inuitabantur ab eo uniuerſi in uineam, ut ante horam cibi uuarū paſtu laborem uiæ ſubleuarent. Et ſanctus: Maledictus, ait, qui prius refectionē corporis quàm animæ quæſierit. Oremus, pſallamus, reddamus domino officium, & ſic ad uineam properabitis. Completo itaq; miniſterio, in ſublimi ſtans benedixit uineæ, & ſuas ad paſcendum dimiſit oues. Erant autem qui ueſcebantur nō minùs tribus millibus. Cumq; centum lagenis æſtimata fuiſſet integra adhuc uinea, poſt dies uiginti trecentas fecit. Porrò ille parcus frater multo minùs ſolito colligēs, etiam id, quod habuerat, uerſum in acetum ſerò doluit. Hoc multis fratribus ſenex antè futurum prædixerat. Hieronymus.

## SIMONIAE.

Relatio Auguſtini eſt, quòd ignis ſacrificij, qui per 70. annos Babylonicæ captiuitatis ſub aquis uixerat, extinctus eſt, Antiocho rege uendente IASONI ſacerdotium. [redacted]

ADELBERTVS, comitis Libicenſis Boemi filius, ſecundus Pragenſium epiſcopus, à Boleslao II. Boemorum principe uel inuitus factus, cùm Boemos ob impietatem & crebra diuortia, iterataq; coniugia, tum uerò ob morem ſeruos Chriſtianos emendi uendendique ſeuerè reprehenderet, ethnici armis ſumtis cruento prælio à Chriſtianis ſuperati ſunt. Adelbertus contumaciam gentis maiori auctoritate reprimendam ratus, Strachyquam Boleslai fratrē, qui è Ratiſponenſi cœnobio Pragam obiter uenerat, ad epiſcopatum accipiendum multis uerbis, ſed fruſtra, inuitauit, cùm is Capitium ſe ſuum pluris facere diceret, quàm inſulam eius. Ad hæc ingemiſcens diuinanſq; Adelbertus, Magno, inquit, cum dolore hoc tibi dico frater. Honorem hunc ultro à me delatum, quem nunc ualde reſpuis, paulo pòſt non ſine maximo tuo malo requires. Adelbertus inde Romam profectus, pontifici auctor fuit, ut Boemos diris perſequeretur. Eo abſente, Strachyquam epiſcopatus deſiderium inuaſit. Boleslaus, ne honori fratris inuidere uideretur, datis literis ad Othonem Cæſarem, & ad Præſulem Moguntinum, inaugurari illum poſtulauit. Quod munus dum Præſul Moguntinus obiit, illeq; ſe ante aram de more proſternit, à dæmone correptus Strachyquas & ſuffocatus eſt. Boleslaus & Moguntinus exterriti, legatos Romam ad Adelbertum ablegant, qui ei reditum in patriam celerem, ad recuperandum Pontificatum perſuaderent. Ceſſit tandem auctoritati Pontificis Romani Adelbertus, diſcedēſq; Roma cum Gaudentio, quem loco fratris habuit, in Panno niam uenit, à præfectis adhuc, quos Capitaneos uocabant, gubernatam: quorum præcipuus nomine Stephanus erat. Hunc in religione Chriſti erudiit, & ſacro lauacro tinxit: eidemque à Pp. Romano coronam impetrauit. Dubrauius libro ſexto.



## SVPERBIAE.

HERACLIVS Græcorū Imperator receperat crucem à Coſroe Perſarum rege, perpetuę pacis pignus, in qua redemtor humani generis Chriſtus pependerat, eamq; Hieroſolymis magnifica pompa inferre parabat. Ergo habitu imperatorio crucem baiulans ad urbis portam peruenit, ſed in ueſtigio conſiſtens, pedem nuſquam mouere potuit. Proin admonitus à Patriarcha, ut uili habitu, nudiſq; pedibus geſtari à ſe crucem meminiſſet eius ſeruatoris, qui nudus pro noſtra omnium ſalute cruci affixus eſſet: ſtatim nudis pedibus crucem ipſā in ueteri ſua ſtatione repoſuit. Huius facti memoria ſolenniter quarta decima Septembris celebratur. Egnatius libro primo, capite ſexto, & Bonfinius libro octauo, Decadis primæ.

## CRVDELITATIS, TYRANNIDIS.

OCHVS Artaxerxes regno inito, menſæ aſſidens, utraq; manu protenſa, dextra unum ex adiacentibus cultris arripuit, altera maximum panem accepit, quem carnibus impoſitum ſcidit, & alacriter comedit. Hinc Magi uaticinati ſunt, frugum atque annonæ copiam, illo regnante, & cędium frequentiam. Aelianus lib. 2. de Varia hiſtoria, & Diodorus libro 17. Bibliothecæ.

Phalaridis MATER Mercurium (cuius ſimulacrum pateram manu tenens, inter deorum effigies domi ſuæ colebat) in ſomnis uidit ex ea patera ſanguinem humi ſpargere, pauimentoq; illiſum rebullire, donec ſenſim domum omnem faſtigiotenus inundaret. Quod in una uiſum, in multis domibus uerum fecit cruenta nati ſæuitia. Huius uiſionis auctor eſt Ponticus Heraclides, doctus uir, ut ait Tullius, & diſcipulus Platonis. Petrarcha.

HIMERÆA quædam anus, fertur ſibi uiſa eſſe in cœlum duci: circumq; in Iouis penetralia perueniſſet, conſpexiſſe uirum rufum, cathena ferrea uinctum ſub regis ſolio: ac quis eſſet percunctatam, audiſſe, Alaſtorem eſſe Siciliæ. Aliquot annis pòſt, conſpicata Dionyſium tyrannide potitum, & ſomnium ſuum multis retulit, & hunc eſſe, quem uidiſſet, narrauit. Eam Dionyſius iratus interfecit. Hinc prouerbium, Sacrificulæ inſomnium. Suidas.

Anneus SENECA ſenator Rom. à Claudio principe ad magiſterium Neronis adhuc pueri, & qui bonæ indolis ſpem dabat, aſſumtus: nocte proxima ſomniaſſe dicitur, C. Caligulam ſe diſcipulum habere. Nempe poſt primum quinquēnium imperij ſanctè adminiſtrati, tam Caligulæ ſimilis euaſit Nero, ut non alter, ſed ille idem quodammodo reuerſus ab inferis uideretur. Suetonius, & Dion.

Mater ATILÆ Hūnorum regis pridie eius diei, quo filium genuit, ſe in ſomnis puerum ſcitum edidiſſe uiſa eſt, cui ſtanti demiſſus è cœlo Mars enſem accingeret, & flagellum diuinæ iracundiæ daret. Bonfinius lib. 3. Dec. 1.

Anno 1300. 14. Cal. Martij, in Italia crux in luna apparuit: poſteraq; die tres ſoles conſpecti fuêre in medio trium orbiū, qui iridis ſpeciem præbebant: horum tertius imperfectus, altero cornu occidentem, aquilonem altero ſpectabat. HVGVTIO Fagiolanus, Piſanarum copiarum ductor, Maio proximo Piſarum Lucæq; imperium inuaſit. Sab. lib. 1. cap. 4. & Egnat. lib. 1. cap. 5.

## IMPIETATIS.

Iulianus Mediolani à Conſtantio Imper. Cæſar dictus, Viennam progreſſus, magno ab omnibus honore exceptus, urbem iniuit. Tunc ANVS quædam capta luminibus, cū percontando, quinám eſſet ingreſſus, Iulianum Cæſarem comperiſſet, exclamauit, Hunc Deorum templa reparaturum. Quod uerum uaticinium fuiſſe, rei euentus probauit: ſiquidem is, ſacris Chriſtianis relictis, pòſt ſeſe ad Deorum gentilium cultum recepit. Sigonius lib. 6. Imp. occid.

PRÆTEXTATA, matrona Romana, iuſſu mariti Hymetij, qui patruus Euſtochij uirginis fuit, capillos eius mundano more pexuit, uincere cupiens & uirginis propoſitum, & matris Paulę deſiderium. Noctu cernit in ſomnis ueniſſe ad ſe angelum terribili uoce minitātem: Túne auſa es uiri imperium præferre Chriſto? tu caput uirginis dei tuis ſacrilegis attrectare manibus, quę iam nunc areſcent, ut ſentias excruciata quid feceris: & finito menſe quinto, ad inferna ducêris. Sin autem perſeueraueris in ſcelere, & marito ſimul orbaberis & filiis. Omnia per ordinem expleta ſunt, & ſeram miſeræ pœnitentiam uelox ſignauit interitus. Hieronymus ad Lætam, de Inſtitutione filiæ.

Anno 302. terribilis terræmotus, quo Sydon & Tyrus urbes nobilitatis eximiæ, & toto terrarum orbe clariſſimæ, penè à fundamentis euerſæ ſunt, haudquaquam ambiguum ingētis iræ Dei fuit indicium, ob praua concepta conſilia, quæ DIOCLETIAN. & Maximianus Auguſti Romę in Chriſtianorū perniciem compoſuerant, ac ſequenti anno exequuti ſunt. Si quidem eo demum anno ſæuam decimæ perſequu-

tionis Chriſtianæ cladem inſtituerunt: quæ tanquam rapida quædam procella ſuperiorem omnem terrarum tranquillitatem, ac parti otij uoluptatem excuſſit prorſus, ac diſpulit. Sigonius lib. 1. Imp. occid.

CONSTANTINVS V. Imp. dum è ſacro puer fonte lauaretur, ſacris lymphis uentris ſolutione commaculatis, impuritatis ſuæ omen dedit: cuius rei gratia cognomentum Copronymi meruit, & Germanus uaticinatus eſt, eum Eccleſiã deformaturum. Volat. lib. 23. Sigebertus in Chronicis. Landulphus, Zonaras. Diaconus lib. 21.

Manuelis Comneni Imp. hæreſim, qua regnum adeptus, contendebat Holoſphyrum illum Mahometi, uerum eſſe Deũ, qui nec genitus eſſet, nec genuiſſet, NICETAS Chonarum epiſcopus longè antè prædixit. Nicetas libro ſeptimo, de rebus Manuelis.

QVIDAM ſanctus monachus, Phoca imperante, Deum ad diſceptationem prouocans, quæſiuit, cur tam impium Chriſtianis impoſuiſſet Imperatorẽ? audiuitq; uocem, cùm quidem neminem uideret, ſibi dicentem: Deteriorem alium inueniri potuiſſe nullum: ac hoc meruiſſe Conſtantinopolitanorum flagitia. Cedrenus.

Leonis Armenij capiti NICEPHORVS patriarcha coronam auream imponens, manum ſuam ſpinis compungi ſenſit. Quod omen ad impios Imp. mores pertinuiſſe, euentus declarauit. Zonaras.

Dux Saxoniæ BERNARDVS, uidit in ſomnis ex penetralibus ſuis egreſſos in eccleſiam urſos aproſq;, deinde ceruos, ad ultimum lepores. Vrſi, inquit, & apri erant parentes noſtri, fortitudine uelut dentibus armati: cerui ſumus ego & frater meus, ſolis decori cornibus: lepores autem ſunt filij noſtri, Ordulfus & Hermannus imbelles & timidi. Quapropter ſub obteſtatione diuini timoris monuit eos, ne quid impium cogitarent aduerſus eccleſiam Bremenſem: ſed fruſtra. Poſteaquam enim Adelbertus Hamburgenſis & Bremẽſis archiepiſcopus ab imperij principibus ex Imp. curia eiectus eſt, Magnus, nepos Bernardi ex Ordulpho filio, collecta multitudine latronum, archiepiſcopum eò redegit, ut uix tertia pars ampliſſimi epiſcopatus ei remanſerit. Cranzius lib. 4. Metrop. cap. 42.

### PERFIDIAE IN PATRIAM.

Cornelia Gracchorum, concreto genitali nata dicitur, nõ obſcuro omine, quòd patriæ præſtaret eam nunquam parere. Peperit enim TIBERIVM & Caium Gracchos, ſeditionum auctores. Plin. lib. 7. cap. 16.

HANNO Pœnus, primus leonem manu tractare auſus, & oſtendere manſuefactum, capitis damnatus eſt à Carthaginenſibus, quaſi omen id eſſet tyrannidis. Similiter M. ANTONIVS poſt Pharſalicam uictoriam cum mima Cytheride, curru triumphali Romam ingreſſus, quem leones domiti trahebant, non ſine quodam oſtento temporum, generoſos ſpiritus iugum illius ſubituros ſignificãte. Pli. l. 8. c. 16.

Andreas Dandulus, dux Venetorum, principatu ſuo primò annonæ caritate laborauit ingenti. Hanc lues ſecuta eſt, ut uix tertia ciuium pars ſuperfuerit. Terræmotu pleræq; ſacræ turres uaſtatæ. Quæ omnia haud dubiè MARINI Faletri principatum portendiſſe creduntur, qui patriæ libertatem opprimendam ſuſceperat, ut ipſe unus tyrannide eam ſibi uindicaret. Egnat. lib. 1. cap. 5.

### PARRICIDII.

Damaſcius Syrus, Simplicius ex Sicilia, & alij docti uiri conuenerant, ut in Perſiam ad uidendum Coſroem regem unà abirent. In reditu, inuenerunt in agro cadauer inhumatum. Inhumanitatem Perſarum deteſtati, illud ſepeliunt. Noctu VNVS ex eo comitatu obuerſari ſibi uidit ſpeciem hominis ſenis & uenerandi dicentis: Noli inhumatum corpus humare, permitte canibus lacerandum. Terra uniuerſorum mater matris corruptorem hominem non ſuſcipit. Ille expergefactus, aliis ſomnium expoſuit. Itaq; manè regreſſi in illum agrum, uiderunt corpus nudum in campi ſuperficie iacere. Agathius lib. 2.

HADINGO Danorum regi, defunctæ coniugis ſpecies per quietem ſic cecinit:

> Bellua nata tibi eſt, rabiem domitura ferarum,
> Quæq; truci rapidos atteret ore lupos.

At poſt pauca ſubiunxit:

> Fac caueas, ex te nocuus tibi prodiit ales,
> Felle ferox bubo, uoce canorus olor.

Conſulti aruſpices, lupi nomine futuræ ferocitatis filium, oloris uocabulo filiam denotari dixere, illũ hoſtibus perniciosum, hanc patri inſidioſam fore præſagientes. Euentus augurio reſpondit. Siquidem Hadingi filia Vluilda priuato cuidam Guthormo denupta, maritum in parentis cædẽ ſolicitauit: reginam ſe, quàm regis filiam cenſeri malle præfata. Ille cùm ad cœnam inuitatum ſocerum per ſicariũ confodere inſtituiſſet, ab Hadingi ſtipatoribus cæſus eſt. Saxo libro primo.

Natus eſt Antoninus GETA, Seuero & Vitellio Coſſ. Mediolani, VI Cal. Iunias ex Iulia: quam idcirco Seuerus uxorem duxerat, quòd eam in genitura habere compererat, ut regis uxor eſſet: iſq; priuatus, ſed iam optimi in Repub. loci. Statim ut natus eſt, nunciatũ eſt, ouum gallinam in aula peperiſſe purpureũ. Quod cùm allatum Baſſianus frater eius accepiſſet, & quaſi paruulus apploſum ad terram fregiſſet, Iulia dixiſſe fertur ioco: Maledicte parricida, fratrem tuum occidiſti. Idq; ioco dictũ, Seuerus altiùs, quàm quiſquam præſentium accepit: à circumſtantibus autem poſtea uelut diuinitùs dictum approbatum eſt. Spartianus in Geta.

### FVRTI.

Quum ex æde Herculis patera aurea ſurrepta eſſet, uiſus eſt deus ipſe in ſomnis SOPHOCLI poetæ dicere, qui id feciſſet. Quod ſemel ſomnium iterumq; cùm neglexiſſet, non ceſſante ſpecie illa, aſcendit Sophocles in Arium pagum, ac detulit rem. Ariopagitæ comprehendi iuſſerunt eum, qui erat nominatus: qui quæſtione adhibita, confeſſus eſt, pateramq; rettulit. Quo facto fanum illud Indicis Herculis nominatum eſt. Index autem manifeſtè Latinis eſt, qui μηνυτὴς Græcis. Victor. lib. 4. Var. lect. cap. 21. ex Cic. lib. 1. de Diuin.

### FALSAE ACCVSATIONIS, PERIVRII.

*Conſule Tit. Diuinationis per Monomachiã, per Ignem, per Aquam feruentem, per Iuſiurandum. item Tit. Præſagiorum à mortuis editorum.*

D. IOANNES Chryſoſtomus, Conſtãtinopolitanus antiſtes, conuocata Synodo Conſtãtinopolim, Arcadij principis auctoritate, Theophilum Alexandrinũ antiſtitẽ euocarat, quẽ grauiſſimorum criminum in Chriſtianam pietatẽ reum, Synodi iudicio damnandũ exhiberet. Ille Conſtantinopolim ueniens, magna ſuorum manu comitatus, intra urbem concilium celebrauit, & ipſum Ioannem citare non dubitauit. Hic cùm Chryſoſtomo inuidiam apud principem cõflaret, quaſi Eudociam Auguſtam, Iezabelem in publica concione nũcupaſſet, iuſſu principis, Ioannes in exilium actus eſt. Sed quum grauis terræmotus urbem ipſam ſtatim concuſſiſſet, uniuerſæ ciuitatis ſtudio uir innocentiſſimus ſuæ ſedi reſtituitur. [redacted] ſoſtomo epiſcopo Conſtantinopolitano, comitatu & diuino, qui circa illum erat, ſatellitio maximè freto: & matrem Domini pro ipſo deprecantem, atq; cùm multa etiam alia, tum illud præcipuè, quòd pro ipſius gloria plurimùm ille decertaſſet, referentem, ut in ſacra templa reciperetur, orare. Hanc uiſionem cùm Cyrillus cogitabundus in animo ſecum uolueret, ſeipſum, quòd in ſanctum uirum inuectus eſſet, damnauit: ac Synodo prouinciali coacta, Ioannis nomen ſimul & ipſe & reliqui epiſcopi in ſacro albo propoſuerunt. Nicephorus lib. 14. cap. 28. Pro eo Socrates narrat, Atticum Ioannis ſucceſſorem, memoriam Ioannis in precationibus fieri inſtituiſſe: propterea quòd Ioannis ſectatores, qui ſe Ioannitas dicebant, extra Eccleſiam conuentus facerent, quòd eam ob rem ad Eccleſiam redituros ſperarit, libro ſeptimo, capite 25. Capite uerò quadrageſimoquinto eiuſdem libri ait, Ioannem triceſimoquinto anno poſt ipſius mortem, à Proclo in communionem fuiſſe receptum: atq; hac occaſione ad Eccleſiam eos, qui ſe ab ea propter Ioannem ſeparauerant, rediiſſe.

Gregorium Agrigentinũ epiſcopũ SABINVS & CRESCENTIVS diaconi, ſcortationis accuſarant, cùm ipſi noctu inhoneſtam mulierculam in eius lecto collocaſſent. Verùm correpta muliercula à dæmone, prodidit dolum, quòd pecunia ab accuſatoribus fuiſſet corrupta. Ergo abſolutus ille & loco ſuo reſtitutus, accuſatores in exilium acti ſunt. Metaphraſtes in uita eius.

## CORPORIS VARIORVM BONORVM DIVINA COGNITIO. Vtputa

### ROBORIS.

NICOSTRATVS Cilix, ſeu potiùs Phryx, ex urbe Prymneſſo, cùm iam adoleuiſſet, in ſomnis uidit ante fulcra lecti ſui ſtratum leonem. Poſt id uiſum multas de pancratio & lucta palmas ex Olympia abſtulit. Pauſanias lib. 5.





### SANITATIS, MORBORVM DEPVLSIONIS.

*Reuelatio.*

Raphael angelus iuniori Tobiæ, ſub ſpecie Azariæ iuuenis, comes additus, è flumine Tigri piſcem immanem egreſſũ, à TOBIA interfici iuſſit, & cor atq; fel reponi in medicinæ uſum, reliquias ſale conditas aſſeruari pro commeatu. Cor de poſtea ſuffitum fecit, quo dæmonem Aſmodeum à Sara Raguelis filia, ſibi deſponſata, Tobias expulit: felle autem patris cæci oculos obleuit, & uiſum ei reſtituit.

Erat iuxta Brundulum, templum D. Michaeli ſacrum, quod unum Clodia, Mathematicum, Venetiæque ipſæ ſumma pietate colerent. Accidit uerò, ut apud Senogalliã, SERGIVS quidam, opibus & auctoritate princeps, graui morbo laboraret: cui noctu uox audita fertur, ut ſi quamprimùm uotum nuncuparet inuiſendæ ædis diuo Michaeli ſacræ, ſtatim incolumis fieret. Qua ex re pactum ſtatim factũ, ut reus uoti, relicto patrio ſolo, phanum inuiſeret, amplisq; muneribus donaret, tum uerò ſaluus penates ſuos reuiſeret. Egnatius lib. 1. cap. 6.

*Oracula, Prædictiones.*

TELEPHVS Myſorum rex Græcos à deſcenſione prohibiturus, quum obſtinatè Vlyſſem inter uineas inſequeretur, prępeditus trunco uitis ruit. Achilles procul telo iaculatus femur ſiniſtrum regis transfixit. Pace facta, & Græcis domum reuerſis, Telephus dolore uulneris diu afflictatus, cùm nullo remedio ſanari poſſet, ad poſtremum Apollinis oraculo monitus, uti Achillem atque Aeſculapij filios adhiberet: properè Argos nauigauit, Græcos orans, ne ſibi prędictum remedium negaretur. Achilles cum Machaone & Podalyrio adhibentes curam uulneri, breui fidem oraculi firmauêre. Dictys lib. 2.

ALCMÆON ob interfectam matrem Eriphylen, quę patrem domi latentem prodiderat, diris agitatus, Apollinem Delphicum conſuluit, qua ratione ab inſania liberaretur. & reſponſum accepit:

> τιμῆεν μ' αἰτεῖς δῶρον, μανίαν ἀποπαύουσα·
> ἐς σὺ φέρειν τιμῆεν ἐμοὶ γέρας, ὦ ποτε μήτηρ
> ἀμφιάραον ἔκρυψ' ὑπὸ γῆν αὐτοῖσι σὺν ἵπποις.

Monili dedicato, mentem priſtinam recepit. Athenæus lib. 6. Dipnoſoph.

CROESVS Lydorum rex, cùm Aty filio amiſſo, alium haberet filium mutum, pro eius uitio emendando nihil non fecerat, tum uerò Delphos ſciſcitatum miſerat. Cui Pythia reſpondit:

> Λυδὲ γένος, πολλῶν βασιλεῦ, μέγα νήπιε Κροῖσε,
> μὴ βούλευ πολύευκτον ἰὴν ἀνὰ δώματ' ἀκούειν
> παιδὸς φθεγγομένου· τόδε σοι πολὺ λώιον ἀμφὶς
> ἔμμεναι· αὐδήσει γὰρ ἐν ἤματι πρῶτον ἀνόλβῳ.

Oraculum uerum euentus oſtendit. Nam captis Sardis à Cyro, cùm miles quidam in Crœſum irrueret, [redacted] uocem [redacted]). ἄνθρωπε μὴ κτεῖνε Κροῖσον. Sic Crœſus culpa ſuã regnum amiſit, uoce filij uitam ſeruauit. Herodotus lib. 1.

Cùm peſtilentia LACEDÆMONEM uexaret, ex Apolline relatum eſt oraculum, finem mali fore, ſi quotannis generoſam quampiam uirginem immolarent. Itidem apud VALERIOS peſte graſſante, ex oraculo commonefacti ſunt, ceſſaturum id mali, ſi Iunoni uirginem immolarent. Ariſtides Mileſius libro decimonono rerum Italicarum, & Plutarchus in Parallelis.

Heſiodi oſſa MINYÆ hoc ſe modo recepiſſe narrant. Sæuiente in homines & pecudes peſtilentia, miſſos ad oraculum conſultores, reſponſum tuliſſe: Ad ſedandam luem unicum illud fore auxilium, ſi ex Naupactio agro in Orchomenium Heſiodi oſſa deportaſſent: aliam ſanè nullam reperiri poſſe mali leuationem. Percontatos rurſus eos, In qua tandem Naupactij agri parte eſſent illa reperturi? reſpondiſſe Pythiam, Locum cornicem monſtraturã. Cùm redirent in patriam, qui ſciſcitatum miſſi fuerant, non longè à uia cornicem conſpexiſſe ſaxo inſidentem. Ibique Heſiodi oſſa inuenta, in eius ſaxi latebra, cum inſcriptione. Pauſanias in Bœoticis.

Gens quædam Pelaſgica, quæ LEMNVM incolebat, nauibus tranſmiſit in Bæbronem, uel, ut Herodotus, Brauronem Atticæ regionem, atq; ex ea mulieres raptas abduxerunt. Poſt ubi peſtilentia laborarẽt, oraculo iuſſi ſunt Athenienſibus ſatisfacere, atque ita futurum, ut peſtilentia liberarentur. Athenienſes rogati, quo pacto placari uellent? denunciarunt ut Lemno decederent. Hanc conditionem cùm audiſſent Pelaſgi, per iocum reſponderunt id facturos ſeſe, ſi quis Borea uento unius diei nauigatione domo profectus, Lemnũ tranſmitteret. Euenit deinde, ut cùm Darius in Thracia agens, omnia undique ſubigeret, Miltiades dux Athenienſiũ è Cherronneſo ſoluens, Lemnum aggrederetur, Pelaſgis denuncians, ſe Borea uniuſque diei curſu adeſſe domo profectum: nam Cherrõneſum tenebat, atque illic habitabat. Itaque Hermon Pelaſgorum princeps Lemno ceſſit. Idque cùm Darij metu compulſus faceret, adſimulabat tamen ſe uolentem cedere, quò gratum faceret Athenienſibus. Ex Græcorum collectaneis. Aemilius Probus in Miltiade aliquanto diuerſiùs rem narrat. Quum Athenienſes decreuiſſent coloniam mittere in Cherſoneſum, quæ tum à Thracibus tenebatur, conſultus Apollo, quem ſibi ducem ſumerẽt ad expellendos Thraces, iuſſit, ut Miltiadem aſciſcerent. Is Lemnum aggreſſus, poſtulauit, ut ſe ſponte dederent Athenienſibus. Lemnij per iocum reſponderunt, ſe id tum facturos, cùm ille domo nauibus proficiſcens, uento aquilone ueniſſet Lemnum. Nam hic uentus aduerſus eſt Athenis proficiſcentibus Lemnum. Miltiades, ne illic tempus tereret, Cherſoneſum profectus eſt. Ea capta, rebusque illic ex animi ſententia ordinatis, rediit Lemnum, & ex pacto poſtulauit inſulam. Nam ſe uento Borea domo profectum ueniſſe, quòd in Cherſoneſo domum habeat: decreuerat enim illic manere. Itaque, qui Lemnum tenebant, ceſſere metu. Eraſm. in Prouerbio, Hermonium officium.

Quidam tradunt, olim GRÆCIS peſtilentia laborantibus oraculo reſponſum eſſe, ut ad ultimum Myſorum nauigarẽt. Ac primùm quidem ambigebãt, quid ſibi uellet oraculum. Tandem diu circumacti repererunt Aeolidem in extremis Myſorum eſſe ſitam, atque eò demigrandum eſſe monuiſſe numen. Alij ſcribunt, Telepho, poſt interemtos auunculos, conſulenti Pythium, quò gentium ſibi demigrandum foret (nam antiquitùs mos erat homicidis ſolum uertere) reſpõſum, uti ad extremam Myſorum regionem ſeſe conferret: ueniſſeque in Teuthraniam, Myſiæ extremam partem, atq; eius loci principatum obtinuiſſe. Sunt qui dicant, hunc nõ ob cædem auunculorum fugiſſe, ſed uti matrem quæreret, quam in Teuthrania tandem inuenerit. Hinc Prouerbium, πρὸς ἔσχατον μυσῶν πλεῖν, ubi dura quępiam imperarentur, factúque difficilia. Eraſmus.

MANVEL Theophili Imp. dux (qui uiuo Theophilo [redacted] cultum improbarat, & tum quoque nutabat) incidit in grauiſſimum morbum, adeò quidem, ut iam de uita eius deſperaretur. Eum acceſſere quidam monachi ex Studij collegio, quibus nunciatum fuerat, eſſe mortuum: cúmque ad lectum aggreſſi, uiuere adhuc & ſpirare ſenſiſſent, lætum ei de priſtina ſanitate recuperanda nuncium prædicauerunt. Ille tenui ac imbecilla uoce: Quomodo, inquit, hoc mihi contingat? cuius & animæ facultates defecerunt, & corpus omnino confectum exaruit? Reſpondêre monachi, Deum nihil non poſſe. Quòd ſi ergo ſanitate recepta operam ſit daturus, ut imagines, ſecundùm uetera maiorum decreta, reſtituat, ſe ei uitam certò promittere. Atque hæc fati diſceſſerunt. Statim uerò & morbus remiſit, & naturales facultates omni impedimento ſunt liberatæ, breuique temporis ſpacio infirmitate prorſus eſt ſolutus. Cedrenus.

maginum

*Omina.*

QVIDAM conſultus de eo, qui aduerſa laborabat ualetudine, fortè fortuna conſpexit aſinum ſurgentem à lapſu: ſimulque alium quendam audiuit dicentem, βλέπε πῶς ὄνος ὢν ἀνέστη, id eſt, Vide quo pacto aſinus cùm ſit, ſurrexit. Id ominis arripiens ille, protinùs reſpondit, fore ut ualetudinarius ille reualeſceret. Itaque iocatur Ariſtophanes in Auib. ὄνος ὄρνις inquiẽs, quaſi & aſinus auis eſſet, & augurij nonnihil haberet. Eraſmus in Adagiis.

*Somnia.*

*Etſi Somnia aperta & nuda, nullis ænigmatis inuoluta, inter Reuelationes connumerari queant: tamen, quia Dormientib. accidunt, hic ſimul cum Symbolicis & Aenigmaticis enumerentur.*

HIPPOCRATES Cous, euocatus ab Abderitis, uti mederetur Democrito laboranti inſania: ea ipſa nocte, ſub aurorã tale habuit ſomnium. Viſus eſt ſibi ad portas Abderitarum comitem habere Aeſculapium, habitu horrendo, cum ſerpentibus & miniſtris pyxides medicamentarias probè obſignatas geſtantibus. Rogatum, ut ſibi propitius adeſſet, reſpondiſſe, Nihil in præſens me opus habes, ſed hęc communis dea mortalium & immortalium te comitabitur. Conuerſus ergo, uidit mulierem auguſta ſtatura, oculis ſiderũ inſtar micantibus, ab eaq; in urbem ad hoſpitiũ deductus, eius nomen Ἀλήθειαν eſſe audiuit, & apud Democritum habitare: alteram uerò, quæ itidem apparebat, non malã quidem ipſam, ſed audaciorem tamen aſpectu & concitatiorẽ, Δόξαν appellari. Expergefactus ſomnium recolens, apertè cognouit, Democritum medicamentis non indigere, quandoquidem Aeſculapius diſparuiſſet: ſed ipſam quidem Veritatem, quòd ſanus ſit Democritus, apud Democritum habitare: Opinionem uerò, quòd Democritus ægrotet, apud Abderitas diuertiſſe. In Epiſtola ad Philopœmenem.

Tabella marmorea Romæ in Aeſculapij templo in inſula Tiberina inuenta, & uſque ad hanc diem apud Maphæos conſeruata, ægrorum aliquot, in Aeſculapij templo conſilia ſanitatis captantium, exempla Græcè ſcripta leguntur, uti teſtatur Hier. Mercurialis, medicus doctiſſ. lib. 1. de Gymnaſtica. Hiſce dieb. CAIO cuidã cæco oraculum reddidit, ueniret ad ſacrum altare, & genua flecteret, à parte dextra ueniret ad læuam, & poneret quinq; digitos ſuper altare, & eleuaret manum, & poneret ſuper proprios oculos: & rectè uidit populo præſente, & gratulante, quòd grandia miracula fierent ſub Imperatore noſtro Antonino. Sanguinem reuomenti IVLIANO deſperato ab omnibus hominibus ex oraculo reſpondit deus, ueniret, & ex ara caperet nucleos pini, & comederet unà cum melle per tres dies: & conualuit, & uiuẽs publicè gratias egit præſente populo. VALERIO Apro militi cæco oraculum reddidit deus, ueniret & acciperet ſanguinem ex gallo albo, admiſcẽs mel, & collyrium conficeret, & tribus diebus uteretur ſupra oculos: & uidit, & uenit, & gratias egit publicè deo. LVCIO affecto lateris dolore, & deſperato à cunctis hominib. oraculum reddidit deus, ueniret, & ex ara tolleret cinerem, & unà cum uino commiſceret, & poneret ſupra latus· & conualuit, & publicè gratias egit deo: & populus congratulatus eſt illi.

Sami regnũ Alexander Magnus oppugnabat in India. Hoſtes ferrũ ueneno tinxerant. Multi Macedonum ſaucij extincti ſunt, periiſſet & Ptolemæus, qui poſtea in Aegypto regnauit, accepto uulnere, niſi per quietẽ herba regi demõſtrata eſſet, quò remedio ille ſeruatus eſt, ſeruati & cum eo multi. Draco in ſomnis ALEXANDRO conſpectus, eam herbã ore geſtãs. Remediũ ſibi nocturna illa imagine cõmonſtrari rex arbitratus, herbã ſtudio conquiſitã ac repertã potioni diluit, ut Trogus ſcribit, dilutã Ptolemço & aliis pręſens remediũ obtulit. Idem auctor eſt, in Muſicanis id accidiſſe. Curtius, qui in Sami regno hæc geſta arbitratus eſt, folium ait uulneri applicitum. Diod. lib 17. in oppugnatione urbis Bra[illegible]anũ Harmatæ, Strabo lib. 15. apud Oritas Indos hoc [illegible]e ait: ac barbaros, cùm inuentũ remediũ uidiſſent, ſe Alexandro dedidiſſe. Veriſimile aũt eſſe aliquẽ ea[illegible] indicaſſe: ſed adulationis gratia adiunctã fabulã. Ridet certè hoc ſomnium Cicero, eo præſertim, quòd ore radicẽ tenens loqui draco dicatur. Petrarcha. Sab. lib. 6. Enn. 4.

ASPASIA Hermotimi filia, Phocenſis, poſtquam mater eius cũ partu animã ſimul egiſſet, in orbitate eſt educata, atq; in penuria, modeſtè tamẽ & liberaliter. Inſomniũ aũt frequenter apparebat, euenturæ fortunæ uaticiniũ præ ſe ferens, qꝑ uiro pulcro bonoq; nuptura eſſet. Adhuc aũt puellæ enat' eſt tumor in ipſo mento, aſpectu teterrimus, atq; tũ patri tũ ipſi puellæ ſummũ dolorem afferẽs. Proinde pater eam ad medicũ adduxit, qui ſe curaturũ recepit, ſed ea lege, ſi tres ſibi ſtateres perſoluerentur. Cùm aũt pater tantũ ſe non habere diceret, medicus puellã incuratam dimiſit, quæ ob id in acerbiſſimo luctu uerſata eſt. Verùm poſteaquã prę dolore non cœnaſſet, planè opportunus eam ſomnus inuaſit. In ſomno aũt uiſio oblata, hæc uerba protulit: Bonum animũ geras, ualeantq; medici cum ſuis pharmacis. Tu uerò roſea Veneris cape, eaq; cõtrita tuberi impone. Hæc ubi audiſſet, & executa eſſet, tuber euanuit: & Aſpaſia inter oẽs puellas adeò forma, uitæ honeſtate, incorruptis morib. emicuit, ut primũ Cyro Perſarum regi, deinde eo interfecto, Artaxerxi etiam nupta ſit. Hiſtoriam eleganter deſcriptam leges apud Aelianum de Varia hiſtoria lib. 12. à principio.

CÆCVS & CLAVDVS à Serapide moniti in ſomnis, à Veſpaſiano Alexandriæ curati fuere, dũ in oculos cæci ſpuiſſet, & calce crus claudi tetigiſſet. Sueton. & Sab. lib. 3. Enn. 7.

Plinij ætate, cuiuſdã militantis in prætorio MATER uidit in quiete, ut radicem ſylueſtris roſæ, quã cynorhodon uocãt, blanditam ſibi aſpectu pridie in fruteto, mitteret filio bibẽdam in lacte. In Lacetania res gerebatur, Hiſpanię proxima parte: caſuque accidit, ut milite à morſu canis incipiente aquas expaueſcere, ſuperueniret epiſtola matris orantis, ut parẽret religioni: ſeruatusq; eſt ex inſperato, & poſtea quiſquis auxilium ſimile tentauit. Plin. lib. 25. c. 2.

Aeſculapius Atheniẽſis eandem medicinam PLVTARCHO Atheniẽſi, & DOMNINO Syro philoſopho pręſcripſit oraculo, illi ſubinde ſanguinẽ expuenti, huic neſcio quo malo laboranti. Ea uerò fuit, ut ſuillis carnib. implerentur. Ac Plutarchus quidem, etſi lege patria non uetaretur, talem ſanationem reſpuit: ac ſomno experrectus, & ulnis in lectulo expanſis, Aeſculapij ſtatuã intuens (nam in ueſtibulo templi dormierat) Quid, inquit, Domnino Iudeo hoc morbo laboranti præſcripſiſſes? neq; enim ſuillis eum impleri carnibus iuſſiſſes. Quę cùm hic dixiſſet, Aeſculapius ſtatim ſono è ſtatua ſuauiſſimo edito, aliã curandi morbi rationem ei præſcripſit. Domninus aũt ſecus ꝙ̃ inſtituta Syrorũ ferunt, ſomnium ſecutus, nõ Plutarchi exemplũ, & tũ & poſtea ſemper eas carnes comedit: ac fertur, ſi quãdo unũ id diem intermiſiſſet, recruduiſſe morbum, donec iis impleretur. Suidas.

Aelius ARISTIDES rhetor Smyrnæus, præterquam quòd ei multa fuerunt in ſomnis ab Aeſculapio præcepta, quæ interdiu ageret: cùm quondam peſte laboraret, uiſus eſt in quiete Lyſin, poſteriorem fabulæ partem uidere, ac in fine fabulæ uerſari. Ex quo ſomno conualuit. Sermone 2.

Viſus eſt ſibi QVIS à Marte iniri. Et ani ulcere oborto, ſectione uſus chirurgica conualuit. Artemidorus lib. 5.

GALENVS prodit monumentis, quum circa diaphragma inflammatio eſſet oborta, per quietem ſibi oblatam ſpeciem, quæ commoneret, liberatum iri, ſi ſanguinem mitteret ex uena, quæ inter pollicem uiſitur atq; indicem. Feciſſe quod præcipiebatur, ac mox ſanitati reſtiturum. Cælius lib. 27. capite 9. Antiq. Lect.

De ſe AVENZOAR Albumaron medicus ſcribit, quòd oculo laborans, cui remedium non inueniebat, per quietem uiſus eſt ſibi medicum non multo antè mortuum, tanquã uiuentem ſe alloqui, & ab eo remedia audiuiſſe, quibus liberaretur. Quæ ſequutus, liberatus eſt. Fulgoſus libro primo, capite quinto.

INNOCENTIA Carthaginenſis mulier, cùm cancro obſeſſam haberet mamillã, ſomnio monita, ut proximo Paſchate ad baptiſterium profecta, à femina, quæ primò ei obuia foret, baptizari ſe, & ſanctæ crucis ſigno pectus ſignari curaret, quoniam ita eo morbo liberanda eſſet: peractis ritè quæ in ſomniis habuerat (mira profectò res) eo morbo liberata eſt. Fulg. lib. 1. cap. 5.

HVLDRICVS Leodienſis epiſcopus, cùm circa anum cancro laboraret, nullamq; medici ſalutem ſponderent, iuſſit ſe in Turones ad beati Martini fanum deferri. Illic cùm ſeptimum diem inter lacrymas gemitusq; iuxta aram ageret, & feſſus in ſomnũ incidiſſet, uiſus eſt uidere Martinũ, Briciumq;, ſimul de ipſius morbo loquentes: atq; Martinũ crucis ſigno frontẽ eius notare, ac pedo, quòd manu gerebat, morboſam contingere partem. Itaq; à ſomno experrectus, præ lætitia magna uoce exclamauit. Ad quem eius familia cùm clamorem mirata accurriſſet, amotis faſciis, quibus læſa pars deligata erat, liber eſt inuentus: ſolaq; cicatricis parua nota in eo loco, ubi cancer erat. Idem.

IOANNES monachus Romæ grauiter laborans, atq; medicorum ope deſtitutus, cùm ſomniaſſet, ſenem ſe uidere, qui uirga, quam manu gerebat, eum tangeret, ut è ſtrato ſurgeret, quoniam ſanus eſſet: cæterùm diu ſuperuicturum non eſſe: magna eorum, qui ipſum uiderunt, admiratione, manè ualens à lecto ſurrexit, & poſt tertium annum deceſſit. Gregorius Turon. lib. 4. cap. 47.

Ecbertus adoleſcens, peſte in Scotia graſſante, ſolus cùm Edilo in monaſterio relictus, cùm & ipſe cum ſodale ſuo eo morbo corriperetur, à Deo obnixè petiit, ne ſineret ſe priùs extingui, quàm præteritas negligẽtias, quas in pueritia ſua commiſerat, perfectiùs caſtigaret, & in bonis operib. ſe abundantiùs exerceret. Vouit etiam uotum, quòd nunquam in inſulam, in qua natus erat, uellet reuerti: & quòd quotidie totum Pſalterium in dei gloriam eſſet decantaturus, niſi impediretur aduerſa ualetudine: & quòd in omni ſeptimana diem cum nocte eſſet ieiunus exacturus. EDILVS de ſomno expergefactus, ait: O frater Ecberte, quid feciſti? Sperabam, quia pariter ad uitam æternam intraremus: ueruntamen ſcito, quia quæ poſtulaſti, accipies. Didicerat enim per uiſionem, quid ille petiiſſet, & quòd petita impetraſſet. Mortuus eſt ergo Edilus: ſed Ecbertus conualuit, & in ſuo uoto ſeruando multos labores & moleſtias cœpit. Beda libro 3. cap. 27. Eccleſ. hiſt.

IOANNIS Orphanotrophi, Michaelis Paphlagonis Imp. fratris os, ulcus depaſcebatur. Cùm uerò medici de ope ferenda deſperaſſent, per inſomnium ei uiſus D. Nicolaus, monuit, ut quamprimùm Myra iret, ibi ſanitatem recepturus. Celerrimè igitur eò profectus, Nicolai clericos unguentis aliisq; ſumtuoſis rebus demeritus, metropolin Myra muro ualidiſſimo cinxit, morboq; ſolutus rediit. Cedrenus.

Gregorius Turonenſis cap. 96. de Gloria confeſſorum, ſic ſcribit: Ad diem feſtum Albini Andegauẽſis epiſcopi, cùm PARALYTICVS quidam curru uectus adeſſet, in ſomnis per noctem uidit ad ſe uenientem uirum, ac dicentẽ: Hora tertia ſurge, & baſilicam ingredere, futurum enim eſt, ut ea hora Martinus cum Albino ingrediatur. Si eo momẽto adfueris, ſanitatem recuperabis. Idq; ita factum eſſe, multis idipſum ſpectantib. ſicuti fuerat ei in ſomni prædictũ, cõfirmat.

Sub Erico Aorſel Stueonum rege, dum SACERDOS quidam idolis ſuis ſacrificia offerret, repentina percuſſus cæcitate in terram corruit: ac diu multumq; à ſuis diis uiſus reſtitutionem, ſed fruſtrà, poſtulauit. In ædes deductus ſacerdos cæcus, quieti ſe dedit. Ibi Maria uirgo illum in Chriſtum credere iubet, & uiſum reſtitutum iri pollicetur. Credidit ille, atque confeſtim uiſum recepit, ſtatimque Chriſtianæ religionis prædicator effectus eſt diligentiſſimus. Ioannes Magnus



Magnus in Gothica hiſtoria libro 17. cap. decimoquinto.

HENRICVS II. Imp. cùm Apuliæ ciuitates perluſtraret, calculorũ dolore ſic eſt infeſtatus, ut pleriq; de eius ſalute deſperarent. In montem Caſſinum ueniens, petiturus interceſſionem à diuo Benedicto & S. Scholaſtica (nam medicorum arte nullam recuperare potuit bonam ualetudinẽ) in ſomnis uiſus eſt uidere Benedictũ aſtare ſibi, & ferro pudenda aperire, & calculum ingentem eximere: uulnereq; ſolidato, calculum in manum regis dormiẽtis collocauit. Qui è ſomno experrectus, grande miraculum cernens, ſatellites ad ſe uocauit, ut principes accerſerent: quibus rem hanc mirandã oſtendit, unà cum cicatrice uulneri obducta. Agens itaq; immenſas Deo immortali gratias, templo diui Benedicti precioſiſſima donaria, ac annuos ex prædiis adiacentibus reditus contulit. Cuſpinianus. Et quoniam uulgari fama deceptus, uerè ne ibi S. Benedicti ſitum corpus eſſet, addubitauerat, ipſum ſibi confeſſorem id affirmantem audire per noctem cubans erat uiſus: adeoque rem omnibus audientibus conteſtatus, eam ipſam etiam diplomate, quod adhuc legitur, uoluit à Pontifice diuulgari. Sigon. lib. 8. regni Italici.

VRBANVS II. Pp. ad Campaniam in fide retinendam progreſſus, Caſſinum per Quadrageſimam adiit, anno 1090. cumq; in uigiliis S. Benedicti ſæuiſſimo calculi dolore cruciaretur, ac de præſentia corporis eius dubitaret, uiſus eſt ſibi per quietem S. Benedictum aſſiſtentem audire, atque illum ſcrupulum ſibi euellere, ac proximam ſanitatem pręđicere. Experrectus autem calculũ edidit, ac gratiis Deo actis, rem monachis aduocatis expoſuit. Sigon. lib. 9. regni Ital.

FRANCISCVS Petrarcha de amici uita propter grauem ualetudinem deſperans, per quietem uiſus eſt ægrum uidere, dicentem: Non poſſe ſe diutiùs cum eo manere, quoniam ad cubiculi oſtium quidam appropinquaret, qui mutuum colloquiũ impediturus erat: ei ut ſe commendaret, orabat. Medicus interea, qui ægrum pro mortuo reliquerat, ut Petrarcham conſolaretur, aduenit. ſimulque excitatus Petrarcha, ſomniũ narrauit, &, ut ad ægri curam reuerteretur, obſecrauit. Id cùm medicus feciſſet, æger liberatus eſt. Fulgoſus lib. 1. cap. 5.

## PESTILENTIAE SEDANDAE.

*Conſule Tit. Peſtilentiæ curatio.*

Peſtilentia LACEDÆMONE uulgata, reſpõſum dedit Apollo, finem fore mali, ſi generoſam uirginem de more immolaſſent. Sorte aliquando ductam Helenam, ubi ornatã produxerunt, aquila demittens ſe, rapuit enſem, atq; in armenta portans ſuper buculam eum poſuit. Qua de cauſa abſtinuerunt à uirginibus mactandis. Ex Ariſtodemo in 3. Fabularum compendio, Plut. in Parallelis.

Populante FALERIOS peſtilentia, cùm magna ſtrages facta eſſet mortalium: oraculum editum eſt, remiſſum iri luem, ſi uirginem Iunoni quotannis immolarent. Cùm ſuperſtitio hæc perpetuò teneret, ſorte uocata Valeria Luperca enſem ſtrinxit: quem demiſſa aquila abſtulit, carbonibusq; uirgã minutam cum malleo impoſuit: enſem in buculam quandam apud fanum paſcentem proiecit. Quam rem cùm animaduertiſſet uirgo, boue immolata, malleoque ablato, ſingulas domos perluſtrauit, laborantesque leniter percutiendo excitauit, uale unicuique dicens. Inde hac quoque memoria id myſterium agitur. Ex Ariſtidis lib. 19. de rebus Italicis, Plutarchus.

## PERICVLI, INCOMMODI CVIVSVIS CORPOREI EVITANDI, euitati, depulſi: Tum

### Reuelatio.

HELISÆO ab exercitu Syrorum circundato, multi apparuerunt angeli, defendentes eum. 4. Reg. 6.

AZARIAM cum ſociis in fornace ignis, angelus comitatus eſt & incolumem ſeruauit. Daniel. 3.

DANIELEM in leonum antro angelus Domini ſeruauit. Daniel. 10. Eiq; multa reuelata ſunt myſteria, & per Habacuc prophetam ex Iudęa in Chaldęam, angeli miniſterio cibus delatus. Daniel. 10. & ſeq.

APOSTOLOS è carcere angelus eduxit. Act. 5.

PETRVM ex carcere angelus liberauit. Act. 12.

SIMONIDEM à ruina ædium, in quibus Scopas Theſſalus conuiuabatur, præſeruarunt duo iuuenes (genij uidelicet) qui paulò ante ruinam eum euocarant, & repentè diſparuerant. Idem cùm ad litus nauem appuliſſet, inhumatumque corpus iacens ſepulturæ mandaſſet, admonitus ab eo in ſomnis, ne proximo die nauigaret, in terra remanſit. Qui inde ſoluerant, fluctibus & procellis in conſpectu eius obruti ſunt. Ipſe memor beneficij, elegantiſſimo epitaphio mortuum exornauit. Valerius Maximus libro 1. cap. 7. Cicero libro 1. de Diuinat.

IASON poſteaquam ſub Pelio monte, Argo nauem exædificauit, impoſitis in ea cum aliis ſolennibus hoſtiis, tum uerò tripode æreo, circuiuit Peloponneſum, animo Delphos eundi. Cùm teneret curſum circa Malæam, abreptus in Africam, in aſpretis paludis Tritonidis conſtitit: eique hæſitanti de egreſſu, apparuit Triton, ac iuſſit dari ſibi tripodẽ, quòd diceret oſtenſurum ſe illis exitum, atq; incolumes remiſſurum. Aſſentiente Iaſone, ita demum Triton oſtendit qua ratione è breuibus enauigaret. Itaq; tripodem in templo dedicauit, in eoque tripode oraculum redditum fore, ut cùm quis tripodem accepiſſet ex omnibus, qui in Argo nauigarent, neceſſariò centum Græcæ ciuitates accolerent paludem Tritonidem. Hæc cùm audiſſent Pœni, qui montẽ Gratiarum colunt, tripodem occultarunt. Herodotus lib. 4.

D. HILARION ad quoſdã fratres ſibi notos in Bruto diuertit, haud procul ab Alexandria. Qui cùm miro gaudio ſuſcepiſſent ſenem, & iam uicina nox eſſet, repentè audiũt diſcipulos eius aſinum ſternere, illumq; parare proficiſci. Aduoluti pedibus, rogabant ne hoc faceret. Quibus ille reſpõdit: Nõ multo pòſt cognoſcetis, nõ ſine cauſa me ſubitò diſceſſiſſe. Die ſequente affuere Gazẽſes cum lictorib. eũ comprehenſuri: quandoquidem à Iuliano Apoſtata, & Hilarionis & Heſychij mortem impetrauerant. Hieronymus in uita Hilarionis.

SABINVM Canuſinum epiſcopum, ſenem & cæcum, donóque prophetandi clarum, archidiaconus epiſcopatus deſiderio è medio tollere laborabat. Itaq; pincernæ perſuadet, ut ei uenenum propinet. Paret ille. Senex poculum oblatũ reſpuit, dicens: Bibe tu, quod mihi proponis bibendũ. Qđ cùm puer metu pœnæ facere uellet, impediit eum Sabinus, inquiens: Vade, & dic auctori harum inſidiarum, me quidẽ poculum bibiturum, ſed eum epiſcopatu nunquam potiturum. Sic accidit, ut uenenum Sabino bibenti non noceret: & archidiacono non bibenti, ea ipſa hora cauſa mortis exiſteret. Greg. Turon. lib. 3. Dial. cap. 5. Vincent. lib. 21. cap. 66.

Sub Traiano CLEMENS Rom. Pont. qui quartus poſt Petrũ præfuit eccleſiæ, in inſulam deportatus fuit. Erant ille[illegible]tro Chriſtianorum millia ſecandis marmoribus adhibita, perincommodeq; aquabatur manus illa pietatis cultrix ex remotiore loco. Clemens agnum in proximo conſpicatus modico tumulo ſtantem, tacita religione tactus ad locum proceſſit, ubi fontem offendit ſub altero agni pede ubertim ſcatentem. Inſperata aquatione recreata eſt illa piorũ manus, quæ ſiti premebatur. Sabellicus lib. 4. Enneadis 7.

BONVS Methamaucenſis, & Ruſticus Torcellanus, Veneti, qꝫ corpus D. Marci diuino quodam monitu ex Alexandrina urbe Venetias attulerunt, dum Aegæum mare præteruehe rentur, obſeruata dicitur diui Marci ſpecies Dominico monacho Comaclenſi, qui cuſtos ſacri corporis erat: admonuitq;, naucłerum adiret, qui caueret tam ſecundum uentorum flatum: fore enim, ut ſcopulis Strophadũ illiſa nauis, naufragium planè faceret. Subductis igitur uelis, curſuque mutato, aduentante luce, nauclerus & reliqui omnes, re ipſa planè perſpecta & cognita, ſupplices diuo Marco ingentes gratias egẽre, quòd imminentis naufragii euaſiſſent periculum. Egnat. lib. 1. cap. 6.

Barth. Gradonico duce Venetiis, cùm aquæ omnes & ſtagna ita ſubitò excreuiſſent, ut omnes de ſalute deſperarent: proditum pro certo memoriæ eſt, noctu intempeſta occurriſſe latenti PISCATORI tres humana ſpecie, qui nauigiũ ingreſſi magnis precibus ab eo contenderent, ut ſeſe incolumes ex ea turbine ſeruaret. Ille uerò accepta conditione, in litus ſic eos deduxit, ut tandem quieſcente tempeſtate, aquisq; decedentibus, præmium ab ipſis acceperit: à D. Marco anulum ſuum, quem principi offerret: aſſereretq; ſua ope præcipuè à ſe diuoque Nicolao & Georgio ſeruatam eſſe urbem. Id quum piſcator manè ad ducem profectus enarraſſet, certæque rei indicium anulum protuliſſet: tunc dux piſcatorem præ gaudio complexus, & annuo ſtipendio uiuentem donauit, & rei monimentum perpetuum poſteris eſſe uoluit. Egnatius lib. 1. cap. 6. & Fulgoſ. ibidem. & Sabellicus lib. 2. Dec. 2.

### Omina.

C. MARIVS Syllam fugiens è Minturnenſium paludibus, ubi ſeſe occultauerat, extractus, cùm ad cuſtodiam duceretur, foribus patefactis aſinus è domo ad uicinum fontem potaturus procurrit. Intuitus blandè & hilariter Marium, conſtitit primùm ei ex aduerſo, deinde uocem miſit luculentam, atque in prætereundo eum laſciuè ex lætitia ſubſiliit. Inde Marius coniectura ducta, deos ait mari potiùs, quàm terra, incolumitatem ſibi oſtendere. Aſinum enim nihil arido nutrimento motum ad aquam ſe inde conuertiſſe. Multitudinem igitur, quæ ad opẽ illi ferendã confluxerat, orauit, ut ſe ad mare tutò perducerent. Protinùs nauiculã conſcẽdit: eaq; in Africam profectus, arma Syllę uictricia effugit. Plut. in Mario. Appianus lib. 1. Bellorum ciuil. Plinius cap. 61. de Viris

Viris illuſt. Val. Max. lib.1.cap.5. Lucan. lib.2. Sabellicus lib. 3. Enneadis 6. Rhaph.

VALENS Imperator Arianus, cùm Baſilium Cęſarieſem epiſcopum, propterea quòd orthodoxus eſſet, in exilium uellet pellere, grauibus ominibus prohibitus eſt. Primùm enim ſella, qua uehebatur Imp. ſubitò diſſoluta eſt. Deinde cùm uſitatam exilij notam in chartam ſua manu ſcripturus eſſet, literam nullam, calamo non reddente, exprimere ualuit. Poſtremò filius Imp. Galata in morbum periculoſum ſubitò incidit. Tunc Imp. Baſilium accerſit, & filius meliùs continuò habuit. ſed cùm Arianos quoq; Imp. uocaſſet, & ab Ariano ſacerdote filium baptizari curaſſet, contra Baſilij monita: paulo pòſt mortuus eſt Galata. Theodoretus libro 4. cap. 19.

*Auguria.*

DEIOTARO regi, omnia ferè auſpicatò gerenti, ſalutaris aquilæ conſpectus fuit. Qua uiſa, abſtinuit ſe ab eius tecti uſu, quod nocte inſequenti, ruina ſolo ęquatum eſt. Valerius Max. lib. 1. cap. 4.

*Portenta.*

C. MARIVS filius, à rege Numidiæ Hiempſale Syllæ proden dus, opera regiæ pellicis, commiſeratione eius ductæ, euaſit, & ad patrem in Africa itidem exulantem confugit. Vt inter ſe conſalutauerunt, ſecundū litus ambulantes, uident pugnantes ſcorpiones. Quod prodigium Mario abominato conſcenderunt eueſtigiò nauem piſcatoriam, atq; in inſulam Cercinam, non procul à continente diremtam, curſum direxerunt. Commodum in altum euecti cernunt miſſos ab rege equites, locum, unde conſcenderant, petentes. Plut. in Mario.

*Somnia.*

PINCERNARVM præpoſitus, qui erat eunuchus regis Aegypti, coniectus à Pharaone cum ſocio in carcerem, in ſomnio uidit uitem coram ſe, in qua erant tres propagines, creſcęre paulatim in gemmas: & poſt flores, uuas matureſcerē, calicemq; Pharaonis in manu ſua. Viſus eſt præterea exprimere uuas in calicem, quem habebat, & tradere plenum muſto poculū Pharaoni. Cui Ioſeph interpretatus eſt ſomnium, hunc in modum: Tres propagines, tres adhuc dies ſunt, poſt quos recordabitur Pharao miniſterij tui: & reſtituet te in gradum priſtinum, dabisq; ei calicem iuxta officium tuum, ſicut antè facere conſueueras. Geneſ. 40.

MARDOCHÆVS Iudæus, Suſis habitans, ſomnium uidit tale. Duo dracones inter ſe dimicare parati progrediebātur: gentes omnes clamore illorum excitæ, bellum iuſtis inferre parabant. Tenebris obortis, iuſti Deum implorarunt, & ex lacrymis illorum tanquam ex fonte fluuius ingens productus apparuit. Mox igitur Sol ortus, & iuſti improbos confecerunt. Somnium illud Mardochæus tunc non intellexit: ſed poſtea, quando Eſteræ reginæ tanquam fluuij interceſſione, Iudæorum gens ab interitu uindicata, & Aman peſſimus cum toto genere in crucē, quam Mardochæo parauerat, elatus fuit. Vide Tit. Miro modo ſeruati, ex Hiſtoria Eſteræ.

IOSEPHO Chriſti altori angelus de uitanda Herodis tyrannide nuncium inſomnis attulit: cumq; mortuo Herode in patriam redire iuſſit. Matth. 1. & 2.

D. PAVLVS Romam deductus, angeli nuncio in ſomnis, naufragos omnes ſibi dono datos à Deo in Melita inſula, affirmauit. Act. 27.

Olbius, liberorum Nicogenis hoſpitis Aegei, ad quem Themiſtocles Græcia pulſus confugerat, pædagogus, THEMISTOCLEM ſaluti ſuæ conſulere lymphatus iuſſit, exclamans hunc uerſum:

Nocti conſilium, uocem da, uictoriamq;.

Cui cùm ſomnium nocturnum acceſſiſſet, ſingulari hoſpitis fide, muliebri uehiculo tectus, inſidias regis omnes effugit. Plut. in Themiſtocle.

Deſcendenti ad mare ob pertinentia ad Græciam negotia THEMISTOCLI, poſtquam ad Xerxem confugit: Perſes quidam, Epixyes nomine, ſuperioris Phrygiæ ſatrapa inſidias ſtruxit, paratis iam pridē Piſidis, qui in oppido, quod Leontocephalon uocant (ſignificat ea uox caput leonum) pernoctantem trucidarent. Cui matrem Idæam perhibent oblatam per ſomnium meridianti dixiſſe: Deuita Themiſtocles leonum caput, ne in leonem incurras. Pro hoc ego abs te poſtulo ancillam Mneſiptolemam. Vnde pauore offuſus Themiſtocles, adorata dea declinauit uiam regiam: ac locum illum alio circuitu prætérlatus, iam nocte conſedit. Cùm autem unum ex iumentis, quæ portabant tentorium eius, eſſet in fluuium delapſum, ſerui Themiſtoclis aulæas madefactas expanderunt ad ſiccandum. Interea accurrunt cum gladiis Piſidę. Cùm autē ea, quæ ſiccabantur, non ſatis peruiderent ad lunam: arbitrabantur ea Themiſtoclis eſſe tentorium, atq; ſe illum intus inuenturos quieſcentem. Vbi iam ſuggreſſi propiùs ſuſtulerunt aulæam, intenti ſerui inuolauerunt in eos ac corripuerunt. Ita defunctus periculo, in deæ, quæ ſibi fuerat oblata, uenerationem, Magneſiæ templum Dindymenæ condidit, cuius filiam ſuam creauit Mneſiptolemam ſacerdotem. Idem.

L. LVCVLLVS bello Mithridatico ad Helleſpontum profectus claſſem inſtruxit. Troadem delatus diuertit in delubro Veneris. Nocte ſopitus Deam uidere uiſus eſt ſibi aſſiſtentem, quæ diceret:

Quid dormis animoſe leo, cùm proximus adſit
Hinnulus ecce frequens?

Surgēs aduocatis amicis expoſuit adhuc nocte ſomnium. Simul adfuerunt ab Ilio quidam, qui nunciarēt, conſpectas ad Achæorum portum quinquiremes regias tredecim, quę in Lemnum intenderent curſum. Statim igitur ſoluit, atq; his potitus eſt, præfectum earum Iſidorum occidit. Mox inſectatus eſt cæteros nautas. Plut. in Lucullo.

M. ARTORIVS, Auguſti Cæſaris medicus (cū in campis Philippicis duo Romanorum exercitus ſtetiſſent, hinc Octauij & Antonij, inde Bruti atq; Caſſij, & proximo die eſſent manus conſerturi) ſomnium à Minerua accepit, ut admoneret Octauium graui morbo laborantem, ne propter aduerſam ualetudinem proximo prælio nō intereſſet. Quod cùm Cęſar audiuiſſet, lectica ſe in aciem ferri iuſſit. In qua dum ſupra uires pro adipiſcenda uictoria excubaſſet, morbo liberatus eſt, & à Bruti militibus, de cæde eius cogitantibus eiusq; caſtra diripientibus & lecticam inanem iaculis & pilis traiicientibus liberatus. Cicero lib. 1. de Diuinat. Valerius Max. lib. 1. cap. 7. Suetonius in Auguſto, Appianus lib. 4. Plut. in Bruto.

HOMICIDA quidam in ſomnis ab imminente ruina ſibi cauere iuſſus: de quo ſic in 1. Epigr. Græcorum.

Ἀνδροφόνῳ στερρὸν παρὰ τειχίον ὑπνώοντι,
νυκτὸς ἐπιστῆναι φασὶ Σάραπιν ὄναρ,
καὶ χρησμῳδῆσαι· κατακείμενος οὗτος ἀνίστω,
καὶ κοιμῶ μεταβάς, ὦ τάλας, ἀλλαχόθι.
ὃς δ' ἀνυπνισθεὶς μετέβη· τὸ δὲ σαθρὸν ἐκεῖνο
τειχίον ἐξαίφνης εὐθὺς ἔκειτο χαμαί.
σῶστρα δ' ἕωθεν ἔθυε θεοῖς χαίρων ὁ κακοῦργος,
ἥδεσθαι νομίσας τὸν θεὸν ἀνδροφόνοις.
ἀλλ' ὁ Σάραπις ἔχρησε πάλιν διὰ νυκτὸς ἐπιστάς·
κήδεσθαί με δοκεῖς ἄθλιε τῶν ἀδίκων;
εἰ μὴ νῦν σε μεθῆκα θανεῖν, θάνατον μὲν ἄλυπον
νῦν ἔφυγες· σταυρῷ δ' ἴσθι φυλαττόμενος.

ARISTIDES rhetor Smyrnæus, cùm terræmotus inſtaret, iuſſus eſt ab Aeſculapio paulo antè ad auitam domū proficiſci, & in Atys collis uertice ſacra facere, arasque extruere. Quę cùm uix abſoluiſſet, obortus terręmotus omnem quidem interiectam regionem ita concuſſit, ut nullū relinqueret diuerſorium, ſed ad Atym non proceſſit, nec ultra quicquam attigit. Sermone 3.

Cùm D. BERNARDVS grauiſſimè aliquando laboraret, ita quidem, ut finem uitæ ſuæ inſtare exiſtimaret, uiſus eſt ſibi, ſtans in litore, uidere nauem rectà ad ſe nauigare, quæ ipſum tranſueheret. Feſtinat ter ingredi, ſed recedit iterū, nec reuertitur tandem. Hinc intellexit, finem migrationis ſuæ nondum adeſſe. Auctor uitæ.

Turcæ Cephaleniæ ab Hiſpanis Venetisq; obſeſſi, cuniculum perfecerunt, per quem noctu erumperent, & ad CONSALVI Magni tabernaculum deferrentur. Sed ipſe tantū diſcrimen ſomnio monitus uitauit, ita contrario effecto cuniculo, ut cum nece teterrima Barbarorum cōiecto in illum incenſoq; ſulphureo puluere obuiā iretur. Iouius in Cōſaluo.

## VITAE LONGAEVAE.

MANVEL Comnenus Imp. Ioannis F. à ciuibus Byzantinis exceptus, ac Imperator ſalutatus, dum equo Arabico inſidens portam ingrederetur palatij, poſtquam ſolis Imperatoribus deſcenſus è ſella permittitur, equus clarè hinniit, & ſolo ungulis crebrò pulſato, ſolerterq; progreſſus, & ferociter in gyrum actus, ſerò tandem limen tranſcendit. Id bonum omen eruditis uiſum, qui per equinos geſtus & crebros flexus longam uitam Imperatori portendi uaticinabantur. Nicetas.

## FOECVNDITATIS, CONCEPTIONIS, PARTVS FVTVRI.

*Diuina cognitio conceptus & partus futuri, ad corporis bona referri debet. At qualitas ipſius fœtus, ad titulos uarios bonorum atque malorum, quæ præſignificantur, pertinet. Proinde ex Diuinatione ſanctitatis & eruditionis, item Fortitudinis, item Imperij, non pauca exempla huc accommodari poterunt.*

*Reuelatio.*

VXORI Manoæ, uiri ex Saraa, gentis Daniæ, ſterili exiſtenti, apparuit Domini angelus, & ut ſibi à uino atque temeto, item ab omni polluto caueret, pręcepit: concepturam enim & parituram filium, qui ab utero deuotus eſſet Domino, Nazareus nimirum, cuiusq; capiti nouacula non foret adhibenda: illum Iſraelitas à tyrannide Palæſtinorum, à quib. iam XL annis premebantur, liberaturum. Idem poſtea genius iterum ruri apparuit mulieri: Cumq; illa uirum ſuum Manoam uocaſſet, is caprum cum ferto Iouæ in petra obtulit atq; cremauit. Angelus uerò per flammam, quæ ex ara in cœlum ferebatur, ſpectantibus illis, aſcendit & euanuit. Mulier paulo pòſt concepit, & filium peperit, quem Samſonem uocauit, qui contra Palæſtinos ſtupenda edidit facinora. Iudicum cap. 13.

IOANNIS Baptiſtæ, præcurſoris Domini natiuitas, ab angelo Gabriele prædicta fuit, dum pater eius Zacharias in templo ſuffiret. Cuius uerbis cùm Zacharias fidem non adhiberet, quòd & ſe ſenem, & Saram uxorem ſterilem naturâ, ætate iam anum eſſe diceret, uoce captus eſt in pœnam incredulitatis. Luc. 1.

MARIÆ ſemper uirgini θεοτόκῳ per Gabrielem angelum ſalutifera Chriſti opt. max. conceptio fuit prænunciata. Idem.

PASTORIBVS primis reuelata eſt Saluatoris natiuitas, uoce angeli. MAGIS in Oriente, nouę ſtellæ exortu. SIMEONI pōtifici & ANNÆ propheteiſſę, tacita Spiritus ſancti reuelatione.

MONOBAZVS Adiabenorum rex, cognomine Bazeos, ſororis Helenæ amore captus, eam in uxorem duxit: & ex ea primum Monobazum ſuſtulit, & alios ex aliis uxorib. Tandem cum uxore rurſus prægnante cubans, & manum reclinatam habens in uxoris uterum, uocem quandam ſibi audire uiſus eſt, iubentem, ut manū à uentre tolleret, néue premeret fœtum, qui, ut non ſine diuina prouidētia inchoatus ſit, ita finem habiturus eſſet fortunatiſſimum. Hac uoce ille territus, mox ut excitatus eſt, rem uxori indicauit: & natum eo partu filium, Izaten nominauit. Quem propter hoc præſagium pater regni hæredem reliquit. Atq; is cum matre Iudæorum religionem amplexus, Artabanum Parthorum regem regno reſtituit: cōtra Arabas & Parthos feliciter dimicauit. Anno ætatis 55. regni 24. fatis ceſſit, relicto regno fratri Monobazo, quamuis quatuor haberet filios maſculos. Ioſephus lib. 20. cap. 2.

NICOLAI Tollentinatis parentes, de futura ſobole oraculo quodam inſtructi, uoti cauſa Barium profecti ſunt. Vbi quū ad diui (qui religioſè illic colitur) conditorium uenerabundi diutiùs iacuiſſent: caſu, an potiùs prouidentia, dubium, ſomno ſuccubuère. Hic inopinato monitu inſtructi, perceptam multo antè ſpem prolis augēt, auctam uotis & ſolenni precatione ſibi ratam deſpondent. Neq; preces incaſſum miſſæ, omnia maiora ſanctioraq; ſecuta, quàm mens hominum ſperare auſa eſſet, ut ex nō ſanctis ſanctus naſceretur. Sabellicus lib. 1. cap. 1.

*Oracula, Prædictiones.*

DEVCALION ſolus cum Pyrrha, Epimethei filia, uxore ſua ſuperſtes à cataclyſmo, dicitur oraculum Themidos conſuluiſſe, quomodo inſtaurari genus hominum poſſet. Reſpondit dea, id fieri poſſe, ſi magnæ matris oſſa poſt tergum iacerent. Deucalion pro matre terram interpretatus cunctarū rerum parentem, & terræ oſſa, lapides: ipſe & Pyrrha abſq; commiſtione coniugalis thori, ſibi ſimile genus hominum faciebant, ex iactu uidelicet lapidum. Nam quotquot poſt tergum ab illis miſſi erant, in homines mutabantur: uerùm quos Deucalion proiecerat, uiri facti ſunt: quos Pyrrha, mulieres. Quapropter homines, nempe uulgus, cœpit appellationem à lapidib. Nam Græci etiamnū homines λαοὺς appellant, à uoce λᾶας, h. e. lapis. Gilb. Cogn. lib. 2 Narrationum.

ERGINVS Minyarū rex, Herculis fortitudine, qui Thebanorum res defendebat, propè confectus, pacem cum eo fecit. Magna demū congeſta pecunia, cupiditas eum liberos ſuſcipiendi cepit, quamuis iam ſenem. Quare cùm Delphos ea de re conſulturus ueniſſet, huiuſmodi reſpōſum accepit:

Ergine ô Clymeni proles Presbonidæ, ad aram
Exquirens ſobolem ueniſti ſerò. Sed & nunc
Temoni uetulo ualidum prætendito roſtrum.

Cùm igitur oraculi mōnitu adoleſcentulam uxorem duxiſſet, Trophonius & Agamedes ex eo matrimonio nati ſunt. Etſi traditum eſt, Apollinis, non Ergini filiū fuiſſe Trophonium, propter diuinandi peritiam. Pauſan. in Bœoticis.

AEGEO regi Athenienſium, cùm ſobolem deſideraret, Pythiam perhibent celebratum oraculum edidiſſe: quę pręcepit, ne ullam mulierem priùs attingeret, quàm appuliſſet Athenas. Verùm cùm id præſcribere non admodum liquidè uideretur, Trœzenen profectus, retulit Pittheo Apollinis ſortes, quarum hæc ſunt uerba:

τὸν προὔχοντ' ἀσκοῦ ποδεῶν' ὦ φίλτατε λαῶν
μὴ λύσαι, πρὶν γουνὸν Ἀθηναίων ἀφικέσθαι. Id eſt:

Ne ſoluas ex utre pedem qui prominet, antè
Cecropiæ pingues quàm ſis delatus in agros.



Aſtipulatur ratio medica. Nam frequenti coitu ſemen liquidius & debilius redditur: quiq; in alienis locis ſeſe exonerat, proprios minùs implere poteſt. Parére uoluit Aegeus, uerùm poſteaquam Trœzenem apud Pittheū diuertit, eiq; oraculum aperuit: Pittheus ei nocte Aethram filiam ſuppoſuit, ex qua ſuſcepit Theſeū. Plutarchus in uita Theſei. Hoc tamen oraculum Xenophon Peleo datum aſſerit. Muretus lib. 3. Var. lect.

EETION Echecratis è Petra tribu, cùm Labdam Amphionis filiam claudam, quam nemo aliàs Bacchiadarū ducere uolebat, duxiſſet, neq; ex hac muliere, neque alia liberos procrearet: miſſus eſt Delphos ad conſulendum de prole. Eum introeuntem ſtatim Pythia his uerſibus compellauit:

Eetion tenemo (licèt ſis tantus) honorat.
Conceptum pariet ſaxum graue Labda, monarchos
Qui cadet in ciues, emendabitq; Corinthum.

Hoc oraculum, quod Eetioni redditū eſt, eò tendebat, quò alterum antea Bacchiadis redditum, haud priùs intellectū, quàm hoc renunciatum eſt, in hæc uerba:

Concipit in petris aquila enixura leonem
Robuſtum, ſæuum, genua & qui multa reſoluet.
Hæc bene nunc animis uerſate Corinthia proles,
Qui colitis pulcram Pallenem, altamq; Corinthum.

Id oraculum, cùm ad eum diem fuiſſet indeprehenſum, ſimulatq; ex hoc Eetionis patuit, eòdem utrumq; pertinere, ſilentio Corinthij ſuppreſſere, Eetionis filium quacunq; ratione extincturi. Vt primū Labda enixa eſt, miſerūt ad eam decem uiros, qui puerum interficerent. Illi uerò, cùm puerū ſuauiter ridentem uiderent, miſericordia moti abeunt. In itinere alter alterum neglecti imperij accuſare cœperunt: & tandem uno impetu ad atrium Eetionis acceſſere, ut participes fierent omnes ſimul cędis. Id ut animaduertit Labda, puerum in menſura frumentaria occuluit. Illi, cùm puerum non inueniſſent, re infecta abierunt. Puer Cypſelus dictus eſt, à cypſela, id eſt, menſura frumentaria: qui poſtea Corinthum occupauit, & tyrannidem exercuit, pater Periandri tyranni. Herodotus lib. 5.

LAIVS Thebanorum rex, ducta uxore Iocaſta Creontis filia, cùm diutiùs caruiſſet liberis, oraculo cōſulto, an eſſet filios habiturus, reſponſum tulit: Non conducere ſibi prolem habere: quòd qui ex eo prodiret filius, patrem occiſurus eſſet, aduerſaq; fortuna domum funeſtaturus. Id quod poſtmodum euenit nato filio Oedipo, cui apud Phocidem obuiā factus, cùm eum ignotū, utpote in infantia expoſitum, nec hucuſq; unquam uiſum, de uia cedere ſuperbiùs mādaſſet, Oedipus ira motus Laium occidit, inſcius parentē eſſe. Diodorus lib. 4. cap. 6.

Danaë Perſei mater, Acriſij Argiuorum regis & Eurydices Eurotei filia, cùm nata eſſet, ACRISIVS oraculū conſuluit, an marem filium poſtea habiturus eſſet. Reſpondit oraculum, nullum quidem marem habiturū, ſed à nepote è filia occiſum iri: ut ſcripſit Pherecydes in 12. Hiſt. Hic fuit Perſeus Iouis è Danaë F. Is Lariſſam ueniens, aui ſalutādi cauſa, cùm certamen ibi celebraretur, ad id etiam Acriſius deſcendit. Dum igitur diſcum iaceret, diſcus in pedem Acriſij reuolutus, illum uulnerauit ita, ut ex eo uulnere interierit. Natalis Comes Mythol. lib. 7. cap. 18.

In Perſia, antequam Sapor rex naſceretur poſthumus, & ſubditi regem poſtularent, MAGI reginæ prædixere, quòd maſculum eſſet paritura. Idq; priùs grauida equa probarunt. Agathias lib. 4.

*Omina.*

Narrat Oroſius lib. 6. cap. 22. AVGVSTVM Cæſarem eadem die, qua Chriſtus natus eſt, mandaſſe, ne quis ſe Dominum deinceps uocaret: diuinantem credo, uerùm principem orbis terrarum ac mundi totius natum eſſe. Idem quoq; mandauit, ut in orbe Romano omnium hominum capita cenſu notarentur: ac ſi maiori principi rationem gubernati imperij aliquādo redditurus eſſet. Huic autem cenſui Cyrinum uirum conſularem ex ſenatuſconſulto præfecit. Pax præterea & quies tanta fuit tum domi tum foris, quanta nunquā antea. Hunc enim iuſtitiæ & pacis regem prophetæ appellarunt. Sabel. lib. 1. Ennead. 7. & Platina.

*Somnia.*

ISRAËL, ſiue IACOBVS patriarcha, altiore ſomno preſſus in ſolitudine, imaginatus eſt cernere ſe ſcalas à terræ facie in cœlum ſurrectas, multosq; miranda ſpecie iuuenes, formaq; auguſtiore humana, aſcenſum per eas deſcenſumque moliri: tum uerò doceri ſibi uiſus eſt cœleſti uoce, ut pergeret in Meſopotamiam ire: fore, ut nuptiæ, quas animo agitaret, non ſolùm proſperè cederent, ſed miranda inde ſobolis incrementa ad poſteros uentura, futuramq; eam ſtirpē omnibus terris celebrem. Nec defuit oraculo euentus. Sabellicus lib 9. cap. 5. Geneſ. 28. Fulgoſ. lib. 1. c. 5.

MOSIS, mortalium omnium cœlo familiariſſimi, ſalutaris ortus, dubium oraculo, an Memphitici alicuius uatis diuinatione

tione Pharaoni prædictus, multo priùs, quàm puer naſceretur, & regem ſolicitum habuit, & Amarim patrem in ſpem certam erexit publicæ ſalutis. Enimuerò per quietem monitus is, talem ex ſe filium naſciturum percepit animo, qualis poſtea ille fuit in ſuorum libertate uindicanda. Sabellicus libro 1. cap. 1.

Fuit Seleucus Antiochi filius, qui unus fuit ex claris Alexãdri ducibus. Is uxorẽ LAODICEN habuit, quæ ea nocte, qua Seleucum concepit, per quietem ſibi uiſa eſt cum Apolline concumbere: à quo anulum anchoræ figura inſculptum in fidei argumentum accepiſſet: eumq; in lecto repertum, diligenterq; aſſeruatum, Laodice Seleuco, de ſua origine edocto, in Aſiam cum Alexandro eunti, dedit. Adiicitur fabulæ, Seleucum & ab eo procreatos femur natiua anchora inſignitum habuiſſe. Sabellicus lib. 7. Enneadis 4.

ELISABELLA Darca, Lotharinga ruſtica, uicinis narrabat, uideri ſibi magnũ fulgur parere. A quibus licèt irriſa fuerit cùm puellam enixa eſſet: nihilominùs puella iſta, Iana Pulicella, hoc eſt, uirgo dicta, uirtute prudentiaq; ſua, uictores Britannos, qui uniuerſam ferè Galliam occuparant, prælio ita afflixit, ut uerè in eo bello fulgur fuiſſe uiſa ſit. Fulgoſus lib. 1. cap. 5.

SAROLTHÆ, Vngarorum ducis Geiſæ coniugi, dormienti, cùm uterũ gereret, Stephanus protomartyr apparuit, eámque his uerbis affatus eſt: Confide in Domino Ieſu Chriſto, mulier, & ex me diuino mandato ſic habeto, te propediem ſcitum fortunarumq; puerum edituram, cui Pannonici regni debetur diadema. Ac talis is uir erit, qualem nunquam deinceps uiſura eſt Pannonia. Demùm inter diuos ipſi locus erit. Et cùm ego Stephanus ſim protomartyr, qui nunquam non ei adero, meum filio nomen imponito. His dictis euanuit. Sarolthा ſomnio confirmata, protomartyri ad omnes aras ſacra fieri præcepit, & anno 909 puerum enixa eſt. Bonfinius lib. 1. Decad. 2.

GORMO III. Danorum rex, Anglorum regis Edelfredi filiã Thiram, Dania ſub dotis nomine aſſignata, in uxorem accepit. Ea, prima nocte, qua genialem torum conſcendit, ſponſum precibus aggreſſa, in triduum ſe uirilis concubitus expertem dimitti petiuit, non antè rebus uenereis indulgere cõſtituens, quàm matrimonium creandis liberis efficax futurum aliquo per quietem præſagio didiciſſet. Indulſit hoc ſponſæ Gormo, & gladio nudo medio interpoſito, uim libidinis patienter repreſſit: mox in ſomnũ ſolutus, uidit duos alites è coniugis ſuę genitali parte lapſos, ſed alterum altero grandiorem, præpeti cœlum uolatu petere, exiguoq; tempore interiecto reuerſos, ſuis manibus inſidere, & exigua quiete recreatos, rurſus auolare, ſed minorem cruentatis pennis ſolum reuerti. A ſomno excitatus, cùm Thiræ ſomnium recitaſſet, illa augurio paruit, & ex eo Haraldum & Canutum ſuſcepit: qui cùm uirilem attigiſſent ætatem, Sclauos domuerunt, Angliam inuaſerunt, & ab auo regni hæredes inſtituti fuerũt. Tandem Canutus, occupata Hybernia, dum ludos ſpectat, ſagittæ ictu interfectus eſt, Haraldo ſuperſtite. Saxo lib. 9.

MATRONA pariendi auida, ſed an grauida eſſet incerta, uiſa eſt in ſomniis ſigillata genitalia habere. Alter ex coniectoribus, minimè prægnantem aut parituram aſſeruit, fore enim præcluſum partus iter. alter contrà: ea enim duntaxat claudi & conſignari ſolere, quæ plena ſint. Petrarcha.

## CORPORIS MALORVM QVORVMLIBET DIVINA COGNITIO. VTPVTA

### MORTIS TVM PROPRIAE, TVM ALIENÆ, *Reuelatio.*

Aſcenderunt Moſes & Aaron iuxta mandatũ Domini in montem Hor, coram omni multitudine. Cumq; AARON expoliaſſet ſe ueſtibus ſuis, induit eis Eleazarum, & mortuus eſt ibi Aaron. Num. 20.

SIMEONI Iuſto, oraculum datum de morte, quamprimùm Chriſtum Domini uidiſſet. Lucæ 2.

L. Corn. SYLLA non tantùm præuidit fatum ſuum, uerùm etiam de eo aliquatenus ſcripſit. Siquidem uigeſimoſecũdo commentario Rerum à ſe geſtarum, biduo antequàm deceſſit, extremam manũ impoſuit: ac prædixiſſe ait ſibi Chaldæos, ubi pręclarè uixiſſet, in flore ſe felicitatis exceſſurum. Plut. in Sylla.

DRVSO longè lateq; Germaniam populato ad Albim uſq;, Mulier quædam humana forma maior, ei obuiam ueniens, dixit: Druſe, quò tandem nullum cupiditati tuæ modũ ſtatuens contendis? non tibi ſatis conceſſum hęc omnia uidere. Quin tu abi, iam enim & operum tuorum & uitæ inſtat tibi terminus. His auditis, Druſus continuò curſum retrò flexit, & in itinere, priuſquàm ad Rhenũ perueniret, ex morbo deceſſit. Dion Nicæus lib. 55.

Ceperat Nero de PETRI Apoſtoli morte cogitare. Cuius rei ille admonitus, ad ſæuiſſimi principis iram declinandam, amicorum conſilio conſtituit urbe excedere. Et iam ad primum lapidem proceſſerat, quum Chriſtus rex factus eſt illi obuiam. Tum Petrus procidens in genua, Quò pergis, inquit, Domine? Romam (ait ille) iterum crucifigi. Eſt miraculoſi huius occurſus auctor Egeſippus. Et nunc uia Appia extra urbem ſacellum uiſitur, monumentum rei ibi actę. Petrus ratus id oraculum ad ſuum exitum pertinere (cùm tamen non minùs ad ipſummet Chriſtum pertineret, qui in ſuis membris ab impiorum ſynagoga indies crucifigitur) Romam continuò reuerſus, Clementem epiſcopum conſecrauit, eccleſiam commendauit piè & ſanctè inſtitutam, & haud multo pòſt cum Paulo, qui tum Romæ erat, Neronis iuſſu interfectus eſt, nec eodem ſupplicio. Petrus pedibus in ſublime elatis, cruci affigitur: quod ſupplicij genus ſibi optaſſe ferunt. Eſt & Paulus eodem die ſecuri ſubiectus. Sabellicus libro 2. Enneadis 7. ex Platina, & Egeſippo libro 3. capite ſecundo.

NERONI paucis ante ipſius cędem diebus, de Mauſoleo Auguſtorum uox exaudita fertur, nomine eum ciens. Sueton.

IVLIANVS eremita circa Edeſſam Syriæ, cùm deum pro eccleſia contra Iulianum rogaret, ſubito mentis gaudio perfuſus, uultu ad hilaritatem compoſito conſedit. Cauſam rogantibus familiaribus, reſpondit: Aprum Dei uineam uaſtantem, debitas pœnas luiſſe. Deprehenſum tandem, eadẽ hora Iulianum interfectum ſuiſſe. Theodoretus libro 3. capite uigeſimoquarto.

Pridie, q̃ periit Iulianus, Ethnicus QVIDAM ex ordine iudicum, Antiochiæ iuxta prætorium excubans, uidit congeriẽ ſtellarum, literas in hanc ſententiam exprimentem: Hodie Iulianus in Perſia occiditur. Notato tempore, poſtea cognitum eſt, eodem die fuiſſe eum interfectum. Zonaras tom. 3.

Ariſtæneta præfecti uxor, ſed nihil de præfecti ambitu habẽs, uenit ad HILARIONEM, uolens etiam ad Antonium in Aegyptum pergere. Cui ille flens: Vellem, ait, ipſe quoque ire, ſi nõ carcere huius monaſterij clauſus tenerer, & ſi eundi fructus eſſet: biduum enim hodie eſt, quòd totus mũdus tali parente orbatus eſt. Credidit illa, & ſubſtitit. Et poſt paucos dies ueniente nuncio, Antonij dormitionem audiuit. Hieronymus in uita Hilarionis.

IOANNI Chryſoſtomo, cùm Imp. Arcadij iuſſu in exiliũ deportaretur, paulò ante diem migrationis ſuæ, aſſerit Nicephorus, noctu oranti Petrum & Ioannem aſſiſtentes, amicè cum eo collocutos eſſe, eiq; cùm aduerſus dęmones uictoriam, tum poſtremò migrationem ad Dominum & futurorum bonorum perceptionem annunciaſſe. In uita Io. Chryſoſtomi legitur, Baſiliſcum epiſcopum urbis Comanæ (is cum Luciano presbytero Antiochiæ, ſub Maximiano Imp. martyrio coronatus fuerat) Chryſoſtomo, iam pulſo in exilium, apparuiſſe, & dixiſſe: Frater Ioannes, eſto bono & forti animo, cras enim ſimul erimus. Priùs eius templi presbytero apparuiſſe, dixiſſeq;, Præpara locum fratri Ioãni, mox enim uenturus eſt. Vera hæc fuiſſe poſtea euentus comprobauit.

PAVLINVS Nolanus antiſtes, quum Vandalico bello omnẽ in ſuis popularibus redimendis domeſticam pecuniã conſumſiſſet, ſeipſum poſtremò barbaris captiuum obtulit, ut ſuus uiduæ filius reſtitueretur, ſeruiuitq; in Aphrica apud Genſerici Vandalorum regis generum, ignoto habitu, eſtq; breui morum dexteritate illi inſinuatus. Enimuerò quum hortum coleret, nunc flores, nunc olẽtes herbas herili menſæ inferens, tempeſtiuo alloquio facilè conſecutus eſt, ut multò honeſtiùs coleretur, quàm pręſens fortuna poſceret. Quinetiam herum hortatus dicitur, ut ſuis rebus maturè conſuleret, fore, ut paucis diebus Genſericus ex humanis decederet. Is, oraculo ad Genſericum delato, illius iuſſu ſuum in regiam mancipium traxit. Dicitur Genſericus hominem intuitus, immotus aliquandiu ſtetiſſe, ſtupenti ſimilis: inde ad generum conuerſus, Certè ſic habet, inquit, breui nobis eſt è uita migrandum. Proxima nocte uiſus ſum mihi ſiſti ad trium iudicum tribunal, eſtq; in his obſeruata mihi ſpecies huic homini perquàm ſimilis. Tulerunt hi iudicium, ut flagellum quod erat in manibus, deponerem. Magna inde cura ſubiit animum ſciſcitari quis eſſet. Verùm ubi perſona ampliùs celari non potuit, eſtque ſimul cognita ſeruitij cauſa, donatur confeſtim libertate, donantur municipes omnes Nolani, qui in Africa ſeruiebant, in eius gratiam. Atque ita Paulinus ſuorum cœtu ſeptus, duabusque



nauibus frumento onuſtis, triumphanti ſimilis in Italiam tranſmiſit. Meminerunt uiri huius Hieronymus in epiſt. & in Dialogis Gregorius. Sabel lib. 2. Enn. 8.

Beatus MARTINVS Turonenſis epiſcopus, obitum ſuũ multo antè prædixit, quo iam proximo mala ualetudine grauiter affici cœpit. Tunc diſcipulis flentibus: Nec mori, inquit, timeo, quia pij Domini ſeruus ſum: nec uiuere recuſo, ſi uobis adhuc neceſſarius ſum. Languens autem, & morbo tantum non conſumtus, cubabat in cilicio & cinere, neq; alio in ſtratu Chriſtianum mori oportere aiebat. Marulus lib. 5. cap. 10. Exemplorum.

ANTONIO monacho, qui Romæ in Gregoriano monaſterio uitam piè ſancteq; degebat, die quodam dictum eſt: Paratus eſto: & quia Dominus iubet, migra. Qui cùm ſibi uiatica ad migrandum deeſſe reſpondiſſet: audiuit, ſi de peccatis ambigeret, iam dimiſſa eſſe ſciret. Multum tamẽ ille hac de re dubitare cœpit, & ſequenti nocte; quum ſe ſopori dediſſet, eodem oraculo ſollicitatus dubitare deſiit. Exinde die quinto, febris repentino æſtuans ardore, animam reddidit exactori eius Deo tam feliciter quàm libenter. Idem.

BENEDICTVS abbas diem ſuum poſtremũ præcognouit: & quibus hoc indicauerat, ne cui, antequam eueniſſet, dicerent, iniunxit. Sexto autem die ante euentum aperiri tumulum iuſſit, & febricitare cœpit. Deinde ingraueſcente morbo, in oratorium delatus, ſublatis manibus Deo ſe cõmendans, inter diſcipulorum manus expirauit uigilia Paſchatis. Gregorius lib. 2. Dialog. cap. 37.

MAVRVS, Benedicti ſenioris, abbatis Caſſinenſis, diſcipulus, cùm prædicandi Euangelij cauſa in Galliam à Benedicto miſſus eſſet, in monaſterio Antiſiodorenſi à S. Romano monacho extructo, cum ipſo Romano de Benedicti morte collocutus fuit: & ei, pridie quàm moreretur Benedictus, ad Dominum ipſum migraturum prædixit. Ea igitur de cauſa hortatus eſt Romanum, ut unà ſecum templum ingrederetur, quò ambo ibi pernoctantes, ſanctiſſimi abbatis mortẽ, quacunq; hora immineret, Pſalmis & orationib. Deo commendarent. Chronicon Iuonis in Iuſtiniano.

GERMANVS, Pariſienſis epiſcopus, ſupra lectulum ſuum inſcripſerat, Quinto Calendas Iunias. Nemo inſcriptionis cauſam noſſe potuit, donec eodem, qui notatus fuerat, die, ipſum uita defungi contigit. Marulus lib. 5. cap. 10.

CVDBERTVS (ut Beda ſcribit lib. 4. cap. 29.) primò monachus, deinde epiſcopus, obitum ſuum in proximo futurum, ſibi diuinitùs prænunciatum; Herberto presbytero eremitæ, quem chariſſimum habebat, indicauit. Et ille, ne in morte quidem talem amicum deſerere cupiens, obſecrare cœpit, uti ſe quoque ea in re comitem aſſumeret. Tunc epiſcopus Deum aliquandiu precatus: Herberte, inquit, Dominus noſter te uoti tui compotem facit: proinde præpara te, mecùm unà deceſſurus. Itaq; anno pòſt, quamuis locorum interuallo diuerſi manerent, quum die, qua prædictum erat, deceſſiſſent: iunctis tamen ſpiritibus, cœlum ſimul petiêre. Ibidem.

Venerabilis BEDA presbyter, Domino reuelante præcognouit, die tandem quinquageſimo ſe à corporis uinculis exoluendum. Itaque feſto Dominicæ aſcenſionis, dum in eccleſia cum cæteris ueſperas celebraret, nulla ægritudine affectus, atque etiam ſtans in hemicyclo, cubitiſque innixus, finitis ueſperis expirauit: mirabiliſq; odoris fragrantia ſubſecuta eſt, ut planè, quo die in cœlum Chriſtus aſcenderat, eodem & ſeruum Chriſti, relicto in terra corpore aſcendiſſe, nemo dubitaret. Idem.

LIBERALEM, qui Altini genitus, Taruiſij ſepultus eſt, oraſſe perhibent huius uitæ finem: & ipſum exauditũ, angelo nunciante didiciſſe. Poſt hæc uicinas inuiſiſſe eccleſias, & in ea, quæ ſancti Laurentij eſt, Deo animam reddidiſſe. Idem.

CASSIVS Narnienſis epiſcopus, euchariſtiam ſumturus, crebrò in fletum prorumpebat. Et Dominus cuidam presbytero per uiſum apparens; I, ait, nuncia Caſſio, uti operi ſolito conſtanter incumbat, natali die Petri & Pauli apoſtolorum accepturus laboris mercedem. Perſeuerauit Caſſius, & anno demùm ſeptimo pòſt, ſed ea, qua prædictum fuerat, die, uita defunctus eſt. Marulus lib. 4. c. 10.

AMATOR, Antiſiodorẽſis epiſcopus, qui etiam in matrimonio uirginitatem ſeruare potuit, ultimum ſibi diem imminere præſciuit. Et cùm ad eccleſiã perrexiſſet, ſermonemq; ad populum habuiſſet, in ſolio ſuo ſedens, animam efflauit. Quam ſub columbæ effigie in ſublime uolantem, quidam conſpexêre, ut eo uiſu & puritas uirginitatis, & meritum pateſceret ſanctitatis. Marul. lib. 5. c. 10.

IVONEM presbyterum tradunt diem, qua mortem obiturus erat, prædixiſſe: ac ne, cùm ægrotaret quidem, conſuetę abſtinentiæ modum remiſiſſe. Poſtremò, corpori & ſanguini Domini communicatum, die nocteq; intentis in imaginẽ crucifixi oculis orando perſeueraſſe, & altero illuceſcente die ſpiritum reddidiſſe. Idem.

SEVERVS, præſul Rauennas, tempore Iuliani principis, prænoſcens uitæ ſuæ exitum, aperto ſepulcro inter filiam & uxorem ſe medium collocari iuſſit. Volaterranus lib. 19. Anthropologiæ.

PETRVS, D. Gregorij pont. max. diſcipulus, pluries capiti ipſius Spiritum ſanctum in figura columbæ inſediſſe uidit. Cumq; id prodidiſſet: Ne credite, inquit, niſi me nunc mori conſpexeritis. Hac tanta ueri aſſertione uſus eſt, ut inuidiã nonnullorum reprimeret, qui ſcripta pontificis laceſſentes, delenda, igniq; tradenda cenſebant. Sciebat autem moriturum ſe, ut primùm ſecretum illud uulgaſſet. Ipſo igitur Petro, ſicuti prædixerat, moriente, expaueſacti aduerſarij, illũ, quem paulo antè petulanter mordere non dubitarant, uenerari cœperunt, ſanctumq; ac beatum dicere. Marulus lib. 6. cap. 16.

AGILVS, Resbacẽſis abbas, cùm annos plurimos Deo ſeruiſſet, confidẽter precatus eſt, ut è uita decederet: & reſponſo accepto, eiuſce uoti peracto biennio compotẽ ſe futurum, gaudere cœpit: utpote qui tum demùm ueram uitam incoaturus eſſet, cùm hanc finiſſet. In obitu eius Ado monachus lætantium angelorum cantus audiuit. Duo præterea, alter febri laborans, alter dentiũ dolore uexatus, tactu corporis eius curati ſunt. Idem.

ANASTASIVS, abbas monaſterij, quod Suppentonia uocatur, à ſaxo, quod monaſterio ſuo imminebat, uocẽ exaudiuit, ſecum quinq; alios uocantẽ, cuius uocis auctorẽ nullũ uidebat: nec multo pòſt ſeptimus quoq; fuit uocatus: qui omnes eo ordine, quo uocati erant, haud multo pòſt mortui ſunt. Fulgoſus lib. 1. cap. 4. ex Gregorij Magni lib. 1. Dialogorum.

AMATÆ in Thebaidis monaſterio abbatiſſę, Coronatus martyr apparuiſſe dicitur, & ut proximo Dominico die ad eccleſiam ſuam cœnatum ueniret, eam inuitaſſe. Ipſa igitur q̃ per annos quadraginta limen monaſterij nunquam tranſgreſſa fuerat, tunc primùm, ut martyri morẽ gereret, exiit, & cœnulam quam ſecum tulerat, in eccleſia eius peregit. Inde reuerſa, ſororibus propediẽ ex hac uita ſe migraturam prædixit. Ac poſt biduum nulla corporis infirmitate laceſſita, ubi ſe ueluti ſepeliendam compoſuiſſet, expirauit. Marulus lib. 5. cap. 10.

GALLA Chriſto dicata, in monaſterio quod apud ædem Petri apoſtoli Romæ ſitum erat, dum cancri morbum in mammilla patiens iaceret, duo candelabra ante lectulum eius ex monaſtico fortaſſe inſtituto accenſa per noctẽ lucebant: inter illa medius idem Apoſtolus ipſi apparuit. cuius repentino conſpectu læta magis quàm perterrita; interrogauit; eſſent ne delicta ſua ſibi dimiſſa? & cùm dimiſſa eſſe accepiſſet, ab eodem euocata, ut iam ex hac uita ad meliorem migraret: Rogo, inquit, ut ſoror Benedicta mecum ueniat. & reſponſum accepit, alteram nunc ſecum uenturam: Benedictam autem die poſtea trigeſimo ipſas ſecuturam. Abiit uiſio, atq; illa excitis ad ſe ſororibus, quod uiderat, enarrauit. Inde die tertio cum illa, quam Apoſtolus prædixerat, ſimul mortẽ oppetiit. Die deinde trigeſimo, Benedicta quoque moriens oraculum impleuit. Idem.

ROMVLA, Redemtæ religioſæ feminæ diſcipula, Chriſto fideliter Romæ ſeruiebat. Sed dum debilitatis paralyſi membris langueret, redemtaq; & altera diſcipula iacẽti aſſiderent, ſubita lux in cubiculo refulſit, & aſſidentium oculos pariter mentemq; perſtrinxit. Mox etiam intrãtis turbę ſtrepitum audierunt, ſed neminẽ uiderunt. Exceſſit lumẽ, & ſecuta eſt odoris grata ſuauitas, quæ pauorẽ quoq; ex luce illa tumultuq; conceptum leniret. Sub hæc Romula ipſa: Nolita timere, inquit, non morior modò. Poſtea uerò die quarto, cùm ſacram communionem accepiſſet, pro foribus cellule eius pſallentium chori auditi, & illa corporis uinculis expedita, cum iiſdem cœlum petiit. Idem.

AMBROSIVS Mediolanẽſis epiſcopus, diẽ mortis ſuæ præuidit, & fratribus quoq; indicauit. Dictauit ergo enarrationem Pſalmi 44. Deus auribus noſtris audiuimus. atq; inter dictandum conſpecta eſt clypei figura: quæ cùm euanuiſſet, mirifico fulgore faciẽ Ambroſij illuſtrauit, & per os eius intrare uiſa eſt. Quid hoc aliud eſt, quã Chriſtianæ fidei clypeum Ambroſium; cõtra hæreticorum inſultus paulo pòſt obiturum, & ueluti diſpariturum, cuius tamen ſcriptis aſſiduè deuoratis nouus ſplendor Eccleſię acceſſurus eſſet? Teſtis Paulinus.

Alexandriæ CALLIGRAPHVS quidam uir pius, cùm ab excubiis nocturnis domũ rediret media nocte, audiuit ſimulacra ab altaribus dicentia, Mauritium Imperatorẽ cum liberis eſſe trucidatũ: & quæ præterea Byzantij contigerant. Id is ſummo mane Auguſtali narrauit: qui eum ſilentio rem tegere iuſſit, annotatoq; die exitum expectauit: eſtq; de eius cæde die pòſt nono certior factus. Cedrenus.

NICEPHORVS Phocas Imperator Palatiũ Conſtantinopolitanæ arcis muniit, in quo prædictum ei fuerat ipſum mo-

riturum. Quo tempore uerò murus palatij condebatur, noctu quadam per mare ſubuectus aliquis, ita uociferatus eſt: O Imperator, erigis muros: & tametſi uel ad cœlum eos educas, intus cùm ſit malum, urbs captu facilis eſt. Qui hæc dixit, diu multumq; eſt quæſitus, non tamen inuentus. Muro autem abſoluto, tunc periit: ea ipſa die, cùm ei claues is, cui id negotij cõmiſſum erat, in manus traderet. Cedrenus.

EVRICVS Veſtgothorum rex, conuocatis ad ſe proceribus ſuis prædixit, ſe ad nonum diem è uita mortali tranſiturũ: impetrauitq; ab illis, ut Alaricum filium ſuum in regni ſolium collocarent. Ei moriens præcepit, inprimis ut Deum diligeret, Dei miniſtros honoraret, ſine fidelium procerũ conſilio nihil arduum tentaret, ſubditos amaret, iuſtitiam coleret, clementiam ſeruaret, omnibusq; ſe benignum & liberalem exhiberet. Deinde ſuperueniente nono die, ex temporali regno ad æternum migrauit. Arelate tumulatus. Ioannes Magnus lib. 15. cap. ult.

Spoliatus in Italia paterno regno ARIPERTVS Longobardorum rex, à Grimoaldo Beneuentano duce, quē in diſcordia frater eius ad ferendam opem uocârat, cùm ex Gallia in Britanniam omnium egens traiiceret, uocē ſine ullo certo auctore audiuit, monentis, Grimoaldum mortuum eſſe: & propterea hortantis, ut ad paternum regnum rediret. Is igitur in Italiam rediens, nullo labore regnum, quod amiſerat, recepit. Fulg. lib. 1. cap. 6. & ante illum Regino, item Paulus Diaconus lib. 5. cap. 13. Sabel. Ennead. 8. lib. 6. Anno Domini DCLXX, iuxta Sigebertum.

Cùm Eldredus Angliæ rex grauiter decumberet, DVNSTANVM, Cantuarienſem archiepiſcopum, ad ſe accerſit. Qui cùm properè ad aulam contenderet, è cœlo uocem audiuit: Ecce rex Eldredus obdormiuit in Domino. Qua uoce equus, quo uehebatur Dunſtanus, concidit. Vincentius lib. 24. cap. 76.

Cùm CHENELMVS, Cenulfi Merciorum regis optimi optimus filius, opera Quenredæ ſororis ſceleſtiſſimæ in prima pueritia ab educatore ſuo iugulatus, & ne facinus proderetur, in loco deuio terra humatus eſſet: ferunt, non multo pòſt ſchedam aureis literis ſcriptam Romę in templo D. Petri ſuper princeps altare incerto auctore poſitam, & in ea martyrium innocentiſſimi Chenelmi indicatum, declaratumq; fuiſſe, ubi loci corpus iaceret. Corpus inuentũ, multo cum honore in cœnobio Vinchelcumbenſi ſepultũ fuit. Polydorus lib. 4.

Henrici II. Imp. ſanctiſſimi mors EREMITÆ cuidam ex ſtrepitu malignorum ſpirituum innotuit. Ferunt enim Imperatorem inter uenandum ſæpius anachoretam religioſum & ſanctum uirum adiiſſe, & de Deo ac uirtutibus cum eo diſſeruiſſe. Is cùm Hieroſolymam uiſurus itineri ſeſe accingeret, Imperator illi calicem aureum immenſę magnitudinis, duabus anſis inſignem, in Iordanem ter immergendum ob honorem indiuiduæ trinitatis committit, dum redeat: donans item illi, quantum ſat erat, uiatici. Hic per Conſtantinopolim rediens, Bulgariam tum eremitis abundantē obambulat: quos ſingulos rogauit, ut Deum pro pientiſſimo Imperatore eiusque incolumitate ſuis precibus rogarent. Dum ita colloquuntur uiri religioſi, unus ex iis Imperatorem uita functum narrat, uiſionemque nocturnam plurib. explicat, qua ſe uidiſſe calicem diuæ Mariæ uirgini dicatũ, cui anſa una deſtructa fuit, fatetur. Id quomodo acciderit, ex uiſione demonſtrat. Anachoreta ſarcinam ſuam reſerat, ac calicem fractum reperit, qui etiam hodie miraculi teſtimonium Babenbergæ oſtenditur. Vbi domũ rediit, Imperatorem eo deceſſiſſe die, quo in eremo fuit, agnouit. Cuſp.

Eremita quidam in rupe, iuxta publicam uiam ditionis Neapolitanæ, habitans, dum noctu poſt pſalmorum recitationem, ad explorandam horam aperiret feneſtram, uidit Aethiopes longo ordine incedere, & ſtramine onuſtos incendium minari. De ſua conditione interrogati, ſe dæmones eſſe dixerunt, & fomites ignium comburendis hominibus conferre, iamque PANDVLPHVM Capuanum principē morti uicinum præſtolari, eademq; hora Pandulphum expiraſſe deprehenſum. Confeſtim Veſeuus mons flammas euomuit, tantaque copia reſina ſulphurea inde effluxit, ut torrentem faceret, qui cum impetu ſe in mare exoneraret. Chron. Caſſ. lib. 2. cap. 84.

LVDMILLA, Boriuorij primi apud Boemos principis Chriſtiani uxor ſanctiſſima, D. Venceſlaũ nepotem inſtituit, Drahomiræ nurus nequiſſimę inſidiis in templo necatę. Inſtante exitij die, quem Ludmilla futurum diuinitùs prȩuiderat, uocat ad ſe clientulos omnes, mercedemq; cuiq; ſuam diſſoluit: & præterea quicquid in penu, in cella, in horreis, in loculis redundaret, id ſua manu in ſinus uſusq; pauperum transfudit. Poſt hæc remotis arbitris, ac ſolo adhibito Paulo ſacerdote, ante aram prouoluitur, factaque exomologeſi, de manu eiuſdem ſacerdotis ſacroſanctum uitæ accepit uiaticum: mox inde fini ſuo propitium Deum exorat: cùm ecce tibi eadem hora ſubmiſſi à nuru, Thomas & Gumo, non tam genere, quàm ſcelere nobiles, in ſacrarium irrumpunt, ac uelo, quo ſancta uidua caput uelatum habuit, eliſis faucibus proſtratam ſuffocant. Dubrauius lib. 5.

BRVNO Vuirtzburgenſis epiſcopus anno MXLV. Henricum III. Imp. Rom. contra Vngaros profectum comitatus, in Danubij Strudelo (ut uocant) atram Aethiopis imaginem de ſaxo ſe uocantem audiuit, his uerbis: Heus, heus, heus Epiſcope, malus ſum tuus genius, meus es, & quouis gentium proficiſcare, meus eris: nihil quidem in præſentiarum agere aduerſus te habeo, breui tamen iterum meus debis. Non multo pòſt in uico Boſenburg Cæſarem Richlita uidua Adalberi ab Eberſperg magnificè hoſpitio excipit, oratq; ut Boſenburgi prædia nepoti ſuo ex fratre tradat. Cæſar cœnaculum conſcendens, dum coram Brunone epiſcopo & Alemanno Eberſpergenſi atq; Richlita extendens dextram poſtulatis annuit, repentè contignatio collabitur. Henricus abſq; grauiore periculo in alueum ſolij balnearij cecidit. Bruno tabellis lignei labri grauiter alliſus paucis pòſt diebus extinctus eſt. Auentinus lib. 5. Annalium Boiorum, & Herm. Contractus.

VVILHELMVS Roſchildēſis epiſcopus, funeri Suenonis regis Daniæ occurrens, duas proceras arbores in uia decidi, atq; in uſum lecti funebris ſibi aptari præcepit: ſe enim unà cum rege condendum tumulo. moxq; præter omnium opinionem expirans epiſcopus, feretro à ſuis imponitur, & ante regem defertur. Saxo Gram. lib. 11.

Menvuercus, Paderburnenſis epiſcopus, finem fecerat uiuendi. Intellexit Godhardus Hildesheimēſis epiſcop⁹, inſinuante ſpiritu Domini, quendam ex Saxoniæ epiſcopis diem ſuum clauſiſſe. Et iam ſolito ſeriùs differebat ſacrum ad altare miniſterium. Erat propè prandendi hora: & admonitus à quodam, quòd hora appropinquaret edendi, reſpondit, Eueſtigiò nuncium expecto, qui mortem mihi nunciet unius ex chariſſimis, cui miſſarum debeo ſuffragia. Aderat non inde diu, qui Menvuercum Paderburnenſem nunciaret epiſcopum exceſſiſſe rebus. Mox accingitur Godehardus, & pro ſua conſuetudine humillimè ac deuotiſſimè peregit miniſterium. Inde ubi aſſedit menſæ ſuæ, utraque manu ſimilam apprehendit, & cõpreſſit: O beate, inquit, Menvuerce, quandoquidē te lata tua ſimila à cõmuni morte nõ liberauit, neque ego quamdiu ſuperfuero, de albo pane unquã guſtabo. Idq; ipſe per duos annos, minus uno menſe, quibus ſuperfuit, ſeruauit. Ita purè narrãt annales: quid ſibi uelint, non ſatis accipio. Menvuercus quidem fratribus ſuis ſimilam dedit in pane. Hoc an detrimento fuerit, dubitari poteſt, quòd Godhardus ſibi ab illo pane indixerit & ſeruauerit abſtinentiam. Cranzius libro quarto Metropol. capite ſeptimo.

D. Thomæ Aquinatis mors ALBERTO Magno reuelata eſt, maneret in conuentu fratrum ſuorum Colonienſi. Nam in lacrymas reſolutus, teſtatus eſt multis fratribus, filium ſuũ in Domino chariſſimum Thomam emigraſſe. Cranzius libro 8. Metrop. cap. 51.

ALFONSO Catholico Aſturum rege optimo mortuo, anno Salutis DCCXC. uoces pſallentium in aëre feruntur auditæ: Ecce quomodo tollitur iuſtus, & nemo conſiderat: ablatus eſt à facie iniquitatis, & erit in pace memoria eius. Rodericus Toletanus lib. 4. rerum Hiſpan. c. 5.

Hermannus, Comes de Vvintzenborg, frater Alberti marchionis Brandeburgenſis, Conrado III. imperante, Sueui cuiuſdam militaris uiri coniugem conſtuprarat. Redeunti marito flens mulier occurrit, uim ſibi illatam queſta. Ingemuit maritus, & obſeruato tempore arcem primo mane cõſcendit: &(ut erat Comiti coniunctiſſimus) dormientem eum ad latus coniugis confodit. Muliere autem geſtare ſe utero exclamante, qui ulciſceretur: minãtem iunxit marito: & confeſtim equum conſcendens, cum uxore in Sueuiam abiit. Erat in arce ſpiritus (incertum qualis) qui uaria ſpecie ſe ſæpiùs oſtenderat. Is ſtatim monuit EPISCOPVM Hildeſeimenſem in ſtrato ſuo quieſcentem: Surge (inquit) raſe, & uacantem occupa Vvintzenborg arcem. Ille confeſtim cum expeditis eò contendit, & conſenſu Imperatoris coniunxit eccleſiæ arcem cum oppido Aluelde. Cranzius lib. 6. Saxoniæ, cap. 11. & lib. 6. Metrop. cap. 20.

BAPTISTA Cardanus, Papiæ ſtudens, nocte quadam ut ſurgeret, igniculum tentabat accendere. Interim audit uocem hanc, Vale fili mi, Romam uado: uiditq; immenſum ſplendorem, inſtar faſciculi paleæ ardentis. Territus, abiecto focili, ſub culcitra latuit, donec contubernales ex academia redirēt. Vbi redierunt, exiſtimantes illum ægrotare, pulſant oſtium: aperit. Moræ cauſam ſciſcitantibus, reſpondet, arbitrari ſe mortuam matrem: narrabatque quæ uiderat & audierat, ſimulq; flebat. Illi in iocum rem uerterunt, partim irridentes, partim conſolantes. Sequenti die, cùm nondũ accepiſſet nuncium de matris ægritudine, de morte certior factus eſt, quòd ea ipſa hora expiraſſet, qua ille hæc prȩſenſerat. Abeſt Cardanum oppidum à Papia millia paſſuum quadragintaduo. Cardanus de Rerum uarietate, lib. 15. cap. 84. hæc de ſuo narrat affine.



*Oracula, Prædictiones.*

ALTHEMENES, Catatrei filius, Cretenſium regis, cùm oraculum ſciſcitaretur, reſponſum tulit, in fatis eſſe, ut pater ab eo interficeretur. Id euitare cupiens, ſpõte cum plurimis uoluntariis abiit in eam Rhodi orã, quæ Camiros dicitur. Catatreus filij unici actus deſiderio, profectus eſt in Rhodum, nati in Cretam deducendi cupidus. Cùm noctu in inſulam deſcendiſſet, orta inter ſuos ſociq; incolas contentione ac pugna, Althemenes ſuis auxilio accurrēs, iaculo inſcius patrem occidit. Qua ex re Althemenes dolore ingenti perculſus, cùm tantæ uim calamitatis ferre non poſſet, fugiens hominum conſortia ac ſermones, ſolusq; per deſerta inuiaq; loca oberrans, dolore conſumtus expirauit. Cui à Rhodiis poſtmodum honores heroum impenſi ſunt. Diodorus lib. 5. capite 13.

MYCERINVS rex, cùm ex urbe Buti oraculũ accepiſſet, fore, ut ſex omnino annos uiueret, ſeptimo defuncturus, ęgrè tulit: uiciſſimque miſit ad oraculum contumelioſas querimonias: quòd cùm pater ſuus & patruus, qui deorum immemores templa clauſerant, hominesq; perdiderant, tam diu uixiſſent, ipſe piè faciens, tam citò foret uita defuncturus. Rurſus ei oraculum reſpondit, propterea ipſum properè uitam finiturum, quòd non id faceret quod deberet. Oportere enim Aegyptum centum quinquaginta annis affligi: idq; qui ante eum fuiſſent reges feciſſe; ipſum uerò nequaquam. Hæc ubi accepit Mycerinus, ſe iam numinib. damnatum; lucernas fecit permultas, atq; iis per noctem accenſis, uenationibus & aliis exercitiis ſtudioſè inuigilabat, totusq; in eo erat ut ex noctibus dies faceret, ut oraculi terminum prorogaret, & ex ſex annis duodecim efficeret. Nã ſi ſex continuis annis nulla nox eſſet, ſex totidem aliis continuas noctes eſſe oportere exiſtimabat; ad oraculi fidem confirmandam. Herod. lib. 2. in Euterpe.

Amphionis tota domo ex peſtilentia deleta, ſucceſſit in regno Thebano LAIVS. Is ſumta uxore Iocaſta, Creontis filia, cũ diutius caruiſſet liberis, oraculo conſulto an eſſet filios habiturus: reſponſum tulit, non conducere ſibi prolem habere: quòd qui ex eo prodiret filius, patrem occiſurus eſſet, & aduerſaq; fortuna domum funeſtaturus.

Λάϊε λαβδακίδη, παίδων γένος ὄλβιον αἰτεῖς·
δώσω τοι φίλον υἱόν· ἀτὰρ πεπρωμένον ἐστί,
σοῦ παιδὸς χείρεσσι λιπεῖν φάος. ὡς γὰρ ἔνευσε
Ζεὺς κρονίδης, πέλοπος στυγεραῖς ἀραῖσι πιθήσας,
οὗ φίλον ἥρπασας υἱόν, ὁ δ' ηὔξατο σοὶ τάδε πάντα.

Laïe Labdaci fili, filiorum genus beatum poſtulas. Dabo tibi charum filium: ſed fatale eſt, tui filij manibus relinquere lucem. Sic enim annuit Iupiter Saturnius, Pelopis diris exe crationibus perſuaſus, cuius carum abſtuliſti filium, hic imprecatus eſt tibi hæc omnia. Laius ergo, natum infantem traiectis ferro pedibus exponi præcepit: unde & Oedipus cognominatus eſt, à tumore uulneris. Sumtum puerum domeſtici cùm non expoſuiſſent, cuidam ſeruili mulieri nomine Polybię tradidêre. Cùm iam uir factus eſſet, deũ de infante expoſito conſulere ſtatuit Laius. Oedipus quoq; à quodam ſe fuiſſe expoſitum certior factus, & ipſe Pythiam, qui ſui parentes forēt, rogatum proficiſcebatur. Cùm ambo apud Phocidem inuicem obuiaſſent, Laiusque illum de uia cedere ſuperbiùs mandaſſet: Oedipus ira motus Laium occidit, inſcius parentem eſſe. Diodorus libro quarto, capite ſexto.

In Piſa, Peloponneſi urbe, Mars ex Aegina, Aſopi fluuij filia genuit OENOMAVM. Hic unicam filiam Hippodamiam appellauit. Finem uitæ ab oraculo ſciſcitanti, reſponſum eſt, in fata illum conceſſurum, cùm filia Hippodamia nupſiſſet. Igitur filiæ nuptias ueritus, multis puellam uxorem ſibi dari poſtulantibus id propoſuit certamen, quo qui uictus eſſet, interficeretur, uictor uirginem acciperet. Equorum inſtituit curſum à Piſa ad aram Neptuni, quæ eſt apud Iſthmum Corinthi. Curſus erat eiuſmodi: Oenomaus arietem Ioui ſacrificabat: qui uirginem poſtulabat, quatuor equorum ferebatur curru. Oenomaus ſacris peractis, curſu ſequebatur ꝓcedētem, auriga Myrtilo: aſſecutum haſta, quam geſtabat manu, interficiebat. Hoc pacto cùm multos ob equorũ uelocitatem peremiſſet, Pelops Tantali, qui Piſam acceſſerat, uiſa Hippodamia, id concupiens connubiũ, corrupto Myrtilo, illius opera in uictoria uſus eſt, primusq; ad aram Neptuni peruenit. Qua ex re dolore actus Oenomaus, adueniſſe reſponſi exiſtimans tempus, ſibi mortem conſciuit. Pelops ſumta uxore Hippodamia, Piſæ regnum tenuit. Qui uiribus ac prudētia inſignis, cum plurimos in Peloponneſum accolas deduxiſſet, eam patriam Peloponneſum ab ſe denominauit. Diod. lib. 4. cap. 11.

Danaë, Perſei mater, Acriſij Argiuorum regis & Eurydices Eurotei filia, cùm nata eſſet, ACRISIVS oraculum conſuluit an marem aliquem filium poſtea habiturus eſſet. Reſpõdit oraculum, nullum quidem marem habiturum, ſed à nepote è filia, occiſum iri: ut ſcripſit Pherecydes in 12. Hiſt. Ergo aheneum thalamum ſubterraneum extruxit, ut ait Sophocles in Antigone, in quem Danaën cum nutrice incluſit, cuſtodiasq; adhibuit, ne filius ullus ex ea naſceretur, ut ſcripſit Pauſanias in Corinthiacis, & Horatius lib. 1. Carminum. At Iupiter, auro ſimilis è tholo in ſinum eius defluxit. Natus inde Perſeus. Acriſius ad aram Hercæi Iouis Danaën adductam interrogauit, ex quo peperiſſet. Cùm illa è Ioue diceret, cæſa priùs nutrice, in arcam ligneam incluſit, & in mare deiecit, ut teſtatur Apollonius libro 4. Argonauticorum. Cùm ad inſulam Seriphum arca applicuiſſet, quæ una eſt è Cycladibus, ubi Polydectes Androthoes & Periſthenis filius imperabat: à Dictye fratre regis, qui ibi fortè piſcabatur, reti extrahitur. Quam cùm ille recluſiſſet, didiciſſetque quínam eſſent, domum deduxit, & ut affinitate cõiunctos, apud ſe perhumaniter habuit, ut ait Strabo lib. 10. Sequentibus poſtea temporibus Polydectes uim Danaȩ inferre conatus eſt. Quod cùm ob Perſeum non poſſet, finxit ſe uelle dotem in nuptias Hippodamiæ Oenomai filiæ parare: munusque id Perſeo impoſuit, ut ad ſe Meduſæ caput, quod Hippodamiæ largiretur, afferret. Quod is præſtitit. Relato capite Meduſæ, Polydectes omneſque eius in ſaxa ſunt conuerſi: Dictys regnum Seriphi obtinuit. Cùm Perſeus Argos ueniſſet, non inuenit Acriſium, qui ob timorē Lariſſam, quȩ Pelaſgorum fuit ciuitas, confugerat. Relicta ibi Danaë, Cyclopibus, & Andromeda, ipſe Lariſſam contendit, ubi recognouit Acriſium, illiq; perſuaſit ut Argos ſecum rediret. Verùm antequam Lariſſa diſcederent, certamen celebrari contigit in illa ciuitate, ad quod certamen & ipſe Perſeus deſcendit. Dum igitur diſcum iaceret, diſcus in pedem Acriſij reuolutus, illum uulnerauit, ita ut ex eo uulnere interierit. Sepulcrum ante portas ciuitatis Lariſſȩi magnificè extruxerunt. Pauſanias in Corinthiacis impetu diſci iacti ad amnē Peneum perculſum Acriſium ſcribit, cum Perſeus inuenti à ſe diſci gloria elatus artem in conuentu hominum oſtentaret. Natalis comes Mythol. lib. 7. cap. 18.

Phryxum Athamantis aiunt nouercæ inſidias declinantem, unà cum ſorore Helle è Grȩcia fugiſſe. Transfretantibus illis, iuxta quoddam deorum oraculum, ex Europa in Aſiam ſuper aureo ariete, uirginem in mare delapſam dediſſe Helleſponto nomen: Phryxum in Pontum proficiſcentem, delatum in Colchida. Qui cùm ſecundum oraculum arietem ſacrificaſſet, pellem in templo Martis ſuſpendit. Poſtmodum AETA in Ponto regnante, reſponſum datum eſt, illum tũc mortem obiturũ, cùm externi nauigio delati aureũ uellus ſuſtuliſſent. Hac ex cauſa, tum uerò innata crudelitate oſtētauit ſe hoſpites ſacrificare: ut diuulgata tãti ſceleris fama, externi omnes eum acceſſum abhorrerent. Templum quoque muro circumdedit, cuſtodesq; frequentes appoſuit, ex Taurica accitos: de quibus à Græcis mirandæ fabulæ finguntur. Decantatum enim eſt, tauros ignem ſpirantes circa templum eſſe: à dracone inſuper cuſtodiri uellus. Verùm taurorum nomen à cuſtodum robore traductum eſt: à crudelitate uerò cædis hoſpitum, tauros ignem efflare confictum. Templi cuſtos draco, ſtupendæ eius animantis naturæ occaſionem dedit. Accedentem ad fores templi Medeã, appellati Taurica lingua ab ea milites, apertis ianuis ut regis filiam introduxerunt. Argonautæ templum ſimul ingreſſi, eductis enſibus cùm multos ex barbaris occidiſſent, aliis improuiſa re territis, diffugientibusque, erepta aurea pelle, eueſtigiò ad nauem reuerſi ſunt. Medea draconē pellis cuſtodiæ incubantem, ſemperq; (ut fabulæ ferunt) uigilem, ueneno peremit: deinde unà cum Iaſone conſcendit. Aetas Græcos inſequens à Meleagro cæſus eſt. Diodorus lib. 4. cap. 3.

Paryſadæ regis Cimmerij Boſphori tres filij, Eumelus, Satyrus & Prytamis, de regno poſt parentis obitum contendebant. Eumelus ope Ariopharnis Thracum regis Prytamin interfecit: Satyrus regiã oppugnans, uulnere in brachij muſculo accepto periit. Itaque regno potitus eſt Eumelus per quinquenniũ, admirabili caſu extinctus. Nam cùm ex Scythia domum reuerteretur, & ad quoddam ſacrificium properaret, quadriga ad regiam contendebat: & cùm currus quatuor rotis ueheretur, & haberet tentorium, perterrefacti equi, eum abripuerunt. Cùm auriga habenas tenere nõ ualeret, ueritus rex ne in ſcrobes delaberetur, exilire conatus eſt. Sed cùm enſis rotæ implicitus eſſet, ille unà tractus, eueſtigiò expirauit. SATYRVM oraculo admonitum ferunt, ut ſibi à mure caueret. Itaque ſuorum ſubditorum neminem id nomen uſurpare paſſus eſt. Domeſticos & agreſtes mures formidabat, & pueris ſemper ut occiderēt, & cauos obſtruerent, imperabat. Tandem uitam finiit in brachij

muſculo uulneratus. EVMELO autem reſponſum oraculo fuerat, ut domum quæ portaretur caueret. Itaq; haud temerè domum intrabat, niſi pueri priùs & fundamēta & culmen luſtraſſent. Cùm autem in quadriga ui rotæ extinctus eſſet, propter tentorium, quod quadriga uehebatur, omnes oraculum impletum exiſtimarunt. Diod. lib. 20.

HOMERVS cùm deum conſuleret, quibúſnam parentibus & ex qua patria oriundus eſſet, reſponſum tulit, quo & de morte præmonitus fuit:

ἔστιν Ἴος νῆσος μητρὸς πατρίς, ἥ σε θανόντα
δέξεται· ἀλλὰ νέων ἀνδρῶν αἴνιγμα φυλάξαι.

Non multo pòſt ad Ienſes nauigans, iam ſenex & cæcus, cū piſcatores interrogaſſet, num quid haberent? & illi perplexè reſpondiſſent, uel animi mœrore, quòd ænigma ſoluere non potuiſſet, uel morbo in fata conceſſit. Plut. & Herod. & Pauſan. in Phocicis.

SEMIRAMIS Aſſyriorum regina, uniuerſa peragrata Aegypto, Libyaq; magna ex parte in ditionem redacta, ad Ioue Ammonem tranſiit, ſciſcitatura à Deo ſuæ uitæ finem. Dicitur reſponſum ei datum, ab hominibus migraturā eſſe, atq; à multis Aſiæ gentibus immortalium honores aſſecuturā. Idque fore, cùm ei Ninus filius inſidiaretur. Ab expeditione Indica in Bactrianos reuerſa, detectis quas ei Ninus per eunuchum parauerat inſidiis, omnique iniuria iuxta Ammonis reſponſum remiſſa, cùm omnibus filio ut regi parērent, præfectis mandaſſet, eueſtigiò euanuit, ad deos, iuxta oraculi reſponſum, ut creditum eſt, tranſlata. Diodorus libro 2. cap. 5.

CYRVS rex Perſarum, ad Iſtrum contra Maſſagetas & Eſſedonas profectus, conſuluit in Lesbo Orphei caput, oraculis clarum eo tempore, de belli euentu. Reſponſum accepit, τὰ ἐμὰ ὦ κῦρε σέ: id eſt, Similem exitum, ut ego, habebis. Exitus oraculo fidem fecit. A Tomyri enim regina Cyrus interfectus, & capite truncatus eſt, ſicuti à Thraciis mænadibus Orpheus. Philoſtratus teſtis.

POLYCRATES Samiorum tyrannus poſteaquam Rheneā inſulam cepiſſet, eamq; conſecraſſet Apollini, conſtitutis apud Delum ludis pulcerrimis, Delphos miſit conſulturos, utrum oporteret eos ludos Delios an Pythios appellare. Reſpondit oraculum, ταῦτά σοι καὶ πύθια καὶ δήλια, futurum innuens, ut propediem excederet è uita. idq; euenit. Itaq; res in prouerbium uerſa. Eraſmus ex Menandro.

Calanus, Gymnoſophiſtarum unus, diu comitatus eſt Alexandri caſtra. Poſtremò uiuus ſtatuit incenſam pyram ex gentis inſtituto inſilire. Cùm igitur ſpectante exercitu in ſubiectas pyræ flammas inſulturus ſtaret, interpellatus ab ALEXANDRO, rogatusque An mandaret aliquid? Mox paulò, inquit, te uidebo. Impleuit id omen Alexandri interitus, qui non multo pòſt ſecutus eſt. Sabellicus libro 9. cap. 9. Valerius Maximus libro 1. cap. 8. Eidem ex India Babylonem pergenti, Nearchus, claſſis præfectus, qui ab Oceano Euphratem inuectus reuerterat, refert conueniſſe ſe certos Chaldæos: qui monebant, Babylone ut abſtineret. Nihil motus tamen progreſſus eſt, ubi periit. Plutarchus in Alex.

Sortes olim datæ LYSANDRO huiuſcemodi fuêre:

Hopliten iubeo cautum uitare ſonantem
Terrigenumq; dolo ſequitur qui terga draconem.

Bello Bœotico, cùm Haliartum oppugnaret, oppidani facta eruptione eum cum exercitu ad riuū Hopliten, qui muros præterfluit, conciderunt. Qui Lyſandrum interfecit ciuis Haliartius, Neochorus nomine, inſigne clypei draconē habuit: quod coniectura erat nunciari oraculo. Plutarch. in Lyſandro.

Occupauerat PYRRHVS Epirota Argos urbem. Argiui properè Antigonum & Areum regem Lacedæmoniorum acerſiuêre. Erat in prælio nocturno magna eorum, quæ agebantur & imperabantur, cæcitas, errationes, & diuulſiones per uicos: neq; dari ullum imperium per tenebras & ancipitem ſtrepitum anguſtiasq; poterat, ſed ita tempus ducebant, diem utriq; operientes. Vbi iam diluxit, Pyrrhus aſpiciens in foro inter ornamenta cætera æneum lupum & taurum uelut ad pugnam commiſſos, obtorpuit: quòd ſubiret eum uetus oraculum, in fatis eſſe, ut occumberet, ubi lupū pugnantem ſpectaret cum tauro. Hoc uetuſti monumentū caſus apud ſe memorāt Argiui locatum. ſiquidem Danao, cùm primum in eam oram appelleret, in Piramiis Thyreatidis Argos petenti lupum uiſum cum tauro certantē. Danaum uerò, qui ſtatuit lupum ab ſe ſtare, quòd indigenas externus ſicut ipſe aggrederetur, ſpectatorem ſe præbuiſſe pugnæ. Cùm uictoriam obtinuiſſet lupus, uoto facto Apollini Lycio adortum urbem fuiſſe, eaque potitum, eiecto per ſeditionem Gelanore, qui tunc apud Argiuos regnabat. Ac ſtatua ea de cauſa poſita fuerat. Hoc ſpectaculo Pyrrhus, ſimul quòd nihil eorum, quæ expectauerat, progrederetur, deprehenſus, cogitabat ſe recipere. Verùm ictu tegulæ à muliere deſuper occiſus eſt. Plut. in Pyrrho.

Delphicum extabat oraculum uerſibus heroicis, ſic prædicēs interitum:

Aeacide caue ne uenias Acheruntidas undas,
Pandoſiamq;, necem quoniam tibi fata minantur.

Commiſſa itaq; pugna cum Brutiis & Lucanis ad flumen quoddam ponte rupto, cùm flumen à finitimis Acheruntidem dici audiſſet ALEXANDER, Philippi affinis, frater Olympiadis, urbemq; uicinam Pandoſiam: locis cum oraculo ſibi reddito cōparatis, fatale tempus adeſſe ratus, glorioſam expetiit mortem, impetu in confertiſſimos hoſtes facto, magnaq; ſtrage edita. Suidas.

DIONYSIVS Siciliæ tyrannus, cùm reſponſum à diis accepiſſet, quòd tunc moriturus eſſet, cùm meliores ſuperaſſet: ipſe in eum ſenſum accipiebat oraculum, ut referret ad Carthaginenſes, eos ſe meliores fortioresque eſſe arbitratus. Quamobrem ſæpè etiam habito cum iis conflictu, ſi res ad uictoriam ſpectare uideretur, ſubterfugere ſolebat, & ultro uinci, ne fortioribus ſuperior fuiſſe uideretur. Verùm non potuit hac uerſutia fati neceſſitatem infringere. Nā cùm eſſet parum bonus poeta, Athenis in Bacchanalium feſto tragœdia edita uiciſſe meliores poetas Athenienſium ſuffragiis iudicatus eſt. Itaque conuenienter oraculi ueritas præſtita eſt, ut cùm meliores ſeſe uiciſſet, ſtatim uitæ terminus ſequeretur. Diodorus lib. 15.

CIMON Athenienſis circa Cyprum tenens claſſem, legatos ad templum Ammonis miſit de re occulta deum conſultum. Nec patet ulli, quamobrem miſſi fuerunt. Neque dedit legatis deus reſponſum: uerùm ſimul ut adfuerunt, redire iuſſit eos. Iam enim ipſum Cimonem apud ſe eſſe. His auditis repetierunt legati mare. Qui ut uenerunt in caſtra, quæ tunc erant circa Aegyptū, de obitu Cimonis didicêre. Supputatis autem ad oraculum diebus, perſpexerūt rectè ſignificatum Cimonis exitum, quaſi iam apud cœlites eſſet. Deceſſit in obſidione Citij, ut pleriq; referunt, ex morbo: alij uolunt ex uulnere, quod confligēs cum Perſis accepit. Moriens monuit ſuos, ut extemplò diſcederent, & mortem ſuā tegerent. Contigit autem, ut nemine ſentiente neque hoſtium neque ſociorum illi reuerterentur incolumes, ductu auſpiciisque Cimonis, ut Phanodemus ait, dies iam triginta defuncti. Plut. in Cimone.

C. IVLIO Cæſari futura cædes euidentibus prodigiis denunciata eſt. Paucos ante menſes, quum in colonia Capua, deducti lege Iulia coloni, ad extruendas uillas ſepulcra uetuſtiſſima diſiicerent; idq; eo ſtudioſiùs facerēt, quòd aliquantum uaſculorum operis antiqui ſcrutantes reperiebant: tabula ænea in monumento, in quo dicebatur Capys conditor Capuæ ſepultus, inuenta eſt, conſcripta literis uerbiſq; Græcis hac ſententia: Quando oſſa Capys detecta eſſent, fore, ut Iulo prognatus manu conſanguineorum necaretur, magniſq; mox Italiæ cladibus uindicaretur. Cuius rei, ne quis fabuloſam aut commentitiam putet, auctor eſt Cornelius Balbus familiariſſimus Cæſaris. Suetonius.

APOLLONIVS Aegyptius, C. Caligulæ Romanorum imperatori mortem prædixit. Qui eam ob cauſam Romam miſſus, ad Caium eo die perductus eſt, quo ille mortem erat obiturus. Xiphilinus Dionis abbreuiator, in Caligula.

Cùm L. Vitellius in gratiam Herodis Tetrarchæ contra Arabas exercitum duceret: ferunt Arabum regem ARETAM accepto expeditionis Vitellij nuncio collegiſſe ex auguriis, impoſſibile eſſe ad Petram peruenire illum exercitum: unū enim è ducibus priùs moriturum, uel qui bellum paret, uel cuius iuſſu paretur, uel eum contra quem mouendum ſit. Nec uanum fuit augurium. Nam cùm Vitellius adhuc Hieroſolymis eſſet, nuncius de Tiberij Cæſaris morte allatus, irritam fecit expeditionem. Ioſephus libro decimooctauo, capite ſeptimo.

CLAVDIVS Cæſar cùm Coſſ. deſignaret, neminē ultra menſem, quo obiit, deſignauit: & in Senatu, cui nouiſſimè interfuit, multum ad concordiam liberos ſuos cohortatus, utriuſque ætatem ſuppliciter patribus commendauit. Et in ultima cognitione pro tribunali, acceſſiſſe ſe ad finem mortalitatis, quanquam abominantibus qui audiebant, ſemel atq; iterum pronunciauit. Suetonius.

TITVS Imp. oraculo acceperat, Vlyſſis more ſe ἐκ τῆς θαλάττης periturum. Vlyſſes radio paſtinacæ marinę, loco ſagittę à filio Telegono peremtus eſt. Titus uerò leporis marini ueneno, à fratre Domitiano ſublatus. Cęlius lib. 26. cap. 30. Antiq. Lect.

APOLLONIVS Tyaneus, Iouis filius, Cilicem quendam, hominem ſupra modum laſciuum, tertia die interemtum iri prædixit. idq; contigit. Philoſtratus in eius uita.

LARGINVS Proclus publicè prędixerat in Germania Domitianum Imp. certo die mortem obiturū. Cùm ob hanc cauſam, ab eo qui prouinciæ præerat, Romam miſſus eſſet, id etiam tunc affirmauit fore. Itaque rei capitalis damnatus eſt. Sed Domitianus eodem die necatus eſt. Xiphilinus

Præne-



ſtina Fortuna, toto Imperij ſpacio annum nouum commendanti, lætam eandemque ſemper ſortem dare aſſueta, extremo triſtiſſimā reddidit, nec ſine ſanguinis mentione. Suetonius.

PHOCAS Sinopenſis epiſcopus, ſub Traiano paſſus, ſpiritu prophetico dixit: Traiane perge ad ulteriora abyſſi, & ad p̄parata tibi tormēta feſtina, ubi morte perpetua & ſæuo exurendus es incendio. Triduo in hac luce uerſaberis. Quó emenſo, caligo te mortis excipiet. Nec enim diutiùs poſtea inultus innocentum ſanguis eſſe poteſt. Euentus ſecutus eſt. Nam triduo exacto, Traianus uentris profluuio expirauit. Ado Viennenſis epiſcopus.

Imperator TRAIANVS initurus ex Aſſyria Parthiam omni exercitu, hortantibus amicis, ut de euentu cōſuleret rei cœptæ Iouem Heliopolitanum, egit Romano conſilio, priùs explorando fidem religionis, ne fortè fraus ſubeſſet humana. Et primū miſit ſignatos codicillos, ad quos ſibi reſcribi uellet. Deus iuſſit afferri chartam, eamque aſſignari puram, & mitti: ſtupentibus ſacerdotibus ad eiuſmodi factum. Ignorabant quippe conditionem codicillorum. Hos cum maxima admiratione Traianus excepit, quòd ipſe quoque puris tabellis cum Deo egiſſet. Tunc aliis codicillis conſcriptis, ſignatiſq; conſuluit, an Romam perpetrato bello rediturus eſſet. Vitem centurialem Deus ex muneribus in æde dicatis, deferri iuſſit: diuiſamque in partes ſudario condi, ac proinde ferri. Exitus rei obitu Traiani apparuit, oſſibus Romam relatis. Nam fragmentis, ſpecies reliquiarum: uitis argumento, caſus futuri tempus oſtenſum eſt. Macrobius libro 1. Saturnalium cap. 23. ubi Iouem & Solem eundem eſſe Deum probat.

ALEXANDRO Seuero Imp. in Germanica expeditione mulier Druias acclamauit Gallico ſermone: Vadas, nec uictoriam ſperes, nec militi tuo credas. Lampridius in Alexādro Seuero.

MACRINO Imperatori, ab Auito (qui & Pſeudantoninus & Sardanapalus dictus eſt) adhuc puero interfecto, mors antea oraculo prædicta fuit his uerſibus:

O ſenior, bello iuuenum quem dextra fatigat,
Iam tibi deficiunt uires, repitq; ſenectus.

Dion & Xiphilinus in Macrino.

Cùm Maximinus Imp. ob crudeliſſimas in Chriſtianos perſecutiones, horrendis à Deo morbis percuteretur, hinc inde medicos conquiſiuit, qui ſibi opem ferrēt. Sed omnia remedia fruſtra tentabātur. Meminit Ruffinus, QVENDAM ex iis, quem iugulari præceperat Maximinus, inſpiratū à Deo, Imperatori hæc obieciſſe: Cur Imperator erras, & qđ Deus infert, ab hominibus putas poſſe reuocari? Nec humanus eſt iſte morbus, nec à medicis curatur. Sed recordare, quanta in ſeruos Dei egeris, quamq; in religionem diuinam impius & profanus extiteris: & intelliges, unde tibi ſint poſcenda remedia. Nam & ego quidem mori cum cæteris potero: tu tamen à medicis non curaberis. Euſebius lib. 8. cap. 16. & Ruffinus.

MAXIMINO ſeniori Imp. mortis omina hæc fuerūt: Venienti contra Maximum & Balbinum Impp. à Senatu deſignatos, Maximino cum filio, Mulier quædam paſſis crinib. occurrit lugubri habitu, & exclamauit, Maximini, Maximini, Maximini: neq; quicquam ampliùs dixit, & mortua eſt. Videbatur enim dicere uoluiſſe, Succurrite. Capitolinus.

Iulianus Imp. contra Conſtantiū mouens, penetrauit Illyricū, aſſiduè exta aueſq; rimatus, ut exitū contemplaretur. Quo tempore MILES quidam exta manu erigens, humi poſtratus exclamauit, multis audientibus, Illū cecidiſſe, cùm Mopſucrenis Conſtantius moreretur in Cilicia. Quod mox ex legatis uerum eſſe didicit, Theolaphio & Aligildo, qui & illū ſucceſſorem ſtatuiſſe addiderunt. Cuſpinianus.

Mouente in Perſas Iuliano, Antiochiæ Libanius ſophiſta ludū literarium, quem tum MAGISTER quidā Chriſtianus gubernabat, ingreſſus, per irriſionē compellauit, Sciretne qđ fabri faceret filius? Chriſtum innuens. Reſpondit is, Eſſe eū in hoc totum, ut Iuliano ſandapilam pararet. Nec multo pòſt fama uenit, Imp. in ſandapila adferri. Theodoretus libro 4. cap. 23.

PAVLINVS Nolanus epiſcopus, cùm in Africa apud Vandalos ſeruiret, Genſerico Vandalorum regi obitus diem prædixit. Fulg. lib. 1. cap. 3.

MARTINVS Turonenſis epiſcopus, Maximo tyranno exitū prædixit, quemadmodum Seuerus Sulpitius teſtatur. Fulg. lib. 1. cap. 6.

SABINVS Canuſinus epiſcopus, ſenex & cæcus, prophetandi dono clarus, quod & Totilas Gothorum rex in eo deprehendit. Archidiaconus, epiſcopatus deſiderio eum è medio tollere laborabat: & pincernæ perſuadet, ut ei uenenū propinet. Paret ille. Senex poculum oblatum reſpuit, dicens: Bibe tu quod mihi proponis bibendum. Quod cùm puer metu pœnæ facere uellet, impedijt eum Sabinus, inquiens: Vade, & dic auctori harum inſidiarū, me quidem poculum biburum, ſed eum epiſcopatu nunquā potiturū. Sic accidit, ut uenenum Sabino bibenti non noceret: & archidiacono, non bibenti, ea ipſa hora cauſa mortis exiſteret. Gregorius Turonenſis lib. 3. Dialogorum, cap. 5. & Vincentius libro 21. capite 66.

BENEDICTVS abbas, cùm Totilas rex mutato habitu ad eum profectus eſſet experiundi gratia, an propheticum ſpiritum haberet, eum ſtatim agnouit: prædixitque eum redacturum urbem Romam in poteſtatem: & item in Siciliam traiecturum, ſed demùm decimo anno pòſt moriturum. Nempe ad Brixellum à Narſete cum ſuis ad internecionem cæſus eſt, anno Chriſti DLIV. Sabellicus libro 4. Enneadis 8. ex Gregorij lib. 2. Dialogorum, cap. 15. & Pauli Diaconi libro decimoſexto.

Iuſtinianus Imp. Rom. circa annum Chriſti DXXXIII, MVNDVM ducem in Dalmatiam, aduerſus Oſtrogothos miſit, qui Salonas occupauit. Ille ibi cum Mauricio filio, cùm ad ſpeculanda caſtra exiiſſet, à Gothis cæſus, oraculi fidem impleuit, multosque timore liberauit. Erant enim qui dicerēt, fatidica Sibyllæ carmina pronunciata eſſe, quorum ſententia, periturum cum prole ſua Mundum, ubi Africa denuò armis Romanis foret recepta. Atqui tum Africam domitis Vandalis Iuſtinianus Rom. imperio reſtituerat. Auentinus lib. 3. Annalium Boiorum.

LEO Philoſophus Imp. Conſtantinum Andronici filium, carcere Saracenorum elapſum, ad ſe uocauit, donisque uariis affectum, à primo congreſſu, cùm aureo triclinio eſſet exiturus Conſtantinus reuocauit: atque oculis in imagines Chriſti & Deiparæ, quæ ſupernè erant collocatæ, defixis ſic affatus eſt. Conſtantine uide, ne imponat tibi nomen tuū, néue ob id Romanis te imperaturum opineris. etenim filio meo Conſtantino id imperium diuinitùs eſt deſtinatū, quod ego comperi prædictionibus diuinorum hominum, caſtitate ſua futurorum pręſcientiam nactorum. Locū itaq; tuum tene, neq; te ſuperiora ſomniaueris. alioqui ſcito, tuum, ſi tyrannidē affectaueris, caput trunco relicto per hanc portam illatum iri. Mortuo Leone, cùm Conſtantinus inuaſiſſet Imp. ibi obtruncatus eſt, caputque tabo & cruore ſtillans, per dictam portam eſt in Regiam allatum. Cedrenus.

Mauricio Imp. HERODIANVS palàm, quæ ipſi euentura eſſent, denunciauit. Cedrenus.

Iſaacius Angelus Imperator Græcorum, ad Radœſtum maritimam urbem profectus, BASILACIVM conuenit, inuſitatæ uitæ hominem, eamque opinionem apud omnes conſecutum, quaſi futura præuideret atq; prædiceret. Is Imperatori ſalutanti nihil reſpondit, neq; tacito nutu capitis gratias egit, ſed huc atque illuc inſtar hominis furioſi ſaltans, accedētibus maledixit. Tandē ſcipione, quem manibus geſtabat, imaginis Imperatoris, quæ in eius oratoriæ cellę pariete depicta erat, oculis eraſis, etiam pileum de capite auferre ſtudebat. Imperator eo ut deliro deſpecto receſsit. Ac non multo pòſt à fratre Alexio & oculis & imperio priuatus eſt, & opinio de Baſilacio confirmata eſt, quæ anceps priùs, & in pleriſque dubia fuerat. Nicetas libro 3.

MANVEL Comnenus, ſpe longioris uitæ depoſita, monaſticum habitum poſtulauit. Sic & uita & imperio ceſsit, quod annos triginta octo gubernauit, tribus menſibus demtis. Ad quod imperij ſpacium, uetuſtiſſimū illud oraculum alludere uidetur:

Tùi prehendet te poſtrema nominis.

Nam HA poſtrema ſyllaba nominis Manuelis, apud Gręcos tantum numerum complectitur. Nicetas libro 7.

ANDRONICVS Comnenus tyrannus, ludis aliquando Circenſibus, extenſa manu Imperatori Manueli Comneno patrueli ſuo illas duas columnas in theatro, intra quas pedib. ſuſpenſus eſt, digito monſtrauit ac dixit: Fore, ut aliquando Romanorum Imperator, multa priùs à populo perpeſſus, intra eas ſuſpenderetur. Manuel reſpondit, id ſibi non uſu uenturum eſſe. Tandem exitus iſte ipſum Andronicum oppreſſit. Nicetas libro 2.

Cùm exercitus Alexij Angeli Imp. à Blachis eſſet profligatus, SACERDOS quidam captiuus, Blachicæ linguæ peritus, cùm in Hæmum abduceretur, Aſanem Blachorum principem oratione obteſtatus eſt, ut ſe dimitteret. Vbi id ille renuit (neque enim ſibi propoſitum eſſe Romanos dimittere, ſed perdere, idque Deo etiam probari) ille cum alto ſuſpirio ſubiecit: Nec ipſi reliquam eſſe Dei miſericordiam, quòd uiri pauperis, Deo ob ſacerdotium familiaris, non ſit miſertus, ac inſtare ei cruentum uitæ exitum. Paulo pòſt in Myſiam reuerſus, ab Ibanco quodam intimo ſuo, quem ob ſtuprum ſorori uxoris ſuæ illatum acerbis uerbis reprehenderat, occiſus eſt. Nicetas lib. 1. de imperio Alexij.

Romani in Syluestrum II. Pp. ſeditiones mouerant. Ad eas compeſcendas cùm Otho III. Imp. iter pararet, à ROMVALDO eremita conuenitur, atque, ut ob fidem Cre-



ſcenti

ſcenti Coſs. Rom. uiolatam, piaculi cauſſa, ſicuti ſæpe hortatus fuerat, monachum induat, admonetur. Tum Otho, Obſequar tibi, inquit, ſanctè pater, poſtquam Romanos nouas ſeditiones cientes domuero, Rauennamque reuertero. Cui Romualdus, Si Romam ieris, inquit, Rauennam ampliùs non uidebis. Qua uoce haudquaquam exterritus Romam perrexit, ubi Domini Natalitia celebrauit, ac ciuitatem eccleſiamque legibus formare, atque in antiquum ſtatum redigere inſtituit. Quod iniquè paſſi Romani, nouā coniurationem aduerſus eum fecerunt, atque armis arreptis aliquot ex militibus eius occiſis, ipſum in prætorio obſederunt. Quibus Otho, cùm ſe opibus parem non eſſe ſentiret, egregia Henrici Ducis Bauariæ, & Hugonis Marchionis induſtria, conditionibus ſimulatis eductus, Roma cum pontifice Syluestro deceſſit, ac Lombardiam uerſus ire perrexit. Cæterùm Creſcentis uxor, quæ ipſum ſpe regnandi ad amorem ſui pellexerat, diſceſſu eius dolens, uenenatum chirothecarum ſimulatæ amicitiæ munus ad eum miſit: quo ille ſenſim infectus, apud Paternum ex uaticinio ſancti uiri extinctus eſt. Sigonius lib. 7. reg. Ital.

MACCABÆVS Scotorum rex, Duncani regis conſobrini ſui cæde regnum adeptus, principem egit optimum domi foriſque. Tandem metuens ſibi à Banquhone, cuius poſteritati regnum deberi à dæmonibus audiuerat, uirum innocentiſſimum interfici curauit. At eo tempore proceribus omnibus & ſuſpectus & infenſus, in nobilium ædibus occultos ſpeculatores habens. Arcem munitiſſimam in cacumine Douſinnani montis in Gowrea, decem à Pertho millib. paſſuum diſtantis, ædificauit: unde totæ penè uideri Anguſia, Fifa, Stermundia, & Ernenallis poſſunt. Cæterùm quòd nec lapides, nec cæmenta, nec materia ulla, niſi labore & ſumptu maximo illuc conuehi poſſent, præfectos, quos Thanos uocant, ex omni regno ſuam quemque uicem operi adeſſe, ſuiſque impendiis ædificare iuſſit. Cùm ad Magduffum Fifæ Thanum ordo perueniſſet, operas ille artificeſque ſuos eò miſit, tyranno parùm fidens. Rex operis inſpiciendi gratia in caſtellum ueniens, cùm Magduffum non reperiſſet, Hic homo, inquit, niſi lupato in os iniecto, haud unquam imperio erit obſequens. Nec deinceps æquis illum oculis aſpicere potuit: ſeu quòd nimias eius opes timeret, ſeu quòd ab aruſpicibus acceperat, Magduffum ſuo inſidiari capiti: eumque iampridem è medio ſuſtuliſſet, niſi impetum eius remorata fuiſſet muliercula: in fatis eſſe dictitans, haud priùs eum hoſtium manibus uinci poſſe, quàm nemus Birnenſe, ingenti diſtans interuallo, ad arcem, quam ædificabat, tranſlatum eſſet: neque unquam hominis manu ex muliere prognati interimendum. Itaque altero uaticinio ſe inuictū fore credebat, altero ferro haudquaquam interiturum. Magduffus interea in Angliam fugit, ad Malcolmum Cammoir, Duncani regis à Maccabæo interfecti F. reuocandum. Is ab Eduardo Anglorum rege impetrato exercitu, Scotiam ingreditur. Maccabæus ad nouum caſtellum Dounſinnam caſtra ponit, perſuaſus, non priùs, quàm ſylua Birnen eò perducta eſſet, uinci ſe poſſe. At Malcolmus ad Birnen ſyluam cum exercitu conſidens, cùm ramum unumquenque militum, decerpere iuſſiſſet, prima noctis uigilia iter ingreditur. Tao deinde traiecto, ſublatis in altum ramis, prima aurora in hoſtium conſpectum uenere. Maccabæus noua ſpecie territus, & oraculi memor, tamen in pugnam milites ſuos educit. Vix acies concurrerant, quum ipſe fuga deſeruit exercitum. Magduffus priuato in Maccabæum odio eius imminebat tergo. Tum Maccabæus equo deſiliens, Quid me fruſtra infelix perſequeris, qui non ab homine nato interfici poſſum? agedum accede, ut præmiū tibi tanti laboris cōferam. Magduffus uerbo citius equo deſiliens, Imo hîc, inquit, hodie omnium tuorum ſcelerum pœnam lues, meaque dextra mactabere: qui non aperto matris utero prognatus, ſed cæſo eius uentre prodij. Quo dicto caput Maccabæo machæra amputauit, ac conto præfixum ad Malcolmum detulit. Hector Boethius libro 12.

VORTIGERNO Britannorum regi, cùm adhuc priuatus ageret, prædictum fuerat, illum Ambroſij manu periturum. A Saxonibus regno exutus, in Cambriam relegatus, regium nomen uix tuebatur, cùm Aurelius Ambroſius & Vterus, Conſtantini Britannorum regis filij, ex Armorica Britannia adſunt, cædem Conſtantij regis patrui, Vortigerni ſuaſu occiſi, ulturi. Vortigernus in acie deſertus à ſuis gregariis militibus, ut inter eos occumberet, ſe ingeſſit. Sed amicorum opera uiolenter raptus extra pugnæ locum, ad arcem eſt deportatus. Victor Ambroſius arcem obſidet. Quumque alterum diem itidem atque tertium in arcis oppugnatione conſumſiſſet: ne mora in periculum uictorem traheret exercitum: exciſis proximo ex nemore lignis, foſſiſque celeriter oppletis, ſuperiectis ingentibus ſtruibus faſciculorum, accenſiſque, arcem cum Vortigerno ſimul ac liberis & fortunis abſumſit: qđ ei Merlinus uates paulo antè prædixerat. H. Boethius lib. 8.

Cùm Philippo, Francorū regi, Ludouici filij triſtis caſus nunciaretur (qui equo, intercurſu porci in Lutetiæ ſuburbiis turbato, ferociter excuſſus perierat) BERNARDI Clareuallenſis ſermonem in mentem ſibi reuocauit. Is enim cùm regem cleri bonis manus iniicientem fruſtrà reprehendiſſet, tandem ſubiecit: Hæc tua, ô Rex, pertinacia, filij interitu multabitur. Gaguinus lib. 5.

GVLIELMVS Comes Hollandiæ, rex Rom. Friſia ſubacta, quum iuxta quandam ciuitatem miro opere exornatum reperiſſet ſepulcrum, ac Cuiúſnam id eſſet? quæreret: ciues reſponderunt, Illud occulto fato reſeruari cuidam Romanorum regi. Cùm ergo uictor equitaret cum paucis, diuerticulum quærens, ut ſecuriùs exercitum reduceret, in glacie cecidit. Friſones, qui latitabant, erumpunt, & priuſquàm regi ſubueniretur, cæſus partim, partim in galea ſuffocatus periit, anno Salutis MCCLV: eidemque tumulo, anno regni ſui nono, impoſitus eſt. Filius eius Florentius, quintus eius nominis, poſt uigintiſeptem annos oſſa patris ex Friſia deportauit in Selandiam, Middelburgum, ad monaſterium monialium Præmonſtratenſis ordinis, à filia eius Richarde fundatum, & cenſibus auctum. Cuſpinianus.

In Gothia meridionali ſpectantur duo tumuli, ingentibus ſaxis, cipporum loco, impoſita habentes duorū FRATRVM corpora, quibus ab aruſpice in prima adoleſcentia prædictum fuerat, fore, ut mutuis uulneribus conciderent. Fatum declinaturi, peregrinationem ad remotiſſimas maximéque contrarias orbis partes ſuſceperunt. In extrema demum ſenecta in patriam reuerſi, cùm quiſque fratrem iam pridem obiiſſe mortem putaret, non procul ab oppido[redacted]co ſibiinuicem ignoti occurrerun[redacted]ſalute ultrò c[redacted]e dicta & accepta, ſub pinu prox[redacted]quieuerunt. M[redacted]antibus eorum canibus, ipſi quoque ad iurgia primù[redacted]einde ad uulnera mutua proruperunt, animamque trahentes, & fratres ſe agnoſcentes, in mutuis complexibus expirarunt. Olaus lib. 1. de ritibus Septent. cap. 37.

SIGTHVNIVS rex Sueciæ, dum ſacrificia diis apud Vpſalam metropolim offerret, accepto per uictimarios reſponſo, didicit ſibi ab auri metallo ſupremam perniciem imminere: à ferro, chalybe, cæteriſque metallis minimè. Igitur, cùm ſe inuictum putaret, multa bella ſuſcepit. Filiam eius Gro Schioldus, Danorum rex, filio ſuo Gramo coniugem petebat. Sed eam pater nobiliſſimo pugili Sumbli, Finnorum regis fratri, deſponderat. Gramus putans, ſe à Sigthunio contemtum, ferarum pellibus circumamictus, magno diſcrimine ad regiam Sigthunij peruenit, & uirginem uolentem ſecum abduxit, & Guthormum, poſtea Daniæ regē, & filiam, Sibdageri Noruegiani regis coniugem, ex ea ſuſcepit. Sigthunius iniuriam armis uindicaturus, bello Danos perſequitur. Gramus clauam more giganteo geſtans, quam auro infuſo ponderoſiorem effecerat, ſocerum occidit. Ioannes Magnus lib. 2. cap. 6.

Halberſtadienſis epiſcopus Burcardus, decimas Saxoniæ, quæ ad monaſterium Herſueldenſe pertinebant, ſibi uendicabat ratione epiſcopalis regiminis. Abbas eius cœnobij, MEGINHERVS, iuſſit epiſcopo per Fridericum Palatinū indicari, cùm ad furta reſtituenda nullo iure adduci poſſet, breui inſtare tempus, quo coram Deo eſſet hæc cauſa diiudicanda. Moritur paulo pòſt abbas. Et cùm eius rei gratia Burcardus ſynodum indixiſſet, in itinere lapſus de equo, domum relatus eſt: ubi tum ſuos domeſticos, tum epiſcopos ſe uiſitantes rogauit, ut decimas iſtas abſque mora cœnobio reſtituerent: ſe enim iniuſtitiæ pœnas iam luere. Anno Domini MLIX. Schafnaburgenſis.

Venceſlaus V. Boemorum Rex, duobus tantummodo annis ab obitu patris regnauit, Olmucij à ſicario interfectus, ultimus Principum Boemiæ, qui genus originemque ſuam ad Premiſlaum primum principem referunt. Id quod futurū, tanquam uates, idem PREMISLAVS ſub hac uerborum ambage denunciauerat: Fore, inquiēs, ut tum genus Regū Boemiæ deficeret, cùm nepos aui ſui cædem ulciſceretur. Id breui pòſt accidit, ut Ioannes, qui Rodolfi ducis Sueuiæ ex filia Othocari, Boemiæ regis, à Rudolpho Cæſare in prælio occiſi, nepos erat, uiciſſim Albertum I. Rudolphi filium interficiens, auum ultus fuerit. Dubrauius libro 19. Etenim cùm Albertus Badæ Heluetiorum Vindoniſſam peteret, in traiectu Vrſæ fluuij ſeiunctus ab aulicis, Ioāne nepote cum coniuratis aliquot ſubſequente, & regnum paternum ſibi tandem reſtitui petente, cùm Albertus per iocum fronde ex arbore decerpta illum diadematis loco uti debere reſpōdiſſet, multis uulneribus confoſſus, in ſcorti aulici gremio expirauit, eo loci, ubi pòſt regium monaſterium Conigfelda ab Alberti F. Vngariæ regina extructum fuit.

Tradunt



Tradūt ſcriptores, pridie quàm Alexander III. Scotorum rex ab equo præcipitatus moreretur, comitem Merchiarum percūnctatum ſub noctem inſignem quendā uatem, THOMAM Leirmont nomine, Vtrùm aliquid in poſterum diem noui euenturum eſſet? reſpondiſſeque illum, Imminere uehementiſſimam uentorum procellam, cum maxima totius Scotię calamitate, antequam ſol meridiem inſequentis diei prætergreſſus eſſet. Itaque ſuſpenſos omnes in ſequentem diem, Thoma rurſum ad prandium ad comitem Merchiarum inuitato, abiiſſe. Verùm quum ſerenum ubiq; cœlum appareret, ac iam meridies inſtaret, Comitem per iocum Thomam irriſiſſe: illum uerò nihil aliud, quàm meridiem nondum prætergreſſum eſſe, reſpondiſſe: adeoque horam conſtitutam expectare iuſſiſſe. Priuſquam ea elapſa eſſet, nuntius accurrit, regis præcipitium narrans. Tum Thomas, Hanc eam eſſe dixit procellam, quam ſine liberis mortuo rege (cùm Io. Baliolus & Robertus Bruſius de regno certarent) Scotiæ maximam cladem illaturam eſſe certò ſciret. H. Boethius lib. 13.

PIVS II. Pontifex prædixit quadriennio antè, ſe in belli Turcici apparatu deceſſurum, hoc uerſu ſua ipſius manu ſcripto, In Turcas bellum dum parat, occubuit. Anconæ enim fruſtra Chriſtianis principibus expectatis periit. Campanus in eius uita.

*Omina.*

Vicit SAVLVS non uno prælio Philiſtæos: uerùm ſuprema illa pugna, quæ fuit ipſi regi cum ea gente, fuit & humanorum operum eidem ultimum, præter ſolitum ab eo formidata eſt, tanquam ſibi etiam & ſuis funeſta. Nec mens futurorum ſollicita, paſſa eſt illum priùs in aciem deſcendere, quàm à Samuelis umbra exploratum habuiſſet, imminere regi, &[redacted]egiæ ſtirpi excidium. Præſenſit itaq; ſagax mēs, inſtar[redacted]tempus: ſed[redacted]declinare noluit, aut certè non p[redacted]Sab. lib. 9. cap.[redacted].

DAVID [redacted]militibus ſuis contra Abſalonem pugnaturis imperaſſe dicitur, ut enixè darent operam, ut filius, etſi hoſtis, ſibi incolumis eſſet, & extra omne uitæ periculum. Præſenſit mens illa fatidica filij exitium: ſed [redacted] obuiam ire non ualuit. Idem.

Habuit MAGDALENES unctio ominis ſpeciem, quæ ſub ipſum Dominicæ mortis tempus nardino unxit unguento Chriſtum regem & magiſtrum: quo delibutus ille, eſt non multo pòſt ſepulcro conditus. Lauit enim uetuſtas, & unxit defuncta corpora: ungi & in conuiuiis moris fuit. Sed diuinam ſapientiam non latuit, quid ſibi uellet præſaga unctio. Idem.

In primo Græcorum Epigram. de EVDOXO Gnidio, (qui cum Platone in Aegyptum profectus, 13 annis ſacerdotum familiaritate uſus eſt, teſte Strabone, & Apim de mortis genere conſulens, non uoce, ſed geſtu reſponſum accepit) tale extat epigramma:

Ἐν Μέμφει λόγος ἐστί, προμαθεῖν ἰδίην ποτὲ μοῖραν
Εὔδοξον παρὰ ἄπιδος τοῦ καλλικέρω ταύρου.
κοὐδὲν ἔλεξε. πόθεν; βοῒ γὰρ λόγον οὐ πόρε φύτλη,
οὐδὲ λάλον ἄπιδι στόμα· ἀλλὰ παρ' αὐτὸν
λέχριος κεῖνος στὰς, περιφανῶς λιχμήσατο λώπην,
δηλῶν ὡς ἀποδύσει δὴ βιοτὴν ὅσον οὔπω.
καὶ δή οἱ ταχέως ἐπελήλυθεν αὐτίκα πότμος,
ἠελίους δεκάκις πέντ', ἠδὲ τρεῖς ἐσιδόντι.

THERAMENES Athenis in carcere triginta tyrannorum imperio uenenum quaſi ſitibundus hauriens, exiguum, quod in imo pateræ ſubſtiterat, terræ alliſit: Propino, inquiens, pulcrò Critiæ. Is erat unus è grege tyrannorum, qui ex cunctis ſæuiùs, inexorabiliùſque ſe in eum geſſerat. Græcis autem conuiuiorum mos erat, nominatim deſignare, cui poculum dare uellent. Mortem igitur habens in uiſceribus uir fortiſſimus, iocatur ſimul & uaticinatur: ſiquidem Critias & ipſe non multò pòſt eodem ueneno ſublatus fuit.

LACEDÆMONII ludos ſuos funebres fecerunt, antequam in expeditionem irent, quos ſpectarunt eorum parentes. Ipſe Leonidas rex ei, qui dicebat paucos admodum adducere eum ad prælium: Multos, inquit, morituros. Vxori proficiſcentem roganti, Nunquid uellet? conuerſus; Vt bonis, inquit, nubas, & bonos parias. Plutarchus de Herodoti malignitate.

PHILIPPVS Alexandri pater pridie, quàm trucidaretur, in ſermone orto, quiſnam eſſet uitæ finis commodiſſimus, Repentinum inopinatumque prætulit. Iam cùm Aegis Macedoniæ urbe nuptiæ Cleopatræ cum Alexandro Epirotarum rege à Philippo magnificè celebrarentur, non tantùm ſinguli clariores uiri coronis aureis Philippum honorarunt, ſed & inſignium ciuitatum complures idem fecerunt. In queis fuit & ipſorum Athenienſium. Eam coronam cùm præco publicè uerbis commendaret, inter alia dixit: Si quiſpiam Philippi uitæ inſidiatus, Athenas ſe receperit, eum ſtatim ad pœnam deditum iri. In regio itidem conuiuio, cùm Neoptolemus tragœdus poema quoddam recitare iuberetur, ut Philippi inſtitutum laudaret, & Perſarum regis fortunas maximas eleuaret, quæ licèt magnæ eſſent, nihilo minùs in peſſum ruere caſu aliquo poſſent, tale exorſus eſt carmen:

Φρονεῖτε νῦν αἰθέρος ὑψηλότερον,
καὶ μεγάλων πεδίων ἀρούρας,
φρονεῖτε ὑπερβαλλόμενοι δόμων δόμους,
ἀφροσύνᾳ πρόσω βιοτὰν τεκμαιρόμενοι·
ὁ δ' ἀμφιβάλλει ταχύπους κέλευθον
ἕρπων σκοτίαν, ἄφνω δ' ἄφαντος προσέβα,
μακρὰς ἀφαιρούμενος ἐλπίδας θανάτων
πολύμοχθος ἀΐδας.

Vos qui ætheris ſummum, patentes latius
Agros, domorum & celſa culmina nimio
Inuaditis ſtudio, temerè uitæ datum
Curſum tenentes, nunc ſapere par eſt. Iter
Hic ecce nunc apprendit ignotum ſibi.
Spes namq; longas amputans, luctu grauis,
Extrema de improuiſo adeſt mortis dies.

Addidit & alia, quæ ad eandem ſententiam omnia tendebant. Verùm Philippus multùm inde oblectatus, in audiendis his, quæ recitabantur, totus erat, omnem ſuam cogitationem ad interitum Perſarum regis conuerſam habens. Cæterùm in iiſdem ſacris, cùm corporis cuſtodes negligentiùs circa ſe haberet, à Pauſania uno ex ſtipatoribus indignè ferente ſtuprum ſibi contumelioſè obiectum interfectus eſt. Diodorus libro 16.

ALEXANDER Magnus correptus cupidine uiſendi paludem, quæ erat prope Babylonem, ingreſſuſque naues, cum amicis nauigare incœperat. Ibi regia naui à cæteris diuulſa, coactus eſt aliquot dies ſolus uagari, adeò ut ſalutem quandoque deſponderit. Interim per anfractus quoſdam difficiles & multis impeditos arboribus dum progreditur, à ramis ſupernè pendētibus retentum diadema hæſit, deinde in aquam cecidit. Tunc è remigū numero unus adnatans, receptum illud, ut tutius ferret, capiti ſuo impoſuit, atque ad nauem uenit. Errauit ita Alexander dies tres, & totidem noctes. Liberatus tandē à periculo, & diademate præter ſpem recuperato, iterum uates conſuluit, Quidnam de eo, quod ſibi euenerat, cenſerent? Illi monuerunt, ut magnis & inſignibus ſacrificiis deos ſibi propitios redderet. Iam cùm Hephæſtionis funus Babylone celebraturus eſſet, per edictum Aſiæ ciuitatibus nunciari iuſſit, ignem, qui ab Perſis dicitur ſacer, extinguerent, quoad funebris ederetur pompa. Id uerò Perſis erat in more, ſi obiiſſet rex, aliàs haudquaquam. Etſi uerò hoc amicitiæ extremo honore datum uidebatur, tū fuiſſe Alexandro ominoſum, docuit euentus. Babylone poſitis ueſtibus unctus pila ludebat. Ibi iuuenes, qui pila luſerant, ubi reſumenda erant pallia, hominem contemplantur tacitum in ſolio ſedentem, diademate & amictu regio ornatum. Hic in quæſtione interrogatus, Qui eſſet? diu non reddidit uocem. Vix tandem, cùm ad ſe rediſſet, Dionyſium ait dici ſe, eſſe Meſſenium genere, certis autem criminibus accuſatum, atque eò à mari ductum, longo ſpacio in uinculis fuiſſe: modò Serapim aſtitiſſe ſibi, uinculiſque exemtum eò deduxiſſe, atque imperauiſſe, ut ueſte regia ſumta & diademate, ſilentio conſideret. His Alexander auditis, illum ex uatum conſilio ſuſtulit de medio, ut ſi quid aduerſi eo oſtento denunciatum eſſet, in illius caput effunderetur: ueſtemque recipiens, diis depulſoribus ſacrum fecit, non ſine magna animi triſtitia. Et Chaldæorum admonitionum identidem recordatus, philoſophos, qui ſibi aduentum Babylonem in animum induxiſſent, deteſtatus, artem rurſus & ſapientiam magnam Chaldæorum (qui eum Babylone abſtinere iuſſerant) admiratione & cultu dignam iudicabat, & omnino cuiuis contra uim fati argumentis & copioſis diſputationibus diſſerenti, mirificè infenſus erat & obloquebatur. Diodorus libro decimoſeptimo.

Allata fuerant Alexandro Magno poma quædam Græca ab ora maritima. Hæc oſtenſurus CLITO acciuit eum. Is fortè ſacrificabat: at relictis ſacris perrexit ad regem, eumque tres oues, in quas iam facta fuerat libatio, ſunt ſecutæ. Quo intellecto, Rex rem ad uates retulit. Denunciantibus illis, tetrum prodigium eſſe, præcepit, ut properè pro Clito litarent. Non multo pòſt ob decantata quædam ignominioſa in Macedones carmina in contentionem uenit Clitus cum rege inter cœnandum, & ab eo, haſta ſatelliti ablata, ianuæ affixus eſt. Plut. in Alexandro.

Olim ſcribūt PTOLEMÆO regi uocanti non audientē ſacrū crocodilum, neque obſecrantibus & orantibus ſacerdotibus parentem, portendere uiſum, quod non multò pòſt inſecutum eſt, eius fatū. Plut. de Animantium cōparatione.

ANTIGONVS Macedoniæ rex, ante id prælium, in quo

 cæſus

cæſus eſt, cùm acies iam inſtrueretur, progreſſus offendit pedem, ut totus in faciem caderet, atque affligeret corpus. Vt reſurrexit, tenſis ad cœlum manibus uictoriam ab diis, uel mortem popoſcit antè, quàm uinceretur, ſubitam. Plutarchus in Demetrio.

Erat TIB. Graccho, cùm tribunatum petens à Naſica cęſus eſt galea, qua in acie utebatur, exornata eximiè & ſplendida. In eam irrepſerant angues, & clàm in ea poſuerant excluſerantque oua. Cohorruit hoc auſpicio Tiberius. Scandit tamen in Capitolium, ut populi concilium ibi eſſe accepit. Antè quàm egreſſus domo eſt, in limen impegit ictu adeò duro, ut pollicis pedis unguis dilaceraretur, ſanguiſq; ſubter per calceum prorumperet. Plutarchus in Tiberio.

In Africa cùm deduceretur Carthaginem colonia, quam Caius GRACCHVS Trib. pl. Iunoniam appellauit, prodigia feruntur ei diuinitùs obſcena fuiſſe oblata. Siquidem primum ſignum uento rapiente, & ſignifero ſumma ope renitente defractum eſt. Item uictimas aris impoſitas diſſipauit uenti procella, & ſuper ductorum urbis lineamentorum terminos diſiecit. Ipſos terminos irruentes lupi longè abſtulêre. At tamen omnibus digeſtis & compoſitis, diebus non ampliùs ſeptuaginta, regreſſus Caius eſt Romam, ubi à L. Opimio Coſ. cæſus eſt. Plut. in Caio. Eo ipſo die, quo eſt in Capitolio interfectus, offenſionem pedis, ut dirum & mali ominis, ita abhorruit, ut domum redire uoluerit. Sed tamen amicorum hortatu confirmatus, in fatum incidit. Sabellicus libro 9. cap. 10.

PETILIVS conſul in Liguria bellum gerens, cùm montem, cui Læto cognomen erat, oppugnaret: interque adhortationem militum dixiſſet, Hodie ego Lętum utique capiam: inconſideratiùs præliando, fortuitum iactum uocis, letho ſuo confirmauit. Val. Max. lib. 1. cap. 5.

CÆCILIA Metelli uxor, dum ſororis filiæ, adultæ ætatis uirginis, more priſco, nocte concubia, nuptialia petit, omen ipſa fecit. Nam cùm in ſacello quodam eius rei gratia aliquandiu perſediſſet, nec aliqua uox propoſito congruens eſſet audita: feſſa longa ſtandi mora puella, rogauit materteram, ut ſibi pauliſper locum reſidendi accommodaret: cui illa: Ego uerò (inquit) libenter tibi mea ſede cedo. Quod dictum ab indulgentia profectum, ad certi ominis proceſſit euentum: quoniam Metellus non multo pòſt, mortua Cęcilia, uirginem, de qua loquor, in matrimonium duxit. Cic. lib. 1. de Diuin. & Valer. ibidem.

C. CARBONI imperatori apud Cluſium mures faſciis, quibus in calceatu utebatur, arroſis exitium portendêre. Plinius libro 8. capite 57.

Cùm ædis ex præda Sicilienſi locatæ, quam Honori & Virtuti M. MARCELLVS V. Coſſ. uouerat, paulò ante cędem ſuã, impediretur à pontificibus dedicatio: quòd negarent unã cellam duobus diis rectè dedicari: ita cœpit addere alteram, iniquo animo impeditam dedicationem ferens, eamque rem quodammodo in omen uertit. Plut. in Marcello.

CN. Pompeij tertio triumpho, quem de piratis egit, die natalis ſui, in pompa triumphi tranſlata fuit ipſius Pompeij imago è margaritis: non tam luxuriæ argumento, quàm non obſcuro omine, iam tum caput illud Orientis opibus ſine reliquo corpore oſtentatum. Plin. lib. 37. cap. 2.

C. CASSIVS, cùm à Rhodiis obſecraretur, ne eos omnibus deorum ſimulacris ſpoliaret: Solem à ſe relinquire, ſpondit: Coloſſum intelligens, quem Cares Lydius ſeptuaginta cubitorum altitudinis feciſſe dicitur. Sed quod ille per ludibrium dixit, ſuo euentu uerum fecit, cùm uitam amittẽs, Solis coloſſum & ſplendorem relinqueret; Plutonem ſalutaturus. Valerius Max. lib. 1. cap. 5.

EIDEM in campis Philippicis in luſtratione coronam lictor inuerſam obtulit. Ferũt etiam antè in ſpectaculo quopiam & celebritate auream Caſſij uictoriam circumlatam, lapſo eo, qui ferebat, procidiſſe. Plut. in Bruto.

M. BRVTVS ob cædem Cæſaris in Græcia exul, Caryſti ſplendidum epulum parauit. Erat enim Bruti natalis. Poſtquàm ad compotationes uentum eſt, & libamina cœperunt pro Bruti uictoria & populi Romani libertate facere: quò magis eos corroboraret, grandius popoſcit poculum. Eo accepto, hunc uerſum Patrocli ex Iliad. π. temerè alta uoce pronunciauit:

ἀλλά με μοῖρ' ὀλοὴ καὶ Λητοῦς ἔκτανεν υἱός.

Perdidit at fatum me, necnon Phœbus Apollo.

Adhæc ſcribunt, cùm ad nouiſſimam in Philippis committendam pugnam procederet, ſignum militibus eum dediſſe Apollinem. Inde exclamationem illam pro cladis omine habent. Plut. in Bruto. & Val. lib. 1. cap. 5.

C. IVL. Cæſar, pridie ante cædem cùm apud M. Lepidum cœnaret, ſubſcribebat fortè epiſtolis, ut ſolebat, recumbens. Ibi ſermone moto, quænam mors optima foret? omnes anteuertens exclamauit, Inopinata. Plut. in Cæſare.

CN. POMPEIVS in acie Pharſalica uictus à Cæſare, fuga quærens ſalutem, curſu in inſulam Cyprum, ut aliquid in ea uirium contraheret, claſſem direxit: appellenſque ad oppidum Paphum, conſpexit in litore ſpecioſum ædificium: gubernatoremque interrogauit, quod ei nomen eſſet? qui reſpondit, κακοβασιλέα uocari. Quæ uox ſpem eius, quantulacunque reſtabat, comminuit. Neque id diſſimulanter tulit: auertit enim oculos ab illis tectis: ac dolorem, quem ex diro omine conceperat, gemitu patefecit. Valerius libro 1. capite 5.

Tiberium in Illyricum dimiſſurus, & Beneuentum uſque proſecuturus AVGVSTVS, cùm interpellatores aliis atque aliis cauſis in iure dicendo detinerent, exclamauit, quod & ipſum mox inter omina relatum eſt: Non, ſi omnia morarentur, ampliùs ſe poſthac Romæ futurum. Atque itinere inchoato, Aſturam perrexit: & inde, pręter conſuetudinem, de nocte ad occaſionem auræ euectus eſt. Suetonius. Ludis Circenſibus natali Auguſti Cæſaris, homo quidam inſanus ſellam Iulio Cæſari dedicatam occupauit, illiuſque coronam ſuo capiti impoſuit. Id turbauit omnes, Auguſto ſiniſtri aliquid portendi exiſtimantes. Zonaras. Ictu fulminis ex inſcriptione ſtatuæ prima nominis litera effluxit. Reſponſum eſt, centum ſolos dies poſthac uicturum, quem numerum C litera notaret: futurumq; ut inter deos referretur, quòd Aeſar, id eſt, reliqua pars è Cæſaris nomine, Hetruſca lingua Deus uocaretur. Suetonius.

GERMANICVS cùm oraculum Apis conſuluiſſet, & deus oblatum pabulum renuiſſet, funeſtum omen & indubiam necem, quæ paulo pòſt ſecuta eſt, prænunciauit. Alex. ab Alex. libro 6. capite 2.

Eo die, quo Caius imperator à coniuratis fuit occiſus, cùm ſacra fierent, cadente uictima, ASPRENATIS unius è Senatorum numero toga cruore reſperſa fuit. Eodemque die Aſprenas à Germanis militibus, cæde promiſcua Caij interitum uindicare cupientibus, occiſus eſt. Ioſephus libro 19. capite 1. Antiq.

Remora piſciculus nauem tenuit CAII principis ab Aſtura Antium remigantis: non obſcuro omine. Siquidem nouiſſimè tum in urbem reuerſus ille imperator, ſuis telis confoſſus eſt. Nec longa fuit illius moræ admiratio, ſtatim cauſa intellecta, cùm è tota claſſe quinqueremis ſola non proficeret, exilientibus protinus qui id quærerent circa nauim, inuenêre adhærentem gubernaculo, oſtenderuntque Caio, indignanti hoc fuiſſe, quòd ſe reuocaret, quadringentorumque remigum obſequio contra ſe intercederet. Conſtabat peculiariter miratum, quomodo adhærens tenuiſſet, nec idem polleret in nauigium receptus. Qui tunc, poſteáque uidere, eum limaci magnæ ſimilem eſſe dicunt. Plinius libro trigeſimoſecundo, capite primo. Quo die occiſus eſt à Chærea, præter naturam ſuam affabilis fuit, ita ut inſueta comitate omnibus fuerit miraculo. Tertio Circenſium die ſedens in circo, ſparſis in ſpectatores miſſilibus, quæ pomis conſtabant & auibus propter raritatem gratis, delectabatur, diripiente hæc certatim populo: moxque duo quædam ominoſa ſecuta ſunt. Nam mimus inductus eſt, in quo iudex deprehenſus, in crucem ſuffigitur: & fabula acta eſt Cinyra, in qua & ipſe & eius filia Myrrha occiditur: multumque fictitij cruoris fuſum eſt, tam circa crucifixum, quàm circa Cinyram. Quin & eundem diem fuiſſe aiunt, quo olim Philippus Amyntæ filius rex Macedonum ab amico Pauſania cæſus eſt, dum theatrum introgreditur. Ioſephus libro decimonono, capite primo Antiquitatum. Obſeruatum eſt etiam illud, quòd ſacrificans reſperſus eſt phœnicopteri ſanguine. Et pantomimus Neſtor tragœdiam ſaltauit, quam olim Neoptolemus tragœdus ludis, quibus rex Macedonum Philippus occiſus eſt, egerat. Parabatur & in noctem ſpectaculum, quo argumenta inferorum per Aegyptios & Aethiopes explicarentur. Suetonius.

CLAVDIVS princeps poſtremis uitæ ſuæ temporibus pro tribunali, poſcente ita ſermonis materia, cùm dixiſſet Ad uitę finem ſe perueniſſe (dictum qui aſtabant abominãtibus) caſus tulit, ut ſæpiùs idem repeteret, breuiq; euentus rem comprobaret. Fulgoſus lib. 1. cap. 3. ex Suetonio.

NERONI auſpicanti Sporus anulum muneri obtulit: cuius gemmæ ſculptura erat, Proſerpinæ raptus. Votorum nuncupatione magna iam ordinum frequentia uix repertæ Capitolij claues. Cùm ex oratione eius, qua in Vindicem perorabat, recitaretur in Senatu, daturos pœnas ſceleratos, ac breui dignum exitum facturos, conclamatum eſt ab uniuerſis: Tu is eris Auguſte. Quod uerbum & Nero & Senatus in eam partem accipiebant, ut ipſe puniendorum eiuſmodi hominum auctor eſſet. Sed exitus contrarium oſtendit: futurum Neronem illum, in quem Senatus animaduerteret. In ultima fabula, quam Græcè de Oedipo exule in ſcena cantauit, in hoc uerſu decidit,

θανεῖν μ' ἄνωγε σύγγαμος, μήτηρ, πατήρ.

Morti me coniunx, pater & mater damnarunt.

Quaſi



Quaſi ipſe ſibimet prędiceret, matris ac cõiugis, quas necauerat, item Claudij, quem ueneno imperij cauſa ſuſtulerat, umbras iuſtè eum ad mortem citare. Eidem Alexandriam profecturo lacinia adhæſit: idque inter dira relatum eſt. Suetonius. Tacitus, ubi narrat de adulatione Senatus in Neronem, poſt detectam & punitam quorundam in ipſum cõiurationem, libro decimoquinto, ita claudit: Reperio in cõmentariis Senatus, CERIALEM Anitium coſſ. deſignatum pro ſententia dixiſſe, ut templum Diuo Neroni quàm maturimè publica pecunia poneretur. Quod quidem ille decernebat, tanquam mortale faſtigium egreſſo, & uenerationem item hominum merito. Quod ad omen tamen ſui exitus pertinuit. Nam deûm honor principi non antè habetur, quàm agere inter homines deſierit.

Sergio GALBÆ Imperatori magna & aſſidua monſtra iam inde à principio exitum, qualis euenit, portenderunt. Cùm per omne iter dextra ſiniſtraque oppidatim uictimæ cæderentur, taurus ſecuris ictu conſternatus, rupto uinculo, eſſedum eius inuaſit, elatiſque pedibus totum cruore perfudit, ac deſcendentem ſpiculator impulſu turbæ lancea propè uulnerauit. Vrbem quoque, & deinde palatium ingreſſum, excepit terra tremore, & aſſimilis quidam mugitui ſonus. Obſeruatum etiam eſt Kalen. Ianuariis, ſacrificanti coronam de capite excidiſſe: auſpicanti pullos euolaſſe: adoptionis die, neq; milites allocuturo caſtrenſem ſellam de more poſitam pro tribunali, oblitis miniſtris, & in Senatu curulem peruersè collocatam. Suetonius.

DOMITIANVS Imp. pridie, quàm periret, cùm oblatos tuberes ſeruari iuſſiſſet in craſtinum: adiecit, Si modò uti licuerit. Et conuerſus ad proximos, affirmauit fore, ut ſequẽti die, Luna in Aquario cruentaret, factumque aliquod exiſteret, de quo loquerẽtur homines per terrarum orbem. At circa mediam noctẽ ita eſt exterritus, ut ex ſtrato proſiliret. Dehinc manè aruſpicem ex Germania miſſum, qui conſultus de fulgure, mutationem rerum prædixerat, audiit condemnauitque. Ac dum exulceratam in fronte uerrucam uehementiùs ſcalpit, profluente ſanguine, Vtinam, inquit, hactenus. Tunc horas requirenti, pro quinta, quam metuebat, ſexta ex induſtria nunciata eſt. His uelut tranſacto iam periculo lætum, feſtinantemque ad corporis curam, Parthenius cubiculo præpoſitus conuertit: nuncians eſſe, qui magnum neſcio quid afferret, nec differendum. Itaque ſummotis omnibus, in cubiculum ſe recepit, atque ibi occiſus eſt. Suetonius.

Poſtrema die, quæ ultimum natalem diem HADRIANI Imperat. anteceſſit, cùm is eſſet in Senatu, ad eum uenit quidam ululans, gemenſque obſcura uoce, parumque intellectis uerbis. Quare (tanquam quæ mortis eſſet prænuncia) turbatus Hadrianus, cùm ſenatum alloqueretur, & Poſt mortem filij mei, dicere uellet, Poſt mortem meam, dixit. Suetonius.

Liberata à barbaris Britannia à SEVERO Imperat. Aethiops morio obuiam progreſſus eſt, ſerto ex cupreſſo facto coronatus. Triſti eius aſpectu turbatus Seuerus, pelli hominem confeſtim à comitatu iuſſerat. Hic cùm miles triſtem funeſti ſerti emendare aſpectũ uellet, magis rem aggrauauit, dicens: Omnia habuiſti, omnia uiciſti, tandem deus efficiâre. Nec multo pòſt in Britannia mortuus Seuerus Romam perlato corpore, in deorum numerum relatus eſt. Fulgoſus libro primo, capite tertio.

Cùm ſimul ſermones ſererent Antoninus Baſſianus Caracalla, & GETA ipſius frater, detectis coniurationibus aduerſus Seuerum patrem, dicente Baſſiano, debere coniuratos omnes occidi: reſpõdit Geta, mortem ſuam ominatus: Tu, qui nemini parcis, poſſéſne etiam fratrem interimere? Nec multo pòſt mortuo Seuero patre, Baſſiani manu Geta fuit interemtus. Spartianus.

Imperante ANTONINO Caracalla inſedit obeliſco uociferabundus graculus. Succlamatum ab omnibus ceu ex compoſito: Martiali ſalue, Martiali ab tempore multo te uidimus. Neque uerò hæc graculi appellatio erat, ſed eius nomen, à quo interemtus eſt mox Antoninus. Cælius libro uigeſimoquarto, capite 4. A. L.

Canes circum tentorium MAXIMINI ſenioris in ſecunda manſione ultra duodecim ulularunt, & animam quaſi flendo poſuerunt, ac prima luce mortui ſunt deprehenſi. Lupi urbem (Hemonam ſiue Archimeam) quæ deſerta à ciuibus uenienti Maximino patuit, quingenti ſimul ingreſſi ſunt. Capitolinus in Maximino Iuniore.

ALEXANDER Seuerus Imp. paulo ante mortem tribunal aſcendens, ut concionaretur, & fauſtum aliquid diceret, ita cœpit: Occiſo imperatore Heliogabalo: hocque ipſum omini fuit, quòd iturus ad bellum, milites alloqui minus fauſta oratione ceptauerat. Non multo pòſt, cùm natalem diẽ commendaret, hoſtia cruenta effugit: & ut ſe ciuiliter gerebat, ac permixtus populo erat, albam eius ueſtem, cum qua conſtiterat, cruentauit. Lampridius.

Erat Conſtantio Auguſto, Conſtantini Magni filio, tribunus AMPHILOCHIVS, conſpirationis nomine ſuſpectus: Quumque ſæpè ad ipſum Amphilochij nomen de hac cauſa repeteretur: Deſinite, inquit, hoc apud me inculcare: breui futurum ſpero, ut præſentibus uobis omnibus, meritas luat criminis pœnas. Nõ multo pòſt, cùm in theatro Amphilochius è Conſtantij regione ludos ſpectaret, ſubſelliis ruentibus, reliqui omnes ſalui diſceſſere, ipſe unus acerbo functus eſt fato. Egnat. lib. 1. cap. 6.

IVLIANVS Imper. cùm Antiochia diſcedens contra Perſas iturus eſſet (odio in Antiochenos propter motas ab eis ſeditiones accenſus) ad populum ſe conuertens, dixit: Se in eam urbem nunquam rediturum. Marti quoque cùm iuxta Cteſiphontem urbem ſacrificaret. Parum lætis extis Marti ampliùs non ſacrificaturum affirmauit. Leo item telis confoſſus à militibus obuiam illi prolatus fuit. Fulgoſus lib. 1. capite 3.

IOVIANVS Imp. à militibus electus, filium Varronianum ſecum conſulem, licèt infantem, creauerat: qui cùm admodum paruulus in curuli ſella cum patre ueheretur, iugi uagitu infelicem patris exitum portendit. Cuſpinianus.

VALENTINIANVM I. eo die, quo apoplexia Sabariæ periit, equus præter morem in pedes ſeſe erigens, eum admittere noluit. Marcellinus lib. 30.

Paulo antè, quàm VALENS Imp. à Gothis occideretur, Antiochiæ per rixas tumultuſque uulgares id in conſuetudinem uenerat, ut quicunq; uim ſe pati exiſtimaret, Viuus ardeat Valens, licentiùs clamitaret: uoceſque præconum audiebantur aſſiduè, mandantium congeri ligna ad Valentini lauacri ſuccenſionem, ſtudio ipſius principis conditi. Quæ hunc illi impendere exitum uitæ modò non apertè loquendo monſtrabant. Marcellinus lib. 30.

Plurima mortem ATILÆ prodigia præſignauêre. Nuptiali eius die equus, quo in præliis & optimo & ſibi fidiſſimo utebatur, nullo ſigno præcedentis morbi apparente, ſubitò eſt mortuus. Mycoltha etiam ſponſa Bactrianorum regis F. ingreſſura cubiculum, tam fortiter pedem dextrum limini impegit, ut ex dolore nimio aliquandiu deſidere fuerit coacta. Cometes ante eius mortem uiginti circiter noctibus ad ortum ſolis uernum uiſus. Ad hoc, traditur quædam mulier fanatica, equo inuecta, Atilæ redeunti ex Italia in Pannoniam, ſub traiectum Eyci amnis, inter Rhetos & Vindelicos defluentis, ter frementi uoce acclamauiſſe, Retrò Atila. Nicolaus Olahus in Atilæ uita capite decimoſexto.

Gothorum regis THEODERICI imago in foro Neapolitano erat collocata, lapillis ſectilibus quadratiſque, varioque colore inſectis compoſita. Huius caput defluxit derepentè, & ſua ſponte lapillorũ compages ſoluta eſt: nec multo pòſt Theodericus uitam finiit. Poſt annos deinde octo, lapilli, qui uentrem effigiabant, cùm eundem in modum excidiſſent, Athalaricus, Theoderici ex filia nepos, fato defungitur. Paulo pòſt labentibus circa pudenda lapillis, Amalaſuntha ſeu Himelſuita Theoderici filia ex humanis exceſſit. Gothis Romam obſidentibus, à femoribus ipſis ad imos pedes, lapillorum compages defluxit, & imago tota ex pariete abolita eſt. Nec multo pòſt Gothorum regnum à Beliſario & Narſete Iuſtiniani ducibus euerſum eſt. Procopius libro primo, de bello Gothorum.

Paulo antè cædẽ Mauritij Imp. Conſtantinopoli POPVLVS Maurum quendam, hominem Mauricij ſimilem, ſago indutum, coronaque ex alliis conſerta redimitum, in aſinum impoſuit, ac per iocum & laſciuiam acclamauit: Inuenit buculam teneram, & ſicut nouus gallulus inſiliit in eam, ac procreauit liberos inſtar lignearum nolarum: ſancte mi, ſancte, feri eius caput, ne ſuperbiùs efferatur: tum ego tibi uoti reus bouem offeram. Cedrenus, & Paulus Diaconus, libro decimoſeptimo.

ANDRONICVS Senior Imperator pridie eius diei, qua obiit, columnam ante ædem quadraginta Martyrum poſitam iuxta baſim uſtulatam & confractam præteriens, à proceribus monitus fuit, ne propiùs accederet. His ille deriſa eorum timiditate fortuitò reſpondit: Vtinam tam diu ego uiuerem, quàm diu hæc columna ſtabit. Quæ cùm eadem die corruiſſet, & ipſius mors ſubſecuta eſſet, admirationi eis erat, qui dicti illius recordabantur. Gregoras lib. 9.

IOANNES Comnenus Imp. Alexij F. in Cilicum finibus uenatum egreſſus, cùm apro ſolitario ferrum in pectus adegiſſet, & is ictum urgens ferrum in uiſcera recepiſſet, manus Imper. debilitata, atque impetu feræ reflexa, pharetram de latere obliquè ſuſpenſam euertit, perſtrictaque una ſagitta uenenata, cute extremos digitos læſit, ex quo uulnere, ſerpente ui ueneni paulo pòſt mortuus eſt. Huius caſus omen fuit, quòd ualle, in qua caſtra habebat, ingenti pluuia inundata, etiam lectulus eius, impetu decurrentis aquæ

eſt aue-

eſt auectus, quum illud oraculum, Cades aquoſis improuiſus in locis, ſubinde in ore haberet. Nicetas Choniates.

Moliebatur BARDAS Sclerus unà cum Michaelo Imp. expeditionem cum omnibus copiis in Cretenſes. Itaque ad Deiparæ fanum Imp. Theophili F. acceſſit, & facibus prælucentibus intrauit, ut ſe ſuaq; Deiparæ commendaret. Cùm iam ad penetralia templi perrexiſſet, ſubitò chlamys de humeris ipſius prolapſa, malorum ei maximorum præſagium dedit. Idem pridiè quàm urbe erat diſceſſurus, ſiue ultrò, ſiue futuræ rei urgente fato, amicis in unum conductis legata diſtribuit, ueluti qui iam uita excederet. Cedrenus.

D. VENCESLAVS, Boemorum rex, à Boleslao fratre ad filij natalitia ſubdolè inuitatus, fruſtra licèt diſſuadentibus comitibus, ire tamen uoluit, ne fraterno officio deeſſe uideretur. Cæterùm ex arce proſpectans Pauli presbyteri atrium, Vtinam ne, inquit, paulo pòſt locus hic ſacer multo ſacerdotum ſanguine inundet. Nec uana fuit ſuſpicio. Nam cæſo per inſidias Venceslao, Drahomira, Boleslai uxor, ſacerdotes omnes eo loci trucidari, & inſepultos abiici fecit. Dubrauius libro 5.

EDOVARDVS III. Anglorum rex iam uigeſimumquartum propè annum regnarat, cùm ei allatus fuit à quibuſdã Hieroſolymis uenientibus anulus, quem ipſe diu antea pauperi clàm dederat, qui pro amore, quem erga diuum Ioannem euangeliſtam habebat, eleemoſynam petierat: nec multò pòſt morbo affectus, per quietem à Deo opt. max. illud ipſum edoctus, animam cœlo reddidit. Sepultus eſt in templo Veſtmonaſterij, ac breui pòſt tempore inter diuos relatus. Ille anulus in eodem templo multa ueneratione perdiu eſt ſeruatus, quòd ſalutaris eſſet membris ſtupentibus, ualeretq; aduerſus comitialem morbum, cùm tangeretur ab illis qui eiuſmodi tentarentur morbis. Hinc natum, ut reges poſtea Angliæ conſueuerint in die Paraſceues, multa ceremonia ſacrare anulos: quos qui induunt, hiſce in morbis omnino nunquam ſunt. Polydorus lib. 8.

LVDOVICVS II. Hungariæ & Boemiæ rex, Buda contra Turcas egreſſus, in ſuburbano, duobus ab urbe miliaribus, cui Erd nomen erat, equum præſtãtiſſimum & cariſſimum, repentino morbo abſumtum amiſit. Dubrauius lib. 33. tradit, ante portam ſtatim, equo Friſio in genua procumbente penè excuſſum fuiſſe, niſi ſatellites ſtatim accurriſſent. Deinde ante pugnam in campo Mohacz commiſſam, in qua Ludouicus occidit, cum inſtructa iam acie eius capiti galea imponeretur, magnus in ore regis pallor, quaſi futuri mali præſcius, apparuit. Io. Sambucus in appendice Bonfinij.

CAROLO Paruo, Neapolitano rege, ab Hungaris Albę inaugurato, præferebatur ex more diui Stephani uexillum, cum aſſumtis regiis inſignibus. Procedente procerum antiſtitũque multitudine, ad poſtes templi ſenſim illiſum, in uarias partes laceratum concidit. Ipſe non multo pòſt à coniuratis interfectus eſt. Bonfinius lib. 1. Dec. 3.

Pridie quàm LADISLAVS Hungariæ & Boemiæ rex in morbum incideret, præter morem & inſtitutum ſuum, ad dicendum ius prodiens, triſtis & cogitabundus inceſſit: rogatus ab amicis, Cur à ſolita hilaritate deficeret? reſpõdit: Se nullam triſtitię cauſam habere, ea tamen etiam reluctantem carere non poſſe: ſe tamen ultrò diuinæ uoluntati pariturũ. Bonfinius lib. 8. Dec. 3.

ROBERTVS, Normãnorum dux, Conſtantinopoli Hieroſolymam petens, cùm æger equitare non poſſet, neceſſe habuit, locorum agreſtes conducere, qui eum humeris ferrent. Interea cùm unus ex comitibus, in Normãniam rediturus, peteret, Ecquid de ipſo narraret ſuis Normãnis? facetiſſimè reſpondit, Dicas te uidiſſe dæmones ferentes Robertum ducem in cœlum. Impios barbaros dæmonibus, Hieroſolymã cœlo comparans, quòd inde noſtra profecta ſit ſalus. Reuera autem ominoſa illi fuit hæc uox. Nam perſoluto iam uoto, in Bithynia morbo abſumtus deceſſit, anno à natali Chriſti circiter MXL. Polyd. lib. 8.

MARINVS Falerius, Venetorum dux, in locum Andreę Danduli dictus, quum Romæ legatum Venetum apud Pontificem egiſſet, domum reuertens, magno cum totius urbis gaudio exceptus, Bucentauroq; (ſic enim appellant nauim, qua Dux patresque cum pompa uehuntur) ad D. Marci aream ſubuectus: non ſolito reliquorum more deſcendens, medius inter columnas duas, ubi ſontes homines ſupremo afficiuntur ſupplicio, in aream Marcianæ ædis peruenit: moxque in ducarium profectus, coniurationem de patriæ libertate opprimenda iniit. Quare meritò illi ceruices abſciſſæ ſunt, Ioanneſq; Gradonicus illi ſuffectus eſt. Egnatius libro 1. capite quarto.

SFORCIA Magnus in traiectu Aterni amnis, contra Bracciũ, qui Aquilam urbem obſidebat, properans, periit. Pridie eius diei Signiferorum princeps, qui quadratum uexillum ſupremi militaris imperij deferebat, egreſſus Orthone porta, concidente equo adeò uehementer uexillum ſolo afflixit, ut fœdatis cœno inſignibus haſta frangeretur. Iouius in eius uita.

GALEACII Mariæ Sforciæ interitum, qui natali die Chriſti à tribus nobiliſſimis adoleſcentibus in templo D. Stephani Mediolani confoſſus eſt, uaria prodigia denunciauere. Suſceperat bellum contra Subalpinas gentes. Cùm ab exercitu rediens Abiate conſtitiſſet: audiuit maiorem eius cubiculi partem, quo ad interiora corporis miniſteria utebatur, igni ſubitò correptam conflagraſſe. Eodem tempore uiſa crinita ſtella. Et ut erat ſemel captus ſuperſtitione animus, nihil propiùs dicitur feciſſe, quàm ut ſuſceptum conſilium redeundi Mediolanum abiiceret. Quò tamen cùm occulta [illegible]i ui, nondum planè ſolicitudine animi diſcuſſa duceretur: ferunt ſuper equitantis caput ternos coruos extitiſſe, qui tanquam ferale carmen canentes, leni quidem ac placido uolatu eum comitari, atque iter eodem intendere uiderentur. Cùm iuſſiſſet eos clamore ſublato, ac crebris lapidum ictibus pelli, priore ictu nequicquam petiti, uix altero abigi, iterum repetito clamore potuêre. Iam cùm præclaros cantus artifices conductos è Gallia uberrimis ſtipendiis haberet: nouo more atque inſtituto iuſſit illos indui atro ueſtitu, cùm adieciſſet in mandatis, ut ubicunque ſacra fierent, carmen perpetuò canerent, quod expiandorum manium cauſa faciendis ſacris uſurpatur. Cùm prima luce experrectus è lecto ſurrexiſſet, indutus thoracem, quo uti eo die conſtituerat, utrum offenſus quòd minus aptè caderet, an, (id quod alij tradunt) quòd elegantiæ & mollitiæ ſtudioſus nollet pinguior uideri, eundem ſubitò exuit: tanquam hoc illi eſſe curæ uideretur, ut ſe inermem traderet armatis. Cùm eo die exire grauaretur, ac iuſſiſſet ſacerdotem acciri, qui illi erat à ſacris, is uerò arbitratus Principem, ſecutum ueterum morem, ad Stephani iturum: eò cum omni rei diuinæ apparatu erat profectus. Hinc accitus Nouocomenſium Pontifex, ac ſacra facere iuſſus, neceſſitatis excuſatione uſus, minùs ſibi licere reſpondit. Ita eodem [illegible] rapiente inuitus & tergiuerſans ad interitum, cùm paruos liberos complexus ſæpe & deoſculatus eſſet, medius inter duos legatos, Ferrarienſis & Mantuani Principis, ad Stephani ædem uenit, in cuius foribus interfectus eſt. Brutus lib. 6. hiſt. Flor.

MARTINO, Aragonum regi, omen mortis fuit eclipſis lunæ & terręmotus, ſemel cùm manè ſurgeret, iterum cum poculum à pincernæ manu accepturus eſſet, anno 1409. Nam cùm dixiſſet, Mors magni alicuius uiri terræmotu ſignificatur: inquit ex intimis quidam, Nunc noſtræ timeo parti. Ad eum rex, Ego non ſum magnus, ubi adeſt maior: maior me Papa eſt: de illo igitur terræmotus loquitur, non de me. Erat autem tunc Benedictus papa Barcellonæ, ipſe uerò in eodem prædio ſuburbano. At euentus docuit, regi potiùs quàm pontifici mortem, terræmotum portendiſſe. Laurentius Valla libro 2. Hiſtor.

Maximilianus I. Imperator & PHILIPPVS filius, rex Hiſpaniæ, apud Bruxellas in palatij ſecretiori loco conſiſtebant, de re ardua quapiam deliberaturi. Mox uentus ingentem lapidem excuſſit ex pariete, qui inter duos reges cecidit. Philippus lapide ſublato, latiùs cum parente locutus eſt: & illicò uentus iterum fragmentum lapidis, quod Philippus manibus continebat, concuſſit & diffregit. Hoc omen, inquit Philippus patri, erit, te meorum liberorum parentem futurum. Et euentus poſteà docuit, Philippum uerum habuiſſe omen. Breui enim pòſt obiit, ac reliquit pupillos parenti Maximiliano Imperatori. Hedio in Chronico Germanici.

HADRIANVS VI. Romam ad ineundum Pontificatum iter parans, cùm eſſet Cæſareæ auguſtæ, libido ei inceſſit ab ſingulari pietate inſpiciendi diui Lamberti cadaueris, è quo paulò antè mandibulam dono miſſam tam læto animo ſuſcepiſſet. Itaque loculum & oſſa cupidiſſimè, & cum eximia quidem ueneratione, contemplatus eſt. Quę res in prodigium continuò uerſa, quoniam primum ipſius operum cadauer extitiſſet, famam præbuit, cum citò inter mortales eſſe deſiturum. Quam etiam portenti ſuſpicionem auxiſſe uiſa eſt lampadis cryſtallus in templi medio ante aram temerè effracta: ob cuius caſum, & ipſum Pontificem, & qui circa erant ſolenni in ueſte ſacerdotes, lucernali oleo fœdiſſimè conſperſos conſtat: ariolis id totum ad funeſti ominis interpretationem facilè trahentibus. Borgiæ turris tectum plumbea faſtigij teſtudine inſigne, ſub qua ipſe habitabat, repentè conflagrauit. Retulerat etiam inter diuos Bennonem, uirum ſanctiſſimum, & admirandis operibus apud Germanos inſignem, & Antoninum antiſtitem Florentinum, ſingulari pietate conſpicuum. Namq; antea ſæpiùs fuerat annotatum, Pontifices non diu ſuperuixiſſe, poſtquam aliquem in diuorum numerum retuliſſent. Vti Leone mortuo ſtatim obſeruarunt, à quo Franciſcus à Paula ingenti apparatu relatus fuerat. Iouius in eius uita.

LEO X.



LEO X. Pp. nuncio recuperati Gallis eiectis Mediolanenſis imperij, anno 1521. à Cæſarianis ſubacti, accepto, quum in Manliana uilla eſſet, incredibili lætitia eſt affectus: nec multo pòſt priuſquam cœnaret, obriguit, ſenſimq; exorta eſt febris à quodam miti tepore longè leniſſima, ſed quæ ei ſuprema extitit: Ob id ſequente die in urbem eſt reuectus, iam certiùs ac pleniùs erumpente morbo, peſſimumque omen imminentis mortis in ipſo cubiculi limine accepit, in quo conſtiterat architectus ligneam offerens, ſepulcri effigiem, quod tum inſigni marmoris cælatura Henrico IIX. regi in Britannia parabatur. Sed ea febris, quòd ex interuallis laceſſeret, à medicis adulantibus, aut iudicio deceptis aliquã diu neglecta, adeò uehementer demum incubuit, ut penè priuſquam morbus dignoſci poſſet, & fatalis hora ſentiretur, turbata ratione ſit ereptus. Iouius in Leone X. lib. 4.

PHILIBERTVS Aurantius Florentiam obſidens, de hoſtiũ aduentu factus certior, ad eos intercipiendos iamiam caſtris egreſſurus, quum lagenas popoſciſſet, & uina latis pateris funderentur, circuniectisq; in coronam ducibus, hilariter propinaret, denſiſſimus repentè cœlo dudum ſereno imber effuſus eſt, uſqueadeò largus, ut cunctos ſub dio per potantes latè perfunderet, & ad omen à quibuſdam uerteretur. Arriſit ad id ſublato lætiore cachinno Aurantius, Et commilitones, inquit (uti uideo) in hoſtes nequaquam temulento agmine prouehemur, poſtquam nobis ſuperi uina, coronantes pocula benignè propitieque diluunt. Hæc fuêre ſuprema eius uerba, continuò efferri ſigna iubentis. Nam mox ad Gabinianum oppidum conſerta cum hoſtibus manu, glande traiectus occubuit. Sabellici ſupplem. libro decimotertio.

CHRISTOPHORVS Longolius cum Reginaldo Polo Patauij habitans, animi cauſa in Forumiulium profecturus, paucos antè dies, quàm egredi ſtatuerat, uegeto adhuc corpore, multa cum Polo de uitæ humanæ fragilitate fertur diſputaſſe, & teſtamentum ſuum confeciſſe, non obſcuro omine inſtantis mortis. Ipſo enim profectionis die in febrem incidit, & poſt paucos dies obiit, anno ætatis 34. Chriſti 1522. Auctor uitæ.

HENRICVS II. Gallorum rex, Lutetiæ in haſtiludio conto uulneratus periit. Ipſummet omnibus diſſuadentibus contum robuſtiſſimum elegiſſe aiunt, & equitem Scotum Mõgomerium, cum quo congreſſurus erat, ad concurſum coegiſſe. Additur & illud, puellum de feneſtra proſpicientem, cùm infeſtis haſtis concurrerent, exclamaſſe, Eheu regis percuſſor adeſt.

STEPHANVS Cardanus, uir octogenarius, felem maſculũ educabat, habebatq; in deliciis. Cùm ægrotaret, iamq; animam ageret, eo ſtrepitu, quo plerique morituri ſolent, felis è gradu ſe erexit in ſpondam duobus pedibus, inſpiciensq; diu laborantem dominum, tandem ædito clamore ingenti abiit, nec poſtea unquam uiſus eſt. Simile quippiam audiui de LANIO, qui felem paruum ac ſcabioſum miſertus educauit, quaſi nolente uxore, quòd fœdus nimium uideretur. Dormiebat hic inter uirum & uxorem. Contigit quandoq; ut ungues inter mammas uxoris teneret, lædebatq; eam: tum illa, Lædis me exclamauit. At feles nõ de more ungues contraxit, ſed pedes uertit, ut, qua pilus eſſet, illius carnem tangeret. Coniunx territus, dixit, Videtur hoc animal ratione præditum: nam & multa magni ſenſus, ſed non tam euidentia ſigna ediderat, & domino uenienti ſemper obuiam ibat. Paucis pòſt diebus uxor lanij mortua eſt, tumq; feles, quamuis diligenter quæſitus, nuſquam comparuit. Cardanus de Rerum uarietate lib. 4. cap. 75.

In grauiſſima illa lue, quæ anno Chriſti 1564 per totum Rheni tractum graſſata eſt, BASILEÆ plurimorum extremæ uoces præſagij loco fuerunt. Nam cùm quis morti proximus eſſet, quamuis delirans, aliquem uel fratrum, uel amicorũ, uel notum uocabat. Ille non multo pòſt decumbens, eodẽ modo tertium uocabat: tertius quartum. Conſtat certè plurimos eodem ordine mortuos, quo uocati fuerant.

*Auſpicia & Auguria.*

AMPHIARAI uatis haſtam bello Thebano abreptam aquila in altum ſuſtulit, moxq; demiſit. Ea terræ impacta lauri ſpeciem præbuit ueram. Inſequenti die hoſtibus ibidem acri prælio congredientibus, terræ hiatu repentino hauſtus Amphiaraus cum curru periit, ubi loci Harma urbs ædificata eſt. Plutarchus ex Triſimacho libro tertio κτίσεων. Cælius libro 13. capite 20. A. L.

ARISTOTIMVS Elienſium tyrannus paulò antè quã à ciuibus interfectus eſt, cubabat cum uxore meridie. Dum paratur cœna, aquila in aere uolitans circumagebat ſe ſupra ædes: mox uelut de induſtria & ad deſtinatum ingentem lapidem in illam partem tecti, ubi cubiculum erat, in quo quieſcebat Ariſtotimus, demiſit. Cùm magnus fragor ex alto, & foris fremitus alitem uidentium editus eſſet, perculſus audito oſtento, uatem, quo ſemper in foro utebatur, accerſit: eum, quid portendat, attonitus conſulit. Vates hominẽ confirmat: Iouem demonſtrat eum excitare & opem ferre. At ciuibus, quibus fidem habebat, uindictam denunciat tãtùm non ſupra caput ſuſpenſam imminere tyranno. Plutarchus de Mulierum uirt.

ALEXANDER Magnus, ubi uenit ad Babyloniæ muros, coruorum examen uidit certantium, & ſe mutuò cædentium, quorum aliquot iuxta ipſum ſunt delapſi. Plut. in Alexand.

PYRRHVS, Epirotarum rex, cùm contra Argos magno collecto exercitu proficiſceretur, noctuam in haſta ſua ſedẽtem uidit, quæ fatum illi & diſcrimen extremum nunciaſſe fertur. Alexan. lib. 5. cap. 12.

TIB. GRACCHVS, cùm Tribunatum in proximum annum petens, populum nouis legibus allicere uellet, eo die, quo in Capitolium erat aſcenſurus (ubi tumultu orto à P. Naſica interemtus eſt) manè, adfuit cum auibus pullarius, & eſcam eis obiecit. Illæ præter unam ſolam non prodiêre, quã uis homo caueam ſedulò concuſſiſſet. Ac ne hæc quidem pauit, ſed ſublata ſiniſtra ala protenſoq; crure refugit rurſus in caueam. Vbi paululum proceſſit, ſuper faſtigium domus ex ſiniſtra conſpecti ſunt corui pugnantes, atque in frequentia mortalium, ut ueriſimile eſt, Tiberium prætereuntium, propulſus ab altero coruo lapis iuxta pedem eius delapſus eſt: quod uel ferociſſimos eſt eorum, qui illum ſtipabant, remoratum. Cæterùm Bloſius Cumanus, qui aderat, perquàm turpe iactauit eſſe & fœdum, Tiberium Gracchi filium, Scipionis Africani nepotem, præſidem populi Romani, corui metu accerſentibus ciuibus nõ parêre. Atqui eam labem haud pro ioco inimicos tranſmiſſuros, ſed ut tyrannidem agentem & ludibrio iam habentem ad populum eũ proſciſſuros. Simul accurrerunt frequentes, qui Tiberium, ut maturaret, mandato amicorum, qui in Capitolio erant, adhortarentur: omnia illic ex uoto eſſe. Plutarch.

Pridie Idus Martias auem regaliolum cum laureo ramulo Põpeianæ curiæ ſe inferentem, uolucres uarij generis ex proximo nemore perſecutæ, ibidem diſcerpſerunt. Sequenti die interfectus eſt C. IVL. Cæſar. Suetonius.

CICERO, proſcriptus à Triumuiris, è Tuſculano fugiebat in prædia Campana, ubi uillam habebat æſtiuo tempore amœnam, cùm grauiſſimè ſpirant Eteſiæ. Hinc ſublatum agmen coruorum magno crocitu ad Ciceronis nauem, dum remis terræ appellitur, uolauit: qui conſederunt utrinque in antennæ cornibus partim crocitantes, partim capita funium tundentes. Id omnibus dirum uiſum oſtentum. Cicero ibi egreſſus de naui eſt, uillamque ingreſſus ad quietem compoſuit ſe. Hîc corui frequentes conſiderunt in feneſtra ac diros ediderunt ſtrepitus: unus in grabatum demiſit ſe, togamq;, qua opertus erat Cicero, roſtro paulatim à facie detraxit. Quod ſerui contemplantes, ac ſe ipſi increpantes, ſi dominum paterentur in conſpectu ſuo trucidari, cùm opem ei beſtiæ ferrent, eiuſque curam agerent afflicti, ipſi autem non protegerent: hinc precibus hinc ui ſublatum in lectica detulerunt ad mare. Interea ſuperuenerunt cum manu percuſſores, Herennius centurio, & Popilius tribunus, quem parricidij quondam reum defenderat Cicero. Plutarchus in Cicerone. Valerius uerò Max. libro primo, capite quarto, ſic ſcribit. Cùm in uilla Caietana eſſet, coruus in conſpectu eius horologij ferrum loco motum excuſſit, & protinus ad ipſum tetendit, ac laciniam togæ eò uſque morſu tenuit, donec ſeruus, ad occidendum cum milites ueniſſe nunciaret.

AVGVSTVM Cæſarem, cùm luſtrum in campo Martio magna populi frequentia conderet, aquila ſæpiùs circumuolauit: tranſgreſſaque in uicinam ædem, ſuper nomen Agrippæ, ad primam literam ſedit. Quo animaduerſo, uota, quæ in proximum luſtrum ſuſcipi mos eſt, collegam ſuum Tiberium nuncupare iuſſit. Nam ſe, quanquam conſcriptis paratiſque iam tabulis, negauit ſuſcepturum, quæ non eſſet ſoluturus. Suetonius.

AGRIPPA Magnus Iudæorum rex, Cæſareæ in theatro bubonem capiti inſidentem conſpicatus, ex præſagio Germani uatis, uitæ finem ſibi inſtare cognouit. Ioſephus libro 19. capite 7. Antiq.

Vt in NERONE finis fuit Cæſarum ſtirpis naturalis adoptiuæque, ita eius etiam ingentia apparuerunt ſigna. Liuia cùm recèns Auguſto nupſiſſet, per Veiẽtanam uillam ſuam eunti, aquila in gremium eius gallinam candidam, in ore lauri habentem ramum, demiſit. In bonam partem augurio accepto, cùm curari diligenter gallinã iuſſiſſet, magnus ex ea candidorum pullorum numerus prouenit. Plantatus quoque lauri ramuſculus, ingẽs lauretum protulit. Ex qua ſylua obſeruatum poſtea fuit, ut triumphaturi laureum ramum ſumerent, quem manu in triumpho geſtabant: peractoq; triumpho reſtitutus ramus plantaretur, radiceſq; mitteret. Illud quoque notatum fuit, deſiccatum eiuſmodi ramuſculum, præſagium fuiſſe mortis illius, qui eum in

triumpho

triumpho geſtaſſet. Cæterùm poſtremo Neronis ànno, ut propinqua eius morte Cæſarum quoq; defectura ſoboles oſtenderetur, gallinarum candidarum ſtirps tota periit, lauretumq; ex toto aruit, defecitq;. Præterea ſtatuis Cæſarum fulgure decuſſa fuerunt capita, ſceptrumq; de manu Auguſti ereptum. Fulgoſus libro 1. cap. 4. ex Suetonio, & Plinius libro 15. capite ult.

VITELLIVS Imp. periit cum fratre & filio, annò uitæ ſeptimo & quinquageſimo: nec ſefellit coniecturam eorum, qui augurio, quod factum ei Viennæ eſt, ubi pro tribunali iura reddenti, gallinaceus ſupra humerum ac deinde in capite aſtitit, non aliud portendi prædixerant, quàm uenturum in alicuius Gallicani hominis poteſtatem. Siquidem ab Antonio Primo aduerſarum partium duce oppreſſus eſt: cui Toloſæ natò, cognomen in pueritia Beco fuerat: id ualet, gallinacei roſtrum. Suetonius.

Ante paucos dies, quàm occideretur DOMITIANVS Imperator, in Capitolio cornix locuta eſt, ἔςαι πάντα καλῶς. Nec defuit qui oſtentum ſic interpretaretur:

Nuper Tarpeio quæ ſedit culmine cornix,
Eſt benè, non potuit dicere: dixit, Erit. Suetonius.

SEPT. SEVERO Imperatori & mors & fortuna gentis ſuæ manifeſtò prodigio oſtenſa fuit. Nam Circenſibus ludis, à ſuggeſtu, unde is ludos ſpectabat, ex tribus Victoriæ ſimulacris, quæ de more appendebantur, ea, quæ Seueri nomine inſcripta erat, in terram concidit: altera, quam in Getæ honorem expreſſerant, cadens tota confracta eſt: tertiæ autem, cui Baſſiani erat inſcriptum nomen, è manu palma dilapſa eſt. Poſt hunc caſum haud diu Seuerus uixit: Getam Baſſianus occidit: Baſſiano autem ad imperium tranſlato, imperium breue & inglorium fuit. Sab. lib. 1. cap. 4.

VALENTINIANVS I. paulo antè quàm apoplexia ſuffocaretur Sabariæ, bubo culminibus regi lauacri conſidens, funebriaq; occinens, fruſtra multorum ſagittis impetitus, locò depelli non potuit. Marcellinus lib. 30.

Antequam CAROLVS Paruus Neapolitanorũ & Hũgarorũ rex ab Hungaris occideretur, innumera coruorum multitudo regia tecta circumuolans, turmatim feneſtras impetebat: congrediebantur inter ſe infeſti, &, tanquam inſtructa acie, pugnam conſerebant. Bonfinius lib. 1. Dec. 3.

Tres corui ſuper equitantis caput uolantes, & ferale carmen quaſi canentes, GALEACIO Mariç duci Mediolanenſi augurium mortis fecere. Siquidem paucis pòſt diebus Mediolani in foribus templi S. Stephani interfectus fuit. Brutus libro 6. hiſt. Flor.

Sub mortem MATHIÆ, regis Hũgariæ, nulli corui, qui Coruinæ domus inſignia referunt, Budæ conſpecti ſunt: contrà Albæ, ubi regum monumenta ſunt, tanta coruorum multitudo ſpectata, ut omnes hìc regis mortem facilè ariolarentur. Paulò antè, cùm Vienna Budam deſcenderet, in turris faſtigio ciconiæ nidum ſuſpexit, de quo, eiecta domina, quatuor inter ſe ciconiæ acerrimè certabant: & ueluti diuinitùs afflatus, Pannonicam eo anno cõcordiam turbatum iri dixit. At mortem principis imminere ſuſpicati ſunt prudentiores, & reges quatuor de regno dimicaturos. Bonfinius lib. 8. Decad. 4.

IOAN. ANT. Campanus, epiſcopus Aretinus, quo die uita exceſſit (Idibus uidelicet Quintil. anno 1477.) ferunt magnũ auium numerum Terami feneſtras bibliothecæ irrupiſſe, alarumq; ſtrepitu flebilibus uocibus mœrorem luctumque grauiſſimum oſtendiſſe: libros & ſcripturas roſtro, unguibus & eluuie defœdaſſe. In agris quoq; paternis & conſito ad domeſticas delicias laureto, ſimilem calamitatem intuliſſe arboribus, cunctaq; perinde ac demiſſa grandine deuaſtata poſtero anno exaruiſſe. Gemini canes uenatici, iuſſi pridem ad illum perduci, domo ui ulla, tanquã ad præmortuum herum fruſtra ſe pertrahi intelligerent, educi nunquã potuerunt: iidemque in poſterum nec latrare nec blandiri alicui uiſi; inedia & ſquallore defecti occubuêre. Michael Fernus in eius uita.

LEONICVS Tomæus, philoſophus inſignis, & Patauinus profeſſor, domi gruem per quadraginta annos aluerat, de manu ipſius ſenili oblectamento cibaria capientem. Is ſenio tabefactus cùm periiſſet, ex eius deſiderio triſte omen concepit: prædixitq;, nullo laceſſitus morbo, ſe non multo pòſt adamati gruis fatum uitæ exitu ſecuturum. Euentus reſpondit. Iouius in Elogiis.

*Prodigia, Portenta, Oſtenta.*

Nullum maius unquam in cœlo apparuit oſtentum, quàm quod citra naturæ legem, die, quo CHRISTVS Theoanthropos in Iudæa cruci eſt affixus, ſol à ſexta diei hora ad nonam obtenebratus eſt. Stupuerunt miraculum ſapientes, naturalium rerum gnari: & in his Dionyſius Areopagita, qui ad tale oſtentum exiliiſſe dicitur, atque exterritus exclamaſſe. Aut mundus ſoluitur, aut Deus naturæ patitur. Sabellicus libro 9. capite 8.

CALLICRATI duci Lacedæmoniorum caput uictimæ præciſum, & fluctu maris abſorptum, interitum uitæ indicauit. Alex. lib. 5. cap. 25.

CIMON Athenienſis contra Perſas ſuſcepta expeditione, in qua etiam periit, cùm Libero patri ſacrificaret, & uictimam aruſpex proſecuiſſet: quod ſanguinis iam concreuerat, id examen formicarum rapuit, paulatimq; ad Cimonem detulit, atque eius pollici pedis circumiecit. Diu hoc non eſt animaduerſum. Inde ut animaduertit Cimon, adiit aruſpex eum, & iecur ſine capite oſtendit. Attamen, quia expedire ſe nequiit prouincia, claſſem ſoluit. Plut. in Cimone.

DION Syracuſanus, liberatis Syracuſis, paulo antè, quàm à Callippo interficeretur, ſedebat fortè diei ſero domi in porticu cogitabundus. Ibi ſtrepitu repentè facto reſpiciens clara adhuc luce ad alteram porticus partem, conſpexit grandem mulierem cultu & facie nihil à tragica abhorrentem furia, quæ uerrebat ſcopis domum. Ille uehementer perculſus & trepidans acciuit amicos, uiſumq; iis narrauit atque orauit, apud ſe ut permanerent & pernoctarent: quòd planè extorpeſceret, timens, ne ſi ſolum reliquiſſent, iterum ſibi obuerſaretur monſtrum. Cæterùm id non eſt reuerſum: ſed filius eius ferè adultus per dolorem aliquem animi & iram ex parua & puerili ortã occaſione de faſtigio domus præcipitauit ſe in caput, & interiit. Plut. in Dione.

PELOPIDA cum ſeptem millibus Thebanorum ſuppetias Theſſalis contra Alexandrum Phereum tyrannum ferente, ſolis defectus contigit. Cumq; multi de portento ſolliciti eſſent, uatesq; affirmarent portendi interitum Pelopidæ: nihilominus Pelopidas inſtruxit ſe ad militiam. Cùm autẽ ueniſſet in Theſſaliam, & occupata reperiret ab Alexandro eminentiora loca, eſſentq; in aduerſariorum exercitu plures uiginti millibus, prælium cum aduerſariis conſeruit, & in ipſum Alexandrum impetum fecit, uniuerſum circum ſe locum cadaueribus occiſorum impleuit, hoſtes in fugam uertit, & uictoriam obtinuit, ſuam tamen ipſius animam multis uulneribus confectus reliquit. Alexander hocce conflictu planè contritus, Theſſalis ciuitates bello ſubactas reſtituere, Magneſios Phthlotasq; Achiuos Bœotiis tradere, & in poſterum ſolum Phereorum imperium tenere, atque cum Bœotiis ſocietatem belli facere, per conuenta coactus eſt. Diodorus lib. 15.

ALEXANDRO Magno Babylone moranti, ubi & periit, leonem grandiſſimum & ſpecioſiſſimum eorum, qui ibi alebantur, domeſticus aſinus adortus calce interfecit. Plutarchus in Alexandro.

PYRRHVS Epirotarum rex, Antipater Macedonum, & Lyſimachus fœderis cauſa conuenerant. Poſtquam apro, tauro, & ariete ad ſacrificium adductis, mortuus aries nulla ui, ſed caſu eſt, aliis riſu oborto Pyrrhum uetuit aruſpex Theodotus iurare, dicens, uni ex tribus regibus mortem denunciari. Ita pacem diremit. Contra datam fidem Argos oppugnaturo, ubi & periit, magnum prodigium factum eſt. Nãque boum, qui immolati erant, ſeiuncta iam à corpore capita, linguas uiderunt exerentia & circumlambentia ſuum proprium ſanguinem. In urbe Argis Lycij ſacerdos Apollinis procurrit in publicum, clamitans cadaueribus & cruore conſpicere ſe urbem manantem: procedere ad certamen aquilam, mox euaneſcere. Plutarchus in Pyrrho, & Plinius libro undecimo, capite 37.

T. GRACCHVS conſul, cùm in Lucanis ſacrificaſſet, angues duo ex occulto prolapſi repentè hoſtiæ, quam immolauerat, adeſo iocinore, in eaſdem latebras ſe retulerunt. Ob id deinde factum inſtaurato ſacrificio idem prodigij euenit. Tertia quoque cæſa uictima, diligentiusq; aſſeruatis extis, neque allapſus ſerpentum arceri, neque fuga impediri potuit. Quod quamuis aruſpices ad ſalutem Imperatoris pertinere dixiſſent, Gracchus tamen non cauit, ne perfidi hoſpitis ſui Flauij inſidiis in eum locum deductus, in quo Pœnorum dux Mago cum armata manu delituerat, inermis occideretur. Valerius libro 1. capite 6. & Alex. ab Alexan. libro quinto, capite 25.

In lecto SEMPRONII Gracchi duo angues reperti; triſte omen dederunt. Ab aruſpice enim indicatum, ſi marem emiſiſſet, uxori breui tempore eſſe moriendum: ſin feminam, ipſi. Quod cùm audiuiſſet Sempronius, Corneliam uxorem plurimum amans, feminam ex ſerpentibus emiſit: uxorem ſeruauit, & ipſe paulò pòſt è uita exceſſit. Polydorus Virgilius libro 3. Prodig.

M. MARCELLVS captarum Syracuſarum, & Hannibalis ante Nolana mœnia à ſe primùm fugere coacti gloria inflammatus, cùm ſummo ſtudio niteretur, ut Pœnorum exercitum aut in Italia proſterneret, aut Italia pelleret, ſolenniq; ſacrificio uoluntates deorum exploraret: quæ prima hoſtia ante foculum decidit, eius iecur ſine capite inuentum eſt: proxima iocinoris duplex caput habuit. Quibus inſpectis, aruſpex triſti uultu, non placere ſibi extra, quia prima trunca, ſecunda nimis læta apparuiſſent, reſpondit. Sedes ſacræ aliquot de cœlo tactæ, & quòd mures in æde Iouis aurum arroſiſſent. Nunciatum fuit quoque bouem locutum, & cũ elephanti capite puerum natum ſuperſtitem fuiſſe. Ita monitus M. Marcellus, ne quid temerè conaretur, inſequẽti noctè ſpeculandi gratia cum paucis egredi auſus, à multitudine hoſtium in Brutiis circumuentus, æquè magnum dolorem ac detrimentum patriæ, interitu ſuo attulit. Val. lib. 1. cap. 6. & Plut. in Marcello.

Caput extorum (eſt ea iecoris pars) defuit C. MARIO cùm immolaret Vticæ. Item CAIO principi Calend. Ianuariis; cùm iniret cõſulatũ, quo anno interfectus eſt. CLAVDIO ſucceſſori eius, quo menſe interemtus eſt ueneno. Plinius libro undecimo, capite trigeſimoſeptimo.

C. CLAVDIVS & PETILIVS Conſules, quum, ut moris erat, immolaſſent uictimas, iecur ſubitò tabuit. Nec ita multo pòſt Claudius morbo, Petilius Ligurum armis interiit. Polyd. Vergil. lib. 3. Prodigiorum.

CN. OCTAVIVS conſul dirum omen, quemadmodum timuit, ita uitare non potuit. E ſimulacro enim Apollinis per ſe abrupto capite, & ita infixo humi, ut auelli nequiret, armis à collega ſuo L. Cinna (qui C. Marium ex Africa reuocarat) diffidens, præſumſit animo ea re ſignificari exitum ſuũ: in quem metu augurij, triſti fine incidit, ac tum demùm immobile dei caput terra refigi potuit. Val. lib. 1. cap. 6. & Sab. lib. 3. Ennead. 6.

M. BRVTVS & C. Caſſius, Cæſaris interfectores, Sardeis conuenerant. Cùm tranſmiſſuri ex Aſia eſſent, tetrum oſtentum dicitur Bruto factum. Fuit naturâ uigilãs, & ſomnum in exigui temporis portionem laboribus & continentia contrahebat. Interdiu quieſcebat nunquam: noctu tantiſper, dum omnibus ſopitis nihil eſſet omninò quod ageret, aut quicũ colloqueretur. Noctis conticinio luna non admodum lucebat: totus autem exercitus tenebatur ſilentio. Brutus uerò uoluens aliquid animo & reputãs ſecum, uiſus eſt aliquem ingredientẽ ſentire. Reſpiciens ad ianuam, ſpectrũ cernit dirum & prodigioſum immanis & horrendi corporis, ſilẽtio ſibi aſſiſtentis. Suſtinens rogare, Quiſnam, inquit, aut hominum aut deorum es? aut qua de cauſa ad nos ueniſti? Subiecit ei ſpectrum: Tuus ſuum Brute malus genius, in Philippis me uidebis. Cui nihil perculſus Brutus: Videbo, inquit. Eo ex oculis elapſo pueros ſuos uocauit: qui neq; ſe audiuiſſe uocem aſſeruerunt, neq; conſpexiſſe uiſionem illam. Ac tũc quidem iterum Brutus lucubrauit. Vbi diluxit, ad Caſſium profectus, narrauit ei ſpeciem illã. Philippis occiſo Caſſio, cùm uictor ad ſecundum prælium deſcendere pararet, in quo uictus eſt, nocte ſpectrum illud referunt iterum Bruto obuerſatum, eandemq; repræſentans uiſionem, nihil locutum, ſed dilapſum fuiſſe. Plut. in Bruto.

Apud Actium M. Antonij fractis opibus, C. CASSIVS Parmẽſis, qui partes eius ſequutus fuerat, Athenas confugit. Vbi concubia nocte, cùm ſolicitudinibus & curis mente ſopita in lectulo iaceret, exiſtimauit ad ſe uenire hominem ingentis magnitudinis, coloris nigri, ſqualida barba, & capillo demiſſo: interrogatumq;, quiſnam eſſet? reſpondiſſe, κακοδαίμονα. Perterritus deinde tam tetro uiſu & nomine horrẽdo, ſeruos inclamauit: ſciſcitatuſq; eſt, ſi quem talis habitus aut intrantem cubiculum, aut exeuntem uidiſſent? Quibus affirmantibus, neminem illuc acceſſiſſe, iterum quieti & ſomno ſe dedit: atque eadem animo eius obſeruata eſt ſpecies. Itaque fugato ſomno, lumen introferri iuſſit, pueroſq; à ſe diſcedere uetuit. Inter hanc noctem, & ſupplicium capitis, quo eum Cæſar affecit, paruulum admodum tempus interceſſit. Val. Max. lib. 1. cap. 7. & Sueton. in Auguſto: & Plut. in uita Antonij.

Equi, quos C. IVL. Cæſar initio belli in Rubiconis traiectu cõſecrauit, uagiq; & ſine cuſtode ut emeriti paſcebantur, ſub tẽpus, quo ipſe iam dictator interfectus eſt, pabulo abſtinere comperti ſunt, atq; ubertim flere. Sab. lib. 9. cap. 7. ex Suetonio. Eo die, quo purpurea ueſte uelatus, aurea in ſella conſedit, prius quàm ciuium oculis conſpectum ſuũ offerret, cultui religionis uacauit: mactatoq; opimo boue, cor in extis non reperit. Reſponſum ei à Spurina aruſpice, pertinere id ſignum ad uitam, & conſilium: quòd utraq; hæc, corde continerentur. Nec multo pòſt uita ei à cõiuratis erepta fuit. Val. Max. lib. 1. cap. 6. & Plut. in Cæſare. Plin. lib. 11. cap. 17. eo die ſacrificanti cor bis defuiſſe: adeoq; miratur, quomodo ſine corde uiuere potuerit uictima. Ante eius cædem Strabo philoſophus tradit multos uiros flammeos incurrere uiſos: militis ſeruum ingentem flammam è manu emiſiſſe, eamq; uiſam conſpicientibus ardere: ubi extincta eſt, nihil hominem mali habuiſſe. Plut. in Cæſare.

M. ANTONIVS à Cæſare Octauio in Aegypto obſeſſus, ultima experiri ſtatuerat. Circa noctis conticinium fama eſt, cũ ſilentium & mœſtitia ex metu & expectatione euentus teneret ciuitatẽ: repentè omnis generis organorũ exauditam ſymphoniam, ſtrepitumq; turbæ cum clamore Bacchico & tripudiis Satyricis; uelut ſacris Liberi patris, choro non ſine ingenti tumultu erumpente: cõceſſiſſe hanc turbam, quç ingens eſſet, media fermè urbe ad portam, quæ foràs ad hoſtes ducebat, atque ea euaſiſſe. Viſum eſt autem prodigium hoc reputantibus à deo, quem præcipuè effingere, & ad quem conſueuerat ſe accommodare; eſſe Antonium deſtitutum. Plut. in Antonio.

Ante obitum AVGVSTI ſol totus defecit, & cœlum latè ardere uiſum, & ſtellæ crinitæ ſanguineo colore apparuerunt. Indictoque propter morbum eius ſenatu, ut pro ſalute eius uota nuncuparentur, curia clauſa eſt inuenta. Zonaras.

Eò anno, quo mortuus eſt TIBERIVS Cæſar, in Aegypto phœnix conſpectus eſt, & Tiberis Romæ inundãs eius mortem portendere uiſus eſt. Zonaras. Turris Phari terræmotu Capreis concidit. Ac Miſeni cinis è fauilla & carbonibus ad calefaciendum triclinium illatus, extinctus, & iamdiu frigidus, exarſit repentè prima ueſpera, atq; in multam noctẽ pertinaciter luxit. Suetonius.

Olympiç paulò ante cædem CALIGVLÆ ſimulacrum Iouis; quod diſſolui transferriq; Romam placuerat, tantum cachinnum repentè edidit, ut machinis labefactatis opifices diffugerint. Superuenitq; illicò quidam Caſſius quoq; nomine, iuſſum ſe ſomnio affirmans immolare taurum Ioui. Suetonius in Caligula.

AGRIPPINA, Claudij uxor, anno antequã moreretur, cùm eſſet in Germania in Vbiorum urbe, quæ ab eius nomine Agrippina Colonia poſtea fuit dicta, in ea urbe agroque magnis hiatibus aperta tellus ignem emiſit, omnia conſumentem: qui neque aquis, neque alio humore extingui poterat, ſaxis aut pannis duntaxat opprimebatur. Fulgoſus libro 1. capite 4.

Ante NERONIS mortem in curia barbaricum murmur cum multo riſu, & tumultus in theatro cum magno fletu auditus eſt, cùm ibi nemo hominum eſſet. Onuſtæ naues armis ſponte in Hiſpaniam ſine nautis appulerunt. In Albano ſanguine pluit. Ambæ fores & Mauſeoli (in quo Cæſarum erãt ſepulcra, ex quorum progenie ultimus erat Nero) & cubiculi; ſponte ſua patuerunt. Xiphilinus ex Dione.

GALBA ex Hiſpania Romam redeunte, terra tremere & mugire uiſa, mortem ei prænunciauit. Suetonius. Ad octauum decimum Cal. Februarias, interfectus eſt ab Othone: quo die prima ſtatim luce in palatio aſſiſtentibus amicis ſacrificauit. Aruſpex Vmbricius, ut primum hoſtiæ exta in manus ſumſit, præuidere ſe non per ænigmata, ſed apertè ſigna ingentis turbæ ait, atq; ex inſidiis diſcrimen ceruici impendẽs imperatoris. Ita deus tantùm non Othonem manu prehenſum incitauit. Aſtabat enim à tergo Galbæ, atque his, quæ ab Vmbricio referebantur & oſtendebantur, animum aduertebat. Commoto & colorem uariè præ metu mutanti aſſiſtens libertus Onomaſtus, adeſſe dixit & præſtolari eum domi architectos. Signum id erat temporis, quo militibus Otho debebat occurrere. Itaque cauſans, ſe ueterem domũ emiſſe, cuius uellet uitia oſtendere uenditoribus, abſceſſit, & à prætorianis Imp. ſalutatus, Galbam interfecit. Plutarchus in Galba.

Ante TITI Veſpaſiani mortem (qui Domitiani frater fuit) in Campania prope Veſuuium mõtem, terra pauore tremuit: in cœlo & in terra Gigantum ſimulacra conſpecta etiam interdiu uſq; ad ipſam urbem. Veſuuius ignes euomuit, fauillis in urbem uſq; penetrantibus. Aer per multos dies in noctis ſpeciem caliginoſus, Gigantum ſimulacra exhibebat, tubarumq; ſonus magno omnium terrore exaudiebatur. Fulgoſus lib. 1. cap. 4. ex Dione.

Ante mortem DOMITIANI Imp. continuis octo menſibus tot fulgura facta, nunciataq; ſunt: ut exclamauerit, Feriat iam quem uolet. Tactum de cœlo Capitolium, templumq; Flauiæ gentis: item domus Palatina, & cubiculum ipſius: atq; etiam è baſi ſtatuæ triumphalis titulus excuſſus, ui procellæ in monimentum proximum decidit: Arbor, quæ priuato adhuc Veſpaſiano euerſa ſurrexerat, tunc rurſus repentè corruit: Iridi ſimilis nubes (στεφάνην uocant) ſolem circũdedit, eiuſque lumen obſcurauit, portendens Domitianum à Stephano eſſe iugulandum. Suetonius.

TRAIANO Imp. apparebant irides, tonitrua, fulgetra, grandines immenſæ cum grauibus tempeſtatibus; quoties Romanus cum hoſte; Agarenos Arabas obſidente, confligeret. Cùm uerò ueſcerentur, ſubita muſcarum uis eduliis & poculis inſidens, fœdo contactu cuncta Romano moleſta & inamœna faciebat. Inde igitur re infecta digreſſus, ac paulo pòſt aduerſa ualetudine correptus, ingraueſcente indies morbo, obmiſſa Meſopotamia, in quam expeditionem parabat, in Italiam nauigaturus, relicto P. Aelio Adriano in Syria cum legionibus, apud Selinuntem Ciliciæ periit. Cuſpinianus.

PERTINAX Cæſar, paucis diebus antè quàm periret, fertur

dixiſſe, ſe, cùm in uiuarium inſpiceret, in aqua umbram conſpexiſſe, quæ ſtricto gladio mortem minabatur. Eidem ſacrificanti in uictima cor inuentū non eſt. Quòd cùm ei malum ominari uideretur, & propterea iterum quærendo laboraret, epar quoq; defuiſſe compererunt. Sab.lib.1.cap.4.

Sub mortem M. ANTONINI Pij ſerpens crinita ingentis magnitudinis apparuit, quæ, apprehenſa mordicùs cauda, ſemetipſam ſupra dimidiam partem deuorauit. Infans quoq; biceps natus eſt. Ex iis oſtendebatur, ab annis, id eſt, ab quo Antoninum conſumtum iri, ac Philoſophum & Verum ceu duo capita ei ſucceſſuros. Fulg.lib.1.cap.4.

In COMMODI Imp. exitu cometes apparuit. A multis templis, quæ erant in urbe, cum ſimulacris, deorū effigies quoque abire uiſæ ſunt. Ibidem.

GORDIANO Imp. creato, populus Romanus deliciis & uoluptatibus uacauit, ut quæ priùs aſpera geſta erant, mitigaret. Sed mox tanta eclipſis ſolis facta eſt, ut nox crederetur, neq; quicquam ſine luminibus accenſis agi poterat. Quod ſanè indicium fuit imperij haud diuturni. Cuſpinianus.

P. Annio TACITO Imp. mortis præſagia fuêre, ſponte patefactum parentis ſepulcrum: item, quòd iam mortuæ matris umbra ei apparuit: neq; ſine horrore, diuerſa in ſpecie locóque, fratris manes. Fulgoſ.lib.1.cap.4.

Biennio ante mortē CONSTANTINI Magni, Cometa inuſitatæ magnitudinis fulſit. Eutropius libro undecimo: Oroſius libro ſeptimo, cap.19.

CONSTANTIVS Imp. à bello Perſico ad opprimendum in Gallia Iulianum conuerſus, ex Antiochia Tarſum progrediens, nocturnis terrebatur umbris: & confeſſus eſt familiaribus, ſe eſſe deſertum à genio ſuæ tutelæ ac ſalutis auctore: qui familiariùs olim ſecum multa commētatus, tum ſqualidus & horrendus ſibi uideretur, tanquam eum deſerturus. Cuſpinianus. Apruaculus orator Gallus, aruſpex, qui poſtea Narbonæ præfuit, iecur uictimæ cum duabus tuniciis ipſi Iuliano oſtendit, maximè de futuro euentu ſolicito, & Conſtantium Imperatorem, à quo defecerat, mortuū eſſe indicauit. Iecoris caput Imperatorem ſignificabat, ut qui orbem uelut iecur ſuſtineat ac mutet. Tunica, iam oppreſſum & inutilem, quaſi uinculis impoſitis, uti mortuis ſolet. Cardanus de Rer. uariet. lib.15. cap.83.

IVLIANVS Imperator, ea nocte, quæ diem mortis ipſius in Perſide anteceſſit, cùm in tentorio lectioni operam daret, horroris plenam umbram offerri ſibi intuitus, & præ formidine conſurgens, ut è tentorio eam egredi conſpexit, putauit genium ſuum eſſe, qui ſe morti iam uicinum defereret. Fulg.lib.1.cap.4. Narrat Aurelius Victor, in Iuliano, terræmotus uetuiſſe expeditionem Iuliani Imp. in Perſidem: & nocte diem, qua interiit, præcedente, ingentem globum cœlo labantem uiſum.

VALENTINIANO I. cū in ſuperiore Pannonia eſſet, imminentis mortis multa conſpecta ſigna. Nam & crinita ſtella refulſit, & Sirmienſe Palatium de cœlo tactum, curiæque & fori pars incendio conflagrauit. Sigonius lib.7. Imp. occid.

Terræmotus graues & ingentes, pluuias & caligines tenebrioſiores ſolito, obitum THEODOSII Magni Imp præceſſiſſe, Ambroſius annotauit in oratione de exitu & uita & uirtutibus Theodoſij, Tomo tertio.

Anno 21. Iuſtiniani, quo AVGVSTA Theodora Imperatoris coniunx uitam finiuit, magnus globus in magna templi ſtructura collocatus, ex terræmotu decidens, menſam atq; ambulacrum ſuperius contriuit. Zonaras Tomo tertio.

ISAACIVS Comnenus, Imp. Conſtantinopolitanus, cùm circa Nouam urbem uenaretur, aper terribili ſpecie ad mare properans apparuit. Eum cùm inſectaretur, ille in mare incidens diſparuit. Imp. turbatus, equo decidit, ſpuma circa os apparente. Pòſt aliquandiu ægrotans, ad deſperationem redactus, caput radi curauit, & monaſticum habitum aſſumens, priuatus poſtea uixit, Conſtantino Ducæ tradito imperio. Hæc Zonaras, ex Thraceſco.

Aliquot antè, quàm moreretur CONSTANTINVS Imper. Leonis F. diebus, poſt ueſperam lapides de ſublimi confertim in ipſius domum uehementi impetu coniecti, ingētem ediderunt fragorem. Quos Conſtantinus putans à cœnaculis Magnauræ deferri, per aliquot noctes cuſtodes collocauit, ſi quem eorum opera deprehendere poſſet iſta auſum. Sed ignorabat, fruſtrà ſe laborare: cùm id non ab hominibus, ſed à ſublimiore aliqua profectum eſſet poteſtate. Cedrenus & Zonaras.

ANDRONICI Senioris Imperatoris obitum multa oſtenta prænunciarunt. Primùm, eclipſis ſolis tot antè diebus, quot annos ille uixerat. Hanc ſecutus eſt lunæ defectus, cumque terræ motus, ea ueſpera, qua D. Antonij memoria, cuius illi nomen inditum erat, ueteri more à Chriſtianis celebrabatur, die Februarij duodecimo, quē inexpectati eius obitus cōſecutura erat ueſpera. Cùm autē è meridiei barathris uehemens uentus erupiſſet, marini fluctus ita efferati ſunt, ut ſuos egreſſi limites multas muri maritimi & Orientalis partes proſtrauerint, & multas illius portas effregerint: & hoſtium inſtar irrumpentes, multa ædificia quoque urbana inundarint. Tum quoque multæ ferreæ cruces templis impoſitæ, impetu uentorum deciderunt. Columna quoque olim ante ædem quadraginta Martyrum poſita, concidit, quę iuxta baſim uſtulata & confracta, prætereuntibus non ſine cauſa ruinæ metum incutiebat: ut aliquando proceres quidam Imperatorem illac prætereuntem, monerent, ne propiùs accederet. Quibus ille, fortuitò reſpondit: Vtinam tam diu ego uiuerem, quàm diu hæc columna ſtabit. Gregoras libro nono.

Imago diui Pauli, antiquæ manus opus, quam auro exornatam in S. Quadraginta æde repoſuit ANDRONICVS Comnenus tyrannus, lacrymari uiſa. Hagiochriſtophorita Stephanus Imp. iuſſu Pauli pupillas puriſſimo linteolo abſterſit. Ac lacrymæ magis etiam tanquam ex fonte exuberarunt. Andronicus diu agitato capite, cum gemitu dixit: Paulum ſua cauſa lacrymaſſe, ac grauiſſimam ſibi cladem impendere. Se enim ex animo amare Paulum, & eius dicta maximi facere, & à Paulo utique amari. Neque uerò multo pòſt pedibus ſuſpenſus inter horribiles cruciatus expirauit. Nicetas libro ſecundo.

THEODORVS Metochites Logotheta, quadam nocte terribilem quendam hominem uidere uiſus eſt ſibi iacenti aſtantem, prædoni & agreſti latroni perſimilem, qui manus ſibi iniiceret, & de ceruicali cubiculi claues eripere uellet, in quo ſupellex & gemmæ repoſitæ erant, & quicquid opū habebat. Exterritus, inclamauit famulos, ut prædonem perſequerentur, ne unà cum pecunia aufugeret. Qui cùm ſtatim ſurrexiſſent, & fores clauſas reperiſſent, & affirmaſſent imaginationem eſſe è diurnis cogitationibus ortam: uix ad ſeipſum reuerſus, grauiſſimo cum ſuſpirio, non tam diurnarum curarum imaginem, quàm præſagium euerſionis familiæ ſuæ iudicauit. Gregoras lib.9.

ANTHARIS Longobardorum rex, Garibaldi Bauarorum regis F. Theodelindam ſponſam in agro Veronenſi excepit. Non procul inde tacta de cœlo arbore, Agilulfus Taurinenſium dux conſulto aruſpice, reſponſum tulit, Theodelindam Anthari uirginem nubere, ſed paulo pòſt Agilulfo uiduam. Auſpicij fidem exitus confirmauit. Nàm Antharis, quum ſex annis regnaſſet, Ticini ueneno abſumtus eſt. Longobardi Theodelindæ eius uxori, poteſtatem fecēre, quem uirum optaret, ſibi ſumeret. Illa Agilulfum elegit. Bonfinius libro octauo, Decadis primæ.

Anno altero, quo CAROLVS Magnus obiit, ſol obſcuratus eſt, & luna pallorem recepit: terræmotus accidit, cometa exarſit, & alia dira prodigia conſpecta & audita ſunt in terris. Vnde Eginardus in uita eius inquit: Poſt tres continuos, uitæque termino proximos annos, & ſolis & lunæ creberrima defectio, ac in ſole macula quædam atri coloris ſeptem dierum ſpacio uiſa: porticus, quam inter baſilicam & regiam operoſa mole conſtruxerat, die Aſcenſionis Domini ſubita ruina uſque ad fundamentum collapſa. Robertus Gaguinus pilam è templi faſtigio fulmine deiectam eſſe ſcribit. Et Zonaras tomo tertio, in uita Michaelis Rangabis: & Paulus Diaconus lib.24. rerum Romanarum, meminerunt ſtellæ crinitæ, quæ ſubinde formam mutarit, & aliquando in hominis ſine capite figura uiſa ſit.

Anno Domini 779. cùm Carolus Magnus cum Agolando Africano manus eſſet conſerturus, pridie in pratis, iuxta fluuium Coiam, haſtæ QVORVNDAM militum in terram defixæ ante caſtra, manè corticibus & frondibus decoratæ inuentæ, iſtis, quorum fuerant, portendere martyrium, quandoquidem in acie omnes ceciderunt. Non ita multo pòſt, cùm eſſet prælium ineundum cum Furre rege Nauarræ, Carolus diuina reuelatione rubeum ſignum crucis in humeris conſpexit eorum MILITVM, qui eſſent in acie perituri. Quod fatum ut auerterent, iſtos in oratoriū quoddam recondidit. At illi etiam in tuto illo loco mortui ſunt. Erford. cap.68.

Mortem LODOVICI II. Imperatoris, ingens cometes ſolito rutilantior præceſſit, & maxima aquarum inundatio. Cuſpinianus.

LODOVICVS Balbus Compendij morte abſumtus eſt, Idibus Aprilis, anno Salutis octingenteſimo octogeſimo, in diuæ Mariæ æde ſepultus. Cuius mortem inſignis Solis eclipſis menſe Octobri præceſſit, adeò denſis tenebris, ut ſtellæ in cœlo in meridie cernerentur. Deceſſit autem, cùm iam regnaſſet imperaſſetque uixdum biennium, ueneno (ut quidam tradunt) è medio ſublatus, grauida relicta uxore. Cuſpinianus.

Anno Domini 1106. cometa uere apparuit mirè lucidus. Inde mors ſecuta eſt HENRICI quarti Cæſaris.

ALBERTVS primus Imperator, quum à nepote ſuo per inſidias confoderetur, crinita ſtella eſt uiſa, anno Chriſti 1301.

Anno



Anno Domini 1264. crinita ſtella ſupra tres menſes apparuit, cuius cauda uirgam referebat, quam ab Oriēte in medium cœlum ſpargebat. CONRADINVS Sueuus, dum regnum hæreditarium Siciliæ petit, à Carolo rege ſuperatur: & captus, ſuaſu Pontificis ſecuri percutitur. Iobus Fincelius de Miraculis.

DVNSTANVS epiſcopus Cantuarienſis, cùm ex ſcurrilibus dæmonis cuiuſdam ante ſe ſaltantis geſticulationibus, Edmundi regis obitum cognouiſſet, ad aulam regiam incitato curſu contendens, in medio itinere de obitu regis certior factus eſt. Vincentius lib 24. cap.71.

Impendente morte ALBERTI epiſcopi Bremenſis necromantici, uiſæ ſunt lacrymæ ex crucibus emiſſæ: porci, caneſque in templo, qui ab altari uix poterant repelli: nec non lupi in ſuburbio Bremenſi gregatim ululantes, horribilique iurgio cum bubonibus certantes, annum circiter milleſimum ſeptuageſimum ſecundum. Crāzius libro quinto, capite decimo Metropoleos.

Anno 1351. grandis ubique per Germaniam ſæuiit peſtis. Lubecæ in conuentu Prædicatorum, audiuit FRATER ex conuerſis, qui curam haberet præ cæteris coquinæ, nocte una ſubter ſe, quum in ſtrato eſſet in hoſpitali domo, ſtrepitum, & interea uocem loquentis ad feneſtram coquinæ, Coce para cibum abituris fratribus. Et ille intus, Quot ſunt tranſituri? Tum ille, Triginta ſex de conuentu, & duo aduenæ cum illis profecturi. Miratus ille intempeſtam euocationem, de lecto ſurgens, intuetur per foramen, in domum hoſpitalem: uidet aſſidere menſæ in albis numerum fratrum, quem audierat, uelatis frontibus, ut fieri ſolet iam tumulandis. Horrens rediit in lectum: nec audebat rem detegere. Sed quum euentus omnia probaſſet, funeratis triginta ſex de conuentu fratribus, & duobus, qui Hamburgo uenerant, tum palàm dixit quid antè uidiſſet. Cranzius lib.8. Vandaliæ, cap.29.

Anno 605. cùm menſe Nouembri cometes conſpectus eſſet, prid. Idus BONIFACIVS III. Pp. obiit. Sigon. l.2. reg. Ital.

Tertio anno ante MALCOLMI II. Scotorum regis necem, hora noctis circiter ſecunda natalis Chriſtiani, terra ingenti omnium cum horrore mota eſt, uaſtuſque hiatus in Sterlingi uicinia ex eo terræ motu factus. Ex eoque ingens uis aquæ egreſſa, magnam proximi nemoris partem ſecum in Fortheam traxit. Mare, ſequuto uere, maiore quàm unquā antea, exundauit æſtu: Die D. Ioannis Baptiſtę ſacro pruina fruges terræ oēs corrupit. Secuta fames ingēs. H. Boëth. l.11.

DVFFVS, Scotorū rex, à Donevaldo, arcis Forenſis in Morauia præfecto, cuius amicos aliquot ob rebellionem ſtrāgulari fecerat, hoſpitaliter exceptus, noctu iugulatus eſt: cadauer extra arcem elatum, in alueo fluuij uicini ſepultum. Donevaldus crimen in cubicularios reiiciēs, eos incautos trucidauit. Cæterùm cùm per totos ſex menſes ſequentes triſti ſemper facie cœlum, nec Solis nec Lunæ ſplendore ornaretur, uentorū procellæ cū tonitru & fulgetris horrendis perſtreperent, ſacrorū hominum ſentētia, nefariam Duffi regis cædem his portentis indicari, nec niſi de ſontibus ſuppliciū eſſet ſumtū, quietura rex Culenus edoctus, ſupplicationib. & ieiuniis indictis, ſacra contingēs, ultimis execrationibus deierauit, ſe haud priùs quieturum, quàm regis Duffi mortem in perfidos Morauos diris pœnis ulciſceretur. Donevaldus, de regis expeditione certior factus, ne torturis cogeretur uerum fateri, clàm coniuge & domeſticis, in Noruegiam tranſmiſſurus, ſuſpicionem flagitij auxit. Ventorum flatu cōtrario in litus reiectus, cum quatuor percuſſoribus ſecuri percuſſus, uiſcera flammis tradita, artus per Scotiam hinc inde in cruces acta. Duffi cadauer poſt ſextum mēſem refoſſum, integrū uiuidoq; colore inuentum. Eo ipſo momento cœlum pulſis nubibus ſerenum factum, ſole lumine inſolito emicante. uicinos quinetiam campos, præter conſtitutionis naturam, multa florum uarietate ferūt ornatos. Amni eo loco, ubi cæſi regis corpus cōditum fuerat, pons, ſed aliquot poſt ſecula, eſt impoſitus. Vico ad pontis terminum Kilflos, hoc eſt, templum florum, nomen inditum. Nunc ibi cœnobium eſt Ciſtercienſium. H. Boëthius lib.11.

Quatuordecim diebus, antequam MALCOLMVS IV. Scotorum rex è uita decederet, Cometa, duobus longiſſimis ardere radiis eſt uiſus. H. Boëthius lib.13.

Quo anno defunctus eſt Gulielmus Scotorum rex, in Martio duo cometæ, humano aſpectui terribiles, alter Solem præcedens, alter ſequens, uiſi ſunt. Sequenti anno peperit bos in Northumbria capite ac collo uitulum, cætera pullum equinum. In autumno uerò lunæ duæ ſeiunctæ patentibus duobus cornibus uiſæ. H. Boëthius lib.13.

ALEXANDER III. Scotorū rex, mortua uxore Ioanna, Mariam comitis Gouerenſis F. duxit. In ipſis nuptiis, cùm pro more ſponſus ſpōſam in chorea, ſubſequente magna feminarū uirorumq; nobilium caterua duceret, in extremo loco effigies hominis mortui (ſceleton uocant) cōſpecta eſt. Rex cæteriq; attoniti, ludis deinceps abſtinuere. Alexandrum & Dauidem & Margaritā, regis Noruegiorū uxorē, ex eo coniugio ſuſcepit. Cæterùm, mortua Mariā, Dauid matrē ſecutus eſt, mox Alexāder, & Margarita, relicta filiola unica. Ipſe tertia uxore ducta, ex equo prçceps ruit, in eoq; ſtirps regia defecit. Eduardus I. Anglorū rex, Margaritę filię paruulā cum regno in uxorē petit. Dum ad eam legati mittuntur, illa moritur. Itaq; ciuile bellum inter Io. Baliolum & Robertum Bruſium, quorum uterq; maternam ſtirpem in Dauidē, regis Scotorū Gulielmi fratrem referebat, ortum. H. Boëth. lib.14. & Card. lib.16. de Var. rerum, cap.93.

HENRICI Leonis Saxonum ducis præſtantiſſ. mortem præceſſit Brunſuicenſis templi primarij fulmine accēſi exuſtio, quòd tamen largo imbre ſedatū fuit, anno 1195. Chron. Sax.

Paulò ante HENRICI II. Anglorum regis mortem, ex quodam lacu in Normannia piſces noctu in terram exiliere, tāto ſtrepitu, ut multi mortales accurrerint illuc uiſum miraculum, nullumque piſcem in lacu ſuperſtitem inuenerint. Polydorus lib.13.

ALEXANDRI Polonorum regis obitum, cometes paucis antè diebus ad Septentriones conſpectus portendit. Quin & globus igneus clariſſimus quadā nocte ſuper turrim curiæ ſenatorię, Cracouię decidiſſe uiſus eſt. Cromerus lib.30.

Anno 1278 circum Cracouiam nocte media, in qua initium noui anni eſt, cœlū clara & nō iniucunda luce ad breue tēpus reſplenduit, principis BOLESLAI Pudici mortem, quod re poſtea comprobatum eſt, portendens. Cromerus lib.9.

CAROLVS III. Hungariæ regno potitus, in Alba regali legitimè coronatus eſt: eodemq; die Nonis Decembris, anni 1387. tantus ſolis defectus apparuit, ut nunquam noſtro ſeculo maior extiterit. quod ad breue tempus regnaturum eſſe portendit. Nam Idibus Februariis proximè inſequutis à factione Mariæ Ludouici primi F. regni hæredis, eiuſq; matris Elizabethæ, in arce Budenſi pluribus uulneribus confoſſus eſt, & Viſſegradum tranſuectus, uigeſimoſeptimo die ueneno periit. Bonfinius lib.9. Decadis 2.

CAROLVS Paruus Neapolitanus rex, Albæ Hungariæ inaugurabatur. Increbeſcente autumno, triduo tam ſæua tempeſtas cœlum inuaſit, ut nimbis & tonitruis omnia quaterentur, deturbarentur domus, & ualida ædificia, homines ac pecora occubuēre. Ipſe à coniuratis pòſt cæſus. Bonfinius libro primo, Decadis 3.

MARTINI Aragonum & Siciliæ regis potentiſſimi mortem eclipſis lunæ & terræmotus ſemel cùm manè ſurgeret, iterum cùm poculum à pincernæ manu accepturus eſſet, prænunciauēre, anno Salutis 1409. Nam cùm dixiſſet, Mors magni alicuius uiri terræmotu ſignificatur: inquit ex intimis quidam, Nunc noſtræ timeo parti. Ad eum rex, Ego nō ſum magnus, ubi adeſt maior: maior me Papa eſt: de illo igitur terræmotus loquitur, non de me. Erat autem tunc Benedictus papa Barcellonæ, ipſe uerò eodem in prædio ſuburbano. Itaq; uiſus eſt minùs ſoluiſſe audientibus quæſtionē terræmotus, quàm innodaſſe. Laur. Valla lib.2. Hiſtor.

Surreius, quem Henricus VIII. Angliæ rex, Gallico bello occupatus, præfectum regni reliquerat, IACOBVM Scotorum regem, anno 1513. uiolato fœdere in Angliam irrumpentem, pugna uictum occidit. Iacobo, qui tertium diem pugnæ conſtituerat, cum ducibus de prælij ratione diſputante, lepus è prætorio proſiliens, ac mille petitus telis, per mediam ſtationem intactus euaſit. Quin & mures ea nocte lorum galeæ fibulamque corroſerunt: & uela interioris tabernaculi ſub auroram ſanguineo rore conſperſa fuēre. Iouius lib.11. Hiſt.

Sub mortem MATHIÆ Coruini regis Hungariæ leones omnes, qui Budæ aſſeruabantur, interiēre. Bonfin. lib.8. Dec.4.

Arſit per aliquot dies ante IOAN. Galeacij Vicecomitis mortem cometes ingens, lurida & funebri oblongaque cauda, uerſus eam cœli plagam, quæ in Corum uentum obuertitur. Nec eo cœleſti prodigio indignus uideri potuit, quum nemo principum in Italia à Gothicis uſq; temporibus repetita memoria, imperij magnitudine & uitæ ſplendore eo clarior atq; potentior extiterit. Iouius in Ioan. Galeacio.

Ludouicus XII. Gallorum rex, ſenex, cum Henrico IIX. Anglorum rege pacem fecit, ducta in uxorē eius ſorore Maria, quæ quinto Idus Octobris, anno Salutis MDXIIII. deducta fuit in Pontiuum, nuptiæ Abbauilld celebratæ. Ludouicus inde Luteriam perrexit, quòd Mediolani recipiendi cauſa iter in Italiam habebat, ibiq; obiit. Sic Maria puella poſt octogeſimum diem, quàm nupſerat, uidua relinquitur. Id quod portendit mala tempeſtas tam terra quàm mari ſubitò orta in eius tranſitu, durauitque ampliùs uiginti diebus, adeò ut omnis puellæ comitatus ualde iactatus longè abiuerit, ac alij ad alia loca delati, tardè ad eam redierint. Polydorus lib.27.

ALFONSVS VI. Aſturum & Caſtellæ rex, uictoriis clariſſimus, longo morbo & ætate confectus erat. Octiduo ante

mortem in natiuitate ſancti Ioannis, hora ſexta, de lapidum ſubſtantia, qui erant in altaris gradibus cæmentati, aqua tribus diebus continuis emanauit. Petrus Legionenſis, & Pelagius Ouetenſis, epiſcopi, cum uniuerſo clero & populo ab eccleſia cathedrali uſque ad altare ſancti Iſidori, ubi hoc acciderat, proceſſerunt, & peracta miſſa, ad locum miraculi acceſſerunt, & ex ipſa aqua cum lacrymis potauerunt. Hinc morte Regis audita, cognouerunt, luctum & lacrymas Hiſpaniæ imminere. Roder. Tolet. l. 6. rerũ Hiſp. c. 35.

Mortẽ LAVRENTII Medicis uaria præceſſere prodigia, uti magnis regibus accidere uidemus: nam & crinita ſtella ſupra tectum Caregiæ uillæ, ubi tum ægrotabat, decidere eſt uiſa. Fulmen quoq; ſubitam ſecum cœli ſerenitatem adducens, pilam auratam, Mediceę familiæ inſigne, & faſtigium è ſumma teſtudine maximi templi, cum terribili ingentium marmorum ruina decuſſit: leoq; omnium qui tum in cauea eſſent, nobiliſſimus, quod ſemper prodigij loco Florentiæ habitum fuit, aliorum ſæuitia laceratus eſt. Iouius in Leone X. libro primo.

Eſt familia nobilis, ac inter primas Parmæ, TORELLORVM nuncupata. poſſident arcem, in qua aula eſt. In ea ſub camino ſolet uideri anus iam centum annis, quoties è familia aliquis obiturus eſt. Referebat mihi aliquando illuſtris matrona Paula Barbiana, quæ ex ea familia erat, dum unà cœnaremus Belzoioſij, quandam puellam ęgrotaſſe: uiſa anu, exiſtimaſſe omnes illam perituram. at contrà accidit: ſeruata enim eſt: ſed alius incolumis, repentè è familia mortuus eſt. Referunt, hanc anum olim fuiſſe prædiuitem, & ob pecunias interfectam à nepotibus ſuis, & in fruſta diuiſam, proiectamque in latrinam. Cardanus de Rerum uarietate libro 16. capite 93.

In ripa riui Conſote in Occidentali INDIA, duobus millibus paſſuum diſtantis à Carthagine, urbe Peru, cùm mulieres lauarẽt, ut moris eſt, apparuit uir auguſta forma, exenteratis uiſceribus, uentreq; diſſecto, infantes duos in ulnis gerens, qui puellis dixit, Chriſtianæ omnes mulieres peribũt, maiorq; pars ueſtrûm: ſubitoq; euanuit. Riſere mulieres, nec expauerunt, quòd multæ unà eſſent, ſolq; meridiaret, & uiri etiam Indi adeſſent. Viſum eſt & hoc ſpectrum, ſed equo inſidens, per montium iuga uento ocyùs diſcurrere. Subſequuta mox peſtis, quę mulieres Indas, & maximè quę iam Hiſpanis & Chriſtiano nomini adhæſiſſent, ad unã fermè perdidit. Mulieres uerò per id temporis pueriq; multi Indi affirmarũt, plurimos ſe uidiſſe è ſuis q antea obiiſſent. Cardanus de rerum uarietate lib. 15. cap. 81. ex P. Ciezæ Tomo 1. hiſtoriarum Peru, cap. 24.

Anno Domini 1477. cometes emicuit fuſcus, & CAROLVS Burgundus ad oppidum Nanceium prælio uictus ab Heluetiis, occiſus eſt.

MAHOMETO II. dum tertiò Rhodum oppugnare cogitat, ferunt in ſyluis comparuiſſe iuuenem inter ramos forma auguſtiore, humanam ſpeciem excedente, ornatum ueſte candida, manu enſem ſtrinxiſſe, necemq; tyrãno minitaſſe, atque dixiſſe: Hoc te confodiam enſe. Quo uiſo uſqueadeò expauit, atq; metu perculſus concidit, ut quaſi furore attonitus, fœtidam repentè euomuerit animã. Apparuit eo die ſignum crucis in cœlo, quo fruſtrà Turci turrim in Rhodo globeo ſaxo concuſſerunt, cùm mors Mahometi intellecta eſt. Cuſpinianus. Eodem die Rhodiacus portus ita marinis fluctibus repentè eſt deſtitutus (quando alioquin miræ eſſet profunditatis) ut naues, quæ in portu ſtabant, in ipſis uadis uelut in ſicco euerſæ ſint. Sabellicus lib. 1. Dec. 4.

MAVRICIVS Elector, dux Saxoniæ, anno Chriſti 1553. antequam occumberet in prælio contra Marchionem Albertum, pridie uentus uehemens, illius conuulſit & diſrupit duo tentoria: alterum, in quo prandia & cœnas ſumebat, alterum, in quo culinaria res adminiſtrabatur. Et eodem tempore, prope Lipſiam pluuia ſanguinea cecidit. In arce Perlini de ſtatua eius caput ſua ſponte auulſum. Ioachimus Camerarius in orat. funeb. Mauricij.

ANT. VRCEVS Codrus Grammaticus Brixienſis, nocte, quam ultimam in terris egit, uidebatur ſibi uidere quendã ingenti magnitudine, capite raſo, barba ad terram uſque promiſſa, ardentibus oculis, faces in utraque manu geſtantem, ac toto corpore tremebundum: eumque his allocutus eſt uerbis: Quiſnam tu es, qui ſolus furiali habitu, ea noctis parte, qua mortales ſomno altiſſimo premuntur, deambulas? noli ad me, qui Dei amicus ſum, infeſtus accedere, effare quid quæras, quò ire pergas? Hæc cùm dixiſſet, è ſtrato proſiluit, quaſi illum in ſe irruentẽ uitaturus. Bartholomæus Bononienſis in eius uita.

IACOBVS Donatus, patricius Venetus ac diues, cùm nocte quadam cum uxore dormiens cereum accenſum haberet, atq; in curuli lecto dormirẽt duæ nutrices cum infante, qui nondum annum expleuerat, uidit oſtium cubiculi ſenſim aperiri, inde hominem neſcio quem, caput intromittere: uiderant autem & nutrices, ſed nemo faciem illius agnouit. Territus adoleſcens, ut par erat, ſurrexit, arripuit enſem clypeumq;, nutrices ſingulæ cereos magnos: it in aulam, quæ contermina erat cubiculo, ibi clauſa omnia. Reuertitur magna cum admiratione. Infantulus, qui incolumis erat, altera die mortuus eſt. Cardanus de Rerum uar. lib. 16. c. 93.

*Somnia.*

EVNVCHVS & piſtorum magiſter Pharaonis, in carcerẽ coniectus, ſomno uidit ſe habere tria caniſtra farinæ ſuper caput ſuum, in quorum uno excelſo portaret omnes cibos, qui fierent manu piſtorum, aueſque comederent ex eo. Interpretatus eſt Ioſephus: Tria caniſtra tres adhuc dies ſunt, poſt quos auferet rex caput tuum, & ſuſpendet te, & lacerabunt uolucres carnes tuas. Quod tertio demùm die factum eſt. Geneſis quadrageſimo capite.

VLYSSES poſt reditum in patriam, territus crebris ſomniis aduerſis, interpretes peritiſſimos conuocauit, narrans uiſum ſibi ſæpiùs ſimulacrum quoddam, inter humanum diuinumque uultum formæ perlaudabilis, ex eodem loco repentè edi. Quod complecti ſummo deſiderio cupienti ſibi, porrigentique manus, reſponſum ab eo humana uoce, ſceleratam huiuſmodi coniunctionem, quippe eiuſdem ſanguinis atque originis: nanque ex eo alterum alterius opera interiturum. Dein percontanti ſibi uehementiùs, cupientiq; cauſas eius rei perdiſcere, ſignum quoddam mari editum, interuenire uiſum: idque ſecundùm imperium eius in ſe iactum, utrunque diſiunxiſſe. Quam rem cuncti, qui aderant, exitialem uno ore pronunciarunt, monentes, caueret ab inſidiis filij. Ita ſuſpectus patris animo Telemachus, in agros, qui in Cephalenia erant, relegatur. Ipſe ſecedens in loca abdita ſemotaq;, ſomniorum uim euitare nitebatur. Per idem tempus Telegonus, quem Circe editum ex Vlyſſe apud Ææam inſulam educauerat, ubi adoleuit, ad inquiſitionẽ patris profectus, Ithacam uenit, gerens manibus quoddã haſtile, cuius ſummitas marinæ turturis oſſe armabatur: inſigne ſcilicet inſulæ eius, in qua ipſe editus erat. Edoctus ubi pater Vlyſſes ageret, per cuſtodes agri ſuſpectior primo aditu prohibitus, ubi uehementiùs perſtat, è diuerſo repellitur, clamare occipit, indignum facinus, prohiberi ſe à parentis complexu. Ita creditum Telegonum ad inferendam uim regi aduentare, acriùs reſiſtitur: nulli quippe compertum, eſſe alium etiam Vlyſſi filium. At iuuenis, ubi ſe uehementiùs & per uim repelli uidet, dolore elatus, multos cuſtodum interficit, aut grauiter uulneratos debilitat. Quæ poſtquam Vlyſſi cognita ſunt, exiſtimãs iuuenem à Telemacho immiſſum, egreſſus forâs, lanceam, quam ob tutelam ſui gerere cõſueuerat, aduerſum Telegonum iaculatur. Poſtquam huiuſmodi ictum iuuenis ſubterfugit, ipſe in præſentem inſigne iaculum mittit. Vbi eo ictu Vlyſſes concidit, gratulari cum fortuna, confiteriq; optimè ſecum actum, quòd per uim externi hominis interemtus, parricidij ſcelere Telemachum cariſſimum ſibi liberauiſſet. Dein reliquum adhuc retentans ſpiritum, iuuenem percontari, quiſnam, & ex quo ortus loco, qui conſilio belloque inclytum Vlyſſem Laertis filium interficere auſus eſſet? Telegonus tum cognito, parentem eſſe, utraque manu dilanians caput, fletum edit quàm miſerabilem, maximè diſcruciatus ob illatã per ſe patri necem. Dictys libro 6.

PINDARI ſomnium de morte, pete ex Tit. *Diuinatio per Inſomnia aperta & nuda.*

CROESVS rex Lydorum, per quietem è duobus filiis, & ingenti agilitate & corporis dotibus præſtantiorẽ, imperiiq; ſucceſſioni deſtinatum Atym, exiſtimauit ferro ſibi ereptũ. Itaq; quicquid ad euitandam denunciatæ cladis acerbitatem pertinebat, nulla ex parte, patria cura ceſſauit auertere. Solitus iuuenis ad bella gerenda mitti, domi detentus eſt. Habebat armamẽtarium omnis generis telorum copia refertũ, id quoq; amoueri iuſſit. Gladio cinctis comitibus utebatur: uetiti ſunt propiùs accedere. Neceſſitas tamẽ aditum luctui dedit. Cùm enim ingentis magnitudinis aper, Olympi mõtis culta, crebra cum agreſtium ſtrage uaſtaret, inuſitatoq; malo regium imploratum eſſet auxilium, filius à patre extorſit, ut ad eum opprimendum mitteretur: eo quidem faciliùs, quòd non dentis, ſed ferri ſæuitia in metu reponebatur. Verùm dum acri ſtudio interficiendi ſuem omnes ſunt intenti, pertinax caſus imminentis uiolentiæ lanceam, petendę feræ gratia ab Adraſto miſſam, in eum detorſit: & quidem eam potiſſimùm dexteram, nefariæ cædis crimine noluit aſpergi, cui tutela filij à patre mandata erat: quamq; Crœſus imprudentis homicidij ſanguine uiolatã, hoſpitales ueritus deos, ſupplicẽ ſacrificio expiauerat. Val. lib. 1. cap. 7. & Herodotus lib. 1.

Duo familiares ARCADES iter unà facientes, Megaram uenerunt: quorum alter ad hoſpitem ſe contulit, alter in tabernam meritoriã diuertit. Is qui in hoſpitio erat, uidit in ſomniis comitem ſuum orantẽ, ut ſibi cauponis inſidiis circum-

uento



uento ſubueniret: poſſe enim celeri eius accurſu ſe imminẽti periculo ſubtrahi. Quo uiſo, excitatus proſiluit, tabernámque, in qua is diuerſabatur, petere conatus eſt. Peſtifero dein de fato eius humaniſſimum propoſitũ tanquam ſuperuacuum damnauit, & lectum ac ſomnũ repetiit. Tum idem ei ſaucius oblatus obſecrauit, ut qui uitæ ſuæ auxilium ferre neglexiſſet, necis ſaltem ultionem nõ negaret: corpus enim ſuum à caupone trucidatum, tum maximè plauſtro ferri ad portam ſtercore coopertum. Tam conſtantibus familiaris precibus compulſus, protinus ad portam cucurrit, & plauſtrum, quod in quiete demonſtratum erat, comprehendit, cauponemq; ad capitale ſupplicium perduxit. Val. Max. lib. 1. cap. 7. Cic. lib. 1. de Diuin. ex Chryſippo.

Macedoniæ rex ALEXANDER, Caſſandri peſtiferã ſibi dexterã ſomnio priùs cognouit, quàm exitu ſenſit. Exiſtimauit enim ſe ab illo interfici; cùm eum nunquam uidiſſet. Interpoſito deinde tempore, poſtquam in conſpectum ueniſſet, nocturni metus patefacta imagine, ut Antipatri filium eſſe cognouit, adiecto uerſu Græco, qui fidem ſomniorum eleuat, præparati iam aduerſus caput ſuum ueneficij, quo occidiſſe Caſſandri manu creditur, ſuſpicionem animo repulit. Val. Max. lib. 1. cap. 7. Sab. lib. 6. En. 4.

APOLLODORVM tyrannũ ferũt in ſomnio uidiſſe excoriari à Scythis ſe, mox elixari, cor aũt ex lebete, miſſa uoce dicere: Ego tibi horũ auctor ſum. Iterũ filias flagrantib. corporibus in orbẽ circa ipſum currẽtes. Plut. de Tarda dei uindicta.

Captis Athenis ab Antipatro, Archias Thurius Antipatri regis ſatellitũ dux, ad Demoſthenẽ, in Calauria ſupplicẽ in delubro Neptuni ſedẽtem, nauigiis actuariis traiecit: eiq; ſuadere inſtitit, ut ſurgeret, ac ſecũ pergeret ad Antipatrũ, nihil ei mali metuendũ eſſe. Inſomniũ DEMOSTHENES illã nocte nouũ habuerat. Viſus eſt ſibi tragœdiam agere, & aduerſus Archiã certare: quãquã aũt placeret & delectaret ſpectatores, apparatus eſſe tamen & ſumtus inopia inferior. Itaq; cùm multa Archias benigna uerba adferret ei, ſuſpiciens, ut ſedebat, in illum: Nec hiſtrio, inquit, Archia me mouiſti unquã, nec nunc mouebis promiſſor. Excandeſcẽti ob id atq; minãti Archiæ: Suſtine, inquit, quæſo parumper, dũ nõnihil domũ ſcribã. Sic fatus receſſit in interiora templi, ſumtoq; quem in calamo geſtabat ueneno, iterũ egreſſus eſt, & pauca locutus concidit & expirauit. Plut. in Demoſthene.

Paulo antè quàm ARISTOTIMVS Elienſium tyrannus à cõiuratis interfectus eſt, uiſus eſt Hellanico coniuratorũ principi alter filiorũ defunctorũ aſſiſtẽs ipſum affari: Quid hoc rei eſt, pater? nunc ſomno indulges, cùm cras huius urbis prætor ſis futurus? Hoc oſtento is corroboratus accendit cęteros. Ariſtotimus nuncio accepto Craterũ magna cum manu ſuppetias ferentem, caſtra in Olympia metatũ eſſe, tantũ animi ſumſit, ut ſine ſtipatoribus cum Cylone in forũ prodiret. Vt uidit opportunitatem Hellanicus, ſigno, quod ei cũ illis conuenerat, qui hominẽ aggreſſuri erant, omiſſo, clara uoce atq; ambabus manibus ſublatis exclamat: Quid ceſſatis uiri fortes? præclarum theatrũ eſt in media patria decertare. Mox Cylon ſtricto gladio quendam ex Ariſtotimi aſſeclis ferit. Cùm Thraſybulus & Lampis infeſti ſe in eum inferrent, occupauit Ariſtotimus in delubrum Iouis confugere. Ibi eum oppreſſerunt, cadauer in forum abiecerunt, ciues uocarunt ad libertatem. Plut. de Virt. mul.

Cùm Athenienſes & Antigonus inter ſe bellum gererent, in Piræo degens PHILEMON Comicus iam centenarius, in ſomnis uidit uirgines nouem ex ædibus ſuis exeũtes, quas interrogare ſibi uidebatur, Quid ſibi uellent, quòd à ſe recederent? Videbatur autem illas dicentes audire, ſe foras prodire: nefas enim eſſe ſibi auditu. Eo ſomno ſic finito experrectus, puero narrat omnia quę uiderat, & omnia quæ audiuerat, & quæ dixerat. Deinde comœdiæ, cui ſcribendæ intentus erat, reliquum abſoluit: & inuolutus, quietè dormiebat. Ac ij qui intus erant, eum dormire putabant. Sed cùm id diutiùs duraret, detecta facie, mortuum uiderunt. Adfuerant igitur, Epicure, Philemoni etiam nouẽ Muſæ: & cùm fato decretum atq; ultimum illud iter ingreſſurus eſſet, ab illo diſceſſerunt. Diis enim nullo modo licitũ eſt uidere mortuos, etſi ſint planè amici, neq; oculos inquinare. Tu autẽ, fatue, negas ipſos habere noſtri rationem. Sic Aelianus in libro de Prouidentia apud Suidam.

MARDONIVM Perſarum ducem, prælio ad Platæas commiſſo, Spartiates quidam, nomine Arimneſtus, capite eius lapide icto, peremit, ut prænunciauerat ei in fano Amphiarai oraculum. Nam eò Lydum quendã miſerat Mardonius, alium Carem ad Trophonij. Huic uates lingua Carica reſponſum reddidit. Lydus in Amphiarai adyto ſopitus uiſus eſt uidere dei miniſtrum, qui ipſum uoce reiiceret primùm, quaſi non adeſſet deus: deinde impelleret manibus, ac reſtitantis correpto immani lapide caput feriret. Hæc quaſi ſponſio fuit conſequentiũ. Siquidem ſuccubuit Mardonius, cùm non rex, ſed regis diſpenſator & miniſter Græcos duceret: ac lapide ictus cecidit, ſicut uiſus eſt in ſomniis cædi Lydus. Plut. de Oraculorum defectu, & in Ariſtide.

Sub excidium Meſſenæ, uigeſimoprimo anno belli, ARISTODEMVS rex Meſſeniorũ per quietem uiſus eſt uidere, cùm eſſet armis iam ſumtis ad pugnam exiturus, uictimarũ extis in menſa appoſitis, filiã (quã ante ſexennium pro patriæ ſalute deuotam ſuis manibus interfecerat) in pulla ueſte aſſiſtentẽ, & nudato pectore uulnera oſtentantem: deinde diſturbatis è menſa extis, detractis armis, ab ea aurea ſe corona & albis ueſtimentis donari. Mortem itaq; ſibi ſomniũ hoc portendere arbitratus eſt, quòd Meſſenij optimates coronatos & candida ueſte uelatos efferunt. Nec mora: cùm filiæ deuotione patriæ ſe nihil profuiſſe uideret, ad filiæ tumulum ſibiipſi mortem conſciuit. Pauſanias in Meſſenicis.

Cleomenes Leonidę F. ſtatum reip. Spartanæ mutaturus, quia id in bello magis quàm otio ſe conſecuturũ arbitrabatur, Lacedæmonios bello Achaico implicuit. Crebris aũt de hoſte uictoriis clarus, Spartam clàm proficiſci, & Ephoros tyrannide ſua etiam regibus imperantes tollere decreuit. Per eoſdem fortè dies VNI ex Ephoris in fano Paſiphaes dormienti mirum ſomnium fuit oblatum. Videbatur ei, quo loco conſidere Ephoris ſolenne eſt ad ius dicendum, una ſella poſita, & quatuor ſublatæ. Cùm obſtupeſceret, uox ex fano reddita, quæ id diceret Spartæ conducibilius eſſe. Hanc uiſionem narrante Cleomeni Ephoro, primùm perculſus fuit, pertentari ſe ex aliqua ſuſpicione ratus. Vt fides facta ei eſt non fingere narrantem, confirmatus eſt, & Spartam cum mercenariis ingreſſus, Ephoros interfecit, & rempub. ad æqualitatem reduxit. Plut. in Cleomene.

PAVSANIAS, Lacedæmoniorũ rex, uirginẽ ingenuã Byzantiam Cleonicen ad ſtuprum acciuit, ut ea per noctem potiretur. Quam, cùm acceſſiſſet, ex perturbatione quapiã & ſuſpicione interfecit. Eã frequẽter uidit in ſomnis ſibi dicentẽ:

Tu cole iuſtitiam, teq; atq; alios manet ultor.

Cùm hæc uiſio nõ ceſſeret, nauigauit Heracleã ad pſychomantium: ubi cùm placaſſet manes inferiis & libamentis, exciuit puellæ animam. Venit illa in eius conſpectũ, ac defuncturum illis malis oſtendit, cùm Lacedæmonem ueniſſet. Quo ut uenit, expirauit. Plut. de Tarda dei uindicta.

ALCIBIADES ſomnum capiens, pallio amicæ ſuæ ſe coopertum in ſomno putauit. Cuius ſomnij ueritas mox ſecuta eſt. Critias enim, cùm uideret Alcibiadem plurimùm gratia & auctoritate ualere, operam dedit ut de medio tolleretur. Miſit igitur Tiſimenum (uel, ut alij nominant, Suſametrem) & Bagoum, ut eũ interficerent. Ille cùm apud amicam eſſet, in eius gremio interfectus, & inſepultus abiectus, amicæ ſuæ ueſtimento contectus eſt. Iuſtin. lib. 5. Val. Max. lib. 1. cap. 7. Plutarchus, & Probus in eius uita.

Polycratis Samiorum tyranni FILIA, uidebatur ſibi cernere per quietem, patrem in aëre ſublimem eſſe, qui à Ioue quidem lauaretur, à ſole autem inungeretur. Hac uiſione territa, patrem monebat, ne ad Orœtem Cambyſis præfectum Sardis proficiſceretur. At ille dicto non parens, ab Orœte cruci affixus eſt. Herodotus lib. 1.

HIPPARCHO, Piſiſtrati filio, in ſomnis obiecta eſt uiri proceri imago, hos uerſus pronunciantis:

τλῆθι λέων ἄτλητα παθὼν τετληότι θυμῷ·
οὐδεὶς ἀνθρώπων ἀδικῶν τίσιν οὐκ ἀποτίσει.

Manè ad ſomniorũ cõiectores hęc referre uolebat. Sed mox ſpreta uiſione, neglexit, & in pompam prodiit, ubi ab Ariſtogitone & Harmodio Gephyræis fuit interfectus. Herodotus lib. 5. Vidit idem Venerem ſibi ſanguinem è phiala in faciem effundentem. Plut. de Tarda dei uindicta.

CIMON Athenienſis, cùm contra Perſas expeditionem moueret, claſſe iam parata, ſomnium tale habuit. Canis irata ipſum allatrare uiſa eſt, & uocem inde ex humana & canino latratu confuſam edere, in hæc uerba:

Vade, mihiq;, meis catuliſq; futurus amicus.

Aſtyphilus ergo Poſidoniates, diuinus homo, & Cimonis familiaris, mortem ei prędici aſſeruit, hoc uſus argumento: Canis homini quem allatrat inimicus eſt: inimico autem nemo carus eſt, aut amicus, niſi quando moritur. Porrò mixta uox, Medum hoſtem deſignat, cuius copiæ ex Gręcis & Barbaris mixtæ ſunt. Somnium uerum fuiſſe, exitus comprobauit. Non multo pòſt enim Cimon morbo in obſidione Citij periit. Plutarchus in eius uita.

Quum in ſomnis quidam SOCRATI uiſus eſſet Homericum uerſum recitare:

ἤματι μὲν τριτάτῳ φθίην ἐρίβωλον ἵκοιο,

Ad Phthiam uenies, ſimulac lux tertia ſurget:

Aeſchini dixit, Tertio die moriar. Phthia erat patria Achillis: & amici conabantur perſuadere Socrati, ut in Theſſaliã fugeret, quòd illic haberet bonos amicos. At ille φθίην, ἀπὸ τοῦ φθίνεσθαι deduxit, & tertio pòſt die, hauſta in carcere cicuta periit. Laertius in eius uita.

Cùm Romani quondam iniquis locis à Samnitibus circum-

cluſi grauiter urgerētur, P. DECIVS, tunc tribunus militū, uiſus ſibi eſt in ſomnis inter denſiſſimos cuneos occumbe-re, multa moriens gloria. Quo ſomnio animatus, nullū periculi genus declinare cepit. Et tunc quidem præter opinionem illæſus, ſaluum exercitum è faucibus hoſtium eduxit. Verùm triennio pòſt; bello Latino Coſ. ipſe ſe pro Rep. deuouit: & in medias inimicorum acies inuectus, tanta gloria oppetiit, ut filium ad ſimile mortis hæreditariæ deſiderium excitaret.

C. GRACCHVS, Tiberij fratris, in ſeditione legis Agrariæ interfecti, effigiem in ſomno uidit, dicentis: quantum uellet cunctaretur, tamen eodem ſibi letho, quo ipſe interiiſſet, eſſe pereundum. Quod etiam accidit. Cùm enim poſt leges pernicioſiſſimas promulgatas Auentinum montem cū multitudine armata occupaſſet, à L. Opimio occiſus eſt. Cicero libro 1. de Diuinat. Valer. Max. lib. 1. cap. 7. Plutarchus in uita Gracchorum.

ATTERIVS Ruffus, eques Romanus, cùm gladiatorium munus Syracuſis ederetur, inter quietem, retiarij ſe manu confodi uidit. Idq; poſtero die in ſpectaculo conſeſſoribus narrauit. Incidit deinde, ut proximo ab equite loco retiarius cum mirmillone introduceretur. Cuius cùm faciem uidiſſet, idem dixit, ab illo retiario trucidari putaſſe, protinúſque inde diſcedere uoluit. Illi ſermone ſuo, metu eius diſcuſſo, cauſam exitij miſero attulerunt. Retiarius enim in eum locum compulſo mirmillone, & abiecto, dum iacentem ferire conatur, tranſiectum gladio Atterium interemit. Valer. Max. lib. 1. cap. 7.

L. Corn. SYLLA, biduo ante quàm excederet, uidit filiū ſuū, qui paulò ante Metellum obierat, per ſomnium obſoleta in ueſte ſibi aſſiſtere, ſeque orare, deponeret ſolicitudines, pergeretque ſecum ad matrem Metellam: ibi quiete cum illa in otio uicturum. Plut in Sylla.

C. IVLIVS, Cæſar, non multo antè quàm interiret, in ſomnis modò ſupra nubes uolitare, modò dextram Ioui iungere ſibi uiſus eſt. Suetonius. Quinetiam nocte eadem cùm in lecto ſuo cubaret, omnibus cubiculi ianuis pariterque feneſtris patefactis, exterritus eſt ſimul ſtrepitu & lumine, & Calpurniam uxorem, ſplendente luna aduertit arctè ſopitā uoces obſcuras ſuſpiriaque edere indiſcreta. Imaginabatur illa lugere ſe eum, quem in gremio teneret confoſſum. Eam uiſionem alij negant ei oblatam: ſed cùm Cæſaris ædibus eſſet ex ſenatuſconſulto adiunctum, ut auctor eſt Liuius, uelut ad ornamentum & amplitudinem pinnaculum, id per quietem imaginata collabi Calpurnia, uidebatur ſibi ideo lamentari & lacrymari, ac cùm lux appetiſſet, rogauit Cæſarem, ſi qua fieri poſſet, ne prodiret, ſed in aliud tempus reiiceret ſenatum. Quod ſi ſomnia ſua floccipenderet, ad aruſpices hoſtiaſque conſuleret de impendentibus. Vnde fuit aliqua illi quoque, ut uidetur, oblata ſuſpicio & metus: quippe ſuperſtitionem nullam animaduerterat antè muliebrem in ea, quam tum uidebat anxiam. Vt uerò multis iam cæſis hoſtiis renunciauerunt ei aruſpices, litari non poſſe, ſtatuit miſſo Antonio ſenatum dimittere. Interea D. Brutus, Albinus cognomento, quem Cæſar ob fidem, quam ei habebat, in ſecundis hæredibus ſcripſerat, cùm coniurationis alterius M. Bruti & Caſſij conſors eſſet, ueritus, ne ſi diem illum exemiſſet Cæſar, res efferretur: irriſit aruſpices, Cæſaremque caſtigauit, & manu prehenſum eduxit. Plutarchus in Cæſare.

Cæſare interfecto, populus coniuratos requirebat abditos. Helius CINNA poëta ex amicis Cæſaris, ſomnium horrendum priore nocte habuerat. Videbatur ſibi ad cœnam inuitari à Cæſare: cùm renueret autem, manu ab eo inuitus & reluctans duci. Hic audito Cæſaris corpus in foro cremari, etſi uiſionem ſuſpectam habebat, & tenebatur etiam febre, honoris illius cauſa in forum profectus eſt. Vt conſpectus eſt, nomen quidam ex plebe quærenti alteri dixit, ille alteri. Mox omnes perſuaſit, unum hunc eſſe ex Cæſaris percuſſoribus. Erat enim in cōiuratis alius illi cognominis Corn. Cinna: quem quòd exiſtimarent hunc eſſe, impetu cōfeſtim facto, in ipſo foro eum dilacerauerunt. Plutarchus in Cæſare & Bruto.

TIBERIVS Cæſar, ſupremo natali ſuo Apollinem Temenitem, & amplitudinis & artis eximiæ aduectum Syracuſis, ut in bibliotheca noui templi poneretur, uiderat per quietem affirmantem ſibi, Non poſſe ſe ab ipſo dedicari. Suetonius.

Pridie quàm periret, ſomniauit CAIVS Cæſar conſiſtere ſe in cœlo iuxta ſoliū Iouis: impulſumq; ab eo dextri pedis pollice, & in terras præcipitatum. Suetonius.

GLAPHYRA, Archelai regis Cappadocum F. uirgo nupſerat Alexandro Herodis filio, fratri Archelai, qui patri ſucceſſit. Alexandro à patre occiſo, iterum nupſit Iubæ regi Mauritaniæ. Hoc quoq; defuncto, uiduam apud patrem agentem in Cappadocia duxit Archelaus tetrarcha, repudiata Mariamme priore coniuge, tanto ardebat amore Glaphyræ. Huic degenti cum Archelao tale ſomnium obuerſatum eſt. Viſa ſibi eſt Alexandrum uenientem complexu excipere præ gaudio. Illum uerò expoſtulantem dicere, Confirmaſti Glaphyra uulgare illud dictum, Non eſſe fidendum mulieribus: quæ uirgo mihi coniuncta matrimonio, & cōmunium liberorum parens, oblita noſtri amoris, capta es ſecundarū nuptiarū deſiderio. Ac ne ea quidem contumelia contenta, auſa es cum tertio cubare ſponſo, turpiter & impudenter ingreſſa meam familiam, & nupta Archelao, fratrem meum habere maritum ſuſtinens. At ego nō obliuiſcar ueteris tuæ beneuolentiæ, teq; liberabo ab hoc opprobrio, mihique te meam uindicabo. Hoc ſomnium cùm illa expoſuiſſet apud quaſdam familiares ſibi mulieres, poſt paucos dies uita functa eſt. Ioſephus lib. 17. cap. ultimo.

POLYCARPVS, D. Ioannis euangeliſtæ diſcipulus, puluinar cui indormiebat, comburi in ſomnis uidit. Igne itaque pro Chriſto ſibi moriendum eſſe affirmauit. Fulg. lib. 1 cap. 5.

NERO, deſciſcentibus ſubinde prouinciis, terrebatur euidentibus portentis ſomniorum, & auſpiciorum, & omnium, tū ueteribus tum nouis: nunquam anteà ſomniare ſolitus. Occiſa demùm matre, uidit per quietem nauem ſibi regenti extortum gubernaculum: trahique ſe ab Octauia uxore in arctiſſimas tenebras. Et modò pennatarum formicarū multitudine oppleri: modò à ſimulacris gentium ad Pompeii theatrum dedicatarum circuiri, arcerique progreſſu: Aſturconem, quo maximè lætabatur, poſteriore corporis parte in ſimiæ ſpeciem transfiguratum, ac tantùm capite integro hinnitus edere canoros. Suetonius.

GALBA Imp. paulò ante ſuum interitum, monile margaritis gemmiſque confertum ad ornandam Fortunam ſuam Tuſculanam ex omni gaza ſecreuerat. Id repentè, quaſi auguſtiore dignius loco, Capitolinæ Veneri dedicauit. At proxima nocte in ſomnis uiſa eſt Fortuna conqueri de monili erepto: & ſeriò minari, ſeſe quoque ea quæ dediſſet erepturam. Inſomnio territus Imp. ſummo mane præmiſſis, qui rem diuinam appararent, in Tuſculanum excurrit: nihilque inuenit præter tepidam in ara fauillam, atratumque iuxta ſenem in catino uitreo thus tenentem, & in calice fictili merum. Suetonius.

Mineruam, quam ſuperſtitioſè colebat, ſomniauit excedere ſacrario DOMITIANVS, negātem ultrà ſe tueri eum poſſe, quòd exarmata eſſet à Ioue. Suetonius. IDEM ſomniauit, ruſticum cum gladio accedere: & Mineruam, quæ in eius cubiculo collocata erat, arma abiicere, eandemque ex curru, qui nigris equis trahebatur, in magnum hiatum deſcendere. Mox ab inſidiatoribus ſuis interfectus eſt. Xiphilinus in eius uita.

ANTONINVS Caracalla Imp. paulo antè quàm à Martiale tribuno militum gladio confoderetur, & profectionem ex Antiochia pararet, pater Seuerus ei cum gladio aſtitit in ſomnis, aitque: Quemadmodum tu fratrem Getam interfeciſti, ita ego te interficiam. Dion.

CONSTANTIVS, noctu nondum penitus merſus in ſomnum, umbrā uidit patris obtuliſſe pulcrum infantē: eumq; ſuſceptum & locatum in gremio ſuo, excuſſam ſibi proieciſſe longiùs ſphærā, quam ipſe dextera manu geſtabat. Subinde confeſſus eſt conuictoribus proximis, genium ſuum, quem interdum ſibi adeſſe ſolus uidere poterat, ſe uidere deſiuiſſe. Nec multo pòſt Mopſueſtiæ obiit. Marcellinus lat.

IVLIANVS Apoſtata uidit nocturna (ut gloriabatur) quiete de morte Conſtantij Imp. tale oraculum:

Iuppiter extremos cùm accedere fines Aquari,
Virginis ac partem Saturnus tangere quintam, &
Bis decimam incipiet, Aſiæ regnator obibit
Mortem acrem, & luctu plenam Conſtantius alto. Cuſp.

AMICVS quidam Iuliani, cùm ad eum in Perſia exiſtentem properaret, & in loco quodam uiæ publicæ diuertiſſet, ac penuria domeſtici hoſpitij coactus, in Eccleſia, quæ illic erat, dormiret: noctu ad eum, ſiue uigilantem ſiue dormientem, multi ex apoſtolis & prophetis congregati, de contumelia Imperatoris aduerſus Eccleſias cōqueſti ſunt, ac quid faciendum eſſet, inter ſe conſultauerunt: & poſtquā ea de re multis deliberaſſent, ac ueluti perplexi eſſent, duo in mediū ſurgentes, alioſq; bono animo eſſe iubentes, ac feſtinanter tanquā ad deſtruendū Iuliani imperium properātes, conciliū illud reliquerunt. Homo ille, rerū iſtarū admirabilium ſpectator, ſuſceptū iter deinceps negligens, ut quis eſſet uiſionis illius futurus exitus uideret, rurſus eodem loco dormiuit, iterumq; eundem conuentum uidit. Ad quem ſubitò ueluti ex itinere reuerſi, ingreſſi ſunt illi qui præterita nocte contra Iulianum pugnaturi diſceſſerant, ac reliquis annunciarunt, eſſe eum occiſum. Sozomenus lib. 6. cap. 2.

CONSTANS Imperator, Monothelitarum patronus, & Orthodoxorum perſecutor, cùm in Siciliam nauigaret, ſomnium habuit, ſe Theſſalonicæ eſſe. Augur amiſſionem imperij id portendere aſſeruit: quaſi diuinitùs eſſet ſignificatum, θὲς



θὲς ἄλλῳ νίκην. Neq; uerò multo pòſt in Saracenorum inſidias incidit, claſſeq; amiſſa uix effugit. Tandem in Siciliam reuerſus, à ſatellite quodam, dum ſapone gallico in balneo illiniretur, ſitula interfectus eſt. Paulus Diac. lib. 19.

VALENTINIANVS I. Imp. nocte antè quàm apoplexia ſuffocaretur, per quietem uidit coniugem ſuam abſentem ſedere paſſis capillis, amictu lugubri. Quam Marcellinus lib. 30. interpretatur, Fortunam illius fuiſſe iam ab eo receſſurā.

DIDYMVS Alexandrinus cæcus, uir doctiſſimus, ieiuniis aſſiduis & orationibus in templo Deum rogabat, ut Iuliani apoſtatæ perſecutionem inhiberet. Ieiunans ergo in ſomnum incidit, ac uelut in ecſtaſim raptus, uiſus eſt ſibi uidere equos albos in aëre curſitantes, & eos qui illis inſidebant, quaſi præconis uoce acclamantes: Nunciate Didymo, hoc die, hac hora, occiſum eſſe Iulianum: & is Athanaſio epiſcopo hoc ſignificet. Expergefactus, cum gaudio cibum ſumſit. Euentus deinde uerum fuiſſe ſomnium oſtendit. Sozom. libro 6. cap. 20.

Duo PRESBYTERI Sidonium, Auernorum epiſcopum, epiſcopatu deiicere conabantur, & poteſtatem iam ei Eccleſiæ eripuerant: cumq; alter ſub ueſperam optimo ſeni minatus eſſet, ſe eum eccleſia eiecturum: mane eccleſiam ingreſſurus, prius aluum exonerare uolens, cum ſordibus ſimul animam egeſſit. Alterius ultio poſt mortem Sidonij accidit. Nam cùm mortuo Sidonio triumpharet ille, & diuino iudicio ſe digniorem epiſcopatu fuiſſe ex morte Sidonij colligeret, cùm pro inauguratione ciues magnifico epulo excepiſſet in eccleſiæ domo, ipſeque inter primos lætus accumberet: accidit, ut dum pincerna poculum bibituro offerret, ſimul etiam ueniam peteret, ut liceret ſibi ſomnium, quod ea nocte uidiſſet, narrare. Annuente epiſcopo, uiſos ſibi inquit ante uenerandum iudicem inter multos ſacerdotes, Sidonium & presbyterum, ei in uiuis inimicum, in iudicio litigantes: ſed Sidonium uictorem, presbyterum in ſqualidiſſimum carcerem cōiectum. Quo facto, cœpit te quoq;, ô Epiſcope, Sidonius accuſare, quòd particeps iniuriarum eius fueris. Iudex autem ille ſollicitè inquiſiuit, quē ad te mitteret. Hoc ego intelligens, cœpi me occultare, ne mihi id expediendum demandaretur. Verùm cæteris abeuntibus, cùm ego ſolus contremiſcens relictus eſſem, uocauit me iudex, & ſeriò ac ſeuerè, ut te accerſerem, præcepit: id ni facerem, extremum mihi ſupplicium interminatus. Quare te moneo & hortor, ut ſine ulla mora ante iudicis tribunal te ſiſtas. Hac narratione ita exanimatus eſt epiſcopus, ut poculo è manibus lapſo, ipſe humi caderet, & moreretur. Quo ſic diuina ultione ſublato, paulo pòſt Lingonicæ ciuitatis epiſcopus Aprunculus ſuperuenit exul: eumque Auerni, ſecuti auctoritatem Sidonij, epiſcopum fecerunt.

Anno 27. ſui imperij, apparuit ANASTASIO Imp. per inſomnium, uir terribilis codicem geſtans. Quem is cùm aperuiſſet, & nomen Imp. in eo inueniſſet, ait illi: Ecce ob peruerſitatem fidei tuæ, de uita tua annos 14. deleo: ſimulq; eos expunxit. Somno ſolutus, inſomniū id Amantio eunuchorū præpoſito ad ſe uocato expoſuit. Atque is, Ego etiam, inquit, imaginatus ſum, cùm adſtarem maieſtati tuæ, ueniſſe magnum porcum, qui me ueſte abreptum in terram proſtrauerit atque deuorauerit. Proclus inſomniorum coniector pronunciauit, utrumque paulo pòſt uita defuncturum. Anaſtaſius fulmine ictus, Amantius à Iuſtino Imp. ob conſpirationem trucidatus eſt. Cedrenus, & Zonaras. Paulus Diaconus refert lib. 5. Macedonium epiſcopum Conſtantinopolitanum cuidam apparuiſſe, & iuſſiſſe Anaſtaſio Imp. à quo erat interfectus, nunciari, ſe à precibus non deſiturum, donec ipſe ad tribunal Dei pertraheretur.

GENSERICVS, Vandalorum rex, qui Romam cepit & diripuit, compelli ſibi uiſus eſt per quietem à tribus iudicibus deponere flagellum, quod in manibus habebat. Pauci dies interceſſēre, quibus Barbarus rex deſiit in humanis eſſe, quod futurum Paulinus Nolanus antiſtes prædixerat. Sabellicus lib. 2. Ennead. 8.

LEO Armenus Imp. per quietem uiſus ſibi fuerat audire, Taraſium patriarcham nobilem illum, iam dudum mortuum, Michaëlum quendam nominatim exhortari, ut in Leonem impetum faceret, lethaliq; ictu ſterneret. Cedrenus.

BARDAS Phocas deſertus ab iis, qui eum priùs ad rebellionem incitarant, nocte quadam, per ſomnum imaginatus eſt, quiritari ſe, animoque angi, & de iis, qui iniuria ipſum affecerant, ſic Deo conqueri: Domine ulciſcere eos, qui me infeſtarunt. Cumque reliquum Pſalmi addere uellet, uocem audire, quæ progredi uetaret, quòd diceret, reliquam carminis partem iam eſſe à Barda Duro hoſte ſuo anteceptam. Cedrenus.

Leonis V. Iconomachi MATER, uiſa eſt uidere in templo Mariæ uirginis, in Blachernis, mulierem quandam filios ueſtibus candidis indutos ſequi, & pauimentum eccleſiæ ſanguine cōſperſum: mulierumq; aliam haſtā manu geſtantē, iuſſiſſe uas ſanguine impleri, & matri regis dari. Quod ubi accipere recuſaſſet, ſic loquutā: Tuus, inquit, filius eos qui me uenerantur, ulciſcitur, & eorum ſanguine replet omnia: unde non immeritò & ego & filius meus illi indignantur. Mater ſomnio exterrita, mox filio regi omnia manifeſtauit, enixeque rogauit, ut à perſequutione imaginum deſiſteret. Verùm ſurdo fabulam narrauit, licèt aliquantiſper timeret: & præſertim ubi aliud quoq; inſomnium cuiuſdam intellexit. Nam Taraſius patriarcha quidam in ſomnis apparuit, qui acclamabat quendam Michaëlem, ut Leonem aggrederetur & interficeret, in uindictam eorum quos impiè & crudeliter ob religionē occiderat. Neq; ita multo pòſt, die Natali Chriſti, dum in templo canit, conſpiratione Michaëlis Trauli cæſus eſt. Cuſpinianus.

BARDAS Sclerus paulò ante interitum uiſus eſt ſibi per quietem cum Michaële Imp. ad ſolennem quādam feſtiuitatem in magnum templū ire. Quò cùm appropinquaſſent, quoſdam præire albis amictos ueſtibus, & ſe ab iis deduci ad cancellos tribunalis: ibique ſe nihil uidere aliud quàm ſolio patriarchæ reſidentem ſenem quendam, quem ipſe putaret Petrum eſſe, apoſtolorum coryphæum: ad pedes eius uolutari Ignatium, quem paulo antè miſerè uexatum relegauerat, & iniuriarum ſuarum ultionem flagitare. Porrò Petrum cuidam adſtantium enſem tradere, & mandare, ut Theorgiſtum (ſic appellaſſe eum Cæſarem, quaſi diuinæ iræ obnoxium) inter eos qui à ſiniſtris ſtant, collocet, eoque enſe membratim concidat: Aſobotecnum autem (hoc nomine eum, Imperatorem notaſſe, ut impium filium) inter dextros conſtituat quidem, ſed ſimile tamen ſupplicium denunciet. Cedrenus.

Nauclerus li. 2. Generatione decimatertia narrat, BASILIVM Cæſareæ Cappadociæ epiſcopum, cùm ob minas Iuliani, quibus Cæſaream, reuerſus ex bello Perſico, ſubuerſurum ſeſe dixerat, indicto ieiunio, triduo in templo Mariæ uirginis, Deo ſupplicaſſet, in ſomnis uidiſſe, Mercurium militem dudum defunctum, mandato Mariæ uirginis occidere Iulianum. & ea uiſione commotum, adiiſſe ſepulcrum Mercurij martyris, & arma ibi pendentia non reperiſſe. Aedituū autem interrogatum, quò arma eius perueniſſent: reſpondiſſe, ſe neſcire, & ſacramento adfirmaſſe, ueſperi ea adhuc adfuiſſe. Rediiſſe itaque Baſilium in montem, & nocte excitaſſe alios, eiſque dixiſſe, Iulianum eſſe interfectum. Eo nuncio excitatos, ueniſſe ad Mercurij ſepulcrum, & lanceam eius priſtino loco reſtitutam, & cruore fœdatam reperiſſe. At eius miraculi nuſpiam cōmeminit Baſilius: neq; uerò tempore Iuliani, Cæſareæ potuit agere epiſcopum, cùm poſt aliquot multos annos imperij Valentis, epiſcopus creatus ſit, ut refert Sozom. lib. 6. cap. 16. Hermannus Gigas in Floribus temporum, ſub Iuliano, non de Baſilio, ſed de Blaſio quodam epiſcopo Ceraſtenſi hæc affert.

Monachus GERONTIVS æger uidit in ſomnis lecto ſuo duos ſenes cādida ueſte amictos appropinquare, dicereq;: Hinc miſſos faciamus aliquot ex iis qui Gregorij ſunt fratres. Nec multo pòſt poſita in albo eorum nomina recitauerūt, ac poſtremò ſubiunxerūt: Addamus hunc quoq; qui in lecto iacet. Poſtera die cùm res fratribus declarata eſſet, qui nominati fuerant, eo ordine quo facta nominatio erat, mori cœperunt: poſtremuſq; deceſſit qui iacebat in lecto: non ſine magna eorum qui illic erāt admiratione, ac præſertim Gregorij, qui poſtea pontifex fuit, qui eo tempore monaſterij illius præfecturam gerebat, & rem hanc ut ueram mirandamq; ſcriptam reliquit. Fulg. lib. 1. cap. 5.

Idem de tribus amiſſis ſuis monachiſſis ſcribit, inter quas THRASYLLA Aemyliana fuit. Huic olim auus Felix nomine, ſacerdos in ſomnis apparuit, eāq; qua die moritura eſſet, commonuit: ipſa quoq; iam fato functa, quod in prædicenda morte ſecum auus egerat, Aemylianæ ſorori præſtitit. addiditq;, tertiam ſororem Gordianam relicta religione matrimonium ſecuturam, ſicuti breui magna omnium admiratione contigit. Ibidem.

Petrus & Paulus apoſtoli, PVERO cuidam peſte in Selaſienſi cœnobio laboranti apparuerunt, ſecundo die ieiunij ad ſedandum luem indicti, referentes, mortē ipſi finem morbi, & æternæ uitæ introitum fore: neminem autem præterea in eo cœtu, intercedēte pro eis Oſualdo rege, moriturum. Itaque Oſualdus, qui eodem die olim à perfidis erat interemptus, martyrum albo adſcriptus eſt. Vincentius lib. 25. cap. 32.

Azone, Beragenſis cœnobij inſtauratore, extremum ducente halitum, monachus quidam, nomine PETRVS, duos formæ ſpecioſæ uiros dormitorium tranſire in ſomnis uidet. Qui de ſua conditione interrogati, Michaelem ſe eſſe, alter reſpondit: ſeque ad ſuſcipiendum Azonis animam properare. Hos ſtatim excuſſo ſomno inſecutus Petrus in infirmatorium, ipſum expiraſſe comperit. Chronicon Caſſinenſe lib. 2. cap. 35.

SERGIVS & Bacchus martyres, carceris anguſtia conſtricti,

beatæ uitæ ſpe gaudebant. Et cùm prior Bacchus per tormenta conſumtus animam exhalaſſet, Sergius relictum ſe querens, ualde animo affligebatur, ubertimque flebat. Flenti noctu Bacchus apparuit, uiſu iucundus, luce decorus, gemmea corona inſignis, eumq; ne lugeret iuſſit: mox enim fore, ut ipſe quoque pœnis conficiatur, ſibique iungatur. Non immeritò igitur Sergio ſupplicij dilatio ſupplicium erat, ſi poſt ſupplicia ad tantam gloriam Bacchus peruenerat. Marul. lib. 6. cap. 16.

Gregorius Turonenſis libro tertio, capite trigeſimoquarto narrat, homicidam PORTENIVM dormientem ſubitò in ſomno exclamaſſe: Heu heu ſuccurrite qui adeſtis, & auxilium ferte pereunti. Auſuanus enim amicus meus, unà cum cõiuge Papianilla, quos olim interfeci, ad iudicium coram Deo me accerſunt. Et uerò non multo pòſt lapidibus à populo obrutum periit.

MARCIANO Imperatori apparens Dominus in ſomnis, arcum Atilæ fractum eſſe oſtendit. Nec id uanum fuit. Eâdem quippe nocte Atila in nuptiis ſuis in Pannonia crapulæ indulgens, erumpente per apoplexiam ſanguine de naribus, in lecto ſuffocatus eſt. Sigebertus in Chronicis. Sabel. lib. 9. cap. 6. & Fulg. lib. 1. cap. 5.

Erat MAVRICIVS Imperator Gregorio pontifici infeſtus. Obſeruatus eſt quidã omnibus ignotus monaſtico habitu, ſtrictum tenẽs gladiũ, Imperatoris ſtatuam circuire, & alta intonare uoce, Mauriciũ ferro periturũ. Abſtinuit ille uim, tali territus oſtento: periit tamen nihilo ſecius. Sab. lib. 9. c. 8. & Fulg. lib. 1. cap. 4. In eum facta eſt cõſpiratio à militibus, & Phocas deſignatus imperator. Ea fama inualeſcẽte, cùm Mauricius Phocam non cognoſceret, ſed à diuinaculis intellexiſſet, ſucceſſoris nomen à Φ litera incepturum: Philippicum ſororis maritum, ducem fortiſſimum ſuſpectum habere cœpit. Et licèt ille iureiurando, nunquam ſe illud animo cogitaſſe, nedum ſe facturum, promitteret: non potuit tamẽ ab illa ſententia auelli Mauricius, donec uiſa in ſomnis ſpecie, conceptam de Philippico ſiniſtram opinionem abiecit. Somniauit enim ſe magnam hominum multitudinem conſpicere, quæ aſtans ſigno Chriſti Seruatoris, poſito ſuper æneam portam, regem uehementer accuſaret: & tunc uocem ab imagine editam, iuſſiſſe accerſiri Mauricium: qui protinus adductus & interrogatus, Vbi pœnam commiſſi in captiuos ſceleris pendere optaret, in præſenti an futura uita? cùm reſpondiſſet, Hîc, ô clemens Domine. rurſus uocem huiuſmodi auditam eſſe: Tradite igitur hunc, qui ſummi eſt generis, in poteſtatem militis Phocæ. Somnio illo triſti experrectus princeps, uo[redacted]ionis concep[redacted]de eo petiit, & ſomniũ narrauit: & cuius ordinis miles eſſet Phocas, interrogauit. Cui Philippicus: Is eſt Phocas, qui proximè miſſus ab exercitu, tecum agẽbat cõſidentiſſimẽ, homo iuuenis, ingenij uerò præcipitis ac timidi. Ergo, inquit Mauricius, crudelis: nam timidi plerunq; deſperatione ducti, crudelia ſcelera, & ſæuius quiddã perpetrant. Tandẽ creatus imperator Phocas, Mauriciũ, qui Chalcedonẽ ſe receperat, cum uniuerſa ſtirpe interimi iuſſit. Cuſpinianus ex Pauli Diaconi lib. 17. & Cedreno.

GVNTHERVS Henrici III. Imp. cancellarius, uidit Dominum in ſolio maieſtatis ſedere, ſublatoq; in altum brachio ſtrictum gladium magno niſu uibrare, & circumſtantibus dicere: Reddam ultionem hoſtibus meis, & his qui oderũt me, retribuam. Cùm autem paulo pòſt multi principes Imperij obiiſſent, iterum Deum conſpexit gladio in uaginam recondito, & in genua procumbentem dicere: Ignis accenſus eſt in furore meo, & ardebit uſq; ad inferni nouiſſima. Schafnaburgenſis anno 1056.

GVLIELMVS Ruffus Anglorum rex, qui bona eccleſiaſtica diripuit, & in profanos uſus conuertit, paucis antè diebus quàm in uenatione à milite ſagitta transfixus eſt, uiſus eſt per quietem, abruptis brachiorum uenis, ſanguinem mittere: ſimulq; ferunt monachum quendam ſomniaſſe, ſe uidere regem de cruce pendentis Chriſti imaginem mordere, ac crura rodere dentibus, & poſtea ab ipſo Chriſto pedibus in terram proiectum. Quod ſimulatq; ei narratum fuit, cachinnum ſuſtulit: quippe ad ſedandam praui ingenij naturam mors ſola reliqua erat. Polyd. lib. 10.

RICARDVS III. Anglorum rex, ea nocte, quæ illi ultima in terris fuit, poſtera die cæſus ab Henrico VII. uiſus eſt per quietem uidere circa ſe obuerſari imagines quaſi malorũ dæmonum horrificas, & illas non ſinere ſe quieſcere. Quæ uiſio nõ tam ſubito pauore eius pectus perculit, quàm anxiis impleuit curis: nanque ſtatim pòſt animo æger, ex ea re grauem pugnæ futuræ euentum præſagiebat, ac non ea animi aut uultus alacritate, qua antè, ad certamen accedebat. Porrò ne hoſtium metu territus, diceretur eam præ ſe ferre triſtitiam, multis mane ſomnium recitauit. Et ſciẽs certò illum diem, uel regnum ſibi deinceps pacatum redditurum, uel perpetuò ademturum, corona regia redimitus in certamen deſcendit, ut aut initium finémue regnandi ex illo faceret. Polyd. lib. 25.

ETHELBERTVS, Oriẽtalium Anglorum rex, cùm ad Offam Merciorum regem, à quo ſub ſpecie affinitatis contrahendæ necatus eſt, proficiſceretur, uiſum eſt illi in ſomnis regiæ ſuæ faſtigium ſubitò corruere. Polyd. lib. 4.

IOANNES Cameron Glaſguẽſis impulerat Iacobũ II. Scotorum regem iuuenem, ac regni gubernatores, penes quos ſumma erat poteſtas, ad innocentum quorundam necem, rapinaſq; & iniuſtas exactiones in nobiles regni atque plebeios, quales ipſe in agreſtes Glaſguenſis eccleſiæ ſæpe exercuerat. Nocte, quæ Chriſti natalem præcedebat, quum in arce ſua quieſceret, uox ad aures illius horrenda inſonuit, ad ſupremi iudicis tribunal citantis, ut flagitiorum rationem redderet. Somno excitus, nec tamen ueram fuiſſe uocẽ confidens, famulos lumen inferre iubet. Tum animum paulùm recipiens, iuſſis adſidere famulis, librum in manum accepit. Nec longum, iterum eadem uox auditur, cunctis metu ſilentibus, ac malum aliquod præſens expectantibus. Inde ſpacio exiguo interpoſito, reddita eadem eſt multò quàm antè horridior. Atque extemplò exerta in immenſum fœdiſſimè lingua, animum ad diuini iudicij ſubſellia emiſit. H. Boëthius libro 18.

ERICVS VII. Danorũ rex, honore pręcipuo colẽs S. Venceſlaũ Boëmię ducẽ, uidit per quietẽ eundem ſibi dicentẽ, Is ſum quem colis. Nuncius tibi uenio, eodem tę genere martyrij abſumendum, quo & ego. priùs tamẽ monaſterium uolo conſtruas in honorem Dei & nominis mei. Euigilãs rex, in terra Reualienſi cœnobium cœpit erigere, fratri ſuo Abel regni æmulo reconciliatus, eumque conuenit amiciſſimè. Ille uenientem hoſpitaliter excepit, ut apparebat: ſed nihil timentẽ, quum ad ſcacos cũ milite luderet, à militibus capi, & in nauim perduci curauit. Lago quidam, ex Danis miles, Moriendũ tibi ſcito rex ſine ulla cunctatione, inquit. Cui ille, Sciebam, ubi in tuas manus perueni, eſſe de me actum: ueruntamen ſacerdotem mihi iubę adeſſe, ut animæ ſempiternę conſulam. Quo adueniente, ſinceram ex animo peccatorum confeſſionẽ peregit, & abſolutione percepta, Sciebam, inquit, mihi à fratre meo mortem impendere, ſed non tam ſperaui celerem. Peccata quidem mea depoſcunt quod patior: ſed non erit melior exitus fratri, niſi reſipiſcat à malitia. Ergo in naui, ipſo in lacu Slya, ad oppidum Sleſuicenſe, cæſus ſecuri eſt. Cadauer ſaxo appenſo mergitur in profundum: non tamen diu pòſt inuentum eſt ſupernatare, ceruice adhuc per cũtem àdhærẽte corpori. Inde tranſlatum, tumulatur in oppido Sleſuico apud fratres Prædicatores. Mõſtrant tamen in eccleſia maiori locum, unde furto ſubtractum, in ſepulcrum regium ferunt tranſlatum. Frater autem, iam rex, ubi intellexit inuentum fratris regis corpus, iuſſit effoſſum deportari in regium ſepulcrũ, anno 1251. quũ annos non plenè nouem in regno peregiſſet. Qui huius necis conſcij fuêre, omnes malè perierunt. Lago ipſe executor ſceleris, in Holſatia obtruncatur à colluſore: Hermannus quoq; Kerkvuerder, miles (qui tum quũ rex caperetur, cum illo ludum peregit) quum conſcius factionis putaretur, à foſſoribus ruſticis confoſſus periit. Crãzius l. 7. Daniæ, c. 21.

OLAVVS, Noruegiorũ rex ſanctiſs. cùm ſeuerè puniret facinoroſos, proceres quidam, in gratiã Canuti regis Danorũ, in eum coniurarunt: ipſe non imparatus, in caſtris hoſtium operiebatur aduentũ. Dormiens in tentorio ſuo expergefactus eſt à principe militiæ ſuæ: cui rex, Vtinam, inquit, modico me tẽpore quietum ſiuiſſes, ut uiſionis, quæ pandebatur, exitum perſpicerem. Videbam adſtare mihi ſcalam, cuius cacumẽ pertingeret in cœlum, meq; per illam conſcẽdiſſe, & uſq; ad ſuperi portas perueniſſe regni: iã iamq; ingreſſurũ tu expergefeciſti. Prælio cõmiſſo, regẽ in acie trucidauerunt: & Trondemium (nunc Nidroſiam uocant) regni metropolim perductum, ſolenni funere tumulauere. Crãzius lib. 4. Metrop. cap. 8.

Ericus III. Danorũ rex, cùm ex freto Sleſuicenſi Sialandiam petere ſtatuiſſet, QVIDAM nautarũ per quietẽ exiſtimauit per inculta montiũ iuga laſciuo admodũ equo ſe abripi & inter ualliũ opaca præcipitatũ noctuarũ unguibus laniari. Quod cùm mane per iocum ſodalibus retuliſſet, Ericus ne cum nauigationis comitem haberet, in aliud ſe nauigium contulit, eoq; tutus, ſociis naufragio pereuntib. permanſit, lętatuſq; eſt, quòd ſalutem ſuam alienæ rati, quàm propriæ credere maluiſſet. Saxo lib. 14.

Ea ipſa nocte, qua D. Venceſlaus rex in Boëmia à fratre Boleſlao per inſidias cæſus eſt, in templo orans, REX Danię per ſomnium monitus eſt, uti martyri Venceſlao diuinos habere, honores. Dubrauius lib. 5.

Andreas & Leuenta fratres, diui Stephani nepotes, ad regni Hungarici gubernationẽ à proceribus, eiecto Petro, uocati, cũ ualidiſſimo Hungarorũ infideliũ exercitu appropinquabant. Quod cùm Gerardus, Bęztertus, Buldus, & Benetha, epiſcopi,



[redacted] Zonuchius princeps Albanus accepiſſent, [redacted] ultrò prodeũt, ut honorificè noſtros, reges ex[redacted] Quum ad Gyodi pagum ueniſſent, in diuæ Sabinæ [redacted] ſacrã facere decernunt, quàm regulis oc[redacted] igitur pontifex, antequã ſacra facere [redacted] ſocios admonuit, eo die ſe [redacted] martyrium [redacted] Affirmans, ſe ſuperiori nocte Chriſtum in ſomnis [redacted] in diuæ Genitricis tabernaculo iuxtà præſidentem, [redacted] paſtorem q; ſui ſanguinis omnibus, præterquã [redacted] Ergo ſacris ritè peractis, ubi regulis [redacted] principis dęmonum cultui addictiſſimi crudelitate, cæſi ſu[redacted] ſolo Benetha excepto, qui regulorum intercesſione ereptus eſt. Bonfinius lib. 2. Dec. 2.

D. ELISABETHÆ, Andreæ regis Hungariæ F. poſt mortem mariti Ludouici Thuringiæ Landgrauij monaſticam uitam amplexæ, Chriſtum in ſomnis apparuiſſe ferunt, ſuaui adhortatione confirmantem: Veni dilecta mea Eliſabetha, & apparata tibi tabernacula ſubi. In febrem ſubinde cadens, inter contemplandum exhilarari ſæpe uiſa, dum media nocte ageret animã, qua hora Chriſtus natus eſt: Iam tempus (inquit) inſtat, quo clementiſſimus Deus, illos, qui amici eius [redacted] nuptias euocabit: & dum hæc diceret, in [redacted] Salutis 1231. Quatriduo ſuper[redacted] humi reconderetur, fragrantiſ[redacted] ſepulcro conditũ, [redacted] tò pòſt ol[redacted] pietatis & miſericor[redacted] Conſirmarũt eius ſanctitatem multa poſt [redacted] miracula. Bonfinius lib. 7. Decad. 2.

Plu[redacted] LADISLAVS Hungariæ & Boëmiæ rex mo[redacted] diuerſa paſſus ... inſomnia, in primis aſſi[redacted] quia [redacted] obiicerant, [redacted] quoq; [redacted] ad ſuperos inuitari ſæpe [redacted] Bonfinius lib. 8. Dec. 3.

Otho II[redacted] Bauariæ, [redacted] & ſuperbè [redacted] ret: tandem uilis AGRICOLA, noctu Deum opt. maximũ pro tribunali ſedentem uidere uiſus eſt, & (accuſatoribus diuis) ſubitariæ mortis ſententiã ferentem in Rom. pontificem, Othonem ducẽ, cæteroſq; principes, qui pacem turbarent, & inſontes opprimerent. Somnium relaturus Othoni Landshutam uenit: ſed à conſpectu principis prohibitus, quibuſdam præſulibus, & potiſſimùm Berchtoldo D. Franciſci ſacerdoti, concionatori clariſs. rem enarrat. Berchtoldus aditum ad Othonem impetrat, fatum imminens aperit, ac, ut reſipiſcat, commonefacit. Surdo fabula narratur. Non multo pòſt Otho filio Henrico in Hungariam miſſo, ipſe cũ altero filio Landshutam rediit. Et cùm tertium diem ante Calen. Decemb. cum uxore & liberis hilarem traduxiſſet, noctu ſubitò expirauit, anno Chriſti 1253. Hieron. Zieglerus in Hiſtoria illuſtr. uirorum Germ.

Sub Philippo Valeſio rege, Delphinus Allobrogũ, bellum cũ Sabaudis (ut inter finitimos aſſolet) ob finium controuerſiam gerebat, bello inclytus, ſed alienarum uxorum pudicitiæ infeſtus. Boëmus rex Ioannes, auxilio illi ſocio amicoq; cùm ire conſtituiſſet, filius eius CAROLVS (ut Pontifex Pius narrat capite 33. hiſt. Boëm.) per quietem uiſus eſt ſibi uidere, uiri diuina ſpecie præditi iuſſu, præſtanti iuuenem forma editiorem in locum raptum, detractaque ueſte exectum: ſibique interroganti, Cur & quiſnam tam egregia indole adoleſcens, tam fœdè atrociterque haberetur? reſponſum, Delphinum aliena cubilia atrectare ſolitum, meritas pœnas Numini dare. Somnium filij in præſentia eluſit pater. Bidui uiam progreſſus, certum nuncium accepit, Allobrogem in oppugnatione oppidi, uulnere accepto ſub idẽ tempus deceſſiſſe. In agro Parmenſi, ubi nocturna quiete id obuerſatum fertur, ædem Virginis, ut monumento foret, Boemus ſtruxit, locupletauit uectigalibus, hancque rem teſtatam tabulis Boemi regis, legiſſe ſe Pontifex tradit. Aemilius libro 8.

ECELINVS, Ecelini monachi F. Patauij & Veronę dominus, Brixiæ per quietem, mortem ſuam uidit. Dormiens enim uidebatur uenatum ire, ac locum ſtatuiſſe, ubi quieturus eſſet: Itaque cùm defeſſus aliquantiſper reuerteretur, miniſtri tunc dixerunt: Soncini præparata eſſe, quæ ad quietem pertinerent, neq; alibi poſſe eum quieſcere. Sicuti uerè cõtigit, cùm tẽtata incaſsùm Mediolanenſi expeditione, ab hoſtib. circumſeſſus, ac captus, Soncinum fuit perductus, ubi moriens ſepultus fuit. Fulg. lib. 1. cap. 5.

MAGNVS Sfortia, pridie quàm ab Orthona cõtra Braccium, qui Aquilam urbem obſidebat, anno 1425. diſcederet, ſub auroram ſomniauit, profunda aquarum mole oppreſſum in extremo uitæ periculo uerſari: proſpexiſſeq; uirũ gigantea ſpecie, D. Chriſtophoro perſimilem, à quo uel magna ac iterata uoce opem fruſtrà implorаſſet. Verùm ſomnio nihil motus, ab Orthona diſcedens, in traiectu Aterni amnis (qui hodie à Piſcaria oppido nomen habet) dum puero armigero periclitanti opem ferret, protenſa dextra, cœnoſo ſubſidente uado, eius equus, quanquam inſignis, poſterioribus cruribus defecit, atque ita grauantibus armis eſt ſubmerſus. Iouius in eius uita.

MALPAGA ſagittarius, Galeacio Sfortiæ Mediolanenſi duci inter domeſticos non ingratus erat miniſter. Hic pridie, quã Galeacius occideretur, noctu per quietem tanquam rei ipſe intereſſet, uidit uulneribus confoſſum eum eodem loculo cum patre componi. Id quod poſtea ipſe uigilans agi mortuo Galeacio perſpexit, dum proprius ei loculus fieret. Id uiſum idem, antequam dux occideretur, comitibus ſuis, terrore attonitus, narrauerat. Fulgoſus libro primo, capite quinto Exemplorum.

Somnium admirationis plenum, ter THOMÆ Pagano, Peruſino exuli contigit. Nam cùm Braccius, qui eum patria exegerat, Aquilam urbem obſideret, uiſus eſt Thomas Bracciũ uidere prælio uno multos hoſtium in fugam uertere, atque occidere: & cùm ei appropinquaret, ut eadem ui in eum uteretur, ipſum impetu in Braccium facto, uulnus in guttur intuliſſe, atque occidiſſe. Eo igitur die, quo Iacobum Caudolam prohibere Braccius uoluit, ne obſeſſis opem ferret, commiſſo prælio, cùm iam milites terga uerterent, à Thoma ea ipſa in parte, quæ in ſomnis uiſa erat, præterea etiam in capite uulnus accepit, primaque ea Braccij mortis cauſa fuit. Fulg. lib. 1. cap. 5.

Qua die Pius II. Pont. Max. atq; hora deceſſit, Anconæ in Hetruria Camaldi, quod eſt in Apennini iugo, ſenex GERMANVS, uictu aſpero, ſex & quadraginta annos intra ſacelli clauſtra emaceratus, atq; inter cœnobitas miraculis clarus, egreſſus ad limen primum ueſtibuli, uidere ſe exclamauit magnum ſacerdotem, corona triplici, & candido amictu deferri in cœlum, cantantium uirguncularum cœtu & nubecula ſeptum. Attonitis, qui aderant, & quid eſſet coniicientibus, quarto pòſt die, quantũ itineris Ancona diſtabat, nuncius de morte eius affertur, tempore & habitu conuenientibus. Ioan. Anton. Campanus in uita Pij II.

M. ANTONIVS Taurellus, Guaſtallæ comes, cũ in Neapolitano regno militaret, eo bello, quod Ferdinandus ſenior Aragonius rex cum Renato rege Andegauenſi gerebat, in ſtatiuis, quæ in Brutiorum regione habebat, manè è ſtrato ſurgens, iis, qui eum circumſteterant militibus ſuis narrauit, ſe in ſomnis uiſum in aqua ſubmergi: & propterea decreuiſſe à natatione, cui aſſueuerat, abſtinere. Cæterùm cũ in meridie poſt ſomnum militari chlamyde deſuper nudo [redacted] iectus, deambulatum ad [redacted] lacum eſſet profectus, [redacted] quoſdam è ſuis natantes uid[redacted] nocturni ſomnij imme[redacted] andi gratia in lacum ſe cum aliis quibuſdam demittẽs, iuxta ſomnium, quod uiderat, ſubmerſus eſt, cùm ſuorum nullus opem ferre poſſet. Fulgoſus lib. 1. cap. 5.

Cùm domi ſuæ OPICINVS Cacia Nouariæ per meridiem ſolus deambularet cogitabũdus, uocari ſe nominatim, neminem uidens, audiuit, & poſtea dici: Velléſne, ut filius tuus moreretur? Cui cùm nulla ad cogitandum mora interiecta, Velle ſe, dixiſſet: deinde ad ſe reuerſus, ſtatim quod annuerat, negaſſet: ob prodigij atrocitatem, mœroris plenus erat. Itaque intra triduum Ioannes Baptiſta eius filius, quẽ unicum habebat, in aduerſam incidit ualetudinẽ, & biduo pòſt deceſſit. Fulg. lib. 1. cap. 4.

Alexander ab Alexandro, Iurecoſſ. Neapolitanus, cùm ſecum haberet in lecto dormientem CLIENTEM quendã ſuum, per quietem is matrem defunctam efferri, & funus apparari uidit, grauiſſimos gemitus & lugubres querelas in ſom[redacted] edens. Excitatus autem, matrem uita defunctam, ſibi per quietem uiſam efferri, & fune[redacted] Haud multo pòſt [redacted] eius defunctæ matris aduenit, eundem diem indicans. Teſtis ipſemet lib. 1. cap. 11. Gen. die[redacted]

HORATIVS Peruſinus, Alexandro Medici, Florentinorum duci miniſter à dapibus, paulo antè, quàm is à Lauren[redacted] Medice interfectus eſt, quum febri torqueretur, ex uapore, uti credi par eſt, atræ bilis, ter noctu uiſum habuit, [redacted] principem à Laurentio iugulari apparebat. Quæ rerum imagines ægrum perpulerunt, ut Paſchalio principis medico enunciaret ad principem referendas. Sed Paſcha[redacted] officio ſolertè fungens, ea mente principem reperit, ut eam ſomniantis ægri fabulam eſſe diceret, admirans, [redacted] tota domus in Laurentij odium conſpiraſſet. Sab. ſupplem. lib. 22. ex Iouio.

AMBROSIVS Grimaldus Genuenſis, cùm inſula Chios eſſet à Venetis obſeſſa atque oppugnata, quo tempore rerum Genuæ, dux Mediolanenſis Philippus potiebatur, ſomniauit ſe ab horrido angue, qui flammas euomebat, occidi. Itaque decreuit eo die prælio atque armis abſtinere. [redacted]d. cùm hoſtes muris nimiùm appropinquarent, atque Genuenſes exiſtimarẽt, eruptione magis offendi hoſtes poſſe: [redacted] ipſe armatorum multitudine, præter animi ſui [redacted] pentium impetu ab urbe ablatus eſt: retrò

tamen

tamen cedẽs, ita ut muris tegeretur, uidẽdi cupiditate, quãdoquidem pugnãtium clamorem ac ſtrepitum exaudiebat, prolato aliquantiſper capite, ſtatim bombarda in caput accepta periit. Fulg. lib. 1. capite 5. & Iacobus Bracellus libro 2. belli Hiſpani.

Audiui ſomniaſſe QVENDAM, morderi ſe lethaliter à leone marmoreo, ex his, qui in templorum ueſtibulis cerni ſolent. Die autem poſtero, cùm templi fores caſu præteriret, leone conſpecto, non ſine riſu ſomnium ſuum inter comites narrauit, & manu in apertum os illius protinus iniecta, dixit: En nocturnus hoſtis meus. Scorpio itaque, qui in imis faucibus leonis deliteſcebat, eum lethaliter uulnerauit. Petrarcha. Ad D. Iuſtinæ uetus templum Patauij id accidiſſe memorant uulgò.

HVTZMANNVS, qui pòſt Henrico Spirenſi epiſcopo ſucceſſit, putabat ſe in choro Spirenſi cum epiſcopo & cæteris clericis ſtare: & ecce ingrediebantur chorum tres uiri, unus exacta ætate, canicie ueneranda: duo iuuenes, tanquam in obſequiũ ſenioris deſtinati. Cumq; in medio chori aliquandiu taciti conſtitiſſent, ait ſenior his, qui circa ſe erant, iuuenibus: Quid tardatis, quod uobis iuſſum eſt explere? At illi: Tuum, inquiunt, pater eſt, primò aduerſus eum dictare ſententiam, & nos ſine dilatione, quicquid indicaueris, exequemur. Et ille: Propter multa, inquit, mala, quæ in locum hunc, & in ſanctam Dei genitricem operatus eſt, egreſſa eſt à Deo ſententia, ut interficiatur. Ad hanc uocem corripientes epiſcopum, decollauerunt: & truncum in ligno crucis, quod in eadèm eccleſia in ſublime elatum ſtabat, ſuſpenderunt. Cumque mane facto Hutzmannus epiſcopo ſomnium tremens retuliſſet, uiſus eſt ei quaſi deliramenta loqui. At ſeptimo pòſt die, cùm ad ueſpertinam ſynaxin cum fratribus in choro ſtaret, ſenſit repentè paruulam ſibi, inſtar puncti, puſtulam in collo excreſcere: qua paulatim in immenſum intumeſcente, ante mediam noctem defunctus eſt. Schafnaburgenſis ſub annum 1075.

MVSTAFFA, Solymanni Turcarum Imp. filius, cùm ſibi mortis inſidiæ ſtruerẽtur à patre, Roſſę nouercę impulſu, ut ſuis liberis regnum permaneret: triduo ante obitũ, mortis ſomnium habuit: quaſi à propheta quodam in paradiſum deductus eſſet: iuxta quem ad læuam duo eſſent flumina pice nigriora, perpetuis flammis ebullientia: in quibus impiorum regum animæ cruciarentur. Aſcanius Centorius lib. 6. com. bellorum Tranſyluaniæ.

Auguſtinus Curio, [redacted] per quietem Auguſtinum in ſella è cubiculo in hortenſem domunculam, ubi filius ſtudiis dare operam ſolebat, à diſcipulis geſtari uidit: nec multo pòſt libros quoque non paucos, ab aliis, qui eum ſequebantur, ferri. Hoc ſomnium alij aliter interpretabantur: ſed mors paucos poſt dies ſecuta, quid ſibi uellet, aperuit. Nã & ab iuuenibus auditoribus ſuis honeſtiſſimè elatus eſt: & quòd ſtudiorũ hærede careret pater, ſuam & filij bibliothecam optimis libris inſtructam, uendidit: ſic eo elato, libri quoq; poſt eum ſunt exportati. Eodem quoq; decumbente ſibi uiſus eſt pater cõchulam marinam hiãtem reperire, in qua unio pulcerrimus & læuore, & candore, & orbe, & magnitudine inſignis erat: quem dum ex concha exemtum contemplatur, nullo foramine perutum comperit. [redacted]

CONR. Geſnerus, Tigurinus medicus, cùm in ſomnis ſe à ſerpente morderi uiſus eſſet, peſtilentia ſe moriturum paucis ante obitum menſibus prædixit: idq; ſomnium literis non uano euentu mandauit. Ioſias Simlerus in eius uita.

[redacted]

GVLIELMVS Neſenus, lintre piſcatoria traiecturus Albim, id quod ſæpè ab eo recreandi animum gratia factũ fuerat, cùm impegiſſet illam latenti ſub aquis arboris trũco, deimprouiſo uacillante inflexaq; in latus lintre, excidit, & in amne eſt ſuffocatus: cùm quidem eo die poſt prandium paululum conſopitus, talem ſpeciem per ſomnum oblatam uidiſſet, offendentis lintris & fluctuantis & prolabẽtis ſui ipſius in fluuium. Id ipſe aduentanti tũ ex patria Philippo, qui crebrò accedere eum ſoleret, narrauit, deridens cum iocis ſomniorum uanitatem [redacted]

## PESTILENTIAE.

*Peſtilentiam hic ut morbum conſideramus. Quatenus uerò eadem homines pereunt, ſic Mortis catalogo comprehenditur. Vide Tit. Peſtilentiæ memorabiles.*

DAVID rex angelum uidit populum peſte perimentem, propter cenſum populi 2. Reg. 24.

Annó ſal. 823. circa ſolſtitium æſtiuum in BVRGVNDIA glaciei cruſta lõgã P. XV. lata VII. alta II. de cœlo cecidit. Secuta eſt dira lues. Auentinus lib. 4.

Imperante LOTHARIO, imperij eius anno octauó, ad ſignificandam peſtem, quæ eo anno crudeliter ſæuiit, in Saxonibus natus eſt agger ſiue collis ſex paſſuum millia longus, & grandine mixtis lapidibus pluit. Sab. lib. 1. cap. 4.

Anno 937. ſol ſereno cœlo obſcuratus, & quaſi ſanguineus factus eſt, adeò ut ipſi etiam radij ſolares per feneſtras tranſmiſſi, eundem colorem præ ſe ferrent. Sigebertus & Bergomenſis: Ex Maſſeo refert Balæus, uiſum eſſe ſanguinem per aliquot dies ex ſole quaſi effluere. Magna autem peſtilentiæ ſubſecuta eſt ſæuitia, ac maximè ſubitanei hominum interitus, ut iidem produnt.

Anno 942. cometa à decimoquinto Calendarũm Nouembris, uſque ad ipſas Calendas apparuit: qui exundationes (Vitichindo libro 2. teſtante) & animalium denotauit interitũ, ut euentus comprobauit. Saxoniæ Chronicon, Reginonis continuator, Hermannus Contractus.

Circa ſalutis annum 1006. tanta ubique peſte laboratum eſt, ut plures mortui, quàm ſuperſtites ſint crediti, ut Sigebertus annotat. Eam uerò calamitatem fons quidam ſaluberrimæ aquæ apud Lotharingios, paulo antè in ſanguinẽ uerſus, indicauit, ut Lycoſthenes teſtatur. Sub idem tẽpus guttas ſanguineas hominum ueſtimentis cœlitùs illapſas eſſe, & ſub Cal. Maij ſolem rubeum præ ſe tuliſſe colorem, Chronicon Magdeburgenſe habet.

Circa initium anni 1009. crebrę & inſolitę fuêre pluuiæ. Et ſub finem Maij cometes fulſit, qui mox inſecutæ apud SAXONES peſtis certum indicium fuit: ut in Saxoniæ Chronico ſcribitur. Solis eclipſin Sigebertus addit.

Anno ſal. 1012. ſub Benedicto octauo, terræmotus ingens peſtem prænũciauit. Fulg. lib. 1. cap. 4. In Lotharingia fons per multos dies ſanguine manauit.

Aues cicures pontifice Victore III. uitantes hominum conſuetudinem, ad ſyluas nemoraque fugêre: peſtem, quæ Salutis anno 1089. graſſata eſt, demonſtrantes. Sabellicus libro primo, capite 4.

Anno 1315. terribilis cometa per Decembrem uiſus eſt. Subſecuta eſt maxima hominum iumentorumq; peſtilentia. Cranzius lib. 9. Metrop. cap. 2.

## MORBI CVIVSCVNQVE.

PHAYLLO Phocenſium regi, poſt ſpoliatum Delphicum phanũ uix dum ad imperandũ aggreſſo, talis oblata eſt per ſom-



nium ſpecies. Inter Apollinis donaria peruetus effigies quædam fuit ex ære, hominis, cui carne conſumta, ſola eſſent reliqua oſſa. Aiebant Delphi ab Hippocrate medico dedi[redacted]tam. Huic Phayllus ſe ſimilem factum uidere uiſus [redacted] paucis pòſt diebus macie contabeſcens, ſomnij euentu[redacted]pleuit. Pauſanias in Phocicis.

Scribit Onirocriticorum primo Artemidorus, ex Eueni ſen[redacted] in Eroticis ad Eunomum, camelum dici uelut *κάμμηρον*, [redacted] *μέσως κάμπτει τοὺς μηρούς.* quo argumento CVIDAM præ[redacted]monſtratam cruris debilitatem, ſomnianti, hoſpitio ſe exceptũ in fuga, cui nomẽ foret Camelus. Cæl. l. 7. c. 18. A. L.

P. CORN. Ruffin[redacted] conſul cum M. Curio, cùm ſomniaſſet, ſe uiſum amiſiſſe: experrectus, cæcum ſe factum inuenit. Fulg. lib. 1. cap. 5. ex Plin. lib. 7. cap. 50.

Galenus ſcribit, putaſſe QVENDAM in ſomno crus alterum ſibi lapideum factum: moxq; ea corporis parte in paralyſin incidiſſe, præſentiente medicorum nullo. Cæl. lib. 27. cap. 15.

Scribit Magnus Albertus de QVODAM, qui per quietem in pectus ſibi atriorem arbitrabatur affundi picem: moxque illuceſcente die, bilem reiectauit atram & utiq; copioſiorẽ. Cælius libro 27. cap. 7. A. L.

ARNOLDVS Villanouanus, philoſophus & medicus doctiſſimus, per quietem à nigro cato in pede ſe uulnerari ſenſit. Poſtridie ea in parte cancer enatus eſt. Fulg. lib. 1. cap. 5.

# FORTVITORVM BONORVM DIVINA COGNITIO.

## VTPVTA

### FELICITATIS CVIVSCVNQVE.

IOSEPHVS poſt ſedecimum ætatis ſuæ annum in ſomno uiſus eſt cum fratribus ligare manipulum in agro: & ſuum quidem manipulum ſtantem, fratrum autem manipulos circumſtantes & adorantes manipulum ſuum. Mox à fratribus [redacted]enditus, & à Domino Deo liberatus, dominus Aegypti [redacted] eſt: ad quem in ſumma frumenti penuria fratres uenerunt, & ignotum adorarunt, petentes frumenta, ne cõſumerentur cum patre ſene inedia & fame. Geneſeos cap. 37. uſque ad 45. Aliud quoque pòſt uidit ſomnium, ſolem, lunam & ſtell[redacted] undecim adorare ſe. Nempe, cum ab omnibus uitæ periculis liberatus, & ditiſſimus omnium factus [redacted], pater & mater cum undecim fratribus, ignotum hominem adorarunt, & frumenta petierunt. Ibidem.

GYGES regius paſtor, qui anuli beneficio ad regiam maieſtatem peruenit, oraculum conſuluit, Num quis ſe beatior eſſet? [redacted] Aglaus [redacted]phidius, dixit. Is autem erat Arcadũ pauperrimus & iuſtiſſimus: Valerius de Felicitate.

Macrobius primo in Scipionis ſomnium commẽtario tradit, CVIDAM Delphicum oraculum conſulenti, Quomodo poſſet ad felicitatem peruenire? reſponſum eſſe, Si teipſum cognoueris. Id oraculum redditum Crœſo, auctor eſt Xenophon in Pædia Cyri.

Fuit Aegypti totius rex THVLIS, à quo propagatis ad Oceanum imperij limitibus, Thule inſula habere nomen creditur. Hic ſecundioris fortunæ afflatu extumeſcens, Serapin ita conſuluit: *φράσον ἡμῖν πυρισθενὲς ἀψευδὲς μάκαρ, ὁ τὸν αἰθέριον μετεγκλίνων δρόμον, τίς πρὸ τῆς ἐμῆς βασιλείας ἐδυνήθη πανόπτε, ἢ τίς ἔσται μετ' ἐμέ;* Reſpondit deus: *πρῶτα θεός, μετέπειτα λόγος, καὶ πνεῦμα σὺν αὐτοῖς. σύμφυτα δὲ πάντα, καὶ εἰς ἓν ἰόντα, οὗ κράτος αἰώνιον, ὤκεσι ποσὶ βάδιζε θνητέ, ἄδηλον διανύων βίον.* Quibus pronunciatis, quum è templo exiiſſet, à ſuis mox eſt iugulatus. Cælius lib. 2. cap. 12. Antiq. Lect.

Oraculum quõdam ATHENIENSIBVS redditum eſt, quo prædicabatur futurum, ut Athenienſes tanto interuallo reliquos ſuperarent, quanto aquila in nubibus reliquis auibus eſſet ſublimior. Eraſmus in Adagiis.

Theopompus libro Hiſtoriarum quinquageſimo quarto, in Biſaltia, Amphipoli, & Cræſtonia, Macedoniæ ciuitatibus, regnante Philippo, ficus fructus medio uere produxiſſe ſcribit, uites racemos, & oleas oliuas, quo tempore primùm pullulare æquum uidebatur. Hinc omnia PHILIPPO regi feliciter acciderunt. Athen. lib. 3. cap. 3.

ROMVLVM & Remum ex Rhea Syluia & Marte genitos, cùm exponi in profluentem Amulius iuſſiſſet, à lupa diſtentis uberibus alitos plerique omnes tradiderunt. CYRO Perſarum regi, cuius latè imperium ualuit, cùm ab Aſtyage auó expoſitus & pulſus infans foret, canem ubera præbentem, illumq; à feris defendentem, paſtor gregis inueniſſe traditur: quæ res futuram ipſius magnitudinem haud dubiè portendere uiſa eſt. Nec uana prædictio fuit: quippe qui rerum geſtarum magnitudine, paruo imperij ſpacio omnes reges anteceſſerit. HIERONEM Syracuſanũ, qꝫ ex ancilla editus fuerat, in ſyluis expoſitũ apes, congeſto in os melle aliquãdiu aluêre: qui mox omnes aſperitates ſuperuadens, tantũ ingenio & uirtute ualuit, ut ob multa rei militaris facinora, regnum Syracuſis, & omnia ornamenta uirtutum paulo pòſt aſſequutus ſit. Hic eſt enim ille Hiero, qui præcipua & conſtanti fide rem Romanam iuuit: unoq; tenore amicus populi Romani & fidiſſimus cultor perpetuò manſit. Pari exemplo traditur SEMIRAMIS circa Syriæ ſtagnum infans expoſita, ab auibus diu alita & educata, magno præſagio futuræ felicitatis: quæ mox ſublata à paſtoribus, poſt uarios caſus, regia coniunx fieri, & latè imperitare meruit. HABIS Tarteſſiorum rex, magnis difficultatibus infans agitatus, tandẽ inter feras à cerua alitus, & haud multo pòſt laqueo captus, poſt ſubactas gentes & domitas, ſæuientes fortunæ minas experiri deſiit. Qui deinde regnum aſſequutus, documenta egregij principis dedit, ſummoq; iuſtitiæ temperamento illis gentibus præfuit. Quod cõmentum de TELEPHO Herculis filio, qui aui iuſſu in ſyluis expoſitus fuerat, ueteres prodidere. Sicut PELIAM ab equa, PARIDEM ab urſa, AEGISTHVM à capra, enutritos fabulati ſunt. Adeò ex grauibus periculis ereptis, futuræ ſigna felicitatis quandoq; fuêre prænuncia. Alex. lib. 2. cap. 31.

Sunt qui de ROMVLI ortu fabuloſa planè referãt. Spectrum Tarchetio Albanorum regi, homini teterrimo & ſęuiſſimo, diuinum domi oblatũ: Genitale ex foco eius, maſculini ſexus extitiſſe, per multoſq; dies comparuiſſe: atq; oraculo, quod in Hetruria Tethyos erat, reſponſum, ut uirgo cũ ſpectro coiret: ex qua filium uirtute clariſſimum, fortunaq; & robore oriturum inſignem. Hoc reſpõſum Tarchetius cùm uni ex filiabus expoſuiſſet, iuſſiſſetque cum Genitali illo ut iungeret ſe: eam, quòd aſpernaretur, ſummiſiſſe ancillam. Tarchetium, ut reſciuit, grauitèr offenſum, ambas in uincula conieciſſe, morte uindicaturũ. Sed cùm Veſta illi in ſomnio oblata, deterruiſſet eum à cęde, telam in uinculis texere puellas iuſſiſſe, ea lege, ut ea detexta elocarentur: atque illas texuiſſe interdiu, nocte mandato Tarchetij, alias retexere telam ſolitas. Cùm ancilla ex Genitali illo geminos eſſet enixa, Teratio cuidam Tarcherium necandos tradidiſſe. Illum ad fluuij ripam eos expoſuiſſe, lupam inde accurrentem lactaſſe, aueſque diuerſi generis alimenta minuta ori indidiſſe: bubulcum tandem, re cum admiratione conſpecta accedere auſum, infantes ſuſtuliſſe. Ad hunc modum educatos, inuaſiſſe eos Tarchetium, & ſuperaſſe. Hæc Promation quidam in hiſtoria, quàm ſcripſit de rebus Italicis, retulit. Plutarchus in Theſeo.

AGRIPPINÆ Domitij Neronis matri canini dentes gemini supernè in dextra parte, fortunæ blandimẽta polliciti ſunt. Contrà, ſi in læua. Plin. lib. 7. cap. 16.

M. ANTONINI Pij felicitatem in imperio, oſtendit mulier uno partu quinque liberos enixa. item quòd in Myſia in arborum cacuminibus hordeum natum eſt. Fulg. lib. 1. cap. 4.

Stirpis ſuæ felicitatem IVSTVS patricius Romanus, uir prudens & iuſtus, cum uitæ ſuæ clade ſomniauit. Imperante Conſtantio, cùm is in Piceno iudicis munus obiret, è genitalibus membris ſuis uidere ſe per quietem putauit purpuram egredi, qui color imperantibus dicatus erat. Quod à Conſtantio intellectum, ob ſuſpicionem cauſam præbuit, ut eum perderet. At filia eius unica Iuſtina, cùm & forma & pudicitia inſigni eſſet, conſpecta in balneis à Seuera Auguſta, eiq; familiaris facta, atq; marito Valentiniano ſeniori laudata, ita Valentiniani incendit animum, ut eam ardẽter diligeret. Itaq; lata priùs lege, ut duas ducere uxores liceret, adoleſcẽtulam Iuſtinam in matrimonium duxit: eamq; Seueræ reluctanti comitem dedit: fidemq; paterno ſomnio fecit, purpureo Auguſtorum amictu exornata. Fulgoſus libro 1. cap. 5. Exemplorum.

An. ſal. 714. cùm BAMBA in regem Hiſpanorum à Quirico archiepiſcopo Toleti ungeretur, uiſus eſt uapor ab eo loco, ubi unctionis oleum fundebatur, in modum uirgæ funeæ aſcendiſſe, & examen apum de eius capite proſiliens ad cœlos uolitaſſe. Non obſcuro omine, Gothorum regnum per eum exaltandum, & in pacis dulcedine gubernandum. Rodericus Toletanus lib. 3. rerum Hiſpan. cap. 1.

Maria Petri Aragonum regis ſeptimi uxor, priùs ſterilis, tandem dolo erga maritum uſa, concepit, & in ipſo partu multis orantibus religioſis & equitibus pro ſalute parturientis, filium edidit, cum ſumma lætitia regis & omnium nobiliũ. Infantem natum Regina ſtatim ad eccleſiam miſit, ad imaginem Mariæ uirginis. Cum puero multis eccleſiam ingredientibus, ſacerdotes, qui matutinas horas recitabant, dè aduentu infantis ignari, pſalmum canere ceperunt, Te Deũ laudamus. Hinc ad aliam eccleſiam cum infante uenerunt, ubi ſacerdotes etiam ipſis ingreſſis canere ceperunt, Benedictus Dominus Deus Iſrael. Natus infans, IACOBVS appellatus, reliquos uirtute ſuperauit, & pòſt propter res præclarè geſtas Fortunatus fuit dictus. Marineus lib. 10. Rerum Hiſpaniæ.

LEONARDVS Ruuerus, Sixti IV. pontificis ex fratre nepos, re domi anguſta, nec maiore uirtute, omnibus ludibrio in patria erat. Non alio quàm Comitis titulo ſe honorari petebat: & ſi quandò de iungenda ei uxore per iocum ſermo haberetur, ſe nō aliam quàm regis propinquam ducturum reſpondebat. Tulit igitur patrui fortuna, ut quę de ſe ſperabat, implerentur: quia urbis Soræ ducatu comitatuq́;, & in primis Romana præfectura cohoneſtatus, Ferdinandi Neapolitani regis neptem duxit uxorem. Fulg. lib. 1. cap. 3.

## COPIAE QVALISCVNQVE. PVTA

### OPVM. OPVLENTIÆ IN GENERE.

MIDÆ Phrygiæ regi, cū obdormiſceret infans, formicæ tritici grana in os congeſsêre, opeſq́; immodicas illi futuras euidentiſſimo præſagio oſtendêre. Aelian. lib. 12. de Varia hiſt. & Val. Max. lib. 1. cap. 6.

QVIDAM Pythium conſulebat, Quo pacto diteſcere poſſum, ô Latonæ ac Iouis fili? ſubſannans reſpōdit, Si quæ ſunt inter Sicyonem & Corinthum poſſideas. Athen. lib. 5. cap. 13.

### ANNONÆ, VBERTATIS.

PHARAO rex Aegypti in ſomnio putauit ſe ſtare ſuper fluuium, & aſcendere ſeptem boues pulcras & pingues, paſcētesq́; in lucis paluſtribus: alias quoq; ſeptem boues fœdas & macilentiſſimas, & paſcentes in locis uirentibus ripę, deuorantesq́; eas, quarum mira ſpecies & corporum habitudo erat. Vidit præterea Pharao dormiens, & multo ſopore preſſus, ſeptem ſpicas pullulantes in uno culmo, plenas & pulcerrimas: item alias ſeptem tenues è ſtipula natas, quæ priorum pulcritudinem deuorarent. Sequebātur ſeptem anni fertilitatis magnæ in uniuerſa Aegypto, & pòſt hos debito ordine ſeptem alij anni tantæ ſterilitatis, ut obliuioni traderetur cuncta retrò abundantia. Geneſ. 41.

Chemmis oppidum eſt grāde Thebaidos AEGYPTI, in qua templum eſt Perſei, Danaes filij, & ſimulacrū. Quem Chemmitani memorant ſibi frequenter apparere è terra exeūtem, & templum ingredientem. Eiuſque ſandalium inuentum bicubitale. Quod poſteaquam apparuerit, exuberare omnem Aegyptum. Herod. lib. 2.

Suantouiti idolum quadriceps RVGIANI olim colebāt. Semel quotannis Sacerdos, poculo è dextra idoli accepto, ex liquoris ante annum infuſi ſubtractione uidebat, quantum ad ſequentis anni inopiam pertinere putabat. Quo annotato, pręſentes frug[redacted]m tempus obſeruari iubebat. Si nihil diminutum uidiſſet, futuram ubertatē prædicebat. & iuxta id auſpicium, inſtantis anni copiis nūc parciùs, nūc profuſiùs utendum monebat. Veteri deinde mero ad pedes ſimulacri effuſo, poculum recēti implebat: ſimulatoq́; propinandi officio ſtatuam ueneratus, tum ſibi, tum patriæ bona, ciuibuſq́; opum ac uictoriarū incremēta poſcebat. Qua finita, admotum ori poculum celeri hauſta ἀμυστὶ ſiccabat, repletumq́; mero, ſimulacri dexteræ reſtituebat. Placenta quoq; cum mulſo confecta rotunda, uaſta, ut penè hominis ſtaturam æquaret, ſacrificio adhibebatur. Quam ſacerdos ſibi ac populo mediam interponens, an à Rugianis cerneretur, percontari ſolebat. Quibus illum à ſe uideri reſpondentibus, Ne poſt annum ab iiſdem cerni poſſet, optabat, futuræ meſſis copiam ominans. Conſequenter ſub ſimulacri nomine turbam cōſalutabat, & certiſſimū cultus præmiū, uictoriam promittebat. Reliquum diei in epulis tranſigebatur. Saxo lib. 14.

Referebat M. Antonius Maioragius Aprili menſe audiri in EVPILO lacu ſonum ſeu uocem eiuſcemodi, Oh, óh, óh, óh, óh, ſed longiuſculum, ita ut extrema uox conciſa eſſet: & his annis, neq; enim ſingulis auditur, prouentum uberiorem omnium ſequi. Cardanus de Rerum uar. lib. 15. cap. 85.

### PISCIVM.

In ſomnis uiſus eſt STILPONI philoſopho Neptunus iratus, quòd non immolaſſet Hecatomben, quemadmodum mos erat. At philoſophus hoc uiſo nihil perturbatus, reſpōdit: Quid ais Neptune? itáne uelut puer huc uenisti cum tua querimonia, quòd pecunia mutuò ſumta non expleuerim nidore ciuitatem? Atqui pro rei familiaris modulo ſacrificaui tibi aptas aliquot. Ad hęc arridens Neptunus, uiſus eſt illi arrepta dextra dixiſſe: In tuam gratiam ingentem apuarum prouētum largiar ciuitati Megarenſium. Quod & eueniſſe tradunt. Eraſmus lib. 7. Apoph.

Ferunt aliquando CORCYRÆ, multis bobus per bellū Perſarum relictis, taurum è paſtu redeuntem ſæpius in pelagus mugitus edidiſſe, ibique per totum diem conſtitiſſe. Ad mare bubulcus deſcendens, magnum thunnorum numerum conſpexit, id ſignificauit Corcyræis. Illi capere thunnos conati, operam luſerunt. Sciſcitantibus oraculum, reſponſum eſt, Neptuno taurū mactari oportere. Qua re peracta, incredibilem piſcium numerum cepêre, ut ait Pauſanias in Phocicis. Thūnus aliquando mactari Neptuno cōſueuit, ut ſcriptum eſt ab Antigono Caryſtio in libro de Dictione. Natalis Comes Mythol. lib. 2. cap. 8.

### AQVÆ.

Haliartum ager laborabat quondam ſiccitate. VIR eo tempore unus de primoribus Delphos uenit ad cōſulendum, qua ratione aqua inueniri poſſet. Reſponſum accepit, ut qui primus Haliartum redeunti obuius factus eſſet, illum occideret. Quare cùm primus ei filius impuber Lophis occurriſſet, nihil cunctatus, ſtricto gladio puerum percuſſit. Ille adhuc ſpirans huc illuc curſitauit. Vbicunq; uerò humi fuſus eſſet cruor, inde aqua è terra erupit. Ex eo fluuium Lophin nomen accepiſſe uolunt. Pauſanias in Bœoticis.

Sub Traiani imperio in inſulam CLEMENS Rom. epiſcopus deportatus, ad duo millia Chriſtianorum ad ſecanda marmora damnatorum inuenit. Dum ibi uerò aquæ penuria laboraretur, quam ſextò milliario repetebant, Clemens collem haud longè poſitum conſcendens, agnum uidit, ſub cuius dextro pede fons ſcaturiebat: qua & recreati omnes ſunt, & multi ad fidem Chriſti conuerſi. Traianus, Clementem in mare proiici curauit, alligata ad collum ancora. At ſacratiſſimum corpus non ita multo pòſt ad litus delatum eſt, atque eò loci ſepultum, extructo templo, und[redacted]diuinitùs emanauerat. Hoc factum narrant XIX. Calendas Decembris, anno tertio Traiani principis. Platina.

### RERVM PRECIOSARVM. PVTA *Theſauri.*

Fama eſt HERCVLEM ad aurea mala Heſperidum ferenda miſſum, Nymphas, quæ in antris Eridani habitabant, conſuluiſſe, Vbinam locorū eſſent mala aurea? Ablegatus hinc ad deum marinum Nereum, cùm uariis formis eludere conantem, tandiu detinuit, ut in priſtinam figu[redacted]redierit, remq́; indicarit. Natalis Comes Mythol. lib. 8. cap. 6.

Xerxes Græcos bello adortus, cùm eſſet apud Salaminem ſuperatus, ipſe quidem inde ſe mouit, uerùm Mardonium reliquit, qui ſuo nomine bellum perſequeretur. At cùm hic quoq; ad Platæas parum proſperè pugnaſſet, fugatuſq́; eſſet, fama uulgò inualuit, Mardonium intra ambitum tentorij ſui theſaurum ingentem humo defoſſum reliquiſſe. Hac ſpe pellectus POLYCRATES Thebanus, eum agrum commercatus eſt. Verùm ubi iam multum diuq́; theſaurū quæſiſſet, nec quicquam proficeret, Delphicum oraculum conſuluit, quà ratione poſſet eas pecunias inuenire? Apollo reſpondit his uerbis, πάντα λίθον κίνει, id eſt, Vnumquemq; moue lapidem. Id ſimul atq; feciſſet, multam auri uim reperiſſe ferunt. Hinc ortum adagium. Eraſmus.

M. Tul. in libro de Diuinatione 2. narrat huiuſmodi fabulam. QVIDAM ſomniarat ſe uidere ouum ex lecti cubicularis faſcia pendens illigatum. Id ſomnium cùm ad coniectorem retuliſſet, reſponſum eſt, theſaurum indicari: proinde foderet eo loco, quo ſe ſomniarat ouum uidere. Vbi fodiſſet, reperit aurum argento circuntectum. Miſitque paululū ex argento coniectori, diſſimulans inuentum aurum. Coniector accipiens, Nihílne, inquit, de uitello? Suidas ex Chryſippo, in uoce νεοττὸν, id eſt, uitellus.

Sigebertus de GVNTHRANNO Gallorū rege cōmemorat: quòd cùm ex uenatione defeſſus recumberet in ſinu armigeri, de ore ipſius animal exiguum egredi uiderit armiger: cui uolenti per riuum tranſire, idem gladio euaginato tranſitum & reditum patefecit. Quod cùm rurſus in os eius ingrederetur, rex expergefactus & ſtupefactus dixit, ſe in ſomnis ferreum tranſiſſe pontem, & ſub monte quodam ingentes theſauros cōſpexiſſe. Quos cùm inquireret, ſicut in ſomnio uiderat, reperit, & Eccleſiæ donauit. Helinandus monachus libro decimotertio Chronicorum ſcribit, ſimile quid contigiſſe militi, qui aulam ſequebatur Henrici Remenſis archiepiſcopi, & beſtiolam albam muſtelæ ſimilem ex ore hianti egreſſam ait. Sed hoc diaboli ludibrium fuiſſe putat Ioannes Vierus lib. 1. cap. 12. de Præſtigiis dæmonum, animam hominis corpoream, & proinde mortalem perſuadere conantis.

### *Signorum, Statuarum ſacrarum.*

PTOLEMÆVS Soter coloſſum apud Sinopem ſuſtulit Ditis patris: qui, qua figura eſſet, ignorabat, neque antè conſpexerat, cùm præcepiſſet, ut quàm citiſſimè Alexandriam ſe deportaret. Imprudenti ac fluctuanti, ubi collocatus eſſet, uiſionemq́; exponenti amicis, multiuagus uir, Soſibius nomine, oblat⁹ eſt: qui Sinopę ferret, ſe eiuſcemodi coloſſum, qualem uidere rex uiſus eſſet, conſpexiſſe. Itaq; miſit Sotelem & Dionyſium, qui longo ſpacio ægrè non ſine diuina prouidentia interceptum adduxere. Vt apportatum contemplati ſunt, augurabātur Timotheus ſacrorum interpres & Manethon Sebennites, Ditis patris ſignum eſſe. Coniecturam ceperunt ex Cerbero & dracone, fidemq́; fecerūt Ptolemæo, nullius eſſe dei alterius quàm Serapidis. Neque enim illinc ità dictus aduenit, ſed Alexandriam delatus nomen uſitatum apud Aegyptios Ditis patris inuenit Sarapim. Plut. de Iſide.



PHORMIO piſcator Erythręus cæcus, ſomnio diuinitùs monitus de Herculis ſigno, ad ſe transferēdo, quod è Tyro mari delatum ad Heram, medium Erythræorum & Chiorum portum deuenerat. Si nimirum Erythræorum feminæ comas tonderent, & capillo earum uiri funes contexuiſſent, non difficulter quò uellent, ratem pertracturos. Pauſanias in Achaicis.

Veiis à Camillo expugnatis, & direptis, quod in arce erat Iunonis ſignum, ROMAM deportare, ut uouerat, uiſum eſt. Conuocatis ad id artificibus Camillus ſacra fecit, precatuſque deam, ut ſtudium amplecteretur Romanorum, uolēſq́; & propitia diis Romam incolentibus commigraret: Signū ferūt ſummiſſa uoce uelle & annuere, dixiſſe. Liuius tradit inter precandum attrectaſſe Camillum deam & inuitaſſe: inde uelle & annuere ac ſequi libentem reſpondiſſe ex aſtātibus nonnullos. Plutarch. in Camillo.

L. LVCVLLVS in Ponto Sinopem urbem, quam regij Cilices tenebant, obſedit. Viſus eſt ei in ſomnis aſſiſtere quiſpiam, qui diceret: Progredere paululum Luculle. Venit enim Autolycus, ut te conueniat. Vbi ſurrexit, non potuit aſſequi cōiectura, quò id tēderet. Sed urbem illo die cepit, atq; in perſequendo Cilicas, qui multis Sinopenſiū trucidatis, urbeq; inflammata, nocte nauibus fugam capeſſebant, iacentē cernit in litore ſtatuam: quam exportantes Cilices non habuerant ſatis ſpacij, ut imponerent nauigio. Opus erat elegās Sthenidis. Declarauit autem ei quiſpiam Autolyci eſſe, qui Sinopen condidit, ſtatuam. Quibus auditis, ſubierunt Lucullo Syllæ præcepta. Siquidem monet in commentariis ille, Nihil perinde fidele duceret & firmum, ac quod in ſomniis demonſtraretur. Plut. in Lucullo.

### *Corporum ſanctorum.*

Sozomenus lib. 5. cap. 9. refert, deum MVLIERCVLÆ cuidā Gazæ habitāti reuelaſſe, Euſebij & Neſtabi martyrum oſſa, inter camelorum & aſinorū iacere cadauera: & iuſſiſſe eas reliquias colligere, & aſſeruare.

Nocturna uiſio, AMBROSIO Mediolanenſi epiſcopo, corpora martyrum Geruaſij Protaſijque, quæ ad eam diem ubi eſſent ignorabantur, detexit: cùm ſeipſos ei in ſomnis, quales inuenti ſunt, oſtendiſſent. Sic Hieroſolymis Honorij imperij ſeptimo anno, in ſomnis Gamaliel Luciano ſacerdoti locutus eſt, & apparuit, atq; ubi eſſet corpus ſuum detexit, filiique Abibæ, ac ſimul protomartyris Stephani. Neque uerò ſomnio fides antè adhibita eſt, quàm ter hoc idē per quietem uidiſſet. Corpora enim eo numero & forma, quam in ſomniis uiderat, inuenit. In huius rei teſtimonium his quoq; temporibus, Eccleſia diem feſtum ſub Stephani inuentione celebrat. Fulgoſus lib. 1. cap. 5.

Texit longam narrationem Sozomenus, de inuentis à PVLCHERIA Theodoſij Iunioris ſorore Martyribus quadraginta, ſub Licinio quondam apud Sebaſtem Armeniæ paſſis: quorum ut defoſſas inquireret reliquias, Thyrſum ait martyrem ei ter apparentem ſuggeſſiſſe, atq; ut ad ſe transferret monuiſſe. Ipſos deinde quoq; martyres quadraginta militari habitu ſplendidè ueſtitos, ei ſeſe manifeſtaſſe. Sozomenus lib. 9. cap. 2. Nicephorus Pulcheriæ Stephanum protomartyrem apparuiſſe inquit, cuius reliquias cùm Conſtantinopolitani excipere uellent, & ſecum retinere, mulas (ait) currum, cui reliquiæ impoſitæ erant, trahentes, humana uoce locutas.

Apparuit AGRICOLÆ cuidam Calemoro nomine, præſidi uici Chopharis, circa Eleutheropolin Palæſtinæ, Zacharias propheta: eiq́; in hortulum quendam ducto, loculos ſuos defoſſos demonſtrauit. Sozomenus lib. 9. cap. 8.

In ciuitate Malipure olim, at poſtquā à Luſitanis frequentari cœpit, S. THOMÆ appellata, erat in colle ſacellum ædificatum, eò quòd affirmarent incolæ, in eo loco Thomam fuiſſe à religionis hoſtibus interfectum. In eo ſacello octo diebus ante natalem Chriſti res diuina fiebat. Circa an. ſal. 1548. ibidem inuenta fuerat Crux in lapide inciſa, in cuius faſtigio columbæ imago inſidebat: baſis uerò erat in ſpecie quadam herbarum, quæ diffundi latiſſimè uidebantur, collocata, & tam faſtigium, quàm baſis, & brachia, in liliorum formam deſinebant. Arcus eam ex eodem lapide factus undiq; muniebat. In arcu erant inciſæ literæ, quas nemo legere poterat. Totum hoc opus integrum, quod erat ſatis magnum, fuit ſuper altare eiuſdem ſacelli multorum operis ſtatutum. In Cruce eminebant notæ ſanguinis inſignes. Accidit autem die prædicto, cùm ſacerdos, qui rem diuinam faciebat, Euangelium inchoaret, ut Crux in nigrum colorē uerteretur, & liquor ex illa incredibili copia dimanaret: deinde color ceruleus pro nigro ſubiret. In locis autem, ubi notæ ſanguinis extabant, roſei coloris ſplendor eluxit. Sequentibus deinde annis eodem die, nec alio, idem eueniebat, etſi non ſingulis annis. Anno autem M.D.LXI. cùm Chriſtiani in eundem locum cum eadem pompa & celebritate conuenirent, eo die, quo Crux, dum ſacrificium fieret, ſtillare ſolebat, & ſacerdos Euangelium inchoaret (id enim etiam admirandum uidebatur, quòd nūquàm priùs, quàm Euangelium legi cœpiſſet, ea Crucis mutatio fieret) Crux repentè nigris maculis, ſplendidis tamen, inficeretur, donec tandem aliis atq; aliis ſubeuntibus, tota nigreſceret. Ita uerò ſplendebat, atq; ſi fuiſſet oleo delibuta. Dum inſtar roris guttæ defluere cœperūt, quæ paulatim grandiores effectę, totam Crucem humore largiſſimo compleuerunt: peregit ſacerdos cum multis lacrymis, & crebro ſingultu ſacrificiū. Deinde aſcendit in altare, & linteis, quibus in rebus ſacris de more procurandis uti ſolebat, Crucem exterſit. Lintea maculis ſanguineis tincta repentè ſunt. Ciuitatis pręfectus, & reliqua multitudo, quæ conuenerat, manus in cœlum tēdere, Chriſti numen implorare, flagitiorum ueniam poſtulare, & ad ſtudium ardentius religionis excitari. Crux autē, poſtquam multo liquore fluxit, clariùs ſplendere cœpit, & color ſanguineus euidentiùs eluxit. Hoc ſignum commouit & præfectum urbis, & primarium ſacerdotem, ut diligenter inquirerent, ecquis eſſet, qui literas illas interpretari poſſet. Ergo è Narſingæ regno Brachmanam, inter omnes Brachmanas literis & eruditione præſtantem, qui uarias linguas tenebat, accerſunt, & interrogant, an illas literas nôſſet? Reſpondit, literas eſſe priſcas, quibus antiqui ſapientes utebantur: negligentia uerò hominum eas intercidiſſe: quin etiam linguam à paucis teneri. Admonent illi Brachmanam, ut in altare aſcendat. Reſtitit ille, & nefarium facinus eſſe dixit, altare, in quo res diuina fieret, humanis pedibus conculcari. Inuitus tamen ſubiit, & literas perlegit: quarum uim eam eſſe dixit, ut una nota decem, & quindecim, & uiginti literarum officio fungeretur. Sententia uerò literarum in ſumma hæc erat: Thomam diuinum uirum fuiſſe à Dei filio, cuius erat diſcipulus, in eas oras, Sagami Regis tempore miſſum, ut Dei ſummi notitia gentes illas erudiret. Ibiq; templum extruxiſſe, & res admirabiles effeciſſe: atque tandem, cùm genibus flexis ad Crucem illam affixus, orationem ad Deum funderet, à quodam Brachmana fuiſſe haſta transfixum. Crucem uerò eiuſdem uiri ſanctiſſimi cruore tinctam, ad memoriam uirtutis illius ſempiternam relictam fuiſſe. Sed alius quoq; eiuſdem ſectæ aliundē accerſitus, literas in eandem ſententiam interpretatus eſt. Oſorius lib. 3. rerum Em.

Fama eſt, VENETIIS D. Marci corpus aliquādiu ignoratum ubi loci eſſet, creditumq́; uulgò, aut in occultiorem ſedem diuinitùs tranſiuiſſe, aut inde furto ſublatum. Cæterùm ſupplicatione & ieiunio publicè indicto, ciuitas clerum ſecuta, ſubiit diui templum. Miraculo hîc eueniſſe aiunt, ut brachio ex conditorij latere exerto, anxiæ ſollicitæq́; obtulerit ſeſe multitudini. Tum uerò ingenti omnium lætitia corpus inde ſublatum ferunt, atque in auguſtiorem locum repoſitum: decretum adhæc, ut ſoli Venetiarum principi, templique procuratoribus, id ſacrarium fas eſſet ſcire. Sabellicus libro 3. Enneadis 9.

VRBANO papæ per quietem apparuit S. Benedictus, inquiens: Ne meum corpus Caſſini quieſcere dubites. Certitudinis teſtimonium ſit: fratribus ad nocturnam ſynaxin ſurgētibus, pleuritide, qua laboras, liberaberis. Cui uiſioni reſpondit euentus. Chronicon Caſſinenſe lib. 4. cap. 5.

MONACHVS quidam à Melros in Scotia, in ſomno edoctus crucem reperit, haud longè ab oppidulo Laudoniæ, nomine Pepilis, capſæ, cui titulus inſcriptus erat, Sancti Nicolai epiſcopi, incluſam. Nec multū diuerſo loco urna reperta lapidea ſummo artificio facta, atq; in ea inuenta oſſa byſſo inuoluta, ſed cuius ea fuerint, incertum. Aperta Cruce multa facta miracula. Alexander III Scotorum rex, rei nouitate motus, templum, in quo loco Crux ipſa reperta erat, extruxit. H. Boethius lib. 13.

Cùm LACEDÆMONII à Tegeatibus bello ſemper ſuperarentur, oraculum conſuluerunt, Quemnam deorum placarent, ut Tegeates uincerent? Reſpondit Pythia, Oreſtis filij Agamemnonis oſſa Spartam referenda eſſe. Illis ambigentibus & incertis de loco, in quo recondita eſſent, ſic cecinit:

ἔστι τις Ἀρκαδίης Τεγέη λευρῷ ἐνὶ χώρῳ,
ἔνθ᾽ ἄνεμοι πνείουσι δύο κρατερῆς ὑπ᾽ ἀνάγκης,
καὶ τύπος ἀντίτυπος, καὶ πῆμ᾽ ἐπὶ πήματι κεῖται,
ἔνθ᾽ Ἀγαμεμνονίδην κατέχει φυσίζοος αἶα,
τὸν σὺ κομισσάμενος Τεγέης ἐπιτάρροθος ἔσσῃ.

Hoc oraculum nemo intelligere potuit, donec Lyches unus Spartiatarum ἀγαθοεργῶν Tegeam uenerit, & in officina fabri ęrarij cōſidēs illud didicerit. Huius enim cùm miraretur operas, Quid miraris, inquit faber? multo magis mirareris, ſi ſepulcrum, quod ego in fodiendo puteo ſub terra reperi, uidiſſes, in quo oſſa ſeptem cubitorum longitudine conſpexi, & terra iterum obrui. Liches ſtatim oraculum tacitus ſecum re-

cum repetit: duos fabri folles, duos eſſe uentos: incudem uerò antitypum, patiendo enim reagit: malleum typum, quia incudem percutit: ipſum denique ferrum, quod cudetur, malum eſſe ſupra malum. Malũ primò paſſiuè, quòd à malleo pateretur: deinde etiam actiuè, quia ad hominis perniciem eſſet inuentum. Hæc ſecum cogitans Liches, re communicata cum Lacedæmoniis, profugum ſe ſimulans, ad Tegeates reuertitur, corte mq; fabri conducit precio, & clàm Oreſtis oſſa effoſſa Spartã refert. Inde factum, ut Spartani Tegeatas poſtea bello ſuperarint, eodem ferè tẽpore, quo Cyrus Crœſum regno exuit. Herod. lib. 1.

*Librorum.*

TAYONI epiſcopo, legato Cindaſuindi Gothorum regis in Hiſpania, Gregorij Morales libros Roma petenti, cùm locus, quo repoſiti erant, à Põtifice ignoraretur, diuinitùs fuit reuelatus. Ioannes Magnus lib. 16. cap. 20.

*Armorum.*

Lancea ſacra à Chriſtianis principibus ANTIOCHIÆ reperta eſt: quæ refoſſa, de Perſis obſidentibus urbem, illuſtrem uictoriam retulit. Aemilius lib. 4.

## MAGISTRATVS, DIGNITATIS SAcræ, Pontificatus, Cardinalatus, Epiſcopatus, Sacerdotij.

*Oracula, Prædictiones.*

SIDONIVS, Aruernorum epiſcopus, ante mortẽ graui morbo uexatus, deferri ſe in eccleſiam iuſſit. Ad quem uiſendũ cùm infinita uis [illegible] populi confluxiſſet, ipſum percontari obortis lacrymis inſtitit, Cur ſe deſereret, aut cui ſe quaſi orbos tuendos, cuſtodiendosq; relinqueret? Quibus antiſtes ſpiritu diuino inſtinctus reſpondit: Ecce frater meus Aprunculus uiuit, qui ſacerdos ueſter erit. atq; inde animam ſub has uoces efflauit an. ſal. 488. Eo ſepulturæ mandato, preſbyter quidam, qui uiuenti infeſtiſſimus fuerat, eccleſiam occupauit, & ſe gerere pro epiſcopo cœpit. Verùm mox, cùm ſolenne epulum populo daret, repentina & ipſe morte occubuit. Interim Francis latè in Gallia rerum uſque ad Ligerim potientibus, grauis rumor increbuit, pleroſq; omnes eorum imperium exoptare, remq; ad defectionem ſpectare. Itaq; Aprunculus Lingonicæ ciuitatis epiſcopus, tanquam Francorum amicus, apud Burgundiones cœpit haberi ſuſpectus, ac propterea gliſcente odio, furtim occidi eſt iuſſus. Qua re pręcepta, ille nocte ex urbe Diuionenſi per murum demiſſus Aruernum ſe contulit, atq; ibi epiſcopus declaratus, diuinum S. Sidonij oraculum confirmauit. Sigonius libro 15. Imp. occid.

AMBROSIVS cùm à Probo, urbis Romæ præfecto, ad Ligurinm regendam mitteretur, Probus eum amicè monuit: Vade, age non ut iudex, ſed ut epiſcopus. Nec multo pòſt, mortuo Auxentio epiſcopo Mediolanenſi Ariano, populus in duas partes diuiſus, cùm Ambroſius ſeditionis componendæ cauſa prodiiſſet, eum epiſcopum eſſe uoluit: electionem Imp. Valentinianus ratam habuit. Theodoretus lib. 4. cap. 7. & Fulg. lib. 1. cap. 3.

MAVRICIVS, qui poſtea Pariſiorum factus eſt epiſcopus, tanta premebatur inopia, ut mendicare cogeretur. Cæterùm à nullo unquam adduci potuit, ut uel accipere eleemoſynam uellet: uel etiam per iocum (ut nonnunquam ſolet) ſe nunquam futurum epiſcopum iuraret. Fulg. li. 1. ca. 3.

Eugenij IV. Pp. PATER, cùm in Aegypto negotiaretur, cum patre Franciſci Foſcari, Venetorum Ducis, ab eremita, quem ſimul conſulebant, non minus lætum uaticinium quàm ille accepit. Ille enim filium, quem habebat, futurum patriæ principem, hic ſuum inter ſacerdotes ad ſummum gradum euaſurum didicit. Aen. Syl. cap. 58. Europæ.

CALLISTVS III. Pontifex, etiamnum monachus, Deo optimo maximo bellum in Turcos uouit. Ego, inquit, Calliſtus Pontifex uoueo. ac uoti carmen abſoluit ſcripto. Damnatus uoti, parauit in Turcum triremes aliquot, eſtq; eius auſpiciis nonnihil in eam gentem bellatum. Sab. lib. 9. cap. 10.

ALFONSVS rex, uenientem ad ſe Neapolim Aeneam Syluiũ è feneſtra digito amicis oſtendens, En, inquit, nobis Pont. Max. Federicus III. Cæſar, cùm è Cyminio monte Latium proſpexiſſet, eò acciri ad ſe iuſſo, Citò his in locis regnabis, Aenea, & qui tibi nunc imperamus, breui parebimus. Romæ unus ex regiis purpuratis ad eum iam Cardinalem ueniens, cùm lunas ſagis intextas aſpexiſſet, exclamauit, Fore eum pontificem Max. quòd ageus ipſe aliquando in Calabris, audiſſet, eſſe in arcanis, proximè futurum Pontificẽ ea ſigna habiturũ. Io. Ant. Campanus in uita Pij II. Pont. Max.

Antequam Sixtus IIII. Pp. crearetur, PAVLVS Riarius Sauonenſis, quamuis tenui fortuna, nobili tamen ortus genere, in furorem actus, è domeſticorum cuſtodia elapſus, in publicum prodiit, futuros Pontificem & Cardinales clamitans. Tulit autem fortuna, ut creato pontifice Sixto, inter primos Cardinales ipſius furioſi filius frater Petrus Riarius promoueretur. Fulg. lib. 1. cap. 3.

*Omina.*

ATHANASIVS ille Magnus, in agmine puerorũ ad mare ludentium, epiſcopi perſonam aſſumens, pueros baptizauit: alios diaconos, alios presbyteros ordinauit, in feſtiuitate annuæ memorię Petri Alexandri epiſcopi martyris. Id cùm uidiſſet Alexander epiſcopus Alexandrinus, omine capto, Athanaſium & ſocios parentibus ſub obteſtatione Dei cõmendauit, ut ad id, quod per ludum imitati fuiſſent, educarentur. Hic poſtea Nicenam fidem contra totum orbem Ariano ueneno infectum defendit. Sozomenus lib. 2. cap. 17. & Ruffinus lib. 1. cap. 14.

IOANNES Traiectenſis agricola, literarum penitùs expers, germinantis baculi indicio ad epiſcopatum uocatus eſt. Cùm enim quidam diuinitùs moniti, eum ad epiſcopatum uocarent, & ille recuſaret, quòd pręter alia incommoda nõ minus ad tantum munus eſſet aptus, quàm baculus, quem manu geſtabat, ad germinandum: baculus illicò germinare cœpit. Quo prodigio motus, diuinæ uocationi paruit. Herigerius abbas cap. 31.

IOANNES XXIII. Rom. pont. Bononia profectus (ubi ſtudiorum cauſa diu fuerat) Romam decreto petebat. Rogatus ab amicis, Quô iret? Ad parandum, inquit, mihi pontificatum. Adeptus eſt ille id decus, ſed magno fortunæ ludibrio adeptum amiſit. Sab. lib. 9. cap. 10.

PAVLVS II. Rom. pontifex, eo die, quo Franciſcum Ruuerũ Sauonenſem ad Cardinalatum promouit, cùm fortè de ea re uerba faceret, dixit, Se ea die ſucceſſorem ſuum elegiſſe: euentusque uerbo fidem attulit. Siquidem Paulo mortuo, Franciſcus Ruuerus in Pontificatu ſub Sixti quarti nomine ſucceſſit. Fulgoſus lib. 1. cap. 3.

THOMAS Sarzanus, legatus ab Eugenio IIII. Rom. pontifice in Germaniam proficiſcebatur: & dum Alpes traiiceret, incidit in Aeneam Piccolomineum Senẽſem, Friderici III. Imper. oratorem. Cùm autem ambo in eodem diuerſorio manſiſſent, atq; Aeneas parcè ageret, uiaticiq; impẽſas extenuaret, ad eum ſubridens Thomas: Quid tantopere uictui parcimus, cùm noſtrûm uterq; ad Pontificatum ſit aſcenſurus? Quod ipſorum fortuna uirtusq; poſtea uerum fecit, ut Thomas ſub Nicolai quinti, & Aeneas ſub Pij Secundi nomine pontificiam obtinuerint dignitatem. Idem.

AENEAS Syluius, qui Pij II. nomen in Pontificatu accepit, Corſiniani ſeptimum agens ætatis annum, inter ludos pueriles Pont. Max. ſalutatus ab æqualibus, ſingulos ordinè ad oſcula pedum admiſit. Campanus in eius uita. Idẽ cùm in Balneis Viterbianis ualetudinis cauſa eſſet, hiſtoriamq; Boemicam inchoaſſet, mortuo Calliſto III. Romã ſtatim rediit. Cuius expectatio tanta fuit, ut magna pars populi Rom. officij cauſa obuiam progreſſa, hominem, quaſi diuinarent, ut Pontificẽ ſalutarint. Ingreſſus conclaue, patrum omnium ſuffragiis pontifex maximus, ſub nomine Pij II. creatur. Platina, & Egnat. lib. 1. cap. 4. & Sabell. lib. 9. cap. 9.

*Portenta.*

GLYCETIVS ex utero coronam clericalem ſecum tulit. Epiſcopus deinde Treuerenſis factus eſt, Theoderico rege electionem probante. Hic ſuos ciues inguinaria peſte laborantes, ſanauit oratione. Catalogus epiſcoporum Treuerẽſiũ.

*Somnia.*

Paſchali Pontifici ſuffectus eſt Viennenſium epiſcopus Vido, CALLISTVS dictus. Nocte, cui creationis dies illuxit, ſpecies ei dormienti oblata eſt adoleſcentis diuina maieſtate Lunam gremio ipſius reponentis. Aemilius lib. 5.

GABRIEL Condelmarius Venetus, cùm grauiter laboraret, per quietem Petrum ac Paulum apoſtolos uidere uiſus eſt, incolumitatem ac pontificatum, qui non longè aberat, ei promittentes. Vi eius morbi ſuperata, ad pontificatum ſub Eugenij quarti nomine euectus, ſomnij felicitatem impleuit Fulgoſus lib. 1. cap. 3.

THOMAS Sarzanus, magno dolore affectus propter obitũ Nicolai Albergati, Cardinalis tituli ſanctæ Crucis, quem is dominum habuerat, illius umbram in ſomnis uidit: quæ cùm feliciter habere ſe dixiſſet, ſubiunxit poſtea, Ipſum breui põtificem futurum. Quod ſomnium idem Thomas, cùm iam ad Bononienſem epiſcopatum prouectus, in Germaniam à pontifice legaretur, in itinere Mediolani Franciſco Philadelpho amico narrauit: nec multo pòſt ſub Nicolai quinti nomine ad pontificatum aſcendit. Fulg. lib. 1. cap. 5.

VICTORIA, Syluij Piccolominei Senenſis uxor, edito puero Aenea Syluio (qui poſtea Pius II. Pontifex factus eſt) puerpera etiamnum, per quietem uiſa eſt ſibi infantem cum mitra párere, quæ (ut pronæ ſemper in peius mẽtes hominum ſunt) uerita eſt, ne ſomnium illud puero & familiæ ignominiam portenderet: neque antea huiuſcemodi ſuſpicione leuari potuit, quàm poſtea intellexerit filium Tergeſtinum epiſcopum



deſignatum fuiſſe. Quo nũcio omni prorſus metu liberata, immortali Deo gratias egit, quòd defunctum meliore fato, quàm ipſa coniectauerat, filium ſibi uidere contigiſſet. Platina, & Sabellicus libro primo, capite primo, & Campanus in eius uita.

Ioannes Medices anno 1513. in pontificem electus, LEONIS X. nomen ſibi deſumſit, utpote qui propter innatam excelſo regioq; animo clementiæ uirtutem, non expreſſo quidẽ titulo, ſed erudita alluſione Magnanimi cognomentum affectaret, duorum ſuperiorum ſecutus exemplum, quibus Alexandri & Iulij auguſtiſſima nomina placuiſſent. Nõ defuêre qui dicerent, Claricem matrem pleno iam utero leonem ingentis magnitudinis, & miræ lenitatis, in Reparatæ templo Florentiæ omnium maximo ſe párere ſine gemitu ſomniaſſe. Quod poſtea ſomnium ex fabulis nutricum quũ puerorum ingeniis inhæſiſſet, accipiendo nomini cauſam haud dubiè præbuit. Iouius in eius uita lib. 3.

POMPEIVS Columna, à Proſpero patruo ſuo ad Maximilianum I. Cæſarem in Belgium mittendus, amicis licèt uehementer improbantibus, nocturno uiſo confirmatus eſt. Nã per quietem uiderat, ſibi in palæſtra feſſo uictoriq; pampineam coronam cum Iulianæ uuæ racemis à uiro gigantea ſpecie, certaminis iudice, in ipſa ludorum celebritate alacriter deferri. Nec ſomnio defuit fides, aut ſpem eius Genius fefellit. Legatione enim feliciter obita, Cæſari gratiſſimus, cùm adhuc in Sicambris eſſet, ab urbe lætiſſimum nuncium collati ſibi punicei galeri accepit. Iouius in eius uita.

## IMPERII, REGNI, PRINCIPATVS PROfani acquirendi, conſeruandi, ampliandi

*Reuelationes.*

Cùm Adrumeti (quæ ciuitas eſt Africæ) CVRSIVS Ruffus, penes quæſtorem, in eius familia, nulla inſignis dignitate ageret: per meridiem in porticu deambulans, femineam umbram auguſtiore forma, longè ſupra humanam uidit, à qua hæc uerba accepit: Tu Ruffus es, qui in hanc prouinciam proconſul uenies. Eo prodigio ad bonam ſpẽ erectus, haud multo pòſt à Tiberio, Africæ proconſulatum obtinuit. Id quod uiſionis euentum impleuit. Fulg. lib. 1. cap. 6.

Maccabæo, Duncani Scotorum regis cõſobrino, & Banquhoni regis conſiliario, in arcem Morauiæ Forres (ubi tum rex agebat) proficiſcentibus, ac in itinere luſus gratia per campos ſyluasq; errantibus, medio repentè campo tres apparuere peregrino habitu mulieres: quas quum appropinquãtes admirarentur: Salue; inquit prima, Maccabæe, Thane Glammis (nam eum magiſtratum, defuncto paulo antè patre Synele, acceperat) Altera uerò, Salue, inquit, Maccabæe; Caldarię Thane. At tertia, Salue, inquit, Maccabęe, olim Scotorum rex future. Tum Banquho: Et uos, quæcunq; eſtis, mihi parum propitiæ uidemini, quæ huic præter optimos magiſtratus etiam regnum defertis: mihi nihil quicquam. Ad ea quæ prima fuerat: Imò, inquit, longè tibi maiora quàm huic nunciamus, Hic enim regnabit quidem, infauſto tamẽ exitu, nec ullum ex poſteritate ſua inter reges iurè numerandum relicturus. Tu contrà, non regnabis quidem, uerùm ex te naſcentur longa nepotum ſerie rerum Scoticarum potituri. His dictis extemplò diſparuere. Vana ea Maccabæo Banquhoniq; uiſa, atq; per ludum Banquho Maccabæum regem ſalutabat: Banquhonemq; Maccabæus uiciſſim multorum regum parentem. Paulo pòſt Caldariæ Thanus ob læſam maieſtatem, capitis damnatus eſt, agerq; cum præfectura Maccabæo donatus. At Banquho cùm in cœna hilares iocarentur, riderentque inuicem, Aſſequutus es, inquit, Maccabæe, quod duæ illæ ſorores prædixerant, ſupereſt cõficiendum tibi, quod tertia fore prædixit. Maccabęus quum rem apud ſe uoluiſſet, ſeriò cœpit ad regnum adiicere animum. Duncanus alterum ex filiis, quos ex filia Siuerdi Northumbriæ comitis ſuſceperat, Malcolmum Cumbria donauit, ueluti iudicans, illum ſtatim poſt ſe regni gubernacula ſuſcepturum. Quod ægrè ferens Maccabæus, uxoris quinctiam aſſiduo hortatu impulſus, conſilia cum proximis communicat, ac inprimis cum Banquhone: qui ubi omnia polliciti fuiſſent, regem obtruncat, & Sconam profectus, rex ſalutatur: totoq; decennio, ut regum quicunque alius, optimè regnum adminiſtrauit. Mox cùm illum furiæ agitarent, & uerò Banquhonis poſteris promiſſum eſſe regnum meminiſſet, Banquhonem ad cœnam cum filio inuitat, domũ redeuntem per ſicarios cum filio Fleancho obtruncari iubet. Sed noctis beneficio filius euaſit, & dum inſidias metuit, in Gualiam exulatum abit. Illic gentis domino ob ingenij dexteritatem conciliatus, filiæ conſuetudine uſus, ab irato patre occiſus eſt, filia abiectiſſimæ ſeruituti mancipata, puer ex ea natus Vualterus rus ablegatus. Qui ſimul atque adoleuit, cùm ſibi per iurgium, natalium pudor obiiceretur, conuitiatore occiſo ad Scotos cognatos confugit: breuique tempore D. Margaritæ Scotorum reginæ propter fidem & fortitudinem conciliatus, dux militiæ contra tyrannos Hebridenſes factus, inde regiorum prouentuum procurator, Seneſcallum dicunt, prędiisq; & agris Stragis, Coil & Stuartislandis uulgò dictis, donatus eſt. Ab eo longa tandem ſucceſſione uirorum bellica laude illuſtrium Vualterus Stuart prodiit, qui ex Mariorìa Roberti Bruis regis filia Robertum II. regem genuit; in qua familia etiamnum, hodie regnum Scotiæ permanet. H. Boethius lib. 12.

*Oracula, Prædictiones.*

Hieroboamus Nabathi filius à patre puer relictus, ob egregiã indolem indulgenter apud Salomonem primò habitus, mox murorum ſtructuræ eſt præfectus. In quo munere obeundo, quum haud modicam induſtriæ experientiam edidiſſet, Salomon uirtutem in homine complexus, præfecturam ampliſſimam in tribum unam ei decreuerat. Cui ad capeſſendum honorem egreſſo, ACHIAS propheta ex Sylone uenienti occurrit, eumque poſt mutuam ſalutationem ex publico in ſecretum abductum, huiuſmodi ſchemate in ſpem regni maximam erexit. Scidit ille ſibi pallium in duodecim partes: inde data Hieroboæ optione, ut ex eo numero decem, quas uellet, deligeret: futurum denunciat, quia Salomon grauiter deliquiſſet, ut breui eius regnum non aliter quàm pallium illud plurifariàm ſcinderetur, quarum duæ duntaxat eius filio relinquerentur, ob eximiam Dauidis pietatem. cæterùm imperium ei numinis prouidentia ceſſurum. His ferox iuuenis fretus, quum primùm ad exercitum uenit, res nouas haud obſcurè moliri cœpit: conatus eò multitudinem impellere, ut imperio Salomoni abrogato, in ſe rei ſummam transferrent. Sed [illegible] tempus nondum aderat. Hieroboas in Aegyptum ad Seſachum regem transfugit: nec longo deinde tempore interiecto, Salomon uita deceſſit. Rediit Hieroboamus, & decem tribus ad defectionem à Roboamo Salomonis filio compulit. Sabellicus libro 9. Enneadis 1.

Poſt Sethonem Aegyptiorum regem, duodecim reges creati, ſanctiſſimo fœdere ab initio inter ſe pacti, ne ſibi alius alij inſidiarentur, ſicque fida conſpiratione Aegyptum adminiſtrarent. Interim oraculo cognitum eſt, eum qui ferrea phiala in Vulcani eſſet templo libaturus, ſolum Aegypti regno potiturum. Non longo deinde tempore, quum fortè in Vulcani ęde, ſolenni ſacro reges omnes ſtarent, de more libaturi, ANTISTES templi numero aberrans, ſingulis, præterquàm Pſammeticho, qui ultimo loco ſteterat, phialam obtulit: qua ille neceſſitate adactus, detracta ſibi galea, libauit. Ferebat tùm ipſe ut cæteri reges galeam. eaque re animaduerſa, confeſtim oraculi memoria circumſtantium animos ſubiit, ratique id conſilio factum, dignum Pſammetichum iudicàrunt, qui morte multaretur. Cæterùm cùm id caſu contigiſſe cognitum eſſet, præcipua regni parte exutum, in paluſtrem Aegypti partem relegarunt cæteri reges, ea lege, ut reliqua Aegypto abſtineret. Eam ignominiam ægrè tulit Pſammetichus, ſecretaque conſilia agitabat, ut præſentem contumeliam ulciſceretur. Ex Latonæ interim oraculo, quod in Bruti urbe omnium ueriſſimum apud Aegyptios habebatur, relatum eſt, fore, ut æreis uiris auxiliaribus quandoque uſus, qui è mari affuturi eſſent, ſe Pſammetichus in ſummam dignitatẽ uindicaret. Nec multum deinceps temporis proceſſit, quum Iones Caribus mixtis prædandi ſtudio maria luſtrantes, ui tempeſtatis uoluntario curſu excuſſi, Aegyptum tenuerunt. Vnus interim indigenarum, eos in litus egreſſus conſpicatus, nouitate rei commotus; trepidè Pſammeticho nunciat æreos homines adeſſe: cataphractum militem Aegyptij ad id tempus nunquam uiderant. Senſit ille fatale tempus adeſſe, confeſtimque inito cum Ionibus & ſociis fœdere, multis pollicitationibus in deſtinati belli partes traxit: hisque copiis fretus, reges ſuſtulit, totiusq; gentis unus eſt ditionem adeptus. Durauit ab his principiis initum cum ea gente commercium, Aegyptiacæq; res notiores ſunt Græcis factæ. Sabellicus libro 4. Enneadis 2. ex Herodoti lib. 2.

Eetionis filio creſcenti impoſitum eſt nomen CYPSELO, ob periculum quod deuitauerat in cypſela, id eſt, menſura frumentaria. Ei, ubi in uirilem adoleuit ætatem, conſulenti oraculum Delphis, anceps eſt redditum: quo fretus, Corinthum aggreſſus occupauit. Oraculum hoc erat:

Vir locuples noſtras hic qui deſcendit ad ædes
Cypſelus Eetides, claræ rex eſto Corinthi
Ipſe, & eo nati, ſed nulli deinde nepotes.

Herodotus libro 5.

Oraculum extabat: Qui primus ex Herculis ſtirpe, tranſmiſſo Acheloo terram attigerit, urbem cum imperio teneat. Ex hac cùm eſſet etiam AEATVS cum ſorore Polyclea, & exercitus flumen tranſiturus eſſet, Polyclea pedem obligauit: inquiẽs, plantã ſibi uulneratã eſſe. Rogat fratrem Aeatũ, ut ſe trans fluuium portet. Ille nihil mali ſuſpicatus, ſed tanquam ſorori inſeruire uolens, ſcutum armigeris tradidit:

ſublataque in humeros Polyclea, alacriter per fluuium tranſiit. Qui cùm ad ripam appropinquaſſet, illa præuertens exiliit, & conuerſa ad fratrem inquit: Mihi regnum debetur ex oraculi ſentētia: nam prima omnium terram ingreſſa ſum. Aeatus intellecto dolo, puellæ ſolertiam amplexus, eam in uxorem duxit, ſimulq; imperij gubernacula tenētes, filium Theſſalum genuerunt. Polyæn. lib. 8.

ALETES quidam Corintho pulſus, conſuluit Dodonæum oraculum, quod tum Iouis erat, Nū in patriam reuerti, & Corinthiorum imperio potiri poſſet? Reſponſum eſt, tum illū potiturum, cùm quiſpiam illi glebam daret, aut ruder, idq; die multarum coronarum. Itaq; Corinthum profectus, panem ab ruſtico quopiam petiit. Is ludibrii cauſa glebam ex agro ſublatam porrexit. Aletes eam tanquam felix omen accipiens, effatus eſt:

—Δέχεται ϗ βῶλον ἀλήτης.

animumque ad capeſſendum imperium adiecit. Parentabatur eo die Manibus. Cùm pleraque ciuitas in monumentis abeſſet, accedens, reperit Creontis filias iam paciſcentes de imperio. Harum natu minimæ perſuadet, ſi uelit adiutare ſe, ſimulatq; principatum eſſet conſecutus, illam ſe ducturum uxorē. Illa imperij cupiditate prodidit ciuitatē, ac portis apertis Aletem admiſit. Ergo uictor, Iouis Corinthum eam appellauit, quòd ex Iouis oraculo cōtigiſſet. Interpres Pindari in Nemeis. Huius Aletæ mentionem facit in Corinthiacis Pauſanias.

Plutarchus ſcribit, ALEXANDRVM Magnum ſubacto oppido Gordio, Midæ regia, uiſere uoluiſſe plauſtrum illud celebre, mirando artificio ex corni libro connexum. De quo talis fama apud barbaros increbuerat, Quiſquis ei⁹ nodos explicuiſſet, ei totius orbis imperium portendi fatis. Alexander enſe diſſecuit. Ariſtobulus ſcribit eum facillimè diſſoluiſſe: nempe ademto clauo, quo temoni iugū annectitur.

ALEXANDER Magnus ad Iouis Ammonis templum à ſacerdotibus ductus, cùm diuinum ſimulacrum contemplaretur, uates, uir grandis natu, accedēs ad eum: Salue, inquit, ô fili, & appellationem huiuſmodi à deo habeas. Suſcepit Alexander: Accipio eam ô pater, deincepſque tuus dicar, ſi tamen mihi terrarum omnium dominium conceſſeris. Tūc uates in templum ſe retrahens, cùm uiri, qui deum ſubleuauerant, ad certa quædam uocis indicia moti eſſent, reſpondit firmiſſimè, deum ei, quod petebat, promittere. Ibi Alexander: De cæteris etiam quæ ſcire expeto, mihi, inquit, ô numen reſpondeas: An ſcilicet omnes parentis mei interfectores ultus fuerim, numúe eorum aliqui pœnam euaſerint? Vates tunc exclamauit: Non eſt mortalium quiſpiam, qui genitori tuo inſidias poſſit tendere: Philippi quidem peremtores omnes ſupplicio ſunt affecti. Argumento uerò ſit tibi, quòd è deo ſis genitus, magnitudo rerum quas feliciter geſſiſti, quodque hactenus à nullo fueris ſuperatus, & in poſterum ubique inuictus ſis futurus. Delectatus mirificè Alexander his oraculis, ampliſſima deo obtulit munera. Diodorus libro 17.

Siculo Dinomeni de filiis conſulēti, ſortem dedit Apollo, tres tyrannide potituros. Cùm hic ſubieciſſet Dinomenes: Vtinam ne impunè domine Apollo: Et hoc, inquit, do tibi. Et quidem GELON aqua intercute laborans, HIERON calculo afflictatus, tyrannidem tenuit: tertius THRASYBVLVS, ſeditionibus & bellis non diu implicatus, regno fuit eiectus. Plut. de Pythię oraculis.

Quidam Eſſenus, MANAHEMVS nomine, cùm aliàs uitæ ꝓbatæ hominum teſtimonio, tum uerò diuinitùs etiam conceſſum habens donum fatidici ſpiritus, conſpicatus Herodem, Antipatri Idumeæ præfecti à Cæſare F. cum cæteris pueris ludum literarium frequentantem, regem Iudæorum ſalutauit. Ille putans ſe aut rideri, aut non ſatis notum eſſe homini, correxit eius uerba, unum de plebe ſe profitens. Tum Manahemus ſubridens, & blando plauſu poſteriora eius permulcens ueriùs, quàm feriens: Imò regnabis, inquit, & feliciter dominaberis: ſic enim Deus uult: & memor eſto Manahemi uerberum, quæ te fortunæ mutabilis admoneant. Nihil enim te magis cogitare decet, quàm de iuſtitia & pietate, & æquitate erga ciues ſubditos. Sed ſcio te hoc non facturum, futuri præſcius: eris enim tam diuini quàm humani iuris immemor, licèt alioqui fortunatiſſimus, & ſempiterna dignus gloria. Nec tamen deum latebis, qui te extremo uitæ tempore, graui caſtigatione reprehenſurus eſt. Hæc uerba non magni fecit Herodes, qui tum nihil tale ſperabat. Proſperis deinde ſucceſſibus ad regnum & tātam felicitatem elatus, cùm maximè uigeret, Manahemum acceſſitū rogauit de diuturnitate imperij. Ille nihil certi reſpōdit: ſed ſciſcitante rege, Nū decē annos duraturum ſit? Et uiginti, inquit, & triginta: atq; ita indeterminatum fatalem finem reliquit. Herodes uerò uel hoc contentus, Manahemū data dextera dimiſit, & ex eo ſemper Eſſenos in precio habuit. Ioſephus lib. 15. cap. 13.

SAMEVS phariſæus Herodem regnum occupaturum, miſeriſq; modis Iudæos uexaturum, ob peccata populi, prædixit. Ioſephus lib. 14. cap. 18.

Sergius Galba Imp. Carthagine noua conuentum agens, tumultuari Gallias comperit. Legato Aquitaniæ auxilia implorante, ſuperuenerunt Vindicis literæ, hortantis, ut humano generi aſſertorem ducemque ſe accommodaret. Nec diu cunctatus, conditionem partim metu, partim ſpe recepit. Nam & mandata Neronis de nece ſua ad procuratores clàm miſſa deprehenderat: & confirmabatur cùm ſecundiſſimis auſpiciis, & ominibus, tum VIRGINIS honeſtæ uaticinatione, tanto magis, quòd eadem illa carmina ſacerdos Iouis Cluuiæ ex penetrali ſomnio monitus eruerat, ante ducentos annos ſimiliter à fatidica puella pronunciata: quorum carminum ſententia erat, Oriturum quandoq; ex Hiſpania principem, dominumq; rerum. Suetonius.

Apud Iudæam Carmeli Dei oraculum conſulentem VESPASIANVM ita confirmauēre ſortes: ut quicquid cogitaret, uolueretq; animo, quantumlibet magnum, id eſſe prouenturum, pollicerentur. Suetonius.

IOSEPHVS captus à Rom. Veſpaſiano patri & filio imperium uaticinatus eſt. Teſtis eſt ipſemet lib. 3. cap. 14. belli Iud. & Suidas. De eo ſic Suetonius. Et unus, inquit, ex nobilibus captiuis Ioſephus, cùm cōiiceretur in uincula, conſtantiſſimè aſſeuerauit fore, ut ab eodem breui ſolueretur, uerùm iam Imperatore.

Colebatur, inquit Dion, apud Syriæ Apameam Iupiter cognomento Belus, qui SEVERO adhuc intra priuatum ſe habitum continenti Homericè ita reſpondit:

ὄμματα ϗ κεφαλὴν ἴκελος Διὶ τερπικεραύνῳ,
Ἄρει δὲ ζώνην, στέρνον δὲ ποσειδάωνι.

Mox uerò iam imperium adepto, ita:

σὸς δ' οἶκος πᾶς βήσεται δι' αἵματος.

Cælius libro primo, cap. 6. A. L.

Cùm DIOCLETIANVS apud Tungros in Gallia, in minoribus adhuc locis militans, in caupona quadam moraretur, & cum Druyde quadam muliere familiarem conſuetudinem haberet, illaq; parſimoniam hominis incuſaret, ioco reſpondiſſe fertur, Tum ſe fore liberalem, cùm imperator fuerit. Ad hoc illa, Noli, inquit, iocari Diocletiane: planè imperator eris, ſimul ac aprum occideris. Ille interea ſtudioſè ſectari cœpit apros in uenatu, nullo ſucceſſu. At Numeriano Imperatore, Arrij Apri ſoceri ſui fraude interemto, milites Diocletianum uindicem crearunt, & Auguſtum conſalutarunt. Ille itaque pro concione, quo Druydis dictum expleret, Aprum manu ſua confodit, addens Maronianum illud:

Aeneæ magni dextra cadis.

Cùm adhuc priuatus multos apros confeciſſet, nec affulgeret uſquam imperij ſpes, dicere ſolitum ferūt: Ego apros occido, alter fruitur pulpamento. Eraſmus in Chiliadibus, & Cuſpinianus, & Auentinus lib. 2. Boiorum.

Prænunciatum cum læto euentu, priuato adhuc P. ANNIO Tacito, ab eo quem malè uexabant umbræ, imperium fuit. Is enim in Syluani fano diu indeſinenterq; clamauit, Tacitus tandem poterit. Fulgoſ. lib. 1. cap. 3.

Duo IVDÆI Leoni Iſauro, adhuc adoleſcenti opifici, imperium Romanum prædixere. Neganti prorſus fidem fecerunt, iuramentoque eum adegerunt, ut ſi hunc euentum res eius habituræ eſſent, imagines tolleret. Igitur nonum iam annum imperij tenentem, uates iſti conuenerunt, & prædictionis mercedem flagitarunt. Quod ſe facturum Leo recepit. Zonaras, & Cedrenus.

Fama erat, eum Romanum uirum, qui Cretam eſſet capturus, neceſſariò etiam Imp. Romano potiturum. Itaque ſimulatque renunciatum eſt, Cretam eſſe captam, Romanus III. Imp. miſit, qui inde NICEPHORVM Phocam auocaret. Verùm nec ſic fatum prohiberi potuit. Nam paulo pòſt Nicephorus Imperator factus eſt. Cedrenus.

MICHAEL Traulus Phryx, humili ortus genere, cùm ob paupertatem, exercitus ducem adiret, militiæ conditionem accepturus, Athinganus quidam, Michaelem aſpiciens paulo intentiùs, Aechano duci loquitur hæc uerba: Qui te rogat, quandoque imperabit, ſi uera ſunt quæ præuideo. Hoc uaticinio perſuaſus dux, Michaelem ſibi familiarem, & ex filia ſocerum fecit. At Scylax tradit, hunc Traulum Michaelem ex uaticinio Vxiorum adeptum fuiſſe imperium, quæ ſecta per Mœſiam ac Europam ſparſa, paſſim omnibus futura prædicebat. Putant autem aliqui Vxios eſſe Perſiæ populos, quos ſeculum noſtrum Cinganos uocat, qui per orbem ſparſi, degunt more ferarum, nulla lege, nullis artibus, tamen futura prædicentes: cùm omnes ferè populi Orientales, præſertim Chaldæis uicini, uaticiniis ſint addicti. Michael adultior factus, ubi à genethliaco edoctus fuerat ex geneſi ſua imperium ſibi promitti, Leoni V. Imperatori (cui adeò carus erat, ut in compatrem ab eo eligeretur) adhæſit, à quo Comes domeſticorum creatus eſt. Leone tandem occiſo, optimatum fauore euectus eſt ad imperium. Cuſpinianus, ex Zonara & Cedreno.



Theophilum dominum ſuum, ab Michaele Imper. in Peloponneſum reipub. gratia miſſum, BASILIVS Macedo comitatus eſt. Cùm in Achaiam uentum eſſet, Theophilus precandi gratia templum diui Andreæ intrat: Baſilio tum non comitante, quòd is nimirum ſuorum negotiorum cauſa abeſſe cogebatur. Pòſt Baſilius quoque opportunitatem nactus, ſolus in idem fanum ſe confert. Præſidebat tum ei fano monachus quidam, uirtuti per omnem uitam deditus. Hic, cùm antè ingreſſum tanto cum ſatellitū comitatu Theophilum neque excepiſſet, neque aſſurgens ſalutaſſet, neq; omnino uel minimo alloquio dignatus eſſet: tunc Baſilio intranti ſoli aſſurrexit, & ut Imperatorem ſalutauit. Expoſtulanti ſecum Danielidi mulieri ibi primariæ, reſpondit monachus, ſe non ut communis conditionis alicui, ſed ut à Deo deſtinato Rom. Imperatori aſſurrexiſſe. Danielis igitur Baſilium, Achaiæ ab hero ob aduerſam ualetudinem relictū, diligenter curauit, ampliſque donis affecit: nihil ab ipſo requirens, quàm ut cum Ioanne filio ſuo ſpiritualem fratris neceſſitudinem contraheret. Quo impetrato, rem omnem Baſilio enarrat, orans, ut ſibi liberiſque ſuis benignus & clemens eſſe uelit. Baſilius Imperator factus, eum protoſpatharij dignitate auxit, & Danielidem anum ad ſe uocatam, cùm equo uehi nequiret, in lectica CCC iuuenibus robuſtis, alternis uicibus geſtandam mandauit, ac honorificè donatam domum remiſit. Cedrenus.

Fuit Eunuchus Nicetas quidam Chonarum epiſcopus (qui Nicetam Choniatem hiſtoriographum ex diuino baptiſmate ſuſcepit) omni genere uirtutis ornatus, futurarum rerum præſcius. Cùm autem Imperator MANVEL Comnenus recèns diademate redimitus, ex Armenia reuertens, Chonis Archangeli ædem ingreſſus, fauſtam comprecationem ab hoc pontifice accepiſſet: quidam ſacerdotes dubitabant, an Manuel adhuc adoleſcens, tantum Imperium adminiſtrare poſſet? deinde an frater Iſaacius, qui urbem imperatricem obtineret, ſuperaturus eſſet? Tum Nicetas reſpondit: Omnino adoleſcens iſte & imperium gubernabit, & fratrem ſuperabit. Auum Alexium ætate paulùm uincet: ſed inſtante obitu inſaniet. Inſaniam illam alij ad auri cupiditatem, alij ad libidinis intemperantiam detorquebant. Sed cùm controuerſia agitata eſſet, Imperatore temerè principiò contendente, holoſphyrum illum Mahometi uerum eſſe Deum, qui nec genitus eſſet, nec genuiſſet: omnes id oraculum eò retulerunt, quòd illa opinio à ueritate alieniſſima, germana & peſſima eſſet inſania. Nicetas lib. 7. de Rebus Manuelis.

ODOACER, Herulorum & Rugiorum rex, Italię occupandę ſpe concepta, Danubio traiecto in Noricum penetrauit. Erat tum in iis locis Seuerinus, qui Noricorum appellatur apoſtolus, iam inde ab Atilæ temporibus ex Oriente profectus: qui magnam opinionem apud omnes ſanctæ habebat integritatis. Ad hūc igitur Odoacer ſacram benedictionem petiturus acceſſit. Cæterùm, cùm, ea accepta, è cella ſancti uiri pedem efferret, & caput inclinaſſet, ne ſuperliminari oſtij (nam proceræ admodum ſtaturæ erat) allideret, hæc à diuino uate uerba accepit: Perge Odoacer in Italiam uiliſſimis nunc pellibus tectus: uerùm multis propediem precioſa multa dilargiturus. Sigonius lib. 14. Imp. occid. & Cranzius lib. 1. Vandal. c. 36.

Aſſeruabatur in Metenſi eccleſia catalogus quidam epiſcoporum Metenſium, quorum nomina initialibus tantùm literis, uel auro, uel argento, uel alio uiliori metallo notata erant: qui Clementi, primo eius ſedis antiſtiti, ab Angelo traditus fuiſſe, uulgi ſermone ferebatur. In eum cùm THEODERICVS, Othoni Magno affinitate iunctus, Adelberoni ſuffectus in epiſcopatu, incidiſſet, ſuique nominis literā argenteam offendiſſet, dixiſſe dicitur: Ea fide ſuæ Eccleſiæ commodis ſe proſpecturum, ut æquo omnium iudicio, litera aurea dignus cenſeatur.

KYNATILLVS, Scotorum rex deſignatus, Aidanum patruelem ex Hibernia reuerſum placidè complexus, admirātibus cunctis, bono eſſe animo iuſſit: fore dictitans, ut breui auito regno potiretur, ex eoque naſcerentur, qui Scoticam gentem olim multis leuarent incommodis. Erat Kynatillo animus (uti extrema ualetudine eſt faſſus) ſumma ſe poteſtate abdicandi, reſtituendique Aidano regnū. Conſilium interrupit ſuperueniēs ægritudo. Viceſimo etenim die, quàm rex creatus eſt, brancho atque angina correptus eſt. Vnde publico regimine Aidano permiſſo, in cubiculo ſe continere eſt coactus. Sequuta febris, longo otio putreſcente pituita, poſt quartumdecimum menſem regem extinxit. H. Boethius libro 9.

AGILVLFVS, dux Taurinenſis ciuitatis, cùm Authari regi Longobardorum, ſponſam eius Theodelindam, regis Baioariæ filiam, adduceret, ſecum habuit aruſpicem, qui ipſi ex fulminis ictu prædixit, eū paulo pòſt ipſa ſpōſa & regno potiturum: idq; euentus cōprobauit. Interfecto enim Authari in bello, Agilulfus ei in regno & cōiugio ſucceſſit. Paulus Diacon. de geſtis Longobardorum cap. 14.

Quo die Ioanni regi Aragonum, natus eſt FERDINANDVS Catholicus F. in Soſio oppido Aragonię, uir quidam religioſus ordinis Carmelitarum, literis & moribus inſignis, ad Alphonſum Regem, Ioannis fratrem, Neapoli in Caſtellum nouum ueniens, Hodie, inquit, Rex in Hiſpania citeriore puer tui generis natus eſt, qui maximus olim inter Chriſtianos principes nominabitur: quippe qui res magnas, multas, & ſanctas domi foriſque geret, quibus religionem Chriſtianā, & Hiſpaniæ nomen altiùs extolletur. Marineus lib. 19. rerum Hiſp.

Franciſci Foſcari, qui poſtea dux Venetorum fuit, pater, in Aegypto negotiatus, cùm PROPHETAM regionis illius quempiam de futuris interrogaret, reſponſum ab illo accepit, filium illi eſſe, qui aliquando ſuæ ciuitatis principatum aſſequuturus eſſet. Aeneas Syl. cap. 50. Europæ.

Chriſtophorus Maurus Venetus, ædes ſuas in cœnobium diui Franciſci conuerterat. Ei iam diui Marci procuratori conſtituto BERNARDINVS Senenſis principatum prædixit. Cæterùm abrogato principatu Foſcaro ipſi, quum ſumma principis dignitas, repulſo Mauro, Paſchali Maripetro demandata eſſet: admirabundus ipſe tacitus ſecum Bernardini uaticinium irridere, quod tamen ueritatis plenum fuit. Siquidem Maripetro ſucceſſor eſt datus. Egnat. lib. 7. cap. 5.

IO. Capiſtranus, Franciſcanus monachus, introductis à patre Io. Coruino filiis ad officium, Mathiam ſemper ad dextram, ad ſiniſtram contra, Ladislaum, natu maiorem, collocabat. Rogatus à patre, Cur præpoſtero ætatis ordine in filiis uteretur? Apertè reſpondit, id non ab re fieri: quando minor alter Alexander, & acerrimus fidei propugnator, ac rex futurus eſſet: maiori mors immatura, laudis iter interciperet. Aiunt Mathiam, quum à Ladislao rege Viennam cæſo fratre ob interfectum Ciliæ comitem, duceretur, illudentibus Alemannis, Quòd rex hic Vngariæ eſſe uellet, intrepidum reſpondiſſe: Ac ueſter etiam, ſi uixero. Bonſinius libro octauo, Decadis 3.

*Omina.*

CYRO Perſarum regi, cùm ab Aſtyage auo expoſitus infans foret, canem ubera præbentem, illumque à feris defendentem, paſtor gregis inueniſſe traditur. Quæ res futuram ipſius magnitudinem hauddubiè portendere uiſa eſt. Iuſtinus. Herodotus tamen à Metridatis uxore Cyno dicta, educatum ſcribit.

DANAVS, cùm primùm in Argiuorum terram appuliſſet, fertur, in Piramiis Thyreatidis Argos petenti lupus uiſus cum tauro certans. Danaū uerò, qui exiſtimabat lupū ab ſe ſtare, quòd indigenas externus, ſicut ipſe aggrederetur, ſpectatorem ſe præbuiſſe pugnæ. Cùm uictoriam obtinuiſſet lupus, uoto facto Apollini Lycio, adortum urbem fuiſſe, eaq; potitum, eiecto per ſeditionem Gelanore, qui tunc apud Argiuos regnabat. In cuius rei memoriā, Argis in foro, lupi cum tauro certantis ſtatua poſita fuit. Plut. in Pyrrho.

Cùm Bucephalum Philonicus Theſſalus ad Philippum duxiſſet tredecim (uel, ut Plin. ſedecim) talentis uenalem: deſcenderunt ad equum probandum in campum. Videbatur autem moroſus, & perquàm tractatu difficilis, neque quenquam admittebat in ſedem, nec uocem ferebat ullius Philippi comitum, uerùm in omnes inſurgebat. Igitur ubi pertæſus Philippus abduci iuſſit, quaſi omninò ferum & indomitum, aſſiſtens ALEXANDER filius ait: Quem equum perdunt iſti, qui propter imperitiam & mollitiem tractare eum nequeunt? Id primùm tacitus Philippus tulit. At crebriùs cùm obloqueretur & angeretur: Culpas tu, inquit, maiores natu, quaſi peritior ſis, aut tractare equum noueris rectiùs? Hunc certè melius, inquit, aliis, tractem. Si non tractes, inquit Philippus, quam pœnam pendes temeritatis? Ego hercle, infit, precium equi dependam, Alexander. Hic riſus conſecutus eſt: inde ſponſio inter eos de pecunia. Mox accurrit ad equum Alexander, correptiſque habenis conuertit eum aduerſus ſolem. Aduerterat nimirum, quòd incurrentem & agitatam ante oculos umbram cernens percelleretur. Tum molliter eum ad procurſum incitauit ac permulſit: quem ubi ferocientem uidit & exultantem, abiecta leniter chlamyde inſiliit in eum, & nullo negotio conſcendit. Frænum autem placidè habenis capiens, ſine uerberibus uel calcaribus impetum eius repreſſit. Vt ferocia lenita equum currere geſtientem uidit, admiſit iam eum, uocemque ferociorem ac pedum pulſum adhibuit. Hic Philippi comitatum ſolicitudo primùm ac ſilentium inceſſit. Vt flexit & ritè conuertit equum glorians ouansque, cæteri omnes applauſere. Patri uerò manaſſe etiam aliquantulum gaudio lacrymas ferunt, ac poſtquam deſiliit ex equo, caput eius oſculatus: Quære, inquit, fili par tibi regnū,

ſiquidem non capit te Macedonia. Plutarch. in Alexandro.

LYSIMACHVS Macedo ob Calliſthenis philoſophi ſtudium leoni, Alexandri iuſſu, obiectus, manum manipulo inuolutam in fauces irruentis belluę iniecit, linguamque fortè adeptus non priùs ab ea conuellenda deſtitit, quàm rege, & qui cum eo aderant ſtupentibus, belluam exanimem ad terram deiecit. Fuit id conſtantiæ exemplum illi apud Alexandrum ſaluti, quippe qui iuuenem data uenia inter familiares recepit. Nec ille propterea minore fuit fide in regem, utpote qui Alexandrum poſtea ſolus per uaſtas arenarum moles fideliter fuerit comitatus, quum inſectandorum hoſtium ſtudio dux ferociſſimus procul à ſuis deerraſſet. Qua ſanè expeditione rex equo deſiliens, Lyſimachi frontem imprudens cuſpide haſtæ ſuæ conſauciauit. Ibi quum ſanguinis fluxus aliter ſiſti non poſſet, diademate à capite ſublato uulnus obligauit, quæ res auſpicium illi fecit regiæ in poſterum dignitatis. Alexandro uita defuncto, prouincia omnium aſperrima illi ceſſit, Thracia cum tota Pontici maris ora, tantum uirtute cæteros duces anteire eſt creditus. Occupauit tandem & Macedoniæ regnum. Sabel. lib. 7. En. 4. ex Plut. & Curtio, & Pauſaniæ Atticis.

SANDROCHVS uel Sandrocottus iuſſus olim ab Alexandro ob noxam quandam occidi, fuga ad Indos ſibi ſalutem quæſiuerat. Ferunt fatigatione corporis, quum fortè medio fugæ tempore in nemore quodam ſopore preſſus iacuiſſet, leonem enormi magnitudine ad eum acceſſiſſe, qui ſudorem corpore manantem placidè lampſerit, atq; ſomno excitatum, belluæ immanitate exterritum, placidè reliquerit. Hoc prodigio ad ſpem regni impulſus, poſt Alexandri interitum Indis ut rebellarent perſuaſit, cæſiſq; Macedonibus regnum occupare eſt auſus. Sabell. lib. 7. Ennead. 4. & Alexander libro 2. capite 31.

Cùm PERDICCAS Temeni F. cum duobus fratribus ex Argo in Macedoniam ad urbem Lebæam ueniſſet, operamque ſuam regi locaſſet: panis Perdiccæ, dum coqueretur, ſemper duplo, quàm erant reliqui, maior factus eſt. Id cùm Regis uxor animaduertiſſet, regi indicauit. Ille hoc ipſum uidens, accitis mercenariis, ut illicò è ſua domo diſcederēt, imperauit. Illi mercedem petere. Rex id audiens, Hunc Solem, inquit, dignam uobis mercedem reddo. Penetrabat autem in ædes Sol per impluuium. Perdiccas igitur, Accipimus, rex, quæ das, inquiens, gladio circumſcripſit in pauimento domus ſolem: circumſcriptumque cùm ter in ſinum ſuum hauſiſſet, abiit cum cæteris. Hinc egreſſi, non multo pòſt uniuerſam Macedoniam ſubegerunt. Herod. lib. 8.

HIERONEM Syracuſanum in ſyluis expoſitum, apes congeſto in os melle aliquandiu aluère. Qui mox omnes aſperitates ſuperans, tantum ingenio & uirtute ualuit, ut poſt multa rei militaris facinora, regnum Syracuſis & omnia ornamenta uirtutum aſſequutus ſit. Alex. ab Alex. libro 2. capite 31. ex Iuſtini libro 23.

DIONYSIVS Hermocratis F. Syracuſanus, quum per agrum Leontinum iter faciens, equum ipſe demiſiſſet in flumen, abreptus equus uoraginibus non extitit. Quem quum maxima contentione non potuiſſet extrahere, diſceſſit, ut ait Philiſtus Siculus hiſtoricus ægrè ferens. Quum autem aliquantum progreſſus eſſet, ſubitò exaudiuit hinnitum, reſpexitque, & equum alacrem lætus aſpexit, cuius in iuba examen apum conſederat. Quod oſtētum habuit hanc uim, ut Dionyſius paucis pòſt diebus regnare cœperit. Cicero 1. de Diuin. & Plin. lib. 8. cap. 42. Aelianus XII. libro de Varia hiſtoria ex Philiſto Siculo ſcribit, ea de re Galeotas, qui tum in Sicilia interpretes portentorum appellabantur, conſultos, reſpondiſſe, Monarchiam portendi. Victorius libro 12. Var. lect. cap. 1. Iam cùm magiſtratus per literas ſorte crearentur, & ipſi contigiſſet litera M, dicenti cuidam per iocum, μωρολογεῖς, id eſt, Morio es, Dionyſi: Imò, inquit, μοναρχήσω, monarcha ero. Adeptus magiſtratum, protinus Imperator electus eſt à Syracuſanis. Plutarch. in Apophthegm.

Eodem die, quo NVMA Pompilius in Sabinis natus eſt, Roma eſt condita à Romulo: in qua ipſe poſtea ſecundus à conditore legitimè regnauit. Sab. lib. 9. cap. 9.

TANAQVIL, Tarquinij Priſci regis uxor, teſte Liuio & Dionyſio lib. 4. uidens flammam lambere Seruij Tullij caput, illum Romanorum regem fore prædixit.

C. IVLIVS Cæſar utebatur equo inſigni, pedibus propè humanis, & in modum digitorum ungulis fiſſis: quem natum apud ſe, quum aruſpices imperium orbis terræ ſignificare domino pronunciaſſent, magna cura aluit: nec patientem ſeſſoris alterius, primus aſcendit: cuius etiam inſtar pro æde Veneris genitricis poſtea dedicauit. Suetonius.

Infans adhuc AVGVSTVS, ut ſcriptum apud Caium Druſum extat, repoſitus ueſperè in cunas à nutricula loco plano, poſtera luce non comparuit: & diu quæſitus, tandem in altiſſima turri repertus eſt, iacens contra Solis exortum. Cùm primùm fari cœpiſſet, in auito ſuburbano obſtrepentes fortè ranas ſilere iuſſit: atq; ex eo negantur ibi ranæ coaxare. Ad quartum lapidē Campanæ uiæ, in nemore prandenti, ex improuiſo aquila panem ei è manu rapuit: & cùm altiſſimè uolaſſet, rurſus ex improuiſo leniter delapſa reddidit. Eidem ſumenti uirilem togam, tunica laticlaui reſuta ex utraq; parte, ad pedes decidit. Fuerunt, qui interpretarentur, non aliud ſignificare, quàm ut is ordo, cuius inſigne id eſſet, quandoq; ei ſubiiceretur. Suetonius.

LIVIA Tiberij Cæſaris mater, cùm prægnans ignoraret an feminam uel marem editura eſſet, præſagio rem explorare uoluit. Ouum itaq; gallinæ incubanti ſubductum, nunc ſua, nunc ancillę manu tam diu fouit, donec pullus inde inſigniter criſtatus excluſus ſit. Quo uiſo, marem ſe progeneraturam intellexit, & ex criſtis ad imperium peruenturum ſperauit, coniectura Scribonij mathematici. Suetonius. Plinius lib. 10. capite 55.

Leberide in NERONIS collo adhuc pueri comperta, cecinère uates, ὅτι ἰσχὺν παρὰ τοῦ γέροντος λήψεται, id eſt, quòd ex ſene potentiam foret aſſequuturus: quoniam exuta ſenectute eiuſmodi uiſatur anguis. Cælius lib. 10. cap. 3. A.L.

GALBÆ Imperatori, in oppido Fundis moranti, Hiſpania Tarraconenſis oblata eſt. Accidit autem, ut cùm prouinciam ingreſſus ſacrificaret intra ædem publicam, puero è miniſtris acerram tenenti, capillus repentè toto capite caneſceret. Nec defuerunt qui interpretarentur, ſignificari rerum mutationem, ſucceſſurumq; iuueni ſenem, hoc eſt, ipſum Neroni. Suetonius & Dion.

Cùm VESPASIANVM ædilem C. Cæſar ſuccenſens propter curam uerrendis uiis non adhibitam, luto iuſſiſſet oppleri: congeſto per milites in prætextæ ſinum, non defuerunt, qui interpretarentur, quandoque proculcatam deſertamque Rempublicam ciuili aliqua perturbatione in tutelam eius, ac uelut in gremium deuenturam. Prandente eo quondam, canis extrarius triclinio manum humanam intulit, menſæque ſubiecit. Cœnante rurſus, bos arator decuſſo iugo, triclinium irrupit: ac fugatis miniſtris, quaſi repentè defeſſus, procidit ad ipſos accumbentis pedes, ceruicemque ſubmiſit. Suſcepto ciuili bello, ac ducibus copiisque in Italiam præmiſſis, interim Alexandriam tranſiit, ut clauſtra Aegypti obtineret. Hic cùm de firmitate Imperij capturus auſpicium, ædem Serapidis, ſubmotis omnibus, ſolus intraſſet: ac propitiato multùm Deo, tandem ſe conuertiſſet: uerbenas, coronaſque, & panificia, ut illic aſſolet, Baſilides libertus obtuliſſe ei uiſus eſt: quem neque admiſſum à quoquam, & iampridem propter neruorum ualetudinem uix ingredi longeque abeſſe conſtabat. Ac ſtatim aduenêre literæ, fuſas apud Cremonam Vitellij copias, ipſum in urbe interemtum nunciantes. Auctoritas & quaſi maieſtas quædam, ut ſcilicet inopinato & adhuc nouo principi deerat, hæc quoque acceſſit. E plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure, ſedentem pro tribunali pariter adierunt, orantes opem ualetudinis, demonſtratam à Serapide per quietem: reſtituturum oculos, ſi inſpuiſſet: confirmaturum crus, ſi dignaretur calce contingere. Cùm uix fides eſſet, rem ullo modo ſucceſſuram, ideoque ne experiri quidem auderet: extremò hortantibus amicis, palàm pro concione utrunque tentauit, nec euentus defuit. Suetonius & Sab. lib. 3. En. 7.

TITVS Veſpaſianus ad perdomandam Iudæam relictus, nouiſſima Hieroſolymorum oppugnatione, XII propugnatores totidem ſagittarum confecit ictibus, cœpitque eam natali filiæ ſuæ, tanto militum gaudio ac fauore, ut in gratulatione Imperatorem eum conſalutauerint, & ſubinde decedentem prouincia detinuerint, ſuppliciter, necnon & minaciter efflagitantes, ut remaneret, aut ſecum omnes pariter abduceret. Vnde nata ſuſpicio eſt, quaſi deſciſceret à patre, Orientiſq; regnum ſibi uendicare tentaſſet. Quam ſuſpicionem auxit, poſtquàm Alexandriam petens, in conſecrando apud Memphim boue Apide, diadema geſtauit, de more ſiquidem rituq; priſcæ religionis: ſed non deerāt, qui ſecùs interpretarētur. Quare feſtinās in Italiā, cùm Rhegiū, dehinc Puteolos oneraria naue appuliſſet, Romā inde contendit expeditiſſimus: inopinantiq; patri, uelut arguens rumorū de ſe temeritatem: Veni, inquit, pater, ueni. Suetonius.

ADRIANVS tribunus plebis factus, dehinc ſecunda expeditione Dacica primæ legionis præfectus, à Traiano gemma adamante donatus, quam Traianus à Nerua acceperat, unde ſpem ſucceſſionis concepit. Cuſpinianus.

M. ANTONINVS Pius Adriani decreto ad Italiæ adminiſtrationem deſignatus, ea hora, qua primò tribunal cōſcendit, Auguſti nomine (quod ſolis Imperatoribus dabatur) ſalutatus, imperij ſui omen accepit. Fulg. lib. 1. cap. 3.

Cùm Didius IVLIANVS adhuc priuatam agens uitam, fratris filium P. Helio Pertinaci offerret, Pertinax adoleſcentē hortatus eſt, ut patrui dicto obediens eſſet, inquiens: Reuereare collegam & ſucceſſorem noſtrum. Iulianus enim Pertinaci



tinaci in conſulatu collega, in proconſulatu ſucceſſerat. At euentus rerum Pertinacis uerba aliud ſignificare oſtendit: nam paulo pòſt occiſo Pertinace, Iulianus in imperio ei ſucceſſit. Idem.

SEVERVS Imperator, filius M. Getæ equitis Romani, & Fuluiæ Piæ, in Lepti ciuitate Aphricæ natus, literis Latinis ac Græcis eruditus, ſtudiorum cauſa Romam uenit, ea hora, qua hoſpes eius Adriani uitam legit, moxq; omen futuræ felicitatis arripuit. Cuſpinianus. Idem cùm in uilla ſua cum amicis ſatis parcè cœnaret, infantemque filium partiri aliis largiùs poma de ſecunda menſa uideret, monito eo quòd ſupra fortunam largior in partiendo eſſet, reſpondit filius: Si tunc parcior eſſet fortuna, ut pater dicebat, habiturum aliquando ampliorem. Id quod pòſt felix illud omen breui ſecutum eſt, creato Seuero principe: quo imperante, filio fortuna, quam ominatus erat, oblata fuit. Fulg. lib. 1. c. 3.

ALEXANDER Mammeę, Imperator, natus eſt in Arcena urbe Syriæ, die quo olim magnus Alexander periit, atque in templo, quod in ea terra fuit illi ſacrum, quum feſto die illuc Mammea mater ueniſſet, ſacris operatura. Caſus itaque puerperij fecit, ut puero ſit Alexandri nomen inditum. Signa quibus præmonſtratum eſt illi imperium, Olympia nutrix, quo nomine fuit magni Alexandri mater, & Philippus nutricius. Sabellicus lib. 6. Enneadis 7. ex Herod.

Alanico bello quum equus ex hoſte captus eſſet miræ pernicitatis, qui captiuorum indicio ferebatur cētum millia paſſuum ſingulis diebus perpetuo curſu conficere, in eaque celeritate octonos dies perſeuerare, omnibus illum extra ſortem PROBO (qui pòſt Imperator fuit) deſtinantibus, recuſaſſe fertur: teſtatus, perniciſſimum equum fugaciſſimū decere militem. Sortiri itaque eum milites iuſſi, quum Probi nomen ſæpiùs ex urna primum fuiſſet eductum, idque plures milites nomen ferrent, ad tollendam diſcordiā magno omnium fauore eſt id præmium uni illi addictum. Sabellicus lib. 7. Enneadis 7. & Cuſpinianus.

Scribunt, puerulos naturali quodam inſigniri pileo, quod arreptū obſtetrices aduocatis uendant ſuperſtitioſis: ſiquidē eo ſe adiuuari plurimùm opinantur. ANTONINO autē Diadumeno pilei loco pertenue fuit diadema, futuri mox imperij præſagium: unde ſit ratio item cognominis. Sicuti CLODIO Albino ex albedinis claritate, quam in recèns nato fuiſſe tantam patris ad Aelium Baſſianum teſtatur epiſtola, infantibus ex utero alioqui rubentibus, ferè ut linteamina, quibus eſt exceptus, facilè ſuperaret, Albini adoptata eſt nomenclatura. Sed & eidem imperij faſtigiū prænunciaſſe creditur bos albus, purpureis ad plenum cornib. Cælius libro 15. capite 22. A.L.

MAXIMINI ſenioris imperij omina hæc fuerunt: Serpens dormienti caput circumdedit. Poſita ab eodem uitis, intra annū ingentes uuas purpureas attulit, & miræ magnitudinis facta eſt. Scutum eius ſub ſole arſit. Lanceola ſic fiſſa eſt fulmine, ut tota etiam per ferrum ſcinderetur, & duas partes faceret: unde dixerunt aruſpices, duos imperatores non diuturnos ex una domo, iiſdem nominibus futuros. Lorica patris eius non, ut ſolet, ferrugine, ſed tota purpureo colore infecta à plurimis uiſa eſt. Capitolinus in Maximino Iuniore.

MAXIMINO Iuniori filio hæc fuerunt imperij omina. Cùm Grammatico daretur, quædam parens ſua libros Homericos omnes purpureos dedit, aureis literis ſcriptos. Ipſe puerulus cùm ad cœnam ab Alexandro eſſet rogatus in patris honorem, quòd ei deeſſet ueſtis cœnatoria, ipſius Alexandri accepit. Cùm infans eſſet, ſubitò per publicum ueniente uehiculo Antonini Caracalli, quod uacuum erat, conſcendit, & ſedit, & uix ægreque à mulionibus carrucariis deturbatus eſt. Nec defuerunt, qui cauendum infantem dicerent Caracallo. Tum ille dixit: Longè eſt ut mihi ſuccedat iſte. Erat enim illo tēpore inter ignobiles, & nimis paruus. Ibidem.

Prodit hiſtoria, id in Cæſarum familia peculiarius ſeruatum, uti domus paruuli teſtudineis abluerentur alueis: & inde Clodio ALBINO factum imperij præſagium. nam eo recèns nato, teſtudo magnitudinis uiſendæ ab piſcatore patri eſt allata: quam is homo, impensè literatus, ad pueriles deſtinauit excaldationes. Cælius libro decimo, cap. 3. Antiquarum Lectionum.

PROCVLVS quum latrunculis luſitaret, & decies in eo ludo imperator extitiſſet, acceſſit protinùs ſcurra, qui eum purpura ornatum ſalutauit ut Imperatorem. Qua ille occaſione uel oblata, uel arrepta, uerè aſſecutus eſt quod per iocum dicebatur. Fulgoſus lib. 1. cap. 4.

Quum apud REGILLIANVM mox imperatorem fortè cœnarent milites, affuit & tribunus Valerianus, à quo illata quęſtio, Vndénam credatur Regilliani nomen productum: & unus, A re, flexum opinor. At qui aderat fortè ſcholaſticus, grammatico more inflectere orſus eſt, Rex, regis, regi, regillianus. Succlamatum eueſtigiò eſt ab omnibus militibus, uti eſt hominum genus ad id, quod cogitat, pręproperum, Rex igitur eſſe poteſt? itaque & regere nos poteſt? & à deo inditum huic nomen. Quid ampliùs? cùm poſtridie publico ſe commiſiſſet, à principibus Imperator eſt conſalutatus. Cælius lib. 24. cap. 6. A.L.

Cùm IVLIANVS Apoſtata circiter annum Conſtantij uigeſimum, Domini uerò CCCLX. eſſet Cæſar creatus, in expeditione aduerſus Barbaros, in quandam ingreſſus ciuitatē, corona laurea, quibus ſolent ciuitates ornari, inter columnas pendens, rupto fune ſuper caput eius decidit, eumq; aptiſſimè coronauit. Cuncti clamore ſuo Imperij id ſignum interpretati ſunt. Eutropius lib. 11. Socrates lib. 3. c. 1.

Pollinctum Conſtantij Cæſaris corpus, conditumq; in loculis, IOVINIANVS, protector domeſticus, cum regia proſequi pompa Conſtantinopolim uſq; iuſſus eſt, prope neceſſitudines eius humandum: eiq; uehiculo inſidenti, quòd portabat reliquias, ut principibus ſolet, annonæ militaris offerebantur indicia, ut ipſi nominant Proba, & animalia publica monſtrabantur, & ex uſu crebreſcebant: occurtúſque & alia ſimilia, eidem Iouiniano imperium quidem, ſed caſſum & umbratile, ut miniſtro rerum funebrium, portenderunt. Marcellinus lib. 21.

Euagrius lib. 5. cap. 21. ſcribit, accidiſſe portenta quędam imperium MAVRICIO uaticinantia. Multa enim nocte, cùm in adytis ſacræ ædis Marię ſumigaret, quam Antiocheni Iuſtinianam appellant, cortina ſacræ menſæ igne conflagrauit, ſic ut Mauricius obſtupeſceret, & uiſionem formidaret. Cui aſtans Gregorius epiſcopus, rem illam diuinationem habere, ipſiq; res maximas & eximias portendere dixit. Et Chriſtus Deus quoq; in oriente illi in ſomnis apparuit, ut ſe ulciſceretur ac uindicaret, petens: id quod manifeſtè imperium ſignificabat.

Leo Armenus, poſtquam Michaelo Curopalatæ eripuit imperium, cùm in aureo triclinio uotū pro felici introitu reddere Deo uellet, ueſtem qua fortè indutus erat deponens, MICHAELO Balbo equiſonum præfecto tradidit: qui & illicò eam induit. Quod qui uiderunt, omen eſſe gerendi poſt Leonem Michaelo imperij cenſuerunt. Et cùm Leo alia ueſte amictus in templum Palatinum pergeret, ſequens à tergo idem Michaelus, dum incautiùs & temerè graditur, oram Imperatoriæ ueſtis calcauit: quod pro ſiniſtro omine Leo accepit, nouas hunc aliquando res moliturum præſagiens. Cedrenus & Cuſpinianus.

Michael Theophili F. equum habebat pulcerrimum, ſed q ſeſſores deturbaret crebrò, & fræno eſſet inobediens. Excandeſcebat rex, nullum ſe habere, qui equum frænare & conſcendere poſſet, ac illum domare. Tum Theophilitzes Imperatoris affinis, ſeruū ſe Macedonē habere, BASILIVM nomine, dixit, qui equum facilè domaret. Vocatus igitur Baſilius, frænum equi arripiens, paululum equo poppyſmis blandiens, molliter armos eius de more palpans, mox leniter aſcendēs, molli primùm inceſſu ire ſinit: dehinc paulatim aſſueſcens, eum celeriùs ire adegit, ac tandem in curſum impulit, & ultrò citroq; quò uoluit in gyrum rotauit, ut ad omnia eſſet obedientiſſimus. Rex delectatus iuuene, hunc apud ſe retinuit, & curatoribus equorum præpoſuit, ac Protoſtratoris dignitate ornauit. Neque diu pòſt, Eudociam Inceris concubinæ ſuæ filiam ei matrimonio coniunxit, & Cæſarem fecit. Cuſpinianus ex Zonara. At Cedrenus aliter recitat.

Crytago princeps Bulgarorum ſæpiùs cladem paſſus, cū iam Romanorum uiribus reſiſtere nequiret, pacem bello prætulit, captiuoſq; dimiſit. Quos cùm congregatos, iamque in patriam iter ingreſſuros contemplaretur, BASILIVM Macedonem, pòſt Imperatorem factum, tunc ex pueritia adoleſcentiam ingreſſum uidet, elegāti uultu præditum, & ſuauiter ſubridentem atq; circùm ſaltantem: eum ad ſe uocat, manibuſq; apprehendit & oſculatur, pomumq; raræ magnitudinis donat, quod adoleſcentulus ſimplici audacia genibus principis innitens accepit, morum minimè fucata ſimplicitate, indolis ſuæ ingenuitatem demonſtrans. Itaq; & miraculo attonitus fuit princeps, & ſubditi clanculū indignati ſunt, tali adoleſcenti domum redeundi poteſtatem concedi. Sed tamen, Deo propitio, captiui omnes incolumes domum dimiſſi abierunt: interq; hos etiam Baſilij parentes, chariſſimum ſecum ducētes filium ſuum. Cedrenus.

Cùm aliquando Imperator Michael Theophili Imp. F. apud Philopatiū uenaretur, & ante eum eques iret BASILIVS Macedo protoſtrator, ferens in baltheo barducium Imperatoris, tumultuq; & clamore à turba edito, lupus ingens è ſylua procurriſſet: Baſilius eum inſecutus, Imperatorio barducio caput eius medium diſſecuit. Equitabat poſt Imperatorem de more Cæſar Bardas, qui cùm hoc uidiſſet, ad familiarium ſuorum quēdam occultè dixiſſe fertur: Heus tu, exiſtimo noſtram familiam ab hoc homine extirpatum iri.

Idem perhibent Bardæ prædixiſſe Leonem philoſophum, qui Baſilium ſignis quibuſdam deſcribens, nominans etiã, & digito demonſtrans, dixerit, uniuerſæ Imperatoris familiæ exitio futurum. Ex eo Cæſar ſemper Baſilio inſidias ſtruxit, ſed irritis conatibus. Cedrenus.

LAMISSVS infans à matre cum ſex fratribus quos uno partu enixa eſt, in piſcinam proiectus fuit, & ab Agelmundo rege Longobardorum illac tranſeunte, haſta reuolutus, eam firmiſſimè tenuit. Eo omine à rege ſuſceptus & educatus, poſtmodùm ei in regno ſucceſſit. Sigebertus in Chronico.

PRIMISLAVS agricola, ſuper menſam ferream, ſuper uomerem ſcilicet, prandens, ad regnum Boemiæ aſſumtus fuit, ex equi repentino accurſu, à Lybuſſa in eum euentũ emiſſo.

Cùm IDÆ Bononiæ in Celtica Gallia comitiſſæ alludentes tres filij, ſub matris ueſte ſe occultaſſent, uirq; eius Euſtachius ſuperueniens, Quiſnam ſub eius ueſte laterèt? interrogaſſet: ſubridens uxor, Tres, inquit, magni principes: quorum unus dux, ſecundus rex, & tertius comes eſt. Euentus mulieris uerbum ſecutus eſt. Siquidem primus puerorum Godofredus Bolionus, patruo Godofredo in Lotharingiæ ducatu ſucceſſit, Balduinus Hieroſolymorum rex fuit, poſtremus Euſtachius Bononiæ comes. Fulgoſus lib. 1. c. 3.

BALDVINVS III. Hieroſolymorum rex, fratris filio Almerico Sareptæ (quæ nunc Ioppe) comiti omen tulit, cùm in baptiſmate eum coram ſacerdote teneret, nomenq; ſuum ei imponeret. A quibuſdam enim rogatus: Quid baptiſmatis filio dato nomine ſuo bonæ fortunæ afferret? Reſpondit, Omne Hieroſolymorum regnum. Reſq; uerbum comprobauit. nam Balduinus ſine liberis moriens, Almericum nepotem ſucceſſorẽ reliquit, qui poſtea Balduinus IV. fuit nuncupatus. Idem.

GVLIELMVS Normaniæ dux, cum XXX. in Angliam & ampliùs nauibus traiecit, deſcendensq; in terram, ad maritimum uicum, quem uocant Haſtyngum, leuiter lapſus, fixit altè in arena pedem. Quo uiſo, miles lætitia exultans & alacer, ait: Iam dux firmo pede Angliam tenes. Polyd. lib. 8.

Vladiſlaus, Hungariæ & Boemię rex, ANNÆ filiæ ob coronã regiam fratri Ludouico impoſitam flenti, eandẽ impoſuit: non obſcuro omine, Ludouico olim in regno Annam ſucceſſuram. Cæſo à Turcis ad Mohazium uicum Ludouico, ad Annam Ferdinando Auſtrio nuptam multis cum lacrymis regnum peruenit. Dubrauius lib. 32.

Michael Zilagius inter Vngariæ ꝓceres facilè primus, in campo Rhacos, partim ſuadendo partim minando principes in eam duxit ſententiam, ut Mathiam Coruinum, regem eligerent: ſed eundem aliquot ante dies PLEBS pueriq; Peſtani per compita regem proclamarant, multum licèt frementibus aduerſariis. Quinetiam dum ille in regem declaratur, Peſtani ſacerdotes ueluti diuinitùs moniti, Deo cum læto concentu gratias agere cœpere. Bonfinius lib. 9. Dec. 3.

*Auguria & Auſpicia.*

SEMIRAMIS circa Syriæ ſtagnũ cùm expoſita eſſet infans, ab auibus diu alita & educata eſt, magno præſagio futuræ felicitatis: ut quæ mox ſublata à paſtoribus, poſt uarios caſus regia coniux fieri, & late imperitare meruerit. Diodorus Siculus lib. 3.

GORDIVS, dùm conductis bobus agrum coleret, aues omnis generis circumuolantes, illũ ex infima fortuna ad ſummum honoris culmen proceſſurum oſtenderunt. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 31. & lib. 5. cap. 13.

Expirauit quondam apud Argiuos Heraclidarum gẽs, ex qua de more regem habebant. Requirentibus regem his, conſulentibusq; oraculum, ſortes dedit deus, monſtraturã aquilam. Paucis pòſt diebus aquila, quæ ſuperuolitabat, demittens ſe ſuper AEGONIS ædes, conſedit ibi. Ita rex deſignatus Aegon fuit. Plut. orat. 2. de fort. Alex.

L. TARQVINIO Priſco Capitolium petenti, aquila in urbe Roma pileum ſuſtulit: & cùm in altum uolaſſet, mox capiti repoſuit. Tanaquil auguriorum perita, futuri imperij ſignũ eſſe pronunciauit. Tandẽ in Anci Martij Romanorum regis demortui locum ſurrogatus eſt Tarquinius. Plin. cap. 6. de Viris illuſt. Polyd. Vergil. lib. 3. de Prodigiis.

OCTAVIVS Auguſtus, cùm puer adhuc ruri paruulus educaretur, aquila de manibus eius panem rapuit, moxq; euolauit: atque ubi paulo pòſt reuolaſſet, ei reddidit. Xiphilinus. Eidem primo conſulatu augurium capienti, duo decim ſe uultures, ut Romulo: immolanti, omnium uictimarum iecinora replicata intrinſecùs ab ima fibra patuerunt: nemine peritorum aliter coniectante, quàm læta per hæc & magna portendi. Suetonius, & Dion.

AGRIPPA, Herodis Magni ex Ariſtobulo F. nepos, Romę in uincula coniectus à Tiberio Imp. quia Caio fauere uideretur, ante regiam ſtabat inter alios quoſdam æquè uinctos, incumbens præ mœrore in quandam arborem. Cui cùm inſediſſet bubo, unus è uinctis, natione Germanus alitem cõſpicatus, ſciſcitatus eſt è milite, Quiſnã eſſet ille purpuratus? & cognito Agrippam eſſe, Iudæorum nobiliſſimũ, rogauit militem, ut liceret ſibi propiùs ad eum accedere: cupere enim ſe quædam de ipſius patria cognoſcere. Quo impetrato, & adhibito interprete, O iuuenis, inquit, contriſtat te quidem tam repentina & improuiſa fortunæ mutatio: nec facilè credes propè eſſe effugium, ſic conſulente rebus tuis diuina prouidentia. Sed teſtor patrios deos, quòd nihil auribus tuis daturus ſum, neq; te inani conſolatione lactaturus. Fieri non poteſt, quin confeſtim euadas ex his uinculis, & mutatis rerum uicibus ad ampliſſimam dignitatẽ ſimul atq; potentiam peruenias, uſq; ad eorum inuidiam quibus nunc uideris miſerabilis. Felicem quoq; habiturus es uitæ exitum, relictis in opum ſucceſſione liberis. Memento autem, quando hanc alitem iterum uideris, quintũ ex eo diem, fatalem tibi futurum. Hæc ſunt quæ tibi cœleſtes, miſſa hac aue nunciant. Proinde rogo, ut quamprimùm felicitatem iſtam repręſentari tibi ſenties, des operã ut nos quoque eripiamur ex his aduerſitatibus. Verus fuit uates. Nam poſt ſex menſes Tiberius periit. Caius in imperio ſucceſſit, qui Agrippam regem fecit. Ioſephus lib. 18. c. 8.

TIBERIVS, ante paucos quàm reuocaretur Romam ab Auguſto dies, aquila, nunquam antea Rhodi conſpecta, in culmine domus eius aſſedit: & pridie quàm de reditu certior fieret, ueſtimenta mutanti tunica ardere uiſa eſt. Sueton.

Sub Caio Caligula fratris filio, ſecundam exiſtimationem circa initia Imperij omnib. lenociniis colligente, honores auſpicatus CLAVDIVS, Cęſar pòſt factus, conſulatum geſſit unà ꝑ duos menſes, euenitq; ut primitùs ingredienti cũ faſcibus forum, præteruolans aquila dexteriore humero conſideret. Idem.

GALBÆ Imp. auus fulgur procurãs, quum aquila ex eius manibus exta rapuiſſet, ſublimisq; elata in frugiferam extuliſſet quercum, augurq; ſummum, ſed ſerum genti imperium portendi dixiſſet: Sanè, inquit ille irridens, quum mula pariet. Quo prodigio inprimis Galba confirmatus dicitur. Nam ſub id tempus, quo in Hiſpania res nouas moliri eſt adortus, in ea terra mula enixa eſt. Sabellicus lib. 2. Enneadis 7. ex Suetonio.

VITELLIVS Imp. cæde Galbæ annunciata, compoſitis Germanicis rebus, partitus eſt copias, quas aduerſus Othonem præmitteret, quaſque ipſe perduceret. Præmiſſo agmini lętum euenit auſpicium. Siquidem à parte dextra repentè aquila aduolauit: luſtratisque ſignis, ingreſſos uiam ſenſim anteceſſit. Suetonius.

AVRELIANVM adhuc infantẽ, & humili genere in uilla ortum, aquila ex cunis leniter raptum in propinqua ara, quæ fortè ſine ignibus erat, repoſuit. Sab. lib. 1. c. 4.

BASILII Macedonis parentes (eius qui Michaele Theophili F. interfecto, Conſtantinopolitanum regnum inuaſit) cùm in agro ruſticarentur, & puerum in ſole dormientem ponerent, aquila ex alto deuolans, paſſis alis dormienti puero umbram fecit. Mater territa, ne quid mali infans à rapace pateretur alite, tremebunda accurrit, aquilam lapidib. abegit. Qua reuerſa ad opus, aquila iterum delapſa, alis puerũ obtexit. Mater denuò uociferans auem conſpicata, accurrit: ſed intra ſe rediens, omen accepit, filiumq; futurum regem coniectauit. Cuſpinianus ex Zonara & Cedreno.

MARTIANVS (qui poſtea Imp. eſt factus) cùm in Lycia prima ſtipẽdia mereret, ægritudine oppreſſus, nactus eſt duorum Germanorum familiaritatem, Taciani & Iulij, cũ quib. in uenationem prodibat, poſtquam conualuerat. Erat autẽ dies ita ardore ſolis candens, ut umbram neceſſariò ſub arboribus quærerent. Cùm itaq; ſub arbuſculis quieſcerent, Tacianus prior excitatus, conſpexit aquilam ſupra caput Martiani in aëre pendere, qui paſſis alis ſolis radios arcebat. Ille fratrem, ut uideret rem miram, excitauit: ambo ſtupidi, alitis mirabantur obſequium. Experrecto ſomno Martiano narrant quæ uiderant, imperium ac regnum portendi nunciantes, & ideo abeuntem uiatico ducentorũ argenteorum proſequuntur: nam omnia iam conſumſerat. Factus Imperator, Iulium Conſtantinopoli, Tacianum Illyricis præfecit. Simile prodigium eidẽ obtigit ſub Aſpare Valentiniani III. duce, dum cõtra Vandalos militaret, ut Procopius tradit de bello Vandalico. Erat enim Aſpari arcanorum omnium ſocius, quem Romani Domeſticum uocant. Ergo cùm ipſe cum cęteris captiuis ſub dio quieſceret, Rex cupidus captiuos recenſendi, uidit aquilam caput Martiani dormientis expanſis alis à ſolis ardore defendentem. Ergo mirabundus continuò, quod futurum erat, coniecit, & accitum ad ſe hominem libertate donauit, ſacramento fidei obligatum, ut ad Imperium euectus, ſibi ac Vandalis eſſet amicus. Sigonius lib. 12. Imp. occid. item Cedren. & Cuſpinianus.

*Prodigia, Portenta, & Oſtenta.*

Targitaus, Iouis & filiæ Boryſthenis fluuij F. tres habuit liberos, Lipoxain, Arpoxain, & nouiſſimum COLAXAIN. Illis



regnantibus, in Scythicam regionẽ cœlitùs demiſſa fuerunt ex auro facta aratrũ cũ iugo, & ſecuris cũ phiala. Quæ cùm maximus natu attrectaſſet, aurum arſit. Similiter cùm medius. Minimus natu cùm accederet, aurum fuit extinctum: & ob id regnum ei fratres duo conceſſerunt. A quo deinde reges, Paralatæ dicti, ortum habere. Et hæc quidem Scythæ narrant. Aliter Græci, qui Pontum incolunt. Herodotus libro 4.

GELANOR Sthenelę F. & Danaus, regnum Argiuorum ambiebant. Cùm eorum uterq; ad populum multa & ea maximè probabilia & iuri conſentanea dixiſſet: cauſa ampliata eſt in craſtinum. Poſtera die, prima luce, in boum gregem in pomœrio paſcentem lupus impetum fecit, atq; is taurum ipſum gregis ducem adortus eſt. Viſum eſt Argiuis, Gelanori cum tauro, cum lupo eſſe Danao aptiſſimam conuenientiæ rationem: quòd ſcilicet uti lupus animal eſt homini minimè familiare, ſic propemodum ad id temporis nulla fuiſſet Danaus Argiuorum uſus conſuetudine. Quare cùm taurum lupus confeciſſet, è re nata Argiui Danao imperiũ adiudicarunt. Pauſanias in Corinthiacis.

Coi dicunt, in paſcuis NICIPPI tyranni ouem peperiſſe leonem. Atq; id Nicippo, qui tum priuatam adhuc uitam agebat, futuram tyrannidem portendiſſe. Aelian. lib. 1. Var. hiſt.

SERVIO Tullo, etiã tum puerulo dormienti, circa caput flammam emicuiſſe, domeſtici oculi annotauerunt. Quod prodigium Priſci Tarquinij regis uxor Tanaquil admirata, Seruium ſerua natum, in modum filij educauit, & ad regiũ faſtigium euexit. Val. lib. 1. cap. 6.

Auctor Dion, C. IVL. Cęſari Luſitaniam gerenti, natum eſſe equum διφυὰς τὰς τῶν προσθίων ποδῶν ὁπλὰς ἔχοι: id eſt, cui gemina foret in anteriorum pedum ungulis natura, q mox illum elatè admodum geſtaret, reliquos omnes ἀναβάτας recuſaret. Vnde immodica de ſe ſibi cœpit polliceri.

Octauio, cùm per ſecreta Thraciæ exercitum duceret, in Liberi patris luco barbara cerimonia de filio AVGVSTO conſulenti, affirmatum eſt à ſacerdotibus orbis imperiũ: quòd infuſo ſuper altaria mero, tantum flammæ emicuiſſet, ut ſupergreſſa faſtigium templi ad cœlum uſque ferretur: uniq; olim omnino Magno Alexandro apud eaſdem aras ſacrificanti, ſimile proueniſſet oſtentum. Poſt necem Cæſaris, reuerſo Auguſto ab Apollonia, & ingrediente eo urbem, repentè liquido ac puro ſereno, circulus ad ſpeciem cœleſtis arcus, orbem ſolis ambiit: ac ſubinde Iulię Cęſaris filiæ monumentum fulmine ictum eſt. Suetonius. Eodem Spoleti ſacrificante, primo poteſtatis ſuæ die, ſex uictimarum iecinora replicata intrinſecùs ab ima fibra reperta ſunt, reſponſumq;, duplicaturum intra annum imperium. Plinius lib. 11. cap. 37. & Suetonius. Quo die Auguſtus cognominatus eſt, noctu magnum prodigium extitit. Tiberis enim omnia Romanę urbis plana loca ſic inundauit, ut nauigarentur. Quo uates portendi affirmarunt, fore ut urbem amplificaret, & totam in ſua poteſtate haberet. Zonaras.

Ingreſſo primam expeditionem TIBERIO, ac per Macedoniam ducente exercitum in Syriam, accidit, ut apud Philippos ſacratæ olim uictricium legionum aræ, ſpontè ſubitis collucerent ignibus. Suetonius.

GALBÆ auo aliquem ex ſuo genere, quamuis ſerò, imperaturum aruſpices prædixêre, cùm mula peperiſſet. Id quod ſub Nerone accidit. Idque prodigium Galbam potiſſimùm ad imperium affectandum animauit. Eidem quinetiam Tarraconenſem Hiſpaniam procuranti, portentum imperij contigit, in Cantabriæ lacum fulmen decidit: repertæque ſunt duodecim ſecures, haud ambiguum ſummi imperij ſignum. Suetonius.

VESPASIANO bos in agro, in quo ipſe magnam uitæ partem degebat, cœnanti aſtitit flexis genibus, & ceruice pedibus ſubiecta: rurſumq; cùm cibum caperet, canis ſub mẽſam eius manum hominis poſuit. In agro auito eximia cupreſſus ſine ulla ui uentorum euerſa radicitùs, poſtero die per ſe ſtetit, ac floruit. Xiphilinus, & Suetonius.

Comitia ſecundi cõſulatus ineunte Galba, ſtatua diui Iulij ad Orientem ſpontè conuerſa, VESPASIANI in Iudæa tunc degentis imperium portendere uiſa eſt. Suetonius.

Antoninus GETA, qua hora Mediolani natus eſt, agnus quoque uellere purpureo editur: eodemq; momento gallinam ouum in aula purpureum ſimul peperiſſe, nunciatum eſt. Spartianus.

M. ANTONINVS Philoſophus natus octo annos, inter Salios ab Adriano connumeratus, cùm ſecundum morem in ſacro puluinari Saliorum iacerent ſerta, ipſius corona, tanquam manu hominis poſita eſſet, in Martis capite fuit inuenta. Fulgoſ. lib. 1. cap. 4.

In ea uilla, in qua AVRELIANVS Imp. natus eſt patre paupere, natus uitulus candore eximio, in latere purpureis maculis depictam coronam habens, imperium ei portendit. Sabellicus li. 1. c. 4. Eidem idẽ quoq; portendit ſerpẽs in pelui, in qua lauabatur ſæpiùs, inuenta, in gyrum conuoluta, quę nunquam occidi potuit. Idem.

P. ANNIO Tacito imperium portendit uitis, quæ cùm uuas albas ferre ſoleret, eo anno rubros racemos emiſit. Item uinum album in rubrum conuerſum eſt. Idem.

Henricus III. Anglorum rex, ſuſcepit ex Aleonora uxore filium EDOVARDVM, ob memoriam Edouardi tertij, qui paulò antè regnarat, quàm Normani Angliam occupaſsēt. Sub illius ortum apparuit ſtella immenſæ magnitudinis ꝑ aliquot dies ante ſolis ortum, quę per longum cœli tractũ ueloci crebroq; curſu ferebatur, modò ignem præ ſe ferẽs, modò fumum poſt ſe relinquens. Quo ſanè oſtento, futura Edouardi patris amplitudo, ac Edouardi filij, quem ille poſtea genuit, exiguitas uanitasq; uelut ex oraculo quodam pronunciata dicitur. Polyd. lib. 16.

MATTHÆO Magno Vicecomite, Othonis ex Theobaldo Andreocij filio pronepote, Maſino in pago ad Verbanũ lacum nato, armenta eius uici ſponte ſoluta proripientiaque ſe magno tumultu è ſtabulis domum, in qua Anaſtaſia mater infantem noctu enitebatur, inuſitato mugitu edito, quaſi ſalutaſſe feruntur, adeò ut experrecta tota uicinia, puerperæ magnus timor incuteretur. Sed id Theobaldus pater ꝓ lætiſſimo oſtento accepit, gratulatus uel ob id uxori felicẽ partum, quòd miræ magnitudinis infantem ad ingẽtis ſpei fortunam edidiſſe uideretur. Iouius in uita Matthęi Magni.

Cæſo ex inſidiis Alexandro Medice Florentinorũ duce, COSMVS Medices Ioãnis F. qui in prædio ſuo erat, properè Florentiam profectus eſt, ſpe principatus non irrita. Eo die (is fuit quinto Idus Ianuarias) in ipſius uilla Caſtellia ſuburbani tractus, mira & planè prodigioſa omnis generis florum ubertas cunctis ſtirpibus erupit, quum rigore pertinaci uicina prædia adhuc inhorreſcere uiderentur, & uni ferè omnium (quod mirum eſſet) Coſmiani horti ad adulti ueris ſimilitudinem, ſingulari iucunditate floreſcerent. Sabellici Supplem. lib. 22.

*Somnia.*

Cyri ſuperioris ortum, ad imperium totius Aſiæ ſpectantem, maternus auus ASTYAGES, duobus prænunciis ſomniis fruſtrà diſcutere tentauit: Mandanen filiam ſuam, quòd in quiete uiderat urinam eius omnes Aſiaticas gentes inundaſſe, non Medorum excellentiſſimo, ne in eius familiã regni decus transferretur, ſed Perſarum modicæ fortunæ uiro Cambyſi collocando, natumq; Cyrum exponi iubendo: quia ſimiliter quietis temporibus exiſtimauerat, genitali parte Mandanes enatam uitem eò uſq; creuiſſe, donec cunctas dominationis ſuæ parteis inumbraret. Fruſtratus eſt enim ſe ipſe, nepotis felicitatem, cœleſtium iudicio deſtinatam, humanis conſiliis impedire conando. Val. lib. 1. cap. 7. Herod. lib. 1. Iuſtinus lib. 1.

Hippocrati Athenienſi, duci fortiſſimo, cùm priuatus ſpectaret Olympia, ingens contigit portentum. Nam cùm hoſtiã immolaſſet, ahena (ut impoſita erant) plena & carne & aqua, abſq; igne efferbuerũt, ita ut aqua redundaret. Quod portentum conſpicatus Chilon Lacedæmonius, qui fortè aderat, ſuaſit ei, Primùm ne uxorem fœcundam duceret domum: ſecundo loco, Si uxorem haberet, eiiceret: & ſi quem ex illa filium ſuſtuliſſet, abdicaret. At Hippocrates Chiloni non obtemperans, Piſiſtratum filium ſuſtulit, qui tyrannidem ATHENIS inuaſit. Herod. lib. 1. & Sabellicus libro 6. Enneadis 2.

Intra priuatum habitum Dionyſio Syracuſano adhuc ſe continente, HIMERÆA quædam, non obſcuri generis femina, inter quietem opinione ſua cœlum conſcendit: atq; ibidẽ deorum omnium luſtratis ſedibus, animaduertit præualentem uirũ flaui coloris, lentiginoſi oris, ferreis catenis uinctum, Iouis ſolio pedibusq; ſubiectum. Interrogatoq; iuuene, quo gratia conſiderandi cœli duce fuerat uſa, Quiſnam eſſet? audiuit illum Siciliæ atq; Italiæ dirum eſſe fatum: ſolutumq; uinculis, multis urbibus exitio futurum. Quod ſomnium poſtero die ſermone euulgauit. Poſtquam deinde Dionyſium, inimica Syracuſarum libertati capitibusq; inſontium infeſta fortuna, cœleſti cuſtodia liberatum, uelut fulmen aliquod otio ac tranquillitati iniecit: Himeręa eum mœnia, inter effuſam ad officium & ad ſpectaculũ eius turbam, intrantem ut aſpexit: hunc eſſe, quem in quiete uiderat, uociferata eſt. Id cognitum tyranno, curam tollẽdæ mulieris dedit. Val. lib. 1. cap. 7.

MATER Dionyſij Syracuſani, cùm eum conceptum utero haberet, parere uiſa eſt Satyriſcum: conſultoq; prodigiorũ interprete, clariſſimum ac potentiſſimum Graij ſanguinis futurum, certo cum euentu cognouit. Idem.

Demetrio Antigoni filio Mithridates Ariobarzanis F. ſocius erat, & æqualis, & obſeruabat Antigonũ, homo neq; re, neque aliorũ opinione malus. De eo ſiniſtra ſuſpicio incidit ANTIGONO, ꝓpter inſomniũ. Nam ſecundũ quietem uiſus erat ſibi ſpacioſum campũ auri ramentis cõſerere: inde

aurcam

auream primùm ſuccreſcere ſegetem: paulo pòſt ſe cum reuertiſſet eò, nihil præter ſtipulas offendere: & cùm grauiſſimè doleret, cuiuſdam uocem audire, qui Mithridatem aurea demeſſa ſegete, in Pontum Euxinum abiiſſe diceret. Perturbatus, id uiſum filio ad ſilentij priùs iuramẽtum adacto aperuit: idq; etiam, ſe ſtatuiſſe quoquo modo Mithridatẽ interficere. Grauiter doluit hac re cognita Demetrius: cũq; adoleſcens ille pro more ſuo otioſus ad ipſum acceſſiſſet, ob iuramenti religionem uerbis eum monere nõ auſus, ſenſim ab amicis ſeduxit: cumque ſoli eſſent, in terrám inuerſa haſta, cernente eò ſcripſit, Fuge Mithridates: isq; re intellecta, noctu in Cappadociam aufugit. Inſomnium autem Antigoni mox fatum comprobauit: amplam enim & bonã regionem occupauit Mithridates, regniq; Pontici, quod ſub octauo circiter rege Romani euerterunt, auctor fuit. Plutarchus in Demetrio.

PYRRHVS Epirotarum rex, contra Demetrium mouens, nòcte ab Alexandro Magno uiſus eſt acciri: ubi acceſſit ad eũ, decumbentem ægrum uidiſſe. A quo ſuiſſe benignis uerbis & comiter acceptus, pollicente promtum ſuum auxilium. Cùm autem ipſe ſuſtinuiſſet dicere: Qui ualeas rex ualetudine infirma mihi præſtò eſſe? Ipſo dixiſſe nomine, ac Niſeo accepto equo, ducem ſe Pyrrho præbuiſſe. Hoc uiſo corroboratus, agmine raptim per loca interiecta ducto, occupat Berœam. Mox cùm ei occurriſſet Demetrius cum Macedonibus, deficientibus ab eo militibus, rex Macedonum ſalutatus eſt. Plut. in Pyrrho.

Eſt CÆSARI Dictatori futura potentia per ſomnum demonſtrata. Nocte, quæ tranſitũ Rubiconis anteceſſit, dormiens, exiſtimauit ſe cum matre coire. Quæ nocturna ſpecies (ut ſomniorum coniectores interpretati ſunt) terrarum imperium illi præſignauit: quia terra ſit omnium mater, quam ſubactam ſibi uiderat per quietem. Plut. in Cæſare.

ACTIA Auguſti Cæſaris mater, in Apollinis templo obdormiens, uiſa eſt cum dracone commiſceri, peperitq; expletis ad pariendum menſibus. Adhæc antequã páreret, ſomniauit uiſcera ſua ſublime in cœlum ferri, & in totum terrarum orbem diffundi. Eadem nocte Octauius ſolem ex uulua uxoris oriri in ſomnis uidit. Cùm infans iam natus eſſet, Nigidius Figulus ſenator ſtatim patri filij ſummum imperiũ prædixit. Xiphilinus & Suetonius in Auguſto.

Octauius cùm per Thraciam exercitum duceret, & Bacchi oraculum de filio AVGVSTO conſuluiſſet, inſequenti nocte ſtatim uidere uiſus eſt filium mortali ſpecie ampliorẽ, cum fulmine & ſceptro, exuuiisq; Iouis Opt. Max. ac radiata corona ſuper laureatum currum, biſſenis equis candore eximio trahentibus. Q. Catulus poſt dedicatum Capitolium, duabus continuis noctibus ſomniauit. Prima, Iouem Opt. Max. prætextatis compluribus circum aram ludentibus, unum ſecreuiſſe, atq; in eius ſinum ſignum Reipub. qđ manu geſtaret, repoſuiſſe. Nocte inſequenti, animaduertiſſe ſe in gremio Capitolini Iouis eundem puerum: quem cùm detrahi iuſſiſſet, prohibitum monitu Dei, tanquam is ad tutelam Reipub. educaretur. ac die proximo obuium ſibi Auguſtum, cùm incognitum aliàs haberet, nõ ſine admiratione contuitus, ſimillimum dixit puero, de quo ſomniaſſet. Quidam prius ſomnium Catuli aliter exponunt, quaſi Iupiter compluribus prętextatis tutorem à ſe poſcentibus, unum ex eis demonſtraſſet, ad quem omnia deſideria ſua referrent: eiusq; oſculum delibatum digitis, ad os ſuum retuliſſe. Marcus Cicero C. Iul. Cæſarem in Capitolium proſecutus, ſomnium priſtinæ noctis familiaribus fortè narrabat: Puerum facie liberali demiſſum cœlo catena aurea, ad fores Capitolij conſtitiſſe, eiq; Iouem flagellum tradidiſſe. Deinde repentè Auguſto uiſo, quem ignotum adhuc pleriſque auunculus Cæſar ad ſacrificandum acciuerat (filius enim fuit Octauij, uiri non perinde clari, & Actię ſororis Cęſaris, ſeu potiùs filius filiæ ſororis Cæſaris: qua de cauſa orbus liberis Cæſar hæredem eum teſtamento ſcripſit) affirmauit ipſum eſſe, cuius imago ſecundùm quietem ſibi obuerſata ſit. Suetonius. Hinc Cicero, ſiquando in puerũ incideret, ſtudioſè eum ſalutauit, illique fuit ea comitas iucunda. Fortè fortuna namq; acciderat, ut naſceretur conſule Cicerone. Et hanc ob cauſam ferunt Ciceronem ſeſe Octauio, poſt interitum Cæſaris, cõtra Antonium coniunxiſſe, tanta familiaritate, ut eum adoleſcens patrem appellaret. Plut. in Cicerone.

GALBA, ſumta uirili toga, ſomniauit fortunam dicentem, ſtare ſe ante fores defeſſam: & niſi ocyùs reciperetur, cuicunque obuio prædæ futuram. Vtq; euigilauit, aperto atrio, ſimulacrum æneum deæ cubitali maius iuxta limen inuenit: idque gremio ſuo Tuſculum, ubi æſtiuare conſueuerat, auexit: & in parte ædium conſecratum, menſtruis deinceps ſupplicationibus, & peruigilio anniuerſario coluit. Suet.

Conuenit inter omnes, tam certum VESPASIANVM Imp. de ſua ſuorumq; genitura ſemper fuiſſe, ut poſt aſſiduas in ſe coniurationes auſus ſit affirmare Senatui, aut filios ſibi ſucceſſuros, aut neminem. Dicitur etiam uidiſſe quondam per quietem ſtateram in media parte ueſtibuli palatinæ domus poſitam examine æquo: cùm in altera lance Claudius & Nero ſtarent, in altera ipſe ac filij. Nec res fefellit: quando totidem annis, pariq; temporis ſpacio utriq; imperauerunt. Neronem diebus ultimis monitum per quietem ferunt, ut thenſam Iouis Opt. Max. è ſacrario in domum Veſpaſiani, & in circum deduceret. In Achaia quoque ſomniauit, initium ſibi ſuisque felicitatis futurum, ſimulac dens Neroni exemtus eſſet: euenitque, ut ſequenti die progreſſus in atrium, medicus dentem ei oſtenderet, recenter quidem exemtum. Idem.

TRAIANVS Rom. Imp. priuſquam imperium adipiſceretur, in ſomnis uidit uirum iam grandẽ natu, ueſte purpurea & corona ornatum, qualis pingitur ſenatus, primùm in ſiniſtram partem iuguli, & poſtea in dextram anulo ſigillum ſibi impreſſiſſe. Xiphilinus in eius uita.

HADRIANVS pridie, antequàm Imperator deſignatus eſſet, uidit Antiochiæ Syriæ in ſomnis ignem de cœlo in ſiniſtram partem iuguli ſui cadere, mox ſerpere in dextrã: quo igne neq; perterritus, neq; læſus eſſe ſibi uideretur. Dion Nicæus, & Xiphilinus in Adriano.

M. ANTONINVS Philoſophus, antequam in Imperatorem Romanum eligeretur, humeros ſe eburneos manusque habere, in ſomnis uiſus eſt, iisque ad omnes humanos uſus uti. Vnde coniectores imperium ſomno portendi dixerunt. Dion Nicæus.

Sept. SEVERVS haud aliam ob cauſam filium Antoninum Baſſianum uocauit, niſi quòd per quietẽ ſuccedere ſibi hominem uiderat, cui Antonino nomen eſſet. Fortaſſe impulſus ſomnio, fidem habere cœpit, ex uiſionis euentu, quam per quietem habuerat, audito Pertinacis imperio. Dormiens enim uidere ſe putauit, Pertinacem in foro Romano ab inſigni equo in terram prouolui, equumque ad ſe uenire, in quem ipſe ſaltu conſcenderit. Nam paulo pòſt Pertinace mortuo, ab omnibusque deſtituto Iuliano, ipſe per uirtutẽ ſibi imperium peperit. Fulgoſus libro 1. cap. 5. & Spartianus, & Xiphilinus. Idem uiſus eſt in ſomnis uidere, ſe tanquam Romulum lactentem, inhiantemque uberibus lupinis. Cumque eſſet Iuliam uxorem ducturus, Fauſtina Marci uxor apparauit utriq; thalamum iuxta Palatium in templo Veneris, eiq; dormienti aqua aliquando è manu tanquam ex aliquo fonte emanauit. Itemque Lugduni cùm prætor eſſet, omnis exercitus populi Romani eum uenit ſalutatũ in ſomnis. Præterea alio tempore quidam eum in ſpeluncã adduxit: ex qua ipſe perſpexit uniuerſam terram, mareque: quæ cùm non ſecus quàm inſtrumentum muſicum pulſauiſſet, maximè delectatus eſt. Xiphilinus.

IVLIANVS, Imperator creatus à militibus in Gallia inuitus, dixit amicis quibuſdam charioribus: Nocte ea, quæ declarationis Auguſtæ diem præceſſerat, à ſe uiſam per quietem imaginem alicuius genij, quæ hæc ei obiurgando dixerit: Dudum Iuliane ueſtibulum ædium tuarum obſeruo, latenter tuam geſtiens augere dignitatem, ſed aliquoties repulſus abſceſſi: ac ne nunc quidem recipior, ſententia concordante multorum. Ibo demiſſus & mœſtus: id tamen retinebo in corde, quòd tecum diutiùs non habitabo. Cuſpin.

VARRONIANVS, Comes ordinum, agri Singidonenſis (quem ætas noſtra Segedunum uocat) in Pannonia incola, pater Iouiani Imp. cùm ex uxore plures utriuſq; ſexus liberos ſuſtuliſſet, ſed morte omnes eſſent ſublati, per quietem nocturnam admonitus eſt, uti filium, qui naſceretur, Iouianum uocaret: fore ut uiueret, & ad purpuram uenturus eſſet. Sic filium editum Iouianum appellauit: qui interfecto Iuliano, in expeditione Perſica, à militibus Imperator creatus eſt. Idem.

IVSTVS, iudex Piceni, temporibus Conſtantij, cùm ex dextro ſuo femore imperialem purpuram ſe genuiſſe ſomniaret, & uiſio hæc ad Conſtantiũ eſſet delata, timens ne ex eo Cæſar naſceretur, Iuſtum occidit. Iuſtina ob pulcritudinem eſt Seueræ uxori Valentiniani I. conciliata, receptaq; in ſummam familiaritatem. Cum ea dum lauaretur, mirã Seuera corporis pulcritudinem admirata, marito retulit, ſe quoq; mulierem illius ſpecie captã. Imperator his uerbis allectus, eam quoq; uxorem duxit: noua lege lata, ut, quicunq; uellent uiri, impunè poſſent duas accipere uxores: ſic enim populoſas fore gentes. Ex hac genuit Valentinianum iuniorẽ, quem Gratianus in conſortem imperij accepit. Idem.

THEODOSIVS, dux exercitus aduerſus Barbaros à Gratiano Imp. conſtitutus, oblatã ſibi in ſomnis Meletij Antiocheni imaginẽ uidit paludamentũ ſibi imperatoriũ inijcere, & coronã capiti imponere. nec caruit euentu uiſio. Nam bello feliciter cõtra Barbaros confecto, à Gratiano paulo pòſt Imperator deſignatus eſt: annoq; ſui imperij tertio, Chriſti CCCLXXXIII. ſynodũ Cõſtãtinopolitanã ꝓ fide Nicena confirmanda indixit. Cùm epiſcopi conueniſſent, Imp. Meletium ſibi indicari uetuit: facturus periculum, utrùm imagini per ſomniũ conſpectæ uera eſſet Meletij facies reſponſura. Ingreſſus ad patres, ad Meletium confeſtim agnitũ accurrit, eumq; complectens oſculatus eſt, & ſomnium corã omnibus expoſuit. Theodoretus lib. 5. cap. 6. & 7. & Paulus Diaconus lib. 12. Eiuſdem parẽtes, Theodoſius & Thermantia, filio ſuo Theodoſij nomen, ſomnio admoniti indiderunt: quòd ſonat, quaſi à Deo datus. Oraculo etiam quodam in Aſia diuulgatum eſt, ſucceſſorem Valentis habiturum nomẽ, cuius initium à Theta Græca litera ſumeretur. Quo oraculo deceptus Theodorus quidam, cùm imperiũ ui arriperet, cupiditatis ineptæ ſupplicia luit. Cuſpinianus.

PHILIPPICVS, cùm ſomniaſſet caput ſuum ab aquila obumbrari & protegi, monachus quidam de imperio ei ſpem fecit: cui uiciſſim de ſexta uniuerſali Synodo abroganda fidem dedit. Cùm autem id uaticinium non clam habuiſſet, Apſimarus eum cæſum & tonſum, ferreis uinculis incluſit, & in Cephaleniam exulatum miſit. Inde autem à Iuſtiniano reuocatus, Elię cõſilio à Cherſoneſiis Imperator ſalutatur: & claſſe Conſtantinopolim ueniens, deſignatur Imperator: cuius dignitatis inſignia annos duos tantùm obtinuit. Paulus Diaconus lib. 20.

MATER Mauricij Imp. tempore conceptionis eius in ſomnis uidit uitem maximam è cubili ſuo prodire: & plurimas uuas, easq; maturas, ab ea pendere. Circa partum, fragrantiam quandam exoticam & peregrinam è terra euaporare ſenſit. Empuſa infantem frequenter tranſpoſuit, quaſi necatura: ſed nihil ei nocuit. Euagrius lib. 5. cap. 21. Eidem Chriſtus in ſomnis apparuit, antequam imperium obtineret in Oriente, & petiit, ut ſe ulciſceretur: & in adyto Antiochiæ, cùm fumigaret, cortina ſacræ menſæ cõflagrauit. Euagrius lib. 5. cap. 21.

BASILIVS Macedo, qui poſtea imperio potitus eſt Conſtantinopolitano, in pueritia patrem amiſit. Mater grauata paupertate, ſtatuit ſeruiendo ſe cum filio ſuſtentare. Ingreſſus Megalopolim noctu, quia nullæ erant impenſæ miſero, diuertit ad ædes S. Diomedis, & præ labore feſſus dormire cœpit. S. Martyr nocte diacono cuidam, uel æditui, qui nondum ſacris initiatus erat, in ſomnis apparuit, iuſſitq; ut foris dormientem in fouea ante ædis ueſtibulum regem, intromitteret. Experrectus diaconus, & extra portas tẽpli ꝓfectus, Baſilium adoleſcentulum reperit dormientem, ſomnium phantaſma exiſtimans. Ingreſſus templum, & iterum ſomno ſe dedens, fuit iterum atq; tertiò experrectus & admonitus, ut regem introduceret. Excitato itaq; Baſilio, introduxit eũ in tẽplũ, & neceſſaria ei ſubminiſtauit. Erat huic diacono affinis quidam medicus, qui ſeruiebat Theophilizæ, qui Michaeli Imperatori & Bardæ Cæſari, eius auunculo erat ob genus familiariſſimus. Huius fratri hoc arcanum, quod in ſomnis uiderat diaconus, aperuit, rogauitq;, ut hunc in ſeruitium alicuius principis duceret. At hic ſuo domino Baſilium coniunxit: ſtatimq; fratres iſti Baſilio inſomniũ narrarũt, ac iureiurando adegerũt, ut ſi quando ad regnum perueniret, beneficij memor eſſet. Cuſpinianus, ex Zonara & Cedreno.

MATER Baſilij Macedonis, quomodo filio Conſtantinopolim uictus quęrendi gratia profecto ſucceſſiſſet, & quem laborum finem ſortitus eſſet, ſcire deſiderans, dum animi angitur, in ſomnis imaginatur uidere ſe in aula magnã plantam, cupreſſo aſſimilem, aureo trunco, ramis aureis, totam deniq; auro nitentem, & ſuper hac filium ſuum Baſiliũ conſidere. Vt euigilauit, inſomnium hoc mulieri cuidam religioſæ proponit. Ea bono ipſam animo iuſſit eſſe filij cauſa: coniiciensq; inſomnij uim, eum Romanorum Imperatorẽ fore pronunciauit. Ex eo mater Baſilij, hoc futuræ filij felicitatis argumento priorib. addito, ſollicita pro eo eſſe deſiit, animiq; læta optimas ſpes aluit. Cedrenus.

IOANNES Comnenus Imp. Alexij F. in ſomnis uidere ſe putabat, filium inter quatuor natu maiorem Alexium, recẽns coronatum, leoni inſidere, quem auribus habenarum uice moderaretur: cũ alioqui nihil haberet, ad domandã belluã accommodatum. Cuius uiſi hæc ſignificatio erat: puerum imperio titulotenus & nomine abſq; re potiturũ: regia uerò poteſtate orbatũ iri. Id quod paulo pòſt accidit, eo morte ſublato. Nicetas Choniates.

ROLLO Dacus, ann. Sal. circiter 887. claſſe ex Noruagiis atque Danis inſtructa, qui ſeſe Normannos quaſi Septentrionales homines uocabãt, in Angliam uenit, ut ſeſe ſuis Londini adiungeret, iunctisq; copiis, genus nomenq; Anglicũ deleret. Verùm cùm ſuos Dacos, iam longo bello feſſos, in fœdere eſſe cum Anglis accepiſſet, illud iniquo animo tulit: & tamen nequaquam ab armis abſtinẽdum ratus, cum Alfredo rege Anglorum deteriore conditione cõflixit: nec multo pòſt per quietem uiſus eſt ſibi uidere examen apum ſupra ſe atque exercitum ſuum uolitare, magnoque clamore tranſmittere mare, & continentem petere, ibiq; congregatas uarios arborum flores depaſcere, atq; inde litus Gallici Oceani peragrare, collectosq; flores in unum congerere locum. Sunt qui rem aliter narrent, tradentes eum ſomniaſſe, ſe elephantiaſi ſubitò correptum, & fonte cuiuſdam montis lotum, fuiſſe ſanatum, aſcendiſſeque poſtea incolumem in eius montis uerticem. Ad pedem montis uariæ uolucres flumine lotæ ſiniſtras alas rubras habuiſſe: mox ſubuolantes inde nidificaſſe. Quod ſanè ſomnium ita quidam coniector interpretatus dicitur, ut elephantiaſis eſſet uana deorum religio, qua ille tenebatur: & fons, baptiſmatis aqua, in qua ablutus optati denique compos fieret: atque ſic ad montis uerticem, hoc eſt, ad ſummam gloriam poſtremò aſpiraret. Rollo igitur bonæ plenus ſpei, icto cũ Alſteno rege Anglorum fœdere, in Galliam tranſmiſit: in eaque primò Celticæ partem populando occupauit, quæ ad litus Oceani Gallici, citra Sequanam flumen pertinet: deinde uſque Rothomagum aduerſa Sequana peruenit, ubi rupis excelſæ ſibi in ſomnis monſtratæ faciem agnouit, urbemque deditione cœpit. Neuſtriam inde totam occupauit, & Normanniam appellauit. Tandem à Francione Rothomagenſium epiſcopo baptizatus, ac Robertus appellatus, à Roberto Pictonum comite, quem recepti ab ſe ſacri teſtem adhibuerat, Caroli Simplicis ſororem Giſlam duxit. Polydorus lib. 5. & Aemilius lib. 3. Cranzius lib. 2. Noruagiæ, cap. 16. & ſeq. ann. 895.

ALTREDA Gulielmi (qui cognomine Nothus, Normannorum dux fuit) mater, uiſcera ſua per omnem Normandiam atq; Britanniam diſſeminari, per quietem nocte, antequam páreret, uidit. Id quod re ipſa Gulielmi uirtus ratum fecit. Nam ad Normandiæ ducatum euectus, ducatui regnum quoque Britannicum adiunxit. Fulg. lib. 1. cap. 5.

EDGINA puella elegantiſſimæ formæ, ſed obſcuris natalib. orta, iuuencula exiſtens, ſomniauit ex utero ſuo lunam exortam, quæ totam Angliam pleno lumine illuſtraret. Id qđ cùm cuidam matronæ narraſſet, illa non aſpernata ſomnium, puellæ curam ſuſcepit. Hanc iam uiro maturam Edouardus I. Anglorum rex, cùm fortè uillam animi cauſa peteret, conſpicatus, cum ea concubuit, & inde Adelſtanum creauit, qui poſt patrem imperauit. Ex altera uxore legitima Edgina filios duos, Edmundum, & Eldredum, qui poſt Adelſtanum regnarunt. Polyd. lib. 6.

MATREM Almi, qui Hunnorum in Pannoniam dux fuit, quum grauida eſſet, aquilam per ſomnium in gremio reclinato capite iacentem uidiſſe memorant: & mox ex utero eius fluuium erupiſſe, eumq;, quò longiùs per aliena loca flueret eò, maiora ſibi augmenta feciſſe. Ex ea ſcilicet glorioſa regum multitudo in aliena terra defluxit. Bonfinius lib. 9. Decadis 1.

GORMO Impius, Danorum rex, ſomniauit, coniugem ſuam duos alites genuiſſe, ſed alterum altero grandiorem: corpora ſupernè librantes præpeti cœlum uolatu petere: exiguoque tempore interiecto, reuerſos ſuis altrinſecùs manibus inſediſſe: ſecundò quoque ac tertiò paruula quiete recreatos propaſſis alis aëri ſe credidiſſe: tandemque minorem ex his ad ſe pennis cruore oblitis comite uacuum remeaſſe. Cuius ſomnij ueritas ſic declarata eſt. Duo eius filij ſubactis Anglis, Sclauis, & Hybernis, proſpera uſi ſunt fortuna, donec natu maior in bello fatis concederet, minor uerò fratre orbatus pennas cruore oblitas referre uideretur. Olaus Magnus libro tertio, capite decimotertio, ex Saxone.

Septem Tartarorum duces Mongali, in deſperationem & extremam ſortem perducti, cùm quidam Tartarus faber ferrarius pauper, CHANGIVS nomine, dixiſſet, Viſum à ſe in ſomnis equitem candore inſignẽ, à quo iuſſus erat eis nunciare, uelle immortalẽ Deum, ut ipſe Tartarorum princeps eligeretur, atque ipſius manu Tartari liberarentur: ceu delirus ab eis irriſus atque reiectus eſt. Cùm poſtea idem omnes ipſi duces in ſomnis uidiſſent, religione perculſi, ſtatim hominẽ ipſum delegerunt, & Cham gentili nomine, id eſt, regem ſuũ appellarunt. Neq; uerò hoc ſatis fuit, ab eo iuſſi duces ipſi magiſtratu abire, & primogenitos in ſuo cõſpectu occidere, ſine mora paruerũt, ipſum ab immortali Deo ad regnum eſſe uocatum arbitrati. Fulg. lib. 1. cap. 1. ex Haytonis Armeni cap. 16. de Tartaris.

Cùm HENRICVS, dux Bauariæ, qui poſtea ad Imperij faſtigium conſcendit, eius nominis ſecundus, in Ratiſponenſi templo, ad diui Vvolfgangi tumbã, noctu orare in ſomnis ſibi uiſus eſſet, à Vvolfgango monetur, ut ad literas parieti adſcriptas, quæ erant, Poſt ſex, attendat. Ille poſt dies ſex uitæ ſinẽ imminere ratus, plurima in egenos diſtribuit munera. Quibus elapſis, numerũ ad menſes retulit, idemq; quod priùs præſtitit. Deniq; poſt annũ ſextum Imperator & Auguſtus renunciatus eſt. Hiſtoria Bambergenſis.

## IMPERII, REGNI SVCCESSIONIS

*Reuelatio.*

HIRCANO III. Iudæorum duci & pontifici cùm aliquando in ſomnis deus apparuiſſet, rogauit de ſucceſſore, ſolicitus de Ariſtobulo & Antigono maioribus natu, quos præ cæteris diligebat fratribus. Sed cùm Deus Alexãdri Iannei natu minimi effigiem deſignaſſet, contriſtatus, quòd is in omnes fortunas eſſet ſucceſſurus, in Galilæa educari eum uoluit, ne quam regni cõſequendi facultatem haberet. Sed oraculi fidem euentus approbauit. Potitus enim eſt regno Alexander poſt defunctum Ariſtobulum ( qui Antigonum priùs interfecerat ) & alterum fratrum inſidiantem ſibi interfecit, alterum contentum priuata & ocioſa uita in honore habuit. Ioſephus lib. 13. cap. 18. & 20.

TIBERIVS Imp. Tiberium Gemellum ex Druſo F. & Caium ex Germanico fratre nepotes habebat, imperij hęredes. Augurium autem concepit morti iam proximus, eum ſibi ſucceſſurum, qui ſequenti mane prior ad ſalutandum ſe ueniſſet. Quare pædagogum Tiberij præmonuit, ut prima hora adoleſcentem adduceret. Mane facto cùm iuſſiſſet Euodũ libertum ſuum eum è filiis intrò uocare, qui prior adueniſſet: egreſſus ille Caium offendit pro cubiculi foribus, Tiberio etiamnum ientante, &, Vocat te, inquit, pater: ſimulq; introduxit iuuenem. Quo uiſo Imperator, nõ tam ſuam uoluntatem irritam doluit, quàm uicem Tiberij. Diis tamen cedens, & imperium & Tiberium Caio commendauit. Ioſephus lib. 18. cap. 8. Antiq.

*Oracula, Prædictiones.*

ARCESILAVS cum Pheretima matre regno Cyrenæorum pulſus, Sami agens, unumquenq; ſolicitabat ad ſpem rei agrariæ: coactoque ingenti exercitu, miſſus eſt Delphos ad conſulendum de reditu in patriam. Cui Pythia ita reſpõdit: Ad quatuor Battos ac totidem Arceſilaos octo hominum ætates dat uobis Apollo Cyrene regnare: ulterius uos conari dehortatur. Tibi uerò ſuadet, ut ingreſſus in domum tuam, quietem agas. Quòd ſi fornacem inueneris plenam amphorarum, ne eas excoquas, ſed ad auram emitras. Sin fornacem incenderis, ne committas ut circumfluum introeas: alioqui peribis tu pariter, & taurus optimè opus faciens. Arceſilaus ſumtis iis quos contraxerat è Samo, rediit Cyrenem, recuperatoq; rerum ſtatu, immemor oraculi, uocatis ad dicendam cauſam aduerſariis, cõprehenſos in Cyprum ad necem mittebat: quos Cnidij ad ſuam terram appulſos liberauerunt, & ad Theram dimiſerunt. Quoſdam, qui in grandem quandam & priuatam Aglomachi turrim refugerant, circumdata materia, igni cremauit. Hoc perpetrato, agnoſcens id eſſe oraculum, quo Pythia non ſinebat eum inuentas in fornace amphoras excoquere, exceſſit ultrò ex urbe Cyrene, extimeſcẽs necem oraculo prædictam, & quòd Cyrenem exiſtimaret eſſet circumfluam: contulitque ſe ad regem Barcæorum, nomine Alazerim, cuius filius in matrimonio habebat cognatam ſuam. Et quidã tum Barcæi tum Cyrenæi exules, cùm in foro agentem animaduertiſſent, obtruncarunt, & inſuper eius ſocerum Alazerim. Herodotus lib. 4.

AVGVSTVS Cæſar re diuina facta, percontabatur Pythiam, quis pôſt ſe regnaturus eſſet? Cui illa reſpondit:

> Puer Hebræus iubet me, diis beatis imperans,
> Hanc ædem relinquere, & in Orcum redire.
> Iam abito tacitus ab aris noſtris.

Auguſtus autem ab oraculo reuerſus, in Capitolio aram erexit, Romaniſque literis inſcripſit, Hæc ara eſt primogeniti Dei. Suidas.

IDEM puero adhuc Sergio Galbæ ſalutanti ſe inter æquales, apprehenſa ſubucula dixiſſe fertur, *κὴ σὺ τέκνον τῆς ἀρχῆς ἡμῶν παρατρώξῃ*. Sed & Tiberius, cùm comperiſſet eum imperaturum, uerùm in ſenecta: Viuat ſanè, ait, quando id ad nos nihil pertinet. Suetonius.

Quum in Apennino CLAVDIVS Imperator de ſe conſuleret, reſponſum accepit:

> Tertia dum Latio regnantem uiderit æſtas,

Idem, quum de poſteris:

> His ego nec metas rerum, nec tempora ponam.

Quum de fratre Quintilio, quem imperij conſortem habere uoluit:

> Oſtendent terris hunc tantùm fata.

Bonfinius libro 2. Dec. 1.

VATES cœleſtis apud Carthaginẽ, quæ Deo repleta ſolebat uera canere, ſub M. Antonino Pio, cùm ſciſcitante proconſule de ſtatu, ut ſolebat, publico, & de ſuo imperio, futura prædiceret, ubi ad principes uentum eſt, clara uoce numerari iuſſit, quoties diceret Antoninum. Tuncq; attentis omnibus, Antonini nomen Auguſti, octauo edidit. Sed credentibus cunctis, quòd VIII annis Antoninus Pius imperaturus eſſet, & ille tranſcendit hunc annorum numerum, & cõſtitit apud credentes, uel tunc, uel poſtea, per uatem aliud deſignatum. Denique adnumeratis omnibus, qui Antonini appellati ſunt, is Antoninorum numerus inuenitur. Enimuerò Pius primus, Marcus ſecũdus, Verus tertius, Commodus quartus, quintus Caracallus, ſextus Geta, ſeptimus Diadumenus, octauus Heliogabalus, Antonini fuere. Capitolinus in Macrino.

VALENS Imp. Arianus, dæmonem interrogarat, quis poſt eum Imperio potiturus eſſet? Dæmon literas Græcas oſtendit, ΘΕΟΔ: ſignificans, hoc fore initium nominis eius, qui ſibi ſucceſſurus eſſet. Ita occidi Valens iuſſit omnes, quotquot in nominum ſuorum initiis haberẽt eas literas, Theodori nimirum, Theodoti, parentes Theodoſij eius qui ad imperium poſtea uenit, Theoduli: interque eos Theodoſiolus, uir nobilis Hiſpanus. Cæteri noui periculi metu nomina ſua mutarunt. Socrates lib. 4. cap. 19. Sozomenus libro ſexto, cap. 35. Paulus Diaconus lib. 12. Ioannes Zonaras Tomo tertio.

Tempore Nicephori Imp. BARDANIO Orientis duci de imperio cogitanti, conſcio Leone Armeno, prædixit monachus, ſi imperium affectaret, & opibus ſuis & oculis ſpoliatum iri. Cùm triſtis diſcederet Bardanius, famulique equos adducerent, in hos intuitus monachus, reuerti ad ſe Bardanium iuſſit: ſperantique aliquid ſe eorum quæ cupiebat auditurum, denuò præcepit, ne de potiundo imperio quicquam cogitaret. Cæterùm ex iis qui equos adduxiſſent, primum & ſecundum diademate potituros: tertium quoq; Imperatorem declaratum iri, ſed ſtatim periturum. Bardanius hoc reſponſum Leoni, Michaelo, & Thomæ recitauit. Tu quidem, ô Leo, inquiens, Imperator, & Thomas Imperator deſignatus, à Michaelo interficiemini, iſque imperium tenebit. Cedrenus & Cuſpinianus.

MANVEL Comnenus Imp. nato ſibi filio, ut natalem illius celebriorem redderet, ciues honoratiores ( uti moris erat) ramos geſtantes, conuiuiis excepit, & puerum Alexium nominauit, non tam ut eum proaui ſui nomine honoraret, q̃ propter oraculum, quo ei per ambages reſponſum fuerat, ſeriem Comneniæ familiæ duraturam tantùm quot literas nomen *αἰμα* complecteretur, nempe Alexius, Ioannes, Manuel, & filius eius Alexius. Nicetas lib. 5.

Zeno Imperator Conſtantinopolitanus, MARIANVM ſapientiſſimum Comitem, arcana quædã interrogauit, Quiſnam ſibi in imperio eſſet ſucceſſurus? Reſpondit ille: Imperium & uxorem tuam accipiet quidam de Silentiariis, me autem iniuſtè occides. Horum utrunque ſuo tempore exitus comprobauit. Cedrenus in uita Zenonis.

MICHAEL Curopalates Rancabes Imp. habebat uernam quandam puellam, quæ ſub lunæ cum ſole coitu, furore percita, ad Imperatorem clamabat: Deſcende, deſcende, cede alienis. Imperator conſilio communicato cum domeſtico ſuo Theodoto Michaelis F. puellam furore iam correptam interrogauit, Ad quémnam domus Palatina pertineret, quibuſq; is notis agnoſci poſſet? Puella, Leonem ARMENIVM nominatim indicauit, eiuſq; notas & formam deſcripſit: quinetiam Theodotum deſcendere ab arce iuſſit, ibi ei duos uiros obuiam futuros, quorum alter mulo inſidens, omnino eſſet imperio potiturus. Cedrenus, & Zonaras Tomo tertio.

BOLESLAVS III. Polonorum rex bellicoſiſſimus, cùm grauiter decumberet, partitus omnia, quæ tunc erant Polonicæ ditionis, inter quatuor filios, principatum & ſummam rerum penes Vladiſlaum natu maximum conſtituit, cæteros eius auctoritatem ſequi iuſſit. In partitione quintum filium CASIMIRVM, qui ſuperiori anno natus erat, præterierat. Id cum proceres obliuione feciſſe exiſtimantes admonent, ne illum exortem patrimonij relinqueret. Reſpondit princeps: Iam illi quoque portionem ſuam eſſe deſignatam. Admirantibus cunctis: Non aduertitis, inquit, in curru inter quatuor rotas quintam eſſe eam partẽ currus, cui homines inſident, & onera imponunt, quæ quidem à rotis ſuſtentatur atq; portatur? Euentus uaticinium comprobauit. Nam Vladiſlao exule, Henrico à Boruſſis occiſo, Boleſlao IV. mortuo, Miecislao ob tyrannidem pulſo, ad principatum tandem euectus eſt. Cromerus lib. 5. & 6.

Veterum QVENDAM regum ferũt, in profundis Scaniæ ſaltibus uenatui intentum, aberraſſe cum paucis. Sub ueſperũ uidiſſe de longinquo fumum. Eum ſecutũ, inſtructam reperiſſe domum, focum luculentum, menſam apparatam. Domui præfuiſſe puellam, quę in excipiendo rege ſingulari ſedulitate circumcurſitabat. Miratum regem, in tam uaſta ſolitudine tantum eſſe rerum apparatum. Expleuit famem cibus, ac potus ſitim: tacitus tamen, quidnam rerum foret, ſecum cogitabat. Puella, ubi uidit attonitum regem, prior compellat, Ecquid rex optime uerſas in animo? Pone curas: & ſi quod te futuri deſiderium noſcendi habet, diſces quæ uoles. Percunctare, ſi quid de tuis ſucceſſibus ſucceſſoribuſq;



noſſe uelis. Regem tum interrogaſſe, Quiſnam futurus ſit poſt illum regni ſtatus? Illam ex ordine percenſuiſſe regum nomina, perueniſſeq; ad exteros, ad Ericum Pomeraniæ ducem, ſine prole abiturum: inde Chriſtophorum Bauarum: Chriſtiernum ex comitibus Friſiæ: Ioannem Chriſtierni F. Chriſtiernum Ioannis F. bellicoſiſſimum. Hæc illa dicente, horridam uocem auditã: regemq; territum, cùm reſpiceret, uidiſſe hominem giganteæ ſtaturæ ad parietem inclinantem, armatum, & dicentem, O ſi mihi tum haſtã & arcum quis redderet. Stupefactum regẽ, ſiluiſſe. Tum puella, Cur, inquit, de propriis ſucceſſibus nihil inquiris? Regem uerò, Quot annos eſſet habiturus? interrogaſſe. At illa uerſa in militem, qui regi comes hęrebat, Quandiu, inquit, iſte patietur. ſignificans regem manu eiuſdem occubiturum. Miles indignabundus puellæ colaphum inflicturus, illiſit manum acutis uepribus. Et mox uelut ſomnium cuncta diſparuere: uiditq; ſe rex in profundo nemore ſine tecto. Cranziùs lib. 6. Sueciæ, cap. 1.

EDOARDVS IV. Angliæ rex oraculum acceperat, poſt ſe regnaturum unum, cuius nominis prima litera eſſet G. Vaticinatio nõ caruit ſucceſſu, cùm poſt Edoardum Ricardus frater Gloceſtrenſis dux, tutor Edoardi filiorũ, regnum occuparit. Polydorus lib. 24.

COLVMBA Abbas cœnobij Columcœli in Iona inſula, Aidano Scotorum regi interrogãti, Quem filiorum poſt ſe regnaturum putaret? Eugenium, qui IV. nomen tulit (cæteris fratribus, quos in acie caſuros nouerat, poſthabitis) reſpondit. H. Boethius lib. 9.

In Annalibus urbis Pragenſis, amicus quidam Io. Cratonis archiatri Cæſarei, de hoc ipſo conſultus, tale quid reperiri aſſeruit. Carolum IV. antequã in regẽ Rom. eligeretur prope Norimbergam, adiiſſe CÆCVM quendã ( natione Sarmatam ſiue Scytham) uaticiniis clarum, quolibet die non niſi ad unam quęſtionem reſpondentem. Eum perſonatus ſalutauit Carolus, Salue, ſi ex Deo es: ſi non es, nulla ſit tibi ſalus. Illum uerò reſpondiſſe: Ex Deo ſum: tu uiciſſim ſalue Carole Marchio Morauiæ, mox futurus rex Romanorum. Commutatis ultrò citroq; uerbis interrogauit illum de ſucceſſione regum Boemiæ. Ille accepta charta, haſce in ea deſcripſit literas, ſiue (ut alij uolunt) duabus uocibus barbaris expreſſit, ICVS ALGVLFMA: eaſdẽq; interpretatus eſt, Ioannem, Carolum, Venceſlaum, Sigiſmundum, Albertũ, Ladiſlaum, Georgium, Vladiſlaum, Ludouicum, Ferdinandũ, Maximilianum, Albertum (ſed ultima litera hiſtoriæ nõ reſpondet, Rodolfo II. Imp. Auguſto feliciter regnãte) Tum Carolus, Quid fiet poſtea? Et cæcus, Id quod fuit antea. Lud. Caſteluitreus in ſummo templo Pragę marmori hanc hiſtoriam inciſam, iuſſu Imperatoris ductam fuiſſe, in ſuis habet Aduerſariis.

*Omina.*

IOVIANVS dum Iulianum Imp. iter facientem, utpote tribunus militum, ſequeretur, in loco quodam decliui præcedẽtis illius purpuream ueſtem extremã pedibus calcauit. Tũ Iulianus, ſiue eum ſibi ſucceſſurum coniiciens, ſiue ex diuinatione de eo illud præſciuiſſet, cui erat deditiſſimus, inq̃t: Vtinam, licèt ſis Chriſtianus homo. Mortuo Iuliano, Imp. à militibus creatus eſt. Cuſpinianus.

FRIDERICVS II. Imp. domum Auſtriæ mirum in modum auxit, extulit, atq; ornauit: Auſtriam cor ac clypeũ ſacri Romani Imperij appellitans: quaſi ſcilicet fatale eſſet Fridericis Imperatoribus, Auſtriæ Principes extollere, è cuius domo multi prodituri eſſent olim Imperatores. Idem.

*Auguria.*

Romæ ſub Nerua cornix è faſtigio Capitolij Græca uoce clamans, *καλῶς ἔϛαι πάντα*, hoc eſt, Erunt omnia bene, denotauit felicem ſucceſſionem TRAIANI, qui id agebat ſemper, ut apud populum mitis, apud Senatum uenerandus, & omnibus eſſet amabilis: grauis nulli, niſi hoſtibus. Cuſpin. ex Suetonio.

*Portenta, Oſtenta.*

Apud Mundam in Hiſpania contra Pompeij liberos C. IVL. Cæſar caſtris locum capiens, cùm ſyluam cęderet, arborem palmæ repertam conſeruari, ut omen uictoriæ, iuſſit. Ex ea continuò enata ſoboles, adeò in paucis diebus adoleuit, ut non ęquipararet modò matricem, uerùm etiam obtegeret, frequentareturq; columbarum nidis: quamuis id auium genus duram & aſperam frondem maximè uitet. Illo præcipuè oſtento motum Cæſarem ferũt, ne quem aliũ ſibi ſuccedere, quàm ſororis nepotem Auguſtũ uellet. Suetonius. Xiphilinus ex Dione in eo loco, ubi pugnatum erat, repentè enatam palmam, Octauio imperium portendiſſe narrat.

Fl. Sabinus VESPASIANI Imp. pater, in ſuburbano ſuo Flauiorum quercum antiquam Marti ſacratam, uidit per tres Veſpaſiæ Pollæ coniugis ſuæ partus (nam Sabinum, Veſpaſianum, & filiam puellulã Pollam pepererit) ſingulos repentè ramos à frutice dediſſe. Horum primus exilis fuit, & citò areſactus imo: puella annum non peregit in uita. Secundus uerò cùm præualidus ac prolixus foret, magnam ſibi felicitatem portendere coniectatus, Sabinũ filium, qui domi militiæq; clarus ad præfecturam urbis proceſſerat, ſignificare credidit. Cùm autem tertius ramus ad arboream amplitudinem creſceret, Veſpaſiano filio Imperatorium faſtigium portẽdi arbitratus eſt. Imò matri ſuæ Sabinus Tertullæ nunciauit, nepotem ei Cæſarem genitum: quæ mox in cachinnum ſoluta, filium delirare mirabatur, cùm ipſa ſenex mentis adhuc compos eſſet. Sed patrem oſtenta illa non deceperant. nam per omnes magiſtratus gradus ac dignitates aſcendẽs, tandem ad Imperatorium faſtigium euectus eſt. Cuſpinianus ex Suetonio.

Circa annum Domini M. 19. Cal. Iunij, hora 9. diei, Cometes & fax ardens aperto cœlo, cum longo tractu fulguris tantò cum ſplendore terris incubuit, ut etiam qui in agris & tectis eſſent, terrerentur. Euaneſcente hiatu, ſerpentis figura uiſa eſt. Nauclerus. Palmerius addit, terræmotus inde ſecutos magnos & horrendos. Anno quarto pòſt conſtitutum eſt ab OTHONE III. Imp. & Principib. Imperij, ut in poſterum non per ſanguinis ſucceſſionem, ſed ſeptem Electorum Germaniæ ſuffragio, Imperium conferretur.

*Somnia.*

CYRVM Aſſyriorum regem ſomniaſſe ferunt, maximũ filiorum Hyſtaſpis reguli, geminis alis, altera Aſiam, altera Europam obumbrare. Itaq; poſt Cambyſem filium, Hyſtaſpis maior natu filius Darius regno potitus, Europam & Aſiam domuit. Herod. lib. 1. & Iuſtinus. & Sab. lib. 6. Ennead. 2.

Etheldredus Anglorum rex cum liberis in exilium eiectus erat à Dacorum rege Suenone. BRITOVALDVS monachus Glaſconienſis an. 1040. noctu p̃ quietẽ uidit apoſtolũ Petrum ſacrare Edouardũ Etheldredi filium, regẽ Anglię, q̃ id temporis in Normãnia exulabat, atq; interrogare ipſum apoſtolum, Ecquis Edouardo ſuccederet? & illum reſpõdiſſe: Ne talia cures: nam regnum Anglię, regnum Dei eſt. Polydorus libro 8.

## IMPERII RECVPERANDI.

HIPPIÆ Piſiſtrati filio, dum exul regium affectat faſtigium, apud Marathonem nocturna ſpecies matris, cùm qua coire uidebatur, per quietem oblata eſt. Qua de re imperiũ latè ſibi portendi coniectores reſponderunt: ipſeque ſomnio monitus, & ſpei plenus, Athenarum dominio haud multo pòſt potitus fuit. Herodotus lib. 6.

PERTHARITVS, Longobardorũ regno exutus à Grimoaldo duce Beneuentano, è Francia latè patentem Grimoaldi potentiam fugiens in Angliam cogitabat. Verùm uix dum è litore ſoluit, cùm repentè uocem inde audiuit, Perthari tum in patriam reuocantis, quòd Grimoaldus die antè tertio eſſet defunctus. Quam ubi Pertharitus accepit, raptim litus repetiit, nemineque, qui de Grimoaldo nunciaret, inuento, haud dubiè diuino ſe reuocari nũcio ratus, magnis in Italiam redire itineribus maturauit. Ad Alpium clauſtra cùm acceſſiſſet, omnia obſequia Palatina, omnemq; aulæ regiæ pompam cum ingenti Longobardorum multitudine præſtolantem inuenit. Qua re erectus animo, Papiam adiit, ac Garibaldo Grimoaldi F. puero exturbato, poſt menſem à morte Grimoaldi tertium regnũ ſummis ſtudiis Longobardorum iniuit: ac ſtatim Rodelindam uxorem, & Cunipertum filium ab exilio Beneuentano reduxit. Sigonius lib. 2. regni Italici.

Pridie antè quã CARACTACVS Scotorum rex contra Oſtorium Scapulam Romanũ proprætorem extrema experiretur, noctu lupos conglobatos ferunt in caſtra irrupiſſe, & eorũ qui in ſtatione excubabant, uigilum unũ repentè abſtuliſſe, detuliſſeq; in proximum nemus: illuceſcente uerò die, dimiſiſſe incolumem. Captus eo in prælio Caractacus cum uxore & filia, Romamq; miſſus, indulgentia Claudij Imp. regnum recepit. H. Boethius lib. 3.

ELFREDO regi Anglorum pulſo à Danis & exulanti, in ſomnis apparuit Chutbertus epiſcopus inquiens: Ego ſum Chutbertus: miſit me Dominus, ut tibi proſpera nunciem. Anglia iamdudum peccatorum ſuorum pœnas luit, modò tandem indigenarum ſanctorum meritis à Domino reſpecta eſt: tu miſerabiliter regno extorris, poſt paucum tẽpus in ſolio glorioſè reponeris. Et hoc tibi ſignum, uenient hodie piſcatores tui, magnam multitudinẽ piſcium corbibus euchẽtes. Quod mirum erit, cùm gelante aqua fluminis nil tale ſperetur: ſed & tempus frigidum omnem artem piſcantium eludat. Tunc fortunæ ſecundæ compos, memento liberatoris tui, & eius nuncij. Hoc idem uiſum eſt per ſomnium matri ſuæ. Experrecti ambo, ſomnia ſua referebãt, & ecce piſcatores adueniũt cum magna piſcium copia. Vincẽtius lib. 24. c. 40. ex Helinando. Et Vvilhelmus lib. 2. c. 14. de geſtis Anglorum, & Ranulphus lib. 6. c. 20.

EDVINVS Allæ Deirorum regis F. (quæ pars eſt Northumbriæ in Anglia) ab Ethelfredo Northumbrorum rege in exilium miſſus, ad Redoualdum Orientalium Anglorum regē cōfugit. Paulo pòſt cùm ab Ethelfredo per legatos ad mortem peteretur, nocte intempeſta, quidam uultus habitusq; incogniti, cum eo congreſſus, petiit, Ecquid muneris daret, ſi rem nunciaret, quæ eius animum omni penitùs mœrore liberaret? Ad ea Eduinus reſpondit, Quicquid eſſet quod iure deſideraret, in ipſiusq; manu foret, ſe ultrò daturū. Tum ille prædixit fore, ut primùm ex inſidiis inimici euaderet, deinde regnū auitum recuperaret, illudq; uictis hoſtibus, longè lateq; ampliaret. mox ſuper uerticem capitis manu impoſita, inquit: Quoties quiſpiam, ſimul atq; rerum potitus fueris, Eduine, ad te adiuerit, capitiq; tuo manum itidē admouerit, ſis tunc demùm fidei ſeruandæ memor. His dictis repentè euanuit. Interfecto poſtea Ethelfredo, in regnū reductus à Redoualdo, Ethelberga uxore, ſorore Edbaldi Cantiorum regis, Chriſtianam religionē amplecti ſuadente, Paulinus qui diu rogando nihil profecerat, ſupernè (uti credere par eſt) de oraculo doctus, ad eū, Eboraci morantē, acceſſit, capitiq; ſanctiſſimam manum admouens petiit, ut recordaretur, quid illud portenderet. Eduinus ſine ulla mora ad pedes antiſtitis prouolutꝰ, cum ſuis ſacro fonte lotus eſt, anno DCXXVII. Polyd. lib. 4.

### REIP. IMPERII, REGNI DVRATIONIS.

Varro in Antiq. ſcribit, VECTIVM augurio præſtantem de uulturum ratione, Romulo qui ſe obtulêre, quoſq; corpora ſancta dicit Ennius, coniectaſſe, Romanum imperium ad mille ac ducentos annos perſeueraturum. Quod & uerum comparuit. Siquidem quum imperarent Cæſares Cōſtantiniani, Romanor dignitasū dilapſa corruit, Byzantiū tralata, irruentibus in Italiam Hunnis, Vandaliſque ac Gothis. Scribit lib. 16. Paulus Diaconus Odoacrem cum fortiſſima Herulorum manu in Italiā irrupiſſe, quo perculſus terrore Auguſtulus, purpuram ſponte depoſuit: ac ita conditæ Vrbis anno MCCXXIX. Occidentis imperium, finem eſt aſſequutum, anno ab incarnatione Verbi CCCCLXXV. Cælius lib. 27. cap. 8. Antiq. Lect.

TARQVINIO Superbo Romanorum regi omen perpetuitatis Romani imperij ſubitò extitiſſe fertur, quòd dum in Tarpeio monte templi Iouis fundamēta faceret, Terminus deus, cui cum aliis diis ſacellum eo loci erat, noluerit augurio cedere. Sed & magnitudinis imperij inde omen alterū ſequitur. Quippe in ipſis fundamentis, hominis caput integra facie repertum (quem Tolum fuiſſe Arnobius contra Gentes teſtatur) monti nomen Capitolium indidit. Polyd. lib. 3. Prodigiorum.

### DIGNITATIS, MAGISTRATVS CVIVSVIS ALTERIVS DIuinatio.

Legimus arietis caput monocerotis, id eſt, cornu ûnius, PERICLI ex agris fuiſſe allatum: quod intuitus Lampon uates, robuſtum & ſolidum in frontis meditullio ſitum, reſpōdit: Ex duabus quæ in urbe uigerent factionibus, Thucydidis ac Periclis, fore ut altera obſcurata, ad unum Periclem, apud quem uiſum foret portentum, recideret ciuitatis potentia. Cælius lib. 30. c. 1.

L. IVNIVS Brutus oraculum Pythium de oſculo matri terræ dando, & per hoc ſummum magiſtratum conſequendi, rectè intellexit. Liuius.

Campani à Rom. obſeſſi Hannibalis opem fruſtrà implorabant, iam nobiles ſe in priuato tenebāt, omni reip. cura abiecta, de propria ſalute ſoliciti. Ciuitatem in medio relictā Seppius Læſius, homo obſcuro loco natus, adminiſtrandā ſuſcepit, Mediatuticusq; eſt creatus. Is erat ſummus apud Campanos magiſtratus. Fama eſt, ARVSPICEM quendā matri huius, pro eo adhuc puero oſtentum procuranti, reſpondiſſe, futurum aliquando, ut ille ſummo ciuitatis magiſtratu potiretur. ad quem illa: Prædicâſne tu res Campanorum perditas, ubi ſummus honor ad filium peruenerit? Fuit ea ueri ludificatio, cęterùm in uerum uertit. Sabellicus libro 4. Enneadis 5.

C. MARIVS narrare ſolebat (eo potiſſimùm tempore, quo Syllæ arma fugiens, cum comitibus in litore Circeio errabat) admodum ſe iuuenem, cùm ruri ageret, delabentem aquilæ nidum cum ſeptem pullis toga excepiſſe. Quod ubi uidiſſent parentes ſui, miraculo rei conſuluiſſe aruſpices: quos omnium mortalium reſpondiſſe ipſum fore clariſſimum, ac fatale eſſe, ut ſummum imperium & magiſtratum ſepties caperet. Id alij reuerà ita dictitant contigiſſe. Alij hos, qui tunc & per reliquam fugam hoc acceperant ex illo & crediderant, rem perquàm fabuloſam literis mandaſſe, quippe plura oua aquilam quàm duo non párere. Imò Muſæum quoque arguunt mendacij, qui de aquila dixerit:

Excludit binos, edit terna, educat unum.

De qua re Ariſt. Hiſt. animal. lib. 6. cap. 5. Plin. lib. 10. c. 5. & 6. Atqui crebrò in exilio Marium atque extremis in anguſtiis ad ſeptimum conſulatum aſpiraturum ſe in confeſſo eſt iactaſſe. Plut. in Mario. Atq; hinc credo fuit, quòd ille aquilā Romanis legionibus peculiariter dicauit, quum ab initio haud tantùm aquilæ ſignum, ſed lupi, minotauri, equi, & apri ſingulos ordines anteirent. Sab. lib. 3. Ennead. 6.

### REIP. CONSTITVENDAE, PACANDÆ.

Proficiſcebatur ad Sociale bellum cum florentibus copiis L. SYLLA, cùm circa Lauernam ingēs terræ hiatus extitit: inde lucidus & purus ignis protinùs emicuit, extenditq; ad cœlum flammam. Fertur ita eſſe à uatibus reſponſum, futurum, ut cùm uir bonus, & ſingulari aſpectu principatū gereret, tumultuoſus rerū ſtatus in melius mutaret᷑. Sab. l. 9. c. 7.

Edgaro Britānici regni diadema ſuſcipiente, DVNSTANVS Cantuarienſis archiepiſcopus ſibi diuinitùs prædictum audiuit, pacem Britāniæ futuram, quamdiu ille uiueret. Igitur annos XVI. quibus regnauit, omnia in ſumma quiete tranquillitateq; fuêre. Polyd. lib. 6.

Otho Longus, Marchio Brandeburgenſis tutor datus Venceſlao IV. BOEMORVM regi, in ſua abſentia præfecerat illi epiſcopum Brandeburgenſem, hominem ſæuum & auarū. Seditionem inde ueritus, eo deiecto, Tobiæ Pragēſi epiſcopo & Theobaldo regni Iudici, ſummam rerum commiſit: mox pupillum ſecum Brādeburgum duxit, dicto priùs die, quo eum Boemis reſtituere uelit. Fortè in ipſius diſceſſu, arcus cœleſtis ſolito uegetior Pragam cinxerat. Non caruit id ſpectaculum interprete, qui diceret, finem malorum Boemis per hoc ſignū portendi. Et certè duo illi rectores à Marchione relicti, qua inter ſe concordia erant, & æquitate, breui temporis ſpacio felicem fecere Boemiam, graſſatoribus è medio ſublatis. Dubrauius lib. 18.

### REGIONIS OCCVPANDAE.

HEGESISTRATVS Epheſius, ob tribulis ſui cædē exul Delphos perueniens, quémnam locum incoleret, deum conſuluit. Cui Phœbus reſpondit, ubi ſaltantes uideret ruſticos oleaginis coronis ornatos. Profectus igitur in Aſiam, agricolas Eleos, id eſt, oleæ ramis coronatos ſaltantes uidit: ibiq; condita urbe Eleuntem uocauit. Pythocles Samius libro 3. Georg. apud Plut. in Parallelis.

BOEOTIA Thracum impetu & bellico furore deuaſtata, reddirum iis, qui ſtragibus ſuperfuerant, ex intimo ſpecu oraculum, Ibi ſedem firmaturos, ubi coruos albentes conſpicati forent. Id uerò in Theſſalia mox factum ad Pagæaticum ſinum. Illorum nanq; oblati aſpectibus ſunt, Soli qui dicebantur ſacri corui, quos uino madentes pueri, gypſo litos emiſerant. Eiuſmodi quæpiam & in Athenæi Dipnoſophiſtis leguntur, lib. 8. Cælius lib. 17. c. 11. A. L.

Cùm TEVCRI Cretenſes alias ſedes quærerent, & oraculo conſulto reſponſum accepiſſent, ut illic conſiderēt, ubi γηγενεῖς, hoc eſt, terræ filij eos adorirentur: peruagata Myſia & Cilicia, tandem in Troadem uenerunt. Vbi dormientibus ipſis magna uis agreſtium murium neruos arcuum & ſcuta arroſerunt, ita ut expergefacti, arcubus uti ampliùs nō poſſent. Ergo eo loci conſederunt, & oppidum Sminthen condiderunt, quoniam lingua ſua σμίνθους mures uocāt Cretenſes. Apollinis quinetiam Sminthij delubrum extruxerunt. Euſtathius Iliad. α. Herodotus tamen hiſtoriam ad Sethonem Aegypti regē refert. Vide Tit. Bella diuina uirtute confecta. Strabo lib. 13. circa Amaxitum urbem hoc Teucris cōtigiſſe ſcribit, & in urbe Chryſa, Apollinis Sminthei delubrū eſſe, & ſignū à Scopa Pario factū, cuiꝰ pedib. mus ſubiacet.

MELEVS Pelaſgus profugus à patria, cùm Pythiam de ſede conſuleret, reſponſum tulit, πᾶσα γῆ πατρίς, Omnis terra patria: ex quo prouerbium uenit. Meminêre uerò ipſius Mnaſeas, Dionyſius Chalcidenſis. Volat. lib. 17.

Quòd PHRYGES duce Aenea in Laurentem agrum delati, haud ulteriùs ſint euagati, oraculo adſcribūt, quòd futurū monſtraret, ut ibi ſtabiles manſuraſq; ſedes haberēt, ubi fame adacti menſas abſumere cogerentur. Quod non multo poſt ipſum appulſum contigiſſe memorant, ut paniceos orbes carnibus ſubiectos ex diſcumbentib. quidā panis inopia conſumſerint, atq; tunc ab uno atq; altero exclamatū, defunctos eſſe ſe iam fatali errore, quando eiuſmodi menſas à neſcentib. conſumi cōtigiſſet, eamq; uocem fauore & aſſenſu à circunſtantib. exceptā. Sunt qui ex Aeneæ filiis unum oraculi mentionē intuliſſe dicant. Nec illud ſatis conſtat, ubi id reſponſum Troiani acceperint. Sunt qui Dodonæum fuiſſe arbitrantur, alij in Erythris Idæ tugurio, quod Sibylla incolebat: iuſſoſq; aiūt Troas profugos ad occidentem ſolem nauigare, donec in eum uentū eſſet locum, quo menſas



menſas panis defectu conſumere adigerentur. Sabel. lib. 7. Ennead. 1. Strabo lib. 13.

Quum PELASGI ſedibus pulſi Dodonā perueniſſent, ibi accepto reſponſo, quo admoniti ſunt, ut Siculorum continentem terram quærerent, in Latium demùm poſt multos errores uenientes, in lacu Cutillienſi enatā deprehenderūt inſulam, quam Cotilliam nominarunt. Hoc igitur quaſi omine ſuſcepto, has ſibi prædictas eſſe ſedes didicerunt, pulſiſque inde Sicilienſibus incolis, regionem ipſi tenuerunt, decimā prædæ ſecundum reſponſum Apollini conſecratā: erectoq; Diti ſacello, & Saturno ara, illum humanis capitibus, hunc uirorum uictimis placare ſe exiſtimabant, propter oraculū, in quo erat:

Et capita inferno, & patri tranſmittite lumen.

Saturni ſacra, ut quidam uolunt, Saturnalia nominantes: Poſt hæc ferunt, Herculem cum Geryonis pecore per Italiā redeuntem, ſuaſiſſe illorum poſteris, ut fauſtis ſacrificiis infauſta mutarent, offerentes Diti non hominū capita, ſed oſcilla ad humanā effigiem formata, quaſi parua ora, ut pars pro toto foret: & Saturni aras non mactatis uiris, ſed accenſis cereis excolentes, quia φῶς non ſolùm uirum, ſed etiam lumen ſignificat. Inde ergo inualuit conſuetudo, ut Saturnalibus & cerei miſſitarentur, & ſigilla, id eſt oſcilla, arte fictili fingerentur, ac uenalia exponerentur, quæ homines ꝓ ſe ac ſuis piaculis Diti & Saturno offerrent. Polydorus lib. 5. cap. 1. de Rerum inuent. ex Dion. Halicarn.

AEGINETIS patria pulſis, de quærenda ſede conſulentibus oraculum, reſponſum eſt hoc ænigmate, ἄκρον λάβε, ϗ μέσον ἕξεις. Illi, cacumine quodam montis occupato, circa mediū incoluêre. Eraſmus in Adagiis.

Leonides lib. 4. de populis Atticæ, cū Thymętes frater iunior, inquit, qui erat nothus, Aphidantem Athenienſium regem obtruncaſſet, ipſe regnauit Athenis. Quo effectū eſt, ut MELANTHVS Meſſenius exul ex patria, oraculū, ubinam eſſet habitaturus, cōſulēs, reſpōſum acceperit, Vbi primū muneribus ab hoſpitibus, pedes & capita ei in cœna apponentibus, exciperetur: quod accidit poſtea Eleuſine. Nam cùm feſtum quoddā de more patrio celebraſſent, omneſq; carnes abſumſiſſent, ac pedes tantùm ſupereſſent & capita, hęc ipſa Melantho obtulerunt. Athen. lib. 3. cap. 9.

Tarentum coloniā Lacedæmonij deduxêre, duce PHALANTHO Spartano. Huic Delphis oraculum redditū erat, cùm ſub Aethra pluuiam animaduertiſſet, tunc ſe agri & urbis compotem fore. Cum claſſe in Italiam ueniens, cùm Barbaros uiciſſet, neq; tamen uel urbe, uel agro potiri poſſet, dei uoce id ſignificatum ſuſpicari cœpit, quòd ſcilicet nunquā euenturum eſſet, ut puro ſerenoq; cœlo (quā Aethran Græci uocant) plueret. Hunc uxor animum deſpondentem ſolabatur, & eius genibus aliquando caput ſuſtentans, dum pediculos legit, lacrymæ præ animi ægritudine obortæ, in uiri caput decidere. Tunc primū euolutæ ſunt oraculi ambages: Aethræ enim uxori nomen fuerat. Ea itaq; nocte, quæ diem illum inſecuta eſt, Tarentum urbem maritimam opulentiſſimam cœpit. Pauſan. in Phocicis. At Suidas hoc oraculum Myſcello datum ſcribit.

DOLONCIS Thracibus uexatis bello ab Abſinthiis, cùm Pythiam conſulerent, datum oraculum, ut coloniæ in ſuā terram deducendę eum auctorem adſciſcerent, qui primus eo templo abeuntes hoſpitio inuitaſſet. Is cùm Athenis eſſet Miltiades, precibus eum permouerunt, ut ſumtis ſecū Athenienſium quibuſq; uoluntariis, unà nauigarit. Itaq; profligatis Abſinthiis locum tenuit. Herod. lib. 6.

### VRBIS CONDENDAE

*Reuelatio.*

Ferunt ALEXANDRVM Aegypto recepta, amplam uoluiſſe & populoſam Græcam urbem condere, eiq; inde ſe nomen ſuum. Mox de architectorum conſilio, Democratis præſertim, locum metato & cōplexo, mira ſpecies nocte inſequēti eſt per quietem oblata. Vir ueneranda canicie atq; facie uiſus eſt ei aſſiſtens hæc carmina promere ex Hom. Od. δ.

Præterea undiſono quædam iacet inſula ponto,
Quam Pharon appellant, Aegyptia littora contra.

Ac confeſtim ſurgens perrexit ad Pharum: quę id temporis inſula adhuc erat paulò ſupra Canobicum oſtium, nunc cū continente commiſſa eſt aggere. Vt loci præcellens uiſa eſt commoditas (eſt enim longa ceruice ſatis patenti laxā diſterminans paludem, terminanſq; in ſpacioſum portū mare) Homerum dixit cùm cætera eximium, tum prudentiſſimum eſſe architectum, iuſſitq; formam urbis delineari loco congruentem. Quia uerò ad manum non erat creta: polenta in campo nigro uſi, ad effigiem metati ſunt chlamydis orbe gyrato laciniosæ ſinum, cuius eſſet ab directis baſibus æquabilis procurſus. Strabo lib. 17. inquit, Architectos ambitus lineam gypſo deſignaſſe, & cùm aduentante rege terra defeciſſet, qui farinam operariis diſpenſabāt, partem illis præbuiſſe, qua uias in plures diuiſerunt, atq; id in bonum omen acceptum fuiſſe. Hæc deſcriptio cùm regi placeret: aues repentè à flumine & lacu, innumero grege omniſque generis & grandes inſtar nubium cum in locum delatæ, polentam ſunt omnem depaſtæ. Quo augurio obtorpeſcenti Alexandro, augures animum dedêre: quippe copioſam urbem oſtenderunt ab eo condi, multarumq; nationū futuram alumnam. Tunc inſtare operi, quibus id demandauerat, iuſſis, ad Ammonis oraculum profectus eſt. Plutarchus in Alexandro, & Plinius lib. 35. cap. 17. & Val. Max. libro 1. cap. 4.

*Oracula, Prædictiones.*

TELEGONVS Vlyſſis & Circes filius, ad inueſtigandum patrem miſſus, deorum commonefactus eſt reſponſo, ut in eo loco urbem conderet, ubi ſaltantes cum coronis colonos cerneret. Itaq; profectus in Italiam, quodam loco ſumma cum alacritate ruſticos ſaltare cōſpexit, pini ramulis coronatos: ubi ædificatum oppidum, ex prædictæ ſibi coronæ appellatione Pinſtrum nominauit, à quo Pręneſte Romani uocitant. Ariſtocles lib. 3. rerum Italicarum, Plut. cap. 79. Parallelorum:

Euſtathius in Iliad. β. narrat hiſtoriam: Sunt, inquit, qui putent Bœotiam dictam à boue. Nam quum Europa Phœnicis filia à Ioue rapta eſſet è Sidone, CADMVS raptæ frater à patre Agenore Phœnicum rege miſſus eſt ad inueſtigandū ſororem. Delphos profecto deus reſpondit, ne ſolicitus eſſet de Europa, ſed ſequeretur ducem bouem, ibiq; conderet ciuitatem, ubicunq; illa procumberet. Itaq; per Phocenſium regionem iter faciens, uaccam iuxta Pelagonis paſcua euntem ſequutus eſt. Ea quum uniuerſam Bœotiam peragraſſet, feſſa procubuit, quo loco nūc eſt Thebanorum ciuitas. Cadmus quum eam iuuencam uellet immolare Palladi, miſit aliquot è ſuis comitibus, qui è fonte Aretiade uel Dirce haurirēt aquam ad ſacrificium. At draco eius fontis cuſtos, quem Marti ſacrum eſſe creditū eſt (nam & fons ipſe à Marte nomen habet) complures confecit. Cadmus draconem interfecit, & admonitu Palladis interfecti dentes ſeuit, unde extiterunt terrigenæ fratres, cum illo pugnaturi. At Cadmus lapidem, quem à Minerua acceperat, inter illos iaciēs, omne certamen à ſe diuertit, ita ut omnes mutuis uulneribus ſe confecerint. Eam ob rem indignatus Mars, quum pararet Cadmum interficere, ſietitus eſt à Ioue, qui Cadmo in matrimonium dedit Harmoniam, Martis ac Veneris filiā, hac lege, ut priuſquam ſponſam attingeret, ſeruiret apud illam ſeruitutem annuam: conſtabat autem annus ex octo noſtris. Tum ut nuptiis epithalamium canerent Muſæ, ac deorum quiſq; nuptiale munus daret Harmoniæ. Eraſmus in Prouerb. Auris Bœotia. & Natalis Comes lib. 9. Mythologiæ, cap. 14. Pauſanias in Bœoticis, eum quidem ducem itineris bouem habuiſſe ait, ſed emtam de Pelagontis bubulcis, in utroq; latere inſignem candida nota in lunæ ſpeciem iam plenæ, & ex oraculi reſponſo ibi conſtitiſſe cum ſociis, quo loco bos feſſa procubuiſſet. Illum ipſum locum ſuo quoq; tempore Thebis oſtenſum fuiſſe.

ARCHIAS Corinthius & MYSCELLVS Achiuus, ſimul Delphos ut Deum conſulerent, petiêre. Interrogati, Vtrū opes an ſalubritatem deligerent? Archias opes, Myſcellus uerò ſalubritatem elegit. Proinde conceſſum alteri, ut Syracuſas: alteri, ut Crotonem cōderet. Euenit igitur, Crotoniatas urbem longè ſaluberrimam coluiſſe: Syracuſas uerò ad tantū diuitiarum cumulum euaſiſſe, ut iam in prouerbio diſſeminetur, cùm ad locupletes ac ſumtuoſos loquimur, Vobis ne decima quidem Syracuſanorum adeſt. Strabo libro ſexto, & Suidas.

SYBARITIS patria pulſis à Crotoniatis, oraculū datū de urbe ibi cōdēda, ubi aquā mēſura potarēt, cibū ſine menſura caperēt. Veniētes itaq; in Italiā, ope Athenienſiū, nō ꝑcul à Sybari fontem offendunt, cui Thuriæ nomen erat, latices erumpentes ærea fiſtula procul ſundētes, quām accolæ Medimnam, modiúmue appellare conſueuerant. Igitur ſimul à nomine ad omen & interpretationem oraculi, prouecti, cum locum ſibi à deo oſtenſum iudicarunt. Quem mox circumacto muro communiuerunt: urbemq; ibi condentes, eam fontis nomine Thuriam uocarunt. Diodorus lib. 12.

Ex Creophilo in terminis Epheſiorum, Epheſum ædificantes, cùm loci magnopere eſſent dubij, ad oraculum miſerunt, Vbi ciuitas eſſet locanda, percunctantes. Reſpondit deus, Illic urbem conderent, ubi piſcis demōſtraſſet, apérq; docuiſſet. Eſt autem fama, quòd ubi nūc eſt fons Hypelęus uocatus, portuſque ſacer, piſcatores quidam prandium parabant. Tum quidam ex piſcibus unà cum carbonibus exiluit, atque in palearum faſciculum decidit, incenſus eſt continuò ceſpes, in quo aper agreſtis fortè latitabat, qui igne perterritus, bonam montis partem percurrit, eò uſque ubi Trachea nunc uocatur, conciditque iaculo uulneratus, ubi nunc Palladis templum eſt erectum. Tum inſulam occupantes

tes EPHESII, cùm annos uiginti & unum eam habitaſſent; Tracheam uigeſimoſecundo poſtea condiderũt & Coriſſum, Dianæq; templum in foro, & Pythij Apollinis in portu érexerunt. Athen. lib. 8. c. 11.

Phiſcij, patre nati Amphyctione, fuit Locrus filius. Ex hoc & Cabya natus eſt LOCRVS: Cum eo diſceptans pater, trahensque ſecum ciuium agmen, de colonia oraculum ſciſcitatus eſt. Vt ſortes reddidit deus, ubicunq; morſus fortè à cane lignea eſſet, eo loco ut conderet oppidum: transgreſſus in alterum maris litus, calcauit cynosbatum, id eſt, caninum rubum. Vulnere fatigatus ibidem dies complures hæſit: quibus perſpecta agri indole, condidit oppida Phiſces, Hyantheam, cæteraque, quæ Locri Ozolæ appellati habuere. Plutarchus in Quæſt. Græcis. & Athenæus libro ſecundo, capite trigeſimotertio.

Byzantium, antea Lygos dictũ, à LACEDÆMONIIS, Pauſania duce, in anguſtiſſimo Europæ Aſiæq; Euripo conditum eſt: quibus ab Apollinis Pythij oraculo dictum erat, ut contra cæcos ſedes locarent, id eſt, contra Megarenſes, qui Chalcedonem ſterili ſolo, omiſſa locuplete ripa, eregionè condiderant. Strabo libro 7. Hoc tamen dictum Herodotus libro 4. tribuit Megabyzo Perſæ, eoq; immortalem ſui memoriam apud Helleſpontios reliquiſſe ſcribit.

Fama eſt, prodigioſum ſcrophæ occurſum augurium TROIANIS, qui duce Aenea in Italiam uenerãt, feciſſe, condendæ urbis. Eam prægnantem fuiſſe aiunt, altaribusq; admotam ſacrificantium manibus excuſſam, inde quatuor & uiginti ſtadia procul à mari paruo tumulo cõſediſſe, loco natura ſanè horrido ac perdifficili. Aeneas oraculi memor, cũ paucis, qui fortè aderant, ſcropham eminus eſt ſecutus, ne ueſtigio inſtans fatali uia auerteret. Tum uerò naturam loci contemplatus, quum nihil in eo perſpiceret, quod ad ſui cultum inuitaret, cõſilij anceps angebatur, nec in animum inducere poterat, tam importunas ſedes fato demonſtrari. Eratq; iamdudum in re una deliberanda occupatus, Deberétne illic eſſe, an longiùs adhuc iret? quum ex proximo loco uox ſine auctore reddita eſt, quæ Troianos illic iubebat manere. Pergerent modò ædificarè, cætera fatis permitterent. Alij auctores ſunt deorum penatium effigiem hic Aeneæ per quietem obuerſatam, quibus iuſſus ſit locum communire. Sed quæcunque oraculi ſpecies ea fuit, conſtans fama eſt, ſcropham poſtridie cum numeroſo fœtu, quem noctu enixa fuerat, repertam, fidem oraculo feciſſe. Tumulus ergo tumultuario opere munitus eſt, in quo poſtea Aſcanius, qui patri Aeneæ ſucceſſit, Albam urbem ædificauit, à colore ſuis dictam. Sabellicus libro 7. Ennead. 1.

*Auguria, Portenta.*

CONSTANTINVS Magnus urbem Romæ æqualem ædificaturus, animum ad Chalcedonẽ, quæ eſt in Bithynia, contulerat. Verùm deſignato uix opere, aquilæ deuolarunt, ac fabrûm funiculos raptos trans fretum Byzantium detulerunt. Qua re animaduerſa, tanquam diuino aduerſante numine perturbatus, eò adiit, ac ſitum contemplatus, magnopere approbauit, & tranſlatis eò cum omni parata materia fabris ſubinde opus inſtituit. Sigonius lib. 4. Imp. occid.

*Somnia.*

GEDIMINVS de Kiernovua, magnus Dux Lituaniæ, anno Domini MCCCV. orientem uerſus cauſa uenationis progreſſus, ubi Vilna Viliæ fluuio commiſcetur, plurimas feras nactus eſt, ibidemq; in monte Krzyuagora (qui hodie Turzagora, uel Liſſa, id eſt, calua uocatur) urum ingentem ſua manu trucidauit: ibique pernoctans, per ſomnium uidit lupum ferreum rugientem, in cuius uentre alij centũ lupi rugirẽt. Expergefactus ſomniũ aulicis ſuis exponit. Lezdzieiko ſacerdos (quem dicunt in nido aquilæ repertum) lupũ ferreum, urbem fortem, inſignem & celebrẽ ſignificare, lupos uerò in eo rugientes, multitudinem populorum portendere aſſeruit, & Gedimino ſuaſit, ut ciuitatem & arcem ibidem erigeret. Ipſe uates inde Radivuil, hoc eſt, conſiliarius Vilnæ ædificandæ uocatus eſt, cuius familia etiamnũ floret. Itaque Gediminus arces duas, unam in monte excelſo, alteram in planicie erexit, & ciuitatem ædificauit, Vilnã à Vilna præterlabente appellatam, & ſedem ſuam de Trokl in eam tranſtulit. Guagninus in deſcript. Lituaniæ.

## VRBIS OCCVPANDAE.

*Ex Titulo Victoriæ diuinatio, huc quædam.*

Cùm Achiui iuſſi eſſent oraculo Crotonem cõdere, miſſus eſt MYSCELLVS quidam, qui ciuitatis locum conſideraret. Is quum iam Sybarim ædificatam cerneret, uidereturque is locus magis idoneus, repetiit oraculum, conſuluitq; deũ, Num fas eſſet hanc pro illa condere? Numen ad hunc modum reſpondit:

> Μύσκελλε βραχύνωτε πάρες σέθεν ἄλλο ματεύων,
> Κλάσματα θηρεύεις· ὀρθὸν δ', ὅτι δῷ τις ἐπαίνει. id eſt,

> Terga breuis Myſcelle tuo de pectore omitte,
> Cætera perquirens, fruſtra en uenaris iniqua:
> At rectum quodcunq; datur, tu laude probato.

Eraſmus in Adagiis.

ALETES conſuluit Dodonæum oraculum, quod tum Iouis erat, Num Corinthiorum imperio potiri poſſet? Reſponſum eſt, tum illum potiturum, cùm quiſpiam illi glebam daret, aut ruder, idq; die multarum coronarum: nam id addidit. Itaque Corinthum profectus, panem ab ruſtico quopiã petiit: is glebam porrexit. Senſit ille iam perfectum oraculũ, animumque ad capeſſendum imperium adiecit. Parentabatur eo die Manibus, eamque ob cauſam cùm pleraque ciuitas in monumentis abeſſet, accedẽs, reperit Creontis filias iam paciſcentes de imperio. Harum natu minimæ perſuadet, ſi uelit adiutare, ſe, ſimul atque principatum eſſet conſecutus, illam ducturum uxorẽ. Illa imperij cupiditate prodit ciuitatem, ac portis apertis Aletem admittit. Is itaque uictor, Iouis Corinthũ eam appellauit, quòd ex Iouis oraculo contigiſſet. Idem.

CRANAVS, oraculi iuſſu, cum Græcorum multitudine in Macedoniam uenit: ubi cadentis imbris ſtrepitu denſaq; caligine capras ad oppidum fugiẽtes ſecutus, Edyſſam urbem improuiſo acceſſu occupauit. Tũ oraculi memor, quo iuſſus fuerat capris ducibus ſibi regnum quæritare, urbem ipſam Aegeam ſiue Aeglem nominauit, capraſque in prima acie, quoties in pugnam deſcenſum eſt, habere perſeuerauit. Midamane itaq; & aliis, qui in iis tum locis regnabant, finibus eius terræ pulſis, unus in omnium locum ſucceſſit: tum demùm populis ſolius imperio aſſueſcere coactis, legitimi regni formam & quaſi Macedoniæ corpus delineauit. Sab. lib. 2. Ennead. 2.

ALDEFONSVS Legionis & Aſturum rex, à Sancio fratre rege Caſtellæ pulſus, ad Almenonem Toleti regem Maurum confugerat. Quadam die cum eo deſcendit in uiridarium animi gratia, & proſpiciens cominus ciuitatem, cœpit cogitare, qualiter poſſet tanta ciuitas reſtitui Chriſtianis. Inde ſub arbore recumbens, ſomnum ſimulabat. Rex Almenon cum ſuis Arabibus loquebatur, An poſſet tã fortis ciuitas uirtute aliqua expugnari? Cui quidam reſpondit: Si per ſeptem annos huic urbi commeatus auferatur, poſſe capi. Aldefonſus id audiens, corde intimo conſeruauit. Alio die, cũ Aldefonſus iuxta Almenonem ſederet, cœperunt capilli Aldefonſi erigi, fruſtra eos comprimente manu ſua Almenone. Mauri arioli ſuaſerunt Regi, ut interficeret Aldefonſum: illum namq; aliquando ad urbis dominium peruenturum. Almenon noluit promiſſam fidem uiolare, ſacramento tantùm adegit, ne ſe uiuente ſui regni terminos infeſtaret. Sancio inde cæſo à popularibus ad regnum uocatus, fidem ſanctè datam ſeruauit Almenoni, & Iſſem primogenito eius. Quibus mortuis, Hiaie ſecũdò genitum ob tyrannidem auerſantibus populis, quatuor annis continuis agrum Toletanum uaſtauit, deinde urbem populoſiſſ. obſidione cinctã tandem ad deditionem anno MCXXXIII. coegit. Rodericus Toletanus libro 6. rerum Hiſp. cap. 17. & 23.

## VRBIS HABITANDAE, NON RELINQVENDÆ.

Roma à Gallis capta, & ferè deleta, Camilli opera libertati reſtituta fuit. ROMANI cladibus exhauſti, deliberabant utrùm Veios urbem integram migrarent, an patriæ mœnia reſtituerent, præſertim cùm multo antè Tribuni plebis eam rogationem tuliſſent, conſenſu populi. Fortè eo tempore è præſidio cohortibus redeuntibus, centurio in comitio ad primipilum exclamauit: Statue ſignum, hîc optimè manebimus. Huic uoci, ut boni ominis, L. Lucretius princeps Senatus adoratis diis eſt aſſenſus, cæterique omnes pedibus in eam ſententiam diſceſſere. Itaque pro uirili quiſque, prout libuit, in uacuæ urbis ruderibus ædificare cœpit. Liuius libro 5. Decadis 1. Val. Max. lib. 1. cap. 5. Sabellicus libro 9. Enneadis tertiæ.

VENETÆ urbis maieſtas tali omine oſtẽſa fertũr. Euerſa Methamauco, quum uniuerſa multitudo de transferendis ſedibus conſilium iniret, aliique Heracleam, alij uerò alia loca petenda eſſe contenderent: quidam in concionem profectus, ſi ſalui eſſe uellent, Riuum altum concedendum eſſe inſtanter aſſeruit, non ſolùm, quòd primus ille locus ſub Atilæ tumultum à maioribus inſeſſus eſſet, ſacræq; ædis D. Iacobo dicatæ fundamenta iacta eſſent: ſed quòd de Riui alti omine non poſſet non feliciſſima quæque polliceri, qui ſibi ſtatim hoc nomen uendicaſſe uideretur, non tam de altioris ſitu loci, quàm ut magnitudinem urbis futuræ declararet. Egnatius lib. 1. cap. 4.

Conſtantinopoli urbe à Venetis olim recepta, Gallisq; fœdere iunctis, Alexius puer in imperium reſtitutus fuit. Quo fœdè trucidato, Murziphli cuiuſdam opera, eodemq; mox in fugam conuerſo, Venetis Gallisq; imperium cõmune ceſſit.



Non pauci urbis Conſtantinopolitanæ oportunitate capti, augendi Veneti nominis cauſa eò Imperij Veneti ius transferre ſuadebant. Alij urbem auſpicatò conditam, diuoq; Marco dicatam per tot annos minimè deſerendam eſſe contendebant, præſertim quando cùm ſuo nomine Venetiæ maximè facere uiderentur, quaſi huc omnibus mortalibus ueniendum eſſet. Ergo Patrum auctoritate conſiliũ transferendæ urbis reiectum. Egnat. lib. 1. c. 4.

## VRBIS RESTAVRANDAE, CONSERVANDÆ.

Eſt in arce Athenienſium Erechthei (qui fertur fuiſſe terrigena) templum, in quo olea eſt & mare, ut apud Athenienſes prædicatur, Neptuno & Mineruæ in teſtimonium poſita, quod de regione decertaſſent. Hanc igitur oleam, capta urbe ſub Xerxe rege contigit, cum ipſo templo exuri. Eam ATHENIENSES exules, qui ab rege iuſſi erant rem diuinam facere, altero ab incenſione die, cùm in templum aſcendiſſẽt, uiderunt fruticaſſe, editæ à ſtipite uirgulto, cubiti inſtar. Nõ obſcuro indicio, Athenienſium urbem uel inuito Xerxe denuò reſtaurandam. Herod. lib. 8.

Oraculum Sibylla ædidit de ciuitate ATHENIENSI, Ἀσκὸς βαπτίζῃ, δῦναι δέ τοι οὐ θέμις ἐστί. id eſt, Vter tingeris, ſed mergere nemo ualebit. Eraſmus in Prouerb. Vtrem mergis uento plenum.

## VRBIS POTENTIS, BELLICOSAE, POPVLOSÆ, LOCVPLETIS, FORtunatæ, ſedis Imperij.

Didone duce, TYRII Carthaginem condituri erant. Terra iaciendis fundamentis primùm aperta, bubulum caput dicitur repertum. Quod auſpicium quum omnino diſplicuiſſet (eſt enim id animal etſi operoſum, perpetuo tamen ſeruitio ſubiectum) haud multum inde diuerſo loco terram molientibus, equi caput dicitur oblatum. Quo apparuit bellicæ rei ſtudiis celebrem urbem futuram. Sab. lib. 9. Enn. 1.

Cùm ALEXANDER Aegypto recepta, amplàm conſtituiſſet condere urbem, eamq; de ſuo appellare nomine: in ſomnis monitus à uiro ueneranda canicie, ad Pharum inſulã perrexit, ibiq; formam urbis delineari iuſſit loco congruentem. Architecti ubi ambitus lineam gypſo & polenta deſignaſſent: aues repentè à flumine & lacu, innumero grege, omniſq; generis, & grandes, inſtar nubium eum in locum delatæ, polentam omnem depaſtæ ſunt. Quo augurio obtorpeſcenti Alexandro, augures animum dedere: quippe copioſam urbem oſtenderunt condi ab eo, multarumq; nationũ futuram alumnam. Plut. in Alex. & Plin. lib. 35. cap. 17. & Valerius Maximus lib. 1. cap. 4.

TARQVINIVS Superbus Rom. rex, Iouis, Iunonis, & Mineruæ templum Sabino bello ab auo uotum, in parte Tarpeij collis præcelſa & ſcopuloſa, aſperitate loci priùs caſtigata, fundare eſt adortus. Sed quum de more aream inaugurare ſtatuiſſet, eſſetq; huius ſpacij ambitus, ſacella quædam uetuſtiſſimi operis complexus: quæ quia exauguranda erant, ut omni religionis metu ſublato, opifices demoliri poſſẽt, ferunt, ut tunc malorum dæmonum erant illuſiones, cætera numina Ioui, deabusq; augurio ceſſiſſe, ſolum Terminũ (addunt quidam & Iuuentam) ſua ſede moueri nequiuiſſe. Atq; ipſa re in omen ſtabilis manſuriq; imperij accepta, ſacellum media parte templi immotum poſtea manſiſſe. Eſt & maius quoddam operantibus prodigium oblatum. Humanum caput recenti tabo ab iis, qui in ima parte operabantur, eſt inuentum. Tarquinius (nemo enim non id prodigioſum putauit) domeſticos uates conſulit. hi omnem eius diſciplinæ laudem ad Hetruſcos referentes ad regem pertulerunt, ut in Hetruriam ſciſcitatum mitteret. Nec multũ abfuit, ut qui ad id miſſi ſunt, callida auguris percunctatione decepti, fatalem neceſſitatem per inſcitiam aliò auerterint. Sic enim, ut uideo, uanitatis illius cultores perſuaſum habuêre, ut niſi, qui à Tarquinio uenerant, ab auguris filio priùs moniti fuiſſent, ut quoquo modo à patre interrogati eſſent, in Tarpeio, aut in Tarpeij parte prodigioſum factum ſemper reſponderent, futurum fuiſſe, ut principatus, qui prodigio portenderetur, aliò callida ſenis ſtipulatione trãsferretur. Sed ubi Romanos capi non poſſe, Hetruſcus uidit, tũ ſine alia ambage docuit, fore, ut ibi arx imperij, caputq; rerum eſſet, ubi id oſtentum apparuiſſet, ac iam inde locus ex Tarpeio Capitolium eſt dici cœptum. Sab. lib. 6. Ennead. 2. Arnobius contra Gentes Toli caput illud fuiſſe ſcribit: ſed ſtudioſè à Rom. celatum, ne genij tutelaris nomine ad euocandum hoſtes uti poſſent.

Cùm ROMA poſt cladem Gallicam reſtauraretur, Pontifices, qui à Camillo loca ſacra requirere & terminare erant iuſſi, omnibus miſtis, ut ad Martis curiam Palatiũ luſtrantes peruenerunt, offendunt eam ſicut reliquas proſtratam à barbaris atq; exuſtam. In moliendo & purgando loco reperiunt ſub magno cumulo cineris Romuli baculũ, quo uti ad auſpicia ſolitus erat. Is ab altera extremitate inflexus eſt: Lituum uocant. Huius in cœli regionib. deſcribendis uſus eſt auſpicantibus: ad quod ille augurandi peritiſſimus illũ habuerat. Romulo deinde ex conſpectu hominũ ablato, hunc baculum ſacerdotes à contractu hominum ſeruauerunt ut rem ſacram. Eo tunc, amiſſis cæteris, integro inuento, læti ſpem conceperunt, Romam hoc omine æternam fore. Plutarchus in Camillo.

ROMÆ, ſimulacrum Victoriæ fulmine de cœlo tactum alas amiſerat. De eo ſic Pompeius in quarto Epigrammatum Græcorum, εἰς νίκην:

> Ῥώμη παμβασίλεια, τεὸν κλέος οὔποτ' ὀλεῖται.
> νίκη γάρ σε φυγεῖν ἄπτερος οὐ δύναται.

## ARCIS VEL

*Condendæ.*

LESCVS Polonorum primus dux, arcem primã Gneſno condidit, à nido, quem Gnaſdo uocant, paulum deflexo uocabulo: ſiue quòd eo ſibi loco arx illa futura eſſet, quo nidus auibus per apertum aëra uagantibus: ſiue quòd aquilarũ nidum ibi reperiſſet: indeq; inſigne boni auſpicij acceptum manſiſſe ſucceſſoribus eius principibus Polonorum exiſtimatur, alba aquila, erecta, expanſis alis. Cromerus lib. 2.

*Occupandæ.*

BERNARDVS Hildesheimenſis epiſcopus eccleſiæ ſuæ addidit dominatũ de Vvintzenborg, cum oppido Aluelde: admonitus à ſpiritu, qui ſe in arcibus eccleſiæ familiariter fert iunxiſſe multis, uera ſæpe prædicens: Piliolum appellauere. Is, quum comes de Vvintzenborg à milite Sueuo, cuius ille uxorem conſtuprarat, oppreſſus eſſet, excitauit primo mane pontificem, ut arcem uacantem occuparet. Non contemſit ille uocem monitoris, & occupatam arcem, Imp. Lotharij auctoritate tenuit. Cranzius lib. 6. Metrop. cap. 20. & lib. 6. Saxoniæ, cap. 11.

## TEMPLI, MONASTERII, COENOBII

*Condendi.*

VLADISLAO & GEYSA fratribus, uictoriam contra Salomonem Vngarorum regem obtinentibus, cùm baſilicã D. Virgini ædificare deliberarent, in loco uictoriæ, ubi D. Petri ſacellum eſt: Ecce ceruus expãſis cornibus inſignis, quẽ ardentiſſimæ faces circumſederant, apparuit, ſyluam petiit, ibiq; tantùm ueſtigia fixit; ubi ædes deinde ædificata eſt. Quem quum milites ſagittis peterent, in Danubium ſe proiecit, nec uſquam poſtea uiſus eſt. Quare angelum fuiſſe exiſtimantes, ibi D. Petro ædiculam dicarunt: mox delubrum Virginis matri ſtatuerunt. Bonfinius lib. 3. & 4. Dec. 2.

Liberio Pp. Romæ ſedente, IOANNES Patricius liberorũ orbitatem iniquo animo ferens, ſummis precib. à Maria Virgine Dei genitrice contendit, ut ſe aut prolis compotem faceret, aut de idoneo inſtituendo hærede doceret. Nocte uerò ſequenti, ipſam ſe uidere Virginem in quiete uiſus eſt, admonentem, ut ſua impenſa templum ſibi in Exquiliis conderet in eo loco, quem poſtridie, qui erat Nonis Auguſti futurus, niue conſperſum uidiſſet. Itaque ſomno ſolutus rem properè ad Liberium Pp. detulit. qui cùm idem ſe quoq; uidiſſe aſſereret, religione tactus, in Exquilias cũ magno populi comitatu proceſſit, ac niue contra anni rationẽ inuenta, locum baſilicæ deſignauit, ac Ioannis pecunia conſtructam, D. Mariæ uirgini primã in urbe dedicauit, ac ſolenne tanto miraculo, quod nunc quoq; obſeruatur, inſtituit. Sigonius lib. 7. Imp. occid.

Sub Childeberto rege Francorum, archangelus Michael apparens AVBERTO Abrincatenſi epiſcopo, monuit ſemel & iterum, ut in loco maris, qui propter eminentiã ſui Tumba uocatur, fundaret eccleſiam in memoriam ſui, uolentis talem uenerationem exhiberi ſibi in pelago, qualis exhibetur quoq; in mõte Gargano. Interim taurus à leonẽ furtim raptus, in illo loco religatur. Inde epiſcopus tertiò admonitus, ut in illo loco fundamenta iaceret, ubi taurum religatum inueniret, & ſicut eum terrã pedibus protriuiſſe uideret, ſic eccleſiæ ambitum duceret: eccleſiã in honore ſancti Michaelis conſtituit: & ex illo tempore, ſicut in monte Gargano, ita etiam illo in loco, quòd modò dicitur In periculo maris, ueneratio Archangeli frequentari cœpit. Sigebertus anno Domini DCCXCIX.

AGNES, Leopoldi Auſtriæ marchionis coniunx, marito ſuadebat, ut locum aliquem deſignaret, in quo laudes Chriſto dicerentur, & diuæ eius genitrici Mariæ, pro monaſterio cõdendo. Ex arce in monte Cecio ſita Danubium proſpectãtibus, leni Zephyro flammeum è capite Agnetis abreptum in proximum nemus delatum fuit. Quod ubi poſt nouẽ annos ibi Leopoldus inter uenandum reperiſſet illæſum, eo loci monaſterium extruxit. Cuſpinianus in Auſtria.

*Illuſtrandi.*

D. BERNARDVS aliquando foràs extra Claramuallem manè exiens, orabat Deum, ut ſuum & reliquorum monachorum obſequium benignus acciperet. modicéq; clauſis oculis, ingentem hominum multitudinem diuerſæ conditionis ad inferiorem uallem uidit confluere, eamque implere, ut omnes capere non poſſet. Quo uberrimus monachorũ prouentus ſignificatus eſt. Auctor uitæ lib. 1. c. 5.

## LOCI IGNOTI INVENIENDI.

Bœotorum terra cùm unum & alterum annum nullis imbrib. irrigaretur, è ſingulis ciuitatibus Delphos miſſi ſunt, qui opem implorarent. Apollo imperauit, ut Lebadean uenientes, à Trophono mali auxilium quærerent. Cùm oraculum reperire non poſſent, SAON quidam Acræphnienſis, collegarum natu maximus, cùm apũ examen conſpexiſſet, quocunq; illæ diuertiſſent, ſequi ſtatuit. Vbi igitur eas ad ſpecũ quandam aduolantes uidit, & ipſe ſubiens, oraculum, quod quærebant, illud eſſe intellexit. Saonem hunc eum ea, quorum cauſa miſſus fuerat, tum ſacrorum omnẽ ritum, & quæ inter conſulendum fieri fas eſt, edoctum à Trophonio memorant. Pauſanias in Bœoticis.

MINYÆ ſæuiente peſtilentia, miſſis ad oraculum conſultoribus, reſpõſum tulere, Vnicum illud fore auxiliũ, ſi ex Naupactio agro in Orchomenium Heſiodi oſſa deportaſſent. Percontantibus rurſus, In qua tandem Naupactij agri parte eſſent illa reperturi? reſpondit Pythia, Locum cornicem monſtraturam. Cùm redirent in patriam, non longè à uia cornicem conſpexere ſaxo inſidentem. ibique Heſiodi oſſa inuenta, in eius ſaxi latebra, cum inſcriptione. Idem.

## VICTORIAE FORENSIS.

Viſus eſt ſibi QVIDAM in ſomnis iniuriarum accuſatus, literas ac libellos iuſtificationis ſuæ perdidiſſe: & ſequenti die lite intenta, ab omnibus actionibus liberatus eſt. atq; hoc erat, quod ſomnium ipſi ſignificabat. Artemidorus lib. 5.

## VICTORIAE ATHLETICAE.

Viſus eſt ſibi QVIS in Nemea uirorum luctam decertare, & uincere, & coronari. Lis erat ipſi de agro, in quo maxima inerat palus: & ſanè uictor euaſit iuxta uiſionis rationem, propterea quòd uictores in Nemea apio coronantur. Artemidorus libro quinto.

Viſus eſt ALIVS, filium ad Olympia luctatorem perductum, à Græcis iudicibus mactatum, in ſtadio ſepultum eſſe. Filius paulo pòſt Olympionices euaſit. Nam conſequens eſt, ut mortuo ſepulcralis inſcriptio & epitaphiũ ſtatuatur, quemadmodum Olympionicæ, ut beatus dicatur. Idem.

CVRSOR ſacrum certamen decertaturus, uiſus eſt ſibi canalem aquæ cœno ac ſtercore refertum ſcopis expurgare, ac multa aqua eluere, quo amplum ac probè perfluum & purum redderet. Poſtridie clyſteri eductis ex uentre induratis ſtercoribus, promtus ad curſum factus, coronatus eſt. Idẽ.

QVIDAM uidebatur ſibi amphoram geſtans ad fontem accedere, & dum haurit, defecit aqua. Idem ſecundò, idẽ tertiò accidit. Iratus tandem terræ alliſit hydriam. Non multo pòſt curſu decertans cum antagoniſta, cùm pares eſſe uiderentur celeritate, ter ſtadium repetere coacti, & hic reuera uictor eſſet, agonotheta tamen pro altero pronunciauit. Ibidem.

NICOSTRATVS Cilix, ſeu potiùs Phryx ex urbe Prymneſſo, cùm iam adoleuiſſet, inſomnis uidit ante fulcra lecti ſui ſtratum leonem. Poſt id uiſum multas de pancratio & lucta palmas ex Olympia abſtulit. Pauſan. lib. 5.

Cùm ob imprecationẽ Oebotæ curſoris (qui primus Achæorum coronam Olympiæ meruerat, ſed à ciuibus nullo honore affectus fuerat) ACHÆI nullius palmę ampliùs compotes fierent: oraculi Delphici iuſſu cùm alia in Oebotę honorem inſtituerunt, tum uerò ſtatuã eius in Alti poſuerunt. Et mox Soſtratus Pellenæus in ſtadio pueros uicit. Ex eo deinde ſucceſſu mos obtinuit, ut Achæi athletæ ante certamen Oebotæ parentent, & uictores ſtatuæ illius coronam imponant. Pauſanias in Achaicis.

DINOLOCHI Alcinoi F. Olympionicæ MATER uiſa ſibi per quietem filium Dinomachum coronatum in complexum ſuum recepiſſe. Eo ſomnio monitus puer, ſtrenuè ſe ad gymnicorum certamina exercuit, ut ei ſtatua in Alti poſita ſit. Pauſanias libro 6.

## VICTORIAE BELLICAE

*Reuelatio.*

L. Syllæ in Aſia per L. TITIVM indicatum eſt à Ioue, quòd eſſet Mithridatem ſuperaturus. Reuertenti in urbem, & ſuas amicorumque iniurias ciuili ſanguine ulciſci paranti, iterũ Iupiter per MILITEM quendam legionis ſextæ ſignificauit, priùs ſe de Mithridate prænunciaſſe uictoriam, & nunc promittere daturum ſe poteſtatem, qua recuperaret ab inimicis rempublicam non ſine multo ſanguine. Percontatus Sylla, qua forma Iupiter illi uiſus fuerit? ei ſimilem eſſe intellexit, quam priùs à Titio audierat. Auguſtinus libro 2. de Ciuitate Dei, cap. 2.

Cùm HVNGVS Pictorum rex Chriſtianus Scotis auxiliarib. contra Athelſtanum Anglorum regem eſſet pugnaturus: per noctem Hungi Athelſtanique exercitus crucem in cœlo uidere beati Andreæ lucidam, inſtar X Græcæ literæ: quæ quidem his formidinem, illis timorem addebat. Sed Hungus per ſomnium monitus, non defuturam crucem ante uictoriam monuit milites, hortatusque uictor euaſit. Hect. Boethius libro decimo.

Pridie eius diei, quo ROBERTVS Bruſius ad fluuium Bannacborn Eduardum II. Angliæ regem uicit, & Scotiæ regnum ſibi uendicauit, quum de rebus ſuis ſolicitus, quietem nullam propè corpori daret, precibus uacans (orabat autem Deum ac ſanctum Philanum, cuius brachium incluſum argento in exercitu ſe habere credebat, ut uictoriam propitij dare uellent) uiſum eſt ei brachium argenteum, cui incluſum uerum fuerat, repentè apertum, ac rurſum in nictu oculi clauſum, nullo accedente, nec ſe mouente quopiã. Quod quum mirandum uideretur, ſacerdos ad altare acceſſit, quid actum eſſet inſpecturus. Vbi uidit uerum ineſſe brachiũ, exclamans, Verè numen adeſſe diuinum, confeſſus eſt factum ſuum regi, quòd roganti brachium ſancti Philani, capſulã tantùm argenteam, ueritus ne in tumultu perderetur, exemto uero brachio uacuum dederit. Plenus igitur rex ſpe, reliquum noctis in precibus ac gratiis agendis perſeuerauit. Poſterò die præparatis omnibus, ad rem ſacrã milites conuocauit, iuſſitque omnes Chriſti corpus, quò robuſtiores ſpiritu eſſent, ſumere. H. Boethius lib. 14.

HOTHERVS rex Sueonum & Danorum, inter uenandum à comitibus diuulſus, in antro quodam Nympharum chorũ uidit. Quæ illi proſpera omnia pollicitæ ſunt, & hortatę, ne Balderum Danorum regem, magum inſignem, arcano ſuperum ſemine procreatum, armis laceſſeret. His dictis, repentè euanuerunt, & Hotherum, qui in ſpecu ſe eſſe putabat, in patulo campo ſolum reliquerunt. Poſt aliquot annos cùm infeliciter contra Balderum pugnaſſet, & in eaſdem, uti uidebatur, Nymphas incidiſſet, geſtarum infeliciter rerum fortunam, triſteſque caſus deflere cœpit, ſecus ſibi ceſſiſſe queſtus, quàm ab ipſis promiſſum accepiſſet. At Nymphæ eum, quanquam rarò uictor extiterit, æquam tamen hoſtibus cladem ingeſſiſſe dicebant: cæterùm uictoriam habiturum, ſi edulium augendis inimici uiribus excogitatum præripere poſſet. Sic dimiſſus, uires reparat. Dum ergo hoſtium caſtra obſeruat, uidit egredi tres Nymphas arcanæ dapis gerulas. Quas curſim inſequens, tandem tecta, quibus aſſueuerant, ſubit, citharæque (cuius peritiſſimus erat) dulciſſimo miniſterio, accurati nitoris cingulum, potẽtemque uictoriæ zonam ab eis obtinuit: atque itinere, quo uenerat, repetito, hoſtem obuium fudit, & poſtridie Proſerpinæ, quæ ſibi per quietẽ aſtare aſpecta eſt, animas tranſmiſit. Olaus Magnus lib. 3. c. 10. ex Saxone.

Lottechius, Galliæ regis Franciſci I. copiarũ in Italia, contra Caroli V. Cæſaris exercitum dux, Mediolanum ab oppido Vaprio retroceſſit, ac ut minore circuitu urbem defenderet, ſuburbana ædificia ignobili & planè barbaro conſilio ſuccendit. Quum à Laudenſi uia modico flexu ad Ticinenſis portæ ſuburbana exercitus Cæſarianus duceretur, nemoque prodiret: fumantibus iam tectis, ignotus, nec poſtea uſquam uiſus uir, agreſti ueſtitu, IVLIO Medici legato pontificio apparuit, nuncians Gallos timore & deſperatione præpeditos, inieciſſe domibus ignes, & fugam parare, intentoſque eſſe ciues, ut iniuriam uindicarent: proinde læto animo pergere maturarent, quando omnes indigenæ cuncta Gallis aduerſa, ipſis uerò tanquam patriæ liberatoribus ſecunda & proſpera precarentur. Iouius in Piſcario libro ſecundo.

*Oracula, Prædictiones.*

ERECHTHEVS Athenienſium rex, bellum cum Eumolpo faciens, oraculo conſulto reſponſum accepit, ſe uictorem futurum, ſi filiam uictimam aliis faceret. Quo facto, uictor euaſit. Euripides in Erechtheo, & Plutarchus in Parallelis capite quadrageſimo.

CODRVS rex Athenienſis, cùm bello Peloponneſiaco Attica omnis uaſtaretur regio, oraculoque conſulto reſponſum eſſet, uicturos eos, quorum dux hoſtili manu periiſſet: depoſito habitu regio, gregario militi aſſimilatus, ſe hoſtium globo obiecit: unumque ex his falce percuſſum, in necem ſuam compulit. Cuius interitu factum, ne Athenæ perirent: ex quo illi ut deo ſacrificarunt. Iuſtinus libro ſecundo, & Cicero in fine libri primi Tuſculanorum quæſtionũ, & libro quinto de Finibus.

Cùm



Cùm Cirrhæi olim Apollinis numen læſiſſent, & in ſacrorum finium poſſeſſionem temerè irruiſſent, publico AMPHICTYONVM decreto arma ſunt in ſacrilegos mota. Bellũ id Cliſtheni Sicyoniorum tyranno mandarunt: Athenis uerò, cuius ille conſilio uteretur, SOLONEM euocarunt. Ac de uictoria conſulentibus oraculum Delphici Apollinis, ita reſponſum eſt:

Non datur antè urbis celſas euertere turres,
Cærula quàm templis immiſerit Amphitrite
Rauca fluenta meis, uaſti de gurgite ponti.

Perſuaſit igitur Solon, ut Cirrhæum agrum ſacrarent Apollini, quo ſacro dei agro mare uicinum fieret. Alio etiam idem Solon eſt in Cirrhæos uſus aſtu: quòd aquam Pliſti amnis ex alueo, unde intra urbem influebat, aliò auertit. Sed cùm obſidentibus reſiſterent oppidani, ſitim aqua in ciſternas ex imbribus collecta leuantes, ellebori radices quàm plurimas in Pliſtum coniiciendas curauit. Atque ubi ſatis infectam medicamento aquam intellexit, in priſtinum alueum amnem repoſuit. Cirrhæi cùm auidiùs bibiſſent, alui profluuio, mœnium præſidium deſerere coacti ſunt. Amphictyones urbe potiti, ac Cirrhæis malè mutatis, dei iniurias ulti ſunt. Et tunc ſanè cœpit Cirrha Delphorum nauale eſſe. Pauſanias in Phocicis.

Criſæi circa Delphos habitantes, ob latrocinia & templi Delphici ſpoliationem ab AMPHICTYONIBVS bello petiti obſidebantur. Cùm autem peſtilentia exercitum inuaſiſſet, uictores fore reſpondit deus, ſi in Co inſulam profecti, ἐλάφου παῖδα σὺν χρυσῷ adducerent in auxilium, Cerui filium cum Auro. Coi legatos benignè audiuerunt, cæterùm oraculi mentem non ſunt aſſecuti. Surrexit ergo Nebrus medicus, genere Aſclepiades: is quòd ceruorum hinnuli νεβροὶ uocarentur, domique filium χρυσὸν haberet, oraculum ad ſe pertinere cenſuit. Itaque pentecõtoro inſtructa ſuo ſumtu, Amphictyonibus ſuppetias tulit. Confeſtim autem peſtilentia remiſit, ueluti placato deo. Cùm equus pulſato ſolo ungula aquæductum detexiſſet, Nebrus pharmacis aquã corrupit, ſic ut dyſenteria Criſæi perirent. Oppugnationem inde aggreſſi, cùm Chryſus muros primus conſcendiſſet, urbs capta eſt. Amphictyones Apollini templum Delphico conſecrarunt, cum tota regione Cirſæorum, & Chryſum, qui de muro deturbatus perierat, in circo equeſtri ſepelierunt, & Delphis publicè parentarunt, & Aſclepiadis in Co inſula uaticinandi primas partes, ſicuti Hieromnemonibus cæteris, conceſſerunt. Theſſalus in oratione, quam habuit in legatione ſua.

CYPSELVS Arcadiæ imperabat. Heraclidæ faciunt expeditionem contra Arcadas. Oraculum prodiderat, cauerent ne donis hoſpitalibus acceptis ab Arcadibus, fœdus icerent. Cypſelus æſtatis tempore mandauit agricolis, ut fructibus demeſſis, & ad uiam poſitis, diſcederent. Milites Heraclidarum libenter fructus accipiebant, iiſq; utebantur. Cypſelus obuiam prodiens, ad hoſpitium Heraclidas uocabat. Illis uerò recordatione uaticinij honorem recuſantibus: Atqui, inquit, prior ueſter exercitus à nobis pro xeniis fructus habet. Ita ſapientia Cypſeli effectum eſt, ut Heraclidæ fœdus cum Arcadibus facerent. Polyænus lib. 1.

Cùm THEBANI de belli euentu conſulerent oraculum, Myrtila uates, quæ tum Dodonæ reſponſitabat, ait eos fore uictores, ſi quid impiè patraſſent. Itaque conſultorum quidam arreptam Myrtilam in lebetem aqua calida feruentem iniicit. Sunt qui narrent, Bombum diuinum quendam Thebanis, de belli ſucceſſu ſciſcitantibus, reſpondiſſe futurum, ut quamplurimos uincerent, ſi priùs quempiam è ducibus immolaſſent. At illos Bombum ipſum interemtum immolaſſe. atque hinc ortum prouerbium, Bœotis uaticinari. Eraſmus.

ACHÆI Phanam Aetoliæ urbem obſidebant. Cùm autem obſidionis tempus duceretur, neque ulla urbis capiendæ ratio iniri poſſet, qui miſſi fuerunt Apollinem ſciſcitatum, reſponſum acceperunt:

—— cura uobis ſit
Obſeruare, bibant quantum, qui mœnia ſeruant:
Sicq; Phana imperium ueſtrum turrita ſubibit.

Oraculum non intelligentes, domum retrò nauigare decreuerant. Mulier quædam ad proximum fontem aquatum è portis egreſſa, captiua in caſtra pertracta, indicauit, oppidanos noctu eo fonte aquam hauſtam ſuis diuidere, neque eos ad ſitim leuandam aliud quidquam præſidij habere. Conturbato itaque fonte, oppidum Achæi ceperunt. Pauſanias libro decimo.

Cùm Xerxes Græcis bellum inferret, LACEDÆMONII de belli euentu ſciſcitati oraculum, à Pythia reſponſum tulêre, Athenas euerſum iri à Perſis, Spartanorum uerò regem in prælio occubiturum. Athenas relictas Mardonius occupauit. Lacedæmonij trecenti cum Leonida rege ad internecionem cæſi ſunt. Herod. lib. 8.

IISDEM, ut eſt apud Thucydidem, de bello cum Athenienſibus ſuſcipiendo conſulentibus, uictoriam & imperium Apollo oſtẽdit, opemq; ſe laturum, ſiue imploraſſent ipſum, ſiue non. Plut. de Pythiæ oraculis.

AGESILAVS Spartanus moliens bellum regi Perſarum, ad Aſianos Græcos in libertatem aſſerendos, mouere, oraculũ Iouis Dodonæi conſuluit. Quod cùm annuiſſet, ut expeditionem pro animi ſentẽtia faceret: ſortes renũciauit Ephoris: qui præceperunt ei, ut etiam Delphos pergeret, atq; eadem de re quæreret. Profectus ad oraculum, in hunc modũ requiſiuit: Idem ne tibi Apollo ac patri uidetur? Qui ubi annuit, dux creatus ſigna eduxit. Plut. in Apophthegmatibus.

Hermippus auctor eſt, PHERECYDEM Syrum, Epheſiis amicum, cuidam ex prætereuntibus Epheſio homini mandaſſe, uti ſe pedibus in agrum Magneſium pertraheret, eo loci, ubi Epheſij cum Magneſiis poſtridie acie dimicaturi erant: petiiſſeque, ut uictoriam adepti, ſuum ibi corpus tumularent. atque ita accidiſſe, ut poſt uictoriam ab Epheſiis, eo quo fuerat loco exanimis repertus, quàm honorificentiſſimè ſit ſepultus. Sab. lib. 5. En. 2. ex Laertio.

ALEXANDER Magnus mouens caſtra à Troade, peruenit ad Mineruæ templum. Ibi ſacerdos Alexander nomine, cùm antè ædem Ariobarzanis, qui Phrygiæ præſes fuerat, ſtatuam humi proſtratam, aliaque non parui momenti oſtenta uidiſſet, acceſſit ad regem, eumque in magno equeſtri certamine uictorem fore confirmauit: præcipuè, ſi circa Phrygiam manus conſereret. Adiunxit etiam, manibus ſuis inſignem hoſtium ducem eum interemturum eſſe. ea uerò omnia ſibi à deis ipſis, & maximè à Minerua ſignificari, quę ei auxilio ad res feliciter agendas futura eſſet. Sacerdotis huius prædictionem læto animo accepit Alexander, ac ſtatim Mineruam ampliſſimo ſacrificio honorauit, ſcutumq; ſuum ei dicauit, & ex templo alterum, quod ſibi firmiſſimũ uiſum eſt, detraxit. Quo armatus, pugnam primam iniuit: ubi ſua conniſus uirtute, celebrem uictoriam reportauit. Diodorus lib. 17. Idem cùm oraculi monitu uictoriæ cauſa eum, qui ſibi porta egreſſo primus occurriſſet, interfici iuberet, Aſinarium fortè ſibi obuiam factum ad mortem arripi imperauit: eoq; quærente, Quidnam ſe immerentem capitali ſupplicio, innocentemque addiceret? cùm ad excuſandum factum ſuum oraculi præceptum retuliſſet: Aſinarius, Si ita eſt (inquit) rex, alium ſors huic morti deſtinauit: nam aſellus, quem ego ante me agebam, prior tibi occurrit. Delectatus Alexander & illius tam callido dicto, & quòd ab errore ipſe reuocatus erat, occaſionem in aliquanto uiliori animali expiandæ religionis rapuit. Valerius Maximus libro ſeptimo, capite tertio.

Cùm Brẽnus Gallicis copiis ingrueret in Delphos, DELPHI conſuluerunt oraculum, Quid opus eſſet facto? Reſponſum eſt, hoc carmine:

Ἐμοὶ μελήσει ταῦτα καὶ λευκαῖς κόραις, id eſt:
Curæ iſta mihi erunt, ac puellis candidis.

Paulo pòſt uiſus Apollo cum duabus puellis, Pallade ac Diana. Nam & his fana ſunt apud Delphos. Eraſmus in Adagiis.

PÆONES ad Strymonem fluuium Thraciæ admoniti diuino reſponſo, ut bellum Perinthiis inferrent, & ſiquidem à Perinthiis ex aduerſo conſidentibus prouocarentur, nominatim compellantibus, eos inuaderent: ſin minùs, ab inuadendo abſtinerent: ita fecerunt. Enimuerò conſidentibus Perinthiis è regione Pæonum in ſuburbanis, ibi ſingulare certamen ex prouocatione commiſſum eſt, uiri cum uiro, equi cum equo, canis cum cane. Et cùm uictores duobus certaminibus Perinthij præ gaudio carmen Pæana cantarent, tunc Pæones hoc ipſum eſſe reſponſum dei coniectantes, inter ſe dixêre: Nunc oraculum dei perfectum eſt, nunc noſtrum eſt opus. Atque ita in Perinthios canentes impetum fecére, egregieque uincentes, ex illis paucos reliquêre. Herodotus libro quinto.

MESSENII Delphos miſerunt, de belli exitu, quod cum Lacedæmoniis gerebant, Tiſim Alcidis filiũ. Qui in itinere uulneratus à Lacedæmoniis, paulo pòſt obiit. Cõuocatis in cõcionem Meſſeniis, oraculum Euphaes rex nomine Tiſidis recitauit, ut uirginẽ ex Aepytidũ ſanguine ſacrificarent. Oraculi uoce audita, uirgines omnes ex Aepytidarum familia ſorti commiſſæ: cumq; Lyciſci filia ducta fuiſſet, eã Epebolus uates ſacrari uetuit, quòd diceret non eſſe è Lyciſco genitã: uerùm uxorẽ Lyciſci eam (ex ſacerdote quadam Iunonis genitam) ſibi, cùm ſterilis eſſet, ſuppoſuiſſe. Interea dum uates hæc ad populum agit, Lyciſcus clàm abducta puella, Spartam profugit. Quæ res ubi uulgata eſt, cùm hominum mentes uehementer commouiſſet, Ariſtodemus, & ipſe ex eadem Aepytidarum gente, uir & cæteris uitæ ornamentis & bellica uirtute Lyciſco clarior, ultrò filiam immolandam obtulit. Verùm patriã per filię deuotionem ſeruare cupienti Ariſtodemo, obiecit ſe huiuſmodi offenſio. Meſſe-

nius quidam ciuis, Ariſtodemi filiã amabat, ac propediem erat uxorem ducturus. Is itaque ex ſponſu agere, negare, quæ ſibi deſponſa eſſet, in patris ampliùs eſſe poteſtate: ſuum eſſe, qui ſponſus ſit, in illam ius omne. Qua ratione cùm parum proficeret, impudenti mendacio uitiatam à ſe puellam, & grauidã iam eſſe affirmauit. Qua pertinacia eõ furoris Ariſtodemum impulit, ut filiam ſtatim occiderit: & eiuſdẽ utero exciſo, planè omnibus oſtenderit, non fuiſſe prægnantem. Ibi alium iuſſit Epebolus uates filiam deuouere: quòd interpretaretur, uirginis cæde, quam iratus pater commiſiſſet, litatum ex oraculo non eſſe. Intercedit rex Euphaes, populoq́; perſuadet, religione populum nulla amplius teneri, neq́; intereſſe, à quo ſit uirgo cæſa. Ei uehementer Aepytidæ omnes aſſenſi ſunt, quòd nihil malebant eorum unuſquiſq́;, *quàm liberari ſe deuouendæ filiæ metu. Quare facilè tumultum omnem regis oratio ſedauit. Meſſenij poſtea, duce Ariſtodemo Lacedæmonios uno prælio ſuperarunt. Qua clade accepta, LACEDÆMONII miſerunt Delphos, qui deum de tota belli ratione conſulerent. Iis reſponſum huiuſmodi datum eſt:

> Non Martis tantùm ſuadet tibi munera Phœbus:
> Aſtu capta fuit quondam Meſſenia tellus:
> Priſca fraude nouo rurſus capietur ab hoſte.

Quare ad aſtum regibus & Ephoris conuerſis, cùm aliud nihil in mentem ueniſſet, quod Vlyſſes ad Ilium fecit, placuit imitari. Homines enim C, qui ſe perfugas eſſe ſimularẽt, ad Ithomen montem, ſpeculatum hoſtium conſilia miſere: atq́;, ut planè perfugiſſe uiderentur, publico decreto damnati ſunt. Eos ad ſe uenientes Ariſtodemus his uerbis dimiſit: Nouas eſſe Lacedæmoniorum iniurias, uetera eorundẽ commenta. Id cùm minus, uti uolebant, cecidiſſet, conati deinde ſunt à Meſſeniis ſocios abducere. Verùm ab Arcadibus reiecti (ad eos enim primi legati uenêre) quò minus ad Argiuos proficiſcerentur, deterriti ſunt. Ariſtodemus, cognitis Lacedæmoniorum conatibus, & ipſe ad oraculum miſit. Reſponſum, qui miſſi fuerant, retulerunt huiuſmodi:

> Ecce manet fato longi te gloria belli:
> At Spartana phalanx te uincat fraude caueto.
> Nam bene compacta illorum ſi uaſa habeat Mars,
> Sæuum habitatorem feret alta corona chororum.
> Tunc gemini è latebris erumpent fortè ſub auras:
> Nec priùs euentum rerum lux alma uidebit,
> Iidem quàm fato gemini fungantur eodem.

Ariſtodemus quidem, & oraculorum interpretes, quid ſibi uellet reſponſum hoc, coniiciendo aſſequi nequierunt. Nõ multis uerò pòſt annis uocem ſuam expoſuit, & ipſo euentu ratam fecit deus. Anno tandem belli uiceſimo, ad oraculum de belli euentu mitti placuit. Conſultoribus ad hunc modum reſpondit Pythia:

> Primus Ithomæi tripodas circum Iouis aram
> Qui ſtatuet decies denos, hic ſorte ſecunda
> Meſſenem capiet. mens hæc Iouis. Inſtrue primus
> Ipſe dolos, queis ſacra ſimul prædicta refelles.
> Vtere ſorte tua: fatum his nunc, nunc fauet illis.

Hoc oraculo promitti ſibi uictoriam Meſſenij interpretabãtur, eo maximè, quòd cùm ipſi intra muros Ithomatæ Iouis ædem haberent, nullo pacto uiderentur poſſe Lacedæmonij priores tripodas dedicare. Ligneos certè tripodas faciendos curarunt, quòd ad æneos pecunia non ſuppeditabat. Exceptam hanc oraculi uocem, è Delphorum numero neſcio quis, Lacedæmonem pertulit. Ibi cùm nihil omninò publico conſilio excogitari poſſet ad eam dedicationem occupandam, Spartanus quidam Oebalus nomine, homo genere haudquaquam claro, ſed, uti res indicauit, planè callidus & ſolers, is tripodas C. è luto finxit, & in peram abditos, aſſumtis retibus, cum uenatoris ornatu urbem agreſti turbæ permiſtus, introiit: & ignotus quidem, quippe qui neque in patria ſua uulgò eſſet omnibus notus, quàm primùm nox ſuperuenit, tripodas illos fictiles dedicauit: atque inde ad ſuos reuerſus, quod actum fuerat, expoſuit. Re cõperta, Meſſenij uehementer commoti ſunt, & facilè quidem Lacedæmoniorum ſe aſtu deluſos coniecerunt: multitudinis tamen ſolicitudinem Ariſtodemus cùm ea, quam res tempuſque ferebat oratione, tum uerò ſtatuendis ad Iouis aram ligneis tripodibus (fabricati enim iam fuerant) leniuit. Accidit eo tempore, ut Ophioneus uates, qui à primo ſtatim ortu cæcus fuerat, oculis uti cœperit, mirabili admodum caſu. Nam cùm ingenti capitis dolore laboraſſet, ab ea ualetudine luminis compos fuit: nec multo pòſt uiſum rurſus amiſit. Quo infelici omine Ariſtodemus Meſſeniis exitium imminere præuidit: quòd oraculum Ophionei oculos intellexiſſet, quando dixiſſet, è latebris duos erupturos, & eoſdẽ in priſtinum ſtatum reuerſuros. Itaq́; primùm dolo, deinde armis uicti Meſſenij, Lacedæmoniorũ iugum ſubiêre. Pauſanias in Meſſenicis.

Cùm DARIVS rex Babylonem obſideret, uox hoſtis audita eſt, ex murorum faſtigio cauillantis, tum demùm Darium Babylone potiturum, cùm mula pareret. Tenuit inde obſidio annum & ampliùs, & iam deſperatio capiendæ urbis cæteros ſubire cœperat, cùm Zopyri mula enixa eſt. Fuit autem Zopyrus Megabyzi filius, qui cum Dario magos interfecit. Editum eſt id oſtentum, ac ſimul urbs, Zopyri conſilio & arte capta eſt. Sabellicus libro nono, capite octauo, ex Herodoti libro tertio.

Xerxe contra Græcos exercitum ducente, ATHENIENSES Delphos miſerunt legatos: quibus reſpondit Pythia Ariſtonice, ut fugerent, neque Perſam expectarent, ne ad internecionem delerentur. Legati oraculo territi, Timonis conſilio, uiri apud Delphos illuſtris, ſumtis oleæ ramis de integro ad conſulendum ſuppliciter oraculum reuerſi, mitius reſpõſum acceperunt, Palladem multis precibus à Ioue uix tandem impetraſſe, ut lignei muri illis ſaluti eſſent:

> τῶν ἄλλων γὰρ ἁλισκομένων, ὅσα κέκροπος οὖρος
> ἐντὸς ἔχει, κευθμών τε Κιθαιρῶνος ζαθέοιο,
> τεῖχος τριτογενεῖ ξύλινον διδοῖ εὐρύοπα Ζεὺς
> μοῦνον ἀπόρθητον τελέθειν. τό σε, τέκνα τ' ὀνήσει.
> μηδὲ σύ γ' ἱπποσύνην τε μένειν, καὶ πεζὸν ἰόντα
> πολλὸν ἀπ' ἠπείρου στρατὸν ἥσυχος, ἀλλ' ὑποχωρεῖν
> νῶτον ἐπιστρέψας· ἔτι τοί ποτε κἀντίος ἔσσῃ,
> ὦ θείη σάλαμις ἀπολεῖς δὲ σὺ τέκνα γυναικῶν,
> ἤ που σκιδναμένης Δημήτερος, ἢ συνιούσης.

Hæc excepta, legati domum retulêre. Quidam opinabantur, Deum reſpondere ſaluam fore arcem, quæ olim uallo præſepta fuerat, uallum autem hunc ligneum murum eſſe. Alij uerò naues interpretabantur: quibus tamen id obſtare uidebatur, quòd diceret oraculum, fore, ut ipſi inſtructa claſſe ad Salaminem ſuccumberent. Tandem THEMISTOCLES Neoclis F. de nauibus oraculũ datum affirmauit, neque cladem Salaminiam ad Græcos, ſed ad Barbaros ſpectare: alioqui enim deum non reſponſurum fuiſſe, θείη σάλαμις, ſed potiùs σχετλία σάλαμις, ſi circa eam ſui incolæ eſſent perituri. Euicit tandem Themiſtoclis ſententia, ut claſſe inſtructa ex Attica demigrarent, non tamen hoſtem aggrederentur, ſed apud Salaminem opperirentur. Quod conſilium Athenienſibus gloriam immortalem, Græciæ ſalutem peperit & libertatem. Herod. lib. 7. & Polyænus lib. 1.

Pauſaniæ Spartano cæteriſq́; Græcis ad Platæas cum Mardonio pugnaturis in communi uaticinium ediderat TISAMENVS Elæus, præcinuitque uictoriam, ſi ſe defenderent, non ſi inuaderent priores. Ariſtidi, Athenienſium duci, qui Delphos miſerat, reſpondit Apollo: laturos ex hoſtibus uictoriam Athenienſes, ſi uota Ioui, Iunoni Citheroniæ, Pani & Nymphis Sphragitidibus nuncupaſſent: ac ſacra Heroibus feciſſent Androcrati, Leuconi, Piſandro, Damocrati, Hypſioni, Actæoni, Polyido: & in propriis finibus pugnauiſſent in Cereris Eleuſiniæ & Proſerpinæ campo. Hoc oraculum relatum iniecit Ariſtidi ſcrupulum. Quippe Heroes, quibus præcipiebat ſacrificare, duces fuerant Platæenſium, & antrum Nympharum Sphragitidum in uno uertice eſt Citheronis occaſui ſolis æſtiuo obuerſum, quo loco fuerat olim oraculũ, multiq́; incolę fanatici erant, quos Nympholeptos uocabant. Eleuſiniæ uerò Cereris campi, & prælium in propriis finibus ſi committerẽt, promiſſa Athenienſibus uictoria, ediuerſò acciebat & transferebat in Atticam bellum. Hic prætor Platæenſium Arimneſtus, uiſus eſt per quietem interrogatus ab Ioue Seruatore: Quid ſtatuiſſent Græci? reſpõdiſſe: Cras Eleuſina Domine mouebimus hinc caſtra, atque ibi ex ſortibus Apollinis cum barbaris dimicabimus, ac deũ ſubieciſſe, toto cœlo eos errare: ibidem enim in finibus Plataicis ſignificare oraculum, & ſi inueſtigarent, ipſos inuenturos. Hęc Arimneſto, cùm oblata dilucidè eſſent, expergefactus accerſiuit properè ciuiũ peritiſſimos & maximos natu: quibuſcum re communicata atq́; diſcuſſa, reperit iuxta Nyſia ſub Citherone, perquàm uetuſtum fanum eſſe Cereri Eleuſinię & Proſerpinæ nuncupatum. Mox Ariſtidem duxit ſecum ad locum illum. Erat cùmprimis is idoneus ad pedeſtrem aciem illis, qui inferiores equitatu eſſent: quòd radix Citheronis impedita equitibus reddat extrema campi, qua contingit ſacellum. Ibi etiam propè Androcratis fanum erat frequentium & opacarum arborum luco ſeptum. Et quò nihil in oraculo ad ſpem uictoriæ deſideraretur, decreuerunt Platæenſes Arimneſto promulgante, ut termini ad Atticam finium Plataicorum amouerentur, agrumq́; donarent populo Athenienſi, quo pro Græcia ex oraculo decernerent in ſuo. Inſtructa acie, cùm Mardonius immiſſo in Græcos equitatu eos laceſſiuiſſet prior, memorabili ſtrage Perſas fuderunt. Plut. in Ariſtide.

Bello Samnite, ROMANI à Delphico oraculo iuſſi ſunt fortiſſimo & ſapientiſſimo Græcorum ſtatuas in cornibus comitij ponere. Poſuêre ergo Alcibiadi & Pythagoræ. Plinius libro 34. capite 6.

ROMANI aduerſus Pyrrhum Epirotarum regẽ bellum gerebant.



Paulus Aemylius reſponſum accepit ex oraculo, uictoriam ſe reportaturum, ſi aram eo in loco ædificaret, ubi hominem cum curru demerſum aſpiceret. Poſt paucos dies Valerium Torquatum à terra abſorptum uidit. Ibidem igitur ſtructa ara, uictor euaſit: ex qua uictoria centum ſexaginta turres geſtantes elephantos Romam miſit. Ex Critolao lib. 3. rerum Epiroticarum; Plut. in Parallelis.

Bello Cimbrico Batabaces uel Barthabaces Peſſinunte aduentauit, Matris magnæ Ideæ ſacerdos. Hic deam attulit ex adyto nunciaſſe ſibi, uictoriam populo ROMANO magnumq́ue belli decus acceſſurum. Cùm eſſet ſenatus aſſenſus, atque ædem deæ uictoriæ cauſa decreuiſſet: prodeunti in cõcionem, ut hæc ad populum ederet, Batabaci interdixit A. Pompeius tribunus plebis, præſtigiatorem appellans, hominemq́; cum indignitate depulit ex Roſtris. quæ res commendauit potiſſimùm dicta ſacerdotis. Nam ſimul atq́; dimiſſa concione domum regreſſus Pompeius eſt, tanta uis occupauit eum febris, omnibus ut conſtaret & peruulgatũ eſſet, cum intra ſeptimum diem expiraſſe. Plut. in Mario.

L. Sylla contra Cinnam & Marium in Italiam reuerſus ex Aſia, in Siluinis SERVVM L. Pontij narrauit fanaticum allocutum ſe, qui nunciare ipſi à Bellona diceret, belli palmam & uictoriam. quòd ni maturaret, Capitolium conflagraturum. idq́; eodem eueniſſe, quo ille prædixerat, die, qui fuit pridie Non. Quintiles, quas nunc uocamus Iulias. Plutarc. in Sylla. Auguſtinus lib. 2. de ciuit. Dei cap. 24. in fidem dicti adieciſſe, Arſurum Capitolium: mox è caſtris ſe proripuiſſe, & poſtero die reuerſum, Capitolij incẽſi nuncium retuliſſe.

Melitenæ præfectus & Agarenorum princeps Amer, XL millium exercitum eduxerat: inque Romanas prouincias impreſſione facta, ſimul & Armeniam & maritima populabatur, imitatus Xerxis factum, qui mare flagris cædi iuſſerat, quòd ulteriùs ſibi cum uoluptate progrediendi facultatem ademiſſet. Michaelus Imp. Petronam auunculum ſuum, qui tum Thracenſibus præerat, cum Romanis exercitibus omni ui contra eum proficiſci iubet. Degebat tum apud Epheſum Petronas. Cumq́; literis acceptis in maximam incidiſſet ſolicitudinem, illicò ad montem Latram eques it, & IOANNEM monachum celebrem uirtute ibi degentem de re conſulit. atque is extemplò ei reſpondit: Proficiſcere fili contra Saracenos: Deum enim ductorem habebis. Huius armatus uotis Petronas, exercitum ad Lalacæonem (loci hoc eſt nomen) ducit: & undiquaque poſitis inſidiis, Amerem ad pugnã prouocat. Qui feræ inſtar indagine cinctus, deque exitu anxius, de regionis locique, in quo caſtra poſuerat, & fluuij præterlabentis nomine quendam è captiuis Romanis interrogat. cumque audiret, regionis Lalacæonis, loco Ptoſontis, amni Gyris nomen eſſe: ſtatim malè ſibi ipſi ominatus prædicit, ipſis uerbis copiarum cladem, easque in gyrum incluſum iri à Romanis denunciari. Cedrenus.

Baſilius Macedo Imp. cùm uideret à ſe obſeſſos in urbe Adapa fortiter oppugnationem ferre, factis induciis, eos percontatus eſt, Cuinam rei fidentes, patrię imminente exitio, tam ſecuris eſſent animis? Reſpondit QVIDAM de ſenioribus, certos ſe eſſe, Vrbem non ab ipſo in pręſentia, ſed ab alio quodam genus ad ipſum referente, nomine Conſtantino, expugnatum iri: itaq́; ſe non terreri hac oppugnatione. Cumque Baſilius filium iis ſuum demonſtraſſet, atq́; hunc Conſtantinum uocari dixiſſet: Non hunc eſſe illum Conſtãtinum, collocutor iſte reſpõdit, urbis euerſorem, ſed alium quendam fore multo pòſt tempore, ex poſteritate Baſilij. Ira commotus ob hæc Imperator, falſumq́; eſſe hoc uaticinium re ipſa oſtendere cupiens, maiori quàm antea ui oppugnationi incubuit. Sed cùm defagantibus ſe omnibus nihil effici uideret, ſimulq́ue gelu ingens obortum ſub dio uerſantes affligeret, obſidionem ſoluit, domumq́ue uerſus ſuos abduxit. Cedrenus.

*Omina.*

IONATHAN, Saulis regis F. cum armigero ſuo præſidium quoddam Palæſtinorum ultra Machmas prærupto in loco aggreſſurus, omen captauit. Nam ſi illi eos aſcendere iuberent, aſcenſuros: ſin minus, non aſcenſuros. Vocem etenim hoſtium oraculi loco futuram. Cùm igitur Ionathan ſeſe præſidiariis oſtendiſſet, & illi, ut aſcenderet, clamaſſent, omen ſecutus, cùm armigero ſuo uiginti illorum obtruncauit, & Saulo patri uictoriæ clariſſimæ occaſionem dedit. Lib. 1. Regum, capite 14.

DAVID miſſus in caſtra ad fratres contra Philiſtæos pugnantes, cùm blaſphemias Goliathi aduerſus Deum Iſraelis audiſſet, nec quiſquam Iſraelitarum cum gigante congredi auderet, omen uictoriæ à uicto leone & urſo acceptum contra Goliathum regi Saulo narrauit. 1. Reg. 17.

IOAS Iſraelitarum rex, Ioachazi F. Eliſæum prophetam ęgrotantem inuiſit, & flens dixit, O pater pater, Iſraelitarum currus & equites. Tum Eliſæus illius pietate motus, eum ſagitta per orientalem feneſtram iaculari iuſſit, hancq́; uictricem contra Syros ſagittam fore pronunciauit. Iuſſit iterum terram ſagitta ferire. Feriit ille ter, deinde deſtitit. Eliſæus ſuccenſens, Si quinquies aut ſexies pulſaſſes, tunc Syros ad internecionem cecidiſſes. Nunc eos ter tantùm uicturus es. Lib. 4. Regum, cap. 13.

LOCRENSES aiunt Epizephyrios bellum cũ finitimis Crotoniatis gerentes, auxilia petiiſſe à Lacedæmoniis. Cùm uerò illi ſe habere exercitum negaſſent, & Caſtorem ac Pollucem dare illis dicerent: Locrenſes è ſcommate augurio capto, naui auerſa precatos eſſe Geminos, ut nauigarent unà. Cùm itaque eodem die ad Sagram Locridis uiciſſent, eodemque die uictoriæ fama ex Italia Spartam uſque perlata eſſet, primùm abrogata ei fides fuit, mox uerò re denique cõperta, in prouerbiũ abiit de rebus ueris ſerò creditis, Veriora ſunt hæc iis quæ ad Sagram geſta ſunt. Suid.

SAMII Prienenſibus auxilium aduerſus Carras implorantibus, pro claſſe & exercitu Sibyllam eis deriſus gratia miſerunt. Quam illi uelut diuinitùs datum præſidium interpretati, libenter receptam, uera fatorum prædictione, uictoriæ ducem habuerunt. Valer. lib. 1. cap. 5.

LACEDÆMONII oraculo Delphico moniti, auxilia ab Athenienſibus contra Meſſenios implorarunt. Athenienſes irridendi gratia Tyrtæum ludimagiſtrum iſchiadicum eis obtulerunt. Spartani eum exercitui bonis auſpiciis præfecerunt. Pauſanias in Meſſenicis.

APOLLONIATÆ cùm bello Illyrico preſſi, Epidamnios, ut ſibi opem ferrent, oraſſent, atque illi flumen uicinum mœnibus ſuis nomine Aeantem in adiutorium ſe mittere dixiſſent: Accipimus, quod datur, reſponderunt: eique primum in acie locum, perinde ac duci, aſſignauerunt. Ex inſperato ergo ſuperatis hoſtibus, ſucceſſum ſuum omini acceptum referentes, Aeanti ut deo immolauerunt, & deinceps omnibus prælijs eo tanquam duce uti inſtituerunt. Valerius libro 1. capite 5.

Auctor in Parallelis Plutarchus, ante prælium nauale cum Barbaris, THEMISTOCLE immolante, claram è ſacris flammam refulſiſſe, inſimul & ſternutamentum dediſſe ab dextris ſignum. Cælius lib. 24. cap. 27. A. L.

ALEXANDER Magnus, belli contra Perſas dux à Gręcis declaratus, Delphos ad Apollinem de bello conſulendum profectus, quòd fortè dies nefaſti eſſent, quibus non erat ſolenne oracula edere: primò miſit certos, qui uatem orarent, ut ueniret. Recuſante illa, & legem prætendente, aſcendit ipſe, atque ui traxit eam ad templum. Quæ illius expugnata contentione ait: Inuictus es fili. Id audiens Alexander, negauit ſe alias ſortes quærere: ſed habere, quod peteret ab ea, oraculum. Plutarchus in Alexandro. Idem cum exercitu ad Helleſpontum profectus, ibi copias ex Europa in Aſiam traiicere inſtituit. Nauibusque ſexaginta diſcedens Troadem uerſus, primus Macedonum omnium è naui haſtam iaculatus, litori Aſiæ eam infixit, ac ſtatim exiliuit de naui, uiſus quodammodo ope deorum captiuam terram occupare. Diodorus libro decimoſeptimo. Idem Gordium oppidum, quod ueteris Midæ fertur domicilium fuiſſe, in fidem accipiens, nobilitatum illud ſpectauit uehiculum cortice reuinctum corneo: ac pro uero à barbaris accepit credi in fatis eſſe, qui uinculum id ſoluiſſet, is ut imperio orbis terræ potiretur. Commemorant multi uinculum, quòd tortuoſis orbibus nodi in ſemetipſis identidem implicati celarent loramentorum capita, Alexandrum ſoluere deſperantem, gladio nexum diſſecuiſſe, atq́; multa eo reſoluto capita inueniſſe. Ariſtobulus uerò ſanè quàm expeditè nodum ait eum ſoluiſſe, cùm exemiſſet ex temone clauum, quem uocant, qui temoni alligat iugum, atq́; ita inde iugum ſubtraxiſſet. Hinc Paphlagonas & Cappadoces in ditionem accepit. Omni cis Euphratem ſubacta [illegible] in aduentantem Darium decies centenis millibus militum mouit. Hic ex amicis quidam retulit ei pro ridiculo, ſeruitia, quæ caſtra ſequebantur, per ludũ ſe in duas partes diuiſiſſe: utriq́; eſſe ducem & imperatorem, uni Alexandrum, alteri ab iis nuncupatum Darium: cœpiſſe glebis inter ſe uelitari, mox pugnis, tandem exarſiſſe certamine, atque ad lapides ſudeſque multos progreſſos, nec dirimi eos facilè potuiſſe. Quod ubi accepit, ipſos iuſſit ſolos congredi duces. Alexandrum ipſe armauit, Philotas Darium. Spectauit exercitus pugnam omen ex euentu capturus. Acri conſerta pugna, ille, qui Alexander dicebatur, tulit palmam, donoque duodecim uicos & ius ſtola Perſica utendi accepit. Hoc ſcriptum reliquit Eratoſthenes. Plut. in Alex.

TIMOLEON Corinthius, à Corinthiis dux belli aduerſus Siculos declaratus, cùm in Delphico templo Apollinem conſuleret, à donariis, quæ in templo affixa erant, ex alto in caput eius corona tam aptè concidit, ac ſi manu ei impoſita foret. Quod in eam acceptum eſt partem, ut, quod res fuit, intelligeretur, ex demandato iam bello eum uictoriam

nius quidam ciuis, Ariſtodemi filiã amabat, ac propediem erat uxorem ducturus. Is itaque ex ſponſu agere, negare, quæ ſibi deſponſa eſſet, in patris ampliùs eſſe poteſtate: ſuum eſſe, qui ſponſus ſit, in illam ius omne. Qua ratione cùm parum proficeret, impudenti mendacio uitiatam à ſe puellam, & grauidã iam eſſe affirmauit. Qua pertinacia cõ furoris Ariſtodemum impulit, ut filiam ſtatim occiderit: & eiuſdẽ utero exciſo, planè omnibus oſtenderit, non fuiſſe prægnantem. Ibi alium iuſſit Epebolus uates filiam deuouere: quòd interpretaretur, uirginis cæde, quam iratus pater commiſiſſet, litatum ex oraculo non eſſe. Intercedit rex Euphaes, populoq; perſuadet, religione populum nulla amplius teneri, neq; intereſſe, à quo ſit uirgo cæſa. Ei uehementer Aepytidæ omnes aſſenſi ſunt, quòd nihil malebant eorum unuſquiſq;, quàm liberari ſe deuouendæ filiæ metu. Quare facilè tumultum omnem regis oratio ſedauit. Meſſenij poſtea, duce Ariſtodemo Lacedæmonios uno prælio ſuperarunt. Qua clade accepta, LACEDÆMONII miſerunt Delphos, qui deum de tota belli ratione conſulerent. Iis reſponſum huiuſmodi datum eſt:

Non Martis tantùm ſuadet tibi munera Phœbus:
Aſtu capta fuit quondam Meſſenia tellus:
Priſca fraude nouo rurſus capietur ab hoſte.

Quare ad aſtum regibus & Ephoris conuerſis, cùm aliud nihil in mentem ueniſſet, quod Vlyſſes ad Ilium fecit, placuit imitari. Homines enim C, qui ſe perfugas eſſe ſimularẽt, ad Ithomen montem, ſpeculatum hoſtium conſilia miſere: atq;, ut planè perfugiſſe uiderentur, publico decreto damnati ſunt. Eos ad ſe uenientes Ariſtodemus his uerbis dimiſit: Nouas eſſe Lacedæmoniorum iniurias, uetera eorundẽ commenta. Id cùm minus, uti uolebant, cecidiſſet, conati deinde ſunt à Meſſeniis ſocios abducere. Verùm ab Arcadibus reiecti (ad eos enim primi legati uenêre) quò minus ad Argiuos proficiſcerentur, deterriti ſunt. Ariſtodemus, cognitis Lacedæmoniorum conatibus, & ipſe ad oraculum miſit. Reſponſum, qui miſſi fuerant, retulerunt huiuſmodi:

Ecce manet fato longi te gloria belli:
At Spartana phalanx te uincat fraude caueto.
Nam bene compacta illorum ſi uaſa habeat Mars,
Sæuum habitatorem feret alta corona chororum.
Tunc gemini è latebris erumpent fortè ſub auras:
Nec priùs euentum rerum lux alma uidebit,
Iidem quàm fato gemini fungantur eodem.

Ariſtodemus quidem, & oraculorum interpretes, quid ſibi uellet reſponſum hoc, coniiciendo aſſequi nequierunt. Nõ multis uerò pòſt annis uocem ſuam expoſuit, & ipſo euentu ratam fecit deus. Anno tandem belli uiceſimo, ad oraculum de belli euentu mitti placuit. Conſultoribus ad hunc modum reſpondit Pythia:

Primus Ithomæi tripodas circum Iouis aram
Qui ſtatuet decies denos, hic ſorte ſecunda
Meſſenem capiet. mens hæc Iouis. Inſtrue primus
Ipſe dolos, queis ſacra ſimul prædicta refelles.
Vtere ſorte tua: fatum his nunc, nunc fauet illis.

Hoc oraculo promitti ſibi uictoriam Meſſenij interpretabãtur, eo maximè, quòd cùm ipſi intra muros Ithomatæ Iouis ædem haberent, nullo pacto uiderentur poſſe Lacedæmonij priores tripodas dedicare. Ligneos certè tripodas faciendos curarunt, quòd ad æneos pecunia non ſuppeditabat. Exceptam hanc oraculi uocem, è Delphorum numero neſcio quis, Lacedæmonem pertulit. Ibi cùm nihil omninò publico conſilio excogitari poſſet ad eam dedicationem occupandam, Spartanus quidam Oebalus nomine, homo genere haudquaquam claro, ſed, uti res indicauit, planè callidus & ſolers, is tripodas C. è luto finxit, & in peram abditos, aſſumtis retibus, cum uenatoris ornatu urbem agreſti turbæ permiſtus, introiit: & ignotus quidem, quippe qui neque in patria ſua uulgò eſſet omnibus notus, quàm primùm nox ſuperuenit, tripodas illos fictiles dedicauit: atque inde ad ſuos reuerſus, quod actum fuerat, expoſuit. Re cõperta, Meſſenij uehementer commoti ſunt, & facilè quidem Lacedæmoniorum ſe aſtu deluſos coniecerunt: multitudinis tamen ſolicitudinem Ariſtodemus cùm ea, quam res tempuſque ferebat oratione, tum uerò ſtatuendis ad Iouis aram ligneis tripodibus (fabricati enim iam fuerant) leniuit. Accidit eo tempore, ut Ophioneus uates, qui à primo ſtatim ortu cæcus fuerat, oculis uti cœperit, mirabili admodum caſu. Nam cùm ingenti capitis dolore laboraſſet, ab ea ualetudine luminis compos fuit: nec multo pòſt uiſum rurſus amiſit. Quo infelici omine Ariſtodemus Meſſeniis exitium imminere præuidit: quòd oraculum Ophionei oculos intellexiſſet, quando dixiſſet, è latebris duos erupturos, & eoſdẽ in priſtinum ſtatum reuerſuros. Itaq; primùm dolo, deinde armis uicti Meſſenij, Lacedæmoniorũ iugum ſubiêre. Pauſanias in Meſſenicis.

Cùm DARIVS rex Babylonem obſideret, uox hoſtis audita eſt, ex murorum faſtigio cauillantis, tum demùm Darium Babylone potiturum, cùm mula pareret. Tenuit inde obſidio annum & ampliùs, & iam deſperatio capiendæ urbis cæteros ſubire cœperat, cùm Zopyri mula enixa eſt. Fuit autem Zopyrus Megabyzi filius, qui cum Dario magos interfecit. Editum eſt id oſtentum, ac ſimul urbs, Zopyri conſilio & arte capta eſt. Sabellicus libro nono, capite octauo, ex Herodoti libro tertio.

Xerxe contra Græcos exercitum ducente, ATHENIENSES Delphos miſerunt legatos: quibus reſpondit Pythia Ariſtonice, ut fugerent, neque Perſam expectarent, ne ad internecionem delerentur. Legati oraculo territi, Timonis conſilio, uiri apud Delphos illuſtris, ſumtis oleæ ramis de integro ad conſulendum ſuppliciter oraculum reuerſi, mitius reſpõſum acceperunt, Palladem multis precibus à Ioue uix tandem impetraſſe, ut lignei muri illis ſaluti eſſent:

τῶν ἄλλων γὰρ ἁλισκομένων, ὅσα κέκροπος οὖρος
ἐντὸς ἔχει, κευθμών τε κιθαιρῶνος ζαθέοιο,
τεῖχος τριτογενεῖ ξύλινον δίδοι εὐρύοπα Ζεὺς
μοῦνον ἀπόρθητον τελέθειν. τό σε, τέκνα τ' ὀνήσει.
μὴ δὲ σύ γ' ἱπποσύνην τε μένειν, καὶ πεζὸν ἰόντα
πολλὸν ἀπ' ἠπείρου στρατὸν ἥσυχος, ἀλλ' ὑποχωρεῖν
νῶτον ἐπιστρέψας· ἔτι τοι ποτὲ κἀντίος ἔσσῃ,
ὦ θείη σαλαμὶς ἀπολεῖς δὲ σὺ τέκνα γυναικῶν,
ἤ που σκιδναμένης δημήτερος, ἢ συνιούσης.

Hæc excepta, legati domum retulere. Quidam opinabantur, Deum reſpondere ſaluam fore arcem, quæ olim uallo præſepta fuerat, uallum autem hunc ligneum murum eſſe. Alij uerò naues interpretabantur: quibus tamen id obſtare uidebatur, quòd diceret oraculum, fore, ut ipſi inſtructa claſſe ad Salaminem ſuccumberent. Tandem THEMISTOCLES Neoclis F. de nauibus oraculũ datum affirmauit, neque cladem Salaminiam ad Græcos, ſed ad Barbaros ſpectare: alioqui enim deum non reſponſurum fuiſſe, θεία σάλαμις, ſed potiùs σχέτλια σάλαμις, ſi circa eam ſui incolæ eſſent perituri. Euicit tandem Themiſtoclis ſententia, ut claſſe inſtructa ex Attica demigrarent, non tamen hoſtem aggrederentur, ſed apud Salaminem opperirentur. Quod conſilium Athenienſibus gloriam immortalem, Græciæ ſalutem peperit & libertatem. Herod. lib. 7. & Polyænus lib. 1.

Pauſaniæ Spartano cæteriſq; Græcis ad Platæas cum Mardonio pugnaturis in communi uaticinium ediderat TISAMENVS Elæus, præcinuitque uictoriam, ſi ſe defenderent, non ſi inuaderent priores. Ariſtidi, Athenienſium duci, qui Delphos miſerat, reſpondit Apollo: laturos ex hoſtibus uictoriam Athenienſes, ſi uota Ioui, Iunoni Citheroniæ, Pani & Nymphis Sphragitidibus nuncupaſſent: ac ſacra Heroibus feciſſent Androcrati, Leuconi, Piſandro, Damocrati, Hypſioni, Actæoni, Polyido: & in propriis finibus pugnauiſſent in Cereris Eleuſiniæ & Proſerpinæ campo. Hoc oraculum relatum iniecit Ariſtidi ſcrupulum. Quippe Heroes, quibus præcipiebat ſacrificare, duces fuerant Platæenſium, & antrum Nympharum Sphragitidum in uno uertice eſt Citheronis occaſui ſolis æſtiuo obuerſum, quo loco fuerat olim oraculũ, multiq; incolę fanatici erant, quos Nympholeptos uocabant. Eleuſiniæ uerò Cereris campi, & prælium in propriis finibus ſi committerẽt, promiſſa Athenienſibus uictoria, ediuerſò acciebat & transferebat in Atticam bellum. Hic prætor Platæenſium Arimneſtus, uiſus eſt per quietem interrogatus ab Ioue Seruatore: Quid ſtatuiſſent Græci? reſpõdiſſe: Cras Eleuſina Domine mouebimus hinc caſtra, atque ibi ex ſortibus Apollinis cum barbaris dimicabimus, ac deũ ſubieciſſe, toto cœlo eos errare: ibidem enim in finibus Plataicis ſignificare oraculum, & ſi inueſtigarent, ipſos inuenturos. Hęc Arimneſto, cùm oblata dilucidè eſſent, expergefactus accerſiuit properè ciuiũ peritiſſimos & maximos natu: quibuſcum re communicata atq; diſcuſſa, reperit iuxta Nyſia ſub Citherone, perquàm uetuſtum fanum eſſe Cereri Eleuſinię & Proſerpinæ nuncupatum. Mox Ariſtidem duxit ſecum ad locum illum. Erat cumprimis is idoneus ad pedeſtrem aciem illis, qui inferiores equitatu eſſent: quòd radix Citheronis impedita equitibus reddat extrema campi, qua contingit ſacellum. Ibi etiam propè Androcratis fanum erat frequentium & opacarum arborum luco ſeptum. Et quò nihil in oraculo ad ſpem uictoriæ deſideraretur, decreuerunt Platæenſes Arimneſto promulgante, ut termini ad Atticam finium Plataicorum amouerẽtur, agrumq; donarent populo Athenienſi, quo pro Græcia ex oraculo decernerent in ſuo. Inſtructa acie, cùm Mardonius immiſſo in Græcos equitatu eos laceſſiuiſſet prior, memorabili ſtrage Perſas fuderunt. Plut. in Ariſtide.

Bello Samnite, ROMANI à Delphico oraculo iuſſi ſunt fortiſſimo & ſapientiſſimo Græcorum ſtatuas in cornibus comitij ponere. Poſuêre ergo Alcibiadi & Pythagoræ. Plinius libro 34. capite 6.

ROMANI aduerſus Pyrrhum Epirotarum regẽ bellum gerebant.



Paulus Aemylius reſponſum accepit ex oraculo, uictoriam ſe reportaturum, ſi aram eo in loco ædificaret, ubi hominem cum curru demerſum aſpiceret. Poſt paucos dies Valerium Torquatum à terra abſorptum uidit. Ibidem igitur ſtructa ara, uictor euaſit: ex qua uictoria centum ſexaginta turres geſtantes elephantos Romam miſit. Ex Critolao lib. 3. rerum Epiroticarum; Plut. in Parallelis.

Bello Cimbrico Batabaces uel Barthabaces Peſſinunte aduentauit, Matris magnæ Ideæ ſacerdos. Hic deam attulit ex adyto nunciaſſe ſibi, uictoriam populo ROMANO magnumque belli decus acceſſurum. Cùm eſſet ſenatus aſſenſus, atque ædem deæ uictoriæ cauſa decreuiſſet: prodeunti in cõcionem, ut hæc ad populum ederet, Batabaci interdixit A. Pompeius tribunus plebis, præſtigiatorem appellans, hominemq; cum indignitate depulit ex Roſtris. quæ res commendauit potiſſimùm dicta ſacerdotis. Nam ſimul atq; dimiſſa concione domum regreſſus Pompeius eſt, tanta uis occupauit eum febris, omnibus ut conſtaret & peruulgatũ eſſet, eum intra ſeptimum diem expiraſſe. Plut. in Mario.

L. Sylla contra Cinnam & Marium in Italiam reuerſus ex Aſia, in Siluinis SERVVM L. Pontij narrauit fanaticum allocutum ſe, qui nunciare ipſi à Bellona diceret, belli palmam & uictoriam. quòd ni maturaret, Capitolium conflagraturum. idq; eodem eueniſſe, quo ille prædixerat, die, qui fuit pridie Non. Quintiles, quas nunc uocamus Iulias. Plutarc. in Sylla. Auguſtinus lib. 2. de ciuit. Dei cap. 24. in fidem dicti adieciſſe, Arſurum Capitolium: mox è caſtris ſe proripuiſſe, & poſtero die reuerſum, Capitolij incẽſi nuncium retuliſſe.

Melitenæ præfectus & Agarenorum princeps Amer, XL millium exercitum eduxerat: inque Romanas prouincias impreſſione facta, ſimul & Armeniam & maritima populabatur, imitatus Xerxis factum, qui mare flagris cædi iuſſerat, quòd ulteriùs ſibi cum uoluptate progrediendi facultatem ademiſſet. Michaelus Imp. Petronam auunculum ſuum, qui tum Thracenſibus præerat, cum Romanis exercitibus omni ui contra eum proficiſci iubet. Degebat tum apud Epheſum Petronas. Cumq; literis acceptis in maximam incidiſſet ſolicitudinem, illicò ad montem Latram eques it, & IOANNEM monachum celebrem uirtute ibi degentem de re conſulit. atque is extemplò ei reſpondit: Proficiſcere fili contra Saracenos: Deum enim ductorem habebis. Huius armatus uotis Petronas, exercitum ad Lalacæonem (loci hoc eſt nomen) ducit: & undiquaque poſitis inſidiis, Amerem ad pugnã prouocat. Qui feræ inſtar indagine cinctus, deque exitu anxius, de regionis locique, in quo caſtra poſuerat, & fluuij præterlabentis nomine quendam è captiuis Romanis interrogat. cumque audiret, regionis Lalacæonis, loco Ptoſontis, amni Gyris nomen eſſe: ſtatim malè ſibi ipſi ominatus prædicit, ipſis uerbis copiarum cladem, eaſque in gyrum incluſum iri à Romanis denunciari. Cedrenus.

Baſilius Macedo Imp. cùm uideret à ſe obſeſſos in urbe Adapa fortiter oppugnationem ferre, factis induciis, eos percontatus eſt, Cuinam rei fidentes, patrię imminente exitio, tam ſecuris eſſent animis? Reſpondit QVIDAM de ſenioribus, certos ſe eſſe, Vrbem non ab ipſo in pręſentia, ſed ab alio quodam genus ad ipſum referente, nomine Conſtantino, expugnatum iri: itaq; ſe non terreri hac oppugnatione. Cumque Baſilius filium iis ſuum demonſtraſſet, atq; hunc Conſtantinum uocari dixiſſet: Non hunc eſſe illum Conſtãtinum, collocutor iſte reſpõdit, urbis euerſorem, ſed alium quendam fore multo pòſt tempore, ex poſteritate Baſilij. Ira commotus ob hæc Imperator, falſumq; eſſe hoc uaticinium re ipſa oſtendere cupiens, maiori quàm antea ui oppugnationi incubuit. Sed cùm defagantibus ſe omnibus nihil effici uideret, ſimulque gelu ingens obortum ſub dio uerſantes affligeret, obſidionem ſoluit, domumque uerſus ſuos abduxit. Cedrenus.

*Omina.*

IONATHAN, Sauli regis F. cum armigero ſuo præſidium quoddam Palæſtinorum ultra Machmas prærupto in loco aggreſſurus, omen captauit. Nam ſi illi eos aſcendere iuberent, aſcenſuros: ſin minus, non aſcenſuros. Vocem etenim hoſtium oraculi loco futuram. Cùm igitur Ionathan ſeſe præſidiariis oſtendiſſet, & illi, ut aſcenderet, clamaſſent, omen ſecutus, cum armigero ſuo uiginti illorum obtruncauit, & Saulo patri uictoriæ clariſſimæ occaſionem dedit. Lib. 1. Regum, capite 14.

DAVID miſſus in caſtra ad fratres contra Philiſtæos pugnantes, cùm blaſphemias Goliathi aduerſus Deum Iſraelis audiſſet, nec quiſquam Iſraelitarum cum gigante congredi auderet, omen uictoriæ à uicto leone & urſo acceptum contra Goliathum regi Saulo narrauit. 1. Reg. 17.

IOAS Iſraelitarum rex, Ioachazi F. Eliſæum prophetam ęgrotantem inuiſit, & flens dixit, O pater pater, Iſraelitarum currus & equites. Tum Eliſæus illius pietate motus, cum ſagitta per orientalem feneſtram iaculari iuſſit, hancq; uictricem contra Syros ſagittam fore pronunciauit. Iuſſit iterum terram ſagitta ferire. Feriit ille ter, deinde deſtitit. Eliſæus ſuccenſens, Si quinquies aut ſexies pulſaſſes, tunc Syros ad internecionem cecidiſſes. Nunc eos ter tantùm uicturus es. Lib. 4. Regum, cap. 13.

LOCRENSES aiunt Epizephyrios bellum cũ finitimis Crotoniatis gerentes, auxilia petiiſſe à Lacedæmoniis. Cùm uerò illi ſe habere exercitum negaſſent, & Caſtorem ac Pollucem dare illis dicerent: Locrenſes è ſcommate augurio capto, naui auerſa precatos eſſe Geminos, ut nauigarent unà. Cùm itaque eodem die ad Sagram Locridis uiciſſent, eodemque die uictoriæ fama ex Italia Spartam uſque perlata eſſet, primùm abrogata ei fides fuit, mox uerò re deniquè cõperta, in prouerbiũ abiit de rebus ueris ſerò creditis, Veriora ſunt hæc iis quæ ad Sagram geſta ſunt. Suid.

SAMII Prienenſibus auxilium aduerſus Carras implorantibus, pro claſſe & exercitu Sibyllam eis deriſus gratia miſerunt. Quam illi uelut diuinitùs datum præſidium interpretati, libenter receptam, uera fatorum prædictione, uictoriæ ducem habuerunt. Valer. lib. 1. cap. 5.

LACEDÆMONII oraculo Delphico moniti, auxilia ab Athenienſibus contra Meſſenios implorarunt. Athenienſes irridendi gratia Tyrtæum ludimagiſtrum iſchiadicum eis obtulerunt. Spartani eum exercitui bonis auſpiciis præfecerunt. Pauſanias in Meſſenicis.

APOLLONIATÆ cùm bello Illyrico preſſi, Epidamnios, ut ſibi opem ferrent, oraſſent, atque illi flumen uicinum mœnibus ſuis nomine Aeantem in adiutorium ſe mittere dixiſſent: Accipimus, quod datur, reſponderunt: eique primum in acie locum, perinde ac duci, aſſignauerunt. Ex inſperato ergo ſuperatis hoſtibus, ſucceſſum ſuum omini acceptum referentes, Aeanti ut deo immolauerunt, & deinceps omnibus præliis eo tanquam duce uti inſtituerunt. Valerius libro 1. capite 5.

Auctor in Parallelis Plutarchus, ante prælium nauale cum Barbaris, THEMISTOCLE immolante, claram è ſacris flammam refulſiſſe, inſimul & ſternutamentum dediſſe ab dextris ſignum. Cælius lib. 24. cap. 27. A. L.

ALEXANDER Magnus, belli contra Perſas dux à Gręcis declaratus, Delphos ad Apollinem de bello conſulendum profectus, quòd fortè dies nefaſti eſſent, quibus non erat ſolenne oracula edere: primò miſit certos, qui uatem orarent, ut ueniret. Recuſante illa, & legem prætendente, aſcendit ipſe, atque ui traxit eam ad templum. Quæ illius expugnata contentione ait: Inuictus es fili. Id audiens Alexander, negauit ſe alias ſortes quærere: ſed habere, quod peteret ab ea, oraculum. Plutarchus in Alexandro. Idem cum exercitu ad Helleſpontum profectus, ibi copias ex Europa in Aſiam traiicere inſtituit. Nauibuſque ſexaginta diſcedens Troadem uerſus, primus Macedonum omnium è naui haſtam iaculatus, litori Aſiæ eam infixit, ac ſtatim exiliuit de naui, uiſus quodammodo ope deorum captiuam terram occupare. Diodorus libro decimoſeptimo. Idem Gordium oppidum, quod ueteris Midæ fertur domicilium fuiſſe, in fidem accipiens, nobilitatum illud ſpectauit uehiculum cortice reuinctum corneo: ac pro uero à barbaris accepit credi in fatis eſſe, qui uinculum id ſoluiſſet, is ut imperio orbis terræ potiretur. Commemorant multi uinculum, quòd tortuoſis orbibus nodi in ſemetipſis identidem implicati celarent loramentorum capita, Alexandrum ſoluere deſperantem, gladio nexum diſſecuiſſe, atq; multa eo reſoluto capita inueniſſe. Ariſtobulus uerò ſanè quàm expeditè nodum ait eum ſoluiſſe, cùm exemiſſet ex temone clauum, quem uocant, qui temoni alligat iugum, atq; ita inde iugum ſubtraxiſſet. Hinc Paphlagonas & Cappadoces in ditionem accepit. Omni cis Euphratem ſubacta [illegible] ſigna in aduentantem Darium decies centenis millibus militum mouit. Hîc ex amicis quidam retulit ei pro ridiculo, ſeruitia, quæ caſtra ſequebantur, per ludũ ſe in duas partes diuiſiſſe: utriq; eſſe ducem & imperatorem, uni Alexandrum, alteri ab iis nuncupatum Darium: cœpiſſe glebis inter ſe uelitari, mox pugnis, tandem exarſiſſe certamine, atque ad lapides ſudeſque multos progreſſos, nec dirimẽ eos facilè potuiſſe. Quod ubi accepit, ipſos iuſſit ſolos congredi duces. Alexandrum ipſe armauit, Philotas Darium. Spectauit exercitus pugnam omen ex euentu capturus. Acri conſerta pugna, ille, qui Alexander dicebatur, tulit palmam, donoque duodecim uicos & ius ſtola Perſica utendĩ accepit. Hoc ſcriptum reliquit Eratoſthenes. Plut. in Alex.

TIMOLEON Corinthius, à Corinthiis dux belli aduerſus Siculos declaratus, cùm in Delphico templo Apollinem conſuleret, à donariis, quæ in templo affixa erant, ex alto in caput eius corona tam aptè concidit, ac ſi manu ei impoſita foret. Quod in eam acceptum eſt partem, ut, quod res fuit, intelligeretur, ex demandato iam bello eum uictoriam

uictoriam reportaturum. Idem quinque millibus occurrebat LXX. millibus Carthaginenſium in Sicilia, à quibus & clariſſ. retulit uictoriam. Subeunti collem, quo ſuperato exercitum & copias hoſtium erant ſubiectos oculis habituri, occurrunt muli apium ferentes ad extruendos thoros. Id uiſum militibus fœdum omen eſt: quia defunctorum ſepulcris ferè coronas ex apio imponere ſolemus. Vnde natum prouerbium, cùm quis ancipiti morbo decumbit, ut apio dicatur opus habere. Hos Timoleon ut religione ſolueret, & liberaret conſternatione, agmen ſuſtinuit, diſſeruitque cùm alia tempori conuenientia, tum coronam demonſtrauit ante uictoriam ipſis delatam, ultrò in manus uenire. Corinthij enim, qui ſacram arbitrantur & patriam apij coronam, ea uictores Iſthmiorum ludicro coronant. Nam Iſthmiorum ea etiam tum ętate, ut nunc Nemeorum, apium corona erat: non ita dudum ſucceſſit pinus. Sic igitur affatus Timoleon milites, ſumſit apium, ac princeps ipſe coronam ex eo accepit: inde duces qui circa eum erant & uulgus. At uates ut aquilas duas aduerterunt aduolantes, quarum una cōfixum ferebat unguibus draconem, altera cum magno & alacri clangore uolabat: monſtrauerunt eas militibus, qui ad opem implorandam deorum conuerſi cuncti ſunt. Plutarchus in Timoleonte, & lib. 5. Quæſtionum cōuiuialium 3. ex Timæo hiſtorico.

Icetes Leontinorum tyrannus, uaſtatis Syracuſanorum agris contemtu Timoleontis, qui exiguas copias ſecum habebat, regreſſus eſt præter ipſam Calauriam. Ille Icetem anteuertere permittens, cum equitatu & leui armatura conſectatus eſt eum. De eo factus certior Icetes, tranſmiſſo Damyria ſubſtitit in ripa, Timoleontem prohibiturus tranſitu. Quippe animum ei cùm uadi difficultas tum abrupta utrinque ripa dabat. Ibi decuriones Timoleontis, mirificum inceſſit certamen & contentio, quæ moram pugnæ fecit: nemo enim poſt alterum tranſire in hoſtem ſuſtinebat, ſed poſtulabat quiſque priores pugnæ partes: eratque confuſionis plenus tranſitus, impellentium ſe mutuò & pręcurrentium. Ergo TIMOLEON iuſſis ſortiri præfectis, accepit anulum à ſingulis. Quos cùm in lacernam ſuam conieciſſet & confudiſſet, primum fortè eduxit, qui ſigillo trophæum habebat inſculptum. Quod ubi iuuenes uiderunt, læto clamore ſublato, non ultrà ullam expectauerūt ſortitionem: uerùm pro ſe quiſq; ocyſſimè ſuperato fluuio conſeruerunt cum hoſte manus. At illi non ſubſtiterunt horum impetum, ſed in fugam effuſi, omnes pariter armis exuti, mille interfecti, deſideratiq;. Plut. in Timoleonte.

Proditum à Timæo eſt hiſtorico, in CORINTHIOS, cùm pergerent ad dimicandum pro Sicilia cum Pœnis, incurriſſe nonnullos, qui apium portabant. Quod ubi abominabatur uulgus militum ut infauſtum omen (quia habetur incōmodum apium: atq; illos, quorum deplorata eſt ualetudo, opus habere dicimus apio) confirmaſſe Timoleontem eos, ac commonuiſſe apij, quo Corinthij uictores coronāt. Plut.

PHILOMELVS Phocenſium dux, direpto fano Pythiam de patriæ rebus conſuluit. Et quum uates eam ipſius patriam ſibi uideri, reſponderet: minari & cogere eam, uti tripoda inſcenderet, cœpit Philomelus. Ad cuius uim inferentis aſperitatem offenſa mulier cùm dixiſſet, Tibi quidem quod libet permittitur: lætus plurimùm, uerbum id, utpote oraculum rebus ſuis aptiſſimum, accepit Philomelus, ſtatimq; exſcriptū illud in propatulo poſuit, & paſſim uulgauit, Sibi à deo licētiam datam faciendi quod uellet. Poſtmodum concione uocata, quid ſibi reſponſum eſſet expoſuit, adhortatusq; uti firmos animos haberent, ad belli negotia ſe totum conuertit. Diodorus Siculus lib. 16.

ROM. cum Gallis & Samnitibus ad Cluſium depugnaturis, quum utrinque inſtructi ſtarent, lupus ceruam ex proximis montibus perſecutus, medium inter utramq; aciem percurrit ſpacium. Inde cerua ad Gallos curſu delata configitur. Lupus in Romanos auerſus per medios ordines (data eſt enim Martiæ feræ ad euadendum uia) incolumis euaſit. Victi hoſtes, cùm P. Decius conſul ſe priùs deuouiſſet. Sabellicus libro 7. Enneadis 4.

L. PAVLVS, qui poſtea Macedonicus appellatus eſt, cùm ex ſenatus ſententia electus eſſet, ut bellum contra regem Perſam extra ordinem gereret: ea ipſa die domum rediens, Tertiam filiolam ſuam, quæ admodum paruula erat, oſculatus, cùm triſtem animaduerteret, interrogat, Quid mali accidiſſet? Reſpondit filiola, Perſam (erat autem catulus, quem puella in deliciis habebat, eius nominis) periiſſe. Arripuit Paulus omen, & Perſam Macedonię regem, aduerſus quem ſibi decreta erat prouincia, debellauit, uicit, & captum triumphans Romā duxit. Cic. de Diuinatione, Plut. in Apoph. Valer. lib. 1. cap. 5. Sab. lib. 8. En. 5.

Cùm Lucullo in bello contra Mithridatem & Tigranem ſuccederet CN. Pompeius, congreſſi ſunt in uico quodam Galatiæ, atq; inter ſe comiter conſalutauerunt, congratulatiq; ſunt inuicem de rebus bene & feliciter geſtis. Erat natu maior Lucullus, ſed Pompeij ex pluribus imperiis & gemino triumpho dignitas ſuperior. Faſces utriq; laureatæ uictoriarum cauſa præferebantur. Quia uerò uenerat Pompeius lōga uia per loca arida & ſqualida: torridas laureas faſcibus eius circumiectas cùm conſiderarent Luculli lictores, benignè illius lictoribus largiti ſunt ex ſuis recentibus & uirentibus. Eam rem amici Pompeij in fauſtum omen uertêre. Quippe reuera huius imperium illius res geſtę decorarunt. Plutarchus in Lucullo.

C. IVL. Cæſar in campis Pharſalicis aciem moturus, & rem iā aggrediens, primùm conſpicit cēturionem fidum ſibi & rei militaris expertum, qui confirmabat manipulares ſuos concitabatq; ad fortiter dimicandum. Hunc nomine compellans: Quid ſpei, inquit, C. Craſſini (Craſtinus dicitur in Cōment. Cæſaris) & quid animi habemus? Craſſinius dextra protenſa alta uoce exclamans: Inſignem, inquit, Cæſar uictoriam referemus. Me uerò hodie aut uiuum aut mortuum commendabis. Sic fatus, primus curſu in hoſtes irrupit, ſuoſque ſecum centum uiginti milites traxit. Plutarchus in Cæſare.

IDEM bello ciuili, uicto Pompeio, in Libyam contra Scipionem traiecit. Vbi naui egreſſus, quum primo litore conci diſſet, omine in melius uerſo, Teneo te, inquit, Aphrica. Sabellicus libro ſeptimo, Enneadis 6.

AVGVSTVS circa Peruſiam, ſacrificio non litante, cùm augeri hoſtias imperaſſet, ac ſubita eruptione hoſtes omnem rei diuinæ apparatum abſtuliſſent: conſtitit inter aruſpices, quæ periculoſa & aduerſa ſacrificanti denunciata eſſent, cuncta in ipſos recaſura, qui exta haberent. Neque aliter euenit. Suetonius.

Tradunt, inquit Plut. lib. de Rom. fortuna, M. Antonium & AVGVSTVM ſingulari amicitia & beneuolentia iunctos, quū ſuppeteret otium, ſæpè luſibus inter ſe diuerſis tranſmittere tempus ſolitos. Verùm in iis quum ſemper uictus abiret Antonius: quidam apud eum diuinandi peritia clarus, audacter ita ſubmonere perrexit: O Antoni, quid nam tibi cū adoleſcēte iſto? refuge ipſum, & uita. Tu quidem illuſtrior es, natu item grandior: ſed plurium quoq; imperator: bella multa exantlaſti, peritia rerum præſtātior es. At neſcio quo pacto huius ipſius dæmonē dæmon reformidat tuus. Quin tua quidem fortuna ex ſe ampla eſt, ſed fortunæ adoleſcentis ſubblanditur. Quòd ni abieris procul, ad illum defecturam apparet. Cælius lib. 2. cap. 10. Lect. Antiq.

Siculo bello pridiè quàm pugnam naualem committeret, ambulante in litore AVGVSTO, piſcis è mari ad pedes eius exiliit. Quo argumento uates reſpōdere (Neptunum patrē adoptante ſibi Sexto Pompeio: tāta erat naualis rei gloria) ſub pedibus Cæſaris futuros, qui maria illo tempore tenerent. Plin. lib. 9. cap. 16. & Suetonius.

EIDEM, claſſe cum M. Antonio ad Actium dimicaturō, memorant, tenebris adhuc, cùm egreſſus tabernaculo eſſet, in orbem circumeunti ad luſtrandam claſſem, hominem quēdam, qui agebat aſinum, occurriſſe. Nomen quærenti, cùm eum cognoſceret, reſpondiſſe hominem: Eutycho, hoc eſt, Fortunato mihi nomē eſt: aſino Niconi, id eſt, Victori. Vnde locum illum roſtris nauium pòſt exornans, aſini & hominis illius ſtatuam ex ære poſuit. Plut. in Antonio, & Suetonius.

TIBERIVS Cæſar, prælia, quamuis minimum fortunæ permitteret, cōſtantiùs aliquanto inibat, quoties lucubrante ſe, ſubitò, ac nullo propellēte, decideret lumen, & extingueretur: confidens (ut aiebat) oſtento, ſibi ac maioribus ſuis in omni ducatu expertiſſimo. Suetonius.

In munitione oppidi, quod Sergius Galba ad opprimendum NERONEM ſedem bello delegerat, repertus eſt anulus opere antiquo, ſculptura gemmæ Victoriam cum trophæo exprimente. Suetonius.

COSROES rex Perſarum, cùm prope Surenorum ciuitatem equitaret, conſtitit equus in quo inſidebat, & terram pede percutere cœpit. Inde magi uaticinati ſunt, illud oppidum in regis poteſtatem uenturum. Procopius de bello Perſico.

Cùm MANVEL Comnenus Imp. exercitum ſuum ad fortiter rem gerendam contra Pannonios cohortatus eſſet: ſtatim confuſus clamor in caſtris tollitur: quòd quidam ex gente Pannonica, dum concitato equo fertur, pronus in faciem prolapſus erat. Imperator bonum id omen interpretatus, deum inuocauit. Idem cùm audiſſet duarum muliebrium æncarum ſtatuarum, quæ in occidentali fornice fori Conſtantini ſitæ ſunt, alteram, quæ Hungariſſa dicebatur, erectā ſtare, alteram nomine Romanam uetuſtate collapſam humi iacere: ſtatim illam deiecit, hanc repoſuit: ea ſtatuarum mutatione, ſe fortunam etiam gentis utriuſq; mutaturum ratus, & rem Romanam erecturum. Atq; tum quidem per ducem ſuum Andronicum Contoſtephanum, profligato Hungarorum duce Dionyſio, uictoriam obtinuit. Nicetas lib. 5. de rebus Manuelis.





GALLI ſi quando cum hoſte congredi parant, diſſono & truci cantu, quem barritum uocant, cum ululatu & tripudiis ſcuta quatientes, prælia inibant, ex quo futuræ pugnæ fortunam augurabantur. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 7.

GERMANI priſci, ſi cum hoſtibus confligendum eſſet, priùs cum ſuo milite captiuum committebant: unde pugnæ auſpicium & omen augurati, in hoſtes manus conuertebant. Cornel. Tacitus.

ATTILA, Hunnorum rex, ſe natum ad concuſſionem gentium prædicabat, & formidabilem populis omnibus præferebat, ſuperbè admodum incedens, atque huc & illuc oculos circunferens: quam morum truculentiam ſpecies ipſa corporis quoque augebat, ſtatura breuis, latum pectus, grāde caput, parui oculi, rara barba, naſus ſimus, color ita teter, ut originis eius ſigna haud dubia proderet: natura confidens, ſed poſt gladium Martis inuentum, qui apud Scythicos reges magno ſemper in honore fuiſſet, multò magis. Nam cùm paſtor quidam, ut inquit Priſcus, buculam cōſpiceret claudicantem, ut cauſſam uulneris inueniret, ſolicitus cruoris ueſtigiis inſtitit, tandemque ad gladium, quem depaſcens bucula incautè calcauerat, uenit, effoſſumque protinus ad Attilam tulit. Quo ille agnito, ut erat alto animo præditus, arbitratus eſt, ſe totius orbis terrarum dominum conſtitutum, ac per Martis gladium poteſtatem omnium ſibi permiſſam eſſe bellorum. Sigonius lib. 13. Imper. occid. & Bonfinius lib. 3. Decad. 1.

CLODOVEVS Francorum rex, bellum aduerſus Alaricum Gothorum regem moturus, legatos ſuos Turonos ad D. Martini ædem miſit, qui diligentiùs obſeruarent, quídnam templi ſacerdotes canentes primùm enunciarent. Ingredientibus ergo illis primum auditum eſt ex Pſalmo carmen illud: Tu Domine ad prælium accinxiſti me uirtute. Quod lætis animis acceptum, ſtatim ad Regem detulerunt. Ille uerò rei euentum felicem ex omine ſibi pollicitus, maturata expeditione Alaricum acie fudit, & ipſos Gothos omni Gallia expulit. Egnat. lib. 1. cap. 4. & Fulgoſ. lib. 1. cap. 3.

GVLIELMVS Normanniæ dux, quum infeſtis armis Angliā attigiſſet, ubi in terram deſcendit, uictoriæ omen accepit, ex eo quòd altiùs in arena ueſtigia poſuerat. Nam ſtatim pòſt ſuperato Haraldo rege, in inſulæ poſſeſſionem uenit. Polydorus Vergil. lib. 3. Prod. At Aegidius Corrozetus de dictis & factis mem. pronum in litus cecidiſſe, & magna uoce, Teneo te Anglia, exclamaſſe, ſcribit.

Quum Vngarorum regis Salomonis, & Geyſæ ducis cōpiæ ad montem Moriorodum prope ſyluam Vaciam iamiam congreſſuræ conſtitiſſent: LADISLAVS Geyſæ frater, quū equum apprehenſa lancea conſcendiſſet, & uertiſſet in gyrum, ueprem fortè inter flectendum haſta tetigit. Cui quum muſtela candidiſſima inſediſſet, ueluti imminentis uictorię nuncia, per haſtam in ducis gremium delabitur. Hinc ſumto felici auſpicio, animos militum confirmauit, & certam uictoriam pollicitus eſt. Bonfinius lib. 3. Dec. 2.

ACTIVS Vicecomes, quum patris Galeacij iuſſu, Caſtruccio Piſtorium urbem à Florentinis occupatam armis recuperaturo opem ferret: profectus cum exercitu Apenninum tranſiit, & uictis hoſtibus apud Altopaſſum, duce quidem Caſtruccio, ſed egregia opera eius adiuto, ad uincendum Bononienſes pari impetu fortunaque ſe conuertit. In ea expeditione dum fortè equo deſcendens requieſcit, ingens uipera, nullo comite aduertente, in galeam iuxta poſitam irrepſit. Quam quum mox capiti reponeret, ſinuoſo quidem & horribili, ſed prorſus innocuo lapſu per decoras interriti ducis genas illa deſcendit. Eam à nemine lædi paſſus animoſus adoleſcens, ad omen geminæ uictoriæ traxit, hinc præcipuè quòd ipſe pro ſigno bellico uipera uteretur. Nec multo pòſt commiſſa eſt ea nobilis pugna ad Altopaſſum, in qua uictor Caſtruccius, præclara uirtute Actij adiutus, uniuerſas hoſtium copias deleuit, captis fermè omnibus ducibus, ipſoq; Cardonio Florentinorum Imperatore cum filio in poteſtatem redacto, & direptis caſtris. Iouius in uita Actij, ex Franciſco Petrarcha.

CRVCIFERI Pruſſi, cum Sigiſmūdo rege Vngarię, collecto 140. millium exercitu, Vladiſlao Iagelloni Polonorum regi bellum inferebant. Miſſi ad regem duo Cruciferorum caduceatores, eum hortabantur Magiſtri nomine, ne tam meticuloſè pugnam iniret: & duos gladios ſtrictos & cruentos ei obtulêre, ut uel iis aduerſus Cruciferos uteretur. Rex placidè & modeſtè caduceatoribus reſpondit: Quamuis armorum ſatis habeat in exercitu, accipere ſe tamen in Dei nomine gladios, contumeliæ cauſa ab hoſte miſſos: atque ita accipere, ut omen uictoriæ, quam ſibi armorum traditio portendat. Collatis ſignis, Cruciferi uicti ad Gronewaldam, cæſa quinquaginta millia: in quibus Magiſter & Commendatores, paucis exceptis, capta ad 40. millia, ſigna uerò militaria relata unum & quinquaginta. Cromerus libro decimoſexto.

SIGISMVNDVS, Ludouici Hungariæ regis gener, ad liberandam Mariam ſponſam, à Bano Croatiæ captam, proficiſcens, cùm fines Hungariæ attigiſſet, occurrit illi globus puerorum ritu gentili ſagatus, cum ſignifero adultiore. Interrogat Hungaricè Sigiſmundus: Quæ nam hæc militia? & cuius ſunt iſti milites? reſpondit ſignifer, En tibi præſens adeſt Orſak, qui tecum ô Rex militet contra hoſtes tuos. Accipio, inquit, omen, & ita ſpero fore, ut à me ſtet Orſak. quod apud Hungaros ſonat regnum & concilium uniuerſi populi. Id certè paulò pòſt accidit, cùm Budā ingreſſo, omnes ibi ordines præſtò eſſent, rogarentque, ut illorū obſequio ad omnes ſuos conatus uteretur. Huic ſignifero, poſteaquam adoleuit, hanc retulit gratiam, ut illum loco ignobili natum, ad equeſtrem gradum, & ad maximas diuitias prouexerit, Orſak illi cognomine indito, quo ad annum uſq; 1567 familia illa glorioſa fuit. Dubrauius lib. 25.

MATHIAS Vngariæ rex, cùm Sabaciam arcem in ripa Saui, quinque millium Turcarum præſidio firmatam, oppugnaret, & tormentis inuſitatæ magnitudinis mœnia quaterentur: qui natura alioqui & leniſſimi, & breuiſſimi erat ſomni, in multam diem dormiuiſſe, & uix excitari potuiſſe ſcribitur, omine non obſcuro, ſecuturæ paulo pòſt expugnationis. Sic ALEXANDER Magnus ante conflictum cum Dario ad Arbela, teſte Plutarcho. Ioachimus Cureus in Sileſiæ Annalibus.

FERDINANDVS, Hiſpaniæ rex, honeſtiſſima uitę conditione cunctis Granatæ ciuibus, qui ſeruandæ fidei ſacramentum dicerent, per præcones atque interpretes benignè propoſita, urbem poſt decennij obſidionem triumphans intrauit, anno ſalutis 1492. quum ſeptingenti fermè anni eſſent, ex quo Miramolinus Maurorum, qui ad Atlantem montem uergunt, bellicoſiſſimus princeps, Hiſpaniæ ferè omnis domitor, id regnum in Betica condiderat. Non caruit ea uictoria memorabili oſtento: nam non multo antè quàm Granata dederetur, ex nocturni luminis candelabro flamma emicans, & uentilata auræ flatibus, uela ſenſim lambens, reginæ Iſabellæ tabernaculum ita corripuit, ut regia magni ambitus tentoria, priuſquam allatis hydriis ſuccurri poſſet, incenderentur, concrematoque toto penitùs lectorum inſtrumento, regina ferè nuda in apertum ſe proriperet, nec ei quicquam ex muliebri ſecretiore cultu linteæ ſuppellectilis, quo ſe contegeret, omnino relinqueretur: rege quidem exterrito, ſed mox extra metum poſito, paratæ uictoriæ ex elucente flamma omen accipiente. Iouius in Conſaluo.

FERDINANDVS, qui pòſt Aragonum rex factus eſt, Anticheram urbem Maurorum Granatenſium, ſub Ioanne Caſtellæ rege puero, obſeſſum cum exercitu proficiſcebatur. Cùm in agrum hoſtilem peruentum eſt, magna ferarum copia accurrit. Quæ ab agmine armatorum, fugatæ atque exterritæ uociferationibus, in poteſtatem militum bona ex parte peruenerunt. Aues item multæ, clamoribus confuſæ attonitæque, ac toties reuolando defatigatæ, aut haſtis in aere percuſſæ, aut manibus humi captæ fuere. Hunc in modum milites ludibundi uictoriam ob id prædamque augurantes (ut eſt illa natio auguriis dedita) Anticheram diu obſeſſam tandem ceperunt. Valla lib. 1. de Ferdinando.

Quum HELVETII, ſuſcepto Maximiliani Sfortiæ Mediolanenſis principis aduerſus Galliæ regem Ludouicum XII. patrocinio, Nouaria in Gallorum obſidentium caſtra irruere cogitarent, & ſol iam in occaſum inclinaret: Gallorum canes relictis caſtris magno continentiq; agmine Nouariam intrarunt, admiſtiq; Heluetiis, qui in ſtatione erant, eorum crura lambere, caudas adulanter quatere, demiſſiſq; blandè auribus, ſingulis applaudere cœperunt: tanquam Heluetij iam ipſorum eſſent domini, aut certè futuri, ut mox apparuit. Primus omnium Iacobus Mottinus Vrienſis dux, & Italicæ gnarus linguæ, omine accepto ad Maximilianum contendit: eique uictoriam de Gallis eſt pollicitus, quòd à maioribus gentis eſſet obſeruatum in auſpiciis præliorum, proculdubiò eorum fore uictoriam, ad quos hoſtium canes, tanquam ex infelicibus caſtris, ad tuta fortunataq; hoſpitia perueniſſent. Iouius lib. 11. Hiſt. Simile omen LACEDÆMONIIS XX. anno belli Meſſenici, quo Meſſena euerſa eſt, accidiſſe tradit Pauſanias in Meſſenicis.

Oppugnante Strigonium SOLYMANNO, ænea crux inaurata, ob idq; percuſſa ſoliis radiis latè refulgens, qua maximi templi faſtigium ornabatur, aſſiduo collineantium Barbarorum ſtudio contortis in eam pilis reuulſa atq; deiecta eſt. Qua cadente, Solymannum felicis ictus caſum, more gentis ad lætum augurium facilè uertentem, exclamaſſe ferūt, expugnatum eſſe Strigonium, poſtquam ſignum à Chriſtianis adoratum, è templo decidiſſet. Neq; id omen uanū fuit. Sabellici Supplement. lib. 26. ex Iouio.

PHILIPPVS, Haſſiæ Landgrauius, Vlricum Vuirtenbergenſem ducem anno 1534. in poſſeſſionem ſuæ ditionis expulſis Au-

ſis Auſtriacis reducturus, fuſo ad oppidum Lauffen Ferdinandi Roman. regis equitatu, atque ipſo duce Friderico Palatino grauiter uulnerato, quum ab equitibus quæreret, quónam in loco eſſent hoſtes, & eos in Lauffen eſſe, qui exploratum excurrerant, reſponderent: Victoriæ, inquit, milites omen accipio, poſtquam hoſtes in fuga eſſe nunciantur. id enim nomen Germanicè fugam ſignificat. Neque inane eius nominis augurium fuit. Nam regiæ copiæ omnes nec tentato quidem certamine, in longè turpiſſimam fugam coniectæ, terga uerterunt. Ab ea uictoria Vlricus & Stutgardiæ, & omnibus ferè ueteris imperij ſui oppidis, incredibili populorum alacritate eſt receptus. Iouius libro trigeſimoſecundo Hiſtoriæ.

*Auſpicia & Auguria.*

Cùm GRÆCI Aulide in portu Eubœæ naues congregaſſent, Troiam profecturi, & ſub platano ara extructa ſacrificarẽt, ſerpens monſtroſæ magnitudinis ſub ara prorepens, in platanum ſummam euaſit, & paſſeris nidum in extremo ramo pendentem amplexus, octo pullos, matremque ipſam ala correptam deuorauit, & mox ipſe in lapidem obriguit. Calchas uates augurium interpretatus eſt: Nouem annis Græcos Troiam fruſtra obſeſſuros, decimo tandem capturos & euerſuros, tanti facti gloria ęternùm manſura. Vlyſſes apud Homerum Iliad. β. hiſtoriam recenſet.

IOVI expeditionem cõtra Titanas paranti, ſacrificanti in Naxo augurium uictorię aquila fecit. Proinde eam ſibi ſacram auem eſſe uoluit, & in reliquis expeditionibus pro ſigno habuit. Natalis lib. 2. Mythol. ex Lactantio.

SEPTEM Perſis, inter quos etiam Darius erat, ad Magos interficiendos profecturis, cùm Darius confeſtim negocium aggrediendum, Otanes uerò deliberandum diutiùs eſſe cenſeret: apparuerunt ſeptem accipitrum paria, inſectantiũ duo paria uulturum, eosq; uellicantium & infeſtantium. Eo augurio confirmati, in regiam irrumpunt, & Smerdem cum Magis interficiunt. Herod. lib. 3.

Galli gallinacei totis noctibus canendo, BOEOTIIS nobilem illam Leuctricam aduerſus Lacedæmonios præſagiuêre uictoriam, ita coniecta interpretatione, quoniam uicta ales illa non caneret. Plin. lib. 10. cap. 21.

THEMISTOCLI pridie quàm in Xerxem duceret exercitũ, auditus gallorum cantus, uictoriæ mox futuræ prænunciũ fecit. Quinetiam ducens exercitum, gallinaceorum pugnam militibus oſtendens, ad patriæ defenſionem eos cohortatus eſt. Plutarchus.

EIDEM noctua in naui conſpecta, naualis uictoriæ ad Salaminem aduerſus Perſas auguriũ fuit. Plut. in Themiſtocle.

ALEXANDRO Magno Gazam oppugnante, coruus ſuperuolans, ceſpite ſiue gleba quadam ſupernè demiſſa, Alexandri humerum percuſſit: inde turre bitumine oblita ſedens, implicitis tenaci materia alis, captus eſt. Plutarchus in quodam machinamento ſediſſe ait, ibiq; funium nodo implicitum hæſiſſe. Id intuitus Ariſtander uates, fore dixit, ut urbs breui caperetur: uerùm periculum eſſe, ne rex eo die uulnus aliquot acciperet. Et utrunq; ſanè contigit. Sabellicus libro quarto, Enneadis 4.

EIDEM ſigna collaturo cum Dario ad Gauſomela, uates Ariſtander candida læna amictus, coronamq; auream geſtans, qui iuxta Alexandrum uehebatur, oſtendit ſuper uerticem eius aquilam ſublimem uolare, curſumq; rectà dirigere in hoſtes. Vnde ingens ſpectantes inceſſit alacritas: ex alacritate autem & mutua adhortatione, admiſſo in hoſtẽ equitatu, inſtar fluctus ingruit phalanx. Plut. in Alexandro.

CÆLIVS Pontius, cùm ei ius dicenti picus ſupra caput inſediſſet, & aruſpices reſpondiſſent, demiſſa aue hoſtium uictoriam fore: ſed necata, Reipublicæ, moriturum tamen eum qui oppreſſiſſet: ipſam ſtatim auem exanimauit. Ex quo accidit, ut ipſe cum xl. aliis Cæliis interficeretur. Volat. lib. 14. cap. 2. Anthrop. Simile eſt L. TVBERONIS exemplum, de quo ſub Tit. Mortis auguria.

Ante uictorias C. MARII, duo uultures ſemper oſtendebant ſe, comitabanturq; agmen ex æneis collaribus noti: hæc enim addiderant captis milites, inde dimiſerant eos. Hinc notos ſalutabant milites, & cùm ſeſe offerrent in expeditionẽ euntibus, uelut læto gaudebant oſtento. Plut. in Mario.

Stabant in Philippeis campis M. ANTONII & M. Bruti acies in procinctu ſignum expectantes. Quum duæ aquilæ magno alarum clangore ex aduerſo conflixerunt, roſtris ſeſe infeſtoque uolatu inceſſentes. Suſpendit id oſtentum utrunque agmen in præſentis pugnæ euentum. Poſtremò quę ex Antonij plaga ſtetit, ualidè aduerſam uolucrem fugauit. Quo omine Antoniani in ſpem certam uictoriæ erecti, ſublato clamore in hoſtem decurrerunt. Sab. lib. 8. Enneadis 6.

Triumuirali tempeſtate, cùm AVGVSTVS atque ambo collegæ cum omnibus copiis Bononiæ conueniſſent, aquila tentorio eius inſederat. Eam gemini corui dextra læuaque perſtringere cœperunt. Illa reſiſtens, utrunque proſtrauit. Mira res dictu. Tot hominum millia in id ſpectaculum conuerſa, unum & idem ſenſiſſe perhibentur: inter tres ſcilicet duces, qui tunc unanimes uiderentur, diſſenſionem emerſuram, & collegarum finem, qui pòſt fuit. Victum enim Lepidum relegauit Auguſtus, mori coegit Antoniũ. Zonaras.

Apum examen conſedit in caſtris DRVSI imperatoris, cùm proſperrimè pugnatum apud Arbalonem eſt, haudquaquã perpetua aruſpicum coniectura, qui dirum id oſtentum exiſtimant ſemper. Plin. lib. 11. cap. 17.

Antequam ad Bebriacum, haud longè à Brixella, Otho atque Vitellius manum confererent, conſpectæ ſunt in cœlo inter ſe duæ aquilæ dimicare: earumq; uictricem à tertia, quæ ab Oriente ueniebat, depelli. Sic Imperij ſors oſtẽſa fuit. Siquidem uictorem in eo prælio Vitellium, reuertens ab Oriente VESPASIANVS ſuperauit. Suetonius.

Bellum ciuile motum à L. Antonio ſuperioris Germaniæ præſide confecit DOMITIANVS abſens, felicitate mira: cùm ipſa dimicationis hora reſolutus repentè Rhenus, tranſituras ad Antonium copias Barbarorum inhibuiſſet. De qua uictoria priùs præſagiis, quàm nunciis comperit. Siquidem ipſo, quo dimicatum eſt, die, ſtatuam eius Romæ inſignis aquila circumplexa pennis, clangores lætiſſimos edidit: pauloque pòſt occiſum Antonium adeò uulgatum eſt, ut caput eius quoque apportatum uidiſſe ſe plerique contenderent. Suetonius.

HVNNI è Scythiæ ſedibus emigrantes, Pannoniam patriam repetituri, quum ſub Amadocis & Peucinis montibus defatigati ſubſtitiſſent, & de incolendis iis locis fortè decernerent, tanta è montibus aquilarum multitudo delata eſt, ut non ſolùm equos & pecora cætera unguibus roſtrisque peterent, uerùm etiam epulas è menſis eriperent. Quo quidem augurio ſtatiua mouere perſuaſi, diuinaque numina ſequuti, in Tranſſyluaniam penetrarunt. Bonfinius libro 9. Decadis primæ.

Quum ATILA, expeditione in Italiam ſuſcepta, itineri accinctus equum conſcenderet, dicitur coruus ab oriente aduolans, humero eius dextro inſediſſe: ac deinde tantiſper in ſublime uolaſſe, dum uiſum omnium effugeret. Nicolaus Olahus in eius uita.

IDEM Aquileiam obſidens, deſperata quaſi uictoria, caſtra inde mouere in animo habuit, atq; in poſterum diem profectionem indixit. Interim autem oblato permotus auſpicio reſtitit: quippe ciconiam quandam pullos ſuos è turri ſubinde mœnium exportantem, & contra morem ſuum in agrum deferentem, notauit. Quod uiſum ille continuò militibus abire parantibus indicauit. Aquileiẽſes crebris demũ eruptionibus fuſi, rei frumentariæ ad ſummam difficultatem adducti, atq; omnibus deniq; malis uſq; ad deſperationem afflicti, conſilium effugiendi ex urbe, eamq; uacuam hoſtibus relinquendi cepere. Itaq;, ut minore cum periculo ex urbe excederent, ſub noctem ſtatuas ligneas armatas in ſtationibus murorum ad decipiendos inani defenſorum ſpecie hoſtes diſpoſuerunt: atque, imprudente Atila, à parte ad mare uergente euaſerunt, & in Gradum inſulam cum archiepiſcopo Niceta ſe receperunt. Atila uerò, poſtquam, luce orta, aues haſtis capitibusq; armatorum in muris conſiſtentium hærere ſecuras, ac ſine metu conſpexit, errorem ſuum atque hoſtium dolum agnouit: ac, ſigno exercitui ad uacuam inuadendam urbem dato, mœnibus ſcalas admouit, ac ſtatim eam mœnium partem, in qua nidus ciconiæ hæſerat, ſua ſponte labentem animaduertit. Itaque impetu præcipuè ab illa parte facto urbem intrauit, ac bona ciuium, qui remanſerant, militibus diripienda, ipſosque pro cuiuſque libidine conflictandos permiſit. Sigonius libro 13. Imper. occid.

Eo prælio, quo OTHOCARVS Boemorum rex XVI. millia Belę Vngarorũ regis proſtrauit ad Teyſam fluuium, qui Auſtriam à Morauia dirimit: tunc cum acerrimè præliaretur, uiſam aquilam niue candidiorem ferunt, quæ ſupra uexillum diuo Venceslao conſecratum, in cuius nomine lætum pæana Boemi pro more cecinerant, placidè uolitabat, ſenſimque per incrementa alas extendebat, donec totum Boemorum exercitum amplecteretur. Ipſe tamen Rex ſine ulla oſtentorum commemoratione in epiſtola, quam ad Vrbanum Romanum pontificem dedit, ſoli Deo optimo maximoque acceptam uictoriam retulit. Dubrauius lib. 17.

VALDEMARI Regis Danorum exercitum ad bella progredientem integri coruorum greges interuolaſſe produntur, ut complures ſe erectis militum haſtis feriẽdos obiecerint. Victus ab eo Sueno rex Suecorum, & totus eius exercitus coruorum laniatui obiectus augurij declarauit euentum. Olaus Magnus lib. 3. cap. 13.

BOII ſub Henrico III. Imp. Hunnoburgiũ inſtaurabant. Aegrè id ferẽtes Hungari, tanta ui ſagittarum caſtra oppugnabant, ut ſupra CC. ſagittæ in uno tentorio hæſerint, neq; tamen per ſeptem integros dies Boiorum aliquis uiolatus eſt. Oppido inſtaurato, tectis è ſtramine cõfectis, ignem hoſtes iniiciunt. Sed uentus coortus flammas extinxit, & in hoſtes ipſos conuertit. Turtur interea Boios circumuolitans, felici augurio ad eruptionem accendit. Hungari de improuiſo profligati, contra Boios diuino ſubnixos auxilio pugnare deſtiterunt. Auentinus lib. 5.



Fridericus I. Imp. an. 1176. quintùm in Italiam trãſiens, ad uicũ agri Sepriẽſis, nomine Lignanum, proceſſit, eo animo, ut, ſi poſſet, Mediolanum iterum expugnaret. MEDIOLANENSES occurrendum antè, quàm caſtra propiùs admoueret, rati, cum Carrocio exierunt, atque inde ad Fridericum progreſſi, tertio Kalendas Iunias prælium fortiſſimè commiſerunt. Is erat dies, quo ſanctorum Martyrum Siſinij, Martyrij, & Alexandri natalitia colebantur. Cæterùm ante congreſſum exercituum, tres columbę ab ipſorum martyrum altari auolauêre, ac mirifico uiſu in malo ipſius Carrocij conſedêre. Quo augurio accepto, Mediolanenſes uictoriam incertis animis ominati, maiore ſtudio atque alacritate pręliũ inierunt. Collatis ſignis, ancipiti prælio tandem uictus Imp. Mediolanenſes caſtris captis prædam ingentem pepererunt, ac clariſſimo cum triumpho in urbem ſe retulerunt. Victoria omnib. rebus, quibus effuſa ſignificari lætitia ſolet, celebrata: & cùm ſe præſenti trium martyrum auxilio ex propitio trium columbarum augurio uiciſſe opinarentur, is dies in perpetuũ ciuitati feſtus decretus. Sigonius lib. 14. regn. Ital.

Prope urbem LEODIVM in Gallia, paulo antè quàm orta de urbis epiſcopatu contentione, ab eo, cuius partes Burgundionum dux Ioannes fouebat, aduerſa pars ſuperata eſt, cæſis utrinq; 30. millib. (eo in loco, ubi prælium cõmiſſum eſt, corui impetu facto) falconẽ nido effractis ouis expulerunt. Poſtero die reuerſus falco, qui pulſus fuerat, magno aliorũ falconum numero comitante, coruis quoq; ex aduerſo magnum in numerum coactis, graue prælium cõmiſit. In quo ſuperati corui ad unum omnes periêre. Id circa Conſtantienſis concilij tempora contigit. Fulg. lib. 1. cap. 4.

*Prodigia, Portenta, Oſtenta.*

DAVID rex Palæſtinos adoriturus, qui in ualle Gigantũ prope Hieroſolymam caſtra poſuerant, Deo conſulto, in ſylua cum ſuis latere iuſſus eſt, neq; illos priùs aggredi, quàm moros arbores, quamuis nullo uẽto ſpirante, moueri ſenſiſſet. Paruit ille, & arborum motu perſpecto, Palæſtinorum maximam edidit ſtragem. 2. Regũ 5. & Ioſephus lib. 7. Ant. c. 4.

DARIO Babylonem obſidente, mula Zopyri peperit: qui partus omen fuit occupandæ Babylonis. Hoſtis enim ex muro cauillans aiebat: Tum demum Darium Babylone potiturũ, cùm mula pareret. Et quidem Zopyri cõſilio & arte poſtea capta fuit. Sab. lib. 9. cap. 8. ex Herod. lib. 3.

Cùm Xerxis exercitus Delphos ueniſſet, propheta, cui nomen erat Aceratos, uidit ante delubrum ſacra arma prolata è conclaui, quę intus propoſita fuerant, quæ nefas erat cuiquã mortali contingere. Quod oſtentum iis DELPHIS qui aderant, perrexit nunciatum, ut præſenti eſſent animo, Deum ſuum templum defenſurum. Herod. lib. 8.

Cùm ad Salaminem GRÆCI cum Xerxe manus conſerere tardarent, aiunt ſimulacrum mulieris fuiſſe eis oblatum, & his uerbis conuiciatum: O dæmonij, quo uſq; remos inhibebitis? Herod. lib. 8.

Xenophon in VI libro rerum Græcarum, commemorat, THEBANIS ſpem ad uincendum dediſſe tũ alia, tum quia Thebis allatum eſſet, omnia templa ſponte ſua aperta, antiſtitáſque dixiſſe, ſigno illo uictoriam declarari. Simulq; in fano Herculis arma repentè non apparuiſſe, tanquam Hercules arreptis illis ad opem ferendam ſuis acceſſiſſet. Extremum autem hoc Cicero etiam eodem loco expoſuit: quamuis nonnihil uariarit: inquit enim: At eodem tempore Thebis (ut ait Calliſthenes) in templo Herculis ualuæ, clauſæ repagulis, ſubitò ſe aperuerunt: armaque, quæ fixa in parietibus tũ erant, ea ſunt humi inuenta. Victorius lib. 16. Var. lect. c. 6.

Cùm Timoleon Corinthiorum dux, & Icetes Leontinorum tyrannus, uno eodemq; tempore ab Adranitis Siculis ob factiones, quas inter ſe habebant, accerſiti eſſent: Timoleon MCC tantùm milites habens, cùm Icetem caſtra ponere cõſpexiſſet, non refectis, militibus hoſtes diſperſos aggreſſus fudit, caſtra illorum cepit. ADRANITÆ patefactis portis in Timoleontis partes conceſſere: cum honore & ſtupore nunciantes, fuiſſe ſacra ueſtibula templi in ipſo articulo prælij ſua ſponte patefacta: uiſam dei Adrani haſtam ſumma cuſpide uibrare, faciemq; eius largo ſudore manare. Itaque ciuitates miſſis extemplò legatis coniunxerunt ſe Timoleonti. Plut. in Timoleonte.

ALEXANDER Magnus, expeditione Aſiana ſuſcepta, poſtquam ad bellum mouit, cùm alia prodigia deorum nunciata ſunt, tum Orphei ſignum apud Libethra, quod cupreſſinum erat, ſub ea tempeſtate copioſo manauit ſudore. Eo portento omnibus exterritis, bono animo iuſſit illum Ariſtander eſſe: res eum geſturum nunquam obliterandas ac celebres, quæ multum ſudoris & laboris decantãtibus eas, poëtis & muſicis eſſent prębiturę. Plut. in Alexandro. Idem Tyrum iam ſeptimo menſe obſidebat, dumq; exercitum penè totum reficit à ſuperioribus laboribus: paucos autẽ, ne reſpirarent hoſtes, mœnibus admouet: uates Ariſtander uictimis cæſis, cùm inſpiceret exta, cõfidentiùs aſſeruit apud coronam, urbem illo menſe haud dubiè expugnandã. Qua dictum eius ludibrio & riſu excipiente, quòd dies ea nouiſſima eſſet, cernens rex perplexũ, fauenſq; ſemper uaticiniis, uetuit deinceps trigeſimum illum diem, ſed uigeſimumoctauum mẽſis numerari: ſignoq; tuba dato murum acriùs, quàm ab initio inſtituerat, eſt adortus. Cùm urbs oppugnaretur impigrè, neq; illi, qui in caſtris erant, quieſcerent, ſed concurrerent ad opem ferendam, fracti Tyrij ſunt, urbemq; Alexander illo cœpit die. Plut. in Alexandro.

Nobili apud Arbela Magni ALEXANDRI contra Dariũ regem Perſarum uictoria, luna defeciſſe noctis ſecunda hora prodita eſt. Plin. lib. 2. cap. 70.

EODEM in Indiam proficiſcente, præfectus eorum, qui ſtragulis erant appoſiti, uir Macedo, Proxenus nomine, dum tabernaculo regio locum fodit iuxta Oxum amnem, fontem detexit pinguis & oleoſi liquoris. Vbi primum exhauſit, liquidum inde & limpidum oleum emanauit, nec odore in ſpeciem, nec guſtu ab oleo abhorrens, ſplendoreq; & liquore indiſcreto: idq; illa regione oleas non gignente. Perhibetur ipſa quoq; Oxi molliſſima aqua eſſe, cutemq; in eo lauãtium pinguefacere. Mirificè uerò erectum eo Alexandrum fuiſſe, ex epiſtolis eius ad Antipatrum liquet, ubi in maximis hoc à deo ſibi oblatis oſtentis reponit. Vates id pro glorioſi quidem, ſed operoſi belli grauiſq; prodigio habuêre. nam ad labores à deo docuerunt datum hominibus oleum lenimentum. Et multa ſanè ei in præliis ibi pericula occurrerunt, & uulnera inconſultè accepit. Maximam autem exercitus ſtragem anguſtiæ neceſſariorum & cœli intemperies inuexêre. Plutarchus in Alexandro.

SYRACVSANI obſeſſi à Nicia, ad fanum Herculis, quòd diu ſolennia ſacra Herculi non feciſſent, aſcenderunt immolaueruntq;. Renunciauerunt Syracuſanis ſacerdotes læta exta, & uictoriam aruſpices: ſi non committerent conflictum, ſed uim propulſarent. Etenim ſuperaſſe omnes Herculem ſe defendendo priùs uiolatum. Atq; ita prouecti, prælium nauale maximum & acerrimum in ipſo portu commiſere, & Athenienſes ſuperauêre. Plut. in Nicia.

Dionyſius ſcribit, ſub id ferè tempus, quo Tarquinius regno excidit, Cumas à Dauniis, Vmbris, & aliis circumiectis gentibus, tantis opibus oppugnatas, ut quingenta peditũ millia, duodeuiginti equitum, uno tẽpore Barbari in armis habuerint: accidiſſeq; interim prodigium memorabile, quòd Vulturnus & Clanis amnes, hoſtium caſtra pręterlabentes, retrò flexerint curſum: eoq; miraculo CVMANOS in ſpem bene gerendæ rei erectos, in pugnam egredi auſos, fretoſq; locorum oportunitate, immenſum profligaſſe exercitum. Sabellicus lib. 8. Ennead. 2.

Cùm bello acri & diuturno Veientes à ROMANIS intra mœnia compulſi, capi non poſſent, eaq; mora non minùs obſidentibus, quàm obſeſſis, intolerabilis uideretur, exoptatæ uictoriæ iter miro prodigio dij immortales patefecerunt. Subitò enim Albanus lacus, neq; cœleſtibus auctus imbribus, neq; inundatione ullius amnis adiutus, ſolitum ſtagni modum exceſſit. Cuius rei explorandę gratia legati, ad Delphicum oraculum miſſi, retulerunt, præcipi ſortibus, ut aquam eius lacus emiſſam per agros diffunderent. ſic enim Veios in poteſtatem populi Romani uenturos. Quod priuſquam legati renunciarent, aruſpex Veiẽtium à milite Rom. (quia domeſtici interpretes deerant) captus, & in caſtra perlatus, futurum dixerat. Ergo Senatus duplici prædictione monitus, eodem penè tempore & religioni paruit, & hoſtiũ urbe potitus eſt. Val. lib. 1. cap. 6.

Frugibus oſtentum ſemel (quod equidem inuenerim) accidit, P. Aelio, Cn. Cornelio COSS. quo anno ſuperatus eſt Annibal. In arboribus enim tum nata produntur frumenta. Plin. lib. 18. cap. 18.

P. SCIPIO Africanus, cùm eum exercitum, qui Carthaginem ſolo æquauit, corruptum reperiſſet, correxit. Belli autem exitum, gladij capulum, ſanguine multo manantẽ, portendiſſe ferunt: qui cùm ſæpe abſtergeretur, ſubinde magis cruentatus fuerit. Id enim portentum magnam hoſtium cædem ſignificare, aruſpices dixerunt. Suidas.

L. PAVLVS Aemylius, cum Perſeo Macedonum rege dimicaturus, luce prima Herculi ſacrificans, hoſtiis uiginti non litauit. Tandem prima & uigeſima, læta exta fuerunt, uictoriamq; defendentibus ſe, non laceſſentibus hoſtem ſpopondêre. Igitur centum bobus & ludis deo uotis, prælio commiſſo, uictor extitit. Plut. in Aemylio.

EODEM Amphipoli ſacrificante, & ſacra auſpicato, fulmen in aram delapſum cõbuſſit, unaq; perpetrauit ſacrificium.

Quod ipſum diuino cum auxilio Perſeum uiciſſe confirmauit. Plutarchus in Aemylio.

Bello CIMBRICO, Ameria & Tuderto, quæ oppida ſunt Italiæ, nunciatū, uiſas nocte in cœlo lanceas ignitas, & ſcuta huc illuc differri primùm, deinde cōcurrere inter ſe ſimilib. figuris & motibus, ac uirorū prælianti ū. Tandem his terga dātibus, illis reſtātibus, in occaſum omneis inclinaſſe. Plut. in Mario. Iiſdē bellis Nuceriæ in luco Iunonis, ulmus, poſtquā etiam cacumen amputatū erat (quoniā in aram ipſam procūbebat) reſtituta eſt ſponte, ita ut protinus floreret. A quo deinde tempore maieſtas populi Rom. reſurrexit, quæ antè uaſtata cladibus fuerat. Memoratur hoc idem factum & in Philippis, ſalice procidua atq; detruncata: & Stagiris in Muſæo populo alba, omnia fauſti ominis. Plin. li. 16. c. 32.

L. SYLLA, cùm ad bellum Sociale cū exercitu mitteretur, tradit in ſuis commentariis apud Lauernam in ingentem ſinū terræ labem deſediſſe, ex eo grandem ignem erupiſſe, & lucidam flammam ad cœlum extuliſſe. Nunciaſſe uerò fatiloquos, uirum egregium & forma præcellentem atq; inſignē præſentibus procellis urbem, cùm ſummum imperium cepiſſet, explicaturum. Hunc ſe ait eſſe Sylla. Nam faciei ſuæ peculiarem eſſe auri colore rutilantem comā. Virtutē uerò non erubeſcere ſe ſi ſibi ſumat, tantis & tā præclaris reb. geſtis. Plut. in Sylla. Eodē bello, cùm in agro Nolano ante prætorium immolaret, ſubitò ab una parte aræ prolapſam anguem proſpexit. Qua uiſa, Poſthumij aruſpicis hortatu continuò exercitum in expeditionem eduxit, ac fortiſſima Samnitum caſtra cœpit. Quæ uictoria, futuræ eius ampliſſimæ potentiæ gradus & fundamētum extitit. Val. Max. lib. 1. c. 6.

EIDEM, cùm uictorem exercitum ex Aſia cōtra Cinnā & Marium in Italiam traduxiſſet, illicò ſacrificanti apud Tarentū, quò decurrerat, iecur coronæ laureæ & lemniſcorū binorū ex illa dependentium habere uiſum eſt figuram. Paulo antè quàm traiiceret, in Campania circa Ephæum montem, hirci duo interdiu uiſi confligere, omniaq; facere & pati, quæ uiri in pugna ſolent. Spectrum autem fuit, quod ſenſim à terra elatum, inde in diuerſas partes aëris obſcurorum ſimulacrorum ſimile diſſipatum eſt, hinc tandē ex oculis elapſum. Nec multo pòſt, cùm Marius iunior & conſul Norbanus eo loco exercitus haberent ingentes: Sylla non acie inſtructa, non compoſitis ordine copiis ſuis, communis ardore alacritatis atq; impetu uſus audaciæ militum ſuorū, profligauit hoſtes: cæſiſq; ſeptem millibus, Norbanum incluſit mœnibus Capuæ. Plutarchus in Sylla. Cùm ueniſſet Tarentum, uidit in capite uitulini iecoris ſimilitudinem coronæ aureæ. Poſthumius aruſpex reſpondit, præclaram ei uictoriam ſignificari, iuſſitq; ut extis illis ſolus ueſceretur. Cùm primùm ad urbē caſtra mouiſſet, adeò læta exta immolanti fuiſſe ſcribit Liuius, ut cuſtodiri ſe Poſthumius aruſpex uoluerit, capitis ſupplicium ſubiturus, niſi ea quæ in animo Sylla haberet, diis iuuantibus impleuiſſet. Auguſtinus lib. 2. de Ciuitate Dei, cap. 24.

M. LVCVLLVS, unus ex Syllanis ducibus ad Fidētiam cohortibus ſexdecim aduerſus hoſtiles quinquaginta rem gerēs, alacritati quidem militum fidebat: ſed quòd eſſent complures inermes, dubitabat. Dum hæſitat & cunctatur, flores ex campo propinquo herbido mollis uentus affatim uehens coniecit in exercitum, eumq; aſperſit, ſponte adhæreſcentibus iis, ſcutaque & galeas comprehendentibus, ut coronati putarentur ab hoſtibus. Vnde magis erecti ſigna contulerunt, obtinueruntque uictoriam, cęſis octodecim millibus, inſuper caſtris hoſtem exuerunt. Lucullus hic frater fuit Luculli illius, qui poſtea debellauit Mithridatem & Tigranem. Plutarchus in Sylla.

Contra Tigranem mouēs L. LVCVLLVS, magnis itineribus peruenit ad Euphratem. Quem ubi ex hyeme conſpexit inflatum turgidumque, ſollicitus fuit, dum coguntur pontones, & ratibus pons iungitur, moram ueritus & difficultatem interceſſuram. Sed cùm ſub ueſperam cœpiſſet unda ſubſidere, per noctem extenuata, ubi diluxit, amnem ripis ſuis oſtendit clauſum. Incolę autem, ut exiſtere in alueo paruas inſulas animaduertêre, curſumq; aquæ circa eas placidè ſtagnantem, adorauerunt Lucullum, quòd haud temerè id antea accidiſſet, fluuiuſq; ſe præberet illi tractabilem & placidum, tranſitumque præſtaret expeditum & maturum. Ergo uſus oportunitate, traduxit exercitum. Offertur ei, ubi traiecit, lætum prodigium. Dianæ Perſicæ, quam eximiè uenerantur barbari trans Euphratem colentes, ſacræ paſcuntur boues. His ad uictimam ſolùm utuntur, de cætero uagātur liberæ, notam deæ ferentes facem. Ex quibus capere aliquam, ubi requirunt, haud ſanè pronum eſt neque parui laboris. Earum una, tranſgreſſo Euphratem exercitu profecta ad petram quandam, quæ ſacra deæ habetur, conſtitit in illa: demiſſoque capite, ut quæ reſte detrahuntur, præbuit ſemetipſa Lucullo hoſtiam. Sacrificauit Euphrati quoq; trāſitus cauſa taurum. Plut. in Lucullo.

C. IVLIVS Cæſar, bello contra Pompeiū dum Fortunæ ſacrificaret, taurus priuſquā feriretur, extra urbē profectus, ad lacum quendam peruenit, eumq; enatauit. Quo facto, aruſpices Cæſari, ſi Romæ remaneret, exitiū: ſi mare tranſiret, ſalutem ac uictoriam fore prædixerunt. Quibus rebus confiſus Cæſar, cōtra Pompeium exercitū duxit. Xiphilinus. Eidem, ante Pharſalicam pugnā luſtrāti exercitū, & primā hoſtiam immolanti nunciauit aruſpex, intra triduum pugna eū cum hoſtibus decreturū. Exquirente Cæſare, Ecquid in extis portenti de exitu cōſideraret? Rectiùs, inquit, tute tibi de eo reſpondeas. Mutationem enim dij uiciſſitudinemq; in diuerſa grandem ſtatus præſentis præſagiunt. Itaq; ſi res tuas ducis in præſentia lætas, infeſtiorē fortunā expecta: ſin triſtiores, lętiorem. Nocte quę pugnam Pharſalicā anteceſſit, cùm uigilias obiret, circa concubiam noctem conſpexêre facem cœleſtis ignis: quæ ſuperlata Cęſaris caſtris, illuſtris & flammea exiſtens, delabi uiſa eſt intra Pompeij præſidia. Plut. in Cæſare. Bello ciuili ad Rubiconis ripam progreſſus, paululum ſubſtitiſſe fertur, ſecum reputans quantam cladem eius fluminis tranſitus humano generi importaret, feruntq; cunctanti tale oſtentum illi oblatum. Quidā eximia magnitudine in proximo ſedēs apparuit, fiſtula ex calamis compacta canēs: ad quē audiendū, quum pręter paſtores ex militibus quoq; plurimi occurriſſent, atq; inter eos æneatores quidā, rapta ab uno tuba, in fluuium proſiluit, ingētiq; ſpiritu claſſicum exorſus, ad ulteriorem pertendit ripam. Tum Cæſar, Eatur, inquit, quò deorum uocant oſtenta, & inimicorū iniquitas. Iacta eſt alea. Phantaſmatis huius auctor eſt Trāquillus. Sabel. lib. 7. Enn. 6. Trallibus in æde Victoriæ ſub ſtatua C. Iul. Cæſaris inter coagmenta lapidum iuſtæ magnitudinis palma enata, belli Pharſalici exitum oſtendit. Val. lib. 1. cap. 6. & Plut. in Cæſare.

Fel in extis geminum fuit diuo AVGVSTO, quo die apud Actium uicit. Plin. lib. 11. cap. 37.

GALBA, dum in Hiſpaniis eſſet, & contra Neronem arma mouere differret, Alexādrina nauis plena armis, uiris uacua, ad id litus, ubi Galba erat, appulit, ſuſcipiendi belli diuinitùs non obſcurum omen. Suetonius.

Cùm Licinius eſſet in expeditione aduerſus Conſtantinū, circa ciuitates Licinio ſubiectas apparuiſſe ferunt uarias armatorum CONSTANTINI acies, in ipſa meridie, ciuitates, quaſi quæ iam bello uiciſſent, pertranſire: idq; tū uiſum eſt, cùm reuerà nemo dum militum illius uſpiam compareret. Euſebius lib. 2. de uita Conſtantini.

CONSTANTIVS Imp. quoniam bellum Magnentio in Italiam, atq; adeò etiā, ſi neceſſe eſſet, in Galliam inferebat, ne Orientē ſine defenſore relinqueret, Gallum patruelem ſuū pro concione Cæſarem appellauit, & ſororem Conſtantinā in matrimonium collocauit: atq; inde Antiochiam, ut præſens Perſarum impetum reprimeret, miſit. Eo Antiochiā aduentante, horribilis ſpecies in cœlo apparuit: quippe columna crucis inſtar, ſplēdore maximo fulſit. quæ omnes, qui uiderunt, maxima primùm admiratione, deinde tacita religione perfudit. Sigonius lib. 5. Imp. occid.

Obſidebat BELISARIVS, cùm Italiam à Gothis uindicaret, Vrbinum in Vmbria: repenteq; fons, unde tota ciuitas aquabatur, ſua ſponte exaruit. Qua ſubita defectione non aliter quàm prodigio quodam perculſi Vrbinates, deditionem fecêre. Sab. lib. 9. cap. 7. Eodem ad obſidendam regiā Gothorum Rauennam accedente, ferunt prodigij loco acceptum, quòd Padus ſub eo tempore tantum exaruit, ut frumētariæ naues, quæ ſecundo Pado uehebātur, in ſicco uado relictæ, prædæ fuerint Græcis militibus. Ioan. Magnus lib. 12. c. 17.

Vladiſlao & Geyſa fratribus cōtra Salomonem Hungarorum regem prælium commiſſuris, Angelus GEYSÆ capiti coronam auream imponere uiſus eſt ab Vladiſlao. Qui cùm fratrem ea de re admonuiſſet, baſilicam diuæ Virgini uouit in loco uictoriæ. Bonſinius lib. 3. Dec. 2.

Obſidebatur à Turcis Cōſtantinopolis. MAHOMETVS II. Imp. nocte intempeſta uidere ſibi uiſus eſt ingentem lucem è cœlo in urbem obſeſſam demitti. Id uiſum clàm habuit. Sequenti nocte item intempeſta uidet eandē quæ cœlo deſcenderat, in cœlum redire. Tunc plenus bonæ ſpei, urbem, quam paulo antè Superi ope cœleſti texiſſent, uelut deſertā tunc à ſuperis, maiore ui adortus, cepit. Aemil. lib. 10.

Henricus, Saxoniæ dux, belli cōtra Sclauos ſocietate cum Danis ſuſcepta, Holſatorum principem Adolfum, cum inſigni copiarum parte præmiſerat. SCLAVI cum parte hoſtium cōfligere quàm uniuerſos aggredi, utilius rati, cùm ad eos opprimendos contenderent, dæmonem horrendæ formæ ſupernè uerticibus imminentem uidêre. Quo monſtro tanquam diuinitùs dati ducis aduentu firmati, ſumtis uictorię auſpiciis, ex improuiſo hoſtiū caſtra adorti, imparatos confoderūt. Adolfus in ipſo caſtrorū aditu interfectus, neglectę militaris uigilantiæ pœnas luit. Saxo lib. 14.

In graui illa rebellione Catalaunēſium & Barcinonēſiū, cùm IOANNES Aragonū rex XIIX. Ampoſtram oppidum arcta obſidione premeret, media hyeme, pluuioſa admodum, ingens uariuſq; ſerpētum numerus, è proximis ſyluis & mōtib. ad ſtationes & caſtra repſit, ſed præ nimio frigore innoxius. Lupi gregatim milites è caſtris egreſſos inuaſere. Horrenda itidē uox, humanæ perſimilis, noctibus ferè ſingulis audiebatur, & magnum timorem uiris etiā fortiſſimis incutiebat, adeò ut ſtrenuiſſimus quiſq; metu perterritus non niſi de diſceſſu cogitaret, niſi regis auctoritas & aſpectus eos retinuiſſet. Quinto demum menſe urbs deditionē fecit. Marineus lib. 16. rerum Hiſp.

Cùm Alfonſus I. Luſitaniæ rex, cum quinq; Regibus Saracenis maximo exercitu conſtipatis cōfligere in Luſitania uellet in cœlo, unde auxilium precibus efflagitabat, Chriſti ſpeciem quinq; uulneribus illuſtratā oculis atq; mente cōſpexit, innumerabilemq; hoſtium multitudinem, Chriſti numine confirmatus, occidit, & ea de cauſa inſignia quinq; ſcutorum ad memoriā poſteritatis aſſumſit. Oſor. lib. 8. rer. Em.

Alfonſus Aragonum & Siciliæ rex, Caietam obſidebat cū delectiſſima claſſe. GENVENSES Philippi Mediolanenſium ducis iuſſu Blaſium Axeretū ex ſcribis unū, cū paucis triremibus ad liberandos obſeſſos miſſuri, cùm eum pro more ad naues deducturi eſſent, fœda tempeſtate orta, faſtigium templi D. Ambroſio dicati fulmine ictū eſt, ut ſupremu pietatis marmor in ſummitate locatū, abraſerit, proculq; ſine ullius læſione loco aptiſſimo repoſuerit. Magiſtratus prodigio territi, Blaſiū monuerunt, ne tā fœda die nauē conſcenderet. At is, Tum primùm in naui pedem poſui, cùm templū fulmine ictum eſſet: reſpondit, itaq; honores quos mihi ituro intempeſtiuè defertis, oportuniùs uictori reduci exhibebitis. Quilicus Saccus è Francorū familia, medicus, clarā ex hoſte uictoriā prædixit, & mathematicis demonſtrationib. confirmauit, ducem hoſtiū uinctū adductum iri. Itaq; Blaſius prælio nauali Alfonſum uicit, cepit, & Genuā uinctum adduxit, Nonis Auguſti, D. Dominico ſacris (quē propterea ſolenni ritu in poſterum colere inſtituerunt) anno Sal. 1434. Biennio pòſt Genuenſes Philippi iugū excuſſerunt, & Rempub. in libertatē aſſeruêre. Tum demū prodigij interpretatio quadrare uiſa eſt, ædis Ambroſij tutelaris Mediolanenſium diui faſtigium, ipſum ſcilicet Philippi imperium, abſq; damno Genuenſium, ſuo loco motum & conuulſum eſſe. Iacobus Bracellus lib. 3. & 5. belli Hiſp. & Fulg. lib. 1. cap. 4.

*Somnia.*

GEDEON audiuit ſomnium recitari in caſtris eius, qui uiderat dormiens ſubcinericiū panem in hordeo uolui, & in caſtra Madian & Amalech deſcendere, cumq; perueniſſet ad tabernaculū, percuſſiſſe illud, atq; ſubuertiſſe. Quo ſomnio audito Gedeon, filius Ioas, cum ſuis contra Madian fortiter pugnauit, & eius caſtra, iuxta ſomnium, profligato exercitu ſolo æquauit. Iudicum 7. & 8. & Sab. lib. 9. cap. 6.

IVDAS Machabæus clarè in ſomnis ingentem uidit uictoriā, qua aduerſus exercitū Syriæ regis Demetrij, cuius Nicanor dux erat, potitus eſt. Longè enim pauciore numero regios adortus, ex eis triginta millia occidit: cùm antè per quietē, Oniam pontificem iam mortuum uidiſſet, ad Deum pro Hebræo populo orantem, & poſt illum, Hieremiam prophetā gladium aureum porrigentem, à Deo ad ſuperandos hoſtes miſſum. Fulgoſus lib. 1. cap. 5.

LEONIDAS, ad Thermopylas proficiſcēs, ingreſſus eſt Thebas, ducens ſecum exercitum, ac precib. obtinuit, quod nemo unus alius, ut in Herculis delubro cubare ſibi liceret: ac uiſionē, quæ ei fuit oblata, expoſuit poſtridie Thebanis. Videbantur ei in mari, quod atroci & aſpero æſtuabat fluctu, clariſſimæ Græciæ & maximæ ciuitates huc illuc iactari & agitari, urbs autem Thebana inter omnes eminere & extolli ad cœlum ſublimis, inde repentè ex oculis auferri. Atque hæc quidem repræſentarūt ea, quæ longo pòſt tempore urbi Thebanæ euenêre, quando excuſſo tyrannorum iugo, & Lacedæmoniis ad Leuctra & Mantineam uictis, inclaruit. Plut. de Herodoti malignitate.

PELOPIDAS prefectus ſacræ cohortis Thebanorū, in caſtris per quietem uidit Scedaſi filias (quarum ſepulcra in Leuctrico campo erant, ubi ille tunc caſtra habebat) circum ſepulcra lamentātes, & Lacedæmoniis diras imprecantes: ipſum aūt Scedaſium patrem (qui multo antè cùm tam atrocis facinoris uindictā non impetraſſet, exercitationibus in Lacedæmonios peractis, ſeſe ad filiarū tumulum iugularat) ſibi præcipere, ut ſi uictoriam de Lacedæmoniis expeteret, ruffam uirginem filiabus ſuis immolaret. A ſomno excitus, cū barbarum ei ſacrum eſſe uideretur, humana uictima deos placare: & animi dubius eſſet: equa nullum adhuc coitū experta, ut à grege aufugerat, eò loci, ubi conſultabatur, cōſtitit. Quā dum Theocritus uates fuluo colore rutilantē, ceruiceq; erecta laſciuientem & hinnientem uidiſſet, Pelopidam alta uoce cōpellauit, adeſſe ei uictimā, neq; aliam uirginem expectandam. Proinde equā ad ſepulcra uirginum redimitam coronis adducunt, & immolant. Mox inito prælio, memorabilem illam cladem Leuctricam Lacedæmoniis, Bœotarcho Epaminonda, & Pelopida præfecto, intulerunt. Plut. in Pelopida. At in Amatoriis equæ candidum pullum uirginibus mactatum ſcribit. Xenoph. lib. 6. rerum Græcarum.

ALEXANDER Magnus, dum adhuc in Macedonia eſſet, in ſomnis Deum Iudæorum uictoriā ſibi de Perſis pollicentē uidit. Ioſephus lib. 11. cap. 8. Antiq. Sab. lib. 4. En. 41.

IDEM dum Tyrum urbem per menſes ſeptem aggeribus, machinis, atq; ex mari triremibus ducentis oppugnat: per quietem Herculem uidit ex muro ſibi manus tendentem, inuitātemq;. Tyriorum multis uiſus in ſomnis Apollo eſt dicere, ad Alexandrum ſe tranſire: neq; enim ſibi cordi eſſe ea, quæ in urbe agerentur. Illi uerò ſicut transfugæ ſceleris comperti Apollinis ſimulacrum deuinxêre catenis, clauiſq; baſi affixêre, Alexādri fautorem appellantes. Alia ſpecies eſt noctu Alexandro obuerſata. Satyrus ei oblatus eſt. uiſus eſt hic procul ei alludere. Quem cùm corripere conaretur, ſubducere ſe, tandem poſt preces multas ſuas & circumcurſitationes uenire in manus ſuas. Ei uates diſſecto nomine non abſurdè reſponderūt: σὴ τύρος, Tua erit Tyrus, quòd σὴ Græcè Tua ſignificet. Oſtendunt fontem, apud quem uidere ſecundùm quietem uiſus eſt Satyrum. Plutarchus in Alexandro, & Sab. lib. 9. cap. 6.

ANTIOCHVM Sotera, regem Aſiæ, prælio cum Galatis congreſſurum, legimus in quiete arbitratum, Alexandrum ſibi aſſiſtere, monereq;, ut priùs quàm in aciem milites produceret, non aliud proponeret illis ſignum, quàm ὑγιαίνειν, id eſt, bene ualere. Quod quum is non neglexiſſet, nobilem de hoſtibus uictoriam eſt aſſequutus. Cælius lib. 7. cap. 24. A. L. Alij uerò uictoriam in ſomnis illi pro teſſera bellica πένταλφα ſiue triplicem triangulum quinq; lineis coagmentatum, cum quinq; characteribus ΥΓΙΕΙΑ propoſuiſſe uolūt.

Cùm EVMENES Neoptolemum & Craterum contra ſe mouiſſe ſentiens, pararet de nocte mouere: per quietem Alexādros duos uiſus eſt uidere ad prælium inter ſe committendum inſtruentes aciem, ac ſingulas utrumq; ducere phalanges: hinc uni Mineruam, alteri Cererem auxilio uenire. Cōmiſſo acri certamine fuſum eum, à quo ſtabat Minerua, uictori Cererem deſectis ſpicis coronā contexere. Hoc uiſum protinùs coniecit ſecundū eſſe ſibi, qui pro optimo agro & id temporis præclarā habente in calice ſpicā dimicaret. Plenus enim totus ſementis erat, & ſpeciem præbebat pax ſplēdidam, magna comantibus ubertate cāpis. Iam magis erectus eſt, poſtquam accepit ſignum pugnæ hoſtibus, Mineruam & Alexandrum eſſe. Itaq; ſignum ipſe quoq; ſuis Cererem & Alexandrum dedit, præcepitq; omnibus, ut corona caput & arma ſpicea redimerent. Commiſſo prælio, Craterum & Neoptolemum interfecit. Plut. in Eumene.

TIMOLEON Corinthiorū Imp. claſſe in auxiliū Siculorū cōtra Dionyſiū tyrannum cōparata, ſubminiſtratiſq; omnib. quibus opus erat exercitui, ſacerdotes Proſerpinæ Cererē & Proſerpinā uiſæ ſunt uidere ad peregrè proficiſcendū ſe ornantes, & cum Timoleonte dicēres nauigaturas ſe in Siciliam. Quare triremem ſacram Corinthij parauerunt deabus nuncupatam. Naues habebat Corinthias ſeptem, duas Corcyrenſes, decimam Leucadij præbuêre: cum his ſoluit. Nocte, cùm in alto eſſet, & ſecundo uento ueheretur, uiſum ei repentè cœlum eſt fiſſum, & ſuper nauem copioſam effudiſſe & luculentam flammā. Inde fax elata myſticis germana, comitanſq; eos & tenens eundem curſum, quā potiſſimùm Italiæ partem gubernatores petebant, in eam eſt delata. Vates hanc ſpeciem cōſonare cum ſacerdotum ſomniis aſſeuerarunt, & huic expeditioni eſſe præſtò deas, atq; hoc iubare cœlitùs prælucere. Eſſe enim Proſerpinæ Siciliam ſacram: nam raptam quoq; ibi fabulantur, atq; hanc inſulam ei nuptiali dono datam. Ac diuinitùs quidem ad hunc modum confirmata claſſis fuit, qui pelagus curſim emenſi Italiam legebant. Plut. in Timoleonte.

Duo Coſs. P. DECIVS & T. MANLIVS Torquatus, Latino bello, & graui & periculoſo, non procul à Veſuuij mōtis radicib. poſitis caſtris, eadem nocte idem planè ſomnium uiderūt. Vtriq; enim quidam per quietis ſpeciem prædixit, ex altera acie imperatorem, ex altera exercitum, diis manibus, matriq; Terræ deberi. Vtrius aūt dux copias hoſtium aggrederetur, ſuperq; eas ſeſe ipſum deuouiſſet, uictoriā habiturū. Id luce proxima Coſs. ſacrificio uel expiaturis, ſi poſſet auerti: uel ſi certum deorum etiam monitu uiſum foret, executuris, hoſtiarū exta ſomnio congruerunt. Conuenitq; inter eos, cuius cornu priùs laborare cœpiſſet, ut is capite ſuo fata patriæ lueret: quæ, neutro formidante, Decium depopoſcerunt. Val. lib. 1. cap. 7. & Liuius lib. 8.

C. MARIVS Cimbrico bello ſomniauerat, ſe uictoriam conſecuturum, ſi priùs diis filiam Calphurniam mactaret. Quo facto, uictor iuxta ſomnium euaſit. Dorotheus lib. 4. rerum Italicarum, & Plut. cap. 41. Parall.

Dea, quã ex diſciplina Cappadocũ Romani colunt, ſiue ea Luna, ſiue Minerua, ſiue Bellona ſit, L. Corn. SYLLÆ in ſomnis, cũ à Nola Romã cõtra Mariũ moueret, uiſa eſt aſſiſtere, & fulmẽ ei tradere, iuſſiſſeq; ſingulis nominatis inimicis eius ferire: illi icti cõcidere atq; è medio dilabi. Plut. in Sylla.

Ad Signium Marius iunior quinq; & octoginta cohortib. ſuccinctus laceſſiuit L. SYLLAM: qui per quàm paratus erat illo die dimicare. Viſum enim ei ſecundũ quietẽ oblatũ huiuſcemodi fuerat. Viſus eſt ei ſenior Marius, qui iampridem erat defunctus, Mariũ filiũ, ut in ſequentẽ diem caueret, tanquam ingẽs ei infortuniũ allaturũ, monere. Erat itaq; ea de cauſa ad pugnandũ Sylla alacris: & Dolabellã, qui procul ab eo conſederat, accerſiuit. Cæterùm hoſtibus iter interpellantibus, & obmolientibus, Syllani præliantes & iter facientes laſſitudine ſunt cõfecti, ſimulq; excipiens labore largus imber uehementiùs fatigauit eos. Ita Syllam ordinũ ductores adierunt orantes, ut præliũ proferret, monſtraueruntq; ei fractos fatigatione milites, & inclinatis ſcutis humi incũbentes. Vbi annuit inuitus, & ſignũ metandis caſtris dedit, inſtituentibusq; militibus uallũ iacere, & foſſam pro caſtris ducere: incurrit ferociter Marius ante ſigna prouectus, quaſi incõpoſitos & tumultuãtes diſſipaturus. Hîc Syllæ uocẽ, quam in ſomnis audierat, expleuit deus. quippe inflammati ita milites eius, omiſſo opere pila defixerunt in margine foſſæ, ſtrictiſq; gladiis, & ſublato clamore manus cũ hoſtibus cõſeruêre. Ingens ſtrages edita fugiẽtium. Marius Præneſte fuga delatus, cùm portas iã clauſas offendiſſet, demiſſo ex muro funiculo alligauit ſe, atque ita eſt eò receptus. Plutarchus in Sylla.

Gildo Comes & magiſter militiæ in Africa, exercitu corrupto, repentè Africam occupauit Arcadij nomine, ſuaſu Eutropij eunuchi, exitiali odio Stilichonem Honorij Imp. occidentalis ſocerum perſequentis. MAZESCEL interea nefariis à Gildone fratre inſidiis appetitus, ex Africa fugit, atque ad Honoriũ profectus, quo ſtatu res illius prouinciæ eſſent, edocuit, belliq; facilitate propoſita, operam ſuam ad Gildonem expugnandũ, ſi ſibi idoneus daretur exercitus, eſt pollicitus. Res in eum locũ adducta erat, ut differri uindicta non poſſet. nã Gildo ex Africa ita nauigationẽ omnem impediebat, ut Romã in magnã rei frumentariæ difficultatẽ adduceret. Itaq;, Honorio ac Stilichone auctoribus, ſenatus, uetuſto more relato, bellum aduerſus Gildonem, duce Mazeſcele, decreuit. Gildo rabie aduerſus Mazeſcelẽ efferatus, liberos eius, qui in Africa remãſerant, iugulauit, ac ſcelus ſcelere cumulauit. Mazeſcel interea cũ exercitu ad Caprariam inſulã delatus, ſanctos quoſdã uiros aſſumſit, quorum ſe apud Deũ precibus uictoriã impetraturũ putauit: atq; in Africã egreſſus, contra Gildonem cum quinq; militũ militib. cõſtitit, qui ſeptuaginta millia in armis habebat. Inde, cùm caſtra mouere, & intercedentẽ ſuperare uallem moliretur, per noctẽ à S. Ambroſio, qui paulo antè finem uiuendi fecerat, admoneri in quiete ſibi uiſus eſt, cũ manu ſublata, & impacto ter humi bacillo, diceret: Hic. qđ ille interpretatus eſt, tertio pòſt die ſe ibi uictoria potiturũ. Atq; ita poſt triduũ, illatis in hoſtẽ ſignis, ſtatim ſine certamine milites Romanos omnes ad deditionẽ adduxit, barbaris fugientib. Gildo & ipſe ſe fugæ mandauit. uerùm, cùm arrepta naui in altum prouectus, ui uentorũ Tabracã eſſet reiectus, poſt aliquot dies ab hoſtib. captus, eſt ſtrangulatus, ſiue, ut inquit Zoſimus, ne in manus hoſtiũ perueniret, ipſe ſibi mortem conſciuit. Sigonius lib. 10. Imp. occid.

Euagrius li. 4. c. 16. ex Procopio refert, IVSTINIANVM Imp. per uiſionẽ in ſomnis admonitũ, iuſſumq; ne irruptionem propoſitam differret, eo quòd res Vandalorũ oppreſſurus eſſet, ſi Chriſtianos uindicaret. Miſſo igitur Beliſario, Africã ſubegit, & Vandalorum regnum funditùs euertit.

Vinofridus Anglus, à Romanis BONIFACIVS dictus, reformator eccleſiarum Bauaricarum, & Mogũtinus epiſcopus, cùm uicinos Thuringos uideret adeò barbaros, ut non admitterent ullum doctorem Euangelij, exercitu collecto, irruptionem fecit in terram eorum. Illi metu perculſi, ſeſe recipiunt in locum munitũ Tretenburgum. Bonifacius principibus uiris euocatis, concionatur de Chriſto, ſaluatore mũdi. Thuringi quærunt, Quidnam utilitatis ad ſeſe rediturum ſit, ſi ſua colla Chriſto ſubijciant? Bonifacius inquit: Si in eũ credideritis, liberabimini ab omni malo corporis & animæ, & ab inferni & diaboli poteſtate, & accipietis uitã æternam. Illi reſpondent: Nos regi Hungariæ cogimur quotannis decimas, nõ modò de bonis, ſed etiam de liberis noſtris pẽdere. Quòd ſi poſſes nobis per tuum Deum præſtare immunitatem, ſanè in eum crederemus. Bonifacius cum ſuis ſociis conſilium init: ac cùm diu agitatum eſſet, non poſſe eis promitti libertatem, neq; poſſe omnes illos cogi, reiecit reſponſionem in aliud tempus: ac interea Pontifici ac Cæſari ſcribit, Annõn ipſi ab Hungaris uellent liberare Thuringos? Noctu autem in ſomnis Bonifacium uox perterrefecit, inquiẽs: Modicæ fidei, quo modo Thuringi in me credãt, cũ tu ipſe de me addubites? annõn legiſti quod ſcriptũ eſt: Et occidit reges? Quare impero tibi, ut Thuringos meo nomine liberos & immunes pronuncies à decimis: & certò eis fidem facias, regem Hungariæ nunquam ab eis ampliùs decimas exacturum. Cùm rex Hungariæ comperiſſet, Bonifacium ſubditos ſuos ab obedientia abſoluiſſe, copias ſuas in Thuringiam miſit. Collatis autem ſignis, orante Bonifacio, Hungari uincuntur: Thuringi Chriſti fidem amplectuntur. Chronicon Iſenacenſe.

Athelſtanus, Ethelulphi Veſtſaxonum regis filius, Cantianorum, Oſtſaxonum, Merchiorum ac Northumbrorum, quos Egbertus auus in poteſtatem acceperat, ſumto imperio, cupidus proferẽdi regni, coactis copiis in Decram, Pictorum regionem, mouit. Hungus, Pictorum rex, Achaium Scotorum regem, Ferguſianæ ſororis maritum, in auxilium uocauit: In loca autem iniqua ducto & incluſo exercitu, Hungus rex diuum Andream, in cuius Pictica Scoticaque gens erat tutela, implorauit. Ei in ſomnis aſtans Apoſtolus, iuſſit alacri eſſet animo, nec hoſtium multitudine terreretur, fore ut glorioſam de Anglis poſtera die aſſequeretur uictoriam: lucidamque in cœlo crucẽ illius inſtar, qua ipſe pro Chriſti nomine ſupplicio olim erat affectus, oſtendiſſe, addidiſſeque, id oſtentum ante partam uictoriam haud cœlo defuturum. Experrectus rex milites iam tum lucentem crucem intempeſta nocte admirantes, ſomnium edocet. Manè conſerto prælio, ex numeroſiſs. Anglorũ exercitu uix quingenti euaſerũt, Athelſtano rege primo congreſſu lancea cõfoſſo. Nomen pugnæ locus hac noſtra ætate retinet, ab Anglorum cæſo rege Athelſtain uocatus. H. Boëthius lib. 10.

EDGARVS Scotorum rex aduerſus Donaldum regẽ pugnaturus, per ſomnum monitus eſt, ut Cuthberti uexillum ſecum ferret. Ergo ubi peractis ſacris uexillum D. Cuthberti ſuſtulit è cœnobio, Donaldum ſui deſeruêre, atque ita abſque ſeditione & ſanguine illum cepit. Cardanus lib. 15. cap. 81. de Varietate rerum.

MAGNVS, Danorum & Noruegiorum rex, contra Sclauos in Iutia pugnaturus erat. Nocte ergo, quam belli dies inſecutus eſt, ſomnum capienti imago cuiuſdam obuerſata prædixit, hoſte eum ſuperiorem futurum, in que aquilæ nece uictoriæ fidem auſpiciaque ſumturum. Progreſſo exercitu aquilam, quæ in quiete demonſtrata fuerat, cominus conſidere conſpectam, pernici equo aduolans haſta petiuit, fugamque alitis ueloci iaculo anteuertit: & mox facto prælio Sclauos magna ſtrage uicit. Saxo lib. 10.

Cùm Arnoldus, Boioariæ dux, Henrico I. Imp. rebellaret, S. HVLDRICO Auguſtano epiſcopo per ſomnum duo gladij oblati ſunt, quorum alter capulo caruit: quo ſignificabatur, Arnoldi conatus irritos & infelices fore. Schedelius, & Bruſchius.

Ranimirus I. Aſturũ rex bello contra Saracenos ſuſcepto Clanigium ſe receperat. Noctu apparuit ei beatus Iacobus confortans eum, ut certus de uictoria ſequenti die prælium cõmitteret. Conſerto prælio, Saraceni terga dederunt, & eorum ferè ſeptuaginta millia ceciderunt. In acie D. Iacobus in equo albo uexillum manu geſtans fertur appariuiſſe. Ab eo tempore hæc inuocatio inoleuit, Deus adiuua, & ſancte Iacobe. Tunc etiam uota & donaria beato Iacobo perſoluerunt, quę in aliquibus locis deuotione uolũtaria adhuc ſoluunt. Rodericus Toletanus lib. 4. rerum Hiſp. c. 13.

## AVXILII DIVINI, VEL HVMANI CONTRA HOSTES

### *Reuelatio.*

*Hic Reuelationem conſideramus diuini auxilii. At ſub Tit. Bella diuino cõfecta auxilio, & Victoriæ diuinatio, ipſum Effectum auxilii, uictoriam ſcilicet.*

IOSVA Iſraëlitarum dux, tranſmiſſo Iordane, cùm eſſet apud Hierichuntẽ, eam oppugnaturus, uidit uirũ ſtricto enſe ex aduerſo ſtantem, & illi ait, Noſtérne es, an hoſtium? Cui ille: Imò ego dux exercitus Domini nunc uenio. Tũ Ioſua pronus ei honorẽ exhibuit, eiuſq; iuſſu calceos de pedibus detraxit, quòd ſacer eſſet locus ille. Oſtendit autem illi rationẽ expugnandæ Hierichuntis talem. Sex diebus, ſemel quotidie, ſacerdotes cum arca fœderis urbẽ circuirent, præcedentibus ſeptem ſacerdotibus clangentibus cum ſeptẽ tubis buccinis, ſequentibus armatis militibus, & inde promiſcua multitudine. At ſeptimo die ſepties eundem in modũ clangendo circuirent, & ſeptimo circuitu uniuerſus populus ingenti clamore ouaret: futurum enim, ut mœnia urbis conciderent. Id quod factum eſt. Ioſua cap. 5. & 6.

Domini angelus, afflictis Iſraëlitis & oppreſſis tyrannide Madianitarum, ſub quercu Ioæ Abiezeriani apud Ephrã, GEDEONTI Ioæ F. triticũ in torculari ad effugiendos Madianitas triturãti apparuit, eumq; cohortatus eſt, ut Iſraëlitas cõtra Madianitas defenderet. Gedeon hœdũ parat, & ephi farinæ non fermentatæ: poſitaq; in caniſtro carne, & in olla iure, ſub quercu carnẽ & panes infermentatos cum iure effudit, eiq; obtulit. At angelus uirga ſua carnẽ & panes tetigit, igniſq; de rupe exortus, omnia abſumſit. Eo ſigno Domini geniũ eſſe cognouit. Diruta inde Baalis ara, cùm Manaſſenſes omnes, Aſerianos, Zabulonios & Nephthalenſes cõtra Madianitas & Amalechitas tuba ſua conuocaſſet, Deũ ſic eſt allocutus: Si tibi per me Iſraëlitas ſeruare uidetur, ut promiſiſti, en ego uellus in area ponam: quòd ſi in ſolo uellere ros erit, & tota terra ſicca, tum ego intelligam te per me ſeruaturũ Iſraëlitas, ſicuti pollicitus es. Atq; ita euenit. poſtridieq; ubi ſurrexit, preſſo uellere, roris inde plenã aquæ lancẽ expreſſit. Deinde ſic Deum alloquitur: Noli ſuccenſere, ſi ſemel adhuc loquor. Experiar iteratò in uellere. Sit igitur in ſolo uellere ſiccitas, & in toto ſolo ros. Atq; ita fecit ea nocte Deꝰ: ſoloq; ſicco uellere, terra tota madebat rore. Iud. 6.

Cùm Syriæ rex exercitum miſiſſet Dothanẽ, ad capiendũ ELISÆVM prophetam, neq; ſpes ulla fugæ ſupereſſet: puer Eliſæi metuere cœpit. At Eliſæus, Bono eſto animo, plures enim à nobis ſtant. & puero montẽ oſtẽdit (oculis eius à Domino patefactis) curribus igneis plenum. Per medios igitur hoſtes incolumes euaſere Samariam. 4. Regum 6.

CONSTANTINVS Magnus Imp. cùm Deum patris ſui Cõſtantij inuocaret ardentib. precibus, ut ſibi quiſnam eſſet, ſeſe oſtenderet, urgente etiã graui bello, quod contra Maxentium tyrannũ ſuſceperat: die iam declinante, in cœlo ſupra ſolem trophęum crucis è luce conſtructum, ac ſcripturã additam uidit, In hoc uince. Cùm uerò ipſe id quod uiderat, animo uolueret, noctu dormienti illi Chriſtus, unà cũ ſigno, quod in cœlo uiderat, apparuit, præcipiens, ut ſignum ſibi iuxta formam eius, quod in cœlo apparuit, cõpararet, illóque cõtra hoſtiũ cõflictus auxilij loco uteretur. Orto die, cõuocatis artificibus, imaginẽ ſigni auro ac lapidibus precioſis exprimi iuſſit. Signũ hoc erat tale. Erat haſta in ſublime erecta, & auro circundata: cornu habebat tranſuerſum ad formã crucis factum, ſupernè in ſummo apice corona, ex lapidibus precioſis & auro contexta: ſub quo ſalutaris appellationis ſymbolum erat. Duo uerſus nomen Chriſti primis characteribus ſignificabant, R litera in medio uacãte, quos in galea poſterioribus etiã temporibus Imperator ferre ſolebat. In tranſuerſo aũt cornu, quod in haſta transfixũ erat, uelum ſuſpenſum erat purpureũ, uarietate & ſplendore precioſorũ lapidum fulgurãs. Haſta uerò ſurſum erecta, ad initium inferius admodum protracta, ſupernè uerò in ſublime elata, ſub crucis trophæo ad extremitates uſq; circundantis illud ueli, Imperatoris imaginẽ ad pectus uſq; aureã, unà cũ liberorum imaginibus ferebat. Euſebius lib. 2. de uita Conſtantini. At Socrates lib. 1. c. 2. dicit, Conſtantinum uidiſſe columnam lucidã ſub ſpecie crucis, cui erant inſcriptæ literæ, In hoc uince: eũq; interrogaſſe eos, quos ſecũ habebat, An ipſi quoq; uidiſſent? ac illos affirmaſſe, ſe quoq; uidiſſe. Sozomenus uerò lib. 1. c. 3. & Paulus Diaconus lib. 11. affirmant eum uidiſſe per ſoporẽ, ad orientem partem in cœlo ſignũ crucis igneo fulgore rutilare, & cùm eſſet ea uiſione exterritus, adſtitiſſe angelos dicentes, ἐν τούτῳ νίκα Conſtantine, In hoc uince. Cõſtat certè trophæo crucis Liciniũ bis eſſe uictũ. Imp. enim ſatellitibus fidiſſimis numero L. iniunxerat, ut lanceis ſuis ſignũ circumdarẽt, ita ut quiſq; per uices humeris ſuis portaret: & ſi quã exercitus partẽ laborare cõtingeret, trophæum crucis eò ſtatim deferri. Hæc Imperator ipſe longo poſt tẽpore expoſuit. In medio belli conflictu cũ is, qui ſignũ geſtabat in humeris, metu cõſternatus illud alteri tradidiſſet, fugiens, telo per inteſtina traiectus periit: alter uerò, innumeris licèt telis petitus, quæ omnia trophæi haſta excepit, incolumis ſeruatus eſt: neq; etiã pòſt ullo unquam ſunt iaculo tacti, qui huiuſmodi miniſteriũ obiuere. Cuſpinianus in Cæſaribus.

IDEM dum ad Hadrianopolim contra Licinium pugnaret, duos uidit equites cædẽtes legiones hoſtiũ. Sed & in agro Byzantino uidit lumen coruſcans ſupra caſtra, cæteris noctu dormientibus, cùm Maxentiũ opprimeret. Tradit etiam Zonaras, uiſum eſſe tum equitem armatum, crucis ſimulacrum pro ſigno geſtantem, qui exercitui præibat. Cuſpin.

Anno primo Conſtantij, Chriſti uerò 341. SAPORES rex Perſarum, cùm obſideret Niſibin, uidit ſtantem in muro quendã ornatu imperatorio, ſplendoremq; conſpexit purpuræ ac diadematis: ac ſuſpicatus adeſſe Romanorũ Imperatorẽ, cunctis interminabatur ſupplicium, qui nunciarant eũ abeſſe. Illis uerò affirmantibus, ſe uerum nunciaſſe, & Conſtantium Antiochiæ eſſe, uiſionis ſignificationem intelligens: Deus, inquit, pugnat pro Romanis. Theodoretus lib. 2. cap. 30. & Zonaras.

Circa annũ Sal. 427. Vararanes, Iſdigerdis filius, rex Perſarũ, per Narſeum ducem exercitum ingentem cõtra Romanos duxerat. Angeli Dei circa Bithyniam iis, qui Conſtantinopolim negotiationis ſuæ gratia proficiſcebantur, apparentes, nunciare iuſſerunt, precarentur, Deoq; fiderent: eſſe ſe belli eius diſpẽſatores à Deo miſſos. Romani Perſas Niſibi concluſos obſederunt, ducibus aliquot captis: Saracenos, quos in belli ſocietatẽ Vararanes aſſumſerat, deuicerũt, ita ut panico terrore agitati, ſeipſos in Euphraten precipitarẽt. Socr. lib. 7. cap. 18. Theodoretus lib. 5. cap. 36. Conſtantinopolim à Vararane oppugnatã, innumerabilibus admotis machinis, tradit: ſed ſolius pontificis Eunomij precibus ſeruatã. Cumq; ex barbaricis regibus unus diuinum ſe incenſurum templum minitaretur: Eunomium fundam in mœnia conſtitui, applicatoq; ingenti ſaxo, in nomine eius, qui blaſphemaretur, emitti iuſſiſſe. Quod directè illatũ in impium regem, abominandum illius os & totum caput cõminuit.

THEODOSIO, cùm in Alpibus eſſet conſtitutus, cum Eugenio ſigna collaturus, in ſomnis apparuiſſe ſcribit Paulus Diaconus lib. 13. & Nicephorus lib. 12. cap. 39. duos uiros ueſtibus candidis exornatos, & equis albis inſidentes: & iuſſiſſe, ut die illuceſcente pugnam iniret: ſeſe enim ad id deſtinatos eſſe, ut uictoriam ad eius partes inclinarent, & hoſtes cæderent: & quidem nomina ſua indicaſſe, quòd alter eſſet Ioannes Euangeliſta, alter uerò Philippus apoſtolus. Idem etiam quendam militem eadem nocte ſomniaſſe, refert Theodoretus lib. 5. cap. 24.

Recepta à Latinis principibus Antiochia, Andreas apoſtolus ſacerdoti PETRO Pontio, ſimplici uiro, apparuit: lanceámque, qua ſaluatoris Chriſti traiectũ fuit latus, quæ terra obruta erat in templo D. Petro dedicato, reuelauit. Cuius inuentione ciuitas, quæ à Turcis obſeſſa fame premebatur, bona ſpe repleta, in prælium egreſſa, Corbanam ſuperauit, qui Belſech Turcæ Perſarum regis auſpicio urbem obſidebat, Niceno epiſcopo in prælium inter armatorum turmas eam geſtante. Aemilius.

Cùm diu ancipiti marte inter Romanos (qui Ioanni Zimiſcæ Conſtãtinopoleos Imperatori auxilio uenerant) & Roſſos pugnaretur, diuinitùs ROMANI adiuti feruntur. Procella enim barbarorum facies feriit: præterea à multis eximius uiſus eſt eques, qui Romanos tueretur, hoſtiumq; phalanges turbaret. Theodorum autem fuiſſe, ex eo conſtat. Muliercula enim quædam Byzantia, religioſa, pridie illius pugnæ in ſomnis ſanctam Deiparam procedere cum magno comitatu uidit, quæ dixerit: Domine Theodore, meus & tuus Ioannes grauia certamina ſuſtinet; properè igitur opem illi ferto. Id ſomnium illa quibuſdam aperuit: qui die notato, comperêrunt, id pridie poſtremæ pugnæ contigiſſe: ut Zonaras tomo 3. Annalium indicat.

LADISLAVM, Hungarorum regis Geyſæ fratrem memorãt, quum Piſonium, quò ſe Salomon, regno exutus, deſperatis rebus receperat, obſideret, mutatis armis, meridie ſolum mœnibus appropinquaſſe, ueluti aliquid exploraturum. Contrà ſpectantibus cunctis, tanquam ad ſingulare certamen prodiiſſe Salomonem, Ladiſlai militem eſſe putãtem: quum ad eum ueniſſet, diuino quodam oſtento deterritum eueſtigiò pedem retuliſſe. Interrogantibus deinde militibus, Cur hoſtem preter inſtitutum & audaciam ſuam fugiſſet? reſpondiſſe, Vidiſſe ſe duos angelos Ladiſlai humero inſidentes, qui infeſtis enſibus hominem defenderent. Bonfinius lib. 4. Dec. 2.

ARIVLPHVS, dux Spoletanus, quum ante mortem aduerſus Romanos apud Camertes bellum gereret, uictoriam adeptus, mox ſuos milites percunctatus eſt, Quiſnam ille fuerit, qui ſe tam ſtrenuè in prælio geſſerit? Reſpondentibus illis, Fuiſſe ipſummet. Præpollentiorem alium (inquit) ipſe uidi: qui ſemper me proprio clypeo protexit. Deinde Spoleto appropinquans, conſpecta diui Sabini baſilica, ubi corpus eius reconditum eſt, interrogauit, Cuiũſnam illa foret ædes? Quum reſponderent, Sabini eſſe templum, quem inuocantibus militibus præſtò ſemper adeſſe aiunt: equo repentè deſiliit. Aedem ingreſſus, uiſa Sabini imagine, hunc ipſum eſſe uirum, qui inter confertos hoſtes pugnantem ſe protexerit, adiecto iuramento, affirmauit. Ex quo mox creditum eſt, diuum Sabinum, pientiſſimum militum patronum, Atiulphio adhuc Chriſtianæ religionis experti, deeſſe noluiſſe. Bonfinius lib. 8. Dec. 1.

Cùm Græci ad Salaminem Xerxis claſſem operirentur, DICÆVS Theocydis F. Athenienſis, exul, & apud Medos factus illuſtris, fortè erat unà cum Demarato Lacedæmonio exule itidem apud campum Thriaſium, uiditq; puluerẽ triginta fermè millium uirorum capacem ab Eleuſine: & cùm demirarentur, Quorúmnam hominũ eſſet ille puluis? ſtatim audiuit uocem Iacchi myſtici. Demaratus, ut qui eſſet ſacrorum in Eleuſine ignarus, interrogauit, Quídnam eſſet quod ita ſonaret? reſpondit ille: Demarate, non procul aberit grãdis aliqua clades à regis copiis. Nam cùm Attica ſit deſolata, numen ab Eleuſine reſonans, auxilio uenit Athenienſibus ac ſociis. Quòd ſi in Peloponneſum incũbat, periculum regi erit, eiuſq; copiis, quæ ſunt in cõtinente: ſin ad claſſem,

quæ ad Salaminem eſt, conuertetur, periculum adibit rex, ne nauticum amittat exercitum. Hæc ſolennia Athenienſes quotannis celebrant Cereri atque Proſerpinæ: & his ſacris, quicunq; uult & Athenienſium, & aliorum Græcorum, initiatur: & uox quam audis, eſt in hoc feſto bacchãtium. Hoc dicto, ex illo puluere & uoce facta eſt nubes, & in ſublime elata, Salaminem uerſus ad Græcorum exercitum fuit delata. Herodotus lib. 8.

Philippides Athenienſis Lacedæmonẽ legatus miſſus de Perſarum in Græciam irruptione, domum rediens, cunctationemq; Lacedæmoniorum incuſans (qui exercitum educere ante plenilunium nolebant) in Parthenio ſaltu PANA obuium habuit, qui ſe Athenienſibus in pugna ad Marathonẽ præſtò futurum pollicitus fuit. Ex eo nuncio deo Athenis honores haberi cœpti. Pauſanias. lib. 1.

*Oracula, Prædictiones.*

THESEO in Cretam profecturo ad Minotaurum, fama eſt, Apollinem Delphicum dictionem dediſſe, ut ducẽ Venerem caperet, uocaretq; itineris ſociam: atq; operanti ſacris in litore caprã ſubitò hircum euaſiſſe, inde deam hanc Epitragiam nuncupatam. Poſtquã Cretã appulit, accepto ab amãte Ariadna filo, doctus quemadmodũ euoluere ſe Labyrinthi ambagibus ualeret, Minotaurũ occidit, ſoluitq; inde Ariadnam, & impuberes ſecum aſportauit. Plut. in Theſeo.

Cùm Xerxes Phocæam cum innumerabili exercitu inuaſiſſet, DELPHI attoniti, deum de ſacra pecunia conſultarunt, Nunquid eam humi defoderent, an alium in locum transportarent? Deus uetuit utrunq;: ſe enim ſuffecturum eſſe ad res ſuas tutandas. Herod. lib. 8.

BOEOTII incurſantibus Thracibus, cùm in Trophonij antrum fugiſſent, iſq; per ſomnium dixiſſet, Bacchum illis adiutorem fore: ebrios aggreſſi Thraces, Bacchi redemtoris ædem condiderunt, ut ſcribit Heraclides Ponticus. Ariſtophanes uerò tradit, hoc eò factum, quòd Thebani uitem à Naxiis redemerint. Suidas in dict. λύσιοι τελετή.

PSAMMETICHVS rex Aegyptiorum, pulſus à ſuis in paludes, oraculũ Latonæ, quod eſt in Buti urbe Aegyptiorum, conſuluit, & reſponſum accepit: Affuturum ei ſubſidium è mari, uiris æreis exiſtentibus. Non longo tempore interiecto, cùm Iones & Cares quidam prædandi cauſa in Aegyptum deſcendiſſent: ſpeculator, qui nũquam uiros aliquos ære armatos uiderat, Pſammeticho nunciat, egreſſos è mari æreos uiros, agros populari. Rex oraculum agnoſcens, fœdus cum prædonibus fecit, & regnum recuperauit. Polyæn. lib. 7. & Herodotus.

Cùm DORIENSES Eleam repeterent, contra Augeæ poſteros, quorum tunc rex erat Eleus, oraculum acceperunt, ut remigrationis ducem Trioculum facerent. Fortè obuius illis fit Oxylus, Aemone Thoantis filio genitus, exul ex Aetolia, quòd ludens diſco imprudenter hominem occiderat. Is cùm mulum altero captum oculo ageret, Creſphontes acutè coniecit, oraculum ad Oxylum pertinere. Itaq; dux electus, in Peloponneſum nauibus traiiciendum, non pedeſtri exercitu per Iſthmum irruptionem tentandam cenſuit. Paruêre Dorienſes, & Eleam obtinuerunt. Pauſanias lib. 5.

Secundo bello Meſſenico, Ariſtomene fortiſſimè rem Meſſeniorũ adminiſtrante, reſpõſum fuit LACEDÆMONIIS, Delphicum Apollinem de belli exitu cõſulentibus, ut Athenienſem hominẽ rerum gerendarum auctorem accerſerẽt. Quare cùm per legatos de oraculo docuiſſent Atheniẽſes, ac ſimul Athenienſem ſibi hominem, cuius uterentur conſilio, depopoſciſſent, ea res animi dubios tenuit Atheniẽſes. Nam & periculoſum nimis fore reip. ſuæ iudicabant, ſi Lacedæmonij parte Peloponneſi optima, Meſſene ſcilicet, potirentur: & rurſus diuinis uocibus non parêre nefarium cenſebant. Conſilium ut in re dubia anceps capiunt. Erat Athenis Tyrtæus quidam ludimagiſter, qui neq; ſatis mente ualere credebatur, & altero claudicabat pede: hunc ad Spartanos miſere. Ibi ille modò ciuitatis principes, modò plebẽ proinde ut locus aut tempus tuliſſet, elegos & anapæſtos decantans, quid facto opus eſſet, edocebat. In pugna ad Apri ſepulcrum (qui uicus eſt Stenicleri agri) commiſſa ad extremos ordines circumiens, ſuis cohortationibus ad pugnã accendebat. Iam cùm graui clade à Meſſeniis affecti ad pacem ſpectarent, eos Tyrtæus de ſententia uerſibus deduxit, & milites, qui in cohortibus deſiderabantur, de Ilotarum ſeruorum delectũ ſuppleuit. Pauſanias in Meſſenicis.

Cùm LACEDÆMONIORVM res ſeditionibus tumultuarentur, conſultum oraculum iuſſit, uti Lesbium cantorem accerſerent. Accerſitus itaque Terpander Lesbius, nimirum Antiſſæus, & ad Lacedæmonios miſſus. Is canendo ſic illorum animos deliniuit, ut ſeditionem omnem ſedaret, redactis ad concordiam ciuibus. Qua ex re factum eſt, ut Lacedæmonij Lesbiis cantoribus primas in arte muſica partes tribuerent, & ſi quem alium canentem audiſſent, protinus dicerent, μετὰ Λέσβιον ᾠδόν, id eſt, poſt Lesbium muſicum. Zenodotus prouerbium hoc citat ex Cratini fabula, cui titulus Chiron. Eraſmus.

Quidam aiunt, Mileſios olim belli gloria præter cæteros floruiſſe, adeò, ut quoſcunq; bello laceſſerent, eos ſuperarent. Proinde POLYCRATES Samiorum tyrannus, bellum quoddam geſturus, cùm in animo haberet Mileſios ſocios ad eam rem accerſere, oraculũ ſuper eo negocio conſuluit. Deus reſpondit: πάλαι ποτ᾽ ἦσαν ἄλκιμοι Μιλήσιοι, Quondam fuêre ſtrenui Mileſij. Alij hoc CARIBVS tribuunt cõtra Darium belligerantibus. Eraſmus in Adagiis.

THEBANI ab Athenienſibus ſuperati, & ulciſcendi illos cupidi, Delphos miſerunt. Pythia iubebat, ut ad famæ celebritatem referentes rogarent ſibi proximos in auxilium. Thebani nihili faciebãt: quandoquidem Tanagræi, Coronæi & Theſpienſes, illorum aſſiduè commilitones eſſent. At quidam re audita, inquit: Aſopi duæ filiæ fuiſſe traduntur, Thebe, & Aegina: quæ quoniam ſorores ſunt, opinor deum reſpondere nobis, ut Aeginetas rogemus, qui uicem noſtram ulciſcantur. Thebani protinùs miſere ad Aeginetas orãdos auxilia. Illi dixêre, ſe mittere cũ eis Aeacidas. Societate Aeacidarum freti Thebani, cùm laceſſiſſent Athenienſes, & uicti eſſent, iterum auxilia uirorum, remiſſis Aeacidis orauerunt. Quorum prece moti Aeginetę, tum magnitudine opum inflati, tum priſtinæ inimicitiæ, quam geſſerant cũ Athenienſibus, memores, bellum illis haud indictum intulerũt. Nam cùm Athenienſes Bœotiis incumberent, ipſi lõgis nauibus in Atticam traiicientes, cùm alios multos populos in reliqua ora maritima, tum Phalerum diripuerunt, magnam ex hac re calamitatem Athenienſibus afferentes. Herod. lib. 5.

LACEDÆMONII, cùm à Tegeatibus bello ſuperarentur, oraculum conſuluerunt, Quémnam deorum placarẽt, ut Tegeates uincerent? Reſpõdit Pythia, Oreſtis filij Agamemnonis oſſa Spartam referenda eſſe. Illis ambigentibus, & incertis de loco in quo recondita eſſent, oraculum datũ de duobus uẽtis, de typo & antypo. Herod. lib. 1. Vide Tit. Diuinatio de Corporib. ſanctis.

*Prodigia.*

GRÆCI ad Salaminem præliũ contra Perſas nauale facturi erant. Et ſimul oriente ſole, extitit terræ mariſq; motus. Viſum eſt igitur Aeacidas in auxilium inuocare. Proinde omnibus qui illic è Salamine ſunt, diis uota fecerũt, & Aiacem Telamonis filium inuocauerũt: nauemq; ad Aeacum & ad alios Aeacidas inuocandos, Aeginã miſerunt. Herod. lib. 8.

Alexandro Magno ad expugnandã Tyrum aggerem in mari ducente, repentè cetus incredibilis magnitudinis adnatauit, & corporis parte altera aggeri acclinata, diutiùs ibi conſtitit, cum maximo inſpicientium omnium terrore, & rurſus enatauit. Hincq; religio maxima utroſq; occupauit, exiſtimantes illud portendere, Neptunum Macedonibus auxiliarem fore. In urbe quidam uiſum huiuſmodi ſibi apparuiſſe narrauit, tanquam Apollo dixiſſet, Tyriam urbem ſibi deſerendam eſſe. Id ipſum cùm ab eo homine in Alexandri gratiam confictum fuiſſe plebs ſuſpicaretur, iamq; lapidibus eum impetere iuniores quidã uellent, à magiſtratibus ſubtractus ille, è medio in Herculis templum confugit. Sed nihilo magis Tyrij eius rei ſuperſtitione ſe exoluerunt, qui catenas aureas Apollinis ſigno iniecerunt: ita impeditum non ampliùs ex urbe poſſe eum demigrare cenſentes. Capta urbe, Apollini catenas aureas & compedes à Tyriis iniectas, Alexander detraxit, atq; Philalexandrũ appellari iuſſit. Herculi magnificentiſſimum ſacrificium peregit. Diod. lib. 17.

Bello Mithridatico, cùm Mithridates rex Cyzicum obſediſſet, inſtante Proſerpinæ feſto: cùm nigra boue ad immolandũ deficerentur CYZICENI, farinaceam fictam admouerunt aræ. Sacra uacca, quæ deæ alebatur, trans fretum paſcebat cum reliquo armento Cyzicenorum. Ha[illegible] illo die armento relicto ad oppidum tranauit ſola, & ſe ſac[illegible] admouit. Mithridates re infecta diſcedere coactus, Lucullo inſequente. Plutarchus in Lucullo.

*Somnia.*

Mithridates CYZICENOS graui obſidione premebat. Inſtãte Proſerpinæ feſto, Dea publico ludimagiſtro Ariſtagoræ offerens ſe in ſomnis: Equidem, inquit, adſum, ut tibicinem Afrum in tubicinem Ponticũ impellam. Tu ergo tuos ciues iube bono animo eſſe. Mirantibus hanc uocem Cyzicenis, prima luce fluctuauit mare quaſi immenſo incũbente uento, & admotæ muris regis machinæ, inſigni Theſſali Nicomedis opera, ſtridore & crepitu primùm, quid inſtaret, indicauerunt. Inde Auſter ſupra modum proceloſus coortus, horæ breui momento cùm alia conuulſit machinamenta, tum turrim ligneam in altitudinem centum cubitorum excitatam tanta ui concuſſit, ut proruerit eam. Memoriæ etiam proditum, compluribus Ilij fuiſſe Mineruam in ſomnis obuerſatam, quæ copioſo manabat ſudore, partemq; pepli diſciſſam oſtendebat. Eam dixiſſe, modò uenire ſe ab ope Cyzicenis ferẽda. Mithridates fame preſſus, re infecta in Bithyniam rediit, Lucullo inſequente. Plut. in Lucullo.



EDGARVS Malcolmi III. regis Scotorum F. apud Anglos exulans, impetratis à Gulielmo Ruffo rege auxiliis, regnum à Donaldo patruo repetebat. Vbi cum copiis ad Dunelmiã conſediſſet, per ſomnium ſupernè monitus, ſi uexillum quod diui Cuthberti erat ſecum ferret, haud dubiam ſecuturam uictoriam: excitus è ſomno, manè monaſterium ingreditur, ac rebus diuinis Deo ac D. Cuthberto peractis, uexillum eius inde ſumit, atq; in expeditionem expanſum defert. Donaldus Edgaro aduenienti obuiam cũ ingenti multitudine factus, uiſo diui Cuthberti ac regio uexillo, à ſuis deſtitutus, ſeſe in fugam cõiicit: cumq; iamiam in Hebrides traiecturus eſſet, ab incolis captus, & ad Edgarũ deductus, in uinculis pòſt mortuus eſt. H. Boëthius lib. 12.

FERDINANDVS rex Aſturũ & Caſtellæ, Colimbriam Luſitaniæ urbẽ munitiſſimã obſidebat, quam Saraceni obtinebant. Græcus quidã epiſcopus HOSTIANVS ab uſq; Hieroſolyma D. Iacobi Cõpoſtellani ædem inuiſens, cùm triduanis ſupplicationib. regẽ Apoſtoli pacẽ exorantem audiſſet, inconſideratè bellicum auxilium à piſcatore pacis ſtudioſiſſimo expeti aſſeruit. Cæterùm dũ nocte dormiret, apparuit ei ſanctus Iacobus, dicens, Noli Hoſtiane dicere me non eſſe militẽ: ecce iam equito laturus auxilia regi Ferdinando, qui per ſeptẽ annos obſedit Colimbriã: & ut ſis certior, conſpice claues, quibus cras hora tertia aperiam portas ciuitatis Chriſtianis. Qua reuelatione territus, manè canonicis eccleſiæ Cõpoſtellanæ eã reuelauit, & euẽtus reſpõdit. Rodericus Toletanus lib. 6. rerũ Hiſp. c. 11. & Rodericus Santius parte 3. hiſt. Hiſp. cap. 26. ex Luca Tudenſe.

LIBERATIONIS A VARIIS malis. Vt à

PECCATO. REMISSIONIS PECCATORVM

*Reuelatio.*

Cùm Ioannes Eleemoſynarius eſſet ſepultus, MVLIER quædam per triduum ſepulcro aſſidens, cõtinuò fleuit, propterea quòd tradidiſſet ei ſchedã, in qua grande peccatũ ei aperuiſſet: indeq; metueret, ne illa ad alienas manus deueniret, ut facinus fieret manifeſtum. Ibi Eleemoſynarius apparuit mulieri, reddiditq; ſchedam obſignatam, cui deleta priori ſcriptura, ita erat inſcriptum: Propter Ioannem ſeruum meum, deletum eſt peccatum tuum. Metaphraſtes in uita eius.

Noſtris temporibus, inquit D. Gregorius in Euãgelia, homilia 34. VICTORINVS quidã Aemilianus appellatus, uir locuples, ob delictũ quoddam ſuum, mundi omnia dereliquit, & monaſterium petiit, pœnitentiæ cauſa. Ibi raro exemplo ſtuduit cruciare carnem, uoluntatẽ propriam frangere, deſpectum ſui appetere, oblatos à fratrib. honores timere, nocturnas fratrum uigilias præuenire, in montis ſecretiorem partẽ noctu excurrens, ubi quotidie in fletu pœnitentiæ puniret erratum ſuum. Quadam nocte abbas monaſterij hunc clam egredientem uidens, lento pede ſecutus, cùm in receſſu montis cerneret in oratione proſtratum, expectare uoluit, quando ſurgeret: cùm ſubitò cælitus lux emiſſa ſuper orantem fuſa eſt, ut etiam tota pars regionis illius illuſtraretur. Abbas præ metu fugit, & poſt longum horæ ſpaciũ, ad monaſterium redeuntem fratrem interrogauit: Vbi fuiſti? At ille latere ſe poſſe credens, In monaſterio ſe fuiſſe, reſpondit. Quod negans abbas, compulit eum dicere quid uidiſſet. Videns ergo ſe eſſe deprehenſum, hoc quoque, quod abbatem latebat, aperuit, adiungens: Quando ſuper me uidiſti lucem de cœlo deſcendere, uox etiam pariter uenit dicens: Dimiſſum eſt tibi peccatum tuum.

IVLIANVS, cognomento Hoſpitator, cùm ſummo mane domum reuerſus, in ſuo uxoriſque cubili dormientes parẽtes offendiſſet, putauit uxorem eſſe cum adultero: & educto gladio, ambos transfixit. Vxor autem, antequam ille adueniſſet, ad eccleſiam perrexerat. Re tandem cognita, ubertim fleuit: utque commiſſi ueniam promereri poſſet, relicta domo prope fluminis ripam, ubi multi uado tranſeuntes peribant, xenodochium poſuit: uiatores tecto accipere, & nauicula trãſuectare gratuitò ſolitus. Poſtremò diuinitùs dictũ ſibi audiuit, quòd culpam eluiſſet hoſpitalitatis merito. Marul. lib. 4. cap. 10. & lib. 2. cap. 12. & Fulg. lib. 6. cap. 9.

GENEBAVDVS Laudunenſis epiſcopus, cùm uxorem, cum qua religionis cauſa diuortium fecerat, cognouiſſet, ſeptẽ annos in parua cellula clauſus peregit, deflens peccatum ſuum, atq; illud tandem ſibi condonatum eſſe, angelo nunciante didicit. Eiuſdem angeli iuſſu à ſancto Remigio Remenſi epiſcopo in locum ſuum reſtitutus, cautiùs uixit: quique ante peccatum innocẽtior erat, poſt peccatum ſanctior fuit. Marul. lib. 4. cap. 10 & lib. 2. cap. 12. & Fulg. lib. 6. cap. 9. ex Sigeberto, anno 500.

DAVID quidam in finibus Hermopolis, graſſatorũ princeps, cùm diu exercẽdis latrociniis operam impendiſſet, tandem monachus factus, Deo in humilitate ſeruiuit. Et cùm poſt aliquot dierum pœnitentiam, dimiſſa ſibi eſſe peccata, angelo referente, accepiſſet, multitudinis eorum conſcius, dubitauit an uera audiret. Ob incredulitatem, linguæ officio caruit. Sed cùm uehementer doleret, quòd ſolitas Deo laudes ore impedito concinere non poſſet, uocis uſum ad eã duntaxat rem recuperauit, ad cætera mutus permanſit. Marul. lib. 2. cap. 12. & lib. 4. cap. 10. & Fulg. lib. 6. cap. 9.

*Omina.*

MAVRILIVS Andegauenſis epiſcopus, dum expectatur donec ſacrificium peragit, interim quem baptizaturus erat, uita defunctum cõperit. Suæq; id negligentiæ imputans, uſq; adeò doluit, ut relicta eccleſiã nauim conſcendens, clàm effugeret. Fortè ſanctuarij claues ſecum tulerat, quibus de manu in mare elapſis, exiſtimauit eo indicio ſe prorſus epiſcopatu indignum: atq; inde iam propoſuit, nunquam ad ſedẽ ſuam reuerti, niſi inuentas quis retuliſſet. Tranſmiſſo mari, ueſte ſeculari indutus, cuidam principi uiro operam ſeruilẽ locauit, olitor eius factus. Septẽnio ſic peracto, à clericis inuentus & cognitus, noleb[illegible]t cum illis redire propter clauiũ amiſſionẽ. Ipſi eas interim in itinere capto piſce, & exenterato inuenerãt, earundemq; argumẽto in mari eũ periſſe ſuſpicati fuerant. Illis ergo agnitis, à ſuis reductus, ad pueri illius urnam proſtratus orauit, atque ipſum à morte ſuſcitatum baptiſauit. Marulus lib. 4. cap. 10. & lib. 2. cap. 12. & Fulgoſus libro 6. capite 9.

METRON confeſſor (cuius corpus Veronæ colitur) pœnitentiæ cauſa compede ferrea ſe uinxit, & clauem, qua nexus diſſoluebatur, in Atheſim fluuium proiecit, atq; orauit, ut tũc illam repertam conſpiceret, cùm ipſe omni culpæ labe purificatus eſſet. Non poſt multos annos, intra capti piſcis uentriculum repertam, eiq; reſtitutam ferunt. Marul. lib. 4. cap. 10. & lib. 2. cap. 12. & Fulg. lib. 6. cap. 9.

ARNVLPHVS Lotharingiæ dynaſtes, Caroli Magni Imperatoris auus, cùm relicto dominatu, Chriſto in ſolitudine ſeruiret, anulum ſuum in fluuium Moſellam proiecerat: tũc ſe pro delictis Deo ſatisfeciſſe crediturus, cùm ille repertus ſibi redderetur. Poſtea Metenſis epiſcopus electus, cùm diu eccleſiam optimè rexiſſet, allatus eſt ei piſcis, in cuius inteſtinis inuento anulo Deo gratias egit: nec tamen pœnitentiæ rigorem remiſit, quinimò dimiſſo epiſcopatu eremum repetiit, ibique obiit. Marul. lib. 4. cap. 10. & lib. 2. cap. 12. & Fulgoſus lib. 6. cap. 9.

*Somnia.*

MAVRICIVS Imp. ob captiuos nõ redẽtos, cùm id minimo poſſet precio (quos poſtea Barbari ita perciti ad XIV. millia trucidarunt) Dei irã, & grauiſſima hominum odia incurrit. Literis ergo præcipuos eccleſiarũ epiſcopos pro ſe preces ad Deum fundere iuſſit: dumq; in luctu ac lacrymis anteactæ uitæ pœnitẽtia ſeſe macerat, Chriſti imaginẽ in ſomnis clarè & euidenter uocẽ edere audiuit, Ipſum in hac uita pœnas ſoluturum. Vidiſſe quinetiã in ſomnis ſe, & Conſtantiam uxorẽ cum filiis & filiabus, totaq; ſua familia gladio Phocæ perimi. Id quod non multo pòſt contigit. Nicephorus lib. 18. cap. 38. & Paulus Diaconus lib. 17.

THEOPHILVS quidã in Ciliciæ quadã ciuitate diaconus, remotus ab officio, magi cuiuſdam Hebræi ſuaſu, diabolo ſeſe literis ſcriptis mãciparat: promiſeratq;, ſe Chriſtũ abnegaturum eſſe. Recepta dignitate agnoſcere peccatũ cœpit, & coram epiſcopo ac tota eccleſia pœnitentiã ſuam declarauit. Die quadrageſimo dormienti uirgo Dei mater apparens, dimiſſum illi peccatum nunciauit. Somno excitatus, chirographum ſuũ iuxtà iacentẽ reperit, & peccatum ſuũ, Deiq; erga ſe miſericordiam cunctis audientibus publicè enarrans, die tertio uita defunctus, etiam miraculis claruit. Marul. lib. 2. cap. 12. & lib. 4. cap. 10. ex Sigeberto & Simeone Metaphraſte.

TYRANNIDE.

*Conſule Tit. Mortis diuinatio, quatenus tyrannorũ mors ut ipſis eſt mala, ſic iis, qui tyrannorum potentia premuntur, eſt bona. Item Tit. Mutationis Reip. diuinatio, quatenus tyranni tolluntur.*

HIPPATHODORO Thebano uiſa eſt domus Charonis, unius è cõiuratis, qui Archiam tyrannũ ſuſtulêre, nocte antẽ prægnantiũ more parturire: illum & amicos de ea ſolicitos uota facere, & præſtò eſſe: mugire illã, & uoces quaſdã mittere inconditas: poſtremò flammam eluxiſſe ex ea foras copioſam & uehementem, ut urbs ferè tota inflammaretur, Cadmiam arcẽ à Spartanis occupatam ſolo fumo inuolutam fuiſſe, ſed incendium ſuperiora non depaſcente. Plutarchus de Soc. dæm.

Tametſi ad reliquas prouincias, præſides & magiſtratus ROMANI cum lictore & faſcibus irent: tamẽ Alexandriã conſulares faſces accedere, aut urbẽ inire uetabatur: quòd diuinis carminibus & uaticinio prædictum eſſet, tunc demùm

Aegyptum fore liberam, cùm ad eam Romani faſces aduentarent. Sed & Romani magiſtratus libera & fœderata oppida, uelut ſociali fide copulata, plerunq; ſine lictore aut faſcibus adibant. Alexander lib.1.cap.27.

Obſidēte Alfonſo, Aragonū & Siciliæ rege, Caietā, GENVENSES Philippi Mediolanenſium ducis iuſſu aliquot triremes cū duce Blaſio Axereto ſcriba obſeſſis in auxiliū mittunt. Cūque eum è more ad naues deducturi eſſent, fœda tempeſtate orta faſtigium templi D. Ambroſij fulmine ictū eſt, ut marmor in ſummitate locatum abraſerit, proculq; ſine ullius læſione loco aptiſſimo repoſuerit. Hoc prodigiū fuit, Philippi Mediolanenſis ducis imperiū abſq; damno Genuēſium ſuo loco motū & cōuulſum iri. Siquidem biennio poſt hāc uictoriam, in qua Alfonſus uictus & captus, Genuā perductus eſt, Genuenſes rebellarunt, iugoque Philippi excuſſo Remp. in libertatem aſſeruerunt. Iac. Bracellus lib.3. & 5. belli Hiſp. & Fulgoſus lib.1.cap.4.

SERVITVTE.

MARCVS, Plinij Secundi ſeruus, cùm ſomniaſſet, ſedentem quendam in lecto, ubi ipſe erat, caput ſibi tondere: experrectus, tonſum ſibi caput eſſe inuenit. itaque à patrono manumiſſus eſt. Fulgoſus lib.1.cap.5.

OBSIDIONE.

Quo tēpore Galli Capitoliū obſidebant, Ioui Piſtori ara poſita fuit, quòd ROMANOS deus in quiete monuiſſet, ut ex omni frumento quod haberent panem facerēt, & in hoſtiū caſtra iactarent: eoq; facto, ſoluta eſt obſidio, deſperantib. Gallis inopia ſubigi poſſe Romanos. Meminit & Liuius, & Frontinus. Lactantius lib.1.

Atila in Galliam irrumpente, cùm aliæ ciuitates, tum inprimis Pariſienſes, relicta Lutetia, ſe ad loca tutiora recipere inſtituerunt. S. GENOVEFA uirgo ad uxores eorum conuerſa dixit: Cur patriam, in qua natæ atq; educatæ eſtis, relinquere cogitatis, ac nō potius uos, uiroſq; ueſtros cōtra hoſtes armaq; eorū ieiuniis & precibus communitis? ſic enim, Deo opitulante, faciliùs euadetis. Quibus uerbis auditis, multæ illarū, ſpe ſua in Dei miſericordia poſita, ſe in Baptiſterium ad uota Deo facienda proripuerunt. Inde uiros urgo aggreſſa monuit, ne deſperatione debilitati fortunas urbe ſuas efferrent, ſed Dominum ſuppliciter orarent, qui ſolus ipſos impendentibus eximere periculis poſſet. nā quas urbes, tanquā munitiores, adire contenderent, eas maiorē calamitatē eſſe paſſuras: Lutetiā uerò ex tātis malis incolumem emerſurā. Quam uocem rei euentus poſtea comprobauit. Sigonius lib.13. Imp. occid.

Fatigati per aliquot dies in urbe defendēda FLORENTINI, à Radagaiſo Scytha obſeſſi, nullo opportuno ſuppetente ſubſidio, iam propè de ſalute deſperauerant, cùm S. Ambroſius ciui cuidā in ea domo, in qua, dum uiueret, olim Eugenij tyranni uim declinans manſerat, ſeſe in ſomnis obtulit, ac poſtero die ſaluos eos fore denunciauit. Qua uoce Florētini tanquā certa fide oraculi excitati, animos ſuſtulerūt, ac tempeſtiuū auxiliū expectare læti cœperunt. Poſtero die Stilicho, Honorij Imp. ſocer, cū exercitu exiguo in ſaltibus Apennini incluſos hoſtes ingenti ſtrage affecit. Sigonius lib.10. Imp. occid.

CAPTIVITATE, CARCERIBVS.

POCILLATORI Pharaonis, ob delictū quoddā ſuum in iiſdem cum Ioſepho carceribus incluſo, oblatū ſomniū, quaſi uuas in pateram Pharaonis exprimeret, interpretante Ioſepho liberationis indicium extitit.

Pridie eius diei, quo Ariſtomenes Meſſenius induciis factis cū Lacedæmoniis, à ſeptē Cretenſibus ex inſidiis captus fuit, & in tuguriolum quoddā agri Meſſenici perductus: VIRGO quædā patre orba ibi habitans cū matre, per ſomnium uiſa fuerat ſibi uidere, pertrahi illuc à lupis leonē uinctū ereptis unguibus: illum ſe è uinculis exemiſſe, & cū eo tanquā cum uiro congreſſam, ungues illi dediſſe, nec multo pòſt à leone lupos laniatos. Deducto itaq; eò Ariſtomene, agnouit puella expreſſam uiro euentu ſomnij imaginē: auditoq; à matre uiri nomine, confirmauit ſe: & cū in eū intueretur, facilè qd ſignificaret intellexit. Vinū itaq; largius Cretenſib. fudit, ita ut oēs uinolenti ſe abieciſſent. Ariſtomenes grauiore ſomno conſopito pugiunculū eripiens, uincula ſibi abſcidit, omneſq; iugulauit, Virginē illā pro nauata ſaluti ſuæ opera filio ſuo Gorgo in uxorem dedit. Pauſanias in Meſſenicis.

Cùm Agrippa Herodis Magni nepos, quia Caio fauere uideretur, à Tiberio Imp. Romæ in uincula coniectus eſſet, ſtanti ante regiā inter alios quoſdā captiuos bubo capiti inſedit. Videns id unus è uinctis GERMANVS aruſpex, acceſſit Agrippā, eiq; hoc augurio breui ſignificari nō tantū liberationē è uinculis, ſed dignitatē ſimul & potentiā affirmauit. Nec fefellit eū euētus. Nā poſt ſex mēſes Tiberius periit. Caius in imperio ſucceſſit, qui Agrippā regē fecit. Ioſephus li.18. c. 8.

HEDVINVS, qui pòſt rex Northanymbrorū factus eſt, cū fugeret Edelfridū, qui ante ipſum regnarat, diuq; uagaretur in exilio, tandē ad Redualdū Orientaliū Anglorum regē diuertit. Ibi cū Redualdus ab Edelfrido ſollicitatus, decreuiſſet uiuū ipſum hoſti tradere, aut domi interficere: iſq; ea de re certior factus, per noctē uigilās ſederet, triſti gemitu mortē expectans: uidit intēpeſta nocte ad ſe uenientē uirū incognitū, qui conſolatus eū dixit: Se nō ſolùm ex hoc periculo ipſum uelle eripere, uerumetiā ad regni faſtigiū euehere, ſi promitteret, ꝙ poſtea de certiori ſalutis æternæ uia edoctus, itidē ſibi obtēperare uellet. Ille citra hæſitationē illud promiſit. Quare & diuinitùs liberatus, mutāte Redualdo ſententiā, & ipſum armis cōtra Edelfridū propugnāte, ad regnum peruenit. Beda lib.2. Eccleſ. hiſt. Anglorum, cap.9. & ſeq. Polyd. lib.4. Angl. hiſt.

MAGNVS SFORTIA, filio ſuo ex Catella Alopa, Pādulphi Alopi ſorore, nato, Leonardi nomē in eius diui honorē indidit: quoniā per quietē D. Leonardū ea ſpecie, qua depingi in templis ſolet, ſibi opem ferentem uidiſſet, quum & clathros ferreos feneſtræ carceris diſrūpere, & cōpedes ſoluere præſenti numine uideretur. Impleuit aūt ſomnij fidem & numinis oraculum rei euentus. Nam eodem die lætam ſomnio noctem ſequuto, & rex Iacobus Gallus per ſeditionem regno Neapol. expulſus, imperiū cū libertate amiſit, & Sfortia adaperto carcere, ingenti omnium lætitia, iterum Magiſter equitum eſt renunciatus. Iouius in eius uita.

INVNDATIONE.

Cū Barth. Gradonico duce VENETIIS aquæ oēs & ſtagna ita ſubitò excreuiſſent, ut oēs de ſalute ſua deſperarēt: Piſcatori cuidā noctu intēpeſta tres humana ſpecie occurrerunt, petentes ab eo, ut ſeſe incolumes ex eo turbine ſeruaret. Quos ubi in litus deduxit, à D. Marco anulū præmij loco accepit, ut eū principi offerret: aſſereretq;, ſua ope præcipuè à ſe diuoq; Nicolao & Georgio ſeruatam eſſe urbem. Egnat. lib.1.cap.6. & Fulg. ibid. Sabel. lib.2. Dec.2.

TERRÆMOTV.

Anno 528. ſæuus terræmotus miſerabiliter ANTIOCHIAM afflictauit. Siquidē ingenti cœli ꝓpè mugitu edito ædificia omnia, quæ priore nō ruerāt, deturbauit, atq; hominum fermè quinq; millia ruinis alliſit. Quo caſu perculſi ciues, ad diuinā opē implorandā ſe contulerunt, ac ſine calceis cū flebilibus uocibus Deo ſupplicatū ierunt. Cùm aūt uir quidam inſigni pietate præditus, ſe in quiete diuinitùs monitū eſſe aſſereret, ut ad tantā auertendam calamitatē in foribus ædium inſeriberetur: Chriſtus nobiſcum, ſtate. eo facto, repētè cœleſtis ira conſedit. Iuſtinianus inde, & Theodora coniux eius, ingēti ſuppeditata pecuniæ ſumma, urbē inſtaurarunt, ac nouo nomine pro Antiochia Theopolim appellarunt. Sigon. lib.17. Imp. occid. ex Cedreno & Vrſpergenſe.

Triceſimo imperij Theodoſij anno terræmotus magni facti ſunt Conſtantinopoli per quatuor menſes, ita ut metu nimio perculſi Byzantini extra ciuitatem in campum unà cū epiſcopo, qui tum Proclus fuit, ſecederent, precibus Deo pro liberatione ab imminenti interitu ſupplicantes. Quadā ergo die fluctuante terra, atq; omni plebe attentiùs clamante, κύριε ἐλέησον, circa horā tertiā, omnib. uidētibus, à diuina contigit uirtute, ſuſtolli quendā ADOLESCENTVLVM in aëra, & audire diuinam uocē admonentem, ut epiſcopo ac populo nunciaret, ut Litanias ſic facerent, & dicerent: ἅγιος ὁ θεὸς, ἅγιος ὁ ἰσχυρὸς, ἅγιος ὁ ἀθάνατος, ἐλέησον ἡμᾶς: Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis miſerere nobis. nihil aliud apponētes. Proclus epiſcopus cū ſic facere populo ꝓcepiſſet, terræmotꝰ ceſſarūt. Paul. Diac. lib.14. & Cedrenus.

SICCITATE, STERILITATE, FAME.

PELASGI Lemnum incolentes, cùm eis poſt necē liberorum atq; uxorū neq; tellus fructum redderet, neq; uxores, neq; pecora, ut priùs, gignerent, pariter fame & liberorum orbitate uexati, Delphos miſerunt petitū aliquod laxamentum præſentium malorum. Iuſſi à Pythia pœnas Athenienſibus, quas illi uellent, pēdere, Athenas iēre: pollicitiq; ſunt, daturos ſe pœnas illis omnis iniuriæ. Athenièſes ſtratis in curia thoris quàm poterant ſplendidiſſimis, appoſitaq; menſa omniū bonorū refertiſſima, iuſſerunt Pelaſgos, ita ſe habentē regionē ſibi traderent. Tunc Pelaſgi excipiētes dicere: Si nauis uento aquilone atq; uno die nos è ueſtra regione in noſtrā peruehet, imperata faciemus. Hoc dixēre, ꝙ ſcirent fieri nō poſſe: nā Attica multò magis ad Auſtrū uergit quā Lemnus. Compluribus deinde interiectis annis, ubi Cherſonneſus (quæ eſt in Helleſponto) Athenienſium ditionis fuit, Miltiades Cimonis, uentis eteſiis perflantibus, ex Eleunte (quæ in Cherſonneſo eſt) ſoluens, in Lemnū delatus eſt, præcepitque Pelaſgis, ut ex inſula excederent: redigens eis in memoriā oraculum, quod nunquā illi expletū iri ſperaſſent. Quorum Hepheſtienſes quidem obtemperauerunt: Myrinæi autem non agnoſcentes Cherſonneſum eſſe Atticam, tamdiu obſeſſi ſunt, donec in deditionem uenerunt. Ita Lemno potiti ſunt Athenienſes atq; Miltiades. Herod. lib.6.



HALYARTIBVS, cùm ſumma aquarum penuria laborarēt, eiuſq; rei legatum Delphos mitterent: datum oraculum de ſiccitate amolienda: ut legato Haliartum redeunti qui primus obuiam factus eſſet, occideretur. Quare cùm primus ei filius impubes Lophis occurriſſet, nil cunctatus ſtricto gladio puerum percuſſit. Qui adhuc ſpirās huc illuc curſitauit. Vbicunq; uerò humi fuſus eſſet cruor, inde aquæ eruperūt. Ex quo Lophis fluuius nomen accepit. Pauſanias in Bœot.

Theagenis Thaſij athletæ nobiliſſimi ſtatua obtrectatorem quendam eam flagris cedentem caſu obruerat. Huius filij ſtatuam de cæde poſtulant. Quæ THASIORVM ſententia in mare abiecta fuit, iuxta Draconis legem. Factum hoc per multos annos ſecuta eſt ſterilitas. Mittitur Delphos ad oraculum. Quod reſpondit: Exules reuocandos eſſe. Exulib. reuocatis, cùm ſterilitas non ceſſaret, iterum per legatos queſti ſunt Thaſij. Reſpondit rurſus Pythia:

Theagenis at ueſtri nullam rationem habuiſtis.

Igitur piſcatores in altum prouecti, inter piſces reti comprehenſos ſtatuam ſimul Theagenis repererunt. Quæ in loco ſuo repoſita, à Thaſiis diuinis fuit celebrata honoribus. Pauſanias in Eliacis.

EPIDAVRII ob ſterilitatem agrorum Delphos miſerūt. Reſpondit Pythia, Damiæ & Auxeſiæ ſimulacra ex ligno oleagino facerent. Epidaurii Athenienſes rogarūt, ut permitterent ſibi oleam incidere, uel quia eo tempore ſola Attica oleas habebat, uel quia oleæ Atticæ ſacratiſſimæ eſſent. Athenienſes ea lege conceſſerunt, ut quotannis ſacra Mineruæ urbanæ & Erechtheo offerrent. Quo facto, fertilis Epidauriorum extitit regio. Herod. lib.5.

Olim Piræus inſula fuit, id quod ipſum etiam uocabulum adhuc indicat: περᾶν enim trāſmittere eſt. In ea cùm Munychus principatum obtineret, templum inſtituit Dianæ, cui cognomē additum Munychiæ. Dein cùm urſus Dianæ ſacer quidā ibi repertus, & ab ATENIENSIBVS interfectus eſſet, fames ingruit: itum eſt ad oraculum, quæſitumq; malo remedium. Reſpondit deus, Ita demùm finem mali futurum, ſi quis filiā immolaſſet numini. Vnus autem repertus eſt Embarus, qui polliceretur ſe filiam immolaturū, ea lege, ut ſacerdotium in poſteros ſuos traduceretur. Itaq; ſolenni ritu ornatā ſacrificauit. Plutarchus in Collectaneis, & Eraſmus in Prouerbio, Embarus ſum.

AZANEA Phrygiæ, cuius mentionem fecit Strabo libro Geographiæ 12. De hac Hermogenes, citante Stephano, huiuſmodi quādam narrat fabulam. Cùm illic frequentes eſſent uillæ ruſticorum, orta ob ſterilitatem agrorum fame, collecti paſtores rem diuinam fecerunt, fertilitatem à diis petentes. Cæterùm, cùm dij non audirent illorum uota, perduraretq; agrorum ſterilitas, Euphorbus è paſtoribus quidam, nouum ſacrificij genus excogitauit. Immolauit enim ἀζανὸν καὶ ἐχῖν, quod Phrygum lingua ſonat, uulpem & echinū. Hac hoſtia placatis diis, agros feraces eſſe cœpiſſe. Quod ubi finitimis paſtoribus eſſet cognitum, Euphorbo ſacerdotiū & imperium detulerunt. Pòſt loci nomē commutatū eſt, próque Azanèa Ἐζανάγυν uocatum, quod perinde ſonat Phrygio ſermone, quaſi dicas, ἐχιναλώπηκα, Echinouulpem. Hinc Prouerb. natum uidetur, Ἀζανιᾶα κακά. Eraſmus.

REDITVS FELICIS IN PATRIAM.

Inter exploratores, in terram ſanctā à Moſe emiſſos, fuit HOSEAS Nunis F. ex tribu Ephraim, quem Moſes tunc mutato nomine Ioſuam uocauit, indubitato præſagio, illum futurum ſaluatorem, qui populum è ſolitudine in terram ſanctā introduceret. Id quod poſt 40. annos contigit. Num.13.

Apollonius in III. Argonauticorum canit aſpectu columbæ iuſſos ab augure Mopſo ARGONAVTAS bene ſperare: demonſtratumq; illis eſſe, reſpondere id ſignum prædictioni Phinei, qui affirmarat, reditum eorum è periculoſa illa expeditione poſitum eſſe in uoluntate Veneris: ipſius nanq; deæ ſacras eas eſſe aues.

DOLONCIS Thracibus, qui Cherſonneſum Helleſponti tenebant, regione ſua ab Abſinthiis pulſis, de repetēda patria oraculū tale datum fuit, Vt coloniæ in ſuam terrā deducendæ eum auctorē adſciſcerēt, qui primus eos tēplo abeuntes hoſpitio inuitaſſet. Dolonci per Phocēſes atq; Bœotios iter facientes, à nemine inuitati Athenis diuertunt. Ibi cōſpecti à Miltiade in domus ſuæ ueſtibulo ſedente, domicilium & hoſpitiū congiariū ipſis oblatum fuit. Illi hoſpitaliter excepti aperuerunt ei oraculum, preceſq; addiderunt, ut deo obſequeretur. Miltiades confeſtim perſuaſus, Delphos ad oraculum ſe confert, iubenteq; Pythia cum Doloncis nauigat, ſumtis Athenienſium uoluntariis quibuſque ad expeditionem ineundam. Herodotus lib.6.

Cephalū aiunt Deionei filiū cum Amphitryone primū ad Teleboas, in eam inſulam, quæ de ipſius nomine Cephalenia dicta eſt, profectū. Nam Thebas antè Athenis ob Procridis uxoris cædē exul migrarat. Eius poſteros, decē iam exactis ſeculis, CHALCINVM & Dætum, cùm Delphos nauigaſſent, ac deum de reditu in antiquā patriam cōſuluiſſent, reſponſum accepiſſe, Vt in Atticam reuerſi, quo in loco humi currentem triremem uidiſſent, ibi Apollini rem diuinam facerent. Cùm itaq; ad montē, quē Pœcilū appellāt, appropinquaſſent, draconē offendiſſe celeri ſe lapſu in latebras demittentem: ibi eos rem diuinam Apollini feciſſe, ac ſtatim ab Athenienſibus in ciuitatē receptos. Pauſanias in Atticis.

Conſultantibus GRÆCIS poſt iunioris Cyri interitum, quo maximè modo ex Aſia in Græciam remearent, Barbaricæ fraudis declinata ſæuitia: fertur quidam interim ſternuiſſe. Quod quum audiſſent milites, impetu uno deum ſunt uenerati, Iouis, quem Sotera dicunt, arbitrantes auguriū (quod Græcè propriè Symbolum dicūt) Cælius lib.24.cap.27. A. L.

CONON dux Meſſeniorū, qui Naupacto pulſi à Lacedæmoniis, tertio bello Meſſenico in Libyam ad Eueſperitas populos profecti fuēre, ſomniauit, ſe cum matre iampridem mortua congredi, & illam ſtatim à congreſſu reuixiſſe. Itaque non multo pòſt, ſuperatis ad Leuctra Lacedæmoniis, ab Epaminonda Thebano reuocati, ſuiſq; ſedibus reſtituti Meſſenij, urbem Meſſenem condiderunt. Pauſanias in Meſſen.

M. T. CICERONE exule Dyrrhachium ueniente, terrā mouiſſe aiunt, & fuiſſe reciprocatum æquor. Vnde coniectarunt haud fore diuturnum ei exilium uates, prænunciare enim ea mutationē. Iam cùm in cāpi Arpinatis uilla, urbe pulſus, diuerſaretur, animo in ſomnum profuſo, per loca deſerta inuiaſq; regiones ſibi uaganti, C. Marium cum faſcibus laureatis obuiū factū putauit, interrogantē, Cur ita triſtis eſſet? Cui cùm mœroris cauſam dixiſſet: lictoribus, ut in monumentum ſuū deducerent, tradidiſſe. Nec multo pòſt in æde Iouis Mariana ſenatuſconſultum de reditu Ciceronis in patriam factū eſt. Cic. de Diuinat. lib.1. Val. Max. lib.1.cap.7. Plutarchus in uita Ciceronis.

CONIVGII.

DEMAGETVS Rhodius, Ialyſſi rex, cùm Pythiam interrogaſſet, Vnde eſſet potiſſimum uxor ducenda? reſpondit, Eius, qui uir eſſet Græcorum optimus, filiam duceret. Ariſtomenis igitur Meſſenij filiam, [illegible] minimam, adſciuit, patrē longè eſſe optimum Græcorum eius ætatis omnium ſtatuens. Pauſanias in Meſſenicis.

POLYNICES, ab Eteocle fratre pulſus, in Adraſti ditionē Argos profugit. Cùm nocte appuliſſet, & fortè Tydeum Oenei eſſet nactus, qui ob cædem Alcathi & Lycothei nepotū perpetratā è Calydone profugerat, cum eodē præliū conſeruit: inter quos clamore tumultuq; coorto, interuenit Adraſtus, & pugnantes diremit. Atq; ibi ſimul recordatus oraculi cuiuſdā, quo monitus fuerat, ut apro & leoni filias ſuas in matrimoniū collocaret, utrunq; ſibi generum aſciuit (habebant enim in clypeis alter apri, alter leonis figuram) pollicituſq; eſt, ſe utrunq; reſtituiturum in patriam. Diod. lib.4. c. 6. Euſtathius Iliad. Δ. Polynici quidem leonis exuuio induto Argeam, Tydeo uerò Diomedis patri, apri pellem geſtanti, Deipylen in uxorem datam aſſerit.

Scribit Paulus Diaconus, cùm Theodelindæ nuptiæ cū Authari rege Longobardorū in agro Veronenſi celebrarentur, atque oborta tempeſtate ſtipes quidā è ſeptis regiis fulmine ictus eſſet, ariolū quendam ſecretò AGILVLFO Duci Taurinatiū præſenti dixiſſe, fore, ut is breui Theodelindæ cōiugiū ſortiretur. Quod ille audiens, manu ſua ſe uitam illi adēturum ſubiecit, ſi cui tale quidquā enūciaſſet. Mortuo inde Authari à Theodelinda in cōiugium acceptus eſt. Sigonius lib.1. regni Italici.

AMICITIAE INEVNDAE.

ARATO Sicyonio Achæorū prætori, paulo antequàm Cleomenis Spartani armis preſſus Antigono Macedonum regi mercede Acrocorinthi ſeſe cōiungeret, fama eſt ſacris operāti duplex fel in iecore apparuiſſe, uno circumiectū adipe: ac nunciaſſe aruſpicē, breui eū cum inimiciſſimis hoſtib. in ſummam coiturū amicitiā. Quod dictū in præſentia flocciſecit: ꝙ neq; aliàs multum fidei extis tribueret uel aruſpicinæ, ſed cōſilio uteretur. Vt uerò poſtea bello proſperè procedēte Antigonus Corinthi conuiuiū agitans, multis inuitatis, Aratū ſupra ſe collocauit, ac mox poſtulata ueſte ſtragula rogauit, Númne ei quoq; appareret frigus eſſe? Quo etiam rigere admodum ſe reſpōdente, iuſſit ei, admouere ſe propiùs, atq; tapete allato ambos unà pueri cooperuere. Tunc ergo illorum extorū memori Arato riſus ſubiit, commemorauitq; regi prodigiū & prædictionē. Plut. in Arato.

Iacobus Lupius Siqueira Indiæ prætor an.1519. in ſinu Arabico in inſulā Mazuam ſubuectus erat, quæ ditioni regis Aethiopiæ, quem presbyterum Ioannem uocant, paret. ARCHIQVI uicinæ urbis in cōtinente præfectus cū accepiſſet claſſem Luſitanā eſſe, Siqueirā per literas humaniſſimè ſalutauit:

uit: ſeq; gratias ingẽtes Deo agere teſtificatus eſt, quòd antiqua prophetarum oracula euentu feliciſſimo cõprobaret. Hoc enim à uiris olim diuinis, qui in regionibus illis maximum admirandæ uirtutis ſpecimen dederant, prædictum fuiſſe: Fore, ut eo tempore Chriſtiani, terrarum & mariũ interuallis diſiunctiſſimi, in eas oras claſſe peruenirẽt. Siqueitera nuncios benignè accepit, & bombycinis ueſtibus ornauit: ad præfectum uerò miſit uexillum ſericum pulcrè factũ, in quo rubra crux erat intertexta. Præfectus cùm ſignum præferri accepiſſet, in litus accurrit. Supra duo hominum millia cum illo uenerunt: qui omnes cùm ſignum Crucis in uexillo uidiſſent, in terram ſe proiecerunt, & Chriſti nomen cum admirabili pietatis ſtudio ſæpiùs inclamârunt: ita ut Luſitani, qui aderant, lacrymas tenere non poſſent. Oſorius libro 11. rerum Emmanuelis.

### HOSTIVM INFORTVNII.

EDVARDVS III. Anglorũ rex, inter ſacra, uidit in euchariſtia puerũ Ieſum (quẽ item Leofredus Merciorũ comes, uir ſanctiſſimus, qui aderat, cõtemplatus eſt) & ſtatim protũpẽs in riſum, ac interrogatus, Ecquid eſſet? reſpõdit, ſe uidiſſe Dacos infeſtis armis Angliã inuadere, ac cõtinuò prætoria naue demerſa, in Daciã contendere. Id qđ paulo pòſt accidit. Inde facilè cognouit, regnũ ſuũ eſſe Deo curæ. Polyd. lib. 8.

Cùm aduerſus Carolum primum Conradinus Germanorum rex, ad recuperandum Neapolitanum regnum, cum ualido exercitu proficiſceretur: CLEMENS IIII. pontifex, Viterbij, conſternata metu aula, in Prædicatorum fano inter miſſarum ſolennia concionatus, ad ſolandas hominum mentes apertè monuit, ne qui ſecum in aula erant formidarent: quoniam malorum hominum ſuaſu Conradinus ad[redacted] expeditionẽ, uelut ouis ad occiſionem, duceretur. Affirmauit autem à Deo habere ſe hoc pro cõperto, ut poſt Catholicæ fidei articulos hac re nihil certius putaret. Nec multo pòſt ſuperatus prælio Conradinus à Carolo, Neapoli capite multatus fuit. Fulgoſus lib. 1. cap. 3.

# MALORVM FORTVITORVM DIVINA COGNITIO.

### MVNDANI EXCIDII.

NOACHVS cùm diuina reuelatione diluuium inſtare didiciſſet, & arcam pro ſeminario creaturarum cõſeruando extruere iuſſus eſſet, quàm Deo in tali arcano communicando charus fuit, tam erga homines per centum annos pœnitentiam illis prædicando, pius & officioſus.

In libris Talmudicis, titulo Sanedrim, cap. Helec, tum etiam in titulo de Idololatria, cap. Libne, ſex annorũ millibus mundi ætatem definit HELIAS Rabbinus, ex opificio mundi ſex dierum: quam coniecturam multi uelut oraculum acceperunt, cùm Heliam prophetam eſſe arbitrarentur. Certè R. Iſaac in cap. 1. Geneſeos, & Leo Hebræus, illud uaticinium quaſi cœlo delapſum amplexãtur. Hoc amplius etiam Leo Hebræus, quòd perpetua ſex annorum millium uiciſſitudine, mundi elementaris cõuerſionem, ac ſeptimo quoq; milleſimo quietem fore opinatur: quouſq; quadraginta nouẽ millibus annorum elapſis, qu[redacted]ageſimus, orbium quoq; cœleſtium interitum ſit & quietem magni Iubilei allaturus. Ioannes Bodinus Methodi hiſtoricæ cap. 8.

D. MARTINVS conſultus de fine ſeculi, diſcipulis reſpondit, Neronem & Antichriſtum primùs uenturos: ad Occidentem alterũ, alterum ad Orientem latè dominaturum. Neronem ad Occaſum decẽ reges ſubacturum, ut colant idola. Antichriſtum Hieroſolymis imperaturum, urbem cũ templo reſtituturũ, Chriſtianos inſectaturũ, ut à Chriſti fide deficiant, ſeq; Chriſtum & Dei filium credant: Neronem, totumq; orbem huic ſanè ceſſurum: ac eò uſque regnaturum, donec à Chriſto adueniente proteratur. Bonfinius lib. 5. Dec. 1.

CANNACAS, Suidæ Nannacus, Phrygum rex, quemadmodum narrat Hermogenes in Phrygiis, cùm præuidiſſet euenturum diluuium, conuocatis omnibus ad templa deorum, multis lacrymis ſupplicabat diis, ut id malum auerterent. Vnde Herodes iambographus inquit, ἵνα τὰ κανάκε κλαύσω: id eſt, ut Cannacæ more plorem. Zenodotus. Stephanus in dictione Iconium, meminit adagij, niſi quòd Annacum appellat, non Cannacum, aut Cannacam: & de fabula nonnihil euariat. Ait enim, Annacum quendam uixiſſe ſuper annos trecentos. Itaq; undiq; conſulta oracula, quo uſq; uicturus eſſet. Reſponſum autem, mortuo Annaco peritura uniuerſa. Eo defuncto, ſucceſſiſſe diluuium Deucalionis. Cæterùm audito reſponſo, magnoperè luxiſſe Phryges, atq; hinc de graui luctu ortũ prouerbiũ, ἐπὶ ἀννάκε κλαύσειν. Eraſmus.

### SCHISMATVM, PERSECVTIONVM CAVSA RELIGIONIS.

Preſagia & uiſiones, quę perſecutionem, quam in Chriſtianos mouit Hunericus, proximè præceſſerunt, hoc ordine recitat Victor de perſecutione Vandalica, lib. 2. Videns QVIDAM eccleſiam Fauſti ſolito in ornatu fulgentem, ſubitò animaduertit fulgorem omnem extingui: tenebriſq; ſuccedẽtibus, ingratum naribus naſci fœtorem, & expelli ab Aethiopibus foràs beatorum turbam. Vidit eandem eccleſiam PRESBYTER quidam refertam multitudine innumerabilium populorum: & poſt paululum, impleri porcorũ multitudine, atque caprarum. Vidit ALIVS arcam triticeam uentilationi præparatam, granis nondum à paleis ſeparatis. dumq; aceruũ miratur magnitudinem, ſubitò coortus turbo, maximo impetu paleas diſpergit, granis remanentibus. Superuenit paulo pòſt procera ſtatura quidam, ſplendido conſpicuus uultu, habituque nitido, grana examinans, & pleriſque leuibus & ſimilagini ineptis abiectis, ex maſſa maxima reliquum faciens aceruum exiguum. Stabat QVIDAM ſublimiùs in monte, qui Zipenſis dicitur, & dextera læuaque ſublatis clamabat, Migrate, migrate. Vidit ALIVS cœlo fulminante, ex nubibus ſulphuris ingentes lapides deiici, qui delapſi ardentes in domos paſſim irruerent, atque homines repertos exurerent. Vidit & PAVLVS epiſcopus arborem uſque ad cœlos ramis florentibus extenſam, quibus Aphricam totam uidebatur operire. Et cùm omnes arboris magnitudinem & formam admirarentur, prodiit alicunde aſinus uiolentus, qui ſupinus ad radices eius ceruicem defricans, impulſu ſuo deiecit in terram. Sed & QVINTIANVS uenerabilis epiſcopus, uiſus ſibi eſt inſiſtere altiſſimo cuidam monti, ex quo gregem ouium frequentiſſimum proſpexit, collocatas autem in medio gregis ollas duas uehementer bullientes. Interea gregem aliqui pererrabant, oueſque mactatas ollis illis iniiciebant, donec grex totus abſumeretur.

LEONTIVS epiſcopus Antiochenus, cùm uideret eccleſiam in doctrina diſſentire, tangens caput ſuum iam canum, fertur dixiſſe: Hac niue ſoluta, lutum cogetur immenſum. Per hoc oſtendens, quòd ipſo defuncto, illa diſcordia populo generaret ſeditionem. Tripart. hiſt. lib. 4. cap. 35.

BYZANTII antè quã caperetur (Andronico Seniore & Andronico Iuniore imperantibus) cùm ſacri hymni canerentur, porcus alicunde elapſus, ſubitò in medium pſallentium cœtum inſiliit, multo cœno inquinatus: & uariè huc at[redacted] illuc uagatus, uix tandem exceſſit. Id prudentioribus confuſionem quandam Chriſti eccleſiæ & factionem ſignificare uiſum. Gregoras lib. 8.

Pelagoniæ coram Imper. Manuele Comneno diſputabant magna contẽtione inter ſe THEOLOGI Græci, de illo dicto, Deũ incarnatũ ſimul & offerre & offerri. & ſimul, quamuis anni tẽpore repugnante, ingens tonitru exauditum eſt, tanto cũ fragore, ut nonnulli in terrã collaberentur. Elias quidã aperto libro de terræmotibus & tonitruis, ſcriptum inuenit, πλᾶσις σοφῶν, Caſus ſapientum. Nec multo pòſt qui diuerſam tuebantur ſentẽtiam, ab Imperatore in exilium ſunt pulſi. Nicetas libro ſeptimo.

Priuſquam FRIDERICVS I. Imp. cum Alexandro III. pontifice ad bellum deſcendit, clarè effigiata in ipſa luna crux in eius medio apparuit. Item Salutis anno 1169. regnantibus iiſdem, Nonis Septemb. tres apparuêre ſoles occidentem uerſus, qui ultra duas horas conſpecti ſunt: po[redacted] tempus is, qui inter tres medius erat, permanſit. Sabellicus libro primo, capite quarto.

Antè quàm ſchiſmatici tumultus inter CALLISTVM II. Burdinumque Antipapam orirentur, in Gallia, in Leod[redacted]ſi agro, porcus capite effigieque humana natus eſt. Fulgoſus libro primo, capite 4.

Eo anno, qui ſchiſma GREGORII & Gilberti Rauennatis epiſcopi (qui auſpiciis Henrici III. Imperat. ſe Clementem uocauit) præceſſit, pluſquam quindecim dies, aues cicures efferatæ ſunt, & in Britannia fons ſanguine manauit. Sabellicus lib. 1. cap. 4. & Fulgoſus ibidem.

HENRICO IIII. imperante, qui Pontificum diris mirè uexatus eſt, in feriis Pentecoſtes, Imperatoris clypeum & enſem, in aula Goſlariana, fulmen abſumſit. In finib. Tornaci colubrorũ agmina ꝓdigioſo prælio inter ſe cõcurrerũt: multis uerò utrinq; cadentib. pars uicta in cauã arborẽ ſe ꝓripuit: quã uictrix ſibilando circũdedit, donec circũiecto ab hominibus igne cremarentur, an. 1059. Sigebertus. Gallina Romę peperit ouũ, naturâ non arte cælatum ſerpente. Gregorius VII. papa ouo Imperiũ, ſerpente, regẽ Romanorũ denotari cõiectabat. Auent. lib. 5. Ex epiſcoporũ quorundã baculis & crucicula Stederburgẽſi (quod cœnobiũ ditionis Brunſuicenſis



ceſſis ditionis eſt) ſudor deſtillauit. Corui & cornices prælia commiſerunt integrum diem, & utrinq; multi ceciderunt. Vueddingæ uinum ſacri calicis in ſanguinẽ conuerſum eſt: quod miraculi loco in æde ſumma Magdeburgenſi repoſitum fuit. [redacted]

Tertio Nonas Ianuarias, an. 1117. quo Henricus V. Imp. ſecundùm in Italiam cõtra Paſchalẽ II. Pp. uenerat, ITALIA inaudito ante multa ſecula terremotu, cõcuſſa eſt. Quippe eius impetu mœnia, tẽpla, turreſq; urbiũ paſſim cum ingenti mortalium ſtrage procubuerũt: fontes turbati, templorum lãpades, nullo impellente uentorũ flatu per aërẽ latæ: præcipuè Parmæ noua baſilica, Veronæ ædificiorum pars maxima corruit. Hiatus item terræ in illis partib. ingentes apparuerunt, & arbores radicitùs euulſæ ſunt: infans locutus, triſtia ac portentoſa quædam enunciauit. Quinetiam tertio Kalen. Februarias tremenda tonitrua ac fulgura, quæ nulla hominũ meminerat ætas, creberrima immiſſa grãdine, mortaliũ auribus oculiſq; obiecta, rem in eam religionẽ adduxerunt, ut diræ aliquid calamitatis impendere homines ſuſpenſis mentib. pertimeſcerent: quodq; pauorẽ animis maiorẽ incutiebat, eadẽ prodigia, ac multò triſtiora ex Germania nunciabantur. Sigon. lib. 10. reg. Ital. In Romandiola ſanguine pluit. Benno. In eccleſia Leodienſi in uigilia Dominicæ aſcenſionis, quũ decẽ collegiorũ mẽbra in unã maioris eccleſiæ baſilicã conueniſſent ad ſacra ſolẽnia peragenda, uix primus pſalmus erat peractus, ſubitò ſereno cœlo repentinæ ingruerunt tenebræ, noctẽ intentantes. Conſternatis mox tantus nubiũ ſonitus inſtrepuit, ut nunquã maior colliſio fuerit audita. Fulgur quoq; tam terribile alio tempore auditum, ut quamuis diſtantiſſimæ eſſent urbes, quæque tamen ſupra ſuum caput eſſe uibratum arbitraretur. Crãzius lib. 5. Saxoniæ, cap. 39.

Anno ſal. 1156. Nonis Sept. cœlo ſereniſſimo tres ſoles, paucis pòſt diebus totidem lunæ, in media luna crux candida apparuit. Aſtrologi diſcordiã[redacted] inter Electores ob Imperatorẽ eligendum uerè prædixere. Erfordienſis.

Arſit cometes anno Domini 1340. quo Imp. LVDOVICVS Bauarus excommunicatus eſt à pontifice, & in eius locum electus Carolus IIII.

Anno, antequàm ſchiſma erumperet inter EVGENIVM IV. põtificem, atq; Amadeum Sabaudienſem (à concilio Baſilienſi ad Romanum pontificatum electum, cui Felicis V. nomen indiderãt) cùm in Germania eccleſiæ in diuerſa ſtudia ſciſſæ eſſent, atq; in Italia bella cædeſq; peragerentur: eodẽ die in urbe Roma fulgur quatuor templorum, Pontificiæ curiæ dicatorum campanarias turres choroſq; tantùm, percuſſit. Sab. lib. 1. cap. 4.

[redacted]

FRIDERICVS & IOANNES duces Saxonię, fratres, eo anno quo Lutherus primùm menſe Nouembri edidit propoſitiones de Indulgentiis, cùm ex tẽplo Vinariæ in natali Chriſti, cũ filio duce Ioanne Friderico poſt mediã noctẽ egrederẽtur cũ frequenti comitatu, uident ſupra arcẽ cœlo ſereno fulgentẽ crucem purpureã, ſatis magnã & perſpicuè expreſſa figura. Ibi cùm diu ſtarent attoniti ſpectatores, fratres eo ſigno portendi futura certamina de doctrina, & domus Saxonicæ pericula uaticinati ſunt. Laurentius Lindemannus in oratione de Ioanne duce Saxoniæ.

### RELIGIONIS EVERTENDAE, INTRODVCENDÆ, PROPAGANDÆVE.

☞ [redacted]

### VERÆ RELIGIONIS

*Propagatio.*

☞ *Hæc Impiis mala, Piis bona & exoptata. Vide Tit. Diuinatio Religionis, Conuerſionis ad pietatem.*

*Corruptio, Euerſio.*

☞ *Hæc Piis mala, Impiis grata & accepta.*

Cùm operaretur aliquid ANTONIVS eremita aſſidentib. fratribus, intentè oculos in cœlũ fixit, ſuſpirans: & cùm ualde turbaretur, genib. flexis orare cœpit. Interrogatus à fratrib. ſemel atq; iterũ, Cur tãtoperè cõmoueretur? uix tandẽ cum ingenti mœrore & fletu reſpondit: Magno, ô fratres, turbine, fides Chriſtiana poſt noſtra tempora ſubuertetur. Vidi enim altare Domini malorũ circumdatũ multitudine, qui crebris calcium ictibus omnia diſſipabant. Gilbertus Cognatus libro ſexto Narrationum.

Cùm noctu GENNADIVS patriarcha Conſtãtinopolitanus ſub Leone Magno Imp. ad altare aſtaret, & preces ad Deum pro mundo funderet, ſpectrũ quoddã dæmoniacum uiſum eſt: quod crucis ſigno ab eo repulſum, humana uoce ita illi reſpondit: Illo quidem uiuo ſe ceſſurum atq; quieturum, poſtea uerò modis omnibus Eccleſiam perturbaturum. Nicephorus lib. 15. cap. 23. Suidas, Cedrenus.

### FALSÆ RELIGIONIS

*Propagatio.*

☞ *Hæc Piis mala, Impiis bona uidetur,*

Conſtantius Imperator, Iuliano, Athenis, ubi literis operã dabat, Mediolanũ accerſito, ac in Cæſarẽ declarato, ſororẽ Helenã collocat. Inde Gallias petenti, ac Viennam prouinciæ ingreſſo, ANVS prædicit, deorum templa eundem reparaturum. Auentinus lib. 11. Annalium Boiorum.

ATTICVS, epiſcopus Conſtantinopolitanus, ſcripſit contra Neſtorianam hæreſim diuino inſtinctu, cuius tamen hæreſis nomen adhuc ignorabatur.

[redacted]

*Euerſio.*

☞ *Hæc Impiis mala, Piis bona uidetur: Conſule Tit. Oracula quæ obmutuerunt.*

Heliſæo propheta in Galgalis edito, bos aurea in Selom ISRAELITARVM, clamore maximo uociferata eſt. Excidiũ enim ſuũ diabolus ꝓuidebat. Epiphanius in Vitis ꝓph.

Iadon uates Hieroſolymitanus, ſuperſtitionis Iſraeliticę euerſionem prædixit HIEROBOAMO inſtauranti idololatriã uitulorũ in Dan & Bethel. 3. Reg. 13. & Ioſephus li. 8. c. 9. Ant.

Narrat Oroſius lib. 6. c. 22. AVGVSTVM Cæſarem eadem die, qua Chriſtus natus eſt, mandaſſe, ne quis ſe Dominum deinceps uocaret: diuinantem credo, uerum principẽ orbis terrarum ac mundi totius natum eſſe. Idem quoq; mandauit, ut in orbe Romano omnium hominum capita cenſu notarentur, ac ſi maiori principi rationem gubernati imperij aliquando redditurus eſſet. Huic autem cenſui Cyrinum uirũ conſularem ex ſenatuſconſulto præfecit. Pax præterea & quies tanta fuit tum domi tum foris, quanta nunquam antea. Hunc enim iuſtitiæ & pacis regem, prophetæ appellarunt. Sab. lib. 1. En. 7. & Platina.

Dum in AEGYPTO Chriſtus opt. max. cum Ioſepho & matre fuit, ſimulacra deorum, quos gens illa ſtulta colebat, ſua ſponte cecidiſſe dicuntur. Imperante demùm Hadriano, ubique gentium pernicioſæ nefariæque ſublatæ ſunt immolationes, tum Delphici Apollinis, tum Ammonis: aliorumq; uanorum deorum oracula penitùs muta extiterunt. Nam teſte Cicerone lib. de Diuinatione 2. iam diu antè ſenſim ſilere cœperant, ſic, ut eius ætate, qui paulò ante Chriſti aduentum uixit, fermè conticerent. At tum deniq; potentia dæmonum infracta iacuit: quod Porphyrius (uti Euſebius dicit) Chriſtiani nominis hoſtis, in libro, quẽ aduerſus religionem noſtram ſcripſit, hoc modo teſtatur: Nunc uerò mirantur, inquit, ſi tam multos annos peſte ciuitas uexetur, quum & Aeſculapius, & alij dij longè abſint ab ea. Poſtea enim, quàm Ieſus colitur, nihil utilitatis à diis cõſequi poſſumus. Hæc uerba illius ſunt. Chriſtus ergo Ieſus diis illis potentior eſt. Ita demùm ſequutũ eſt, quod Dominus apud Zachariam prophetã perdiu antè annunciarat eſſe futurũ, dicens, Diſperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur ultra. Polydorus libro quinto, cap. octauo, de

Rerum

[redacted] Rerum inuent. Atteſtatur Athanaſius de Humanitate uerbi, & Auguſtinus de Ciuitate Dei, & Euſebius lib. 7. cap. 6. Plut. de abolitis oraculis, Plin. lib. 30. cap. 1.

Aſtharoti idolum apud INDOS, ueniente eò Bartholomæo apoſtolo, obmutuit. Marul. lib. 2. c. 8. & Sabel. lib. 5. c. 4.

Oraculum APOLLINIS in ſummis Alpibus obmutuit ob Gregorium: nec niſi permittente Gregorio reſpõſa dare potuit. Ruffinus in hiſt. Eccl. lib. 7. cap. 25.

HERMES Triſmegiſtus in Aſclepio, ubi de cultu dæmonum Aegyptiaco loquitur, inquit: Quoniam præſcire cuncta prudentem decet, iſtud uos ignorare fas nõ eſt. Futurum tẽpus eſt, cùm appareat, Aegyptios incaſſum pia mente diuinitati ſedulam religionem ſeruaſſe, & omnis eorum ſancta ueneratio in irritum caſura fruſtrabitur. Deinde multis uerbis hunc locum exequitur, uideturq; hoc tempus prædicere, quo Chriſtiana religio, quãtò eſt ueracior atq; ſanctior, tantò uehementiùs & liberiùs cuncta fallacia figmẽta ſubuertit: ut gratia ueriſſimi Saluatoris liberet hominẽ ab his diis quos fecit homo, & ei Deo ſubdat, à quo factus eſt homo. Sed cùm Hermes iſta prædicit, uelut amicus eiſdem ludificationibus dæmonum loquitur, nec Chriſtianum nomen euidenter exprimit, ſed tanquam ea tollerentur atq; delerentur, quorum obſeruatione cœleſtis ſimilitudo cuſtodiretur in Aegypto: ita hæc futura deplorans, luctuoſa quodammodo prædicatione teſtatur. Erat enim de his, de quibus dicit Apoſtolus, quòd cognoſcentes Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Addit: Tunc terra iſta ſanctiſſima ſedes delubrorũ atq; templorũ, ſepulcrorũ erit mortuorumq; pleniſſima. Sed hoc uidetur dolere, quòd memoriæ martyrum Chriſtianorum templis eorum delubriſq; ſuccederent: ut uidelicet, qui hæc legũt, animo à religione auerſo atq; peruerſo, putent à paganis deos cultos fuiſſe in templis, à nobis autem coli mortuos in ſepulcris. D. Auguſt. lib. 8. de Ciu. Dei. cap. 23. & 26.

[redacted]

M. VARRONIS, qui de Antiquitatibus rerum humanarum & diuinarum libros XLI. ſcripſit, ominoſa uox fuit, cùm cõſilium ſuæ ſcriptionis aperit, & timere ſe, ne pereant res ſacræ, profitetur, non incurſu hoſtili, ſed ciuium negligentia: de qua illos ueluti ruina liberari à ſe dicit, & in memoria bonorum per huiuſmodi libros recondi atq; ſeruari: utiliore cura, quàm Metellus de incendio ſacra Veſtalia, & Aeneas de Troiano excidio penates liberaſſe prędicatur. D. Auguſt. lib. 6. de Ciu. Dei. cap. 2.

ANTONINVS, Soſipatræ & Euſtathij Cappadocis F. apud Canobicum Nili oſtium ſcholam habuit. Prædixit diſcipulis, à ſua morte Serapidis delubra euerſum iri. Euentus uaticiniũ cõfirmauit ſub Theodoſio Imp. Eunapius in Aedeſio.

CHRYSANTHIVS Lydus, Aedeſij diſcipulus, Magiam ſtudioſè amplexatus eſt: diuinationis ita peritus, ut multi meliùs illum futura cernere, quàm prædicere dictitarent. A Iuliano Apoſtata in aulam uocatus, cùm paulo pòſt religionis mutationem futuram præuidiſſet, parêre noluit, ſed põtificatum Sardibus conſecutus, calamitates eas, in quas Maximus incidit, euitauit. Eunapius.

Pythius Daphnæus, in Daphne ſuburbio ANTIOCHIÆ, à Iuliano conſultus de euentu expeditionis in Perſas, reſpondit, ſe à uicinis mortuis impediri: iis uerò aliò tranſlatis, ſe uelle prædicere futura promittebat. Erat autem in eo loco ſepultus Babylas, & alij martyres. Iulianus itaq; Chriſtianis conceſſit, ut reliquias Babylæ aliò transferrent. Verùm non multo pòſt, cùm Babylas inde eſſet tranſlatus, fulmen cœlitùs demiſſum, totum templum Apollinis incendit: & eius ſimulacrum ligneum quidem, ſed auro obductum, in cineres redegit. Quo Deus uerus teſtatus eſt, de fictitij dei & idoli uanitate: [redacted] Theodoretus lib. 3. cap. 11. Sozomenus lib. 5. cap. 19. 20. & 21.

ATHANASIVS epiſcopus, ab Arianis & Græcis Præſtigiator dictus, atq; ob diuinationis peritiam diu multumq; deriſus, cùm urbem Alexandriam ingrederetur, cornix in aëre uolitans crocitabat. Græcorum turba hæc audiens, ſcommate eum ueluti impoſtorem perſequens, Quidnam cornix diceret? interrogauit. Ille autem perquàm urbanè & ſuauiter ridens: Cras, inquit. Portendit namq; craſtinum diem uobis non bene ceſſurum. Mandatum enim ab Imperatore ueniens, feſtum diem ueſtrum inhibebit, & magnificentia ueſtra iniucunda uobis erit. Porrò id Athanaſij dictum exitum ſuum habuit. Ab Imperatore enim literæ uenere, quibus magiſtratus iubebatur decætero Græcos prohibere, ne ad tem[redacted] accederent, & more [redacted] feſtos peragerent. Et celebritas ea, quæ iam aderat, & ab illis [redacted] at, ueneratione q; maxima colebatur, tum penitus abrogata fuit. Nicephorus lib. 9. cap. 35.

Auorum memoria, inquit Viues, in GANARIA & aliis inſulis Fortunatis dæmones uariis formis exhibebant [redacted] pulis [redacted] conſpiciendos, & eos alloquebantur, inducebant [redacted] multa genera ſacrificiorum ſæua & horrenda, ut [redacted] filios iugulandos, exurẽdos, & alia huiuſmodi [redacted] quàm deuicti ſunt armis Hiſpanorum; & Chriſtiana pietas illis eſt audita, fraudes illæ omnes tanquam caligo luce immiſſa diſcuſſæ ſunt, atq; euanuerunt. In inſulis occidentalibus, & Nouo orbe Hiſpanis nauigationibus reperto, dęmones per uias omnes & compita frequentiſſimè homines illos alloquebantur, & quæ fieri uellent, admonebant. Vbi uerò Chriſtianæ doctrinæ magiſtri eò uenerunt, magnum ilicò ſilentium omnium, magna fuga. Videlicet tenebras diſpellit lux, mendacium ueritas. Lud. Viues de Veritate fidei lib. 2. Crux illic fixa à Chriſtophoro Columbo, in Hiſpaniola inſula, qui primus eas prouincias ingreſſus eſt ex Europæis, nullo modo euelli potuit. Fr. Lopezius in hiſt. Indię.

HISPANIOLÆ, hoc eſt, Sancti Dominici incolæ, idolorum ſuorum oraculo, multo antea tempore, quàm Hiſpani de India cogitarent, admoniti fuere, fore, ut à barbaris ipſi & ſua religione & antiqua libertate priuarentur. Quod oraculum ipſorum ſacerdotes rhythmis, comprehenſum, diebus tantùm triſtibus occinebant. Io. Metellus.

## INFELICITATIS, CALAMITATIS IN GENERE.

Tres AMICI Iobi, diuerſis licèt in locis commorantes, unus in inſula maris Rubri, alter in Aegypto, tertius in Palæſtina, eodem tamen tempore portentum calamitatis eius, panem cruentari, uinum in ſanguinem uerti, menſæ accumbentes conſpexerunt: atq; ut diuinationis erant periti, confeſtim quiſque ad conſolandum amicũ itineri ſeſe accinxere. Quo pietatis officio eos gehẽnæ loca, peccatorum nomine ipſis præparata, effugiſſe, Chaldæus paraphraſtes in hiſtoria Iobi narrat. Auguſt. Nebienſis epiſcopus in Pſalterio octuplo.

Manueli, Cõneno Imperatori defuncto, filius ALEXIVS adhuc puer ſucceſſit. Is ob immaturam ætatem, & inopiã cõſilij, nullam officij rationem habens, inani ſuperbia elatus, & uix ſatis gnarus quæ res triſtes aut iucundæ eſſent, uenationi & equitationi incumbebat: puerorum, cum quibus colluderet, familiaritate utebatur, uita peſſimè inſtituta. Is rerum ſtatus monſtro illo, ſub Manuelis obitum edito, præſignificatus fuit. Nam mulier quædam in Propontide habitans, puerum peperit, cætera perexilem & imbecillem, ſed capite ingenti. Id principatus multorum, quem omnis imperij & diſciplinæ contemtus ſequitur, omen habitũ. Nicet.

Mortuo Alfonſo XI. rege Hiſpaniæ, GRÆCVS quidã cõſiliarius, obitũ eius uniuerſæ Hiſpaniæ meritò luctuoſum fore prædixit, tũ quia tali rege orbata eſſet, tum quia filium Petrũ diſſimillimum [redacted] eſſet habitura [redacted] lud prophet[redacted] ca libertate [redacted] cinium tuum [redacted] hominemq; ſecuri percuti iuſſit: ſed exoratus [redacted] Vt mendacem [redacted] ueniam [redacted] inquit, ſed [redacted] fuiſſe, Hiſpania experietur. [redacted] redundabit, & fraternum gladium ultorem [redacted] dictis, euanuit è [redacted] prædictionibus nobilitatus. Ea occaſione Petrus deinceps fratribus ſuis inſidiari cepit. Rodericus Santius parte 4. hiſtoriæ Hiſpan. cap. 13. & 15.

## INIMICITIAE, DISCORDIAE

### ECCLESIASTICÆ.

*Vide paulo antè, Schiſmatum, Perſecutionum Religionis cauſa, diuinatio.*

### CIVILIS BELLI, CASTRENSIS Seditionis

*Prædictiones, Oracula.*

TIBERIO imperante editum eſt Romæ oraculum tale:

Bis ter trecentis circumuoluentibus annis
Seditio perdet Romanos.——

Quod Neronis tempore factum putarunt. Eadem enim oraculi uerba cùm poſt urbem à Nerone miſerè incenſam populus recitaſſet, Nero populi conſulendi cauſa hos uerſus nuſquam repertos eſſe dixit. Quo facto, populus hunc uerſum uerè Sibyllinum cecinit:

Vltimus Aeneadum matrem necat Induperator.

Id quod accidit, ſiue uerè prædictum diuino oraculo, ſiue afflatu multitudinis ex ſtatu rerum, qui tum erat. Nam ultimus Nero ex Iulij familia, quæ ab Aenea profecta erat, regnauit. Xiphilinus in Nerone.

*Omina.*

ALEXANDER Magnus moribundus in amicos uerſus: Magnas uideo, inquit, futuras mihi exequias. Plutarchus in Apophthegmatibus.

Tiberij & Caij GRACCHORVM tribunitios furores Corneliæ matris clauſum genitale, cùm primùm edita eſſet, præſignificauit. Plin. lib. 7. c. 16.

C. MARIVS, Sylla uictore ex Mithridatico bello redeũte, VII conſul creatus, ipſis Kal. Ianuariis principio anni Sextũ quẽdam Licinium de ſaxo deiecit: quod & illi & ciuitati uenientium malorum uiſum præſagium. Plut. in Mario.

AVGVSTVS Imp. læuum ſibi calceum præpoſterè inductum animaduertit, qua die ſeditione militari propè afflictus eſt. Plin. lib. 2. cap. 7.

LVDOVICO Pio Imp. poſt auditam concionem de paſſione Seruatoris, templum egreſſo, ingens templi oſtiorum ruina facta eſt, quæ Imperatorem & uiginti homines grauiſſimè læſit. Nec multo poſt, à filijs carceri incluſus eſt. Anno Chriſti 817. Chronicon German.

*Auguria.*

Primo bello ciuili ROMANORVM, tres corui pullos ſuos in uiam productos fœdè laniarunt: quod ex laniatu ſuperfuit, in nidum retulêre. Dum conſulit ſenatus fatiloquos, atque in æde Bellonæ habetur: paſſer in omnium conſpectu cicadam ore ferens intulit ſe in ædem, cuius partem abiecit, ibique reliquit, cum parte auolauit: unde harioli ſeditionem timebant, & ſeceſſionem ab urbana & forenſi turba agreſtiũ: quippe illam more cicadæ uocalem eſſe, & agreſtes ruri agere. Plut. in Sylla.

Contractis, ad Bononiam Triumuirorum copiis, Aquila tentorio AVGVSTI ſuperſedens, duos coruos hinc & inde infeſtantes afflixit, & ad terram dedit: notante omni exercitu; futuram quandoq; inter collegas diſcordiam talem, qualis ſecuta eſt, ac exitum præſagiente. Suetonius.

*Prodigia, Oſtenta.*

Ferunt aliquando arietis caput cum unico cornu ad Periclem fuiſſe ex agro delatum, ac uatem LAMPONEM, ut cornu ualidum conſpexit, & firmum media enatum fronte, duarum dixiſſe, quæ tunc in urbe erant factionum, Thucydidis & Periclis potentiam ad unum delatum iri, apud quẽ hoc prodigium eueniſſet. Anaxagoram uerò, cùm os capitis diſſecuiſſet, monſtraſſe non compleſſe cerebrum ſedem ſuam, ſed oui modo acutum ex tota teſta deuolutum eò loci, unde originem radix cornu duceret. Atq; in præſentia quidem habuerunt in admiratione, qui intererant, Anaxagoram: breui poſt Lamponẽ, cùm opibus fractis Thucydidis, reſp. uniuerſa in Periclis manum recidiſſet. Poterat uerò rectè uterq; conieciſſe, tam phyſicus quàm uates: alter, qui cauſam, alter qui exitum probè eſt aſſecutus. illius erat enim munus, unde proueniſſet, &, quemadmodum eſſet enatum, contẽplari: huius, ad quid genitum eſſet, & quid portenderet, prænũciare. Plut. in Pericle.

L. Marcio, Sex. Iulio Coſs. in agro Mutinenſi, montes duo inter ſe concurrerunt, crepitu maximo aſſultantes recedẽtesque, inter eos flamma fumoq; in cœlum exeunte interdiu, ſpectante è uia Aemylia magna equitum Romanorum, familiarumq; & uiatorum multitudine. Eo concurſu uillæ omnes eliſæ, animalia permulta, quæ intra fuerant exanimata ſunt, anno ante SOCIALE bellum, quod haud ſcio an funeſtius ipſi terræ Italiæ fuerit, quàm ciuilia. Plinius libro ſecundo, & tertio: & Plutarchus in Sylla. Sed & ancilla ſerpentem peperit.

C. Volumnio & Ser. Sulpitio Coſs. in urbe ROM. inter initia motusque bellorum ciuilium, carnis in modum nimbi diſſipatæ partes ceciderunt: quarum maiorem numerum præpetes diripuêre aues: reliquum humi per aliquot dies, neq; odore tetro, neq; deformi aſpectu mutatum iacuit. Valerius Maximus lib. 1. c. 6.

Eſt in exẽplis, inciſos panes L. SYLLÆ temporibus, manantis ſanguinis guttas fudiſſe, caneſq; & alia id genus animalia rugitu miſerabili lugubres uoces dediſſe, bellum ciuile & inteſtinas clades, tantumq; cædis, quantum poſtea effuſum eſt, denotaſſe. Alex. lib. 2. c. 31.

L. Scipione, C. Norbano Coſſ. inter Capuã & Vulturnum ingens ſignorum ſonus, armorumq; horrẽdo clamore auditus, ita ut uiderentur duæ acies concurrere per plures dies. Rei miraculo acceſſere ueſtigia equorum, hominum, & recens protritæ herbæ, & uirgulta, molem ingentis BELLI ciuilis inter C. Marium & L. Syllam portendentia. Iulius obſequẽs. Flamma ſpontè eluxit ex ſignorũ haſtis, quæ ægrè reſtincta eſt. Mures aurum in templo ſacratum arroſerunt. Feminam unam ex his ceperunt æditui muſcipula: ea in ipſa muſcipula quinq; editis tres deuorauit. Ex claro & ſereno cœlo uox increpuit tubæ acuta & lugubris, ut obſtupeſcerẽt & cohorreſcerẽt eius magnitudine omnes. Hetruſci uates mundi conuerſionẽ prædicauerunt portẽdi, & mutationem in aliam ætatem. Plut. in Sylla.

Subſeſtit in Cumano arbor graui oſtẽto, paulo antè Cn. Pompeij Magni & C. Iul. Cæſaris bella CIVILIA, paucis ramis eminẽtibus. Inuentum Sibyllinis libris, internecionẽ hominum fore, tantoq; eam maiorẽ, quanto propius ab urbe poſtea facta eſſet. Plin. lib. 17. c. 25.

Ante BELLVM ciuile inter Octauium & M. Antonium, Piſaurum, quam deduxerat Antonius coloniam ad mare Adriaticum, cùm terra deſediſſet, hauſtum eſt. Ex marmoreis, quæ erant Albæ, Antonij ſtatuis una ſudore per multos dies manauit, nec multis detergentibus ſubſtitit ſudor. Patris, cùm ibi ageret, fanum Herculis conflagrauit. Athenis Liber pater ui uenti ex Gigantum pugna excuſſus, atq; in theatrũ eſt delapſus. Referebat autem genus ſuum ad Herculem Antonius, & Liberum patrem, quantum poterat, ęmulabatur uita, & Bacchus minor dicebatur. Idem turbo Eumenis quoque & Attali coloſſos inſcriptione Antonios Athenis irruens ſolos ex multis proſtrauit. Plutarchus in Antonio, Appianus, & Sabellicus lib. 9. Enn. 6. Anno toto poſt cædem Cæſaris, orbis ſolis pallidus ſine fulgore emerſit, debilemq; & tenuem demiſit calorem. Itaq; nubilus aër & grauis extitit imbecillitate eum tenuantis tẽporis. Vnde fructus crudi immaturiq; elanguerunt ob cœli rigorem, & flaccidi euaſere. Plut. in Cæſare.

Bello in OTHONEM & Vitellium flagrante, in Capitolio ex Victoriæ, quæ bigæ inſiſtebat, manibus habenas uiderunt omnes laxatas, ſicut retinere non ualentis: in inſula Tiberina diui Iulij ſtatuã nullo terræmotu & cœlo tranquillo ab occidẽte in orientẽ conuerſam. Quod circa illos dies perhibent contigiſſe, quib. Veſpaſianus apertè iam imperiũ ſuſcepit. Id quod Tiberi accidit, pro fœdo oſtẽto habuit uulgus. Erat quidẽ hora, qua potiſſimùm flumina exundãt, ſed nunquã in tantũ excreuerat, neq; tantam ediderat ſtragem, uel ruinam attulerat, effuſus & inundans magnam partẽ urbis, maximè in foro frumentario, ut magna fames per multos dies urbem obſederit. Plut. in Othone.

Cùm CONSTANTIVS propter bellum Perſicũ eſſet Antiochiæ, & IVLIANVS cõtra eum moueret, uindemia iam collecta, circa occaſum Pleiadum, uuæ denuò ſunt prolatæ: & imber ex aëre deſcendẽs, in eius ſimul ac cæterorum ueſtẽ ſingulas crucis ſignaculo guttulas formauit. Id ipſe pro bono omine habuit: crucẽ circulo incluſam ſignificare religionis Chriſtianæ anguſtias & carceres, quibus incluſa exitiũ ſit ſortitura. Alij uerò dicebant, uuarum ſignum præter tempus, ſignificare breui tempore duraturum eius imperiũ. Per cruces uerò, calamitates Eccleſiæ denotari. Eutropius lib. 11. de Conſtantio: Sozomenus lib. 5. c. 1. & Naziazenus primæ oratione Iulianum.

Nocte antè quàm ANTIOCHENI, Theodoſij Imp. eiuſq; uxoris ſtatuam in tumultu deiecerunt, ſpectrum forma muliebri gigantea, aſpectu horrendum, per plateas urbis circumcurſitauit, & aërẽ horriſono flagello uerberauit, ac ſi quis equos aut alias beſtias ad furorem extimularet. Sozomenus lib. 7. c. 23.

Diſſidentibus inter ſe ANDRONICO Seniore, & Andronico ex filio nepote Impp. columna, quæ ante Orientalẽ arcẽ ſtabat, in qua Conſtantini Byzantij conditoris imaginẽ olim fuiſſe fama erat, ante multos dies & ipſa cõmoueri cepit: quæ agitatio per dies complures [redacted] ctaculum concurrentibus. Greg[redacted] lib. 8.

Co[redacted]ta in [redacted] conſpectus [redacted] inteſtinum bellum in[redacted] Ludouici Pij, quo omnes Francorum uires debilitatæ ſunt, ut poſtea hoſtibus propulſandis fuerint impares. Sigebertus anno 842. Eodem anno ſol eclipſim paſſus eſt. Regino lib. 2.

LVDOVICO IV. Francorum rege, anno Chriſti 930. decimo ſexto Kalend. Martij, circ[redacted] ad diem illuceſcentem, in æthere hominum flagrantium, ac in ſe mutuis cædibus ſæuientiũ acies ſunt conſpectę. Aimoinus lib. 3. de geſtis Francorum, cap. 42. ac clangores exercitus, hominũque clamores auditi ſunt: ut Gaguinus ſcribit. Tertio anno pòſt, Franciæ proceres à Ludouico defecerunt. Tanta præterea fuit per totam Franciam fames, ut una frumenti menſura, cui Seſtarius nomen eſt, quatuor & uiginti uęniret libris. Nec multo pòſt ſanguine pluit.

Vnicum reliquit poſt ſe Miecislaus II. Polonorum rex ſuperſtitem filium, Caſimirum: ſub cuius ortum tremor terræ acciderat. Quod ita rarum & inſolens eſt in POLONIA re-

gione mediterranea, ut magni prodigij loco habeatur, quoties accidit. Tunc quoq; ob immaturam ætatem Caſimiri Rixa regina in exilium acta, Caſimirus Cluniacenſe cœnobium intrauit. Sexennio inteſtinis bellis miſerè agitata fuit Polonia, donec tandẽ Caſimirus è Gallia reuocatus eſt, anno 1040. Cromerus lib. 4.

Anno ſalutis 1207. imperante Philippo in Germania, cùm publicè epulũ præberet, ſol in tres ſciſſus partes apparuit, quæ haud multo pòſt in unum orbẽ conuerſæ ſunt. Fortaſſe præſignificauit imperij inter FRIDERICVM ſecundum, Philippum Othonẽq; ſciſſionẽ: quod poſtea penes Fridericum ſolum permanſit. Sab. lib. 1. c. 4.

Arſit cometes anno Chriſti 1314. cùm duo Cæſares eligerẽtur, LVDOVICVS Bauarus, & Fridericus Auſtriacus: inter quos ſtatim inteſtina emerſerunt bella, quæ durauerunt annis octo. Tandẽ Fridericus prælio eſt uictus, & ſolus Ludouicus regnauit.

Quo anno Malcolmus III. Scotorum rex, à ſicario Anglo interemtus eſt, & ſeditiones horrẽdæ SCOTIAM inuaſere, exundatione Germanici maris multi uici, caſtella & oppida ſubmerſa, agri arenarũ aggeſtione inutiles redditi, horrenda tonitrua & fulmina, urbes & ſegetes abſumſerunt. H. Boëthius lib. 12.

Sub Valdemaro rege Danorum noctu ingens murium grex è longinquo rure concurrens, triſti occentu edito, Seleenſibus aquis ſua ſponte ſubmerſus interiit: quorum cadaueribus uento iactatis litus manè conſtratum apparuit. Eadem nocte Abſalonis Lundenſis archiepiſcopi quietem capientis exuuiæ à ſoricibus corroſæ. Nec multo pòſt SCANIÆ populus, ob decimas nuper exigi ceptas à primoribus diſſidens, aduerſum regios quæſtores, adorta Agonem in concione Lundenſi propè diſcerpſiſſet, ni in ædem diui confugiſſet Laurentij. Omnia deinceps uectigalium iura ſolenniter abroganda curauit. Pontificiales quoq; decimas execratus, ſacerdotibus coniugia decreuit: quorum etiam ſacra ſibi exploſo pontificis miniſterio ſufficere prædicauit. Saxo libro decimoquinto.

Felix Mallcolus lib. de Nobilitate, cap. 26. ſcribit, TIGVRI anno Domini 1280. concionante ad populum plebano, apud ſepulcrum Martyrum Felicis & Regulæ, lapidem uiolenter nullo mouente confractum, inſtar tonitrui horribilem ſonitum edidiſſe, ut toti populo non aliter terrorem incuteret, quàm ſi teſtudo templi corruiſſet. Eodem anno 3. die Octobris maximam partem oppidi Tigurini conflagraſſe: & motus quoq; propter cenſuras Eccleſiaſticas & bannum, ut uocant, imperialem, inter ciues fuiſſe exortos. Anno Domini 1440. die 12. menſis Decembris, in templi dicti dedicatione, intempeſta nocte, ſimilem fragorem eſſe exauditum: mox uerò ſecutum eſſe bellum ciuile, quod Tigurini contra reliquos Heluetios per ſeptem & ampliùs annos uaria fortuna geſſerunt. Lauaterus parte 1. de Spectris, c. 17.

In PERV cùm nulli mures eſſent, ſub aduentum Blaſci Nunnez, qui eò à Carolo V. Imp. miſſus erat, repentè tanta copia illorum apparuit, ut maizum, cannas, arbores, cæteraque ſata corroderent: moleſtia Hiſpanos, terrore Indos afficerent. Apparuerũt & locuſtæ, inuſitatum malum illi regioni: ne forſan aliquis de muribus contendat aduectos naui inde multiplicatos. Sed dirum fuit prodigium: namq; acerbitate eius ducis, & auaritia ſenatus, tyrannide uerò Alfonſi Pizarri, factum eſt, ut infinita prælia inter Hiſpanos facta ſint, direptiones urbium, rapinæ, cædes, deſolatio ingens totius prouinciæ. Indi bello, fame, laboribus, ad internecionem fermè deleti. Cardanus ex Petri Ciezæ Tomo 2. hiſtoriæ Indorum.

*Somnia.*

[redacted]

3. BELLI EXTERNI, HOSTILIS irruptionis, aduentus

*Reuelatio.*

Ante Camilli exilium, M. CEDITIVS plebeius homo renunciauit, ſuperiore nocte ex uia, quam Nouam uocant, cùm à quopiam alta uoce appellaretur, reſpexiſſe ſe, nec uidiſſe tamen quenquam: audiuiſſe autem humana maiorem uocẽ, quæ ſibi hoc diceret: Age M. Cediti, tribunis militaribus nũcia ſummo mane, intra paucos dies Gallos expectent. Tribuni hæc relata ſpreuerunt, & habuerunt pro ludo. Paulo pòſt inſecuta eſt Camilli calamitas, & Gallorum irruptio. Plut. in Camillo, & Sab. lib. 9. En. 3.

STEPHANVS, Vngarorum rex, quadam nocte in ſomnis è cœlo admonitus, continuò experrectus cubiculo exiliit, Veredarium præfectum legionis eueſtigiò accitum, in Tranſſyluaniam ulteriorẽ Daciæ partẽ properare iubet, ut populos uicatim degentes admoneat, imperetq; facultates oẽs in oppida munitiſſimaq; loca conferant: quũ Beſſi, qui Iſtri oram accolunt, ab omni religione alieni, & Vngaricæ gentis hoſtes acerrimi, regni limitibus immineant. Vix Veredarius mandata peregit, ac illi in tutum bona congeſſerãt, ecce Barbari immites aduentant, agros paſſim diſcurſant, igni ferroq; cuncta uaſtant: quos inueniunt, licèt perquàm paucos, ſine aliqua ſexus & ætatis ratione trucidant. Deſides tantùm aliquos inuenêre, hique ſocordię ſuæ luêre pœnas. Niſi hoc monitu ſuis rebus proſpexiſſent, iam de Tranſſyluania fuiſſet actum. Bonfinius lib. 1. Dec. 2.

*Prædictio.*

BOEOTIIS quondam Arnam incolentibus, oraculo prædictum eſt, futurum, ut è finibus expellerentur, ſimulatq; corui albi apparuiſſent. Euenit deinde, ut adoleſcentes aliquot per laſciuiam ac temulentiam coruos, quos ceperant, gypſo oblitos, rurſum emitterent. Quos ubi uidiſſent uolantes Bœotij, recordantes oraculum, arbitrati adeſſe tempus, quo forent ſuis è ſedibus eiiciendi, ſummoperè perturbati ſunt. Cæterùm adoleſcentes territi & ipſi tumultu, profugerunt, ac locum quendam ſibi mercati ſunt, cui nomen Coracon, id eſt, coruorum. Contigit aliquanto pòſt, ut Aeoles, eiectis Bœotiis, Arnam occuparent. Eraſ. in Adagiis.

SERVATIVS, Tungrorum epiſcopus, inter Tabulam & Moſellam amnes, Atilæ immanitatem præuidens, epiſcopatus Traiectum transferendi auctor fuit, ex inſomnio Romæ ſibi quondam oblati. Bonfinius lib. 5. Dec. 1.

D. SEVERINVS, anno 476 Iuuauienſibus, qui hodie ſunt Saliſburgenſes, per Moderatum pſalten Bathauienſem cladẽ nunciauit, mandans, ut omnes ſine mora oppido excederent, inexorabile fatum impendere urbi. Illis parére recuſantibus, rurſum Quintaſium quendam mittit, qui aperiat ſubſequenti nocte interituros, ni eueſtigiò aufugiant. Maximũ quoq; pontificem fruſtrà admonet. Iuuauienſes confiſi uiribus, & quòd hoſtes longiùs abeſſent, pro uano terriculamento ducebant. Quintaſius, ubi obſtinata mente in fata præcipites agi uidet, ipſe urbem relinquens, fugam ad Seuerinum Bathauiã capeſſit. Eadẽ nocte, inopinatò adſunt Germani, urbẽ inuadunt, capiunt, diripiunt, incendunt, populum captiuum abducunt, Maximum in crucẽ agunt, ampliùs quinquaginta quinq; cum ipſo ſymmyſtas contrucidant, è rupiumq; cauernis, quò fugerant, præcipites deturbant. Auentinus lib. 2. Annalium Boiorum.

HOSPITIVS, Niceæ urbe Galliæ monachis præfectus, Longobardorum præuidens irruptionem, monachos procul abire iuſſit: ipſe ſolus catenis uinctus, cilicioque inuolutus, in turri hoſtes expectauit. Qui hominem facinoroſum arbitrati, gladios in eum diſtrinxêre. Vnius manus repentè obriguit, nec niſi precibus Hoſpitij reſtituta eſt. Quo ille miraculo territus, Chriſti fidem amplexus, cum Hoſpitio uixit. Bonfinius libro octauo, Decadis 1. ex Greg. Turonenſis libro 6. cap. 6.

BEDA presbyter, Saracenorum irruptionem in Galliam & Hiſpaniam prædixit, hoc uerſu:

Regna ruent Romæ ferro, flammaq;, fameq;.

Vincentius lib. 23. c. 156.

Erat Toleti palatium uetuſtum clauſum, & ſeris pluribus obſeratum. Hoc fecit rex Gothorum RODERICVS cõtra uoluntatem omnium aperiri. Arcam inuenit, & in ea pannum, in quo Latinis literis erat ſcriptum: Quo tempore ſera reſerabitur, arca atqua palatiũ aperietur, gentes hîc depictæ Hiſpanias inuadent, & ſubiugabunt. Erant autem in panno depictæ facies Arabum, qui ſua capita tegunt uittis, ſedentes in equis, habentes ueſtes uariegatas, cum gladiis, & baliſtis, & uexillis in altum extenſis. Rodericus Toletanus lib. 3. rerum Hiſpan. c. 17.

Sub Boleſlao Pudico Polonorum principe, in Cracouiẽſi territorio PVER quiſpiam dentatus eodem, quo natus eſt die, diſtinctè & articulatè locutus eſt, donec religioni Chriſtianæ initiatus, & dentes, & ſermonis uſum amiſit. Alius uerò ſemeſtris in urbe Cracouienſi locutus, Tartaros aduenturos, & Polonorum capita præciſuros eſſe prædixit: rogatusque, Diuinitùs id ſe ſcire, & ſibi quoq; illud malum impendêre reſpondit. Quod poſt duodecimum annum euenit. Cromerus lib. 9.

*Omina.*

Paulo antè quàm Camillo in exilium pulſo Galli in Italiam irruerunt, menſe Iulio mors cenſoris magnum malum denunciare in foribus eſſe uiſum eſt. Populus enim ROM. ſupra modum dignitatem cenſoriam ueneratur & ſacram habet. Plut. in Camillo.

CAROLVS VI. Gallorũ rex ſub regni initia cùm ærarium & armamentariũ recẽſeret, Armis theſauri & cõparandi ſunt & conſeruandi, inquit. Ominoſa uox, maximarũ cladium, quas Angli Gallis non multo pòſt intulerunt, præſaga. Aegidius Corrozetus de Dictis & factis memorab.

*Auguria.*

Cùm Mediæ hoſpites, legati, terrã & aquã nomine Xerxis petentes à GRÆCIS occiſi ſunt corui, omnes è Peloponneſo & Attica regione uolauerunt. Plin. lib. 10. c. 12.

SIMEONE Bulgarorũ duce, & ROMANO Lacapeno Oriẽtis Imperatore, ad Coſmidij litus de pace tractantibus, duæ ſuper eos aquilæ dicuntur uolitaſſe, & cum clangore inter ſeſe congreſſæ, ſed ſtatim ſegregatę ſunt, altera uerſus urbẽ, altera in Thraciam tendente. Re infecta diſceſſum. Zonaras tomo tertio, & Cedrenus.

DAVIDIS Bruſei Scotorum regis, ab Eduardo Baliolo ęmulo in Galliam fugati, poſt reditum ab Eduardo III. Anglorum regẽ capti, anno XVI. corui & monedulæ hyeme párere, æſtate à partu quieſcere ſunt deprehẽſæ. Eodem anno oues ſteriles fuêre. Murium uis per urbes & agros maxima. H. Boëthius lib. 15.

Scribit Cælius lib 17. c. 11. A. L. paulo antè quàm totus occidens contra VENETOS cõſpirauit, uiſam eſſe duorũ ferè ſtadiorum ſpacio à Rhodigij mœnibus, poſt diuæ Mariæ tẽplũ, quod peruetuſtum ſtadio fermè ab urbe ſeiungitur, cornicẽ albam, capite nigricante, ſicuti cæteris alarum apicibus in rubedinẽ uergentibus: nec erat expreſſus candor, ſed liuẽs aliquo modo. Fuit ea mẽſibus aliquot omnib. cõſpicua: nõ parũ multis, ceu planè uiſenda res foret, ob inſolentẽ ſpeciem, ad ſpectaculum confluentibus.

*Prodigia, Oſtenta.*

Medis duce Datide Delo proficiſcentibus, inſula ſubito motu terræ concuſſa eſt: quod ad id tempus (ut Herodotus ſcribit) nunquam antea acciderat. Quò magis mirari poſſis, Plinium auctorem eſſe, ad Marci Varronis uſque ætatem, eam inſulam immotam manſiſſe. Per eum motum mala, quæ GRÆCIS impendebant, uideri poſſunt demonſtrata, quando plures quidem ſub Dario, Xerxe, & Artaxerxe regibus ſit terra ipſa clades experta, quàm XX. aliis ante eos ætatibus fuiſſet. Erant ipſa regum nomina ſatis per ſe formidoloſa. Eſt enim Darius coërcitor interpretatus, bellator Xerxes, Artaxerxes non bellator ſolùm, ſed magnus bellator. Sabellicus lib. 1. En. 3.

Laodiceæ olim XERXIS Perſarum regis in Græciam aduentu platanus in oleam mutata eſt. Plinius libro decimoſeptimo, cap. 25.

Sicuti Hannibalis in Italia ROMANORVM'QVE in Macedonia per eadem tempora bellum crudeliſſimum fuit, & uarietatis mirandæ, propter regnorum mutationes, quæ ſecutæ ſunt: ita etiam magna & extra cõmunem naturæ uſum prodigia apparuêre. Nam M. Marcelli & M. Valerij Tarquiniis, item Seſſæ T. Qu. Flaminij & Sex. Helij Peti conſulatib. ſues humanis capitibus nati ſunt. Fruſinone quoq; agnus. Idem C. Aurelio & P. Sulpitio conſulibus contigit. Q. Fabio Maximo quartum, & M. Marcello III. Coſs. eodẽ anno Spoleti ex muliere uir eſt factus, & Maruciæ infans in utero, Iò triumphe, clamauit. Liuius lib. 24. Aedes item Spei extra portam Carmentalem incendio deflagrauit, à Triumuiris poſtea reſtituta: altera uerò in foro Olitorio ſub idem tempus fulmine icta fuit: quando Hannibale Italiam peruaſtante, reſpub. inteſtino malo laborabat, & cuncta bello ardebant. Quæ res uaſtitatẽ Italiæ, & imminens excidium, quo terra mariq; imperium agebatur & fluctuabat, hauddubiè deſignauit. Alex. lib. 2. c. 4.

Quo anno MITHRIDATES Ponti rex, qui cũ pop. Rom. diutiſſimè bellũ geſſit, genitus eſt, & quo primùm regnare cepit, cometes per utrunque tempus octoginta diebus ita luxit, ut cœlum omne conflagrare uideretur (occupabat eius magnitudo quartã mundi partem) fulgorq; Solis illius nitore interdiu perſtringeretur. Eius ortus & occaſus quatuor abſumebatur horis. Sab. lib. 3. En. 6.

Armorum crepitus & tubæ ſonitus auditos è cœlo CIMBRICIS bellis accepimus, crebroſq; & priùs & poſtea. Tertio uerò conſulatu C. Marij ab Amerinis & Tudertibus ſpectata arma cœleſtia, ab ortu occaſuq; inter ſe concurrentia, pulſis quæ ab occaſu erant. Plin. lib. 2. c. 57.

Paulò ante Alarici Gothi in ITALIAM irruptionẽ, anno 401. factã, prodigia multa accidere, quæ paulò ante minimè, ut fit, animaduerſa, tunc in omnẽ triſtiorẽ partẽ à ſoliciti rerum futurarũ mẽtibus trahebantur. Nã & inſignes ſolis lunæq; defectiones inciderant, & ſtella crinita conſpecta fuerat, quæ ab ortu ſolis uerſus Aquilonẽ profecta euanuerat: & grandines inuſitatæ magnitudinis è cœlo ceciderant, & loca multa tacta fulminibus fuerant, & multis in partib. fœda ædificiorũ incẽdia caſu euenerant, &, quod uehemẽtiùs terrebat animos, lupi duo in campũ, dum Honorius Imp. equeſtrẽ decurſionẽ conficeret, uentitarant, atq; occiſi, & execti. manus duas humanas ex uentre emiſerant, unus dextrã; alter ſiniſtram. Sigonius lib. 10. Imp. Ital.

Quũ Atila, Hunnorũ rex, expeditionem in ROM. Imperij fines ſuſcepiſſet, deorũ ſimulacra non ſolùm noctu, ſed & interdiu uiſa, quæ ſibi pro ſe quẽq; præcauere iuberent: ſanguineæ è cœlo guttæ defluxêre, bicipites infantes editi: ſacra tecta in pleriſq; locis de cœlo tacta: uox nocte audita ſæpe; Caue tibi Italia. Bonfinius lib. 3. Dec. 1.

Paulò ante quàm in GALLIAS Atila penetraret, aſſidui terræmotus, uaria cœlum prodigia edidit. Sub aquilone per noctẽ ignis perpetuus in æthræ ſpeciẽ uidebatur, & in eo lineæ haſtarum ſimulacra referẽtes: crebra lunæ obſcuratio & defectus, etiam cometes. Bonfinius lib. 4. Dec 1.

Procopius lib. 2. de bello Gothico narrat, Veſuuium montem mugitum edidiſſe per id tẽpus, quo HVNNI Gothos bello afflixere: cineres tamen non ſtatim eructaſſe, etſi ex mugitu, quòd breui eructaturus eſſet, colligebãt: unde & proximas accolas formidine ingenti affecit.

Ante Longobardorũ in Italiam aduẽtum multa ITALIÆ infauſta & infelicia ſigna apparuere. Peſtis uſquequaq; graſſata, ut nulla luctus expers domus inueniretur. Euitandæ labis gratia, domicilia, facultates ac pecora deſerebãtur: ceſſabat agricultura, cæteræque artes ac ſtudia omnia deſerebantur. Parẽtes à liberis, ac liberi à parẽtibus deſtituti, nullũ pietatis officium retinebãt. His malis etſi uniuerſa Italia ad Noricos uſq; laborarit, præ cæteris tamẽ Liguria eſt abſumta. Bonfinius lib. 7. Dec. 1. Haſtæ, atq; acies igneæ aſſiduè à Septentrionis partibus apparebant: quæ, ut D. prodit Gregorius, ingentẽ inſtare mortalium ſtragẽ, & fœdã ſanguinis effuſionẽ ab ea parte haud obſcurè denunciabant. Sigonius lib. 1. regni Italici: ex Diacono lib. 2. de geſtis Longobardorum, cap. 5.

Anno Domini 729. ut Marianus Scotus ſcribit, apparuerunt cometæ duo circa ſolem terribiles. Vnus ſolem præcedebat manè orientem, alter ueſpere ſequebatur occidentem, quaſi Orienti ſimul & Occidenti diræ cladis præſagi: uel certè alter diei, alter noctis præcurrebat exortum, ut utroq; tempore mala mortalibus imminere ſignarent. Portabant autẽ facem ignis contra aquilonẽ, quaſi ad accendendum accliuem, apparebantq; menſe Ianuario, & duabus fermè ſeptimanis permanebant. Quo tempore Saraceni GALLIAS miſerè uaſtantes, dignas ſuę perfidiæ pœnas luerunt. Beda libro 5. cap. 24. hiſt. Anglicæ. Bonfinius libro octauo, Decadis 1. Platina in Gregorio II. Sabellicus Enn. 8. libro 7. & Aemilius lib. 2.

Anno 912. igneæ faces, ſtellæ micantes, ac hinc inde oberrãtes, magno hominum ſtupore uiſæ ſunt. Quæ res Vngarorũ in ITALIAM incurſiões notauit. Schedelius ætate ſexta, Naucierus Generat. 31. Sab. En. 9. lib. 1.

Cùm Stephanus Papa in Franciam iret petitũ auxiliũ à Pipino contra Aiſtulphum, regẽ Longobardorum, noctu uidit igneum globum, ab auſtrali Galliæ parte, in LONGOBARDORVM fines excurrentẽ, anno Domini 752. Quæ res portendit Longobardis oppreſſionem per Francos.

Circa 13. annum imperij Iuſtiniani, cometa pluribus dieb. apparuit, prima quidem parte uiri magnitudine in occidentẽ uerſa, poſteriore autem longè maior in orientem ſpectans: ſolem in Capricorno exiſtentem, ipſe in Sagittario ſequebatur. Xiphiam uocant, nonnulli Pogoniam. Hauddubiè Hunnorum ſæuitiam & lanienam horribilem, quam in tota ferè EVROPA exercuerunt, deſignans. Procopius lib. 2. de bello Perſico.

Quo tempore Saraceni ITALIAM uaſtarunt, in Turingis Galliæ arbor pedum quadragenûm altitudine, craſſitudine bis ſeptenûm, ſua ſponte in diuerſum locum tranſiit. Anno, qui eam cladem præceſſit, in GALLIA antè ſolſtitium æſtiuũ, portentoſa grando repentè è cœlo deiecta eſt, in qua fruſtũ glaciei concretum, duodenûm longitudine pedum eſt repertum, latitudine ſenûm, binûm altitudine. Sabellicus libro nono, Ennead. 8.

Anno Heraclij uigeſimo, ut [illegible]bertus, aut uigeſimotertio, ut Paulus Diac. lib. 18. rerum Rom. per dies triginta in Palæſtina terra fuit mota, & cœlo ſignũ, quod τοξίτης appellatur, in modũ gladij, à Meſembria uſq; ad Arcturum ſeſe extendit: quo SARACENORVM tyrannidẽ ſignificatam uolunt. Sigebertus, anno Domini 632.

Tẽpore Michaëlis Comneni Palæologi Imp. luna ſolẽ obſcurauit. Tantæ ſub eius mediũ ortæ ſunt tenebræ, ut multę ſtellæ apparerent: ROMANORVM calamitates portendẽtes à Turcis imminentes. Gregoras lib. 4.

SACERDOS quidam in Danorum terra, quæ dicitur Alſſe, ſacro aſſiſtens altari, ſublato calice ſumturus hoſtiam, uidit

in calice ſanguinis & carnis ſpeciem, anno 1170. Conſternatus itaq; pontifici ac clero calicem exhibuit. Hic cùm multi affirmarent, diuinitùs id fieri ad confirmandam in plebe fidem, pontifex rectiùs rem conſiderans, inquit, grauiſſimam Eccleſiæ imminere calamitatẽ, & plurimũ ſanguinis Chriſtiani effuſum iri. Cuius uaticinij ueritatem euentus poſt dies quatuordecim cõprobauit, exercitu Sclauorũ irruẽte, & eccleſias euertente. Sigeberti cõtinuator.

In ANGLIA initio anni 1382. terræmotus ſubitò exortus, multa paſſim ædificia diruit. Quæ res cùm rara, in Anglia præſertim, tum horrenda, ita hominum mentes perterruit, ut toto eo anno maximus eos timor occuparit. Secutæ ſunt ſeditiones inteſtinæ, & bellum Gallicum cruentiſſimum. Polydorus libro 20.

Salutis anno 1393. Maio menſe, iuxta Nouiomum in GALLIA, paulò ante quàm Philippus Deo[...]tus Britannos Normanniæ finibus pelleret, in cœlo conſpectæ ſunt armatorum turmæ in prælij ſpeciem concurrentes. Sabellicus lib. 1. capite quartò.

Haud multò ante quàm Henricus VII. Imperator moreretur, non ſine VICECOMITVM gentis clade (ut Muſatus Patauinus ſcribit, cui Franciſcus Petrarcha aſtipulatur) Mediolani in area ædium Matthiæ Vicecomitis, qui Magni cognomẽtum meruit, poſt ſolis occaſum uiſus eſt à multis eques armatus, longè humana ſpecie maior, per horæ ſpacium, poſtea euanuit, magno eorum, qui rem uiderant, horrore. Triduo quoq; pòſt, tertia hora eodem in loco duo equites pari ſpecie diu inter ſe dimicantes conſpecti euanuerunt. Interdiu quoq; circularis ſpecies ſolis orbem ambire uiſa eſt. Sabellicus lib. 1. c. 4.

Anni 1494. Autumno, tota ferè citeriore Gallia, tam continentes pluuiæ fuerunt, ut in Bergomatium finibus aqua denos quinos pedes excreuerit, ædificiiſq; quamplurimis dirutis, ac pontibus lapideis abreptis, magnum hominum numerũ oppreſſerit. Atheſis cùm Veronæ urbis magnam partẽ peruaſiſſet, & complures domorum parietes ſubruiſſet, etiam pontem firmiſſimum medio in oppido deiecit. Medoacus optimam Patauini agri partem fœdauit. Padus omnino utriuſq; ripæ uicinitates ita eſt depopulatus, ut omnia luctu & mœroribus impleuerit. Atq; hanc quidem eſſe quaſi deorum immortaliũ ſignificationẽ, quæ Caroli IIX. Franciæ regis in ITALIAM aduentum portenderet, omnes penè homines interpretabautur, erantque permulti, qui maximè ad Venetos, id prodigium exiſtimabant pertinere. Bembus 1. libro hiſt. Venetæ. Eodem tempore in Apulia treis ſoles noctu, in medio, ſed nubilo per circuitum cœlo, cum fulgetris ac tonitruis horribilibus uiſi. In agro Aretino innumerabiles armati uiri equis ingentibus inſidentes, terribili cũ ſtrepitu, ſonituq; tympanorum ac tubarum per medium aërem tranſire conſpecti: compluribus Italia locis ſacras imagines & ſtatuas ſudaſſe, hominum aliorumq; animantium monſtra complura paſſim nata. Guicciardinus lib. 1. In Ciſalpina Gallia manna pluit, hoc eſt, aereo melle, ad medicinam ſalutari. Biennio antè, noua ægritudo inter mortales detecta, cui nec nomen nec remedia medici ex ueterum auctorum diſciplina inueniebant, uariè ut regiones erant appellata. In Gallia Neapolitanum dixerunt morbum, & in Italia Gallicum. Sabellicus libro primo, capite quarto, & Bembus lib. 2. hiſt.

Poſt Mathiæ Coruini Vng. regis mortem, Danubius inſolenter excreuit, multos pagos & accolas urbes inundauit: ut extincto regni propugnatore, PANNONIAS à Turcorũ incurſu tueretur. Bonfinius lib. 8. Dec. 8.

Anno 1508, menſe Decembri Cameraci fœdus contra Venetos percuſſerunt, Rom. Imp. Maximilianus I. Galliæ rex Ludouicus XII. Hiſpaniæ rex Ferdinandus, & Iulius II. Pp. Sed præter hominum minas multi uel fatales, uel fortuiti caſus terrebant VENETOS. Brixienſis arx de cœlo tacta. Nauis à Senatu cum centum auri libris ad conducendum è Piceno militem Rauennam miſſa, nulla maiore ui maris aut cœli in mari ſubmerſa. Tabularium reipublicæ ſcriptis ac monumẽtis refertum, totum repentè corruit. Illud autem ingenti eos terrore compleuit, quòd eo die eademq; hora qua comitia habebantur, ſiue caſu, ſiue occulta alicuius fraude, ignis in armamentario, inq; eo loco, in quo nitrum ſeruatur, accenſus, quamuis ingens hominum multitudo ad eum extinguendum accurreret, uenti ui & fomento, ad eum nutriendum augendumq; apto adiutus, duodecim triremium corpora, & maximam tormentarij pulueris copiam abſumſit. Guicciardinus lib. 8. & Egnat. lib. 1. c. 5.

*Somnia.*

HECVBA prægnans facem ardentem in Aſiæ & Europæ incẽdium ſibi parere uiſa, Paridem tandem enixa eſt. Sabellicus lib. 1. cap. 1.

PTOLEMÆI Cerauni Aegypti regis amici uocari uiderũt cũ à SELEVCO Aſiæ rege in iudicium, diſceptatoribus uulturibus & lupis, uimque magnam carnium hoſtibus partiri. Plut. de Tarda dei uindicta.

HANNIBALIS Carthaginenſiũ ducis, ut deteſtandũ Romano ſanguini, ita certæ prædictionis ſomniũ, cuius non uigiliæ tantùm, ſed etiam ipſa quies, hoſtilis imperio Rom. fuit. Exiſtimauit enim miſſum ſibi à Ioue mortali ſpecie excelſiorem iuuenem, ſe ſequi, & nullã in partem oculos flectere iubentem. Inde curioſitate uetita ſcrutandi, ponè reſpiciẽs, animaduertit immẽſæ magnitudinis ſerpentẽ, concitato impetu, omne quicquid obuiũ fuerat proterentẽ: poſtq; cũ magno cum cœli fragore erumpẽtes nimbos, lucẽq; caliginoſis inuolutã tenebris. Attonitus deinde, Quid nam eſſet mõſtri, ecquid portenderet, interrogauit. Hic dux: Italiæ uides (inquit) uaſtitatẽ: proinde ſile, & cætera tacitis permitte fatis. Val. Max. lib. 1. c. 7.

LVDOVICO Iuniori Francorum regi, priuſquã illi naſceretur filius Philippus Auguſtus, uidere uiſus eſt in ſomnis filiũ calicẽ manu tenere humani cruoris plenum, eumq; ſuis proceribus propinare, ex quo ipſi biberent imperterriti. Bellorum, quæ cum Anglis geſſit, potentum. Robertus Gaguinus lib. 6. de geſtis Francorum.

### CLADIS PRAESENTIS.

Iliados λ. ad foſſam pugnaturis GRÆCIS cum Troianis ipſo diluculo,

– κρονίδης κατὰ δ' ὑψόθεν ἧκεν ἐέρσας
αἵματι μυδαλέας ἐξ αἰθέρος, οὕνεκ' ἔμελλε
πολλὰς ἰφθίμους κεφαλὰς ἄϊδι προϊάψειν.

Iupiter ex alto ſanguine prægnantem rorem demiſit, prodigij loco, quòd multi heroes eo die morituri eſſent.

PETITIVS nauis gubernator, dum in Aegeo nauigaret, & naualib. ſociis narraret, ſe per quietẽ in portu ad Lariſſam Cn. Pompeium ſolum obſoleta ueſte amictũ uidiſſe, conſpexit à paruo celoce innui ſibi, ut expectaret. Cui cùm appropinquaſſet, uidit in ea Pompeiũ cũ ueſte comitatuq;, ut ſomniauerat: quẽ in naui ſua recepit, à Pharſalico prælio fugientẽ. Fulg. lib. 1. c. 5. & Alex. lib. 3. c. 26.

Scribit TVRPINVS, eo die quo clades inſignis accepta eſt à Gallis in Hiſpania, in qua periit Rolandus, ſe inter ſacrarum ceremoniarum adminiſtrationẽ uidiſſe & audiuiſſe animas ad cœlum cum cantu aſcendentium.

### EXPEDITIONIS INFAVSTAE, CLADIS bellicæ, INFELICIS pugnæ imminentis.

*Ex Tit. Mortis diuina cognitio, non pauca exempla huic loco conuenient, quatenus mors ducis & imperatoris cladem exercitus habet iunctam.*

*Reuelatio.*

Monſtrauit SAMVELIS umbra Saulo uigilanti, quàm triſtis pugnæ exitus regem Saulum, & omnem regis progeniem maneret. Sed ferox ille nimis, qui tam funeſto prælio nõ abſtinuit, uel quòd abſtinere non potuit, aut certè quia nõ credidit. Sab. lib. 9. c. 5.

Amãdatus à MARDONIO Xerxis polemarcho in Græcia eſt ad Amphiarai oraculum ſeruus, ſcitatum ſuper iis, quæ adminiſtrarentur. At is per quietẽ putauit, dei miniſtrum ſibi aſſiſtentem, primò quidem uoce repellere, ceu abeſſet deus: mox uerò, ut minùs obſequentẽ, manu etiã obtrudere: poſtremò pertinaciùs perſeueranti, lapidem bene magnum in caput impegiſſe. ταῦτα δ' ἦν ὥσπερ ἀντίφωνα τῶν μελλόντων. Superatus namq; Mardonius eſt ad Platæas ingenti prælio, ac lapide ictus cecidit. Cæl. lib. 19. c. 15. ex Plut.

C. Hoſtilius MANCINVS ad bellum Numantinũ cum XXX armatorum millib. proficiſcens, à quatuor hoſtium millib. ſæpe uictus, caſtris exutus, tandem hoſtib. deditus fuit. Ea clades fuit ſignis priùs demonſtrata. Pulli cauea emiſſi, & in proximam ſyluam dilapſi, inueniri non potuerunt. Mox nauim aſcenſuro uox audita eſt, Mane Mancine. Sabellicus lib. 9. Enn. 5.

*Prædictio.*

Extant in Leuctrico campo Scedaſi filiarum, quas Leuctridas ex loco uocant, tumuli. Nam eo fortè loco, cùm ui eſſent à Spartiatis compreſſæ hoſpitibus, humatæ fuerant. Eo perpetrato tam atroci atq; nefario facinore, pater earum, ubi uindictam impetrare non potuit Lacedæmone, diras Spartiatis imprecatus, ſuper ſepulcra puellarum ſeipſum iugulauit. Inde uaticinia & oracula SPARTIATIS aſſiduè prænunciabant, Leuctricam uitarent, & declinarent à diis ultionẽ. Id autem non ita multi intelligebant, ſed ambigebant de loco: quòd etiam oppidulum Laconiæ litori impoſitum Leuctron nominetur: præterea eiuſdem nominis ſit uicinus locus Megalopoli Arcadiæ. Tandẽ in Leuctrico Bœotiæ campo à Thebanis atrociſs. clade uicti Lacedæmonij, imperium amiſere. Plut. in Pelopidæ uita.



Siculum bellum ſiue diuina ſiue humana reputatione horruit aſtrologus METON, qui præfecturam certã habebat: finxit inſaniam, ac domui ſuæ ignem ſubiecit. Alij negant præextitiſſe eum inſaniam: ſed cùm noctu domũ inflãmaſſet, progreſſum in forum ſordidatum, contendiſſe à ciuibus, ut ſibi tanta icto calamitate filiũ, qui nauigaturus trierarchus in Siciliam erat, ſacramento ſoluerent. SOCRATI uerò illi ſapienti dæmonium eius ſolitis ſignis iſtud quoq; indicauit, expeditionem illam in peſtẽ reipub. uerſuram. Ille familiaribus & amicis hoc aperuit: qui rumor dimanauit in populũ. Plut. in Nicia.

XERXES Darij F. effoſſo uetuſto Beli monumento, uitream urnam reperit, ubi iacebat in oleo mortuus: non tamẽ plena fuit urna. Adiacebat urnæ columna exigua, in qua ſcriptum continebatur: Eum, qui ſepulcrum aperuiſſet, neq; repleuiſſet urnam, peſſimè habiturum. Quo lecto, Xerxes expaueſcens, oleum celerrimè iuſſit infundi: non tamen impletum eſt. Iterum infundi iuſſit: neq; ſic incrementum accepit. Donec fruſtratus omni labore infundendi, ceſſaret: clauſoq; monumento, ſumma cum mœſtitia diſcederet. Quinquaginta myriadum exercitu aduerſus Græcos conſcripto, magnã cladem accepit: reuerſuſq; turpiſſima morte uitam finiuit, noctu in ſtratis à proprio filio interemtus. Alianus lib. 13. Variæ hiſt. & Herod. lib. 2.

Erat apud M. Antoniũ III uirũ quidã ex Aegypto MAGVS, qui dubium uerè id ſentiret, an in Cleopatræ gratiã fingeret, ſæpius Antonium hortatus fuerat, ut procul ab Octauio faceſſeret. Fortuna, inquit, tua, Antoni, per ſe ſplẽdida & ampla eſt: uerùm quum Octauio adhæret, continuò hebetatur. Tuus dæmon illius genium reformidat: & quum celſus per ſe ſit, atq; alacer, huius tamẽ appropinquatione humilis fit & pauidus. Fecit is faciliùs fidẽ, quòd ſiue ſortibus, ſiue gallinaceorũ aut coturnicũ paria cõmitterent, Antonius erat ſemper Octauio inferior. His igitur cõmotus, cũ Octauia, ex qua iam filiolã ſuſtulerat, Italia profectus Athenas nauigauit. Sab. lib. 9. En. 6.

Cecinerant uates antiquiſſimi, ROMANA arma Cteſiphontẽ trãſire nefas eſſe: & duces, qui auſi fuiſſent, pœnas daturos eſſe. Putant M. Craſſum id cogitantẽ cũ exercitu periiſſe: M. Vlpium Traianum tranſgredi auſum, Italiam non repetiiſſe, & quinq; prouincias trans Tygrim ſtatim amiſiſſe: ſatiuſq; fuiſſet iter non tentaſſe: legiones longo labore attriuit, & ferè conſumſit. Et quamuis uictor longiùs produxerit terminos, tamen non multùm profecit: dubium an ſic uolentibus fatis, an culpa ſucceſſoris Adriani. Cteſiphontem cupiens tranſire, ſuperato Tygride, Valerianus à Sapore rege Perſarũ captus eſt. Verùm Odenatus Palmyrenus uictor Romanæ maieſtatis, Cteſiphontem uſq; trans Tygrim peruenit. Carus Imperator exercitum Probi Sarmatico bello latè uictorem duxit in Perſida, hoſtile regnum uaſtauit, Seleuciã cinctam Eufrate, quam olim ceperat Aelius Verus Antoninus, expugnauit. Deinde Cteſiphontem petentem, & longiùs progredi uolentem, uel morbus uel ictus fulminis cœlo turbido & coruſcante abſumſit. At Galerius poſtea Cteſiphontẽ tranſiuit & Romanos fines auxit ac dilatauit. Cuſp.

In Mileto LICINIVS uatem Apollinis Didymæi conſulit de euentu belli contra Conſtantinum. Is reſpondit Homericis uerſibus: O ſenex, reuera ualde te iuuenes conficiunt bellatores, & robur tuum diſſolutum eſt: grauis uerò ſenectus tibi imminet. Sozomenus lib. 1. c. 7.

Conſtans Imp. an. 663. ornatiſſimam claſſem Tarentum applicuit, eo animo, ut bellum Longobardis inferret. Ibi cùm EREMITAM quendam ſedere, qui diuino afflatus ſpiritu multa uaticinaretur, audiſſet, experiendæ artis eius ſtudio ipſum conſuluit, Num, quod moliebatur, Lõgobardos eſſet ex Italia exacturus? Cui ille, Minimè omnium, inquit. neque enim per D. Ioannem Baptiſtam licet, cui gens illa eximio cultu, ac præcipua religione deſeruit. Nec uana fuit prædictio. Sigonius lib. 2. regni Ital.

Cùm Valens Imp. Arianus ad bellum Gothicum proficiſceretur, aiunt ISAACEM, religioſum monachũ, in uicina ſolitudine habitantem, aduentaſſe, & Imperatoris equum apprehendiſſe, ac clara uoce proclamaſſe: Quò uadis Imperator, aduerſum Deum pugnaturus, & Deum inimicum habens? qui & Barbaros contra te nunc incitauit: quia multorũ tu linguas ad blaſphemiã contra ipſum exacuiſti, & ab eccleſiis repuliſti laudatores eius. Deſine igitur, ſi ſapis, pugnare: & bellum Deus ſopiet. Redde gregibus paſtores ſuos, contingetq; abſq; labore tibi uictoria. Sed ſi his neglectis ad pugnam perrexeris, ipſa te res docebit, quàm ſit durum contra ſtimulum calcitrare. Neque enim ipſe reuertère, neq; exercitum retinebis. Ibi iratus Imperator: Et reuertar, inquit, & reuerſus ſupplicium exigam mendacis uaticinij tui. Itaque in cuſtodiam uſq; ad reditum Cæſaris eſt traditus. Quo die autem Valens exuſtus eſt, Iſaacius cuſtodibus dixit: Valens igne extinctus iacet. Obſeruatus eſt dies & hora, qua hæc uerba dixerat uir ille beatus, & res ipſa ueritate comprobata eſt. Zonaras, Theodoretus lib. 4. & Cuſpinianus.

ATILA Hunnorum rex, dum ſoluta obſidione Aureliana in campos Catalaunicos aduerſus hoſtes iter faceret, repertus à ſuis in præcipitio ardui cuiuſdam montis eremita quidã, ad Atilam ducitur. Rex ſciſcitatur, Quis nam hominũ eſſet, quẽ Deum coleret, quem ſibi dij euentũ belli promitterent? Is poſt diuturnum ſilentium, ueluti numine afflatus, regem inter alia flagellum Dei, ad uitia Chriſtianorum corrigẽda, miſſum uocauit: præterea eo prælio, quod cõtra Romanos facturus erat, inferiorem fore dixit, non tamen funditùs periturum. Atila inopinato perculſus nuncio, iubet eum in cuſtodia honeſta ſeruari: donec ab aruſpicib. ſuis certiora intelligeret. Hi extis pecorum inſpectis, uaticinium eremitæ confirmarunt: addentes, Ducem hoſtium in prælio caſurum. Atila nihilominus maluit extrema omnia experiri, quã terga uertere. Bonfinius lib. 4. Dec. 1.

Dum Agapetus Pp. legatione apud Iuſtinianum nomine Theodahati regis Italiæ pacis conciliandæ cauſa fungitur, Grippa & Aſinarius Gothorum duces magnis cum copiis ſe in Dalmatiam contulerunt, ac cum Mauricio Mundi Iuſtiniani ducis filio ex inſperato occurrẽte congreſſi, ancipiti prælio decertarunt. nam & Gothorum primores, & fortiſſimus quiſq; occubuit, & ROMANI fermè omnes unà cum Mauricio duce deſiderati ſunt. Qua clade audita, Mũdus pater confeſtim accurrit, ac Gothos in fugam actos facilè profligauit: uerùm & ipſe cupidiùs inſequutus, uulnere à fugiẽte quodã accepto, interiit. Quo tempore carmen Sibyllinũ ad id uſq; ætatis obſcurũ eſt intellectum, quod erat, Fore, ut, cũ Africa reciperetur, Mundus cum ſua prole periret. Ita utrinque magna clade diſceſſum eſt. Sigonius libro decimoſeptimo Imp. occid.

Ioannes Coruinus, quarto ſuæ gubernationis in regno Vngariæ anno, Varnenſem cladem ulturus, contra Amurathem Turcarum Imp. expeditionem ſuſcepit. Quum in campũ Merulæ, priùs Vngari, deinde Turci deſcenderent, Anus exclamauit: Heu quàm uereor, ne parum æquis VNGARI nũc dimicent auſpiciis, quando traiectus uado eorum exercitus uix unum, Turcarum uerò dies tres fluuium perturbauit. ueluti futuram cladem ex inopia copiarũ ariolaretur. Bonfinius lib. 7. Dec. 3.

Cùm Clementis III. ſuaſu PHILIPPVS Franciæ, Ricardus Angliæ reges Hieroſolymitanã expeditionẽ ſuſcepiſſent maximis conatibus, paribus animis: Ioachimus Abbas ex cõtinenti Italia Meſſanam ad reges euentum belli prænoſcendi cupidos productus, Ituros eos, ſed parum profecturos, reſpondit, quòd nondum diram belluam ſua fata appeterent, nec terræ Sanctæ recipiendæ dies illuxiſſet. Vaticinium euẽtus comprobauit. Aemil. lib. 6.

Fridericus I. Imp. ad bellum ſacrum, an. 1189. proficiſcens, è Germania per Hungariam abiit: neq; oraculum IOACHIMI abbatis in Calabria apud monaſterium Floris eximia uaticinij laude florentis audiuit, qui ab eo de euentu expeditionis Hieroſolymitanæ conſultus, nondum tempus ueniſſe, quo Hieroſolyma Chriſtianis recuperarentur, reſpondit. Sigonius lib. 15. regni Ital.

Ad Mohazium LVDOVICO Hungariæ rege cum Turcis cõgreſſuro, Franciſcus Varadiẽſis epiſcopus, Perẽnij filius, clara uoce dixit: Ferunt maiores noſtros decem millia martyrum, quorum diem in Eccleſia celebramus, neci quondam dediſſe: multò plures, ut ego perſpicio, hic monachus (Paulum Tomoreum Colocenſem archiepiſcopũ Polemarchũ innuens) hodie martyres ex Hungatis conſecrabit. Inter funeſtas poſtremò regis Ludouici uox numerata, quæ prægustatori rogãti, Vbi nam cœnare uellet, in caſtris, an in uico? reſpondit: Deus nouit ubi hodie cœnabimus. Dubrauius libro 33.

Pius II. Pontifex legatis VENETIS in conuentu Mantuano ſocietatem aduerſus Turcas recuſantibus, Fore, ait, ut quod tunc negarent, decimo pòſt anno ſerò eſſent rogaturi, quod euenit. Nam decimo poſt conuentum anno amiſſa Eubœa, opem ex omni Italia imploratum circumière. Campanus in eius uita.

*Omina.*

IVDAS Machabæus cum potentiſſimo exercitu Antiochi Eupatoris dimicaturus, omen pugnæ cepit. Eleazarus enim frater Iudæ in prima uelitatione elephantem regio ornatu inſtratum ſubiens confecit, & mole cadentis belluæ oppreſſus eſt. Non obſcuro præſagio, Iudæos quidem fortiter rem geſturos, uerùm niſi multitudini hoſtiũ cederent, ad internecionem cædendos. Iudas igitur, ſummæ uirtutis facinoribus editis, cũ ſuis in tuta ſeſe recepit. Ioſephus lib. 12. c. 15. Antiq. & lib. 1. c. 1. de bello Iud.

TIMOTHEVS, Antiochi Epiphanis dux, cùm contra Raphonem caſtra poſuiſſet, Iudas Machabæus ei cum exercitu ob-

uiam profectus eſt. Tum Timotheus omen pugnæ captans, Si Iudas priùs ad nos tranſierit, uincemur: ſin territus trans torrentem caſtra poſuerit, uictores erimus. At Iudas primus exercitum per torrentem duxit, & Timotheum profligauit. 1. Macbabæorum 5.

Cùm XERXES contra Græcos claſſem duceret, ad Acanthũ urbem Artachæus, qui foſſæ ad Athon montẽ faciundę præfuerat, ſtatura inter Perſas proceriſſima, moriens, omen fecit infelicis pugnæ. Herod. lib. 7.

Poſt pugnam infelicem Xerxis ad Salaminem, cùm in Theſſalia Mardonius haberet delectũ copiarũ, oraculũ è Delphis ad Lacedæmonios uenit, ut XERXEM pœnas necis Leonidæ regis ſui ad Thermopylas cæſi repoſcerent, & quod daretur ex eo reciperent. Mittunt igitur Spartiatæ caduceatorem. Is ubi in Theſſalia in conſpectũ Xerxis uenit, ita uerba fecit: Rex Medorũ, Lacedæmonij te & Heraclidæ (qui è Sparta ſunt) pœnas cædis repoſcunt, quoniã regẽ ipſorũ interemiſti, dum Græciã ꝓtegit. Ad ea Xerxes cachinnos ſuſtulit: ac diu reſpõſo non reddito, Hic, inquit (monſtrato Mardonio, ut ei aſſiſtebat Mardonius, quem cum XXX. myriadibus in Græcia relinquebat) pœnas tales dabit, quales decet. Caduceator hoc reſponſo accepto, diſceſſit. Omen certè in uoce fuit. Etſi Xerxes intelligebat, Mardonium pœnas ſumturum à Græcis, non autem Græcis daturum. Herodotus libro 8.

HIPPIAS Piſiſtrati F. cùm Perſarum auxilio Eretria direpta contra Athenas exercitum duceret, & prædam Eretrienſem quam depoſuerat in inſula Styreorum nomine Aegilea reportaret, dumq; naues ad Marathonem appulſas in ſtationibus locat, ac Barbaros in terram egreſſos diſponit, talia ad miniſtranti contigit ſternutatio, tuſſisq; ſolito uehementior. Vnde concuſſis eius, utpote ſenis, pleriſq; dentibus, unus illorum ex uiolentia tuſſiendi excuſſus eſt, & in arenam delapſus: qui magna adhibita ad inueniendum diligentia, cùm tamẽ non appareret, ſuſpirans Hippias, ad eos, qui aderant, ait: Hæc terra non eſt noſtra, neç eam poterimus nobis ſubiectam efficere: ſed tantummodo partem, quantũ ſpacij dens, qui mihi aderat, obtinet. Vates fuit uerus. Victi enim ab Athenienſibus Perſæ ad Marathonem, turpi fuga ſibi cõſulere coacti ſunt. Herod. lib. 6.

Cùm de uictoria legatos ad Dodoneum Iouem LACEDÆMONII miſiſſent, & hi oraculum operientes, uaſculum cũ ſortibus certò poſuiſſent, Moloſſorum regis ſimia ſortes ipſas huc illuc ſparſit, confuditque: reſponſum eſt, Lacedæmoniis non de uictoria, ſed de ſalute cogitandum. Hunc tãtum terrorem, has deorum immortalium minas, ſequens mox fortuna declarauit, famoſa illa pugna Leuctrica Lacedæmoniis deletis. Petrarcha.

Mos fuit SPARTANIS olim ad bellum proficiſcentibus greges in extremo agmine habere, quo & ad ſacra, & antequam ſigna conferrent, ad litandum hoſtiæ in promtu eſſent. Earum pecudum duces itineris erant capræ, quas catœadas nominant paſtores. Itaque cùm Cleombrotus cum Spartanis ad Leuctra penetraret, gregem inuadentes lupi, ouibus nullam ſanè noxam intulerunt, ſolas uerò catœadas necarunt: non obſcuro indicio futuræ cladis. Pauſanias in Bœoticis.

CHIIS ante cladẽ, quã in pugna nauali à Perſis acceperũt, ingentia ſigna contigerũt. Vnũ, quòd ex choro centum iuuenum, quos miſerãt Delphos, duo omnino rediêre, nonaginta octo peſtilẽtia abſumtis. Alterum, quòd ſub idem tẽpus, paulò ante naualem pugnã, tectum ſupra pueros literas diſcentes corruit, ita ut ex centum uiginti pueris unus omnino euaſerit. Poſt hæc excepit pugna naualis, quæ ciuitatẽ in genua deiecit. Acceſſit ad cladẽ pugnæ Hiſtiæus Mileſius cũ Lesbiis, qui Chios iam exhauſtos facilè ad excidium deduxit, & clàm adortus ſubegit. Herod. lib. 6.

Cùm ATHENIENSES in apparatu eſſent belli Sicilienſis, omnibus iam ad nauigandum paratis, Adonidis ſacra à mulieribus celebrari ſunt cepta, quę in eos dies incidebant. Itaque ſimulacra quaſi mortuorum cadauera frequentes efferebant pro more feſtiuitatis eius, funeraq; & ſepulturas imitabantur, & feralia carmina concinebant. Ad hæc Mercurij ſtatuæ, quas Hermas uocãt, in omnibus ferè cõpitis una nocte facies & ora, mutilatæ repertę ſunt, incerto auctore. Omina hæc fuerunt infelicis belli. Alcibiades enim dux propter hoc crimen domum reuocatus, ut cauſam diceret, ad Spartanos defecit, inde ad Tiſſaphernẽ, multisq; malis patriam affecit. Plut. in Alcibiade.

HANNIBAL ex Italia domũ reuocatus, ubi Africã in conſpectu habuit, gubernatorẽ ſciſcitatus, Ec q̃ terrę ora oculis occurriſſet? Sepulcrum dirutum, reſpondit. Quam uocẽ ille auerſatus, Leptim curſum detorſit, ſexto decimo ſecundi Punici belli anno. Sab. lib. 5 En. 5.

C. FLAMINIVS inauſpicatò conſul creatus, cùm apud lacũ Hetruriæ Thraſimenum cum Hannibale conflicturus, conuelli ſigna iuſſiſſet, lapſo equo ſuper caput eius, humi proſtratus eſt: nihilq; eo prodigio inhibitus, ſigniferis ſigna moueri ſua ſede poſſe negãtibus, malũ, ni continuò ea effodiſſent, minatus eſt. Verùm huius temeritatis utinã ſua tãtùm, non etiam P. R. maxima clade pœnas pependiſſet. In ea nãq; acie 15 millia Romanorum cæſa, 6 millia capta, 20 millia fugata ſunt. Cõſulis obtrũcati corpus ad funerandũ ab Hannibale quæſitum eſt: qui quantum in ipſo fuerat, Romanum ſepelierat imperium. Val. Max. lib. 1. c. 6. & Plut. in Fabio.

PHILIPPVS Macedoniæ rex, cum T. Quintio Flaminio prælio decertaturus, caſu, an urgente articulo pręcipitantia, imprudens ſepulcrum, quod fortè extra caſtra excelſum erat, conſcẽdit: unde alloqui milites, ut fieri ante pugnam ſolet, & adhortari inſtitit. Illis ex eo omine ictis perculſus, rex abſtinuit eo die pugna. Poſtero die collatis ſignis, octo millia ſuorum amiſit, & fuga uix elapſus, turpem à Quintio pacem accepit. Plut. in Flaminio.

M. CRASSO Brunduſij traiecturo ad Parthicum bellum, quidam uenales ficus Cauneas (à loco dictas) proclamabat. Omen multi exceperunt, quaſi uideretur dixiſſe, Caue ne eas. Plinius libro 15. cap. 19. Mox in Syria hybernãs, non luſtrauit exercitum, non inſtituit ad exercendos milites certamina: ſed uectigalia tantùm ſupputauit, deæ Hieropolitanæ (ſiue illa Iuno ſiue Natura erat) theſaurum ponderibus & trutinis per multos dies examinauit: indicebat populis dynaſtisque militum delectus, mox pecuniæ cauſa remittebat. Templo excedens, primus in foribus adoleſcens Craſſus filius lapſus eſt, inde incurrens in illum ſenex. Tranſmiſſo Euphrate cùm militibus frumentum metiretur, præbuit ante omnia lentes & ſalem: quæ Romani habẽt pro feralibus, & defunctis apponũtur. Concionanti uox excidit, quę maiorem in modum conſternauit exercitum: ſiquidem pontem dixit ſe reſciſſurum, ne quis eorum regrederetur. Ac cùm oportuiſſet, ubi aduertit dicti importunitatem, lenire id & declarare apud trepidos, ex peruicacia poſtmiſit. Poſtremò cùm luſtraret ſolẽni ſacrificio exercitũ, porrecta ei ab aruſpice exta exciderunt manibus: unde uel maximè perculſam coronam cernẽs riſit, ac, Ea adfert ſenectus, inquit: uerùm haudquaquam elabẽtur manibus meis arma. Quo die à Parthis cum exercitu cæſus eſt, fama eſt, non, ut ſolenne Romanis Imperatoribus eſt, paludamẽto purpureo proceſſiſſe amictũ, ſed toga pulla, eamq;, ubi animaduertit, mutaſſe: ſigna autem quædam uelut immolita uix magno labore ualuiſſe ſigniferos conuellere. Mœſti & taciti milites ad principia conuenerũt, qui uetere inſtituto cum clamore alacri accurrere debebant. Magna prodigia: ſed & illę clades aliquanto maiores, tot pulcerrimarum legionum interitus, tam multa ſigna hoſtilibus intercepta manibus, tantũ Romanæ militiæ decus Barbarorum obtritum equitatu, optimæ indolis filij cruore paterni reſperſi oculi, corpus Imperatoris inter promiſcuas cadauerum ſtrues, auium ferarumq; laniatibus obiectũ. Valerius lib. 1. c. 6. & Plut. in eius uita.

Cùm contra Cæſarem CN. Pompeius in Pharſaliæ campis pugnaturus eſſet, ſubita triſtitia militum animi implicati fuêre, nocturniq; terrores totius exercitus. Valerius lib. 1. c. 6. Eidem pullum amiculum, diras præmonſtrauit. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 13.

Remora piſciculus, Echeneis dicta Græcis, fertur Actiaco marte tenuiſſe prætoriam nauim M. ANTONII, properantis circumire & exhortari ſuos, donec tranſiret in aliam. Ideoq; Cæſariana claſſis impetu maiore protinùs uenit. Plinius libro 32. cap. 1.

Petronas Michaëlis Imperatoris dux Agarenos prętio uicit, & Amer ducem illorum occidit. Fertur AMER captiuum quẽdam de nomine loci, regionis & fluuij interrogaſſe, ubi pugna conſerta eſt. Et cùm regionem Lalacaonem, Ptoſantem uerò locum ualli, ac Gyren fluuium appellari audiſſet: Omnia (inquit) infauſta, malum mihi pugnæ euentum minata ſunt. Dicebat enim Lalacaonem populi malum, Ptoſanta uerò cadentem, & Gyren circumſeſſionẽ hoſtium ſignificare. Cuſpinianus.

MAGNENTIVS tyrannus à Conſtantio Imp. in Lugdunenſi prouincia uictus, ſe in proximũ collem coniecit. Ibi cũ uideret milites ſuos fractis animis propè de ſalute deſperaſſe, tribunal aſcendẽs, uerbis confirmare conatus eſt. Cui cùm milites acclamare de more uellent, factum eſt ut imprudentes atq; inuiti Conſtantium Auguſtum pro Magnentio ſalutarint. Quo omine territus inde ceſſit, & Lugduni manus ſibi intulit. Sigonius lib. 5. Imp. occid.

Tartaris anno Chriſti 1240. Poloniã uaſtantibus & Sileſiã, dux Vratiſlauiæ HENRICVS Pius, cùm exercitũ Legnicia contra Tartaros educeret, ſaxum grande è culmine templi Virgini Chriſti matri dicati ante pedes eius decidit, ita ut parum abfuerit, quin eum extingueret. Collatis ſignis tanta Chriſtianorum cædes edita, ut ſingulis ſingulæ auriculæ à Tartaris præciſæ, nouẽ ingẽtes ſaccos explerint. Cromerus li. 8.





VLADISLAVS Iagello Polonorum rex, uictis Gronevaldenſi prælio Cruciferis, Marieburgo atq; adeò toti Pruſſiæ imminebat, eamq; ſine dubio cepiſſet, & Cruciferos extirpaſſet: cũ malo uſus conſilio obſidionẽ ſoluit. Equus regius, q dudum alacriter hinniens, terramq; ſcalpens ungula adſtiterat, dum rex eum abiturus cõſcendit, ſubitò exanimatus cõcidit. Tandem pacem cum Cruciferis uictor iniit, quã uictus uix tolerare debuerat. Cromerus lib. 17.

VLADISLAVS Vngariæ rex, cùm ab armigero ad Varnã armaretur, galea manu excidit. Equus ſeſſorem regem ferre recuſauit. Cæſus ſtrage ingenti exercitus à Turcis, rex in palude ſuffocatus. Cuſpinianus.

CAROLVS V. Cæſar, exercitum in Galliam contra Franciſcũ regem, anno 1536. ducens, in Alpibus omen cepit ex ſyluarũ incendiis, quæ continenti flamma ardentibus facilè pinetis, non paruum numerum calonum atq; lixarum, mercatorumq; & mulierum præſertim caſtra ſequẽtium turbam cõbuſſerat, concrematis multis impedimentis & ſarcinis, quibus milites, ne eodem igne corriperentur, opem ferre nequiuerant. Fuêre enim tum, qui dicerent, his ignibus uictoriam portendi, quòd prælucentes undiq; flammæ lætitiam prænunciarent. Alij à periculoſo ingreſſu infauſtum belli ſucceſſum, & iacturam impedimentorum, uti poſtea euenit, ſignificari contendebant. Iouius lib. 35. Hiſt.

## *Auguria.*

CYRO regi, dum cõtra Scythas bellum pararet, in quo periit, hirundinum uiſio infauſtam expeditionem portendit. Alex. ab Alex. lib. 5. c. 12.

Palmã æneam dicarant Athenienſes Delphis, cũ Mineruæ ſigno aureis laminis intecto, duplicis uictoriæ monimentũ, qua potiti fuerãt de Perſis ad Eurymedontẽ, pedeſtri acie, & nauali pugna proſperè in ipſo flumine cõmiſſa. Comparata autẽ ab ATHENIENSIBVS claſſe ad Sicilienſem expeditionẽ, magnus coruorũ numerus Delphos cõuolauit, irruẽtesq; in illud ſignum, aurũ roſtris auulſerunt. Haſtã quoq;, noctuas, & cariotas, quæ ad palmularũ ſimilitudinẽ ex auro factæ fuerant, ijdẽ illi corui abruperunt. Pauſanias in Phocicis, & Plut. in Nicia, ex Clitodemo.

C. HOSTILIVS Mancinus conſul in Hiſpaniam iturus, cùm Lanuuij ſacrificium facere uellet, pulli cauea emiſſi in proximam ſyluam fugerunt: ſummaq; diligentia quæſiti, reperiri nequiuerunt. Val. lib. 1. c. 6.

CN. Pompeio apes ſuo examine ante pugnam Pharſalicam in ara inſidentes, & ad naues uolantes, cladem pernicioſam prænotarunt. Ibidem.

Nauis Cleopatræ regia in expeditione M. ANTONII contra Octauium Antonias appellata fuit. Oſtentum in ea mirum accidit. Hirundines nidulatæ fuerant ſub puppi. Aliæ uerò inuolantes & has exegerunt, & pullos perdiderunt. Plut. in Antonio.

P. Volumnius, uir ſapientiæ ſtudiis deditus, & M. BRVTI arma ab initio ſecutus, ante ſecundũ præliũ Philippis cõmiſſum, obtectam apibus primã aquilam fuiſſe, & cuidam ordinum ductori brachium unguentum roſaceum exudaſſe, neque cùm crebrò detergerent id & eximerent, quicquam profectum. Sub conflictum duas aquilas medio inter utrãq; aciẽ ſpacio concurrentes dimicaſſe, atq; incredibile ſilentiũ campum occupauiſſe, omnibus eas ſpectantibus: pulſam fuiſſe & fugiſſe eam, quæ à parte fuerat Bruti. Celebratum uerò fuit de Aethiope, qui porta patefacta aquilifero occurrens, gladiis à militibus eſt in omen id uertentibus conciſus. M. Bruti & CASSII milites cũ Sardeis egrederẽtur, ad prima ſigna ſimul duæ aquilæ magno impetu delatæ ſunt. Hæ ſecutæ & comitatæ ſunt agmen, atq; à militibus Philippos uſque alitæ. Ibi pridie quàm confligeretur auolauerunt. Plut. in Bruto, & Val. Max. lib. 1. c. 4. Appianus lib. 4. Bellorũ ciuil. In campis Philippicis ſupra Bruti & Caſſij caſtra aues carniuoræ conſpectæ quotidie frequentes ſunt: & apum examina glomerata quodam loco intra uallum uiſa: quem locum aruſpices excluſerunt expiandæ gratia religionis, quæ ſenſim etiam Caſſium ex Epicuri præceptis tranſuerſum rapiebat, militũ certè animos prorſus obſtrinxerat. Vnde ſegnis erat ad decernendum præſenti acie: ſed auctor erat ducendi belli, cùm eſſent à pecunia firmi, armorum & militum numero deficerentur. Plut. in Bruto.

Antequam Bulgari iterum in Illyricum irrumperẽt, ſtella crinita fulſit: & corui ante & poſt ROMANORVM exercitũ uolitantes, cladem exercitui, quæ ſubſecuta eſt, prænunciarũt. Zonaras tomo 3. ſub Anaſtaſio.

ROMANVS Diogenes Imp. quũ uix è portu ſoluiſſet, columba ad nigredinem inclinans, triremẽ eius circumuolitauit, nec circa illam alas agitare deſtitit, donec manibus cõprehenſam Imperatrici Eudociæ miſit. Sed & Imperatorium tabernaculum ligno, quo in medio fulcitur, ſponte confracto concidit. Quæ omnia omina erant inauſpicatæ contra Turcos expeditionis in orientem. Zonaras.

Eſt inſula Sapientia appellata ad Peloponneſum, e regione Methones urbis poſita, portu celebris, in quem NICOLAVS Piſanus rei maritimæ Venetorum Imperator ſeſe cum uniuerſa trium & triginta longarum nauium claſſe receperat, Genuenſem hoſtẽ paulò ante à ſe in fugam uerſum, memorabiliq; clade affectum, excepturus: nunquam tantũ auſurũ ratus, ut ad ſe propiùs accederet. Sed (ut ſunt Ligurum ingenia in ultionem propenſiora) magno ſanè animo, noctu uigiliis oppreſſis, quæ portus oſtium obſeruabant, in reliquã claſſem adeò præceps improuiſusq; ruit, ut & Nicolaum ipſum cum quinq; millibus Aurius Genuẽſis Imperator abduxerit. Quam cladem coruorum uis ingens in cœlo pugnantium prænunciaſſe creditur, qui ſuo ſanguine Venetam claſſem reſperſerint. Ad quod prodigium acceſſit, remigem unum in mare lapſum, dum in alteram triremẽ trãſire parat, à marina bellua ſtatim deuoratũ. Egnatius lib. 1. c. 5. & Fulg. lib. 1. c. 4. & Sab. lib. 9. c. 7.

Ante id prælium, quo CORBREDVS II. Scotorum rex à Petilio Cereali legato Veſpaſiani magna ſtrage uictus eſt, aquila diem penè totum expanſis alis ſupra exercitum laborioſiſſimè uolitauit. Id multis incuſſit terrorem: ſeſe eo prodigio interpretantibus Romanis, quibus aquila inſigne, dedendos. Galdus rex bene omnibus ſperandũ acclamauit: ſore interpretatus, ut ea expeditio, Romanis multum laboris & anxietatis eſſet allatura. Viſus eſt & armatus miles per aẽra uolitãs, qui ubi circumuolaſſet exercitum, ſubitò diſparuit. Cecidere & uaria auium genera, è proximo cœlo, multis obducto nubibus, cruore aſperſa: campis iis, quibus exercitus erat ducendis. H. Boëthius lib. 4.

Ante prælium illud, in quo ARTHVRVS Britanniæ & MODREDVS Pictorum reges cum maxima nobilitatis parte cecidêre, monedulas, parras, ac cornicum ingentem numerum cum coruis haud multò minori numero in Gualia dimicaſſe, ſecutamq; auium cędum, quantam nulla prior ętas audiuerat, tradunt. H. Boëthius lib. 9.

Eo prælio, quo Valdemarus SVENONI III. Danorum regi & uitam & regnum eripuit, Valdemari exercitum tam crebri coruorum greges interuolaſſe produntur, ut complures ſe erectis militum haſtis feriendos obiicerent. Saxo libro decimoquarto.

In Gallia Belgica non longè ab urbe LEODIO, nidum ſiue in arbore ſiue in rupe falco ſibi parauerat, ouaq; fouẽs pullos auidus expectabat. Hunc corui loco deturbauêre, ouis eius effractis ac uoratis. Spectauerunt id è proximo bubulci, fugientemq; trepidum falconem annotauêre. Poſtridiẽ (mirabile dictu) falcones coruiq;, quaſi ex toto orbe ad pugnam uocati, iſti ſeptentrionalem, illi meridionalem partẽ tenentes, ordinatis aciebus, & tanquam rationis capaces eſſent, aliis, qui cornua obſeruarent, aliis qui media ducerẽt agmina diſpoſitis, atrox ac ferociſſimum prælium in aëre cõmiſerunt. In quo cùm modò corui, modò falcones cederent, & iterum reſumtis uiribus certamen inſtaurarent, totus undique ſubiectus ager & pennis & cadaueribus obtectus eſt. Ad extremum uictoria penes falcones fuit, qui non ſolùm roſtris, ſed etiam unguibus acerrimè decertãtes, coruos omnes ad internecionem deleuêre. Exin paruo tempore interiecto, cùm duo de Leodienſi eccleſia contendentes; alter à Gregorio tertiodecimo, alter à Benedicto duodecimo in epiſcopum electus (erant autem inter illos de Romano Pontifice diſceptantes) ambo cum copiis in eundem locum pugnaturi uenerunt: Ioannes dux Burgundiæ alterum armis iuuit, alterum Leodienſis populus ſequebatur. Pugnatum eſt collatis ſignis ſumma utrinq; contentione, horrendum cruentumq; prelium factum. In quo tandem uictor Ioãnes dux, triginta millia hoſtium cęcidit. Aeneas Syluius cap. 53. Europæ.

Eam pugnam, qua FERDINANDVS Neapolitanus rex à Ioanne Renati Andegauenſis F. Gallo ad Sarnum urbem loco iniquo ingẽti clade uictus eſt, prodigia præceſſere. Pridie enim quàm pugnatum eſt, toto fermè die coruorum greges prætorium Ferdinandi obuolitauêre, ac proximis arborib. cum ſtrepitu inſedêre. Rex ipſe prætorium egreſſus equo repentè concidit. Diuerſis locis alibi ſanguine, alibi oblitis cinere guttis pluit, quæ holerum foliis inſedêre. Pontanus libro 1. Neapolitani belli.

Bello NEAPOLITANO inter Aragonios & Andegauenſes flagrante, in campis, qui Beneuẽtum Apiciumq; interiacẽt, fœdum certamen inter coruos miluiosq; exortũ eſt, ſiue oſtentum illud fuerit, prognoſticumq; futuræ ad Troiam pugnæ, ſeu naturalis contentio, quòd multitudine locuſtarum iis in campis eo autumno prognatarum, quibus alites ipſi ueſcantur, pugnatum ſit, ob paſtus cupiditatẽ. Primo igitur è certamine (nam bis pugnatum eſt) quòd miluij acrioribus magisq; falcatis armati eſſent unguibus, aliisq; uterentur patentioribus, maioresq; captarent auras, corui cũ diſceſ-

ſiſſent inferiores, paucis pòſt diebus, tanquam imploratis aliunde auxiliis, rediêre denſiore agmine generis ſui uolucrum. Quod idẽ factitatum à miluiis. Cepta igitur acri in aëre pugna, corui ſenſim quaſi inito cõſilio, arteq; hac uſi, intra uineta ſubſidere, ſtanteſq; aut ſuper uitibus iam defrondibus, aut ſuper editioribus ramis, truncóue eminentioribus, roſtra ſubrigebant, ingruenteſq; alis atque unguibus miluios ſuffodiebant roſtris, quaſi pugionibus. Itaq; cernere erat cadentes paſſim, atq; exenteratos miluios, ſingulorumq; ad caſum conclamare coruos, crocitatuq; ſignificare uictoriam; & tanquam cohortari aciem cantu, atq; excire pugnantes. Quo pugnæ genere cùm certatum eſſet diutiùs, plenis tandem cadentium miluiorum campis, ipſi tanquam in inſidias delatos ſe intelligentes, pugnam deſeruêre, confeſſi uolatu fugam, atq; alis hoſtis ſuper ſtragem uolitantis uictoriam. Hic uerò elatus uictoria coruus, atq; in cædẽ uerſus, in ſtratos humi miluios ſæuire, iramq; ac rabiem exercere, conficere roſtro ſemineces, atq; è mortuorum aut capitibus cerebrum eruere, aut hauſta è uiſceribus inteſtina trahere unguibus, carpere præcordia, ac diſcindere armos roſtris, demùm nihil iræ reliquũ facere, nihil nõ permittere rabiei. Atq; ex hoc certamine, uictor plures dies, perinde ac direptis hoſtium caſtris, liber lætuſq; paſſim ferebatur. Nec multo pòſt Ferdinandus rex Ioannem Andegauenſem & Nicolaum Picininum ad Troiam Apuliæ magno prælio ſuperauit, anno 1461. Pontanus lib. 3. & 4.

## *Prodigia, Oſtenta.*

PHILISTÆIS ad Maſphaton in acie ſtantibus, laceſſentibuſque Iudæos, ac conuitio inſectantibus, quòd metu & ignauia in edito ſe tenerẽt: ex improuiſo horrẽdè mota eſt terra, ſubſeditq; in patentem hiatum: procella ingens ſecuta cum uentorũ turbine, tanta ui aciem afflixit, ut Philiſtæi uiolenter rotati, attoniti, atq; armis exuti, paſſim ut inertia pecora ſint à Iudæis occidione occiſi. Sab. lib. 9. c. 7.

Paulò ante Leuctricã cladẽ SPARTANORVM magni in Peloponneſo terremotus, ac regionis urbiumq; inundationes incredibiles factæ ſunt: qualia mala omnibus ſuperioribus ſeculis nunquam in Græciæ ciuitatibus acciderunt, ut unà cum hominibus urbes funditùs abolerentur. Auxit uerò mali huius magnitudinẽ ipſum quoq; tempus: non enim diurno tempore terræmotus fiebant, quãdo ſuccurrere ſibi ipſis periclitantes potuiſſent, ſed noctu clade ea accidente, domus à terræmotus magnitudine diſiectæ, ſuper ſe inuicẽ ruebant. Homines aũt partim propter tenebras, partim improuiſum & ſubitũ malũ, ſalutis & euadẽdi uiã quærere ſibi nõ poterant. Vnde quãplurimi ædificiorũ ruina præuenti, perierunt: quibuſdã uerò, exorto diluculo, extra domos exilientib. ac ſibiipſis, quòd periculũ illud effugiſſent, congratulantib. multo maior ac incredibilior calamitas poſtea accidit: mari enim uehementer concitato, altoq; fluctu exundante, omnes unà cum domibus abſorpti perierunt. Factũ eſt autẽ malum hoc in duabus Achaiæ urbibus, una Helice, altera Bura: quarum Helice quidem ante terræmotum habita eſt omnium Achaiæ urbium celeberrima. Diod. lib. 15.

Ante eandem Lyſandri ſtatua, quę Delphis ſtabat, in capite cõrona ſubitę extitit ex aſperis herbis & agreſtibus, quæ faciẽ eius tegerent: ſtellæq; aureæ (quæ Delphis erant à Lacedæmoniis poſitæ, poſt naualem uictoriã ad Aegos flumẽ, qua Athenienſes conciderunt, & Caſtor & Pollux cum Lacedæmoniorum claſſe uiſi dicebantur) deciderunt, neq; repertæ ſunt. Cic. lib. 1. de Diuin. & Plutarchus libro, Cur Pythia uerſus facere deſierit.

Quo tẽpore Lyſander Spartanus ATHENIENSES ad Aegos flumẽ uicit, & claſſe exuit, decidit cœlo, ut multorũ fert opinio, ad Aegos fluuiũ ingens lapis, qui hodie quoq; oſtenditur, & habetur apud Cherſonneſitas magna in ueneratione. Anaxagorã prænunciaſſe perhibẽt, incluſorum cœlo corporũ lubrica aliqua iactatione aut fluctuatione unũ abruptum præceps delapſurũ. Suffragatur Anaxagoræ Damachus: qui in libris de Religione ſcribit, priùs quàm hic lapis deflueret, uiſum cõtinuos quinq; & ſeptuaginta dies eximię magnitudinis corpꝰ in cœlo inſtar flãmeę nubis igneũ: nõ torpidũ illud quidẽ, ſed huc illuc identidẽ agitatũ: ut fluctuatione iactationeq; auulſa fragmenta ignita in diuerſas rapta parteis fuerint, & micuerint, traiectionis ſtellarũ modo. Poſtquam eo loci delatus eſt, & remoto pauore cõcurrerunt incolæ: nullum ignis indiciũ nec tam grande ueſtigiũ deprehẽſum eſt. tantùm lapis iacebat ingens ille quidẽ, ſed ambitus illius flammei partem retinebat fermè nullam. Plutarchus in Lyſandro.

CLEOMENI Spartanorum regi poſt Argios ſuperatos aiũt apud Iunonis templum litanti, effluxiſſe flãmam è pectoribus ſimulacri: ſigno non obſcuro, eum non eſſe Argos expugnaturũ. Si enim è capite ſimulacri flamma extitiſſet, fore ut urbem ab arce caperet. Cùm uerò è pectorib. fulgur extiterit, id omne fuiſſe confectum, quod deus cõfici uoluiſſet. Herodotus lib. 6.

In exercitu XERXIS, quem aduerſus Græciã contraxerat, equę partu leporem editum conſtat. Quo genere monſtri, tãti apparatus ſignificatus eſt euentus. Nam qui mare claſſib. terram pedeſtri operuit exercitu, ut fugax animal, pauido regreſſu regnum ſuum repetere eſt coactus. Valerius Maximus lib. 1. c. 6. & Herodotus lib. 7. Eidem montẽ Athon iuxta Idam tranſgreſſo, priùs quàm Athenas deleret, Lacedæmonis inuadendæ conſiliũ agitanti, inter cœnam infuſum pateræ uinum in ſanguinẽ, nec ſemel, ſed iterũ & tertiò conuerſum eſt. Qua de re conſulti magi, monuerunt, ut ſe ab incepto propoſito abſtineret: & ſi quod ueſtigium in uęcordi pectore ſenſus fuiſſet, cauere potuit, antè de Leonida & Spartanis abundè monitus. Valerius lib. 1. cap. 6. Eodem tẽpore Sardis mula mulum peperit, utriuſq; ſexus genitalia habentem, ſed maris ſuperiora. Cum Græcis congreſſus, turpi fuga uix elapſus eſt. Herodotus lib. 7. Eodem per Creſtonæos iter faciente, leones impetũ dederunt in camelos, qui cõmeatum portabant. Sub noctem enim relictis locis conſuetis, eò deſcenderunt: nulloq; alio neq; iumento neq; homine tacto, in camelos graſſati ſunt: nõ obſcuro indicio infelicis pugnæ. Alioqui enim leones, quoties aliunde eis eſt quo indigent, abſtinent ab inuadendis camelis, quod animal nunquam antea nec experti fuerant illic, nec uiderant. Cùm illius exercitus ad Ilium perueniſſet, ſub Ida caſtris poſitis, tonitrua & fulgura multos peremerunt. Noctu quoq; cùm Xerxes pridie mille boues Mineruæ Iliadi immolaſſet, & heroibus parentaſſet, panicus terror exercitum inuaſit: non obſcuro prodigio futuræ cladis. E Sardibus Abydum uerſus mouenti ſol ſuam in cœlo ſedem relinquens, apparere deſiit, cùm nullæ nubes, uerùm ſereniſſimus aër eſſet: & pro die nox extitit. Magi conſulti reſponderũt, deum ſignificare Græcis ciuitatum defectionem: ſolem enim Græcorũ, lunam Perſarum eſſe præſidem. Sed contrarium uerum fuiſſe, euentus oſtendit. Herod. lib. 7.

Quo tempore uicti ad Cranona Græci fuêre ab Antipatro, & ATHENIENSES Macedonũ præſidium accepêre, quo die Iacchum ex urbe Eleuſina deducunt, faſciæ, quibus myſticos lectos redimunt, tinctæ colorem retulerunt pro puniceo pallidum & luridum: & quod miraculum faciebat, priuata omnia, quæ unà fuerunt infecta, colorem conuenientem accepêre. Myſtam porcellum lauantem cetus in liquido portu corripuit, imaſque corporis partes ad uentrẽ uſque deuorauit: portendente illis clarè deo, ſpoliatos parte urbis ima Munychia, & mari adiecta, ſupernam ſeruaturos. Plut. in Phocione.

Per clades ATHENIENSIVM Siculas aureæ palmę Delphis poſitæ glandes defluxerunt, & Mineruæ clypeum corui attonderunt. Plut. de Pythiæ orac.

C. FLAMINIO Coſs. antequam ad Thraſimenum ab Hannibale cæſus eſt, ſacrificanti, uitulus, qui multos cruore aſperſit, omen magni terroris fecit. Alex. ab Alex. lib. 5. c. 13.

C. HOSTILIVS Mãcinus conſul ad Numantinum bellũ profectus, cùm Genuæ ſcapham conſcenderet, anguis inuſitatæ magnitudinis conſpectus, ei infelicem pugnam præſignificauit. Val. Max. lib. 1. c. 6.

Vt cum exercitu Annibal in Italiam irrupit, uictorq; primũ ad Trebiã flumẽ per Hetruriam populabundus agmen duxit, prodigia partim ſolita ROMANIS fulgura, partim noua fœdaq; admodum ſunt nunciata. Scuta enim ſanguinẽ ſua ſponte ferebant ſudaſſe, cruentas Antij ſpicas demeſſas, lapides ignitos ardenteſq; cœlo decidiſſe, cùm cœlum ſupra Falerios fiſſum uideretur, paſſimq; diſiectas fuiſſe frequẽtes ſortes, in una ſcriptum ad uerbum apparuiſſe, Mauors arma ſua concuſſit. Plut. in Fabio.

Mures arroſis Lauinij clypeis argẽteis, bellũ portendêre MARSICVM. Plin. lib. 8. c. 57.

Ad Pydnam cõgreſſurus erat cum Perſeo L. Paulus Aemilius. Cùm iam nocte à cœna corpora ſomno & quieti dare uellent, ecce luna pleno orbe & ſublimis obſcurata eſt, fugienteq; lumine in uarios uertit colores. Hic dum condita eſt, cùm Romani de more æris crepitu lumen eius reuocarent, frequenteſque flammas tędis facibus ad cœlum porrigerent, longè diuerſa egerunt MACEDONES, quorum caſtra horror ſtuporque tenuit, rumorq; ſenſim eſt per caſtra uulgatus, portendere hoc regni occaſum. Paulus uerò, qui tyro non erat, neq; rudis inæqualitatum eclipticarum, oppidò religioſus tamen, & auguriorum peritus, ut primùm renitеſcere conſpexit lunam, immolauit ei undecim iuuẽcas. Plut. in Aemilio.

Ap. Claudio, M. Perpenna Coſs. CRASSVS aduerſus Ariſtonicũ dimicãs occiſus eſt. Apollinis ſimulacrum lacrymauit per quatriduum Vates portenderunt, Græciæ fore exitium, unde deductum eſſet. Sacrificatum tum à Romanis, donaq; in templo poſita. Iulius Obſequens.

Ferro



Ferro pluit in Lucanis, annò antequàm M. CRASSVS à Parthis interemtus eſt, omneſq; cum eo Lucani milites, quorũ magnus numerus in exercitu erat: effigies, quæ pluerat, ſpongiarum ferè ſimilis fuit. Aruſpices cauenda pręmonuerunt ſuperna uulnera. Plin. lib. 2. c. 56. Mox traducente exercitum iuxta Zeugma Craſſo, crebra eruperunt & atrocia tonitrua: frequentia fulmina ex aduerſo exercitui emicuêre: uentus cum atra nube & preſtere procelloſus in pontem eius temporarium incumbens, magna ex parte conuulſit & dirupit eum. Locus item, ubi metaturus erat caſtra, bis eſt de cœlo tactus. Equus ex prætoriis inſigniter exornatus, ablato ui rectore in flumine ſubmerſus, atq; ex oculis eſt ablatus. Dicitur prima aquila, cùm ſublata eſſet, retrò conuerſa fuiſſe. Plut. in Craſſo.

CN. Pompeio Dyrrachij contra Cæſarem profecturo, aduerſa eius agmini fulmina inciderunt. In Elide ſimulacrum Victoriæ, quod in templo Mineruæ fuit, à ianua auerſum, eo die quo dimicatum eſt, ſua ſponte ad ualuas ſe conuertit. Antiochiæ in Syria & Ptolemaide bis eodem die tantus eſt clamor circa urbem auditus, ut cum armis ſit populariter in muros diſcurſum. Pergami in templo tympana exaudita ſunt. Valerius libro primo, capite ſexto, & Sabellicus libro ſeptimo, Enn. 6.

IVDÆI anno 17. Hadriani, duce Barcochaba rebellantes, à Iulio Seuero Hadriani legato uicti, extremã ſunt cladem paſſi, cæſi, per totum terrarum orbem uenditi. Vrbis nómen Imp. mutauit, & Aeliam Capitolinam appellauit. Auctor Dion eſt, extremã eam cladẽ præceſſiſſe inuſitata prodigia. Sepulcrũ Salomonis, quod in ſummo cultu Hieroſolymis & reuerentia Iudæi habuere, ſponte & nullo impellente corruit: lupi ac hyænæ in urbes ultrò ingreſſæ, ululatibus mala imminentia denunciarunt.

IVLIANO Apoſtata contra Perſas mouente, Conſtantinopolis ſæuo terræmotu quaſſata fuit. Quæ res licèt infauſta aliena inuadenti diceretur, ipſum tamen à propoſita expeditione non auocauit. Sigonius lib. 6. Imp. occid. Iam uictis ad Cteſiphontem leui prælio Perſis, cùm Marti ob uictoriã ſacrificaturus eſſet, è decem tauris ultrò antequã ad aras peruenerint nouẽ extincti ſunt: decimus fractis funibus uix captus & deductus eſt ad ſacrificium. Fame exercitus conſumtus, Imperator occiſus: pax fœda & turpis, proditis ciuitatibus, quæ nunquam iuri Perſarum ceſſerat. Marcellinus.

Anno Conſtantij decimo, Domini uerò 350. ſol defecit: denuncians ſequuturam cladem, quam ROMANI à Perſis acceperunt. Hieronymus in Chronico.

Anno Domini 778, pridie Kalendas Februarij, ſol circa meridiem defecit, cùm triduo antè luna idem eſſet paſſa. Et acies eadem nocte apparuerunt. Viſa eſt & Mercurij ſtella, 16 Kalendas Aprilis, in medio ſole, uelut macula quædam nigra. Hæc prodigia FRANCORVM in Hiſpaniis funeſtam uictoriam ſignificaſſe uidentur. Turpinus, & Sabellicus Enneadis 8. lib. 8.

Multa prodigia Catalaunici in ATILAM Hunnorum regem & Romanos, prælij atrocitatem prænunciarunt. Luna binã eo anno paſſa eſt eclipſim: plurimæ urbes repentino terræmotu corruerunt: cœlum cruento hiatu apertum, mutuis haſtis ignitis id obliquè ſcindentibus: uiſus præterea cometes aliquot nõctibus radios ſuos Occidentem uerſus porrigẽs. Quibus oſtentis multi mortales terrebantur. Nicolaus Olahus cap. 6. in Atila.

Anno 409. quo ſecundùm in ITALIAM Alaricus Gothus irruit, terra per ſeptem dies mugitum ingentem dedit, ut Marcellinus memoriæ prodidit. Quæ res nihil aliud prænunciaſſe mortalibus; niſi nouam Gothorum in Italiam irruptionem eſt uiſa: qua populata uaſtataque Italia, Roma direpta atque incenſa eſt. Quod factum omnibus, celſiſſimum urbis faſtigium contemplantibus, nouitate ac magnitudine ſua pro memorando eſſe prodigio debuit. Etenim quid mirabilius eſſe, ac propè portentoſius potuit, quàm urbẽ eam, quæ annos ampliùs octingentos, poſt cladem à Gallis acceptam non ſolùm ab omni hoſtili intacta calamitate fuiſſet, ſed etiam omnium gentium uictrix, dominaq; ſtetiſſet, repẽtè barbaris, longo à ſe terrarum cœliq; ſpacio diſiunctiſſimis, in eam neceſſitatem adductam eſſe, ut nõ ſolùm ipſa de ſuo capite dimicarit, ſed uniuerſas etiam pronuncias ſibi timere, ac de propria incolumitate cogitare coëgerit? Sigonius lib. 10. Imp. occid.

Anno 1034. ſol inſigni ſe ac mirabili obſcuritate infectum Italicis in feſto Apoſtolorum oſtendens, inſignem LOMBARDORVM cladem, quæ propter defectionem illis à Conrado Imp. illata eſt, portendit. Sigonius libro octauo regni Italici.

ROMANO Diogene Imp. contra Azanẽ Sultanum, à quo captus eſt, expeditionem ſuſcipiente, nauimq; conſcendente, ligno, in quo medio ſtatutum cernitur imperatorium tentorium, ſua ſponte confracto, decidit prætorium. In continentem progreſſus, cùm crebrò inter domunculas contubernium ſtatuiſſet, ignis eas corripuit, ut flagrarẽt prorſus: ipſeque & equi ſemiambuſti protracti ſunt è prætorio, tum etiam frena, tum uehicula. Cuſpinianus.

Tempore Romani Argyropoli Imp. in Thracenſi prouincia, apud radices montis Cuzenæ, uox quædam exaudita eſt miſerabilis, eiulatibus & lamentis permixta: neque hoc ſemel aut iterum, ſed noctes dieſq; continuò à menſe Martio uſq; ad Iunium. Cumque nonnulli acceſſiſſent ſpeculatum locum, unde uox edebatur, aliò eiulatus iſti tranſiuerunt. Pręmonſtrabat autem, cladem ROMANORVM in Cœleſyria acceptam. Cedrenus.

Anno Chriſti 979. flagrãtes in cœlo uiſæ ſunt acies, ac mutuis ſe uulneribus conficientes: iuxta Sigebertum & Vrſpergenſem. Quæ res infelix illud OTHONIS II. Imperatoris cum Græcorum exercitu ſignificauit bellum, ubi ipſe cæſis copiis, fuga ſuæ ſaluti conſulere coactus fuit.

Paulò ante quàm CARACTACVS Scotorum rex cum Romanis confligeret, acieque uictus in hoſtium poteſtatẽ ueniret, equeſtris pugna mediis in campis acerrima conſpecta, repentè euanuit. H. Boëthius lib. 3.

Veſpaſianus ſubacta Britannia, Cameloduni, quæ Pictorum regia erat, templum Claudio Cæſari cũ ſtatuã eius & Victoriæ ſimulacro erexerat. Defectione Britannorum ſub Nerone, ſtatua Cæſaris è faſtigio corruens, in minuta fruſta confracta, Victorię quoque ſimulacrum ueluti cedens hoſtibus ſupinum, concidit. Conſulti aruſpices, tetram cladem ROMANIS imminere reſponderunt. Oceanus item cruentus fluxit, & humanorum cadauerum formæ in litore ſunt conſpectæ. H. Boëthius lib. 4.

Multa & uaria prodigia facta in Albione, paulò antequam Corbredus GALDVS Scotorũ rex cũ Iul. Agricola, Domitiani legato, cruenta manu conflixit. Ignitas acies (Cypariſſas uocant) per aëra diſcurriſſe. Magnam Calidoniæ partem uiſam noctu incenſam, interdiu autem ab igne intactã. Nauium ſpeciem in cœlo apparuiſſe. In Atholia pluiſſe lapidibus, in Horeſtia ingentem ranarum multitudinem in pluuiæ formam è ſummo aëre decidiſſe. Natum Tulinæ Hermaphroditum, monſtrum aſpectu undiquaque fœdum: idque ne hominum offenderet oculos, illicò necatum. H. Boëthius lib. 4.

Prodigia plurima in uariis Albionis oris, priuſquam BRITONES à Scotis ac Pictis ſubacti fuêre, conſpecta ſunt. Luna ſoli aduerſa in quadram abire: & Eboraci ſanguineo pluit imbri: & multis in locis arbores de cœlo tactæ, aruere in ramis foliiſque: & forum Londini ingenti patuit hiatu: ædeſque haud paucæ in profundum ſunt abſorptæ. Hector Boëthius libro 7.

Ante funeſtum certamen, quo ARTHVRVS Britannorum rex à Pictis atque Scotis cæſus eſt, cruentæ herbæ in Eboracenſi agro per plures dies durauere. Prope Cameloduni biceps uitulus natus. Sol medio die cruentatus apparuit: cœlum dies duos continuos ſtellis fulſit. Hector Boëthius libro nono.

Quo anno PICTI ad internecionem deleti ſunt à Scotis, lituus epiſcopi, ſacra Cameloduni, quæ Pictorum regia erat, facientis, repentè arſit, ut nulla ratione extingui potuerit. Cometes duo, autumno unus ſolem antecedẽs, uere ſequẽti alter ſolem ſequebatur. Acies igneæ cœlo concurrere, ac ſubitò altera profligata euaneſcebant. Sereno medioq; die tantus armorum equorumq; ac pugnantium ſtrepitus in agris exauditus eſt, ut plurimos agricolas utriuſq; gẽtis exterruerit. Cardanus de rerum Varietate lib. 15. cap. 78. ex Hectore Boethio.

Anno 874. quo CONSTANTINVS Scotorum rex à Danis occiſus eſt, piſces in Forthea Scotiæ æſtuario, ingenti multitudine humana propè effigię ſuper mare media parte erecta natarunt. His pellicula nigra ceruicem totumque caput à ſcapulis inſtar tegminis cooperuit. Ipſi turmatim incedentes (noſtri Baſſinates uocant) dirum infortunium quoties uiſuntur, uulgi exiſtimatione, mortalibus portendunt. H. Boëthius libro 10.

Septennio antè quàm CONSTANTINVS Scotorũ rex Danis iunctus, magno prælio ab Athelſtano Anglorũ rege ad Broningfeldũ ſuperatus eſt, nata ſunt in Albione duo monſtra: alterum inter Danos, Hermaphroditus homo, porcino capite, thorace ſupra quàm humanũ eſſet prominente, uentre obeſo, pedibus propè anſerinis, cruribus autẽ humanis: ſetoſus undiq; atq; aſpectu fœdus. In Northumbria alterũ, cui ſexus erat unus uirilis, unuſque uenter: pectora autem duo carinata, non ut hominis lata, brachia quatuor: biceps erat, apparebatque, quemadmodum ſupra umbilicum in duos thoraces ſciſſum erat, duas uoluntates cõtraria penè ſemper ſentiẽtes, in ſe habere: & per id diuerſos in monſtro eſſe hoẽs, quorũ alter dormibat, altero uigilãte, auerſabatur alter cibũ, petẽte altero, uterq; nõnũquã alteri cõuitiabat:

pro-

proceſſumq́; quandoq; in tantam contumeliam, ut mutuis uerberibus & unguibus ſe laniarent. Vno tandem longa ualetudine cõfecto mortemq́; obeunte, alterum, quum extincti cadaueris fœtorem ferre non poſſet, breui mors eſt inſequuta. Paulo ante conflictum ex latere monticuli cuiuſdam in Gallouidia ſanguis erupit, perq́; dies ſeptem fluxit, & Oceanum Hibernicum ad aliquot paſſuum millia cruentauit. H. Boëthius lib. 11.

Henrico VIII. Anglorum rege Galliam infeſtante, IACOBVS Scotorum rex uiolato fœdere in Angliam irrupit. Cũq́; de prælij ratione cum ducibus diſputaret: lepus è prętorio proſiliens, mille petitus telis, per mediam ſtationẽ intactus euaſit, & infelicis pugnæ prodigium fecit. Siquidem Iacobus à Surreio præfecto regni prælio uictus & occiſus fuit. Iouius lib. 11. Hiſt.

CRVCIFERORVM cladem ab Vladiſlao Iagellone Polonorum rege, quem uixdum prouocarant, acceptam, in Pruſſia oſtentum cœleſte portendit. Fertur enim à multis, ex utroque exercitu per omne tempus prælij conſpectus eſſe in aëre uir uenerandus, pontificali habitu, dimicantes Polonos confirmans, hoſtibus uerò terrorem incutiens. Atque is D. Staniſlaus epiſcopus Cracouienſis fuiſſe exiſtimatur. Quin & nocte præcedenti prælium, monachus circa lunam uiſus fuit cum rege aliquamdiu depugnaſſe: & ad extremum, monachum uictum, ac cœlo deturbatum fuiſſe. Cromerus lib. 16.

Varnenſem cladem CHRISTIANORVM, in qua Vladiſlaus Hungariæ rex, Iulianus Cæſarinus Cardinalis, multi Epiſcopi, ab Amurathe II. Turcorum Imp. cæſi ſunt, non obſcurũ præceſſit prodigium. Nam cùm acies inſtructæ ſtarent, Bulgariam terræmotus inuaſit magnus, & impetus uentorum pleraq; deiecit uexilla. Cuſpinianus.

Anno ſalutis 1147. CONRADO III. Imp. expeditionem in terram Sanctam ſuſcipiente cum principibus confœderatis, dira prodigia ſunt conſpecta, quibus uaria belli incommoda denunciabantur. Nam ueſpere quodam nebula denſiſſima cooperuit caſtra: & uniuerſa papilionum tegmina, quę ſub dio fuerant, ita ſanguine aſperſa comparuêre, ac ſi ſanguine pluiſſet. Paulo pòſt in montis ſupercilio tonitruum fragorem & tempeſtatis ſonitum exaudiuêre. Deinde circa noctis medium torrens auctior erumpens, quicquid uallis humile continuit, temporis momento abreptum in mare auexit. Continuator Sigeberti, Helmoldus, Cuſpinianus, Annales Nicetæ.

Cùm CAROLVS Burgundiorum dux Geldrenſem cepit urbem, incenſa humo, nulla conſpecta flamma, herbarum, arborumque radices comburebantur: atque ab ea regione penè in Burgundiam uſque malum illud penetrauit: neque remedia populi ad id ſatis inueniebant, etſi ingentibus foſſis incendio præcidere uiam uireſque conarentur. Fulgoſus lib. 1. c. 4.

Ea nocte, quæ Tarrenſem pugnam inter Galliæ regem Carolum IIX. & Venetas Sfortianaſque confœderatas copias anteceſſit, nimbi maximi cum fulguribus, tonitruis, frequẽtibuſque & horribilibus fulminibus repentè ingenti cum fragore exorti ſunt. His GALLI magis quàm ITALI terreri, non modò quòd montibus atq; hoſtibus ſepti, eoq́; loci eſſent, ut ſi quid aduerſi eis accideret, ſpes nulla ſalutis reliqua eſſet: uerumetiam quia uerìſimilius uidebatur, eas cœli minas non niſi ob res magnas apparere ſolitas, eam potiùs partem innuere, ubi tantæ maieſtatis potentiæque rex uerſaretur. Prælio commiſſo Galli etſi non expreſsè uictores, reditum tamen in Galliam uel inuitis Italis ſibi paratũt. Guicciardinus lib. 2.

VENETI, ubi fœdus cum rege Franciæ Ludouico XII. cõtra Ludouicum Mediolanẽſem ictum ab legatis intellexerunt, ſacris in æde Marcia ſolenni ritu factis, foro apparatiſſimo uerba fœderis in uulgus pronunciari pro ſuggeſtu uoluerunt. Ea dum pronunciantur, uentus coortus uexillum reip. tẽpli turriculis implicuit, uexilli parte abſciſſa. quod quidẽ poſtea ex euentu rerum portenti loco ciuitas habuit. Bembus lib. 4. Hiſt. Venetæ.

OTHOMANIÆ familiæ calamitates, quas circa annũ Chriſti M. D. ab Iſmaële Sopho Perſarum rege perpeſſa eſt, terręmotus ingens, quo mœnia Conſtantinopoli maiori ex parte collapſa ſunt, præſignificauit. Iouius in Baiazethe II.

Anno Domini MDX. ceciderunt è cœlo lapides circiter MCC. in agrum fluuio Abduæ conterminum. Ex his unus CXX. pondo, alius ſexaginta pependit. Delati fuerunt ad Gallorum ſatrapas pro miraculo plurimi, colore ferrugineo, duritiè eximia, odore ſulphureo: præceſſerat in cœlo ignis ingens hora tertia: decidentium lapidum ſtrepitus hora quinta exauditus: ut mirum ſit, horis duabus tantam molem in aëre ſuſtineri potuiſſe. Intra uiginti mẽſes pulſi GALLI. Triennio pòſt reuerſi, iterum pulſi, Mediolanum, in cuius finibus ceciderant lapides, uectigalibus, incendio, fame, obſidione, peſte nunquam aliàs uexatum grauiùs. Cardanus de Rerum uarietate lib. 14. c. 74.

Anno MDXXI. Mediolanenſis arx menſe Iunio diſiecta fulmine eſt, CXIII. homines enecti, portarũ uectes fracti aut flexi, quanquam maximi: quingentis etiam paſſibus ab ea diſtantes ceciderunt homines in urbe, qui tum erecti ſtabant. Pulſi ſunt GALLI menſe Octobri proximo. Cardanus de Rerum uarietate lib. 14. c. 70.

*Somnia.*

XERXES Darij F. Perſarum rex, bellum Græcis illaturus erat. Artabanus Hyſtaſpis F. Xerxis patruus, uehementer obſtitit. Xerxes quamuis ſtomachabundus, tamen Artabano paréré propoſuerat. Verùm urgentibus fatis, bis idem habuit ſomnium. Heroica ſpecie uirum uidit, obiurgãtem ſe, quòd Græcię bellum inferre differret. Re cum Artabano communicata, Artabanum regiis ueſtibus indutum, in regio ſolio ſomnum capere coëgit. Artabano quoque eadem ſpecies ob oculos uerſata eſt. Itaque non minore ſtudio, quàm antè obſtiterat, Xerxẽ ad Græciæ bellũ inflãmauit: nimirũ ſic urgente malo Xerxis fato, ut inſolentiſſimus rex ſuæ temeritatis & ſuperbiæ pœnas daret. Idem uiſus eſt ſibi in ſomnis ſurculo oleagineo coronatus eſſe, cuius oleæ ramis uniuerſa tellus obumbraretur: & mox corona capiti circumdata euanuit. Clarius & certius hoc ſomnium priore. Totum orbem bellico apparatu terruerat Xerxes, & de Græcis iam triumphum egiſſe uidebatur, captis Athenis: cùm Themiſtoclis ſolertia fractus, turpi fuga uitæ ſuæ conſulere fuit coactus. Herodotus lib. 7.

Ad Arginuſas Spartani duce Callicratida nauali prælio cum Athenienſibus pugnaturi erant, uatibus utrinque diſſuadentibus. LACEDÆMONIIS enim uictimæ caput in litore iacens diſparuit, æſtu fluctus hauſtum. Hoc omine portendi, prætorem claſſis eo certamine periturum, nunciarunt aruſpices. Quo audito, ferunt Callicratidam reſpondiſſe, Nihil Spartanæ dignitati, ſi pugnando caderet, ſe detracturũ. Thraſybulo uerò Athenienſi, qui tum prætor claſſem ductabat, cuique ea die ſumma imperij pro ſorte obuenerat, per noctem ſomnium huiuſmodi apparuit. Videbatur ſibi, unà cum ſex aliis prætoribus, Athenis in theatro frequenti tragœdiam Euripidis agere, cui Phœniſſæ titulus inſcribitur. Aduerſariis uerò tragœdiam, cui nomen eſt Supplices, agẽtibus, uiſum eſſe, Cadmeam uictoriam illis obtigiſſe, cunctosq́; interiiſſe, duces imitando, qui ad oppugnandas Thebas caſtra poſuerant. His auditis, uates ad coniectandum accitus, ita eſt interpretatus, Septem duces eo prælio caſuros. Ac ſacris alioquin uictoriam palàm ſpondentibus, iubet duces, uti collegis ſuis ſolis de interitu cuique nuncietur, uictoriam uerò ex ipſis ſacris portentam per uniuerſum diuulgent exercitum. Pugna commiſſa, Callicratidas aliquot antè hoſtium nauibus oppreſſis, occubuit: uictoria penes Athenienſes manſit, XXV nauibus deſideratis, hoſtium LXXVII depreſſis. Vtrinq; nauibus paulo minùs quadringentis pugnatum: idq́; prælium omnium maximũ memoratur, quod quidem unquam Græci cum Græcis decertarint. Diod. lib. 13.

PYRRHO, Epirotarum regi, Spartam obſidenti tale ſomniũ eſt oblatum. Videbatur ei Lacedæmon fulmine ab ipſo icta inflammari tota, atq; ipſe inde exultare. Lætitia excitatus imperat ducibus, ut milites habeant inſtructos, ſomniumq́; exponit amicis, quaſi urbem eſſet expugnaturus. Cui cùm alij mirificè aſſentirentur, non placuit Lyſimacho uiſum: uereri ait ſe, ne ut loca, quæ fulmine afflantur, manent inacceſſa: ita Pyrrho deus non ingreſſurum ſignificaret eum urbẽ. Huic ubi Pyrrhus reſpondit, Meras eas eſſe præſtigias atq; incertitudinis plenas: illud uerò in manibus arma tenentẽ ſibi quemq; ſubiicere debere,

Optimum id augurium pro Pyrrho exponere uitam:

primo diluculo urbem aggreditur. Sed impigrè & ſupra uires ſe defendentibus Lacedæmoniis, obſidionem ſoluere coactus fuit. Plut. in Pyrrho.

Ante pugnam illam, qua ANTIGONVS uitam, Demetrius F. regnum amiſit, Demetrio uiſus eſt Alexander ſecundũ quietem eximiè armatus ab eo percontari, Quónam ſignum pugnæ daturi eſſent? ubi reſpondit Demetrius, Iouem & Victoriam: Abeo ergo, dicere ille, ad hoſtes tuos: illi enim recipient me. Plut. in Demetrio.

Cn. Pompeius MITHRIDATEM regem ad Euphratem aſſecutus noctu cecidit. Quo tempore fama fertur uidiſſe Mithridatem in ſomnis ſpeciem, quæ futura ei prænunciaret. Videbatur ſibi in mari Pontico ſecundo nauigare uento, Boſphorumque iam proſpicere, & comiter unà uectos affari, ut qui certa & indubitata incolumitate gaudeat: uerùm repẽtè ab omnib. ſe reperiſſe deſertum, ac fragmẽto exiguo nauigij iactari. His occupatum motibus & imaginibus aſſiſtentes amici excitauêre, Pompeium nunciantes adeſſe. Pugnà igitur pro uallo cõmiſſa, uictus eſt. Longè plus decẽ millia cecidêre, & caſtra cepta ſunt. Ipſe Mithridates initiò octingentorum equitum cuneo per Romanos erupit. Mox cæteris dilapſis ſolus relictus cum tribus eſt: in quibus Hypſicratia fuit pellex: quæ ſemper quidem uirilis audaciæ fuerat (quare Hypſicratem eam rex appellabat) tunc uerò ueſte amicta uirili Perſica, & equo uecta, nec corpore ex fugæ prolixitate fatiſcere uiſa eſt, nec curando regis corpore & equo eſt fatigata: uſque dum ad arcem Inora uentum eſt, ubi regia pecunia & theſauri erant cumulata. Inde ſumſit Mithridates ueſtes precioſas, quas confluentibus ad ipſum ex fuga diſtribuit. Præterea lethale uirus cuique amicorum ferẽdum ſecum dedit, ne quis in manus hoſtiles ueniret inuitus. Inde in Armeniam ad Tigranem contendit. Quod ille cùm ei interdiceret, ac centum talenta in caput eius pronũciaſſet, præteritis Euphratis fontibus intendit per Colchidẽ fugam. Plut. in Pompeio.

Ante pugnam Pharſalicam nocte uiſum CN. Pompeio eſt in ſomnis theatrum ingreſſo ſibi populũ plaudere, tẽplumq́; ſe Veneris Victricis multis ſpoliis exornare. Hæc uiſio partim erexit eũ, partim ſolicitauit nonnihil, metuentẽ, ne Cæſaris familiæ Venerẽ contingenti accederet ab ſe decus & claritas: atq; exciuerunt eũ Panici quidam terrores ex ſomno. Quarta uigilia ſupra Cæſaris caſtra, ubi omnia quieta erant, ingens effulſit lumẽ: eo fax accenſa flammea in Pompeij eſt caſtra delata. Ipſe ſe Cęſar hoc, dum excubias circũiret, ait uidiſſe. Plut. in Pompeio.

CONSTANS II. Imp. Monothelitarum patronus, & orthodoxorum perſecutor, cùm Romam transferre imperij ſedẽ ſtuderet, ingreſſus iter, incidit in Saracenorum manus, quorum dux erat Mauuias: cum quibus infeliciter dimicans, uix fuga eſt elapſus. Narrat Paulus Diaconus, eum tunc tẽporis, antequam nauale prælium iniretur, ſomnium habuiſſe, quaſi apud Theſſalonicenſes degeret: idq́; ipſum interpretẽ ſomniorũ de amiſſione imperij intellexiſſe, quaſi diuinitùs eſſet ſignificatũ, θὲς ἄλλῳ νίκην, regnũ ab eo auferendum eſſe. Etſi autẽ hoſtiũ manus effugit, iudicium tamẽ Dei nõ potuit effugere. Nam in Siciliam reuerſus, à ſatellite quodam, dum ſapone Gallico deliniretur, ſitula interficitur. Paulus Diaconus lib. 19.

MANVEL Comnenus Imp. cum Sultano Iconij Clyzaſthlanì inferre bellum ſtatuiſſet, in ſomnis ſibi uiſus eſt, conſcenſa imperatoria naue, cum multis familiaribus, Propontidis oram legere: ſubitò uerò Europæ & Aſiæ montes concidiſſe: fractaq; nauẽ, cæteris omnibus ſublatis, ſe uix manibus in litus enataſſe. Quo autem die periculoſas illas uias ingreſſurus erat, homo quidam duarum linguarum peritus, natione Romanus, cognomento Mauropolus, ei dixit: Se uiſum in ſomnis Cyri ædem ingredi: & dum genetricem Dei placaret, uocem ex ea editam audire, quæ diceret: Nunc in ſummo diſcrimine uerſatur Imperator: & quis ei meo nomine opem feret? Cùm quidam ex obſcuro dixiſſet, Abeat Georgius: illam reſpondiſſe, Tardus hic eſt. Illo iterum dicente, Abeat Theodorus: eo quoque repudiato, tandem mœſtam exclamaſſe, Neminem malum illi imminens præcauere poſſe. Nicetas lib. 6.

## EXCIDII IMPERII, REGNORVM, REGIONVM. REIPVblicæ mutationis.

*Reuelatio.*

DANIEL, cùm Suſis in Meſopotamia eſſet, ſubito & horrendo motu terræ in publico deprehenſus, in faciem concidit. Mox cœleſti uoce iuſſus ſurgere, & cœlum intueri: conſpexit arietem magnitudine immani, plura habentem cornua, & in his eminentiſſimum unum, quod extremo agnatum eſſet loco. Inde hircus ab occaſu per aërem delatus ab eo uiſus, qui arietem altero capitis impulſu ſtrauit, ſtratum conculcauit. Ingens præterea cornu ex hirci fronte eminens productum, quaternaque illi cornua agnata in quatuor diuerſas mundi plagas obuerſa: & in his exiguum unũ, quod dum oriretur, reddita uox eſt ex proximo, id olim Dei templum crematurum, trienniòque ſacra inhibiturum. Per quæ diuino ille afflatus ſpiritu, Perſici regni euerſionem interpretatus, inclytam Alexandri uictoriam, & impietatem regum, qui ab eo fuerunt, præſagiit. Sabellicus libro nono, capite octauo.

Paulò ante aduentum Hiſpanorum in Americam, REX inſulæ, quam pòſt de inuentorum nomine Hiſpaniolam dixêre, idolum Zemi conſuluit, ieiunio quinque dierum religioſè obito, flagellis etiam laceratus, quid de regno à ſuo obitu futurum eſſet. Reſpondit dæmon, uenturos homines barbatos, ueſtitos, regnum per uim ſubacturos, uno ictu gladiis ſuis multorũ corpora diſſecaturos, ſeruitute grauiſſima oppreſſuros incolas. Hoc oraculum rex ad placandam deorũ iram carmine cõprehendi, quod Arentum uocant, & feſtis diebus cum ſolẽni ceremonia cantari uoluit. Itaq; multi incolarum ubi Hiſpanos primùm aduentantes uidêre, fuga ſibi conſuluerunt, oraculi memoria. Petrus Cieza tomo 2. rerum Indicarum, c. 33.

Quum florente fortuna Ferdinãdi primi regis Aragonij, urbs Neapolitana & regnum nullis adhuc belli calamitatib. premeretur, ſatis conſtat Cataldum ſanctum uirum, qui abhinc annis mille pontifex urbi Tarentinæ præfuit, quemq́; patronum Tarentini ciues colunt, nocte intẽpeſta MINISTRO ſacrorum cuipiam tunc ſacris initiato, & in caſta religione educato, ſemel atq; iterum in ſomnis apparuiſſe, ac monuiſſe, ut libellum à ſe conſcriptum, quem in abdito loco uiuẽs abdiderat, in quo diuina arcana ſcripta erant, effoderet, & protinus ad regem deferret. Qui quum parum fidei ſomnio dediſſet, eadem ſibi per quietem ſæpius obuerſata ſpecie, quum primo diluculo ſolus moraretur in tẽplo, ipſemet Cataldus, qualis erat olim dum in uita ageret, pontificia ueſte, infula amictus, eidem miniſtro planè uigilanti apparuit, iuſſitq;, ut libellum à ſe conſcriptum in abdito loco conditum effoderet, & regi deferret, pœnam, niſi faceret, grauiter comminatus. Poſtera luce ſolenni pompa miniſter cum populi comitatu ad latebram, in qua longiſſimo æuo libellus latuerat, proceſſit: eumq́; plumbeis tabellis obſignatũ, & clauis obſeratum inuenit, futurum regni excidium, miſerias, calamitates, & luctuoſa tempora, atq; inſtantia mala, quæ poſtea ſequuta ſunt, continentem Ferdinandus, in primo belli apparatu, è uita exceſſit. Carolus VIII. Gallorum rex Neapolitanum regnum inuaſit: Alfonſus Ferdinandi primogenitus, poſt patris obitum uix in regnum aſſumtus, regno orbatus, turpi fuga uelut in exilio diem ſuum obiit. Ipſius filius Ferdinandus iunior, ſummæ ſpei adoleſcens, cui regnum debebatur, fatali bello implicitus, in ipſo ætatis flore immatura morte deceſſit. Poſtea Galli & Hiſpani communicato imperio, & æquato regni iure, fugato Friderico, altero prioris Ferdinandi F. qui regno ſucceſſerat, denuò regnũ inuaſere, ſacra, prophanaq; occupauere: urbes, uillas, uicoſq́; omni belli clade peruaſtauere. Alexander ab Alexandro libro tertio, capite decimoquinto.

*Prædictio.*

Priùs quàm Moſes naſceretur, Aegyptiacus ſacerdos oraculó ne inſtructus aliquo, an prophetico impulſus ſpiritu, incertum, PHARAONI regi nunciauit, Hebraico ſanguine puerum naſciturum, qui multum regni opibus eſſet obfuturus. Permotus Pharao eiuſmodi oraculo, uel, ut Bibliacĩ libri tradunt, quia Hebræorum gens multo numeroſior uideri ceperat, quàm ipſi regi & uniuerſæ Aegypto tutum crederetur, nutriri uetuit omnem uirilem Iſraëlitarum ſtirpem, quæ deinceps naſceretur. Capitale futurum edixit, ſi quis marem tolleret. Obſtetricibus adhæc indigenis datum negotium, ut omnia attentè explorarent, ne in cuiuſquam puerperio fieret fraus. Nemini erat dubium, totam Iudæorum gentem, quæ adeò ad id tempus in Aegypto creuerat, ut ad ſexcenta uirorum millia in ea cenſerentur, hominis ætate interituram, ſi omnis alterius ſexus ſoboles in ipſo uitæ ingreſſu fuiſſet extincta. Verũ Moſes numinis prouidentia clã natus, palàm ſuſceptus à regis filia Thermuthi, in regia educabatur. Pharao puerum gremio receptum, paruo diademate inſigniuit, fatorum immemor, aut certè patria charitate uictus. Id inſigne pueri inter crepundia arreptum humi afflixit: afflictum pedibus conculcauit. Acceperunt, qui tum circa regem ſteterant, non ſine gemitu id omen: nec fatidicus ſacerdos, qui tum fortè aderat, temperare potuit, quin tum quoq; regem fatorum admoneret, apertaque prædicatione diceret, hunc uideri ſibi puerum, quem magnam aliquando cladem Aegypto allaturum fata portenderent. Ea uoce rex territus, haud longè aberat, quin puerum è filiæ complexibus arreptum, ſuis iugulandum traderet. Obuoluta illa genibus patris, ætatem excuſare, quæ nihil adhuc ſaperet. Ad omen igitur eleuandum carbones iubent puero accenſos offerri: ex ea re exploraturi, an nocitura etiam temerè tractaret. Hîc factum memorant, ut non ſine perpetua linguæ clade, ex his aliquot repentè hauſerit manifeſto indicio, hunc ipſum diuini ignis radios aliquando innoxiè perlatutum. Sab. lib. 2 En. 1.

SAVLO regi, eo quòd Agagum regem Amalechitarum, item opima quæq; animalia ad ſacrificium, contra Domini & Samuelis prophetæ iuſſum, conſeruarat, Samuel iram Domini prædixit, quodq́; regno exuendus eſſet. Saulus ſeſe peccaſſe confeſſus, ueniam poſtulabat, & Samuelẽ gremio penulæ apprehenſum, ut Dominum ſecum adoraret, retinere ſtudebat: at penula abrupta eſt. Tum Samuel: Sic quoq; Iſraëlitarum Deus hodie à te regnum abrumpit, idq́; meliori te tradit. 1. Regum 15.

De Hieremia, & captiuitate, excidioq́; IVDÆORVM ad hunc

mo

modum ſcribit Alexand er Polyhiſtor, apud Euſebium: Temporibus, inquit, Ioachim Hieremias prophetauit, qui miſſus à Deo, cùm Iudæos aureo ſimulacro, cui nomen erat Baal, ſacrificantes reperiſſet, futuram eis propter hoc calamitatem prædixit: unde Ioachim uiuum iuſſit cremari. Illum autem dixiſſe, foueas ipſos, à rege Aſſyriorum captos, iuxta Tigridem atq; Euphratem, eiſdem lignis facturos. Hæc Nabocodroſorum Babyloniæ regem audiuiſſe, ac Stibare Medorum rege in auxilium adducto, CLXXX. peditum, equitum C. & XX. millia ducentem, ac X. millia curruum, primò Samaritanas omnes urbes, Galilæam, Scythopolin, & Galatidem euertiſſe, deinde Hieroſolymam, & Iudæorum regem Ioachim uiuum cepiſſe, & aurum, argentum, æs, cæteraque omnia, quæ in templo fuerant, arca excepta, & tabulis, in Babylonem aſportaſſe. Arcam enim Hieremias detinuit. Sic ille. Lud. Viues in 18. lib. Aug. de Ciu. Dei, c. 25.

Fertur CROESVS à Sandane, Lydi generis homine, longeq; in futurum proſpiciente, monitus, ne quid temerè moueret in eam gentem, cui aqua potui eſſet, & ueſtis ſcortea, ex quibus uictis nulla expectari poſſent præmia (ſiquidem nihil ante Crœſum uictum fuit Perſis in uita lautum aut elegãs.) cõtrà uideret, ne ſi Lydorum gaza ſemel foret hoſtibus delibata, ſibi ſuiſque dirum feſtinaret exitiũ. Audiit hæc Crœſus, cæterùm belli cupiditate contra Cyrum incenſus, ſecutusque Pythium carmen, pro uanis repudiauit. Sabellicus lib. 6. En. 2.

Sibylla MACEDONVM bellicam gloriam, Philippo Amyntę filio regnante partam, alterius Philippi temporibus peſſum ituram prædixit:

Aemathiæ populi (Argeadæ quîs gloria reges)
Cõmoda nũc pariet regnans, nũc damna Philippus.
Namq; duces maior populis atq; urbibus unus
Imponet. Sed enim Heſperiis domitus minor annis,
Mox etiam Eois, illuſtres perdet honores.

Romani enim, qui ad occidentem ſunt, Attali & Myſorum auxilio, qui ad ſolis ortum uergũt, Perſeum Philippi F. & regno & uita priuarunt. Pauſ. in Achaicis.

Migrationes Aeneanum plures extiterunt. Primùm coluerùnt ad campum Dotion. Inde à Lapithis in Aethicas eiecti ſunt. Hinc oram in Moloſſis ad Arauam inſedere: unde nuncupati Parauæ ſunt. Tum Cirrham tenuerunt. Cirrhæ cùm ſaxis regem obruiſſent Oenoclum, Apollinis præcepto in regionem Inacho adiectam deſcenderunt, quam habebant INACHIENSES & Achæi. Fuit editum oraculum, his, ſi impertiti eſſent regionem, amiſſuros uniuerſam: illis, ſi à uolentibus accepiſſent, ſeruaturos. Igitur Temon uir inter Athenienſes cordatus, ueſte ſumta pannoſa & pera, mendici ſpecie ad Inachienſes contulit ſe. Cui ad contumeliam & ludibriũ cùm glebam rex dediſſet, acceptam in peram condidit. Non intelligebant eum amplexari donum: confeſtim enim digreſſus eſt, nihil ampliùs poſcens. At maiores natu id ſtupentes, in oraculi memoriam redierunt, regemq; adeuntes, ne rem uilipenderet, mouerunt, neque hominem miſſum faceret. Quorũ Temon percepto cõſilio, inſtitit fuga ſibi conſulere, atque cèntum bobus Apollini uotis effugit. Hinc ex prouocatione reges dimicauerunt: ac conſpiciens Inachienſium regem rex Aenienſium Phemius Hyperochum cum cane ſe adorientem, demonſtrauit agere eum iniquè, qui alterum pugnantorem adduceret. Dum canem abigit Hyperochus, conuertentẽ ſe lapide Phemius feriit, cõfecitq;. Potiti ea regione, Inachienſibus & Acheis pulſis, lapidem illum ut ſacrum uenerantur, eique rem dininam faciunt, obteguntq; uictimæ aruina. Quando Apollini centum boues operãtur, immolant Ioui bouem, cuius portionem Temenis nepotibus eximiam tribuunt, eamq; nuncupant Carnem emendicatam. Plutarch. in Quæſt. Grecis.

Auctor eſt Iulius Marathus, ante paucos quã naſceretur Auguſtus menſes, prodigium ROMÆ factum publicè, quo denunciabatur regem populi Romani naturam parturire. Senatum exterritum cenſuiſſe, ne quis illo anno genitus educaretur: eos, qui grauidas uxores haberent, quo ad ſe quiſq; ſpem traheret, curaſſe, ne Senatuſconſultum ad ęrarium deferretur. Suetonius.

Procopius lib. 3. de bello Vandalico, refert CARTHAGINE antiquum prouerbium à pueris iactari ſolitum, Gamma Betam, & rurſus Beta Gammam perſequitur. Puerorum is luſus fuiſſe uidetur, quòd inter uicinos frequenter oriatur diſſidium: uerùm oracularis, ſaltem ipſo euentu confirmatus: quòd ut Genſericus rex Vandalorum Bonifacium expulit, ſic poſtea Gilimerem Beliſarius. Eraſ. in Adagiis.

D. Ambroſiũ grauiſſimo morbo iactatũ ſimulac STILICHO Vandalus, Honorij Imp. gener, audiit, diuino quaſi afflatus numine, uaticinium protulit, inquiens: Si hic uir naturæ cõceſſerit, ultimus Italiæ impendet interitus. Sigonius lib. 10. Imp. occid.

Cùm Ethelredum, Edouardi nouercæ ſuæ iuſſu trucidati ſucceſſorem, regem inungere coactus fuiſſet Dunſtanus Cantuarienſis archiepiſcopus, prædixiſſe fertur, Deum à totius ANGLIÆ populo, ob necem Edouardi pij regis, multis calamitatibus pœnas repetiturum. Ac reſpondit paulo pòſt euentus. Daci enim irruentes in Angliam, cuncta in ſuã poteſtatem redegerunt: adeò ut Rex ignauus & mollis multo auro pacem non diuturnã ab eis redimere cõpulſus fuerit. Secuta eſt inſuper peſtis & fames ſæuiſſima. Polydorus libro ſeptimo.

Hali Abenragel cõmemorat, in regia ſe uidiſſe natũ INFANTEM, qui uix dum uiginti quatuor uitæ horis perfectus, loqui incepit, & manu ſigna facere. Qua re uehementiùs rege conterrito, acceſſiſſe miraculũ maius. Nam re (inquit) aſtante, & me quoque cum multis aliis, exclamauit infans, Sum (inquiens) infeliciter natus, ad prodendam regni amiſſionem, & gentis perniciem ac deſolationem. Quibus enunciatis, concidit exanimis. Cælius libro uigeſimonono, cap. 14. Antiq. Lect.

Mercatores duo non ignobiles, per Taurinos ſaltus in Galliã profecturi, ampliorem humana ſpecie uirum obuium habuerunt, accerſitiq; repentè, ab illo mandatum in hæc uerba ſuſcepêre: LVDOVICVM Sfortiam fratrẽ meũ alloquimini, haſq; illi literas nomine meo date. Obſtupeſcentibus illis, ac percunctãtibus, Quis nam eſſet? ſeſe Galeacium Sfortiam eſſe reſpondit: & mox ab oculis eorum euanuit. Illi properè Mediolanum rediêre, inde Vigleuanum, ubi Maurus agebat. Literas duci offerunt, ab aulicis irridentur. At cùm pertinaciter in nuncio perſiſterent, in carceres coniecti, & tormentis examinati, nihil fraudis ſubeſſe conſtãtia ſua declararunt. Magno interea metu & conſternatione de aperiendis literis conſultabatur. Dubitantibus cæteris, unus Galeacius Vicecomes id auſus eſt. Cartha erat in põtificij breuis (ut uocant) modum complicata, oblonga, clauiculo tenuiſſimis filis æneis obſcrata: cuius uerba hæc erat: O, ò, ò Ludouice, caue tibi: quoniam Veneri Galliq; tuam in perniciem coituri ſunt, tuamq; à ſtirpe rem euerſuri. Verùm ſi mihi tria aureorum millia dederis, dabo operam, ut conciliatis ſpiritibus, ſiniſtra fata auertantur: idq; conſequuturũ ſpero, ſi mihi non aduerſatus annueris. Vale. Subſcriptio erat: Galeacij fratris tui ſpiritus. Hîc attonitis aliis rei nouitate, aliis cõmentum irridentibus, pleriſq; pecuniam dependendam ſub cuſtodia affirmantibus: ne tamen ſeipſum ludibrio exponeret, à ſuperſtitioſa hac largitione princeps prudentiſſimus abſtinuit, & mercatores domum remiſit. Cæterùm non multo pòſt à Ludouico XII. Gallorum rege principatu deiectus, & captiuus abductus eſt. Arlunus ſectione 1. hiſt. Mediol. oculatus teſtis.

Cùm Alexander VI. Pontifex Carolum IIX. Galliæ regẽ, Neapolitano regno præficere conſtituiſſet remoto ALFONSO II. rege, fama eſt Ferdinandi patris ſpectrum diuerſis noctibus Iacobo regiæ domus chirurgo apparuiſſe: & primò lenioribus uerbis, pòſt admodum minacibus mandaſſe, diceret hæc ſuo nomine Alfonſo, ne ſperaret, ſe Regi Galliæ poſſe reſiſtere: quòd in fatis eſſet, eius progeniem infinitis caſibus uexatam, ac demùm tam præclaro regno ſpoliatam, extinctum iri Eius rei cauſam eſſe, cùm multa ab ipſis patrata ſcelera, tum uerò illud maximè, quòd ipſius ſuaſu Puteolis redeuntis in D. Leonardi fano in uia colorea prope Neapolim cõmiſſum eſſet. Quod ſcelus etſi non expreſſerit, conſtat tamen Alfonſum conſcientiæ ſtimulis agitatũ, è regno Neapolitano quatuor triremibus precioſa ſupellectile oneratis in Siciliam profugiſſe: Ferdinandum idem filium, Capua & Neapoli amiſſa, eò quoque claſſe tranſmiſiſſe. Et Aragonia quidem domus per hunc modum Neapolitano regno excidit. Sabellicus lib. 9. Enn. 10.

*Omina.*

Antè quàm Alexander Magnus Perſas aggreſſus eſt, narrant DARIVM, quum primũ regnare cepit, Perſicã acinacis uaginã mutari iuſſiſſe in eam formã, qua Græci tẽpeſtate illa utebantur. Ac tum Chaldæorum plures uaticinatos, futurũ ut Perſarum imperium ad eos tranſiret, quorũ rex eſſet uaginam imitatus. Sab. lib. 4. En. 4.

Quo tempore claſſem Sylla ab Italia ſoluit contra Mithridatem, in aliis, quæ agenti Pergami MITHRIDATI oblata fuerunt, miraculis, Victoriam coronatam, quæ à Pergamenis ſupernè demittebatur machinis, cũ penè attingeret caput eius, labefactatam, & delapſam coronam in theatro ad ſolum diffractam memorant: atque inde horrore populum, Mithridatem ingenti fuiſſe conſternatione perculſum: licet omnia ei id temporis ex ſententia procederent. Plutarchus in Sylla.

Apud ſuperiores Imperatores moris erat, ut ætate prouectiores aulici proceres pileis turbinatis uterentur, ſerico tectis, pro dignitate cuiuſq;: adoleſcentes omnes prorſus nudis eſſent capitibus. ANDRONICO iuniore uerò Imperatoreis mos uſque adeò obſoleuit, ut omnes ſimul & adoleſcentes & ſenes pileis uterentur, nõ minùs in palatio quàm in agris, iiſque multiformibus & peregrinis, & quales cuique probabantur: alij Latinis, alij Myſiis & Triballicis, alij Syriis & Phœniciis, ſuo quique arbitratu. Eodem more in ueſtibus etiam uſi ſunt: ut prudẽtiores nouitatem aliquam & deſtructionem Imperij, & finem inſtitutorum ac morum illius diuinarent. Idem certiùs etiam ex eo colligebatur, quòd Imperatoriæ & illuſtriſſimæ quæq; ædes ferè omnes deſtructæ, & in cloacas & fimeta redactæ erant. Eodemque modo de moribus & rebus patriarcharum, eorumque maximis & illuſtriſſimis ædibus iudicabant, quæ firmiſſimum ornamentum ſimul & munimentum maximi templi Diuinæ ſapientiæ fuerunt, tum à primis architectis confectæ, tum ab iis qui ſecuti ſunt, pulcerrimè adiectæ, & primis operibus admodum conuenientes: quæ ęquè omnes corruptæ & deſtructæ ſunt. Gregoras lib. 2.

Cardin⁹ Capiuacius, cùm uexillifer eſſet Ludouici Buzzacharini copiarum Carrarienſium ducis, qui Galeacio Mediolani principe defuncto, cum magno exercitu, ad recuperandã Vicentiam à FRANCISCO Carrarienſiũ duce mittebatur, in media area nobilium, quæ nunc Veneti Senatus Platea dicitur: cùm ei Carrarium uexillum in manus traderetur, nunquam potuit, neq; à ſe, neq; à ſuis ulla ui ſuſtineri, quin elapſum de manibus humi caderet. Quod tunc portendiſſe ferunt, eiuſmodi belli apparatum, allaturum exitium & finem Carrarienſium principatui: quod ita fore, breui rerum euentus oſtendit: quando inde occaſio orta belli eſt, quo dum Carrarienſis Vicentiã ſibi uẽdicare inuitis Venetis contendit, Veronam, Patauium, cum principatu, & uitam deniq; ipſam ſimul cum omni poſteritate filiorum, infeliciter amiſit. Bern. Scard. lib. 3. hiſt. Pat.

*Auguria.*

Quo tempore DIONYSIVS Syracuſanus tyrannide exutus eſt à Dione, aquila raptam ſatellitis lanceam in ſublime tulit, inde demiſit in profundum. Vates reſpondêre, miniſtrũ eſſe aquilam Iouis, lanceam principatus inſigne. Igitur euerſionem tyrannidis moliri deorum principem. Plutarchus in Dione ex Theopompo.

*Prodigia, Oſtenta.*

[redacted] paſcua irent, deuorarunt. Telmiſſes ſuper [redacted] conſulti, externum exercitum affuturum reſponderunt, qui indigenas ſubigeret. Coluber enim terræ filius eſt, & indigena: equus uerò hoſtis & aduena. Captus interea Crœſus à Cyro, & regno exutus fuit. Herodotus lib. 1. Plin. lib. 11. cap. 51. filium illius ſemeſtrẽ in crepundiis locutum, ſcribit. De quo infrà.

Cùm Dion contra DIONYSIVM tyrannum è Zacyntho inſula bellum moturus eſſet, ſub libamina & ſolennia uota defecit luna. Nec fuit quicquam Dioni noui, eclipticos ambitus, occurrentemq; lunæ umbram & obiectam ſoli terrã reputanti. Cæterùm quia milites attoniti erant eleuandi, Miltas Theſſalus uates concione aduocata iuſſit eos bono animo eſſe, & ſpem optimam concipere. Quippe denunciare deum defectum cuiuſpiam rei in præſentia illuſtris. Illuſtrius autem nihil Dionyſij tyrannide eſſe, cuius luminibus ipſos, ut primùm Siciliam attigiſſent, obſtructuros. Eidem Dionyſio portentoſa prodigia fuêre à deo oblata, quo tempore illum tyrannide exuit Dion. Mare, qua alluit arcem, aquam per unum diem dulcem & potabilem reddidit: idq;, quicunq; guſtauerunt, percepêre. Cuius rei Plinius quoque lib. 2. cap. 100. meminit. Porcelli ei editi ſunt reliquis membris integri, tantùm mutili auribus. Id uates expoſuerunt defectionis & rebellionis oſtentum eſſe: quòd ciues non ultrà tyrannidi futuri eſſent dicto audientes. Maris dulcedinem triſtium & ſæuorum temporum in meliora Syracuſanis uiciſſitudinem afferre. Theopompus & Plut. in Dione.

Aeuo NERONIS principis in agro Marrucino, Vectij Marcelli è primis equeſtris ordinis oliuetum uniuerſum uiam publicam tranſgreſſum, aruis inde è contrario in locũm oliueti profectis, imperij mutationem portendit. Plinius libro decimoſeptimo, capite 25.

Anno ſal. 325. oppida XII. in Campania terræmotu concidêre. Sol autem tantã obſcuritate, Luna orbem ſubeunte, infectus eſt, ut ſtellæ interdiu, perinde ac noctu, micuerint. Quæ fortè impendentem ROMANÆ urbi ueteris dignitatis imminutionem, Byzantio illi amplitudine adæquando, ſignificarunt. Sigonius lib. 3. imp. occid.

Auctor Procopius eſt, apud Byzantium, Gothici belli temporibus cete comparuiſſe magnitudinis miræ, Porphyrium, inquit, illi uocant. Id uerò annis quinquaginta locis infeſtiùs circũiectis omnibus fuerat, nec ab Iuſtiniano, etiamſi percupido, ulla quiuerat ratione expugnari. Demùm delphines inſectatum auidè, ac ita limo impactum, explicari haud ampliùs eualuit: ſed accolis hinc inde accurrentibus funium ac machinarum ui pertractum in ſiccum, cubitorum triginta menſum per longitudinem exceſſit: per latum uerò decem. Prodigium certum GOTHORVM regni in Italia per Iuſtinianum excindendi. Cæl. lib. 8. cap. 11. A. L.

CAROLI Magni ſtirps, decedente Arnulpho, quum nihil regiæ eius ſtirpis uirilis ſupereſſet, extincta eſt. Quum igitur Hugonem Capetum, regij alioqui ſpiritus, Gallia regẽ admiſiſſet, immortalis Dei prouidentia ſignificandum hoc omnibus mortalibus, teſtandumq; eſſe curauit, nouo prodigij genere, quum primùm frumento, mox ingenti aquarũ ui, poſtremò uerò aliquot dies piſciculis etiam plueri. Egnat. lib. 5. cap. 6. & Sab. lib. 1. cap. 4.

Paulo antè quàm SCOTI à Pictis & Romanis regno exuerẽtur, in extrema Britãnia noctu in cœlo uiſi ardẽtes enſes & arma omnis generis in ingentem facem coeuntia. Duna fluuius ſanguine fluxit: ripę eius crebres ignibus fulſere, minutis auibus pluit, quas ingens ceruorum numerus ſtatim deuorauit. H. Boethius lib. 6.

In Scotia, Conrano regnante, ceruum canibus petitum, in Atholia haud procul à Grampio monte, longo curſu laſſum tandem captum, interemtumque, ingẽtem ſerpentum uim è uentre emiſiſſe ferunt. Nec multo poſt Saxones, Ambroſio BRITANNORVM rege è medio ſublato, poſt Hengiſtum primum Britanniam ſui iuris fecere. H. Boethius lib. 9.

Anno ſal. 839. quo PICTORVM regnũ à Scotis euerſum eſt, duo Cometæ apparuiſſe dicuntur, uterque ingenti mole, humano aſpectui horrendus: orientem ſolem in autumno unus præcedebat, occidentem, in uere alter ſequebatur. Cõſpectæ ſunt & frequentiùs ſub noctem ignitæ acies ardentibus haſtis cœlo concurrere, alteraque profligata ſubitò euaneſcere. Sereno cœlo ſub diem medium tantus armatorum prælio congredientium equorumque ſtrepitus auditus in Scotorum Pictorumque agris, ut complures utriuſque populi ingenti terrore percuſſerit. Lituus quoque (ita incuruum ſacri magiſtratus eccleſiaſtici baculum appellãt nonnulli) in pontificis manu dum ſacra ageret, Cameloduni Pictarum regia repentè igne correptus, ita pertinaciter arſit, ut nulla prorſus arte extingui potuerit. H. Boethi⁹ l. 10.

BOGISLAO Sclauorum duce, Canuto V. Danorum regi ſe dedente, per ſummam utriuſque gentis exanimationem crepuere tonitrua. Quo euentu SCLAVICI regni interitum portendi, à coniecturarum ſagacibus exiſtimatum eſt. Saxo libro 16.

GENVENSIVM Reip. mutationis portentum fuit fulmen, quod templum D. Ambroſij tetigit, ut ſupremum pietatis marmor in ſummitate locatum abraſerit, proculque ſine ullius læſione loco aptiſſimo repoſuerit: eo tempore, quo Alfonſus Aragonum & Siciliæ rex Caietam obſedit: & Genuenſes ex iuſſu Philippi Mediolanenſium ducis Blaſium Axeretum cum paucis triremibus eò miſſuri erant. Tunc enim cùm Blaſius ad naues pergeret, fœda tempeſtas orta & prædictum templum fulmine ictum fuit. Biennio pòſt, Genuenſes Philippi iugo excuſſo, Remp. in libertatem aſſeruere. Iacobus Bracellus libro 3. & 5. belli Hiſpan. & Fulgoſus libro 1. capite 4.

FLORENTINÆ libertatis, anno 1512. menſe Septembri, reductis per Aragoniæ regis Ferdinandi, Iulij II. Pp. & Maximiliani I. Roman. Imper. exercitum, Mediceis, oppreſſio facta, præter ea, quæ humanis iudiciis deprehendi poterant, etiam de cœlo ſignificata fuit. Non multo enim antè in porta qua Pratum itur, aurea lilia, Galliæ regis inſigne, ex ueteri marmoreo clypeo in quo erant, fulmine deiecta ſunt: aliud item fulmen in prætorij culmen iactum, in uexilliferi Petri Soderini cubiculum peruaſit: ubi aliud nihil, niſi magnam argenteam pyxidem, in qua ſummi magiſtratus ſuffragia colligebantur, tetigerat: inde in infimam prætorij partem lapſum, magnum lapidem, qui ad imos gradus ædificij molem ſuſtinebat, ita percuſſit, atque illæſum loco mouit, ut à peritis architectis magna arte exemtus uideretur. Guicciardinus libro 11.

Obſidentibus Mediolanum arcem Gallis, apud Gambalottam uicum, meridiano tempore duo equites in aere humana maiores effigie inter ſe concurrere uiſi, uictoremque eũ qui ab Galliæ regione ueniſſe uidebatur, alterum continuò profligaſſe, frequentes agricolæ confirmarunt. Brennio

quoque amnis Ticini ſocius, qui ob terræmotum corruente ingenti montium mole, lacum ſupra Bellizonam nunquam antea uiſum biennio antè effecerat, quum excreſcente in immenſum aquarum multitudine ſupra quadraginta ſtadia interclusæ uallis occupaſſet, nec iam ullis obicibus teneretur, effracta rupe, patefactoque exitu effuſus, ſubiectam planiciem inundauit, eodemq; impetu & lapideum Ticini pontem, & nobiliſſimi operis munitionem, quam duplici contecto muro, & turribus admirabilem, Ludouicus Sfortia interuallo decem ſtadiorum ab oppido in aduerſos montes perduxerat, puncto temporis deiecit & abripuit. Inde per patentes campos horribili fragore delapſus, quũ præceps Verbanum lacum peteret, cohortem Heluetiam in caſtra contendentem curſus celeritate obruit. Nam quum in ſuperiora uillæ ædificia conſcendiſſent, paulo pòſt aucta profluentis uiolentia, conuulſis fundamentis integra natante uilla deuecti miſerabiliter perierunt. Qua clade pulcerrimus centum ſtadiorum tractus, uillis, ſatis, arboribus, armentis, multisq; mortalibus momento abſumtis, interiit. Arx ipſa capta. MAXIMILIANVS Dux, Franciſci I. Gallorum regis armis preſſus, deditione facta in Galliam abductus eſt, liberiore cuſtodia, quàm Ludouicus pater, qui à Ludouico XII. captus, in tetro carcere expirarat. Et hic finis clariſſimæ Sforciadum familiæ. Sabell. ſupplem. lib. 5.

*Somnia.*

HECVBA prægnans facem ardentem, quæ Aſiam & Europã combureret, ſibi parere uiſa eſt. Peperit non multo pòſt Paridem, cuius inceſtis amoribus Troia patria diruta, Aſiæ uires attritæ, Græcia longo bello confecta fuit & perdita. Sabell. lib. 1. cap. 1. & Volat. lib. 18. Anthrop.

CAMBYSES Perſarum rex in ſomnis uidit Smerdem in regio ſedentem ſolio, cœlum contingere uertice. Ob id metuens, ne frater Smerdes regnum occuparet, Prexaſpem miſit ad eum interficiendum. Neque tamen uel hoc parricidio auertere potuit, quo minus Smerdes magus, qui ſe uerum Smerdem Cyri F. eſſe ſimulabat, regnum inuaderet. Cambyſes equum conſcenſurus, gladio in femore uulneratus, obiit. Herodotus libro 3.

SABACVS Aethiopum rex, L. annis Aegypti regnum occupauit. Quibus exactis, uiſus eſt ei deus, qui Thebis colitur, dicere, regnum ſuum in Aegyptios neque felix, neque diuturnum fore, niſi ſacerdotibus Aegypti omnibus occiſis, per media ipſorum cadauera cum ſuis tranſiret. Hoc ſomnio ſæpiùs oblato, omnes undique ſacerdotes conuocauit, narratisq; quæ per ſomnium acceperat: Nolle ſe, inquit, in Aegypto manentem alicui perniciem ſtruere, ſed malle purum, omnique ſcelere ſolutum, ab Aegypti regno abſtinere. Diod. Sic. & Herod. lib. 3.

DARIVS è Suſis mouerat contra Alexandrum, copiarum ſubnixus multitudine (quippe ſexcenta millia militum ſub ſignis habebat) fretusque ſomnio quodam, quod blandientes ei magis quàm pro ueriſimilitudine interpretati fuerant magi. Macedonum agmen magno ignis fulgore uiſum eſt collucere: Alexander autem, quo antè ipſe cultu fuerat indutus, cùm regis eſſet aſcandes (id eſt, nuncius: uel aſcantes, id eſt, cubicularius) ſibi miniſtrare: ac cùm in Beli templum eſſet ingreſſus, ex oculis eſſe ſubductus. His mea ſententia portendit deus magnificas & claras res Macedonas geſturos, & potiturum Aſia Alexandrum, ſicut potitus ea Darius fuerat, ex aſcando factus rex, uerùm breui uitam cum gloria depoſiturum. Plut. in Alexandro. Curtius caſtra magno fulgore collucere regem imaginatum prodidit. Sabell. libro 4. Ennead. 4.

Somnium mutandæ Reip. Spartanæ EPHORO in fano Paſiphaes dormienti tale fuit datum. Videbatur ei, quo loco Ephoris conſidere ſolenne erat ad ius dicendum, una ſella poſita, & quatuor ſublatę. Cùm obſtupeſceret, uox ex fano reddita, quæ id diceret Spartæ conducibilius eſſe. Hanc uiſionẽ narrãte Cleomeni regi Ephoro, primùm perculſus fuit, pertentari ſe ex aliqua ſuſpicione ratus: iam antè enim tale quid animo uoluerat. Vt uerò fides facta ei eſt, non fingere narrantem, confirmatus eſt, & Spartam cum mercenariis ingreſſus, Ephoros interfecit, & remp. ad æqualitatem reduxit. Plutarchus in Cleomene.

Reip. ROM. in Monarchiã mutatio, CICERONI & CATVLO, euidenti ſomnio patefacta. Vide Tit. Imperij ſomnia.

DOMITIANVM ferunt ſomniaſſe, gibbam ſibi ponè ceruicem auream enatam: pro certoque habuiſſe, beatiorem poſt ſe, lætioremq; portendi Reipublicæ ſtatum. Sicut ſanè breui euenit, abſtinentia & moderatione inſequẽtium principum. Suetonius.

BEDA Venerabilis pro ſalute Italiæ orans, uocem in ſomnis audiuit, O Beda tace, tace, Italia non diu erit in pace. Secuta eſt non multo pòſt Longobardorum regum euerſio à Francis facta. Bern. Saccus lib. 10. Ticinenſis hiſtoriæ.

HIEROSOLYMITANI regni Chriſtianorũ excidium, anno 1187. à Saladino Aegyptio illatum, multa præceſſêre prodigia: crebri horrendique terræ tremores, uenti atroces, ſolis defectus, grando frequens ad inſtar oui anſerini, maiore ſolito mare redundãs æſtu. Regis Guidonis Luſiniani cubiculario prægrandis aquila, ſeptem iacula unguibus uncis geſtans, & Chriſtianorum copias circumuolitans, per quietem uiſa, & huiuſmodi humanam uocem edens, Væ Hieroſolymis. Accedebat uita tum ſacerdotum diſſoluta, tum plebis obrutæ ſceleribus mores: nec patriarcha Heraclius integrè uixiſſe traditur. Tyrius.

ECELINVS cognomento Monachus, per quietem, filiorum uidit fortunam, ea nocte qua primùm cum uxore congreſſus eſt, quę Adela nomine, Tuſca, ex comitum antiquorum Montaionis gente fuit. Viſus eſt enim ſibi uidere collem, in quo Romanum oppidum in agro Patauino ſitum erat (cui ille imperabat, & Romanus inde dicebatur) ita efferri exaltarique, ut culmine cœlum contingeret: eundemq; paulo pòſt ueluti niuem liquefieri, adeoq; demitti, ut ampliùs nõ extaret. Liberorum caſus hunc effectum tulêre. Nam maior natu filius, & ipſe Ecelinus nomine, Veronæ, Pataui j, Vincentiæ, Feltrij, Ciuidalisq; ac Marchiæ imperium occupauit. At minor Albericus, Taruiſij aliorumq; locorum tyrannidem inuaſit. Cæterùm poſtea uariante fortuna, Salutis anno ducenteſimo quinquageſimo ſexto ſupra mille, cùm Apoſtolicus legatus Guelphique ſimul in Ecelinum filium arma mouiſſent, Patauium cum toto agro amiſit. Cùm autẽ conſideret ſe aſtu Mediolanum urbem occupaturum, & ob id Abduam amnem traieciſſet, circumſeſſus ab hoſtibus, prælio uictus, uulnere accepto, iuxta Soncinum captus, eo ipſo in loco periit, ac conditus eſt. Hoc caſu frater Albericus perculſus, cùm diffideret Taruiſium retinere poſſe, in ſancti Zenonis arcem ſe recepit: ubi Salutis anno 1200. à ſuis proditus, in hoſtium poteſtatem uenit. Illic intuitus corã ſe ſex filios occidi, uxoremq; Margaritam cum duabus puellis comburi, ipſe minutatim per ſingulos artus cæſus, Romanam gentem ſuam, ſicuti in ſomnis pater habuerat, finiri ſecum uidit. Fulgoſ. lib. 1. cap. 5.

## DEIECTIONIS A DIGNITATE.

Puta à

*Pontificatu, Sacerdotio.*

[redacted]

*Imperio.*

Sergio GALBA profecto in caſtra, ut Piſonem Cæſarem & ſucceſſorem ſuum renunciaret, prodigia de cœlo exeuntẽ magna ſtatim oblata ſunt. Hinc ubi in caſtris exorſus eſt orationem partim habere, partim de ſcripto recitare: toties tonuit & fulgurauit, tantaq; uis imbris & caliginis in caſtra & urbem effuſa eſt, ut liqueret non admittere neque comprobare deos, neq; felicem ſucceſſum habituram adoptionem. Sexto die pòſt, Otho conſpiratione prætorianorum Imp. ſalutatus, Galbam interemit. Plutarchus in Galba.

VITELLIO principi Viennæ pro tribunali ſedenti, ſupra caput & humeros reſidens gallinaceus, tantumq; fœdarum auium ſuperuolans, ut tenebras penè afferrent, præſens periculum, amiſſionem imperij, & futuras calamitates, quibus ad internecionem diis hominibusque infenſus redditus eſt, non cæca exiſtimatione præmonſtrauit. Alexan. lib. 2. cap. 31. ex Suetonio.

Baſilacius monachus fatidicus ISAACIVM Angelum Imp. ad ſe uenientem ne ſalute quidem dignatus, eius imaginis quæ in oratorij pariete depicta erat, oculos eraſit. Nec multo pòſt Iſaacius à fratre Alexio oculis & imperio priuatus eſt. Nicetas libro 3.

ANDRONICVS Senior Imp. nepotem Andronicum ſolenni pompa coronaturus, lapſo equo in cœnum prouolutus eſt. Nec multo pòſt ab ingratiſſimo nepote imperio exutus & in monaſterium detruſus eſt. Gregoras lib. 8.

MICHAEL Parapinaceus Imp. ex ſtudio literario, Pſello pręceptore, didicerat, ſuperiorem ac potentiorem aliquando fore literam Nũ, literæ Mũ, hoc eſt, Nicephoros præſtare Michaelibus. Itaq; cùm audiret in Occidente Nicephorũ Bryennium, in Oriente uerò Nicephorum Botoniatem defeciſſe (quorum ille fruſtra, hic uerò cum ſucceſſu ad imperium aſpirauit) uehementer territus eſt. Cuſpinianus.



Fuit Byzantij in palatij pariete ante Victricis Deiparæ ſacellum, D. Georgij equo inſidentis imago picta. Is equus paucis antè diebus quàm BALDVINVS à Palæologo imperio pulſus eſt, hinnitum edidit horrendum, eique mutationem imperij portendit. Iterum ſub Andronico Seniore Palæologi F. quem nepos Andronicus miſerè exagitabat, intempeſta nocte bis horrendum in modum hinniit, Imperatore & aulicis omnibus ſupra modum perterritis. Gregoras libro octauo.

Anno Chriſti 833. ſol & luna eclipſin patientes, LVDOVICO Pio depoſitionem ab Imperio, & carcerem, in quem à Lothario F. coniectus eſt, deſignaſſe uidentur. Sigebertus. In Gallia tantæ magnitudinis grando deſæuij, ut pecora paſſim hominesq; interemerit: quin & glaciei maſſã pedũ fermè duodecim, è cœlo decidiſſe affirmant. Bonfinius libro decimo, Decadis 1.

HENRICVS IIII. Imperator nocte quadam in ſomno uidit pulcerrimam arborem horti amœniſſimi, lapſu ſuo uicinam arborem deprimere, & ſimul perire. Paulo pòſt ipſe à filio deiectus eſt ſolio: quæ tamen dignitas filio non fuit diuturna. Chronicon Saxoniæ.

*Regno.*

SATVRNO uolunt in ortu filij reſpõſum, Fore, ut ab Ioue ui regno pelleretur. Quare filios multos peremit. Id ægrè ferens Rhea, cùm uiri animus placari non poſſet, Iouem in Ida ab ſe editum, clàm nutriendum Curetibus, iuxta Idam montem habitantibus, dedit. Hi in antrum ad Nymphas, commendata illis infantis cura, detulerunt. Ergo lacte capræ, quæ Amalthea dicta eſt, melleque educatus eſt. Diodorus libro 5. capite 15.

Pſammetichus Tementhen Aegypti regem ſuſtulit. Deus Ammon TEMENTHI oraculum conſulenti de regno, reſponderat: Caueret à gallis. Pſammetichus Pigritato Care familiariter utens, cùm ab eo cognouiſſet, primos Cares gallos impoſuiſſe uerticibus, oraculi mentem intellexit, & magnã Carum multitudinem conduxit, eosq; duxit uerſus Memphin, & iuxta templum Iſidis caſtra poſuit in regia, quæ diſtabat ab urbe quinq; ſtadia: commiſſaq; pugna, uictoriam adeptus eſt. Ab his Caribus pars quædam Memphis Caromemphitæ dicta eſt. Polyænus lib. [illegible] & Herodotus.

Scribit Actius in Bruto, TARQVINIVM Superbum huiuſcemodi ſomnium uidiſſe. Paſtorem ad ſe uenire, arietes geminos agentem: ſeq; cùm ex his alterum immolaret, aſpexiſſe ſuperſtitem irruentem obnixis cornibus: ſe autem repentino impetu grauiter proſtratum, atque humi reſupinum, dũ cœlum ſuſpicit, animaduertiſſe, ſolis orbem nouum & inſuetum iter agere. Quod cùm ad interpretes retuliſſet, monitum regem aiunt, Cauendum, ne quem ipſe rudem ut pecus & monſtrum putaret, ille eum latenti prudentia armatus, regno pelleret. Solis autem oſtentum, commutationem ſtatus populi ſignificare. Atqui non aliter euenit. Brutus enim, cuius germanum rex oppreſſerat, & cuius ingenium ludibrio erat, ille regem nomenq; regium expulit: Romana res mutata, unius in locũ perpetui regis, duos annuos magiſtratus habere cœpit. Cicero libro 1. de Natura deorum, ex Accij Bruto.

EIDEM, uultures, aquilarum fœtus implumes dilaniantes, nidosq; euertentes, exilium & regni amiſſionem portenderunt. Alex. lib. 5. cap. 12.

Luitprandus HILDEPRANDVM fratris filiũ ſibi hæredẽ & conſortem regni aſciuerat. Ferunt die quo ille conſors fuerat regni à patruo declaratus, quum ex ueteri eius gentis inſtituto in apertum egreſſus, haſtam geſtaret, in eius ſummo auem cuculum ſediſſe, occinuiſſeq; querulum carmen. Eo permoti augurio Longobardi, etſi uiuo rege nihil mouerant, mox eo defuncto, noui regis imbelliam pertæſi, quã eo oſtento ſignificari arbitrabantur, Rachiſium Foroiulienſem, Hildeprando deiecto, regem ſibi creauêre. Blõdus lib. 10. Dec. 1. & Sab. lib. 8. En. 8. & Sigonius lib. 3. regni Ital.

Anno 904. menſe Maio, cometa uiſus eſt. LVDOVICVS Lõgobardorum rex, Berẽgarium Italia expulit: ſed paulo pòſt mutata belli fortuna ab eo captus Veronæ, oculis priuatus fuit. Regino libro ſecundo.

Anno 1014. Oceanus Anglicus, ſine ulla euidenti cauſa, quæ poſſet rem admirationi eximere, in altitudinem inſolitam inſurgens, pagos, multosq; mortales abſorpſit. Quo tempore ETHELREDVS rex Angliæ à Suenone Daco regno pulſus eſt. Polydorus libro 7.

HENRICVS II. Anglorum rex, paulo antè quàm ab Edouardo Eboracenſi regno deiectus eſt, cùm in ſenatu ornatus regio habitu conſediſſet, ſubitò corona è capite in terram cecidit. Polydorus lib. 23.

*Principatu.*

Ludouici Alodiſij pater, qui Imolæ rerum potitus eſt, haud diũ poſteaquam deceſſerat, HOMINI à ſecretis, quem filius Ludouicus Ferrariam mittebat, in itinere, equo inſidẽs cum accipitre (ut in aucupio mos ei fuerat) apparuit: huicque quanquam magna capto formidine dixit; filium moneret, ut poſterò die in eum ipſum ueniret locum, quoniam magni momenti res ei prædicturus eſſet. Ea re audita Ludouicus, tum quia non credebat, tum quòd inſidias uerebatur, alium pro ſe miſit. Ei illa ipſa umbra, quæ antè apparuerat, obuiam facta, uehementer indoluit, quòd filius non ueniſſet: longè enim plura ei dicturam ſe fuiſſe affirmabat. Sed tunc illud tantùm referri iuſſit, quòd tranſacto ſcilicet 22. anno, ac præterea uno menſe, die quoque ſpecificè addito, urbis imperium, quod obtinebat, eſſet amiſſurus. Vt tempus, quod umbra prædixerat, aduenit, adhibita magna cura, ea ipſa nocte, quam patris manes ſuſpectam fecerant, ducis Philippi Mediolanenſis (cui is fœdere iunctus, propterea ab eo non timebat) milites, glacie magna conſtrictis foſſis ad muros penetrarunt: adhibitisque ſcalis, urbem cum ipſo principe ceperunt. Sabellicus libro primo, capite 4. Exemplorum.

## IMPERII INFELICIS.

IO. BAPT. Campofulgoſus, qui Genuæ rerum potitus eſt, de ſeipſo ſcribit lib. 1. cap. 4. Exemplorum: Primis temporibus, quibus rerum potitus ſum, fulgur in turri Pharea, ubi è more gentis noſtræ inſignia picta erant, illæſa manente turri, tria in eis foramina effecit: per ea imperij mei numerum annorum oſtendẽs. Nocte quoq; diem eam inſecuta, qua in excidium meum conſpiratum eſt, procella malum defregit, quo in palatio tolli ſigna noſtra conſueuerant: isque ſupra cubiculi mei tectum concidit, & familiæ noſtræ ruinam haud obſcurè oſtendit.

Sub obitum Manuelis Comneni, Conſtantinopolitani Imperatoris, mulier quædam in Propontide habitans, puerum peperit, cætera perexilem & imbecillem, ſed capite ingenti. Id principatus MVLTORVM, quem omnis imperij & diſciplinæ contemtus ſequitur, omen habitum. Nicetas ſub Alexio Comneno.

Sub MICHAELE Thraulo Imp. dicitur uetus oraculum, ſuũ fuiſſe uaticinium aſſequutum, rem ſcilicet Romanam in lapſum præcipitem ituram & principatum malorum in terra futurum, quando Dracon Babyloniæ dominaretur impedita lingua, & auariſſimus, qualis hic uir fuit, balbutiens, & auarus admodum. Cuſpinianus.

Antequàm tempore MICHAELIS Paphlagonis Imp. calamitates multis prodigiis ſignificatę regno Orientis acciderent, cuidam de miniſtris epiſcopi inſomnium oblatum fuit, prorſus rem ipſam repræſentans. Viſus erat ſibi uidere eunuchum quendam albis ueſtibus amictum, forma effulgente, qui tribus ipſi appoſitis ſaccis, ordine eos iuberetur aperire ac euacuare. Cumq; id faceret, è primo uim ſerpentum, uiperarum & ſcorpionum erupiſſe: ex altero ruberas, aſpides, baſiliſcos, ceraſtas, & alias uenenatas beſtias: ex tertio cantharides, culices, ueſpas, aliaque aculeata animalia. Cùm ad hoc ſpectaculum obmutuiſſet, uirum illum dixiſſe: Hæc uobis accident ob uiolata Dei mandata, & impium facinus in Imperatorem Romanum eiuſque coniugem perpetratum. Cedrenus.

Anno 956, mortuo Agapeto Pp. Albericus cõſul, filium ſuum Octauianum, licèt iuuenili adhuc ætate præditum, corrupta nobilitate fauente, ad ſummã dignitatẽ euexit, atq; IOANNEM XII appellauit. Cuius pontificatus ut fœdum ingreſſum, ſic triſtem exitum cum maxima totius eccleſiæ offenſione & ipſius Italię perturbatione, adeptus eſt. Quod malum ſæua eo anno oborta tempeſtas portendiſſe uidetur, qua lapis ingens de cœlo cum tonitru cecidiſſe, & templa multa de cœlo tacta, & aliquot fulmine icti fuiſſe ſacerdotes dicuntur. Sigonius lib. 6. reg. Ital.

Cùm ETHELREDVS, Edgari Anglorum regis ex ſtupro filius, à Dunſtano Londinenſi epiſcopo baptizaretur, alui excrementa in ſacram immiſit aquam. Dunſtanus prædixit, eum magni mali cauſam Anglis futurum. Reſpondit euentus. Ethelredus enim cæſo Edouardo legitimo Edgari F. regnum occupauit, & Dacis Angliam populantibus, prę ignauia reſiſtere non potuit. Polyd. lib. 6. ex Ranulfo lib. 6. cap. 13. & Henrico Erfordienſe.

Poſt obitum Gulielmi Conquæſtoris regis eſt ſtatim fame & peſtilentia laboratum, ac cœlum crebris tonitruis reſonare, flammisque coruſcare mirabiliter cœpit. Id quod cùm rarò apud ANGLOS accidat, idcirco prodigij loco habetur. Fuit itidẽ ferè tota Anglia incẽdiis paſſim infeſtata. Atque hæc futuræ calamitatis eſſe prodigia, quam Gulielmi Rufi dominatio poſtea Angliæ attulit, iam tum uulgus mẽte concepit. Polyd. lib. 9.

Anno 1447. cùm CAZIMIRVS III. Polonorum rex inaugurandus eſſet Cracouiæ, priuſquàm præparatum ſibi ſolium aſcen-

aſcenderet, controuerſia inter epiſcopos ac duces Maſouiorum Vladiſlaum & Boleſlaum de loco, uter dextrum regis latus teneret, orta, reuerti regem in arcem re infecta coegit. Ceſſere tamen poſtea duces epiſcopis. Accidit etiam res ominoſa inter ſolennes ceremonias. Nam cùm de pagis aliquot Tinecenſi monaſterio ſubiectis pecudes pigneratæ ob negatam regi nouo inuſitatam procurationem ſiue ſtationem eſſent, mulieres ruſticanæ pecudes ſuas ſecutæ, eiulatibus & lamentis non ſine moleſtia & fremitu omnium, templum impleuerunt. Monaſterium quoque Mogilenſe, quo die Gazimirus Poloniæ fines attigit, totum fortuito incendio conflagrarat. Nec ſanè fefellit omen: ſenſere enim preſſuram eccleſiæ & monaſteria poſtea hoc rege regnante. Poſnaniam ubi rex aduenit, tota urbs fortuito incendio abſumta eſt. Quam calamitatem infelicium ciuium, rapacitas regij comitatus auxit. Lublinum quoque, Znena, Siradia, Bochna & Xianzum oppida eodem anno arſerũt. Cromerus libro 22.

ANDREAS Contarenus dux Venetorum creatus, præſagio quodam futurorum aliquandiu oblatam dignitatem adire recuſauit: conceſſeratq; ob id ipſum in Patauinum agrum (ubi fundum habebat) tamdiu urbe abfuturus, quoad noua alterius ducis declaratio ſecuta eſſet. Sed quum neq; publicis, neq; priuatis literis in urbem retrahi poſſet ad dignitatem capeſſendam, cognatorum quidã ad eum ire iuſſi ſunt, denunciãtes fore, ſi pergeret obſtinatè agere, ut paulo pòſt (quod Patres interminati eſſent) publicatis bonis ipſe in exilium ageretur. Tum illum priuato periculo motum ceſſiſſe ferunt, Venetiasq; ueniſſe. Conſtat, eo principe rempublicam externis bellis uehementer iactatam, & in urbe magnoperè annona laboratum. Sab. lib. 4. Dec. 2.

## IMPERII BREVIS.

DION contra Dionyſium claſſem in Zacyntho parabat. Miltas Theſſalus uates apum oſtentum, quarum in Dionis nauigiis conſpexerunt ad puppim examen conſediſſe, priuatim apud illum & amicos timere oſtendit ſe: ne res, quas geſturus eſſet magnificas, cùm floruiſſent paulisper, emarceſcerent. Plutarchus in Dione. Poſteaquam Syracuſas occupauit, erat ſub arce & Pentapylis ſolarium conſpicuum, atque excelſum Dionyſij monumentũ. Eò conſcendens Dion concionatus eſt, ciuesq; ad uindicandum ſe in libertatem incitauit. Hic rurſus uates, quòd pedibus ſubiectum haberet Dion concionans donum & monumentum tyranni, pro læto omine duxerunt. Sed quòd horologium eſſet, in quo conſiſtens prætor fuit deſignatus, facta eius ueriti ſunt ne breuia fortunæ uolumina caperent. Quod accidit. Plutarchus in Dione.

VITELLIO, Galbæ cæde nuntiata, Romam properanti contra Othonem, cùm ſtatuæ equeſtres plurifariam ponerentur, fractis repentè cruribus pariter corruerunt: & laurea, quam religioſiſſimè circundederat, in profluentem excidit. Mox Viennæ pro tribunali iura reddenti, gallinaceus ſupra humerum, ac deinde in capite aſtitit. Quibus oſtentis par reſpondit exitus: nam confirmatum per legatos ſuos Imperium, per ſe retinere non potuit. Suetonius.

MAXIMINO patri ſcutum ad ſolem accenſum eſt: & haſta fulgure percuſſa, à ſummo ad imum unà cum ferro in duas diſciſſa eſt partes: undè aruſpices dixerunt, ex eadem gentè futuros Imperatores eodem nomine, qui paruo tempore durarent. Ita enim contigit: nam pater & filius ambo Maximini, ſimul paruoq; tempore imperarunt. Sab. lib. 1. cap. 4.

IVLIANO Apoſtata contra Conſtantium mouente, circa Pleiadum occaſum uuæ enatæ, cruces cœlitùs ueſtibus impreſſæ, breue imperium, & perpetuitatem religionis Chriſtianæ portenderunt. Eutropius libro undecimo, & Sozomenus libro 5. capite 1.

ALEXIVS Angelus (mutato deinde nomine, Comnenus dictus) excæcato fratre Iſaacio, Sapientiæ Dei templum ingreſſus, ut de more inauguraretur, primùm fidei ſymbolum imperatorio colore (rubrica nimirum) tardius perſcripſit. Deinde ad ſpecioſam templi portam diutiùs commoratur, expectans dum ingredi iuberetur ab iis qui opportunam horam in eo loco, ubi catechumeni inſtituuntur, obſeruabant. Templo egreſſus cùm ſublimem equum Arabicum à Protoſtratore adductum conſcenſurus eſſet, equus recalcitrans, uix tandem poſt multos poppyſmos & ceruicis palpationes euũ admiſit. Tum rurſus ueluti deceptus, ferociens, gemmatam coronam capite excuſſit, & ex parte comminuit, ipſum quoq; Imp. deiecit. Omen uiſum eſt imperij imminentis ruinæ & noxæ hoſtilis. Nicetas lib. 1.

Ea tempeſtate, qua ANDRONICVS Comnenus mortuo Manuele Imper. ſub ſpecioſo tutelæ Alexij Porphyrogeniti, Manuelis F. prætextu, regnum inuaderet, cometa in cœlo conſpectus eſt, qui grauiſſimas clades, quæ conſequutæ ſunt, portendit, atque ipſum adeò Andronicum expreſſit. Nam ſerpentem ſinuoſum repræſentans, nunc porrigebatur, nunc in ſpiras ſe colligebat: nunc cum horrore intuentium, quaſi inferiores ex alto deuoraturus eſſet, rictum aperiebat. Sed quum non ultra diei illius reliquum & ſequutam noctem duraſſet, euanuit, tyrannidis breuitatem indicans. Nicetas.

OTHO Bauariæ dux coronam regni Vngariæ à Venceslao (qui competitori Carolo Siciliæ regi ultrò ceſſerat) acceptam precariò, ut eò faciliùs ab Vngaris admitteretur, lagenæ tornatæ incluſit, fideliſſimoque miniſtro ferendam commiſit. Is ignarus theſauri, lagenam ex ephippio ſuſpenſam inter eundum amiſit, & uix tandem XX. paſſuum confectis millibus damnum ſenſit. Citato curſu reuectus, in ſemita lagenam à nemine uiſam neq; tactam reperit, quamuis innumeri eò loci præteriiſſent. Id omen fuit Othonem breui tempore regno potiturum: eundemq; inglorium coronam repertam alteri conceſſurum. Nam non multo pòſt quàm oſtenſa corona ab Vngaris receptus eſt, Ladislai, Tranſyluaniæ præfecti inſidiis captus, domum fuit relegatus. Bonfinius libro 9. Decad. 2.

LVDOVICVS Vngariæ & Boemiæ rex ſine extrema cute, quam ἐπιδερμίδα uocant, editus eſt: arteq; & inunctionibus ea producta, uel adoleſcens canos aliquot alebat capillos. Vnde aliqui non diu duraturum regnum portendi ſunt arbitrati. Ioan. Sambucus in Appendice Bonfinij.

## MAGISTRATVS VILIS, ABIECTI.

Piſtorij aſinus hora tertia diei ſuper tribunal aſcenderat, præſente turba rudens uehementer. Nec multo pòſt TERENTIVS quidam piſtor, quòd accuſaſſet præfectum eius prouinciæ furti, factus eſt præfectus: ſed mox ob flagitia pœnas dedit. Cardanus de Rerum uarietate lib. 14. cap. 75.

## LOCI INFELICIS.

EPIMENIDES Cretenſis Athenas expiandæ peſtilentiæ cauſa ueniens, ubi Ignotis diis aras erexit, Munychiæ ſitum aſpiciens, uaticinatus eſt locum illũ grauiſſimarũ calamitatum aliquando occaſionem fore, quas ſi uel præſentes uiderent, uel futuras crederent, ſuis ipſi dentibus eum demolituri potiùs quàm munituri eſſent Athenienſes. Plutarchus in Solone.

Cùm Cantuarienſis Pontifex D. THOMAS ſede patriaq; exactùs, eum in portum locumque nondum opere munitum tranſmiſiſſet, quem poſtea Calitium uocatũ Philippus Comes Bononienſis, D. Ludouici regis Francorum patruus, muniuit, muriſque cinxit: diuinitùs cecinit, illam futuram arcẽ atrociſſimi ac funeſti in aliquot ætates belli, inter Gallos & Anglos. Aemilius lib. 7.

## VRBIVM EXCIDII, OBSIDIONIS, expugnationis, direptionis

### *Reuelatio.*

Ea nocte, qua capta eſt TROIA, apparuerunt dij Aeneæ apud Maronem exeuntes è templis, & ſimulacra ſua aſportantes. Solitas certè à diis ſuis deſeri eas ciuitates, quæ mox in hoſtium poteſtatem uenturæ eſſent, aut ſaltem eam fuiſſe ueterum opinionem, oſtendit Aeſchylus. Aeneæ autem propter ſingularem ipſius pietatem eos potius quàm cuiquam alij apparuiſſe, credibile eſt. Muretus libro quinto Variarum lectionum, capite 19.

HIEROSOLYMAM obſidente Veſpaſiano, die feſto Pentecoſtes noctè Sacerdotes intimum templum more ſuo ad diuinas res celebrandas ingreſſi, primùm quidem motum quendamque ſtrepitum ſenſerunt: poſtea uerò ſubitam uocem audiêre, quæ diceret, Migremus hinc. Ioſephus lib. 7. cap. 12. belli Iud.

Adrianus Patricius à Baſilio Imp. contra Carthaginenſes miſſus, in Peloponneſo naues in ſtatione habuit. Quadam nocte paſtores audiuêre dæmonum ibi degentium uocem inter ſe colloquentium, & pridie captas exciſaſque SYRACVSAS narrantium. Is ſermo ab aliis ad alios peruagatus, tandem etiam ad Adrianum pertigit: iſque ad ſe uocatis paſtoribus & examinatis, deprehendit rumorem ad ſe perlatum ipſorum uerbis confirmari: utque ſuis etiam auribus fidem rei probaret, perductus ad eum locum à paſtoribus, dæmoneſque eorum opera percontatus, captas iam eſſe Syracuſas audiuit. Cedrenus.

Antè MEXICI urbis Americæ excidium, captiuus de more dæmonibus ſacrificandus, cùm fleret ubertim, Deumque cœli inuocaret, aſtitit ei quidam, qui hortatus eſt eum, ne adeò mortem formidaret: Deum cœli miſertum eius eſſe: an nunciaret ſacerdotibus, breui deſiturum hoc genus ſacrificij: uenire iam eos qui terram eſſent mũdaturi. Sacrificarũt illum eo loco, ubi nunc damnati ſuſpenduntur, eoq; anno excidium urbis initium accepit: nam tertio pòſt capta eſt. Notata autẽ fuêre diligenter uerba hæc. Cumq; Mexicani ab Hiſpanis uicti angelos pictos uiderent more Chriſtiano, dixerunt talem fuiſſe, qui à damnato uiſus fuiſſet. Cardanus lib. 13. cap. 78. de Varietate rerum.

### *Prædictio.*

Tobias filium ſuum Tobiam monuit, ut ſe mortuo, Niniuem relinquat, & Ecbatana in Mediam migret. Omnino enim futurum, ut NINIVE excindatur à Babyloniis, quemadmodum Ionas propheta prædixit. Paruit Tobias, & cùm Ecbatanis eſſet, Niniues excidium audiuit à Nabucodonoſore captæ. Tobiæ 14.

De templi & urbis HIEROSOLYMÆ interitu (quæ ſub Tito contigit) prophetias habuere Iudæi, excidium inſtare, ſi fanum quatuor angulis eſſet extructum. (At Iudæi capta à Romanis Antonia arce, quadratum fanum fecerant muro extructo) Præterea, eodem tempore quendam ex Iudæa imperium totius orbis conſecuturum. Id Ioſephus in Veſpaſianum, qui in Iudæa Imp. creatus fuerat, refert: at longè uerius in Chriſtum Dominum noſtrum referri debet. Ioſeph. lib. 7. cap. 12. belli Iud.

Ieſus quidam, filius Anani, plebeius & ruſticus, quadriennio priùs quàm bellum Iudaicum oriretur, in ſumma ciuitatis HIEROSOLYMÆ pace atq; opulẽtia, cùm ad feſtũ diem ueniſſet, quo ategias in honorem Dei componi in templo ab hominibus mos eſt, repẽtè exclamare cœpit: Vox ab Oriente: Vox ab occidente: Vox à quatuor uentis: Vox in Hieroſolymam & templum: Vox in maritos nouos nouaſque nuptas: Vox in omnem hunc populum. Atq; hæc interdiu noctuq; clamitans, omnes ciuitatis uicos circuibat. Nonnulli autem uirorum inſignium, aduerſum omen indignè ferentes, corripiunt hominem, multisq; uerberibus afficiũt. Ille autem neq; pro ſe, nec ad eos qui ſe multabant, ſecretò quicquam loquutus, eadem quæ priùs uociferans perſeuerabat. Magiſtratus autem rati, quod erat uerum, magis diuinum eſſe hominis motum, ducunt eum ad Romanorum præfectum: ubi plagis uſq; ad oſſa laceratus, neq; ſupplex cuiquam fuit, neq; lacrymauit: ſed ut poterat, inclinans maximè flebiliter uocem, ad ſingulos ictus reſpondebat, Veh ueh Hieroſolymis. Albino aũt interroganti (is nanq; iudex erat) Quis eſſet, uel unde ortus, aut cur iſta diceret? nihil retulit. Non priùs autem ceſſauit à luctu miſeræ ciuitatis, donec eum Albinus furere iudicatum dimiſit. Ille aũt ad belli uſq; tempus, neq; adibat quenquam ciuium, neq; loqui uiſus eſt: ſed quotidie uelut orationem quandam meditatus, Veh, ueh Hieroſolymis, querebatur. Sed neque imprecatus eſt cuiquam, cùm in dies ſingulos multaretur, nec uictum offerentibus bene dicebat. Sola uerò eius reſponſio ad omnes erat, triſte præſagium. Maximè autem diebus feſtis uociferabatur: idq; per annos ſeptem, & quinq; menſes continuos faciens, neq; uoce raucior fuit, neq; delaſſatus eſt, donec obſidionis tẽpore ipſa re perſpectis auguriis ipſe quieuit. Supra murum enim circumiens iterum, Veh ueh ciuitati ac fano ac populo, uoce maxima clamitabat. Cùm autem ad extremum addidit, Veh etiam mihi, lapis tormento miſſus eum ſtatim peremit, animamque adhuc illa omnia lugentem emiſit. Ioſephus lib. 7. cap. 12. belli Iud. Sabell. lib. 9. cap. 9. & Fulg. lib. 1. cap. 3.

Ioſephus Galileæ præfectus, IOTAPATÆ excidium prædixit poſt 47. diem obſidionis à Veſpaſiano cœptæ, ſibiq; captiuitatem. Teſtis ipſemet lib. 3. cap. 14. belli Iud.

MEGARIS diu ſtetit oleaſter in foro, cui uiri fortes affixerant arma, quæ cortice ambiente ætas longa occultauerat. Fuitque arbor illa fatalis excidio urbis, præmonitæ oraculo, cùm arbor arma peperiſſet: quòd ſucciſæ accidit, ocreis galeisq; intus repertis. Plin. lib. 16. cap. 39.

Sardanapalus Aſſyriorũ rex ab Arbace Medo in urbe NINO obſidebatur. Erat reſponſum progenitoribus datum, Nunquam Ninum capi poſſe, niſi cum fluuius urbi hoſtis fieret. Quod nunquam futurum ratus, ſpem ceperat obſidionis ferendæ; & ſimul futura auxilia expectabat. Cùm duobus annis obſidio perſeueraſſet, per ſummum otium obſeſſorum, tertio continuis imbribus excreſcens ſupra modũ fluuius, cùm partem urbis inundaſſet, muros deiecit ad ſtadia uiginti. Hic rex exiſtimans tempus oraculi adueniſſe, deſperata ſalute, ne in hoſtium poteſtatem ueniret, regia incenſa ſe cum cariſſimis quibuſq; exuſſit. Arbaces per murorũ ruinas ingreſſus, rex creatus eſt. Diod. lib. 2. cap. 7.

PHERECYDES Syrius cùm Meſſanam aſcendiſſet in Olympiam, Perilao hoſpiti conſuluit, cum tota familia inde migraret. Illo autem negligente monita, Meſſana paulo pòſt ab hoſtibus capta eſt. Laertius in eius uita.

Quemadmodum SYBARITÆ perierint, narrat Stephanus in hunc modum. Oraculum huiuſmodi acceperant:

Εὔδαιμον συβαρῖτα, πανευδαίμων, σὺ μὲν αἰεὶ
Ἐν θαλίῃσι θεῶν τιμῶν γένος αἰὲν ἐόντων·
Εὖτ' ἂν δὴ πρότερον θνητὸν θεοῖο σεβίζῃ,
Τηνίκα σοι πόλεμός τε καὶ ἔμφυλος στάσις ἥξει. id eſt,

Felix omnino felix Sybarita futurus,
Dum rebus lætis uenerabere numina diuûm.
At ſimul atq; illis mortalis homo anteferetur,
Tum ueniet bellumq; tibi atq; domeſtica turba.

Euenit deinde, ut Sybarita quiſpiam ſeruum loris cæderet in agro; qui cùm ad numinis aram confugiſſet, nihilominus perſequente domino cædebatur. Ergo ubi uidit ſibi nihil profuiſſe numinis reuerentiam, protinus ad monimentum patris herilis confugit: atq; ibi demum religione commotus herus, deſtitit à cædendo. Quod ſimul atq; conſpexiſſet Amyris ſiue Thamyris, collectis rebus ſuis, in Peloponneſum demigrauit, reliquis interim Sybaritis hominem uelut inſanum ridentibus. Poſtea idem ob fictam inſaniam miraculo fuit, & prouerbio locum fecit, Amyris inſanit. Euſtathius in ſecundum Iliados, ex Pauſaniæ rhetorico dictionario. Eraſmus in Adagiis.

Bello Veiente, cùm iam ſeptennium Romani VEIOS Hetruriæ obſediſſent, æſtate media exareſcentibus cæteris aquis, lacus Albanus, qui neq; aliunde ducit originem, neq; aliò ſe effundit, pinguibus clauſus montibus, nulla de cauſa, niſi ſi qua diuina, inflatus dilucidè intumuit, ut pertingeret ad dorſa montium, & ſummos undequaq; æquaret tumulos, ſine æſtu tamen inſurgeret uel fluctu. Atq; ubi repagulo, quod ueluti ceruix à ſubiectis campis arcebat lacum, præ copia & mole refracto, magno iam impetu per ſata & arbuſta in mare defluxit: non Romanos modò conſternauit, uerùm etiã omnibus Italiam incolentibus uiſum eſt magni quid portẽdere obſidentibus, quò iam lacus allatum miraculum fuerat, hoc agitabatur ſermonibus. In obſidione Veiorum familiaritatẽ Romanus quidam contraxit cum Veiente quodam ueteris homine diſciplinæ, qui præſtare ſcientia diuinandi dicebatur. Romanus, ubi hunc uidit de lacus incremento exultantem, atq; obſidionem habentem ludibrio: Non id ſolùm, inquit, prodigij hac tẽpeſtate, ſed longè fœdiora ſunt alia Romanis facta portẽta. de quibus ad ipſum ait ſe referre uelle, ut rebus ſuis conſulere in communi calamitate ualeat. Ille Romano promtè morem gerere, & ſedulò ſermones cum eo miſcere, uelut res abditas auditurus. Dum abducitur inter confabulandum lõgiùs à porta, tum hominem Romanus præualens uiribus, ſublimem arripit, pluribuſq; ex ſtatione accurrentibus capit, atq; in poteſtatẽ redactum deducit ad imperatores. Ita oppreſſus ille, conſiderato fatum ineuitabile eſſe, ſortes patriæ ſuæ occultas aperit, non antè expugnabilem eam quàm lacum Albanum hoſtes effuſum, retrò ab curſu ſuo deriuarent, atq; auerterẽt à mari. His nunciatis, Senatus re deliberata oratores, qui Apollinem conſulerent, Delphos decreuit. Hi conſulto Apolline ſortes domum retulerunt cùm alias, tum quæ ſolennes Latinarum ceremonias ediſſerebant neglectas: & ut Albani lacus aquam, quoad eius fieri poſſet, à mari in priſtinum alueum reducerent. Quod ſi non ualerent, riuis foſſisq; eã extinguerent per agros demotam. His relatis ſacerdotes ſacrificare, populus operi ſe ad aquam auertendam accingere. Decimo huius belli anno, reliquis abrogatis magiſtratibus, Dictator ab ſenatu Camillus dictus, pro imperio uota nuncupauit, Si huiuſce belli fauſtum exitum dij dediſſent, ludos magnos ſe facturum, ædemq; deæ, quam Matutam matrem uocant Romani, dedicaturum. Is Veios tandem expugnauit. Plutarchus in Themiſtocle.

Quum Atila Galliam uaſtaret, Pariſij LVTETIAM ſuam cum coniugibus & pignoribus relinquere, & ad eas urbes cõfugere, quas intactas hoc bello fore ſperabãt, decreuerãt. Verùm remanſêre, monente & prædicente Genouepha, ſancta uirgine, oẽs urbes, ad quas migrare conſtituiſſent, iamiam interituras: Lutetiam quidẽ nunc ſecuram tutamq; ab omni periculo fore: paucos poſt annos tamẽ obſidentibus Frãcis fame expugnandam. Auent. lib. 2. annalium Boiorum.

ASTVRVM oppidum in confinio Norici Ripenſis & Pannoniæ à Germanis exciſum eſt. Aperuerat diuus Seuerinus ciuibus calamitatem in templo, horam quoq; indicãs, uti reſipiſcerent, obſecrabat. Verùm ſurdis cantat. Aſtures ipſum derident, eo magis uoluptati operam dant, ne ut iam morituri genium defraudent. Effugit inde Seuerinus. Germani irruunt, capiunt, uaſtant, delent, omnes trucidant. Senex unus, qui nuncius cladis foret, euaſit ad Seuerinum Comagenas. Auentinus lib. 2. Annalium Boiorum.

Cùm aliquando CANVSINÆ ciuitatis antiſtes cum S. Benedicto abbate de Totila rege Gothorum ſermonem ingreſſus dixiſſet, fore, ut per eum urbs ita dirueretur, ut in poſterum nequaquam incoleretur: reſpondit S. Benedictus, Imò uerò Roma ab hominibus non excindetur, ſed à tempeſtatibus, fulguribus, turbinibus, & terræmotu fatigata exardeſcet in ſemetipſa. Id autem uerum fuiſſe uaticinium ſcripſit S. Gregorius, affirmiãs, ſua ætate circa an. 557. Romæ mœnia diſſoluta, domos euerſas, deſtructas eccleſias turbine fuiſſe, eiusq; ædificia ſenio longo laſſata increbeſcentibus

ruinis proſtrata ingratum ſui ſpectaculum præbuiſſe. Sigonius lib. 20. Imp. occid.

Henricus Dandulus, Venetorum legatus, ab Emanuele Imp. Græco obiectu lebetis æneì candentis ferè excæcatus, & poſt reditum in patriam dux creatus, Latinorum principũ auxilio, & Gallorum in primis, BYZANTIVM bis expugnauit. Et tunc tantùm fides facta Sibyllino oraculo, E ſinu Adriatico cæcum ducem profectum Byzantio potiturum. Quod metuens Emanuel, Venetos terra mariq; perſequi non deſtiterat. Sab. lib. 8. Dec. 1.

*Omina.*

Rhodij à Solymanno Turca grauiter preſſi, pacti incolumitatem uitæ rerumq;, deditionem fecêre, ipſo die nato Chriſto ſacro, anno humanæ ſalutis M D XXII. Eodem die atque eadem penè hora, qua RHODVS dedebatur, ſaxum ingens è ſuperiore limine portæ ſacelli pontificij in Vaticano prodigioſè decidit, cùm Hadrianus VI. pontifex uno aut altero non ampliùs paſſu à limine abeſſet, iam ingreſſurus pro religione diei, ad faciendum ſolenne ſacrum, oppreſſitq; duos ex Heluetiis, qui cuſtodiæ eius adhibiti erant. Iouius in Hadriano, & Solymanno.

*Prodigia.*

Cùm Nabucodonoſor rex HIEROSOLYMAM obſedit, & iterum quando Titus Imp. fons Siloa & omnes alij fontes, qui antè defecerant & exaruerant, tantum aucti ſunt, ut & hoſtibus & iumentis eorum ſufficerent. Non obſcuro prodigio, Deum hoſtium conatus adiuuare, & Iudæis infenſum eſſe. Ioſephus lib. 16. cap. 11. belli Iud.

Cùm Antiochus Epiphanes ſecundam expeditionem in Aegyptum ſuſcepit (à qua reuerſus Hieroſolymitanos miſerè afflixit, templum compilauit, præſidium arci impoſuit) HIEROSOLYMIS ferè per dies XL. in aere conſpecti ſunt equites, cohortes armatæ, equitum turmæ & pugnæ, clypeorum motus, crebræ ſudes, gladij diſtricti, telorum iactus, aureorum fulgores armorum. 2. Machab. 5.

IVDÆI à Romanis obſeſſi, pſeudoprophetis, quos tyranni ſubornabant, credebant: & manifeſtis interim ſignis uel animum non adhibuére, uel certè falſa interpretatione eluſére: modò cùm ſupra ciuitatem ſidus ſtetit ſimile gladio, & per annum perſeuerauit cometes: modò cùm ante defectionem primosq; belli motus ad diem feſtum Azymorũ populo conueniente (octauus autem dies erat Aprilis menſis) nona hora nocturna, circum aram itemq; templum tantum lumẽ effulſit, ut clariſſimus dies putaretur, & hoc uſq; ad mediam permanſit horam: quod imperitis quidem bonum augurium eſſe uidebatur: ſacrorum uerò peritis, priuſquam eueniret, ſtatim diiudicatum eſt. Eodemq; feſto die etiã bos, cùm ad hoſtiam duceretur, agnum in medio fani peperit. Orientalis autem porta interioris templi, cùm eſſet ænea atque grauiſſima, & ſub ueſperam uix à uiginti uiris clauderetur, ſeriſq; ferro uinctis obſeraretur, peſſulosq; altos haberet in ſaxeum limen demiſſos, uno perpetuo lapide fabricatum, uiſa eſt noctis hora ſexta ſponte pateſcere. His autem curriculo per cuſtodes templi magiſtratui nunciatis, aſcendit ille, uixq; eam potuit claudere. Verùm & hoc iterum ignaris quidem ſignum optimum uidebatur: Deum nanq; bonorum portam ſibi aperuiſſe dicebant. Prudentiores uerò templi tutamen ſponte ſua diſſolutum iri cogitabant: & hoſtium bonum eſſe, portas aperiri, ſolitudinemq; illo oſtenso ſignari inter ſe pronunciabant. Poſt dies autem feſtos diebus paucis, uiceſimo primo die menſis Maij, ante ſolis occaſum, uiſi ſunt per inane ferri curr⁹ totis regionibus, & armatæ acies tranantes nubila, & ciuitati circumfuſæ. Ioſephus lib. 7. cap. 12. belli Iud.

Paulò ante TROIANVM excidium, in æde Mineruæ ſacris ſubiectus ignis pepercit. Qua re turbati populares, ad aram Apollinis cõfluunt, atq; ibi ſuperpoſitis extorum partibus, ubi flamma admota eſt, repentè cuncta quæ inerant diſturbata, ad terrã deciderunt. Quo quidẽ ſpectaculo perculſis atq; attonitis omnibus, ſubitò aquila ſtridore magno extorum partem rapuit, & ad naues Græcorũ detulit. Dictys li. 5.

Sub Amaſis regis Aegyptiorum filio Pſammenito maximum extitit AEGYPTIIS portentum. Apud Thebas Aegyptias, quod neque prius unquam, neque poſtea contigit, ut Thebani aiunt, pluit guttis, quo tempore Cambyſes Aegyptum ſubegit. Herod. lib. 3.

In Attica terra cinere pluit, anno uno antè quàm L. Syllæ arma ingens ATHENIENSIBVS exitium importaſſent. Pauſanias in Bœoticis.

MESSENIIS, 20 anno belli cum Lacedæmoniis geſti, futuri excidij portentum accidit, quòd Dianæ ſigno æneo ſcutum ſponte excidit. Item cùm Ariſtodemus rex Ioui Ithomatæ immolaturus hoſtias adduxiſſet, arietes ſponte incuſſis ad aram cornibus moribundi cecidêre. Ad hęc nocturni canes globo facto ululatum dedêre. Mox iidem Lacedæmoniorũ caſtra incurrerunt. Pauſanias in Meſſenicis.

Apud THEBAS Bœotias cùm in templo Legiferæ Cereris ſub Leuctricæ pugnæ tempus (quando auſpiciis Epaminundæ Spartanos uicerunt) araneæ albas circa ualuas texuiſſent telas: adorientibus iam fines Macedonibus, ductu Alexandri Magni, excidium urbi portendentes, nigro omnia opere compleuerunt. Pauſanias in Bœoticis. Signum hoc ante menſem tertium, quàm Alexander Thebas perueniret, accidit. Sub ipſum uerò eius aduentum, ſtatuæ quæ erant in foro, uiſæ ſunt ſudorem guttis prægrandibus emittere. Præter hæc magiſtratibus renunciatum eſt, ſtagnum quod erat Oncheſti, edidiſſe uocem mugitui conſimilem, atque in Dirce horrendam quandam ſpeciem cruentatam in ſummo aquæ ſupernataſſe. Non defuerunt & alij ex Delphis, qui dicerent culmen ædis, quam Thebani conſtruxiſſent, à Phocenſibus uiſum eſſe ſanguine ſuffuſum. Vates dicebant portendere telam illam, deorum ab urbe migrationem. Cœleſtis arcus ſpeciem, moleſtiarum uarij generis perturbationem. Sudorem de ſtatuis emiſſum, extrema incommoda. Sanguinem uerò qui in locis pleriſque comparuiſſet, cædis multæ ad Thebanam urbem committendæ indicium eſſe. Diodorus lib. 17.

Bello Mithridatico ficus in lauro nata eſt CYZICI ante obſidionem. Plin. lib. 17. cap. 25.

SAGVNTI, antequam Hannibalis excidium paſſa eſt, inter magna & aſſidua monſtra, ſatis conſtat, infantem è matris utero penè editum, in ipſum matris aluum reuertiſſe. Quod prodigium, quaſi diuinatio futuri eſſet, teterrimum bellum & fatale excidium, ac imminens fatum, quo ad internecionem funditùs euerſa eſt, haud dubiè oſtendit. Alex. l. 2. ca. 31.

Ante ANTIOCHENORVM calamitatẽ, quam perpeſſi ſunt à Coſroe Perſa, ſigna militum præſidiariorum fixa, ac in ſolis Occaſum ſpectantia, conuerſa in Orientem, ac rurſus in ordinem priſtinum reuerſa, nullo attingẽte apparuêre. Procopius lib. 2. de bello Perſico.

Conſtantinopoli ſupra Cochlidem columnam fori Tauri locata Theodoſij Magni ſtatua, ſponte eo anno corruit, quo ROMA capta eſt ab Alarico Veſtgotho. Cuſpinianus.

Antequam BYZANTIVM à Turcis terra mariq; oppugnaretur, compertum eſt, apud Comum citerioris Galliæ urbem, uergente ad occaſum die, ingentem canum multitudinem per aera ferri: poſtq; diuerſorum pecorum armenta, ſpecies peditum primò leuis armaturæ, deinde haſtatos ſcutatosq; ſubſequi, equitesq; in turmas diuiſos ingenti inſtructa acie proſequutos, horis fermè tribus imaginem aduentãtis exercitus præbuiſſe. Demum corpore procero immanem & formidabilem hominem ſupra quàm dici poſſit, ueluti exercitus ductorem, terribili equo inſidentem, proceſſiſſe, aliaque ludibria oculorum per mane apparuiſſe, ingentium malorum prænuncia: donec nocte appetente, uiſio omnis illa dilapſa eſt. Alex. lib. 3. cap. 15.

Eo anno, qui aduentum Caroli VIII. in Italiam anteceſſit, in urbe FLORENTIA ſanctæ Reparatæ fanum in ſublimiori parte de cœlo tactum fuit: lapidemq; immenſæ magnitudinis, quo fornix claudebatur, ad terram fulgur deiecit. Poſtera die mortem obiit Laurentius Medices, cuius opera plurimùm fines ſuos Florentini propagauerant. Aduentante Carolo, Sergianæ, Petraſanctæ, ac Piſarum imperium Florentini amiſêre: Laurentiique liberi, Petri culpa, qui inter eos maior natu erat, bonis omnibus ſpoliati, in exilium abiêre. Sabell. lib. 1 cap. 4.

Iacobus Picininus, qui Venetorum copias duxerat, cùm pace ubiq; parta ſtipendio careret, in Hetruriam properans, SENENSES iure paternæ amicitiæ, ut ſibi auri uiginti millia mutuò darent, miſſis legatis petit. Non exauditus, acies in eos conuertit, & ingreſſus Senenſem agrum, pleraq; oppida partim ui, partim proditione recepta diripuit. Hoc fortaſſe malum equulus ille prænunciauit, qui anno Iubileo ante portam eius urbis, quæ Romam uergit, prægnans frequenti aſtante populo, dũ páreret, expirauit: erat enim Hermaphroditus, quamuis feminei ſexus nullum in eo ueſtigium cerneretur. Aeneas Syl. cap. 55. Europæ.

Ante Mexici ſiue THEMISTITANIS excidium, in quo pulcerrima urbs cum habitatoribus deleta fermè eſt, obiectũ eſt Moteczumæ eorum regi à regulis Tezcuco & Tlacopane, ueſtes & arma induiſſe ſimilia his quæ in cœlo uiſa forent. nam Ferdinandus Corteſius ueſtẽ & gladium Hiſpanũ cũ illi inter reliqua munera miſerat. Vixq; eos placare potuit, mentitus eſſe arma maiorum ſuorum: utq; rei fidem faceret, obtuliſſe ut educerent gladium: quod cùm illi nequiuiſſent, acquieuiſſe. Eo factum eſt etiam, ut publica uoce ab his hominibus regnum euertendum prædicarent. Viderant & ex Orientis parte, ubi condita eſt colonia Hiſpanorum, ueram crucem, flammas igneas aſcendentes, & hominẽ qui capite cœlum attingere uidebatur: quod non parum eos perterruit. A mari quoque pluribus diebus exorientem lucem duabus horis ante diem (cometes is erat) cumque cœli medium obtinuiſſet, ſubitò euaneſcebat. Tertio anno antè inundauit mare terras illas, effuſis paſſim maximis piſcibus. Cardanus de Rerum uarietate lib. 15. cap. 78.

Salutis anno DCCCCXXXV. GENVÆ in uico, cui Fonticulo nomen erat (nunc autem Bordigotus dicitur) iuxta portus molem, fons integrum diem ſanguine manauit. Vrbs à Saracenis ex Africa uenientibus capta ac direpta: Vngari Italiam ingreſſi, longè omnia ac latè populati ſunt: Platina. Luitprandus lib. 4. cap. 2. Sigebertus, Nauclerus. Sigonius lib. 6. regni Ital. ann. DCCCCXXXI.

Anno M D LIIII. GENVÆ caput balenæ extractum è mari ſtupendæ magnitudinis, ut à faucium imo ad os decem nouem paſſus numerarentur. Anno pòſt Cyrna Turcarum ſubita impreſſione amiſſa, Corſicę imperium Genuenſes amiſêre. Prodigium manifeſtum. Neq; enim tantæ bellug caput abſcindi uel à maiore bellua potuit, nec tormento bellico, nec ullo alio caſu. Cardanus lib. 14. cap. 74. de Rer. uar.

*Somnia.*

TYRIORVM multis, cùm Tyrum Alexander Philippi F. obſideret, uiſus eſt in ſomnis Apollo dicere, ſe ad Alexandrum abire: non enim ſibi placere quæ in ciuitate fierent. neq; ita multo pòſt capta eſt Tyrus. Muretus lib. 5. Var. lect. cap. 19.

Ante SYBARITARVM urbis excidiũ, ob interfectos triginta Crotoniatarum legatos, omnes eorum potentes eâdem nocte Iunonem uiderunt in medium forum accedentẽ, choleramq; uomentem, & in eiuſdẽ ſacello ſanguinis fons erupit. Tandem à Crotoniatis deleti fuerunt. Athenæus lib. 12. capite ſexto.

Eo anno, quo Hieroſolymam cepit Saladinus, Guidonis Luſignani regis CVBICVLARIVS uiſus eſt ſibi per quietem uidere pergrandem aquilam, ſeptem iacula unguibus uncis geſtantem, copias Latinorum circumuolare, ac uocem huiuſmodi humanam emittere, Veh Hieroſolymis. Aemilius lib. 5. de Geſtis Francorum.

## MONASTERII EVERSIONIS.

D. BENEDICTVS Caſſinenſis abbas, deſtructionem monaſterij à ſe extructi prædixit, à Longobardis noctu factã. Monachi tamen incolumes elapſi ſunt. Gregorius cap. 17. Leo Hoſtienſis lib. 1. cap. 1.

## STERILITATIS AGRORVM, FAMIS.

Pharaonis regis ſomnium, famis toti AEGYPTO imminentis prænuncium. Geneſis 41.

Anno DCCCCXLIV. in ITALIA miræ magnitudinis ac perceritatis, continuis noctibus, cometes apparuit, igneos diffundens radios. Qui imminentem ſignificauit famem, qua paulo pòſt preſſa eſt uniuerſa Italia: ut Luitprandus libro 5. cap. 1. & Sigebertus annotãt. Vrſpergenſis cometam ad annum DCCCCXLV. refert, quo bella & famem Galliã denuò afflixiſſe quidam prodidêre.

## INVNDATIONIS, DILVVII.

NANNACVS ante Deucalionem regnauit. Is futuræ inundationis præſcius, omnibus in templum conuocatis, lacrymans ſupplicauit. Vnde prouerbium de rebus admodum uetuſtis, ἀπὸ ναννάκυ. Suid. Videtur corrupta uoce pro Noacho Nannacus fuiſſe dictus.

HELICENSIBVS datum erat oraculum, quòd tum ſint periclitaturi, cùm ſuper Neptuni altare, quod illi apud ſe habebant, ſacrificaturi eſſent Iones. Cùm igitur Iones ob bella ſæuientia Neptuno ſacra Panionia conſueta peragere non poſſent; ex Pythio oraculo ad Helicenſes pro ſimulacris & altaribus uetuſtiſſimis mittunt. Helicenſes denegãt. At cùm reliqui Achiui id concederent, Iones ſupra Neptuni altare ſacrificarunt. Helicenſes diſiectis Ionum pecuniis, & ſpectatores corripuerunt, & numen ipſum uiolauerunt. Ob quæ aiunt Neptunum hanc ciuitatem ob impietatem terræmotu ac diluuione ultum. Olymp. CI. Diodorus lib. decimoquinto.

Anno DCCCCXII, apparuit cometa, præter morem rutilantior: quem maxima apud SAXONES aquarum exundatio inſecuta eſt. Schedelius. Ac circa idem etiam tempus, à Francis imperium ad Saxones tranſlatũ eſt: quod ſine magnis motibus, multoq; ſanguine fieri non potuit. Honorius in Chronico.

## NAVFRAGII.

PHERECYDES, Badys filius, Syrius, Pittaci auditor, deambulans in litore Samio, cùm nauem quandam plenis uelis currentem uidiſſet, paulo pòſt mergendam prędixit: atq; id eo ſpectante cõtigit. Laertius, & Apollonius in Hiſt. mirab.

APOLLONIVS Tyanæus nauigium ſatis idoneum nactus, cùm Leucadem tenuiſſet, Achaiam iturus: Deſcendamus, inquit, ex hac naui. Illa uerò quanquam tunc quieta, paulò pòſt ſubmerſa eſt. Philoſtratus.

Obſidente Cyzicum MITHRIDATE, oblata eſt per quietẽ Ariſtagoræ Minerua Anemotis, cuius ibi templum uiſitur; commonens aduenisse ſe, uti modulatorem Libycũ in Ponticum induceret tubicinem: proinde ciues iuberet bono eſſe animo. Moxq; ualidiùs flante auſtro afflicta eſt claſſis Mithridatica, & machinæ parte plurima diſiectæ. Cælius lib. 20. cap. 24. Antiq. Lect.

## TERRAEMOTVS.

Pherecydem narrant in SCYRO inſula ſitientem aliquando, aquam à diſcipulorum quodam petiiſſe. Quam cùm bibiſſet, pronunciaſſe, terræmotum poſt triduum ea in inſula futurum. Quod dictum ut exitus comprobauit, magnã eum reportaſſe gloriam. Apollonius in Hiſt. mirab.

Zoſimas Sindeitus, Phœniciæ monachus, miraculis clarus, quamuis procul abeſſet Antiochia, tamen terręmotum ANTIOCHIÆ, qui ſeptimo anno Iuſtini ſenioris accidit, ſciuit, ac in ipſo momento ſenſit. Subitò enim conſternatus, gemebundus, tantumq; lacrymarum fundens, ut ipſam terram rigaret, arculam thuris popoſcit: ac toto illo tempore, quo Antiochia terræmotibus concutiebatur, ſacrificans in terram ſeſe proiecit, precibusq; Deum placauit. Arceſilao uerò quærenti, Quæ huius ſubitaneę triſtitię eſſet cauſa? reſpondit, Ruentis Antiochiæ fragorẽ aures ſuas repleuiſſe. Arceſilaus & qui ſimul aderant hæc audiẽtes obſtupefacti, horã annotarunt: ac poſtea diligenti inquiſitione rem ſic ſe habere deprehenderunt. Euagrius lib. 4. cap. 7.

Anno ſecundo Mauricij, iuxta Sigeberti Chronicon, ANTIOCHIA diuinitùs euerſa eſt. Vidit quidam ex ciuib. uir pius & liberalis, largusq; in erogandis eleemoſynis, ſeniorẽ albo indutum ueſtimento, cum duobus ſociis, ſtantem in medio urbis, ſudarium quod in manib. gerebat excutientẽ ſuper mediam ciuitatis partem, quæ ſubitò cum ædificiis & hominibus euerſa eſt. Vix autem retineri poterat à duobus ſociis, quò minus ſudarium ſuper reliquã quoq; urbis partem, quæ incolumis ſtabat, excuteret. Cùm uirum hũc blandis uerbis eſſet conſolatus, ultrà non eſt uiſus.

Paulus Diaconus lib. 15. ſub Anaſtaſio Imp. narrat, quendã militem non procul ab urbe NEOCÆSAREA iter facientẽ, paulo antè quàm ea terręmotu concuteretur, in aëre ſupra eam duos conſpexiſſe milites: & alterum à tergo clamantẽ, Conſeruate ædes, in quibus ſepulcrum extat Gregorij. Facto autem terræmotu, maximam partem ciuitatis collapſam & euerſam fuiſſe, illęſa manẽte Gregorij Thaumaturgi domo. Cedrenus.

## INCENDII DIVINATIO.

Lothario imperante ferunt, in ciuitate PADERBVRNENSI uiſos circulos ad ſolem duos: quorum interior eccleſiæ magnitudinem, exterior urbis complexus fuerit latitudinem. Vixdum euanuerat, exortum eſt incẽdium, & urbs penè tota cum eccleſia miſerabiliter conflagrauit: uerſaq; eſt dies meridiana in noctem. Cranzius lib. 6. Metrop. c. 23.

Anno Domini MDXXXVI. negotiator quidam Siculus, Catana Meſſanam XXI Martij proficiſcens, eius diei ueſpere apud Taurominium diuertit. Inde manè diei ſequentis iter ſuum pergens, non lõgè ab oppido obuios habuit circiter decem, ut illi tum uidebatur, fabros cæmentarios cum ſuis ferramentis. Qui rogati quò tenderent, aiebant ſe AETNAM (uulgus Montem gibellũ uocat) petere. Nec ita multo pòſt in parem eiuſdem generis numerum incidit, qui & ipſi interrogati reſponderunt quod priores, Se à mancipe ſuo in Aetnã ædificij cuiuſdam gratia miſſos. Rogati, Quẽ mancipem dicerent? aiunt illum modico interuallo ſequi. pauloq; pòſt offendit in itinere uirum ſtatura ſupra uulgarem modum procera, coma ſimul & barba perquam prolixa, & quouis coruo nigriore. Vulcanus uideri poterat, ſi claudus fuiſſet. Is nulla ſalutatione præmiſſa, rogat negotiatorem, An per eam uiam ſuas operas uidiſſet? Reſpondit uidiſſe quoſdam, qui ſe in Aetnam ædificatum ire dicerẽt, uerùm neſcire cuiuſnam eſſent operæ: quòd ſi ipſe architectus eſſet, cupere ſe cognoſcere, quid ædificij animo deſtinaſſet, aut qua ratione id aggreſſurus eſſet, toto monte alta adhuc niue operto, ut uix ab expedito uiatore permeari poſſit. Tum ignotus ille architectus, ait ſibi & artẽ & uires ſupereſſe ad hoc: atq; etiam longè maius, ſi liberet, perpetrandum: crediturum eum breui ſuis oculis, qui nũc uerbis ipſius parũ fidei haberet: & cũ dicto in auras euanuit. Quo facto hominẽ tantus derepẽtè horror inuaſit, ut minimum abfuerit, quin ibi in ueſtigio expirarit: ægreq; retrò ad oppidum attonitus ac totus tremens reuerſus, rituq; recepto apud ſacerdotem cõfeſſus, denarratoq; uiſo, eadem die ſub ueſperã ex hac uita emigrauit. Noctis quæ ſecuta eſt initio, XXIII Martij, ignis cum terræmotu & ingẽti ſtrepitu è uertice montis Aetnæ, qua orientẽ ſpectat, ingens uis erupit,

magnoque impetu uerſus ortum ſolis ferebatur; ita ut clerus ac populus Catanenſis, pauore conſternatus, in ædem diuæ Agathæ, ad opem diuinam ſuppliciter implorandam concurreret: unde mox ſupplicationis pompa cum magno fletu, cumq; pſalmodiis & precationibus ac iugi inclamatione miſericordiæ, campanis interim lugubre tinnientib. ducta eſt uſq; ad ædem uirgini Annunciatæ ſacram. Mirum dictũ, priuſquàm abſolueretur ſupplicatio, cœpit incendiũ decreſcere: breuiq; pòſt tempore uidebatur omnino extingui. Gilbertus Cognatus lib. 8. Narrationum.

## EXILII DIVINATIO.

*Exempla quædam è Tit. Deiectionis de regno diuinatio.*

Erat Iſrael iam ſenio confectus, plurium filiorum pater. In tantò tamen natorum grege de IOSEPHI uita & incolumitate erat ſupra modum ſolicitus, ut unum illum intueri, unũ penes ſe habere, nec temerè procul ablegare uellet: indubitato mentis præſagio (ut credere eſt) fore ut is omninm unus aliquando maximo foret patri deſiderio, qui præſens patrium explere non poſſet affectum. Sabellicus lib. 9. c. 10.

ARCHELAVS Iudeæ & Idumeæ tetrarcha, propter tyrannidem coram Auguſto Cæſare Romæ accuſatus eſt. Cęſar auditis eius accuſatorib. & ipſius defenſione, miſit eum Viennam in exilium, quæ eſt urbs Galliæ, mulctatum priùs omni pecunia, anno regni decimo. Sed priuſquã Romam euocatus eſt, amicis tale narrauit ſomnium. Viſus eſt ſibi uidere decem ſpicas maturas tritico plenas à bubus abſumi: experrectusq; non contemnendam uiſionem ratus, coniectores diuinos ſuper eã conſuluit. Quibus diſſentiẽtibus, cùm uariaret interpretatio, Simon uir Eſſæus, præfatus ueniam, ait hanc uiſionem Archelao ſignificare mutationem in deterius. Boues enim ſignificare miſeriam, quòd in perpetuis laboribus degat hoc animal. præterea rerum mutationem: quia terra horum opera uerſata nec locum eundẽ retineat, nec faciem. Cæterũ decem illas ſpicas totidem annorũ pręfinire numerum: eas enim redire annuis uicibus, iamq; inſtare Archelao dominationis terminum. Sic ille hoc ſomnium interpretatus eſt. Poſt cuius uiſionem quinta die uenit in Iudæam procurator Archelaus, ad euocandum illũ miſſus à Cæſare. Ioſephus lib. 17. c. ult.

BOEOTIIS quondam Arnam incolentibus oraculo prædictum eſt, futurum ut è finibus expellerentur, ſimulatq; corui albi apparuiſſent. Euenit deinde, ut adoleſcẽtes aliquot per laſciuiam ac temulentiam coruos, quos cœperant, gypſo oblitos, rurſum emitterent. Quos ubi uidiſſent uolãtes Bœotij, recordãtes oraculum, arbitrati adeſſe tempus, quo forent ſuis è ſedibus eiiciendi, ſummopere perturbati ſunt. Cæterùm adoleſcentes territi & ipſi tumultu, profugerunt, ac locum quendam ſibi mercati ſunt, cui nomen Coracon, id eſt, coruorum. Contigit aliquanto pòſt, ut Aeoles eiectis Bœotiis, Arnam occuparent. Apud quos hic deinde mos receptus, ut maleficos relegarent in eum locum, cui nomẽ erat Corui. Suidas. Ariſtophanis interpres paulo diuerſiùs hanc recenſet hiſtoriam: nempe Bœotiis aliquando à Thracibus ſubuerſis ac profligatis, reſpondiſſe deum, ut ibi ſedẽ figerent, ubi coruos albos conſpexiſſent: conſpexiſſe autẽ in Theſſalia iuxta ſinum Pagæaticum circumuolantes coruos quoſdã Soli ſacros, quos pueri per luſum gypſatos dimiſerãt. Bœotij uerò rati iam perfectum oraculi ſymbolũ, inibi ſedem conſtituerunt. Eraſmus in Prouerb. ad coruos.

Ergias Rhodius in iis, quæ de patria conſcripſit, cùm quędam de PHOENICIBVS dixiſſet, qui inſulam incolũt, hæc addit: Hi qui cum Phalantho ciuitatem fortiſſimam Achæam nominatam habent, cùm cibi eſſent continentes, per multum temporis ſpacium cum Iphiclo pugnarunt. Erat enim his oraculi quoddam reſponſum, quòd regionem ad id uſque temporis eſſent habituri, quo albi corui fierent, piſcéſque in crateribus apparuiſſent. Sperãtes illi hoc nunquam eſſe futurum, res bellicas negligentiùs tractare cœperunt. Iphiclus igitur intelligens ex quodam Phœnicum oracula, cum Larca quodam aquatum profecto conuenit, ut clàm aquæ piſces immitteret, eamq; in urbem ferens, in craterẽ effunderet, unde Phalantho uinum adminiſtrabatur. Mox etiam coruos captos gypſo pinxit, & poſtea dimiſit. Quos cùm uidiſſet Phalanthus, ad crateres acceſſit. In quib. etiam cùm piſces uidiſſet, ad Iphiclum præcones miſit, qui cũ eo agerent de fœdere, ut cum ſuis militibus exire liceret. Cùm fœdus accepiſſet Iphiclus, hoc machinatus eſt poſtea Phalanthus. Victimas interficiens, earumq; uentres purgans, in his aurum & argentũ exportare conabatur. Quod ubi ſenſiſſet Iphiclus, prohibuit. Afferente iuſiurandum Phalãtho, quod iurauerat ſe ſinere exportari, quidquid in uentre ferrent: contra hic caprioſè egit, nauigia nũda ipſis tradens abſq; gubernaculo, remis, & uelis: Nauigia, inquiens, ſe iuraſſe eſſe daturum, aliud præterea nihil. Cùm ita perplexi eſſent Phœnices, multos numos humi defoderunt, ut aliquanto pòſt accedentes eos caperent, multos etiã reliquerunt Iphiclo. Cùm igitur hoc pacto migraſſent Phœnices de regione, res acceſſerunt ad Græcos. Athen. lib. 8. c. 11.

Quo die in portum delatus eſt ALCIBIADES exul, Plynteria Mineruæ agebantur. Hæc ſacra Praxiergidæ arcana uigeſimoquinto die faciunt menſis Thargelionis, omnemq; ornatum deæ detrahunt, & ſimulacrum eius operiunt: unde hunc diem habet præcipuè populus Atheniẽſis inter nefaſtos feriatum. Omen igitur hoc non diu duraturæ populi uoluntatis fuit Alcibiadi, quaſi non uolens uel propitia eũ exciperet Minerua, ſed intecta facie auerſaretur eum & reiiceret. Plut. in Alcibiade.

Quo tempore TARQVINIVS regno pulſus fuit, ſatis cõſtat imminens exitium canem loquutum fuiſſe, ſerpentemq; latraſſe. Quo portento perniciem & exilium regi mox futurum oſtenſum eſt. Alex. lib. 3. c. 15.

Furius CAMILLVS, captis Veiis, oppreſſisq; Gallis, cùm eſſet precatus, ut ſi cui deorum nimia felicitas populi Romani uideretur, eius inuidia ſuo aliquo incommodo ſatiaretur, ſubito lapſu decidit. Quod omen ad damnationẽ, qua poſtea oppreſſus eſt, pertinuiſſe uiſum eſt. Meritò autem de laude inter ſe, uictoria & pia precatio ampliſſimi uiri certauerunt: æquè enim uirtutis eſt, & bona patrię auxiſſe, & mala in ſe transferre uoluiſſe. Val. Max. lib. 1. c. 5.

NICEPHORVS patriarcha Conſtantinopolitanus, quum Leonis Armenij Imp. capiti diadema imponeret, manum ſuam ſpinis compungi putauit. haud dubiè impios Leonis mores præſentiens: à quo demum etiam in exilium eſt eiectus. Zonaras & Cedrenus.

PIVS II. Pontifex, cùm Ludouicus Allobrox uir, Carlottę Cypri reginæ haud procul à Mantua tranſiſſet, Cyprum mari petiturus, nec Pium ſalutaſſet: Breui, inquit Pius, rectà ad nos reuertetur. Quod ſequenti anno fecit, Cypri regno pulſus. Ioan. Ant. Campanus in uita Pij.

Sub Mathæo Vicecomite Mediolanenſiũ principe, ſupra Mediolanum conſpecta gens in cœlo multiplex diſcolorq; inter ſe concurrere, armorum fragore, & ſtrepitu equorũ palàm exaudito, non obſcuris ſignis impendentium bellorũ, & GALEACII F. exilio, à Ludouico Bauaro Imp. eiectis. Fulgoſus lib. 1. cap. 4.

Anno MDXXI. in regiis hortis Vpſaliæ & Holmiæ apud Suecos, formicarum agmina infeſtis cocuntia animis, CHRISTIERNO II. regi exilium portenderunt. Olaus lib. 22. cap. 20. Eſt miræ magnitudinis ſerpens in inſula Moos dicta, diœceſis Hammerenſis: qui ut cometa orbi reliquo, ſic is regni Noruegiæ mutationem portendit. prout uiſus eſt anno MDXXII. altè ſuper aquas ſe extollens, atq; in modum ſphæræ conuolutus. Exiſtimatus eſt hic ſerpens coniectura collecta ex longinquo uiſu quinquaginta fuiſſe cubitorum: quem expulſio regis Chriſtierni, atq; grauis prælatorum perſecutio ſecuta eſt; imò excidium patriæ demõſtrauit. Olaus lib. 21. cap. 43.

## CAPTIVITATIS, CARCERVM DIVINATIO.

*Vide Tit. Diuinatio Deiectionis ab imperio, regno. Item Expeditionis infelicis Diuinatio.*

Virgo Meſſenia, ruſtica, ARISTOMENIS Meſſeniorum regis uincula præuidit. Superiore enim nocte, quã per inſidias à quibuſdam Cretenſibus ſagittariis captus eſſet Ariſtomenes, per ſomnium ſibi uiſa fuerat, pertrahi illuc à lupis leonem uinctum erepris unguibus, & illum ſe ex uinculis exemiſſe, & cum eo tanquam cum uiro congreſſam, ungues illi dediſſe, nec multo pòſt à leone lupos laniatos eſſe. Id quod euentus uerum fuiſſe teſtatus eſt. Eò enim captus & uinctus fuit perductus Ariſtomenes, & induſtria & ope huius uirginis liberatus. Pauſan. in Meſſenicis.

Dux Carthaginenſium AMILCAR, Syracuſas obſidens, in ſomnis audire uiſus erat, ſe poſtridie intra obſeſſæ urbis mœnia cœnaturum. Ea re ad uictoriæ ſpem reflexa, manè alacris ad oppugnandam urbem inſtruebat aciem. Talia uolenti ac molienti, quod ſæpè fit, grauis tumultus in caſtris exortus eſt, Carthaginenſibus ac Siculis inter ſe diffidentibus. Oppidani occaſione freti, repentè portis egrediuntur, & fuſis hoſtibus uictores, ducem turbatis ſuorum ordinib. ſuccurrere cupientem, atq; ideo negligentem ſui, intercipiunt. Et ſic in urbem ductus, & in compedibus cœnans intellexit, quàm falſus interpres ueri ſomnij fuiſſet. Val. Max. libro 1. cap. 7. & Cic. lib. 1. de Diuin. Diodorus autem Siculus in 20. libro Hiſtoriarum, nõ in ſomnis uocẽ illam audiſſe, ſed uatem inquit inſpectis extis hoc affirmaſſe: nec incommodum id acceptum ob ſeditionem in caſtris factam, ſed cùm oportunum locum occupare uellet, eoque noctu cum exercitu accederet, atq; iter, quod eò ducebat, anguſtum aſperumq; foret, ab incondita turba lixarum, quæ exercitũ comitabatur, tumultum excitatum, præſidium autem Syracuſanorum, quod eò antea miſſum fuerat, cognito conſilio hoſtium, auditaq; trepidatione aduerſariorum, fretũ loco, cognitioneq; uiarum, in perturbatos illos irruiſſe: partem aũt è præruptis rupibus præcipites egiſſe, ut cùm multi etiam ab equitibus conculcati preſſiq; ſiant, magnam cladem acceperint Carthaginienſes: uiuum autem Hamilcãrem non à Syracuſanis, ſubitò ex oppido egreſſis, ſublatũ eſſe, ſed ab illis ipſis captũ, ac Syracuſas compoitatũ, unde uox auguris cõprobata ſit. Victorius lib. 26. Var. lect. c. 12.

Scribit Artemidorus, ſpeciem in ſomno CVIDAM obuerſatam, ceu cùm Saturno cœnaret. ac ita cõtigiſſe, ut illi ſequenti die in carcerem impingeretur. Cæl. lib. 13. c. 21. A. L.

Cùm CONSTANTINVS Deſpotes è Byzantino portu ſoluturus eſſet, è famuli manibus omnia uaſa lapſa ſunt, quæ ad ornandam herilem menſam aurea & argentea collegerat, & in fundum maris demerſa. Quæ res magnum illi dolorem attulit, non tam ob iacturam, quàm ob malũ in ipſo (quod aiunt) limine omen, quo animus rei conficiendæ paruam ſpẽ concipiebat. Theſſalonicã profectus, ab Andronico Seniore Imp. in teterrimũ carcerẽ coniectus eſt. Gregoras l. 8.

ANDRONICO Comneno tyrannidem inuadente, accipiter albus uincula geſtans pedibus, ab Oriente in templum Sophianum Conſtantinopoli uolauit, inde in magnum Palatium, & ſuper eo conclaui conſedit, in quo recens imperio potitos, diademate redimitos, ab omni populo celebrari moris eſt. Paulo pòſt ad templum reuertitur: & hoc circuitu ter peracto, tandem à quodam captus, ad Imperatorẽ affertur. Id auſpicium quidam planè ad Andronicum referentes (qui & ſæpiſſimè in carcerem cõiectus & canus eſſet) eũ ſtatim pœnas grauiſſimas daturum interpretabantur. Sed [illegible]ores & ſublimioribus præditi ingenijs, uolatum illum ter repetitum, triennium ſignificare aſſerebant, quo in imperio exacto, Andronicus rurſus in cuſtodia & compedibus futurus eſſet. Nicetas.

Inge[illegible] uim ſerpẽtum in Gallouidia Scotorum regione in mo[illegible] pluuiæ ex aëre decidiſſe narrant, qui in unum locũ congeſti, incertum quo modo putrefacti, aërem infecere; paulò ante quàm DONALDVS rex ab Anglis & Britãnis [illegible]us eſt. Boues item paſcentes in agris, inſolitis emiſſis boatibus ſubitò interiere. Piſces in Forthea æſtuario humana propè effigie à mari in arena deſtituti mortui reperti. Hector Boethius lib. 10.

BAIAZETHE Turcorum rege contra Tamberlanẽ caſtrametante in Cappadocia, uenti turbo uiolentiſſimus tentoria diſiecit, & in ſublime tracta deſtruxit. Poſtea cùm in Phrygiam mouens caſtra communiuiſſet, tentoriũ eius in tres pueros, qui ibi aderant, ſua ſponte cecidit. Quidam Græci & Tryballi qui præſtò erant, omẽ id eſſe dicebant, ne aſcenderet in Phrygiam. Aſcendit, & in miſerrimam inſolẽtiſſimi uictoris ſeruitutem incidit. Chalcocondylas lib. 3.

Mediolani Palatina domus, ſeptimo die antè, quàm BARNABAS Vicecomes ab Ioanne Galeacio patrueli (quem Barnabas per inſidias ſuo dominatu priuare cogitabat) caperetur, adeò uehementer de cœlo tacta eſt, ut intimi cubiculi periſtromata deflagrarẽt, & uiperæ marmoreę (Vicecomitum inſigne) faſtigio ſuperſtãtes, fulmine frangerentur. Vates quoque domeſticus, cognomento Medicina, ut Nonas Maias eo anno trium ſiderũ coitu infauſtas caueret, multo antè prædixerat, & tum in fata ſua properantẽ retẽtare fuerat conatus. Occulta enim uis fati tum maximè urgebat, quum miſero mentis arbitriũ eriperet. Iouius in Barnaba.

Paulò ante LVDOVICI Sfortiæ Inſubriæ ducis cladẽ, quando à Ludouico XII. in Gallias abductus eſt, nocte intempeſta circà arcem armorum fragor, tubarum tympanorũq; ſtrepitus exaudiri, igniti flammarum globi mœnia lambere: ignotæ animaliũ facies, bicipites cuniculi, catuli horrendi intra thalamos oberrare, & mox euaneſcere uiſi. Sed & ante eam calamitatem, ipſo ſcilicet bello Nouarienſi, cùm inter Ludouicum ducem Aurelianenſem & Sfortiam Venetorum auxiliis ſtipatũ, pax tractaretur, & Sfortia exercitum luſtraret, eo ipſo penè loco, quo non multo pòſt captus & in Galliam abductus eſt, equus eius bis abſq; cauſa manifeſta humi procidit. Ailunus ſect. 2. hiſt. Med.

Anno MDXLVII. bello Germanico, quo tempore Cæſar Carolus V. prope Miſenum acceſſit, Aprilis die 22. eo die, quo flumine tranſmiſſo pugnauit, & Io. FRIDERICVM Saxoniæ ducem cepit, Solis aſpectus fuit triſtis, obſcurus, pallidus, & ueluti caligine quadam circumdatus, ita quidem, ut plerìq; longiſſimè à Saxonia remoti, & ignari quid ageretur, iudicarent, magni aliquid portendi. Neque in Germania ſolùm, ſed per Galliam etiam & Britanniam id fuit obſeruatum. Sleidanus lib. 19. & Fincelius de Miraculis.

## DEDECORIS ET INFAMIAE.

Exiſtimant quidam, præſciſſe TIBERIVM Cęſarem poſterorum de ſe iudicium, peritia futurorum: ac multo antè quanta ſe quandoq; acerbitas & infamia maneret, proſpexiſſe. Ideoq; ut Imperium iniret, & Patris patriæ appellationẽ, & ne in acta ſua iuraretur, obſtinatiſſimè recuſaſſe: ne mox maiore dedecore impar tantis honoribus inueniretur. Suet.

ANASTASIVS, Germani Patriarchæ ſyncelus, Leonis Imp. Iconomachi in ſubuertendis imaginibus adiutor, Germani in regiam aliquãdo euntis ſtolæ oram calcauit. Cui Germanus: Noli feſtinare: Diippus (locus equeſtribus decurſionibus deſtinatus) te manet. Hunc Anaſtaſium Cõſtãtinus Copronymus per Diippũ pòſt duci iuſſit, aſino inſidentẽ, facie uerſus caudam conuerſa. Zonaras & Cedrenus.

## EXCIDII FAMILIAE.

Ruminalis arbor Romæ in comitio, quæ annis DCCCXL. & ampliùs uirens perſeuerauerat, conditorum urbis olim propugnatrix, ramalibus emortuis exaruit. Prodigio non obſcuro, in Nerone defecturã CÆSARVM ſtirpem, donec imperium in nouos reuireſceret fœtus. Cælius lib. 11. c. 12. A. L.

GLAVCVS Epicydis F. Spartanus, cùm à Mileſio hoſpite magnam uim pecuniæ depoſiti nomine accepiſſet, & poſt eius mortem filij pecuniam repetiſſent, Glaucus poſt quatuor menſes ſeſe reſponſum daturũ affirmauit. Interea Delphicum oraculum ſciſcitatus eſt, utrum iureiurando interpoſito pecuniam depoſitam apud ſe negando, lucrum faceret? Pythia reſpondit:

γλαῦκ' ἐπικυδείδη, τὸ μὲν αὐτίκα κέρδιον οὕτω
ὅρκῳ νικῆσαι, καὶ χρήματα ληίσσασθαι.
ὄμνυ', ἐπεὶ θάνατός γε καὶ εὔορκον μένει ἄνδρα.
ἀλλ' ὅρκου παῖς ἐστὶν ἀνώνυμος, οὐδ' ἔπι χεῖρες,
οὐδὲ πόδες, κραιπνὸς δὲ μετέρχεται, εἰσόκε πᾶσαν
συμμάρψας ὀλέσῃ γενεὴν καὶ οἶκον ἅπαντα.
ἀνδρὸς δ' εὐόρκου γενεὴ μετόπισθεν ἀμείνων.

Eo reſponſo territus Glaucus, ueniã precabatur. At Pythia, idem eſſe tentare deum & facere, affirmauit. Glaucus domum reuerſus, Mileſiis iuuenibus pecuniam quidem reddidit, uerùm non multo pòſt tota illius domus & progenies penitùs extincta eſt. Herod. lib. 6.

CAROLI Magni ſtirps, decedente Arnulpho, quum nihil regiæ eius ſtirpis uirilis ſupereſſet, extincta eſt. Quum igitur Hugonem Capetum, regij alloqui ſpiritus, Gallia regẽ admiſiſſet, immortalis Dei prouidentia ſignificandum hoc omnibus mortalibus teſtandumque curauit nouo prodigij genere, quum primùm frumẽto, mox ingenti aquarum ui, poſtremò uerò aliquot dies piſciculis etiam plueriì. Egnat. lib. 5. cap. 6. & Sabellicus lib. 1. cap. 4.

Exciſionem familiæ SFORTIADVM Mediolanenſium hæc ſigna præceſſerunt. Primò obſidentibus Mediolanum arcẽ Gallis, apud Gambalottam uicũ, meridiano tempore duo equites in aëre, humana maiores effigie inter ſe concurrere uiſi, uictoremq; eum, qui ab Galliæ regione ueniſſe uidebatur, alterũ continuò profligaſſe, frequentes agricolæ confirmarunt. Brennio deinde amnis Ticini ſocius, effracta rupe, patefactoq; exitu effuſus, ſubiectam planitiem inundauit, eodemq; impetu & lapideũ Ticini pontẽ, & nobiliſſimi operis munitionẽ, quam duplici contecto muro & turribus admirabilem, Ludouicus Sfortia interuallo decẽ ſtadiorũ ab oppido in aduerſos montes perduxerat, puncto temporis deiecit & abripuit. Inde per patẽtes campos horribili fragore delapſus, quũ præceps Verbanũ lacum peteret, cohortem Heluetiam in caſtra contendentẽ curſus celeritate obruit. Arx ipſa capta. Maximilianus dux, Franciſci I. Gallorũ regis armis preſſus, deditione facta in Galliã abductus eſt. Et hic finis clariſſ. Sfortiadum familiæ. Sab. Supplem. lib. 5.

# DIVINATIO PRÆCIPIENS, IVBENS, IMPERANS ALIQVID FIERI. VTPVTA

## PHILOSOPHIAE STVDERE.

DIOGENES Sinopeus, philoſophus Cynicus, Pythicum oraculum conſuluit, quónam modo poſſet excellere? Reſpondit, Si numos adulteraret. Paruit ille, patriaq; pulſus philoſophari cœpit. Suidas.

Aperto Alcmenæ tumulo, regnante Ageſilao, repertũ eſt cum corporis reliquiis brachiale æreũ non magnũ, amphoræq; duæ figlinæ, quæ terram iam ex tẽporis ſpacio lapideſcentem & cõcretã continebãt. In monimẽti latere tabula inuenta eſt ærea cum multis mirãdis literis: ex quibus, quamuis abluto ære dilucidæ forẽt, nihil poterat diſci, ſed extraneus quidam & barbaricus erat earum forma & typus Aegyptiis germaniſſimus. Haliartij magnam illam ſterilitatem & lacus reſtagnationem arbitrati ſunt ex ultione diuina ortam, quòd ſuſtinuiſſent refodi hoc ſepulcrum. Itaq; Spartani Lyſanoridam Haliarton miſere, ut buſtum rurſus terra operiret;

ret, & libamina daret, Alcmenæ, Aleumq; ex oraculo certò inueſtigaret. Miſſus eſt à rege Ageſilao Spartiates Agetoridas Memphim ad Chonuphim uatidicū. Hic cùm tres dies ſolus peruolutaſſet ueterum librorū diuerſas nōtas, reſcripſit regi, præcipere eam ſcripturā, Ludos edi Muſis. eſſe eos typos literaturæ, quæ regnante fuit Proteó: eos Herculem Amphitryonis filium memoriæ mandaſſe. Præſcribere autem atq; monēre per eam ſcripturam deum GRÆCOS, otium ut agant, & colant pacem, ludosq; faciant ſemper per philoſophiam Muſis, ac uerbis de iure diſceptent, abiectis armis. Plut. de Soc. dæm.

DELIIS datum oraculum fuit, liberatum iri Delios cæteróſque Græcós malis præſentibus, ſi aram Deli duplicaſſent. Huius cùm ſententiam non poſſent illi coniectare, atque in ſtruenda ara rem ridiculam committerent (ſingulis enim ex quatuor lateribus duplicatis, cùm imprudentes eo augmento locum ſolidum effeciſſent octuplum, per ruditatē proportionis, quæ longitudine duplum præbet) ad tollendum ſcrupulum opem implorarunt Platonis. Hic Aegyptij memor, deridere Apollinē oſtendit Græcos, qui literas contemnerent, uelut exprobrantem Græcis inſcitiam, atq; imperantem, ut ſedulò in geometriam incumberent. Neq; animi malè & obtusè cernentis, ſed ſummè in lineis uerſati opus eſſe, duarum mediarum proportione reſpondentem ſumtionem: qua ſola duplicatur corporis figura cubici ex omni aucta dimenſione. Id Cnidium Eudoxum eis uel Heliconem Cyzicenum abſoluturum. Apollinem autem non reſpondere, opus habere ſe, neq; concupiſcere id: ſed iubere omnibus Græcis, ut bellis & eius malis omiſſis, cum Muſis rationem habeant, literisq; ac diſciplinis clades alleuantes, innocuā inter ſe & frugiferā conſuetudinē agitent. Idē.

ZENO Citticus conſuluit oraculum, Quo pacto poſſet uitam optimè inſtituere? Reſponſum accepit, ἐι συγχρωτίζοιτο τοῖς νεκροῖς: id eſt, Si concolor fieret mortuis. Ille ſentiens, ſe uocari ad lectionem ueterum, contulit ſeſe ad philoſophiam. Dicitur autem Zeno naturâ fuiſſe colore fuſco. Studium, ac uictus parſimonia, maciem & pallorem conciliarūt homini. Laertius lib. 7. cap. 1.

## DOCERE, ERVDIRE ALIOS.

PAVLO apoſtolo Troade exiſtenti, uir quidam habitu Macedonico in ſomnis apparuit, his uerbis: Proficiſcere in Macedoniam, ad ſuccurrendum nobis. Eò igitur profectus, Philippos conuertit. Act. 16.

Cornelio centurioni angelus reuelauit, Petrū Ioppe accerſendum, à quo præcepta ſalutis acciperet. PETRVS uerò Ioppe uelum quadrupedibus plenum è cœlo demiſſum conſpiciens, manifeſtè intellexit, Deum perſonarum rationem nō habere. Actorum 10.

PHILIPPO apoſtolo angelus imperauit, ut proficiſceretur uerſus meridiem, eunuchum Candacis reginæ conuerſurus. Actorum 8.

ADALBERTO, dum Pragenſem pontificatum gereret, ferūt appāruiſſe Ieſum, eiq; hæc uerba obieciſſe: Adalberte ſtertis, & populus hic præceps fertur? Quibus calcaribus agitatus, per Morauiam & Vngariam Chriſtianam fidem paſſim prædicauit, & Poloniam ſubinde petiit. Bonfin. lib. 1. Dec. 2.

## LEGERE, SCRIBERE, COMMENTARI.

Cùm quidam è ſenioribus DIONYSIVM Alexandrinum epiſcopum à lectione librorum hæreticorum dehortaretur, ne animum imprudens contaminaret: uox incerto auctore diuinitùs miſſa eū confirmauit: Perpende omnia, inquiens, quæ tibi in manus uenerint. Potes enim hæc diiudicare & examinare. Et tibi hoc ipſum fidei occaſio prima extitit. Oraculum ergo Apoſtolicæ uoci conſentiens, dicenti, Prudētes eſtote numularij, amplexus eſt. Euſebius lib. 7. c. 7.

Homeridarum quidam aiunt Helenam noctu HOMERO apparuiſſe, ac mandaſſe ut de iis ſcriberet qui ad Troiam militaſſent, quò mors eorū optabilior, quàm aliorum uita redderetur: ac poeſim eius ex parte Homeri etiam ſolertia, inprimis uerò propter Helenam, ita gratioſam, & apud omnes celebrem eſſe factam. Iſocrates in Helena.

PINDARVS Lyricorum princeps in ſomnis à Perſephone hymnum in eius laudem ſcribere iuſſus eſt. Quod quidem ei mortem portendit. Pauſan. in Bœoticis.

AESCHYLVS Athenienſis, puer adhuc, dum uuas cuſtodiret, in agro dormiens, Bacchum uidit hortantem, ut Tragœdias ſcriberet. Cùm primùm illuxiſſet, periclitans quid in ea re poſſet, omnia minimo negotio conſecutus eſt. Pauſanias in Atticis.

DION Nicæus, qui Imperatorum aliquot uitas elegantiſſimè deſcripſit, mortuo iam ex uulnere tribuni Antonino Caracallo, ſibi in ſomno uiſus eſt uidere omnem exercitum populi Romani armatum in magna planitie, atq; ipſum Seuerum Antonini parentem iamdudum defunctum, ſedentem in excelſo tribunali concionari apud milites, ſeq; ſtare ante conſpectum eius, ut audiret quæ diceret. Quem cùm ille uidiſſet: Huc ades, inquit, Dion, ut omnia, quæ dicuntur, fiuntúe, diligenter intelligere & perſcribere poſſis. Dion in Antonini uita, & Xiphilinus.

## MONACHATVM, SACERDOTIVM AMPLECTI.

Hieronymus in epiſtola ad Lætam ſcribit, aliquando ad Prætextatam uxorem Himerij patrui Euſtochij uirginis, in ſomnis ueniſſe angelum, eamque increpaſſe, quòd obtemperās marito ſuo, uirginis EVSTOCHII cultum mutaſſet, & neglectum crinem mundanō more pexuiſſet: uincere cupiens uirginis propoſitum, & matris deſiderium. & inter cætera dixiſſe: Túne auſa es uiri imperium præferre Chriſto? Tu caput uirginis Dei, tuis ſacrilegis attrectare manibus? quæ iā areſcent, ut ſentias excruciata quid feceris: & finito menſe quinto ad inferna ducêris. Sin autem perſeueraris in ſcelere, & marito ſimul orbaberis, & filiis. Hæc autem omnia p ordinem expleta eſſe, & ſeram miſeræ pœnitentiam, uelocem ſignaſſe interitum.

MILITEM quēdam hoc miraculo eremum ſubire diuinitùs edoctum, Petrus Damianus in epiſtola ad Paulum monachum, ex ipſius relatione ſcribit. Cùm miles, ut coniugio animum adiiceret, à parentibus moneretur: ille animi dubius, circumligatō corpori ferreo uinculo, petiit à Deo, ut rupturа eius uitæ, genus ſaluti ſuæ commodum mōſtraretur. Ille cùm diu uinctus oberraſſet, tandem eremum ingreſſus, uinculo eximitur. Quo miraculo motus, eremiticam deinceps ſtudioſiùs egit uitam.

[redacted]

MVTIVS Aegyptius latro, in ſomnis ab angelo necem minitante, niſi protinùs à flagitiis ſacrilegiisq; ſe ſubmoueret, correptus, ſimulac euigilaſſet, ad Eccleſiam confugit: & baptiſmate ſuſcepto, eremum petiit, ubi tandē ad abbatis dignitatē peruenit. Marulus lib. 2. c. 8. & Fulgoſus lib. 6. c. 9.

POMPEIO Columnæ Cardinali, bellicæ laudis, quàm ſacræ dignitatis auidiori, & obſtinato animo ſacerdotales honores (ad quos eum patruus Proſper hortabatur) repudianti, per quietem apparuit Hieronymus pater, minaci & ſeuera fronte, acribus itidem caſtigans uerbis, & dextra quatiens flagellum, eo ſcilicet nudum uehementiſſimè percuſſurus, ni extemplò propinquorum iuſſis obtemperaret, atq; ut in fatis eſſet, ſacris initiaretur. Itaq; Pompeius poſt multos æſtus fluctuantis animi, quum paterno oſtento & patruorū imperiis parendum foret, ualde mœſtus, & reluctante quidem genio protonotarius creatur, ſuperinductaque lintea ſtriatæ ſtola apud Ioannem cardinalem patruū, familiæ magiſter eſt effectus. Iouius in eius uita.

## SACRA FACERE, CORRIGERE.

STILPO Megarenſis philoſophus, à Neptuno in ſomnis hecatomben immolare iuſſus, deum irriſit, qui inanem ſumtum à mendico exigeret, apuis contentum eſſe debere inquiens. Neptunus ea libertate delectatus, multas largitus eſt Megarenſibus apuas. Laertius.

AGESILAVS Spartanorū rex, in Aſiam cōtra Perſas ꝓfecturus, dum copiæ conueniunt, profectus Aulidem, in ſomnis audiuit quendā in hæc uerba monentē, Totius Græciȩ dux poſt Agamemnonē primus, eundē imitare, & quā ille priùs hic uictimam ſoluit, immola. Immolauerat aūt Agamemnon Iphigeniā filiam uirginem ex oraculo. Ageſilaus expoſuit amicis uiſum, ac deam ſe oſtendit ueneraturū hiſce rebus, quæ gratæ deæ forent exiſtimandæ, non imitaturum illius ruditatem ducis. ac ceruam corona redimitam imperauit uictimam cȩdere aruſpici ſuo, nō illi, qui de more erat à Bœotiis delegatus. Quo nunciato, Bœotarchæ excādeſcentes, per ſtatores interdixerunt Ageſilao, ne contra Bœotiorum leges & morē ſacra faceret. Illi cùm hoc nunciauêre, tum coxas uictimæ ex ara diſiecêre. Quod factum grauiter ferēs ſoluit Ageſilaus, fuitq; Thebanis infenſus, ac ſpe elanguit ominis cauſa, uelut in irritum caſuris cœptis ſuis, neq; ſperatum exitum expeditione habitura. Plut. in Ageſilao.

ARATVS Sicyonius ueneno ſublatus à Philippo rege, cùm fato functus Aegij in ſeptima decima prætura eſſet, contendentq; Achæi, illic ut iuſta ei & monumenta ex uitæ dignitate fierent: calamitoſum duxerunt Sicyonij, niſi conditum corpus apud ipſos foret, flexeruntq; Achæos, ut id permitterent. Quia uerò uetus lex humari quenquam intra muros ſuos uetabat, & grauis adiuncta legi erat religio: Delphos miſerunt ad conſulendum ſuper ea re uatem. quæ Sicyonios iuſſit ſacra etiam illi inſtituere. Ergo feſto luctu protinùs corpus ex Aegio coronati, & candidis amicti ueſtibus, carminibus & tripudiis in urbem ſuam deduxere, locoq; delecto conſpicuo, ut conditorem & ſeruatorem urbis ibi funerauerunt. Appellatur uſq; ad hanc memoriam locus Aration. Plut. in Arato.

T. LATINO homini ex plebe Iupiter in quiete præcepit, ut Coſſ. diceret, ſibi præſultorem ludis Circenſibus proximis nō placuiſſe: quæ res niſi attenta ludorū inſtauratione expiata eſſet, ſecuturum non mediocre urbis periculum. Ille ueritus, ne cum aliquo incōmodo ſuo religioni ſummum implicaret imperium, ſilentium egit. Eueſtigioq; filius eius ſubita ui morbi correptus interiit. Ipſe etiam per quietē ab eodem deo interrogatus, An ſatis magnam pœnam neglecti imperij ſui perpendiſſet? in propoſito perſeuerans, debilitate corporis ſolutus eſt. Ac tum demùm ex conſilio amicorum lectica ad tribunal Coſſ. & inde ad ſenatū perlatus, ordine totius caſus ſui expoſito, magna cum omniū admiratione, recuperata membrorum firmitate, pedibus domū rediit. Val. lib. 1. c. 7. Cic. lib. 1. de Diuin. & Liu. lib. 2. Dec. 1. Aug. lib. 4. de ciuit. Dei, c. 26. Miraculo ſenatus attonitus diligenter de re quæſiuit. Fuit ea huiuſcemodi. Seruum ſuum quidam aliis ſeruis tradiderat, præceperatq;, ut plebeiis ludis per circum Flaminium, cȩſum flagellis agerent, inde interficerent. Hæc agentes & hominē uerberantes, uarios flexus præ dolore, motusq; indecoros alios magnitudine cru[redacted] uoluētem, ſupplicatio fortè ſecuta eſt. Ea ſpecies mi[redacted]iucunda, atq; motus inconcinni multos præſentium offenderunt: factum tamen nemo uindicauit. Maledixerūt tantùm, & diras imprecati ſunt tam atrociter multanti. Sa[redacted]otibus id eſſe confirmantibus, pependit dominus pœ[redacted]pplicationemq; deo ac ludos inſtaurauerunt. Plutar ch[redacted]oriolano. At Lactantius lib. 2. de Origine erroris, cap[redacted]pellat hunc hominem Tiberium Attiniū Accium.

Anno [redacted] MCCCLXXXIV. concurſus religioſus in Vuilſenacum, oppidum Prigniſſȩ Vandalico in ſolo, cœpit hac occaſione. Quidam latrunculi incenſa uilla Vuilſenaco, eccleſiam pariter in cineres redegerunt. SACERDOS, quum ad proximam uillam confugiſſet, eſſetq; noctu in ſtrato, audiſſe fertur uocem, Surge, præpara te ſacris miniſteriis, dicturus miſſam in altari exuſtæ nuper eccleſiæ. Primam uocem arbitratus ludificationem, contemſit. At repetita ea & terțiata, ſurrexit, & eò profect⁹, uidet altare integrū, cū duob. cereis ex latere utroq;: in medio mundam ſindonem, & trinam hoſtiam, quæ uidebatur in unā coaluiſſe, eamq; cruentam. Stupefactus rei nouitate, & componēs quomodo poterat, properè contendit ad loci antiſtitē Hauelbergenſem: quid audierit, & deinde quid uiderit, enarrat. Ille eò proficiſcitur cum clero: reconditq; hoſtiam cryſtallo. Accurrūt undecunq; populi, abuſq; Vngaria, Francia, Anglia, Scotia, Dania, Suetia, Noruagia. Multa fertur renouaſſe Chriſtus Dominus in reuelatione corporis ſacri, ſub altaris uelamento mirabilia: ſed (ut fit) uanitate partim populi, accedente auaritia cleri, facta infecta nunciabantur. Cranzius lib. 9. Vandaliæ, cap. 11.

## EXERCITIA, LVDOS INSTITVERE, FREQVENTARE.

LYCVRGVS, cùm caſu Olympia ueniſſet, & eſſet ſpectator, uocem ibi à tergo uelut hominis ei accidiſſe narrant, increpantis eum & mirantis, Cur ciues ſuos ad concelebrandū illud ſolenne non excitaret? Cōuerſus, ubi nuſquam comparuit, qui fuerat locutus, diuinam uocem eſſe ratus, ad Iphitum ſe aggregauit, ſociusq; concinnandi feſti, clarius id & ſolidius effecit. Plut. in Lycurgo.

## LIBERIS OPERAM DARE.

☞ *Huc exempla quædam ex Titulo, Partus futuri oracula, transferri poſſunt.*

AMARAMIS, Iudæorum unus pietate inſigni, cùm crudeliſſimo Pharaonis edicto omnis Iudæorum progenies pro deplorata haberetur, media quiete iuſſus eſt dare operā procreationi: fore, ut filius ex eo naſceretur, qui fractis Aegyptiorum opib. populū ſeruitio eximeret. Moſes inde oritur.

HALDANVS Gyurithæ Danorum reginæ coniugio potitus, Vpſalam petens, reſponſo Othini dæmonis manibus Hildigeri fratris à ſe per errorem in monomachia cæſi, parentare iuſſus, poſtquam oraculo paruit, filium ex Gyuritha ſuſcepit, cui Haraldo nomen dedit. Qui Danorum regnū, principum iniuriis laceratum, ad priſtinum ſplendorem reuocauit. Saxo lib. 7. Cumq; coæuis robore & ſtatura præſtaret, Othini beneficio obtinuit, ut inuulnerabilis eſſet. Ipſe uiciſſim animas ei, quas ferro corporib. expuliſſet, pollicitus ꝓditur. Idem.

## LIBEROS INSTITVERE.

SOPHRONISCO ſtatuario Athenienſi, Socratis patri, oraculum præcepit, ut ſineret eum, quicquid ei in mentem ueniret, agere: nec cogeret, uel ab inſtituto abduceret, ſed impulſui indulgeret pueri, ac uota faceret Ioui Agorȩo & Muſis. Cætera ne laboraret magnopere de Socrate: ut qui excellentiorem haberet in ſe ſexcentis magiſtris & pædagogis uitæ ducem. Plut. de Soc. dæm.

## EXPEDITIONEM SVSCIPERE. HOSTES PERSEQVI.

GEDEONI angel⁹ Domini apparuit, & ad populi liberationem exhortatus eſt. Iudicum 6.

EPISCOPVS quidam orientalis iuſſus per uiſionē fuit monere Iuſtinianum Imp. de bello Vandalico ſuſcipiendo, pro liberatione Chriſtianorum in Lybia, quos iam per annos XCVI. Vandali magna crudelitate uexauerāt. Niceph. lib. 17. cap. 12. Procopius de bello Vandalico lib. 3. Paulus Diaconus lib. 16.

Iacobum Zebedæi tribus noctibus in forma ſplēdidiſſima appáruiſſe CAROLO Magno, cumq; hortatum eſſe, ut ſuam Hiſpaniam, in qua requieſcat, de manibus Saracenorum liberaret: ac promiſiſſe ei pro eo beneficio coronam ȩternā: Henricus Erphordienſis ex Turpino Remenſi epiſcopo refert, cap. 68.

Floriacenſis cœnobij monachi, de Normannorum in Galliā expeditione certiores facti, S. Benedicti corpus Aureliā deferunt, ubi tutius ipſi contra hoſtes erat receptaculum. Normanni autem aduenientes, Floriacenſe monaſterium deuaſtarunt, igneq; ſubiecto concremarunt. Nocte inſequēti D. Benedictus comiti SIGILLOSO, cui monaſterij illius cura & defenſio erat cōmiſſa, in ſomnis apparuit: eumq; grauiter, quòd nimirum ſua ope defuiſſet cœnobio cōtra Normannorum incurſiones, obiurgauit. Comes ſomno excuſſo, ſtatim arma capit: paruaq; manu coacta hoſtem præda onuſtum inſecutus, ad internecionem uſq; cecîdit: prædam & captiuos recepit. Robertus Gaguinus libro 5. de Geſtis Francorum.

Expeditionē HIEROSOLYMITANAM, quæ ſuſcepta fuit anno MXCI. ab Occidente Ortum uerſus tantis uolitarunt agminibus locuſtæ, ut ſolis radios, teſte Zonara, obſcurarint. Ex quarum putridis cadaueribus anno ſequenti peſtis ſecuta eſt admodum horribilis. Cranzius in Metrop. lib. 5. cap. 24. & Henricus Erphordienſis cap. 96. Cometæ duo. Nubes quoq; ſanguineæ tam ab Occidente quàm Oriente ſurgentes, ſibiq; inuicem in cœli centro occurrentes. Rurſum mediis ferè noctibus à Septentrione ignei exurgere ſplendores, plerunque etiam faculæ per aërem uolitantes, anno MXCVI, iuxta Sigebertū. A Suiggero presbytero, diei hora nona, duos in aëre concurrentes uiſos eſſe equites: quorum is qui cruce pugnare uidebatur, poſt longum certamē uictor extitit. A bubulcis noctu urbs magna, ad quam infinita hominum multitudo eques pedeſq; cōtenderit, ex nubibus emicare uiſa. Nonnulli homines crucis ſignaculū uel in frontibus, uel ueſtimentis, quo ſtigmate ad ſacrum incitabantur bellum, oſtendêre. Multi ſubita mentis mutatione compuncti, uel nocturnis edocti uiſionibus, poſthabita re familiari, bellum appetiuêre ſacrum. Vrſpergenſis. Bouem quendam ſuum paſtorem, ter humana uoce allocutum, ac ut Hieroſolymam breui à Chriſtianis capiendam iret, monuiſſe, in Hirſaugienſi Chronico Trithemius recitat.

Tartari ultra montem Belgian, mari interiecto, habitabant. CHANGIVS autem primus illorum Imperator equitem candidum, qui ſibi imperium prædixerat, in ſomnis iterum uidit, Voluntatē eſſe immortalis dei, ut monte Belgia tranſmiſſo, in Occidentem pergerent, & regna omnia ſibi ſubiicerent: quamprimū autem ad montem Belgian ueniſſent, qua parte mare montem alluit, deſcenderent, & in Orientē uerſis faciebus nouem ingeniculationibus Deum immortalem adorarent. Paruit Changius, & educto omni populo, tota nocte eum in orationibus perſeuerare coegit. Mane facto, mare per nouem pedes à monte receſſiſſe uidit, & illac per ſiccum traduxit uniuerſum exercitū per uaſtas ſolitudines in Aſiam. Haithonus Armenus in lib. de Tartaris.

SFORTIA Magnus agricola, cùm labore defatigatus domū rediret, duxq; Boldrinus milites cōſcriberet, anceps animi, an nomen quoq; ſuum daret, augurij captandi cauſa ligonem in uicinam quercum magna ui euibrauit. Qui cùm ramis hæſiſſet, nec quamuis ſaxis petitus locomoueri ampliùs poſſet: omen accepit, & ſacramento militari adſtrictus, prima militiæ rudimenta eo tyrocinio fecit, & ampliſſimi principatus fundamenta iecit. Iouius in eius uita.

## OCCIDERE.

Cicero cùm coniuratos in carcerem conieciſſet, & quid de iis ſtatueret dubitaret: in ſacris Bonæ Deæ, quæ domi ſuæ agebantur, FEMINIS oblatum fuit in ſolennibus oſtentum.

Ara

Ara cùm ignem iam appareret ſopitum, ex cinere & deuſtis corticibus ingentem & luculentam edidit flammam: quæ res alias defixit terrore. Verùm uirgines Veſtales uxori Ciceronis Terentiæ imperarunt, ad uirum properaret, moneretq; eum, conſilia ſua pro patriæ incolumitate ut exequeretur. Magnum ei à Deo adferri ad ſalutem & gloriam lumen. Terentia, quæ nec aliàs leni eſſet nec pauido ingenio, uerùm ambitioſo, magisq; ut ipſe refert Cicero, in conſilia, quæ de rep. haberet, inferret ſe, quàm ei participaret domeſtica: aperuit ei hæc, & in coniuratos incendit, Quintus itẽ eius frater, & in philoſophia ſocius P. Nigidius, cuius ferè grauiſſimis in negotiis publicis utebatur conſilio. Plutarchus in Cicerone.

CASSIVS Chærea Tribunus mil. cũ aliis quibuſdam contra Caligulam conſpirauit. Eo ingrediente curiam, uox cuiuſdam è turba audita eſt, iubens eum, diis iuuantibus, deſtinata perficere. Primò ſuſpicatus, rem ab aliquo è coniuratis proditam: tandem intellexit incitari ſe aut à quopiã conſcio, aut uoce dei, cui curæ ſint res mortalium. Itaq; tertio die Circenſium, Caium interfecerunt. Ioſephus lib. 19. c. 1.

### FVGERE, PATRIAM RELINQVERE.

IOSEPH θεοφόρος, cùm Herodes tyrannus occideret omnes infantes, admonitus eſt in ſomno per Domini angelum, ut filium & matrem eius in Aegyptum duceret, locum tutum ab Herodis tyrannide, dies noctesq; cogitantis, quo pacto Ieſum infantem & Iudæorum regem (iuxta Prophetarũ uaticinia & Dei promiſſiones factas) futurum interficeret. Matth. 2.

Cùm Xerxes Atticam inuaſiſſet, ATHENIENSES edictum propoſuere, ut, qua quiſq; ratione poſſet, ſeruaret ſuos. Athenis enim maximè infenſus erat Xerxes. Acceſſit prodigium. Ingens enim draco, arcis cuſtos, cui menſtrua libamina ex melle confecta proponere ſolebant, cùm ſuperiora ſemper depaſtus eſſet, ea tunc illibata reliquit: quaſi etiam deus ipſe ſedes ſuas relinquere uideretur. Herod. lib. 8.

Epidauri tyrannus PROCLES, cùm alios multos atrociter & ſcelerate trucidauit, tum Timarchum, quem Athenis cũ pecunia ad ſe uenientem excepit comiter, interemit, corpúſq; in ſportam coniectum demerſit in mare. Hæc clàm cæteris adminiſtro Cleandro tranſegit Aeginete. Pòſt rebus eius concuſſis, fratrem Delphos miſit Cleotimum, occultè de fuga & exilio percunctatum. Cui oraculũ Apollo dedit, Concedere ſe ei fugam & exilium, ubi ſportam iuſſerat hoſpiti Aeginetæ deponere, uel ubi cornu abiicit ceruus. Vt igitur intellexit tyrãnus iubere Apollinem, ut ſubmergeret ſe, aut in terra defoderet, quandoquidem defodiunt cerui & terra recondunt decidua cornua: moratus eſt aliquantiſper. Mox rebus ſuis prorſus labefactatis profugit. Quem Timarchi amici captum obtruncarunt, ac cadauer in pelagus profecerunt. Plut. de Pythiæ oraculis.

Anno eo, quo Scotorũ rex Donaldus turpiſſ. pacẽ ab Anglis & Britannis redemit, in Laudonia Scotorum infantem ſemeſtrem, MATREM clara uoce monuiſſe narrant, éam regionem tota cum domo ocyùs relinqueret, fore, ut hoſtes Laudoniam Scotis ademtam occuparent. H. Boeth. lib. 10.

### VRBEM CONDERE.

☞ *Vide Tit. Vrbis condendæ diuinatio. Illic Facti, hic Iuſſi diuinatio perpenditur.*

### VRBEM EXCINDERE.

☞ *Vide Tit. Vrbis excidij diuinatio quatenus euerti iubetur.*

Cùm urbem Romam graui obſidione cinxiſſet Alaricus, Gothorum dux, (quam fames dira ac peſtis ſecuta eſt) ferunt Italum Monachum Romam properaſſe, atq; ALARICVM hortatum fuiſſe, ut urbi parceret, Alaricum autem reſpondiſſe: Moliri ſe iſta non ex animi ſentẽtia, ſed urgeri à quodam continuè, qui ſibi præcipiat, ut Romam uaſtet. Socrates lib. 7. cap. 10. Sozomenus lib. 9. cap. 6.

### COLONIAM DEDVCERE.

☞ *Vide Titulum, Regionis occupandæ diuinatio.*

### DIGNITATEM CONFERRE.

Mieſco Polonorum dux ad Chriſtianiſmum conuerſus, legatos miſerat Romã pro regio diademate impetrando. Iámque corona parata erat, cùm Aſtricus Stephani Vngarorum regis legatus, impetrandæ apoſtolicæ benedictionis cauſa urbẽ ingreditur. Pp. BENEDICTVS ab angelo noctu monitus, deſtinatam Polonis coronam Vngaro tribuit, & præter coronæ decus, perpetuæ legationis apoſtolicæ munere cohoneſtauit, eiusq; ſignum, præferendæ crucis honorem, largitus eſt. Bonfinius lib. 1. Dec. 2.

VVIPERTVM ob magnæ uirtutis indolem needum profeſſum, necdum capitularem, feruntur aſſumſiſſe & elegiſſe fratres in epiſcopum Raceburgẽſem. Ipſemet Romam petiit, cùm etiam propter annos diſpenſatione eſſet opus: alioqui Bremenſis archiepiſcopus illum cõfirmaſſet. Pontifex adoleſcentiam eius contemnens, noluit annuere poſtulationi. At Vvipertus proxima nocte ita incanuit, ut poſtero die à pontifice non eſſe putaretur is, qui pridem confirmationẽ petiiſſet. Ergo iuſſit eum in epiſcopum conſecrari, quem euidenti ſigno Deus probaſſet. Cranz. lib. 9. Metrop. cap. 47.

### REDIRE IN PATRIAM.

IOSEPHVS poſt mortem Herodis crudeliſſimi tyranni, in ſomno uidit angelum Domini admonentem & iubentem, ut cum uxore & filio proficiſceretur ex Aegypto in Iudæã: mortuos n. iam eſſe, qui de Chriſti interitu cogitaſſent. In Iudeã reuerſus, cùm Archelaum Herodis tyranni filium, regẽ eſſe audiuiſſet, timebat. Verùm ſomnio animatus, profectus eſt in Galilæam, & habitauit in ciuitate Nazareth: ut impleretur Prophetæ uaticinium, Et Nazaræus uocabitur. Matth. 2.

PERTHARIS Arithperti regis filius, à Grimoaldo pulſi, dũ exul in Britanniã traiiceret, incerta uoce admonitus fuit, ut mortuo Grimoaldo ex phlebotomia, regnum paternum repeteret. Ergo in Italiam rediens tertio menſe poſt Grimoaldi mortem, regno Longobardorum ſine contentione potitus eſt. Platina in Dono.

D. Brigitta Romæ degens fertur CLEMENTI VI. denũciaſſe, ut Auinione ueniret Romã, eccleſiã reformaret. Monitus eſt & Auinione, uiſione cuiuſdam fratris Minoritæ, ſucceſſor eius Vrbanus V. qui biremes occultò parari iuſſerat, in portu Maſſilienſe, quòd ſi rediret, ut facturũ apparebat, Auinionem (nõ enim ſe ita eò conſerebat, quaſi manſurus in Italia) futurũ, ut fieret Ioſias, incipiens, & nõ perficiẽs, & daturus eſſet locum ſchiſmati proximo, in quo mille millia animarum perirent. Ergo Romam uenit, & oportunis locis palatia iuſſit extrui, pro æſtiuo tempore: pleraq; in eo ordinauit, quaſi ſtatim uenturus. At D. Brigitta, Romæ audit Mariam ſibi dicentẽ: Ecce papa redit Auinione, contra Dei uoluntatem: quod dũm fecerit, ſtatim morietur, rationem Deo redditurus. Hanc reuelationem ſcriptam manu fratris Alfonſi confeſſoris ſui, tradidit cuidã perferendã ad pontificem. Ille uelut aniles nænias contemſit. Sed ſtatim reuerſus Auinionem, obiit. Cranzius lib. 9. Metrop. c. 48.

Eadem monuit per literas GREGORIVM XI. Pp. niſi ueniret Romam cum humilitate, & paterna charitate, uiſurũ duriſſimum rerum ſuarum exitum. Ille non cõtemnens admonitionem, eandem per nunciũ conſuluit. Reſpõdit per ſchedam, manu Alfonſi monachi cõfeſſoris ſui, eamq; iuſſit geminari uno tenore: alteram cõſignari clauſam abbati, quẽ papa miſit in Italiam, alteram in cõſpectu abbatis legi, mox lectam in fruſta conſcindi, cum his uerbis: Quomodo papyrus conſcinditur, & ſpargitur per fruſtula, ita, niſi redeat Pp. in urbem, eccleſiæ Romanæ poſſeſſiones per Italiam tyrannorum uiribus diſſipabuntur. Motus néene fuerit pontifex, incertum eſt: illud tamen certum eſt, eum reduxiſſe curiam in urbem. Cranzius lib. 9. Metrop. c. 51.

### AEDIFICARE.

☞ *Vide Tit. Vrbis condendæ, Monaſterii uel Templi condendi diuinatio.*

NOACHO Dominus pręcepit fabricam arcę, ingredi & egredi iuſſit, tandem benedixit. Gen. 6. & ſeq.

### LIBERARE CAPTIVOS.

Ariſtomenes Meſſenius, induciis cum Lacedæmoniis factis, ſecuriùs uagatus, capitur à ſeptem Cretenſibus ſagittariis, deductusq; captiuus in tugurium quoddam Meſſenici agri, à VIRGINE parente orba, liberatus eſt. Hęc enim ſuperiore nocte, per ſomnium uiſa fuerat ſibi uidere, pertrahi illuc à lupis, leonem uinctum, ereptis unguibus: illum ſe è uinculis exemiſſe & cum eo tanquam cum uiro congreſſam, ungues illi dediſſe, nec multo pòſt à leone lupos laniatos. Deducto itaq; huc Ariſtomene, agnouit puella expreſſam uiri cõeuentu ſomnij imaginẽ: auditoq; ex matre uiri nomine, cõfirmauit ſe. Vinum itaq; largiùs Cretẽſibus fudit. Qui cùm uinolenti omnes ſe abieciſſent, obruto grauiori ſomno pugiunculum eripuit, eo uincula ipſa abſcidit, inſidiatoresq; ſuos iugulauit Ariſtomenes. Virginem illam pro nauata ſaluti ſuæ opera, filio ſuo Gorgo uxorem dedit. Pauſanias in Meſſenicis.

Stephano Hungariæ rege, quinto & quadrageſimo à morte eius anno inter diuos relato, omnes Hungariæ principes cum LADISLAO rege Albam conuenere. Celebratis inferiis, ad ſancti regis monumentum peruentum eſt: ſed lapis nulla ui loco moueri potuit. Virgo quædã, Charitis nomine, quæ haud procul à baſilica in Seruatoris æde ſanctiſſimè uiuebat, Ladiſlaum admonuit, lapidem tumulo dimoueri priùs non poſſe, quàm frater eius Salomon, quẽ in uincula coniecerat, liberaretur. Rex Salomonẽ è uinculis continuò expediri iuſſit: tridui ieiunium iterum indixit: tertio die lapis facillimè ablatus eſt. Bonfinius lib. 1. Dec. 2.



## DIVINATIO PROHIBENS ALIQVID FIERI, SVSCIPERE, PERFICERE.

### IN GENERE.

SOCRATES de genio ſuo ad Theagem, Demòdócum, aliósque multos dicebat, perſæpè ſanctam pompæ uocem ſibi obtingere, quæ eius quod facturus eſſet dehortationem & intermiſſionem ſignificaret, adhortaretur nunquam. Atq; etiam ſi quis amicorũ de aliqua re uerba faciat, & illa uox audiatur, rurſus à propoſito reuocat, ſuiq; conſilij participem facit. Teſtem huius rei citabat Charmidem, Glauconis filiũ. Nam cùm ſe Charmides pręparare uellet ad ludos Nemeæ, incipiẽte eo loq ad Socratẽ, hæc uox audita eſt: & Socrates Charmidem dehortatus eſt ab inſtituto: qui cũ nollet obſequi, dignas temeritatis dedit pœnas. Aelianus li. 8.

### CONTEMPLATIONEM, STVDIA.

ESDRAS propheta, Babylone exul, cùm cauſam inueſtigaret, Cur Deus Iudæos, populũ electum, ſeruituti addixiſſet? miſſus fuit ad eum angelus Vriel, qui ei tres quæſtiones enucleandas propoſuit, Examina mihi põdus ignis, aut uenti metire flatum, aut præteritã diem reuoca. At Eſdras, Nemo hæc mortalium nouit aut explicare poteſt. Tum Vriel, Quòd ſi quæ tua ſunt, & ſub oculos tuos cadunt, tecumq; adoleſcunt, ignoras, quomodo Dei opt. max. rationes aſſequeris? Eſdræ lib. 4. c. 4.

D. AVGVSTINVS ineffabile myſterium Trinitatis intellectu ſui acumine comprehendere ſtudens, uidit in maris litore ſcita forma puellum, cochleari aquam maris in ſcrobem effoſſum transfundentem. Et quo ſucceſſu, mi fili, inquit, hũc laborem te ſubire putas? Tum ille, Tu uerò, mi pater, reſpõdit, maiore fortaſſis conatu diuinitatis intelligentiã aggrederis, at ſucceſſu non eris felicior. Et hoc dicto euanuit.

D. HIERONYMVS ad Euſtochium de Cuſt. uirgin. ſic de ſeipſo ſcribit: In media fermè quadrageſima medullis infuſa febris, corpus inuaſit exhauſtum, & ſine ulla requie (quod dictu quoq; incredibile ſit) ſic infelicia membra depaſta eſt, ut oſſibus uix hærerem. Interim parantur exequię, & uitalis animæ calor, toto frigeſcente iam corpore, in ſolo tantũ tepẽte pectuſculo palpitabat: cùm ſubitò raptus in ſpiritu ad tribunal iudicis pertrahor, ubi tantũ luminis, & tantũ erat ex circumſtantium claritate fulgoris, ut proiectus in terrã, ſurſum aſpicere non auderem. Interrogatus de cõditione; Chriſtianum me eſſe reſpondi. Et ille, qui præſidebat, Mentiris (ait) Ciceronianus es, non Chriſtianus. Vbi enim theſaurus tuus, ibi & cor tuum. Illicò obmutui, & inter uerbera (nam cædi me iuſſerat) conſcientiæ magis igne torquebar, illum mecum uerſiculum reputans: In inferno autem quis confitebitur tibi? Clamare autem cœpi & eiulans dicere: Miſerere mei domine, miſerere mei. Hæc uox inter flagella reſonabat. Tandem ad præſidentis genua prouoluti qui aſtiterant, precabantur, ut ueniam tribueret adoleſcentię, & errori locum pœnitentiæ commodaret: exacturus deinde cruciatum, ſi gentilium literarum libros aliquando legiſſẽ. Ego, qui in tanto conſtrictus articulo, uellem etiam maiora promittere: deierare cœpi, & nomen eius obteſtans dicere: Domine, ſi unquam habuero codices ſeculares, ſi legero, te negaui. In hæc ſacramenti uerba dimiſſus, reuertor ad ſuperos: & mirantibus cunctis, oculos aperio, tanto lacrymarum imbre perfuſos, ut etiam incredulis fidem facerem ex dolore.

### SACRORVM ADMINISTRATIONEM.

RHODII, Lindiæ Mineruæ ſacrificantes, quotidie in templo conuiuia agitabant. Neq; uerò mos erat inferre matulam. Quod cùm oraculum eis conceſſiſſet: rurſus ſciſcitati ſunt, Aeneámne an fictilem? Tum Deus iratus, reſpõdit, Neutrã. Hinc prouerbium, Ῥοδίων χρησμός, conuenit in eos, qui curioſius percontantur. Suidas.

### CONDEMNATIONEM.

VALENS Imp. cùm Baſilio Cæſarienſi Epiſcopo nequaquã perſuadere poſſet, ut parti Arianorum accederet, perſcribi iuſſit exilij legem. Cui cùm ſubſcribere ipſe uellet, calamus ſubito & miraculoſo modo contritus, nullius eum permiſit ſignare literæ apiculum. Accidit id etiam altero & tertio calamo: ubi dum nihilominus legem ſubſcriptione confirmare nititur, dextram concuti ſenſit, & tremere. Ibiq; demũ exhorreſcens, chartam diſcidit. Theodoretus lib. 4. cap. 19.

### CAEDEM.

ANASTASIVS Imp. paulò ante obitum, nunciatis ſibi inſidiis, multos comprehenderat, inter alios Iuſtinum & Iuſtinianum, qui pòſt rerum potiti ſunt, in animo habẽs eos occidere. Sed deterritus eſt ſomnio, cùm uir terribilis ei adſtitiſſe uiſus eſſet ac dicere: Iuſtino & Iuſtiniano ne quid mali feceris. nam uterq; ſuo tempore Deo inſeruiet. Zonaras.

MATER Leonis Armenij Imp. Iconomachi imaginata fuerat, ſe, cùm in ædem Deiparæ Blachernenſem crebrò commearet, Virgini cuidam occurrere albatis uiris ſtipatæ: porrò eãdem ſe uidere ſanguine repletam: & uirginem iſtam cuidã albatorum mandare, ut ollam ſanguine impleret, matriq; Leonis bibendum porrigeret: ſe autem multorum annorũ uiduitatem prætendere, cuius gratia neq; carnes neq; quicquam ſanguine præditum guſtaſſet: ideoq; olla etiam hac abſtinere. Tum Virginem iratam dicere: Qui ergo filius tuus non deſinit ſe multo cruore iconolatrarum opplere, eóque me & filium Deum meum irritare? Cedrenus.

### SEPVLTVRAM.

DAMASCIVS Syrus, Simplicius ex Sicilia, & alij docti uiri conuenerant, ut in Perſiam ad uidendum Coſroem regem, cuius uirtutem prædicari audierant, unà abirent. Cùm domum reuerterentur, in reditu inuenerunt cadauer inhumatum in agro. Inhumanitatem Perſarum deteſtati, illud ſepelierunt. Noctu unus quidam ex eo comitatu, obuerſari ſibi ſpeciem uidit hominis ſenis, & uenerandi, dicentis: Noli inhumatum corpus humare, permitte canibus lacerandũ. Terra uniuerſorum mater, matris corruptorem hominem non ſuſcipit. Ille expergefactus, aliis ſomnium expoſuit. Itaque mane regreſſi in illum agrum, uiderunt corpus nudum in campi ſuperficie iacere. Agathius lib. 2. Hoc uidetur exprimere illud quod eſt in Græcorum Epigrammatis:

μὴ θάψης τὸν ἄθαπτον, ἔα κυσὶ κύρμα γενέσθαι·
γῆ πάντων μήτηρ μητροφθόρον οὐ δέχετ' ἄνδρα.

### LIBERORVM PROCREATIONEM, CONIVGIVM.

LAIO Corinthiorum regi de prole conſulenti, reſpondit Apollo apud Eurip. Phœniſſis:

Μὴ σπεῖρε τέκνων ἄλοκα, δαιμόνων βίᾳ.
εἰ γὰρ τεκνώσεις παῖδ', ἀποκτενεῖ σ' ὁ φύς,
καὶ πᾶς σὸς οἶκος βήσεται δι' αἵματος.

Ne ſerito liberorum ſulcum, diis inuitis. Si enim gignes filium, interficiet te ille, qui ſatus fuerit, & omnis tua domus peribit ſanguine.

### LVCTVM.

Mortuo Vicelino epiſcopo Aldenburgenſe, Vandalorum apoſtolo, Falderenſis cœnobij præpoſitus EPPO, inconſolabiliter lugebat ſancti patris obitum. Quod quum multis diebus ageret, Vicelinus uirgini cuidam caſtæ & ſimplici in ſomnis aſtitit, dicens, Dic fratri noſtro Epponi, ut ceſſet ã fletu: quia fletibus eius condoleo: & lacrymas ipſius in ueſtibus meis porto. Dixit, & oſtendit ei ueſtem niuei candoris totam lacrymis madentem. Cranzius lib. 4. Vandal. c. 19.

### PEREGRINATIONEM, ITER.

Tres illi, qui ab Oriente uenerunt MAGI, ut Chriſtum nuper natum adorarent, intempeſta nocte moniti, ne ad Herodẽ reuerterentur, quem Hieroſolymis cõuenerant: rati (quod erat) cœli numen intereſſe iis, quæ fierent, ab hoſpitali urbẽ diuerſi, domum abierunt. Sabellicus lib. 9. c. 5.

SOCRATES ad Andocydis domum pergens, ſimul percunctabatur & extutiebat cum ioco Euthyphronem uatem. Subitò autem reſtitit, commotusq; longo tempore attendit, mox reuertens per arculariorum plateam ibat, ac ſodales, qui anteceſſerant, iuſſit reuocari, obuiam ſibi factum dæmonium, atq; illa uia ne contenderet memorans prohibuiſſe. Ita cum illo regrediebantur pleriq;. Iuuenes nonnulli rectã pergentes, quò ſcilicet Socratis dæmonium deprehenderent, traxerunt ſecum tibicinem Charillum. Concedentibus per ſtatuariorum uicum prætèr forum iudiciale, grex porcorum cœno merſorum ac ſe inuicem ob multitudinẽ impellentium occurſauit. Cùm diuerticulum non eſſet, alios impreſſione data ſtrauerunt, alios conſpurcauerũt. Venit ergo Charillus domum cruribus & ueſtibus luto opertis: ita ut Socratis dæmonij cum riſu recordarentur atq; illius prædictionis, mirantes, an nunquam eum deſereret, neque curam eius abiiceret deus. Plut. de Soc. dæm.

IDEM Pyrilampi Antiphontis F. in fuga ad Delium ſuaſerat, uti ſe ſequeretur, nihil mali paſſurus cum multis aliis. At ij, cùm alia, quàm qua Socrates ducebat, uia è prælio deflexiſſent, magna ex parte cæſi, ipſe Pyrilampes captus fuit à Thebanis.

banis. Ex eo tempore multum celebrari cepit Socratis dæmonium. Ibidem.

METELLVS pontifex max. cùm Tuſculanum peteret, corui duo in os eius aduerſum, ueluti iter impedientes, aduolauerunt: uixq; effecerunt, ut domum rediret. Sequenti nocte ædes Veſtæ arſit. Quo incendio Metellus inter ipſos ignes raptum Palladium incolume ſeruauit. Dionyſ. Halicar. lib. 2. Plin. lib. 7. cap. 43. & lib. 6. Val. Max. lib. 1. cap. 4. Sabellicus lib. 5. cap. 1. Exemplorum.

## EXPEDITIONEM.

*Conſule Tit. Expeditionis infelicis diuinatio. Illic Cladis, hic Dehortationis habetur ratio.*

Nauigaturis in Siciliã ATHENIENSIBVS, inter cętera prodigia cladis, in duodecim deorum aram quidã repentè inſiliit. Inde inſidens ei cruribus utrinq; demiſſis deſecuit lapide pudenda ſua. Erat oraculum, quod Mineruæ ſacerdotem adduci Clazomene (alibi Erythris) Athenas præcipiebat, quam acciuerũt. Ea Heſychia, id eſt, Quies uocabatur. Atque id haud dubiè fuit, quod ciuitatem admonuit deus, in præſentia ut quietem agerent. Plutarchus in Nicia. & de Pythiæ oraculis.

C. HOSTILIVS Mancinus conſul, in Hiſpaniam profecturus, cùm ab Herculis portu, quò pedibus peruenerat, nauẽ conſcenderet, talis uox ſine ullo auctore ad aures eius peruenit: Mancine mane. Qua territus, cùm itinere conuerſo Genuam petiſſet, & ibi ſcapham eſſet ingreſſus, anguis eximiæ magnitudinis uiſus; è conſpectu abiit. A Numantinis uictus, turpem deditionem fecit. Val. Max. lib. 1. c. 6.

Britannorum rex CADOVALLADRVS, Angloſaxonum armis, fame & peſte preſſus, cum bene magno ſuorum numero in Britanniam continentis traiecit: ubi ſtatim pòſt conflato non mediocri exercitu, ac certior factus peſtilentiam de inſula iam abiiſſe, ad reditũ ſe parabat: cùm imago quędam humana auguſtior, per quietem ſic ei fata eſſe dicitur: Tibi dico, rex, deſine arma mouere, quippe quibus ne quidem potes fato reſiſtere. Caſura eſt prorſus patria in hoſtis poteſtatem, quam tua longo pòſt tempore progenies recuperabit. Mirum eſt, quantum fidei iis uocibus Cadoualladrus habuerit: qui uidens iam argentum, ut aiunt, uerſum eſſe in ſcoriam, abiectis confeſtim armis, iuſſit Britannos, quos in Gallias duxerat, domum redire, ipſe autem Romã profectus eſt, ubi ſanctiſſimè uiuendi finem habuit. Fuit ille annus cùm Cadoualladrus regnare cœperat XII, ſalutis uerò humanę DC. Tum demum Angloſaxones totius inſulæ, præter Scotiam, & loca quæ Picti habebant, imperio potiti, eam inter ſe partiti ſunt. Polyd. lib. 3.

## AVXILIARIOS ADHIBERE.

Cùm CARES bellum aduerſus quoſdam molirentur, ſtatuiſſentq; eius gentis auxiliis uti, quæ tum eſſet inter finitimos pollentiſſima, quidam Mileſios accerſendos cenſuerunt, alij cum Perſis res componendas. Itaq; conſultus hac de re Apollo, reſpondit:

Πάλαι ποτ' ἦσαν ἄλκιμοι Μιλήσιοι. id eſt,

Quondam fuère ſtrenui Mileſij.

Diſſipato per omnem Aſiam oraculo, Mileſij propemodũ omnes in prælio cum Perſis collato cæſi ſunt. Itaq; oraculum cum riſu in prouerbium abiit. Eraſmus in Adagiis.

## COLONIAE DEDVCTIONEM.

In LIBYA cùm colonia duceretur, lupos metas, quibus agger deſignabatur, mordicùs diſſipaſſe ferunt. Hoc tanquã diro euentu deterriti, coloniam non deduxerunt. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 13.

## TRIBVTORVM EXACTIONEM.

EDVARDVS III. Anglorum rex, cùm exactores tributi populo impoſiti aliquando ingentem aceruum pecunię ex eo tributo collocatæ, delectandi ipſius gratia, coràm adduxiſſent: ille ſubitò dæmonem circa ipſum aceruum ludentem uidere uiſus eſt, & ob id huiuſmodi pecuniam, ut rem funeſtam abhorrens, illicò auferri ab oculis, reſtituiq; populo iuſſit. Polydorus lib. 8.

## MAGISTRATVS ELECTIONEM.

Cùm SYRACVSANI recepta libertate à Dione, ab illius æmulis incitati, nouos magiſtratus creare uellent, concionẽ ad nouos ſubrogandos magiſtratus habentibus, media æſtate enormia tonitrua & terra monſtra oblata ſunt, quæ dies perpetuos quindecim auerterunt populum & religione prohibuerunt alios prætores creare. Cùm inde obſeruata ſtabili ſerenitate peragerent concionatores comitia: bos domitus non inſolens neq; inſuetus multitudinis, ſed fortè tunc in rectorem irritatus, iugum reliquit, concitatoq; curſu contendit ad theatrum, populumq; illicò excitauit, atq; effusè fugientem diſiecit: inde in aliam ciuitatis partem, quantam pòſt occupauerunt hoſtes, petulcus & euertẽs in quæ incidebat, incurrit. At nulla tamen horum habita Syracuſani ratione, uigintiquinque prætores creauerũt, & Dionem urbe eiecerunt. Non multo pòſt tamen clãde accepta à tyranno, eum reuocauerunt. Plut. in Dione.

BARDANIVM Oriẽtis ducem de imperio cogitantem tempore Nicephori Imp. & conſulentem ſe, Monachus futurorum pręſcius, ne imperium affectaret, hortatus eſt: futurũ aliàs, ut & opibus & oculis ſuis ſpoliaretur. Cedrenus & Cuſpinianus.

## OPPVGNATIONEM.

CLEOMENI regi Lacedæmoniorum, expugnatis Athenis ad occupandam arcem aſcendenti, & ad dei penetrale conſulendi gratia eunti, exſurgens è ſella ſacerdos, antequam ille ualuas referaret, Lacedæmonie, inquit, hoſpes, rurſus redeas, néue templum introeas. Non enim Doribus huc introire fas eſt. Cui Cleomenes: Ego, inqt, mulier Dores nõ ſum, ſed Achæus. Itaq; in conatu pergens, fruſtratus tamen fuit ſpe ſua. Herodotus lib. 5.

## EVERSIONEM, EXCIDIVM, DIreptionem, Depopulationem VRBIS.

Cũ ALEXANDER Magnus Hieroſolymis cum exercitu appropinquaret, infeſto multis de cauſis animo, in magnum metum illius urbis populum coniecerat. Quamobrem Iaddus pontifex poſt longas ad Deum orationes, cùm in ſomnum incidiſſet, Deum uidit dormiẽti ſibi dicentem: Ne formidaret, ſed Alexandro, põtificia amictus ueſte ſe offerret. Credidit Iaddus ſomnio, in eumq; morem, qui prædictus erat, ornatus ipſe cum aliis ſacerdotib. ſtolatis, poſtero die Alexandro occurrit, ut uenientem exciperet. Quem Alexander intuitus, ex equo deſcendit: & humi genu innixus, eum adorauit, petitaq; omnia conceſſit. Quod cùm Alexãdri duces aliiq; mirarentur, & illud Alexander animaduertiſſet, dixit: Pridie eius diei, Deum in ſomnis ſe uidiſſe eo habitu, quo Iaddum uiderat amictum, grauiter uitæ eius comminantem, ſi quid Iudęos offendiſſet. Cui ſomnio cùm fidem non haberet, Iaddo conſpecto in ea ueſte, qua amictã Dei effigiem uiderat, Deum ſe, & non pontificem coluiſſe. Mirũ profectò, duorum diuerſorum hominum ſomnia ita conueniſſe. Fulgoſus lib. 1. c. 5.

Capta Tyana urbe Aſiæ, quæ rebellauerat, AVRELIANVS Imperator, dum ſolus in tentorio irarũ plenus de euertenda cogitaret, coràm oblatum ſibi non ſine magno horrore Apollonium Tyaneum philoſophũ uidit, qui diu antè mortuus erat, ſubmonentem: Aureliane, ſi cupis uincere, nil eſt quod de ciuium meorum nece cogites: Aureliane, ſi imperare uis, à cruore innocentium abſtine: Aureliane, clemẽter te geras, ſi uiciſſe cupis. Cælius l. 17. c. 13. A. L. ex Fl. Vopiſco.

ATILA Hunnorum rex uaſtans Italiam, cùm Romam inuadere conſtituiſſet, à Leone papa, quem ad eum reconciliandum Valẽtinianus Auguſtus ablegauerat, placatus eſt: Paulus Diaconus & Marianus aiunt interrogatum à ſuis, quãobrem admonitionibus & petitionibus ſacerdotis paruiſſet? reſpondiſſe: Nihil ſe quidem commotum ſacerdotis perſona, quem ne honore quidem aliquo dignaturus fuiſſet: ſed uidiſſe ſe propè illum aſtantem uirum ſenem habitu ſacerdotali, forma auguſta uenerabilem, gladio euaginato mortem minitantem, niſi ad omnia quæ pontifex peteret, fuiſſet obſecutus. Naucleus generatione decimaſexta: Sigebertus anno Chriſti 454. Bonfinius lib. 7. Decad. 1.

CONRADO II. Cæſare bellis diuerſis diſtento, Longobardi facta conſpiratione iurarunt, ſe nullo domino niſi ad nutum ſuum omnia gerenti obtemperaturos. Ad hos comprimendos Cæſar Mediolanum, cuius epiſcopus primas ferè tenebat, obſidet. Verùm cùm inter celebrationem Miſſę fulgura & tonitrua ſtupenda fuiſſent exorta, & Bruno Herbipolenſis epiſcopus ac alij, Ambroſium atrocia Cæſari minitantem in ea aëris intemperie ſibi apparuiſſe dicerent, combuſtis ſuburbiis Imperator receſſit, anno Domini 1037. iuxta Contractum: qui Mediolanenſem fuga elapſum rebellaſſe Imperatori, addit. Annum 1039 Sigebertus habet. Sigonius lib. 8. regni Ital.

COLOMANNVS Vngarorum rex Iaderam Dalmatiæ urbẽ propter frequentes defectiones incẽdio perdere ſtatuerat. In ſomnis ei D. Nicolaus Iadrenſium olim epiſcopus apparuit, eumq; ob conceptũ animo facinus crinibus correptũ, aureo flagello miſerrimè cecidit, ita ut expergiſcẽs uibices in corpore uideret & ſentiret. Proinde Iaderam licet nouarum rerum cupidam, ſuis moribus uiuere permiſit. Bonfin. lib. 5. Decad. 2.

## TEMPLI, ORATORII.

*Conſule Tit. Sacrilegorum, quatenus diuinitùs coercentur, & à facinore deterrentur.*

HELIO-



HELIODORO templum Hieroſolymitanum ſpoliaturo & direpturo, eques terribilis apparuit, & deterruit. Lib. ſecundo Machab. 3.

HANNIBAL dux Carthaginenſium, in templo Iunonis Lucinæ repertam columnam auream aſportare decreuerat. Incertus autem, an ſolida ex auro, an ſuperficietenus inaurata eſſet, terebrando tentauit: & certior factus eſſe aureã totam, in propoſito rapiendi firmatus erat. Cui inter ſomniũ Iunonis ſpecies adeſſe uiſa, ut auaris & ſacrilegis cœptis abſiſteret, monuit: minata, ſi pergeret, ſe quoq; illum uno quo ſolum uideret, lumine priuaturum. Quo ſomnio dux alioquin ferox, motus nihil loco mouere auſus, ex eo ipſo auro, quod ex foramine, dum tentaretur, exciderat, buculã fieri, & ſupremæ columnæ imponi curauit. Petrarcha.

Cùm Tarſi columnas Aeſculapij, à ſacerdote Chriſtiano ædificio oratorij inſertas, permiſſu Iuliani ETHNICI repeterent, euulſere quidem illas è cõtignatione, & ad ianuas aduoluerunt: ſed ulteriùs promouere nequiuere, req; infecta diſceſſere. At poſt mortem Iuliani ab epiſcopo Aegæ, oppidi Ciliciæ, leui opera in ſuum locum reſtitutæ fuere. Zonaras.

In Hyrcaniæ urbe Samarcanda Chriſtiani uolebant templum auguſtiſſ. D. Ioanni Baptiſtę extruere, cuius fornix unica columna in medio poſita ſuſtentaretur. Coacti ergo ſunt ISMAELITÆ columnã, quam ad manus habebãt, Chriſtianis concedere. Paulo pòſt cùm res Chriſtianorum attritę eſſent, Iſmaelitæ à Chriſtianis columnam ſuam repetiuerũt, ſpe deſtruendi & euertendi templi. Chriſtianis uerò ad preces conuerſis, fornix in ſublime eleuata, columnam ſecum pluſquàm pedali altitudine à ſua baſi traxit: atq; ita ſuſpenſam retinuit, ut hoc miraculo plurimi ad fidem Chriſti conuerſi ſint. Gul. Poſtellus in compendio Coſmographiæ, ex M. Pauli Veneti lib. 1. c. 39. de Regibus Orientalibus.

## EPISCOPATVS.

Brunonis Auguſtani epiſcopi hortatu, CONRADVS II. Imperator Bambergenſem epiſcopatum tollere, & dimidiam partem Auguſtano dare conabatur. Nocte intempeſta Henricum II. Imp. barba ſemieuulſa ſquallidum ſibi in ſomnis obuerſantem uidit, cauſamq; tantæ calamitatis exquirens, truculenta uoce intonantem audiuit: Tu, ait, hæc feciſti, qui me & ſanctos Dei, quos rebus à Deo mihi conceſſis dotaui, ſpoliare cõſtituiſti. Caue iam ulterius ab hac temeritate, ne pœnam luas. Ille expergefactus, tanto horrore correptus eſt, ut nec de lecto ſurgere, nec pedem poſſet quoquam mouere. Cumq; rogaretur à Brunone & regina matre, ut in lecto ad conuentum deportari ſe pateretur, quò promiſſa perficerentur: ſe in Deum & ſanctos eius, & in fratrem ſuũ peccaſſe, proclamauit. Vrſpergenſis. Cranz. lib. 4. Metrop. c. 10.

## AGRORVM.

DAVID Bruſius Scotorum rex, cùm quartò Angliam ferro igniq; uaſtaret, in ſomno monitus eſt, ut ab agris diui Cuthberti abſtineret. Sed cùm uana eſſe ſomnia diceret, nulli agro aut uillæ pepercit. Peruentum tandem eſt cruentiſſima deuaſtatione in Dunelmiam, cui D. Cuthbertus præſidere dicitur, eamq; omnibus & fortunis & habitatoribus exhauſit: caſtellum quoq; Lidaldail ui captum diruit. Occurrit illi Northumbriæ Comes ab Eduardo III. miſſus. Inito prælio uicti Scoti, rex ipſe captus eſt. H. Boethius lib. 15.

## EXTRVCTIONEM, DEDICATIONEM Templi.

IVDÆI cùm ſub Iuliano apoſtata templum Hieroſolymitanum reſtaurarent, terręmotu maximo & igne cœleſti ac infernali fundamenta diſiecta, & operæ conſumtæ fuerunt. Nicephorus lib. 10. cap. 32. & 33.

D. Dionyſij fanum à Dagoberto rege extructum cùm epiſcopi dedicare pararent, nocte ea quæ præceſſit, LEPROSVS Chriſtum ipſummet dedicantẽ uidit, hoc ipſum argumento lepræ ablatæ & in parietem proximum affixę, regi & proceribus indicare iuſſus. Gaguinus.

Erexit Tonanti Ioui ædem in parte Capitolij Cæſar AVGVSTVS, quam Cantabrico bello uouerat: dedicatamq; quotidie frequentabat. Viſus itaq; eſt ipſi per ſomnium Iupiter Capitolinus queri, ſibi cultores abduci: ſeq; reſpõdiſſe, Tonantem pro ianitore ei appoſitum: ac mox tintinnabulis faſtigium ædis redimiuit, quòd ea ferè tunc ianuis dependebant. Sabellicus lib. 9. cap. 5.

IVLIANVS Apoſtata, quum Hieroſolymam perueniſſet, templiq; ueſtigia cerneret, quod Titus ſupremo urbis excidio ſolo æquarat: in contemtum religionis Chriſtianæ Antiocheno Philippo mandauit, ut loco perpurgato fundamẽta templi iaceret, quod cum priore illo magnificentia amplitudineq; certaret. Iacta ergo quàm primùm ſunt fundamẽta. Cæterùm quum ſibi Iulianus & Iudæi mirum in modũ, ob tam præclarum principium placerent, repentè terræ mugitus exauditus, faceſq; ardentes intra ipſa fundamẽta ſtatim exortę, omnia uno momento diſſiparunt: fabri cum ferramentis igne abſumti, cruces item in multorum ueſtibus inſedere, neq; ulla ratione deleri potuere. Egnat. lib. 1. c. 6.

## PERFOSSIONEM ISTHMI.

CNIDII Iſthmum quinq; ſtadiorum perfodere cogitarunt, ut ſuam ditionem in formam inſulæ redigerent, ne ab Harpago Cyri Perſarum regis duce ſubigerentur. Id iam multa manu conantibus, accidit, ut cùm alias corporis partes, tũ præcipuè oculos petra infeſtaret. Eius rei cauſa Delphos miſerunt. Pythia ita reſpondit:

Ἰσθμὸν δὲ μὴ πυργοῦτε, μηδ' ὀρύσσετε·
Ζεὺς γάρ κ' ἔθηκε νῆσον, εἴ κ' ἐβούλετο.

Eo reſponſo accepto, ab incepto deſtiterunt, & Harpago ſeſe dediderunt. Herod. lib. 1.

NERONIS principatu, dum Iſthmum Peloponneſi perfoderet, ſanguis è terra erupit, fluuij ſanguine fluxerũt, Oceanus inter Britanniam & Galliam ſanguine totus inundauit. Eodemq; anno in Britannia duæ urbes expugnatæ, & 80 millia Romanorum ciuium & ſociorũ peremta. Dion, Sueton.

## TROPHAEI ERECTIONEM.

CARANVS Macedonum rex, deuicto Ciſſeo rege, cùm trophæum poſuiſſet, noctu ueniens leo, illud euertit & diſiecit. Inde uelut fœdi oſtenti maliq; ominis, uetitum eſt, ne in poſterum reges Macedonum quæſitis uictoriis trophæa ponerent. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 22.

# PRÆDICTIONES, VATICINIA, ORACVLA FALSA ET MENDACIA.

*Conſiderantur Prophetæ partim reſpectu Efficientis, & ſic alij Diuini ſunt, alij Dæmoniaci, de quibus in præcedentibus, partim reſpectu Finis, ſiue euentus: & ſic alij Veri ſunt, alij Falſi. Diuinorum uatum perpetuum eſt: uera prædicere, quandoquidem à Deo ueritatis fonte ſua depromunt oracula: Dæmoniacorum, nunc uera, nunc falſa, imitantium hoc ipſo malorum ſpirituum naturam; qui modò prædictione ueraci ad idololatriam, ſuperſtitionem, improbitatem quamuis aliam ceu hamo ineſcatos mortales traducere: modò falſa deceptos, in grauiſſimas calamitates præcipites agere ſtudent, ea tamen calliditate, ut obſcuritate & ambiguitate dictorum, hominum mentes ſuſpendant, ſuæq; ignorantiæ latebram quærant. De quibus hoc loco.*

Legimus fuiſſe PSEVDOPROPHETAS in Iſrael, qui propter dona pacem, quæ eis data non erat, prædicabant: & ſi quis munera non dediſſet, quamuis ſanctus eſſet, iram Dei nunciarent illi eſſe uenturam. Hieronymus libro 1. in Micheam, capite 3.

ACHABVS Coliæ, & SEDECIAS Maaſiæ F. cum Iechonia rege Babylonem abducti, populo perſuadebant, liberationem non procul abeſſe. Eos Babyloniæ rex propter flagitia igni torruit, cùm id ipſis Hieremias uates literis Hieroſolymam miſſis prædixiſſet. SEMEIAS quoque Nehelamita uates, indignè ferens Hieremiam literis ſcriptis prædixiſſe, LXX annis captiuitatem duraturam, è Babylone Hieroſolymam ſcripſit, & Hieremiam accuſauit. At ei uiciſſim Domini iuſſu Hieremias prædixit generis ſui interitum. Hieremiæ 29.

ANANIAS Azuris F. Gabaonita, Hieremia propheta excidiũ Sedeciæ regi minitante, contraria omnia uaticinatus eſt, & poſt biennium Iechoniam regem cum exulibus è Babylone reuerſurum. Hieremias uerò ei mortem eodem anno inſtantem ob mendacia prædixit. Et uix exactis duob. menſibus mortuus eſt. Hieremiæ 28.

Cùm tota gens Iudæorum fidem ſuam iureiurando obligaſſet regi Herodi & Cæſari, ſoli PHARISÆI non iurauerũt: excedentes ſex milium numerum. Quibus hoc nomine à rege multatis, Pheroræ Herodis fratris uxor pro eis multam perſoluit. Cui reponentes gratiam, quoniam credebantur futura præſcire ex dei colloquiis, prędicebant, decretum eſſe deo, regnum ablatum ab Herode & eius progenie, transferre in ipſam & maritum Pheroram ac cõmunes liberos. Quod poſteaquam regi innotuit, quòd aulicorum quoſdã ſolicitarent muneribus atq; corrumperent, Phariſæorũ aliquot deprehẽſos interfecit, præcipuos auctores huius conſilij, cumq; his Bagoam eunuchum, & ſuas delicias Carũ, formæ gratia ſibi commendatum: & præter hos quoſcun-

que è domeſtica familia cum Phariſæis conſpiraſſe ipſorũ indicio compererat. Ioſephus lib.17.cap.3.

QVIDAM conſultus de eo, qui aduerſa laborabat ualetudine, fortè fortuna conſpexit aſinum ſurgentẽ à lapſu, ſimúlque alium quendam audiuit dicentem, βλέπε πῶς ὄνος ὢν ἀνέστη. id eſt, Vide quo pacto aſinus cùm ſit, ſurrexit. Id ominis arripiens ille, protinus reſpõdit, fore ut ualetudinarius ille reualeſceret. Hoc in prouerbium abiit de ſuperſtitioſa diuinatione apud Ariſtophanem in Auibus. Eraſmus.

Spartani cùm Delphos profecti eſſent, conſulturi oraculũ, an eſſet Demaratus Ariſtonis filius, nécne? Cleomenes ſubornauit Cobonem Ariſtophanti F. maxima apud Delphos auctoritate, ut perſuaderet PERIALLAM, mulierũ uaticinantium antiſtitem, dicere ea, quæ Cleomenes uolebat dici. Ita Pythia ſciſcitantibus iis, qui ad oraculum erant miſſi, negàuit Ariſtonis filium eſſe Demaratũ. Quæ tamen res ſequenti tempore palàm facta eſt, & Cobon è Delphis profugit, & Perialla honore abdicata. Herod. lib.6.

Seruus quidam Syrus in urbe Apamea natus, EVNVS nomine, magicis incantationibus & circulatoriis præſtigiis deditus, à ſeruis rebellionem molientibus interrogabatur, an ſuum ipſorum inceptum à diis probaretur? Hic illis aſſentiens, ut primo quoq; tempore illud aggrediantur, perſuaſit. Statim igitur CCCC conſeruorum manu, in urbem Ennam irrumpunt, ducem habentes Eunum. Domos autẽ ingreſſi ſtragem magnam edunt, ne lactentibus quidẽ infantibus parcentes. Et hoc fuit initium belli Seruilis per Siciliã crudeliſſimè graſſantis, uix tandem à Rutilio confecti. Diodorus libro 34.

Bello Siculo inter Octauium Cæſarem & Sex Pompeium Magni F. GABIENVS, Cæſaris claſſium fortiſſimus, à Põpeianis militibus captus, inciſa ceruice & uix cohærente iacuit in litore diem totum: quumq; tenebræ fieri denſiores inciperent, gemitu precibusq; cõgregato uulgarium cœtu, petiit uti ad ſe iuberent Pompeiũ quamprimùm uenire, ſe ab inferis remiſſum habere quod nunciaret. Miſit ex familiaribus Pompeius quam plures, quibus Gabienus dixit, Inferis diis placere Pompeij cauſas & partes pias: argumentũ fore ueritatis, quòd peractis mandatis protinùs exſpiraturus eſſet: idq; ita euenit. Plin. lib.7. c.52. Verùm ſatanæ ludibrium euentus ipſe detexit. Cæſar cum ſuperis uictor Pompeium ad inferos miſit.

P. LENTVLVS Sura ſenatorij ordinis, cum Catilina cõtra patriã cõſpirauit, iactare ſolitus, Fatalib. libris cõtineri, Romanæ urbis imperium tribus Corneliis deberi, ſeq; poſt Cinnam & Syllam tertium in Cornelia gente futurum, qui rerũ eſſet in urbe potiturus. Cæterũ cum aliis coniuratis in carcere necatus eſt. Sabellicus lib.5. Enneadis 6. ex Plutarcho Ciceroniano.

Tiberius cùm draconem, quem manſuefactum, & altore ſuo mitiorem, propria manu paſcere conſueuerat, formicæ deuoraſſent: reſponſum habuit, Impetum multitudinis prouideret. Sed utinam nihil unquam uerius ARVSPICES prędixiſſent. Tiberius enim non concurſu populi, uerùm tacita & penè ambigua morte periit. Petrarcha.

M. Ant. Philoſopho imperante, fuit PRÆSTIGIATOR, qui per id tempus, quo peſtilentia atrociùs ſæuiit, ignem dixit è cœlo caſurum, mundumq; finem habiturum. Fidem rei fore, quòd ipſe ex caprifico cadens in ciconiã uerteretur. Multi mortales in campum Martium confluxere, ut incredibilis alioqui rei euentum cognoſcerent. Stabat multitudo miraculo intenta, quum ille ſubitò ex arbore demiſſus eſt, ac ſimul auis, quam ad id paratam habuit, inde dilapſa. Conſpirauerat is cum plerisq; in hoc ipſum, ut ſolitudinem urbis & infrequentiam nacti in ciuitatem graſſaretur. Hominem deſtinati ſceleris cõuictum Marcus nullo affecit ſupplicio, adeò miti fuit ingenio, & ad ignoſcendum facili. Sabellicus lib.4. Enneadis 7.

Taciti & Floriani Imperatorum ſtatuis Interamnę diſiectis fulmine, ab ARVSPICIBVS reſponſum, ex eorũ familia proditurum Imperatorem poſt annos mille, qui terram omnẽ, quæ Oceano ambitur, ſuam faceret, moxq; ſenatui reſignaret imperium, antiquis legibus uicturus, ac poſt centum & uiginti annos moriturus hærede nullo. Diuq; ſic à poſteris expectatum hoc: ut in prouerbij faciem uerti res poſſit, Annum milleſimum expectat, qui felicitatem concipit nunquam futuram. Cælius lib.2. A.L. cap.12.

Porphyrius APOLLINEM interrogarat, Quem deũ placando reuocare uxorem ſuam à Chriſtianiſmo poſſet? Ei dæmon reſpondit: Citius eum in aqua ſcribere, aut per aërem uolare poſſe, quàm impiæ uxoris mentem reuocare, deum mortuum cantantis, ab Hebræis iudicibus merita morte affectum. adeoq; in dei cultu Iudæos Chriſtianis præpoſuit, qui deum creatorem & patrem omnium colerent, eosque ualde ſanctos appellauit. E diuerſo HECATE apud eundẽ Porphyrium conſulta, an Chriſtus eſſet Deus? reſpondit Piiſſimi illius uiri animam, ſicut & aliorum piorũ, poſt obitum immortalitate donatam, & hanc colere Chriſtianos errantes. Interroganti autem, Cur ergo damnatus eſt? reſpondit dea: Corpus quidem debilitantibus tormẽtis ſemper oppoſitum eſt: anima autem piorũ cœleſti ſedi inſidet: Illa uerò anima aliis animabus fataliter dedit (quibus fata non annuerunt deorum obtinere dona, neq; habere Iouis immortalis agnitionem) errore implicari. Propterea ergo diis exoſi: quia quibus fato non fuit noſſe deum, nec dona à diis accipere, his fataliter dedit iſte errore implicari. Ipſe uerò pius, & in cœlum ſicut pij conceſſit. Itaq; hunc quidẽ non blaſphemabis: miſeraberis autem hominum dementiam, ex eo in eis facile pręcepsq; periculum. Sed quis ita ſtultus eſt, ut non intelligat, aut ab homine callido, eoq; Chriſtianis inimiciſſimo, hæc oracula fuiſſe cõficta, aut conſilio ſimili ab impuris dęmonibus iſta fuiſſe reſponſa, ut ſcilicet quoniam laudant Chriſtum, propterea credantur ueraciter uituperare Chriſtianos: atq; ita, ſi poſſint, intercludãt uiam ſalutis æternæ, in qua fit quiſq; Chriſtianus? D. Aug. lib.19. de Ciuit. Dei, cap.23.

FLAVIANVS Rom. urbis præfectus, auctor fuit Romanis, ut ſacrificia inſtaurarent, uictimas cæderent, exta pecudũ inſpicerent, quibus non tam Deos propitiarent, quàm futuri belli euentum præciperent: Eugenio autem glorioſiſſimã uictoriam, & Chriſtianæ religionis ruinam temere promittebat ex augurali ſcientia. Cæterùm mendacẽ ipſe euentus coarguit. Ad Iulias Alpes magno prælio uictus Eugenius, prior Flauianus, imperium & uitam amiſit. Sigonius lib.9. Imperij occidentalis.

Iulianus Apoſtata, MAXIMI Epheſij magi diuinationib. ſomniisq;, quaſi Alexandro ipſo ſuperior & celebrior euaſurus eſſet, impulſus eſt, ut in Perſia bellum gerens, Regis Perſarum pacem petentis ſupplicationes reiecerit, atq; ad interitum ſui uſq; bellum inſolenter continuarit. Socrates lib.3. & Theodoretus lib.4.

Seuerus Sulpitius in uita Martini lib.1. item in uita Clemẽtis, ſcribit monachum quendam anachoretam habuiſſe PATREM non procul degẽtem, qui filium inuiſurus, ſecurim portabat, qua in reditu ligna domum conferenda cęderet. Quare dęmõ in angeli ſpecie huic apparuit monacho, Diabolum in patris forma cum ſecuri aduentare, ut eum iugularet, nuncians, affirmansq; ſe ea cauſa uenire moniturum eremitam, ut is ſatanæ conatus præuerteret, priùs illum occidens, quàm ab eo interficeretur. Itaq; ratus patrem accedentem ſalutantemq; eſſe diabolum, cõfeſtim illum interemit, & uiciſſim monachum dæmon e ueſtigiò ſtrangulauit. Nempe malignum ſpiritum non alio conuinci oportuiſſe gladio, quàm ſpirituali, ignorauit monachus. Vierus lib.1. cap.13. de Præſtigiis dæmonum.

COSROES Perſarum rex, ad Ioannem ducem Conſtantinopolitanorum, qui miſſus ei opitulatum à Mauricio imperatore, ſannas in regem iecerat, his uerbis uſus eſt: Niſi, inqt, ipſa temporis ratio in nos tyrãnidem exerceret, nunquam profectò tu, ô dux, auderes magnum inter homines regem ſubſannare. Nunc quia præſens rerum ſtatus te ſuperbum reddit, audi quid de futuro dij ſtatuerint. Sic habet: calamitates in uos Romanos redundabunt, ac per tres circulares ſeptennales annorum conuerſiones Babylonica gens Romanæ reipublicæ dominabitur. Inde per quinq; annorum ſeptenarios Romani Perſas ſeruitio premetis. His circumactis, dies ueſperæ expers hominibus illuceſcet, expectatúmq; regnũ inibit: tunc interitus nulla erit memoria, & uita melioribus inſtitutis agetur. Cedrenus.

Berrhœæ & Chalcide, ſedecim MAGI, perſuadentes hominibus de uolatu in cœlum, interfecti ſunt ab Haly Saracenorum duce. In Perſia ſimiliter MAGI perſuaſerunt hominib. quòd uenundata ſua ſubſtantia, in cœlum eſſent ſubuolaturi. Verùm illi periculum facientes, de muris cùm ſubuolare conarentur, præcipites deciderunt, & oſſa fregerunt. Paulus Diaconus lib.22. Rerum Rom. anno Conſtantini 18.

Circuierunt Byzantij ſub Anaſtaſio Imp. QVIDAM fanatici, mirabiles quaſdam uiſiones iactitantes, futura præſagientes, ac mundum breui collapſurum uaticinantes. In eã cohortem ſe quoq; nonnulli Aſtrologi miſcuerũt, ex aſtris affirmãtes omnium rerum fore euerſionem: quæ res aliquos permouit, ut pœnitentiam ſimularint. Verùm animaduertẽtes pleriq; uanitatem iſtorum uatum, ad ingenia priſtina redierunt. Agathius lib.5.

DOSITHEVS, Studienſis Conſtãtinopoli monachus, Venetiis oriundus, Iſaacio Angelo, priuato adhuc imperiũ prædixit. Eo rerum potito affirmabat, Fridericũ Barbaroſſam in Palæſtinam expeditionem facientem, non Palæſtinę, ſed Cõnſtãtinopoleos occupandæ cõſilia agitare, & per Xylocerci portã ingreſſurũ. Huius uaticiniis demẽtatus Iſaacius Imp. ipſam portam laterib. & cemento obſtruxit, acutis ſagittis ſe Alemannos proſtraturum minatus. Nicetas lib.2.





Cùm Blachi ſeu Myſi à defectione ab Iſaacio Angelo Imp. abhorrerent: fratres duo, Petrus & Aſanes ædem nomine martyris Demetrij ędificarunt, in eamq; multos DÆMONIACOS utriuſq; ſexus coegerunt, qui cruentis & peruerſis pupillis effuſisq; crinib. cætera omnia exquiſitè exprimebant, quæ id genus hominum propria habet, eosq; docebant in furore proloqui: Deo uiſum eſſe, ut gens Bulgarorũ & Blachorum diuturno iugo excuſſo, libertatẽ conſequatur: eaq; de cauſa Chriſti martyrem Demetrium, relicta metropoli Theſſalonica, & æde, Romanorumq; cõſuetudine, ad ipſos perueniſſe, adiuturum id opus. Sic tota gens cõcitata, ad arma concurrit. Nicetas lib.1.

Sub id tempus quo Aur. Ambroſius Britannorũ rex uita exceſſit, prodigia quædam Guyntoniæ primatibus ſunt nunciata, alia conſpecta: quæ quò magis credebat uulgus, interprete MERLINO mago, eò etiam plura nunciabãtur. Crinitam ſtellam faces emittẽtem longiſſimas, ac draconis effigiem coronatã & in cœlo ardentẽ, complures noctes conſpectam: Londini etiam ſubitò arſiſſe arbores uirẽtes, ueteraq; ligna iam pridem exciſa floruiſſe aut fronduiſſe: Tameſin fluuiũ cruentũ uiſum. Eboraci fontẽ medio foro exilientem, tanta ſanguinis ui fluxiſſe, ut plateæ urbis cruentæ uiderentur. In Cantio fœtum in utero matris riſiſſe. Hæc oſtenta Britannos aduerſus Saxones ad arma cõcitarũt: maximè cùm Merlinus, cometã, Ambroſiũ Aureliũ: draconem coronatũ, Vterũ eius fratrem: ſanguinẽ, cruentam eius manum in Saxones: ignem, eorundem tandẽ exterminationẽ portendere, interpretaretur. Qua de cauſa Vterus, qui Aurelio in regno ſucceſſit, aureũ draconẽ coronatũ, cœrulei coloris, ſtamine uariegatum, in expeditionib. exinde pro inſigni tulit: unde Vterpendragon uulgò ad poſteros eſt appellatus. At prælio commiſſo, penes Occam Saxonũ ducẽ uictoria fuit. Quadrumuiris ex utraq; gente delectis, pacis datum negotiũ. Fœdus ea pręcipuè lege ſancitũ, ut quę Britannię regiones Germanico alluuntur Oceano, Hengiſtilandiæ, id eſt, Angliæ ex inde nomine dictæ, Saxonib. cederẽt: quicquid reliquum ueteris eſſet regni, maneret Britannorum. H. Boethius lib.9.

Circa annum Chriſti 847. in Sueuia, Conſtantienſi agro, inſana quædã uatès fuit THEODA nomine, quæ cõſilio cuiuſdam ſacerdotuli, quæſtus gratia futura canere cœpit. Viſus cœleſtes ſimulabat, congreſſus & collocutiones cum ſuperis, à quib. cuncta diſceret, ementiebatur. Extremũ fatũ orbi terrarũ impendere iſthoc anno, prædicabat. Hãc multi ut alterã Sibyllã non ſolùm uenerabãtur, ſed etiã ſectabantur, eamq; deprecatricẽ apud Deũ parabant. Ea iuſſu Ludouici regis Boiorũ Moguntiacũ deducta, ac in templo D. Albani à Rabano epiſcopo & aliis diligẽtiùs audita, ac quæſita, ſcenam omnẽ uaticinij ſui detexit: ſe edoctam à quodã ſacrificulo, lucri gratia hæc commentã faſſa. Palo igitur & uerberibus admota, ſilere poſthac iuſſa, ludibrio in poſterũ fuit. Auentinus lib.4. Annalium Boiorum, & Henricus Erford.

ABENEZRA falsò prędixit, magnũ ducem (quem uocat Meſſiam) Iudæis liberandis naſciturũ anno 1464. Bodinus lib.1. Demonomaniæ, cap.5.

[redacted]

[redacted]

Cùm Chriſtiani, duce Brenno Hieroſolymorũ rege, arctiſſima obſidione Damiatam Aegypti premerent: Coradinus Damaſci & Hieroſolymorum Sultanus, per oratores conditiones ſibi Aegyptioq; pacis petebat: quas Franci, Angli, Itali comprobabant. At ſolus PELAGIVS apoſtolicus legatus Hiſpanus hanc pacem aſpernabatur, fatalib. quibuſdam libris deceptus, qui dicerent, finẽ Mahumetis nominis appetere: & ex Hiſpania uenturum, qui gloriam cõfecti ſacri belli ferret. Non multo pòſt capta quidem Damiata eſt: ſed Latini dum Cayrum obſidere parant, intra Nili aggeres ab hoſte interciſos interclusi, turpiſſimam pacem accipere coacti ſunt, & Damiatam reddere. Aemilius lib.6.

Ioanni Anglorum regi à pontifice Innocẽtio ſacris interdictũ fuerat, & ſubditi omnes ab illius obediẽtia abſoluti, anno 1212. Philippus Gallorum rex magnam claſſem ad inuadendum Angliæ regnum pontificis inſtinctu comparauerat. Eremita quidam PETRVS, Eboracẽſis, qui aut diuino afflatu inſtigatus, quemadmodum uulgi opinio ferebat, aut magicis artib. eruditus, conſueuerat prædicere futura: dũ Ioannes aduerſis affligebatur rebus, circa Calendas Ianuarias, prędixit fore, ut ille ad diem, qui aſcenſioni Chriſti ſacer eſt, de regno eiiceretur, nec recuſaturum ſe ultrò mortem ſubire, ſi uaticinatio careret euentu. In cuſtodiam coniectus, cũ adueniſſet dies dictus, à Ioãne crudeliter cum filio licèt innocente, laqueo ſuſpenſus fuit. Polyd. lib.15.

Ferdinando Catholico arcta obſidione Malacam urbem bello Granatenſi premente, MAVRVS quidam ex Africa ueniens, ſanctitatis fama & nomine celebris, à Mahometo ſe miſſum affirmauit, ut illos confirmaret, & Mahometum illis certò in auxilium uenturum diceret: quem, ſi in Chriſtianorum caſtra erumperent, coram ſe pro ſuis cultoribus pugnantem uiſuri eſſent, & Chriſtianos Gordubã uſq; perſequuturi. Quicunque ſibi adhærerent, non modò non occidi, ſed ne uulnerari quidẽ poſſe. Creduli illi, poſtero die prima luce eruptionẽ facientes, caſtra inuaſere mari ꝓpinqua: eo quidem euentu, ut primus ille propheta, ictu lapidis in capite percuſſus occubuerit, reliqui multis acceptis uulneribus, in ciuitatem ſeſe retulerint. Marineus lib.20. rer. Hiſp.

In terribili illo motu Huſſitico, qui Boemiã totam cũ uicinis regionib. miſerè afflixit, ꝑſuaſio talis THABORITAS inuaſerat, quaſi iã ultimus immineret dies, impiis ad interitũ, piis aũt ad ſalutem: ſaluari aũt non poſſe, ne pios quidem, niſi in quinq; ciuitatib. Pelſina ſcilicet, Launa, Slana, Glatouia, Zatio (primam Solem, alteram Lunam, tertiam Stellã, quartam Auroram, quintam Segor nominabant) cæteras omnes cum uicis, pagis, arcibus, hiatu terræ peſſum ituras. Ergo incredibilis ex Boemia Morauiaq; uirorum & mulierum cum liberis concurſus in illas ciuitates fuit, aliis ultrò bona ſua donantibus, aliis uili precio diſtrahentibus; certaſq; res pro uaniſſima ſpe permutantib. Dubrauius lib.24.

## IVDICIVM METAPHYSICVM RECTVM, VERVM, PROBVM.

### DE DEO.

ANTIQVI homines cùm nihil in cœlo, neq; in aſtris, neq; in anni temporibus uel circunuectionibus uel meatibus ſolis circum terram diei ac noctis molitoribus, uel pabulis animantium, uel fructuum fœturis, uagi aut inordinati cõtemplarentur, deos eſſe credidere, eosq;, qui non præeſſe dicerent uniuerſitati deos, damnarunt. Plut. de Superſtitione.

IONI apud Euripidem non poteſt perſuaderi, Apollinẽ deũ cum mortalib. puellis conſuetudinẽ habuiſſe, quãdo inqt:

— ὅστις ἂν βροτῶν
κακὸς πεφύκῃ, ζημιοῦσιν οἱ θεοί.
πῶς οὖν δίκαιον, τοὺς νόμους ὑμᾶς βροτοῖς
γράψαντας, αὐτοὺς ἀνομίαν ὀφλισκάνειν;

Quicunq; mortalium improbus eſt, eum puniunt dij. Quomodo igitur æquum, leges uos mortalibus ſcribẽtes, ipſos præuaricationis reos eſſe? Item:

τὰς ἡδονὰς γὰρ τῆς προμηθίας πέρα
σπεύδοντες, ἀδικεῖτ'· οὐκέτ' ἀνθρώπους κακῶς
λέγειν δίκαιον, εἰ τὰ τῶν θεῶν καλὰ
μιμούμεθ', ἀλλὰ τοὺς διδάσκοντας τάδε.

Voluptates potiùs, quàm temperantiam ſequentes, iniurij eſtis. Non ampliùs homines accuſare iuſtum, ſi quę diis honeſta ſunt imitamur: ſed eos, qui docent hæc.

HERCVLES licet inſanus, Theſeũ ſe conſolantẽ, ꝙ etiã dij in cœlo ſint parricidæ, apud Eurip. in Hercule fur. ſic ait:

Ἐγὼ δὲ τοὺς θεοὺς οὔτε λέκτρ', ἃ μὴ θέμις,
στέργειν νομίζω, δεσμά τ' ἐξάπτειν χεροῖν
οὔτ' ἠξίωσα πώποτ', οὔτε πείσομαι,
οὐδ' ἄλλον ἄλλου δεσπότην πεφυκέναι.
δεῖται γὰρ ὁ θεός, εἴπερ ἔστ' ὄντως θεός,
οὐδενός· ἀοιδῶν οἵδε δύστηνοι λόγοι.

Ego Deos non puto lectos illicitos amare, uinculaq; annectere manibus: neq; dignum putaui unquam, neq; credam, neq; alterum alterius dominũ eſſe. Opus enim habet deus, ſi modò eſt reuera deus, nullius. Poetarum hi ſunt ſcelerati ſermones.

Ἑρμῆς ὁ τρισμέγιστος, MERCVRIVS ter maximus, Aegyptius ſacerdos, rex, philoſophus, ante Pharaonem floruit. Sic dictus, quòd de Trinitate locutus eſt, in trinitate unam eſſe Deitatem aſſerens, in hæc uerba: Fuit lumen intelligens ante lumen intelligens, & fuit ſemper mens mentis lucida, & nihil aliud fuit huius ueritas & ſpiritus omnia continẽs. Extra hunc non eſt Deus, non angelus, non eſſentia ulla alia. Omniũ enim Dominus eſt, & pater, & Deus: & omnia ſub ipſo & in ipſo ſunt. Obteſtor te cœlum, magni Dei ſapiens opus: obteſtor te uocem patris, quam locutus eſt primam,

[redacted]

ὅσσα παρ' ἀνθρώποισιν ὀνείδεα καὶ ψόγος ἐστίν,
κλέπτειν, μοιχεύειν τε, καὶ ἀλλήλους ἀπατεύειν.

Victorius lib.35. Var.lect.cap.10.

EMPEDOCLES reprehendit Homerum atq; Heſiodũ, ac cæteros omnes poetas, qui ſpeciem hominis diis affingerent, quæ nullo modo, ut ipſe docet, ipſis congruebat. Hi autem uerſus ipſius leguntur apud Ammonium in commentario in ſegmentum IV: Ariſtotelis περὶ ἑρμηνείας: quib. Agrigentinus ille ſapiens queritur, in hanc culpam incidiſſe mortales (tunc autem de Apolline loquebatur: nec tamen non cæteros etiam deos intelligebat, qui omnes forma illa prædi- ti fingebantur)

Οὔτε γὰρ ἀνδρομέῃ κεφαλῇ κατὰ γυῖα κέκασται·
οὐ μὲν ἀπαὶ νώτοιο γε δύω κλάδοι ἀΐσσουσι,
οὐ πόδες, οὐ θοὰ γοῦνα, οὐ μήδεα λαχνήεντα·
ἀλλὰ φρὴν ἱερὴ καὶ ἀθέσφατος ἔπλετο μοῦνον,
φροντίσι κόσμον ἅπαντα καταΐσσουσα θοῇσιν. Idem.

HOMERVS Iliad. α. Ioue ſic de ſeipſo loquentẽ introducit:

—— οὐ γὰρ ἐμὸν παλινάγρετον, οὐδ' ἀπατηλόν,
οὐδ' ἀτελεύτητόν γ', ὅ τί κεν κεφαλῇ κατανεύσω.

Triplici negatione, Trinitatis ſacroſanctę proprietates ἀποφατικῶς (quia καταφατικῶς Deus exprimi nequit) ſubintelligendas proponit. Concurrit enim in Deo potentia, ſapientia & beneuolentia diuina. οὐ παλινάγρετον, ἀ πάλιν ἀγείρω, hoc eſt, οὐ μεταμελητικόν, Sapientiæ æternæ proprium, quæ nulla ducitur factorum pœnitẽtia, neq; ut homines noua captat conſilia, aut cœtus ſiue concilia noua cogit. οὐδ' ἀπατηλόν, quod eſt hominis maleuoli: non decipit Deus, ſed beneuolus eſt, quinimò ipſa bonitas. οὐδ' ἀτελεύτητον Deo conuenit, qa eſt infinitæ potẽtiæ, ut quæ uult, etiam poſſit. Quęcunq; ꝓmittit, ea uult, eſt enim uerax: quę uult, eadẽ ſeit & poteſt.

THALES interrogatus, An facta hominũ deos fallerent? Nec cogitata, inquit. Val. Max. lib. 7. c. 2.

SIMONIDES Ceus, Lyricus, humani intellectꝰ agnita debilitate atq; tenebris, pronunciare fuit auſus, ſolũ Deum eſſe ſapientem, & per conſequens etiam Metaphyſicum. Ariſtoteles in 1. Metaphyſ. 2.

SOLON, inter ſeptem Græciæ ſapiẽtes ultimus tempore, ſed primus dignitate, ſapientiæ nomen & munus (tripodem uidelicet auream) non homini alicui, ſed Delphico Apollini deberi aſſeruit. Laertius lib. 1.

PYTHAGORAS, cuius profeſſionis eſſet à Leonte tyrãno rogatus, Philoſophũ ſe nouo nomine appellare maluit, ꝙ Sophiſta ambitioſè uocari: quòd ſolum Deum σοφὸν eſſe diceret, homines uerò σοφίας tantùm φίλους. Laert. in eius uita.

Aug. lib. Confeſſ. 8. ait, ſe in libris PLATONICORVM legiſſe, etſi non eiſdem uerbis, ſententiam Euangelij D. Ioannis, In principio erat uerbum. AMELIVS autẽ Platonicus ſic inquit: Atq; hoc erat illud uerbum, per quod ea quæ facta ſunt, fiebant, cùm tamen ſemper eſſent, quemadmodum & Heraclitus uoluit. Et per Iouem barbarus ille cenſet in ordine dignitateq; principij conſtitutũ apud Deum eſſe, & Deũ eſſe, & per ipſum omnia facta eſſe, & in ipſo quod factũ eſt, uiuum & uitam & ens fuiſſe. Barbarum uerò Ioannẽ dicit. Ex PLATONIS item epiſtolis cõſtat, uerbo Dei omnia eſſe facta: & ex Plotino, filium Dei, eſſe creatorem. NVMENIVS quoq; non uult Deum primum creatorẽ eſſe, ſed ſecundum. L. Viues in lib. 10. Aug. de Ciuit. Dei, c. 29.

Vt alia nonnulla paſſim canentes, ita nullo modo ferri poſſe poetas affirmat PLATO in 3. lib. de Rep. qui tradũt heroas nulla re meliores præſtantioreſq; fuiſſe hominibus: atq; id adoleſcentium auribus inculcant. eſſe nanq; cuncta hæc & impia aduerſus deos immortales, eximiaſq; illas naturas, & falſa. Eam igitur culpam meritò reformidare potuit ISOCRATES, qui in libro, quẽ ſcribit ad Philippum Macedonem, excogitata callida ſe purgandi ratione, ſimulq; ſubtiliter regi aſſentans, inquit, ſe ſibi ob eam rem à rebus ipſius geſtis narrandis tẽperaſſe, ne minores ipſo fuiſſe humilioreſq; oſtendat, qui heroes uulgò habẽtur, ac ſuperaſſe mortalem conditionẽ exiſtimantur. hoc enim facere, eſſet omnem illis dignitatẽ eripere. Poſt ſuperiorẽ autẽ ſententiam addit, eundẽ locum urgẽs, Illa præterea iis qui audiunt eſſe detrimentoſa, labemq; non paruam animis eorum afferre: unuſquiſq; enim, inquit, ſibi ignoſcet, ſi mali aliqd fecerit, perſuaſus huiuſcemodi etiam ſcelera moliri ac ſæpè feciſſe qui ſati ſunt è diis immortalibus, ac propè abſunt à diuina progenie. Quib. omnibus de cauſis cenſet huiuſcemodi fabulas tollẽdas, ne in teneris animis magna peccandi licentia inſeratur. Hoc igitur, quod metuebat ſapiẽtiſſimus ſcriptor, & qui omnes fibras uitiorum euellere ſtudebat, animum addidit ad ſtuprum uirgini inferendum Chæreæ Terentiano, ut ipſe ille adoleſcẽs narrat. Nam cùm de laſciua tabula picta, & quæ mirificè quadrabat in domo meretricia, loqueretur, inquit: Egomet quoq; id ſpectare cœpi: & quia conſimilem luſerat iam olim ille ludum, impẽdiò magis animus gaudebat mihi, Deũ ſeſe in hominẽ conuertiſſe: & quæ ſequuntur. Ad extremum aũt, quod uitium harũ rerũ apertè ſignificat, à Platoneq; inprimis exagitatur, addidit: Ego homuncio hoc non facerem? ego illud uerò ita feci, ac lubens. Victorius lib. 1. Var. lect. cap. 15.

Homines ex ſua quôſq; natura & ingenio deos quos colerẽt ſibi finxiſſe, ARISTOTELES lib. 1. Politic. c. 3. diſertè indicat: quandoquidẽ iiſdem licèt incorporeis corporeas tamẽ formas à ſuis mutuatas corporib. tribuerunt. Eaq; de cauſa cùm regio imperio homines primi fuerint uſi. uti etiamnum pleræq; gẽtes, regiam quoq; inter deos politiam confinxere, & Iouem omnibus præfecere.

Relatum eſt in literis, pontificem Q. MVTIVM Scæuolam diſputaſſe, tria genera tradita deorum: unum à poetis, alterum à philoſophis, tertium à principibus ciuitatis. Primum genus nugatorium eſſe, quòd multa de diis fingantur indigna (Proinde etiam Dionyſius Halicarnaſſeus libro ſecundo ſcribit, Romanos eieciſſe commenta illa poetarum, quib. dij inter ſe pugnantes, diſſidẽtes, adulterantes, & eiuſmodi finguntur, quæ non modò de diis, ſed ne de uiris quidẽ bonis uti dicerẽtur, digna eſſent: Romulumq; aſſueſeciſſe Quirites ſuos, ut & bene ſentirẽt, & bene loquerentur de diis.) Secundũ, non congruere ciuitatibus, quòd habeat aliqua ſuperuacua, aliqua etiam quæ obſit populis, noſſe. Nimirũ nõ eſſe deos Herculẽ, Aeſculapiũ, Caſtorẽ, Pollucẽ. Proditur enim à doctis, quòd homines fuerint, & humana conditione defecerint. Expedire igitur exiſtimat, falli in religione ciuitates. Quod dicere etiam in libris Rerum diuinarum ipſe Varro non dubitat. D. Auguſtin. lib. 4. de Ciuitate Dei, cap. 27.

M. VARRO confitetur, non ſe illa numina iudicio ſuo ſequi, quæ ciuitatẽ Romanam inſtituiſſe commemorat (ut ſi eam ciuitatẽ nouã conſtitueret, ex naturæ potiùs formula deos nominaq; deorum ſe fuiſſe dedicaturum, non dubitet confiteri) ſed quoniã in uetere populo iam eſſet accepta, ab antiquis nominum & cognominum hiſtoriam tenere, ut tradita eſt, debere ſe dicit, & ad eũ finẽ illa ſcribere ac perſcrutari, ut potiùs eos magis colere, quàm deſpicere uulgus uelit. Quib. uerbis homo acutiſſimus ſatis indicat, non ſe aperire omnia, quæ non ſibi tantũ contemtui eſſent, ſed etiam ipſi uulgo deſpicienda uiderentur, niſi tacerentur. D. Auguſtin. lib. 4. de Ciuit. Dei, cap. 31.

IDEM non uult fabuloſis aduerſus deos fidẽ adhibere figmẽtis, ne de maieſtatis eorum dignitate indignum aliquid ſentiat. Et ideo, nec Areopagon uult inde accepiſſe nomen, ꝙ Mars, cùm homicidij crimine reus fieret, iudicantib. duodecim diis in eo pago, ſex ſentẽtiis abſolutus eſt: quia ubi paris numeri ſentẽtiæ fuiſſent, præponi abſolutio damnatio- [redacted] Dei, cap. 10.

CICERO augur irridet auguria, & reprehẽdit homines, corui & corniculæ uocibus uitæ conſilia moderantes. Sed iſte Academicus, qui omnia eſſe contẽdit incerta, indignus eſt qui habeat ullam in his rebus auctoritatẽ. Diſputat apud eum Q. Lucilius Balbus in ſecundo de Deorum natura libro, & cùm ipſe ſuperſtitiones ex natura rerum uelut phyſicas & philoſophicas inſerat, indignatur tamen inſtitutioni ſimulacrorum, & opinionibus fabuloſis, ita loquens: Videtiſne igitur, ut à phyſicis rebus bene atque utiliter inuentis, ratio ſit tracta ad commentitios & factos deos? Quæ res genuit falſas opiniones, erroreſque turbulentos, & ſuperſtitiones penè aniles. Et formæ enim nobis deorum, & ætates, & ueſtitus ornatuſque noti ſunt: genera præterea, coniugia, cognationes, omniaque traducta ad ſimilitudinem imbecillitatis humanæ: nam & perturbatis animis inducuntur. Accepimus enim deorum cupiditates, ægritudines, iracundias. Nec uerò (ut fabulæ ferunt) dij bellis prælijſque caruerunt. Nec ſolùm, ut apud Homerum, cùm duos exercitus contrarios alij dij ex alia parte defenderẽt, ſed etiam ut cum Titanis, aut cum Gigantibus, ſua propria bella geſſerunt. Hæc & dicuntur & creduntur ſtultiſſimè, & plena ſunt uanitatis, ſummæque leuitatis. D. Auguſtin. lib. 4. de Ciuit. Dei, cap. 30.

TERTVLLIANVS multitudinem ethnicorum deorum irridens, inquit, Si dij ſeliguntur ut bulbi, utiq; cæteri improbi iudicantur. D. Aug. lib. 7. cap. 1. hoc facetiùs quàm uerius dictum oſtendit. Neq; enim ex hoc, quòd dij ex multis quidã ſelecti ſunt, uel is qui ſcripſit, uel eorum cultores, uel dij ipſi uituperandi ſunt: ſed animaduertendum potiùs, quínam iſti ſint, & ad quam rem ſelecti uideantur.



GALENVS Pergamenus, Deum ut agnouit unum eſſe (ſummum uidelicet & principem deorum: Aeſculapium tantũ pro particulari quodam ac ſolius Medicinæ præſide genio colens, ſicuti etiam Socrates) ita eundem optimum maximumq;, & cogitationum etiam noſtrarum conſcium exiſtimauit. In ſeptendecim illis libris, quos de Vſu corporis humani inſcripſit, ueluti totidem hymnos, ut ipſe appellat, cõditori compoſitos, opificis noſtri ſapientiam, prouidentiã, iuſtitiam ac bonitatem non ſolùm agnoſcit libenter, ſed & magna cum admiratione & reuerentia nuſquam [redacted] In horum enim ignoratione ſummam impietatem conſiſtere profitetur: ut ueram pietatem in opifice noſtro laudando, cuius ſapientia ſit infinita, potentia inuicta, benignitas perfecta.

DE CHRISTI

*Potentia.*

PORPHYRIVS in libro, quem aduerſus religionem noſtram ſcripſit, teſte Euſebio, inquit: Et quid miramur, ſi tam multos annos peſte ciuitas uexatur, cùm & Aeſculapius & alij dij longè abſint ab ea? Poſtea enim quàm Ieſus colitur, nihil utilitatis à diis cõſequi poſſumus. Ergo ſceleratus ille noſcit quidem Ieſu Chriſti potentiã, ſed non agnoſcit.

Cùm adhuc eſſem puer, inquit D. Hieronymus, & in grammaticæ ludo exercerer, omneſq; urbes uictimarum ſanguine polluerentur, ac ſubitò in ipſo perſecutionis ardore Iuliani nunciatus eſſet interitus, eleganter VNVS de ethnicis: Quomodo, inquit, Chriſtiani dicunt Deum ſuum eſſe patientem & ἀνεξίκακον? nihil iracundius, nihil hoc furore præſentius: ne modico quidem ſpacio indignationem ſuam differre potuit. Hieron. lib. 2. in Habacuc, cap. 3.

*Miraculis.*

PLERIQVE arbitrantur maximum eſſe ſignorum Ieſu Chriſti, quòd Lazarus ſuſcitatus eſt, quòd cæcus ex utero lumẽ acceperit, quòd ad Iordanem uox audita ſit patris, quòd transfiguratus in monte, gloriam oſtenderit triumphantis. Mihi inter omnia ſigna quæ fecit, hoc uidetur mirabilius eſſe, quòd unus homo & illo tempore contemtibilis, & intantum uilis ut poſtea crucifigeretur, ſcribis & phariſæis cõtra ſe ſæuiẽtibus, & uidẽtibus lucra ſua deſtrui, potuerit ad unius flagelli uerbera tantam eiicere multitudinem, mẽſaſque ſubuertere, & cathedras confringere, & alia facere quæ infinitus non feciſſet exercitus. Igneum enim quiddam ac ſidereum radiabat ex oculis eius, & diuinitatis maieſtas lucebat in facie. Cumq; manum non auderent iniicere ſacerdotes, tamen opera calumniabantur, & teſtimonium populi atq; puerorum, qui clamabant, Oſanna filio Dauid, uertebant in calumniam, quòd uidelicet hoc non dicatur, niſi ſoli filio Dei. Videant ergo epiſcopi, & quantumlibet ſancti homines, cum quãto periculo dici ſibi iſta patiantur: ſi Domino, cui uerè hoc dicebatur, tamen quia necdum erat ſolida credentium fides, pro crimine impingebatur, inquit D. Hieronymus cap. 21. in Matthęum.

*Morte.*

Iudæorum primates, ſcribæ & phariſæi, de Chriſto tollendo conſultabant. CAYPHAS princeps ſacerdotum prophetico ſpiritu, Expedire dixit, unum hominem mori, ne tota gens periret. Ioannis 11.

*Meritis.*

[redacted]

DE CVLTV DEORVM.

IPHIGENIA ſacerdos Dianæ Tauricæ, quæ dicebatur gaudere cæde hominum, affirmat illos mortales (neque enim uniuersè de omnibus loquitur, uerùm de illis tãtùm, apud quos degeret) & barbaros & immanes, cùm ipſi cædibus quotidianis inquinentur, improbè affingere eandẽ culpã illi deæ. Antè uerò eadem quaſi inſimulans poetas & qui hæc comminiſcebantur, oſtendit ſe nullo modo credere deos aliquando humanam carnem uoraſſe, id eſt in conuiuio humerũ Pelopis abſumpſiſſe, apud Eurip. in Iphigenia.

τὰ τῆς θεοῦ δὲ μέμφομαι σοφίσματα,
ἥτις βροτῶν μὲν ἤν τις ἅψηται φόνου,
ἢ καὶ λοχείας ἢ νεκροῦ θίγῃ χεροῖν,
βωμῶν ἀπείργει, μυσαρὸν ὡς ἡγουμένη·
αὐτὴ δὲ θυσίαις ἥδεται βροτοκτόνοις.
οὐκ ἔσθ' ὅπως ἔτεκεν ἡ Διὸς δάμαρ
Λητὼ τοσαύτην ἀμαθίαν. ἐγὼ μὲν οὖν
τὰ Ταντάλου θεοῖσιν ἑστιάματα
ἄπιστα κρίνω, παιδὸς ἡσθῆναι βορᾷ.
τοὺς δ' ἐνθάδ', αὐτοὺς ὄντας ἀνθρωποκτόνους,
εἰς τὸν θεὸν τὸ φαῦλον ἀναφέρειν δοκῶ.
οὐδένα γὰρ οἶμαι τῶν δαιμόνων εἶναι κακόν.

Sed huius deæ incuſo conſilia, quæ mortalium quidem ſi quis commiſerit cædem, aut puerperam aut cadauer attigerit manibus, ab aris arcet, tanquam execrabilem exiſtimans: ipſamet uerò uictimis oblectatur, quæ conſtant ex cæde humana. Nõ eſt, quòd pepererit Iouis uxor Latona tantam inſcitiam. Ego quidem quas Tantalus appoſuit diis epulationes, fide non dignas iudico, filij oblectatum eſu: ſed ipſos huius terræ incolas, cùm ſint homicidæ, in deam hoc peccatum referre exiſtimo. Neminem enim deorum eſſe malum puto.

ATHENODORVS philoſophus multum eos damnari debere aiebat, qui longis orationibus Deum fatigarent: eaq; peterent, quæ peti ab eis homines ſcire nollent: rogandũq; ſolùm de iis Deum eſſe, quæ minimè moleſtè homines ferant, etiamſi ab omnibus intelligantur.

Cyprianus de Idolorum uanitate, ubi dicit, deos omnes gentium, homines fuiſſe: Hoc, inquit, ita eſſe, ALEXANDER Magnus inſigni uolumine ad matrem ſuam ſcribit, metu ſuæ poteſtatis proditum ſibi de diis hominibus à ſacerdote ſecretum, quòd maiorum regum memoria ſeruata ſit, inde colendi & ſacrificandi ritus inoleuerit. L. Viues in lib. 8. Auguſt. de Ciuit. Dei, cap. 5.

Dicit VARRO, antiquos Romanos plus quàm annos centũ & ſeptuaginta deos ſine ſimulacro coluiſſe. Qđ ſi adhuc, inquit, manſiſſet, caſtiùs dij obſeruarentur. Cuius ſententiæ ſuæ teſtè adhibet inter cætera etiam gentem Iudæam: nec dubitat eum locũ ita concludere, ut dicat: Qui primi ſimulacra deorũ populis poſuerunt, eos ciuitatibus ſuis & metũ demſiſſe, & errorẽ addidiſſe. Prudenter exiſtimans, deos facilè poſſe in ſimulacrorũ ſtoliditate contemni. Quòd uerò non ait, errorem Tradiderunt, ſed Addiderunt, iam utiq; fuiſſe etiam ſine ſimulacris intelligi uult errorem. D. Auguſt lib. 4. de Ciuitate Dei, cap. 31.

DE SIMVLACRIS DEORVM.

VARRO dicit, antiquos ſimulacra deorum, & inſignia, ornatuſq; confinxiſſe: quæ cùm oculis animaduertiſſent hi, qui adiſſent doctrinæ myſteria, poſſent animã mundi ac partes eius, id eſt, deos ueros animo uidere: quorũ qui ſimulacra ſpecie hominis fecerũt, hoc uideri ſecutos, ꝙ mortalium animus, qui eſt in corpore humano, ſimillimus eſt immortalis animi: tanquam ſi uaſa ponerentur cauſa notandorum deorum, & in Liberi ædem œnophorum ſiſteretur, quo ſignificaretur uinum, per id quod continet, id quod continetur: ita per ſimulacrum, quod formam habet humanam, ſignificari animam rationalem, eo quòd uelut uaſe natura iſta ſoleat contineri, cuius naturæ deũ uolunt eſſe, uel deos. D. Auguſt. lib. 7. de ciu. Dei, cap. 5.

SENECA in eo libro quem contra ſuperſtitiones condidit, de ſimulacris agẽs, Sacros, inquit, immortales inuiolabileſq; deos in materia uiliſſima atq; immobili dedicant: habitus illis hominum, ferarumq; & piſcium, quidam uerò mixto ſexu diuerſis corporibus induunt: Numina uocant, quæ ſi ſpiritu accepto ſubitò occurrerent, monſtra haberentur. Multa his ſimilia ex eodem recitat D. Auguſt. lib. 6. de Ciuitate Dei, capite 10.

DE SPIRITIBVS. SPIRITVS EXplorare, dignoſcere.

*Conſule Tit. Diaboli tentationes ſuperare. De prædictionum ueritate exploranda paulo pòſt, ſub Hominum prophetia.*

GEDEON, Ioæ F. cùm ei appareret genius, & ut Iſraelitarum defenſionem contra Madianatas ſuſciperet hortaretur, petiit ſibi ſigno aliquo oſtendi, Quiſnam eſſet. & hœdi carnes cum iure in ſaxum effudit. Iouæ igitur genius, uirga carnes tetigit: & ignis exortus, carnem paneſque conſumſit, moxq; ille euanuit. Similiter cum Madianitis congreſſurus, uictoriæ ſignum ſibi petiit dari, uellere in area per noctem poſito, ſi in eo ſolo ros eſſet, & tota terra ſicca. Iteratò deinde petiit, ut tota terra rore imbuta, ſolum uellus ſiccum permaneret. Iudicum cap. 6.

Cùm MANOÆ è tribu Dania eiuſq; uxori ſterili genius apparuiſſet, & de Samſone filio fortiſſimo concipiendo, ſpem feciſſet: non priùs acquieuit Manoa, quàm capro & ferto in

petra cremato, genius per flammam in cœlum aſcendit. Iudicum capite 13.

ZACHARIAS ſacerdos, cùm Gabriel angelus natiuitatem Ioannis ei prædiceret, ætatem cauſatus & ſuam & uxoris Elizabethæ ſterilis natura, ſignum petebat, dicens, Qui cognoſcam iſtud? At angelus ſignum ei dedit in pœnam, Ecce mutus eris ad eum uſq; diem, quo fiant hæc. Lucæ 1.

Inſigne & præclarum exemplum eſt VIRGO Deipara benedicta, ne cuiuis Spiritui credamus. Nam cùm angelus Gabriel forma aſpectabili ei appareret, eam ſalutaret, & incarnationem Filij Dei prædiceret, cogitabat illa, qualis nã hæc ſalutatio eſſet, quomodo hoc fieri poſſet, cùm nullam cum uiro conſuetudinem habuiſſet. Tum demum cùm ab angelo doceretur de modo, dicebat, Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm uerbum tuum. Cur igitur nos cuiuis ſpiritui, etiam illis qui ex diametro pugnantia cum uerbo Dei afferunt, ſtatim fidem adhiberemus? Lucæ 1.

Magnis tentationibus exagitatus eſt D. MARTINVS, Turonenſis epiſcopus à ſatana. Quodam tempore diabolus purpura & diademate ornatus apparuit ei ſub perſona Chriſti. Cũq; Martinus uiſo hoc ſpectaculo obſtupeſceret, ait ad eũ diabolus: Agnoſce Martine, quem colis, Chriſtus ego ſum, deſcenſurus ad terras, priùs me tibi uolui manifeſtare. Hîc cùm Martinus nihil reſponderet, rurſus ait, Martine cur dubitas credere, cùm me uideas? Chriſtus ego ſum. Tunc ille uerbo Dei inſtructus per Spiritum ſanctum, ait: Meus Chriſtus crucifixus fuit, & uulneratus: te uerò tali in habitu non recipio, neq; in te credo. Ad hanc uocẽ ille euanuit. Sulpit.

Rathbodo duci Friſonum diabolus apparuit in angelũ transfiguratus, inquiens: Cras accerſe Vulfranum doctorem Chriſtianorum, & ab eo quære, Quænam ſit illa manſio æternæ claritatis, quam tibi pollicetur? Quã cùm demonſtrare nequiuerit, utriuſque partis mittantur legati, & ego ero dux itineris, & demonſtrabo illis domum auream, manſionemq; pulcerrimam, quam tibi promitto. Euigilans Rathbodus, narrauit cuncta ſancto Vulfrano. Qui dixit: præſtigias has eſſe diaboli. Reſpondit dux, ſe futurum Chriſtianum, ſi illam pulcram manſionem ſibi oſtenderet. Mittitur ſtatim quidam Friſo ex parte ducis, & QVIDAM diaconus ex parte S. Vulfrani: qui cùm paululùm ab oppido proceſſiſſent, obuiam habuerunt quendam itineris comitem, & pergentes per uiam latiſſimã, & loca ignota, uiderunt quãdam uiam diuerſorum marmorum generibus polito opere decoratam, uideruntq; à longè domum quaſi auream, & peruenerunt ad plateam ante domum auro & gemmis ſtratam. Intrãtes in domum miræ pulcritudinis & ſplendoris, uiderunt in ea thronum miræ magnitudinis. Tunc ductor itineris ait illis: Hæc eſt manſio præparata Rathbodo duci. Ad hæc diaconus obſtupeſcens, ait: Si à Deo facta ſunt iſta, perpetuò maneant: ſi à diabolo, citò diſpereant. Et cùm ſignaret ſe ſigno ſanctæ crucis, ductor ille tranſiit in diabolũ, domus uerò aurea in lutum. Remanſitque Diaconus & Friſo in loco paluſtri & ſenticoſo: triduoque immenſi itineris conficientes iter, reuerſi ſunt ad oppidum, ducemq; mortuum inuenerunt: narraueruntque quæ uiderant S. Vulfrano. anno 718. Vincentius lib. 23. cap. 146. ex Ouone presbytero. Sigebertus, Erphordienſis cap. 66.

D. BERNARDVS Spiram uenerat, & in ſtatua D. Virgini conſecrata legebat hæc inſcripta, O clemens, ô dulcis, ô pia mater Maria. Tum uocem è ſtatua editam ferunt, Salue Bernarde. At ille præſtigias dæmonis ſuſpicans: Mulierem in eccleſia loqui Paulus uetat, reſpondit. Hanc ſtatuam adhuc hodie poſt ualuas templi, Spiræ extare aiunt.

In Præmonſtratenſi eccleſia FRATRI cuidam, altiùs de ineffabili Trinitatis myſterio cogitanti, in matutinis aſtitit dæmon, tria habens capita, ſeque Trinitatem eſſe affirmans, & ob fidei ſuæ meritum, Trinitatis apparitione ipſum dignũ habitum. Monachus diaboli deprehendens illuſiones, conuitiando eum à ſe abegit. Continuator Sigeberti, ſub annum 1121. Vincentius lib. 26. cap. 29.

Legitur in uita S. GERMANI Antiſiodorenſis epiſcopi, quòd cùm nocte quadam in diuerſorio menſa iterum à cœna ſterneretur, admirans inquiſierit ab hoſpitibus, Cui cœna pararetur? eique reſponſum, Bonis illis uiris ac fœminis, quæ nocte uagantur. Itaque ſanctus uigilare ſtatuit. & ecce multitudinem ad menſam uirorum ac mulierum uenientem: quibus ille mandans ne abirent, tota familia excitata quæſiuit, Num quem ex iis cognoſcerent? His omnes uicinos ac uicinas eſſe dicentibus, ſingulorum ædibus perſcrutatis, omnes in ſuis lectulis decumbentes inuenit. Itaq; ſtatim omnes adiurauit: qui ſe dæmones eſſe confeſſi ſunt.

Menippus Demetrij Cynici diſcipulus, adoleſcens formoſiſſimus, cùm Corintho Cenchræas proficiſceretur, obuiam habuit quandam imaginem puellæ peregrinæ, ſpecioſæ & diuitis, quæ aiebat, Se eſſe amore illius accenſam. Inuitauit ergo eum ut domi ſuæ diuerteret. Ille amore captus, ſæpe illic ſe illi commiſcuit, ac de ineundo matrimonio cogitabat. Habebat domum regio ornatu apparatam. APOLLONIVS Tyaneus cùm in ea domo ſingula conſiderauiſſet, exclamauit, illam eſſe ex numero Lamiarum, quas aliqui laruas, alij lemures appellant. Philoſtr. in uita Apollonij.

IAMBLICHVS magus inſignis, cùm Apollinem excientе quodam Aegyptio ſtatim comparuiſſet, attonitis uiſo præſentibus omnibus, Deſinite, inquit, ſodales mei mirari: eſt enim gladiatoris, qui ſingulari certamine interiit, ſpectrum. Eunapius in Aedeſio.

## DE ANIMORVM IMMORTALITATE.

[redacted] fabuloſam illam ſuam μετεμψύχωσιν, quaſi una eademque anima diuerſa corpora ſubire poſſet, excogitauit. Mox PLATO, & eius diſcipulus ARISTOTELES, qui in tribus libris de Anima immortalitatem defendit, ſubobſcurè tamen & perplexè, pro more ſuo. Hanc autem fuiſſe Ariſtotelis ſententiam, contrà quam multi ἄθεοι defendant, luculentiſſimè poſt omnes alios oſtendit Antonius Bernardus Mirandulanus, epiſcopus Caſertanus, in magno Diſputationum uolumine: ubi ex profeſſo impiam Pomponatij opinionem philoſophicis rationibus conuellit & deſtruit. Chriſtianis certè hominibus magis conandum eſt, ut Ariſtotelem in ſuas partes trahant, quàm ut illius auctoritate (quæ apud omnes maxima eſſe debet) religionem labefactent, & pro Peripatetica philoſophia Epicureiſmum, ſiue, ut apertiùs loquar, Atheiſmum introducant. Nam ſi ſumma auctoritas cum ſumma ratione ſemper iungitur, & ueritatis firmamento innititur, quandoquidem auctoritate diuina (qua nulla maior eſſe poteſt) nobis de animæ immortalitate conſtat, rationem porrò huic ueritati conſonam pro uirili indagare debemus.

CYRVS maior, moriens ſic filios alloquitur: Nolite arbitrari, filij cariſſimi, me cùm à uobis diſceſſero, nuſquam aut nullum fore. Neque enim dum eram uobiſcum, animum meũ uidebatis, ſed eum eſſe in hoc corpore, ex his rebus quas gerebam, intelligebatis. Eundem igitur eſſe creditote, etſi nullum uidebitis. Nec uerò clarorum uirorum poſt mortẽ honores permanerent, ſi nihil eorum ipſorum animi efficerent, quò diutius memoriam ſui teneremus. Mihi quidem nunquam perſuaderi potuit, animos, dum in mortalibus eſſent corporibus, uiuere: cùm exiſſent ex his, emori: nec uerò tunc animum eſſe inſipientem, cùm ex inſipienti corpore euaſiſſet: ſed cùm omni admixtione corporis liberatus, purus & integer eſſe cepiſſet, tunc eſſe ſapientem. Xenoph. & Cic. in Catone maiore.

BRACHMANES multa de morte dicunt, & hanc uitam putant eſſe quaſi quendam uiuidum hominum conceptum, mortem uerò natiuitatem ad ueram illam & felicem uitã, iis qui rectè philoſophati ſint. Idcirco multa exercitatione utuntur ad mortis præparationem. Strabo lib. 15.

DRVIDÆ Gallorum ſapientes, animas credunt immortales, ſed poſt mortem tranſire ad alios. Atq; hoc maximè ad uirtutem conferre putant, metu mortis neglecto. Aimoinus li. 1. cap. 6. de geſtis Francorum, ex Com. Cæſaris lib. 6.

GALLORVM uetuſtiſſimus mos fuit, ut iis, qui ciuitates ipſorum ingrederentur, pecunias mutuas darent, quæ his apud inferos redderentur: quia perſuaſum habebant, animas hominum immortales eſſe. Valerius Maximus libro 2. capite 1. de Inſtit. antiq.

[redacted] tria iacula teneant: aliis, ut comprehenſis eius, qui ad Zamolxin mittitur, manibus pedibuſque hominem agitantes, in ſublime iactent ad iacula. Qui ſi in præſentiarum extinguitur, propitium ſibi deum arbitrãtur: ſin minùs, ipſum nuntium inſimulant, aſſeuerantes malum illum eſſe uirum. Hoc inſimulato, alium mittunt, dantes adhuc uiuenti mandata. Herod. lib. 4. Io. Magnus lib. 1. cap. 13. & 33.

CERCIDAS Megalopolitanus ex Arcadia, moriens dixit familiaribus ſuis, ſe non ægrè mortem obire: ſperare enim ſe cõuenturũ ex philoſophis Pythagorã, ex hiſtoricis Hecatæum, ex muſicis Olympũ, ex poetis Homerum. Et hæc effatus, ut



tus, ut fama eſt, uitã amiſit. Aelianus li. 13. de Varia hiſtoria.

SOCRATES hominẽ ipſum animũ eſſe dicebat, corpus autem nihil aliud quàm animi organum, uel domicilium, aut ut uerius dicam, ſepulcrum, ac carcerem: unde cùm emerſerit, tum demum ſui iuris eſſe, multóq; quàm antea felicius uiuere. Cuius opinioni aſtipulãtur quòq; Grammatici, qui σῶμα quaſi σῆμα, hoc eſt, monumentum animæ dictum uolunt. Quamuis aliis placeat σῶμα de cadauere propriè dici, quòd ueluti loculus inanis ſit: δέμας uerò de corpore uiuẽte, ἀπὸ τοῦ συνδεῖσθαι, quòd anima corpori ſit colligata. IDEM Socrates iam moriturus rogatus à Critone, Quo modo ſepeliri uellet? Multam, inquit, ô amici, operam fruſtra conſumſi. Critoni enim noſtro nondum perſuaſi, me hinc auolaturum, neq; quicquam mei relicturum. Veruntamen, ô Crito, ſi me aſſequi poteris, aut ſicubi nactus eris, utcunq; tibi uidetur ſepelito. Sed mihi crede, nemo me ueſtrûm, quum hinc exceſſero, conſequetur. Iudicibus dicebat: Anytus quidem & Melitus (accuſatores enim eius fuerant) interficere me poſſunt, ſed incommodo aut detrimento minimè afficere. Quinetiam gaudere ſe uehemẽter dicebat de morte, quòd in campis Elyſiis uiros longè meliores & ſanctiores ſe reperturum ſperaret, Minoa, Aeacum, Rhadamanthũ, & quotquot unquam uirtute celebres hîc ſunt habiti. Eſt autem obſeruatione dignum, quòd Socrates apud Platonem in Apologia ad iudices & populum Athenienſem uerba faciens de morte ſua, quòd multitudo ſenſibus ducitur, in incerto reliquit animæ immortalitatem, dilemmate tantùm uſus: Si non moritur animus, maiora me expectant bona: ſin moritur, nihil ſentiam. In carcere uerò inter diſcipulos rerum cognitione excultos, & ſapientiæ ſtudioſos, nihil poſuit in dubio, ſed conſtanter, multisq; argumentis conatus eſt euincere, ac perſuadere, animos noſtros corporibus ſuis ſuperſtites perſeuerare. Lud. Viues de Veritate fidei li. 1.

ANAXARCHVS philoſophus à Nicocreonte Cypri tyranno captus, & malleis ferreis in ſaxo excauato contuſus: Tũde, inquit, tunde Anaxarchi uaſculum: Anaxarchum ipſum nequaquam lædes. Senſit tyrannum quidem poteſtatem habere, ut pro arbitrio crudelitatem ſuam exerceat in corpora hominum, animam tamen immortalem ſemper fore, extra omne tyrannorum imperium. Philo Iudæus in libro Quòd omnis probus liber.

Eam, quæ in ſomnis fit, diuinationem, animorum immortalitati à corpore ſolutorum euidens dare teſtimonium, M. CATO apud Ciceronem aſſerit. Similiter Aragonum rex Alfonſus ex Platonis Sympoſio magnum immortalitatis argumẽtũ hoc ſibi uideri aſſerebat, quòd marceſcente corporis oculo, oculus mẽtis in ſenibus maximè acuitur. Panormita l. 4.

Apud Ciceronem P. SCIPIO Africanus, quum ei à patre Paulo, & Scipione Africano auo oſtenſa eſſet cœleſtis illa felicitas, qua fruerentur ij qui patriam adiuuiſſent: Ego uerò, inquit, etſi in patriam antehac optimè eram affectus, ueſtigiis ingreſſus ueſtris, nunc tamen tanto propoſito præmio annitar multo uigilantius. Quem non excitaret contemplatio illorum bonorum? ſuperant illa cœleſtia æterna bona omnem ſpem, omne uotum, omnem cogitationem hominum, unum fieri cum ipſo Deo, qui melior, qui maior, qui beatior eſt, quàm qui amplitudine capi poſſit humanę mentis. Contrà in diſiunctione illius, cruciatus & ſupplicia ſunt, quæ uel cogitare, animus uix ſuſtinet. Ludo. Viues de Concordia & diſcordia lib. 4.

P. THRASEAS Pætus uir fortiſſ. cùm Neronis crudelitatem effugere iuberetur: Nero me quidem occidere poteſt, inquiebat, perdere non poteſt. Xiphilinus in Nerone.

GENNADIVS medicus Carthaginenſis cùm de animorum immortalitate dubitaret, uiuerentne poſt mortem, an extinguerentur? uiſo bis per quietem iuuene, qui primò urbem pulcerrimam ei oſtendit: deinde poſtera nocte reuerſus ab eo petiit, An eum agnoſceret? reſpondit, Et noſce ſe illum, & ſomnij meminiſſe. Iterum ab eo interrogatus, Vbi eius corpus eſſet, & quid ageret? Cùm reſpondiſſet, In lecto eſſe, ac dormire: argumento, cui reſponderi non poterat, didicit, quemadmodum tunc dormiens cernebat per quietem, quã uis clauſis oculis corpus in lecto iaceret: ita uita functo homine, crederet eius Spiritum uiuere ac uidere poſſe, quamuis tumulo clauſum corpus maneret. Fulgoſus lib. 1. cap. 5.

HERMIAS Aegyptius, Ammonij diſcipulus, Aegypto fratri Theodotes matris Iſidori philoſophi, iureiurando confirmaſſe perhibetur, animam eſſe immortalem & interitus expertem. Eam fiduciam illi faciebat uitæ integritas, naturam corporis auerſata, & ad ſeſe conuerſa, ſeparationem animaduertens, atq; ipſam adeò immortalitatem. Suidas.

In terra Auſtria cùm obiiſſet unus ex primoribus annos natus tres & nonaginta, qui uitam inter uoluptates illecebrasq; nulla unquam ualetudine offenſam duxiſſet, ignótaq; illi omnis calamitas, omnis mœſtitia fuiſſet, idq; FRIDERICO III. Cæſari narraretur: Et hinc, inquit ille, immortales animas cenſere licet. Namq; ſi Deus eſt, qui hunc mundum gubernat, ut Philoſophi & Theologi docent, eumq; iuſtum eſſe nemo negat, profectò alia loca ſunt, ad quæ poſt mortem animæ migrant, ibiq; pro factis aut mercedem aut pœnam accipiunt. Nam hîc nec bonis ſua præmia, neq; malis ſua ſupplicia reddi uidemus. Aeneas Syl. lib. 4. de Alfonſo.

LAVRENTIVS Medices, quicquid alij tradant, de religione optimè ſenſit, ita ut eos quoq;, quorum minus de ea recti eſſent ſenſus, aculeo orationis perſtringeret: Minimè, inquiens, mirandum eſſe, mortuos homines de animorum immortalitate & de beata uita dubitare. Brutus lib. 8. hiſt. Flor.

## DE BEATITVDINE ET FELICITATE HVMANA.

ASAPHVS, excellens propheta & Leuites, Pſalmo 2, qui inter Dauidicos ſeptuageſimus tertius extat, cùm improborum felicitate, proborum econtra calamitate uehementer turbaretur, & hoc ipſo prouidentiam diuinam rationis humanę ſomniis labefactari ſenſim animaduerteret: ad Dei oracula in ſacris libris propoſita, in cœtu piorum enarrari ſolita, tanquam ad Lydium lapidem confugiens,

Vidit repentè, quàm pede lubrico
Starent ſuperbi, quàm ſtabiles parum
Opes tenerent, quàm fragili loco
Fultos ruina præcipiti trahat.

CHORVS apud Eurip. in Hippolyto de prouidẽtia rectè quidẽ ſentit, ſed propter caſuũ indignam uarietatẽ dubitanter:

Ἦ μέγα μοι τὰ θεῶν
μελεδήμαθ᾽, ὅταν φρένας ἔλθη,
λύπας παραιρεῖ.
ξύνεσιν δέ τιν᾽ ἐλπίδι κεύθων
λείπομαι, ἔν τε τύχαις θνατῶν
καὶ ἐν ἔργμασι λεύσσων.
ἄλλα γὰρ ἄλλοτ᾽ ἀμείβεται·
μετὰ δ᾽ ἵσταται ἀνδράσιν αἰὼν
πολυπλάνητος αἰεί. Certè mirificè mihi deorum prouidentia, quoties in animum uenit, triſtitias adimit. Sapientiam uerò quandam ſpe occultãs, deficio, fortunas mortalium & opera ſpectans. Alia enim iam mutantur: commutatur uerò uiris uita, erratilis ſemper.

CLAVDIANVS in Ruffinum 1. ſic ſcribit:

Sed cùm res hominum tanta caligine uolui
Adſpicerem, lætoſq; diu florere nocentes,
Vexariq; pios: rurſus labefacta cadebat
Relligio, cauſæq; uiãm non ſponte ſequebar
Alterius, uacuo quæ ſemina currere motu
Affirmat, magnumq; nouas per inane figuras
Fortuna, non arte regi, quæ numina ſenſu
Ambiguo uel nulla putat, uel neſcia noſtri.
Abſtulit hunc tandem Ruffini pœna tumultum,
Abſoluitq; deos: iam non ad culmina rerum
Iniuſtos creuiſſe queror: tolluntur in altum,
Vt lapſu maiore ruant.——

PLATO in libris de Repub. & Leg. & Phædone cognitionẽ ueritatis ſummum hominibus bonum eſſe affirmat: quæ cùm perfectè contingere in hac uita nequeat, fit ut difficilè putet uiuentium aliquem uerè poſſe beatum dici: magnam tamẽ eſſe ſpem, ut eam cognitionem aſſequamur uita functi, liberi iam corporis uinculis, & impedimento ad res mente comprehendendas ſublato. Cùm ergo uita deceſſerimus, ſi modò purgati exeamus, tunc uerum ipſum, & id quod ὄντως, id eſt, uerè eſt, Deum uidelicet, intuentes, fruemur re nobis tantoperẽ concupita, hoc eſt, ueritate & ſcientia rerum omnium. Itaque ſicut oculi uirtus muniuſque nullum ſit, ſi lux abſit, ipſeq; in tenebris agens ſempiterno mœrore maloq; affectus deſideat: ſin uerò accedat rebus ſol ipſe, fungatur ui & uita ſua, magnoq; cum gaudio ſpectet & agat: ſic intellectus noſter corpore ſolutus, ſi deſit ei lux ueritatis Dei, torpeat mœreatque neceſſe eſt: ſi adſit, lætetur, & fruatur ea luce, in qua inſunt uiuæ expreſſæque rerum omnium ſpecies. Quo fit, ut nec in uoluptate tantum ſit menti noſtræ gaudij ac felicitatis, nec cùm nobis ipſi placemus, ac ueluti nobis ipſi fruimur, quantum in contemplatione illius uerè exiſtentis & ſummi boni, perfectaque, ut inquit Plato, puræ ſapientiæ diuini luminis aſſecutione. Ideo cùm abſolutè beata eſt anima, non primùm ut pulcro & caro fruitur Deo, in quo eſt uoluptas, qui actus eſt uoluntatis: ſed, ut uero, qui eſt intellectus. Tametſi mox pulcritudo conſequitur, & ſtatim quoq; uoluptas, ut in Philebo diſtinguit, nec ſeiũcta hæc poſſunt eſſe. Nemo enim Deum nouit, quin admiretur, & cognita illius pulchritudine, bonoq;, amet magna cum oblectatione. Hæc ex placitis Platonis, qui rerum inſpectioni ſemper primas attribuit partes, illudque facturas dicit beatorum animas, cùm è corporibus euolauerint. Hæc eſt beatitudo, quam iis, qui ſanctè uixerint, promiſit: ad hanc uocat, ad hanc cohortatur, & excitat. In quam

quam ſententiam Academici & Peripatetici pedibus & uerbis iuerunt, ut Ariſt. X. Ethic. & Cic. V. de Finibus docēt. Viues in lib. 8. Aug. de ciuit. Dei, cap. 8.

## DE HOMINVM PROPHETIA, ORAculis, Prædictionibus.

### EXPLORANDO VERITATEM.

*Hic Homines fatidicos exploramus: paulò ante Spiritus.*

EZECHIAS rex Iudæorum ab Eſaia propheta admonitus fuit, ne metueret Aſſyriæ regem Sennacheribum: cum nāq; diuinitùs profligandum eſſe. Cuius rei ſignum ei dedit tale. Viuite hoc anno ſegete reſtibili, altero item anno, eo qđ ſponte ſua proueniet: tertio anno ſementem meſſemq́; facitote, & uineas conſeritote, earumq́; fructu ueſcimini. Ac quod ex puella Iudæa reliquū euaſerit, id rurſus acta deorſum radice, ſurſum edet fructum. 4. Regū 19. & Eſaiæ cap. 37.

IDEM cùm ex morbo decumberet, & Eſaias eum moriturum affirmaret, precibus à Domino obtinuit, ut XV. anni uitæ ſuæ adderentur. Eius rei ſignum ab Eſaia iuſſus petere, petiit ut ſolarij umbra decē gradibus retrogrederetur. Quod & annuente Domino obtinuit, ſolq́; decem gradibus retroceſſit. 4. Regum 20. & Eſaiæ cap. 38.

Cùm Achaz Ezechiæ pater, Iudæorum rex, Raſinem Syrum & Phaceam Iſraelitarum reges cum exercitu aduentantes uehementer timeret: ESAIAS eum bono animo eſſe iuſſit, & Deo confidere. Quòd ſi non crederet, peteret ſignum uel cœleſte uel terreſtre à Domino. At Achazus ſignum ſe petiturum negauit, neq; Dominum tentaturum. Tum Eſaias incredulitatem eius pietate adumbratam cognoſcens, Dabit uobis uel nolentibus ſignum Dominus. Ecce uirgo pariet, & Emmanuelem uocabit. Eſaiæ 7.

CROESVS Lydorum rex, cùm contra Cyrum Perſarum regē bellum meditaretur, oracula priùs conſulere uoluit. Miſit igitur Delphos Dodonam, ad Amphiaraum & Trophoniū, ad Branchidas oræ Mileſiæ: deniq; etiam ad Ammonem, ſciſcitatum. Quidnam rex Lydorum Crœſus Halyattis F. ageret? ueritatem oraculorum hac ludicra quæſtione exploraturus. Ipſe interea dimiſſis legatis, certo quodam die teſtudinem pariter & agnum conciſos, ſimul in aheno coxit, & operculo aheneo texit. Et reliqua quidem oracula nihil ueri reſponderūt. At Pythia, ſimulac legati templum ingreſſi ſunt, hoſce uerſus ex adyto pronunciauit:

οἶδα δ' ἐγὼ ψάμμου τ' ἀριθμὸν, καὶ μέτρα θαλάσσης,
καὶ κωφοῦ συνίημι, καὶ οὐ φωνεῦντος ἀκούω.
ὀδμή μ' ἐς φρένας ἦλθε κραταιρίνοιο χελώνης
ἑψομένης ἐν χαλκῷ, ἅμ' ἀρνείοισι κρέεσσιν,
ᾗ χαλκὸς μὲν ὑπέστρωται, χαλκὸν δ' ἐπίεσται.

Crœſus oraculo fidem adhibere cœpit, & ampliſſima munera Delphos miſit. Herodotus lib. 1.

Cùm apud Aſſyrios in ciuitate Heliopoli Iouis Heliopolitæ fanum uaticiniis celebre eſſet, & TRAIANVS Imp. initurus eſſet Parthiam omni exercitu: hortantibus amicis, ut de euentu rei cœptę hunc deum conſuleret: Romano egit conſilio, explorando priùs fidem religionis, ne fortè fraus ſubeſſet humana. Et primùm miſit ſignatos codicillos, ad quos ſibi reſcribi uellet. Deus iuſſit afferri chartam, eamque aſſignari puram, & mitti: ſtupentibus ſacerdotibus ad eiuſmodi factum: ignorabant quippe conditionem codicillorum. Hos cum maxima admiratione Traianus excepit, quòd ipſe quoque puris tabellis cum deo egiſſet. Tunc aliis codicillis conſcriptis, ſignatisq́;, conſuluit, An Romam perpetrato bello rediturus eſſet? Vitem centurialem Deus ex muneribus in æde dicatis deferri iuſſit, diuiſamque in partes ſudario condi, ac proinde ferri. Exitus rei, obitu Traiani apparuit, oſſibus Romam relatis. Nam fragmentis, ſpecies reliquiarum: uitis argumento, caſus futuri tempus oſtenſum eſt. Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 23.

PRÆSES Ciliciæ, improbus homo, cùm in comitatu ſuo nōnullos Epicureos haberet, qui præclara ſcilicet illa naturæ ratione ſuccincti, oraculis illudunt: miſit in māteum Mopſi tanquam in hoſticum inſtructum exploratorem libertum. Is tabellam habebat conſignatam: in qua id, quod quæreret, nullo conſcio ſcriptum erat. Cùm iſte de more pernoctaſſet in adyto, & ſopitus eſſet, renunciauit poſtridie eiuſcemodi ſomnium. Viſus eſt ei uir pulcer aſſiſtere, qui loqueretur tantùm, Nigrum, neque quicquam præterea: uerùm extemplò digredi. Quod cùm pleriſque monſtroſum & perplexum uideretur, præſes obſtupuit, adorauitque illud, ac reſignata tabella monſtrauit rogatiunculam inſcriptam hanc: Candidum tibi an nigrum taurum immolabo? Vnde & Epicurei pudore perfuſi fuerunt, & ille rem diuinam fecit, Mopſumque per totam uitam eſt ueneratus. Plutarchus de Oraculorum defectu.

TOTILA rex Gothorum, capta urbe Roma, D. Benedicti fama permotus, ut experimētum ſumeret an famam prophetici ſpiritus operibus adimpleret, uno ex comitibus (quem regia ueſte ſua ornauerat) præmiſſo, ipſe inter commilitones ſequebatur. Prodierat in templi ueſtibulum Benedictus, magnanimum Regem humillimè excepturus, cùm turba illi obuia ſeſe in duas partes ſcindens, medium reliquit illum, qui ſuperbo inceſſu Totilam ſimulabat. Sed uir Deo plenus, quem nunquam uiderat cognouit, & ad reliquum comitatum abire iuſſo, Totilam oculis manuque indicatū euocauit, hortatusq́; fuit, ut Deum timeat, ſanctimoniam ueneretur, iuſticiam ſectetur. Prędixit quòd Romam denuò caperet, & Siciliam in ſuam poteſtatē redigeret, & demùm nono anno regni ſui uictus, occumberet. His Benedicti ſuaſionibus creditur Totilas deinceps ſe omnibus benigniſſimum demonſtraſſe. Gregorius libro 2. Dialogorum, capite 15. & Paulus Diaconus libro 16.

### INTELLIGENDO.

*Vide Tit. Oraculorum & Prædictionum, quatenus rectè intelliguntur.*

Cùm Tarquinius Superbus Rom. rex, Iouis, Iunonis & Mineruæ templum Sabino bello ab auo uotum, in parte Tarpeij collis præcelſa & ſcopuloſa fundare uellet, humanum caput recenti tabo ab iis, qui in ima parte operabantur, eſt inuentum. Tarquinius domeſticos uates conſuluit. Hi ad Hetruſcos regem ablegarunt. Nec multum abfuit, ut QVI ad id miſſi ſunt, callida auguris percunctatione decepti, fatalem neceſſitatem per inſciciam aliò auerterint. Sic enim uanitatis illius cultores perſuaſum habuere, ut niſi qui à Tarquinio uenerant, ab auguris filio priùs moniti fuiſſent, ut quoquo modo à patre interrogati eſſent, In Tarpeio, aut in Tarpeij parte prodigium factum ſemper reſponderent, futurum fuiſſe, ut principatus, qui prodigio portenderetur, aliò callida ſenis ſtipulatione transferretur. Sed ubi Romanos capi non poſſe, Hetruſcus uidit, tum ſine alia ambage docuit, fore, ut ibi arx imperij, caputq; rerum eſſet, ubi id oſtentum apparuiſſet. ac iam inde locus ex Tarpeio Capitolium eſt dici cœptum. Sab. lib. 6. En. 2.

Auguſtus circa Peruſiam, ſacrificio non litante, cùm augeri hoſtias imperaſſet, ac ſubita eruptione hoſtes omnem rei diuinæ apparatum abſtuliſſent: conſtitit inter ARVSPICES, quæ pericoloſa & aduerſa ſacrificanti denunciata eſſent, cuncta in ipſos recaſura, qui exta haberent. Neque aliter euenit. Suetonius.

GRAMVS Danorum rex, cùm ab aruſpicibus accepiſſet, auro tantùm Sictrugum Sueonum regem ſuperari poſſe, ligneæ clauæ nexilem auri nodum adiecit, eaq́; regem occidit, regnum obtinuit, & Gro Sictrugi F. in uxorem duxit. Saxo l. 1.

### INTERPRETANDO.

*Conſule Tit. Certamina Diuinationum.*

AGESILAVS Spartanorum rex, Aulide contra Perſas cum claſſe profecturus, iuſſus eſt in ſomnis, utpote Agamemnonis æmulus, Agamemnonia quoque uictima deæ litare. Intelligebant alij, uirginem eſſe immolandam. At ille ceruam redimitam deæ magis placituram affirmauit. Plutarchus in eius uita.

Cùm oraculi monitu Alexander uictoriæ cauſa eum, qui ſibi porta egreſſo primus occurriſſet, interficere cōſtituiſſet, Aſinarium fortè ſibi obuiam factum ad mortē arripi imperauit: eoque quærente, Quidnam ſe immerentem & innocentem capitali iudicio addiceret: rex ad excuſandum factum, oraculi præceptum retulit. Ibi ASINARIVS, Si ita eſt (inquit) rex, alium ſors huic morti deſtinauit: nam aſellus, quē ego ante me agebam, prior tibi occurrit. Delectatus Alexāder & illius tam callido dicto, & quòd ab errore ipſe reuocatus erat, occaſionem in aliquanto uiliori animali expiandæ religionis rapuit. Val. Max. lib. 7. cap. 3.

NVMA Pompilius Rom. rex, capitibus ſacra facere iuſſus, Ceparum, reſpondit, non hominum. Plutarchus. De eadem re Ouidius in Faſtis eleganter.

Quum POP. Rom. peſtilentia laboraret, eſſetque reſponſum, id accidere, quòd dij deſpicerentur: anxia urbe, quòd non intelligeretur oraculum, euenit, ut Circenſium die Puer de cœnaculo pompam ſuperne deſpexerit, & matri narrarit, quo ordine arcana pilenti, quod uehiculi genus eſt, compoſita uidiſſet. Qua re ſenatui nunciata, tunc placuit loca pelis contegi, quâ pompa ſequeretur. Ac ita ex illo die peſte ſedata, puer qui ambiguitatem ſortis abſoluerat, prętextæ geſtandæ munus impetrauit. Polydorus libro ſexto, capite 11. de Rerum inuent.

## DE OPERIBVS RELIGIOSIS.

*Conſule Tit. Superſtitionis fuga, quatenus ſuperſtitioſa opera, ſua aliorumue recto iudicio reprobantur.*

Simeones ex uico Siſan oriundus, auctore Theodoro Lectore libro primo ſuorum Collectaneorum, in monaſtica iam antè inſtitutus propè Antiochiam, ſuper columna ſibi bicubitale circumquaque ſtruxit domicilium, ſub Theodoſio iuniore. Quod cùm eſſet non tantùm quiddam inſolens, ſed & ſine reliquorum conſilio aut approbatione ſuſceptum, mittunt MONACHI communi conſenſu quoſdam, qui ipſius conſilium exquirerent, mandarentque ipſorum uerbis ut deſcenderet, hac addita exploratione: Quòd ſi ad obſequendum ipſorum monitis futurus eſſet promtus & facilis; relinquerent ipſum ſuo ſibi arbitrio: hauddubiè enim ipſius conſilium eſſe ex Deo. Sin uerò difficilem & pertinacem ſe eſſet exhibiturus, deturbarent illum ui & uiolentia. Legati ergo cùm ad ipſum ueniſſent, & uix ſuorum mandata expoſuiſſent, iam ſublato altero pede ad deſcendendum erat paratiſſimus. Quod illi ubi ſenſerunt, arbitrati ſunt eius obediendi promtiſſimum animum ſatis poſſe eſſe indicio, à Deo eſſe ipſius intentum. Quare ipſi gratulati, & benè precati, curſum quē cœperat feliciter ut perſequeretur, hortati ſunt. Vixit in columnis minoribus annos ſeptem. Deinde uerò in columna quadraginta cubitorum, triginta annos uitam egit, & hinc Stelites dictus eſt.

Conuenerant apud ANTONIVM eremitam fratres aliquot in Thebaide eremo, & quæſtione propoſita, Quænam uirtus Chriſtianum hominem in officiis pietatis rectè conſeruaret? alij aliter reſponderunt, quiſque pro ſuo captu. Senſerunt enim alij, id commodè ieiuniis uigiliisq́; fieri, alij uerò nuditate & contemtu rerum externarum, alij etiam conducere ad hoc uitam ſolitariam, quidam etiam id per charitatis officia erga hoſpites fieri poſſe cenſebant. Et cùm diſſentirent inter ſe opinionibus patres, reſpondit tandem beatus Antonius, inquiens: Omnia quidem quæ dixiſtis, utilia ſunt Chriſtianis, ſed his principalis gratia tribuenda nō eſt, idq; plurimorum fratrum caſus confirmant, qui uerſantes in his obſeruationibus, decepti ſunt, eo quòd in bono quod acceperant, modum & diſcretionem non tenuerunt. Conſtat, ſine diſcretionis gratia & modo nullā perfici uel diu ſtare uirtutem poſſe. Addidit D. Antonius exemplum Heronis, ſenis monachi, qui perpetuò intra cellam latitauit, & magna quadam ſeueritate animi immutabilem ieiunij continentiam exercuit, adeò etiam, ut nec in die Paſchæ rigorem abſtinentiæ ſolueret. Tandem præſumtione ſua deceptus, ſemetipſum in profundiſſimum puteum præcipitauit perſuaſione ſatanæ, qui ſeſe in angeli cœleſtis formam commutauerat, eiq́; conſuluerat, hanc eſſe uoluntatē Dei, ut hoc modo ſuæ uirtutis magnum meritum probaret; ſi inde illæſus exiret. Sed uix ſemiuiuus ex puteo cum ingēti omnium fratrum dolore extractus eſt, & triduo pòſt uitam finiuit, & id quod deterius eſt, ita in deceptionis ſuæ pertinacia remanſit, ut nullis uerbis ſibi paſſus ſit perſuaderi, ſe ſatanæ calliditate fuiſſe deluſum. Alius quidam monachus longo tempore diabolum in angeli claritate ſuſcepit, cùm per omnes noctes in eius cellula lumen abſque ullius lucernæ officio præberet. Ad extremum iuſſit eum filium, qui cum eo pariter in eodem monaſterio manebat, offerri uictimam Deo, ut ſcilicet hoc ſacrificio, Abrahæ patriarchæ meritis coæquaretur. Cuius perſuaſione ille ſeductus, hoc cœpit tentare: & ſacrificaſſet filium, niſi per occaſionem puer de cella [redacted] elapſus celeriter aufugiſſet. [redacted]

IO[redacted]dinis prædicatorum Generalis, ut uocat, [redacted]modum, Oraréne ſemper, an Sacra legere, præſtaret? An uerò neſcis, inquit, aſſidentem menſæ non modò comedere, ſed alternis quoque bibere ſolere? Sic uni danda eſt [redacted]gat. Leander Albertus lib. 1. de Viris illuſt. ord. Prædicatorum.

GREGORIVS VI. Pontifex ditionem Eccleſiæ recuperauit, & latrones circa Vrbem, quorum ſæuitia peregrini, ad urbem religionis cauſa accedentes, necabantur, è medio ſuſtulit; priùs execrationibus & interdictis admonitos, deinde ui & armis domitos. Hanc ob rem ferunt à pernicioſis hominibus uulgò homicidam, ſimoniacum, & ſanguinis humani appetentiſſimum habitum, idque à cardinalibus etiam quibuſdam prædicari ſolitum. Gregorius moriturus cardinales ad ſe uocatos uerbis caſtigauit, qui liuore moti rectè facta reprehenderent: Et ut, inquit, ſcire poſſitis, ubi mortuus fuero, rectè an perperam fecero, corpus meum ante fores Eccleſiæ ſiſtite uectibus obſeratas: ſi diuino nutu aperientur, cenſetote me dignum Chriſtianorum ſepultura: ſin ſecus; corpus meum unà cum anima damnatum, quò uolueritis, eiicitote. Fecêre mandata cardinales. Itaque portæ coorto graui uento apertæ ſunt, & corpus cum admiratione omnium & opinione magnæ ſanctitatis introlatum eſt. Platina.

EMERICVS rex Hungariæ, puer etiamnum, monachórum è D. Martini cœnobio ſibi patriq́; obuiam prodeuntium caſtitatē diiudicauit oſculis diſparibus. Pro continentiæ enim modo quibuſdam duo, aliis tria, nonnullis quatuor, ſeptena uerò perpetuæ caſtitatis cultoribus dedit. Bonfinius libro 1. Decadis 2.

[redacted]

## DE LIBRIS SACRIS.

Aiunt HEBRÆI, cùm inter cætera ſcripta Salomonis, quæ antiquata ſunt, nec in memoria durauerunt, liber Eccleſiaſtes inſcriptus obliterandus uideretur, eo quòd uanas aſſerat Dei creaturas, & uotum putet eſſe pro nihilo, & cibum & potum & delicias tranſeuntes præferat omnibus: ex hoc uno capitulo meruiſſe auctoritatem, ut in diuinorum uoluminum numero putaretur, quòd totam diſputationem ſuam & omnem catalogum ſuum hac quaſi ἀνακεφαλαιώσει coarctauerit, & dixerit, Finem ſermonum ſuorū auditu eſſe promtiſſimum, nec aliquid in ſe habere difficile: ut ſcilicet Deum timeamus, & eius præcepta faciamus. Hieronymus in Eccleſiaſtis caput 12.

Iudith uidua Bethuliam ciuitatem ſuam obſidione Olophernis ducis Nabucodonoſoris liberauit, ut in eius libro fusè narratur. Qui liber Chaldæo ſcriptus ſermone, ſicut Hieronymus inquit, minus auctoritatis habet ad ea roboranda, quæ in contentionem ueniunt. Sed ſanctum Nicenū CONCILIVM inter ſacrarum Scripturarum uolumina & hunc librum computauit. Beda in Temporibus ait, Cambyſem Cyri maioris filium, ab Hebræis ſecundum Nabucodonoſorem uocari: & ſub eo contigiſſe, quæ de Iudith narrantur.

Initium ſancti Euangelij, ſecundum Ioannem, QVIDAM Platonicus (ſicut à ſancto ſene Simpliciano, qui poſtea Mediolanenſi eccleſiæ præſedit epiſcopus, ſolebamus audire) aureis literis conſcribendum, & per omnes eccleſias in locis eminentiſſimis proponendum eſſe dicebat. Auguſt. lib. 10. de ciuit. Dei, cap. 39.

D. AVGVSTINVS poſt XX. ætatis annum perlectis Platonicorum quorundam libris, qui ea quæ à D. Ioanne Euangeliſta in principio ſui Euangelij traduntur, magna ex parte, licèt uerbis diuerſis cōtinebantur, plurimū idem lucis & auctoritatis ad catholicas ſcripturas legendas & intelligēdas ſe percepiſſe teſtatur lib. 7. Confeſſ. cap. 9. hoc uno excepto, quòd Chriſtum Ieſum non haberent, & ueluti ſylueſtri cacumine patriam quidem pacis oſtenderēt, ſed uiam eò perueniendi ignorarent, iter demum & pericoloſum aliud, à latronibus & dæmonibus obſeſſum commonſtrantes. capite ultimo, eiuſdem libri.

IACOBVS Peres, qui poſtremus in Pſalmos longa commentaria ſcripſit, nō tam diſerta quàm de auctoribus Pſalmorū, diſputat dicitq́;, hanc quæſtionē ante Origenem non fuiſſe inter Iudæos ambiguam. Omnes enim ſic crediderunt, & ſic prodidêre literis, omnes Pſalmos Dauidis eſſe auctoris. Poſtea uerò quàm Origenes ingenio illo exacto, & eruditione uaria ſummaque cœpit oſtendere, quæcunque in Prophetis continebantur, ad Chriſtum iam natum pertinere, multum irritauit ſceleratos & obſtinatos & induratos Iudæos

Iudæos etiam ad nouas opiniones ueteribus ſuorum magiſtrorum contrarias, deprauandosq; quantum poſſent codices ſacros. Itaque poſt ea tempora fuiſſe ex Hebreis non[redacted] L. Viues in [redacted] guſt. de ciuit. Dei, cap. 14.

THEODORVS, [redacted]

IO[redacted] tam, eſſentque Aegyptiorum opibus [redacted]

P. [redacted] tor urbanus, ſtudioſus legendi, [redacted] ſit. Lectis rerum ſummis, cùm animaduertiſſet pleraque ad diſſoluēdam religionem eſſe, L. Petilio dixit, ſeſe eos libros in ignem coniecturum eſſe: priùs quam id faceret, ſe ei permittere, uti ſi quod ius ſiue auxiliū habere ſe ad eos libros repetendos exiſtimaret, experiretur. Scriba Tribunos pl. adiit: res à Tribunis ad Senatum reiecta eſt. Prætor ibi cùm ſe iuſiurandum dare paratum eſſe diceret, libros eos legi ſeruariq; non oportere: Senatus cenſuit ſatis habēdum, quòd Prætor iuſiurandum polliceretur, libros primo quoq; tempore in comitio cremandos eſſe. Precium pro libris, quantum Q. Petilio Prætori, maioriq; parti Tribunorum plebis uideretur, domino eſſe ſoluendum. Id ſcriba non accepit. Libri in comitio igne à uictimariis in conſpectu populi cremati ſunt. Liuius Dec. 4. lib. 10.

AVGVSTVS Cæſar, poſtquam Pontificatum maximum ſuſcepit, quicquid fatidicorum librorum Greci Latiniq; generis, nullis uel parū idoneis auctoribus, uulgò ferebatur, ſupra duo millia contracta undiq; cremauit: ac ſolos retinuit Sibyllinos: hos quoq; delectu habito: condiditq; duobus forulis auratis ſub Palatini Apollinis baſi. Suetonius.

### DE QVAESTIONIBVS SACRIS.

VENTVRINVS Bergomenſis, quem Dominicani pro diuo colunt, cùm ſuis concionibus ſupra XXX peregrinorū millia Bergomo Romam perduxiſſet, clam iis diſcedens, cùm Mantuam perueniſſet, æmuli quidam, ut ſanctitatis opinionem ignorantiæ macula aſpergerent, coram principe, conuocatis eò iurecoſſ. & philoſophis, quæſtionem ei ex improuiſo talem propoſuere explicandam, An diabolus in primo ſuæ creationis inſtanti peccaſſet? Neq; uerò ille aculeo problematis ueluti compunctus abiecit animū: Eremita quidam, inquit, cùm in ſacris legiſſet, Melchiſedecum ſacerdotem ſine patre & matre fuiſſe, eūdem uerò uti hominem parentes habuiſſe: lectione primùm commentariorū, mox etiam precibus ad deum dubij huius ſolutionem nequicquam flagitauit. Acceſſit ad eum ſenior quidam, & anxietate uiri perſpecta, An uerò nos, ait, propter Chriſtum parentes & omnia reliquimus, ut inanibus & friuolis quæſtionibus nos exerceamus? an tantum nobis à uirtutis & pietatis exercitio otij ſupereſt, ut anilia & ludicra problemata perſequamur? Et uos quoque, qui non in diſputando, ſed in agēdo, religionis ſinceritatem poſitam noſtis, omiſſa inani quæſtione, in quónam inſtanti diabolus peccarit, id potiùs cauete, ne, quādo illum per ambitionem & inuidiam peccaſſe conſtat, illius imitatores ſitis. Leander Alb. libro 5. Virorum illuſtr. ordinis Prædicatorum.

### DE REBVS SACRIS.

PALÆSTINI, cùm capta Dei Iſraelitarum arca & dyſenteria & muribus crudeliſſimè uexarentur, quamcunq; in ciuitatem arcam deportaſſent: conſilium ceperunt de arca Iſraelitis remittenda (conſule Tit. Pœna profanatorum ſacrorū) quam ſi uaccæ duæ nullo adhibito cuſtode rectà Bethſamē in terram Iſraelitarum ueherent, indicio fore, ab eorū Deo ſe tantis malis affectos: ſin minùs, caſu hæc ſibi accidere, nō Dei ira. Vaccæ igitur, inſequentibus Palæſtinorum proceribus, arcam rectà Bethſamem pertraxerunt. Inde Gabaam miſſa eſt. Libro 1. Regum 6.

DAVID rex, arcam Dei, quæ uiginti annis Gabaæ in domo Abinadabi manſerat, in urbem ſuam Hieroſolymam uehendam curauit. At cùm Oza Abinadabi F. propter tactam manu arcam (cùm propter boum, qui eam ducebant, agitationem nutaſſet) ſubitò mortuus concidiſſet; ueritus Dauid tā tam numinis ſeueritatem, arcam ad ſe admittere non fuit auſus, ſed in ædes Obededomi Gethani intulit, ubi illa tres menſes fuit. Cæterùm cùm Dominus Obededomum eiuſq; domum propter arcæ hoſpitium diuitiis & fœtura beaſſet, Dauid animo recepto eam cum ſolenni pompa Hieroſolymam intulit. 2. Regum 6.

Cùm HELENA Magni Conſtantini mater cruces tres Hieroſolymis ſub terra reperiſſet, nec quænam Chriſti ſeruatoris fuiſſet ſcire poſſet: Macarij Epiſcopi conſilio, producitur mulier ægra, cui ex ordine tres imponuntur cruces, orante interim Macario. Cùm dominica crux ei adhiberetur, confeſtim conualuit, & lectulo exurgens ambulauit. Quinetiam mortuo poſtea impoſita crux eadem, eum ſanitati reſtituit. Nicephorus lib. 8. cap. 29.

LEO IX. Ratiſponam tranſiens cum Imperatore Hērico III. reliquias beati Dionyſij martyris (de quibus diu dubitatum erat an ibi haberentur) præſentibus Pariſiorū legatis perſpexit, ibique teneri probauit. Sanctum quoque Vuolfgangum, eiuſdem urbis epiſcopum, de tumulo leuauit. Crantzius lib. 4. Metrop. cap. 35.

[redacted]

## IVDICIVM METAPHYSICVM INEPTVM.

*Conſule Tit. Hæreticorum, quorum ut aliqui ex improbitate, plerique tamen ex ignorantia & peruerſa Scripturarum intelligentia, à ſocietate eccleſiaſtica ſeipſos ſeparant. Superſtitionis quinetiam locus multa ſuggeret exempla eorum, qui Deo debitum honorem ad creaturas tranſtulere.*

### DE DEO ET CHRISTO.

Contra Iudæos ſcripſit Petrus Alfonſus Hiſpanus Iudæus ad Chriſtianiſmum conuerſus, ſeculo XII. poſt Chriſti incarnationem, eorumq; ſtupendos errores pulcrè confutauit. Dicunt IVDÆI Deum habere caput & brachia, in cæſarie pyxidem geſtare ligatam corrigia, ipſiusq; corrigię nodum à poſtera capitis parte ſub cerebro firmatum: intra pyxidem uerò quatuor eſſe chartulas, Iudæorum laudes continentes: in ſummo autem ſiniſtri brachij geſtare aliam pyxidem, ſimili modo corrigia ligatam, chartamq; ibi eſſe continentem omnes laudes, quæ in prædictis quatuor ſcriptæ dicuntur. Teſtimonia hæc proferunt: Videbis poſteriora mea, facies enim mea non uidebitur. Tunc enim Moſes nodum corrigiæ uidit. Nodum autem ipſum alicuius pyxidis eſſe, neceſſarium eſt. De ea autem, quam geſtat in brachio, auctoritas profertur ab Eſaia dicente: Iurauit Dominus in dextra ſua, in brachio fortitudinis ſuæ. Per brachium enim fortitudinis uult intelligi ſiniſtram, in qua illa pyxidis continetur. In Doctrinæ libro aſſerunt, quòd Deus in Occidente eſt tantùm, auctoritate Eſdræ illud confirmantes, dicentis: Exercitus cœli ſupplicat tibi. exponentes hoc, quòd cùm omnes ſtellæ in Occidentem decidunt, tunc exercitus cœli ſupplicat Deo: & quoniam hæc ſtellarum ſupplicatio fit in Occidente, ideo Deum in Occidente aſſerunt eſſe. Dicunt eum ſingulis diebus ſemel in die iraſci, de tali re, ob quam ſe non poſſit ulciſci, afferentes in medium teſtimonium Dauid, dicentis: Fortis iraſcitur quotidie. Prima etiam hora diei eum iraſci aſſerunt, cauſam huius iræ eſſe dicentes, quòd in illa hora reges iniquitatis exurgentes, diademata ſibi imponunt, & ſolem adorant. Tum etiam quotidie ſe-



die ſemel in die plorare, & ab eius oculis duas prodeuntes lacrymas, in magnum mare dicunt concidere, & has fulgorem eſſe affirmant illum, qui tempore nocturno de ſtellis uidetur cadere. Fletus cauſam, Iudęorum captiuitatem eſſe dicunt: quinetiam propter dolorem eum ter in die, ut leonem rugire aſſerunt, & propter id cœlum pulſare pedibus, more calcantium in torculari: more etiam columbæ quendam ſuſurri ſonitum dare, & quaq; uice caput mouere, & dolentis dicere uoce: Heu mihi, heu mihi, ut quid domum meā in deſertum redegi, & templum meum cremaui, & filios meos in gentes tranſtuli? Præterea quòd tanquam parturiens inuicē collidat pedes, & more dolentis manibus plaudat: & quotidie oret, ut miſericordia eius ſit ſuper iram eius. Dicunt Iudæi circa Veſpaſiani tempora ſuum Chriſtum natum, & Romam, neſcio qua arte, tranſlatum. Ibi eum à canibus dilaceratum & corroſum, in cryptis ſubterraneis latêre, indeq; dictum eſſe: Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Victurum autem, & hos dolores in illis terræ uiſceribus toleraturum, donec diſpoſito à Deo tempore, inde exeat, & Iudæos de uniuerſis gentibus congregans, ad primum ſuæ repromiſſionis terræ locū reducat. Omnes animas in mundi principio ſimul aſſerunt eſſe creatas, & in loco uno repoſitas: & quouſq; incorporentur omnes, non eſſe diem uenturum iudicij. Docent, quòd quando Deus firmamentum fecit, magnum foramen in Septentrionali parte imperfectum reliquit, ut ſi quando aliquis exurgens, Deum ſe eſſe diceret, Deus illi iam dictam firmamenti imperfectionem obijceret, dicens: Si Deus es ut ego, fac [redacted]

nionem alias hanc habere fruſtra, falſò qui [redacted] rum eſſe genus? fortunam uerò omnia quæ apud mortales fiunt adminiſtrare?

VLYSSES, cùm uellet ipſum loco xenij Polyphemus mactare, ad Iouem conuerſus, ſic ait, apud Eurip. in Cyclope:

Ζεῦ ξένι᾽ ὅρα τάδε. εἰ γὰρ αὐτὰ μὴ βλέπεις:
ἄλλως νομίζῃ Ζεύς, τὸ μηδὲν ὢν θεός.

Iupiter, hoſpitalia hæc uide. ſi enim hæc non uideris, fruſtra crederis Iupiter, nihili exiſtens deus.

Prouidentiam MVLTOS negare ex infelicitate bonorum, & proſperitate malorum, Ouid. 3. Amorum 8. his uerbis, ſub ſua perſona impiè affirmat:

Cùm rapiant mala fata bonos, ignoſcite faſſo,
 Sollicitor nullos eſſe putare Deos.
Viue pius: moriere pius, cole ſacra: colentem
 Mors grauis à templis in caua buſta trahet.

Impium de Diis iudicium ſui temporis HOMINVM, Iuuenalis Satyra 13. ſic perſtringit:

Sunt qui in fortunæ iam caſibus omnia ponunt,
Et nullo credunt mundum rectore moueri,
Natura uoluente uices & lucis, & anni:
Atq; ideo intrepidi quæcunque altaria tangunt,
Eſt alius metuens ne crimen pœna ſequatur,
Hic putat eſſe deos, & peierat, atq; ita ſecum,
Decernat quodcunq; uolet de corpore noſtro
Iſis, & irato feriat mea lumina ſiſtro,
Dummodo uel cæcus teneam, quos abnego, nummos.

Cùm in conuiuio quodam Bononiæ, mira arte gallus aſſatus diſſectus fuiſſet, VNVS conuiuarum dixit; D. Petro hunc gallum in integrum reſtituere impoſſibile eſſe: alius uerò, Nec ipſe Chriſtus id præſtare poſſet. Ad has uoces ſtatim gallus ille proſiliit, & alis colliſis iuſculum in diſcumbentium ora diffundit. Blaſphemi leprà ſtatim hæreditaria puniti ſunt. Vincentius lib. 25. cap. 64.

### DE DIIS ETHNICORVM.

TYRII, audito uiſo, quod quidam in urbe apparens narrarit, Apollinem dixiſſe, Tyriam urbem ſibi deſerendam eſſe: catenis aureis Apollinis ſigno iniectis, deum in urbem retinere ſunt conati. At capta urbe, Apollini catenas & compedes à Tyriis iniectas Alexander detraxit, atque Philalexandrum appellari iuſſit. Herculi magnificentiſſimum ſacrificium peregit. Diod. lib. 17.

GOTHI olim deos ſibi aduerſos, diuerſis armorū generib. cōtra cœlum extenſis & emiſſis, putabant ſe terrere poſſe, & minis cogere. Olaus Magnus lib. 3. cap. 9.

### DE CVLTV DEORVM.

Vt Hebræi narrant, poſtquam urbs à Chaldæis capta eſt, templumque reſeratū, AMMONITÆ & MOABITÆ ingreſſi templum, uiderunt Cherubin protegentia propitiatoriū; & dixerunt: Sicut cunctæ gentes colunt ſimulacra, ita & Iuda habet ſuæ religionis idola, & idcirco iratus eſt eis Dominus, & tradidit eos captiuitati. Hieronymus lib. 8. in Ezechielem, cap. 25.

Hermes Triſmegiſtus in Aſclepio, alios deos dicit à ſummo Deo factos, alios ab hominibus: & poſt inquit, Quoniam proaui noſtri (de AEGYPTIIS loquitur) multum errabāt, circa deorum rationem increduli, & non animaduertentes ad cultum religionemque diuinam, inuenerunt artem, qua efficerent deos. Cui inuentæ adiunxerunt uirtutem de mundi natura cōuenientem: eamque miſcentes, quoniam animas facere non poterant, euocātes animas dæmonum, uel angelorum, eas indiderunt imaginibus ſanctis diuiniſque myſteriis, per quas idola & benefaciendi, & malè, uires haberent. D. Aug. lib. 8. de Ciuit. Dei, cap [redacted]

### DE INFERNO.

LVCRETII Epicurei peruagata eſt impietas, ſed utinam abſque imitatione. Is lib. 3. ſic ſcribit:

—Poſt mortem denique noſtram
Num quid ibi horribile apparet? num triſte uidetur
Quidquam? nónne omni ſomno ſecurius exſtat?
Atq; ea nimirum, quæcunque Acheronte profundo
Prodita ſunt eſſe, in uita ſunt omnia nobis:
Nec miſer impendens magnum timet aëre ſaxum
Tantalus, ut fama'ſt, caſſa formidine torpens:
Sed magis in uita diuûm metus urget inanis
Mortales, caſumq; timent, quem cuique ferat ſors.
Nec Tityon uolucres ineunt Acheronte iacentem,
Sed Tityus nobis hîc eſt, in amore iacentem
Quem uolucres lacerant, atque exeſt anxius angor,
Aut alia quauis ſcindunt torpedine curæ.

Iuuenalis ſatyra 2. HOMINVM atheorum de pœnis inferorum opinionem his uerbis exprimit:

Eſſe aliquos Manes, & ſubterranea regna,
Et contum, & Stygio ranas in gurgite nigras,
Atq; unà tranſire uadum tot millia cymba,
Nec pueri credunt, niſi qui nondum ære lauantur.
Sed tu uera puta. Curius quid ſentit, & ambo
Scipiadæ? quid Fabricius, maneſq;, Camilli?
Quid Cremeræ legio, & Cannis conſumta iuuentus,
Tot bellorum animæ?

### DE RELIGIONIS VERITATE.

Henricus Leo, Saxoniæ & Bauariæ dux, Hieroſolyma redibat Conſtantinopolim. In loco qui dicitur Axarat, occurrit ei SOLDANVS Turcorum princeps, amplexans & deoſculans ducem, ſuumque appellans conſanguineum: gratulatus incolumem ad ſe perueniſſe. Percunctatur dux, quid ſe ſuum dignetur uocitare conſanguineum, hominem de terra longinqua? Tum ille, Princeps Ruſſorum olim acceptà Teutonica coniuge filiam procreauit, quam in has terras nuptum dedit: unde mihi origo eſt. Placuit duci unde-[redacted]

ta Virgine carnem aſſumſit, qui hominem primum de terra uirgine plaſmauit: ſed omnium communis Dominus non uno uoluit ab omnibus honorari cultu. Cranzius libro 6. Saxoniæ, cap.33.

MATHIAS Coruinus, & GEORGIVS Poggiebrachius, ille Hungarorum, hic Boëmorum reges, morionum ſuorum ſingulari certāmine, religionis ueritatem examinandam cō miſere, ut fides partis uictricis uerior & ſanctior haberetur. Vicit autem Hungarus Boëmum. Bonfin. lib.2. Dec.4.

## DE SPIRITVVM *Reſtitutione.*

ORIGENES, ipſum diabolū atq; angelos eius poſt grauiora pro meritis & diuturniora ſupplicia ex illis cruciatibus eruendos atq; ſociandos ſanctis angelis credidit. Auguſt. lib.21. de Ciuit. Dei, cap.17.

### *Apparitione.* SPIRITVS *non rectè explorare.*

Caſſianus refert, HERODEM ſenem in Thebaidis deſerto annos quinquaginta commoratum, ſemperq; ieiuniis intē tum, ſuo tamen, non patrum arbitrio uixiſſe. Hic ergo à dæmone laudatus, cùm eū à Deo miſſum ad ſe de cœlo angelum credidiſſet, credidit etiam quod ab illo audierat, ſe ſcilicet tāti iam apud Deum meriti eſſe, ut ſi ex arduo aliquo lōco ad imum rueret, corpus ſuum affligi lædiue non poſſet. Itaq; immemor ſcriptum eſſe, Non tētabis Dominū Deum tuum: ſed potiùs in perniciem ſuam illud imprudenter amplectens, Angelis ſuis mandauit de te, ut in manibus tollāt te, ne offendas ad lapidem pedem tuum: noctu ſurrexit, & in puteum haud modicæ altitudinis ſe præcipitem miſit. Ad ſonitum caſus exciti fratres, ipſum ſemineceem extraxêre, & dæmonis præſtigias agnouêre. Sed ille in ſua ſuperſtitione perdurās, die tertio pòſt, uita defunctus eſt. Et quoniā in tali errore defecerat, uix illi à Paphnutio abbate, multorum precib. exorato, inter pios ſepultura cōceſſa eſt. Marul. lib.3. c.7.

De ALIO apud eundē ſcriptorem traditū eſt, ſuppreſſo nomine (quia adhuc ſupererat) quem captum diabolus diu ludificauit, noctu ad eum uentitās, & cellam ſplendore illuſtrās, multaq; ei occulta reuelans, ut poſtremò in erroris foueam incautum præcipitaret. Nihil illi ultrà ad promerendum gloriæ culmen deeſſe dixit, præter Abrahæ obedientiam: proinde Deo iubente ne dubitaret, filium, quem ſecum habebat, in holocauſtum offerre. Credidit miſer. Sed dùm præter cōſuetudinem cultrum in cote ſubigeret, & uincula præpararet, continuò pueri mens mali præſaga, ſuſpicari id quod erat, ac ſubinde quid ille acturus eſſet, paulò ſemotior, quàm ut ab eo comprehendi poſſet, ſpectare cœpit. Cumque iam aduerſum ſe inſurgentem uidiſſet, nihil moratus è cella ſe proripuit, & fuga ſalutem petiit. Ibidem.

Narrat idem, MONACHVM quendam Meſopotamenum, qui annos multos clauſus uixerat, continentiæ cæterarúmque uirtutum fama ſupra omnes inſignis, ſub angeli forma à diabolo deceptum, ita ut ad Iudaiſmum declinarit, & circumciſionem acceperit. Etenim multis illius non falſis reuelationibus, & coram ſe coruſcantis luce delinitus, firmiſſimè credidit, ipſum eſſe cœli, non tenebrarum ſpiritum. Vbi hoc perſuaſum eſt, illo tandem monſtrante uidere ſibi uidebatur, Apoſtolos martyreſq;, & omnem prorſus Chriſtianum cœtum, triſtes abiectoſq; in locis miſeriæ ac perditionis eſſe: econtrà uerò Iudaicum populum cum Patriarchis & Prophetis ingenti lumine fulgere, & altè ſidereis in ſedibus lætos ac geſtientes uerſari. His præſtigiis illectus, corruit in errorem. Ibidem.

## DE BEATITVDINE AVT DAMNATIONE.

*Ex Tit. Iudicii recti de Beatitudine quædam huc accommodari poſſunt.*

[redacted]

## DE DOCTRINA ET SCRIPTIS.

Aſinius Pollio bellum geſſit cum Illyriis. Quo uerò tempore cœpit Salonas illorum urbem, natus eſt ei filius, quem ideò Saloninum appellauit. VERGILIVS cùm in uerſibus Sibyllinis legiſſet, naſciturū per illa tempora admirabilem quendam puerum, qui orbem renouaret, uaticinium accommodauit puero in 4. Ecloga. nā ex aliis gentibus non arbitrabātur futurum, propter magnitudinem imperij Romani. Sed puer tenera ætate mortuus eſt. Alterum autem Aſinius habuit filium, hæredem familiæ, qui dictus eſt Aſinius Gallus. Ludouicus Viues in Eclogam quartam Virgilij.

GALENVS lib.2. de Diff. pulſ. cap.4. Moſis & Chriſti ſcholam reprehendit, quòd ſupponant multa, nihil probent. Et AVERROES, paſſim Legē Rationi opponit, & Dicētes eos appellat, qui ea, quæ rationis captum ſuperant, docent.

MANVEL Comnenus Conſtantinopoleos Imperator, ſub uitæ finem anathema in Mahometi deum holoſphyron, nec gignentem ſcilicet, nec genitum, catecheticis tabulis inter cæteras ſanctiones inſcriptum, paſſim aboleri & excindi, & à magnæ eccleſiæ tabula initium fieri uoluit, hunc prætextum adferens, Agarenos blaſphemiis eiuſmodi in ſuum deum magis magiſq; irritari & offendi, & longiùs à pia religione recedere. Inſuper edictum ſuapte auctoritate, & aulicorum miniſterio, repugnātibus ſacerdotibus, propoſuit, quo & Mahometi delirium defendebatur, & ſuperiores Imperatores ſacrorumque antiſtites apertè taxabantur, qui Deum uerum ineruditè & inconſideratè anathemate notari paſſi eſſent. Nicetas lib.7.

[redacted]

## DE SACRIS.

In Loënenſi pago Iuliacenſis Comitatus, anno MDLIX. die XVII. Decembris, Dæmonem, à quo obſidebatur puella quædam, rogare auſus eſt CVRIO, An bona eſſet miſſa, & quare ſimulac datum fuerat ſignum, puellam repentè ad miſſam cogeret? Satanas reſpondit, Sibi conſilium de hac re capiendum eſſe. Ita reuocabat ſtultus ille in dubium religionis ſuæ fundamentum, cuius Satanam conſtituebat iudicem. Bodinus lib.3. Dæmonomaniæ, cap.6.

## DE OPERIBVS.

Suidas & Nicephorus libro quinto, capite 32. aſſerunt, ORIGENEM in perſecutione ſub Decio ductum eſſe ad aram, ad quam impuriſſimus ſimul Aethiops conſtitutus eſſet: optionemq; ei datā, ut aut ſacrificaret, aut corpus ſuum Aethiopi contaminandum præberet. Tunc Origenem ſacrificare potiùs, quàm caſtitatem amittere maluiſſe. Pro qua impietate ab Eccleſia poſtea excommunicatus, Alexandria relicta, in Iudæam uenit.

D. BERNARDVS, cùm aliquando dixiſſet, Tentationes in religioſum aut non cadere, aut ſi incidiſſent, religioſum non eſſe æſtimandum: & hoc modo conſcientias fratrum non parum turbari animaduerteret. lacrymis, ſuam ignorantiam deteſtatus eſt, quòd perfectionem à fratribus ſcrupuloſè exegiſſet, in qua ſeipſum imperfectum inueniret. Auctor uitæ, lib.1. cap.6.

Malachias, qui poſtea Hyberniæ archiepiſcopus factus eſt, in diaconatu mortuos ſummo ſtudio ſepeliebat. Reprehenſus iccircò à SORORE, Quid ageret? ſineret mortuos ſepelire ſuos mortuos. Verba quidem Chriſti profers, reſpondit, ſed Chriſti mentem non intelligis. D. Bernardus eius uitam deſcripſit.

In Baſilienſi concilio LVDOVICVS Pontanus, Iureconſultorum ſui tēporis facilè princeps, ab Apoſtolis exemplum non ſumendum eſſe cōtendebat, quòd facta eorum miranda



eſſent magis quàm imitanda. Quam uocem alij ut impiam, alij ut ineptam magnoperè reprehenderunt. Aeneas Syl. lib.1. Baſilienſis concilij.

Circiter annum 1546. uno eodemq; tempore & HISPANIA in Magdalenæ Cruciæ abbatiſſæ D. Claræ Cordubenſis, & GERMANIA in Margaritæ Eſlingenſis puellæ operibus magicis diiudicandis, ad ſtuporem uſq; hallucinata eſt. Caſſiodori Renij prius acroama, poſterius recitat Lycoſthenes in Prodigiis.

## DE ORACVLIS ET PRAEDICTIOnibus. ORACVLA non rectè intellecta, De

### RELIGIONE MVTANDA VEL retinenda.

ROM. olim uelabant loca, quà ueheretur pompa ſacrorum. Cauſam tradit Verrius Flaccus apud Macrob. lib.1. Saturn. cap.6. qui ſcribit, quùm P.R. peſtilentia laboraret, eſſetque reſponſum, Id accidere, quòd dij deſpicerentur: anxiam urbem fuiſſe, quia non intelligeretur oraculum, eueniſſetque ut Circenſium die puer de cœnaculo pompam ſupernè deſpexerit, & matri narrârit, quo ordine Arcana pilenti, quod uehiculi genus eſt, compoſita uidiſſet. Qua re ſenatui nunciata, tunc placuit loca uelis contegi, qua pompa ſequeretur. Ac ita ex illo peſte ſedata, puer qui ambiguitatem ſortis abſoluerat, prætextæ geſtandæ munus impetrauit. Ambiguitas autem oraculi fuit in uerbo, Deſpicerentur: nam interpretabantur, deos & cæremonias negligi, quum tamen oraculum intelligi uellet, deos deorſum uerſum aſpici, quod nefas erat, & ad pollutionem ſacrorum pertinebat. [redacted] Polyd. lib. 6. cap. 11. de Rerum inuent.

### SANITATE RECVPERANDA.

PARMENISCVS Metapōtinus cùm in Trophonij lucū deſcendiſſet, ac aſcendiſſet poſtea, non ampliùs ridere poterat. Percunctanti ea de re oraculum, reſponſum fuit:

De riſu percunctaris me difficilis uir:
Ipſa tibi mater dabit, hanc uenerare reuerſus.

Cùm ſperaret igitur, ſi reuerſus eſſet in patriam, quòd riſurus foret, at nihilo ampliùs rideret: exiſtimans ſe deceptum eſſe, fortè uenit in Delum ad Latonæ imaginem. Atq; cùm exiſtimaret, matris Apollinis ſtatuam aliquam eſſe eximiā, ubi eam ligneam ac deformem uidit, præter opinionem riſit, ægritudineque liberatus, magnificè deum honoribus condecorauit. Athen. lib.14. cap.2.

### MORTE.

HESIODO poetæ datum fuerat oraculum, ut Nemæi Iouis templum fugeret. Cùm ergò Nemeam Peloponneſi fugeret, fortè in Oenonem Locridis peruenit, ubi Nemæi Iouis templum fuerat. Eo in loco incautus ab Amphiphane & Ganetore Phyſigei liberis, interemtus eſt, quòd ab eo uitiatam ſororem Ctemenem crederent, & ex eo ſtupro natum eſſe Steſichorum. Thucydides apud Gyraldum dialogo 2. hiſtoriæ Poëticæ.

EPAMINONDAS Thebanus acceperat ex Delphici Apollinis oraculo, Pelagus ſibi cauendum. Quare fuit illi præcipua cautiò, nè aut triremibus, aut oneraria unquā naui ueheretur. At præmonuerat deus, non mare, ſed ſaltum eum deuitandum ad Mantineam, cui Pelagus nomen, ubi occubuit. Pauſanias in Arcad. & Suidas.

CAMBYSI Perſarum regi oraculum Latonæ ex urbe Buti datum erat, eum in Ecbatanis uita exceſſurum. Intelligebat ille Ecbatana Mediæ. At cùm in Syria ageret, poſt interfectū Aegyptiorum deum Apim, equum conſcenſurus, gladius uagina nudatus, in femore regem uulnerauit. Metu & dolore territus, Quod nomen uicina urbs haberet? rogauit. Vbi Ecbatana eſſe cognouit, errorem ſuum agnoſcens, deſperabundus obiit. Herodot. lib.3.

LYSANDER, qui in totum ignorabat collem Archelidem & Alopocum, quem uocant, & Hoplitem amnem,

Terrigenumq;, dolo ſequitur qui terga, draconem:

in prælio profligatus iis locis & cæſus fuit ab Inachione ciue Haliarto, cuius clypeus inſigne habebat anguem. Plutarchus de Pythiæ oraculis.

PHILIPPO Macedoniæ regi mortem Pythia prædixit:

Taurus adeſt, & finis adeſt, ferietq; miniſter.

Et Græcis pariter:

O utinam fierem Iouis ales in æthere, iuxta
Thermodoontis aquas, procul ut bella horrida ab alto
Deſpicerem. Victus flet: at hic, qui uicit, obiuit.

Anceps hoc dictum Philippus in rē ſuam interpretatus eſt, ueluti ab oraculo prædiceretur, Perſam uictimæ inſtar mactatum iri. Sed contrarium ſignificabatur: Philippum ſcilicet in hominum conuentu, inter ipſa deorum ſacrificia, uti coronatum taurum interfici debere. Lætus proinde agebat, deos ſibi auxiliares, ad Aſiam in ſeruitutem Macedoniæ trahendam, fore exiſtimans. Cùm ampla ſacrificia in deorum honorem perageret, & Cleopatræ ex Olympiade uxore filiæ, Alexandro Epirotarum regi, Olympiadis fratri deſponſatæ, nuptias Aegis Macedoniæ urbe celebrare inſtituiſſet, atq; plures ex tota Græcia ad geniale conuiuium conuenirēt, magnificentiſſima certamina muſica, & conuiuia ad amicos & hoſpites accipiendos lautiſſima faceret: in mediis ſacris alba indutus ueſte, à Pauſania uno ex ſtipatoribus cæſus eſt, ad Thermodonta fluuium, ad Chæroneam, ubi paulo antè contra Græcos inſigni uictoria potitus fuerat. Indignè autem ferebat Pauſanias, quòd de illato ſibi ſtupro ab Attalo Olympiadis nepote queſtus, à rege inſuper irriſus fuiſſet. Diodorus lib.16. & Pauſanias in Arcadicis.

IDEM cùm conſuluiſſet Delphicum oraculū, Quid euitandū ſibi eſſet, quo ad iuſtam perueniret ſenectutem? Pythia Quadrigas uitare iuſſit. Quo audito, toto regno ſuo cùm omnes quadrigas amoueri iuſſiſſet, locūq; in Bœotia, qui Quadriga uocatur, nō adire uellet, demùm à Pauſania, qui quadrigam in capulo gladij cælatam habebat, occiſus eſt. Val. Max. lib.1. cap.8. & Cic. de Fato. Plut. in Alexādro. Alij dicūt, cùm circuiret Thebaicā paludem, cui Currus nomen erat, trucidatum fuiſſe. Aelianus de Var. hiſt. lib.3.

AESCHYLVS tragicus Athenienſis oraculo acceperat, Ex ictu deſuper ſibi pereundum eſſe. In Sicilia igitur exul, tecta uitabat, ne ruina illorum opprimeretur. Accidit ut ruri ſaxo inſideret, capite detecto. Quod cùm ſublimè uolans aquila, Morphnos dicta (cui teſtudines raptas frangere peculiare eſt) caluicij nitore eluſa, ſaxum eſſe putaret, teſtudinem marinam ei illiſit. Eo ictu Aeſchylus periit. Val. Max. lib.9. cap.12. & Gell. lib.17. cap.21. & Plin. 10. cap.3.

DAPHITAS Telmeſſenſis ſophiſta, cùm Delphicum oraculū ironicè conſuluiſſet, An equum inuenire poſſet quo ueheretur? Oraculum, poſſe quidem equū inuenire, reſpōdit, ſed ut eo deturbatus periret. Nec multo pòſt ab Attalo rege, quem grauiter olim offenderat, de ſaxo, cui Equi nomen erat, præcipitatus eſt. Cic. de Fato, & Valerius Maximus lib.1. cap. de Miraculis. Strabo in XIIII. libro Geographiæ & ipſe narrat, Daphitā, qui reges uerſibus læſerat, ab ipſis pœnā affectum fuiſſe: in crucemq; actū eo ipſo in loco, quem anteā oraculum ipſi editum oſtenderat: mōtem autem eum fuiſſe, qui uocaretur Thorax, cùm reſponſum eſſet, ut Thoracem caueret. Victorius lib.22. Var. lect. cap.18.

Cùm reſponſum à diis accepiſſet DIONYSIVS maior, Tunc moriturū, cùm meliores ſuperaſſet: ipſe in eum ſenſum accipiebat oraculum, ut referret ad Carthaginenſes, eos ſe meliores fortioreſq; eſſe arbitratus. Quamobrem ſæpe etiā habito cum iis conflictu, ſi res ad uictoriā ſpectare uideretur, ſubterfugere ſolebat, & ultrò uinci, ne fortioribus ſuperior fuiſſe uideretur. Verùm cùm eſſet parum bonus poëta, in feſto Bacchanalium, uiciſſe meliores poetas, Athenienſiū ſuffragiis iudicatus, uino nimiùm hauſto in gratulatoriis ſacris periit. Diod. lib.15.

ALEXANDER Epiri rex, Dodonei oraculi ſortibus iuſſus erat Acheruſiam cauere, Pandoſiamq; urbem. Ergo ut procul eſſet à Pandoſia Epiri urbe, & Acheronte eiuſdem fluuio, in Italiam tranſmiſit maturiùs, accitus à Tarentinis. Ibi uicit ſæpe acie Brutios & Lucanos, cepitq; non paucas eorum urbes. Tribus autem haud procul Pandoſia urbe tumulis ad Lucanos & Brutios fines infeſtandos cōmunitis, utq; inde quaq; uerſum hoſtes premeret: aſſidui imbres adeò interiacentibus campis inundauêre, ut exercitu triuariam intercluſo, nulli aliis ferre auxilium poſſent. Ea occaſionē hoſtes duo præſidia expugnant, & ducem ipſum magna cōpiarū parte exutū obſidione cingunt. Rex ipſe per medios hoſtes cum delecta manu erumpit, ducemq; Lucanorum cominùs congreſſum obtruncat, contrahenſq; ſuos in unū, denſo globo ad amnem peruenit, cuius pontem uis aquarum non multò antea diſcuſſerat. Hîc quum incerto uado tranſitum meditaretur, miles labore feſſus nomen fluminis regi abominandum fortè protulit, Iure, inclamās, Acheron nominàris. Quæ uox auribus excepta, ingentem regi dubitationem iniecit, an fluuium tranſiret. Eum ita cunctantem Sotinius miniſter admonet, Lucanos quærere locum inſidiis. Quos ubi ille reſpiciens in ſe ruere animaduertit, exerto gladio in fluuium deſiliit. Iam equus eum in aduerſa ripa ſtatuerat, quum Lucanorum unus ueruto transfixit. Strabo lib.6. & Sabel. lib.4. Ennead.4.

Oraculum ex Iouis Ammonis fano uetus de ANNIBALIS clariſſimi Carthaginenſium ducis exitu fuit:

Libyſſa corpus Annibal teget tuum.

Annibal ergo Africā ſuſpicabatur, & ſepulturam Carthagine, quaſi uitam illic tranſacturus. Eſt autem locus Bithyniæ ſabuloſus iuxta mare, nec procul exiguus uicus, Libyſſa dicitur: ibi fortè agebat Annibal exul. qui, quòd Pruſiæ regis ſemper ſuſpectam mollitiē haberet, & horreret Romanos,

ſeptem exitibus ſubterraneis iam ante domum ex tabernaculo ſuo aperuerat, alio aliis cuniculis, omnibus procul tamen occultè ſe efferentibus. Vt igitur præceptum T. Quintij Flaminij legati Romani Annibalem ſibi dedi à rege poſtulantis accepit, tentauit per cuniculos fugam: uerùm cùm in cuſtodias regni incidiſſet, ſtatuit mortem ſibi ipſi conſciſcere. Nonnulli referunt pallio eum collum obuoluiſſe, iuſſiſſeq; ſeruo, ut infixo clunibus genu ualideq; impreſſo ſtringeret id, & contorqueret, quoad eliſo ſpiritu necaſſet ſe. Alij eum Themiſtoclis & Midæ exemplo ſanguinem taurinũ hauſiſſe. Liuius libro octauo, Dec. 4. uenenum tradit eum, quod penes ſe habebat, miſcuiſſe, ſumtoq; calice dixiſſe: Liberemus tandem diuturna cura populum Romanum, quãdo mortem inuidioſi ſenis expectare, longum & graue cenſuit. Plutarchus in Flaminio.

APPIVS Claudius Achaiæ præfectus, bello ciuili, Cn. Pompeij & Cæſaris antiſtitem Delphicæ cortinæ in intimam ſacri ſpecus partem coëgit deſcendere: unde & certæ cõſulentibus ſortes petuntur, ita nimius diuini ſpiritus hauſtus reddentibus peſtifer extitit. Igitur impulſu capti numinis inſtincta uirgo, horrẽdo ſono uocis, Appio inter obſcuras uerborum ambages fata cecinit: Nihil (inquit) ad te hoc Romane bellum, Eubœæ cellam obtinebis. At is ratus conſiliis ſe Apollinis moneri, ne illi diſcrimini intereſſet, in eam regionẽ ſeceſſit, quæ inter Rhamnunta, nobilem Attici ſoli partem, Cariſtumq;, Chalcidico freto uicinam, interiacens, cellæ Eubœæ nomen obtinet: ubi ante Pharſalicum certamen morbo conſumtus, prædictum à deo locum ſepultura poſſedit. Val. Max. lib. 1. cap. 8.

IVDAS Settenſis, Eſſenus, cùm preuidiſſet diem, locumq;, in quo Ariſtobuli Iudæorum regis frater Antigonus occidi debebat, & eo die prætergredientem templum uideret, ſciretque diſcipulis à ſe ſignificatum, eo die Antigonum interfectum iri in Stratonis turri (quæ pluſquã ſexaginta ſtadia à Hieroſolymis aberat) addubitare cœpit, quorſum ea res euaſura eſſet. Interim ei nunciatur, in regia Hieroſolymis locum eſſe, quæ Stratonis turris nominabatur, & ibi Antigonum interfectum eſſe. Ioſephus lib. 13. cap. 19. Antiq.

Vidit in ſomnis VALENS Cæſar hominem quẽdam ſibi hæc uerba dicentem:

Magnum ad Mimantem uade feſtinus, te ibi
Extinguet horrentem grauis fati impetus.

Somno experrectus, aſtantes quæſiuit, quiſnam Mimas uocaretur locus? Et cùm tandem ex grammaticis quiſpiam, dixiſſet, Eſſe Aſiæ montem Mimanta, cuius & in Odyſſea Homerus meminiſſet: ridens Imperator ſuſcepit, Quę me urget neceſſitas hunc uiſendi, & fatum quærendi? Sed cùm contra Gothos pugnans, in tuguriolo circa Hadrianopolim Thraciæ exuſtus eſſet, abeuntibus illinc Barbaris, milites Valentis cadauer quæſiuerunt; & ibi inuentum eſt antiquum ſepulcrum, cum hac inſcriptione: Præfectus Macedonum Mimas hic ſitus eſt. Cuſpinianus.

HERACLIVS Imperator, cùm ei Stephanus philoſophus aſtrologus mortem ex aqua prædixiſſet, ciſternas terra congeſta omnes oppleuerat. At hydrope tãdem periit. Cedren.

MICHAEL Comnenus Palæologus Imp. cardiaca laborãs, fertur eos, qui adeſſent, percõtatus eſſe: Quo nomine locus ille uocaretur? Cùm Pachomij & Allages nomen audiſſet, cum alto ſuſpirio dixit: Hic ſibi finem inſtare. ſeipſum grauiter accuſans, quòd non ita pridem, honeſtum quendam uirum, nomine Pachomium, excæcaſſet, propterea quòd uulgi uoce ferebatur, Imperatori Pachomium exitialem fore. Gregoras libro 5.

ZENON Imp. poſt cladem ſuorum, in caſtellũ quod populares Conſtantinopolim uocabant, in tumulo ſitum, confugit. Vates conſtanter affirmarunt, cum Iulio mẽſe Conſtantinopoli futurum. Suidas.

FRIDERICO II. Imp. quidam ariolus prædixerat, moriturum eum in Florentino. Ergo in poſtrema illa è Thuſcia in Apuliam profectione, omni ſtudio agrum Florentinum uitabat. At cùm febri grauiter decumberet in arce Apulię, ſex millibus paſſuum diſtante à Luceria (Florentinum uocant) intellexit finem uitæ ſibi adeſſe. Collenutius lib. 4. hiſtoriæ regni Neapolitani, & Matth. Palmerius.

SYLVESTER II. Pp. reſponſum acceperat, Diu uicturum, ſi Hieruſalem non attingeret. Verùm dum pontificatus ſui anno quarto, menſe uno, die 10. in baſilica S. Crucis in Hieruſalem Romæ ſacrificat, errorem ſuum agnoſcens, ad populum conuerſus, mortem ſibi imminere ait: omneſq; ad pœnitentiam exhortans, cadauer ſuum bigæ imponi pręcepit, & illic ſepeliri, quò ab equis ſpontè deductum eſſet. Equi ad baſilicam Lateranenſem ſubſtitere. Platina in eius uita, & Vincentius lib. 24. cap. 98.

EZELINVS Romanus, Patauinus tyrãnus, à matre Adelheida monitus Caſſanum cauere, ignobilis uici neſcius, Caſſanum caſtrum in Paduanorum ac Hetruſcorum ſitum finibus fatale ratus, omni ſemper ſtudio uitauit. Tandem poſt ſeptuageſimum ætatis annum, dum ſumma ui Mediolanũ petit, ab omnibus fermè Longobardis circumuentus eſt. Iam pontem fluminis tranſiuerat: illic in extremis ſeſe caſibus uidens, loci nomen ſciſcitatus, ubi Caſſanum audiuit; adacto calcaribus equo in oppoſitum ſeſe flumen iniecit: Heu fatum ineuitabile, heu materna præſagia, heu arcanum Caſſanum, horrendo murmure uociferans: ac uix terræ redditus, ab hoſtium exercitu oppreſſus eſt. Petrarcha.

MACHABÆVS Scotorum rex, cùm Magduffum timeret, ab aruſpicibus monitus: fatidica mulier prædixit, Non illum manu caſurum nati ex muliere, nec priùs uincendum eſſe, quàm nemus Birnen ad arcem Dounſinnam, procul inde diſtantem, tranſlatum eſſet. Itaq; ſe & inuictum, & ab inſidiis tutum falsò credidit. Nam hoſtes, uti laterent, ex ſylua Birnen ſinguli ramum ſecum tulere, atque ita arcem cinxerunt. Occiſus denique à Magduffo, qui non natus, ſed exciſus ex uentre matris fuerat. H. Boëthius.

ANTONIVS à Leua, Carolum V. Cæſarem ad inferendum Gallo bellum animauit, ſeque ducem profeſſus, quamuis ſæua arthritide conficeretur, quòd à diuinaculis accepiſſet, ſibi in Gallia moriendum eſſe, & ad D. Dionyſij quieſcendũ. Id ille de uictoria Pariſios uſque extendenda interpretabatur. At longè aliter accidit. Nam Cæſariano exercitu dyſenteria confecto, Leua, aſſiduis confectus uigiliis & doloribus, in Narbonenſi Gallia periit, & Mediolanum relatus, ad D. Dionyſium tumulatus eſt. Sabell. ſupplem. lib. 20.

## INSIDIARVM.

Monuerant ſortes antiquæ CALIGVLAM Cæſarem, ut à Caſſio caueret; Qua de cauſa ille Caſſium Longi[illegible] Aſiæ tum proconſulem occide[illegible] Chæream centurionem Caſſium nominari. Suetonius in Caligula.

NERO, cõſulto Delphis Apolline, ſeptuageſimum ac tertium annum cauendum ſibi audiuit. quaſi eo demùm obiturus, ac nihil coniectans de ætate Galbæ, tanta fiducia non modò ſenectam, ſed etiam perpetuam ſingularemque concepit felicitatem, ut amiſſis naufragio precioſiſſimis rebus, non dubitarit inter ſuos dicere, piſces eas ſibi relaturos. Suetonius in Nerone.

MAVRICIVS Imperator, uaticinio quodam edoctus, percuſſoris ſui nomen à litera Φ ordiri, Philippicum ſororis ſuæ maritum falsò ſuſpectum habebat, quum eo Phocas ſignificaretur. Cedrenus.

ANDRONICVS Comnenus tyrannus, à litera I nomen eius, à quo imperio exuendus eſſet, incipere oraculo didicerat. Ergo dum Iſaacium Comnenum, [illegible] Sebaſtocratoris Manuelis Imp. fratris ex filia nepotem, qui Cypro occupata regnum affectabat, metuit: ab Iſaacio Angelo, quem propter ignauiam minimè ſuſpectum habebat, & uita & imperio priuatus eſt. Nicetas lib. 1.

ANDRONICO Iuniore Imp. ægrotante, eius iuſſu Conſtantinus Deſpota è carcere eſt emiſſus. Verùm paulò pòſt rurſus in eaſdem latebras coniectus: eo quòd fama eſſet, imperium ſeniore Imperatore Andronico defuncto, ei eſſe deſtinatum, cuius nomen à C litera inchoaret. Qua tamen Ioannes Cantacuzenus ſignificabatur. Gregoras lib. 9.

HERACLIVS Imp. oraculo monitus eſt, ut à circumciſis caueret. Omnes ergo Iudæos religioni Chriſtianæ nomina dare coëgit. Impetrauit illud idem à Dagoberto Francorũ, & Siſebuto Veſtgothorum regibus. Verùm cùm in exercitu haberet Saracenos, quorum opera contra Perſas uſus erat, dum illi ſtipendio ſe fraudari conquererentur, quæſtores eos tanquam canes maledictis inceſſebant. Illi ira accenſi, Damaſcum occuparunt, Aegyptum uaſtarunt, Arabiam ſubegerunt. Iudæos ergò uitauit: ſed Saracenos, qui etiam circumcidebantur, uitare non potuit. Blondus Decadis primæ libro nono, Regino libro primo, Otho Phryſingenſis lib. 5. cap. 9. Cuſpinianus.

## EXCIDII REGNORVM VEL VRBIS.

Vrbem olim in Olympo celebrem, Libethra nomine fuiſſe aiunt, qua mons in Macedoniam ſe immittit. Ab ea non longè Orphei monimentum abeſſe. LIBETHRIIS olim è Thracia à Liberi patris oraculo reſponſum allatum, A ſue urbem deletum iri, cùm primùm Orphei oſſa ſol aſpexiſſet: quorum hoc quidem fieri poſſe, ſed alterum impoſſibile ducentes ſecuri agebant. Accidit, ut paſtor quidam meridie recumbẽs feſſus ad Orphei tumulũ, in ſomnis cœperit Orphei uerſus magna & ſuaui uoce decantare. Vicini intermiſſo opere accurrunt: cumque alterum alter trudentes impellerent, dum propiùs quiſque ad paſtorem certat accedere, columnã euerterunt. Ea ruente fracta eſt urna: & Orphei oſſa ſol aſpexit. Nocte, quæ inſecuta eſt, ingenti aquæ ui de cœlo effuſa, Sus amnis (unus hic eſt de Olympi torrentibus) Libethriorum muros deiecit, ſacras & profanas ædes euertit, homines ipſos, & animalium cuncta, quæ intra mœnia fuerunt, extinxit. Quare deletis Libethriis, Macedones, qui Dion tenebant, Orphei oſſa Dion tranſlata ſibi uindicarunt. Pauſanias in Bœoticis.



SIPHNII inſulares propter fodinas metallicas maximũ theſaurum congeſſerant, & decimas illius quotannis Delphos mittebant. Conſuluerunt oraculum, Diúne præſentibus bonis frui poſſent? Pythia reſpondit:

ἀλλ' ὅταν ἐν σίφνῳ πρυτανήια λευκὰ γένηται,
λευκόφρυς τ' ἀγορή, τότε δὴ δεῖ φράδμονος ἀνδρὸς
φράσασθαι ξύλινόν τε λόχον, κήρυκά τ' ἐρυθρόν.

Oraculum euentus confirmauit. Habebant eo tempore Siphnij forum atque Prytaneum ex candido marmore Pario extructum. Samij cùm uelociſſimè ad Siphnum applicuiſſent, miſerunt ad urbem cum legatis nauem, quæ (ut naues antiquæ omnes) rubrica delibuta erat. Nuncij decem talenta mutuò petebant. Negantibus Siphniis, eorum agros populati ſunt Samij, eoſque ex urbe egreſſos cæciderunt, multoſq; ceperunt, quos centum talentis Siphnij redemerunt. Tunc tandem, quamuis ſerò, oraculum intellexêre, ligneum agmen & rubrum legatum nauem eſſe hoſtilem. Herodotus lib. 3.

Cliſthenes oppugnabat Cirrham. Oraculum habebant CIRRHENSES, inuictam urbem fore tantiſper, donec mare ſanctam terram attingeret. Cirrhenſes ſecuri agebant, cùm ſacra terra procul à mari abeſſet, ipſa uerò Cirrha ad mare porrigeret. Cliſthenes oraculo percepto, tum urbem tum regionem Cirrhenſem deo conſecrauit, ut uniuerſa ſancta facta, ſecundùm oraculum mare contingeret. Cùm id feciſſet, ſuperauit, terramque deo dedicauit. Polyænus libro tertio.

MESSANENSIBVS in Sicilia olim datum fuerat oraculum, Carthaginenſes urbis ſuæ lixas futuros. Itaque arbitrabantur, Carthaginenſes urbi Meſſanæ miniſteria pro ſeruis obituros, atq; inter ſeruitia Meſſanenſibus habendos. Qua ſpe ſublatis animis, Hamilcari Carthaginenſium duci magna confidentia ſeſe opponere auſi fuêre. Verùm capta urbe, Hamilcar Carthaginenſibus militibus tanquam ſeruis mandauit, ut ædificia cuncta diruerent, ſolo æquarent, neque tegulas, neque ligna, nec materiæ quicquam incorruptum diſſipatumque uſquam relinquerent, igni abſumerent, contuſa obtritaque diſpergerent. Itaq; deleta loci ſpecies, ac ſolum, ubi urbs prius ſteterat, proſtratum adeò proculcatumque apparuit, ut uix ulla habitationis uſquam ueſtigia diſcerni poſſent. Conſpicatus enim locum illum procul à reliquis inſulæ ſpaciis admodum remotum, præterea omnium quæ in Sicilia haberentur, maximè idoneum, alterum ex duobus ſibi faciendum arbitrabatur, aut deletum deſertumque penitùs reddere, aut tanta ruina obruere, ut neque tempore breui, neq; parua poſſet opera reſtaurari. Diodorus lib. 14.

## VRBIS EXPVGNANDÆ.

MYRTILVS tyrannus Conſtantinopolitanus, oraculum, quòd Byzantium non niſi per angelum capi poſſet, non intellexit: donec turris dicta Angeli, à Frãcis occupata eſſet. Aemilius lib. 6.

## BELLORVM EVENTVS.

PHOCENSES graui bello Theſſalorum propemodũ attriti, miſêre Delphos, qui de periculo propulſando oraculum cõſulerent. Qui miſſi fuerant, tale retulerunt reſponſum:

Mortalem atq; deum iubeo decernere ferro:
Victor uterque, aliud ſed enim mortalis habeto.

Phocenſes ignari quid ſibi uellet oraculum, trecentos ſpeculatores emittunt. Qui omnes ad internecionem cæſi ſunt cum Gelone duce ſuo. Ergo coniuges, liberos, fortunas omnes, quas agere quiſq;, aut ferre poſſet, in unum coëgerunt: & maximo extructo rogo, uiros 30. duntaxat reliquerunt, quibus imperarunt, ſi ita accidiſſet, ut qui ad prælium exiſſent, hoſtibus ſuccumberent, primò feminas ac impuberes omnes iugularent, deinde quas congeſſerant opes in rogum conijcerent, poſtremò & ipſi uel mutuis confoderent ſe uulneribus, uel ultrò in medium hoſtium equitatum ruerent. His ita conſtitutis, Telliæ Elei uatis conſilio contra Theſſalos copias educunt, & extrema deſperatione acti, uictoriam adepti ſunt omnium maximè inſignem. Ac tunc Apollinis ambiguum illud reſponſum omnibus innotuit. Cùm enim utrinque de more à ducibus militi teſſeræ darẽtur, fortuitò ad oraculi uerba appoſitæ datæ ſunt: à Theſſalis Itonia Minerua, à Phocenſibus gentis auctor Phocus. Pauſanias lib. 10.

DARIVS è Suſis mouerat cõtra Alexandrum, copiarum ſubnixus multitudine, fretuſque ſomnio quodam, quod blandiẽtes ei magis quàm pro uериſimilitudine interpretati fuerant magi. Macedonum enim agmen magno ignis fulgore uiſum eſt collucere: Alexander autem, quo antè ipſe indutus cultu fuerat, cùm regis eſſet aſcandes (id eſt nuncius: uel aſcantes, id eſt, cubicularius) ſibi miniſtrare, ac cùm in Beli templum eſſet ingreſſus, ex oculis eſſe ſubductus. Quo ſomnio potiùs portẽdit deus magnificas & claras res Macedonas geſturos, & potiturum Aſia Alexandrum, ſicut potitus ea Darius fuerat, ex aſcande factus rex, uerùm breui uitam cum gloria depoſiturum. Plutarchus in Alexandro. Sabellicus libro 4. Enneadis 4.

LACEDÆMONII optimis & ſanctiſſimis legibus à Lycurgo acceptis, poſt eius mortem non contenti ampliùs otio frui, cùm ſe Arcadibus præſtantiores eſſe arbitrarentur, de omni illorum terra occupãda Pythiam conſuluerunt. Quibus illa reſpondit:

Ἀρκαδίην μ' αἰτεῖς; μέγα μ' αἰτεῖς· οὔ τοι δώσω.
πολλοὶ ἐν Ἀρκαδίῃ βαλανηφάγοι ἄνδρες ἔασιν,
οἵ σ' ἀποκωλύσουσιν. ἐγὼ δέ τοι οὔ τι μεγαίρω.
δώσω τοι Τεγέην ποσσίκροτον ὀρχήσασθαι,
καὶ καλὸν πεδίον σχοίνῳ διαμετρήσασθαι.

Hæc reſponſa ubi accepére Lacedæmonij, à cæteris Arcadibus abſtinentes, bellum intulêre Tegeatibus, ferentes ſecum compedes: uidelicet captioſo freti oraculo, tanquam eſſent ipſi redacturi Tegeatas in captiuitatem. Verùm congreſſi prælio, ac fugati, quicunque eorum uiui ſunt capti, eiſdem, quas ipſi attulerunt, compedibus indutis, campum Tegeatem metiti fune coluerunt. Compedes, quibus uincti fuerant, ad noſtram uſque memoriam fuêre circa templum Mineruæ Aleæ, apud Tegeam ſuſpenſæ. Herod. lib. 1.

CLEOMENI Spartanorum regi oraculum Delphicũ reſponderat, eum Argos eſſe capturum. Sperabat ille, urbem Argos ſeſe euerſurum. At cùm Argios in aciem progreſſos, in luco quodam cõcluſos, igni iniecto cremaſſet, & cuius dei lucus ille eſſet, interrogaiſſet: ubi Argi eſſe cognouit, ab Apolline ſe deluſum conqueſtus, omnem Argos potiundi ſpem abiecit. Herodotus lib. 6.

PYRRHVS Epirotarum rex cùm uideret imperio orbis Romanos potentiſſimos inhiare, Apollinem de bello conſuluit. Ille ambiguè reſpondit hunc in modum:

Aio te Aeacida Romanos uincere poſſe.

Hoc dictum in ſuam ſententiam trahens, auxilio Tarentinis contra Rom. uenit, Leuinum conſulem apud Heracleam elephantorum nouitate turbauit: & alia, quæ recenſentur à Plinio de Viris illuſt. cap. 35. deſignauit. Eſt autẽ oraculi uerſus ex Ennio deſumtus, ut teſtatur Cic. lib. 2. de Diuin. Tandem tamen uictus diſcedere coactus eſt.

ALEXANDRVM Epirotarum regem, in Italiam contra Brutios tranſmittente, oraculum decepit tale,

πανδοσία τρικόλωνε, πολύν ποτε λαὸν ὀλέσσεις.

Eſt autem Pãdoſia urbs Lucaniæ. Interpretatus eſt ergo hoſtium cladem, non ſuam oraculo denotari. At euentus contrarium docuit. Strabo lib. 6.

AMILCARI Carthaginenſium duci contra Agathoclem Syracuſas obſidenti aruſpex inſpectis extis, eum poſtridie Syracuſis cœnaturum affirmauit. Ille dum Syracuſis ſe potiturum ſperat, eruptione ciuium captus, ea die inuitus Syracuſis cœnauit, & diris uexatus tormentis interiit. Diod. lib. 20.

PHILOMELO Phocenſi Delphicum oraculum conſulenti, factum eſt in Apollinis templo oſtentum huiuſmodi. Aquila ædem ſuperuolans, in terram ſe deuoluit, educataſque in templo columbas perſequebatur, ut earum aliquot ex ipſo altari arripuerit. Idipſum earum rerum periti Philomelo & Phocenſibus fortunatum exitum Delphici belli portendere affirmabant, quod nouennio durauit, uaria fortuna, ad extremum tamen cum Phocenſium excidio. Diod. lib. 16.

ALCIBIADES, qui ſuaſor fuit Atheniẽſibus belli Siculis inferendi, legatos ſubornauerat, qui ab Ioue Ammone reuerſi fuerant, cum ſortibus, quibus ſignificabatur, capiendos ab Athenienſibus omnes Syracuſanos. Quod oraculum cauillo anſam dedit. Nam profectis in Siciliam Atheniẽſibus, cùm cepiſſent nauẽ hoſtilem, ea portabat tabellas, in quas nomina ſua Syracuſani tributim perſcripſerant. Hæ procul urbe in æde Iouis Olympij fuerant depoſitæ: tunc autem ad conquiſitionem & delectum iuuẽtutis deportabãtur. Quæ ut captæ ab Athenienſibus & ad duces ſunt delatæ, atq; ingens numerus conſpectus eſt nominum: torſit res uates, ne fortè fatum hic impletum eſſet oraculi, quod dicebat, Athenienſes capient omnes Syracuſanos. Plut. in Nicia.

Apum examen conſedit in caſtris Druſi Imp. cùm proſperrimè pugnatum apud Arbelonem eſt, haudquaquam perpetua ARVSPICVM coniectura, qui dirum id oſtentum exiſtimant ſemper. Plin. lib. 11. cap. 17.

Cecinerant VATES antiquiſſimi, Romana arma Cteſiphontem tranſire nefas eſſe: & duces, qui auſi fuiſſent, pœnas daturos eſſe. Id quamuis aliquibus euenerit: fuerunt tamen aliqui, ut Galerius Imperator, qui & Cteſiphontem tranſiuit, & Romanos fines auxit ac dilatauit. Cuſpinianus.

IVLIANVS apoſtata Delphicum oraculum de belli Perſici euentu conſuluit. Reſpondit Apollo, Omnes nunc dij exci-

tati ſumus, ut feramus trophæa, Thera iuxta fluuium. Sed horum ego ductor ſum futurus ferus bellipotens Mars. Iulianus uictoriam ſibi pollicitus, in Perſica expeditione defunctus, omnibus dæmonibus de ſe triumphandi campum dedit liberrimum. Theodoretus lib. 3. cap. 21.

REGIS FVTVRI.

CROESVS cõſulto oraculo Delphico, Nunquid diuturnum habiturus eſſet imperium? à Pythia reſponſum accepit:

ἀλλ' ὅταν ἡμίονος βασιλεὺς Μήδοισι γένηται,
καὶ τότε Λυδὲ ποδαβρὲ πολυψήφιδα παρ' Ἕρμον
φεύγειν, μηδὲ μένειν, μηδ' αἰδεῖσθαι κακὸς εἶναι.

Crœſus nunquam ſperans fore, ut apud Medos mulus pro uiro regnaret, imperium æternum ſibi ipſi pollicebatur: non intelligens, per mulum ſignificari Cyrum, quippe qui ex duabus diuerſis gentibus ortus erat, generoſiore matre Mandane, quàm patre Cambyſe. Nam illa quidem Meda erat, Aſtyagis Medorum regis filia: hîc autem Perſa, & Medis ſubiectus. Herodotus lib. 1.

Datũ erat olim LACEDÆMONIIS oraculũ à Pythia: Sub claudo rege magnas illis calamitates impendere. Contendẽtibus autem inter ſe de regno Ageſilao, Agidis regis fratre, & Leotychide, Agidis filio: cùm altero pede Ageſilaus claudicaret, hęc in eum dixiſſe Apollinem cõtendebat Leotychides. At Ageſilaus in Leotychiden retorquebat, quòd neque legitimus, neque ab Agide, ſed ab Alcibiade apud Agidem exulante, illegitimo cum Timæa uxore Agidis concubitu, genitus eſſet. Lacedæmonij autem auctoritatem Lyſandri Ariſtocriti filij ſecuti, Ageſilao regnum decreuerũt. Pauſanias in Laconicis, & Plutarchus in Ageſilao: item Athenęus lib. 12. cap. 16.

Cicero libro 2. de Diuinat. Sibyllinorum oraculorum interpretem ſcribit Senatũ monuiſſe, eum, quem reuerà regem haberent, appellandum quoque eſſe regem, ſi ſalui eſſe uellẽt. Hanc occaſionem Cæſaris AMICI arripuêre, ut Cæſarem regem appellarent, adeoque de eo rege appellando, Idib. Martiis, niſi ea die à coniuratis cæſus fuiſſet, in Senatũ relationem habituri fuerant, ut Plut. in Bruto ſcribit. Apud Suetonium L. Cotta in libris fatalibus contineri ait, Parthos nõ niſi à rege uinci poſſe: eoq; Cæſarem regem appellandum. Cæterùm uti oraculum illud Sibylla de Chriſto naſcituro edidit: ita Sibyllinorum interpretes tempus iam huius oraculi adeſſe præuiderunt: amici uerò Cæſaris ad ipſummet Cæſarem, qui ut reuerà rex eſſet, regem tamen ſalutari ſe propter inſolentiam nominis non patiebatur, tam ſtultè quàm impiè tranſtulerunt.

IVDÆOS ad bellũ contra Rom. gerendum maximè excitauerat oraculum ambiguum, in ſacris libris inuentum, Quòd eo tempore quidam eſſet ex eorum finibus, orbis terræ habiturus imperium. Id illi quidem quaſi propriũ acceperunt, multiq; ſapientes interpretatione decepti ſunt. Hoc autem planè reſponſo, Veſpaſiani deſignabatur imperiũ, qui apud Iudæã creatus eſt imperator, inquit Ioſeph. lib. 7. cap. 12. belli Iud. At & ipſe decipitur. Chriſtus enim uerus Deus & homo ille fuit, ex Iudæis natus, qui totum ſubegit orbem.

Sethus magus, in aquis turbidis cõcitato dæmone, ANDRONICO Comneno Imp. de ſucceſſore interroganti, monſtrauit literas duas, ſ & I. Quibus dum Iſaacium Comnenum Iſaurum deſignari putat Andronicus, qui paulo antè Cypri tyrannidem inuaſerat, ab Iſaacio Angelo, quem ut effeminatum contemnebat, & uita & imperio priuatus eſt. Nicetas lib. 2.

DIGNITATIS ACQVIRENDÆ, SIVE *Pontificatus.*

HADRIANVS Cornetanus cardinalis, Leonis X. mortem expectabat, ex oraculo fatidicæ mulieris, quæ conſtanter affirmarat, Fore, ut Leoni immatura morte ſublato ſuccederet uir ſenex, nomine Hadrianus, obſcuro natus loco, literarũ ſtudiis inſignis, qui ſacros honores gradatim, ſolanixus uirtute meruiſſet. Hæc omnia ſibi uni apertè congruere putabat. Nam Corneto, infami Tuſcorum orę oppido, familia tenui, & propè ſordida ortus, uno bonarum literarum beneficio, ſingulas ſacrorum ordinũ dignitates fuerat conſequutus. At ſicuti uetulæ oraculum fidem non fefellit, ita Cornetanum fefellit. Neq; enim ipſe Leoni ſucceſſit, ſed Hadrianus ſenex Batauus, egeni opificis filius, doctrina illuſtris, poſt Leonem prodigioſa felicitate pontificatũ eſt adeptus. Iouius in Leonis uita lib. 4.

*Regni.*

Tarquinio Superbo regi prodigium domi apparuerat: anguis lignea columna ſubitò dilapſus, ingentem fugam in regia domo fecerat. Dionyſius ait, aquilas in palma, quę iuxta regiam, nidum habuiſſe, ubi illis abſentibus implumes pulli ſubito uulturum incurſu diſcerpti ſint. Rex futurorum ſollicitus, filios duos ad Delphicum miſit oraculum. His Roma proficiſcẽtibus, ludibrium potiùs quàm comes additus eſt Iunius Brutus, qui ſtupore & amentia ad tempus ſimulata, ſalutem ſibi, patriæque libertatem peperit. Erat ille Tarquiniæ filius, ut Dionyſius ſcribit, Priſco Tarquinio genitæ: alij eam Superbi regis ſororem prodiderunt. Bruti pater Iunius fuit, ab uno ex Aeneæ comitibus oriundus. Is cum maiore filio claræ indolis à Tarquinio interfectus, Brutum admodum adoleſcentẽ reliquerat. Qui domeſtica clade territus, longè diuerſum ab eo, quo erat, ſibi finxerat ingenium: unde ille à ſtupore, quem effinxerat, Bruti cognomẽ adeptus. Igitur quum regij IVVENES ſua Apollini dona attuliſſent, Brutus aurum corneo baculo, quem ad id affabrè excauauerat, incluſum, tacita ſui ingenij ambage deo obtulit, quũ lignũ interim dediſſe crederetur. Tum mandata patris duo fratres executi, futurorum, ut fit, ſolliciti, Pythiam conſulunt, Quis natorum poſt Tarquinium patrem eſſet Romæ regnaturus. Vox ex intimo ſpecu reddita eſt, eum qui primus oſculum matri daret, Romæ imperium habiturum. Oraculo decepti Tarquinij iuuenes inter ſe comparant, ut utri eorum, poſtquam domum ueniſſent, priùs mater occurreret, is eam oſcularetur. Erant Tarquinio regi tres uirilis ſtirpis filij, Titus, Aruns, & Sextus. Placuit duobus, qui aderant, rem ſilentio occultari, ut Sextus, qui domi relictus erat, expers imperij eſſet. Hæc illi. Brutus longè aliter rem interpretatus, uelut aliquid pede offendiſſet, in faciem procidens oſculo terram contigit. Mater omnium terra eſt. Sabellicus libro ſexto Enneadis ſecundæ, ex Liuio, & Valerius Maximus libro 7. cap. 3.

Velitris, ubi Auguſtus Cæſar natus eſt, antiquitùs tacta de cœlo parte muri, reſponſum eſt, Eius oppidi ciuem quandoq; rerum potiturum. Qua fiducia VELITRINI, & tũc ſtatim, & poſtea ſępius, penè ad exitium ſui, cum populo Romano belligerauerant. Serò tandem documentis apparuit, oſtentum illud Auguſti potentiam portendiſſe. Suetonius.

COLONIARVM.

ATHENIENSIBVS reſponſum è Dodona redditum fuerat, Siciliam coloniam deducẽdam. Non longè ab urbe aberat terræ non ſanè magnus tumulus, cui Siciliæ nomen. At illi oraculi uocem aliò trahẽtes, extra fines bellum inferre auſi, apud Syracuſas magna ſunt clade affecti. Pauſanias in Arcadicis, & Suidas.

CAPTIVITATIS.

SEDECIAS Iudeorum rex ſuſpecta habebat Prophetarum duorum oracula, Hieremiæ & Ezechielis: quòd hic quidem eum Babylonem nõn uiſurum affirmaret, ille uerò Babylonem uinctũ abducendum aſſereret. Cæterùm errorem eius res ipſa coarguit. Nam Babylonem uinctus à Nabucodonoſoro abductus fuit: uerùm oculis orbatus, urbem uidere nõ potuit. Ioſephus lib. 10. cap. 10. Antiq. Verba Hieremiæ ſunt cap. 34. Et tu non effugies de manu Nabucodonoſoris: ſed comprehenſione capieris: & in manũ eius traderis: & oculi tui oculos regis Babylonis uidebunt, & os eius cum ore tuo loquetur, & Babylonem introibis. Attamen audi uerbũ domini Sedecia rex Iuda, hæc dicit dominus ad te, Nõ morieris in gladio. Ezechielis uerò c. 12. hæc: Et extendam rete meum ſuper eum, & capietur in ſagina mea: & adducã eum in Babylonem in terram Chaldæorum: at ipſam non uidebit, ibique morietur.

EXVLVM REDVCENDORVM.

Theageni Thaſio, athletæ nobiliſſimo poſt mortem ſtatua poſita erat. Hanc cùm obtrectatorum quidam flagris cæderet: ſtatua ſubito caſu hominem oppreſſit. Filij huius ſtatuã de cæde poſtulant. Ea igitur THASIORVM ſentẽtia ex Draconis lege in mare abiicitur. Factũ hoc magna terræ ſterilitas per multos annos ſubſequitur. Thaſij Delphos mittunt ad conſulendũ oraculum. Reſponſum ferunt: Exules reuocandos. Illi omnes, quos nouerant, ab exilio reuocarũt. Nec tamẽ ſterilitas deſinit. Igitur iterum per legatos de ira deorum conqueſti ſunt. Reſpondit ipſis Pythia:

Theagenis at ueſtri nullam rationem habuiſtis.

Ibi per piſcatores in altum profectos, inter piſces etiam ſtatuam Theagenis in litus produxũt. Quam ubi in loco ſuo repoſuiſſẽt, ceſſauit quoq; ſterilitas. Pauſan. in Eliacis lib. 6.

## DE PRODIGIIS, OSTENTIS.

Bello Syracuſano, cùm NICIAS Athenienſium dux claſſem ſubducere ex portu Syracuſano uellet, & luna defeciſſet, uehementer perturbatus eſt. Prodigium erat alioquin id, ut Philochorus ait, fugientibus admodum fauſtum: ſiquidem occultari, quæ geruntur cum metu, quærunt, lucem habent infeſtam. Et quidem in ſolis & lunæ laboribus non niſi tribus diebus, ut annotauit in commentariis Autoclides, ſoliti erant ſibi cauere, & eos ſuſpectos habere. Nicias uerò alium ſuadebat expectandum lunæ ambitum, & relictis aliis penè omnibus digreſſus ſacrificauit reſes: quouſq; hoſtes eos fœdiſſimè circumuenerunt. Plut. in Nicia.

DE



## DE SOMNIIS. SOMNIA NON RECTE INTELLECTA.

AGAMEMNON Græcorum ad Troiam dux, Achilli Briſeidem eripuerat. Thetis pro filio Achille apud Iouem intercedit, ut propter iniuſtum regem Græcos Troianis inferiores reddat, donec reipſa ſentiant, quantum damni ex iniuria Achilli illata perceperint. Iupiter ſomnum mittit ad Agamemnonem, eumque properè copias educere iubet, νῦν γάρ κεν ἕλοι πόλιν εὐρυάγυιαν Τρώων, quòd nunc eſſet capturus Ilium. Iouis non eſt mentiri. Et tamen eo die urbem non cepit. Præuidebat Agamemnonis errorem Iupiter: & propterea in homonymo luſit. Namque aduerbium νῦν, Græcis non tantùm præſens inſtans ſignificat, ſed latitudinem habet, & ad præteritum, quod non multo antè præceſſit, & ad futurum, quod non longè abeſt, referri conſueuit. Iupiter igitur τὸ νῦν intellexit de decimo anno, in quo iam erant, quòd ſcilicet non longè abeſſet Ilij excidium. At Agamemnon de præſenti die ſomnium interpretans, Græcos eduxit in aciem, & magnam cladem paſſus eſt, Ioue Thetidi obſequente. Iliados β.

CYRVS Perſarum rex, contra Maſſagetas, ubi periit, ducto exercitu, per quietem imaginatus eſt, ſe Darium Hyſtaſpis filium maximum natu cernere, duas in humeris alas habentem, quarum una Aſiam, altera Europam inumbraret. Erat Hyſtaſpi Ariſtimẽti filio ex liberis Darius natu maximus, qui tum uiginti annos natus, in Perſide fuerat à patre relictus. Hyſtaſpem Cyrus ſomno experrectus, ſuſpenſuſque nocturna ſpecie, remotis arbitris affatus, ſe certo deorum monitu cõpertum habere ait, à Dario ipſius filio ſibi ſuoque regno inſidias parari. Iret ipſe domum, darétq; enixè operam, ut quum Maſſagetis uictis in regnum rediuiſſet, ſibi filium ſiſteret: interim in officio contineret. Hæc ille fatorum ignarus. Cæterùm imago illa periturum Cyrum ea expeditione monſtrauit, regnumque ad Darium haud multo pòſt peruẽturum, quod breuiſſimo Cambyſis regno interiecto accidit. Sab. lib. 6. Ennead. 2.

ONOMARCHVS, qui Philomelo Phocenſi, ſacrilegorum eorum, qui templum Delphicum ſpoliauêre, duci ſucceſſit, in quiete uiſus eſt ſibi uidere æneum Coloſſum, quem in Apollinis templo Amphictyones poſuerant, manibus ſuis in maius refingi, & ampliorem multo fieri. Hinc coniiciebat nominis amplitudinem ſibi in imperio deorum ope, adfuturam eſſe. Sed ſecùs ſe res habebat, contráque id portendebatur Phocenſibus, qui ob direptas res ſacras ab Amphictyonibus malè habiti fuerant, auctiorem pœnam Onomarchi manibus adiunctum iri. Itaque euenit. Diodorus libro 16.

Cùm obſeruata eſſet ANTIGONO Macedoniæ regi ſpecies in ſomnio, meſſem auream deſecantis Mithridatis, deliberatum habebat illum perimere. Quod eùm filio declaraſſet Demetrio, adegit eum ſacramento tacitum habiturum. Hic trahens ſecum Mithridatem, ambulanſque cum eo iuxta mare, in litore ferro imæ lanceæ exarauit: Fuge Mithridate. Quod ille intelligens profugit in Pontum, atque illic regnum perpetuò tenuit. Plut. in Apophthegmatib.

Eliſabella Darca, genere Lotharinga, & inter ruſticanas MVLIERES in tenui fortuna nata, cùm uicinis narraſſet, uideri ſibi magnum fulgur parere, ab eis haud longè pòſt irriſa fuit. Puellã enim enixa, nihil minùs quàm ullius magni effectus partum ediſſe uidebatur. Cæterùm puella, quæ nomine Iana Pulicella, hoc eſt, uirgo, nuncupata eſt, uictores Britannos (qui totam penè Galliam occuparant) eiecit. Fulgoſus lib. 1. cap. 5.

## DE ALIMENTORVM VSV.

MONACHI Clareuallis ſub diſciplina D. Bernardi, manibus laborantes, uictum duriſſimum & amariſſimum è ſterili terra productum, ſumma cum delectatione manducabant. At quia uoluptatem corporis pernicioſam eſſe audiuerant, ne hac ipſa delectatione peccarent, uerebantur. Gulielmus Epiſcopus Catalaunenſis ſuper ea re conſultus, apertè pronũciauit, Dei dona propter gratiam Dei recuſantem, inimicum eſſe Dei gratię, & Spiritui ſancto reſiſtere. Heliſæi exemplum imitandum, qui ollam amaritudinis, iniecto farinæ puſillo edulcorarit, ut in alimentum prophetarum apta redderetur. Ipſos quoque è ſterili terra amarũ ſumentes uictum, diuina gratia dulciſſimum perſentire. Itaque uoluptatem hanc non modò non ut ſuſpectam fugiendam, ſed ut ſymbolum diuinæ benedictionis amplectendam. Gulielmus abbas in Bernardi uita.

## DE VESTITV.

VVLSTANVS Vigorniẽſis epiſcopus, uilioris ſui ueſtitus ex ouinis pellibus hãc adducebat rationem, quòd non Feles, ſed Agnus Dei in templo cantaretur. Ranulphus lib. 7. cap. 8. Polychronici.

## DE CLADIBVS.

Gellius Annalium lib. 15. & Caſſius Hemina Hiſtor. libro ſecundo, referunt, anno ab urbe condita CCCLXIII. à Tribunis militum Virgilio Manlio, Cælio Poſthumio, collegíſque eorum in ſenatu tractatum, Quid eſſet, propter quod toties inter paucos annos malè eſſet afflicta reſpub? Et ex præcepto patrum L. Aquinium aruſpicem in ſenatum uenire iuſſum, religionum requirendarum gratia, dixiſſe, Q. Sulpitium Tribunum militum ad Alliam aduerſus Gallos pugnaturum, rem dimicandi gratia feciſſe poſtridie Idus Quintilis: item apud Cremeram, multiſque aliis temporibus & locis, poſt ſacrificium die poſtero celebratum, malè ceſſiſſe conflictum. Res delata fuit ad collegium PONTIFICVM. Hi ſtatuerunt, poſtridie omnes Calendas, Nonas, Idus, atros dies habendos: ut hi dies neq; pręliares, neque puri, neq; comitiales eſſent. Macrob. lib. 1. Saturn. c. 16.

## DE VICTORIA.

IO. Reuchlinus & HEN. Conr. Agrippa falsò tradiderunt, uictoriam aduerſus Lyſiam & Antiochum Epiphanem Machabæo Iudæ accidiſſe, quòd has quatuor literas militari ſigno impreſſiſſet מכבי quibus ſignificabatur מי כמוך באלים יהוה Quis eſt par tibi inter fortes, ô Iehoua? Atque hanc quidẽ bellicam fuiſſe teſſeram militibus imperatam ait, ſed per hos characteras uictoriam reportaſſe pernegat Bodinus lib. 2. Dæmonomaniæ, cap. 2.

## DE PAVPERIBVS.

AIGOLANDVS, rex Saracenorum, cùm fidem feciſſet Carolo Magno, multis uictoriis aduerſus ſe claro, baptiſmi lauacrum ſe poſtridie ſuſceptutum eſſe: fide accepta ad Carolum ipſa hora prandij uenit. Miratuſque regij conuiuij apparatum, ſeminudos inde quoſdam, humilius accubantes, ac terra penè nuda prandentes, Qui hominum hi eſſent, ſciſcitatus eſt, qui tam humiliter & pro deſpicatiſſimis diſcumberent? Cui Carolus: Sunt, inquit, hi, Aigolande, cœleſtis Dei nuncij, qui ad me uenerunt. Egóne, inquit ille, tuum iſtum ſequar Deum, cuius nuncios tu ita aſpernaris, ut quum cæteri lautiſſimè epulentur, ipſi omnium egentiſſimi, contemtui & ludibrio tibi ſint? ualebis cum fidei tuę inſtituto. Et cum his in caſtra reuerſus, futuro ſe pręlio accinxit. Sab. lib. 8. En. 8. ex Turpino.

## DE ANTICHRISTO.

IVDAS ſub Pertinace Hiſtoriographiam ſuperiorum temporum uſque ad decimum Seueri annum conſcripſit, & aduentum Antichriſti, ſuis temporibus futurum aſſeruit, quòd & uitia hominum & crudelitatem eò perueniſſe cernebat, ut diutiùs tolerari humanum genus à Deo non poſſet. Quæ res & Lactantium poſtea & Auguſtinum fefellit. Platina.

PASCHALIS II. Pp. anno 1104. (quo Germania & Italia horrendo ſchiſmate inter Henricum IV. Imp. & pontificem afflicta eſt) ut nouo eccleſiæ malo occurreret, Florentiam petiit, ibiq; cõuentu acto EPISCOPVM Florentinũ, Antichriſtum natum eſſe, temerè prædicantem, ex patrum auctoritate, perſpecta uaticinij uanitate, compeſcuit. Sigonius libro nono, regni Italici.

## DE IVDAEIS.

SENECA lib. de Superſtitione, inter alias ciuilis Theologię ſuperſtitiones reprehendit etiã ſacramenta Iudæorũ, & maximè ſabbata: inutiliter id eos facere affirmans, ꝙ per illos ſingulos ſeptẽ interpoſitos dies, ſeptimã ferè partẽ ætatis ſuæ perdant uacando, & multa in tẽpore urgentia non agendo lædantur. D. Aug. lib. 6. de Ciu. Dei, cap. 10.

PLVTARCHVS lib. 4. Quæſt. con. 5. de Iudæorum religione ſplendidè ineptit, dum totis uiribus oſtendere conatur, Deum, quem colunt, non alium quàm Bacchum eſſe. Nam, inquit, ieiunium quod uocãt mediis uindemiis agunt, menſaſq; proponunt uariorum pomorum, tabernaculaq; ſubeunt pampinis præcipuè & hedera contexta: & diem, qui antecedit feſtum, tabernaculum dicunt. Paucis diebus pòſt aliud feſtum apud eos, quod nõ obſcurè ſed manifeſtè Bacchi dicitur, agitant. Eſt etiam apud iſtos certum feſtum ramorum & frondium, quo frondes tenentes in templum ſuccedunt. Quid agãt ingreſſi, latet nos. Veriſimile eſt Bacchanalia agere. Etenim tubis minutis, ſicut Argiui Bacchanalibus Liberum patrem cientes, utuntur. Alij accedunt cithara canentes, quos hi uocant Leuitas, appellatione, ſiue à Lyſio, ſiue potiùs ab Euio, quæ nomina ſunt Bacchi, deducta. Nec Sabbatorum ſolenne alienum eſſe reor à Baccho. Sabbos enim uel nunc Bacchos uulgus dicere, atq; hanc, cùm Orgia celebrant, mittere uocem, ex Demoſthene certè & Menandro intelligere poſſumus. Nec eſt abſurdum, dictum feſtum eſſe ab agitatione, qua detinentur bacchantes. Illi etiam ipſi dicto noſtro ſuffragantur, Sabbatum ſe colere,

quòd inuitent ſe mutuò ad potandum & crapulæ indulgendum. Sin uerò quid rei grauioris impediat, deguſtãdum omnino certè arbitrantur uinũ. Pontifex feſtis prodit in publicum mitra redimitus, pelleque ceruina auro intertexta indutus & tunica talari cum cothurnis. Ex ueſte tintinabula dependent: quæ inter eundum reſonant, ſicut apud nos. Perſonant etiã in primis ſacris & dei nutrices, Chalcodrytas nominant. Præterea thyrſus, qui eregionè oſtenditur cœli impreſſus & tympana. Hæc nimirum nulli extra Liberum patrem deo conueniunt. Ad hæc non adhibent ſacrificiis ſuis mel, quòd appareat ab eo affuſo uinum deprauari. Etiam hoc libamina ſuppeditabat & ebrietatem, ante natam uitem. Et hac quoque memoria barbari, qui à uini uſu abſtinent, potionem bibunt mellitam, dulcoremque uinoſis radicibus & auſteris interpolant. Ea Græci agitant feſta, quæ Nephalia & Meliſponda uocant: quia pugnantis eſt mel cũ uino naturæ. Hunc porrò haberi apud eos deum illud quoque non paruo indicio fuerit: quòd inter multas, quæ apud eos ſunt, pœnas una ſit eximia, quæ iis, qui multantur, interdicit uino, quàm diu ſtatuerit, cui ius eſt plectendi.

# MIRACVLA DIVINA, A PIIS HOMINIBVS EDITA.

*Diuina Miracula duûm ſunt generum. Altera abſque hominis miniſterio à Deo uel intelligentiis bonis eduntur: eaq; ad Theatrum Intelligentiarum pertinent. Altera ab hominibus piis, diuina ope inſtructis. De quibus hoc loco. Conſule Titulos, Doctorum Eccleſiaſticorum, Prophetarum, Monachorum: item, Orationis effectus & uires. τὸ ὅτι nos ab hiſtoricis accipimus: τὸ διότι iudicent illi, quibus falſorum & uerorum miraculorum diiudicandorum poteſtas diuinitùs data eſt.*

## IN GENERE. MIRACVLIS CLARI.

IOANNES Euangeliſta (quẽ Ieſus amaſſe plurimùm dicitur) cùm à Patmo inſula Epheſum reuerteretur, Druſianam decunctam ab ipſo pheretro, quo ad ſepeliendum portabatur, ſanam ſurgere, ac domum redire fecit. Virgulta in aurum, litorales lapillos in gemmas mutauit. Ac ne diuitiis illi opus fuiſſe putes, eadem rurſum priſtinæ naturæ formæque reſtituit. Dianæ Epheſiæ templum funditùs euertit: præſentaneum uenenum inoffensè hauſit, eodemque hauſtu enectos ad uitam reuocauit. Marul. lib. 2. cap. 4. & Sab. lib. 2. c. 5.

PAVLVS, uas Spiritu ſancto plenum, Elymã magum fideles ludificantem, cæcitate damnauit ad tempus: ut quamdiu mentis oculos nõ haberet, nec corporis habere poſſet. Claudum à natiuitate ſanauit. Spiritum pythonicum à muliere expulit. Eutychum uitæ, Publij patrem ſanitati reſtituit. Sudaria & ſemicinctia à corpore eius ad ęgrotos delata morbo liberabant, immundosq; ſpiritus ab obſeſſis expellebãt. Ipſe à uipera percuſſus nihil ſenſit læſionis. Et cùm Philippis in carcere unà cum Syla diſcipulo compedibus uincti tenerentur, nocteque intempeſta Deo laudes concinerent: terra quatitur, carceris oſtia aperiuntur, uincula ſoluuntur. Poſtremò à magiſtratu, cuius iuſſu in carcerem coniecti fuerant, liberi dimittuntur. Marul. lib. 2. cap. 4.

GREGORIVS epiſcopus Agrigentinus, claruit tanta ſanctimonia, ut cæcos illuminaret, dæmones eiiceret, & omnis generis morbos ſolo manuum contactu curaret.

D. GREGORIVS Magnus Neocæſarienſis epiſcopus, ob frequentia miracula θαυματουργὸς dictus eſt, quibus Gentiles conuertebat.

AGAPETVM Synadorum epiſcopum Euſebius Pamphili multùm celebrat, mentionem faciens ingentium eius miraculorum: ut ſunt tranſlationes montium & fluminum, & mortuorum reſuſcitationes. Eum, dum miles eſſet, Maximinus ut Chriſtianum occidere uoluit, quòd multos eius facta ſupra modum mirari uideret. Suidas.

EPIPHANIVS Ticinenſis epiſcopus miraculis, tum aliis, tũ etiam in expellendis dæmonibus inclaruit.

SVLPICIVM Biturīcenſem epiſcopum dæmones uerbo fugaſſe, ægros oratione curaſſe, mortuos excitaſſe, Vincẽtius refert lib. 23. cap. 27. & 29.

Multis miraculis D. BENEDICTVS excelluit. Quare Iuſtinianus non ueritus eſt eum ſanctis, & quidem Apoſtolis comparare, ut ait Leo Hoſtienſis, & Gregorius Turon. lib. 2.

D. BERNARDVS miraculorum, quæ fecit, non ſe auctorem, ſed miniſtrum tantùm eſſe credidit, ſolique Deo, quicquid fecit, adſcripſit, imò ſe nihil boni aut uelle aut poſſe, niſi inſpirante & operante Deo, & ſenſit & dixit: miracula non ad ſui commendationem, ſed potiùs aliorum commonitionẽ fieri aſſerens. Ipſius de ſuis miraculis iudicium extat lib. 3. cap. 6. in uita ipſius. Aliquando ad ſuos domeſticos oratione conuerſa, dixit: Plurimùm miror, quídnam ſibi hæc miracula uelint, aut quid uiſum ſit Deo talia actitare per talem. Nihil mihi uideor in ſacris paginis ſuper hoc genere legiſſe ſignorum. Siquidem facta ſunt aliquãdo ſigna per ſanctos homines & perfectos, facta ſunt & per fictos. Ego mihi nec perfectionis conſcius ſum, nec fictionis. Scio enim ſanctorum mihi non ſuppetere merita, quæ miraculis illuſtrentur: confido autem, nec ad eorum ſortem me pertinere, qui uirtutes multas in nomine Domini operantur, & à Domino ignorentur.

GOTHARDVS epiſcopus Hildesheimẽſis miraculis claruit. Nam ad eius aduentum in Longingaha quodam pago immundus ſpiritus à femina exiit. In Huginhuſen puerum paralyſi & lepra laborantem, claudumq; ſanitati reſtituit. Mulierculę ex oculis laboranti flores rubicundos celaſtri cruce inſignitos miſit. Quos ut illa oculis admouit, ſtatim omnis ceſſauit dolor, & oculi ſanitati reſtituti ſunt. Schafnaburg.

VVLSTANVS epiſcopus Vigornienſis miraculis clarus fuit. Cùm ob inſcitiam literarũ eum Lanfrancus in ſynodo Londinenſi ſede remouendũ eſſe cenſeret, Vulſtanus ſe inſignia epiſcopatus ei, cuius beneficio accepiſſet, redditurũ reſpondens, profectus eſt ad ſepulcrum Edouardi: & exuto inſigni ueſtitu, baculum paſtoralem tã altè monumẽto lapideo infixit, ut nulla inde ui extrahi poſſet. Quo miraculo rex Gulielmus Cõquæſtor & Lanfrancus territi, ut ſuo liberè deinceps honore fungeretur obnixè rogarunt. Polydorus libro nono. Diabolum ſæpe prouocauit, eumque proſtrauiſſe fertur. In ſummitatibus exitium & ruinam minitantium fabricarum ambulare ſolebat. Quemuis fractum pontem intrepidè, etiam eques, tranſire audebat. Ranulphus lib. 7. capite 8. in Polychronico.

D. ELIZABETHÆ Andreæ Hungariæ regis F. Ludouici Thuringiæ Lantgrauij uxoris miracula, pete ex Bonfinij libro 7. Decadis 2.

## IN SPECIE. VTPVTA

### VITIA COGNOSCERE, COMPESCERE, redarguere.

MEDERICVS abbas apud Edunum ſanctitate clarus, cùm monachum libidinoſis cogitationibus æſtuantem tunica ſua induiſſet, eiuſmodi moleſtia liberauit: diſcedentiſque ab illo immundi ſpiritus ululatus auditus eſt, & ipſe in caſtitatis propoſito abſque laſciuiæ prurigine purè integreque permanſit. Alius frater Mederici reliquiis de menſa collectis atque hauſtis, uagæ mentis inquietudinem repreſſit, cùm antehac tali dæmonis illuſione ſollicitatus, perſiſtere in eccleſia omnino non poſſet, ſed ſemper, priuſquam ſolennis precatio peracta foret, egrederetur. Marulus libro 5. capite 7.

HILARION habebat hoc donm, ut ex odore corporum ueſtiumque earum rerũ quas quis tetigerat, ſciret cui dæmoni, uel cui uitio ſubiaceret. Hieronymus in uita Hilarionis.

BENEDICTVS abbas, cùm fratrem quendam à diabolo ludi audiſſet, eius uicem dolens, ad monaſterium, ubi is habitabat, acceſſit: uiditque ipſum ab Aethiope puero extra eccleſiam per ueſtem trahi, dum cæteri fratres pſallere cœpiſſent. Inſecutus ergo eum, atque increpans, uirga percuſſit: neque ipſe poſtea eiuſcemodi mentis inſtabilitatem paſſus, cum aliis in oratione perſeuerauit. Marulus lib. 5. cap. 7. Sabellicus libro 10. cap. 3.

D. BERNARDVS fratri cuidam, quem propter latens crimen à communione ſuſpenderat, accedenti, non quidem communionem negauit, ſed Deum deprecatus eſt, ut hominis temeritatem caſtigaret. Mox ille Euchariſtiam in ore retinuit, nec ad interiora traiicere potuit, donec & fateretur delictum, & ueniam peteret. Quo facto, ſine difficultate deglutiuit. Auctor uitæ.

### MORBOS TOLLERE, SANITATEM reſtituere.

*Vide Tit. Morborum miro modo curatorum. Hic de morborum curatione in genere tantùm.*

IADON propheta Bethelæ Hieroboamum, Iſraelitarum regem, idolo ſacrificantem increpuit, aduerſa illi familiæque eius prædicens. Iratus rex cùm manum extendiſſet, iuſſiſſetque apprehendi hominem, continuò arefactam retrahere nequiuit. At eius miſertus uir Dei, pro ea manũ Deum rogauit, priſtinæque eam ſanitati protinùs reſtituit. Marulus lib. 3. cap. 3. & Sabel. lib. 5. cap. 1. ex 3. Reg. cap. 13. & Ioſepho lib. 8. cap. 9. Antiq.

PAVLVS Apoſtolus non uerbo tantùm & manuum attactu, ſed & ſudariis, aut ſemicinctiis ſuis, quæ ægrotis imponebãtur, grauiſſimos morbos atque etiam dæmoniacos Epheſi ſanauit. Actorum 19.

PETRVS Apoſtolus etiam umbra ſua multos ſanaſſe ſcribitur, Actorum 5.

Theodoretus narrat lib. 4. cap. 16. BARSIS epiſcopi Edeſſeni lectulum in Arado relictum, ægrotis in eum collocatis, priſtinam ualetudinem per fidem reſtituiſſe.

Cùm D. HILARION precibus ſuis triennalem ſiccitatem abegiſſet, in eremo circa Aphroditon urbem, ſiticuloſa, arenoſaque regio, poſtquam pluuiis irrigata eſt, tantã ſerpentum & uenenatorum animalium ex improuiſo multitudinem protulit, ut innumeri, niſi ad Hilarionem accurriſſent, interituri fuerint. At ſumto ab illo benedicto oleo, agricolæ atque paſtores tangentes uulnera, conualuere. Hieronymus in eius uita.

GERMANVS Antiſiodorenſis epiſcopus, cùm puella luminibus capta ipſi in Britannia eſſet oblata, Pelagianis eiuſmodi curationem à ſe amoliẽtibus, inuocato Trinitatis numinæ, capſulam Sanctorum reliquiis refertam oculis puellæ admouit, ac ſtatim, tenebris cæcitatis expulſis, illuminauit. Sigonius lib. 12. Imp. occid.

S. MARTINVS, Treueris puellam paralyſi correptam liberauit: Tetradi proconſularis uiri ſeruum à dæmonio aſſeruit: in eadem urbe dæmones è coquo eiecit. Pariſios ingreſſus, obuium ad portam leproſum, uno duntaxat oſculo, ſpectante turba, mundauit. Quartanariam Arborij puellam ſola curauit epiſtola. Cilicij fimbriæ, deuotione ſubtractæ, uariis morbis medebantur. Paulino oculum, panniculi contactu, ſublato dolore, reſtituit. Bonfinius lib. 5. Dec. 1.

LVPVS Trecaſſenſium epiſcopus, paralyticam diuino uerbo mulierem curauit: multos à diuerſis languoribus aſſeruit. Bonfinius lib. 4. Decadis 1.

Dauidis Scotiæ regis filium aſperſum aqua benedicta, MALACHIAS Hyberniæ archiepiſcopus ſanauit, adiiciens: Confide fili, non morieris hac uice. Auctor uitæ.

In ciuitate Auxitanorum, quæ Vaſconiæ metropolis eſt, miles quiſpiam multis diebus lecto decubuit. Ad quem cùm rumor ſignorum D. BERNARDI ueniſſet, ſtatuit ipſum inuiſere. Cumque aliquot dierum iter confeciſſet, occurrit illi quidam in uia, qui percunctabatur, Quónam iter faceret, & qua de cauſa? Quæ ubi indicaſſet, iubetur domum redire, fore, ut conualeſcat. Idque euenit. Bernardus per iocum dicere ſolebat, Hoc ſibi ſic imputandũ, ſicut ei, qui conſcius non fuerit. Auctor uitæ lib. 4. cap. 1. Eiuſdem pileus Petro Aſturẽſi epiſcopo capitis dolores ademit. Cingulo ipſius ligatus hydropicus, curatus eſt. Monachus quidam linguæ uſu aliquandiu priuatus, hauſta aqua per Bernardum ſacrata, & uino permixta, uocem recuperauit. Auctor uitæ.

IDEM Spiræ à templo ad hoſpitiũ à Conrado rege III. Germanorũ deductus, puerũ pedibus captũ, qui curandus offerebatur, excepit, ac ſignatum ita dimiſit, ut repentè exclamãtibus omnibus ſigna recuperati gręſſus oſtenderit. In ſacello inde epiſcopi, eodem pręſente rege cæci oculos reſtituit, ac mutæ linguam in eloquium ſoluit: ac pauperculos aliquot à rege ipſo oblatos, ſigno Crucis facto omnibus infirmitatibus liberauit. Sigonius lib. 11. regni Ital.

Gregorius Turonenſis çap. 85. de Gloria confeſſorum, de SYLVESTRI Cabillonẽſis epiſcopi lectulo funibus ligato, mira quædã narrat. Febricitantes poſiti ſubtus hunc lectũ, recreati & refocillati ſunt. Multos dicit ſeſe uidiſſe, qui abſciſſis particulis de funibus lectuli, cùm infirmos hiſce tangerẽt, priſtinæ reſtituerint ualetudini. Matrem ſuam ait, particula abſciſſa de iſtis funibus, puellam febricitãtem, cùm de collo ſuſpenderet, ſanaſſe.

ELPHEGVS Cantuarienſis archiepiſcopus oratione peſtilentiam ſedauit. Marul. lib. 3. cap. 3.

ANTONIVS monachus ordinis fratrũ Minorũ, cuidã confitenti, ꝙ ira concitatus patrẽ calce feriiſſet, calcem illam abſcindi dignã dixit. Ille id pro peccato apponi ratus, domum abiẽs, pedem ſibi amputauit. Poſtea reuerſus, Cur claudicaret? cùm ab eodem rogaretur: Impleui, inquit, quod dignũ iudicaſti. Obſtupuit Antonius: & pro illo Deum precatus, membrum, quod mutilatum erat, reſtituit. Marul. lib. 4. cap. 10. & lib. 2. cap. 12. & Fulg. lib. 6. cap. 9.

ZOSIMAS Phœnix, eremita, oculum excuſſum nobili matronæ, Arceſilai uxori, oratione reſtituit. Euagrius lib. 4. cap. 7.

VENERANDA uirgo, tortoris ſui oculũ bulloris aſpgine cæcatũ, terra ſaliua diluta liniẽs reſtituit, & ipſum tãdẽ patiẽtia ſuperatũ, Chriſto credere cõpulit. Marul. l. 3. c. 3. & Sab. l. 5. c. 3.



Captiua MVLIER Chriſtianã apud Iberos, precibus ſanauit Iberũm puerũ, quem hinc inde fruſtra deportatũ nemo ſanare poterat. Et hæc occaſio conuerſionis Iberorum. Ruffinus lib. 1. cap. 10. Socrates lib. 1. cap. 20. & Sozom. lib. 2. cap. 6.

### VENENA VINCERE.

CONRADVS Conſtantienſis epiſcopus, araneum calici ſacro illapſum, ſine noxa hauſit.

VRBANVS VI. Pp. ueneno acerrimo petitus, ut penè ab omnib. mors uicina eſſe crederetur: innixus uerbo euãgelij, Si mortiferũ ꝗd biberitis, nõ nocebit: liberatꝰ eſt, nõ ſine dolore maximo, ſed ſine adhibito remedio. Cranz. l. 10. Met. c. 14.

### VOCEM ADIMERE.

ALEXANDER epiſcopus Cõſtãtinopolitanus, philoſopho multa obgannienti cõtra Chriſti fidem, ſilentium ſola uóce impoſuit. Sozomenus lib. 1. cap. 18.

### MORBOS IMMITTERE.

HELISÆVS Giezi famulum perfidum, lepræ morbo, à quã Naamanem Syrum liberarat, affecit. 3. Reg. 17.

ALEXANDER epiſcopus Conſtãtinopolitanus philoſophorum principi, cũ quo iuſſu Conſtantini Magni diſputare debebat, in nomine Ieſu Chriſti præcepit, ne loqueretur, Et ille repentè obmutuit.

DOMITIANVS Tungrorũ epiſcopus, ſeculo ſexto poſt Chriſtũ in ſynodo Aurelianẽſi elata manu hæreticos excæcauit.

MARCVS è Ieſuatorũ ordine Patauij (idiotæ ſunt illi, manuũ labore, horti uineæq; cultu, eleemoſynis uiuunt) forum ſtipis cauſa circumiens, uimina ſaligna à ruſtico in eleemoſynam petebat. Improbus ille per iocum uti faſcem uicini ſui non animaduertentis ſecũ, ſi uellet, auferret, innuit. Paruit ille, rem ſeriam eſſe putans. Ruſticus alter, ubi illum ſe incõſulto faſcem aſportare uidit, hominem conſectatus, baculoq; percuſſum, furti inſimulauit. Marcus abiecto faſce, mutus diſceſſit. Quem cùm ruſticus tollere uellet, brachium obtorpeſcere ſenſit, factiq; pœnitens, quantocyùs potuit Marcum adiit, ſupplex peccati ueniam petiit, & precib. Marci, ſanitatem recuperauit. Bern. Scard. lib. 2. claſſe 6. hiſt. Pat.

### A MORTVIS EXCITARE, SIVE *Homines.*

*Vide Tit. Mortui reſuſcitati. Illic Patientium, hic Agentium habetur ratio.*

HELIAS Sareptanæ uiduæ filium Ionam reſuſcitauit. Euſebius de Prophetis.

HELISÆVS mortuus ſolo attactu mortuum reſuſcitauit. 3. Regum 18.

Ad MATTHÆI apoſtoli pręces, Egippi Aethiopum regis filius, qui fuerat mortuus, ſurrexit uiuus: mortiq; pariter & diabolo ereptus, Chriſto uiuere cœpit, contemtis idolis baptiſmũ ſuſcipiẽs, ac Deo credẽs. Marul. lib. 2. c. 4. Sab. l. 2. c. 5.

D. GERMANVS Tornoduri mortuum, qui ſe è Britannia ſequutus fuerat, diſcipulũ excitauit, eũq; rogauit, Anne ſecũ ulteriùs militare uellet? Reſpõdit is, Sat ſibi eſſe militatum, ſeq; cumulatiſſimis militiæ præmiis perfrui: proinde orare, ſe miſſione donaret. Quieſce (Germanus inquit) ac uale. Ergo depoſito capite in Domino obdormiuit. Bõfi. l. 4. Dec. 1.

FRIDOLINVS Viator, Vrſum Claronenſem, defunctum, ut ſibi aduerſus fratrẽ eius Landulphum, donatam ab eo hæreditatẽ negãtem, teſtimonium in foro diceret, reſuſcitauit, ſecumq; ex Clarona ad pagum Rheticum Rancquil per ſex miliaria deduxit, qui coram Lantgrauio de iniuria cum fratre Landulpho expoſtularet. Quo miraculo Lãdulphus territus, ſuam & ipſe partem hæreditatis Fridolino donauit.

MAVRILIVS Andegauenſis epiſcopus, puerũ baptiſandum, at inter ſacrificandum mortuum, poſt ſeptennium à morte reſuſcitauit, baptiſauitq;. Marul. lib. 4. cap. 10. & lib. 2. cap. 12. & Fulgoſ. lib. 6. cap. 9.

ANATOLIA uirgo, Audacem (à quo anguſto carceri cũ terribili ſerpente incluſa erat) cùm is oſtium poſtmodũ reſeraſſet, morſu & ſinuoſo ſpirarum uolumine extinctũ à ſerpente, oratione ſua uitæ reſtituit. Marul. lib. 3. c. 3. & Sab. l. 5. c. 3.

CHRISTINA uirgo & martyr (cũ pro fide & ueritate præter alios horrẽdos cruciatus etiã ſerpẽtes in eam miſſi fuiſſent, ſed mordere omnino nollent: ueneficũ autem, à quo irritabantur, rabidis ictibus interemiſſent) Chriſtum precata, & ſerpentes in fugam conuertit, & ab eis peremtum ad uitam reuocauit, & eundẽ iam credentem ad certã beatitudinis ſpem erexit. Marul. lib. 3. c. 3. & Sab. lib. 5. c. 3.

SYLVESTER Pp. cùm diu pro religione Chriſtiana aduerſus Phariſæos ex iuſſu Helenæ Conſtantini Imp. matris Romæ diſputaſſet, uentumq; eſſet ad miracula: Iudæus Mambri magus taurum ferociſſimum magicis incantationibus interfecit. At hunc eundem Sylueſter uiuum & manſuetum reddidit: quod ille efficere nequibat. Marulus lib. 2. cap. 7. Cedrenus in Hiſtor. compendio.

D. GERMANVS, Gallorum epiſcopus, quum Rauennæ morãm traheret, à Placidia ad conuiuium inuitatus, aſello ſuo

in regiam uectus eſt. Inter epulas rumor aduenit, aſellum improuiſa morte ſublatum eſſe. Regina pro aſello pulcerrimum & manſuetum equum adduci iuſſit. Germanus uerò aſellum ſuum afferri petit. Allatum humique iacentem uidens, Surge (inquit) Muſcio, & ad hoſpitium reuertamur. Ad hæc uerba, ueluti ſomno excuſſus ſurrexit aſellus, ac dominum ad hoſpitium retulit. Bonfinius lib. 4. Dec. 1.

### CADAVERA A PVTREDINE PRÆSERVARE.

Cùm Sueno Daniæ rex, tum in ſuos ſubditos, Chriſtianam doctrinam amplectentes, tum in uicinas gentes ferro & igni ſæuiret, nec precibus aut muneribus placari poſſet: LIBENTIVS Hamburgenſis archiepiſcopus, gladium Eccleſiæ diſtringens, effecit, ut per annos ſeptuaginta ſit integer in ſepulcro repertus: donec Adeluardi miniſterio, quem Albertus Hamburgenſis archiepiſcopus miſit, ſolueretur à uinculis. Solutione facta, in cineres redactus eſt: ut Cranzius lib. 3. Metrop. cap. 42. & 48.

### CADAVERA RESOLVERE.

ADELVARDVS, Sueonum apoſtolus, à rege Noruagiæ Haraldo (Olaui martyris, olim regis, fratre) inuitatus, in Noruagiam nauigauit. & inter alia religionis officia, quum ad tumulum hominis ante LX annos defuncti perduceretur, ſtupente populo, quum adhuc integrum hominis cadauer cerneretur: in ſpiritu cognouit, eum excommunicationis maledicto teneri laqueatum. Erat autem ex iis, qui ſenioris Libentij archiepiſcopi Hamburgenſis tempore, ditionem Bremenſis eccleſiæ depopulati fuerant: quos Libentius maledictionis gladio ferierat. Quumq; interpoſita prece pontificis Adeluardi abſolueretur, mox ſolutus in cinerem recidit. Cranzius lib. 4. Metrop. cap. 33.

### INTERFICERE. MORTEM IMMITTERE.

GREGORIVS Ponticus, Iudæum mortuum ſe ſimulantem, reuerà mortuum fecit. Peſtilentiam quibuſdam infidelibus immiſit. Nicephorus lib. 6. cap. 17.

GENNADIVS patriarcha Conſtantinopolitanus clericum quendam fani S. Eleutherij malè uiuentem cùm ſæpe obiurgaſſet, neq; tamen inflectere poſſet, rem ad ſanctũ Eleutherium detulit, eum in ſuo templo cuiuſdã miniſtri eius opera, ſic alloquens: Diue martyr Eleutheri, aut corrige clericũ tuum, aut excinde. Illicò clericus expirauit. Cedrenus.

### DÆMONES AD OFFICIVM COGERE.

CVNEGVNDIS Imperatrix, Henrici II. uxor, dæmonem ſtupendæ molis marmoreos lapides ad Bambergenſis templi extructionem comportare coëgit. Peluim quoque numis plenam in medium poſuit, unde nemo operariorum, præter iuſtam laborum mercedem, quicquã auferre potuit. Chronicon Saxoniæ.

### IGNEM EXCITARE.

GENOVEPHA, quum in ſabbato ſub gallicinio ad diui Dionyſij baſilicam egrederetur, ecce funale prælatum extinguitur: turbantur uirgines, comiteſq; eius, ne quid per noctem turpitudinis horroriſue paterentur. At illa funale ſibi dari iubet. Quod ubi in ſacra manu conſtitit, protinus incenſum eluxit, admotumque languentibus pleroſque curauit. Bonfinius lib. 5. Dec. 1.

### DÆMONES PELLERE

*E Loco, è Statuis.*

IOANNES Euangeliſta ſuperato ueneno, dæmonem in Dianæ templo ducentos & quadraginta nouẽ annos commoratum, his uerbis loco expulit: Interdico tibi in nomine Ieſu Chriſti Nazareni, ne ultrà hic habites: & confeſtim deceſſit Epheſo. Quocirca iuſſu Domitiani in Pathmon inſulam exul deportatus eſt. Abdias.

In nomine Chriſti SIMON apoſtolus ſimulacrum Solis comminuit: & IVDAS Lunæ, dæmonibus inde uiſibiliter Aethiopum forma expulſis. Dæmonem ex Solis idolo fugauit D. THOMAS: draconem ſub Martis ſtatua in Scythia exeuntem profligauit PHILIPPVS apoſtolus: ſeptem dæmones ſimilitudine canum inter monumenta commorantes ſecus uiam, prætereunteſq; grauiter lædentes, abegit D. ANDREAS. Abdias de hiſtor. Apoſtolorum. Sic in Capitolio draconem clauſiſſe SYLVESTRVM, & Philippum Leuiathan fugaſſe, traditur.

GREGORIVS Ponticus dæmonem in Apollinis ædem, ſua præſentia fugatum, per epiſtolam redire iuſſit. Ruffinus.

D. Auguſt. lib. 22. de Ciuit. Dei, cap. 8. cùm aliquot miracula recitaſſet, quæ ideo edita ſint, ut homines in Chriſtum credãt, ponit talem hiſtoriam: Vir tribunitius Heſperius in territorio Fuſſalenſi fundum habens, Cubedi appellatum, ubi cum affectione animalium & ſeruorum ſuorum, domum ſuam ſpirituum malignorum uim noxiam perpeti compeperiſſet, rogauit Hipponenſes presbyteros, ut aliquis eorum eò pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit VNVS, obtulit ibi ſacrificium corporis Chriſti, orans quantum potuit, ut ceſſaret illa uexatio. Deo protinus miſerante ceſſauit. Acceperat autem ab amico ſuo terram ſanctam, Hieroſolymis allatam, ubi ſepultus Chriſtus die tertio reſurrexit: eamque ſuſpenderat in cubiculo ſuo, ne quid mali etiam ipſe pateretur. At ubi domus eius ab illa infeſtatione purgata eſt, quid de illa terra fieret, cogitabat, quam diutiùs in cubiculo ſuo reuerentiæ cauſa habere nolebat. Lauat. 3. parte de Spectris cap. 10.

VVLSTANVS Vigornienſis epiſcopus, diabolum ſæpe ad luctam prouocauit, eumq; proſtrauiſſe fertur. At quoties in eum diabolus regij ſatellitis formam præ ſe ferens intuebatur, totus expalleſcebat. Ranulfus lib. 7. Polychronici.

In agro Furnenſi diabolus, qui ſe Gerardum Bethaniæ ducem mentiebatur, multiſq; hominibus ſuis præſtigiis moleſtus erat, à RADVLPHO diacono adiuratus eſt, ut dæmonem ſe eſſe, fateri cogeretur. Chronicon Flandriæ.

*Ex Hominibus.*

*Vide Tit. Dæmoniaci curati.*

Cùm in Thietmarſia ſub archipræſule Hartuico ſolennia miſſarum faceret EVERMODVS epiſcopus Raceburgenſis, accidit, ut homicidium fieret. Epiſcopus interea populum erudiens, inter alia de diuino præcepto charitatis inſeruit, cùm in oratione Dominica poſtulemus, dimitti nobis, quẽadmodum & nos dimittimus. Cõuerſus in illum, ad quem occiſi proxima pertinebat iniuria, orabat, ut culpam remitteret occiſori. Vbi ille non moueretur, deſcendit ex ambone põtifex, & ſacris reliquiis in manu geſtatis, ꝓcidit ad pedes eius, orans ueniã occiſori. Ille per Deum, & quicquid eſt ſanctum iurat, nunquam ſe dimiſſurum. Exurgit pontifex, & cõtemnenti benedictionẽ, alapam duriſſimè inflixit. Ille manibus ſtatim coniunctis, ueniam conceſſit. Itaq; per alapam uir ſanctus dæmonem, qui cor eius tenebat aſtrictum, effugauit. Cranzius lib. 5. Vandaliæ, cap. ult.

Virgo quædam, Immia nomine, grauiter à dæmonio uexata, ad VICELINVM epiſcopum Aldeburgenſem in Vandalia perducta eſt. Qui quum interrogaret ex ſpiritu, Cur uas incorruptum temerare præſumſiſſet? reſpondit, Quia ter me offendit. Bis enim fures ad perfodiendam domum miſſos ipſa clamore ſuo abſterruit. Nunc quoque legatione principis noſtri in Daniam functurus, uidens hanc in uia, tertiò offenſus, in eam ſum ingreſſus. Sed quum uir Dei coniuraret eum, ait, Cur expellis paratum ultrò egredi? iam enim abibo ad proximam uillam, uiſitaturus ſodales meos, qui illic latent: hoc enim in mandatis accepi, priuſquam in Daniam proficiſcar. Quod tibi eſt nomen? rogat Vicelinus, aut qui ſocij tui? uel cum quibus habitant? Ego, inquit, Ruffinus uocor: unus ſociorum meorum eſt cum Roteſto, alter cum muliere quadam eiuſdem oppidi. Hos hodie uiſitabo: cras, priuſquam prima pulſata fuerit, huc ualedicturus reuertar, & tunc in Daniam proficiſcar. Et hæc dicens uirginem dimiſit. Iuſſit eam Vicelinus refici, & craſtina ante horam primam reduci in eccleſiam. Quam quum manè parentes ad eccleſiam ducerent, priuſquam limen calcarent, prima pulſari, & uirgo cepit uexari: nec tamen Vicelinus prius abſtitit, quàm idem ſpiritus, potentia Dei fugatus abſceſſit. Rodeſtus breui maligno ſpiritu correptus, laqueo ſemetipſum ſtrangulauit. In Dania quoq;, occiſo Erico rege, perturbatio grauis orta eſt. Cranzius lib. 6. Metrop. cap. 26.

*E Brutis.*

*Vide Tit. Bruta cicurare.*

Ad HILARIONEM bruta quoq; animalia quotidie pertrahebantur, in quib. Bactrũ camelum enormis magnitudinis, qui iam multos obtriuerat, triginta & eò ampliùs uiri ſoliſſimis funibus ligatũ cũ clamore adduxerunt. Sanguinei erant oculi, ſpumabat os, uolubilis lingua turgebat, & ſuper omnẽ terrorem, rugitus perſonabat immanis. Iuſſit igitur eum dimitti ſenex. Statim uerò & qui adduxerãt, & qui cum ſene erant, uſq; ad unũ omnes diffugere. Porrò ille ſolus perrexit obuiã, & ſermone Syro: Non me, inquit, terres diabole tanta mole corporis: & in uulpecula, & in camelo unus atq; idẽ es. Et interim porrecta ſtabat manu. Ad quem dum furens, & quaſi eum deuoratura bellua perueniſſet, ſtatim corruit, ſubmiſſumq; caput terræ coæquauit: mirantib. cunctis qui aderant, poſt tantã ferociam tantã ſubitò manſuetudinem. Docebat autem ſenex, hominum cauſa diabolum etiam iumenta corripere: & tanto eorũ ardere odio, ut non ſolùm ipſos, ſed eã, quæ ipſorum eſſent, cuperet interire. Huiuſque rei proponebat exemplum, quòd antequam beatum Iob tentare permitteretur, omnem ſubſtantiam eius interfecerit. Nec mouere quempiam debere, ꝙ domini iuſſione duo millia porcorũ à dæmonibus interfecta ſunt: ſiquidem eos qui uiderant, non potuiſſe aliter credere, niſi exiſſe de homine tantam dæmonum multitudinem, niſi grandis porcorum numerus, & quaſi à multis actus, pariter corruiſſet. Hieronymus in uita Hilarionis.



### ANIMALIA INFESTA, BELLVAS, FERAS capere, conficere, abigere, cicurare, domare, ſedare.

HIEREMIAS propheta ex urbe Aegypti Taphnas abegit aſpides. Eam ob cauſam mortuum diuinis proſecuti ſunt honoribus. Euſebius de uitis Prophetarum.

REGVLVS epiſcopus, Ioannis apoſtoli diſcipulus, in Gallia plurimos baptizauit. Accidit inter concionandum, ut ranarũ è proximo lacu coaxantium ſtrepitu præpediretur, ne cõmodè audiri poſſet. Igitur ut ſilerẽt, imperauit: atq; ex illo etiamnum lacũ illum ranis quidem refertũ, ſed nullam earum uocalem eſſe aſſeuerant. Ranæ obmutuerunt, & homines confiteri Chriſtum cœperunt. Marul. lib. 3. cap. 4.

HILARIONIS pomariũ cùm onagrorũ grex uaſtaret, unũ è ductoribus eorũ ſtare iuſſit, baculoq; tundens latera: Quare, inquit, comeditis quod non ſeminaſtis? Et exinde, exceptis aquis, ad quas potandas uentitabãt, nunquam eos nec arbuſculam, nec holera contigiſſe, Hieronymus teſtatur.

Ad Epidaurum Dalmatiæ oppidum, Draco (quos gentili ſermone Boas uocant, ab eo quòd tam grandes ſint, ut boues glutire ſoleant) omnem latè uaſtabat prouinciam: & nõ ſolũm armenta & pecudes, ſed agricolas & paſtores tractos ad ſe, ui ſpiritus, abſorbebat. HILARION cùm pyram iuſſiſſet præparari, & oratione ad Chriſtum miſſa, euocato populo, præcepiſſet ſtruem lignorum ſcandere, ignem ſuppoſuit, & cũcta ſpectãte plebe, immanẽ beſtiã cõcremauit. Idẽ.

ANATOLIA uirgo, anguſto carceri incluſa, cum terribili ſerpente, & oratione ſua illæſa manſit, & tandem dracone relegauit. Marul. lib. 3. cap. 3. & Sabel. lib. 5. cap. 3.

SEVERINVS in Pãnoniæ finibus abbas, locuſtas Cuculli caſtelli agrum deuaſtantes, precibus ſuis & Eccleſiæ, exterminat. Ac ne caſu aliquo diſceſſiſſe uiderentur, pars earum nõ minima in cuiuſdam agro reſedit, qui cum aliis ad orãdum non uenerat. Marul. lib. 2. cap. 2.

DONATVS Eureæ in Epiro antiſtes, cùm ad χαμαιγέφυρας locum dictum draco terribilis (quem octo boum paria uix loco mouere potuerunt, cùm interfectus eſſet) excubaret, qui armenta, pecudes & homines deuorabat: eum crucis ſigno digitis facto adortus, & ſaliua patenti rictui iniecta, interfecit. Quem poſtea incolæ, ne aërem inficeret, protractũ igni combuſſerunt. Nicephorus lib. 12. cap. 45.

ROPHILVS & MERCVRIALIS epiſcopi, draconem uincunt. Vide Tit. Chriſtianorum preces exauditæ.

Romæ iuxta ædem S. Luciæ baſiliſcus, dirum ſerpentis genus, eſt ortus, qui uenenato ſpiritu ſuo omnib. qui ad cauernã eius accedebant, repentinum afferebat interitum. Trepidantibus ad tantum periculum uniuerſis, LEO IV. Pontifex ſolenni ieiunio ac precatione perfectis, in die Aſſumtionis è Patriarchio exiit, & cum hymnis ac canticis ſancta præcedente imagine ad baſilicam S. Adriani martyris pedibus cum clero proceſſit. Inde ad baſilicam S. Virginis ad Præſepe perrexit: &, cùm ad ſpecum, ubi cubare ſerpens diceba-tur, appropinquaſſet, caterua fidelium, qua ſtipabatur, ſubſiſtere iuſſa, interrito animo ad os ſpecus, unde peſtifer erũpebat afflatus, acceſſit, atque oculis palmiſque in cœlum intentis, Deum omnipotentem, ut tetra illa peſte populum liberaret, orauit. Quo facto, repentè fœdũ uirus illud ſerpentis euanuit. Ex Platina & Erfordienſe Sigon. lib. 5. regni Ital.

Fuſniaci in nouo quodam oratorio incredibilis muſcarũ multitudo ingredientibus moleſta fuit. Cumq; nullum aduerſus eas eſſet remedium, dixit D. BERNARDVS: Excommunico eas. atque protinus ea nocte omnes ſunt mortuæ. Idẽ cùm Catalauno diſcederet minùs idonea tempeſtate, accidit, ut equorum alter elaberetur. Cùm comites fruſtra eum comprehendere tentaſſent, dixit ille, Oremus. atque uix recitata oratione Dominica, ſua ſponte rediit, ſeque ſuo ſeſſori reddidit. Auctor uitæ.

PATRICIVS Hybernorum epiſcopus, ſuis precibus omne animal uenenatum ex inſula abegit.

IOANNEM epiſcopum Bergomenſem equo ferociſſimo inſidere fecerat Iunipertus rex Longobardorum, propter admonitionem liberam, ſperans hac ratione illum è medio auferri poſſe. Videns autem equum manſuetiſſimum redditum, ueniam petiit, & equum cum multis aliis donis ei cõceſſit, quæ priores reges Eccleſiæ eripuerant.

BENNO Oſnaburgenſis epiſcopus, ſua diœceſi gliribus interdixit: qui intra annos trecentos eò non rediiſſe feruntur.

MARTINVS Dalmata eremita, urſum, qui ei aſellum interfecerat, manſuefecit, eumq; aſini uices ſubire & ad cellam uſque ſe deferre iuſſit. Beſtia dorſum homini præbuit, quæ aſello antea non pepercerat. Marul. lib. 4. cap. 5.

FLORENTINVS Nurſię eremita, urſũ cicurauit. Marul. 5. c. 2.

BRIGIDA uirgo, aprũ ferociſſimũ, qui in pecudũ gregẽ irruerat, adeò mitẽ reddidit, ut eidem gregi ipſum præfecerit paſtorem. Marul. lib. 4. cap. 5.

PAVLVS monachus Britannus, ab Elduco abbatẽ ſegetis matureſcentis cuſtodiæ præfectus, cùm graculorũ agmen eò delapſum depaſcere cepiſſet agrũ, eis in nomine Domini, ne auolarent, præcepit: & non ſecùs atq; quadrupedes ante ſe ad Abbatẽ egit. Quo admirante, quid hoc ſibi uellet? Frumenti ſe uaſtatores ad illum adduxiſſe, ut pro culpa punirentur, reſpondit. At ille protinus illæſos dimitti iuſſit. Marul. lib. 5. cap. 3. & Sab. lib. 5. cap. 7.

### HOSTES PROFLIGARE, DOMARE, Placare.

*Conſule Tit. Bella diuinitùs confecta.*

Benadadus Syriæ rex magnam manum equitum miſerat, qui ELISÆVM prophetam Dothane comprehenderent: eum enim omnia ſua ſecreta conſilia, Iſraelitarum regi indicare ſciebat. Manè Eliſæus per medios hoſtes egreſſus, ut ſe ſequerentur iuſſit, cæcitateq; illis incuſſa, in mediam duxit Samariam. Ioramo autem rege eos tanquam hoſtes uincere & interficere uolente, prohibuit, utque eos conuiuio exceptos dimitteret imperauit. Libro 4. Regum, cap. 6.

IACOBVS Niſibenus epiſcopus ſub Conſtantino miraculorum dono clarus, Saporis Perſarum regis Niſibin obſidẽtis exercitum, crabronum & culicum acie diuinitùs impetrata, profligauit. Vide Tit. Theologorum quarti ſeculi.

Oneraria naui B. HILARION è Dalmatia in Cyprũ uehebatur. Cùm inter Maleã & Cytheram piratæ, derelicta claſſe, in litore, quæ nõ antẽna ſed conto regitur, duob. haud paruis myoparonibus occurriſſent, & denuò hinc inde fluctus occurrerẽt, remiges omnes, qui in naui erant, trepidare, flere, diſcurrere, præparare contos, & quaſi nõ ſufficeret unus nuncius, certatim Hilarioni piratas adeſſe dicebant. Quos ille procul intuens ſubriſit, & cõuerſus ad diſcipulos dixit: Modicæ, inquit, fidei quare trepidatis? Nunquid plures ſunt quàm Pharaonis exercitus? tamẽ oẽs Deo uolẽte ſubmerſi ſunt. Loquebatur hic, & nihilominùs ſpumantib. roſtris hoſtiles turmæ imminebant, iactu tantùm lapidis medio. Stetit ergo in prora nauis, & porrecta contra uenientes manu, Hucuſq; (ait) ueniſſe ſufficiat. O mira rerũ fides, ſtatim reſilucre nauiculæ, & impellentib. cõtrà remis, ad puppim impetus redit. Mirabantur piratæ, poſt tergũ ſe redire nolẽtes: totoq; corporis nixu, ut ad nauigium peruenirent laborantes, ualociùs multo quàm uenerant, ad litus ferebãtur. Hieronymus in uita Hilarionis.

Armoricanos qui defecerant, Aëtius Valentiniani III. dux, aliis curis implicitus, Eocharico Alemanorum regi ſubigendos tradidit. Is, ualidſſimo cõparato exercitu, caſtra in eos promouit. Armoricani, ubi tantam in ſe ruentẽ molẽ uiderunt, ad Germanũ Antiſiodorenſem epiſcopũ confugerũt, eumq;, ut incolumitatẽ ſibi procuraret, orarunt. Paruit eorũ uoluntati GERMANVS, ac regẽ, progreſſus obuiã, cũ exercitu cõſiſtere, manu freno equi iniecta, coëgit, eumq;, ut pacem populis daret, admonuit. Ille rem ad Aëtium, Aëtius ad Valentinianum reiecit. Germanus ad Valentinianum Rauennam iter ingreſſus, ibi obiit. Sigon. lib. 13. Imp. occid.

Oppreſſi à Pictis atq; Scotis Britanni, reliquis abſciſſis auxiliis legatos ad Aetiũ Valentiniani III. ducẽ, in Galliã opẽ implorantes miſerunt, atq; ab eo uetus legionis auxilium impetrarunt. Cęterùm cum in caſtra cõpulſi uires ſuas hoſtib. impares iudicarent: Sanctorum, qui tũ in inſula erant, præſidiũ inuocarunt. qui aduenientes tantũ alacritatis omnibus iniecerunt, ut maximi acceſſiſſe uires exercitus crederẽt. Hoſtes aũt, cùm per dies Quadrageſimæ exercitũ ſalutari lauacro à ſacerdotib. accipiendo intentũ audiſſent, locũ ſibi eos aggrediẽdi tanquã inermes datũ rati, poſt Paſcha in aciem proceſſerunt. Dux erat Britannis GERMANVS. is quoſdã in inſidiis collocatos monuit, ut uocẽ ſuã attenderent, atq; editã ingenti clamore repeterent. Vbi uerò hoſtes aduentare ab exploratorib. didicit, clara uoce ter Alleluia inclamauit. Quam cùm occulta cohors excepiſſet, tantum hoſtibus terroris incuſſit, ut abiectis armis in fugam ſe tradiderint. Sigonius lib. 12. Imp. occid.

Sigebertus narrat, Metenſem epiſcopum AVCTOREM captum ab Hunis, duce Atila: uerùm cæcitate ipſis percuſſis ſubita, cum aliis ciuibus elapſum fuiſſe.

Atila Italiã uaſtante, Valentinianus III. de pace legatũ ad eũ miſit LEONEM pontificem, hominem non maieſtate ſolùm, ſed etiã ætate uenerabilem: adiectis mandatis, ut quacunq; conditione poſſet, Atilam non ſolùm à progreſſione auerteret, ſed etiam ad Italiam primo quoque tempore relinquendam impelleret. Ille comitatu honeſtiſſimo ſumto, quàm maxima potuit ad eum celeritate contendit: nactúſque ipſum ad Mincium, ut proximè, conſidentẽ, ac ſæua adhuc ſecum de petenda Roma conſilia uolutantem, ſe ueniſſe à Valentiniano legatum oſtendit: hominemque ferum, atque ab omni religione auerſum, graui diuinæ iuſtitiæ cõmemoratione adeò permulſit, ut ipſum adhuc quibuſdam

quaſi

quaſi facibus inflammatum ad cupiditatem ſcelerati facinoris obeundam, promiſſo annuo tributo, ab eiuſmodi cōſilio reuocarit. Additur res auditu mirabilis. Atilam non tam grauiſſima Leonis oratione placatum, quàm aſpectu alterius uiri, Leoni à tergo aſſiſtentis, atq; ipſi gladium, ni obedientem ſe gereret, intentantis, fuiſſe perculſum. quod ipſe poſtea diſertè confeſſus eſt. Nam, cùm à ſuis reprehenderetur, quòd tam facilè pontificis Romani nutui auctoritatique ceſſiſſet, reſpōdit, Non ſe illum fuiſſe ueritum, ſed alterum ponè illum in habitu ſacerdotali aſtantem, forma auguſta, & canicie uenerabili præditum, & diſtricto gladio ſibi mortem, ni dicto audiens eſſet, acerrimè minitantem. illum autem Petrum principem apoſtolorum fuiſſe crediderunt. Vulgo etiam inter Hunnos ſermo increbuit, Atilæ ferociam à duabus tandem feris fuiſſe perdomitam, Lupo in Gallia, & Leone in Italia, cùm Lupum Tricaſſinum epiſcopum, & pontificem ſignificare Leonem uellent. Sigonius libro 13. Imp. occid.

Cùm Dani & Normanni in toto Frācorum regno immaniter debaccharentur, contigit eos ad Norduidam Friſiæ pagum peruenire, qui in remotis ac mari magno uicinis locis ſitus eſt. Erat ibi REMBERTVS epiſcopus Ripēſis in Dania (inde archiepiſcopus Hamburgenſis) cuius adhortationibus confirmati Chriſtiani, cum hoſtibus congreſſi, proſtrauerūt ex illis XM CCCLXXVIII: plures etiā, dum fugæ quærūt præſidium, in tranſitu fluuiorum necati. Collis, in quo uir ſanctus orauit, dum pugnaretur, perpetua ceſpitis uiriditate notatus eſt. Cranzius lib. 2. Metropol. cap. 10.

LEO IIII. Pp. Saracenorum naues, excitata precibus tempeſtate, in mari ſubmerſit.

VICTORIAM CVRVLEM conciliare.

Italicus Maiomi oppidi municeps Chriſtianus, aduerſum Gazenſem duumuirum, Marnæ idolo deditum, Circenſes equos nutriebat. Hoc ſiquidem in Romanis urbibus iam inde ſeruatur à Romulo, ut propter felicem Sabinarum raptum, ab ipſo Cōſo, quaſi conſiliorū Deo, quadrigæ ſeptepno currant circuitu: & equos partis aduerſæ fregiſſe, uictoria ſit. Hic itaq;, æmulo ſuo habente maleficum, qui dæmoniacis quibuſdā imprecationibus huius impediret equos, & illius incitaret ad curſum, uenit ad beatum HILARIONEM, & nō tam aduerſariū lædi, quàm ſe defendi obſecrabat. Ineptū uiſum eſt uenerādo ſeni, in huiuſcemodi nugis orationē perdere. Cūq; ſubrideret, & diceret: Cur ergo non magis equorū precium pro ſalute animæ tuæ pauperib. erogas? ille reſpōdit, Functionē eſſe publicā, & hoc non tam ſe uelle, quàm cogi: nec poſſe hominē Chriſtianum uti magicis artibus, ſed à ſeruo Chriſti potiùs auxilium petere, maximè contra Gazenſes aduerſarios Dei, & non tam ſibi quàm eccleſiæ Chriſti inſultantes. Rogatus ergo à fratrib. qui aderant, ſcyphum fictilem, quo bibere conſueuerat, aqua iuſſit impleri, eiq; tradi. Quem cùm accepiſſet Italicus, ſtabulum & equos, & aurigas ſuos, rhedam, carcerumq; repagula aſperſit. Mira uulgi expectatio: nam & aduerſarius hoc ipſum irridens diffamauerat, & fautores Italici ſibi certam uictoriam pollicentes exultabant. Igitur dato ſigno hi aduolant, iſti præpediuntur. Sub horum curru rotæ feruent, illi prętéruolantium terga uix cernunt. Clamor fit uulgi maximus: ita ut ethnici quoq; ipſi concreparent. Marnas uictus à Chriſto eſt. Hieron. in uita Hilarionis.

FORMAM MVTARE.

GREGORIVS Ponticus in arborem ſeipſum conuertit. Nicephorus lib. 6. cap. 17.

D. HILARION puellam in equam mutatam, & à parentibus adductam, priſtinæ formæ reddidiſſe, ſcribitur à D. Hieron.

IGNEM COELITVS ELICERE.

HELIAS propheta ignē de cœlo cōtra impios Ochoziæ milites deuocauit. 4. Reg. 1. Et rurſus ad holocauſtū abſumēdū.

AB IGNE NON LÆDI.

Vide Tit. Diuinationis per ignem.

Cùm in hoſpitio, in quo D. GERMANVS Antiſiodorenſis epiſcopus in Britannia ægrotans iacebat, graue caſu excitatum eſſet incendium, illud uehementiùs homines mouit, quòd quæ acris hominū ſedulitas cuſtodiuerat, omnia uis ignis exhauſit: quæ uerò uir ſanctus tetigit, ipſa omnino flāma non læſit. Sigonius lib. 12. Imp. occid.

INCENDIA RESTINGVERE.

CLAVDIANVS Mamercus, epiſcopus Viennēſis, ædis ſacrę incendium ſolis precibus reſtinxit.

MARCELLINVS Anconitan⁹ epiſcopus podagra affectus, manibus geſtatus alienis, urbis incendium ex aduerſo ſe obiiciens derepentè ceſſare fecit, tam potens uirtute, cùm pedibus tam debilis eſſet. Greg. Turon. lib. 1. Dialog. cap. 6.

CÆSARIVS Arelatenſis epiſcopus, à rege Alarico indicta cauſa Burdegalam relegatus, cùm nocte quadā ingens fortè conflatū incēdium eſſet, precibus ciuiū fatigatus, ignem tum, cùm maximè ſæuiebat, precatione ad Deum facta reſtinxit: ex quo ingentibus ab omnibus cumulatus eſt laudibus. Sigonius lib. 16. Imp. occid.

In maximo incendio urbis Conſtantinopolitanæ, cùm ad templum Oſij Nouatianorum, plurimis magnificentiſſimis ædificiis abſumtis, ignis pertigiſſet: PAVLVS epiſcopus inſiliens ad altare, ſola oratione, irrumpentibus per feneſtras & ianuas omnes flammis magna ui, templum ſeruauit illęſum: adeò ut ædificiis omnibus circumquaq; templo uicinis exuſtis, in tabulatis ac parietibus eius deprehendi poſſet. Socrates lib. 7. cap 39.

ELPHEGVS Cantuarienſis archiepiſcopus, cùm Romæ omnibus bonis exutus & urbe eiectus fuiſſet, repentino tecta incendio conflagrare cœpere. Quare reuocatus fuit, ſuaq; oratione incendium reſtinxit. Marul. lib. 3. cap. 3.

D. MARTINVS Turonenſis epiſcopus, cùm in monaſterio quodam ſuæ diœceſis hora quieſcendi cellam ingreſſus eſſet, cubiculo apparatiùs inſtructo offenſus, ſtragula paleaſque euertit: & in nudis tabulis (ſicut ueſtitus erat) ſeſe collocauit: iamq; delibutis leni ſopore mēbris quieſcebat, cùm ſtramenta quæ eiecerat, igni ſuccenſa iacentē excitarunt. Illicò exurgens ac trepidans, cùm cellæ exitum, per quē effugeret, fumo omnia inuoluente, non inueniſſet, ad orationē ſe uertit. Mox flammæ uis illa omnis extincta, fumuſq; conſumtus, illæſum reliquerunt. Marul. lib. 1. c. 10. & Sab. l. 2. c. 2.

LEO IV. Pp. incendium ſigno crucis extinxit, quod diu per domos Saxonum & Longobardorum uagatum, diui Petri baſilicæ appropinquabat, octaua die ab aſſumtione beatæ Dei genitricis, qui dies poſtea ut feſtus celebratus eſt, non longè à baſilica Laurentij martyris extra mœnia. Platina, & Sigonius lib. 5. regni Ital.

Temporibus Calixti papę, Capuana urbs conflagrauit incendio: cumq; ferè conſumta urbe, monaſterio ignis iamiam imminere uideretur, MONACHI ſumto corporali calicis, incendio illud obiecerunt. Mirum in modum coërcitus ignis ultrà progredi auſus non eſt. Ciuibus quoque uiſum eſt, ignem manu quadam à monaſterio propelli. Corporale illud ab ignis iniuria prorſus manſit illæſum. Chron. Caſſinenſe lib. 4. cap. 74.

AB AQVA FERVENTE NON lædi.

*Conſule Tit. Diuinationis per Aquam feruentem.*

TEMPESTATEM, IMBREM, INVNdationem compeſcere.

Terræmotu totius orbis, qui poſt Iuliani Apoſtatæ mortē accidit, maria egreſſa ſunt terminos ſuos: & quaſi rurſum Deus diluuiū minaretur, uel in antiquū chaos redirēt omnia, naues ad prærupta de latere montiū pependerūt. Quod cùm uiderent Epidauritani, fremētes fluctus & undarum moles, & montes gurgitum litoribus inferri, uerentes ꝙ iam eueniſſe cernebant, ne oppidum funditùs ſubuerteretur, ingreſſi ſunt ad D. HILARIONEM, & quaſi ad prælium proficiſcentes, poſuerunt eum in litore. Qui cùm tria crucis ſigna pinxiſſet in ſabulo, manuſq; contrà tenderet, incredibile dictu eſt, in quantā altitudinem intumeſcens mare ante eum ſteterit: ac diu fremens, & quaſi ad obicē indignans, paulatim in ſemetipſum relapſum eſt. Hoc Epidaurus & omnis illa regio uſq; hodie prædicat, matreſq; docent liberos ſuos ad memoriā in poſteros tranſmittendā. Hier. in uita Hilar.

ROMVALDVS abbas, cùm à Parentio Liburniæ oppido ſoluēs nauigaret, & nauis magnis fluctib. iactaretur, omneſq;, qui cum eo erant, de ſalute deſperarent, oratione tempeſtatem compeſcuit. Marul. lib. 2. cap. 2.

EADMVNDVS Cantuarienſis archiepiſcopus in Gallia concionans, populum ab imbre uehementiſſimo, ne madeſceret, defendit. Marul. lib. 3. cap. 4.

GERMANO Antiſiodorenſe & LVPO Tricaſſino epiſcopis in Angliā contra Pelagianos nauigantibus, cùm nauis tempeſtate propè obrueretur, Germanus Chriſti nomine implorato, atq; aquæ aſpergine accepto, in nomine S. Trinitatis uentos furentes compeſcuit. Sigonius lib. 12. Imp. occid.

IMBRES impetrare.

HELIAS propheta, cùm per integrum triennium ſub Achabo rege non pluiſſet, imbrem cæſis Baalitis impetrauit.

VILFRIDVS Lindefarnenſis epiſcopus, Auſtrales Saxones à ſiccitate triennali precibus liberauit, circa annum Sal. 700.

Morabatur in eremo prope Aphroditō urbēD. HILARION. Triennium erat, quòd clauſum cœlum terras arefecerat: ut uulgò dicerent, D. Antonij mortem etiam elementa lugere. Non latuit fama Hilarionis accolas quoq; illius loci: & certatim uirilis ac muliebris ſexus, ora luridi & attenuati fame, pluuias à ſeruo Chriſti, id eſt, à beati Antonij ſucceſſore precabantur. Quos ille cernens mirè doluit: eleuatiſque in cœlū oculis, & utraſq; in ſublime erigens palmas, ſtatim impetrauit, quod rogauerant. Hieron. in eius uita.





ANDOINVS in Hiſpania imbre excitato, cùm ea terra per ſeptem annos pluuiam non ſenſiſſet, multos conuertit. Volaterranus lib. 21. & Vincentius lib. 23. c. 92.

ADELBERTVS ſecundus Pragenſis epiſcopus, Roma euocatus à Boleſlao II. Boëmorum rege, quò mores Boëmorum impios exoſus confugerat, cum Gaudentio in Pannoniam uenit, Stephanum ducem cōuertit. Comitatu inde auctior, cùm ſex fratres eum Roma ſubſecuti aſſecuti eſſent, in Boëmiam ſumma ſiccitate laborantem ingreſſus, tantā repentè imbrium copiam ſecum attulit, ut pleraque loca ſtagnauerint: manetq; etiamnum in ea gēte prouerbium, ſenſim Germanis cōmunicatum, ſi quando uiros religioſos iter facere uideant, pluiturum ea die, poſteaquam monachi peregrinētur. Dubrauius lib. 6.

AB IMBRE CONSERVARE.

Cùm D. BERNARDVS aliquando ſub dio Gulielmo (qui poſtea Rieuallis primus abbas fuit) literas dictaret, ad Robertum nepotem (qui de Ciſtercienſi ordine ad Cluniacenſes tranſiuerat) larguſq; imber decideret nullam ſenſit charta iniuriam. Auctor uitę.

AQVAM ELICERE.

ANTONINVS martyr Apameæ paſſus, cùm de uia fatigatus ſitiret, & arentis loci ſolum nullis rigaretur aquis, preces ad Deum fudit, uirga humum perculit, atq; inde fons emanauit: cuius potu refocillatus, iam confidentiùs ad martyrium cucurrit. Marulus lib. 4. c. 2.

D. FRANCISCVS, dum ruſtici cuiuſdam ſitim in ſolitudine miſeratur, procumbens Dominum deprecatus eſt: moxque humus fonticulum emiſit, cuius hauſtu ruſticus, qui moribundus ſicco ore anhelabat, recreatus uixit. Marulus libro 4. cap. 2.

Dedicabat aliquando DVNSTANVS Cantuarienſis archiepiſcopus eccleſiam quandam: & cùm aqua ibi deficeret, baculo terram feriit: moxque largiſſimè effluxit aqua: quæ hodie uſque manans, nomen eius celebre facit. Vincentius libro uigeſimoquarto.

BASOLVS Rhemenſis abbas in Galliæ partibus, dum montem ſolitarius incoleret, nec aquam haberet, Deum precatus, fontem de rupe manare fecit, qui etiamnum fluere dicitur. Marulus lib. 4. c. 2.

IVDOCVS monachus ex arido ſolo baculo terram percutiēs aquam elicuit, cùm Haimo dux in uenatione ſitiret. Petrus de Natalibus libro primo, cap. 65. & Vincentius libro uigeſimoquarto, cap. 105. & 106.

DONATVS Eureæ in Epiro antiſtes, cùm aliquando ex itinere feſſus comites aquæ penuria languentes conſpicatus eſſet: primùm Deum precatus, deinde terram manu fodit, atque illicò fontem aquæ uiuæ produxit. Nicephorus libro duodecimo, cap. 45.

AQVAM CORRIGERE, MVTARE, CONVERTERE.

Ad urbem Hiericho largiſſimus fons eſt, rigandisq; aruis uberrimus, iuxta ueterem ſcaturiens ciuitatem: quam Ieſus Naue filius, Hebræorum ductor, primam in Chananæorū terra bello poſſederat. Hunc fontem aliquando ferunt nō ſolùm terræ atq; lignorum fructus, ſed etiam feminarum partum obtundere ſolitum, cunctaq; pariter morbo ac peſte corrūpere. Poſtea uerò manſueuiſſe, contraq; ſaluberrimum ac feracis. eſſe factū ab HELISÆO propheta, qui Heliæ notus fuerat atq; ſucceſſerat. Receptus enim hoſpitio ab Hierichūtinis habitatoribus, quòd humaniores eos expertus erat, ipſos & omnē illam regionem perpetua gratia remuneratus eſt: progreſſuſq; ad fontē, lagenā fictilē nouā ſalis plenā in profluentē aquā miſit. Iuxtà deinde ad cœlū dextrā tendēs, fontiq; immergens blanda libamina, ipſum quidē precabatur, ut fluenta leniret, ac dulciores aquarū uenas aperiret: Deū uero, ut fœcundiorib. auris flumina tēperaret orabat: tamq; ubertatē fructuū, quàm ſucceſſionē prolis daret indigenis, nec eos genitrix filiorum aqua deficeret, quoad iuſti manerēt. Ad has preces ex diſciplina manib. quoq; multa operatus, fontem immutauit: & qui antea cauſa erat his orbitatis ac famis, idem uictus ac fœcunditatis auctor eſt effectus. Deniq; rigationis eius tanta potentia eſt, ut ſi attigerit modò terrā, ſapidior ſit, aquis diu perſeuerantibus: unde eo quæ largiùs utuntur, exiguum emolumentū habēt: quę uerò parciùs, plurimū. Amplius tamē, quàm cęteri fontes, ſpaciū rigat, & ſeptuaginta quidem ſtadiiis longam, uiginti autem latam planiciem permeat. Ioſephus lib. 5. c. 4. belli Iud. ex 4. Regum 2.

NARCISSVS Hieroſolymitanus epiſcopus, cùm Paſchatis die oleum defeciſſet, aquā loco olei in uſum luminū infundi iuſſit. Quæ quamprimùm in oleum uerſa ſic eſt accenſa, ut omnibus ſpectaculo eſſet. Egnatius lib. 8. c. 1.

ISFRIDVS Raceburgenſis in Vandalia epiſcopus miracula etiā non cogitans fecit. Iuſſerat ſacra die paraſceues, à miniſtro aquam afferri pro potu. Allatam guſtauit, toruoq; uultu, An non, inquit, iuſſi ut aquam afferres, non uinum? Territus ille, ſanctè affirmauit, aquam ſe attuliſſe de fonte. Iuſſit iterum haurire, & tertiò haurire, & idem prouenit. Tum reſolutus in lacrymas, oculos in cœlum ſuſtulit: Quādo, inquit, tua uoluntate, mirifice creator, creatura mutatur, cedo quia iubes, ecce in die paſſionis filij tui ſumo qd' præſtas. Monſtrant hodie fontem iuxta domum theſaurariæ in Raceburg, unde hauſta fuit aqua. Cranzius libro ſexto Metropoleos, cap. 40.

LOCA PERICVLOSA TRANSIRE.

VVLSTANVS Vigornienſis epiſcopus in Anglia in ſummitatibus ruinarum intrepidus ambulabat, pontes etiā fractos eques tranſibat. Ranulfus lib. 7. Polychronici.

FLVMINA SVPERARE, SISTERE, DERIVARE.

MOSES mare rubrum, Exodi 14. IOSVA Iordanem Ioſuæ 3. miraculosè diuiſerunt.

HELISÆVS, rapto Helia in cœlum, eius lænā, quæ ab illo deciderat, ſuſtulit, & Iordanem ea feriēs, diuiſo fluuio per ſiccum traiecit. 4. Reg. 2.

Circa an. ſal. 365. terræmotu totius orbis, qui poſt Iuliani mortē accidit, maria egreſſa ſunt terminos ſuos, &, quaſi rurſum Deus diluuiū minaretur, uel in antiquum chaos redirent omnia, naues ad prærupta delatæ montium, pependerunt. Quod cùm uiderent Epidauritani, fremētes ſcilicet fluctus, & undarum moles, & montes gurgitum litoribus inferri, uerentes, quod iam eueniſſe cernebant, ne oppidum funditùs ſubuerteretur, ingreſſi ſunt ad HILARIONEM, & quaſi ad præliū proficiſcentes, poſuerunt eum in litore. Qui cùm tria Crucis ſigna pinxiſſet in ſabulo, manuſq; contrà tenderet, incredibili dictu eſt, in quantā altitudinē intumeſcens mare ante eum ſteterit: ac diu fremēs, & quaſi ad obicē indignās, paulatim in ſemetipſum relapſum ſit. Sigonius libro ſeptimo Imp. occid.

GREGORIVS Ponticus impetum Lyci fluminis, defixo in illud ſuo ſcipione, ſedauit. Nicephorus lib. 6. c. 1. Idem lacum in aridam conuertit. Ruffinus.

SABINVS Placentinus epiſcopus Pado agros uaſtanti ſchedā iniecit, his notis: Præcipio tibi in nomine Ieſu Chriſti, ut de alueo tuo in locis iſtis ulteriùs non exeas, nec terras eccleſiæ lædere præſumas. Et mox inundatio ceſſauit.

FRIDOLINVS Viator, cùm inſulam Rheni, ubi nunc Saccingum oppidum eſt, à Clodoueo rege Gallorum dono accepiſſet, & poſt regis mortem incolæ rurſus tumultuarentur, precibus à Deo Rhenum miraculosè à dextro in ſiniſtrum alueum deriuauit, ut ſibi contra Ethnicos propugnaculum fieret. Quo miraculo incolas conuertit.

CONRADVS Conſtantienſis epiſcopus in lacu Acronio ſiccis pedibus ambulauit.

IO. Epiſcopus Bergomēſis ſub Ariperto rege Longobardorū, tantæ ſanctitatis, ut aliquando cū Mediolano Bergomū ſe referret, Abduam amnē ſiccis pedibus pertranſiuerit. Sigonius lib. 2. regni Ital.

MAVRVS Romanus D. Benedicti diſcipulus, miſſus in Gallias ad inſtituēdos monachos ordinis Benedicti, ſuper aquas ambulauit, puero ſubmerſo opē laturus. Gregorius libro 2. Dialog. c. 7. & Vincent. lib. 21. c. 68. Iuo, & Martinus Polonus.

NAZARIVS & CELSVS martyres in mare præcipitati ſuper undas ambulauerūt. Quos deturbatores, orta ſtatim tempeſtate, cùm conſpexiſſent, ut ſibi ſubuenirent ſuppliciter petiere. Illis ergo in nauim reuerſis atq; orantibus, reſederunt fluctus, ceſſauerunt uenti, & periculum omne ſublatum eſt. Marulus lib. 3. c. 3.

FANTINVS Syracuſanus Balzanium dominum fugiens iratum ob equos ſtrigoſiores, quos illi paſcendos cōmiſerat, præmiſſa oratione Motabrum flumen uirga diuiſit, & ſiccis pedibus tranſiit, iramque perſequentis euaſit. Marulus libro 2. cap. 2.

FRIGIDIANVS Lucanę eccleſię epiſcopus, fluuiū Auſerim agros inundantē, ex proprio alueo aliò precibus deriuauit.

IOAN. Capiſtranus Franciſcanus, & Iacobus Piceus, ab Nicolao Pont. Rom. ut Germanos, Polonos & Vngaros ad expeditionē contra Turcas ſuſcipiendam hortarentur, miſſi, quū Padum traiicere uellēt, & à portitore pertinaciſſimè repellerentur, qui è ſuæ [illegible] præſcripto pecunia carerēt, quā pro (religionis) naulo darent, in diffuſum ſuper undas pallium cum comitibus conſedere: & ueluti quadā naufragij tabula, in ripam alterā non ſine auari ſtupore portitoris, diuina ope tutò trāſlati ſunt. Bonfinius lib. 8. Dec. 3.

PER AEREM FERRI, EVEHI.

PHILIPPVS Apoſtolus à ſpiritu raptus, eunuchum Canda-

cis regiinæ cõuenit, baptizat, rurſuſq; abreptus euaneſcit, & in urbe Azoto deponitur. Sicut ante illum HABACVCVS propheta.

MARIAM Magdalenam, cùm in ſolitudine ageret, ſtatis diei horis ſupra cœlum ab angelis euectam tradunt. Sabellicus lib.2. cap.6. Marul.lib.3. cap.9.

### LIBERARE E' VINCVLIS, Carceribus.

D. BENEDICTVS ſolo intuitu ruſticum à Gallo Ariano uinctum ſoluit. Gregor. Turonenſis lib.2. cap.31.

Gregorius Magnus homilia 37. Toties, inquit (cùm mortuum eſſe putaret) mariti cuiuſdam mulieris captiui ſoluebantur uincula, quoties ab eius VXORE oblatæ fuiſſent hoſtiæ (in cœtu ſcilicet Sacro communionis) pro eius animæ abſolutione.

SPYRIDON Cyprius epiſcopus fures pecudes ſibi media nocte ſurripere uolẽtes, diuinaq; ui uinctos, manè ſoluit, multùm hortatus, ut iuſtis laboribus & non per iniuriam, uictũ quærerẽt: arieteq; donatos dimiſit, feſtiuo dicto addito: Ne fruſtra (inquit) uigilaſſe uideamini. Suidas, & Simeon Metaphraſtes Tomo 5. Vitarum patrum.

RADEGVNDIS, Clotharij Gallorum regis uxor, precib. liberauit in carcere nexos. Marul.lib.2.c.2.

Henricus Raceburgenſis comes captos tenebat Phriſios, multis tormentis in eos ſæuiens. Interceſſit pro eis EVERMOLDVS Raceburgenſis epiſcopus, ut laxarentur: nihil profecit. Dies erat ſolennis Paſchæ, quum captiui in catenis ſub cuſtodia ſtarent in eccleſia. Circũiens pontifex, cùm omnes fideles aqua aſpergeret, captiuorũ quoq; aſpergẽs catenã, dixit, Dominus ſoluit compeditos. Mox illa diſſiliit: illi taciti abierunt. In facti teſtimonium catena ſeruata fuit. Crantzius lib.5. Vandaliæ, cap.42.

### ALIMENTA, COMPARARE, IMPETRARE, CONSERVARE, Corrigere.

HELIAS Sareptanę uiduæ guttũ oleo, cadum farina, per totũ famis tempus abundare, precibus impetrauit.

HELISÆVS propheta Galgalis uates hoſpitio excipiẽs, cùm pulpamentũ ex ſylueſtri cucurbita coquus imperitus coxiſſet, & omnes exclamaſſent, Venenum eſſe in olla: ille farinã aſpergi iuſſit. Qua in ollam coniecta, omne uitium abiit, & illi comederunt ſecurè. 4.Reg.4.

A Baalſaliſa profectus quidã, HELISÆO prophetæ primitiarũ panes hordeaceos uiginti, frugeſq; nouas adhuc in glumis attulit: & ille iuſſit miniſtro ſuo, ut ea hominibus comedenda apponeret. Cui miniſter: Quid hæc, inquit, centũ hominibus apponam? Appone, inquit ille, ut comedant: nam hoc Ioua promittit, eſui ſuperfuturũ eſſe. Tum ille apponit, eiſq; cibo ſumto inde ſuperfuit, ut prædictum à Ioua fuerat. Ibidem.

GENOVEPHA uirgo Pariſienſis, in extructionis ædis Dionyſiacæ cadum uino exhauſtum crucis ſigno repleuit aliquoties. Bonfin.lib.5.Dec.1.

Gregorius Turonenſis cap. primo de Gloria confeſſorum recitat, ſua ætate accidiſſe, ſibiq; à uiro fide digno relatum: famulum cuiuſdam uiri, potum meſſoribus coctum & preparatum exhauſiſſe. VIRVM autem inuocatis angelis ab eis impetraſſe, ut potus iſte relictus, abundè ſuis meſſoribus tota die haurientibus ſufficeret.

D. BENEDICTVS uas uacuum oleo, oratione plenum reddidit. Gregorius Turon.lib.2.c.29.

PHILIBERTVS monachus Resbacenſis, uaſculum uini exhauſtum benedictione ſua repleuit. Vincentius libro uigeſimotertio, cap.94. & 95.

D. NICOLAVS epiſcopus Myrenſis, cùm eſſet publica fames in Lycia regione, audiuit appuliſſe in portum naues frumento onuſtas. Adiit ipſe nautas, rogans, ut aliquantum frumẽti quiſq; ex ſua naui uenderet in ſubſidium populi. Quod illi ſe non poſſe facere affirmabant: nam menſuram frumenti acceptam reddendam eſſe Cæſaris præfecto in alia quadã urbe. Ille nihilominus inſtabat, rogans, ut facerent, quod ab ipſis peteretur. Ecce, inquit, promitto uobis curaturum Deum, quòd nullam frumentorum diminutionem ſentiet Cæſaris exactor. Dominus enim, qui dixit, Date, & dabitur uobis, efficere poteſt, ut propter hoc beneficium nihil decedat frumento. Acquieſcentes nautæ uerbis & perſuaſionibus epiſcopi Nicolai, ſubuenerunt hominibus fame periclitantibus: & poſtea compererunt, eandẽ menſuram frumentorum beneficio Dei ſingulari conſeruatam eſſe & integrã adhuc in reddendo miniſtris Imperatoris. Gilbertus Cognatus lib.6 Narrat.

Panis à D. BERNARDO benedictus immunis à corruptione fuit, & multo tempore ſeruari potuit. Sic Aeſchillo Danorum pontifici panem benedictum tradidit hiſce uerbis: Ecce hunc tolle tecum, nihil deinceps de corruptione ſollicitus. Henricus & Gerardus Sueciæ abbates teſtati ſunt, totis annis undecim apud ſe eiuſmodi panes fuiſſe incorruptos. Auctor uitæ.

### ALIMENTORVM ABSTINENTIAM FERRE.

*Ex loco Temperantiæ huc quædam. Illic Effectus, heic Cauſa conſideratur.*

### IMMOBILIA LOCO MOVERE.

DVNSTANVS Cantuarienſis archiepiſcopus, eccleſiam dedicaturus, cùm ad Orientem eam non ſpectare animaduerteret, humeros parieti admouit: ſicq; ad Orientem conuerſa eſt. Vincentius lib.24.

GREGORIVS Ponticus rupem ingẽtem precibus loco ſuo, in ſpacium ſacelli, mouit. Ruffinus.

BONNOSVS cœnobij in monte Soractis oratione rupẽ loco mouit. Greg.lib.1.Dialog.c.6.

Captiua CHRISTIANA, apud Iberos, conuerſo ad fidem Chriſtianam ſuis miraculis rege, columnam in tẽplo, quod rex extruxit, precibus ſuſpendit. Ruffinus lib.1.c.10. Socrates lib.1.c.20. & Sozomenus lib.2.c.6.

### INANIMATIS MOTVM DARE.

HIEREMIAS propheta, capta & euerſa urbe à Nabucodonoſoro, oraculo admonitus, tabernaculum & arcam & arã ſuffitoriam ſe ſequi iuſſit. 2.Machab.2.

DOMITIANVS Tungrorum epiſcopus X, cùm contrà hæreticos in ſynodo Aurelianenſi diſputaret, terra in tumorẽ elata ſedem ei excitauit: ipſe quinetiã, eleuata contra eos manu, omnes excæcauit.

### MOTVM IMPEDIRE, SISTERE.

FANTINVS Syracuſanus cùm Meſſanæ à Stradicone præfecto ad martyrium quæreretur, angeliq; monitu ſolus nauiculam aſcendens fugeret, & iam propè eſſet, ut ab inſequẽtibus caperetur, Deum precatus, nauem perſequẽtium immobilem ſtare fecit. Marulus lib.2.c.2.

LIBERTINVS Fundenſis monaſterij præpoſitus, tempore Totilæ regis Gothorum, cùm iter faciens equo deiectus eſſet ab equitibus Totilæ, Deum orauit, ut auctores puniret. A quo cùm exauditus eſſet, nequiuit exercitus Totilæ fluuium Vulturnum tranſire, etiamſi equos calcaribus multùm urgeret ac fatigaret: donec Libertino equum ablatum reſtituiſſent. Gregorius lib.1.Dialog.

VVLSTANVS Vigornienſis epiſcopus lituũ lapidi ſepulcrali Edoardi regis tam altè impegit ut nulla ui remoueri potuerit. Sub Tit. Epiſcoporum.

OTHO Bambergenſis epiſcopus ſub Henrico IV. Imp. Pomeranorum Apoſtolus, docebat in foro. Hortatu ſacerdotis cuiuſdam pagani, haſtas gerentes impetum iamiam facturi in epiſcopum obriguerunt, tanquam ſtatuæ. Ille oratione impetrauit, ut reſtituerentur ſanitati. Cùm nucem arborem miræ pulcritudinis, quam idolo dicatam Stetini uenerabãtur, iuberet ſuccidi: loci dominus, à tergo accedens, ſecuri bellica caput epiſcopi ferire conabatur. Verùm aberrans, trabẽ pontis, ad quem ſtetit epiſcopus, tetigit tanta ui, ut retrahi re inde non poſſet. Eum reliqua multitudo trucidaſſet, niſi precibus epiſcopi fuiſſet liberatus.

### CLAVSA APERIRE.

Cùm GENOVEPHA uirgo audiuiſſet, Childericum Francorum regem, cui erat familiariſſima, claudi iuſſiſſe portas arcis, ne pro noxiis, de quibus ſuppliciũ ſumere ſtatuerat, intercedere poſſet: ad arcẽ nihilominus contendit. Ei autẽ manũ portas contrectante, continuò patuere. Ante regem ſic conſtituta, præ rei miraculo cunctorum capitalium impunitatem facilè impetrauit. Bonfinius libro quinto Decadis primæ.

### SERVARE AB INTERITV.

PHARAO, Meldẽſis epiſcopus, oratione nauem ſubmerſam cum omnibus, qui in ea fuerant, ſeruauit. Marulus libro ſecundo, capite 2.

GERMANVS Antiſiodorenſis epiſcopus, in Britanniam contendens ad extirpandas hæreſes, nauem, in qua erat, perituram ſeruauit. Marulus libro 2. capite ſecundo.





## MIRACVLA MAGICA.

*Quod de Diuinis diximus, idem de Dæmoniacis miraculis intelligendum: duum ſcilicet eſſe generum. In aliis namque immediatè Dæmoni uim ſuam exerit, & hæc ad Theatrum Intelligentiarum malarum releganda ſunt. In aliis uerò per homines impios ſibiq; deuotos, quos generali nomine Magos appellamus: quorum in præcedentibus ratione Habitus mentionẽ fecimus, hîc uerò ratione Operationis. Nempe quod de Pyramidibus Aegyptiis Plinius, multo uerius de iſtis dicatur, Magna eſſe ſtultorum ſpectatorum, ut ſceleratorum auctorum miracula: Senſuum dementationes, faſcinationes, præſtigias. Id quod ex Moſis & Pharaonis magorum certaminibus facile eſt colligere. Nos ſyntaxin noſtra perſequamur.*

### IN GENERE.

EMPEDOCLES Agrigẽtinus magnus, de ſeipſo hęc ſcribit:

Medicamenta quæ & mala & ſenectutem propulſant
Audies: tibi enim ſoli ego iſta omnia conficiam,
Et ſedabis indefeſſorũ uentorũ uires, qui in terram
Ruentes flatibus rura corrumpunt.
Et uiciſſim, ſi uoles, reduces uentos adduces,
Et efficies ex imbre nigro tempeſtiuam ſiccitatem
Hominibus, & efficies ex æſtiua ſiccitate
Flumina fœcunda, quæq; in æſtate ſpirant,
Et reduces ex Orco defuncti animam uiri. Suidas.

De APOLLONII Tyanęi magicis miraculis Anaſtaſius Theopolis epiſcopus ita ſcribit: Quibuſdam in locis adhunc uſque diem Apollonij opera ſtant, & ſuam habent efficacitatem: alia quadrupedibus ac uolucribus damnoſis auertendis, alia ad inordinatos animum excurſus inhibendos, alia aliis rebus, quæ hominibus detrimentum afferrent, arcendis. Neq; eo tantùm uiuo dæmones per ipſum tot ac talia egerunt, ſed ipſo etiam mortuo ad monumentũ eius perſeuerauerunt, atq; ipſius nomine miracula quædam ediderunt, ad decipiendũ miſeros homines, qui facilè huiuſmodi reb. ſe à diabolo in fraudem induci patiuntur. Quid enim dicam de MANETHONIS magicis operibus? qui tantus fuit iſtarum impoſturarum artifex, ut ſemper palàm Apollonium irriſerit, ut non perfecta eius doctrinæ peritia inſtructum. Oportebat enim (aiebat) eũ, ſicuti ego ſoleo, ſolis uerbis perficere, quæ uellet, non operum effectionibus ad ea uti. Cedrenus in Hiſt. compendio.

Fuit Iudæus Magus nomine SEDECHIAS, qui (ut narrat Ioan. Abbas Trithemius) emittebat hominem in aëra, in mẽbra diſcerpebat, eaq; recollecta adunabat: currũ etiã onuſtum fœno cũ equis & agitatore, corã toto populo abſorbebat. Bodinus in confut. opin. Vieri.

### PRAEDICERE FVTVRA.

*Conſule Titulos Prædictionum, quatenus magica fiunt uirtute.*

Cùm peterent Antiocheni ab APOLLONIO Tyaneo, ut terræmotus, quibus affligebantur, auerteret: ingemiſcens, in tabulis ita ſcripſit: Væ tibi miſera urbs, quoniam terræmotib. multis, incendiiſq; proſternêris, teque Orontes ad ripas ſuas deflebit. Cedrenus.

Vlaſtiſlaus Lucenſis princeps, Neclan patruelem ſuum reliquę Boëmiæ ducem regno pellere cogitabat: & ingenti exercitu comparato, uictoriam iam ſpe deuorauerat. At SAGA mulier, quam in oppido ſuo habebat, priuignũ ſuum clàm ſubmonuit, ut ſi domum ex prælio cruento & infauſto ſuperſtes reuerti cuperet, eum qui primus hoſtium ſibi occurriſſet, gladio transfoderet, atque utramq; eius auriculã amputaret, ſecumq; celeri curſu domũ repetens, ad uxorẽ ſuã referret. Habuit tunc & Neclan in exercitu ſuo Sagã quoq; ſua, quæ aſello diis ad fontẽ immolato, ſecunda omnia & proſpera diuinabat. Cõmiſſo prælio, Vlaſtiſlaus cũ Syderio Chaynouienſe equite, quẽ Neclan ſummæ rerum præfecerat, egreſſus, cecidit. Cuius cęde tanta repentè conſternatio, equos pariter atq; homines Lucenſes inceſſit, ut nec ultrã progredi, nec retrò pedem referre poſſent: à ſaga, ſuo quiſque loco ne profugerent, miro ſtupore iniecto affixi. Extra unum priuignum, qui domum reuerſus, non hoſtem, ut opinabatur, ſed uxorem ſuam gladio confoſſam, & auribus truncam reperit, ſeroq; tandẽ agnouit, à nouerca nurui infeſta, hanc cædem fuiſſe procuratam: ſiquidem auriculæ illæ, quas ſecum retulit, capiti uxoris admotæ, protinus in loco ſuo coaluerunt. In hac pugna Syderius cecidit, non tã ab hoſtibus, quàm à ſuis, qui uirtuti & gloriæ ipſius inuidebãt, oppreſſus. Dubrauius lib.3.

Nouiodunenſi MAGO cuidam noſtra ætate interceſſerat cum Nouiodunenſi epiſcopo ex Hangeſtana domo familiaritas. Hic quo die fore pręđixerat Satanas, ut occideretur, ſe in domum recepit epiſcopi, indicans ei fore, ut eodem die occidatur: cùm autem prandiſſet menſam epiſcopi, aliquis tandem ſuperuenit eum conuentũ cupiens: iubetur ille aſcendere, aſcendit, & colloquẽdo inter duas ianuas occidit Magũ. Bodinus lib.3.c.1.Dæmon.

### DIGNOSCERE ABSENTIA, REMOTA.

IAMBLICHVS à ſacris in urbẽ redibat cùm diſcipulis confabulando. Et mox defixis aliquantũ in terrã oculis, Alia uia ingrediamur, inquit, quòd cadauer non procul hinc elatum eſt. Diſcipulorũ quidã eũ inſecuti ſunt. Alij uerò, inter quos Aedeſius, iter ceptum peragentes, ueſpillones, qui mortuũ ſepelierant, obuios habuêre. Eunapius.

GOVARVS Noruegiæ rex, quicquid in Saxonia contra ſe tẽtaretur, præuidebat, ultra C. milliaria Germanica. Olaus Magnus lib.3.c.13.

Philippus Comineus ſcribit de quodam ITALO Viennenſi archiepiſcopo, qui præſente Ludouico Rege XI. die Epiphaniæ Miſſam celebrans in æde S. Martini Turonẽſis, quando pacẽ Regi oſculandam præbuit, hęc uerba pronuntiauit: Pax tibi, ô Rex, hoſtis tuus eſt mortuus: & hora eadẽ compertum eſt, Carolum Ducẽ Burgundiæ ad Nanceum in Lotharingia occidiſſe. Bodinus confut. opin. Vieri.

IACOBVM Peruſinum ſacerdotem Grillandus ait libro ſecũdo de Sortil. cap. 6. maximum fuiſſe totius Italiæ Magum: qui cùm miſſam canens, uerſus populum ſeſe obuertiſſet, ut diceret, Orate pro me, &c. die quodam dixit, Orate pro caſtris Eccleſiæ, quia laborant in extremis: eodemque momẽto cæſa fuiſſe caſtra, quæ Peruſio (ubi canebat miſſam) uiginti quinq; milliaribus aberant. Bodinus in confutatione opin. Vieri.

Cùm MAGI ſeptem anno Domini M D XLIX. apud Nannetas coram multis ſe indicaturos recepiſſent ante horã, quid milliaria decem in ambitu ageretur, exanimes conciderunt illicò, & tres horas defecti animo iacuerunt: poſtea exſurgentes enunciauerunt, quicquid in toto Nannetum oppido & ambitu longiore perceperant, locis, factis, & hominibus obſeruatis: quæ omnia ſtatim comperta ſunt. Itaque omnes iſti accuſati, & maleficiorum multorum comperti, ad ignem fuerunt damnati. Bodinus libro ſecundo Dæmonomaniæ, cap.5.

Anno ſalutis M D LXXI. cùm in Magos Galliæ inſtituta eſſet quæſtio, VETVLA quædam Burdegalenſis, Maga, apud Iudices confeſſã eſt, ſe cum aliis per hebdomadas ſingulas fuiſſe exportatam, ubi magnus hircus aderat, quo auctore abnegabãt Deum, ſe diabolo ſeruitutas ſpondebant, ſinguli pudenda illius oſculabantur, & poſt ſaltationes pulueres accipiebat quiſque. Tum Belotus libellorum ſupplicum magiſter, dicente Maga ſe nihil poſſe niſi è carcere educta eſſet, uolens rei ueritatem explorare, eam educi iuſſit: & illa cùm ſe nudam certo adipe inunxiſſet, uelut mortua experſque ſenſus corruit, deinde pòſt horas quinq; reuerſa, exſurgensque, permulta narrauit, quæ uariis in locis ita habere, ut dixerat, comperta ſunt. Bodinus libro ſecundo Dæmonomaniæ, cap.5.

### SCIRE INCOGNITA, OCCVLTA.

IARCHAS Indorum ſapientũ princeps, diuinitùs Apollonio nomẽ eius, parentes, mores, & quæcunq; ipſi contigerat, dixit, perinde ac ſi omnibus interfuiſſet. Philoſtratus.

Monaſterij in Vueſtphalia narrat Sleidanus, cùm Anabaptiſtæ rerum potirentur, lege de communione bonorum promulgata, neceſſitatem ſingulis fuiſſe impoſitam, ut conferrentur in commune bona: cumq; numos ſuos diſſimularent & celarent multi, PVELLAS duas extitiſſe, quæ reuelabant omnia. Bodinus lib.3. Dæmon.c.6.

### EXPISCARI ARCANA.

Cognituri GERMANI, quæ Saga impotentem equum & languentem effecerit, ad certas ædes uſque trahunt alterius equi uiſcera, non per ianuam, ſed per cellã ingreſſi aut ſpecũ ſubterraneam, uiſcera illa conſumunt igne. Tum malefica, quæ commiſit malum, dolorem colicum in inteſtinis ſentiens ad ędes contendit rectà, ubi cremantur uiſcera, ut prunam candentem poſtulet, & dolor illius deſinit. Quòd ſi non aperiantur fores, ædes offunduntur tenebris, tonitru perſonant horrendo, ruinamque minitantur, niſi qui intus

ſunt aperiant: quod Sprangerus ſcribit in Germania obſeruatum & à ſe uiſum. Sic ſcilicet dæmone dæmon arguitur. Bodinus lib.3. Dæmonomaniæ, cap.5.

## ANIMI BONA MALAVE CONCILIARE. Vtputa

*Sapientes reddere.*

CRACA Regneri pugilis Dani uxor, uenefica, epulum ex trium colubrorum tabo innoxium corpori, animo ſaluberrimum confecerat, & partem quidem ferculi albam ex albo ſerpente paratam Erico priuigno, nigram uerò croceis diſtinctam notis, ex duobus ſerpentibus atris confectam, Rollero filio propoſuit. Ericus deguſtato ferculo ex utraq; parte, bono ſuo fato, ut erat urbanus, catinum inuertit: Sic, inquiens, æſtuante mari puppis in proram ferri ſolet. Comedit inde, omniumq; rerum cognitionem admirando modo conſecutus eſt, ita ut ferarum quoq; & auium uoces intelligeret. Craca errore cognito, cùm ineuitabilem fati prouidẽtiam uideret, Erico filium ſuum Rollerum unicè commendare cœpit, ut felicitatis per edulium partæ fructum in fratrẽ redundare pateretur. Hic eſt Ericus ille, qui Diſerti nomen meruit, & tandem ad regnum peruenit. Saxo Grammaticus lib.5. hiſt. Danorum.

*Amentes reddere.*

Cùm ex editiore Palatij Conſtantinopolitani loco MICHAEL Sicidites naniculam uidiſſet, qua ollæ & patinæ uehebantur, magico carmine effecit, ut nauta exurgeret, & uaſa non priùs ferire deſiſteret, quàm in puluerem redegiſſet. At paulo pòſt barba prehenſa lamentari, amotaq; caligine, ſe ut ira numinis agitatũ deplorare. Rogatus, Cur merces ſuas ita tractaſſet? cum dolore narrabat, ſe remis intentũ, horribilem ſerpentem ſupra uaſa porrectum, oculis inconniuẽbus in ſe conuerſum inſtar deuoraturi uidiſſe, qui priùs uolutari non deſtiterit, quàm fictilia confracta eſſent: inde ſubitò ex oculis euanuiſſe. Nicetas lib.4.

Memorabiles ſunt præſtigiæ, quibus CIRCVLATORES quoſdam in Boëmia ſuo tempore uſos ſcribit Matthiolus in præfatione in Dioſcoridem. In uinum, inquit, radicis cuiuſdam puluerem, cuius guſtatu fauces conuelluntur, immiſcent, & cui fucum facere uolunt, iubent, ut illo in uino intinctum digitum, quaſi prægustandi cauſa ſugat. Tum illicò digitum in uino madidum in os inditum, ſibi mordicùs non ſine dolore & clamore premit inuitus. Interea perinde atque blanditiis mœrentem conſolatur Circulator, temporum, carpiq́ue arterias alio quopiam oblinit medicamento: deinde numum in terram proiectum hortatur ut tollat. Ibi ille pronus primùm ſeſe nequit attollere, mox unguinis ui amens factus, concidit, ſtatimque eius more, qui metuit, ne mergatur in aqua, natat, ac uociferatur ſimul ſe fluctibus obrui. Ergo eum erigit Circulator. Ille quaſi ulturus iniuriam, primùm maleficium obliquo ac toruo intuitu exprobrare, mox hominẽ aggredi uidetur: poſtremò fugientem Circulatorem perſequi, donec abſterſo tandem illiti medicamenti ueneno, recipiat animum, ac menti reſtituatur. Vbi autem ad ſe rediit, quaſi qui euaſerit à mari naufragus, capillum ueſtimentaque ueluti uela torquere, exprimereque, brachia tergere, & nares emungere, conſpicitur. Hæc ille.

*In Amorem pellicere.*

Gazenſis emporij oppido uirginẽ dei uicinus IVVENIS deperibat. Qui cùm frequenter tactu, iocis, nutibus, ſibilis, & cæteris huiuſmodi, quæ ſolent moritturæ uirginitatis eſſe principia, nihil profeciſſet: perrexit Memphim, ut magicis artibus rediret armatus ad uirginem. Igitur poſt annum doctus ab Aeſculapij uatibus, uenit, & ſubter limen domus puellæ tormenta quædam uerborum & portentoſas figuras ſculptas in æris Cyprij lamina defodit. Illicò inſanire uirgo, & amictu capitis abiecto, rotare crinem, ſtridere dentibus, inclamare nomen adoleſcentis. Perducta à parentibus ad monaſterium D. Hilarionis, ſeni traditur, ululante ſtatim & confitente dæmone: Vim ſuſtinui, inuitus abductus ſum, quàm bene Memphi ſomniis homines deludebam. O cruces, ô tormenta, quæ patior. Exire me cogis, & ligatus ſubter limen teneor. Non exeo, niſi me adoleſcens, qui tenet, dimiſerit. Tunc ſenex: Grandis, ait, fortitudo tua, qui licio & lamina ſtrictus teneris. Dic, quare auſus es ingredi puellam Dei? Vt ſeruarem, inquit, eam uirginem. Tu ſeruares, proditor caſtitatis? Cur non potiùs in eum, qui te mittebat, es ingreſſus? Vt quid, reſpondit, intrarem in eum, qui habebat collegam meum amoris dæmonem? Noluit autem ſanctus, antequam purgaret uirginem, ſigna iubere perquiri, ne aut ſolitis incantationibus receſſiſſe dæmon uideretur, aut ipſe ſermoni eius accommodaſſe fidem: aſſerens fallaces eſſe dæmones, & ad ſimulandum per callidos. Quin potiùs reddita ſanitate increpuit uirginem, cur feciſſet talia, per quæ dæmon intrare potuiſſet? Hieronymus in uita Hilarionis.

SCLERVS Sethus ſub Manuele Comneno Imp. uirginem malo Perſico per lenam miſſo in ſui amorem pertraxit. Nicetas libro 4. Hiſtoriarum.

MAGI ſuis carminibus Phaniæ Porterij Hieroſolymitani ſeruo conciliarunt herilem filiam. Marulus libro ſecundo, capite duodecimo.

MAHOMETVS pſeudopropheta uxorem duxit Eadigam uiduam opulẽtam, quam artibus magicis in ſui pellexerat amorem. Paulus Diaconus libro 18. & Vincentius libro 23. Zonaras tomo 3.

*Libidinem, Amorem eximere.*

Soſipatram uiduã Euſtathij, formoſiſſimam & ſapientiſſimam mulierẽ, Philometor conſobrinus amare cœperat, & ut ea potiretur, magicis utebatur carminibus. MAXIMVS ſophiſta, ſacris operatus, Soſipatram ab hoc furore, ne manus daret amori, liberauit. Eunapius in Aedeſio.

Tradunt MAGOS nulla lege, ſed nouo commento adulteria uindicare, ut ſurculus per ranæ uiſcera ad os transfixus, in menſtruis uxoris defigatur à marito. Tunc enim uxorem faſtidire adulteria, & illorum tædio affici, pro certo opinati ſunt. Cui haud abſimile eſt, quod Ariſtoteles prodit, in Phaſi flumine apud COLCHOS arbuſculam naſci, cuius ramus excerptus à uiro, & in uxoris thalamum immiſſus, efficiat, ne uxor alium uirum appetat. Alexander ab Alexandro libro 4. cap.1.

VALASCA, Libuſſæ Boëmę famula, uirgines à uirorum amore per ueneficium ſic auertit, ut cõiuratione inita ſuos quęque maritos, patres, fratres, filios una nocte interfecerint: mox arce Viſſegradenſi obſeſſa, Primislai regis exercitum ad internecionem ferè ceciderint. Aeneas Syluius in hiſt. Boëm. & Egnat. lib.3. c.2.

*Ad Clementiam permouere.*

Sprangerus quæſitor annotauit, SAGAM, licèt captiuam, iudicis animum ad miſericordiam poſſe inflectere, ſi prior oculos potuerit in iudicem defigere. Idemq; auctor eſt, nihil tantoperè Sagas, de quibus ipſe cognoſcebat, à cuſtodibus in carcere flagitaſſe, quàm ut ſuos iudices ante congreſſum uidere poſſent: itaq; omneis iudices, qui priores uiſi à Sagis fuerant, quamuis iam antè plurimas longè minorum criminum afflatu condemnauiſſent, tum repentè à condemnatione earum abhorruiſſe. Bodinus libro tertio, capite 4. Dæmonomaniæ.

## AD SALTANDVM COGERE.

Satanas, eo quòd Geneuæ ſaltationes ante omnia ſunt odio, PVELLAM Geneuenſem ſic inſtituerat, ut quoſcunq; uirga ferrea ab ipſo tradita attingeret, eos ad ſaltandum compelleret: atq; hæc iudices ludificabatur dicens, Se necari ab ipſis nõ poſſe, neq; unquã uoluit reſipiſcere, donec ad mortem damnata eſſet. Hoc factum ab homine didici, qui interfuit: addebat autem, eam, ſimulatq; fuit comprehenſa, metu & trepidatione maxima fuiſſe conſternatam, dicendo ſe ab hero ſuo deſeri, ab eo promiſſionem de morte non appetẽda accepiſſe, cumq; ab ipſa, ſed ſola, percipi. Bodinus libro 2. Dæmonomaniæ, cap.4.

## ACTIONEM QVAMVIS IMPEDIRE.

Sprangerus ait, ut Sagę templum ingreſſæ prohibeantur egredi, moris in GERMANIA eſſe, ut puerorum aliquot calcei axungia ſuilla oblinantur: hoc facto, dum in æde morantur pueri, non poſſe ſagas ſine illorum uenia excedere: idẽque certis uerbis præſtari poſſe. Bodinus libro tertio Dæmonomaniæ, cap.5.

Nemo iam ruſticus neſcit, certo uerſu è Pſalmis pronunciato, quando lac premitur, non cogi butyrum. Fui Chellis Valeſiorum agro, cùm paruulus à pedibus PVER ancillæ impedimẽto eſſet, ne butyrum cogeret: ea autẽ interminante flagrũ à domino, ſi carmẽ non eximeret, fecit eodẽ uerſu præpoſterè enunciato ac uelut retexto, ut butyrum (in quo totus ferè dies conſumtus fuerat) cogeretur. Bodinus libro 2. Dæmonomaniæ, cap.1.

## DEVORARE.

SEDECIAS Iudæus milites cum equis & armis, uehiculũ fœni deuorauit, & uolabat per aërem.

Apuleius lib.1. de Aſino aureo, tale commentum refert. Athenis, proximè & ante Pœcilem porticum, iſto gemino obtutu CIRCVLATOREM aſpexi equeſtrem, ſpatham præacutam mucrone infeſto deuoraſſe: ac mox eundẽ inuitamẽto exiguæ ſtipis uenatoriam lanceam, qua parte minatur exitium, in ima uiſcera condidiſſe: & ecce ponè lanceæ ferrum, qua bacillum inuerſi teli ad occipitiũ per inguẽ ſubit, puer in mollitiem decorus inſurgit, inq; flexibus tortuoſis, eneruam & exoſſam ſaltationem explicat, cum omniũ, qui aderamus admiratione.



## MORBOS INDVCERE. PVTA

*Impotentiam ueneris, Sterilitatem.*

CHAMVS, filius Noachi, artibus magicis claruit, unde Zoroaſtres dictus fuit. Cùm autẽ à patre parum amaretur, ebriũ magico carmine ueneris impotentem fecit. Beroſus.

Ex ſceleribus magicis nullum exſtat frequentius, nullum propè pernicioſius eo impedimento, quod nouis coniugib. affertur: hoc uulgus dicit Ligare ligulam. Sic Amaſin Aegypti regem apud Herodotum lib.2. legimus fuiſſe uinctum & impeditum, ne rem haberet cum LAODICE uxore ſua: donec carminibus ſolennibusq; precibus ſolutus eſſet. CONCVBINAS quoque Theoderici regis iiſdem ligamentis aduerſus Hermenbergam uſas eſſe Paulus Aemilius in uita Clotharij ſecundi teſtatur. Rident quidem philoſophi Epicurei iſtud miraculum: ueruntamen hi nodandæ ligulæ [redacted] Ideoq; Canon 33. q.8. [redacted] ad Deum per humilem [redacted]

D. [redacted] librum quartum Sententiarum, diſtinctione 24. [redacted] ſolùm mulieris ac non aliarum nodari poſſe.

Cu[redacted] arcana peragenda. Guicciardinus lib.1.

*Pariendi difficultatem.*

PHARMACIDAS, id eſt, ueneficas mulieres, Thebani miſſas à Iunone aiunt, quò parturienti Alcmenæ impedimento eſſent. Sed eas, dum Alcmenæ partum cohiberent, Tireſiæ filiam Hiſtoridem tali aſtu eluſiſſe. Ex eo nãq; loco unde ipſæ facilè audire poſſent, clamauit, peperiſſe iam Alcmenã: illas ea uoce deceptas ſtatim abiiſſe: Alcmenam illicò puerum enixam. Pauſanias in Bœoticis.

*Lactis defectum.*

BIEBRANA ad Laodunum Saga, cùm mulieri cuidam comminata dixiſſet, eam nunquam puerum lacte uberum ſuorũ alituram, exaruerunt ubera: & quamuis multos ex eo tempore pepererit, nihilominus lacte caruit: donec Saga iudicio facto cremaretur uiua, Deo iudice iuſtiſſimo, cõtra quã Iudices (quibus ſtrangulari eã placuerat) conſtituerant, & cogitabat carnifex. Bodinus lib.4. Dæmon. c.5.

*Peſtilentiam.*

☞ De hac mox ſub Epititlo, Occidere.

[redacted]

ea ſub id tempus incerto auctore [redacted] MVLIERVM arte contabeſcere: eaſq; apud Forres Morauiæ oppidum, magicam & ſortilegam artẽ in regis perniciẽ exercere. Miſſi nuncij ueluti ineundæ pacis gratia inter Duffum regem & coniuratos Morauos, Forres adiêre: noctuq; in arcẽ admiſſi, cõmodum à milite quodam, qui hoc ipſum à ſuo ſcorto, cuius mater uenefica erat, expiſcatus fuerat, de toto negotio admonentur. Ergo in ſortilegarum ædes irrũpentes, ſagarum unam cereum ſimulacrum ad regis Duffi imaginem dæmoniaca arte (ut credere par erat) confectum, ligneo affixum ueru ante ignem torrentem: alteram carminibus recitatis liquorem quendam fundentem ſenſim ſupra ſtatuam inuenerunt. Coniectæ in uincula, rogatæq; de ſcelere, reſponderunt, dum ſimulacrum igni adhibitum torreretur, Duffum regem in ſudorem ſolui: carminibus uerò recitatis, perpetua teneri uigilia, & ad liqueſcentem cerã macie confici: conſumta autem cera, regis mortem continuò ſubſequuturam. Ad facinus exequendum, mercede à Morauorum primoribus conductas fuiſſe. Exuſtis muliercilis, Duffus ſudare deſiit, & ſanitati reſtitutus eſt. Hector Boëthius lib.11. hiſtoriæ Scotorum. Huius hiſtoriæ uanitatem oſtendit Cardanus lib.15. c. 80. de Var. rerum, & Vierus lib.2. cap.31. de Præſtig. dæmonum.

*Cæcitatem.*

Helſingorum princeps VITOLFVS quos uoluit, ita uidendi officio ſpoliauit, ut propinquas ædes nec uidere, nec certis poſſent ueſtigiis indagare. Olaus libro tertio, capite 17. ex Saxonis lib. 7.

*Graueolentiam.*

MEDEA cùm Iaſonem ſecuta in Lemnum applicuiſſet, Lemniadum mulierum zelotypia capta, pharmacum quoddam in Lemnum iecisse dicitur, quod grauem odorem feminis eius loci impreſſit, atque manſit poſtea illud uitium, ut & filiis & maritis ſtato quodam anni die Lemniades graueolẽtes uiderentur, ſicuti primo libro rerum Leſbicarum ſcripſit Myrtilus: cùm alij tamen Veneris facinus illud fuiſſe maluerint, ut ſenſit Steſichorus. Natalis Comes Mythologiæ libro 6. capite 7.

## OCCIDERE, NECARE

### IN GENERE.

Tres uiri cum femina una MAGI damnati & igne concremati ſunt uiui Pictauij, an. 1564. cùm fuiſſent euicti necis hominibus plurimis pecudibuſq; illatæ, opera diaboli ſubminiſtrantis puluerẽ, quos humi ſtabulorum, ouilium, domorũque limini ſubdebant. Narrauerunt autem iſti ſe ter in conuentum maximum ſolitos proficiſci, quò conueniebant Magi innumerabiles, ad compitalem quandam crucem, quæ ipſis uſum præbebat ſigni: ibi præeſſe hircum ingentem nigrum, adſtantes oratione humana compellantem, in eius ambitum ſaltare omneis, tum unumquemq; poſteriores illius partes cum ardẽte candela oſculari. Hoc facto, hircum abſumi igne: de cuius cinere ſingulos capere, ut eo bouem inimici necarent, huius ouem, illius equum: hunc hominem languore, illum morte afficerent: poſtremò diabolum uoce terribili hæc uerba intonare, Vlciſcimini uos, aut mortem oppetetis. ita ſingulos ope diaboli redire quã uenerant. Bodinus lib.2. Dæmon. c.4.

### IN SPECIE. Putà

*Homines.*

In Africa reperiuntur FAMILIÆ, quæ ſola uoce effaſcinant, ſi quid impenſiùs laudauerint. Plinius lib.7. cap.2. ex Iſigono & Nymphodoro. Hinc etiam apud nos conſuetudo inoleuit (quod Ariſtot. 20. ſect. Problem. 34 teſtatur) ut aliquid laudaturi, præfemur, ne uerba noſtra nobis obſint, ut Deus id conſeruet. Gellius lib.9. c.4. Eſſe eiuſdem generis in TRIBALLIS & ILLYRIIS, adiicit Iſigonus, qui uiſu quoque effaſcinent, interimantq; quos diutiùs intueãtur, iratis præcipuè oculis: idq; malum faciliùs ſentire puberes. Notabilius eſſe, quòd pupillas binas in oculis ſingulis habeant. Huius generis & feminas in Scythia, quę uocantur BITHYÆ, prodit Apollonides. Philarchus & in Põto THIBIORVM genus, multoſq; alios eiuſdem naturæ: quorum notas tradit in altero oculo geminam pupillam, in altero equi effigiem: eoſdem præterea non poſſe mergi, ne ueſte quidẽ degrauatos. Haud diſſimile iis genus PHARNACVM in Aethiopia prodidit Damon, quorum ſudor tabem contactis corporibus afferat. Feminas quidem omnes ubiq; uiſu nocere, quæ duplices pupillas habeant, Cicero quoq; auctor eſt. Plin. lib.7. c.2.

MEDEA Glaucen ſiue Creuſam Creontis regis Corinthiorũ filiã ſibi præferri uidens, nouæ nuptæ, diſſimulato odio, palam uenenis infectam muneri miſit. Quam quũ illa induiſſet, ſubito flagrauit incendio, pariq; exitio perierunt Creon & eius regia. Filios ex Iaſone ſuſceptos laniauit palàm.

LAPPONES & FINNI Septentrionales, faciunt de plumbo iacula magica breuia ad modum digiti: ea mittunt per quęuis diſſita loca in eos, de quibus uindictam expetũt. Hi oborto carcinomate in crure, uel brachio, intra triduum uehementia doloris exanimantur. Olaus lib.3. c.17. Septentrion. & Zieglerus in Scondia.

Cùm Barbati tribus ductoribus uſi Romanam ditionem infeſtarent, IANNES præceptor Theophili Imp. eum optimè ſperare iuſſit. Inter æreas ſtatuas, quæ erant in euripo Circi, ſtatua quædã extare ferebatur triceps. Tres ergo malleos æreos fabricari iuſſit Iannes, eoſque tradi uiris manu ualidis, qui conſtituta noctis hora ſecum ad ſtatuam illam accederent, iiſq; cùm ipſe mandaſſet, capita fortiter ferirent, dum ea ueluti uno ictu atq; impulſu in terram deiicerent. Magna iam parte noctis exacta cum uiris iſtis Iannes ad ſtatuam uenit, magicumq; carmen recitans, robur quod inerat ſtatuæ adimit, uiros omni ui percutere capita ſtatuæ iubet. Eorum duo ualidiſſimis ictibus duo capita ſtatuę decuſſerunt: tertius remiſſiùs aliquãto feriens, inclinauit quidem, non tamen à corpore totum auulſit caput. Eodẽ modo cum gentis eius ducibus actum fuit. nam ſeditione co-

orta inteſtina, duo de ducibus ceciderũt: tertius uulnus accepit, ſed non lethale. Itaq; Barbari uiribus deſtituti domũ rediêre. Cedrenus.

Simeon Bulgarorum dux, Crobatis bellum intulerat. ROMANO Lacapeno Imperatori nunciatur, ſtatuã in ſummo fornice Xerolophi uerſus Occaſum poſitam, in Simeonis Bulgari formam conuerſam eſſe: cuius ſtatuæ caput ſi amputaretur, Simeonis interitum haud procul abfuturũ. Eo facto, eadem hora Simeonem ex ſtomachi dolore expiraſſe, Imperatori nunciatum eſt. Zonaras.

Caſali urbe Salaſſiæ Italiæ regionis, coniurarunt circa annum Domini M D XXXVI. VIRI ac feminæ circiter quadraginta, inter quos carnifex erat, ut cùm peſtis antea ſæuiiſſet, tunc uerò iam miteſceret, unguentum conficerent, quo tangentes portarum coronidas inficerentur: puluerem quoq; conficiebant, quem ſuper ueſtes clàm ſpargerent. Latuit aliquandiu hæc res, ſublatique multi. Sed cùm cuiuſdam nomine Neci fratrem, atque unicum filium ſuſtuliſſent, uixque alij quàm domini domuum aut filij perirent, ſimulque animaduertiſſent Androgynam ſe in domos inſinuantem: atque eos maximè perire, quorum domum ingrederetur: deprehenſa coniuratione, omnes exquiſitiſſimis tormẽtis necati ſunt: faſſi etiam decreuiſſe in pompa celebri diui cuiuſdam, ſubſelliis perunctis, uniuerſos ciues occidere: parataſque ad hunc uſum ſupra uiginti ollas. Tentarũt & idem Geneuæ pòſt, dederuntq; pœnas. Cardanus de Rerum uarietate lib. 15. cap. 80.

Apud Sprangerum legimus PVMBERVM quendam magum Lendemburgi in Germania extitiſſe, quem docuerat Satanas Crucifixum ſagittis antepaſchali die Veneris configere: qua ratione adhibitis nefandis quibuſdam uerbis, iaculãs in aërem, ternos homines, quos uidiſſet cognouiſſetq;, poterat quotidie occidere, quamuis in arcem munitiſſimã abditos, modò certum deliberatumque conſilium occidendi eos habuiſſet. Eum uerò tandem ruſtici in fruſta laniauerunt ſine iuridica cognitione ulla, poſtquàm homicidia plurima perpetraſſet. Hæc geſta ann. M CCCCXX. Bodinus libro 2. Dæmon. c. 8.

Vratiſlaus Lucenſis dux, Vratiſlauiæ conditor, bellum contra Grezomiſlaum Boëmiæ ducem nepotem ſuum ſuſceperat. Ibi MVLIEREM fuiſſe tradunt, quæ priuigno bellum petituro, Vratiſlaum in pugna caſurum, maioremque populi partem cum eo interituram prædixit: poſſe tamen euadere iuuenem, ſi ſibi paréret. Adoleſcenti imperata facturum reſpondenti, iuſſit ut primum, qui obuius fieret, occideret, atque utraſq; aures abſciſſas in pera reconderet: mox gladio inter priores equi pedes cruce in terram facta & deoſculata, equum aſcendens fugam maturaret. Pugna in campo, cui Thuſco nomen eſt, commiſſa, cæſo Vratiſlao, adoleſcẽs, qui nouercæ paruerat, domum incolumis effugit, ſed uxorem, quam unicè amabat, interemtam reperit, carentem auribus, pectusq; confoſſam. Sic quas hoſti amputauerat aures, coniugis ſuæ fuiſſe, ſtupens triſtisq; cognouit. Aeneas Syluius in hiſt. Boëm.

*Bruta.*

Sortilegus QVIDAM Salisburgenſis cùm in oculis totius populi ſerpentes omneis, qui in ambitu ad milliare integrum fuerant, in foſſam unam coëgiſſet, & tradidiſſet morti, à poſtremo eoq; permagno furioſè inſultante enectus eſt. Bodinus lib. 2. Dæmon. c. 2.

## MORBOS ABIGERE.

*Conſule Tit. Morborum miro modo curatorum, Peſtilentiæ inprimis & Dæmoniacorum.*

### ABSOLVTE.

Φυλακτήριοι, hoc eſt remediorum ſeu amuletorum præbitores dicuntur, qui fraude dæmonis iis, qui à ſe decipiuntur, uincula quædam ex ſericis filis contexta, quæ & πυγγια dicuntur, præbent, quæ aliquando intus habent ſcripturas, aliquando falſa quædam alia, quæcunque inciderint. Dicunt autem hæc iuuare, ſi ex collis eorum, qui illa accipiunt, perpetuò pendeant, ad omne malum uitandum. Theod. Balſamon in ſynodum VI. in Trullo.

Apud Suidam legimus, inde à Minois tẽporibus HOMINES extitiſſe, qui uerbis & ſacrificiis curabant morbos: & apud Homerum, à profluuio ſanguinis Autolycum liberari uerbis. Bodinus lib. 3. Dæmon. c. 5.

APOLLONIVS Tyaneus Epheſum urbem graui peſte laborantem liberauit, oſtenſo eis mendico ſene, quem à populo lapidari iuſſit: qui poſtea lapidum congerie detracta, canis effigiem habere inuentus eſt: quem ipſe dæmonem eſſe affirmauit. Philoſtratus.

Quæſitor Sprangerus, cùm de Sagis Inſprugenſibus in Germania cognoſceret, FIGVLVS Magus extitit, qui pauperem uicinam ſuam uidens affligi grauiſſimè, ac ſi inteſtina ipſius gladiis indeſinenter peterentur, Experiar (inquit) an ſorte affecta ſis, & ſanabo te. Tum liquatum plumbum diſco infudit aquæ pleno, & mulieri ægrotæ impoſito, & incertis uocibus enunciatis, imagines quaſdam percepit in durato plumbo, ex quibus agnouit ſorte affectam eſſe mulierem. Hoc facto, abduxit uirum illius mulieris, & reſpicientes uterque ſub limẽ ianuæ, imaginem ceream palmarem inuenerunt, cui acus duæ ad duo latera hærebant fixæ, cum pulueribus, & ſerpentum oſſibus, quæ omnia iniecit igni: mulier uerò, cùm pignori dediſſet animam ſuam Satanæ & Magis, quos pro incolumitate ſua adiuerat, fuit reſtituta. Nempe Magus hic Sagę, quæ maleficium uicinæ intulerat, familiaris, ex ea potuit rem totam cognoſcere. Bodinus libro 3, Dæmonomaniæ, c. 2.

Scribit Iodocus Darmudanus in Praxi crim. cap. 37. Brugis in Flandria extitiſſe MAGAM in opinione maxima ſanctimoniæ, quòd morbos curaret innumeros: ſed illa hoc curabat primùm, ut crederetur ſe poſſe ſanare: deinde ieiunia indicebat, mandabatq; dici aliquoties Pater noſter, aut Compoſtellas ad S. Iacobum aut ad S. Arnoldum iri. tandem uerò multarum ſortium magicarum euicta, ſupplicio affecta eſt. Bodinus lib. 3. Dæmon. c. 2.

[redacted]

Cùm IO. Martinus uicarius Præfecti Laodunenſis de Saga S. Probæ cogniturus eſſet (quæ cæmentarium ita læſerat, ut ipſius caput inter crura ferè penderet incuruo corpore) Sagę renunciari iuſſit, ipſam non alia ratione poſſe uitę ſuæ conſulere, quàm ſi cæmentarium ſanaſſet. Ergo faſciculum à filia ſua domo afferri iuſſit: diabolum inuocat, deiecto in terram uultu carmina quædam coram omnibus muſſitat, & faſciculum tradens cæmentario, lauari eum in balneo præcipit, & illud quod faſciculo incluſum erat in balneum indere, cum his uerbis, Abi per diabolum. Sic curatus fuit cæmentarius. Antequam ea inderentur balneo, uolentes nõnulli cognoſcere, quid in faſciculo eſſet (quod illa fieri uetuerat) tres paruulos in eo lacertos deprehenderunt. Cęmẽtarius uerò dum in balneo eſſet, quaſi tres grandes carpiones ſentiebat in eo. cùm exceſſiſſet ex eo, quamuis peruestigarentur diligẽtiſſimè, nec carpio, nec lacertus inuentus eſt. Saga uiua fuit concremata. Idem.

Conſtat apud omnes Rupellæ hominem lethali uulnere affectum, de cuius ſalute chirurgi omnes deſperabãt, Magi CVIVSDAM opera ſic fuiſſe reſtitutum, ut incederet, & diebus aliquot loqueretur. Idem.

[redacted]

Carolus Martinus Præfectus Laodunenſis factus certior mulierem pauperem in ualle (id ſuburbij Laodunenſis nomẽ) fuiſſe à SAGA uicina faſcinatam, miſertusq; illius, necem interminatus eſt Sagæ, niſi morbum uicinæ adimeret. Metuens, illa promiſit ſe curaturam. Itaque ad pedes cubilis uenit, uultum in terram demittit, manus iungit, diabolum maximum magna uoce appellat, ſubinde preces renouat, uoces incoguitas aliquot repetens, & fruſtum panis ægrotæ tradit, quæ eodem momento cepit reualeſcere. Hoc facto Prefectus reuertens domum, ſtatuebat eam comprehendere, & igni quamprimùm tradere: ſed illa diſparuit. Idem.

### TRANSLATIONE in alium.

Apud Gregorium Turonenſem libro ſexto, capite trigeſimoquinto legimus, Childeberti regis uxorem, ut filiolum ſuũ ex maleficio audiuit obiiſſe, muliebri rabie ingentem SAGARVM numerum iuſſiſſe cremari. Eæ faſſæ ſunt, maleficium à ſe ſortis conditione procuratum, ut Mummonem magnum magiſtrum ſeruarent incolumem. Captus itaque Mummo, & equuleo impoſitus, certas pinguedines ſibi potionesq;



à Sagis datas fuiſſe dixit, ad conciliandam Principis gratiam: & carnificem, qui torquebat ipſum, nuntiare iuſſit Regi, nullum à ſe dolorem percipi. Tunc imperauit Rex eum diſtendi trochleis, ſtyloſque ferreos unguibus pedum & manuum interſeri: prout eſt in Oriente ratio torquendi, qua ſine membrorum fractura dolor fit intolerabilis. Poſt dies aliquot ad ſuos Burdegalẽſes deportatꝰ obiit. Bodinus lib. 3. Dæmon. c. 2.

[redacted]

Hulinus Paruus Aurelienſis materiarius ſorte magica affectus lethaliter, accerſi curauit HOMINEM, qui omnes morbos depulſurum ſe pollicebatur, ſuſpectum magicæ artis, ut ſanaret ipſum. Is autem reſpondit, Se non poſſe ſanitatem homini reſtituere, niſi morbum filio ipſius tum adhuc lactenti transdaret. Conſenſit parens in parricidium filij. Nutrix re cognita aufugit cum puero, dum Magus patrem ſanaturus attingeret. Sanato patre, puerum Magus afferri poſtulat. Quo non inuento, repentè exclamauit, Actũ eſt de me, puer ubinam eſt? & uixdum abiens pedem ianua extulerat, cùm eum diabolus interemit ſubitò, & cadauer eius tam fuit atrum, quàm ſi quis de induſtria colore atro infeciſſet. Idem capite ſecundo.

In iudicio SAGÆ apud Nannetas, quæ ſortilegij in uicinam iacti accuſabatur, imperauere Iudices, ut mulierem ſorte affectam attingeret (quod à Germanię Iudicibus etiam in Camera Imperiali fit ſæpiſſime) recuſauit, & ſe cogi uidens, exclamauit, Actum eſt de me. Etenim mulier ex contactu reualuit, Saga autem corruit: cadauer igni damnatum. Idẽ.

Tholoſæ Burdegalenſis QVIDAM ſtudioſus amico ſuo grauiſſimè ex quartana laboranti dixit, Vt febrim uni ſuorum inimicorum traderet. Reſpondente illo, Sibi neminẽ inimicum eſſe: dixit, Da igitur ſeruo tuo. Quod ipſum cùm renueret, Magus dixit, Da mihi eam. Annuente ægroto, Magus febri oppreſſus obiit, & ægrotus reuixit. Bodinus libro 3. Dæmon. cap. 2.

ARVERNVM quendam Magum captiuum Lutetiæ uidi (inquit Bodinus lib. 3. Dæmon. cap. 2.) an. 1579. equos & homines interdum curantem: apud quem permagnus liber inuẽtus eſt, pilis equorum, boum, & aliarum beſtiarum coloris cuiuſq; plenus. Hic ſiquando ſortem in equum iniecerat, conſulebatur, & de pilo equi illius habens, ita curabat illũ, ut ſortem alteri traderet: ſed pecuniam non accipiebat, ut quæ curationi officeret. Cùm in equum nobilis cuiuſdam uiri cõieciſſet ſortes, eum curauit, traductis in ſeruum eiuſdem uiri ſortibus. Mox à nobili petiit, Seruum an equum amittere mallet? Cæterùm nobili in deliberando cunctante, interiit ſeruus.

## DOLORES MITIGARE.

*Exempla quædam eorum, qui magicis carminibus in tormentis conſtantes perſtitere, recitat Vierus libro quarto, capite 10. de Præſtigiis dæmonum.*

## VITAM CONSERVARE.

Cùm Amurathes II. Turcorum Imp. in contentione ſacerdotum cum religioſis, pro ſacerdotibus pronũciaſſet, Vota & eleemoſynas populi ipſis meritò, ut regno magis neceſſariis, deberi: RELIGIOSI ſupplicarunt, ne hanc ſententiam, priuſquam paulo diligentiùs ſecum hanc rem diſcuterent, promulgaret. Adiecit rex ſeptem dierum inducias. Interea rex nocte quadam ſurgens ſecretiorem locum petiit: ac ſedens, è tabula quadã præcipitatus in cloacam, cùm nullum auxilium præſens eſſet, ſanctum aliquem, qui huic neceſſitati opitularetur, inuocauit. Et ecce habitu religioſorũ quidã apparens, O Amyra, inquit, ubi illi ſunt, quos regno tuo perneceſſarios iudicaſti? cur huic neceſſitati non ſuccurrunt? Nunquid illi præferendi, qui, ubi uirtus humana defecerit, inuocantibus ſe ultrò oſtendunt? His dictis, regem lecto ſuo illæſum reſtituens, euanuit. Manè rex acta nocturna reuoluens, conuocatis omnibus religioſis, quos habere poterat, diligentiſſimè inquiſiuit, ſi fortę eum inueniret, qui ſibi opitulatus eſſet. Cùm autẽ talẽ non inueniret, acceſſit eũ maior inter religioſos dicẽs: Ne mireris, ſi ille, qui nocte tibi opem attulit, hic non appareat. Vnus enim cõmunem omnium cauſam egit, quoniam de noſtra ſalute fuit tractatum. Ex hac illuſione rex in eam uenit mẽtis alienationem, ut filio Mahumete adhuc impubere regno præfecto, in Mamiſſam urbem, ubi multitudo religioſorum erat, ſeceſſerit, religioniq; operam dederit. Cuſpinianus.

## RESVRGERE A MORTVIS.

D. Clemens ſcribit SIMONEM Magum Neroni Imperatori dixiſſe, Vt ſibi ceruices iuberet abſcindi, ſe enim tertio die reſurrecturum eſſe. Quod cùm Nero (ut uidebatur) feciſſet, eum die tertio reuertiſſe. Neronem uerò miratum, ei ſtatuã Romæ poſuiſſe, cum hac inſcriptione, Simoni Deo ſancto. & ex eo tempore in artes magicas ſummo ſtudio incubuiſſe. Simon certè Neronis oculos ſic faſcinauerat, ut arietem eius loco decollarent. Simile eſt, quod narrat Apuleius de tribus hominibus, quos à ſe putabat occiſos, cùm tres hircinas pelles à PAMPHILA ſaga faſcinatus confodiſſet. Bodinus lib. 2. Dæmon. c. 6.

## DAEMONES, MANES, MORTVOS, Spectra uel

### ELICERE, EVOCARE.

MVLIER Pythoniſſa, Saulo rege petente, Samuelis prophetæ manes exciuit, à quibus ſuperſtitioſus rex imminentem cladem ſibi ſuisq; agnouit.

APPION grammaticus cynocephalæa herba (quæ in Aegypto Oſirites uocatur, & contra omnia ueneficia pollet: ſed ille, qui eam eruerit, moritur) umbras Homeri euocauit, ut ſciret, qua patria quibusque parentibus genitus eſſet. Non tamen auſus fuit profiteri quid ſibi reſpondiſſet. Plinius libro 30. cap. 2.

CANIDIÆ & SAGANÆ ueneficia Horatius libro 1. Satyra 8. deſcribit:

Vidi egomet nigra ſuccinctam uadere palla
Canidiam, pedibus nudis, paſſoq; capillo,
Cum Sagana maiore ululantem: pallor utraſq;
Fecerat horrendas aſpectu, ſcalpere terram
Vnguibus, & pullam diuellere mordicùs agnam
Ceperunt: cruor in foſſam confuſus, ut inde
Maneis elicerent animas reſponſa daturas.
Lanea & effigies erat, altera cerea, maior
Lanea, quæ pœnis compeſceret inferiorem.
Cerea ſuppliciter ſtabat ſeruilibus, utq;
Iam peritura modis. Hecaten uocat altera, ſæuam
Altera Tiſiphonen: ſerpenteis, atq; uideres
Infernas errare canes, lunamq; rubentem,
Ne foret his teſtis, poſt magna latere ſepulcra.

SIMON Magus pueri incorrupti & uiolenter necati animam adiuramentis ineffabilibus à ſe uocatam aſſiſtere ſibi, & per eam omne, quod iuberet, fieri, iactabat. Nimirum familiaris illi erat diabolus, quem pueri animam eſſe prædicabat, ut diuinitatem ſuam mentiretur cautiùs. Ioannes Vierus libro primo, capite decimoſexto, ex Clementis libro ſecundo Recognitionum.

APOLLONIVS Tyaneus ueniens ad tumulum Achillis, obteſtatus eſt Achillis manes, ut ſibi antiquam ſuam imaginẽ demonſtrarent. Leuiter itaq, tumulus intremuit. Mox iuuenis quidam apparuit, primò ſtatua cubitorum quinq;, paulo pòſt duodecim, pulcrior quàm dici poſſit. Interrogauit autẽ quædam friuola. Videns ergo adoleſcentem nimium laſciuientem, cognouit eum à dæmone occupatum eſſe. Cõpulit itaq; dæmonem corpus eius relinquere. Quo diſcedẽte, in rei huius ſignum ſtatua quædam proxima cecidit. Philoſtratus in uita Apollonij Tyanei.

Refert Porphyrius, PLOTINVM aliquando, magiſtrum ſuum, ab Iſidis SACERDOTE Romę inuitatum, pollicitumque illi oſtenſurum proprium genium, quod & aliis facere ſolebat. Itaque cùm ueniſſet Plotinus, & ille peregiſſet conſueta ſacra, apparuiſſe genium: & continuò ſacerdotem exclamaſſe, Beatus es Plotine, qui pro dæmonio genium habeas deum. Cardanus de Rerum uarietate libro decimoſexto, cap. 93.

IAMBLICHVS philoſophus cum diſcipulis ſuis acceſſerat Gadara, thermas in Syria, ſecundas à Baiis in Romano imperio obtinentes, quibus nullæ balneæ comparari poſſunt. Iſthic cùm lauaret, nata de balneis diſceptatione, renidens Iamblichus, iuſſit diſcipulos ſciſcitari ab indigenis, quibus iam olim nominibus donati fuiſſent duo è calidis fonticulis minores, ſed cæteris elegantiores uenuſtioresque. Illi negarunt ſe poſſe cauſam nominũ reſcire, uni tamen Amori nomẽ eſſe, alteri Anteroti, deo amantium iniurię uindici.

Confeſtim ipſe contacta manu aqua (ſedebat enim fortè in crepidine fontis, ubi depletur ac ſuperfunditur alueus) paucis admurmuratis uerbulis, de fontis imo puſionē exciuit, candidum, cōmoda ſtatura, capillitio in fuluum aurū tincto, dorſi cute nitida, qui totus lauanti aut loto aſſimilis erat. Attonitis rei nouitate comitibus, ad proximum fonticulum tranſiens, ibiq; eadem, quæ priùs, peragens, alterum Amorem euocauit, prioris per omnia ſimilem, extra comas nigrantes huic magis, & rutilas, per collum ſparſas. Ambo puſiones circumfuſi arctis complexibus, Iāblicho uelut naturali patri inhærebant. Quos ille in proprias ſuas ſedes eueſtigiò reſtituit, lotusq; exceſſit. Eunapius in eius uita.

Baſilius Imp. maioris natu F. Conſtantini deſiderio ita tenebatur, ut poſt mortem omnino uiuum cuperet uidere. Monachus quidam THEODORVS, cognomento Santabarinus, in metropoli Enchaitarum præpoſitus, ſe regi filium monſtraturum uiuentem inter frondoſa uirgulta equo inſidentem promiſerat. Stultus pater ſpectrum filij amplexatus eſt, eidemq; monacho deinceps tantum credidit, ut etiā filium Leonem, quem iam diademate ornauerat, ob ſuſpicionem carceri incluſerit. Cuſpinianus, ex Zonara.

Cùm IO. Teutonicus, patre natus presbytero, eruditionis opinione ad Halberſtadenſem canonicatum euectus eſſet (ad quem alioqui non niſi nobiles & legitimo loco nati admittuntur) à collegis ob ignobilitatem ſpernebatur. Ille ut hunc contemtum à ſe amoliretur, conuiuio eos ſplendidiſſimo excepit, & captata occaſione, Vellentne ſinguli ſuos uidere patres? interrogauit. Id cùm illi ſe uehementer cupere dicerent, arte magica umbras exciuit deformes, coqui, ſtabularij, morionis, ruſtici perſonam geſtantes, quarum facies in paternis ædibus aliquando ſe uidiſſe fatebantur cōuiuæ. Ad extremum, ſuum quoq; patrem exciuit, habitu canonici, aqualiculo pingui. Dimiſſis umbris, Eccuius tandem patrem nobiliorem eſſe iudicarent? conuiuas interrogauit. Illi metu territi, pudore ſuffuſi, ſuas quiq; domos repetiere, nec ultra Ioāni moleſti fuêre. Io. Agricola in prou. Germ. Qui quæ uult dicit, quæ non uult, audiet.

CAPERE.

Fabulantur duos lares, Picum & Faunum, in montem Auentinum, cùm nondum comprehenſus muris eſſet, uel habitaretur, fontibus autem largis ſcateret, & lucos haberet opacos, commeare ſolitos: eoſq; NVMAM Pompilium cōprehendiſſe, cùm fontem, ex quo potare ſolebant, uino miſcuiſſet & melle. Captas in uarias ſe uertiſſe formas, effigiem ſuam depoſuiſſe, nouasq; induiſſe & horrendas imagines. Verùm ubi ſe teneri ualido nexu & inenodabili ſenſerunt, cùm alia multa præcinuiſſe futura, tum fulgurum procurationem, quæ cepis, crinibus & mænis peragitur, monſtraſſe. Plut. in Numa.

IMMITTERE.

MICHAEL Sicidites magus, Manuele Comneno imperante, in balneo lauans Conſtantinopoli, rixari cū quibuſdam cepit, mox egreſſus eſt. Paulo pòſt & cæteri anhelantes præ metu ac feſtinatione inuicem conculcantes procurrerunt, cùm ex canali calidæ aquæ uiros pice nigriores exiliiſſe dicerent, à quibus, nates ipſorum plantis pedum ferientibus, balneo exacti eſſent. Nicetas lib. 4.

PELLERE EX *Hominibus.*

*Vide Titulum, Dæmoniaci curati.*

APOLLONIVS Tyaneus dicitur diabolos abegiſſe, ſeu potiùs diabolum illi paruiſſe, ut eum ueluti antagoniſtā Chriſto opt. max. opponeret. Tot certè his præſtigiis diſcipulos adeptus eſt, ut Euſebius octo libros contra Philoſtratum Apollonij præconem coactus fuerit conſcribere. Bodinus libro 3. Dæmon. c. 6.

Apud Leonem Africanum legimus, à MAGIS (quos Afri uocant Muhazimim) poſt ductos aliquot circulos & characteras in fronte dæmoniaci, interrogatumq; dæmonem, dari mandatum ei, ut exeat, & ſtatim exire illum. quod item ſcribit Sprangerus de Germaniç ſortilegis. Quo facto Satanas, qui nihil niſi corpus antè tenebat uiolenter, in tranquillam animæ poſſeſſionem mittitur. Item ſi quando ſuperſtitioſi ritus idololatriciq; adhibentur, malignus ſpiritus abſcedit, & cogi ſe fingit, ut imperitos deducat in conſtantem idololatriam. Idem.

Scribit in dialogo Cæſarius, Colonienſis SACERDOTIS filiam ab incubo ſpiritu maligno agitatam, ex phreneſi laboraſſe; monitum autem patrem illius effeciſſe, ut filia trans Rhenum deportata migraret. Sic diabolū à filia diſceſſiſſe: uerùm parentem adeò contudiſſe, ut poſt triduum uitam amitteret. Idem.

*Locis certis.*

Spartiatis cùm data dictio eſſet, uti placarent Pauſaniæ manes: accerſiti ex Italia PSYCHAGOGI, rebus diuinis perpetratis ſimulacrum ex delubro abſtraxêre. Plutarchus de Tarda dei uindicta.

PORPHYRIVS è balneo quodam dæmonem, ab indigenis Cauſathan nominatum, eiecit. Eunapius.

IN ALIAS FORMAS conuertere.

*Vide Tit. Metamorphoſeon. illic Effectus, heic Effi-* [redacted]

ſus eſt, prodente Pallade. Natalis [redacted] bro 8. cap. 8.

MEDEA, cùm Peliam Theſſalorum regem ſuis dolis necatura eſſet in gratiam Iaſonis nepotis Peliæ, cuius ille patrem occiderat, formam ſuam mutauit capillos canos fecit, & faciem corpusque rugoſum, ut aſpicientibus anus uideretur: mox in iuuenilem priorem ſpeciem reſtituit, ut ita fidē faceret artis potentiæ. Diod. lib. 4. c. 3.

De MOERI uenefico Vergilius in Bucolicis ſic ait:

Has herbas, atq; hæc Ponto mihi lecta uenena
Ipſe dedit Mœris: naſcuntur plurima Ponto.
His ego ſæpe lupum fieri, & ſe condere ſyluis
Mœrim, ſæpe imis animas excire ſepulcris,
Atq; ſatas aliò uidi traducere meſſes.

PYTHAGORAS aliquando in theatro ſedens, ut Ariſtoteles refert, ſurrexit, & ſeſſoribus demonſtrauit femur ſuum aureum. Apollonius in Mirab. hiſt.

Mela & Herod. lib. 4. de NEVRIS Scythiæ Europeæ gēte ſcribunt, ſtatum ſingulis tempus eſſe, quo ſi uelint in lupos, iterumq; in eos, qui fuêre, mutentur.

CAIANVS ſiue Baianus, filius Simeonis, qui Bulgaribus dominabatur, in arte magica adeò ualebat, ut quoties uellet, lupus, uel quælibet fera fieri uideretur. Sigebertus in Chronico circa annum 970.

Frotho III. Danorum rex, uictoriis clariſs. in Iutia tanquam in capite regni ſui, magni ponderis auream armillā triuiis affigi curauit, indictæ à ſe probitas, experimentum tam inſignis prædæ documento daturus. Cuius irritamentū quanquam improbas laceſſeret mentes, ac ſiniſtra ſolicitaret ingenia, ſuperabat tamē indubitatus periculi metus. MAGA quædam, filium petendæ furtim prædæ cupiditate ſolicitauit, impunitatem promittens, quòd Frotho fato proximus eſſet. Rex contumelia ea laceſſitus, ad diripiendos matronę penates contendit, præmiſſis, qui eam cum liberis comprehenſam adducerent. Quod præſciens femina, in equū ſe cōuertit: mox uerò accedente Frothone, maritimæ bouis ſpecie aſſumta, paſtum in litore uagabunda petere uidebatur: filios quoq; in uitulos conuertit. Cuius monſtri admiratione rex captus, circuiri ipſos, reditumque eis ad undas negari iubet: deniq; uehiculo, quo ob ſenium utebatur, egreſſus, humi conſedit. At mater, prætento cornu regem adorta, alterum eius latus confodit. quo uulnere exanimatus eſt. Milites iaculis portēta configunt, iiſq; interemtis, animaduertunt humana cadauera ferinis capitibus prædita eſſe. Saxo lib. 5. & Cranzius lib. 1. Daniæ, c. 32.

In PRVSSIA, LIVONIA & LITVANIA ueneficorum maximus eſt numerus, qui feſto Natiuitatis Chriſti ſubnoctem depoſita in certo loco hominis forma, lupi aſſumunt faciē, & in ſyluis ruſticorum ædes aggrediuntur, expugnant, cereuiſiæ dolia ebibunt, pecora iugulant. Locum illum deinceps incolæ diuinum arbitrantur, tali diuinationis genere, ut ſi alicui in eo quid aduerſi contigerit, & is ueluti uehiculum obuertatur, atq; niuibus iniiciatur, perſuaſum habent, eum illo anno moriturum: quemadmodum id à multis tēporibus per experientiam explorarunt. Intra Lituaniam, Samogetiam, ac Curoniam eſt paries quidam, ex quodam caſtello diruto reliquus. Ad hunc certo anni tempore aliquot millia luporum conueniunt, ac uniuſcuiuſq; agilitatem in ſaltando explorant: qui hunc parietem tranſilire nequiuerint, uti pinguioribus ferè euenit, flagellis ab eorum præfectis cæduntur. Denique conſtanter aſſeritur, inter hanc multitudinem etiam magnates, atque ex prima nobilitate uiros uerſari. Illuſtrat idipſum exemplis Olaus libro decimo octauo, capite quadrageſimoquinto, & ſeq. aſſerens Ducē Pruſſiæ, tali ueneficio parum fidei adhibentem, quendā huius malefici peritum coēgiſſe, ut in lupū ſe transformaret, cumq; mox igni exuſſiſſe.



In Liuonia quotannis ſub finem Decembris Magi omnes citantur, ut loco certo compareant: ſi ceſſant, à diabolo ictibus ferreæ uirgæ ita tractantur, ut uibices extent. Præire ducem aiunt, myriadas ſequi tranantes fluuium: eoque traiecto mutari in lupos, in homines & in pecora inuolare, & innumerabilia damna inferre: poſt dies duodecim eodem fluuio remeare, & humanam formam recipere. Hanc acroaſin ex mercatoribus G. Peucerus tradit. Confirmat idem Languetus Burgundus. Bodinus libro ſexto Dæmonomaniæ, capite ſexto.

MICHAEL Verdunus & PETRVS Burgottus paſtores inito pacto cum dæmone, in lupos quando uellent, unguēto certo adhibito, ſeſe mutari, & homines ſimul aliaq; animalia iugulare, cum lupis coire, imaginabātur. Exuſti ſunt uiui in diœceſi Biſuntina, anno Chriſti 1521. Vierus libro 5. cap. 10. de Præſtigiis dæmonum.

*Alios.*

Scriptum reliquit Andrætas Tenedius in nauigatione Propontidis, Io Inachi fl. uel Neptuni & Iſmenes Aſopi filiam, non modò non fuiſſe perfunctam Iunonis ſacerdotio, ut nōnulli putarunt: ſed etiam fuiſſe ſcortum, quæ ueneficiis Iouem in amorem irretire niteretur, ut eſt etiam apud enarratorē Theocriti. Ad quam rem IYNGIS, Echus ſiue Suadelæ & Panos filiæ opera uſa fuit. Re cognita, Iynx in auem ſui nominis à Iunone fuit conuerſa, utilem ueneficiis, quam ob caudæ aſſiduum motum uocant Latini motacillam. Hanc ueneficæ mulieres cereæ rotæ annexam ſuper carbonibus cum quibuſdam execrationibus torrent & comburunt. Fabulantur hanc datam fuiſſe Iaſoni à Venere, quo tempore nauigauit in Colchos, ut Medeam in amorem ſui alliceret. Natalis Comes lib. 8. c. 18.

IVNO aduerſus Venerem zelotypia capta, illius uterum per dolum contrectauit, fecitq;, ut deformem puerum páreret, qui ingens haberet pudendum, quem nominauit Priapum, ut ait Poſſidonius in libro de Heroibus & dæmonibus.

AMPHITRITE Scyllam, Phorci & Hecates filiam, quòd cū Neptuno rem habuiſſet, pharmaco infecto in fontē, in quo ſe lauare conſueuerat, in furorem egit, ut ſeſe in mare præcipitaret, & in monſtrum marinum conuerteretur. Natalis Comes Mythol. lib. 8. c. 12.

Seruius indicat, Scyllam Phorci & Crateidis nymphæ filiā fuiſſe. Hanc cùm amaret Glaucus, CIRCE, quæ illius amore tenebatur, fontem, in quo lauare conſueuerat, magicis uenenis infecit. In quem cùm illa deſcendiſſet, pubetenus in uarias mutata eſt formas. Horrens inde ſemetipſam, ſeſe in mare præcipitem dedit, ac fabulæ præbuit argumentum. Saluſtius putat eſſe ſaxum in mari prominens, quod procul uiſentibus muliebrem formam exhibeat, in quod illiſi fluctus, quoniam & luporum eiulatum & canum latratum uidentur imitari, finxerunt illam à pube huiuſmodi feris ſuccinctam eſſe.

CIRCE, Solis & Perſæ nymphæ filia, poëtarum fabulis dicta eſt commutaſſe ſocios Vlyſſis in porcos. Habitauit autem non procul à Caieta, Campaniæ urbe. De cuius præſtigiis ſic ſcribit Boëthius:

Vela Naritij Ducis, Et uagas pelago rates
Eurus appulit inſulæ, Pulcra qua reſidens Dea
Solis edita ſemine Miſcet hoſpitibus nouis
Tacta carmine pocula. Quos ut in uarios modos
Vertit herbipotēs manus: Hunc apri facies tegit:
Ille Marmaricus leo Dente creſcit, & unguibus:
Hic lupis ſuperadditus, Flere dum parat, ululat:
Ille, tigris ut Indica, Tecta mitis obambulat.

MEDEA Aeſonem patrem Iaſonis iam ſenio confectum, ſuis artibus reduxit ad iuuentutem.

In S. Clementis hiſtoria legimus per SIMONEM magum effectum eſſe, ut Fauſtinianum amicorum nullus agnoſceret.

Vincentius in Speculo lib. 3. cap. 109. ſcribit, duas in Germania cauponas fuiſſe SAGAS, quæ hoſpites ſolebant in beſtias uertere. Cùm itaque hiſtrionicum adoleſcentem in aſinum cōuertiſſent, qui (ut erat rationis compos) uoluptates mille uiatoribus exhibebat, hunc magno fuiſſe à uicino emtū: illas tamen dixiſſe, ſe non eſſe præſtituras: nam eum, ſi flumen accederet, amiſſum iri. Aſinum itaq; die quodam elapſum, in lacum proximum abiiſſe, & ſimul humanam formam recepiſſe. Id Petrus Damianus, uir ſua ætate inter primos numerandus, cùm rem ſciſcitatus eſſet diligentiſſimè ex hero, ex aſino, ex mulieribus Sagis, & iis, qui aſinum elapſum ac reſtitutum uiderant, Leoni VII. Papæ narrauit: & poſtquam diu in utramq; partem coram Papa fuit diſputatum, hoc tandem poſſe fieri, fuit deciſum. Atq; hoc quidem pacto confirmari poſſet illud, quod apud LVCIANVM & APVLEIVM licèt atheos homines in aſinos uerſos legimus, qui hoc ſibi aiunt à Lariſſęis mulieribus Sagis accidiſſe, quas ideo inuiſerant, ut cognoſcerent, an hoc uerum eſſet. Bodinus lib. 2. Dæmon. c. 6.

ITALÆ quædam mulieres, oblatis cibis quibuſdam, humanas mentes ita perſtringebant, ut illis ea, quæ non erant, eſſe uiderentur. Hoc à Præſtantio ſe audiuiſſe, diuus Auguſtinus lib. 18. de Ciu. Dei, cap. 17. ſcriptum reliquit. Narraſſe enim Præſtantium dicit, ipſius patrem, eiuſmodi maleficis cibis per has mulieres fortè correptum, ſtatim graui ſomno indormiuiſſe: ac poſt multos dies, quorum ſpacio expergiſci nullis remediis unquam potuerat, narraſſe ſe per id tempus equi habuiſſe ſpeciem, ac ſemper frumenta tuliſſe: addebat etiam portandi tempus, locumq;, & quomodo tuliſſet. Quarum rerum cùm poſtea ueritas inquireretur, aiebat inuentum eſſe, quòd equus, eius ſpeciei, qua Præſtantij pater dixerat, eo tempore, eo loco, frumenta iis tulerat, quibus ille dicebat. Idem in PVELLA Aegyptia oſtenſum fuit, cùm parentes in equam mutatam, ad diuum Hilarionem duxiſſent, quam is breui in priſtinam humanam ſpeciē reſtituit. Fulgoſus lib. 8. c. 11.

Legimus apud Gulielmum Tyri archiepiſcopum, iuuenē Anglum militem in Cypro fuiſſe à SAGA transformatum in aſinum: qui cùm in nauem ad ſocios uolens remeare, fuſtibus abactus eſſet, ad Magam rediit: itaq; illam eo uſam eſſe, donec aſinus in Eccleſia uiſus eſt in genua procidere, eaque facere, quę ab animante bruto nequeunt fieri: tum Magam, quæ agebat ipſum, ex ſuſpicione ad iudices raptam, eum triennio elapſo reſtituiſſe, & morte affectam eſſe. Sed & de Ammonio philoſopho Peripatetico Origenis præceptore legimus, aſinum lectioni eius interfuiſſe. Bodinus libro 2. Dæmon. c. 6.

INANIMATA.

TRISCALANVS Cenomanus Comes artificio ſuo, quod coram rege Gallorum Carolo IX. exercuit, animum Regis, quem ſibi conciliare ſtudebat, perculit: nam orbes torquis aurei procul in manum ſuam colligere uidebatur, etſi ille integer manſit. Rex territus ſtatim eum exire, & ſupplicium de eo ſumi iuſſit. Bodinus lib. 3. Dæmon. c. 3.

IDEM de Curione quodam pręſentibus parochis dixit, Videte iſtum hypocritā, qui fingens ſe breuiariū ferre, fert chartas luſorias. Tum Curio uolens oſtendere, quid ferret, uiſus eſt ſibi habere chartas luſorias, adeoq; rubore ſuffuſus breuiarium abiecit. Superuenientes uerò paulo pòſt alij, librum ipſum ea quam habebat ſpecie repererunt. Nempe multis in rebus Satanas illudere, non tamē ſingulorum oculos perſtringere poteſt. Idem.

INVISIBILEM REDDERE *Semetipſum.*

*Conſule Tit. eorum, qui Diſparuere. Illic Effectus in Corpore, heic Efficiens cauſa conſideratur.*

*Res alias.*

APOLLONIVS Tyaneus, cùm in Tigillini manu libellus eſſet, in quo ipſius accuſatio cōtinebatur, prodigioſè effecit, ut apertus liber nulla in parte ſcriptus inueniretur. Philoſtratus.

MICHAEL Sicidites Magus, imperante Manuele Comneno, earum rerum conſpectum eripiebat, quas oculi intuebantur. Nicetas lib. 4.

INFESTARE VIAS.

Prope Elten pagum, milliare medium ab Embrica, in ducatu Cliuenſi diſſitum, circa uiam regiam ante annos circiter quadraginta duos dæmonium uiatores miris uariiſq; exercebat modis, cædens, uel ab equis deiiciens, ſeu uehicula ſubuertens: nec aliud unquam uidebatur, quàm manus effigies. Eckerken huic nomen indebatur. Vicini increduli, nec ſatis hoc dæmonij ludibrium exercitumq; dignoſcentes, ad Lamiæ maleficium retulerunt id facinus. Quare manus mulieri SIBYLLÆ Duiſcops nomine, ſeruitutis iure Comitis Montenſi mancipatæ iniicitur: eaq; tandem exuſta, deſiit uexatio. Vierus libro quinto, capite 12. de Præſtigiis dæmonum.

CONVIVIA INSTRVERE.

BRACHMANES conuiuia uaſis epuliſq; apparatiſſima ſtruere, Apollonius Tyaneus affirmauit, cùm tamē, qui apparando conuiuio, ferendis mutandiſq; ferculis miniſtrarēt, nulli conſpicerentur. Philoſtratus.

Fertur NVMA aliquando frequentes ciues inuitaſſe ad epulum, ſordidaq; uaſa & cœnam planè frugalem plebeiamq; appoſuiſſe. Cepta cœna intuliſſe ſermonē, deam ſibi familiarē adeſſe, ac repentè domum oſtendiſſe poculis inſtructiſſimam

mam precioſiſſimis, menſaſq; epulis uariis, atque apparatu magnifico affluẽtes. Plut. in Numa.

Tradunt PASETEM quendam, præſtigiarum & magiæ peritia primũ nomen meruiſſe. Is incantamentis quibuſdam efficiebat, ut repentè conuiuium omnibus inſtructum partib. adeſſe uideretur: rurſum ubi libuiſſet, omnia protinus euaneſcebant. Emebat autem frequenter, preciumq; rei numerabat, uerùm mox numus non apud uenditorem, ſed apud Paſetem reperiebatur. Huiuſmodi fermè tradit Suidas. Inde prouerbium Paſetis ſemiobolus, de re noua ſtupendaq;, & præſtigiis ſimillima. Eraſmus in Adagiis.

Gulielmus Neubrigenſis lib. 1. c. 19. mira de EONIS hæreſiarchæ, qui è Britannia in Gallias uenerat, ann. 1148. præſtigiis narrat, quòd ita hominum oculos faſcinarit, ut magnam uideretur hominum multitudinem penes ſe habere, & regiis deliciis ciborum, & apparatus ſplendidiſſimi abundare. Sic dementati homines eum magno numero comitabantur & uenerabantur.

Viuunt adhuc memoria noſtra plurimi, qui COMITEM quẽdam Aſpremontenſem norunt omneis domum ad ſe uenienteis tractare magnificè excipereq; ſolitum, adeò ut exquiſiti cibi, officia, omniumq; rerum copia omnibus eò diuertentibus ſatisfacerent: ſed homines illos & equos, cùm primùm inde exiſſent, famem & ſitim maximam percepiſſe. Idque ex multis adhuc ſuperſtitibus ſe audiuiſſe ſcribit. Bodinus lib. 2. c. 4. Dæmon.

## MOVERE CORPVS. TVM
## PROPRIVM. SIVE
### In Aere. Puta
*Eleuando, Aſcendendo.*

IAMBLICHVS Syrus philoſophus inter fundendum preces ab humo pluſquam decem cubitos ſublimis attollebatur, corpus & ueſtimentum in aureolum colorem migrabat. Finitis precibus, in priſtinam redibat ſpeciem, & ad terrã deſcendebat. Eunapius in eius uita. Magicæ nimirum contemplationis hæc erant ludibria.

AEDESIO, Chryſanthij philoſophi Sardiani F. corpus in motu ita fuit agile, ut fidem omnẽ ſuperaret, planeq; iuxta poetas in ſublime raptum efferretur. Eunapius in Chryſanthio.

MAGDALENA Crucia Hiſpana monacha, per tres cubitos & ampliùs in ſublime, ſatanæ, cui ſe dediderat, præſtigiis ſæpe in conſpectu populi efferebatur. Caſſiodorus Renius.

Vierus in Germania uiſum tradit fuiſſe HOMINEM, qui cœlum uerſus aſcendebat, & trahebat poſt ſe uxorem atq; ancillam, hærentes pedibus, hanc heræ, illam uiri cum maxima populi admiratione. Bodinus in confut. opinione Vieri.

*Volando.*

Thomas Aquinas, Durandus Heruæus, Bonauentura Tarantaſius & Geraldus Odetus, qui in ſecundum librum diſtinct. 8. Magiſtri ſententiarum quæſtionem hanc explicarunt, omnino confirmant CORPORA à diabolis naturali potẽtia de loco in locum tranſportari. Bodinus libro ſecundo Dæmonomaniæ, cap. 5.

MEDEA Corintho fugiens, à draconibus in aërem ſubleuata Athenas deuolauit, nupſit Aegeo: eius filium Theſeum potauit Cerebri ſpuma: cuius inſidias fugere compulſa, in Syriam uenit, & regias denuò conſecuta eſt nuptias. Medus filius ex Aegæo ſuſceptus, Medis imperauit. Diodorus libro quarto, capite 3.

PYTHAGORAS Crotone & Metaponti, eadem die atq; hora aliquando uiſus eſt. Apollonius in Mirab. hiſt.

Apud Philoſtratum legimus, APOLLONIVM Tyaneũ à Nili fontibus in Aethiopia fuiſſe breui ſpacio Romam exportatum, id eſt (ut rectà contendas) in bis mileſimũ quingenteſimum milliare: item Roma Corinthum, Smyrnaq; Epheſum. Romæ cùm in palatio publicè cuſtodiretur, apud Domitianum accuſatus, ab eius conſpectu euanuit: at Puteolis eo die inuentus eſt, quo comitem ſuum præmiſerat, atq; ut illic ſe expectaret, mandarat.

IOANNES Teutonicus, ſacerdos Halberſtadienſis, magus eo tempore celebertimus, anno M CC LXXI. media nocte tres Miſſas cecinit, unam Halberſtadij, alteram Moguntiaci, tertiam Coloniæ. Bodinus lib. 2. Dæmon. c. 4.

Quum coram Mathia Coruino Vngariæ rege, Viennæ in artis magicæ diſputationem quidam incidiſſent, Mathiam dixiſſe ferunt, in captiuitate ſua matrẽ de ſe ita fuiſſe ſollicitã, ut CVRSOREM inuenerit, qui ſex horarũ ſpacio ex Vngaria Pragam ad ſe profectus fuerit, totidemq; redierit, literaſq; & reſponſa retulerit. Bonfinius lib. 9. Dec. 3.

Apud Paulum Grillandum Iurecoſſ. Italum, qui de multarum maleficarum factis cognouit, legimus anno M D XXVI. nõ procul à Roma ruſticum extitiſſe, qui poſtquam nudam uxorem ſuam ſe inungentem uidiſſet noctu, ſublatamque oculis domi non inueniſſet, eam poſtridie arrepto baculo non deſtitit percutere, donec rem fateretur: ſed ueniam ea lege dedit, ut ſe quoque in cœtum illum uxor deduceret. Ea poſtero die uirum unguento ſuo curauit oblini, & uterque inſidentes hircis prouenerũt in cœtum celociſſimè. Virum autem uxor præmonuerat, à nomine Dei planè abſtinendum eſſe, niſi per ludibrium blaſphemiam'ue diceretur. Igitur in cœtu uerſantem mulier ſeorſim aliquantiſper iuſſit conſiſtere, ut fabulam totam cerneret, donec ipſa principẽ ſalutauiſſet magnificè ornatum, maximaque uirorũ & mulierum corona cinctum, honorem illi clientelarem exhibẽtium. Eo facto, ſaltationem inſtitutam in orbem uidit, ore extrorſum obuerſo, ita ut non uiderẽt alter faciem alterius (fortè eo conſilio, ne ſe mutuò poſſint commodè obſeruare atque agnoſcere, quos illi indicent, ſi ad iudicum manus peruenerint. Quod etiam Triſcalanus Magus, Carolo IX. regi, ſpe data ueniæ, ut ſocios indicaret, expoſuit.) Poſt ſaltationem inſtratæ fuerunt menſæ, cibi appoſiti. Mulier tum admonuit uirum, ut Principem ſalutaret: deinde, ut cum aliis accubuit menſæ, uidens cibos inſulſos eſſe, & in menſis deſiderari ſalem, clamauit continenter, donec ſal (ut uidebatur) allatus eſſet. Quem antequàm guſtauiſſet dixit, Hor laudato ſia Dio, pur e uenuto queſto ſale, Iam laudetur Deus, cùm ſal allatus ſit. Eo dicto euanuerunt ſtatim ab oculis omnia, homines, cibaria, menſæ: ipſe ſolus remanſit nudus, neſciens ubi locorum eſſet: cumque illuxiſſet, à paſtorib. cognouit ſe in Comitatu Beneuentano eſſe. Hæc ſub nuce geſta ad centeſimum milliare ab urbe Roma: unde proficiſcens ille, panem & amictum coactus eſt mẽdicare, & octauo demum die peruenit domum, uxoremq; accuſauit cũ ſociis.

Idem auctor eſt anno M D XXXV. adoleſcentulam ei Spoletano Ducatu tredecim annos natam à VETVLA quadam in Magorum cœtum ſic perductam eſſe, miratamq; conuentũ adeò numeroſum dixiſſe, Dio benedetto, che coſa è queſta? Deus benedicte, quid hoc rei eſt? Simul atq; pronunciaſſet iſta, euanuiſſe omnia: miſeram diluculo à quodam ruſtico inuentam ei rem totã enarraſſe: eum deinde ad ſuos puellam remiſiſſe, & Magam ab ipſa accuſatam igne ſublatam fuiſſe. Bodinus lib. 2. Dæmon. c. 4.

In libro tertio, Antonij de Turquameda Hiſpani legimus, uoluiſſe MAGVM quendam ſocio ſuo perſuadere, fore ipſum beatiſſimum omnium, ſi crederet ſibi, & magorum conuentus adiret. Vt autẽ conſenſit ſocius, Magum de nocte poſt aliquot uoculas manum ſocij prehendiſſe, & utrumq; elatũ in aëra procul fuiſſe in cœtũ tranſuectos, in quo uiri & mulieres innumeræ circumſtabant thronum, cui maximus inſidebat hircus: ad huius podicem oſculandum omnes acceſſiſſe. Nouitium cùm uideret iſtud, ſocio dixiſſe, inclamaſſe repentè Deum, uoce quàm maxima: tunc irrumpente turbine procellaq; uehementiſſima, diſparuiſſe omnia, illum ſolũ ſubſtitiſſe, & triennium totum conſumſiſſe, antequàm in agrum ſuum reuerteretur. Idem.

Vir quidam tenuis cùm VXOREM interdum, bonam noctis partem emanere animaduerteret, prætexentẽ ſe aut ad exonerandam aluum egredi, aut ad lauandum cum uicina, & necem interminatus eſt, niſi locum quò proficiſcebatur indicaret. Illa rem ut erat confeſſa eſt. Atq; ut explores & uideas hæc ita ſe habere (inquit) ſi uolueris, eodẽ uenies. Tradidit ergo illi ei unguentum, & pronunciatis aliquot uocibus, diabolus eos Lochiis in arenarias Burdegalenſes (quæ à Lochiis minimùm quindecim dierum abſunt) exportauit. Videns itaq; uir ſe in Magorum, & diabolorum (humana ſpecie, aſpectus tamen horrifici) frequentia uerſari, dicere cepit, Deus mi, Vbi'nam ſumus? Hoc dicto, repentè cœtus diſparuit. Ille nudus reuerſus Lochias ad Quæſtorem rerũ capitalium contendit rectà, & feminam accuſauit. Idem.

Lugduni antè paucos annos MVLIER nobilis ſurrexit de nocte, accendit lucem, arrepta pyxide inunxit ſeſe, & poſt uoces aliquot elata eſt. Hos ritus fieri obſeruans mœchus, qui cum ea cubauerat, lucernam capit, perueſtigat undiq; & ea non inuenta, cùm ſolam unguenti pyxidẽ reperiſſet, curioſo animo exploraturus, quid unguentum poſſet, fecit prout fieri animaduerterat. Ita ſtatim elatus, comperit ſe cum Magorũ cœtu eſſe in agro Lotharingiæ: conſternatus cùm primùm Dei opem imploraſſet, euanuit totus cœtus, Ille uerò ſolus atq; nudus Lugdunũ reuerſus, maleficam accuſauit: quæ confeſſa rem totam, igne periit. Idem.

Nobilis QVIDAM, uir non ita pridem Meloduni & molitoris uerbis & ſua ipſius curioſitate adductus, cœtum maleficorum adiit. Sed quoniam perhorreſcebat metu, quamuis non inuocaret Deum, Diabolus maxima uoce inclamauit, Quis'nam hic metuit? Volente igitur nobili uiro diſcedere, ex oculis euanuit cœtus omnis. Idem.

### In Mari.

ODDONEM, Danicum piratam, tradit Olaus in hiſt. Septentrionalium,



trionalium, abſque carina altum pererraſſe mare, & hoſtilia ſæpe nauigia conceitatis carmine procellis euertiſſe: ac poſtremò peritiore hoſte circumuentum, gurgite ſubmerſum fuiſſe, qui marinos uortices præſtigioſis carminib. olim calcare conſueuerat.

OLLERVS magus, in Suecia (ad traiiciẽda maria oſſe) quod diris carminibus conſecrauiſſet, nauigij loco utebatur. Saxo libro tertio.

OTHINVS magus, Hadingum Daniæ regem magicis præſtigiis turpiter illuſum, atq; longiùs à ſuis familiaribus auulſum, cum equo per uaſta maris ſpacia ad propria reduxit. Hadingus per amiculi eius rimas, ſub quo trepidus delitеſcebat, animaduertit equinis freta patere ueſtigiis. Olaus libro 3. cap. 19.

### In Equo.

AEGYPTIVS quidã præſtigiator Conſtantinopoli ſub Andronico Seniore equo inſidens, ad curſum illum extimulabat, eoq; currente nunc erectus in ſella ſtabat, nunc in equi iuba, in fronte, nunc in clunibus, pedibus ſemper dextrè implexis, & uelut auis in morẽ uolitans. Nunc ex equo currente deſcendens, eiuſque cauda prehenſa inſiliens, rurſus in ſella ſedens conſpiciebatur: & inde rurſus ex altera ſellæ parte ſe dimittens, & circum equi uentrem ſe circumagens, facilè ex altera parte aſcendebat, ac rurſus in eo uehebatur. Quibus rebus cùm occuparetur, ne id quidẽ negligebat, ut equum flagello ad curſum incitaret. Gregoras lib. 8.

### In Præcipitiis Funis.

Andronici ſenioris Imp. & Andronici eius nepotis tempore, PRÆSTIGIATORES quidã ex Aegypto Byzantiũ uenerunt, artẽ ſuã oſtentantes. Nauis onerariæ malos binos uel ternos funibus hinc inde in ſolo quopiam firmabant, ne in alteram partem inclinarent. Deinde funem alium ex unius mali cacumine in alterius cacumen extendebant: prætereaque alium funẽ à ſolo ad cacumen circumplicantes, gradus aliquot, quibus aſcenderent, faciebant: per quos unus ex eis cùm euaſiſſet, nudo cacumini mali inſiſtebat, nunc alterum pedem, nunc ambos uerſus cœlum extendens, caput uerò deorſum uerſus mali cacumen inclinans: pòſt ſubito ſaltu facto, unaq; manu fune fortiter comprehenſo, inde pẽdebat, & ita ſæpe ſeſe rotabat & circumagebat, ſurſum uerſus cœlum, & infrà uerſus terram paulo momento & continenter trochi in morem. Deinde inflexo crure, manus uice fune prehẽſo, ſupinus depẽdebat, atq; in eo rurſus eodẽ modo ſe circumagebat & rotabat. Mox rectus in medio fune ſtans, arrepto arcu & ſagittis, ad ſcopum eminus poſitũ collineabat, adeò ſolerter, ut qui humi conſiſteret, meliùs non poſſet. Deinde clauſis oculis, accepto in humeros puero, in ſublimi fune ambulabat, ab altero fune ad alterum. Gregoras libro 8.

Cardanus Com. de Subtilitate, tit. de Mirabilibus circulatorum quorundam agilitatem, ſimul atque robur, explicat. VIR, inquit, & audax & exercitatus, ſuper funem diſtentũ admodũ nudis pedibus inambulat, dextra leuaq; pondus decem aut quindecim, uel etiam 20. librarum plumbeũ continet: cùm ad dextram inclinatur, intentus operi (ob hoc audaciſſimum eſſe oportet) ſiniſtram intendit ac extẽdit, remittit ac cõtrahit dextrã: ita antequã ui dextra præponderet ſiniſtræ, pondera æquat, & corpus reducit ad æquilibriũ: inde ſenſim & pondera & brachia priſtino ſtatui reſtituit.

Quidam PVER ſpheris ligneis pedibus ſuppoſitis, aliquando etiam ſacco incluſus totus præter brachia, ſuper funem inter cacumina turrium extenſum, maximo noſtro pro illius uita metu, ambulabat. ALIVS etiam deſcendebat ab imo ſolo ad turrim, quod difficilius eſt, quum renes in hac exercitatione multùm laborent. Idem ſe è turri abſq; ponderibus pronus per funem uſq; ad ſolum extentis manibus demittebat: nam robur adeò manibus & brachiis conſtans erat ac firmum, ut illis ponderum uice uteretur. Idem, quod miſerrimum eſt, funiculo ſatis tenui pede ſe ſuſpendebat è fune, ubi proximus maximè turri erat: infame ſpectaculũ, atque horrẽdum. Robore inde renũ & dorſi manibus uinculũ apprehendebat, atq; ita funi denuò ſe reſtituebat. Fingebãt ambo ſe cadere præcipites, ſumma uerò pedis hærebãt funi capite prono. Quantũ pedis ſummitati illius roboris ineſſe neceſſariũ fuerit, intelligi poteſt: nã ſola curuatura digitorũ, atq; ea in ſylueſtrem partem, ſuſtinebatur. Puer etiã præcipitem ſe dabat cum ſphæris, alteraq; earum fune inter pedis plantam & ſphæram hærente, neſcio prorſus qua ratione, ne ob rotunditatem dilaberetur, pendebat. Idem.

Supra fidẽ omnẽ atq; expectationẽ ars fuit atq; audacia duorũ TVRCARVM circulatorũ. Duo erant iuuenes, corpore haud magno, ſed tereti: quiſq; illorũ primùm aſſumto homine in humeros per funem ad dimidium recti anguli accliuem aſcẽdebat, etiã abſq; ponderum auxilio. Inde adiectis gladiis trium fermè palmorum longitudinis, præacutis, acieq; nouaculæ, pedum malleolis rurſus cùm homine eodẽ aſcendebat, adeò diſtentis pedibus, ut nec in plana terræ ſuperficie facilè fuerit ſic ambulare. Inde funi ſuperpoſita tabula, pedib. uerò ſuppoſitis ſublicis, quas Mediolanẽſes uocant Scancias, ſuper tabulam ſic poſitam ambulabat, cùm tabula ipſa per ſe ne uel momẽto funi ſuperſtare poſſet. Deinde quinq; teretia ligna ferreo filo craſſiore transfixa, ob idq; cohærentia, ſed ita ut nullum alteri poſſet rectè inſiſtere, utrinq; ſupponebat pedibus, cùm quibus ſuper funẽ ambulabat, cùm nemo ſic per planum ſolum [redacted] immò ne [redacted] queat, hincinde rotundis [redacted] brachio non eſſent, dilabẽtibus. Poſtmodum [redacted] tellis æneis abſq; uinculo, quas pedum extenſione retinere cogebatur, ſuper fune ibat. Pòſt in caldario (ſic enim Itali uas æneum uocant magnum) ſedens ſtabat, caldariũ ſupra funem pendulum, horribile dictu. Quod uerò proximũ miraculo fuit, haſtam cũ ponderibus uaſi ſubduxit, ut caldariũ in aëre pendere uideretur. Nam haſtam retrò inter uas & funem poſitam antè reduxit. Saltabat ad rhythmũ ſuper fune, [redacted] tympano, & modo [redacted] ſolo [redacted] (his oculis uidi) modo [redacted] pe[redacted] eſt, qui uideat al[redacted] diſtento [redacted] ri funi, ut qui [redacted], inſiſtere, ac immota tota ſuperiore parte, inferiorem [redacted] tu cum fune agitare, ut hinc inde palmis pluſquã [redacted] celer[redacted] iactu moueatur. Quod [redacted] prodi[redacted], ſed ſupra [redacted] omnem [redacted] pot[redacted] eſt, quod cùm è [redacted] arcis a[redacted], quæ [redacted] eſt, aſcendiſſet [redacted] ponderibus, inde è [redacted] ri [redacted] ad trabem per [redacted] à [redacted] tibus è quatuor recti anguli [redacted]. Maiore [redacted] miraculo deſcendit, quam aſcẽdiſſet, pronus ſcilicet, [redacted] in caput. Animaduerſum eſt, pollice pedis [redacted] aduerſus alios digitos tanquam forcipe ferrea, tantam [redacted]. [redacted] aliter fieri [redacted] ut uel aſcenderet tam erecto [redacted] non [redacted] præceps. Voluit [redacted] hæc ageret [redacted] meris [redacted] magno precio [redacted] rari [redacted].

MEXICANI ioculatores [redacted], quæ alij [redacted] facere ſolent, [redacted], recipiunt [redacted] alij pedibus [redacted] humeris alienis, ita ut ſecundo tertius [redacted] ſcendere, [redacted] dem modo ſecundus [redacted]. Quæ autem ſupremus agit [redacted], [redacted] excedere uidentur: robore [redacted], quod [redacted] con[redacted] exercitatione, atq; [redacted] uarietate lib. 12. c. 62.

## ALIENVM.

AEGYPTIVS quidã præſtigiator Conſtantinopoli claua cubiti magnitudine capiti impoſita, in eaq; uaſe humore pleno collocato, ita circuibat, ut uas diu nõ agitaretur. Alius & ipſe longã haſtã in capite ſuo ſtatuebat, trib. orgyis nõ breuiorẽ, fune infernè uerſus apicẽ circumplicato, graduũ inſtar: quos puer manibus & pedib. aſcẽdebat paulũ alternãtibus uſq; ad haſtæ cacumen, & rurſus inde deſcendebat: at qui haſtam in capite gerebat, continenter obambulabat. Alius uitreũ globum in altum iactabat, & relabentẽ nunc extremo manus ungue excipiebat, nunc poſteriore cubiti parte; nunc aliter atq; aliter. Gregoras lib. 8.

PHILVMENA puella fatidica, cuius cõtubernio Apelles hæreticus, aut (ut alij uolũt) Seuerus uſus eſt, miracula quoq; fecit: inter quæ illud præcipuũ eſt, quòd in anguſtiſſimi oris ampullam uitream panem grandem immitteret, eumq; extremis digitulis læuaret illæſum, eoq; ſolo, quaſi diuinitùs dato cibo, ſe contentam eſſe diceret. Teſtis eſt Auguſtinus.

FERRANDVM Turcam ſæpe uidimus uaſa tria figulina rotũda & parũ caua, medio munita orbiculo ex orichalco cauo, ad capitis claui magnitudinẽ, ſerico circum orbiculũ ne diffluerẽt munita, trifido ligno excipere, adeoq; celeriter manu penè immota in diuerſas partes circũagere, ut uiſum effugerent. Cardanus de Subtilitate, libro de Mirabilibus.

## VVLNERA PRAECAVERE.

[redacted]

longa propendebat barba, & uelut galea erat impoſita: ſiniſtrum autem horridum & corona ornatum, inſtar dęmonis. Latus utriuſq; muniebatur cruce. Longitudine à collo medium hominē contegit induſium cum manicis. Id apud eximiæ nobilitatis uirum ſe uidiſſe, cui à patruo milite ſtrenuo ceſſerat, ſcribit Vierus lib. 4. c. 15. de Prę́ſtig. dæm. eoq́ue olim frequenter Cæſares & principes uſos fuiſſe.

## DIGNITATES ACQVIRERE.

[redacted]

## THESAVROS INVENIRE, PECVNIAM SIMVLARE.

PASES præſtigiator quidam emebat frequenter, preciūq; rei numerabat: uerùm mox numus non apud uenditorem, ſed apud Paſetem reperiebatur. Hinc prouerbium, Paſetis ſemiobolus. Eraſmus ex Suida.

[redacted]

## SERVOS FVGITIVOS RETINERE.

VESTALES Romanorum ſuis precationibus mancipia fugitiua nondum egreſſa urbe retinere in loco credebantur. Plinius lib. 28. cap. 2.

## VINCVLA EXVERE.

De APOLLONIO Tyaneo legitur apud Philoſtratum, principe Magorum ſua ætate habito, cum Romæ in carcere ſpectantibus aliis captiuis cippum artubus exuiſſe, ac propterea mandaſſe Domitianum Cæſarem, ut omni ex parte raderetur (ut hodie facit Germania) & in iudicium adduceretur nudus. Bodinus lib. 3. Dæmon. c. 4.

Io. Martinus, Præfecti Laodunenſis uicarius, affirmauit, dum quæſtio de SAGA S. Probæ (quæ uiua concremata eſt) haberetur, quærenti ſibi, Cur non euaderet? reſpondiſſe illam, Se è cippo quidem, at non è carcere exire poſſe. eodem que tempore, cūm alioꝛſum ipſe reſpiceret, ipſam ſibi manicas exuiſſe, quod nulla ars humana potuiſſet. Bodinus libro 3. Dæmon. cap. 4.

## E CARCERE LIBERARE.

Anno Domini 1323. ut abbas Trithemius memoriæ prodidit, Fridericus dux Auſtriæ, qui contra Ludouicum Bauarū Im[redacted]lectus erat, inter Otingā & Molndorfum magno [redacted] cum aſſeruandum miſit. MAGVS quidam Lupoldo fra[redacted] in Auſtria promiſit, ſe ſua arte Fridericum incolumē [redacted] ſi digna ſibi merces numera[redacted] promiſit. Ergo dæmon ad Fridericum ablegatus, auolat in Bauariā, formaq; pe[redacted] cuſtodiā ingreditur, inquiēs, Si ex captiuitate liberari uis, hunc equum aſcende, & te in Auſtriam ad fratrem tuum Lupoldum incolumem perducam. Cui dux, Quis es tu? Ad quem ille, Noli interrogare quis ſim, quia nihil ad rem: ſed aſcende hūc equum, quem tibi exhibeo. Hîc cùm ducem alioqui audaciſſimū horror inuaſiſſet, & ſigno ſe ſanctæ crucis muniuiſſet, ſpiritus cum nigro equo, diſparuit & uacuus ad mittentem reuerſus eſt. A quo increpatus, quòd nō adduxiſſet captiuum, ordinem rei geſtæ narrauit. Et illud ipſum Fridericus ſibi contigiſſe, ſig nato die confeſſus eſt. Lauaterus de Spectris parte 2. cap. 17.

## HOSTES, ADVERSARIOS *Vincere.*

☞ *Vide ſuprà, Occidere homines.*

CHRYSAMME ſacerdos Hecates, uenefica, data in ducē exercitus Cnopo aduerſus Erythræos, in furorem uertit hoſtes. Nam tauro pulcerrimo furioſum pharmacum miſcuit, & comedendum propoſuit. Quo & ipſe in furorem actus fuit, & deſerto Cnopi exercitu in caſtra Erythręnſium ſtupit. Eum Erythræi comprehenſum boni ominis loco immolarunt, deq; mortuo quilibet partem cùm arripuiſſet, ut diuini ſacrificij participes fierēt: omnes furore correpti, à Cnopi exercitu cæſi fuerunt. Polyænus lib. 8.

Aiunt EPHESIIS notulas quaſdam & uoces magicas fuiſſe, quibus utentes, in omni negotio uictores euaderent. Auctor Diogenianus. Euſtathius in Odyſſeæ φ. tradit his literis uſum Crœſum in rogo. Fuiſſe autem uerba quædam obſcura, ænigmatibus ſimillima, neutiquam cohærentia, deſcripta in pedibus, zona, & corona Dianæ. Suidas addit huiuſmodi fabulam: In Olympiis Mileſium quempiam cum Epheſio palæſtra commiſſum, nihil potuiſſe in conflictu, quòd is Epheſius in talo Epheſias haberet literas. Quod ſimul ac animaduerſum eſſet, ademtis literis, Epheſiū, qui iam triginta defatigarat, ſuccubuiſſe. Eraſmus.

Sub Anaſtaſio Imp. BVLGARI, gens priùs ignota, in Illyricū & Thraciā incurſiones fecēre. Contra quos aliquot Romani duces cū exercitu profecti ſunt. Cūq; illi excantationib. & magicis rebus uſi eſſent, turpiſſimè Romani omnes, præter pauculos, uicti & cæſi ſunt. Cuſpinianus.

Sigebertus Francorum rex ab HVNNIS, qui magicis artibus inſtructi, ei phantaſmata obiiciebant, uictus, exercitus eius profligatus, & ipſe captus fuit. Tandem muneribus ultrò citroque datis, pacem cum Hunnorum rege Cagano ſanxit, eamq; dum uixit ſanctè & inuiolatè cuſtodiuit. Gregorius Turon. lib. 4. c. 28.

HAQVINVS Noruegiæ princeps contra Danos pugnaturus, imbris maleficio hoſtes attriuit, ut proſpiciēdi facultate defecti, grauiorē ab elementis pugnam, quàm ab hoſte ſenſerint. Saxo lib. 10.

BIARMENSES, polo Arctico uiciniores, in Septentrione cōtra potentiſſimum regem Regnerum pugnaturi, carminibus horrēdam tempeſtatem Danis immiſerunt, eoſdemque mox feruentiſſimo calore torruerunt. Olaus libro tertio, capite 19.

ODDO Danicus pirata maximus, gladios hoſtium carmine hebetabat. Tandem à peritiore hoſte circumuentus, ſubmerſus eſt. Olaus lib. 3. c. 18.

Poloni TARTAROS anno Chriſti 1240. ad Legniciam commiſſo prælio grauiter urgebāt, & fugientibus inſtabant. Erat in extremo Tartarorum agmine inter alia ſigna uexillum inſigne, cuius pictura X literæ figuram præ ſe ferebat: in cuſpide uerò imago erat tetra nigraque capitis humani barbati. Id uexillum cùm ſignifer uehementiùs quateret, fumum atq; nebulam denſiſſimam & fœdiſſimam exhalabat. Ea nebula non modò aſpectum barbarorum Polonis adimebat, uerùm etiam odore teterrimo eos enecabat. Incantationibus id quibuſdam Tartari effecerant: quibus iuxtà ac ariolationibus atque diuinationibus cæteris, cùm alias, tum in bello plurimùm utuntur, ex humanis etiam extis de futuris euentibus coniectare ſoliti. Barbari, ubi Polonos trepidare ſenſerunt, cohortati ſeſe inuicem, impreſſionem in eos faciunt, perturbatisque ordinibus magnam cędem ediderunt: in qua Pompo magiſter Cruciferorum cum fortiſſimis quibuſq; ſuorum occubuit. Tantus eo prælio interfectorum Chriſtianorum numerus fuit, ut ſingulis ſingulę auriculæ à Tartaris præciſæ, nouem ingentes ſaccos explerēt. Cromerus libro 8.

Conſtantinopoli in monaſterio ſanctæ Dei genitricis iuxta palatium prope ſanctam Sophiam, erat imago beatæ Mariæ, quæ tenebat infantem in brachio, depicta à D. Luca, Odigitria dicta, id eſt, deductrix: quia duobus cæcis apparuerat, & deduxerat eos ad ſuā Eccleſiā, eosq; illuminarat. Cū iſta imagine facere cōſueuerāt proceſſionē omni die Martis, per totam ciuitatem. Cùm ergo obſeſſa eſſet ciuitas à Saracenis, & ciues ieiunarent & orarent, ſimul & pugnarēt: QVIDAM ciuis admonuit afferri illam imaginem, & ab omnibus orationē ad illam fieri hoc modo: Sancta Dei genitrix, quæ toties nos liberaſti, libera nos modò de inimicis filij



filij tui: & ſi uis ut imaginem tuam non mergamus in mari, merge illos. Hæc cùm dixiſſent, ille ſecretè imaginem tenuit ſub [redacted] Saracenorum aut merſit, aut fregit. Vincentius, lib. [redacted] cap. [redacted] hoc eſt blaſphemare ſanctos Dei, & ſub ſpecie cultus diuini magiam exercere?

*Effugere.*

ARGONAVTÆ relicto Hercule, [redacted] fæminarum [redacted] ſe ſeruare & ſurari uellus [redacted] in præceptis Politicis. [redacted]

Arngrimus Sueticus pugil, [redacted] ſyluestres bello proſo[redacted] aberen[redacted] Igitur Arngrimus ab in[redacted] putans, idem poſtera die congreſſi uictique, con[redacted] & [redacted] poteſtati ſe permiſere uictoris. [redacted] lib. 5. cap. 15.

[redacted] VOCES INTELLIGERE.

Porphyrius commemorat in III. libro [redacted] Tyaneo dici ſolitum. Il[redacted] quorum non paucos ſecum habebat, [redacted] urbem cecidiſſe, frumentumque humi fuſum eſſe: [redacted] illi uolebat linguam auium intelligere, ut ue[redacted] augures Melampus & Tireſias, [redacted] proditi ſunt. [redacted] hoc admirabile, ut alia [redacted] quia hirundines non ueſcuntur frumento. Porphyrius ſanè ipſe, de quo [redacted] diſſerit, erat huius ſententiæ, ut aues ſcientiam haberent uocis [redacted] ſui generis auium, ac quod ipſis accommodatum foret, poſſent aliis demonſtrare. Victorius lib. 27. Var. lection. cap. 2. Cæterùm Eunapius paſſeri hoc tribuit, non hirundini.

## BELLVAS, FERAS, SERPENTES *Occidere.*

☞ *Vide paulo antè, Occidere belluas.*

*Abigere.*

Cùm Antiochenſes à ſcorpiis & culicibus diuexarentur, APOLLONIVS Tyaneus æreum ſcorpium conflauit, ſupraq; eum in terra depoſitum parua erecta columna, populo iuſſit, ut calamos geſtarent, perq; urbem circuirent, & calamos concutientes inclamarent, Vacet urbs culicibus. Eo modo & ſcorpij & culices ea ex urbe profligati ſunt. Idem Byzantio angues & ſcorpios expulit. Cedrenus.

Apud Hollandos in oppidis maritimis, Roterodamo & Scheidamo, ex piſcium captura maximè uiuitur. Horum incolæ quum haleces piſcaturi enauigaſſent, & piſcium copia onuſtas reducerent naues Roterodami, retia lapidibus onerata Scheidami retraxerunt. Quod inſperatum infortunium maleficio confeſtim imputabatur. Quocirca MVLIERI iniicitur manus, quæ incūctanter fatetur, maleficis ſuis artibus id accidiſſe, & ſe per uitri foramen (quod oſtendebat eius magnitudinis, ægrè ut digitum tranſmitteret) dum piſcibus illi inſidiarentur, tranſuolaſſe, & in mytuli teſta (Moſſelſcop noſtratibus dicitur) ſe mari commiſiſſe, illudq; traieciſſe uſque ad halecum ſtationem, & ibi incantamentis haleces fugaſſe, & earū loco ſubieciſſe lapides. Lata hinc potiſſimùm ſententia, flāmis illa fuit addicta. Vierus lib. 5. cap. 8. de Præſtigiis dæmonum, qui uanitatem facti egregiè detegit.

*Domare, Cicurare.*

PSYLLI, MARSI, OPHIOGENES, ſerpentes & uenena domant.

TENTYRITÆ crocodilis inequitant impunè. Plinius.

MEDEA draconem domuit & tauros igniuomos.

HARCALO leones impunè attrectabat manibus. Syll. lib. 1.

Harcalo non pauidus fœtas mulcere leænas.

Apud eundem ATYR ſerpentes ſolo tactu ſopibat:

—ſerpentes diro exarmare ueneno
Doctus Atyr, tactuq; graues ſopire chelydros,
Ac dubiam admoto ſobolem explorare ceraſte.

VMBRO ſacerdos, è gente Marrubiorum, prope Fucinum lacum habitantium, hydros ſopiebat, & ſerpentes tractabat manibus. Vergilius lib. 7. Aen.

In maiori India eſt prouincia Maabas dicta, uenatione margaritarum celebris. Cùm autem mare illud belluis infeſtum ſit, ABRACHMINI magi illorum (qui olim Brachmanes) incantationibus diurnis cetos maximos ita effaſcinant, ut nemini nocere poſſint: noctu uerò eoſdem relaxant, ne furibus latrocinandi detur occaſio. M. Paulus Venetus lib. 3. cap. 23. rerum Orient.

PYTHAGORAS urſam quampiam feritate cōſpicuam, magnitudine inuſitata, quæ uiſentibus modò horrorem incuteret, accerſitam demulctamq; apud ſe aluit. Mox dimiſſurus, ueluti conceptis uerbis, iureiurando (ut ſic dicam) adegit, nulli animantium cunctarum, damno oblæſioníue futuram. Abiens illa in ſyluas ſe coniecit ſuas, ſummaq; fide, quod inter homines quoq; perrarum eſt, in quod adiurata receſſerat, præſtitit. Hinc fortè Pythagoricam necromantiā per literarum numeros & lunæ ſolitam exerceri, recenſuit Auguſtinus. Narratur certè idem Pythagoras, bouem ubi propè Tarentum conſpexiſſet fabaciam ſegetem morſicatim corrumpentem, tum etiam proterentem pedibus, bubulco inſinuaſſe, Bouem moneret, frugibus parceret. Ridēs buſequa: Ego (inquit) bouatim nō didici, tu qui uidere ſcholarum id genus experiens, obeas uicem meam. E ueſtigiò Pythagoras auribus ſeſe admouens, ſui artificij quæpiam immurmurauit. Res additur mira: Obedientiſſimus bos, ut ab eo qui ampliùs ſaperet, edoctus, lacerare mox ſegetem deſtitit: quin etiam in futurum eiuſmodi pabulo abſtinuit: ſed & bubulum deſiit obſequium, factusq; de ruſtri colone ambulator urbanus, Tarenti placidè conſenuit, de manibus hominum uictitans. Cælius libro 19. cap. 7. A. L. Plutarchus in uita Numæ. Contra ea ſcripſit Timon Phliaſius. Idem Pythagoras (ut ait Ariſtoteles, ſcribens de eo multa) in Hetruria ſerpentem qui morſu necabat, morſu interfecit. Apollonius in Mirab. hiſt.

APOLLONIVS Tyaneus Roma Byzantium profectus, rogatu ciuium equorum in conuentibus principum confusè ferocientium intemperiem refrænauit. Cedrenus.

*Vocales reddere. Rationem indere.*

SIMON Magus diabolorum opera fecit, ut loqueretur canis. Clemens in Itinerario.

Paulus Grillandus lib. de Sortilegiis, ſectione 7. ſcribit Sagam à ſe Romæ fuiſſe uiſam, FRANCISCAM Senenſem nomine, quę coram omnibus faciebat ut loqueretur canis. Bodinus in confutatione Vuieri.

Belonius in ſuis Obſeruationibus HISTRIONEM ait in ſuburbio Cayri oppidi in Aegypto à ſe fuiſſe uiſum, qui cum aſino ſuo ſermones conſerebat & confabulabatur quàm familiariſſimè: aſinū uerò ſignis, geſtibus, & uoce indicauiſſe, optimè intelligi à ſe quicquid dicebatur. Si herus iuberet aſinum pulcerrimam de cœtu feminam deligere, contēplatum eum in omneis partes, ad unam tandem ſolitum accedere. Si herus ediceret hordeum aſino afferri, tum eum aliter quàm ſoleant aſini exultaſſe, & alia id genus innumera incredibilia. Bodinus.

*Efferare.*

PELOPS in curriculo Olympico defodiens magicum quid ab Amphione acceptum, fecit, ut eo loci equi ſemper inſolito terrore turbarentur. Pauſanias lib. 6.

*Simulare.*

MARGARITA Eslingenſis anno ſalutis 1546. ex uentris doloribus ita intumuit, ut uentris moles totam faciem obtegere, ac in circumferentia decem palmos excedere uideretur. Audiebantur à circumſtantibus lectum, in quo defixa erat, gallorum cantus, gallinarum coccyzationes, anſerum ſtrepitus, latratus canum, ouium balatus, porcorum grunnitus, boum mugitus, hinnitus equorum. Eduxit miræ magnitudinis uermes atq; ſerpentes ex latere circiter 150. quo miraculo fidem faceret. Cùm tamen nil niſi præſtigiæ dæmonum à matre puellæ lucri cauſa confictæ forent. Lycoſthenes in Prodigiis.

## ARBORIBVS FLORES, VOCEM DARE.

APOLLONIVS Tyaneus uidiſſe ſe Gymnoſophiſtas in Aethiopia affirmabat, qui arbores ut ad humum ſe inclinarent, loquerenturque, efficerent. Fulgoſius libro octauo, capite 11. ex Philoſtrato.

THESPETION, Gymnoſophiſtarum in Aethiopia dux, pręcepit arbori ulmo, ut Apollonium ſalutaret. Illa ſalutauit, diſtincta quidem uoce, ſed feminea. Philoſtratus in uita Apollonij, & Volater. lib. 13. cap. 8. Anthrop.

Gulielmus Comes Hollandiæ inſtinctu pontificis contra Fridericum II. & Conradū eius F. Aquiſgrani rex Rom. coronatus, rediens Coloniā, lautiſſimū inſtituit principibus conuiuiū. In quo (ut fertur) mirabili opera ALBERTI Magni philoſophi arbores media hyeme effloruerūt, & herbę germinarunt: ſi uerum eſt quod ſcriptores eius ætatis, & qui ſe uidiſſe cōmemorant, tradunt. Ob id factū fratribus eius ordinis in Traiecto prædium ingens cum redditibus dicitur donaſſe, atq; monaſterium conſtruxiſſe. Cuſpinianus.

## INANIMATIS VITAM, VOCEM, motúmue dare.

AEGYPTII magi ranas [redacted] contra Moſen.

Fluuium qui infra Samum eſt tranſiens PYTHAGORAS, uocem humana maiorem audiuit, quæ diceret: Salue Pythagora. Vnde ſummus comites inceſſit pauor. Apollonius in Mirabilium hiſtoria.

CLAVDIA Veſtalis, cùm uita eius liberior calumniam incurriſſet, innocentiæ ſuæ teſtandæ ergò nauem, qua deorum mater uehebatur, Tiberino uado hærentem cingulo alligauit: mox eam remolita eſt, traxitq; aduerſo flumine, quod pars Rom. ciuitatis poſt multos & uarios conatus nequiuerat. Sabell. lib.2. cap.5.

THEOTECNVS magus Antiochiæ ſub Maximino, ſimulacrum Iouis oracula edere ui magica fecit, quibus ciues contra Chriſtianos excitarentur, & Imperator ad illos perſequẽdos efferaretur. Tandem Licinius, fraudibus illius cognitis, digno ſupplicio affecit. Euſebius lib.9. cap.3. & 11.

MAGDALENA Crucia, Hiſpana monacha, imaginem pueri Ieſu, coma repentè ſuccreſcente per magiam totum operiebat. Caſſiodorus Renius.

## NATVRAM RERVM INVERTERE.

*Sidera detrahere.*

THESSALÆ mulieres incantamentis quibuſdam lunam in terram detrahere credebantur antiquitus. Vnde Vergilius,

Carmina uel cœlo poſſunt deducere lunam.

Creditum eſt etiam, huiuſmodi ſagas oculis ac pedibus priuari ſolere. Aglaonice quæpiam, cùm per aſtrologiæ cognitionem defectus præſciret, iactitabat, ſe lunam è cœlo detractura in terram. Atque eius iactantiæ pœnas dedit. Eraſmus in Adagiis.

*In Luna ſcribere.*

PYTHAGORAM, Pythagum, hoc eſt, ludicrum per ſpeculũ factitaſſe aiunt, ut quæ collibuiſſet, ſanguine perſcriberet in ſpeculo: moxq; literis ad lunã orbis pleni obuerſis, ſtanti à tergo, ut in lunæ exaratas diſco, commonſtraret. Cælius lib. 9. cap.23. Antiq. lect. & Suidas in uoce θετταλὴ γυνή.

*Fulgura ciere.*

TVLLVS Hoſtilius, Rom. rex, Numæ Pompilij imitatione dum Iouem Elicium elicere conatur, fulmine ictus cum regia conflagrauit.

ZOROASTRES Perſarum rex fulgura proliciebat.

*Grandinem, Tempeſtatem, Imbrem excitare.*

Cùm ſidus, Canis uocatus, ardore ſuo Cycladas combureret, diuq; ſqualores magni agrorum, ſterilitasq; extitiſſet, qui unam ex illis inſulis, Ceo uocatam, incolebant, admoniti ab oraculo, ARISTEVM Apollinis ac Cyrenæ filium acceſſierunt è Phthia, qui aſcitis quibuſdam Arcadibus eò ſe contulit, atq; illic ſacellum Iouis Icmæi ædificauit, ut imbres in terram effunderentur: necnon Caniculam quoq; placauit, legemq; fixit, ut Coi quotannis ortum Caniculæ captis armis ſeruarent, atq; immolarẽt ipſi hoſtias. unde Eteſiæ ſpirant, quæ æſtiuo tempore, maximisque caloribus, terram ſuaui frigore reficiunt. Atq; ita Græci liberati ſunt magno malo, nec fructus agrorum ſqualoribus interemti ſunt. Victorius lib 19. Var. lect. cap.21.

Apollonius Tyaneus in India apud philoſophos BRACHMANES mira ſe uidiſſe aſſerebat, quos arbitratu ſuo pluuias inducere & ſerenitates dicebat. Philoſtratus.

ARNVPHIS, magus Aegyptius, in eo bello quod Romani cũ Quadis geſſerunt, cùm fieret acerrimus conflictus, atq; uictoria in utramq; ex æquo partem nutare uideretur: Mercurium illum qui eſt in aere, alioſq; dæmonas, quibuſdam artibus magicis inuocauit: & impetrata ab his horrenda pluuia, Quados deterruit, atq; Romanis uictoriam peperit. Dion Nicæus in Antonino, & Suidas. Nonnulli hoc IVLIANO Chaldæo tribuunt.

Imagine D. Virginis CONSTANTINOPOLITANI ſuaſu cuiuſdam magi in mare demerſa, Saracenorũ claſſi tempeſtatem immiſere. Vincentius lib.23. cap.147.

Sprangerus in libro Inquiſitorum quinq;, anno 1488. in Conſtantienſi diœceſi procellas, grandines, fulmina, & tempeſtates extitiſſe teſtatur, quæ prouentum terræ per milliaria quatuor afflixerint. Magæ comprehenſæ ſunt duæ, ANNA de Mindelen, & AGNE: eædemq; confeſſæ ſeorſim, ſe uno die in agrum cum paucula aqua proceſſiſſe: & quamuis altera cõſilium neſciret alterius, effodiſſe ſcrobem, & ſub meridiem aquam ſcrobi iniectam conturbaſſe, adhibitis quibuſdam uerbis, diabolum inuocantes. His geſtis, ſimulac reuertiſſent domum, procellam extitiſſe.

Eodẽ auctore SAGA agri Conſtãtienſis cùm uideret omneis ſui pagi incolas in nuptiis conuiuari & ſaltare, ægrè ferens, quod non fuiſſet uocata, per diabolum clara luce ſpectantibus paſtoribus in collẽ exportata propinquum pago, cùm aquam nõ haberet, in ſcrobem emiſit lotium, illudq; bacillo mouens, ſermones quoſdam pronunciauit. Ergo cœlo, quod ſudum ſerenumque fuerat, obſcurato, grando uehementiſſima ſolummodò in pagum & in ſaltantes ſæuit. Saga in pagum reuerſa, indicio paſtorum capta, uiua igni fuit tradita. Bodinus lib.2. Dæmon. cap.8.

[redacted]

Mos trahendi crucifixos & imagines in profluentem ad impetrandum pluuiam, apud Vaſcones etiam obſeruatur: cuiq; Tholoſæ clara luce facientes uidit Bodinus puerulos in media totius populi corona, qui iſtud Tiremaſſe uocat, quaſi trahi maſſam dixeris. Fuit etiam QVI omneis imagines in Salini puteum iniecit anno MDLVII. deinde abundauit pluuia. Bodinus lib.2. Dæmon. cap.8.

*Tempeſtates ſedare.*

Teſtatur Herodotus lib 7. de præfectis Xerxis, quòd ij triduana tempeſtate 400. naues amiſere, donec quarto die MAGI Tethy & Nereidibus ſacrificando, tempeſtatem compeſcuerunt.

*Ignem excitare.*

Sunt in Lydis, qui Perſici cognomine uocantur, urbes Hieroceſarea, & Hippæpæ: in templo utriuſq; urbis ampliſſimo cellæ cum aris, ſuper his cinis alio longè colore à uulgari cinere. Huc ingreſſus MAGVS, ubi foco lignis impoſitis tiara caput uelarit, implorat cognomen dei, quicunq; ille ſit (ex libro enim carmẽ recitat barbaricum) ubi perorauit, ſponte ſua è lignis nullo igne admoto puriſſima emicat flamma. Pauſanias lib.5. ſe hoc uidiſſe teſtatur.

*Ignis ardorem perferre.*

Sub monte Soracte urbs eſt Feronia: quo nomine & dea quędam nuncupatur, quam finitimi miro dignantur honore. Eodem in loco ipſius templum eſt, mirificum ſacri genus habens. Nam QVI eius numine afflantur, nudis pedibus prunas calcant Eò ingens mortalium multitudo conuenit, & celebritatis ipſius, quæ quotannis celebratur, gratia pariter, & ſpectaculi. Strabo lib.5.

Caſtabalis eſt Dianæ Perſicæ fanum, ubi dicunt ſacras MVLIERES illæſas nudis pedibus ſuper prunas ingredi. Strabo libro duodecimo.

*Tenebras obijcere.*

Refert M. Paulus Venetus, TARTAROS adeò pollere dæmonum præſtigiis, ut tenebras cùm uelint & ubi uelint inducant: ſemelq; à latronibus hac arte circumuentum, uix euaſiſſe. Cui rei teſtis accedit uir grauis Haitonus, in ſua Sarmatarum hiſtoria: qui prelio etiam inclinatam aciem Tartarorum, uexillarij precantatione, dum tenebras effunderet obſcuriſſimas, reſtitutam & uictricem factam literis prodiderit. Cardanus de Subtilitate, libro de Dæmonibus.

*Aerem corrumpere, inficere.*

Cùm Maruthas, Meſoporamiæ epiſcopus, legatione fungeretur nomine Theodoſij Imper. apud Iſdigerdem Perſarum regem, & epiſcopo pietatis nomine faueret Iſdigerdes: MAGI timentes ſuæ religioni, quacunque eſſet rex tranſiturus, illic intolerandum fœtorem excitant, calumniamque confingunt, comites Chriſtianos iſtius eſſe artifices. Sed deprehenſi, re penitiùs cognita, magi ſupplici[redacted]ffecti ſunt. Nicephorus libro 14. capite 18. [redacted]

*Ventos ſedare.*

Cùm aliquando Eteſiæ ita uehementer flarent, ut fruges læderent:



derent: EMPEDOCLES Agrigentinus iuſſit aſinos excoriari, & utres fieri, eoſq; in promontoriis extendi, ut uentũ exci[redacted]uo ſopito, appellatus fuit [redacted], quaſi prohibitorem uentorum dicas. Suidas. [redacted]

*Ventos retinere.*

Vrbe Conſtantinopolitana in magnam rei frumentariæ difficultate[redacted] adducta, naues in diuerſas dimiſſæ partes fuerũt, quæ [redacted]menta deueherent. Hæ cùm onuſtæ rediiſſent, ap[redacted] littus d[redacted]bus uentis non potiuerunt. Quo cognit[redacted] populus ad theatrum ſæua famis ſtimulatus rabie, cõuolauit. Tum Conſtantinum Magnum ea de re animi anxium, [redacted]ſtatis aduerſæ rationem exig[redacted]muli Sopat[redacted]menſis, Syri [redacted], qui propter ſapientiam in a[redacted] Conſtantini conſpiciebatur, in primisq; Ablauius præfect[redacted]prætorio adierunt, atq; ita dix[redacted]: Quòd uentos uotis refragari tuis uides, id ſcito Sopatri, quem tu tantis ho[redacted]bus extuli[redacted], pernicioſ[redacted] nim a[redacted]ſua uent[redacted] deuinxit, [redacted] quo minus nauibus a[redacted]rent, inhibuit. Qua re audita, illo [redacted]ſenſus Sopatrum [redacted]perè comprehẽdi, ac ſecuri [redacted]uti iuſſit. Ex Eunapio, & Suidá

*Ventos ciere.*

FINNI & LAPONES, Septentrionales populi, olim mercatoribus uentos uenales exhibebant, tres nodos magica arte ſacratos à loro pendentes eis offerentes: quorum primo ſoluto, placidos uentos, ſecundo uehementiores, tertio ſæuiſſimos eſſent habituri. Olaus lib.3. cap.16. ex Saxone Grãmatico. Ea arte utuntur in nauigantes ex arbitrio: ita ut his fauere uel minùs uiſum fuerit, ita ſiſtunt & mouent flamina & maria. Zieglerus in Scondia.

*Aquam cribro haurire.*

TVCCIA uirgo Veſtalis, inceſti criminis rea Romæ, cum precatione certa aquam cribro hauſit, anno urbis 609. Plinius lib.28. capite 2.

*Solida diuidere.*

ACCIVS Nauius augur coram Tarquinio Priſco rege (cùm is per ludibrium interrogaſſet, fierine poſſet, quod mente cõcepiſſet?) cotem nouacula diuiſit. Cicero li.1. de Diuinatione, & Plin. cap.6. de Viris illuſtribus.

## MIRACVLORVM FRVSTRATIO. TVM

### [redacted] HAERETICORVM. [redacted]

POLYCHRONIVS hæreticus iuſſus in Synodo exponere ſuam fidem, exhibuit chartam, in qua erat ſententia Monothelitarum ſcripta. Aſſerebat autem ſe impoſiturum eam mortuo alicui cadaueri; eiuſq; reſuſcitatione demonſtraturum [redacted] ueritatis. Synodus conſentit. Expe[redacted] mortui reſurrectio in multas horas. Poly[redacted] inſuſurrando in [redacted] cadaueris, nihil efficit: ac tãdem confitetur, ſe mortuum excitare non poſſe. Nihilominus in erronea [redacted] ſententia perſtitit, cum Macario epiſcopo Antiocheno, præceptore, ſe errare malle, inquiẽs, quàm cum aliis rectè ſentire.

In perſecutione ſub Hunerico Vandalorum rege, cùm miraculis clarerent orthodoxi epiſcopi, Eugenius, Vindemialis & Lõginus: CYROLA Arianorũ epiſcopus, ut & ipſe inclareſceret, hominem conduxit quinquaginta aureis, qui innatam cæcitatem ſimulans, opem eius imploraret. Accedit ad eum Cyrola, & admotis manibus ad oculos mentientis ſe cæcum, Secundùm fidem inquit, noſtram, qua rectè in Deũ credimus, aperiantur oculi tui. Ad quæ uerba dolor tantus oculos illius inuaſit, ut digitis ui comprimere eos, ne creparent, cogeretur. Prodita itaq; ad omnes Cyrolæ compoſita fraude, hæreſiq; damnata, precibus orthodoxorum ſuperiorum, dolore liberatus fuit. Greg. Turonenſis lib.2.

### MAGORVM, MAGIAE SVCCESSVS

*Irritus.*

CYPRIANVS magus D. Iuſtinam uirginem Aglaio amatori qui eam deperibat fruſtrà cõciliare nitebatur: eo quòd Iuſtina crucis ſignaculo ſemper dæmones ſe tentantes abigeret. Hinc factum, ut & ipſe Cyprianus ad fidem Chriſti cõuerſus ſit, & pro ea glorioſum martyrium ſuſtinuerit. Marulus libro 2. capite 9.

*Infelix.*

ZOROASTRES Magiæ inuentor, cùm familiarem dæmonẽ importuniùs urgeret, ab eo ſuccenſus eſt.

L. Piſo, primo Annalium auctor eſt, TVLLVM Hoſtilium regem; ex Numæ libris, eodem quo illum ſacrificio, Iouem cœlo deuocare conatum, quoniam parum ritè quædam feciſſet, fulmine ictum. Plin. lib.28. cap.2.

Antiquus Britannorum rex BADVDVS, magica arte, quam paſſim docuit, fretus, præſtigiiſq; dæmonum actus, eò inſaniæ uenit, ut ſibi alas uolandi gratia aptauerit. Cùm in altum tolli cœpiſſet, repentè cecidit, eoq; caſu colliſus, ad inferos deſcendit. Polyd. lib.1.

Alloquutum [redacted] PLVRIMOS aſſeuerat Ioannes Franciſcus Picus de Prænot. ſuperſt. lib.4. cap.9. qui uana ſpe futurorum deluſi ab apparente ſibi dæmone, per inita pacta uocato, uſque adeò uexati fuerunt poſtremò, ut optimè ſecum putarint actum, ne uitam amiſerint. ALIVM quoq; à dæmone uiuum ablatum, nuſquam comparuiſſe, dum curioſo cuidam principi, Troiæ oppugnationem repræſentare, quaſi in ſcena, pollicitus eſſet, Achillemque & Hectorem introducere prælaiantes.

COMES Matiſconenſis, magus, hora prandij coram multis Baronibus & militibus abreptus à dæmonibus legitur, ac ter circum ciuitatem Matiſconenſem uelociſſimè uectus, cunctis uidentibus, atq; ter miſerabiliter exclamaſſe, Succurrite: uti docet Hugo Cluniacenſis.

[redacted]

Saltzburgi INCANTATOR iactabat, ſe omnes in uicinia ad miliare ſerpentes poſſe in unam perducere foueam, & interimere. Quod cùm tentaret, tandem ingens proſerpit ſerpens: quem quum carmine in foueam compellere niteretur, ille exiliens, incantatorem traxit in foueam, & enecauit. Vierus de præſtigiis Dæmonum.

## ADMINISTRATIO DIVINA.

### ΛΕΙΤΟΥΡΓΙΑ.

### IN GENERE, APTA VEL INEPTA:

*Sunt quædam Theologica errata μεθ' αἱρέσεως, quædam ἄνευ αἱρέσεως. Illa Hæreticis, hæc ineptis conueniũt Theologis. Poſſunt exempla quædam ex Iudicio Metaphyſico inepto huc transferri.*

### PRECVM, SACRORVM;

*Inepta.*

SVENO Noruegus, Suenonis II. Danorum regis ſacellanus, uix alphabetarius erat. Itaq; cùm in precibus pro rege inter ſacra recitari ſolitis, quidam uel inuidi, uel æmuli, ut imperitiam eius omnibus deridendam propinarẽt, ſyllabam unam eraſiſſent, ille Mulum pro Famulum legit, Deo regẽ Suenonem mulum ſuum cõmendans. Riſu proinde ab aulicis exceptus, à rege commeatu impetrato, literis ſeſe totũ dedit, & tandem eruditione inſtructiſſ. ad Roſchildenſem epiſcopatum conſcendit. Saxo lib.11. & 12.

[redacted]

### BAPTISMI

*Inepta.*

BAVARVS quidam presbyter, Latinæ linguæ ignarus, baptizarat puerum, In nomine patria, filia, & ſpiritus ſancta. Bonifacius epiſcopus Moguntinus puerum iuſſerat rebaptizari: Salæburgenſis contrà Virgilius, & Sidonius põtifex Laureacenſis apud Boios, baptiſmum ratum eſſe uolebãt. Donec Zacharias Pont. Rom. diſſidium ſoluiſſet, Virgilij opinionem confirmans, circa annũ Chriſti DCCXLV. Auentinus lib.3. Annalium.

*Tarda.*

MAVRILIVS Andegauenſis epiſcopus, dum expectatur donec ſacrificium peragit, interim, quem baptizaturus erat, uita defunctũ comperit: ſuæq; id negligentiæ imputans, uſque adeò doluit, ut relicta eccleſia nauim conſcendens clã effugeret. Fortè ſanctuarij claues ſecum tulerat: quibus de manu in mare elapſis, exiſtimauit eò indicio ſe prorſus epiſcopatu indignum: atq; inde iam propoſuit, nunquam ad ſedẽ ſuam reuerti, niſi inuentas quis retuliſſet. Tranſmiſſo

mari, ueſte ſecuları [illegible]dutus, cuidã principi uiro operã ſeruilem locauit, olitor eius factus. Septennio ſic peracto, à clericis inuentus & cognitus, nolebat cùm illis redire propter clauium amiſſionem. Ipſi eas interim in itinere, capto piſce, & exenterato, inuenerant, earundemq; argumento in mari periſſe ſuſpicati fuerant. Illis ergo agnitis, à ſuis reductus, ad pueri illius urnam proſtratus orauit, atq; ipſum à morte ſuſcitatum baptizauit. Marulus lib. 4. cap. 16. & lib. 2. cap. 12. & Fulgoſus lib. 6. cap. 9.

### EVCHARISTIAE
*Inepta.*

ANDRONICVS ſenior Imp. decumbens, cùm ad reſtinguendum feruorem ſanguinis frigida pro more uſus eſſet, eaq; occaſione ſpiritus etiã deficere cerneret, & propter intẽpeſtam noctem neminẽ reperiret, qui ſibi diuina myſteria impertiretur: ſurrexit, & gratias egit Deo, & pro ſalute animæ ſuæ cùm multis lacrymis deprecatus, ſacram Dei genetricis imaginem, quam in ſinu geſtabat, loco diuinorum myſteriorum in os inſeruit: cumq; in lecto cõſediſſet, ſtatim, priuſquam diluxiſſet, eſt defunctus. Gregoras lib. 9.

Sub Mathia Hungariæ rege, Stephani Batori Tranſyluaniæ præfecti, ductu, MILITES cum hoſte congreſſuros, myſticam terram pro [redacted] ſumſiſſe, Bonfinius lib. 6. Dec. 4. teſtatur.

Similiter ANGLOS, Henrici regis auſpiciis, in Gallia ab hoſte circumuentos, nullas pacis conditiones admittente, mutua peccatorum cõfeſſione luſtratos, & pauxillum terræ in memoriam ſacramenti deuorantes, inſignem de ſuperbo hoſte uictoriã reportaſſe, Aeneas Syluius lib. 3. com. in Panor. affirmat. [redacted]

### SACRARVM LITERARVM VSVS
### APTVS.

GILIMER Vandalorum rex à Beliſario rege captus, & in triumpho Conſtantinopolim ductus, cùm in conſpectũ Imp. in theatro ueniſſet, populo inſpectãte, hæc uerba ingeminauit ex Eccleſiaſte, Vanitas uanitatum, & omnia uanitas.

MAVRICIVS Imp. cùm à Phoca ſceleſtiſſimo captus, in ſui conſpectu uxorem cum filiis trucidari uideret, hoc uno ſemetipſum erexit, Iuſtus es domine, & iudicia tua iuſta ſunt.

Venceslai IV. regis mortem Boemi magno mœrore proſecuti ſunt. Fuerat enim clementiſſimus princeps, & admirãdus opinione ſanctitatis. Is IOANNI Brixionenſi epiſcopo per quietem apparens, interrogauit, Quæ nam eſſet cauſa mœſtitiæ? Dicenti, ſe mortem eius æquo animo ferre nõ poſſe, incredulitatem exprobrauit, qui ſacris eloquiis fidem non adhiberet, in quibus hæc uerba potuiſſet aliquando legiſſe: Cùm te conſumtum putaueris, orieris ut Lucifer, & habebis fiduciam propoſita tibi ſpe, & defoſſus ſecurus dormies. Requieſces, nec erit, qui te exterreat, & deprecabuntur faciem tuam plurimi. Subiungensq;, paruam eſſe eius fidem, atq; inanem, ſi mortẽ ſanctorum miſeram putaret, repentè diſparuit. Epiſcopus excitatus, uerba quidem ſibi dicta memoriter tenuit: ſed ubínam ſcripta eſſent in ſacro codice, penitùs ignorauit. Euoluto autem Concordantiarum libro, undecimo apud Iob capitulo, quod quærebat, inuenit. Aeneas Syluius cap. 28. hiſt. Boem.

### INEPTVS. ABVSVS SACRÆ
### Scripturæ.

*De hoc ipſo ſub Impietate ſuo loco agemus. Hic Theoricum habitum cõſideramus, ad uſum illegitimum tranſlatũ: illic habitum Practicum. Sic diuinis oraculis abutuntur Magi ad dæmonum inuocationes. Sic Sortes è ſacris literis Euangeliorum & Prophetarum petuntur. Sic (quod ſcelus hodie in ſummorum principum aulis frequentiſſ. eſt) per ludum atque iocum, impietate obſtetricante, ſacras ſententias ad principum mores & actiones uel explicandas uel inſectandas & irridendas canes quidam regii accommodant.*

Legis Salicæ auctoritatem apud GALLOS tum aliis rationibus, tum uerò ſacris quoq; literis conſtitiſſe, quando Philippus Valeſius in regem electus eſt, tradunt, ex eo loco, ubi Chriſtus ait, Conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt, non laborant, non nent. Ergo liliorum Gallicorum ius non niſi nobilibus, qui non laborant, non niſi maribus, qui non nent, cedere debet. Ecquis uerò tantum acumen non mirabitur? Aegidius Corrozetus de Dictis & factis memorab.

## CERTAMINA METAPHYSICA, VIVA VOCE, SCRIPTO'VE.

*Certamina Metaphyſica, [redacted] reſpicias, alia ſunt Theorica, huius propriè loci: alia Practica, quæ ad Religioſam Iuſtitiam [redacted] ferenda. Sin Modum certandi & Inſtrumentum conſideres, uel Ore uel Opere fiunt, quorum exempla promiſcuè afferemus.*

### HOMINVM ET SPIRITVVM.

*Conſule Tit. Dæmoniaci curati, quatenus à piis hominibus eiiciuntur reluctantes ſpiritus.*

Iudæi aiunt, quòd MOSES pro lege ſuſcipienda in cœlum aſcenderit, & ibi taliter cum angelis altercatus ſit. Dicebant enim (inquiunt) angeli: Legem hanc te minimè ferre ſinemus, quam nobis plus quàm filiis Iſrael neceſſariã ſcimus. Moſes inſolita uiſione perterritus, nihil reſpondere præſumſit: ſed Domino, ut ſecurè reſponderet, præcipiente, ait angelis: Cùm lex hæc regendorum corporum præcepta contineat, non ſatis conſidero, quid uobis, qui ſpiritualis tantùm creatura eſtis, ſit neceſſaria. Angeli quid ad hæc dice[redacted] triump[redacted] Petrus Alfonſus lib. 1. contra Iudæos.

Iidem dicunt, angelum mortis cuidam uiro apparuiſſe nomine IOSVE, filio Leui, doctori, eiq; dixiſſe: Ad hoc ueniſſe me ſcias, ut animam tuam ſuſcipiam, & moriaris. Nequaquam, inquit ille, quod commones faciam, niſi priùs mihi paradiſum oſtenderis. Suſceptum igitur angelus in alis ſuis duxit ad locum, unde uideret paradiſum. Callidus autem ille de alis eius delapſus, in paradiſum cadere ſe permiſit. Angelus deceptum ſe eſſe dolens, irato nimis uultu, Egredere, ait, ut moriaris. Nequaquam, ait ille, egrediar. Cumq; ſecundò ac tertiò angelus id ipſum cum magno clamore peteret, & ille eius uerba negligeret, commotus nimium angelus, ad Deum pergẽs, huius rei querimoniam fecit. Deus autem eum redire rogauit, & hominem illum ex Dei nomine de paradiſo egredi præcipere. Veniens itaq; angelus ad paradiſum, ait: Deus ut egrediaris præcipit. Iurauit ille, & ait: Per Deum, non egrediar. Rediit angelus ad Deum, & dixit: Iureiurando ſe nunquam inde egreſſurum firmauit. Dans itaque iudicium Deus, reſpondit: Omnia uolumina uitæ & actuum eius reuolue, & diligenter relege. Si quando eum iuraſſe & peieraſſe inueneris, modò quoque nihil ſibi iuraſſe ualebit. Si autem nunquam periurum eſſe probaueris, non in hac uice timebis. Volumina itaque omnia angelus ſtudioſè diſcutiens, nunquam periuraſſe inuenit. Dimiſit ergo eum ibi. Idem.

Cùm IVSTINÆ uirgini Cyprianus magus, ut eam Aglaidi iuueni, qui eam deperibat, conciliaret, dæmonem immiſiſſet, uirginali habitu formaq; indutum, qui & uirginitatem ſe Deo uouiſſe diceret, & in eius ſeruitium recipi peteret: receptus poſt dies aliquot captata occaſione, dubitare ſe ait, ne uirginitatem ſeruando offendant Deum potiùs, quàm aliquid promereantur. ſcriptum enim eſſe: Creſcite & multiplicamini & replete terram. indeq; in ueteri Teſtamento ſanctiſſimas mulieres Deoq; gratas, uiros habuiſſe, & filios genuiſſe. Cœperat Iuſtinæ animus iam nutare, ac de uirginitatis propoſito penè ambigere: mox ſeipſam reprehenſam, Chriſti nomine inuocato, cruce ſignauit. Dæmon uerò crucis uirtutem non ſuſtinens, ſtatim effugit. Marulus lib. 5. cap. 8. ex Vincentij lib. 12. cap. 120.

D. Vincentius Valentinus, profeſſione Dominicanus, in Gallia concionabundus oberrans, & magnam hominum multitudinem poſt ſe trahens, pro concione dixerat, à D. Margarità uirgine diabolum aliquando ſub humana ſpecie cõprehenſum & pedibus conculcatum fuiſſe. Id cùm LOMBARDVS quidam iuuenis audiuiſſet, luctæ diabolicæ deſiderio accenſus, nec minùs quàm teneræ puellæ & uirium & animorum ſibi adeſſe ſperans, in agrum egreditur, & precibus à Deo contendit, ut ſui ſe uoti compotem redderet, & dæmonem antagoniſtam obiiceret. Dum cernuus poſt ſegetem latet, uetula quædam, aſpectu horrida, aduenit, & falce meſſoria inſtructa ſegetem aggreditur. Ille confeſtim prouolat, uetulam uerbis primum aggreditur, mox, ubi abſq; articulata uoce ſtridentẽ eam animaduertit (muta enim erat) falce erepta miſeram proſternit, multiſq; uulneribus conficit. Ex uicino agro accurrunt meſſores, exanimem tollunt, iuuenem in uincula ducunt, indignantem plurimùm, pro dæmone occiſo eam ſibi referri gratiam, qui D. Vincentij ſuaſu pulcerrimum illud facinus ſuſcepiſſet. Vincentius mortuæ uſuram uitæ per aliquot horas & uocem inſuper, uti peccata confiteri poſſet, impetrauit: Iuuenẽ uerò, ſimplicitatis ſeu potiùs ſtoliditatis ergò, magiſtratus D. Vincentij interceſſione in patriam liberũ abire promiſit. Leander Albertus libro 5. de Viris illuſtribus ordinis Prædicatorum.



Cùm Branchidarum oraculum Pactyam Lydum, qui à Cyro Perſarum rege defecerat, & magnam uim auri ſecum habebat, Tabalo præfecto regio Sardis tradendum aſſeruiſſet: ARISTODICVS Cumæus, Heraclidæ F. cùm graue putaret eſſe, ſupplices Barbaro regi ad certum exitium tradere, oraculi uanitatem refellere uolens, templum undique circumiens, paſſeres aliaſq; auiculas, quæ fortè in templo iſthic nidulabantur, è nidis exemit. Quæ cùm ille faceret, memorant uocem ex adyto auditam: Hominum ſceleſtiſſime, quænam libido te inceſſit, ut audeas meos ſupplices è templo diripere? Ariſtodicum autem reſpondiſſe: Et tu huiuſmodi auxilium fers ſupplicibus, quũ Cumæos iubeas ſupplicem ſuum tradere Perſis? Cui Deus reſpondens: Equidẽ, inquit iubeo, ut impiè agentes malè pereatis, neq; deinceps oraculum hoc de reddendis ueſtris ſupplicibus laceſſatis. Porrò ubi reſponſum hoc poſtremum retulerunt Cumæi Pactyam ablegant in Mitylenam, inde in Chium: Chij cum hoſtibus tradiderunt. Herod. lib. 1.

NVMÆ Pompilij Roman. regis cum Ioue Elicio, item Pico & Fauno certamen, pete ex Titulo Dæmones, Spectra pellere, uincere, cogere. Illius cum Ioue dialogiſmum Ouid. in Faſtorum libris commemorat:

Cæde caput, dixit. Cui rex, Parebimus, inquit:
Cædenda eſt hortis eruta cepa meis.
Addidit hic, Hominis ſumes, ait ille, capillos.
Poſtulat hic animam. Cui Numa, Piſcis, ait.
Riſit: & His, inquit, facito mea tela procures,
O uir colloquio non abigende deûm.

Cùm rex Tarquinius Priſcus templum uouiſſet in Tarpeia rupe Ioui, Iunoni, & Mineruæ auguſtiſſimum, uelletq; tanti operis iácere fundamenta: inuenit eò loci multorum deorũ aras, & à Tito Tatio & cæteris regibus ſacratas: quas omnes exaugurare cùm uellet, ut liberum eſſet templum ſuis tribus diis, conſilio Nauij Accij auguris uſus, unumquemque illorum deorum conſuluit, attributis ei auibus, num patri Ioui cederet: Aues omnium tales fuerunt, ut cedere ſe ſignificarent: aues Termini & Iuuentæ non pati deos illos moueri ſe portenderunt. Ita poſtea ædificato à filio uel nepote eius regis Superbo Capitolio, aræ ſunt eodem relictæ loco, quo priùs fuerant. Lætum eſſe augurium, reſpondit Accius: quo ſignificabatur, terminos populi ROMANI fore immobiles, & Iuuentutẽ inuictam. Plut. & Dionyſius.

### THEOLOGORVM. VTPVTA
*Iudæorum inter ſe.*

IVDÆI & SAMARITÆ inſtituta patria peruicaciter retinentes, pugnabant inter ſe iugiter, quamuis oppreſſi à Ptolemæo, dum Hieroſolymitani ſuum templum ſacroſanctum eſſe affirmant, & uictimas à Iudæis non aliò mittendas: Samaritæ contrà in montem Garizin eas mitti debere contendunt. Ioſephus lib. 12. cap. 1.

Apud Alexandriam inter IVDÆOS & SAMARITAS (qui ſub Alexandro magno Garizitani templi religionem induxerunt) ſeditio eſt orta de ſacris ipſorum, ita ut res ad regis cognitionem perueniret: dum Iudæi contendunt iuxta Moſis præſcripta Hieroſolymitanum templum eſſe legitimũ, Samaritæ uerò Garizitanum: prouocatumq; eſt ad regem Ptolemæum Philometorem, & amicorum eius conſeſſum, ut ab his cauſa audiretur, & utrius partis cauſidici ſuccumberent, morte multarẽtur. Patrocinabatur Samaritis Sabbæus cum Theodoſio, Hieroſolymitanis Iudæis Andronicus Meſſalami filius: iurauerunt q; per Deum & regem, quòd ex lege probationes allaturi eſſent: & rogauerunt regem, ut necaret eum qui iuſiurandum non ſeruaſſe deprehenderetur. Itaq; rex multis amicis in conſilium adhibitis, conſedit cauſam auditurus. Iudæi uerò qui Alexandriam habitabãt, ualde erãt ſoliciti pro tuentibus iura Hieroſolymitani templi, ægrè ferentes auctoritatem antiquiſſimi & nobiliſſimi in orbe templi uocari in diſcrimen. Sed cùm Sabbæus & Theodoſius conceſſiſſent Andronico, ut prior diceret, orſus ex lege approbare eius ſanctitatem & religionem, oſtendenſ[illegible]er continuas pontificum ſucceſſiones ſacerdotij uſq; in [illegible]tempora propagationem, & ab omnibus Aſiæ regibus maieſtatem eius loci honoratam donariis: Garizitani uerò ac ſi omnino nullum eſſet, nunquam ab his habitam rationem: his & talibus rationibus perſuaſit regi ut decerneret, Hieroſolymitanum eſſe ex ſententia Moſis conditum, Sabbam uerò & Theodoſium addiceret ſupplicio. Ioſephus libro 13. capite 6.

ONIAS Simonis F. unus è pontificibus, Hieroſolymis pulſus, ob ſimultatem, quæ illi cum cæteris pontificibus intercedebat, Alexandriam ad Ptolemæum uenit, & tyrannidem Epiphanis fugæ ſuæ prætexens, promittit Ptolemæo, ſe gentẽ Iudæorum ei conciliaturum, ſi dictis ſuis obtemperaſſet. Cùm rex annuiſſet, rogauit ut in aliqua parte Aegypti templum ſibi ædificare permitteret, & more patrio Deum colere. Ita enim & Antiocho infenſiores, qui templum apud Hieroſolymam uaſtauiſſet, ipſiq; beneuolentiores fore Iudæos, eoq; multos ad eum religionis cauſa confluxuros. Ptolemæus ergo locum conceſſit centum & octoginta ſtadiis à Memphi diſtantem (Heliopolitanus tractus dicitur) ubi caſtello fabricato, Onias templum diſſimile ei quod eſt Hieroſolymis, turrim autem ſimilem extruxit, ingentibus ſaxis ſexaginta cubitis erectam. Aræ fabricam ſecundùm patriã imitatus eſt, & donariis ſimiliter exornauit. Candelabrum non fecit, ſed aureum lychnum tanquam iubaris luce radiantem, de aurea catena ſuſpendit. Totum circa templũ ſpacium cocto latere circumdedit, ſaxeas portas habens. Conceſſit autem rex multum agri, ac pecuniæ reditus pro ſacerdotibus & Dei cultu. Eſaias certè 970. annis antè prædixerat, templi huius Aegyptiaci ædificationem. Sub Ptolemæis inde & Romanis per annos 333. incolumis ſtetit huius templi religio. At confecto bello Iudaico, Veſpaſianus deletis Hieroſolymis etiam hoc templum claudi iuſſit, ne ſeditioſæ genti occaſio motuum ſupereſſet. Ioſephus libro ſeptimo, capite 30. belli Iudaici.

Iudæorum ſectæ tres, PHARISÆI primas tenent, & populũ habent aſſeclam. SADDVCÆI epicurei, optimates. ESSENI iuſtitia antecellunt omnibus, uxoribus & ſeruis carent, agros colunt. Quarta his acceſſit IVDÆ Galilæi, qui libertatis amore flagrantes, ſolum Deum Dominum habere & appellare uolunt, cætera cum Phariſæis ſentientes. Quæ ſecta ut omnium ultima, ita Iudæos à Romanis deficientes grauiſſimis implicauit calamitatibus. Ioſephus lib. 18. cap. 2. Sed de his ſub Tit. Ordinum religioſorum. Hîc ſolius Cõtrouerſiæ ratio habetur, illic ipſiuſmet inſtituti.

[redacted]

*Ethnicorum inter ſe.*

CHALDÆI (ſub Conſtantino Magno) totum terrarum orbẽ circuibant, ut deum ſuum, quem ſub ignis ſpecie colebant, omnibus diis præſtantiorem eſſe reipſa conuincerent. Et quidem omnes deorum ſtatuæ ignis ui diſſoluebantur. Vẽtum erat in Aegyptum, & certamen propoſitum. AEGYPTII itaq; ſacerdotes, Nili ingentem ſtatuam producunt, quæ intus concaua, magnam aquæ copiam continebat: undiq; autem foraminibus plena, quæ ſubtili artificio cera oblinebantur ita ut aquam continerent, ignis tamen uim mi[redacted] certamen ineunt, [redacted] quefactam ceram foraminibus: maxima uis aquæ profundi cœpit: quæ & ignem extinxit, & Chaldæorum deum omnium ludibrio expoſuit. Ruffinus lib. 2. hiſt. Eccleſiaſticę. De hoc ipſo paulò aliter Suidas in uoçe, Canopus, ſic ſcribit: Canopi ſacerdos callidum init conſilium. Fictiles hydriæ continuis minutis foraminibus interpunctæ conficiuntur, ut per foramina illa aqua turbida colata, limpidiſſima reddatur. Harum hydriarum unam accepit, & foraminibus cera obturatis, uariiſq; coloribus depictam, & aqua repletã, pro deo collocauit: & ueteris ſtatuæ caput amputatũ, quæ ferebatur gubernatoris Menelai fuiſſe, accuratè impoſitum ſimulacro illi adiunxit. Adſunt Chaldæi, accenditur ignis: cera, qua obturata erant foramina, liqueſcit. Hydria ſudante, & per foramina deſtillante aqua, ignis extinguitur. Sic calliditate ſacerdotis, Canopus Chaldæos uincit, & ex eo pro deo colitur.

Duæ ſententiæ fuere ueterum PHILOSOPHORVM de fato: Vna eorum, qui cenſebant, omnia ita fato fieri, ut id fatum uim neceſſitatis afferret: in qua Democritus, Heraclitus, Empedocles, Ariſtoteles fuit. Altera eorum, quibus uidentur ſine ullo fato eſſe animorum motus uoluntarij Chryſippus tanquam arbiter honorarius medium fieri uoluit: ſed applicat ſe ad eos potiùs, qui neceſſitate motus animi liberatos uolunt. Cicero de Fato. Idcirco Oenomaus Cynicus Democritum dixit ſeruos feciſſe animos noſtros:

Chryſippum uerò ſemiſeruos. Euſebius libro ſexto Euangelicæ præparationis.

*Chriſtianorum orthodoxorum, uel inter ſe, uel contra hæreticos.*

D. PAVLVS apoſtolorum principi PETRO reſtitit in faciem, cauſa gentilium, quos Petrus Iudæis in omnibus poſtponendos cenſebat. Atque adeò hæc primi concilij Apoſtolici fuit occaſio.

THEOLOGI Græci res ſpiritales præceſſiſſe corporeas uolunt, eisq; ueluti miniſtris uſum eſſe mundi genitorem in reliquis procreandis: quam opinionem Plato in opificio mundi ſecutus eſt. D. Hieronymus Gregorium magiſtrum ſuosq; ſecutus Græcos, ſpiritalia corporalibus priora fuiſſe cenſuit. Baſilius uerò & Dionyſius Græci, & Latini propè omnès, Ambroſius, Beda, Caſſiodorus, & ipſe Auguſtinus, cuncta ſimul à Deo progenita eſſe perhibent. quod cum illo congruere uidetur Eccleſiaſtici decimooctauo: Qui uiuit in æternum, creauit omnia ſimul.

ALEXANDER epiſcopus Conſtantinopolitanus, orthodoxus, & donis apoſtolicis clarus, ſcripſit multa contra Arianos. Cumq; Euſebiani ARIVM Conſtantinopoli in eccleſiam inducere uellent, tota nocte precibus à Deo contendit, ut aut ſe, aut Arium tolleret, ne tantam impietatem ferre cogeretur. Craſtino ergo die Arius profuſis inteſtinis, miſerè periit. Quinetiam cum philoſophis diſputaturus, iuſſu Conſtantini Magni, philoſophorum principi dixit: In nomine Ieſu Chriſti præcipio tibi philoſophe, ne loquaris. At ille mutus illicò factus eſt.

Michael Balbus Imp. per NICEPHORVM patriarcham, & alios ſacerdotes Conſtantinopoleos, promulgauit capitalem pœnam in Manichæos, Paulinianos & Attinganos, in Phrygia & Lycaonia degentes. Sed huic ſententiæ ſeſe oppoſuerunt ALII doctores, inquientes, non licere ſacerdotibus contra impios promulgare mortem, cùm Deus uita & conuerſione eorum delectetur, & eradicari zizania prohibuerit. Contra hæc altera factio, Petri exemplum proferebat, qui interfeciſſet Ananiam propter mẽdacium: & Pauli auctoritatem, dicentis, Qui talia agunt, digni ſunt morte. Cùm enim ſolo corporali peccato corrupti, pœna capitali digni ſunt, multo magis ea afficiendos eſſe qui ſpirituali & [redacted] tes precentur Deum, id ſi ultro eis [redacted] Sin minùs, tum concedatur & nobis precari Deum: quòd ſi ualuæ ultrò apertæ fuerint, ſtatuendum erit, ſacram ædem à Deo nobis eſſe attributam. Sin ea nec nobis aperta fuerit, ſic etiam ad Arianos pertineto. Imperatore conſentiente, ædes Nicæna undique clauditur. Precantur Ariani Deum, ædes non aperitur. Cùm re infecta hæretici receſſiſſent, uenit Baſilius cum ſuis, & facta oratione, præcinit illud Pſalmi: Attollite portas principes ueſtras, & introibit rex gloriæ. Ad eas uoces contriti ſunt uectes, & rupta clauſtra, ac uento irruente apertæ ſunt portæ. Zonaras refert Tomo 3. & poſt eum Nauclerus gener. [redacted]

Copres presbyter, eremi Thebaidis cultor, cùm QVENDAM de grege Manichæorum, prauitatis ſuæ contagione alios corrumpentem, cohibere nullo modo poſſet: aduocata populi concione pyram extrui iuſſit, proponens, ut qui ipſorum duorum ignem ingreſſus aduri nequiret, eius fidem omnes [illegible] haberent. Manichæus, Copretem priùs rem experiri petiit. Copres autem in Domino confidens, ſine cunctatione in flammas irrupit illæſus. Dubitantem poſt hæc Manichæum, auertentemque ſeſe, hi qui ſpectaculo aderant, ui corripientes in ignem impegerunt. Ardoris impatiens, Copretis opem implorauit, & ab illo exemtus, periculum euaſit corporis, ſed non animæ. Marulus libro ſecundo, capite undecimo.

In ſynodo Chalcedonenſi, cùm Eutychis & Dioſcori ſectatores ſynodi decreta eluderent: ANATOLIVS patriarcha Conſtantinopolitanus, conuocatis & ſuffragatoribus ſuis orthodoxis, & aduerſariis hæreticis, ſcribi iuſſit duos de utriuſque partis fide libellos, eosque in loculos martyris Euphemiæ reponi, ut ipſa iudicaret, Vtri rectè aut perperam ſentirent? Hæc cùm hæreticis etiam placuiſſent, libelli ſcripti, remoto lapide qui loculum claudebat, pectori martyris imponuntur: & lapis in locum ſuum repoſitus ab utraq; parte ſignatur. Dehinc ſupplicationes fiunt, & preces ad Deum peruigiles, ut per martyrem ſuam demonſtret, utra ſententia ei cordi ſit, quæ ue reiicienda uideatur? Poſt triduum conueniunt, Imperatore etiam Marciano præſente. Aperto loculo, libellus hæreticorum ad pedes martyris inuenitur, alter in manu eius dextera: quam extendiſſe fertur ad Imperatorem & epiſcopum, ac libellum eis porrexiſſe. Zonaras in Marciano, & Tomus primus conciliorum. At Euagrius libro ſecundo, capite ultimo, delectos ex tota ſynodo epiſcopos in martyrio Euphemiæ conueniſſe ſcribit, & de fide rectè ſtatuiſſe, quæ egreſſi martyrio poſtea promulgarint. [redacted]

Anaſtaſio imperante, duobus EPISCOPIS de fide altercantibus, Orthodoxo & Ariano, cùm hic differendi facultatẽ polleret, ille pietate & fide fretus, hanc Ariano conditionẽ obtulit, ut omiſſa diſputatione in ignem ſeſe darent: itaque uter ipſorum pietatẽ præſtaret, notum fieret. Recuſante Ariano, ipſe intrauit ignem, & ſtans in medio eius, uerba ad multitudinem fecit, Deo ipſum incolumem conſeruantẽ. Cedrenus. Theodorus Lector libro ſecundo, id in præſentia Martiani Imp. factum ſcribit.

Cùm ALAMVNDARVS Sarracenorum princeps à Catholicis ſalutari fonte eſſet ablutus, Seuerus Antiochenus epiſcopus Acephalorũ hęreſis, qui unam uerbi & carnis naturam eſſe docuit, duos ad eum miſit epiſcopos, qui illum hęreſi ſua inficerent. Quos Chriſtum Deum tantummodo eſſe docentes, ille eleganti commento non refellit magis, quàm deluſit: dixit enim, eo ipſo die ſe literas accepiſſe, Michaelem archangelum eſſe mortuum. Cùm autem illi ſubieciſſent, angelum morti non eſſe obnoxium: at, Quemadmodum, inquit, Deus purus potuit crucifigi? quod uos aſſeritis. Sigonius lib. 16. imp. occid. ex Cedreno.

Quum EPISCOPI, & reliqui eccleſiæ orientalis proceres, quorum alij Latinorum inſtituta probabant, alij Græcorũ ſententiam mordicùs tenebant, edictis Andronici Palæologi Imper. accerſiti, Atramytij conueniſſent: poſt multa uerborum certamina placuit, ut utrorumq; opiniones duobus libris inſcriberentur, ac Deo iudicium per ignem committeretur. Cùm per totam noctem Deum ſedulò deprecati eſſent, in ipſo magno Sabbatho libros in medio templo in ignem coniecerunt. Ignis utrunq; codicem complexus, ſtatim in cineres redegit. Diuino territi iudicio, contentiones inanes reliquerunt. Gregoras lib. 6.

MANVEL Comneaus Imp. frequenter quæſtiones è Scripturis proponebat, earumque ſolutiones eruditis omnibus conuocatis, requirebat, curioſitate quadam ingenij eas etiam quæſtiones agitans, quæ attingi ſe nullo modo patiuntur, & declarationibus ueterum repudiatis, nouas confingens. Orta igitur quæſtione de illo dicto, quo dicitur, Incarnatum Deum ſimul & offerre & offerri, & eruditis inter ſe diſſentientibus, diſceptatio longo tempore eſt extracta. Verùm Imperatore piæ & ueræ ſententię aſſentiente, aduerſarij loco moti ſunt, Hypopſephius Theopolitanus, Sotericus Panteugenus Antiochenus, Dyrrachinus Euſtathius, Michael Theſſalonicenſis concionator, Nicephorus Baſilaces, qui Paulinas epiſtolas interpretabatur. Ferunt, cùm hęc controuerſia Pelagoniæ publicè diſceptanda proponeretur, alieno anni tempore ingens erupiſſe tonitru, ita ut nonnulli humi prolaberentur: & Eliam quendam, hominẽ eruditum & celebrẽ, aperto libro, qui de tonitrubus & terræmotibus diſſereret, ſcriptum inueniſſe, Caſus ſapientum. Aliquot poſt annis, quæſtione de Chriſti dicto, Pater maior me eſt, propoſita, parum curatis patrum explicationibus, ſuas interpretationes pertinaciter defendit. Nam cùm alij dicant, patrem, ut filij auctorem, dici maiorem: alij de natura humana id intelligant, & id dictum non uerbo, ſed aſſumtæ carni attribuant (ut & illa, de profectione ad patrem, de aduentu principis mundi, qui nihil in ipſo inueniat) alij, etſi de Verbo uocem Maior accipiant, non abſolutè tamen & eſſentialiter, ſed ob inhumanationis ſummam extenuationem & humilitatem: ipſe aliam attulit interpretationem: indictoque concilio, & omnibus ſacrarum literarum ſtudioſis conuocatis, hortatus eſt, ut ei decreto hoc modo ſubſcriberent: Equidem etiam S. Patrum uoces de illo dicto, Pater maior eſt me, amplector: aio tamen id dictũ pertinere ad carnem in eo conditam & paſſibilem. Atque etiam rubra ſcriptura, tanquam enſe flammeo, decretum hoc muniuit, quo mortem minitabatur & excommunicationem ei, qui reprehendere aut ſubmurmurare auſus eſſet. Idemque lapideis tabulis inſculptum, in maximo templo dedicauit. Extabat inter cæteras catecheticas [redacted] ſanctiones anathema in Mahometi deum, quem [redacted] nuiſſe, nec genitum, ſed holoſphyron eſſe affirmat. [redacted] thema ex omnibus catecheticis libellis Imperator paulò ante mortem aboleri uoluit, ab ipſa magnæ Eccleſiæ [redacted] la auſpicatus. Aiebat enim, blaſphemiis in Deum qua[redacted] cunque offendi Agarenos, qui alioqui ad noſtram [redacted] nem deficerent. Hic cùm Theodoſius patriarcha, & [redacted] rij ſacerdotes omnes refragarẽtur, reiq; toti aduerſarentur (nec enim Deum uerũ ullo modo anathemate notari, ſed illum, quem furioſus Mahometus confingeret, ipſe tamen ſuapte auctoritate decretũ propoſuit, quo & Mahometi delirium defendebatur, & ſuperiores Imperatores ſacrorũq; antiſtites apertè taxabãtur: & id decretum in ſacro palatio publicè recitandum curauit, oratione adeò probabili, ut aures non eorum duntaxat, qui uariam eius compoſitionẽ & iucundam uanitatem ſpectabant: ſed eorum etiam, qui ipſius ſcripti ſententiam indagabant, propemodum ſuſpenſas teneret. At Patriarcha ſtrenuè aduerſante, Imperator põtifices conuitiis inſectatus, iis, quę priori decreto fuſiùs ſcripſerat, in compendium redactis, aliud decretum promulgauit, & doctiſſimis conuocatis propoſuit. Illi tandem ægrè aſſenſerunt, ut anathema à deo Mahometi, in ipſum Mahometum & omnem eius doctrinam & ſectam in catecheticis libellis transferretur. Nicetas lib. 7.

Alexio Angelo imperante, in Græcia ſchiſma [redacted] exortum eſt. Nam GEORGIO Xiphilino, VII annis patriarchatu functo, IOANNES Camaterus ſucceſſit: qui (cũ opinio, quę ſub Xiphilino pullularat, extirpanda, & eius auctor, monachus Sicidites, ut hæreſiarcha condemnandus fuiſſet, & aliis ipſius exemplo ſilentium imperandũ, ut myſterium rurſus eſſet myſterium) differendi arte & demõſtrationibus, in rebus ingenij humani captum excedentibus, uſus eſt. Compoſuit etiam orationes Catechiſticas, quę dies ieiuniorum inſtare nunciarent, & ſacerdotes ad id certamẽ exhortarentur. Cùm in quæſtione eſſet, utrum Chriſti corpus poſt perceptionem incorruptibile ſit, quale poſt paſſionem & reſurrectionem fuit, an corruptibile, ut ante paſſionem: alij dicebant, incorruptibile eſſe, quòd diuinorũ myſteriorum perceptio confeſſio ſit, & recordatio quædã Domini propter nos mortui & rediuiui, ut Cyrillus tradit, & quam partem quiſque acceperit, ab eo Chriſtum integrum percipi, quem Thomas palparit, eumq; comedi poſt reſurrectionem. Alij uerò id myſterium non confeſſionem reſurrectionis, ſed ſacrificium duntaxat eſſe, & proinde corruptibile & inanime eſſe contendebant, ad quod qui accedat, nõ totum Chriſtum percipiat, ſed partem tantùm. Nicetas.

Circa annum Domini DCCCCL. exorta eſt in clero CANTVARIENSI acris contentio [redacted] Alij enim aſſeuerabant, priorem panis ſubſtantiam remanere: & nihilominus ſimul ibi, iuxta uerba ipſius Chriſti, uerum Chriſti corpus porrigi & accipi. Alij uerò recitatis uerbis Domini, priorem ſubſtantiam elementorum prorſus euaneſcere, atque tranſire in corpus Domini, reliquam tamen manere figuram panis aſſerebant. Hanc poſteriorem ſententiam Odo, Cantuarienſis archipræſul, defendebat.

In concilio Rom. anno MLIX. cùm BERENGARIVS adeſſet, relatio de ſacramento altaris eſt facta, ac Berengarius ſententiam ſuam exponere iuſſus. Cùm autem plurib. uerbis ſacrificium corporis, & ſanguinis figuram eſſe probare inſtituiſſet, neque ALBERICVS diaconus, uir ea tempeſtate doctrinæ ſtudio præſtans, reſiſtere uoce homini in dicendo copioſiſſimo poſſet, ſpacium ſeptem dierum ad reſponſum ſcripto edendum popoſcit, atque interea librum conſcripſit, in quo tam multis ueterum patrum teſtimoniis opinionem eius refellit, ut Berengarius uictus hiſcere non potuerit. Itaque opinionem ſuam, ut falſam, ipſo præſente Concilio abiurauit. Sigonius lib. 9. regni Ital.

Agricola Seueriani filius, Britanniam Pelagiana hæreſi maculauit. Britanni, cùm neque peruerſam doctrinam, qua gratia Chriſti peruertebatur, ſuſcipere uellent, neque fallacias contrariæ opinionis refutare uerbis ualerent, auxilium à Gall[redacted] Illi Germanum [redacted] ut parum abeſſet, quin nauis obrueretur. Tum S. GERMANVS à cæteris metu trepidantibus excitatus, Chriſti nomẽ [redacted] us impleuerunt. [redacted] poribus pellerent, ipſos audierunt, apertè concitatam tempeſtatem, & illa conflata pericula confitentes. [redacted] em plerique ciuium rectæ aſſenſi doctrinæ fuiſ[redacted] qui in pertinacia manſerant, bene culti ac cõ[redacted] ceſſere in medium: &, cùm ad inſignis colloquij [redacted] omnis ætatis, ſexus, gradusque homines con[redacted] ſacerdotibus copiam diſputandi obtinuerunt. [redacted] autem, cùm nuda [redacted] inania uerba loquuti, ac certis ſubinde diuinæ ſcripturæ teſtimoniis conuicti [redacted] re non [redacted] ti populi clamore dimiſſum. Sigonius libro 12. Imperij occidentalis. [redacted]

Concilio [redacted] te [redacted] Eutychiani, qui [redacted] diuinitatem paſſibilem eſſe aſſererent, quique confuſionem duarum in Chriſto naturarũ ſentirent, ac duas naturas in Chr[redacted] ren[redacted] ex nobis aſſumtam alterius eſſe na[redacted] diuinitate, & perfectum in humanitate [redacted] hominem, eiuſdem cum patre naturæ ſecundum diuinitatem [redacted] nobiſcum, excepto peccato [redacted] in duabus naturis citra confuſionem, citra mutationem, citra diuiſionem, citra ſeparationem agnoſci, ſeruatis utriuſque naturæ proprietatibus, in unam perſonam, atque hypo[redacted] creta, tanquam [redacted] reprehenderent, ac ſuam ſententiam adhuc corroborare contenderent: tum ANATOLIVS epiſcopus Conſtantinopolitanus: Quoniam opinionem ueſtram adhuc mordicùs tenetis, noſque tanquam Neſtorianos accuſatis, qui duas naturas prædicamus, utraque citra confuſionem proprietates ſuas retinente, huius quæſtionis diiudicatio diuino numini permittatur. Scribatur ſententia ueſtra in uno libello, & noſtra in altero, atque ambæ in ſepulcro S. martyris Euphemiæ collocentur, eiq; ueritatis iudicium permittatur. Hæc cùm hæretici probaſſent, ſcripti ab utraque parte libelli, elato lapide ſepulcri, ſuper pectus ſanctæ martyris deponuntur: ac lapis demiſſus ab utraque parte diligentiùs obſignatur: deinde precationes ad Deum ſuppliciter effunduntur, ut ſigna edat, utra ei ſententia cordi ſit. Inde poſt triduum, præſente Marciano, conueniunt, atque, aperto ſepulcro, libellum hæreticorum ad martyris pedes inueniunt, alterum uerò in manu eius dextra, quem ſancta uirgo Marciano, Anatolioque porrexit, omnibus, qui aderant, facti nouitate ſtupentibus, ac planè attonitis. Ex quo ingens plauſus, & gratulatio à Catholicis facta eſt, hæreticis præ pudore mœſtitiaque muſſantibus. Sigonius libro decimotertio Imperij occidentalis.

Diuus HIERONYMVS & RVFFINVS presbyter Aquileienſis, orta inter eos ſimultate, pro quæſtionibus ſcripturarũ, libros inuectiuarum, ſatis quidem luculento, [redacted] ſermone, alter in alterum ſcripſere. Sigebertus in Chronicis.

Interceſſit quædam inter AVGVSTINVM iuuenem, & HIERONYMVM ſenectute iam laſſum (quemadmodum ex tertio prooemio in epiſtolam ad Galatas apparet) diſſenſio, ea occaſione: quòd in Commentariis ſuis in epiſtolam ad Galatas Hieronymus ſcripſerat, & Petrum & Paulum pro ratione temporis ſimulatione uſos. Quod ita uerò Auguſtinus acceperat, quaſi ſenſiſſet Hieronymus, admittendam eſſe in literis diuinis interdum mendacij ſuſpicionem. Pugnat igitur uehementiùs contra eum, cùm quod de ſimulatione Hieronymus affirmauerat, ipſe ad mendacium concedendum in Scripturis ſacris, cum nonnulla uiolentia detorqueret. Reſpondit autem Hieronymus acerbiùs. Poſtea uterque alterum ad amorem mutuum & concordiam exhortatus eſt. Faceſſant (inquit Hieronymus) iſtiuſmodi querimoniæ, ſit inter nos pura germanitas: & deinceps non quæſtionum, ſed charitatis ad nos ſcripta mittamus. Et: Supereſt ut diligas diligentem te, & in ſcripturarum campo iuuenis, ſenem non prouoces. Nos noſtra habuimus tempora, & cucurrimus quantum potuimus: nunc te currente, & longa ſpacia tranſmeante, nobis debetur [redacted] per epiſtolas tum ſuas tum aliorum, [redacted]

RECARED [redacted] epiſcopos hæreſi[redacted] iuſſit diſputare cum Catholicis. [redacted] ueritatis agnitionem præbuit. Gre[redacted]

Diu[redacted] in Tri[redacted] pud Senonas in concilio [redacted] in [redacted] in [redacted] capite 37. & 38. [redacted]

HVMBERTVS epiſcopus Herbipolenſis, familiaris Rabano, utrum dies mortis ſingulis præſtituta ſit, an uerò tantũ Dei uoluntate, ignotis cauſis, uel uiuat, uel moriatur homo, dubitauit: ideoq; ea de re Rabanum conſuluit. qui per epiſtolam docet eum, ſingulis à Deo certum tempus mortis eſſe præfinitum ab æterno.

Cùm ex Vintonienſi & Vigornienſi collegio SACERDOTES, qui ſuas uxores retinuerant, auctoritate pontificia à monachis eiecti eſſent: illi uerò de repetundis agerent: cauſa iudicibus delata eſt. Qui cùm Vintoniæ in monachorum conclaui maiori ex parte decernerent, presbyteros ad honores priſtinos reſtituendos eſſe, ecce ſubitò uox audita eſt: Non benè ſentiunt, qui presbyteris fauent. Et cùm imago Chriſti de cruce pendentis ibidem uiſa eſſet eam reddidiſſe uocem, ita fides habita eſt oraculo, ut presbyteri cauſa ceciderint: & monachi parta retinuerint. Polyd. lib. 6.

TOLETANA eccleſia conſtanter Gothicos characteres & Pſalterij tranſlationem & Miſſæ officiũ ab Iſidoro & Lean[illegible] epiſcopis traditum tuebatur. Cùm ALFONSVS [illegible] & Caſtellæ rex, eiectis Mauris, archiepiſ[illegible]gnitatem reſtituiſſet, & Gallicanum ſacrorum morem, Pontificio legato Ricardo, & archiepiſcopo Bernardo cum regina Conſtantia urgentibus, introducere ſtuderet: CLERICI, nobiles & plebeij acriter reſtitere. Eò tandem res peruenit, ut hęc diſſenſio duelli certamine tolleretur. Cùmq; duo milites fuiſſent electi, unus ex parte Regis, qui pro officio Gallicano, alter ex parte nobilitatis & populi, qui pro Toletano decertaret, miles Regis uictus fuit. Id indignè ferente rege, & magna ſeditione orta, demùm placuit, ut liber officij Toletani & alter officij Gallicani, ignis examini committeretur. Indicto omnibus ieiunio à primate, legato, & clero, & oratione ab omnibus deuotè peracta, igne abſumitur liber officij Gallicani: at extra flammas, cunctis uidentibus, exiliit liber officij Toletani illæſus omnino. At rex, nec miraculo territus, nec ſupplicatione motus, potuit ſuperari, ſed mortis ſupplicio & direptione bonorum intentata, præcepit Gallicanum officium in omnibus regni ſui finib. ſeruari. Cunctiſq; flentibus & dolentibus inoleuit prouerbium: Quo uolunt Reges, uadunt leges. Rodericus Toletanus lib. 6. Rerum Hiſpan. cap. 26.

Vide Tit. Iudicium metaphyſicum de Quæſtionibus ſacris.

Ioannes Conſtantinopolitanus Imperator, legatos ad Lotharium Imper. miſerat de ſuperato hoſte Rogerio Siciliæ rege congratulatum. Quorum de numero QVIDAM philoſophus erat, qui diſputationibus oſtendere nitebatur, Latinã eccleſiam admodum errare, quòd contra ſententiam Nicęni concilij, ut ipſe dicebat, quo declaratum eſt, Spiritũ ſanctum à patre procedere, Latini à filio quoq; id fieri addidiſſent. Tum Petrus Diaconus, monachus & bibliothecarius Caſſinenſis, homo doctus & argutus, qui tũ in corona aderat diſputandi gratia: Si, inquit, Latini damnãdi ſunt, quòd addiderint Spiritum ſanctum à Filio quoq; procedere, damnandi multò magis Græci uidentur, qui id fieri à ſolo patre addiderint, cùm ipſum concilium A patre dixerit. Deluſus homo audax tam acuto reſponſo, ſubſtitit ampliùs hac de [illegible] Platina in Innocent. II. Cuſpinianus, & Chronicon Caſſinenſe lib. 4. cap. 117.

Anno Domini MCLXXII. Henricus Leo, dux Saxoniæ Hieroſolymam inſtructiſſimo exercitu proficiſcens, Conſtantinopolim uenit: ubi eruditi GERMANI cũ literatis GRÆCIS collationem inſtituerunt, quæ deſcripta eſt ab Arnoldo Continuatore Helmoldi cap. 5. Poſt meridiem, cùm rex cum duce lætior eſſet, mouit quæſtionem Vormacienſis epiſcopus unà cum Lubicẽſe, de proceſſione Spiritus ſancti. Quumq; Græci multa de euangeliis, plura de doctorũ traditionib. introduxiſſẽt teſtimonia, diu tacitus aſſedit HENRICVS abbas Brunſuicenſis, pòſt Lubecenſis epiſcopus, uir ſui temporis doctiſſimus & diſertiſſimus. Vbi data eſt copia fandi, cœpit ex Græcis doctoribus oſtendere & introducere teſtimonia Chryſoſtomi, Gregorij Nazianzeni, Cyrilli, cæterorumque, quibus illi contradicere non poterant: oſtenditq; controuerſiam eſſe nõ de re, ſed de uerbo: quum ipſi Græci doctores ſentirent manifeſtè, Spiritũ ſanctum ex utroq; procedere. Conuertit omnium in ſe ora, & tam Græcorum quàm noſtrorum confeſſione in re profundiſſima, diſerto ſermone perorauit. Cranzius lib. 6. Saxoniæ, cap. 31. & lib. 5. Vandal. cap. 41.

In Florentino concilio, alto in ſuggeſtu EVGENIVS IV. aliquanto demiſſiore loco: dextra læuaq; cardinales ſedebãt, è regione Auguſtus Gręcorum IOANNES Palæologus ſedit, ſua illi maieſtate ſeruata, plurima utrinq; eruditiſſimorum hominum corona. Sanctum ſpiritum à patre filioque procedere conuincendi erant Græci, non noſtris, ſed illorũ ſanctis auctoribus, Athanaſio, Cyrillo, Didymo, Chryſoſtomo, & inprimis Baſilio, ſancto & magno ſine controuerſia uiro: cuius cùm à noſtris Græcè pariterque Latinè eruditis exemplaria proferrentur, Byzantio Latinis allata, ubi legebatur ab utroq; Spiritum ſanctum procedere, Græci exemplaria uitioſa eſſe dictitabant: ſua ipſos promere noſtri iubebant, aliquot propoſuêre, ſed ea uariæ lectionis. Alia à patre filioq; procedere teſtabantur, alia à patre, nec prætterea quicquam addebant. Cùm Cæſar multa ſe in Græcia eiuſmodi habere diceret: Cardinalis Iulianus Cęſarinus, Auguſte, inquit, cùm in certamen ſciret Maieſtas tua ſibi ſuiſq; deſcendendum, oportuit arma non domi relicta, ſed in contentionem allata. Hoc ita actum auctor eſt Archiepiſcopus Florentinus, ſeq; interfuiſſe ſcribit. Epheſius pontifex expugnari cedereq; noluit, in perſuaſione priſtina cum ſuis permanſit. Cæſar cum Beſſarione Niceno patriarcha, & Iſidoro archiepiſcopo Rutheno, in ſententiam Latinorũ de Spiritu ſancto deſcendit, ac principem ſedem Romanã agnouit, anno Chriſti 1439. Aemilius lib. 10.

[illegible] ulcata quæſtione armatus ſilentiũ argutè impoſuit.

Philippus Comineus lib. Gallic. hiſtoriæ 8. cap. 19. [illegible] RONYMVM Sauanorolam, monachum Dom[illegible] Florentinum, quòd in ſuis concionibus uehemen[illegible] lorum mores inueheretur, & Caroli IIX. Galli[illegible] uentum infeſtis in Italiam ſignis aſſiduè in co[illegible] denunciaret, à FRANCISCANO quodam [illegible] ſcos uocatum fuiſſe: tanta contentione, ut ſpo[illegible] flammæ ſubeundæ prouoca[illegible]ni hæreticus & [illegible] eſſet. Pro Hieronymo alte[illegible]em ſui ſodalitij atq; ordinis



nis Dominicanus conditionem accepit. Die cõſtituta, cùm uterq; magna ſodalium ſuorum caterua ſtipatus, in forum, multis hominum millibus inſpectantibus, ueniſſet, Dominicanus (inquit Comineus) corpus Domini manu tenens, progredi ad rogum cœpit. Aduerſus eam geſtationẽ, cuius præſidio Dominicanus confidebat, Franciſcanus reclamare, atq; acriter aduerſari cœpit. Itaq; Senatus Florentinus interceſſit. Qua de cauſa re infecta utrinq; diſceſſum eſt. Hotomanus diſput. de Feud. c. 44.

MATHIAS Coruinus, Vngariæ rex, à Pont. Romano contra GEORGIVM Pogiebrachium, Huſſitici dogmatis aſſertorem in Bœmia, inſtigatus, magnis coactis copiis in Morauiam irrupit, Brunamq; urbem Morauæ gẽtis caput per deditionem in fidem accepit. Georgius ad famam deditionis aduolans, contrà metatur caſtra. Ibi quorundam procerũ interuentu in colloquium ambo deſcenderunt, conuiuium quoq; celebratum eſt. Inter prandendũ duo aderant hiſtriones regij, qui iocis eorum ſeria ſoluerẽt: alter Boëmici, alter Pannonici erat regis. Iſdengo, Boëmici regni gubernator, & Mathiæ ſtudioſiſſimus, ad principem utrunque conuerſus, In hiſtrionibus, inquit, ueræ fidei periculum eſſe faciendum: in paleſtræ certamen utrunq; eſſe committendũ, uictoris fidem præſtantiorem eſſe habendam. Approbatur gubernatoris ſentẽtia: & utriq; ſuum ad ſingulare certamẽ hiſtrionẽ uoce plauſuq; hortantur. Vngarus ſtatura minor, Boemus longè procerior: uires utriuſque dubiæ, at par animus. Legatus pontificis rem diuinam hiſtrionum fortunæ commiſſam ægrè ferebat. Commiſſo dubio certamine, Vngarus tandem, ueluti fidei numine communitus, inſanam Boemi molem in aëra ſubſtulit, in humũ continuò proſtraturus. Quidam Boemus, qui propius aderat, ne proſterneretur, dextram obiecit. Iſdengo pugnę arbiter, iniquè intercedenti alapam incuſſit. Obortus confeſtim hinc clamor & tumultus, arma utrinq; rapta. Principum tandẽ nutu edictoq; ſedata omnia. Bonfinius lib. 2. Decad. 4.

VENETI mercatores per mare Mediterraneum in Flãdriam nauigabant, comitantib. FLORENTINIS. Hîc inter præfectos utriuſq; claſſis contentio eſt oborta. Venetus reprehendere Florentinorum morem, qui uiliſſimos & indoctiſſ. presbyteros nauib. imponerent: Florentinus econtrà ſuos excuſare, & ad eruditionis certamen Venetum presbyterũ prouocare. Placet conditio. Venetus prior inuitat Florentinos in prætoriam nauim, cõuiuio lauto primùm, mox concione elegantiſſ. & doctiſſ. per Theologiæ magiſtrum excipit. Florentinus in poſterum diem uocat Venetos, & inter prandendum compellat presbyterum ſuum, Arlottum Plebanum uulgò dictum, hominem minimè doctum, ſed ingenioſum (cuius αὐτοσχέδια reliquorum ἔργοις potiora eſſe nõ ſemel deprehenderat) & ad ſacram concionem habendã, cùm dies is S. S. Trinitati feſtus eſſet, inuitat: detrectantem, & quòd nihil in ea re ſtudij poſuiſſet, multis ſe uerbis excuſantem, cogit. Ille quantum temporis dabatur inter epulas meditationi indulgens, menſis remotis, prooemio concionantium more præmiſſo, ſic infit: Non quia uolo, ſed quia cogor, concionem meam in tres partes diuidam. Prima de iis erit, quæ ego intelligo, non uos. Secunda de iis, quæ uos, non ego. Tertia de iis, quę nec ego, nec uos, neq; uniuerſus mundus intelligere poteſt. Hac diſtributione facta, ſingillatim partes propoſitas explicare cepit. Primum membrum charitatis eſſe doctrinam, cuius ſæpe apud eos mentionem fecerit, eiuſq; exercendæ campum illis aperuerit, ſi pallio ſuo ueteri & attrito, integrum atq; nouũ collata ſtipe ſubſtituerent. Verùm otioſis hæc illos aurib. hactenus audiuiſſe, & in poſterum audituros. Alterum de contractib. fœneratoriis agere, quorum ipſi miram quandam rationem noſſent, ut nõ mota loco pecunia, per uniuerſum terrarum orbem mercimonia ſua exercerent, idq; ſine peccato fieri aſſererent, quod ipſe non ſine graui peccato fieri poſſe cenſeret. Tertium de Trinitatis myſterio, cuius hic dies ſolennis eſſet. In eo enim non ſciẽtiæ, ſed piæ tantùm & deuotæ credulitati locum ſupereſſe. Hæc cùm more ſuo ampliaſſet, παρέργῳ illo ſermone ita ſibi omnium animos conciliauit, ut Venetus ſe uictum fateretur, & Plebanum 30. aureis honoris cauſa, exercendæ uerò charitatis nomine ueſtimẽtis donaret nouis. Auctor uitæ Arlotti.

IAN[illegible] MAMBRES, Aegyptij Magi, coram Pharaone (qui Chencres Aegyptius rex fuit) diuinū numen, quo Moſes utebatur, prodigiorum magnitudine auſi fuerūt laceſſere. MOSES uirgam ſuam humi proiectam, cōuertit in ſerpentem. Idem præſtiterūt Magi: illorum tamen uirgas Moſis uirga deuorauit. Virga percuſſit fluuium, eumq; in ſanguinem mutauit, ut enectis piſcib. puteret, neq; à quoquā bibi poſſet. Hoc idem fecerunt Magi. Ranis impleuit Aegyptum, ſic & Magi. Moſes tamen cum Aarone eaſdem precibus ſuis rurſus depulerunt, quòd Magi non poterant. Tandem uirgā puluerem commouit, & is in pediculos conuerſus eſt, tum homines tum beſtias infeſtantes. Quod cùm Magi ſuis carminib. imitari fruſtra tentauiſſent, cōfeſſi ſunt apud Pharaonem, digitū eſſe Dei. Neq; ille tamen, cùm iam occalluiſſet animo, populū dimittere uoluit. Obſeruādum aūt, quòd in conuerſione fluminum in ſanguinem, item in ranarum immiſſione, nuſpiam mentio fit Iſraelitarū. Quoniam cùm Magi Moſem imitati fuerint ope dæmonum, nō Aegyptij tantùm, ſed & Iſraelitæ iis malis affecti fuêre. Eſt enim hoc dæmonis proprium, ut & piis & impiis quacūq; poteſt ratione noceat, cùm natura malus ſit, & ſuæ malitiæ omnes participes eſſe cupiat. At in pediculis, inſectis, peſtilentia, puſtulis, grandine, locuſtis, tenebris, & clade primogenitorum, expreſſa ſemper fit mentio Iſraelitarū, quòd ſcilicet hæ plagæ illos & regionem Goſſenem, quam inhabitabant, nō attigerit: à Moſe enim & Aarone tantùm immittebantur Aegyptiis, non etiam à Magis. Magi nil potuiſſēt, niſi Dominus ad indurādum cor Pharaonis id permiſiſſet. Et tamen omnis illorum ſapientia, ipſorummet confeſſione, Moſaicæ conferri non merebatur. Exod. 6. & ſeq.

HELIAS propheta, cum prophetis idoli Baal contendens coram Achabo rege, in monte Carmeli, ut eos, qui auerſi erāt reuocaret: ita conuenit, uti duos boues in fruſta cōciſos ſuper geminam lignorum ſtruem ſeparatim componerēt, offerentes holocauſta pro ſe quiſq; Deo ſuo. Et cuius Deus ignem mitteret ad perficiendum ſacrificium, is eſſet omniū Deus, aliis diis repudiatis. Sacerdotibus ergo Baal & prophetis nomen dei ſui à mane uſq; ad meridiem fruſtra inuocantibus, ubi ad Heliam inuocandi ſors peruenit, ſtruxit altare de lapidibus, foſſa circumdedit, ligna cum carnib. ſuperpoſuit, omnia aquis perfundi, donec foſſa impleretur, iuſſit. Et cùm Deum Abraham & Iſaac & Iſrael inuocaſſet, illicò ignis è cœlo delapſus, carnes, ligna, lapides, aquāq;, & omnem foſſæ limum hauſit, atq; abſumſit. Quo miraculo commotus populus, & in Deum uerum credidit, & Heliæ ſeruo eius obediuit, mactans prophetas Baal: Deo uolente, ut qui mortiferum idolorum cultum aliis perſuaſerant, impietatis crimen morte luerent. Et quoniam propter illorum flagitium atq; ſcelus diutina ſiccitate (annos enim tres & menſes ſex non pluerat) omnia in agris exaruerant, orante Helia, Dominus dedit pluuiam, & terra protulit fructum. Fides reſtaurauit, quod uaſtauerat perfidia. Marulus lib. 2. cap. 6. & Sabell. lib. 5. cap. 4.

IOBVS, cognatus Iethronis, ſoceri Moſis, ab Abrahamo quintus, Eſai ſtirpe, cuius hiſtoria tragicocomœdiæ ſimilis eſt, XXIII. colloquiis conſtans, & uerè metaphyſicas habens diſputationes, de Deo hominem puniente, de homine Dei iram peccatis ſuis prouocante. Neq; uerò cum quatuor tantùm AMICIS, ſed & cū Deo ipſo diſputauit. Cedrenus in Hiſtoriarum compendio.

DANIEL propheta ſub Cyro rege, cum 70. BABYLONIIS ſacerdotibus certauit, & Belum deum non eſſe oſtendit. Nā cùm Belo quotidie ſiliginis artabas 12. oues 40. uini metretas ſex proponerent, clauſo inde & obſignato templo per occultum aditum ſub ara ingrederētur, & omnia cùm ſuis liberis & uxoribus abſumerent, & manè omnia à Belo abſumta eſſe dicerent: Daniel diuini ſpiritus reuelatione technas dæmonis, eiuſq; miniſtrorum cognitas, idololatriæ profligandæ cauſa defecturus, inſciis ſacerdotibus, præſente rege, templi pauimentum cinere conſperſit, atq; ita ueſtigia ſacerdotum regi manè oſtendit. Rex comprehenſis ſacerdotibus, ſceleris conuictos interfecit, & Beli delubrum euertit. Præterea draconem æreum Babylonij colebāt, qui edebat & bibebat, quem Cyrus à Daniele adorari poſtulabat. At Daniel offas ex pice, adipe & pilis ſimul coctis draconi deuorandas obiecit, & ſtatim draco medius crepuit. Ea re indignati Babylonij, Danielem uel inuito rege leonibus obiiciunt. At is ſeptem diebus inter leones uerſatus, cibo etiam per Habacucum, qui ab angelo per aerem è Iudæa Babylonem uſque uectus fuerat, refectus, incolumis manſit. Daniel cap. 14.

*Chriſtianorura contra Ethnicos, Iudæos, Turcos.*

Referente Platina, ſub initia imp[illegible] Romam, caput orbis terrarum uenit, quòd hanc ſedem pontificali dignitati conuenientem cernebat; & huc [illegible] intellexerat SIMONEM Magum Samaritanum [illegible] qui præſtigiis ſuis eò erroris iam deduxerat popu[illegible] manum, ut deus crederetur. Romæ enim iam titu[illegible] ptus erat inter duos pōtes poſitum, ac Latinis [illegible] ptum, Simoni deo ſancto. Hic diu in Samaria [illegible] ſe credere in Chriſtum ſimulauit, quoad baptiſmū à Philippo, uno ex ſeptem Diaconis, acciperet. quo quidē poſtea in malam partem utens, multarum hæreſum fundamēta iecit, cum Stelene impudica muliere, quam ſceleris ſociā habuit. Prouocare Petrum miraculis morte pueri homo nefarius auſus eſt, quem eius carmina primò mouere uiſa ſunt. Verùm cùm poſtea nihilominùs puer iaceret, in nomine Ieſu Petro iubente ſurrexit. Hanc ob rem indignatus Simon, uidente populo, ſe uolaturum ex Capitolino monte in Auentinū, pollicetur, ſi Petrus ſubſequi uellet: ea ratione dignoſci poſſe, uter ipſorum ſanctior haberetur, & Deo charior. Cùm iam uolaret, rogatu Petri ad cœlum manum tendentis ac rogantis Deum, ne deludi magicis artibus tantū populum ſineret, Simon decidit, ac crus infregit: cuius dolore non ita multo pòſt Ariciæ mortuus eſt. nam eò poſt tantā ignominiam delatus à ſuis fuerat. Hinc Simoniaci hæretici originem habent, qui donum Spiritus ſancti emere ac uendere conſueuiſſent: quiq; affirmabant, creaturam nō à Deo eſſe, ſed ex ſuperna quadam uirtute prouenire. Vide Cedreni compendium hiſtoriarum.

Cùm CYNOPS, magorum princeps, in Phara oppido Patmi inſulę, contra IOANNIS doctrinam, & edita in Chriſti nomine miracula, ex falſa ſacerdotum Apollinis in Ioannem criminatione, maleficiis populum dementaret, auocaretq;, mortuos etiam ſe excire iactabat: quorum facie aſſumta etiam dæmones apparuerunt, è mari emerſi. Tandem Ioanni ait Cynops: Veni ſodes ad portum, ut aſpicias potentiā meam, & ampliùs admiraberis. Igitur Ioannes cum uniuerſa multitudine rediit, præcipiēs illis tribus dæmonibus, qui ſub imagine hominum nuper reſurgentiū eū comitabātur, ne diſcederent. Concuſſis itaq; manibus, & terribili maris ſonitu peracto, Cynops ſe, ut antea, dimiſit in mare, atq; ſic ex oculis hominum euanuit: qui clamare non ceſſabāt, laudando dicentes: Magnus es Cynops, & nemo præter te. Ioannes interim orabat Dominū, ut inter uiuos ulterà nequaquam connumeraretur magus ille. Tum repentè uehemēs eſt pelagi murmur auditum: & procellis ingruētibus eo loci, ubi ſe præcipitauit, nuſquam apparuit. Et dæmones qui ſub humana figura ſtabant, quaſi iampridem reſuſcitati à mortuis, adiurabantur ab Apoſtolo Dei, dicente: In nomine crucifixi Ieſu Chriſti hanc inſulam exite, nunquam redituri. & ſtatim ab uniuerſorum oculis diſparuerunt, fruſtra expectantium Cynopa, ſi fortè ex freto reſurgeret. Ex Abdiæ Hiſt. Apoſtol. Vierus lib. 4. c. 31. de Præſt. Dæm.

Epheſij fidem à IOANNE apoſtolo prędicatam recepturi, ut eam ſignis approbaret petierunt. Qui Chriſti nomine inuocato, uetuſtum Dianæ templū ruere fecit, ùt in qua illi plus confidebant, minus pro ipſis ualere intelligerent, quandoquidē ſemetipſam dea defendere nequibat. ARISTODEMVS uerò templi antiſtes adhuc incredulus, aliud etiā experimenti genus perquiſiuit. Venenum propinat, quo dudum capitis reos necauerat. Id acceptum Apoſtolus hauſit inoffenſè. Et impletum eſt quod Dominus noſter de credentibus prædixerat: Etſi mortiferum quid biberint, nō eis nocebit. Ipſos inſuper qui necati fuerant, ad uitam reuocauit. Tunc demū Ariſtodemus, & qui ſpectaculo aderat conſul, reliquumque uulgus, derelicta idolorum ſuperſtitione, ad ſalutis lauacrum confugerunt, & Apoſtoli iuſſu per omnem Aſiam euerſis deorum ſimulacris, crucis uexillum erexêre: cùm iam compertum haberēt, uerbum crucis pereuntibus quidem ſtultitiam, his autem qui ſalui fiunt, Dei uirtutem eſſe. Marulus lib. 2. cap. 8. & Sabellicus lib. 5. cap. 4.

PHILETES, Hermogenis Magi diſcipulus, cū IACOBO maiore de fide certamen iniit. Victus credidit, & ad magiſtrū ſuum reuerſus, Magus abieram, inquit, redeo Chriſtianus. Indignatus Hermogenes, Phileten ubi conſtiterat, incantationibus fixit, ita ut ſe loco mouere non poſſet. Tunc Apoſtolus ſudariolum ſuum miſit, cuius tactu liberatus Philetes, diſcipulum diaboli relinquens, adhæſit diſcipulo Chriſti. Rurſum tamen Hermogenes imperat ſpiritibus, ut exemplò ambos coram ſe uinctos ſiſterent. Sed in foueam quam fecit, ipſe incidit. Profecti enim ſpiritus ne tangere quidem Dei ſeruos potuerunt: ſupra illos in aere pendentes, fremebant ac lamentabantur, quòd ab Hermogene miſſi ut eos ligarent, ipſi igneis catenis ligati ibidem detinerētur. Expediti tandem, & Apoſtolo quàm mago obſequentiores facti, Hermogenem ipſum uinculis complicatum in medium adducunt, nihil præterea mali ei inferre iuſſi. Qui deinde libertati redditus, ab Apoſtoli latere diſcedere non audebat, ne quid grauius à dæmonibus pateretur, donec baculo eius accepto abiit ſecurus, plus iam confidens Apoſtoli ligno, quàm ueneficiis ſuis. Conuerſus igitur maleficæ artis libros flammis tradidit, & ſe fidei Chriſti commiſit, ſatis expertus, nihil ea neq; uerius neq; fortius mortalibus datum. Marulus lib. 2. c. 9. & Sabellicus lib. 5. c. 4.

Conſtantino Cæſare ad Chriſtum conuerſo, mater eius Helena, cùm eſſet in Bithynia, ut conuerſionē filij audiuit, ei ſcripſit, Se quidem gaudere, quòd idola uana reliquerit: ſed moleſtè ferre, quòd hominēm crucifixum adorare maluerit, quàm Deum Iudæorum. Poſtremò cùm utra eorum uera eſſet opinio, diſceptatione dirimi placuiſſet, Helena Romam rediēs, PHARISÆORVM ſcribas in lege peritos ſecum aduexit, ex his duodecim præſtantiſſimos delegit, uni SYLVESTRO I. Pp. aduerſaturos. Cauſę cognitio alienę ſectæ uiris defertur, ne iudicium ſuſpectum foret, id eſt, gentilibus philoſophis, Cratoni, Zenophiloq;. Quibus tandem Syluestri rationes approbantibus, uentum eſt ad experientiam miraculorum. Iudæus Mambri magicis incantationibus taurum ferociſſimum repentè corrui mortuū fecit: ſed eundem Sylueſter, Chriſtum ſuum precatus, & uiuū & manſuetum reddidit. Omnes ergo Sylueſtro aſſensêre. Marulus lib. 2. c. 7. Cedrenus in Hiſtor. compendio prolixè deſcribit.

D. HILARION Italicum aurigam contra alterius æmuli incantationes aſperſione aquæ defendit, & uictorem fecit in certamine. Vide Tit. Diuina miracula, Victoriā conciliare.

Chriſtiana religio acerrimos defenſores olim habuit contra Gentilium furores. In horum numero fuêre EVSEBIVS Pamphili, in libris de Præparatione Euangelica: LACTANTIVS, in libris ſeptem diuinarū Inſtitutionum, & in libris de ira Dei, & de opificio Dei, & aliis: ARNOBIVS in octo libris contra Gentes: ATHANASIVS tum in aliis libris, maximè uerò in oratione contra idola: IVLIVS Firmicus Maternus in libro de errore profanarum religionū, ad Conſtantem & Conſtantium Auguſtos: AMBROSIVS tum in aliis, præcipuè autem in duabus epiſtolis cōtra Symmachī epiſtolam, libro Epiſtolarum quinto, epiſtola trigeſima, & trigeſimaprima: APOLLINARIVS, qui ad Iulianum contra Gentilium errores de Deo ſcripſit, ut indicat Theodoretus lib. 5. cap. 20. & Sozom. lib. 5. cap. 18. HIERONYMVS etiam paſſim in ſuis ſcriptis: PRVDENTIVS in libris duobus cōtra Symmachum, & in aliis paſſim: EPIPHANIVS in Ancorato & Anacephalæoſi, ac in libris de hæreſibus: SOCRATES in lib. 3. cap. 23. refutat Libanium & Porphyrium, & Iulianū: EVSEBIVS Emiſenus, libros contra Gentes edidit, Hieronymo teſte in catalogo ſcriptorum.

Publio Athenienſi paſtori ſub Hadriano martyrium paſſo ſucceſſit QVADRATVS uir doctiſſimus, qui pro communi Eccleſia Hadriano ſcriptū obtulit, felici euentu, anno 128.

ARISTIDES Athenienſis, philoſophus inſignis, Hadriano Apologiam pro Chriſtianis obtulit, & coram Imp. etiā perorauit tanta facundia, ut omnibus admirationi eſſet.

BASILIVS ille Magnus, cùm eſſet gentilis, & bonarum artiū apprimè eruditus, inter conflictantes philoſophorum ſententias nihil certi aſſerentium nutabat: donec Athenis tranſiens in Aegyptum, explorato philoſophiæ noſtræ ſenſu, Chriſto credere cœpit. Inde reuerſus, Eubolum præceptorem ſuum de ratione ueræ ſapientię diſputando ſuperauit, & ad Domini Dei noſtri cultum conuertit. Dum autem uterque Hieroſolymis à Maximino epiſcopo baptizaretur, circumfuſos lumine uiderunt qui aderant. Marul. lib. 2. c. 10.

Cùm Romanus Antiochenus à Galerij Imp. præfecto Aſclepiade uariis tormentis afficeretur ob Chriſti confeſſionem, eaque conſtantiſſimè pertuliſſet: uehementer offenſus hac conſtantia ASCLEPIADES, ignem minatur, addēs: Chriſtum recentem eſſe, cùm gentium dij uetuſtate commēdentur. Nactus hinc occaſionem Romanus, longa oratione de æternitate Chriſti diſputauit: & ad PVERI ſeptennis iudicium prouocauit, quæ ætas nec odiis nec uitiis aliis obnoxia eſt. Aſclepiades ſtatim è turba puerum accerſitū in Romani conſpectum ſiſtit. Quærit is: Dic fili, utrum tibi uideatur uerum eſſe & congruens, unúmne Chriſtum, & in Chriſto patrem colere, an adorare deos infinitos? Reſpondet puer: Illud certè, quicquid eſt, quod Deum eſſe homines perhibēt, unum eſſe neceſſe eſt, quod cùm uno unicum ſit, cumq; Chriſtus hoc ſit, Chriſtum eſſe uerum Deum neceſſe eſt. Plures enim deos nec nos pueri credimus. Stupens ad hoc Præfectus, & puerum decollari, & Romanum lingua priùs exſecta abripi in carcerem, & ſtrangulari iuſſit. Prudētius in hymnis περὶ στεφάνων.

Maxentius Imp. cùm eſſet Alexandriæ, & Chriſtianos ad ſacrificandum diis cogeret, CATHARINAM uirginem, ne eximium formæ eius decorē ſęuiendo deformaret, à fide Chriſti philoſophorum ſuaſionibus auerti cupiebat. Igitur ex omnibus prouincię oppidis quinquaginta SAPIENTISSIMOS deligi curauit, qui illam reſpondere paratam impugnarent. Ferunt ita tunc locutam, ut omniū animos in ſtuporem uerſos, tandem ad credulitatem induxerit. Immaniſſimus tyrannus credentium ceruicibus cum gladio imminebat: illi uerò maluerunt iugulum præbere ferienti, quàm cognitæ iam & perceptæ contradicere ueritati: ea & certiſſima & ſaluberrima eſſe, quæ à uirgine didicerant, affirmantes. Vna ergo ancilla Chriſti illos diſputādo uicit, quos tota Platonis Academia uincere nō potuiſſet. Marul. l. 2. c. 10.

Sozomenus lib. 1. c. 18. commemorat, PHILOSOPHOS ad Conſtantinū Magnum Byzātium acceſſiſſe, eiq; obieciſſe, quòd

quòd ueterem religionẽ, quam maiores ſui & omnes Romani principes eſſent amplexi, abdicaret, & nouã inſtitueret: & petiiſſe, ut ſibi cum ALEXANDRO epiſcopo diſputare ea de re liceret. Quod cùm eſſet permiſſum, & Alexander ad opponentem dixiſſet, Præcipio tibi in nomine Ieſu Chriſti, ut obmuteſcas: philoſophum obmutuiſſe prorſus, nec uerbũ ampliùs proloquutũ, cum ignominia diſceſſiſſe.

Sub an. Chriſti DCCCCLXVI. exorta eſt apud Danos in conuiuio altercatio inter clericum POPPONEM & alios conuiuas, de Chriſto Deo, & de cæteris diis. Contendebant ethnici, ſuos deos longè antiquiores & potentiores Ieſu Chriſto, Deo Chriſtianorum. Hiſce rixis motus rex Daniæ Heroldus, ſiue Araldus (ut alij ſcribunt) Popponi impoſuit, ut ſuam religionem aliquo miraculo probaret. Ergo ferrũ magni ponderis candens in ueritatis ſignum circumtulit, il læſa manu. Quo uiſo, rex uniuerſam idololatriam publicè abrogauit. Poppo autem, ut refert Saxo lib. 10. Aruſij creatus eſt epiſcopus. Vitichindus lib. 3. de rebus Saxoniç. Cranzius lib. 4. Daniæ cap. 24. ultro Popponem ferri candentis periculum propoſuiſſe, & chirothecam ferream candentẽ nuda manu indutum ad pedes regis abieciſſe.

Venit cum CAROLO Magno, Hiſpaniam ingreſſo, AIGOLANDVS rex Saracenus in colloquium, ut ad declinandã tantam humani generis iacturam, quanta haud dubiè ſecutura uidebatur, ſi totis utrinq; uiribus in aciem deſcenderetur, Saraceni Gallique per partes uelut ex prouocatione dimicarent, eorum certaminum euentum declaraturum, utra fides Deo eſſet gratior? Aſſenſus eſt Carolus, fuitq; res Chriſtiana omnibus ferè præliis ſuperior. Et iam Barbarus eò uenerat, ut poſtridie dixerit, Se uelle baptiſmi lauacro admoueri. Fide itaq; accepta ad hoſtem profectus eſt, de pãce & noua fide acturus, atq; ita accidit, ut Carolus tùm fortè pranderet, quum ille ad ipſius tabernaculum uenit. Admouerat Gallus rex de more pleroſq; ex primoribus ducũ prandio, miratusq; eſt Aigolandus, quum principum uirorum indolem, tum regij conuiuij apparatum. Conſpicatus inde ſeminudos quoſdam, humiliùs accubãtes, ac terra penè nuda prandentes, rem ille nouam miratus, Qui hominũ hi eſſent, ſciſcitatus eſt, qui tam humiliter, & pro deſpicatiſſimis diſcumberent? Cui Carolus (callebat enim hoſtilem linguam.) Sunt, inquit, hi, Aigolande, cœleſtis Dei nuncij, qui ad me uenerunt. Ego ne, inquit ille, tuum iſtum ſequar Deum, cuius nuncios tu ita aſpernaris, ut quum cæteri lautiſſimè epulentur, ipſi omnium egentiſſimi, contemtui & ludibrio tibi ſint? ualebis cum tuo fidei inſtituto. Et cum his in caſtra reuerſus, futuro ſe prælio accingit. Perſtrinxit libera hoſtis exprobratio Caroli animum, deditq; iam inde operam, ut biſſeni pauperes, qui penes ſe ex ueteri inſtituto paſcerentur, lautiùs accumberent, honeſtiusque uelarẽtur. Commiſſum eſt nec multo pòſt acre prelium, quo Aigolandus in multa ſuorum ſtrage concidit. Sabellicus lib. 8. Enneadis 8. ex Turpino.

Cùm in Hyrcaniæ urbe Samarcanda CHRISTIANI uellẽt templum D. Ioanni Baptiſtæ extruere, cuius fornix unica columna in medio poſita ſuſtẽtaretur: coacti ſunt ISMAELITÆ, quia tunc Chriſtianis inferiores erant, columnam, quam ad manus habebant, Chriſtianis concedere. Paulo pòſt, cùm res Chriſtianorum attritæ eſſent, Iſmaelitç à Chriſtianis columnam ſuam repetiuerunt, ſpe deſtruẽdi & euertendi templi. Chriſtiani ergo ad preces conuerſi ſunt. Nec mora: fornix in ſublime eleuata, columnam ſecum pluſquã pedali altitudine à ſua baſi traxit, atque ita ſuſpenſam retinuit, ut hoc miraculo plurimi ad fidem Chriſti cõuerterentur. Poſtellus in compendio Coſmograph. ex M. Pauli Veneti lib. 1. c. 39. de regibus Orientalibus.

Gratianus Imp. aram Victoriæ, quam adhuc Romanus ſenatus in curia colebat, euerti iuſſerat, maximo patrum cõſcriptorũ dolore. Eam celebri miſſa legatione, cuius princeps erat SYMMACHVS uir conſularis, ab Gratiani fratre Valentiniano tum Mediolani degente, unà cum auitis ceremoniis, quibus colendis Roma creuiſſet, reſtitui petierunt. Sed acriter diuus AMBROSIVS iuſſu Valentiniani reſpondit: deinde & Prudentius poeta carmine. Quidam etiam Chriſtiani in aula Imperatori inculcabant: Valentinianum patrem ipſius, licèt nouæ religioni addictum, ueterẽ non prohibuiſſe, ſeruatum idcirco ipſi & proli ſuæ terrarum orbem eſſe. Fratrem uerò Gratianum uetuiſſe, & ob id ita periiſſe eundem, intelligi uolebant. Valentinianus ſatis aſtutè reſpondit: Et ego ſicut pater (inquit) non prohibeo, nec acta pientiſſimi fratris (cuius pietas ad imperij culmen me euexit) reſcindere piè poſſum: utriuſque acta tueri fas eſt, equitasq; poſtulat. Auentinus lib. 2. Annalium Boiorum.

AVGVSTINVS Anglorum epiſcopus, à Gregorio pontifice (ut Beda tradit) in Britanniam miſſus, cùm Ieſum Dei filiũ aſſeruiſſet, Ethelbertum regem, magnamq; procerum eius partem credentes, baptizauit. Cæterùm multis adhuc religioni refragantibus, cum idolorũ pontificib. cõtendit. Qui quoniã ſatis firmam rationẽ, qua cauſam ſuã tueri poſſent, nõ habebant, miraculis certare decernũt: atq; oculis captũ quendã in mediũ producũt, neſcientes minus ueri ſe uidere, quàm ille lucis. Pro eo ut uiſum reciperet, ſupplicarunt diis: quaſi uerò lapides preces poſſent audire, & non etiam ipſi cæci, inſuper & ſurdi & muti eſſent. Cùm ergo cura laborq; eorũ omnis incaſſum recidiſſet, Auguſtinus Chriſtũ ſuũ deprecatus, ſine cunctatione hominẽ ſanum reddidit, & reliquã plebem eo ſigno conuertit. Marulus lib. 2. c. 8. At Polydorus libro 4. hoc tribuit Eduino Northumbrorũ regi, inſtigante Paulino epiſcopo Eboracenſi.

Baſilius Macedo Imp. Roſſos pactis cõpoſitis ad ſalutaris baptiſmi communitatẽ pertraxit, iisq; pontificũ principẽ miſit. Princeps eius gentis, ac proceres & uniuerſus populus falſa religione adhuc detenti, cùm deliberarent eáne retinenda, an uerò Chriſtianæ accedendum eſſet, ad ſe miſſum pontificẽ in conciliũ aduocãt: eumq; princeps interrogat, Quidnam rei eſſet, quod profiteretur, & ipſos docturus eſſet? Profert EPISCOPVS Euangelij librum, & quædã miracula exponit à Deo, dum is in humana natura terras obiit, edita. Ibi ROSSVS negare ſe aut ſuos ipſi fidẽ ullo modo habituros, niſi aliquid horũ, præſertim ſeruatorũ in flagranti camino trium puerorũ ſimile, uidiſſent. Ad hæc pontifex, fidens ueraci Dei ſermoni, Tametſi, inquit, Deum tentare fas non eſt: tamẽ ſi ex animo ſtatuiſtis ad Deũ uos conferre, poſtulate quod uultis, & is omnino id præſtabit propter fidem ueſtram, quanquam nos minimi ſumus, & indigni. Ii confeſtim poſtularunt, ut codex Euangelij in rogum, quem ſuccenderãt, mitteretur: promittens ſe, eo incolumi manente, Deo, quem ipſe prædicaret, nomen daturos. Accepta hæc conditio: & pontifice manus oculoſq; ad Deum attollente, Ieſumq; obſecrante, ut is ſancti ſui nominis gloriam ante oculos huius gentis aſſereret, conijcitur in caminum liber Euangelicus: cumq; caminus per multas horas arſiſſet, tandemq; materia cõſumta extinctus eſſet, liber incolumis illçſusq; omnino reperitur. Cuius miraculi magnitudine perculſi barbari, omni dubitatione abiecta, ad baptiſmum confugerunt. Cedrenus & Zonaras Tom. 3.

Alexandriæ EPISCOPVS admodum religioſus uicinum habebat quendam philoſophum, EVAGRIVM nomine, Grçcæ ſuperſtitioni addictũ, qui in ſchola ſodalis epiſcopo fuerat. Hunc epiſcopus à uæſano falſorũ numinũ cultu ad fidẽ Chriſtianã traducere cupiens, identidẽ prouocabat, cumq; eo diſputabat. Sed philoſophus magis magisq; ueræ religioni infenſus, fertur epiſcopũ in hęc uerba allocutus: Profectò epiſcope, præter alia & hoc mihi improbatur, quod mundi finẽ fore uos Chriſtiani dicitis, corpora reſurrectura de mortuis, & pro acta uita cuiq; mercedem redditum iri. tũ qui pauperi miſericordia motus largiatur, eum ſua apud Deum in fauore ponere, recepturumq; centuplũ cum uita æterna. Epiſcopo nihil uanitatis aut ludibrij ineſſe Chriſtianæ doctrinæ ſummopere affirmante, ita diſceſſit Euagrius, ut qui animi ualde dubius eſſet. Aliquanto pòſt tempore, Deo epiſcopi doctrinã adiuuãte, credidit, & baptizatus eſt: utq; erat prædiues, attulit ad epiſcopum CCC. auri libras, quas ille pauperibus diſtribueret: data ſibi cautione manu propria ſcripta, Deũ iſta redditurũ. Epiſcopus pecuniã accepit, eamq; data ſyngrapha inter egenos diuiſit. Philoſophus aũt aliquot adhuc annos cùm piè uixiſſet, moriturus ſuis liberis præcepit, ut ſibi in manũ infererent ſyngraphã iſtam, atq; ſecũ unà ſepelirent. His ita factis, tertio pòſt die epiſcopo in ſomnis uiſus eſt Euagrius, ita alloquẽs: Accede ad ſepulcrum meũ epiſcope, & recipe ſyngraphã tuam, redditũ eſt enim mihi debiti centuplũ, neq; habeo quod à te exigã, ſed & quo pleniùs tibi caueretur, manu mea ſubſcripſi. Diluculo epiſcopus philoſophi filios ad ſe uocauit, cumq; ex iis reſciuiſſet chirographũ cum Eugario fuiſſe ſepultũ, cum clero urbis ad ſepulcrum acceſſit. Quo aperto, inuenerunt philoſophum ſedentẽ, manumq; cum charta protendentẽ. Quam cùm uellent clerici eximere, nemini eorũ conceſſit: epiſcopo aũt manum explicante, eam ſtatim dimiſit, ac recubuit. Epiſcopus charta in conſpectu omniũ aperta, inuenit recèns manu philoſophi ſubſcriptũ ita: Euagrius philoſophus ſanctiſſimo epiſcopo domino meo Syneſio S. Scias pater, me centuplum debiti recepiſſe, neq; eo nomine habere, quod abs te exigam. Scripta ſcheda in armario aſſeruari iuſſa. Cedrenus.

CAMBYSES & ZAMRIS Magi TAVRINVM Aurelianenſem epiſcopũ interemturi erant. Hic uerò ſigno ſanctæ crucis ſeſe muniens, illorum manus effugit. Illi furore concitati ſibimet ipſis mortem conſciuère. Marulus lib. 2. c. 9.

HIERONYMVS Pragenſis, eremita, cùm è Boemia in Poloniam tranſiuiſſet, acceptis literis ab Vladiſlao rege cõmendatitiis, prædicaturus Euangeliũ Chriſti, ad Vitoldum principem in Lituaniam penetrauit, multoſq; cùm populos ad Chriſti fidem conuertiſſet, Lituanorum etiam uarios deos demolitus eſt. Aeneas Syluius cap. 26. Europæ.



CONSTANTIA Alfonſi VI. Hiſpaniæ regis uxor, cũ Bernardo archiepiſcopo Toletano Meſquitam ſiue baſilicam maiorem, quam dedita per Saracenos urbe rex iis integrã permiſerat, noctu purgatam, expiatamq; in honorẽ D. Virginis conſecrarunt, tanta cum regis indignatione, ut nõ niſi filiæ aſtu & ipſorũmet Saracenorum interceſſione placari potuerit. Rodericus Toletanus lib. 6. c. 26. rerum Hiſp.

Alfonſus Hoieda, circa annum Sal. MDIX. in nouo orbe Zenu fluminis accolas, naue ſubuectus, ad Chriſtianam fidem perducere ſtudebat. INDI armati accurrũt, deſcenſum prohibituri. Tum MARTINVS Fernandus ab Inciſo, Baccalarius Theologiæ, & ab Alfonſo iudiciis præpoſitus, de puppi alta uoce infit per interpretem: Chriſtianos homines uidetis, Hiſpanos, pacificos, ueſtræ ſalutis ſtudioſos, per longa æquora huc uectos, commeatus & auri indigos, rerum precioſiſſimarum, quibus uos egetis, abundãtes. Venirent, & amicè ſua communicarent, permutatione iuſta. Reſpondent Indi: Pacis uerba audimus, facta non uidemus. Prędonum eſt, per longinqua uagari maria, lucri cauſa. Abirent protinus, uſuros ſe illis alioqui ut hoſtib. Tum Inciſus, At cauſam primò aduẽtus noſtri audite. longaq; oratione baptiſmum illis perſuadere conatus, Deum unum, creatorem omniũ illis adorandũ proponebat: epilogi loco, minas tũ ſpirituales tum ſeculares ingeminans, non propria libidine motos, ſed auctoritate publica adductos, impulſos, hoc pium opus ſuſcepiſſe. Sanctiſſimus pater noſter, Romanus põtifex, uicarius Ieſu Chriſti per uniuerſum orbem terrarũ, in cuius manu animç ſunt hominum, in cuius arbitrio religio conſiſtit, haſce terras potentiſſimo regi Caſtellæ, domino noſtro, dono dedit, cuius nomine adſumus, poſſeſſionẽ regionis adituri. Neq; uerò patria uos expellere tentamus, ſed id unũ agimus, ut pontificẽ animarũ, & regem corporũ ueſtrorum ueros patres & protectores agnoſcentes, annuũq; tributum exile pendentes, & hic felices, & poſt mortẽ beati euadatis. Indi reſpondẽt, Non abhorrere ſe ab unius ſolius Dei mentione. Cæterùm nondum ſeſe ita pertæſos ſuæ reli[redacted] poſt initiũ huius ſectæ uixit, acutè ineptias illas refutauit.

IOANNES Segobienſis Hiſpanus, Theologus, ab Amedeo duce Sabaudiæ, qui ſe Felicem V. dixit, cardinalatus honorem accepit. At ſub Nicolao pont. max. cardinalatus dimiſſo titulo, Cæſarienſi eccleſiæ præfectus, in altiſſimis recõditus montibus, paruo monaſterio contentus, uocatis ex Hiſpania legis Arabicæ magiſtris, Alcoranum Mahumetis in noſtrã linguam conuertit, & ineptias eius ueris argumẽtis confutauit, teſte Aenea Syl. c. 42. Europæ. PETRVS abbas Cluniacenſis pòſt Baſileæ Nicolao de Cuſa cardinali hunc Alcoranum tranſlatum tradidit, ac librum quendam alium de generatione Mahometis, & duodecim ſucceſſorib. eius in regno, cum centum quæſtionibus de doctrina eius. Quẽ ut intelligere poſſet, Conſtantinopolim uenit, ac Peræ doctos fratres ſciſcitatus de dubiis, ubi rediit, librũ ſcripſit de cribratione Alcorani eruditiſſimũ. Excitatus & DIONYSIVS Carthuſienſis, opus inſigne contra Alcoranum Nicolao pontifici nuncupauit. Alij præterea plures: omnes tamẽ RICARDVS ordinis prædicatorum, quem alij Ricoldum uocitant, qui Arabicis literis Baldaci celebri Academia Arabum operam dedit, ſuperare ingenio uiſus eſt. Cuſpin.

## VATVM, DIVINACVLORVM CERTAMINA.

IOSEPHVS Iacobi F. ſomnium, quod Pharaonis uates interpretari neſciebant, regi enarrauit: Aegyptiis abundantiam, uatibus ſalutẽ, ſibiipſi gloriam peperit. Eum DANIEL imitatus eſt apud Artaxerxem & Baltaſarẽ, reges Babylonios.

HELIAS uates ſub Achabo rege Iſraelitarum cum 830. pſeudoprophetis ſolus in monte Carmelo decertauit, non quidem pro ſua, ſed pro Dei opt. max. gloria & honore: & illis Baalem deum ſuum fruſtra implorantibus, ipſe aram ex 12. ſaxis conſtruxit, & ſcrobe circumdedit, taurum ſtrui impoſuit, & aqua ter affuſa ſcrobem impleuit. Mox precibus ad Deum factis, delapſus cœlitùs ignis, & hoſtiam, & ligna, & ſaxa, & humum, & aquam abſumſit. Quo uiſo, uniuerſi prociderunt, &, Ioua Deus eſt, clamarunt. Tum Helias Baalẽſes uates omnes ad Ciſonem fluuium iugulauit. 3. Regum 18.

Achabus Iſraelitarum rex, Ramotha Galaaditarum à Syris ereptam recuperaturus, conſuluit 400. uates Baalenſes, quorũ princeps erat SEDECIAS Chanaanæ F. Is ferrea cornua capiti imponens, His tu, ô rex, Syriam arietabis, inquit. At MICHEAS Iemlæ F. uerus Iouæ uates, eum amiſſo exercitu in bello periturum affirmauit. Tum Sedecias ſtomachabundus, Qua ratione emigrauit à me Iouæ ſpiritus, ut tecum locutus ſit? inquiẽs, colaphum Micheæ impegit: eundemq; Achabus carceri incluſit, in ſuum uſque reditum. At Micheas, Si ſaluus redieris, inquit, tum Ioua mecum locutus non ſit. 3. Regum 22.

Tradunt CALCHANTEM Theſtoris F. augurem, cum Amphilocho Amphiari filio, è Troiano bello redeunte, terreſtri itinere Colophonem in Ioniam perueniſſe. Cumque apud Clarum in Mopſum Tireſiæ nepotem, Ampyci F. incidiſſet, augurem præſtantiſſimum, præ mœrore mortuum eſſe. Heſiodus Calchantem Mopſo huiuſmodi quiddam propoſuiſſe ſcribit:

> Mirabor ſanè, poteris ſi dicere, ficus
> Quot numero hæc caprificus habet, perparua licèt ſit.
> Mille quidem decies modius menſura, ſuperq;
> Vna ſit, hanc nullo poteris comprendere pacto.
> Dixit, & inuentus numerus, menſuraq; certa eſt.
> Continuò mortis Calchanti ſomnus obortus.

Pherecydes dicit, prægnanti ſue oblata, Calchantem interrogaſſe, Quot porcos haberet? hunc uerò reſpõdiſſe, Tres, atq; ex iis unam feminam. Et cùm Mopſus uera locutus eſſet, illum præ dolore mortuum. Sunt qui dicant Calchantẽ ſuem propoſuiſſe, illum uerò caprificum, ac Mopſum uera dixiſſe, Calchantem uerò minimè, & præ mœrore mortuũ. Et in quodam loco Sophocles ſcribit, quòd tunc Calchanti fata mortem decreuerint, cùm præſtantiorem augurem offenderet. Sed hic Calchantis mortem transfert in Ciliciã. Strabo lib. 14. & Euſtathius Iliados α.

ENARIES apud Scythas (fortè Ανανδριᾶς, ex Hipp. de Aere, aquis, locis) qui ſunt androgyni, aiunt ſibi à Venere diuinationem talem traditam. Tiliam ubi quis triuariam ſciderit, digitis ſuis eam implicando ac reſoluendo uaticinatur. Horum tres maximè probatos accerſit rex, quoties ægrotat: cui iſti ſemper ferè dicunt, hunc aut illum ciuem peieraſſe, iurantem per regium ſolium. Protinus is quem nominarũt adductus, coarguitur ſcientia diuinandi. Is ſi neget, rex duplo numero uatidicos accerſit. Qui inſpecta diuinandi ratione, ſi & ipſi hominem periurij conuicerint, ſine mora capite hominem plectunt, eiusq; facultates inter ſe partiuntur primi uates. Sin uerò ſecundo loco uocati uates hominem abſoluerint, alij atq; alij præſtò ſunt. Quorum ſi plures abſoluerint, priores illos cum omnibus maribus liberis interficiunt. Herodotus lib. 4.

Apud Virgilium cùm AMATA, Latini regis uxor, furiis ſtimulata, diſturbare pacem uellet, & reuocare uiri ſui animum à conſiliis illis, id unum, quod maximè obſtabat, ac uoluntati ſuæ aduerſabatur, tentare ac labefactare conata eſt. Edita enim LATINO regi ſors fuerat, debere ipſum externo uiro filiam in matrimonium dare: Turnus autem, quem generum illa malebat, Italus erat: quare excludi auctoritate diuina à nuptiis illis uidebatur. Ipſa igitur acutè dixit, aliam eſſe notionẽ eius uocabuli: intelligiq; illo cunctos, qui ipſius ditionis non forent, nec regnó ipſius parẽrẽt, & nõ tantũ alienigenas, & in longinquis terris natos. Victorius lib. 26. Variarum lect. capite 5.

Olympiadi, Philippi Macedonum regis ſponſæ, uiſus eſt ante noctem, qua thoro geniali iuncti fuere, uenter ſuus de cœlo tangi, atq; ex ictu largum ſuccenſum ignem, qui mox erumpẽs, in flammas paſſim diſperſas diſſiparetur. Philippus ſpacio aliquo poſt nuptias uidit in ſomnis, uxoris ſe uentrẽ conſignare. Habebat ſigilli ſculptura imaginem leonis. Ea uiſione VATIBVS interpretantibus cęteris, Philippo cuſtodiis acrioribus ſepiendum cõiugem: Ariſtander Telmeſſius uterum illam leoni æquandum ait ferre (nihil enim, quod inane ſit, ſignari) ac concepiſſe eam infantem animoſum. Plutarchus in Alexan.

Antequam graue illud bellum, quo Athenienſes & Lacedæmonij cum ſocijs ſeſe mutuo attriuerũt, Peloponneſiacum

dictum, inciperet, miſere Lacedæmonij Delphos ad conſulendum, Nunquid bellum ſumere expediret? Quibus Apollo reſpondit, Penes bellantes pro uirib. uictoriam fore: ſeque & uocatum & inuocatum auxilio futurum. Bello exorto, peſtilentia grauiſſima Athenas inuaſit, & hoc uidetur oraculum Pythij uoluiſſe, ſe Spartanis cōtra hoſtes auxilio futurum. Repetebantur tunc & alia, tum uerò hoc carmen, quod ſenes aiebant iampridem decantatum,

ἥξει δωριακὸς πόλεμος καὶ λοιμὸς ἅμ' αὐτῷ.

Doriacum ueniet λοιμῷ comitante duellum.

De quo altercatio erat, nū λοιμὸς peſtis, an λιμὸς fames hoc carmine ab antiquis notaretur. (Quo ex loco colligi poſſe arbitrantur, etiam Athenienſes ipſos eodem ſono protuliſſe Vocalem ι & οι Diphthongum) Sed euicit impręſentiarū meritò peſtilentiæ interpretatio, ex ipſo euentu, & Grammatica quęſtio ſęuis multorū funeribus ſoluta eſt. Thucyd. lib. 1. & 2.

In oraculo explicando de ligneis muris, ATHENIENSIVM controuerſiam pete ex Tit. Victoriæ oracula.

Cùm poſt obitum Agidis Lacedæmone regem creari oporteret: & DIOPITHES augur gradu illo honoris Ageſilaū exturbaret (quem graues & ſapientes ciues, propter eximiā adoleſcentis uirtutem, probabāt) fretus oraculo, admonente Spartiatas, ne claudum regem eligerent (Ageſilaus enim altero pede claudicabat) multosq́; in ſuam ſententiam traxiſſet, paratos ea de cauſa eligere Leotychidem: LYSANDER, qui Ageſilao fauebat, dixit perperàm accipere Diopithem oraculum illud: non enim grauiter ferre deum nec ſtomachari, ſi fortè aliquis Lacedæmoniorum imperiū habeat mancus ac debilis: ſed regnum claudum eſſe, ſi ſpurij & natalibus laborantes, regnum, proprium Heraclidarum, obtinuerint, quæ macula hærebat Leotychidi: putabatur namq; ille furto ex Alcibiade conceptus. Victorius lib. 26. Var. lectionum, cap. 5.

Ferunt aliquando arietis caput cum unico cornu ad Periclem fuiſſe ex agro delatum: ac uatem LAMPONEM, ut cornu ualidum conſpexit, & firmum media enatum fronte, duarum dixiſſe Thucydidis & Periclis factionum potētiam ad unum delatum iri, apud quem hoc prodigium eueniſſet. ANAXAGORAM uerò, cùm os capitis diſſecuiſſet, mōſtraſſe, non compleſſe cerebrum ſedem ſuam, ſed oui modo acutum ex tota teſta deuolutum, eò loci, unde originem radix cornu duceret. Poterat uterq; rectè conieciſſe, tam phyſicus, quàm uates: alter qui cauſam, alter qui exitum probè eſt aſſecutus: ſiquidem fractis Thucydidis opibus, reſp. uniuerſa in Periclis manum recidit. Plut. in Pericle.

Curſor iturus ad Olympia, per noctem æſtimauit curru quadriiugo ſe uehi. Summo mane adiit INTERPRETEM. & ille: Vinces, ait: id enim agilitas equorum & robur indicat. Idem ſomnium ad ANTIPHONEM retulit, quē ex Graiis ſomniorum conіectoribus inprimis celebratū uideo. at ille: Vincêris, inquit, hauddubiè. Nō animaduertiſti te à quatuor præuentum eſſe, dum curreres? Petrarcha.

Cùm centuriarum equitum numerum uellet rex Tarquinius Priſc⁹ ampliare, ACTIVS Nauius augur, & paſtor, & puer, negauit id fieri debere, niſi conſultis auibus. REX ut artem eluderet, Diuina, inquit, ex arte, an fieri poſſit quod cogito. Cùm ille, Ex arte, reſpondiſſet, poſſe: Seca, inquit, nouacula, cotem, qua acuitur. Ille præſente & inſpectante, populo, regeq́;, hoc fecit. Ita deinceps magno in honore fuit Actius quandiu uixit, & ſtatua ei eodem loco, quo id contigerat, in comitio ſcilicet, poſita: & cos ibi, nouaculaq́; locata, monumentum rei. Liuius lib. 1. & Cic. 1. de Diuin ſed cotē à Nauio diſciſſam ſcribunt, non à rege Tarquinio.

Latini augures ſiniſtrum uolatum auium pro infauſto, dexterum alij populi habuere, ut in lib. de Diuin. Tullius annotauit. Ex quo omnino cōfirmatur, puram putam fraudem & mendacium eſſe, ſiquidem principia horum illis aduerſantur, cùm in aëris conſtitutione, tum in uolatu auium exponendo. Auguralis enim ſcientiæ fundamentū in eo fuit poſitum, ut templum cōſtitueretur, id eſt, definiretur regio aëris unde contemplarentur augures, & dexterā mundi à ſiniſtra diſtinguerent: qua in re omnes auctores GRÆCI, LATINI, & BARBARI inter ſe diſcrepant, & ab HEBRÆIS quoq; diſſident. Bodinus lib. 1. Dæmonomaniæ, cap. 7.

Attalus Aſiæ rex teſtamento pop. Rom. hæredē fecerat regni. Id Ariſtonicus Eumenis Attali fratris filius, ex cōcubina genitus, præoccupauit: hinc bellum eſt ei indictum. Miſſus eò Licinius Craſſus cos. & pont. max. uictus eſt ab Ariſtonico. M. Perpenna conſul inſequētis anni, audita Craſſi fortuna, magnis itinerib. in Aſiam uenit, uictumq́; acie Ariſtonicū, fame domitum, in deditionem Stratonicę, quò poſt præliū confugerat, cepit, Romamq́; miſit. Eo bello Apollinis ſimulacrū Cumis quatriduo fleuiſſe nunciatum eſt: quo prodigio ARVSPICES territi, cùm id ſimulacrum in mare putauiſſent eſſe proiiciendum, CVMANI ſenes interceſſerunt, atq; retulerunt, tale prodigiū & Antiochi, Syriæ regis, quē L. Scipio uicit, & Perſæ Macedonum regis bello, in eodē apparuiſſe figmento: & quia Romanis feliciter proueniſſet, ex ſenatuſconſulto eidem Apollini ſua dona eſſe miſſa, teſtati ſunt. Peritiores acciti aruſpices reſponderunt, ſimulacri Apollinis fletum ideo proſperum eſſe Romanis, quoniā Cumæ colonia Græca eſſet, ſuisq́; terris, unde accitus eſſet, id eſt, ipſi Græciæ luctum & cladem Apollinē ſignificaſſe plorantem. Auguſt. lib. 3. de Ciuit. Dei, c. 11.

Inualeſcente iam religione Chriſtiana, in Aſiam Roma trāſiit præfectus, IVSTVS nomine, idolorū cultui addictiſſimus. Hic nactus ſui ingenij hominē, gentis præſidē, Hilarium nomine, Sardis (ubi nullę erant) aras ſubito & tumultuario opere erexit, & templorū ueſtigiis, ſi qua inueniebantur, manus admouit, ut reficerent, publiceq́; perpetrato ſacrificio, miſſis literis cōuocauit undecūq;, quotquot eruditionis opinionē & famā excitarant. Qui dicto citiùs aduenêre, uirū admirātes, ratiq́; tēpus adeſſe, quo ſui ſpecimē darent. Indicto publicè populari ſacro uniuerſi adfuerūt, & inter cæteros Eunapius Iuſtus animū intendēs, & ſtantes oculorū orbes in uictimā defigēs, uti temerè ſita iacebat, ſciſcitabatur à præſentibus, qd ſibi uellet collapſę uictimę poſitus. Hic aſſentatores miraculo rei terrebantur, ꝗ etiā è figura poſitus hariolari ſciret, huiusq́; cognitionis palmā illi ſoli deferebant. At grauiores extremis digitis barbā mulcētes, uultu ad ſeueritatē compoſito, capita ſenſim quaſſantes, propoſitam uictimā intueri & contemplari, alius aliud in medium proferentes. Iuſtus ubi riſum uix repreſſit, ad CHRYSANTHIVM Sardianū, pontificē Lydū conuerſus: Quid tu ad hæc ſenex, ais? exclamat. Ille nihil turbatus animo, Si & me uis, inquit, aliqd his de reb. in mediū proferre, age, ſiquidē diuinādi modos cognitos tenes, dicito prior, quod ſit diuinationis genus, q modus, unde nata interrogatio, aut qua methodo peracta ſit & inſtituta. Iſta ſi explicueris, dicā ad quē euentū res oculis obiecta tendat. Hic Iuſtus exclamauit, Se didiciſſe quod nunquam antea nouerat, neq; deſtitit ab eo tēpore priuatim illū cōſulere, quo diſceret, & tanquā de fonte hauriret ſibi priùs ignorata. Eunap. in Chryſanth.

[redacted]

## MAGORVM CERTAMINA.

MANETHON impoſturarum magicarum artifex ſummus, Apollonij Tyanei miracula irridere ſolebat, inquiēs: Oportebat eum, ſicuti ego ſoleo, ſolis uerbis perficere, quæ uellet, non operum effectionibus ad ea uti. Cedrenus in Hiſtoriarum compendio.

GILBERTVS quidam magus cum CATILLO præceptore de artis pręſtantia contendens, cùm exiguum bacillum characteribus Gothicis uel Ruthenicis inſcriptum à præceptore proiectum manibus apprehendiſſet, ſtatim obriguiſſe, & in inſula lac⁹ Veter dicti, apud Oſtrogothos, in cauerna ſubterranea ligatus fertur. Olaus Magnus lib. 3. cap. 20.

Vſſo Sueonum rex cùm miræ pulcritudinis filiam haberet, potiturum ea, qui uita Hadingum Danorum regem ſpoliaſſet, edixit. Thuningus quidam, accita Byarmenſiū manu, eū aggreſſus eſt. Quem excepturus Hadingus, dum claſſe Noruagiam præteriret, animaduertit in litore SENEM crebro amiculi motu appellendi nauigij monitus afferētem: quem, repugnantibus licet ſociis, naue ſuſceptum centuriandi exercitus auctorem habuit, in ordināda agminum ratione curioſiùs attendere ſolitum, ut prima per dyadem phalanx, acies per tetradem ſecunda conſtaret, tertia uerò octoadis adiectione ſuccreſceret, ſemperq́; priorem inſequens duplicitatis augmento tranſcenderet. Idem quoq; funditorum alas in extremā aciem concedere iuſſit, eisq́; ſagittariorum ordines ſociauit. Ita digeſtis in cuneum cateruis, ipſe poſt bellatorum terga conſiſtens, ac folliculo quem ceruici appenſum habebat, baliſtam extrahens, quæ primùm exilis uiſa, mox cornu tenſiore prominuit, denos neruo calamos adaptauit, qui uegetiore iactu pariter in hoſtem detorti, totidem numero uulnera inflixerunt. Tunc BYARMENSES arma artibus permutantes, carminibus in nimbos ſoluêre cœlum, lætamq́; aeris faciem triſti imbriū aſpergine confuderunt. Econtra ſenex obortam nimborum molem obuia nube pellebat, madoremque pluuiæ nubilo caſtigabat obiectu. Victorem Hadingum, dimiſſus ſenex, non ui hoſtili, ſed uoluntario mortis genere conſumendum prædixit, clarisq́; bellis obſcura, ac longinquis finitima præponere uetuit. Saxo libro 1.

Venceſlaus Imp. & Boemorum rex, affinitatem cum principe Bauariæ Ioanne iniit, ducta in uxorem filia eius Sophia. Socer, ubi generum ludicris ſpectaculis & magicis præſtigiis delectari cognouit, plenum ludionum & præſtigiatorum plauſtrum ſecum Pragam uexit. Ibi dum præſtantiſſimus artificum ludibria artis ad permulcēdos oculos explicat, adeſt inter ſpectatores ZIITO Venceſlai magus, ore uſq; ad aures dehiſcente, accedensq́; propius, ARTIFICEM illum Bauari cum omni apparatu ſubito deuorat, ſolos duntaxat calceos, quia luto obliti uidebantur, expuens: ſeceſſumq́; inde petens, uentrem inſolita eſca grauem in ſolium aqua plenum exonerat, præſtigiatoremq; adhuc madidū ſpectatorib. reſtituit paſſim deridendū, adeò ut cæteri quoq; eius ſocij à ludo deſiſterent. Ipſe uerò artem ſuam oſtentās, nūc ſua, nunc aliena facie, ſtaturaq;, modò itē in purpura & ſerico, ac cōfeſtim in lana & panno ſordido, Regi ſe offerebat: ambulantiq; in terra, ipſe tanquā in aqua adnauigabat: aliquoties equis rhedariis uectum, gallis gallinaceis ad epiredium ſuum alligatis, ſubſequebatur. Conuiuas pręterea Regis uariè ludebat: interdū manus eorū, ne illas ad patinas porrigere ualerēt, in pedes boum, interdū in ungulas equorum transformās: & aliquoties fronti illorū cornua ceruorum latiſſima adiiciēs, quoties uidelicet è feneſtris ad ſubitum ſpectaculū proſpicerēt, ne rurſus caput & ora ad menſam referre poſſent, antequā ipſe uino dapibusq; illorū ſe ingurgitaſſet. Atq; ut oſtenderet, ſe pecuniā quoq; pro uſu ſuo facilè cōflare poſſe, triginta ſues bene ſaginatos, ex manipulis fœni effingit, illasq; paſtū, proximè ſues Michaelis cuiuſdam piſtoris locupletis extrudit, proponitq; uenales, quo piſtor uoluit precio: hoc tantū emtorē monēs, ne gregem nouū ad flumē lotū propellat. Qua ille monitione neglecta, cernit in flumine manipulos fluitare, ſuibus ſubmerſis. Ergo diu uenditore quæſito, atq; in taberna uinaria tandem reperto, in qua porrectis pedib. in ſcamno recubabat, dum ſtomachabundus altero pede correptū excitare uult, eum à corpore protinùs cum coxendice auellit, clarè Ziitone quiritante, & obtorto collo piſtorē ad Iudicem trahēte. Quid faceret piſtor, in manifeſto deprehenſus, ut ſibi uidebatur, facinore, niſi ut damnū damno adderet, atq; de hac inſuper iniuria cum Ziitone decideret? Vſurpant ad hoc uſque tempus Boemi, ut malam emtionē exprobraturi, uicē prouerbij dicant, Lucrum facies, quantū Michael in ſuibus. Ziito ad extremum à cacodæmone cum corpore & anima de medio hominum ſublatus fuit: iniecitq; Venceſlao curā de religioſis deinceps ac magis ſeriis rebus cogitandi. Dubrauius lib. 23.



## THEOLOGIÆ, SACRARVM LITERARVM CVLTVS, STVDIVM, AMOR.

*Conſule Tit. Theologorum. cùm Theologiæ Chriſtiani omnes, ſed inprimis illi, qui alios docere uolunt, incumbere debeant.*

Res omnes, quò exactiùs cognoſcūtur, eò magis fores ad ingreſſum intelligendi numinis aperiunt, nēpe cauſam ſupremam ex effectis: quod eſt cognoſcendi genus captui mētis noſtræ accommodatiſſimū. Sic perueniſſe ABRAAMVM ad inueſtigationē Dei, ſcribit Philo Iudæus. Nam ex cœlis atq; elemētis, ex ſempiternis motibus, ex ordine inuariabili, ex ſtata ratione annorum & temporū, aſſecutus eſt profectò, eſſe ſapientiam aliquam, à qua iſta omnia tam certa & conſtantia regerentur. Ergo illam ipſam quæſiuit & coluit, abiectis ſpretisq́; deorū inſaniis, quos ipſe ſibi homo erat fabricatus, ut opus ſuum adoraret ipſe auctor. Baſilius Magnus MOSEN tradit à cognitione Aegyptiarū diſciplinarum ita mentem exercuiſſe, ut perueniret ad contemplationem τοῦ ὄντος. Hac de cauſa ſanctus Vates canit, cœlos enarrare gloriam Dei, & opera manuum eius annunciare firmamentum. Et Paulus inuiſibilia Dei per uiſibilia intelligi. Ludouicus Viues de Tradendis diſciplinis, lib. 1.

PAVLVS relictis Athenis uenit Corinthum, & Aquilæ Priſcillæq; hoſpitio uſus, artem ſcenofactoriā cum illis exercuiſſe dicitur: Sabbatis uerò in ſynagoga diſputationes inſtituiſſe. Hinc ipſemet quidem ad Corinthios ſcribens: Laboramus, inquit, operantes manibus noſtris. Et ad Theſſalonicenſes: Non otioſi fuimus inter uos, neq;, gratis panē manducauimus ab aliquo: ſed in labore & fatigatione nocte & die operantes, ne quē ueſtrûm grauaremus, non quaſi non habuerimus poteſtatē, ſed ut noſmetipſos formā daremus uobis ad imitādum nos. Nam cùm eſſemus apud uos, hoc denunciabamus uobis: quoniam ſi quis non uult operari, nec manducet. Marulus lib. 3. cap. 4.

Legimus in Act. Apoſt. c. 8. Aethiopem EVNVCHVM reginę Candacis, tantū habuiſſe ſtudium ſcripturarū & legis Dei, ut in uehiculo legeret; & ad orandum Dominū in templo eius ueniret Hieruſalem. Vnde talis fides digno præmio coronatur, & mittitur ad eum Philippus Euangeliſta, ſtatimq́; docetur, credit, baptizat, & ſaluus eſt. Hierō. in c. 1. Sophon.

PAVLA Romana ſcripturas ſanctas tenebat memoriter. Et cū amaret hiſtoriā, & hoc ueritatis diceret fundamentum: magis tamen ſequebatur intelligentiam ſpiritualē: & hoc culmine ædificationem animæ protegebat. Compulit illa D. Hieronymum, ut Vetus & Nouum inſtrumentum, cum filia, ſe diſſerente, perlegeret. Quod propter uerecundiā negans, propter aſſiduitatē tamē & crebras poſtulationes eius pręſtitit, ut doceret quod didicerat ab illuſtribus eccleſiæ uiris. Sicubi hæſitabat, & neſcire ſe ingenuè cōfitebat, nequaquam ei acquieſcebat: ſed iugi interrogatione cogebat, ut è multis uariisq́; ſentētiis, quæ ei uideretur probabilior, indicaret. Hieron. in epitaphio eius.

FABIOLA Romana feruore ſummo & ſtudio intenta erat diuinis uoluminibus: & ueluti quandam famem ſatiare deſiderans, per Prophetas, Euāgelia, Pſalmosq́; currebat: quæſtiones & proponens, & ſolutas recondens in ſcriniolo pectoris ſui. Nec uerò ſatiebat audiendi cupidine, ſed addens ſcientiam, addebat dolorem: & quaſi oleum flammæ adiiceret, maioris ardoris fomenta capiebat. Quodam die cùm in manib. Moſis Numeros teneremus, & me (inquit D. Hieron.) uerecundè rogaret, quid ſibi uellet nominū tanta congeries: cur ſingulæ tribus in aliis atq; aliis locis uariè iungerentur: quomodo Balaam ariolus ſic futura Chriſti myſteria prophetarit, ut nullus propemodū prophetarū tam apertè de eo uaticinatus ſit: reſpondi ut potui, & uiſus ſum interrogationi eius ſatisfacere. Reuoluēs ergo librum, peruenit ad eum locum, ubi catalogus deſcribitur omniū manſionū, per quas de Aegypto egrediēs populus, peruenit uſque ad fluenta Iordanis. Cumq; cauſas quæreret, & rationes ſingularum: in quibuſdā hæſitaui, in aliis inoffenſo cucurri pede, in pleriſq; ſimpliciter ignorantiā confeſſus ſum. Tunc uerò magis cepit urgere, & quaſi non mihi liceret neſcire quod neſcio, expoſtulare, ac ſe indignam tantis myſteriis dicere. Quid plura? Extorſit mihi negandi uerecundiā, ut propriū ei opus huiuſmodi diſputatiunculæ pollicerer. Ibidem.

ALFONSVS Aragonius gloriabatur, quatuordecies utrunq; Teſtamentum cum commentariis à ſe perlectum. Anton. Panorm. lib. 1.

FRAN. Petrarcha annoſior factus, ſacris literis incubuit, in qbus ſenſit non paruam dulcedinē abditam, quam aliquando contemſerat. Hier. Squarzaficus in eius uita.

RODOL. AGRICOLA Friſius, quum iam in ipſo uigore ætatis non procul à XL anno abeſſet, & eruditionis eloquētiæq́; gloria, per Germanias, Gallias & Italiam, ab optimis quibuſq; celebraretur: non ignorans illud Platonis, Omnē ſcientiam magis obeſſe ꝙ prodeſſe, ſi deſit ſcientia optimi: magno animi ardore ſeſe ſacris literis addixit. Has nocturna, has diurna uerſare manu, delicias ſuas ducebat: in ſolis his uenam ſcientiæ & intellectus, imò fontem aquę uiuę ſalientis in uitam æternam, ſe reperiſſe gloriabatur. Cumque ad ſacras literas penitiùs intelligendas, ſanctæ Hebreæ linguæ cognitionē neceſſariam eſſe uideret, nactus Iudæū, huius linguæ utcunq; peritum, paucis menſibus tantum promouit, ut aliquot pſalmos Dauidicos in Latinam linguam feliciter uerterit. Gerardus Nouiomagus in eius uita.

CHRISTOPHORVS Longolius Theologiā & eos ſcriptores, qui de diuinis rebus tractant, omni ętate coluit, idq; putauit hominis eſſe Chriſtiani, non in ſenectutē, ut maxima pars hominū facit, hoc ſtudium differre, ſed quotidie addiſcendo in eo, quanquā lentiùs id fieret, aliquid tn̄ procedere. Hoc autem modo ipſe & Græcos & Latinos plurimos, quos maximè in rerum diuinarū explicatione excellere putauit, diligēter euoluit. Cauſam Lutheranā, cui⁹ oppugnationem iuſſu Leonis X. pont. max. à quo etiā commentarij totius cauſæ miſſi ad eum fuêre, ſuſceperat, quinq; orationibus cōplecti ſtatuerat, breuiq; perfeciſſet (excogitatis iā ſecum, quæcunq; in tali cauſa dicēda forent) niſi prima ſtatim abſoluta, mors cōſilium eius præueniſſet. Auctor uitæ.

ODIVM ET CONTEMTVS.

*Hæc omnia ferè Atheorũ exempla referri poſſunt. quòd qui Deũ tacitè contemnit, apertè etiam uerbũ diuinum uel uiua uoce traditum, uel ſcripturis ſacris comprehēſum, floccipendat.*

## MAGIÆ CVLTVS. NIMIRVM

### STVDIVM ET AMOR.

SAVLVS rex ariolos & diuinos ex finibus Iudæorum ſuſtulerat. Cæterùm urgentibus eum bello Palæſtinis, cùm conſultus per ꝓphetas & ſacerdotes Deus non reſponderet, Saulus à Domino deſertus, ad dæmonem confugit, & mutato habitu Pythoniſſam quandam Endore conuenit, petens, ut ſibi Samuelis prophetæ ante biennium defuncti manes exciret. Paruit illa, & Samuelem excitauit. Saulus honorem ei pronus exhibuit, & de pugnæ euentu conſuluit: Samuel uerò irato uultu, Quid me inquietas, cùm Deus te dereliquerit propter inobedientiam tuam? Tu tuiq; liberi cras mecũ eritis, caſtris Iſraelitarum Palæſtini potientur. Saulus exanimis ad terram concidit; donec à ſaga illa cibo uel inuitus fuit refectus. 1. Reg. 28.

EVCHETÆ & GNOSTICI hæretici nefanda ſacrificia perpetrare dicuntur, ut dæmonia toto cōcipiant pectore. Conueniunt die, quo paſſus eſt Saluator, ueſperè ſtatutum in locum, unà cum puellis ſibi notis: & poſt quędam ſacra extinctis luminibus, miſtim congrediuntur ſiue cum ſorore, ſiue cum filia, ſiue cum qualibet. Nono rurſus menſę reuertuntur, puellasq; accerſunt, & infantes iam natos ab his auellunt, perq; totum corpus pueros circumcidunt, & circumfuſo ſanguine phialas implent, corpora cremant, cinerem cum ſanguine miſcent. Hoc condimento epulas & pocula condiunt, tum ſua inter ſe, tum aliorum clàm quorumcunque poſſunt. Exiſtimant enim hoc ſacrificij & alimenti genere, tanquã maximè profano, characterē diuinũ nobis impreſſum, ac dæmonia procul arcentē penitùs aboleri, itaq; dæmonia liberiùs ingredi. Gnoſticis (ut Irenæus atteſtatur, uir & Chriſtian⁹ & erudit⁹) ꝑbuit incunabula Carpocrates.

AEGYPTII regios pueros pręcipuè magicis artibus inſtituebant. Moſen certè in omni Aegyptiorum ſapientia inſtitutũ ſacræ perhibent literæ. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 25.

M. Tullius in Diuinationibus, neminem apud PERSAS regio potiri faſtigio ſcribit, qui priùs magicã non imbiberit ſcientiam. Et Poſidonium ſequutus Strabo, eſſe Parthorum duplex cōcilium ſcribit: unum quidem συγγενῶν, id eſt, nobiliũ, ut ipſe interpretor: alterum uerò nobilium & magorũ. Ex utroq; quorum reges allegere conſueuerint. Cælius lib. 9. cap. 23. Antiq. Lect.

PAVSANIAS Spartanorum rex, Cleonicę Byzantię uirginis à ſe per imprudentiam occiſæ manibus exagitatus, quietis conciliandę cauſà omnes Pſychagogos & necromãtas adiit, ſi mali expiationem inuenire poſſet. Plut. in Cimone.

A CN. Pompeio Magno ſtabat Romanum imperium, Principes & Reges quiq; potentiſſimi cum legionib. triginta aduerſus Cæſarianas legiones quinq; aut ſex, eò anguſtię adductas, ut interirent fame, & mari infeſto atq; oppidis circumcluſæ eſſent, quando prælium conſertum eſt. Veruntamen placuit Pōpeio antè accerſi Magos, & Arcas illa Erichthō peritiſſima illius ętatis ſaga (ut apud Lucanũ legimus) ad ipſum adducta eſt.

ARIOVISTVS rex Germanorum (quorũ copiæ ex quadringentis fermè hominum millibus conſtabant) ſagas Germaniæ conſuluit de belli euentu. Cæterùm à Cæſare funditùs euerſus eſt, irridente ſagas. Bodinus lib. 3. Dæmon. c. 4.

NERONI Imp. nō citharæ tragiciq; cãtus libido maior fuit, quàm Magiæ, fortuna rerum humanarum ſumma geſtiente in profundis animi uitiis. Primumq; imperare diis cōcupiuit, nec quicquam generoſius uoluit. Nemo unquam ulli artium ualidiùs fauit. Ad hæc non opes defuere ei, non uires, non diſcendi ingenium, aliaq; non patiente mundo. Immenſum & indubitatum exemplum eſt falſæ artis, quã dereliquit Nero: utinamq; inferos potiùs & quoſcunq; de ſuſpicionibus ſuis deos conſuluiſſet, quàm lupanarib. atque proſtitutis mandaſſet inquiſitiones eas: nulla profectò ſacra, barbari licèt feriq; ritus, non mitiora quàm cogitationes eius fuiſſent. Sęuius ſic nos repleuit umbris. Plin. lib. 30. cap. 2. Naturalis hiſtoriæ. Teridates certè Magus ab eodem ingenti pecunia & Armeniæ regno donatus eſt, dum ea docet facere, quæ fieri nequeunt. Cardanus de Subtilitate, libro de Artibus. Sed & Simoni mago ſtatuam poſuit tanquam Deo ſancto.

ADRIANVS Imp. ſupra omnia magicarum artiũ ſtudioſus fuit, adeò ut ſacris magicis uteretur, & per magicam uanitatem plura inquireret. Cuſpinianus.

Didius IVLIANVS, Saluij Iuliani Iurecos. pronepos, cũ poſt mortem Pertinacis, ipſe à ſenatu Romæ, Seuerus ab exercitu in Syria, Peſcennius Niger in Illyrico, & Clodius Albinus in Gallia, Imperatores appellati eſſent, nec Iulianus Seuero reſiſtere poſſet: fruſtra ad magicas artes, adhibito puero, q in ſpeculo futura intueretur, confugit, ut eſt apud Capitolinum, Spartianum, & Volaterran. lib. 23. Anthrop.

ANTONINVS Caracalla magiæ deditus ac goetiæ, Apollonium Tyaneũ amplexabatur plurimùm, illi etiã heroo ſubſtructo, ut ſcribit Dion. Etiam ſi, ut in Epitome legimus, μάγον ἦν ἀσεβής. Cælius lib. 17. c. 13. A. L.

HELIOGABALVS Imp. arte magica ac ſuis incantationib. cùm aliorum multorum, tum potiſſimùm Seueri parentis ſui atq; Commodi animas ab inferis euocauit, qui futura ei prædicerent. Apollonium Tyaneum Cappadocem, qui floruerat Domitiani temporibus, laude & honorę affecit, eiq; monumentum faciendum curauit. Dion, & Xiphilinus.

Conſtantius Imp. cùm bello premeret Perſico, ad fratris Conſtantis interfectorem MAGNENTIVM tyrannum præmiſit, ne Roma ciuili bello iterũ uexaretur, Gallias cōcedens, ſi arma deponat. Magnentius ſperans uincere, non paruit, à maga firmatus, quæ uictoriam promiſit carminib. & ſacris profanis, ſi uirginem iugularet, & cruorem uino miſceret, ac militibus potandum præberet: quod Barbari immanes facere ſolent, cùm aliquid ſecretius agunt. Sed uictus eſt tyrannus, magnis copiarum uiribus. Cuſpinianus.

MAXENTIVS, grauidas, maximè uerò Chriſtianas, funeſtis ſacris aperiebat, infantum cineribus uſurus, tyrannidis per nefas ſeruandæ ſpe. MAXIMINVS ſimiliter in Oriēte uetitarum artium doctorib. præmia etiam decreuit, auguriis ac diuinationib. fidem præſtans. Chriſtianis hęc omnia contemnentibus infeſtiſſimus. Platina.

Iuſtinus in Apologia altera ad Antoninum Pium queritur de ſtatuę Simonis Magi cultu, à ROMANIS inſtituto, his uerbis: Simon quidam Samaritanus, ex uico, qui Triton dicebatur, qui Claudio Cæſare regnante, cùm arte dæmonum magica opera edidiſſet, in regia ueſtra urbe Romà deus iudicatus eſt: ſtatuæq; honos ei, ut Deo, à uobis decretus eſt: eaq; ſtatua in Tiberi, inter pontes duos erecta eſt cum hac Latina inſcriptione, Simoni Deo ſancto. Omnes ferè Samaritani, & aliarum etiam nationum non pauci, eum tanquã primũ Deum profitentes, colunt atq; uenerantur: Helenãq; quandã, quę cũ eo peregrinata eſt, primũ in tecto ſtatuerũt, deinde eius notitiã primã extitiſſe ferunt. Eadē & Irenæus de Simonide teſtatur lib. 1. aduerſus hæreſes Valentini c. 20.

Cùm Conſtantius Gallum in Oriente Cæſarē feciſſet, IVLIANVS in ſpem potiundi Imperij uenit. Diſcurrebat autē per Græciam, & quęrebat uates & ariolos, eoſq; conſulebat de rerum euentu. A quodam in ſimulacrorum adyta introductus, inuocat dęmones: apparuere ſubitò forma atra & horrenda. Iulianus metu perculſus, illicò frontē ſignauit cruce. Dæmones ſubitò diſparēt, Dominici trophæi & ſuæ ſtragis memores. Sed præſtigiator Iulianum confirmans, cùm ille uim crucis admiraretur, dæmones non ob crucem euanuiſſe, ſed odio facti, reſpondit. Theodoretus lib. 3. c. 3. Sozomenus lib. 5. c. 2. At Sab. lib. 8. En. 7. ut homines, ita dęmones id genus ſupplicij horrere, magũ reſpondiſſe ſcribit. Imperator factus, credebat palingeneſi Pythagorica animam Alexandri Magni ſeſe intraſſe, Libanij, Maximi & Iamblichi philoſophorum perſuaſionib. Magicis ſuperſtitionib. plurimùm operabatur. Poſt illius mortem Antiochiæ, & Carris Meſopotamiæ, plurimæ arcæ cum capitib. & caluariis ſunt inuentæ. Carris etiam in quodam templo muliebre cadauer uiſum, extenſis manibus, appenſumq; capillis, ex cuius iecore uictoriam Perſicam rimabatur: multaq; alia ſuperſtitione pleniſſima comperta ſunt. Ob huius uanitatis ſtudiũ, uulgò Victimarius uocabatur. Theodoretus lib. 3. c. 26. & Paulus Diaconus in Iuliano, lib. 11. Nicephorus lib. 10. c. 35.

VALENS Imp. Arianus, cùm ex magicis uanitatibus intellexiſſet poſt ſe regnaturum, cuius nomen à litera Θ incoaret, omnes interfici iuſſit qui hanc literã ſuo nomine gerebant, Theodoros, Theodotos, Theodulos, & quendam uirũ fortem ex Hiſpania Theodoſium, patrem eius qui pòſt regnauit Theodoſij. Quare territi plures ſua nomina inuerterunt. Fertur autem ea diuinatio facta fuiſſe per Libanium ſophiſtam, & Procli diſcipulum Iamblichum. Cùm plures eſſent interfecti, iuſſit tandem Valēs diuinationis huius auctores inquirere. Iamblichus ſumto ueneno uitam exuit. Socrates, libro quarto, capite decimonono: Sozomenus libro ſexto, capite trigeſimoquinto. Paulus Diaconus libro duodecimo, Zonaras Tomo 3.

D. Chryſoſtomus in 2. ſermone de Lazaro, oſtēdit multos ſimplices HOMINES in hoc errore fuiſſe, ꝙ putarint animas uiolentà morte decedentium, dæmonas fieri. Addit, diabolum multis maleficis, ipſiq; inſeruientibus, qui in hoc errore fuerunt, perſuaſiſſe, ut tenera multorum adoleſcentum corpora trucidarent, ſperantes futurum, ut fierent dæmones, & ipſis interirent.





Zonaras Annalium Tomo tertio recitat; ſub ANASTASIO Imp. Manichęo, Mago, homine ſceleratiſſimo, ſimulacrum æneum Fortunæ urbanæ muliebri ſpecie, quod alterum pedem in naui ante ſe poſita ænea & ipſa haberet, alicubi in urbe Conſtantinopolitana ſtetiſſe: cuius nauis uel uetuſtate corruptæ, uel per inſidias contuſæ, fragmenta quædam ablata fuerint. Ex eo naues onerarias Byzantium ampliùs non appuliſſe: ſed cùm propè acceſſiſſent, uiolentia uentorum repulſas eſſe: ac niſi longæ naues, multis concitatæ remigibus, ſarcinas in urbem peruexiſſent, populum fortaſſis fame periturum fuiſſe. Quę res cùm ad tempus duraſſet, curæ fuit magiſtratibus: cauſſaque mali à mago quodam ſolerti coniecturà indagata, fragmentis nauis illius æneæ ſtudiosè conquiſitis, & in ſuum locum reſtitutis, expeditã nauigationem & mare nauigiis repletum fuiſſe. Vt autem certò ſcirent, illud appellendis nauibus obſtitiſſe, denuò ſublatis fragmentis, quæcunq; naues tum appellerent, iterum ui uentorum reiectas fuiſſe. Ea re comperta, nauem illam magno adhibito ſtudio eſſe renouatam.

ALEXANDER Imp. Leonis V. frater, cùm magicis eſſet deditus uanitatibus, erant pręſtigiatores, qui uanis admonitionibus aures eius opplebant, longæuam illi promittentes uitam, potiſſimùm ſi porco, qui in theatro eregionè leonis ſtabat ex ære, dentes & pudenda apponeret. Quo ænigmate inſaniã Imperatoris notabant, qui uentri deditus, æreis indigere uidebatur (ob continuam crapulam) dentibus: & peni ob laſciuiam indulgens, porco ſimilior quàm homini erat, omnem intemperantiam ſibi iure quodam uendicans. Sed ſtupidus hic rex & porco fœdior, dictis fidem habens, quæ porco deficiebant ex ære addi iuſſit. Cuſpinianus.

LEO filius Baſilij Macedonis Imperator à parēte deſignatus, à Theodoro quodam Santabareno mago perſuaſus, pugionem ſecum tulit in caliga uenatum abiens. Magus parēti clàm indicat, filium inſidias ei ſtruere, & pugionem occultum ſecum ferre. Baſilius calumniatori fidē habens, pugione reperto, filium in carcerem duci curauit. E quo Senatus ſua interceſſione uix eum liberauit. Zonaras tomo tertio.

PERGAMENSES ſuaſu cuiuſdam Magi, cùm eſſent obſeſſi à Saracenis, ſub Theodoſio grauidam mulierem inciderunt, infantem coxerunt, eo cruore dexteras manicas tinxerunt, opinantes ſe feliciùs pugnaturos. Paulus Diaconus libro uigeſimo rerum Romanarum.

ANDRONICVS Comnenus tyrannus Sethum Magum, oculis à Manuele Imp. priuatum, conſuluit de ſucceſſore & inſidiatore. Sub initium Septembris, dæmon in turbidis aquis literam Sigma, deinde Iota oſtendit. Andronicus hiſce Iſaurum denotari putauit, Iſaacium ſcilicet Cōnenum, Manuelis Imp. nepotem ex fratre, qui ex Iſauria ueniens Cyprum tyrannide inuaſerat. Facta etiam de tempore quæſtione, ſpiritus cum ſtrepitu in aquam illapſus, Intra exaltationem crucis, reſpondit. Ergo uanum, inquit, Andronicus, eſt iſtud oraculum. quî enim Iſaacius intra tam paucos dies, Cypro aduenire, meque imperio exuere poterit? Proinde uaticinium penitùs neglexit. Cùm autem quidam dixiſſet: Iſaacium Angelum è medio tollendum, ne fortè oraculo ad illũ pertinente, ipſi longinqua imaginarentur, iis, quæ ante pedes eſſent, neglectis: ne ſic quidem diuinationi aſſenſus eſt: Iſaacium Angelum, ut mollem & ignauum hominem contemnens. A quo tamen paulò pòſt, & uita & imperio priuatus eſt. Nicetas lib. 2.

Iannes præceptor THEOPHILI Imp. diuinatione per peluim uſus, ſucceſſorem Imperatori perſpicuè demonſtrauit. Cedrenus.

EVPHROSYNA Alexij Angeli Imp. Byzantini uxor, cùm futura cognoſcere uellet, in nefarias diuinationes incumbebat, & multa illicita peragebat. Itaq; ænei apri Calydonij roſtrum præcidit, qui ſetis horrentibus & exertis dentibus leonem in Hippico inuadere conſpiciebatur: & inclytum Herculem, pulcherrimum Lyſimachi opus, qui leoninę pelli incumbens, capite in manum inclinato ſuas fortunas deplorabat, multis uerberibus affecit. Neq; hoc contenta, aliarum quoq; ſtatuarum partes aliquas mutilabat, nonnullis capita malleis contundebat. Vnde quidam ex circumforaneis, aues humanarum uocum imitatrices ſedulò edocuerũt, ut in triuiis & angiportubus uulgari uoce canerent, Politicam iuſtitiam, πολιτικὴ τὸ δίκαιον. Nicetas libro tertio.

Paulus Venetus libro 3. cap. 17. rerum Orient. auctor eſt, in regno Dragoiam MAGOS ſolere ad ægrotos uocari. Qui ſi dæmonum oraculo captato hominem moriturũ affirmarint, propinquos ſine mora ægro os cōcludere, quoad ſuffocetur: carnes deinde illius conciſas deuorare: piaculum magnum exiſtimare, ſi cadauer à uermibus corrumpatur: oſſa in montium cauernis condere.

Apud OSTROGOTHOS lacus eſt maximus, Veter dictus, amœnam ſed oblongãm inſulam in umbilico ſuo habens, duas tenentem eccleſias parochiales: ſub quarũ altera ſpecus cauernoſo longoq; introitu, & exitu immenſæ profunditatis reperitur: in quam Magiæ ſtudioſi cereis accenſis, filoq; glomerato errores dirigente, deſcendunt: ut quendam Gilbertum nomine, magum inſignem, conueniant, qui illic iam olim per proprium præceptorē Catillum, cui inſultare præſumſerat, ſuperatus atq; ligatus eſt. Nam exiguo fuſte certis characterib. Gothicis ſeu Ruthenicis inſculpto à præceptore proiecto, & manibus apprehenſo, Gilbertus immobilis manſit. Multi olim ad has præſtigias uidendas deſcendêre ſummo cũ periculo. Deinceps legib. cautũ, ut qui uel deſcenderent, uel deſcenſum aliis ſuaderent, iiſdē pœnis obnoxij eſſent, quibus illi, qui mortē ſibiipſis inferrent. Os pręterea ſpecus ſaxis obſtructum eſt. Olaus Magnus lib. 3. c. 20.

Graſſante bello inter reges Daniæ & Succiæ anno 1563. ex caſtris Danicis ſcriptũ eſt, ERICVM Succiæ regem inter ſuas copias circumduxiſſe quatuor uetulas Lamias, quæ carmine omnem Dano præpedirent uictoriam, ut nullum poſſet hoſti facere damnum: & ſi qui à Succiæ rege çingerētur obſidione, redderentur imbelles, atq; in deditionem proni. Vnam ex his Lamiis Comes à Schvuartzēburg Gunthardus, dux excercitus, cepit & exuſſit. Circa uias in puteis & locis aquoſis limoſiſq; inuenta longa fila, quibus ligneæ cruces multæ, aliiq; characteres appēſi erãt. Si uera eſt hiſtoria (inquit Vierus lib. 2. cap. 33. de Præſtig. dæm.) grauiter utrinque peccatum eſt, cōtra manifeſtum Dei mandatum: à Suecis, ꝙ uetitam opem accierint: à Danis uerò, quòd ſibi à magicis illis præſtigiis & dæmonum ludibriis timuerint. Cæterùm rex Succiæ poſt annos quatuor à ſubditis interceptus, dignitate ſpoliatus, & in uincula coniectus eſt. Bodinus lib. 1. Dæmonomaniæ, cap. 5.

[redacted]

### ODIVM ET CONTEMTVS.

*Conſule Tit. Magiæ fructus.*

HIPPOCRATES libro de Morbo ſacro magos deteſtatur, qui iactabant Lunam ſe detracturos.

Anno Vrbis 657. Cn. Cornelio Lētulo, P. Licinio Craſſo Coſs. ſenatuſconſultum à ROM. factum eſt, ne homo immolaretur, cũ palã in tēpus illud ſacra prodigioſa celebrarētur. TIBERII Cæſaris principatus ſuſtulit Druidas, Gallorũ magos atq; uates, humanis gaudentes uictimis. Plin. lib. 30. c. 1.

M. CATO ſalubriter admonet, ne uillicus ariolum cōſulat, ne aruſpices ſagaſq; admittat: quoniã hæc hominum genera uana ſuperſtitione rudes animos ad impenſas, ac deinceps ad flagitia facilè cōpellunt. Polyd. c. 7. lib. 7. de Rer. inuent.

Quamuis Saga quædam, nomine Martha, C. Marij temporib. Cimbrico bello certiſſimam in hoſtes uictoriam iis modis, quos ſe tenere aiebat, polliceretur: eam tamen SENATVS noluit adhiberi. Dion, & Plut. in Mario.

CLAVDIVS Cæſar equitem Rom. ē Vocontiis, quòd in lite in ſinu ſerpentis ouum uictoriæ litium cauſa habere deprehenſus eſſet, interfici iuſſit. Plin. lib. 29. c. 3. & Tacitus.

In Caracalla prodit Spartianus, damnatos ROMÆ, qui tertianis & quartanis amuleta collo propendentia geſtarent. Cælius lib. 9. cap. 23. Antiq. Lect.

ROMANI eos capitali ſupplicio affecere, qui furem ſolùm magicis artibus retexerant, dum adhuc à fide Chriſti alieni eſſent, ne fidem iſtis artibus habere uiderentur. Extat l. item apud Labeonē. §. ſi quis aſtrologus, de iniuriis. ff. Bodinus lib. 3. Dæmon. cap. 5. Et nō pudet iudices quoſdam Chriſtianos magicis artibus magos explorare.

Olim Gothi ex Scãdiana inſula cum ſuo Rege Berico egreſſi, tandē ſub Filimero, quinto poſt eum exitũ Rege, ad Mæotidem paludem peruenerũt. FILIMERVS noui regni in illis terris fundator, operæpreciũ iudicabat auſpicia ſui imperii à morum correctione inchoare: factaq; de morib. inquiſitione, reperit in populo ſuo quaſdam magas mulieres, patrio ſermone Adelrunas appellatas: eaſq; de maleficio conuictas, in remotas Scythiæ ſolitudines abire coëgit, ne earũ cōmercio reliqua gens contaminata, in nefarias operationes procliuis laberetur. Bonfinius lib. 1. Decad. 5.

Anatolius magnus pręfectus prætorio, ANTIOCHIÆ in amicitiam Gregorij eius loci epiſcopi ſeſe inſinuauit, eoq; aliquandiu uſus eſt familiariter. Comprehenſus cum ſociis, execranda ſcelera arte magica perpetrata cōfeſſus eſt. Cùm autem pecunia præfectũ Orientis corrupiſſet, & iam dimittendus eſſet: populus per delationes quorundã, quaſi Gregorius epiſcopus in ſacrificiis Anatolio cōmunicaſſet, inflãmatus, ſeditionem mouit. Ad Imperatorē Tiberiũ Conſtantinopolim res delata, lataq; ſentētia, de exilio multãdis iis, qui Anatolio addicti fuiſſent. Ea cùm Antiochiæ promulgata eſſet, ANTIOCHENI denuò tumultu cōcitato, maleficos illos ad exilium damnatos naui impoſitos uiuos exuſ-

ſere, Imperatorem tanquam proditorem accuſauere. Anatolius beſtiis in amphitheatro obiectus, & corpore diſcerpto cruci affixus, à lupis deuoratus eſt. Euagrius libro quinto, capite 18.

Greg. Turonenſis ſcribit, Mummonem magum præfectũ prætorio in tortura uerſantem iuſſiſſe nunciari CHILDEBERTO regi, ſe omnis doloris expertem eſſe. Tunc mandaſſe regem, ut diſtenderetur trochleis, & aculeis inter ungues pedum manuumq; poſitis, ita in diuerſum traheretur. Quod genus quæſtionis omnium ualentiſſimũ apud Turcos obſeruatur: non enim diſrumpuntur mẽbra, ſed nullo negotio ob dolores grauiſſimos citò extorquetur ueritas. Bodinus lib. 4. Dæmon. c. 1.

MAHOMET Aben Thaulon, Sangiach Aegypti, nuper cremari iuſſit crocodilum plumbeum portæ cuiuſdam ædis in Aegypto ſubditum, quia ſe hoc pacto incolæ à crocodilis tutos eſſe cogitabant. Bodinus lib. 3. Dæmon. c. 5.

PRÆFECTVS quidam Hoſij deprehenſus in ſinu ferre ſecundinã infantis nuper nati, ſibi datam à quadam muliere, ad auertendum eisq; os occludendum, qui aduerſus eum dicere conarentur: à PATRIBVS ſextæ ſynodi in Trullo execratus fuit. Theod. Balſamon.

Ludouicus Andegauenſis, anno 1382. Neapolim urgebat, cùm in exercitu haberet lectiſſima uirorum XXX millia. Neapolitani urbis & arcis cõmoditate freti, apertis portis per ludibrium hoſtem expectabant. Rumor increbuerat, caſtellũ Oui non niſi arte magica expugnari poſſe. Accedit Magus quidam Andegauenſem, aëreum pontem è litore in arcem ſeſe ſtraturũ confidenter pollicens, per quem Galli irrumpentes, modò ne crucis ſignaculo conatũ ſuũ turbarent, arce potirentur. Reliquis iuueniliter conſiliũ approbãtib. COMES Sabaudus hominẽ ad ſe accerſit, & pollicitationis ſuę certitudinẽ cõſimili facto confirmantẽ, quòd Carolo Pacifico, domino ſuo, qui nunc obſideretur, nõ multo antè ſimili arte arcẽ tradidiſſet, imaginaria maris exundatione intra arcis mœnia irrumpentis Ioanna regina & Othone Brunſuicenſe ad deditionẽ cõpulſis, acerbis uerbis de proditione accuſauit, adeoq; ut hoſtib. certò cõſtaret, uirtute nõ fraude magica Gallos niti, accito carnifice capite multari curauit. Io. Froiſſardus lib. 2. c. 89.

## DIVINATIONIS STVDIVM. RESPECTV ARTIS. TVM QVO AD COGNITIONEM.

*Præceptis ſtudendo.*

Legimus LYDAM gentem uel cum primis augurioſum, omninoq; diuinationum ſuperſtitionibus fuiſſe mancipatã. Cælius lib. 20. cap. 14. A. L.

In TELMESSO, Cariæ urbe, claruit aruſpicũ diſciplina.

TYRRHENI rerũ naturaliũ inueſtigationi, ac theologiæ plurimo tẽpore impẽſo, præ cæteris in fulminũ interpretatione uerſati ſunt: adeò ut uniuerſus fermè orbis olim iis fulminũ interpretibus uſus ſit. Diod. lib. 5. c. 9. Rerum antiq.

Si quis maiora, quàm pro ſapientia humana uellet adſequi, ei dabat hoc conſilij SOCRATES, ut diuinationi operam daret. Etenim aiebat eum, qui ſciret quibus indiciis dij hominibus aliquid ſignificent, nunquam à conſilio diuino deſtitui poſſe. Xenophon lib. 4. Memorabilium.

*Libros comparando, curando.*

Quænam fuerit Sibylla, cuius carminibus fata ſua ROMANI ſollicitè rimabantur, requiſiſſe M. Varronem ferunt. Multi Cumanã putãt, ut Verg. qui eam uocat Deiphoben Glauci filiam. Glaucus uates fuit, qui artem Apollinẽ ipſum docuit. Niſi quis Deiphilem malit dicere: nam & hanc aiunt libros attuliſſe ad Tarquinium Priſcum, quos ipſe in Capitolio condiderit, quam Solinus dicit quinquageſima Olympiade rebus Romæ interfuiſſe. Quod ſi ita eſt, regi Priſco uẽdidit libros, non Superbo. nam in quinquageſimã Olympiadẽ, uictore Olympiorũ Epitelide Lacone, & archonte Athenis Archeſtratide, incurrerũt & mors Priſci anno quarto, & initium regni Seruij generi eius. Ita congruentius eſt quod Varro & Suidas dicunt de Tarquinio Priſco, quàm quod alij de Superbo, ſi modò Solino conſtat ſua cõputatio. Viſebatur huius Sibyllæ ſacellũ Cumis. Sed Varroni non uidetur uerisſimile, uatem illam, quam Aeneas conſuluerit, potuiſſe pertingere Romana regna, etiã poſt quinq; reges: ideo Erythræam potiùs fuiſſe putat, quæ de Romanis cecinerit: quartò tamen eam Dionyſius facit conſultã ab Aenea. Varro etiã illo argumento utitur, quòd poſt incenſum Apollinis templũ, apud Erythræam Ioniæ ipſa inuenta ſunt carmina. Vergilius hanc eandem, ut puto, Cumæam uocat: nam ſicut Capella dicit, Cumis uaticinata eſt, Italicis credo: quippe ſunt & Cumæ Ionicæ, ubi & Erythræ. & Ariſtoteles in libello de Naturæ miraculis, ſpeluncam narrat eſſe Cumis urbe Italiæ, Sibyllæ domicilium, quã multi & Erythræã putant, incolæ Cumçam nominant, haud dubiè patriç fauore, aut certè de alia ſentientes. Non enim Vergiliana ea Cumana eſt, quæ libros Tarquinio uendidit, neque Vergilius affirmat. Sibyllini libri à Tarquinio emti, ad Cornelium uſque Syllam manſère incolumes: tunc enim incenſo Capitolio, ipſi pariter abſumti fuêre. Siti enim erant in Capitolini Iouis templo, in arca lapidea, loco ſubterraneo, magna cura ſtudioq; ſeruati. Tametſi ad Auguſti tempora ſuperfuiſſe, eosq; ſub Palatini Apollinis baſi conditos ſtetiſſe, Suetonius auctor ſit, ubi unà cũ Martiorum carminibus, & Bagoes nymphæ, quæ Thuſcis artẽ ſcripſerat fulguritarum, ſeruabantur. AVGVSTVS Cæſar cùm multa uana nomine Sibyllarum ferrentur, iuſſit conquiſita Samo, Erythræa, Ilio, Africa, & per Italicas colonias, carmina intra certum diem ad præfectum urbis afferri, & iudiciũ cenſuramq; quindecim uirorum adhiberi, ne haberi priuatim liceret, quod iam à maioribus erat cautum. Tacitus Lactantius ex Varrone: Capitolio refecto ex omnibus ciuitatibus, & Italicis, & Græcis, & pręcipuè Erythræis, coacti allatiq; ſunt Romã, cuiuſcũq; Sibyllæ nomine fuerũt. Et paulo pòſt: Feneſtella, inquit, diligẽtiſſimus ſcriptor, de quindecimuiris dicẽs, ait, reſtituto Capitolio retuliſſe ad Senatuſconſultum Curionem conſulem, ut legati Erythras mitterentur, qui carmina Sibyllæ conquiſita Romã deportarent. Itaq; miſſos eſſe P. Gabinium, M. Octaciliũ, L. Valeriũ, qui deſcriptos à priuatis uerſus circa mille Romam deportauerunt. L. Viues in lib. 18. de Ciuit. Dei, c. 3. & Alex. lib. 3. c. 16.

## EXERCITATIONEM.

*Ad Superſtitionem quoque hæc ipſa pertinent: licèt diuerſo reſpectu.*

### Obſeruando.

Cùm Cratetis filiam ORGILAVS Phalidis filius eſſet uxorẽ ducturus, & crater in libando medius caſu rumperetur: id in malum omen uertens, relicta ſponſa, cum patre ſe ſubduxit. Quibus cùm Crates paulo pòſt aliquantum ex ſacro auro ſubieciſſet: Orgilaum fratremq; eius indicta cauſa de rupe præcipitauit. Inde etiam amicos nonnullos eorum & neceſſarios in Prouidentiæ fano ſupplices trucidauit. Multa cùm eſſent huiuſcemodi inſecuta, necatis Delphis Cratete & ſeditioſis, ex eorum pecunia ſacra, appellata inferiora ſacraria exædificata fuere. Plut. in Præceptis politicis.

Cùm Pythius XERXEM regem Perſarum, quẽ cum toto exercitu hoſpitio exceperat, oraſſet, ut ex quinque liberis maximum natu ſibi relinqueret, qui ſe iam grauẽ ætate in re domeſtica adminiſtranda iuuaret: tulit id Rex iniquo animo, omẽ, ut credere par eſt, auerſatus: Pythioq; amariſſimis uerbis increpito, filium quem ſibi depopoſcerat in duas partes diſſectum, dimidium hoc ad dexteram uiæ, reliquum ad læuam ſtatui iuſſit, exercitumq; per hominem ita dimidiatum traduxit. Sabellicus lib. 2. En 3.

Cicero de Diuinatione primo ſic ſcribit: Quis rex unquam fuit, quis populus, qui non uteretur prædictione diuina, neq; ſolùm in pace, ſed in bello? Sed ROMANI in primis uſi ſunt, qui nihil in bello ſine extis agunt, nihil ſine auſpiciis domi habent. Coſs. certè mos erat, non committere præliũ niſi conſultis auſpiciis. Eius autem auſpiciis res geri dicebatur, penes quem ſumma rei gerendæ poteſtas erat. Romuli item legibus à primo ortu urbis cõſtitutum, ut ſi mancum quid editum aut monſtroſum fuiſſet, ſtatim à partu in flumen aut mare exponeretur. Alexander ab Alexandro libro ſecundo, cap. 25.

DEIOTARVS Galatarum rex peritus auſpicij, nihil unquã geſſit niſi auſpicatò. Cic. 1. de Diuinatione.

AVGVSTVS Cæſar auſpicia, & omina quædam pro certiſſimis obſeruabat. Si mane ſibi calceus perperàm ac ſiniſter pro dextro induceretur, ut dirum: ſi terra marìue ingrediente ſe longinquam profectionem, fortè roraſſet, ut lætum, maturique & proſperi reditus. Sed & oſtentis præcipuè mouebatur. Enatam inter iuncturas lapidum ante domum ſuam palmam, in compluuium deorum penarium tranſtulit: utque coaleſceret, magnoperè curauit. Apud inſulam Capreas, ueterrimæ ilicis dimiſſos iam ad terram, languentesq; ramos conualuiſſe aduẽtu ſuo, adeò lætatus eſt, ut eas cum republica Neapolitanorum permutauerit, Oenario data. Obſeruabat dies quoſdam, ne aut Poſtridie nonas quoquam proficiſceretur, nec Nonis quicquam rei ſeriæ incoaret: nihil in his quidem aliud deuitans, ut ad Tiberium ſcribit, quàm δυσφημίαν ominis. Somnia neque ſua, neque aliena de ſe negligebat. Philippenſi acie, quamuis ſtatuiſſet non egredi tabernaculum propter ualetudinẽ, egreſſus eſt tamen, medici Artorij ſomno monitus: ceſſitque res proſperè, quando captis caſtris, lectica eius, quaſi ibi cubans remanſiſſet, concurſu hoſtium confoſſa atq; lacerata eſt. Ipſe per omne uer, plurima, & formidoloſiſſima & uana & irrita uidebat: reliquo tempore rariora, & minus uana. Cùm dedicatam in Capitolio ædẽ Tonanti Ioui aſſiduè frequentaret, ſomniauit queri Capitolinum Iouem, cultores ſibi abduci: ſeq; reſpõdiſſe, Tonantem pro ianitore ei appoſitum: ideoq; mox tintinnabulis faſtigium ædis redimiuit, quòd ea ferè ianuis dependebant. Ex nocturno uiſu etiam ſtipem quotannis die certo emẽdicabat à populo, cauam manum aſſes porrigentibus præbens. Suetonius.

LAPONES uenationibus in maxima ferarũ copia ſunt dediti ſſimi. Nefas eſt mulierẽ exire tabernaculum, ianua qua uir eo die eſt ad uenationẽ profectus. Etiã religio eſt, ne manu contingat feram captam: ſed uir porrigit mulieri ueru præfixum, quãtum illi carnis impertit. Iac. Zieglerus in Scondia.



## Obſequendo, Parendo. Nempe ob diuinationem

*Magiſtratu cedere, abire.*

METELLVS homo patricius ſuburbanum ſuum petens, cædentes ſe inuicem alis coruos uidit. Augurij religione deterritus, Romam reuerſus eſt: ubi cùm Veſtæ templum incendio flagrare uideret, Palladium eripuit, & luminibus captus eſt. Ex Ariſtide Mileſio de rebus Italicis, Plutarchus capite 35. Parallelorum.

Q. FABIVS Maximus cùm rem diuinam feciſſet; concentus ſoricis auditus eſt. Quæ uox cùm diri aliquid portendere uideretur, ne deos offenderet, Dictaturæ honorem reſpuit. Valerius Max. lib. 1. cap. 1. At Plutarchus in Marcello, ad Minutium Dictatorem hoc refert.

C. FLAMINIVS ſacrificãs, cùm ſoricis uocem audiuiſſet, magiſter equitum eſſe noluit, ne reclamantibus diis honorem & potẽtiam amare diceretur. Valerius Maximus libro primo, capite primo.

P. CAELIVS propter exta parum curioſè aris admota, flaminio abire iuſſus eſt, monẽtibus id diris auſpiciis. Ibidem.

C. CLAVDIVS propter exta aris ſiniſtrè admota, flaminio ſimiliter abire iuſſus eſt. Ibidem.

ANDREAS Contarenus Venetorum dux creatus, præſagio quodam futurorum dignitatem adire recuſauit, conceſſeratq; ob idipſum in Patauinum agrum, tamdiu urbe abſuturus, quoad noua alterius ducis declaratio ſecuta eſſet. Sed cùm ab amicis moneretur, niſi decreto Patrum obſecundaret, publicatis omnibus bonis exilium ipſi imminere, Venetias rediit. Et ſanè conſtat, eo principe Remp. externis bellis uehementer iactatam, & in urbe magnoperè annona laboratum. Sab. lib. 4. Decad. 2.

*Sacra inſtaurare.*

Non modò auſpicia, ſed etiam ſacrificia, ludoſq; ſolennes ita obſeruarunt ROMANI, ut ob minimas ſæpè cauſas illos inſtaurarent & reficerent. Sacrorum uerò ceremonias tam ſanctè coluerunt, ut ex leui offenſione idem ſacrificium trigeſies inſtauratum, & denuò ac ſæpiùs procuratum fuerit. Alexan. lib. 2. cap. 26.

*Statuas euertere.*

EVPHROSYNA, Alexij Angeli Imp. Byzantini uxor, cùm futura cognoſcere uellet, in nefarias diuinationes incumbebat, & multa illicita peragebat. Itaque ænei apri Calydonij roſtrum præcidit, qui ſetis horrentibus & excitis dentibus leonem in Hippico inuadere conſpiciebatur: & inclytum Herculem, pulcerrimum Lyſimachi opus, qui leoninæ pelli incumbẽs, capite in manum inclinato ſuas fortunas deplorabat, multis uerberibus affecit. Neq; hoc contẽta, aliarum quoq; ſtatuarum partes aliquas mutilabat, nonnullis capita malleis contundebat. Vnde quidã ex circũforaneis, aues humanarũ uocũ imitatrices ſedulò edocuerunt, ut in triuiis & angiportubus uulgari uoce canerẽt Politicam iuſtitiam, πολιτικὸν τὸ δίκαιον. Nicetas lib. 3.

*Cædem committere.*

Priſcus MIDAS ex ſomniis certis exanimatus & perculſus, adeò afflicto animo fuit, ut hauſto cruore taurino necem ſibi ultrò conſciuerit. Plut. de Superſtitione.

Rex Meſſeniorum ARISTODEMVS bello, quod aduerſus Meſſenios gerebat, quòd canes luporum more ulularent, apud focum paternum ſuppullularet gramen, auerſarẽturq; ea oſtẽta fatidici, ſummiſſis prorſus animis, ac ſpe abſciſſa, ſemetipſe iugulauit. Idem.

*Pugnam, Prælium differre.*

PHILIPPVS Macedoniæ rex, cum T. Quintio Flaminio prælio decertaturus, caſu an urgente articulo præcipitantia, imprudens ſepulcrum, quod fortè extra caſtra excelſum erat, conſcẽdit: unde alloqui milites, ut fieri ante pugnam ſolet, & adhortari inſtitit. Illis ex eo omine ictis perculſus rex, abſtinuit eo die pugna. Poſtero die collatis ſignis octo millia ſuorum amiſit, & fuga uix elapſus, turpẽ à Quintio pacem accepit. Plutarchus in Flaminio.

ARIOVISTVS Germanorum Rex quadringentis hominum millibus inſtructus, cùm de die conflictus mulieribus Sagis haberet fidem, & inire prælium ante nouam Lunam ab illis uetaretur: Cæſar re (ut ſcribit) cognita, ſtatim commiſit prælium, atque ſuperauit. Bodinus lib. 1. Dæmonoman. c. 5.

*Iter intermittere.*

Cùm duce Pelopida exules Thebani ad Archiam tyrannum opprimendũ Athenis certo die, re cum iis qui Thebis erant compoſita, perſonati uenturi eſſent: Hippoſthenidas unus ex coniuratis, magnitudinem periculi æſtimans, per CHLIDONEM mandat Pelopidæ, rem in aliud tempus differret, & Athenas rediret, commodiorem opportunitatem expectans. Chlidon ad ſe domum perrexit, eductoque equo popoſcit frenum. Hæſitante uxore eius, cùm non eſſet ad manum, ferenteque cuipiam ſe id uni ex neceſſariis commodaſſe, iurgia primùm inter eos, mox maledicta & uerbera, imprecante muliere ei & aliis, à quibus mitteretur, infauſtum iter. Itaque cùm multum diei in his rixando conſumſiſſet, & uerteret caſum in omen Chlidon, depoſuit prorſus profectionem, atque ad alia ſe conuertit. Tantulum abfuit, quin maxima & pulcerrima cœpta ſtatim in limine deſtituerentur tempore. Pelopidas igitur cum ſuis ueſtitu aſſumto ruſticano, diſpertiti alij alia parte, urbem luce dubia occultè ingreſſi ſunt, & tyrannum temulentum oppreſſerunt. Probus in Pelopida.

HANNIBAL ex Italia domum reuocatus, ubi Africã in conſpectu habuit, gubernatorem ſciſcitatus, Ecque terræ oræ oculis occurriſſet? is Sepulcrum dirutũ reſpondit. Quam uocem ille auerſatus, Leptim curſum detorſit, ſexto decimo ſecundi Punici belli anno. Sabellicus lib. 5. Enn. 5.

### Conſulendo.

*Conſule Titulum Prophetarum & Vatum. item Titulos Oraculorum, Prædictionum, Auguriorum. item, Oraculorum loca. quatenus diuinationis hæ ſpecies coluntur, obſeruantur ab aliis.*

Quamuis DAVID ſpiritu Dei præditus eſſet, ſi quando tamen bellum aut magnum aliquid gerere cogitaret, uiſionem à Gado propheta poſtulabat, aut Sacerdotem (qui comitabatur ipſum) iubebat Ephod induere, ut uoluntatem Dei ex Vrim & Thummim cognoſceret. Bodinus libro 1 capite 4. Dæmonomaniæ.

THEODOSIVS Imp. contra Maximum tyrannum mouens, in anguſtiis curarum ſuarum non eſt lapſus ad curioſitates ſacrilegas atque illicitas: ſed ad Ioannem in Aegypti eremo conſtitutum (quem Dei ſeruum prophetandi ſpiritu præditum, fama crebreſcente didicerat) miſit, atque ab eo nuncium uictoriæ certiſſimum accepit. D. Auguſtinus libro 5. de Ciuitate Dei, cap. 26.

SAVL nolebat Samuelem, qui optimè in Regem affectus erat, audire: odio eum proſequebatur. contemnebat uerbum Dei. Factum itaque eſt, ut in ſummo diſcrimine Pythoniſſam conſuleret, quæ Samuelem ex mortuis euocaret, quò eius conſilio uti poſſet, quem uiuentem contemſerat, & audire dedignatus fuerat. Hęc quendam euocauit, qui non aliter Samuel dicitur, quàm falſi dij, Dij nominantur: cùm reuera dij non ſint, ſed ligna & lapides, imò ut prima Corinth. capite decimo Paulus dicit, dæmones. Fictitius hic Samuel eum non erexit, non conſuluit ei, ſed prorſus ad deſperationem adegit. Lauaterus de Spectris parte tertia, capite 1.

Apud Delphos menſis eſt Byſius dictus, quaſi Pyſius, quo ſciſcitantur & conſulunt Apollinem. Nam ita loqui eſt eis patrium. Siquidem hoc menſe reddebatur oraculum, diemq; eius ſeptimum Apollinis natalem eſſe exiſtimant, uocantque eum πολύφθοον: non quia pareutut φθοῖς (quod eſt placentæ genus) uerùm quòd tunc frequentes deum conſulant, ac crebra oracula reddantur. Serò enim, ut quoq; menſe ſortes ederentur petentibus, permiſſum eſt: antea ſemel quoque anno reſpondebat eo die ſacerdos: ut ſcriptum reliquerunt Calliſthenes & Anaxandridas. Plutarchus in quęſtionibus Græcan.

L. PAPYRIVS, à uelocitate Curſor, cùm conſulem ſe aduerſis omnib. contra Samnites progreſſum eſſe ſenſiſſet, ad auſpicia repetenda Romam regreſſus, edixit Fabio Rutiliano magiſtro equitum, quem exercitui præfecerat, ne manus cum hoſte conſereret. Sed cùm ille oportunitate ductus pugnaſſet, & uiciſſet, reuerſus eum ſecuri ferire uoluit. Suetonius de Viris illuſtribus.

GERMANIS in uſu erat, non antè acies cõmittere, quàm per matresfamiliâs, quas plurimas educebant, an decernendũ

eſſet, ſortibus & uaticinio prædictum foret. Alexander ab Alexandro lib. 4. cap. 7.

NATHOLOCVS Scotorum rex, cùm proceres quoſdam ob communicata cum Athirconis regis liberis conſilia in carcere ſtrangulaſſet, coniuratorũ uires metuens, in Lugiã & Morauiam exercitus conſcribendi cauſa ſeceſſit. De belli euentu ſollicitus Morauum quendam hominem fidiſs. mittit ad anum fatidicam, in Mona inſula habitantem. Illa dira fata Natholoco prædixit, nec maiorem à coniuratis, quàm ab ipſomet Morauo, qui theorum nunc ageret, imminere. Morauus, cui nihil tale unquam in mentem ueniſſet, præſtigiatricem execratus, ad regem redibat. Cæterùm metuens, ne ſi rem geſtam narraret, ſemetipſum regi ſuſpectum: ſi nõ narraret, ſuſpectiorem redderet: & mentiri, & oraculum uerum reddere ſtatuit. Ad regem perductus, multa, remotis arbitris, uafrè eſt commentus: cumq; rex ex uentris profluuio ſecretiorem cubiculi locum peteret, ſequutus Morauus, exacũ, miniſterij prætextu, pugione in pectore transfodit, nimemq; ferro hærente uulneri, in cloacam inferiorem deiecit. Per poſticum inde exiliens, equo in eum uſum parato arrepto, primus nuntium extincti regis coniuratis attulit. H. Boëthius lib. 6.

VORTIGERNVS, Britannorum rex, regno exutus à Saxonibus, & in extremam Cambriam relegatus, armis quinetiam Aur. Ambroſij & Vteri, Conſtantini regis filiorum, quibus regnum eripuerat, preſſus, deſperabundus, Merlinum magum de uitæ regnique exitu conſuluit. Reſpondit ille, Ab Ambroſio uictũ, cum liberis omnique gaza cremandum eſſe. Nec falſum fuit oraculum. H. Boëthius lib. 8.

PHILIPPVS III. Francorum rex ex Elizabetha Tarraconenſium regis filia filios tulerat, Ludouicum, Philippũ cognomine Pulcrum, Carolũ Valeſij Comitem ex poſteriore Maria Henrici Brabantini ducis F. procreauit alterum Ludouicum, Eburonicum Comitem, Margaritam, Blancham: illam Angliæ reginam, hanc Auſtriæ ducem futuras. Defuncto Ludouico filiorum maximo, res in ſuſpicionem ueneni uenit. Brocchius cubicularius & fiſci præfectus reginam inſimulabat: eam id initium feciſſe priuignorum necandorum, ut certam in ſpem regni ex ea filij prognati ſuccederent. Contrà erant qui Brocchium in crimen inuidiamque uocarent. Conſulere uates placuit. In Brabantia, unde nata regina erat, ferebatur reſponſa reddere mulier quædam è cœtu profeſſionis, quam Beguinarum dictam poſtea concilio Viennenſi Clemens damnare uiſus eſt. Ad hanc miſſi à rege Petrus pontifex Baiocenſium, idem Brocchij affinis, ac Stephanus, antiſtes templi Dionyſij. Petrus cùm Niuellam uentum eſſet, Stephano anteuertit, prior ad feminam uenit: collocuti incertum quæ: diſcedens orauit, ut illa cælaret, quæ ſecum acta eſſent, quæ reſpondiſſet. Stephanus ſuperueniens ex uate nihil expreſſit, niſi illud unum, Satis Petro reſponſum. Ad regem reditur. Pontifex ſibi nihil arcanorũ ignotum eſſe renunciauit: ſed ea effari ſibi per religionem non licere, quòd ſacra confeſſione ut ſacerdos omnia audierit. Rex, Non ad myſteria, inquit, arcanaſq; luſtrationes, ſed miniſtrum, nuncium, interpretemq; te miſi. Noua legatio miſſa Niuellam. Iuit Theobaldus Dolenſium Pontifex, retulitq; reſponſum, Reginam extra noxam eſſe: addidit, quod duobus inſimulatis reliquum erat; ac ne ſic quidem nominatim quenquam coarguens, Venenum à uiro, & eo aſſiduo, quotidianoq; datum. Hanc uel fabulam fictam, uel ueram famam certior res ſecuta eſt. Tabellarius cum literis à Brocchio, dum citatus ad Alfonſum regem Caſtulonenſem contendit, graui repentè oppreſſus morbo, cũ mortem inſtare ſentiret, pœnitentia ſubeunte orat hoſpitẽ quò diuerterat, literas quas ipſe deferre in Hiſpaniam ceperat, ad regem Francum perferret, ipſique utique regi in manus redderet. Hæ literæ manifeſtam fidem fecêre, eſſe apud regem Francum, qui arcana foras efferret. hoc uel unum ſcelus damnaſſet hominem. De Brocchio igitur Pariſiis reſte ſupplicium ſumtum. Petrus Pontifex ad Pontificem maximum ſe recepit, metu pœnæ legationis malè geſtæ, ementitæq; adumbratæ religionis. Aemil. lib. 7.

## PERSONARVM.

CYRVS Perſarum rex à Iudæis edoctus, Eſaiam prophetam ante aliquot ſecula de ſuo imperio uaticinatum, atq; adeò nomen etiam ſuũ expreſſiſſe (extat aũt locus cap. 44. & 45. Eſaiæ) libertatem Iudęis Babylone iam per 70. annos captiuis dedit in patriam remigrandi. Ioſephus. Daniel propheta Cyro rege (quem Theologiæ myſteria edocuit) familiariſſimè utebatur. Theodoretus Cyrenenſis.

AZANÆI Phryges Euphorbum paſtorem, qui nouo genere ſacrificij, Vulpis nimirum & Echini, ſterilitatẽ amolitus fuerat, ſacerdotem & ducem conſtituêre. Eraſmus.

DARIVS rex Danielem prophetã in tanto habuit honore, ut ei Triumuiratũ in 120. ſatrapas cõceſſerit, & tandẽ etiam uniuerſo regno magna cũ inuidia aliorũ præfecerit. Dan. 6.

ROMVLVS inſtituit, ut ex ſingulis tribubus ſinguli augures eligerentur, qui ſacris ceremoniis prædictionibuſq; deorũ præeſſent, & publica priuataq; auſpicia curarẽt. Quotannis poſtea ſex optimatum filij in Hetruriam mittebantur, ut augurandi artem diſcerent. Alex. lib. 5. cap. 19.

Apud ROM. ut Liuius, Dionyſius, & Feneſtella teſtimonio ſunt, ſumma religione augurum collegium colebatur, quorum ius in Romana republica Cicero in ſecundo de Legibus maximum & præſtantiſſimum appellat. Quid, quòd augur, ut ait Plutarchus in Problematis, ob nullum maleficiũ ſacerdotio priuabatur? quia non honoris & magiſtratus, ſed ſcientiæ & artis nomen eſt. Polydorus libro 1. cap. ult. de Rerum inuent.

C. MARIVS bello Cimbrico Martham Iudæam magam ſecũ circumduxit. Plutarch. in Mario.

Eſt apud GALLOS moris, nullum abſque philoſopho ſacrificium facere. Exiſtimant enim, per diuinæ naturæ conſcios ſacra fieri oportere, tanquam linguæ deorum peritos: atque horum interceſſione bona ab diis cenſent petenda. Diodorus lib. 5. cap. 9.

Scribit Tacitus, ſe, cùm Veſpaſianus Cæſar imperium obtineret, uidiſſe, Germanam Velledam diu apud pleroſq; GERMANOS numinis loco habitam. Itidem BOEMI Lybuſſam uatem Crocci ducis defuncti filiam ſibi præeſſe uoluêre. Dubrauius lib. 1.

# DIVINATIONIS CVIVSCVNQVE NEGLECTVS, ODIVM Contemtus. AVGVRIA, Oracula, Somnia neglecta.

*Diuinationis contemtus & neglectus conſideratur uel ſecundùm Scietiam, & ſic huius propriè loci erit, eorũ exempla complectens, qui has diuinandi ſpecies ut inanes & ſuperſtitioſas irrident. Vel ſecundùm Religionẽ: & ſic alij has ut ueræ pietati repugnantes cum ratione abominantur, qui ad Iuſtitiam religioſam referri debent: alij abſq; ratione, ſecuritate quadam legis experte, eas contemnunt, qui ad Iniuſtitiam religioſam ablegandi ſunt.*

*Nos hîc in genere quemuis diuinationis contemtum perſequemur.*

## ARTIS RESPECTV.

*Non conſulendo, Non obſeruando.*

DION Syracuſanus, contra Dionyſium mouens, cùm luna eclipſim pateretur, & tota deliteſceret, oſtento nihil deterritus, eiecto tyranno, crudeli dominatu Syracuſas liberauit. Plutarchus.

PELOPIDAS aduerſus Alexandrum Pheræum ducẽs, apparentibus multis prodigiis, nõ potuit deterreri, quin manus cum hoſte confereret: uictoriamq; retulit, ſed occubuit. Plutarchus, & Diodorus.

ALEXANDER Macedo ducturus contra Darium, cùm luna eclipſim pateretur, & ob id milites trepidarẽt, nihilominus tamen feliciter pugnauit.

IDEM contra Perſas, Iunio menſe, quẽ Macedones ut infauſtum uitant, pugnaturus, contemta religione feliciter dimicauit: ꝓ Iunio ſecundũ Maiũ appellari iubẽs. Alex. l. 4. c. 20.

ROMANI quãuis religioni ſuæ pertinaciſſimè addicti eſſent, ſæpè tamen urgentibus hoſtibus auguria & dies nefaſtos neglexerunt.

C. FLAMINIVS, quòd ſecundo bello Punico conſul Latinas ferias non indixiſſet, neque ſacrum in Albano feciſſet, ſed lixæ modo ſine more, ſine auſpiciis, ad exercitum profectus eſſet, cùm apud lacum Thraſimenum cum Hannibale conflicturus, conuelli ſigna iuſſiſſet, lapſo equo ſuper caput proſtratus, quindecim Romanorũ millia amiſit, uiginti fugata, ſex millia capta. Val. Max. lib. 1. c. de Prodigiis. Liuius, & Cic. lib. 1. de Diuinatione.

L. IVNIVS, Claudij collega, neglectis auſpiciis, claſſem tempeſtate amiſit, damnationiſq; ignominiam uoluntaria morte præuenit. Cic. lib. 2. de Diuin. Val. Max. lib. 1. cap. 4.

SERVILIVS Maluginenſis, Q. Sulpitius Longus, tribuni militum conſulari poteſtate contra Gallos Senones miſſi, non deorum memores, ſi non hominum, nec auſpicatò, nec litatò inſtruxerunt aciem. Turpiter itaq; profligati cum toto exercitu, nobilem illam cladem Alliẽſem inter nefaſtos dies relatam acceperunt. Liuius.

TIBERIVS Gracchus, cùm res nouas aggrederetur, auſpicia domi prima luce petiit, quæ illi perquàm triſtia reſponderũt. Ianua enim egreſſus, ita pedẽ offendit, ut digitus deciderit. Tres deinde corui in eũ auerſum occinentes, partem



tegulæ decuſſam ante ipſum protulerunt. Quibus omnibus contemtis, à Scipione Naſica pontifice maximo decuſſus Capitolio, fragmento ſubſellij ictus procubuit. Plut. in uita Gracchorum. Val. Max. lib. 13. cap. 4. Sabell. lib. 9. Enn. 5.

L. LVCVLLVS, quum in Armenia cum decem millibus armatorum & mille equitibus aduerſus Tigranem tenderet, CL millia ducentem, pridie nonas Octobreis (quo die priùs Scipionis copiæ deletæ fuerant) quodam admonente, Romanis diem illum nefaſtum eſſe: Ergo, inquit, alacriter pugnemus, ut hunc quoq; diem nefaſtis eximamus. Plutarchus in Roman. apophtheg.

C. IVLIVS Cæſar, quum immolanti aufugiſſet hoſtia, profectionem aduerſus Scipionem & Iubã non diſtulit. Sueton.

*Non obtemperando.*

EPAMINONDÆ Thebanorum copias contra Lacedæmonios ad Leuctra educturo, iuxta portas præco exercitui obuiam factus eſt, cæcum hominem qui aufugerat reducens: ac pro more edicens, ut nec Thebis educeretur, neq; de medio tolleretur, ſed abductus rurſus conſeruaretur. Hic auerſantibus augurium ſeniorib. Homericum illud Epaminondas ſuccinuit, Vnum optimum augurium eſt, pugnare pro patria. Rurſus cùm ſcriba haſtam & ei adhærentem faſciam tenens præiret, ut, quæ duces iuſſiſſent, omnib. ſignificaret: ui uenti auulſa ab haſta faſcia circum columnam in ſepulcro quodam erectam delata eſt: quo loco ſepulti quidam Lacedæmonij & Peloponneſij, qui ſub Ageſilao militantes occubuerant. Hoc uiſo ex ſeniorib. quidam denuò teſtabantur, haudquaquam educendum eſſe exercitum, diis manifeſtè iratis. At ille nihil eis reſpondens, copias feliciter eduxit, maiorem honeſti & æqui rationem eſſe habendam, quàm horum ſignorum, exiſtimans. Diod. lib. 15.

PELOPIDAS humana uictima litare noluit, quamuis id iubente ſomnio.

STILPON philoſophus, in ſomniis uidens expoſtulantem ſecum Neptunum, quòd bouem, ut ſacerdotibus moris erat, non immolaſſet: dixit, Ergóne tu, ô Neptune, puerorũ more quereris, quòd non ære alieno conflato urbem impleuerim nidoribus? Tum arridens Neptunus, dextra porrecta dixit, Apuarum ſe copiam ipſius gratia Megarenſibus daturum. Plut. de Virtutis prouectu.

Cùm ad Platæas Græci contra Mardonium conſediſſent, poſt equeſtre prælium abſtinuit diu utraq; pars pugna. Propugnantibus enim uates iuxtà Perſis ac Grçcis, uictoriam denunciabant ex extis: perniciem, ſi inuaderent hoſtem. Tandem MARDONIVS, quòd ei in paucos dies ſupereſſet commeatus, Grçcorum uerò, quotidie affluentibus aliquibus numerus creſceret, hoſtes adortus, cum exercitu cęſus eſt. Plut. in Ariſtide.

ALEXANDER Magnus cùm Oxydracarum Indorum metropolim oppugnare ſtatuiſſet, Demophon quidam uates regem monuit, magnũ ei periculũ portẽdi, ex uulnere, quod in oppugnatione accepturus eſſet. Alexander eum obiurgans, ipſe primus urbem aggreſſus eſt: eaq; occupata, in arcem deſiliit. Ibi hoſtibus irruentibus intrà mamillam ſagitta ictus, proximus periculo fuit, donec Macedones ſuperuenêre. Diod. lib. 17.

Victis Coſſæis, caſtra Babylonem mouit ALEXANDER Magnus. Chaldæi ſeniores delecti, Belephante legationis principe, Alexandro nunciarunt ex diuinatione aſtrorum, Babylone ei mortis periculũ imminere: niſi Beli ſepulcro, quod à Perſis conditum fuerat, inſtaurato, uia, quam docerent ipſi, introiret in urbem. Alexander à Nearcho Chaldæorum denunciationem audiens, territus eſt, & in tẽpus aliud profectionem eam differre inſtituit: metatuſque caſtra ſtadiis CC. procul Babylone, moram ibi trahebat, non ſine omniũ admiratione. Venerunt interim ad eum frequentes Græci homines, & præcipuè qui philoſopho Anaxarcho operam dabant. Hi rationibus philoſophiæ uariis acriter adeò diſſeruerunt, ut ille prorſus animum mutauerit: & animo quaſi ſaucio, philoſophorũ uerbis ſanato, Babylonem cum exercitu intrarit. Verùm paulo pòſt euentus ipſe Chaldæorũ diuinationi, mortuo Alexandro, ſubſcripſit. Diodor. lib. 17.

CLEOMENES Spartanorum rex, deterrente eum ab expeditione [illegible] Argiuorum uate (fore enim receptum deformem) [illegible] ad urbem acceſſit, portas conſpexit clauſas, & feminas [illegible] tenentes: Hic tibi, inquit, uidetur deformis reditus, in quo uiri cecidere, mulieres portas clauſere? Plut. in Apophthegmatib.

C. IVLIVS Cæſar monitus, ne ante brumã copias in Africam mitteret, nulla ominis cura feliciter transmiſit [illegible].

IVLIANVS Imp. literis monitus in oppido [illegible] Salluſtio (qui eius in quarto conſulatu collega fuerat) expeditionem in Perſas eſſe differendã, diis ita [illegible]. Nam in libris Sibyllæ lectum erat, eo [illegible] militibus eſſe diſceſſurum. Ille regum undiq; [illegible], conceptum bellũ proſecutus, incognito telo ictus periit. Cuſpin.

HENRICVS Ferreus Holſatię comes, Gerardi Magni F. à Suecorum rege miſſus ad Finnos rebelles edomandos, in loco Vuaſteen, BRIGITTAM, opinione ſanctitatis, & ſpiritu prophetiæ celebrem adiit, de belli exitu conſulturus. Illa reſpondit humiliter, Si uis terram tibi ſubiicere, inermis ingredere, innuens, manſuetudine populũ faciliùs quàm armis periturum. At Henricus conuerſus ad ſuos, Hæc, inquit, mulier huius eſt nationis: nihil illius intererit, ſi pereamus. Nos armis utemur. Itaque contemto eius conſilio, armis gentem feliciter ſubegit. Cranzius libro nono Saxoniæ, capite uigeſimotertio.

ALFONSO Aragonum & Siciliæ rege Neapolim obſidente, uates quidam circa Cal. Iunias eum urbe potiturum prędixit, ſed non multo pòſt anceps futurum prælium, in quo dux caperetur. Et quidem 4. Non. Iun. urbem in poteſtatem redegit. Paulo pòſt contra Antonium Caudolam in agro Campano acie dimicaturus, cùm amici uaticinium ei obiicerent, reſpondit, Virum fortem ne mors quidem terrebit. Prælio facto, Caudola uictus eſt & captus. Aen. Syl. lib. 2. Com. in Panormitæ Alfonſum.

FRANCISCVM I. Gallorum regem, certiſſimæ uatum prædictiones, ne Ticinum obſideret, monebant: quoniam ſeruitutem, ſi priùs morte nõ opprimeretur, incurreret. Quod cùm illi iam captiuo à Carolo V. Cæſare uictore obiiceretur, ſubriſiſſe ferunt, atque dixiſſe: Quo ergo modo implebuntur ſcripturæ? Arlunus Hiſtoriæ Mediolanenſis Sectione prima.

*Irridendo.*

Bello Peloponneſiaco, peſtilẽtia Athenas infeſtante, cùm PERICLES naues inſtructas centum quinquaginta compleuiſſet, fortè defecit ſol. Gubernatorem Pericles ſtupentem cernens, chlamydem obiecit oculis eius, intectumque interrogauit, Num quid mali paſſus eſſet? Abnuente eo, Quid autem, infit, inter hoc & illud intereſt: niſi quatenus illud, quod caliginem inuexit, chlamyde eſt grandius? In ea tamen expeditione nihil Pericles ſe dignum geſſit. Plutarchus in Pericle.

LEOTYCHIDAS Ariſtonis F. propioris portæ uectem circumiecto angue, uatibuſq; oſtentum denunciantibus eſſe: Id mihi, inquit, non uidetur: uerùm ſi anguem uectis circũplicaret, oſtentum ſit. Plut. in Apophthegm.

In expeditione regum Aſiæ ad mare Rubrum, eques quidam Iudæus, MOSOLLAMVS nomine (Euſebio MISONIANVS) ſagittarius & miles inter reliquos Græcorũ & Barbarorum præſtãtiſſimus, quodam uate augurium captante & petente, ut cuncti ſtarent, interrogauit, Cur ſubſtitiſſent omnes? Oſtendente uerò ei uate auem, quam intuebatur, atque dicente: Quòd ſi quidem expediret eis, ut manerent omnes, ſtaret auis: ſi uerò ea ſurgens anteriùs uolaret, procederent: ſin poſt tergum iret, recederent: clam ſagitta transfodit auem, & conuerſus ad tumultuantes, Quomodo, inquit, auis ſuam neſciens ſalutem, nobis de noſtra certum quid ſignificare potuit? Futura enim ſi nouiſſet, nequaquam huc ueniſſet, metuens, ne ſagitta interimeretur. Ex Hecatæo Ioſephus recitat libro primo contra Appionem.

ANNIBAL Pœnus Antiochum regem oblata occaſione monuit, ut hoſtes adoriretur. Qui, cùm immolaſſet, atq; fœda exta diceret eſſe, increpauit eum, fatus: Tu, quod caro præſcribit, agis, non quod uir prudens. Plut. de Exilio.

APPIVS Claudius Pulcer, primo bello Punico apud Siciliam quum prælium nauale eſſet iam commiſſurus, auſpiciaque, more maiorum, petiiſſet, & pullarius non exire pullos cauea nunciaſſet, abiici eos protinus in mare omnes iuſſit, inquiens: Siquidem eſſe nolunt, bibant. Prælio inito, turpiter cum exercitu in fugam eſt actus. Cicero libro 2. de Natura deorum. Valerius Maximus lib. 1. cap. 4.

*Corrigendo, Eludendo.*

*Ex Titulo, Metum eximere militibus, huc quædam traduci non incommodè poſſent.*

HECTOR, auguria prorſus negligens, loquitur ad hunc modum Iliados μ:

Τύνη δ' οἰωνοῖσι τανυπτερύγεσσι κελεύεις
Πείθεσθ', τῶν οὔτι μετατρέπομ' οὐδ' ἀλεγίζω,
Εἴτ' ἐπὶ δεξί' ἴωσι, πρός ἠῶ τ' ἠέλιόν τε,
Ἤτ' ἐπ' ἀριστερὰ τοί γε ποτὶ ζόφον ἠερόεντα.
Ἡμεῖς δὲ μεγάλοιο Διὸς πειθώμεθα βουλῇ,
Ὃς πᾶσι θνητοῖσι καὶ ἀθανάτοισιν ἀνάσσει.
Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης. Id eſt,

Augeris auibus tu me parere iubes nunc, [illegible]
Quarum nulla mihi cura aut reſpectus, utrumne
Ad dextram Eoi ueniant mihi Tonis ad ortum,
An læuam, ad ſolem occiduum, noctiſq; tenebras,
Verùm nos Iouis arbitrio parere neceſſum eſt

Altitonan-

Altitonantis: hic imperium tenet unus in omneis,
Quotquot mortales, quotquot ſunt morte carentes.
Vna auis optima, pro patria pugnare tuenda.

Quo poſtremo uerſu etiā Epaminondam Thebanū uſum fuiſſe Diod. lib. 15. teſtatur ante Leuctricam uictoriam. Ita Q. FABIVS Maximus augur apud M. Tulliū lib. de Senectute, dicere auſus eſt, Optimis auſpiciis ea geri, quę pro Reipub. ſalute fierent: quæ contra Rempub. ferrentur, contra auſpicia ferri. Eraſmus in Adagiis.

AGESILAVS rex Spartanorum in ſomnis Agamemnonem imitari Aulide iuſſus, humana uictima Dianæ litare noluit, ſed ceruam ſuppoſuit. Plut. in eius uita.

M. CRASSO conflicturo cum Parthis exta è manibus deciderunt. Hoc tum cęteris ut inauſpicatum interpretantibus, ac prælium diſſuadentibus: Huiuſmodi, inquit, incommoda multa nobis ſenectus adfert: at arma tamen nunquam è manibus mihi elabentur. Plutarch. in uita Craſſi.

C. IVL. Cæſar cōtra Scipionē profectus in Africam, prolapſus in egreſſu nauis, uerſo ad melius omine, Teneo te (inquit) Africa. Ad eludendas item uaticinationes, quibus felix & inuictum in Africa fataliter Scipionum nomen ferebatur: deſpectiſſimum quendam ex Corneliorum genere, cui ad opprobrium uitæ Salutioni cognomen erat, ſecum in caſtris habuit. Suetonius.

*Libros non recipiendo.*

Quum de libro Sibyllæ relatum ad patres fuiſſet, quem Caninius Gallus recipi inter cæteros eiuſdem uatis iuſſerat: ſumma ope TIBERIVS Imper. reſtitit, & ne reciperetur, effecit. Suetonius.

## ARTIFICVM RESPECTV. VATES, Diuinaculos

*Mendacij accuſando.*

CREON Tireſiæ uaticinium audiens, Thebas ab obſidione Argiuorum liberari non poſſe, niſi Menæceus Creontis F. pro patria mactaretur, indignè ferens crudele oraculum, apud Eurip. in Phœniſſis, inquit:

Οὐκ ἔκλυον, οὐκ ἤκουσα, χαιρέτω πόλις.
Non audiui, non aſſequor: ualeat Reſpublica. Item:
Χαίρων ἴθ', οὐ γὰρ σῶν με δεῖ θεσπισμάτων.
Abi in malam rem: tuis mihi non opus eſt uaticiniis.

L. TARQVINIVS rex, centuriis equitum, quas Romulus auſpicatò conſcripſerat, alias adiicere cupiens, cùm ab Decio Accio Nauio augure prohiberetur, offenſus interrogauit: Poſſétne fieri quod ipſe mente conceperat? Poſſe fieri, dicēte: iuſſit nouacula cotem diſcindi. Qua Decius allata, adminiſtrato incredibili facto, effectum ſuæ perfectionis oculis regis ſubiecit. Val. lib. 1. cap. 4.

Cùm Romam ueniſſet Batabaces, Matris magnæ deorū ſacerdos, & nunciaſſet ſibi ex adyto reuelatum, uictoriam ex bello Cimbrico, populo Romano, magno cum decore acceſſuram: eoq; nomine SENATVS ædem deæ, uictoriæ cauſa decreuiſſet: prodeunti in concionem, ut hæc ad populum ederet, Bat. baci interdixit A. Pompeius Tr. pl. præſtigiatorem appellans, hominemq; cum indignitate depulit ex Roſtris: At hæc res commendauit potiſſ. dicta ſacerdotis. Siquidē regreſſum Pompeium domum, tanta uis febris occupauit, ut intra diem ſeptimū exſpiraret. Plut. in Marij uita.

*Contemnendo.*

Thebis in delubro Amphiarai nemini Thebano licet uaticinū eſſe: quòd cum Amphiaraus optionem eis dediſſet, utrum mallent uate uti ſe, an auxiliatore, THEBANI ſibi auxiliatorem eum maluerunt. Ea propter nefas eſt Thebano illic obdormiſcere. Herod. lib. 8.

*Puniendo.*

*Vide Superſtitionis pœnam.*

Statua Romæ in comitio poſita Horatij Coclitis uiri fortiſſimi de cœlo tacta eſt. Ob id fulgur piaculis luendum, aruſpices ex Hetruria acciti, inimico atq; hoſtili in POP. Rom. animo, inſtituerant eam rem contrariis religionibus procurare: atq; illam ſtatuam ſuaſerunt in inferiorem locum perperàm tranſponi, quem ſol oppoſitu circum undiq; aliarū ædium nunquam illuſtraret. Quod cùm ita fieri perſuaſiſſent, delati ad populum proditiq; ſunt: & cùm de perfidia confeſſi eſſent, necati. Conſtititq; eam ſtatuam perinde, ut ueræ rationes pòſt compertæ monebant, in locum editum ſubducendam: atq; ita in area Vulcani ſublimiore loco ſtatuendam. Eaq; res bene & proſperè reipub. ceſſit. Tunc igitur quòd in Hetruſcos aruſpices animaduerſum uindicatumque fuerat, uerſus hic ſcitè factus, cantatusq; à pueris, urbe tota fertur,

Malum conſilium, conſultori peſſimum eſt.

Gellius lib. 4. cap. 5. ex Verrio Flacco.

Bello Samnitico cùm iam concurſuræ eſſent utrinq; acies, ad L. PAPYRIVM Curſorem conſulem defertur, ortam eſſe inter pullarios de auſpiciis contentionem. Ipſi, inquit, luāt, ſi quid fraudis ineſt, mihi ſoliſtimum tripudium nunciatum eſt. Hæc ille: atq; unà mandat pullarios in prima acie conſtitui. Mirum hic accidiſſe aiunt, ut priuſquam pugna orta ſit, pullarius ante aciem ſtans telo ſaucius conciderit. Id ubi conſuli renunciatum eſt, Dij, inquit, in prælio ſunt. Luit mēdacij pœnam noxium caput. Cui hæc dicēti coruus, uel malus dæmon potiùs, ſupernè occinuit. Quo lętus augurio cōſul, ſigna canere, clamoremq; tolli iuſſit. Collatis ſignis nō ſine multo labore & ſanguine, cùm ſeſe P. Decius collega deuouiſſet, uictor euaſit. Sabell. lib. 7. Ennead. 4. ex Liuij lib. 10. Dec. 1. & Val. Max. lib. 7.

Sacerdos quidam accuſatus, quòd magna quinta feria ſanctū panem daret diuerſis mulieribus & uiris, ut conuinceretur qui rem aliquam ſurripuerat, ex eo quòd hoc non facilè ebiberet: ipſe bibit poculum depoſitionis. Et alius Sacerdos, accuſatus quòd cum euangelio ligno alligato, & in orbem circumacto interrogationes faceret de quibuſdam rebus per Pſalmos Dauidicos, & multis propterea inſontibus negotia ac moleſtias exhiberet, ueniam impetrare nō potuit. Theod. Balſamon in ſynodum VI. in Trullo.

## MIRACVLORVM CVLTVS.

*Facta ſupernaturalia conſiderantur uel per ſe, uel per accidens. Per ſe, ut naturam excedunt, & Miraculorū appellationem ſubeunt, quoniam propter ſui inſolētiam rapiunt in admirationem ſpectatores. Admiramur autem ea, quorum cauſas ignoramus: ſiue iam ſiant Diuina uirtute bonarum intelligentiarum: ſiue Dæmoniaca, malarū intelligentiarum. Per accidens uerò, ut rem alioqui incomprehenſibilem ſignificant, in ſacris paßim Signa uocantur, diuinæ Omnipotentiæ ueluti effectus quidā: ſiue iam atteſtentur Deo, ſiue Hominibus. Dei inquā tum Veritati ſiue Sapientiæ: tum Voluntati. Voluntas quidē manifeſtatur uel ſecundùm Miſericordiam: (ſic ſignum iridis Noacho, uelleris Gedeoni datum) uel ſecundùm Iuſtitiam: ut quando in nubibus apparebit ſignū filij hominis ad iudiciū uenturi. Veritati uerò diuinæ atteſtātur ſigna alia quoad Eſſentiam, alia quoad Doctrinam. Eſſentiam dico eam, quæ per ſolum Chriſtum cognoſci poteſt. Ergo miraculis declaratur Chriſti uel Humanitas (ut quando Matth. 11. iubet Ioanni renunciari, ex ſignorum magnitudine, Meßiam iam aduéniſſe) uel Diuinitas (quando Ioan. 10. inquit: Si non facio opera patris mei, nolite credere. Si autem facio, operibus credite, quia pater in me eſt, & ego in patre) Porrò demonſtrāt Doctrinam ſigna, ſiquidem Euangelium confirmatum eſt tum miraculis Chriſti, Ioan. 14. Propter opera ipſa credite. tum Apoſtolorum, Marci 16. Illi profecti prædicauerunt ubiq; Domino cooperante & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis. Hominibus deniq; atteſtantur ſigna, quatenus ſunt Dei filij & amici, quoad Fidē de Deo, quoad Spem, de Bonis futuris, quoad Charitatem erga proximum. Quorum exempla è Tit. Preces exauditæ, peti poſſunt.*

## STVDIVM, AMOR.

*Conſule Tit. Diuinationis per miracula: itē, Diuinationis per ignē, aquam ardentem, quatenus miraculosè ab his non læduntur: item, Certaminū Theologorum Chriſtianorū contra ethnicos, Iudæos, &c. quatenus ad miracula fit prouocatio: item, Sanctorum corporum & reliquiarum cultus.*



PHARISÆI & Sadducæi tentantes Chriſtum, rogauerunt ut ſignum de cœlo oſtenderet eis, Matthæi 16. & Marci 8. Iidem in cruce pendentem irridentes, Si filius Dei eſt, inquiunt, deſcendat nunc de cruce, ut uideamus & credamus.

Conſtantinopoli in monaſterio ſanctæ Dei genetricis, iuxta palatium, prope ſanctam Sophiam, erat imago beatæ Mariæ, quæ tenebat infantem in brachio, quam depinxit in tabella ſanctus Lucas, cùm adhuc uiueret Maria. Hæc imago uocatur Odigitria, id eſt deductrix: quia duobus cæcis apparuit Maria, & deduxit eos ad ſuam eccleſiam, eosq; illuminauit. Cum iſta imagine faciebant CONSTANTINOPOLITANI à Saracenis obſeſſi proceſſionem omni die Martis per totam ciuitatem, ieiunantes & orantes, ſimul & pugnantes. Quidam ciuis admonuit afferri deberi, illam imaginem, & ab omnibus orationem ad illam fieri hoc modo: Sancta Dei genitrix, quæ toties nòs liberaſti, libera nos modò de inimicis filij tui: & ſi uis ut imaginem tuam non mergamus in mari, merge illos. Cùm hæc dixiſſent, ille ſecretè imaginem tenuit ſub undas: & ſtatim procella ſurrexit, & omnes naues Saracenorum aut merſit aut fregit. Vincentius lib. 23. cap. 147.

Ex Procopio hanc narrationem texit Euagrius. Edeſſæ urbis CIVES in ſumma rerum deſperatione, cùm iamiam urbs capienda eſſet per Coſroen Perſam, imaginem Chriſti quā fecerat, & ad Abgarum miſerat, ad foſſam adduxere, & immerſam aquæ contra rogum & ligna obiecere. Quo facto, dicto citiùs ſtruem lignorum in cinerem redactam, & aggerem, quem Coſroes extruxerat, ut pedeſtri impreſſione urbem inuaderet, combuſtum aiunt.

Populus herbulas ſparſerat ſuper tumulum Nicetij Lugdunenſis epiſcopi. AIGVLFVS diaconus Roma ueniens, de hiſce herbis ſacerdote porrigente, ſecum aſportauit, ac febricitantibus cum hauſtu aquæ frigidæ exhibuit, ac ſanitati e ueſtigiò reſtituit. Gregorius Turonenſis.

Gregorius Turonenſis cap. 84. de gloria Confeſſorum, reuelationem mirabilem Valerij epiſcopi Conſoranenſis texit. Dicit THEODORVM epiſcopum reperiſſe duo ſepulcra, hæſitantem tamen, utrum eſſet Valerij. Cum clero itaq; tota nocte uigilias celebrans, petebat à Valerio ſupplex, ut ſibi locum, in quo requieſceret, patefacere ac monſtrare dignaretur. Duas igitur ampullas uino plenas ſuper ſepulcris collocans, dicebat: In qua ampulla uinum fuerit auctum, manifeſtum ſignum erit, hoc ſepulcrum eſſe Valerij. Sequenti die reperit unam ex ampullis, quæ erat impoſita tumulo Valerij, exundare uino.

Iacobus Meuanienſis, quem Dominicani in diuorum numero colunt, miraculis claruiſſe fertur. RVSTICVS quidam hoſpitio eum exceperat, & ut miraculo occaſionem daret, rationem ſibi monſtrari petierat, qua pueros ſuos, igni nulla hoſpitis reuerentia aſſidentes, abigere poſſet. Tum Iacobus properè aliquot lignorum faſces inferri, & foco imponi iuſſit. Flamma igitur luculenta emicante, cùm pueri protinùs ſeſe proripuiſſent, ad ruſticum conuerſus, Vbi naturæ & ingenio locus eſt, non opus eſt miraculis, inquit. Leander Albertus lib. 5. de Viris illuſt. ordinis Prædicatorum.

## ODIVM, CONTEMTVS, Neglectus.

IVDÆI cùm præclara Chriſti uiderēt miracula, & præſertim quòd dæmones eiiceret, uirtute Beelzebuli dæmoniorum principis ea ab eo deſignari homines nefarij dictitabant.

Cùm eſſet Ebroino Magiſtro equitum apud Gallos nunciatum, quòd ad tumulum D. Leodegarij fierent miracula, miſit eò MILITEM exploratum. Is autem calcans locum pedibus inquit: Moriatur, qui mortuum poſſe miracula facere credit. Ad eam uocem concidit, & expirauit. Vincentius lib. 23. cap. 125.

Cùm D. Gangulfo Burgundo funus fieret, & multi ex contactu feretri ſanarentur, ancillaq; ad VXOREM eius impiam id retuliſſet, reſpondit illa: Maritus ita miracula facit, ſicut meus podex cantat. Factum autem eſt, ut quoties illa deinceps per totam ſuam uitam uerbum ore ederet, toties etiā crepitum ex ano cum fœtore emitteret. Martinus in Chronico, feria ſexta id maximè fieri ſolitum ait, qua maritus eius martyr effectus erat: & Pipinum regem, accerſita muliere, in maiorem gloriam martyris, uerum id eſſe deprehendiſſe. Ephordienſis capite ſexageſimoſeptimo, & Vincentius libro uigeſimotertio, capite 159.

VOLVMINIS QVINTI FINIS.

# THEATRI HVMANAE VITAE

## Volumen Sextum

DE

PHILOSOPHICIS HABITIBVS PRACTICIS

ad Boni cognitionem ſimul & poſseſsionem primariò conferentib.

*TRIBVS LIBRIS uniuerſim tractans.*

Nobiliſs. I. C.

# BASILIO AMERBACHIO

BONIFACII
Iuriſperitorũ integerrimi paris
eruditionis ac probita-
tis filio

THEOD. ZVINGERVS

Sextum
hoc THEATRI HVMANI
Volumen

TRIBVS Libris explicatum

QVORVM

I. *De PHILOSOPHIA Morum uniuerſim: item de LEGISLATIONE & IVRISPRVDENTIA diſputat.*

II. *De HISTORIA eximiè dicta.*

III. *De PROBITATE & IMPROBITATE uniuerſim conſideratis.*

Amicitiæ iam inde à teneris
initæ
progreſſu æt. ſtudiorũq. proue-
ctu confirmatæ
affinitatis fraterno uinculo
ampliatæ

M O N

# TOMI SEXTI
## LIBRORVM
### DISPOSITIO

THEORICAM philoſophiam PRACTICA excipit, à praxi, in qua ſumma eius uis & perfectio conſiſtit, nomen trahens. Nam cùm fines harũ diuerſi ſint, illa Cognitionem, hac Probitatem, utraq; Beatitudinem affectante: ea certè, quæ ad fines hoſce conſequendos faciũt, aliquatenus diſtincta eſſe oportet. Et proinde ut Contemplationi pariter & Actioni ſingulæ incũbant, quia tamen non ex æquo, à potiori fit denominatio. Sunt uerò Practici Habitus in multiplici differẽtia. Quorũ ſpecies ſingillatim enarrandæ uenient: ſi priùs de iiſdem uniuerſim egerimus. Cuius quidem uniuerſalis conſiderationis priorem partem Theoriæ tribuimus, Philoſophiam morũ (quæ in Politicã & Oeconomicam diuiditur) Legũlationem, Iuriſprudentiã, & Hiſtoriã cõprehendentis: poſteriorẽ Praxi addicimus, Probitatem ſcilicet & Improbitatem. Ariſtoteles certè ſexto Ethicorũ, νομοθετικὴν prudentiæ ſpeciem facit: ipſam quinetiam legum interpretationem ad σύνεσιν (quæ κριτικῆς φρονήσεως ſpecies exiſtit) refert. Prudentis enim eſt, in ciuitate leges ponere, ſecũdũ quas ciues bene beateq; uiuere poſſint. Eiuſdem eſt leges poſſe interpretari, non ex iuſto tantũ νομίμῳ, uerùm etiam ex æquo & bono. Si quis igitur particulares actiones inſpiciat, Prudentis propriæ erunt, atq; eædem Iuſti: ſi uerò uniuerſalem rationem, præceptis certis circũſcriptã & explicatã, ſic cùm omnium uirtutum practicarum, adde etiam theoricarum, officia contineant, atq; dirigant (nam & Theologo, & Medico, & Artium liberalium profeſſoribus, quid agere debeant, ut munere ſuo in quotidiana uita rectè fungantur, Ethici philoſophi & Legislatores præſcribere ſolent) non ineptè, ut opinor, & theoricis ſubiungi, & actiuis omnibus præponi poterunt: uti etiam præcepta uniuerſalia particularibus actionibus dignitate priora ſunt.

*Vt Theorici habitus ſuam praxin, ſic Practici ſuam habent theoriam, hoc eſt, cognitionem tum præceptorum, tum exemplorum, per quæ practici habitus & comparantur & confirmantur & propagantur & illuſtrantur. Internarum Diſpoſitionum propagines ſimul & indices ſunt Effectus externi. Et propterea in generali tractatione Practicorum habituũ, Effectuum duo genera conſideranda, cùm alij uideantur pertinere magis ad*

- Theoriam
  - Præceptorum *uniuerſalium, quæ* MORVM *philoſophiæ,* LEGISLATIONIS *&* IVRISPRVDENTIAE *ambitu comprehenduntur. De quibus* LIBER I.
  - Exemplorum *particularium,* HISTORIA *actionum humanarum. De quibus* LIB. II.
- Praxin PROBITAS *&* IMPROBITAS *uniuerſim. De quibus* LIBER III.

# LIBRI PRIMI TITVLORVM DISPOSITIO.

PRAECEPTA Practicae philoſophiae uniuerſalis cōſiderari poſſunt atque debent dupliciter, uel ut ſunt

- Communia omnibus Hominibus. Hæc eſt PHILOSOPHIA Ethica, complectēs ſuo ambitu Politicam & Oeconomicam. Cuius perpendamus
  - Habitum. In hoc
    - Acquiſitio, Poſſeſſio. ETHICAE morū Philoſophiæ
      - Inuentores, Doctores, Scriptores:
        - Qui, quales. Puta
          - Philoſophi.
          - Poetæ.
          - Politici.
          - Amatores.
          - Mulieres.
        - Quo. Nempe
          - Sententiis.
          - Fabulis.
          - Legibus.
          - Conſiliis.
          - Adhortatione, *Monitione*.
      - Diſcipuli
        - Præceptis.
        - Exemplis.
    - Exercitatio. Ethicæ Philoſophiæ exercitatio
      - Per ſe. ETHICAE uſus
        - Aptus, Rectus, in
          - Repub. *inſtituenda, gubernanda.*
          - Tyrannis *tollendis.*
          - Reconciliandis *inimicis.*
          - Accendendo *ad bellum, prælium.*
          - Tolerandis *malis.*
        - Ineptus.
      - Reſpectu aliorū, quos
        - Æmulātur. CERTAMINA ethica. In
          - Genere.
          - Specie: de
            - Summo *bono.*
            - Virtutibus.
            - Inſania, *Stultitia.*
            - Morte.
            - Diuitiis.
            - Amicitia.
            - Republica.
        - Iudicant. IVDICIVM ethicum:
          - Qui *iudicent.* V.G.
            - Præceptores.
            - Scurræ.
          - De *quib. ut de*
            - Regibus.
            - Philoſophis.
          - Quale. *Nēpe uel*
            - Rectū, *aptum: de*
              - Indole.
              - Legibus.
              - Virtutis *prouectu.*
              - Fortitudine.
              - Delictis.
              - Reip. *forma.*
              - Incremento *Reipublicæ.*
              - Honoribus.
              - Vita.
            - Dubium, *Incertum.*
            - Ineptū, *de*
              - Gaudio *& Dolore.*
              - Virtute.
              - Ciuitatis *iure.*
              - Coniugio.
  - Cultum. ETHICAE *Studium.*
- Peculiaria *quibuſdam, certæ cuidam ſocietati addictis: quæ ipſa* Legum *appellatione continentur. Vide ſignum* Aa.



Aa. Harum Legum obſeruanda

- Conſtitutio. Legislationis
  - Poſſeſſio. LEGISLATORES
    - Vniuerſim
      - Hebræorum. Indorum. Afrorum. Aegyptiorum.
      - Romanorum. Patauinorum. Longobardorum.
      - Hiſpanorum. Germanorum. Boemorum, *Polonorum.*
      - Sueonum, *Gothorum, Danorum.*
      - Britannorum, *Anglorum, Scotorum.*
      - Scytharum, *Getarum, Thracum, Tartarorum.* Turcarum.
    - Singillatim, *Certarum legum.*
  - Studium, *Cultus.*
- Cognitio, *Interpretatio. Iuriſprudentiæ*
  - Habitus. *Perpendatur*
    - Acquiſitio, *Poſſeſſio. Tum in*
      - Doctoribus. IVRIS DOCTORES, *Profeſſores:*
        - Quorum, *Apud quos.*
        - Quales
          - Periti.
          - Imperiti.
      - Diſcipulis. IVRISPRVDENTIAE *diſcipuli.*
    - Exercitatio, *tū*
      - Per *ſe.* IVRIS COGNITIO, *uel interpretatione*
        - Apta, *recta.*
        - Inepta, *falſa.*
        - Nulla. *Ignorantia iuris.*
      - Reſpectu *aliorum.* IVRISCONSVLTORVM *certamina.*
  - Cultus IVRISPRVDENTIAE
    - STVDIVM. Reſpectu
      - Artis, *ſeu ſcientiæ:*
        - Libros *edendo, publicando.*
        - Iudicia
          - Inſtituendo.
          - Exercendo.
        - Iura, *Iudicia corrigendo.*
        - Diſputando *de iure.*
      - Artificum. *Iureconſultos*
        - Inſtituendo.
        - Fouendo, *familiariter utendo.*
        - Remunerando.
        - Ornando.
        - Credendo, *Parendo.*
    - NEGLECTVS, *Odium, Contemtus:*
      - Artes, *Ius, Legem*
        - Auerſando, *Reijciendo.*
        - Ridendo.
      - Artifices. *Iurecōſ. cauſidicos*
        - Odio *proſequendo.*
        - Non *admittendo, negligendo.*
        - Expellendo, *Abigendo, Perſequendo.*

# Voluminis Sexti Liber I.

## DE PHILOSOPHIA Morum uniuerſim.

### ETHICAE SIVE MORVM PHILOSOPHIAE INVENTORES, DOCTORES, SCRIPTORES.

*Ethicos uocamus, qui præcepta tum œconomicè, tum politicè uiuendi tradunt: & uirtutis amore potius, quàm formidine pœnæ homines à uitijs abſtinere cogunt. Poſſunt etiam Philoſophi Practici appellari, generaliori nomine, quoniam de omnibus uirtutibus practicis, quæ in ἠθικὰς & διανοητικὰς diuiduntur, diſputant, in uita tam œconomica quàm politica. Apud Platonem Politici uocantur, uſitata eius temporis nomenclatione, à ſpecie conuerſationis humanæ excellentiſſima ad totum genus translata appellatione, quam pòſt Rhetores & δημαγωγοὶ magna temeritate ad ſe transferre ſunt conati.*

QVI, QVALES. Puta *Philoſophi.*

PYTHAGORAS Samius, quemcunque in ſuam recepiſſet amicitiam, ei ſymbola ſua cōmunicabat, quæ χρυσᾶ ἔπη alioqui dicuntur, & hodie adhuc habentur. Latent ſub illis moralia præcepta, quæ in contrahenda & conſeruanda amicitia plurimū momenti habent. Quòd ſi quem ſymbolis ſuis cōmunicaſſe audiret, cum cōtinuò ſocium & amicum adſciſcebat. Laërtius lib. 8. Extant adhuc Pythagoreorū fragmēta ethica apud Stobæum, ex quorum fontibus Ariſtoteles

riuos ſuos magnificis aquęductibus & aquarum caſtellis exornauit.

SOCRATES primus Ethicam philoſophiam è cœlo deduxiſſe, & priuatas domos ſubire coëgiſſe dicitur, à Cicerone libro quinto Tuſculanarum Quæſtionum. Idem in primò quæſt. Academicarum ita induxit Varronem ipſum loquentem: Socrates mihi uidetur (id quod conſtat inter omnes) primus à rebus occultis, & à natura ipſa inuolutis, in quibus omnes antè eum philoſophi occupati fuerunt, auocauiſſe philoſophiam, & ad uitam communem adduxiſſe, ut de uirtutibus ac uitiis, omninoque de bonis rebus & malis quæreret. Quod ipſum tamen neque uerum, neque dignum eruditione Varronis, cui ſententiam hanc adſcribit, exiſtimat Petrus Victorius libro decimotertio Variarum lectionum, cap. 8. Pythagoram nanque primum hanc partem philoſophiæ attigiſſe: Socratem uerò publicaſſe. quod Ariſteles quoque in priore libro ἠθικῶν μεγάλων teſtatus eſt. Omnes certè, qui poſt illum Ethica pręcepta tractarunt, ex illius fonte riuulos ſuos deduxiſſe, penitiùs inſpicienti uidebuntur. Quales fuêre, SIMMIAS Thebanus, qui inter alia de fortitudine, de decoro, de eo quod eligendum eſt aut fugiendum, de amico, de honeſto dialogos ſcripſit. CEBES itē Thebanus, cuius Tabula, uitæ humanæ theatrum continēs, adhuc extat. Laërtius lib. 3.

PLATO ea, quæ à Socrate præceptore accèperat, mirà felicitate ingenij elegantiſſimè excoluit. Etſi uerò egregia admodum in ſcriptis reliquit de legibus & repub. temperanda præcepta: multò tamē pręſtantiora familiaribus ſuis iuſſit. Quorum præſidio per Dionem fuit Sicilia liberata, & Thracia per Pythonem & Heraclidem, qui Cotym regē interemerunt. Idem.

SPEVSIPPVS Platonis ex ſorore nepos, de uoluptate, de iuſtitia, de amicitia libros ſcripſit. Laërtius libro quarto.

XENOCRATES Chalcedonius, Platonis auditor, de continentia, de utili, de libero, de uoluntario, de modeſtia, de felicitate librum unum ſcripſit: de amicitia duos, de prudentia totidem: Oeconomicum unum: de frugalitate unum: quòd uirtus doceri poſſit, unum: de iuſtitia unum, de uirtute duos, de uoluptate totidem: Politicum unum: de fortitudine unum. Idem.

POLEMO Athenienſis philoſophus, Ethicæ ſe totum dedit: ut qui turpiſſimam uitam in adoleſcentia exegerat, in ſenectute reſipiſcendo, alios quoq; ad honeſtatem diſputationibus ſuis traduxerit. Laertius.

ARISTOTELES inuentione præceptori ſuo Platoni ſi non par, non multò tamen inferior, methodo etiam ſuperior, Ethicæ philoſophiæ præcepta reſolutiuo ordine tradidit: generalia primùm de principiis præcepta in libris Ethicorum Nicomachiorum expoſuit: in libris autem Politicorum & Oeconomicorum, principiata ſiue effectus declarauit. Scripſit præterea in Ethicis particularia quædam, quorum catalogum pete ex Laertio lib. 5.

THEOPHRASTVS Ereſſus, Ariſtotelis auditor, inter cætera de felicitate librum unum, de uoluntario unum ſcripſit: abbreuiationem Reipub. Platonis duobus libris edidit: de uoluptate unum, legum ſecundùm elemēta XXIV. legum epitomes 10. legiferorum tres, politicorum tres, politicôn ad tempora quatuor, ciuilium conſuetudinum quatuor, de optima Repub. unum, de amicitia tres, de liberalitate duos, de legibus unum, de iniquis legibus unum, moralia problemata unum. Laertius lib. 5.

EPICVRVS Athenienſis, inter multa, quæ ſcripſit, etiam de perturbationibus, de iuſtitia & uirtutibus aliis commentarios reliquit. Laertius libro decimo epiſtolam illius recitat, in qua omnia illius Ethica dogmata breuiter explicantur.

DEMETRIVS Phalereus, Theophraſti auditor, de legibus Athenienſium libros quinq; ſcripſit, de ratione ducendi populum duos, de Rep. duos, de legibus unum, de magnificentia unum. Laertius lib. 5.

HERACLIDES Ponticus, Speuſippi & Ariſtotelis auditor, de iuſtitia tres dialogos ſcripſit, de temperantia unum, de pietate, de fortitudine, de uirtute, de felicitate, de legibus unum, de bono unum. Ibidem.

ANTISTHENIS Athenienſis Moralia ſcripta pete ex libro ſexto Laertij.

ZENO Citticus Stoicorum princeps, de appetitu, de perturbationibus uel de uitiis, de officio, de lege ſcripſit: item cōmentaria moralia. Laertius lib. 7.

CLEANTHES Aſſius, Zenonis ſucceſſor, libros ſcripſit de appetitione duos, de officio tres, de uirtutibus, de conſilio, de legibus, de amicitia, quòd eadem ſit uirtus uiri & feminæ, de uoluptate. Ibidem.

CHRYSIPPVS Solenſis, Cleanthis diſcipulus, in Ethicis nō pauca commentatus eſt. Vide eundem.

CARNEADES Cyrenæus, Chryſippi diſcipulus, Phyſiologia neglecta, Ethicam ſecutus eſt. Laërtius lib. 4.

STRATO Lampſacenus, Arceſilai F. Theophraſti diſcipulus, quamuis ob phyſicæ ſtudium Phyſici nomen meruerit, tamen in Ethicis quoque ſcripſit non pauca. De regno libros tres, de iuſtitia tres, de bono tres, de magiſtratibus duos, de fortitudine, de felicitate, de iniuſto. Laërtius.

*Poetæ.*

☞ *Vide Tit. Poetæ Gnomologi. Illic Characteris, heic Argumenti habetur ratio.*

ORPHEVS cithara ſua traxiſſe feras, ſyluas, montes, à poetis fingitur, quòd effrenatos hominum animos ſua leniuit doctrina atque eloquentia. Sic in opuſculis Virgilio annexis:

Threicius quondam uates fide creditur canora
Mouiſſe ſenſus acrium ferarum,
Atque amnes tenuiſſe uagos,
Et ſurda cantu concitaſſe ſaxa,
Suauiſonosq; modos teſtudinis arbores ſecutæ
Vmbram feruntur præbuiſſe uati.
Sed placidis hominum dictis fera corda mitigauit,
Doctaq; uitam uoce temperauit:
Iuſtitiam docuit, cœtu quoq; congregauit uno,
Moresq; agreſtes expoliuit Orpheus.

Sic de EODEM & de AMPHIONE Horatius in Arte:

Syluestres homines ſacer interpresq; deorum
Cædibus & uictu fœdo deterruit Orpheus:
Dictus ob hoc lenire tigres, rabidosq; leones.
Dictus & Amphion Thebanæ conditor urbis
Saxa mouêre ſono teſtudinis, & prece blanda
Ducere quò uellet. Fuit hæc ſapientia quondam,
Publica priuatis ſecernere, ſacra profanis:
Concubitu prohibere uago: dare iura maritis:
Oppida moliri: leges incidere ligno.
Sic honor & nomen diuinis uatibus, atque
Carminibus uenit.

PINDARVS diligenter inſtituit de rebus omnibus, de quibus doceri homines debent, & quæ in hominum communi uita euenire poſſunt, de Deo, de prouidentia, de pietate, pœnis impiorum apud inferos, & gaudio piorum in campo Elyſio, ſeu beatorum inſulis, in quibus uiuere & lætari canit Achillem, Cadmum, & alios heroas, uiros præſtantes, qui uirtute & uitæ integritate gauiſi ſunt, Olympiorum hymno 2. Contrà uerò primo Olymp. Tantalum torqueri apud inferos, perpetuo metu lapidis, quē capiti eius impendêre, & perpetuam ruinam minitari iuſſerunt ſuperi, quòd nectar è cōuiuio deorum furatus fuerit. Sic Ixion impurus, & homicida, rotæ impoſitus, uoce inceſſabili ad gratitudinem & pietatem erga deos, cunctos hortatur homines, ode 2. Pythiorum. Inculcat ubique, hominum conatus ſine deo, eiusque auxilio, omnes eſſe irritos: non ignarus ſcilicet, quàm ſoleant ſibi placere homines in rebus ſecundioribus, admiratione propriæ ſuæ uirtutis, & ſapientiæ. Victores ſępe admonet, ne elati uictoria, turpi aliqua calamitate è ſtatu dignitatis excutiantur: quemadmodum Bellerophontes, ode 13. Olymp. Eum proinde (quem μεγαλοφωνότατον ſemper nominare ſolet Athenæus) meritò maximi fecit antiquitas, ut magiſtrum & doctorem omnis honeſtatis caſtiſſimum & probatiſſimum. Vnde eo nato Nymphas cum *Muſis*, Pana quoque choreas duxiſſe, lætantes & gratulantes ſcilicet tantum poetam mortalibus, referunt philologi: & Pan, teſte Philoſtrato in Imaginibus, ſola Pindarica, poſthabitis cantilenis omnibus, canere deinceps eſt ſolitus. Apes etiam in ore Pindari, in cunis adhuc uagientis, dum mella faciunt, natiuam eius monſtrarūt ſuauitatē, in qua nihil fellis, nihil ueneni, ſed mella puriſſima ineſſent, referta ſaluberrimis alexipharmacis, optimis parænesibus, quibus referta ſunt membra ſingula. Ob eandem fortaſſe cauſam Pindari monumenta, quæ per omnia orbis terrarum regna longè lateque peruolarunt, Deus hucuſque pulcrè conſeruata uoluit, cùm interim multa millia optimorum auctorum ita funditùs perierint, ut ne nomina quidem ipſorum in hominum memoria manſerint. M. Neander in præfatione Ariſtologiæ Pindaricæ.

THEOGNIS Megarenſis Siculus, uel Atticus poeta, cùm turpi fabularum inuolucro poeſim contaminatam eſſe uideret, primus repudiatis fabulis admonitiones atq; paręneſes excogitauit, & nudas res ethicaque præcepta tractauit. Aphthonius in Progymnaſ.

OFELLVS poeta primus Latinitati Stoicam diſciplinam mādauit, & ad frugalitatem Romanos tum uoce, tum exemplo cohortatus eſt, teſte Horatio in Sermonibus.

*Rhetores, Sophiſtæ.*

SOPHISTÆ olim quæſtus cauſa, non eloquentiam tantùm, uerumetiam Ethicam philoſophiam, ſiue (ut illi uocabant) Politicam profitebantur, & ſeſe uirtutem docere poſſe affirmabant. Licet hoc ex Platonis dialogis, & Iſocratis orationibus colligere.



PROTAGORAS Abderites, Democriti auditor, ſophiſta inſignis, de Repub. & de uirtutibus ſcripſit.

*Politici.*

Themiſtoclem ſcribūt MNESIPHILI Phrearij fuiſſe aſſeclā. Fuit hic nō orator, neq; ex ſecta philoſophorum, quos Phyſicos nominant: uerùm eam, quam Sapientiam uocabant, quæ ſcientia erat reip. gerendæ, & prudentia negotioſa, amplexus eſt, & tenuit uelut ſectā ex ſucceſſione Solonis: quā ſequentes cum artibus confuderunt forenſibus, & ab actu rerum traiecerunt meditationem ad uerba, unde Sophiſtæ ſunt appellati. Plut. in Themiſtocle.

*Amatores.*

Eſt lex apud LACEDÆMONIOS, ſi quis adoleſcens in deliciis habitus peccaſſet, concedebāt aut morum ſimplicitati, aut ætati iuuenili: amatorem uerò eius pœnas luere cogebant: uolentes arbitros eos & inſpectores eſſe omnium quę iſti facerēt. Itaq; formoſum quendā ac bonū uirū, quòd neminem amaret, ex iis qui deteriores eſſent, pœna Ephori affecerunt: quòd cùm bonus eſſet, neminē amaret. Similem enim ſui potuiſſet amaſium reddere, forſitā etiam aliū. Aelianus lib. 3. Var. hiſt.

*Mulieres.*

ASPASIA meretrix rerum ciuilium peritiſſima fuit. Vnde & à Pericle, repudiata legitima coniuge, in uxorem ducta fuit, & à Socrate frequenter conſulta. Plut. in Pericle.

---

## QVOMODO DOCERE MORES

*Sententiis moralibus.*

☞ *Vide Tit. Poetæ Gnomologi.*

VETERES olim in iis, quæ ad honeſtatem morum pertinēt, occupatiſſimi fuerunt: & qui de uirtutibus aliquid proferre poterat, ſapiētiſſimus habebatur. Cùm autem præcepta uirtutum nondum perfectè inuenta eſſent, neq; etiam logica adhuc reperta, cuius beneficio ad artem & ordinem præcepta iſta redigerentur: breues tantùm uiuendi formulæ & ſententiæ circumferebantur, ceu inuenta quædam ethica, quas Γνώμας & Ὑποθήκας appellabant, earumq; auctores uel deos ipſos (ſic γνῶθι σεαυτὸν è cœlo decediſſe fabulati ſunt, & deorum templis hæc ipſa inſcribebant) uel diuinos quoſdā homines, quos σοφοὺς eſſe diciq; debere arbitrabantur, cōſtituebāt. Tales fuêre ſeptē illi Græciæ ſapiētes, quorum pleræque ſententię, propter quas hoc nomen ſunt adepti, ad uitā practicā pertinent. de quib. ſub Titulo Sapientum egimus. Secuti ſunt illos innumeri alij poëtæ, præſertim GNOMOLOGI dicti: quorū ſub loco Poetarū mentionem fecimus. Atque adeò uetus philoſophia Ethica, mera Gnomologia fuit, ut Plut. in Theſei uita teſtatur: ubi etiam PITTHEVM, Theſei auum, Trœzeniorum regem, à quo Hippolytus fuerit ad pudicitiam inſtitutus, opinionem doctrinæ & ſapientiæ præ cæteris adeptum ſcribit. Ex eius ſententiis hanc unam fuiſſe ferunt:

Μισθὸς δ' ἀνδρὶ φίλῳ εἰρημένος ἄρκιος ἔστω. *id eſt,*

Aequa uiro merces fac præſtituatur amico.

quaſi Heſiodus quoq; in libro de Operibus & Diebus propter ſententiarum pulcritudinem claruerit. LACONES in hoc ipſo philoſophandi genere inſignes fuerunt, eidemq; Laconico dicendi charactere magnam auctoritatem conciliarunt, adeò ut Socrates apud Platonem Spartas reconditæ philoſophiæ domicilium aſſerere non dubitarit.

EPICTETVS, Cynicæ ſectæ philoſophus, uniuerſa philoſophorū dogmata, quę ad humanæ uitę pertineant felicitatē, quæque tot uoluminibus uix explicant cæteri, duobus uerbis abſolutè complexus eſt, quę iam olim prouerbij uice celebrantur à doctis, digna profectò, quæ omnibus parietibus, omnibus columnis inſcribantur, omnibus anulis inſculpantur. Ea ſunt huiuſmodi, ἀνέχου καὶ ἀπέχου, id eſt, Suſtine & abſtine. Quorum altero monemur, ut aduerſa fortiter toleremus: altero, ut ab illicitis temperemus uoluptatibus. Eraſmus in Adagiis.

*Fabulis.*

AESOPVS Samius, aut Sardianus (Engiton Meſembrianum fuiſſe dicit, alij Cotienſem Phrygem) fuit logopœus, hoc eſt inuentor ſermonum & reſponſionum. Verſatus eſt & in precio habitus apud Crœſum, antiquior Pythagora, XL. Olympiade. Scripſit ea, quæ ſibi Delphis acciderunt, libris duobus. Ac potius quidam aiunt, Aeſopum Apologos ſcripſiſſe ſolùm: nam apud Delphos iniuſtè periiſſe, præcipitatum ab incolis de Phædriadibus rupibus, LIIII. Olympiade, & famulū fuiſſe Xanthi Lydi. Alij, Samij uiri Iadmonis: cuius & Rhodopis ancilla fuerit. Suidas.

*Legibus.*

☞ *Huc Legislatores imaginariæ Reip. pertinent. Sed & ueræ Reip. & quæ actu exiſtit.*

Dicæarchus Peripateticus eos, qui ſeptem SAPIENTES uocantur, ſapiētes fuiſſe aut philoſophos negat, ſed cordatos tantùm uiros, & legumlatores: ex cuius ſententia Cicero in Lælio inquit: Qui ſeptem appellantur, eos, qui iſta ſubtiliùs quærunt, in numero ſapientium non habent. L. Viues in lib. 18. Auguſt. de Ciuit. Dei, cap. 25.

HIPPODAMVS Mileſius natura literis deditus, primus eorum, qui in Repub. uerſati non eſſent, cœpit aliquid dicere de optimo ciuitatis ſtatu. Ariſt. lib. 2. Politicorū illius Rempub. examinat.

PLATO ſuis legibus docuit, quales deberent eſſe in Repub. ciues. Inſtituit & Remp. imaginariam, inuentu difficillimam: ut eſt perfectus orator Fabij. Vini uſum uſque ad annum XVIII non probabat. Iubebat ut iuuenes coram ſenibus uino uterentur: ut carperentur, ſi indulgentiùs potaſſent. Volebat pueros operam dare muſicæ, ut ſeria negotia honeſto recrearent otio. Laudabat ueritatem, ut omnium bonorum ducem. Rauiſius.

EIVSDEM gloria, & uirtutis fama, uſque ad Arcadas & Thebanos permanarat. Qui miſſis legatis, ſummo ſtudio hominem non ſolùm ad inſtituendos iuuenes, & docendam philoſophiam, uerùm etiam, quod maius erat, ad præſcribendas reipub. leges uocarunt. Impetraturi igitur fuerant à uiro rogata: uerùm cùm legatos interrogaſſet, quemadmodum ad æquabilem bonorum honorumque partitionem eſſent affecti? & comperiſſet eos hanc prorſus abominari, neque ut ſuſciperent perſuaderi poſſe: noluit ad eos proficiſci. Aelianus de Var. hiſt. lib. 2.

ARISTOTELES, in libris Politicorum, Reipublicæ regiæ ideam ex philoſophicis principiis deduxit. Octauo certè libro leges pueritiæ inſtituendæ tradit. Vtinam uerò ne duo poſtremi intercidiſſent, quibus reliquarum ætatum mores informauit. Sed eam iacturam Cyriacus Strozza, Florentinus Patricius, magno animo ſupplere ſtuduit.

*Conſiliis.*

☞ *Vide locum Prudentiæ in conſulendo.*

*Adhortatione, Admonitione.*

Gręci Imperatores cùm aliis tum præſertim Danis ſatellitibus uti conſueuerant. Quos ERICVS II. Danorum rex, in Hieroſolymitana peregrinatione Conſtantinopolim ueniens, ad ſe uenire iuſſos, eorum fortunam extollere cœpit, qui indigenis exules imperitarēt, multoque foris quàm domi feliciores exiſterent: ad hæc, Imperatorem eorum fidei capitis ſui cuſtodiam credere. Quapropter magnoperè eis curandum eſſe, ne plus temulentiæ quàm ſobrietati indulgerent. Monuit quoque, ne manum cum hoſtibus conſerturi, maiorem uitæ quàm uirtutis curam agerent, néue ſalutem ſuam ignauiæ præſidio tuerentur: promittens ſe cùm primùm in patriam rediſſent, fidelem eorum operam beneficiis penſaturum. Quòd ſi uiriliter dimicantes ſpiritum in acie profudiſſent, propinquos eorum ac neceſſarios honore proſecuturum. Saxo libro 12.

---

## DISCIPVLI ETHICI.

### PRAECEPTIS.

Admirabilis eſt GYMNOSOPHISTARVM in perferendis quibuſuis doloribus atque malis conſtantia: quam non naturali quadam ἀναισθησίᾳ obtinuêre, ut leones & urſi, ſed philoſophiæ doctrina acquiſiuêre.

Athenis CHABRIÆ & PHOCIONES ex Academia ad pręturam peruenêre. Plut. contra Coloten.

DION Syracuſanus natura excelſo fuit ingenio, & animo forti, & tyrannidis inimicus. Cæterùm animus hic, Platonis fortuito in Siciliam aduentu, ſuum ueluti obſtetricatorem nactus, non ſine numine, liberationem Syracuſarum procurante, magis magiſque adoleuit. Nam quamuis tinctus eſſet moribus ſub tyranno abiectis, arroganti famulitio, deliciis inſolentibus, ſummumque bonum uoluptate & potentia metiretur: ut primùm tamen doctrinam Platonis guſtauit, philoſophia duce uirtuti totum ſeſe dedidit. Plutarchus in Dione.

Ad DIONYSIVM Siciliæ tyrannum Dionis conciliatione tranſmiſerat Plato. Tyrannus, tanquam magno bono imperium ſuum eſſet auctum, ſacrificauit. Pudor in conuiuiis, aula compoſita, ipſius tyranni in omnibus reſponſis iudiciiſque lenitas & humanitas ſpeciem miram præbebat

conuerſionis. Ardor erat ad diſciplinas & ad philoſophiam omnium. Tyrannidis ſedẽ, ut fama eſt, puluis occupabatur ob numerũ eorũ, qui Geometriç incũbebãt. Paucis interpoſitis diebus ſolenne ſacrificium fuit in arce. Ibi cùm precaretur de more præcõ, ut dominatus in multas ætates conſiſteret inconcuſſus: aſſiſtens Dionyſius perhibetur dixiſſe, Quin tu deſinis in nos execrari? Momordit id ſupra modum Philiſtum cum ſuis, inſuperabilem auctoritatem fore ſpacio & conſuetudine exiſtimans Platonis: qui tunc modico ex uſu uſque adeò animum inuerterat & uariauerat adoleſcentis. Plut. in Dione.

ALEXANDER Magnus à Xenocrate præcepta imperãdi petiuit. Plut. contra Coloten.

Apud Eurip. Heraclidis, famuli de EVRYSTHEO, paulo antè potentiſſimo & ſuperbiſſimo Argiuorum rege, nunc uerò uicto in prælio, & capto, ſic aiunt:

-- τῇ δὲ νῦν τύχῃ
βροτοῖς ἅπασι λαμπρὰ κηρύσσει, μαθεῖν
τὸν εὐτυχεῖν δοκοῦντα μὴ ζηλοῦν, πρὶν ἂν
θανόντ' ἴδῃ τις· ὡς ἐφήμεροι τύχαι. Præſente fortuna, mortalibus omnibus ſplendida prædicat, ut diſcant, illum, qui beatus eſſe uidetur, non admirari, antequam mortuum uiderit quis: quoniam momentanea eſt felicitas fortunæ.

Tritum illud Claudiani, Regis ad exemplum totus componitur orbis, uel uno Dionyſij Syracuſani exemplo diſcere licet, quo philoſophiam complectente, omnes certatim FAMILIARES philoſophari cœpêre, quod paulo antè retulimus ex Plut.

EXEMPLIS.

*Conſule locum Imitationis.*

# ETHICAE PHILOSOPHIAE VSVS.

## APTVS, RECTVS IN *Repub. inſtituenda, gubernanda.*

*Vide Tit. Legiſlatorum, & Philoſophorum, qui Politica tractarunt.*

PARMENIDES optimis legibus patriam exornauit ſuam. Itaq; magiſtratus quoque anno ciues iureiurando perſtituros in Parmenidis legibus adigunt. Plut. contra Cloten.

PLATO ex amicis ſuis miſit Arcadibus ad ordinandam eorũ rempub. Ariſtonymum, Eliis Phormionem, Menedemũ Pyrrhæis. Idem.

EVDOXVS Cnidiis, Ariſtoteles Stagiritis, Platonis familiares, leges ſcripſerunt. Idem.

### *Tyrannis tollendis.*

Parmenidis alumnus, ZENO Eleates, facta in Demylum tyrannum conſpiratione, cùm ſucceſſus eum fefelliſſet, in igne Parmenidis diſciplinam ſicut aurum puram & probam factis præſtitit: & oſtendit, turpitudinem magno uiro terribilem eſſe: cruciatu pueros, mulieres, & mulierũ animis præditos uiros terreri. Quippe linguam ſuam abroſit, expuitq; in tyrannum. Plut. contra Coloten.

### *Reconciliandis inimicis.*

Armeniorum regem Medis rebellantem, Cyrus Perſa ceperat, & propria confeſſione morte dignum iudicarat. At filius Armenij TIGRANES, philoſophi cuiuſdam inſtitutione & conuerſatione eruditus, philoſophicis rationibus Cyro perſuaſit, præſtabilius eſſe patrem in uita manere, uitaque & regno donatum, uirtute Cyri in perpetuum deuinciri, eo maximè cùm pœnas omnium maximas iam dediſſe uideatur, de ſua ſuorumque ſalute deſperans. Metum enim grauius ſupplicium eſſe hominibus quouis alio corporis malo. Et hac ſanè philoſophia ſua & patrem ab exitio præſente, & fratres cum uxore ſua à ſeruitute liberauit. Xenophon lib. 3. Pædiæ.

### *Accendendo ad Expeditionẽ, Prælium.*

Ille, qui legatus fuit ab Græcis Aſianis ad Alexandrum, atque eum ad conuertenda in barbaros arma potiſſimùm accendit & acuit, DELIVS fuit Epheſius, Platonis aſſecla. Plutarchus in Coloten.

M. CATO bello ciuili cõtra Cæſarem apud Dyrrhachium philoſophia ſua milites accẽdit, de libertate, uirtute, morte, gloria, magno animi motu diſſerens. Vbi cùm extremam orationem ad deorum implorationem quaſi præſentium & illud pro patria inſpectantium certamen, conuertiſſet: tantus fuit ſublatus clamor, tantuſque motus exercitus, ut duces concitarentur ſpei pleni omnes ad diſcrimen. Plutarchus in Catone.

TITVS Cæſar pulcerrima oratione, & de uirtutis gloria & animorũ immortalitate, milites ſuos ad Antoniæ arcis Hieroſolymitanæ expugnationẽ accendit. Ioſephus de bello Iud.

### *Tolerandis malis.*

Philoſophiæ præſidio inſtructi CRATES, DIOGENES, uerbera patienter tulêre: ZENO, THEODORVS, ANAXARCHVS in tormentis grauiſs. conſtantes permanſere.

SOCRATES poſt damnationem parato ei per amicos effugio non eſt uſus, quò legum auctoritatem ſanciret: ſed mori iniuſtè maluit, quàm uiolatis incolumis eſſe legibus. Plutarchus in Coloten.

DIONYSIVS tyrannus Corinthi exulans, cuidam inſultanti ob exilium, & interroganti, Quem'nam ex Platonis ſapientia cepiſſet fructum? Nihil'ne (inquiens) tibi prouectus uidemur à Platone aſſecuti, qui ita uices feramus fortunæ? Plut. in Timoleonte.

AEDESIVS Cappadox mercaturæ cauſa in Græciam à patre ablegatus, philoſophiam amplexatus eſt. Pater reuertentem, ut inutilem domo exegit, his uerbis, Ecquid tandem emolumenti affert philoſophia? Tum ille conuerſus, Hoc ipſum, inquit. & ſupplex ad genua patri accidens, furorem illius mitigauit. Eunapius in Sophiſtis. Eraſmus adoleſcenti cuidam à Zenone Stoico patris uoluntate aliquandiu inſtituto, tribuit, lib. 8. Apophtheg.

## INEPTVS.

M. Tullius in libro de Oratore, Annibalẽ dicit audiuiſſe Epheſi Peripateticum PHORMIONEM, de Imperatoris officio & de omni re militari copioſiſſimè diſſerentem: pauloque pòſt rogatum, Quid'nam de illo philoſopho iudicaret? reſpondiſſe, non optimè Græcè, attamen Græcè: Multos ſe deliros uidiſſe ſenes, ſed qui magis quàm Phormio deliraret, uidiſſe neminem. Quæ uox uti ſuperba eſt, ita Annibale digna: illo ſcilicet, qui ſe Scipioni, à quo uictus fuerat, præponere non dubitarit. Putauit ille idem, quod plerique Cyclopes noſtra ætate, nullum literarum eſſe uſum, præterquam in ſcholis & umbra: & par eſſe delictum, militem de religione, atque hominem doctum, de re militari diſſerere.

Cùm bello ciuili inter Vitellium & Veſpaſianum, legati à Vitellio de pace ad Veſpaſianũ miſſi eſſent: inter legatos cùm etiam fuiſſet TACITVS Muſonius Ruffus, Stoicæ philoſophiæ placitis de pacis bono ac belli diſcriminibus inter milites importunè uſus dicitur.

Cùm DEMETRIVS Cynicus, Stoicæ diſciplinæ magiſter, aliique multi occaſione philoſophiæ multa publicè diſſererent, inutilia iis, qui audiebant, quinimò & Reipub. pernicioſa: quia multos occultè ac ueluti ex inſidiis in uarias ſententias adducerent (ut de unius imperio, aut de ſtatu populari, horum uter melior eſſet) Demetrius cum Hoſtilio in inſulam à Veſpaſiano relegatus eſt: cæteri omnes huius ſectæ philoſophi, urbe abire iuſſi. Atque cùm nihilominus paulo pòſt Diogenes clàm in urbem ingreſſus, apud populum acerbiùs atque arrogantiùs de ſumma Reipub. uerba feciſſet, eodem iubente Imperatore: uirgis cæſus eſt, & quando Erotem Cynicum ne iſta quidem pœna deterruiſſet, ei capitale fuit. Nempe ut ciuis atque uiri boni eſt, præſentem ſtatum Reipublicæ nolle commutari: ita prudentis Imperatoris eſt, cauere ne aſſiduitate harum in contrarias partes ſcholaſticarum diſputationum abſtrahatur aliò ciuium animus, rerumque innouandarum cupidiores fiant. P. Aerodius ex Dionis Veſpaſiano.

# ETHICA CERTAMINA. QVAESTIONES ETHICAE.

## IN GENERE.

Apud Platonem SOCRATES contra Sophiſtas in Euthyphrone de Sancto, hoc eſt, de Iuſtitia erga deum diſputat, Euthyphronis opinionem confutat: in Politico, Regis munus docet: in Philebo de Voluptate, hoc eſt, de ſummo animi bono: in Amatoribus, de Philoſophiæ practicæ uſu, & Philoſophi moralis officio: in Theage, de Sapientia ciuili: in Charmide, de Temperantia: in Lachete de Fortitudine: in Lyſide, de Amicitia: in Menone, de Virtute: in libris deniq; de Republica, de ipſo Iuſto. Nempe dum falſas opiniones euertit, uera præcepta docet.

## IN SPECIE. DE *Summo bono.*

De ſummo bono in hac uita adipiſcẽdo, uitando aũt ſummo malo, multũ laborarũt PHILOSOPHI: nec tñ eos, q̃uis diuerſis errãtes modis, naturę limes in tãtũ ab itinere ueritatis deuiare pmiſit, ut nõ alij in aĩo, alij in corpore, alij in utroque



que fines bonorum ponerent & malorum. Ex qua tripertita uelut generalium diſtributionẽ ſectarum, M. Varro in libro de Philoſophia, tam multam dogmatum uarietatem, diligẽter & ſubtiliter ſcrutatus, aduertit: ut ad CCLXXXIIX. ſectas, non quæ iam eſſent, ſed quæ eſſe poſſent, adhibens quaſdam differentias, facillimè perueniret. D. Auguſt. lib. 19. de Ciu. Dei, cap. 1.

### *Virtutibus.*

PLATO, cùm in Siciliam ueniſſet, Dioni propter philoſophiæ ſtudium inſinuatus fuit. Dion ex ſua erga philoſophiã admiratione Dionyſij quoque tyranni (cui ſoror Ariſtomache nupta erat) animum metiẽs, auctor fuit tyranno, ut per otium Platonem audiret. In colloquio cùm in ſumma de uiri uirtute, præſertim autem de fortitudine, diſputaretur: quia quiduis citius Plato, quàm tyrannos fortes aſſeruit: hinc ad iuſtitiam tranſiẽs docuit, beatam iuſtorum eſſe, iniuſtorum miſeram uitam: non tulit ſermonem eius tyrannus: uerùm quaſi coargueretur, infenſus quoque fuit aſſiſtentibus, qui Platonem commendabant mirificè, atque eius oratione ducebantur. Poſtremò inflammatus exacerbatuſque rogauit eum, Quid in Siciliam ueniſſet? Qui cùm reſpondiſſet, Virum bonum ſe quærere: excipiens ille, Atqui hercle, inquit, nondum uideris eum inueniſſe. Ac Dion, qui non exiſtimabat porrò iram Dionyſij progreſſuram, properantem Platonem in triremi, qua Pollis Spartiates redibat in Græciam, dimiſit. Verùm rogauit Dionyſius Pollim ſecretò, maximè, ut in curſu occideret eum: ſin minus, omnino uenundaret. nullam iniuriam accepturum, ſed æquè beatũ fore, uel in ſeruitute, ut qui eſſet iuſtus. Itaque dicitur Platonem Pollis Aeginam deportaſſe ac diſtraxiſſe, cùm bellũ haberet ea ciuitas tunc cum populo Athenienſe, & plebiſcitũ, ſi quis captus ciuis Athenienſis foret, ut uenderetur Aeginæ. Plut. in Dione.

Vrſa, Helgonis Danorũ regis notha, ex patre imprudẽte ROLVONEM F. ſuſcepit. Is regno Daniæ potitus, uiſendæ & abducendæ matris deſiderio in Sueciam abiit: nupſerat enim illa ATISLO Sueonum regi, propter auaritiam exoſo. Primo congreſſu cùm à matre non agnoſceretur, ab illa cibum ſibi parari, mox laceram quoque ueſtem conſui petiit per iocum. Vtrumque illa abnuente, Et ubínam fidem reperias, exclamauit, cùm & mater filio cibum parare, & ſoror fratri ueſtem ſarcire recuſet? Hoc dicto à matre agnitus, & regiæ menſæ adhibitus, cùm inter prandendum de Virtute excellentiſſima quæreretur, Roluo Tolerantiæ primas tribuit, Atiſlus Liberalitati. Roluo nudatum corpus foco luculento admouit, ſolo clypeo partem, quę igni magis expoſita erat, tegens. Quumq; omnium admiratione ſtaret immobilis, aquam rogo iniecêre, qui aſtabant, patientia eius maxima comprobata. Atiſlus uiciſſim liberalitatis exercendæ cauſa monilibus aureis, & in primis torque magni ponderis, priuignum donauit. Regina (ut cum filio habebat cõſtitutum) clàm egreſſa, theſauros regios exportauit, Daniã cum filio repetitura. Diſtinebat Roluo uitricum ſermonibus multis, ut iam ſatis idoneum regina tempus haberet ad abitum: ipſe quoque tempore ſuo petita abeundi uenia, uitrico dixit uale. Rex dolo comperto inſequitur fugientes. Regina æs inauratum in litore ſparſim abiecit. Qua ſpecię deceptus rex, quaſi receptis theſauris, ſequi fugientes intermiſit. Nec multo pòſt Atiſlum ſoluere tributa recuſantem, Roluo oppreſſit in prælio, regnumque ſine rege ſubeſſe Danis in reliquum uoluit. Cranzius libro 1. Sueciæ, cap. 19. ex Saxone lib. 2.

### *Inſania, Stultitia.*

Elegans apud Horatium lib. 2. Sat. 3. diſputatio eſt inter AGAMEMNONEM & quendam claſſiarium militem, qua oſtẽdit regem Aiace magis inſaniuiſſe:

Ne quis humaſſe uelit Aiacem, Atrida, uetas quur?
Rex ſum. Nil ultra quæro plebeius. Et æquam
Rem imperito: ac ſi cui uideor non iuſtus, inultò
Dicere quæ ſentit permitto. Maxime regum
Dij tibi dent capta claſſem deducere Troia:
Ergo conſulere, & mox reſpondere licebit?
Conſule. Quur Aiax heros ab Achille ſecundus
Putreſcit, toties ſeruatis clarus Achiuis?
Gaudeat ut populus Priami, Priamuſq; inhumato,
Per quem tot iuuenes patrio caruêre ſepulcro?
Mille ouium inſanus morti dedit, inclytum Vlyſſem,
Et Menelaum unà mecum ſe occidere clamans.
Tu quum pro uitula ſtatuis dulcem Aulide natam
Ante aras, ſpargiſq; mola caput improbe ſalſa,
Rectũ animi ſeruas? Quorſum inſanus? Quid .n. Aiax
Fecit, quum ſtrauit ferro pecus, abſtinuit uim
Vxore & gnato? Mala multa precatus Atridis.
Non ille aut Teucrum, aut ipſum uiolauit Vlyſſem.
Verùm ego, ut hærenteis aduerſo litore naueis
Eriperem, prudens placaui ſanguine diuos.
Nempe tuo, furioſe? Meo, ſed non furioſus.
Qui ſpecies alias ueri ſceleriſq; tumultu
Permiſtas capiet, commotus habebitur: atq;
Stultitia ne erret, nihilum diſtabit, an ira.
Aiax immeritos dum occidit, deſipit, agnos.
Quum prudens ſcelus ob titulos admittis inaneis,
Stas animo? & purum eſt uitio tibi, quũ tumidũ eſt cor?
Si quis lectica nitidam geſtare amet agnam,
Huic ueſtem ut gnatæ, paret ancillas, paret aurum:
Ruffam aut puſillam appellet, fortiq; marito
Deſtinet uxorem, interdicto huic omne adimat ius
Prætor, & ad ſanos abeat tutela propinquos.
Quòd ſi quis gnatam pro muta deuouet agna,
Integer eſt animi? Ne dixeris. Ergo ubi praua
Stultitia, hic eſt ſumma inſania.

### *Morte.*

C. IVL. Cæſar pridie ante cædem cùm apud M. Lepidum cœnaret, ſubſcribebat fortè epiſtolis, ut ſolebat, recumbẽs. Ibi ſermone moto, Quænam mors optima foret? omnes anteuertens, exclamauit, Inopinata. Plut. in Cæſare.

Refert Lucas Tudenſis, tempore Alfonſi tertij Aſturum regis apud Cordubam, à Sarracenis tunc occupatam, regnaſſe quendã MAHOMETVM nomine, qui cũ ad amœniſſimũ uiridariũ ſeceſſiſſet, ait ad eum unus MILES: O quàm pulcer eſt hic mundus, ſi homines non eſſent morituri. Ad quẽ Rex, Erras, inquit, grauiter. Si enim non eſſet mors, utique ego non regnarem. Ad quem rurſus alter: Grauius uerò tu erras. Vti enim caram habes mortem, quia tibi regnum attulit: ſic oderis uiciſſim mortem neceſſe eſt, quia tibi breui regnum auferet. Tum Rex, Quid igitur regnare iuuat? At ille, Vt honore rex ſolùm fruatur & gloria. Cui autem (teſte Ariſtotele) hæc non ſufficiunt, tyrannidem exercere, nõ regnare, dicendus eſt: nec regnat, quem ratio non regit. Rodericus Santius parte 3. hiſt. Hiſpan. c. 12.

### *Diuitibus.*

IAMBLICHO Syro philoſophia æqualis fuit ALYPIVS Alexandrinus, diſputator excellentiſſimus. Gliſcente utriuſque fama, euenit ut caſu obuij mutuo ſibi occurrerent, ueluti ſtellæ quæpiam: circumſeſſique adeò ſpiſſo theatro & auditorum cœtu, ut ingentis Muſæi uicem repræſentaret, tenerentur. Itaque dum Iamblichus cunctatur, interrogari, quàm prior quæſtionem intentare magis expectans: Alypius præter omnem expectationem, poſtpoſitis philoſophicis quæſtionibus, corona hominum ſeptum ſe uidens, ad Iamblichum conuerſus, Dic mihi philoſophe, inquit, uerúmne ſit annon, Diues aut iniuſtus, aut iniuſti hæres? nihil enim hic medium. Ille quæſtionis aculeum peroſus, Alienus, inquit, à noſtra ratione iſte diſputationis modus eſt, uir eximie, ſi quis in rebus externis præter alios excellat: ſed ſi uirtutum, quibus philoſophum propriè ornatum eſſe decet, copiis circumfluat atque abundet. Quæ uerba locutus diſceſſit, ſimulque cum aſſurgente conſeſſus omnis diffluxit. Poſt diſceſſum, ſe ipſum colligens, ac quæſtionis acumen ſecum admiratus, frequenter in eius congreſſum colloquiumque priuatim uenit, ſupra modum admiratione ac laudibus uirum proſecutus ob iudicij ſubtilitatem, & ingenij ſagacitatem: defunctique uitam hiſtoricè abſoluit. Eunapius in Iamblicho. Problema uidetur Alypius uel ex uulgato ſumpſiſſe prouerbio, uti etiam Timandridas Lacon, apud Aelianum libro decimoquarto Variæ hiſtoriæ, cùm domum peregrè reuerſus, filium magnas opes accumulaſſe uidiſſet: uel ex Menandri Κολακείᾳ, referente Stobæo, ubi ait:

οὐδεὶς ἐπλούτησε ταχέως δίκαιος ὤν·
ὁ μὲν γὰρ αὑτῷ συλλέγει καὶ φείδεται,
ὁ δὲ τὸν πάλαι τηροῦντ' ἐνεδρεύσας πάντ' ἔχει.

### *Amicitia.*

M. Tullius in ſermone de Amicitia, ſcribit P. SCIPIONI uſqueadeò non placuiſſe dictũ hoc BIANTIS nomine celebratum, Δεῖ φιλεῖν ὥσπερ μισήσοντα, μισεῖν δὲ ὥσπερ φιλήσοντα. i. Sic amandum tanquam ſis oſurus, ſic oportet odiſſe, tanquam ſis amaturus: ut negaret ullam uocem inimiciorem amicitiæ reperiri potuiſſe, quàm eius, qui dixiſſet, ita amare oportere, ut ſi aliquando eſſet oſurus: nec uerò ſe adduci poſſe, ut hoc, quemadmodum putaretur, à Biante dictum eſſe crederet, qui ſapiens habitus eſſet unus è ſeptem: ſed impuri cuiuſdam, aut ambitioſi, aut omnia ad ſuam potentiam reuocantis eſſe ſententiã. Quónam enim modo, inquit, quiſquã amicus eius eſſe poterit, cuius ſe putabit inimicum eſſe poſſe? quinetiam neceſſe erit cupere & optare, ut quàm ſæpiſſimè peccet amicus, quo plures det ſibi tanquã anſas ad reprehendendum. Rurſum autem rectè factis commodiſq; amicorum neceſſe erit angi, dolere, inuidere.

Qua-

Quare hoc quidem præceptum, cuiuſcunq; eſt, ad tollendã amicitiam ualet. Illud potiùs præcipiendum fuit, ut eam diligentiam adhiberemus in amicitiis parandis, ut ne quãdo amare inciperemus eum, quem aliquãdo odiſſe poſſemus. Hactenus Cicero. Eraſmus in Adagiis.

*Republica.*

Pulcrà diſputatio inter PRAECONEM Thebanum miſſum à Creonte rege, & THESEVM regem Athenienſium, illo Democratiam, hoc Monarchiam impugnante, apud Euripidẽ in Supplicibus extat.

# ETHICVM IVDICIVM, PERPENDENDVM

## QVI IVDICENT.

*Præceptores.*

Ephorus Cumanus, & Theopompus Damaſiſtrati filius, Chius, ambo ISOCRATIS diſcipuli, ſed ingeniis diſſimilibus. Ephorus ſimplici, & in hiſtorica dictione ſupinus & ſegnis ſine ulla contentione: Theopompus acerbo & maligno ingenio, copioſus, denſus, uehemens, ueritatis in ſcriptis ſuis ſtudioſus. Itaque Iſocrates hunc frenis, illum calcaribus egere dixit. Suidas, Cicero ad Atticum, & de Claris Oratoribus, Quintilianus lib. 10. c. 1. Inſtit.

*Scurræ.*

Vopiſcus in Aurelio refert apophthegma SCVRRÆ cuiuſdã, q dixerit, In uno anulo bonos Principes omneis ſculpi poſſe. Sentiebat, eſſe magnum Imperatorum numerum, ſed in iis perpaucos bonos.

## DE QVIB. IVDICENT. DE

*Regibus.*

Apud AEGYPTIOS mortem regis publico luctu celebrant. Mox iis, quæ ad pompam funeris ſpectant, præparatis, poſtrema die corpus in arca conditum ante ſepulcri aditũ ponunt. Ibi breuiarium in uita ab rege geſtorum de more recitant: uolentique facultas datur defunctum accuſandi. Adſtant ſacerdotes, mortui rectè facta laudantes. Populus, is permagnus eſt, qui exequias circumſtat, applaudit ueris laudibus: in reliquis magno reclamat tumultu. Quo accidit, ut plures reges, repugnante multitudine, ſolito caruerint ſepulcri honore ac magnificentia. Is timor coëgit Aegypti reges iuſtè uiuere, ueritos futuram poſt mortem plebis iram, atq; odium ſempiternum. Qui deprehenditur iniuſtè crimẽ obieciſſe, magna multatur pœna. Cùm deeſt accuſator, aut per calumniam accuſatum conſtat, cognati finito luctu ad laudes mortui uertuntur. Diodorus lib. 1. c. 8. & Herod. li. 2.

*Philoſophis.*

XENOCRATES de legitimis philoſophis protulit, Eos ſolos præſtare ultrò, quæ reliqui legis metu inuiti faciant, ſicut uerberibus canes, & muſtelæ ſtrepitu, à uoluptatibus deflectentes, & cruciatus reſpicientes. Plutarchus de Virtute morali.

Oneſicritus memoriæ prodidit apud Strabonem lib. 15. ſe ad Gymnoſophiſtas ab Alexandro miſſum, reperiſſe CALANVM nudũ in ſaxis iacentem, ac continuò in riſum prorupiſſe, ubi ſe chlamyde amictum cum crepidis & pileo uidiſſet. Hæcque protinus fari exorſum, Olim plena erant omnia triticea & hordeacea farina, ut nũc puluere. Fontes præterea alios lacte, alios melle, alios uino fluxiſſe, nonnullos etiam oleo. Tum uerò mortales ſatietate corruptos, deliciis addictos: quas Iupiter auerſatus, omnia quæ fuerant aboleuiſſet, ut uita per laborem ageretur. Subinde continentia & uirtutibus in medium prodeuntibus, bonorum copiam iterum factam: ſed cernere ſe rem ad ſatietatem & contumeliam iterum delabi. Quòd ſi ſapientiam audire uellet, poſitis ueſtibus ſupra cautes ſideris intemperie æſtuantes ſecum aſſideret.

Mox cum MANDANE locutus eſt, Alexandrum eo nomine laudante, quòd unus omnium in mediis armis ſapientiã reſpexiſſet. Hic quum multa de rerum natura, & mentis affectibus ſedandis diſputaſſet, dixiſſetq; Oneſicritus talia à pud Græcos ſenſiſſe Socratem, Pythagoram, & Diogenem: probauit Mandanis illos ut ſapientes: in eo Græcos accuſans, quòd legem anteponerent naturæ: nec ſe pudore affici, quod nudi degerent, quum alioqui frugaliter uiuerent: optimam domum eſſe, quæ minimæ ſupellectilis indigeret. Sabellicus lib. 6. En. 4.

EVDAMIDAS Archidami, frater Agidis, Xenocratem contẽplatus in Academia grandiorem iam ætate cum aſſeclis philoſophantem, exquiſiuit, Quiſnam ille eſſet ſenex? Reſpondente quopiam, Virum eſſe ſapientẽ, & ex illis, qui uirtutẽ quærunt: Quando tandem, inquit, ſi modò eam quærit, utetur ea? Plut. in Apophtheg.

Diſputantibus in Academia philoſophis, & PANTHOEDAM pòſt rogantibus, Qui uiderẽtur ei hi ſermones? Quid aliud, inquit, quàm boni: uerùm quò illi uobis, qui eis non utimini? Idem.

ALEXANDER Magnus cùm Diogenem Cynicum in dolio cubantẽ offendiſſet, admiratus illius ſecuritatẽ & frugalitatem, Niſi Alexander eſſem, Diogenes eſſe uelim, inquit. De eo ſic Iuuenalis Sat. 14.

Senſit Alexander, teſta cùm uidit in illa
Magnum habitatorem, quanto felicior hic, qui
Nil cuperet, quàm qui totum ſibi poſceret orbem,
Paſſurus geſtis æquanda pericula rebus.

## QVALITER IVDICENT.

*Ex priuatarum Virtutum Iudiciis genus ipſum illuſtrari poterit.*

### RECTVM IVDICIVM DE

*Indole.*

*Vide Titulum, Indolem explorare.*

*Legibus.*

ALFONSVS Cangenſium Aethiopum rex, ad fidem Chriſti ſtudio Emmanuelis Luſitaniæ regis conuerſus, quinque libros Luſitanarum legum cùm diligenter euolueret, legum quidem ſapientiam, & ordinem atque diſciplinam reipub. laudauit: ſed rebus etiam minutiſſimis leges certas inuentas eſſe, non facilè probauit. Itaque hanc legum exactiſſimã diligentiam irridens, de Luſitanis quęſiuit, Quæ nam pœna eſſet iis, qui in terra pedem ponerent. Oſorius libro decimo rerum Emmanuelis.

*Virtutis prouectu.*

CLEOMBROTVS Pauſaniæ, hoſpiti cuidam cum patre de uirtute ambigenti: Hactenus, inquit, te pater melior eſt, quouſq; tu quoq; generaueris. Plut. in Apophtheg.

ZENO Cittieus uolebat ex inſomniis ſuũ quenq; proceſſum ſentire: ſi neq; exultare ulla ſe turpitudine, neque admittere uel agere quicquam ſceleratè aut iniuſtè in ſomnis uideret, uerùm quaſi in profundo tranquillitatis placidæ perſpicuò uiſiones & motus animi perlucerẽt ex doctrina hilares. Plutarchus de Virtutis prouectu.

*Fortitudine.*

Calanus, ſophiſta Indus, cùm longum uale dixiſſet Alexãdro, Macedonibus, & uitæ, quando ſeipſum è corporis uinculis liberare uolebat, extructa & apparata pyra in ſuburbio Babylonis, coronatus foliis arundinum, affulgente ſibi ſole, quem ipſe adorabat, circumdatus flammis, immotus conſtitit: neque antè loco ceſſit, quàm expiraſſet. Tunc aiunt ALEXANDRVM cum ſtupore quodam admiratum dixiſſe, Calanum potentiores hoſtes debellaſſe, quàm ſe. Nam Alexander cum Poro, Taxili, & Dario bellum geſſerat: Calanus uerò cum labore & morte. Aelianus lib. 5. de Varia hiſt. & Plutarchus in Alexandro.

*Delictis.*

Mentiri PERSÆ ſecundum delictum ducunt, primum æs alienum conflare: quòd mentiri quoque ſoleãt debitores crebrò. Cæterùm plus mentiuntur fœneratores, & mala fide agunt, qui in diurnis ſuis ſcribant, huic tantum ſe expenſum ferre, cùm numerarint minus. Plut. de Non fœnerando.

*Reip. forma.*

Cùm Dionyſius tyrannus PLATONEM rogaret, ut aliquam quaſi ſpeciem & imaginem Reip. Athenienſis ſibi oſtenderet: ille Ariſtophanis Νεφέλας ei miſiſſe dicitur. Gyraldus.

*Reip. incremento.*

Apud Saluſtium CATO in Senatu ſic ait de Rom. moribus: Nolite exiſtimare, maiores noſtros armis rempublicam ex parua magnam feciſſe. Si ita eſſet, multo pulcerrimam eam nos haberemus. Quippe ſociorum atque ciuium, præterea armorum & equorum maior copia nobis quàm illis eſt. Sed alia fuêre, quæ illos magnos fecerunt, quæ nobis nulla ſunt: domi induſtria, foris iuſtum imperium, animus in conſulendo liber, neque libidine neque delicto obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam atque auaritiam, publicè egeſtatem, priuatim opulentiam: laudamus diuitias, ſequimur inertiam: inter bonos & malos diſcrimen nullum: omnia uirtutis præmia ambitio poſſidet. Neque mirum, ubi uos ſeparatim ſibi quiſque conſilia capitis, ubi domi uoluptatibus, hìc pecuniæ aut gratiæ ſeruitis. Eo fit, ut impetus fiat in uacuam rempub.

*Honoribus.*

*Ex loco Magnanimitatis in acceptandis uel repudiandis honoribus hæc quædam.*

Præſes



Præſes Cretæ prouinciæ ad Taurum philoſophum Athenas uiſendi cauſa uenerat cum patre. TAVRVS patrem priore loco, ut ſederet inuitauit. Pater uerò reſpondit, Sedeat hìc potiùs, qui pop. Rom. magiſtratus eſt. At Taurus, Abſque præiudicio, inquit, tu interea ſede, dum filio quoque ſella affertur. Qua allata, oſtendit, in publicis locis & actionibus patrum iura cum filiorum, qui in magiſtratibus ſunt, poteſtate collata, interquieſcere paululum debere. Sed cùm extra rempub. in domeſtica uita conuerſantur, inter filium magiſtratum & patrem priuatum publicos honores ceſſare, naturales & genuinos exoriri. Gellius lib. 1. Noctium Atticarũ, capite ſecundo.

SIGISMVNDVS Imp. in Baſilienſi concilio uidens Georgiũ Fiſcellum I. C. quem nuper equeſtris militiæ inſignibus decorarat, in publico conſeſſu animi dubiũ, legúmne doctoribus, an equitibus ſeſe coniungeret, tandem ad equites diſcedere: Stultè hoc quidem, dixit: nam ego mille equites uno die fecerim: doctorem unum in mille annis non fecerim. Aeneas Syluius lib. 4. com. in res geſtas Alfonſi. Neq; uerò unum, ſed multos ætate noſtra Fiſcellos reperias: qui poſtquam per literas ſic emerſere, ut nobilibus indoctis nõ modò æquentur, uerumetiam præferantur, ſummo tamen ſtudio id agant, uti ne deinceps iis per quos inclaruêre titulis ueris, ſed emendicatis tantùm fictę nobilitatis imaginibus, ſalutentur.

SIGISMVNDVS ab Herberſtein, liber Baro, uariis legationibus ad Turcarum Imp. ad Moſcouitas, ad Tartaros, cũ laude perfunctus (is qui Moſchorum hiſtoriam Latinè ſcripſit) tabellis functionum ſuarum ſeriem, ſucceſſum, habitum depingi curauerat. Quas cùm ſenex clariſſimus Ioanni Baſilio Heroldo monſtraret, ea quæ omnium prima erat, quando in Viennẽſi Academia Baccalarij titulũ ſuſcepit, prę cæteris plurimi fecit: quòd hæc ingenij uirib. tanquã caſtrenſe bonum, cõciliata foret, cùm reliquę, uel generis ſplendori uel principali gratiæ debitæ, huic ueluti baſi inniterẽtur: adeoque uti Themiſtocles de die feſto & profeſto dicebat, Niſi profeſtus fuiſſet, feſtus non eſſet: ſic ipſe, Niſi literarum cultu præſtitiſſem aliis, ne dignitate quidem, niſi præter meritum, excelluiſſem.

*Vita.*

SIMONIDES poëta nonageſimũ annũ exceſſit. Interrogatus quãdiu uixiſſet? Parũ, inquit, at annos multos. Gyraldus.

### DVBIVM, INCERTVM, OBSCVRVM IVDICIVM.

Earum quas mortales ſanciunt legum ratio nõ ſemper eſt cõſpicua: uerũ quædã ſcita ſanè quã ridicula apparent, inquit Plutarchus de Tarda dei uindicta. Vt Lacedæmone per pręconem Ephori, ſimulatq; ineunt magiſtratum, pronunciãt: Ne barbam alant, & ut audiẽtes ſint legibus, ne ipſis ſint duræ. Romani item quos in libertatem uindicant, eorum corporibus tenuem feſtucam iniiciunt. Cùm tabulas teſtamenti ſcribunt, alios inſtituunt hæredes, alij bona uendunt.

Morum diſſimilitudo apud diuerſas gentes à iudicij diuerſitate pendet. Sic AEGYPTIIS cadauera condere, Græcis cõburere honeſtum. Viris domum ſeruare, lanificium exercere: mulieribus, ea quæ foris ſunt adminiſtrare, decorum. Lacedæmonij otio dediti, ſolam rem militarem tractant, ſedentarias artes oderunt. Athenienſes econtrà otij crimen ſeuerè puniunt.

### INEPTVM IVDICIVM. De

*Gaudio & Dolore.*

DIONYSIVM tyrannum Plato tertia epiſtola reprehendit, quòd Apollinem Delphicum miſſis literis ſic compellaſſet,

χαῖρε, καὶ ἡδόμενον βίοτον διάσωζε τυράννου.

Gaudium enim dei naturæ minimè conuenire, immobili, & immutabili. Naturæ humanæ conuenire quidem, ſed tamen præſtare non gaudere, & non dolere, quàm alterutro horum affectuũ extra honeſtatis, ut plerunque fit, limites abripi. Itaque præſtantiorem eſſe ſalutandi formulam inter homines τὸ εὖ πράττειν, qua Plato uti ſolebat, quàm τὸ χαίρειν, qua Dionyſius, cum pleriſq; aliis.

*Virtute.*

MENONEM Theſſalum, qui eſſe ſibi ipſi perſuadebat mirè ſe in literis uerſatum, atque ut dictum eſt ab Empedocle, in ſapientiæ uertice uerſari, rogauit Socrates, quid uirtus eſſet. Qui cùm reſpondiſſet ferociter & expeditè, & pueri uirtutem eſſe, & ſenis, & uiri, & feminæ, & magiſtratus, & priuati, & domini, & miniſtri: Probè ſanè, inquit Socrates, de uirtute interrogatus una examen excitaſti uirtutum. haud malè notans, quòd iſte, qui ne unam quidem uirtutem noſſet, nominaret multas. Plut. de Amicorum multitudine.

*Ciuitatis iure.*

Apud Xenophontem in 2. libro ἀπομνημονευμάτων, Socrates irridet ſtultam rationem ARISTIPPI, qui dixerat, ut liber eſſet malis, quæ ſæpe uexant incolas certorum locorum, noluiſſe unquam aſcribi ſe in ciuitatem ullam, ſed ubique peregrinum eſſe: inquiens per ironiã, Nimirum ab eo tempore, quo Sinnis & Sciron & Procuſtes mortui ſunt, nemo hoſpites & peregrinos iniuria affecit. Victorius libro 2. Var. lect. capite decimo.

*Coniugio.*

VARVS Geminus, inter declamatores Auguſti temporibus nequaquam poſtremus, probè dixiſſe fertur: Qui non litigat, celebs eſt. Cui quidem adſtipulatur illud, quod in ſacris ſcribitur libris: Melius eſt habitare in loco deſerto, quàm cum uxore litigioſa. Eius dictum ex Hieronymo citatur apud Volaterranum libro 20. Anthropologiæ.

# ETHICÆ STVDIVM.

CYNICI philoſophi, quorum princeps Antiſthenes fuiſſe uidetur, Logicam & Phyſicam tollunt, ſolique Ethicæ incumbendum eſſe arbitrantur. DIOGENES itaque, teſte Diocle (quamuis alij hoc ipſum SOCRATI tribuunt) inquirendum eſſe dictitabat,

ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται.

Qui uerſus apud Hom. extat Odyſſ. δ. Laërtius.

HORATII ſtudium in philoſophia ethica ipſe libro 1. Epiſt. 1. confitetur:

Vt nox longa, quibus mentitur amica, dieſq;
Longa uidetur opus debentibus, ut piger annus
Pupillis, quos dura premit cuſtodia matrum:
Sic mihi tarda fluunt, ingrataq; tempora, quæ ſpem
Conſiliumq; morantur agendi nauiter, id quod
Aequè pauperibus prodeſt, locupletibus æquè,
Aequè neglectum pueris ſenibuſq; nocebit.
Reſtat ut his ego me ipſe regam, ſolerq; elementis:
Non poſſis oculo quantum contendere Lynceus,
Non tamen idcirco contemnas lippus inungi:
Nec quia deſperes inuicti membra Glyconis,
Nodoſa corpus nolis prohibere chiragra.
Eſt quâdam prodire tenus, ſi non datur ultrà.

# LEGISLATORES.

*Ariſtoteles in ſecundo Politicorum, multos legiſlatores recenſet, eorumq; inſtituta enarrat. Ex quibus alij reuera ciuibus leges præſcripſerunt, de quibus hoc Tit. agemus: alij eius Reipub. quam optimam fore ſibi imaginabantur, conſtitutionem ſcriptis tradiderunt: ut Hippodamus Mileſius, & Plato in libris de Repub. quos inter Ethicæ profeſſores retulimus. Conſule Titulum, Prudentiæ in legibus ponendis.*

## VNIVERSIM CONSIDERATI. Puta

### HEBRÆORVM.

MOSES legis conditor Pentateuchi, primus & tempore & ſapientia fuit: quem legiſſe, indeq; plura hauſiſſe Platonẽ, Auguſtinus exiſtimat. Euſebius libro 10. Præpar. Euang. Illius prudentiam & excellentiam Ioſephus libro ſecundo contra Appionem compendioſè & elegãter enarrat, & Strabo, licet ethnicus, ueritate cogente, præclara multa de eo libro 16. Geographiæ tradit.

### INDORVM.

ZOROASTRES Bactrianorum rex, leges populis dedit, eaſdemq; magicis præſtigiis confirmauit.

ZOTVASTES uel Zatraſtes ſimulata diuinitate primùm leges dedit Arianis. Diodorus Siculus libro 2. Antiquit. & libro 3. capite 5.

### AFRORVM.

Cùm ſub Arceſilao Batti F. rege Cyrenæorũ, Pœni Cyrenæos magna ſtrage cęcidiſſent: Cyrenæi ob acceptam calamitatẽ Delphos miſerunt, interrogatum, quam rationem ineuntes

præ-

præclariſſimè habitarent. Pythia iuſſit ex Mantinea Arcadum adducerent moderatorem. Itaque petentibus Cyrenæis, Mantinei dederunt quendam nomine DEMONACEM, uirum inter populares probatiſſimum. Hic Cyrenen profectus, ubi ſingula quæque edoctus eſt, in tres tribus diſtribuens illos ita digeſſit, ut unam quidem partem faceret Theræorum atque confinium, alteram autem Peloponnenſium atque Cretenſium, tertiam uerò cunctorum inſulanorum. Herodotus lib. 4.

L. LVCVLLVS à Sylla in Aegyptum & Africam miſſus, ad claſſem contrahendam, Cyrenæos cùm offendiſſet continenter à tyrannis & bello exagitatos, recreauit eos, & rempub. eorum conſtituit, uocem Platonis, quam fuerat ipſis uaticinatus, refricans apud ciuitatem. Cùm enim illum ſcilicet rogaſſent, ut leges ipſis ſcriberet, populumque ipſum ad formam aliquam ordinaret bonam moderandæ reipublicæ: Arduum dixit eſſe adeò fortunatis leges ferre Cyrenæis. Nihil eſt enim homine rebus elato ſecundis contumacius, neq; parentius imperio rebus aduerſis deiecto: quod quidem Cyrenæos tunc ferenti leges Lucullo tractabiles præbuit. Plut. in Lucullo.

AEGYPTIORVM.

Aegyptij ſua iura à MERCVRIO profecta eſſe iactitant. Ita pleriq; de domeſticis & propriis ornamentis gloriari conſueuerunt. Aelian. lib. 14. Variæ hiſtoriæ.

MENAM poſt antiquam Aegyptiorum uitam, quam deûm heroúmque tempore fuiſſe fabulantur, tradunt perſuaſiſſe primùm Aegyptiorum multitudini ſcriptis uti legibus, quas ſibi à Mercurio datas in ſalutem hominum affirmabat. Diodorus Siculus lib. 3.

SASOCHIS ſecundus apud Aegyptios legumlator fuiſſe dicitur, uir prudentia excellens: qui ad deûm cultum religionemque multa prioribus legibus addidit, Geometriæq; inuentor, eius artis præcepta incolis dedit. Idem.

SESOSTRIS Aegyptiorum rex, tertius fuit, qui Aegyptiis leges traderet, iisq; ad rem militarem & belli munia plurima contulit inſtitutis ſuis. Ibidem.

VECCHORIS quartus Aegyptiorum legumlator, qui commercia hominũ iudiciaq; conſtituit: cuius memoria in multis ob ingenij acumen manſit. Ibidem.

AMASIS Aegyptiorum rex, poſt hos leges ſcripſit: quem tradunt de iis, quæ ad monarchas pertinent, deq; omni Aegyptiorum œconomia, præcepiſſe. Ibidem.

GRÆCORVM.

Leges ISIDEM ſtatuiſſe ferunt, quibus iuſtitia æquè omnibus ſeruaretur, ui atq; iniuria metu pœnæ ſublatis. Qua de cauſa priſci Græci eã legiferam appellarunt, tanquam primam legum inuentricem. Diodorus Siculus lib. 1. cap. 2. de Rebus antiquis.

CERES θεσμοφόρος, & Legifera à poëtis appellatur: eiusq; feſta Theſmophoria apud Athenienſes celebrabantur. Diodorus libro 6. & Plinius libro ſeptimo. Prima Ceres frumenti ſerendi rationem edocuit: quod quia ad uitam ſuſtentandã optimum & ſaluberrimum uidebatur, utilitate priuata moti homines, in unum coire ceperunt, cauſa alimentorum: atque ut à beſtiis tuti eſſent, urbes condiderunt. Hinc eſt quòd Ceres turrita depingitur. At quia in multitudine hominum ordo neceſſariò requirebatur, leges ſunt inuentæ: quas etſi Ceres non dictauit, at certè tamen ut conſtituerentur, occaſionem præbuit. Atteſtatur huic rei uox Græca. Νομὰς enim uocant paſcua, νόμους uerò leges. Paſcuorum certè & agrorũ cauſa homines primùm conuenerunt. Ioſephus contra Appionem, uocem Νόμος apud Homerum non reperiri aſſerit, licet uetuſtiſſimum inter Græciæ ſcriptores. Ouidius libro 5. Metamorphoſeôn:

Prima Ceres unco glebam dimouit aratro,
Prima dedit fruges, alimentaq; mitia terris,
Prima dedit leges: Cereris ſunt omnia munus.

Cretẽſium rempublicam primus MINOS conſtituiſſe fertur. Is faciendis iudiciis, & ferendis legibus aſſiduus atque integer, per nouennium legibus emendandis operam nauauit. Cretenſium rempublicam omnium antiquiſſimam eſſe teſtatur Homerus, cùm appellat urbes illorum εὐναιετώωσας, id eſt, bene habitatas. Et Archilochus ludens cum ſcommate dicit, Lex Cretenſis docetur. Heraclides. Alij eum quouis nouennio in ſpecum quandam confirmandarum legũ gratia deſcẽdiſſe aſſerunt. Plut. in Minoe, Diod. lib. 2. & Halicarnaſſeus lib. 2. Antiq.

Argiuorum rex & legiſlator fuit PHORONEVS, Inachi filius, tempore Belocchi Aſſyriorum regis. Frater eius Phegous uiciſſim totus in Deorum cultu occupatus fuit. D. Aug. lib. 18. de Ciu. Dei, c. 3.

LYCVRGVS ex poſteritate Herculis, Eunomij regis frater, ſuſcepta profectione in Cretam, & Cretenſium inſtitutis cognitis, unum, qui illic inter ſapientes & artium ciuilium peritos numerabatur, comitate & gratia inductum, Spartam miſit Thaletem. Habebatur hic poëta lyricus, atq; huius ſpecie artis utebatur, reuera præſtantiſſimorum legiſlatorũ implebat munus. Carmina eius orationes erant, quæ ad parendum & conſentiendum incitarent pariter modis & numeris: in quibus multa inerat grauitas & delinimentũ, quibus auditores reddebãtur ſenſim placidiores; coaleſcebãtque inter ſe ex amore honeſti concordia, exuentes, quę tum illic graſſabatur, inteſtinam ſimultatem. Ita ille uiam quodammodo Lycurgo ad eos inſtituendos muniuit. In patriã inde reuerſus, & Charilai nepotis ex fratre tutor cõſtitutus, foro armatis occupato, leges ſaluberrimas ciuibus promulgauit: neq; ut alij ſcripto aut uerbo, ſed re in lucẽ edidit rẽpub. quam imitari nemo queat: & arbitrantibus ſapientem, qualis informatur, nunquam exiſtere poſſe, ob oculos poſuit totam philoſophantem ciuitatem. Optimo igitur iure, quicunq; unquam reſp. in Græcia inſtituerunt, antecelluit omneis gloria. Quamobrem illum Ariſtoteles non ſatis amplos pro merito honores, quamuis habeat ampliſſimos, habere ait. Lacedæmone Senatum primum ex XXXVIII. ſenibus conſtituit, quibus reges duos adiunxit. Agros æqualiter diuiſit. Syſſitia publica introduxit. Auro omni interdixit: monetam ferream cudit. Totam deniq; Reip. formã ad fortitudinem & iuſtitiam conformauit. Neq; uerò leges redegit in ſcripta, ſed totum ciuilis inſtitutionis munus in ciuilem diſciplinam reiecit. Fuit rhetrarum ſiue ſanctionum hæc una, Ne ſcriptis uterentur legibus. Altera, ne domorum culmina præterquam ſecuri, oſtiaque ſerra fabrefacta haberent. Tertio ſancitum loco, Ne idem hoſtis ſæpius bello peteretur, ne diſciplinã Laconum bellicam imitaretur. Sanctiones ipſas Rhetras, quaſi deorum decreta oraculaq; appellauit. Mox cum præſtantiſſimis uiris Delphos petẽs, deũ rogauit, An Spartæ expediret legibus quas ipſe tuliſſet obedire? Cùm autem reſpondiſſet deus (pecuniis corrupta ſacerdote, inquit Polyænus lib. 1.) id prorſus melius fore: tum deinũ leges ſuas promulgauit: nõ modò iniquũ, uerùm & impium ſtatuẽs, ſi quis legib. Pythio roboratis oraculo, minus paruiſſet. Diuitum odium adeò incurrit, ut in concione inuaderetur: fugiẽsq; in templũ, ab Alcãdro oculo effoſſo uulneraretur. Exceſſit in Creta exul uoluntarius, ſumto iureiurando à populo, ne quid de ſuis legibus mutaret, donec rediiſſet. Poſt mortem iuſſit cineres in mare diſiici, ne ſolutus quandoq; ſacramento populus leges ſolueret, ſi mortuum in ciuitatem retuliſſent. Plut. in eius uita. Iuſtinus. Xenophõ de Laconum rep. Sab. lib. 1. En. 2.

DICÆARCHVS Meſſenius, Ariſtotelis auditor, ſcripſit Rempublicam Spartiatarum: qui liber ut quotannis in Ephororum prætorio puberibus auſcultãtibus recitaretur, lege ſancitum fuit apud Lacedæmonios, & longo tempore obſeruatum. Suidas.

CECROPS, genere Aegyptius, Athenis habitauit: unde Athenienſes Cecropidæ dicuntur, aut ij ſaltem, qui è Cecropia tribu ſunt. Quidam hunc fuiſſe biformem tradunt, supernè uirum, infernè mulierem, aut etiam ſerpentem: uel quòd legibus inuentis homines feros manſuefecerit: uel quòd promiſcuo concubitu ſublato, cùm nec pater filium, nec filius patrẽ ſuũ noſſet, curarit, ut palàm inirent *matrimonia*, unaque contenti eſſent. Iure igitur biformis, qui & patris & matris naturam inuenerit. Suidas.

EPIMENIDES Cretenſis Athenis Soloni uiam præmuniit ad leges conſcribendas. Nam res diuinas reddidit minoris impenſæ, ciuesq; ad luctum manſuetiores, ſacrificia quædã ſtatim exequiis adiiciens, detracta aſperitate barbarica, qua deuinctæ antè mulieres fuerant: & quod caput erat, propitiationibus, procurationibus, ac ſignis dedicandis, luſtrans urbem atq; expians, parentes iuſtitiæ magisq; ſequaces ciues reddidit ad unitatem. Plut. in Solone.

DRACONIS primi legiſlatoris Athenienſium omnibus ferè legibus, quas tulit, pœna erat morte definita. Vt otij & deſidiæ conuicti, capite plecterentur. Qui olera fructúſue alieno prædio ſublegiſſent, eodem quo & parricidæ ſupplicio punirentur. Præſcripti huius atrocitate magno poſtea conſenſu excepta Demadis oratoris clariſſimi uox eſt, quæ Draconis leges ſanguine notatas dixit. Ipſe Dracõ rogatus, Ad quid omnia indifferẽter delicta capitali animaduerſione uindicanda exiſtimaſſet? ita occurriſſe fertur, Minora flagitia à ſe morte digna iudicari: maioribus ſceleribus idcirco nullum atrocius ſupplicium à ſe irrogatum, quia haud maius morte ullum reperire potuiſſet. Sab. lib. 5. En. ex Plut. Solone. Cũ in Aeginæ theatro propter latas leges lætis acclamationibus celebraretur, pluribus petaſis, tunicis & ueſtibus capiti iniectis, ſuffocatus eſt, & in ipſo theatro ſepultus. Vixit temporibus VII ſapiẽtum, ac potius fuit illis antiquior: XXXIX. certè Olympiade leges tulit Athenienſibus, iam ſenex. Scripſit degendæ uitæ præcepta, uerſuũ tribus circiter millibus. Suidas.





SOLON, cùm in partes tres ciuitas diſceſſiſſet, Diacrios, Pedieos, & Paralios, quòd nulli parti ſe aggregaret, ſed communem ſeruaret omnibus, omniaq; dicta & facta ſua ad cõcordiam dirigeret: creatus eſt legiſlator ad ordines conciliandos, Olymp. 47. eiq; permiſerunt ſemel uniuerſa, magiſtratus, conciones, iudicia, curiam: ut horũ cuiuſq; cenſum, numerum & tempus definiret: præſentia inſtituta pro arbitrio uel abrogaret uel confirmaret. Is cùm aliis rebus multis ornauit ciuitatem, tum etiam leges ſcripſit Reipub. utiliſſimas. Tunc abrogarunt Athenieſes leges Draconis, quæ θεσμοὶ dicebantur: iis duntaxat, quæ de homicidio latæ erant, retentis. Aelianus lib. 8. de Varia hiſtoria. Primus σεισάχθειαν inuexit, hoc eſt corporum poſſeſſionumq; redemtionem. Nam cùm ſeptem ſibi talenta ex patrimonij ſui iure deberentur, ea debitoribus remiſit: ac reliquos, ut idem facerent, ſuo exemplo hortatus eſt. Heraclides in Politiis, & Laertius lib. 1. Leges in centum annos omneis ſanxit. Relatæ fuerunt in axones uel tabulas quadratas ligneas, quas Axonas dicunt, thecis incluſas aliquanto longioribus, in quibus uertebantur, in prytaneo. Appellabantur, auctore Ariſtotele, Cyrbes. Aliqui uolunt eas, in quibus ſacra & ſacrificia ſunt deſcripta, propriè cyrbes: axonas fuiſſe appellatas cæteras. Plut. in Solone.

HIPPIAS apud Athenienſes legis de exilio decennali auctor extitit. Quæ tametſi propter tyrannidem affectantes poſita fuit: tamen in eius ſupplicium etiam alij incurrerunt, ut Xãthippus & Ariſtides. Heraclides de Polit.

ADRIANVS Imp. Athenienſibus leges petentibus, ex Draconis & Solonis ſententia, iura compoſuit. Platina.

Hyclam, Lucaniæ urbem maritimam, quam aliàs Eleam uocant, PARMENIDES atq; ZENO, Pythagorici, legibus & inſtitutis ſuis ita erudiêre, ut & aduerſus Lucanos perſtiterint, & Poſidoniates uicerint, licèt & agro & hominum multitudine cederent. Strabo lib. 6.

ZALEVCVS Locrenſis Thurius, Pythagoreus, obiit pugnãs pro patria. Priùs fuit ſeruus & paſtor: ſed accuratè inſtitutus, leges tulit ciuibus ſuis. Inter quas & illa fuit, ut mulieres in forum prodeuntes, ingenuæ quidem cum ſuis cognatis & una pediſſequa candidis, reliquæ uariis ueſtibus induerentur. Suidas, & Diodorus lib. 12. Ephorus ſcribit, ex Cretenſium, Spartanorum & Areopagitarum decretis, illud in primis nouum induxiſſe Zaleucum, ut cùm priſtinæ leges definiendarum condemnationum in ſingulis delictis modum iudicibus ipſis concederent, ipſe per leges ipſas terminauit. Putauit enim iudices ipſos haud eandem eadem de re habituros eſſe ſententiam: oportere autẽ eaſdem approbare, & de contractibus iiſdem ſimpliciori quodam modo inſtituere. Thurios poſtea, cùm præter Locros acutiùs explicare uoluiſſent, celebriores quidem, cæterùm deteriores euaſiſſe. Bonos quippe legumlatores eſſe, non qui omnia accuſatorum acta cauerint, ſed qui in ſimpliciter latis perſiſtant. Hoc & à Platone dictum eſt, Quibus leges adſunt plurimæ, ac pœnæ plurimæ, iis & uiuendi ritus deprauatos eſſe. Sicut quibus plures adſunt medici, iis & ęgritudines permultas adeſſe, probabile eſt. Strabo lib. 6.

PHEIDO, cùm iam inſtituiſſet, ut Cumenſium reip. adminiſtratio penes multos eſſet: legem etiã promulgauit, ut quilibet equum alere cogeretur. Heraclides in Polit.

PHILOLAVS Corinthius leges dedit Thebanis. Ariſtot. lib. 2. Polit. ſub finem.

PROTAGORAS Thuriis leges poſuit: quibus poſtea abrogatis, Metellus deuicta Creta illas cum Romanis commutauit. Rauiſius.

MELISSVS, Samius philoſophus, Parmenidis auditor, ciuibus ſuis charus, iis præcepta multa dedit, Rempub. admiminiſtrauit, claſſiq; & bello præfuit, Olymp. LXXXIIII. ut refert Apollodorus.

PRITANIDES, Megalopolitanorum legiſlator, Peripateticorum celeberrimus, Megalopolitanis ad conſeruationem reipublicæ ab Antigono rege datus eſt. Polybius libro quinto hiſtoriæ.

NICODORVS, pugil celeberrimus, apud Mantineenſes, extremo ætatis ſuæ tempore legiſlator eorũ extitit. Aiunt tamen DIAGORAM Melium, à quo amabatur, eas compoſuiſſe leges. Aelianus lib. 2. Var. hiſt.

Pyrrhus, Achillis filius, ex Ilio reuerſus, paterno principatu per abſentiam amiſſo, in Moloſſide conſedit: à quo regionis incolæ Pyrrhidæ primò, ut Trogus ſcribit, mox Epirotæ nuncupati ſunt. Per ipſius poſteros longo ordine regnatum ad ARISBAM uſque, qui caſu quodam Athenis liberalibus diſciplinis inſtitutus, leges, ſenatum, & annuos magiſtratus, & ciuitatis formam ſuis conſtituit popularibus: ita ut quemadmodum Pyrrhus regni conditor fuit, ita Ariſbas cultiorem poſteris uitam tradidit. Sabellicus libro 8. Enneadis quartæ.

ANTIPHANES, CROESVS, TYRONIDAS & PYRIAS, Tegeatum in Arcadia legiſlatores. Quibus in foro Tegeæ ſtatuæ ſunt poſitæ. Pauſanias in Arcadicis.

Victis Athenieſibus in Sicilia, Syracuſiis uictorib⁹ ſuaſit DIOCLES, ut legumlatores ad dirigendos ciuium mores, componendamq; rempub. & nouas leges priuataque inſtituta conſcribenda eligerent. Electi ex ciuibus, qui maximè tum prudentia ſapientiaq; præſtare uidebantur: quorum longè primus, ac clariſſimus omnium Diocles habebatur: ut legũ tabulis communi omnium ad id inſtitutorum ſententia cõſcriptis, leges illæ tamen Dioclis appellarentur: ueluti priuata eius uiri auctoritate, tituli dedicationem uendicante. Nec uir ille ſolummodo dum uiueret, in ſumma admiratione & reuerentia fuit habitus Syracuſiis: uerùm illius quoque mortui monumentis & honoribus heroicis memoriam commendarunt: templum ei extructum, quod poſtea à Dionyſio in muri & mœnium eductione ſubrutum corruit. Nec minus hunc ipſum reliqui Siculorum populi ſunt admirati. Multæ enim per inſulam urbes, legibus huius cõponi res ſuas, adminiſtrariq; ſibi pro modo illic commendato inſtituêre, idq; ſeruauêre, quoad Siculos omnes Romana reſpub. ciuitate legibusq; ſuis donauit. Cæterùm poſterioribus temporibus Timoleonte imperante, cùm CEPHALVS Corinthius, uir doctrina & prudentia inſignis, eis leges ſcripſiſſet, pòſt POLYDORVS Hieronis regis tẽpeſtate, neutrum placuit legiſlatorem appellari: ſed utroſque potiùs iuriſconſultos, atque legiſlatorum interpretes, quum leges priſca lingua conſcriptæ, obſcuræ ſupra modum, intellectuq; difficiles uiderentur. Diocles certè præ omnibus legumlatoribus amariſſimas pœnas inſtituit uiolatoribus æquitatis, & iuris communis: iuſtitiæq; pręcipuam rationem habuit, præmiis unicuique pro merito & dignitate decernendis: accuratiſſima præterea rerum actionumque ciuilium cautione uſus, multaque rerum peritia cautus, ac cauſam quamcunq; accuſationémue, ſeu priuatam ſeu publicam, quæ in diſceptationem ueniſſet, certa mulcta determinauit. In dicendo conciſus, magnam legentibus reliquit inſpectionis meditationem. Diodorus lib. 13. & 16.

Thuriorum ciuitas in Italia ex ruinis Sybaris condita eſt, colonis è Græcia eò ductis, circa Olymp. 84. Delegêre legiſlatorem CHARONDAM, uirum natura optimum, ſingulari rerum peritia humanarum diuinarumq;, & ſumma ſanctiſſimæ cuiuſq; diſciplinæ inſtitutione præditum. Hic inſpectis diligentiſſimè cuiuſq; gentis legibus & inſtitutis, optima quæq; ex illis ad rem (uti ſapientia præſtabat) deligendo, & in unum ueluti corpus redigendo, ea pro legibus ſeruanda ipſis mandauit: quibus multa quoque adieciſſe à ſe inuenta excogitataq;, memoriæ proditum eſt. Inter cæteras legem tulerat, ne quis armatus in concionem ueniret. Cumq; ipſe poſtea rure ueniens, ex improuiſo (ut erat gladio accinctus) in concionem ueniſſet, admonitus legis ab eo qui proximè ſedebat: eidem gladio incubuit, cùm liceret culpam diſſimulare & defendere. Valerius Maximus, & Diodorus libro 12.

ANDRODAMVS Rheginus, legiſlator Chalcidenſium fuit in Thracia. Ariſtot. lib. 2. Polit. ſub finem.

PITTACVS Mitylenæus, ciuibus ſuis leges ſexcentis elegis ſcripſit. Paulo pòſt tyrannidem, quam occupauerat, depoſuit. Vnus ex ſeptem ſapientibus exiſtimatus eſt. Gyral. in 3. dial. Hiſt. poet.

PERIANDER Corinthius, unus ex ſeptem, duobus uerſuũ millibus hypothecas ſuis ciuibus ſcripſit. Ibidem.

Ciuitates omnes, quæ ſe Achæis tribuiſſent, POLYBIVM Megalopolitanũ hiſtoricũ nactæ ſunt rerũ ſuarũ publicarũ auctorem, legum etiam latorem. In templo etiam Dominæ dicato ſtatuam habet. Inſcriptio teſtatur, nihil ab initio offenſuram fuiſſe Græciam, ſi Polybij conſiliis paruiſſet: iam uerò grauiter affectæ unum illum præſidio fuiſſe. Pauſanias in Arcadicis.

ROMANORVM.

Romæ poſt exactos reges SEX. Papyrius leges curiatas (quas Regum tempore populus in triginta curias à Romulo diuiſus, à Regibus ſcriptas, ſuo calculo confirmarat) ſine ordine latas in unum compoſuit: & ab eo Ius ciuile Papyrianũ fuit appellatum. Deinde omnes hæ leges lege tribunitia exoleuerunt, & incertò iure populus uſus eſt ferè per 20 annos. DECEMVIRI inde creati, qui ab Athenienſibus leges decem Tabularum peterent: quas in tabulas eburneas perſcriptas, pro Roſtris compoſuerũt. Sequenti anno alias duas tabulas adiecerunt, & leges XII Tabularum ſunt appellatæ, quarum ferendarum auctorem fuiſſe decemuiris HERMODORVM quendam, Epheſium exulem, aiunt. Ex his legibus actiones natæ ſunt, quarum formulæ, uti & legum interpretatio, apud ſolos fuit Pontifices, ferè per 100 annos. Poſtea cùm APPIVS Claudius ad formam redegiſſet has actiones, Cn. Flauius ſcriba ſubreptum librum populo tradidit. Hic igitur liber, qui actiones continet, Ius Fla-

uianum appellatur. Augeſcente deinde ciuitate, quia deerant quædam agendi genera, SEX. Aelius alias actiones compoſuit: & librum populo dedit, qui appellatur Ius Aelianum. Deinde cùm plebs à patribus ſeceſſiſſet, ſibi iura cōſtituit, quæ Plebiſcita dicūtur. Mox cùm reuocata eſt plebs, pro legibus placuit ea obſeruari, lege Hortenſia. Cœpit poſtea ſenatus ſeſe interponere: & quicquid conſtituiſſet, id obſeruabat, & Senatuſconſultum dicebatur. Eodem tempore & magiſtratus iura reddebant: & ut ſcirēt ciues, quod ius de quaque re quiſque dicturus eſſet, ſeq; præmuniret, edicta proponebant, quæ ius Honorarium conſtituerunt, quia ab honore prætoris uenerat. Conſtituto poſtea principe, datum eſt ei ius, ut quod conſtituiſſet, ratum eſſet: quod ius Principale dicitur, ſiue Principalis conſtitutio. Hæc ex Pomponio, lib.1. Digeſtorum, Tit.2. de Origine iuris.

Lex trinundino ferebatur, apud ROM. nec alio modò ritè ac iuſtè dicebatur, niſi trino promulgata nundino. Eſt autem promulgare, quaſi prouulgare, hoc eſt in uulgus edere, ut Feſto Pomp. placet, & trinundinum, à ternis nundinis dicitur. Nundinæ uerò, mercatum ſignificant: quoniam octo diebus ruſtici in agris uerſabantur, in opere faciundo occupati, & nono quoque die in urbem ueniebant, rerum permutationes facturi, lites compoſituri, ac ſuffragia ſenatuſconſulto conceſſa, ſi opus foret, laturi. Primis nundinis, & item ſecundis, lex promulgabatur, ut à ſingulis atq; uniuerſis (quod ait Macrobius) facilè noſceretur. Tertio foro ſeu mercatu, cùm omnis & urbana & agreſtis adeſſet turba, rogatio fiebat: præco uerba legis ſcriba ſubiiciente recitabat: & ſi populus ſciebat, lex ferebatur, hoc eſt in æs incidebatur, & in ærario reponebatur, & tunc demùm lata dicebatur. Tempore promulgationis, hoc eſt primis & ſecundis nundinis, interdicere, hoc eſt contradicere licebat: cùm uerò lata fuerat, minimè. Quam rem ſignificat Cicero in 1. Antonianarum, dicens, leges duas ab Antonio nulla promulgatione latas, nempe quòd trinundino populo recitatæ nō fuerant, nec licuerat illis contradicere, uel ut magis intercedere. Antonius Garro in de Orig. iuris.

Cornelius Tacitus teſtatur, tantos ſuo tempore aliarum ſuper alias aceruatarum legum cumulos fuiſſe, ut omnē propemodum æquitatis ſplendorem ſua multitudine obruerent: cùm inter omnes conſtet, nullum propè Rebuſpublicis malus exitium legum multitudine ac uarietate afferri poſſe. Pòſt tragicæ quędam Proculianorum & Caſſianorum ſectę exortæ ſunt, qui infinitis concertationumq; plenis diſputationibus annos amplius cētum legum diſciplinam ita permiſcuerunt, ut THEODOSIVS Imp. maximus idemq; optimus, multo maximæ Iuriſconſultorum parti auctoritatem abrogarit: & ex perpaucis, quos antecellere iudicabat, qui numero uincerent, eorum in iudiciis probari ſententiā imperarit. Per eadem tempora Romani Imperatores, uel potius (ſi maximam illorum partem ſpectemus) improbiſſimi & ſceleratiſſimi tyranni extiterunt, quorum quiſq; ius Romanum nouis edictis, placitis, decretis, conſtitutionibus, itemq; Senatuſcōſultis ſuo imperio factis ad ſuum arbitriū interpolauit. Iam uerò Romani Imperij ſede in Græciam translata, quid aliud Conſtātinopolitani Imperatores (qui non Remp. ad Leges, ſed has ad illam accommodandas eſſe intelligebant) quid aliud, inquam, agerent, niſi ut maximam Romani iuris & Latinarum formularum partem abrogarent: nouaſq; ſuas leges ad ſuæ Græciæ rationem accommodatas in Latinarum locum ſubſtituerent? Vbi ad Iuſtiniani imperium uentum eſt, TRIBONIANVS, homo facinoroſus, coactis aliquot operis ita Legum & Iuriſconſultorum libros circuncidit, ac mutilos reddidit, ut ex copia illorum innumerabili nihil nobis præter fragmenta quædā reliquerit, nullo ordine deſcripta: ſed ita confusè ac perturbatè diſiecta, ut quaſi Sibyllæ folia eſſe uideātur. Annis pòſt amplius trecentis BASILIVS Macedo Imperator Conſtātinopolitanus exortus eſt, ac rurſus eo mortuo Imperator LEO Philoſophus, ipſius filius, qui Iuſtinianicis Pandectis non contenti, nouas & ipſi Pandectas fabricati ſunt, ſexaginta libris diſtinctas: quas alij ἐξηκοντάβιβλον, alij βασιλικῶν libros, ex Baſilij, ut opinor, nomine appellarunt: in quibus Harmenopulus profitetur, otioſa & ſuperuacanea multa ſcripta fuiſſe: quæ uerò maximè neceſſaria erant, prętermiſſa. Vtcunq; autem ea ſe res habeat, Iuſtinianici libri poſt illam Baſilicorum editionem contemti, annos ampliùs ducētos in ſinu ac tenebris iacuerunt, uſq; ad Lotharij Saxonis, Imperatoris Germanici, ætatem: cùm IRNERIVS quidam inuentus eſt, qui Imperatori ſuo auctor fuit, ut eos in quadam Italiæ bibliotheca repertos in lucem edi, ac paſſim deſcribi iuberet: quo tempore ita librariorum incuria dicam, an imperitia, contaminati, ita multis mendis, & quaſi lutoſis maculis aſperſi ac fœdati ſunt, ut doctiſſimus quiſq; noſtræ huius ætatis interpres magnam ſtudiorum ſuorum partem in iis uel eluendis, uel certè ſuſpicandis, & obſeruādis, conſumere cogatur. Ad extremum autem quaſi quidam infelicitatis cumulus acceſſit, Sophiſtarum ac Barbarorum interpretum colluuies: qui bonarum artium memoria toto terrarum orbe funditus deleta, certatim lecturas, tractatus, gloſſas in illa Tribonianica fragmenta conſcripſerunt: quæ tamen etiam nunc à neſcio quibus rabulis & pragmaticis maiore in precio, quàm ipſę Iuſtiniani leges habentur. Hotoman. in epiſtola præliminari com. de Feudis.

THEODOSIVS II. Imp. Iuriſconſultis adhibitis maximam eruditionis, fidei, ac prudentiæ opinionem habentibus, negocium dedit, ut omnes principum à D. Conſtantini uſque ad ſuum principatum conſtitutiones colligerent, atq; inutilibus prætermiſſis, in unum corpus redigerent, breuitate ac claritate in primis forenſi ſtudio conſulentes. Eum uerò codicem abſolutum anno 435. V. Kalen. Martij Conſtantinopoli edidit; præcipiens, ne qua poſt Kalendas Ianuarias cōtrouerſia ad forum deferretur, aut delata iudicaretur, niſi ex his libris, qui ſuo nomine inſignirentur: ſimulq; ne qua in Occidente à Valentiniano Auguſto conſtitutio lata uim legis obtineret, niſi prius ad ſuam notitiam perueniſſet. Sigonius lib. 12. Imp. occid. Duodecim pòſt annis nouarum uolumen Conſtitutionum ad Valentinianum Romam miſit; quas ad ſuum Codicem adiici, & Nouellas appellari uoluit. Eas Valentinianus, Rauennam Roma reuerſus, obſeruandas mandauit. Idem lib. 13.

PATAVINORVM.

AEGIDIVS Fontana, Patauinus, cùm poſt irruptionem Attilæ cum patriciis familiis in æſtuaria Veneta conceſſiſſet, & eò quoq; ex uicinis urbibus nobiliſſimi quiq; confluerent: primus fuit qui leges nouæ ciuitati Venetorum dedit, quæ ab auctore ipſo etiamnum hodie ſanctiones Aegidianæ appellantur. Bernardinus Scardeonus lib. 3. claſſe decimatertia Hiſt. Patauinæ.

LONGOBARDORVM.

Poſtquam Longobardi in Italiam uenerunt, per 76 annos legibus nullis ſcriptis, uerùm ueteribus ſcitis, uſu quotidiano ac repetita memoria conſeruatis, uſi ſunt. Huic incommodo occurrere ROTHARIS rex cupiēs, omnia ſcita collegit, ac multis nouis decretis Reipublicæ ſalutaribus aucta in tabulas retulit, quas Edictum uocauit: illudq; an. ſal. 643. Papiæ publicauit. Sigonius lib. 2. regni Ital. Itaq; leges Romanæ in deſuetudinem uenêre, iusq; Romanum ita negligi cœpit, ut longo pòſt tempore uix reuocari, nedum in integrum reſtitui potuerit. Bern. Saccus lib. 9. Ticinenſis hiſtorię, & Bonfinius lib. 8. Decadis 1.

GRIMOALDVS rex Longobardorum an. 668. ex iudicum ſuorum ſententia, cùm Edictum à Rothari editum nonnullis in partibus imperfectum eſſe ſentiret, aliquot ei leges adiecit, quas maximè idoneas iudicauit. Sigonius libro ſecundo regni Italici.

RACHIS Longobardorum rex, ut ius ſanctiſſimè coleretur, adhibitis omnibus Longobardorum ex Auſtria Neuſtriaq; iudicibus, leges ueteres diligenter perpendit, quæq; correctione egere iudicauit, ea nouis legibus latis ex eorū ſententia emendauit: anno regni ſui ſecundo, Chriſti 746. Sigonius lib. 3. regni Ital.

LVITPRANDVS Longobardorum rex omnes ex regni partibus iudices Longobardos in regiam euocauit, eoſque de nouo iure conſtituendo conſuluit, nouas leges ad antiquū Rotharis Edictum adiunxit. Sigonius lib. 3. regni Ital.

CAROLVS Magnus euerſo Longobardorum regno legem Salicam in Italiam intulit. Erat autem Salica idem, quod Francica: ſiquidem Franci orientales Salij appellati. Ab eo tempore tribus Italia legibus uixit, Romana, Longobarda, & Salica. Obſeruatum eſt autem, ut qua quiſq; lege uiuere uellet, profiteretur, atq; ex ea ius illi diceretur. Quam conſuetudinem Italia inde uſq; ad Lotharij ſecundi Imperatoris tempora conſeruauit. Sigonius lib. 4. regni Ital.

FRIDERICVS I. Imp. ſubacta Mediolano, ad Roncalias cōuentu indicto, iura, quæ Lotharij & Conradi deceſſorum in curia obliterata, priùs ab Italicis uſurpata fuerant, repetere, ac nouis inſtitutis ſtabilire inſtituit. Vide Tit. Iuriſprudentiæ ſtudium.

CAROLVS IV. Imp. an. 1354. res Italiæ, uel armis uel iure conſtituit, ope Bartoli de Saxiferrato, iuris illa ętate peritiſſimi, quem in aula ſua liberaliter habuit. Dubrauius lib. 22.

HISPANORVM.

EVRICVS, Gothorum rex, in Hiſpania, primus leges ſuis dedit. Eaſdem pòſt LEOVIGILDVS rex ampliauit, auxit, ſed & ſuperfluas reſecauit. Rodericus Toletanus libro 2. rerum Hiſpan. cap. 14.

ALFONSVS X. Hiſpaniæ rex leges Hiſpaniarum, quas uocāt Partitas, aliis inſuper additis illuſtratiſq; ſenſibus, ut ex uſu uidebatur, in uolumen redegit. Tarapha de regib. Hiſpan.

Veremundus II. Aſturum rex, mortuo Sancio patruo & Ranimiro conſobrino iure factus, leges Gothorum liberaliter confirmauit, & ſanctorum patrum canonicas ſanctiones ſeruari præcepit. Rodericus Toletanus libro quinto rerum Hiſpan. capite 13.



GERMANORVM.

TVISCO, Noæ F. Germanorum Sarmatarumq; pater, ac eorum primus rex, intelligens ſine iuſticia & abſq; religionis metu neq; Rempub. coaleſcere, neque licentiam hominum contineri poſſe: iura dedit, leges tulit, carminibusq; complexus eſt, quæ publicè & priuatim cantarentur: ne aut obliuio obliteraret, aut ignorantia excuſaret. Auentinus libro primo Annalium.

CAROLVS Magnus Auguſtus, Imperium uirtute bellica longè lateq; propagatum, legibus ab ſe conditis firmare ſtatuebat, & quàm proximè poterat, ad antiquam urbis Romæ gloriam magnitudinemq; peruenire: pulcrum eſſe, in terris extare unum ſummum regimen rerum, quod mortalibus iura reddat: cui Reges omnes genteſq; peræquè pareant: quod ſupra cætera emineat: quod unum ſecundùm Deum optimum maximum rerum arbitrium moderetur: ad quod unum mortales omnia referant: quod ſanctum ſit, unde cūcta petantur. Et ut cæteras gentes imperio uenerando aſſuefaceret, primos Francos Auguſtorum legibus teneri uolebat, eaſq; ipſe nouas condere. Quod ubi Franci proceres accepêre, tanquam ſempiternum iugum ueriti, coitiones facere incipiebant. Auſus eſt etiam Vaſconum procerum unus, nomine etiam Vaſco, cùm in Hiſpaniam ſupplementū ducere iuberetur, id apertè reprehendere & detrectare. Crebræ interim frequenteſq; coitiones ac propè conſpirationes factæ. Tota igitur res omiſſa. Volumē legum adhuc extat, ſed antiquatum. De inſtitutis Francicis nihil mutatum. Sacerdotum ſolutiores mores ad frugem antiquitatiſq; æmulationem redacti; quinq; Patrum conuentibus, Rhemenſi, Cauillonenſi, Turonenſi, Aurelianenſi, Maguntino: Magiſtratuum Iudicumq; ſordes coercitæ multa, ignominia, abrogatione dignitatis. Aemilius lib. 3. Idem uetuſtiſſimæ Francorum legi Salicæ capita quædam addidit, quaſdam ex integro ſanxit: ut de moneta, menſura, ponderibus, quæ per totum Rom. imperium ad æqualitatem redegit. Auentinus lib. 4. Annalium Boiorum.

Vulgò tradunt, CAROLVM Magnum dediſſe leges Saxonibus, quæ in codice, quod Speculum uocant, extent recollectæ: & id quidem refert Gloſſator in annum Sal. 810. ſeptimum uerò Imperij eius annum (ut memorat) in arce Saſſenborg. Sed commentum hoc refellit Cranzius lib. 2. Saxonię cap. 21. & contendit eſſe collectitium codicem, de multis cōſuetudinibus gentis: quomodo & Feudorum leges non ab Imperatore datę, ſed ab Oberto deſcriptę, uſum & obſeruantiam meruerunt. Quum enim per ætatem in gente creuit ciuilitas, creuit etiam legum obſeruantia. Inde factum eſt, ut quæ per tempora ſunt uſu approbata, demum ſint in codicem redacta: cui ad auctoritatem comparandam falsò eſt nomen Caroli adſcriptum.

THEODO II. Magnus Boiorum dux, ubi Noricum & Vindeliciam ſub imperium ſuum coegit, diuiſis prouinciis ad pacis artes animum intendit: iuſtitiaq; populum formare, & regnum confirmare conſtituit. Vt autem feroces animos gentis mitigaret, leges dedit, quibus quò ſanctiores forent, Theodericus rex Francus auctor factus eſt, & eas ſuo auſpicio promulgauit. In his, quia Boij Chriſtiani non erant, pleraque aduerſa ueritati diuinæ permittebantur: quæ Hildebertus & Lotharius reges Francorum poſtea abrogarunt. Auentinus lib. 3. Annalium Boiorum.

HENRICVS I. Cæſar in Saxonia urbes immunitas muris & foſſis cinxit, propter incurſionem Vngarorum: legibus & moribus informauit: iuuentutē ad arma exercuit: agros diſtinxit, conſtituens quot quique milites mitterent in generali expeditione. Cranzius lib. 3. Saxoniæ, cap. 12.

Sub EODEM inſtituti ſunt ludi equeſtres, dicti uulgò Torneamentum, in quo quatuor nationes principes Germaniæ, Bauaria, Sueuia, Franconia, & Rheni tractus conueniunt, & nobiles inter ſe digladiantur: uitia deteſtanda, hoc eſt adulteria, blaſphemiæ, & ſcelera quæque corriguntur. Hos ludos Cæſar priuilegiis & libertatibus confirmauit, anno Chriſti noningenteſimo uigeſimoprimo. Cuſpinianus.

BOEMORVM, POLONORVM.

CAROLVS IV. Imp. & rex Boemiæ, ad ius patriæ deſcribendum, legeſque neceſſarias condendas ſe tranſtulit; ne iudices pro arbitrio capitis ſui, ut hactenus, iudicarent. Iudicia publica ad duo genera retulit, equeſtris ac procerum ordinis: interfuitque frequenter iuri dicendo, ſæpe etiam præfuit, non minore æquitate quàm ſeueritate. Dubrauius libro uigeſimoſecundo.

CROCCVS apud Sclauinos, qui Boemiam occuparant, uaticinandi arte inſignis, ex ſtipe ſponte delata agrum & in eo uillam ſibi comparauit, prope Stebnam pagum (quò Boemi deinceps principes animi per uenationes recreandi cauſa uſi ſunt) Prudentiæ inde & iuſtitię nomine defuncto Czecho primo duce præturam obtinuit: ius ex æquo bonoque dixit, res controuerſas tranſactione frequentius quàm iudicio cōpoſuit. Boemiā pagis arcibusq;, & aliis nouis ædificiis amplificauit: inuentis tunc fortè in fluminibus auri ramentis: ut non ſolùm domi apud ſuos, ſed foris etiam apud Polonos gratioſus fuerit, qui ad eum legatos miſere oratum, ne grauaretur in Poloniam uenire, ibi quoque ſtatum reipublicæ & controuerſias hominum compoſiturus. In honorem certè eius, arci nouæ & oppido, cui tunc primùm fundamenta ad Viſtulam flumen poſuerant, Croccouię nomen indidêre. Dubrauius lib. 1.

PRIMISLAVS ruſticus ducta uxore LIBVSSA fatidica, Crocci ducis Boemorum filia, leges ſcripſit Boemis, quibus diu feliciter ſunt uſi. Aeneas Syl. in hiſt. Boem.

SOBIESLAVS, Boemorum princeps, Pragam nō ſolùm domibus, & inſulis lapideis, uiciſque ac plateis ſaxo conſtratis, ſed legibus etiam & libertatibus, qualibus ante ſe nullus principum, excoluit. Dubrauius lib. 11.

IOANNES, Boemorum rex, primus tabularia in regno inſtituit, in quibus tabulæ, hoc eſt, actus publici, inſtrumentaq; & literæ emtionum uenditionumq; continentur: ut ſecura ſuorum bonorum cuilibet liberaq; & perpetua eſſet poſſeſſio, cùm ſummi magiſtratus tabulis cuſtodes adhiberentur. Dubrauius lib. 21.

SVEONVM, GOTHORVM, Danorum.

S. ERICVS Sueonum rex, inter reliquas uirtutes, leges quoq; ſanctiſſimas ſcripſit, quibus Suecones & Gothi etiamnum hodie utuntur. Ioan. Magnus lib. 19.

FROTHO III. Danorum rex, Sclauis à ſe deuictis leges dedit: Danorum quinetiam mores, præfectorum (dum ipſe ſeptennis patri ſuccederet) uel negligentia uel improbitate corruptos correxit. Saxo lib. 5.

CANVTVS II. Danorum rex optimis legibus diſciplinam caſtrenſem complexus eſt: ut cùm promiſcuo milite uteretur diuerſorū morum & linguarum, quos diſſimilitudo natiua ad rixas & ſeditiones deducere poterat, eos legum metus in pace contineret. Saxo lib. 10.

S. OLAVVS, Noruagiæ rex, ignarum iuris populū, ſparſim & agreſti more uiuentem, legibus ad melioris uitæ habitum perduxit: quarum uetuſta monimenta plebs Norica pręſenti ueneratione complectitur. Saxo lib. 10.

BRITANNORVM, ANGLORVM, Scotorum.

Britannorum rex DONVALLO Molmicius, cùm præcedentes reges ignauam & ingloriam uitam exegiſſent, & iis tantùm legibus, quas à Martia Gintolini regis uxore Martianas uocabant, uſi eſſent: militarem artem penè extinctam in priſtinum uſum reuocauit: ius atque leges nouas, & illas quidem ſalutares dedit, quas deinceps Molmicinas leges appellarunt: templa deorum immortalium loco aſyli, omnibus ad ea confugientibus eſſe conſtituit: primus aurea corona uſus eſt: uiros ad bonas artes incumbentes, opibus & fauore iuuit, ut ſuo exemplo & principes regni idem facerent, atque iuuentus ad uirtutes capeſſendas magis incitarentur: item pondera ac menſuras rebus uendendis emēdisq; poſuit: fures & noxium omne genus hominum ſeueriſſimè puniuit: fecit quamplures uias, decreuitque in quā latitudinem fieri deberent, ac lege ſanxit ius earum ad principem duntaxat pertinere, eiusq; iuris uiolatoribus, pariter atque iis qui in illis maleficium aliquod facerent, horrendas conſtituit pœnas. Præterea ut ne terra uacaret, neue populus rei frumentariæ inopia frequenter premeretur, aut minueretur, ſi pecora ſola occuparent agros, qui ab hominibus coli deberent: conſtituit quot quiſque comitatus aratra haberet, ſtatuitq; pœnam illis, per quos numerus diminueretur: ac uetuit iumenta, quæ aratro ſeruirent, à magiſtratibus abduci, uel aſſignari creditoribus, pro debitione pecuniæ, ſi debitoris bona alia ſupereſſent. Ita prouiſum eſt, ne compendij cauſa, pecuarij agros à cultura aratorum incultos redderent. Polyd. lib. 1.

GVLIELMVS Conqueſtor, Normannus, Anglię regno potitus, potentiæ ſtabiliendæ cauſa leges Normannicas populo obtruſit. Eiuſcemodi leges (inquit Polydorus Vergilius lib. 9.) apud nos etiam nunc ſunt: quæ ab omnibus intelligi deberent, Normānica lingua ſcriptæ ſunt, quam neq; Galli, neque Angli rectè callent. Quamobrem uidiſſes iam inde à principio, quotidie, partim iniquitate legum, partim inſcitia eorum qui illas malè interpretabantur, hunc bonis auitis priuari, illum iudicio imperitiſſimorum hominum criminis damnari, morteq; multari: alium litibus inextricabilibus perpetuò irretiri, ac deniquè diuina humanaque miſceri, atque ea omnia publicè priuateque mortales teſtari ac deteſtari. Sanè Normannus pro ſuo inſtituto, non potuit alias dare leges: quando non alia eſt natio, quæ peritius

ſciat calumniari, præuaricari, atque tergiuerſari: id eſt per fraudem & cauillationem fruſtrationemque litigare, ſeu uexare litibus.

EDOARDVS III. Anglorum rex, anno regni duodecimo, cùm terra mariq; iam pacem haberet, non minus ſuorum, quàm ſuæ ipſius ſaluti proſpiciens, uelut natura propenſus ad diligendos homines, quod fundamentum iuris eſt, primùm omnium putauit leges ſibi conſtituendas, quas utiles duxiſſet. Sanè in uſu erant multiplices leges, quas olim Britanni, deinde Angli, ac nouiſſimè Daci tulerant: & bene multi quotidie mortales, omnia utilitate metienda exiſtimantes, ſic eas ad ſuos mores accommodabant, ut ſæpius pro iuſtitia iniquitas coleretur. Igitur Edoardus ex immenſa eiuſmodi legum copia, optima quæq; & neceſſaria elegit, legeſque paucas & ſalutares uſurpandas ſanxit, quę deinceps rectum omnibus æquè uiuendi modum præſcriberent. Has leges poſteri Cõmunes appellarunt: & cùm eas à Normannis, aliis datis legibus, ſibi ademtas quererentur, uelut optimam partem uitæ reperiuerunt armis, ſæpeque reges, eas in priſtinum uſum reſtituere, ut ſibi minus fructuoſas, negantes, magnis affecêre incommodis. Polyd. lib. 8.

FERGVSIVS I. Scotorum rex in Britannia, pace cum Pictis facta, & Britannorum armis fortiter repulſis: leges edidit, quibus uetuit latrocinium, homicidium, depopulationem: maximeque omnium furta, quòd omnia tum ſub dio aſſeruarentur. Caſtellum condidit Berogomum, ubi ius dici uoluit, in Louquhabria, ad Albionis plagam occidentalem, in Hebridum inſularum proſpectu: ut illuc & inſulani & Albiani Scoti faciliùs ad iuriſdictionem iuſtitiæq; adminiſtratorem coirent. H. Boethius lib. 1.

CENNETHVS, Scotorum rex, is qui Pictos deleuit, leges patrias ex immenſa congerie in compendium redegit, quibus & iudices & iureconſulti publicè uterentur. Hector Boethius libro decimo.

MALCOLMVS II. Scotorũ rex, bello & pace clarus, legum municipalium uolumen condidit, quas Scoti exinde iudiciis ferendis ſeruarunt, penè immutatas. Regiorum magiſtratuum iudicumque (uulgo Cancellarium, Comeſtabularium, Mareſcallum, Camerarium, Iuſtitiariumq; uocitant) & qui à ſecretis, à theſauris, à cubiculo ac chartophylacio eſſent, cunctorumque miniſtrorum aulæ annua ſalaria conſtituit, ut noſtris diebus penduntur: quantumque pro regiis diplomatibus, ac cæteris literis, tabellionibus, tabellariis, lictoribuſque ſoluendum foret, inſtituit. Hector Boethius libro 11.

MACCABÆVS, Scotorum rex, in legibus condendis ad reipublicæ utilitatẽ pręclarã nauauit operã, ut ſi per ius regnũ adeptus fuiſſet, nulli omnium regum ſecundus habendus fuerit. Eas tamen leges pòſt Malcolmus III. rex, cęſo tyranno, aboleuit. H. Boethius lib. 12.

SCYTHARVM, GETARVM, THRACVM, Bulgarorum, Tartarorum.

ZAMOLXIS Geta (quem Mnaſeas Saturnum eſſe putat: Plato in Charmide regem & deum Thracum facit, medicinæ ſuis auctorem) Hellanico teſte, Sami Pythagoræ philoſopho ſeruiuit. Cuius ſapientia inſtructus, domumque cum libertate reuerſus, prius tamen in Aegyptum peregrinatus, ad manſuetiorem uiuendi rationem ſuos traduxit, immortalitate animorum illis perſuaſa. Clàm autem ſubterraneam ſpecum ingreſſus, quarto uix tandem anno denuò emerſit, ab inferis ſe redire ſimulans. Hoc ipſo tantum ſibi auctoritatis apud rudem populum comparauit, ut à rege in ſocietatem imperij tanquam dei ſacerdos & interpres acceptus, eandem ſpecum ſubiens, illinc oracula reddiderit, & leges Getis Thracibuſque ſcripſerit, tam conſtanti Barbarorum credulitate, ut non mori animas, ſed ad Zamolxim dæmonem migrare ſibi perſuaderent. Mos hic ad Tiberij uſque tempora apud Getas perdurauit, ut philoſophus aliquis ceu deus regi à conſiliis eſſet. Auguſti profectò ætate, qui aduerſus Byrebiſcam Getarum regem bellũ geſſit, Deceneus, ſiue Diceneus hac fungebatur auctoritate in ſacro monte Cogeono. De quo ſub Tit. Philoſophorum. Herodotus lib. 4. Suidas. Bonfinius lib. 1. Decadis 1. Ioannes Magnus in Gothorum hiſtoria.

ANACHARSIS Scytha, Gnyri F. Græca matre, cùm Athenis apud Solonem philoſophiæ operam dediſſet, & reuerſus in patriam, Scytharum leges iuxta Græcorum ſtatuta noua re tentaret, eandem ob cauſam à fratre Caduia Scytharum rege in uenatione ſagitta confoſſus eſt. Ergo moriens dixit: Se ob eruditionem incolumem è Græcia dimiſſum, per inuidiam nunc in propria perire patria. Laert. lib. 2. cap. 9. Verſibus ſcripſit leges Scytharum. De frugalitate humanæ uitę uerſus DCCC. Anchoram & rotam figulinam inuenit. Vixit temporibus Crœſi. Alij tradunt extrema ætate, cùm ad C uixiſſet annos, deceſſiſſe. Suidas.

TZINGISCANIS (aliis CHANGIVS) legiſlator Scytharũ, homo uilis, & faber ærarius, auctor ſuis fuit, ut delicias fugerent, obuiis cõtenti eſſent, ſe mutuo diligerent, priuata emolumenta ſpernerent, reipublicæ conſulerent, nihil in uita feſtinanter agerent, omnibus cibis uterentur, plurimas uxores ducerent, nullos fundos poſſiderent, migrarent quò commoditas inuitaret, pannos quoslibet tollerent, ac ueſtibus etiam integris aſſuerent: quod cùm nulla neceſſitate coacti facerent, ſine uerecundia facturos, cùm eſſet opus, aliena occuparent, ueritatem in uerbis colerent, iuſtitiam in factis: quorum alterum ingenui animi, alterum rectæ uoluntatis eſſet, ut nemo alterius oratione falleretur, nec in agendo ullis inſidiis circumueniretur. Pachymerius.

ATILA Hunnorum rex, à bello ad pacis ſtudia conuerſus, legibus regnum ſtabiliuit. Quo tempore ex toto ferè orbe clariſſimi principes ad eum, ueluti depoſita feritate cicurem redditum, uenêre, & ſocietatem ultrò cum eo iunxêre. Bonfinius lib. 7. Dec. 1. & Nic. Olahus in Atila.

TERBELLIVS Bulgarorum dux, ſuperatis Auaris, ubi è captiuis cognouit, falſis delationibus improborum circumuentis fortiſſimis quibuſq;, Auares deſtitutos ducibus uictos & profligatos eſſe, qui antea Græcorum etiam arma egregiè ſuſtinuerant: conuocatis Bulgaris, uarias leges promulgauit, in primis in delatores: de quibus edixit, habendã eſſe quæſtionem: delatorem prȩuaricatoremq; conuictum, capitalem eſſe iuſſit: item, ne furi cuiquam & latroni cibus & eſca tribueretur: qui tribuſſet, omnia eius bona in fiſcum referrentur: furi crura frangerẽtur. Vineas omnes imperauit extirpare. Bonfinius lib. 1. Decadis 1.

TVRCORVM.

HOMAR ſiue OMAR, Turcorum legiſlator fuit poſt Mahometum. Chalcondylas libro primo.

SINGILLATIM. QVARVNDAM LEGVM auctores.

*Oceanus hic immenſus, ἀπείρατος ἄβατός τε occurrit. Ipſa legum ἀτοπία hoc potiſſimum loco commemoranda ueniet.*

PERICLES, Athenienſium dux, legem ſcripſit, ut nemo ad gubernandam rempub. accedere permitteretur, niſi qui utroque parente ciue natus eſſet, quem tamen ipſum legis ultio tetigit. Nam duo filij Paralus & Xanthippus, cùm peſte abſumerentur, legitimo thoro nati, nothi ſuperfuêre tantum, quibus rempublicam adminiſtrandi poteſtas, patris lege erepta erat. Aelianus lib. 6. de Varia hiſtoria.

CLISTHENES Athenienſis primus tulit legem oſtraciſmi, primusq; exulauit.

CHARONDAS Thurios ciues ſuos à familiaritate & conſuetudine perditorum, lege prohibuit: actionemq; prauæ conſuetudinis conſtituit, grauique eius delicti reis impoſita multa, licentiam coercuit, reliquos à delinquendo ratus deterritum iri metu pœnæ. Diod. lib. 12.

ARISTONICVS legiſlator legem tulit, ut ſi uenditor piſcium minoris, quàm pronunciaſſet, piſcem uenderet, in carcerem duceretur: néue ſedentes, ſed ſtantes uenderent. Athenæus lib. 6. cap. 2.

REGNERVS Danorum rex ſtatuit, ut omnis controuerſiarum lis ſemotis actionum inſtrumentis, nec accuſantis impetitione, nec rei defenſione admiſſa, duodecim patrum approbatorum iudicio mandaretur. Saxo lib. 9.

# LEGISLATIONIS CVLTVS, STVDIVM.

PRIMI homines, qui benefactores ſuos poſt obitum diuinis honoribus affecêre, eos, qui de patria uel conſulendo uel iudicando uel propugnando bene meriti eſſent, in deorum numerum retulere: item qui ea, quæ ad uitæ quotidianæ ſuſtentationem facerent, inueniſſent: ſic Cererem, ſic Bacchũ, ſic Martem, ſic Iouem, ſic Aeſculapium: ſolos eos qui morum honeſtatem docuiſſent, prætererunt. An quia utilitate tãtùm & uoluptate ducũtur pleriq; homines, cumq; maior pars ſecundùm cupiditatem uiuat, ægrè ferunt ſibi à morũ philoſophia ueluti frænum iniici? Patienter alioqui ferunt legiſlatores, non propter honeſtatem, ſed propter tranquillitatem & commoditatem uitæ.

Legum ſcientię non expertem fuiſſe HOMERVM certò conſtet. Ipſum legis nomen, quod eſt νόμος, an eius tempore in uſu fuerit, certò dici non poteſt. Sunt qui notum id ei fuiſſe dicant, argumento uerſus, Odyſſ. ρ.

Ἀνθρώπων ὕβριν τε καὶ εὐνομίην ἐφορῶντες.

Ariſtarchus εὐνομίαν dictam putat, à recta diſtributione. Et quidem inde apparet etiam νόμον appellatum, quòd æqualiter omnibus, aut cuiuis pro eo atque dignus eſt, diſtribuatur.



Sanè multis locis Homerus demonſtrat, ſe uim legum intellexiſſe, ſi non ſcriptarum, at ſaltem in hominum animis conſeruatarum. Sic enim facit Achillem de ſceptro loqui Iliados α.

—quod nunc manibus geſtatur Achiuûm,
Qui dant iura Iouis iuſſu.——

Iura autem legibus comprehenduntur, quarum auctorem Iouem facit: cuius etiam conſuetudine Minoem, Cretæ regem, uſum ſcribit Odyſſ. τ. Ea autẽ conſuetudo fuit diſcendarum legum, quod & Plato teſtatur. Apertè etiam oſtendit legibus parendum, neque iniuſtè agendum eſſe, his uerbis, Odyſſ. σ.

Non ergo illicitis ſeſe quiſquam efferat auſis:
Sed tacitè his, ſuperi quæ donauêre, fruatur.

Enimuerò reſpublicas primus Homerus diſtinxit. Nam Iliad. σ. in ſcuto, quod totius mundi exemplum Vulcanus parauit (is intelligitur ſpiritus uis) duas fecit urbes: unam in pace & lætitia degentem, alteram deditam bello: ac utriuſque conſectaria enarrans, oſtendit aliam eſſe ciuilem uitam, aliam bellicam. Plut. de Homero.

# IVRIS DOCTORES, PROFESSORES.

*Iureconſultorum alij in ſcholis docent, alij de Iure clientibus & iudicibus reſpondent. Illi quidem præcepta tradunt, hi uerò in particularibus exercentur. Exercitatio aſſeclam habet eloquentiam. Eaq; propter nos ſub Titulis Rhetorum, Oratores & Cauſidicos enumerauimus, qui alioqui ratione rei ſubiectæ ad hunc locum referri deberent. De Iureconſultis nunc agamus, ſiue doceant Iura, ſiue de Iure reſpondeant. Et quidem Romani iuris interpretum ueterum uitas BERNARDINVS Rutilius Colonienſis, & FR. Hotomannus: neotericorum uerò IO. FICHARDVS Francofortenſis, VV. DD. ingenioſè & eleganter deſcripſere. Quorum nos laboribus, quod ſemel monuiſſe ſufficiat, in ſequentibus utemur.*

QVORVM, APVD QVOS.

IVDÆORVM.

Apud Iſraelitas grauiores cauſæ PONTIFICI & SACERDOTIBVS proponebantur diſſoluendæ. Qui quodcunque reſpondiſſent, illud ſacroſanctum tanquam ex adyto depromtum habebatur. Contumaci pœna mors erat. Deuteronomij 17.

ROMANORVM.

PRAGMATICOS, Græci iuris interpretes appellant: ut ait Fab. lib. 3. cap. 6. ut Pragmaticus ſit iuris eius, quod in ordine iudiciorum, cautionibus & formulis uerſatur, peritus. quum Iuriſconſultus etiam de negotiis, de quibus certum ius erat nullum, conſuleretur: ueluti, ut ſcribit Quintilianus, de uerborum proprietate, aut æqui diſceptatione, aut uoluntatis coniectura. Hotoman. de Verbis iuris.

ANTECESSORVM nomine, iuris doctores ac magiſtros intelligi, perſpicuum eſt ex locis innumeris. Itaq; Heſychius, ἀντικήνσωρ, inquit, ὁ τοὺς νόμους μεμαθηκώς. Iuſtin. in conſtit. cuius initium eſt, Omnem: & in ea quæ eſt De compoſit. dig. Theophilum & Dorotheum iuriſperitos & facundiſſimos Anteceſſores quum appellaſſet: poſtea dicit, illum Conſtantinopoli, hunc Beryti iuris profeſſorem fuiſſe. Vt appareat eos, quos Græci ἐξηγητὰς, interdum προηγητὰς appellant, id eſt, interpretes, magiſtros, præceptores, ea ætate Anteceſſores ab antecedendo, item ut illos à præeundo dictos eſſe. Suidas etiam ἐξηγητὰς iuris legumque Doctores interpretatur. Hotoman. de Verbis iuris.

De Iuris Romani origine Pomponius præclarè libro primo Digeſtorum, Titulo ſecundo diſſerit. Primum fuit Ius Papyrianum. Deinde è Græcia leges XII Tabularum à Decemuiris petitæ, & tabulis eboreis pro Roſtris poſitæ. E quibus ius ciuile fluere cepit, ex iiſdem legis actiones compoſitæ ſunt. Omnium tamen harum & interpretandi ſcientia & actiones, apud collegium Pontificum erant. Ex quibus conſtituebatur, quis quoque anno præeſſet priuatis. Et ferè populus annis propè centum hac conſuetudine uſus eſt. Poſteà, cùm Appius Claudius propoſuiſſet, & ad formam redegiſſet has actiones: Gn. Flauius, ſcriba eius, libertini filius, ſubreptum librum populo tradidit: &, ut Cicero inquit, cornicum oculos confixit. Fuit autem gratum adeò id munus populo, ut Tribunus plebis fieret, & Senator, & Aedilis curulis. Hic liber, qui actiones continet, appellatur Ius ciuile Flauianum: ſicut ille, Ius ciuile Papyrianum. Nam nec Gn. Flauius de ſuo quicquam adiecit libro. Augeſcente ciuitate, quia deerant quædam agendi genera, Sex. Aelius alias actiones compoſuit: & librum populo dedit, qui appellatur Ius Aelianum. Interuenerunt poſtea plebiſcita populi, cùm plebs à patribus ſeceſſiſſet. Item & Senatuſconſulta, & prætorum edicta: quod Ius Honorarium dicebatur, ab honore prætorum. In prima igitur illa legum paucitate Iureconſulti neceſſariò requirebantur, qui ea quæ à lege uniuerſim dicebantur, explicarent: poſtea uerò legum numero aucto, non minor eorundem fuit uſus, ut confuſa diſtingui poſſent, & diſcerni. Quamuis ergò penes Pontifices olim interpretatio ipſa ſita eſſet: poſtquàm tamen Flauius ſcriba actionum librum populo communicauit, quamuis eo populus ſummoperè gauderet, tamen eo uti non poterat propter imperitiam, & propterea Iureconſultorum auxilio opus habuit. Qui quidem uel tranſuerſo foro deambulantes, uel domi in ſolio ſedentes, conſultoribus de Iure reſpondebant, quicunque fiduciam ſuorum ſtudiorum haberent. Neque reſponſa ſignata dabant, ſed plerunque iudicibus ipſis ſcribebant: aut teſtabantur illos ij, à quibus conſulti fuerant. Primus Octauius Auguſtus, ut maior iuris auctoritas haberetur, conſtituit, ut ex auctoritate eius reſponderent: & ex illo tempore peti hoc pro beneficio cœpit. Vnde paulo pòſt effectum eſt, ut Caligula inter cætera liuoris in omnes uiros claros ſcelera, de Iuris quoque conſultis, quaſi ſcientiæ eorum omnem uſum aboliturus, ſæpe iactauerit, ſe effecturum, ne quid reſpondere poſſent præter æquum. Adrianus deinde, quaſi priſtinum morem & libertatem relaturus, cùm ab eo uiri periti peterent, ut ſibi liceret reſpondere: reſcripſit eis; hoc non peti, ſed præſtari atque effici ſolere. Et ideò ſi quis fiduciam ſui haberet, placiturũ ſe populo, ad reſpondendum ſe pararet. Poſtremò res cò deuenit, ut retento Auguſti more, nemo Iuriſconſultus appellaretur, aut publicè ius interpretaretur, deque eo reſponderet, niſi eam auctoritatem à Principe impetraſſet. Quorum omnium ſententiæ & opiniones in tantum honoris uenêre, ut ex principum conſtitutionibus recedere ab eorum reſponſo iudicibus non liceret: & ex horum tantummodo ſcriptis Iuſtinianus confici Pandectas ſuas, cæteris reiectis, uoluit.

PAPYRIVS maior (prænomine incerto, alij Sex. alij Pub. alij Caium, alij Manium uel Mamium appellant) rex primus ſacrificulus fuit poſt exactos reges. Hic leges regias apud põtifices ſparſim deliteſcentes, omnes in unum contulit: quas Ancus Martius in deſuetudinem abeuntes, in foro quernis ſculptas tabulis antè propoſuerat. Hoc ius ciuile Papyrianum appellarunt. Quod mox allatis XII. Tabulis tributa lege fuit abrogatum. Vrbe à Gallis direpta, ſimul cum cæteris rurſus illæ leges ex incendio conquiſitæ, & in uulgus editæ, niſi ſi quæ ad ſacra pertinerent: quas, ut auctoritas earum maior eſſet, pontifices ipſi ſupprimebant. Vixit Tarquinio Priſco regnante, ſub initia libertatis Romanæ.

APPIVS Claudius decemuir, primus Romani iuris XII. Tabularum aſſertor, cùm tyrannidem affectaret, in carcere uel tribunorum iuſſu, uel uoluntaria ui extinctus eſt. Pomponius librum de Vſurpationibus ab eo ſcriptum ad ſua perueniſſe tempora aſſerit. Leges ex Græcia allatæ, trecenteſimo ſecundo Vrbis anno.

HERMODORVS Epheſius Iuriſconſultus, legum quæ à legatis Romanis ex Græciæ ciuitatibus allatæ ſunt, quum in Italia tum fortè exularet, interpres fuit, ob eamque cauſam ſtatua ei in Comitio dicata eſt. Plinius lib. 34. cap. 5. & Pompon. l. 2. §. 1. ff. de orig. iuris, ubi tamen Auctorem ſcribit, pro Adiutorem, ſocium, interpretem. Strabo libro 14. de Epheſiis commemorans, In ea, inquit, uiri fuêre memorabiles: è ueteribus quidem Heraclitus cognomento Obſcurus, & Hermodorus, de quo ille ipſe loquens, Digni ſunt, inquit, omnes ad unum Epheſij, quibus laqueo gula frangatur: qui Hermodorum uirum inter ipſos utilem exilio multarunt, dicentes: Nemo noſtrûm utilis eſto: alioqui alio in loco & apud alios ſit. Fertur etiam is leges quaſdam Romanis conſcripſiſſe. Hotoman. in deſcript. Iuriſconſ.

APPIVS Claudius Cæcus, 130 circiter annis poſt decemuirum floruit, eius abnepos aut pronepos: qui cenſor ex publicis uectigalibus uel inuito ſenatu Appiam aquam in urbem inuexit, cùm prius Tiberinis aquis aut fontibus contentus eſſet populus. Patriciis infeſtus, Potitiæ gentis ſacrificia ſeruis publicis obeunda dedit, & ob eam impietatem luminibus fuit captus. Hic C. Flauium, Cn. F. ſcribam ſuum, ædilem curulem dixit: qui ciuile ius repoſitum in penetralibus Pontificum euulgauit, faſtoſque circa forum in albo propoſuit: ut quando lege agi poſſet, ſciretur. Ob id munus Aedilis curulis & Tribunus plebis creatus eſt. Liuius lib. 9. Ergo cùm Flauij opera faſtos dies excepiſſet, & promulgaſſet, Ius Flauianum fuit appellatum, quamuis Appius auctor eſſet. Scripſit nonnullas mortuorum laudationes, quæ uſque ad ætatem Ciceronis peruenerunt, ut quidam Ap-

pium quàm Catonem imitari mallent. Auctor fuit, ne pax cum Pyrrho ſuſciperetur.

P. SEMPRONIVS Longus, cognomento Sophus; Coſ. cum P. Sulpitio Sauerrione, anno ab V. C. CDXLIX. qui Tribunus pl. Appium Cl. Cæcum cenſura ſe abdicare poſt decimum octauum menſem, recitata lege Aemilia, uoluit.

T. CORVNCANVS publicè primus Ius ciuile profeſſus dicitur, cùm ſuperiores conſultoribus tantùm reſponderent, non autem diſcere cupientes docerent. Primus de plebe Pontifex Maximus creatus, 500 circiter à condita urbe annis. Nulla huius ſcripta, ſed reſponſa tantùm fuiſſe, Pomponius ſcribit, tranſuerſo foro deambulantis, aut domi in ſolio ſedentis, quorum auctoritatem Seneca quaſi ſeculo ſuo extantium citat.

M. FABIVS Pamphilus, qui ante ſecundum Punicum bellum bis fuit conſul, iuris ciuilis peritus, & legatus Carthaginem cum aliis ad Annibalem ab oppugnatione Saguntí reuocandum miſſus.

P. AELIVS Pætus, Q. Aelij filius, qui Pont. pugnâ Cannenſi cecidit, Prætor fuit, cùm Scipio Numidiam ſubegit. Sub hoc Coſ. ſecundum bellum Punicum confectum eſt. Miſſus contra Boios in Galliam, rem non ſatis proſperè geſſit. Legationes deinde obiuit, & colonias deduxit. Augur factus, peſtilentia obiit.

SEX. Aelius Pætus, Pub. frater, ædilis curulis cum M. Claudio Marcello, anno ab Vrbe condita 541. Mox triumuir, inde cõſul, mox cenſor. Hic more ueterum Iureconſ. tranſuerſo foro ambulans, ciuibus omnibus ſui cõſilij copiam faciebat, aut domi in ſolio ſedens, de rebus omnibus reſponſa dabat. Hunc Ennius ita laudauit:

Egregiè cordatus homo catus Aelius Sextus.

Extabat tempore Pomponij liber eius, qui Tripartita inſcribebatur, & ius Aelianum appellabatur, ueluti incunabula Iuris continens. Cicero eius aliquoties meminit.

AELIVS Pætus filius Sexti uel Pub. ſine prænomine à Pomponio inter Iureconſultos ponitur.

P. ACILIVS, teſte Cicerone, appellatus eſt ſapiens, quia prudens eſſe in iure ciuili putabatur. Hunc quoque primum à populo ſapientem appellatum fuiſſe, Pomponius ſcribit. Cum M. Aelio prętor poſtremò creatus, Sardiniam prouinciam ſorte obtinuit.

P. CORNELIVS Scipio Naſica, Cn. Cornelij Scipionis in Hiſpania occiſi filius, frater patruelis fuit Africano maiori, iuriſq; conſultiſſimus. Hic adoleſcẽs etiamnum, uir optimus à Senatu iudicatus, Peſſinuntinam deam hoſpitio excepit. Per omnes deinde honorum gradus euectus, de Boiis triũphauit, uir frugaliſſimus & pauperrimus.

Q. FABIVS Iuriſc. ad Carthaginenſes legatus, Corn. Sempronio Coſſ. quum eſſent duæ teſſeræ poſitæ, una pacis, altera belli, arbitrio ſibi dato, utram mallet referre Romam, utrãque ſuſtulit, & ait: Carthaginenſes petere debere, utrã mallent accipere. Pomponius.

Q. FABIVS Labeo, à Cicerone inter iuriſperitos connumeratur, quamuis à Pomponio omittatur: qui quæſtor urbanus anno Vrbis 544. magnum certamen cum omnibus ſacerdotibus habuit, pro conferendo ſtipendio militibus, omnibus honoribus functus.

Q. FABIVS Pictor, anno Vrbis 551. Prætor Sardiniam prouinciã ſortitus eſt. Primus res Romanas ſcripſiſſe dicitur Gręcè.

M. PORCIVS Cato Cenſorius, Tuſculanus, iuris peritiſſimus fuit, teſte Cicerone.

M. PORCIVS Cato, ſuperioris F. prætor deſignatus, patre uiuo mortuus eſt. Plurimos in Iure ciuili libros reliquit. Gellius lib. 13. cap. 18. Hotom.

M. MANILIVS Torquatus, cæſo matris utero in lucem editus, cum L. Martio Cenſorino conſul fuit, anno Vrbis DCI. quibus Coſſ. tertium bellum Punicum exortum, & Carthago deleta, quam primus Manilius cum exercitu per uim aggreſſus eſt. Tres libros de Iure ciuili ſcripſit. Sacrorum pontificalium peritiſſimus fuit, & ex illis qui tranſuerſo foro ambulare & reſponſa dare ſolebant. P. Scæuola æquali ſuo oratione copioſior, nec multo minus prudens. Decium Syllanum filium, quòd prætor Macedoniam compilaſſet, cauſa probè cognita, abdicauit & relegauit.

M. BRVTVS præturam non exceſſit, ut uult Pomponius. Reliquit de Iure ciuili ſeptem libros: quorum tamen tres tantùm fuiſſe Bruti, Cæſar apud Cic. ex ipſo Scæuola ſe audiſſe fatetur. M. etiam Brutum, M. Bruti qui Cæſarem interfecit patrem, Cicero non modò bonum oratorem, ſed & Iuris publici & priuati peritum fuiſſe affirmat.

P. MVTIVS Scæuola, anno Vrbis DCXVII conſul cum L. Calphurnio Piſone fuit: item pontifex max. poſtq; eum Cicero ait deſitum eſſe à Pontificibus max. confici annales maximos, quos ab initio rerum Rom. ad eum modum conſcripſerant, ut res ſingulorum annorum mandarent literis, memoriæ publicæ cauſa: tabulamq; domi proponerent, ut eſſet populo cognoſcendi poteſtas. Iudex iniuriarum condemnauit eum, qui L. Accium poetam lædendi gratia in ſcena nominauerat: cùm C. Cælius abſoluiſſet eum, qui Lucilium poetam in ſcena nominatim læſerat. Reliquit de Iure ciuili libros decem. Fratrem adoptiuum P. Craſſum Mutianum oratorem in Iure inſtituit. Pila & duodecim ſcrupis & alea optimè luſiſſe dicitur. Interiit phthiriaſi. Plutarchus in Sylla.

P. LICINIVS Craſſus Mutianus, cognomine Diues, naturalem ortum è Craſſorum gente habuit: ſed adoptione in Mutianam familiam tranſiit. Is 600. anno ab Vrbe cõdita quæſtor eſt factus. Hic à P. Scæuola fratre domeſticam iuris diſciplinam hauſit, & ualde probatus orator fuit. Ser. Galbæ ſummi oratoris filio Caio filiam ſuam collocauit: alteram Tiberio Graccho. Quo interfecto, ſenatus ad iram plebis leniendam, diuiſorem agrorum P. Craſſum legit. Hic etiam cùm ædilitatem peteret, de Iure à ruſtico fuit conſultus. Cõſul cum L. Valerio Flacco factus, anno Vrbis 623. ſimul & pontifex, nouo exemplo cõtra Ariſtonicum in Aſiã miſſus, à Thracibus qui Ariſtonico familiares erant, interceptus & captus fuit. Vt turpem ſeruitutem euitaret, in itinere dum duceretur, uirgam, qua ad dirigendum equum utebatur, in oculum Barbari direxit, eumque excæcauit. Qui ui doloris accenſus, latus Craſſi ſica confodit. Caput mortui Ariſtonico oblatum, corpus Smyrnæ ſepultum. Quinq; ſummis bonis Craſſus ornatus fuiſſe dicitur: quòd ditiſſimus, quòd eloquentiſſimus, quòd nobiliſſimus, quòd iuriſconſultiſſimus, quòd Pontifex maximus fuerit.

C. LIVIVS Druſus à Val. Max. inter præclaros Iurecoſſ. ponitur: à Pomponio omittitur. Senex & cæcus, ius nihilominus populo interpretatus eſt. C. Druſi filius fuiſſe uidetur, quem Cicero inter oratores tres ex Druſorum familia connumerat, M. Druſi frater.

C. MARTIVS Figulus, conſul cum Naſica Corculo, anno Vrbis 592. & ſeptennio pòſt iterum cum Cornelio Lentulo, filium habuit Caium Iureconſultum celebrem (à Pomponio tamen prætermiſſum) qui cùm in petitione conſulatus repulſam tuliſſet, ira accenſus, poſtero die conſulentes omnes à ſe repulit: inquiens, Omnes conſulere ſcitis, conſulem facere neſcitis.

P. RVTILIVS Rufus, M. filius, adoleſcens P. Mutium Scæuolam ſectatus eſt. Conſul fuit cum C. Mallio, anno Vrbis 651. & primus ex ludo C. Aurelij Scauri doctores gladiatorios accerſiuit, qui iuuentutem in armis erudirent. A M. Scauro publicanorum inuidia repetundarum reus factus eſt: quam accuſationem magna conſtantia pertulit. Ab equitibus dãnatus, in Aſiam exulatum abiit, omnibus Aſiæ ciuitatibus legatos ei obuiam mittentibus, & ut ad ſe ueniret inuitantibus. In exilio mortuus eſt. Orator fuit, ſed ieiunus. Fucos & ipſe uitabat rhetoricos, & in aliis reprehendebat. Orationes quaſdam reliquit, Stoica philoſophia plenas (præceptore enim uſus eſt Panætio) multa item in Iure ſcripta: hiſtoriam quoq; ſuæ uitæ.

Q. AELIVS Tubero, filius C. Aelij Tuberonis Catelij, & Aemyliæ L. Pauli, qui Perſam deuicit, filiæ, ex ea familia, quæ paupertate & parſimonia laudatiſſima erat, ita ut ſex & decem Tuberones ſimul unis ædibus modicis, unicoq; agro in Veiente habitarent & ſuſtentarentur. Triumuir agris, opinor, ex lege Sempronia diuidundis fuit. Hunc in Bruto Cicero Stoicum & doctiſſimum in diſputando fuiſſe ſcribit. Iuriſperitus fuit, Stoicus, maioribus par, oratione ieiunus. Scripſit orationes contra Gracchum, item hiſtorias, ex quibus Liuius, Dionyſius & Gellius multa citant. Veteris frugalitatis ſtudioſiſſimus, cùm à Fabio Max. epulum nomine P. Africani patrui ſui defuncti daretur, triclinium ſternere rogatus, lectulos ligneos punicanos pellibus hœdinis ſtrauit, & pro argenteis uaſis Samia expoſuit. Cuius rei deformitate ſic populum commouit, ut in petitione præturatus repulſam tulerit. Scripſit ad eum præceptor Panætius opuſcula quædam.

PAVLVS Virginius connumeratur à Pomponio inter Iureconſultos, ſed corruptè, ſecundùm Hotoman. fortaſſe legendum Scaurus Vigellius.

SEX. Pompeius, Sex. F. Cn. Pompeij Magni patruus, Stoicus, ad Ciceronis uſq; tempora peruenit. Præſtantiſſimum ingenium contulit ad ſummam iuris ciuilis, & ad perfectam Geometriæ & rerum Stoicarum ſcientiam. Quem Cicero in libro de Orat. 3. Stoicum appellat, & lib. 1. eruditum hominem in philoſophia.

L. CÆLIVS Antipater, hiſtorias ſcripſit, horrido ſtylo: quem tamen Adrianus Imp. uetuſtatis admirator, Salluſtio prætulit. L. Craſſi ſummi oratoris magiſter. In Iure celebris, ut tempora illa ferebant.

Q. MVTIVS Scæuola Augur, quem Cicero in Oratore diſſerentem, & in Amicitia introducit. Eum adoleſcens Cicero coluit, & Ius ciuile ab eo didicit. Fuit inſignis Stoicus, Panætij



auditor. Eius domus ueluti oraculum ciuitatis habita. Habuit Lælij filiam maiorem in matrimonio: ab eoq; in collegium augurum cooptatus eſt, C. Fannio altero genero grandiore præterito. Ipſe Mutius filiam ſuã L. Craſſo locauit: qui eum ita reueritus eſt, ut præſente illo ſupplex ambire populum erubeſceret. Conſul fuit anno Vrbis 637. & de Dalmatis uictis cum collega triumphauit. Sylla urgente ut ſenatus C. Marium hoſtem Reip. iudicaret, ſolus hic Scęuola obſtitit. Simultates cum Lucillio ſatyrico exercuit. In Saturnini tumultu quamuis ſenex arma cepit, & patriæ ne in extremo quidem ſpiritu defuit.

Q. MVTIVS Scæuola Pont. Max. filius P. Mutij (de quo ſuprà) Pont. max. Proconſul Aſiam obtinuit: eamq; prouinciã tanta integritate adminiſtrauit, ut in poſterum in eam prouinciam ituris magiſtratibus, exemplum atq; forma officij Scæuola proponeretur. Inimiciſſimos habuit publicanos. Collega eius Craſſus eum iuriſperitorum eloquentiſſimũ, & eloquentium iuriſperitiſſimũ appellauit apud Cic. Cauſas multas egit. Dixit pro P. Rutilio repetundarum reo. Cũ fundum emiſſet, eumq; pluris q̃ uenditor addixiſſet, æſtimaret, addidit centum millia. Primus Ius ciuile conſtituit generatim in libros 18. plurimoſq; auditores habuit, ſed præcipuæ auctoritatis Gallum Aquilium, Lucilium Balbum, Sex. Papyrium, C. Iubentium. Ab eo poſt mortem Scæuolæ Auguris Cicero adoleſcens multa didicit, quorũ meminit prę cipuè de Legib. Ex profeſſo neminem docebat: ſed conſulens, & de Iure reſpõdens, ſtudioſos audiendi docebat. Hic cùm pro Sylla ſenſiſſe crederetur, Marianiq; urbem inuaſiſſent, & inſtigante Mario filio, tum conſule, Damaſippi prætoris iuſſu, obſeſſa curia, è Senatu educti trucidarentur: fugiens, Veſtaleſq; amplexus aras, ad Marij funus in curia Hoſtilia à C. Fimbria trucidatus eſt, iam grãdis natu, ita ut ſanguine ſuo ſacrarium Veſtæ reſpergeret. Quem cùm ex uulnere aliquantiſper recreatum, ac poſſe uiuere conſpexiſſet, apud populum ſe accuſaturum Fimbria ironicè dixit, quod parcius totum corpore telum recepiſſet. Obiit mox Scęuola, & corpus in Tiberim proiectũ. Hunc antiquiſſimũ ferũt eorum, ex quorũ libris confecerit Iuſtinianus Pandectas Iuris ciuilis, unumq; tantùm ibi librũ eius acciri Definitionũ.

C. AQVILIVS Gallus, eques Romanus, à Q. Mutio Pontif. Max. ius ciuile didicit. Acutus & exercitatus & promtus in reſpõdendo & agendo, regnum quoddam iudiciale uidebatur habere, cuius gratia à petendo conſulatu abſtinuit. Ipſe Seruium Sulpitium Ius ciuile docuit, & ab eo illuſtratus eſt. Habitauit in colle Viminali, ędibus ea ætate ſumtuoſiſſimis, ducentis circiter millib. noſtratium aureorum. Filium uiuens amiſit. Collegam in prætura Ciceronem habuit. Si quid ad illum tale referretur, ut de facto quæreretur, quia id ad Ius nil pertinebat: Ad Ciceronẽ, inquibat Gallus: Oratoris id munus eſſe aſſerens. Dolus malus quid eſſet, petente Cic. Cùm aliud eſſet ſimulatum, aliud actum, reſpondit. Reſponſa eius citantur plurima in libris Digeſtorũ, celeberrimum illud, De poſthumis nepotibus hæredib. inſtituend. Laudatio eius extat in orat. pro Cæcina.

L. LVCILIVS Balbus Seruium Sulpitiũ docuit. In agendo & reſpondendo conſiderata tarditate utebat᷑. A diſcipulo Seruio illuſtratus eſt. Stoicus fuit inſignis, ita ut ei Antiochus philoſophus opus ſuum quoddam miſerit. Itaq; eum Cicero in ſuis libris Stoicorum placita defendẽtem introducit.

CN. Aufidius à Cic. inter Iureconſultos numeratur, omittitur à Pomponio. Cæcus etiam in Senatu ſentẽtiam dicebat & Prætorius amicis non deerat: Gręcam inſuper ſcribebat hiſtoriam. Huic æquales annumerat Cicero, C. Aculeonẽ, materterę Ciceronis uirum, qui cum L. Craſſo oratore familiariter uixit: filiumq; eius C. Viſellium Varronem, conſobrinũ Ciceronis: C. Fimbriam, Q. Lucretiũ Viſpillonem, C. Bilienum, P. Quintiliũ, M. Marcellum, L. Valerium faceтiſſimum Ciceronis amicum, & P. Conſam, quẽ Cicero irriſit, cùm in iudicio de re quadã teſtis interrogatus, negaſſet ſe quicquã ſcire: Fortaſſe de iure interrogari te putas, inquit Cicero.

C. IVVENTIVS (uel T. ut Cicero) Q. Mutij Pontif. max. auditor. In dicendo frigidus, ſed acutus cauſarum actor. Diſcipulum habuit P. Orbilium, Ciceronis ferè æqualem. Hunc etiam Seruius Sulpitius audiuit, & in libris ſuis crebram eius facit mentionem.

SEX. Papyrius, auditor Q. Mutij. Hunc Ser. Sulpitius audiuit, & ſcriptis ſuis illuſtrauit.

P. SERVIVS Sulpitius Rufus Lemonia, generis memoriam propè intermortuam uirtute renouauit. Rhodum cum Cicerone eloquentiæ cauſa profectus eſt. Reuerſus, cùm de re amici ſui Q. Mutium Pont. max. conſuluiſſet, neq; reſponſum eius intelligens iterum Mutium interrogaſſet, neq; ſecundum quoq; reſpõſum percepiſſet: obiurgatus à Mutio, q᷒ turpe eſſe diceret patricio uiro, & cauſas oranti, Ius, in quo uerſaretur, ignorare. Ea ueluti contumelia tactus Seruius, Iuri operam dedit ſub Gallo Aquilio, Lucillio Balbo, Sex. Papyrio, C. Iuuentio. Iuris itaq; ſciẽtia omnes uicit, qui eloquentia aut prior Cicerone, aut nõ inferior erat. Primus Dialecticã iuri adhibuit, & ordine quodã tractare cepit. Ciceroni familiariſſimus fuit. Quæſtor fuit, item & cõſul cum M. Marcello, Catoni Vticenſi prælatus. In bella ciuilia Cæſaris & Pompeij incidit. Ad M. Antonium, qui Mutinæ D. Brutum obſidebat, inuitus legatus eſt miſſus, pacis cauſa. Sed nondum confecto legationis munere, ingraueſcente morbo extinctus eſt, uxore ac filio ſuperſtitibus, Hircio & Panſa Coſſ. Statua ęrea pedeſtris in Roſtris à Cicerone collocata: & funus ſumtu publico, tanquã in legatione defuncto, fieri, grauiſſima oratione Cicero contendit, quæ adhuc extat. Vxorem habuit Poſthumiam, à C. Cæſare adulterio corruptam. Filiũ reliquit Seruiũ, & filiã, quã duxit Q. Tubero Iurecõſ. Põponius centũ octuaginta propè libros in Iure ciuili ab eo ſcriptos aſſerit, pleraq; ad Cercinnã inſulã ſcripta.

C. TREBATIVS Teſta, eques Rom. familiaris Ciceronis, q᷒d ex Epiſtolis illorum intelligi poteſt: Cæſari à Cic. commendatus, Cæſarianas partes fouit. In Iure fuit ſingulari memoria, & ſumma ſcientia. Præceptorem habuit P. Corneliũ Maximum, obſcurũ Iurecoſſ. Ab Octauio quoq; in honore habitus. Libros multos de Iure ciuili cõpoſuit, & de Religionibus nouem: iuris peritior fuit, quàm eloquentior. Auditorem habuit Antiſtium Labeonem.

A. OFFILIVS eques Romanus, Ser. Sulpitij auditor, uixit ſub Octauio, æqualis Trebatij. Ciceronem re pecuniaria iuuit: Libros de Iure ciuili ſcripſit plurimos. De legibus Viceſimæ primus ſcripſit, & de Iuriſdict. Q. Tuberonem inſtruxit. Huius Ofilij uxor ea fuiſſe uidetur Clodia, quã Plin. lib. 7. c. 48. a 115 annos uixiſſe, quindecies autẽ enixã eſſe tradit. Hotom. in deſcript. Iuriſconſ.

A. CASSELIVS, eques Rom. Q. Mutij Voluſij auditor, ęqualis Trebatio & Offilio. Scripſit librum Benedictorum. Moriens Q. Mutium nepotẽ præceptoris ſui Mutij, in eius honorem, teſtamento hæredem reliquit.

Q. AELIVS Tubero, L. Tuberonis F. patricius primũ orator fuit, & Q. Ligarium accuſauit, tanta ui, ut uix Ciceronis defenſio & Ligariorum fratrum bene de Cæſare meritorum, eum eripere potuerint. Tubero inde à cauſis ad ius ciuile tranſiit, & A. Offilio operã dedit. Multos in Iure reliquit libros, ſermone etiã antiquo uſus affectauit ſcribere, & ideo parum libri eius grati habẽtur. Meminit Cæſar lib. 1. de Bello ciuili. Conſulatũ cum Fabio Max. geſſit, anno Vrbis 743. qui fuit nonus ante Chriſtum natum. Seruij Sulpitij filiam duxit, & ex ea filiam ſuſcepit.

Q. LIGARIVS à C. Conſidio proconſule prouinciæ præfectus fuerat. Cùm autem Actius Varus in eam pulſus à C. Cęſare ueniſſet, Q. Tuberonem huiuſce patrem, cui ea prouincia obuenerat, portu prohibuit. Hotoman.

P. ALPHENVS Varus, auditor Ser. Sulpitij, Cremonẽſis (Horat. Vafrum appellat) ſutor primùm, mox Iurecoſ. ita ut etiã conſulatum ſit adeptus cum P. Vinitio, triennio poſt Chriſtum natum. Reliquit Digeſtorum libros, & Collectaneorum. Publico elatus eſt funere.

AVFIDIVS Namuſa, Seruij Sulpitij auditor, traditur cõdiſcipulorum ſuorum ſcripta in 140 libros digeſſiſſe. Hotom. in deſcript. Iuriſconſ.

CAIVS à Pomponio inter Ser. Sulpitij auditores numeratur: multa ſcripſit. Hodie extant duo libri Inſtitutionũ, ex quib. multa Iuſtinianus mutuatus eſt.

TITIVS Cæſius, Seruij auditor à Pomponio connumeratur.

AVFIDIVS Tuca Seruij auditor (alij Suram nominant) uixit ad ſummam ſenectutẽ, eratq; & bonus uir & innocens, ſed dicebat parum. Aufidius Aſiæ prætor, item Aufidius Namuſa, in Legum libris non rarò laudantur.

C. ATTEIVS Pacuuius, Seruij diſcipulus.

FLAVIVS Priſcus, Seruij item auditor, item Cinna. Pariter P. CÆCILIVS, cuius frequẽs citat᷑ in Digeſtorũ libris auctoritas. Huic cùm C. Cæſar quinquaginta tantùm ſeſtertia, reliquis colluſoribus centum dari iuſſiſſet: Quid ego, inq̃t, una manu ludo, ut nequeam tantundem capere?

SVLPITIVS Galba horum temporum æqualis, breuis fuit, & gibboſus, omniũq; cauillis expoſitus. Cauſas agitauit. Orbilius cùm frequenti iudicio teſtimonium diceret, interrogatus à Galba diuerſæ partis aduocato, cui incognitus erat, Quo artificio uteretur? reſpõdit, à ſe gibbos in ſole fricari, atq; inde in umbrã transferri ſolere. Vxores habuit Mumiam Achaicam, proneptẽ L. Mumij Corinthiaci, neptẽ Catuli, ex qua C. & Sergium procreauit. Maior C. lapidatis bonis exul obiit. Sergius poſtea ad imperium peruenit, ſed nõ diuturnius ſeptimeſtri. Secundam habuit Liuiam Ocellinã, diuitem & pulcram, nobilitatis cauſa ab ea expetitus: & etiam uereri, quod ſecretò poſita ueſte ei detexit, ne ignarã fallere uideretur. Adulteriorũ infamia laborauit, teſte Horatio:

—— Quin etiam illud
Accidit, ut quidam teſtes, caudamq; ſalacem

Demeteret ferro. Iure omnes, Galba negabat.

quaſi & ipſe adulter. Villam habuit ſuppoſitam colli prope Terracinam, ſiniſtrorſum Fundos petentibus, in qua natus eſt filius Sergius Galba pòſt Imperator.

Q. ANTISTIVS Labeo (uel M.) Antiſtij Labeonis F. (qui inter occiſores Cæſaris fuit, & legatus M. Bruti in acie Pharſalica uictus, ſeruo ſuo ſe iugulandum præbuit, ut uictorē effugeret) philoſophus & Iurecoſſ. Trebatij auditor. Romæ ſex erat menſibus cum ſtudioſis: ſex aliis ſecedebat, & conſcribebat libros, quos reliquit numero quadringentos. Is primus ueluti ſectam quandam Iuris cum Atteio Capitone exercuit, cùm Capito uetera ſeruare, Labeo doctrina fretus multa innouare, ſeu potiùs mordicùs antiquū Ius retinere uellet. Vti Gell. lib. 13. c. 12. Noct. Att. docet. Vide Tit. Libertatis nimiæ in magiſtratib. reprehendendis. Sub Octauio Cęſare liberè ſententias dixit, & Octauium ſæpè reprehendit. Eapropter ab Horatio in gratiā Auguſti Inſanus uocatur. Eum Petronius Arbiter Seruio Sulpitio cōparat. Atq; eſto quicquid Seruius & Labeo. Non in Iure tantū, ſed & in Dialecticis & Grāmaticis; antiquitatisq; cognitione excelluit; ita ut ex Latinarum uocum origine & proprietate multos in Iure nodos ſolueret. Cuiuſmodi multa in 40. libris Poſteriorum reliquit. Scripſit & alia.

C. ATTEIVS Capito, cum Germanico Cęſare conſul fuit, teſtibus Pomponio & Tacito (ut ualdè mirer Caſſiodorum & Dionem ſcriptum habere, Anno DCCLXIV. C. Fonteium cum Germanico Cæſare.) Alterum ueluti oraculum ciuitatis habebatur. Auditor Offilij, & antagoniſta Labeonis in moribus & diſciplina. Itaq; Octauio charus fuit, & Tiberio adulatus eſt. Cùm uerbum in edicto parùm Latinum, Capito ſi nō eſſet, at certè in gratiam Cæſaris à ciuitate receptū, Latinum eſſe futurum aſſereret: Pomponius grammaticus ad Tiberium conuerſus reſpōdit, Mentitur Capito: tu enim Cæſar ciuitatem Romę dare potes hominibus, uerba & linguę Latinę uſum nō potes. Reliquit libros nō paucos, quorum Gellius, Macrobius & Frontinus mentionem faciunt.

M. COCCEIVS Nerua, Cocceij Neruæ (qui cum L. Gellio triumuirali dominatu cōſul fuit) filius, Labeonis ſectator, à Capitonis ſucceſſoribus diſſenſit. Omnis diuini & humani Iuris peritus, aſſiduus Tiberio Cæſari fuit, ita ut cum ſolus Capreas ſecedentem ſecutus ſit, & cum eo octo fermè annos permanſerit. Mox cùm Tiberij crudelitatem perſpiceret, futuraq; Reipub. mala animo præuideret, inedia ſeipſum confecit: nec Tiberio tamen, quamuis acriter inſtanti, mortis cauſam indicare uoluit. Filium reliquit Neruam, qui 17. anno ætatis de Iure reſpondit. Huius nepos fuit Nerua, qui Romano poſtea pręfuit imperio: uir optimus, & ſucceſſore Traiano dignus. Tacitus lib. 4. & 5.

MASVRIVS Sabinus, plebeius, Cocceij Neruæ æmulus, Capitonis ſucceſſor. Iam grandis natu equeſtrem dignitatem obtinuit, annorum fermè 50. Pauper alioqui, à ſuis auditoribus ut plurimùm ſuſtentatus eſt. Obtinuit à Tiberio Cæſare, ut ſibi de Iure reſpōdere liceret. Atq; ita publicè primus reſcripſit. Scripſit multa in Iure.

C. ſiue L. CASSIVS Longinus, ex filia Tuberonis, nepte Seruij Sulpitij natus, propè hæreditariam Iuris ciuilis ſcientiā exercuit, cùm proauum Sulpitium, Tuberonem auum, maternos habuiſſet. Is Maſurio Sabino ſucceſſit, & Caſſianorū nomen ſuis reliquit, princepſq; & parens eius ſcholæ eſt habitus. Conſul fuit cum Quartino, anno Tiberij 17. Extremo Caligulæ principatu, cùm Aſiæ proconſul eſſet, & fortunæ Antiatinæ principi reſpondiſſent, ut à Caſſio caueret, Caſſium Longinum interficiēdum delegauerat: ſed ipſe priùs à Caſſio Chærea fuit interfectus. Poſt Caligulam ſub Claudio Syriæ præfecturam accepit. Sub Nerone falſis criminib. confictis in Sardiniam deportatus, ſub Veſpaſiano rediit, & in patria ſenex atq; cæcus uitam finiit.

AMINIVS Rebius iureconſultus, pecuniæ ditiſſimus, famæ non admodum bonæ, ob libidines muliebriter infamis, ſenex miſſo è uenis ſanguine mortem conſtanter tulit, Neronis anno III.

PROCVLVS, Neruæ filius, patris ſcholam & diſciplinam excepit. Tantus in Iure fuit, ut qui prius à Labeone ac Nerua nomen accipiebant, ab eo Proculiani cœpti ſint dici. Videtur hic ille fuiſſe, qui Othoni ſumma neceſſitudine fuit coniunctus, & cauſa quodammodo illius cædis. Vitellio ſe tandem Romæ ſubmiſit, proditorem ſe Othonis faſſus, eoque ueniam impetrauit. Vlpianus eum quaſi nō leuem Iuris auctorem nominat, ex reſcripto diuorum fratrum. Celſus uerò etiam Proculum auctorem Iuris habuiſſe uidetur.

CÆLIVS Sabinus ſucceſſit Longino in Iuris diſciplina. Ab Othone bimeſtrem conſulatum cum Fl. Sabino ſuſcepit. Vitellius ratum habuit, quamuis uictor. Veſpaſiani poſtea tēporibus plurimùm potuit. Scripſit librum de Edicto ædiliū curulium. Gellius libro ſeptimo, capite quarto, eum ait ſcriptum reliquiſſe, pileatos ſeruos uenum ſolitos ire, quorum nomine uenditor nihil præſtaret.

SEX. Pedius, quo tempore uixerit incertum, libros reliquit de Stipulationib. item Ad edictum 25. Citatur à pleriſq; auctoribus Digeſtorum.

PEGASVS ſucceſſor Proculi, ſub Veſpaſiano conſul fuit cum Pruſione. Auctor tum fuit Senatuſconſulti Pegaſiani, de hæreditate. Fuit ſub eodem, & etiam ſub Domitiano pręfectus urbis. Meminit illius Iuuenalis, & optimum atq; ſanctiſſimum Legum interpretem appellat.

PRISCVS IABOLENVS ſiue Iauolenus, ſucceſſit Cęlio Sabino: de Iure publicè reſpondit, & adhibitus eſt cōſiliis. Ad Antonini Pij imperiū uſq; peruenit: eoq; uſus eſt princeps Iuriſperito, cùm multa iura ſanciret. Hunc Iulianus præceptorem ſuum fuiſſe ſcribit, & in Africa & Syria cum imperio fuiſſe, iuriſdictionemq; exercuiſſe teſtatur. Scripſit in Iure 15 libros è Caſſio, epiſtolarum 14. quinq; ad Plautiū, qui etiam fuit Iureconſultus: ſed nihil de eo certi habetur. Sępe eius in libris Legum honorifica fit mentio. De eo ſic Plin. lib. 2. Epiſt. Paſſienus Paulus, ſplēdidus eques Romanus, & inprimis eruditus, ſcripſerat elegos (gentilitiū hoc illi: erat enim municeps Propertij, atq; etiā inter maiores ſuos Propertium numerabat) Eos cùm recitaret, ita cepit dicere, Priſce iubes? Ad hoc Iauolenus, Ego uerò non iubeo. Cogita qui riſus hominum, qui ioci, quòd eſt omnino Priſcus dubiæ ſanitatis. Intereſt tamen officiis, adhibetur conſiliis, atq; etiam ius ciuile publicè reſpondet: quo magis, quod tunc fecit, & ridiculum & notabile fuit. Interim Paulo aliena deliratio aliquantum frigoris attulit. Tam ſolicitè recitaturis prouidendum eſt, non ſolùm ut ſint ipſi ſani, uerumetiam ut ſanos adhibeant.

TVSCIANVS Iuriſc. nominatur à Pomp. & Iauoleno Priſco in Iuris ciuilis diſciplina ſucceſſiſſe traditur. Eius tamen nuſquam mentionem reperio, uereorq;, ne pro T. Metiano ſcriptum ſit Tuſciano. Nam T. Voluſium Metianum unà cū Valente Capitolinus in Antonino coniungit: cui Valenti Tuſcianū Pomponius ſociū attribuit. Hotomannus.

CELSVS pater Pegaſo ſucceſſit. Apud Traianum in honore, & Adriano præcipuè inter iudicandum in cōſilio fuit. Filiū habuit Iulium iureconſultum, qui duos ſub Adriano conſulatus geſſit. Filius reliquit Digeſtorum libros 39. Inſtitutionum 20. Epiſtolarum 13. Adriano in conſilio fuit.

NERATIVS Priſcus ſcholam Celſi patris cum Iulio Celſo F. tenuit, & cum eo Conſulatum geſſit. Eum Traianus tantoperè probauit (qui & ipſe iuris ciuilis & diuini conſultiſſimus fuit) ut in animo habuiſſe dicatur, non Adrianum, ſed Neratium, imperij ſucceſſorem relinquere: uſq; adeò ut Priſco aliquando dixerit, Si quid fatale mihi contigerit, commendo tibi prouincias. Adriano tamē adoptato, Neratius eidem inter præcipuos iudiciario conſilio affuit. Conſulatum etiam adminiſtrauit. Plurima ſcripſit.

DOMITIVS Labeo, Adriani temporib. floruit, ſcripſit libros, Epitomatum unum, Epiſtolarum complures: unde ea omnia eſſe dicuntur, quę Tribonianus ſuis Digeſtis inſeruit, Labeonis nomine. Quis tamen fuerit, incertum eſt.

T. ARISTO, à Pomponio omittitur. Plinius tamen, & Gellius doctiſſimum Iurecoſſ. fuiſſe teſtantur. Scripſit uolumina de Decretis Frontinianis.

ABVRNIVS Valens Iuriſc. nominatur à Pomponio & Iauoleno Priſco in Iuris ciuilis diſciplina ſucceſſiſſe. Capitolin⁹ autem Saluium Valentem dicit Antonino Pio operam ſuā in Iure condendo præſtitiſſe, & reliquiſſe Fideicommiſſorū libros ſeptem.

VINDIVS Verus, & VLPIVS Marcellus, Antonino Pio in cōſilio fuerunt, cùm Iura conderet. Vlpius etiam Seueri imperio floruit, & reliquit libros Digeſtorum 38. Reſponſorum unum, & multos alios.

ARRIANVS, ſub Antonino & Adriano, libros ſcripſit cōplures, præſertim de Re militari. Non ille qui Alexandri geſta Græcè perſecutus eſt, ſed ille ad quem multæ ſunt Cęcilij epiſtolæ: quibus eum non tam quaſi Iureconſultum, quā ut aduocatum & oratorem, atq; adeò Demoſtheni & Caluo ui orationis parem alloquitur.

TERTVLLIANVS iiſdē temporib. uixit, qui libros Quæſtionum 4. unum de Caſtrenſi peculio edidit. Quidā eum cōſulem fuiſſe aiunt. Alij eundē eſſe coniiciunt, qui poſtea Chriſtianus fact⁹, egregios ꝓ religione noſtra libros reliquerit.

SALVIVS Iulianus Seuerus, Mediolanēſis patricius, auditor Iaboleni, Iuris peritiſſ. fuit, & perpetuum edictum diligētiſſimè compoſuit (quod ipſum Iuſtinianus confirmauit, Iulianum legum & edicti perpetui ſublimiſſimum conditorē appellans: itemq; ſublimiſſimum teſtem, ſummæq; auctoritatis hominem, & Prætoriani edicti ordinatorē) ſuppleuitq;, Adriani imperio, poſt Chriſtum natū 134. cui etiā in cōſilio, cùm iudicaret, aſſedit. Antonino deinde Pio & DD. fratrib. carus fuit, ita ut eum reſcripto quodam & amicum ſuū & V. C. appellēt. Extat eius uox memorabilis apud Pōponiū: Etſi alterum pedem in ſepulcro haberem, adhuc tamen diſcere uellem. Cōſul bis, & præfectus Vrbis. Multa in Iure reliquit: Digeſtorum libros 90. Hunc nonnulli uetuſtiſſimum putant inter eos, quorum ex operib. Digeſta Iuſtiniani Tribonianus confecerit. Fuit autē paternus proauus Didii Iuliani: qui ipſe quoq; Iuris peritia clarus fuit, & poſt Pertinacem imperium Romanum à militibus pecunia redemit. Ad Cōmodi uſq; tempora perueniſſe, & ab eo inter principes uiros cæſum, Græci tradunt auctores. Sepultus uia Labicana, milliario ab Vrbe quinto. In huius imaginem tale extat carmen in 4 Græcorum Epigr. per Theætetum:

Τοῦτον ἰυλιανὸν νομικῆς φάος εἶπον ἰδῆσαι
ῥώμη καὶ βερόη, πάντα φύσις δυώσατο.

L. VOLVSIVS Metianus, Antonini Pii conſiliarius, magiſter M. Antonini philoſophi. Capitolinus. De Fideic. li. 16. Publicorū lib. 14. ſcripſit. Lampridius Metianū aliū facit, diſcipulum Papiniani, & familiarē Alexā. Imp. & in conſilio ſociū.

AELIVS MARTIANVS Iurecoſſ. quē Didius Iulianus Imp. iuſſerat occidi: ſed elapſus diſcrimini, poſtea in conſilio Alexandri fuit. Multa in Iure ſcripſit.

L. CERVIDIVS ſiue Serbidius Scæuola, præceptor M. Antonini Philoſophi, & mox in ſanciendis legib. & in cōſilio ſocius. Docuit quoq; Septimiū Seuerū Afrum, qui poſt Iulianum imperauit, & Papinianū. Solebat dicere, Ius ciuile uigilātib. eſſe ſcriptū. Reliquit multa in Iure. In reſpōſis ius ſemper ad facti conditionē qualitatemq; accōmodauit. Itaque ſemper illa clauſula utitur, Secundū ea quæ proponerētur.

AEMYLIVS Papinianus, Hoſtilii Papiniani & Eugeniæ Gracilis F. Scæuolę diſcipulus, procurator fiſci poſt Septimium Seuerum fuit: eoq; ad imperium euecto, amiciſſimus ei, & ut alii loquuntur, affinis etiam per ſecundam uxorem, præfectus prętorio fuit conſtitutus. In quo magiſtratu Paulum & Vlpianum diſcipulos ſuos aſſeſſores habuit. Seuerus moriens, ei filios ſuos commendauit. Quorum Antoninus Baſſianus Caracalla Getam fratrem interfecit. Parricidium hoc cùm Papinianus excuſare nollet, in conſpectu tyranni à militib. confoſſus eſt, ætatis anno 38. uel 36. Fertur etiam, cùm raptus à militib. ad Palatiū traheretur occidendus, prædiuinaſſe dicentem, Stultiſſimum fore, qui in ſuum ſubrogaret locum, niſi appetitam crudeliter præfecturam uindicaret. Hotom. Ex eius ludo innumerabiles ciuilis ſcientiæ proceres exierunt, qui ab eo Papinianiſtæ ſunt dicti. Filius quoq; eius cùm triduo antè quæſtor opulentum munus edidiſſet, interemtus eſt à Caracalla. In Iure plurima ſcripſit.

FABIVS Sabinus, Sabini conſularis uiri filius, qui ab Heliogabalo occidi iuſſus, ſurditate centurionis (qui eum in exilium relegari oportere obaudierat) ſeruatus eſt. Ad eū ſunt ſcripti libri ab Vlpiano, Paulo, Pomponio. Filius eius intimus Alexandro, & conſiliarius, Cato ſui tēporis eſt dictus: Alteruter iſtorum cōſularis & præfectus urbis, ſub Maximino fuſte percuſſus in populo, & in publico relictus eſt.

DOMITIVS Vlpianus, Phœniciæ urbe Tyro oriundus, Papiniani diſcipulus, & mox eidē prætorii præfecto ſocius. Sub Heliogabalo à Rep. remotus, ſub Alexandro ſacrorum ſcriniorum magiſter fuit, conſiliarius & aſſeſſor, atq; etiā pręfectus prætorio factus: ita deniq; familiaris principi, ut uirtutes Alexandri à ſolo Vlpiano prouenire crederentur. Chriſtianis tamen ualde infenſus fuit. Modeſtinus tantum ei tribuit, ut Verticem legum nobiliſſimum atq; egregiū appellare non uereretur. Cùm aūt multa quæ non rectè à Sardanapalo facta erant emendaſſet, non multo pòſt à Prætorianis, qui eum de nocte inuaſerant, interfectus eſt: quanquam in Palatium ad Imperatorem eiusq; matrē confugiſſet. Reliquit ingentem librorum numerum.

IVLIVS Paulus Patauinus, Papiniano præceptori aſſeſſor & in cōſilio fuit, ac dein à memoria principis. Per hos gradus ad præturam & conſulatum, demumq; ad prætorii præfecturam, ſummum tunc à principe locum, peruenit. Poſt Vlpianū nemo plus Paulo apud Alexādrū potuit. Fuit itaq; Vlpiano honore ac doctrina par, numero ſcriptorum etiam ſuperior.

POMPONIVS, Papiniani auditor, ſub Alexandro floruit, familiaris ac penè ſocius conſiliariuſq; principis. Vixit 78 annos. Multa ſcripſit: inter quæ etiam omnes Iuris peritos uſque ad Iulianum diligenter collegit.

HERENNIVS Modeſtinus iiſdem honoribus, ætate, magiſtro uſus eſt. Acceſſit honos ex diſcipulo Imperatore Maximino filio, & ex conſulatu quem geſſit principatu Alexandri. Verſus etiam fecit, argumenta in Vergilii libros. In Iure multa ſcripſit. Hotomanus Vlpiani diſcipulū facit: quādoquidē is ſic ſcribit: Si quis aſinū meum coegiſſet, furti nō tenetur, niſi furandi animum habuit: quod & Herennio Modeſtino, ſtudioſo meo, de Dalmatia cōſulenti reſcripſi; Gordiano Imp. floruit. Arcadius Chariſius & honoribus ſcribit eum abundaſſe, & notando & diſputando bene & optima ratione quædam decreuiſſe.



PAPINIANISTÆ reliqui ſub Alexandro, Seuero & Antonino, Tarruntius Paternus, Macer, Icaſton, Terentius Clemēs, Menander, Arcadius, Ruffinus, Papyrius Fronto, Anthius, uel P. Furius Anthianus, Maximus, Hermogenianus, Africanus, Florentinus, Tryphonianus, Iuſtus, Calliſtratus, Venuleius, & Celſus chariſſimus Alexandro, ſcriptis ſuis etſi non nunc, olim tamen noti.

GRÆCORVM.

TRIBONIANVS, Macedoniani F. Pamphylius, fuit inter fori principes, Iuſtiniano Imp. magiſter officiorum, aſſeſſor & quęſtor, ingenio miti & humano. Auariſſimum fuiſſe, & impium, Suidas teſtatur. Procopius tamē honeſtiùs de eo ſentit. Huius opera, & multorum aliorum (Theophili ſcilicet, Dorothei, Iſidori, Cratini, Tallelei, Theodori, & Anatolii) Iuſtinianus Ius ciuile fluctuans in gratam & perſpicuam breuitatem contraxit: id quod tanto iam antè C. Cęſari Dictatori in animo fuerat.

ANATOLIVS, Beryto urbe Phœnicię oriundus, ubi Iuris ſtudia uigebant, Iureconſultus & orator inſignis, præfectus prætorio Conſtantis Imperatoris. Eunap. in uita Proæreſii.

ITALORVM.

IRNERIVS Bononiæ primus Iura profeſſus eſt, cùm prius literis humaniorib. tantùm incumberēt, diuulgato iam Iure ciuili, quod à Piſanis uictorib. ex Malfitanæ urbis direptione an. 1128. in Italiam relatum fuit. Primus ergo Iuriſprudentiæ illuſtrator & Lucerna iuris paſſim uocari cepit. Gloſſulas enim interlineares locis difficiliorib. appoſuit, & Authēticas ex Authenticis Iuſtiniani decerptas, ꝙ breuiſſimè, iuxta ſententiam tantùm, Codici Iuſtiniani inſeruit. Authenticarum enim auctorem alii alium, Accurſius Irneriū eſſe aſſerit. Obiit anno Salutis 1190. Odofredus tamen alium quendam, Peponem nomine, ante Irnerium Bononiæ Iura profeſſum ſcribit: ſed obſcurum, & nullius nominis uirū: ita ut Irnerius primus meritò cenſeri debeat. Auentinus Vuerherum uocat, lib. 6. Annaliū, & hunc laborem iuſſu Mathildis, quæ Vvelſonis II. ducis Boiorū uxor fuit, ſuſcepiſſe ſcribit.

Poſt Irnerium cœpit iam increbreſcere Legum ſtudium. Profeſſi ergo ſunt leges, HVGOLINVS, BVLGARVS, Martinus, Placentinus, Ioannes Boſianus Cremonēſis patria, nō multi ſanè nominis, niſi quia tempore priores fuerunt. Boſianus ſummulam conſcripſit, quam Odofredus Ventoſam nominat: fuitq; præceptor Azonis & Accurſii.

AZO Bononienſis pręceptorem habuit Ioannem Boſianum; Bononiæ primùm profeſſus: mox inuidiæ cedens, ad Montem Peſſulanum profectus, inde Bononiam reuocatus: tantus fuit in docendo ſimul & ſcribendo, ut Baldus eum non ſemel tanquam Fontem legum & Vas electionis prædicet. De morte eius nihil certi. Sepulcrum Bononiæ adhuc conſpicitur. Obiit anno Sal. MCC.

ROFREDVS Beneuentanus, doctus & facetus, diſcipulus Kiliani cuiuſdam, & Azonis etiam. Bononia relicta Aretii ꝓfeſſus eſt, ubi egregium opus Libellorū, & quæſtiones ſuas Sabbatinas edidit. Anno 1415.

ACCVRSIVS Florentinus, auditor Ioannis Boſiani & Azonis; primus in uniuerſas leges Gloſſas conſcripſit, cùm antea ſparſim tantùm gloſſas ſcriberent. Hinc Gloſſatorum ultimus fuit, & optimus. Anno 37 demùm ætatis Iuris ſtudiū aggreſſus fuit. Profeſſus eſt Bononię, & ibi relicto filio Frāciſco iureconſulto obiit, anno ætatis 78, Salutis uerò 1279. Floruit anno 1226.

IOANNES de Blanaſco Burgundus, æqualis Iacobi Balduini (qui nil ſcripſit, ſed in ſcriptis Odofredi diſcipuli ſui uiuit) profeſſus eſt Bononiæ, ann. 1256. Edidit quædam.

RVTGERVS Treuerenſis eccleſiæ epiſcopus, inter cætera ingenii ſui monimēta, librum Decretorum compoſuit: quem cū in Synodo coram ſuffraganeis ſuis apud Treuerim produceret in publicum, omnes approbarunt. Trithemius in Chronico Hirſaugienſi.

CLEMENS V: librum Clementinarum compoſuit, eumq; in Vienneuſi concilio edidit. Ioannes XXIII. ſucceſſor earundem editionem confirmauit, mandauitq; doctorib. omnibus publicorum gymnaſiorum, ut librum ipſum publicè legerent. Platina.

ALEXANDER III. Decretales epiſtolas cōpilauit. Idem.

HONORIVS III. epiſtolas Decretales compilauit, eiuſque ſucceſſor GREGORIVS IX. ope RAIMVNDI Barchinonenſis Dominicani Decretales. Vt quo tēpore Fridericū II. Imp. diris ſuis exterminare ſtudebant, eodē quoq; ſua ſtatuta Iuris nomine cohoneſtata ad poſteros tranſmitterent. Platina, & Auentinus lib. 7.

BONIFACIVS IIX, natione Hernicus, patria Anagninus, Benedictus Caietanus antè uocatus, doctrina & experientia rerum inſignis (diu enim in curia uerſatus fuerat, & per oēs dignitatis gradus ad Pontificatum peruenerat) edidit Sextū Pontificij iuris codicem, ſuo iuſſu à tribus doctiſſ. uiris compilatum, quibuſdā decretis nouis à ſe additis. Plat.

GVIDO

GVIDO Falcodij, natione Narbonẽſis, è uilla ſancti Aegidij, iureconſultus totius Galliȩ primarius, in curia regia cauſas integerrimè agens, uxorem & liberos habuit. Qua mortua, primò Podienſis, deinde Narbonẽſis epiſcopus, poſtremò Cardinalis omnium conſenſu creatus, ſolus ob integritatẽ & auctoritatem delectus eſt, qui lites inter Henricũ Angliæ regem, & Simonem Montisferrati comitem, cõponeret. Poſtea uerò pontificatum adeptus, CLEMENTIS IV. nomẽ aſſumſit. Platina.

SINIBALDVS Ianuenſis, ex nobili Fliſcorum familia, Pontifex factus, INNOCENTIVS IV. dictus eſt. Audiuit Bononiȩ Azonem iam ſenem, Accurſium & Iacobum Balduinũ. Poſt ſynodum Lugduni habitam (in qua Fredericum II. imperio abdicauit) cùm ibi longiùs moraretur, dicitur commentarios ſuos in Decretales conſcripſiſſe. Quorum tanta fuit auctoritas, ut pleriq; patrem ueritatis Innocentium appellarint. Reprehenditur tamen propter breuitatem obſcuram. Nunquàm autem ille commentarios ſuos pro iure haberi uoluit, ſed ut à ſententia quoq; ſua liberè quiuis diſſentire poſſet. Duodecimò anno ſui pontificatus Neapolim à proceribus regni Siciliæ euocatus, ibidem moritur, ſepultuſq; eſt ad S. Laurentium, anno Sal. MCCLIV.

ODOFREDVS Beneuentanus, Iacobi Balduini diſcipulus, Bononiæ profeſſus eſt magna cum admiratione: quod ſatis eius Lecturæ indicant, in quibus adhuc ſpirare legenti uidebitur. Obiit anno MCCLXV.

HENRICVS de Seguſia, poſtea cardinalis Hoſtienſis factus, his ſucceſſit. Gratus fuit Innocentio IV. & Alexandro IV. ſucceſſori. Summam edidit. Floruit anno MCCLV. & ſeq.

GVLIELMVS Durandus, Hoſtienſis auditor, Speculũ fecit: unde Speculator dictus. Multa ex ueteribus tranſcripſit, & ſibi ſumſit. Furta eius Io. Andreas detexit. Obiit non multo pòſt quàm Speculũ edidiſſet, uixdum annum 30 egreſſus.

IACOBVS de Bellouiſo ſub hęc tempora floruit. Septies Feudorum libros publicè prȩlegit, & in illos demum commentarios ſcripſit, & quædam alia.

BARTHOLOMÆVS Brixienſis, additiones quaſdã ad Gloſſas Decreti conſcripſit.

DYNVS Mugellanus, uixit anno 1300. Bononiæ ad S. Dominici templum ſepultus, iuxta diſcipulum Cynũ. Scripſit uaria. Iuris Canonici ignarus fuit, ſi Io. Andreæ credimus. Bonifacio IIX. auctor fuit in componendo 6. libro Decretalium, teſte Volar. lib. 21. Anthrop. Eodem tẽpore floruerũt, PETRVS de Bellapertica Burgundus, qui multos cõmentarios edidit: IACOBVS de Arena Parmenſis, cuius opiniones Bartolus laudat: MARTINVS de Sulmannis, Bononiæ profeſſor, præceptor Io. Andreæ. Nihil ſcripſit.

RICARDVS de Malumbris, Cremonenſis, Patauij profeſſus ſub rege Roberto. Hunc Baldus omnium ætatis ſuæ Iurecoſſ. principem facit. Accuſatus eſt hæreſeos (cuiúſnam, incertum) & damnatus, fruſtra pro eo intercedẽte Bononienſium Iurecoſſ. collegio. Multa ſcripſit. Floruit anno 1300.

IOANNES Andreæ, Bononienſis, grammatici filius, auditor Martini de Sulmannis, in Iure ciuili: Canonici tamẽ ſtudioſior fuit. Multa in eo ſcripſit. Lud. Romanus omnium hominum præſtantiſſimũ appellat. Baldus tamen eum furti multis in locis accuſat, ex conſiliis Olradi Laudẽſis. Peſte periit ann. 1348. 7 Iulij, ſepultus Bononiæ in templo S. Dominici.

CYNVS, ex nobili Sigisbuldorum familia Piſtorij natus, auditor Dyni Mugellani: ſcripſit prouectis tantùm. Canonici Iuris ſectatores odio habuit. Deceſſit Bononiæ, & iuxta prȩceptorem ſuum ſepultus eſt. Vixit anno Sal. 1313. Fuit alius Cynus Piſtorienſis, Decretorum doctor, nullo ſcripto clarus.

OLDRADVS de Ponte, Laudenſis, Dyni diſcipulus, Aduocatus conſiſtorialis Romæ: demum quoq; auditor cauſarum factus. Huius Cõſilia Io. Andreas, ſuppreſſo auctoris nomine, compilauit. Floruit anno MCCCXX.

IOANNES Calderinus Bononienſis, doctus & ſanctus fuit, eamq; ob cauſam à Io. Andrea adoptatus. Scripſit cõmentaria in Decretales, & Conſilia.

IACOBVS de Butrigariis, Bartoli præceptor, multa ſcripſit. Floruit anno Salutis MCCCXX.

RAYNERIVS de Foroliuio, Bartoli præceptor. Obiit Patauij, ad S. Antonium ſepultus.

BARTOLVS de Saxoferrato, natus eſt anno 1309. Anno ætatis 14, Iuri operam dare cœpit Peruſij, ſub præceptoribus Cyno Piſtorienſi, Butrigario, & Raynerio. 20 deinde ætatis anno Bononiæ de Iure publicè reſpondit, & anno ſequenti Doctoratus inſignia ſuſcepit. Mox ad praxin ſe contulit, & aſſeſſor criminaliũ cauſarum factus eſt. Eius officij deinde pertæſus, ad ſtudia rediit, apud S. Victorem, qui locus ad alterum lapidẽ à Bononia diſtat. Poſtea ad profitendũ accerſitus, ætatis anno 25 Piſas uenit. Relictis inde Piſis, Peruſiũ contendit: ibiq; reliquam ætatem profitendo tranſegit. Ad pondus comediſſe dicitur Bartolus, ut intellectu magis uigeret. Quinquenniũ integrum in repet. l. de ætate. ff. de minorib. conſumſiſſe dicitur. Diplouatatius eum labili fuiſſe memoria aſſerit, adeò ut ſi leges in cõmentando in promtu non haberet, Franciſcum Tigri Piſanum (qui eodẽ tempore Peruſij legebat, & ei amicitia iunctus erat) cõſuluerit, qui ei leges ſuppeditaret. Id in Bartolo reprehendunt, quòd ueterum dicta, ſuppreſſis eorum nominibus, pro ſuis uendiderit, præcipuè Nicolai de Maturellis Mutinenſis. Hebraicarũ quoq; literarum & Mathematũ peritus fuit Bartolus. In uniuerſum Ius ciuile ſcripſit, ſano iudicio & animo. Eius eruditionẽ omnes ſuſpexêre, ipſe quoq; Rom. Imp. Carolus IV. qui familiam eius ſplendidis inſignibus, & aliis priuilegiis donauit. Filiam unicã locauit Nicolao Alexandro Iurecoſ. Obiit Peruſij, anno ætatis 46. Domini uerò 1355.

ALBERICVS Roſates, Bergomenſis, Bartoli æqualis, cuius com. aliquoties meminit. Fuit magnus practicus, teſte Iaſone, cui plus quã alteri Doctori tribuunt aduocati Mediolanenſes. Reliquit com. in Digeſta & Codicem. item uolumẽ unum Statutorum, & Dictionarium Iuris. Floruit ann. 1350.

BALDVS Peruſinus, filius Petri de Vbaldis, medici nobilis Peruſini, & frater Angeli & Petri Iurecoſſ. maximorum. Ex Baldo mox Zenobius & Franciſ. ex Angelo Alexãder & Angelus minor: ex Petro uerò Mathæus, Petrus & Baldus nepotes prouenêre. Ex Baldo nepote rurſus Nicolaus, Mathæus & Sigiſmũdus pronepotes, Iurecoſſ. clariſſimi euaſere. Baldus autem (de quo nunc) audiuit adoleſcentulus Ioannem Poglanenſem, & Franciſcum Tigrinum Piſanum, & Bartolum. Anno ætatis 17 publicè repetiit l. centum Capuæ. ff. de eo quod certo loco. Pòſt abſoluto ſtudiorum curſu, & doctoratus inſignibus ornatus, Bononiã profitendi cauſa profectus, an. 1344, publicè etiam diſputauit ibi cum Bartolo per quinq; horas integras, & uictor abiit. Quidam aiunt, Baldũ multos codices corrupiſſe, & ob id fuſtigatum, patriamq; reliiſquere coactum, Ingrata patria, ne oſſa quidem mea habebis, dixiſſe. Eruditionem in eo nemo, conſtantiam multi deſiderant, quòd ſibiipſi multis in locis pugnantia ſcribat. Iuris tam ciuilis quàm canonici peritiſſimus fuit. Accerſitus eſt tandem à Io. Galeazio Mediolani duce Papiam: ubi diu profeſſus uſq; ad extremam ſenectutem, multa ſcripſit, mortuus an. 1400. 28 April. & Papiæ in tẽplo S. Franciſci habitu Franciſcano ſepultus. Filios duos habuit: Zenobium, qui doctor & eques fuit, & Franciſcum, I.V.D.

ANGELVS de Vbaldis Peruſinus, iiſdem prȩceptoribus quibus & Baldus frater, Ius ciuile didicit. Anno ȩtatis 23 doctoratus inſignia ſumſit, & publicè profiteri cœpit. Ioãnes Pyrrhus hunc inter Triumuiros Iuriſprudentiȩ cum Bartolo & Paulo Caſtrenſe nominauit. Moritur Florentiæ, poſt doctiſſima ſcripta, eodem anno quo Baldus frater, relicto filio Alexandro legum profeſſore: ex quo Angelus ſecũdus ſatus eſt, qui Patauij diu profeſſus eſt, & tandem à Sixto pontifice Romam uocatus, in Aduocatorum conſiſtorij Pontificalis numerum adſcitus fuit.

PETRVS de Vbaldis, tertius frater, utriuſq; Iuris doctor, ſtudioſior tamen canonici, pater fuit Mathæi Vbaldi equitis, & in omni ſcientiarum genere inſtructiſſimi. Ex quo duo filij, Petrus V.I.D. ac profeſſor, & Baldus inter patriæ proceres nõ poſtremus. Baldus hic fratris ſui Petri felicitatẽ conſecutus, tres filios ſummos uiros uidit: Nicolaum Rotȩ auditorem, Mathæum publicum Peruſij legum profeſſorem, & Sigiſmundum.

BARTHOLOMÆVS de Saliceto, Bononienſis, coætaneus prædictis. Profeſſus eſt 4 annis Patauij. Orto deinde ſchiſmate inter duos pontifices, in patriam rediit, anno 1482. ubi commentarios in Codicem edidit. Auctor fuiſſe dicitur Alberto Eſtẽſi Ferrariæ marchioni, ut à Bonifacio pont. priuilegium Academiæ Ferrariæ conſtituendȩ impetraret. Moritur Bononiæ ſenex, ad S. Dominicum ſepultus.

PETRVS de Ancharano, Bononienſis, auditor Baldi, floruit ætate Saliceti. Moritur Bononiȩ, apud S. Dominicum ſepultus. Multa in V.I. ſcripſit.

ANTONIVS de Butrio, Bononienſis, ȩqualis Ancharani, uir doctus, atq; ſanctæ uitæ. In Iure utroq; ſcripſit. Moritur anno MCCCCIIX, Nonis Octobris, Bononiæ apud D. Michaelem in monte ſepultus.

CHRISTOPHORVS de Caſtiliano, Mediolanenſis, eodem tempore claruit, ſubtilitatum princeps, ut Iaſon inquit. Itaque fretus ingenio, ut apud ueteres Antiſtius Labeo, multa innouare uoluit. Quem morem diſcipuli eius, Raphael Fulgoſus Placentinus, & alter Raphael Comenſis auxerũt: claruerũtq; Patauij anno MCCCCXX. In templo D. Antonij ſepultus eſt. Fulgoſus.

IOANNES de Imola, æqualis horum, præceptor Alexandri Imolenſis, multa ſcripſit. Obiit anno 1435. 18 Februarij.

PAVLVS de Caſtro, Imolenſis æqualis, profeſſus eſt Florẽtiȩ, Bononiæ & Patauij, ubi mortuus eſt anno 1437, paulo poſt Imolẽſem: ſepultus in tẽplo Seruorũ Patauij. Multa ſcripſit.

NICOLAVS Siculus, abbas primũ Monacenſis, inde archiepiſcopus



piſcopus PANORMITANVS fuit, doctus & eloquẽs, concilio Baſilienſi interfuit. Docuit anno MCCCCXXV. ius Canonicum Senis. Multa in eodem ſcripſit. Mortuus nõ multò pòſt, quàm ex concilio rediit.

LVDOVICVS Pontanus, Spoletinus, & quia Romæ cõmorabatur, Romanus dictus, Ioannis Petrucij Iureconſulti & Ioã. de Imola profeſſorum Peruſij auditor, Senis profeſſus eſt: mox Romam commigrauit. Cum Panormitano ad cõcilium Baſilienſe profectus, uix XXX ætatis annũ egreſſus, peſtifero morbo obiit, cùm 36 horis tantũ ȩgrotaſſet. Summa memoria præditus fuit. Sepultus eſt Baſileæ apud Carthuſianos, an. 1439. Reliquit doctiſſima ingenij monumẽta.

IOANNES de Anania, Bononienſis, ibidem archidiaconus, & Canonici iuris profeſſor, uir optimus, & Andreæ Siculi præceptor. Obiit anno MCCCCLV.

IACOBVS Anarotus Patauinus, æqualis eius, Bartholomȩi Saliceti in Iure Ciuili, in Canonico Franciſci Zabarellȩ (qui Cardinalis poſtea fuit) diſcipulus, ſedecim annis profeſſus eſt, triginta annis in collegio Iurecoſſ. Patauinorũ fuit. Mortuus anno MCCCCLIII, ætatis ſuæ LXIIX. Sepultus eſt in templo D. Antonij.

BARTHOLOMEVS Conſtabilis, Iureconſultus Ferrarienſis, iam ſenex, contra Alfonſum Ateſtinum Ferrariæ ducẽ coniurârat. At detecta proditione, quòd per muros in ædes ſuas mœnibus cõtiguas hoſtes pontificios recepturus eſſet, capite in medio foro plexus fuit. Iouius in Alfonſo Ateſtino.

PHILIPPVS Corneus Peruſinus, 12 ætatis anno ad Ius acceſſit, ſub Ioanne Petrucio profeſſore Peruſino: cuius poſtea filiam duxit, & ex ea tres mares, totidemq; femellas ſuſcepit. Primò Peruſij, deinde Ferrariæ profeſſus eſt. Reuocatus tamen Peruſium literis Sixti pontif. turbata rep. Peruſinorum ad Piſanos uocatus eſt: ſed mox à Pontif. reuocatus. In conſulendo & patrocinando eximius fuit, Profeſſus eſt annis 50. Reliquit comment. in Cod. & Conſilia. Moritur ætatis anno 77, Chriſti uerò 1462. ſuperſtitibus uxore & liberis.

ALEXANDER de Tartagnis, Imolenſis, diſcipulus Ioan. de Imola & Io. de Anania, 21 ætatis anno Doctor creatur. Patauij profeſſus, collegam habuit Bartholomæum Cepollã Veronenſem, & præcedendi cauſa acrẽ cum eo habuit contentionem: cùm, quamuis ſeniori, doctrina ſua fretus, cedere nollet. Summa docendi gratia Peruſij quoq;, & tandem Bononiæ profeſſus eſt. Docuit annis 30. Obiit anno 1477. ætatis 53. relictis tribus filiis, quorum natu maior Antonius V.I. doctor fuit. Sepultus eſt Bononiæ ad D. Dominicum.

FELINVS ex nobili Sandeorum familia Ferrariȩ natus, in patria & Piſis diu profeſſus eſt. Eius fama motus Innocentius octauus, Rotæ auditorem conſtituit. Multa doctiſſima ſcripta reliquit.

IOANNES Maria Riminaldus, Ferrarienſis, Alex. Imolæ diſcipulus, in patria docuit. Moritur anno 1496, ætatis LXIII. Apud D. Franciſcum ſepelitur.

IASON de Mayno Mediolanenſis, Catonis Sacci Papiẽſis diſcipulus, Patauij diu profeſſus eſt. Papiam inde à Ludouico Sfortia reuocatus, & ab eo inter ducales Senatores relatus, ad finem uſq; ſuæ uitæ 20 amplius annis prælegit. In Italia cum Carolo Ruino & Decio ſua ȩtate Iureconſultorũ princeps fuit. Moritur anno 1519, menſe Aprili. Sepelitur apud S. Paulum, extra urbem Papiæ.

PHILIPPVS Decius Mediolanenſis, annis circiter 65. publicè in celeberrimis Italiæ gymnaſiis docuit. Exul poſtmodũ Lugduni, à Senenſibus reuocatus, Senis obiit anno 1535. 12. Octobris. Corpus Piſas relatum, & in Campo ſancto ſepultum. Plurima ſcripſit.

MARIVS Salamonius Albertiſtus, eques Rom. auditor Baptiſtæ Caccialupi, præſes Campaniȩ primò fuit: deinde Romam reuerſus, iura profeſſus eſt, & aduocatus Pontificalis conſiſtorij factus. Sub Clemente VII. obiit.

Anno MDXXVII. eiectis Mediceis Florentini ad libertatem aſpirabant. Dux iuuenum erat BALTHASAR Carduccius I.C. qui Patauij olim ius ciuile profeſſus fuerat, à crudelitate Scimitarra (ea uox barbaricum gladium immanem ſignificat) dictus. Cui fauebat GALEOTTVS Iunius, & ipſe Iureconſultus, indomitæ feritatis & pertinaciæ. Iouius lib 25. Hiſtoriarum.

ALEXANDER ab Alexandro Neapolitanus, qui Pontani ætate uixit, & Genialium dierum libros ſex doctiſſ. ſcripſit, profeſſione fuit Iuriſcõſultus, in qua eò uſq; progreſſus eſt, ut & in agro Neapolitano, & Romæ cauſas ſæpe defenderit; ubi & ædes oſtentis umbrarumq; illuſionibus infames ſe aliquando incoluiſſe ſcribit, ac in agro Vaticano prȩdiolum habuiſſe. Tandẽ ubi in iudiciis gratia & corruptionib. omnia tranſigi uideret, patroniſq; contra uim potentiorũ nihil amplius præſidij eſſe: relicto foro, & cauſarum actionibus, in mitioribus ſtudiis ætatem conſumſit: ſatius eſſe ducens, ut ipſe de ſe inquit, modico ciuiliq; cultu contentũ uiuere, quàm bona animi turpi quæſtu peſſimo exẽplo fœdare.

ANDREAS Alciatus Mediolanenſis I.C. maximus eorũ qui noſtro tempore claruerunt, præcipuumq; iuris lumẽ, & inter omnes, qui recentiſſimè ſuppullularunt, literarum meliorum proceres, acri iudicio & eruditione inſignis, ſuis laboribus, induſtria diligentiaq;, aut amiſſa iam recuperauit, aut etiam ſcriptis ſuis ad iuriſprudentiã multa adiecit, ſuorumq; laborũ prȩclara monumenta poſteris reliquit. Obiit anno 1550. menſe Martio, Papiæ. Gilb. Cogn. lib. 6. Narrat.

❧ GALLORVM, BRITANNORVM, SCOTORVM.

DORNADILLA, Scotorum rex, uarios ſuppliciorũ modos, uariorum flagitiorũ, in tabulas redactos, leges appellauit. Has uiri unius commiſit cuſtodiæ: hũc dixit iuris interpretem, ut occurrenti delicto debitum ex tabulis ſupplicium & reo & iudici oſtenderet: Iudicemq; populus in emendandis erroribus diſceret ab æquo minimè digreſſum. Neq; ea ætate magiſtratus ob quoduis flagitiũ, niſi prius oſtẽſis tabulis populo, ac publicè ſanctione prȩlecta, quenquã uel nocentiſſimum ſupplicio damnauit. Inoleuit tantum ea iudicandi ratio apud poſteros, ut ſontes crimine damnati pœnam ex tabulis errori debitam, quantumlibet atrocẽ, libentes ſubirent: quæ uerò tabulis non eſſet exarata, uel leuiſſimam, ueluti iniuſtè illatam quererẽtur. Manſit dehinc is iudicandi modus Hebridum inſularum incolis, neq; quouiſmodo potuit abrogari. Habent enim legum interpretes (Iuridicos uiros appellat uulgus) quorum ſine decreto ex tabulis ſumto nullius rectum habent iudicium. Hect. Boethius libro 2.

IPHO ſiue IVO Britannus, ſub Philippo Pulcro Gallorum rege, ann. Sal. 1285, Lutetiam primùm, deinde Aureliam Iuris ciuilis cauſa mittitur. In patriã reuerſus, propter eruditionẽ & uitæ ſanctimoniã ab epiſcopo Trecorenſi accerſitus, cauſis audiendis præfectus eſt, quem Officialem uulgò uocãt. In hac præfectura tam ſanctè ſe geſſit, ut cùm 50 ætatis anno uita functus eſſet, à Pontifice inter Diuos ſit relatus, & eius feſtus dies VI. Cal. Septẽb. celebrari iuſſus, in quo adoleſcentes laudes D. Iphonis publicè ſolẽt oratione proſequi.

IVO epiſcopus Carnutenſis, ex uolumine Iſidori de decretis Apoſtolicis, Compendium excerpſit: quod capitulis diſtinctum, ſententiis pàtrum alicubi auxit, cui titulum fecit Panormiam. quo libro Iureconſulti uſq; ad tempora Gratiani ſunt uſi. Sigebertus, Trithemius, Erfordienſis.

❧ GERMANORVM.

IOANNes Semeca Teutonicus, inſignis iuris doctor (qui Herculea audacia primus aggreſſus eſt gloſſare Decretũ, quod ante eum nemo, & poſt eum excellentiùs nullus facere potuit) præpoſitus ſancti Stephani Halberſtadenſis: Clementi IV. ſummo pontifici, tunc per Germaniam & Galliam decimas à clero in redemtionem Terre ſanctæ exigenti, appellationem oppoſuit: [redacted]. Cranzius lib. 8. Saxoniæ cap. 27.

Conradus Zaſius Conſtantienſis, ciuis locuples, Conradũ F. digitis ſiniſtræ manus carentem matrimonio ineptum fore iudicans, bonis omnib. in pios uſus diſtributis, filio quantum ad uitæ ſumtus frugales quotannis ſatis eſſet reliquit. At quia Germaniæ Iurecõſultus debebatur, qui eruditionẽ ueteribus, auctoritate recentiorib. conferri poſſet, iam quadragenarius è Plorea familia uxorem duxit. Suſcepit prȩter Cõradum, minorem natu HVLDRICVM Zaſium, qui uariis fluctib. primorũ ſtudiorum agitatus, protonotarius primùm factus, mox archigrammateus Reip. Conſtantienſis factus eſt, [redacted] Principũ aulis ſpretis Friburgi profitẽdo cõſenuit. Obiit anno ætatis 74, Chriſti 1535. 8. Cal. Decemb. in cathedrali templo ſepultus. Ex ſecunda uxore, quã ſexagenario maior duxit, ſex liberos ſuſcepit, primũ certè ut ordine, ſic dignitate primum Ioan. Huldricum: qui paterno otio aulica negotia, ſuum ſecutus genium, præferens, in ſumma Ferdinandi & Maximiliani Impp. gratia uerum id eſſe reipſa oſtendit, quòd Principibus placuiſſe uiris non ultima laus eſt. Fichardus, & Barth. Hanneualdus.

[redacted]

elegantia, taceam (ſunt enim hæc uſus & exercitationis potiùs, quàm prudẽtiæ & eruditionis teſtimonia) hoc habuit eximium, quòd non modò in intimo Senatu, quem uocãt, ſummis conſiliis; uerumetiam publicis conſultationibus, quæ in Imperij ſenatum aulicũ dictum ueniunt, per multos iam annos non interfuit ſolũ, ut multi alij, ſed qđ raris merito ſuo, paucis principali contigit gratia, etiam præfuit. Eruditos ſeculi noſtri Iurecoſſ. Germanos, Gallos, Italos, Hiſpanos, quis enumeret? Olim fortaſſis orietur, cui hæc curę erunt. Cæterùm uti Homerus Vlyſſem conuiuiis regiis, ſic nos claris Iurecoſſ. colophoni loco adiiciamus [redacted]

GEORGIVS Seldus trium Imppp. Caroli V. Ferdinãdi I. Maximiliani II. Conſiliarius & Procancellarius, iuris ciuilis peritiſſ. cùm in Senatum, quem XXVI Maij anno 1565. Cæſar Eberſdorſij habuit, euocatus eſſet, & ueſperi domũ properaret, concitatis neſcio quo terrore equis ẽ curru exiliẽs, ita grauiter læſus eſt, ut eadem hora expirarit. Io. Huldricus Zaſius, magni Zaſij F. eodem curru uectus, periculosè quidem & ipſe cecidit, ſed Dei beneficio ſeruatus eſt, ut haberet Reſp. cuius ſucceſſione, Seldi uiri opt. & doctiſſ. deſiderium leniretur. Hæc Io. Crato, medicus Cæſareus: cuius etiam tale circumfertur in eundem epigramma,

Selde tuo caſu cecidit Reſpublica. Tecum
Ne iaceat tumulo morte peremta precor.

IO. BAPTISTA Vueberus, Vuiſenbergæ dominus, apud Italos ut ingeniorum exactis cenſoribus, ſic Vltramontanorũ alioqui parcis laudatoribus, ea & ingenij, & iudicij, & memoriæ, iuuenis etiamnum ſpecimina dedit, ut nihil ex iis, quę in perfecto requiruntur Iurecoſſ. ei deeſſe prædicarent. Teſtis huius rei locupletiſſimus Ioannes Crato, Vratiſlauienſis, medicus Cæſareus: qui pari animo, in ſtadio licèt diſpare currentem, tanta felicitate conſectatus eſt, ut uterq; ſummum ſuæ profeſſionis locum ſub Ferdinando, & Maximiliano II. Imperatorib. obtinuerint. Vuebero certè, ut id quòd iam tertiũ ab Archiuis eſt Imperatoriis, quodq; epiſtolis Latinis & Germanis ſingulari pręeſt dexteritate &

QVALES. VEL

DOCTI.

Ex præcedente Catalogo petantur exempla.

INDOCTI, IMPERITI.

C. POPILIVS Iuriſperitus uideri uolebat, cùm indoctus eſſet, & ſtupidus. Citatus igitur in controuerſia quadam teſtis, reſpondit, Se nihil ſcire. Tum Cicero: Putas fortaſſis te de iure interrogari. Plut. in Rom. Apoph. Alij tamen hoc P. Conſæ reſponſum à Cicerone putant.

SATVRNINVM quempiã Vlpianus l. 1. de Senat. notat, tanquàm nuſquam relatæ nec receptæ ſententiæ auctorẽ. Vnde Bal. l. 1. C. de ſacroſanc. eccl. eos, qui opiniones abſurdas conſectantur, Saturninos appellat.

In MARCVM quendam ſic ludit Henr. Stephanus:

Quòd uoco te iuris doctorem utriuſq;, ſuperbis:
At de ſorbilibus iuribus ipſe loquor.

Et iterum de eodem mutatis numeris:

Quòd iuris utriuſq; te uocauerim
Peritum, honorem ne tibi dari puta,
Vnde inſoleſcas atq; ſumas cornua.
Peritiorem cenſeo meam coquam,
Et iuſculorum & plurimorum iurium,
Sint illa ſiue carnium ſeu piſcium:
Vorare tu tantùm, illa & apparare ſcit.

## IVRISPRVDENTIAE DISCIPVLI.

PA[redacted] olim, [redacted]tur, qui biennium [redacted] ſtudio uerſati, tertium etiam adiungebãt. LYTÆ u[redacted] triennium in legum ſtudio uerſati, quartum [redacted] bant: [redacted] id eſt, ſolubiles: [redacted] ſtudiorum ratione ſoluendi, & legendi libertate [redacted] licentia donandi: quaſique miſſionem à magiſtrorum ſuorum, ſcholis impetraturi. nam cùm ad finem libri Pandectarum trigeſimiſexti peruentum eſſet, qui poſtremus anni quarti liber erat, ſtatuit Imperator, ut reliquos quatuordecim libros ſtudioſè per ſe domi legerent, neq; ex præceptoribus interpretantibus eos audirent. Denique PROLYTÆ, qui quatuor annorum ſpacio in legum ſtudiis decurſo, quintũ & poſtremum adiiciebant. Heſychius προλύτας interpretatur, παρειμένους, παραλελυμένους: ut ij ſint, qui ab illa præſcripta & præfinita ſtudiorum lege ſunt ſoluti, & tanquam emeritis ſtipendiis honeſtam à magiſtrorum ſcholis miſſionẽ impetrarunt: unde hodie quoq; Licentiati appellantur. Hotomanus de Verbis iuris.

Olim Iuriſprudentiæ STVDIOSI primo anno dicebãtur Dupondij, friuolo ac ridiculo cognomine, quaſi tu dicas, Diobolares: quarto anno Lytæ, quinto Prolytæ. Cælius lib. 4. cap. 7. Antiq. lect.

## IVRIS COGNITIO, INTERPRETATIO

APTA, RECTA.

Ex Tit. Iuriſconſultorum huc quædam aptari poterunt.

INEPTA[redacted]

DE IVRECONSVLTIS improbis, ſub Valente Imp. [redacted] profeſſi ſcientiam, quam repu[redacted] ſibi legum [redacted] diſſidia, [redacted] impoſitis, reticentes [redacted] ut Sibyllæ oraculorum interpretes, uultus grauitate ad habitum [redacted] poſita triſtiorem, ipſum quoq; uenditant quod oſcitantur: hi ut altiùs uideantur iura callere, Trebatium loquuntur & Ceſellium & Alfenum, & Auruncorum Sicanorumq; iamdiu leges ignotas, cum Euandri matre abhinc ſeculis obrutas multis: & ſi uoluntate matrem tuam finxeris occidiſſe, multas tibi ſuffragantes abſolutionem lectiones recõditas pollicentur, ſi te nummatum ſenſerint.

Cùm Conradinus, Cõradi IV. Rom. & Siciliæ regis F. per inſidias à Carolo, Andegauenſi comite, qui tum Siciliæ regnũ ex donatione Clementis [redacted] obtinebat, [redacted] & præter Pontificem, etiam Iureconſultos ſuos [redacted] Carolus, quid de Conradino [redacted] tentiam D. Auguſtini in Decretorũ codice poſitam, Quòd uictor eſt obligatus, ut ſit miſericors erga uictum, præſertim ubi non eſt ſuſpicio, pacem inde turbari, perperàm interpretati ſunt. Nã HVGOLINVS, Decreti cõmentator, uoculam Præſertim per Solummodo interpretatus eſt. quaſi dicat Auguſtinus: Non debere ignoſci hoſtib. niſi iis à quibus nulla ſuſpicio ſit inſidiarũ. Et hac interpretatione ſubnixus Carolus, ſententiam capitalem aduerſus Conradinũ tulit. Collenucius lib. 4. Hiſt. regni Neapol. & Volfgangus Hungerus in Cuſpiniani Cæſares.

Venetus quidam IVDEX, cùm ab aduocato ſæpiùs Clementinæ & Nouellæ mentionem fieri audiuiſſet, eaq; meretricum nomina, teſtimonij loco, adduci ſuſpicaretur: Atqui in hoc foro, inquit, uix honeſtis matronis, nedùm impudicis ſcortis teſtimonij dictio permittitur. Poggius.

NVLLA. IGNORANTIA IVRIS.

NERO Imp. cùm S. C. legiſſet, ſe hoſtem à Senatu iudicatum, & quæri ut puniatur more maiorum: interrogauit quale eſſet id genus pœnæ. & cùm comperiſſet, nudi hominis ceruicem inſeri furcæ, corpus uirgis ad necem cædi: conterritus, duos pugiones, quos ſecum extulerat, arripuit. Suet.





## IVRECONSVLTORVM CERTAMINA.

CASSIANI, SABINIANI, PROCVLIANI dicti ſunt, qui Caſſij, Sabini, & Proculi ſectam inſtitutionemq; ſecuti ſunt: de quibus quæ Pomponius ſcribit in l. 2. ff. de orig. iur. ad ſummã hæc ſunt. Fuit Q. Tubero publici priuatiq; iuris doctiſſimus: cius duo fuêre diſcipuli, Ateius Capito, & Antiſtius Labeo: quorum alter magiſtri præceptis adhęreſcens, alter ingenii fiducia pleraq; innouans, diſſidium quoddam in iuris ciuilis diſciplinam inuexerunt. Nam quũ Ateio Maſſurius Sabinus, Labeoni Nerua pater ſucceſſiſſet, acceptam à magiſtris diſcordiam uehemẽter auxerunt. Quam poſtea eorum diſcipuli, Sabini quidem Caſſius, Neruæ autem Proculus eò perduxerunt, ut duæ iam tum familiæ contrariæ ex eorum nominibus appellatæ ac propagatæ ſint. Nã qui Caſſium ſequebãtur, Caſſiani: qui Proculum, Proculiani dici cœpêre. Pòſt ſecuti ſunt Caſſiũ quidem Cælius Sabinus, Proculum uerò Pegaſius: unde Sabinianorum & Pegaſianorum nomina. Quorum diſſenſionibus ac pręceptionibus contrariis imbuti poſtea Iuriſconſulti Iauolenus, Neratius, Iulianus, & cæteri, quorum ex ſcriptis compoſiti ſunt ij quibus nunc utimur Pandectarum libri, mirificas concertationes (ut Iuſtinianus teſtatur) in hanc legum diſciplinam importarunt. Hotoman. de Verbis iuris.

Quæſtio eſt diutiſſimè à Iuriſcõſultis agitata, nondum tamen definita: Vtrùm ſcilicet magiſtratus habeat merum imperium, an ſolius principis proprium ſit. Quam quidẽ ad quęſtionem definiendam, cùm Henricus VII. Imp. arbiter Bononiæ eſſet electus inter LOTHARIVM & AZONEM, qui ſponſione facta, iudicauit merum imperium ſolius principis eſſe. Ex quo Lotharius equum, Azo æquum tuliſſe dicitur. Cæteri quotquot ſcripſere, præter Alciatum, Azonis ſententiam ueriorem eſſe iudicarunt. Lotharius uſurpauit Papiniani regulam de officio eius, cui mandata eſt iuriſdictio, qua magiſtratus publici iudicij exercitium habere dicuntur, nec mandare poſſe, ac ſæpiùs executores & adminiſtratores in iure appellari. quibus uerbis Accurſius ipſe ius principi, exercitium aliis competere ſcribit; quod in facto conſiſtit. Azo uerba legis interpretatus eſt ad ius ipſum neceſſariò pertinere, quibus prætor dicitur pro ſuo imperio quid facere: aut præſidem maximum imperium pòſt principem habere: tum etiam præfectũ Aegypti imperium quod illi datum eſt deponere. Io. Bodinus Methodi hiſtor. cap. 6.

BVLGARVS & MARTINVS de Imp. poteſtate diſceptabãt. Alter Regẽ legi, alter Legem regi ſubiici putabat. Illum Fridericus Barbaroſſa ut Iurecoſ. poteſtate unius legis quã uellet cõdendæ ornauit: hũc ut adulatorẽ galero purpureo & equo cãdido donauit. Auctor Nouellarũ Antiq. nouel. 24.

BARTOLVS & BALDVS Iurecoſſ. ea inter ſe contentione decertarunt, ut Baldo corruptorum iuris Codicum crimen à quibuſdam imputetur. Id quod Ioan. Fichardus in uitis Iurecoſſ. annotat. Certaminis ſummam hanc eſſe dicit Baſilius Amerb. I. C. clariſſ. Si creditor pactus ſit, ne liceat debitori pignus uendere, & is uendiderit, quæritur an ualida ſit uenditio? Negat Bartolus, motus l. ſi creditor, §. fin. de diſtra. pignor. Ecõtrà Baldus ualere putat, eodem §. motus, quẽ diuerſo modo à Bartolo legit. Verba §. ſunt hæc: Quæritur, ſi pactũ ſit à creditore, ne liceat debitori hypothecam uendere, uel pignus, quid iuris ſit: & an pactio nulla ſit talis, quaſi cõtra ius ſit poſita, ideoq; ueniri poſſit? Et certum eſt, nullam eſſe Venditionem (ſic legit Bartolus: Baldus uerò Conuentionem) ut pactioni ſtetur. Bartoli lecturam ut Venditionem legamus, comprobant Pandectæ Florentinæ (quæ olim Piſanæ fuerunt) Nullam eſſe uenditionem ſc. pignoris, ut pactioni à creditore appoſito ſtetur. Baldus autẽ Nullam eſſe conuentionem (inter creditorem ſc. & debitorẽ de pignore non alienando) ut pactioni, id eſt, uenditioni ſtetur. Baldus ergo ſi corrupit exemplaria, pro Venditionem ſubſtituit Conuentionem. Certaminis meminit Bartolus d. §. fin.

## IVRISPRVDENTIAE STVDIVM ET AMOR.

RESPECTV ARTIS. Nempe

*Libros edendo, publicando.*

C. IVLIVS Cæſar, rerum potitus, ſibi propoſuit ius Ciuile ad certum modum redigere, atq; ex immenſa diffuſaq; legum copia, optima quæq; & neceſſaria in pauciſſimos conferre libros: bibliothecas Græcas & Latinas, quas maximas poſſet, publicare, data M. Varroni cura comparandarum ac dirigendarum. Suetonius.

VESPASIANVS Imp. inſtrumentum imperij uetuſtiſſimum confecit, quo continebantur penè ab exordio urbis Senatuſconſulta, plebiſcita, de ſocietate & fœdere, ac priuilegio cuicunq; conceſſis. Cuſpinianus, ex Suetonio.

Anno ſal. 506. ALARICVS, qui in Gallia diu cum magna iuſtitiæ laude Viſgothos in pace rexit, Theodoſij Imperatoris Codicem, qui extat, in compendium relatum edidit. Sigonius lib. 16. Imp. occid.

IVSTINIANVS Imp. ſub imperij initia an. 528. domi quietus, ac prorſus in ſtudia pacis intentus, opus longè bellicis laudibus omnibus præponendum inſtituit. Animo namq; ad uetus ius ciuile emendandum, ſupplendum, & componendum adiecto, iuris peritos illa ætate ingenio maximè doctrinaq; præſtantes adhibuit, ex nobiliſſimis Beryti & Cæſareæ gymnaſiis euocatos: eiſq; conſilio ſuo communicato, præcepit, ut nouum Iuris Codicem, decreta Auguſtorum principum complectentem, Theodoſij Auguſti imitatione conficerent. Et ſeq. anno Codicẽ iuris anteceſſorum ſolertia concinnatum feliciſſimè ſub ſuo nomine edidit, atque ex eo in poſterũ ius dici præcepit. Edito Codice ad formanda ſiue reſtituenda litium cauſſarumq; iudicia nõ contentus, nobiles iterum iuriſconſultos atq; anteceſſores acciuit, ac, uoluntate ſua expoſita, negotium alterum eis dedit, ut inſignia ueterum iuriſperitorum decreta ex immẽſis eorum uoluminibus ſecernerent, eaq; ordine ad intelligendũ & utendum accommodato digererẽt. Quod illi, collatis in unum ueteribus omnium de iure commentariis, magna cũ cura atq; induſtria præſtiterunt: atq; Inſtitutiones iuris, & Digeſta legum, quæ nunc quoq; teruntur manibus, confecerunt, immortalem apud poſteros induſtriæ gloriam parituri, niſi, dum breuitati fortaſſe nimiæ ſtuduerunt, in miras obſcuritatis anguſtias incidiſſent, ac diſputationum & litium, quas tollere uoluerunt, interdum materiam præbuiſſent. Biennio iuriſconſulti Iuris inſtitutiones & Digeſta legum confecerunt. quibus operibus nihil aut ad uſum populorũ uberius, aut ad gloriam Imperatoris eſſe magnificentius Iuſtinianus arbitratus, tertium hunc conſulatum ſuum longè uictoriæ Africanæ ſplendore fulgentem, ſimul etiam memorabili horum librorum editione inſignem poſteris relinquere [redacted] uoluit: ac menſe Nouẽbri Inſtitutiones, Decembri uerò Digeſta uulgauit: edicto propoſito, ut hæ leges uim haberent à tertio Kal. Ianuarias, tertio conſulatu ſuo, quo ſibi Deus conceſſiſſet, ut uictoriam nobiliſſimam, Carthagine Africaq; recepta ex Vandalorum gente, referret. & ut illæ tantummodo Romæ, Conſtantinopoli, Beryti, & Cæſareæ exponerentur, quibus in urbibus publica gymnaſia tantùm à ſuis deceſſoribus conſtituta fuiſſent. Sigonius libro 17. Imperij occid.

FRIDERICVS III. Imp. librum de Vſibus feudorum nouũ fieri iuſſit, in quo rubricas omnes in antiquis cõfuſas in pulcram ſeriem miro ordine reduxit, de feudiſq; plenè tractauit. Id opus, Beſſarione Cardinale, atq; Angelo Reatino approbantibus, Antonius de Veteri prato, Bononienſis Iureconſultus, congeſſit, Friderico præcipiente. Hotom. præfat. in com. Feud. ex Cuſpiniani Friderico.

*Iudicia inſtituendo.*

HENRICVS I. Anglorum rex Concilia ſuæ gentis primus inſtituit. Polyd. lib. 11.

PHILIPPVS Pulcer, Francorum rex, iuris ſtudioſiſſimus fuit. Ideoq; magnificam exædificauit baſilicam in inſula Lutetiæ regiæ urbis, ubi iudicia ſine prouocatione fierẽt, ac uelut è ſinu Regis iura peterentur. Aemilius lib. 8.

*Iudicia exercendo.*

*Vide Tit. Iudicum: item Iudicum iuſtorum & prudentum.*

*Iura, Iudicia corrigendo.*

TITVS Imp. de eadem re pluribus legibus agi edicto cauit. Cuſpinianus.

Opilius MAGRINVS Imp. fuit in iure non incallidus, adeò ut ſtatuerit omnia reſcripta ueterum principum tollere, ut iure non reſcriptis ageretur: nefas dicens, leges uideri Commodi & Caracalli, & hominum imperitorum uoluntates, cùm Traianus nunquam libellis reſponderit, ne ad alias cauſas facta præferrentur, quæ ad gratiam compoſita uiderentur. Iul. Capitolinus in Opilio.

Conſtans doctorum hominũ monumẽtis eſt fama, LOTHARIVM Imp. ut ex uno iure ciuili Romano poſthac iudicia fierent, lege ſanxiſſe. Ante hoc tempus Italici certè alij Longobardica, alij Salica, alij Romana lege utebantur: in poſterum autem omnes uni iuri, uniq; legi, reliquis abrogatis, nempe Romanę, obtemperarũt. Sigonius lib. 11. Imp. occid.

FRIDERICVS I. Imp. ſubacto Mediolano, ad Roncalias cõuentu indicto, iura, quæ Lotharij & Conradi deceſſorũ incuria obliterata, atq; ab Italicis uſurpata ſunt, repetere, ac nouis inſtitutis ſtabilire inſtituit. Itaq; cũ epiſcopi primùm, deinde principes, tum conſules ciuitatũ rogati ſententiam

eſſent, omnes archiepiſcopo Mediolanenſi, qui primus ſententiam dixerat, ſe aſſentiri dixerunt. Ille uerò improbata ſuperiorum regum multorum tyrannide, & collaudata Friderici iuſtitia atque æquitate, poteſtatem noui condendi iuris ei tribuerat, ac uoluntatem Imperatoris pro lege habendã eſſe cenſuerat. Sequentibus inde diebus operã iuridicundo dedit, diuitum iuxtà pauperumque querelas audiuit, omneſque controuerſias ex auctoritate ſummorum quatuor iuriſperitorũ, qui in gymnaſio Bononiãſi profitebãtur, Bulgari, Martini, Iacobi, & Hugonis iudicare cœpit. Verũ multitudine expoſtulantium, cruceſque præferentium motus, in ſingulis diœceſibus iudices conſtituit, non ex ipſa diœceſi: ne gratia aut odio corrumperetur iudicium, ſed aut ex cõuentu, aut ex aliis ciuitatibus editos: eiſque ſummum de omnibus rebus ſtatuendi arbitrium dedit. atq; ita omnes lites breui temporis ſpacio terminauit. Quibus rebus perfectis, tum de regni iure conſtituendo retulit, eiuſq; rei cognitionem eiſdem Bononienſibus iuriſconſultis, atq; aliis ex Lombardia adiunctis, commiſit. Ab his iudicatum eſt, Italiam Imperatori iure à Carolo Magno tradito regalia uniuerſa debere. Quo facto archiepiſcopus & conſules Mediolanenſes partum in ciuitates imperium, atq; epiſcopi, principes & ciuitates omnes, regalia omnia dimiſerunt. Hæc uerò fuére ducatus, marchiæ, comitatus, conſulatus, monetæ, telonea, fodra, portus, pedatica, molendina, piſcariæ, omnis utilitas ex decurſu fluminum proficiſcẽs, & terræ, propriorumq; capitum cenſus. Quibus ad fiſcum relatis, tantam tamen ille benignitatem adhibuit, ut quicunq; prædiũ ſuum legitima regum donatione probare poſſent, eos in poſſeſſione relinqueret: qui ſecùs, ſpoliaret. Ex quibus ad uiginti millia talenta in fiſcum annuo uectigali redacta. Iudicatum eſt etiam, in ſingulis urbibus prætores, conſules, cæteroſq; magiſtratus aſſenſu populi per Imperatorem creari oportere, qui ſacramentum ei dicerent, ac ius ciuium regnumque tueri ſcirent. Sigonius lib. 12. regni Italici.

*Diſputando de iure.*

SIGISMVNDVS Imp. fuit felicior in toga, quàm armis. Vnde legum & iuris diſputationibus argutioribus in primis delectabatur. [redacted]

## RESPECTV ARTIFICVM.
### IVRIS PROFESSORES
*Inſtituendo.*

LOTHARII Imp. opera ius ciuile publicis Italiæ in gymnaſiis maiore celebrari ſtudio ceptum: ſed nullo loco, aut illuſtriore doctorum cum laude, aut maiore ſtudioſæ iuuentutis celebritate, quàm Bononiæ. Nam primus Irnerius exponere cepit, ut Odofredus memoriæ prodidit, primuſq; gloſſas, ut uocauit, in illud ſcripſit: quem deinde Bulgarus, Hugo, Iacobus, Martinus, & alij ſequuti, certatim illius ſunt induſtriam æmulati. Hoc autem ſenſiſſe quoq; uidetur Vrſpergenſis, & Auentinus lib. 6. Annalium Boiorum, cùm Irnerium regnante Lothario ad Pandectas interpretandas acceſſiſſe ſcribit: in eo tamẽ apertè falſus, quòd Mathildis Tuſciæ Ducissæ rogatu id ſuſcepiſſe muneris ait, quæ multò ante Lotharij imperium è uita migrauit. Sigonius lib. 11. Imperij occid. & lib. 15. regni Italici.

CENNETHI Scotorum regis inſtituto, ſingulis regionibus ſinguli erant iuriſperiti olim. Horum filij à teneris leges diſcebant: legum tabulas & chartaphylacia hi ſoli ſeruabant. H. Boëthius lib. 10.

*Fouendo, Familiariter utendo.*

☞ *Ex Tit. Iureconſultorum, exempla Principum pete, qui Iurecoſſ. in honore & precio habuere.*

Domitium Vlpianum, ac Iulium Paulum, præſtantiſſimos Iuriſconſultos, prætorij ſui præfectos ALEXANDER Seuerus Imp. habuit: ipſum Vlpianum autem tantopere ueneratus eſt, ut ſine illo maius aliquid uix decreuerit: cœnis etiã ac conuiuiis ſuis teſtem ubiq; adhibuit. Deniq; maioribus tractandis rebus, ſiue publicis ſiue priuatis, doctos ſemper uiros adeſſe uoluit: eos qui aberant, per epiſtolam conſulebat. Pontanus lib. 1. cap. ult. de Magnanimitate.

*Remunerando.*

FLORENTINI, Philippum Decium Mediolanenſem Piſis iura profitentem, annuo ſtipendio mille quingentorum aureorum honorarunt: illum inquam Decium, qui ſub prima profeſſionis ſuæ initia XX. aut XXX. aureis annuatim contentus eſſe cogebatur. Teſtis ipſemet cùm alias, tum in epitaphio ſuo, quod Piſis in Campo ſancto extat.

Iaſonis Mayni Mediolanẽſis I.C. tanta fuit auctoritas, ut cùm qui ante illum reſponſa edebãt Iurecoſſ. tribus aut ad ſummum quatuor aureolis honorarentur, ipſe primus L, C, & plus eo à CLIENTIBVS acceperit: ſicq; iunioribus uiam aperuit, qua extra ueterum ſordes emergerent, & locuplete opulentaque penu agerent. Ante illum profeſſores ducẽtos, aut ad ſummum CCC aureos à fiſco percipiebant: is primus millenos à Ludouico Sfortia, deinde & à Francorũ rege Ludouico XII. exegit: nec unquam iuniores Decius, Ruinus, Alciatus, cum numerũ exceſſiſſent, niſi iam ille ſic præiuiſſet, atque principalis ærarij portas reſeraſſet. Alciatus Parergon iuris lib. 5. cap. 26.

EMMANVEL, Luſitaniæ rex, Iudicum numerum auxit, ut omnes controuerſiæ facilius diiudicari poſſent: ipſoſque maioribus ſtipendiis affecit, ne inopia cogerentur ab æquitate diſcedere. Oſorius lib. 1. de rebus eius.

*Ornando.*

CAROLVS IV. Imp. Bartolum de Saxoferrato ſuorum conſiliariorum & domeſticorum numero aggregauit, eiuſq; poſteros, ſiquidem legibus operam darent, iure legitimandi & ueniam ætatis indulgendi priuilegio ornauit. Teſtis ipſemet in Extrauag. Ad reprimendum. Quomodo in læſæ.

*Credendo, Parendo.*

De auctoritate Gloſſatorum iuris ſic ſcribit ad uerbum RAPHAEL Fulgoſius in l. ſi in ſolutum, C. de oblig. & act. Noſtis quanta ſit auctoritas Gloſſatoris. Nónne dixit heri Cynus, gloſſam timendam, propter præſcriptam idololatriam per aduocatos? ſignificans quòd ſicut antiqui adorabant idola pro deis: ita aduocati adorant Gloſſatores pro Euangeliſtis. Volo enim potiùs pro me gloſſatorẽ quàm textum. Nam ſi allego textum, dicunt aduocati diuerſæ partis, & etiam iudices, Credis tu, quòd gloſſa non ita uiderit illum textum, ſicut tu? & non ita bene intellexerit, ſicut tu? Ego recordor (& iſtud ſit pro nouo) quòd dum eſſem ſcholaris, eram ſatis acutus: & dum ſemel eſſemus multi ſocij in una collatione, auſus fui unum textum allegare contra ſententiam Doctoris mei. Tantam audaciam habui. Dixit unus ſocius, Tu loqueris contra gloſſam, quæ dicit ſic. Et ego reſpondi, Et ſi gloſſa dicit ſic, ego dico ſic: ignarus auctoritatis gloſſatorum. Credebam enim quòd eſſent ſpeciales apoſtillæ, ſicut quæ ſunt in libris Grammaticæ, ſicut ſuper Vergilio, uel Ouidio: ſed tamen non ita eſt. Fuerunt enim Gloſſatores maximæ ſcientiæ uiri & auctoritatis. Si aliud non eſſet, quàm gloſſarum ordinatio, & de quibus poſſet dici, quod arbitror de nullo poſſe dici, uidelicet quòd totum corpus iuris uiderunt. Magis ergo ſtandum eſt eis qui uiderunt, quam nobis qui non uidimus.

## IVRISPRVDENTIÆ ODIVM, CONTEMTVS, NEGLECTVS, QVO AD

### ARTEM. IVS, LEGEM, LIBROS
*Auerſando, Reiiciendo.*

C. CALIGVLA quaſi Iurecoſſ. ſcientiæ uſum omnem aboliturus, ſæpe iactauit, ſe mehercle effecturum, ne quid reſpondere poſſint præter æquum. Alij legunt, Eum. Sed Connanus lib. 1. cap. 15. Eccum, ut ſit ſenſus, Curaturum ſe, ut omnia in principis auctoritatem, legibus penitus abolitis, referrentur. ut quemadmodum Pythagoræi haberent ſuum αὐτὸς ἔφα: ſic cauſidici loco legum uocem, Eccum, Ecce illum, principem ſcilicet, cuius uoluntas legis loco eſſet, uſurparent.

Gotius quidam Vrbeuetanus ex Italia in Boëmiam uenit, legũ peritiſſimus. Hic miratus BOEMOS iudicia nullis ſcriptis tractare legibus, ſed ex opinione quemque ſua dicere ſententias, ſæpe inconſultas inconſtanteſq;, propter iuris & legum ignorantiam: Regem ſubmonuit, ut morem iudiciorum corruptum reformandum ſuſciperet: ſimulq; operam ſuam illi pollicitus eſt ad deſcribẽdas leges, quibus ciuiles atq; criminales actiones, iuſtè, ac ſine ulla uarietate diiudicari poſſent. Hæc Rege ad proceres referente, maior numerus meliorem uicit, ne quid de uetere conſuetudine in iudiciis immutaretur. Dubrauius lib. 18.

*Ridendo.*

AMELIVS philoſophus βιβλίδια Iureconſultorum (ſic codices illorum per iocum uocabat) multorum camelorum iuſtum onus eſſe poſſe dictitabat. Eunapius in uitis Sophiſt.

### ARTIFICES. IVRECONSVLTOS, CAVSIDICOS
*Odio proſequendo, Reprehendendo.*

[redacted] (nempe



FRIDERICVS III. Iuriſperitos mediocriter dilexit, quod iuris æquitatem diceret ab iis inuerti, iuſtitiamq; fœdari. Cuſpin.

*Non admittendo, Negligendo.*

LVCII Titij teſtamentum, ex quo odium eius erga Iurecoſſ. liquere poteſt, Scæuola recenſet, in hæc uerba: L. Titius hoc meum teſtamentum ſcripſi ſine ullo iuriſperito, rationem animi mei potius ſecutus, quàm nimiam & miſerã diligentiam. Et ſi minus aliquid legitimè minúſue peritè fecero, pro iure legitimo haberi debet hominis ſani uolũtas. L. Lucius Titius. §. finali. de Legatis 2.

Duos QVOSDAM cognatos de re diuidenda litigãtes, odio Iurecoſſ. auarorum reconciliatos fuiſſe, Gilb. Cogn. lib. 1. Narrat. teſtatur, cùm de ſuo quique iure cedentes, quod rabulis daturi erant honorarium, mutuæ amicitiæ & tranquillitati conſecrarent.

*Expellendo, Abigendo.*

In PANNONIA uiuebant olim ſine iuris interpretibus, non tamen ſine iure. Nam ſimpliciter & bona fide, ex antiquis moribus, & paucis quibuſdam legibus, Pannoniis illis, non Romanis, res iudicabãt, imò diſſenſiones ſuorum ciuium facilè componebant: & quemadmodum de Seruio Sulpitio dicit Cicero, tollere controuerſias malebant, quàm conſtituere. In comitatu Beatricis, Ferdinandi regis Neapolitani filiæ, quæ illinc fuit miſſa nuptum Mathiæ Coruino regi, uenerunt iureconſulti aliquot: qui barbarum (ut ipſi dicebãt) morem, magno uultus & ſuperciliorum faſtidio aſpernati, auctoritate ſua facilè perfecerunt, ut homines rudes ac ſimplices illorum ſe ſapientiæ concrederent. Cœperunt illi formulas præſcribere, quibus eſſet petendum, quibus reſpondendum atque excipiendum: dies legitimos notare: iudici quoq; aliquid aſſignare quod diceret, ne muta eſſet perſona. Breui tẽpore, ubi nullæ prius erant lites, omnia uidiſſes feruere litibus, controuerſiis, petitionibus, repetitionibus, exceptionibus, cõperendinationibus, procraſtinationibus. Erat prorſus fabula, niſi quòd damnoſiſſima, cætera feſtiua in primis, & ad riſum mouendum apta, hominibus utiq; otioſis, & quibus nihil eſſet controuerſiæ. Quod malum tantum, & tã ſubitum, quodq; latè inuaſiſſet plurimos, quum animaduertiſſent homines prudentiores, ad Regem res eſt delata. Qui re percognita, iureconſultos illos continuò regni finibus iuſſit excedere, & omnia in priſtinum morem reuocari. Sedata eſt ſtatim tempeſtas illa, tanquam ſi uenti poſuiſſent. Lud. Viues de Cauſis corrupt. artium lib. 7.

*Perſequendo.*

Quintilio Varo à GERMANIS cæſo, uictores per paludes perq; ſyluas Romanos uictos inſequebantur, iiſq; crudeliter inſultabant, præcipuè tamen cauſarum patronis: aliis oculos, aliis manus amputabant. Vnius os ſutum, reciſa prius lingua, in manu tenens Barbarus, Tandem, inquit, uipera ſibilare deſine. Florus lib. 4. Epitomes.

# LIBER SECVNDVS
## De HISTORIA uniuerſim.

DISCIPLINÆ omnes, quæ certis cõprehenſæ præceptis doceri poſſunt, in ἕξεις atque δυνάμεις diuiduntur. Ἕξις uoco Artes & Scientias. quarum aliæ uniuerſalia præcepta tractãt (& proinde in uniuerſum Theoricæ dici poſſunt: ſiue iam in cognitione acquieſcãt, qualis eſt philoſophia Theorica: ſiue ad actionẽ inſuper properẽt, qualis eſt philoſophia Practica) aliæ particularia exẽpla perſequũtur, & hæc Hiſtoria uocatur, in quocunq; genere philoſophiæ. Quæ quidẽ uox ἀπὸ τοῦ ἐφίστασθαι τὰ ὁρώμενα deducta uidetur: quaſi ſit ocularis & ſenſata cognitio atq; demonſtratio. Vt autem uariæ ſunt res, quæ ſub ſenſus noſtros, inter quos uiſus principatum obtinet, cadere poſſunt: ſic uaria quoq; Hiſtoria erit ratione ſubiectæ materiæ (excluſis interim iis, quæ ſenſus effugiunt, quippe quæ ad Theoriã διανοητικὴν, non autem ad Hiſtoriam αἰσθητικὴν pertinẽt) Omnium certè rerũ proprietates & actiones Hiſtoricus obſeruat: eximiè tamen illarũ, quæ ab homine ſecundùm uoluntatẽ & electionem proficiſcũtur. Quemadmodũ enim homo inter omnes creaturas caducas principatum obtinet: ita quoq; hu-

manarum paſsionum, in primis uerò actionum commẽtatio & obſeruatio, abſolutè Hiſtoria dicitur: & illi Hiſtorici, qui uel res hominũ geſtas, ut geſtæ ſunt, uel paſsiones, quatenus actionibus inſeruiunt, ſcripto aut uiua uoce enunciant: in quib. uirtutum & uitiorum ſemina aperte ſeſe produnt. Philoſophia quidem ethica Præcepta uirtutũ & uitiorũ generalia cõtinet, Hiſtoria uerò eorundem Exempla particularia profert, tãto efficaciora & ad mouendum aptiora, quanto ſenſus rationem euidentia & certitudine ſuperare uidetur. Eſt ergo moralis quædam philoſophia particularis, ipſa Hiſtoria, quæ nos aliorum exẽplis prudentiores reddit. Quoniam uerò ea, quæ ad hominũ actiones pertinẽt, Varro, omniũ Romanorum [illegible] mus, initia naturæ ſecutus, in homines, in loca, in tẽpora, & in res partitus eſt (Quicquid enim agitur, & perſonis, & loco, & tẽpore, & ipſo agẽdi genere cõtinetur) hinc quatuor hiſtoriæ tractandæ formas, [illegible] in iis ordines oriri duciq; cõſtat: unã, quæ hominum uitas [illegible] ſuccedentium ordine, ſeorſim deſcriptas, cõplectitur: alterã, quæ locorũ: tertiam quæ temporum ſeriem ſequitur: poſtremã, quæ ſimilia [illegible] cta, in quædã, à uitiis ac uirtutib. inſcripta diſtinctaq; capita, cõiicit. Et has quidem formas omnes in præſens Hiſtoriæ appellatione complectimur, ne litem nobis moueat uetus illa de Hiſtoriæ nomine controuerſia, cuius Gellius lib. 5. cap. 18. Noct. Att. meminit. Hiſtoriam namq; ab Annalibus Sẽpronius Aſellio ſic diſtinguebat. Res geſta uel ſimpliciter tantùm recitatur, τὸ ὅτι nimirum, quid, quo anno, à quibus: & hos, propter annorũ continuatam ſeriem, Annales dici aſſerit: uti ſi non annorum, ſed dierum res geſtæ narrentur, Ephemerides & Diaria. Vel non ſimpliciter τὸ ὅτι, ſed etiã πῶς καὶ διότι geſta ſit enarratur. Et hæc Hiſtoria propriè dicitur, ex qua lectores fructũ capere poſsint in uita quotidiana, ſequendo uirtutes, declinãdo uitia. At Verrius Flaccus Annales & Hiſtorias in eo differre putat, quòd cùm utrunq; ſit rerum geſtarũ narratio, earum tamẽ propriè ſit rerum hiſtoria, quibus reb. gerẽdis interfuerit is, qui narrat. Hæc illi. Nos uerò Hiſtoriæ uocabulo, tanquã generali, quaſuis rerum geſtarum nõ fabuloſas deſcriptiones complectimur: cuius fontes ex cauſis deductas breuiter proponemus, ut de Hiſtoriarum differentiis luculentiùs conſtet.

**HISTORIA** *uerſatur circa Exempla particularia earum rerũ, quarum Exemplaria tradit Theoria Philoſophica. Res autem illæ conſiderantur uel ut in hominis poteſtate*

- **Non** *ſunt ſitæ. Vt ſunt res tũ Aeternæ, & Hiſtoria Metaphyſica dici poteſt. tũ Caducæ, Hiſtoria Naturalis metallorũ, ſtirpium, brutorum, hominum quinetiam, quatenus uariis bonis naturæ beneficio ornãtur: ex quibus tamen nec boni nec mali per ſe dicuntur, ſed tantùm quatenus iis, quæ uerè* ἀνθρώπινα *ſunt, & in hominum poteſtate conſiſtunt, famulari conſpiciuntur. Qualia ſunt bona quælibet Corporis & Fortunæ.*
- **Sunt** *ſitæ.* τὰ ἀνθρώπινα *propriè dicta. Actiones uidelicet humanæ uel*
  - **Theoricæ.** *Quarum enarratio ex ipſo fine Theorica eſt, & propterea Philoſophiæ Theoricæ coniungenda.*
  - **Mechanicæ.** *Harum enarratio Mechanicarum artium tractationi connectenda.*
  - **Practicæ.** *Et hæc eſt Hiſtoria Practica,* κατ' ἐξοχὴν *dicta, de qua nunc loquimur. Huius enarrandæ ſunt Cauſæ. Ex quibus occurrunt.*
    - **Internæ** *duæ. Videlicet*
      - **Materia.** ἐνεργήματα ἀνθρώπινα. *Actio motus eſt. Ergo in tempore. Proinde Res geſtæ, hoc eſt, dicta factaq; hominum conſiderantur aut*
        - **Per** *ſe, quia uel Religioſæ, uel Profanæ: & hæ tum Politicæ, Publicæ, Priuatæue: tum Oeconomicæ.*

Re-



- **Reſpectu** *alterius. Nimirum*
  - **Efficientis,** *à quo deſignantur, uel Diuerſi numero & ſpecie, ut ſunt Varij populi: uel Iidem, ſiue Specie, ut Græci, ut Romani: ſiue Indiuiduo, ut Plato, ut Cicero.*
  - **Temporis** *in quo geruntur. Conſideratur tempus, rei geſtæ numerus, uel*
    - **Totum** *& integrum, à principio uſq; ad finem hiſtoriæ. Sic rurſus uel*
      - **Eſſentialiter,** *ex rei ipſius motu uel*
        - **Perfecto,** *ab ortu ſui uſq; ad finem: uel certè uſq; ad ætatẽ eius qui ſcribit. Sic qui uniuerſalem hiſtoriam ſcribunt, à mundi exordio ad ſua uſq; tempora tanquã ad finem ſuæ cognitionis, narrationem deducunt. Sic Romani Imperij hiſtoriam à primo ortu ſub Romulo, uſq; ad interitum ſub Auguſtulo, perſequuntur.*
        - **Imperfecto,** *quando pars tantùm hiſtoriæ pertractanda ſuſcipitur. Vt qui Ortum tantùm, uel Incrementa, uel Statum, uel Interitum alicuius imperij ſcribunt.*
      - **Accidentaliter.** *non rei, ſed efficientis reſpectu. Vt qui Res ſua tantùm ætate, uel ſub hoc tantùm uel illo Imperatore in orbe geſtas, ſcribunt.*
    - **Secundùm** *partes. Sic Hiſtoria omnis Chronica eſt, quoniam in tempore fit. Sed rurſus quia diſtinguitur ab ſcriptoribus ſecundùm temporis partes, uarias appellationes ſuſcipit. Secundùm partes inquam uel*
      - **Simplices:** *utputa ſecundùm motus cœleſtes, ueluti menſuras inferiorum motuum. Sic hiſtoria diſtinguitur motu*
        - **Solis** *tum Diurno, in Ephemerides, Diaria. tum Annuo, in Annales.*
        - **Lunæ.**
      - **Compoſitas,** *quando ſcilicet Anni non ſingillatim, ſed complexu quodam conſiderantur: utputa ſecundùm Luſtra, quinq; annorum, ut Olympiades: ſecũdùm Secula, centum annorum.*
- **Forma,** *ipſa ſcilicet deſcriptio. Concurrunt hîc duo, uidelicet*
  - **Internus** *conceptus de re propoſita, rei ipſius eſſentiæ ad unguem conueniens. Ergo ſimilis ſit conceptus ipſi rei tum quo ad*
    - **Eſſentiam.** *Veritas, prima hiſtorici uirtus.*
    - **Partes.** *Altera uirt⁹, Perfecta rei enarratio. Perfectio iſta rurſus dupliciter intelligitˉ. Partim*
      - **Omnium** *partiũ pertractatio. Sic alia hiſtoria eſt Perfecta, alia Imperfecta, & mutila.*
      - **Singularum** *partium elaboratio uel ſecundùm τὸ*
        - ὅτι *tantùm, Quid, quo anno, per quos ſit geſtum. Quæ in genere Chronica, in ſpecie uerò Annales & Diaria uocari putat Sempronius.*
        - Διότι, *Quomodo & quo fine ſit geſtum. Quam propriè Hiſtoriã dici uult Sempronius.*
  - **Externa** *declaratio, quæ fit uoce uiua aut ſcripta. Adhibenda eſt ab Hiſtorico reſpectu*
    - **Rerum,** τάξις *conueniens. Tertia uirtus Hiſtoriæ eſt, Ordo. Hiſtoria alia*
      - **Ordinem** *habet*
        - **Eſſentialem,** *à tempore ſumtum, ut quod tempore prius eſt, ſit etiam prius narratione. Et ſic Hiſtoria Chronici appellationem ſubit, quando ſecundùm temporis ſucceſsionem diſtinguitur, ſiue Dierum, ſiue Annorum, ſiue Luſtrorum, ſiue Seculorum.*
        - **Accidentalem,** *ex Rei ipſius quæ tractatur diuerſitate: ut quando Loci communes inſtituuntur pro uarietate eorum quæ inſunt homini ſecundùm Animum (hoc eſt, ſecundùm uirtutes theoricas, mechanicas, practicas) ſecundùm Corpus, & ſecundùm Fortunas: ut quando Reges populorum deſcribuntur.*
      - **Ordine** *caret. Varia hiſtoria, Variæ lectiones, Sylua uariarum lectionum.*
    - **Verborum,** λέξις *opportuna.* Λέξιν *inſtruunt organicæ facultates quatuor, Grammatica, Rhetorica, Poetica, Logica: quarum quidem præceptis utitur Hiſtoricus, neq; characterẽ peculiarem* ἑρμηνείας *ab illis diuerſum habet, ut quidam arbitrantur.* λέξις *namque*
      - **Simplex** *à Grammatico inſtituitur, ut propriè & perſpicuè ſenſa animi proferat. Virtus quarta eſt, Perſpicuitas orationis.*
      - **Ornata.** *Quinta uirtus eſt, Elegantia orationis: tum* ἄρυθμος, *à Rhetore mutuãda, ea moderatione, ne probabilitate affectata, Hiſtoriæ primam uirtutem, quæ Veritas eſt, corrumpat ſuſpectámue faciat: tum* ἔρρυθμος, *Poetarum propria. Sic Hiſtorici quidã poetico utuntur charactere. De quibus nos ſub Tit. Poetarum hiſtoricorum egimus. Per ſe alioqui inepta eſt poeſis ad hiſtoriam, quia Fictio Veritati eſt contraria. Si fingat, peccat in Hiſtoriam: ſi non fingat, peccat in Poeſin. At metrico tamen charactere Hiſtoricum uti nil prohibet.*
- **Externæ** *duæ. nimirum*
  - **Efficiens.** *Hiſtoricus dicitur, qui res deſcribit: quarum certitudinem habet uel ab Semetipſo (ſic propriè Hiſtorias dici putat Verrius Flaccus, quando ſcriptor* αὐτόπτης *eſt, &* θεάματα *ſua, non aliorũ* ἀκροάματα *narrat,* ὡς ἱστὰς τὰ δρώμενα) *uel ab Aliis audita lectáue, per acroaſin & anagnoſin. Has narrationes Verrius Annales dici putat, fortè non ab Anno, ſed quia Annuncient aliena.*
  - **Finis** *geminus, uti etiam Philoſophiæ practicæ, cuius Exempla continet Hiſtoria. Inter quos tamen prior tendit in poſteriorẽ. Nempe reſpectu Theoriæ, Veri cognitio (ſi Magiſtra ueritatis uocatur Hiſtoria: & Aegyptius ſacerdos ob hiſtoriarũ ignorãtiã Græcos ſemp pueros eſſe ait apud Platonẽ in Timæo) at reſp. Praxeos, Boni poſſeſsio. Sic Hiſtoria Vitæ ſpeculũ nũcupatur: ex aliis ſumere exemplũ, ſibi q; ex uſu ſiet.*

# LIB. II TITVLORVM DISPOSITIO.

EXEMPLORVM *particulariū conſideratio* HISTORIA *appellatur. Illius ergo conſideremus*
- Habitū, ſecūdum
  - Acquiſitionem. INVENTORES *hiſtoriæ.*
  - Poſſeſsionem *tum*
    - Per *ſe.* Hiſtoricus *exempla particularia practica tradit ( ut Platonis diuiſione utar, licet in re diuerſa ) uel* λόγῳ
      - *Μακρῷ, oratione uidelicet perpetua res geſtas deſcribens hominum. Homines cum hominib. uerſantur. Eáque propter uix unius hominis acta deſcribi poſſunt, quin aliorum quoq; mentio fiat. A principe tamen ſcopo & inſtituto fit denominatio. Ergo Hiſtoria alia*
        - Com*munis uel quoad uitam*
          - Religioſam. HISTORIAE *Eccleſiaſticæ ſcriptores, ſiue uniuerſales, ſiue particulares.*
          - Profanā. HISTORICI Pro*fani. Communis .n. hiſtoria, uel ijs qui ſunt gentis*
            - Diuerſæ. HISTORICI *Vniuerſales, qui uel integram uel mutilatam hiſtoriā eius ſubiecti, de quo agunt, exequuntur: utpote à condito mundo ad ſua uſq; tempora: uel ſuæ tantùm ætatis.*
            - Eiuſdem. HISTORICI *Particulares, qui uel integram uel mutilatā hiſtoriā ſubiecti ſui tradunt, Gentiū & populorum*
              - Aſię, *ut Aſſyriorū, Perſarum.*
              - Africæ.
              - Europę, *ut Græcorū, Romanorū, Germanorum.*
              - Noui *orbis.*
        - Propria *& ueluti priuata, eorū qui uitas deſcripſere hominū quorumlibet, quatenus uirtutib. uitijs' ue practicis abūdant. Alioqui ad alios referēdæ eſſent locos, v. g. ad Philoſophos, Pulcros, Reges, &c.* VITARVM *ſcriptores alij*
          - Religioſi. HAGIOGRAPHI *appellantur.*
          - *Profani tum in*
            - Genere, *& cōfusè, utputà Hominū illuſtrium quocunq; genere uirtutis apud quoſcunq;, tum*
              - Virorū.
              - Mulierū.
            - *Specie & diſtinctè,*
              - Chriſti *opt. max.*
              - Alio*rum, qui excelluerūt bonis*
                - In*ternis* Ani*mi*
                  - Theoricis. *Huc qui ſcribūnt uitas Theologorum, Iureconſultorum, Medicorum, Philoſophorum.*
                  - Practicis: *qui Ducū illuſtrium, qui Meretricum.*
                  - Mechanicis: *qui Mechanicorum artificum.*
                - Ex*ternis tum*
                  - Corporis: *ut Olympionicarum.*
                  - For*tunæ utputa*
                    - Pontificū.
                    - Imperato*rū, Regū.*
                    - Gentiliū, *eiuſdē familiæ.*
      - *Βραχεῖ καὶ διῃρημένῳ, quoddā unius ſubiecti dictū factúmue enarrans, hinc ſecundi, tertij, & reliquorum.* EXEMPLORVM *Rhapſodi. Horum alij*
        - Confuſi *& ἀμέθοδοι. Quales ſunt, qui* VARIAS *hiſtorias ſcripſerunt.*
        - Diſtincti *& Methodici. Tales ſunt* LOCORVM *cōmunium hiſtoricorum ſcriptores.*
    - Reſpectu *finis ſiue uſus.* HISTORIAE VSVS:
      - Qui *ex hiſtoria fructū perceperint:*
        - Reges. Duces.
        - Mulieres.
      - Quē *fructū. Nempe quo ad*
        - Animū
          - Virtutis *in genere.* Fortitudinis.
          - Tranquillitatis.
        - Corpus. *Valetudinis.*
  - Exercitationem *tum*
    - Per *ſe.* HISTORICI, *quo ad*
      - Materiam, *ſeu Narrationem, Veri, Mendaces.*
      - Formam, *ſiue Explicationem, Apti uel Inepti.*
    - Reſpectu *aliorum uel*
      - Recitando, *Opportuni, Importuni, Intempeſtiui.*
      - Certando. CERTAMINA *hiſtorica.*
      - Iudicando. IVDICIVM *hiſtoricum.*
- Cultum. HISTORIAE *Cultus. Nempe*
  - Studiū, Amor, *reſpectu*
    - Artis. *Hiſtoriam*
      - Scribendo. Cōmittendo, *ut ſcribatur.* Notando.
      - Legēdo. Audiendo. Ediſcendo. Cōſulendo.
    - Artificum. *Hiſtoricos*
      - Fouendo. Complectendo.
      - Ornando.
  - Odium, *Contemtus.*



# Voluminis Sexti Liber II. De HISTORIA.

## INVENTORES HISTORIAE.

Ante SATVRNI in Italiam aduentum nullam hiſtoria dignationem habuit. Sed poſtquam is rudem populum in unum collegit, hiſtoria quaſi uocalis reddita eſt. Eapropter Romę olim in faſtigio Saturni ædis Tritones cum buccinis ſuperpoſiti fuēre, caudis Tritonum humi merſis & abſconditis: indicio, quòd ante Saturnum omnia occulta, poſt illum omnia per obſeruationem & hiſtoriam clariſſima eſſent reddita. Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 8.

Hiſtoriam, ut Plinius lib. 7. ait, CADMVS Mileſius omnium primus condidit. Sed Ioſephus in primo Antiq. uolumine eum apud Græcos duntaxat primum hiſtorias ſcripſiſſe tradit, multo iuniorem Moſe. Nam uero ſimilius eſt, antiquiſſimos HEBRÆORVM, qui ſacros libros ſcripſerant, hiſtorias primò condidiſſe: uel Aegyptiorum ſacerdotes, ſicut ipſe Ioſephus in primo contra Apionem ſentire uidetur. Euſebius lib. 10. & 11. Præparat. Euangelicæ.

XENOPHON, Grylli filius, Socratis auditor, primus ex philoſophis hiſtoriam ſcripſit de rebus Græcorum, item rerum à Cyro geſtarum. Laertius libro ſecundo.

PHILISTVS Naucratita aut Syracuſanus, primus ex arte oratoria hiſtoriam ſcripſiſſe dicitur, à Suida.

## HISTORICI ECCLESIASTICI.

HEGESIPPVS hiſtoriam ſcripſit Eccleſiaſticam 5. libris, à Chriſti ſupplicio uſq; ad ſua tempora, rudi ſtilo. ubi teſtatur ſe ueniſſe Romā ſub Aniceto pōtifice, ut ait Suidas. Quē Hieronymus patria Iudæū, ac inter ſanctos relatum dicit, Plat.

IRENÆVS, præſul Lugdunēſis, hiſtoriā ſcripſit Eccleſiaſticā.

EVSEBIVS Pamphili, Cæſareæ Palæſtinæ epiſcopus, ſub Cōſtantino multa ſcripſit: maximè uerò libros Euāgelicæ Præparationis, & Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, circa an. 312. Platina.

SOCRATES Piſtoriēſis presbyter, SOZOMENVS, THEODORETVS, & CASSIODORVS, Eccleſiaſticā hiſtoriam ſcripſerunt à Chriſto nato uſq; ad annum 444.

EVAGRIVS Scholaſticus de Eccleſia & imperio Romano libros VI. conſcripſit ab anno Chriſti CCCCXXXV. uſq; ad annum DXCV. Orditur, ubi deſinit hiſtoria Tripartita.

NICEPHORVS Calliſtus Eccleſiaſticam hiſtoriam ſcripſit à Chriſto uſq; ad Heraclium lib. 18.

ANASTASIVS Lateranenſis ſcripſit hiſtoriam Eccleſiaſticā uſque ad ſua tempora.

## HISTORICI VNIVERSALES, QVI VEL A CONDITO orbe, uel ſuæ tantùm ætatis geſta diuerſorum populorum ſimul ſcripſere.

MOSES Originum librum ab orbe cōdito ſcripſit, uſq; ad migrationem Hebræorū ex Aegypto in Palæſtinam. Hiſtoriā uniuerſi mundi complectitur annorum II MCCCCL. Claruit ante Chriſtum annis 1519. Bodinus in Methodo hiſt.

BEROSVS Chaldæus, quæ dicuntur Fragmenta, conſcripſit uniuerſæ hiſtoriæ ab orbe condito uſq; ad annum mundi IIIMCXXX. in Sardanapalo deſiit, ut Metaſthenes ſcribit. Claruit ante Chriſtum 330. Bodinus.

PHILO Hebræus de temporibus libros duos ab orbe condito uſque ad Tiberium edidit. Claruit anno Chriſti 38.

THEOPOMPVS Chius, orator, filius Damaſiſtrati, natus Olympiade 93. Scripſit unà cum Ephoro epitomen Herodoti hiſtoriarum lib. 2. Suidas.

HERODOTVS, Lyxi & Dryonis F. Halicarnaſſeus, illuſtri genere natus: Samum ſe contulit, propter Lygdamidem, nepotem Artemiſiæ, tyrānum Halicarnaſſi. Sami hiſtoriam libris 9. ſcripſit, ab anno mundi 3210. uſque ad 3500. auſpicatus à Cyro Perſa, & Cādaule Lydorum rege. Thurij, quo tum Athenienſes coloniam deduxerant, defunctus, & in foro ſepultus eſt. Alij Pellæ mortuum tradunt. Libri eius Muſæ inſcribuntur. Suidas Ionicè ſcripſit, laxior Thucydide. hunc Liuio, illum Salluſtio, ex noſtris Quintilianus comparat.

EPHIPPVS (aliis Ephorus) Cumanus, Demophili filius, Iſocratis oratoris auditor, uixit Olympiade XCIII. Scripſit hiſtoriarum ab Ilij expugnatione, Troianoq; bello uſque ad ſua tempora, libros 30. Suidas.

HELLANICVS Mitylenæus hiſtoricus, filius Andromenis, aut Ariſtomenis, aut Scamonis. Verſatus eſt cum Herodoto apud Amyntam Macedonum regem, temporibus Sophoclis & Euripidis: & cum Hecatæo Mileſio congreſſus eſt. Cōſcripſit plurima ſoluta oratione, & uerſu heroico. Suid.

HECATÆVS, Hegeſandri filius, Mileſius, Darij temporibus, Olympiade LXV. maior Herodoto Halicarnaſſeo, Protagoræ auditor, primus ſoluta oratione hiſtoriam edidit. Suid.

DIONYSIVS Mileſius res poſt Darium geſtas libris 5. deſcripſit, Orbis deſcriptionem, Perſica, Ionica dialecto. Troianarum rerum libros 3. Fabuloſa, Circuli hiſtorici lib. 7. Suidas.

POLYBIVS Megalopolitanus ſcripſit de rebus Græcorum, Romanorum, Pœnorum, Celtarum, ab exilio Cleomenis & Pyrrho Epirotarum rege, uſque ad bellum Romanorum cum Achæis & Philippo rege Macedonum: id eſt, ab anno mundi III MDCLXXX. uſque ad annum III MDCCLXVI. De libris XL. quinq; priores extant, & epitome ſequentium uſq; ad XV. Claruit ante Chriſtum 200. Bodinus.

POSIDONIVS Olbiopolita, ſcripſit poſt Polybium hiſtoriā libris 52. uſque ad bellum Cyrenaicum, & Ptolemæi tempora. Floruit ætate Strabonis.

TROGI Pompeij epitome ab IVSTINO libris XLIIII. comprehenſa, omnium penè populorū geſta breuiter complectens, à Nino uſque ad Cæſarem Auguſtum. Claruit anno Chriſti 150.

M. CATO, quæ dicuntur de Originibus, fragmenta reliquit. Claruit ante Chriſtum 260.

DIODORVS Siculus Bibliothecam ſcripſit uniuerſalis hiſtoriæ, maximè illuſtrium populorum, ab ultima Aegyptiorū memoria uſque ad Auguſtum Cæſarem, libris XL. Claruit anno Salutis 40. Suidas.

NICOLAVS Damaſcenus, philoſophus Platonicus, familiaris Auguſto Cæſari ac Herodi regi Iudæorum, ſcripſit hiſtoriam uniuerſalem lib. 80. & uitam Auguſti ſeparatim. Suid.

IVDAS quidam ſub Seuero principe, Hiſtoriographiam ſuperiorum temporum, uſque ad decimum eiuſdem principis annum, ſcripſit. Hieronymus. Sua tempeſtate Antichriſtum uenturum prodidit, quòd ſuprà quàm dici poſſit hominum uitia per id tempus inualuiſſent. Sabellicus libro 5. Enneadis 7. Platina.

EVSEBIVS Chronicon edidit ab O. C. uſq; ad annum Chriſti CCC. Claruit anno 312. Hieronymus annos adiecit L. PROSPER Aquitanus LX. PALMERIVS Florentinus MXL. PALMERIVS Piſanus XXX.

IVLIVS Africanus de temporibus ab O. C. uſque ad annum Chriſti CCCXX.

PHRECVLPHVS Epitomen edidit hiſtoriarum ab O. C. uſque ad annum Chriſti DL. Claruit anno 560.

BEDA Anglus Chronicon ſcripſit ab O. C. uſque ad annum Chriſti DCC. Claruit anno 730.

PAVLVS Oroſius ab initio mundi uſq; ad Honorium.

TRAIANVS patricius, ſub Iuſtiniano principe, ſcripſit temporum Epitomen.

ADO Viennenſis ſcripſit de ſex mundi ætatibus uſq; ad annũ Chriſti DCCCC. Claruit anno 980. Bodinus.

ZONARAS fuſam conſcripſit hiſtoriam ab O. C. uſq; ad annum Chriſti 1117. in tres partes diuiſam. Prima uars Hebræorum eſt, altera Græcorum, tertia Latinorum. Bodinus.

HESYCHIVS Mileſius ſub Anaſtaſio principe Hiſtoriarum libris 6. complexus eſt. Romanorũ & aliarum gentium geſta, uſq; ad ſua tempora. Suidas.

HONORIVS Auguſtodunenſis Chronicon edidit ab O. C. uſque ad ſua tempora. Claruit anno Chriſti 1120. Bodinus.

HELNANDVS monachus Chronicon edidit ab O. C. uſque ad ſua tempora. Claruit anno Chriſti 1066. Bodinus.

PROSPER præſul Rheginus, ab Adam uſq; ad ſuum ſeculũ.

EVSTATHIVS Epiphanius ſcripſit temporum Epitomen ab Aenea uſq; ad Anaſtaſium principem. Suidas.

PELAGIVS patricius, ſub Zenone Imp. hiſtoriam ab Auguſto orſam, uerſibus ſcripſit: item Homerocentra. Cedrenus.

ISIDORVS Hiſpalenſis hiſtoriam ab Adamo uſque ad ſua tempora, & breuem quandam Coſmographiam.

REGINO anno Sal. DCCCLXXXXII. Abbas Prumienſis cœnobij, dignitate per inuidiã deturbatus, Chronicon ſuorum temporum condidit.

LVITPRANDVS Papienſis leuita, Berengario regi à ſecretis, ab eodem in exilium pulſus, ulciſcendi tyranni cauſa hiſtoriam ſuorum temporum ſcripſit. Teſtis ipſemet lib. 5. c. 5.

OTHO ex Principum genere natus, epiſcopus Friſingenſis, & ob ſummam eruditionem Conradi tertij Imperatoris Cancellarius, hiſtoriam ſcripſit. Munſterus in Coſmographia.

HERMANNVS Contractus ſcripſit de ſex ætatibus uſque ad ſuam ætatem. Claruit anno Chriſti 1067.

MARIANVS Fuldenſis Scotus Chronicon edidit ab O. C. uſque ad ſuam ætatem. Claruit anno Chriſti 1088.

SIGEBERTVS Gallus Chronicon ſcripſit ab anno Chriſti CCCLXXXI. id eſt, à fine Tripartitæ hiſtorię, uſque ad annum MCXIII. cum appendice incerti auctoris uſq; ad annum 1216. Claruit anno Chriſti 1130. Bodinus.

ABBAS Vrſpergenſis Chronicon edidit ab O. C. uſq; ad Fridericum II. Imp. Claruit anno 1229. Bodinus.

VINCENTIVS Belluacenſis, ordinis Prædicatorum, ab O. C. uſq; ad annum Chriſti 1201. Claruit anno Chriſti 1260.

FASCICVLVS temporum ab O. C. uſque ad annum 1484. incerti auctoris.

ANTONINVS archiepiſcopus Florentinus ab O. C. uſque ad an. Sal. 1470. Claruit anno Chriſti 1480. Bodinus.

IO. NAVCLERVS Tubingenſis, Chronicon edidit ab O. C. uſq; ad annum Chriſti 1500. Claruit anno 1510.

DONATVS Poſſius Mediolanenſis hiſtoriam ſcripſit ab O. C. uſque ad annum MCCCCLXXXIX. Claruit anno 1496. Bodinus.

M. ANTONIVS Coccius Sabellicus Veicetinus Ennead. 11. edidit hiſtoriæ ab O. C. ad ſua uſq; tempora. Clar. an. 1490.

PHILIPPVS Bergomenſis hiſtoriam ſcripſit ab O. C. uſq; ad annum Chriſti 1503. Claruit anno 1515. Bodinus.

# HISTORICI PARTICVLARES, QVI RES GESTAS DESCRIPSERE

## IVDAEORVM.

IOSEPHVS Iudæus, Matathiæ ſacerdotis Hieroſolymitani F. conſcripſit Græcè antiquitatis Iudæorum hiſtoriam libris uiginti, ab exordio mundi uſque ad XIII annum Domitiani. De Præcurſore, & de Ieſu Chriſto hiſtoricè, hoc eſt, uerè loquitur. Captus à Veſpaſiano, Romam ueniens, ſeptem libros excidij Iudaici obtulit Imperatoribus: qui in publicam bibliothecam ſunt relati: & ipſe ſtatua donatus eſt. Suidas.

Iiſdem temporibus HEGESIPPVS Iudæus bellum Iudaicum libris quinque complexus eſt, quos Ambroſius Latinos feciſſe fertur.

IOSEPHVS, filius Gorionis, hiſtoriam belli Iudaici Hebraicè conſcripſit. Claruit anno Chriſti 99.

IVSTVS Tyberienſis, ex prouincia Galilæa, Iudaicarum rerũ hiſtoriam texuit. A Ioſepho ut plurimùm mendacij arguitur. Hieronymus.

## ASSYRIORVM, PERSARVM, MEDORVM.

METASTHENES Perſa ſcripſit de iudicio temporum & annalium Perſarum. Claruit 330. annis ante Chriſtum. Bodin.

CTESIAS Grecus, cùm Artaxerxes Mnemon & Cyrus iunior inter ſe belligerarẽtur, in expeditione unà fuit, ac medicum egit. Captiuus deductus Babylonem: perlectis hiſtoriis rerum Babylonicarum, ab initio eius regni annorum numerum in ordinem digeſſit. Strabo lib. 13. & Diod. lib. 2. cap. 9.

AGATHARCHVS & MEMNON ediderunt fragmenta de regibus Perſarum & Aſſyriorum. Ante Chriſtũ an. 375. Bod.

PIGRES, Artemiſiæ filius, Græcorum & Perſarum naualem pugnam ad Artemiſium uerſibus ſcripſit. Plutarchus de Hom. malign.

XENOPHON Athenienſis ſcripſit de expeditione Cyri in Perſidem contra fratrem Artaxerxem regem Perſarum.

CRITO Pieriota (ciuitas autem eſt Macedoniæ Pieria) ſcripſit res Perſicas.

DIONYSIVS Mileſius ſophiſta ſcripſit res Perſarum poſt Darium. Suidas. Ab Hadriano Imp. ob ingenij dotes ſatrapa factus, inter equites aſcriptus, in eius menſa Aegyptia (quæ uiros in toto orbe terrarum doctiſſimos cõtinebat) locum obtinuit. Philoſtratus.

PROCOPIVS de bello Perſico lib. duos edidit. Claruit anno Chriſti 540.

## AEGYPTIORVM.

PHILISTVS Naucratita, aut Syracuſanus, Archomidę filius, qui primus ex arte oratoria hiſtoriam ſcripſit, compoſuit Aegyptiaca libris 12. item quædam de Libya & Syria. Suid.

## LYDORVM, CARVM.

XANTHVS, Candaulis Lydi filius, Sardianus, eo tẽpore quo Sardes captæ ſunt, ſcripſit Lydiacorum libros 4. Suidas.

LEO Alabãdeus ſcripſit hiſtoriam de Caribus libris quatuor: de Lyciis duos. Suidas.

APOLLONIVS Aphrodiſæus ſcripſit res Caricas, de Trallibus, de Orpheo, eiuſq; myſteriis.

XANTHVS ſcripſit hiſtoriam Lydorum libris quatuor.

## TROIANORVM.

DARES Phrygius ſcripſit bellum Troianum Gręcè, in quo militauit, ut ait Iſidorus, primus ferè hiſtoricorum. Qui tãdem capto Ilio, cum Antenoris factione remanſit, ut ſcribit Cornelius Nepos: qui opus eius in ſex libros è Græco conuertit, & Criſpo Salluſtio dicauit.

DICTYS, Cretenſis genere, Gnoſo ciuitate, iiſdem temporibus quibus & Atrides fuit, ante Chriſtum anno 1129. Cum Idomeneo Deucalionis filio ad Ilium uenit, & annales belli Troiani conſcripſit, ſex uoluminibus in philyras digeſtis. Eas reuerſus in Cretam pręcepit ſecum ſepeliri, in plumbea arcula repoſitas. Tertiodecimo demum anno Neronis, in Gnoſo ciuitate, terræmotu facto, ſepulcrum Dictys patuit. Paſtores aperta arcula inuenerunt tilias incognitis literis conſcriptas: cõtinuoq; ad eius loci dominum Eupraxidem pertulerunt. Is Rutilio Ruffo inſulæ præſidi obtulit. Ruffus Neroni Romam tranſmiſit. Nero per Phœnices interpretes cognoſcens belli Troiani hæc eſſe monumenta, in Græcum ſermonem transferri iuſſit: Eupraxidem muneribus donatum in patriam remiſit, & Annales in bibliothecam *recepit*. Septimius Romanus in Latinam linguam *conuertit*. *Suid.*

## GRAECORVM.

CADMVS, Pandionis F. Mileſius, ſecundùm quoſdam primus hiſtoriã ſoluta oratione ſcripſit, Orpheo paulò iunior. Scripſit ædificationem Mileti, & totius Ioniæ lib. 4. Suidas.

CHARON Lampſacenus ſcripſit Græca lib. 4. de Lampſaco duobus, Cretenſia lib. III. Suidas.

DAMASTES è Sigeo Troadis, Dioxippi F. Hellanici diſcipulus, æqualis Herodoti, ſcripſit de rebus Græcorum. Suidas.

THVCYDIDES, Olori & Hegeſipylæ F. Athenienſis, maternum genus à Miltiade duce, paternum ab Oloro Thracum rege duxit: Antiphontis diſcipulus. Floruit Olympiade 87. Scripſit bellum Peloponneſiacum libris octo, quibus à fuga Xerxis uſque ad annum XXI. belli Peloponneſiaci, annorum XC. hiſtoriam complexus eſt. Claruit ante Chriſtũ annis 340. Suidas. Huius belli initio quadraginta annos natus fuit: uti Herodotus 53. Hellanicus 65. Itaque eodem ferè tempore tres nobiliſſimi hiſtorici floruerunt. Gellius lib. 15. cap. 23. ex Pamphilæ lib. 11.

XENOPHON Athenienſis libris VII. Thucydidis narrationem perſequitur, annorum XLIII. uſque ad prælium ad Mantineam. Bodinus.

PALÆPHATVS Abydenus ab Alexandro ſcripſit Cypria & Attica.

PHILOCHORVS Athenienſis, ſcripſit libros Attidis 17. qui continent res Athenienſium, reges, & magiſtratus, uſque ad Antiochum, Deum cognomento.

MELIS-



MELISSANDRVS Mileſius, Lapitharum & Centaurorum bellum ſcripſit. Aelianus de Varia hiſtoria.

DEMOCHARES, Demoſthenis nepos, hiſtoriam earum rerum, quæ erant geſtæ ſua ætate Athenis, non tam hiſtorico quàm oratorio genere perſcripſit. Cicero in Bruto.

MARSYAS, Periandri F. Pellæus, Antigoni frater (qui pòſt regno potitus eſt, & unà cùm Alexãdro rege educatus) grammaticus, ſcripſit Macedonica libris decem, à primo rege uſque ad Alexandri ingreſſum in Syriam, poſt Alexandriam conditã. Attica lib. 12. & ipſius Alexandri educationẽ. Suid.

LEO Alabandeus Sacrum bellum Phocenſium. Suidas.

CRITO Periota Macedo ſcripſit res Macedonum.

CHOERILVS Samius, Athenienſium uictoriam contra Xerxem: & pro ſingulis uerſib. ſingulos ſtateres aureos recepit.

PHLEGON Trallianus, libertus Auguſti, ſcripſit hiſtoriam Olympiadum libris 16, uſq; ad Olympiadem 29.

TIMÆVS Siculus, res Græcas, & bellum Thebanum.

ZENO Rhodius ſcripſit hiſtoriam Rhodiorum.

POLEMON Helladicus ſcripſit de origine ciuitatum Phocidis, Ponti, Lacedæmonis.

THEOPOMPVS Chius ſcripſit Græcas Hiſtorias lib. 11. quæ Thucydidis & Xenophontis narrationem ſequuntur. Suid.

## SICVLORVM.

PHILISTVS ſcripſit res Siculas libris undecim. De Dionyſio tyranno libros ſex. Suidas.

CRITO Pieriota ſcripſit res Siculas.

## ITALORVM QVORVMVIS.

TIMÆVS Andromachi filius, Tauromenites, quem Atheniẽſes Epitimæũ ab increpando uocarunt (dictus etiam Graoſyllectria, quòd quælibet in literas referret) ſcripſit Italica & Sicula, libris octo: Græca & Sicula. Suidas.

M. ANTONIVS Coccius Sabellicus ſcripſit hiſtoriæ Venetæ libros 33. Claruit anno 1490.

PETRVS Bembus, Cardinalis, Venetam hiſtoriã libris 12. ſcripſit, ſumma fide & elegãtia. Similiter BLONDVS, BERN. Iuſtinianus, Pancratius Iuſtinianus, M. ANT. Sabellicus, CASPAR Contarenus card. ANDREAS Mocenicus.

LEON. Aretinus, de rebus Florentinis: AMBR. Nolanus, de Nola. BERN. Corius, & ARLVNVS, de Mediolano: GAVDENTIVS Merula, de Inſubribus: BERN. Scardeonius, de Patauinis: M. ANT. Michael, de Bergamo: IO. Baptiſta Bonacoſſa, de Eſtenſibus: PLATINA, de reb. Mantuanis.

NICOLAVS Macchiauellus Florentinorum hiſtoriam ſcripſit ab anno Chriſti MCCXV. uſq; ad MCCCCXCIII.

FR. GVICCIARDINVS ſcripſit de rebus in Italia geſtis ab anno Chriſti CCCCXCIIII. uſq; ad annũ MDXXXVI.

IO. PONTANVS de bello Neapolitano. Claruit anno 1490.

PANDVLPHVS Collenutius ſcripſit de regno Neapolis ab Auguſto uſq; ad Carolum V. Imp.

GALEACIVS Capella de bellis in Italia geſtis inter Carolum V. & Franciſcum regem Gallorum. GVLIELMVS Paradinus conſequentium annorum hiſtoriam uſque ad annum Chriſti MDLV.

## ROMANORVM.

Apud Romanos olim hiſtoria non niſi ab honeſtiſſimis & ingenuis ſcribebatur. Primus L. OCTACILIVS Pilitus, libertinus Pompeij Strabonis res geſtas ſcripſit, in gratiam Pompeij Magni diſcipuli. Suetonius de Rhet. & Corn. Nepos.

Q. FABIVS Pictor, Iuris & antiquitatis peritiſſimus, Annales ſcripſit. Cic. in Oratore. Annis ante Chriſtum 280.

POLYBIVS Lyci F. Arcas, Megalopolitanus, Scipionis Aemiliani unà cum Panætio philoſopho præceptor, & ultimo bello Punico comes, cum parte claſſis ab eodem duce accepta, ad Atlantem uſque penetrauit, annis circiter 280. ante Chriſtum. Scripſit hiſtoriam Romanam lib. 40. auſpicatus ab exilio Cleomenis Spartani, & Philippi Perſei filij: ac ſucceſſioni Macedonum, res geſtas Romanorum ordine attexuit. Cuius hiſtoriæ ſuccedit POSIDONIVS Olbiopolites ſophiſta. Scripſit & STRABO Amaſienſis, ea quæ poſt Polybium geſta ſunt. Suidas & Sab. En. 5.

VELLEIVS Paterculus proconſul libros duos ſcripſit, in uniuerſam hiſtoriam populi Romani. Claruit an. 210. Bodinus.

T. LIVIVS Patauinus ſcripſit libros 144. ab V. C. uſque ad Auguſtum, de quibus reſtant 45. Claruit ante Chriſtum 35. annis. Natus eſt anno ab Vrbe condita 1194. quo & M. Meſſala orator. Exceſſit Paduæ, anno tertio imperij Tiberij: ætatis autem LXX. Hunc Caius princeps tanquã uerboſum inſectatur: Pollio tanquam Patauinitatem redolentem. Quintilianus eum Herodoto comparat, in cõcionibus præſertim: ſuadetq; pueris ediſcendum, ut Ciceronis imitatorem. Cælius lib. 25. cap. 3. A. L. Viues lib. 3. de Ratione dicendi.

C. IVL. Cæſar de Bellis ciuilibus lib. 3. ſcripſit.

Criſpus (Romana primus in hiſtoria Martiali) SALLVSTIVS bellum Catilinarium & Iugurthinum, & Romanas hiſtorias, inſtar Liuij.

ASINIVS Pollio Romanus, libros 17. hiſtoriæ Romanæ compoſuit, primuſq; Græcorum geſtas Latinè tradidit. Suidas.

DIONYSIVS Halicarnaſſeus, ſub Auguſto Romanam hiſtoriam libris 11. Pompeio Magno ac Tuberoni, Varroni item tanta beneuolentia coniunctus, ut ab eius colloquiis præclara omnia hauſiſſe uideatur. Bodinus Methodi hiſt. c. 4.

DION Caſſius ſcripſit Romanam hiſtoriam libris 80. Præterea geſta Traiani principis, & uitam Arriani philoſophi.

XIPHILINVS Patriarcha ſcripſit epitomen in Dionem. Claruit anno Chriſti 1070.

L. FLORVS ad Traiani tempora peruenit. Scripſit hiſtoriam Romanam breuem & elegantem. Præterea epitomen omnium librorum Liuij ab eo factam, conſtans eſt opinio. Fuit familiaris admodũ Quintiliano. lib. 10. ca. 3. Inſtitutionum.

SEXTVS Rufus V. Coſs. ſcripſit epitomen de geſtis Romanorum ab V. C. uſq; ad Valentinianum Imp. Claruit an. 450.

CORNELIVS Tacitus annales ſcripſit ab Auguſto, in quo deſierat Liuius, uſque ad Neruam, libris 21. de quibus reſtant libri 16.

APPIANVS Romanam ſcripſit hiſtoriam, quæ Imperatoria dicitur, de bellis ciuilibus. Claruit anno Sal. 215. Suidas.

AMIANVS Marcellinus, miles Conſtantinopolitanus, Vrſicini magiſtri equitum comes perpetuus: omnibus ferè bellis, quæ à Romanis in Europa & Aſia ſuis temporibus geſta ſunt, interfuit. Cepit à Nerua hiſtoriam, ad Valentem uſque libris 31. de quibus ſeruati ſunt XVIII, ab anno trigeſimo Conſtantij uſque ad exitum Valentis. Superiores tredecim ex aliorum ſcriptis facilè farciuntur. Tacitum unum ex omnibus imitandum ſibi propoſuiſſe uidetur. Sed Tacitus Romani ſermonis dignitatem, ut tempora ferebant, aſſecutus eſt: Amianus Latinis uerbis, Græcè ſcripſit. Io. Bodinus Methodi hiſtoricæ, cap. 4.

PROSPER Aquitanicus continuationem hiſtoriæ Romanæ ſcripſit ab anno 382. uſque ad 447. quo urbs à Genſerico rege capta eſt. Claruit anno 480.

EVTROPIVS presbyter, Afer, diſcipulus Auguſtini (ut tradit Ptolemæus Lucenſis, in Viris illuſtribus) ſcripſit epitomen Romanæ hiſtoriæ lib. 10. ab Vrbe cõdita uſq; ad Valentem & Iouianum. Gennadius Maſſilienſis, & Platina.

PAVLVS Diaconus res Romanas perſecutus eſt.

FL. BLONDVS Foroiulienſis, Eugenij Pp. ſecretarius, ſcripſit libris 30. ab inclinatione imperij ad ſua tempora, & libros X. de Roma triumphante, deque Italia illuſtrata. Anno 1440. Bodinus.

CASSIODORVS, cognomine Senator, Faſtos conſulares, & epiſtolas Theodorici Oſtrogothorum regis in quæſtura & magiſterio ſcripſit. Sigonius lib. 16. Imp. occid.

## CONSTANTINOPOLITANORVM.

PROCOPIVS Illuſtrius Cæſarienſis, Palæſtinus, orator & ſophiſta, ſcripſit hiſtoriam Romanam, rerum contra Perſas in Oriente, contra Gothos in Italia, contra Vandalos in Africa geſtarum, ductu Beliſarij ducis clariſſimi ſub Iuſtiniano Imperatore. Librarius Beliſarij dictus, & comes in omnibus bellis, & rebus à ſe deſcriptis interfuit. Scripſit & alium librum, qui Anecdota dicitur, quaſi non editus, de ſuis actis: in quo opere uituperationes & inſectationes Iuſtiniani, & Theodoræ coniugis eius, atque etiam Beliſarij & uxoris eius, continentur. Suidas.

NICEPHORVS Gregoras ſcripſit hiſtoriam centum & quadragintaquinque annorum, à Theodoro Laſcari uſque ad Andronicum Palęologum poſteriorem. Claruit Anno Chriſti 1280. Bodinus.

NICETÆ Acominati Choniatæ hiſtoria annorum 86. ab anno quo deſierat Zonaras, uſque ad exitum Murzufuli Imper. id eſt, uſque ad annum 1203. libris 19. comprehenſa. Claruit anno Chriſti 1460. Bodinus.

## HISPANORVM.

ASELLIVS Sempronius ſcripſit bellum Numantinum.

FRANCISCVS Tarapha Hiſpanus, breuem ſcripſit epitomẽ omnium hiſtoriarum regumq; Hiſpaniæ ab O. C. uſque ad Carolum V. Imp. Claruit anno 1530.

RODERICVS Palentinus ſcripſit de rebus Hiſpanorum Hiſpanicè.

ANTONIVS Nebriſſenſis ſcripſit de rebus à Ferdinando Catholico geſtis. Claruit anno 1494.

IO. BRACELLVS ſcripſit de bello Hiſpanico libros 5. Claruit anno 1496.

CAROLVS Verardus ſcripſit de expugnatione regni Granatæ, item Beticam hiſtoriam. Claruit anno 1468.

DAMIANVS Goëſius ſcripſit de rebus Luſitanorũ in India geſtis. Claruit anno 1510.

GAL-

### GALLORVM, FRANCORVM.

C.IVLIVS Cæſar ſcripſit de bello Gallico libros 7.

APPIANVS Celticum, ſiue de bello Gallico.

GVLIELMVS Paradinus de antiquo ſtatu Burgundiæ. Claruit anno 1555.

GREGORIVS Turonẽſis epiſcopus ſcripſit hiſtoriæ Frãcorũ lib. X. ab eorũ origine uſq; ad annũ Chriſti D C. Clar. an. 630.

ANNONIVS uel Aimoinus monachus ſcripſit lib. 5. de regibus Francorum, ab anno Chriſti 420. uſq; ad annum 826.

ROBERTVS ſcripſit de Gallorum geſtis aduerſus Saracenos libros 10. Claruit anno 1120.

FROSSARDVS ſcripſit hiſtoriã de bellis Francorum & Anglorum, ab anno Chriſti 1335. uſq; ad annũ 1400. ENGVERRANVS Monſtreletus conſequẽtium annorum hiſtoriam texuit uſq; ad Ludouicum duodecimum.

PHILIPPVS Cominæus ſcripſit hiſtoriam ab anno Chriſti 1462. uſq; ad initiationem Ludouici XII.

IO. TRITHEMIVS Germanus ſcripſit de geſtis Francorũ ab anno 433. ante Chriſtum, uſq; ad annum Chriſti 1500.

ROBERTVS Gaguin⁹ reges Francorũ uſq; ad Carolũ VIII.

NICOLAVS Gilius ſcripſit Annales Franc. Claruit an. 1500.

PAVLVS Aemilius Veronenſis, Liuianę facũdiæ æmulus, auſpiciis Frãciſci I. Valeſij res geſtas Francorũ decẽ libris perſecutus, morte præuẽtus abſoluere non potuit. Obiit aũt 3. Non. Iulij, anno Chriſti 1529. Epigr. de ſe uiuus tale ſcripſit:

Eſt mater Verona mihi. Facunda parenti
Lingua fuit. Fratres ſunt duo, & una ſoror.
Aemyliana domus: ſtudioſum pectus honeſti:
Eſt ſophiæ, eſt ſuperũm cognitionis amor.
Pallidus ob ſtudium: uiret ætas: otia nulla:
Natura eſt facilis: ſors grauis: hoſte uaco.
Incolui Romam: retinet me Gallia: cardo
Carlus habet: Gallis condimus hiſtorias.

IO. FERRONIVS Gallus ſequẽtes reges uſq; ad Frãciſcum.

IO. TILIVS Pariſienſis ſcripſit epitomen Hiſtoriarum ab Varamundo uſq; ad Henricum II. Claruit anno 1550.

HVBERTVS Leonardus ſcripſit librum de origine Francorum. Claruit anno 1490.

BOCHETVS ſcripſit Annales Aquitaniæ.

HERMANNVS Comes ſcripſit de rebus Francorum uſq; ad annum 1525. Claruit anno 1530.

BEISSELLVS ſcripſit de Flandrenſium geſtis.

IACOBVS Meierus ſcripſit Belgicã hiſtoriã. Claruit an. 1480.

### GERMANORVM.

CORNELIVS Tacitus libellum ſcripſit de morib. Germanorũ: quẽ Cõmentariis Altamerus illuſtrauit. Claruit an. 120.

BEATVS Rhenanus Seleſtadienſis ſcripſit rerum Germanicarum libros 3. Claruit anno 1500.

IACOBVS Vuimphelingus rerum Germanicarum epitomẽ. Claruit anno 1549.

FRANCISCVS Irenæus Helingiacenſis Germanicæ exegeſeos libros 12. Claruit anno 1519.

HVLDRICVS MVTIVS Hugualdus ſcripſit de Germanorũ prima origine, moribus, inſtitutis, legibus, & memorabilibus bello ac pace geſtis lib. 31. Claruit anno 1551.

IO. AVENTINVS Germanicarum rerum illuſtrationem edidit lib. 10. Claruit anno 1510.

GEORGIVS Nouiomagus de Batauis. LAMBERTVS Hortenſius de Vltraiectinis ſeceſſionibus. NICOLAVS Marcſcalcus de Herulis & Vandalis.

IO. STVMPFIVS Tigurinus Heluetiorum hiſtoriam Germanicè. Item ante illum FELIX HEMMERLIN.

VVOLFGANGVS Lazius Viennenſis Auſtriacam hiſtoriam libris 4. comprehenſam.

RICARDVS Bartolinus Peruſinus Auſtriados lib. 12. Claruit anno 1500.

ALBERTVS Cranzius Saxonũ hiſtoriam. Claruit anno 1520.

VITICHINDVS Saxo de reb. Saxonum lib. 3. Clar. an. 950.

SEBASTIANVS Boiſſelinerus de obſidione Magdeburgica. Claruit anno 1560.

### GOTHORVM, DANORVM, SCLAuorum, Suecorum.

PROCOPIVS ſcripſit de bellis Gothorum lib. 3. Clar. an. 530.

AGATHIAS Smyrnæus de bellis Gothorũ lib. 5. Clar. an. 550.

IORDANES archiepiſcopus Rauennas, natione Gothus, de Gothis ſcripſit, ſecutus Dionem Gręcum (qui opus ſuum de Getis inſcripſit) & Ablabium ſenatorem Romanum, gente itidem Gothũ, qui XII. libros de ea gente compoſuit. Cranzius lib. 1. Sueciæ, cap. 1.

Hiſtoriam belli Suetici STARCATHERVS, qui & eiuſdem prælij præcipuum columen fuit, primus Danico digeſſit eloquio, cuius epitomen Saxo Grammaticus lib. 7. deſcribit.

SAXO Grammaticus hiſtoriam Danorum libris 16.

HELMOLDVS presbyter, Sclauorum hiſtoriã à Carolo Magno uſque ad Fridericum Aenobarbum.

ALBERTVS Cranzius ſcripſit hiſtoriam Daniæ, Noruegiæ, Sueciæ, quæ Gothia & Scandia dicta eſt, ab eorum origine uſq; ad annum 1504. Claruit anno 1520.

IOANNES Magnus Gothus, epiſcopus Vpſalenſis, hiſtoriam Sueonum & Gothorum. Claruit anno 1530. Eius nepos OLAVS Septentrionales res memoratu dignas.

### HVNNORVM, HVNGARORVM.

IO. TVROTIVS Hungarus Chronicon Hungariæ tribus libris conſcripſit.

MELCHIOR Soiterus ſcripſit de bello Pannonico. Claruit anno 1530.

ANTONIVS Bonfinius Aſculanus ſcripſit rerum Hungaricarum libros 30. uſq; ad Mathiã Coruinũ. Claruit anno 1440.

### POLONORVM, BOEMORVM, MOſcouitarum, Sarmatarum, Tartarorum.

HAITON Armenus ſcripſit hiſtoriæ Tartarorum librum unum. Claruit anno 1290.

PAVLVS Venetus ſcripſit de Regionibus orientalibus & imperio Tartarorum libros 3. Claruit anno 1280.

IOANNES Dugloſſus, Leopolienſis epiſcopus, maximis legationibus ſub Caſimiro III. Polonorum rege functus, eiuſq; filiorum præceptor, hiſtoriam Polonicam ad annum uſq; 1480. Sal. perduxit. Cromerus lib. 29.

MARTINVS Cromerus ſcripſit de reb. Polonorũ libros 30.

PHILIPPVS Callimachus ſcripſit Polonicam hiſtoriam contra Turcas.

MATHIAS Michæus de Sarmatia Aſiana atq; Europea ſcripſit libros 2. in quibus Tartarorum ac Moſcouitarum hiſtoria breuiſſimè continetur.

IOANNES Scala, Pelſinæ Boëmiæ oppido nat⁹, legũ doctor, nobilitatis & equeſtris dignitatis titulis ornatus, Dubrauij cognomẽ aſſumſit. Legationibus uariis functus, cùm Vienna à Turcarum exercitu oppugnaretur, Staniſlai Thurzonis epiſcopi Olomucẽſis copiarũ ductor fuit: cui cùm in epiſcopatu ſucceſſiſſet, Sileſiæ motus ſub Ferdinando Cæſare cõpoſuit. Boëmorũ plurimos bello Smalcaldico in officio retinuit, rebellibus ueniã impetrauit. Scripſit Hiſtoriarũ Boëmiæ lib. 33. Apoplexia mortuus anno ſalutis 1553. 8. Id. Sept.

PAVLVS Iouius, Nouocomenſis, ſcripſit de legatione Moſcouitarum librum unum. Claruit anno 1540.

SIGISMVNDVS ab Herberſtein, liber Baro, Ferdinandi Imper. ad Moſcos non ſemel legatus, res Moſcouiæ diligenter & fideliter expoſuit.

ALEXANDER Guagninus, Veronenſis, Poloniam, Moſcouiam, Tartariam poſtremus omnium deſcripſit.

### LONGOBARDORVM.

Longobardorum res ſcripſerũt ISIDORVS Hiſpalenſis, SECVNDVS Tridentinus.

PAVLVS Diaconus, cãcellarius Deſiderij regis, ſcripſit de rebus Longobardorum lib. 6. Claruit anno 780.

### BRITANNORVM, ANGLORVM, Scotorum.

COLMANNVS Sapiens, ex Viſiſaxonum gente *oriundus*, hiſtoriographus percelebris & ueridicus, circa an. *Dñi* 1200. claruit. Scripſit Catalogũ rerũ Angliæ, Dialogum de bellis Danicis, Angliæ deſcriptionem. Balæus Cent. 3. cap. 43.

GEORGIVS Lilius Britãnus Chronicõ edidit ab Hẽgiſto, id eſt, ab anno Chriſti D C. uſq; ad an. 1560. Claruit an. 1560.

PONTICVS Vitruuius Taruiſinus ſcripſit hiſtoriæ Britannicæ libros 6.

POLYDORVS Virgilius ſcripſit hiſtoriæ Anglicæ libros 26. Claruit anno 1530.

BEDA Anglus ſcripſit libros 5. hiſtoriarum Angloſaxonum, uſq; ad ſuam ætatem. Claruit anno 732.

GALFRIDVS Arturus, Anglus, de rebus Britãnicis libros 8. Claruit anno 689.

NICOLAVS Triuetus, Anglus, annales Anglicos, à Comitibus Andegauenſium, id eſt, ab anno Chriſti 1135. uſque ad 1307. Claruit anno 1420.

VEREMVNDVS Hiſpanus Scotorum Hiſpanienſium, Hibernicorum atq; Albianorum antiquitates, literis tradidit. H. Boëthius lib. 10.

HECTOR Boëthius ſcripſit Scotorum hiſtoriam.

### SARACENORVM.

HERMANNVS Dalmata Chronicon Saracenorum edidit.

RVPERTVS monachus ſcripſit de bello aduerſus Saracenos lib. 8. Claruit anno 1087.

IO. GVLIELMVS, archiepiſcopus Tyrius, de bello Sacro ſcripſit libros 23. Claruit anno Chriſti 1150.

Cæl. AVGVSTINVS Curio, Secundi F. edita Saracenica hiſtoria, ſpecimen eruditionis ſuæ poſteritati relinquẽs, fatis conceſſit quarto ætatis ſeptenario.



### TVRCARVM.

ANDREAS Gambinus ſcripſit de originę Turcarum.

GVLIELMVS Poſtellus Barentonius ſcripſit de moribus, religione & Rep. Turcarum lib. 3. Gallicè. Claruit anno 1550.

LAONICVS Chalcocondylas ſcripſit hiſtoriam de reb. Turcarum. Claruit anno 1490.

CHRISTOPHORVS Richerius Torignæus ſcripſit de rebus Turcarum lib. 5. Claruit anno 1530.

MARINVS Barletius de reb. geſtis aduerſus Turcas, Scãderbechi regis Epirotarum, libris 13. tractauit. Claruit an. 1488.

### AFRORVM.

CHARON Lampſacenus, filius Pythoclis, tempore primi Darij floruit. Scripſit Aethiopica, Libyca, Nauigationem extra Herculis columnas. Suidas.

IOANNES Leo, Afer, genere Maurus, natione Hiſpanus, religione Mahumedicus, deinde Chriſtianus: poſteaquam totam penè Africam & Aſiam minorem, bonam quoq; Europæ partem diuturnis itineribus obiiſſet, captus eſt à piratis, & Leoni X. Pontifici Max. dono datus: apud quem ea quæ incredibili ſtudio ac diligentia de Africa, deq́ue Africæ populorum moribus, legibus, inſtitutis, totiuſque regionis ſitu ac deſcriptione Arabica lingua compoſuerat, in Italicam tranſtulit. Bodinus Methodi capite quarto.

FRANCISCVS Aluareſius edidit deſcriptionem Aethiopię, Hiſpanicè, Gallicè & Italicè. Claruit anno 1496.

### NOVI ORBIS.

ALOYSIVS Cadamuſtus ſcripſit Nauigationẽ ad terras nouas. Claruit anno 1504.

CHRISTOPHORVS, Columbus Genuẽſis, Nauigationem ad inſulas anteà ignotas.

ALBERTVS Veſpuci⁹ Nauigationũ epitomẽ Claruit an 1501.

AMERICVS Veſpucius cõſcripſit Nauigationes IV. Claruit anno 1497.

IOSEPHVS Indus deſcripſit Nauigationes. Claruit an 1500.

LVDOVICVS Rom. Patritius ſcripſit Nauigationum Aethiopiæ, Aegypti, utriuſq; Arabiæ, Perſidis, Syriæ, Indiæ, intra & extra Gangem, libros 7.

GONZALVS Fernãdus Ouiedus, ſcriptor rerum Indicarum noui orbis, eruditus adeò, ut hunc ſolum antiquis inter hiſtoricos noſtræ ætatis adnumerari dignum cenſeat Cardanus de Subtilitate, libro de Metallis.

## VITARVM SCRIPTORES.

*Vitarum ſcriptores Practicos hîc intelligimus, hoc eſt, eos qui quorumuis hominum res geſtas, dicta factaq́; memorabilia tradunt. At quia hominum uarij ſunt ordines, ſcriptores ipſi ex diuerſitate ſubiecti diuiduntur in eos qui uitas enarrant hominum illuſtrium, bonis maliſue Animi, Corporis, aut Fortunæ. Secundùm Animum quidem, ut Religioſa pietate clarorum, Philoſophorum, Ducum bellica laude illuſtrium, Mechanicorum. Secundùm corpus, ut Olympionicarum, Gigantum, Formoſorum. Secundùm Fortunas, Diuitum, Regum, Pontificum: item reſpectu patriæ, Græcorum, Latinorum. Quæ ſanè diſtinctio neceſſariò obſeruanda eſt, ſi modò Hiſtoricos ad certas claſſes reducere uolumus.*

### IN GENERE. ILLVSTRIVM

#### VIRORVM.

THESEVS hiſtoricus, Vitas illuſtrium uirorum lib. 5. ſcripſit, Corinthiacorum libros 3. quo in opere Iſthmicorum ludorum inſtitutionem narrat. Suidas.

ACVSILAVS, Cabæ F. Argiuus, è Cercade urbe prope Aulidem, hiſtoricus antiquiſſimus, deſcripſit Genealogias ex æneis tabulis, quas pater eius quendam ædium ſuarum locum fodiens reperit. Suidas.

EVEMERVS Meſſenius, antiquiſſimus hiſtoricus, Iouis cæterorumq́;, qui Dij uocabantur, geſta collegit: ac hiſtoriã fingit ex titulis & inſcriptionibus ſacris, quæ in templis antiquiſſimis habebantur: quam hiſtoriam Ennius poëta interpretatus eſt. Lactantius lib. 1. diuinarum Inſtit.

CHARON Carthaginenſis ſcripſit uitas Clarorum uirorum libris 4. Suidas.

TIMAGENES Mileſius ſcripſit de Heraclea Ponti, & uiris in ea, claris libros tres.

CORNEL. NEPOS, Ciceronis tempore, uir diſertus, Vitas illuſtrium uirorum ſcripſit, ex quibus tãtùm Pomponius Atticus extat. Volat. lib. 14. cap. 2. Anthrop.

PHILO Herennius, Biblius genere, grammaticus, ſcripſit de Ciuitatibus, & uiris claris, libros triginta.

DAMOPHILVS ſophiſta & hiſtoricus, quem aluit Iulianus conſul ſub M. Antonino principe, ſcripſit ad Lolium Maximum de uita priſcorum. Suidas.

GENNADIVS Maſſilienſis, ſcripſit de Viris illuſtribus Theodoſij tempore.

ISIDORVS præſul Hiſpalenſis, ſcripſit de Viris illuſtribus.

RAPHAEL Volaterranus ſcripſit de Claris uiris omnium gentium.

PAVLVS Iouius ſcripſit de Viris illuſtribus. item FRANCISCVS Petrarcha.

#### MVLIERVM.

CHARON Carthaginenſis ſcripſit libros 4. de Illuſtribus feminis. Suidas. Item PLVTARCHVS, PHIL. Bergomenſis, & IO. Boccacius.

### IN SPECIE. QVI VITAS ſcripſere

#### CHRISTI OPT. MAX. EVANGELISTÆ.

*Euangeliſtas inter Doctores Theologiæ quoque retulimus. Illic Fructus hiſtoriæ quam ſcribunt, hic Hiſtoria perpenditur.*

MATTHÆVS, qui & Leui, ex publicano Apoſtolus, primus in Iudæa propter eos, qui ex circumciſione crediderant, Euangelium Chriſti Hebraicis literis uerbiſque compoſuit. Sophronius.

MARCVS, diſcipulus & interpres Petri, ea quæ à Petro audierat, rogantibus Romæ fratribus breui Euangelio complexus eſt, idq́; approbante Petro. Mox Alexandriam nauigans, eccleſiã ibi inſtituit ſumma pietate & religione. Mortuus eſt octauo Neronis anno, & ſepultus Alexandriæ, ſuccedente ſibi Arriano Sophronius.

LVCAS, medicus Antiochenus, Gręci ſermonis non ignarus, ſectator Pauli apoſtoli, & omnis peregrinationis eius comes, ſcripſit Euangelium, prout ab Apoſtolis acceperat: & Romæ acta Apoſtolorum, quæ ipſe præſens ferè omnia uiderat. Vixit 84. annis, cœlebs. Sepultus eſt Conſtantinopoli, ad quam urbem, 20 Conſtantij anno oſſa eius cum reliquiis Andreæ apoſtoli trãſlata ſunt ex Achaia. Sophronius.

IOANNES apoſtolus, quem Ieſus amauit plurimum, filius Zebedæi, frater Iacobi apoſtoli, ab Herode poſt Domini paſſionem decollati, nouiſſimus omnium ſcripſit Euangelium, rogatus ab epiſcopis Aſiæ, aduerſus Cerinthum & Ebionem hæreticos. Quartodecimo anno poſt perſecutionem Neronis, Domitianus eum in inſulam Patmon relegauit, in qua ſcripſit Apocalypſin. Interfecto Domitiano, ſub Pertinace Epheſum rediit: ibique uſque ad Traianum uiuens, totius Aſiæ rexit eccleſias. confectus ſenio, 68. anno poſt paſſionem Domini, ſepulcrum uiuus ſubiit, nec poſtea ampliùs in terris uiſus.

#### ANIMI BONIS MALIS'VE ILLVſtrium. Putà

*Piorum, Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, Prophetarum.*

PHILO ſcripſit de uita Moſis.

EPIPHANIVS de uitis prophetarum, SOPHRONIVS de uitis Euangeliſtarum.

ORIGENES librum de martyrib. ſcripſit. Claruit anno 260.

EVSEBIVS Cæſarienſis uitam Pamphili martyris lib. 3. ſcripſit, à quo Pamphili cognomentum accepit. Platina.

GENNADIVS, presbyter Maſſilienſis, librum conſcripſit de uiris illuſtribus eccleſiaſticis. Claruit anno Chriſti 496.

FORTVNATVS, præſul Pictauiẽſis, ſanctorum geſta partim proſa, partim carmine conſcripſit. Martini uitam quatuor libris heroico uerſu proſequutus eſt. Hymnos quoq; omnium celebritatum diuerſo metro ſatis eleganter explicuit.

PAVLVS Diaconus uitas martyrum.

De uitis ſanctorum utriuſq; ſexus ſcripſere, ABDIAS Babylonius, ALOYSIVS Lipomanus, GEOR. Vicelius, IOACH. Perionius, GEORGIVS Caſſander.

*Impiorum, Hæreticorum, Magorum.*

De Hæreſibus, EPIPHANIVS, Auguſtinus, Theodoretus, Ioannes Damaſcenus, Philaſtrius Brixienſis, Bernardus Luceburgius.

*Doctorum, Philoſophorum.*

XENOPHON Athenienſis primus deſcripſit uitas philoſophorum, & peculiari comment. Memorabilium, dicta factaque præceptoris Socratis. Suidas.

DAMASTES Sigeenſis ſcripſit de parentibus & maioribus eorum qui ad Troiam militarunt. Suidas.

DIO.

DIOGENES Laertius ſcripſit de uita & morib. philoſophorum, libros decem. Itidem EVNAPIVS Sardianus, & PHILOSTRATVS Lemnius, qui pręter Icones, Apollonij Tyanei uitam IIX. libris abſoluit.

Vitas Iurecoſs. BERN. Rutilius, & IO. Fichardus.

*Bellica laude Illuſtrium.*

*Regum exempla pete ex ſeq. quando illic dignitatis ratio habetur.*

DAMASTES Sigeenſis ſcripſit de Poëtis & Sophiſtis, æqualis Herodoto. Suidas.

STESIMBROTVS Thaſius, ſcripſit res geſtas Cimonis, ducis Athenienſium.

Annibalis res geſtas multi memoriæ prodiderunt: ſed ex his duo qui cum eo in caſtris fuerunt, ſimulq; uixerunt, quamdiu fortuna paſſa eſt, PHILENIVS, & SOSILVS Lacedæmonius: quo Annibal literarum Græcarum uſus eſt doctore. Probus in Annibale.

CORN. EPITADIVS, Lucij Cornelij Syllæ dictatoris libertus, edidit librum, quem Sylla nouiſſimum de rebus ſuis imperfectum reliquit, ipſe ſuppleuit. Teſte Suetonio, & Volat. lib. 14. cap. 2. Anthrop.

THEOPHANES Lesbius ſcripſit res à Pompeio geſtas.

L. OCTACILIVS Pilitus, Rhetor Cn. Pompeium Magnum docuit, eiuſq; patris res geſtas ſcripſit: primus omnium libertinorum hiſtoriam ſcribere agreſſus, non niſi ab ingenuis ſcribi ſolitam. Suetonius de Claris oratoribus.

VALERANDVS Valeranus, de puella Ioanna Gallica.

*Meretricum.*

ARISTOPHANES, Apollodorus, Ammonius, Antiphanes, Gorgias Athenienſis, commentaria de Amicis, quæ erant Athenis, ediderunt. Athen. lib. 13. cap. 8.

HERMESIANAX Colophonius, Leontij meretricis nequitias & amores tribus libris carmine expoſuit.

CORPORIS BONIS CLARORVM. VT

*Olympionicarum.*

EVANORIDAS Eleus, Olympiacorum uictorum commentarium conſcripſit. Pauſanias lib. 6.

FORTVNÆ BONIS CELEbrium. Nempe

*Sacerdotum, Pontificum.*

CHARON Naucratita de ſacerdotibus Aegyptiorũ ſcripſit. Suidas.

Pontificum Romanorum hiſtoriam ſcripſerunt ANASTASIVS Bibliothecarius, Damaſus papa ſub Iuliano, Paulus Diaconus, Guido Rauennas, Sigebertus monachus, Hugo Florianus, Sichardus præſul Cremonenſis, Gotfredus Viterbienſis, Vincẽtius præſul, Martinus Carſulanus, Lãdulphus Canonicus Carnutenſis, Sozomenus, Geruaſius Ricobaldus, Ptolemæus Lucenſis, uſq; ad Cœleſtinũ V. Antoninus præſul Florentinus, Volaterranus, Otho Friſingenſis.

BAP. PLATINA, Cremonenſis, Apoſtolicus Abbreuiator, à Paulo papa II. ob falſum coniurationis crimen bonis omnibus & dignitate ſpoliatus, poſt equulei ſuſpenſionem, in carcerem crudeliſſimè detruſus, uix tandem liberatus, ad imitationem Luitprandi Ticinenſis diaconi, à Berengario rege Italiæ ſimilia paſſi, Pauli mores per antapodoſin non inſulsè notauit, in eo libro, quem ad Sixtum Pontificem IV. de Geſtis Romanorum Pontificum ſcripſit. Moritur Romæ ex peſte anno Dom. 1481. Io. Trithemius Abbas.

*Imperatorum, Regum, Principum.*

*Conſule Tit. Hiſtoricos particulares, quatenus populorum res geſtas enarrantes, Regum quoq;, qui populis præfuerunt, facta deſcribunt.*

MANETHO ſacerdos Aegyptius, fragmenta, quæ feruntur, reliquit de regibus omnium penè populorum. Claruit 330. annis ante Chriſtum.

CHARON Carthaginenſis, ſcripſit tyrannos quotquot in Aſia atque in Europa fuêre ab Alexandro Magno. Suidas.

CHARON Naucratita, reges qui fuêre ab initio in qualibet gente, deſcripſit. Suidas.

XENOPHON, Grylli F. Athenienſis, res Cyri Perſarum regis præclaro illo Pædiæ uolumine elegantiſſimè & planè philoſophicè libris octo abſoluit. Suidas.

THEMISTOGENES Syracuſanus, hiſtoriam Cyri regis Perſarum.

LEO Byzantius, auditor Platonis & ſophiſta inſignis, ſcripſit res Byzantij à Philippo geſtas. Teſtis Volaterranus libro decimoſexto Anthrop.

THEOPOMPVS Chius ſcripſit Philippi res geſtas libris LXXII. Suidas.

ONESICRITVS, philoſophus & hiſtoricus, Aegineta (Demetrio Magneſio Aſtypaleus) è Diogenis ſchola, ſimilitudinem quandam cum Xenophonte habere uidetur. Vt enim ille cum Cyro, ita hic cum Alexandro Macedone militauit: ille Cyri pædiam, hic Alexandri incunabula & originẽ ſcripſit: uterq; ſui principis laudes proſequitur. Stylus quoque utriuſq; ſimillimus. Diogenes.

CLITARCHVS, comes Alexandri, eius geſta conſcripſit. Cuius in hiſtoria ingenium probatur, fides infamatur: teſte Quintil. lib. 10. capite 1.

Res itidem ab Alexandro geſtas ſcripſere DION Pruſieus libris X. MENÆCHMVS Sicyonius, ANDRONICVS, CALINIVS Syrus, CALLISTHENES Olynthius, CRATERVS Alexandri expeditionum comes, teſte Plutarcho in Ariſtidis uita.

ARRIANVS ſcripſit hiſtoriam Alexandri Magni 8. libris. Claruit Romæ ſub M. Antonino & Adriano principibus, à quibus ob literas conſularem meruit dignitatem. Hic inter Gręcos hiſtoricos tantæ eſt in ſcribendo integritatis, ut φιλαλήθης, id eſt, ueritatis ſectator ſtudioſuſq; ſit uulgò cognominatus, atq; ita etiamnum honeſtetur in libris. Cælius lib. 1. cap. 22. Ant. Lect. Eruditioni eius atteſtantur commentarij in Epictetum: eloquentiæ uerò, quòd alter Xenophon eo ſeculo fuit appellatus. Io. Bodinus Methodi hiſt. cap. 4.

Q. CVRTIVS ſcripſit de rebus geſtis Alexandri Magni libros 10. de quibus reſtant octo. Claruit anno 1480.

NYMPHIS Heracleotes, ex Heraclea Ponti, Xenagoræ diſcipulus, ſcripſit hiſtoriam Alexãdri, & eius ſucceſſorum, libris uigintiquatuor. Suidas.

HIERONYMVS Rhodius hiſtoricus, familiaris Demetrij Poliorcetis, relictus ab eo præfectus in regione Bœotiæ, ſcripſit res à Demetrio geſtas. Plutarchus in Demetrio.

PHYLARCHVS Atheniẽſis, ſiue Naucratita (alij Sicyonium faciunt) ſcripſit expeditionem Pyrrhi in Peloponneſum, libris uigintiocto. Suidas.

ANTIPATER, Iolai filius, & Philippi Macedonis miles, ſcripſit hiſtoriam Perdiccæ, & res Illyricas.

C. IVLIVS Cęſar Commentarios rerum à ſe in Gallia geſtarũ ſcripſit. Rebus geſtis alios, ſcriptis etiã ſeipſum uicit. C. OPPIVS, amiciſſimus Iulij Cæſaris, eius Commentarios continuauit, bellum Hiſpanienſe deſcribendo. Volater. lib. 17.

NICOLAVS Damaſcenus uitam Auguſti ſcripſit, cui amiciſſimus fuit, adeò ut dactylos maiores & ſuauiſſimos Nicolaos appellaret. Suidas.

C. SVETONIVS Tranquillus deſcripſit uitas XII Cęſarum, à Cæſare uſq; ad Neruam. Claruit anno 120.

DION Caſſius ſcripſit hiſtoriam principum Romanorum ab Auguſto uſque ad Alexandrum Seuerum, cuius Epitomen complexus eſt Xiphilinus. Claruit anno 240.

DION Nicæus deſcripſit uitas Imperatorum à Nerua uſq; ad M. Aurelium. Claruit anno 140.

AELIVS Spartianus ſcripſit de uita Adriani, Antonini Pij, & M. Aurelij. Claruit anno 240.

M. AVRELIVS Antoninus ſuam ipſius uitam conſcripſit libris XII. Claruit anno 170.

IVLIVS Capitolinus ſcripſit libros tres de uita Antonini utriuſq;, Veri, ac Pertinacis. Claruit anno 300. Diocletiano opus dedicauit.

HERODIANVS Alexandrinus ſcripſit libros VIII. à morte M. Aurelij uſq; ad Gordianum iuniorem. Claruit anno 200.

SEXTVS Aurelius Victor ſcripſit de uitis Imperatorũ ab Auguſto ad Theodoſium magnum. Claruit anno 420.

VVLCARIVS Gallicanus ſcripſit uitas Imperatorum ad Diocletianum.

IVLIVS CORDVS uitas Imperatorum ſcripſit. Cui uitio datum eſt, quòd eorum, qui obſcuriores eſſent, minima etiam proſequeretur. Capitolinus.

EPHREN Græcus uitas principum Conſtãtinopolitanorum Iambico carmine deſcripſit: quod opus in bibliotheca Vaticana cernitur. Volat. lib. 15. Anthrop.

GARGILIVS Martialis uitas Imperatorum ſcripſit, tempore Alexandri principis: cuius ipſe uitam diligẽtius perſecutus eſt, teſte Lampridio. Suidas.

MARIVS Maximus hiſtoricus, ſcripſit principum Romanorũ uitas. Accuſatur à Lampridio, quòd nonnullorum principũ fama haud dignorum geſta nimis curioſè perſequatur. Volaterranus libro decimoſeptimo.

EVSEBIVS ſcripſit de geſtis Diocletiani, Maxentij, Conſtantini. Claruit anno 312.

EVTROPIVS Epitomen ſcripſit Cæſarum uſq; ad Iouinianum. Claruit anno 340.

AMMIANVS Marcellinus ſcripſit de geſtis Conſtantij, Iuliani, Iouiniani, Valentiniani, & Valentis.

TREBELLIVS Pollio ſcripſit de imperio Valeriani, Galieni, Claudij, ac XXX. tyrannorum. Claruit anno 320.

FL. VOPISCVS ſcripſit de uita Aureliani, Taciti, Floriani, Probi, Firmi, Saturnini, Proculi, Cari, Carini, Numeriani. Claruit anno 320. POMPONIVS Lætus ſcripſit de uita cõſequentium Imperatorum à Gordiano uſque ad Heraclium. Claruit anno 1490.





AELIVS Lampridius ſcripſit de uita Didij Iuliani, Commodi, Heliogabali & Seueri.

VOLCATIVS Terentianus ſcripſit hiſtoriam Gordianorũ.

ONESIMVS Cyprius, ſeu Spartiata, tẽpore Conſtantini Magni, ſcripſit Probi principis uitam. Vopiſcus.

DEMARCHVS Cæſarienſis ſcripſit res geſtas Conſtantini principis, libris X.

MALCHVS Byzantius ſophiſta, ſcripſit hiſtoriam à Conſtantino uſq; ad Anaſtaſium. Suidas.

CALLISTVS ſcripſit heroico uerſu hiſtoriã Iuliani principis.

ANNA Alexij Comneni F. Alexiados lib. 20. rerum ab Alexio patre Imp. geſtarum ſcripſit, quibus Zonaræ narrationem perſequitur. Claruit anno Chriſti MCXXX.

IOANNES Scylax, Conſtantinopolitanus, ſcripſit de Imperatoribus Conſtantinopolitanis. Volat. lib. 16. Anthrop.

BAPTISTA Egnatius ſcripſit de Cæſaribus uſq; ad Carolũ V. Claruit anno MDXL.

TVRPINVS epiſcopus Remenſis ſcripſit de rebus geſtis Caroli Magni lib. 2. Trithemius. De eodẽ ANSEGISVS, HERMOLDVS, Rudolfus Fuldenſis, Milo Augienſis, Georgius Turonenſis.

De Henrico ſexto VVIPO presbyter.

HENRICVS Smedenſtadius de Othone I. IO. Olhafen de Sigiſmundo Imp. Friderico Barbaroſſa, & Henrico III.

TAGENO hiſtoricus expeditionem Friderici Imperatoris in Aſiam, Theobaldi Bathauienſis epiſcopi iuſſu deſcripſit. Auentinus lib. 7.

OTHO Friſingenſis ſcripſit de geſtis Friderici Aenobarbi.

Scripſit MAXIMILIANVS Cæſar patria lingua eadem manu, qua enſem tractauit, res proprias, Iulium Cæſarem imitatus. Operi titulum fecit, Albus rex: quo omnia eius bella graphicè deſcribuntur. Sed opus reliquit imperfectum. Cuſpinianus.

PRISCVS Panites, magiſter epiſtolarum Theodoſij iunioris, ſcripſit uitam Atilæ, libris 8. Sic etiam NIC. Olahus.

PETRVS Perondinus, de Tamberlane rege Tartarorum.

PETRVS Marcellus & SYLVESTER Gyrellus de Ducibus Venetorum. CORIOLANVS Cepio de Petro Mocenico Veneto.

AEMVNDVS de ducibus Burgundiæ, Flandriæ, Brabantiæ, Holandiæ, à Bello Troiano uſq; ad Carolum V. Imp. Claruit anno MDXX.

PAVLVS Vergerius de geſtis principum Mantuanorum. Claruit anno MDXL.

CAROLVS Stephanus ſcripſit epitomen ducum Mediolanenſium.

MICHAEL Ritius ſcripſit de regibus Francorum, Hiſpanorum, Neapolis, Siciliæ, Hungariæ, Hieroſolymæ. Claruit anno MDV.

ANTONIVS Nebriſſenſis de geſtis Ferdinandi & Eliſabellæ regum. CAROLVS Ferardus, de iiſdem.

De Alfonſo rege BARTH. Facius, ANT. Panormitanus, AENEAS Syluius, BAPT. Mantuanus.

LAVRENTIVS Valla de Ferdinando Aragonio.

*Gentilium, hoc eſt Familiarum, ſiue eorum qui ſunt gentis eiuſdem, ut Græcorum, Romanorum, Italorum, Germanorum.*

PLINIVS Iunior, uel, ut alij putant, Cornelius Nepos, ſcripſit de uiris illuſtribus Romanis 77.

PLVTARCHVS Chæroneus, Traiani, optimi principis moderator, & in aula principum diutiſſimè uerſatus, ad extremum etiam Iſtriæ præfectus, uitas illuſtrium Græcorum & Latinorum ſcripſit. Quibus populorum maximè illuſtrium hiſtoriam complectitur, tametſi non perpetuam, ſed abruptam & ad principum ſimilitudines accommodatam. Eſt in eo quod miremur, liberum de re quaque iudicium, ut principum cenſor eſſe uideatur. Ioannes Bodinus Methodi hiſtoricæ, capite quarto.

IO. BRACELLVS ſcripſit de claris Genuenſibus.

REINERVS Reineccius noſtra ætate familias Regias, hiſtoriis ueterum hinc inde celebratas, incredibili labore, fide & dexteritate, iuſto opere Tabularum Genealogicarum collegit & explicauit.

## EXEMPLORVM RHAPSODI.

EPHORVS Cumanus ſcripſit de Inuentoribus rerum lib. 2. Suidas.

PISANDER Larandæus ſub Alexandro Mammeæ ſcripſit Variam hiſtoriam libris 60.

CLEARCHVS Solenſis ſcripſit de Varia hiſtoria.

VAL. Maximus ſcripſit dicta & facta memorabilia, ad Tiberium Cæſarem.

POLYÆNVS Macedo, & IVLIVS Frontinus, de Stratagematis.

AELIANVS Præneſtinus Sophiſta, cùm in Orationibus ſe minùs excellere poſſe uideret, ad Συναγωγὰς ſeſe contulit, hoc eſt, ad uarias lectiones ex optimis auctoribus concinnandas. Philoſtratus.

LVPOLDVS epiſcopus Bambergenſis ſcripſit de ueterum principum Germanorum erga religionem zelo. Claruit anno MCCCXL.

Ex recentioribus L. Domitius Bruſonius, IO. BAPT. Campofulgoſus, M. ANT. Sabellicus, IO. Bapt. Egnatius, M. Marulus Spalatenſis, FRANC. Petrarcha, locos communes Exemplorum ſcripſere.

## HISTORIAE VSVS.

QVI EX HISTORIA FRVCTVM PERCEPERE.

*Reges.*

ALEXANDRO tot uictoriarum cauſa fuit uirtus Achillis ab Homero (ſine quo ne ſomnum quidem capiebat) ad Imperatoris optimi exemplar efficta.

Claudianus HONORIVM Imp. ad Hiſtoriarum lectionem, principe uiro maximè dignam, his uerbis accendit:

Intereà Muſis animus dum mollior inſtet,
Et quæ mox imitere legas: nec deſinat unquam
Tecum Graia loqui, tecum Romana uetuſtas.
Antiquos euolue duces, aſſueſce futuræ
Militiæ, Latium retro te confer in æuum.
Libertas quæſita placet? mirabere Brutum.
Perfidiam damnas? Metij ſatiabere pœnis.
Triſte rigor nimius? Torquati deſpue mores.
Mors impenſa bonum? Decios uenerare ruentes.
Vel ſolus quid fortis agat, te ponte ſoluto
Oppoſitus Cocles, Mutij te flamma docebit:
Quid mora perfringat, Fabius: quid rebus in arctis
Dux gerat, oſtendet Gallorum ſtrage Camillus.
Diſcitur hinc nullos meritis obſiſtere caſus.
Prorogat æternam feritas tibi Punica famam
Regule: ſucceſſus ſuperant aduerſa Catonis.
Diſcitur hinc quantum paupertas ſobria poſſit.
Pauper erat Curius, reges cùm uinceret armis:
Pauper Fabricius, Pyrrhi cùm ſperneret aurum:
Sordida Serranus flexit dictator aratra.

SELIMVS Turcarum princeps, cuius maiores ab hiſtoria uelut à fabulis ſemper abhorruerant, primus geſta C. Iul. Cæſaris in linguam uernaculam transferri curauit, ac eius imitatione, breui magnam Aſię minoris & Africę partem cum imperio maiorum coniunxit.

CAROLVM V. ad tantam gloriam extulit Ludouici XI. Regis Gallorum ab hiſtoria Comminei æmulatio. Bodinus in prooemio Methodi hiſtoricæ.

*Duces.*

P. SCIPIO Africanus cùm Cyropædiam Xenophontis animo penitùs haberet comprehenſam, ex eaque omnes omnium uirtutum ac laudum cumulos collegiſſet, tantus uir euaſit, ut non modò bellum ingens in Hiſpania (ſic enim Liuius ſcribit) non alia de cauſa exarſerit, quàm ex admiratione Scipionis, aliorum Imperatorum orto contemtu: uerum etiam latronibus ipſis ſanctus & inuiolatus extiterit. Cùm enim piratæ Linterni ad eius uillam adiiſſent, eoſque ab aditu quaſi Scipioni uim illaturos ſerui ſtrenuè propulſarent: illi ſupplices à ſeruis petierunt, ut ſibi diuinum illum hominem contueri ac uenerari liceret. Quod ille re intellecta permiſit, ut latronum barbariem (tametſi ne barbari eſſent, iam ſua uirtute perfecerat) ad humanitatem reuocaret. Hunc igitur ueræ gloriæ fructum attulit hiſtoria Cyri maioris, non tam uera, quàm ad iuſtiſſimi & fortiſſimi regis ideam expreſſa. Idem.

L. LVCVLLVM Cicero ſcribit profectum Roma, rei militaris penè rudem, quum totum iter & nauigationem conſumſiſſet partim in percontando à peritis, partim in rebus geſtis legendis, in Aſiam ueniſſe, factum Imperatorem tantum, ut Mithridates rex poſt Alexandrum maximus, hunc à ſe maiorem ducem cognitum, quàm quenquam eorum quos legiſſet aut uidiſſet, confiteretur. Ludouicus Viues de Trad. diſciplinis lib. 5.

C. IVL. Cæſarem ad militarem uirtutem impulit ęmulatio Alexandri: cuius uictorias cùm legeret, lacrymas uberiùs effudit, quòd ea ætate, qua ille terrarum orbem domuerat, nihil dum geſſiſſet.

*Mulieres.*

ZENOBIAM Palmyrenorum reginam, ſupra muliebrẽ prudentiam hiſtoriæ cognitio extulit.

QVEM FRVCTVM. NEMpe quo ad

ANIMVM.

*Virtutis in genere.*

Hiſtoria à VETERIBVS non ob id ſolùm excogitata fuit, ut res geſtæ literarum monumentis conſecratę, ab obliuionis iniuria uindicarentur: ſed multo magis, ut exemplis hiſce mortales inſtructi, uirtutes imitari, uitia declinare diſcerẽt. Itaq; Homerus Odyſ. θ. ſub perſona Alcinoi, de expugnatione Ilij, quam Demodocus muſicus decantarat, ſic loquitur:

Τὸν δὲ θεοὶ μὲν τεῦξαν, ἐπεκλώσαντο δ᾽ ὄλεθρον
ἀνθρώποις, ἵνα ᾖσι καὶ ἐσσομένοισιν ἀοιδή.

Tanta eſt Dei immortalis erga mortale genus benignitas, ut cùm multa alia uitæ noſtræ rectè & liberaliter inſtituendæ adiumenta nobis conceſſerit, quotidianis etiam humanorum caſuum & actionum exemplis nos erudire & monere uoluerit.

Narrat Plutarchus, L. PAVLVM Aemiliũ, qui deuicit Perſen regẽ Macedonum, in ornãda uita ſua & omni uirtute expolienda diligentiſſ. ſolitum tanquam in ſpeculum inſpicere in hiſtoriam, atq; ita ſtudioſè ſemper conatum eſſe imitari uirtutes & præclara facta eorum, qui illic laudati forent. Victorius lib. 38. Var. lect. cap. 5.

*Fortitudinis.*

Bello piratico contra Rugianos à Danis ſuſcepto, LVCAS Chriſtophori Valdemari Danorum regis F. ſcriba, natione Britannus, literis quidem tenuiter inſtructus, ſed hiſtoriarũ ſcientia apprime eruditus: cùm fractos Danorum animos uideret, ob aduerſam pugnam, memoratis ueterum uirtutibus, eos ad exigendam ultionem concitauit. Saxo libro decimoquarto.

*Tranquillitatis animi.*

SER. Sulpitius Ciceronem de obitu Tulliæ filiæ conſolans, inter cætera ſic ſcribit libro 4. Epiſt. 5. Quæ res mihi non mediocrem conſolationem attulit, uolo tibi commemorare, ſi fortè eadem res tibi dolorẽ minuere poſſet. Ex Aſia rediẽs, cùm ab Aegina Megaram uerſus nauigarẽ, cœpi regiones circumcirca proſpicere: poſt me erat Aegina, ante Megara, dextra Piræeus, ſiniſtra Corinthus, quæ oppida quondã tempore florentiſſima fuerunt, nunc proſtrata & diruta ante oculos iacent. Cœpi egomet mecum ſic cogitare: Hem nos homunculi indignamur, ſi quis noſtrûm interiit aut occiſus eſt, quorum uita breuior eſſe debet, cũ uno loco tot oppidorũ cadauera proiecta iacẽt. uiſne tu te Serui cohibere, & meminiſſe hominem te eſſe natum? Crede mihi, cogitatione ea nõ mediocriter ſum confirmatus. Hoc idem ſi tibi uidetur, fac ante oculos tibi proponas: modò uno tempore tot uiri clariſſimi interierunt, de imperio præterea tanta facta eſt diminutio, omnes prouinciæ conquaſſatæ ſunt: in unius mulierculę anima ſi iactura facta eſt, tantopere commoueris? quæ ſi hoc tempore non diem ſuum obiiſſet, paucis pòſt annis tamẽ ei moriendũ fuit, quoniam homo erat.

CORPVS. NEMPE

*Valetudinis.*

Hiſtoriarum uoluptas eſt eiuſmodi, ut omnib. interdum corporis & animi morbis ſola medeatur. Teſtes ſunt, ut alios omittam, ALPHONSVS ac FERDINANDVS Hiſpaniæ & Siciliæ reges: quorum alter à T. Liuio, alter à Q. Curtio ualetudinem amiſſam, quam à medicis non poterant, lectionis ſuauitate recuperarunt. Teſtis eſt etiam LAVRENTIVS Medices (is qui literarum parens uſurpatur) qui ſine ullis medicamentis (quanquam hiſtoria ſalutare eſt medicamentũ) à morbo conualuiſſe dicitur, ex eius hiſtoriæ narratione, quæ fertur de Conrado III. Imper. qui cùm Guelfum Bauariæ ducem obſidione diuturna fregiſſet, nec ullis conditionibus à propoſita ſuſceptaq; urbis euerſione deduceretur: ad extremum uictus nobilium feminarum precibus, permiſit ut inuiolatæ abirent, ea lege, ut nihil ex urbe, niſi quod humeris poſſent, exportarent. Tum illæ, confidentia maiore dicam an pietate, ducem ipſum, maritos, liberos, parentes ab humeris ſuſpenſos geſtare cœperunt. Ex quo Imperator tantam uoluptatẽ cepit, ut effuſis præ gaudio lacrymis, non modò feritatem & iracundiam ex animo penitùs depoſuerit, uerumetiam urbi pepercerit, & amicitiam cum hoſte omnium acerrimo contraxerit. Bodinus in procœmio.

# HISTORICA EXERCITATIO. TVM QVO AD

NARRATIONEM.

*In Hiſtoria rerum inprimis, deinde etiam uerborum habenda eſt cura. Rerum quidem, ut res geſtæ ita deſcribantur, ut geſtæ ſunt: omnium circumſtantiarum diligenti & exquiſita ratione habita. Veritas igitur in Hiſtorico potiſſimùm requiritur: alioqui non hiſtoriam, ſed fabuloſam narrationem ſcribet. Verborum uerò cura ſecundo loco eſſe debet, ſiue proſa, ſiue carmine ſcriptio inſtituatur. Malos proinde hiſtoricos eos appellamus, qui in rebus geſtis deſcribendis uel negligentes & mendaces (ſiue id fiat ignorantia, ſiue maleuolentia) uel inepti & obſcuri fuerunt: quorum illud materiæ uitium eſt, hoc formæ.*

VERI HISTORICI.

IOSEPHVS, Philonis Iudæi æqualis, laude quidem philoſophiæ ſecretioris inferior, antiquitatis tamẽ cognitione longè ſuperior fuit. Miratur Hieronymus tantum Græcæ antiquitatis in homine Iudæo fuiſſe. Id autem ex libris eius cõtra Appionem Grammaticũ intelligi poteſt, in quibus ſcripta Moſis (tametſi ad fidem faciendam ſe ipſa contenta eſt) Græcorum, Perſarum, Aegyptiorum & Chaldæorum teſtimoniis ita confirmauit, ut nihil ad origines intelligendas utilius ſcriptum eſſe uideatur. Quæ uerò de hominum ætatibus à Moſe prodita ſunt, ne cuiquam incredibilia uiderẽtur, duodecim hiſtoricorum auctoritate confirmauit. Populum uerò Hebræorum antiquitate, fide, religione, doctrina, integritate populis omnibus ſuperiorem facit: non tantùm ut gloriam ſuorum ciuium intermortuam, ſed etiam ut rei ueritatem ab obliuione uindicaret. Nam ex eius ſcriptis Herodoti, Diodori, ac Iuſtini fabulæ refutari facilè poſſunt. In eo certè fuerunt hiſtorici uirtutes præclaræ, ſumma eruditio, eximia integritas, & maximus rerum agendarum uſus. Quanta uerò integritate ac fide ſcripſerit, ex eo planũ eſt, quòd qui religione Iudæus eſſet, de Chriſto graue inprimis ac laudabilẽ teſtimonium tulit. Ioãnes Bodinus in Methodo hiſtorica.

SIMPLICIVS philoſophus, interpres Ariſtotelis, tametſi Hebræorum & Chriſtianorum ſe acerrimum hoſtem præbet, præſertim ubi Proclum aduerſus Chriſtianos tuetur: nihilominùs in Commentariis libri primi de Cœlo teſtatum reliquit, Ariſtotelem literas ad Calliſthenem dediſſe, ut tantiſper Chaldæorum antiquitates ac monimenta cõquireret, dum alij prædæ intenti Babylonem diriperent. Tum Calliſthenem reſcripſiſſe, conquiſita diligenter à ſe Chaldæorũ monimenta, ſeq; reperiſſe hiſtoriam annorum 194. qui numerus ad unguem cõgruit cum ſacra hiſtoria Moſis & Philonis, ſi ab Alexandro Magno regrediamur ad illud tẽpus, quo primùm diſperſos tradit Nohæ filios in orbem terrarum, ac Semi gentem in terra Sennaar, ad orientem Armeniæ, in qua nauis illa ſalutaris conſtiterat, ſedes quæſiiſſe. Ibidem. c 8.

Quòd Athenienſes querebantur, THVCYDIDEM multa in gratiam Lacedæmoniorum ſcripſiſſe, magnum ueri ſcriptoris teſtimonium tulerunt. Cùm enim Athenienſis fuerit, nõ Lacedæmonius, & legationes in bello Peloponneſiaco ac præturas obierit, magniſq; opibus & regia ſtirpe clarus extiterit, tum etiã res ipſas uelut è ſpecula uiderit, & magnis ſumtibus ingenioſos exploratores ad inquirendam rei ueritatem aluerit, poſtremò ſpirantibus iis, qui rebus interfuerant, ſua ſcripta in libera ciuitate iudicanda propoſuerit, quis eius hiſtoriæ fidem eleuaret? Neq; uerò Lacedæmoniis ita fauit, ut ſuorum ciuium penitùs obliuiſceretur: à quibus tametſi erat in exilium relegatus, cùm hiſtoriam ſcriberet: ſui tamen exilij auctorem atq; aduerſarium omnium maximũ Periclem, nõ modò à calumniis uindicauit, ſed etiam mortuum tantis laudibus cumulauit, ut eius interitu Rempub. interituram ueriſſimè auguraretur. Idem.

MENDACES HISTORICI, OB MALIgnitatem, uel ignorantiam.

*Malignæ narrationis ueſtigia & notæ ſunt ferè quatuor. Primum, qui uocabula & uerba, quando ſuppetunt leniora, uſurpat in exponendis rebus geſtis atrociſſima quæq;: ceu ſi cùm ſuperſtitioni plus ſatis mancipatum dicere liceat Niciam, quis fanaticum appellet: uel audaciam & furorem Cleonis citius quàm in dicendo leuitatem reprehendat. Deinde, ſi quis uitium, quod tamẽ eſt ab hiſtoria alienum, uellicet, & rebus inculcet, cùm res non poſtulet. Quare Thucydides nec Cleonis offenſas, quamuis multæ eſſent, traduxit in ſcriptis ſuis: atque Hyperbolum concionatorem contentus fuit uerbo uno attigiſſe, & improbum hominem appellaſſe. Philiſtus etiam Dionyſij admiſſas in barbaros iniurias, quæ rebus Græcorum non cohærebant, omnes prætermiſit. Quippe digreſſiones & excurſiones fabulis potiſſimum conceduntur & originibus. Tertium, qui laudibus contexit probra & labes: aut qui egregiè & rectè factum aliquod omittit malignè. Quartum, quando duæ ſunt uel plures eadem de re famæ, aſtipulari duriori. At complures deteriora etiam ſemel prætereunt: ceu de Themiſtocle Ephorus poſtquam expoſuit, non inſcium fuiſſe Pauſaniæ proditionis, eorumq; quæ hic cum regis ducibus tractabat: Cæterùm non potuit, inquit, adduci, neque accepit eas, quas ſecum participabat, & ad quas incitabat ipſum, ſpes. Thucydides hanc rem, quòd eam nõ reciperet, prorſus prætermiſit. Sic Comici, bello à Pericle ſubditas faces fuiſſe Aſpaſiæ uel Phidiæ gratia, perhibent, non ambitione potiùs atque æmulatione ad ſpiritus infringendos Lacedæmoniorum, & quòd nulla in re concedere uellet Lacedæmoniis. Sic Alexandri tyranni patratam à Thebe cædem non magnanimitati neque odio improbitatis, ſed æmulationi & ægritudini muliebri quidam aſſignauit: & Catonem ſibi ipſi manus intuliſſe, quòd formidaret, ne à Cæſare cum contumelia interficeretur. Malignum etiam eſt, ſi pecunia oſtendat, non uirtute rem confectam (ut à Philippo nonnulli tradunt) ſi nullo cum labore & facile (ut ab Alexandro) ſi non prudenter, ſed feliciter (ut à Timotheo inimici, qui in tabulis pingebant naſſam ipſos piſces illo ſtertente ingredientes.) Obliquè enim uelut ex occulto ut tela ingerunt calumnias: inde circumueniunt à tergo & diſſimulãt, dum credere negant ſe, quæ magnopere cupiũt credi. His affines ſunt, qui maculis laudes aliquas adſpergunt: ſicut Ariſtoxenus, cùm indoctum Socratem pariterq; rudem & laſciuum appellaſſet, ſubiecit: Cæterùm nullo ſcelere fuit contactus. Plutarchus de Herodoti malign.*



GRÆCORVM in hiſtoriis uetuſtioribus imperitiã Ioſephus lib. 1. contra Apionem in duas cauſas refert. Altera, quòd ſerò ad publicas res commentandas, propter literarum ignorantiam, acceſſerint, & poſteris mentiendi poteſtatem, uetus aliquid ſcribere uolẽtibus, ampliſſimam fecerint. Nam & apud Athenienſes, qui ſe indigenas & diſciplinarum cultores profitentur, publicarum literarum antiquiſſimæ fuerunt habitæ Draconis leges, paulò ante Piſiſtrati tyrannidem. Altera, quòd priuati homines, gloriæ non ueritatis ſtudio, ad res ſcribendas aggreſſi, pro ſuo quiſque ingenio multa confinxerunt, ut ab aliis diſcrepando ueraciores uiderentur. Itaq; mira eſt hiſtoriarum contrarietas. Hellanicus Acuſilaum in Genealogiis corrigit, Heſiodum Acuſilaus, Ephorus Hellanicum, Timæus Ephorum, Timęum poſteriores, Herodotum Manethon Aegyptius, & pleriq; alij. At apud PHOENICES, AEGYPTIOS, CHALDÆOS & IVDÆOS, cùm literę fuerint antiquiſſimæ, & ſummum hiſtoriæ ſtudium (apud Iudæos enim hæc cura penes Pontifices, qui familiarum ſucceſſione creabantur, & prophetas fuit) ſummus eſt hiſtoriarum conſenſus, & hiſtoriæ ueritas, & librorum paucitas, cùm ueritas una tantùm eſſe poſſit.

Antiochus Epiphanes Syrię rex, cùm præter omne fas templũ Hieroſolymitanum ſacrilegio expilaſſet: adulatores quidã HISTORICI, ut latebram ſacrilegio inuenirent, auſi ſunt aſſerere, Antiochum in templi penetralibus hominem Gręcum in lectulo decumbentem reperiſſe, omni lautiſſimorũ ciborum genere iuxtà poſito: quem ſaginatũ in ſylua quadam ſolenni more ſacrificaturi eſſent, & ex eius uiſceribus guſtaturi, iureiurando facto, perpetuas ſe cum Græcis inimicitias habituros. Verùm mẽdacium hoc pulcrè diluit Ioſephus lib. 2. contra Apionem.

Veteres POETÆ rei ueritatem à maioribus acceptam ad fabulas inanes tranſtulerunt. Nam Noachus Ianus ab illis eſt appellatus, quòd uinum, Iain Hebræis dictum, inueniſſe diceretur. Illud quod Sacræ Scripturæ de Chamo, qui patris pudenda reuelauit, ad Iouem traduxerunt: alij ad Saturnũ, quòd alteruter patris genitalia execuiſſet. At Hebræorum pleriq; interpretes de Chamo idipſum prodiderunt, ut ſcribit Rabi Leui ad Geneſ. cap. 9. Conſimilis eſt hiſtoria Gigantum, & Androgyni, quam omnes Hebræorum interpretes ueriſſimam eſſe aiunt, Plato ad fabulas detorſit. Io. Bodinus Methodi hiſt. cap. 8.

NICOLAVS Damaſcenus, Herodis Iudæorum regis res geſtas ſcripſit, regis captans gratiam, & ea tantùm attingens quæ ad gloriam illius pertinere uiſa ſunt. Multa eius apertè iniuſta facinora aut alia ſpecie affecta fucauit, aut quantum potuit, occultare ſtuduit: quandoquidem etiam crudelitati in Mariamnẽ ac filios ſpecioſam cauſam aſtruere conatur, illam impudicitiæ, hos inſidiarum patri paratarũ inſimulans. & hoc toto opere facit perpetuo, quæ rectè ac iuſtè rex geſſit, nimiis extollens laudibus, contraria uerò diligenter excuſans. Ioſephus lib. 16. c. 11.

De Troiano bello quàm incerta ſit & uaria HISTORICORVM narratio, oſtendit Sab. lib. 7. Ennead. 1. ex Dione Pruſienſi, Herodoto, & Darete Phrygio.

Vniuerſi Indiæ ſcriptores utplurimùm falſa locuti ſunt. Egregiè uerò DEIMACHVS, & MEGASTHENES, qui homines in aure cubantes, & oris & naris expertes, ſcriptis tradunt: ſimul & monoculos, & tibiis proceros, & digitis retrò inuerſis. Innouarũt etiam Pygmæorum aduerſus grues decantata pridem ab Homero prælia: trium etiam palmorum homines aiunt. Iſti præterea formicas aurum effodientes, & Panas cuneato capite ſerpentes, qui boues & ceruos unà cum cornibus deglutiant. De quibus unus alterũ redarguit. Nam miſſi fuerunt ad Palimbothra legati: Megaſthenes quidem ad Andracotum, Deimachus uerò ad Allitrochaden eius filium. Strabo lib. 2.

ARISTOBVLVS poeta res geſtas Alexãdri ſcripſit, & HERMODOTVS Antigoni, parum fidi in hiſtoria. Gyraldus Dial. 3. de Hiſtor. poet. & Cælius libro 21. cap. 33. Antiq. lect. ex Plut. Apophth.

HERODOTI Halicarnaſſei mendacia Plutarchus peculiari commentario perſecutus eſt. Sed & conferens illum cum THEOPOMPO, inquit: Herodoti peruerſitas eſt illa quidem, quàm Theopompi, glabrior & mollior, ſed mordet & pungit acriùs: ſicut qui per anguſtias ſpirant uenti, quàm diffuſi. Plut. de Malignitate Herodoti.

CALLIAS Syracuſanus, ab Agathocle ſuſceptus, magna mercede nunciam ueritatis hiſtoriam uendidit, nec unquã prębitorem per iniuriam laudare deſtitit. Nam cùm is non pauca & aduerſus deos impiè, & contra homines iniuſtè perpetrarit: ſcriptor ille ait, Eum & pietate & humanitate multũ alios ſuperaſſe. Denique ſicut Agathocles bona ciuibus erepta, ſcriptori, cùm eius non eſſent, pręter ius & æquũ donabat: ſic præclarus iſte hiſtoriographus ſcriptis ſuis ubiq; principi gratificabatur. Neque uerò difficile fuit, ſcilicet ad gratiam referendam, ſcribendis laudibus regias largitiones æquare. Suidas.

PHILISTVS, cùm Syracuſas ſe reſtitutum iri ſperaret, multa Dionyſij flagitia in hiſtoria ſua diſſimulauit. Pauſanias in Atticis, & Plut. in Vitis.

HIERONYMVS Cardianus, qui res geſtas regum Macedoniæ Epirotarum ſcripſit, à Pauſania in Atticis reprehenditur, quòd Antigonum pręter meritum maioribus laudibus proſequatur, Lyſimachum uerò præter rei ueritatem in Epiro regum ſepulcra uiolaſſe ſcripſerit.

Polybius homo Grecus ſæpe mendacij coarguit FABIVM & PHILINVM: quòd alter Romanus, alter Carthaginenſis de bello Punico ita ſcripſerint, ut hic pręclara omnia de Romanis, de Pœnis contrà: Philinus Pœnos omnia laudabiliter ac fortiter, Romanos autem turpiter & ignauiter geſſiſſe ſcribat. Bodinus Methodi hiſt. cap. 4.

IVSTINVS lib. 36. ſolùm decẽ filios Iſrael ponit: narrat quoque ipſum Iſraelem populum totum de nomine filij Iudæ, qui poſt diuiſionem, ſed ante patrem, de uita diſceſſerat, Iudæos uocaſſe.

SVETONII Tranquilli, hiſtorici alioqui grauiſſimi, mendacium impudens de Chriſtianis, ubi inquit: Claudius Cęſar Iudæos, impulſore Chreſto aſſiduè tumultuãtes, Roma expulit. Et rurſus: Sub Nerone afflicti ſuppliciis Chriſtiani, genus hominum ſuperſtitionis nouæ ac maleficæ.

PHILOSTRATVS Atticus rhetor, Apollonium Tyaneũ deſcribit in odium Chriſti, uirum diuinitate plenum: qua narratione nihil eſt fabuloſius, inconſtantius, nihil à mente omni & ratione inanius: & profert tandem nobis magũ uaniſſimum, arrogantiſſimum, & iactantiſſimum. Cuius mendacia & dementiam cùm Euſebius Cæſarienſis paucis uerbis patefecit, tum nemini ſano non eſt facillimum perſpicere. Lud. Viues de Veritate fidei, lib. 2.

EXPLICATIONEM. HISTORICI

*Apti, Diligentes.*

*Conſule Tit. Peregrinationum. quatenus hiſtoriæ ſcribendæ cauſa peregrinati ſunt.*

DIONYSIVS Halicarnaſſeus, præter moderatum dicẽdi genus & Atticam puritatem, antiquitates Romanorum ab ipſius Vrbis origine tanta diligentia conſcripſit, ut Græcos omnes ac Latinos ſuperaſſe uideatur. Nam quæ Latini quaſi peruulgata neglexerunt, putà ſacrificia, ludos, triumphos, magiſtratuum inſignia, tum uniuerſam Romanorum in gubernanda Republ. diſciplinam, cenſum, auſpicia, comitia, totiuſque populi difficilem in claſſes ac tribus partitionem: poſtremò Senatus auctoritatem, iuſſa plebis, magiſtratuum imperia, populi poteſtatem: unus omnium accuratiſſimè tradidiſſe mihi uidetur. Ioannes Bodinus cap. 4. Hiſt. Method.

Vnus eſt APPIANVS ex omnibus hiſtoricis, qui Romanorũ prouincias, opes, exercitus, totiuſque imperij deſcriptionẽ ad intuendum uelut in ſubiecta tabula proponit. Strabo quidem, Plinius ac Ruffinus prouincias attigerunt, opes omiſerunt. Ibidem.

CORNELIVS Tacitus, in Romanorum antiquitatibus explicandis magnum nobis attulit adiumentum. Cùm enim à Tiberio uſque ad Neruam unius ſeculi res geſtas conſcripſerit: omnia, maxima, mediocria, minima ſtudioſè perſequutus eſt. Poſt Actiacam uictoriam nullus eſt hiſtoricus, qui militarem aut forenſem rationem copioſiùs tractarit. Floruit enim diutiſſimè in militari urbanaque diſciplina, & proconſul Germaniam inferiorem obtinuit: quo tempore

Germanorum mores, inſtituta, ritus tanta diligentia perſcripſit, ut uni Tacito ſuam antiquitatem Germani acceptã ferant. Ibidem.

*Inepti, Negligentes.*

CHOERILVS Alexandri Macedonis facta deſcripſit, & pro quolibet uerſu bono aureum Philippeum, pro malo colaphum ab Alexandro accepit. Gyraldus.

TIMÆVS tum temporum exquiſitam diligentiam, tum plurimarum rerum hiſtoriam tradens, quòd nimium operæ in aliis redarguendis impenderit, culpatur: qua ex re à nõnullis Epitimæus, ἀπὸ τοῦ ἐπιτιμᾶν, hoc eſt, obtrectator eſt cognominatus. Diodorus lib. 5. c. 1.

Contra HISTORICOS, qui ſuis hiſtoriis prolixas aut crebras nimis orationes admiſcent, oſtentandæ eloquentiæ cauſa, Diodorus Siculus in libri uigeſimi præfatione diſputat, & Suidas.

Si excuſationem meretur ignorantia, profectò excuſandus eſt CORN. Tacitus, qui Iudæos ab Ida monte Cretenſiũ quaſi Idæos deducit: & NICOLAVS Damaſcenus, qui Hieroſolyma quaſi ἱερόσυλα, παρὰ τὸ ἱερὰ συλᾶν dici putat. Io. Bodinus Methodi hiſt. c. 4.

VOLVSII hiſtorici inepti obſcuros Annales Catullus carmine ſuo notos reddidit, de iis eleganter ſcribens:

Annales Voluſi cacata chartæ
Votum ſoluite pro mea puella.
Nam ſanctæ Veneri Cupidiniq;
Vouit, ſi ſibi reſtitutus eſſem,
Deſiſſemq; truces uibrare iambos,
Electiſſima peſſimi poetæ
Scripta tarpidedi Deo daturam
Infelicibus uſtulanda lignis.
Et hoc peſſima ſe puella uidit
Iocosè & lepidè uouere diuis.
Nunc ô cæruleo creata ponto,
Acceptum face, redditumq; uotum:
Si non illepidum, neque inuenuſtum eſt.
At uos interea uenite in ignem
Pleni ruris, & inſacetiarum,
Annales Voluſi cacata charta.

Lucianus inſectatur HISTORICVM quendam ſui temporis, qui in narratione conflictus ad Europum Syriæ, relicto prælio, longam fabulam exorditur de Maſaccha quodam Mauro milite, qui præ ſiti aberrauerit, & inciderit in quoſdam agricolas, à quibus prandio eſt exceptus; quorum unus aliquando fuerit in Mauritania, & alia inepta. L. Viues de Cauſis corruptarum artium, lib. 2.

## RECITATIONEM

*Importuni.*

Apud Chæroneos QVIDAM, qui fortè duo uel tria Ephori uolumina legerat, omnes mortales fatigabat, totumq; conturbabat conuiuium, aſſiduè pugnam Leuctricam & conſequentia narrans: unde cognomen traxit Epaminondæ. Plut. de Garrulitate.

## CERTAMINA.

Ioſephus aduerſus APIONEM docet, eluuiones Beroſi ſcriptis comprehenſas fuiſſe, & nauim illam, quæ animantium ac generis humani ſeminarium conſeruarat, in monte Cordico conquieuiſſe, ut etiamnũ Alexandri Magni temporibus fragmenta reſtarent, unde bitumen ad expiationes colligi ſolebat. Atque hæc Hieronymi quoq; Aegyptij ac Mnaſeæ Damaſceni auctoritate confirmat. Ioã. Bodinus Methodi hiſt. cap. 8.

Homerum PINDARVS & Chium & Smyrnæum fuiſſe ait: Chium SIMONIDES: Antimachus & Nicãder Colophonium: ARISTOTELES aũt philoſophus Ienſem, EPHORVS hiſtoricus Cumæum. Quidam Salamine Cypri urbe oriundum dicere non dubitarunt: Argiuũ alij: ARISTARCHVS & Dionyſius Thrax Athenienſem. Filius à nonnullis dicitur Mæonis & Critheidis: ab aliis, Meletis fluuij. Nõ minor dubitatio eſt de tempore, quo uixerit. Ariſtarchus eum in id tempus reiicit, quo Ionum colonia deducta eſt. fuit hoc annis poſt Heraclidarum reditum ſexaginta: & is reditus octoginta annis Troiano bello eſt poſterior. CRATES eum ante Heraclidarum reditum extitiſſe tradit: ut ne octoginta quidem prorſus annis Troianum bellum ſit ſubſecutus. Apud pleroſque pro certo habetur, centum annis cum Troiano bello poſteriorem fuiſſe, non multo ante Olympicorum ludorum inſtitutionẽ, à qua Olympiades numerantur. Plut. de Homero.

L. LVCVLLVS apud Hortenſium cauſidicum & Siſennam hiſtoriographum, cùm ex ioco in ſerium iuuenis adhuc eſſet delapſus, profeſſus eſt, propoſito carmine & oratione ſoluta, Græca pariter & Latina, utram earum dictionũ ſors dediſſet, ea bellum Marſicum ſe conſcripturum: atque obtigiſſe ſorte uidetur ei oratio Græca. Extat enim belli Marſici Græcè compoſita hiſtoria. Plutarchus in Lucullo.

GRÆCI nonnulli affirmarunt, Mariam Lazari ſororem, non fuiſſe eam quę dicta eſt Magdalena. Contrà LATINI aſſeruerũt, eam fuiſſe illam ipſam Mariam Magdalenam, & nõ aliam. Hac de re GERARDVS à Nazareth, epiſcopus Laodicenſis, tractatum ſcripſit atq; edidit: in quo aſſeuerat, Mariam Magdalenam unam tantùm eſſe feminam in Euangelica hiſtoria, & eam quidem eſſe ſororem Lazari. Libro titulus inſcriptus eſt: Defenſio Gerardi Laodicenſis epiſcopi contra Salam presbyterum.

## IVDICIVM.

Apud Platonem in Timæo, SACERDOS Aegyptius Solonẽ Athenienſem de Græciæ antiquitatibus, de Phoroneo, de Niobe, de Deucalione diſputantem audiẽs, ὦ Σόλων, inquit, Ἕλληνες ἀεὶ παῖδές ἐστε, γέρων δὲ Ἕλλην οὐκ ἔστιν: Semper pueri eſtis Gręci, neque Græcus ullus ſenex eſt. propterea quòd regione illorum uariis incendiis & inundationibus obnoxia, memoriæ hiſtoriarum pereant, quæ apud Aegyptios, ſecuriorem ab his calamitatibus regionem incolentes, uetuſtiſſimæ extent.

STRABO libro Geographicæ primo, quod Homerus ſcribit, Charybdim ter in die reddere quod abſorbuit, ter reſorbere (quum conſtet id non fieri niſi bis in die) excuſat hac hyperbole, quaſi τρὶς non ſonet hìc numerum, ſed uehementiam. Eraſmus in Adag.

Quod CICERO prolatum in hiſtoria à Timæo, ut acutum lepidumque commendat, id PLVTARCHVS dictum antea ab Hegeſia, ut inſulſum frigidumque reprehendit atq; exagitat. Latinus ſcriptor in 2. lib. de Nat. Deorum inquit: Concinneque, ut multa, Timæus: qui, quum in hiſtoria dixiſſet, qua nocte natus Alexander eſſet, eadẽ Dianæ Epheſiæ templum deflagrauiſſe, adiunxit: Minimè id eſſe mirandum, ꝙ Diana, quum in partu Olympiadis adeſſe uoluiſſet, abfuiſſet domo. An delectatus eſt Cicero commento hoc, ut ſubtiliter excogitato, nec animaduertit à quo editũ foret: neq; enim in hiſtoria locus uidetur eſſe iſtis fabulis. Plutarchus uerò in Alexandro, non potuit ferre tam turpem aſſentationem: & cùm inſimulare ipſam uellet, luſit in uitio illius oſtendendo: Huiuſcemodi enim ſine modo prolata mendacia, inſulſæque ſententiæ, frigus afferre dicuntur; cuius frigoris ab Hegeſia prolati tantam uim eſſe dixit, ut extinguere poſſet incendium illud, quo templum deflagrauit. Victorius lib 16. Var. lect. c. 15.

CICERO lib. 1. Tuſcul. Chryſippum in omni hiſtoria curioſum aſſerit, ſed ita tetra quædam afferre, ut ea fugiat & reformidet oratio. Quid ni uerò liceat, philoſophica præſertim cenſura res geſtas examinanti, minutim ſingula proſequi? Qui his offenduntur, offendentur multo magis ſcelerum narratione in Tragœdiis fieri ſolita.

HORATIVS lib. 2. Ode 1. deterret Aſinium Pollionẽ, qui de Dalmatis triumphauit, uirum eruditiſſ. & ornatiſſ. à ſcribenda hiſtoria belli ciuilis inter Cæſarem & Pompeium: quòd id ad huc minus tutum eſſet.

IVDAS ſub Pertinace Hiſtoriographiam ſuperiorum temporum uſq; ad decimum Seueri annum conſcripſit. in qua tamen erroris arguitur, quòd aduentũ Antichriſti ſuis temporibus futurũ dixerit: in quẽ errorẽ ideo incurriſſe putamus, quòd & uitia hominum & crudelitatem eò perueniſſe cerneret, ut diutius tolerari humanum genus à Deo non poſſet. quę res & Lactantiũ poſtea & Auguſtinũ fefellit. Platin.

# HISTORIÆ STVDIVM, AMOR, CVLTVS. RESPECTV

## ARTIS. HISTORIAS

*Scribendo.*

PONTIFICIBVS Rom. permiſſa erat poteſtas memoriã rerum geſtarum in tabulas conferendi, & hos Annales uocãt maximos, quaſi à Pontificibus maximis factos. Sub Q. Mutio ſcæuola hic mos deſiit. Macrobius lib. 3. Saturn. cap. 2.

M. BRVTVS in medio ardore belli ciuilis, paulo antè quàm pugnatum eſt in campis Pharſalicis, cùm in caſtris Pompeij eſſet, epitomen ſcriptorum Polybij confecit. Victorius lib. 21. Var. lect. cap. 1.

CN. Aufidius, ciuis Rom. uir honeſt9 & cæcus, Gręcam ſcribebat hiſtoriam, & uidebat in literis: quãuis enim careret ſenſu oculorum, nec album colorem ab atro diſtinguere poſſet, acie tamen ingenij menteq; uerum à falſo in ſtudio illo ſuo ſcribendę hiſtoriæ, omniq; re, quę ad literas pertineret, diiudicabat. Cic. lib. 5. Tuſcul.

CLAV-



CLAVDIVS Cæſar hiſtoriam in adoleſcentia, hortante Tito Liuio, Sulpitio uerò Flauo etiam adiuuãte, ſcribere aggreſſus eſt. Et cùm primùm frequenti auditorio commiſiſſet, ægrè perlegit, refrigeratus ſæpe à ſemetipſo. Nam cùm initio recitationis, defractis compluribus ſubſelliis obeſitate cuiuſdam, riſus exortus eſſet: ne ſedato quidem tumultu temperare potuit, quin ex interuallo ſubinde facti reminiſceretur, cachinnoſque reuocaret. In principatu quoque & ſcripſit plurimum, & aſſiduè recitauit per lectorem. Initium autem ſumſit hiſtoriæ poſt cædem Cæſaris Dictatoris. Sed & tranſiit ad inferiora tempora, cepitq; à pace ciuili. Compoſuit & de uita ſua octo uolumina, magis ineptè, quàm ineleganter. Item Ciceronis defenſionem aduerſus Aſinij Galli libros, ſatis eruditam Suetonius.

NERO Cæſar cogitans de rebus geſtis Rom. uerſibus ſcribere, euoluit magnum numerum librorum, antequam aliquid componeret. Dion, & Suetonius.

CAROLVS Magnus Imp. Teutonica & antiquiſſima carmina, quibus Heroum (ſicuti mos eſt Germanorum) geſta canuntur, ſcripſit, & memoriæ mandauit. Auentinus lib. 4. Annalium Boiorum.

DANI ueteres, non ſolùm rerum à ſe magnificè geſtarum titulos exquiſito contextus genere, ueluti poëtico quodam opere, perſtrinxêre, uerùm etiam maiorũ acta patrij ſermonis carminibus uulgata, linguæ ſuæ literis, ſaxis ac rupibus inſculpenda curauêre. Quibus ceu quibuſdam antiquitatis uoluminibus Saxo Grammaticus, in ſua hiſtoria, metra metris reddendo, frequenter utitur.

*Committendo ut ſcribantur.*

Apud HEBRÆOS ſummum hiſtoriarum ſtudium fuit, cùm non quibuslibet, ſed pontificibus tantùm ea cura committeretur, & prophetis. Id quod monumenta ipſorum teſtantur, numero pauciſſima, & inter ſe conſentientia. Ioſephus lib. 1. contra Apionem.

DAVIDIS regis Iudæorum à cõmentariis fuit Ioſaphatus, Achiludi F. qui res geſtas deſcriberet. 2. Regum 8.

CONSTANTINVS, Conſtantij Pij F. Imp. Romanorum principum hiſtorias memoriæ literarum commendandas curauit: per Tatium Cyrillum è Græcis in Latinam linguã uerti iuſſit. Auentinus lib. 2. Annalium Boiorum.

CLEMENS I. regiones ſeptem notariis diuiſit, qui diligẽter res martyrum geſtas ſcriberent: ſed illud poſtea ANTHERVS ſtabilius reddidit, & in ærario Eccleſiæ recondi curauit: occaſione ſumta à Maximo martyre, qui ſub Maximino paſſus eſt. Quod ſicut Clementis & Antheri fuit inſtitutum, ita fieri potuit, ut ſucceſſorum incuria intermiſſum, à IVLIO I. fuerit renouatum. Et hæc Protonotariorum origo. Reperio etiam FABIANVM ſub Decio, qui Anthero ſucceſſit, & CAIVM deinde regiones diuiſiſſe ſeptem diaconis, qui itidem geſta martyrum literis mandarent. Verùm tempeſtate noſtra, excuſſo ſcribendi onere, ſunt Protonotarij Apoſtolici numero ſeptem, [redacted]. Extraordinarij uerò ſine numero à Pontifice gratuitò creati, qui eius dignitatis priuilegiis perindè gaudent, atque alij. Omnes equitando pileo utuntur nigro, ut à cardinalibus & epiſcopis per hoc inſigne internoſcantur, quando æquè omnes linteam togam induunt. Polydorus libro quarto, capite undecimo, de Rerum inuent. & Platina in Iulio I.

CAROLVS Magnus omnium nationum, quæ illi ſubeſſent, memorabilia geſta, quæ ſcripta non erant, ſcribi & memoriæ mandari iuſſit. Cranzius lib. 2. Saxoniæ, c. 8.

Paulus Diaconus uetuſtiſſimis exemplaribus, ſanctiſque auctoribus, imperio opeque CAROLI Magni undique conquiſitis, martyrum uitas mortemq; ac cæterorum diuorum ſumma breuitate perſtrinxit in templis legendas: quas facilè crediderint quis longa die ita imminutatas, ut à conditore ſuo (ſi exiſtat) non agnoſcantur.

Anaſtaſius, uir utraq; lingua doctiſſimus (quod eius ſcripta ſatis probant) ob inſignem eruditionem CAROLO ſecundo, cuius inſtinctu hiſtoriam Eccleſiaſticã ſcripſit ad ſua tẽpora, in primis charus fuit. Volat. lib. 13. Anthrop.

EVGENIVS VII. Scotorum rex, primus hiſtoriæ Scotorum conſcribendæ curam uiris doctiſſimis dedit, eaque in Iona inſula, conſtructa eius rei ergò bibliotheca, repoſuit. Hector Boëthius libro 9.

MAHOMETVS II. Turcorum Imp. excellentes in quauis arte uiros ſummoperè dilexit. Impenſiſſimè curauit, ut uictoriæ, quibus ipſe potitus fuerat, à doctis atq; iudicio præditis hominibus conſcriberentur: antiquorum uerò hiſtorias continuò legere conſueuerat. Ioannem Mariam Vicentinum, Muſtaphæ primogeniti ſui ſeruum, maximis excepit blanditiis, quòd uictoriam, quam ipſe de Vſuncaſſano Perſiæ rege reportarat, Turcico ſermone, atq; item Italico literis mandaſſet. Iouius in eius uita.

MAXIMILIANVS I. Imp. primus inter omnes Principes, ſingulorum genealogias indagauit, miſſis per Italiam, Franciam & Germaniam nunciis, qui omnia cœnobia, omnes bibliothecas, omnia archiua Principum diſquirerent, euoluerent, ac perſcrutarentur. Atque ob id Annales ſingularum prouinciarũ, qui ſitu ac ſqualore corrupti à tineis abſumebantur, eius opera reuixerunt, & in lucem commigrarunt. Sæpe de imperitia Germanicorum hiſtoricorum conqueri ſolitus, qui tam præclarorum & prudentum principũ, quos Deus huic nationi donaſſet, res geſtas non ſolùm nullo ordine conſcripſiſſent, ſed corrupiſſent etiam male ſcribendo. Auentinus lib. 1. Cuſpinianus.

Ille IDEM, more maiorum fabulis res geſtas ſuas uelauit, & omnem uitæ ſuæ ſeriem carminibus, & patriis, & Latinis nominibus confictis, celebrandum curauit, Teurodancum uocant. Idem.

*Notando.*

PERVANI chordis uerſicoloribus, multiſq; nodis inſignitis, & artificio ſingulari contextis, quarũ domus ſunt perplenæ, multorum ſeculorum ſeriem ſolerter inuolutam, ſine ulla hæſitatione exprimunt. Ioan. Metellus.

*Legendo:*

LACEDÆMONII librum Dicæarchi Meſſenij de Rep. Spartiatarum quotannis in Ephororum prætorio puberibus auſcultantibus recitari curabant. Suidas.

MAGNVS SFORTIA totũ id otiũ, quod ex negotio ſupereſſet, impendebat hiſtoriis: quas è Græcis Latiniſque ſcriptoribus traductas lectitare erat ſolitus, inuitatis liberalitate ad id munus ſuſcipiendum literatis, in queis fuit Porcellij poetæ pater, ob tralatos Cæſarem & Salluſtium honeſtè donatus. Iouius in eius uita.

*Audiendo.*

CAROLO Magno Imp. in cœna & prandio legebantur hiſtoriæ antiquorum præclaræ. Cranzius libro ſecundo Saxoniæ, capite 8.

PHILIPPVS Vicecomes oblectabat ſeſe hiſtoriarum lectione, quarum Antonius Panormita, literarum nomine, præcipuo in honore habitus, aliquandiu fuit anagnoſtes. Iouius in Philippo.

*Ediſcendo.*

TYLENSES, cùm ob natiuam ſoli ſterilitatem luxuriæ nutrimentis carentes, officia continuæ ſobrietatis exerceant, omniaque uitæ momenta ad excolendam alienorum operum notitiam conferre ſoleant, inopiam ingenio penſant. Cunctarum quippe nationum res geſtas cognoſſe, memoriæque mandare, uoluptatis loco reputant: nõ minoris gloriæ iudicantes alienas uirtutes recẽſere, quàm proprias exhibere. E quorum theſauris Saxo Grammaticus, haud paruam Daniæ ſuæ partem contexuit.

*Conſulendo.*

ALEXANDER Seuerus Imp. in rebus dubiis hiſtoriæ gnaros ſolitus erat conſulere. Lampridius.

## ARTIFICVM. HISTORICOS

*Ornando.*

MEGALOPOLI Arcadiæ in foro à tergo ſepti eius, quod eſt Ioui Lycæo dicatum, pilæ inſiſtit Polybius, Lycortæ filius, cum inſcriptione, quæ elegis indicat, uagatũ illum eſſe per terras, & maria omnia: amicum & ſocium Romanorum fuiſſe, quos etiã iratos Græcis placarit. Scripſit hic & alias res geſtas P. R. & bella cum Carthaginenſibus ſuſcepta. Præceptor fuit P. Scipionis Africani. Pauſanias in Arcadicis.

TACITVS Imp. Cornelium Tacitum, ſcriptorem hiſtoriæ Auguſtæ, quòd gentilem ſuum eundem diceret, in omnibus bibliothecis collocari iuſſit: & ne lectorum incuria deperiret, librum per annos ſingulos decies ſcribi pollicitus, in cunctis archiuis iuſſit & in bibliothecis poni. Vopiſcus, & Sabellicus lib. 7. En. 7.

CN. POMPEIVS Magnus, Theophanem Mitylenęum, rerum ſuarum ſcriptorem in concione militum ciuitate donauit, omnibus illud factum approbantibus. Cic. pro Archia.

Dionyſius Mileſius hiſtoricus & ſophiſta, ob mirabiles ingenij dotes HADRIANO principi tam acceptus fuit, ut inter ſatrapas equiteſq; non uulgares numeratus ſit, & particeps menſæ, quæ omnes in toto terrarum orbe præclaros uiros continebat. Philoſtratus in Sophiſtis.

Arrianus, qui hiſtoriam Alexandri Magni ſcripſit, ab HADRIANO & M. ANTONINO principibus, ob literas honoribus conſularibus affectus eſt. Heliconius apud Volaterranum.

PETRVS Lauretanus Venetus, Imperator prudentiſſ. multiſque clarus uictoriis, Fl. Blondi Foroliuienſis hiſtorici e-

ruditionem admiratus, ampliſſimus muneribus Brixiã pertraxit, ſibique illum à ſecretis eſſe uoluit, & præter alia ornamenta ciuitate etiam Veneta donandum curauit. Egnatius lib. 4. cap. 7.

*Fouendo, Complectendo.*

ATHENIENSES Thucydidem Imperatorem in exilium egêre: at rerum ſuarum ſcriptorem ab exilio reuocauêre, eloquentiam mirati, cuius uirtutem damnauerant. Plinius lib. 7. capite 30.

L. LVCVLLVS uſq; eò de ſuis rebus ſcribi cupiebat, ut etiam Cordubæ natis poëtis, pingue quiddam ſonantibus atq; peregrinum, tamen aures ſuas dederit. Cic. pro Archia.

C. MARIVS Ruſticanus, quamuis in ſtudiis literarum non eſſet uerſatus, literatos tamen homines dilexit: poetas præſertim, à quibus res ſuas geſtas immortalitate donandas eſſe ſperabat. Itaq; L. Plotium eximiè dilexit, & A. Licinium Archiam familiarem habuit. Idem.

IVLIANVS Apoſtata contra Conſtantium mouens, Sex. Victorem, ſcriptorem hiſtoriarum, Syrmio ſecum deductum, Pannoniæ ſecundæ Conſularem præfecit. Sigonius libro 6. Imp. occid.

Paulum Longobardum, Aquileienſis eccleſiæ Diaconum, genere nobilem, ſed literis clariorem, DESIDERIVS Longobardorum rex cùm regnaret, ſummè dilexit, ingenio eius eruditioneq; delectatus: & CAROLVS Magnus ob eaſdẽ animi dotes in intimã familiaritatem, capto Deſiderio, admiſit. Cæterùm cùm deprehendiſſet, eum agitare conſilia Deſiderij educendi è finibus exilij, cuius florẽtis fortunę particeps fuiſſet: procul ab illo in Diomedis inſulas eum ablegauit: unde ad ARAGISIVM Deſiderij generum, Beneuentanorum ducem, cõfugit. Nec tunc docto uiro in tali cauſa apud mitiſſimum regem Carolum fraudi fuit, exilij terminis diſceſſiſſe, cùm proceres ſuaderent, ne impunita audacia contumaciaque abiret: & Pipinus iudicium patris ſecutus, eius rei ueniam Duci dedit. Paulus Aragiſij & Adelbergæ uxoris rogatu ad conſcribendas hiſtorias rediit, à fine Eutropij exorſus res Romanas, ſeparatim Longobardicas complexus. Mortuo Aragiſio, in Caſſinatium cœnobium ſe ſe ultro relegauit: reliquamque uitam ſanctiſſimè tranſegit. Aemilius libro 2. & Platina.

*Præmijs afficiendo.*

Fl. Ioſephus Galileæ præfectus, hiſtoricus clariſſimus captus à TITO Veſpaſiano, uirtute ſua Imperatorem ita ſibi deuinxit, ut cùm Hieroſolymas Titus excinderet, liberum ei fecerit, quicquid uellet ex ruinis patriæ eripere. At is nihil aliud quàm ſacros codices, fratris uitam, cum L. amicis, ſibi donari petiit. Quinetiam cùm in templo numeroſa turba Iudæorum incluſa eſſet, C X C. illorum amicitia ſibi deuinctorum liberauit, abſque ullo precio. Præterea pro iis agris, quos in agro Hieroſolymitano poſſederat, alios commodiares in Iudæa aſſignauit. Quorum immunitatem Domitianus poſtea confirmauit. Aedes, quas Titus ante principatum inhabitarat, ei dono dedit, cum annua penſione. Et hos honores propter eruditionem cum pari prudentia & integritate conſequutus eſt: adeò ut Titus libros illius hiſtoricos ſigillo ſuo munitos in bibliotheca publicarit, ut omnium lectioni & iudicio expoſiti eſſent. Teſtatur ipſemet in uita ſua.

Vir quidam haud ignobili genere natus, montana Scotiæ inhabitans, contextam à ſe Genealogiam regum Scotiæ omnium, ad parentem uſque gentis Gathelum, memoriter recitauit. Quem rex ALEXANDER III. ampliſſimè donatum ex conſilio gubernatorum domum remiſit. H. Boëthius lib. 13.

## HISTORIÆ CONTEMTVS, ODIVM, NEGLECTVS.

Sacerdos Aegyptius SOLONEM & GRÆCOS, qui recordationem priſcæ memoriæ non tenerent, pueros appellauit. Ludouicus Viues de tradendis Diſciplinis libro 5. ex Platonis Timæo.

Apud ROMANOS ſuper tẽplo Saturni Tritones eximiæ magnitudinis fuêre collocati, qui buccinam inflabant, quoties oriebatur uentus, caudamq; intra terram occultabant. Per illum ſignificari tradiderunt nonnulli, res geſtas ante Saturnum ſilentio fuiſſe inuolutas: at poſt imperium Saturni clariſſima hiſtoriographorum uoce fuiſſe celebratas. Macrobius lib. 1. Saturn. cap 8.

TVRCÆ nullam antiquitatis memoriam habere feruntur: quòd putant hiſtorias ab iis ſcribi nõ poſſe, qui alienam fidem ſequuntur: multo minùs ab illis, qui rebus affuerunt aut præfuerunt, cùm de ſeipſis multa mentiantur, aut principum metu, uel præmiis uel odio diſtracti, à uerò deflectant. Bodinus Methodi hiſtoricæ, cap. 4.

Habuerunt certos annales Iudæi, quos Verba dierum appellabant, quibus ſingularum tribuum genealogiæ deſcribẽbatur, ſicut ex 1. lib. Eſdræ c. 2. & tertij lib. 5. colligere eſt: quos rex HERODES nato Chriſto, ut uerum regiæ ſtirpis ordinem confunderet, ſuſtuliſſe creditur. Nicephorus lib. 1. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. 11.

EDVARDVS I. Anglorum rex, ſubacta Scotia, omnes conſuetudines ueteres, Scotorum abolere ſtatuit: ut unà cum moribus etiam animi cum Anglis coaleſcerent. Hiſtorias omnes Scotorum, omnia ſacrarum iuxtà & prophanarum rerum uolumina concremari ubique præcepit, magna decreta pœna, qui præceptum contemſiſſet. Libros ſacros Anglico ritu conſcribi iuſſit, eosque ſolos haberi edixit. Quotquot uerò eruditionis erant uſquam nomine clari, quorum haud paucos tum Scotia alebat, Oxonium relegauit: ne illorum inſtitutione effecti ſapientiores, iugum reiicerent. Eregionè Camuloduni, quæ olim regia fuerat Pictorum, conſpecto Claudij Cæſaris Victoriæque peruetuſto templo, quod ad Caronam amnem à Veſpaſiano olim ædificatum adhuc ſtabat, uetuſtate conſpicuum, uel hoc boni Scotis inuidens, delere præcepit. Sed incolis antiquitates ſuas adamantibus, neque extemplò præceptum perficientibus, mutato ſtatim conſilio parietibus & tecto templi uitam dedit. Cæterùm monumenta Cæſaris omnia deleri uoluit, & ablato lapide, ubi Claudij Victoriæque inſculptum nomen erat, Arturi olim Anglorum regis nomen inſcribi iuſſit, atque illius uocari regiam, quod & in hanc uſque noſtram memoriam tenet uernacula Scotorum lingua, *Arturi Hof* appellantium. Iam in Angliam reuerſurus, ne ullum *deletis* hiſtoriis regni uſquam ueſtigium permaneret, cathedram lapideam, quibus inſidentes coronari Scotorum reges conſueuerant, è Scona Londinum ſecũ attulit, atque in Veſtmonaſterio, ubi etiam hodie uiſitur, collocauit. Hector Boëthius libro decimoquarto.

LIBRI

# LIBRI TERTII TITVLORVM DISPOSITIO.

EFFECTVM *practicorũ, ad Praxin magis pertinentiũ, uniuerſim conſideratorum nomine intelligimus Probitatis & Improbitatis in genere ſumtæ, non habita ratione ſpecierum, partim*

- **Habitũ, quatenus**
  - **Acquiritur. Hic ergo**
    - PROBITATIS, *Virtutis in genere*
      - Magiſtri: *ſiue iam cõſiderentur reſpectu*
        - Perſon. *Qui:* Legislatores. Reges, *Principes.* Præfecti. Ciues. Amatores. Præceptores. Amici. Patresfamiliâs.
        - Modi, *Quo inſtitutio fiat. Nempe*
          - Interna *Victoria Rationis contra Appetitum.*
          - Externa
            - Inſtitutiõe, *Doctrina*: Legislatorum. Poetarũ.
            - Victoria.
            - Terrore.
            - Imaginib. *Notis, Symbolis.*
      - Diſcipuli
        - Qui: *puta* Pueri. Milites. Exules.
        - Quomodo: Lege. Inſtitutione. Admonitione. Frugalitate. Nota, *Imaginibus, Symbolis.*
    - IMPROBITATIS, *Vitioſitatis in genere*
      - Magiſtri
        - Qui. *Vt* Reges, *Principes.* Parentes. Vxores. Amici, *Socij.* Mercatores. Conſiliarij.
        - Modi. *Tum*
          - Interna *Subiectione ſuiipſius.*
          - Externa: Præceptione. Admonitione. Indulgentia, *Permiſſione.*
      - Diſcipuli
        - Qui. *Puta* Filij. Reges, *Principes.*
        - Quomodo. *Videlicet*
          - Interna *Subiectione ſuiipſius.*
          - Externa
            - Inſtitutione *nulla.*
            - Cõuerſatione: Vxorum. Amicorũ, *Sociorũ.* Peregrinorum.
            - Victoria.
            - Abundantia, *Vbertate.*
  - **Poſſidetur, *conſideratus uel***
    - Simpliciter. *Vide ſignum* I.
    - Cõparatè: *Virtutes ſimul & Vitia, in*
      - Diuerſis, *qui moribus uel*: Similes. Diſſimiles.
      - Iiſdẽ, *qui uarijs uirtutib. ſimul & uitiis excelluerũt, uel tẽpore*: Eodẽ. MORES *mixti.* Diuerſo. MORVM *inconſtantia.*
  - **Exercetur. EXERCITATIO**
    - Probitatis *conſiderata*
      - Per *ſe, quo ad*: Vſum. Fructum.
      - Reſpectu *alterius. Certamina honeſtatis.*
    - Improbitatis
      - Per *ſe, quo ad*: Vſum. Fructum.
      - Reſpectu *aliorum. Certamina improbitatis.*
- **Cultum,** *qui ferè à conſimili habitu aut certè diſpoſitione prouenit.* περὶ γὰρ ὅμοιον ὁμοίῳ κατὰ φύσιν ἀεὶ φίλον. VIRTVTVM *& Vitiorum cultus in genere. Nempe*
  - Honeſtatis *& Probitatis*
    - Studiũ, *Amor, in*: Seipſo. Aliis.
    - Odium, *Contemtus, Neglectus.*
  - Improbitatis *& Improborum*: Studiũ, *Amor.* Odium.

- I. Simpliciter conſideratur habitus
  - Laudabilis, tum
    - Per ſe. VIRI BONI in genere
      - Populi.
      - Priuati homines.
    - Per accidens propter aliquod aliud adiunctum. PROBITAS adiunctum habens aliquod
      - Internum
        - Bonũ ſiue
          - Theoricum. VIRI boni ſimul & ſapientes.
          - Mechanicũ. VIRI boni ſimul & in mechanicis periti.
        - Malum ſiue
          - Theoricum. VIRI boni, attamen indocti & idiotæ.
          - Mechanicum. VIRI boni, ſed mechanici inepti.
      - Externum
        - Bonum tum
          - Corporis. PROBI
            - Sani. Pulcri.
            - Agiles.
          - Fortunæ. PROBI
            - Pontifices. Reges, Principes.
            - Duces bellici.
            - Milites.
        - Malum tum
          - Corporis. Qualis eſt
            - Valetudo infirma. VIRI boni ualetudinarij.
            - Sexus debilitas. MVLIERES bonæ.
          - Fortunæ. Vt VIRI boni
            - Serui.
            - Pauperes.
  - Vituperabilis, tum
    - Per ſe. IMPROBI in genere
      - Populi. Artifices.
      - Familiæ ſceleratæ.
      - Priuati homines.
    - Per accidens propter adiunctum aliquod aliud. IMPROBITAS adiunctum habens aliquod bonum malumue
      - Animi. Huc pertinent Improbi
        - Philoſophi. Sophiſtæ.
        - Hiſtorici. Medici.
        - Mechanici.
      - Corporis. Improbi
        - Robuſti. Valetudinarij.
        - Deformes. Senes.
        - Mulieres.
      - Fortunæ. Improbi
        - Diuites. Pauperes. Pontifices.
        - Principes, Reges, Tyranni:
          - Iudæorum. Perſarum.
          - Epheſiorum. Aegyptiorum.
          - Afrorum. Græcorum.
          - Ponti. Romanorum.
          - Italorum. Siculorum.
          - Hiſpanorum. Galiorum.
          - Britannorum, Anglorum, Scotorum.
          - Sueonum, Gothorum.
          - Polonorum, Boemorum, Hungarorum.
          - Moſchorum. Turcorum.
        - Duces. Nobiles. Serui.

# Voluminis Sexti Liber III.

# De Probitate & Improbitate in uniuerſum.

## PROBITATIS, VIRTVTIS IN GENERE DISCIPLINA. VIRTVTIS

MAGISTRI CONSIDErantur

PERSONÆ. QVI. QVALES. Putà

*Legiſlatores.*

*Vide Tit. Legiſlatorum, quatenus ad uirtutem inſtituunt ciues.*

LYCVRGVS, Spartanorũ legiſlator, ſuperuacanea & exotica eiecit è ciuitate cuncta. Quare neq; mercator, neq; ſophiſtes, neq; uates uel circulator, neq; fraudũ architectus Spartam ingrediebatur. Neq; enim monetam eis tractabilẽ permiſit, tantùm ferreæ auctoritatem tribuit, quæ eſt mina pondere Aeginetico, ualore quatuor chalcorum, id eſt, æreolorum. Plut. in Apophtheg.

*Reges, Principes.*

*Ex Tit. Bonorum principum exempla petantur. Illic Poſſeßio, hîc Communicatio uirtutis conſideratur.*

HIPPARCHVS Piſiſtrati F. quamuis tyrannus, ſapientiæ tamẽ ſtudia promouit, omniq; ſtudio annixus eſt, ut optimis imperaret.

ALEX. Magnus euerſo Perſarũ imperio nõ, ut ei cõſulebat Ariſtot. Græcis ducẽ ſe, barbaris prębuit dominũ: ſed cõmunẽ



miſſum diuinitùs ſe arbitrans omnium rerum moderatorẽ & arbitrum: quos oratione non potuit, armis ſubegit, omnia undique in unum contraxit, & uelut ἐν κρατῆρι φιλοτησίῳ μίξας τοὺς βίους, καὶ τὰ ἤθη, καὶ τοὺς γάμους καὶ διαίτας, pro patria orbem terræ præcepit omnibus habere, caſtra pro arce & prę ſidio, pro propinquis bonos, pro alienis improbos: Gręcos & barbaros non chlamyde, non cetra, non acinace, non denique candye diſcriminarę: uerùm Græcos uirtute, barbaros uitiis cenſere: promiſcua uerò exiſtimare ueſtes, mẽſas, coniugia, uiuendi modos. Plut. orat. 1. de Alex.

THEODOSIVS à Gratiano Imp. in imperij ſocietatem acceptus, Syrmio Theſſalonicam adiit, urbem portu munitam, & bello Thraciæ inferendo in primis idoneam. Ibi nouum Imperium ante omnia ordinare inſtituit. nam pro duobus militiæ magiſtris amplius quinque fecit, & præfectos alarum, turmarumque, & tribunos numerorum multiplicauit: inde aulæ, caſtrorumque diſciplinam, quæ deprauata erat, correxit. Etenim, ut Latinus Pacatus in oratione ad ipſum habita dixit, non contentus ipſe ultro uitia reieciſſe, alienis uitiis corrigendis curam adiecit. Et quia uel diuturna Orientis conſuetudine, uel ſuperiorum principum remiſſione tantus quoſdã luxus infecerat, ut adulta laſciuia haudquaquam facilè uideretur obtemperatura medicinæ: ne quis ſe pati iniuriam putaret, à ſe uoluit incipere cenſuram. & impendia Palatina minuendo, nec ſolùm abundantem ſumptum reiiciendo, ſed uix neceſſarium uſurpando, quod natura difficillimum eſt, emendauit uolentes. Nam ſuperiores Imperatores parum ſe lautos putabant, niſi luxuria uertiſſet annum, niſi hybernæ poculis innataſſent roſæ, niſi æſtiuam in gemmis capacibus glaciem falerna fregiſſent. Eorum gulæ anguſtus erat noſter orbis. namque appoſitas dapes non ſapore, ſed ſumtu iudicabant: illis demum cibis acquieſcebant, quos extremus Oriens, aut poſitus extra Romanum Imperium Colchus, aut famoſa naufragiis maria miſiſſent. quin & infami ſæpe delectu ſcripti in prouinciis aucupes, ductæq; ſub ſignis uenatorum cohortes militauere conuiuiis: cuiuſdam etiam principis non prandia ſæpe, ſed fercula ſeſtertiûm millies æſtimata precium equeſtrium patrimoniorum traxerunt. Theodoſius autem modico ac caſtrenſi cibo ieiunia longa leniuit: aulam omnem laboris, patientiæ & frugalitatis exemplis adeò inſtruxit, ut nemo unus inueniretur, qui auderet ad penum regiam flagitare remotorum litorum piſcem, peregrini aeris uolucrem, alieni temporis florem: uerùm epulas ſuas, menſis communibus parciores, tempeſtiuis fructibus locorum inſtruxit. Optimos inde uiros delegit, quibus prouincias, quibus militaris rei ſummam, quibus conſilia ſua arcana commiſit. Sigonius libro 8. Imp. occid.

Corrupta Scotica iuuentute Donaldi flagitioſiſſ. regis exemplo, CONSTANTINVS, qui ei ſucceſſit, adoleſcentes ab omnibus ſemotus deliciis nõ niſi ſemel in die alimento & eo parabili refici iuſſit. Si adoleſcens puer aut puella inebriaretur, id capitale foret. Curſu, palæſtra, diſco, arcu, miſſilibus, iaculis exerceri iuuenes, ut ab otio, torpore, temulẽtia, cunctiſque animum effeminantibus liberi, robuſtiores ad omnia toleranda redderentur: aſſer eis cubile eſſet, unico ſagulo ſtratus: nihilq; aut mollitiem inducẽs aut laſciuiã prę ſe ferens noctu interdiúue experirentur. H. Boethius lib. 10.

DAVID I. Scotorum rex, aulam ſuam non modò purgauit à flagitiis, ſed etiam ad omne genus uirtutis exercuit. Non illic impudicum uerbum ullum ex ore cuiuſquam audiebatur, non laſciuus motus oculis occurrebat, non compotationes ac comeſſationes ebrioſorum apparebant, nulla in domum corruptela unquam admiſſa, nemo flagitioſus illic deliteſcere poterat. Caſta ac pura ubique omnium oratio, extra ſermonem familiarem nil niſi pium inter ſe conferentium. Sobria & continens uitæ omnis conuerſatio, nullæ unquam rixæ, nullæ querelæ: mutuo inter ſe omnes uelut fratres amore proſequebantur, mutua inter ſe officia comiter deferebant. Itaque non monaſterium ullum tanta concordia, tantaque religione conſpirabat, ut illius familia ac regia, caritatis uinculis atque reliquis omnibus uirtutibus connexa deuinctaque ſpectabatur. Hector Boethius libro duodecimo.

*Præfecti.*

Anno 371. Romæ præfectus urbis AMPELIVS mores ciuitatis corruptos emendare aggreſſus, conſtituit, ne taberna uinaria ante horam quartam aperiretur, néue aquam quiſquam uulgarium calefaceret, néue ad præſtitutum diei ſpacium lixæ coctam carnem proponerent, uel honeſtus aliquis mandens in publico uerſaretur. Quæ probra pernicioſa magiſtratuum diſſimulatione mirificè corruperant ciuitatem. Sigonius lib. 7. Imp. occid.

*Ciues, Amatores.*

SPARTANIS puerorum diſciplina publicè curæ erat. Quam ſi quis ciuium ut à ſe alienam, & parentibus tantùm & cognatis puerorum conueniẽtem arbitraretur, iuris ciuitatis erat exors. Plut. in inſtitutis Lacon. Si quis adoleſcẽs in deliciis habitus peccaſſet, concedebãt aut morum ſimplicitati, aut ætati iuuenili: amatorẽ uerò eius pœnas luere cogebãt: uolentes arbitros eos & inſpectores eſſe omnium, quæ iſti facerent. Aelianus libro tertio Variæ hiſt. Mos autem tam honeſtus amandi erat, ut etiam probatæ & egregiæ mulieres amarent uirgines. Riualium æmulationem non erat fas ſuſcipere: ſed magis qui eoſdem amabant, ex eo auſpicabantur mutuam amicitiam: eoque incumbebant communi ſtudio, ut quàm redderent præſtantiſſimum eum, quem diligebant. Plut. in Lycurgo.

*Præceptores.*

*Vide Tit. Poetæ Ethici.*

Theocritus epigrammate ſtatuam EPICHARMI Comici æneam Syracuſis poſitã cohoneſtauit, inter cætera hoc quoque de eo afferens:

σοφῶν γὰρ εἶχε χρημάτων μεμναμένοις
τελεῖν ἐπίχειρα.
πολλὰ γὰρ ποτὶ τὰν ζωὰν τοῖς παισὶν εἶπε χρήσιμα.
μεγάλα χάρις αὐτῷ.

Apud Plutarchum de Morali uirtute, pædagogus quidam LACON cùm uellet ſignificare, in qua re præcipuè conſiſteret ſtudiorum & bonæ inſtitutionis utilitas: dixit ſe effecturũ, ὥστε τὸν παῖδα τοῖς καλοῖς ἥδεσθαι, καὶ ἄχθεσθαι τοῖς αἰσχροῖς.

*Amici.*

Alexander Seuerus Imper. optimus fuit, quia optimæ matris Mammeæ conſiliis uſus eſt: ſed & AMICOS ſanctos & uenerabiles habuit, non malitioſos, non furaces, non factioſos, non callidos, non ad malum conſentientes, non bonorum inimicos, non libidinoſos, non crudeles, non circumuentores ſui, non irriſores, non qui illum quaſi fatuum circunducerent: ſed ſanctos, uenerabiles, continentes, religioſos, amantes principis ſui: & quidẽ illos, q nec ipſi riderent, nec riſui eſſe uellent: qui nihil uenderent, nihil mentirentur, nihil fingerent: nunquam deciperent exiſtimationem principis ſui, ſed amarent. Lampridius in Alexandro Seuero.

*Patresfamiliâs.*

ADMETVS, Theſſalię rex, ob pietatẽ & probitatem laudatur ab Apolline apud Eurip. Alceſtide, qui ipſe domum quoque ſibi ſimilem reddiderit,

ὁσίου γὰρ ἀνδρὸς ὅσιος ὢν ἐτύγχανον.

MODI. SIC VIRTVS DOCETVR

## Inſtitutione, Doctrina

*Legiſlatorum.*

*De quibus egimus ſuo loco.*

*Poetarum.*

ATHENIENSES legem tulerunt, ut quinto quoque anno in Panathenæis, Homeri carmina publicè canerentur. ita enim cogitabant, leges præcipere quidem, quid faciendum fugiendumq; ſit: ſed propter breuitatem non docere: at poetas, qui uitam hominum imitantes, res præclarè ac fortiter geſtas copioſè exponerent, eaſq; propemodum ante oculos conſtituerent, aptiores eſſe ad perſuadendum.

De uſu TRAGOEDIARVM ethico uide Timoclis Comici poema, quod ſub Tit. Poeticæ uſus, ex Athenæo attulimus.

*Victorum.*

Indos ueteres, antequàm in eos expeditionem mouiſſet LIBER pater, non aliis ferè cultos moribus fuiſſe, perhibet hiſtoria, quàm Scythas. Nullæ illis domus, nullæ urbes, nec deorum templa erant. In plauſtris tranſmittebatur uita nõ alia, quàm nomadica: nulla ſacrorum cura. Non aliunde integebantur corpora, quàm ex occiſarum in uenatu ferarũ pellibus. Alimenta ſuggerebat arboris cortex, quæ illarum gentium uocabulo Tala nuncupatur: in cuius faſtigio prodeunt uelut cucurbitulæ agreſtes, cuiuſmodi in palmis conuiſuntur. necnon ferarum incocta caro. Diu uerò pòſt, commeante illuc cum exercitu Libero patre, & inædificatæ urbes ſunt, & ſancitæ leges, templa quoq; ſtructa diis. Vini item ratio, ac ſerendi præmonſtrata illis. Armorum ſcientia tradita, ſed & unguentorum, ac ſatyricæ ſaltationis, quam Cordaca dicunt. Herculem quoque Indiam appetiſſe conſtans fama tenet, & auctor probat Megaſthenes. Cælius libro 18. capite 31. A. L.

## Terrore.

Accûs & Alphitûs terrore pueros à malorum ſtudio MVLIERES reprimunt. Plut. in Stoicorum pugnis.

## Imaginibus, Notis, Symbolis.

SALADINVS, Aegypti Sultanus potẽtiſſimus, exuuiis terræ mandandis præferri iuſſit pannum nigrum de lancea ſuſpenſum, præcone has addẽte uoces: Saladinus Aſiæ totius domina-

dominator, ex tanto regno tantisque opibus moriens, nihil aliud ſecum defert. Bergomenſis libro 12.

## DISCIPVLI. TVM

### QVI, QVALES.

*Pueri.*

AGESILAVS, Archidami F. natu minor, cùm regnum Agidi natu maiori deberetur, priuatus putabatur acturus: eaque propter diſciplina inſtitutus fuit illa uiuendi, quæ Lacedæmone ἀγωγὴ uocatur, rigida quidem & ærumnoſa, uerùm erudiente ad parendum iuuentutem. Vnde Spartam ferunt à Simonide Damaſimbroton nominatam: quòd maximè per aſſuetudinem parentes legibus ciues manſuetosq́;, ſicut equos mox à prima ætate domitos, redderet. Hoc uinculo ſoluit lex pueros, qui ad regnum educantur. Ageſilao uerò hoc ſuppeditauit ſingulare, quòd non rudis parendi acceſſerit ad imperandum. Quapropter præbuit ſe longè præ regibus omnibus communem popularibus ſuis, quòd cum principali & regia indole popularitatem & humanitatem ex inſtitutione coniunxiſſet. Idem quum haberet apud ſe Xenophontem illum ſapientem, eumq́; plurimi faceret: iuſſit ut filios ſuos accerſeret Lacedæmonem, docendos artem omnium pulcerrimam, uidelicet imperare, & parére imperio. Athenis florebant liberales diſciplinæ: ſed hanc artem, cæteris omnibus præſtantiorem, exiſtimabant nuſquam meliùs diſci, quàm apud Lacedæmonios: ubi non uerbis diſputabatur de bene adminiſtranda republica, ſed ciuium moribus iuuenes inſtituebantur. Plutarchus in Laconicis, & in Ageſilao.

*Milites.*

Alexander Seuerus Imp. Parthicam expeditionem tanta diſciplina, tanta reuerentia ſui egit, ut non MILITES, ſed ſenatores tranſire diceretur. Quacunq; iter legiones faciebāt, tribuni accincti, centuriones uerecundi, milites amabiles erant: ipſum uerò ob hæc tot & tanta bona prouinciales ut deum ſuſcipiebant. Iam uerò ipſi milites iuuenem imperatorem ſic amabant ut fratrem, ut filium, ut parentem: ueſtiti honeſtè, calceati etiam ad decorem, armati nobiliter: equis etiam inſtructi, & ephippiis ac frenis decentibus: prorſus ut Romanam remp. intelligeret, quicunq; Alexandri uidiſſet exercitum. Lampridius in Alexandro.

*Exules.*

Annas, Orientalium Anglorum rex, CENOVALCHIVM, Occidentalium Saxonum regem perditiſſimum (qui ob diuortium cum Sexburga, Pendæ Merciorum regis ſorore, à Penda regno fuerat priuatus, & ad Annam confugerat) ſuſcepit benignè hoſpitio: deinde acriter increpauit, quòd religionem ſpreuiſſet, quòd uxorem ablegaſſet, quòd deniq; ſe ita turpiter uitiis dediſſet. Tum ille pœnitens præteritæ uitæ, ſubitò ex malo bonus, monitis Annæ euaſit. Recepit enim quamprimùm Euangelicum dogma: recepit uxorem, & non multò pòſt regnum totum recuperauit. Polyd. lib. 4.

### QVOMODO.

*Lege.*

Omnes ferè BARBARÆ nationes horridæ & incultæ, cùm primùm in leges conceſſere, manſueſcunt, fiuntq́; tractabiles. Hoc in Gothis, Vandalis, Hūnis: hoc in Vngaris, Turcis, Tartaris euenit. Vt planè conſtet, non eſſe aliud, quàm Dei flagellum, quod prouinciis immittitur per excurſiones barbararum nationum. Cranzius lib. 4. Metropol. cap. 28.

QVIDAM ueterum philoſophorum rogatus, Quid fructus ex ſtudiis perciperet? reſpondit, τὸ ἀνεπιτάκτως ποιεῖν, ἃ τινες ἄλλοι διὰ τὸν ἐκ τῶν νόμων φόβον ποιοῦσιν: ut iniuſſus faceret, quę alij metu legum faciunt. Maximus Tyrius in oratione de Philoſophia.

*Inſtitutione.*

Apud LACEDÆMONIOS qui honeſta liberalique forma pręditi ſunt, diuerſum à reliquis faciunt adoleſcentibus formoſis. Nam ab amatoribus petunt, ut ſeſe ament: & Lacedæmoniorum uox eſt, Oportere amare: Spartiata & amor nihil turpe nouerunt. Siue enim adoleſcens auſus ſit ſtuprū pati, ſiue amator inferre, neutrum impunè tuliſſet: aut enim è patria diſceſſiſſent, aut quod grauius eſt, è uita. Apud eoſdem cùm quidam forma præſtans in amorem ſui pertraxiſſet hominem locupletem, eo quòd ipſe pauper eſſet: irrogarunt illi pecuniariam multam, plectentes pecuniarum illicitam cupiditatem, ablatione pecuniæ. Alium quendam formoſum ac bonum uirum, quòd neminem amaret ex iis, qui deteriores eſſent, pœna affecerunt: quòd cùm bonus eſſet, neminem amaret. Similem enim ſui potuiſſet amaſium reddere. Plutar. in Lycurgo.

*Admonitione.*

REX Perſarum unum habebat cubicularium, cuius hæ partes erant, ut manè ingrediens ad eum diceret: Surge rex, ac cura ea, quorum tibi Meſoromaſdes impoſuit curam. Eruditus & ſapiens princeps in præcordiis habet eum, qui hoc ei perpetuò edicit & iubet. Plut. ad Principem indoctum.

*Frugalitate.*

LACONES anguſtam menſam habent, quo propulſantes induſtria ſuā famem ad audendum concitentur, & ad dolos concinnandum. Id cibi penuriæ munus eſt, atque ideo erat anguſta menſa, ut aſſueſcerent ſaturitatem uitare, & tolerare famem poſſe. Ita namq; ad expeditiones etiam aptiores fore cenſebant, ſi per inediam ualerent laboribus ſufficere: temperantioresq́; & frugaliores, ſi perdiu exigua impenſa degerent. Item eo quòd non deſiderarent pulmentum, & quemuis paſtum caperent, putabant corpora ſalubriora reddi, ſpiritumq́; cibi defectu non coactum in profundum & latum attollere in ſublime corpora, præterea pulcra reddere: quòd graciles & exiles habitus, ad membrorum conformationem magis ductiles ſint, cùm ſaginati reluctentur ſuo pondere. Plut. in inſtitutis Laconicis.

*Nota, Imagine, Symbolo.*

Cadauer aridum inferunt AEGYPTII in conuiuia, & proponunt, commonentq́;, ut breui ſe tales futuros eſſe meminerint. Quod ipſum ut animos ab immodica hilaritate reuocat, ſic ad amicitiam & mutuam acuit caritatem: exhortaturq́;, ne uitam, quæ ſpacio exiſtit breuis, efficiamus prauis actibus longiorem. Plut. in Conuiuio.

LACON rogatus, Qua de cauſa barbam uſq; adeò promittis? Quo cernens, inquit, canos meos, nihil iis faciam indignum. Plut. in Laconicis.

# IMPROBITATIS, VITIOSITATIS DISCIPLINA IN GENERE, Putà

## MAGISTRI, DOCTORES

### QVI, QVALES. VT

*Reges, Imperatores.*

☞ *Vide Tit. Principes improbi. Illic Poſſeſſio, hic Communicatio ſpectatur.*

Ioſephus ſcribit, NEMRODVM primum induxiſſe in genus humanum iniuriam, & ſuperbiam etiam aduerſus Dominum. nam cùm manu eſſet fortiſſimus, ſuadebat populis, non Deo acceptum ferre, ſi quid contingeret boni, ſed uiribus ſuis. Ita tyrannidem inſtituit. Et ne quid in eos poſſet Deus, turrim aggreſſi ſunt extruere, qua diluuium, ſi rurſus iraſceretur Deus, effugerēt. Multitudo uerò cùm grauius putaret eſſe parére Deo, quàm mortali: ideo libēter dictis Nērodi audiens erat, turrimq́; altiſſimam cœpit erigere, quam aquæ obruere nequirent. Huius turris meminit Sibylla dicens: Cùm omnes homines unius uocis eſſent, quidam turrim ædificauerunt excelſam, tanquam aſcenſuri in cœlum per eam. Dij uerò immittentes uentos, euerterunt turrim, & uocem propriam unicuiq; partiti ſunt: propterea uocari & eſſe contigit Babyloniam ciuitatem. Viues in lib. 16. Auguſt. de ciuit. Dei, cap. 5.

TIBERIVS Imp. nouum officium inſtituit à uoluptatibus, præpoſito equite Rom. & cenſorio Priſco. Suetonius.

*Præceptores.*

THEODORVS Athenienſis, cognomento ἄθεος, obiicientibus, quòd doctrina ipſius multi redderentur deteriores: reſpondit, id aliorum uitio accidere, qui doctrinam ipſius ſiniſtra exciperent, quum ipſe dextra porrigeret. Plutarchus in libello de Animi tranquillitate.

*Parentes.*

Nero liberales diſciplinas omnes ferè puer attigit. A philoſophiæ ſtudiis mater eum AGRIPPINA auertit, identidem admonens, inutilem eſſe eam ſcientiam imperaturo: cùm Plato uir ſummus, nil magis putet neceſſarium huic, qui ſit reip. præfuturus. Sed illa non principem, ſed tyrannum agitabat animo, & tam ſibi & aliis pernicioſum, quàm poſtea Nero fuit. Sab. lib. 2. En. 7. ex Suetonio.

*Vxores.*

Gallus Cæſar, Conſtantij fratris Conſtantini Magni F. uir natura ferox, & ad tyrannidē pronior, à coniuge CONSTANTIA, Conſtantij Auguſti ſorore, muliere nefaria, plus inflāmabatur ad crudeliſſima quæq; facinora. Cuſpinianus.

Petrus Candianus, Venetorū ducis F. patre mortuo reuocatus ab exilio, uniuerſo populo id ipſum exigente, iterum Reip. præfuit, magna eorum lætitia, qui eius adoleſcentiæ annos meminerant. Nec uerò ille opinionem ciuitatis fallebat, tanta erat illius erga Rempub. & reliquos ciues moderatio atque comitas. Cæterùm bis uertente anno, mutato planè ingenio, primùm uxorem legitimam, & filium ex ea ſuſceptū dimiſit, & VALDRADAM, Guidonis Italici principis filiam, paternis bonis ſuccinctam, ſibi iunxit: quæ in paterna aula genita, diuq́; uerſata, maiores quoſdam ſpiritus marito tacitè ita ſubſtituit, ut iam ille tyrannus, nō princeps haberi poſſet. Quum igitur omnes ueterum principū bonitatem & prudentiam in eo deſiderarent, tandem ita euenit, ut totius ciuitatis conſpiratione iure optimo ſit oppreſſus: petituſq́; primùm incendio, dum cum paruulo filio tantum diſcrimen euadere tentat (quod ipſe ſibi perſuaſerat) per auerſam à tumultu partem fugiens, in infeſtiorem multo turbam incidit, quæ nullis eius precibus flexa, & ipſum & infantem ſuſtulit, eiuſq́; cadauer in macellum exportauit, quod canibus eſca foret. Quamuis Ioannis Gradonici opera in diui Hilarij ædem clàm ſit poſtea delatum. Egnatius lib. 6. cap. 8.



*Amici.*

M. Antonio Triumuiro forma inſigni quaſi peſtem aliquam adhæſiſſe amicitiam & conſuetudinē ferunt CVRIONIS, qui ſeſe effrænibus dediderat uoluptatibus: & Antonium, quò magis ſibi foret obnoxius, in uinum, luſtra, & graues profuſosq́; ſumtus immerſit. Vnde hic æs alienum grande & plus quàm ætati ſuæ cōueniebat, cōtraxit ſexagies H—S. Id omne interceſſit pro eo Curio. Quod ubi reſciuit pater eius, interdixit Antonio domo ſua. Ita hic pauliſper Clodij audaciſſimi & teterrimi illius ſeculi tribunorum furori rēp. perturbāti applicuit ſe. Cæterùm citò inſaniam Clodij pertęſus, & timens illorū uim, qui conſpirabant in illū, nauigauit ex Italia in Græciam. Illic corpus ad labores militares exercuit, & dicendi facultatem excoluit. Plut. in Antonio.

*Mercatores.*

Cicero in III. de Republica de PHOENICIBVS queritur, quòd primi mercaturis & mercibus ſuis auaritiam, & magnificentiam, & inexplebiles cupiditates omnium rerum, exportauerint in Græciam.

*Conſiliarij.*

☞ *Hic Improbitatem conſulentium ſpectamus, quæ in ſpecie conſiderata, ſub aliis aliiſq; Titulis collocanda erit.*

THEODORVS Chius, Ptolemęi regis in arte Rhetorica pręceptor, in conſilium adſcitus, cùm deliberaretur, utrum Pōpeius ab Aegypto repellendus eſſet, an admittendus: cenſuit receptum occidendum, addens hoc dictum, νεκρὸς οὐ δάκνει, id eſt, mortuos non mordere. Plut. in uita Pompeij.

## MODI. VIDELICET

*Præceptione.*

☞ *Vide paulo antè, Reges, Præceptores.*

*Admonitione.*

PYRRHVM filij adhuc pueri rogarunt, Cuinam relicturus regnum eſſet? Quibus reſpondit Pyrrhus: Qui gladium habebit acutiſſimum. Plut. in Apophthegmatis.

*Indulgentia, Permiſſione.*

Lotharius Imp. Ludouicum F. ornatiſſimo in Italiam exercitu iuſſit contendere, ac regia atq; imperatoria inſignia à nouo pontifice Sergio poſtulare, atq; ei DROGONEM Metenſem archiepiſcopum, patruum ſuum, comitem itineris, & iuuenilis moderatorem ætatis adiunxit. Ludouicus cùm in Italiam deſcendiſſet, Lombardiam liberiore quàm par erat agmine peragrauit, Drogone ipſo non ſolùm non prohibente, ſed propè etiam approbante. Bononiam uerò ubi aduenit, cùm malè ab oppidanis acciperetur, ira percitus exercitum urbi admouit: atque imparatam ciuitatem adortus, urbem leui negotio expugnauit, ac muris ad uictoriæ monumentum pœnamq́; defectionis nudauit. tantas porrò in agro ſtrages edidit, ut finitimi populi hoſtili atque inuſitata Francorum feritate perterrefacti, proprias ſedes deſererent, atq; abdita latibula incolumitatis cauſſa cōquirerent. Neq; uerò tantam ſacro in antiſtite inultam negligentiam Deus longius ſiuit. Namq; exercitu pari ulteriorum locorū cum uaſtitate ad pontem Capellæ progreſſo, repentè ex læta ſerenitate nimbus obſcuriſſimus ortus, horrenda procellarum fulminumq́; ui ſecum adducta, multos ex ipſius Drogonis comitibus perculit. Sigonius lib. 5. reg. Ital.

## DISCIPVLI. TVM

### QVI. Puta

*Filij.*

☞ *Vide Tit. Filii parentibus ſimiles improbitate.*

Latronis cuiuſdā Scoti ἀνθρωποφάγου FILIA, quum ob eſum humanarum carnium duceretur ad ſupplicium, conuerſa ad increpantes, uultu crudelitatē prę ſe ferēte: Quid, inquit, me obiurgatis ob ſcelus homine indignum? Qui ſi experti eſſetis, quàm palatum delectet humana caro, ne à liberorū quidem eſu abſtineretis. Ita perpetrati criminis impœnitēs uiua terra obruta eſt. H. Boethius lib. 18.

*Reges, Principes.*

DIONYSIVS minor Syracuſanorū tyrannus, nō fuit natura malus: ſed ueritus pater eius, ne ſi animi ei creuiſſent, & cōſuetudine uteretur hominum cordatorum, inſidiaretur ſibi, & dominatu ſpoliaret: incluſum aſſeruauit in conclaui. Vbi uſu deſtitutus alio, parua plauſtra, candelabra, ſedes ligneas & menſas fabricabatur. Plut. in Dione.

CAROLVS IIX. Gallorum rex, Ludouici XI. filius, Ambaſię educatus fuit: præter domeſticos miniſtros à patre rege attributos, nemini eius adeundi uiſendiue copia data. Latinè ſcire pater eum uetuit, præter illud unum, Qui neſcit ſimulare, neſcit regnare. Aemilius lib. 10.

### QVOMODO. NEMPE

**Interna ſubiectione ſuiipſius.**

MEDEA apud Euripidem Iaſonis odio communes interfectura liberos, poſt longam diſputationem inter rationem diſſuadentem, & iram tantū facius ſuadentem, tandē infert:

Θυμὸς δὲ κρείσσων τῶν ἐμῶν βουλευμάτων,
ὅσπερ μεγίστων αἴτιος κακῶν βροτοῖς.

Furor uerò ſuperior eſt meis conſiliis: qui ſanè maximorum auctor eſt malorum hominibus.

**Conuerſatione, Imitatione.**

*Vxorum.*

☞ *Vide paulo antè, Improbitatis magiſtri Vxores.*

*Amicorum, Sociorum.*

TELEMACHVS abſente patre Vlyſſe ad Troiam, ſub matris Penelopes tutela molliter educatus, procorum quinetiam conuerſatione corruptus, patri diſſimillimus euaſit.

ANDRONICVS iunior, Michaelis F. auo Andronico ſeniori Imp. ita carus, ut ne noctu quidem illius abſentiam ferre poſſet; adoleſcentiæ limen ingreſſus, libidini habenas laxauit: cùm ij, quibuſcum uerſabatur, æquales eius, ſe cupiditatum miniſtros præberent. Auo autem parcè ſumtum præbente, æs alienum ingens contraxit, eumq́; tandem per coniuratos imperio deturbauit. Gregoras lib. 8.

*Peregrinorum.*

Tyndareus accuſans MENELAVM, quòd defenderet matricidam Oreſtem, culpam reiicit in diuturnam conuerſationē eius cum Barbaris, apud Eurip. in Oreſte, inquiens:

Βεβαρβάρωσαι, χρόνιος ὢν ἐν βαρβάροις.

In Hiſpania, antequam auri argentique uenæ reperirentur, & bella ſunt perpauca geſta, & multi philoſophati, & POPVLI ſanctiſſimis moribus uixēre ſecuri quietiq́;. Singuli populi à magiſtratu annuo regebantur uiris præſtantiſſimis eruditione & probitate: æquo & bono tranſigebantur res, non legum numero. Arſerunt uerò quidam montes metallis grauidi, & auro argentoq́; eliquatis, cœperunt homines nouam atq; inuſitatam admirari materiam. Hinc Phœnicibus, qui quæſtus gratia totum orbem nauigiis peragrabant, oſtenſis opibus, frequentes ex tota Aſia uicinisq́; inſulis in Hiſpaniam coloniæ miſſæ. Hi rudes malitiæ ac uitiorum populos Aſiana Gręcaq́; docuēre ſcelera. Hinc ſubitò exorta Hiſpanis ſuorum metallorum admiratio & cuſtodia: hinc lites, hinc rapinæ: cædes primùm priuatæ, & latrocinium paucorum, demùm apertum publicumq́; gentium inter ſeſe concurrentium, quod uocant bellum, ducibus alienigenis, & inprimis Phœnicibus, tantorum non modò in præſens, ſed in poſterum quoq; malorum auctoribus & magiſtris. Viues in lib. 8. Auguſtini de Ciu. dei, cap. 9.

CLEOMENES, Spartanorum rex, diuturna cōuerſatione cū Scythis ipſe cùm feritatem tum ebrietatem illorum ſic imbuit, ut poſt multa crudelitatis inſolentiſſimæ exempla tandem ad inſaniam redactus, in ſeipſum crudeliter ſæuierit. Plutarchus.

BOLESLAVS, Polonorū rex, Caſimiri ex monacho regis F. commixtus gentilibus didicit opera eorum, & ſeruiuit immunditiis eorum: intermiſſoq́; uirtutum ſtudio, factus eſt ſentina omnium uitiorum. Cranzius lib. 3. Vandalię, cap. 12.

**Victoria.**

Ante Carthaginem deletā pop. & ſenatus ROM. placidè modeſteq́; rempub. inter ſe tractabant: neq; gloriæ certamen, neq; dominationis inter ciues erat: metus hoſtis in bonis artibus ciuitatem cōtinebat. Sed ubi illa formido à mentibus diſceſſit, ſcilicet ea, quæ res ſecundæ amant, laſciuia atq; ſuperbia inceſſēre. Proinde rectè Plinius libro 33. capite 11. Pariter luxuria nata eſt, & Carthago ſublata: ita congruentibus fatis, ut liberet amplecti uitia, & liceret peccare.

HELVETIORVM fortitudo & frugalitas & ſimplicitas bello Lotharingico, quò terrorem illum Galliæ Carolū Burgūdum ad Nanceium cæcidēre, maximè innotuit. Itaq; Ludouicus XI. nil priùs habuit, quàm ut eā gentē ſibi cōciliaret.

Franci-

Franciſcus I. bello Mediolanenſi quantumuis uictor, uirtutem in hoſte admiratus, primores gentis maximis muneribus, priuatos lautiſſimorum ſtipendiorum ſpe in ſuas partes pertraxit. Secutus Henricus II. cum tota gente ſocietatem populariter iniit. Ergo dum ſociis mercede annua militamus, cum auro peregrino mores peregrini irrepunt, frugalitatis auitæ contemtus ſurrepit, robur deliciis eneruatur, iuſtitia atque fides munerum aſſuetudine labefactatur. Ergo uicimus externos & quidem alienos hoſtes, ut multò fœdiore ſtrage ab internis hoſtibus conficeremur?

## Abundantia, Vbertate.

Subacta à Scotis & Pictis BRITANNIA, à Maximiano tyranno & militibus & incolis in Armoricam traductis exhauſta, ciuili item bello inter plebeios & nobiles orto, miſerè lacerata eſt. Secuta fames ingens tres continuos annos, permultos abſumſit. Hanc ſecuta frugum ubertas, quantam nulla retrò acta ætas meminit. Vnde luxuries inſolita, omniumq; ſcelerum colluuies, inter Britones, deliciis & uoracitati, neglecta maiorum uirtute, deditos, nata: crudelitas inſuper, ueritatis odium, amor mendacij, atq; alia innumera hominibusq; indigna flagitia, adeò ut ſi quiſpiam mitius ſe gereret, aut ueritati propior uideretur, in eum quaſi patrij inſtituti ſubuerſorem, omnium odia telaq; torquerentur. Et non modò populares (ut refert Beda) ea inficiebantur labe: ſed & nobiliores gentis, imò Chriſti ſacerdotes, ac dominici gregis paſtores, eo temporis aleatores facti, ebrietati, litigio, contentioni, inuidiæ, cæteriſque huiuſmodi facinoribus ſua colla impudenter ſubdiderunt. Perdidit ea lues Britannicam gentem, opibus, uirtute & belli gloria olim pollentem, crudeliùs longè quàm antea unquam gladius. Acceſſit dira peſtis, quæ breui tantam uim hominum ſtrauit, ut ſepeliendis mortuis, uiui non ſufficerent. Sed nec pereuntium calamitas, nec mortis timor, quos plaga non percuſſerat, ab animi morte potuit reuocare: adeò corruptus ille populus flagitiis ſeſe addixerat. Hæc fuêre in cauſa, ut breui gens ea, numinis ultione, ſuapte culpa Saxonum armis expugnata, amiſſo regno, nunquam deinceps priſtinum ſuum decus recuperare potuerit. Hector Boethius libro 8.

# BONI VIRI IN GENERE.

## POPVLI BONI.

De PRISCIS hominibus ſub Saturno ſic ſcribit Aratus in Phænomenis:

> Οὔπω λευγαλέου τότε νείκεος ἠπίσταντο,
> οὐδὲ διακρίσιος περιμεμφέος, οὐδὲ κυδοιμοῦ.
> αὔτως δ' ἔζωον, χαλεπὴ δ' ἀπέκειτο θάλασσα,
> καὶ βίον οὔπω νῆες ἀπόπροθεν ἠγίνεσκον.
> ἀλλὰ βόες καὶ ἄροτρα καὶ αὐτὴ πότνια λαῶν
> μυρία πάντα παρεῖχε δίκη δώτειρα δικαίων.

Nondum diras nouerant contentiones, neq; diſceptationem querimoniis plenam, neq; tumultum aut bellum: ſed ſimpliciter uiuebant: & procul aberat mare periculoſum: necdum naues è longinquis regionibus annonam aduehebant. Sed boues, & aratra, & ipſa domina populorum copioſa omnia ſuppeditabat Iuſtitia, largitrix iuſtorum.

Notus eſt Ennij uerſus ex Cic. lib. 3. & 5. de Repub. de ROMANIS priſcis:

> Moribus antiquis res ſtat Romana uiriſq;.

Non alia gens laudatior q̃ MASSILIENSIVM in Gallia Narbonẽſi, ſi Ciceroni credimus, ſiq; uera memorat Valeri9 Maximus libro ſecundo, capite de Inſtitutis, multa commemorans de diſciplina eius ciuitatis, quæ nec mimos ullos in ſcenam admiſerit, ne parum pudicis fabularum argumentis ciuium mores inficerentur: nec eos, qui religionis prætextu uitam inertem & otioſam ſectarentur, intra portas receperit. Aliaq; id genus de Maſſilienſium ſeueritate referuntur apud auctores. Eraſmus in Adagiis.

SCYTHÆ moderatiſſimi & abſtinentes, & ſuapte natura probi: quod Romani ac Græci uix præceptis ac diſciplinis philoſophorum conſequi potuerunt. Plus enim his profuit ignoratio uitiorum, quàm illis cognitio uirtutis. Bonfinius libro 2. Decadis 1.

Apud GERMANOS plus boni mores ualent, quàm alibi bonæ leges. Cornel. Tacitus de moribus Germanorum.

## PRIVATI HOMINES.

*Conſule Tit. Præconiorum & Encomiorum: item, Nomina impoſita à Iuſtitia: item, Iudicium prudens de bonis animi.*

RIPHEVM Troianũ Vergil. lib. 2. Aen. commẽdat his uerbis:

> — cadit & Ripheus, iuſtiſſimus unus
> Qui fuit in Teucris, & ſeruantiſſimus æqui.

De EMATHIONE Ouidius lib. 8. Metamorphoſeon:

> Emathion æqui cultor, timiduſq; deorum.

LAMPONEM Aeginetam Pindarus ode 6. Iſthmiorum laudans, inter cætera inquit:

> καὶ ξείνων εὐεργεσίαις ἀγαπάζει.
> μέτρα μὲν γνώμᾳ διώκων,
> μέτρα δὲ καὶ κατέχων,
> γλῶσσα δ' οὐκ ἔξω φρενῶν.
> φαίης κέ νιν ἄνδρ' ἐν ἀεθληταῖσιν ἔμμεν,
> Ναξίαν πέτραις ἐν ἄλλαις
> χαλκοδάμαντ' ἀκόναν.

Sed & beneficentia, quam in hoſpites exercet, commendatur. Moderata enim in animo ſuo ſequens, moderata etiam obtinens, linguam non imprudentem gerit. Dixeris illum inter athletas eſſe id, quod cos Naxia ferrum domans inter reliquas petras.

Athenienſem urbem uerè dicunt VIROS, qui uirtutem ſectãtur, optimos: & qui uitia, teterrimos ferre. ſicut tellus eorũ optimũ mel & cicutam edit exitioſiſſimam. Plut. in Dione.

PHOCION, Proci filius, multis pecunias dedit: & filias aliorum elocauit, & omnibus ſua remiſit. Bonus igitur uocatus eſt communi ſuffragio, in concione. Cùm ius dicebat, ſemper abſoluebat. Quod uerò de Satyro Demoſthenes & Apollophanis filiabus dicit, hoc quidam ad Phocionem referunt: & illum accepiſſe illas, Athenaſq; perductas elocaſſe tradunt. Suidas.

Ennius ſeptimo Annalium, ſub SERVILII perſona, uiri optimi munus deſcribit:

> Ingenium cui nulla malum ſententia ſuadet
> Vt facinus faceret: lenis, tamen haud malus: idem
> Doctus, fidelis, ſuauis homo, facundus, ſuoq;
> Contentus, ſcitus, atq; beatus, ſecunda loquens in
> Tempore, commodus, & uerborum uir paucorum,
> Multa tenens antiqua, ſepulta & ſæpe uetuſtas
> Quæ facit, & mores ueteresq; nouoſq; tenentem,
> Multorum ueterum leges, diuûmq;, hominumq;
> Prudentem, qui multa loquíue, tacerêue poſſet.

Horatius lib. 4. Carminum LOLLIVM his uerbis commẽdat:

> —eſt animus tibi,
> Rerumq; prudens, & ſecundis
> Temporibus, dubiiſq; rectus,
> Vindex auaræ fraudis, & abſtinens
> Ducentis ad ſe cuncta pecuniæ:
> Conſulq; non unius anni,
> Sed, quoties bonus atq; fidus
> Iudex honeſtum prætulit utili, &
> Reiecit alto dona nocentium
> Vultu, & per obſtantes cateruas
> Explicuit ſua uictor arma.

Aſclepiodoti inueſtigatione, qui Athenis iniuit in Syriam peregrinationem, ut mores hominum perſpiceret, Viri boni tantummodo tres numero inuenti fuere. ILAPIVS apud Antiochiam philoſophus: Laodiceæ MARES, omnium eius ætatis iuſtiſſimus: & DOMNINVS philoſophus, cognomento Ariſtides. Cælius lib. 14. cap. 3. A. L. ex Suida, & Plut. de Socratis dæm.

# PROBITAS ADIVNCTVM HABENS ALIQVOD BONVM VEL MALVM: Huc pertinent

## BONI SIMVL ET SAPIENTES.

*Conſule Tit. Sapientum, quatenus iidem & eruditione & practicis uirtutibus excelluerunt, quos Græci præclarâ uoce καλοκαγαθοὺς uocant.*

Quotquot nouêre SOCRATEM, qualis fuerit (inquit Xenophon lib. 4. Memorabilium) ex iis qui uirtutis cupidi ſunt, etiam nunc eum perpetuo deſiderio exoptant, ut qui ad uirtutis ſtudium utiliſſimus fuerit. Mihi quidem, qũum talis eſſet, qualem commemoraui (nimirum adeò religioſus, ut ſine deûm conſilio nihil ageret: adeò iuſtus, ut nemini ne in exigua quidem re noceret, prodeſſet autem iis maximè, qui ipſo uterentur: adeò continens, ut nunquam id quod iucundius eſſet, meliori anteponeret: adeò prudens, ut in melioribus ac peioribus diiudicandis non erraret, neque alterius ad hoc opera egeret, ſed ipſe ſibi ad cognitionem horum ſufficeret, atq; etiam oratione proferre ac definire huiuſmodi



huiuſmodi poſſet: ac cæteroquin etiam aliquem explorare, delinquentem arguere, ad uirtutem ac honeſtatem hortari) eiuſmodi uir eſſe uiſus eſt, qualis eſſe poſſit optimus & feliciſſimus.

Quæ regna, aut quæ uictoriæ, uel quæ doctrina tantum maieſtatis in homine aliquo poſuit, quantum integritas bonitaſque ZENONI Cittiæo Cyprio philoſopho peperit? Apud eum enim, dum Athenis moratus eſt, ciues portarum urbis claues poſuerunt: tutiore eas eſſe loco, quàm quouis in templo putãtes: certius illi, quamuis peregrino, communem ſalutem, quàm ulli conciuium ſuorum credentes. Cuius uirtutem ut populus Athenienſis, quanti à ſe facta eſſet, teſtaretur, aurea ſtatua corona inſigni donauit. Fulgoſus libro ſecundo, capite 5.

XENOCRATES, cariſſimus Platoni magiſtro diſcipulus, ei fuit comes in Siciliam tranſmittenti, hebeti ingenio, ſed ſeuero, ſanctiſq; moribus. Plato hunc calcaribus, Ariſtotelem condiſcipulum freno dicebat indigere. Eum Plato ſic dilexit, ut iurantibus illum de ipſo malè dixiſſe, non crediderit: fieri non poſſe reputãs, quin redamaretur ab eo, quem ipſe tantum amaret. Hunc iudices pro teſtimonio iurare non ſunt paſſi: rati nefas eſſe tam probo uiro fidem non habere, etiam iniurato. L. Viues in librum octauum Auguſtini de Ciuitate Dei, capite 12.

ISOCRATES Athenienſis tria reliquit præclarè actę uitę monumenta. Primum perſeuerantiæ, quòd cùm octo & nonaginta annos uixiſſet, nunquam diſcipulos habere deſiit. Alterum modeſtiæ, quòd ſemper fuit à publicis negotiis atq; curis ſeiunctus. Tertium, quòd ſibi libertatem rerum omnium cariſſimam fuiſſe declarauit. Poſt acceptum enim de pugna ſuorum infelici ad Chæroneam nuncium, præ animi ægritudine uoluntariam mortem oppetiit. Pauſan. in Attic.

## BONI SIMVL ET INDOCTI.

*Ex Tit. Principum indoctum, quædam huc transferri poterunt.*

## BONI PONTIFICES, EPISCOPI.

*Conſule Tit. Doctorum Eccleſiaſticorum.*

ZACHARIAS I. natione Græcus, inter optimos Pontifices annumeratur. Fuit enim uir mitiſſimi ingenij, miræ ſuauitatis & gratiæ, omni uirtute præditus, cleri ac populi Romani amator: ad iram tardus, ad miſericordiam & clementiã promtiſſimus, nulli malum pro malo reddens, ſed ad imitationem Saluatoris, malum in bono uincens: & adeò quidẽ, ut quos habuerat æmulos & inimicos, eoſdem poſtea inito pontificatu honoribus & præmiis affecerit. Platina.

PAVLVS I. Pontifex, uir mitiſſimi ingenij, clementiæq; ſingularis, & adeò Saluatoris noſtri imitator, ut nulli unquã malum pro malo redderet: ſed contrà malos, à quibus perſæpè iniuria afficiebatur, in bono uinceret. Noctu cum duobus aut tribus familiaribus cubicula pauperum ægrotantium circuibat, unumquenq; eorum & uerbis & eleemoſynis ad recuperandam ualetudinem cohortatus. Carcerem frequenter adibat, indeque pleroſque ære alieno nexos, perſoluto creditoribus precio liberabat. Pupillos & uiduas circumuentas fraude cauſidicorum tuebatur, & eleemoſynis ſuſtentabat. Platina.

LEO III. Pontifex fuit uir caſtus, integer, pudicus, facundus. Doctorum uirorum ita amator, ut eos undequaque ad ſe præmiis alliceret, eorumque conſuetudine mirum in modum delectaretur. Præterea uerò ægrotos uiſere, eoſque ad patientiam adhortari, eleemoſynas indigentibus prębere, deſperatos conſolari, errantes in uiam rectam deducere, pręedicationibus, admonitionibus, quibus plurimùm ob eloquentiam & doctrinam ualebat, ei peculiare fuit: ita mitis ingenij, ut omnes diligeret, neminem odio haberet: tardus ad iram, ad miſerendum promtus, inſignis pietate, fortiſſimus rerum eccleſiaſticarum honoriſq; diuini procurator & defenſor. Platina.

SERGIVS IIII. ſanctiſſimæ uitæ, gratæque conſuetudinis, & ante pontificatum & in ipſo magiſtratu fuit. In pauperes liberalis, in amicos & familiares iucundus, in delinquentes clemens, in contumaces modeſtus. Tantæ præterea prudentiæ, ut toto ſuo pontificatu nil commiſſum ſit, quo meritò reprehendi gubernantis negligentia poſſet. In Deum enim omnem mentem conuertens (quod facere Pontifices omnes deberent) iuſtè atq; integrè omnia ex animi ſui ſententia, bene natura & moribus inſtituti, gubernabat. Platina.

BONIFACIVS IX. patria Neapolitanus, Petrus cognomento, Tomacellus anteà uocatus, etſi annorum circiter triginta eſſet, dum pontificatum iniit: ita tamen uixit in tanta peccandi licentia, ut nulla ei libido, nulla uoluptas impingi uel obiici poſſet. Iuuentutem certè cum ipſa ſenectute commutaſſe uidebatur. Fuit præterea tanti animi conſilijq;, ut primus populi Romani uim omnem in Pontificem tranſtulerit, creatis ſuo nutu magiſtratibus omnibus, munitaq; ſancti Angeli arce, in mole Hadriani ſita, ad Tiberis pontem, quo ab urbe in Vaticanum itur: munitiſq; item pontibus, quibus in Tranſtiberim Romani commeant. Platina.

PIVS II. Pontifex, Aeneas Syluius priùs dictus, inter poſterioris temporis optimos Pontifices referri debet. Cuius uirtutes & domi & foris abundè perſequitur Platina.

## BONI VIRI PRINCIPES, REGES IMPERATORES.

*Hic Bonitatis in genere habetur ratio, quatenus uarias uirtutes complectitur. At quia, ut Theognis ait, ἐν δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή 'στι, ideirco pleraque exempla Titulo, Iuſtorum in genere, inſeruient. Auctoritatem autem ſcriptorum hic ſequimur. Alioqui ad philoſophicam trutinam ſi quædam examinentur, locum profectò tueri non poterunt. Notum eſt enim ſcurræ illud, Omnium bonorum principũ imagines in uno anulo exculpi poſſe.*

Principio rerum, gentium nationumq; imperium penes REGES erat, quos ad faſtigium huius maieſtatis, non ambitio popularis, ſed ſpectata inter bonos moderatio prouehebat. Iuſtinus lib. 1. ex Trogi Pompeij hiſtoriis.

IOAS rex Iudæorum optimus, quandiu Ioiada ſacerdos uixit. 2. Reg. 20.

IOSIÆ regis Iudæorum pietatem, ueluti ideam boni principis, ex Bibliis pete.

IOSAPHATVS Iudæorum rex pietate & otio florebat. Deſtinauerat ille præter cætera iuſtitiæ documenta, quę à principio ſui regni poſuerat, ſacerdotes ex Hieroſolymis circa urbes, quæ ſuo parebant imperio, ut patrias populo leges prædicarent, ad earumq; cultum hortarentur. Quo piè inſtituto, mirè iuſtitia & æquitas toto regno creuerat. Huius rei fama moti reges & circumiectæ gentes, ultrò Ioſaphati amicitiam per legatos poſcere, multaq; & magna undiq; illi congregabantur munera. Sed neq; ſolers diuinorum cura ſtudiumq; à reliqua adminiſtratione regium auertit animum. Nullus unquam Hebræorum regum tot hominum millia habuit in armis. Ioſephus auctor nouies centum millia bellatorum ſub eius ſignis militaſſe: ſunt qui duodecies & ampliùs ſcribant. Hunc felicitatis curſum unum duntaxat factum deformauit, quòd Ioras eius filius Gotholiã, Achabi filiam, uxorem ſibi deſpondit. Sab. lib. 1. En. 2. ex 4. Regum 19. & 2. Palalip. 19.

Ex Saturno Vrani F. impio & auaro IVPITER ortus. Qui quoniam, diuerſa à patre uitæ inſtitutione, erga ſingulos, manſuetudine atq; humanitate uſus eſt, à populo Pater eſt nominatus. Regnum is deinde cepit, uel concedente patre, uel (ut quidam uolunt) populis à patre per odium deſciſcẽtibus. Aduerſus quem cùm Saturnus Titanum præſidio fiſus pugnaſſet, acie uictus eſt. Iupiter ſuperior imperium aſſecutus, uniuerſum orbem perambulauit, plurimum de genere hominum meritus. Viribus corporis uirtutibuſq; excellens, breui totius orbis imperio potitus eſt. Omne eius ſtudium in puniendis impiis facinoroſiſq; hominibus, ac in bonorum præmiis, communiq; populorum utilitate uerſabatur. Quibus rebus poſt uitæ finem ἀπὸ τοῦ ζῆν, à uiuendo, Ζῆνα dixêre, eo quòd bene uiuendi cauſa hominibus extitiſſet, ut Latini à Iuuando Iouem. Creditus uerò deus in orbe eſt ab iis, de quibus benè meritus, ſponte illum omnibus & deum & dominum in ſempiternum uniuerſi orbis profitentibus. Diod. lib. 3. cap. 5.

Homerus AGAMEMNONEM ποιμένα λαῶν, id eſt, Paſtorem populorum appellat: quòd quemadmodum paſtorem oportet curare, ut ſaluæ ſint oues, ac habeant unde uiuant: ſic etiam imperatorem curare neceſſe eſt, ut exercitus ſaluus ſit, illudq; perficiat cuius rei gratia militat. Militant uerò, ut hoſtibus ſuperatis feliciores ipſi ſint. Cur namq; ita laudaſſet Agamemnonem (ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής) niſi quòd probet illum eſſe militem fortẽ, qui non ſolùm aduerſus hoſtes fortiter luctetur, ſed omni etiam exercitui huius cauſa ſit: regemq; bonum, qui non ſolùm bene regat ſe, ſed etiam illis, quos regat, felicitatis cauſa ſit? Rex namq; eligitur, non ut ſuiipſius cauſa agat, & curam habeat: ſed ut per ipſum illi, qui eum elegerunt, in felicitate degant. Similiter militant omnes homines, ut quàm optima uita fruantur: imperatores pręficiunt, ut ad hoc eos ducant. Oportet igitur imperatorem proſpicere, ut hoc idẽ eligentibus conferat: nec etiam aliud melius iſto facile eſt reperire, nec contrario turpius. Xenophon de Dictis & factis Socratis. Eadem de cauſa Iliad. δ. δαίφρονα ἱππόδαμον uocat ATREVM. δαίφρων prudentem ſignificat, à diuidendo animo in omnes caſus. ἱππόδαμος fortitudinis bellicæ argumentum eſt. Iam quia regem bonum & exemplo omnigenarum uirtutum, & conſilio prudenti ſuis ſubditis præeſſe

oportet: eapropter Homerus paſſim coniungit, ἀγχίνοοι (exemplo bono) ἠδὲ μήδοντες (prudenti conſilio, à uerbo μήδομαι.) Euſtath. Iliad. β.

Phryges præclara & mirifica facta μανικὰ nuncupant: quòd in priſcis regibus MANIS quidam uir bonus & pollens apud eos fuerit: quem ſunt, qui Maſdem dicunt. Plutarchus de Iſide & Oſiride.

THESEVS Athenienſium ciuitatem, quæ priùs ſparſim & uicatim habitabat, in unum locum congregatam, Græcarum urbium ampliſſimam fecit. Deinde patriam communem omnibus conſtituit: & liberatis ciuium animis, in contentione honorum parem aditum ad magiſtratus omnibus eſſe uoluit. Confidebat enim, ſe non minus fore principem, ſi ſe ſe exercerent, quàm ſi torperēt ignauia. Cùm autem ſciret, eos honores, qui à uiris magnanimis deferrētur, longè ſuauiores eſſe, quàm eos qui à ſeruitute oppreſſis haberentur: tantum abfuit ut quicquam ciuibus inuitis ageret, ut & ipſe ſummam rerum penes populum eſſe uellet, & illi ei ſoli principatum deferrent: exiſtimantes eius monarchiam fideliorem & æquiorem fore ſua democratia. Non enim, quod alij ſolent, labores ciuibus mandabat, uoluptates ſolus ipſe capiebat: ſed pericula ſibi ſeorſim uendicabat, utilitates communes eſſe omnibus uolebat. Quare uitam & ſine ullis inſidiis, & ſumma omnium caritate peregit: non peregrino milite imperium muniens, ſed beneuolentia ciuium ſe tuens: poteſtate rex, beneficiis popularis. Iſocrates in Helena.

Ouid. libro 6. Metamor. de ERECHTHEO Athenienſium rege ſic meminit:

Sceptra loci, rerumq; capit moderamen Erechtheus,
Iuſtitia dubium eſt ualidis'ne potentior armis.

VEXORES, rex Aegypti, & TANAIS rex Scythiæ, Nini primi Aſſyriorum regis temporibus (quorum alter in Pontum, alter in Aegyptum uſque exceſſit) longinqua, non finitima bella gerebant: nec imperium ſibi, ſed populis ſuis gloriam quærebant, contentique uictoria, imperio abſtinebant. Iuſtinus libro 1.

Apud Aegyptios SESOSTRIS & RHAMPSINITVS reges iuſtiſſimi fuerunt. Poſt eos centum & ſex annis ſub Cheope & Chephrene regibus, miſeris afflicti fuerũt modis. Poſt Chephrenem ſucceſſit MYCERINVS, Cheopis F. qui paterna peroſus facta, & templa reſerauit, & populo ad ultimum calamitatis afflicto fecit poteſtatem res agendi & ſacrificandi: quinetiam ſuper omnes reges iuſtitiam exercuit. Quo nomine ex uniuerſis regibus hunc Aegypti maximè prædicãt, tum ob alia quæ bene iudicabat: tum uerò quòd conquerenti de ipſius ſententia, de ſuo donabat, ut indignationi hominis ſatisfaceret. Herod. lib. 2.

Xanthus ſcribit, Lydorum regno potitum quandoque ALCIMVM, & qui præcipua fuerit inſignis pietate, ingenioque mitiſſimo. Proinde ſtationis eius tempore uniuerſo Lydis altiſſimam contigiſſe pacis pinguiſſimæ tranquillitatem, & diuitias quoq; affluentiſſimas: ita quidem, ut intrepidè ageret unuſquiſq;, omninoq; citra inſidiarum ullum metum, ἀδεῶς, ἐ ἀνεπιβουλεύτως. Cælius lib. 19. cap. 29. A. L.

CYRVS, Perſarum rex, non iuſtitię ſolùm, ſed omnium etiam regiarum uirtutum exemplum fuit, ſi modò Xenophontis Pædiæ uera eſt narratio.

Darius SCYTHEN Zanclęorum regem cenſuit omniũ, quos uidiſſet, iuſtiſſimum. Herod. lib. 5. & Aelianus.

SITALCES Thracum rex, cùm anguſti admodum agri regnum accepiſſet, fortitudine & prudentia in diuerſas gentes amplum ſibi parauit imperium. Namque optimis artibus rem gerendo, ſubditos benignitate magis & clementia, quàm imperandi iure faſtuque ſibi deuinxit, cunctaque beneficiis ſuis læta obnoxiaque reddidit, uir animo inuicto, præſtantique in præliis robore, & natura bellicoſa. Diodorus lib. 12. Olymp. 88.

Pliſtarchus Leonidæ filius, cuidam roganti, quam ob cauſam REGES Lacedæmoniorum poſteriores non à priſcis regibus cognomen ſortirentur? Quoniam, inquit, illi ducere, hi regnare maluerunt. Primus omnium regum Lacedęmoniorum Agis dictus eſt: & hoc nomen in aliquot poſteriores demanauit. Agidis autem nomen deriuatur, ἀπὸ τοῦ ἄγειν, à ducendo, quoniam clementer imperabat: & regium eſt, imperare potiùs, quàm perſuadere. Pliſtarchus autem ſonat, plurimis imperantem. Plutarchus.

ARISTON Lacedæmoniorum rex probatiſſimus, adeò ut populus pro eo uota fecerit, ut filius naſceretur, ne tam præclara ſoboles interiret. Natus eſt ei filius, cui nomen fecit Demarato, quia populi uotis adeptus uideretur. Herodotus libro 6.

POLYDORVS Alcamenis F. rex Lacedæmoniorum, ex familia Agidarum, Spartanis omnibus cariſſimus, quòd nihil unquam aut per uim egiſſet, aut dixiſſet cum alterius contumelia, iuſtitiamque in tota iuriſdictione cum ſumma humanitate coniunxiſſet. Ob idipſum quoq; in reliqua Græcia florebat. Pauſanias in Lacon.

AGESILAVS Spartanorum rex, omni bellica urbanaq; uirtute Græcorum longè princeps ſua tempeſtate. Nemo unquã toto ipſius principatũ ab eo ſpoliatus dicitur. Dicere ſolebat, optimi imperatoris eſſe, non ſe, ſed exercitum ditare, ueriſſimumq; regis officium, quàm plurimos beneficio afficere. Pulcrum, hoſtium mœnia expugnare: ſed multo pulcrius, fœdas uoluptates continere, nec deos magis caſta templa, quàm iuſta mortalium opera delectare. Neque ille prædicauit hæc tantùm, ſed & præſtitit. Quo contigit, ut iam grandis natu uita defunctus, non minus tamen deſiderium ſui ciuibus reliquerit, quàm ſi florenti ætate, medioque bellorum curſu, uiolento aliquo caſu, fuiſſet extinctus. Sabell. libro 2. Enneadis 4.

PHILIPPVM Alexandri genitorem memoriæ prodidit Theophraſtus, non maieſtate modò cæteros reges, ſed fortuna quoq; & ingenij modeſtia antecelluiſſe. Plutarchus in Apophthegmatibus.

Cernere in ALEXANDRO Magno eſt, uim bellicam humanitate conditam, lenitatem uirilem, frugi largitatem, placabilem iracundiam, amores caſtos, animi remiſſionem non otioſam, labores non irrecreabiles. Quis temperauit bellis feſta? quis comeſſationibus expeditiones? quis urbium obſidionibus & rerum actibus bacchationes, nuptias, & hymenæos? Quis ius uiolantibus infeſtior, aut mitior ærumnoſis? Quis repugnantibus durior, uel ſupplicibus facilior? Plut. orat. 1. de Alexand. fortuna.

Theocritus in Encomio PTOLEMÆI: Ἀνδρῶν δ' αὖ Πτολεμαῖος ἐνὶ πρώτοισι λεγέσθω, Καὶ πύματος, καὶ μέσος, id eſt, Aſt hominum in numero decantetur Ptolemæus, Primus & ultimus, ac medius.

PHILIPPVS, Herodis Antipæ frater, præfuit trigintaſeptem annis Trachonitidi & Gaulonitidi, ac Bataneæ, uir perpetuò modeſtus, & amator quietis ac otij. Degebat enim ſemper in ſua ditione. Quoties domo progrederetur, iter faciebat cum paucis ſelectis comitibus, ſubſequente ſella, in qua ſedens ſolebat iura reddere: & ſi quis ex occurſu opem eius inuocaret, ſine dilatione mox ibi ſella poſita reſidens cauſam cognoſcebat, aut ſontem damnaturus, aut abſoluturus innoxium. Ioſephus lib. 18. cap. 6.

NVMA Pompilius, ſecundus Romanorum rex, ciuibus & peregrinis integerrimum iudicem & conſultorem ſe præſtitit. Otium quod ſupererat non ad uoluptates, non ad quæſtũ, ſed ad deorum cultum, & ſuorum ſalutem conuertebat. Plutarchus in eius uita.

SERVIVS Tullus, Rom. rex, iuſtus & mitis, in animo habuiſſe dicitur, liberare patriam, formamq; Reipub. qualis poſtea ſecuta eſt, inducere, ni optimis conſiliis domeſticum ſcelus interueniſſet. Sab. lib. 5. En. 2.

AVGVSTVS Cæſar imperium à C. Iul. Cæſare tum propinquitatis, tum hereditatis iure accipiens, uel potiùs pulſis ac interfectis parricidis tyrannisq;, remp. uſurpare conantibus, monarchiam orbis terrarum in meliorem formam redigens, ſuis temporibus miram felicitatem præſtitit. Nam pacatis rebus tum externis, tum domeſticis, tanto in honore non ſolùm apud ſuos, uerumetiam apud exteros reges fuit, ut eius nomine ciuitates conderent, quas Sebaſtas uel Cæſareas appellarunt. Venêre etiam multi reges ad urbem uiſendi eius cauſa: quos ita comiter & perbenignè ſuſcepit, ut ex amicis ſibi amiciſſimos redderet. Cum ciuibus ſuis humaniſſimè uixit: in delinquentes clemens, erga amicos liberaliſſimus eſt habitus: in comparandis amicis rarus, in retinendis conſtantiſſimus. Platina.

DRVSVS Germanicus, Claudij Cæſaris pater, fuiſſe creditur non minus glorioſi, quàm ciuilis animi. Nam ex hoſte ſuper uictorias, opima quoq; ſpolia captaſſe, ſummoq; ſæpius diſcrimine duces Germanorum tota acie inſectatus: nec diſſimulaſſe unquam priſtinum ſe Rep. ſtatum, quandocunque poſſet, reſtituturum. Vnde nonnulli tradere auſi, ſuſpectum eum Auguſto, reuocatumq; ex prouincia: & quia cunctaretur, interceptum ueneno. Suetonius.

Omnes GERMANICO Druſi F. corporis animiq; uirtutes, quantas nemini cuiquam, contigiſſe ſatis conſtat: formam & fortitudinem egregiam: ingenium in utroq; eloquentiæ doctrinæq; genere pręcellens: beneuolentiam ſingularem, conciliandæq; hominum gratiæ, ac promerendi amoris mirum & efficax ſtudium. Orauit cauſas etiam triumphalis: atq; inter cætera ſtudiorum monumenta reliquit & comœdias Græcas. Domi foriſq; ciuilis. Suetonius.

Rebellione trium principum, & cæde Galbæ, Othonis & Vitellij, incertum diu & quaſi uagum imperium ſuſcepit firmauitque tandem gens Flauia: obſcura illa quidem, ac ſine ullis maiorum imaginibus, ſed tamẽ Reip. nequaquam pœnitenda. Vt VESPASIANVM patrem prætéream, TITVS certè non modò ſenatorem, quàm diu principatum tenuit, nullum interfici iuſſit: ſed nec alius quiſquam ſub eius imperio morte affectus eſt. De crimine læſæ maieſtatis nunquam cognouit, neq; permiſit aliis ut cognoſcerent. Nemo enim, inquit, iniuria me afficere, aut inſequi contumelia poteſt: propterea quòd nihil ago, quod reprehendi mereatur. Ea uerò quæ falsò de me dicuntur, prorſus negligo. Xiphilinus, & Suetonius.



NERVA Cocceius Rom. Imp. dicere auſus fuit, ſe nihil omnino feciſſe in ſua imperij adminiſtratione, quo minus poſſet depoſito imperio priuatus tutò uiuere. Ciuibus autem Romanis, qui in ſumma forent egeſtate, non tantùm agros ad ſubleuandam penuriam diſtribuit: ſed ueſtes ſuas proprias, uaſa argentea atq; aurea, reliquamq; ſupellectilem omnem diuendidit, atq; aliis ſumma beneuolentia erogauit. Cùm ſibi ſtrui inſidias animaduerteret ab iis, qui de inuadendo imperio cogitabant, eos nulla pœna affecit: ſed in Capitolium aſcendens, Traianum principem fecit, eundemque poſtea in ſenatu Cæſarem deſignauit. Neque uerò coniunctionem ſanguinis (cùm propinqui non deeſſent) antepoſuit publicæ utilitati: neque eum deterruit, quòd Traianus homo Hiſpanus erat, quódque ante eum nemo alterius nationis imperium Romanum obtinuerat. Cenſebat enim (ut uir erat bonus, atque iuſtitiæ amantiſſimus) uirtutem cuiuſque, non patriam ponderari in eiuſmodi rebus oportere. Dion.

TRAIANVS Cæſar ſe nullum unquam uirum bonum interfecturum, aut notaturum ignominia, iureiurando Senatui abſens confirmauit. Poſtquam Romam uenit, multa fecit ad emendandum corrigendumq; ſtatum Reipub. in gratiam bonorum. Ciuitatibus Italiæ multa largitus eſt ad educationem liberorum. Nulli inuidebat, bonos omnes ornabat honoribus & dignitatibus: nullam fidem habebat calumniatoribus, nulla ira tenebatur: abſtinebat ab aliena pecunia non minus, quàm ab iniquis cædibus. Amari à ciuibus cupiebat magis, quàm honore affici. Cum populo humaniter, cum ſenatu honorificè uerſabatur. Eius uirtutes copiosè Dion Nicæus deſcripſit.

HADRIANVM inter bonos principes numerandum cēſent quidam, quoniam liberalis, ſplendidus, magnificus ac clemens fuit. Nam & ſeruum in ſe gladio furentem medicis curandum tradidit, & ægrotos bis terúe in die inuiſit, & Alexandriam à Romanis euerſam ſua inſtaurauit impenſa: Romæ Pantheon reſtituit, ac munera aromatica populo dedit. In ſenatu frequenter dicere ſolebat, Se ſic geſturum principatum, ut ſciret rem populi eſſe, non ſuam priuatam: nimirum attigit hoc, quod unum diſtinguit regem à tyranno. Eraſmus lib. 6. Apophthegmatum, & Platina.

M. ANTONINVS Pius, è Gallia ciſalpina originem trahens, imperauit cum filiis Aurelio & Lucio annis XXII. tanta cũ modeſtia & benignitate, ut meritò Pij cognomentum adeptus ſit, ac pater patriæ appellatus. Nullus unquam principum per omne imperij tempus ita omnibus fuit gratus: nemo eius iuſſu interfectus eſt. Dicitur maioris Aphricani illud ſemper in ore habuiſſe, Malle ſe ciuem unum ſeruare, quàm mille hoſtes perdere. Alterius itaq; ductu confecit bella ſi qua ſunt aliunde orta. Fœdarunt tamen pulcerrimũ alioqui principatum multæ & uariæ clades, partim cœli, partim hominum iniuria ortæ. Fames dira & terræmotus ingens, quo Rhodus & alia illuſtria loca horrendè concuſſa ſunt. Incendium urbis CCCLX. urbanis inſulis perpetua flamma conſumtis. Narbo in Gallia, Antiochia, & forũ Carthaginis per idem tempus deflagrarunt. Tiberis inſolenti auctu omnia loca inundauit. Vnus ferè principum uixit ſine ulla ciuium aut hoſtium ſtrage, quãtum ab homine prouideri potuit: & ob eam rẽ à pleriſq; dignus iudicatus, qui Numæ conferretur. Ob hæc merita, quæ maxima ſunt, populus Romanus mortuo & flaminem & circenſes & templum & ſodales Antoninianos, lacrymantibus omnibus, conſtituit. Platina, & Sab. lib. 4. En. 7.

M. ANTONINVS Verus cum L. Aurelio Commodo fratre annis decem & nouem imperium ęquo iure adminiſtrauit, de Parthis triumphauit. Apoplexia ſublato fratre, ſolus imperium obtinuit. Quem ob eius præſtantem in omni genere uirtutis animum, mirari faciliùs quàm laudare licet. A' teneris annis eiuſdem animi eiuſdemque uultus in quauis fortuna ſemper eſt habitus: & quia benignitas naturæ cum doctrina in eodem uiro certabat, ab omnibus Philoſophus meritò appellatus eſt, Platonis ſententia: quam ſemper (Capitolino teſte) in ore habuit ſæpius repetitam, Tum demum florere ciuitates, ſi aut philoſophi imperarent, aut imperantes philoſopharentur. Germanos, Marcomãnos, Squados, Sarmatas ſuperauit, ac triumphum egit. Cùm non haberet unde ſtipendia militibus præberet, exhauſto ærario, omnẽ imperatoriam ſupellectilem, omnemq; ornatum uxoris in foro Traiani, haſtæ ſubiecit: ſuperato hoſte in patriam rediens, emtoribus precia reſtituit: nemini tamẽ moleſtus fuit, qui reddere emta noluiſſet. Parta uictoria, in omnes de rep. meritos liberalis fuit. Tributa quibuſdam prouinciis remiſit. Fiſcalium titulorum monumenta in foro congeſta cremari iuſſit. Leges ſeueriores nouis conſtitutionibus temperauit. His rebus geſtis factum eſt, ut ab omnibus ita diligeretur amareturq;, ut ſacrilegi nomen incurreret, qui eius imaginem domi non habuiſſet. Platina.

ALEXANDER Seuerus unicum uirtutis exemplar, ſenatus ac militum ſtudio Imperator creatus, ad componendam remp. uitio ſuperiorum principum labefactatam, animum adiecit. Adiutores ad hanc rem habuit Iulium Frontinum uirum doctiſſimum, Vlpianum & Paulum uiros in iure ciuili præſtantiſſimos. Iuſtitiam ita coluit, ut nemo unquam de illata ab eo iniuria queſtus ſit. Procul omni pompa & ambitione uixit: unde ſemel tantùm dum conſul eſſet, picta toga uſus eſt. Si quis inter ſalutandum caput flexiſſet, aut blãdius aliquid dixiſſet, ut adulator reiiciebatur. Turinum, qui munera accipiebat, quòd magnæ eſſe auctoritatis apud Imperatorem uideretur, in foro tranſitorio ad palum alligatũ fumo necari iuſſit, præcone clamante: Fumo punitur, qui fumum uēdidit. Pecunias, quarum mater Mãmea ut mulier, ſtudioſa fuit, omnino contemſit. Lenonum uectigal & meretricum & exoletorum, in ſacrum ærarium inferri uetuit, idq; ſumtibus publicis aſſignandum cenſuit, quo & theatrum & circus & amphitheatrum & ſtadium inſtaurarentur. Statuas ſummorum uirorum undiq; conquiſitas in foro tranſitorio locauit. Thermas uerò Antonini Caracallæ, quæ hodie Antonianę uocantur, perfecit & ornauit. Templum Chriſto ædificare uoluit, eumq; inter deos recipere. Habuit præterea Chriſtum ipſum, Abraham & Orpheum in ęrario ſuo. Tot igitur uirtutibus inſignis, iuuenis admodũ imperator creatus, bellum ſtatim contra Perſas ſuſcepit, ac Xerxem eorum regem conſtantiſſimè uicit. Diſciplinæ militaris adeò ſeuerus emendator fuit, ut quaſdam etiam integras legiones exauctorauerit. Qua ſeueritate factum eſt, ut militari tumultu apud Moguntiacum in Gallia occideretur. Platina.

PROBVS rei militaris gloria inſignis, ſuſcepta reipubl. adminiſtratione, Gallias à barbaris occupatas ingenti felicitate reſtituit: quàm fortis bellator, tam bonus rex. Apud Syrmiũ tamen uir acer & iuſtus tumultu militari occiſus eſt, anno imperij ſexto. Platina.

Sub Galieno Imper. in Galliis interfecto Lolliano, ſolus VICTORINVS imperauit, & filium Victorinum Cæſarem appellauit. Sed quum corrumpendis militum matrimoniis uacaret, à quodam actuario, cuius uxorem conſtuprauerat Agrippinæ, cum filio, qui puerulus adhuc erat, eſt occiſus. Vir fortiſſimus, & præter libidinem optimus imperator: uirtute Traiano, clementia Antonino, grauitate Neruæ, gubernando ærario Veſpaſiano, cenſura uitæ Pertinaci, & ſeueritate militari Seuero comparatus à ſcriptoribus. Cuſpinian.

DECIVS Imp. bonitate Traiano adæquatus, nomenq; optimi principis iudicio Senatus meruit. Ius proconſulatus, tribunitiam poteſtatem, ac cenſuram Senatui commiſit, eiusq; auctoritate Rempub. geri permiſit. Senatus eum luxit, & inter diuos retulit, ac eius nomine Decianas thermas in Auentino ædificauit. Non immeritò laudandus, ſi à Chriſtianorum ſuppliciis abſtinuiſſet. Cuſpinianus.

Corporis ac animi dotibus cum optimo quoque principe cõparari CONSTANTINVS Magnus potuit. Militaris gloriæ appetentiſſimus, in bello fortunatus fuit. Pacem petentibus libenter dedit, liberalibus ſtudiis, ubi per otium licebat, delectabatur. Liberalitate & gratia omnium beneuolentiam ſibi comparabat. Multas leges rogauit ex æquo & bono, ſuperfluas abſcidit, ſeueras nimium emendauit. Vrbem in Byzantij ruinis de nomine ſuo condens: eam Romæ magnitudine ædificiorum parem facere conatus, ſecũdam Romam uocauit: ut literæ ſub equeſtri eius ſtatua indicabant. Is ubi honeſtatem Chriſtianæ religionis intellexit, quia ſeruare parſimoniam, paupertate gaudere, manſuetudinem colere, paci ſtudere, ſimplicitate & conſtantia uti iubemur: eam ita complexus eſt, ut iturus ad bellum, non alio quàm crucis ſigno uteretur. Tyrannos omnes à ceruicibus Chriſtianorum depulit, maximè uerò Licinium. Platina ex Euſebio & aliis.

IVLIANVS Imp. egregius, ſi domi, ſi foris eius ingenium reſpicias. Nam & Eubolo ſophiſta, & Libanio philoſopho præceptoribus uſus, liberalibus diſciplinis ita erat imbutus, tum Græcè, tum Latinè, ut cuiuis optimo principi comparari poſſet. Multæ erat memoriæ, ingentis facundiæ, in amicos liberalis: prouincialibus iuſtiſſimus, gloriæ cupidus. Verùm hæc omnia ad extremum euertit, dum Chriſtianos perſequitur. Platina.

GRATIANVS adoleſcens, religione clarus, militia ſtrenuus, apud Argentariam oppidum Galliæ, uno prælio ad triginta millia Alemannorum fines Romanorum uaſtantes, cum mini-

minimo ſuorum incommodo interfecit. In Italiam rediēs, pulſa Ariana hæreſi, totam prouinciam ad ueram Chriſti fidem redegit. Irrumpētibus Gothis, Theodoſium Hiſpanū, ſocium imperij delegit. Platina.

Fuit THEODOSIVS Magnus inter omnes Imperatores memorabilis, non ſolùm quia propria uirtute atque eximio Gratiani Imperatoris iudicio ad illius eſt dignitatis culmen euectus: ſed etiam quia in Imperio dignum ſe tanto faſtigio præſtitit, rep. non ſolùm fortitudine (Maximo & Eugenio tyrannis magna felicitate ſuperatis) ſed etiam pietatis Chriſtianæ ſtudio ſubleuata: quibus laudibus proximè ad Conſtantinum acceſſit. Sigonius lib. 9. Imp. occid.

THEODOSIVS Iunior philoſophiam ita didicit, ut non eā uerbo profiteretur, quemadmodum cathedrarij philoſophi, ſed opere exequeretur. Sic patientia ac clementia præſtabat cæteris hominibus, ſic paſſiones animi frænabat, ſic iram ac libidinem conculcabat, ut ratione uiuere apertiſſimè à cunctis prædicaretur. Quum olim à quodam interrogaretur, cur ſe lædentes non morte condemnaret? Vtinam, inquit, mortuis uitam dare poſſem. Paucos morti adiudicauit, & mox mutato conſilio, priuſquam ad ſupplicium producerentur, reuocauit, ob inſignem clementiam. Cuſpin.

IVSTINIANVS Magnus, uir inter paucos meritò numerandus, princeps bello paceque inclytus, ac ueteris Romanæ gloriæ inſtaurator eximius, ac ſine dubio bonorum ſimul ac fortium Imperatorum Orientis extremus. Obiit anno imperij 39. ætatis 82. Chriſti 560. Sigonius lib. 20. Imp. occid.

TIBERIVS II. Imper. à Iuſtino iuniore electus, natione Thrax, ut corporis ſtatura procera, & facie uenuſta ualde: ita ingenio liberali, comitate, manſuetudine, modeſtia, humanitate, iuſtitia, ſapientia, liberalitate, clementia in uictos, pietate, fortitudine & felicitate nemini Imperatorum ſecundus fuit. Euagrius lib. 5. cap. 13. Paulus Diaconus libro 17. rerum Rom.

THEOPHILVS Imp. Conſtantinopolitanus, iuſtitiæ cultor, grauem ſeſe ac inexorabilem delinquentibus præbebat, rerum uenalium curam habebat, & quanti quæq; uenderentur, curioſè per forum tranſiēs indagabat. Quòd ſi qua magno uenirent, præfecto de iis interrogato, uel magiſtratum abrogabat, ſi peccaſſet: uel obiurgato eo, quid agendū eſſet, præſcribebat. Zonaras tomo 2.

ALEXIVS Angelus, Byzantinus Imper. neque oculos effodit, nec membra mutilauit, neque carnificina hominum delectatus eſt: neque ulla matrona, quamdiu imperauit, ob maritum interfectum pullam ueſtem induit: neque quiſquam contumeliis ab eo affectus fortunas ſuas deplorauit. Nicetas lib. 3.

Palatium ANDRONICI ſenioris Imp. non modò honeſtæ diſciplinæ & omnis uirtutis officina fuit, ſed & eloquentiæ doctrinæq; optimum gymnaſium. Gregoras lib. 8.

BALDVINVS, Flandriæ Comes, Byzantinus Imp. pius & modeſtus, ne impudico quidem aſpectu mulierem intuitus, uacabat diuinis laudibus, neceſſitatibus conflictantes ſubleuabat. Et quod maximum eſt, bis qualibet hebdomade ueſperi proclamari iubebat, ne quis in ſuo palatio cubaret, qui alienam mulierem attigiſſet. Nicetas.

Fuit CAROLVS Magnus, ſi eius res geſtas tum domi, tum foris inſpicis, uir bello paceq; ſummus: iuſtitiæ literarumque cultor eximius, atque omnium Imperatorum poſt Conſtantinum Magnum, quem ut cognomine, ſic uirtute æquauit, ſine controuerſia maximus, ac præcipuus Italiæ reſtitutor, & Catholicæ eccleſiæ aſſertor habendus. Sigonius lib. 4. regni Ital. & Platina.

LVDOVICVS Pius Imp. natura clemens & humaniſſimus fuit, & iura Eccleſiæ & dignitatem ſemper tutatus eſt. Inſtituit ne Chriſti ſerui ulli ſeruituti humanæ ſubiecti eſſent: & ut unaquæque Eccleſia ſuos prouentus haberet, unde ſacerdotes uiuerent, ne ob inopiam rerum cultum diuinum desererent, néue ob neceſſitatem quæſtui ſeſe dederent. Platina.

Fuit LOTHARIVS Imp. non minus pietatis quàm uirtutis laude, hominum memoriæ commendatus. Virtutis elogium edidit abbas Vrſpergenſis, homo Germanus. Erat, inquit, ſtrenuus belli ductor, præcipuus in armis, prouidus in conſilio, terribilis inimicis Dei & ſanctæ eccleſiæ: qui quandiu uixit, totum Romanum Imperium titubare non potuit. Pietatis teſtimonium eſt apud Petrum Diaconum, hominē Italum. Iam uerò, inquit, quis tanti Imperatoris animū non admiretur? Sederat (in cœnobio Caſſinate) ad ſedādas diſſēſiones fratrum in Capitulo à prima diei hora uſque ad ueſperam abſq; cibo potuq; perdurans, dum paci unitatique conſuleret: nempe enim ſub Imperij chlamyde, cœleſti militabat Regi. Nam, ut ipſe teſtis ſum, in expeditione conſtitutus, ſummo diluculo miſſam pro defunctis, dehinc pro exercitu, tertiam poſtremo diei miſſam audiebat: demum uiduis & orphanis cum Auguſta pedes lauans, tergebat crinibus, & oſculabatur: cibumque illis & potum largè diſtribuens, quæſtionesq; & oppreſſiones eccleſiarum priùs releuans, ultimo in loco Imperium ponebat. Quandiu uerò in Caſſinenſi clauſtro remoratus eſt, ita omnes officinas monaſterij, ac ſi abbas, uel decanus, circuibat, ſcire cupiens quomodo quiſque ſub beati Benedicti magiſterio uiueret: factoq; manè orans, monaſterij eccleſias nudis pedibus circuibat: & hæc agens, nunquam à conſortio epiſcoporum & abbatum auellebatur, & cum ſapientibus ſermocinabatur. Erat cæcorum baculus, eſurientium cibus, miſerorum ſpes, lugentium conſolatio: atque ita in ſingulis eminebat uirtutibus, ut omnes perfectè haberet. Sacerdotes honorabat ut patres, pauperes fouebat ut filios, uiduas ut matres. Erat orationibus peruigil, lacrymasq; creberrimas contriti cordis Deo offerebat. Sigonius lib. 11. regni Ital.

OTHO I. Imp. pacauit Germaniam, & ſuam Saxoniam redegit in ordinem: muniuit urbes, diuiſit in manipulos militiā: iuuentutem per urbes & agros exercuit ad arma: urbibus indixit nundinas, agris cultum ſuum: ornauit eccleſias, inſtruxit monaſteria: amplificauit Imperiū, marchiones quaſi duces limitaneos conſtituit, ad Danos in Sleſuig, ad Vandalos in Brandenburg, qui hodie permanet principatus. Cranzius lib. 3. Metrop. cap. 9.

Omnis Italia poſt Odoacris Heruli cædem, THEODERICI Oſtrogothorum regis imperio ceſſit. Nullus Barbarorum regum libentiùs eſt Romæ uiſus, maioréue ſtudio & fauore ciuium in urbem acceptus, nullum rurſus in ſe mitiorem eſt aut Roma aut Italia experta. Ipſe uel quòd ſuſpectā habuerit Romanorum fidem, ſiue loci opportunitatem ſecutus, cura urbis ſenatui permiſſa, Rauennam conceſſit. Tam dextrè autem manſueteq; regnum adminiſtrauit, ciuitates & populos tractauit, ut cum Auguſto Cæſare, Traianóue, aut alio ex iis, qui optimi principum iudicati ſunt, meritò conferri potuerit. Adeò interdum uel in media Barbaria præclara proueniunt ingenia, ut in mitiſſimis etiam gentibus nonnunquam peſſima. Rauennæ annos fuit circiter quadraginta, nec abſens unquā deſtitit Romanū ſenatum per literas hortari, ne paterentur urbem multis cladibus aliis ſuper alias deformatam, ſenioq; confectam, ſitu & ſqualore coopertam iacere: ſed publica urbis ædificia inſtaurarent, iidemq; auctores eſſent, ut priuata inſtaurarentur. Neque minùs ſe uenerabilem reddidit externis gētibus, quàm quiuis alius Rom. principum, qui longè potentiſſimus fuiſſet: tutatusq; eſt regnum non magis gratia & opibus, quàm auctoritate: quæ tanta in uno fuit apud Barbaros reges, ut non modò Italia abſtinerent, ſed ipſi etiam inter ſe aliquandiu pacatè egerint. Sab. lib. 2. En. 8. & Platina. Optimis quibuſque principibus comparandus, niſi extremo uitæ tempore Ariani dogmatis pertinacia Orthodoxos uiros carcere & exilio, Boetium & Symmachum morte quoque affeciſſet. Procopius.

THEODERICVS, Veſtgothorum rex, in Gallia & Hiſpania, animi corporisq; dotibus inſignis, licèt Romanorum importunis bellis laceſſitus: attamen cùm uideret extremam ruinam Romano imperio, & toti Italiæ ab Atila Hunnorum rege imminere, ſeipſum & totius Hiſpaniæ uires contra tam formidabilem hoſtem obiecit. In campis Catalaunicis pro Romani imperij libertate cruentiſſimo *prælio* dimicans, equo delapſus, pedibuſque ſuorum conculcatus, uitam uictor iam matura ſenectute clauſit. Ioannes Magnus lib. 15. cap. 20.

ROTHARIS, qui Arioaldo in Longobardorum regnum ſucceſſit, iuſtitia & pietate inſignis fuit: niſi quòd ad Arianos declinauit, paſſusq; eſt, ut eodem tempore omnibus regni ſui ciuitatibus duo Epiſcopi pari poteſtate præeſſent, alter Catholicus, alter Arianus. Leges, quæ ſola memoria & uſu retinebantur, in ſeriem quādam redegit: Codicemq; ipſum edictum appellari præcepit. Hetruriam omnem & Liguriam cum ora maritima, Maſſiliam uſque, in ſuam redegit poteſtatem. Anno ſexto regni moriens, Rodoaldo filio regnum reliquit. Platina.

LVITPRANDVS, Longobardorum rex, ſapientia, prudentia, conſilio plurimum ualebat: ac ita manu promtus erat, ut nemo ueteranus eo pugnacior haberetur. Iuſtitia & clementia ita inſignis, ut difficilè iudicaretur, utra in re maiorem laudem mereretur. Huic in regno Aldeprandus nepos ſucceſſit. Quo poſt menſes ſex defuncto, RACHIS dux omnium ſuffragiis rex decernitur, pius & religionis amator. Poſt quartum regni annum ſpreto regno, uitam monaſticam amplexus eſt: uxorem & filios, ut idem facerent, adhortatus. Platina.

In GRIMOALDO, Longobardorum rege, multæ præclaræ corporis & animi dotes. Quædam Rotharis regis edicto addidit, quę poſtea legis formam accepēre. Corpore ualidus, animo in rebus agendis promtiſſimus. Platina.

LAMBERTO, Vidonis F. regi Italiæ, inerat honeſta morum probitas, ſancta & formidoloſa ſeueritas: & quem iuuentus ornauerat in corpore ſplendida, mentis canicies decorabat ſancta. Planè plus ille reipublicæ quàm reſpublica illi ornamenti tribuerat. Quòd ſi non immatura morte præreptus eſſet, poſt Romanos unus totum ſibi terrarum orbem ſubieciſſet. Sigonius lib. 6. regni Ital. ex Luitprando.



ROBERTVS, Hugonis Capeti filius, regnum Francorum à patre accipiens, fortitudine, iuſtitia, modeſtia & religione inſignis fuit. Etſi rei militaris admodum ſtudioſus erat, tamen ubi per ocium licebat, ita Dei templa frequentabat, diuinaq; officia celebrabat, ac ſi ſacrorum omnium myſteriis initiatus fuiſſet. Ferunt cantum illum eius inuentum fuiſſe, Sancti ſpiritus adſit nobis gratia. His artibus non minus quàm armis crediderim ego Robertum conciliaſſe ſibi animos uulgi, eosq; à prima illa Caroli Magni ſtirpe ad genus ſuum nouum tranſtuliſſe. Platina.

D. LVDOVICVS Francorum rex, uirtutis bellicæ documentis datis, quietem & tutiorem & glorioſiorem nactus, ſe totum religioni dedere, publicæ utilitati, decori communi inſeruire cœpit. Ambitum coercuit. Decuriæ honoresq; in ſua cuiuſque ciuitate largitionibus parari cœperant: hunc morem graui edicto ſoluit: ſibi primùm imperans, quod uirtuti meritis'ue deberetur, fortunæ auro'ue non dari. Hiſtriones, paraſitos aula exegit. Peſtilentia ſimul & fame orta, ut malum malo feritur, cùm nullum conſilium, nullam humanam opem non adhibuiſſet, diuinam etiam implorauit: publicè obſecrationibus, priuatim & arcanè (ut poſtea compertum eſt) cilicio interiore uſus, ieiuniis, tergo flagellis lacero. In omnibus uitæ partibus ſanctus, cuncta ex uſu dignitateque moderabatur: plebes parentem, nobilitas principem, leges cuſtodem, Francia uerum regem, religio uindicem ſentire. In alienos maximè pius, in ſuos etiam liberaliſſimus. Aemilius lib. 7.

CAROLVS V. Francorum rex, literarum & literatorum amator erat ſummus, & admirator. Iuſſit ſacros Bibliorum libros diligenter & uerè transferri (nam Valdenſes alijque pro libidine eos uertebant) rei eccleſiaſticæ literarumq; ſacratum perquàm ſtudioſus. Ius ex æquo ut diceretur, in primis curabat, iudiciisque frequenter aderat. In pauperes liberalis ac beneficus: propterea Sapientis nomen meritò aſſecutus. Togatus omnino fuit, nec ex quo rex creatus eſt, arma unquam induit. Quicquid patri Ioanni ablatum erat, id omne fermè ab Anglis recuperauit. Præfecti belli, duces Andium, Burgundiæ, Biturigum, eius fratres: Dux Borbonius, & Bertrandus Magiſter equitum, negotia illi feliciter conficiebant. In omni rerum genere lectiſſimos uiros habere uoluit. Chronicon Francorum.

SISEBVTVS, Hiſpanorum rex, eloquio nitidus, literarum ſapientia doctus, in iudiciis ſtrenuus, ac præſtantiſſimus pietate, mente benignus, gubernatione regni præcipuus, in bellicis documentis & in uictoriis ſemper clarus. Rodericus Toletanus lib. 2. rerum Hiſpan. cap. 17.

RANIMIRVS, Petri Aragonenſium regis frater, monachus & ſacerdos, fratre mortuo à magnatibus apud Oſcam in regni ſolio collocatus, ſororem Comitis Pictauienſis in uxorem duxit. Fuit in præliis fortunatus, erga ſuos benignus, liberalis, adeò ut ferè oēs uillas & caſtra regalia militibus ſit largitus. Suſcepit filiam Petronam, quæ poſtea dicta fuit Vrraca, Raimundo Barcinonenſi Comiti nupta. Cùm eſſet nubilis, ſtatim Rex monachus fuit ſuo monaſterio reſtitutus. Monaſterium ſuum eccleſiis & poſſeſſionibus multis ditauit, quæ adhuc hodie poſſidet in Aragonia & Nauarra. Rodericus Toletanus lib. 6. rerum Hiſp. cap. 2.

Nihil SALADINO Sultano Aegyptio ad ſummi regis gloriā defuit, niſi ueritas religionis, quam ille ſuſceptam à patribus falſam, feruentiſſimè defendit. Et ubi conceſſit naturæ, iuſſit in haſta circunferri camiſiā, præcone clamante: Hanc ſecum fert mercedem Saladinus, Aſiæ domitor, gentium uictor. Cranzius lib. 7. Metrop. cap. 26.

In OSVALDO Northumbrorum rege mira fuit ſanctitas, mirum pietatis ſtudium, nulli unquam malum pro malo reddidit: nec immemor illius ueteris ac diuini uerbi, A fructibus eorum cognoſcetis eos, de omnibus iuxtà bene mereri cupiens, identidem ægrotantium cubilia circuire, morbo affectos uerbis & muneribus leuare, nexos ſoluere, aut cuſtodia liberare, alieno ære creditoribus ſoluto: pupillos uiduaſque circumſcriptorum fraude preſſos ab iniuria tueri alereque paterna caritate, ac circumſcriptores punire ſolebat. Polydorus lib. 4.

ALVREDVS, Anglorum rex, ſummè fauebat ingeniis, fouebat hominum dignitatem, amplectebatur nobiles, & omnes denique diligebat, in quibus uirtus ineſſet. Memoriæ quoque proditum eſt, eum haud facilè pati conſueſſe, quēpiam in ſacerdotum collegium uenire, niſi uir probus, atque homo literis inſtitutus eſſet. Et quoniam perpaucos admodum tales apud ſe eſſe cernebat, idcirco undecunque uiros uitæ ſanctitate & doctrina claros accerſebat. Nullo præterea non uirtutis genere claruit: omnibus enim hominibus, præſertim indigentibus, de re familiari ſua libens impartitus, ac iuſtitiam in primis ſeruauit: quippe qui ut nocentes merita pœna ſemper affecit, ita innocentes mira caritate fouit. Clariſſimus item omnium regum bellicis artibus, cùm haud quiſquam eorum unus plurium bellorum uictor fuerit. Polyd. lib. 5.

GVLIELMVS, Roberti Normannorum ducis ſpurius, animi magnitudine, ac rei militaris ſcientia præſtans, & fortuna belli ſecunda felix, uita continentiſſimus, ac ſine ſuſpicione ullius uitij, ingenio ſagax, gloriæ cupidiſſimus, laboris omnis, uigiliarum, frigoris atque æſtus patientiſſimus, ſtatura procera, & corpore ualde craſſo. Cæſo Haraldo in Anglia regnum adeptus eſt, nouiſque legibus ac inſtitutis in perpetuum, ut apparet, duraturis, firmauit: ſic, ut ab eo poſteriores ſeriem regum incoauerint, perinde ac ſi deintegrò ille regnum ipſum inſtituiſſet, regeſque qui ſecuti ſunt, uſi ſimiliter ſint, ut nunc utuntur, inſignibus regiis, quæ dediſſet (cùm reges qui ante id tempus fuerant, ſua quiſque inſignia haberet) ſunt autem treis inſignes leones iubati, cum totidem floribus liliis. Obiit anno regni 22. ætatis ſeptuageſimo quarto, Chriſti 1088. inteſtinorum equi ſaltu læſorum dolore. Polyd. lib. 9.

STEPHANVS, Anglorum rex, ſtatura corporis decentiſſima, optimo habitu, maximiſq; uiribus fuiſſe traditur. Animi uirtutes multæ, atq; illę quidem egregiæ fuerunt: bellandi peritia ſumma, clementia & lenitas, ac aduerſus omnes liberalitas maxima: nam licet in continuis fuerit bellis, parua uel nulla à populo tributa exegit. Vitia uerò quibus facilè notatus ſit, non reperio, præter illud, quòd regnandi gratia ius uiolaſſet, Mathilde Henrici I. ſorore, ad quam ius regni pertinebat, deiecta. Polyd. lib. 12.

EDOVARDVS III. Anglorū rex clementiſſimus, liberaliſſimus, ſanctiſſimus, ſic ut uiuens miraculis claruerit, & moriens in Diuorum ſit relatus numerum. Vnus omnium fermè Anglorum regum, qui nullis uel leuibus deditus fuerit uitiis. Polyd. lib. 8. & 19.

RICHARDVS, Anglorum rex, is qui Ioppen inſtaurauit, & niſi impiis Gallorum armis retractus fuiſſet, de Saladino triumphum egiſſet, & Hieroſolyma recuperaſſet, ſtatura corporis fuit iuſta, læta & honeſta facie, in qua multum gratiæ grauitatiſque inerat: ſed quò pulcrior corpore, hoc animi altitudine præſtantior: unde non immeritò Cor leonis uocatus eſt. Militib. indulgens, in amicos & hoſpites munificus, hoſtis durus & implacabilis, dimicandi cupidus, quietis fugiens, promtus in periculis, ac nullo metu perterritus. Si uirtutes, ſi ætas, ſi denique quæ bella geſſerit, ex æquo conſiderentur, uitia aut omnino nulla uel puſilla in eo fuiſſe reperientur. Apud uulgus enim notatus eſt ſuperbia, quæ plerunque animi magnitudinem ſequitur: item libidine, quam iuuenilis parit ætas: & demùm auaritia, cuius infamiā duces & Imperatores, pro bellis gerendis paſſim ab omnibus amicis pariter atque inimicis pecuniam, qua maximè opus eſt, exigendam curantes, haud facilè uitare queunt. Polydorus libro 14.

HENRICVS V. Anglorum rex, unicum decus & lumen patriæ fuit. Nemo uir animi celſitate & magnitudine ac uirtute clarior natus, nemo pietate præſtantior, cuius deſiderium etiam nunc apud mortales pariter permanet, atque à principio apud ſuos fuit. Vbi per uulgus fama mortis eius peruaſit, cuncti generatim ſubito dolore conciderunt: quibus ita mœror omnes fermè mentis partes ademit, ut more inſanientium, paſſim fortunam incuſarent, quæ tantam gloriam patriæ inuidiſſet. Nam regis immatura mors, quantum ſpei potiundi Francorum regni Anglis ademit, tantum recuperandæ libertatis ipſis Francis fecit. Quocirca fuêre, qui ſuſpicati ſint illum interiiſſe ueneno. Regnauit annos IX. uixit annos XXXVI. Obiit anno ſalutis 1421. Polydorus libro 22.

HENRICVS VI. Anglorum rex, ſtatura procera, facie decora, in qua continuè renitebat illa bonitas animi, qua maximè præditus erat. Abhorrebat ſuapte natura tam corporis quàm animi uitia omnia, iam inde à puero honeſtus fuit, integer, mali expers, boni capax, contemtor rerum omnium, quæ animos mortalium labefactare ſolent. Item iniuriarum, quibus identidem affectus eſt, (bis enim in uincula ab Edouardo IIII. regni inuaſore coniectus eſt) ſic patiēs, ut non uindictam appeteret: ſed ob illud ipſum Deo opt. max. gratias ageret, quòd per id ſua delicta dilui putaret. Quid quòd uir bonus, gratus, pius, modeſtus, ſapiens, tot ſibi mala cùm ſuis tum ſuorum maiorum permultis peccatis uitiiſque ueniſſe prædicabat? Itaque regno exutus, & filio unico Edouardo occiſo, non quam dignitatem, quos honores, quem uitæ ſtatum, quem filium, quos amicos amiſiſſet, magnoperè cogitabat, aut dolore torquebatur: ſed

in qua apud Deum offenſa eſſet, id curabat, id lugebat, id dolebat. Hæc & eiuſmodi ueræ ſanctitatis officia fecerunt, ut eius nomine, dum uiuebat, miracula à Deo edita fuerint. Ex quo Henricus VII. rex eum inter diuos referendum apud ſuſium Pont. Roman. curare cœpit: ſed morte pôſt ſtatim obita, id officium præſtare nequiuit. Bonarum artium ſtudia mirabatur, & eos diligebat, in quibus eas eſſe uideret. Polydorus lib. 24.

ETHFINVS, rex Scotorū, uir ad pacem iuſtitiamq; colendā natus: fœdus quod cum uicinis populis, Britonibus, Anglis, ac Pictis coluerant Eugenius pater & Mordacus patruelis, ante eū reges, ſeruauit. Regnum maleficis purgare, imbellem tueri plebem, & religionem ſanctam colere, ſtuduit. Auctæ itaque ſunt eo imperante per XXX annos Scotorū opes. Graſſatores enim, & qui litem ciere inter nobiles, aut agreſtibus quoquo modo infeſti eſſe conſueuerāt, per eum ſunt ſublati. H. Boethius lib. 9.

KENNETHVS, Scotorum rex, & armis & toga clarus, Pictorum regnum euertit, optimis legibus remp. inſtituit. Hector Boethius lib. 10.

GREGORIO Scotorum regi inerat natiuus quidam pietatis cultus, tantaque in ſermone ſententiarum grauitas, tantum in uerbis pondus moduſque, ac tam exquiſiti mores, ut quicquid diceret, quicquid ageret, æqua trutina examinatum putaretur. Cœlebs ei uita fuit: abdicata uenere, perpetua caſtitate inſignis, iis ab adoleſcentia formata inſtitutis, quæ à lubrico retardarent. Cibi potuſque ſalubri parſimonia: parcus ſomni, abſque mulierum conſortio. Auxit uiro decus animus, quem & in urbanis rebus honeſtandis, equique adminiſtratione, & in bellicis rebus habuit. Quicquid Scotorum regno ab Anglis, Danis & Britannis ademtum erat, armis feliciter recuperauit: Hyberniam ſubegit: regnū tamen pupillo reſtituit. H. Boethius lib. 10.

KENNETHVS II. Scotorum rex, ut ſuo exemplo populum doceret, omne turpitudinis genus peroſus, ſcurras menſarios, adulatores, paraſitoſque in aula uerſari ſolitos, regiis prohibuit ædibus: amicitiæ cum domeſticis & exteris diligens cultor, inteſtinam ſeditionem adeò deteſtatus, ut domeſticæ litis auctorem, ſi qua fuiſſet ſuſcitata, ſeuera ultione ad necem inſectaretur. H. Boethius lib. 11.

DAVID I. Scotorum rex, iuſtitiam ubique & pietatem, quas à parentibus acceperat, magna cura obſeruauit. Regnum ſuum totum maiorum ritu, iuriſdicundi cauſa, perluſtrans, pauperum ipſe cum magna comitate audiebat cauſas: magnatum, ad alios reiiciebat iudices. Si quis iniuriam ab aliquo iudice paſſus fuerat, eam protinus iudicis ſarciebat iactura. Cupedias atque popinas è regno eiecit. Cœnobia quindecim partim in regni initio, partim ubi bellum, quod cum Anglis geſſit, ſedatum fuit, extruxit, magniſque dotauit reditibus, tum eccleſiaſticis, tum urbanis. Hector Boethius libro duodecimo.

ALGOTHVS II. Sueonum & Gothorum rex, nomini ſuo re ipſa ſatisfecit, pater patriæ. Cui, ſublato Goſtago, tyranno crudeliſſimo, ſucceſſit ARTHVS filius, quem nonnulli inter nouem præſtantiſſimos principes collocare uolunt: quamuis nonnulli ſint, qui eum locum ARTHVRO Britanno aſſignent, principi quidem ob rerum geſtarum magnitudinem incomparabili, cui tamen hic Arthus Sueticus in nullo ceſſiſſe uidetur. Præfuit ille multis populis & regnis: huius autem imperium fluuio Tanai ad Orientem, & Albia ad Occidentem, longiſſimo terrarum tractu continebatur. Ille Chriſtianus, hic Ethnicus fuit. Ille circa annos à nato Chriſto quadringentos ſeptuaginta: hic anno ſexcenteſimo trigeſimo imperauit. Ille imaginem diuæ uirginis Mariæ ſcuto ſuo impreſſam: hic tres coronas Suetici regni inſignia habebat. Erat hic Arthus in omni morum honeſtate adeò conſpicuus, ut eius nomen apud Gothos excellentiſſimo & optimo cuique adaptetur. Eius familiares domi non ſecùs ac agni conuerſantes, foris contra hoſtes leonū ferociam imitabantur. Erat tunc prouerbij uice acceptum, ut Germani proceres eum ſatis laudaſſe uiderentur, quem Arthi Suetici familia dignum affirmarent. Sunt adhuc noſtro æuo nonnullæ domus Arthi, quas illuſtres appellant, in oppidis Vandalicis ſecus mare Germanicum (utpote Gedani & Sundis) in quas honeſtiores ciues ſeſe laxandi animi cauſa, perinde ac aliquam ſummæ honeſtatis ſcholam, frequenter recipere conſueuerunt. Plurima bella in Moſchos, Liuones, Curetes, & alias uicinas gentes feliciter geſſit, nomenq; ſuum cunctis per Europam nationibus formidabile & glorioſum effecit. Abſque liberis decedens, in regiis monumentis apud Vpſaliam collocatus eſt. Ioannes Magnus lib. 8. cap. 41.

CAROLVS uetuſtus, Sueonum & Gothorum rex, iuſtiſſimus & clementiſſimus, uirtutum amore ſubditos in officio, hoſtes externos in timore continuit, ſic ut & pacatum & diuturnum habuerit imperium. Io. Magnus lib. 4. cap. 2.

Sāctus ERICVS, nobiliſſimi Iaduardi filius, qui circa annum Chriſti MCL Suetiæ rex creatus eſt, in terreni regni faſtigio conſtitutus, cœleſtem & angelicam uitam ducere uidebatur. Leges tales ex æquo & bono conſtituit, ut non à rege in ciues, ſed ab indulgentiſſimo parente in cariſſimos liberos excogitatæ crederentur: quibus etiamnum hodie utuntur. Floruit ſub eo Henricus, Vpſalenſis eccleſiæ Archiepiſcopus, ad cuius conſilia pius rex omnem uitæ ſuæ curſum direxit. Nemo illo in orationibus ardentior, in uigiliis frequentior, in ieiuniis crebrior: afflictorum conſolator, oppreſſorum adiutor, pupillorum & uiduarum tutor. Nullus in eleemoſynis liberalior, nullus in conuerſatione benignior, nullus in iudicio iuſtior, in pœnitentes clementior. Carnem ſuam iugi cilicio caſtigans, rectæ rationis imperio obedire coegit: & ut omnem peccati fomitem ab ea prorſus auferret, prægelidam aquam inſilire conſueuerat, dum ad libidinis ardorem ſtimularetur. Habebat coniugem pulcerrimam, Chriſtinam, Ingonis Sueonum & Gothorum regis F. Sed prolis cauſa non libidinis ad eam accedebat. Tandem à Danis procerum inſtinctu, quibus pietas eius moleſta uidebatur, per inſidias necatus eſt anno 1160. & poſtea Sanctorum catalogo illatus. Io. Magnus lib. 19.

ERICVS, Sueonum rex, Balbus dictus (cùm à ſanctorum Regum progenie, uidelicet à S. Erico abauo, à Canuto auo, & Erico patre deſcendiſſet) quamuis impeditioris linguæ, & claudi inceſſus eſſet, tamen hos naturæ defectus tanta morum probitate compenſauit, ut à Deo donatus potius, quàm per humanam electionem aſſumtus uideretur. Iuſtitiam cum clementia ita temperabat, ut in dubio relinqueretur, iuſtior'ne, an clementior eſſet. Canutus Folchungus, qui Helenam ſororem eius in coniugem acceperat, contra eum conſpirauit. Ericus à Canuto anno 1229. acie uictus, & Suecia pulſus, collectis apud Oſtrogothos copiis, regnum cæſis coniuratis recuperauit, per 28. annos. Ioannes Magnus libro decimonono.

HAQVINVS Ruffus, Gothorum & Sueonum regnum ſine cæde & ſanguine aſſequutus, nullius unquam ſanguine manus ſuas contra leges & iuſtitiam cruentauit: ſed omnibus clemens & benignus effectus, ab omnibus ſuis ut pater amabatur, & ut dominus timebatur: nullaq; bella totis tredecim annis, quibus regnauit, aliis intulit, nec ab aliis illata ſuſtinuit: ſed domeſtica pace contentus, oſtendit ſe magis curare ſuorum ciuium ſalutem, quàm quòd eos hoſtiū gladiis mactandos obiiceret. Tandem apud Veſtrogothos (apud quos eſſe, & uiuere cœperat) ex graui ægritudine obiit. Io. Magnus lib. 18. cap. 8.

STENCHILLVS, Olaui Schotkonung ex ſorore nepos, Sueonum & Gothorum rex poſt Haquinum Ruffum piiſſimus, iuſtiſſimus, fortiſſ. armis patriam defendit contra Danos, legibus præclaris inſtituit. Tribuunt huic Sueticæ hiſtoriæ corporis molem giganteam, atque incredibilem ſagittariæ artis induſtriam: de qua non minora referuntur, quàm Suetonius Tranquillus de ſagittaria arte Domitiani commemoraſſe uidetur. Poſt multa clariſſima geſta apud Veſtrogothos, uitam & regnum morte commutauit. Ioannes Magnus libro 18. capite 9.

INGO poſt Stenchillum, nulli optimorum regum poſtponendus, in bellicis rebus ſtrenuus, in Chriſtiana fide propaganda ſolicitus, ſic ut publica uoce circumferretur, ipſum nunquam contra leges patriæ deliquiſſe. Bello contra Danos ſuſcepto, Schoningiam ſubiugatam occupauit, ſed nocturnis inſidiis trucidatus eſt. Io. Magnus lib. 18. cap. 9.

CINDASVINDVS, qui poſt Tulgæ mortem Gothorum regnum in Hiſpania occupauit, omni reliquo uirtutum genere conſpicuus fuit, pietate uerò & religione in primis. Eoque factum eſt diuinitùs, ut toto decennio, quo regnauit, nullus hoſtis domi aut foris Gothorum rempublicam in aliquo moleſtarit. Vbique ſyncerus Chriſti cultus, ubique uera inter homines caritas, nuſquam hæreſes, nuſquam in regem aut rempublicam rebellio apparuit. Morte placidiſſima apud Toletanos defunctus. Ioannes Magnus libro decimoſexto, capite 20.

RECINSVINDVS, Cindaſuindi F. paterni regni & uirtutum hæres, ſub quo tria concilia Toletana celebrata. Ioannes Magnus lib. 16. cap. 21.

ERICVS, Sueonum rex, Valerij archiepiſcopi Vpſalenſis conſilio regnum moderatiſſimè adminiſtrauit, anno 1210. Quāobrem ſeptem illi anni, quibus Gothia & Suetia his duobus luminibus illuſtrata fuit, tam felices & tranquilli, ac omnium neceſſariarum rerum affluentia beati fuiſſe prædicantur, ut uix unquam diuina miſericordia liberalior in illas terras fuiſſe credatur. Io. Magnus lib. 19. cap. 12.

STENO Sture, Gothorum & Sueonum princeps, totis XXX. annis ſumma pace & pietate populos rexit, Traiano melior, Auguſto felicior. Inteſtina bella, quibus per totos L. annos procerum ambitioſa inuidia Suecia direpta



fuerat, præcauit: ſacerdotes ſummo honore proſecutus eſt, regium nomen & coronam (quòd ea ſuperiorum culpa odioſa eſſe cerneret) aſpernatus eſt: patrem ſe pietate, fratrem omnium beneuolentia haberi uoluit. Itaque tot milites habebat uoluntarios, quot ciues. Erga hoſtes repugnantes fortiſſ. erga captos clementiſſimus. Chriſtinam Ioannis Danorum regis uxorem captam gratis marito reſtituit. Obiit anno regni XXXIII. Chriſti uerò MDIII. Ioannes Magnus lib. 23.

SKIOLDVS Danorum rex fortiſſ. impias leges abrogauit, ſalutares tulit, & quicquid ad emendandum patriæ ſtatum attinuit, ſumma diligentia præſtitit. Sed & regnum, patris improbitate amiſſum, uirtute recuperauit. Primus reſcindendarum manumiſſionum legem edidit. Serui, quem libertate donauerat, clandeſtinis inſidiis petitus, acrem pœnā exegit, tanquam in omnium libertorum pœnam unius crimē redundare par eſſet. Omnium æs alienū ex fiſco ſuo ſoluebat, & quaſi cum aliorum regum fortitudine, munificentia ac liberalitate certabat. Aegros fomentis proſequi, remediaq; grauiter affectis benigniùs exhibere ſolebat: ſe non ſui, ſed patriæ curam ſuſcepiſſe teſtatus. Proceres nō ſolùm domeſticis ſtipendiis colebat, ſed etiā ſpoliis ex hoſte quæſitis: affirmare ſolitus, pecuniam ad milites, gloriam ad ducem redundare debere. Saxo lib. 1.

GOTRICVS Danorū rex, armis ſimul & liberalitate clarus, incertum, fortior an clementior fuerit, adeoq; ſeueritatem manſuetudine caſtigabat, ut alteram altera rependere uideretur. Idem lib. 8.

OLAVVS Noruagiorum rex, uirtute & pietate Chriſtiana clariſſ. legib. efferum populum cicurauit, pauperes, pupillos, ſacerdotes, calamitoſos, ſubleuauit & protexit. Idem lib. 10.

CANVTO II. Danorum rege nullus priorū regum, uictoriis licet plurib. illuſtrium, ſplēdidior fuit. Sanctitate ac fortitudine inſtructiſſimus, nō minus religionem, quàm regnum proferre curæ habuit. Bellicis titulis clarus, Noruagiæ inſuper & Angliæ & Sueciæ regnis auctus, ex fiſco ſuo compluribus in locis clericorum & monachorum collegia extruxit & locupletauit. Cuius ſtudij induſtria ad tantum claritatis lumen acceſſit, ut cùm fortiſſimorū regum bellica uirtus antiquitate exoleuerit, eius famam gloriæ quæſtu opulentiſſimam tenaciſſima poſteritatis memoria comprehenderit. Idem.

ERICVS III. Danorum rex, quæſitam armis pacem, iuſtitiæ ornamentis excolere cupiens, conditas à maioribus leges, ac tunc penè aſſiduis bellis ſubuerſas, ad priſtini uigoris habitum reuocauit, utq; fortitudine fuerat, ita iuſtitia inſignis apparuit. Irrogatas minoribus iniurias ſuperiorū ſuppliciis penſabat, nihilq; familiaritati aut neceſſitudini parcens, aut ferro, aut laqueo incōſultam maiorum auaritiam caſtigabat. Quo ſtudio & principum odia, & plebis obſequia contraxit, euenitq; ut & potentibus formidoloſus, & popularibus percarus exiſteret. Idem lib. 14.

GVLIELMVS IV. rex Siciliæ & Neapolis, ea fuit ſanctitate, pietate, prudentia, ut Boni cognomen meruerit: tanto illuſtrius, quòd pater eius Gulielmus Malus ob tyrannidem dictus eſt. Collenutius lib. 3.

EMMANVEL Luſitaniæ rex, ſic religionem colebat, ut nunquam ſtudium publici iuris, & Reipub. rationem intermitteret. Sic Reip. conſtituendæ, & moribus atq; legib. inuigilabat, ut bellicarum rerum curam nullo modo deponeret. Sic ſe cum muſicis & uenatoribus oblectabat, ut in mediis uoluptatibus, ſalutis publicæ memoriam retineret. Itaque eodem tempore claſſes in Mauritaniam & Aethiopiam, in Orientis ſolis regiones inſtruebat: præſidia in uarias partes ſummittebat, iuridicundo operam dabat, hominum querelis aures aſſiduè præbebat, commiſſa facinora uindicabat. Oſorius lib. 12. rerum Em.

POLONORVM principum uirtutes compendio explanat Mart. Cromerus in Epitaphio Sigiſmundi: Boleſlai Chrobri, ſolertiam & magnificentiam: Cazimiri monachi, pacis & inſtaurandæ patriæ, ſuperiorum temporū iniuria afflictæ, ſtudium: Vvladiſlai eius filij manſuetudinem: Boleſlai Criuouſti uictorias, Criſpi prouidentiam, Miceſlai ſenis grauitatem, Cazimiri horum duorū fratris iuſtitiā, Leſci albi excelſum animum, Boleſlai pudici religionē ac temperantiā, Leſci nigri moderationem animi: Vvladiſlai Loctici fortitudinem, & in tolerandis aduerſis patientiam: Cazimiri magni, in ornando & muniendo regno ſtudium atq; diligentiam: Iagellonis, ſi non in propagando, certè in amplificando cultu diuino, pietatem, laborem & munificentiam: Vvladiſlai magnanimitatem & clementiam, Cazimiri facilitatē, & offenſarum perbreuem memoriā: deniq; Ioannis Alberti ad res magnas gerendas, quanquam meliore fortuna, alacritatem. Et has omnes omniū illorum uirtutes Sigiſmundū Auguſtū nō modò æquaſſe, ſed ſuperaſſe etiā contēdit.

CAZIMIRVS II. rex, pacis quàm belli artib. & operibus clarior, Magni cognomentum ſolus inter Polonorum principes non tam uirtute bellica & uictoriis meruiſſe uidetur, q̄ operibus magnificis, & plurimarum artium & oppidorum munitione: & quòd omnium ſummorū pariter & infimorum hominum erga ſe beneuolentiam iiſdem quibus collegerat uirtutibus, hoc eſt, iuſtitia, facilitate, humanitate, elegantia & clemētia, ad extremum retinuit. Cromerus lib. 12.

PREMISLVS maioris Poloniæ dux, anno Chriſti 1257. mitiſſimus ſui temporis princeps, & ſupra ætatem prudens: iuſtitia & animi moderatione in iudicando tanta, ut eius iudicium uictus atq; uictor ex æquo probarent. Ebriū aut iratū eum nemo uidit. Vſqueadeò addictus fuit religioni & cultui diuino, ut per tempus quadragenarij ieiunij cilicina ueſte ſuper nudū corpus, & uino diluto admodum, aut inſipidiore ceruiſia uteretur. Nocturnis temporib. cū dormire putabatur, prolixæ precationi uacabat. Qua die cœnā Chriſti ultimā anniuerſario ritu colimus, & repræſentamus, duodecim pauperū pedes reuerenter abluere, exterſoſq; deoſculari, & pauperes ipſos ueſtire quotannis ſolebat. Idem lib. 9.

BOLESLAVS Pudicus Polonorum princeps, benignus & religioſus, & in egentes cultumq; Dei ac miniſtros eius munificus. Idem.

LVDOVICVS Vngariæ & Poloniæ rex, moribus ita temperatis fuit, ut foris bella acriter & excelſo animo gereret, domi placabilitate & iuſtitia pacem coleret: utrobique prudentia & animi moderatione ſingulari eſſet: in contumaces ſeuerus, in ſupplices clemens: maleficio iuxtà ac beneficio ſe ſuperari non patiebatur. Studia bonarū literarum coluit: nec ferè quicquam inconſulta aſtrologia ſolitus erat auſpicari. Pietatis ac religionis ita fuit obſeruans, ut in poſtremis non duceret, Iudæos & Cunos, falſorum deorū cultores, ad Chriſtianam adducere religionem. Quod quidem in Cunis eſt aſſecutus: Iudæis autem cùm neq; minis, neq; præmiis propoſitis perſuadere poſſet, proſcripſit omnes. Cromerus libro 13.

VLADISLAVS Vngariæ & Poloniæ rex, qui ad Varnam ab Amurathe Turcorū Imp. non inultus cæſus eſt, anno Chriſti MCCCCXLIV, ætatis ſuæ XX. laboris & inediæ patientiſſimus, iuſtitiæ & religionis cultor eximius fuit: probitate, comitate & clementia etiam in hoſtes ſingulari, liberalitate propemodū nimia: animi uerò magnitudine tanta, ut nihil humile cogitaret, nulla difficultate ab eo, quod inſtituerat conſultò, auelli ſe pateretur. Deniq; ſumma in eo fuerūt omnia, quæ optimos principes decent. Idem lib. 21.

EBERHARDVS, Virtebergenſis Dux, princeps optimus, & ſuis ſubditis acceptiſſimus, in principum Germanorum ſolenni conuentu, aliis alias ſuarum regionum dotes prædicantibus, hoc uno gloriabatur, Quòd in cuiuſuis ſuorum ſubditorū gremio, etiam in uaſtiſs. ſolitudine, ſomnum capere ſecurus poſſet.

## BONI VIRI, ET REI BELLICAE PERITI. DVCES bellici probi.

MOSES diuino iudicio populi Iſraelitici dux fact⁹, ueri regis atq; ducis ideā cōtinet. Imperiū nō niſi coact⁹ à Deo ſuſcepit. Populū à ſeruitute Pharaonis liberat. Pro populi peccatis precat. Pugnāte Ioſua cōtra Amalechitas, orando uictoriā ſuis parit. Exo. 15. Moriturus Deū pro nouo duce cōpellat.

IOSVA ἀγαθός τε (uir probus & timens Deum) κρατερός τ᾽ αἰχμητής (uictoriis clarus) quandiu uixit, Iſraelitas in Domini timore continuit. Ioſue 24.

Adraſtus apud Euripidem in Supplicibus, Theſeo quinq; ductores Argiui exercitus, generosè ad Thebas mortuos, oſtēdens, aliis alios extollit laudibus, sed quæ omnes in bono duce bonoq; ciue requirantur:

Καπανεὺς ὅδ᾽ ἐστὶν, ᾧ βίος μὲν ἦν πολὺς,
ἥκιστα δ᾽ ὄλβῳ γαῦρος ἦν· φρόνημα δὲ
οὐδέν τι μεῖζον εἶχεν, ἢ πένης ἀνήρ,
φεύγων, τραπέζαις ὅστις ἐξογκοῖτ᾽ ἄγαν,
τ᾽ ἀρκοῦντ᾽ ἀτίζων. οὐ γὰρ ἐν γαστρὸς βορᾷ
τὸ χρηστὸν εἶναι, μέτρια δ᾽ ἐξαρκεῖν ἔφη.
φίλος τ᾽ ἀληθὴς ἦν, φίλοις παροῦσί τε
καὶ μὴ παροῦσιν, ὧν ἀριθμὸς οὐ πολύς.
ἀψευδὲς ἦθος, εὐπροσήγορον στόμα,
ἄκραντον οὐδὲν οὐδ᾽ ἐς οἰκέτας ἔχων,
οὔτ᾽ ἐς πολίτας. τὸν δὲ δεύτερον λέγω,
Ἐτέοκλον, ἄλλην χρηστότητ᾽ ἠσκηκότα·
νεανίας ἦν, τῷ βίῳ μὲν ἐνδεής,
πλείστας δὲ τιμὰς ἔσχεν Ἀργείᾳ χθονί.
φίλων δὲ χρυσὸν πολλάκις δωρουμένων,
οὐκ εἰσεδέξατ᾽ οἶκον, ὥστε τοὺς τρόπους
δούλους παρασχεῖν, χρημάτων ζευχθεὶς ὕπο.
τοὺς δ᾽ ἐξαμαρτάνοντας, οὐχὶ τὴν πόλιν
ἤχθαιρ᾽. ἐπεί τοι κοὐδὲν αἰτία πόλις,
κακῶς κλύουσα διὰ κυβερνήτην κακόν.
ὁ δ᾽ αὖ τρίτος τῶν δ᾽ Ἱππομέδων, τοῖος δ᾽ ἔφυ.

παῖς ὤν, ἐτόλμησ' εὐθὺς οὐ πρὸς ἡδονὰς
μουσῶν τρέπεσθαι, πρὸς τὸ μαλθακὸν βίου,
ἀγροὺς δὲ ναίων, σκληρὰ τῇ φύσει διδοὺς,
ἔχαιρε πρὸς τ' ἀνδρεῖον, εἴς τ' ἄγρας ἰὼν,
ἵπποις τε χαίρων, τόξα τ' ἐντείνων χεροῖν,
πόλει παρασχεῖν σῶμα χρήσιμον θέλων.
ὁ τῆς κυναγοῦ δ' ἄλλος Ἀταλάντης γόνος,
παῖς Παρθενοπαῖος, εἶδος ἐξοχώτατος,
Ἀρκὰς μὲν ἦν, ἐλθὼν δ' ἐπ' Ἰνάχου ῥοὰς,
παιδεύεται κατ' Ἄργος· ἐκτραφεὶς δ' ἐκεῖ
πρῶτον μὲν ὡς χρὴ τοὺς μετοικοῦντας ξένους,
λυπηρὸς οὐκ ἦν, οὐδ' ἐπίφθονος πόλει,
οὐδ' ἐξεριστὴς τῶν λόγων (ὅθεν βαρὺς
μάλιστ' ἂν εἴη δημότης τε καὶ ξένος)
λόχοις δ' ἐνεστὼς, ὥσπερ Ἀργεῖος γεγὼς,
ἤμυνε χώρᾳ χ' ὁπότ' εὖ πράσσοι πόλις,
ἔχαιρε, λυπρῶς δ' ἔφερ', εἴ τι δυστυχοῖ.
πολλοὺς δ' ἐραστὰς, κἀπὸ θηλειῶν ὅσας
ἔχων, ἐφρούρει μηδὲν ἐξαμαρτάνειν.
Τυδέως δ' ἔπαινον ἐν βραχεῖ θήσω μέγαν.
οὐκ ἐν λόγοις ἦν λαμπρὸς, ἀλλ' ἐν ἀσπίδι
δεινὸς σοφιστὴς, πολλά τ' ἐξευρεῖν σοφά.
γνώμῃ δ' ἀδελφοῦ Μελεάγρου λελειμμένος,
ἴσον παρέσχεν ὄνομα διὰ τέχνης δορὸς,
εὑρὼν ἀκριβῆ μουσικὴν ἐν ἀσπίδι,
φιλότιμον ἦθος, πλούσιον, φρόνημα δὲ
ἐν τοῖσιν ἔργοις, οὐχὶ τοῖς λόγοις ἴσον.

Hic eſt CAPANEVS, uir opulentus, ſed minimè ſuperbus, nec maiorem animum q̃ pauper habens: fugiens eos qui menſas nimis onerāt, mediocria colens: neq; enim in uentris uoracitate id quod bonū eſt locabat, ſed moderata ſufficere dicebat. Amicus uerus erat, amicus præſentibus & abſentibus, cuiuſmodi paucos reperias. Moribus minimè fucatis, alloquo facilis, neq; erga ciues neq; erga ſeruos inhumanus. Secundus eſt ETEOCLES, uirtutis itidem ſectator. Iuuenis hic erat re tenui, ſed honoribus in terra Argiua functus maximis. Neq; uerò amicis ſæpe aurum donantibus accepit, ne morib. ſeruus efficeretur, à pecunia uictus. Peccantes oderat, non urbem: quæ ne tum quidem reprehenſione digna uidetur, quando malè audit propter principem malum. Tertius HIPPOMEDON eſt, qui etiamnum puer non ad mollitiem Muſarum ſeſe abiecit: ſed ruri habitans, & auſteram uitam ſectans, fortitudinis exercitio gaudebat, agros colens, equos tractans, iacula manibus dirigens, ut corpus ſuum patriæ redderet utile. Alter uerò Atalantæ uenatricis filius, PARTHENOPÆVS, iuuenis ſpecioſiſſimus, Arcas genere fuit: ueniens autē ad Inachi ſluenta, Argis educatus eſt: ibiq; cōmorans, primùm quidem ſic uti peregrinos decet hoſpites, nec grauis nec inuidioſus erat urbi, nec uerbis cōtentioſus (quo ipſo moleſtum ſe quā maximè ciuibus & peregrinus ciuitati exhibere ſolet) in acie quinetiam ſtans, non ſecus ac ſi Argiuus eſſet, regionē defendebat. Felici ſucceſſu urbis gaudebat: infelici triſtabatur. A multis uerò cùm amaretur, etiā à feminis, diligenter tamen caſtitatem cuſtodiuit. TYDEI magnā laudē paucis complectar. Non oratione clarus, ſed haſta uehemens erat ſophiſta, multaq; reperire idoneus: & licet à ſtudio Meleagri fratris diuerſus, æquale tamen nomen haſtæ peritia conſecutus, exquiſitam muſicam in haſta inueniens, moribus gloriæ cupidus, diues, nō uerbis ſed factis ingenioſus.

AMPHIARAVS, unus è ſeptem ducibus Argiuorū, Thebas obſidentium, in ſuo ſcuto nullum habebat inſigne (cùm reliqui ſex Argiuorum duces & uerbis & ſymbolis armorū inſolentiſſimè ſuperbirent. Quos ipſos tamen ſub Adraſti perſona Euripides non minùs quàm Amphiaraum laudauit, pro ſui inſtituti ratione) neque enim uideri, ſed eſſe bonus atq; fortis uolebat: profundum ſulcum in pectore conſerens, è quo præclara germinant conſilia. Huic uni prudētem & fortem ducem ut opponas moneo: timendus enim eſt uir Deos colens. Verba Chori ſunt ad Eteoclem, apud Aeſchylum in ſeptem ad Thebas.

— σῆμα δ' οὐκ ἐπῆν κύκλῳ·
οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλει,
βαθεῖαν ἄλοκα διὰ φρενὸς καρπούμενος,
ἐξ ἧς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλεύματα.
τούτῳ σοφούς τε κἀγαθοὺς ἀντηρέτας
πέμπειν ἐπαινῶ· δεινὸς, ὃς θεοὺς σέβει.

EPAMINONDAS Thebanus uidetur omnibus ſuæ ætatis hominibus anteceſſiſſe militari prudentia, æquitate, & animi celſitudine. Floruerunt eius memoria clariſſimi uiri, Pelopidas Thebanus, Timotheus, Conon, Chabrias, Iphicrates Athenienſes, Ageſilaus Spartanus. Ante hunc autem Medicis & Perſicis temporibus uiguerūt Solon, Themiſtocles, Miltiades, Cimon, Myronides, Pericles, & alij quidam apud Athenienſes. In Sicilia uerò Gelo, filius Dinomenis, & quidam alij. Attamen ſi quis conferat horum uirtutes ad Epaminondæ bellandi peritiam & gloriā, inueniet multis ſpaciis Epaminondæ uirtutem antecurrere. Nam in aliis ſinguli tantùm unius gloriæ ſplēdor ſeſe exeret: in hoc uerò cumulatim uirtutes omnes ſimul eluceſcent. Nam & robore corporis, & dicendi facultate, præterea animi ſinceritate, diuitiarum odio, & iuſtitia, ac quod maximum eſt, fortitudine atque militari ſcientia reliquos multum ſuperat, & longè poſt ſe relinquit. Proinde dum ipſe in uiuis ageret, patria ſummum imperium Greciæ conſecuta eſt. Cùm autem mortuus eſſet, eo priuata eſt, ſemperque ad deteriores conditiones deuoluta: ita ut tandem ob ducum inertiam de libertate atque euerſione periclitata ſit. Diodorus libro decimoquinto.

In P. SCIPIONE Africano quid fuerit laudabilius, fortitudóne in bellicis gerendis, an in omni uita continentia, dubium eſt. Altera enim bis aut ter hoſtem ſuperauit, altera ſeipſum ſemper. Ei certè populus Romanus nihil præter ſomnum obiicere poterat. Plut. in Politicis.

## BONI ET POLITICI.

ARISTIDES Athenienſis, ob inſignem iuſtitiæ opinionem Iuſtus cognominatus, uniuerſæ Græciæ populis cenſum deſcripſit, tanta æquitate & iuſtitia, ut Græcorum felicitas ſit dictus: & quæ eum tulit, aurea ſit ætas appellata, ac ea quæ Saturno quondam rege fuerat. Sabellicus libro quarto, capite quarto.

Scriptum reliquit Ariſtoteles, tres extitiſſe optimos ciues Athenis, qui pari erga populum beneuolentia & amore fuerūt, NICIAM Nicerati, THVCYDIDEM Mileſij, & THERAMENEM Agnonis: uerùm hunc quàm illos, minùs. Et enim ob pudenda natalia, ut hoſpes ex Cea, perſtrictus eſt: atque ob inconſtantiam, quodque modò harum, modò illarum partium in republ. eſſet, Cothurnus dictus. Thucydides fuit illis ætate prior, diuque Periclis actionibus populo aſſentantis pro optimatibus propugnans reſtitit. Aetatis Nicias inferioris. Habuit nomen aliquod etiam uiuo Pericle, ut collega quoque eius in bello gerendo fuerit, & ipſe per ſe exercitui præfuerit crebrò. Defuncto Pericle, ſtatim eſt in primum locum elatus, à locupletibus potiſſimùm & nobilitate, qui arcem eum aduerſus Cleonis fecerunt ſcelera & audaciam. Plut. in Nicia.

M. PORCIVS Cato, homo plebeij ſanguinis, ſed tam acri ingenio, ut ipſe ſibi fortunam feciſſe uideatur. Nulla illi ars defuit publicæ priuatæque rei gerendæ. Plerique eloquentia, alij uirtute militari, ad ſummos honores ſibi gradum fecêre: huic adeò uerſatile fuit ingenium, ut ad id unum, quod ageret, natus uideretur. Strenuus miles, Imperator optimus, peritiſſimus iuris, orator eloquentiſſimus. Quinquagies ferè egiſſe dicitur pro ſe, proque aliis, aduerſus alios. Orationes reliquit quamplurimas, quippe qui non ſolùm accuſando, ſed reus etiā fatigauit inimicos, quater ac quadragies accuſatus, ſemperque abſolutus. Quo contigit, ut Romanus ſit Demoſthenes ab omnib. ſui temporis dictus. Simultates nimio plures eum exercuerunt, & ipſe eas exercuit. Nec eſt facile dictu, utrum illum magis nobilitas, an ipſe nobilitatem agitauerit. Aſperi ingenij, linguæ acerbæ, & immodicæ libertatis. Rigida in eo innocentia, gratiæ & diuitiarum contemtus: etſi ipſius eſt apophthegma illud, Virorum eſſe rem domeſticam augere, uiduarum deteriorē facere. Ferrei propè corporis ad laborem, animi adeò uegeti, ut eum ne ſenectus quidem fregerit. Sex & octoginta natus annos cauſam dixit. Inde nonagenarius Sergium Galbam ad iudicium populi adduxit. Vbi fuerit natus, parum perſpicuè traditur. Tuſculanus tamen fuit genere, Priſcuſq; ab initio appellatus, inde à prudentia & animi ſolertia Catonis eſt nomen adeptus. Sic enim Rom. nominabant, qui multarum rerum uſum & experientiam callerent. Multa ad hæc continentia & æquitate, utpote qui adoleſcens Tarenti quum ſub Fabio Maximo militaret, Nearcho Pythagorico familiariter ſit uſus: ex quo quum multa alia audire ſit ſolitus à Platone uſurpata, tum illud, Voluptatem eſſe malorum omnium eſcam. Patientia & labore cum ſeruitiorū certauit turba, quamdiu uillicatus eſt. Sabellicus lib. 7. Enneadis 5. Duorum Catonum, ſenioris, cui nomen Cenſorio, & minoris, cui nomen Vticenſi, grauitas pariter atque integritas, uulgo celebratiſſima quondam fuit, adeò, ut è cœlo demiſſi dicerentur, ut bellum cum uitiis gererent. Eraſmus in Adagiis.

## BONI ET MILITES.

D. MARTINVS, antequā Chriſtianæ religioni initiaretur, anno ætatis XV. ſub Conſtantino & Iuliano, inuitus tamen, à patre ad militiam pertractus, ſtipendia fecit.

## BONI VIRI VALETVDINARII.

BALDVINVS IV. Hieroſolymorum rex, Almerico patri uix dum pubertatem egreſſus & leproſus ſucceſſit, & cōtra Saladinum Aegyptium præclarè rem Chriſtianam defendit. Aemilius lib. 5.



## BONI ET PAVPERES.

Oreſtes, in laude & admiratione COLONI Mycenæi, mariti ſororis ſuæ Electræ, uiri quamuis pauperis, tamen optimi & probi, inter cetera etiā hęc affert apud Eurip. in Electra:

Οὗτος γὰρ ἀνὴρ, οὔτ' ἐν Ἀργείοις μέγας,
οὔτ' αὖ δοκήσει δωμάτων ὠγκωμένος,
ἐν τοῖς τε πολλοῖς ὢν, ἄριστος εὑρέθη.

Hic uir, neq; inter Argiuos magnus, neq; rurſum magnificentia ædiū turgidus, plebeius exiſtēs, optimus inuētus eſt.

## BONI ET OPVLENTI.

MARAM ferunt fuiſſe quempiam apud Berœā Syriæ ciuitatem, ditiſſimum quidem illum, uerùm nihilominus humanum & officioſum in omneis, tum ciues, tum hoſpites. Vnde uulgò receptum, ut id uocabuli tribueretur uiris, qui ad multorum utilitatem nati uiderentur. Eraſmus in Adagiis.

NICIAS Athenienſis ditiſſimus, multaque ob diuitias & res præclarè geſtas apud ſuos celebritate, pacis ſemper ſuaſor, ut Pericles, dum uixit, belli. Ipſe talis omnino, qualem ſe in publico prædicare ſolebat, illud Agamemnonis ſemper in ore habens, Vitæ noſtræ turbam præſidē ſortiti ſumus, multitudini procul dubio ſeruire cogimur. Gratia & liberalitate omnes ſuperauit: tantaq; religione præditus, ut ſeruum libertate donauerit, quia Baccho eſſet ſimilis: & agrum magna pecunia emtū Delio Apollini dedicarit. Nemo ab eo fermè quicquam petiit unquam, quod non facilè impetrarit. Nec minus iis donare, à quibus mala aliqua timeret, q̃ gratis & bene meritis. Primus in ſenatum uentitabat, omnium poſtremus abibat. Sab. lib. 7. Ennead. 3.

## BONAE MVLIERES.

*Conſule Tit. Monacharum. item Mulierum doctarum.*

ABIGAIL in ſacris mulier optima introducitur. Reiecerat Nibal, maritus ſtolidiſſimus, Dauidis legatos commeatū petentes, ſuaq; inhoſpitalitate exules ad uindictam concitarat. At illa Dauidi obuiam cum alimentis profecta, iram hoſpitis mitigauit, mariti uitam protexit, opes ſuas, iam direptioni expoſitas, conſeruauit: digna profectò, quam Dauid Nabale mortuo regij lecti conſortem faceret.

Conuitium adfert, non connubiū mulier, quæ fortunam habet, qua inſoleſcat: non habet, qua regatur, uirtutē. ALCVMENÆ apud Plautum hęc ſunt ad Amphitryonem uerba:

Non ego illam mihi dotem eſſe duco, quæ dos dicitur:
Sed pudicitiam, & pudorem, & ſedatam cupidinem,
Deûm metū, parentū amorem, & cognatū concordiam:
Tibi morigera, atq; ut munifica ſim bonis, proſim ꝓbis.

Ludouicus Viues de Chriſtiana femina, lib. 2.

ALCESTIS, Admeti regis Theſſalię uxor, ab Eurip. perhibet̃

Γυνή γ' ἀρίστη τῶν ὑφ' ἡλίῳ μακρῷ.

Mulier longè optima earum quæ ſunt ſub lato ſole.

CLYTAEMNESTRA ad Agamemnonem ſic ait, apud Eurip. Iphigenia Aulidenſe:

— καὶ σὲ καὶ δόμους
συμμαρτυρήσεις ὡς ἄμεμπτος ἦν γυνή,
εἴς τ' ἀφροδίτην σωφρονοῦσα, καὶ τὸ σὸν
μέλαθρον αὔξουσ', ὥστ' εἰσιόντα τε
χαίρειν, θύραζέ τ' ἐξιόντ' εὐδαιμονεῖν.
σπάνιον δὲ θήρευμ' ἀνδρὶ, τοιαύτην λαβεῖν
δάμαρτα, φλαύραν δ' οὐ σπάνις γυναῖκ' ἔχειν.

Erga te & domum, ipſe teſtaberis, quàm inculpata fuerim mulier: in uenerem uerò modeſta, & tuam rem familiarem augens, ut ſiue ingredereris gauderes, foraſque egrediens beatus eſſes. Rara eſt captura, huiuſmodi nanciſci uxorem: malam uerò non rarum eſt uxorem habere.

Demophontem, Piſę tyrannum, multis ac grauibus incōmodis Eleos affeciſſe tradunt. Eo mortuo, quòd ille nihil egerat de publico ciuitatis conſilio, facilè Elei adducti ſunt, ut de iis quas acceperant iniuriis, æquo iure cum Piſæis diſceptarent. Ac tunc ſanè inter ipſos conuenit, cùm ciuitates id temporis in Elea ſedecim uigerent, ſingulas matronam unam edere, quæ cùm ætate, tum uitæ ac generis dignitate cæteras anteire uideretur, atq; his omnium controuerſiarū arbitrium permitti. Sedecim itaq; FEMINÆ è totidem Elidis urbibus utrinq; populo pacis conditiones tulêre. Eiſdē uerò poſtea & ludos, quæ Iunonia ſunt appellata, faciendi, & peplum Iunoni pertexendi cura mandata eſt. Pauſanias libro quinto.

Fuit quædam Caia Cecilia, mulier cùm eleganti forma, tum probatiſſimis moribus, antea dicta Tanaquil: quæ nupſit uni è filiis Tarquinij, uidelicet Tarquinio Priſco. Huic Caię Romani poſuerunt ſtatuam æream in templo Sancti (ſic enim ſcribit Plutarchus ἐν τῷ τοῦ σάγκου ἱερῷ. is erat deus olim hoc nomine cultus apud Romanos, unus è numero duodecim ſelectorum) Ibidem antiquitùs erant repoſita illius ſandalia & colus: quorū illa teſtabantur eam domi manentem familiæ curam habuiſſe: hæc induſtriam ſignificabat, quòd muliebres operas diligenter obierit, lanificij ſtudioſa. Huius itaque mentio ſponſam admonebat, ut talis eſſet ſuo marito, qualis in ſpōſalib. Caia Cecilia fuerat ſuo. Eraſmus in Adagiis.

Plautus Pœnulo ſub MERETRICIS perſona conditiones bonæ matronæ deſcribit:

Bono ingenio me eſſe ornatam, q̃ auro multò, mauolo.
Aurū in fortuna inuenitur, natura ingenium bonum.
Bonam ego, quàm beatā me eſſe; nimio dici mauolo.
Meretricem pudorē gerere magis decet, quàm purpurā:
Magiſq; meretricē pudorem, q̃ aurum gerere condecet.
Pulcrum ornatum turpes mores peius cœno collinunt:
Lepidi mores turpem ornatum facilè factis comprobāt.

Plutarchi Chæronei uxor TIMOXENA reſtrictione circa corpus & uitæ auſteritate nullum non philoſophorū, quibus nota eſſet, obſtupefecit: nulli non ciui in ſacris, in ſacrificiis, in theatris ſpectaculum præbuit temperantiæ. Rurſus in aduerſis conſtantiam demonſtrauit non uulgarem, cùm maximum natu ex filiis amiſit: iterumq;, quando ſuauem illum deſeruit Charonem. Nam cùm hoſpites nonnulli, qui Plutarchum à mari proſequerētur, allato pueri exceſſu, cum reliqua frequentia domum eius ingrederētur: poſtquam omnia pacata & quieta uiderunt, nihil accidiſſe grauius, ſed inanem de Charone famam temere uulgatam exiſtimarunt: adeò moderatè compoſuerat domum, quo tempore magna confuſionis licentia conceditur: licet ſua ipſius mamma illum nutricaſſet, ſectionemq; uberis tuliſſet, cùm papilla fuiſſet contuſa. Iam cùm filiā quoq; poſt quatuor filios ſuſceptam amiſiſſet, neq; ueſtem lugubrem ſumſit, neque ullum ſibi ſuiſq; ancillis ſquallorem addidit, uel inflixit ſuggillationem, neque apparatum fecit in exequiis ſolennis ſplendoris: ſed adminiſtrata omnia moderatè & modeſtè, neque ultra quàm neceſſe foret. Plut. in Conſolatoria ad uxorem.

AMALASVENTA, Oſtrogothorum regina, Theoderici F. Eutharici uxor, teſte Caſſiodoro & Suida, inter primarias rariſſimaſque annumeranda. Aſpectu ueneranda, auditu admiranda: Græcis Latiniſque literis egregiè imbuta: omnium gentium nationumque, quæ Romanum inuaſerant imperium, linguas callebat. Tantæ grauitatis, tantæ in ſimulando & diſſimulando prudentiæ, ut quum ſontes compeſceret, nullam illi ab ea offenſam perpeſſos & dicerent & ſentirent. Tanta auctoritate, ut rem illi ingratam commiſiſſe, etiamſi nulla propoſita pœna, nefarium duceretur. Cranzius lib. 3. Sueciæ, cap. 23. Athalarico filio per ætatis imbecillitatem ad regni gubernacula tractanda nondum idoneo, ipſa tanta iuſtitia ac ſapientia illud adminiſtrauit, ut omnes in ſummam admirationem adduxerit. Nam nō modò Romano cuipiam uitam aut bona non ademit: ſed etiam liberis Symmachi & Boetij, quæ fuerant erepta, reſtituit. in primiſque uniuerſam Romanorum nationem aduerſus inhiantem Gothorum libidinem texit. Amalarico, regi Hiſpaniæ, ſororis ſuæ filio, Galliæ ultra Rhodanum portionem, citeriore ſibi retenta, conceſſit: & res à Theoderico patre Carcaſſone ablatas reddidit, atque impoſitum ab eo uectigal remiſit. quin etiam ipſius citerioris partem Theoderico, regi Francorum, arma ſibi intentanti tradidit, ad leuandam Francico bello in tanta ſuorum infirmitate Italiā. Puerum porrò Athalaricum contra inſtituta Gothorum more Romano rectis ad omnem humanitatem literis informandum curauit, ac præceptorum ſeniorumque, humanitate & prudentia præſtantium cuſtodiæ ſeueriori commiſit: qui nunquam ab eius latere diſcedentes, mores uitamque pueri Romana diſciplina imbuerent. Quinetiam Theodericū Francorum regem bello prouocauit, ac uictoriā, rege mortuo, nobilem reportauit: teſte Caſſiodoro. Regem quoq; Burgundionum ad obſequium adduxit: ſic enim ſubiicit: Ecce felix domina, quod habet eximium uterque ſexus, impleuit. nam & glorioſum regem nobis edidit, & latiſſimum imperium animi fortitudine uindicauit. Sigonius lib. 17. Imperij occidentalis.

THEODELINDA, Garcoualdæ (aliis Garibaldi) Boiorum regis F. Vtharij (Autharim alij uocant) Longobardorum regis uxor, ſingularis prudentiæ & raræ pietatis in Chriſtum femina, Longobardorum animos bonis artibus inflexit: & ut religionem Chriſtianam reciperent, cum Rom. Imperatoribus fœdus facerent, pacem depoſitis armis ſeruarent, ſua prudentia atque uirtutibus perſuaſit. Auentinus lib. 3. Annalium Boiorum. Gregorius Magnus Pp. dialogum de Vitis ſanctorum, Teudelindæ reginæ dicauit. Cum Adelualdo F. regno pulſa, in exilio præ mœrore obiit, anno 627. Sigonius libro ſecundo regni Italici. Bonfinius libro octauo, Decadis 1.

Tedal-

Tedaldus Marchio, dux Tuſciæ, relictis filiis Bonifacio & Conrado deceſſit. Ex his Bonifacius, qui Beatricem Conradi I. Imp. F. uxorem duxit, tantas in Italia opes habuit, ut omnium principum Italicorum fuerit longè illa tempeſtate clariſſimus. Fuit Canuſij Comes, Parmæ, Mantuæ, & Ferrariæ Marchio, & Dux Tuſciæ, perinde ac pater eius Tedaldus: ſiquidem & is Ducis titulum geſſit. Eo mortuo, Beatrix Gozeloni Lotharingiæ Duci Henrici III. Imp. inimico nupſit, ac filiam Mathildem Gothifredo Gozelonis filio fratri Stephani IX. Pp. collocauit, qui Ducis Spoletani & Tuſciæ titulum tulit, maximarum, quæ patris fuerant, in Italia opum hæredem: ſiquidem à pleriſq;, & quidem ueterib. ſcriptoribus, Lombardiæ & Tuſciæ Dux, Canuſiiq; Comes nocatur. Verùm ipſa ſemet, Mathilda Dei gratia, ſi quid eſt (Chriſtianam humilitatem æmulata) ſubſcribere aſſueuit. Marito mortuo, uidua unà cum Beatrice matre uniuerſam inde ditionem adminiſtrauit. Gregorio VII. Pp. cōtra Henricum III. regem pertinaciſſ. adhæſit. Azoni inde Marchioni Ateſtino matrimonio ſociata anno MXXC. ſed propter detectam ſanguinis coniunctionē, Gregorij VII. edicto, ab eo poſt annum diſceſſit. Pòſt Vrbani II. auctoritate, Velfoni Bauariæ duci nupſit. Tandem annos ſex & ſeptuaginta nata, mortem an. 1115. oppetiit: atq; in monaſterio S. Benedicti Mutinæ ab auo ſuo inter Padum & Larionem cōſtructo ſepulturam accepit: mulier nō ſolùm egregia pietate ac religionē, omnium & ſui, & ſuperiorum ſeculorum mulierū præſtantiſſima, ſed etiam publicis operibus, arcibus, pontibus, uiis, templis, monaſteriis in Lombardia extructis, belliſq; aſſiduis pro tuenda Eccleſiæ auctoritate adminiſtratis, ſingularibus laudibus in perpetuum celebranda. Hæc gliſcente inter Gregorium VII. Pp. atq; Henricum IV. regem diſcordia, Lombardiæ Tuſciæq; ditionem teſtamento S. Petro donarat. Itaq; ea mortua non defuêre, qui nunciis miſſis Henricum V. ad adeundam ditionis eius hæreditatē in Italiam aduocarent. Ita Parma & Mantua ad eum peruenit, Ferraria, quam Tedaldus auus à Ioanne XIV Pontifice acceperat, Romanam ad eccleſiam rediit. Multa præterea in Lombardia ad Padum caſtra & poſſeſſiones fuêre, de quib. magnæ poſtea inter Imperatorem & Pontificem cōtentiones extitêre, eæq; modò huic, modò illi diuerſorum beneficio Regum ceſsêre. Sigonius lib. 9. & 10. regni Ital. At de ea ſic Cranzius lib. 5. Saxoniæ, cap. 13. Mathilda Comitiſſa fuit Egberti marchionis Saxoniæ filia, Egberti ab Henrico IV. Imp. uicti & in molendino cæſi germana, incomparabilis prudentiæ, religionis & pudicitiæ femina: quam pater eius Bonifacio in Lōbardia Comiti tradidit uirginē. Quo mortuo, quū Azoni Eſtenſi, tertio gradu cōſanguinitatis priori marito cohærēti nupſiſſet, Pontificis iuſſu ab illo ſeceſſit.

HEDVIGIS, Ludouici Vngariæ & Poloniæ regis F. Vladiſlai Iagellonis, Poloniæ regis uxor, ſingulari pietate & ſanctimonia uitæ prædita: ab omni faſtu, leuitate & iracundia aliena, ocij iuxtà ac alienorū à ſuo ſexu atq; dignitate negotiorum fugiens, tempus omne ſuū uel diuino cultui, uel lectioni eorū, quæ ad pietatem moreſq; formandos pertinerent; uel deniq; audiendis & leuandis uiduarū, pupillorū, & aliorum miſerabiliū hominū querimoniis impertiebat. Facultates uerò ſuas, quas ampliſſimas è paterna domo ſecum aduexerat, liberaliter in uſus egentium, in cultum diuinum, & in publicas utilitates expendit. Cromerus libro decimoſexto.

# IMPROBI HOMINES, IN GENERE.

## POPVLI IMPROBI.

FERREI ſeculi meminêre poetæ, Græci primùm, inde Latini, aurea in argenteam, argentea in æream, ærea in ferreā ætatem ſenſim degenerante. Sic Ouid. 1. Metam.

—De duro eſt ultima ferro.
Protinus irrupit uenæ peioris in æuum
Omne nefas, fugêre pudor, uerumq;, fideſq;:
In quorum ſubiere locum fraudeſq; doliq;,
Inſidiæq;, & uis, & amor ſceleratus habendi.

LYDOS improbitatis primas retuliſſe, adnotatum à Græcis eſt, AEGYPTIIS gradu ſecundo conſtitutis, CARIBVS autem tertio.

Λυδοὶ πονηροὶ, δεύτεροι δ' αἰγύπτιοι.
Τρίτοι δὲ πάντων κᾶρες ἐξωλέστατοι.
Lydi improbi, poſt hos ſecundi Aegyptij,
Tertijq; Cares perditiſſimi omnium. Eraſmus.

Adrianus ad Seruianum cōſulem, AEGYPTVM totam ſe didiciſſe ait eſſe leuem, pendulam, ad omnia famæ momenta uolitantē. & mox, eſſe homines eos ſcribit ſeditioſiſſimos, nauiſſimos, iniurioſiſſimos. Et Q. Curtius Aegyptios ut gētem uanam infamat, nouandis quàm gerendis rebus aptiorem. Cælius lib. 16. cap. 3. A. L.

Δούλων πόλις ciuitas quæpiam in Libya, ut auctor eſt apud Suidam Ephorus, apud Stephanum Hecatæus. In hanc ſi quis ſeruus lapidem importaſſet, continuò liber fiebat, etiā ſi peregrinus fuiſſet. Eſt & altera, cui nomen ἱεροδούλων, quòd ſeruis dicata ſit, in qua unum duntaxat ingenuum uiuere tradunt. Eſt rurſum in Creta, δουλόπολις χιλίανδρος, id eſt, Mille uiris habitata, ut auctor eſt Soſicrates in prima narratione rerum Creticarum. Eſt item alia iuxta Thraciam, πονηρόπολις, id eſt, improborum ciuitas. In hanc Philippus collegiſſe dicitur, uelut in ſentinam, infames ac moribus improbatis, ut ſycophantas, falſos teſtes, præuaricatores, & id genus alios, ad numerū duûm millium, ut auctor eſt Theopōpus, in rerum Philippicarum lib. 13. Teſtatur & Plutarchus in cōmentario de Curioſitate. Eſt & in Aegypto regio quædam δουλόπολις appellata, teſte Olympianico. Nō diſſimile quod Plinius narrat de gente Eſſenorum in Syria, ad quos fugitant uſquequaq; nocentes. Quæ ſola toto in orbe, ſine ulla femina uiuit, omni uenere abdicata, ſocia palmarū, in diē ex æquo conuenarum turba renaſcitur, longè frequentantibus, quos uita feſſos ad mores eorum fortunæ fluctus agitat. Eraſmus in Adagiis.

Stephanus ſcribit, BERGAM eſſe ciuitatem Thraciæ, ſiue ut Strabo refert, uicum. Eius gentis improbi mores in prouerbium abierunt, ut dicerentur βεργαΐζειν, qui nihil ſani loquerentur. Tota enim natio Thracum multis nominibus malè audiebat, ſed præcipuè, ob morum truculentiam ac perfidiam. Thrax erat Polymneſtor, qui uictricia arma ſequutus, Polydorum Priami filium obtruncauit, & auro ui potitus eſt. Ibidem.

ATHENIENSES aut optimi euadunt, aut peſſimi: ſicuti eorundem terra & mel ſaluberrimum & cicutam producit exitioſiſſimam. Plut. in Dione.

Τρία κάππα κάκιστα, Tria peſſima cappa. Iactatum hoc olim ænigmatis uice, quo trium gentium mores notati ſunt, CAPPADOCVM, CRETENSIVM & CILICVM. Auguſtinus in Grammaticis, indicat fuiſſe tortum in Corneliū Syllam, Cornelium Cinnam, & Cornelium Lentulum. Creditumq; eſt in libris Sibyllinis horum nomina tribus hiſce literis fuiſſe deſignata. Eſt item clauſula carminis heroici. Cilices certè ob piraticam quam exercebant, & aſſiduas hoſtium deprædationes, infames erāt, immanitatis & crudelitatis nomine. Quapropter & Attici uindictas acerbiores κιλικίας appellabant. Eraſmus in Adagiis.

LERIORVM populus ob inſignem morum improbitatē in prouerbium abiit, auctore Strabone lib. Geographiæ 10. Citatq; Phocylidis neſcio cuius uerba hæc, Λέριοι κακοί, οὐχ ὁ μὲν ὃς δ' οὔ, πάντες, πλὴν Προκλέους, καὶ Προκλέης Λέριος: id eſt, Lerij mali, non ut hic malus ſit, ille nequaquam, uerùm omnes, excepto Procle: & Procles eſt Lerius. Leria inſula eſt una ex Sporadibus, contra litora Cariæ, quam Plinius Leron appellat, quum aliis aliquot locis, tum lib. 5. cap. 21. Idem. Quod hic dictum eſt in Lerios, Græca epigrammata detorquent in CHIOS. Epigramma ſic habet:

Καὶ τόδε Δημοδόκου· Χῖοι κακοί, οὐχ ὁ μὲν, ὃς δ' οὔ,
πάντες, πλὴν Προκλέους· καὶ Προκλέης δὲ Χῖος. id eſt,
Hoc quoq; Demodoci: Chius malus, haud quidem hic, hic non:
Omnes, abſq; Procle: Chius at ipſe Procles.

Horatius ROMANORVM corruptos mores taxans lib. 3. Ode 6. ſic ſcribit:

Fœcunda culpæ ſecula, nuptias
Primùm inquinauêre, & genus, & domos.
Hoc fonte deriuata clades
In patriam populumq; fluxit.
Motus doceri gaudet Ionicos
Matura uirgo, & fingitur artubus
Iam nunc, & inceſtos amores
A tenero meditatur ungui:
Mox iuniores quærit adulteros
Inter mariti uina: neq; eligit,
Cui donet impermiſſa raptim
Gaudia, luminibus remotis:
Sed iuſſa coràm non ſine conſcio
Surgit marito, ſeu uocat inſtitor,
Seu nauis Hiſpanæ magiſter
Dedecorum precioſus emtor.
Damnoſa quid non imminuit dies?
Aetas parentum peior auis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem uitioſiorem.

De IISDEM Iuuenalis Satyra tertia, ætate multum poſterior:

Quid Romæ faciam? mentiri neſcio: librum,
Si malus eſt, nequeo laudare, & poſcere: motus
Aſtrorum ignoro: funus promittere patris
Nec uolo, nec poſſum: ranarum uiſcera nunquam
Inſpexi: ferre ad nuptam, quæ mittit adulter,
Quæ mandat, norint alij.—



HVNNI ueterū monumentis leuiter noti, ultra paludis Mæotidis glacialem Oceanum accolentes, omnem feritatis modum excedunt. Compactis omnes firmiſq; membris, & opimis ceruicibus, prodigioſè deformes & pādi, ut bipedes exiſtimes beſtias; uel quales in commarginandis pontibus effigiati ſtipites dolantur incomtè in hominū figuras. Sic etiā in ſua uita uiſi ſunt aſperi, ut neq; igni, neq; ſaporatis indigeant cibis, ſed radicibus herbarū agreſtium & ſemicruda cuiuſuis pecoris carne ueſcātūr, quam inter femora ſua & equorum terga ſubſertam, fotu calefaciunt breui. Aedificiis nullis unquam tecti, ſed hæc uelut ab uſu communi diſcreta ſepulcra declinant. Nec enim apud eos uel arundine faſtigiatum reperiri tugurium poteſt. Sed uagi montes peragrantes & ſyluas, pruinas, famem ſitimque perferre ab incunabulis aſſueſcūnt. Peregrè tecta, niſi adigente maxima neceſſitate, non ſubeunt. nec enim apud eos ſecuros exiſtimāt eſſe ſub tectis. Indumentis operiuntur linteis, uel ex pellibus ſylueſtrium murum conſarcinatis. nec alia illis domeſtica ueſtis eſt, alia forenſis: ſed ſemel obſoleti coloris tunica collo inſerta non antè deponitur aut mutatur, quā diuturna carie in pannulos defluxit defruſtata. Galeris incuruis capita tegunt, hirſuta crura coriis munientes hœdinis. eorumque calcei formulis nullis aptati, uetant incedere greſſibus liberis. qua cauſa ad pedeſtres parum accommodati ſunt pugnas, uerùm equis propè affixi, duris quidē, ſed deformibus, & muliebriter iiſdem nonnunquam inſidentes, funguntur muneribus conſuetis. In ipſis quiuis in hac natione pernox & perdius emit & uendit, cibumque ſumit & potum: & inclinatus ceruici anguſtæ iumenti, in altū ſoporem ad uſque uarietatem effunditur ſomniorum. Marcellinus lib. 31.

## ARTIFICES IMPROBI.

Apud Athenæum Antiphanes, cùm ἰχθυοπώλας feciſſet omniū ſceleratiſſimos, tamen excepit menſarios, his quoq; nocentiores. Diogenianus. Eraſm. in Adag.

## FAMILIAE IMPROBAE.

Succeſſorum Alexandri REGVM familiæ omnes parricidiis & inceſtis libidinibus infames fuêre. quando ut Mathematici axiomata habent, quæ ſibi concedi petunt: ſic illis cædes fratrum ad ſecuritatem regni axiomatis loco fuit. Extra unam Antigoni domum, in qua nullus, præter Philippū Macedoniæ regem (qui Demetrium F. ſuſtulit) cognato ſanguine manus polluit. Plut. in Demetrio.

## PRIVATI HOMINES.

Zenodotus & Suidas ſcribit duos fuiſſe ductores, notæ utrunque improbitatis, SIMONEM & NICONEM. Simonem autem, quòd uitiis antecelleret, alterius famam obſcuraſſe. Vnde prouerbio, Simonem unum nominant. Tradunt hos duos TELCHINES fuiſſe, qui inducta in terram aqua Stygia, Arnon ædificarint. Vocantur autem apud Græcos Telchines, mali genij, ſiue homines faſcinatores & malefici. Strabo lib. 10. meminit Telchinum, aitq; nouem fuiſſe, qui è Rhodo Rheam ſint comitati in Cretam. τελχῖνας autem dictos uolunt παρὰ τὸ θέλγειν, quod eſt obſcurare ſiue demulcere, quòd homines illectos circumueniant. Hinc & τελχίνειοι ſiue τελχινώδεις dicunt, quicquid inſigniter eſt improbū: & τελχινιάζειν, pro contentioſè ac pertinaciter agere. Eraſmus in Adagiis.

Olim duo quidam fratres erant apud Epheſios, omni genere maleficiorū paſſim in omnes debacchantes, unde & ex morum atrocitate nomina repererūt. Nam alter PASSALVS dictus eſt, alter ACHEMON, ſiue Achmon. Hos mater, nomine Senonis, iuſſit cauere, ne quando in Melampygū inciderent. Euenit deinde, ut Hercules aliquando ſub arbore quadam dormiret, armis in eandem reclinatis. Acceſſerunt Cercopes ſiue Perperi fratres (utrunq; enim ſcriptum inuenitur) & Herculem dormientem ipſius armis aggredi tentarunt. Ille protinus ſenſit inſidias, & correptos ac uinctos de claua à tergo ſuſpendit leporum ritu, atq; ad eum modum geſtabat. Illi pendentes capitibus deorſum demiſſis, cū Herculis poſticum nigris pilis horridum atq; hiſpidū uiderēt, materni moniti memores, ſuper hac re inter ſeſe confabulabātur. Quod ſimul ac audiſſet Hercules, hoc cognomine delectatus, & in riſum effuſus, eos uinculis ſolutos dimiſit. Alij narrant iuſſu Omphales Herculem illos uinxiſſe. Idem, ex Suida & Greg. Nazianz. Hinc prouer. ἀγορὰ κερκώπων, de conuentu improborum. Quidam aiunt, quoſdam ob impoſturas & malas artes, κέρκωπας, quaſi caudatos appellatos fuiſſe apud Epheſios atq; Athenienſes. Idem.

CLEOCRITVM ueteris comœdiæ maledicta nobilitarunt. Dictus eſt autem effeminatus, cinædus, hoſpes, obſcuro fœdoq; genere, Cybeles filius, quòd Rheæ myſteria ab exectis euiratiſq; peragerentur. Ne forma quidem à morib. diſcrepabat. Nam facie uelut auem referebat. Idem.

PHRYNONDAS, cùm eſſet hoſpes Athenis, in negotiis Peloponneſiacis uerſabatur, homo uerſutus, maleficus, impoſtor, ſummus malarum rerum artifex, ut hominis uocabulū in prouerbium abierit. Sic Ariſtophanes in Amphiarco, citante Suida:

Ὦ μιαρὲ καὶ φρυνώνδα καὶ πονηρὲ σύ. id eſt,
Scelerate tu, ac Phrynonda, & impuriſſime. Idem.

Plutarchus in uita Alcibiadis, Thucydides Pelopōneſiaci belli lib. 8. & Ariſtophanes in Equitib. oſtendūt, HYPERBOLVM fuiſſe hominem modis omnibus improbiſſimū, nec ulla re clarum aut potentem, niſi uitio linguæ. Idem.

Epitaphium TIMOCREONTIS, Rhodij poetæ, uoracis ac bibacis, quod liber Epigrammatum attribuit Simonidi, Athenæus lib. 10. recenſet:

Πολλὰ φαγὼν, καὶ πολλὰ πιὼν, καὶ πολλὰ κάκ' εἰπὼν
ἀνθρώπους, κεῖμαι Τιμοκρέων Ῥόδιος.
Multa bibens, tum multa uorans, mala deniq; dicens
Multis, hîc iaceo Timocreon Rhodius.

In ZOILVM, Martialis Epigr. lib. 11. ſic ſcribit:

Mentitur, qui te uitioſum Zoile dixit:
Non uitioſus homo es, Zoile, ſed uitium.

De GRVNNIO Corocotta ſcribit Hieronymus, ſeu ficto nomine, ſeu uero, qui luxu & flagitiis intus erat Nero, foris Cato, ambiguus totus, ut ex contrariis diuerſiſq; naturis unū monſtrum nouamq; beſtiam diceres compactam: iuxta illud poeticum, Prima leo, poſtrema draco, media ipſa chimæra. Cælius lib. 16. cap. 5. A. L.

# IMPROBITAS ADIVNCTVM HABENS BONVM VEL MALVM ALIQVOD

## ANIMI. HVC IMPROBI

### PHILOSOPHI, SOPHISTÆ.

Hegeſander in 8. Commentariorum de ſui temporis PHILOSOPHIS, epigramma dithyrambicū tale affert, quod huc ex 1. lib. Poeticæ Scaligeri tranſcribere placuit:

ὀφρυανασπασίδαι, ῥινεγκαθιδρυξογένειοι,
σακκογενειοτρόφοι, καὶ λοπαδαρπαγίδαι,
εἱματανωπεριβαλλοι, γυμνοπεδιβλεπίλαιοι,
νυκτιλαθροφάγοι, νυκτιπάταιπλάνοι,
μειρακιεξαπάται, καὶ συλλαβοπευσιλαβηταί,
δοξομοτατοσσοφοι, ζητηρεπισταδαι.

Quod quidam paribus ſeſquipedalibus expreſſere:

Silonicaperones, uibriſſaſperomenti,
Manticobarbicolæ, exterebropatinæ,
Planipedatquelucernitui, ſuffarcinamicti,
Noctilatentiuori, noctidoloſtudij,
Pullipremoplagij, ſutelocaptiotricæ,
Rumigeraucupidæ, nugicanoricrepi.

### HISTORICI.

Inſimulatus fuit SALLVSTIVS à Græco hiſtorico, quòd nullam in partem imitatus fuiſſet eos, quos in hiſtoria ſua in cœlum tulerat: nec uirtutes eas uita reddidiſſet, quas in aliis commendarat. Victorius arbitratur ipſum, poſtquā ex Africa rediit, quam expilarat, tædio illarum rerum confectū, ſe hiſtoriæ ſcribendæ dediſſe. Præſertim cùm ipſe quoq; fateatur, ſe in uia uitæ antea erraſſe, & in uitiis communibus illius ætatis priùs uolutatum eſſe. Victorius lib. 18. Var. lect. capite quinto.

## CORPORIS. HVC IMPROBI

### DEFORMES.

Homerus THERSITIS fœditatem multis partibus atq; undequaque effinxit, ingenij uerò peruerſitatem ſuccinctiſſimè unico expreſſit uerſu:

Aeacidæ inprimis erat atq; infeſtus Vlyſſi.

Siquidē inimicitias cum præſtantiſſimis gerere, effuſa quædam eſt improbitas. Plut. de Inuidia & odio.

### SENES.

Cato ſenior CVIDAM improbo: Heus tu; quid ſenectutem, inquit, multis alioquin obnoxiā malis, oneras inſuper improbitatis nota? Plut. de Non fœner.

### MVLIERES.

*Inter fortuita mala Vxores improbæ cenſentur, quatenus maritos infelices reddunt. De quibus ſuo loco. At hic Mulieres improbæ per ſe conſiderantur, quatenus multis uitiis nobilitantur. Conſule etiam Tit. Meretricum, quando præter libidinem multis quoque aliis ſceleribus excellunt.*

Quidam

Quidam ſceleratam & libidinoſam feminam eſſe crediderũt MEDEAM, quæ ob furioſum Iaſonis deſiderium inmoderatámq; libidinem, parentes & regnum & patriam prodiderit, ut ignotum hominem ſequeretur. Hinc Medeam uocatam fuiſſe memorant, quia omnibus artibus conata ſit Iaſonis amorem in ſe uertere, ut eſt apud Diphilum:

—ἡ γὰρ φαρμακηΐσας
Μήδειαν καλέουσιν ὅτι κατεμήσατο τέκνας.
—Medea uocata eſt
Illa, ueneficij quòd fraudes repperit omnes.

Hæc dicta eſt ſenes nonnullos iuuentuti reſtituiſſe per herbas & ignẽ: quia in ſui deſiderium etiã ſenes attraxerit per magiã, feceritq; ut tanquam iuuenes imprudentes & impudentes eſſent. Hanc in omnia crudelitatis laſciuiæq; facinora delapſam aiunt, & idcirco paulo pòſt in omnium odium incurriſſe, quia nemo impurus diu felix eſſe poſſit, cũ ſolius uirtutis opus ſit felicitas. Natalis Comes Mythol. lib. ſexto, cap. ſeptimo.

NVMVLISINTHIS (alij Cyſenida uocant) Diogiridis filiæ, Thraciæ regis, etſi minus admirabilem crudelitatem gentis ipſius feritas, narrandam tamen rabies ſæuitiæ facit: cui neq; uiuos homines medios ſecare, neq; parentes liberorũ ueſci corporibus nefas fuit. Val. Max. lib. 9. c. 2.

Andromache in HELENAM, propter quã Troiani uariis malis affecti, Hector interfectus, & eiuſdem filius Aſtyanax de turri in præceps datus, apud Eurip. Troadib. ſic inuehitur:

Ὦ Τυνδάρειον ἔρνος, οὔποτ' εἶ Διός,
πολλῶν δὲ πατέρων φημί σ' ἐκπεφυκέναι,
ἀλάστορος μὲν πρῶτον, εἶτα δὲ φθόνου,
φόνου τε, θανάτου θ', ὅσα γῆ τρέφει κακά.
οὐ γάρ ποτ' αὐχῶ Ζῆνά γ' ἐκφῦσαί σ' ἐγώ,
πολλοῖσι κῆρα βαρβάροις, Ἕλλησί τε.
ὄλοιο· καλλίστων γὰρ ὀμμάτων ἄπο
αἰσχρῶς τὰ κλεινὰ πεδί' ἀπώλεσας Φρυγῶν.

O Tyndarea planta, nunquam eras Iouis filia: ex multis uerò patribus aſſero te natam eſſe. Ex dæmone quidem primò, deinde inuidia, & cæde, & morte, & quæcunq; tellus alit mala. Non enim unquam dicam Iouem produxiſſe te ego, multis perniciem Barbaris Græciſque. Pereas: nam pulcerrimis tuis oculis turpiter hoc inclitum ſolum perdidiſti Phrygum.

CLEOPATRA, Phyſconis Ptolemæi uxor, mulier omniũ ſceleſtiſſima. Vide Tit. Regnandi libido.

Conuulſa ſunt duo finitima regna, Ptolemæorũ in Aegypto, & Antiochi ſucceſſorum in Syria, fœdiſſimis cædibus tragicisque exemplis ob inteſtinam diſcordiam ſugillata. Et in his REGINARVM ſcelera, quę ſæuitia & omni mõſtrorum genere ne uiris quidem poſthabendæ ſint, ſed Cleopatra omnium teterrima. Fuit hæc una ex iis, quæ uetuſtiore memoria in Aegypto reginę nomen tulerunt. Matrem thoro expulit, filias uiduas fecit, alterno fratrum matrimonio uirilis ſtirpis liberos unum in exilium egit, alterum interficere conata eſt, cuͤ poſtea ſuorum ſcelerum debitas exoluit pœnas. Sabel. lib. 3. c. 10.

TVLLIA, Seruij Tullij filia, nequiſſima femina, ut Tarquinio Superbo nuberet, maritum Tarquinij fratrem, & ſororem ſuam, eiuſdem uxorem, necari curauit. Iam cùm furiis eius Tarquinius ęquè ferox agitatus, regni cupiditate improba, Seruium Tullium ſocerum, ut ipſe regno potiretur, interficiendum curaſſet: prætereuehens ipſa carpento, infeſtis furiis agitata, & muliebri ſpiritu inflata, ſupra patris defuncti corpus, uulneribus & plagis affecti & cruentati, incedere non dubitauit. Ob cuius inhumanum ſcelus & rei fœditatem, loco tanquam nefario & conſcelerato, Scelerati nomen factum. Fuerat enim Cyprio nomen uico, in quo hæc geſta ſunt: poſtea Sceleratus dictus: Cypriuſq; nũcupatus, quòd cùm locum eum Sabini inſediſſent, boni ominis cauſa, Cyprium, hoc eſt, bonum appellarunt. Alexand. libro ſecundo, cap. ſexto.

CONSTANTIA, Conſtantij Cæſaris ſoror, Galli Cæſaris uxor, maritum ſuapte natura crudelem, ad omne facinus ꝓcliuiorem reddidit. Cuſpinianus.

FREDEGVNDIS maſcula mulier, Chilperici Francorum regis pellex primùm, inde uxor, res magnas, interemto per adulterum Landricum marito, domi militiæq; geſſit: nec tamen ulla bellica ſiue ſua, ſiue Landrici laude redimere potuit dedecus anteactæ uitæ. Audoueram primam Chilperici uxorem fraude euertit. Abſente Chilperico cum fratre Sigiberto rege ad Saxonicum tumultum, Audouerę puerperæ, morum imperitæ, ſub recentem fœtum perſuaſit, ut die luſtrico ipſa mater filiam, quę nata erat, è ſacro delubro exciperet: nullam maioris nobilitatis inueniri poſſe dictitãs, quæ regiam ſobolem ſacra imbueret aqua. Reuerſus uir, Fredegundis forma blanditiiſq; expugnatus, uxorẽ in cœnobium ſanctarum mulierum ablegauit, uelut inceſto futuro deinde matrimonij uſu. Hoc aſtu. Illud audacia, quòd Galſontam, Athanagildi Viſigothorum regis filiam, eandẽ Brunechildis uxoris Sigiberti regis Mediomatricum ſororem maiorem, Chilperico nuptam, ipſa pellex regis potẽs, iurgiis inceſſere auſa eſt. Quam indignitatẽ cùm noua nupta ferre non poſſet, noctu in cubiculo mortua inuenta eſt. Inter multa ſcelera flagitiaq; incolumis, ac omnium hoſtium aut uictrix, aut ſuperſtes, florentem filium Clotharium reliquit. Aemilius lib. 1.

BRVNECHILDIS, Athanagildi Viſigothorum regis F. Sigeberto Mediomatricum rege marito Lutetiæ occiſo inſidiis Chilperici fratris, Merouęo Chilperici filio inceſtis nuptiis ſeſe coniunxit. A quo ſeparata, ad Childebertum F. in Auſtraſiam abiit. Quem dominandi libidine ſceleſta mater cũ uxore ueneno ſuſtuliſſe putatur eodẽ die. Statim ergo nepotum tutelã ſuſcepit, Theoderici Burgundionũ, & Theodeberti Auſtraſianorum regum. Inter quos putant quidam Brunechildim auiam fuiſſe facem accendendi belli, quòd diceret Theodebertum non ex Childeberto rege, ſed [illegible] dam olitore procreatum: auertiſſe item animum [illegible] rici à colenda uxore Hermenberga, ut una apud nepotes [illegible] omnia poſſet, minus pellices formidans: oppreſſi[illegible] ter eius inſidiis epiſcopum Viennenſem Deſiderium, [illegible] lumbanumq; exactum: eadem impellente Theodebertum Coloniæ occiſum. quem tamen uita donatum, Cauillonũ in cuſtodiam miſſum oſtendit Aemilius. Addunt fabulæ, reliquos Theodeberti filios eam necaſſe: cumq; illius filiam ſibi Theodericus iungere uellet, Brunechildem in ſcelere piam dixiſſe, inceſtum futurum coniugiũ: illum furore ſuccenſum, in eam ſtricto ferro ruiſſe, ac ſubieciſſe, Atqui fratrem eum negabas. eandem tunc intercurſu optimatiũ ſeruatam, paulo pòſt ueneno Theodericum ſuſtuliſſe, quẽ dyſenteria deceſſiſſe alij tradunt. Ea tamen mulier, præterquã quòd à diuo Gregorio eius temporis æquali Pontifice maximo laudibus effertur ipſa nepoteſq; reges, captiuos ſua pecunia redemtos cultoſq; domum remiſit: ædes ſacras ꝑmultas partim nouas condidit, partim uetuſtate labentes reſtituit: & tot pòſt ſeculis non temerè uenit in mentẽ Ioã. Boccacio, poetici quidem ingenij auctori, ſed antiquitatis cognoſcendæ ſtudioſiſſimo, contendere, eam externã mulierem temporibus perditiſſimis alienorum ſcelerũ flagraſſe inuidia. A Burgundionibus Auſtraſianiſq; ducibus adductam ad ſe Clotharius, Francorum rex (ſi uera tragœdia eſt) ſupplicio tradidit. Quater fuſtibus cæſa, ſcelera eius coram, exercitu proclamata. Hinc caudæ indomiti calcitroſiq; equi capillo religata periit, concitato equo exacta ætate mulier diſtracta, anno Sal. 618. Quod ſupplicium de Fredegunde matre Clotharij erãt ſumturi Auſtraſiani reges, ſi uniuerſo bello uiciſſent. Idem, ex Sigeberto, Trithemio, Gaguino, Auentino.

Cruthlinthus, Cruthnethi, præfecti Anguſiæ, nepos ex FENELLA filia, in arce Delbogin mota rixa, duobus Comitum interfectis, de iniuria apud auum queſtus, cùm ſeuerè ab eodem ut auctor ſeditionis reprehenderetur, & quòd ferociter reſponſaret à miniſtris pulſaretur: matris inſtinctu, Mernianorum facta manu, noctu in arcem pro amico receptus, auum oppreſſit, arcem euertit, domeſticos omnes interfecit, prædam ex Anguſia ingentem abegit. Anguſiani uiciſſim in Mernianos agros excurſionem fecẽre. Kennethus II. Scotorum rex comprehẽſum Cruthlinthum cum ſociis nobilib. capitali affecit ſupplicio: plebeiis, quòd inuiti dominos ſecuti eſſent, ueniam dedit. Aliquot poſt annos cùm Kennethus apud Fenellam in arce Fetirca hoſpitaliter exceptus eſſet, non ignara illa, regem magnifica ædium ſtructura uehementer delectari, eum poſt epulas in turrim cubiculo proximam deduxit ſolum, mira arte contabulatam, precioſa ſupellectile inſtructiſſimam. In medio ænea Kennethi ſtatua erat, pomum aureum gemmis exornatũ prætentans, ea arte fabricatum, ut quicunq; illud manu tolleret, in eum ſagittæ baliſtis poſt aulęa latentibus uiolenter actæ undiq; torquerẽtur. Eo ſe pomo regem donare Fenella ait, & mox in angulum, tanquam ex arculis quid aliud prolatura, ſeceſſit. Rex pomi pulcritudine captus, illud attrectans, ſagittis compluribus transfoſſus eſt. Illa per poſticum elapſa in Hiberniam euaſit. H. Boeth. lib. 11.

Vratiſlaus Boriuorij & Ludmillæ F. Boemorũ princeps Chriſtianus, DRAHOMIRAM Lucenſem, forma & genere illuſtrem, ſed ethniciſmo addictiſſ. in uxorem duxerat. Duos illa ex eo filios ſuſcepit, Venceſlaum & Boleſlaum. Quorũ hunc mater ethniciſmo, illũ auia Ludmilla Chriſti religione imbuit. Mortuo Vratiſlao Drahomira imperium inuadit, & aperta etiam ui in Chriſtianos graſſatur, templa uaſtat & incendit. Ea occaſione Boemi Venceſlao principatũ deferunt. Drahomira & quòd imperio excidiſſet, & quòd Ludmillam Venceſlao gratiorem eſſe animaduerteret, per ſicarios ſanctiſſimam feminã in templo ſtrangulauit. Subinde Venceſlaum ad initia ſacra filioli inuitatum à marito inter



nocturnas preces trucidari curauit, ſacerdotes extra Pragam urbem occidit. Cæterùm biennio pòſt eo loci, quo adhuc inſepulta iacebãt oſſa ſacerdotum, terra ſua ſponte dehiſcens, uiuam Drahomirã, unà cum curru, & qui ſimul uehebantur abſorbuit, auriga ſolo incolumi, qui ad aram iuxta ſitam (nunc haud extat) equo deſiliens accurrit, cùm fortè tintinnabulum tinnire audiſſet, ut corpus Domini adoraret, execrante illum Drahomira maledictis. Quare locum eum etiamnum, ut execratum, funeſtumq; declinant uiatores, qui arcem Pragenſem ab occidentali plaga petunt. Dubrauius libro quinto.

FORTVNAE. HVC PERTINENT
Improbi

DIVITES.

Quidam SYLLÆ iactanti ſeſe, dixiſſe legitur, Quomodo uir bonus eſſe potes, qui tantas poſſideas opes, quum à patre nihil tibi ſit relictum? Plutarchus in Sylla.

PONTIFICES.

[redacted]

BONIFACIVS VII. Romanus Pp. Dono ſurrogatus, anno Chriſti 976. omnib. inuiſus, ſpoliata priùs omnibus ſuis theſauris eccleſia, Conſtantinopolim abiit. Menſe octauo Romam rediit, ſibique muneribus ciuium & peſſimorum quorumq; animos conciliare tentauit. Ioannem XV. Põtificem creatum lumine priuauit. Sed paucis diebus pòſt ſubitanea morte corruit, menſe pontificatus ſui ſeptimo: ut Sabell. Nauclerus, & Platina recenſent.

PRINCIPES, REGES, TYRANNI.

*Tyrannorum heic rationem habemus, Improbitatis nomine, qui nec honeſtatis, nec utilitatis publicæ, ſed priuatæ tantũ rationem habent. Quos ipſos propter Regnandi libidinem, propter Crudelitatem, Auaritiam, Impietatem, ad alios atq; alios locos referre oportet.*

*Iudæorum.*

ALEXANDER, Hircani F. Hieroſolymorum rex, à crudelitate Thracida dictus, ſex millia ex populo occidit in feſto Scenopegiæ, in corporis cuſtodiam Perſas & Cilices conduxit, Syris parum fidens. Annis ſex contra Iudæos ſeditioſos pugnans, occidit eorum L. millia. Hieroſolymis potitus, dum cœnaret, octingentos hoſtium crucifigi præcepit. Moriens Alexandræ uxori uiam ſtabiliendi principatus oſtendit, ne cum liberis propter odium Alexandri à populo regno pelleretur. Ioſephus lib. 13. Vide Tit. Prudentiæ in regno conſeruando.

HERODES Iudæorum rex, expugnatis Hieroſolymis ope Rom. M. Antonio perſuaſit, ut inſolito exemplo Antigonum regem, ſicut Antiochiæ percuſſerat XLV. primates, qui Antigono fauebant, interfecerit. Ariſtobulum Alexandri F. de genere regio Pontificem, per luſum in piſcina ſuffocauit. Ioſephum patruum & Sohemum amicos ſummos falſa ſuſpicione adulterij cum Mariamme regina commiſſi inſontes peremit. Hircanum ſocerum ſuum, è Parthia magnis pollicitationibus ad ſe uocatum trucidauit, regni affectati crimen falſò obiiciens. Mariammen uxorem amantiſſimam de ueneficio ſuſpectam capitis ſupplicio affecit immerentem. Mortuæ deſiderio contabeſcens, amicorum optimos leuiſſimis de cauſis ſuſtulit. Theatrum Hieroſolymis conſtruxit, & populum ethnicis moribus corrupit. Iudæos hanc patriæ legis corruptionem ægrè ferentes multis cruciatibus affecit. Ariſtobulum & Alexandrum filios, præclaræ indolis adoleſcentes, ſuſpectos tantùm de inſidiis, criminationibus Antipatri fratris ex altera uxore, iniuſtè ſtrangulauit. Antipatrum F. intentati ueneficij reum in uincula coniectum interfecit. Iudam & Mathiam, quorum hortatibus iuuenes aquilam auream ſupra maiorẽ templi portam dedicatam deiecerant, uiuos exuſſit. Iam moriturus, Iudæorum præſtantiſſimos in theatro Hierichuntio concluſos à morte ſua necari præcepit, ne mors ſua ueris careret lacrymis. Salome tamen ſoror cum marito Alexandro impium hoc facinus admittere noluerunt. Ioſephus libro decimoſexto & decimoſeptimo Antiq.

*Perſarum.*

CAMBYSES, Perſarum rex, templa & leges ludibrio habuit, deorum ſimulacris illuſit, recluſis conditoriis mortuorum inſpexit cadauera. Amaſis regis Aegyptiorũ cadauer è monumento euulſum uerberibus cædi iuſſit, & omnibus probris affici, demũ cremari. Fratrem Smerdem uirtutis inuidia enecauit. Duodecim Perſarum primores nulla penitus cauſa interfecit, uiuos in caput defodiens. Sab. lib. 8. cap. 3.

*Pamphyliorum.*

ARDIEVS, Pamphyliæ tyrannus uetuſtiſſ. patrem ſenio confectũ, & fratrem natu maiorẽ interfecit. Plato lib. 10. de Rep.

*Epheſiorum.*

PYTHAGORAS Epheſius, euerſo per inſidias eorũ qui Baſilidæ uocabantur principatu, tyrannus acerbiſſimus extitit, ante Cyrum Perſam, ut ait Baton. Ac populo quidẽ & multitudini & erat & uidebatur gratioſus, cùm bona ſpe illos lactando, tum exigua lucella diſtribuendo. Dignitate uerò & potentia præditos ſpoliando & proſcribendo, nullo modo erat tolerabilis: ac punire etiam acerbiſſimè nõ dubitabat, & crudeliſſimè interficere nihil cõmeritos, etiã in ipſis templis, adeò deorũ contemtor erat. Virgines quæ in templum confugerãt, ui abſtrahere non fuit auſus: ſed perpetua cuſtodia adhibita, eò uſq; illas afflixit, dũ præ fame laqueo ſibi necem conſciſcerent. Peſtilentia publicè & annonæ penuria conſecuta, Delphos miſit. Pythia reſpondit: Aedem eſſe condendam, & placandos manes. Suidas.

*Aegyptiorum.*

BVSYRIS Aegyptius tyrannus, hoſpites immolare ſolitus erat. Propter quã crudelitatem ab Hercule Aegyptiorum rege interfectus eſt, ut copioſè ſcribit Diodorus Siculus lib. 5.

Ad Rhampſinitum regẽ aiunt in Aegypto uiguiſſe ius omne. Poſt hunc autem, qui in regno ſucceſſit, CHEOPEM in omne flagitium fuiſſe prolapſum. Omnibus namq; templis obſeratis, ante omnia Aegyptiis, ne ſacrificarent, interdixit. Deinde iuſſit, ut in ſuis ipſius operibus exercerentur: Alij, ut ex lapicidinis Arabici montis ſaxa exciperent, & illinc ad Nilum uſque protraherent. Alij, ut tranſmiſſo flumine, illã acciperent, & ad montem, qui dicitur Africus, traherent. Faciebant autem opus circiter decem myriades, id eſt, centum millia hominum, ternis ſemper menſibus ſingulæ. Centũ & ſex annis ſub Cheope & CHEPHRENE regibus Aegyptij in omni calamitate uerſati ſunt: nec templa aperta, ſed ſemper fuerunt occluſa. Hos reges Aegyptij præ odio ne nominare quidem uolũt, ſed eorum pyramides uocant paſtoris Philitionis, qui ea tempeſtate pecudes per ea loca paſcebat. Herodotus lib. 2.

AMASIS, Aegyptiorum rex, multos prẹter æquũ pœna affecit, alios fortunis ſpoliauit, in omnes impotẽs ac ſuperbus fuit. Sed tolerata eſt eius crudelitas, quũ ulciſcẽdi locus nõ eſſet, quoad Actiſanes, Aethiopum rex, in Aegyptum cõtra eum deſcendit: tunc odia occulta erupẽre, & quũ multi ab eo deſciuiſſent, rege capto Aegyptus in ditionẽ Aethiopũ ceſſit. Actiſanes fortunam adepti regni humaniter ferens, ſumma æquitate Aegyptiis imperauit. Diodorus Siculus.

PTOLEMÆVS Philopator, Aegypti rex, poſt clariſſimam illam uictoriam, qua uictor Antiochum regem ex Palæſtina & Phœnicia eiecit: receptis urbibus quas eo bello amiſerat, in priſtinam luxuriã iterum demerſus, Eurydice ſorore ſua, eademque uxore interfecta (Polybius & Ioſephus Beronicen, non Eurydicem, ut Trogus, ſcribunt) meretricio Agathocleæ amori addictus, regiæ maieſtatis immemor, noctes integras & dies in ſtupris & conuiuiis conſumſit. Quin & Agathocles, meretriculæ frater, cum Ptolemæo faciebat ſtuprum. Qui duplici illecebra ita ſibi regem deuinxit, ut regnum ſuo arbitrio adminiſtraret, nemoque minus in ſuo regno, quàm Philopator, poſſet. In hoc fœdo uitę inſtituto rex uita deceſſit, paruo filio ex Eurydice, ſiue Berenice potiùs relicto. Agathocles Alexandrinorum incurſu interficitur, cuius ſoror Agathoclea & mater ſunt poſtea crucibus affixæ. Alexandrini, quia conſtans fama erat Antiochum & Philippum diuiſiſſe inter ſe Alexandrinũ regnum, Ptolemæum puerum à patre relictum, qui Epiphanes cognominatus eſt, per legatos Populo Romano commendarunt. Sabellicus lib. 6. Ennead. 5.

*Afrorum.*

In Plutarchi Moralibus lectum eſt, Cyrenæorũ tyrannum NICOCRATEM poſt multa crudeliter & nefariè perpetrata, portis quoq; cuſtodes appoſuiſſe: qui mortuos, dum efferrentur, gladiolis confoderent, & cauteria admouerent, ne quis per fraudem uiuus elaberetur. Hinc illud ex Septimij Florentis apologetico: Riſimus inter ludicras meridianorum crudelitates Mercurium mortuos cauterio examinantem. Cælius lib. 7. cap. 31. Antiq. Lect.

Omnes omniũ tyrannorũ crudelitates uel adæquauit, uel ſuperauit GENSERICVS, Vãdalorum primus rex, in Africa, cùm Barbari hominis innatam feritatẽ hæreſeos Arianæ uirulentia contra Orthodoxos magis magiſq; exacerbaſſet.

GILIMER poſt Hildericum regem à ſe interfectum, quinque annis Vandalis imperauit, tanta crudelitate, ut nec parentibus parceret. Sigebertus in Chron.

Claudianus de bello Gildonico ſub Africæ proſopopœia GILDONEM tyrannum, qui in Africa rebellarat, ſic deſcribit:

——Pars tertia mundi
Vnius prædonis ager. Diſtantibus idem
Inter ſe uitiis cinctus. Quodcunq; profunda
Traxit auaritia, luxu peiore refundit.

Inſtat terribilis uiuis, morientibus hæres,
Virginibus raptor, thalamis obſcenus adulter.
Nulla quies: oritur præda ceſſante libido,
Diuitibuſq; dies, & nox metuenda maritis.
Quiſquis uel locuples, pulcra uel coniuge notus,
Crimine pulſatur falſo: ſi crimina deſunt,
Accitus conuiua perit: mors nulla refugit
Artificem: uarios ſuccus, ſpumaſq; requirit
Serpentum uirides, & adhuc ignota nouercis
Gramina. Si quiſquam uultu præſentia damnet,
Liberúſue gemat, dapibus crudelis in ipſis
Emicat ad nutum ſtricto mucrone miniſter.
Fixus quiſq; toro tacita formidine libat
Carnifices epulas, incertaq; pocula pallens
Haurit, & intentos capiti circumſpicit enſes.
Splendet Tartareo furialis menſa paratu,
Cæde madens, atrox gladio, ſuſpecta ueneno.
Vt uino calefacta uenus, tum ſæuior ardet
Luxuries: mixtis redolent unguenta coronis:
Crinitos inter famulos, pubemq; canoram
Orbatas iubet ire nurus, nuperq; peremtis
Arridere uiris.

*Græcorum.*

CYPSELVS Eetionis F. Corinthi tyrannide potitus, Corinthiorum multos pecunia, longè plurimos anima priuauit. Cui, cùm triginta regnaſſet annos, bene uita defuncto, ſucceſſit in tyrannide filius PERIANDER, Olymp. 38. qui inter initia mitiùs agebat, quàm pater: ſed ubi per nuncios cõſuetudinem habuit cum Thraſybulo, Mileti tyranno, patre crudelior effectus eſt. Lyſidem uxorẽ (alij Meliſſam ſcribũt) in pellicis gratiam interfecit, &, ut Ariſtippus prodidit, cum Cratea matre concubuit: filium relegauit, & Corcyrenſium natos, quantum in ſe fuit, Alyatti exſecandos præbuit. Sub extremum uitæ ueritus, ne inſepultus iaceret, duobus robuſtis militibus occultè mandaſſe dicitur, ut uia quadam noctu ingreſſi, qui primus hominum eis occurriſſet, ferro obtruncarẽt, ac, quàm occultiſſimè quirent, corpus humi conderent. Mox quatuor ſeorſum miſſi, qui duos illos, nocturnis exceptos inſidiis, interficerẽt, interfectos humarẽt. Secuti, qui hos quatuor ex improuiſo peremerunt: horũ quoq; percuſſores pari fraude à plurib. oppreſſi, omniaq; nocte una, inęqualibuſq; interuallis geſta. Ipſe primis duob. ſe ignotum obtulit, à quibus ferro exceptus periit, ignobiliterque ex ſententia eſt humatus. Sabellicus lib. 4. Enn. 2. ex Herod. lib. 5. Satellitibus circiter trecentis ſtipatus uetuit, ne ciues ſeruos haberent, neúe otium agerent. Si qui in foro ſederẽt, multabat, timens ne quid contra ſe deliberarent. Suidas.

HIPPIÆ Piſiſtrati filio, nocturna ſpecies matris, cum qua coire uidebatur, ſibi per quietem oblata fertur: nec multo pòſt Athenarũ dominio potitus fuit. Patre impotentior eſtrenatiorq;, quum exul ſolum uertiſſet, impia contra patriã arma molitus fuit: & cum Dario conſpirãs, in pugna Marathonia cæſus, pœnas patriæ & penatibus dedit. Alter uerò eiuſdẽ Piſiſtrati filius HIPPARCHVS, qui multorum tyrannorũ ſæuitiam anteceſſit, quum patriam & ciues impotenti dominatu opprimeret, coniuratione in caput tyranni facta, ab Harmodio & Ariſtogitone cæſus fuit.

TRYZVS inſignis tyrannus adeò uexauit ſuos, ut legem etiã ferret, ut nemo cum altero neq; priuatim neq; publicè ſermones miſceret. Quod ſubditis fuit grauiſſimum: qui cùm oculorum manuumq; geſtibus, & nutu, animi ſenſa mutuò ſignificarent, etiam hoc prohibuit. Quidam igitur deſolationem illam ægrè moleſteq; ferens, in forũ progreſſus eſt, ibiq; ſtans cùm multas lacrymas effunderet, reliquã etiam multitudinem ad fletum permouit. Verùm tyrãnus cùm & hoc intellexiſſet, feſtinãs in forũ, ut & oculis ac lacrymis hãc naturæ libertatẽ eriperet: ciues arma ſatellitibus extorquentes, tyrannum interfecerunt. Aelian. lib. 14. de Varia hiſtoria.

ARISTIPPVS, cæſo Ariſtomacho, tyrannidem Argis occupans, ſocius Antigono regi, uiuum in urbe ex inimicis neminem reliquit. Satellites foris in periſtylio excubabãt. Ipſe ſeruos, cùm cœnaſſet, omnes exigebat, & interiorẽ domũ occludens, cum amica in paruũ ſe abdebat cubiculũ editũ, quod cataracta claudebatur. Scalas amicæ mater auferebat, eaſq; alio in conclaui recludebat, rurſuſq; orta luce euocabat tyrannum, ſerpentis modo ex luſtro erepẽtem. Hunc, eruptione Cleonis facta, Aratus Sicyonius fudit, Tragiſcus Cretenſis trucidauit. Tyrannidem Argiuorum Agias & Ariſtodemus occupauère, Antigoni ſubſidio. Plut. in Arato.

POLYCRATES Aeacis F. Samum inſulam armis occupatam, cum Pantagnoto & Syloſonte fratribus primò tenuit: mox horum uno interfecto, alteroque in exilium acto, ſolus tyrannidem exercuit. Res huius tam celeri curſu creuẽre, ut unius Polycratis felicitas, tota Græcia & Ionia celebri prædicatione extolleretur. Nihil ille tàm arduum moliebatur, aut tam difficile, in quo non fortuna eius uotis reſponderet. Aderant Polycrati centum biremes, & in his ſagittarij mille: quibus opibus fretus, utramque Aegæi maris oram cum interiectis inſulis ſuæ iniuriæ reddidit obnoxiam, eò fiduciæ prouectus, ut uulgò prædicaret, Se magis iis gratificari, quibus ademta reſtitueret, quàm quibus nihil ademiſſet. Vicit interim & Lesbios nauali prælio, qui aduerſus eum opem Mileſiis laturi uenerant. Eos captos Polycrates foſſam, qua Mileti mœnia cingere fuerat adortus, fodere adegit. Haud multo priùs quàm Cambyſes Perſarum rex periit, ab Orœte Lydiæ præfecto fraude captus, & cruci affixus eſt. Sab. lib. 7. En. 2. ex Herod. lib. 3.

SYLOSON munificentia Darij, mortuo Polycrate, Samiorum adeptus tyrannidem, cùm acerbiùs exerceret imperiũ, ita ut ferè ſolent ij, qui ab humili fortuna repentè ad res amplas prouehuntur, & ob hanc cauſam inſula dѐſereretur ab incolis, prouerbio dici cœptum: Εκητι συλοσῶντ@ εὐρυχωρίη, id eſt, Spacioſa regio eſt Syloſontis gratia. Vnde etiam conuenit in acerbè gerentẽ magiſtratũ, aut in principẽ malũ, cuius uitio deſeratur ab incolis regio. Eraſ. ex Strab. l. 14.

A[illegible]XANDER, Pheræorum tyrannus, uiuos homines defodere, pellibus tectos apro[illegible] & [illegible]arum uenaticis canibus immiſſis diſcerpere & conficere iaculis [illegible] liboeam & Scotuſam fœderatas ciuitat[illegible] litibus undique circunfuſis, contrucidauit: lanceam, qua cõfoderat patruum Polyphronem, conſecrauit, eique redimitæ ut deo immolans, Tychonem appellauit. Cùm aliquando tragœdum Euripidis agentem Troadas ſpectaret, proripuiſſe ſe ex theatro dicitur, miſſoque nuncio confirmaſſe hominem atque adhortatum, ne ideò minus proſequeretur ludos: neque enim idcirco diſcedere ſe, quòd eum faſtidiret, ſed quòd erubeſceret ciues, ſi ſe qui nullius unquã ab ſe necatorum fuiſſet captus miſericordia, calamitati illacrymantem Hecubæ & Andromaches conſpicerent. Plutarchus in Pelopida. Cùm uxorem Theben admodum diligeret, ad eam tamen ueniens, barbarum, & eum quidem, ut ſcriptum eſt, compunctum notis Thraciis, diſtricto gladio iubebat anteire: præmittebatque de ſtipatoribus ſuis, qui perſcrutarentur arculas muliebres, ne quod in ueſtimentis occultaretur, telum. Ab ea tandem propter pellicatus ſuſpicionem interfectus eſt. Cicero lib. 2. Officiorum.

Theopõpus lib. 16. Hiſtor. ait: Cùm HEGESILOCHVS Rhodius ob temulẽtiam taloſq; inutilis prorſus eſſet factus, neque dignitatem ullam omnino haberet apud Rhodios, ſed à ſociis omnibuſq; ciuibus ob uitæ intemperantiam accuſaretur, paucorũ principatũ cum amicis cõſtituit. Qui multas nobiles matronas dedecore affecerũt, ac non paucos & pueros & iuuenes uitiarũt: in tantumq; petulantiæ proceſſerunt, ut uel talis luderent inter ſe de liberis mulieribus, diſſererentq; inter talorum iactum, quam urbanarum uictus ad uictorem adducere deberet. Athen. lib. 10. cap. 15.

DEMETRIVS, Phanoſtrati F. ſapientiæ laude præſtans, à Caſſandro Macedone Athenienſium tyrannus conſtitutus, à Demetrio Antigoni F. eiectus eſt: Sed rurſus Caſſander LACHARIM plebeiorum principem in fidem ſuam recepit, utq; tyrannidem inuaderet, perſuaſit. Qui omnes tyrannos acerbitate in homines, in deos impietate ſuperauit. Quem itidem Demetrius ſubuertit. Pauſanias in Atticis.

Epirotæ poſt Pyrrhi regis mortem ARISTOTIMI ſubita tyrannide oppreſſi ſunt, apud Eleos, Antigoni regis auxilio. Erat hic ſua ſponte ferus, & colluuiei barbarorum, quos ſtipatores habebat dominatus & corporis, præ metu obnoxiùs, multas eorum in ciues contumelias & fœda facinora diſſimulabat. Octingenti exules ad Aetolos profugiſſe feruntur. Hi orarunt, ut uxores ſibi & liberos concederet tyrannus. Ille paulo pòſt per præconem pronunciauit, permittere ſe feminis, quæcunq; uellent, uiros ſequi, & quantum ex rebus muliebribus liberet, aſportare. Animaduertens fuiſſe omnibus id decretum gratum (ampliùs ſexcentæ erant) ſtata die iuſſit uno agmine abirent, uelut in tutum eas ipſe deducturus eſſet. Conſtituta die feminæ, cùm res ſuas conuaſaſſent, & paruos liberos partim ulnis ferrent, partim impoſuiſſent plauſtris, ad portam ſe mutuò expectantes conuenerunt. Ibi repentè tyranni ſatellites eas redire iubent, uehicula & plauſtra euertunt, & in ipſas impellunt, perque medias crudeliter agunt. Infantes partim plauſtris excuſſi, partim obtriti interibant. Tandem in carcerem coniecerunt cunctas, pecuniamque ad Ariſtotimum deportarunt. Sacerdotes Liberi patris, quas Sedecim appellant, cum uelamentis ſupplicum & dei coronis Ariſtotimo in foro occurrunt. Stipatoribus earum reuerentia uia decedentibus primùm ſtabant tacitæ, ac uelamenta ſupplicum religioſè porrigebant. Vt intercedere eas pro mulierib. atque iram deprecari cognouit, magno clamore inuectus in ſatellites, quòd has admiſiſſent, iuſſit hinc impellendo hinc uerberando eas exigi foro. Inſuper ſingulas binis talentis multauit. Hanc tyranni ſæuitiam ulturus Helematus, ſiue Hellanicus quidam (erat is ſenex & liberis orbus, uitæ & rerum omnium ſecurus) fidiſſimos amicorum domum uocat. Quos quum ad libertatem ferro repetendam, & ultionem patriæ hortaretur, nec ciues in ſententiam tyrãni metu traheret: clauſa domo ſe ad Ariſtotimum miſſurum interminatur, ut ad ſe tanquam ad coniurationẽ opprimendã accurreret. Quo metu illi adacti, in Helemati uerba contra tyrannum iurarunt: cumq; exules Amymonem occupaſſent, occaſione captata, in templo cæſus eſt tyrannus. Vxor laqueo ſemetipſam ſuffocauit. Filiæ à populo ad ſuſpendiũ adactæ. Plut. de Virt. mul. & Sab. lib. 9. En. 4.

Captis Athenis, & abolita Democratia, Lyſander XXX. TYRANNOS illis impoſuit, qui ſeſe ter mille ſatellitibus munierant. Ciuium multi libertatis non immemores, metuque perculſi, uoluntarium ſibi exilium conſciuère. Fauebant interim Lacedæmonij tyrãnis, & Lyſander inprimis, edictoq; uetebant quempiam Athenis proficiſci, profectumq; Græciæ urbibus priuato publicóue hoſpitio iuuari. Thebani cõtrà iniquo animo ferentes, ciuitatem clariſſimam triginta tyrannorum ſæuitia lacerari, & quod adhuc iniquius uideretur, Lacedæmonios eſſe eius iniuriæ auctores, qui liberãdæ Græciæ titulum bello prętuliſſent: edixere, ut capitale eſſet, ſiquis Bœotiorum Athenienſem extorrem non hoſpitio & omni ope iuuiſſet. Vulgo igitur ex Attica in Bœotiam ab exulibus conceſſum, eratque in his Thraſybulus, homo acri ingenio ac tyrannidi infeſto. Huius ductu quadringenti Athenienſium exules Thebis profecti Philam primò occuparunt, & inde Piræeum. Sab. lib. 9. En. 3.

ARISTION, tyrannus Athenienſium, obſidentem Athenas L. Syllam dicteriis ſuis exaſperauit, homo cui ex petulantia & ſæuitia conflatus animus erat, teterrimorumque Mithridaticorum morborum & uitiorum collegerat in ſe colluuiem. Cùm mille drachmarum medimnus tritici in urbe eſſet, & homines tunc parthenio, quod in arce creſcebat, ſuſtentarent ſe, calceamentis & lecythis elixis uictitarẽt: uino comeſſationibuſque diurnis perpetuò confectus, ſaltans, & illudens hoſtib. ſacram lucernã extingui olei penuria permiſit. Hierophantidi tritici heminam ab ipſo mendicanti, aliquantum piperis miſit. Senatum & ſacerdotes, ut ciuitatis miſereretur, & pacem faceret cum Sylla, ſupplicantes, ſagittis diſiecit. Vix tandem aliquando miſit ad agendum de pace duos aut tres ex compotoribus ſuis. Quibus nihil ſalutare poſtulantibus, ſed Theſea, Eumolpum, parta de Medis decora iactantibus: Sylla, Faceſſite, inquit, beati, atq; uerba iſta referte uobiſcum. Ego quidẽ Athenas non diſcendi gratia ſum à populo Romano miſſus, uerùm ad domandos rebelles. Vrbe tandem capta tyrannus in arce, quò confugerat, obſeſſus eſt: cuius rei fuit Curioni cura demãdata. Cùm obſidionem ille diu tolerauiſſet, aquæ penuria preſſus dedidit ſe. Diuinitùs id accidiſſe comprobatum illicò eſt miraculo. nam eodem & die & momento deduxit illum Curio ex arce, & coierunt ex ſereno nubes: unde imber ingentib. fuſus procellis arcem aqua impleuit. Eum tandem Sylla ueneno necauit, cùm reliquos omnes captiuos Archelao duci Mithridatis facta pace reſtituiſſet, Plut. in Sylla.

APOLLODORVS rempub. gerens apud Caſſandrenſes, ſimulata probitate & fide, & libertatis ſtudio, & Antiochi regis odio, cùm maximè omnium popularis haberetur, ſeruos atq; operas concitauit, & correptum adoleſcentẽ Callimelem mactauit, eumq; coquo Leontomeni coquendum dedit: is uiſcera hominis cocta coniuratoribus epulanda appoſuit. Quibus ueſcentibus, & ſanguinem uino permiſcendo atrum efficientibus, corpus eis oſtendit, ſceleris communione fidem coniurationis firmans. His uſus ſociis, tyrannidem occupauit, tyrannuſque truculentiſſimus euaſit omnium, quotquot unquam uel apud Gręcos uel apud Barbaros extitère. Polyænus libro ſexto.

*Ponti.*

CLEARCHVS Ponticus, Athenas uenit audiendi Platonis cupiditate. Eius conſuetudine nõ diu uſus, in ſomnis uidit mulierem ſibi dicentem: Excede Academia, & fuge philoſophiam: neq; enim ea frui tibi fas eſt, quæ te infeſtiſſimo uultu intuetur. Dum exul oberrat, peruenit ad Mithridatem regem. Non multo pòſt grauis inter Heracleotas extitit ſeditio. Illi pacificatorem deligunt Clearchum. Is in reditu, in diuerſorio quodam rurſus in ſomnis Euopium, Heracleotarũ tyrannum, ſibi dicentem audit: Oportet te tyrãnum eſſe patriæ. Sed & hic philoſophiam eum cauere iubebat, renouata ſomnij Athenienſis memoria. Rerum potitus, diuinos haberi ſibi honores poſtulauit: ueſtes deorum induit, filium ſuum Ceraunon, id eſt, Fulmen, appellauit. Rumores ſparſerat, ſe dimiſſurum ſatellites, & conſilio trecentorum Rempub. traditurum. Mox poſitis ad curiam militibus, trecentos ciues per præconem euocauit: & ſingillatim iuſſit in arcem duci. Alio tempore, delegit è ciuibus eos qui eſſent ab anno ſedecimo uſque ad duodecimum, ad expeditionẽ ſub Caniculæ ardoribus, quaſi urbem Aſtacum oppugnaturus. Poſtquam ad urbẽ appropinquauit, ciues quidem in paluſtri loco iuſſit caſtra ponere, & Thraces incurſantes arcere: ipſe uerò quaſi ſummum periculum oppugnationis toleraturus, cũ mercenariis excelſa loca & umbroſa, aquis affluentia cepit. Et eò uſque oppugnationem extendit, donec ciues peſtilentia inuaſit. Poſtquam autem omnes perierunt, tunc cum mercenariis etiam mouit, peſtis prætextu. Polyænus lib. 2. & Sabellicus lib. 8. Ennead. 4. Interfecit eum tandem Chion, familiaris Platonis, & auditor. Suidas.

*Romanorum.*

TARQVINIVS Superbus ſublato ſocero rege Seruio Tullo, conuerſus inde in cædem, quicunque ex primoribus Tullij rebus fauiſſe credebantur, ad unum eſt omnes crudeliter inſectatus: alios ut eorum bonis potiretur, in quodcũque crimen deuocauit, ſubornatis qui qualibet de cauſa reos facerent. Quæ accuſandi licentia multis cauſam præbuit, priùs quàm in periculum deuocarentur, ſoli exilio uertendi. Ordine ampliſſimo per hæc exinanito, alios in curiam legit, & eos in primis, quos ſatis obnoxios ſe habiturum intelligebat. Alij aut res ſunt, nullum in interfectorum locum ſurrogatum, ut curia inſigni paucitate adhuc contemtior fieret. Ratus deinceps, regnum eiſdem quibus quęſitum erat artibus obtinendum, corpus armorum circumdedit prſidio, ſicque terribilior factus, omni inſtituto priorum regum ſublato, capitalia iudicia ſolus exercebat: ſolus, quæ ex regni potiùs quàm ciuitatis uſu eſſent, decernebat. Difficiles ad eum aditus, implacabilis uultus, in audiendo & reſpondendo nihilo mitior, ut iam tyrannidem ex profeſſo exerceret. Fœdera bellum, inducias, pacem, non ut cæteri reges publicè ſanciebat, ſed domeſticis conſiliis iungere ac dirimere, & quò tutior domi eſſet, externas ſibi gentes ſtudio & arte conciliabat, in primiſque Latinos. Sabellicus lib. 6. Enneadis 2.

C. MARII & L. SYLLÆ ciuiles diſſenſiones in horrendam carnificinam optimorum utriuſque factionis ciuium erupere. Triumuirorum poſtea, AVGVSTI, LEPIDI, & M. ANTONII. Vide Appianum.

In TIBERIO Imperatore par auaritia ac luxuria. Crudelitas multo adhuc inſignior: quam in eo adoleſcente Theodorus Gadareus, quo ille uſus eſt dicendi magiſtro, ſagaciter deprehendiſſe dicitur, lutum identidem appellans ſanguine maceratum. Druſum fratrem apud Auguſtum in apertum uitæ diſcrimen adduxit. Germanicum, Druſi filium, quem Auguſti iuſſu adoptauerat, ueneno intercepit. Agrippinam eius coniugem, Neronemque & Druſum filium iam adultos, uariis calumniis coopertos ſenatui damnandos obiecit. Hic in Palatio necatus, ita ut ſubductis alimentis, tomentum è culcitra mandere conatus ſit: ille in Pontia inſula, quò fuerat relegatus, uiſo unco & catenis in carnificis manibus, ratus patrum decreto ad ſupplicium uenire, ſibi uim intulit. Nec in Iuliam olim ſibi nuptam mitior extitit, quam adulterij à patre damnatam, ac poſtremò relegatam, omnibus poſt Auguſti interitum priuauit alimentis. Matrem Liuiam, poſteaquam Capreas ſeceſſit, ſemel adiit: mox ne mortuam quidem uidere uoluit. Biennio continuo extra urbem pedem non extulit: Reipub. curam abiecit, Capreas Campaniæ inſulam petiit. Hiſpaniam & Syriam per aliquot annos ſine conſularibus legatis habuit. Armeniam à Parthis occupari, Mœſiam à Dacis Sarmatiſque, Gallias à Germanis uaſtari neglexit, non ſine magno Imperij dedecore. Conſtituit Capreis uelut carnificinam quandam, ubi miſeros ciues per exquiſitiſſimos necabat cruciatus. Ex eminentiſſima rupe præcipitabat in ſubiectum mare capitis deſtinatos, ut femineces excepti remis contiſque fœde à claſſiariis laniarentur. Helium Seianum, quem ad faſtigium dignitatis euexerat, ſubitá ui oppreſſum abſens interfecit. Ex omnibus amicis uix duos tandem incolumes præſtitit. Multi grammaticæ artis aliarúmque diſciplinarum periti, aut fama ſub eo, aut capite periclitati ſunt: quorundam etiam ſcripta abolita. & iam eò proceſſerat ſæuitia, ut omne crimen pro capitali ab eo reciperetur. multique interim uiri nobiles leuiſſima ſunt de cauſa afflicti: oditque per hæc ille humanum genus, odióque fuit omnibus. Sabellicus libro primo, Enneadis ſeptimæ. Illud etiam uetus dictum uſurpauit: Me mortuo conflagret terra incendio. Priamum beatum prædicabat, quòd cum patria & regno periiſſet. Suidas. Ex uiginti uiris patriciis (quos elegerat conſilij cauſa) uix duos aut tres incolumes reliquit, cæteros diuerſis cauſis necauit. Seleucum grammaticum ad mortem compulit. Piſcatori, qui ſibi ſecretum aliquid Capreis agenti mullum inopinanter obtulerat, perfricare eodem piſce faciem iuſſit, & os locuſta lacerari. Nullus à pœna hominum ceſſauit dies, ne religioſus quidem ac ſacer. Multos accuſauit & damnauit cum uxoribus ac liberis ſuis. Interdixit, ne capite damnatos pro-

pinqui lugerent. Nemini delatorum fidem abrogauit. Plerique citati ab eo ad dicendam cauſam, partim ſe domi uulnerauerunt, partim in media curia uenenum hauſerunt: quos tamen colligatis uulneribus & ſemianimes in carcerem rapi imperabat. Puniti omnes in Gemonias unco tracti ſunt. Viginti uno die abiecti tractique, nulla ætatis aut ſexus habita ratione. Virgines pleræque priùs à carnifice uitiatæ, demùm ſtrangulatæ ſunt. Mori uolentibus uim adhibebat uiuendi. Mortem adeò leue ſupplicium putabat, ut quum audiſſet quendam Carmilium eam anticipaſſe, exclamauerit: Carmilius me euaſit. Furiatus dolore quem ex morte filij Druſi conceperat, multos nulla cauſa interfecit. Rhodienſem hoſpitem, quem benignis literis Romam euocauerat, ubi aduenit, torqueri iuſſit, & occidi coëgit. Eum qui in aurem Auguſti defuncti aliquid ſuſurrauerat, & dixiſſe ferebatur, Legata quæ populo Rom. teſtamento eius relicta erant, nondum data eſſe, ſtatim occidi iuſſit, uti ipſe de iiſdem rebus nuncium ferret Auguſto, de quibus mordere ſe atque reprehendere uidebatur. Singulari quorundam equitum certamini cùm intereſſe nollet, altero occiſo, uetuit alteri, ne eo certaminis genere in reliquum tempus uteretur. Multos etiam interfici iuſſit, explorata die & hora qua nati fuiſſent, atque inde animaduerſa eorum natura & moribus. Quem enim excellere uidebat, aut ſperare principatum, eum funditùs perdebat. Gallum, qui uxorem eius duxerat, quique fuerat liberè de principatu locutus: cùm ad eum eſſet miſſus legatus, in cuſtodia diu condemnatum retineri uoluit, quo diutiùs cruciaretur. Adiecit captiuo cuſtodes, qui animaduerterent, ne ſibi ipſi manus inferret. Tantum cibi dedit, ne fame periret. Atque cùm iam de eius ſupplicio fieret ab aliis mentio, Tiberius nondum hominem ſibi reconciliatum dicebat: ſed grauiorem accepiſſe iniuriam, quàm ut bene beateque uiuere poſſet. Syrianum nullam aliam ob cauſam occidi fecit, hominem ſanè doctum & eruditum, quàm quòd dixiſſet, ſe eius Galli amicum eſſe, qui tanto odio à Cæſare proſequeretur. Tam magna multitudo ſenatorum eius crudelitate & inſania interiit, & reliquorum hominum, ut magiſtratus prouincias, quas ſortiti fuerant, prætorij quidem uiri triennium, conſulares autem ſex annos penuria ſucceſſorum obtinerent. M. Aemylius Scaurus, nullo ſcelere admiſſo, captus ſub eodem ob tragœdiam, quam compoſuerat, cui nomen erat Scaurus, in eundem caſum incidit. Gladiatores qui peracutis mucronibus decertabant, auidè iugulari perſpiciebat, attentiùs ora morientium intuitus: beſtiis quoq; damnatos, non ſine uoluptate dilaniari cernebat, paruiſque de rebus homines feris ipſis obiiciebat. In theatro ad ſpectandum commoratus, etiam cùm populus pranſum abiret, feris ipſis crudelior, niſi pudor obſtitiſſet, ab humana carne dentes non cohibuiſſet. Quamobrem cùm Tyburi ſecundùmueterem morem, ſecuri quendam feriri ad palum ligatum cuperet uidere, atque abeſſet carnifex: eo ſe loco, ubi res agenda erat, non dimouit, quoad carnifex ab urbe Roma uenit. Dion & Suetonius.

Succeſſit Tiberio C. Claudius CALIGVLA, à caſtrenſi habitu ducta appellatione, filius Druſi, Auguſti Cæſaris priuigni, & Tiberij nepos, ab initio clemens & popularis, omni in matrem & ſuos iniuriarum memoria abolita: ſatis conſtabat alieno impulſu uariaque delatione, eos à Tiberio afflictos. Matris Agrippinæ, cineres & Neronis fratris, ex Pandataria & Pontia inſulis aureo uaſe relatos, Auguſti Mauſoleo intulit. Mox uelut facto agmine, omnia in uno uitia repentè extiterunt, ſæuities tanta uel potiùs feritas, ut ex cuſtodia notaret, quorum carnibus beſtiæ ad munus alerentur: multos etiam his in arena laniandos obiiceret. Auiæ Antoniæ defunctæ nullum exhibuit honorem, proſpexitque ſiccis oculis è triclinio ardentem rogum. Syllanum ſocerum ad ſecandas nouacula fauces compulit. Ptolemęũ regis Iubæ filium, conſobrinum ſuum, item Macronem & Ennium (quos habuerat imperij adiutores) pro meritorum gratia penſauit morte. Multos ex ſenatoribus interfecit. Quæſtorem ſuum in coniuratione nominatim flagellauit ueſte detracta. Multos honeſti ordinis priùs ſtigmate deformatos, ad munitiones uiarum, ad metalla, aut ad beſtias condemnauit, aut beſtiarũ more quadrupedes cauea coërcuit, aut medios ſerra diſſecuit: idq; ob leuiſſimam culpam, aut nullam potiùs. Parentes ſupplicio filiorum cogebat intereſſe, quorum uni ualetudinem excuſanti, lecticam miſit. Curatorem munerum & uenationum, per continuos dies in conſpectu ſuo catenis uerberatũ, non priùs occidi, quàm offenſus putrefacti cerebri odore. Comœdiographũ quendam ob ambigui ioci uerſiculum igni cremauit in ipſo ſtatim amphitheatro. Equitem Rom. obiectum feris, quum ſe innocentem clamaret, reduxit: abſciſſaq; lingua induxit rurſus. Quendam ab exilio reuocatũ, quũ interrogaſſet, Quidnam ibi facere conſueſſet? quum per adulationẽ reſpondiſſet, Semper oraui, ut periret Tiberius, & tu imperares: capta ex eo uerbo coniectura, exules ſuos mortem ſibi imprecari, miſit qui uniuerſos contrucidarent. Dicebat, omnia ſibi in omnes licere. Gallis Græciſq; aliquot uno tempore condemnatis, gloriabatur Gallogręciam ſe ſubegiſſe. Quos torquebat, minutis ictibus plecti iubebat, quo diutiùs languerent. addito etiam præcepto, Curate ut ſe mori ſentiant. Iactabat & illud tragicum: Oderint dum metuant. Optauit plerunq;, ut populus Rom. unicam haberet ceruicem. Querebatur & dolebat ſua tempora nullis calamitatibus publicis inſigniri. Optabat exercituum cædes, famem, peſtilentiam, incendia, & hiatum aliquem terræ. Puteolis dedicatione pontis multos è litore ad ſe inuitatos omnes præcipitauit. Quoſdam gubernacula apprehendentes, cõtis detruſit in mare. Publico epulo ſeruum ob detractam lectis argenteam laminam, carnifici confeſtim dedit, ut manibus abſciſſis, & ante pectus è collo pendentibus per cœtus epulantium circunduceretur: præcedente titulo, qui cauſam pœnæ indicaret. Mirmillonem ſecum rudibus certantem, ſponte proſtratum, confodit ferrea ſica. Admota altaribus uictima, elato malleo cultrarium mactauit. Inſiſtens Iouis ſimulacro, quum Apellem tragœdum interrogaſſet, Vter illi maior uideretur? cunctantem, flagellis diſcidit. Vxorem aut amiculam quum oſculabatur, addebat: Tam bona ceruix, ſimul ac iuſſero, demetur. Tiberium nepotem interfici iuſſit, quòd diceret, ab eo mortem ſuam optatam & expectatam fuiſſe: qua de re & quamplurimos alios occidit. Cùm ſanguine nullo pacto impleri poſſet, curabat ut quàm plurimi inter ſe dimicarent, eoſq; nonnunquam binos, interdum etiam cõfertos, tãquam in acie, congredi iubebat, ita ut ſex & uiginti equites uno die cæſi ſint. Cùm defeciſſent damnati ad beſtias, nonnullos ex ea turba, quę in tabulis cõſedebat, corripi iuſſit, & beſtiis obiici: iiſq; quò minus loqui poſſent, aut quenquã accuſare, linguas præcidit. Coëgit etiam illuſtrem equitem deſcendere in certamen gladiatorium, quaſi Agrippinæ matri ſuæ iniuriam feciſſet: eumque poſtea, cùm uictor fuiſſet, accuſari & interfici iuſſit: patremq; eius qui nihil commiſerat, coniectum in caueam, ſicut alios permultos, interfecit. Cùm omnes eas quas congeſſerat Tiberius pecunias, decoxiſſet, animum ad rapinas conuertit, noua exquirens atque inaudita uectigalia, teſtamenta diuitum irrita faciens, reoſque una ſententia quadraginta condemnans. Turpes auctiones inſtituens, in aceruis auri uolutabatur. Cùm magnum in Galliis exercitum collegiſſet, in quo erant militum ducenta quinquaginta millia: eorum magnam partem conſumpſit, eos ſingillatim, nonnunquam etiam confertos occidendo. Cùm conſpexiſſet magnam multitudinem eorum qui erant in uinculis, omnes à caluo ad caluum, ut dici ſolet, occidi iuſſit. Congregato populo, magnam uim auri argentiq; profudit de ſuperiore loco: quam plerique dum colligerent, uulnerati grauiter, mortem obierunt, eo quòd ferramenta quædam cum iis commixta fuerant. In Galliis, cùm diuites ad ſe uocaſſet, uariis modis eos occidi iuſſit, ut ipſorum bona occuparet. Caſſium Melinũ occidi iuſſit, coëgitq; Capitonem patrem eius, uirum bonum, nullius accuſatum delicti, ſupplicio filij intereſſe: qui cùm à Caio peteret, ut ſibi oculos claudere liceret, iuſſus eſt pariter occidi. Seruorum dominatum inſtituit, lege lata, ut iis accuſare dominos liceret, ſi quod eorum peccatum uidiſſent. Vnde ingens calamitas orbem terrarum omnem oppreſſit, cùm ſerui maximis pœnis dominos ſubiicerent. Quilibet enim cruciatus ab hero ſuo illatos ulciſci uoluit. Statuas uirorum illuſtrium ferè omnes deiecit: parumq; abfuit quin carmina Homeri combureret: & Virgilium, quẽ nullum dixit habere ingenium, Liuiúmque, quem uerboſum appellauit, unà cum iureconſultorũ ſcriptis, deleret, extirparetque. Vetuſtiſſimis familiis ſua eripuit inſignia. Libidinis erat inexplebilis, ac luxuriæ portentoſæ, qua in uiros & mulieres ita debacchabatur, ut præter ſorores, quibuſcum inceſtum commiſerat, & mox exoletis ſuis proſtrauerat, deperiret diobolare ſcortum, cui Pyralis nomẽ erat. Omnibus honeſtis inſidiabatur matronis: quas ubi cum maritis ad cœnam uocatas uitiaſſet, palàm de concubitu in conuiuio diſſerebat, earum has laudans, has uituperans. In hanc crudelem beſtiam, conſpirationes aliquæ derectæ ſunt: ultima tandem per Chæream Caſſium tribunum, & Cornelium Sabinum facta, felicem ſortita eſt exitum. Nam cùm Caius pueros recognoſceret repræſentaturos ſpectaculum, Chærea ceruici gladium à tergo immiſit, ex aduerſo pectus Sabinus traiecit: cadentem XXX uulneribus confecerunt. Cadauer tumultuario rogo ſemiambuſtũ, leui ceſpite in hortis Lamianis obruerũt, donec ſorores ab exilio reuerſæ concremauerunt. Sic mortuus eſt anno ętatis uigeſimonono, cùm imperaſſet triẽnio & decem menſibus. Duo libelli in ſcriptis eius reperti ſunt, quorum alteri Pugio, alteri Gladius pro ſigno erat impreſſus. Ambo lectiſſimorum uirorum utriuſque ordinis ſenatorij & equeſtris nomina & notas continebant morti deſtinatorum. Inuenta eſt & ingens arca uariorum uenenorum: quib. mox Claudio Cæſare iubente demerſis, infecta maria traduntur, non ſine magno piſcium interitu, quos enectos in proxima litora paſſim æſtus eiecit. Suetonius, Dion, & Suidas.



CLAVDIVS Cæſar (qui interfecto Caligulæ ſucceſſit in imperio) tormenta quæſtionum, pœnaſque parricidarum repræſentabat, & exigebat palàm. Gladiatores retiarios iubebat interfici, ut expirantium faciem uideret. Beſtiariis meridianiſque gladiatoribus adeò delectabatur, ut à prima luce ad ſpectaculum deſcenderet, & meridie dimiſſo ad prandium populo perſederet. Curiam ingredientem ſenatorem graphiis primò confoſſum, pòſt etiam dilaceratum, inde in membra & artus ac uiſcera diſcerptum per urbis uicos trahi iuſſit: denique ante ſe ipſum collecta ea congeri, quò & animus cùm primis & oculi ſatiarentur aſpectu tam fœdo, ac uoluptate tam nefaria & perdita. Papinium, conſularis uiri filium, & Baſſum quæſtorem ſuum, procuratoriſq; ſui filium, alioſque tum Senatores, tum equites Romanos, eodem ſimul die & flagellis cecidit & torſit: non quæſtionis, ſed (ut Seneca ait) animi tantùm & uoluptatis gratia. Quinetiam ſanguinariæ huius uoluptatis differendæ, moræque eius impatiens, cùm inambularet in xyſto maternorum hortorum, lucemque inſequentem ſumẽdis ſuppliciis expectare neutiquam poſſet: Senatores quoſdam cum matronis decollari ad lucernam iuſſit. Ne uerò ſæuitiam ſuam non ex omni occaſione notam faceret, uotum exegit ab eo qui pro ſalute ſua gladiatoriam promiſerat operam. Spectauit ipſe ferro dimicantem, nec dimiſit niſi uictorem, ac poſt multas preces. Alterum qui ſe periturum eadem de cauſa uouerat, cunctantem pueris tradidit, uerberatum infulatumq; uotum repoſcentes per uicos ut agerent, quo ad pręcipitarent ex aggerę. Suetonius & Dion.

Domitius NERO, Domitij Aenobarbi & Agrippinæ filius, quinquennio primo opt. princeps fuit. Eo exacto, ſibi diſſimillimus euaſit. Crepuſculo pileatus popinas inibat, circumque uicos uagabatur: obuios quoſque aut uerberibus aut uulneribus dehoneſtans, cloaciſque immergens, nunc tabernas effringere & expilare conatus, ut ſæpe periculum uitæ adiret. Die cùm ſeditiones pantomimorum in theatro orirẽtur, lapidibus & ſaxis ipſe ita in populum iecit, ut prætoris conſauciaret caput. Comeſſationibus ita inſeruiuit, ut è medio die ad mediam noctem epulas protraheret, inter ſcortorum ſedens cœtus & exoletorum. nam & pueris abutebatur, & nuptis. Virgini ueſtali Rubriæ uim intulit: Acten libertam ita deperibat, ut penè ſibi matrimonio iungeret. Sporum puerum eunuchum, ornamẽtis muliebribus excultum, ad ſeſe deferri iuſſit, & pro uxore habuit. Sic & Doryphorum libertum, quem Tacitus Pythagoram uocat, in coniugem accepit: & maritum ſuum, quum ſe mulierem affingeret, fecit: eoque progreſſus eſt, ut neque ſuæ neque aliorum pudicitiæ parcens (teſtante Aurelio Sexto) ad extremum amictus nubentium uirginum ſpecie, palàm conuocato Senatu, dote dicta, cunctis feſta ex more frequentantibus nuberet. Agrippinam matrem inceſtauit, ac contaminauit. Et cùm à Seneca (teſte Tacito) admoneretur, ut matris inſidias, mulieris atrocis ac imperioſæ caueret: meretricem quandam Agrippinæ ſimillimam, inter cõcubinas recepit. Per cuncta autem flagitia uolutatus ac fœdatus, nihil flagitij reliquerat: prodigaliſſimus & effuſiſſimus tam donando quàm ædificando, ut iam opibus exhauſtus ac egens, ad rapinas animum intenderet, ſacrilegiiſque templa deorum ſpoliaret. Ac tum demùm ad crudelitatem ſe uertit. Germanicum ueneno ſuſtulit. Agrippinam matrem, multis inſidiis fruſtra attentatam, aperta tãdem ui aggreſſus, à Centurione necandam curauit. Amitam Lepidam per medicum pharmaci purgantis ſpecie occîdit. Caſſio Longino iuriſconſulto oculos effodit. Polyphago cuidam Aegyptij generis, crudam carnem mandere aſſueto, uiuos homines laniandos obiiciebat, & abſumendos. Iuſſit etiam ſuffocari ueneno Britannicum fratrem, ſola tractus inuidia, quòd Britannicus uocem ad cantandum, ſe iucundiorem haberet. Domitiam, amitam ſuam, ueneno ſuſtulit: ac bonis eius, quæ Baiis & in mari Rauennati erant, ablatis, in iis magnifica trophęa ſtatuit. Octauiam Auguſtam propter Sabinam pellicem repudiauit, & poſtea interfecit. Pluto interfecto, poſtquam uidit caput eius ad ſe perlatũ: Neſciebam, inquit, hunc hominem magnum naſum habuiſſe: quaſi ei peperciſſet, ſi id cognouiſſet antea. Pallantem interfecit, quòd magnas opes peperiſſet. Sabinam Popæam, à ſe imprægnatam, ſeu uolens, ſeu per imprudẽtiam, calcibus oppreſſit. Multos præterea affinitate ac propinquitate ſibi coniunctos, crudeliſſimè interfecit, ut A. Rubellium Plancium iuuenem, priuignum Ruffum Criſpinum ex Popæa impuberem, Tuſcum Cæcinnam nutricis ſuæ filium, Senecam præceptorem ſuum, Burrum pariter magiſtrum ſuum. Libertos & ſenes multos ueneno ſuſtulit, in quoſcunque pro libidine graſſatus, nobiliſſimum quemque exitio deſtinauit: ut in eorum capita malum depelleret, quod ſibi imminebat. Dicente quodam, ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί. Immò, inquit, ἐμοῦ ζῶντος. Et ſtatim urbem Romanam multis in locis incendit, eoſque omnes qui ignem extinguere conabantur, in flammas præcipitari iuſſit. Deinde in turrim Mecœnatis, in ſummum palatij, unde magna pars incendiorum uideri poterat, aſcendens, cæteris in grauiſſimo luctu ob amiſſas diuitias uerſantibus, excidiũ Troiæ cecinit. Ab eo homines duo, quòd alter eorum habitaret in foro, & tabernas conduceret, amicoſque in eas reciperet: alter, quòd ſtatuam Caſſij haberet, eius qui Cęſarem interfecerat, damnati atq; interfecti ſunt. Corbulonem, quem præter cætera patrem & beneficum appellabat, ad ſe uocatum, abſq; ulla legitima cauſa occidi iuſſit. Paridem ſaltatorem nullam aliam ob rem occidit quàm quòd eius ſaltationes imitari nequiret. Cinnam Tuſcũ mulctauit exilio, quòd in Aegypto balneum ſibi paratum ingreſſus eſſet. Sulpitiũ Camerinum unà cum filio trucidauit, quòd Pythici cognominarentur: quaſi in Pythicas ſuas uictorias impij forent. Poſt hæc meditatus uniuerſum Senatum ueneno per conuicia necare, incẽdere urbem, feris in populum immiſſis, quò difficiliùs defenderetur: at deſperatione deterritus, nunciata Galliæ defectione, expeditionem contra Gallos parauit, cum ſummis populi exactionibus. Sed cùm annonæ quoque caritas eſſet, omnium inuidiam meruit. Venenum à locuſta ſumens in aurea pyxide, fugam moliebatur. Sed cùm ab omnibus derelictus eſſet, amicorumque fores omnium concluſæ, nec quiſquã repertus qui eo petẽte ſibi ceruicem amputaret, præceps procurrit ſeſe immerſurus Tyberi. Retentus à liberto Phaone, in uilla inter Salariam & Nomentanam uiam circa quartum lapidem, ubi audiuit ſe hoſtem à Senatu iudicatum, & ab equitibus inquiri, ferrum iugulo adegit, iuuante Epaphrodito, uel (ut Sextus Aurelius ſcribit) ſemet ictu gladij tranſegit, adiuuante trepidantem manum impuro eunucho Sporo, qui Neroni inſtar feminæ nupſerat. Suetonius, Dion.

A. VITELLIVS Capreis inter ſcorta Tyberiana primam adoleſcentiam egit, Spintria cognominatus. Dehinc omnibus probris contaminatus, præcipuum in aula locum tenuit, Caio per aurigandi, Claudio per aleæ ſtudium, Neroni per citharæ & muſicæ certamina familiaris. Quorum triũ principum indulgentia, non ſolùm honoribus, uerùm & ſacerdotiis ampliſſimis auctus: tandem à legionibus Germaniæ Imp. contra Othonem ſalutatus, cùm arbitrio hiſtrionum ac aurigarum gubernaretur, conſilioque horum magnam imperij partem adminiſtraret, pronus fuit ad necem cuiuſque & ſupplicium, minimam ob cauſam. Nobiliores condiſcipulos & æquales ſuos ad imperij ſocietatem pellectos blanditiis, occidit uario genere fraudis: unum qui febre laborauit, ueneno in frigidæ aquæ potione perdidit, plures enſe. Nulli publicanorum aut ſtipulatorum, qui à ſe debitũ olim aut in uia portorium exegiſſent, pepercit. Sed unum cùm coram in ipſa ſalutatione interfici iuſſiſſet, paſcere ſe oculos dixit. Et cùm alter mactaretur, duos filios pro patre deprecantes ſupplicio adiecit. Sed neque ordini equeſtri pepercit. Equitem raptum ad pœnam, clamantem audiuit, ſe eſſe ſcriptum ab eo hæredem: ubi & libertum eius cohæredem legit, utrunque iugulari iuſſit. In plebeios deſæuit paſſim. Mathematicos urbe Italiaque ſubmouit. Interfecit plebeios quoſdam, qui Venetæ factioni maledixerãt. Venit & in ſuſpicionem matri uenenum porrexiſſe, quòd audiuiſſet à Cata muliere uaticina diutiſſimè ſe imperaturum, ſi ſuperſtes parenti extitiſſet. Prætorio uiro, qui in Anticyram ſeceſſiſſet inſulam ualetudinis gratia, necem cùm machinaretur, iuſſiſſetque illum interimi, iocabundus inquit: Quando tandiu nihil profeciſſet elleborus, ſanguinem ei mittendum eſſe. Cùm ex Germania Romam rediret, atque haud longè à Bebriaco iter faceret (illic enim cum Othone certamen ei fuerat) & multi tam multorum cadauerum fœtorẽ abhorrerent, dixit: Optimè olere hoſtem mortuum, præſertim ciuem: & ut magis eo ſpectaculo frueretur, mortuos ſpectans, lætus largè perpotauit. Suetonius & Dion.

DOMITIANVS ab Auguſto nonus, Tito ſucceſſit, Neroni aut Caligulæ ſimilior quàm patri Veſpaſiano aut fratri. Moderatior tamen primis annis eſt habitus: mox in ingentia uitia prorupit, libidinis, deſidiæ, iracũdiæ, crudelitatis: quibus criminibus tantum odij in ſe concitauit, ut penè patris ac fratris nomen aboleuerit. Titum fratrem ueneno ſuſtulit. Diſcipulum Pantomimi puberem occidit, nullam aliam ob cauſam, quam quòd magiſtro ſimilis eſſet forma. Interemit & multos ſenatores, in his aliquot conſulares, ut Ciuicam Cerealem, Aſiæ proconſulem, Saluidienum, Acilium Glabrionem, Aelium Lamiã ob ſuſpicioſos iocos. Hermo-

genem Tharſenſem, ob quaſdam in hiſtoria figuras, librariis qui eam deſcripſerant crucifixis. Saluium Coccianum, quod Othonis Imperatoris patrui ſui diem natalem celebrauerat. Salluſtium Lucullum Britanniæ legatum, quòd lanceas nouæ formę Luculleas appellari paſſus eſſet. Denique abſq; literis animũ induxit ad cædes faciẽdas, ne quot homines interfici iuſſiſſet, dici poſſet. Occidit mulierẽ quandam, quòd ante ſtatuam Cæſaris ſe exuiſſet. Metium Pompuſianum, quòd Imperatoriam geneſim habere diceretur, quodq; orbis uniuerſi picturam in tabula haberet, Liuianaſque hiſtorias euolueret. Maternum ſophiſtam, quòd exercitij cauſa in tyrannos aliquid dixiſſet. Ruſticum Arulenum, quòd philoſopharetur, & Thraſeam diuinum hominem dixiſſet. Herennium Senecionem, quòd poſt cẽſoriam dignitatem nullum magiſtratum petiuiſſet, quodque Heluidij Priſci uitam deſcripſiſſet. Complures alios nullam aliam ob cauſam, quàm quòd philoſophiæ operam darent. Philoſophos omnes urbe Italiaque ſummouit. Aretinum Clementem conſularem capitis condemnauit. Occidit & Heluidium filium, quòd ſub perſona Paridis & Oenones diuortium ſuum cum uxore tractaſſet: Flauium Sabinum, quòd conſularium comitiorum die præco illum non conſulem, ſed per lapſum uel errorem ad populum imperatorem declarauiſſet, morte affecit. Neruam, ut imperio inſidiãtem, pepulit: & Apollonium Tyaneum, ut Neruæ amicum, comprehenſum totondit, & uinctum in iudicium adduxit. cùm uerò philoſophus illi non cederet, ſed eius acta rideret, uerecundia motus, eum dimiſit. Qui quidem celebrem illum uerſum dixiſſe fertur:

οὐ μέν με κτενέεις, ἐπεὶ οὔτοι μόρσιμός εἰμι.

Me non occides: nec enim hoc tibi fata dederunt:

atq; e ueſtigiò euanuiſſe. Suidas. Tantæ deſidiæ fuit, ut in cubiculo ſolus muſcas præacuto ſtylo configeret: unde quidã prodiens, interrogatus, Eſſet'ne quiſpiam cũ Cæſare? reſpõdit per iocum, Ne muſca quidem. Eò dementiæ & iactantię uenit, ut ſe Dominum ac deum uocari, ſcribi coliq; iuſſerit. Exercitũ pop. Rom. hoſtib. de induſtria obiiciebat, quò plures perimerẽtur ciues, eò pauciores ſe hoſtes habere dicẽs. Secundus poſt Neronẽ Chriſtianos perſequutus eſt. D. Ioannes Euãgeliſta in Patmõ relegatus. Exquiri quoq; quæſtionibus & tormentis genus Dauidis inter Iudæos mandauit, conquiſitumq; funditùs perdi ac deleri. Indies ferocior factus, noua genera tormentorũ, præſertim ignem per obſcœna ſupponendi adinuenit. magis ſanguinarius Nerone: qui ſubtraxit oculos, iuſſitq; ſcelera, non ſpectauit: cùm ſub Domitiano præcipua miſeriarũ pars eſſet, uidere & aſpici. Ad rapinas animũ adiiciens, nihil pẽſi habuit quin prædaretur omni modo bona uiuorũ ac mortuorum, qualicunq; occaſione. Omni autẽ ætate ita libidine furens ferebatur, ut coitus aſſiduitatem & fœdũ huius exercitium Græcorum lingua κλινοπάλην, hoc eſt, lecti palæſtram uocaret: interq; uulgatiſſimas meretrices diu noctuque uerſaretur. Cùm itaque terribilis cunctis & inuiſus eſſet, oppreſſus tandem eſt Stephani liberti & intimorum amicorum, & ſimul uxoris conſpiratione, anno imperij decimoquinto. Cadauer per ueſpillones elatum, ignominioſè ſepultum. Dion, Suetonius & Suidas.

L. Antoninus COMMODVS, Philoſophi F. omnibus incommodus, ut Lampridius ait, nil commune cum patre habuit, niſi quòd & ipſe contra Germanos adiuuantibus Chriſtianis militibus feliciter pugnauit. Gladiatoriis quoque armis in ludo, Neronem imitatus, depugnauit. In amphitheatro feris ſeſe frequenter obiecit. Gladiatoriis cædibus adeò Romanũ attriuit imperium, ut nomen gladiatoris uulgò meruerit. Homines, qui pedibus debiles forẽt, ſagittis ſolebat conficere. Claua multos etiã afflixit, Herculem ſe fingẽs. Sacra Mithriaca homicidio polluit. Eum qui Tranquilli librũ, uitam Caligulæ continẽtem, legerat, feris obiecit. Eum qui ſe pro ualetudine illius deuouerat, ubi cõualuiſſet, hunc inuitũ iuſſit præcipitari. Obeſi corporis hominẽ medio uẽtre diſſecuit, ut eius inteſtina ſubitò funderentur. Balneatorem coniici in ardentẽ fornacem iuſſit, ꝙ lauaturus balneum tepidius inueniſſet. Magnum numerum uirorũ & mulierum partim palàm interfecit, partim clàm ueneno ſuſtulit: & eos omnes ferè, qui & patris temporibus & ſuis florentes erãt. Occidit uxorẽ Criſpinam, quam adulterij inſimulabat: Martiam, Quadrati cubicularij uxorem, item Seruiũ Iulianum & Paternum: quorum ille præerat magno exercitui, hic uerò præfectus erat prætorio: Cardianum & Maximũ Quintilios, doctrina, ſcientia rei militaris, opibuſq; celebres. Vbi expleuerat animum uoluptatibus ludiſq; uariis, ſtatim cædes meditabatur nobilium & opulentorum: in quorum numero fuit Iulianus præfectus, quẽ publicè amplecti atq; oſculari, patremq; appellare cõſueuerat. Cùm in theatro ſpectaculis uariis intereſſet, & deeſſent animalia, quæ telis trãſfigerentur, tela in aliquot plebeios coniecit, ut Hercules olim in Stymphalidas. Dedit autem ſpectatoribus ſpongias, ut in ſpectaculis iacerent pro lapidibus: eoſdem deinde ligatos, omnes claua, ac ſi Gigantes eſſent, percuſſit atque interfecit. Suæ imaginis caput coloſſo permagno & egregio, priore detracto, imponi iuſſit: & menſem Decembrem ad imitationem Auguſti Cæſaris, Commodum appellari uoluit. Strangulatus in domo Veſtalium, duodecimo imperij ſui anno, & menſe ſeptimo, è medio ſublatus eſt, & humani generis hoſtis iudicatus. Platina ex Dione.

Baſſianus CARACALLA, nullum genus facinoris prætermiſit. Mortuo patre Seuero, medicos ſupplicio affecit, quòd ſibi parum obtemperauiſſent, iubenti ſenis maturare necem. Occidit item nutricios ſuos, & fratris Getæ, quòd de reconciliatione egiſſent. Duces exercitus adhortatus eſt magnis muneribus ac promiſſis, ut militibus perſuaderent, uti ſe unum Imperatorem declararent, fratre repudiato. Verùm militibus utrunque ex æquo colentibus, populo uerò Getam ob morum facilitatem magis amplectente, cùm ueneno non poſſet, in gremio matris confodit: & in caſtra fugiens, militum animos muneribus ſibi conciliauit. Continuò cœpti occidi domeſtici omnes fratris atque amici, ſic ut ne ætati quidem parceretur: ſæuitum in quoſcunque, quaque de cauſa, qui opibus excellerent, ut bona eorum raperet. Occidit Lætum Pompeianum, Marci nepotem ex filia, Papinianum Iureconſultum, quòd parricidium excuſare nollet, percuſſit ſecuri, cum filio Papiniano Quæſtore. Commodi ſororem iam anum, atque ab omnibus Imperatoribus ut Marci filiam in honore habitam, morte affecit, quòd necem Getę defleuiſſet. Coniugem ſuam, Plautiani filiam, ac conſobrinum Seuerum, filium Pertinacis & Lucillæ Commodi ſororis, & quicquid ex cognatione Imperatoria, aut in Senatu ex patricia nobilitate ſupererat, planè quaſi ab ſtirpe abſtulit. Veſtales uirgines uiuas terrã obruit, quaſi temeraſſent uirginitatem. Gladiatorum ſanguine cùm plurimum delectaretur, Batauen præclarum athletam coëgit, ut eodem die cum tribus certaret: eumque occiſum à poſtremo, ſepultura affecit. Itaq; ludis Circenſibus populus clamauit: Nos uiuos perdimus, ut mortuos ſepeliamus. Crebrò dicebat, pecuniam ſibi ſoli eſſe oportere, præterea nemini, ut eam largiretur iniquiſſimis hominibus. Iuliam nouercam in uxorem duxit: cumque illa ipſum argueret, quòd nimios ſumtus faceret, diceretque iam ſibi nullos redditus iure aut iniuria partos reliquos eſſe: gladium oſtentans euaginatum, reſpondit, Bono ſis animo: nã nobis, quandiu hic erit, pecunia non deerit. In populum ludis Circenſibus deſæuiit. Ex omnibus ducibus Syllam Romanum & Afrum Hannibalem laudabat, in primis uerò Alexandrum Magnum ſtultè imitabatur. Facinorum cõſcientia ad ripas Danubij ſeceſſit, ubi corpus aurigando exercuit, cædendiſque beluis operam dedit: Germanos ſibi aſſociauit, & corporis ſui cuſtodes fortiſſimum ac pulcerrimum quenque legit, habituque Germanico ſæpè inceſſit. Profectus Alexandriam, ciues, quia editis ludis carmina in illum recitauerant, delectus eorum habendi prætextu, omnes interemit, ut nũ ſit auſus numerum interfectorum proferre, ſed ſcripſerit ad Senatum, Non referre qui & quot eſſent occiſi, propterea quòd digni fuiſſent omnes qui interficerentur. Militibus præcepit, ut per noctem hoſpites ſuos interficerent. Cùm alia ſæuiendi materia deeſſet, eos interfici curabat, qui carminibus aut alia ſuperſtitione remedia quartanæ quæſiuiſſent. Affectans nomen Parthici, ad Orientem feſtinauit: & per oratores Artabani regis Parthorum filiam uxorem petiuit. Vbi uerò rex ei cum uniuerſa multitudine occurrit inermi ac floribus redimita, excepturus nouum ſponſum ac generum, dum ſacra fiunt, dato ſigno militibus, uniuerſos circumuenit & occidit, rege uix elapſo. Quod literis Senatui perſcribens, Parthicus eſt appellatus. Poſtremò inter Edeſſam & Carras occiſus fuit, ſeptimo imperij ſui anno, dũ leuandæ alui cauſa ex equo deſcendiſſet. Mortuo eo cognitum eſt, eum magnum numerũ ueneni cuiuſuis generis, ex ſuperiore Aſia aſportari iuſſiſſe, emiſſeq; ad aureorum millia CCXX, ut quàm plurimos tolleret. Platina, & Cuſpinianus, ex Dione & Herodiano.

Antoninus HELIOGABALVS, Caracallæ F. à ſole, cuius ſacerdos erat (Phœnices enim Heliogabalum ſolem uocant) Virgines Veſtales inceſtauit, & probroſas mulieres ſemper domi habuit: Sabinum conſularem uirum (ad quem Vlpianus ſcripſit) è medio tolli iuſſit. Adoleſcẽtes innoxios, quorum adhuc parentes uiuerent, interfecit, ut eorum mors ad plures dolorem extenderet. Dignitates & honores flagitioſis commiſit. Primus Romanorum holoſerica ueſte, menſis ac capſis argenteis uſus eſt. Admonentibus amicis, caueret ne ad inopiam redigeretur, reſpondit: Quid melius quàm ut ipſe mihi hæres ſim & uxori meæ? Eò ueſaniæ interdum prouectus eſt, ut decem millia pondo aranearum collegerit, qua ex re dicebat magnitudinem urbis Romæ comprehendi



poſſe. Exhibuit præterea decem millia murium, mille muſtelas, mille ſorices. Tumultu militari cũ matre necatus eſt, quarto imperij ſui anno. Platina ex Spartiano. Eum Alexander Seuerus, qui illi ſucceſſit, in oratione ad Senatum, omnium non ſolùm bipedum, ſed etiam quadrupedũ ſpurciſſimum appellauit: teſte Lampridio.

MACRINVS Opilius Imp. homo ſuperbus & ſanguinarius in uita imperatoria aſperior uideri uoluit, ut priora uitia aboleret, cùm lacerandi ſe potiùs occaſionem præberet. Seuerum ſe & Pertinacem nũcupari uoluit, cùm Senatus eum Pium & Felicem appellaſſet. Milites ſeruilibus affecit ſuppliciis. Ob leues cauſas multos iuſſit interimi. Interẽtus eſt ſæpe filius cum patre, & uiuus mortuo alligatus, & lõga tabe mori coactus, quales olim Mezentius exhibuit. Pro Macrino fuit appellatus Macellinus, cũ macelli ſpecie domus eius cruentaretur ſanguine uernularũ. Occiſus demum à militibus, cùm uix annum imperaſſet. Cuſpinianus.

Capto à Perſis Valeriano, GALIENVS F. gaudebat ſibi ſoli imperium obtigiſſe. Luxui, otio, tabernis, libidinibus; quæ uix de impuriſſimo lenone excogitari poſſint, deditus, imperium neglexit, & XXX. TYRANNIS occaſiones dedit Romanum regnum diripiendi, atq; inter ſe partiendi. Cyriades primus in Oriẽte apud Perſas Imperium arripuit. Eum Marcianus ſequutus cum filiis Macriano iuniore & Quieto: Odenatus item cum filio Herode, & conſobrino ſuo Maronio: & aliquot annis pòſt, Odenati eiuſdem filij Herennianus & Timolaus cum matre Zenobia. In Galliis imperium ſibi ſumſerunt Poſthumus cum filio eiuſdem nominis: Lollianus, Victorinus cũ filio nominis eiuſdem, Tetrici maior & iunior. Valẽs in Achaia ſe Imperatorem fecit: Piſo in Theſſalia, Aemylianus in Aegypto & Thebaide. Seuerinus Galieno in publico pernoctanti iratus, ab exercitibus in prouinciis Imp. creatus, Trebellianus apud Iſauros & in Cilicia, Celſus in Africa, Ponto, Thracia & Illyrico. Ne quid deniq; Romano Imperio contumeliæ deeſſet, Zenobia, Odenati uxor, diu regnauit in Oriente, Aegypto, apud Arabes, Saracenos & Armenios: uix tandem uicta ab Aureliano, qui eam in triumpho duxit, & honeſtè conſeneſcere poſtea Romæ permiſit. Victoria, ſeu Victorina, filiis Poſthumo, Lolliano, Mario & Tetrico interemtis, in Occidente apud Gallos imperauit. Trebellius Pollio. Præter has turbationes, etiam Germani incurſiones in Galliam fecerunt: eaque uaſtata, in Italiam Rauennam uſq; peruenerunt. Gothi Græciam, Macedoniam, Pontum & Aſiam populati ſunt: Theſſalonicam obſederunt, & Illyricum uaſtarunt. Scythæ Bithyniam inuaſerunt, & ciuitates multas deleuerunt: peruenerunt & in Cappadociam. Quadi & Sarmatæ Pannonias occuparunt, Germani Hiſpaniam obtinuerunt, & Tarracenam oppugnarunt. Parthi Meſopotamiam tenentes, Syriam incurſauerunt. Marcianus & Heraclianus, cùm improbitatem Galieni ferre ampliùs non poſſent, conſilium inierunt, ut alter eorum Imperium caperet. Paratis deinde inſidiis, circa Mediolanum cum fratre Valeriano eſt interemtus à militibus Aureoli ducis Illyrici. Trebellius.

CARINVS, Cari Imperatoris filius, acerbiſſima tyrannide nomen ſuum factis longè ſuperauit. Pueris nobilibus factæ cõtumeliæ, ob aſſuetudinem contumeliæ non habebantur, cũ ea delicta familiaria & quotidiana eſſent. Crimina etiam comminiſcebatur, & ius dicebat iis qui læſi eſſent, neq; litigatorum ullus incolumis euadebat. Nam cùm cædes multæ atque ineffabiles perpetrarentur, quidam è beatis obiter conſumebantur, ſicut in communibus epulis gallinæ, in Carini delicias. Meminiſſe autem ſe dicebat, quoſdam eorum qui mactabantur, non laudaſſe formam ſuam: alios, ſe adoleſcentem, cùm orationem haberet, non ita eſſe admiratos, ut uoluiſſet. Peribant etiam nonnulli, quòd coram ipſo riſiſſent: omnia deniq; eius facta grauiora erant oſtentis, in populum rabie quadam graſſantis. Suidas.

MAXENTIVS, Maximiani F. Roma occupata, & Seuero Galerij Auguſti F. fugato, Maximiano etiam patre, qui imperiũ recipere cogitabat, pulſo, ad firmandas opes ſe æquum uniuerſis ita exhibuit, ut Chriſtianos etiam ſuis rectoribus commendarit. Mox Italia, Africaq; pacata, rebus ſecundis, ut in prauis euenire animis ſolet, elatus, mores mutauit: ac tyrannidem Romæ, atque in Africa exercere, in primiſque Chriſtianos lacerare inſtituit. quippe prolapſus ad omnia ſcelera, nullum impietatis, nullum intemperantię genus omiſit. Etenim ſic ſe adulteriis dedidit, ut legitimas uxores uiris ademerit, eaſq; ignominia affectas, ac corporis ludibria deplorantes, reddiderit. In quo non obſcuros ſolùm homines, ſed ſenatorij etiã ordinis læſit. Rapinas ita exercuit, ut bonorum eripiendorum cauſa ſenatores diuites non exiliis ſolùm, ſed etiã morte multarit. A iuſtitia uſqueadeò auerſus fuit, ut paratos, qui aut inſidiatos ſibi, aut palàm aliquid pro libertate conatos eſſe criminarentur, habuerit. Quodam etiam die populum Romanũ, leui occaſione, trucidandum obiecit barbaris, ac ſatellibus ſuis, quibus ad omne facinus conductis Italiam uniuerſam oppleuerat. Ea mala cùm ferre Romani ultrà præ atrocitate non poſſent; nec depellendæ ſeruituti uirium ac roboris ſatis haberent: clam oratores ad Conſtantinum Magnum miſerunt, ex Britannia in Galliam opportunè reuerſum, obſecrantes, ut duris rebus ſuis, quoquo modo poſſet, conſuleret, neque urbem Imperij caput diutiùs à fera tam immani dilaniari permitteret. Quorum ille precibus ita eſt permotus, ut ſe iniurias eorum nõ neglecturum eſſe reſponderit, atque Maxentio arma inferre decreuerit. Huius miſſæ legationis Zonaras & Cedrenus auctores ſunt. Poſteaquam Romam cum exercitu uenit, Maximinus cum CLXXM. peditum, XIIX. equitum ei occurrit, uictuſque acie, & per pontem fugiens, in Tiberim ſubmerſus eſt. Sigonius lib. 2. Imp. occid.

MAXIMINVS magicis obſtrictus ſtudiis fuit, & ſæuiores, quàm maiores ſui, in Chriſtianos quæſtiones exercuit, & ſtudioſiùs cæteris religionem Gentilium coluit. hinc in locupletum fortunas auidiùs ſeſe intulit. crapulæ atque abdomini deditus, ſæua multa per uinolentiam & ebrietatem commiſit. mulieribus ita ſtuduit, ut nullam ciuitatem adierit, in qua non aut adulteriorum aut ſtuprorum ueſtigia impreſſa reliquerit. atque hæc fermè aduerſùs Gentiles eius libido bacchata eſt. Chriſtianos autem igne, ferro, clauiſque cruciauit, immanibus beſtiis laniãdos obiecit, in mare præcipitauit, membris multauit: famis, metallorum, & uinculorum ærumnis afflixit, uſque adeò, ut in omni genere flagitij & crudelitatis ipſum etiam in Italia Maxentium ſuperarit. Sigonius libro tertio Imperij occidentalis. Cyclops proinde dictus, Buſyris, Chiron, Phalaris, Typhon, & Gyges, quòd alios in crucem ſuſtuliſſet, alios animalibus incluſos necaſſet, alios feris obieciſſet, alios fuſtibus eliſiſſet. Omnes amicos, quibus ignobilitatem ſuam cognitam ſciebat, interfecit. Viribus ſuis confidebat, quaſi occidi non poſſet, ob robur & uaſtitatem corporis. Sequentibus uerſibus eius ſæuitiæ illuſum eſt: Et qui ab uno non poteſt occidi, à multis occiditur. Tygris acerrimus eſt, & tamen occiditur. Caue multos, ſi ſingulos non times. Contra ſalutem ſuam initas conſpirationes multas fingens, quatuor hominum millia occidit. In Germaniam cum exercitu profectus, omnem crudelitatẽ ferro, flammis, populatione exercuit. Syrmium ueniens, lecto Senatuſconſulto, quòd Gordiani Impp. creati, ipſe cum filio hoſtis iudicatus eſſet, ut crudeliſſima bellua exarſit, & propemodum in propriũ filium deſæuit. Accepta morte Gordianorum, à Capelliano interfectorum, in quorum locum Maximus & Balbienus creati erant Imperat. cum exercitu contra Maximũ profectus, dum Aquileiam obſidet, à militibus cæſus eſt cum filio, de peſſimo genere ne catulum quidem relinquendum eſſe, dictantibus, cùm triennio imperaſſet. Cuſpinianus.

GALLVS Cęſar, à Conſtantio, contra Magnentium mouentẽ, Orienti præpoſitus, generis ſuperbia elatus, atque inſolentia ætatis prouectus, Antiochiæ tetra ac nefanda facinora eſt aggreſſus, cùm ſua ſponte, tum à Conſtantina coniuge, Conſtantij ſorore, ſtimulatus. Iniuſtæ cædes, bonorum publicationes, exilia, ac deniq; iudicia prorſus ſublata memorabantur. dimiſſi etiam ignoti per urbem homines, qui quæ de illo iactarentur exciperent, aut falſa referebant, aut uera in maius ornabãt, aut certè belli præconia reticebãt. Quin etiam ipſe noctu cum paucis clàm ferro ſuccinctus, per tabernas & compita uagari inſtituit, Græco ſermone quærẽs, quid homines de Cæſare Gallo ſentirent. Conſtantius Mediolani agens, Gallum cum uxore Conſtantina ad ſe uocauit. Gallus amiſſa uxore in Bithynia, firmo ſubſidio deſtitutus, quid ſibi facto opus eſſet, addubitauit. uerùm nouis literis à Conſtantio ad tuendam ſecum rempublicam inuitatus, in Noricum adiit. Eò ubi aduenit, Barbatio Comes cum Apodemio Agente in rebus Palatium extra muros armatorum corona circũdedit: ingreſſuſq;, obſcuro iam die, ablatis regiis indumẽtis, ipſum tunica & paludamento cõmuni amicuit, identidẽ mandato Conſtantij iurans, eum nihil detrimenti paſſurum. Inde carpento priuato impoſitũ in Iſtriam duxit, prope Polam oppidum. Ibi cùm aſſeruaretur, Euſebius cubiculi præpoſitus, Pentadius notarius, & Mellobandes armaturarũ tribunus acceſſerunt, ac iuſſu Cõſtantij cauſam dicere iuſſerunt, quamobrem quenq; apud Antiochiam occidiſſet. Quibus ille nihil aliud reſpondit, niſi pleroſq; ſe inſtinctu Conſtantinæ necaſſe. Qua re audita Conſtantius eum capitali ſupplicio condemnauit. Ita Gallus, reuinctis poſt tergum manibus, tanquam latro, capite truncatus eſt, anno ætatis nono & uiceſimo, Imperij quarto. cuius rei nuncium Mediolanum Apodemius detulit. Interim miniſtri Galli ex Oriente ducti, Aquileiã uenerunt, ac diuerſis ꝓ merito pœnis affecti ſunt. Sigon. li. 5. Imp. occid.

PHOCAS, præfectus Scythię, poſtquam Mauriciũ imperatorem cum tribus filiis & totidem filiabus & Conſtantina u-

xore Tiberij F. occidit, à ſcelerato exercitu Imperator dictus eſt. Bonifacius III. Pp. ipſius imagines recepit. Petrum Maurîcij fratrem, & quoſuis alios Mauricio ſanguine iunctos interfecit, & cōplures alios, ſuppliciis exquiſitis. Cùm in certamine equeſtri ſpectaculū celebraret, acceptis quorundam conuitiis, multos interemit: nec pauciores mēbris mutilari aut ſubmergi iuſſit. Cū in equeſtri ſpectaculo prope ſuam ſtatuā, Priſci generi ac Domentiæ filiæ ſtatuas poſitas uidiſſet: ira cōcitatus, Tribunis, quos diſcerpi uolebat, ægrè ſupplicante populo, ueniam indulſit. Eapropter, Priſcus contra illum conſpirauit. Cuſpinianus.

IVSTINIANVS II. Imp. crudeliſſimus, cùm Chagani Turcarum regis & ſoceri ſui, item Trebellij Bulgarorum regis opera imperium ſibi à Leontio Patricio ereptum recuperaſſet: inuentum in carcere Leontium, quò à Tiberio Abſimaro coniectus fuit, poſt longa tormenta publicè interemit. Cumq; eodem modo Philippicum perdere uellet, & Cherſonam euertere, quòd in ea exulem ſe contemtum fuiſſe dicebat: à Cherronenſibus atq; Philippico armis exceptus, atque inſuper ab exercitu proditus, in fuga unà cum Tiberio filio captus fuit. Fulgoſ. lib. 6. cap. 11. è Zonara.

Quum omnem in Longobardos operam CONSTANS II. Imperator eluſiſſet, ad crudelitatem ſuorumq; rapinas animum conuertit. Romam ueniens, cùm Vitallianus pontifex cum uniuerſo collegio ſacerdotum ei ad ſextum uſq; lapidem officij gratia occurriſſet, duodecim tantū in Vrbe dies fuit: eam ornamentis omnibus & æneis quàm maximè ſpoliauit. Pantheon tegulis æneis, quibus tectum erat, exuit, Conſtantinopolimq; trāſtulit. Repetita Neapoli, Rhegium contendit. Syracuſis moram longam traxit: ut Siciliam, Calabriam, Africam, Sardiniamq; ſpoliaret. Maritis ſæpe uxores abſtulit, parentibus filios eripuit, aurea argenteaq; ſimulacra & precioſa è templis uaſa ſubtraxit: ſacrilegia, cædes, rapinas & latrocinia Verre frequentiùs exercuit. Syracuſis demum in thermis cæſus eſt à ſuis. Bonfinius lib. 8. Dec. 1.

CONSTANTINVS Monomachus, in quo Zoes & Theodoræ ſororum imperium deſiit, ignauiſs. ſtupidiſſimus, ambitioſiſs. prodigentiſſimus, uoluptatis mancipium. Sub illius imperio maximam Orientis partem Sultanus occupauit, & Pazinacæ Scythæ Thraciam & Macedoniā uaſtarunt. Cuſp.

ZENO ex Iſauris Ciliciæ ignobili uilla, à Leone II. F. Imp. creatus, facie turpiſſima, ingenio multò deteriore, principatum tyrannicè geſſit, habens fratrem nomine Conona, ſeipſo longè ſceleſtiorem, qui ſanguine & cæde hominum mirificè oblectabatur. Berina Auguſta ſocrus, altero eius imperij anno, fratrem ſuum Baſiliſcum in regali ſolio locauit, cùm Imperator Chalcedone abeſſet. Zeno ſeceſſit in Iſauriam cum uxore Ariadne, priuatam inſtituens uitā: ſed tandem, cùm Baſiliſci tyrānidem ferre ciues non poſſent, reuocatus eſt. Cuſpinianus.

MICHAEL, Theophili F. eiecta matre Theodora, imperium ſolus obtinens, immenſas diuitias à matre cumulatas cum mimis, adulatoribus, aurigiſq; abliguriuit. Platanū aureā, duos leones aureos, multoſq; gryæas, cæteraq; inſtrumenta aurea ad ornatum regium comparata. Negotiis poſthabitis, ſolùm theatris & equorum agitationibus ſtudebat. Nunciante Protonotario, Saracenos irrupiſſe cum exercitu in Arelangas, obtortis in illum oculis: Stulte, inquit, audes me certamine occupatum appellare, & de Saracenis uerba facere? Et ne in ſuis certaminibus impediretur, ſuſtulit lychnos, qui in Tharſo, in Argęo colle, in Tamo, in Aegęo, in Mimante, in Cyzico, in Mocylo, in regione S. Auxentij locis editis erecti erāt: quibus accenſis ſignificabatur Iſmaelitarū, Agarenorum, & hoſtium aliorum aduentus, ut homines intra loca munita ſeſe reciperent. Cum pueris intra priuatos parietes turpiſſimè uixit, impurꝰ homo, fatuus, & propè beſtia. Baſilio Macedoni Protoſtratori, ſiue ſtabuli præfecto, Eudociam filiam Inceris concubinæ ſuæ, matrimonio iunxit, eumque Cæſarem dixit. Inde ad ſolitum aurigandi ſtudium & Circēſes reuerſus, deditus uino ac ebrietati, indies magis magiſq; delirās, tandem à Baſilio uino madidus obtruncatus eſt. Cuſpinianus.

LEO Armenus, Pardi patricij filius, qui exercitui Oriētis præfuit, Imperator omniū crudeliſſimus: eoq; uitio res multas bene geſtas obſcurauit. Volaterranus libro uigeſimotertio Anthropologiæ.

ROMANVS Iunior, ſenioris Romani Lacapeni ex filia nepos, qui cum Conſtantino patre rexerat Imperium, uino & otio deditus, & crudeliſſimus. Volaterran. lib. 23. Anthrop.

Alexio Porphyrogenito poſt patris Emmanuelis mortē rerū potito, puerilibus luſibus dedito, Alexius Sebaſtocrator omnia pro ſuo arbitrio regebat, multa cum ſummorum inuidia. Ergo ANDRONICVS Comnenus, Emanuelis Imp. patruelis, ex Oenæo (ubi in ſpontaneo uiuebat exilio, propterea quòd cùm Hunnis contra Græcos conſpiraſſet) per literas Theodoſio patriarchæ perſuaſit, ut ipſorum opera ſummam auctoritatem ipſe obtineret. Quin & Maria Cæſariſſa, Imperatoris ſoror, eum incitauit. Concitata itaque plebe, in ædes Alexij ſæuitur. Alexius Mariæ copias intra urbis mœnia profligat. Interea Andronicus qualicunque exercitu aduolat: ad quem aulæ primates deficiunt. Sebaſtocrator captus, & ad Andronicum miſſus, oculis priuatur. Andronicus inde palatium magno applauſu ingreditur, & rēpublicam pro ſuo libitu adminiſtrat: Alexio Imp. uenationes quidem indulget, ſed tamen cuſtodes ei adhibet, ne cuiquam cum ipſo ſecretò colloquēdi poteſtas eſſet. Optimos quoſq; palatio eiicit, in multos ſtupēda ſæuit immanitate, ſuoſq; amicos ad ſummos honorum gradus euehit. Tandē æqualē ſe Alexio facit, Xenē Imperatoris matrē carceri ſordidiſſimo includit, & filio, Andronici impulſu, dānationis chartę ſubſcribēte, interimit: pòſt indicto cōcilio, regio diademate ſe quoq; inſigniri curat, populo acclamāte: Alexius & Andronicus Comneni, magni Imperatores & principes Romanorū, multos annos uiuūto. Sed poſtridie ordine mutato, iidē ꝓclamātur ſummi Imperatores, Andronici nomine ob ætatē (is enim prætextus afferebatur) præpoſito. Denique cùm in ſceleratorum quodam concilio, ab Andronico coacto, Homericum illud ab omnibus proferretur:

οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω,
εἷς βασιλεύς. ——

de Alexio capitalis fertur ſententia. Noctu itaque ſtrangulatur, & capite auulſo, reliquum corpus plumbeæ arcæ incluſum in mare demergitur. Annum ætatis Alexius tum agebat decimumquintū, Imperij uerò tertium. anno Salutis 1162. Sigeberti Contin. Andronicum cum Alexio matrem & ſororem in mari demerſiſſe ſcribit. Mariam Cæſariſſam, eiuſq; maritum, ueneno ſublatos, Nicetas prodit. Primogenitum ſuum, uxorem Imperatoris Alexij Agnetem, ſororem regis Francorum Philippi ducere, ac imperij dignitatem uſurpare recuſantem, in uincula coniecit: minorem uerò coronauit, qui inceſtas nuptias cum ea celebrauit. Sæuiit etiā in ciues & in peregrinos paſſim, potiſſimùm uerò in Latinos. Gulielmus Siciliæ rex Alexij mortem ulturus, bellum Andronico intulit: captis multis Græciæ Thraciæque ciuitatibus, Byzantio tandem exercitum admouit. Andronicus cùm undiq; premeretur, prælio uictus, tandem ab Iſaacio Angelo imperio deiectus (cui uni ex imperatoria ſtirpe Cōnenorum pepercerat) mutilatus membris, uitam in acerbis cruciatibus finiuit. Cuſpinianus.

*Italorum.*

ARISTODEMVS, Ariſtocratis filius cum duobus millibus Cumanorum in Latium, ad Aricinorum ſubſidium, qui ab Arunte Porſenæ filio obſidebantur, publico Cumanorum decreto uenit: prælioque circa Ariciam cum Hetruſcis conſerto, Aruntem interfecit: diſiectiſque Tuſcorum copiis, poſteaquam domum uenit, primoribus ciuitatis, in quorum manibus erat res Cumana, in curia obtruncatis, dominatū occupauit: multitudineque duabus tyrannicis largitionibus, agri alieniq; æris diuiſione, delinita, nobilium liberos in agros relegauit, ciuibus arma ademit, corruptaque muliebribus illecebris iuuentute, ſtabilitam his artibus tyrannidem plures annos obtinuit. Nouiſſimè ab optimatum ſobole, quæ in agris adoleuerat, noctéque una cum tota domo oppreſſus periit. Sab. lib. 8. Enn. 2.

Candianus, Venetorū dux, ex tribus liberis uirilis ſtirpis iam adultis medium natu ſibi collegam adſciuit PETRVM nomine. Is iuniorū ſtudia complexus, à patre & optimatibus diſſidere cœpit: eoq; ſenſim proceſſit id malum, ut ciuitate in duas uelut factiones diuiſa, fœdum certamen inſtaret. Candianus auctor fuit, ut magiſtratu filio iuſſu populi abrogato exilium illi indiceretur. Sunt qui tradant in uincula abductum, capitaliq; ſupplicio dignum iudicatum. Cæterùm patre extremam illi pœnam deprecante, in exilium actum, uniuerſo clero ac primoribus ciuitatibus iureiurando adſtrictis, nunquam paſſuros ſe Petrum Candianum, hominem ſeditioſum, in eam dignitatem reſtitui, unde eſſet meritò eiectus. Exul Rauennam ad Guidonem, Berengarij filium, ſe contulit. Sed naues à Guidone inſtructę, quibus ſe rox iuuenis fretus, res Venetas hoſtiliter infeſtauit: ſuntq; aliquot negotiatoriæ naues ab eo interceptæ. Id filij latrocinium pater deteſtatus, dolere ſimul ac fremere, ultionemq; meditari. Cæterùm nimio mœrore confectus, paucis diebus uita deceſſit. Sed ut leuia ſemper fuerunt uulgi ſtudia, (leuiter enim amat & odit) Candiano defuncto filius exul & hoſtis publico decreto reuocatus, contra cleri optimatiumq; iuſiurandum, dux patri ſurrogatur. Luit ciuitas neglecti numinis pœnas tyrannica ducis adminiſtratione, publicoque incendio dux ipſe ſuæ in patrem & patriam impietatis. Ferunt officij gratia trecentas illi naues obuiā prodiuiſſe. Cum uxore diuortium fecit, cauſatus grauem in illa ætatem, per quam amplius párere non poſſet: filium quem ex ea ſuſceperat, per ſpeciem religionis abdicauit. Nec ita multo pòſt Vualdertam, Guidonis filiam, duxit uxorē. Qua affinitate auctus, legitimum principatum in tyrannidē uertit, minarum & ſuperbiæ plenus, terribilis, non iucundus uideri cupiebat populo. Ducarium prędidio firmauit, ſimulq; in apertā prorupit tyrannidem. Populus ſuæ libertatis memor, arreptis armis in eum impetum fecit: igniq; in propinquas ædes iniecto ſæuum conflatur incendium, quo Ducarium primò, inde Marcianum templum deflagrauit. Candianus ancipiti malo perculſus, urgēte flamma, filium, quē ex recentiore cōiuge tulerat, complexus, ſecretiorem uiam ingreſſus, fugam molitus eſt. Verùm ab infeſto armatorum globo cum filio confoſſus cōcidit. Sunt qui ſcribant, filium in nutricis gremio iugulatum. Amborum corpora ſunt ad macellum canibus proiecta. Cæterùm Ioanne Gradonico petente, tam fœdum ſpectaculum ſubtractum eſt oculis iratæ multitudinis, corporaq; è publico ſublata, ſepulturæ reddita ſunt. Incendium circa Ducis ſedem primò contractum, non ſolùm Marcianam, ſed Theodori etiam, cum trecentis priuatis domibus, perpetua flamma conſumſit ædem. Sabellicus lib. 2. Ennead. 9.

ECELINVS Romanus (Acciolinum alij uocant) à Romano oppido Patauini agri, loco natali dictus (cuius auus cum Othone III. in Italiam gregarius miles uenerat) Friderici II. Imper. & Gibellinorum partes ſecutus, Guelfos pontificios acerrimè oppugnauit. Magnis pollicitationibus Patauinos adortus, & inprimis facta ſpe retinendæ libertatis, eò ciuitatē perpulit, ut Friderici partes ſequeretur. Quibus honeſta ſeruitutis confeſſione expreſſa, continuò frenum iniecit. Violabat uirgines, matronis mammas adimebat, ſecabat uteros prægnantium, & partus exectos in ignem proiiciebat. Tertio Mantuanæ obſidionis anno Alexander IV. cruce ſignatos contra eum exciuit. Quorum auxilio Patauini rebellarunt. Hæc ille audito, duodecim Patauinorum millia, quos ſecum habebat, diuerſis incluſos carceribus, uariis tormentis, atq; inſuper fame quoque confecit. In Italiam inducto crudelitatis inſueto genere, multorum damnatorum ciuium filios caſtrauit: tam multis quoq; eodem tempore erui oculos iuſſit, ut ingentem patinam oculis plenā cùm uoluptate ſpectauerit. Victus prælio ad Soncinum apud Inſubres, & captus dum fluuium tranat, iam octogenarius, uulnus quod in pugna acceperat reſcidit, ut tā crudeliter, quàm uixerat, moreretur Sab. lib. 8. ca. 3. & Fulg. lib. 9. cap. 2. & Platina in Gregorio nono. Quatuor & triginta annis Tridentum, Feltrum, Taruiſium, Paduā, Vicentiam, Veronam, & demum Brixiam oppreſſas tenuerat: quæ urbes eo mortuo ſeſe in libertatem Romanæ eccleſiæ obnoxiam uendicarunt, Taruiſina excepta, quam Albericus eius frater obtinebat. Blondus lib. 8. Dec. 2.

FRANCISCVM Nouellum, Carrariēſem principem, Patauinum, fama eſt androphagos canes immanis ſtaturæ habuiſſe, quibus miſeros ciues laniandos obiicere ſolitus eſſet. Viſuntur adhuc in eo conclaui, in quo decemuiri ſedent, ſcorpiones duo minimi ponderis, quibus ille hoſpites ad colloquium uocatos, peracutis ſpiculis transfigere cōſueuiſſet. Tranſeo monſtroſos concubitus, quibus uſus dicitur. Sabellicus lib. 8. Decad. 2.

GABRINVS Fundulus, cuius opera Carolus Caualcabos, Veronenſium dominus, multum & belli & pacis artibus utebatur, ſpe occupandæ tyrannidis elatus, quòd ei nō ſecus ac Carolo magiſtratus omnes atque arcium præfecti parérent: redeuntem Laude Pompeia Carolum, ad Machaſturmam, ab urbe Cremona decem millia paſſuum cum fratribus & cognatis obtruncauit. Inde uerò properè antequam res in urbe ſciretur, cum aliquot militibus Cremonam properans, occupata arce ac portis omnibus, forum armato ingreſſus milite, quos uidebat conatibus ſuis obſtare poſſe, aut obtruncauit, aut expulit, nec retinendæ tyrannidis cauſa ullū genus crudelitatis omiſit. Platina in Innocētio VII.

GALEACIVS Maria Sforzia, Franciſci F. Mediolanenſiū dux crudelis & libidinoſus, leuiſſimis de cauſis ſupplicia ſuis intentabat, & quouis mortis genere in eos ſæuiebat. Itaq; aliquando dicitur uiuos homines in culeum inſuendos atque humandos curaſſe, qui quantumuis minima in re illius uoluptati obſtitiſſent. Sed quod maximè exilium illi maturauit, in nobiles fœminas, ubi iis ad ſatietatem abuſus eſſet, dicax uideri & ſalſus uolebat: cùm nulla illi domus, quanquam ſanctiſſima & caſtiſſima, eſſet clauſa: æquè & in admittendo flagitio impudens, & in detegendo petulantia ac linguæ procacitate ſingulari. Matrem lectiſſimam fœminā, cùm illam auctoritate adminiſtrandi imperij priuaſſet, ueneno ſuſtuliſſe dicitur. Hac occaſione uſus Nicolaus Montanus Bononienſis, nobiles tres adoleſcentes, ſuos diſcipulos, in illius cædem animauit. Brutus lib. 6. hiſtor. Flor.

Ex eo fœdere quod Alexander VI. Pontifex cum Galliæ rege Ludouico in exitium Italiæ percuſſit, CÆSAR Borgia Pp. F. ſpes ſuas enudare, immoderato ſæuoque animo magnæ partis Italiæ dominatum affectare cœpit, uſq; adeò dira cupiditate, ut in uexillis hunc titulum præferret, Aut Cæſar, aut nihil. quaſi nihil animo mediocre, ſed immoderata, & longè maxima cupere uideri uellet. Ante omnia proceres Romanos Columnios & Vrſinos (quos Rom. pontificum compedes appellare ſolebat) tollere conſtituit: poſtquam inter eos bellum aliquandiu fruſtra aluiſſet, ut utraq; pars mutuo ferro conciderētur. Nam illi poſt id ciuile bellum, Borgiæ artibus intellectis, ſeſe pace facta conciliarant. Columnij nihil ſibi fuga exilioq; potius rati, paterna oppida Borgiæ reliquerunt: Vrſini ſtipendiis allecti, & in fide tyranni hæſitantes, ad unum ferè omnes teterrimo ſupplicio necati ſunt. Caietanæ familiæ proceres, qui Sermonetam oppidum in Latio iuxta Priuernum obtinebant, Iacobus, Nicolaus, & Bernardinus, alio atq; alio modo interfecti, arces & opes Borgiæ conceſſerunt. Camertes quoq; reguli antiquæ nobilitatis, Iulius Cæſar, Venantius, Annibal & Pyrrhus, principatu exuti ſtrangulatiq; ſunt. Aſtorem Manfredum, Fauentię principem, ſub fide deditum, necatumq; immaniter Tybris excepit. Catharina Sfortia, quæ Foroliuij & Forocornelij urbibus imperabat, expugnata tormentis, captaq;, Romam tanquam ad triumphum perducta eſt. Pandulphus porrò Malateſta, Ioanneſq; Sfortia, & Guido Vbaldus Feltrius, ipſorum ditionis urbes Ariminum, Piſaurum & Vrbinum inuadenti, relinquere quàm interfici arrepta fuga maluerunt. Ceſſit & impotenti tyranno Iacobus Appianus oppidum Populonium in Ethruria. Sed dum hac cruēta uia in alienos principatus graſſaretur, etiam Aragonium adoleſcentem Beſelij principem, ac Alfonſi regis filium (& quod referre pudeat) Lucretiæ ſororis ſuæ maritū, in atrio Vaticani templi uulneratum: & quoniam ſpes eſſet curari poſſe, in ipſo cubiculo lectoq; nuptiali ſororis mactari iuſſit. Borgiam quoq; iuniorem cardinalem, quòd Candiano faueret, ueneno ſuſtulerat. Ioānem demùm Cerbellionem, uirum domi militiæq; nobilem, quòd pudorem in femina Borgiæ domus ſeuerius cuſtodiret, noctu à cœna redeuntē crudeliter interfecit. Ab eo quoq; capitali ſupplicio affectus eſt Iacobus Sanctacrucius, præclaræ nobilitatis Romanus ciuis, quo nemo ipſi Cæſari amicior & familiarior fuit, nec aliam ob cauſam, quàm quòd ualidam promptiſſimorum hominum manum ex factione Vrſina ſubitò cogere, & ad omne audendum facinus impellere poſſet. Tandem cùm ueneno cardinales locupletes tollere uellet, pincernæ imperitia permutatis lagenis, Alexander pater interiit. ipſe ætatis robore euadens, captus, & in Hiſpaniam miſſus, prælio tumultuario inglorius obiit. Iouius in Conſaluo.

IOANNES MARIA Vicecomes inſanæ feritatis morbum concepit, uſq; adeò horrendum, ut iracundia in rabiem uerſa, damnatos aut ſibi inuiſos uoraciſſimis canibus laniandos obiiceret, eoq; atroci ſpectaculo magnoperè lętaretur, haberetq; in deliciis Squarciam, Giramum alioqui, honeſta ortum familia, inhumanæ ſæuitiæ miniſtrum, qui ad eā carnificinam ingentes moloſſos humana carne alendos ſuſcepiſſet. Eum poſtridie Idus Maias ſacrorum cauſa in templū diui Gothardi deſcendentem Andreas, & Paulus, Baucij fratres, reliqua coniuratorum manu incumbente, duobus uulneribus confecerunt, diſciſſa uſq; ad oculos fronte, & dextro crure ad ſuram detruncato. Exanimem & aliquandiu ab omnibus deſertum pauci ex infimo familiæ ordine in templum maximum detulēre. Ibi cùm fœdis uulneribus & multo cruore deformatus non ſine ludibrio ſpectaretur, infimę ſortis meretrix tempeſtiuæ pietatis officium uſurpans, totū cadauer multa recenti roſa contexit. Inde poſtea à Philippo ſucceſſore opulentam dotem, ut honeſtè nuberet, ingenuæ charitatis nomine habere promeruit. Eodem die Giramus, ſceleſtus carnifex concurſu populi latebra extractus, quum uiuus unco traheretur, pro ianua damnatæ & mox ad ſolum æquatæ domus, horribili meritoq; ſupplicio affectus eſt. Iouius in eius uita.

IOANNES Vicentinus monachus, eam de ſe opinionem in hominum animis confirmarat, ut cum eo Deus loqui crederetur, & in eius uerbo mortui ſuſcitarentur. Per hanc opinionem captis ciuium animis, in Bononienſis urbis dominatum ſe inſinuauit: annumq; in ea egit armis ſeptus, ita ut in urbe manerēt, eaq; pellerētur, quos ipſe aut gratos Deo, aut inuiſos, tanquam diuinitùs moneretur, affirmaret. Fulgoſ. lib. 1. cap. 1. ex Guidone Bonato.

IACOBVS Buſſularius, cucullatus ſacerdos, nefariis cōcionibus Ticinenſem populum circumducens, miſeræ urbis crudelis tyrannus euaſit. Eum Galeacius II. Vicecomes, urbe fame domita, cepit. Iouius in Galeacio.

*Siculorum.*

Poſt Theſeum tyrannus primus fuit PHALARIS Agrigenti, ait Plin. in 7 Aſtypalenſis hic fuit patria, & tyrannidem Agrigenti in Sicilia occupauit, imperante Romanis Tullo Hoſtilio, Olymp. LII. Aeneum is taurum ſontibus in eo incluſis

admouebat igni, ut recepto æſtu mugitus medio cruciatu, non gemitus exaudirentur: unius ingenitæ ſæuitiæ exemplo uerè laudabilis, quòd Perillum Athenienſem, nefandi illius operis auctorem, omnium primum tali ſupplicio affecit: quòd niſi ſæuo, truculento, carnificiq; fuiſſet ingenio, eam machinam ad hominum cruciatus commentus eſſet nunquam. Extant & literarum monumenta, epiſtolæq; ad Paurolam filium, & alios pleroſq; Laconica breuitate conſcriptæ. Ipſe ſubito incurſu populi periit. Sabel. lib. 4. Enneadis 2. Aelian. dicit, Apollinem & Iouem patrem, morã mortis conceſſiſſe Phalaridi, ſpacium duorum annorum, quòd Charitonem & Melanippum cinædos humaniter tractaſſet. Suidas. In Sicilia collis eſt, Sceleratus dictus, quem aiunt præſidium fuiſſe Phalaridis. In hoc fertur habuiſſe celebrem illum taurum æneum, ad excruciandorum pœnas, igne machinæ ſubiecto. Atq; hanc ob cauſam locum Sceleratum, appellatum fuiſſe. Diod. lib. 19.

DIONYSIVS Syracuſanus, cùm duas haberet uxores, Ariſtomachem & Dorida, neutrius unquam complexum petiiſſe dicitur, niſi ueſtibus priùs excuſſis. In cubiculũ quoq;, quod lata cinxerat foſſa, ligneo ponte ſeſe recipiebat. Quin & filias, à quibus antè tondebatur, ubi adultas uidit, ueritus cultrum illis committere, candente carbone capillum ſibi aduri faciebat. Cumq; in ſuos ſæuiret mirum in modum, tandẽ à Carthaginenſibus uictus, inſidiis ſuorum interficitur. Marſiam quendam interfecit, ea tantùm cauſa, quòd is per quietem iugulare ſe Dionyſium exiſtimauerat. Trogus lib. 21. Valer. lib. 9. cap. 14. & Cic. lib. 2. Offic.

DIONYSIVS filius, natu maior inter fratres, patri militũ fauore ſucceſſit. Initio tyrannidis populum ſibi liberalitate cõciliauit. Tria millia nexorum ex carcere dimittit: tributa inſuper populo per triennium remittit: ſublatiſq; fratribus & propinquis, quos metuebat, paulatim in cæteros graſſatur. Itaq; propter crudelitatem inuiſus, à Syracuſanis oppugnari cœptus, in arcẽ ſe recepit. Legatos etiã Syracuſanos de pace ab eo priùs petitos cõtra ius gentium retinuit. Vi pulſus ex arce, clàm in Italiam profugit, Locros conceſſit. Ab illis uerò, ignaris quòd exul, exceptus, ſolitam in eos quoq; exercuit ſæuitiam, ſex annis rapinis ſtupriſq; omnia cõplendo. Tandem à Timoleonte Corinthio uictus, & imperio florentiſſimo, quod pater ei ſe adamãtinis firmatum uinculis relinquere gloriabatur, amiſſo, in Græciam miſſus, in publico uagari, potare, in ganeis & popinis uerſari, pannoſus & ſqualidus incedere, poſtremò ludimagiſtrum agere, & ſtipis cauſa pueros docere uiſus eſt. Trogus.

AGATHOCLES, Carcini Regini exulis F. in ciuitatem Syracuſanam adſcriptus, figulinam præ paupertate cũ patre exercuit. Corporis flore Damæ Syracuſano, uiro potentiſſimo conciliatus, Agrigentinorum Tribunatum adeptus, Damæ uiduam locupletiſſimam eadem qua maritum forma illectam, uxorem duxit. Diuitiis ergo priuatis auctus, factis quoq; bellicis excellere cœpit, & optimatum principatui infeſtus eſſe. Soſiſtrato igitur urbe cum ſuis eiecto, Agathocles ab exilio reuocatus, ſexcentos, qui poſt paucorum dominatum urbi præfuerunt, criminari cœpit de inſidiis ſibi factis, eo ꝙ populi partes tueretur. Sic mota ſeditione, ſexcentorum fortunæ direptæ, & in tanto tumultu quorumuis aliorum potentum. Ipſemet ſimulans ſe magiſtratu abiturũ, liberata iam repub. cùm ciues repugnarẽt, acquieturũ ſe dixit, ſi abſq; collega liceret imperare. Eo cõceſſo, ſenſim tyrãnidẽ inuaſit. Meſſanenſes ſimulata pace deceptos ſibi ſubiecit, & DC corũ ſuo aduerſantes imperio iugulauit. Geloos de defectione ſuſpectos ad quatuor millia trucidauit, cadauera in foſſas urbis deturbauit. Victus ab Amilcare Carthaginenſi ad Himeram in Sicilia, Syracuſis firmatis præſidio, in Africam exercitum tranſtulit, nihil minus expectantibus Carthaginenſibus. Claſſem ſuam incendit, ut milites ſpe fugæ ſublata animoſiùs pugnarent. Vrbem Magnam & Tunetem expugnauit. Carthaginenſes prælio uictos intra urbem obſedit: ultra CC Africæ urbes ſubegit. Ophellam, Cyrenarum principem, ſocium militiæ occidit, ut ſolus imperio potiretur. Vticam miſerè euertit. Relicto in obſidione filio Archagatho, in Siciliam nauigans, Agrigẽtinos libertatem Siculorum affectantes domuit: Carthaginenſes nauali prelio uicit. Reuerſus in Africam, & à fortuna deſtitutus, relicto exercitu, cum paucis conſcenſa ſcapha effugit, quarto belli anno. Milites occiſis Archagatho & Heraclide filiis, ad Carthaginenſes defecerunt. In Siciliam reuerſus, ad Aegeſtanorum urbem contendit. Cùm pecuniæ inopia laboraret, ditiſſimos quoſq; ciues maximã ſuarum facultatum partem conferre coëgit, qua in urbe decem hominum millia habitabant. Quam rem multis iniquo animo ferentibus, & concurrentibus, Agathocles Aegeſtanos ut inſidiatores, reos egit, & urbem indignis modis afflixit. Nam paupertimos ex urbe eductos ad Scamandrum fluuium interfecit: eos autẽ qui opibus abundare putabantur, tormentis excruciando, cogebat quantas quiſq; diuitias haberet, dicere. Ac eorum quoſdam rotis excruciabat: alios catapultis illigatos ſagittis conficiebat: nonnullos execabat, & uiolentiùs urgens, diris cruciatibus torquebat. Excogitauit & genus quoddã tormenti, tauro Phalaridis non diſſimile. Sedem fieri iuſſit ferream, quæ forma humanũ corpus referret, ab omni parte clauis compaginatam. In eam collocatis quos cruciare uolebat, uiuos comburebat. hac machina tantùm à tauro illo differẽte, quòd uidelicet homines qui in iis anguſtiis moriebantur, conſpici poterant. Item locupletes feminas ferreis forcipibus cruciando, pedum calcanea lacerabat, quibuſdam mammas præcidebat: mulierum autem prægnantium lumbis lateribus impoſitis, eorum pondere fœtus eliciebat. Hoc pacto cùm ſibi tyrannus opes quæreret, & magnus in urbe terror exiſteret, quidam ſe unà cum ipſis domibus comburere, alij ſuſpendio uitam finire. Igitur Aegeſta uno die uexata funditùs interiit. Cæterùm Agathocles deportatas in Italiã uirgines & pueros Brutiis uendidit: ipſam urbem, cuius ne nomen quidem reliquit, ſed Dicæopolim appellauit, transfugis habitandam conceſſit. Cognita enim filiorum cæde, iratus iis qui in Africa relicti erant, ex amicis quoſdam Syracuſas mittit ad Andrum fratrem, cum mandatis, ut omnium qui ad Carthaginem militauerant, conſanguineos de medio tollat. Ille celeriter fratris mandata executus, cædes omnium earum quæ antea commiſſę fuerant, maximè uarias patrauit, in omnem ætatem atq; ſexum. Multis interfectis, & ſecundum ſitus abiectis, nemo cuiquã parentare audebat, ueritus ne ſe quoq; familiaritatem cum eo habuiſſe proderet. Propter occiſorum in litore multitudinem mare aliquandiu ſanguine infectum, facti inſignẽ crudelitatẽ ſignificabat. Paſiphilus præfectus, audita filiorũ Agathoclis morte, & cladibus in Africa acceptis, ad Dinocratem exulem Syracuſanum tranſiit, & exercitum ſpe & pollicitationibus à tyrãno abalienauit. Agathocles omnẽ ſpem ſibi ereptam cernens, ita animo deiectus eſt, ut miſſa ad Dinocratem legatione, eum ad pacem hiſce conditionibus faciendam hortaretur. Primùm ut Agathocles imperio cederet, & ciuibus Syracuſas reſtitueret, nec deinceps exul eſſet Dinocrates. Deinde ut ſibi duo caſtella, Therma & Cephalidum, cum eorum iuriſdictione concederentur. In quo quis non iniuria Agathoclem mirari poſſit, quòd is, qui in cæteris omnibus conſtans perſtitiſſet, nec unquam in extremis periculis deſperaſſet, tunc eo metu adactus fuerit, ut hoſtib. ſine negotio tyrannide cederet, pro qua ſumma pericula ſuſtinuiſſet. Dinocrates libertatem patriæ uerbo præ ſe ferẽs, reipſa ad tyrannidem aſpirans, ab Agathocle oblatas conditiones reſpuebat, quòd ſummoto eo, paceq; parta, magiſtratu ſibi abeundum uideret. Agathocles legatos ad tranſfugas mittit, qui Dinocratem apud eos, ut qui eorũ libertatẽ remoretur, accuſent. Deinde cum Carthaginenſibus miſſa legatione hac lege pacem fecit, ut omnes urbes, quibus antea Pœni imperaſſent, reciperent, pro quibus à Carthaginenſibus aurum accepit, & frumẽti CCM. medimnum. His ſubſidiis nixus, Dinocratem acie uictum inter amicos poſtea intimos habuit: exules uerò atq; milites ipſius data fide circumuentos, ad VII. millia ſagittis confecit. Tandẽ & ipſe numinis uindictã expertus eſt, uiuus candentibus carbonibus cõbuſtus, præſtantiſſimis alioqui ducibus omniũ ætatum conferendus. Diodorus lib. 19. & 20.

HIERONYMVS Siciliæ tyrannus, cùm patris Gelonis diſciplinam contempſiſſet, & ſuperbè nimis in ciues ſeſe haberet, à Syracuſanis interfectus eſt. Liuius lib. 4. Dec. 1.

HIPPARINVS, tyrãnus Syracuſanus, in deliciis habebat Achæum puerum. Huic aduerſus hoſtem profecturus mãdauerat, ſi in ſui abſentia quis ei uim inferre pararet, eum enſe occideret. At uictor reuertens ipſe domum, multo uino inebriatus, deſiderio pueri ardens, cùm non quis eſſet indicaret, ſed Theſſalica ſimulata uoce puerum adoriretur: puer indignatus, Hipparinum in tenebris feriit. Ille triduo ſuperuixit: & ubi Achæum à cæde abſoluiſſet, è uita deceſſit. Parthenius in Amatoriis cap. 24.

GVLIELMVS III. rex Siciliæ, ob tyrannidem Panormi à proceribus captus eſt, & filius eius Rogerius ſubſtitutus. Cuius mox perteſus populus, cùm eũ in palatio obſideret, fortuito ictu uulneratus periit. Populus infelicis patris miſertus, è cuſtodia eductum reſtituit. Proceres rebelles in exilium abiêre, eo maiore cum infamia regis, quòd filius eiuſdem nominis, ſed diuerſorum morum, patri ſucceſſit, qui à probitate Boni cognomẽ meruit. Collenutius lib. 3. hiſt. Neapol.

*Hiſpanorum.*

EGITA, in uxorem ducta Cęcilia, Eurigij Gothorum in Hiſpania regis F. regnum conſecutus, crudeliſſimè imperauit, proceres ſpoliauit, populum expilauit, chirographos adulterinos ſubiecit, uxorem repudiauit. Succeſſit illi VITISA F. qui ante patris feritatẽ mitigare, chirographos flãmis abolere, inſontes defendere ſtuduerat, ſed regno potitus, libidine, ſtupris, rapinis omnia turbauit, polygamiã laicis ſimul & clericis permittẽs. Ne rebellarent ſui, mœnia urbium demolitus eſt, arma omnia ademit. Tandem à Theofredi filiis (quem ut regni hæredem captum excæcarat) uictus, oculiſque priuat⁹, in carcere Cordubæ periit. Io. Magnus l. 16. c. 25.

*Gallorum.*

THEODERICVS, Burgũdionum rex, Childeberti F. auiam Brunechildem expulit: Deſiderium Viennenſium epiſcopũ lapidibus obrui, Columbanum monachum in exilium eiici curauit: pellicum blanditiis Hermenbergam, Bertrici regis Hiſpani F. repudiauit: fratrem Theodebertum, Auſtraſianorum regem, bello petitum atq; uictum, Cauilloni in carcerem coniecit: & regno potitus, dum eiuſdem filiam in uxorem ducere cogitat, dyſenteriæ morbo interiit. Aemyl. lib. 1.

*Britannorum, Anglorum, Scotorum.*

GVLIELMO Ruffo, Anglorum regi, nihil potius fuit, quàm religionem negligere, quàm aliena rapere, quàm ſuos generatim perſequi, ac exinanire: nihil minus cordi, quàm regis officium facere, quod eſt populi commoda ſuis anteponere, amare cum primis bonos, odiſſe malos: & ut hos pœna, ſic illos beneficio afficere. Quæ equidem mala omnia ex uno duntaxat auaritiæ riuulo manarũt: quippe ex altera parte non deerant uirtutes, quæ ornamento eſſe potuiſſent: erat enim militiæ peritus, laboris patiens, ſui bene gerẽs negocij, fidei datæ obſeruantiſſimus, in obeundis bellis tam diligens, quàm felix, & à principio liberaliſſimus. Interiit in uenatione ſagitta percuſſus, anno Sal. 1101. Polyd. lib. 10.

Edgari, Anglorum regis nothus, ex Alfreda concubina fuit ETHELDREDVS, qui fratre Edouardo legitimo inſidiis Alfredæ cæſo regnũ occupauit. Hic dum baptizaretur à Dunſtano, Cantuarienſi epiſcopo, ſacrum fontem ſtercore polluit: ſimulq; Dunſtanus calamitoſum eius dominatum patriæ fore prædixit. Namq; eius imperium fames, peſtilentia & Danicum bellum pernicioſum excepit. Dunſtanus recuſabat eum regem ſacrare, qui per cædem fratris ad regnum aſpiraſſet: ſed cùm id facere coactus eſſet, tum prædixit futurum, ut populus Anglicus ob luxũ & uæcordiã regis amiſſa libertate, generatim pœnas miſerabiles daret. Polyd. l. 7.

IOANNES, Anglorum rex, Ricardi optimi principis frater & ſucceſſor, ignauiſſimus homo, Normanniam & Aquitaniæ bonam partem amiſit, pecuniæ congerendæ intentus, delicijs & luxu diffluens, partum per iniuriam regnum (Arthurum enim Gaufredi fratris F. à Ricardo hæredem nuncupatũ interfecit) peſſimè adminiſtrauit. Ab Innocentio pontifice diris proſcriptus, & regno exutus, contra Scotos ducto exercitu, quibuſdam imperium regis ſequi detrectantibus, nouum genus uaſtationis excogitauit. Cùm enim iam inſtaret finis menſis Iulij, quando in Anglia frumenta matureſcere incipiunt, omnia ſepta, quib. cerui atq; damę cum primis continentur, ſepimentis nudari, atq; foſſas circumductas oppleri iuſſiſſe fertur, quò ipſæ ferę arua depaſcerentur. Propter quod flagitium agricolæ paſſim uociferãtes, omnibus precibus regem execrati ſunt, cùm aliter ulciſci nõ licuiſſet: nam feras ipſas occidere, capitale propè erat. Proceres contra eum conſpirarant, eo quòd leges diui Edouardi, prout promiſerat, non reſtitueret, & Ludouicum Philippi Francorum regis F. in regnum uocarunt. Ioannes toto ferè regno exutus, tanta crudelitate in eos qui defecerãt graſſatus eſt, ut nũquam grauiora mala uel ab hoſtibus paſſi fuerint Angli. Mœrore tandem, uel ut alij uolunt, ueneno periit, anno regni XVII. Chriſti 1217. Polyd. lib. 15.

Edouardus IIII. Anglorum rex moriens, RICARDVM fratrem, Glóceſtriẽſem ducem, filio Edouardo regni tutorem reliquit. At ille interfectis optimis quibuſq;, cùm Rodolfo Shao Theologo agit, ut is pro concione populum doceret, Edouardum non fuiſſe ex Ricardo Eboracẽſi duce natum, ſed ex quodam alio, qui matris Cæciliæ ante nuptias notitiam ſurtim habuiſſet. At neminem hominem poſſe dubitare, quin Ricardus foret uerus, ducis filius iſq; primogenitus, qui iure regnum patri debitum poſſidere deberet. Hæc etſi populus ægrè audiuit, attamẽ Ricardi tyrannidem, magna ſtipatorum manu armati, metuens, ne mutire quidem auſus fuit. Ergo Lõdini anno 1484. rex inauguratus, Eboracum profectus, nepotes interea in carcere necari curauit: & ut regnum ſibi ſtabiliret, ſi populus nullam ex Edouardo uitilem ſtirpem ſupereſſe ſciret, cædem puerorum in uulgus exire permiſit. Sed uix dum biennio in tyrannide exacto, omnibus inuiſus, ab Henrico VII. uita pariter & regno exuitur. Polydorus lib. 25.

EVENVS III. Scotorum rex, optimi patris Ederi ſceleſtiſs. F. centum concubinas aluit, lenones, ſicarios fouit, optimos quoſq; ſuſtulit, latronibus impunitatẽ & libertatem dedit: nobilibus plebeiorum uxores cõmunes eſſe iuſſit: uirginis nuptę florẽ domino cuiuſq; loci decerpendum ſanxit: quot quiſq; uxores uellet, ducere permiſit. Populari conſpiratione acie uictus, atq; captus, in carcere ſtrangulatus fuit. H. Boëthius lib. 3.

LVGTHACVS, Galdi Scotorum regis opt. & fortiſſimi peſſimus filius, crudelitate inſignis, libidine inceſta neptium, ſororũ, amitarũ, filiarum famoſiſſimus, tertio anno imperij, cùm cædem nobilitatis inſtituiſſet, populari ſeditione trucidatus eſt. Memoriæ patris datum, ne in cadauer ſæuiretur. H. Boëthius lib. 5.

MOGALLVS, Scotorum rex, primis annis auitę uirtutis Galdi regis ſectator, poſt uictoriã de L. Antenoo Adriani Imp. legato partam, ſecurus hoſtium, in omne genus improbitatis delapſus: cùm coniurationem populi nocte intempeſta cum duob. ſatellitibus nemini alteri fidens fugeret, multis uulneribus confectus eſt. Caput conto affixum circumlatũ. Cadauer feris dilaniandum obiiciebatur, niſi Galdi memoria nepotẽ ex ſorore licèt immerentẽ rexiſſet. H. Boëth. lib. 5.

DONALDVS Hebridum inſularũ tyrannus, rege Scotorum Donaldo cæſo, apertè regiũ nomen uſurpauit. Scotis captiuis nobilibus quotidie mortem eſt comminatus, ſi qui eorum neceſſarij, mali quicquam in ſe ſuumúe regnum molirentur. Hinc factum, ut Scotorum proceres tyrannum colerent, tametſi clanculum & capiti & imperio eius inſidiarentur. Ille cunctis terribilis, oẽs metuẽs, omnẽ hominũ cõgreſſum habebat ſuſpectũ: nunquã in apertũ prodibat niſi multis armatis ſtipatus: edicto facto, ne quiſpiã alius arma ferret, oppreſſa magna nobilitatis parte, extulit complures ex infima fortuna ad opulentam. Riſiſſe eum ferunt, ſi quando cruẽtam ſeditionem (quam ille miris artibus conflabat) inter nobiliores factam audiſſet: & eò profuſiùs, quò plures cæſos. In capita inde eorum, qui uel intuliſſent uel accepiſſent iniuriam, ſæuiebat: ſæpe inter aulicos teſtatus, nullum ſibi pulcrius uideri ſpectaculum, quàm hominũ ſemetipſos mutuis conficientium uulneribus. Optimorũ & opulentiſſimorũ cædẽ regibus minimè improbandã, quòd id genus hominum regnantibus ſemper eſſet infeſtũ. Anno duodecimo regni Euerlochtheam contendens, in Hebrides tranſmiſſurus, noctu paucorum conſpiratione interfectus eſt. H. Boethius lib. 6.

CONSTANTINVS, Scotorum rex, Dongardo fratri multũ diſſimilis: uirginum raptor, ſtuprator matronarum, detractorum fautor, hiſtrionum & ſceleratorum amator, procerum & nobilium oſor. Britonibus uix petentibus pacẽ dedit, uectigal remiſit, arcibus nonnullis ad Humbrum fluuiũ clàm redditis. Tandem à nobili Hebridiano ob raptum filię noctu ſtrangulatus eſt. H. Boëthius lib. 8.

FERQVHARDVS II. Scotorum rex, priuatus etiamnum, liberaliſs. & religioſiſs. extitit. At regno potitus, extortor bonorũ, religionis hoſtis, cruẽtus carnifex euaſit. Quod priuatus dono dediſſet, perinde atq; mutuo datũ impudenter repetebat & exigebat. Sacerdotes quęſtionibus adhibitos, in quibus aliquot periêre, argentum fateri cogebat. Ter ſingulos in dies conuiuabatur: uenationib. non uoluptatis, ſed gulæ cauſa deditiſſimus: fœdis uomitibus ſtomachum exonerare aſſuetus. Anathemate percuſſus à Pontificibus, in ſcelera maiora ruens filiab. ſtuprum intulit. Vxorem nefas diſſuadentẽ, propriis manibus iugulauit. Quoſdam de cæde illius conſultãtes prohibuit Colmannus, Lindefarnenſis epiſcopus, diuino ſpiritu edoctus, breui pœnas dignas daturũ. Vix menſe elapſo, Ferquhardus à lupo in uenatione morſus eſt. Inde in phthiriaſin incidit. Virulẽtus humor, lẽto calore membra exedebat. Aderat inexplebilis uoracitas. Tibiæ, pedes, & inguina fœtidam emittebant ſaniem. Venter inflatus, uirilia ſcatebant uermibus. Quumq; duos perpetuos annos his malis afflictus, cruciaretur indies magis magiſq;, eſſetq; omnibus deteſtabilis: ad ſe reuerſus, à Colmanno peccatorum ueniam exorauit & impetrauit. Vili inde ſacco inuolutus, à paucis miniſtris in campum delatus, Colmanno præſente, expirauit, anno regni XVIII. H. Boethius libro nono.

EVGENIVS IIX. Scotorum rex, ſub regni initia pacem coluit, religionem amauit, perſtetitq; in ſancito cum Anglis, Britannis & Pictis fœdere. Mox mutato ingenio, uirginum nobiliũq; matronarũ pudicitiæ expugnator, ganeis, popinis, nouarumque uoluptatum ac concubitus repertoribus delectari cepit. Subinde ad deteriora prouect⁹, auaritię, crudelitatis & impietatis barathrum extitit. Cùm pro tribunali ciuẽ opulentũ ſed innocentẽ morte afficeret, cõiurati nobiles pugionibus ex cõpoſito confoſſum interemêre: & ſceleſtum comitatum, regi ubicunq; aſſiſtere ſolitum, furcis appenſum gratũ populo exhibuêre ſpectaculũ, poſtquã tres annos Scotorũ regnũ corrupiſſet. Cadauer pleriſq; in cloacã aut campum abiiciendum uidebatur: cæterùm magiſtratuum auctoritate deportatũ in Ionam, regum inter monumenta reconditum fuit. H. Boëthius lib. 9.

EGANVS Hungi, Pictorum regis filius, Dorſtorlorgum fratrem, qui patri in regno ſucceſſerat, occidit: paternos theſauros,

ros, in regni primores profudit: & ne Merchios in ſe concitaret, fratris cæſi uiduam, Brennam, Merchiorum regis filiã, matrimonio ſibi iunxit. Nulli unquam, ne uxori quidem, nõ priùs prætentato, ne quod ſub ueſtimentis occultaretur telum, ſui adeundi fecit poteſtatem. Tandem ab uxore, mariti necis ulciſcendæ cupida, noctu ex crapula ſtertens eſt ſtrangulatus, poſteaquam duos rem Pictицam tenuiſſet annos. H. Boëthius lib. 10.

CVLENVS, Scotorũ rex flagitioſiſs. Veneris & Bacchi mãcipium, nobilium adoleſcentum corruptor, cædes, rapinas, latrocinia impunè permittebat. Dum ad comitia, quib. regnũ ei abrogabatur, tendit, à Cadhardo Sconæ urbis Thano, cuius filiam corruperat, cæſus eſt. H. Boëthius lib 11.

DVNCANVS, Scotorum rex, in coërcendis delictis ignauus, erga hoſtes timidus & imbellis. H. Boëthius lib. 12.

HARDICANVTVS, Canuti II. F. Heraldo fratri in regno Anglorum ſuccedẽs, ſuperbiſſimus, & Anglicanæ genti infenſiſſimus. Effoſſo fratris Heraldi cadauere, ꝙ ſibi ac matri ſuæ iniuriam intuliſſet, caput amputauit: contóq; præfixum in edito loco Londini propoſuit: truncum in Tameſim fluuium abiici iuſſit. Legem tulit, ut quicunque Anglus Dano obuius fieret, aperto capite ac inclinato toto corpore eum uti dominũ ſalutaret: ac ſi fortè eodẽ tempore Anglus Danuſq; pontem tranſirent, conſiſteret Anglus ad finem pontis, quoad Danus præteriuiſſet. Angli coniuratione clàm facta, eodem die præſidiarios Danos, qui commeatus cauſa in diuerſa oppida diſtributi fuerant, cœna lautè exceptos ſuæ quiq; domi dormiẽtes trucidauêre. Hardicanut⁹ ad primum Anglorum impetum manus ſibi intulit. H. Boeth. l 12.

Roberti II. Scotorum regis primogenitus DAVID, defuncta auia Anna, cuius ſub imperio uiuebat, in omni genere libidinum uolutari cœpit. Non uirgines, non matronæ, non ſacratæ moniales tutæ. Tandem rex defatigatus ſubditorum querelis, Roberto fratri ac regni gubernatori mandauit, ut eum penes ſe haberet. Robertus ergo Dauidem comprehenſum ad diui Andreæ caſtellum perduxit. Inde in aliud nomine Faukland traductum, in arcto carcere concluſum, omni cibo prohibuit. Ancilla quædam eius miſerta, per ſtrictum foramen farinam fundens, aliquandiu uitam illi prorogauit. Sed deprehenſa, morte pœnas dedit. Altera eundem exitum meruit, quæ nepotes eius lactabat: cũ, uelut ad conſolandum eum progreſſa, per canalem lacte mamillarũ illum aliquandiu aluiſſet. Ergo humano omni deſtitutus auxilio, ſtercus ipſe ſuum & digitos tandem abſumſit, quoad lentam increpans mortem, crudeliſſimo fato periit. Sepultus in tẽplo cœnobij Londoris, miraculis aliquot annis claruit. Poſteaquam uerò Iacobus primus rex fratris mortem ulciſci cœpit, miracula ceſſarũt. H. Boethius lib. 16.

*Sueonum, Gothorum.*

Saxo Grãmaticus lib. 7. diffusè proſequitur portentoſam IARMERICI Danorum regis crudelitatem, à pueritia uſq; in prouectam ætatem. Regem & reginam eorum, à quibus in re belli captus, pòſt in numerum amicorũ receptus fuerat, incendio clandeſtino extinxit. XL. Teutones captos, applicatis totidem lupis, laqueo ſtrangulauit. Optimates eorum tibias loris traiectos, & feris tauris alligatos, moloſſiſq; inceſſentibus, in paludibus abſumſit: alios equis in diuerſa raptantibus, prębuit lacerãdos. Vxorem ſuam, Hunnorum regis filiam, innocentiſſimam & pudiciſſimam, humo alligatam, equinis obterendam calcibus præbuit: ſuis ex ſorore nepotibus, eorundemq; tutorib. laqueo ſpiritum eripuit.

GRIMMERVS, Sueonum & Gothorum tyrannus, templum deorum Vpſalẽſe catena aurea cinctum ſpoliauit. Proceres, totamq; nobilitatem, liberam hactenus, ad tributa coëgit: cæteris intolerabilia tributa impoſuit. Armis Eſtonũ & Curetum preſſus, reſponſum accepit, ut theſauro ſceleſtè parto ſeſe defenderet. Proinde ab hoſtibus comprehenſus, omniq; theſauro ſpoliatus, in ſublimem furcam eleuatus, catena ferrea ſtrangulatus eſt. Io. Magnus lib. 4. cap. 3.

VISBVR, Gothorũ rex auariſs. nunc mutuo, nunc dono, nunc minis omnia ciuiũ bona rapuit, prætextu inopiæ regiæ coronæ. In bellicis rebus ignauiſſimus. Proinde in ſummũ omnium odium adductus, etiã propriis filiis contemtui fuit: adeoq; à duce Domaldro, natu maiore (ut ait Ericus Vpſalenſis) cum tota familia combuſtus eſt. Io. Magnus lib. 7.

DOMALDER patri ſimilis, miniſtros ſimiles habuit. Frumentum equi regij deuorabant, ſubditorũ liberi fame peribant. Quũ fames inualuiſſet ob deſertos agros, Othini, qui Vpſaliæ colebatur, reſponſo, regem Domaldrum, humani generis hoſtem, uinculis conſtrictum, apud Vpſaliam deę Cereri immolarunt. & ſtatim fames ceſſauit. Io. Magnus lib. 7. c. 21.

Algotho II. Sueonum & Gothorũ principe opt. in expeditione Ruſſica mortuo, OSTANVS patre ſcurra, matre ſcorto natus, plebeiis ſuffultus copiis tyrannidem arripuit. In qua tãta crudelitate uixit, ut pro Oſtano Goſtagus, hoc eſt, prædiorum raptor, appellaretur. Tandem cùm ignauiam eius erga hoſtes, rapinas erga ſuos, ſtupra & inceſtus ferre amplius ſubditi non poſſent: Arthus, Algothi F. eum cũm ſuis captum ſtrangulauit. Io. Magnus lib. 8.

RAGVALDVS Knaphofde, Sueonũ rex, poſt Ingonis patris opt. mortem creatus, giganteo corpore, animo ferox, oculis toruus, aſpectu minax, inceſſu ſuperbus, patrias leges & conſuetudines contemnens, nunc huc, nũc illuc uelut furiis agitatus ferebatur. Quicquid noctu ſomniando excogitauerat, hoc pro lege obſeruari uolebat. Cùm ad terras Veſgothorum deſcenderet, eo priuilegio ab omni antiquitate donatorũ, ne quis regũ ad eos accederet, niſi præmiſſis nũciis & literis, quibus cauſam ſui aduentus declararet: illi ut patriæ hoſtẽ in uilla Carlaby occiderũt. Io. Magnus. l. 18. c. 15.

IVSSO Ericſon Danus ab Erico Pomerano, Sueonum rege auariſſimo & crudeliſſimo, Dalacarlorum regioni pręfectus, crudeliſſ. innumeros fumo putridorum lignorum ſuffocauit. Vxores occiſorum loco iumentorum aratris adhibuit, etiam grauidas, factoq; abortu rurſus aratro admouit, donec collaberentur. Optimi quiq; in ſyluis cum feris uiuere, quàm tyranni libidinem, ſtupra, crudelitatem perpeti maluêre. Tandẽ Dalacarli duce Engelberto ſumtis armis, Iuſſonem ſecuri percuſſere, & Ericum regno expulêre. Io. Magnus libro 22.

ALBERTVS Magnopolenſis in regem Sueonũ electus, Teutonibus officia publica committebat, & tributis exhauſto regno, tertium quodq; prædium ab incolis per uim extorquebat. Sueones & Gothi de iniuria conquerentes, cachinnis, non raro etiam uerberibus excipiebantur. Nobiliſſimæ uirgines & uiduę ſæpe in extraneorum & indigniſſimorum coniugium conſentire cogebantur: quos Albertus ſuos cõſanguineos appellabat. Ergo Margaritæ, Danorum reginæ ope, Albertus capitur, & poſt ſeptenniũ tandem liberatus, Margaritæ accipiendæ auctor Suecis fuit. Idem lib. 21.

BIRGERVS, Gothorum & Sueonum rex, fratres ſuos Valdemarum & Ericum hæreditate paterna priuauerat. Illi non multo pòſt regem cum uxore & liberis captum, tertia regni parte contentum eſſe coëgêre. Cæterùm Birgerus amicè ad ſe inuitatos in profundiſſimã turrim præcipites egit, & proiectis in profluentem clauibus, eos uiuos ſe inde dimiſſurũ negauit. Sueci Birgerum regno pellunt, Magnum eius filiũ occidunt, arcem Micopienſem, in qua fratres interfecti fuerant, ſolo adæquant. Itaq; exul apud Danos cum uxore miſerrimè periit. Io. Magnus lib. 20.

MAGNVS Smeech, Sueonum & Noruegiorum rex, mortuo Mathia Chetebundo regni gubernatore, tyrãnus euaſit truculentiſſimus. Blancam Francam uxorem repudiauit, portẽtoſas ſecutus libidines, regnoq; deiectus, Ericum filium, quẽ proceres regẽ crearant, Blancæ opera ueneno ſuſtulit. Regno recuperato, nihilo melior effectus: Valdemaro Danorum regi, ut ſibi contra ſuos adeſſet, multas regiones donauit. Ab Haquino filio captus, ſed mox eiuſdẽ ſtolida credulitate liberatus, à procerib. regno deiectus. Albertus, Magnopolenſis dux, rex creatus, Magnum ſeptẽnio captiuum tenuit. Liberatus ab Haquino filio, Noruegiæ rege, tandem in aquis Bolmfiord ſubmerſus eſt. Io. Magnus lib. 21.

ERICVS Pomeranus, Sueonum & Danorum rex, cùm tyrannicè imperaret, & Danorũ libidini Sueones obiiceret: à Dalacarlorũ ruſtica multitudine, duce Engelberto, regno pulſus, Gotlandiam inſulam occupauit, & ex ea piraticã exercuit. Dani Chriſtophorum, Bauariæ ducem, ad regnum uocaũt: eundemq; Sueones etiam ſuſceperũt. Eo mortuo Carolus Canutus rex creatus, Ericum è Gotlandia in Pomeraniam expulit, ubi periit. Io. Magnus lib. 21. & 22.

CHRISTIERNVS II. Danorum rex, cùm procerũ quorundam factione Suetici quoq; regni gubernacula ſuſcepiſſet, anno 1520. contra fidem datam & ſacroſancta ſynaxi firmatã in regia Holmenſi, XCIV. proceres ad cõuiuiũ euocatos decollauit: corporaq; inhumata triduo ante prætoriũ uolutata, tandem extra urbem cremauit. Magnum præfectũ putendis, deinde corde priuauit. Viduas interfectorum ſpoliauit. Abbatem cum ſeptẽ monachis peracto miſſæ ſacrificio in flumine ſubmergi iuſſit. Abbas autem cùm ruptis uinculis enataret, in ipſo litore à ſatellitibus cæſus eſt. Ribbingorum familiæ pueros in ſuo conſpectu trucidari fecit. Tandẽ Suetica plebs eum regno expulit, nobiles Dani ſimiliter, publico ſcripto eius teſtati tyrannidem. Olaus lib. 8. cap. 39. & 40. & Io. Magnus lib. 24.

*Polonorum, Boemorum, Vngarorum.*

BOLESLAVS, Polonorum rex, Caſimiri ex monacho regis F. in recipiendis amiſſis prouinciis, per annos XVII. rarus in patria, aſſiduus in caſtris, uerſatus eſt. Commixtus gentilib. didicit opera eorũ, & factus eſt ſentina omniũ uitiorum. Nobiles Poloni regem ſecuti, inuito rege, domos repetunt, inuaſores familiarum ſuppliciis excruciant: feminas, quæ ultrò ſeruis conſenſerant, pœnis atrociſſimis afficiũt. Rex interim domum uictor reuerſus, nobiles tanquam deſertores



accuſaret, ad ſupplicium rapuit: mulieres, quib. mariti pepercisſent, abiectis infantibus catulos alere coëgit. Ea de cauſa à Staniſlao, archiepiſcopo Cracouienſe, anathemate perſtrictus, cùm ſanctum uirũ ab ara abſtractum mactaſſet, bello ciuili à ſuis pulſus, in exilio miſerè periit. Cranzius lib. 3. Vandaliæ, cap. 12.

VITOLDVS ſiue Vitandus (frater Vladiſlai, qui cum regno Poloniæ Chriſti fidem accepit) Lituaniæ dux, ſi quem morti deſtinaſſet, urſinis inuolutum pellibus, canibus laniandũ obiiciebat. Nunquam bellicis expeditionibus non intentũ habuit arcum, ut ordine aberrantẽ, ſagitta transfigeret. Multi eius imperium ſecuti ultrò ſine carnifice uitã finiuere ueneno aut laqueo. Cùm legem autem principi ſubiectam eſſe pronũciaret, adeò differentem morib. & habitu à ſuis popularib. ſeſe præbuit, ut illos tonderi edicto iuſſerit, ſibi tanquam maieſtatis inſigne barbam intõſam retinens. At cùm id non ſuccederet (nam Lituani uitam potiùs quàm barbã parati erãt amittere) caput ipſe genaſq; raſit: capitalem pœnam in eos cõminatus, qui ſuo exemplo barbam aut comã deponerent. Sab. lib. 8. cap. 3. & Fulg. lib. 9. cap. 2. & Aeneas Syluius lib. 2. de geſtis Alfonſi, & c. 26. Europæ.

VENCESLAVS, VI. Boëmorum rex, à Carolo IV. Imp. patre ad imperij quoq; ſucceſſionẽ promotus, uiuẽte etiamnum patre à ſeriis negotiis auerſus, ludos tantùm iocoſq; captabat. Eo uerò mortuo, uoluptatum turpiſs. mancipiũ, ingluuiei & libidinis barathrũ, dum nihil minus quàm imperiũ curat, ab Electorib. deiectus, eiq; Robertus Rheni Palatinus primùm, deinde Sigiſmundus frater ſucceſſor datus. Huſſitarum motibus ab initio delectabatur, quòd anſerem hunc (Ioannẽ Huſſum innuens) multa ſibi aurea argenteaq; oua in multis exigendis părere diceret. In proceres ſæuus & immanis, carnifici adeò familiaris, ut eum perpetuum haberet comitem, eiuſq; filiũ è ſacro fonte leuarit. Balneas penſiles ſub arce Viſſegradenſe extruxerat, in quas inuitare ſolebat eos quos perditos uellet, ut laxatis primo ingreſſi tabulis præcipites in Vultauiam amnem ruerent. Bis à procerib. captus, bis miro fortunæ Boëmis iratæ ſucceſſu euaſit. Magicis ſuperſtitionib. deditiſs. Tandem inualeſcẽtibus Huſſitis cùm uiriũ ſatis ad illos coërcendos non haberet, inter prandendum pocillatoris uerbo irritatus, in illum inuolans, cæterùm à cæde prohibitus, apoplecticus corruit, nec multos poſt dies expirauit. Dubrauius lib. 23.

STEPHANVS II. Hungariæ rex, nullum crudelitatis genus omiſit. Chriſtianã mulierem, ob minimam noxam incẽdio damnauit. Multos equino fimo infoſſos enecauit. Pleroſq; adactis per obſcena facibus, aut ardẽtiſſima cereorũ deſtillatione iniecta, immaniter cruciauit. Ducẽ Almum patruũ excæcatum, nullius mali conſcium, relegauit in Thraciam. Bonfinius lib. 6. Decadis 3.

Inauditæ crudelitatis DRACVLAM, Tranſalpinæ Hungariæ præfectum fuiſſe memorant. Hunc aiunt, Turcarũ legatis, pilea Phrygia ex patriæ inſtituto deponere recuſantibus, confirmãdi moris gratia tres capiti clauos affixiſſe, ne ampliùs amoueri poſſent. Innumeros palis Turcas pręfixiſſe, & inter eos cum amicis lautè diſcubuiſſe. Mendicos inſuper omnes deperditæ ignauiæ, miſerabiliſque ualetudinis & fortunæ, lautiſſimo cõuiuio excepiſſe: deinde cibo uinoq; repletos, iniecto igni abſumſiſſe. Item, Turcis ſæpe captiuis cute pedes exuiſſe, contuſoq; ſale præfricuiſſe: mox lingentes ſalſis plantis capras adhibuiſſe, quæ linguæ aſperitate cruciatum augerent. Mercatorem Florentinum de aſſeruãdis pecuniis ſollicitè percunctantem, in media deponere uia iuſſiſſe, & nil de numerata nocte pecunia mentientem, incolumem dimiſiſſe. In Barbara regione tanta ſeueritate uſum, ut in media quiſq; ſylua cum rebus tutiſſimus eſſe poſſet. Bonfinius lib. 10. Decad. 3.

STEPHANVS, Valachię tyrannus, filium Maniaci Tartarorũ ducis captũ, cùm per centum legatos à patre minaciter peteretur, præſentib. legatis diſſecari: & mox ipſos quoq; legatos palis ſuffigi iuſſit, uno excepto, quem truncato naſo & auribus, nunciũ rei geſtæ ad Maniacũ remiſit. Cromer. l. 27.

*Moſcorum.*

Princeps Moſcouiæ; IOANNES Baſiliades, imperio, quod in ſuos exercet, omnes facilè uniuerſi orbis Monarchas ſuperat, de omnium uita & bonis pro arbitrio conſtituit. Proceres, conſiliarij, & totus equeſtris & ſpiritualis ordo, fatentur publicè, uoluntatem ſui Principis, uoluntatẽ Dei eſſe: & quicquid Princeps, quamuis perperàm egerit, ex uoluntate Dei agere, eumq; clauigerum & cubiculariũ executoremq; uoluntatis diuinæ credunt. Princeps ipſe, ad preces conſiliariorum reſpõdere ſolet, Cùm Deo placuerit, uel Si Deus iuſſerit, faciã. Ita quoq; ſi de re aliqua incerta & dubia Moſcouitas interrogaueris, reſpondere ſolent, Deus nouit & Magnus Dux, uel, Deus ſic uoluit, & magnus Princeps. In cõpotationibus alter alteri præbibens, ſalutẽ magno Duci, omnia fauſta & felicia, nomine proprio eum appellans, & titulos regionum enumerans, precatur: idem ante & poſt prandium omnes & ſinguli optare ſolent. Etſi aliquid peruersè peſſimeq; Princeps fecerit, ab omnibus laudatur. Ex plebeiis equites, Palatinos & Conſiliarios facit, ex conſiliariis & equeſtris ordinis hominibus plebeios: Metropolitas, Epiſcopos, Abbates, Prioreſq; monaſteriorum ſuo iudicio eligit & deponit. In eo certè Alexander Guagninus Veronẽſis in deſcriptione Moſcouiæ tyrannidis ideam ſtatuere uidetur, ſingillatim eius facta recenſendo, ut tanto præclariùs de Stephano Batorio, Polonorum rege, ſentire debeant omnes, qui tam horrendum m onſtrum domuerit.

Stabiliendæ tyrannidis cauſa Principes uiros è medio ſuſtulit, familias extirpauit, cùm ſub prætextu monaſticæ uitæ inſtituendę, arcem propè Moſcouiam extruxiſſet, Alexandrouã dictam, & in ea facinoroſorum ſatellitum manu coacta iis ad opprimẽdos ex improuiſo optimos quoſq; uteretur. Petrum, ducẽ Roſtouiẽſem, Nouogrodiæ inferioris præfectũ, in templo orantẽ capi, traheæ impoſito caput ſecuri amputari iuſſit. Capiti allato inſultans, Multum ſanguinis effudiſti uiuus, inquit (dux enim bellicoſiſs. fuerat) quantulum nunc mortuus? & pede in profluẽtem egit: familiam omnẽ funditùs ſuſtulit. Kozarinum Dubrouiſciũ cancellariũ falsò accuſatum, quòd equis & curribus ſuis tormenta bellica uehere recuſaſſet, domi per ſatellites prandentem oppreſſit cũ duob. filiis, cadauera in puteo demerſit: filium tertium à fuga retractum, quatuor rotis diſcerpſit, an. 1568. Boriſius Titovu, Palatinus Staricienſis, ad magnum Ducem poſt prandium menſæ cubito innixum aſſidentem uenit, honoremq; ſecundùm morem caput inclinando exhibuit. Cui magnus Dux quaſi congratulans dixit: Salue mi fideliſſime ſerue, dignus es aliquo munere, accede propiùs. Accedenti caput inclinare iuſſit, & cultello euaginato auriculã ei manu propriã abſcidit. Ille humiliter gratias egit, dicens: Saluus tu ſis celeberrime Rex, Dux & Domine magne, quòd me ſeruum tuum ſecundùm placitum tuum caſtigare digneris. Cui magnus Dux, Accipe nunc hoc exiguũ munuſculũ libẽter, donec tibi aliud melius offeretur. Habuit coryceos plurimos circũambulando obſeruãtes, quid mulieres ciuium, matronæq; nobiliũ de ſe loquerentur. Eas à maritis uiolenter abſtractas, ſi complacuerint, per aliquot hebdomadas pro explẽda libidine detinet: ſin minùs, ſatellitib. ſtuprãdas exponit, & tandem ad maritos ablegat. Si uerò uirum quoque è medio tollere ꝓpoſuerit, eas iugulat, uel aquis obruit. Mieſſoiedouiſelij ſcribarũ ſuorũ pręfecti uxorẽ in porta domus mariti cum pediſſequa laqueo ſuſpendit. Poſt duas demum hebdomadas depoſitæ fuêre. Maritus interim ſubtus uxorem ſuſpenſam exire & intrare cogebatur. Alterius cuidam notarij uxorem conſtupratam priùs remiſit, & in habitatione propria, ubi ſolitus erat cibum capere, ſuper mẽſam ſuſpendit: in illaq; menſa deſuper uxore ſtrãgulata pendente, tamdiu ille notarius cibum capere cogebatur, donec iuſſu Principis cadauer auferretur. Iter faciens, ſi fortè obuiam uiderit matronam quamcunq;, ſciſcitari iubet, cuias ſit, & unde proficiſcatur. Quòd ſi eam alicuius, cui infenſus ſit, uxorem eſſe intellexerit, tunc eam ex curru deſcendere, & cubotenus pudenda detegere iubet, donec omnes ſatellites, equites & aulici ipſeq; magnus Dux præterierint.

Cùm Nouogrodiam proficiſceretur, Nobilis quidam fortè præceſſit illũ. Dux ad latus ſiniſtrũ iuſſit deflectere hominẽ, & fruſtulatim diſſecari, & ſegmina membrorũ in altiſſimo cœno demergi.

Quando tẽpore hyemis ex ſua arce uidet homines turmatim incedẽtes in lacubus & fluminib. gelu concretis, in confertã hominum multitudinẽ tres aut quatuor urſos immittere ꝓ ludo habet. Quòd ſi pater filij, aut uxor mariti laniationem queſtũ ueniat, aureo numo uno uel altero donato dimittũtur, prædicaturi Ducis benignitatẽ, à quo in conſpectũ ſint admiſſi. Conſiliarij addunt, magnum Ducem & eius filium magnam ex hac re percepiſſe uoluptatẽ: & propterea nullũ peccatum eſſe commiſſum.

Anno Domini 1570. cùm ex Moſcouia legati Regis Poloniæ diſceſſiſſent, die Eliæ Prophetæ (qui dies feſtus apud Ruthenos eſt celeberrimus) & Dux accũberet menſæ, uelut furore correptus, ſatellitib. ſequi iuſſis cũ mille quingẽtis catapultariis equitib. celeri curſu pergit ad arcẽ: Petrũ Serebrinũ uirũ bellica arte clariſs. ſecuri indicta cauſa percutit, fortunas eius diripit: Mieſſoiedũ interficit: è carcerib. productos Polonos & Lituanos nobiles haſtis trãsfodit: cadauera in tres digeſta tumulos. Vxor Molski Poloni ex uulnere cùm ſeſe recollegiſſet, à pollinctoribus uiua fuit terra obruta.

Die ſancti Iacobi, mẽſe Iulio, anni 1570. in urbe Moſcouia, iuſſit erigi octodecim palos grandes, & ſupra illos totidẽ trabes in tranſuerſum apponi, in formam furcarum. Satellites ad maiorem terrorem incutiendum, in medium forum adferebant uaria generã tormentorum. Deinde excitato igne, uas ingens æneum appoſuerunt aqua plenum. Venit inde Tyran-

Tyramus cum mille & quingentis catapultariis. Adducti ſunt trecenti nobiles Moſcouitæ, qui præ nimio quæſtionum cruciatu uix pedibus ſtare poterant. Cæterùm tùm pſpiceret ciues omnes præ timore ſeſe abdidiſſe in domos ſuas, obequitare cepit per omnes urbis plateas: & clara uoce euocare ciues, impunitate pmiſſa, & minis additis, ni uenirent. Cùm iam cõueniſſent, CXXC. ex illo damnatorum numero nobilib. qui aderant, donauit, & liberos abire iuſſit. Primus ſecretarius damnatorum album explicat. Io. Michaclouicius Viſcouatus, Cãcellarius, falſis criminib. proditionis triplicis inſimulatus, flagello ter caput percuſſus, ſeſe fruſtra excuſans, & ad tribunal diuinum prouocans, furcis prono capite alligatus eſt, & aulicis omnibus dilaniandus propoſitus, ita ut ſinguli particulam aliquam cultris abſcinderet. Cùm primus Maluta, ſatellitum præfectus, auriculam ei amputaſſet, ad extremum quidam Secretarius principis abſcidit illi pudẽda. Magnus Dux dira imprecatus eſt Secretario, cùm crederet cõmiſeratione motum hoc feciſſe, ut citò è uiuis diſcederet. Tum Satellites in cadauer ſæuire incipientes, fruſtulatim illud conſciderunt. Subinde produci iuſſit ſuum Theſaurarium, Michaelẽ Tunichouv, uirũ ingenij acerrimi, amicum cancellarij: iſte ſuam innocentiam teſtatus, Ducẽ ad tribunal Dei euocauit. Iuſſu proinde Ducis, Maluta præfectus ſatellitum haurit ex lebete aquam feruidiſſimã, alter equorum magiſter aquam frigidiſſimã, & alternis capiti infundebant, donec pellis capitis contraheretur in modũ ſerpẽtis, ſe in ſpiras contorquentis. Tertius Cocus, qui membratim diſſectus eſt, amputatis illi pudendis. In Georgium inde Czapkinu rabies conuerſa, inter Secretarios non poſtremũ. Baſilius Themkim exul Lituanus, iuſſu Principis caput illi abſcidit, uxori item ac liberis. Alter Secretarius Ioannes Bulhakouv, unà cum uxore & liberis capite truncatus eſt, à Palatino Chirnouienſi, Pietrouicio. Tertius item Secretarius Baſilius Stepanouv, eodẽ modo laniatus. Ducenti poſtea nobiles captiui, à ſingulis aulicis ordine capite truncati fuère. Qua cæde peracta prodeunt in conſpectum Principis manibus & gladiis cruẽtis, cum hac uoce lætitiæ, Hoyda, Hoyda. Venerandum quendam ſenem, è carcere productum, arrepta haſta transfixit: in cadauer porrò ſedecim uulneribus ſæuiit. Et hæc intra horas quatuor deſignata. Cadauera iacebant in terra. Ea cùm luſtraret quidam ex Principis ſatellitibus, caput Michaelis Theſaurarij enſe in duas diſſecuit partes, hiſce uerbis additis: Recorderis qd mecum egeris. In Palatium à laniena rediens, deflectit ad ędes Michaelis Theſaurarij, & uxorem illius, ſuſpirantem, ob mariti necem, apprehendi iuſſit, & ſupra funem extenſum diuaricatis crurib. nudam ultrò citroq; trahi, donec detegeret mariti theſauros: filiã eius quindecim annorũ, eiulantẽ quoq; rapi iuſſit. At filius Ducis maior natu, commiſeratione motus: Pater, inquit, dona me hac puella. Accipe ergo, reſpondit, ſed matri illam reddas. Vtramq; pòſt in monaſteriũ relegauit: mater ob magnitudinem cruciatuum non diu ſuperſtes fuit. Filium Theſaurarij in uincula cõiecit, & omnes fortunas publicauit. Ioannes Vviskovuaty uxorẽ in cœnobiũ detruſit: filiũ eius relegauit in arcẽ munitiſſimã. Triduò pòſt producti in forum ex carceribus aliquot egregij nobiles, capite truncati ſunt à præfecto ſatellitum: in cadauera ipſe Dux aliquot ictibus ſecuri ſæuiit, eaq; nuda in medio foro iacuère ſeptem dierum ſpacio, à canibus deuorata, oſſa hinc inde diſperſa. Poſtridie octoginta feminas nobiliſſ. ad flumen deduci, ibiq; aquis ſubmergi curauit.

Cùm Lituani ex improuiſo cepiſſent arcem muniſſimã Borſko: Palatinum & uxorem eius captiuos ad Regem Poloniæ miſerunt. At magnus Dux paulo poſt eum redemerat. Cùm rediiſſet in Moſcouiam, cum aliis duobus nobilibus Moſcouitis: iuſſu principis tria ligna ſunt defixa in medio foro, & iis medio corpore appẽſi. Ipſe cum filio ſagittis eos confecit. Exemplum Principis imitati ſatellites, tot ſagittis illos impetiuerunt, ut iam præ ſegete ſagittarum non uiderẽtur ampliùs corpora.

De ſummis aliquando uiris ſupplicium ſumturus, obuolutos pelle urſorum ad ſpectaculum eduxit, & incitauit in ipſos aliquot moloſſos, & canes Britannicos efferos. Theodorũ legatum ſuum, è Polonia redeũtem, ad prandium inuitarat: precioſis ueſtibus zibellinis donauerat. Dum lætus cũ ſuis reuertitur, in ſatellites principis incidit, à quibus ſpoliatur atq; nudatur. Multi comitũ propter frigoris uehementiã auriculas, nares, digitos amiſere: ipſe diphthera caprina à paſtore redẽta, uix tandẽ Moſcouiã peruenit. Hæc ex Guagnino. Plurima alia ſub certis Titulis Crudelitatis recẽſebũtur.

*Turcorum.*

MAHOMETVS II. Amuratis F. is qui Conſtãtinopolim cepit, non in hoſtes tantùm, ſed & in ſuos crudeliſs. fuit. Mortuo patre Thurſinem & Calepinum fratres, in cunis adhuc uagientes, interfecit. Habebat ab ineunte pueritia morũ uitæq; magiſtrum Chalin ſeu Chalibaſſam, quem ei pater moriens tutorem reliquerat, quaſi patrẽ, cuius etiam maiores Othomannis ſuperiorib. cariſſimi fuerant. Capta Conſtantinopoli Chalin ſtrangulauit, exquiſitiſſimis tormẽtis excruciatum, ipſius diuitiis inhiãs, prætextu autem quaſi ſemper ſenſiſſet cũ Chriſtianis, eiusq; perſuaſionibus pater Amurates nunquã fuiſſet auſus Conſtantinopolim bello urgere, quam nullo quaſi labore ipſe occupaſſet. Chalis certè ſatius arbitrabatur, Orientale imperium uelut ætate & longo morbo confectum, paulatim diſſolui, quàm omnium Chriſtianorum principum uires in Turcos prouocare. In eius locum Mahometus ſuffectus, non modò exercitui Occidentali (qui colligitur ex Europę prouinciis) præfectus fuit: ſed omnia maxima & periculoſiſſima gerebat. Is ut ſe aliquando ex infami onere ſeruitutis redimeret, excepit tyrannum magnifico cõuiuio. Profert aureûm numûm quinquaginta millia, & amplius: uerbis ſubmiſſis libertatẽ ſupplex petens, ut ſe libero quàm famulo uti malit. Quo audito, ita excandeſcere cepit, ut uitæ morumq; ſociũ, ducem pręterea uictoriis illuſtrem, humi proſtratum, tanquam fugitiuũ ſeruum pedibus calcauerit: fuſtẽ ulmeo ad laſſitudinem uſque tãdiu pulſauerit, donec repetita ſæpiùs uoce clamaret: Gratias ago tibi, mi here. Pueros quoſdam exoletos, quos pluris facere uidebatur quàm uitã ipſam, celebri conuiuio obtruncauit omnes, quòd uini quippiam ebibiſſent, quod ſuperfuerat. Hac immani crudelitate ſe cunctis terribilẽ præbuit. Multos ob opes, quas longo tempore comparauerãt: alios, ut uxoribus illorum potiretur, mactare iuſſit: carnifex ſi deeſſet, ipſe ſuis manib. carnificis obibat mun⁹. Cuſp.

DVCES.

LYSANDER Lacedęmonius, uictis Athenienſibus, captis Athenis, Rebuſpub. paſſim amicos ſuos præfecit, & crudeliſſimè per totam Græciam uagatus eſt. Nempe repræſentabat non ex propriis tantùm offenſionibus necem: ſed frequentibus odiis, frequentibus cupiditatibus amicorũ, quos paſſim habebat, ea donabat facinora, illorumq; in his erat ſuffragator. Vnde celebrata uox eſt Eteoclis Lacedæmonij, Græciam ferre duos Lyſandros non potuiſſe. Idẽ de Alcibiade Theophraſtus Archiſtratum auctor eſt dixiſſe. Cæterùm acerbiſſimum in hoc petulantia erat, & cum procacitate cõiunctus luxus. Lyſandri uerò potentiam efficiebat amaritudo morum horrendam & atrocem. Plut. in Lyſandro.

ALBINVS Iudeę pfectus, qui Feſto ſucceſſit, rapinis & cędib. omnia miſcuit, ita tamẽ ut malitiã ſuã tegere poſſet. Ioſep.

GESSIVS, uel Ceſtius Florus, Clazomenius genere, Albino ſucceſſor miſſus in Iudæam, anno Neronis duodecimo, uir iniuſtiſſimus, crudeliſſimus, rapaciſſimus, paris *improbitatis* uxorem habens Cleopatrã, Iudæos iniuriis *ſuis ad bellũ* Iudaicum concitauit. Ioſephus lib. 20. cap. ult. *Antiq.* Cùm latronib. immunitatem daret, prædæ parte *ab illis* accepta, urbes integras depopulabatur: omniq; ratione ſtudebat Iudæos ad defectionem à Romanis cogere, ne apud Cæſarẽ accuſaretur, ſed bello exorto ſcelera priora occultaret. Ioſephus lib. 2. cap. 13. belli Iudaici.

PLAVTIANVS, militum Seueri Romanorum Imperatoris præfectus, cuius magna auctoritas & potentia apud Cæſarem erat, non tantùm priuatos & optimates pecunia temerè exhauſit: ſed nullam gentem, nullam ciuitatem reliquit, quam non prædaretur. Equos furatus eſt centurionibus, cẽtum ciues Romanos clàm domi ſuę interfecit: excidit nõ ſolùm pueros & adoleſcẽtes, ſed etiã uiros, quorũ nõnullis uxores erant. Xiphilin⁹, Dionis Nicęi abbreuiator, in Seuero.

NOBILES.

De CATILINA & CETHEGO ſic ſcribit Iuuen. Sat. 8.

Quis Catilina tuis natalibus, atq; Cethegi
Inueniet quicquam ſublimius? arma tamen uos
Nocturna, & flammas domibus templiſq; paraſtis.

# MORVM SIMILITVDO, SIVE BONORVM, SIVE MALORVM.

*Similitudo & Diſſimilitudo morum comparatè in diuerſis ſpectatur, qui moribus uel ſimiles ſunt uel diſſimiles: ſiue iam ſimilitudinis cauſa aliquà ſubſit, utputà patria, parentes, educatio, conuerſatio: ſiue nulla ſubſit. Quæ ipſa conſideratio reſpectu Rerum, quoniã circa Mores uerſatur, huius eſſet loci: At reſpectu Perſonarum, quibus ineſt, ita ut alter alterius ſimilitudine quodãmodo afficitur, & eorundẽ morũ particeps eſt, lib. XI. Vol. III. ſub loco cõmuni Participationis explicata fuit uniuerſim, non mores tantùm, uerumetiam quaſuis alias actiones paſſionesq; humanas complectente.*

QVI



# QVI VARIIS VIRTVTIBVS SIMVL ET VITIIS EXCELLVERVNT. MORES MIXTI.

*Non hîc Mutationem morum ratione ætatis dignitatiſue factam (quæ ad Inconſtantiam pertinet) ſed morum contrariorum miſcellam ferè naturalem conſideramus. Conſule Tit. Verſatili ingenio præditi. Illic Ingenij uolubilitas, hîc Habituum diuerſorum poſſeßio conſideratur.*

Aeneas obiurgat HECTOREM, quòd noctu cõtra hoſtes pugnaturus ſe obiicere periculis uellet, apud Eurip. in Rheſo, inquiens:

εἴθ' ἦσθ' ἀνὴρ εὔβουλος, ὡς δρᾶσαι χερί.
ἀλλ' οὐ γὰρ αὐτὸς πάντ' ἐπίστασθαι βροτῶν
πέφυκεν, ἄλλῳ δ' ἄλλο προσκεῖσθαι γέρας·
σοὶ μὲν μάχεσθαι, τοὺς δὲ βουλεύειν καλῶς.

Vtinam eſſes uir tam bonus in dando conſilio, quàm promtus manu. Sedenim nõ unus idemq;, omnia ut ſciat, hominum natus eſt: alij aliud additum eſt donum: tibi quidem pugnare, aliis bene conſultare. Sententiã eandem in penultimo libro Iliadis Homerus his uerbis protulit:

Οὐδ' ἄρα πως ἦν
Ἐν πάντεσσ' ἔργοισι δαήμονα φῶτα γενέσθαι.

DEMETRIVS Poliorcetes, pace omnibus uoluptatibus addictus erat, bello omnibus uitæ illecebris abiectis, uitam & mores tempori accommodabat. Idq; in cauſa fuit, ut ęquiore animo Antigonus pater illius libidines & intempeſtiuas potationes ferret: Sabellicus lib. 7. En. 4.

PAVSANIAS, rex Lacedæmonius, ut uirtutib. plurimùm eluxit, ſic & uitiis eſt inſigniter adobrutus. Huius uictoria ad Platæas, Perſicum imperium, duce Mardonio, in Græcia acciſum concidit. Sed ea elatus, maiora amplioraq; concupiſcere, & cum Perſarũ rege clam de proditione agere cepit. Quum in ſuſpicionem recidiſſet, pecunia rem tranſegit. Detecta proditione, in Mineruæ templum Chalciæcum confugiens, fame interiit. Plutarchus, & Diodorus.

In ALCIBIADE Cliniæ filio Athenienſe, natura, quid efficere poſſit, uidetur experta. Natus in ampliſſima ciuitate, ſummo genere, omniũ ætatis ſuæ formoſiſſimus: ad omnes res aptus, cõſiliiſq; plenus. Namq; imperator fuit ſummus mari & terra: diſertus, ita ut nemo ei dicẽdo poſſet reſiſtere. Laborioſus, patiẽs, liberalis, ſplendidus in uita atq; uictu, affabilis, blandus, tẽporibus callidiſſimè inſeruiẽs. Idẽ ſimulac ſe remiſerat, luxurioſus, diſſolutus, libidinoſus, intẽperans: ut omnes mirarentur, in uno homine tantam morũ diſſimilitudinẽ. Probus. De eodem ſic Plutarchus: Alcibiades magnis uirtutibus prudentiæ & eloquentiæ immiſcebat luxũ, comeſſationes, amores, proteruiã, mollitiem ueſtiũ, inſolentem profuſionem, inciſuras in triremib. fororum, quo molliùs cubaret, cùm iniecta haberet faſciis, non aſſeribus, ſtragula: clypeum deauratũ, in quo Cupido fulmen tenens erat ſculptus. Quæ principes cùm uiderent, tum execrabantur, tum extimeſcebant, uelut tyrannica. Nec malè Archeſtratus dixit, Duos Græciam Alcibiades non potuiſſe ferre.

In AGATHOCLE, PISISTRATO, & reliquis tyrannis, niſi ingentes uirtutes internã dominandi libidinem texiſſent, nunquam ad tantas opes peruenire potuiſſent. Conſule Tit. Tyrannorum.

L. SYLLA fuit natura uaria, ut ipſe ſecũ ſæpiùs diſcrepare uideretur: rapere, multo plura largiri: contumelia dignos colere, ſupplices ludibrio habere: nunc leuibus de cauſis in puniendo grauis, nunc in magnis ſceleribus plectendis diſſolutus. Plutarchus in Sylla.

In L. CATILINA ingentibus uirtutibus ingentia uitia nexu quodam indiſſolubili copulata fuiſſe, Salluſtius tradit.

MITHRIDATES rex Ponti fortiſs. & opt. uariis uitiis deditus fuit: Vxorem enim, tres filios, & filias totidẽ interfecit: occidit & fratrẽ & ſorores duas. Vino inſuper & ueneri ſupra modum deditus fuit. Annos circiter quadraginta cum Romanis bellauit. Vir alioqui inuicto animo & ſtatura ingẽti. Adeò natura interdum in uno uitia uirtutibus miſcet. Sabellicus lib. 4. Ennead. 6.

M. ANTONIVS Triumuir, in re bellica abſtinentia, labore & fortitudine, in otio uerò luxuria, temulentia & libidine omnes ſuperauit. Sab. lib. 8. cap. 8. ex Plutarcho.

NERO primis imperii annis tam fuit laudatus princeps, ut in prouerbium abierit, Etiam optimos principes longè abeſſe à primo Neronis quinquennio. Poſtea uerò adeò ſui diſſimilis euaſit, ut monſtrũ, nõ homo dici mereatur. Sueton.

DOMITIANVS Imp. circa adminiſtrationem imperij aliquandiu ſe uarium præſtitit, miſtura quoque inæquabili uitiorum atque uirtutum, donec uirtutes quoque in uitia deflexit: quantum coniectare licet, ſuper ingenij naturam, inopia rapax, metu ſæuus. Suetonius.

In QVENDAM habentem uarios mores, Martialis Epigrammatum lib. 12. ſic ludit:

Difficilis, facilis, iucundus, acerbus es idem:
Nec tecum poſſum uiuere, nec ſine te.

MANVEL Comnenus Imp. Græcorum, quum tempus poſtulabat, patientiſſimus erat laborum, frigoris, æſtus, inſomniæ: cùm à bellis uacabat, iucunditati ſe dabat, & genio indulgebat. Nicetas lib. 7.

GALIENVS Imp. ignauiſſimus, ſed oratione, poëmate, atque omnibus artibus clarus, & in pleriſq; ingenioſiſſimus: ſi non abdomini & uoluptatibus deditus, dies ac noctes in uino & ſtupris uolutatus, orbem terrarum penè perdidiſſet. Cuſpinianus ex Trebellio.

OFFA, Merciorum rex, in primo ætatis flore laborabat ſiti inexhauſta diuitiarum, imperiique amplificandi: qua de cauſa finitimis regulis modò bellum inſerebat, modò inſidias faciebat. Contrà uirtutem nullam nõ magnoperè exercuit, militaris diſciplinę ſtudioſus, tantoque animi robore in rebus agendis fuit præditus, ut quiſquis per id tempus magnus eſſet, attamen nihil ad eum. Cæterùm in ætate iam matura, cùm morum probitate atque modeſtia, tum uitæ innocentia maximè floruit. Polydorus lib. 4.

# PROBITATIS EXERCITIVM. HVC PERTINET FRVCTVS VEL

## DIGNVS.

*Vide ſingularum Virtutum locos, Præmia, Honores uirtuti habiti.*

Nerua Imp. M. Vlpium TRAIANVM, uirum Hiſpanum, nulla ſibi cognatione iunctum, ob uirtutem hominis in filium adoptauit, & partem imperij aſſignauit, Cæſaremque in curia appellauit, Imperiique & iura & inſignia in Germaniam uſque tranſmiſit. Cuſpinianus.

## INDIGNVS.

Mycerinus rex, cùm ex urbe Buti oraculum accepiſſet, fore ut ſex omnino annos uiueret, ſeptimo defuncturus, ægrè tulit: uiciſſimque miſit ad oraculum contumelioſas querimonias, quòd cùm pater ſuus & patruus, qui deorum immemores templa clauſerant, homineſque perdiderant, tam diu uixiſſent, ipſe piè faciens tam citò foret uita defuncturus. Rurſus ei oraculũ reſpondit, propterea eum properè uitã finiturum, quòd non id faceret, quod deberet. Oportere enim Aegyptum cẽtum quinquaginta annis affligi: idque, qui ante eum fuiſſent reges feciſſe, ipſum uerò nequaquã. Herodotus lib. 2.

Horat. lib. 2. Epiſtolarum epiſt. 1. ſic ſcribit, de inuidia comitante VIROS non niſi præſtantiſſimos:

Romulus, & Liber pater, & cum Caſtore Pollux,
Poſt ingentia facta deorum in templa recepti,
Dum terras hominumq; colunt genus, aſpera bella
Componunt, agros aſſignant, oppida condunt,

Plora-

Plorauêre ſuis non reſpondere fauorem
Speratum meritis. Diram qui contudit hydram,
Notaq; fatali portenta labore ſubegit,
Comperit inuidiam ſupremo fine domari.
Vrit enim fulgore ſuo, qui prægrauat arteis
Infra ſe poſitas: extinctus amabitur idem.

### CERTAMINA.

*Ex ſingulis Virtutum locis generalis hic locus Certaminum uirtutis illuſtrari poteſt.*

Cleombrotus Pauſaniæ CVIDAM cum PATRE de uirtute contendenti: Hactenus te pater eſt melior, inquit, quando ſibi ſimilem reliquit alium. Plut. in Apoph.

## IMPROBITATIS EXERCITATIO.

### FRVCTVS VEL DIGNVS.

*Conſule locum Infelicitatis ex ſceleribus. Ex ſingulorum quinetiam uitiorum ſuppliciis illuſtretur.*

Claudianus in Eutropium I. INVENTORES & auctores malorum ſuis ipſos artibus irretiri per epagogen docet:

Quàm bene diſpoſitum terris, ut dignus iniqui
Fructus conſilij primis auctoribus inſtet,
Sic multos fluuio uates arente per annos
Hoſpite qui cæſo monuit placare Tonantem,
Inuentas primùm Buſyridis imbuit aras,
Et cecidit ſæui, quod dixerat, hoſtia ſacri.
Sic opifex tauri, tormentorumq; repertor,
Qui funeſta nouo fabricauerat æra dolori,
Primus inexpertum Siculo cogente tyranno
Senſit opus, docuitq; ſuum mugire iuuencum.

ALCIBIADES ſupra omnes in repub. fuit induſtrius & dux inuictus: eum tamen uitæ diſſolutio & ferocitas effecit, neque fructum capere ciuitati ex reliquis eius uirtutibus permiſit luxus & laſciuia. Plut. in Præceptis politicis.

### INDIGNVS.

*Ex loco Felicitatis exempla eorum qui per ſcelera ad opes & dignitates peruenere.*

### CERTAMINA.

*Generalis locus ex particularibus Vitiorum certaminibus illuſtrandus.*

## MORVM INCONSTANRIA.

*De Inconſtantia Morum ſub Inconſtantiæ loco agetur. Illic ut Inſtrumentum conſideratur: hîc ut accidens ipſorum Morum: ſiue iam mutatio fiat bonorum morum in deteriores, ſiue econtrà.*

## VIRTVTVM ET VITIORVM CVLTVS, IN GENERE.

*In genere hîc de Virtutum & Bonorum uirorum cultu, ſtudio, obſeruantia agimus. Exempla in ſpecie ex Diſtributiua iuſtitia, ubi de Prudentiæ, Fortitudinis, Temperantiæ, & reliquarum Virtutum præmiis ſingillatim agetur, deſumi poſſunt.*

### HONESTATIS ET PROBITATIS STVDIVM IN Seipſo.

Agis, Archidami filius, interrogatus, quam diſciplinam potiſſimùm SPARTÆ commententur: Scire, inquit, imperare & parêre. Plutarchus in Apophthegmatibus.

PITTACVS per decem annos princeps Mitylenæorum, ſponte ſua ſe abdicâuit magiſtratu: id unum cauſatus, ὡς χαλεπὸν ἐσθλὸν ἔμμεναι. Laertius, & Suidas.

*Aliis.*

THEMISTOCLES ex illis, qui filiæ ſuæ nuptias ambiebãt, probum cùm pecunioſo prætuliſſet: ait, Virũ ſe quærere potiùs, pecunia qui egeret, quàm pecuniam, quæ uiro. Plutarchus in Apophthegmatibus.

### ODIVM, CONTEMTVS, NEGLECTVS.

EPHESII Hermodorum uirum frugi eiecerunt, dicẽtes, Nemo noſtrûm frugi eſto, alioqui cum aliis eiiciatur. Hic uir leges quaſdam uidetur Romanis conſcripſiſſe. Strabo lib. 14. Eius facti inſimulat Heraclitus ciues ſuos in V. Tuſcul. apud Ciceronem.

### IMPROBITATIS ET Improborum STVDIVM, AMOR.

*Conſule locum Iniuſtitiæ Diſtributiuæ ſimplicis, item Correctiuæ Iniuſtitiæ, quatenus iniuſtitiam aliorum non corrigendo, eidem uidentur patrocinari. Inprimis uerò Titulum Tyrannorum, qui quò ſunt ſceleratiores, eò magis aliorum delectantur ſceleribus. Tum etiam Tit. Amor principum malorum.*

CAIVS Cæſar Caligula in curiam homines introduxit probroſiſſimos & turpiſſimos, quòd per eos ſuam ſe diceret dignitatem recuperaſſe. Similes nimirum habent labra lactucas, & quod prouerbio circumfertur, ἰσότης ἡ φιλότης. Sed & illud fortè ſtudebat, ut ſceleſtiſſimorum conuerſatione ipſius ſcelera minùs conſpicua eſſent. Sic noſtra etiam ætate PRINCIPES quoſdam ſtultis & morionibus nõ aliam ob cauſam ad inſaniam uſque delectari uidemus, quàm quòd illorum comparatione uidentur ſibiipſis ſapientes, qui comparatione cordatorum hominum, prouerbio fidem faciunt, Aut ſtultum aut regem naſci oportuiſſe.

HERACLITVS Epheſius, uir magno alioqui ingenio, ſuorũ ciuium tædio ad phanũ Dianæ primò ſeceſſit: ubi aliquando irriſus, quòd cum filiis luderet aſtragalis: Malo hoc, inquit, quàm rempublicam uobiſcum adminiſtrare. Abiit inde hominum odio in montes, herbarum & aquæ uictu contentus, ferarum ritu ſoliuagus. Sabell. lib. 2. cap. 2.

### ODIVM.

*Vide Tit. Tyrannicidarum. item Odium tyrannidis.*

Samuelis prophetæ filij, quibus Iudicum dignitatem conceſſerat, ob improbitatem occaſionem dedêre ISRAELITIS regis petendi.

Deliberabant Lacedæmonij de ſumma rerum. Exurgit quidam turpitudine uitæ defamatiſſimus, ſed facundia inſigni, & conſilium prudens proponit, omnibuſque perſuadet. Tum VNVS Ephororum ſtomachabundus, Et quænam hæc dementia eſt, ô ciues, quæ'ue ſpes, remp. hanc diutiùs incolumẽ fore, ſi huiuſmodi cõſiliariis utemur? Quòd ſi proba iſthæc & honeſta ſententia eſt, non ſinamus eandem dehoneſtari turpiſſimi auctoris contagione. Hoc ubi dixit, uiro forti atque iuſto, ſed infacundo, præcepit eandem ſententiam quibus poſſet uerbis dicere. Sic bona ſententia manſit, turpis auctor mutatus eſt. Gellius libro 18. capite tertio, ex oratione Aeſchinis contra Timarchum: & Plutarchus in Laconicis.

## VOLVMINIS SEXTI FINIS.

# THEATRI HVMANAE VITAE

## Volumen Septimum

QVO HABITVS INTELLIGENTIAE PRACTICI,

PRVDENTIA ſcilicet, cum ſuis extremis, CALLIDITATE & STVLTITIA,

*SEX LIBRIS comprehenduntur.*

# HEROI
Toga pariter & Armis
Illuſtri
CAES. Maieſtati à Militia &
Conſilio
RHETIAE atq. HELVETIAE
Lumini
RODOLFO A SALICIB.
BARONI nobiliſs.
THEOD. ZVING. BAS.
DE
tali tantóque Ciue Patriæ
ſuæ cõgratulans
Septimum hoc THEATRI
Volumen
SEX Libris deſcriptum
QVORVM


I. *De HABITIBVS Intelligẽtiæ Practicis in genere.*
II. *De PRVDENTIA Politica in Inueniendo.*
III. *De PRVDENTIA Bellica, de STRATAGEMATIS.*
IV. *De PRVDENTIA in Iudicando.*
V. *De CALLIDITATE, Aſtutia, Verſutia.*
VI. *De STVLTITIA & Imprudentia diſſerit.*


priuatæ
Obſeruantiæ & Officij
MON.

# TOMI SEPTIMI LIBRORVM DISPOSITIO.

PRACTICORVM Habituum uis omnis in Affectuum moderatione conſiſtit. Hæc à recta Ratione, per quam Homo eſt, eſſeque dicitur, Appetitum homini cum belluis ferè communem moderante prouenit. Homo naturæ inſtinctu & ſuiipſius & conuerſationis amans eſt. Suiipſius, ut Perficiatur: Conuerſationis, ut Profit. Perficitur ſecundùm animæ uim διανοητικὴν, ſimul & ὀρεκτικὴν. Illam Prudentia excolit: hanc Virtutes reliquæ: Fortitudo ſcilicet ὀργητικὴν, Temperantia ἐπιθυμητικὴν. Prodeſt deniq; & maximè & ex profeſſo Iuſtitia. Has uulgò Virtutes Principes uocant, ad quas cæteræ uidentur omnes referri poſſe. Vocant etiam Cardinales, quòd in his tanquam cardinibus Ianua uitæ beatæ uerſetur. Inter haſce porrò, ut ordo, ſic dignitatis gradus dantur. Prudentia Aurigæ, Fortitudo & Temperantia Equis, Iuſtitia Currui non ineptè uidetur reſpondere. Iam ſi perfectionẽ ſpectes, nota eſt à Philoſophis allata Habituum & Diſpoſitionum diſtinctio: nota quinetiam Heroicæ & Humanæ Virtutis atque Vitioſitatis ſignificatio. Ex Actionibus externis Habitus in animo latentes coniectandi, adeoque ab Actionum ſimilitudine Habitus quoq; ſimiles, perfectione licet diſpares, conſtituendi. Sic in Exemplis ad eundem locum Abſtinentiæ & Heroica Moſis & Eliæ, qui XL dierum ieiunium ſuſtinuerunt: & Humana quorundã exempla, qui per duos pluréſue dies inediam honeſtè pertulerunt, referentur. Ad eundem pariter locum Intemperantiæ tum humana exempla, quæ ſcilicet terminos humanæ improbitatis non ſuperant: tum ea quæ ſuperant, & ut Heroicæ Temperantiæ opponuntur, ſic Dæmoniacæ Ingluuiei & Libidini tribui debẽt, puta corũ qui obſcena libidine belluina dæmoniacáue, aut humanis epulis ſeſe polluerunt. Idem de reliquis uirtutum atque uitiorum locis iudicium eſto. Verumenimuerò Theologi longè compendioſiùs ternario numero Virtutes omnes ſunt complexi, Beatitudinis æternæ quoſdã ueluti proxenetas. Quando enim Vita humana & animæ in primis cum corpore Connexionem, & quandam huiuſce connexionis Ἐνέργειαν in conuerſatione mutua luculenter apparentem denotat: reſpectu profectò Suiipſius ita caducam hanc uitam uel ſolius naturæ ductu mortales amabunt, ut immortalem longè uehementiùs ſint deſideraturi: quod quidem deſiderium SPEI nomine Theologi efferunt. Iam ſi ſocietatis mutuæ obiecta perpendantur, conuerſationem cum Deo FIDES, cum Hominibus reliquis CARITAS inſtruet, confirmabit, promouebitque. Hinc Ternarius ille Beatitudinis humanæ, diuinæ beatiſsimæque Triados expreſ-

ſum ſimulacrum. Καὶ ταῦτα μὲν καθόλου. At ſi ſpecies Virtutum Practicarum ſingillatim conſideremus: ut diſtinctior, ſic illuſtrior Virtutum partitio erit amplectenda, ultra Vitæ quaternarium ad denarium uſque, perfectionis notam, excurrens. In quo primum locum non iniuria ſibi uendicat PRVDENTIA, ueluti oculus quidam practicus, præſenti explicanda Volumine. A qua CALLIDITAS per exceſſum, STVLTITIA per defectum exorbitat. Id quod è ſubiecta Tabella patebit.

- De HABITIBVS *Intelligentiæ Practicis, quos διανοητικοὺς uocãt, agamus tum in*
  - Genere, *nulla ſubiecti habita ratione, ſed tantùm ipſius habitus. Et de hac quidem* LIBRO PRIMO.
  - Specie. *Nimirum de*
    - Virtute, *de* PRVDENTIA *ſcilicet duplici, altera*
      - Εὐβουλικὴ *ſiue* βουλευτικὴ, *quid agendum ſit deliberante: cuius effectus eſt ipſum Conſiliũ,* βουλὴ. *Actionum igitur humanarum omniũ ueluti dux & magiſtra, in uita tum*
        - Politica *& Vrbana, qua homines inter ſe uerſantur, eiuſdem ciuitatis uel domus participes,* PRVDENTIA *Politica in inueniendo appelletur. De qua* LIBER SECVNDVS *aget.*
        - Bellica *& Caſtrenſi, quando ijſdem caſtris inter ſe contra hoſtes fruũtur,* PRVDENTIA *Bellica in inueniendo & conſultando,* STRATAGEMATA *cõplectetur. De quibus* LIBRO TERTIO.
      - Κριτικὴ, *ſua aliorũmue conſilia dicta factaq; iudicante.* PRVDENTIA *in iudicando tam politica quàm bellica.* LIBER QVARTVS.
    - Vitiis *duobus, altero in*
      - Exceſſu, *de* CALLIDITATE *& Aſtutia.* LIBER QVINTVS.
      - Defectu, *de* IMPRVDENTIA *& Stultitia.* LIBER SEXTVS.



# LIBRI PRIMI TITVLORVM

## DISPOSITIO.

- PRVDENTIAE *& cõtrariorũ Vitiorum conſiderabimus*
  - Habitum, *ſecundùm*
    - Poſſeſſionem, *cuius reſpectu alij denominãtur*
      - PRVDENTES, *tũ*
        - Populariter.
        - Singulariter, *& uel*
          - Abſolutè.
          - Secundũ *bonum malũmue aliquod*
            - Internum, *Animi, tũ*
              - Theoricũ. *Prudentes*
                - Poetæ. Philoſophi.
                - Oratores, *Cauſidici.*
                - Medici.
              - Practicũ: *ut Prudentes*
                - Legiſlatores.
                - Politici. Conſiliarij.
                - Oeconomi.
                - Moriones, *Fatui. Stultorum bona conſilia.*
              - Mechanicum. *Mechanici prudentes.*
            - Externum
              - Corporis: *puta*
                - Sexus. *Mulieres prudentes.*
                - Ætatis:
                  - Pueri, *Iuuenes prudẽtes.*
                  - Senes *prudentes.*
              - Fortunæ: *ut Prudentes*
                - Reges.
                - Duces *bellici.*
                - Legati.
      - ASTVTI:
        - Populi.
        - Singuli
          - Abſolutè.
          - Secundùm *bonum malũmue quoddam*
            - Internum. *Aſtuti*
              - Medici.
              - Philoſophi.
              - Pictores.
            - Externum:
              - Reges.
              - Mulieres.
      - STVLTI
        - Populariter.
        - Singulariter *ſecundùm bonum malũmue aliquod, quo ad*
          - Animi *habitum*
            - Sapientes *uiri qui impegere.*
            - Philoſophi.
          - Corpus. *Stulti*
            - Mulieres.
            - Formoſi.
          - Fortunas. *Stulti*
            - Pontifices.
            - Reges.
            - Magiſtratus *quiuis alij.*
            - Duces *bellici.*
            - Legati.
            - Iudices, *Cenſores.*
            - Filij *ſapientum hominum.*
    - Exercitationem. *Vide ſignum* Aa.
    - Euentum, *Fructum.* FRVCTVS, *Præmium intelligentiæ practicæ, nempe*
      - Prudentiæ
        - Dignum.
        - Indignum.
      - Aſtutiæ
        - Dignum. *Malum conſilium conſultori peſſimum.*
        - Indignum.
      - Stultitiæ
        - Dignum.
        - Indignum.
  - CVLTVM, *tum in*
    - Seipſo. *Studium in iudicando, Deliberando.*
    - Aliis.

- Ad. Exer- citatio alia
  - PRVDENTIAE. Conſideratur reſpectu aliorum, qui uel
    - Abſq; certamine inſtruuntur. PRVDENTIAE aliorum
      - Magiſtri tum
        - POLITICAE
          - Qui. Vt puta
            - Vates. Iureconſulti.
            - Præceptores. Principes.
            - Conſiliarij, Senatores.
            - Legati. Hoſtes. Captiui.
          - Quales
            - Apti.
            - Inepti.
          - Quomodo
            - Viua uoce. Scripto.
            - Dignitate.
        - BELLICAE
          - Qui. Vt puta
            - Reges, Principes, Duces.
            - Milites. Præceptores.
            - Poetæ. Patres.
            - Mulieres.
          - Quales
            - Apti.
            - Inepti, Mali. Diſciplinæ militaris diſſoluẽdæ auctores.
          - Quomodo
            - Exercitio. Conuerſatione.
            - Honore. Imaginibus.
            - Pœnis. Scriptis.
        - OECONOMICAE
          - Qui.
          - Quomodo.
      - Diſcipuli.
    - Cum certamine uincuntur. CERTAMINA prudentum tum
      - Politica. De
        - Repub. conſtituenda. Legumlatione.
        - Reipub. imperio propagando.
        - Liberanda patria.
        - Tyrannide retinenda.
      - Bellica. De
        - Militari diſciplina.
        - Bello ſuſcipiendo.
        - Statu belli. Pugnæ loco.
        - Hoſtibus uictis. Arcibus occupandis.
        - Vrbe euertenda.
  - ASTVTIAE. Vel
    - Abſque certamine. ASTVTIAE magiſtri.
    - Cum certamine. ASTVTIAE certamina.
  - STVLTITIAE
    - Magiſtri.
    - Certamina.

# Voluminis Septimi Liber I.

# De Habitibvs Intelligentiæ Practicis in genere.

## PRVDENTES HOMINES. NEMPE

### POPVLI.

VENETI homines in uniuerſum conſilio ſunt graues, ſeueri in iudiciis, & in aduerſa rerum fortuna conſtantes, in altera nunquam immodici. Omnibus quum idem ſit conſeruandę libertatis & augendi imperij incredibile ſtudium, in ſenatu liberè & ſæpius acerrimè ſententias dicunt: nec quenquam temerè ex optimatibus, qui uel inſigni uirtute, uel ſpiritu in gerẽdis rebus cæteris antecellat, nimio plus creſcere, uel collecta gratia potentẽ & clarum fieri patiuntur. Itaq; uim illã inueteratæ reipublicæ nõ caduci alicuius hominis ingenio atq; induſtria regi, ſicuti cætera imperia, quæ à uirtute uel ignauia principum fortunam ſortiuntur, ſed uno atq; eodẽ immortali perpetui Senatus conſilio gubernari, manifeſtẽ perſpicitur. Iouius lib. 1. Hiſt.

### SINGVLI CONSIDERATI SEcundùm bonum malúmue aliquod

### ANIMI. PRVDENTES

*Philoſophi.*

*Vide Tit. Docti Politici, quatenus philoſophi fuere.*

*Oratores.*

*Ex Tit. Eloquentiæ fructus, huc quædam.*

*Medici.*

*Conſule locũ Medicorũ, quatenus præter artis peritiam in præcognoſcendo operando'ue à morali Prudẽtia ſubſidiũ mutuãtur. Item paulo pòſt Tit. Prudentiæ in Morbis abigendis, qui ſpecialis eſt, reſpectu Rei ſubiectæ: at hic uniuerſalis, reſpectu Efficientis.*

GALENVS, uenenorũ cõpoſitiones minimè publicari oportere exiſtimauit: per manus aũt tradi amicis, optimis duntaxat, & ætate iudicioq; maturis uoluit. Philtrorum (inquit de Simpl. med. facult. lib. 10. c. 1.) & eorũ, quę ἀγώγιμα, ὀνειροπομπὰ ac μισηθρα uocãt quidã, planè, nec ſi abũdè illa forẽ expertus, mentionẽ facere in animũ inducerẽ: ſicuti nec lethalium medicamentorũ, aut, ut ipſi loquũtur, παθοποιῶν. Nã illa ſanè ridicula ſunt, cõſtringere ac uincire aduerſarios, ut in iudicio nihil poſſint eloq, aut grauidę abortũ afferre, aut ut ne unquã deinceps cõcipiat efficere, & quęcũq; eius ſunt generis, uel impoſſibilia, uel certè mortalium uitæ noxia, &c.

*Legiſlatores.*

Poſt antiquam Aegyptiorum uitam, quam deûm heroumq; tẽpore fuiſſe fabulantur, tradunt perſuaſiſſe primũ multitudini ſcriptis uti legib. MENAM, magni animi uirum, uitæq; inter omnes probatæ. Finxiſſe autẽ eas Mercurij datas præcepto, tanquam magnorum bonorum cauſam futuras: quẽ-

admodum



admodum apud Græcos aiunt in Creta quidem MINOEM, apud Lacedæmonios LYCVRGVM feciſſe, quorum alter Iouẽ, alter Apollinẽ ſuarũ legũ auctorẽ extitiſſe dixit. Plures quoq; nationes eo modo traduntur leges ſuſcepiſſe, quæ obtẽperantibus multorũ bonorũ cauſa fuere. Arianis nãq; ſcribunt ZATRASTEM ſimulato numine dediſſe leges: Getis eodẽ modo ZAMOLXIS Veſtam auctorem habens leges tulit: [redacted]. ſiue putantes rẽ mirandam, ac diuinam, maximeq; mortalibus utilẽ leges eſſe, ſiue ut citius populi ob rei excellentiam deûm timore legibus obtemperarent. Diod. lib. 1. c. 8.

MINOS Cretenſium rex nono ſemper anno in præaltum, & uetuſtà religione conſecratum ſpecus ſecedere ſolebat: & in eo moratus, tanquam à Ioue, quo ſe ortum ferebat, traditas ſibi leges prærogabat, quo plùs auctoritatis apud ſubditos haberent. Hiſtoriam ex Strabone recitat Val. Max. lib. 1. c. 3. & Volat. lib. 34. Anthrop.

LYCVRGVS poſt longã peregrinationẽ domũ reuerſus, cũ mutare remp. conaretur, primùm Delphos eſt profectus, conſultoq; deo & ſacris peractis, regreſſus domũ eſt cũ celebrato illo oraculo, quo diis charum eum, & deum potiùs quàm hominẽ uates appellauit: rectam reip. inſtitutionem petenti, concedere & annuere reſpondit deum, eam quę lõgè omnium eſſet rerump. futura excellẽtiſſima. His erectus, conciliauit ſibi principes ciuitatis, eosq; ad unà capeſſendã remp. excitauit. Plut. in Lycurgo.

IDEM lætus ſpecie & maieſtate legum ſuarum, quæ iam eductæ in opus erant & progrediebantur: ſtuduit, quatenus effici humana prouidẽtia poſſet, immortales eas & ſtabiles relinquere in futurum. Igitur accitis in concionem omnibus, cæteris partibus remp. ſatis rectè demonſtrauit ad felicitatem & uirtutem comparatam: potiſſimum uerò & antiquiſſimum caput priùs, quàm conſuluiſſet oraculum, non editurum ſe iis. Darent itaq; operam, ut præſentibus legibus inhęrerent, neq; uariarent uel inflecterent quicquam, dum eſſet ipſe Delphis regreſſus: cùm recepiſſet ſe, quod deos iuſſiſſet, id ſe acturum. Spondentibus cunctis, atque eum ad ſuſcipiendum cohortantibus iter, ubi iureiurando adegit reges & ſenatum, deinceps reliquos ciues, obſeruaturos ſe & uſurpaturos, dum remeaſſet Lycurgus, formam illam reip. contẽdit Delphos. Vt uenit ad oraculum, ſacris Apollini factis, conſuluit eum, Satis ne leges rectè, ut feliciter & cum uirtute uiueret ciuitas ſua, eſſent latæ? Reſponſo à deo accepto, præclarè leges latas eſſe, & ciuitatem, quouſq; Lycurgi legibus uiueret, permanſuram clariſſimam: ſortes deſcriptas Spartam miſit. Inſtauratis autẽ hoſtiis, amicos & filium cõplexus, ſtatuit ciues nunquam religione ſoluere ſacramenti, & conciliare ſibi mortem ibi uoluntariam: id ætatis tum, qua neq; uiuere neque uitam pœniteret deponere, & cùm res ſuæ abundè lætæ eſſent. Igitur mortem ſibi inedia conſciuit. Ariſtocrates Hipparchi filius hoſpites Lycurgi memorat, cùm in Creta eſſet abſumtus, rogatu eius corpus combuſiſſe, cineresque diſſipaſſe in pelagus: quo caueret, ne ſi quando reliquiæ ſuæ eſſent Lacedæmonem delatæ, tanquã ipſe reuertiſſet, & ſoluti eſſent iureiurando, remp. immutarent. Idem.

Quia perlatis legibus adibant indies aliqui SOLONEM, qui uel laudarent eas, uel obtererent, uel monerent, ut tabulis intexeret uel demeret, quod cuiq; in mentem ueniret: plurimi uerò quærerent & percunctarentur, peterentq; quemadmodum accipiendum quidq; eſſet, quamq; haberet ſententiam, ut explanaret & enodaret: conſiderans, ni faceret ea, rẽ inſolentem fore, & ſi faceret, inuidioſam: atq; eas ambiguitates ſtatuens omnino declinare, importunitatemq; ſubterfugere & querimonias ciuium: ad ſpeciem peregrinationis munus naucleri prætexens, impetrato à populo Athenienſe, ut abeſſe ſibi decennium liceret, nauem conſcendit: interea fore ſperans illis leges ſuas familiares, priùs tamen iureiurando adactis, nihil de legibus in ſuum uſq; reditum mutatum iri. Herod. lib. 1. & Plut. in Solone.

CHARONDAS Thuriorum legiſlator à legis ſcripto iuſſit ne ullo pacto diſcederetur, licèt omnino malè ſcripta foret: ſed corrigi permiſit, ſi qua correctione egeret. Ne cui (quod fieri ſolet in iudiciis rerum capitalium) licentia occaſióue pateret per argutias interpretandi leges, uariasq; pro ratis uerbis ſententias inducendi prohibuit, ne cauillationib. interpretum, legum ſeueritas & maieſtas diſtraheretur. Nam cùm perſpexiſſet in plerisq; ciuitatibus pro ſuo cuiusq; commodo leges interpretando diſtrahi, iamq; totum propè priſci iuris columen concuſſum labare, deflexamq; prorſus uariè legum ſeueritatem haud poſſe conſiſtere, inde ſæuas in uulgo excitari ſeditiones, uariosq; tumult⁹: ſingulare quiddam, quo tali flagitio occurreretur, excogitauit ſanxitq; : Si quem cuiuſpiam legis abrogandæ libido ſeu neceſſitàs adduxiſſet, is collo laqueum primùm circumdaret: tum in cõcionem ad poſtulandam à populo legis emendationẽ prodiret, ibiq; expectaret, donec à populo, de legis mutatione quid ſentiret, decerneretur. Vbi comitia mutandam probaſſent, tum ille nouæ legis auctor ſolueretur. Sin hanc legis correctionem concio repudiaſſet, tum mox ibidẽ nouo rogatori laqueo, quo uinctus acceſſerat, guttur perfringeretur. Hac ratione factum, ut multis annis tres tantùm leges abrogatæ fuerint. Diod. lib. 12.

NVMA Pompilius, Romanorum rex, ut populum ſacris obligaret, & legibus ſuis auctoritatem conciliaret, cum dea Aegeria nocturnos cõgreſſus ſe habere fingebat: eiusq; inſtinctu & monitis eas leges, quę mortalib. acceptiſſimæ eſſent, ſe inſtituere affirmabat. Liuius lib. 1. Dec. 1. Lactant. lib. 1. c. 22. Auguſt. lib. 7. c. 1. & 35. Ciuitatis. Cic. lib. 1. de Legib. Valer. lib. 1. c. 3. Sab. lib. 3. En. 2. Polyænus lib. 8.

Illam hauddubiè prærogatiuam habet NVMA Rom. rex, Lycurgo alioqui per multa ſimilis, inſignem & diuinam, quòd hoſpes ad regnum uocatus fuerit, omnia cum beneuolentia mutauerit, & moderatus ſit ciuitati nondum conſentienti: nullis ad id armis uſus uel ui, quomodo aduerſus populum optimates duxit Lycurgus: ſed ſapientia & iuſtitia, non temeritate, omneis conglutinauerit & colligauerit. Plut. in Lycurgo & Numa.

*Politici.*

PERICLES Menippo eſt ad res foris gerendas uſus. Ephialtis opera conſilij Areopagitici auctoritatem fregit, Charini legem contra Megarenſes pertulit. Lamponem ad coloniam Thurios ducendam legauit. Quippe non modò opum, quæ in multos uidentur diſtractæ, minus inuidiam ſentit amplitudo: cæterùm etiam officiorum munera expediuntur rectiùs. Plut. in præceptis Polit.

Tutã & tranquillam uiam ad Rempubl. multi clari uiri ceperunt, ARISTIDES, PHOCION, PAMMENES Thebanus, LVCVLLVS Romanus, CATO, AGESILAVS Lacedæmonius: quorum quiſq; hederæ more, quæ robuſtis arboribus circumplicata unà cum iis aſſurgit, aſſectando uirum ſeniorem etiam nunc iuuenis, & obſcurus illuſtrẽ, ſenſim ſubuectus & amplificatus, illius opibus fulciuit ſe radicauitq; in rempub. Siquidem Ariſtidem extulit Cliſthenes, Phocionem Chabrias, Lucullum Sylla, Catonẽ Fabius Maximus, Epaminondã Pãmenes, Lyſander Ageſilaũ: hic gloria luxurians rerum gerendarum præceptorem citò abiecit: cæteri rectè atq; ordine ad extremum uſque uitæ coluerunt & cohoneſtauerũt, ſicut ſoli obuerſa corpora id, quod ipſos colluſtrabat, ex ſe uiciſſim amplificantes eos illuſtranteſq;. Quippe Scipionis obtrectatores hiſtrionem eum dicebant actionum, amicum eius Lælium poëtam. Non ſuſtulit ideo Lælius tamen animos, nec deſtitit Scipionis uirtutẽ & gloriam ſemper alere. Idem.

THEMISTOCLES & ARISTIDES, quoties in legationem uel in expeditionem proficiſcerentur, deponebant ad fines ſimultatem, quã reuerſi reſumebant. Idem.

IDEM deſcendente in Græciam ingenti claſſe Xerxe, metuẽs, ne ſi Epicydes cõcionator, homo uęnalis & ignauus, prętor creatus eſſet, perditum iret ciuitatem: auro eum redemit, ut petitionem deponeret. Plut. in Apophtheg.

CRETINAS Magnes, cùm æmulus in repub. adminiſtranda Hermiæ eſſet, uiri non multùm pollentis, generoſi tamẽ & celſi animi, ac bello exorto Mithridatico expoſitam cerneret ciuitatem periculo, egit cum Hermia, ut ſummum magiſtratum caperet remq; publicam regeret, diſceſſurum ſe de medio. Quòd ſi uellet, ut ipſe imperaret, faceſſeret ille: ne mutuis certaminibus ciuitatem perditum irent. Placuit Hermiæ conditio: qui oſtendens bellatorem Cretinam ſe meliorem eſſe, exceſſit cum coniuge & liberis urbe. Eum Cretinas proſecutus eſt, ac de ſuo neceſſaria largitus, quæ fugæ conſulentibus quã obſeſſis erant cõmodiora: ciuitatẽq; ſaluberrimo imperio ſuo, quę penè perierat, præter omnem expectationem tutatus eſt. Plut. in Politicis.

ARISTIDES Iuſtus remp. ſemper ſuis opibus gerebat, ac ſodalitia defugiebat: quòd collecta ex amicis potentia ad iniuriam impellat. Plut. in Apophtheg.

PHOCION & CATO nullo modo in diſſenſionibus de rep. inimicitias ſuſcipiebant, ſed erant in publicis certaminibus pro bono publico acres & rigidi: in priuatis placidi & lenes erga ſecum diſſidentes. Plut. in Politicis.

M. CATO, in quibus diffidebat ſe, quòd occupatus eſſet gratia uel ſtudiis populus, obtinere poſſe, totũ diẽ dicendo rẽ tempore excludebat. Idem.

Deferentibus quibuſdam M. Brutum apud CÆSAREM, & ut caueret ab eo monentibus, manu corpus attingens, Quid uobis, inquit, an'ne Brutus uidetur hoc corpuſculum expectaturus? quaſi nemini ſecundùm ipſum alteri, quàm Bruto, tanta potentia conueniret: Tanti faciebat uiri illius prudentiam: quem etiam, cùm à coniuratis interficeretur, filium appellare uoluit, Et tu fili? inquiens. Plut. in Bruto.

*Conſiliarij.*

CHARACVX Saracenus, prudentiſſimus fuit. Cuius conſilio uſus Saladinus, ad tantas quas poſſedit opes perueniſſe dicebatur. Interrogatus à cuſtodiæ Philippi Francorum regis præfecto (à quo in expugnatione Ptolemaidis captus fuit) quâ ratione Latini terram Sanctam occupare tuerique poſſent? id conſilij dedit: Si Aegypti imperio euerſo Aegyptiorum ſpiritus ferociamq; coërcerent, Nilum frenarent, nec in equitatu peditatú ue omnem uirtutis ſpem reponerent, ſed naualem gloriam terreſtribus copiis adderent: Damiatamq; arcem inprimis domarent. Cui conſilio ſi paruiſſent Latini, Oriens omnis Chriſti iugum poſtliminiò magna cum Latinorum gloria ſubiiſſet. Aemilius lib. 6.

Cambyſes Perſarum rex, cùm inceſtis nuptiis ſororem ſibi iungere decreuiſſet, conuocauit ſeptem Perſarum PRINCIPES, & an lex aliqua eſſet, quæ cum ſorore matrimonium facere permitteret, interrogauit. Illi re deliberata, prudenter reſponderunt: Nulla quidem lex eſt, quæ matrimonium cum ſorore contrahere permittat: ſed eſt tamen conſuetudo quædam apud Perſas, quæ regi pro arbitrio omnia facere concedit. Videbant ſapientiſſimi uiri, non hoc regem agere, ut, quid iuris eſſet, cognoſceret: ſed potiùs ut eos, qui inceſtis nuptiis aduerſaturi eſſent, exploraret, & è medio tolleret. Quare prudenti reſponſo & ueritati ſunt patrocinati, & uitæ ſuæ conſuluerunt. Herodotus.

*Aduocati, Cauſidici.*

☞ *Ex Oratorum loco huc plura. Illic Artis, heic Prudentiæ eidem famulantis habetur ratio.*

Cùm uetarēt DEMOSTHENI aliquando Athenięſes in cōcione uerba facere: pauca habere ſe, ait, quæ ipſis referret. Quibus conticeſcentibus: Adoleſcens, infit, ſub æſtatis tempus aſinum Athenis Megaram conduxit. Flagrante meridie ſole, uterq; eorum aſini umbra quærebat ſe tegere, repellebatq; alter alterum: atq; hic locaſſe prætendebat ſe aſinum, non eius umbram: qui eum conduxerat, omnem eius uſum ſuum eſſe. Quę poſtquam narrauit, recedebat. Retinentibus eum Athenienſibus, atq; ut abſolueret ſermonem, rogantibus: Ita ne uerò de aſini umbra, inquit, uultis audire: dicentem de rebus ſeriis non uultis? Plut. in uita Demoſth.

Ancilla quædam pecuniam depoſiti nominè à duobus hoſpitibus acceperat, ea conditione, ut illam ſimul utriſq; redderet. Horum alter interiecto tempore, tāquàm mortuo ſocio, ſqualloré obſitus, deceptæ omnes numos abſtulit: ſuperuenit deinde alter, & depoſitum petere cepit. Hærebat miſera in maxima pariter & pecuniæ & defenſionis penuria. Sed oportunè ei DEMOSTHENES patronus adfuit. Qui ut in aduocationem uenit: Mulier, inquit, parata eſt depoſiti fidem ſoluere: ſed niſi ſocium adduxeris, id facere non poteſt: quoniam, ut ipſe uociferaris, hæc dicta eſt lex, ne pecunia alteri ſine altero numeretur. Iudices pro rea prudenter pronunciarunt, & prudenter monenti Demoſtheni paruerunt. Val. Max. lib. 7. c. 3.

Phryne, amica HYPERIDIS, cùm Athenis de impietate cauſam diceret, & Hyperidi ꝓxima damnationi uideretur: ea in medium producta, diſciſſa ueſte mulieris, pectora iudicibus oſtendit. Admirati iudices eximiam eius pulcritudinē, quā Plato naturæ priuilegium appellat, Socrates tyrannidē, dimittendam eſſe cenſuerunt. Plut. in Hyperide.

Cùm aliquando Reſpublica Patauina inuidia prædiorū, quibus Patauinus clerus affluenter abundat, ſtatuiſſet capitalem pœnam, ſi quis de reſtituenda aqua monachis diuæ Iuſtinæ ſemel interceptis amplius in Senatum referret: BELDOMANDVS Bobius I. C. & aduocatus Patauinus, requiſitus à Galbertino Muſato, abbate D. Iuſtinæ cœnobij locupletiſſ. ut in tali negotio ſibi aliquid idoneæ opis ſuo patrocinio præſtaret: ipſe conuocato de more Senatu, impetrataq; dicendi uenia, fretus ſua eloquentia, è ſuggeſtu maxima facundia cepit auditorum beneuolentiam captare. Laudans primùm ſupra modum Patauinæ urbis pietatem erga Deum & ſanctos eius, ualde extollens Proſdocimum, Danielem Leuitam, Iuſtinam, & Antoniū, tutelares diuos, patriæ patronos: quorum ope ab imminentibus & manifeſtis periculis Patauini ſæpius fuerant liberati: mox eorum bona ac fortunas in hoc ſeculo illis accuratè commendās: atque hoc pacto artificioſè & rhetorico more inſinuando, finxit Iuſtinā poſcere à populo Patauino, cui toties in afflictis rebus præſto fuerat, ius aquæ, quod ſibi iniquè interceptum aliquando fuerat, iuſtè aliquando reſtitui. Et interim ſuper his nulla de monachis facta unquam mentione, ita concinnè, ita eleganter apteque diſſeruit, ut ſententia de aqua reſtituenda, abſq; contradictione, protinus fuerit ab omnibus approbata. Atque ita callidè pœnalem conſtitutionem pia cauillatione deluſit, cùm non monachos in ſua intercesſione (quoniam edicto publico uetabatur) ſed diuam Iuſtinam, reſtitui ſe ad ius ſuū priſtinum poſcentē, introduxerit. Bernardus Scard. libro 3. hiſt. Pat.

*Oecònomi.*

PERICLES quamuis animum haberet à pecuniis inuictum, non tamen rei familiaris fuit negligens. Quippe annuos ſuos fructus ſimul omnes diſtrahebat: inde neceſſaria quæq; mercabatur ex foro, atq; ita uitam uictūq; quotidianum procurabat. Vnde parū iucundus erat filiis iam adultis; nec ſplendidè mulieres habebat: quæ ęgrè ferebant, quòd ita uiueret in diē, & ſumtus ita ad unguē circūcideret: ubi, ut par erat, ampla in domo & opibus affluentibus, nihil efflueret: uerùm omnes impenſæ, omnia emolumēta certo eſſent numero & modo conſtituta. Huius tam exquiſitis rationibus unus ſeruus moderabatur Euangelus, præclara ſupra cæteros indole præditus, & à Pericle ad domeſticam inſtitutus diſciplinam. Plut. in Pericle.

ALBERTVS Magnus, philoſophus doctiſſ. epiſcopatum Ratiſponenſem conſecutus, æs alienum ſuperiorum Pontificū luxu contractum breui diſſoluit, parſimonia loco ampliſſimi uectigalis uſus. Hier. Ziegl. de Viris illuſt. Ger.

LACÆNA captiua, cùm ex ea quęreretur, quid ſciret? Domui, inquit, rectè præeſſe. Plut. in Lacænis apoph.

CAROLVS IV. Imp. in re familiari conſtituenda ualde prouidus fuit, ne quem arcibus, uectigalibus, aurariis argentariisq;, agris denique ſuis procurandis præficeret, niſi eum, qui diligenter, perſpectè, utiliter fungi ſciret officio ſuo, ne quid per ullam ſocordiam aut imprudentiam eorum omitteret, quæ ad tuendam rem familiarem, eandemque amplificandā deſeruirent. Horū ſolertiſſimus habitus eſt THEODERICVS Cagelvuidus, qui monaſteriū Ciſtercienſe, in quo œconomus fuit, plurimis debitis multo tempore impeditum atque exinanitum, ſic ſua diſpenſatione expeditū refertumque reddidit, ut nunquam antea uberius fuerit. Hunc Carolus ad ſe accerſitum adeò tenui arci præfecit, ut qui priùs illi præfuerant, ex annuis illius prouentibus nec ſe ipſos, nec familiam alere potuerint, ſed neceſſe erat ex uicinis arcibus commeatum ſuppeditare. At Theodericus breui oſtendit, in ſterili quoque arce, nihil æquè copiæ, largitatiq; frugum & pabulorum conferre, ac ipſum præfectum: ſi laborem, ſedulitatem & curam propriam, non autē alienā, fideliter adhibuerit. Dubrauius lib. 22.

*Moriones, Fatui. Stultorum bona conſilia uel iudicia.*

Narrat Suetonius dictū à QVODAM, qui mente parùm conſtabat, in Pompeium & Iulium Cęſarem: Salue rex, ſalue regina. Cùm Pompeius affectati regni laboraret inuidia, Cæſarem rumor eſſet Nicomedi regi uxoris uice fuiſſe.

Vopiſcus in Aurelio refert apophthegma SCVRRÆ cuiuſdam, qui dixerit, In uno anulo bonos Principes ſculpi omneis poſſe. Sentiebat, eſſe magnum Imperatorum numerum, ſed in iis perpaucos bonos.

Leopoldus I. Auſtriacus cōtra Heluetiorum III. pagos confœderatos, magno conſcripto exercitu, Tugię de inuadenda Suitenſiū regione cum ſuis deliberabat. Intererat conſilio IOANNES Stockēſis, Ducis morio, ut aliàs ſæpe, quòd illum propter ſtultitiam & ingenii tarditatem rebus ſeriis animum adhibere non poſſe ſciret. Is præter morem & expectationem, exclamauit, De inuadendo cogitatis omnes, nemo de euadendo. Ominoſam uocem eam fuiſſe, exitus declarauit. Nam ad Morengardam montem iniquo loco circumuentus equitatus turpiter cæſus eſt. Leopoldus dux cum peditatu uix effugit, anno MCCCXV. Stumpfius.

Alfonſus, Aragonum rex, SCVRRAM in aula habebat, qui cenſoria uirgula ſingulorum dicta factaque notabat, & tabellis deſcripta Principi ſtato tempore offerebat, ſuo aſcripto iudicio, quódnam ſibi ex omnibus ſtultiſſimum uideretur. Accidit, ut rex Maurum, ſeruum fideliſſimum, cum magna ui auri ablegaret, equorū cōparandorum cauſa. Id factum ſcurra literis mandatum, nil minùs expectanti regi in hæc uerba recenſuiſſe fertur. Alfonſus rex Chriſtianus, Mahumetanum Pœnum aliquot aureorum millibus onuſtum, ornatum, ad Mahumetanos dimiſit. Exitus acta probabit. Ego uerò, ſi bona fide reuertatur, Maurum ſtultiſſimum, Alfonſum ſapiētiſſ. ſi non reuertatur, quòd probabilius eſt, Alfonſum ſtultiſſimum, Maurum ſapientiſſimum, pro ea, qua polleo, cenſoria auctoritate, pronunciare nō uerebor. Aegidius Corrozetus de Dictis & factis memor.

NICOLAVS morio Saxoniæ ducum (quem ob miros iocos octoginta Talerorum millibus in familia herciſcūda æſtimaſſe dicūtur) cū inter fratres de diuidēda regiōe ageretur, ueſte principali indutus in cōſeſſum ꝓcerū uenit, & ecquid placeret, Fridericū ducē interrogauit. Laudante eū Duce, in cubiculū exiuit, & forfice ueſtē diſſecuit: mox alterā partem indutus Principi ſe obtulit, & nūquid placeret, rogauit. Principe uerò factū illius uirgis coercendū minitante, Vt libet, exclamauit, modò & te uiciſſim uirgis cædāt, qui diuiſione cum fratre inita, pulcriorem hac ueſtem dilacerare conaris. Mediolani QVIDAM furioſos domi in lacunā aquæ fœtidiſſimę demergere, & tamdiu inedia & balneo macerare conſueuerat, donec reſipiſcerent. Adductus eſt inter cæteros quidam, quē uſq; ad femur in aquā poſuit: qui poſt 15 dies cœpit reſipiſcere, ac curatorem rogare, ut ex aqua reduceretur. Ille hominem exemit à cruciatu, ea tamen conditione, ne domum egrederetur. Stans aliquando ſuper oſtium (neque enim egredi audebat, timore lacunæ) equitantem uidit iuuenem cum accipitre & duobus canibus. Eum ad ſe uocauit, rei motus nouitate, cùm omnium rerum, quæ antè uidiſſet, oblitus foret. Expiſcatur ſingula, quid equus, quid canes, quid accipiter. At ubi accipitris, canum & equi expēſas LX aureis conſtare, auium uerò, quæ caperentur, precium uix ad quinq; aureos quotannis excreſcere audiret, admiratus ſtultitiam iuuenis: Abi hinc ocyus, inquit, antequā medicus domum redeat. Nam ſi te hîc compererit, ueluti inſaniſſimū omniū, qui uiuant, in lacunā ſuā coniiciet curandū cū cæteris mente captis, atq; ultra omnes uſq; ad mentū in aquam ſummam demerget. Poggius in Facetiis.

LVCO quidam Valleſianus, natiua moria laborans, hoc uno uidebatur ſapere, quòd homini ad paſtum inſtar bruti abiecto uxorem minimè conuenire, ludicro hocce facto demōſtrare ſolebat. Edulij delicatioris copia facta, ſolus illud domi deuorare conſueuerat. Interea tamen uelut ad irritandā gulam fingebat aſſidentes ſibi uxorem atque liberos, tā feminas quàm mares, certis locis diſtributos, ſuis quinetiam nominibus inſignitos: ferculoq; in partes diuiſo, ſingulas ſingulis mazanomi loco apponebat, ut nihil reliqui fieret. Tum uerò contracta fronte, Quàm bellum eſt, inquit, ô Luco, uxorem & liberos habere, quas dum alere ſtudes, tute ipſe fame pereas. Nec multo pòſt, At meliora duint ſuperi, exclamabat: ſubindeq; partes ſingillatim repetens. Hæc uxoris Toniæ, illa Tonnili uel Luculi, iſta Elſulæ uel Gretulæ pars erat, eademq; ad te redit, Luco, iure hæreditario. Hinc eiulatu & lamentis ueluti mortuos paruo proſecutus tempore, exporrecta demùm fronte, Gratias Deo agito, Luco, qui te à talibus liberarit pedicis. Tu ſi ſapis à nuptiis abſtine, & panem tuū tibi ipſe conſeruare potiùs, quàm aliis diſtributū recipere malis. His dictis, in effuſum cachinnum ſolutus, ſolus deuorabat omnia. Thomę Plateri, præceptoris noſtri, acroama.

*Mechanici.*

☞ *Horum exempla ex ſingulis Mechanicorum Titulis, ad generalis huius loci illuſtrationem, afferri poſſunt, ex Pictura, Coquinaria, Venatoria: quatenus Artes iſtæ præter præcepta etiam peculiari Prudentia opus habent.*

Veteres PICTORES & STATVARII, ut inuidiam operum ſuorum declinarent, & reprehenſiones aliorum cùm euitarent tum emollirent, pleriſq; ſuorum operum inſcribebant, Phidias uel Apelles uel quiuis alius FACIEBAT: ut hac uoce opus incoatum, nondum ultimam manum adhibitam indicarent, eſſetq; adeò liberū ipſis, ſi qua uiderentur, addere, demere, emendare, corrigere. Duobus tantùm magna cū inuidia perfectionis titulum uerbo FECIT inditum aſſerit Plinius in præfatione Hiſt. naturalis.

THEON cùm pinxiſſet uirum armatum, qui excurſionem ex urbe repentè faceret, & furore quodam correptus in hoſtes irrueret: non priùs exhibuit picturam, quàm tibicinem iuxtà collocaſſet, qui carmen orthium caneret, quod ad præliū animaret. Aelianus lib. 2.

CORPORIS. HVIVS SVNT LOCI

*Mulieres prudentes.*

☞ *Conſule Tit. Mulierum, quæ populos rexerunt. Ob prudentiam enim huius ſunt loci: ob dignitatem, ad fortuita pertinent. Ex ſeq. præterea Prudentiæ Inuentricis titulis conſilia quædam mulierum petantur.*

REBECCA Iacobo F. primogeniturę ius prudenter obtinuit. Gen. 27. NOEMIS Ruthæ nuptias cū Boozo cōciliauit. ABIGAIL Nabalem maritum ſtolidū ſeruauit. 1. Regum 26.

Cùm Ioabus Polemarchus Dauidis, Abelmaacham oppidū, in quod Seba Bochris F. confugerat (qui defectionis Iſraelitarum decem tribuum à Dauide auctor fuerat) oppugnare aggrederetur: MVLIER quædam prudens de muro cū Ioabo collocuta, cùm nō urbem, ſed Sebam peti intellexiſſet, ſuis ciuibus perſuaſit, ut illi abſciſſum Sebæ caput de muris proiicerent. Quo facto, patriam ſuam ſeruauit, & perfidiam Sebæ ulta eſt. 2. Regum 14.

THECVANA, mulier prudens, Abſalomum reconciliauit Dauidi patri. 2. Regum 14.

Eleganter apud Euripidem Troadibus, HECVBA affirmat, ſe ſciuiſſe in quibus uincere maritum, & in quibus uiciſſim à marito ſinere ſe uinci deceret:

ἤδειν δ' ἅ με χρεὼν νικᾶν πόσιν,
κείνῳ τε νίκην ὧν ἐχρῆν παριέναι.

SEMIRAMIDEM Diodorus filiā fuiſſe ait Dercetonis nymphæ, patre incerto, quæ in lacum, Aſcaloni urbi proximum, præcipitem ſe dedit, quòd uirginitatem amiſiſſet: fœtu mq; feminam Semiramidem inter ſaxa relictam: infantem à feris alitibusq; enutritam: matrem ipſam pro dea habitam, cultamq;, capite tantùm humano, reliquo corpore piſcis forma: nec guſtant Syrij ex piſcibus lacus illius, ceu deæ ſacris. Semiramidem in poteſtatem ueniſſe Simmæ regij paſtoris, adoleſſeq; in maximam pulcritudinem, ac denupſiſſe ſatrapæ Memnoni: tum in notitiam & gratiam Nini regis ueniſſe, dato conſilio, quo Bactræ, quę tunc à rege obſidebantur, capi poſſent. Ita Nino Semiramis coniuncta eſt, & formam & ingenium mulieris admirato. Ex his natus eſt Ninus minor. Illa poſt mariti mortem regnum Aſiæ cepit, filio puero adhuc, rexitq; annos duos & quadraginta. Sunt qui tradāt à marito relictum ei regnum: alij, ut Athenienſes, & hos ſecutus Dion, cùm petiiſſet à marito, ut quinq; tantùm dies regni ius ſibi concederet, idq; impetraſſet, in regno illo iuſſiſſe maritum occidi, uel, ut alij narrant, perpetuæ cuſtodiæ tradi. Iuſtinus lib. 1. & Diod. lib. 3.

Celtæ inteſtina ſeditione laborātes cùm iam arma ſumſiſſent, VXORES eorum ſe inter medias acies opponētes, ita trāſegerunt, ut uiri in gratiam redeuntes, litem deponerent. Et uicatim oppidatimque in poſterum, ſi quando Celtæ conſilium ineunt, de bello, de pace, aut etiam aliis, quæ communiter ad ipſos aut ad ſocios pertinent, ſingula de mulierum ſentētia adminiſtrantur. In fœderibus certè cum Hannibale factis continebatur, ne Celtæ Carthaginenſibus exprobrent, Carthaginenſium hipparchos atq; duces eſſe iudices: neq; Celtis Carthaginenſes obiiciant, Celtarum mulieres iudicare. Polyænus lib. 7.

Lacedæmonij publicis conſiliis adhibuerunt MVLIERES, illasq; frequenti curia in exequendis negotiis ſocias aſſumebant, ſeminarumq; arbitrio decernebantur multa. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 11.

Mortuo Demophonte, Piſę tyranno, Elei, quos multis incommodis affecerat, de acceptis iniuriis cum Piſęis diſceptarūt. At conuenit inter eos, cùm ſedecim ciuitates id temporis in Elea uigerent, ſingulas matronam unam edere, quæ cùm ętate, tum uitæ ac generis dignitate cæteras anteire uideretur, atq; his omnium controuerſiarum arbitrium permitti. Sedecim itaq; FEMINÆ utrinq; populo pacis cōditiones tulere. Pauſanias lib. 5.

Troglodytis tantæ auctoritatis fuère MVLIERES, ut in conflictu bellorum, matronæ intercurſu ſuo infeſtas acies dirimerent, adeoq; quidem, ut ipſis intercedētibus præliari ducerent nefas. Alex. lib. 4. c. 11.

Apud Germanos priſcos frequēter FEMINÆ, quas plurimas in caſtris habebant, labentem aciem reſtituerūt, aut infeſtiſſimos animos conciliarunt. Ibidem.

Plutarchus libro primo περὶ ψυχῆς, ubi de morbis animi diſſerit, uirgines ait Mileſias repentè, ſine ulla euidenti cauſa, uoluntatem cepiſſe obeundæ mortis, ac deinde plurimas uitā ſuſpendio amiſiſſe. Id cùm accideret indies, ſuaſu MATRONAE cuiuſdam, decreuère Mileſij, ut uirgines nudæ cū eodem laqueo; quo eſſent præuinctæ, efferrentur. Poſt id decretum, uirgines ab ea inſania ceſſarunt, pudore ſolo deterritę tam inhoneſti funeris. Gel. lib. 15. cap. 10. & Polyæn. lib. 8.

THEANO, Pauſanię mater, dubitantibus Spartanis, quomodo illum, religione templi Chalciœci ſeſe tuentem, ob tentatam proditionem punirēt: latere in limine templi poſito, tacita ciuibus oſtendit, obſtructis muro foribus fame proditorem necandum. Diod. lib. 1.

Pythes, qui regnante uixit Xerxe, cùm fortè reperiſſet auri metalla, totusq; in opibus eſſet ex iis parādis, nullo modo, ſed intemperanter & aſſiduè in his uerſabatur, ſtudioq; omni alio relicto & opere, cūctos ciues pariter fodere, aut egerere purgareúe aurū compellebat. Oppreſſis multis, omnib. fatiſcentibus, mulieres ad fores ædiū CONIVGIS Pythij ſupplices acceſſerunt. Has illa, bona ſpe oſtenſa, remiſit domū. Mox nonnullos ex artificibus, quorum fidem pręcipuè probatā habebat, accerſit: incluſis imperauit, ut aureos panes, bellaria aurea & poma, eſculentaq; ac poculenta, quib. maximè Pythen delectari ſciebat, facerent. Paratis omnibus, cū reuerſus domum eſſet Pythes (nam peregrè erat profectus) cœnā poſcenti, auream menſam uxor, atq; in ea nihil, quod edendo eſſet, uerùm aurea omnia propoſuit. Primùm oblectarunt illum ſimulacra: cæterùm ſatiatis oculis, cibum poſtulauit. Appoſuit illa, quod concupierat aurum. Indignabundo & eſurire clamanti, illa: Atqui horum, inquit, nullius præterea nobis copiā paraſti. Quippe induſtria & artes exoleuerunt omnes. Nemo agrum colit: ſed ſemente, plantatione, & paſcēdi cura neglecta, effodimus & quærimus ea, quę nulli uſui ſunt, enecantes noſipſos & ciues. Quibus Pythes motus, metallorum opus non prorſus reliquit: ſed quintam partem ciuium incumbere ei uoluit, reliquos agriculturam & artificia tractare. Plut. de Virtutib. mulierum.

ARTES

ARTEMISIA, Cariæ regina, apud Xerxem in tanta fuit auctoritate in expeditione contra Græcos, ut illius conſilio ſemper uteretur: ea prudentia, ut optima ſemper ſuaderet, quibus ſi Xerxes paruiſſet, cladem ad Salaminem non accepiſſet. Herodotus lib. 8.

Cyrus minor, Perſarum rex, ASPASIÆ Hermotimi Phocenſis filiæ formoſiſſimæ & optimè educatæ captus amore, cùm eam in uxorem duxiſſet, ſæpenumero eam de rebus arduis in conſilium adhibuit: & quotieſcunque ſententiam eius ſecutus eſt, nunquam pœnituit. Aelianus libro 12. de Varia hiſtoria.

PHILA, Antipatri F. Caſſandri ſoror, quæ priùs Cratero, pòſt Demetrio Antigoni filio nupſit, prudentia excellere uidebatur. Si qui erant in caſtris turbulenti, eos ſedabat, erga unũquemque ſic ſeſe gerens uti conueniebat, & ſorores filiasq́; pauperum elocabat ſuis ſumtibus, multos etiam calumniis appetitos liberabat à periculis. Fertur & Antipatrum ipſius patrem (qui uidetur prudentiſſimus fuiſſe eorum, qui poſt Alexandrũ Magnum potẽtatu functi ſunt) cùm puella eſſet adhuc Phila, ſolitum cũ ea de maximis conſultare negotiis. Diodorus lib. 19.

Tradunt nonnulli, capta Troia quoſdam profugos, cùm naues eſſent nacti, ad Hetruriam ui uentorum expulſos, circa Tiberim anchoras ieciſſe: ubi uxoribus eorum fatiſcẽtibus, pelagiq́; pertæſis iactationis: Vnam, quæ & genere clarior cæteris eſſe & præcellere mente uidebatur, ROMAM nomine, ut claſſem incenderẽt, ſuggeſſiſſe. Id uiros primùm ægrè tuliſſe. Deinde cùm neceſſariò ſedes circa Palatium poſuiſſent, & breui ſupra ſpem ſuccederent omnia, quòd agri fertilitatem miram ſentirent, reciperent etiã ipſos accolæ, præter alios Romæ honores, eius etiam ut auctoris urbi nomẽ indidiſſe. Cælius lib. 24. c. 5. A. L.

HERSILIÆ conſilio, quæ Romulo nupſit, uel, ut alij aiunt, Hoſtilio, Sabinæ prælium diremerunt, & patres maritis conciliarunt. Quidam eam feminam grandem natu fuiſſe arbitrantur, Romæque cum filia, quæ inter cæteras uirgines fuit rapta, materno affectu ſubſediſſe. Dionyſius eam ſcripſit Seculliam appellatam, ſiue Seruiliam. Huius conſilio inter Sabinas agitatum ferunt, uirorum permiſſu, ad Tatium regem & parentes, aliquot feminas ex ſuis popularibus mitterent, quæ ſuppliciter de pace cum his agerent. Miſſas itaque triginta numero matronas, à quarum nominibus ſint totidẽ in urbe Curię nominatę. Alij quingentas habent. Sabellicus lib. 3. Enn. 2.

Coriolano infeſtis Volſcorum ſignis Romam properante, & legatos omnes, etiã Pontifices pacẽ petentes auerſante, mulieres præſenti periculo perculſæ templa agminibus cõplerant: deorumq́; ſimulacris cum lacrymis obuolutæ, pacem precabantur. Ibi VALERIA, Poplicolę ſoror, femina ſingulari prudentia, cæteras matronas hortata eſt, ut Veturiã Coriolani matrem, & Volumniam uxorem unà omnes adirent (Plutarchus Virginiam pro Volumnia ſcripſit) easq́; precib. cõpellerent, ut in caſtra ad Martium contenderent, urbis excidium deprecaturæ. Sab. lib. 9. En. 2.

Auguſto Cęſari Cn. Cornelius, Pompeij Magni ex filia nepos, unà cum aliis inſidiatus eſt. Quos cũ nec occidere uellet Auguſtus (neq; enim ſecuritati ſuæ interitu illorum quicquam conſuli uidebat) nec abſoluere auderet, ne plurium ea lenitate contra ſe audacia confirmaretur: neq; interdiu ſecurus, neq; noctu quietus eſſe poterat. Quæ cùm LIVIA uideret, rogabat, qua de cauſa noctu nõ dormiret? Cui ille, Quíſnã, inquit, mulier, inter tot hoſtes uel minimam capiat quietẽ, & in tam frequentibus inſidiis? Tum illa, multis ea de re uerbis factis, deniq; conſuluit, ne quem inſidiatorem occideret: ſed alio quouis modo eos caſtigaret, ne quid eiuſmodi deinceps conarentur, uenia in primis & benefaciendo. Nunquam, inquit, gladius cuiquam ſui amorem perſuadere aut extorquere potuit: ſed eum, qui punitur perdit, cæterorum animos ab eo, qui pœnas ſumit, alienat ob metũ ſibi quoque impendentem. Paruit Liuiæ Auguſtus, & reos uerbis caſtigatos dimiſit, Corneliũ etiã conſulẽ deſignauit. Zonaras.

MESA Varia, Heliogabali auia, in ſenatum Romanorum admiſſa, ſententiam dixit, & omnia ſenatorum munia obiuit. Alex. lib. 4. cap. 11.

Heliogabalus primus Cæſarũ fecit SYMIAMIRAM ſiue Sœnidẽ matrem ſuam in Senatu conſulum occupare ſubſellia: licèt & in colle Quirinali mulierum Senatum extruxiſſet. Senatuſconſulta ridicula admodũ, de legibus matronalibus, quo ad ueſtitum & ornatum, tulit plurima: & ſententiam dixit. Occiſo Heliogabalo cum matre, cautũ fuit deinceps, ne unquam mulier Senatum ingrederetur. Cuſpinianus.

IVLIA Mammea, Alexandri principis mater, laudatiſſima femina, Syra genere, cuius auſpiciis filius puer orbem terrarũ ſapientiſſimè rexit. Volat. lib. 16. Anthrop.

DOMINICA Valente Imp. marito à Veſtgothis cæſo, hoſtes Conſtantinopolim obſidentes prudẽtia ſua ſuſtinuit, ciues & precibus & auro confirmauit. Bonfinius lib. 2. Dec. 1.

THEODORA Imperatrix, cùm ei Rex Bulgarorum mortuo Theophilo marito per legatos bellũm denunciaſſet, Forcipſi ignominioſum reſpondit, ſiue uincat ſiue uincatur, propterea, quòd cum femina pugnaſſet: Eoq; reſponſo Bulgarus & à bello abſtinuit, & paulo pòſt Chriſtianam fidẽ amplexus eſt. Zonaras tomo 3.

THEODORA, mortuo marito Cõſtãtino Monomacho Imp. ſola potita rerum, quoad uixit, oĩa in ſua poteſtate habuit: idq́; cõſilio & opera miniſtrorũ ſuorũ, quos ſummis magiſtratibus præfecit. Ipſa uerò pro tribunali præſedit, legatis reſpondit, magiſtratus creauit, ius dixit, ſuffragia tulit, ſententiã ſuã in rebus priuatis & cõmunib. interpoſuit. Ac fortunata fuit eius gubernatio. Neq; enim quiſquã illi ſe oppoſuit, neq; ſubditi decreta eius neglexerunt, neq; ulla gens cũ Romanis bellum fecit: ſed & anni partes ſuam temperiẽ habuerunt, & terra uberes fructus tulit. Zonaras.

Pipinus, Caroli Magni F. expeditione cõtra Venetos ſuſcepta, cùm per ſtagna exercitui aditus nullus eſſet, neq; nauibus propter uadum ambiguum tutò uti liceret: tandem conſilio unius VETVLÆ, quæ ſola Medoaci deprehenſa fuerat ab hoſte, ponte ex doliis conſtructo, equites in Riuum altum immittere uoluit magno conatu, ſed ob Venetorum uirtutem infelici ſucceſſu. Sabellicus tamen lib. 2. Dec. 1. fabuloſum hoc eſſe ſuſpicatur.

Ingenti fame Dania premebatur. Snio rex de procerum conſilio decernit, ſenes, mulieres, impuberes in exilium pellendos: ſolos, qui patriam ſua uita defendere poſſent, relinquẽdos. FEMINA primaria, duorum, qui conſilio illi interfuerant, mater, crudelitatem & immanitatem decreti huius per filios regi detegit, & ad ſaniorem mentem reuocat. Nõ perſonarum imbellium, ſine quibus ne fortes quidem uiuere poſſent, ſed familiarum integrarum ſortes ducẽdas. In quas exilij ſors incidiſſet, illæ cum uiris, liberis & uxoribus patria emigrarent. Placuit regi & Senatui humanum feminæ commentum. Itaque ductis ſortibus exules nauibus in Scandiã, hinc in Gotlandiam emigrarunt, ubi deæ Frigæ monitu Lõgobardorum nomen adſciuêre. Cranzius lib. 2. Daniæ, c. 20. ex Saxonis Grammatici lib. 8.

BERENGARIA, Ferdinandi Legionenſis regis uxor, ſed ab eo propter conſanguinitatem repudiata, mortuo Alfonſo IX. Caſtellę rege, patre, Henrici patris, qui patri ſucceſſerat, tutelam ſuſcepit. Eo mortuo, cùm Caſtellani regnũ illi deferrent, acceptare illud noluit, ſed in Ferdinandum F. XI. annorum tranſtulit: Ferdinandum patrem, qui aliam uxorem duxerat, id indignè ferentem, armis repulit: ea prudentia omnia adminiſtrauit, ut Alfonſus IX. reuixiſſe putaretur. Mortuo quinetiã Ferdinando, qui regnũ legauerat filiab. ex Taraſia regina ſuſceptis, mira dexteritate filio ſuo regnum aſſeruit, ut licèt regnorum unio ferè omnibus diſpliceret, tamen eam ſine ſanguinis effuſione procurarit. Rodericus Toletanus lib. 9. rerum Hiſp.

Veneti magnificè Vngariæ reginã BEATRICEM Aragoniã, Mathiæ Coruini ſponſam, excepêre. Cùm huic in occurſum ſenatus Venetus cum uniuerſo patriciorũ ordine obnauigaſſet: eam congratulantibus patribus, ingenuisq́; matronis uſq; adeò cunctis appoſitè ac eleganter reſpondiſſe, & in Senatu tam grauiter & ornatè oraſſe memorant, ut ſupra ſexum ſapere prædicarent. Bonfinius lib. 4. Dec. 4.

FEMINA Græca maritos à Theobaldo, Camerinorum principe, captos, ne caſtrarentur, ſua obtinuit prudentia. Secuta enim uirũ captum magnis eiulatibus, interrogabatur, quid peteret? Illa confidentiùs, Quid eſt, inquit, quòd uiri fortiſſimi bellum feminis indicitis: quid in uos deliquit ſexus infirmior? Ad quam Camerinus: Et quis malum feminis, niſi Amazonibus, bellum inferat? Tum mulier: Quando, inquit, ideo pugnatis, ut uictos emaſculetis, non cum aliis, quàm cum feminis bellum geritis. Omnis licèt ſubſtantia auferatur, dummodo uiros relinquatis, habent unde conſolationem accipiant feminæ. Hac uerò parte truncatos ſi remittitis, non uiros, ſed feminas ſpoliatis. Promeruit libertas dicacis feminæ, ut uirum cum omni præda reciperet. Luitprandus Ticinenſis libro quarto, cap. 4. & Cranzius libro 3. cap. 9. Metropoleos.

ALIONORA Maltrauerſa, uxor Papafauę Carrarieſis (à quo poſtea familia ſortita eſt cognomen Papafaua) ultra morẽ feminarum tantũ prudentia ualuit, ut eam nobiles uiri certatim conſulerent. Sed ut in rebus agendis, ſic etiam in curandis ægritudinibus, conſilio & experientia præſtabat. Bern. Scard. lib. 3. hiſt. Pat.

*Pueri, Iuuenes prudentes.*

☞ *Conſule Tit. Indoles Prudentiæ, quatenus rudimentum Habitus eſt Indoles.*

CYRVS puer prudens, in Aſtyage auo luxuriam ciborum, & uinolentiam reprehendit. A Mandane matre rogatus, ut ſecum in Perſiam rediret, quòd iuſtitiam apud Medos diſcere non poſſet (apud Perſas enim τὸ ἴσον ἔχειν, apud Medos uero τὸ πλέον ἔχειν iuſtum eſſe: illic libertatis cõmunis, hìc tyrãnicæ libidinis rationem haberi) reſpondit, Atqui pater tuus Aſtyages, ô mater, peritior eſt τὸ μεῖον ἔχειν docere, quàm τὸ πλέον ἔχειν. Docuit enim ille Medos omnes minùs habere. Itaq; neq; me docebit plus cæteris habere. Puerili libertate quamuis inſcius tyrannidem aui ſugillauit. Docuit ille non uolentes, ſed inuitos Medos, hoc eſt, coëgit per uim & rapinam. Xenophon lib. 1. Pædiæ.

Cùm Ariſtagoras Mileti tyrannus, Spartanos ad ſocietatẽ contra Darium inducturus, ſumto oleæ ramo ad domum Cleomenis ſe contuliſſet, inq; præſentia GORGVS Cleomenis filiæ octo uel nouem annos natæ, incepiſſet polliceri illi undecim talenta, ſi precibus ſuis annueret: idq́; abnuente Cleomene ſubinde repeteret: puella aſtãs, Pater, inquit, hoſpes te corrumpet, niſi hinc abis. Cleomenes delectatus puellæ conſilio, in aliud conclaue abiit: & Ariſtagoras è Sparta ꝓtinus diſceſſit. Herod. lib. 5.

ARCESILAI principis Cyrenæorum iuuenis prudentiã, Pindarus ode 5. Pythiorum extollit.

P. SCIPIO minor, iuuenis etiamnum, tantam habebat opinionem fortitudinis & prudentiæ, ut Cato ſenior interrogatus de his, qui apud Carthaginem militarent, in quibus erat & Scipio, Homerico uerſu ex Odyſſ. κ. reſponderit:

οἶος πέπνυται, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσιν.

Illeſapit ſolus, uolitant alij uelut umbræ.

Plutarchus in Rom. apoph.

Plinius lib. 7. refert, Catonem Cenſoriũ uelut ex oraculo prodidiſſe, ſenilem iuuentã præmaturæ mortis eſſe ſignum. Et apud Senecam libro Controuerſiarum ſecundo, controuerſia prima, Ceſtius de ingenio ALFII Flauij prædicare conſueuit, tam maturè magnum ingenium non eſſe uitale. Talem puerum Sophocles ἀνδρόπαιδα uocat. Eraſmus.

Scribit Ioſephus Briuius Mediolanẽſis in ſuo Panegyrico, cùm Franc. Petrarcha eſſet Mediolani in aula Vicecomitum, inter multos purpuratos & nobiles uiros Galeacius præcepit FILIO, qui primus poſtea dux Mediolani fuit, tunc puero adhuc, ut ſapientiſſimum ex aſtantibus oſtenderet. Puellus oculis hinc inde uolutis, Franciſcum adiit, & manu apprehẽſum patri cum omnium admiratione monſtrauit. Hieron. Squarzaficus in uita Petrarchæ.

*Senes prudentes.*

Græcis, qui duce Agamemnone Troiam obſidebant, ueſcentibus & potantibus ſenex NESTOR

Texere ſermones ante omnia cepit:

fuitq́; hic & inuitationis & optimorum conſiliorum regi auctor. Plut. lib. 7. Quæſt. conuiuial. 9.

In Odyſſea Homerus de AEGYPTIO heroë iam ſene ſic meminit,

ὃς δὴ γήραϊ κυφὸς ἔην, καὶ μυρία ᾔδη.

Qui iam incuruus erat ſenio, ſed plurima norat.

IOSCELINVS Comes Edeſſanus à Latinis in Syria creatus ſummus bello dux, ueteranusq́; imperator, cùm æger in cubili iaceret, immenſasq́; Barbarorum copias appropinquare haberet exploratum, iuſſit filium eodem nomine Ioſcelinum in eos ducere. Iuuenis tergiuerſabatur, multitudinem hoſtium horrens. Pater ſenex ægerq́; lectica latus, aciem inſtruxit tanta arte, ac ita milites acuit, ut de uictoria non dubitaretur. Hoſtis ſenem ipſum imperare ubi primùm accepit, quem ætate ualetudineq́; infirma eſſe crediderat, diſceſſit. Aemilius lib. 5.

☞ FORTVNÆ. HVC PERTINENT

*Pontifices prudentes.*

MARTINVS V. Pontifex in conſultationibus miræ prudentiæ uir eſt habitus. Nã & quid agendũ, & quid uitandum eſſet, ſtatim re propoſita, acutiſſimè diiudicabat. Breuis in dicendo, cautior in agendo, adeò ut priùs rem factam cernerent homines, quàm ab eo excogitatam putarent. Eius autẽ ſermo plenus ſententiis erat. Platina.

LEO X. Pont. in deliberationibus grauiſſimarum rerum diu cuncta excutiebat penſitabatque: ita tamen, ut decernẽdi tarditatem mira exequendi celeritate compenſaret. Iouius in eius uita, lib. 4.

*Reges, Principes, Magiſtratus prudentes.*

SALOMON Dauidis F. ſapientiæ nomine in ſacris cõmendatur: ut non tantùm theoricam illam, ſed & practicam prudentiam in regendo populo, quam ille unicè præ omnibus diuitiis à Deo opt. max. efflagitauit, intelligamus. Duodecim annorum erat, quando ſuſcepit imperium: & tamen quia habebat ſapientiam, propterea non eſt appellatus iuuenis. Erat enim in eo latitudo cordis & amplitudo ſapientiæ, quanta arena eſt in maris littoribus. Hieronymus Com. lib. 2. in Eſaiam, c. 3.

IANVM Italiæ regem bifrontem fuiſſe referũt quidam, quòd fuerit prudentiſſimus, uideritque procul uentura, & reſpexerit præterita. Sicut de cordato Homerus inquit ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω λεύσσει. Plutarchus in Problematis duas cauſas affert: alteram, quòd Ianus fuerit Perrhæbus Græcus, qui poſtea quàm in Italiam ueniſſet, linguam ſimul cum moribus mutarit. alteram, quòd Italos populos Ianus & agros colere docuerit, & rempublicam adminiſtrare. Viues in lib. 7. de Ciu. Dei, c. 8.

POLTYS Thracum rex, cùm legatos ad eum bello Troiano pariter Troiani & Achiui miſiſſent, iuſſit Paridi, redderet Helenam, & duas ab ſe formoſas mulieres caperet. Plutarchus in Apophtheg.

ARGVS rex fuit Peloponneſi, longe ante Pelopem, qui prudentiæ nomine fabulæ locum dedit, ut πανόπτης diceretur, & toto corpore oculos habere fingeretur, qui non ſimul, ſed alternatim ſomnum caperent. Hunc Iuno Iô in uaccam mutatæ cuſtodem dedit, ne à Ioue liberaretur. Eum tamen Mercurius ſua uoce ſopitum interfecit: quoniam fucatæ eloquentiæ etiam ſolida prudentia ſæpe manus dare cogitur. Euſtath. Iliad. β.

PETEVM Mneſthei, qui ad Troiam militauit, patrẽ, cùm eſſet Aegyptius, poſtmodũ Athenienſiũ ciuem & regẽ factũ, duplicis naturæ extitiſſe aiunt: quoniã duplicis politiæ, Græcę ſcilicet & Barbaræ, quarũ alterã partẽ feræ habet, hominis alteram, particeps fuerit. Diod. lib. 1. c. 2.

AMASIM Aegyptiorum regem prudentem fuiſſe ſcribunt, iuſti æquique amatorem. Qua ex re ab Aegyptiis eſt rex conſtitutus, cùm regio genere ortus non eſſet. Cùm Elienſes circa Olympiacum certamen occupati, legatis ad eum miſſis quæſiſſent, quo maximè modo id certamen iuſtè fieret, Si nullus Elienſis certaret, reſpondit. Polycratem Samiorum principem, qui ſe cum ſocietatem inierat, cùm & ciues & externos eò nauigantes uiolẽtius tractaret, per legatos ad modeſtiã hortatus eſt. Eo aũt cõſiliũ reſpuẽte, per epiſtolam ſocietatem diremit, ſcribens, Cùm ſciret illum breui impiæ tyrannidis pœnas daturum, nolle ex amici caſu dolere. Admirati ſunt Græci plurimùm uiri prudentiam, cùm Polycrãti breui, quod prædictum fuerat, eueniſſet. Diodorus lib. 1. cap. 8.

M. ANTONINVS Pius Imp. ſeditiones ubicunq; factas, non crudelitate, ſed modeſtia & grauitate compreſſit. Capitol.

ALEXANDER Mammeæ F. imperium adeptus, matre & auia auctoribus, primùm omniũ à ſenatu petiit, ut ſexdecim ex eo ordine legerentur, qui auctoritate & innocentia cæteros anteirent, quibus in cognoſcendo & decernendo uteretur conſiliariis. Sab. lib. 6. En. 7.

FERDINANDVS & ISABELLA Hiſpaniæ reges (ab his enim Hiſpania communibus auſpiciis regebatur) fama prudentiæ admodum celebres & clari fuerunt: quòd ex maximis motibus ſua regna in ſummam tranquillitatem atque obedientiam reduxiſſent: quodque bello decem annos continuato, Granatæ regnum, à Mauris annos circiter octingentos poſſeſſum, ad Chriſtianam religionem compuliſſent. Guicciardinus lib. 1.

LAVRENTIO Medice anno ſal. 1492. extincto, pacis Italiæ, quæ illius prudentia ceperat atq; ſteterat, fundamenta labefactata ſunt. Is enim quãdiu uixit, ueluti ſequeſter & frænũ erat moderandarum cupiditatũ Ferdinandi Aragonij, & Ludouici Sforciæ Mediolanenſis. Quorũ ſimultates, eo ſublato, Italiã in grauiſſimas calamitates, euocato Carolo IIX. Gallorum rege, præcipitarunt. Idem.

ALFONSVS Aragonum rex, perabſurdum ſibi uideri dicebat, reges ab aliis regi, & duces ab aliis duci. Notauit autem principes & magnates, qui quũ imperij & principatus titulos ſibi uendicent, alieno tamẽ conſilio regantur, etiam nolentes. Panorm. lib. 2. de reb. geſtis Alfonſi.

Apud Venetos pro nefariis ciuibus propè habebantur, qui agros in continenti poſſiderent. Extant adhuc aliquot conciones in Senatu habitæ à THOMA Mocenico, duce clariſſimo: quibus ſuadet, abſtinere omnino publicè & priuatim continentis poſſidendæ. Egnatius lib. 8. c. 6.

*Duces militares prudentes, ſtratagematis excellentes.*

☞ *Exempla ex Stratagematum Titulis particularibus mutuari poterunt, quatenus unus & idem in uariis Stratagematum ſpeciebus excellit.*

IOSVA Nunis F. plena afflatus ſapiẽtia ſcribitur, quia Moſes ei Domini iuſſu manus impoſuerat, eiq́; Iſraëlitæ mortuo Moſe paruerunt. Deuteron.

VLYSSES, quem ſapientiæ nomine celebrat Homerus, dolo & calliditate gloriatur, non malo, ſed quo iuſtè contra hoſtos uti poſſumus. Inquit ergo:

εἰμ' Ὀδυσεὺς Λαερτιάδης, ὃς πᾶσι δόλοισι
ἀνθρώποισι μέλω, καί μευ κλέος οὐρανὸν ἵκει.

Eidem ob prudentiam Pallas aſſiſtere fingitur Odyſſ.ν.

οὕνεκ' ἐπητής ἐστι, καὶ ἀγχίνοος, καὶ ἐχέφρων.

Heroës etiam uictoriam ei acceptam retulerunt:

σῇ δ' ἥλω βουλῇ Πριάμου πόλις εὐρυάγυια.

Primùm enim fuit auctor, ut Achilles, inter filias Lycomedis uirginali habitu latens, ad bellum pertraheretur: deinde ſagittas Philoctetis, quas is ab Hercule ceperat, ad Troianum bellum attulit, ſine quib. Troia capi non poterat, ut monuerat oraculum. Cineres Laomedontis clàm è Scæa porta rapuit. Palladium cæſis arcis cuſtodibus ſuſtulit. Explorator cum Diomede miſſus, Rhœſo Thraciæ rege cæſo, abduxit equos, ante quã Xanthi aquam bibiſſent. Hæc autem omnia niſi fierent, Troia omnino erat inexpugabilis. Sed &

αὐτὸν μὲν πληγῇσιν ἀεικελίῃσι δαμάσσας,

transfugit ad hoſtes. Equus inſuper ligneus, quem Epeus fabricatus eſt cum Pallade, fuit Vlyſſis ſtratagema. Rectè etiã Nemo & Vinum, Torrisq; & Aries, ſtratagemata poſſunt appellari, contra Cyclopem adhibita. Atq; etiam cera ſociorũ auribus illita, & ipſe rectus ad malum alligatus. Nam & hęc excogitabat contra pernicioſam Sirenũ muſicam. Quid uerò de pera mendici dicas, & quæcunq; erga Eumæum aut Penelopem finxit?

ἴσκε ψεύδεα πολλὰ λέγων ἐτύμοισιν ὁμοῖα.

Quid referam pugillationes, & arma iuuenum ebriorum è fumo eximere, atq; à ianuis intendere iaculum? An non hęc omnia fuerunt aduerſus hoſtes ſtratagemata? Ex Homero. Polyænus lib.1.

BACCHVS, cùm aduerſus Indos expeditionem faceret, ut eũ ciuitates reciperent, perſpicuis ac manifeſtis armis exercitũ non armauit, ſed ueſtimentis exilibus, & pellibus ceruinis: haſtas autem hedera cinxit, ſummã cuſpidẽ occupabat thyrſus. Cymbalis & tympanis pro tuba ſignũ dabat. Et hoſtes uino inebrians, ad ſaltationẽ impulit. Et quæcunq; alia ſunt orgia Bacchi, omnia fuerũt ipſius ſtratagemata, quibus Indos, aliasq; terras in ſuas poteſtatem redegit. Polyænus libro primo.

ARISTOMENES Meſſenius, ſuæ tempeſtatis homines eximia quadam aſtutia & calliditate longè ſuperaſſe dicitur: cuius defuncti cor, cùm exectum eſſet, pilis refertum fuiſſe ferunt, teſte Plinio libro undecimo. Valerius Maximus libro primo, cap.8.

NICIAS Athenienſis ſi quando dux eſſet, ſecuritati ſtudebat, atq; ideo nimirum ſuccedebant ei res plerunq;, quas nulli ſuæ ſapiẽtiæ uel conſilio uel uirtuti aſſcribebat, uerùm eas, quò gloriæ declinaret inuidiam, contentus de ea decedere, ad Fortunam referebat, atque ad deos confugiebat. Et res ipſæ aſtipulabantur. Nam cùm ſæpiùs id tẽporis ciuitas Athenienſis & grauiter ceſpitaret, in nullius uenit ille conſortium cladis. Plut. in Nicia.

PERICLES in expeditionibus ſuis ex ſecuritate ſummam eſt laudem conſecutus. Neq; enim prælio, cuius ualde dubia alea & periculum eſſet, decreuit libenter: neq; eos, qui ceptis ex præcipitibus præclaros ſucceſſus habuerant, & celebrabantur, ut claros duces duxit ſequẽdos aut imitandos: ſemperq; uox hæc eius audita ad ciues eſt, quatenus facere ipſe poſſet, manſuros ipſos in perpetuum immortales. Plut. in Pericle. Quotieſcunq; præturam erat initurus, cùm ſumeret chlamydem, apud ſe dicebat: Attende tibi Pericle: liberis imperaturus es, Græcis, & Athenienſibus. Plutarchus in Apophthegmatibus.

Poſtulante claſſem Alexãdro Macedone, cùm euocaret PHOCIONEM nominatim populus Athenienſis ut adeſſet, & ſententiam ſuam exprομeret: exurgens, Conſulo igitur, inquit, uobis, ut aut uincatis ipſi, aut amici ſitis uictorũ. Plut. in Apophtheg.

TERIBAZVS, Perſarum regis Artoxerxis dux fortiſſimus, in conſiliis ea eſt uſus dexteritate, ut quoties rex cõſiliis illius uſus eſt, nunquam aberrarit. Diod. lib.1.

Fama eſt, PHILIPPVM Macedonem magis de prudentia, aſtu imperatorio, & ſucceſſu, quem in conciliandis hominibus habuiſſet, quàm de copiarum & auxiliorum uirib. gloriari ſolitum: quòd rerum bene in præliis geſtarum laus ſibi cum his, qui ſecum militaſſent, communis eſſet: ſed eorum, quæ orationis comitate rectè tranſegiſſet, titulum ſibi uni retineret. Diodorus lib.16.

IPHICRATES Athenienſis ſingulari quadam militaris rei ſcientia & induſtria polluit: & ad omne bonum inſtitutum ſuapte natura, quaſi duce, uſus fuit, & in diuturno illo Perſico bello, multa ad bellum utilia excogitauit: præſertim uerò iis, quæ ad armaturam ſpectant, diligenter proſpexit. Diodorus lib.15. Duces ſæpenumero adhortare ſolitus erat, ut bellaturi milites ita inſtituerent, ut non tantùm in acie conſiſterent, ſed peritiſſimè quoque diſponerẽtur ad quoſuis hoſtium inſultus. Aciem enim ſiue ordinationem exercituum humano corpori aſſimilabat. Pectus phalangem appellabat, manus læuis armaturæ milites, pedes equitatum, caput ducem: reliquorum aliquod ſi deſit, claudum & mancum exercitum eſſe: ſin deficiat dux, totum inutilem diſcedere. Idem, quoties uates dehortarentur, non ſtatim morem gerebat: ſed aut multitudinem tranſponebat, aut terram ſeu locum mutabat, atque iterum ſacrificia redintegrabat. Polyænus lib.3.

ARATVS Sicyonius, ut conſiliis & aſtu mirificè polluit, ita in aperta acie timidus fuit. Plut. in Arato.

PYRRHVM Aeacidæ F. regem Epiri, Procles Athenienſis fortuna & rerum geſtarum ſplendore Alexandro Magno inferiorem fuiſſe teſtatur: at in diſponendis in acie copiis, & capiendi conſilij, quo hoſtis caperetur, arte præſtantiorẽ. Pauſanias in Meſſenicis.

P. VAL. Poplicola Sabinos quarto ſuo Coſs. maxima ſtrage affecit. Eam uictoriam, quamuis omnia magna Romani aſſcribere diis ſoliti ſint, unius conſilio attribuerunt ducis ſpirimũq;, hæc fuit poſt prælium uox militum, Claudos, cęcos, & penè uinctos Poplicolam hoſtes ipſis obieciſſe trucidandos. Etiam pecunia populus ex præda & captiuis corroboratus eſt. Plut. in Poplicola.

In nullo imperatorum maior uiguit ſolertia, quàm in HANNIBALE: quæ tanta in uno extitit, ut quũ tot annos in hoſtili terra exercitum ex omni colluuione gentium mixtum rexerit, quibus non lex, nõ mos, non lingua una fuerit, alius quidem habitus, alia ueſtis, alia arma, alij ritus, alia ſacra: ita tamen arcto uinculo omnium animos copulaiit, ut in ſumma ſtipendij & rerum omnium penuria, nullam ſit expertus ſeditionem. Sab. lib.5. Enn.5. Cum Q. Fabio & M. Marcello uel prætoribus, uel conſulibus, uel proconſulibus bellum geſſit: fuit enim uterque horum quinquies conſul. Marcellum in quinto conſulatu circumuentum inſidiis occidit. Fabio luſit operam ſæpiùs dolum & technas machinatus: ſemel duntaxat eum in leuem induxit errorem. Miſit ad Fabiũ cum literis fictis nobilium & principum Metapontinorum, ſi acceſſiſſet, urbem proditurosː eosque, qui hoc conſilij cepiſſent, dum ille mouiſſet propiùs, expectaturos. His motus literis, cũ parte copiarum conſtituit Fabius nocte illuc proficiſci: uerùm auſpicanti cùm aues non addixiſſent, mutauit ſententiam: nec multo pòſt intellexit ſcriptas ad ſe fraude Hannibalis literas, locatasq; ab eo prope illam urbem inſidias. Plut. in Fabio.

Deleta Carthagine à Scipione Aemyliano conſule, idem quoque in Hiſpaniam aduerſus Numantinos profectus, uti inſolentiſſimos Numantinorum animos, ſuperiorum Romanorum ducum culpa auctos, contunderet: quum reperiſſet exercitùs uoluptatibus corruptos: præcepit, ut omnia, quæ ad uoluptatem atq; laſciuiam aderant, de caſtris abiicerentur, & confeſtim ſcortorum multitudo de caſtris amota eſt. Itaq; coquorum & ſcortorum ultra duo millia expulit: adire culinas & tabernas inhibuit, atque iumenta exonerantia feſſos uenũdari iuſſit, militẽq; quotidiano labore exercuit: & ſic à turpi libidine purgatus eſt exercitus. nam tãtæ eſt exercitus uirtutis, quanta imperator. Igitur Scipio non illicò cum hoſtibus pugnauit, ut quaſi incautos circumueniret: ſciens, nunquam Numantinos otioſos, ſed iugiter ad bella paratos & expeditos. Vnde milites ſuos in caſtris tanquam tyrones exercuit in ludis, & ſic totam æſtatẽ hyemẽq; ſine pugna tranſegit: ac deinde ad prælium cũ Numantinis deſcendit. Io. Gerund. lib.7. Paralip. Hiſpan.

Q. SERTORIVS in Hiſpania exul cõtra Romanos mirus fuit artifex in breui momento diuerſis locis ſe oſtẽdendi, ab aliisq; ad alia certamina traducendi. Ita enim dilabebantur milites illius, confluebantq;, ut crebrò Sertorius palaretur ſolus, crebrò rurſus inſtar torrentis repentè intumeſcẽs, CL armatorum millibus ingrueret. Plut. in Pomp.

In obeundis expeditionib. dubiũ cautior ne fuerit C. IVLIVS Cæſar, an audentior. Exercitũ neq; per inſidioſa itinera duxit unquam, niſi perſpeculatus locorũ ſitus: neq; in Britanniam tranſuexit, niſi antè per ſe portus, & nauigationem, & acceſſum ad inſulã exploraſſet. At idem obſeſſione caſtrorũ in Germania nunciata, per ſtationes hoſtiũ Gallico habitu penetrauit ad ſuos. A Brunduſio Dyrrhachiũ inter oppoſitas claſſes hyeme trãſmiſit: ceſſantibusq; copiis, quas ſubſequi iuſſerat, cùm ad accerſendas fruſtra ſæpe miſiſſet, nouiſſimè ipſe clàm noctu paruulum nauigiũ ſolus obuoluto capite conſcendit: neq; aut quis eſſet antè detexit, aut gubernatorẽ cedere aduerſæ tempeſtati paſſus eſt, quàm penè obrutus fluctibus. Prælia non tantùm deſtinatò, ſed ex occaſione ſumebat: ac ſæpe ab itinere ſtatim, interdum ſpurciſſimis tempeſtatibus, quum minimè quis moturum putaret: nec niſi tempore extremo ad dimicandũ cunctantior factus eſt. Quò ſæpius uiciſſet, hoc minùs experiendos caſus opinans: nihilq; ſe tantum acquiſiturum uictoria, quantum auferre calamitas poſſet. Suetonius.

PHILES Palæologus in aulica Palatij umbra ſemper uerſatus, cùm Andronicum Palæologum Imp. propter bellũ Turcicum æſtuantem uideret, ab eo petiit, ut ſibi uel paruũ exercitum colligere liceret. Quem cùm ex animi ſententia accepiſſet, primùm humanitate, & omnis generis officiis ac muneribus militum animos ad bellicam fortitudinem excitauit, eodemq; uictu, ſummaq; comitate uſus eſt. Deinde monuit, ut ab omni flagitio ſibi temperarẽt: & ſacerdotib. magnam pecuniam diſtribuit, ut Deum pro ſe atq; exercitu deprecarentur. Pòſt, antequã urbe egrederetur, caſtra hoſtium explorãda eſſe cenſuit, ne temerè progrederetur. Tandem poſt ancipites pugnas, hoſtes deleuit. Gregoras lib.7.

MAGNVS Sfortia eum prudentiæ iudiciiq; militaris tenorẽ ad uitæ exitum conſtantiſſimè tenuit, ut non temerè quicquam in rei bellicæ negotio decerneret, niſi accito uel infimo quoq; centurione & milite ueterano, ut exquiſitis ſeparatim omnium ſententiis, quod patrandum foret, multorũ iudicio probaretur. Sed id tanta diſſimulatione expetebat, ut ſemper alienis exordiis & fabulis animi propoſitum celaret, atq; aptè demũ ad id quod uellet, inſtituto nouo ſermone deferebatur: quoniam eo pacto nunquã prolato interiore animi decreto, auctoritatẽ ſuam egregiè retineret: nec ob id perſuaſione prudentiæ animi minorum ducũ inflarentur: quando ij alia ſemper de cauſa uocatos, & fortuito demùm ſermone in grauiorem conſultationem incidiſſe, humanitate ducis facilè exiſtimarent. Verùm illos confecto negotio iucundè potiùs quàm grauiter in corona laudabat, qui feliciter in diſputatione diuinaſſent: & id quidẽ iucundiore gratia, quòd liberaliter, & nullo faſtu gloriam communicare uideretur. Iouius in uita eius.

*Legati, Oratores prudentes.*

ISMENIAS Thebanus legatus ad regem Perſarum miſſus patrię cauſa, cùm more ſolito regem adorare iuberetur, antequam ſermonem cum eo conferret, anulũ, quem manu geſtabat, detraxit, atq; clam ad pedes regis abiecit: cõfeſtimq; procumbens, tanquam adoraret, ſuſtulit eum iterum. Et ſic honorem quidem adorationis Perſarum regi præſtitit: nil tamen commiſit, quod ignominioſum aut indecorum foret Græcis. Aelianus lib.1. de Var. hiſt.

ARISTIDES alienus cùm eſſet à Themiſtocle, & mitteretur cum eo legatus peregrè: Placétne, inquit, Themiſtocle, ut ad fines ſimultatẽ deponamus, reſumturi, ſi uidebitur, eam reduces? Plut. in Apophthegmatibus.

MEGACLES Meſſenius Siculus, Agathocli Syracuſiorum tyranno omnibus in rebus aduerſabatur, multoſq; Siciliẽſes contra eum concitabat, iis, qui eum de medio ſuſtuliſſent, ampliſſima munera promittẽs. Quibus iniuriis irritatus Agathocles, Meſſanam oppugnaturus, miſſo præcone, Megaclem à ciuibus expoſcebat. Megacles ultrò ſe ad tradendũ tyranno obtulit, ſi legatus mitteretur. Decernentibus hæc Meſſeniis, accedens in caſtra Agathoclis: Ego uerò inquit, & legatus ciuitatis nomine uenio, & moriturus, ſed antè de legatione cũ amicis audias. Quibus conuocatis, in eorũ conſeſſu Megacles patrię iura percenſens, ad extremum inquit: Si ad excindendas Syracuſas expeditionem Meſſenij ſuſcepiſſent, utrum pro Syracuſiis, an pro Meſſeniis omnia faceres? Subridẽte ad hoc Agathocle, amici præſentes eum hortabantur, legato uerba facienti parceret. Ille depoſito bello, Megaclem ſaluum & incolumem domum remiſit, amicitiámq; cum Meſſeniis fecit. Polyæn. lib.5.

POLISTRATIDAS legatus ad regis præfectos inter alios miſſus, iis rogantibus, Priuatim an publicè miſſus eſſet? reſpondit: Si compotes uoti fuerimus, publicè: ſin tulerimus repulſam, priuatim. Plut. in Lycurgo. In Apoph. Polycratidas dicitur.

LEO Byzantius, auditor Platonis, cùm miſſus legatus ad Athenienſes ob miram uentris pinguedinem inter perorandum derideretur: Quid ridetis, inquit, ô Athenienſes? Scitote mihi uxorem eſſe longè pinguiorem. Tales tamen tantoſq; unus tantùm & admodum breuis lectulus capit: diſcordes ne tota quidem Byzantiorum urbs. Philoſtratus in Sophiſtis: & Plut. in Politicis. Suid.

Tiſaphernis accuſandi gratia, CONON Athenienſis à Pharnabazo ad regem Artaxerxen miſſus, cùm ex chiliarcho Tithrauſte intellexiſſet, ſibi abſq; προσκυνήσει ad regem nõ concedi aditum: Mihi uerò, inquit, non eſt graue, quemuis honorem habere Regi: ſed uereor, ne ciuitati meæ ſit opprobrio, ſi cùm ex ea ciuitate ſim profectus, quæ cæteris gentibus imperare cõſueuerit, potiùs Barbarorum, quàm patrio more fungar. Itaq; quæ huic uolebat, ſcripta tradidit. Probus in Conone.

A Sexto memoriæ proditum eſt, SOSTRATVM, doctum & acutũ uirũ, cùm miſſus eſſet à Ptolemæo ad Antigonum, ut rem ſi poſſet, regi illi ſuo accommodatam, ab eo extorqueret: negante ipſo, obtinuiſſe quod uolebat, ſtatim his tantùm Homericis uerſibus pronunciatis:

οὕτω δὴ κέλεαι γαιήοχε, κυανοχαῖτα;
τόνδε φέρω Διὶ μῦθον ἀπηνέα τε κρατερόν τε;
ἦ τι μεταστρέψεις; στρεπταὶ μὲν δὴ φρένες ἐσθλῶν.

Auditis enim illis, conſilium mutaſſe Antigonum.

Cùm plebs Romana ære alieno preſſa in montem Sacrum ſeceſſiſſet iuxta ripam Anienis: Patres ex maiorib. natu moderatiſſimum quemq; & maximè popularem miſerunt ad plebem. Princeps legationis fuit MENENIVS Agrippa. Hic partim obſecrans, partim ſenatum defendens, in extrema oratione ad figuram peruulgatam fabulæ delapſus eſt. Nã omnes hominis partes coniuraſſe ait contra uentrem, queſtas ſolum ignauum in homine & immunem quieſcere, omniaq; illius quæri auiditati, ingenti ſuo labore & miniſterio: uentrem uerò ſtultitiam earum deriſiſſe, ignorantiũ recipere quidem alimentum intra ſe omne, ſed reddere id ex ſe, & diſtribuere in alias. Eadem, inquit, ratio, Quirites, patrum eſt uobiſcum. Nam rectè atq; ordine deliberata apud eos, conſilia cœptaq;, omnibus uobis adferunt & diſpertiunt utilitatem atq; fructum. In concordiam deinde conceſſum eſt, poſtulaueruntq; à ſenatu, & obtinuerunt, ut quinq; uiri crearentur, quibus auxilij latio eſſet, qui nunc Tribuni plebis uocantur. Plut. in Coriolano, & Val. Max. lib.8. c.9.

Legati ad Pyrrhum de captiuis redimendis uenerunt, atq; inter eos C. FABRICIVS: cuius apud pop. Rom. ingens nomen eſſe ut uiri boni & bello inſignis, ſed admodum pauperis, oſtendit regi Cineas. Hunc Pyrrhus cùm priuatim benignè haberet, contendit, ut aurum acciperet ab ſe, nullam quidem ob rem turpem: uerùm amicitiæ id & hoſpitij appellauit pignus. Abnuente illo, tacuit in præſentia. Poſterò die, quò eum exterreret, quòd nunquam uidiſſet elephantem: imperauit, ut maximam belluam colloquentibus ipſis à tergo admouerent poſt aulæam. quod factum eſt. Tum ſigno dato remota eſt aulæa, & proboſcidem bellua repentè ſublatam ſuſpendit ſuper caput Fabricij, uocemq; emiſit horrendam & aſperam. Ille uerò ſenſim conuerſus arriſit, & ad Pyrrhum ait: Neq; heri aurum tuum me, neque bellua hodie commouit. Super cœnam cùm uarius ſermo haberetur, maximè de Græcia & philoſophis, incidit fortè Cineas in Epicuri mentionem: recenſuitq;, quid de diis & de Rep. cenſeant, ſummum bonum eos in uoluptate collocare: reipub. procurationem, quaſi ea uitæ noceat beatæ, eamque perturbet, deuitare: deos remotos à beneficentia & ira & cura noſtri in otioſam & affluentem deliciis uitam relegare. Adhuc diſſerente eo, exclamans Fabricius: Papæ, inquit, Pyrrho hæc præcepta & Samnitibus, dum nobiſcum bellũ gerunt, cordi ſint. Vnde admiratus animum & grauitatem huius Pyrrhus, multo impenſiùs amicitiam iungere cũ Romanis diremto bello ſtudebat. Illum uerò inuitauit priuatim, ut comitaretur ſe pace perpetrata, uiueretq; ſecum, offerens ei primum locum inter omnes amicos ſuos & duces. Cui ſubmiſsè fertur Fabricius reſpondiſſe: Atqui nõ fuerit id rex è re tua. Nam illi ipſi, qui nunc uenerantur & ſuſpiciunt te, ſi me probauerint, me præoptent regem tibi. Hoc dictum Pyrrhus non infenſo neque tyrannico animo accepit. Imo uerò amicis quoq; Fabricij prædicauit animi celſitudinem, captiuoſq; unius illius fidei credidit hac lege: Si pacem abnuiſſet ſenatus, ut ſalutatis propinquis & Saturnalibus celebratis ad ſe remitterentur. ac peracto feſto remiſſi fuère. Si quis remanſiſſet domi, in eum ſanciuit ſenatus mortem. Plut. in Pyrrho.

Q. FABIVS Iuriſc. ad Carthaginenſes legatus Corn. Sempronio Coſſ. quum eſſent duæ teſſeræ poſitæ, una pacis, altera belli; arbitrio ſibi dato, utram mallet referre Romam, utrãque ſuſtulit, & ait: Carthaginenſes petere debere utrã mallent accipere. Pomponius.

PLVTARCHVS iuuenis etiamnũ in legationẽ cum alio ad proconſulem miſſus: cùm ille caſu quodam reſtitiſſet in itinere, ſolus conuenit proconſulem, & negotium tranſegit. Vbi iam reuerſus domum erat renũciaturus legationem, exurgens pater ſeorſum, præcepit ei, ne diceret, Diſceſſi, ſed Diſceſſimus: neq; Dixi, ſed Diximus: reliquaq; cum collega participans & communicans, ut referret. Plut. in Politicis.

MAIORIANVS (qui pòſt Rauennę Imp. deſignatus eſt, Auito mortuo) à Valentiniano Imp. legatus miſſus in Africam ad Vandalos, pacis cauſa: exploratorem inſuper egit, & ne ab hoſtibus agnitus circumueniretur, nomen mutauit, & capillos flauo colore tinxit. Cuſpinianus.

Berengarius, Adelberti Eporediæ Marchionis F. Hugonis Italiæ regis inſidias metuens, an.940. ad Othonem Magnum Imper. confugerat. Sexennio pòſt mittitur ab eo in Italiam AMEDEVS quidam explorandi cauſa. Is mutato ornatu iis, qui Romam religionis cauſa petebant, ſe iungit: atq; in Italiam profectus, ſingulos principes conuenit, &, quid eorum ſit conſilij ac uoluntatis, exquirit: neq; tamen omnib. ſe eodem habitu offert, uerùm aliis atrum, aliis album, aliis

alius coloris ſe oſtendit. Hoc ubi fortè ad aures Hugonis accidit, iubet hominem diligenter conquiri, & ſtatim comprehendi. Verùm ille, qua erat uerſutia præditus, omnes eius inſidias facilè eluſit. quin etiam barba, quam nitentem alebat, pice fœdata, & capillis fuluis atratis, & facie polluta cùm ſe debilem ſimulaſſet, nudus inter pauperes in conſpectu regis ueſcentes obuerſatus, neq; agnitus, ab eo ueſtem tulit, & quidquid de ſe & Berengario loqueretur, excepit. Quibus actis, quòd clauſtra Alpium cuſtodiri ab eo, atque uiatores excuti accepiſſet, per inuia atque aſpera loca traiecit, atq; ad Berengarium cum legatione ſaluus peruenit. Ita Berengarius cùm ſe deſiderari ab Italicis cognouiſſet, cum paucis per Venuſtam uallem in Italiam tranſiit. Sigonius lib. 5. regni Italici.

HVGO Cęſarienſis, Gallus eques, ab Almarico Hieroſolymorum rege legatus ad Elhadechum Calypham Cayri miſſus, ut aduerſus Calypham Baldacenſem cum eo fœdus iniret: cùm è more data utrinq; dextera, res ſtabilienda eſſet: ut uidit Hugo Calypham non dignari cum dexteræ ſuæ contactu, & idem Sultanum Suar & Admiratos facere, dicētes Calyphæ perſonam humanam exceſſiſſe conditionem, & ceu ſacram fas non eſſe ab homine contingi, præſertim qui diuerſa coleret numina: denunciauit ſe infectis rebus inde abiturū, niſi Calypha eo modo, quo ipſe Almarici regis nomine, dextera data ac iureiurando fœdus ſanciret. Coactus igitur Calypha, dexteram Hugoni, ſed ſericeo uelatam panno porrexit. Contingere autem eam Hugo abnuit, niſi cùm ipſe nudam porrigeret dexterā, nuda etiam à Calypha porrigeretur. Itaq; Hugonis grauitas extorſit, ut nudam ipſe quoque dexteram Calypha daret. Fulgoſus lib. 6. cap. 4. & Egnatius.

Ob Ferrariam occupatam Clemens V. Venetis aqua igniq́ue interdixerat. FRANCISCVS Dandulus in Galliā ad eam culpam deprecandam à Senatu miſſus, & ſerò tandem ad conſpectum Pōtificis admiſſus: catena ferrea collo iniecta, ad eius menſam tamdiu canis inſtar proſtratus iacuit, donec expugnata Clemētis ira, ignominioſam notam patriæ ademerit. Atq; ex eo fuit illi poſtea Canis cognomen inter ſuos. Sabellicus lib. 7. Enneadis 9. & Egnatius lib. 7. cap. 2. & lib. 3. cap. 3. & lib. 6. cap. 2. & 4. Exemplorum.

Cùm Rodolfum Imp. duo inſignes ORATORES, quorum alter barbam canam & capillos nigros, alter uerò capillos canos & barbam nigram habebat, in arduo negotio acceſſiſſent: Rex eos audire noluit, niſi prius rationem diuerſitatis barbę & capillorum expoſuiſſent. Hi deliberandi ſpacio accepto, altero die Regem adeuntes: Ego, inquit primus, canam habeo barbam, quia omnis mea cura fuit, ut ori ſatisfacerem & gulæ, de nulla alia re cogitans. Idcirco caput manſit cum ſuis capillis nigris, & mentum ueſtitum eſt barba cana. Alter inquit, Capilli mei ſimul cùm egreſſus ſum uterum matris meæ creuerūt: poſt XXIV annos demùm erupit barba: quæ cùm eandem aſſequetur, quam nunc capilli habent, ętatem, eundem quoq; colorem ſortietur. Rex argutiā utriuſq; laudās, remiſit honeſtè expeditos. Cuſpin.

Cùm grauiſſima eſſent diſſidia apud Anglos, inter Edouardi IV. & Henrici VI. quem Edouardus regno Angliæ deturbarat, poſteros: & Ricardus, Edouardi frater, nepotibus interfectis regnum ſceleſtè inuaſiſſet: contra eum conſpiratio facta eſt, inter Elizabethā uiduam Edouardi, & Margaritam matrem Henrici VI. Eaq́; conſpiratio per LVDOVICVM natione Vualum, utriuſque reginæ medicum, facilè proceſſit. Margarita enim cognita cæde filiorum Edouardi, cœpit bene ſperare de fortuna filij ſui Henrici, ſi illi filia Edouardi Elizabetha natu maior daretur in matrimoniū: & Henrici VI & Edouardi ſanguis per affinitatem miſceretur. Idq́; cōſilium aperuit Ludouico medico, eūq́; orauit, ut cum regina uidua Edouardi ea de re ſecretò ageret. Hac enim ratione Ricardum, ut patrię hoſtem, facilè à regno deturbari poſſe. Ludouicus abſq; mora reginam conuenit, ac rem non ut mandatam ſibi, ſed tanquam ab ſe excogitatā narrat. Placuit conſilium reginæ adeò, ut iuſſerit Ludouicū ad Margaritam adire, quæ Londini morabatur, atque uerbis ſuis promittere, ſe daturum operam, quò omnes amici Edouardi uiri ſui, partes Henrici eius filij ſequerētur, ſi modò ille iuraret, ſe poſt adeptum regnum, ducturum in matrimonium Elizabetham filiam, aut Cæciliam ætate minorē, ſi illa prius moreretur, quàm ipſe potiretur regno. Ludouicus actutùm officio functus, inter mulieres facilè negotiū confecit. Statim inde principes Ricardi feritatem peroſos in ſocietatem pertraxêre, & Henrico exuli conſilia ſua detexêre. Henricus Caroli IIX. Francorū regis ſubſidio acie Ricardum uicit, regnoq́; potitus Elizabetham duxit. Polydorus lib. 25.

Cùm Florentini miſſis legatis non ſemel fruſtrà de mittendis auxiliis aduerſus Philippum Vicecomitem Mediolanēſem Venetos ſollicitaſſent: tandem NICOLAVS Vſanus ultrò Venetias profectus, patrum tamen conſenſu, & in conſpectum ducis Senatuſque Veneti introductus, enumeratis cladibus Florētini populi, & egeſtate ęrarij, alienatione inſuper animorum uicinorum: nouiſſimè addidit, Nos, quandoquidem à uobis repellimur, Philippum regem facimus. Vos poſtea Cæſarem uel inuiti facietis. Ea uerba cùm indignantis & præceps conſilium capientis eſſe uiderentur, inflexerunt tandem Venetorum animos, fœduſq́; contra Philippum cum Florentino populo ictum eſt, anno 1425. Bracellus lib. 1. Belli Hiſpan.

FRANCISCVS Marcheſius Iurecōſ. à Genuenſib. ad Galeacium Mediolanenſem ducem orator miſſus, cùm difficilem ad eum haberet aditum, die S. Ioannis Galeacio munus baſilicæ herbæ uas plenum miſit. Dux Franciſcum ſtatim acciuit, ut miſſæ herbæ cauſas intelligeret. Franciſcus omiſſis iis, quæ à Genuenſibus mandata erant, paucis explicauit: Ego, Princeps, Genuenſium ad te orator ueni: quorum ingenia baſilicæ herbæ perſimilia ſunt: leuiter tacta, ſuauem perfundunt odorem: contrita, ſcorpiones procreant. Hac parabola adeò Principis animum permouit, ut qui antea nullis flectebatur rationibus, tum æquas aures in poſterū præberet. Fulgoſus lib. 8. cap. 10.

## ASTVTI HOMINES.

*Famulatur huic uitio Mendacium, & Dolus, quem malum uocant, quando aliud agitur, aliud ſimulatur. Aſtutia ueluti efficiens eſt, Mendacium uelut inſtrumentum. Eapropter Mendacium quoque exempla aliquot huc referri poſſunt.*

Stellionem Plin. eſſe ſcribit animal lacertæ ſimile, quo nullū fraudulentius homini inuideat. Indeq́; STELLIONVM nomen aiunt in maledictū tranſlatum. Hæc ille lib. 30. c. 10. Vlpian. lib. 3. ff. de Crim. ſtel. Vbicunq; titulus criminis deficit, illic ſtellionatus obiiciemus. Quod enim in priuatis iudiciis eſt de dolo actio, hoc in criminibus Stellionatus perſecutio. maximè autē in his locum habet, ſi quis fortè rem alij obligatam diſſimulata obligatione per calliditatem alij diſtraxerit, uel permutauerit, uel in ſolutum dederit. Hotoman. de Verbis iuris.

BISPELLIONIS nomine hominem duarum pelliū ſignificari conſtat. Eius aūt appellationis origo in Arcadū fabula poſita eſt, quā Plin. lib. 8. c. 22. exponit: Ii certos homines ſtagnum quoddam tranſmiſſos in lupos transfigurati tradūt, & poſt annos nouem eo in habitu confectos, idem ſtagnū remeantes, priſtinum habitum recipere. Vnde Verſipelles dicti. & apud Fabium, Eandem recipere ueſtem. Idem.

### POPVLI FRAVDVLENTI.

Suidas ſcribit, iactatum uulgò, τρία κάππα κάκιστα, Triplex cappa peſſimum: quo gens deformatur triplex, CRETVM, CILICVM (nam inde etiam frequens Græcis uerbum eſt κιλικίζειν, quod eſt aſtutè maleficeq́ue circumuenire) denique CAPPADOCVM. Cælius lib. 18. cap. 30. Antiq. L.

AEGYPTIOS, præſertim uerò Alexandrinos, aſtutos eſſe & fallaces, multis auctoritatibus probat Cælius lib. 16. A. L. cap. 3. Αἰγυπτιάζειν dicebantur aſtuti & impoſtores. Theocritus ἐν συρακουσίαις:

—οὐδεὶς κακοεργὸς
*Δαλεῖται τὸν ἰόντα παρέρπων αἰγυπτιστί. id eſt,
——Lædit ſceleratus
Aſtu Aegyptiaco obrepens iam nemo, nocétue.

Aeſchylus:

Δεινοὶ πλέκειν τοὺς μηχανὰς αἰγύπτιοι. id eſt,
Aegyptij miri ſtruendis artibus. Eraſm. in Adag.

Inceſſitur SYRORVM gens, ut mortalium auidiſſima, ſicuti Hieronymus inquit, necnon uafricia nimis ſolers, atteſtante idipſum adagio ex Suidæ monumentis, σύροι πρὸς φοίνικας, hoc eſt, Aduerſum Phœnices Syri: ubi uerſuto imponere ſatagit uerſutus. Sunt enim in Syria Phœnices quoq́. Cęlius lib. 18. cap. 24. A. L.

Aeolicum pro fraudulento uſurpant priores, ac αἰολίζειν decipere eſt apud Hieroclem: quoniam eiuſmodi fuerint AEOLES. Veniūt autem in decuriam eandem, quos paſſim modò CERETANOS nuncupamus: nam olim Cerete oppido ab Romanis ſolo æquato, inopes inde Ceretani per Italiam diſiecti, ut ſibi uitæ neceſſaria corraderent, multarum ſcientiam rerum commenti, ac pleraq; conſarcinātes, quib. apud inſcitam plebem & pullatū circulum facilè ſibi fidem doctrinæ multiuariæ facerēt, omnib. qui eadē graſſarentur uia, celebre ad poſteros dedêre nomen. Cæl. lib. 11. c. 8. A. L.

Μεγαρικὴ μηχανή, id eſt, Ars Megarenſis dicitur, cùm dolo & aſtu res agitur, nō ſincera fide. Olim enim MEGARENSES uulgò malè audiebant, tanquam fraudulenti ac ficti, quòd aliud ſentire ſolerent, aliud loqui, ut indicat Ariſtophanis interpres in Acharnanib. Citatur apud Suidā hic ſenarius:

ἀλλ' ἔστι γάρ μοι μεγαρικά τις μηχανά.
Sed enim ars adeſt mihi quæpiā Megarenſiū. Eraſ. in Adag.

Andromache in ſui nominis tragœdia apud Euripidē ita deſcribit SPARTANORVM mores:

Ὦ πᾶσιν ἀνθρώποισιν ἔχθιστοι βροτῶν,
Σπάρτης ἔνοικοι, δόλια βουλευτήρια,
ψευδῶν ἄνακτες, μηχανορράφοι κακῶν,
Ἑλικτὰ, κ' οὐδὲν ὑγιές. id eſt,
Heus omnium mortalium inuiſiſſimi,
Spartam incolentes, fraudulenti conſilî,
Mendaciorum principes, & opifices
Tecti malorum, tortiles, ſani nihil. Idem.

SICVLI pollēt acumine & uafritia. Propterea Maternus eos acutos uocat, & Apuleius lib. 11. trilingues. Vnde Siciliſitare uerbum Plautinum, eſt aſtutè loqui. Rauiſius.

CERCOPES populi in Epheſo notæ fraudulentiæ, qui conati ſunt ipſi etiam Ioui imponere. Hinc adagium, Cercopum cœtus: de improborum conuentu.

Gens MOSCOVITICA cæteris omnib. Ruthenis aſtutior, callidior & fallacior eſt. Si autem cum externis aliquando commercia habent, tunc ſe non Moſcouitas, quò maiorem fidē obtineant, ſed aduenas, id eſt, Nouogardenſes, uel Pleſcouienſes eſſe ſimulant.

### SINGVLI HOMINES.

#### IN GENERE.

Archytas dicebat: Quemadmodum ſi etiam ſummam diligentiam adhibeas, tamen piſcem ſine ſpinis non inuenias: ſic neq; HOMINEM, qui non doloſum ſpinoſumq́ue quiddā habeat admixtum. Aelianus de Var. hiſt. lib. 10.

AVTOLYCVS Mercurij filius, in furtis ſecundas ab eo habuit. Et id quoq; teſtatum facit Homerus Odyſſ. τ. Vbi inter reliqua ſic de eo ſcribit:

—ὃς ἀνθρώπους ἐκέκαστο
κλεπτοσύνῃ θ' ὅρκῳ τε, θεὸς δὲ οἱ αὐτὸς ἔδωκεν
Ἑρμείας. Polyænus libr. 1.

PYRRHANDER ſycophanta quiſpiam fuit, inſignitè uerſutus, notæq́; malitiæ. Itaq; in prouerbium abiit. Ariſtophanes in Equitibus,

Καὶ νὴ δί' ἦν τοῦτο πυρράνδρου τὸ μηχάνημα. id eſt,
Ac per Iouem fuit quidem Pyrrhandrica iſta techna. Eraſmus in Adagiis.

DERCYLLIDAM ſcribit lib. 3. Rerum Gręcarum Xenophō, fuiſſe ſagacis ingenii uirum, & ad excogitandum promti, ac μηχανικὸν, indeq́; cognominatum Siſyphum.

PHRYNONDAS ſua uerſutia in prouerbiū abiit. Sic apud Ariſtophanem, Scelerate tu, ac Phrynonda, & impuriſſime.

THEAGENES, quòd eſſet garrulꝰ ac ſtupidus more anſerū, & uerſipellis more uulpium, uulgari ioco dictus eſt χηναλώπηξ, uoce compoſita ex anſere & uulpe. Quanquam Didymo magis probatur anſeris nomen additum, quòd auitio ac præſertim anſerinis ſupra modū delectaretur, uidelicet uulpium more. Eraſmus in Adagiis.

Ammianus XIV. refert, PAVLO cuidā, qui plurimos admirādis technis deferebat apud Conſtantium, uulgò cognomē inditum cathenæ, quòd in complicandis delationibus nodos necteret inſolubiles.

ZOTICVS ſub Heliogabalo Imp. tantū ualuit, ut ab omnib. officiorum principibus ſic haberetur, quaſi domini maritus eſſet. Idem hoc familiaritatis nomine abutens, omnia Heliogabali dicta ac facta uēdebat, aliis alia pollicebatur, omnes fallebat, dicens, De te hoc locutus ſum, hoc de te audiui, hoc de te futurum eſt. Lampridius.

#### MECHANICI. VT *Pictores.*

PICTOR quidā, qui gallos gallinaceos pinxerat inſcitè, pueto iuſſit, quàm longiſſimè ut ueros gallos abigeret à tabula. Plut. de Dignoſ. adul.

#### CAVPONES.

Zenodotus ait, Athenis cauponem fuiſſe quempiam nomine CANTHARVM, quem ob maleficia & impoſturas ac proditiones, capitis affecerint ſupplicio. proinde uulgò receptum, ut in uerſutos ac impoſtores diceretur, Cantharo aſtutior. Mihi uerò propius uidetur, ſi referatur ad animantis naturam, & ad apologum Aeſopicum, quo narratur, quemadmodum ſcarabeus tanto aquila inferior uiribus, tamen ingenio ſuperarit auium omnium reginam. Eraſmus in Adagiis.

#### MVLIERES.

GOTVARA uxor Colonis, q Frothonis Danorum regis patruus erat, eximiæ procacitatis facundia quantumlibet diſertos eneruare ſolebat. Pugnabat ſiquidem uerbis, nō modò quæſtionibus freta, uerumetiam peruicacibus armata reſponſis. Imbellem nemo feminam debellare poterat, à lingua ſpicula mutuantem. Quoſdam uerboſitatis petulantia refellebat, alios ueluti quibuſdam cauillationum nexibus implicatos, fallaciarum laqueis ſtrangulabat. Oris aculeo frangere fœdera, ac ſociare callebat. Saxo lib. 5.

#### PONTIFICES.

ALEXANDER VI. antequam ad Pontificatum aſcendit, per XXXVII annos (id quod in eo ordine perrarum eſt) Cardinalis fuit, & naturalē aſtutiam longa experientia pōtificiorum negociorum ita exercuit, ut omnes pōtifices calliditate ſuperarit. Garimbertus lib. 4. de Vitis Pontificum.

#### REGES.

Dicitur PROMETHEVS Iapeti F. aliquando duos tauros Ioui immolaſſe, atque eorum carnes ab oſſibus diuiſiſſe: tum in alteram pellium carnes, in alteram oſſa incluſiſſe, deinde Ioui dediſſe optionem, utrum mallet taurum eligendi. Iupiter capta optione cùm dolos eius uiri grauiter ferret, ut iuſtam opportunitatē ultionis nactus uideretur, oſſa elegit, atq; illa fraude irritatus, ignem mortalibus eripuit, ut teſtatur Heſiodus in Theogonia. At Prometheus Mineruæ auxilio aſcendit in cœlum, ibiq́; ferula ad currum Solis admota ignē rurſus in terras detulit. Id cùm reſciuiſſet Iupiter, Vulcano imperauit ut feminam è luto componeret. Quæ omnibus artibus à diis donata, uocata fuit Pandora. Neq; ante illam extitiſſe femineum ſexum crediderunt. Pauſanias in Atticis. Hanc fabulantur miſſam fuiſſe à Ioue ad Prometheum cum omnibus malis in uaſculo incluſis. Quod munus cùm ſpreuiſſet Prometheus, illa ad Epimetheum fratrē contendit, qui demto uaſculi operculo omnia mala euolare ſentiens, uix ultimam, & in imo reſidentem Spem occluſit, cum qua uas illud ſeruauit. Cùm uerò Prometheus Iouis munus reieciſſet, ꝙ inſidias formidaret, dicitur à Mercurio Iouis iuſſu ad Caucaſum montem in ſpelunca, quæ erat apud Paropamiſſadas, uinctus. Strabo lib. 15. Quantum eius iecinoris per diem ab aquila cōſumebatur, tantundem per noctem excreſcebat, ne unquam doloris materia deficeret. Heſiodus in Theogonia. Duris Samius ſcriptū reliquit; non ob ignem raptum, ſed quia Palladem amauerit, Prometheum coniectum fuiſſe in uincula. Eapropter ad montē Caucaſum habitantes populi, ſoli Ioui & Mineruæ non ſacrificant, ut illius ſupplicij auctoribus, cùm eximiè colerēt Herculem, qui Prometheum è uinculis liberaſſet. Natalis Comes Mythol. lib. 4. cap. 6.

PROTEI dei marini, Aegyptiorum certè regis (quem illi ſua lingua Cætea dixêre) tranſmutationes uarię ad uarias eius fallacias referendæ ſunt, quòd dolis quoſcunq; uellet ſuperare poſſet. Eum tamen Menelaus diuino auxilio, uir uniq; prudens atq; ſapiens, ſuperauit, & uera dicere coegit. Diodorus lib. 2.

SISYPHVS Corinthiorū rex, ob aſtutiam in prouerbiū abiit. De eo Homerus:

Σίσυφος, ὃς κέρδιστος ἐπιχθονίων γένετ' ἀνδρῶν. id eſt,
Siſyphus, in terris quo non aſtutior alter.

Rurſus Iliad. ζ.

Ἔνθάδε Σίσυφος ἔσκεν, ὁ κέρδιστος γένετ' ἀνδρῶν.

Ab hoc genus duxit Vlyſſes, quem Homerus ubiq; uafrum & callidum facit. Eraſmus in Prouerb. Σισύφου μηχαναί. Iupiter rapuerat Aeginam, filiam Aſopi Bœotiæ regis, illā quęrebat pater. Venit ad Siſyphum: is indicat raptorem. Ea re indignatus Iupiter, Siſypho Mortem mittit. Siſyphus, qui & callidus admodum, & fortis eſſet, Mortē corripit, & arctiſſimè uincit. Vincta Morte, uidet inferorum deus neminē ad ſe ampliùs deſcendere: quare prodit indignabundus, Siſyphum occidit, ac Mortem liberat. Cùm ergo hoc modo ad inferos deſcendiſſet Siſyphus, non minùs uafer iam mortuus, quàm cùm uiueret, effecit eloquentia & calliditate, ut perſuaſi Pluto & Proſerpina, eū ad ſuperos redire ſinerint: quò ſe uenire cupere dicebat, ut uxorem Meropem obiurgaret ſuam, quòd iuſta, quæ ipſe mandauerat, cùm è uiuis excederet, non perſoluiſſet: qua re peracta, mox regreſſurū. Sed ille, ubi reſumta anima Corinthum reuerſus eſt, de reditu non priùs cogitauit, quàm ſenium eò detrūſerit. Alij tamen ſcribūt, à Theſeo interfectum fuiſſe, cùm Atticam latrociniis infeſtaret. Addūt poetæ, eo ſupplicij genere apud inferos plecti, ob fidem non ſeruatam, ut ſaxum ingens in montis cuiuſdam uerticem cogatur peruoluere: quod quū ad ſummum penè extulerit, repentè deorſum relabitur. Homerus Iliad 6. & Odyſſ. 11. Virg. Aeneid. 6. Ouid. 3. Metam. & 13. item 4. Faſtorum.

CLEOMENES Spartanus rex aſtutiſſimus fuit. Ex uno diſce reliqua. Dierum ſeptem inducias, quas ἀνοχὰς uocant, cum Argiuis inierat: mox conſopitos pactionum fiducia, nocte ab illis tertia, inuadens, alios quidem contrucidauit, alios captiuos abduxit. Quum perfidiæ inſimularetur, noctes iureiurando minimè additas, eſt cauillatus. Quin & quicqd

calamitatis hoſti ſit illatum, à diis hominibuſq; comprobari. Cælius lib. 11. cap. 7. A. L.

LVDOVICVS XI. Gallorũ rex acri & uerſatili ingenio fuit: quod conſiſtere & conquieſcere non poterat. Hoc enim potitus, mox aliud affectabat cupiebatq;. Occultus, uehemẽs; atq; omnium impatiẽs. Verùm id inprimis cauebat, ne fortunę quicquam committeret, ſi uel aſtu uel ſimulatione uel alia quauis arte poſſet euadere. Omnia ſcire cupiens, humilis fortunæ hominib. facilis, habitu modicus, cõciliandi peritiſſimus quos ſibi aut prodeſſe aut nocere poſſe intelligebat, ad ea quæ cautè moliebatur nulli ſumtui parcens, in cęteris pecuniæ negligens & contemtor. Chronic. Francorũ.

## DVCES.

LYSANDER Lacedæmonius picturabat perpetrabatq; magna ex parte res bellicas dolis, & innocentiam compendij gratia celebrabat: aliàs pro recto utebatur utili, nec uerum falſo ducebat per ſe potius, ſed utrunq; metiebatur emolumento. Illos uerò, qui turpe ducerent Herculis progeniem in bello adhibere dolum, ridiculos exiſtimabat. Quò enim pertinere leonina nequeat, ibi aſſuendam uulpinam. Dictũ eius commemoratur ab Androclide, etſi alij Philippo Macedoni tribuant) quo conſulebat, pueros talis, uiros iureiurando decipere: Polycratem Samium ſubſequens, parũ recte tyrannum dux. Plut. in Lyſandro, & Aelianus lib. 7. 6.

## LEGATI.

Athenæus ait, Lacedęmonios, quum ſentirent barbaros Aſiaticos omnia dolis agere, loco Thymbronis eò legaſſe DERCYLLIDAM, qui is nihil haberet ſinceritatis Laconicæ, ſed ingenium ſubdolum ac ferum, exiſtimantes huic non poſſe dari uerba: quem ob id σκύθον appellarunt Lacedæmonij, quaſi σκύφον. Eraſmus in Adag.

# STVLTI HOMINES.

*De Stultis primo Volumine egimus, reſpectu Efficientis, ipſius nimirum Rationis deficientis in uniuerſum. At hîc in ſpecie, reſpectu Rationis practicæ in quotidianæ uitæ actionibus delinquentis, propter habitum diſpoſitionémue ſimilem, ſiue is natura ſit inſitus, quæ μώρωσις propriè dicitur, ſiue aduentitius, quæ ἀφροσύνη fortè appellari poſſet. Atque ut omnia κατορθώματα practica quarumcunque uirtutum rectæ rationis ſunt γεννήματα: ſic omnia quorumcunque uitiorum delicta uel peruerſæ uel auerſæ rationis edicta ſunt. Nos hîc uniuerſim de iis, qui uel ſæpe uel inſigniter à ſtatu mentis delici ſunt uiſi, agamus.*

## POPVLI STVLTI.

ATLANTES Africæ populi Solem tranſcendentem execrantur, eiq; omnia conuitia ingerunt, quòd torridus & ipſos & regionem perdat. Herod. lib. 4. Stobæus ſermone 42. ex Nicolao uocat Apharantes.

Nulla gens tam populariter deſipuit unquã, nec magis temerè induit arma, quàm PSYLLI, qui in Aphrica circa maiores Syrtes ſedes habuerũt. Hi, ſi uera ſunt quæ à Gręcis ſcriptoribus produntur, quia Auſtrum uentum plus nimio haberent inuiſum, ut ſibi & ſuæ terræ noxiũ, ſumtis armis hoſtiliter in eum profecti ſunt, ceu unum aliquem hominem, & non rem incorpoream peterent. Et illi qui tam ſtultè bellum uentorum uni intulerunt, magno humanæ mentis ludibrio, ſed fortunæ adhuc maiore, uicti ſunt: turbatis enim Auſtrino flatu arenis, ad unum omnes perierunt. Sab. lib. 4. cap. 9. Herod. lib. 4. & Gell. lib. 6. c. 11.

THRACES, quorum tanta perhibetur uęcordia, ut ultra quatuor numerare nequeant, cùm uiderent ducem ſuum plurimas ſcalas fabricare, quibus minabatur ſe ad Iunonẽ aſcenſurum, illoſq; accuſaturum, metu perculſi, ea quæ imperauerat, fecerunt.

TROIANI pariter & GRÆCI, ob unius Menelai & Paridis ſtultos amores, pro Helena adultera decennali bello contendentes, manifeſtæ ſtultitiæ ab Horatio in Epiſtolis damnantur, ubi de Iliade Homeri ſcribit:

Fabula, qua Paridis narratur, propter amorem
Græcia Barbariæ lento colliſa duello,
Stultorum regum & populorum continet æſtus.

Hinc prouerb. ex uetuſtiſs. tragœdia Liuij Andronici mutuo ſumtum, quæ inſcribitur, Equus Troianus: Serò ſapiũt Phryges. in eos, quos ſtultè factorum ſerò pœnitet. Eraſmus.

Qui priſcis temporib. Bœotiam regionem incolebant, ὕαντες appellabantur, gens barbara & agreſtis. Proinde quidam deprauata uoce, pro ὕαντας, ὕας, id eſt, ſues appellabant. Idq; ſcomma ceſſit in prouerbium, ut primũ in BOEOTOS diceretur: ab his in quoſuis indoctos, inconditos, moribuſq; ruſticanis homines torqueretur, βοιωτία ὗς. Interpres Pindari in Olympicis. Plutarchus Chæroneus & ipſe Bœotus, in commentario περὶ τῆς σαρκοφαγίας indicat, Atticos ſtupidi, bardi, inſulſi, deniq; & ſuis cognomen indidiſſe Bœotis, potiſſimùm ob edacitatem. Cui adſtipulatur Athenęus lib. 10. referens hos uerſus ex Eubulo:

πονεῖν μὲν ἄμμες ἐ φαγεῖν μὲν ἀνδρικοί,
ἐ καρτερῆσαι· τοῖς δ᾽ ἀθηναίοις λέγειν,
ἐ μικρὰ φαγεῖν· τοὶ δ᾽ θηβαῖοι μέγα. id eſt,
Sumus ad bibendum atq; ad uorandum ſtrennui,
In his ualemus: Athenienſes dicere
Promti, edere pauca, multa Thebani ſolent.

Atq; hinc Herculem quoq; Thebanum edacem faciunt, ſed eundem à literis alieniſſimum, adeò ut præceptorem ſuum trucidarit. Fuit autem & hic Bœotus, nimirum Thebis natus. Bœoti certè magis ſtuduerunt exercendis corporibus, quàm animis excolendis. Vnde teſte Stephano, quidam putauerunt nomen regioni inditum. Idem citat Ephorum, qui ſcripſerit Athenięſes rei nauticæ fuiſſe ſtudioſos, Theſſalos equeſtris, Bœotos corporum exercitamẽtis, Cyrenæos curribus ualuiſſe, Lacedæmonios circa leges fuiſſe diligentes. Eraſmus in prouerb. Bœoticum ingeniũ. Sunt qui ſcribant, olim Antimachum recitantem apud THEBANOS librum Thebaidos, cùm uidiſſet attentum neminem, clauſo codice dixiſſe, ἀνόητως κεκλῆσθε βοιωτοί, βοῶν γὰρ ὦτα ἔχετε. id eſt, Iure uocamini Bœoti, qui quidem aures habeatis boum: uidelicet alludẽs ad etymologiam nominis. βοῦς enim bos, & ὦτα aures, atq; ex his Bœotorum nomẽ uidetur compoſitũ. Quin Homerus Iliad. ε. Bœotorum gentem pinguem appellat:

— πὰρ δ᾽ οἱ ἄλλοι
ναῖον βοιωτοὶ μάλα πίονα δῆμον ἔχοντες. id eſt,
— Sed rura tenebant
Proxima Bœoti, quorum craſſiſſima gens eſt.

Notauit & Horatius Bœotorum tarditatem in epiſtola ad Octauium Auguſtum:

Bœotum in craſſo iurares aëre natum.

Simonides rogatus, cur ſolos THESSALOS ſuis non deciperet carminibus? Stupidiores enim ſunt, reſpondit, quàm qui decipiantur. Plut. in lib. de Audiendis poetis.

ARCADES olim malè audierunt ob ſtuporem ingenij. De quorũ immanitate multa Athenæus lib. 14. qui primi muſicam omnem in ciuitatem recipere noluerũt, nec ullas liberales diſciplinas, quarum cultu manſueſcunt hominũ ingenia. Vnde & cœli uitio, & neglectu diſciplinarum, in ſummam morum immanitatem efferati ſunt. Lucianus in libello de Aſtrologia tradit, Arcades ob eã cauſam ſtupidos habitos, quòd cæteris omnib. amplectentib. aſtrologiam, ſoli contemſerint, ſeſeq; fecerint antiquiores ipſa luna. Vnde & προσέληνοι dicti. Eraſmus in prouerb. Arcadicum germen.

LESBII & CVMANI in Aeolide ſupra Leſbum notati ſunt ſtoliditatis, ut indicat Stephanus. De iis talis narratur fabula. Aſinus quiſpiam pertæſus ſeruitutẽ, abrupto loro in ſyluam aufugerat. Illic fortè repertum leonis exuuium corpori applicabat ſuo. Atq; ita pro leone ſe gerebat, homines pariter ac feras uoce caudaq; territans. Nam Cumani leonem ignorant. Ad hunc igitur modum regnabat aliquãdiu perſonatus hic aſinus, pro leone immani habitus ac formidatus. Donec hoſpes quiſpiam Cumas profectus (qui ſæpenumero uiderat & leonem & aſinum, atq; ob id non erat difficile dignoſcere) aurium prominentium indicio, neq; nõ aliis quibuſdam coniecturis aſinũ eſſe deprehendit, ac probè fuſtigatum reduxit, dominoq; agnoſcenti reddidit. Interim autẽ riſum non mediocrẽ concitabat omnib. Cumanis aſinus iam agnitus, quos dudum creditus leo metu propemodum exanimauerat, ſic ut prouerbio locum fecerit, Cumanus aſinus. De iiſdem aliud circumfertur prouerbiũ, Serò ſapiũt Cumani. Strabo Geographiæ lib. 13. putat, eos uulgò malè audiſſe, tanquam ſtupidos atq; inſulſos, ob hanc cauſam, quod ducentis annis portus uectigalia exegerint, hoc nomine, ut urbem ædificarent, quæ dare tamen non deſierunt, cùm iam urbs eſſet extructa. Adiicit & aliam fabulam: Cumanos publica pecunia mutuò accepta, porticus cõſtruxiſſe: deinde cùm pecuniã eam ad diem præſcriptũ non reddidiſſent, à deambulatione fuiſſe prohibitos. Aliquãto pòſt cũ ingẽs eſſet pluuia, creditores ludibrij cauſa præconẽ miſiſſe, qui publicarẽt edictũ, uti Cumani porticus ſubirẽt. Atq; ita uoce pręconis admonitos ſubiiſſe: inde natũ adagiũ, Serò ſapere Cumanos, qui nõ niſi moniti ſenſerint, defugiendam eſſe pluuiã. Notat & Stephanus, Cumã ac Leſbũ malè uulgò audiſſe ſtupiditatis nomine. Prouerbiũ autẽ non ſentit de Cuma Italiæ, ſed Aeolidis, quæ eadẽ dicta fuiſſet Amazoniũ & Phriconitis, aut, ut Herod. l. 1. Phriconis. Eraſm.

Ageſilaus



Ageſilaus apud Nectanabim in Aegypto merebat. Mendeſius quidam rex contractis CM. hominum infeſtus inſtabat. Cũ autem Nectanabis Ageſilaum confirmaret, allegaretq; numeroſos quidẽ AEGYPTIOS hoſtes eſſe, ſed collectitios & opifices, atq; ut tyrones floccipendendos: At nõ horum numerum, inquit, horreo: uerùm ruditatem & inſcitiam, ut quæ impoſturis non ſit opportuna. Quippe doli hos, qui ſuſpicaces & præuidentes moliuntur occurrere, præter opinionem circumueniunt. Nihil qui præuidet, neq; ſuſpicatur, ille non dat captanti anſam: ſicut nec luctanti momentum ille qui ſtat immotus. Itaq; non prius cum hoſte ſigna cõferre uoluit Ageſilaus, quàm circumuallatus in oppido, per anguſtum aditum erumpens, cùm à tergo nõ poſſet ab hoſtibus circumueniri, hoſtes à fronte cecidit, & ſuperauit. Plut. in Ageſilao.

Κέσκον οἰκεῖς, id eſt, Ceſcum habitas. In ſtupidum & bardum dicebatur. CESCOS Pamphyliæ ciuitas, cuius ciues ob uecordiam ſtultitiamq; uulgo malè audiebant. Iuxta Ceſcum urbem fluuius erat, cui nomen νοῦς, id eſt, amens. Quanquã Suidas, qui & ipſe prouerbij meminit, Ceſcum ponit in Cilicia, nõ in Pamphylia. Vnde & uulgari ſermone iactatũ eſt, πόλις κέσκος νοῦν οὐκ ἔχουσα: id eſt, Ceſcus ciuitas mẽtis inops. Quadrat in cœtum aut conciliabulum hominum ſtultorũ. Eraſmus.

ARBELA Siciliæ ciuitas, auctore Stephano, cuius ciues malè audiebãt olim, ut ſtupidi, & quibus facilè imponeretur. Apud hos igitur etiam contemtus alibi, magnum aliquid eſſe poterat. unde prouerbium, Quid non fies Arbelas profectus? Eraſmus in Adagiis.

Cùm GRÆCI præclara de Xerxe Perſarum rege uictoria in libertatem ſeſe aſſeruiſſent, Eleutheria ſacra Olympio Ioui facere inſtituerunt. Sed ambitione & auaritia Athenienſiũ & Spartanorum, dum hi Ariſtocratiam, illi Democratiam tuentur, & reliquos Græcos, ſpecie quidem in ſocietatẽ, reuera autem in ſeruitutem pertrahere nitũtur, libertatẽ multo ſanguine partam, tandem amiſere. Extat apud Stobæum ſer. 39. hac de re drama Heniochi, in quo etiam hæc legunt:

— συνάπασαι δ᾽ εἰσὶ ποικίλαι πόλεις
αἳ νῦν ἀνοηταίνουσι πολλοῦ ἤδη χρόνον.
ἐλευθερία ἀφικνεῖται θύουσαί ποτε,
ὅτε τῶν φόρων ἐγένοντ᾽ ἐλεύθεραι σχεδόν.
κἄπειτ᾽ ἀπ᾽ ἐκείνης τῆς θυσίας διέφθορεν
αὐτὰς ξενίζουσ᾽ ἡμέραν ἐξ ἡμέρας
ἀβουλία κατέχουσα πολλοῦ ἤδη χρόνον.
γυναῖκε δ᾽ αὐτὴν δύ᾽ ἐπιτάραττέτον τινὲ
ἀεὶ συνοῦσαι, δημοκρατία θατέρᾳ
ὄνομ᾽ ἐστί, τῇ δ᾽ ἀριστοκρατία θατέρᾳ,
δι᾽ ἃς πεπαρῳνήκασιν ἤδη πολλάκις.

Vniuerſæ autem uariæ ſunt urbes, quæ longo iam tempore deſipiunt. Aduenerũt (Olympia) immolatum Eleutheria, libertatis cauſa, poſtquam à tributis ſemel propè liberatæ ſunt. At ab illo ſacrificio perdidit ipſas hoſpitio accipiẽs indies Imprudentia, multo iam tempore ipſos occupans. Cæterùm duæ quædam mulieres ipſam perturbarunt ſemper conuerſantes: Democratia alteri nomen eſt, alteri uerò Ariſtocratia: quarum culpa iam frequenter deliquerunt, & debacchatæ ſunt.

ATHENIENSIS populi ſtultitiam ipſorummet poetæ & oratores perſtrinxere. Sic Ariſtophanes in Nubibus:

Φασὶ γὰρ δυσβουλίαν τῇδε τῇ πόλει προσεῖναι. id eſt,
Læua conſilia ferunt huic adeſſe ciuitati.

Quo loco interpres adſcribit fabulam huiuſmodi: Cũ Neptunus à Minerua uictus, non poſſet Attica regione potiri, iratus immiſit illis δυσβουλίαν: id eſt, læua ſtultaq; conſilia: hoc deinde uitium Athenienſibus ἐπιχώριον, hoc eſt, uernaculum fuiſſe. Idq; Mineruam nõ mutaſſe: cæterum quod illi malè ſtatuiſſent, illa in bonos exitus uertebat. Eadem de cauſa oues illos uocat in Veſpis:

Εκκλησιάζειν προβάτων συγκαθήμενα. id eſt,
In concione pecus ouillum conſidet.

Eupolis apud Suidam & Athenæum libro 10. in eoſdem ſic inuehitur:

Οὓς δ᾽ οὐκ ἂν εἵλεσθ᾽ οὐδ᾽ ἂν οἰνόπτας πρὸ τοῦ,
Νυνὶ στρατηγοὺς λεύσσομεν. ὦ πόλις πόλις,
Ὡς εὐτυχὴς εἶ μᾶλλον, ἢ καλῶς φρονεῖς. id eſt,
Quos antehac nec præfici conuiuio
Quiſquam tuliſſet, nunc uidemus ſcilicet
Belli duces. O ciuitas, ô ciuitas,
Fortuna ut es feliciore, quàm ſapis.

Item Ariſtophanes in Ranis:

Τῶν πολιτῶν θ᾽ οὓς μὲν ἴσμεν εὐγενεῖς ἐ σώφρονας
ἄνδρας ὄντας, ἐ δικαίους, ἐ καλούς τε κἀγαθούς,
ἐ τραφέντας ἐν παλαίστραις, ἐ χοροῖς, ἐ μουσικῇ,
προυσελοῦμεν· τοῖς δὲ χαλκοῖς, ἐ ξένοις, ἐ πυρρίαις,
ἐ πονηροῖς, κἀκ πονηρῶν, εἰς ἅπαντα χρώμεθα
ὑστάτοις ἀφιγμένοισιν, οἷσιν ἡ πόλις πρὸ τοῦ
οὐδὲ φαρμακοῖσιν εἰκῇ ῥᾳδίως ἐχρήσατ᾽ ἄν.
ἀλλὰ ἐ νῦν ὦ, νόητοι μεταβαλόντες τοὺς τρόπους,
χρῆσθε τοῖς χρηστοῖσιν αὖθις. ἢ κατορθώσασι
γὰρ εὔλογον, κἄν τι σφάλητ᾽.

Ciuium quos quidem ſcimus ingenuos, modeſtos, iuſtos, honeſtos, ac probos uiros eſſe, in palæſtraq; & choris enutritos, & muſica, illos expellimus: fabris autem, & peregrinis, & Pyrrhiis (id eſt ſeruis) & malis, malo genere natis, ad omnia utimur, qui poſtremi aduenerunt, quibus ciuitas antehac ne pro piaculis quidem temerè & facilè uſa eſſet. At nunc ſaltem, ô ſtolidi, moribus immutatis, utimini denuò bonis uiris. Nam & ſi quid proſperè egeritis, non præter rationem erit, neq; ſi quid erratum fuerit.

ABDERITÆ in ſtuporis inſaniæq; fabulam abiere, quod perſpicuum eſt ex epigrammate Martialis lib. 10.

Abderitanæ pectora plebis habes.

item ex Cic. de Nat. deor. Plin. lib. 25. c. 8. docet, huic urbi uicina eſſe paſcua, in quibus equi paſti inflammantur rabie, quemadmodum apud Potniam aſini. Eraſmus in Adagiis.

LAPPI uel Lapones, populi Septentrionales, ab innata uęcordia in prouerbium Germanis abierunt, ut uulgò ſtupidi & inepti homines Lappi dicantur. Quandiu nulla commercia cum uicinis habuere, ignorarũt domeſticarum pellium precium, earumq; magnam copiam leuium rerum repẽſione commutare ſolebant. Zieglerus in Scondia.

## SINGVLI HOMINES.

### IN GENERE.

NABAL Ziphæus ex poſteris Calebi, homo diues, at ſtultus fuit, reſpondente ingenio nomini. 1. Reg. 26.

ELPENOR Vlyſſis ſocius, in Circes ædibus uino ſomnoque grauatus, per ſcalas decidit, & ceruices fregit. De eo ſic Vlyſſes Odyſſeæ κ.

ἐλπήνωρ δέ τις ἔσκε νεώτατος, οὔτέ τι λίην
ἄλκιμος ἐν πολέμῳ, οὔτε φρεσὶν ᾗσιν ἀρηρώς.

SANNAS fatuus à Cratino comœdo introducitur, unde & Latini ſubſannationem, & Græci ſtultos Sannas uocãt. Euſtathius Odyſſeæ κ.

ACHÆVS, Callicôn cognomine, fictile uas puluinaris loco capiti ſupponebat. Verùm quia duritie illius offendebatur, paleis impleuit, ut mollius haberet cubile. Cognomen Calliconis obtinuit, ὡς καλὸς ὢς τὸ νοεῖν, hoc eſt, νοεῖν, per antiphraſin. Euſtathius Odyſſ. κ.

MARGITES, euerſa Troia, Priamo ſuppetias laturus uenit. Nobili & locuplete patre natus fuit. Vxorem duxit uirginẽ, neq; tamen illi commiſceri uoluit. Aſtuta uirgo ſe uulneratam in pectine aſſerit, & uirili licinio curari petit. Margites, dum chirurgum ſe pręſtare cupit, mariti officio functus eſt. Vox ficta à μὴ & ἔργον, quòd ad nullam actionẽ eſſet utilis: Erat autem Margites titulus operis, quod à quibuſdam tribuebatur Homero. Ex Ariſt. lib. Nicomachion 6. ſic deſcribitur ab Homero:

Τὸν δ᾽ οὔτ᾽ ἂρ σκαπτῆρα θεοὶ θέσαν, οὔτ᾽ ἀροτῆρα,
Οὔτ᾽ ἄλλως τι σοφόν. id eſt,
Hunc neq; foſſorem uoluerunt numina diuûm
Eſſe, nec agricolam, nec in ulla præterea re
Scitum aut egregium.

Eraſmus in Adagiis ex Euſtath.

Plutarchus in libello de Facie, quæ apparet in orbe lunæ, de PHANACE quodam narrat, qui metuerit, ne luna decideret in terram, quiq; commiſeratus ſit eorum uicem, qui lunæ forent ſubiecti: cuiuſmodi ſunt Aethiopes & Taprobani, ſi tantũ pondus in eos rueret. Idem ueritus de terra cœloq;, niſi columnis Atlanticis fulcirentur.

AMPHISTIDEM tradunt magno labore uſq; ad quinq; numerare didiciſſe, ultrà uerò progredi non potuiſſe. Et ſponſam ſuam attingere non fuiſſe auſum, ueritum ne à puella apud matrem accuſaretur. Ignorabat, ex utro parente natus eſſet. Suidas.

XENOPHANTVS ſtultus, quò magis riſum cohibere nitebatur, hoc ridebat profuſius. Rauiſius. Cuius Ariſt. in 7. Ethicorum meminit.

BAGAS quiſpiam ſtupidæ mentis & attonitæ. Plut. in Collectaneis. Vnde ortum adagium, Vt Bagas conſtitiſti.

MAMMACVTHVS ſola inſignis fatuitate. Vnde Mammacuthi dicuntur, hiantes & ſtupidi. Ariſtophanes.

MELITIDES ultra quinq; numerare nõ potuit. A quo nam parentẽ, patre an matre editus in lucem eſſet, ignorauit. Vxorem ducere noluit, ne ſe apud matrem accuſarer. Euſtathius in Odyſſ. κ. Suidas. Aelian. lib. 13. euerſa Troia auxiliũ Priamo tuliſſe ſcribit. Comicorum notus eſt cõuitiis, ſic ut in prouerbium abierit, μωρότερος μελιτίδου, Stultior Melitide: feliciſſimus interim, quòd eum Homerus ſuo nobilitarit carmine. Eraſmus in Adagiis.

De Melitidis ſodali COROEBO, Pauſanias admonuit, Corœbum unà cum Butalione ac Melitide ab Ariſtophane inter fatuos numerari. Eadem Suidas. Maris undas numerare

conabatur, cùm tamen nõ poſſet ultra quinq; proſequi ſupputationem. Euſtathius in 10. Odyſſ. & Lucianus in Amoribus. Addunt quidam, Corœbum hunc Mygdonis Phrygis fuiſſe filium, temporibus belli Troiani. Meminit & Vergilius Corœbi cuiuſdam:

—— iuueniſq; Corœbus
Venerat inſano Caſſandræ captus amore,
Et gener auxilium Priamo Phrygibuſq; ferebat.

Seruius indicat ſumtũ ex Euphorione. Aelian. l. 13. Var. hiſt.

CÆCVLIO quidam fluctus præ nimia ſtoliditate numerare conatur. Idem.

SANNYRIONEM adeò ſtupidum fuiſſe ferũt, ut in lecytho ſcalarum gradus quærere & numerare uoluerit. Idem.

Polemon apud Zenodotum tradit, Praxillam fuiſſe Sicyoniã poetriam, quæ in ſuis cantionibus ADONIDEM inducit ab inferis interrogatum, Quid apud ſuperos pulcerrimũ reliquerit? reſpondere, Solem, cucumeres, mala: Quod cũ uehementer inſulſum uideretur, cucumeres & mala cum ſole componere, prouerbio dici cœptum in homines nullius iudicij, ἠλιθιώτερ☉ τῆς Πραξίλλης Ἀδώνιδ☉. id eſt, Stultior Praxillæ Adonide. Eraſmus in Adagiis.

Aiunt CORYTHEVM quempiam fuiſſe hominem inſignitè ſtultum ac uecordẽ, ad hoc forma infeliciſſima fœdiſſimáque, cui liberi item fuerint omnes patrem referentes; unde uulgaris dictus eſt iocus, in hominem bardum, ac perinde deformem, Corytheo deformior. Ex Zenodoto. Idem.

Lucianus in Dialogo quodam, ex comico quopiam citat hũc uerſiculum, dictum in CLEONEM, quòd ſerò, nec niſi cõfecto negotio ſaperet: Κλέων προμηθεύς ἐστι μετὰ τὰ πράγματα. id eſt, Rebus peractis eſt Cleon Prometheus.

Timon Miſanthropus CLEANTHEM ob ingenij tarditatem appellat ὅλμον ἄτολμον. id eſt, Piſtillum ſiue mortarium ignauum. Eraſmus in Adagiis.

POLYDORVM quendam ſtupidiſſimum fluctus numerare & metiri conantem, Comici poetæ referunt cutem illæſam ab incendio aliiſq; periculis habuiſſe. Aelian. li. 13. Var. hiſt.

IVNIVM Baſſum, hominem cùm primis dicacem atq; diuitẽ uulgus Aſinum album appellabat, quòd feliciter eſſet ſtupidus ac ridiculus. Alba enim ueteres felicia uocabant. Eraſmus lib. 6. Apoph.

MORIO quidam cùm morderetur à pulicibus, extinxit lucernam, putans ab eis non ampliùs poſſe uideri. Gilbertus Cognatus lib. 1. Narrat.

DEVDERVS morio nanus, Theophilo Imp. in delitiis erat. Is cùm aliquando ad Reginã ueniret, inuenit eam ſacras imagines adorantem clàm marito, qui uehementer eas deteſtabatur. Interrogat Reginam, Ecquid id eſſet? Reſpondit illa, Thalami eſſe Ninia. Homunculus ille interrogatus à Rege, Vnde ueniret? A Mana inquit (ſic enim reginam appellabat) quæ pulcra & plura habet Ninia. Rex ſtatim imagines ſuſpicatus, Reginam idololatram appellat, uerba ſtulti repetẽs. At hæc cauta uirum pulcrè eluſit. Deuderus (inquit) non ſimulacra apud me uidit, ſed me coram ſpeculo comantem, reuerberatas imagines reddẽre, quas Ninia ille ſuſpicatus credidit. Quo commento mariti iram ſedauit. Cuſpinianus è Zonara.

NIGNIACA Florentinus ſtultus, perſuaſus ab adoleſcentib. ſe primùm grauiter ægrotare, mox etiam mortuum eſſe credidit. Elatus per urbem, clauſis oculis, cùm pleriq; ludendi cauſa mortem eius ſe grauiter ferre ſimularẽt, & ille immotus perſiſteret, tandem tabernarius quidam, Bene habet, exclamauit, furem hunc peſſimum & ſuſpẽdio dignum periiſſe. Tum ſtultus, erecto capite, Niſi mortuus eſſem, reſpondit, dicerem te per gulam mẽtiri. Oborto riſu omniũ, depoſitus ab adoleſcentib. & relictus eſt. Poggius in Facetiis.

Fuit Morio QVIDAM, qui in heri culinam ex more ligna ferebat. Is ſolebat ex infima ſtrue ea reuellere, quæ moueri ſine magno negotio non poterant. Interrogatuſq;, Cur id faceret? reſpondit, Se difficilimam laboris partem primùm confecturum, ſumma illa faciliùs moueri: nec uidit quantũ referret, ſingula ordine tollere. Gilb. Cognatus lib. 1. Narrat.

IN SPECIE. HVC

*Sapientes uiri, qui aliquando impegerunt.*

Bacchus ad PENTHEVM Thracum regẽ, apud Eurip. in Bacchis ſic ait:

Σοφὸς, σοφὸς εἶ, πλὴν ἃ δεῖ σ' εἶναι σοφόν.
Sapiens, ſapiens es, præterquàm in quibus oportebat te eſſe ſapientem.

*Philoſophi ſtulti.*

CALLISTHENES philoſophus, Alexandro comes additus pro Ariſtotele, inter pocula iuſſus Macedonas laudare, tam profluenti oratione hoc tractauit argumentum, ut exilientes ei plauderent, & coronas ingererent. Alexander uerò ibi dixit ei, Oſtende facultatem tuam uituperandis Macedonibus, quò emendẽtur auditis delictis ſuis. Ita ad retractanda, ille priora uerſus, multa in Macedonas magna libertate diſſeruit. Acerbam inde inuidiam in eum & grauem concepere Macedones: ac dixit Alexander, Non eloquentiæ ſpecimen Calliſthenem, ſed maleuolentiæ dediſſe Macedonibus [redacted] cumẽtum. Calliſthenes, animum ab ſe alienatum regis cùm percepiſſet, digrediens his aut ter ad ſeipſum dixit, ἔθανε καὶ Πάτροκλος, ὅπερ σεῖο πολλὸν ἀμείνων. Non abſurdè igitur [redacted] apparet Ariſtotelem (ex cuius conſobrina Hero [redacted] illo educatus fuerat) facundum eſſe & magnum in dicẽdo Calliſthenem; uerùm mentem non habere. Plutarchus in Alexandro.

*Iureconſulti.*

Paſſienus Paulus, ſplendidus eques Romanus, & inprimis eruditus, ſcripſerat elegos (gentilitium hoc illi. erat enim municeps Propertij, atque etiam inter maiores ſuos Propertium numerarat) Eos cùm recitaret, ita cœpit dicere, Priſce iubes? Ad hoc IAVOLENVS Priſcus Iurecoſſ. Ego uerò non iubeo. Cogita qui riſus hominum, qui ioci, quòd eſt omnino Priſcus dubiæ ſanitatis. Intereſt tamen officiis, adhibetur conſiliis, atque etiam ius ciuile publicè reſpondet: quò magis, quod tunc fecit, & ridiculum, & notabile fuit. Interim Paulo aliena deliratio aliquãtum frigoris attulit. Tam ſolicitè recitaturis prouidendum eſt, non ſolùm ut ſint ipſi ſani, uerùm etiam ut ſanos adhibeant. Plin. lib. 2.

*Medici.*

MENEXENES magis demens an ambitioſus, an ex ambitione ſtultiſſ. fuerit, qui magnam ex arte opulentiam conſecutus, gratis medebatur, ſed ea lege, ut ſe tanquam Iouẽ perſonatum ſequerentur ij, quos ſanitati reſtituerat ægri, deorum habitu, iudicent ij, qui in medicis etiam Chriſtianis, ut promiſſa ſuperba, ſic iactabũdas curationes perfecto odio proſequuntur.

*Tibicines ſtulti.*

Athenæus lib. Dipnoſophiſtarum 8. prouerbio iactatum ſcribit apud priſcos, tibicinibus nihil eſſe mentis. λόγος γὰρ παλαιὸς, ὡς ὅτι

Ἀνδρὶ μὲν αὐλητῆρι θεοὶ νόον οὐκ ἐνέφυσαν,
Ἀλλ' ἅμα τῷ φυσῆν χ' ὡ νόος ἐκπέταται. id eſt,

Dictum enim eſt peruetuſtum, quòd
Dij tibicinibus nunquam mentem inſeruere,
Sed ſimul ac flarint, auolat illicò mens.
Eraſmus in prouerbio, Tibicinis uitam uiuis.

*Formoſi.*

Ἀγάλματα ἀγορᾶς eleganter Euripides in Electra uocauit HOMINES, qui cùm magnum formoſumq; corpus habeant, nullius conſilij ſunt, nec ſtudio operaque ſua proſunt quicquam reipublicæ, quaſi ad ornatum tantùm fori aptos, oblectandiſq; oculis ſpectantium à natura factos. αἱ δὲ σάρκες αἱ κεναὶ φρενῶν ἀγάλματ' ἀγορᾶς εἰσίν. Victorius lib. 17. Var. lect. capite uigeſimoquarto.

*Mulieres.*

Peliam, dum FILIÆ à Medea perſuaſæ ſtudent ad iuuentam reuocare, lebeti feruenti impoſitum occiderunt. Hinc adagium, Laues Peliam, ubi quis ſalutem pollicitus, adfert exitium. Fortaſſis non intempeſtiuiter dicetur, ubi quis falſa ſpe ductus inanem ſumit operam. Eraſmus in Adagiis.

Scribunt ACCO mulierem fuiſſe quampiam notæ ſtultitiæ, quæ ſolita ſit ad ſpeculum cum imagine ſua, perinde atq; cum alia muliere confabulari: ut hinc uulgò, quæ ſtultius aut ineptius aliquid agerent, ἀκκίζεσθαι, Acciſſare dicerentur, & Accus nomine compellarentur. Apparet illud etiam moribus hujus mulieris adfuiſſe, ut recuſaret, quæ tamẽ cupiebat: unde & Acciſmus ficta huiuſmodi recuſatio dicatur. M. Tullius ad Atticum lib. Epiſtolarum 2. Hoc, opinor, certi ſumus, periſſe omnia. quid enim ἀκκιζόμεθα tam diu? id eſt, quid diſſimulamus? Idem ex Suida.

*Diuites ſtulti.*

NABAL quàm locuples, tam ſtultus, ſe ſuaq; omnia temerè irritato Dauide perdidiſſet, niſi Abigaelis uxoris prudentia conſeruatus fuiſſet.

MIDAS Phrygum rex ditiſſimus, cæterùm ſtolidiſſimus, ut qui auri fame excæcatus, quæcunq; tangeret, in aurum uerti optaſſet.

DIVITVM ſtultitiam atque potentum Rhianus his uerſibus explicat:

Ὃς δέ κεν εὐοχθήσῃ, θεὸς δ' ἐπὶ ὄλβον ὀπάζῃ
Καὶ πολυκοιρανίην, ἐπιλήθεται οὕνεκα γαῖαν
Ποσσὶν ἐπιστείβει, θνητοὶ δέ οἱ εἰσὶ τοκῆες.
Ἀλλ' ὑπεροπλίῃ καὶ ἀμαρτωλῇσι νόοιο
Ἶσα Διὶ βρομέει, κεφαλὴν δ' ὑπὲρ αὐχέν' ἀείρει,
Καίπερ ἐὼν ὀλίγος, μνᾶται δ' εὔπηχυν Ἀθήνην,
Ἠέ τιν' ἀτραπιτὸν τεκμαίρεται Οὔλυμπόνδε,
Ὥς κε μετ' ἀθανάτοισιν ἀρίθμιος εἰλαπινάζῃ.

*Pontifices.*



*Pontifices.*

[redacted]

*Reges, Imperatores ſtulti.*

☞ *Stulta Regum conſilia iudicia ue ex ſeq. Titulis petenda. De Regibus, ætate pueris, Tomo Politico agetur.*

ROBOAMVS filius Salomonis, conſilio ſenum ſpretò, iuuenibus acquieuit: ideo magnam populi ſui partem amiſit. Libro tertio Reg. 12. Ideo rex iuuenis dicitur in ſacris, quia ſecutus eſt iuuenum conſilia: non quòd ætate eſſet iuuenis, ſed ſapientia: nã quadraginta & ampliùs annorum, regnũ accepit. Hieron. lib. 2. comm. in Eſaiam cap. 3.

MIDÆ Phrygiæ regi cùm Bacchus optionem dediſſet petendi à ſe quicquid uellet, petiit ut quicquid tangeret, aurum fieret. Annuente Baccho, Midas ut rem experiretur, attigit ligna, lapides, poma, & mox omnia erant aurea. Sed cùm cibus & potus quoque aurum fierent, tunc tandem ſenſit, ſe ſtultè petiiſſe: & pœnitens, Bacchum orauit, ut hoc munus auferret. Bacchus iuſſit, ut in Pactolo flumine ſeſe lauaret, ut liberaretur. Ouidius libro undecimo Metamorph. & Eraſmus in Prouerb. Midæ aures quis non habet? & Volaterranus libro 17.

MYCERINVS Aegypti rex cùm ex urbe Buti oraculum accepiſſet, Fore ut ſex omnino annos uiueret, ſeptimo defuncturus: lucernas fecit permultas, atque iis per noctem accẽſis, uenationibus & aliis exercitiis ſtudioſè inuigilabat, totuſque in eo erat, ut ex noctibus dies faceret, ut oraculi terminum prorogaret, & ex ſex annis duodecim efficeret. Nam ſi ſex continuis annis perpetua dies eſſet, his totidem noctes reſpondere oportere putabat. Herod. lib. 2.

PENTHEVS, rex Thebarum, iuuenis, ſtultus & ſuperbus, Bacchum contemnens. Propterea ſic eum alloquitur Tireſias uates apud Eurip. in Bacchis:

σὺ δ' εὔτροχον μὲν γλῶσσαν ὡς φρονῶν ἔχεις,
ἐν τοῖς λόγοισι δ' οὐκ ἔνεισί σοι φρένες.

Tu mobilem quidem linguam tanquam ſapiens habes, in uerbis uerò non inſunt tibi mentes.

CYRVS rex Perſarum contra Babylonem tendens, ubi uenit ad Gyndem amnem (qui in Mantienis ortus montibus, per Dardanios in Tygrin amnem fluit, hinc Rubro infunditur mari) conabatur hunc fluuium pedes traiicere, cùm non poſſet niſi nauibus traiici. Interim quidam è ſacris equis cãdidis, petulanter ingreſſus fluuium, tranſire conabatur. Hũc fluuius uorticibus abripuit. Cyrus ægrè ferens hanc iniuriã, illi comminatus eſt, ſe ſic redditurum eum tenuem, ut poſthac facilè uel à mulieribus tranſiri poſſet, ne genua quidem tingentibus. Adeoq; expeditione in Babylonem intermiſſa, copias ſuas bifariam diuiſit. Dehinc alueos ad funiculum deſignauit centenos & octogenos utrinq; ad Gyndis labra omnino conuerſos, quos diſtributis oppiis effodi iuſſit, atque ita Gyndem in trecentos & LX. alueos diuiſit. In eo opere perficiendo totam æſtatem triuit ſtultiſſimè, rex alioqui prudentiſſimus. Herod. lib. 1.

XERXES Perſarum rex Helleſponto ſtigmata & uerbera inflixit, atque ad montem Athon miſit epiſtolas: Noli, diuine Atho, qui nubes attingis uertice, operibus meis præbere lapides uaſtos & parùm tractabiles: alioquin ipſum te excindam, & in altum proiiciam. Plut. de Non iraſcendo.

COTYS, qui luxum cæterorum Thraciæ regum ſupergreſſus eſt, nuptiale epulum aliquando apparauit, tanquam Mineruam in uxorem ducturus eſſet: adornatoq; thalamo, cùm ebrius ipſius aduentum aliquandiu exſpectaſſet, tandem furore percitus, unum ex ſatellitibus, num dea in thalamum ueniſſet, uidere iuſſit. Quem reuerſum, & neminem in thalamo eſſe reſpondentem, ſagitta transfixit: moxq; ſecundum à ſe miſſum, ob idem reſponſum itidem interfecit. Tandem miſſus tertius, re animaduerſa, illum à dea iam pridem in thalamo exſpectari retulit. Theopompus.

ANTIOCHVS Epiphanes, Aſiæ rex, ob ſtultitiã Epimanes dictus eſt. Regali ueſte depoſita uilem togam induebat, eaq; indutus ad forum ſeſe conferebat, in quo obuium quenq; prehenſabat, ut ædilis aut tribunus plebis crearetur, & quẽ magiſtratum adeptus erat, eo tanquam plebeius fungebatur. Subindè à ſuis ſe ſubducens, aurifabrorum aut aliorum artificum officinas adibat, ut cum illis confabularetur: aut certè qui primus è plebe atq; adeò è fæce plebis ei occurreret, illum cõgerronem habebat: per compita plenis loculis uagans, numos temerè ſpargebat, Cui dat fortuna, capiat, inclamans. Sertis caput redimitus per urbem incedebat, lapides occultè in ſinu circũferens, aulicos, qui ipſum ſequebantur, petebat. Balneis publicis & ad quas plebs confluebat, utebatur: ubi quum aliquando plebeius aliquis ei precioſis unguentis ſe perfricanti dixiſſet, Beati eſtis uos reges, quibus harum rerum uſus ſuppetit, ex quibus tam bene oletis: At ego te iſtis (reſpondit) ad ſatietatem uſque explebo. Cuius promiſſi memor, poſtridie ad locum, in quo is lauabat, accedit, & magnum uas unguento precioſiſſimo, ſtacte appellato, plenum in eius caput effudit. Quum autem multi è plebecula (qui non procul & ipſi lauabant) accurrentes, in unguento illo in terrã effuſo ſe uolutarent, moxque in loco illo, quia lubricus redditus erat, multi labentes riſum ſpectantibus mouerent, tandem & rex ipſe ex illis, ſuo lapſu riſum excitantibus, unus eſſe uoluit. Idem fontem quendam apud Antiochiam, Midæ imitatione, uino perfudit. Athenæus.

ARIDEVS Philippi filius, illegitimo thoro natus, & ſemiſtultus fuit.

C. CÆSARI Caligulæ ualetudo neque corporis, neque animi conſtitit. Puer comitiali morbo uexatus: in adoleſcentia ita patiens laborum erat, ut tamen nonnunquam ſubita deuexione ingredi, ſtare, colligere ſemet ac ſuſſerre uix poſſet. Mẽtis ualetudinem & ipſe ſenſerat, ac ſubindè de ſeceſſu, deque purgando cerebro cogitauit. Creditur potionatus à Cæſonia uxore, amatorio quidem medicamento, ſed quod in furorẽ uerterit. Expeditione Germanica directa acie in litore Oceani, ac baliſtis machiniſque diſpoſitis, nemine gnaro ac opinante, quidnam cœpturus eſſet, repentè ut conchas legerent, galeaſque & ſinus replerent, imperauit: ſpolia Oceani uocans Capitolio palatioque debita. Et in indicium uictoriæ altiſſimam turrem excitauit: ex qua ut ex Pharo, noctibus ad regendos nauium curſus, ignes emicarent: pronunciatoque militi donatiuo, centenis uiritim denariis, quaſi omne exemplum liberalitatis ſupergreſſus, Abite, inquit, læti, abite locupletes. Suetonius.

CLAVDIVS Cæſar diſciplinis liberalibus ab ætate prima non mediocrem operam dedit, ac ſæpe experimenta cuiuſque etiam publicauit. Verùm ne ſic quidem quicquam dignitatis aſſequi, aut ſpem de ſe commodiorem in poſterum facere potuit. Mater Antonia portentum eum hominis dictitabat, nec abſolutum à natura, ſed tantùm inchoatum: ac ſi quem ſocordiæ argueret, ſtultiorem aiebat filio ſuo Claudio. Auia Auguſta pro deſpectiſſimo ſemper habuit: non affari, niſi rariſſimè: non monere, niſi acerbo & breui ſcripto, aut per internuncios ſolita. Soror Liuilla, cùm audiſſet quandoque imperaturum, tam iniquam & tam indignam ſortem pop. Roman. palàm & clarè deteſtata eſt. Tiberius patruus petenti ei honores, conſularia ornamenta detulit. Sed inſtantiùs legitimos flagitanti, id ſolùm codicillis reſcripſit, Quadraginta aureos in Saturnalia & ſigillaria ſe miſiſſe ei. Tunc demùm abiecta ſpe dignitatis, ad otium conceſſit, modò in hortis & ſuburbano, modò in Campaniæ ſeceſſu deliteſcens: atque ex contubernio ſordidiſſimorum hominum ſuper ueterem ſegnitiæ notam, ebrietatis & aleæ quoque infamiam ſubiit. Vbi ad imperium peruenit, non tam ſuo quàm uxorum libertorumque arbitrio illud adminiſtrauit: talis ubique plerumque, qualem eſſe eum aut expediret illis, aut liberet. Sermonis rerumque tantam ſæpe negligentiam oſtendit; ut nec quis, nec inter quos, quó ue tempore, ac loco uerba faceret, ſcire ac cogitare exiſtimaretur. Cùm de laniis, aut uinariis ageretur, exclamauit in curia: Rogo uos, quis poteſt ſine offula uiuere? Deſcripſit abundantiam ueterum tabernarum, unde ſolitus eſſet uinum olim & ipſe petere. De Quæſtore quodam candidato inter cauſas ſuffragationis ſuæ poſuit, quòd pater eius frigidam ægro ſibi tempeſtiuè dediſſet. Inducta teſte in Senatu, Hæc, inquit, matris meæ liberta & ornatrix fuit: ſed me patronum ſemper exiſtimauit. Hoc ideo dixi, quòd quidam ſunt adhuc in domo mea, qui me patronum non putant. Sed & pro tribunali, Hoſtienſibus quiddam publicè orantibus, cùm excanduiſſet, nihil habere ſe, uociferatus eſt, quare eos demereatur: ſi quem alium, & ſe liberum eſſe. Nam illa eius quotidiana, & planè omnium horarum & momentorum erant, Quid ego tibi Theogonius uideor, & λογιώτατος? multaque talia etiam priuatis deformia, nedum principi, neque infacundo, neque indocto, imò etiam pertinaciter liberalibus ſtudiis dedito. Nullis hominum magis indulſit, quàm libertis ſuis, quorum Felicem trium reginarum maritum Iudeæ prouinciæ præfecit. Polybius à ſtudiis ſæpe inter duos cõſules medius ambulauit. Narciſſo ab epiſtolis, & Pallanti à rationibus, quæſtoria prætoriaq; tribuit ornamenta, tantumq; diuitiarum ingeſſit, ut inter mortalium ditiſſimos C. Plinij teſtimonio cenſeantur. Nero in ſtultitiam illius ſubindè iocabatur productione ſyllabæ, quum diceret, Poſteaquam deſiit inter uiuos morari, prima ſyllaba producta. Moros

enim Græcè fatuum ſonat, inde finxit Morari, quaſi *μωραίνειν*, ſtultum agere: quemadmodum nos à poeta poetari, à iuuene iuuenari. Suetonius.

HELIOGABALVS Imperator ad decem millia pondo aranearum collegit, ex his ſe intelligere teſtatus, quàm magna eſſet Roma. Exhibuit & decem millia murium, mille muſtelas. Paraſitos rotis alligatos, atq; in orbem circumactos, aquis interna parte mergebat, Ixionios appellans. Ridebat tam incompoſitè, ut theatro pleno unus omnium ridens dignoſceretur. Sabell. lib. 6. En. 7.

HONORIVS Imp. ignauiæ ſuæ ſignificationem ſæpe aliàs, ſed tum potiſſimùm dedit, quando Romam ab Alarico Gotho captam à quodam ſuorum audiuit. Attonito enim ſimilis, ubi ad ſe rediit, cùm lacrymis exclamauit: Et quis gallinam dilectiſſimam (habebat enim in deliciis auem illam Romæ cognominem) hoſti prodidit? At cùm alter urbem Romam, non gallinam, ab hoſte exciſam ingeminaret, ſuſque deq; ferre uiſus eſt nobiliſſ. urbis caſum. Zonaras.

THEODATVS ab Amalaſuenta Theoderici F. poſt mortem Atalarici F. ex Eutharico ſuſcepti, conſobrina ſua, in regni thoriq; conſortium acceptus, uir doctus, & in philoſophia uerſatus, ſed natura imbellis, & ad res gerendas ineptus fuit: niſi quòd reginæ uirtus multas regis ineptias prudenter omnia adminiſtrando tegebat. At poſteaquam eam perfidus homo necandam curauit, in omnium odium incidit. Iuſtinianus Imp. armis necem Amalaſuentæ perſecuturus erat. Theodatus dama timidior imperium ſe ſponte depoſiturum, & in otio literario uicturum promiſit, ſi ſibi in annuum ſumtum aurei mille ducenti ab Imp. numerarentur. Iamq; per legatos pacta rata erant, cùm Theodatus intellexit, Gothos ſuos magna clade Græcorum exercitum in Dalmatia affeciſſe. Ergo pactis neglectis, armis Iuſtiniano reſiſtere uoluit. Cæterùm amiſſa Sicilia, captaq; à Beliſario Neapoli, cùm ſuis opem fruſtrà implorantibus Romæ in pecunia aggerenda deſideret, deſertus à Gothis, Vitige rege creato, immiſſo Optare percuſſore, in fuga interfect⁹ eſt, anno regni tertio, & Theodiſclus F. in carcerem coniectus. Procopius, & Aemilius lib. 1.

PHILIPPICVS Bardanes Imp. diſertus & prudens, ad res autem gerendas ineptiſſimus, & ingenio planè ſiniſtro. Zonaras.

ROMANVS III. Conſtantini Imp. F. puer adhuc uoluptatibus deditus, curam reipub. Ioſepho primario ſuo cubiculario commiſit: ipſe in aliam nullam rem incubuit, quàm ut cum exoletis ac impuris homuncionibus, ſcortis, mimis atque ſcurris uitam transfigeret infamem. Cedrenus.

RANIMIRVS nothus Sanctij maioris, è cœnobio à Tarraconenſibus primus è Gothorum proſapia ſub annum Chriſti 1017. rex conſtitutus, contra Saracenos ſuſcepta expeditione, cùm ſiniſtro brachio ſcutum, dextro lãceam adaptaſſet, mox frena equi apprehendere iuberetur, Quî poſſum, inquit, utraque manu occupata, niſi dentibus hæc retinenda quis porrigat? Hic riſu ſolutis proceribus, tantam concepit indignationem, uir alioqui minimè malus, ut Oſcam euocatos primarios XI ſecuri percuſſerit, id unum uernacula dicẽs lingua, No ſabe la uolpeiia, con quien troppeiia, Neſciebat uulpecula cui illuderet. At ubi ſeſe propter imperitiam rerum magis magiſq; ludibrio eſſe uidit, regni & filiæ Hurracæ tutela Alfonſo VII. Caſtulonenſi commiſſa, ad monachos rediit. Collenutius lib. 1. hiſt Neapolitanæ.

Premiſlaus Boemorum dux ſucceſſorem habuit filium NEZAMISLIVM, quaſi tu dicas, hebetem, nullique cogitationi idoneum. Quicquid ageret, id alieno præſidio agebat. Proinde uaticinari uiſus eſt Premiſlaus, qui filio nomen Nezamiſlij indiderit, cùm ipſe ob prouidentiam Prometheus fuerit. Etenim Prometheum Boiemi ſua uoce Premiſlaum appellant, Epimetheum uerò, Nezamiſlium. Dubrauius libro 2.

MORDACVS, Roberti Stuart F. Roberti III. regis nepos, capto ab Anglis Iacobo I. rege patruele, in Scotia regni gubernator in patris locum dictus, ad nullam rem minus erat quàm ad eam prouinciam aptus, adeò in eo multa contrariaque uitia inerant. Interdum enim adeò uiſus eſt animo delectus, pauidus, timoreque perculſus, ſi qua nunciarentur aduerſa, ut à nemine erigi poſſet. Interdũ maiore quàm res poſcebat crudelitate ferox. H. Boethius lib. 16.

CAROLVS V. Frãcorum rex, & re & cognomine Sapiens habitus, parum ſapienter tamen egiſſe uiſus eſt, quando amori plus quàm Reipub. conſulens, ſpreta Margarita Flandriæ comitis unica filia, comitatum illum ad Burgundiæ ducem dotali iure delabi paſſus eſt. Inconſultiſſimè uerò, quando decretum promulgauit, uti regis filij quantumuis impuberes in regno ſuccederent, coronarentur & ſacrarentur, tutorum ſubiecti arbitrio. Mox enim ſub filio ipſius Carolo VI. Gallia uariis ob ætatem regis agitata fuit ſeditionibus. Aemilius lib. 9. & 10.

CAROLVS VI. Gallorum rex mente captus, ſolo nominẽ [redacted] Ludouicus Aurelianenſis dux, frater, regnum guberna- [redacted] Ioannes Burgũdiæ dux, interficiendum curauit. Hinc æmulatione factionum [redacted] ta bellis, Angli à Burgundione euocati, regnũ [redacted] & rege in ſuam redacto poteſtatem, quas uoluerunt [redacted] ijs conditiones ſcripſerunt. Polyd. lib. 23.

CAROLVS VIII. Gallorum rex, qui magno [redacted] bro Neapolitanum regnum ſubegit, quamuis fortunæ donis præclariſſimè eſſet cumulatus, tamen omnibus ferè naturæ animique dotibus uacuus erat. Certum enim eſt, eum à puero conſtitutione admodum infirma, corporeque malè affecto fuiſſe: ſtatura breui, uultu uerò, excepto uigore, atque oculorum dignitate, turpiſſimo: reliquis autem corporis partibus ita compoſitis, ut monſtro ſimilior quàm homini uideretur. Neque ſolùm notitia bonarum artium prorſus caruit, uerumetiam communium literarum notas ignorauit. Imperandi quidem cupidiſſimus fuit, ſed ad quiduis potiùs quàm ad imperandum aptus, propterea quòd à ſuis perpetuò circumactus, cum eis neque maieſtatem, neque auctoritatem ullam retinebat: à laboribus & negociis omnibus alienus: in iis tamen quibus operam accommodabat, omni prudentia iudicioque deſtitutus: quòd ſi fortè quid in eo laude dignum apparebat, ſi quis penitiùs introſpiceret, à uirtute quàm à uitio id remotius eſſe comperiſſet. Erat in eo quædam ad gloriam propenſio, uerùm impetu magis quàm conſilio: liberalitas quoque, at inconſulta & ſine modo ac delectu; immutabilis interdum in deliberationibus, uerùm ita ut pertinacem potiùs quàm conſtantem diceres: ac quam alij bonitatem appellant, ea ueriùs ſtupor atque animi remiſſio quædam erat appellanda. Guicciardinus lib. 1.

LVDOVICVS XII. Gallorum rex talis erat, ut potiùs rectore indigeret, quàm ipſe aliis regendis aptus eſſet. Itaque apud eum Georgius Amboyſius, Cardinalis Rotomagenſis, in tanta fuit auctoritate, ut ferè nunquam ab eius ſententia diſcederet. Quamobrem ille ſua potentia fretus, ſæpe de rebus deliberare, & per ſe negotia expedire audebat. Guicciardinus lib. 9.

*Magiſtratus quiuis alij ſtulti, inepti.*

Iunium SYLLANVM Aſiæ proconſulem, adeò fuiſſe deſidem, adnotatum annalibus eſt, & principibus faſtiditum, ut eum C. Cęſar pecudem auream appellare ſit ſolitus. Cęlius libro 11. cap. 1. A. L.

Dion in XXXVII. libro hiſtoriarum narrat, Cn. Pompeium magna cum infamia ſua curaſſe L. AFRANIVM cum Q. Metello fieri conſulem, ut acta ſua confirmaret: at nihil inde opis tuliſſe. Ille nanque, inquit, meliùs ſaltare didicerat, quàm res publicas adminiſtrare ac regere. Meminit Cic. in epiſtolis ad Atticum perſæpe, quas eo conſule perſcripſit. Victorius lib. 16. Var. lect. cap. 12.

*Duces exercituum ſtulti, & imperiti.*

☞ *Ex Stratagematum titulis locus hic illuſtrari poteſt, reſpectu Ducum, qui decipiuntur ab aliis, quocunque doli genere.*

Cùm ponte Helleſpontum apud Abydum & Seſtum iunxiſſet XERXES Perſarum rex, expeditionem contra Græcos parans, atque is oborta ingenti tempeſtate diſſolutus fuiſſet: indignè ferens ſtupidiſſimus rex hanc iniuriam, iuſſit trecenta uerbera Helleſponto infligi, & in pelagus par compedum demitti. Miſit quoque qui ſtigmata Helleſponto inurerent, & colaphos incuterent Barbaris, hiſce uerbis: O aqua amara, dominus hanc tibi irrogat pœnam, quòd eum læſiſti, qui de te nihil malè meritus erat. Te tamen rex Xerxes, uelis noliſúe, tranſmittet: meritoque nemo hominum tibi ſacrificat, ut doloſo pariter & amaro flumini. Illos autem, qui pontem fecerant, capite multauit. Herodotus libro ſeptimo.

PHILOPOEMENES in tyrannum Lacedæmoniorum Nabidem dux deſignatus, cùm prælio nauali aleam iaceret, in idem ac Epaminondas uiſus eſt impegiſſe, magnamque ex eo, quòd minus proſperè mari decertaſſet, uirtutis & exiſtimationis ſuæ feciſſe iacturam. Cæterùm Epaminondam referuat, quòd nollet ciuibus ſuis guſtum præbere commoditatum maritimarum, ne pro ſtatariis militibus, ut apud Platonem eſt in 4. de Legibus, imprudenti ſibi nautæ euaderent & uitioſi, ultrò re infecta ex Aſia & inſulis domum repetiſſe. Philopœmenes uerò ſcientiam terreſtrem ſibi ratus ſufficere, uel in pelago ad rem bene gerendam, didicit quantum momenti ad uirtutem, & quantum in omnia adferat ponderis exercitatio meditatis. Non modò enim marte nauali ob imperitiam ſuccubuit: uerùm etiam nauem, ueterem illam quidem, ſed celebrem, poſt annos quadraginta deduxit & cõpleuit: quę cùm onus non ferret, adducti ciues in periculum fuere. Plut. in Philopœmene.



ARISTOCRATES Rhodiorum dux, aſpectu uenerando, & penè terribili. Quare Rhodij eum ex omnibus [redacted] parem imperio, & dignum principatu iudicarunt. Sed ſpe ſua fruſtrati ſunt. Nam cùm ad res gerendas tanquam ad ignẽ uentum eſſet, inſtar adulterini numiſmatis, expectationi hominum de ſe non reſpondit. Suidas.

[redacted] captus eſt illorum DVX; qui cùm eſſet prouectæ ætatis, uiſus eſt rem imprudentiùs geſſiſſe quàm pro ætate. Vnde mos inoleuit, ut quoties Romani ob partam uictoriam immolarent uictimam, ſenem purpura indutũ per forum in Capitolium inducerent, bullaq; ad collum appẽſa, quod tum erat puerorum inſigne, præco Sardianos uenales pronunciaret. Hetruriæ enim caput Veij ſunt, & Hetruſci Sardianorum coloni putantur. Plut. in Romulo.

CN. Pompeius bello ciuili, relicta Italia, claſſem ſtulta Themiſtoclis conſcendit imitatione. Themiſtocles enim Xerxem in Aſiam turpi fuga redire coegit: Pompeius Italiam Cæſari diripiendam impunè reliquit, & dum patriæ incolumitati conſuluit, eam in peregrino ſolo uictus cum uita amiſit. IDEM in acie Pharſalica quietos ſuos hoſtium impetũ excipere monens, magnum uictorię momentum, uel ipſo Cæſare teſte, amiſit. Plutarchus.

OTHO Cæſar ad Bebriacum cum Vitellio pugnaturus, in eo primùm peccauit, quòd legiones ex Myſia & Pannonia iam aduentantes non expectauit. Secundò, quòd rettò Brixillũ concedens, conſpectus ſui reuerentiam & ſtudium eripuit certantibus. Tertiò, quòd ualidiſſimos atq; impigerrimos ſtipandi corporis ſui cauſa, ſecum abducens equites pediteſq;, quaſi corpori uires detraxit. Plut. in Othone.

ISAACIVS Sebaſtocrator, gener Alexij Angeli Imperatoris, cum exercitu cõtra Blachos miſſus, recenti uictoria elatus, hoſtes in Serranum agrum incurſare cùm audiuiſſet: ſtatim ſigno tuba dato, primus in armis equo conſcenſo haſtam in hoſtes uibrauit. Et cùm laxis habenis circiter XXX. ſtadia proceſſiſſet, equitatum & peditatum ita fatigauit, ut pugnæ tempore inutiles eſſent. Ergo ut mediis caſſibus irretitus, multis ſuorum amiſſis, tandem & ipſe à Scythis captus eſt. Nicetas lib. 1.

Carolo VIII. Gallorum rege Piſas ueniente, Piſani, regis permiſſu, FLORENTINORVM iugum excuſsẽre: & mox Florentini, regis id factum peroſi, PETRVM Medicem expulẽre. In his motibus uulgò iactatum illud elucere potuit, homines appropinquantibus fatis, prudentiam inprimis, cuius ope imminentes uitare calamitates potuiſſent, amittere. Nam & Florentini omni tempore de Piſanorum fide maximè ancipites, bellumq; tam periculoſiſſimum in foribus habentes, Piſanorum pręcipuos, quemadmodum ad ſuam ſecuritatem in quouis leuiſſimo motu ſolebãt, Florentiam non euocarunt: nec Petrus Medices tot imminentibus periculis, externo milite forum curiamq; muniuit, ut in multo leuiore ſuſpicione ſæpenumero aliàs fuerat factum. Quæ prouiſio magna inieciſſet hiſce mutationibus impedimenta. Guicciardinus lib. 1.

CIAMONTIVS Gallus anno 1511. Ludouici XII. regis contra Iulium II. Pp. dux, propter ſummam Rotomagẽſis Cardinalis Georgij Amboyſij patrui ſui potentiam, & propter penè liberam Inſubriæ, omniumq; regiorum exercituũ poteſtatem, magnæ in Italia auctoritatis, uirtute tanto oneri admodum impar fuit. Nam in tanto honoris gradu conſtitutus, nec bellicas artes ipſe per ſe norat, nec ſcientibus fidẽ habebat: ut cùm poſt patrui obitũ imperitia ipſius non iam ſubleuaretur à gratia, tandem à militibus tantùm non contemneretur: quibus, ne ſe apud regem deferrent, maximam licentiam permittebat. Quare Triuultius dux in antiqua diſciplina educatus, ſæpiùs ſe nunquam in poſterum Gallorũ caſtra, niſi aut rex adeſſet, aut ipſe cunctis præeſſet, aditurum, ſacramento confirmabat. Guicciard. lib. 9.

FRANCISCVS Cõdelmerius Cardinalis ab Eugenio IIII. legatus contra Turcas Helleſpontum ſuperantes, cũ claſſe miſſus, ſua imperitia Turcas tranſire permiſit, neq; Chriſtianos de illorum aduentu admonuit. Itaq; memorabilis illius cladis ad Varnam ſua ſtupiditate auctor fuiſſe uideri poteſt. Garimbertus lib. 6. de Vitis pontificum.

Iulius II. Pont. Alfonſo Ateſtino Ferrarienſium duci uehemẽter infenſus, magnam copiarum partem in Ferrarienſium fines immiſit, iiſq; ANTONIVM Orphæum Calenulæ antiſtitem, ducem præfecit. Is cum copiis ad foſſam Zeniolam ueniens, inter ruſticanas caſas poſitis caſtris conſedit, facer dotali otio, ac intempeſtiuis uoluptatibus deditus, ut duces obliti omnis diſciplinæ militaris, nec ullo munimento caſtra uallarent, nec uigilias de more obirent. Hac tanta incuria epulantiũ hoſtium explorata, Alfonſus ponticulo è lintribus confecto noctu fluuium ſuperans, pontificios fudit fugauitq;. Iouius in Alfonſo.

ERICI Haquini F. Danorum regis expeditiones Sclauis non tam timori quàm ludibrio fuerẽ. Infimi cuiuſq; in ſoluendà militia arbitrium ſequebatur. Sæpe lixarum clamorem ſecutus, claſſem dimiſit. Eius mollitie animati Barbari, non ſolùm eum foris contemſere, ſed etiam domi inuaſere. In Fyoniam è Sialandia nauigans, piratas poſt tergum imminere conſpiciens, auidè petito litore, armamentiſq; omnibus in prædam relictis, non ſine rubore & metu nauigio ceſſit. Saxo lib. 14.

Reliquerat Carolus VIII. Gallorum rex Neapolitanum regnum. Ferdinandus illud ductu Conſalui Magni, ſibi in auxilium à Ferdinando & Iſabella Hiſpaniæ regib. miſſi recuperaturus, quantumuis remige & militib. deſtitueretur, & iam ſemel infeliciter cũ Gallis pugnaſſet, è Sicilia ſoluit cũ LX. maiorib. & XX. minoribus nauibus quarũ plereq; propugnatoribus carebãt. MOMPENSERIVS Gallorũ dux, repudiato illorum conſilio, qui Aragoniorum naues militibus malè inſtructas coniicie̋tes, claſſe, quę in portu ſtabat, repleta in hoſtẽ incurrere ſuadebant, pulcerrimam uictoriæ occaſionẽ è manibus elabi paſſus eſt. Non multo pòſt, cùm Ferdinandus ad D. Magdalenæ fanum, militẽ in terram exponeret, Mompenſerius haud minus ad audendum quum erat timendum, quàm ad timendum ubi pridie erat audendum promtus, ex urbe cũ omnibus ferè ſuis copiis, ut eius in terrã deſcẽſum prohiberet, ſeſe effudit. Neapolitani malleo æneis machinis in turribus templorum percuſſis, populo ad arma concitato, moxq; portis occupatis, palàm Ferdinandi nomẽ conclamarunt. Gallos hic repẽtinus tumultus ſic perterrefecit, ut inter urbẽ iam rebellantẽ, & inimicũ exercitum eſſe parũ tutum rati, neq; eadẽ qua exierant uia ſe poſſe reuerti ſperãtes, circa urbis muros uia ſanè lõga, montoſa, ualdeq; difficili circumductis copiis in urbẽ redire per proximam arci Nouæ portã decreuerint. Ferdinandus Neapolim interea ingreſſus, totam urbem incredibili omnium lætitia & plauſu inequitauit. Guicciardinus lib. 2.

Belli Germanici, quo Carolus V. Proteſtãtium ſpiritus fregit, infeliciter adminiſtrati, præcipua fuiſſe cauſa putatur, quòd non ex unius arbitrio res ageretur. Cùm enim ęquali eſſent poteſtate præditi IO. Fridericus Saxo, & PHILIPPVS Haſſiæ Lantgrauius, non ſemel accidit, ut in diſceptandò peropportunæ dilaberentur occaſiones. Sab. ſupplement. lib. 28. ex Sleidano.

*Legati.*

PRÆCO miſſus à Creonte Thebanorum rege ad Theſeum Athenas, perſuaſum ne opem ferret ſupplicibus Argiuis, iuuenis & ſtultus, antequam exponeret ad quid miſſus ueniſſet, in Athenienſis Reip. ſtatum multis inuectus eſt citra occaſionem. Proinde Theſeus ubi argumentis eius primùm reſpondit, & Democratiam tyrannide potiorem eſſe oſtẽdit, inquit apud Eurip. in Supplicibus.

*Κλαίων δ' ἂν ἦλθες, εἴ σε μὴ 'πεμψεν πόλις,*
*περισσὰ φωνῶν. τὸν γὰρ ἄγγελον χρεὼν*
*λέξανθ' ὅσ' ἂν τάξῃ τις, ὡς τάχος πόλει*
*χωρεῖν. τὸ λοιπὸν δ' εἰς ἐμὴν πόλιν Κρέων*
*ἧσσον λάλον σου πεμπέτω τὸν ἄγγελον.*

Flens ſanè rediſſes, ſi te non miſiſſet ciuitas, ſuperuacua loquens. Nuncium enim conuenit, dicentem quæcunq; quis imperauerit, quãprimùm à ciuitate abire. In poſterum uerò in meam ciuitatem Creon minus garrulum te mittat aliquem nuncium.

Ariſtion Athenienſium tyrannus à L. Sylla obſeſſus & uictus rerum omnium inopia, DVOS in caſtra ad Syllam miſit; qui ex tyranni ſententia, non humili oratione, præſentíue fortunę accommodata ſunt uſi, ſed à Theſei laudibus & Eumolpi exorſi, memoriam inde rerum aduerſus Medos & alias gentes ab Athenienſibus geſtarum, ſtultè & inſolenter executi, non modò non flexerunt aliquo modo hoſtem, ſed iis multò infeſtior factus, quàm antea fuiſſet, beatos abire iuſſit, retroq; ſecum totam illam laudationem ferre: ſe à populo Romano Athenas miſſum, non capiendæ diſciplinæ cauſa, ſed ut infidam urbem bello captam euerteret. Nec ita multis inde diebus interiectis, noctu Athenas occupauit. Sab. lib. 3. En. 6. ex Plut. Sylla.

Muza ab Vlita Miramomenino præfectus Mauritaniæ conſtitutus, Roderico rege Gothorum à Taric duce ſuo interfecto, & Hiſpania occupata, ut ipſe quoq; in gloriæ partem ueniret, nouo exercitu bello reliquias perſecutus, Emeritam urbem munitiſſimam obſedit. De deditione miſſi LEGATI, cùm Muzæ canitiem animaduertiſſent, ſpe quòd citò moriturus eſſet, nullam deditionis mentionem fecere. Poſtero die Muza capillos fuco denigrauit. Admiſſi denuò legati, quaſi pro libito ex ſene iuuenis factus eſſet, fatali ſtultitia urbis dedendæ auctores fuere. Rodericus Toletanus lib. 3. rerum Hiſpan. cap. 23.

Peruſini ORATORES miſerant ad Vrbanum V. morbo confectum. Ex iis unus, nulla habita ratione ualetudinis pontificis, oratione prolixa uſus eſt. Alter, qui dicentis ſtultitiam ægrè ferebat, Hoc quinetiam in mandatis habemus, inquit, ut niſi

ut niſi nobis eueſtigiò reſponderis, eandem orationem denuò repetamus. Cui dicto arridens pontifex, ocyùs eos expediri iuſſit. Poggius in Facetiis.

PRÆTOR quidam Florentiam Romá accerſitus, quo die urbem ingreſſus eſt, habuit de more in ſummo tēplo orationem: qua inter alia inepta, diuerſoria quoq; ſua, quibus in eo itinere uſus eſſet, ad faſtidium uſq; inculcās, urgente iam ueſpera, nōdum Senas peruenerat. Quidam ergo in aurem inſuſurrans, Domine (inquit) hora iam tarda eſt, feſtinetis iter oportet. Nam niſi hodie Florentiam intraueritis, cùm hodiernus dies ſit uobis conſtitutus ad ueniendum, officium hoc amittetis. Hoc intellecto, ſtultus homo ac loquax tandem intulit, ſe Florentiam ueniſſe. Poggius in Facetiis.

Bello, quod inter Gregorium XI. & Florentinos geſtum eſt, Racanatenſium LEGATVS Florentiam miſſus, gratias illis egit ob reſtitutam libertatem, multis uerbis in Pontificē & tyrannos, ſiue principes urbium Pontificis miniſtros inuectus, nulla ratione habita Rodolphi, Camerinenſium domini, qui tum Florentinorum polemarchus erat. Tum Rodolphus petens ab oratore illo, cuius facultatis aut artis eſſet? cùm ille Doctorē Iuris ciuilis ſe diceret, quæſiuit; Quanto tempore legibus operam dediſſet? cùm ille, Ampliùs decennio, reſpondiſſet: Quàm uellem, inquit, ut ſaltem annū diſcretionis ſtudio uacaſſes. Stultum illum iudicās, qui tam multa ſe pręſente contra principes effutiſſet. Pogg. in Facet.

Veneti LEGATOS duos iuuenes ad Fridericum III. Imper. miſerant: quorum ætate offenſus Cæſar, in cōſpectum eos prodire uetuit. Illi extra ordinem priuatim aditu impetrato, Si ſapientiæ & prudentiæ uis in barba & canis ſita eſſet, inquiūt, Senatus Venetus tibi, Imperator, loco noſtro duos hircos egregiè barbatos miſiſſet. Superbo reſponſo ſuſpicionem Imperatoris confirmauit. Aegidius Corrozetus de Dictis & factis memorab.

*Iudices ſtulti.*

CLAVDIVS Cæſar peregrinitatis reum, orta inter aduocatos leui contentione, togatum'ne, an palliatum dicere cauſam oporteret, quaſi æquitatem integram oſtentans, mutare habitum ſæpiùs, & prout accuſaretur, defenderetur'ue, iuſſit. De quodam etiam negotio ita ex tabella pronunciaſſe creditur: Secūdùm eos ſe ſentire, qui uera propoſuiſſent. Propter quæ uſq; eò euiluit, ut paſſim ac propalàm cōtemtui eſſet. Excuſans quidam teſtem è prouincia ab eo uocatum, negauit pręſtò eſſe poſſe. Diſſimulata diu cauſa, ac poſt longas demū interrogationes, Mortuus eſt, inquit, puto, licuit. Alius gratias agens, quòd reum defendi pateretur, adiecit: Et tamen fieri ſolet. Proclamante quodam, præcidendas falſario manus: carnificem ſtatim acciri cum machæra, menſaq; lanionia flagitauit. Geſſit Cenſurā intermiſſam diu poſt Paulum Plancumq; Cenſores inęqualiter, narioq; & animo & euentu. Recognitione equitum iuuenē plenū probri, ſed quem pater probatiſſimū ſibi affirmabat, ſine ignominia dimiſit, habere dicens cenſorem ſuum. Alium corruptelis adulteriisq; famoſum, nihil ampliùs quàm monuit, ut aut parciùs ætatulæ indulgeret, aut certè cautiùs. addiditq;: Quare enim ego ſcio, quam amicam habeas? Et cùm orantibus familiaribus demſiſſet cuidam appoſitam notā, Litura tamen, inquit, extet. Splendidum uirum, Græciæque prouincię principem, uerùm Latini ſermonis ignarum, non modò albo iudicum eraſit, ſed etiam in peregrinitatē redegit. Nec quenquam niſi ſua uoce, utcunque quis poſſet, ac ſine patrono, rationem uitæ paſſus eſt reddere. Notauitque multos, & quoſdam inopinantes, & ex cauſa noui generis, quòd ſe inſcio, ac ſine commeatu Italia exceſſiſſent: quendam uerò, & quòd comes regis in prouincia fuiſſet, referēs, maiorum temporibus Rabirio Poſthumo, Ptolemæum Alexandriam crediti ſeruandi cauſa ſecuto, maieſtatis crimē apud iudices motum. Plures notare conatus, magna inquiſitorum negligentia, ſed ſuo maiore dedecore innoxios ferè reperit, quibuſcunq; cœlibatum, aut orbitatem, aut egeſtatem obiiceret, maritos, patres, opulentos, ſe probantibus: eo quidem, qui ſibimet uim ferro intuliſſe arguebatur, illæſum corpus, ueſte depoſita, oſtētante. Fuerunt & alia in Cenſura eius notabilia, quòd eſſedum argenteum ſumtuosè fabricatum ac uęnale ad ſigillaria redimi cōcidiq; coràm imperauit: quodque uno die XX. edicta propoſuit: inter quæ duo, quorū altero admonebat, ut uberi uinearum prouentu bene dolia picarentur: altero, nihil ęquè facere ad uiperę morſum, quàm taxi arboris ſuccum. Suetonius.

De IVDICIS ſurdi inter ſurdos duos iudicio, Nicarchus in ſecundo Epigram. ἐς κώφους, ſic ſcribit:

Δυσκώφῳ δύσκωφος ἐκρίνετο, καὶ πολὺ μᾶλλον
ἦν ὁ κριτὴς τούτων τῶν δύο κωφότερος.
ὧν ὁ μὲν ἀντέλεγεν, τὸ ἐνοίκιον αὐτὸν ὀφείλειν
μηνῶν πένθ'· ὁ δ' ἔφη νυκτὸς ἀληλεκέναι.
ἐμβλέψας δ' αὐτοῖς ὁ κριτὴς, ἐς τί μάχεσθε;
μήτηρ ἔσθ' ὑμῖν· ἀμφότεροι τρέφετε.

Id Thomas Morus uertit in hunc modum:

Lis agitur, ſurdusque reus, ſurdus fuit actor,
Ipſe tamen iudex ſurdus utroque magis.
Pro ædibus hic petit æs, quinto iam menſe peracto:
Ille refert, Tota nocte mihi acta mola eſt.
Aſpicit hos iudex: Et quid contenditis? inquit,
An non utrique eſt mater: utriq; alite.

In agro Bononienſi oppidum eſt, Medicina dictum. Miſſus eò PRÆFECTVS, litem audiebat duorū. Creditor pecuniam creditā exigebat. Pręfectus truculento uultu: Quin ergo reddis, debitori inquit. Debitor, At uerò reddidi, reſpondit. Iudex ad creditorem, An non ergo te mendacij pudet? Creditore probationes ſe allaturum affirmante, debitorem ſummoperè obiurgauit. At debitore contrarias pollicente, creditorem modò non diris deuouit. Tandem multis ultrò citroq; uerbis cōmutatis, Vtraq; pars, inquit præfectus, & uictrix eſt, & uicta: proinde abeatis licet. Poggius in Facetiis.

*Filij hominum Sapientum.*

Apud Homerum Odyſſeæ primo, Telemachus rogatus, Num Vlyſſis eſſet filius, reſpondet ad hunc modum:

Μήτηρ μέν τ' ἐμέ φησι τοῦ ἔμμεναι· αὐτὰρ ἔγωγε
οὐκ οἶδ'. οὐ γάρ πώ τις ἑὸν γόνον αὐτὸς ἀνέγνω. *id eſt:*

Eſſe quidem illius mater me ait: aſt ego ſanè
Neſcio: nemo ſuum patrem unquam nouerit ipſe.

Eraſmus in Adagiis.

Orphei caput unà cum lyra in Hebrum fluuium proiectum, ad Lesbum peruenit. Lesbij lyram in Apollinis templo ſuſpenderunt. Quam poſt multum tempus NEARCHVS, Pittaci tyranni Mitylenenſium filius, ſacerdote multis pecuniis corrupto, clàm abſtulit, & aliam ſimilem ſubſtituit, ſperans ſe diuina quædam carmina, quibus ſyluæ atque feræ mulcerentur, cantaturum. Verùm cùm interdiu ſe in ciuitate parum tutum eſſe arbitraretur, noctu in ſuburbio citharam inconditè pulſans, canes exciuit, qui infelicem citharœdum diſcerpſerunt. Itaque Orpheum non modulis ſed mortis genere imitatus eſt, niſi quòd is à mulieribus, hic uerò à canibus laceratus eſt. Lucianus πρὸς τὸν ἀπαίδευτον πολλὰ βιβλία ὠνούμενον.

Herodes Atticus ſophiſta, quum ingenio & eloquentia nulli ſecundus haberetur, filium ATTICVM habuit adeò hebetem, ut ne prima quidem perciperet elementa. Philoſtratus in eius uita.

## PRVDENTIAE POLITICAE MAGISTRI.

*Ex ſingularibus Prudentiæ in Inueniendo titulis huc exempla accommodari poterunt, eorum, qui rectè conſulunt, tanquam Magiſtrorum alienæ prudentiæ: & uiciſſim eorum, qui parent, tanquam Diſcipuli.*

### QVI. PVTA

*Vates.*

Proditum eſt memoriæ, ex Getarū gente quempiam, nomine ZAMOLXIN, ſeruiſſe Pythagoræ, & cœleſtium rerū cognitionē ab eo didiciſſe: cūq; ad Aegyptios uſq; peregrinatus erraſſet, quædā etiam illorum accepiſſe: cūq; ſuā reuertiſſet in patriā, magna in charitate ac ſtudio apud principes nationēq; illam habitū, quid portenderēt ſigna præſagientē. Deniq; perſuaſum regē, animum induxiſſe, ut illum in regni ſocietatē acciperet, ut qui ad deorum arcana annuncianda foret idoneus, & ab initio quidē eius, quē maximè ueнerā tur, dei ſacerdotē conſtitutum, poſtea uerò Dei appellationē comparaſſe. Inde ſpeluncam nactum ſubterraneā, cæteris quidē inacceſſibilem externis, excepto rege, eiuſq; miniſtris, eo in loco degere ſolitum, colloquia rara facientē: adiutaſſe etiam regē, cùm homines longe magis, quàm prioribus annis ſibi cerneret obedientes, tanquam deorū conſilio cūcta agēti. Is mos deinceps durauit, ut ſemper aliquis eiuſmodi præditus inſtitutis inueniatur, qui regi conſiliarius adſit, & inter Getas Dei nomen aſſequatur. Auguſto imperante Bœrebiſtas Getarū tenebat imperium: Decæneus uerò ſiue Ceneus magus, conſiliarius erat. Strabo lib. 7.

Bœrebiſta, Ariouiſti Germanorum regis ſucceſſor, uſus eſt, auito more gentis, ſacro conſultore, uateq; fatidico DICENEO quodam mago, qui diu Aegypti oras peragrarat, ſacerdoteſq; audierat. Huius perſuaſione uites exciſæ ſunt, uitamq; abſtemiam ſine uite agere decretum eſt. Deniq; Bœrebiſtas his bonis ſuorum artibus fretus, latiſſimum intra paucos annos imperiū peperit. Auent. li. 1. Annaliū Boiorū.

*Iureconſulti.*

Domitius VLPIANVS iureconſultus, prætorio præfectus ſub Alexandro Mammeæ, omniumque eius conſiliorum particeps, ſua prudentia principem, atque adeò totum rexit imperium. Propterea quærenti Conſtantino Magno, quo pacto Alexander & adoleſcens & Syrus in talem euaſiſſet principem, cùm Tiberij, Caligulæ, Nerones, Domitiani, Commodi, Iuliani, ante illum principes Romani ſanguinis, imperatorium nomen dignitatemq; fœdarint? reſponſum fuit, id potiſſimùm moribus ac probitati eorum acceptò eſſe ferendum, quos ille princeps in conſilio habuerat, Vlpiano, Iulio Paulo, Pomponio, Fabio Sabino, Iureconſultis præſtantiſſimis. C. Rutilius in uita Vlpiani.



LEO 43. Rom. Pont. Theoderico Gothorum regi à ſecretioribus fuit conſiliis, antequam ſacrarum literarum ſtudio ſeſe addiceret. Sidonius ad Leonem lib. 4.

*Præceptores.*

CHALIS ſeu Chalibaſſa, præceptor Mahometi II. ab ineunte pueritia, ab Amurate, qui Conſtantinopolim cepit, moriente, tutor eidem relictus fuit: quem ob prudentiam amoremque eius erga ſe atque ſuos omnes, non ſecus & audire & obſeruare deberet, quā ſi pater eſſet. Repetiit enim ætates uſq; ſeptem ſuperiores, quibus maiores ipſius Chalis primarij ſemper fuerant in Othomannorum tyrannide, & Turcis omnibus dilectiſſimi. Cuſpinianus.

*Principes.*

PERSARVM ſeptem principes, & inter eos præcipuus Mumachan, Artaxerxi regi conſilium dedêre, de repudianda ob inobedientiam regina Vaſti, & altera ſuperinducenda. Eſteræ 1. & Ioſephus lib. 11. cap. 6. Antiq.

SERVIVS Tullius Rom. rex, cùm conſideraret fortunæ momentum exiguum multum ſemper pollere, & quia factum quid penè eſt aut non eſt, ſubinde id quibuſdam fuiſſe cauſam, ut aſſecuti ſumma uel ludificati ſint: Breuis fortunæ ędem Romæ conſtruxit: quò intēdendum præciperet rebus, nec quantumuis modicæ ſint, eas, quæ accidunt, eſſe contemnendas. Plut. in quæſt. Rom.

*Conſiliarij, Senatores.*

*Conſiliarij & Senatores, Dignitatis merito inter fortuita referri debent. Hic ſolius Prudentiæ in conſulendo ratio habetur. Sin Theoricum habitum conſideres, ad Philoſophiæ morum locos pertinent, & præſertim ad Iurecoſſ.*

HISTIÆVS Mileſius tyrannus, qui ratem in Iſtro fluuio cuſtodiuit, quando Darius contra Scythas profectus fuit: cùm fide ergò à Dario poteſtatem haberet, Myrcinum urbem in Thracia condendi, tandem à Dario in Perſiam reuocatus eſt, hac ſpecie, ut conſiliarius regius exiſteret, at reuera, ne loci opportunitate à rege aliquando rebellaret. Herodotus libro quarto.

Cùm Leſcus Albus non aliter Poloniæ principatum obtinere poſſet, quàm ſi GOVORICIVM conſiliarium ſuum fidiſſimum relegaret: cunctantem ille ultrò hortatus eſt, ne ſua cauſa tanta commoda negligeret. Malè enim ſibi ſuiſq; poſteris Leſcum conſulturum eſſe, ſi propter ſe unum ſeniculum, & pauculos atq; eos incertos dies uitæ ſuæ, in aliam familiam transferri principatū ſineret. Libenter ſe pro eius commodis atq; honore in exilium abiturum, pro quo uitā quoq; ponere deberet, atq; cuperet. Commouit Leſcum ea Gouoricij oratio, ut illicò negaret, tanti ſe facere principatum, ut eius adipiſcendi gratia tam fidum conſiliarium proderet, immerentemq; magiſtratu ſimul & patria eiiceret. Proinde alium ſibi Cracouienſes proceres iſtis legibus quęrerent: ſe in paterna ditione ſua quieturum potius, quàm per ſcelus principatū potiturum. Cromerus lib. 7.

*Legati.*

METRODORVS Scepſius, quo Mithridates in magnis reb. utebatur, colebatq; ut patrem, ab rege ad Tigranē miſſus, ut eum in ſocietatem belli contra Romanos traheret: rogatus à Tigrane Armenio, An in partes belli oporteret ſe deſcendere? reſpondiſſe fertur (incertum Mithridatis odio, an ut ex ſententia conſuleret) Ego rex, inquit, ut legatus tibi, ut opem feras, ſuadeo: ut conſiliarius, petitam ut neges moneo. Id reſponſum quum non tacitum tuliſſet Tigranes, cauſa fuit ut Metrodorus cōfeſtim ſit à Mithridate interfectus. Doluit Tigranes ſuo indicio tātum uirum exitio deditum: ſed quem uiuum prodidit, extinctum magnificè funerauit. Sabellicus lib. 4. Enneadis 6.

*Captiui.*

CROESVS, rex Lydorum, uictus à Cyro Perſarum rege, illi poſtea in rebus gerendis ſemper optimè conſuluit. Itaq; Cyrus contra Maſſagetas expeditionem ſuſcipiens (in qua etiam periit) filio ſuo Cambyſi Crœſum commendauit, utq; illius conſilio uteretur monuit. Herod. lib. 1. & 3.

### QVALES. APTI, INEPTI.

*Ex Prudentiæ bellicæ & Stultitiæ bellicæ particularibus Titulis generalis illuſtretur.*

### QVOMODO.

*Viua Voce.*

*Ex ſeq. Titulis Conſiliorum priuatorum Titulus hic generalis illuſtrari poteſt.*

*Scripto.*

M. VARRO edito commentario docuit Cn. Pompeium, quid facere dicereq; deberet Senatum conſulens, rogatus à Pompeio ad hoc genus officij. Gellius lib. 14. cap. 7.

*Dignitate, Magiſtratu.*

ROMANI pueros patricios cum parentibus in Senatum duci permittebant, ut conſiliis ſapientum iam inde à teneris aſſueſcerent. Durauit ille mos uſq; ad Papyrium Prætextatum. Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 6. & Gellius lib. 1. cap. 23.

AVGVSTVS Cæſar liberis Senatorū, quò celerius Reip. aſſueſcerent, protinus uirilē togā, latum clauū induere, & curiæ intereſſe permiſit. Idē, quo plures partē adminiſtrandę Reipublicæ caperēt, noua officia excogitauit: curā operum publicorū, uiarum & aquarū, aluei Tiberis, frumenti populo diuidendi, præfecturā urbis, Triumuiratū legendi Senatus, & alterum recognoſcendi turmas equitū, quotieſcunq; opus eſſet. Cenſores creari deſitos longo interuallo creauit, numerum Prætorum auxit. Exegit etiam, ut quoties conſulatus ſibi daretur, binos pro ſingulis collegas haberet: nec obtinuit, reclamātib. cunctis, ſatis maieſtatē eius imminui, quòd honorē eum non ſolus, ſed cū altero gereret. Sueton.

Apud VENETOS leguntur quotannis in Senatum certo numero iuuenes patricij, qui XX. annum attigerint, cùm alioqui ante XXV nulli in Senatum uenire liceat. Sabellicus de Magiſt. Venet.

## PRVDENTIAE BELLICAE MAGISTRI.

*Diſciplina militaris latiſſimè patet. Eaq; propter Magiſtri eiuſdem partim in genere conſiderari poſſunt, partim in ſpecie. In genere quidem, qui huius uel inſtituendæ, uel conſeruandæ, uel reſtituendæ auctores fuēre. In ſpecie uerò, ſecundùm cauſas ſingulas. Sic Magiſtri militaris diſciplinæ dicuntur reſpectu Materiæ ſubiectæ illi, qui uel animos militum ad fortitudinem, ad temperantiam, ad iuſtitiam hortantur (exempla è Tit. Militum fortitudinem, temperantiam, alacritatem, iuſtitiam accendere, petenda) uel corpora eorundem ad laboris, uigiliarum, famis, itineris tolerantiam excitant (de qua re ſub Tit. Robur militum tam actiuum quàm paſſiuum firmare) ſimul etiam ad dextrum uſum Armorum inſtituunt. Iam reſpectu Formæ, hoc eſt, ipſius modi inſtitutionis, uel Præceptis fit, uel Exemplis. Præceptis inquam & monitionibus tum blandis, ſuadendo, hortando, orando: tum ſeueris, interminando, cogendo. Deniq; reſpectu Efficientis, Magiſtros alios Publicos, ut Reges, Duces: alios Priuatos, ut Parentes, Præceptores conſtituere poſſumus. Fontes hi ſunto ſubdiuiſionum, in quas exempla ſequentia methodicè diduci poſſunt atq; debent. Diſciplinæ nos hic exempla in genere congeriſmus. Qui Temperantiam, qui Fortitudinem, qui Iuſtitiam prudenter docuēre, in ſpeciali enarratione Stratagematum recenſebuntur.*

### QVI.

*Reges, Principes, Duces.*

IVDA Machabęo mortuo, animū quoq; amiſere Iudæi, & partim fame, partim ferro à Bachide domiti ſunt. 2. Machab. 9.

Cùm Artaxerxes Aegyptio regi bellū inferre ſtatuiſſet, IPHICRATEM ab Athenienſibus petiuit ducem, quem præficeret exercitui conducto, cuius numerus duodecim millium fuit. Quem quidem ſic omni diſciplina militari erudiuit, ut quemadmodum quondam Fabiani, milites Romani appellati ſunt: ſic Iphicratenſes apud Græcos in ſumma laude fuerint. Probus in eius uita.

CLEOMENES Leonidæ F. magiſter fuit diſciplinæ militaris Spartanorum. Docuit enim eos pro lancea ſariſſam ambabus manibus tractare, & clypeum ferre amento non appenſum. Plut. in Cleomene.

PYRRHVS, Epirotarum rex, in auxilium uocatus à Tarentinis contra Romanos, poſteaquam incolumes ex mari adfuerunt naues, & exercitus maxima ex partē conuenit: multitudinem aduertens niſi acriter compulſam neq; ſeruari ipſam neq; ſeruare poſſe alios, ſed tanquam ipſo propugnātē domi reſidere balneis indulgentem & conuiuiis: gymnaſia ambulationeſq;, in quibus ſpaciantes diſpenſabant res gerendas uerbis, occluſit: compotationibus, comeſſationibus & ludis intempeſtiuis interdixit. Ad arma eos uocauit, in delectibuſq; iuuentutis ſeuerus & durus fuit. Vnde reliquerunt urbem multi, qui inſolentia parendi, quòd non liceret,

ceret in deliciis uiuere, ſeruitutem uocabāt. Plut. in Pyrrho.

PHILOPOEMENES Achæorum magiſter equitū, primùm ordinum militarium apud Achæos atque armaturæ correxit uitia. Scuta enim habebāt ex tenuitate expeditiora & reſtrictiora, quàm ut tegere poſſent corpora, lanceas longè ſariſſis breuiores: unde ob leuitatem ad eminus petendum ſtrenui erant & bellaces, cominùs non perinde ualebant. Modus & forma aciei in orbem non erat in uſu: ſed quia quadratam aciem, qua utebantur, nec fronte muniebant nec ſtrue, ut moris erat Macedonum, ex facili impellebantur, diſiiciebanturq;. Vbi hæc Philopœmenes digeſſit, induxit eos, ut pro ſcuto & lancea clypeum & ſariſſam caperent: ſimul ut galeis, loricis ocreiſq; tecti, loco curſoriæ & uelitaris pugnæ ſtatariam meditarentur & firmam. Vbi iam pubem ad ita ſe armandum impulit, primùm ut inuictos confirmauit, deinde delicias & luxum eorum optimè inuertit. Neque enim eripere ſemel potuit uanū & inane, quod perdiu infecerat animos eorum, deſiderium circa amœniorem ueſtium cultum, ſtrata purpurea, ſumtuoſas cœnas, menſaſq;: ſed cùm inſtitiſſet à non neceſſariis cupidos elegantię ad neceſſaria deflectere & honeſta, breui omnes mouit atque inflammauit, ut quotidianis repreſſis in corpus ſumtibus, geſtirent in militari & bellico ornatu oſtentare ſe ſplendidos & comtos. Quippe profuſio aliis in rebus uoluptates producit, & animos eneruat utentium, quaſi per ſtimulos & titillationes animum ſenſu infringente: contrà impenſa in huiuſcemodi res roborat eum, extollitq;: ſicut Achillem induxit Homerus nouis armis propè ſub oculis poſitis quaſi exultantem & ardentem, ut ea in opus educeret. Cùm equites accepiſſet, qui prauos & exiles equos ſubitarioſque inſtante expeditione arriperent, atque ipſi ferè militiam defugerent, alioſq; delegarent uicarios, eſſet etiam ſingularis omnium cum ignauia inertia: eaq; diſſimulaſſent antè magiſtratus, quòd inter Achæos plurimùm equites pollerent, ac præcipuè arbitrium haberent honorum & pœnarum: nō ſummiſit animum, neque elanguit: ſed cùm oppida luſtrando, tum ſingulos iuuenes ſeorſim ad laudem excitando, & caſtigando ignauos, exercitationibuſque & tranſuectionibus atque mutuis inter ipſos concertationibus, ubi ſpectandi à plurimis eſſent, miros neruos breui, alacritatemque impreſſit cunctis, & quod in diſciplina erat militari caput, agiles reddidit atque expeditos. Itaque turmatim in latus conuertere, & in terga obuertere aciem, ſingulos item equos ita conuertere & flectere edocuit & conſuefecit, ut totius circumagendi globi dexteritas unum corpus repræſentaret, ſuo ſe contorquens nutu. Plutarchus in Philopœmene, & Pauſanias in Arcadicis.

DVCIBVS, Centurionibus & Tribunis apud Romanos præcipuè curandum erat, in locis ubi ſtatiua habebant, cogere tyrones milites, cùm primùm merere cœpiſſent ſtipendia, ne ſine conſilio, ſine imperio in hoſtes tenderent: per turmas hinc inde crebrò cōcurrere, decurrere, clamare, locum tenere, imperium ſeruare, iuſſa exequi, ſeq; in orbem colligere, cuneum facere & phalangem, ut ſequi ſigna, & pati tędium æſtus & uigilias aſſueſcerent. Alexander ab Alexandro lib. 1. cap. 20. & lib. 5. cap. 2.

P. SCIPIONI ad Numantiam miſſo fuit ab initio maius certamen cum ſuo milite, quàm cum hoſte, dum corruptum exercitum ad ſeueriorem militiæ diſciplinam reuocat, qui ſeruilibus operibus, priorum ducum ignauia, aſſuetus, multo aptius uallum circumferebat, quo ſuam imbelliam tueretur, quàm ſcutum & haſtam, malletq; foſſa & congeſto luto ſe, quàm hoſtium cruore inquinari. Suſtulit igitur dux ſolertiſſimus omnia deſidiæ inſtrumenta, ſcortis & inſtitoribus numero bis mille extra uallum eiectis: militem quotidie decurrere, aut militare opus aliquod obire, ſeptenoſq; uallos ferre cogebat, ut ſui opprobrij aliquando pigere inciperet, crebro militem onere degrauatum inceſſens, Quū gladio rectè uallare didiceris, uallum ferre deſinito. Quendam ſcutum nimis aptè ferentem, aliud amplius grauiuſq; iuſto ferre coegit: reddita etiam cauſa cur id faceret, quando ſcuto meliùs quàm gladio uteretur. Si quem extra ordinem deprehendit, ſi Romanus eſſet uite, ſi extrarius uirgis cecidit, uendiditq; iumenta omnia, ne nimium exonerarēt militem. Militiaq; per hæc in integrum reſtituta breui apparuit illud uerè dici: Tanti quemlibet exercitum eſſe, quantī ſit is, qui in eo imperet. Sab. lib. 9. En. 5.

Q. Cæc. METELLVS contra Iugurtham miſſus, ubi primùm in prouinciam uenit, pro magno habuit negotio militiam corrigere, partim ſuperiorum ducum negligentia, partim ignauia corruptam. Imbellis ibi exercitus erat, neq; periculi, neq; laboris ampliùs patiens: non uigiliæ, non ſtationes circa caſtra. Milites lixis permixti, ut cuique libitum erat, ab ſignis aberant. Frumentum acceptum uendere, panem in diem mercari, multaq; prouincialibus adimere, cum uino & aliis peregrè aduectis commutare. Nullum ignauiæ luxuriæúe probrum eſſe, quod in exercitu illo ignominioſū non reperiretur. Hanc militum intemperiem conſul paucis diebus emendauit propoſito edicto, Ne quis panem obſoniúmue ullum coctum in caſtris uenderet. Ne lixæ exercitum ſequerentur. Ne gregarius miles in caſtris aut itinere, ſeruum haberet aut iumentum. Ipſe quotidie tranſuerſis itineribus ductare, caſtra, uelut hoſtis in proximo eſſet, uallo & foſſa munire, nunc in primis, nunc in poſtremis, nunc in medio uerſari: atq; ita magis prohibēdo à delictis, quàm delicta uindicando, breui exercitum confirmauit. Iugurtha Metelli prouidentia ſimul & integritate perculſus, tum demùm ad ueram deditionem animum adiecit. Sab. lib. 1. Enneadis 6. Plin. cap. 62. de Viris illuſt. Front. lib. 4. cap. 1. Valer. Max. lib. 2. cap. 2. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 12.

Cùm haberentur Numantini inuicti bello uiri, multoſq; duces profligaſſent, ad bellum illud gerendum P. SCIPIONEM Africanum iuniorem populus cōſulem creauit. Cùm autem frequentes ad eam expeditionem ſe uoluntarij offerrent: ueritus, ne uacua relinqueretur Italia, impediuit id ſenatus: nec ſtipendium ut caperet ex ærario conceſſit, uerùm aſſignauit à publicanis, cuius pecuniæ nondum ceſſerat dies. At Scipio non requirere ait ſe pecuniam, ſuppeditaturam domo & ab amicis: uerùm de militibus eſt queſtus. Quippe graue eſſe bellum, ſi uirtute hoſtium fuiſſent toties ſuperati, quòd aduerſus tales: ſi ciuium ignauia, quòd cum talibus gereretur. Poſtquam in caſtris ſub aduentum ſuum ingentem licentiam, laſciuiam, ſuperſtitionem, & luxum offendit: extemplò fatiloquos, ariolos & lenones exegit, inſtrumentum omne edixit ut dimitterent, præterquam ollā, ueru, & poculum figlinum. Ex argenteis calicem permiſit, quibus liberet, non amplius dupondio, balneis interdixit. Qui ungi uellet, ut ſe quiſq; ipſe fricaret. Namque iumenta manibus carentia habere opus alio, qui ipſa fricent. Prandium præſcripſit ut pedibus inſiſtentes caperent incoctum: cœnarent accumbentes panem uel pultem ſimplicem, & carnes aſſas uel elixas. Ipſe ſago amictus pullo, in publico uerſabatur, lugere ferens ſe exercitus infamiam. Plut. in Apophthegmatibus, & Polyænus lib. 8.

M. CATO minor Trib. mil. creatus, in Macedoniam miſſus eſt ad Rubrium prætorem. Comitabantur eum ſerui quindecim, duo liberti, & quatuor amici: quibus equo uectis ipſe pedibus incedens, applicabat ſe uiciſſim cuiq;, colloquebaturq;. Vt in caſtra uenit, ex pluribus legionibus uni à prætore præfectus ſuam unius uirtutem exiguum opus necregium ducebat explicare, ſed milites ſui reddere ſimiles maximè enitens: non formidinem detraxit imperio, ſed adiecit admonitionem per rationem: qua ſingula probans iis, docenſq; adiuncto honore & pœna, difficile erat dicere quietiores, an bellicoſiores, an alacriores, an iuſtiores milites reddiderit. Adeò præbuerunt ſe hoſtibus formidabiles, manſuetos ſociis, timidos ad malum, & acres ad laudem. Vnde quod minimè Cato morabatur, id eſt inprimis aſſecutus, gloriam & beneuolentiam, & eximium honorem, & ſtudium militum. Nam quæ aliis imperabat, ea quia ultrò præſtabat ipſe: ueſtitu autem & uictu itinériſq; labore comparabat ſe illis magis quàm ducibus: grauitate uerò, prudentia, facundia, omnibus antecellebat, qui nomen obtinebant imperatorum & ducū: ſimul his artibus deuinxit clàm ſibi animos eorum. quippe germanus uirtutis amor non influit, niſi per ſummum imprimentis eum ſtudium & reuerentiam. Sine amore qui celebrant bonos, eorum gloriā reuerentur, non ſuſpiciunt neq; imitantur uirtutem. Expleta militia, non uotis eum, quod translaticium erat, neq; pręconiis: ſed lacrymis complexibuſq; proſecuti ſunt, ſubſternentes in uia, qua pergebat, ueſtes, manuſq; eius deoſculantes: quæ uix paucis imperatoribus præſtabant illius temporis Romani milites. Plut. in eius uita.

Q. SERTORIVM Hiſpani ob bellicas uirtutes habebant in admiratione, & amore proſequebantur: præterea quòd Romanis armis, ordinibus, ſignis, detrahens ipſis ſpeciem uirium inſanam & beluinam, pro magna latronum manu in formam exercitus redegiſſet copias ſuas. Argento affatim præbito, & auro galeas eorum exornauit, & ſcuta uariis diſtinxit ornamentis, chlamydeſq; pictas & tunicas uſurpare eos docens, atque in id ſuppeditans & ſeruiens illorum gloriæ, influebat in eorum animos. Præcipuè cepit eos puerorum diſciplina. Nam ex parentibus ſibi gentibus nobiliſſimos Oſcam amplam urbem contraxit, iiſq; doctores præfecit literarum Græcarum & Latinarum. Ita illos reuera obſides habebat, uerbo erudiebat: oſtendens, ubi creuiſſent, ciuitate Romana eos donaturum ſe, atq; ad honores prouecturum. Quorum genitores delectabantur, quòd filios conſpicerent prætextatos, decorè ad ludum literarium cōmeantes, pendentem pro his ſalarium Sertorium, crebrò ſit mentem ſpecimen, præmiaq; meritis tribuentem, & aureas bullas donantem. Plut. in Sertorio.





C. IVLIVS Cęſar, militem neq; à moribus neq; à fortuna probabat, ſed tantùm à uiribus: tractabatq; pari ſeueritate atq; indulgentia. Non enim ubiq; ac ſemper, ſed cùm hoſtis in proximo eſſet, coërcebat: tum maximè exactor grauiſſimus diſciplinæ, ut neq; itineris, neq; prælij tempus denunciaret: ſed paratum & intentum momentis omnibus, quò uellet, ſubitò educeret. Quod etiam ſine cauſa plerunque faciebat, præcipuè pluuiis & feſtis diebus. Ac ſubinde obſeruandum ſe admonens, repentè interdiu uel nocte ſubtrahebat: augebatque iter, ut ſerius ſubſequentes defatigaret. Fama hoſtilium copiarum perterritos non negando, minuendóue, ſed inſuper amplificando ementiendoq; confirmabat. Itaque quum expectatio aduentus Iubæ terribilis eſſet, conuocatis ad concionem militibus, Scitote (inquit) pauciſſimis his diebus regem affuturum cum X. legionibus, equitum XXX. leuis armaturæ C. millibus, elephantis CCC. Proinde deſinant quidam quærere ultrè, aut opinari, mihique (qui compertum habeo) credant: aut quidem uetuſtiſſima naue impoſitos, quocunque uento, in quaſcunque terras iubebo auehi. Suetonius.

AVGVSTVS Cæſar, in re militari & communicauit multa, & inſtituit: atq; etiam ad antiquum morem nonnulla reuocauit: diſciplinam ſeueriſſimè rexit: ne legatorum quidem cuiquam, niſi grauatè, hybernisq; demum menſibus, permiſit uxorem interuiſere. Equitem Rom. quòd duobus filiis adoleſcētibus, cauſa detrectandi ſacramenti, pollices amputaſſet, ipſum bonaq; ſubiecit haſtæ: quem tamen, quòd imminere emtioni publicanos uidebat, liberto ſuo addixit, ut relegatum in agros pro libero eſſe ſineret. Decimam legionē contumacius parentē cum ignominia totam dimiſit: itē alias immodeſtè miſſionē poſtulantes, citra cōmoda emeritorū præmiorum exauctorauit: cohortes, ſi quę ceſſiſſent loco, decimatas hordeo pauit: Centuriones ſtatione deſerta itidem, ut manipulares milites, capitali animaduerſione puniit: pro cætero delictorū generę uariis ignominiis affecit, ut ſtare per totum diem iuberet ante Prætorium: interdum tunicatos, diſcinctoſq;, nonnunquā cum decempedis, uel etiam ceſpitem portantes. Idem.

TIBERIVS Cæſar in Germania militarem diſciplinam acerrimè exegit, animaduerſionum & ignominiarum generib. ex antiquitate repetitis: atq; etiā legato legionis, quòd paucos milites cum liberto ſuo trans ripam uenatum miſiſſet, ignominiam notato. Idem.

GALBA, poſtridie quàm ad legiones uenit, ſolenni fortè ſpectaculo plaudentes inhibuit, data teſſera, ut manus penulis continerent. Itaq; ſtatim per caſtra iactatum eſt, Diſce miles militare: Galba eſt, non Getulicus. Pari ſeueritate interdixit commeatus peti. Veteranum ac tyronem militem opere aſſiduo corroborauit: matureq; barbaris, qui iam in Galliam uſque proruperant, coërcitis, præſenti quoq; Caio Cęſari talem & ſe & exercitum approbauit, ut inter innumeras contractaſq; ex omnibus prouinciis copias, neq; teſtimonium, neq; præmia ampliora ulli perciperēt: ipſe maximè inſignis, quòd campeſtrem decurſionem ſcuto moderatus, etiam ad eſſedum Imperatoris, per uiginti paſſuum millia cucurrerit. Poſteaquā Imp. ſalutatus in urbem uenit, ad officiū remigādi eos redire coëgit, quos Nero olim ex remigibus legitimos milites claſſiarios fecerat. Germanorum cohortem, à Cęſaribus olim ad cuſtodiam corporis inſtitutam, multiſq; experimentis fideliſſimam, diſſoluit, ac ſine ullo commodo remiſit in patriam. Plutarchus tradit, remiges illos clamantes in itinere obtriuiſſe, ac per multam cædem, totque cadauera, in urbem, haud fauſto auſpicio, ingreſſum: horribilēque omnibus ac formidabilem factum, quanquam ſenem infirmumq;. erat enim annos natus tres & ſeptuaginta. Cuſpinianus ex Suetonio.

Corn. Tacitus prodit, VESPASIANVM conſueſſe anteire agmen, locum capere, cibo fortuito, ueſte habituq; uix à gregario milite diſcrepante, legiones habuiſſe exercitas bello, noctu ſtetiſſe in excubiis, milites ſtratagematibus doliſque bellicis inſtruxiſſe.

ADRIANVS Imperator, militari diſciplina poſt Octauiū Cęſarem ualde corrupta, in Germaniam proficiſcens, etſi in pacato erat, tamen haud ſecus, quàm ſi propinquus eſſet hoſtis, milites exercuit, adeò ut equites eius armati Danubium tranſnatauerint. Tabernacula frondibus facta, aut in ſubterraneis locis ad minuendam caloris uim inuenta, ſubuertit; atq; ut ex ipſius patientia ferendi laboris exemplum alij haberēt, interdum pedibus uiginti paſſuum millia peragebat. In propatulo ueſcebatur, lardo caſeoq; tantū inſtructa menſa: nec alio uino, quàm poſca ſiue lora, utebatur, quemadmodum antea Scipiones Marcelliq; factitârant: ut aliorum ſeuerus eſſe reprehenſor poſſet, exemploq; ſuo ferēdi laboris excuſationem adimeret. In cæteris quoq; expeditionib. non modò ea, quæ ad uniuerſum exercitum pertinent, ut ſunt arma, machinæ, foſſæ, aggeres, ſed etiam qualis ſit cuiuſq; & militum & ducum ipſorum uita, ſtatio & mores, diligenter animaduertit: mores indulgentia deprauatos correxit, ad omne genus pugnæ milites exercuit, atq; omnem militarem diſciplinā eos docuit. Sab. lib. 4. En. 7. & Auentinus lib. 2. ex Dione.

Antoninus CARACALLA, qui Seuero patri in imperio ſucceſſit, præter quàm quòd ſæpe ſe cum militib. exercebat, pedibus iter armatus faciebat, ac magnum ſpacium militaria ſigna ipſe ferebat: ne tū quidē, cùm laſſus in tētoria ſe receperat, delicatiore cibo reficiebatur, ſed cū aliis militibus eo pane ueſcebatur, quod ipſe ſibi pinſerat, & in ardenti cinere decoxerat. Scypho quoq; ligneo habebat.

PESCENNIVS Niger, qui ſua uirtute ad imperium conſcendit, nunquam alio quàm militari cibo uſus, militibus, cùm uinū poſcerēt, reſpondit, debere eis fluuialem aquam ſufficere. Niſi reliquus exercitus ſub tecto manſiſſet, tentorium aut frondea tabernacula nō ſubibat: ſed ſub dio manēs, ſuo exemplo docebat alios uitæ militaris auſteritatem.

VLPIVS Marcellus, Cōmodi Romanorū Imperatoris contra Britannos dux, ut milites in diſciplina optima contineret, uiuebat aliorum militum more. Dion Nicæus.

ALEXANDER Seuerus Imp. uix annos uiginti natus, in ſumma rerum affluentia, egregiū militaris diſciplinæ exemplū ſeipſum præſtitit. Non alio quàm militari cibo utebatur: apertoq; tentorio, ut omnes conſpicerēt, ueſcebatur. Si quis, dū agmē incederet, in priuatorum poſſeſſiones ſe immiſiſſet, plagis multabat: uociferando, An ita calcari agrum tuū uelles? Quod tibi fieri non uis, alteri ne feceris. Stipēdia militi largè perſoluebat: neq; ferebat, ut uel legati, uel aliorum ordinum ductores ſtipendia decimarent. Militem enim bene ueſtitum, caligatumq; ac ſaturum eſſe oportere aiebat: ſi quid præterea numorum in baltheo ſecum geſtaret, ſemper dicto audientem fore, quia inopiæ plerunq; deſperatio cōiuncta eſſet. Hæc cùm ipſe præſtaret, à militibus contrà ſeuerè exigebat, ut diligenter militarem diſciplinā ſeruarent. Antiochiæ equites nonnullos, balneis conuiuiiſq; deditos, cōprehendi, atq; in cuſtodia haberi iuſſit. Qua re motus exercitus cùm tumultuaretur, ipſe in tribunal conſcendit, ac perpetrati erroris grauiter milites increpuit. Cæterùm cùm ipſi penè minabundi fremerēt, ſolus inermiſq; toruo uultu grauiterq; ſonante uoce omnem exercitum exauctorauit, iuſſitq; ut ſtatim arma dederent. Mira res profectò, ſed tamen uera fuit, unam principis uocem tam multos iratoſq; exarmaſſe milites. Nam ad primum eius uerbum eodem omnes momento arma in terram abiecerunt. quæ unà cū ſignis per populum Antiochenum ad palatium Alexander ferri iuſſit. Nec uerò multo pòſt, cùm eos in priſtinum militiæ honorē recepiſſet, adeò obſequentes habuit in Parthica expeditione, ut non milites, ſed ſenatores ire dicerentur. Lampridius.

AETIVS ex Mœſia prouincia, inter Romanas legiones aſcitus, patricius Romanus ab Honorio Imp. factus, diſciplinā militarem penè collapſam omnem reſtituit. Vandalos, Alanoſq;, in Romani Imperij fines irrumpentes, coërcuit. In Hiſpania præclaras res geſſit. Atilam cum quingentis armatorum millib. in Gallias irrumpentē, in Catalanicis campis memorabili prælio uicit. Egnatius lib. 2. c. 2.

THEODOSIVS Magnus Imp. diſciplinæ militaris exemplū, modico & caſtrenſi cibo cōtentus, ab omni alienus luxu uixit. Alex. ab Alex. lib. 5. c. 21.

HERMION quintus rex Germaniæ magnæ, qui uixit poſt diluuium anno 411 diſciplinam militarem apud Germanos primus inſtituiſſe, legeſque militandi ſanxiſſe legitur: ſic ut quotannis aliquot millia armatorum bellandi cauſa è finibus educerentur: qui domi remanerent, ſe atq; illos alerēt. Hi rurſus inuicem anno pòſt in armis eſſent, illi domi remanerent. Sic neq; agricultura, neq; uſus belli intermittebatur. Auentinus lib. 1. Annalium Boiorum, & Hieron. Zieglerus de Illuſtribus uiris Germaniæ.

TOTILAS Gothorum rex, uti erga hoſtes clementiſſimus erat, ita à ſuis diſciplinam militarem ſeueriſſimè exigebat. Rapere aliena, aut uim inferre, capitale erat, ſequebaturq; ſupplicium bonorum publicatio: quæ quidem bona uiolentiā paſſo tradebantur. Itaq; & caſtra, & ingreſſus Gothorū per amicas ciuitates & gentes, omni ſcelere carebant. Io. Magnus lib. 13. ex Procopio.

CAROLVS Magnus militarem diſciplinam ſeuerè exercuit: militibus, qui nauiter fecerant, præmia conſtituit, negligentes ignominia notauit: ubiq; uirtutis ſpectator extitit. Auētinus lib. 4.

HENRICVS I. Imp. diſciplinam militarem denuò reuocauit: latrones expulit: ex agrariis militibus nonum quemque urbibus impoſuit, ut cæteris octo cum familiaribus ſuis habitacula conſtrueret, frugumque omnium tertiam partem cuſtodiret, cæteris octo ſeminantibus ac fruges colligentibus. Concilia & conuentus in urbibus inſtituit, ut tempore pacis diſcerent, quid in bello eſſet agendum. Ru-

ri autem rara domicilia ædificari iuſſit. Cuſpinianus.

ALBERICVS Balbianus, ſeu Barbianus, Cunij comes, circa annum Chriſti 1376. indignitate permotus, quòd externę gẽtes mercenariis armis Italiam quaterẽt, multæq; paſſim immani rabie baccharentur: Italorum animos, qui tum per ſocordiam amiſſamq; libertatem uetere belli gloria decidiſſent, in ſpem recuperandi nominis erexit, diſciplinam militarem reuocauit, equitem cataphractum inſtituit. Fuêre ſub eius imperio ingentes alæ cataphractorum equitum, qui auſpiciis diui Georgij militantes, ſacramento adacti, nunquã ſe terga daturos externo hoſti, coniurarant. Ab his demùm non uno in loco Britones profligati, cæſi Galli, pulſi deuictiq; Germani, Hiſpani fuſi, Allobroges Angliq; deleti, apud Italos non omnino extinctum antiquæ uirtutis decus iuſta confeſſione docuerunt. Hinc Sfortianus Braccianusq; miles, hinc tot clariſſimi Imperatores, Franciſcus Sfortia, Nicolaus Picininus, & innumeri alij per ea tempora, poſtremò uerò Bartholomæus Coleo, Federicus Vrbinas dux, Robertus Santoſeuerinas, ætate uerò noſtra Nicolaus Petilianus, floruerunt. Egnatius libro ſecundo, capite ſecũdo, ex Platinæ Bonifacio IX. & Fulgoſus lib. 2. c. 2. & Iouius in uita Magni Sfortiæ.

*Milites.*

PHOCION Athenienſis adoleſcens ſub duce meruit Chabria, eumq; eſt aſſectatus, à quo fuit in ſciẽtia militari inſtitutus egregiè. Nonnihil uiciſſim illius ingenium correxit uariũ & impotẽs. Nam cùm ſegnis aliàs Chabrias & tardus eſſet, ipſis in certaminibus gliſcebat & exardeſcebat animo, atq; cũ ferociſſimis proruebat præcipitantiùs: quomodo ſanè in Chio quoq; uitã proiecit, cùm triremi ſua ante cæteros prouectus deſcenſionẽ urgeret. At Phocion iuxtà cautum & impigrum prębẽs ſe, quã cunctationẽ excitabat Chabrię, quã contra calorẽ impetus intẽpeſtinũ detrahebat. Vnde cãdidus & probus Chabrias dilexit eũ, ad negotiaq; & imperia prouexit, eiuſq; arduis in reb. uſus eſt opera, atq; ex pugna nauali apud Naxum inſigne nomen & gloriam Phocioni conciliauit. Plut. in Phocione.

*Præceptores.*

Apud Perſas rei militaris MAGISTRI grandioris ætatis erãt, nec infra annum L. Sub his inſtructa acie, parcè primùm & modicè, mox exactiſſima cura militiam ediſcebant. Iuuentus à uigeſimo ad quinquageſimum annum militare cogebatur, ulteriùs arma tractare uetabatur. Alexander ab Alex. lib. 1. cap. 20.

Tyronibus Romanis ad militiam admiſſis, primo anno CVSTOS, ſub quo diſciplinam ediſcerent, & magiſter, ſub cuius imperio tyrunculi acuerentur, publicè dabatur, ne expertes operum militariũ, arma tractarent. C. Iulius equites Romanos, aut ſenatores armorum peritos, ſub quibus militiæ neſcij erudirentur, magiſtros dedit: quorum præceptis imbuti, perſtando & peruigilando, militare rudimẽtum deponerent, legesq; pugnandi & prælij normã ac dictata interno ſcerent. Primusq; Pub. Rutilius conſul, collega Cn. Manlij, è ludo Cornelij Scauri doctoribus accerſitis, plagas uitandi & inferẽdi militib. præcepta dedit. Inde ne temerè & ſine arte pugnarent, utq; tyrones ſub diſciplina eſſent, & militaribus imbuerentur præceptis, Tribunis datum negotiũ fuit. Quos optimis diſciplinis inſtitutos, tandem militiæ adſcribebant. Idem.

Alfonſus, Neapolitanus rex, bello ab Gallię rege Carolo IIX. petitus, Ferdinandum filium, in quo mirifica indoles militaris uirtutis eminebat, terreſtribus copiis præfecit. Cæterùm NIC. Petilianus, Alfonſus Daualus Piſcariæ Marchio, & Ioannes Iacobus Triuultius, qui tum peregregij duces ẽrant, & poſtea omnibus bellis cum ſumma imperatorię uirtutis laude claruerunt. Ferdinando attributi ſunt, ut alacriores in iuuene ſpiritus maturo conſilio temperarent. Iouius lib. 10. Hiſt.

Conſaluus Agidarius ab INICO Mendocio Tendillæ comite, uiro grauiſſimo, duce omnibus cùm ciuilis tum bellicæ laudis numeris abſoluto, nõ minùs quã ab ipſo antea ALFONSO Cadene primo ſolertiſſimoq; magiſtro, exactæ militiæ documenta præceptaq;, quibus poſtea ſuo cognomine Magnus euaſit, accepiſſe fatebatur, uſq; adeò gratè ſtudioſeq;, ut eum non ſecus ac parentem, ſingulari eum ueneratione percoleret. Iouius in Conſaluo.

*Poetæ.*

TYRTÆVS poeta Athenienſis, per contemtum Lacedæmoniis ducem petentibus ex oraculo, cùm claudus & luſcus eſſet, miſſus, ſuis uerſibus Spartanos belli Meſſenici diuturnitate iam propè attritos reaccendit: ut tandem Meſſenam expugnarint. Quapropter & ciuitate donatus eſt, & in tanta porrò fuit exiſtimatione, ut cum hoſte congreſſuri, eius poëmata canerent, & domi Trichoriam ſaltationem ex eius præſcripto exercerent. Suidas.

*Patres.*

Aegyptiis in more fuit, ut CALASIRIES (qui præcipui habẽtur milites) à nullo doctore, ſed à patre ſolùm militiæ præceptis erudirentur. Alexander ab Alexãdro lib. 1. cap. 20. ex Herodoti lib. 2.

MAGNVS Sforcia, ſub moderata diſciplina educatum filium Franciſcum, cùm ab ſe in Brutios ad dotales urbes ex Polyxena Ruffa uxore profecturum dimitteret: ei attribuit eximiæ uirtutis duces & milites, qui bello paceq; ætatem eius regerent: diu iuuenem cohortatus, ut pietatem & iuſtitiam coleret, nobiliq; animi decreto exiſtimaret, uirtute potiùs, quàm malis artibus ad opes & gloriam contendendum. Illud etiam grauiſſimis præceptis adiecit, ut etiam atq; etiam caueret, ne amici aut imperio ſubiecti uxorem unquam impudicis oculis intueretur. Neminẽ uulnere aut duro uerbere puniret, aut ſi id caſu aut ira præcipiti accidiſſet, extẽplò lenitum, donatumq; digno munere, longiùs ablegaret. Poſtremò nunquam indomiti oris equum aſcenderet, nunquã eo uteretur, qui ab ungula molliore facilè ſoleam excutere conſueſſet. Iouius in uita Sforciæ.

*Mulieres.*

Magno Sforciæ, Ioannis Attenduli F. Cotignolæ antiquo Togatæ Galliæ oppido nato, mater fuit ELISA, uirilis animi mulier, ex Petracina factioſa gente. Ea erat feruidis admodum aſperisq; moribus, ſed pudicitia & fœcunditate mirabili. Peperit enim alterum & uiginti liberos, quos ueluti ad arma natos ita educauit, ut facilè comtiora indumenta exquiſitasq; epulas, & mollia & ſtrata contemnerent: uterẽtur autem robuſto quodam corporis atq; animi uigore ad tuendum familiæ decus, & id ſæpiùs armis, quando grauiſſimas ſimultates cum Paſolinis æquè potentibus exercerẽt, quum Martinus Paſolinus eius familiæ princeps, puellã nobilem Bartholo, Sforciæ fratri ex chirographò deſponſatã, quòd in eius dotẽ perampla hæreditas ueniret, arroganter intercepiſſet. Ob id ſæpiùs iuſta propè acie dimicatũ eſt, magnæq; cædes editæ. Iouius eius uita.

*Dæmones.*

Ingo rex Sueonum, proferendi imperij gratia Danis bellũ indixerat. Cuius euentum Haraldo Danorum regi explorare cupiẽti, Senex gigãtea ſtatura, orbus oculo, obuius factus, hiſpido amiculo, OTHINVM ſe dici, bellorumq; uſum callere teſtatus, præcepit, ut terreſtri prælio uniuerſam aciẽ in tres turmas diuideret, quarum unamquãq; uicenarij ratione denſaret, mediã uerò uiginti uirorum numero reliquis porrectiorẽ extenderet, quã etiã in coni ſiue pyramidis acumẽ digerẽs, alarũ receſſus utrinq; ſecus diſcretis ambagib. obliquaret. Cuiuſlibet uerò turmæ ſeriẽ hac ratione contexeret, ut à duobus frons inchoans, conſequẽtibus locis unitatis duntaxat incremẽta reciperet, & quidẽ in ſecunda linea tres, in tertia quatuor, eodẽq; modo poſteriùs ordinãdos, habita cõgreſſionis ſtatueret: ſicq; conſequẽtes gradus idẽ proportionis tenor inſtrueret, donec coniunctionis extremitas alas æquaret: Cornu uerò quodlibet denis ab eo ordinibus formaretur. Poſt has item turmas inſtructam iaculis iuuentutem collocaret, à tergo ueteranorum cohortẽ adhiberet, quæ labãtes ſociorum uires firmaret. Deinde ſunditorum alas narus locorum ſupputator annecteret, q poſt ſodalium agmina cõſiſtentes, eminus hoſtẽ tormẽtis inceſſerẽt. Poſt quos cuiuſlibet ætatis aut ordinis homines abſq; conditionis æſtimatione paſſim adſciſceret. Cæterùm poſtremam aciem ternis ad inſtar primæ cornibus interſtinctam, ſimiliq; graduum proportione digeſtam explicaret: cuius tergum ſuperiori coniunctum agmini, ipſum auerſæ frontis obſtaculo tueretur. At ſi nauale fortè prælium incidiſſet, partem claſſis ſecerneret, quæ eo propoſitos inchoãte conflictus, multiuola rates hoſticas reflexione circumdaret. His diſciplinæ militaris rationibus inſtructus, Ingonem, Olaumq; fratrẽ bellum parantes, anticipatis apud Sueciam rebus, oppreſſit. Saxo lib. 7.

## QVALES. PVTA

*Apti.*

*Ex Stratagematum Titulis illuſtretur, quatenus rectè & feliciter, quid agendum ſit, ipſi Duces ſuos docent milites.*

GOBRYAS unus ex ſeptem, qui Magos ſuſtulerunt, ultꝰ prudentia inſigni, cuius conſilio in Scythica expeditione uſus Darius, tutò effugit, alioqui cum toto exercitu periturus. Herodotus lib. 4.

*Inepti, Mali. Diſciplinæ militaris diſſoluendæ auctores.*

Cambyſes rex Perſarum ineptum militaris diſciplinæ MAGISTRVM filij ſui Cyri eſſe rationibus oſtendit, qui τὰ τακτικὰ, hoc eſt, inſtruendę aciei rationẽ tantũ doceat, carum rerum, ſine quibus acies nulla inſtrui, aut inſtructa præclarè rẽ gerere poteſt, penitùs ignarus: nimirum quomodo hoſti inſidiandum, quomodo conſilia eius exploranda, noſtra occultanda: cõmeatus & ſtipendia quomodo conficienda: militum corpora quomodo exerceri, animi uerò accendi, & in officio retineri debeant: caſtra quo loco ponẽda, & ſimilia multa. Xenophon lib. 1. Pædiæ.

Pyrrhus rex audiens QVENDAM promittentem, ſe traditurum ei aciei inſtruendæ artificium, qui tamen in acie nunquam fuerat, dixit, Non opus eſſe ſibi Imperatore, uel belli duce, cuius aures tubæ ſonus nunquam circumierit. Stobæus ſerm. 52.

Eudamidas, cùm PHILOSOPHVS quidam ſolum ſapientẽ bonum eſſe imperatorem aſſeruiſſet, dixit: Mirabilis quidẽ oratio eſt: is uerò, qui loquitur, nunquam claſſicum tubę ſonum expertus eſt. Idem.

Cùm Hannibal in Chalcide apud Antiochum Aſiæ regẽ eſſet, atq; coram eo PHORMIO philoſophus, ut doctrinæ magnitudinem oſtentaret, uariis de rebus copioſè diſſeruiſſet: poſtremò eò deſcẽdit, ut de militari arte loqueretur. De qua cùm permulta dixiſſet, Antiochus ingenij & facundiæ magnitudinem admiratus, poſteaquam hominẽ laudauit, ad Hannibalẽ conuerſus, qui ſilebat, quæſiuit, Quid ei de Phormione uideretur? Subridens Hannibal, liberè reſpondit: Multos ſe ſenes deliros uidiſſe, ſed neminẽ, qui Phormione magis deliraret. Nam cùm ne tubarum quidẽ clangorẽ unquã exaudiuiſſet, aut ſtringi gladium uidiſſet, ſe præſente de militari ſciẽtia loqui auſus eſſet, qui quindecim annos graui bello Romanos uexaſſet, totq; eorum exercitus ac Cõſules occidiſſet. Plut. in Annibale.

SEVERVS, tribus Imppp. breui tempore ſublatis, Iuliano Romæ, Peſcennio in Syria, in Gallia Albino, Romam reuerſus eſt. Laureatus populus uenientem excepit. Ipſe congiarium populo dedit, militibus pecuniam largitus eſt, frumẽti menſuram adauxit, & domi mulierẽ habere permiſit, rem neq; priùs uſitatã, neq; in futurum militiæ conducibilem. Hic omnium primus duritiem aſperitatemq; militaris uictus, laborum tolerantiam, ueteremq; diſciplinam ſuſtulit. Tũ milites, neglecta ducum reuerentia, & opibus ſupra modũ inhiare, & munditias colere ceperunt. Sab. lib. 5. En. 7.

Ingemarus Gothorum & Suecorum rex, Haraldo Danorũ regi, quòd Schoningiã Gothici regni partem occuparet, bellũ indixit. Haraldus OTHINVM (qui apud Vpſaliam colebatur) rogabat, Ne ſibi in tantis periculis deeſſet. Tũ illi uiſa eſt aſtare imago monoculi ſenis, hiſpida ueſte induti, qui Othinum ſe nominabat, ueniſſeq;, ut futuri belli euentũ denunciet, rationemq; ſtruendæ aciei oſtendat. Quæ tamen tã inſulſa fuit & inepta inſtructio, ut malus ille dæmon nõ ſeruare, ſed funditùs Danos perdere uoluiſſe ſit uiſus. Priùs tamen uxoris inſidiis ſublatus eſt Ingemarus, quàm prælium ſit commiſſum. Ioan. Magnus lib. 8. c. 1.

Imperator MANVEL Comnenus, ſtipendia militaria in fiſcũ, tanquam aquas in ciſternam coëgit: & exercituum cupiditatem donatiuis, quæ incolarum dicuntur, leuauit, abuſus re à ueteribus Imp uſurpata in eos tantùm, qui hoſtes ſæpe ceciderant. Qua quidẽ prodigalitate milites in uniuerſum eneruati, uoluptatibus ſuccubuêre: & qui ſtrenui antè fuerant, cùm nihil eximij præ cæteris re fortiter geſta ſe habituros ſperarent, animos demiſere: & uiciſſim multi opifices, bellicarum rerum imperiti, ad caſtrenſes dignitates aſcẽdêre. Perturbationis huius, Romanæ prouinciæ graues pœnas dederunt, quarum aliæ à barbaris ſpoliatæ, & occupatę ſunt: aliæ ab ipſiſmet militibus tanquam alienæ uaſtatæ & euerſæ. Nicetas lib. 7.

Poſt regis Mathię Coruini obitum, Vngari, quod ad bella pertractanda attinet, ſemper inglorij extitêre. Etenim LADISLAVS rex militarem diſciplinam, atq; à rege Mathia inſtitutos militum ordines, adeò labefactari permiſit, ut Vngari nullam bellandi peritiam, ſed ſolummodò quandam temerariam audaciam ac ferinum furorem haberẽt, quo ſe poſſe Turcas omnes in primo congreſſu deuorare præſumerẽt. Iouius in uita Solymanni.

## QVOMODO. NEMPE

*Exercitatione.*

SPARTANI furandi uſum pueris concedebant impunè, nõ ob turpia lucra, neq; ad ſumtum libidini præbendum, comparandámue opulentiam, ſed pro exercitio, diſciplinaq; rei bellicæ: quòd & furandi ſolertia, & aſſuetudo acueret animos adoleſcentium, & ad inſidiarum aſtus, & uigilandi tolerantiam & obrependi celeritatẽ, aptos proclinesq; redderet. Plut. in Laconicis.

IPHICRATES Athenienſis uariis modis milites exercebat, fictis excurſionibus, falſis inſidiis, fictis proditionibus, ſimulatis trãſitionibus, fictis aggreſſionibus, & panicis: ut ſi quãdo tale quid eueniret, non terrerentur. Polyænus lib. 2.

Apud ROM. milites in caſtris militiã edocti, hyeme pariter atque æſtu dieb. ſingulis manè & poſt meridiẽ, locum tenere, ſigna ſequi, ordinẽ ſeruare, foſſam fodere, figere uallum, militari gradu incedere, & alia militaria facere, quotidiano uſu ediſcebant. Nã ducibus, cẽturionibus & tribunis, præcipuè curandũ erat, in locis ubi ſtatiua habebant, cogere tyrones milites, cùm primũ merere cepiſſent ſtipendia, ne ſine conſilio, ſine imperio in hoſtes tenderẽt, per turmas hincinde crebrò cõcurrere, decurrere, clamare, locũ tenere, imperium ſeruare, iuſſa exequi, ſeq; in orbẽ colligere, cuneum facere & phalangẽ, ut ſequi ſigna, & pati tædium, æſtus ac uigilias aſſueſcerẽt, ne pulſi loco cederẽt, & in acie qſq; agnoſceret ordines ſuos: ita ut uſu quotidiano non minùs ipſi ſibi præſcriberẽt, quid facto opus foret, nec hoc incitante ullo, nec imperante, quàm ab aliis ediſcerẽt. Alex. lib. 1. c. 20.

GERMANI priſci iuuentutem omnem, præcipuè tamẽ pueros, non molliter educabant: ſed laborioſis ſemper exercitationibus, pugnæ etiam ſimulacris aſſueſaciebant: ut cùm ad uiri dẽ ætatem perueniſſent, nihil tam difficile, tam arduũ, tam durum eſſet, quod non remoto omni corporis dolore ſubire auderent. Alex. lib. 2. c. 25.

P. RVTILIVS Rufus, Conſul cum C. Mallio, anno Vrbis 651. primus ex ludo C. Aurelij Scauri doctores gladiatorios accerſiuit, qui iuuentutem in armis erudirent.

HARALDVS, Danorum rex, uictorijs clariſs. prouinciis principibusq; perdomitis, quinquaginta annos in otio exegit, & ne militum animi in deſidiam reſoluerẽtur, aſſiduè eis cauendi inferendiq; ictus rationẽ à gladiatoribus perdiſcendam conſtituit. Quorum quidam inſigni arte, aduerſæ frontis ſupercilium infallibili ictu ferire ſolebant. Quòd ſi quis ictu recepto oculis conniueret, aula eiectus, ſtipendiis defungebatur. Saxo lib. 7. Idem quærens exitum uitæ per arma, exercendæ iuuentutis gratia bellum indixit Ringoni Sueciæ regi. Septem annis continuis arma parauere, naues cum bellicis inſtrumẽtis cõmuniuere. Non facilè alia in gẽte ſimilẽ aut multitudine pugnantium, aut uarietate auxiliorum, aut diuturnitate apparatus expeditionem reperias. Cranzius lib. 1. Noruegiæ, c. 31.

OTHOCARVS, Boëmorum rex, offenſus inertia iuuentutis nobilioris, quã uiderat uino, ſomnoq; & luſtris magis, quã equis & armis intẽtam, ad exercitium equeſtre iuuenes nobiles, laude præmiisq; & honorib. inuitabat, præpoſitis ueteranis, qui per ludicra pugnæ equeſtris ad ſerium certamẽ ineundũ tyrones conſueſacerẽt. Atq; iſta re breui conſecutus eſt, ut externo haud multum indigeret equite: nã pedite abundabat. Dubrauius lib. 17.

Cùm Hungari, mortuo Conrado I. Cæſare, Saxoniam fœdè depopularentur, HENRICVS I. qui ei ſucceſſit, leuib. præliis eos ſuſtinens, unum ex principib. illorum ceperat. Quẽ cùm illi magno auri pondere redimere poſcerent: rex captũ reddere pollicetur, ſi aliquot annorum inducias paciſcantur. Conuenit inter eos de annis nouẽ: quibus cõſtitutis, rex militem facit inſtrui omni genere neceſſariorum ad bella armorum, exerceri ad pugnam, armari quoq; promtè. Conſtituit deinde ut in agris octo nonum, & in urbibus quatuor quintum quẽq; in militiam profectum alerẽt. Præſidiis firmauit urbes: in agris nihil reliquit, quod hoſtibus prędæ eſſet. Conuiuia nuptiarum & alias comeſſationes iuſſit in urbibus ſolis apparari, non in prædiis urbanis. Sic exercitatũ militem duxit in Vandalos, hoſtem (ut putabat) molliorẽ. Brandenburgum expugnauit, prouinciam ſubiecit. Inde in Dalmatas agmen uertit, eiuſdem gentis & linguæ nationẽ: urbem Grona uiceſimo die cepit, militi diripiendam dedit, omnibusq; puberibus peremtis, uictorem reduxit exercitũ. Pragam quoq; Boëmorum metropolim, ex eiuſdem gentis ſocietate oppugnauit, regẽq; illius in eam perduxit neceſſitatem, ut ſe dederet. Cùm iam conſtitutæ Vngaris induciæ finẽ haberẽt, mittunt illi pro more nuncios, dona ſolita poſtulantes: dederat enim rex per ſingulos annos nõnihil donatiui nomine, quò obęratos haberet ſibi. Id quum ſibi perpetuum Vngari ſperarẽt, rex pernegauit, iam exercitato milite animis auctior. Indignabundi illi Thuringiã inuadunt. Rex licèt graui ægritudine laboraret, tamẽ exercitu mediocri quatuor dierum ſpacio collecto, hoſtes, ad urbẽ Merſborg caſtra metẽres, aſſecutus eſt. Clamor exoritur, à Chriſtianis quidẽ Kyrieeleiſon, ab Vngaris aũt tartareus ſtridor, Hui, hui, hui. Inſigni clade Hungari profligati. Cranzius libro 3. Saxoniæ, cap. 8.

*Conuerſatione.*

Q. METELLVS Cõſul, quamuis nulla lege impediretur, quin filium contubernalem perpetuum haberet: maluit tamẽ cũ in ordine merere, ne filiũ plus æquo amare diceretur. Frontinus lib. 4. c. 1. Stratagematum.

P. RVTILIVS conſul, Cn. Manlij collega, cùm ſecũdùm leges in contubernio filium ſuum poſſet habere, in legione tamẽ militem fecit. Ibidem.

*Honore.*

LACONES, quando hoſtem ſuperarunt conſilio, bouē Marti immolant: ubi aperto marte, gallum gallinaceum: exercituum ductores, ut non tantùm bellaces, uerùm etiam aſtuti callidiq; ſint, aſſuefacientes. Plut. in Laconicis.

*Imaginibus.*

THEODATVM, Oſtrogothorum regem, in Italia ſcribit Caſſiodorus, Romæ elephantos ex ære, uia Sacra, ad naturalē beſtiæ magnitudinē extantes, qui ruinam minabantur, inſtaurari iuſſiſſe: quòd populi Romani conduceret animorū ſeruandæ generoſitati, ſi pueri adoleſcentesq; beſtias intuerentur, in quas maiores eorum pugnare nō horruiſſent, decori inſeruientes. Cranzius lib. 5. Sueciæ, c. 23.

*Pœnis.*

SCOTI ueteres arma magna cū cura colebant, præcipuas clariſſimasq; in illis opes ponentes. Nam ſi quiſpiam gladium oppigneraſſet, ex auctoratus mox cōmilitij cōſortio, ut indignus, prohibebatur. quæ periuro quoq; pœna erat, eaque longè maxima ignominioſiſſimaq;. Qui uerò metu aut aciē deſeruiſſet, aut caſtris quopiam non obtento à duce cōmeatu profugiſſet, impunè à quouis necabatur, omnesq; eius fortunæ fiſco aſcribebantur. H. Boëthius in Scotia.

*Scriptis.*

De PYRRHI Epirotarum regis ſcientia & arte inſtruendæ aciei, atque rei militaris documentum accipias ex cōmentariis, quos de his reliquit Plut. in Pyrrho.

Ex epiſtola AVRELIANI Auguſti ad Tribunum ſuum ſcripta, uetus militaris diſciplinæ ratio comprehendi poteſt, quæ talis eſt: Si Tribunus eſſe uis, aut potiùs ſi tibi, ut uiuas, curæ eſt, fac militum manus ab alieno contineas. Nemo alienum pullum accipiat, alienam ouem tangat, ab aliena uinea uuam decerpat, aliena ſata calcet, oleum, ſalem aclignа petat, taxato ei commeatu contentus maneat: præda, que hoſtium, non lacrymis ſubditorum alatur: nitida habeat arma, ferramentaque omnia parata teneat, calciamenta ſint firma, ueterem ueſtem noua excludat, ſtipendiumq; eius in baltheo, & non in culina maneat: torquem, armillā atq; anulum ferat: equū ſuū maiorē ipſe perfricet, animal ex hoſte captum non uendat. Mulum, qui eius ac comitū impedimēta gerit, diligenter curet. Mutuò ſibi milites, ut ſerui auxilio ſint, à medicis ſine præmio curentur. Aruſpici & ſagis nihil dent, honeſtè in ſtatiuis ſuis uiuant, & qui rixabitur uapulet. O miram diſciplinam, non modò antiquis militibus, ſed religioſis quoq; uiris dignam. Fulg. lib. 2. c. 2.

## PRVDENTIAE OECONOMICAE MAGISTRI.

### QVI, NEMPE

*Principes.*

M. ANTONINVS Pius ſalaria multis ſubtraxit, quos otioſos uidebat accipere, dicēs: Nihil eſſe ſordidius, imò crudelius, quàm ſi remp. ij arroderent, qui nihil in eam ſuo labore conferrēt. Vnde etiam Meſomedi lyrico ſalarium imminuit. Rationes omnium prouincialium apprimè ſciuit & uectigalium. Patrimoniū priuatū in filiam contulit: ſed fructus reip. donauit. Species imperatorias ſuperfluas & prædia uendidit: & in ſuis propriis fundis uixit uariè ac pro temporibus. Capitolinus.

HERMION quintus Germanorū rex, qui uixit poſt diluuium anno 411. œconomiam ſic inſtituit, ut ne militibus neceſſaria deeſſent. Quotannis enim aliquot millia armatorū bellandi cauſa è finibus educi iuſſit: qui uerò domi remanerēt, ſe atq; illos alerēt. Hi rurſus in uicem anno pòſt in armis eſſent, illi domi remanerēt. Sic neq; agricultura, neq; uſus belli intermittebatur. Auentinus lib. 1. Annaliū Boiorū, & Hieron. Zieglerus de illuſtribus uiris Germaniæ.

EBERHARDVS I. dux Virtenbergenſis, prudentia ſingulari ſubditorum ſuorum fortunis cognitis, prouinciam florētiſſimam reddidit. Vnde ſubditi, quaſi numen quoddam eū coluerūt, dicētes: Si Deus non eſſet Deus, nemo iure maiorē Deus eſſet, quàm dux noſter. Reinhardus Hadamarius in Inſtitutione principis.

Cuncta ſub Ioanne GALEACIO Vicecomite officia, quę tanti imperij adminiſtrationē reſpicerent, admirabili ordine cōſtabant: imperia iuſſaq; in maximis minimisq; rebus de ſcripto exibat, & rerū omniū ſumtuariæ rationes ampliſſimis codicibus mandabantur: ex quib. miniſtrorum fidem & diligentiam exigebat, & per cenſores quidē ſpectatæ probitatis, qui ſingula pro meritis ad pœnam & præmium reuocarent. Erant autem in eius aula infiniti propè librarij, amanuenſes, atq; notarij, qui per ſingula officia rationū præfectis operam nauarent, tanta cura religioneq;, ut non modò totius imperij urbiumq; ſtati redditus, & cuſtodiarū ſumtus, ſed ſi quid in publica ludorum ſpectacula impenderetur, & quot fercula ſigillatim in ſolennibus conuiuiis uenirent, & quid claris hoſpitib. donaretur, ad exemplū atq; ad memoriam ſcriberentur. Iouius in Ioan. Galeacio.

### QVOMODO.

*Scriptis.*

M. CATO non deterior uidetur domus rector, quàm ciuitatis fuiſſe. Etenim & amplificauit facultates ſuas, & præceptor extitit aliis œconomiæ & agriculturæ, multaq; de his & frugifera in ſcriptis ſuis collegit. Plutarchus.

## PRVDENTIAE ALIORVM DISCIPVLI, TVM

### CONSVLENDO.

Vocatus à Cyro iuniore XENOPHON ad militiam, Socratem in conſilium adhibuit. Socrates metuens, ne offenderet Athenienſes, quòd amicitiam Cyri quæreret, qui auxiliis adiuuerat antea ſtrenuè Lacedæmonios, ſuaſit ut Apollinem Delphicum conſuleret. Cicero lib. 1. de Diuin. ex lib. 1. ἀναβάσεως Xenophontis.

Apud PLAVTVM in Sticho, Act. 1. Sc. 1. PATER in conſilium adhibet filias duas de nouerca ducenda. Prudenter conſulunt filiæ.

CN. Pompeius à M. Varrone rationem eorū, quæ in Senatu proponenda & agenda eſſent, petiit. Quā ille peculiari com. ei communicauit. Gellius lib. 14. c. 7.

ALEXANDER Mammeæ Imp. nullam legē ſanxit ſine uiginti uiris Iuris ſcientiæ peritis, quos in conſilio habuit, & in his Fabium Sabinum Sabini uiri inſignis filium, Domitium Vlpianum, Iulium Frontinum, Pomponium, Alphenum, Aphricanum, Martianum, Calliſtratum, Hermogenem, Venuleium, Tryphonium, Metianum, Proculum, Modeſtinum, omnes Romani iuris ſcientia inſignes, & qui operam Papiniano dederant. Affuit illi & Venatus, orator ea tēpeſtate nobilis. Sab. lib. En. 7.

### PARENDO.

*Vide locum Prudentiæ Κελλαῖς, Qui aliorum bonis conſiliis paruere.*

## CERTAMINA PRVDENTVM, CONSILIA de eadem re DIVERSA.

### POLITICA, NEMPE DE

*Rep. conſtituenda.*

Cùm Perſarum ſeptem proceres Magos interfeciſſent, nimirū Otanes, Intaphernes, Gobryas, Megabyzus, Aſpathines, Hydarnes, & Darius Hyſtaſpis præfecti Perſarū F. de ſumma rerū poſtea conſultarunt, & quódnā genus politiæ Perſis maximè cōueniret, deliberarūt. OTANES ut popularē perſuaderet gubernationē, à Monarchia quantū potuit dehortabatur, quòd pro libidine unus omnia impunè ageret, ac inſolentia cæteros ex peccandi licentia contemneret, uim nonnunquā inferret, leges corrūperet, patriæ iura labefactaret, indemnatos interimeret, feminas pro uoluntate ſua conſtupraret. Quod in multitudine fieri nō poſſet; ubi iuris æquabilitas ea prohiberet, quæ Monarcha uiolētia ſibiipſi uendicaret. MEGABYZVS cōtrà, ut optimatiū paucorūq; ſtatū populari præferret, Otani cōtrarius, dixit populari multitudine nihil eſſe neq; inſipiētius, neq; inſolentius. Cūq; plebs indocta nihil ſciat, nihil ſapiat, neq; iuſtū, neq; honeſtū intelligat, inſtar torrētis pceps ſine cōſilio ruit. quod pauci & optimi, quorū & cōſilia ſunt optima, nō faciūt: q oīa maturè agēda obeūt, ratione duce, nil perperā agētes. Tādē Darius Perſis, p uirili pſuadere nitebatur cōtra popularē gubernationē, q neq; ratione, neq; cōſilio, neq; diligētia utitur, & cōtra Ariſtocraticū ſtatū, Monarchiam unā lōgè omniū eſſe optimā. Nā unius uiri, qui optimus ſit, imperio, nil melius eſſe cōſtat. Vnus ſit, qui imperet, unus rex, unus dn̄s. Imperatorū enim multitudo bona eſt: cū inter animalia quoq; uideamus in apib. regē unū, in gregib. & armētis ducē unū, grues ordine literato unū ſequantur ducē, mundi rectorē credamus unū. Nihil ergo melius Monarchia, qua facilè & ſeditiones, q inter paucos & optimates ſuboriūtur, ſopitę extingui, in uulgo tumultus (quādoquidem turbulentū eſt & mente caret) ſedari poſſunt, ubi plerunq; malitia remp. uexat. Vicit ergo Darij ſententia: ut Monarchiam Perſæ cæteris ſtatibus præferrēt. Moxq; ipſe Darius aſtu equiſonis ſolertis rex creatus, Perſis imperitauit. Ex Herodoti Thalia Cuſpinianus.



Octauius Cæſar, rerum potitus, paceq; per totum terrarū orbē parta, conſilium de armis ponendis, & Rep. S. P. Q. R. reddenda cum M. AGRIPPA & C. MECOENATE duob. intimis amicis cepit. Prior Agrippa principatum ei diſſuaſit; & ut Remp. Romanis redderet, ſuaſit. Mecœnas contrà cōſilium de retinendo principatu dedit: ſed ita tamē, ut eum optimū principem, non tyrannum eſſe uellet. Cæſar utriuſq; audito conſilio, utrunq; laudauit. Mecœnatis tamen ſententiā ſecutus, imperium retinuit: Agrippam nihilominus ſumma complexus eſt beneuolentia. Vt tamen utriq; ſatisfaceret, & principatum ſuum hominum uolūtate potiùs & decretis, quàm ui & armis tenere uideretur, ſeptimo Conſulatu ſuo diſpoſitis in ſenatu ſenatoribus, iis qui ad eā rem apti uiderētur, ſe Reipub. imperium uelle reddere ſimulauit: atq; id quod uoluit obtinuit. Nam partim metu, partim amore principatum poſtularunt, atq; ad Imperatoriam maieſtatem accipiendam eum coëgerunt. Orationes Agrippæ & Mecœnatis contrarias pete ex Dione, libro quinquageſimoſecūdo. Zonaras. At de eo Suetonius ſic ſcribit: Auguſtus de reddenda Rep. bis cogitauit: primò poſt oppreſſum ſtatim Antonium, memor obiectum ab eo ſibi ſæpiùs, quaſi per ipſum ſtaret, ne redderetur: ac rurſus tædio diuturnæ ualetudinis, cùm etiam magiſtratibus ac Senatu domum accitis rationarium Imperij tradidit. Sed reputans, & ſe priuatum non ſine periculo fore, & illam plurium arbitrio temerè committi, in retinenda perſeuerauit: dubium, euentu meliore, an uolūtate. Quam uoluntatem cùm præſidens identidem præ ſe ferret, quodam etiam edicto his uerbis teſtatus eſt: Ita mihi ſaluā ac ſoſpitem Remp. ſiſtere in ſua ſede liceat, atq; eius rei fructum percipere, quem peto, ut optimi ſtatus auctor dicar: & moriens, ut feram mecū ſpem, manſura in ueſtigio ſuo fundamenta R. P. quæ iecero.

*Legumlatione.*

Referunt hiſtorici, deriſiſſe ANACHARSIM molitiones Solonis, qui Athenienſiū ſe iniurias & cupiditates putaret refrenaturū ſcriptis legibus, quæ nihil à telis araneorū differrēt, ſed ſicut illæ, imbecillos tenuesq; eſſent, quos cōprehendiſſent, retenturæ: ualidos uerò & pecunioſos tranſmiſſuræ. Quibus SOLONEM ferūt occurriſſe, ſtare homines etiam pactis cōuentis, quæ neutri parti expediat uiolare: ac leges ita ſe tēperare ciuibus, omnibus ut futurū perſpicuum eſſet, antiquius eſſe colere iuſtitiam, quàm ius uiolare. Verùm horum quidem euentus, Anacharſis coniecturæ potiùs, quàm ſpei reſpondit Solonis. Plut. in Solone.

*Imperio propagando.*

THOMAS Mozenicus Venetorū dux, ſemper aduerſatus fuit Franciſco Foſcaro, ſuadēti ut bellum pro Florentinis, proq; augendis imperij Veneti finib. contra Philippū Mediolanenſium principē in continenti ſuſciperetur, publicūq; hoc ſtudium rei maritimæ deponeretur. Rem namq; Venetā in Adriæ lacunis ortam & auctā, maritimo potiùs, quàm terreſtri imperio conſeruandā eſſe contendebat. Is moribundus iam, conuocatis intra cubiculum ſuū aliquot ciuitatis principibus, quos certò nouerat creando principi intra quadraginta uiros præfuturos, ita locutus eſt. Ego, inquit, patres, nō multo pòſt moriar. De patriæ aūt ſalute etiā poſt mea fata ſollicitus, uos ſingulos ſeorſum rogatos uelim, ut nō grauemini clàm ſententiam promere ueſtrā, quē mihi ſucceſſorem daturi ſitis. Cùm ſinguli ad eū ueniſſent, & maior eorū pars in Franciſcum Foſcarū pronior appareret; Video, inquit, pluriū ſententias in Foſcarum propenſiores. Scitis, quo ſemper in Foſcarum animo fuerim, nunquamq; in illū odio laborauerim, ſed pro patriæ charitate eius ſententiæ de bello ſuſcipiendo ſemper aduerſatus ſim. Quare Deū immortalem precor, ut opinionibus ueſtris faueat, patriæq; dignitas & incolumitas perpetuò uobis hæredibusq; noſtris æterna extet. Egnatius lib. 7. c. 2.

*Liberanda patria.*

Perſarum rex Darius, ex Aſia in Europā exercitu traiecto, Scythis bellū illaturus, pontē fecit in Iſtro flumine, quâ copias traduceret. Eius pontis dum ipſe abeſſet, cuſtodes reliquit principes, quos ſecū ex Ionia & Aeolide duxerat: quib. ſingulis ipſarum urbiū perpetua dederat imperia. Sic enim putauit facillimè ſe Græca lingua loquentes, qui Aſiam incolerent, ſub ſua retenturum poteſtate, ſi amicis ſuis oppida tuenda tradidiſſet: quibus, ſe oppreſſo, nulla ſpes ſalutis relinqueretur. In hoc fuit tum numero MILTIADES Athenienſis, Cherſonneſo præfectus. Hic cùm crebri afferrentur nuncij, malè rem gerere Dariū, premiq; ab Scythis: Miltiades hortatus eſt pontis cuſtodes, ne à fortuna datā occaſionem liberandæ Græciæ dimitterent. Nam ſi cum his copiis, quas ſecum tranſportauerat, interiiſſet Darius: nō ſolùm Europam fore tutam, ſed etiam eos, qui Aſiam incolerent Græci genere, liberos à Perſarum futuros dominatione & periculo. Id & facilè effici poſſe. Ponte enim reſciſſo, regem uel hoſtium ferro, uel inopia paucis diebus interiturū. Ad hoc conſilium cùm pleriq; accederent, HISTIÆVS Mileſius ne res conficeretur, obſtitit, dicens: Nō idem ipſis, qui ſum mas imperij tenerent, expedire & multitudini, quòd Darij regno ipſorum niteretur dominatio. Quo extincto, ipſos poteſtate expulſos, ciuib. ſuis pœnas daturos. Itaq; adeò ſe abhorrere à cæterorū conſilio, ut nihil putet ipſis utilius, quàm confirmari regnū Perſarum. Huius cùm ſententiam plurimi eſſent ſecuti, Miltiades non dubitans, tam multis cōſciis, ad Regis aures cōſilia ſua peruentura, Cherſonneſum reliquit, ac rurſus Athenas demigrauit. Probus in Miltiade.

*Tyrannide retinenda deponendáue.*

Dionyſius tyrannus obſeſſus à ciuibus Syracuſis, cùm ſe excluſum pabulo, rebusq; neceſſariis prohibitum cerneret, à mercenariis quoq; deſertum: conuocat amicos, & unà cū illis de rerum ſumma deliberat. Nam tantū prorſus à retinendæ dominationis ſpe deſciuerat, fiduciāq; ſui omnē amiſerat, ut non iam quo pacto Syracuſani debellarentur ſibi quærēdum poſtularet, uerùm potiùs conſulendū, quódnam mortis genus ſubiret, ne tam ignauè tyrānide ceſſiſſe uideretur. ELORIS igitur unus ex amicis, eum ad perſiſtendū hortatus eſt, dicens dominationē eſſe honeſtiſſimum ſepulcrum. POLYXENVS ſocer ad fugā accendit, uelociſſimum conſcendat equū, & quàm raptiſſimè intra Carthagienſiū fines ad Campanos ſe recipiat. Eos nāq; Himilco reliquerat ad defenſionem & præſidia locorū, quæ ceperat in Sicilia. Cæterùm PHILISTO, qui poſtea hiſtorias conſcripſit, cōtraria ſentētia uiſa eſt. Haud expedit tibi, Dionyſi, inquit, equo uectū, ſponte extra dominationē euolare: ſed cōtrà per crura, quoad uires ſuppetunt, reluctantem extrahi. Cui Dionyſius aſſenſus, ſtatuit omnia priùs ſubire, omnia perpeti, quàm ultrò relinquere dominium. Legatos igitur ad defectionis principes mittit poſtulatū, ut ſibi permitteretur cū ſuis urbe diſcedere. Parte alia ad Campanos nuncium ire iubet, qui ſponderet eis, quantamcunq; poſtulaſſent ſe pecuniā daturū, cunctaq; ad obſidionem ſuppeditaturum. His cōpoſitis tyranno permittitur, ut cū quinq; nauibus abnauiget. Interea ciues tanquā iam parta libertate ſecuri, negligentiùs omnia agere, & ſociorū auxilia dimittere. Superuenientibus Campanis, Dionyſius tyrannidem, de qua iam deſperarat, recepit. Diodorus lib. 14.

### BELLICA, DE

*Militari diſciplina.*

MAGNI Sforcię & BRACCII Montonenſis de militari licentia cohibenda contrariæ fuerunt ſententiæ. Siquidem Sforciæ præcipua cura ſemper fuit, paganos agricolas ab auaritia militum defendere, hoſpites tueri, licentiā militarē in hybernis & in agmine, indicta graui & inexorabili pœna, cohibere, ac demùm deditis cōſeruatisq;, quàm expugnatis atq; deletis urbibus, lætari. Braccius uerò Montonenſis cōtrà in colloquio ad Saccomaniā ſyluam poſt multa de bellicis diſputata, eū percunctabatur; Curnam tantoperè ſeueritatis ac abſtinentiæ laudē quærendā putaret, quando id prorſus à toto militaris conſilij propoſito alienum eſſe uideretur: quòd promereri ſtudia militū uel cū iniuria generis humani oporcere cenſeret, ſi ad ingentia imperia & opes, uti ipſi ab humili fortunæ loco properè creuiſſent, foret euolandum. Ad ea Sforciam reſpondiſſe ferunt, nihil eſſe gratius diis immortalibus æquitate & iuſtitia: qua una maximè quæſitæ bello opes, poſitis demùm armis, cum inſigni gloria firmarētur. Iouius in uita Magni Sforciæ.

*Bello ſuſcipiendo.*

MARDONIVS Xerxi regi ſuſcipiendæ contra Græcos expeditionis ſuaſor: ARTABANVS diſſuaſor fuit. ſed uicit ille, ut uinceretur. Herod. lib. 7.

Audita Memnonis Rhodij, cui rerum ſummā cōmiſerat, morte, Darius Perſarum rex deliberauit de bello Græcis inferēdo cū amicis. Quib. ſuadētibus, ipſum regē in aciē prodire, quòd Perſæ omnes cupidiſſimo animo decertaturi eſſent: CHARIDEMVS Athenienſis, uirtute & omnib. artib. imperatoriis præſtātiſſimus, Dariū admonuit, ne temerè imperiū ſuū aleæ cōmitteret: ſed illud ipſum, quod longè & latè patebat, in officio contineret: ducē aūt, cuius prudentia explorata haberetur, contra Macedones mitteret. Ad quā expeditionem centum millium peditatum ſufficere dicebat, ut eorum tertia pars eſſent Græci ſtipendio conducti. Et ut maior dictis fides haberetur, pollicebatur ſeſe bellum illud confecturum. At non tantùm præualuit amicorū Darij conſilium, quāuis ſtultius: ſed etiam Charidemus in ſuſpicionē proditionis incurrit. Eoq; nomine zona cōprehēſus ab apparitorib. interfectus eſt. Diod. lib. 17. & Sab. lib. 4 En. 4.

Aegeſtani Siculi uicti à Selinuntiis, Athenienſiū opē implorabāt. Miſſi legati, Aegeſtanorū opulentiā renunciāt. Comitiis habitis de ea re, populus cōſulitur. Relata in mediū conſul-

tatione de exercitu in Siciliã traiiciendo: NICIAS Niceratí filius, uir admirabili inter ciues uirtute & auctoritate, contrariam habuit ſententiã, minimè eſſe traijciendũ: haudquaquàm eam adeſſe Athenienſib. opum uim, ut ſimul cũ Lacedęmoniis, potentiſſimo Gręcorũ populo bellum ſuſtinerẽt, & magnas procul in exterã expeditionẽ copias trans maria traiiciant: temerariiq; conſilij par uideri, qui Græciæ imperiũ ſibi, quod ſæpe tentaſſent, integris coactiſq; uiribus uẽdicare non ualuiſſent, eoſdẽ mox uana ſpe magis quàm ulla ratione adductos, parte copiarũ uelle rem grauiorẽ aggredi, belloq; ſubigere tentare maximã totius orbis terrarũ inſulam opulentiſſimamq;, quam Carthaginenſes, gens in terris potentiſſima, cuius pollens admodum lateq; patens imperium porrigeretur, perſæpe multa bello moliti, uariiſq; conati artibus ſuæ ditioni ſubigere, nihil prorſus adhuc uſque uel uiribus conſiliiſq; omnibus proficere potuiſſent. In contrariam ſententiam nitens ALCIBIADES, hortari populum pergit, ut illud bellum confidenter adoriatur, & inſula tanquã arce occupata, imperium etiã extra Græciã promoueat. Perſuaſus itaq; illius ſermone, aſſenſuſq; populus, extemplò claſſem ad id idoneam extrui iubet: triginta à ſociis triremes miſſæ, centũ ipſi ſuis opibus inſtruunt, rebuſq; muniunt ad bellum neceſſariis: quina deinde armatorũ millia eis imponuntur. Eo delectu ex ciuibus habito, duces eius expeditionis tres creati, Alcibiades, Lamachus & Nicias. Senatus cum ducibus in ſecreto conſuluit, Selinuntios & Syracuſios in prædam dari, abduciq; prorſus in ſeruitutem: reliquas urbes uectigales omnes Athenienſium facere, ſtipendiaq; annua ſingulis imponenda. Verùm longè aliter res cecidit. Nam Alcibiade profugo, Lamacho occiſo, Nicias ſolus tãtæ rerum moli impar, auxilia noua Athenis euocauit. Miſſus DEMOSTHENES cum magna nauium & pecuniarum ui. Qui cùm in ipſo limine infeliciter pugnaſſet, domũ redire ſuadebat, impeditis præſertim Athenienſibus bello Peloponneſiaco. NICIAS econtrà turpiſſimum id aſſerere. Cuius ſententiæ cùm maior pars ſubſcripſiſſet, amiſſã tandẽ claſſe, partim cæſi, partim uiui in hoſtium poteſtatẽ peruenêre. Diodorus lib.13.

LEOSTHENES, mortuo Alexandro, pop. Athenienſem ad bellum Lamiacum excitabat. Ei PHOCION inquit: Oratio tua, adoleſcens, cupreſſorum ſimilis eſt. Hæ enim grandes ſunt & excelſæ, ſed non ferunt fructum. Vbi adortus eũ Hyperides quæſiuit: Quando igitur cõſules Phocion populo Athenienſi, ut arma capiat? Cùm iuuentutẽ, inquit, uidere, ſeruare ordines uelle, diuites conferre, oratores ærarium non expilare. Cùm multi copias ab Leoſthene conſcriptas ſtuperent, rogarentq; Phocionem, quemadmodũ inſtructas putaret: Rectè, inſit, ad ſtadium: at dolichon exhorreſco belli: quòd neq; ſtipendium ciuitati aliud, neq; naues, neq; milites ſint. Aſtipulata eſt autem ei res ipſa. Primùm enim rebus geſtis Leoſthenes, ſuperatis acie Bœotiis, & intra Lamiæ mœnia redacto Antipatro, ſplendidus effloruit. Quo tẽpore ciuitatem memorant magnifica guſtata ſpe quotidie ex lætis nunciis feſtos dies egiſſe, atq; diis honorem habuiſſe: Phocionẽ uerò ad illos, qui ſe redarguere ipſum putantes poſſe requirebant: Num hæc non optaret ſe feciſſe? Omnino ſanè, dixiſſe; uerùm conſuluiſſe illa. Aliis rurſus ſuper alia lætis nunciis ex caſtris ſcriptis & allatis dixiſſe: Quando tandẽ deſinemus uincere? At poſteaquã ad Crannonẽ uictis Græcis & diſſipatis, Antipatri præſidium accipere, & pacem ab eo petere coacti fuêre, tunc tandem Phocionis prudentiam ſerò cognouêre. Plut. in Phocione.

HANNO Carthaginenſis, ſenator nobilis, Barchinæq; factionis æmulus, ſecũdi belli Punici euentũ ſuæ ciuitati calamitoſum prę uidit: q MAGONE, Annibalis Pœnorũ ducis fratre, in curia referẽte, cęſa intra biennium CC millia hoſtiũ, ab Annibale quatuor conſulares exercitus deletos, magnã Italię partẽ à Rom. ad Pœnos defeciſſe: & ut maior fides iis, quæ dicerẽtur, accederet, cùm treis annulorũ modios in curiæ ueſtibulo effudiſſet, interrogatur Hanno ab homine Barchinæ factionis, An belli, quod in Italia gererent, adhuc pœniteret: percunctatus Magonẽ Hanno dicitur, Ecquis ex urbe Roma poſt tot clades acceptas ad Annibalẽ ueniſſet, pacẽ petiturus? an Romæ ulla pacis mentio facta diceretur? Cùm ille utrunq; negaſſet: Bellum, inquit Hanno, tam integrũ & periculoſum hodie, quàm à principio fuit, cũ Romanis habemus. Variatũ eſt diu circa Siciliam priore bello: uerùm qualis fuerit exitus, nemo eſt ueſtrũm, qui nõ aut uiderit, aut fando audiuerit: & nunc maximè uereor. Nã ſi (quod nolim) fortuna uariare cęperit, fruſtra pacem imploremus, quam nobis uincentibus nemo detulit. Sab. lib.4. c.8.

ALPHONSVS Aragonum rex, cùm SENEX quidam & natura & ętate audacior, & ex patrum numero, eum argueret, quòd contra patrum ferè omnes ſententias bellum capeſſeret: reſpondit, Regum conſiliarios, aut reges eſſe, aut regum animos habere oportere. Plurima enim interdum conſiliariis & priuatis conuenire, quæ regẽ non decerent. Anton. Panor. lib.1. de rebus Alphon.

*Statu belli.*

ACHITOPHEL Gilonius, Dauidis regis conſiliarius, uir aſtutiſſimus, tantæ exiſtimationis, ut omnia eius conſilia pro oraculis haberentur, ad Abſalomũ defecit: eiq; ſuaſit, ut ad declarandas apertas & æternas inimicitias erga patrẽ ſuum, cum concubinis eius, quas Hieroſolymis ad domus cuſtodiam fugiens reliquerat, tenſo tabernaculo in conſpectu totius populi congrederetur, ad confirmandos Iſraëlitarũ animos, metuẽtes, ne facilè patri filius reconciliaretur, ipſi uerò tanquam defectores pœnas luerent. Paruit Abſalomus. Alterum deinde conſiliũ dedit Abſalomo: ut lectis XII. millibus Dauidẽ noctu imparatum aggrederetur. Cui ſi Abſalomus paruiſſet, Dauidẽ opprimere potuiſſet. At CHVSÆVS Archita, ſummus Dauidis amicus, qui defectionẽ ad Abſalomum ſimularat, id diſſuaſit, Dauidis eiuſq; militũ 600. fortitudinẽ exaggerans: quinpotiùs omnes Iſraëlitas ad prœliũ conuocaret, & iuſto exercitu Dauidẽ aggrederetur. Abſalomus Chuſæi conſilium ſecutus eſt. Interim Dauid Iordanẽ traiecit. Achitophel, deſperatis rebus ſeipſum domi ſuæ, datis familiæ præceptis, laqueo necauit, Dauidem uictorẽ fore uidens, & quid ab illo ſibi expectandum eſſet, ſatis intelligens. 2. Reg.16. & 17.

Poſt funeſtã illam uictoriam ad Thermopylas, cùm Xerxes rex DEMARATVM Spartanum exulem conſuleret, Quãnã ratione reliquos Spartanos minimo cum negocio ſubigere poſſet? ſuaſit Demaratus, ut claſſe ſua inſulã Cytherã, Laconiæ adiacẽtem, occuparet, & ex ea Spartanos territaret. Sic enim futurum, ut Lacones domeſtico bello occupati, reliquæ Græciæ ſubſidium ferre non poſſent. Quã ſubacta, Lacones per ſe inualidos futuros. Præuidiſſe hoc Chilonẽ Lacedæmonium, qui conducibilius eſſe Lacedæmoniis dixerit, eam inſulã obrui mari, quàm extare. At Xerxis frater ACHÆMENES, claſſis præfectus, claſſem non diuidendam cenſuit, præſertim cũ illa eadẽ naufragio ad Chalcidẽ paſſo debilior eſſet, & timendũ foret, ne diſtracta ſuperaretur. Cuius quidẽ ſententiæ Xerxes acquieuit. Si Demarato paruiſſet, Græciam totam ſine negocio ſubegiſſet. Herod. lib.7.

In diſſidio illo Mantinecnſium & Tegeatarum, cùm Tegeatas Bœoti duce EPAMINONDA; Mantineenſes Spartani, duce AGIDE defenderent; Lacedæmonij habitantes in uicinia, impreſſionẽ in Arcadiam fecerunt. Epaminondas Bœotarcha procedens cũ exercitu, cùm iam prope ad urbẽ Mantineenſium acceſſiſſet, audiuit ex incolis eius terræ, Lacedæmonios toto populo effuſos depopulari regionem Tegeatarum. Proinde exiſtimans Spartã uacuã eſſe militibus, magnum facinus edere conabatur, ſed fortunã habuit aduerſam. Nã cùm ipſe noctu uerſus Spartã iter direxiſſet, rex Lacedæmoniorum Agis, ſuſpectam habens Epaminondæ ſolertiam, prorſus in tẽpore decreuit prudenter ſequi, & inſpientia Cretenſes mittere præcurſores, per quos præueniens Epaminondam, relictos in urbe certiores fecit, Bœotios breui uenturos Lacedæmonẽ, urbem direpturos: ſe uerò, quàm fieri poſſit, celerrimè affuturum cum exercitu, & opem patriæ laturum. Proinde iuſſit urbem ſine terrore cuſtodirent: ſe enim ſtatim compariturum ad ferendas ſuppetias. Cùm igitur Cretenſes mandata uelociter eſſent executi, Lacedæmonij ſubactionem patriæ, præter expectationem effugerunt. Niſi enim proditæ fuiſſent inſidiæ, Epaminondas clàm & illis imprudentibus Spartã inuaſiſſet. Itaq; utriuſq; ducis induſtriã non immeritò quis laudibus uehat, maiorẽ tamẽ prudentiam Lacedęmonio tribuat. Diod. lib.15.

Amurates, Turcorum rex, cùm in armis aduerſus Vladiſlaum Vngariæ regem eſſet, in magnas redactus difficultates, conuocatis ducibus præcipuis, in medium conſulere iubet. CHASANES Europæ dux præliandum dicit. Id ex re eſſe, negat TVRACHANES, Theſſaliæ dux, pugnamq; diſſuadet. IOSVÆ, Breneris egregij ducis F. placet bellum extrahi, monetque, ut anguſtias diligenter præcludant, & tam diu ſedeant, cunctando tẽpus terentes, donec hoſtibus Pannonibus retrocedendi neceſſitas injiciatur: deinde cedentibus inſtandum eſſe, uniuerſo equitatu in eos emiſſo. Id quod paulo pòſt euenit. Nam Pannones, quòd Turcis uias & anguſtias obſidentibus, nihil commeatus aduehi poſſet, fame coacti neceſſariò pedem referre compulſi ſunt. Chalcocondylas lib.4.

Mathias Coruinus Vngariæ rex, quum ad Vratiſlauiam Sileſię metropolim Caſimiro Polonię regi hoſti cũ exercitu occurreret, anceps diu tractus eſt, an'ne cũ exercitu intra urbem ſe reciperet, an extrà metaretur, cùm hoſti numero multò foret inferior: PROCERVM nõnulli in urbe perſiſtendum cẽſebant: contrà alij, caſtra uallo carrorum muniẽda ſuadent, ne prouincialib. metum augerẽt, & ſibi diffidere uiderẽtur. Gabriel Brixienſis, Agriẽſis epiſcopus, cùm inter cœnandũ de re iſta fortè diſſereret, THOMAS ſcriba eius, acerrimi ingenij adoleſcens, utrunq; faciẽdum eſſe dixit, intùs & extrà ponenda caſtra. Quod cùm epiſcopus fieri poſſe negaret, adiecit, caſtra in ſuburbiis pro mœnibus habenda: quæ ab urbe propugnari poſſent, & in ſuburbano loco ſita, intùs & extrà eſſe uiderẽtur. Epiſcopus per accenſum accitus, ſui ſcribæ cõſilium recitauit. Quod uſqueadeò principi gratũ fuit, ut inſequenti die caſtra mœnibus admouerit: & ne qua urbem militari moleſtia afficeret, aditum ciuitatis militib. inhibuit. Bonfinius lib.3. Dec.4.

FR. Almeida ſucceſſorẽ habuit in Indię prætura ALFONSVM Albuquercium, & propter diſpar ſtudium æmulatio inter ipſos excitata, omnes Luſitanos in factionem adduxit. Vterque eorum cùm eſſet animo maximo, & ſingulari uirtute p̃ditus, idem ſibi proponebat: ſed non idem conſilium ſequebatur. Vtriq; enim erat propoſitum, pro Chriſti religione, & pro regis Luſitanorũ Emmanuelis amplitudine uitam profundere: ſed alter ab altero in hoc diſſentiebat, quòd Almelda minimè tutum putabat, urbes expugnare, ne uidelicet diſtractæ Luſitaniæ uires, imbecillæ redderentur: hoc autẽ erat illi decretum, mare tenere. Id enim ſtatuebat, eum, qui maris imperium poſſideret, Indię totius poteſtatẽ aſſequutum. Itaque maris erat illi antiquiſſima cura, & dum unam tutiſſimam ſtationem nauibus haberet, reliqua omnia contemnebat. Fieri enim non poſſe exiſtimabat, ut tantum militum in ſupplementum è Luſitania ſingulis annis mitteretur, ut firmis præſidiis arces multas munire liceret. At Albuquercius nõ præſentis tantũ ſecuritatis, ſed futuri etiam imperij, quod ampliſſimũ fore confidebat, cõſilia intimis animi ſenſibus agitabat: nec ut piperis magnus numerus annis ſingulis in Luſitaniam importaretur, ſed ut imperij fundamenta iacerentur, excogitandum cenſebat. Et quò auxilia magis longinqua erant, eò coloniis pluribus oras Indiæ occupandas ſtatuebat: ut uarijs Luſitanæ gẽtis ſeminariis paſſim inſtitutis, exercitus in India conſcribi poſſent. Mare uerò minimè tutum arbitrabatur iis, qui terra ſimul opes ſuas nequaquam ſtabilirent. Claſſem maximam unica tempeſtate deleri poſſe: at opibus in terra comparatis claſſes refici, & maris [redacted] uel hyemes intercludunt. Quod quàm prude[redacted] excogitatũ, rerum exitus multis poſt illius obitum annis facilè cõprobauit. Cùm enim Solymanus Turcarũ Imp. Aegypti rectorẽ cũ maxima claſſe in Indiã miſiſſet, ut Luſitanos poſſeſſione pelleret, & is arcem Dienſem obſeſſam teneret, multiſq; dieb. maxima tormẽtorum & armorũ contentione uehemẽter oppugnaret: quãuis plurima detrimenta à noſtris, qui in arcis præſidio manebant, accepiſſet, non tamẽ tam citò obſidionẽ ſoluiſſet, niſi certior factus eſſet de magnitudine claſſis, quæ contra illum Goæ (quã Albuquercius bis expugnauerat) cõparata, Dium petebat. Neq; rurſus cùm rex Cambaiæ eandẽ arcẽ cum maximo Turcarũ auxilio ſex mẽſibus obſeſſam tenuiſſet, tam facilè à Ioanne Caſtrenſi, qui tũc in India Ioannis Regis nomine imperiũ adminiſtrabat, uictus atq; ſuperatus fuiſſet, niſi Goa maximum ad eam uictoriam atq; multiplex inſtrumentum ſuppeditaſſet. Ad eã namq; magnitudinem ciuitas peruenit, ut facillimum ſit, in ea iuſtos exercitus conſcribi, & claſſes magnas ædificari. Oſorius lib.7. rerum Em.

*Pugnæ loco.*

Cùm Græci ad Salaminẽ Xerxis claſſem operirentur, & audita Athenarũ expugnatione, Salaminẽ relinquere, & in patenti pelago ante Iſthmũ hoſtẽ expectare uellent: MNESIPHILVS Atheniẽſis clã Themiſtoclẽ Athenienſiũ ducẽ monuit, auctor eſſet EVRYBIADI Spartano, claſſis imperatori, ut naues ad Salaminem contineret, alioqui futurũ, ut in ſuas quinq; urbes remearent. Themiſtocles id nõ niſi magna cõtentione ab Eurybiade obtinuit, cæteris contrarium ſuadentibus. Quæ res Græciæ uictoriam attulit. Herod. lib.8.

Cùm XERXES ad Salaminem cum Græcis præliũ nauale cõmittere uellet, & cæteri omnes regis uoluntatem in id inclinare uidentes, pugnare iuberent: ſola ARTEMISIA Carię regina diſſuaſit, eo quòd in loco anguſto cum Græcis in re nautica exercitatiſſimis, quamuis numero inferiorib. certare, & claſſe afflicta pedeſtrẽ quoq; exercitum in periculum conijcere, minimè cõſultum uideretur: quin potiùs claſſem in ſtatione continendam, & pedeſtri exercitu in Peloponneſum traijciendum. Verùm Xerxes conſilio feminæ ſaluberrimo non acquieſcens, turpiſſimè ad Salaminem ſuperatus fuit. Herod. lib.8.

*Hoſtibus uictis.*

Syracuſani Atheniẽſes circumuentos uicerant, Niciã & Demoſthenẽ duces ceperant. In concione DIOCLES inter populi principes clariſs. cenſuit, Duces ipſos uirgis uerberibuſq; primùm cæſos cũ probro necandos: reliquã captiuorũ turbam per officinas ad lapides cædẽdos diſtribuẽdam: ſociorum nominis Atheniẽſis capita, nudatis corporib. ſub haſta uendẽda: ipſis Atheniẽſibus ad opera in uinculis proſequẽda traditis, duas farinæ mẽſuras in cibum dãdas. Quod decretum cùm recitatum eſſet, HERMOCRATES prætor in concionẽ prodiens, intercedere atq; impedimento eſſe, ne ſciretur à plebe nitebatur: multaq; proclamando aſſerere, uictoria clementer ac humaniter uti ſcire, longè quàm ipſum uincere, ſatius eſſe. Tumultuante nihilominùs populo, atq; ipſi concionanti uariis undiq; clamoribus obſtrepente, NICOLAVS quidã, duobus præſtantiſs. liberis in pugna cæſis orbatus, in ſuggeſtũ profertur, à domeſticis propter mẽbra iam ætate labantia ſuſtentatus. Quẽ ubi populus concionabundum conſpexit, arrectis in ſenẽ auribus, intẽti adſiſtere, rati parentẽ ob cladis acceptæ iram contra captiuos, uelut in necis filiorũ ultionẽ, ſæuum aliquod atroxq; dicturum conuitiũ. Silentio paſſim facto, ſenior ille Atheniẽſibus parcendũ, & clementia eos ex hoſtib. amicos faciẽdos ſuaſit oratione pulcerrima. GYLIPPVS uerò Laconũ Imp. implacabili in Atheniẽſes odio flagrans, captiuos omnes, & inprimis duces, necandos cenſuit. Cuius oratione, permota turba, ſanxit Dioclis ſententiã. Quare duces illicò ad ſupplicium rapti, necãtur: ſocijq; omnes in prædæ locũ ducti, ſub haſta uenduntur. Athenienſes per officinas lapidũ diſtributi, tenebantur in uinculis ſub cuſtodia: quorum pòſt magna pars, quicunq; uidelicet diſciplina arteq; aliqua præditi fuiſſent, liberantur, inde exemti ab adoleſcentibus. Reliqui fermè omnes in uinculis & carcere tetram laborioſè uitam ſuſtentantes, miſerè interiêre. Diod. lib.13.

HERENNIVS Pontius Samnitũ dux, ad furcas Caudinas duos conſulares exercitus incluſerat. Ad patrem C. Pontiũ miſerat ſciſcitatum, Quid ſibi agendum putaret? Reſpondit ſenex, Incolumes cũ ſuis ducib. exercitus mittẽdos. Quod cõſiliũ cũ uulgo diſplicuiſſet, ſecundò miſit ſciſcitatũ. Tũ ille, Romanos ad unũ interficiendos. Anceps Herennius, patrẽ in caſtra plauſtro perduci curat, & cauſam tam diuerſi conſilij explicare iubet. Tum ille, Per ſummũ beneficiũ eſſ pop. potẽtiſſimo pacẽ firmandã cẽſeo. Id ſi diſplicet, per ſummũ maleficium neruos illius amputare præſtat, ut ne facilè ad priſtinas uires redire queat. Media uia nec amicos parabitis, nec hoſtes tolletis. Sed ſpreto conſilio patris, mediam amplexus uiam Herẽnius, hoſtes ſub iugũ miſit. Quod dedecus tandem patriæ exitio luit. Sab. lib.5. En.4.

*Arcibus occupandis.*

Philippus Macedonię rex Aratũ Sicyonium Achæorũ prætorẽ Meſſene è theatro duxerat Ithomatã ad ſacra Ioui facienda, & contemplandum locum. Eſt enim non ſecus atq; Acrocorinthus munitus: ex quo, ſi præſidio firmatus ſit, multũ uexari accolę poſſunt, atq; eſt inexpugnabilis. Vt aſcẽdit eò & ſacrificauit, exta bouis, quæ ei porrexit aruſpex, manib. ambabus excepta monſtrauit Arato & Phario Demetrio (qui pulſus è Pharo inſula oppoſita Illyrico aderat) protendẽs ea uiciſſim ad utrunq;, quæreſq;, Quid in uiſcerib. anima duerteret? teneret arcem ipſe, an redderet Meſſeniis? Ibi arridẽs DEMETRIVS: Si aruſpicis, inquit, mentẽ habes, relinques hũc locũ: ſin regis, tenebis ambobus cornibus bouẽ: ænigmate ſignificans, Peloponneſum, ſi Acrocorintho adieciſſet Ithomatam, fore ei prorſus obnoxiam & infractã. Diu obticuit ARATVS. At orante Philippo, ut ſentẽtiã ſuã exprimeret: Multi, inquit, Philippe, ex Cretæ ſolo & uaſti montes, multę ex Bœotiæ & Phocidis rupes exurrexêre. Sunt itẽ in Acarnania multa, hinc terra, hinc ad mare mirum in modum ſepta loca. Atqui nullum horũ tenes, & ſunt tamẽ tibi dicto audientes omnes. Latrones enim nidulantur in petris, & abruptis incubant. Regi nihil eſt fide & beneuolẽtia firmius uel munitius. Hæ tibi pelagus pandunt Creticũ, hę Peloponneſum, his ſubſidiis iſta tu ętate horum dux illorũ iam euaſiſti dominus. Nondũ finierat, cùm exta Philippus aruſpici tradit, atq; illum manu trahẽs: Huc igitur, inquit, eadẽ pergamus uia: quaſi expugnatus ab illo, & oppido iſto ſpoliatus. Plut. in Arato. & Strabo lib.8. & Polybius lib.7.

*Vrbe euertenda.*

Anno ab Vrbe condita DC. cùm legati Rom. qui Carthaginẽ iuerant, renunciaſſent, ingentẽ ſe naualis materiæ uim Carthagine inueniſſe: conſultatũ eſt in ſenatu de bello Carthagini ex ſuſpicione inferẽdo. M. CATO cenſorius, ut ſecurus aliquando tandẽ uiueret pop. Rom. nõ modò bellũ Carthagini faciẽdũ eſſe cẽſebat, ſed omninò excindendũ terrorem. P. SCIPIO Naſica, nolebat nimio otio pop. Rom. luxuriari, & diffluere: uolebat aliquid eſſe, quod uelut frenũ eſſet effuſæ multorũ uirorũ libidini: ideo nõ modò nõ eſſe delẽdam Carthaginem, ſed ne bellum quidẽ ſine legitima & magna cauſa inferendum ducebat. Liuius.

A Venetis & Francis, pulſo Murziphlo, & Alexio tyrãnis, anno Sal. MCCIV. pridie Idus Aprilis, Byzantiũ receptũ eſt. Duces Latini de ſumma rerũ conſultabãt. Victoria nobiliſſima parta, non euertenda urbs nobiliſſima uiſa, quæ feliciſſimo loco opportuniſſimoq; coërcere Barbaras gẽtes poſſet: imperio potius legibusq; Latinis firmanda, ac aſſuefacienda, ut Romanũ pontificem agnoſceret parentẽ generis humani. Erant QVI ſuaderẽt, unũ opportere eſſe nominis Chriſtiani Imperium, ut unũ Pontificatũ maximum. Id ius temporaq; poſtulare. Iſaacii iuſti legitimiq; Græcorum Auguſti filiam Irenen, Auguſtam Latinorum eſſe, ad quam leges paternã hæreditatẽ, ſummamq; rei Græcæ deferrent, quòd una reliqua illius ſoboles foret. Philippum Imp. uirum eius fuiſſe huius belli auctorem: eundẽ Francici nominis amantiſſimum, nec à Venetis alienum. Maiori DVCVM parti uiſa eſt res Græca præſenti Auguſtæ maieſtatis moderatore indigere, qui ex propinquo ferre opem Latinis ſacro bello poſſet. Hæc uicit ſententia. Itaq; Balduinus Flãdriæ comes Imp. creatus. Aemilius lib. 6.

Franciſco I. Gallis imperante, Mediolanenſi expeditione ſuſcepta, MVLTIS Mediolanum funditùs euertendum ſuadentibus, ANTONIVS à Prato Cancellarius, Momi conſiliũ ſecutus, Minimè uerò illud rectè, inquit. quin potiùs uti pharmaco uitioſi è corpore pelluntur humores, ita bello Mediolanenſi Gallia ab improborum fæce purgabitur. Aegidius Corrozetus de Dictis & factis memorab.

## VITIORVM PRVDENTIÆ CONTRARIORVM CERTAMINA.

### ASTVTIAE, CALLIDITATIS.

In Rhodo inſula Phœnices duce PHALANTHO cõtra IPHICLVM ducem Græcorũ pugnabant. Cæterùm oraculi ambagibus deceptus Phalanthus cùm Iphiclo egit, ut ſibi cum ſuis exire liceret. Vbi ille aſſenſit, Phalanthus uictimas interficiens, earumq; uentres purgans, in his aurum & argẽtum exportare conabatur. Quod ubi ſenſiſſet Iphiclus, phibuit. Afferente iuſiurandum Phalantho, quòd iurauerat ſe ſinere exportari, quidquid in uentre ferrent: contra hic captioſè egit, nauigia nuda ipſis tradens abſq; gubernaculo, remis, & uelis: Nauigia, inquiens, ſe iuraſſe daturum, aliud præterea nihil. Cùm ita perplexi eſſent Phœnices, multos numos humi defoderunt, ut aliquanto pòſt accedentes eos caperent, multos etiam reliquerunt Iphiclo. Athen. lib. 8. c. 11.

LYSANDRVM Lacedæmonij miſſa ſcytala domum reuocarant. Is metuens accuſationes PHARNABAZI ſatrapæ, qui gratioſus erat Lacedæmoniis, dedit operam, ut cum illo ueniret in colloquiũ. Ab eo multis precibus impetrauit, ut ſcriberet magiſtratui, ſe nullis ab ipſo leſum iniuriis. Pharnabazus cum Cretenſi, quòd aiunt, cretiſſans, conſcripſit epiſtolam ex Lyſandri ſententia, quam illi legendam tradidit, ſed clàm ſcripſerat aliam ex ſui animi ſententia, ſigillo & inſcriptione tam ſimili, ut dignoſci non quiret altera ab altera, eamq; tradidit Lyſandro. Is nihil ſuſpicans, reddit. Quam lectam, cùm illi cõmonſtraſſent Ephori, Lyſander intellexit, non ſolùm Vlyſſem uerſutum fuiſſe. In hanc fermè ſententiam Plutarchus in Lyſandro.

Romani cùm in Tarpeio fodientes delubro fundamenta, caput humanum inueniſſent, miſſis ob id à Senatu legatis, Hetruriæ celeberrimus uates OLENVS Calenus præclarũ id fortunatumq; cernens, interrogatione in ſuam gentẽ transferre tentauit, ſcipione priùs determinata tẽpli imagine in ſolo ante ſe: Hoc ergo dicitis, Romani, hìc templum Iouis opt. max. futurum eſt? hìc caput inuenimus? conſtantiſſima annalium affirmatione, tranſiturum fuiſſe fatum in Hetruriam, ni præmoniti à filio uatis, LEGATI Romani reſpondiſſent: Non planè hìc, ſed Romæ inuentum caput dicimus. Iterum id accidiſſe tradunt, cùm in faſtigium eiuſdem delubri præparatæ quadrigæ fictiles in fornace creuiſſent: & iterum ſimili modo retentum augurium. Plinius libro uigeſimooctauo, cap. 2.

### STVLTITIAE.

*Quicquid delirant reges (inter ſe pugnando) plectuntur Achiui: inquit ille. Ipſæ docent hiſtoriæ, non pauciora bella ex principum ſtultitia, quàm ex legitima inimicitia ortum duxiſſe.*

[redacted]

## FRVCTVS, PRÆMIVM INTELLIGENTIÆ PRACTICAE.

*Ex ſeq. locis Titulus hic illuſtrari poteſt, quatenus Prudentiam, Aſtutiam, Stultitjam uel digna uel indigna comitantur præmia.*

### PRVDENTIAE FRVCTVS

*Dignus.*

*Vide Tit. Prudentiæ habiti honores.*

PHRYNE meretrix, cùm à Praxitele optionem habuiſſet eligendæ ſtatuæ omnium quàs haberet pulcerrimę, nec tamẽ, quæ nam illa eſſet, expiſcari poſſet: Praxiteli bene poto nũciari iuſſit, officinam eius cõflagraſſe. Hic permotus Praxiteles, Saluus ne eſſet Cupido, percõtatus eſt. Dictum imprudenti exciderat. Phryne uerò operis præſtantia cognita, Cupidinem petiit, & abſtulit. Pauſanias lib. 1.

*Indignus.*

*Huc ij, quib. pro bono conſilio mala repenſa fuit gratia.*

### ASTVTIAE VEL

*Dignus.*

*Vide Tit. Calliditatis pœna iuſta.*

*Indignus.*

*Huc ii, qui aſtu & dolo ad Tyrannidem & Opulentiam peruenere.*

### STVLTITIAE FRVCTVS

*Dignus.*

Propter ſtultos PARIDIS amores, quos ſtulti Troiani, Helenæ forma dementati, fouẽre, Troia periit, ipſa quinetiam, ut Horatius ait,

Græcia Barbariæ lento colliſa duello eſt.

*Indignus.*

ATHENIENSIVM ſtultitia popularis Comicorum inſectatione nota eſt: & eadem tamen, bene fortunante Minerua, felicem ſunt conſecuta perſæpe exitum. Vide Tit. Populi ſtulti.

## PRVDENTIÆ CVLTVS.

### IN ALIIS.

Quidã Indus cùm potiretur ſaxo, quod inexuperabile habebatur, in deditionem ſe cũ ſaxo & copiis ſuis permiſit ALEXANDRO Magno. Hũc præfecit illis, adiecitq; regionẽ, dicens ſapere uideri ſibi hominẽ, qui uiro ſe bono permittere quàm munito loco maluiſſet. Plut. in Apoph.

Vt Porus à conflictu rogatus ab EODEM, quemadmodum de ipſo eſſet ſtatuturus: Regaliter, inquit. Inſuper requiſitus, Nũquid pręterea? Omnia, inquit, in uerbo regaliter inſunt. Admiratus tum prudentiã uiri tum uirtutẽ, latiorẽ regionẽ illi ea, quam antea poſſederat, adiecit. Plut. in regũ Apoph.

### IN SEIPSIS. Studium in DELIBERANDO, IVDICANDO.

SOLOMO, mortuo patre Dauide, duodecim annorum regnũ iniit. Et Gabaonẽ profectus, mille uictimas in ara ærea, quã Moſes extruxerat, immolauit. Ob id Domino acceptus, in ſomnis iuſſus eſt petere quicquid uellet. Solomo dormiens non diuitias, non regni incrementum, non uitam longæuã, ſed ſapientiam petiit, ut populum rectè poſſet regere. Deus uiciſſim & ſapientiam ſeſe daturum, & cætera omnia bona, quæ externa uocantur, adiecturum promiſit. Somniũ ipſum euentus confirmauit. 3. Reg. 3.

De VNGARORVM moribus in hunc modũ Otto Friſingẽſis ſcribit: Sunt Vngari facie tetri, profundis oculis, ſtatura humiles, moribus & lingua barbari & feroces, ut iurè fortuna culpanda, uel potiùs diuina patientia ſit admiranda, quę, ne dicam hominibus, ſed talibus hominum monſtris tam delectabilem expoſuit terram. In hoc tamẽ Græcorum imitantur ſolertiam, quòd nullam rem magnam ſine crebra & longa conſultatione aggrediuntur.



# LIBRI SECVNDI TITVLORVM DISPOSITIO.

PRVDENTIAE extra bellum exempla uarietate ſua mirificè animũ diſtrahunt. Perpendendæ

- Perſonæ. PRVDENTIA extra bellum ſecundùm perſonas conſiderata
  - Agentes. QVI prudenter inueniunt, conſulunt.
  - Patientes
    - Pro quibus, & quibus conſulitur. v. g.
      - Rebuſpublicis liberis.
      - Epiſcopis, Sacerdotibus.
      - Regibus, Principibus.
      - Iudicibus. Legatis.
      - Ciuibus. Subditis.
      - Senibus. Potentibus, Opulentis.
      - Pocillatoribus.
    - Cõtra quos exercetur. Puta contra
      - Homines:
        - Tyrannos
          - Auertere, Præuenire.
          - Euertere, Tollere.
        - Inſidiatores uitæ uel Imperij. Seditioſos.
        - Fures.
          - Deprehendere. Coercere.
          - Eludere.
        - Latrones
          - Explorare.
          - Circumuenire.
        - Proditores. Magos. Fugitiuos.
        - Colluſores.
      - Bruta.
        - Capiendo, Comparando.
        - Cicurando, Edomando. Interficiendo.
- Res tũ
  - Per ſe, ut ſunt aliquid. PRVDENTIA reſpectu Rerum circa quas occupatur. Nempe circa
    - Religionem
      - Docere, Propagare. Diſcere, Amplecti.
      - Conſeruare, Retinere. Defendere, Confiteri.
    - Leges, prudenter
      - Ferre, Ponere, Promulgare.
      - Non ferre. Docere.
      - Conſeruare. Abrogare.
    - Oracula
      - Approbare, Rata facere.
      - Explicare. Confutare.
    - Coniugiũ
      - Suadendo. Contrahendo. Non contrahendo.
      - Fouendo. Dirimendo.
    - Sobolem. Partum. Colonias. Teſtamenta.
    - Cadauer, ne
      - Surripiatur. Negligatur.
      - Ignominia afficiatur.
    - Hæreditatem.
    - Alimenta
      - Comparare
        - Cibum. Famem amoliri.
        - Potum. Sitim depellere.
      - Parare. Conſeruare.
    - Veſtitum. Ædificia.
    - Literas
      - Communicando. Muniendo contra falſarios.
      - Coarguendo. Corrumpendo.
    - Pondera. Rumores.
    - Ignem
      - Fouendum.
      - Arcendum.
    - Terræmotus.
  - Reſpectu hominis, cui prudenter accommodantur, ut uel commodent, uel incommodent. Et ſic rurſus, uel quo ad illius
    - Animum. Vide ſignum I.
    - Corpus. PRVDENTIA extra bellum in Corporis bonis promouendis, malis amoliendis. Huiuſce generis eſt, prudẽter
      - Vitæ & ſaluti proſpicere, Mortem amoliri
        - Suam.
        - Aliorum.
      - Sanitati cõſulere, Morbo obſtare in
        - Genere.
        - Specie
          - Partum promouere.
          - Mutilationem prohibere.
          - Venenum amoliri.
          - Peſtilentiam arcere.
      - Verbera declinare, effugere.
      - Quieti & Somno conſulere, Vigilias remouere.
      - Exercitiis conſulere.
    - Fortunas. Vide in ſequentibus ſignum III.

- **I.** Si *Animū conſideremus, occurrunt quædā Prudentiæ exēpla, reſpiciētia Animi*
  - Habitus. *Vide ſignum* II.
  - Affectiones, *Perturbationes*. PRVDENTIA *extra bellū, circa Perturbationes animi uerſans. Vt circa*
    - Amorem. Animoſitatem. Hilaritatem.
    - Pœnitentiam, *eam prudenter*
      - Præcauendo.
      - Ingenerando.
    - Suſpicionem
      - Præcauendo.
      - Diluendo.
    - Iram
      - Præcauendo, *Auertendo*. Mitigando, *Leniendo*.
      - Abolendo, *Reconciliando*.
    - Miſericordiam.
    - Luctum, *Mœrorem*
      - Auertendo, *Præcauendo*.
      - Mitigando.
    - Inuidiam. Superbiam. Humilitatem.
  - Effectiones. PRVDENTIA *extra bellum ſecundūm Effectiones habituū & perturbationum conſiderata. Huius eſt generis prudenter*
    - Admonere *alium, Explicare, Indicare, Nunciare, Oſtēdere*
      - Factum. Conſilium.
      - Sententiā, *Voluntatē*. *Literas*.
      - Præſtantiam *ſuam aliorúmue*.
    - Cælare, *Occultare arcana, occulta, incognita. Puta*
      - Conſultationem.
      - Coniurationem.
      - Factum. Mortem.
    - Expectare, *Explorare, Elicere arcana, occulta aliorum: ut*
      - Dei *iram*. Ingenium, *Mores*.
      - Fraudem. Furtum. Proditionem.
      - Cædem. Adulterium. Inſidias.
      - Accuſationem *falſam*. Statuarum *præſtantiam*.
      - Antiquitatem *generis*. Primogenituram.
      - Sententiam, *Opinionem, Iudicium*.
    - Approbare.
    - Refellere, *Confutare*
      - Conſilium. Sententiam, *Iudicium*.
      - Accuſationem. Obtrectationem.
      - Detractionem. Scomma. Iactantiam.
    - Accuſare, *Reprehendere*
      - Ignorantiam *theoricam*. Elocutionem.
      - Improbitatem *in genere*. Aſtutiam.
      - Stultitiam. Temeritatem.
      - Mollitiem, *Ignauiam*. Crapulam.
      - Libidinem. Illiberalitatem, *Sordes*.
      - Luxum *ædificiorum*.
      - Ambitionem, *Superbiam, Iactantiam*.
      - Iracundiam. Facilitatem.
      - Maledicentiam. Loquacitatem.
      - Adulationem. Nugacitatem.
      - Inciuilitatem, *Inurbanitatem*.
      - Superſtitionem. Iniuſtitiam *in genere*.
      - Rebellionem. Teſtimonium *falſum*.
      - Accuſationem *iniuſtam*. Condemnationem *iniuſtam*.
      - Corruptelam *munerum*.
    - Defendere *Innocentiam ſuam, Criminis intentati ſuſpicionem diluere. Puta*
      - Amentiæ *ſuſpicionem*. Impudicitiæ, *Stupri, Adulterij*.
      - Taciturnitatem. Factum *ludicrum*.
      - Inconſtantiæ, *Leuitatis*. Tyrannidis *affectatæ ſuſpicionem*.
      - Magiæ. Latrocinij.
      - Peculatus *ſuſpicionem*. Teſtimonij *dictionem*.
      - Iniuſti *iudicij ſuſpicionem*.
      - Perfidiæ, *Proditionis ſuſpicionem*.
    - Vlciſci.
    - Excuſare *ſe alióſue quo ad*
      - Animi *uitiū, improbum, dictum, factum: nempe*
        - Stultitiam, *Amentiam*. Timiditatem, *Ignauiam*.
        - Libidinem. Inceſtum, *Nuptias repetitas*.
        - Prodigalitatem. Luxum, *Cultum*.
        - Ambitionem, *Ambitum*.
        - Iracundiam. Mendacium.
        - Impietatem, *Hæreſim*.
        - Legum *contemtum*.
        - Perfidiam. Proditionem.
        - Defectionem.
      - Corporis
        - Graueolentiam. Claudicationem.
        - Ætatem.
      - Fortunas. *Excuſare*
        - Victoriam, *Cladem*. Ignobilitatem.
        - Imperium *in uiros*. Seruitutem.
    - Petere. Cōmendare. Laudare. Conſolari. Rixari, *Contendere*. Vlciſci.

II. Pru



- **II.** PRVDENTIA *occupata in animi habitibus bonis fouēdis, promouendis, exercēdis: malis amoliendis. Nempe in habitibus*
  - Theoricis. *Puta in*
    - Studiis *literarum*. Linguis *addiſcendis*.
    - Literis. Poeſi.
    - Mathematicis
      - Inueniendis.
      - Conſeruandis.
    - Theologia.
  - Practicis. *Prudens inuentio eorum, quæ pertinent ad Virtutis incrementum, Vitiorúmue decrementum, in*
    - Genere, *ad uirtutem ingenerandam, promouendam, conſeruandam uariis modis. Puta*
      - Inſtitutione, *Præceptione, Admonitione*.
      - Obſeruatione, *Inſpectione*.
      - Imaginibus, *Notis*.
      - Conuerſatione, *Exemplo aliorum*.
      - Fuga *improborum*.
      - Æmulatione.
      - Reprehenſione.
      - Hoſtium *metu*. Otij *fuga, Negotijs, Profeſſione*.
      - Inopia. Regionis *aſperitate*.
      - Dignitate
        - Conceſſa.
        - Non *conceſſa*.
        - Depoſita.
    - Specie: Nēpe ad
      - Prudentiam *conciliandam*.
      - Fortitudinem *excitandam, confirmandam*
        - Imaginibus.
        - Exercitiis.
        - Conuitiis.
      - Continentiam, *Pudicitiā tuendā, Libidinē refrænandā*
        - Simulatione
          - Obtrectationis, *Inſectationis*.
          - Conſenſus.
          - Morbi.
        - Metu, *Inſidiarum*.
        - Translatione *libidinis*
          - Legitima.
          - Illegitima.
        - Labore, *Exercitio, Negotio*.
        - Formæ *corruptione*.
        - Dolore *corporis*.
        - Cæcitate. Fibula.
        - Morte. Veſtitu.
        - Cuſtodia.
      - Sobrietatem & *Abſtinentiam in uictu*.
      - Parſimoniam *promouendam, Luxum moderandum, tollendum in*
        - Victu.
        - Veſtitu, *Supellectile, Comitatu*.
        - Ædificiis.
      - Ambitionem *refrænandā, Gloriæ fugam, Humilitatem perſuadendam:*
        - Præceptione, *Admonitione*.
        - Reprehenſione, *Redargutione, Irriſione*.
        - Occaſionis *ablatione*.
        - Obtrectatione, *Inſectatione*.
        - Labore, *Negotio*.
        - Religione.
        - Cadaueris *inſpectione*.
        - Veſtitu. Supellectile.
        - Imaginibus, *Notis, Inſignibus*.
      - Clementiam.
      - Popularitatem.
      - Iuſtitiam
        - Religioſam:
          - Idololatriam, *Superſtitionem abolendo, prohibendo, confutando*.
          - Impios, *Ignorantes*
            - Conuertendo.
            - Corrigendo, *Puniendo, Terrendo*.
        - Profanā in
          - Genere.
          - Specie:
            - Fidem, *Officium prudenter*
              - Exigere, *excitare*.
              - Declarare, *obſeruare*.
            - Iniuſtam *diſtributionem fugere*.
            - Perfidiam *prohibere, euitare*.
            - Correctionem
              - Iuſtam *exercere in improbos*.
              - Iniuſtā, *nimiā, damnoſam, euitare*.
  - Mechanicis.

III. Circa

- VII. Circa fortunas Prudentia uerſatur in
  - Genere. FELICITATI *prudenter conſulere, Infelicitatem amoliri.*
  - Specie, pro diuerſitate obiecti: nempe circa
    - Diuitias, opes, pecunias,
      - Cõparando. DIVITIAS, *Theſauros prudenter acquirere et inuenire ſibi aliiſue*
        - Tributo, *Vectigalibus.*
        - Mercimoniis, *Venditione, Emtione, Commutatione, Locatione.*
        - Mutuo, *Fœnore, exercẽdo, diſſoluendo. Æs alienũ prudenter diſſolutẽ.*
        - Salario, *Muneribus, Donis.*
        - Pecunia *adulterina.*
      - Conſeruando. DIVITIAS, *Theſauros, Opes quaſcunq; prudenter conſeruare, ne*
        - Auferantur *per*
          - Vim *ab hoſtibus.*
          - Dolum *à furibus.*
        - Amittantur
          - Incendio.
          - Naufragio.
      - Recuperando *amiſſas, Recipiendo.*
    - Vrbes, *Regiones.* VRBES, *Arces, Regiones prudenter*
      - Cõparare. Recipere. Ædificare, *Reſtaurare.*
      - Frequentare, *Populoſas reddere.* Locupletare.
      - Munire. Ab *excidio prohibere, Conſeruare.*
    - Amicitiam
      - Politicam. AMICITIAE *politicæ prudenter conſulere, & Inimicitias ipſas uel earundem fomenta tollere tum*
        - Publicè. *Amicitiam, quæ*
          - Non *eſt, Contrahendo.*
          - Eſt
            - Integra, *Cõſeruando. Seditiones, defectiones ciuiles prohibere ne oriantur.*
            - Labefactata *& diſſoluta, Reconciliando. Seditiones ortas tollere.*
        - Priuatim. *Amicitiam priuatim*
          - Contrahendo.
          - Conſeruando.
          - Redintegrando.
      - Oeconomicam. AMICITIAE *œconomicæ prudenter conſulere, & rixas tollere tum*
        - Patris *& Liberorum.*
        - Coniugum. *Coniugalem amorem*
          - Conciliare.
          - Conſeruare.
          - Reconciliare.
        - Dominorum *& Seruorum.*
    - Auctoritatem, *Exiſtimationẽ & Honorem: quatenus*
      - Bonum *promouet.* AVCTORITATI *& Honori conſulere ſuo alienóue, acquirendo, conſeruando, aſſerendo, uindicando: qui quidem debeatur bonis*
        - Animi, *puta*
          - Sapientiæ, *Eruditioni.* Mechanicæ *peritiæ.*
          - Virtuti *in*
            - Genere.
            - Specie. *Nẽpe*
              - Prudentiæ.
              - Fortitudini *bellicæ.*
              - Clementiæ.
              - Religioni, *Pietati.*
              - Legum *obſeruantiæ.*
        - Corporis: *ut Formæ.*
        - Fortunarum. *Videlicet*
          - Dignitati *& Magiſtratui. Maieſtatẽ Reip. & Imperij tueri.*
          - Victoriæ.
      - Malum *remouet.* INFAMIAM, *dedecus prudenter effugere, declinare, corrigere, in*
        - Genere.
        - Specie, *ortum ſcilicet ex malis*
          - Animi, *infamiam puta*
            - Timiditatis. Impudicitiæ.
            - Illiberalitatis. Impietatis.
            - Iniuſti *iudicij.* Perfidiæ.
          - Corporis, *infamiam*
            - Plagarum, *Verberum.*
            - Mutilationis.
          - Fortunæ. *Cuiuſmodi eſt*
            - Ignobilitas. *Generis obſcuritatẽ tegere, excuſare.*
            - Locus *parũ honorificus.* Deiectio *à dignitate.*
            - Sepulturæ *ignominia.*
            - Vxoris, *Filiorum impudicitia.*
    - Victoriam. VICTORIAE *prudenter conſulere.*
    - Magiſtratus, *Dignitates, Imperia, Regna, Potentiam.* MAGISTRATVI, *Imperio prudenter conſulere,*
      - Aſſumendo, *Eligendo.*
      - Comparando. Recuperando.
      - Cõſeruando, *Stabiliendo, Confirmando.*
      - Deijciendo, *Priuando.*
    - Libertatẽ. *Huius ſunt loci:*
      - LIBERTATEM *præſentem, uel*
        - Tueri *in*
          - Genere.
          - Specie *contra*
            - Tyrannos.
            - Iudices. *Damnationem effugere prudẽter.*
            - Inſidiatores. Hoſtes.
        - Eripere. *Capere, comprehendere, in uincula conijcere.*
      - SERVITVTEM *præſentẽ prudenter depellere,*
        - Obſidionis. Obſidum.
        - Carceris, *Vinculorum.* Cuſtodiæ *liberæ.*
        - Exilij. *Ab exilio prudenter redire.*
        - Peregrinationis. Famulitij, *Miniſterij.*

VOL V.

# Voluminis Septimi Liber II.

## De PRVDENTIA extra bellum, Inueniente, Conſulente.

INVENTIO *conſilij βούλευσις ſiue cõſultatio, Conſilium ipſum βουλὴ dicitur, tanquam effectus conſultationis. In conſultando autem cùm plura occurrãt, cumq́; inter ea id, quod iudicamus optimum eſſe, eligamus: Iudicium certè occultum & internum in conſultatione locum habebit, licet à conſilio, tanquam ab effectu & fine, ſpecies iſta Prudentiæ nomen accipiat. Βουλευτικὴ igitur Prudentia reſpectu finis εὑρετικὴ eſt: at per accidens, ratione ſcilicet eorum, quæ ad finem tendunt, quæq́; ſub diſcurſum & ratiocinationem, bonum à malo ſeparantem, cadunt, κριτικὴ uideri poteſt. Et propterea mirum eſſe non debet, eadem exempla interdum utriq; loco accommodari poſſe. Quicunq; enim de aliorum ſuiſue rebus rectè iudicauerit, idẽ rectiùs & ſibi & aliis conſulere poterit. Eſt igitur quando κατ᾽ ἐξοχὴν modò Inuentionis, modò Iudicij ratio habetur: eſt quando utriuſque ſimul: ſic ut ad utrunq; locum idem referatur exemplum.*

### PRVDENTIA EXTRA BELLVM CONSIDERATA SEcundùm PERSONAS. Nempe quo ad eos

#### QVI INVENIVNT, CONSVLVNT.

*Horum ex generali Prudentium recenſione Libro primo facta, petantur exempla.*

#### QVIBVS, SIVE PRO QVIBVS.

*Rebuſpublicis liberis.*

ARISTOPHANES in comœdia introduxit remiſſum ab inferis Athenienſem Periclem, uaticinãtem, Non oportere in urbe nutriri leonem: ſin autem ſit alitus, obſequi ei conuenire. Monens, ut præcipuæ nobilitatis & concitati ingenij iuuenes refrenentur: nimio uerò fauore ac profuſa indulgentia paſti, quò minus potentiam obtineant, ne impediantur. quòd ſtultum, & inutile ſit eas obtrectare uires, quas ipſe foueris. Val. Max. lib. 7. cap. 2.

Harpagus Ionas prælio uicerat. Conuenerant omnes ad Panionium. Illis BIAS Prienæus ſaluberrimum dedit conſilium: cui ſi paruiſſent, feliciſſimi uiuere potuiſſent. Suaſit enim, ut communi claſſe ſoluentes, Sardiniam peterent: ibidemq́; una quadã ciuitate omnium Ionum conſtructa, abſque ſeruitute liberi feliciterque uiuerent: nimirum inſulam inter omnes maximam habitaturi, aliiſq; imperaturi. Sin autem manerent in Ionia, nullam, inquit, ſibi apparere libertatis ſpem. Hæc Biantis ſententia ipſis Ionibus iam periclitantibus data fuit. Sanũ quoq; THALETIS Mileſij, qui à maioribus Phœnix erat genere, conſilium fuit, iam ante ſubactam Ioniam datum. Iuſſit enim Ionas unam quãdam communem curiam habere, eamq́ue eſſe in Teio, propterea quòd Teios in media eſſet Ionia. Alias autem ciuitates habitatas nihilo minus huic parituras, quàm aliarum ciuitatum tribus legibus parêrent. Herod. lib. 1.

PYRRHVS rex, quum Athenas ueniſſet, & ingreſſus arcem Palladis, rem diuinam feciſſet, eodem die deſcendens ex arce, collaudauit quidem Athenienſium erga ſe fiduciam: cæterùm admonuit, ſi ſaperent, ne poſthac cuiquã regum portas aperirent. Significans, omnibus regibus naturâ inuiſam populi libertatem. Eraſ. lib. 4 Apoph. ex Plutarcho.

METON Tarentinus, quo die decretum de Pyrrho rege Epirotarum uocando ſciri per populum Tarentinum debebat, & multitudo in concione ſederet: accepta corona & lampade, quaſi ebrius, tibicine ducente, ludibundus in concionẽ peruenit: &, ut fit, in turba populari aliis applaudentibus, aliis ridentibus, utq́; procederet in medium inuitãtibus, proceſſit ille, & quaſi cãtaturus aſtitit. Sed ubi ſilentium nactus eſt: Viri, inquit, Tarentini benefacitis, quòd iocari & ludere uolentibus, dum licet, permittitis: antequam Pyrrhus adueniat, libertatem uobis erepturus. Nec fuit mendax. Nam quamprimùm aduenit Pyrrhus, ludis & tripudiis Tarentinis interdixit. Bruſonius lib. 3. cap. 32.

VENETI dum ſeruitutis metu, aliena uirtute quàm ſua, terreſtri in bello uti longè utilius & tutius putant, togati omnes per octingentos ampliùs annos Rempublicam nullis ferè inteſtinis ſeditionibus exagitatam, adminiſtrarunt. Cæterùm ipſa nobilitas totius maritimi negotij & naualis diſciplinæ munera nauiter implet, exutiſq; togis arma deſumit. Iouius lib. 1. Hiſtoriarum.

*Epiſcopis, Sacerdotibus.*

SENEX quidam, inquit D. Hieronymus, eremi cultor, & Spiritu ſancto plenus, nepotem ſuum quærentem, utrum epiſcopus electus munus accipere deberet, ſuper diſco ſatis altè à terra erecto diu fecit uolutari. Cumq́; ille poſtremò caſum ſe timere dixiſſet, iuſſit ut deſcenderet, atq; itidem ſuper latam molliotis ſoli planiciem ſeſe agitaret. Ex multa uolutatione ſudanti ac defeſſo: Surge, inquit, & iam facere perge, quod tibi tutius factu putas. Itaque edoctus de præeminẽtiæ periculo iuuenis, electioni renunciauit. Iuuenem uita defunctum ſeni apparuiſſe ferunt, & poſtquam gratias

zzz egiſſet,

egiſſet,dixiſſe: Scio quia nunc eſſem de numero damnatorum,ſi fuiſſem de numero epiſcoporum.Marul.lib.1.cap.5.

*Principibus.*

Cùm Moſes in deſertis ad montem Sina populo ius redderet ſedēs,eiq; populus à mane ad ueſperā aſtaret: IETHRO ſocer eius Madianitarū pōtifex,qui ad Moſen officij cauſa uenerat,eum monuit, ut cùm ſolus tot negotiis ſufficere non poſſet,eligeret ex omni populo uiros fortes,pios,fideles,auaritiæ inimicos,quos tribunos faceret,centuriones,decuriones,qui populo ius dicerēt: res grauiores ad Moſem deferrent,qui Dei oraculis tantùm uacaret. Soceri conſiliū ſecutus Moſes eſt,eumq; in patriam dimiſit.Exodi 18.

PHILIPPVS Macedo Alexādro filio ſubiecit,ut ad cōciliandas ſibi uulgi uires,blandiretur Macedonibus, quandiu eſſe regnante alio liceret humanū. Conſulebat, ut pollētium in ciuitatibus pararet amicitiam,tam malorum quàm proborum:inde his uteretur,illis abuteretur. Plut. in regum Apophtheg. & Politicis.

CALANVM Gymnoſophiſtā referunt exemplū imperij Alexādro Magno ob oculos poſuiſſe.Corium in medium cōiecit, ſiccum & retorridum,cuius oram calcauit.Id uno loco preſſum,cæteris partibus extulit ſe. Idem circulans undiq; & pedibus ſtringens,in quaq; parte oſtendit euenire:quoad mediū pedib.occupauit,tunc omnes partes quieuêre. Ea imagine ſignificauit,media regni maximè premenda,neq; procul ab iis uagandum Alexandro eſſe.Plut.in Alexandro.

APOLLONIVS Tyaneus,Veſpaſianum Imp.ita hortabatur, Quæ ad imperium attinent,tanquā rex adminiſtra: quæ ad corpus,tanquā priuatus.Philoſtratus.

Ludouicus XI. graui bello à Carolo fratre natu minore, qui cū Carolo Burgundo & Frāciſco Britanno fœdus percuſſerat, preſſus, licèt omnium regum callidiſſimus haberetur: FRANCISCI Sforciæ Mediolanenſium ducis conſilio uſus,tempori ceſſit, & quamuis graues duraſq; pacis conditiones ſuſcepit: æquiore animo dignitatis quam,regni iacturam ferri debere perſuaſus, donec fœderis inani ſpecie eluſos,diſſectis ac diſſipatis eorum uiribus hoſtes opprimeret.Brutus lib.4.Hiſt.Florent.

LVDOVICVS XI. Carolo VIII. Delphino filio conſilium dedit, ne antiquos magiſtratus, amicos, familiares, miniſtros commutaret.Hoc enim ſibi perquàm incommodè accidiſſe.Auctor Chronici.

Carolus V.Imp.cùm Neapolim ueniſſet, fama AVGVSTINI Niphi Sueſſani,ſummi ea ætate philoſophi(cuius eruditi in Ariſt. pleroſq; libros extant cōmentarij) motus, eum ad ſe uenire iuſſit, & inter alia,cū Qua ratione princeps optimè regnū adminiſtraturus ſit,interrogaſſet:reſpōdit Niphus,Si tales,qualem tu me eſſe putas,Imperator, cōſiliarios & adminiſtros habuerit.Reſpōſi acumē admiratus Carolus,encomiis ornatū à ſe dimiſit. Cœlij Secūdi Curionis acroama.

*Iudicibus.*

AMASIS Aegyptius rex, cùm Elienſes circa Olympiorum certamen occupati, legatis ad eum miſſis petiiſſent conſilium, quo maximè id certamen iuſtè fieret: Si nullus Elienſis certaret,reſpondit.Diodorus Sic.lib.3. de Rebus antiq. At Herod.lib.3.hoc tribuit Pſammi filio Pſammetichi. Vide Tit.Iudicium urbanum prudens extra forum.

Tres nebulones interuerſis patroni mercibus,Senas confugerant,& trapezitæ ad octo millia aureorū cōmiſerant, quos nō niſi præſentibus tribus,cùm uellent,numeraret. Vnus illorum ſocios pecunia omni exuere ſtudens, trapezitā adit, & de emendo prædio conſiliū ſuos cepiſſe ait: Hinc ſocios monet(quos animi cauſa rus profecturos ſummo mane ſciebat)opus eſſe LXX aureis in communes expenſas. Illi cùm tempore urgerentur,manè trapezitam offendunt, & pecunias ſocio tertio depromere iubent, de LXX intelligentes: cùm trapezita de tota ſumma intelligeret. Accepta omni pecunia,profugit ille.Socij duo redeunt,in ius trahunt trapezitam,qui contra pacta ſocio tertio,ipſis non præſentib. numeraſſet pecuniam. Pendebat ille miſer animi, & modò non deſperabat, duabus iam ſententiis inferior, cùm ARLOTTVS plebanus Florentinus, homo facetiſſimus & ingenioſiſſimus ſuperuenit,& librum rationum coram iudicibus prælegi curauit, in hæc uerba: Octo millia non niſi tribus iſtis,à quibus depoſita eſſent,reddi debere.hinc ad iudices cōuerſus:Nulla,inquit,mora erit. Trapezita hic amicus meus ſummā, quam petunt, totā,quam tertio priùs numerauit,iterum numerare paratus eſt,ſi modò tres ſimul compareant,quemadmodum ex pacto cōparere debent.Hęc argutia à nullo ante Iurecoſs. animaduerſa & laudē Arlotto, & trapezitæ liberationē peperit.Auctor uitę.Niſi fabula eſt, uel imitatus eſt, quod fando legēdóue acceperat, Demoſth. exemplum:uel certè bonitate ingenij per ſe ipſe inuenit.

*Legatis.*

Plutarchus, iuuenis etiamnùm in legationē cum alio ad proconſulem miſſus: cùm ille caſu quodam reſtitiſſet in itinere,ſolus conuenit proconſulem, & negotium tranſegit. Vt iam reuerſus domum erat,renunciaturus legationem,exurgens PATER, ſeorſum præcepit ei, ne diceret, Diſceſſi, ſed Diſceſſimus:neq; Dixi,ſed Diximus: reliquaq; cum collega participans & communicans ut referret.Plut.in Politicis.

*Ciuibus.*

LYCVRGVS quærentibus, Quare Syſſitia inſtituiſſet,ut pauci ciues ſimul ſeorſum ab aliis in armis diſcumberent? Vt, inquit, promtè edicta accipiant, & ſi quid nouauerint, peccatum hæreat apud paucos, portioque cibi & potus æqua ſit:neq; in poculentis aut eſculentis,imò nec in lecto & ſupellectili, uel in re ulla alia,quicquam præcipui præ paupere habeat locuples.Plut.in Apophthegmatib.

*Subditis.*

Narrant, PHILIPPVM Burgundiæ principem, quum mutato habitu, Quid de ſe uulgò iactaretur?inquireret,cōpotori in caupona conſuluiſſe, ut ne unquam de principibus uerba faceret.Nam ſi laudaret,mentiretur:ſin uituperaret,periclitaretur. Ludouicus Viues de Cōcordia & diſcordia lib.1.

*Senibus.*

CATO maior ſenes monebat, ne ætati per ſe turpi adiungerent à uitio turpitudinem. Plut.in Apophtheg.

*Potentibus,Opulentis.*

CATO maior monuit potentes,ut cohiberent potentiam, ſi ea perpetuò frui uellent. Plut.in Apophthegmatib.

*Pocillatoribus.*

AGESILAVS,in compotatione magiſter conuiuij ſorte creatus,cùm requiſiſſet ex eo pocillator,Quātum cuiq; uini miniſtraret?Si multum, infit, uini ſuppeditat, quantum quiſq; petit: ſi parum, ex æquo omnibus. Plut.in Apophthegmat.

## CONTRA QVOS. PRVDENtia contra TYRANNOS. TYRANNIDEM

*Auertere,Præuenire.*

Temperata per Lycurgum Reip.procuratione, cùm adhuc tamen,qui ei ſucceſſerunt,nimiam & ualidam paucorū potētiam animaduerterent luxuriari & ferocire: tāquam frenū, ut ait Plato, iniecerunt ei LACEDÆMONII Ephororum auctoritatē,atq; infra Lycurgū, annis circiter triginta ſupra centum,primum Ephorū deſignauerūt Elatum,rege Theopompo. Quem dicunt,cùm exprobraret ei uxor, Quòd regnum filiis minus,quàm accepiſſet,eſſet relicturus:Imò,reſpōdiſſe,eò maius,quò diuturnius.Et nimirū abiecta enormitate cum inuidia deuitauit ſcopulum, in quem Meſſeniorum & Argiuorum reges apud ſuos ciues impegerunt:qui frænum dominatus nihil remittere ad popularitatem uoluerunt uel laxare.Plut.in Lycurgo.

Summum præſidium eſſe oſtendit DEMOSTHENES aduerſus tyrannos ciuitatibus,diffidentiam.Hæc enim potiſſimū animi pars,qua fidem habemus,expoſita eſt circumuentionibus.Plut.in præceptis Politicis.

Syracuſiis à tyrānide Thraſybuli liberatis,nō multo pòſt Tyndarides quidā,inopes pleroſq; ſuſtentans alimentis,ſibi maximè obnoxios fecerat, adeò ut ad occupandam tyrannidē fidos ac promtos adiutores haberet.Re cōperta capitis dānatur.Cliētes eius,qui ab eo ali & nutriri conſueuerāt,ſtipato agmine adoriūtur eos, à quibus abducebatur. Tumultu excitato, primores ciuium in unū conueniunt, eoſq; rerum innouatores unà cum Tyndarione raptos ad ſupplicia, necant.Cùm hęc perſępe pericula emergere cœpiſſent,ac iam multos ambitio mortales, libidoq; occupādæ tyrānidis indies ſtimularet:SYRACVSANVS populus Athenienſium inſtituta imitari ac ſequi compulſus eſt,legemq; ferre perſimilem, qualem illi de ſuffragiis olim & oſtraciſmo tulerāt. Apud Athenienſes unumquemq; ciuem oportebat nomen illius ciuis ὀστράκῳ,hoc eſt,teſtę inſcribere,qui per opes & potentiam tyrannidem arripere uelle uiſus fuiſſet. Apud Syracuſios uerò in folio oliuæ potentiſſimi cuiuſq; ciuis nomē ſcribi iubebatur. Dinumeratis deinde huiuſmodi foliis, in quem plurima conſcripta comperiſſent, eum quinquennio exulare iubebant. Eo namq; exilij ſpacio exiſtimabant plurimorum potentum repreſſum iri inſolentiam.Athenienſes Oſtraciſmum, & Exoſtraciſmum:Syracuſij Petaliſmum,ἀπὸ τῦ πετάλυ,uocarunt. Hæc lex per multum tempus ſeruata apud Atheniēſes ualuit. Syracuſij breui pòſt eā abrogauêre. Nam cùm initiò potentiſſimus quiſque & opulentiſſimus ea lege ex urbe pelleretur:cæteri ea lege perculſi,Republica relictā uitam priuatam agere, & in otio ſecuram uitam degere maluêre. Tum demum deſtituta bonis uiris ac defenſoribus Repub.peſſimus quiſq; audaciſſimuſque ſibi magiſtratus depoſcere cœpit.Itaq; ſeditionibus grauiſſimis ciuitate laborāte, Syracuſij legem Petaliſmi abrogarunt. Diod. lib.11.& Plut.in Ariſtide.



STESICHORVS poëta Himerenſes Siculos Phalaridem tyrannum ducem eligere uolentes, deterruit equi apologo, qui ad debellandum ceruum opem hominis implorauit,frænūq; recepit.Eius meminit Ariſt.in Rhet. & Horat. l.1. Epiſt.

Ceruus equum pugna melior communibus herbis
Pellebat.Donec minor in certamine longo
Implorauit opes hominis,frænumq; recepit.
Sed poſtquam uictor uiolens diſceſſit ab hoſte,
Non equitem dorſo,non frenum reppulit ore.

Hanno è Pœnorum clariſſimis, primus hominum,leonem manu tractaſſe auſus,& manſuefactum populo CARTHAGINENSI oſtendiſſe traditur. Hoc certè argumento damnatus eſt: quoniam nihil non perſuaſurus uir tam artificis ingenij uidebatur: & malè credi libertas ei, cui in tantum ceſſiſſet ipſa etiam feritas,tam ſuperbum,tam ſæuum,tam crudele animal.Val.Max.lib.8.cap.16.

Beſſerſtein,arx munitiſſima Rauracorum ad Arolam ſita,ab EQVITE aurato ædificata eſt. Is cùm filios duos etiamnum impuberes ſeriò inter ſe colloquētes audiuiſſet, poſt patris obitū ſe hac ſede munitiſſima ad opprimendas uicinas regiones uſuros:ſupellectilem omnem ex arce deportari curauit, & filios ob tam nefaria conſilia uerbis primùm ſeuerè correptos, faces arci iniicere,& funditùs exurere coëgit,ne anſam tyrannidis ullam haberent. Dignus certè,cuius nomen ob hoc factum memoriæ foret mandatum. Stumpfius lib.12.Heluetiæ.

Galeacius Sforcia,Mediolanēſium princeps,cùm per cauſam, ut ferebatur, uxori diſſoluendi,Florentiam cum uxore ueniret,regio apparatu,& penitùs inſolito liberę ciuitati,in qua ſumma parſimoniæ laus & frugalitatis haberetur:LVCENSES aduenientem magnificentiſſimè exceperunt, portam, qua in urbem erat inuecturus,& turrim, quæ è portæ fornice in ingentem altitudinem perducebatur, demoliti:nomine, ut eo honore afficeretur, qui magnis regibus haberi cōſueuerat:reuerà, quòd illis ambitio hominis ſuſpecta metū inieciſſet, ne turri occupata,loco arcis, ubi res ſuccederet, ad urbem expugnandam uteretur.Brutus lib.5.hiſt.Flor.

*Euertere,Tollere.*

☞ *Ex Tit.Fortitudinis erga tyrannos, huc quædam.*

AODVS,Gerę F.ſcæua erat,quia læua manu pro dextera utebatur. Is Iſraëlitas liberauit ab Eglone Moabitarū rege, cui octodecim annis ſeruierant,hoc modo. Cùm munus Iſraëlitarum nomine Egloni regi offerret, ſicam ancipitem breuem ſub ueſte occultauit. Et oblato munere, ſeſe diuinum mandatum ad regem habere dixit. Remotis ergo arbitris, cùm rex de ſolio ſurrexiſſet,Aodus ſica uentrem illius (erat autem ualdè obeſus)capulotenus tranſuerberat, ita ut ſtercus erumperet.Mox clauſo cœnaculi oſtio, ipſe per ambulacrum elabitur. Eo egreſſo, cùm cuſtodes cœnaculi oſtium obſeratum animaduerterent, regem in conclaui cœnaculi aluum purgare arbitrabantur.Tandem pertæſi moræ,aperta ianua humi confoſſum inueniunt. Aodus uerò fuga elapſus,ubi ad Seiratham peruaſit, tubam in monte Ephraimitico ſonat,deuocatiſq; de monte Iſraëlitis,Moabitarum circiter decem millia trucidauit,& ſubegit. Itaq; pax fuit inter Iſraëlitas annos 80.Iudicum 3.

Quum multi ſubditorum Ariſtotimi tyranni dem fugientes in Aetoliam confugiſſent, miſſi ab Aetolis legati,ut exulibus ſuas neceſſitudines tyrannus remitteret.Annuere ille Aetolorum poſtulatis uiſus eſt,liberiſque extorrium & uxoribus poteſtatem fecit abeundi:inde urbem longo agmine egreſſos, precioſiſſima quæq; ſecum aſportātes,rebus omnibus ſpoliatos in carcerem coniecit.Ibi tyranni iuſſu pueri in matrum cōplexibus ſunt crudeliter interfecti, uirgines ad ſtuprum raptæ.Hanc tyranni ſęuitiam ulturus HELEMATVS quidam ſenex,& liberis orbus,fidiſſimos amicorum domū uocat. Quos quum ad libertatem ferro repetendam hortaretur,nec ciues in ſententiam,tyranni metu,traheret, clauſa domo ſe ad Ariſtotimum miſſurum interminatur, ut ad ſe tanquam ad coniurationē opprimendam accurreret. Quo metu illi adacti, in Helemati uerba contra tyrannum iurāt, eaq; conſpiratione nefarius Ariſtotimi dominatus eſt extinctus.Sabellicus lib.9.Enn.4.

Cùm à Spartanis occupata Cadmea, Archias tyrannus Thebanos premeret, exules Thebani nobiliſſimi, qui Athenis degebant,auctore PELOPIDA, tyrannos interficiendi, & patriam liberandi conſilium cepêre, idq; Charoni, Epaminondę,& reliquis,qui in urbe manſerant,communicauêre. Athenis profecti cum lacernulis duodecim numero, traxerunt ſecum canes uenaticos,& uaros ferebant,ne cui in uia ſuſpicionem mouerent, ſed uenari & uagari aliàs uiderentur. Hinc ueſtitu aſſumto ruſticano, diſpertiti alij alia parte urbem luce adhuc occultè ingreſſi ſunt. Ventus niuem effundebat, incipiente ſe conuertere cœlo: quo magis tecti fuêre,quòd pleriq; procellę cauſa recepiſſent ſe domū.Quibus autem cura incumbebat,quid ageretur,cognoſcēdi, hi illos exceperunt ex itinere, & confeſtim domum deduxerūt ad Charonem. Fuerūt cum exulibus duodequinquaginta. Scriba Philidas,qui conſiliorum exulum erat particeps, adiuuabat conatus eorum. Hic multo antè in eum diem oſtenderat Archiæ & Philippo compotationem,& cōuiuium, & mulieres nuptas:in eoq; erat, ut quàm maximè luxu & uino confectum præberet ad cædem inſidiatorib. Non admodum merſo crapula Archiæ indicium delatum eſt obſcurū, occultari in urbe exules. Miſit ergo apparitorē Archias ad Charonem Thebanorum nobiliſs. qui cum confeſtim accerſeret.Sed is incerto tantùm rumore nitentem facilè à ſuſpicione deduxit. Philidas interim abduxit Archiam, rurſuſq; multo uino immerſit, ac compotationem illa de mulieribus ſpe traduxit. Cū iam matura res uideretur, è Charonis ædibus bipertitò eruperunt, Pelopidas & Damoclidas in Leontidam & Hypatem, qui uicinas ædes habebant: Charon & Melon in Archiam & Philippum,inducta thoracibus ueſte muliebri, atq; ad inumbrandam faciem denſis coronis redimiti abiegnis & piceis.His confectis, ſignificauerūt rem in Attica exulibus,ciues ad libertatē uocauerunt,eoſq; qui ſe aggregauerant ipſis,detractis à porticibus ſpoliis, & ergaſtulis, quæ erant circa domum Charonis, ubi haſtæ & gladij parabantur, ruptis armauerunt. Auxilio eis armati uenerūt Epaminondas & Gorgidas,qui non contēnendam ex flore iuuentutis & ſenū optimorum centuriauerant manum.Poſteaquā aduentarunt exules,Pelopidas cum Melone & Charone creatus Bœotarches,extemplò circumuallauit & corona oppugnauit Cadmiam arcem, quā MD præſidio Lacedæmonij tenebant:eamq; priùs recepit, quàm ex Sparta ſuperueniret exercitus. Hac ratione Pelopidas Thebas à tyrannide liberauit, & Spartam ſimul terra mariq; exuit imperio.Probus in Pelopida, & Plut.de Socr. dæmon.

CLEOMENES Leonidæ F.de Achæis uictor,cùm iam diu Ephororū inſolentiam tollere, & Spartam ad ueterē æqualitatem à Lycurgo inſtitutā reducere uellet: Lacedæmonios ex prælio & itinere feſſos in Arcadia reliquit. Mercenarium autem militem ſecum trahens, Spartam contendit, atq; in itinere illis,quos maximè fidos ſibi credebat,aperuit conſilium ſuum. Lento agmine progrediebatur, ut cœnātes occuparet Ephoros. Vt propè urbem uenit,Euryclidam pręmiſit ad conuiuium Ephororum, quaſi certa mandata ab ipſo haberet ad eos de bello. Hunc ſubſecuti ſunt Thericiō,Phœbiſq;,& duo,qui cum Cleomene fuerant educati, quos Samothracas uocabant,cum modica militum manu.Hi,colloquente adhuc cum Ephoris Euryclida, diſtrictis irrumpētes gladiis conciderunt eos.Cleomenes ubi diluxit,proſcripſit octoginta ciues,quos ſolum uertere imperauit, & Ephororum ſellas ſuſtulit,demta una,qua ſedens ius dicturus erat. Hinc aduocata concione excuſauit acta, ſimulq; patrimonium ſuum primus in medio poſuit, inde Megiſtonus uitricus eius, & cæterorum amicorum quiſq;, tum reliqui ciues cuncti.Diuiſus ager eſt:Sortes etiam cuiq; eorum,quos exegerat in exilium,attribuit: reuocaturumq; omnes ſe rebus pacatis oſtendit.Suppleta ex optimis finitimis ciuitate, effecit peditum quatuor millia,quos ubi docuit pro lancea ſariſſam ambabus manibus tractare,& clypeum ferre amento non appenſum: ad iuuentutem formandam conuertit animum, & ad diſciplinam Laconicā: qua fermè in omni re conſtituenda præſens Sphærus philoſophus fuit adiutor. Citò ordinem exercitationes & conuiuia conuenientem receperunt: redactiq; ſunt in generoſam illam & Laconicam uitā pauci neceſſitate,pleriq; ſponte. Ne nomē tamen quēquam offenderet dominatus,regem ſibi cooptauit fratrem Euclidam, ac tunc ſolùm habuerunt Spartiatæ una ex domo duos reges.Plut.in Cleomene.

Hippia tyrannidem Athenis obtinente, & infenſo eis propter cædem Hipparchi fratris à Gephyręis peracta, ALCMÆONIDÆ, qui genere ſunt Athenienſes, profugi patria propter Piſiſtratidas, quoniam ipſis unà cum cæteris exulibus res de redeundo tentata, omni ope fruſtrata fuit, conatiq; Athenas reuertendo liberare,uehementer deciderant:Lipſydrium ſuper Pæoniam communierunt. Dehinc omnia aduerſus Piſiſtratidas comminiſcendo,mercede conduxerunt ab Amphictyonibus templum Delphis ædificandū: & cùm bene numati eſſent, extruxerunt templum exemplari pulcrius. Deinde auctore Cliſthene, qui poſtea rerū potitus eſt Athenis,Pythiā pecunia perſuaſerunt,ut,quoties uiri Spartiatæ uenirent, ſiue priuato, ſiue publico agmini petentes oraculum, proponeret ipſis liberare Athenas. Lacedæmonij poſtquam ſibi idem ſemper diceretur, religione moti mittunt Anchimolium,Aſteris F.cum exercitu,ad expellendos Athenis Piſiſtratidas, tametſi hoſpites ſuos, & in primis amicos. Anchimolius ad Phalerum expoſitis copiis à Piſiſtratidis cæſus eſt. Non multo pòſt Cleomenes miſſus, Athenas cepit.Herod.lib.5.

LAARCHVS Arceſilai Cyrenæorū tyranni amicus, cùm qui

oculum adiecisſet tyrannidi, Cyrenæorum primores exter-
minant,uel interſiciens, in Arceſilaum cauſam coniiciebat :
deniq; morbo tabifico & graui illum propinato lepore ma
rino implicatū necauit. Ipſe cū imperio erat quaſi filij eius
Batti tutor: at puer, quòd claudus eſſet & immatura ætate,
contēnebatur. Matri adhærebāt pleriq;. Erat enim modeſta
& benigna,multoſq; amicos & potētes habebat. Quare eā
uolebat etiā Laarchus,eiuſq; nuptias ambiebat:Battū oſtē-
debat adoptaturū ſe contractis nuptiis,& conſortē regni fa
cturum. ERYXO (id nomen fuit mulieri)re cum fratrib. de-
liberata,Laarcho,uelut nuptiæ ſibi placerent, iuſſit,ut illos
appellaret. Vt fratres conuenit Laarchus,ac rem illi de indu
ſtria producūt & extrahunt:mandat ei per ancillā Eryxo,fra
tres, qui nunc aduerſentur,ubi concubuerint, nō ultra reie-
cturos,ſed aſſenſuros:conſulere; ut noctè, ſi uideatur, ad ſe
accedat:eo facto initio,reliqua rectè fore. Erāt hęc Laarcho
iucunda, atq; ob eam mulieris in ſe comitatē exultās,quan
do illa iuberet,ad eam pergere conſtituit. Hæc ſtruebat Ery-
xo cū fratre natu maximo Polyarcho. Statuto ad cōgreſſum
tēpore,Polyarchus duos ſecū ducēs gladiis accinctos iuue-
nes, qui patris necē perſecuturi erant nuper ab Laarcho in-
teremti,in cubiculū ſororis clàm intromiſſus eſt. Accitus ab
Eryxo ille,remotis ſatellitib. eſt ingreſſus. Ibi adoleſcētes in
hunc coorti, gladiis eum occiderūt, corpus exanimū trans
mœnia proiecerūt,Battū in mediū produxerūt, ac parentis
loco deſignarūt regē. Sic priſtinā reip. formam Polyarchus
Cyrenæis reddidit. Plutarchus de Virt.mul.

Tempore Mithridatis regis,Nicocrates oppreſſis tyrānide Cy
renæis,cùm alios multos interemit, tū ſacerdote Apollinis
ſua interfecto manu Menalippo inuaſit ſacerdotiū. Adhæc
Aretaphilæ uirū Phędimum necauit: quā ſibi matrimonio
iunxit inuitā. Supra ſexcenta alia ſcelera cuſtodes ad portas
diſpoſuit, qui exanima corpora,quæ efferebantur, ne quis
ciuis pro mortuo clā exportaretur,enſibus pungēdo & cau
teria imprimendo ſugillabant. Cædes aliæ ſuper alias cu-
mulabantur ciuium : exules inopes planè & metu ſuſpenſi
diſſipati erant. Vnā igitur ſpē Aretaphila reip. ſeipſam pro-
poſuit. Sed cùm fidis & familiaribus,quales illi fortuna con
ciliauerat,deficeretur,ueneno tollere ſtatuit uirum. Dum id
ſtruit & parat, dum multorum experitur efficaciā,detecta &
delata fuit. Cùm indiciis premeretur:Nicocratis mater Cal-
bia, truculēto mulier ingenio & implacabili,extēplò Aretæ
philam probris afficiendā & de medio cenſuit tollendā. Irā
Nicocratis amor morabatur & molliebat. Ergo medicamē
tum confeſſa eſt paraſſe quidē,cæterū non noxium, & ama
torium,contra inſidias pellicū. Cùm tormēta adhiberētur,
Calbia quæſtioni immota &rigida aſtante,Aretaphila tāto
in periculo inuictā ſe pręſtitit:donec & Calbiam ſatietas in-
uitā cepit. Nicocrates, cùm ei eſſet ſatisfactum, hanc noxa
ſoluit,pœnitentiaq; ductus,quòd eam torſiſſet, non longo
interpoſito interuallo rediit amore cōpulſus ad priorē con
ſuetudinē,iterumq; cum ea cōcubuit,honoribus & blandi-
tiis beneuolentiam etiam reconcilians. Illa iuncta cum ho-
neſti ſtudio peruicacia,alia ui eum eſt aggreſſa. Filiam habe
bat iam nubilē & forma honeſta. Hanc obiecit Leandro ty-
rāni fratri eſcam. Edocta à matre puella,perſuaſit ei,ut ciui-
tatē in libertatē uindicaret. Nam ne ipſum quidē,ſub tyran-
no qui uiueret,liberum eſſe, neq; in ipſius eſſe poteſtate uel
nuptias conciliare uel retinere. Amici quoq; in Aretaphilę
gratiā ſemper materiā aliquā ei aduerſus fratrē præbebant
querelarū & ſuſpicionū. Itaq; ſerui, quem induxerat, opera
Nicocratē interficit, & tyrannidem occupat. Aretaphila mu
tationem dominij indignè ferēs,bello Africano eum impli-
cuit, ſummiſſo dynaſte quodā Anabo, qui agrū popularē-
tur,urbemq; infeſto exercitu peteret. Deinde amicos & du-
ces apud Leandrum inſectabatur, quòd abhorrerent à bel-
lo,pacemq; & quietē præferrent,contrariā tyrannidi. Se ar-
bitrā interpretemq; offert pacis conciliandę. Ipſa cū Afro in
ſermonē uenit: poſtulat, ut in cōgreſſu cōprehendat tyran-
nū. in id ingentia præmia & pecuniā oſtēdit. Quod cū ſuſce
piſſet Afer,cūctabatur Leander primùm:pòſt ueritus Areta-
philā,quę comitē ſe offerebat,inermis & incuſtoditus per-
rexit. Vt propè fuit,& in conſpectu habuit Anabū,rurſus flu
ctuans animo ſatellites operiri uolebat. Aretaphila pręſens
nunc confirmādo hominē,nunc caſtigādo, deniq; cùm res
extraheretur, manū protrahendo, perquā ferociter & con-
ſtanter, adduxit hunc ad barbarum,illiq; tradidit. Mox ma-
nus ei iniecerunt, prehenderuntq; ac uinctū barbari cuſto-
dierūt, dum Aretaphilæ amici ac reliqui ciues cum pecunia
adeſſent. Hi Calbiam uiuam cremauerunt, Leandrū culeo
inſutū ſubmerſerunt: decreuerunt etiā,ut unà cū optimati-
bus Aretaphila magiſtratus capeſſeret, & remp. gereret. Illa,
ut uidit redditā libertati ciuitatē,ilicò incluſit ſe gynęceo,te
xendoq; reliquā uitam cū neceſſariis & familiaribus omni
ambitione reiecta traduxit quietam. Plut. de Virt.mul.

Domitianus Imp. oppreſſus eſt cōſpiratione uxoris & amico-
rū. Et quidē princeps facinoris aggrediēdi STEPHANVS
breuem gladiolum ſiniſtro brachio occultans, manum tan
quā fractā multis faſciis circūligauit. Inde Domitiano dixit:
Opus eſt mihi ſecreto, ut nouas atq; incredibiles res perci-
pias. datoq; colloquio, tradidit libellum, ac legenti ſuffo-
dit inguina,uulnere lethali quidem,ſed quod per cruciatus
cum lentitudine illum conficeret,adiectis uerbis inimiciſſi-
mis. Domitianus autem,cùm eſſet robuſto corpore, primo
uulnere nequaquā deiectus,apprehendit Stephanū,eiq; ſu-
perincumbens eruere oculos nitebatur,faciemq; aureo ca-
lice pertundens,ac auxilia à cuſtodibus corporis implorās.
Accurrerunt Clodianus Cornicularius, Parthenius, Maxi-
mus & Saturius liberti & cubicularij : qui ſeptem uulnerib.
ſaucium contrucidarunt. Tandem fruſtrà affuerunt ſerui,cū
penè exanimatus eſſet.. Sic periit Domitianus, anno ætatis
XLV. imperij 15. Cuſpinianus.

Syluanus Agrippinæ purpurā ſumſerat. Ea res eo ipſo die Me-
diolanum nunciata eſt:conſilioq; ſtatim in regiam ſecunda
uigilia conuocato, Conſtantius Imp. nuncium ad eum mi-
ſit,ut,accepto Vrſicino ſucceſſore,cum poteſtate intacta re-
diret:credebat enim, Syluanū neſcire, ea ſibi nota eſſe, quæ
geſſerat. VRSICINVS licèt magna feſtinatiōe uſus eſſet,ta
mē famā rerū Agrippinā præceſſiſſe inuenit. Itaq; cùm nihil
palàm tentaret,comiter à Syluano exceptus eſt. Poſtridie ue
rò Bracari & Cornuti ( ordinum militarium hæc nomina e-
rāt)clàm ab Vrſicino ſolitati, prima luce in regiā irrumpūt,
ac Syluanū extractū ædicula,in quā exanimatus cōfugerat,
multis ictibus confodiunt. Sigonius lib. 6. Imp. occid.

☞ INSIDIATORES VITÆ, IMPERII
prudenter circumuenire.

Artabanus apud Xerxem regē Perſarum, cùm plurimum poſ-
ſet,illiuſq; cuſtodiæ ac militibus Prætorianis præficeretur:
iniit tandem regis occidendi,regniq; in ſe transferendi con
ſilium. Ergo re cōmunicata cum Mithridate quodam eunu
cho, clàm noctu iſtius opera intra cubiculum regium ingreſ
ſus, Xerxem interficit: nec non ARTAXERXI filio perſua-
det,ut fratrem Darium maiorem natu maturè aggrediatur,
quem patrē apud eū falsò occidiſſe accuſat, ut citiùs regno
potiretur. Artaxerxes deceptus, Dariū interficit: parricidiū
parricidio uindicat. Tum ratus Artabanus præclarè ſibi cœ-
pta conſilia ſuccedere, rem ſeptem filiis ſuis robuſtiſſimis a-
perit:hortatur ut ſimul omnes Artaxerxē,qui unus ex regiis
filiis ſupereſt,feriant. Sed proditis inſidiis, Artaxerxes timēs
Artabani numerum filiorū,in poſterum diem, paratū exer-
citum armatumq; eſſe iubet,recogniturus & numerum mi-
litum, & in armis induſtriam ſingulorū. Itaq; cùm inter cæ-
teros & ipſe Artabanus armatus aſſiſteret,rex ſimulat ſe bre
uiorem loricam habere: iubet Artabanum ſecum commu-
tare. exuentem ſe ac nudatum gladio traiicit: tum & filios
eius corripi iubet. ita præclarè & cædem patris, & necem
fratris, & ſe ab inſidiis Artabani uindicauit. P. Aerodius ex
Diodoro Siculo, lib. 11. & Iuſtino lib. 3.

A Cinadone inſidias ſtrui aduerſus Ageſilaum atq; Rempub.
Lacedæmoniorū,ad EPHOROS delatū eſt. Igitur ab indi-
ce tota coniuratione perſpecta, & ubi poſt diligentē inqui-
ſitionem uera ſibi afferri exiſtimarunt: cenſuêre non paruū
conciliū (quod appellabant) ſed omnes ſeniores conuoca-
ri oportere. Hi decreuerūt, Cinadonem cū quibuſdam uali-
dis iunioribus Aulonem mittere, ut Aulonitas quoſdā cum
Helotis in Scytala deſcriptis, cōprehenderet, & Lacedæmo-
nem adduceret:inter quos & mulierem quandam, quæ cū
pulcerrima eſſet, Lacedæmonios oēs, qui illuc appuliſſent,
corrūpere ac peruertere dicebatur:item & tres currus Cina-
doni dari, ne cuſtodiæ pedibus iter facere cogerentur. Ita e-
nim ſine ſuſpicione ac ſine tumultu, re cū iis ipſis, quos ſecū
deduceret, ab Ephoris cōpoſita, extra urbē Cinadonē capi
poſſe. illic ſatiùs eſſe reū in conſcios interrogari, quòd ij in-
terim ignari quid de Cinadone accidiſſet, neq; in urbe ſedi-
tionem agitarent, aut certè detecta cōiuratione nō aufuge-
rēt. Itaq; Cinadon in itinere à ſuis ipſius comitib. cōprehen
ſus, cōſcios indicauit : quorū nomina cùm in urbē ſtatim al
lata eſſent, iuſſi ſunt apprehendi:inter quos fuit Tiſamenus
uates. Habita quæſtione, cùm Cinadon nihil non confeſſus
eſſet, atq; interrogatus, cur tantū facinus molitus erat, nihil
aliud reſpondiſſet, quàm uoluiſſe ſe nulli Lacedæmonum
concedere ſiue opibus ſiue potentia : is ſociiq; manib. poſt
tergū reuinctis, per ciuitatē undiq; traducti, atq; flagris cæſi
interfecti ſunt. P. Aerodius ex l. 3. Xenophōtis. Polyenus. l. 2.

PISISTRATVS Athenienſium tyrannus, ſimultate inter ſe &
filios orta, cùm ſciret ea re inimicos lætari, & noua agitare
conſilia, in magno ciuium cœtu dixit, Se à filiis quædā exe-
giſſe, quæ bona eſſe arbitrabatur: & cùm duros, ut patri ob-
ſequerentur, inueniſſet, ſe tandem ne cum eis ſine amore ui
ueret, ſuam in filiorum uoluntatem mutaſſe. Sapienter pro-
uidit, ne ex domeſtica diſcordia tyranni, publica aliqua cō-
ſpiratio contra ſe oriri poſſet. Fulgoſus libro ſeptimo, capi-
te ſecundo, & Cælius libro uigeſimonono, capite 14.



Milites, qui cū ETEONICO duce Lacedæmoniorū in Chio
relicti erant, cùm penuria cœpiſſent laborare, inierant taci-
ta conſilia, Chios, qui ſocij ac fœderati erant, cum bonis ac
facultatibus omnibus occupandi. Quibus hæc coniuratio
placeret, ut ſeſe inuicem agnoſcerent, ſingulos arundinem
ferre manu aut pileo cōuenerat. Eteonicus huius rei certior
factus, ſapientiſſimè iudicauit, non apertā ui agendum eſſe:
quia magnā eſſet frequētia coniuratorū, & ſumtis armis pe
riculum erat, ne Chij è ſocijs acerrimi hoſtes euaderent. Ita-
que hanc rationem ſecutus eſt. Quindecim aſſumtis militi-
bus per urbem ambulando, qui primus ei arundinē habens
obuius factus eſt, hunc protinùs obtruncari iuſſit: atq; ſciſci
tātibus, Quā ob cauſam interfectus eſſet? nihil aliud reſpon
deri, quàm quòd geſtaſſet arundinem. Ita factum eſt, ut reli-
qui factioſi arundinem continuò proiicerent. Sed & Eteoni
cus conuocatis Chiis, ac perpetuò militum diſſimulata con
iuratione, pecunias imperauit, quæ militibus ne quid noui
molirentur, diſtribuerentur. Illi quamprimùm paruêre. & i-
ta cōſultiſſimè unius ſupplicio, magnæ ſeditioni occurſum
eſt. Xenophon lib. 2. rerum Græcarum.

AVGVSTVS, quum iam quadrageſimum exceſſiſſet annum,
ageretq; in Gallia, delatum eſt ad illum, L. Cinnam, adole-
ſcentem nobilem, ac Pompeij nepotem, inſidias illi ſtruere:
dictum eſt, ubi, quādo, & quomodo aggredi uellent: decre
uerant enim ſacrificantem interficere. Dictabatur proſcri-
ptionis ſententia. Sed Auguſto interim uarias edente uo-
ces, ingreſſa Liuia uxor: Fac, inquit, quod medici ſolent, qui
ubi uſitata remedia non procedunt, tentant contraria: ſeue
ritate nihil adhuc profeciſti, ignoſce. Cinna deprehenſus ui
tæ tuæ nocere non poteſt, famæ tuæ prodeſſe poteſt. Proti-
nus iuſſit accerſi ſolum ad colloquium: uenienti alterā ca-
thedrā poni iuſſit. Hoc, inquit, Cinna, primùm abs te peto,
ne me loquētem interpelles: dabitur tibi loquendi tempus.
Hic commemoratis pluribus in Cinnam beneficiis, quòd
ſeruaſſet repertum in caſtris hoſtium, quòd patrimonium
omne conceſſiſſet, quòd inſuper ornaſſet ſacerdotio: roga-
uit, quare putarit ipſum occidendum? Perturbato Cinna, ſic
finiit obiurgationē: Vitam tibi, Cinna, iterum do, priùs ho
ſti, nunc inſidiatori ac parricidæ. Ex hodierno die inter nos
incipiat amicitia: contendamus, utrum ego meliori fide ui-
tam tibi dederim, an tu mihi debeas. Et cōſulatum obtulit.
Vis exitum? Cinnam habuit perpetuò amiciſſimum, ſolus il
li fuit hæres, nullis ampliùs inſidiis ab illo petitus eſt. Sue-
tonius in eius uita.

VESPASIANVS, cùm admoneretur ab amicis, ut caueret à
Metio Pompuſiano, quòd de hoc rumor increbuerat, fore
ut aliquando regnaret: non ſolùm ſibi non metuit ab illo,
ſed & conſulem fecit. Id admirantibus amicis : Erit, inquit,
olim memor tanti beneficij. Eraſmus lib. 8. Apophtheg.

Brana Alexio, duce perfido, Iſaacium Angelum Imp. Conſtan
tinopoli obſidente, ut illum imperio exueret: Imperator iis
monachis, qui nudis pedibus incedunt, & humi cubant, in
palatium congregatis, Deo ſupplicabat, ut ciuile bellū pro-
pulſaret, nec alteri traderet Imperium: rem uerò bellicā pe-
nitùs negligebat, omni ſpe ſua in armis ſpiritus collocata.
Erat tum temporis in urbe CONRADVS Cæſar, Montiſ-
ferrati Marchio. Is Imperatorem excitabat, monens, ne in
mendicis omnem fiduciā collocaret, ſed rei militaris etiam
rationē haberet, & armatis phalangibus ſeditioſo occurre-
ret, nec dextris duntaxat armis religioſorum, ſed ſiniſtris e-
tiam militum, hoſtes ulciſceretur. Quibus Conradi uerbis
ſocordia excuſſa, auxilia contraxit, Branamq; aggreſſus, il-
luſtrem uictoriam reportauit. Nicetas lib. 1.

CAROLVS IV. Rom. Imp. hominem, qui ſibi necem paraſ-
ſet, ad ſe uocauit, eiq; aureos mille dono dedit, quibus nu
bilem filiam, nuptui collocaret : eius ſe miſereri dicens, cui
filia natu grandior domi clauſa eſſet. Homo gratias egit re-
gi, & ad conſpiratores reuerſus, Neſciebam, inquit, Carolus
qualis eſſet: nunc liberalem & clementem principem ferire
nullo pacto poſſum. Aen. Syl. lib. 4. Com. de Alfonſo.

☞ SEDITIOSOS.

HENRICVS VII. Anglorum rex, cùm aſſiduis rebellium in-
ſidiis regnum turbaretur, ut coërceret improbos, qui con-
ſpiratione non ſuccedente, in diuerſa aſyla ſe recipiebant,
expectaturi dum melior facultas daretur: per literas & lega
tos cum Alexandro VI. pontifice egit, ut ſua auctoritate o-
mnes Anglos exules, religionis hoſtes decerneret, uelut po
puli turbatores concitatoreſq; turbarum, & aſyla non am-
pliùs eis receptaculo fore, qui ex illis ſemel exiſſent. Sic me-
tu eius ignominiæ multi ad ſanitatem redierunt, & qui in
tuto erant, minùs auſi ſunt ſe periculo obiicere. Polyd. l. 26.

HENRICVS VII. Anglorum rex de conſpiratione improbo
rum certior factus, edicto tota Anglia diuulgato, cūctis ge-
neratim ſontibus etiam capitalium rerū condemnatis par-
ci, pœnamq; remitti iuſſit. Polyd. lib. 26.

Erphordiæ Thuringorum grauis erat tumultus populi contra
Senatum. RODOLFVS I. Cæſar indixit principibus con-
uentum in eam urbem, tanquam ob publica imperij nego-
tia. Aderant cū Imperatore Saltzburgenſis, Magdeburgen-
ſis, Moguntinus, archiepiſcopi: Bambergenſis, Halberſtadē-
ſis, Hildeſemenſis, epiſcopi: Saxoniæ, Brunſuici, Lunebur-
genſes duces: marchiones & comites multi: iuſſit quoq; ci-
ues non imparatos eſſe. Tandem euocauit tumultus aucto-
res, ut cauſam dicerent in conſpectu principum. Cōuicti, in
medio foro gladio cæſi, ſenatui & patribus auctoritas ſua
reddita. Cranzius lib. 8. Metrop. cap. 43.

Gedani circa an. ſal. 1458. bello Pruſſico cōtra fratres Teutoni
cos populus cōtra SENATVM tumultuabatur. Erat unus
ferocior, cuius ductū plebs ſequebatur. Eum ſub honoris
ſpecie rogant, ut reipublicæ cauſa cuſtos eſſet uicinæ arcis
per aliquot dies, quòd uiro fortiſſimo & prudentiſſimo o-
pus eſſet. Homo ambitioſus id cupidè amplectitur. Statue-
runt interim ſub capitis periculo (quod ſciebant illū nō ſer-
uaturum) ne quis literas ab ordine allatas aperiret, ſed ſena
tui clauſas perferret. Ille quum accepiſſet literas, aperuit.
Ergo ubi conſtitit, illum præuaricatum eſſe in legem, homi-
nem euocant, opus eſſe illius præſentia. Iterum ille honori
ſuo id delatum arbitratus uenit. Accuſatus damnatur capi-
tis, priuſquam reſcirent populares. Deinceps obſequentio-
rem habuere patres plebem, ſubducto homine tumultuo-
ſo, qui multitudini præſtaret audaciam. Cranzius libro 12.
Vandaliæ, cap. 23.

Permulti nobiliū, non ferentes imperiū ducis Gloceſtriæ, cui
ad maturā ætatem regis Anglorum Henrici VI. regni com-
miſſa fuerat adminiſtratio, in publicā eum cuſtodiam con-
iectū, laqueo ſtrāgularūt. Eius cognati & amici, miſerrimo
bello regnum dilacerārunt, & Normanniæ recipiendæ oc-
caſionē Gallis dederunt. Interea populares aſcito quodam
Henrico Hyberno, ac rebus præfecto gerendis, cum ingenti
exercitu Londinū contendunt: nobilitatē, quā impensè exo
ſam habebant, ulturi, regis copias fundunt. Londinum ue-
nientes, tres procerū deditos ſtrangulant. Nihilominus ur-
bis ſequuta eſt direptio, ac cędes. QVI regni gubernationē
habebāt, ſpe impunitatis plebeios & ſummæ inſuper digni
tatis Henricū lactare cœperūt. Plebeij ſecuritate data ad ſua
redeūt. Henricus, à ſuis deſertus, capitur, & capite multatur.
Mox ad regni ſeditiones tollendas, per Cūbros & Northū-
bros Scotiam infeſtare ſunt aggreſſi, ut externo bello ad pa
cem populares reuocarent. H. Boëthius lib. 18.

Sub Iacobo II. Scotorū rege, Gulielmus Douglas potentia in-
flatus gubernatoris Alexādri Leuyſtō, & Gulielmi Cricthō
Cancellarij auctoritatē contemta, pro libidine omnia age-
re, facinoroſos fouere ſolebat. Illi literis humaniter Comitē
cum fratre Dauide ad cōmunem regni gubernationē Edim
burgū inuitant. Illic hoſpitaliter primùm excepti, cū pleriſq;
factionis ſuæ ſociis, regiæ mēſę accūbentes, inermes arma-
ta multitudine circumdantur, atq; amoris epulis, taurinum
illis caput apponitur, ſupplicij capitalis apud Scotos ſym-
bolū. Quo cōſpecto cōturbatus Comes, exilire atq; effuge
re conabatur. Sed à ſatellitib. regijs cōprehenſi, & in campū
arcis forib. adiacētē deducti, capitali ſupplicio affecti ſunt,
an. ſal. 1440. Ferunt regē uix decennem, dū Comiti ac fratri
Dauidi manus loris ſtringerentur, fleuiſſe, ſupplicemq; ab il
lis deprecatum eſſe ſupplicium: & ob id duriter à Cancella
rio obiurgatum fuiſſe. H. Boëthius lib. 18.

SIGISMVNDVS Imp. pacata Boëmia, ſuſpectā habēs fidem
aliquorum, quos facilè ad rebellionem redituros præuide-
bat: ad militiam Turcicā eduxit ſuſpectos, ut qua fortitudi-
ne priùs in Chriſtianos abuſi eſſent, eadem nunc in Turcos
uterentur. Hungari ea manu aucti, alacres ducūt in Turcos:
magnamq; in eos ſtragem peregerunt. Multi ex Boëmis ibi
perierunt, bono Imperatoris inſtituto, ut uel uincentes, uel
cæſi prodeſſent. Cranzius lib. 12. Vandaliæ, cap. 4.

MARTINVS V. in Conſtātienſi cōcilio Pp. creatus, ubi intel-
lexit Ioannē XXIII. Pontificē è cuſtodia lapſum aufugiſſe,
ueritus, ne rurſum aliud conciliū inchoaretur, decretū fecit,
ut à fine cōcilij Conſtantienſis nō niſi ad quinquenniū uſq;
conciliū denuò celebraretur: atq; à quinquennali in ſeptē
niū aliud trāsferretur: ab hoc uerò in decenniū res ꝓtracta,
legis haberet locū, ut ſingulis quibuſq; decenniis generale
conciliū idoneo haberetur in loco, ubi de rebus omnib. ad
fidem & rempublicā Chriſtianā pertinentib. mentio fieret.
Profuit id ſanè Martino. Nam dū elapſo quinquēnio Senis
conciliū celebrāt, Alfonſus Aragonū rex Martino infenſus,
qui titulū regni Siciliæ & Neapolis Aloiſio regis Francorū
Lodouici filio conceſſiſſet, oratorē ad conciliū miſit, qui &
conciliū in longum duceret, & cauſam Petri Lunę adhuc ſu
perſtitis reſtitueret, largitione, pollicitationib. ambiendo u-
numquenq; ex his, qui in cōcilio auctoritatē haberent. Mar
tinus mādauit conciliū ſtatim diſſolui, approbatis decretis
in cōcilio habitis, quæ ad fidem pertinebant. Et ne ſubterfu

fugere conuentũ Chriſtianorũ uideretur, inſequens ſeptenniũ concilio adiudicauit,quod Baſileæ Rauracorũ celebraretur. Atq; hoc modo ſchiſmatis & diſcordiarum ſemina à quibuſdam concilio Senenſi iacta ſublata ſunt. Platina.

LVDOVICVS Hungariæ & Boëmiæ rex,poſteaquam Pragã uenit,ut ſeditiones & turbas omnes tolleret,ſuaſu LADISLAI Vacienſis epiſcopi,qui in manu regis,cũ primũ regnũ auſpicaretur,omnia ſita eſſe iudicia, tabulaſq; publicas, & quoſuis ſummos magiſtratus docebat,ideoq; occaſionẽ egregiã adeſſe,quos oporteret ex dignitate & utilitate regni tã iudices quàm magiſtratus deligẽdi creandiq;,cùm antea per gratiã aut factiones priuato cuiuſq; cõpendio crearentur:omnes magiſtratus mutauit,ne cũ pudore & uerecũdia pauci reiicerentur. Ac quò cum minore inuidia ſumma arcis Pragenſis præfectura ad alium transferretur,nullus ad illam procerum, ſed Carolus dux Minſterbergẽſis, natione Boemus,delect⁹ eſt, nouo Capitanei nomine. Dubrau.l.33.

Ad famã expugnatæ ab Caroli V.Cæſaris exercitu Romæ,captiq; Pontificis Clementis VII.ex Medicea familia,Florentini in ſpem libertatis erecti Mediceos patria expulerunt:populariq; reducto ſtatu,optimatiũ auctoritatẽ infringere conabantur:ac tanta fuit iuuenũ uęſaniã,ut à Balthaſare Carduccio I.C.concitati,conceſſionẽ armorum geſtandorum, & cuſtodiendæ curię munus ab ſenatu efflagitarint.Sed callidis ſeniorum & optimatiũ artibus frenandę iuuẽtuti ſalutare remedium repertũ eſt,NICOLAO Caponio uexillifero auctore:ſcilicet, ut in uniuerſum ciuitati capiendorũ armorũ iura lege lata traderentur. Pari quoq; prudentia Decuriones iiſdẽ iuuenibus uexillũ Reipub.depoſcentibus,cũ negare tutò non poſſent, moderatã atq; ſeuerã conditione conceſſerũt, lata ſcilicet ſalutari lege,qua cautũ eſt, ut id datum uexillum intra curiã ad columnã porticus defixum ſiſteretur,capitaleq; eſſet his,qui iniuſſu ſummi magiſtratus reuelliſſent,& extra limen curiæ extuliſſent.Eo temperamẽto magiſtratus inſolentem turbam opportunè pacaſſe, & publicæ ſaluti cauiſſe uiſus eſt.Iouius lib.23.Hiſt.

Spectabat Cæſar CAROLVS V.in Hiſpania equeſtres ludos. Mendocius Infantaſiorum regulus præfectũ rerum capitalium,ſceptro turbã ſuperbè dimouentẽ,quòd nec ſibi parceret,diſciſſa gladio facie uiolauit.Is cõſpectus cruor proiecti ad pedes ac iniuriã deplorantis uſqueadeò Cęſarem cõmouit, ut quũ in reũ lege acturus uideretur, uniuerſi Hiſpani proceres ſpectaculo,ac ipſo deniq; Cæſare deſerto,ad Mendocij domũ accurrerent,uel contra prætorianos,ſi uis afferretur,ianuam defenſuri. Sed Cæſar graui iudicio totũ iuſtæ uindictæ impetũ ad diſſimulationem reuocauit. Hiſpaniá enim eo tempore,quanquam non infida Cæſari, aliena tamen ab eius conſiliis;quibus bella ex bellis ſerebantur, uideri poterat: ꝙ perpetuis pecuniæ collationibus uariiſque delectibus per tot annos grauiſſimè fatigata, magnum incommodum publicè ſentiret.Sab.ſupplem.lib.25.ex Iouio.

Cereuiſiæ conficiendæ priuilegium ANVERPIENSIS Senatus certis quibuſdã hominib.an.Chriſti 1554.demãdarat,ulciniś interdixerat.Plebs indignata,ad arma cõcurrebat. Ciues nobiliores tumultum ueriti,ſuos quiq; uicos & plateas armata manu obſedere, & plebeios ad areas urbis concurrere ſtudentes partim precibus partim minis,ut domum redirent,coëgere.Itaq; plebs in diuerſas partes diſtracta,cùm in unum coire non poſſet,elanguit:quæ alioqui ſine dubio grauiſſimam excitaſſet ſeditionẽ.Lud. Guicciardinus in Topographia inferioris Germaniæ.

## FVRES PRVDENTER *Deprehendere.*

*Conſule Tit. Explorare prudenter Fures.*

Lex de furibus apud ſolos AEGVPTIOS hæc erat. Iubebat eos,qui furari uolebant, nomen ſuum apud principem furum ſcribere, atq; e ueſtigiò furtũ ád eum deferre. Similiter quibus res furto erepta erat, apud eundem rei ſublatæ tempus, diem & horam ſcribere tenebantur. Hoc modo facilè inuento furto, qui rem amiſiſſet, quarta multabatur parte, quæ daretur furi. Satiùs lator eſſe legis duxit, cùm impoſſibile eſſet furta prohiberi, potiùs alicuius portionis quàm totius rei amiſſæ homines iacturam pati.Diod.lib.1. cap. 6.

RHAMPSINITVS Aegyptiorum ædificiũ pro theſauro ſuo exſtruxit lapideũ.At cũ Architectus unũ è lapidib.ſic poſuiſſet, ut è pariete facilè tolli à duob. uiris, atq; adeò ab uno poſſet:uita exceſſurus duob.hoc filiis indicauit:omniaq; ut aggrediẽda eſſent manifeſtauit.Filij patre fũncto uita,rẽ aggreſſi,multas pecunias expilarũt. Rex cũ integra ſigna cerneret,& ærariũ obſeratũ, laqueos aptè diſpoſuit,ut, ſi quis manus immitteret,caperetur.Fures redeunt:immiſſa manu capitur unus:qui cùm alterum rogaſſet,ut ſibi caput abſcinderet,à fratre obtruncatus eſt.Herod.lib.2.

Trophonius & Agamedes,ERGINI Minyarũ regis filij,in ędificandis deorũ tẽplis & hominũ regalib. tectis ſolertiſſimi, Hyrico ærariũ exſtruxerãt.At in eius pariete lapidẽ unũ ita collocarũt,ut extrorſum eũ,cũ uellent,adductũ eximerẽt.Quoties itaq; libitũ eſſet,clàm introeuntes,aliquid repoſitæ pecuniæ auferebãt. Quæ res Hyricũ uehementer ſolicitum habebat: præſertim cùm & claues & ſigna cætera incorrupta cerneret,pecuniæ tamen numerum quotidie imminui animaduerteret. Ad uaſorum igitur ora, in quib. erat repoſita pecunia,laqueos diſpoſuit,uel aliud quid eiuſmodi,quo ſimulac pecuniã quis eſſet attingere conatus, captus teneretur. Ingreſſus itaq; Agamedes, in uinculis hæſit. Trophonius fratris caput ſtatim præcidit:ueritus nempe,ne cùm illuxiſſet,per tormẽta quæſtione habita,& ipſe ab illo, quòd furti fuiſſet ſocius,indicaretur.Pauſanias in Bœoticis.

*Coercere.*

Plutarchus in 7.lib. συμποσιακῶν 4. dum morẽ quendã ueterum Romanorum explicaret, meminit nouæ cuiuſdã & callidæ rationis,quã cũ fruſtra multa alia tentaſſet,excogitauit POLYCHARMVS quidã, ad cohibenda furta ſeruorũ, quos domi haberet. Cùm enim ſæpe cognoſſet illos è lucernis extinctis oleũ ſurripere,non poterat furti illos cõuincere:dicebant enim,aut nihil aut parũ olei reliquũ illic fuiſſe tunc,cũ illæ extinctæ fuere. Cœpit igitur ipſe,ne poſſent eò cõfugere,ſtatim ut extinctæ lucernæ forent,ipſas implere:ne dicerentur, quæ plenæ inuẽtæ forent, inanes relictæ fuiſſe, cùm lumen extinctum eſt. Victorius lib.22.c.9.Var hiſt.

Q.Cicero in epiſtola ad Tironẽ teſtatur,MATREM ſuã lagenas inanes obſignaſſe, ne dici poſtea poſſent inanes fuiſſe, quæ furtim eſſent exſiccatæ.

CYMENSIBVS mos erat,ut ad ea quæ furto fuiſſent ablata, omnes uicini conferrent. Itaq; pauciſſima perdiderunt,omnes enim ſimili diligentia cuſtodiebant. Ex quo uidetur Heſiodus dicere: Ne bos quidẽ perierit, niſi uicinus malus ſit. Heraclides in Politicis.

FROTHO III.Danorũ rex,uictis Noruegis, ut uniuſcuiuſq; rem familiarẽ à furũ incurſu tutã præſtaret, otiumq; regnis poſt arma cõciliaret, armillã unã in rupe,quã Frothonis petrã nominant,alterã apud Vuig prouinciam, defixit,edictæ à ſe innocentiæ experimentũ daturas:ſubductis iiſdẽ, in omnes regionis præſides ſe animaduerſurum minatus. Statuit etiam,ne quis domum uel arcam ſeris obfirmatam haberet,aut rem ullam clauſtrorum cuſtodia contineret,triplicem amiſſorũ reſtitutionem promittens.Saxo lib.5.

THOMAS Ranulfus,Scotici regni ſub Dauide regẽ octẽni gubernator, edixit, ut uniuerſum equorũ ornatũ, ruſticaq; inſtrumẽta,ꝑ forib.ſub dio tã noctu ꝗ interdiu relinquerẽt:ac ſi quid forte perditũ aut furto ſublatũ eſſet; id ꝑfectus eius loci reſtituendũ curaret, aut ipſe damnũ repararet, ſumma interim cura furem perquirens:inuentum aũt extremo afficeret ſupplicio.Ea re ſic cupidos alienarũ rerum animos cõpeſcuit,ut res propalam propoſitas rapere nõ audentes,ad occultarũ furta rerũ ne aſpirarent quidem. Ruſticus quidã, quoniã aliena ſuffurari non audebat,propria quædã inſtrumẽta abſcõdit,& à præfecto precium,rapta eſſe ea ſimulãs, popoſcit. At poſt paucos dies, quum eadem apud ipſum fuiſſent inuenta, patibulo ſuſpenſus, pœnas inſolentis dedit cupiditatis.H.Boëthius lib 13.

*Eludere.*

Ancilla quædã pecuniã depoſiti nomine à duob. hoſpitibus acceperat,ea cõditione, ut illã ſimul utriſq; redderet. Horũ alter interiecto tẽpore,tãquã mortuo ſocio, ſqualore obſitus,deceptę oẽs nũmos abſtulit.Superuenit deinde alter,& depoſitũ petere cœpit.Hęrebat miſera in maxima pariter & pecuniæ & defenſionis penuria. Sed opportunè ei DEMOSTHENES patronus adfuit. Qui ut in aduocationẽ uenit: Mulier,inquit,parata eſt depoſiti fidẽ ſoluere:ſed niſi ſociũ adduxeris,id facere non poteſt:quoniã, ut ipſe uociferaris, hæc dicta eſt lex,ne pecunia alteri ſine altero numeretur. Iudices pro rea prudenter pronunciarunt, & prudenter monenti Demoſtheni paruerunt. Val Max.lib.7.cap.3.

## LATRONES, GRASSATORES *Explorare,Deprehendere.*

CONRANVS Scotorũ rex,improbos graſſatores, ſanguinis nullo habito diſcrimine,diris affecit ſuppliciis. Et cùm animaduertiſſet agreſtes à nobilibus iniuria affectos,nõ auſos fuiſſe iniuriæ auctores regiis miniſtris prodere: ſanxit omnium regũ primus,ut ſontiũ nomina, exploratorib: ad rem delectis,tabulis regiis,ſimul cum delictis, quæ in publicam aut priuatam cõmiſiſſent ſalutem, in ſingulos annos clàm inſcriberentur:quorum ſi per regios miniſtros poſtea accuſati conuincerentur, iuſtas pro criminis modo darent pœnas. Manſit exinde genti ea tabulis inſcribendi ratio (Indictum uocant indigenæ) ad hanc uſq; ætatem. Conranum ferunt, quum iuri adminiſtrando alicubi daretur opera, uel adeſſe (quò ob regis præſentiã iudices populo metũ quendam ac reuerentiam incuterent) uel proximo nemore,ne lõge abeſſet,feras uenari ſolitum. H.Boëthius lib.9.



*Circumuenire.*

Frotho Danorum rex, ſubacta Vandalia; edixit,ut qui in aliquo ſcelerũ genere excelleret,puta latrocinio, aut piratica, aut furto,prodiret;magnis à rege præmiis afficiendus, ꝙ in hoſtes tali genere militũ indigeret,latrociniũ ulturus in hoſtes latrocinio. Credidere multi,ſeq; ꝓdiderunt. Ille eos iuſſit ſecedere in unũ locũ Tum cõuerſus ad ꝓceres & reliquã multitudinẽ, Ab hac,inquit,ô Vandali, peſſima hominũ colluuie patriã ueſtrã exonerare cõuenit.Hi ſunt, qui inter nos pacẽ turbant,qui utriſq; creant laborẽ:hos,ſi pacẽ quęritis, de medio tollite.Illi ſceleratos homines in altiſſimas cruces egere: quorum ſcelere patria in ſeruitutem redacta fuerat. Cranzius lib.1.Vandaliæ cap.10.ex Saxone.

KENNETHVS II.Scotorũ rex, iuris dicundi negotio ſuſcepto,ad nobiliũ graſſationes & latrocinia,quib.ſub Culeno rege aſſueuerant, cohibenda,cùm propter affinitatis & cognationis ius proceres negligẽtiores eſſe uideret in perſequendis & cõprehendendis ſontib.cõſilio in annũ diſſimulato,Sconę comitia indixit,tãquã de alijs reb.cõſultaturus. Proceres ibi deliberãtes armatorũ manu circũdedit, ſacramẽto adactos, in facinoroſos animaduertẽdi ſeſe regi adiutores fore.Soluta inde concione,Berthã oppidum,traiecto Tao amne,primores ſecũ duxit. Eſt id oppidũ, dũ rex in eo fuit,noctu uigilib.interdiu excubiis ita munitũ,ut nulli mortaliũ inſciis magiſtratib. regia auctoritate ad id delectis;ingreſſus egreſſuſue pateret. Sollicitare interea crebris internunciis amicos neceſſarioſq;,ut ſontes,eos maximè, qui ruſticis iniuriã intuliſſent,caperent,uinctoſq; adducerent. Ad quingentos ꝓpè, & ex his plurimi haud obſcurę inter Scotos familiæ,manib.poſt terga reuinctis,Berthã ad regẽ paulò pòſt ſunt pertracti:quos omnes,iudicib. ad id dictis proceribus,capitaliũ damnatos,in crucẽ egit. Vetuit rex ſtrãgulatorum cadauera de crucib.aliquandiu deponi,ut ſpectantibus exẽplo forent, Secundũ hæc nobilitatẽ pro concione laudauit & muneribus affecit.H.Boëthius lib.11.

MACCABÆVS,Scotorum rex, cùm Duncani regis lenitate multitudo latronũ increuiſſet, ne conglobati motũ aliquẽ excitarent,hanc in eos technã machinatur.Per quoſdã amicos curat,ut uicini eorũ,qui palàm infames erant,conducti precio illos ad ſingulare prouocarent certamen,publico foro decernendum, idq; ferè uno die ut fieret ubiq; prouidebatur. Itaq; ubi in forũ deſcendiſſent,à ſatellitib.regiis cum armis in inſidiis ad id poſitis cõprehenduntur,qui aduenerant,omnes.Poſtea inſontib.dimiſſis,reliqui omnes in cruces acti ſunt,numero ferè bis mille.H.Boëthius lib.12.

Boſeius & Mutina Verſouicenſes,à Bretiſlao II. Boëmorũ rege ob proditionẽ in exiliũ miſſi, reditũ ab exilio aliquoties ſibi denegatũ pertinaciter obtinere contendebãt, non per ꝓpinquos & affines ſuos modò,uerùmetiã per aulicos inſigniores.Aegerrimè id Boriuorius,qui fratri in regno ſucceſſerat,ferre,quòd cũ paulò antè clamarent ferè oẽs,crucifigẽdos eſſe principũ parricidas(eorũ namq; dolo Bretiſlaus in uenatione cæſus fuerat)nũc extare nõ paucos,qui cum patria,bona quoq; illis reddi poſtularent.Ibi ex intimis QVIDAM ꝓpiùs accedens,Tu igitur,ait,Princeps,ut lupũ circũ errantẽ plagis irretias,ultrò illum cibo oblato ineſcabis: ut uerò hoſtes tuos in poteſtatẽ tuã redigas, non illis patriam cum patrimonio reſtitues?Iis tandẽ uictus, reuerti utrumq; ex Polonia in patriã permittit; alteriq; eorũ oppidũ Muthã, & alteri Lithomeritiũ reſtituit. Iam cùm Bretiſlao Boriuorius frater ſucceſſiſſet, eundẽq; Suatoplucus patruelis ope Verſouicenſiũ expuliſſet:mox uerò de Boriuorio reducẽdo Mutina Verſouicenſis occulta agitaſſet conſilia:à Suatopluco grauiter primùm in cœnobio ꝓcerũ accuſatus, mox cũ filiis capite plexus.Boſcius,qui Vratiſlauię aberat,immiſſis ꝑcuſſorib.cęſus. Pauci reliq ſuperſtites in Poloniã,uet⁹ ſuũ aſylũ,perfugere.E quib.ipſis Geſco, Tiſta cognomine, Verſouicenſis,Suatoplucũ,Glogouiã Sileſię urbẽ cum Henrico V.Cæſare obſidentem,à cœna Cæſaris redeuntem,per ſicarium ſagitta transfigi curauit.Dubrauius lib.10.

Pulſis ex Aquitania Anglis à CAROLO VII. Francorũ rege, metuq; hoſtili ſublato,conſueuerant milites paſſim uagari, reſq; miſerorũ agere ferreq;. Auaritiæ ac libidini eorũ nihil clauſi nihil ſancti eſſe. Militare igitur uectigal rex inſtituit, unde quinq; millia peditũ alerentur, ac mille quingenti equites delecti cataphracti,cum ſuo iuſto comitatu, ut horũ uirtus cæteros ab iniuria maleficioq; ꝓhiberet,hiq; in præſidiis quarum uideretur urbium collocati, finem licẽtiæ facerent: ſi quis quicquam ſecus auderet,in eum animaduerteretur. Hac ratione diſciplina militaris ſanctè coli cœpta fuit, nullumq; tutius fuit quàm cum milite commercium. Aemilius lib.10.

Dum Rex FERDINANDVS Catholicus & ISABELLA regina duos magnos Portugalliæ Franciæq; regis exercitus è ſuis finib. ꝓpulſarent,cõplures Hiſpaniæ ciuitates & populi à latronib.raptoribus,graſſatoribus, crudeliſſimè uexabãtur. Ergo nouũ iuſtitiæ genus,qđ Hermandatũ, uel (ut alij uolunt) Hermanatũ dicitur,inuenerunt, quò faciliùs improbi capi puniriq; poſſent. Cõuocatis itaq; ciuitatib. & populis eorumq; ꝓcuratorib.ſtatuerunt,ut aduerſus delinquentes & homines ſceleratos unuſquiſq; pecunias cõtribueret. Ex collatis pecuniis exercitus equitũ duorum millium magnuſq; peditũ numerus cõparatus eſt:quib. Alphonſum Aragoneũ Villæ Formoſæ Ducẽ præfecerunt:qui breui tẽpore multos rebelles & graſſatores oẽs deleuit,caſtella multa recuperauit, populoſq;:qui Regẽ & Reginã contemſerant, omnes imperio regio ſubegit:iuſtitiæ præfectos,iudices, & ſatellites extraordinarios conſtituit,qui querelas audirent, & reos perſequerentur, deprehenſos,palis in campo defixis alligatos, ſagittariis interficiendos exponerent. Marineus libro 19.rerum Hiſpan.

CAROLVS IV.Imp. cõtra prædones & latrones hãc ſalutis omniũ iniit rationẽ,ut Regnũ in duodecim regiones diuiſerit,ſinguliſq; idoneos uiros ꝓfecerit, inter alias iuriſdictiones ꝓmiſſa illis poteſtate inquirendi, & puniendi quoſlibet latrones.Ipſe adeò illis infeſtus,ut ſæpiùs de uia ad receptacula illorũ deflecteret,nec niſi loco expugnato,ad ſolumq; diruto, ipſis uerò raptorib. tũ nobilib. tũ ignobilib. in ſublimè per arbores ſuſpenſis, inde abiret. Dubrauius lib. 22.

Duo in Trãſſyluania ius dixerãt præfecti, Bartholomęus Dragfius, & Ladiſlaus Loſſontius. Qui ut diuerſo inter ſe erant ingenio,ſic diuerſam in iure dicundo rationem ſequuti, atque propterea apud omnes contemti, non ueteres ſolùm factiones aluerant; ſed nouas etiam alias excitarant. Vndè fœda quædam in potentioribus latrocinandi rapiendique libido,quòd id impunè omnibus liceret, erat exorta. Quibus detrimẽtis ut mederetur rex Hũgarię VLADISLAVS; Ladiſlao ad Magiſtri curię honorem euecto,Bartholomæũ ſolum in præfectura retinuit: ratus,ſi penes unũ iuriſdictio eſſet,eum commodiùs animaduertendi ſeueritate prauam ipſam peccandi licẽtiam repreſſurum. Idq; Bartholomæus mox, latronibus & ſicariis omnibus aut palis ligneis infigẽdis,aut in crucem agendis,aut igne comburendis,aut capite multandis,facilè ex regis ſententia conſequutus eſt. Bonfinius lib.4.Decad.5.

## PRODITORES.

*Bellica exempla ſuo loco tractabuntur.*

Cùm Darius rex Orœtem præfectum Sardium, qui res nouas moliri uidebatur, è medio tollere uellet, è triginta, qui ſeſe offerebant, ſors BAGÆVM Artontis filium contigit. Hic complures literas uariis de rebus ubi ſcripſit, ſigilloq; Darij impreſſit, poſteaquam in conſpectum Orœtis uenit, dedit ſeparatim recitandas regio ſcribæ, explorandi gratia animos ſatellitum, Nunquid annuerent ad rebellandum ab Orœte?Quos animaduertens magnopere uenari literas, & ea quæ in illis dicerentur etiam uehementiùs, reddidit aliam epiſtolam in hæc uerba:Perſæ,Darius rex interdicit uobis,ne apud Orœtẽ fungamini ſatellitũ officio. Hoc illi audito,lanceas depoſuerunt. Tunc Bagæus cernens illos obtemperantes epiſtolæ, ſumta fiducia reddidit ſcribæ ultimum libellum,in hæc uerba ſcriptum: Rex Darius mandat Perſis,qui in Sardibus ſunt,ut Orœtem interimãt. Id ubi audiêre doryphori, eductis acinacibus ſine mora Orœtem interemerunt.Herod.lib 3.

CAROLVS IV.Imp.Philippũ Auſtriæ ducẽ hoſtem ſuum copiis multo maiorib. inſtructũ, falſa trium ducum militariũ perſuaſione, qui exercitũ Imp. triplo maiorẽ eſſe auro ineſcati aſſeruerant,in fugã coniecerat. Redeunt illi ad Imperatorẽ, proditionis præmia accepturi. Prouiderat Imperator adulterinã aureorum monetã, quæ in ualore uiceſimã non haberet:eam iuſſit numerari.Illi alacres tanto ære ditati, redeunt in ſua:& iam expẽdere conati,repererunt eſſe falſam monetã. Redeunt ad Imperatorẽ, argentarium & monetarium eius incuſantes Imperator toruis oculis illos intuens: Adulterinum aurum adulterino debetur operi : abite in malam crucem. Illi protinus confuſi ex omnium oculis in latibula abierunt. Cranzius lib.9.Saxoniæ,cap.37.

## MAGOS.

Pharmacidas, id eſt, Veneficas mulieres Thebani miſſas à Iunone aiunt, quò parturienti Alcmenæ impedimento eſſent: ſed eas,dum Alcmenæ partum cohiberent, Tireſiæ filiã HISTORIDEM tali aſtu eluſiſſe.Ex eo namq; loco, unde ipſę facilè audire poſsẽt,clamauit,Peperiſſe iam Alcmenam, illas ea uoce deceptas ſtatim abiſſe : Alcmenam illicò puerum enixam.Pauſanias in Bœoticis.

## FVGITIVOS.

Idibus Ianuariis circuire in ueſtitu muliebri cõceſſum eſt tibicinib. hãc ob cauſam. Magnos honores obtinebant tibicines,quos eis tribuerat rex religioſiſſim⁹ Numa.His pòſt ſpoliati à Decẽuiris,qui conſulare imperiũ obtinebant,relinquebant urbẽ. Quos cùm requirerent, & nonnulla religione teneren-

nerentur ſacris operantes ſine tibicinibus ſacerdotes: neq; accerſentibus illi auſcultarent, uerùm Tybure hærerent: libertinus homo oſtendit clàm magiſtratibus reducturum ſe illos, apparatoq; magnifico epulo, ut ſi rem diuinam diis feciſſet, acciuit tibicinas. Adiunxerat conuiuio mulieres, peruigiliumq; plauſibus agitabatur ludentium & ſaltantium. Inde homo repentè iniecto ſermone, quaſi patronus ipſi ſuperueniret, perculſus induxit tibicines, ut cōſcendētes plauſtra pellibus undiq; tecta, Tybur ueherentur. Impoſtura ea erat. Siquidem circumacto curru imprudentes ob uinum & noctem clàm deportauit omnes ſummo mane Romā. Erāt multi ex peruigilio & crapula ſtolis pictis & muliebrib. ueſtiti. Vt igitur à magiſtratibus blanditiis inducti & placati ſunt, receptum eſt, ut Idib. Ianuariis ueſtitu muliebri amicti per urbem diſcurrant. Plut in Quæſt. Rom.

### ALEATORES, COLLVSORES.

LEO X. Pont. Max. ſingularum ludum (uulgus Primeram uocat) exercens, cùm aliquando ſummos numeros nactus eſſet, neq; alia ratione, niſi quia poſterior ordine ludi fuerat, deperdere ſymbolum poſſet, ex magna auctione, quā prior faciebat, preſentiens animo quod res erat, eoſdem illum ſummos numeros nactum eſſe: tum dubitabūdus, indignū ratus, maximo cum numero (quod nemo ſolet) ſorti cedere: Punctum, inquit, mihi concede, &, quod urges, precium omne conferā. Quod cùm alter (nunquā fore putās, ut ſummus Pont. nō ſolùm cū maximo numero, ſed ne cū iis quidem, qui maximo proximi ſunt, quicquam addubitaret) libenter etiam concederet, omnē pecuniam amiſit. Quam quidem ſi, ut corraſit, mox reſtituiſſet, atq; illam illi manum remiſiſſet, laudari potuiſſet. Paſcaſius Iuſtus li. 1. de Alea.

### BRVTA QVALIACVNQVE prudenter

*Comparare, Acquirere.*

☞ *Conſule Tit. Venatorum, Aucupum, Piſcatorum.*

*Cicurare, Domare.*

Cùm IACOBVS patriarcha Labani ſocero, eidēq; auūculo, diu ſeruiuiſſet, pro mercede ſua petiit omnes pecudes uerſi colores & pullò notatas, quæ poſthac in toto grege naſcerentur. Segregàuit autem inprimis omnes pecudes uerſicolores Laban, & ſuis liberis tridui itinere à Iacobo paſcēdas dedit. Reliquū gregē, qui albus eſſet aut niger, Iacobo cōmiſit paſcendū, integro ſexēnio. At Iacobus ex populeis & colurnis, & caſtaninis uirgis uirētib. partē corticis detrahebat, & earū albū nudabat, deinde eos ponebat in canalib. aquariorū, eregionè pecorū, ut cùm eò potum ueniſſent, in aſpectu uirgarū inirentur. Quod cùm fiebat, uarios, & maculoſos, & uerſicolores fœtus edebāt: quos deinde ſegregabat, & qcquid maculis & fuſco in Labanis pecore diſtinctū erat, id in pecoris aſpectu collocabat, ſibi aūt ſeparatim lacinias conſtituebat, quas à Labanis pecore ſeponebat. Ac quoties generoſiora iniebāt pecora, uirgas in eorum aſpectu in alueis deponebat, ut ad eas ſalirentur, in admiſſura aūt parū generoſorū non ponebat. Id fiebat, ut parū generoſa Labanis, generoſa aūt Iacobi eſſent. Hoc pacto homo rē ſuā plurimùm auxit, & numeroſum pecus ouillum & caprinum, ſeruitiaq; & camelos atq; aſinos comparauit. Gen. 31.

*Corrigere.*

Ex mulis, qui ſalem ſupportabant, unus flumen ingreſſus fortè procubuit, ac liqueſcente ſale exurgens expeditus, animaduertit cauſam, mādauitq; eā memoriæ. Itaq; ſemper, cū tranſiret amnē, demittebat ſe, ac demergebat uaſa in utranque partem inclinans nutanſq;. Quo ad THALEM delato præcepit, ut ſalis loco uaſa implerentur lana & ſpongiis, eiſque oneratū mulum agerent. Qui ut ſolitus erat cùm ſarcinas aqua impleſſet, commentū ſuum percepit ſibi inutile eſſe. Quare in poſterum attentè & cautè flumen traiiciebat, ut ne uel inuito ſe contingeret liquor onus. Plutarchus de Animantium comparatione.

*Interficere.*

☞ *Vide Tit. Fortitudinis contra belluas.*

Ad Poloniæ imperiū euocatus CRACVS, nepos Cechij, Boemorū Principis, deſerta loca ſolitudineſq; agricolis frequētauit, ciuitatē celebrē cū arce in ſcopulo, Vauel dicto, ad Viſtulā fl. condidit, quam à ſuo nomine Cracouiā appellauit. In eo ſcopulo draco ingens tunc temporis deliteſcebat, qui cùm eſuriret, de antro prorepens multos inficiebat, & omnia obuia deuorabat. Quā ob cauſam incolæ ciuitatis ordine tria iumēta per diē ei ad antrū offerre cogebātur. Cracus princeps pellem uituli excoriati, ſulphure, nitro, pice infarciri iuſſit, illudq; hora conſueta ad antrum draconis abiecit. Beſtia illud deglutiēs, cùm materia ignem concepiſſet, eius reſtinguendi cauſa Viſtulæ aquā tam copioſè hauſit, ut creparet. Guagninus in uitis regum Polonorum.

## PRVDENTIA EXTRA BELLVM CIRCA RES PER SE CONSIDERATAS OCCVPATA. CIRCA

### RELIGIONEM. PRVDENTIA IN RELIGIONE.

*Docenda, uel Propaganda.*

PAVLVS apoſtolus & Silas Philippis die Sabbato extra urbē ad fluuium, ubi ſupplicatio fieri ſolebat, egreſſi ſedebant, & feminas, quæ conuenerāt, alloquebātur. Quo in loco abſq; omni tumultu Lydiā purpurariā conuerterūt. Actorum 16.

IDEM Lyſtræ Timotheū circumcidit, propter eos qui erant in iis locis, Iudæos: uirū alioqui pium & uerè Chriſtianum, ne illi offenderentur, quia patre Græco natus eſſet, quamuis matre Iudæa. Actorum 16.

IDEM ſummā modeſtia in deaſtris Athenienſium reprehendendis uſus; occaſionem ſumit ab ara Ignoto deo dedicata, quē ſe prædicare aſſerit. Cuius prudentiam utinam multi noſtro tempore imitarētur: Reip. certè Chriſtianæ meliùs proſpiceretur. Actorum 17.

IDEM ſibimet in Cenchris Nazaræorum more caput totondit, & Hieroſolymis, Iacobi apoſtoli & ſeniorū cōſilio atq; perſuaſu, ne uideretur diſceſſionē docere à lege, Iudæiſque fidelibus prohibere circumciſionē, quibuſdā Nazarçis ſecū aſſumtis unà purificatus, templumq; ingreſſus eſt: ac tādiu cum illis fuit, donec tonſis de more crinibus, uota perficerent, ſacrificiumq; offerrent. Act. 21. Hoc quidem multi piæ ſimulationi aſcribunt: ſed magis Auguſtino aſſentior, qui ait: Diebus illis intermediis, qui inter Chriſti aſcenſionē & Euangelij uulgationē fluxère, ueniam hanc Iudæis ad fidē uenientibus datā, ut ſimul etiam legalia tenerent, ſi uellent: non aūt ita & conuerſis ex gentilitate, ne ſibi circumciſionē quoq; neceſſariā eſſe ſuſpicarentur. Ne uerò lex ipſa cū idololatria pariter execrabilis uideretur, noluerūt utramq; eodē tempore relinquendā iubere. Lex igitur paulatim oſtendente ſe gratiæ plenitudine eſt euacuata. Idololatriā uerò ſtatim repellendam iudicarunt, ut conſtaret alterā Dei opus fuiſſe, alteram diaboli. Sic Paulum non ſimulatè, ſed licēter, ut Iudæū inter Iudæos egiſſe credimus, omnibuſq; omnia factū, ut omnes lucrifaceret. In tantū aūt gētiles à legis obſeruatione ꝓhibuiſſe, ut ad Galatas ſcriberet: Ecce ego Paulus dico uobis, Quoniā ſi circūcidamini, Chriſtus uobis nihil proderit. Et de Tito diſcipulo: Sed neq; Titus, inquit, qui mecum erat, cùm eſſet gentilis, cōpulſus eſt circūcidi. Quin etiam principē apoſtolorum Petrū aliquando auſus eſt reprehendere, quòd ex gētibus fideles ſua ſimulatione Iudaizare feciſſet. Cùm, inquit, ueniſſet Petrus Antiochiā, in faciē ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat: priùs enim quàm ueniſſent quidā à Iacobo, cum gentibus edebat, cùm aūt ueniſſent, ſubtrahebat & ſegregabat ſe, timens eos, qui ex circūciſione erant, & ſimulationi eius conſenſerunt cæteri Iudæi, ita ut Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationē. Sed cùm uidiſſem quòd non rectè ambularent ad ueritatē Euāgelij, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu, cùm Iudæus ſis, gētiliter uiuis, & non Iudaicè, quomodo gentes cogis Iudaizare? Ergo Petri ſimulatio ut reprehenſibilis eſt, ita uenia digna tunc extitit, cū adhuc Moſis lex apud Iudæos in Chriſtū credentes non illicitè uigeret. Poſtea uerò neq; propter Iudæos, neq; propter gentiles in fide quicquā ſimulandum fuit, neq, ſimulatio, ſed error dici debuit, quicquid iam peruulgatæ officeret ueritati. Marul. lib. 4. cap. 4.

Pontifices Hieroſolymitani Apoſtolos in carcerē coniecerāt, & quid cum illis agerent, deliberabant. GAMALIEL legiſperitus conſilium dedit iis, ut quieſcerent. Nam ſi hoc opus à Deo eſſet, impium fore, illud impedire: ſin ab hominibus, ſtultum, cùm ſuapte ſponte breui diſſolueretur. Actorum 5.

CONSTANTINVS Magnus militum ethnicorum armis crucis ſymbolum affixit, ut paulatim & cruci & religioni aſſueſcerent: eoſq; non ſolùm Deum uerum inuocare ſedulò monebat, ſed etiam catechiſtæ munere quaſi fungi non uerebatus, formulam illis certam precandi præſcripſit, quam Euſebius recitat lib. 4. de uita Conſtantini. In palatio Imperatorio ædem conſtruxit, ubi de religione & cultu Chriſtiano exercitus & aulici docerentur. Ad expeditiones uerò bellicas, tabernaculum ad templi formā ædificari curauit, quod militans circumuexit, ut neq; in ſolitudine orandi & colendi Deum occaſio & locus deeſſet. Euſebius in eius uita.

CAROLVS Magnus ut Saxones, populum liberum & tributo conferendo minimè aſſuetum, in officio pietatis retineret, tributa nulla alia illis impoſuit, quàm decimas eccleſiaſticas, quas epiſcopis à ſe conſtitutis darent: atq; ita religionis prætextu iugum ferre diſcerent: quarum ipſarū deinde partē Epiſcopi, ut armis cōtra rebelles defenderētur, principibus dedere. Neq; uerò principes genti liberæ dedit profanos,



nas, ſed quaſi ſolus religionis ſtudio arma contra eos mouiſſet; epiſcopatus uarios, Oſnaburgēſem, Salingſtedēſem, qui poſtea Halberſtadenſis factus, Mimingrodenſem, qui pòſt Monaſterienſis dictus, & Conendenſem, qui pòſt Verdenſis, inſtituit, & epiſcopos ipſos regionis dominos conſtituit: cùm lōgè faciliùs religioſo principi, & perſuaſione potiùs quā coactione imperāti, parituros homines feroces & bellicoſos, rectè iudicaret. Cranzius lib. 1. Metropoleos.

HENRICVS II. Imp. ut Chriſti religionē propagaret, Giſlam ſororem ſuā Hungarorum principi dedit coniugē, ut optima femina Chriſto uirū ſuū lucraretur. Itaq; baptizato principe (qui in ſacro fonte nomen Stephani induit) adeò in religione profecit gens illa, ut regem illum inter ſanctos eccleſia aſſumtū numeret, miraculis prodentibus uitæ ſanctitatem. Cranzius lib. 4. Saxoniæ, cap. 29.

ANDREAS Hungarus, quò regio nomine faciliùs potiri poſſet, Hungaris petentibus, ut ſibi ad paganiſmum redire liceret, indulſit. Verùm iam uoti ſui compos factus, ſententiam mutauit, graui propoſito edicto, ut omnes eam, quę per Stephanū olim regem plantata fuiſſet religio, amplecterentur: tēpla, baſilicæ, aliaq; ſacerdotum collegia in uniuerſo reparentur regno. Sub annum 1047. Bonfinius Decad. 2. lib. 2.

JOANNES Vngenad, Baro in Sonneg, ante aliquot annos fidelem contra Turcos operam Ferdinando Rom. regi, atque adeò uniuerſo orbi Chriſtiano in Hungaria præſtitit. Mox caſtris relictis, & quietiorem uitam ſecutus, ne cum hæreditario Chriſtianorum hoſte pacem feciſſe uideretur, Dei opt. max. gloriæ cupidiſſimus, cùm non magis armis quàm ſcriptis Chriſtianam religionem propagari, & Turcorum tyrannidē aboleri poſſe uideret: maximis ſumtibus utrunq; Teſtamentum, multos quinetiam ueræ religionis commentarios lingua Dalmatica & Croatica (quæ per uniuerſam Turci ditionem latiſſimè extenditur) excudi curauit. Et ſapienter ille quidem, atq; piè. Nam quod in Occidente uſuuenit, ut plures librorum ope, quàm doctorum uiua uoce edocti, Chriſto nomina dederint: illud idem per diuinam benignitatem in Oriente etiam cōtinget, ut ad quos Apoſtolorum uiua uox penetrare non poteſt, ad illos mutus Euangelij ſonus per typographicam palingeneſiam perueniat.

*Amplectenda, Diſcenda,*

EDELBERTVS Cantuarienſis rex, gentilia numina colēs, audito ſacro Auguſtini monachi præconio, quē ad eū Gregorius pōtifex miſerat, dixit: Etſi agēdæ ei gratiæ eſſent, ꝙ à tā longinqua regione ueniſſet, ut Britannorum bono conſuleret, eoſq; illa doceret, quę profutura eis arbitraretur: eū tamē religionis cultū, quē Britāni à maiorib. acceptū, uſq; ad id tēpus ſeruaſſent, temerè relinqui nō debere, niſi antè, quę ꝓponebantur, diligētiùs eſſent inſpecta. Id quod poſtea cū egiſſet, tēporis interiectu ad Chriſtianā fidē tranſiuit. Fulg. lib. 1. c. 7. At Polyd. l. 4. hoc tribuit EDVINO, regi Northumbrię, inſtituēte Paulino antiſtite, ab Honorio pōtifice miſſo.

Cranzius in Metropoli lib. 1. c. 9. narrat, VITEKINDVM Saxonū ducē reconciliatū Carolo Magno, cùm adhuc eſſet catechumenus, ueniſſe Vuolmerſtadiū ad Oram fluuiū, ubi caſtra erāt regis, circa Paſcha: & inter mēdicos ſediſſe, & ſacra ſpectaſſe, ac ſtipē accepiſſe, & agnitū, interrogatūq;, Cur id feciſſet? reſpondiſſe: Se uoluiſſe ſacros ritus Chriſtianorum hoc modo contēplari, cū aliàs ſibi intereſſe nō licuiſſet. Regem aūt interrogaſſe, Quidnam uidiſſet? eum dixiſſe: Se uidiſſe in tēplo pulcrum puerum, à manu ſacerdotis deſcendere in ora accipientium: qui aliis quidē arriſerit, ad alios uerò auerſa facie ingreſſus ſit. Et poſtea de his myſteriis edoctū, maiori fide amplexum eſſe religionē Chriſtianam.

*Conſeruanda.*

Phylacteria ueſtibus aſſuere Dominus ISRAELITAS iuſſit, ne lex unquam excideret ab eorum memoria. Erit quaſi ſignum, ait, in manu tua, & quaſi monumentum ante oculos tuos, ut lex Domini ſemper ſit in ore tuo. Exod. 33.

PYTHAGORAS, PARMENIDES, HERACLITVS, PLATO, & alij ueterum, ſi quid ſibi de diuinis uel abſtruſis in natura rebus uiderentur aſſecuti, occultabant ſedulò: uel ſi ederent, paucis admodum cōmunicabant, iiſq; amiciſſimis & adiuratiſſimis, non cōmittebant monimentis literarum: aut ſi id facerent, obuelabant uerbis raris, exquiſitis, obſcuris. Plato ſcribens Dionyſio de quibuſdam ſacris myſteriolis, iubet, ut epiſtolam eueſtigiò concerpat, ne deueniat in manus indignorum. Lud. Viues de Veritate fidei, lib. 2.

LYCVRGVS tenuiſſima & nullo paratu Lacedæmoniis ſacrificia inſtituit, ex herbis & his, quæ parabilia in prōtu ſunt, ne quando difficultate parandi omitterentur ſacra. Plutarchus in Lycurgo.

AVGVSTVS, cùm Romæ pro tribunali de priuilegio ſacerdotum Atticæ Cereris cognoſceret, & quædam ſecretiora proponerentur, dimiſſo concilio, & corona circumſtātium, ſolus diſceptantes audire uoluit. Suetonius

*Defendenda, Confitenda.*

AGRIPPA duarum Tetrarchiarū rex, cùm Caium Imp. apertè monere non auderet, ne ſtatuam ſuam Hieroſolymitano templo inferret, omni genere obſequij & liberalitatis eum proſequi cœpit. Caius Agrippæ munificentia & epularum apparatu delectatus, liberum ei fecit, quicquid uellet, petendi. Agrippa primùm diſſimulare, & gratia illius ſe contentum dictitare. At Caio improbiùs urgente: Rogo igitur, dixit, ut mandatum reuoces, quod Petronio Syriæ præfecto dediſti, de ſtatua in Iudæorum templo ponenda. Imperator ſimul officioſa liberalitate delinitus, ſimul pudendam uanitatē ducens, ſi corā tot teſtibus ultrò ad petendū prouocato, repentè mutatus denegaſſet gratiam: ſuſpiciens etiam uirtutem hominis, qui pluris faceret pietatē, ſuæq; gentis tranquillitatē, quàm incrementum dominationis aut redituum, fecit eum uoti compotem. Ioſephus lib. 18. cap. 11.

Chaldæi (ſub Conſtantino Magno) totum terrarū orbem circuibant, ut deum ſuū, quem ſub ignis ſpecie colebant, omnibus diis præſtantiorem eſſe reipſa conuincerent. Et quidē omnes deorum ſtatuæ, ignis ui diſſoluebantur. Ventū erat in Aegyptū, & certamen propoſitum. AEGYPTII ſacerdotes Nili ingentē ſtatuā producunt, (Suidas Canopum uocat) intus, magnā aquæ copiam continentē: undiq; aūt foraminibus plenā, quæ ſubtili artificio cera obliniebantur, ita ut aquā continerent, ignis tamen uim minimè ſuſtinere poſſent. Chaldęi exultabundi certamē ineunt, igni Nilū circundant: cùm repentè reſeratis ob liquefactā cerā foraminibus maxima uis aquæ profundi cœpit: quæ & ignē extinxit, & Chaldæorū deum omniū ludibrio expoſuit. Ruffinus lib. 2. hiſt. Eccleſiaſticæ. Suidas paulò aliter, in uoce Canopus.

EVSEBIVS Vercellēſis epiſcopus, cùm in catholica eccleſia, & doctrina & moribus in magna exiſtimatione haberetur, à Conſtātino Imperatore Ariano Mediolanū ad concilium uocatus fuit. Cùm aūt accepiſſet, arte multos catholicos epiſcopos, inprimis uerò Dionyſium epiſcopū Mediolanenſem eò cōpulſos eſſe, ut damnationi Athanaſij, & Niceni cōcilij derogationi ſubſcriberent: perſpiceret etiam, quàm grauiter per eam ſcripturā uera Chriſti fides læderetur: quæ etſi ab iis, qui ſubſcripſerāt, reuocari poterat: tamen oſtenſa, dubiam factura erat catholicam fidē: nouo aſtu euertere eā cogitauit. Itaq; nomen ſuum inſcribere non recuſauit. Poſtquam autem codicillū inſpexit, & in principio Dionyſij nomen ſcriptum uidit, ſe uehementer commotum eſſe finxit, quòd primarium locum iuniori tradidiſſent, dicens: Vos Ariani affirmatis filio patrem maiorē eſſe, & Dionyſium, qui ætate atq; doctrina me minor eſt, mihi præpoſuiſtis. Idcirco peto, ut noua ſcriptura conficiatur, & in ea ſeruato gradu, omnes ſuum inſcribant nomē: quod ſi à uobis fiet, ego uobis morem gerere non recuſabo: ut tandem, quæ inter uos eſſe uidentur contentiones finiantur. Ariani uera hominem locutum arbitrati, ſuperbiaq; impulſum requirere, ut in ſcriptura Antiſtitum ætatis atq; dignitatis gradus ſeruarentur, exuſtā prima ſcriptura, cui iam plerique ſubſcripſerāt, nouam confecerunt. Quę cùm ad Euſebium perlata eſſet, ut nomen ſuum apponeret, rem magni eſſe momenti aſſeruit: exigereq; eius magnitudinem, ut antè diligenter ſuper ea diſputaretur. Fulgoſus lib. 7. cap. 3.

AMPHILOCHIVS Iconij in Lycaonia epiſcopus orthodoxus, cùm à Theodoſio Imp. petiiſſet, ut Arianos ex urbibus eiiceret, & Imp. id fieri abſq; periculo nō poſſe diceret: quodam tempore cum aliis epiſcopis in regiam uenit, ut Arcadio Imp. filio, recēs Imperatori deſignato, gratularetur. Reliqui epiſcopi Imperatori primò, deinde & filio Arcadio gratulantur. Solus Amphilochius Theodoſium ſalutat, neglecto filio. Id cùm Theodoſius obliuione eum facere arbitraretur, monuit eum, ut filium quoq; ſalutaret. Reſpondet Amphilochius, Satis eſſe quòd honorem habuiſſet ei, tanquam patri. Theodoſius indignatus, eum expelli iuſſit. Tūc ergo Amphilochius: Siccine Imperator grauiter fers contemtum filij tui? Reuoca tibi in mentem quæſo, odiſſe & Deum eos, qui per blaſphemiam honoris aliquid adimunt unigenito ſuo filio. Hanc ſenis epiſcopi prudentem libertatem miratus Imp. edictum illicò conſcribit, ut ex urbibus Ariani (qui Chriſtum uerum Deum eſſe negabant) eiicerētur. Theodoretus lib. 5. cap. 16. & Cedrenus.

Valens Imp. Arianus, cùm Antiochiæ belli uacuus curis ſederet, eos perſequi, qui Conſubſtantiale tuebantur, perrexit. Quod cùm THEMISTIVS philoſophus cerneret, re improbatā, placare ipſum oratione aggreſſus eſt: docens, multò plures apud Gentiles de deo diſſenſiones eſſe, Deumq; uelle tam diſpari opinionum ratione gloriā ſuā illuſtrari, ut ſinguli eò maiore maieſtatis ſuæ ueneratione ducantur, quò minus eius notione fruantur. Sigonius lib. 7. Imp. occi.

IOANNES in locum Heliæ epiſcopi Hieroſolymitani orthodoxi ſubſtitutus ab Olympio Palæſtinæ duce, tanquam Seuero Antiocheno epiſcopo Neſtoriano & impietati Anaſtaſij

ſtaſij Imp. faueret: poſtquam orthodoxus eſſe deprehenſus eſt, in carcerem conijcitur, & palinodiam canere iubetur. Ibi tum Ioannes, re communicata cum Zacharia Cæſareæ Palęſtinæ epiſcopo, ſimulat ſe id facturum: ea tamen cōditione, ſi elapſis duobus diebus libertati reſtituatur, ne ui, ſed uoluntate id egiſſe uideatur. E carcere ergo liberatus, monachorum gregem in templum diui Stephani conuocat, & cōtra Anaſtaſij præfecti (qui Olympio ſucceſſerat) impetū, plebem armat, & apertè Eutychem, Neſtorium & Seuerum anathemate damnat. Anaſtaſius fuga ſibi conſulit. Nicephorus libro decimoſexto, capite 34.

Cum Agarenis, qui Orientis loca populabantur, pacem Anaſtaſius Imp. Manichæus firmauit. Quorum phylarchus per ea tempora ALAMVNDARVS, fidem & baptiſma ſuſcepit. Seuerus hæreticus uolens ipſum ab orthodoxa fide abducere, duos epiſcopos ad ipſum miſit, qui duas Chriſti naturas in unam confuſas docerent, ut ex eo diuinitatem iuxtà ac carnem, paſſam ſequeretur. Alamundarus ſubornauit familiarem quempiam ſuum, qui impiis illis epiſcopis pręſentibus, in aurem ſibi aliquid diceret. Quo facto, Alamundarus frontem contraxit, ingentemq; triſtitiam ſimulauit. Illis uerò triſticiæ cauſam percunctantibus, reſpondit: Nunciatum ſibi, archangelum Michaelē deceſſiſſe. Cùm epiſcopi multis comprobaſſent, angelum non poſſe mori, Phylarchus ſuſcepit: Si angelus igitur mori nequit, quomodo uos ſentitis, diuinitatem & paſſam & mortuam fuiſſe: quandoquidem carni commixtam eam & confuſam, atq; ita naturam unicam extitiſſe opinamini? Prudentiam hominis epiſcopi admirati, abiecta omni ſpe traducendi eum in ſuā ſententiam diſceſſerunt. Cuſpinianus ex Cedreno & Zonara.

MAXIMVS Planudes, monachus Conſtantinopolitanus doctiſſimus, cùm ab Imperatore cogeretur cōtra Latinā eccleſiam ſcribere, tres libros ſcripſit, tam enerues & ineruditos, ut tacitè Latinā fidem magis confirmare uoluiſſe uideatur: teſte Beſſarione Card. dum libros eos perlegeret. Volat. ex libro decimoſeptimo Anthrop.

## LEGIBVS. LEGES PRVDENTER

### *Ponere, Ferre, Promulgare.*

*Vide Tit. Legiſlatorum prudentum.*

Mirū in modū fuiſſe ferūt Locris ZALEVCI probatas leges: quòd Mineruam oculis ipſius ſe offerre aſſiduè, ſuggereréque leges & docere referret: ſui uerò nihil in eis, quæ ferret, eſſe inuenti uel conſilii. Plut. de Sui laude.

Leges PLATO iuſſit quàm pauciſſimas eſſe. Nam ſi ſuo iure fungantur magiſtratus, nihil opus eſſe multiplici lege putauit: ubi uerò horum improbitate aliò detorquentur, ex legum multitudine perniciem afferri dicebat.

Cn. Pompeio, cùm ſolus cōſul creatus eſſet, aduerſus eos, qui pecuniā in populo pronunciauerant, nouas multas & pœnas graues paranti promulgare, omittere conſuluit CATO minor præterita, & prouidere in futurum. Haud enim, ubi præteritis peccatis ſubſiſteret excutiēdis, procliue futurum ſtatuere. Et ſi recentiores ſanciantur multæ offenſis, iniuriā paſſuros hos, ſi quam non uiolarunt neq; perruperunt legem, ea puniantur. Plut. in Catone.

### *Non ferre.*

SOLON cùm interrogaretur, Cur nullum ſupplicium conſtituiſſet in eum, qui parentem necaſſet? reſpondit, Se id neminem facturum putaſſe. Sapienter feciſſe dicitur, cùm de eo nihil ſanxerit, quod antea commiſſum non erat: ne non tam prohibere, quàm admonere uideretur. Cicero pro Roſcio.

TIBERIVS Cæſar, quum de coërcendo luxu legem ferre uellet, nec coërceri immodicos ſumtus uideret poſſe: ſatius duxit omittere quod aſſequi nequiret, quàm tentare turpiter, quod poſtea non efficeret. Alex. lib. 3. cap. 11.

### *Docere.*

CRETENSES iuſſerunt liberorum filios cum quodam concētu & melodia leges perdiſcere, ut ex muſica uoluptatem caperent, & faciliùs ea memoria complecterentur: & ne, ſi quid contra leges admiſiſſent, per ignorantiam ſe feciſſe poſſent defendere. Aelianus de Var. hiſt. lib. 2.

### *Conſeruare.*

LYCVRGVM Lacedæmonium, filium Eunomi, Ephorus dicit, in exilio fame periiſſe. Aelianus lib. 13. de Varia hiſt. Alij uoluntario in exilio eum abſtinētia cibi obiiſſe ſcribunt: & cineres in mare proiici iuſſiſſe, ne quando Spartam relati, ciues ſacramento liberarent, qui ad eius uſq; reditum leges ſuas ſe inuiolatas conſeruaturos ſacroſanctè polliciti fuerant. Iuſtinus lib. 3. & Plut. in eius uita.

Cùm eos, qui ex acie Leuctrica fugiſſent, extrema ignominia notari ſolitos, & quia multi & quia potentes erant ciues, proiicere in ciuitate, quæ non paucos quæreret milites, graue eſſet: legiſlatorem Ageſilaum regem crearūt. Ille nulla litera nec adiecta, nec detracta, nec correcta, in concionem Lacedæmoniorū progreſſus, Sinendū, ait, leges illo die dormire, atq; ex eo uim ſuā recipere in poſterū. Itaq; ſimul & ciuitati leges, & ciuib. illis cōſeruauit famā. Plut. in Ageſilao.

Fuit opinio CLEONIS apud Thucydidem, ſatius eſſe malis legibus aſſuetam ciuitatem non facilè mutari, quàm bonis inconſtanter uti. Alex. lib. 6. cap. 14.

### *Abrogare.*

Athenienſes & Megarenſes longo tempore bellum de Salamine geſſerant. Victi Athenienſes, legem iuſſerunt: Qui ſuaſerit nauigandum eſſe ad repetendam Salaminē, mortis reus eſto. SOLON nihil perterritus morte, elegis Martiis populum commouens, legem abrogauit. Polyænus, & Laertius.

Thaſum oppugnabant Athenienſes. Legem iuſſerant Thaſij: Qui ſcripſerit, fœdus cum Athenieēſibus faciendū eſſe, mortis reus eſto. HEGETORIDES Thaſius uidens multos ciues perire diuturno bello ac fame, laqueum iniiciens collo, uenit in concionem: &, Viri, inquit, ciues, me quidem, ut uobis libet, & quemadmodum uobis prodeſt, utimini. At reliquos & ſuperſtites ciues mea morte conſeruate, legemque antiquate. His auditis, Thaſij & legem abrogarūt, & Hegetoridem incolumem ſeruarunt. Polyænus lib. 2.

THVRII in ſeruandis Charondæ legibus conſtantiſſimi, tres tantùm longo annorum curriculo emendarunt. Prima fuit hæc, Si cui quis oculum eruerit, oculum reo pariter eruito. Monoculo quis oculum effodit: tractus in iudicium, cùm lege in eum ageretur, altero priuatus oculo ſatisfeciſſe iuri ſe arbitrabatur. At qui excæcatus erat, haudquaquam parilato damno reum pendiſſe ſupplicium aſſerens, impetrauit à populo, uti legem hanc iniuſtam emendarent. Altera lex erat, qua ius uxori permittebatur à uiro, ubi uiſum eſſet, diſcedere, uiroque alteri, cuicunque collibuiſſet, conſueſcere. Cuiuſdam ætate prouecti coniux iunior cùm eſſet, eo relicto, alteri iure legis iuncta, conſueuit. Ille facti indignitate percitus, populo Thurienſi conſuluit, legem emendari, & hoc adiici, ut quæ uirum reliquiſſet, nuberet cui uellet, modò ne iuniori quàm prior eſſet: pariterque ſi coniugem uir eieciſſet, nullam dehinc eiecta iuniorem ſibi iungere liceret. Qui cùm in conſultando ſapientiſſimè ac eloquentiſſimè pro re diſſeruiſſet, impetrata legis emendatione, laquei periculo ſeſe exemit. Quo facto coniux eius iuniori prohibita iungi, rurſus ad relictum uirum redire coacta eſt. Tertia lex emendata, ſcita quoque à Solone, quæ iubebat puellam hæredē proximo cognato debere adiudicari, qui cum conſueſceret, aut quingentas exponere drachmas gratis, dotis nomine dono dādas inopi hæredi. Orphana quædam honeſto loco nata, hæreſq; relicta, cùm ſumma rerum omnium penuria urgeretur, nec propter inopiam rei familiaris nubere poſſet, ad populum confugit: multiſq; cum lacrymis ſolitudinem deplorando ſuam, extremamque inopiæ conditionem, ob quam cunctis deſpectui eſſet, multis conqueſta: mox orare ſupplex, ac poſtulare cœpit, uti legis ſeueritas mitigaretur, ſcribiq; pro quingentarum contributione drachmarum, lege nubere oportere proximo addictā cognato uirginem, in ſpem hæreditatis relictam. Lege, prout petebatur, emendata, populi ſuffragiis miſericordia uicti, puella quoq; orphana laquei ſupplicium, quod ob legis correctionē illi imminebat, hac ratione effugit. Qui uerò proxima neceſſitudine ducebatur, uir locuples, inopem mulierem extrema ſorte hæredem, lege coactus, uxorē duxit nuptiis indotatis. Diodorus lib. 12.

Apud SVEONES lex eſt, quæ tyrannorum geſta publico ſenatus



natus edicto irrita & inania decerni iubet, ut tyrāni ea lege reprimantur, ne quid temerè contra leges & inſtituta maiorum conſtituant, quod poſtea cum dedecore conſtituentiū ſit abrogandum. Ioan. Magnus lib. 21. cap. 21.

## ORACVLIS.

*De his Tomo quinto fuſè egimus. Hic ſolius Prudentiæ extra Diuinationem poſitæ in iis interpretandis, exequendis.*

### *Approbare, Rata facere Oracula.*

CODRVS Melanthi Meſſenij filius fuit: quo rege Heraclidæ, qui in Peloponneſo imperabant, bellum mouerunt Athenien. quòd abundante ibi exulum multitudine, & regnante Codro Melanthij filio, timere cœperunt & Corinthiis (propter uicinitatem loci (nam Megara Iſthmum cōtigit, in quo eſt Corinthus) & Meſſeniis, quorum rex fuerat Melanthus Codri pater. Conſultum igitur à Laconibus oraculum, reſpondit, uictoriam & mortem regis eandem in partem inclinare. Heraclidæ hoc audito, ſimul diſſimulandam dei uocem curabant, ſimul edictum in caſtris propoſuerunt, Ne quis Codri corpus uiolaret. Verùm diuini reſponſi rumor ad Athenienſes peruenit. Codrus, ut erat & patriæ amans, & gloriæ appetens, poſito regio cultu, caſtra Laconum ingreſſus, prouocatis iurgio militibus, ſe interficiendum prębuit. Ita Lacones prælio fuſi, reliqua exacti Attica, ſolā Megaricam terram tenuerunt. Ita Seruius redditum oraculum tradit. Trogus ſcribit reſponſum eſſe, Superiores fore Lacones, ni regem Athenienſem occidiſſent. Cicero primo Tuſc. quęſt. Si rex interfectus eſſet, uictrices Athenas fore.

Tachos rex Aegyptiorum urbem Leucam propè mare in loco quodam ſublimi ædificarat, in qua templum fuit Apollini ſacrū. Mortuo illo, CLAZOMENII, & Cyllræi de urbis eius poſſeſſione contendēre. Oraculum conſuluerunt, Vtra ex ciuitarib. iis Leucæ deinceps dominari deberet. Quibus reſponſum fertur, Hanc Leucæ præficiendā, quæ prior in ea ſacrificaſſet: ſed ex ſuo cuiq; oppido proficiſcendum eſſe, ſimul oriente ſole, die eodē cōmuni conſenſu conſtituto. Die igitur ad id preſcripto, Cumęi quidē uicturos ſe credebant, eo quòd urbs eorum propior eſſet. Clazomenij aūt, quia lōgiùs à loco diſtabant, tali ad uincendum dolo uſi ſunt. Electis ſorte quibuſdam ex ſe colonis oppidum prope Leucā extruxerunt: ex quo ſimul oriēte ſole profecti, ſacrificio ſuo Cumæos anteuerterūt. Hoc dolo Leucæ domini facti, nominis eius feſtum quotannis celebrandum inſtituerunt, nōminantes id Præuentum. Diodorus lib. 15.

AEATVS ſororem habens Polycleam, ambo ab Herculis ſtirpe genus ducebant. Oraculum extabat: Qui primus ex hoc genere tranſmiſſo Acheloo terram attigerit, urbem cum imperio tenebit. Cùm exercitus flumen tranſiturus eſſet, Polyclea pedem obligauit, inquiens: Plātam ſibi uulneratā eſſe. Rogat fratrem Aeatum, ut ſe trans fluuium portet. Ille nihil mali ſuſpicatus, ſed, tanquam ſorori inſeruire uolens, ſcutū armigeris tradidit: ſublataq; in humeros Polyclea, alacriter per fluuium ueſtigia ferebat. Qui cùm ad ripam appropinquaſſet, illa præuertens exiliit, & cōuerſa ad fratrem inquit: Mihi regnum debetur ex oraculi ſententia: nam prima omnium, terram ingreſſa ſum. Aeatus intellecto dolo, nequaquam ægro animo tulit: ſed puellæ ſolertiā amplexus, eam in uxorem duxit, ſimulq; imperij gubernacula tenentes, filium Theſſalum genuerunt, à quo ciuitatem etiam Theſſaliam nuncuparunt. Poliæn. lib. 8.

Seruio Tullo Rom. imperāte, bos in Sabinis apud Antronium quendam nata eſt, miranda ſpecie, magnitudineq; enormi. Bouis Cornua diu poſtea in Auentinæ Dianæ templi ueſtibulo, ut miraculo poſteris eſſent, pependēre. Cecinerant uates, Ibi fore imperium, unde is eſſet ciuis, qui eam Dianæ immolaſſet. Peruenerat fortè rumor huius carminis ad eius phani antiſtitem, quum Antronius bouem præ ſe Romam agens, ad Dianæ aram immolaturus ſtatuit. Tum SACERDOS bouis magnitudinem miratus, nec fatidicæ ſortis immemor, confeſtim inclamat, Quid tu, inquit, hoſpes impurus Dianæ ſacrificium paras facere? quin uiuo priùs perfunderis fluuio? ſubiecta ualle, ne quid excuſes, fluit Tyberis. Sabinus religione tactus, ritè enim fieri uolebat omnia, ut oraculo euentus reſponderet, ex templo ad Tyberinum deſcendit amnem. Arripuit interim antiſtes oblatam occaſionem, ac tantiſper dum ille it properè reditque, Dianæ bouem immolat. Fuit ea res Tullo & ciuibus mirè grata, quòd Sabinum hominem ſacerdos ludificatus, eam fati neceſſitatē ad Romanos traxiſſet. Sabellicus lib. 5. Ennead. 2. ex Val. Max. lib. 7. cap. 3.

L. Iunius BRVTVS, ſimulata uęcordia regiorum duorum Tarquiniorum iuuenum comes Delphos, cùm oraculo didiciſſet, eum in urbe ſummum dignitatis locum habiturum, qui primus matri oſculum dediſſet: in reditu ſpontè prolapſus, Terræ oſculum fixit. Pulſis inde Tarquiniis, primus Conſul deſignatus eſt. Liuius.

FROGERVS Noruegiorū rex, Othino patre natus, à diis muneris loco obtinuit, non ab alio uinci, quàm qui certaminis tempore ſubiectum pedibus eius puluerem manu conuellere potuiſſet. Frotho Danorum rex in ſingulari certamine imperitiæ ſimulatione ab ipſo modum dimicandi flagitat, multum experientiæ illius blanbiens. Ille hoſtem profeſſioni ſuæ non ſolùm cedere, ſed etiam ſupplicare gauiſus, ſapere eum aſſeruit, ſenili induſtriæ iuuenilē animū ſubiiciēdo, quòd ei facies cicatricibus uacua, frōſq; nullis armorū ueſtigiis exarata, tenuem huius rei notitiā habere teſtetur. Itaq; bina quadratæ formæ ſpacia cubitalibus figurata lateribus humi deſcribit, à locorum uſu documenti initium editurus. Cumq; uterq; locum ſuum occupaſſet, Frotho Frogerum arma ſecū ac locū permutare petit. Nec ille auerſatus eſt, ferrea aureis permutaturus. Igitur Frotho loco, quo Frogerus exceſſerat, puluere correpto, omen uictoriæ cepit. Saxo lib. 4.

### *Explicare.*

Chærephon Delphos profectus, deum ſciſcitatus eſt, Ecquis Socrate eſſet ſapientior? Reſpōdit Pythia, Neminē. SOCRATES, qui neq; parū neq; multū ſe ſapiētem eſſe ſciebat, dei tamē oraculum uerū eſſe ratus, eos qui ſapientiæ nomine celebres habebātur adiit. Anytum quidē inter mechanicos & politicos inſignem, Melitum inter poëtas, Lycum inter rhetoras: & cum ſingulis illorum conferens, deprehendit, eos tum ab aliis, tū uerò quàm maximè à ſeipſis haberi ſapientes, nullo tamen modo eſſe: idq; ipſum cùm illis oſtendere conaretur, incidit in illorum offenſionem, ſic ut tandē ab illis impietatis poſtulatus & condemnatus fuerit. Illud autem diſcedens ſecum colligebat: ſe illis ſapientiorem eſſe hoc uno, quòd licèt nec præclarū nec pulcrum quicquā præ illis noſſet, ſciret tamen, ſe hęc ignorare, cùm illi perſuaderent ſibiipſis, hæc ſcire. Adeoq; oraculi Delphici hanc ſententiam eſſe, Sapientiam humanam nihili planè æſtimandam eſſe: idque cognoſcentem Socratem, ſapientiſſimum ab eodem iudicari. Plato in Apologia.

### *Confutare.*

Cum Branchidarum oraculum Pactyam Lydum, qui à Cyro Perſarum rege defecerat, & magnam uim auri ſecum habebat, Tabalo præfecto regio Sardis tradendū aſſeruiſſet: ARISTODICVS Cumęus, Heraclidæ F. cùm graue putaret ſupplices Barbaro regi ad certum exitium tradere, oraculi uanitatē refellere uolens, templum undiq; circumiens, paſſeres aliaſq; auiculas, quæ fortè in templo iſthic nidulabantur, è nidis exemit. Quæ cùm ille faceret, memorant uocem ex adyto auditam, quæ ad Ariſtodicum ferretur, atque huiuſmodi quędam ſonaret: Hominum ſceleſtiſſime, quę nam libido te inceſſit, ut audeas meos ſupplices è templo diripere? Ariſtodicum nihil dubitaſſe ad hunc modum reſpondere: Et tu, inquit, rex, huiuſmodi auxilium fers ſupplicibus, quum Cumæos iubeas ſupplicem ſuum tradere Perſis? Cui deus reſpondens: Equidem, inquit, iubeo, ut impiè agētes malè pereatis, neq; deinceps oraculum hoc de reddendis ueſtris ſupplicibus laceſſatis. Porrò ubi reſponſum hoc poſtremum retulerunt Cumæi, neq; uolentes Pactyam Perſis tradere interimendum, neque eundem penes ſe detinendo Cyrum ad ciuitatis ſuæ expugnationem irritare, hominem ablegarunt Mitylenam, inde in Chium. Chij eum hoſtibus tradiderunt. Herod. lib. 1.

## CONIVGIO. CONIVGIVM PRVDENTER

### *Suadere.*

NOEMIS, uidua Elimelechi Bethlehemitę, cum Rutha Moabitide nuru, itidem uidua, è terra Moabitarum in patriā reuerſa, cùm fames iam in Iudæa ceſſaſſet, uidens Boozum Elimelechi gentilem, uirum potentem atq; diuitem, Ruthæ bene uelle, eo ſolo nomine, quòd ſocrum tam longo itinere ſecuta eſſet, & eius ſenectutem placido leniret obſequio, ſuoque ſpicilegio iam aleret: ſuaſit Ruthæ, ut quandoquidem in Boozi agro ſpicas legeret, noctu probè lota & unguentis delibuta clàm ad Boozi cubiculum accederet (qui cibo & potione in cœna exhilaratus fuerat) & ad pedes illius cubaret. Media nocte exterritus Boozus, cùm mulierē ad pedes adiacentē cōperiſſet, &, Quæ nā foret, interrogaſſet, reſpondit illa, Rutham ſe eſſe, & ab eo petere, ut propinquitatis iure (quandoquidem nullos ab Elimelechi filio liberos ſuſcepiſſet) ſe duceret, & Noëmi ſocrui ſuæ filium generaret. Boozus delectatus Ruthæ ſermone, eam in diluculum uſque intactam quieſcere iuſſit, & manè, nemine conſcio, dimiſit, præfatus, eſſe quendam ſanguine illi propinquiorē: qui niſi eam duceret, ſe ducturum. Boozus igitur in curia propinquum illum conuenit: &, Fundum Elimelechi conſanguinei noſtri Noëmis reuerſa ex agro Moabitico uenundatura eſt, inquit. Quòd ſi tu eū iure propinquitatis redemtu-

demturus es, unà cum Rutha Moabitide, ut defuncti eius mariti nomẽ in eius hereditate ſuſcites, eſto ſanè: ſin minùs, ego redimam atq; ducam. At illo renuente, ut qui uxorem & liberos haberet, Rutha calceo exuit propinquum illum, & in faciem eius inſpuit (Sic enim lege cautum erat, Deuteron. 25.) Cumq; hoc modo propinquus Boozo in iure ceſſiſſet. Boozus Rutham duxit in uxorem, & ex ea ſuſcepit filiũ, cui Noëmis, conſilio mulierum uicinarum, nomẽ impoſuit Obed, qui fuit pater Iſæi, auus Dauidis regis, è qua ſtirpe Meſſias benedictus natus eſt. Ruth cap. 3. & 4. & Ioſephus Antiq. lib. 5. cap. 14.

PITTACVS Mitylenæus conſulenti amico, Diuitémne, an ſibi parem duceret uxorem, pueros in triuio ludẽtes conſpicatus, eos conſulere iuſſit, qui trochos ſcuticis in orbem agitantes acclamabant, τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα.——Tu tibi ſume parem. Laertius lib. 1. Extat de hoc ipſo elegans Callimachi epigramma apud eundem.

Vnicæ filię pater, THEMISTOCLEM conſulebat, Vtrũ eam pauperi, & ornato, an locupleti, ſed parum probato collocaret? Cui is, Malo (inquit) uirum pecunia, quàm pecuniam uiro indigentem. Quo dicto patrem monuit, ut generum potiùs, quàm diuitias generi legeret. Val. Max. lib. 7. cap. 2.

LYCVRGVS roganti, Quare puellas elocari indotatas ſanxiſſet? Ne, inquit, uel per inopiam ullæ illocabiles ſint, uel opum cauſa ambiantur: ſed ſpectãs quiſq; uirginis mores, ex uirtute delectum faciat. Quare etiam elegantiam cultus urbe pepulit. Plut. in Apophtheg.

M. Furij CAMILLI Cenſoris recenſetur unum eò in magiſtratu eximium factum: quòd celibes partim blandè appellando, partim denuncianda mulcta uiduis, quæ ob bella erant multæ, matrimonio copulauerit: neceſſariũ alterum, quòd qui antè immunes fuerant, cenſuerit pupillos. Plut. in Cam.

PAPHNVTIVS, unius urbis earum, quæ ſunt ſupra Thebas Aegyptias, epiſcopus, cùm uiſum epiſcopis eſſet in concilio Niceno legem nouam in Eccleſia conſtituere, ut initiati (epiſcopos dico, presbyteros, diaconos, ſubdiaconos) cum uxoribus rem non haberent, quas laici duxiſſent, eaque res ad deliberandum propoſita eſſet: in medio cõuentu epiſcoporum ſtans, clara uoce clamabat, Non eſſe graue iugum imponendum uiris initiatis: honeſtum eſſe coniugium: cauendum, ne nimia ſeueritate magis Eccleſiam læderent. Nõ enim omnes ferre poſſe continentiæ exercitationẽ: neq; forte uxoris cuiuſq; incolumem fore pudicitiam: & continentiam appellauit, legitimæ uxoris congreſſum. Et ſatis eſſe, qui clericus eſſet factus, nõ ampliùs matrimonium contrahere, ſecundùm antiquam Eccleſię traditionem: non tamen diſiungendum ab ea quenquam eſſe, quam, cùm laicus eſſet, duxiſſet. Et hæc dixit celebs, & omnino mulieris notitiam non habens. Nam à puero inter monachos uerſatus, laude pudicitiæ, ſi quiſquam alius, fuit illuſtris. Itaq; Paphnutij uerbis omne epiſcoporum concilium obtẽperauit, & huius rei quæſtionem reticuit: iudicio iis relicto, qui conſuetudine uxorum abſtinere uellent. Suidas.

*Contrahere.*

☞ *Vide Tit. Coniugij electio, quatenus cum Prudentia iungitur.*

Cùm tribus Beniamitica, ob ſtuprũ Leuitæ uxori à Gabaenſibus illatum, tota, exceptis 600 uiris, exciſa eſſet: & ISRAELITÆ iuramento impediti feminas Beniamitis dare non poſſent: ne tribus iſta interiret, primò Iabenſes Galaaditas adorti ſunt, quòd in caſtris ad Maſpham non fuiſſent, omneſq; uiros, pueros & mulieres uirum expertas, ferro trucidarunt: uirgines tantùm 400 in caſtra ad Siluntẽ adductas, 400 Beniamitis nuptui dederunt. Verùm quia ducenti ſupererant, qui uxores non habebant, cùm comperiſſent feſtũ Iouæ quotannis agi Silunte à Septentrione Bethelis: præceperunt 200 illis, ut quãdo animaduerterent Siluntias puellas ad ſaltandum exire, ipſi diſpoſitis inſidiis prodirent è uineis, & ſinguli ſingulas in matrimonium raperent, atq; in agrum Beniamiticum diſcederent: ſibi deinde curæ futurum, ut parentum ira placaretur: illos enim, cùm ſponte non dediſſent, extra culpam fore. Atq; hac ratione Beniamitica tribus reparata fuit. Iudicum cap. 21.

ELECTRA apud Eur. indicat, qualẽ cupiat maritũ, his uerbis:

——ἀλλ' ἐμοί γ' εἴη πόσις
μὴ παρθενωπὸς, ἀλλὰ τ' ἀνδρείου τρόπου.
τὰ γὰρ τέκν' αὐτῶν ἄρεως ἐκκρεμάννυται,
τὰ δ' εὐπρεπῆ δὴ, κόσμος ἐν χοροῖς μόνον.

Mihi contingat maritus non uirgineo uultu præditus, ſed uirili ingenio, moribuſq;. Nam liberi eorũ ad martem propendent: formoſi uerò choreas tantùm ornant.

Cùm feminas ad coniugium non poſſet à uicinis populis impetrare ROMVLVS, ex conſilio Numitoris aui & ſenatus, ludos ſe facturum ſimulauit Neptuno equeſtri. Ita euocatis feminis uicinarum gentium, eas omnes, potiſſimùm Sabinas, medio ſpectaculo Rom. rapuerũt. Et raptæ ſunt, ut Dionyſius tradit, ſexcentæ & octoginta, quod magis credendũ, quàm quod de triginta ſcribunt alij, unde manarit Curiarũ numerus. Iuba tres addit ad numerũ. Dionyſius Antias Valerius quingentas uiginti ſeptem prodit. Sic enim inter Romulum & ſuos conuenerat, quarto menſe poſt conditam Romam. L. Viues in Auguſt. lib. 2. de Ciu. Dei, cap. 17.

FRANCISCVS Ioannis V. ducis Britanniæ F. Iſabellam Scotam ducturus, ubi formam eius laudari, ſed linguæ impeditioris eſſe audiuit: Talem uolo, dixit: poſteritatis cauſa, non eloquentiæ, ducitur. Satis prudens eſt uxor, ſi penulam & interulam mariti dignoſcere poſſit. Aegidius Corrozetus de Dictis & factis mem.

*Non contrahere, Repudiare.*

DOLON, quarũuis agricola, ab Hectore ad naues Græcorũ explorandas mittẽdus, Priami filiæ nuptias reſpuit, οὐκ ἐξ ἐμαυτοῦ μειζόνων γαμεῖν θέλω: quia nobilior eſſet. Aiacis item Oilei filiæ, quia ſerua licèt futura, ſi caperetur, operis tamen ruſtici imperita eſſet: κακὴ γεωργεῖν χεῖρας εὖ τεθραμμένη, ſolos Achillis equos explorationis præmium pactus eſt, apud Eurip. in Rheſo.

*Fouere amorem, concordiam.*

SOLON rerum connubialium intelligentiſſimus legiſlator, ut non rariùs quàm ter menſe coniugem ſuam quiſq; complecteretur, ſanxit: non uoluptatis gratia (quî enim?) ſed ut ciuitates per interualla renouãt inter ſe fœdera, ſic quò hac comitate & oblectatione nuptias ex iis, quæ colliguntur quotidiè, offenſionib. refricarent. Plut. Sermone amatorio.

LYCVRGVS, Lacedæmoniorum legiſlator, quodã admirante, quamobrem uetuiſſet ſponſum cum ſponſa ſimul dormire: ſed ſtatuiſſet, ut uterq; cum ſuis æqualibus maximã diei partem uerſaretur, cumq; his totas noctes quieſceret: cum ſponſa uerò furtim ac uerecundè congrederetur? Primùm, inquit, ut corporibus, ſint ualidi, ſi non utantur congreſſu ad ſatietatem: dein ut illis amor mutuus ſemper maneat recens ac uigens: denique ut fœtus edant robuſtiores. Plutarchus in Laconicis.

ROMANIS Legiſlator interdixit munera dare & accipere inuicem connubio iunctis: non ita, ne quid ab altero alter caperet: uerùm cuncta ut communia cenſerent. Plutarchus in Præceptis con.

*Dirimere.*

MOSES permiſit dari libellũ repudij odioſis uxorib. Iudęorũ: quia timebat in eis uxoricidium. Deut. 24. Matthæi 5. & 19.

## SOBOLI PRVDENTER PROSPICERE.

LYCVRGVS excluſit celibes gymnicorum ludorum ſpectaculo, ſuggillauitque. Quare liberis quærendis multum conſuluit. Adhæc honore eos & obſeruantia, quam præſtabant maioribus natu iuuenes, orbauit. Atq; id, quod Dercyllidæ exprobratum fuit, quantumuis inclyto duci, nemo reprehẽdit: cui accedenti adoleſcentior quiſpiam ſubſellio non ceſſit, adiiciens: Neq; enim tu mihi, inquit, qui ceſſurus ſit, ſuſtuliſti. Plutarchus in Apophthegmatib.

IDEM cùm nuptiarum uiris & feminis præſtituiſſet tempus, quærenti, Cur id feciſſet? Vt fœtus, inquit, ex adultis ualidi procreentur. Plut. in Apophthegmatib.

TVISCO primus Germanorum rex, à patuulis duritiæ ac labori ſtudere ſobolem præcepit, ut qui diutiſſimè impuberes permanerent, maximam inter ſuos ferrent laudem: hoc ali ſtaturam, ali hoc uires, nerioſq; confirmari putabat. Intra annum uiceſimum feminæ notitiam habuiſſe, in turpiſſimis haberi iuſſit rebus: quò ſera iuuenum ætas, eoque inexhauſta pubertas foret: nec uirgines feſtinarentur, ſed eadem iuuentus, ſimilis proceritas, pares ualidique miſcerentur: ac robora parẽtum liberi referrent. Auentinus lib. 1. Annalium Boiorum.

Petrus Aragoniæ rex ſeptimus, multarum mulierum captus amore, à MARIÆ coniugis ſuæ, Gulielmi Montiſpeſſulani F. concubitu pertinaciùs abſtinebat. Maria prolis cupida, egit cum Regis cubiculario, ut clàm pro puella, quam Rex concupiuerat, ad eum adduceretur. Cum ea igitur hac conditione ſuppoſita Rex una nocte concubuit. quam iam grauidam factã cùm manè ante diem dimitteret: Non à te, inquit illa, diſcedam, niſi nos priùs in lecto coniunctos aliqui uiderint: quorum teſtimonio ſi, quod uehementer opto, pepererim, me tecum ſimul in lecto cubuiſſe probare poſſim. Rex, quamuis deluſus, induſtriam eius commendauit, & duobus accitis nobilibus, actus illius noctis publicè notari ſeruariq; iuſſit. Cõcepit igitur Regina illa nocte, & poſt nonum menſem Iacobum peperit, in Montepeſſulano, anno MCXCVI. Marineus lib. 10. rerum Hip.

## PARTVI PRVDENTER CONSVLERE.

Conſtantia Rogerij II. filia, ſoror Gulielmi II, Siciliæ regis, uirgo



uirgo annum iam agens triceſimum, nupſit HENRICO VI, Germanorum regi, ut ſcribunt Viterbienſis, Vrſpergenſis & Otho de ſancto Blaſio. Alij quidam tradunt, & inter hos Pandulfus Collenutius, eam in ſacro Parthenone educatam uotiua uirginitate: quòd Ioachimus fatidicus uir cecinisset, ex ea, ſi nupſiſſet, funeſtam Italiæ facem exoriturã. Poſtea uerò plus quinquaginta annos natam, auſpice Pontifice Maximo, ne regnum Siciliæ ad nothum recideret, Henrico Cæſari nupſiſſe. Exin cùm prægnans eſſet, ſuſpicioque exoriretur, eam uterum mentitam, partumque ſuppoſituram, medio in Meſſanæ foro, tabernaculum illi uirum iuſſiſſe ſtatui, ubi uentre cuſtodito, nulla matronarum excluſa pareret. Ita editum Fridericum ſecundum Cæſarem. Sed hãc fabulam Aemilius irridet, & Iacobus Spiegelius in ſcholiis ſuper primo libro Eigurini diſertè confutat.

IOANNA, Aragonum regis Ioannis uxor, grauida, Sangoſæ Nauarræ oppido iura adminiſtrans, rege apud Valentinos abſente, cùm pariendi tempus inſtare ſenſiſſet, etſi tunc tẽporis imbrium tempeſtas erat horribilis, ut tamen in Aragonia pareret, lecticam ſtatim conſcendens, Soſium, quod erat Aragoniæ oppidum, Nauarræ propinquius, deferri ſe properè iuſſit. Itinere toto per paſſuum millia ferè ſeptemdecim, ut erat fortis & prudens, & ſuæ dignitatis atque ſalutis non oblita, dolores ſupprimens ac diſſimulans, deo preces & orationes fundere nunquam deſtitit. Vbi tandem Soſium peruenit, filium peperit Ferdinandum Catholicum, anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo. Marineus libro 19. rerum Hiſpan.

## COLONIIS. PRVDENTER

*Non deducendo.*

Phœnices per Oceanum mare iuxta Libyam nauigantes, complures dies tempeſtatibus acti, cùm ad inſulam permagnã delati eſſent, animaduerſa eius natura felicitateque, notam cæteris fecère. Qua ex cauſa cùm Tyrrheni, qui claſſe potentes erant, in eam inſulam coloniam mittere decreuiſſent, à CARTHAGINENSIBVS ſunt prohibiti, ueritis, ne loci bonitate allecti ciues eorum, ad eam ſe conferrent: & ſic, ſi qua forſan aduerſa urbi fortuna incidiſſet, uolebant ignotum, ad quem facilè confugerent, locum eſſe. Diodorus libro quinto, capite 7.

*Deducendo.*

☞ *Ex loco Coloniarum huc quædam.*

## TESTAMENTIS.

GODOFREDVS Andegauenſis Comes moriens tres reliquit filios, Henricum, Gaufredum, & Gulielmum: ac teſtamento conſtituit, ut poſteaquam Henricus aſſecutus eſſet cum Normannia regnum Angliæ (quod ei tanquam nepoti Henrici I. Anglorum regis debebatur) tunc comitatus Andegauenſis Gaufredo cederet. Cui interim tria oppida, Chynonem, Laudunum, & Mirabellum dedit, ut cùm illi hæreditas eius comitatus obueniſſet, ne facilè poſſeſſione deiiceretur. At ueritus, ne Henricus, qui aberat, teſtamentum reſcinderet, epiſcopos nõnullos ac nobiles adegit, ut promitterent ſe non priùs paſſuros eius corpus humari, quàm filij iureiurando recepiſſent, ſe patris facturos imperata. Henricus, ne corpus inhumatum remanens ſibi dedecori foret, in id conſenſit. At regno Angliæ potitus, ab Hadriano IV. Pp. ea promiſſi obligatione abſolutus, fratre deuicto, Andegauenſes in deditionem recepit. Dedit tamen prædia quædam Gaufredo, ut ne egẽret: qui haud multo pòſt, mortem obiit. Polydorus lib. 13.

## CADAVERE. NE

*Surripiatur.*

LVITPRANDVS Longobardorum rex D. Auguſtini cadauer, ne Saracenis aliquando præda fieret, tranſtulit è Sardinia Papiam ad D. Petri: & ne facilè reſciri poſſet, quo loco conditum eſſet, tribus locis effoſſis ſtructiſque ſepulcris, & noctu clàm occluſis, alio loco corpus condi iuſſit: ut certo corporis loco ignorato, minus promta eius rapiendi occaſio foret. Bern. Saccus lib. 9. Ticinenſis hiſt.

*Negligatur.*

Alexander Macedonum rex, cùm Babylone animam egiſſet, & propter regni contentionem triginta diebus inhumatus carenſq; ſepulcro relictus eſſet: ARISTANDER Telmiſſenſis, ut uel inuitos ad ſepulturæ honorem cogeret, in medios Macedones irruit, & omnes omnium ſeculorum reges Alexandrum felicitate ſuperaſſe tam uiuum quàm mortuum aſſeruit. Etenim deos immortales ſibi notum feciſſe, in quacunq; terra requiem ipſius cadauer eſſet habiturum, eã felicitate abundantem, & ab omni hoſtili uaſtatione in perpetuum liberam fore. Hæc cùm audiuiſſent principes, pro ſe quiſque ſummo ſtudio annitebatur, ut in ſuum regnum transferret, quaſi obſidem ſtabilitatis imperij. Ptolemæus tamen maxima feſtinatione raptum, in urbem Alexandri ſitam in Aegypto deportauit. Perdiccas uerò cùm Alexandri corpus Ptolemæo ui eripere conaretur, Ptolemæus clàm facto ſimulacro, Alexandri effigiem referente, ueſte regia eam exornauit, & entaphiis honorificentiſſimis. Deinde in Perſicum currum impoſuit, ac feretrum magnificè auro, argento & ebore inſtruxit. Sed uerum Alexandri corpus apparatu tenui præmiſit per uias occultas & inuias. Perdiccas igitur cùm currum tam inſtructum uidiſſet, ueri Alexandri corpus ineſſe ratus, rapuit, nec diu pòſt, ſe fallaciis circumuentum eſſe, cognouit. Aelianus lib. 12. de Varia hiſtoria.

*Ignominia afficiatur.*

Iadone uate Hieroſolymitano, ob inobedientiam, quòd contra Dei præceptum Bethelis apud pſeudoprophetam comediſſet, in reditu à leone interfecto, PSEVDOPROPHETA corpus eius ſepulcro ſuo intulit, & ut cum eo poſt fata humaretur, filiis ſuis præcepit, oſſibus commixtis: ut ſi quando pſeudoprophetarum cadauera è ſepulcris eruta diſſiparentur, propter hoſpitis reuerẽtiam, ſuo parceretur. Ioſephus lib. 8. cap. 9 Antiq.

AMASIS rex Aegypti, cùm ex oraculo percepiſſet, quòd poſt ſuam mortem Cambyſes Perſarum rex Aegypto potiturus eſſet, & cadauer ſuum indignis modis tractaturus: hominem quendam facie ſibi ſimillimum in primo ſepulcri aditu collocari iuſſit: ſuum uerò in occultiore receſſu. Victo Pſammenito, Amaſis F. Cambyſes in hominis cadauer ſæuiit, Amaſis illud eſſe ratus. Herod. lib. 3.

ALEXANDER Hieroſolymorum rex, cùm ſe auarè crudeliterq; in populos graſſatum eſſe ſciret, liberiſq; Hircano & Ariſtobulo timeret, ne poſt ſuum obitum regno à popularibus pellerentur: uocatam ad ſe Alexandram uxorem monuit, uti animam cùm ipſe egiſſet, Phariſæorum beneuolentia & conſilio uſa, confeſtim cadauer in publicum efferendum curaret: conuocatiſq; illicò ciuibus, in eum priùs inuecta, quòd iniuſtus, rapax, impius, nefarius, perditiſſimus omnium fuiſſet: inde quaſi illorum faueret uindictæ, palàm diceret, ſe tradere Alexandrum iam defunctum dilaniandũ ciuibus, ut quam in uiuum nequiſſent, in mortuum ſaltem iram exercerent. Hæc cùm egiſſet Alexandra, ita uniuerſæ multitudinis animum mouit, ut non ſolùm liberis, regnóque ſalubriter conſuluerit, uerùm mariti etiam funeribus. Siquidem regio more iuſta Alexandro perſoluẽre. Pontanus lib. 5. cap. 1. ex Ioſephi lib. 13. cap. 23. & 24. Antiq.

L. SYLLA Dictator primus apud Rom. corpus ſuum poſt funus cremari uoluit, ne ut ipſe Marij cadauer exhumari curarat, & in Anienem proiici, ita & ſuum ab inimicis effoderetur. Alex. ab Alex. lib. 3.

ALARICVS Veſtgothorum rex poſt direptam Romam anno uixdum exacto, Conſentiæ moritur. In eius locum Gothi Athaulphum defuncti regis propinquum ſubſtituerunt. Alarico, ne locorum accolæ refoſſum cadauer laniarent, Buſſento amne ad tempus corriuato, in fluminis alueo ſepulcrum condidère, opificibus interfectis, ne ubi loculus cum oſſibus multiſq; diuitiis defoſſus eſſet, ſciri poſſet. Cuſpinianus & Auentinus lib. 2. & Io. Magnus lib. 15. cap. 12. & Sabellicus lib. 9. En. 7.

## HAEREDITATE.

SOLON donationes ratas eſſe morientium ſanciuit, niſi quis ui aſtrictus uel uxoris inductus eſſet blanditiis: neceſſitatẽ ut cogentem excepit, uoluptatem ut circumuenientem. Plutarchus in quæſt. Rom.

## ALIMENTIS.

☞ *Affinis huic eſt Tit. Exercitum per regiones deſertas & ſiticuloſas incolumem ducere. item, Commeatum parare. Illic Bellica, hic extra bellum Politica tractantur exempla, ſcopo tamen eodem.*

## COMPARARE PRVDENTER

Alimenta. Nempe

*Cibos. Famem tollere, mitigare.*

☞ *Ex Tit. Venatorum, omnis generis, huc quædam.*

IOSEPHI mirifica fuit prouidentia in Pharaonis ſomnio, quod famem portendebat, interpretando: nec minor prudentia in cogendo frumento, quo per ſeptem annos famelica aleretur Aegyptus. Gen. 41.

Græcis Ilium obſidentibus, fames maxima exercitum inuaſit, propterea quòd uicini agri depopulati non colerentur. PALAMEDES igitur Nauplij F. ut ſolamen aliquod tantæ calamitati afferret, animos Grecorum in iucundis rebus occupando, latrunculorum ludũ ſiue teſſeras & talos reperit. Et teſte Polemone, prope Ilium adhuc extat lapis, in quo Gręci luſerunt. Sophocles in Palamede, & Euſtathius Iliad. ℓ.

Tempore Atyis, Manis regis filij, annonæ difficultas per uniuerſam Lydiã ualdè graſſabatur, adeò ut LYDI, uaria huic

 malo

bi, quouis alio deniq; tempore omnibus patere uolebat: ut cùm plures ſpectatores haberet, nihil niſi quod honeſtum eſſet & pium, uel ageret uel meditaretur, ueritus ſemper ex improuiſo aduentantium turbam. Nicephor9 lib. 12. cap. 47.

*Imaginibus, Notis.*

SOCRATES præcipiebat adoleſcentibus qui ſe intuerentur in ſpeculo, iis, qui deformes erant, ut emendarent fœditatē uultus uirtute: qui pulcri, ne formam uitiis deformarent. Plut. in Præceptis connubialibus.

LYCVRGVS, ut Spartanos ad uirtutis exercitiū traduceret, catulos duos ex eodem ſuſceptos patre & matre eduxit: atque hunc domi relictum, gulæ aſſuefecit, alterum ſecum trahens ad uenationem exercuit. Inde produxit eos in concionem, poſitisq; ſpinis piſcium & gulæ irritamentis, emiſit ſimul leporem. Hic cùm uterque conſueta peteret, & cepiſſet alter leporem: Cernitis, inquit, ciues, hoſce, licèt eadem ſtirpe ſint, uitæ tamen diſciplina longè inter ſe euaſiſſe diuerſos, atq; efficaciorem ad recta eſſe natura exercitationem. Alij memorant, non produxiſſe catulos eum, qui ex iiſdem eſſent geniti, ſed fuiſſe unum ex domeſticis, alterum ex uenaticis: hinc illum deterioris generis uenationibus excoluiſſe, hunc melioris ad ingluuiem tantùm exercuiſſe: mox utroq; ad ſolita contendente, cùm ſubieciſſet oculis, quantum diſciplina ad meliora uel deteriora momenti afferat, dixiſſe: Nec nobis igitur, ciues, natalium apud uulgus celebrata claritas, nec quod ſtirps ſumus Herculis, profit, niſi ſectemur ea, per quæ mortalium omnium ille nobiliſſimus & generoſiſſimus euaſit, meditantes & condiſcentes per totā uitam honeſta. Plut. in apophthegmatibus, & Suidas.

ROMANIS pueris bulla cordis figura appenſa, ut corde præſtare diſcerent: item prætexta, ut ex purpuræ rubore ad pudorem inuitarentur. Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 6.

*Conuerſatione, Exemplo aliorum.*

AEGYPTIORVM regum olim cultui obſequioq; nullus deputatus erat neq; emtitius, neq; domi genitus ſeruus, ſed nobilium ſacerdotum filij, tum ultra uiginti annos nati, tū doctrina præ cæteris eruditi: ut horum corporis miniſtrorum die noctuq; aſtantium conſpectu motus rex, nil turpe committeret. Diod. lib. 1. cap. 6.

*Fuga improborum.*

MASSILIENSES nullum aditum iuuentuti in ſcenam uel theatrum dederunt, ne obſcœnos motus illic obſeruantes, impudicitia laſciuirent. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 16.

LACONES Comœdias & Tragœdias non audiebant: quo neq; in re ſeria neq; ludicra aures præberent iis, quæ legibus reclamarent. Plut. in inſtitutis Laconicis.

SPARTANA ciuitas ſeueriſſimis Lycurgi legibus obtēperās, aliquandiu ciuiū ſuorū oculos à contēplanda Aſia retraxit, ne illecebris eius capti, ad delicatius uitæ genus prolaberētur. Audierant enim lauticiā inde, & immodicos ſumtus, & omnia nō neceſſaria uoluptatis genera fluxiſſe: primoſq; Ionas unguēti, coronarumq; in conuiuio dandarū, & ſecūdæ menſæ ponendæ conſuetudinē, haud parua luxuriæ irritamēta reperiſſe. Quod eos non fruſtrà timuiſſe, dux ipſorum Pauſanias patefecit, qui maximis operib. editis, ut primùm ſe Aſiæ moribus permiſit, fortitudinem ſuam effeminato eius cultu mollire non erubuit. Val. Max. lib. 2. cap. 1.

Poſt Agin bello ſuperatum, Antipatro poſtulanti obſides PVEROS quinquaginta, Eteocles, qui tum Ephorum agebat, reſpondit: Se pueros non daturum, ne ſi licenter uixiſſent, fierent indociles patriæ diſciplinæ, itaque ne ciues quidem eſſent. cæterùm ſenes ac mulieres ſe duplo numero daturum. Verùm Antipatro dira minitanti, ni acciperet poſtulata, populus una uoce reſpondit: Si imperas acerbiora morte, faciliùs moriemur. Plut. in Laconicis.

Affines Illyriis EPIDAMNII cùm aduerterent eos, qui cum illis uerſarentur, ciues deprauari, elegerunt quoq; anno ad ea commercia & permutationes unum ex probatis ciuibus ſuis: qui ad barbaros concedens, mercatum & diſtractionē reliquorum ciuium nomine obibat. Hic à nundinis eſt Poletes dict9. Plut. in quæſt. cēturiatis Græcis, & Ariſt. l. 3. Polit.

*Aemulatione.*

Vt opinantur Phyſici, ſi contentionē & litem ſegreges ab uniuerſitate, fore, ut corpora cœleſtia conſiſtant, omnium item generatio & motio conquieſcant, propter mutuum mundi cum his concentum: ita LYCVRGVS Laconicus legiſlator uidetur uirtutis facem Reip. ſubieciſſe ambitionem & concertationem, aliquod ſemper inter bonos certamen & pugnam machinans: illam uerò mutuò conniuentem in nō coarguendo gratiam, quæ iners ſit & ignaua, parum rectè dici concordiam cenſens. Nēpe uidiſſe id Homerum quoq; Odyſſ. θ. nonnulli arbitrantur. Neq; enim facturum fuiſſe, ut Vlyſſe & Achille ad conuitia prouectis, uerborum aſperitate lætum finxiſſet Agamemnonem, niſi magnoperè cenſuiſſet Reipub. intereſſe mutuam principum æmulationem & diſſenſionem. Hoc tamen non ita ſimpliciter probes: quippe ſunt noxiæ contentiones ciuitatibus, ſi ſint immodicæ, grauiaq; pericula ſecum trahunt. Plut. in Ageſilao.

*Reprehenſione.*

SOCRATES ita ſubmiſsè reprehendebat adoleſcentes, quaſi nec ipſe uacuus eſſet ignorantia, ſed unà cum illis incumbendum putaret ſibi eſſe in uirtutem, & inueſtigandam ueritatem. Plut. de Diſcernendis adulatorib.

PHILIPPVS Macedo dicebat concionatoribus Athenienſium, Gratiam ſe habere, quòd obterendo ipſum redderent tum dicēdo tum moribus meliorē. Elaboro enim eos iuxtà oratione & factis mendacij arguere. Plut. in apophth. reg.

*Hoſtium inſectatione.*

Dominus per Ioſuam non omnes impios è terra ſancta exterminauit, ut nē deeſſet ad uirtutem ſtimulus ISRAELITIS. Iudicum cap. 3.

Quum Lacedæmoniorum rex polliceretur, ſe funditùs euerſurum ciuitatem quandam, quæ ſępenumerò Lacedæmoniis exhibuerat negotium: non permiſerunt EPHORI, dicētes: Nequaquam ſubuertes iuuenum cotem. Plut. in Laconicis.

Agebatur Romæ occultè inter patres de Carthagine funditùs delenda, exiitq; ea conſultatio in longam & difficilem diſceptationem: maiore Porcio Catone, cui antea Priſci nomen fuit, cenſente Carthaginem eſſe delendam, ut Roma incolumis eſſet. Et cùm multi pedibus irent in eam ſententiam, tum P. SCIPIO Naſica identidem teſtatus dicitur, uiderent illi, qui cupidè uellent Carthaginem exciſam, ne populus Romanus æmulæ & inimicæ urbis metu liberatus, intermiſſo uirtutis exercitio ad luxum conuerſus, in ciuiles incideret diſcordias. Quod malum multo priùs proſpexit Naſica, ac prædicauit: ſed fatali neceſſitati ire obuiam non potuit. Sabellicus lib. 4. cap. 8. Florus lib. 49. & lib. 3. cap. 15. Appianus in Libyco, Plutarchus in uita Catonis Cenſorij, Oroſius lib. 4. cap. 22.

*Otij fuga, Occupationibus, Negotio.*

Hoc ATHENIS celeberrimum fuit inſtitutum (ſed à Solone, ut Herodotus ait, traductum ex Aegyptiorum moribus) ꝗ otium & inertia in iudicium uocarētur, ſingulisq; annis omnes omnino ciues adeſſe coram magiſtratu tenerētur, reſponſuri, qua arte, quibus opibus ipſi ſuiq; uitam tranſigerent. Atq; Areopagitarum hæc inprimis cura ac ſolicitudo fuit: qui morum atq; diſciplinæ publicæ cuſtodes tum meritò ab Iſocrate appellari potuerunt. Eos Cleanthē, Menedemum & Aſclepiadē nouos Philoſophos, & qui in nullis erant facultatibus, euocaſſe atq; interrogaſſe, memoriæ traditur, qui fieri poſſet, cùm toto die operam Philoſophiæ nauarēt, ac nihil penitùs poſſiderent, eorum corpora nihilominùs tam bene ſe haberent, ac tam robuſta eſſent. Cæterū Philoſophos iuſſiſſe adduci molitorem quendam, & alium item hortulanum, uictus ſui optimos teſtes, qui dicerēt, uti apud ſe ſingulis noctibus aqua nunc haurienda, nunc uolutatione rotæ, atq; piſtrini, pro opera duas drachmas lucrifacerent. Itaq; magnoperè admiratos Areopagitas, non ſolùm Cleanthem, Menedemum & Aſclepiadem innoxios dimiſiſſe, ſed & ducentarum drachmarum munere donauiſſe. Cleanthes accipere noluit. Narratur, & apud Corinthios hunc morē fuiſſe, ut ſi quē cernerent ſplendidiùs obſonari, hunc interrogarēt, Vnde ille ſumtus ei competeret, quidue ageret? Quòd ſi huic uitæ generi ſumtus ſuppeterent, frui ſinebant: ſin aūt ſumtus facultates excederent, iubebant imposterum moderatiùs uti: ni parērent, multam imponebāt: quòd ſi nihil cùm haberet, attamen ita ſplendidè & oppiparè uiueret, necandum carnifici tribuebant: quia aut hunc furem eſſe, aut noctibus ſpoliare, aut cum furibus participare, aut falſa teſtari, aut accuſare neceſſe eſſet. P. Aerodius ex Athenæo lib. 4. cap. 20. & lib. 5. cap. 2. & Laertio lib. 7.

SARRON, Gallorum rex, cùm eius populi ferociam aliter cōpeſcere, & in officio retinere non poſſet, publica gymnaſia introduxit. Beroſus lib. 5.

MAMMEA Alexādrum Seuerum Imp. filium ſuum & crebrò & longiſſimè ius dicere uoluit, ut his ſeriis occupatus, à uoluptatibus abſtineret. Suidas.

*Profeſſione.*

Cùm Iacobus patriarcha cum uniuerſa familia ſua in Aegyptum deſcenderet, IOSEPHVS F. ueritus, ne Pharao fratribus ſuis uteretur in re militari: adduxit quinq; de fratrib. ſuis poſtremis ad Pharaonem, qui imbelliores minuſq; generoſi uidebantur eſſe, eoſq; inſtruxit, ut Pharaoni quærenti, Quæ'nam eſſet eorum conditio? reſponderēt, Paſtores & ſe eſſe, & patres ſuos fuiſſe: ueniſſe aūt in eam terram ad cōmorandum paſtionis cauſa, cùm uigeret in Chananæa fames: & petere, ut ſibi liceret Goſſenem incolere. Rex annuit. Eaq; ratione effecit Ioſephus, ut ſimpliciſſima & innocētiſſima uita paſtoritia contenti fratres, optimam & fertiliſſimam regionem obtinerent, & interim tamen ab Aegyptiis remoti



remoti (nam à paſtoribus omnibus abhorrent Aegyptij) eorum ſceleribus minùs aſſueſcerent. Gen. 47.

CN. POMPEIVS piratico bello confecto, captos ex deditione prædones ad Coraceſion Ciliciæ plus uiginti millia neq; interficere ſtatuit, neq; ut diſſiparentur, aut coirent de integro inopes & bellatores multi, ſinere exiſtimauit ſecurum: ſed deliberauit illos à mari in continentē transferre, & uita tingere humaniore, aſſueſcētes urbes & agros colere. Itaq; hinc inde eos ꝑ urbes & oppida diſtribuit. Plut. in Pōpeio.

*Inopia.*

PHOCION, cùm à rege Philippo munera magna repudiaret, legatiq; hortarentur accipere: ſimulq; admonerent, ſi ipſe his facilè careret, liberis tamen ſuis proſpiceret, quibus difficile eſſet in ſumma paupertate tanquam paternam tueri gloriam: his ille: Si mei ſimiles erunt, idem hic (inquit) agellus illos alet, qui me ad hanc dignitatem perduxit. Sin diſſimiles ſunt futuri, nolo meis impenſis illorum ali augeriq; luxuriam. Probus in eius uita.

*Regionis aſperitate.*

Quum Perſæ, quoniam regionē habebant montuoſam aſperāq;, cuperent eam cāpeſtri ac molliore cōmutare, non paſſus eſt CYRVS, dicēs: Quēadmodū plantas ac ſemina, ſic hominū mores ad regionis habitū immutari. Fertilis regio, molles & ignauos gignit homines. Plut. in Reg. Apoph.

*Dignitate conceſſa.*

AVGVSTVS Cæſar liberis Senatorum, quò celeriùs Reip. aſſueſcerent, protinùs uirilem togam, latum clauum induere, & curiæ intereſſe permiſit: militiamq; auſpicantibus, nō tribunatum modò legionum, ſed & præfecturas alarum dedit. Ac ne quis expers caſtrorum eſſet, binos plerunq; Laticlauios præpoſuit ſingulis alis. Suetonius.

*Dignitate non conceſſa.*

IOANNES Ducas Imp. Conſtantinopolitanus filium conſortem Imperij uiuens facere noluerat, ꝗ diceret, Tempus multa nouare ſolere, niſi quiſq; ita res adminiſtraſſet, quemadmodum oporteret. Nam adoleſcentiam ſuapte natura mobilem & contumacem, temerè ad omnia ferri, quæ concupiſſet. Quòd ſi ſpes ac nomen Imperij acceſſiſſet, ob quas res delicatorum adoleſcentum comitatus accederet, ac omnium acclamationibus aures complerentur: idem accidere quod homini ebrio, cuius neq; pes neq; mens ſuum ſatis officium facit, ſi ad magnæ gubernacula nauis adhiberetur: cùm nec ij à quibus eligeretur, rectè iudicarent: nec is qui electus eſſet, quò ferretur, quidue agendum eſſet, intelligeret. Gregoras lib. 3. Hiſt.

*Dignitate depoſita.*

PITTACVS Mitylenęus, cùm uoluntate ſuorum ciuium iam per decennium regnaſſet, diffiſus de animi ſuiipſius conſtātia, magiſtratum depoſuit, relictoq; imperio in exilium abiit. Percunctātibus deinde quibuſdam, Qua gratia fugiſſet imperium? reſpondit: Quòd admodum eſſet ardutum, probum eſſe, propter mutatum Periandrum Corinthium, qui cùm initiò populariter ac moderatè geſſiſſet imperium, poſtea uerſis moribus tyrannicè agere cœpit. Eraſmus in Prouerbiis, ex Laertij lib. 1.

## PRVDENTIAM CONCILIANDAM.

*Libro primo de Magiſtris prudentiæ egimus. Hic uerò prudentiam Magiſtrorum prudentiæ conſideramus.*

TOBIAS ſenior iam moriturus, ſuaſit filio inter alia, ut ſemper à ſapiente conſilium peteret. Tob. 4.

## FORTITVDINEM PRVDENTER EXcitandam confirmandam: ſiue, id fiat,

*Imaginibus.*

CHARILAVS percontanti cuidam, Quamobrem omnium deorum ſtatuæ apud Lacedæmonios ponerentur armatæ? Ne, inquit, probra, quę ob ignauiam iaciuntur in homines, ad deos referamus, neue iuuenes niſi armati deos comprecentur. Eo commento ciuium animis hanc opinionem inſtigere ſtudebant, diis gratam eſſe fortitudinem, armis ferendis debere aſſueſcere. Plut. in Lacon.

Sæpè audiui, inquit Salluſti9 in Iugurthinis, Q. MAXIMVM, P. SCIPIONEM, præterea ciuitatis noſtræ præclaros uiros, ſolitos ita dicere, quū maiorū imagines intuerentur: Vehemētiſſimè ſibi animum ad uirtutē accendi, ſcilicet nō ceram illā, neq; figurā, tantam uim in ſeſe habere, ſed memoria rerum geſtarum eam flammam egregiis uiris in pectore creſcere, neq; priùs ſedari, quàm uirtus eorū famā atq; gloriam adæquauerit. Quare Athenienſes primi ſtatuas publicè poſuiſſe Harmodio & Ariſtogitoni tyrannicidis dicūtur.

THEODATVM regē Gothorum ſcribit Caſſiodorus elephātes ex ære Via ſacra, ad naturalem beſtiæ magnitudinem extantes, quæ ruinam minabantur, inſtaurari iuſſiſſe, ut adoleſcentes Romani, uiſa beſtiarum magnitudine, in quas eorum parentes pro patria & decore pugnauiſſent, magis ad fortitudinem maiorum imitandam accenderentur.

*Exercitiis.*

*Plura ſub Stratagematis, quatenus ſcilicet in ipſis caſtris militum fortitudo acuitur.*

LACEDÆMONII non præficiebant pueris pædotribas, qui eos ad luctam exercerent: ut uirtutis eſſet certamen, non artis. Vnde & Lyſander interrogatus, Quo pacto à Charonte uictus eſſet? reſpondit, Vario artificio. Plut.

*Conuitijs.*

Bello inter Chios, qui Leuconiam occuparant, & Erythræos, quorum ea tempeſtate maximę inter Ionas opes erant, coorto: cùm hi infeſtum exercitum in Leuconiam induxiſſent, neq; eos illi ualerent ſuſtinere: hac conditione deditionem fecerunt, ut cùm ſingulis lænis & tunicis abirent, nec quid aſportarent præterea. Hic FEMINÆ conuitiis eos inceſſerunt, quòd medios per hoſtes amiſſis armis nudi abituri eſſent. Quibus iuramentum prætendentibus, iuſſerunt, ne arma deponerent, ſed dicerent hoſtibus, uiro forti haſtam pro læna eſſe, & clypeum pro tunica. Hoc conſilium ſecuti Chij, ferociter cum Erythræis agere, arma oſtentare. Quorum Erythræi perculſi audacia, ac nihil contrà hiſcere uel repugnare auſi, pręclarè putabant ſecum agi, ſi illi abirent. Ita hi à feminis ad audendum accenſi fuerunt ſeruati. Plutarchus de Virtutibus mulierum.

## CONTINENTIAM, PVDICITIAM, tuendam, libidinem refrænādam.

*Exempla quædam ex Tit. Virginitatis ſtudiū: item, Stupri fuga, petantur: quando ingenioſè Caſtitatem tuentur.*

## SIMVLATIONE QVALICVNQVE

*Obtrectationis, Inſectationis.*

Diuus Hieronymus ad Ruſticum monachum ſcribens, Dicam, inquit, quod in Aegypto uiderim. Græcus adoleſcēs erat in cœnobio, qui nulla continētia, nulla operis magnitudinē flāmā poterat carnis extinguere. Hunc periclitantē PATER monaſterij hac arte ſeruauit. Imperauit cuidā uiro graui, ut iurgiis atq; cōuiciis inſectaretur hominē. Is poſt irrogatam iniuriā primus uenit ad querimoniā. Vocati teſtes, pro eo loquebantur qui cōtumeliā fecerat. Flere ille cœpit cōtra mendaciū, nullus alius credere ueræ ueritati, ſolus pater defenſionē ſuam callidè ſtuduit opponere, ne abundantiori triſticia abſorberetur frater. Quid multa? ita annus ductus eſt. Quo expleto, interrogatus adoleſcēs ſuper cogitationibus priſtinis, An adhuc aliquid moleſtię ſuſtineret? Papę, inquit, uiuere mihi non licet, & fornicari libet? Marulus lib. 4. ca. 4.

*Conſenſus.*

Fingunt PENELOPEN per uiginti annos, abſente marito Vlyſſe, contra blanditias, ſolicitationes, minas, atq; alias id genus corrumpēdi procorū mille artes, ſe ſuamq; pudicitiā magna ſolicitudine cuſtodiſſe. Tradunt aūt eam procos iā urgētes, quibus nihil cordi erat præter conuiuia, citharam, choream, talos, diſcum, paraſitos, atq; id genus alias uoluptates, hac conditione deluſiſſe; ut tum ſe promitteret nupturam, ubi telam quam habebat in manibus, abſoluiſſet: Quam conditionē poſtquam illi accepiſſent, mulier aſtuta, quod interdiu texuiſſet, noctu retexebat. Itaq; Tela Penelopes in prouerbium abiit. Cognatus lib. 2. Narrat.

EVBATAS Cyrenenſis, cùm eum Lais meretrix uehementer amaret, inſidias eius ueritus, ſimulauit ſe eam ducturū poſt ludos Olympicos. In quibus cùm uictor extitiſſet, pictam Laidis imaginem ſecum auexit, ut & pactis ſtetiſſe uideretur, & nihilominùs à meretrice liber eſſet. Aelianus libro 10. de Varia hiſtoria.

VIDVA locuples à tribus ambiebatur. Quorum fidem exploratura, ſeu potiùs amorē inſanum cohibitura, conſilio matronæ & caſtæ & prudentis uſa, talē dolum comminiſcitur: Singulos ſingulis horis ad ſe uenire remotis iubet arbitris. Et cùm uicini ſui cadauer in proximi cœmiterij crypta, ubi oſſa mortuorum aſſeruantur, in loculo recōditum eſſet, primo imperat, uti amoris declarandi cauſa ipſe in loculum, cadauere exemto ad matutinas uſq; preces deſcendat. Eo igitur fidei atteſtandæ ergò iuſſa faciente, (nam quid Amatore ſtultius?) ſecundum ad ſe uocatum, angelicis indutum ueſtibus ad loculum aſſeruandum cum cereo ardente dimittit. Tertius paulo pòſt ſuperueniens, furiali habitu è pheretro mortuum eximere, & ad ſe deferre iubetur. Qui cùm parēre uellet, aſſidentē loculo angelum conſpicatus, metu primùm, mox religione motus aufugere parabat: uerùm amoris ſtimulo agitatus, angelum aggreditur. Angelus cereo ardente ſeſe defendit. Qui in loculo latebat, per rimam ſui cauſa angelum & diabolum concertantes conſpicatus, ne fortè uiuus loco mortui ab utrouis abriperetur, è pheretro ma

gno impetu proſiliit. Tum duo illi inopinata mortui reſurrectione territi, quà datà uia ruunt, & cœlum queſtubus implent. Hoc aſtu ſtultos amatores ingenioſa repulit femina. Io. Paulus in Spudopædia.

*Morbi.*

VIRGO quædam Chriſtiana ſub Diocletiano libidini quorumuis proſtituta, putrido ulcere pudendi ſe laborare ſimulauit: eo curato, ſe illorum libidini ſponte ſua pariturā aſſeuerauit, quòd explendæ ueneris cauſa ſe Chriſtianam profeſſa eſſet. Interea iuuenis quidam Chriſtianus ſub libidinis prætextu ad eam ingreſſus, ueſtitu commutato eam exire iuſſit: ipſe ueſtibus illius amictus deprehenſus, capite pœnas luit. Marul. lib. 4. cap. 4.

METV INSIDIARVM.

Inſano alienarum uxorū amori indulgebat Cæſar Auguſtus, adeoq; ipſi flagitio eius mariti inſeruiebant. Cùm enim aliquis ſenatorum ad eum ueniret, cui uxor eſſet formoſa, ad hunc Cæſar ſuum miſit anulum, poſtulauitq; ut uxorem in lectica ad ſe mitteret operta obſignataq;, & unà anulum remitteret: itaq; mulierem in lectica accipiens, expleta libidine eam obſignatam marito remittebat. Petierat aliquando idipſum à quodam Cæſar: qui cùm recuſare non auderet, ſuam calamitatem deplorabat. ATHENODORVS philoſophus cauſa cognita, ſe cum ſtricto gladio in lecticam abdi, itaq; obſignata ea ad Cæſarem mitti iuſſit. Cæſar cùm ſenatoris uxorem ſibi allatam putans, ianuam lecticæ aperuiſſet, exiluit gladium ſtrictum tenēs Athenodorus, ſubitoq; uiſus admodum perterruit Cæſarem, metuentemq; ſibi cōfirmauit rurſum, iuramentoq; adegit promittere, nihil ſe in poſterum tale acturum. Id adeò gratum Cæſari fuit, ut conuocato ſenatu Athenodorum multis uerbis laudauerit: addideritq; ſe cùm turpem ageret, turpem ab eo fuiſſe correctum. Cedrenus in Hiſtor. comp.

TRANSLATIONE Libidinis uel

*Legitima.*

Ioſephus Tobiæ F. qui Prolemæo Euergeti cariſſimus fuit, & Iudæorū princeps extitit, cùm aliquando ueniſſet Alexandriam cum SOLYMIO fratre, ducente ſecum filiam nubilem, ut eam ibi alicui nobili Iudęo nuptum traderet: cœnās cùm rege, ingreſſam in conuiuium formoſam ſaltatriculam adamauit, ſoliq; fratri hoc indicauit, rogans, ut quandoquidem lege uetaretur habere rem cum femina alienigena, ſubſeruiret ei, ut clàm ea potiri poſſet. Frater uerò libenter operam ſuam pollicitus, ornatam filiam ſuam noctu ad eum adduxit, & in lectum eius collocauit: atq; ita parum ſobrius per errorem cum fratris filia congreſſus eſt: & cùm hoc ſæpius feciſſet, magis etiam in amorem accenſus, conqueſtus eſt apud fratrem, quòd periculum eſſet, ne poſſet excutere amorem ſaltatriculæ, quam fortè rex nollet ei cedere. Tum Solymius ait, Non eſſe opus, ut hac de re ſit anxius: licere enim ei frui amata muliere, atq; etiam uxorem eam ducere. faſſus, quòd maluerit filiæ fieri iniuriam, quàm fratrem tale dedecus in ſe admittere. Ioſephus collaudata tam fraterna beneuolentia, uxorem duxit eius filiam: ex eaq; Hyrcanum progenuit. Ioſephus lib. 12. cap. 4. Antiq.

*Illegitima.*

*Prudentia hæc eſt, ſed parum religioſa. Non minus enim ſcortatores quàm adulteros iudicabit Dominus.*

VENETÆ ciuitatis more introductum olim fuit, ut ſingulis annis certi quidam nuncij in Germaniæ fines mitterentur, qui iuniores feminas ex locis illis ſtipendio certo conducerent, quæ iuxta carnificinam publicā, ubi nunc diui Matthæi phanum eſt, proſtarent, uulgiq; libidini inſeruirent, certa mercede perſoluenda. Egnat. lib. 6. cap. 1.

SOLONEM primum, ſcribit Philemon, emtas iuuentuti meretriculas comparaſſe, ut effuſo illic egeſtoq; libidinis impetu, quid turpius cogitare deſiſterēt. Quin Veneris, quam Pandemū uocant, primus itē (Nicandro auctore) ſuſtruxiſſe templum memoratur, ex proſtitutarum capturis: unde liquere cognomenti rationē arbitror. Nec me fallit tamē, eſſe qui Pandemi Veneris in ueteri foro ſacellū putent conſtitutū, appellatione deflexa, quòd illuc populus conflueret uniuerſus. Cæl. lib. 14 cap. 4. A. L. ex Athenæi lib. 13. cap. 9.

CRATES Thebanus, cùm filium Paſiclem in meretricis domum perduxiſſet, dixit: Hoc tibi eſt patrium coniugium. Nam mœchi tragici præmia referunt exilia ac cædes: Comici autem ſcortatores ex luxu & temulentia lucrifaciunt inſaniam. Senſit homo ethnicus, quaſi tragicam eſſe rem adulterium: propterea quòd plerunq; crudelis ſit eius exitus. Scortari autem eſſe comicum. ſcortatio enim non mortis damnatur ſupplicio: nihilominus tamen, qui depereunt in meretricem, in comœdiis inducuntur inſanis ſimiles. Laertius lib. 6. cap. 5.

Amantiſſimus QVIDAM filij, cùm eum inconceſſis ac periculoſis facibus accenſum ab inſana cupiditate pater inhibere uellet, ſalubri conſilio patriam indulgentiam temperauit. Petiit enim, ut priùs quàm ad eam, quam diligebāt, iret, uulgari ac permiſſa uenere uteretur. Cuius precibus obſecutus adoleſcens, infelicis animi impetum, ſatietate licentis concubitus reſolutum, ad id quod non licebat, tardiorem pigrioremq; afferens, paulatim depoſuit. Val. lib. 7. cap. 3.

LABORE, EXERCITIO, NEGOTIO.

Monaſterij Thebaidis ANTISTITA, Euphraxiæ Deo ſacratæ uirgini, & adhuc puellæ, præter communes cum aliis labores hoc iniunxit, ut quotidie magnum lapidum aceruū de loco ad locum transferret, & translatos rurſum reſtitueret. Quamuis enim ieiuniis uigiliisq; haud parum illam fatigari cerneret, timebat tamen, ne ſi quicquam paulò remiſſius egiſſet, aliqua reſidens iuuenili in corpore turpis cogitationis ſcintillula, incendium excitaret peccati. Marulus libro 3. capite 9.

FORMÆ CORRVPTIONE.

Alpheus fluuius amore captus DIANÆ, poſteaquam ad nuptias eius conciliandas nihil ſe aut gratia, aut precibus profecturum intellexit, uim ei afferre conatus eſt. Verùm cùm illa fugiens, inſequentem amatorem Letrinos uſq; oppidū Elidis ad nocturnos choros pertraxiſſet, (intereſſe enim Nympharum luſibus conſueuerat) ibi ſibi ſuiſq; comitibus cœno os obleuit. Quare cùm Alpheus à Nymphis Dianam diſcernere nequiſſet, eluſus abiit. Ab hoc Alphei amore Alpheiam Dianam Letrinæi nuncuparunt, eiq; templum ædificarunt. Pauſanias lib. 6.

Giſulfo Foroiulienſium duce ab Hunnis occiſo, Romilda uxor, Cacani Hunnorum regis amore accenſa, urbem hoſti prodidit, & dignas ſua libidine pœnas perſoluit. At filię APPA & GÆLA, ne à Barbaris polluerentur, ingenioſè ſibi conſuluēre, pullorum crudæ carnis fœtore: quæ ſub faſcia pectorali mamillas cohibente à uirginibus ob caſtitatem ſeruandam poſita, calore computruerat. Barbari natura fœtere ita Longobardorum mulieres opinati, intactas reliquēre. Ipſæ uenditæ Boiis & Sueuis poſtea ſunt. Appa Sueuorum, Gæla Boiorum regulo nupſit. Auentinus lib. 3. Annalium Boiorum, & Bonfinius lib. 8. Dec. 1.

DOLORE CORPORIS.

MONACHVS quidam ſub Diocletiano ligatus in lecto molliſſimo & amœniſſimo prato collocatur. Accedit elegans ſcortum, quod omni illecebrarum genere eum ad uenerem ſollicitare conabatur. Ille tandem cùm carnem uoluptate aliqua titillari ſentiret, linguam mordicùs ſibiipſi abſcidit, & in faciem meretricis expuit. Sic ſeſe à nefando concubitu liberauit, & paulo pòſt martyrio uitā finiuit. Marul. lib. 4. cap. 4. Alij hoc NICETÆ martyri tribuunt.

CÆCITATE.

Viderunt Syracuſæ in LVCIA indigena puella pręclarum prudentiæ exemplum. Senſit hæc à pulcritudine oculorum ſuæ uirginitati periculum intendi, qui præter cætera expeterentur ab inſana tyranni libidine. Satius igitur rata, parte corporis una, etſi nobiliſſima, quàm anima, quæ multo ſit nobilior, periclitari: hos ſibi ſponte euulſos, deferendos dedit inſano regi, ut ſciret nihil in ſe eſſe ampliùs, propter quod ab eo timenda eſſet iniuria. Sab. lib. 4. cap. 8.

FIBVLA.

NIGRI ad Mare rubrum populi, bellicoſi & probi, filiabus ſuis, ubi primùm natæ ſunt, pudenda conſuunt, ſed tamen ut urinæ meatus non impediatur. Illæ autem ubi adoleuerint, ſic conſutæ nuptum dantur: & ſponſo ea relinquitur cura, ut ferro ceruicis uteri labra ſecet diuidatq;. Tanto eſt in honore apud Barbaros illos in coniuge ducenda uirginitatis certitudo. Petrus Bembus lib. 6. hiſt. Ven. ubi de Luſitanorum nauigatione loquitur.

MORTE.

EVPHRASIA Antiochena uirgo, cùm ſub Diocletiano propter Chriſtum ad proſtibulum duceretur: Anthimus Nicomedienſis Antiſtes illi obuiam factus eam monuit, pulcerrimum quidem eſſe caſtitatis donum, ſed maius præſtantiusq; fidei præceptum: itaq; potiorem puri animi quàm corporis curam haberet, ſi utrunq; ſeruare non poſſet. Illa in cubiculo cum luxurioſo iuuene concluſa, ueneficam ſe eſſe profitetur, mercedemq; ingentem conſeruatæ pudicitiæ pollicetur, pharmacum quoddam, quo illitus uulnerari nō poſſet. Accipit ille cōditionem, & ſtatim parare iubet. Tum illa ceram oleo liquefactam manibus ſubigit, & collo ſuo circumlinit, atq; ut in ſeipſa periculum faciat, iuuenem hortatur. Ille gladio arrepto, primo ictu uirginis caput amputauit imprudens. Sic illa & corporis caſtitatem & religionis puritatem integram conſeruauit. Nicephorus lib. 7. cap. 13. & Cedrenus. Alij hoc BRASILLÆ Dyrrachinæ uirgini tribuunt, quæ ſucco herbæ illito iugulo, militem uictorem ſuæ inſidiantem pudicitiæ ita deceperit. D. Hieron. & Lud. Viues lib. 1. Inſtit. fem. Chriſt.

Capta



Capta ab Attila Hunnorum rege Aquileia, quum uictor Hunnus non cruentè ſolùm, ſed libidinoſè etiam exerceret uictoriam, paſſimque uirgines matronæque ad ſtuprum traherentur: una imminentem ſibi hoſtem in altiores ædium partes uitabunda quum fortè euaſiſſet, inſtarétq; intemperans Hunnus blandienti potiùs quàm minanti ſimilis, tum illa in lacrymas & preces uerſa, uim deprecari eſt adorta. Cæterùm quum nihil proficeret, Age, inquit, & me, quādo ita libet, ſequere, ut optato potiaris. ac cum his, ne hoſte quidem tale facinus expectante, in ſubiectum ſeſe flumē præcipitem dedit. Dicūtur & aliæ pleræq;, ne uim paterentur, ſibi pectus & ora fœtidæ carnis contactu coinquinaſſe, ut ad primum cōgreſſum pro faſtiditis intactæ dimitterentur. Sab. lib. 1. En. 8. Nicolaus Olahus in Atilæ uita DVGNAM uocat, Rodericus Toletanus cap. 7. Vandalorū hiſtoriæ Dignā, dignā ſanè cuius nomen æternū celebretur.

Vladiſlao Loctico Brandeburgenſem Marchiam uaſtante circa ann. MCCCXXVI. cùm VIRGO ſacra Polonū ſuæ pudicitiæ inſidiantē animaduerteret, in uitæ donatæ precium ſeſe illi priùs arcanum carmē communicaturam ſimulauit, quo inuulnerabilis redderetur: eiuſq; in ſemetipſa periculum fieri cōſtante uultu petiit. Ergo cùm carmē admurmuraſſet, ſimulq; iugulum ſuum ferire iuſſiſſet, creduli militis gladio ut pudorē conſeruauit, ſic uitam amiſit. Ioachimus Cureus in Sileſiæ Annalibus, & Cromerus.

VESTITV.

Charillus requirēti, cur uirgines retectas, matronas in publicum uelata facie ducant SPARTANI? Quòd uirginibus, inquit, quærendi uiri ſint, feminis ſeruandi illi, quos habēt. Plut. in Apophthegmatibus.

CVSTODIA.

Phemius muſicus & poeta ſiue uates, cuſtos ab Vlyſſe uxori Penelope relictus, Odyſſ. α. introducitur reditum Græcorum à Troia canere procis. Interrumpit PENELOPE argutè admodum. Veretur enim ne Vlyſſis quoq; mentio fiat. Si uiui, ne procis detur occaſio ei inſidiandi: ſi mortui, ne alteri nubere cogatur. Sciebat enim prudēs mulier, auctoritate Phemium plurimum poſſe in utramq; partem.

HIPPOCRATES Cous accerſitus ab Abderitis ad curandū Democritum, quem putabant inſania laborare: Dionyſio Halicarnaſſeo amico interea negotiorum domeſticorū adminiſtrationem commiſit, & inprimis uxoris cuſtodiam, quam etſi in ſua abſentia apud parētes commorari iuſſiſſet, ſcirétq; & bonis prognatam, & pudicis præditam moribus: ἀλλ᾽ ὅμως, inquit, ἀεὶ χρῄζει γυνὴ σωφρονίζοντος. ἔχει γὰρ φύσει τὸ ἀκόλαστον ἐν ἑωυτῇ, ὅπερ εἰ μὴ καθ᾽ ἡμέραν ἐπικόπτοιτο, ὡς τὰ δένδρα καθυλομανέει. ἐγὼ δὲ φίλον οἴομαι ἀκριβέστερον δοκέω, εἰς φυλακὴν γυναικός· οὐ γὰρ ὡς ἐκείνοις καὶ τούτῳ ξυνοικέει πόθος εὐνοίης, δι᾽ ὃ πολλάκις ἐπισκιάζονται τὴν νηφαλίην.

SOBRIETATI ET ABSTINENTIÆ IN VICTV PRVDENTER conſulere.

PYTHAGORÆI meditationē & commentationē continentiæ talē inſtituebant. Poſt exercitium excitato appetitu, ſplēdidis menſis & uariis dapibus aſſidentes, ſeruis ſuis eas ad epulandum concedebant, ipſi tenuibus & frugalibus ueſcebantur, coërcitis iam cupiditatibus. Plutarchus de Socratis dæmonio.

SOCRATES diſcipulos ſuos admonebat, ut ſe ebrios in ſpeculo contēplarentur. Sic enim fore, ut dum faciē ſuam furibundam & phrenetico ſimilē intuerētur, in poſterum ab ebrietatis uitio abhorrerēt. Plutarchus.

IDEM ſitibundus, aqua de puteo hauſta, ſitculam primam effundebat: de altera demum bibebat.

DIONYSIVS ſenior, quum ſceleris conuictos grauiùs plecteret, eos qui ueſtes ſuffurarētur, quos uocant λωποδύτας, permittebat illæſos: non quidē, ut impunitate creſceret audacia, & aleretur augeſcerétq; flagitium, ſed ut ea ratione Syracuſanos à comeſſationibus & ebrietatibus, quibus nimio plus diſtinebantur, abduceret. Cælius lib. 22. cap. 17. Antiq. Lect.

M. CATO Cenſor Romanos uxoribus & filiabus domum reuertentes oſculum dare inſtituit, ut ſcirent an temetum olerent. Plinius libro decimoquarto, capite decimotertio, & Plutarchus in Problematis. Vini autem uſus mulieribus à Romulo interdictus fuerat, caſtitatis ſeruandæ cauſa. Sabellicus lib. 6. cap. 1.

[redacted]

PARSIMONIAM PRVDENTER PROMOVERE. LVXVM amouere, moderari.

IN VICTV.

LYCVRGVS ut omnem tolleret luxū, publica conuiuia inſtituit, ut diuites promiſcuè & inopes uni adhiberentur conuiuio, uniſq; ueſcerentur epulis. At ne lautorum quiſquam cœnatus in publicū ueniret, ſiquis minꝰ cupidè & hilariter ueſceretur, ut parum frugi à proximè accumbētibus obiurgabatur. Quo planè inſtituto omnis uetus è medio luxuria ſublata eſt. Is conuiuandi ritus uidetur mihi à Cretenſibus ſumtus, qui eiuſmodi conuiuia à uiris Phratrias dixerunt, Lacones ipſi Philias, haud dubio publicæ amicitię & humanitatis argumento, uel quòd quaſi Phiditia dicerent, quòd ita conuiuando Pheidoni, id eſt, parſimoniæ aſſueſcerent. Qui ſacrificij aut uenationis cauſa conuiuio non occurriſſent, iis domi cœnare permittebatur, cætera multitudo aderat. Proditum memoriæ eſt, Agim regem, Athenienſibus uictis, in urbem reuerſum, quum domi apud uxorem cœnaret, miſiſſe qui portionem ſuam ex publico peterent, nihilque fuiſſe ab eo impetratum, Ephoris dari prohibentibus. Qua ille cōtumelia inſtinctus, quia nihili ex hoſtiarum carnibus, ut moris fuit, in publicum miſiſſet, ab eodem magiſtratu publicè mulctatus eſt. Frequentabāt pueri id conuiuium uelut temperantiæ omniſq; ciuilis diſciplinæ Gymnaſium. Aſſueſcere ibi urbanis ſermonibus, iocariq; comiter diſcebant, ac ſine ſcurrilitate cauillari. Sab. lib. 1. Enn. 2.

IN VESTITV, SVPELLECTILE, Comitatu.

[redacted] dumentis, arteq; laboratis uenuſtari, niſi cùm ſcortari atq; amatorē ſibi moliri ſtuduerit: neq; uiros anulis aureis ſplēdeſcere, neq; Mileſia ueſte contegi, niſi cùm lenocinari, aut adulteria committere niterentur. Atq; ita facillimo pœnæ genere, uituperio ſcilicet probri, perniciē delitiarum omnem atq; intēperantię labem coercuit, exſculpſitq; licētię procacitatē, maxima impudentiæ irritamenta. Diod. lib. 12. Hæc SYRACVSANIS quoq; tribuit Cælius lib. 7. cap. 10. Antiq. Lect.

M. CATO Cenſor plurimos potiſſimùm offendit præciſo luxu, quem apertè extorquere laboranti & infectæ multitudini nō poterat. At per ambages id agens præcepit, ut ueſtes, uehicula, ornamēta muliebria, utenſilia, quorū ſingula pluris quàm quindecim millium æris eſſent, æſtimarentur: uoluitq; ut à maiori cenſu maius tributum penderēt, ternoſq; in millia æris aſſes aſſignauit, ut inferrent: quò iis adiectionibus preſſi, cùm uiderent aſtrictos & frugales à paribus facultatibus minus tributi ferre, luxum deponerēt. Igitur infenſos habuit, qui id tributi tolerabant ob luxuriam: infenſos alia ex parte, qui luxuriam ob tributum deponebant. Pro diuitiarum enim ereptione habet uulgus earum prohibitionem oſtentationis: oſtentari autem ſuperfluis, non neceſſariis. Plut. in Catone.

LVDOVICVS XI. Francorum rex, cùm luxurie peregrinarū ueſtium, ſericarum puta, pelliumq; precioſarum, regni opes exhauriri uideret: ſuo exēplo ſubditos ad frugalitatem ueſtitus traduxit. Cl. Seiſſelius in hiſt. Lud. XII.

HVLDRICVS dux Virtenbergēſis, patrij moris conſtans cenſor atq; uindex, cùm ſub Carolo V. Hiſpani in Germaniam frequēter commearent, atq; ut nouitatis ſtultus admirator eſt populus, ueſtitum illorum pleriq; aulici imitarētur: ſuis ille domeſticis curtas tunicas ſeuerè interdixit, & cùm quidam palliū ſubductius ſolito fieri curaſſet, re priùs à ſarctore explorata, centonē uerſicolorem aſſui iuſſit, & ueſtis defectum hac ratione ſarciri, ea lege, ut niſi hac ueſte ſibi ſemper appareret, principis indignationem incurreret. Illud ſæpè repetens, Peregrinæ ueſtes peregrinos mores, peregrini mores peregrinos hoſpites Germaniæ inducēt. Neq; falſus fuit uates. CHRISTOPHORVS, qui patri in principatu ſucceſſit, cùm caligarum laxarum tam turpis quàm inutilis & inſanꝰ uſus paſſim inter Germanos milites inualeſceret, carnificē eodem habitu perſonatum incedere uoluit, omnibuſq; ſpectandum propoſuit: uti ne quis eo ueſtitus genere ineptiret, in quo carnificem haberet æmulum. Hieremiæ Mederi hypomnema.

IN AEDIFICIIS.

LYCVRGVS quærentibus, Cur faſtigium ſecuri factum imponi ædificiis ſanciuiſſet: fores ſerra ſola, nec inſtrumento ullo alio? Quò moderati, inquit, ſint ciues in omnibus, quę in ædes inferant, neq; quicquam eorum, quæ apud alios in dignatione ſunt, habeant. Proinde Leontychidas rex, quū cœnaret apud quendam, cernerétque tectum domus ſumtuoſo apparatu factum, ac lacunaribus ornatum, rogauit hoſpitē, Num ligna apud eos quadrata naſcerentur? adeò

luxum eſſe putabat, naturam artificio corrumpere. Plutarchus in Laconicis.

### LIBERALITATEM PRVDENTER EXERCERE.

Macarius ciuis Alexandrinus, qui poſtea inter ſanctos relatus eſt, magnis opibus à patre relictis, libidinem ſecutus, breui temporis ſpacio ad inopiam redactus eſt. Hoc cùm APOLLINARIS patriarcha Alexandrinus reſciiſſet, nouiſſetque Macarium non facilè aliquid eleemoſynæ nomine ab Eccleſia præ pudore accepturum eſſe: nouum inuentũ, ut eum iuuaret, excogitauit. Finxit in antiquis Alexãdrinæ eccleſię ſcripturis uetus inſtrumentum eſſe inuentum, quo oſtendebatur, ſuperioribus temporib. Alexandrinam eccleſiã contracto nexu quinquaginta auri libras annuas eius patri debuiſſe. Ergo Macarium ad ſe accerſiuit, orauitque, ut unius anni penſione contentus, pro reliqua ſumma Eccleſiam liberare uellet. Lætus Macarius conditionem accepit. Prudenter igitur patriarcha & Macarij pudorem, & ſuam largitionem texit. Fulgoſus lib. 4. cap. 8.

HIERO afflictis Romanorũ rebus Thraſymena clade, XXX millia modiorum tritici, CC ordei, auri CCXL pondo muneri miſit. Et ne pro ſua modeſtia ea recuſarent, in habitum Victoriæ efformauit, ut religione moti, ominis cauſa ea recipere cogerentur. Val. lib. 4. cap. 8.

[redacted]

### AVARITIAE PRVDENTER OBSTARE. DIVITIARVM CONTEMTVM inducere. SORDES euitare.

LVCVRGVS cùm inductis nouis tabulis debitores ęris alieni liberaſſet, iam & ea quæ quiſq; priuatim in ædibus habebat, ex æquo partiri tentauit, quò funditùs è ciuitate tolleret diſcrimen opum, & inæqualitatem. Sed quum cerneret eos ęgrè laturos manifeſtam rerum ablationem, idem occultiore uia facere aggreſſus eſt. Monetam auream ſimul & argenteam abrogauit, inſtituitq; ut ciues ferreo duntaxat numo, ex ferro igni corrupto uterentur: & quatenus poſtulabat uſus ad huius permutationẽ, totius ſubſtantiæ modum præſcripſit. Hac ratione non ſoluit eos œconomia: uerùm præciſo luxu, putrida ſanie & tumore diuitiarum, ut rerum copia neceſſariarum & utilium omnibus ſuppeditaret, ſupra omnes alios legiſlatores prouidit: inopem, nudum, pauperem ciuem in reipubl. communione, præ diuite & circumfluente opibus formidans. Plutarchus in Catone & Ariſtide, & in Laconicis.

SOLON, lege in filios prodigos lata, fœneratorum auaritiã coërcuit. Cauit enim, patre uiuente, filio, qui ſub patris iure eſt, credi pecuniam non licere: & qui crediſiſſet, petitionem non habere: ne filiusfamiliàs ære nexus alieno, ut creditum redderet, uel necem patri machinaretur, aut aliundè eam inhoneſtiùs quæreret. Ipſius ſenatuſcõſulti uerba hæc ſunt: Placet, ne cui, qui filiofamiliàs mutuam pecuniam dediſſet, etiam poſt mortem parentis, cuius in poteſtate fuiſſet, actio petitioq; detur. Vt ſcirẽt, qui peſſimo exemplo fœnerarent, nullius poſſe filijfamiliàs bonum nomen inde, expectata patris ſui morte, fieri. Alex. lib. 1. cap. 7.

Fuit Pythio ſiue Pythi, ſingularis prudentiæ VXOR. Quum is totam ferè ciuitatem refodiendis theſauris attereret, adeò ut pleriq; laboribus uicti interirent: iuſſit ſagax mulier omniuaria, quib. duci inprimis maritum ſciebat, conflari cibaria ex auro. Aduenieñti aurea apponitur menſa. Is elegantia rerum oblectatus, mox quæ forent eſui, flagitabat inferri. At proba uxor aurea item obſonia pergit inferre. Stomachanti iam & eſurire ſe ampliùs inclamanti: Quæſo, inquit illa, ne excandueris, & pax ſit rebus. An' nõ ſentis Pythi, præ unius auri ſtudio in ciuitate omnia iam perire, agriq; colẽdi ſtudium penitùs deſtitutum? Quin intereunt item homines. Quòd ſi pergis, quid aliud in eſcam ceſſurum ſit, non uideo. Salubri commento Pythius reſipiſcens, auri quidem ſtudium non remiſit omnino, ſed quintam modò ciuitatis partem in opere continuit. Cælius lib. 19. c. 18. Antiq. Lect. ex Polyæni lib. 8.

Auaritiæ prudenter obſtitit TVISCO primus rex Germanorum. Nulli enim certum modum agri, aut fines proprios habere permiſit. Sed magiſtratus ac principes in annos ſingulos gentibus cognationibuſq; hominum, qui unà coierãt, quantum eis & quo loco uiſum erat, attribuebant agri, atque anno pòſt aliò tranſire cogebant, ne latos fines parare ſtuderent, potentioreſq; humiliores poſſeſſionibus expellerent: neue accuratiùs ad frigora atq; æſtus uitandos ædificarent: ne qua oriretur opum cupiditas, qua ex re factiones, diſſenſiones naſcerentur: ut animi æquitate plebẽ continerent, cùm ſuas quiſq; opes cum potentiſſimis æquari uideret. Auentinus lib. 1. Annalium.

DIONYSIVS ſenior, quum audiſſet quendam è ciuibus aurum habere domi defoſſum, id ad ſe deferri iuſſit. Verũ poſteaquàm is ſuffuratus auri paululum, in aliam urbẽ commigraſſet, ibiq; mercatus eſſet agrum, reuocato Dionyſius totum aurum reddidit: ut qui iam diuitiis uti cœpiſſet, deſiiſſetq; rem utilem inutilem reddere. Satis declarauit, ſe non aurum alienum appetiſſe, ſed hominis morbum ſanare uoluiſſe: ſimul uſum auri legitimum demonſtrauit, ſi in agricolationem impenderetur potiùs, quàm in uſurã. Plut. in Regum & Imperatorum apoph.

TIBERIVS Cæſar, cùm interrogaretur, Cur non tã facilè magiſtratus & præfecturas ſuas mutaret? reſpondit, Natura omnes, qui rerum adminiſtrationi præſint, pecuniæ cupidos, ſi diutiùs in magiſtratu uerſentur, ſegniores ad quæſtũ faciendum fieri. Muſcas pariter, ſi diutiùs corporum ulceribus inſideant, minus moleſta ſentiri, ſanie ulcerum ad ſatietatem uſq; expletas. Nicephorus Calliſtus Eccleſiaſticæ hiſtoriæ lib. 1. cap. 17.

Olim apud GRÆCOS inſtitutum erat, ut quæ ciui non à patria, ſed ab extraneis corona donaretur, quam Hoſpitalem appellabant: ea ademta ciui, conſecraretur: ut nullius animus alienam beneficentiam præferendo, corrumperetur. Athen. lib. 6. cap. 5.

INNOCENTIVS VI. ſacri palatij auditoribus ſalaria inſtituit, ne muneribus corrumpi in decernendis litibus ob inopiam poſſent. Dicebant enim famelicos non facilè etiam ab alieno cibo abſtinere, ſi ſit oblata quouis modo edendi facultas. Platina.

Apud SCOTOS, Maccabæi regis lege, nemo fundum, agrũ, prædium, aut magiſtratũ, alia quàm regis auctoritate poſſidebat. Primogeniti in hæreditate ſuccedebant cuiuſcunque ſexus. Femina primogenita ſi alterius agri domino nupſiſſet, hæreditate ſua cedebat. Capitis damnabantur primates regionis, ſi inter ſe affinitatem contraherent. Præfectus ſi agrum in ſuæ ditionis territorio, dum præfecturam agit, comparaſſet, agrum ac precium amittebat. Sin intra ditionis ſuæ fines filium filiámue elocaſſet, præfectura abdicabatur: nec ipſi nec filio unquam deinceps adire eundẽ magiſtratum fas erat. H. Boethius lib. 12.

### PRODIGALITATEM PRVDENTER TOLLERE, CORRIGERE.

AGESILAVS Spartanorum rex, ut ciues ſuos ab inani ſumtu ſacrorum certaminum ad uera roboris exercitia transferret, ſororem Cyniſcam in Olympiis curru certare fecit. Plut. in Ageſilao.

Mos apud GNOSIOS obtinuit, ut fœnore accipientibus eriperent nummos: quò decoctores obnoxij raptoribus, atq; ita moderatiores eſſent. Plutarchus in Quæſtionibus centuriatis Græcis.

LAVRENTIVS Medices, Coſmi F. prodigalitatem ingenioſè correcturus, quæſtori mandat, obſequeretur filij donationibus, ea tamen conditione, ut ipſe ſuapte manu pecuniam numeraret, numeratam largiretur. Ergo cùm octo mille aureos muneris loco erogaturus eſſet Coſmus, quæſtorem ea lege habuit obſequentem, ſi ipſe eoſdem dinumerare uellet. Lætus hac facilitate Coſmus, conditionem accipit. Vix bis mille numerarat, cùm & temporis iacturam ægrè ferre, & doni magnitudinem ἐκ τῶν ψηφίσεων inſpectione cœpit agnoſcere. Aegidius Corrozetus de Dictis & factis mem.

### AMBITIONI PRVDENTER OCCVRRERE. GLORIAM FVGERE. HVMILITATEM promouere

*Præceptione, Admonitione.*

HERCVLES Antiſthenius præcepit filiis, ne cui, qui ipſos laudibus ferret, gratias haberent. Quod nihil erat aliud, quàm ne aut erubeſcerent; aut inuicem blandirentur illis, qui ipſos celebraret. Plutarchus de Immodica uerecũdia.

D[illegible] SPEVSIPPVS. Ne ideo, ſi in cœtu puerorũ & mullercularum celebraretur, ſuſtolleret ſpiritus [illegible] ageret, ut religione, iuſtitia, & optimis legibus [illegible] Sicilia, Academiam redderet illuſtrem. Plutarchus de diſcernendis adulatoribus.

Poſteaquàm apud Chæroneam Macedo PHILIPPVS Athenienſium profligauit opes, felicitate nimia efferri aliquantulum cœpit, ſed ita, ut rationis tamen limites nec tranſcenderet, nec procùlcaret, & proinde ad iniuſtitiam aut uictorum ludibria & ſubiectorum iniurias non dilaberetur. Ergo ex pueris uni muneris id iniunxit, ut ad ſolis exortũ ingreſſus ter inclamaret, Meminiſſet hominem eſſe ſe, φίλιππε ἄνθρωπος εἶ. Cælius lib. 19. cap. 33.



Eadem de cauſa IOANNES Eleemoſynarius, Patriarcha Alexandrinus ſepulcrum ſuum imperfectum quidem reliquit, ſed uoluit, ut de eo perficiẽdo quotidie à famulis interpellaretur. Marulus lib. 5. c. 9.

*Reprehenſione, Irriſione, Redargutione.*

SOCRATES, cùm uideret Alcibiadem ob diuitias elatum animum gerere, & ob agrorum multitudinem ſuperbire, adduxit ad locum, in quo tabula quædam ambitũ terræ complectens ſuſpenſa erat, & eum rogauit, ut Atticam ibi requireret. Quam cùm inueniſſet, ſuos fundos eum iuſſit oſtẽdere. & cùm reſponderet, Nuſquam ibi pictos eſſe: Horum, inquit, poſſeſſione te effers, quæ nulla pars ſunt terræ? Aelianus libro tertio.

Quidam adoleſcens curarat ſeſe ex ære ſculpẽdum, & ad eam imaginem ſeſe conformabat. Huic ANTISTHENES: Si æs poſſet uocem edere, qua de re potiſſimùm gloriaretur? De pulcritudine, inquit adoleſcens. Non, inquit, igitur erubeſcis, qui cum inanimo gloriaris? Laert. lib. 6. cap. 1.

Menecrates medicus cùm ſeipſum Iouem ſalutarem appellare non erubeſceret, PHILIPPVS rex tacitè illius uæſaniæ conſulere cupiẽs, lautiſſimum conuiuium inſtruxit. Ad quod cùm Menecratem quoq; inuitaſſet, ſeorſim menſam ei iuſſit apparari, & apponi acerram, ſuffitumq; fieri: reliqui uerò epulabantur admodum opipara cœna. Menecrates primùm quidem ferebat, gaudebatq; honore: poſtquam uerò paulatim fames obrepere cœpit, manifeſto inſaniæ ſuæ elencho indignabundus abiit, ſeſeq; iniuria affectum querebatur, feſtiuiſſimè Philippo inertiam eius redarguente, & in lucem proferente. Aelianus de Varia hiſtoria lib. 12.

CANVTVS Daciæ & Angliæ rex, animi cauſa aliquando ſecundùm Oceani litus, haud procul à Suthantonenſi portu, ambulabat: ibiq; à milite appellatus, rex regum omnium potentiſſimus, qui hominibus, qui mari, qui terræ latè imperitaret: ut ſuorum aſſentationes coargueret, ueſtẽ exuit, ac ex ea globum fecit, ſuperq; ſedit quamproximè aquam, æſtu tum fortè ex alto ſe incitante, ac inquit: Vnda tibi impero, ne pedes meos tangas. Vix ea protulerat, & unda inſurgens totum madefecit. Tum ille conuerſus, Quo iure ergo, inquit, me regem potentiſſ. uocatis, qui hanc paruulam undam meo imperio cohibere nequeo? Nullus mortalium eſt tali nomine dignus: eſt rex unus pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, cum quo ille regnat, cuius nutu cuncta regũtur: hunc ueneremur, hunc regem appellemus, hunc regũ, hunc populorum omnium dominum, hunc cœli, terræ, maris rectorem non ſolùm confiteamur, ſed etiam profiteamur. Inde Vintoniam profectus, coronam, quam geſtabat, capiti ſimulacri Chriſti crucifixi, quod in templo apoſtolorũ Petri & Pauli pendebat, ſuis manibus impoſuit, nunquã poſthac eiuſmodi ornamento capitis uſus. Polyd. lib. 7.

*Occaſionis ablatione.*

Victis ad Platæas Perſis, cùm Spartiatis non tribuerent Athenienſes palmam, nec eis permitterent, ut erigerent trophæum, res Ariſtidis conſilio delata fuit ad arbitros. Dum ea de re deliberant Græci, THEOGITON Megarenſis in aliam ciuitatem cenſuit, niſi bellum ciuile uellent excitare, hoc decus conferendum: Platæenſibus uidelicet, prȩſertim cùm iſti ſponte ſua agri partem magnam Athenienſib. dono dediſſent: Et horum honori neutri inuiſuri eſſent. Poſtquam dicendi finem feciſſet, Ariſtides Athenienſium nomine, inde Lacedæmoniorum nomine cõceſſit id Pauſanias. Plut. in Ariſtide.

Apud ROM. præclarè fuit inſtitutum, quemadmodũ Cic. Verrina VII. ſcribit, ut qui triumpharẽt, eoq; diutiùs uiuos hoſtium duces ſeruarent, ut his per triumphum ductis pulcerrimum ſpectaculum fructumq; uictorię populus Rom. percipere poſſit: tamen cùm de foro in Capitolium currũ flectere inciperent, illos duci in carcerem iuberent, nimirum ut idem dies & uictoribus imperij, & uictis uitæ finem faceret. Ioſephus lib. 7. cap. 24. Belli Iud. id de Simone Iudæorum duce factitatum ſcribit, & populum hoſtiũ ducis mortem expectare ſolitum tradit.

ARTHVRVM Britanniæ regem, pugilum certamine delectatum, athletas plurimos familiares habuiſſe ferũt: quos uel in aulis uel in publicis aliis conſeſſibus in coronam ſedere iubebat, ne quis alteri prælatus uideretur. Seſſionis locum, rotundam Arthuri tabulam uulgò appellant. Hector Boëthius libro 9.

LVDOVICVS Hungariæ & Boëmiæ rex, cum Maria ſponſa ſua Pragam uenit, & conceptis uerbis inter ſacra iurans, libertates illorum confirmauit. Præibat iuramentum, Zdenco Leo, arcis Pragenſis Præfectus, uiciſſimq; cùm omnibus ordinibus obſequium Regi debitum ſtipulata manu exhibuit. Sequi poſtridie coronatio Reginæ debuit. Huic moram in octauam uſque diem Procerum & Equitum de inſignibus Regiis geſtandis, nempe corona, ſceptro, malo, enſe, diſſenſio obtulit, utriſq; ad ſe decus illud trahẽtibus, tanta Procerum pertinacia, ut ne uel unum enſem geſtandum equitibus permittere uoluerint. Cùm nullus contentionis finis appareret, Rex de cõſilio ſuorum coronam capiti ſuo impoſuit, dextraq; ſceptrum, ac leua manu aureum malum geſtauit, enſem uerò Marchioni præferendũ tradidit. Mox Staniſlaus, Olomucenſis Præſul celebritatem coronationis ritè peregit. Dubrauius lib. 33.

CHRISTOPHORVS Bauarus, Gothorum & Sueonũ rex, cùm animaduerteret proceres regni mutua inuidia flagrare, ut etiam filij uiuentium patrum præfecturas inuitis parentibus & ignorantibus à rege poſtulare non erubeſcerẽt: ut huic æmulationi mederetur, curauit omni poſcenti feudũ, confeſtim, & ſine quocunq; præuio examine concedi, liteраſq; in promtu expediri, ut imprudẽs nobilitas tam temeraria conceſſione diſceret, non decere gratiam alteri collatam præripere, aut reuocare. Sed cùm neq; ea induſtria poſſet hoc malum compeſci, uoluit ut literæ ſuper cõceſſo feudo conſcriptæ, tanto auro à cancellaria redimerẽtur, quantum uix à toto feudo corradi poſſet: nec diutiùs ea gratia duraret, quàm alter, data maiori, aut pari auri ſumma, in idem feudum induci poſtularet. Itaq; ſæpe uno eodemque tempore complures, data ingẽti pecunia, in idem feudum inſtituti, nihil fructus ex eo reportabant: donec magna eorum pars nec aurum, nec feudum, imò nec ullam poſſeſſionem reliquam habuit. Ioannes Magnus lib. 22. cap. 21.

Fuit olim in Hiſpania inter Burgenſem & Toletanam ciuitatem, quæ reliquis anteire uidebantur, de dignitate ſumma contentio, cùm Burgẽſes ciuitatem ſuam eſſe Caſtellæ metropolim conſtanter aſſererent: Toletani uerò Hiſpaniæ principatum ad ciuitatem ſuam reuocarent. Neque lis unquam dirimi potuit, nec ulla conditione fieri, ut una ciuitas alteri quidquam de iure ſuo remitteret. Itaque periculum erat ne, quoties Reges concilium euocarent, ij, qui ciuitatis utriuſque nomine conuenerant, ad manus uenirẽt. ALFONSVS igitur XI. Hiſpaniæ rex, cùm Compluti indictum concilium haberet, ut hanc controuerſiam aliqua ratione tolleret, in omnium conuentu, antequam litis ulla mentio fieret, inquit: Toletanos ſcio imperata libentiſſimè facturos, loquantur Burgenſes. Hac Regis oratione cõquieuêre, cùm utrique ſe prælatos exiſtimarent: Toletani quidem, quòd Rex ante omnes, eorũ nomine locutus eſſet: Burgenſes uerò, quòd primi omnium per ſe ſententiã dixiſſent. Hanc deinde conſuetudinem Reges omnes Caſtellæ ſequuti ſunt, quoties concilium eſt ab illis indictum. Cùm Emmanuelem & Iſabellam Luſitaniæ reges corã Ferdinando ſocero Toleti omnes Hiſpanorũ ordines pro hæredibus regni ſuſciperent, & manus deoſcularentur, cõtentionis uitandæ gratia, noluêre Toletani in illo conuentu illud officium facere: ſed poſtquam à templo diſceſſum eſt, antequam Reges in ędes Archiepiſcopi, ubi paratum & inſtructum erat cõuiuium, peruenirent, in ipſa uia, ad Emmanuelem & Iſabellam ſuppliciter adeuntes, eorum manus oſculati ſunt. Oſorius lib. 1. rerum Emmanuelis.

*Obtrectatione, Inſectatione.*

FRANCISCVS, pater Minorum, cùm ſe inter homines famã ſanctitatis efferri percepiſſet, ne quam ex eo uoluptatẽ caperet, alteri negotium dedit, ut ecõtrà probris petulantiaq; ipſum inceſſeret. Et cùm ille ruſticanum, idiotam, ignauũ, inutilemq; eum appellaſſet, calumnianti gratias agebat: affirmans ueriùs de ſe ſentire oblocutores ſuos, quàm laudatores, qui opinione decepti, ſupra id quod eſſet, ſe æſtimarent. Marulus lib. 1. cap. 4.

*Labore, Negotio.*

THOMAS, Cantuarienſis archiepiſcopus, ubi primùm dignitatem iniit, inanis gloriæ cogitatus, carnis macerationibus reprimere cœpit, inſtantiùs orauit, frequentiùs ieiunauit, cilicium induit. Marul. lib. 1. c. 6.

EVPHRAXIA, Chriſto dicata uirgo, in Thebaide cùm puerum quendam paralyticum mulieremq; fanaticam ſanitati reſtituiſſet, ne miraculorum magnitudine inſoleſceret, laboribus cumulum addidit: crebriùs utens ieiuniis, uigiliis, precationibus, cæteriſque corporis exercitiis: nullum otio tempus remittens, ne deſidioſa aliquando cogitaret, ſe alicuius momenti eſſe, cùm nihil æſtimari mallet. Corpus in ſeruitutem redigendo, cõſentire coëgit ſpiritui, ſemper humilitatem affectanti. Idem cap. 4.

*Religione.*

SERVIVS Tullius, Parvę Fortunæ ædem cõſecrauit primus.

In

In qua æde ſignum ſua prætexta ornatum dedicaſſe, & longo tempore manſiſſe incorruptum, auctores tradunt. Cauſam fuiſſe crediderim, quòd tenuis ipſe & parui cultus, ut tum res erant, quodq; ex captiua natus, Fortunæ beneficio regnum aſſequutus foret, propterea templo illam ſacraſſe, proque dea coluiſſe, tanquam gratiam meriti ferret: quam quidem ita cumulatiſſimè retulit, ut non una æde illam recepiſſe, aut conſecraſſe ſatis fuerit. Siquidem regnum aſſequutus, Fortis Fortunæ, Primigeniæ & Maſculæ, mox Proſperæ & Virilis Fortunæ templa eundem erexiſſe, fama uulgauit. Alex. lib. 1. cap. 13.

*Cadaueris inſpectione.*

MAXIMILIANVS I. moriens iuſſerat, ut ſuũ cadauer cunctis uel infimæ ſortis hominib. ſpectandũ ꝓponeret: ut uel ſuo exemplo diſcerẽt cogitarentq;, cuiuſcunq; ſtatus forẽt, ſeſe mortales eſſe: nec ulla diademata, ullas opes, regna & imperia à morte hominem præſeruare poſſe. Reinardus Hadamarius.

*Veſtitu.*

Apud ROMANOS, auctor Plutarchus eſt, omnes qui nobilitate præſtarẽt, lunulas in calceis ſolitos geſtare: unde & lunata pellis Martiali, & apud Satyricum poetam:

Appoſitam nigræ lunam ſubtexit alutæ.

In id argumentũ rationes afferuntur plures: illa interim arriſit plurimùm. Etenim huic inſtituto affuiſſe uideri poteſt nobile antiquitatis documentum, tacitis uelut ambagibus commonentis, non inſoleſcendum, nec proſperiore ſucceſſu efferendos animos, inconſtantiæ rerũ ſemper memores, qua humana conflictantur: cui argumentũ præbeat luna, quæ primò quidem ex obſcuro prodeat, mox ſplendido refulgens nitore, uiſenda conſurgat facie. Sed quum iam clariſſimam præferat eandem ſpeciem, rurſum conſeneſcens deficiat, donec ratione quadam reciproca in nihilũ denuò redeat. Illud non prætereundum, uideri aliarum quoq; gentium fuiſſe inſtituti, lunulas in calceis geſtare, quando Eſaiæ 3. ita legimus: In die illa auferet Dominus ornamentum calciamentorum, & lunulas & torques. Sunt tamen, q lunulas inibi, aureas accipiãt bullulas, collo circumiectas. Cælius lib. 20. c. 28. Antiq. lect.

PREMISLAVS, Boemorum princeps ex ruſtico factus, morti proximus, proferri ex arcula ſua ſagum ruſticũ, & carbatinas, quaſi inſignem aliquam ſupellectilẽ, atq; in loco religioſo ſeponi iuſſit, non temerè aliâs promendam, palamq; ſpectatoribus oſtendendam, niſi in comitiis, creando principi habendis: Cuſtoditaq; eſt ſolenniter extrema eius hæc uoluntas, non ſolùm à profanis principibus, ſed deinceps etiam à Chriſtianis regibus, ut eo uidelicet die, quo inaugurabatur Rex, unà cum ipſa corona & ſceptro aureis, uilia hæc quoq; inſignia, ſacrorum miniſter ad aram inferret, Regi illa ob oculos commonendi gratia offerens, ut primæ ſuæ originis memor, fortunam reuerenter haberet. Sed hic mos paulatim exoleuit. Dubrauius lib. 2. & Aen. Sylu.

LESCVS II. Polonorum princeps, in uictu cultuq; corporis ſingulari parſimonia fuit: rudibus & craſſis pannis aulæorum loco utebatur, niſi ſi quando in publico dare aliquid ſplendori atq; maieſtati principatus, maximè propter externos homines, cogebatur. Quin ibi quoq; craſſos pannos, quibus ante adeptum principatũ uſus eſſet, ob oculos poni ſibi iubebat, quibus admoneretur aſſiduò, fortunæ priſtinæ, & unde ad tantum honoris faſtigiũ euectus eſſet. Cromerus libro 2.

SALADINVS, potentiſſimus Aegypti Sultanus, teſtamento iuſſit interulam, cui inuoluẽdus eſſet poſt mortem, perticæ appenſam per caſtra circumferri, cum hoc præconio, Ex tantis opibus tanta uirtute partis, Saladino terrori gentium nihil quod ſe comitetur reliqui eſſe. Platina in Cæleſtino III.

*Supellectile.*

De AGATHOCLE tyranno Agrigentino, figuli F. Auſonius:

Fama eſt fictilibus cœnaſſe Agathoclea regem,
Atq; abacum Samio ſæpe oneraſſe luto.
Fercula gemmatis cùm poneret horrida uaſis,
Et miſceret opes pauperiemq; ſimul,
Quærenti cauſam, reſpondit: Rex ego qui ſum
Sicaniæ, figulo ſum genitore ſatus.
Fortunam reuerenter habe, quicunq; repentè
Diues ab exili progredière loco.

AETHIOPVM Chriſtianorũ maioris ordinis antiſtitib. non crux modò, ſed uas etiam aureum terra refertum præferri ſolet, ut hoc inſpectũ euntem ſuæ admoneat mortalitatis, illa Dominicæ paſſionis. Sabel. lib. 8. Ennead. 10.

[redacted]

*Imaginibus, Notis, Inſignibus.*

Meminit Florens Septimius in Apologetico, ROMÆ olim triumphantibus à tergo huiuſcemodi commonitionem (quã Plin. lib. 28. obſcuris uerbis Medicum inuidiæ appellaſſe uidetur) ingeri ſolitam, Reſpice poſt te, hominem eſſe te memento. Meminit hiſtoriæ conſolatoria ad Paulam epiſtola D. Hieronymus. Cælius lib. 3. c. 7. A. L.

AMICVS epiſcopus Aquilę & cardinalis creatus à Paulo II. patris imitatione opilio fuit: uerùm doctrinæ excellentia ad tantos honores peruenit. Et ut natalium obſcuritate humilitatem ſuam perpetuò conſeruaret & exerceret, inſignia familiæ finxit, agnum capite librum geſtantem, quorũ hic uirtutis, ille natalium index eſſet. Hieron. Garimbertus lib. 2. de Vitis Pontificum.

VILLEGISVS primus Vangionũ archiepiſcopus, Elector, plauſtrarij fabri filius, ut ſuorum natalium humilitatẽ ſemper ob oculos haberet, paſſim per omnia conclauia depingi & affigi rotas curauit, ſæpe illud repetens, Villegiſe quis ſis, quis fueris, memento. Nauclerus, Hermannus Gigas, & Bruſchius de Epiſcopatibus.

## CLEMENTIAM PROMOVERE.

*Conſule ſequentes Titulos, Iram prudenter ſedare. Item Reconciliare prudenter.*

CROESVS, cùm Cyrum uictorẽ Sardis infenſum eſſe cerneret propter rebellionem, ueritus, ne urbem penitùs excinderet, conſilium dedit Cyro, ne urbem deleret: ſed Pactyã ſeditionis auctorem capite plecteret, ipſos uerò ciues ad bellandum redderet inutiles, hac ratione: imperaret illis, ne arma bellica poſſideant, ut ſupra tunicam pallium geſtẽt, induant cothurnos, cithara cantuq; ludãt, deniq; cauponentur. Paruit Cyrus, & ex bellicoſiſſimis ignauiſſimos reddidit Lydos. Sic Crœſus & Cyri imperio, & ſuorum (quibus olim imperauerat) ſaluti conſuluit. Herod. lib. 1.

PYTHAGORAS, in animantibus ratione carentibus aſſuefecit ſuos crudelitate & fraudatione tẽperare, aucupiis interdixit, emtoq; retium iactu dimitti imperauit piſces, atq; animantis mitis cæde penitùs abſtinuit. Plutarchus de Vtil. ex inimicis.

Cùm deſciuiſſet quidam à rege Perſarum, qui DEMARATI impulſu erat ad eum reuerſus, eſſetq; hunc Perſem rex peremturus: Turpe eſt, inquit, rex, cùm hoſtis eſſet tuus, nõ potuiſſe te pœnas ab eo rebellionis perſequi: cùm uerò factus amicus eſt, eum necare. Plut. in Apophthegmatibus.

PORVS à conflictu rogatus ab Alexãdro, Quemadmodũ de ipſo eſſet ſtatuturus? Regaliter, inquit (βασιλικῶς) Inſuper requiſitus, Nunquid præterea? Omnia, inquit, eo in uerbo regaliter ſunt. admiratus tum prudentiam uiri, tum uirtutem, latiorem regionem illi ea, quam antea poſſederat, adiecit. Ibidem.

Mihi idem accidit, inquit FVNDANVS, poſtquam bis uel ter occurri iræ, quod Thebanis. Qui ut ſemel impulerunt eos, qui inuicti habebãtur, Lacedæmonios, nulla poſt in pugna eis ſuccubuerunt. Quippe cõſilio intelligebam me obtinere uictoriam poſſe. Plut. de Non iraſcendo.

ACACIVS patriarcha Conſtantinopolitanus, animaduerſa Imp. Leonis Macellæ in eos à quibus offenſus eſſet, crudelitate, eiuſq; ingenio exquiſitè deprehẽſo, quòd id à ſolis laudantibus capi poſſet: operam dabat, ut omnia eius & dicta & facta miraretur. Itaq; ſæpe eius iracundiam facilè repreſſit: & multis, quibus princeps offenſus erat, ſaluti fuit, & ꝑpetuo exilio damnatos in patriam reuocauit. Suidas.

## POPVLARITATI CONSVLERE.

Monuit Alexandrum PHILIPPVS pater, ut amicos ſibi, quoad liceret, regnante pararet alio, obſequiis & feſtiuitate illos demerendo. Plut. in Præceptis polit.

## IVSTITIAM RELIGIOSAM PRVDENTER PROMOVERE.

Videlicet

*Idololatriam, Superſtitionem prohibendo, abolendo, confutando.*

DANIEL propheta ſub Cyro rege, cum LXX. Babyloniis ſacerdotibus certauit, & Belum deum non eſſe oſtendit. Nam cùm Belo quotidie ſiliginis artabas XII. oues XL. uini metretas ſex proponerent: clauſo inde & obſignato templo ꝑ occultum adytum ſub ara noctu ingreſſi omnia cum ſuis liberis & uxoribus abſumebant, & manè omnia à Belo abſumta eſſe dicebãt. Daniel igit' diuini ſpirit⁹ reuelatione technas dæmonis eiuſq; miniſtrorum cognitas, idololatriæ cauſa profligandæ detecturus, inſciis ſacerdotibus, præſente rege, templi pauimentum cinere conſperſit, atq; ita ueſtigia ſacerdotum regi manè oſtendit. Rex comprehenſis ſacerdotibus, ſceleris conuictos interfecit, & Beli delubrum euertit. Præterea draconem ęreum Babylonij colebant, qui edebat & bibebat, quẽ Cyr⁹ à Daniele adorari poſtulabat. At Daniel offas ex pice, adipe & pilis, ſimul coctis, draconi deuorãdas obiecit, & ſtatim draco medius crepuit. Dan. 14.



ATHENIENSES fabulam de deorum iurgio cùm abſurdã finxiſſent, abſurditatem eam nõ mala correctione interpolauerunt. Siquidem diem ſecundum eximũt menſi Boedromioni, quòd illo cum Minerua Neptuno controuerſia interceſſiſſet. Plut. de Piet. in fratres.

PETILIVS prætor urbanus, cùm ſub Ianiculo à terræ foſſoribus arca lapidea inuenta eſſet, plena libris, qui aliqua ex parte, quæ ad religionis contemtum ſpectabant, continebant: ex auctoritate ſenatus in conſpectu populi cremauit, ne quicquam aſſeruaretur, quo animi hominum à deorum cultu auocarentur. Liuius lib. 10. de Bello Macedonico, Plinius lib. 14. cap. 13. Lactantius lib. 1. Val. Max. lib. 1. cap. 1.

*Confirmando Pios.*

ARCHEBIVS ſanctiſſimus uir, in quadam Nili inſula inter ſolitarios & ipſe ſolitariam uitam ducens, ſi quis eò acceſſiſſet, eiuſdem propoſiti cupiditate accenſus, ei ſuũ ipſe domicilium cum utenſilib. cedebat, ne qua cellulæ conſtruendæ quærendæue ſupellectilis difficultate uictus abiret. Ac ne fortè illũ, quod offerebatur, accipere pudor impediret, certum ſibi ac deliberatum eſſe ad alia tranſmigrare loca mentiebatur. Et tantiſper inde ſecedens, donec impenſas compararet: reuerſus alteram ſibi cellam non paruo cum labore ponebat. Hac ille ſimulatione uſus, officio fungebatur ueræ charitatis. Marulus lib. 4. c. 4.

Simeoni monacho ex Italiæ partibus in Nili inſulam ſeſe conferenti, cùm nullam artem calleret præter Latinarum literarum (quarum illic uſus nullus erat) ſcriptionem: à QVODAM ſeniorum prouiſum eſt, ne ocioſus eſſet. Finxit enim piiſſimus ſimulator, habere ſe fratrem in Italica cohorte militantem, Latinis literis inſtructum: & à Simeone petiit, uti ſibi apoſtoli Pauli codicem Latinè conſcriberet fratri mittendum, quo ille legendo animi uirtutibus proficere poſſet. Sub tali prætextu & ipſum ad ſcribendi exercitium excitauit, & quaſi mercedis loco cuncta eius uictui neceſſaria obtulit, ueritus, ne uel propter rei inopiam, uel otij copiã, nouus homo illis in locis diutiùs perdurare nequiret. Marulus lib. 3. c. 9. & lib. 4. c. 4. ex Caſſiano.

EVGENIA, Philippi cõſulis filia, Eugenius credita, etiam abbatis officio defungi Alexãdriæ meruit. In eadem urbe EVPHROSYNA uirgo ſub Smaragdi nomine latens, monachi uitam duxit. Sic MARINA Marinus, THEODORA Theodorus, PELAGIA Pelagius creditæ, inter uiros præſtiterunt ſanctitate, ſexu occultato. Finxerũt ergo ſe eſſe, quod non erant, ut eſſent, quod eſſe debuerunt, nihil omittẽtes, qđ ad perfectæ religionis cultum pertineret. Marul. l. 4. c. 4.

*Conuertendo Ignorantes, Impios.*

CONSTANTINVS Magnus, militum qui ueteriſti erroris tenaciores eſſent, arma crucis ſymbolo ſignauit, ut paulatim ad ueri Dei agnitionem & cultum eos hac ratione deduceret. Euſebius in eius uita.

Multi ſancti VIRI impudicitiæ crimen & ſuſpicionem falſam incurrerunt, dum meretrices conuertere ſtudent. Vide ſub Tit. Impios religioſè complecti, exemplum ABRAHAMI eremitæ, PAPHNVTII abbatis, VITALIS monachi.

SERAPION quidam, Aegyptius eremita, oppidum quoddã infidelium ingreſſus, cùm publicè prædicantem de medio pellerent, paruo ſe precio uendidit, ut ſeruus effectus, dominum ſuum ex uinculis idololatriæ ſolueret, atq; ad uerã libertatem reduceret. Petrarcha lib. 2. Dial. 7. de Remed. fortunæ. Marul. lib. 3. c. 2.

INGO, regulus Venedorum (qui ad fontes Draui & Saui habitant, Carinthij hodie dicti) multos ex ſuis ſatrapis hac ratione Chriſtianos fecit, anno Salutis DCCXC. Conuiuiũ lautè inſtruxit, & uilem plebeculam ſimul cum equeſtris ordinis proceribus inuitauit, atq; præ foribus nobiles recumbere iuſſit, pane duntaxat cibario & caruncula rancida pauit, uinumq; fictilibus propinauit auſterum. Sed agricolas ſuæ menſæ adhibitos, cœna lauta pauit, & uinum poculis aureis & argenteis & gemmatis propoſuit. Cùm nobiles id indignè ferrent, ac in ſui contumeliam fieri ſtomacharẽtur: reſpondit, Se ideò ruſticos ad menſam ſuam admiſiſſe, quia eſſent ſacro lauacro abluti: illos uerò nobiles foris reliquiſſe, quòd ſordibus ethnicis ſqualentes, hircum impietatis olerent, nauſeamq; ſibi facerent. Caſtigati ea re nobiles, breui tempore, ſub Vergilio & Annone Iuuauienſibus epiſcopis, Chriſti fidem accepere. Hinc honos inueſtiendi principis ruſticis datus. Auentinus lib. 3. Annalium Boiorũ, & Sabellicus lib. 3. Enneadis 10. ex Aen. Sylu. c. 20. Europæ.

*Corrigendo, Puniendo, Excludẽdo, Terrendo Impios.*

IEHV, qui Iezabelẽ & Achabi regis Iſraelitarum filios interfecit, ut ab Elia propheta dictum fuerat, totius exercitus multitudine congregata, dixit: Achabus quidem parum Baali inſeruiit, Iehu autem multum illi ſeruiet. Nũc igitur omnes ad me uocate prophetas & ſacerdotes Baalis, quia magnũ ſacrificium Baali faciam. Quiſquis abfuerit, non uiuet. Omnib. congregatis, & idoli æde completa, corâm edixit: Inquirite num quis Domini ſeruus interſit? nulloque reperto, interfecit omnes, Baalemq; cremauit. Suidas.

IOANNES patriarcha Alexandrinus, populo poſt auditum Euangelium mox dilabi ſolito, ipſe intermiſſa celebratione, ſequi egredientes cœpit, dicens: Vbi oues, ibi & paſtorẽ adeſſe oportet. Hoc modo Alexandrinis pudorem iniecit, ut nunquam poſtea priùs ab altari diſcederẽt, quàm ſacerdos peracto ſacrificio benedictionẽ daret. Marul. l. 2. c. 1.

ARCHEBIVS monachus, adoleſcentes qui deliquerant nõ ſegregabat, ſed eos qui profecerant. Dicebat enim, Adoleſcentem ſegregatum fieri contemtorem: eum uerò qui profecerit, maturè ſentire ſegregationis dolorem. Suidas.

ANASTASIVS Pontifex ſtatuit, ne peregrè uenientes, præſertim trans mare, in clerum reciperentur, niſi quinq; antiſtitum haberent chirographa. ſicque Manichæorum fraudi itum eſt obuiam, quorum hæreſis latè ad meridiem inoleuerat. Ad orthodoxam enim fidem corrumpendã quoquo uerſum ex Aphrica mittebantur, qui religionis prætextu occultè ſuæ impietatis uenenum piorum animis infunderẽt. Sabellicus lib. 9. Enneadis 7.

MAGDEBVRGENSES in electione noui epiſcopi, ſanguinẽ Vdonis impij epiſcopi à Deo ob libidines nefandas in templo Mauricij ad altare percuſſi, in pauimento oſtendentes, epiſcopos nouos ad pietatem cohortantur. Fulg. li. 9. c. 12.

[redacted]

Oreſtes cæde matris pollutus, Athenas ueniens, ad Lenæa Liberi patris ſacrificia fuit admiſſus. Rex PANDION cùm choam uini dari ſingulis conuiuis iuſſiſſet, imperauit ſingulis, ut ſuum biberent, neq; alij de ſuo cuipiam infunderent, ne ex eodem cratere biberet Oreſtes, è quo initiati: neq; rurſus grauiter ferret, quòd ipſe ſol⁹ ſeorſum ab aliis biberet. Atq; indè Choum ſolennitas manaſſe credita eſt. Natalis Comes lib. 9. cap. 2. Mythol.

## IVSTITIAE PROFANAE PRVDENTER conſulere.

### IN GENERE.

LYCAON Pelaſgi filius, rex Arcadum, patris inſtituta tuebatur, iuſtitiæ ſtudioſus. Qui cùm & populũ ſuum arcere uellet ab iniuriis, aiebat Iouem ſubinde ad ſe accedere, homini peregrino ſimilem, ad intuendos iuſtos & iniuſtos. Aliquãdo autem cùm deum ſuſcepturus eſſet, ſe rem diuinam feciſſe aiebat. Filij eius è diuerſis nati mulieribus, explorare uolentes, Quinam ſacrificio intereſſent, & uerène deum hoſpitio ſuſcepiſſet? immolato puero, carnes eius cum uictimæ carnibus permiſcuêre: quòd id clàm futurum non eſſet, ſi uerè deus intereſſet. Sed cùm diuinitùs magnæ tempeſtates & fulmina extitiſſent, aiunt, omnes pueri interfectores periiſſe. Suidas.

LYCVRGVS Spartanorum legiſlator, iam lata de nouis tabulis lege, aggreſſus etiam eſt ea, quæ rerum mouentium ſunt ex æquo diuidere: quo ſemel diſparitatem & inæqualitatem ſuſtolleret. Quia uerò uidebat, ſi eis extorquerẽtur apertè, ægrè laturos, monetam auream & argenteam antiquauit, ſolius ferri uſum ſanciuit, definiuitq;, quatenus cenſendum ad huius ualorem totum patrimonium foret. Ea re exterminata Lacedæmone omnis eſt iniuſtitia. Plut. in Apophthegmatibus.

### IN SPECIE: Putà

*Fidem, Officium exigere, excitare.*

ABSALOMVS ab exilio reuocatus, biennio tamen integro in patris Dauidis conſpectum uenire non fuit auſus. Eius moræ pertæſus, Ioabum (quo priùs interceſſore apud patrẽ fuerat uſus) ad ſe uocandum curauit. At ille, quamuis ſæpè monitus, uenire noluit. Abſalomus ſeruis ſuis imperauit, ut uicinam Ioabi ſegetem incenderent. Ioabus properè ad Abſalomum cucurrit, eius rei cauſam petens. Tum Abſalomus, Et rectè ſanè, qui inuitatus uenire noluiſti, nunc ſponte tua accedis. Cauſam meam apud regem age, ut in illius conſpectum uenire audeam. Ioabus annuit, & pro eo apud regem interceſſit. 2. Reg. 14.

Aegyptio Bocchoridi homini ſæuo ingenio, aſpidem perhibent ab ISIDE, quo indicaret iuſtè, immiſſam, caputq; eius circumiectam supernè inumbraſſe. Plut. de Immodica uerecundia.

ATHENIENSIVM magiſtrat⁹ uariis modis conati ſunt efficere

cere, ut populus quàm maximè frequens ad concionē uentitaret. Obiectis enim repagulis quibuſdam uias reliquas occludebant, quæ non ducerent ad forum: tum merces tollebant ex mercatū, ne quid hac gratia ibi ceſſaretur: deniq; funem parabant, rubro colore, quem μίλτον, id eſt, minium uocant Latini, nonnulli cinnabarim appellant, oblitū. Hoc duo miniſtri publici populum cingentes, agebant in concionem. Studebat quiſq; funiculum effugere, propterea φ quiſquis colore notatus appareret contagio funis, is mulctam pendere cogebatur. Vnde qui notam metuunt, eos eleganter dicemus φεύγειν τὸ σχοινίον μεμιλτωμένον. id eſt, Fugere funiculum miniatū. Eraſm. ex Suid. & Ariſtoph. interprete.

Cùm propter aſſiduas bellorum expeditiones ATHENIENSES à rebus urbanis diſtracti, uix foro aſſueſcerent, & per infrequentiam comitia cogi nequirent (quippe cùm ex omni populo in quouis arduo negotio, ultra quinq; millia nō conuenirent) ut poſthabitis negotiis ad rempublicam accederent, & de publicis cōſultarent: ſinguli ſuffragatores numos aliquot accepêre, ex Calliſtrati inſtituto. Alex. li. 4. c. 3.

Ipſum perhibent ANAXAGORAM, ætate decrepita neglectum, occupato Pericle, iacuiſſe, atq; obuoluto capite uitā finire inedia ſtatuiſſe. Periclē, ea re ad ſe delata, perculſum, aduolaſſe confeſtim ad illum, & enixè oraſſe, lamentaſſeq; non illum, ſed ſeipſum, qui talem in Rep. gerenda conſiliarium amitteret. Ibi Anaxagoram aperto capite ei dixiſſe: Etiam ij quibus lucerna Pericle opus eſt, infundunt oleum. Plutarchus in Pericle.

RODOLPVS [redacted], cùm à princip[redacted] Rom. [redacted]gereretur, Baſileam obſidebat. Stelliferorum factionem à [redacted]cis epiſcopo adhærentibus pulſam, in integrum reſti[redacted]. Per Noribergenſem Burg[redacted], & A[redacted]num ductus, coronatur; [redacted] filias nubiles duobus Electoribus in uxores collocat. Sed cùm [redacted] à principibus exigere[redacted] abſentiam [redacted] cau[redacted] Ecce ſignum, in quo ſaluatus eſt mundus, hoc ſceptri loco utemur. Moti hac re principes, crucem exoſculati, fidelitatis iuramentum præſtiterunt: auxilia contra rebelles, & qui Imperij loca uiolenter ſibi uſurparent, promittentes. Cuſpin.

ANTONIVS Leoninus Genuenſis ciuis, graui ualetudine iam ſenex laborans, ut ſeruorum & famularum fidem erga ſe acueret, ſi uim morbi euaſiſſet, omnes liberos fore pronunciauit: ſi aliter contigiſſet, omnes eodem ſeruitutis iugo obnoxios eſſe uoluit. Fulgoſus lib. 7. c. 8.

PATER quidam locuples filias honeſtiſſimè elocarat. Perſuadent illæ miſero ſeni, uti uiuus iis opibus ſibi liberos deuinciat, quas mortem ipſius auidè expectantes poſt obitū hæreditate conſecuturæ eſſent: id unum ſanctè pollicitæ, de alimentis ſe patri proſpecturas. Et primo quidem anno benignè & liberaliter ab illis tractatus eſt. Verùm cùm præter ſpem ipſarum diutiùs uiueret, ſenis pertæſæ, pietatis & pactorum immemores, duriùs illum tractare cœperunt. Ille imprudentiam ſuam aſtu emendare uolens, ciſtam ſaxis & arena plenam cubiculo ſuo clàm inferri curat, eamque nocte aperiens, numum aureum unum aut alterum, quos ſolos ex tantis diuitiis reliquum habebat, repetitis caſib. mēſæ incidentes continua ſupputatione, uoce ſubmiſſa, ſic tamen ut à genero facilè audiri poſſet, ad immenſam pecuniæ ſummam produxit, & tandem capſam firmiſſimè clauſit. Filiæ manè cauſam nocturni ſtrepitus, conſciis maritis, auidè exquirunt. Et pater, remotis arbitris, Theſauri mei rationes mecum inire cœpi, filiæ, ut quàm quæq; ueſtrûm de me optimè merita fuerit, tam quoque poſt obitum meum, cùm uiuo me æquales hęreditate fueritis, digna feratis pręmia. Ea ſpe lactatæ, æmulatione mutua, omni officiorū genere patrem proſequi cœpêre. Eo mortuo, aperta ciſta, plenam ſaxis & arena reperêre, cū ligneo fuſte, cui lingua Britannica hæc inſculpta erant: Quod pietas non potuit, extorſit auaritia. Nolite, ô Patres, committere, ut dum indulgentia ueſtra auaritiæ liberorum ſatisfacere cupitis, impietatis maioris occaſionem detis. Exemplo meo prudentiores redditi ualete: ſtulti fuſtuario pœnas luite. Io. Paulus in Iocoſeriis. Ludentem dicere uera nil prohibet.

*Fidem, Officium declarando, obſeruando.*

MENELAVM cecinit Homerus ad epulum, quod optimatibus præbebat Agamemnon, ultrò acceſſiſſe:

Namq; premi mentem fraternam angore ſciebat.

nec paſſus eſt inſcitiam eius in propatulum uenire, neq; perſtrinxit eum non ueniendo: quomodo queruli & moroſi amicorum huiuſmodi erroribus atq; amentiis imminent: quò materiam habeant expoſtulandi, negligi ſe quàm honorari malunt. Plut. lib. 7. Quæſt. conuiual. 5.

Erat in Oaxo oppido inſulæ Cretæ negotiator quidam Theræus, nomine THEMISON: hunc in familiaritatem acceptum Etearchus rex adiurat, ut quam rem oraretur, in ea ſe miniſtrum præberet (Erat autem Etearcho regi filia Phronime, cui nouerca mendaciis inſidias ſtruebat) Vbi hominē iureiurando adegit, adductam ei tradidit filiā ſuam, iubēs, ut eam abductam, in mari demergeret. Themiſon ancipiti animo inter nefas operis, & hoſpitij perfidiā, ita ſibi faciendū putauit. Accepta puella mare ingreſſus, cùm in alto fuit, ut iureiurando Etearchi ſatisfaceret, reuinctam funib. puellam demiſit in pelagus: eademq; retracta, Therā peruenit. Ibi Polymneſtus, uir inter Theræos ſpectatus, in concubinatum Phronimā accepit, ex eaq; liberos ꝓgenuit. Herod. l. 4.

Sunt qui ſcribant, Xerxem, cùm rurſus in Græciam copias traiicere cuperet, multis oraſſe atq; adduxiſſe Themiſtoclē, qui ad ſe cōfugerat, uti ſecum ad id bellum proficiſceretur: nec renuiſſe regis iuſſa THEMISTOCLEM, ſed eo pacto annuiſſe, rege iureiurando adacto, quòd in Græcos abſq; Themiſtocle non duceret copias: moxq; iuramēto prolato, taurum ſacrificantis more iugulaſſe, atq; illicò poculum taurino ſanguine plenum hauſiſſe, confeſtimq; expiraſſe. Ita ea arte Xerxem à profectione inſtituta reuocatum iuriſiurādi religione, eo mortis genere Themiſtoclē honeſtiſſimè prudentiſſimeq; ſeſe incumbenti ignominię ſubduxiſſe, ac fidē in rebus Græcis integerrimè à ſe miniſtratis ſuam oſtendiſſe conſtantiſſimam. Diodorus lib. 11.

AENEAS Syluius Senenſis epiſcopus, contra ciuium ſtudia à Nicolao V. pontifice creatus, ſuſpectus iis fuit, ne urbē Friderico III. Imp. proderet, cuius nomine legatum agebat apud urbes Italiæ. Auxit inuidiam mortuus collega Pſullendorfius, & in æde Virginis matris loco celebri ſepultus. quam rem argumentum eſſe iam recepti imperij querebantur, homine externo, ueluti prodita libertate in ciuiū Senēſium ſepulcra illato. Itaque uitandæ ſuſpicionis cauſa urbę exceſſit, & uix tandem pietatem ſuam patrię comprobauit. Io. Ant. Campanus in eius uita.

Alphonſus Aragonius rex, cùm Viracam Alphonſi VI. Caſtulonenſis regis filiam uxorem duxiſſet, cum ea, quòd parum pudicè uiueret, diuortium fecit. Ad eam Caſtulonenſis regni, per patris mortem, hæreditas obuenerat, & communi nomine cum uiro poſſederat. Cæterùm, cùm dimiſſa in paternum regnum ſe recepiſſet, præfectos munitorum locorum, qui Caſtulonenſi regno fidem obſtrictam habebāt, ſibi ſoli, tanquam patris hæredi, in poſterum parére uoluit. PETRVS Aleres, comes Caſtulonenſis, qui Aragonio Alphonſo multo antè fidem dederat, rationem iniuit, qua utriq; fidem datam ſeruaret. Loca enim munita, & alia quæ in manu ſua habebat, Viracæ dedit, cùm iurè ei, quæ patris erat hæres, deberentur. Vt uerò Aragonio quoq; Alphonſo pro fide, quam ei dederat, ſatisfaceret: inſigni Comitum ueſte amictus, manè ad eum profectus eſt, cùm omnis purpuratorum numerus adeſſet: & reſte in collū accepta, regi dixit: Loca omnia, quæ fidei meę credita erant, quia in Caſtulonenſi regno poſita, reginæ Viracæ, utpote quæ mihi domina eſt, hæreditario iure debebantur, ab ea iuſſus tradidi. Verùm, ut noſti, cùm eam duxiſti uxorem, tibi quoq; fidem pro eis locis ſacramēto obſtrinxi. Itaq; pro ea tibi fide corpus meum manuſq; illas, quę iurauerunt, præſens aſſigno, ut pro æquitate ac iuſtitia tua de me ſtatuas. Quam rem cū rex omneſq; qui aſtabant non ſine ingenti admiratione audiuiſſent, Petrus iuramēto ſolutus eſt: quoniam eū omnes, pro utriuſq; fidei nexu, ſatisfeciſſe iudicarūt. Fulg. lib. 6. c. 6.

*Iniuſtam diſtributionem fugiendo.*

EPAMINONDAS, cùm Pelopidæ abnuiſſet oranti, ut cuſtodia cauponem leuaret, eumq; paulo pòſt amicæ precibus condonaſſet: Huiuſmodi, inquit, beneficia, Pelopida, ſcortis, non ducib. conuenit, ut præſtētur. Plut. in Pręcep. polit.

Petebat ſibi amicum urbis præfectum conſtitui Aſpar ab Imperatore. Imperator LEO Magnus cùm ſe id facturum annuiſſet inuitus, noctu quendam ſenatorē celeriter ad ſe uenire iuſſit, eumq; præfectum urbis conſtituit. Aſpar, cui hoc præter ſpem ſuam accidiſſet, ueſte apprehēſo Leoni ait: Imperator, tali purpura amictum non decet mentiri. Reſpondit Imperator: Imperatorē quoq; decet nemini cedere, aut ſubditū eſſe, maximè ſi id cū reip. incōmodo fiat. Cedren⁹.

CAROLVS IV. corona imperij Romæ ſuſcepta, ſciēs Romanos petituros, ut quaſdam uetuſtas conſuetudines confirmaret, quas in præiudiciū Romani Imperij & Eccleſiæ damaret, quas in præiudiciū Romani Imperij & Eccleſiæ dare nec poſſet nec uellet: ſimulauit aliquādiu ſe illic manſurum. At uenādi ſpecie urbe egreſſus, iuſſit paulatim copias conſectari: & ſic Romanorum manibus elapſus eſt, an. Sal. MCCCLVI. Cranzius lib. 8. Vandaliæ, cap. 35.

Anno 1505. propterea quòd ſæpe fiebat, ut qui impetrare magnam aut difficilem rem aliquā à magiſtratib. VENETIS cuperent, regum & Pontificum legatis uterentur, qui eos principi Patribuſq; commendarent, interdum etiam ipſorū regum principumq; ciuitatum ad urbem uenientiū patrocinio nitebantur, quorum auctoritati Patres propè negare nihil poterant: Senatuſconſultum factum eſt, Cui quid à Patribus impetrare ſit neceſſe, is neq; uirum principem, neq; legatum adhibeat, cuius cōmendatione apud eos niti poſſit, pœna pro genere hominum iis, qui Senatuſconſultum neglexiſſent, conſtituta. Bembus lib. 7. hiſtoriæ Venetæ.



*Perfidiam prohibendo, euitando.*

ARTAXERXES Longimanus Satibarzanem cubicularium, qui petebat quid ab eo, quod dare iurè non poterat, ut odoratus eſt tribus millibus Daricorum redemtum id facere: præcepit quæſtori, ut ter mille Daricos adferret, largienſque eos illi: Cape, inquit, Satibarzane. hos enim cùm dedi, nihilo ero pauperior: illud ſi feciſſem, iniuſtior eſſem. Plutarch. in Apophthegmatib.

PERSÆVS, qui argentū cuidā familiari ſuo dabat fœnori, in foro cautionē ꝑſcripſit, memor nimirū dicti Heſiodi, ꝙ ait,

καί τε κασιγνήτῳ γελάσας ἐπὶ μάρτυρα θέσθαι

Nec fratri contemne iocans apponere teſtem.

Is cùm ſtupefact⁹ diceret: Itáne Perſęe ex lege (οὕτω νομικῶς?) Sanè, inquit, ut (φιλικῶς) cum bona gratia recipiā, nec exigam lege. Plutarch. de Nimia uerecun.

DIONYSIVS maior peregrino cuipiam, qui monſtraturū ſe & docturum profitebatur, quemadmodū præſentire inſidiatores ualeret, iuſſit expromere. Vt ille ad eum acceſſit ac dixit, Dona mihi talentum, quo audiſſe uideare inſidiatorū indicia: dedit, audiſſe ſimulans, miratuſq; eſt hominis commentum. Plut. in Regum apoph.

Demta toga, candidatos in campum prodire, à ROM. conſtitutum ferunt, ne per occultos ſinus pecuniis abſconſis, largitione & ambitu ſuffragia mercarentur: aut ſaltem, ut cicatrices & uulnera, quæ pro patria, proq; ciuibus pugnando paſſi eſſent, conſpicua forent. Alex. lib. 4. c. 3.

IVSTINIANVS Magnus Imp. legum Rom. corrector, de epiſcopis, diſpenſatoribus, pupillorum alumnis, & peregrinorum hoſpitibus ſanxit, ne ius ligandi aut hæredibus tradendi haberent, præter hæc, quæ in ſuis facultatibus habuerāt, antequam officio iſti præficerentur. Qua hora officiū iniiſſent, ab ea non liceret legare quæ lucrati eſſent, ſed ea omnia ſacræ ædi hæreditario obtingerent. Cedrenus.

NICOLAVS III. Pp. quoniam ubiq; terrarum magna in magiſtratibus corruptela erat, conſtituit, ne magiſtratus ipſi ullo in loco magis quàm annui crearentur: eos ſi quiſpiam retinere ulteriùs auſus fuiſſet, anathematis pœna notabatur, à qua niſi à pontifice abſolui non poſſet. Platina.

Legati VENETORVM ad Pp. ſacerdotia ſuſcipere legib. patriis prohibentur. Ideoq; Hermolaus Barbarus, cùm etiam coactus ab Innocentio Pp. Patriarchatum Aquileienſem ſuſcepiſſet in ſua legatione, magiſtratu remotus eſt à Senatu. Bembus lib. 1. Ven. hiſt.

*Correctionem iuſtam exercendo in facinoroſos, iniuſtos & improbos.*

☞ *Prudentia in ulciſcendo huius eſt loci, quatenus Iuſtitiam habet coniunctam. Ex Tit. Iudicum prudentum, eorum exempla huc referantur, qui prudenter condemnant improbos. In ſpecie ſuprà reſpectu Subiecti actum eſt de Furibus, de Latronibus, de Seditioſis circumueniendis.*

ACHILLES, Agamēnone Chryſeida reddere nolente, commotus rei indignatione, ſimul pernicie defeſſi exercitus anxius, defunctorum corpora miſerandum in modum confecta, undiq; in cōuentu ante ora omnium proiici fecit. Quo ſpectaculo adeò commoti reges gēteſq; omnes, uti aduerſus Agamemnonem pergerent, duce atq; auctore Achille, ut uel nolens reddere cogeretur. Dictys lib. 2.

ALCIBIADES & NICIAS, quorū in ciuitate ſummæ opes erant, diſceſſerāt in partes. Vbi populū iam in ſuffragia iturum, & alterū eorum conſtaret, auctore Hyperbolo rhetore exterminaturū: collocuti inter ſe utramq; coniunxerunt factionem, ſtruxerūtq; ut Hyperbolus in exiliū decennale exigeretur. Inde populus oſtraciſmū conſpurcatū & ludibrio habitum ægrè ferens (nam potentib. tantū & claris uiris irrogabatur, cùm Hyperbolus & improb⁹ & obſcurus eſſet) ſemel abrogauit eum & antiquauit. Plut. in Ariſtide.

AGESILAVS, cùm aduerſus rempublicam Lacedęmoniorū conſpirationē ortam noctu comperiſſet, leges Lycurgi continuò abrogauit, quæ de indemnatis ſupplicium ſumi uetabant. Comprehenſis autem & interfectis ſontibus, eaſdem e ueſtigiò reſtituit: atq; utrunq; ſimul prouidit, ne ſalutaris animaduerſio uel iniuſta eſſet, uel iure impediretur. Itaque ut ſemper eſſe poſſent, aliquando non fuerunt. Val. lib. 7. cap. 2. & Plutarchus.

Apud LACEDÆMONIOS eſt eiuſmodi lex: Si quis adoleſcens peccaſſet, concedebant aut morū ſimplicitati, aut ætati iuuenili: amatorem uerò eius pœnas luere cogebant, uolentes arbitros eos & inſpectores eſſe omnium quę iſti facerent. Aelianus lib. 3. Var. hiſt. & Plut. in Lycurgo.

M. Manlius Capitolinus tyrannidem affectabat, obęratos aduerſus fœneratores defendendo. Dictator Q. Capitolinus ob hanc cauſam dictus, in uincula cùm duci Manliū imperaſſet: plebs, quod fieri niſi in grauib. calamitatib. & publicis nō ſolet, ueſtem mutauit. Ita ſenatus timore dimitti iuſſit Manliū. Ille ob id nihilo factus melior, inſolētiùs factionibus ciuitatem implet. CAMILLO rurſus creato tribuno militum, cùm eſſet Manlio dies dicta, accuſatores impediebat magnoperè loci conſpectus. Nam locus, unde nocte reiecerat Manlius Gallos, erat ex Capitolio in foro conſpicuus, mouebatq; præſentes, cùm eò manus tenderet, & lacrymabundus illius decoris renouaret memoriam. Vnde perplexi iudices diem ſæpiùs diffuderunt, qui neq; liberare eū poterant, neq; lege agere ualebant. Camillus extra portam in Petelinum lucum, unde conſpectus non eſſet in Capitolium, iudicium traduxit. Ibi accuſator crimen intendit, iudiceſq; facinoribus eius ob oculos poſitis, dignas præſentib. ſceleribus pœnas ei irrogarunt. Plut. in Camillo.

AVGVSTVS iam rerum potitus, cùm accepiſſet à Caſſio Seuero, ueneficij reum factum eſſe Nonium Aſprenatem, amiciſſimum ſuum: ueritus, ſi pro Nonio in iudicio comparuiſſet, ne ipſius præſentia iuſtitiæ officeret: & ſi comparere abſtinuiſſet, ne præiudicium amico faceret, tanquā de eo malè ſentiret: Senatum conſuluit, Quidnam ſequi eum oporteret? Multorum igitur ſuaſu ad iudicium profectus eſt: ubi neq; pro Aſprenate, neq; in Caſſium aliquid locutus, eam rationem tenuit, ut neq; amicitiæ deeſſet, neq; iuſtitiā uiolaſſe putaretur. Sab. lib. 4. ca. 4. ex Suetonio.

ITALICÆ urbes, quæ cum Alexandro III. Pp. contra Fridericum I. Imp. ſenſerant, pace demum facta, ius conſulum eligendorū obtinuerant. Ardebat in pleriſq; conſularis inter ſuos poteſtatis cupiditas, ita ut eius adipiſcēdæ cauſſa pernicioſos ciere tumultus non uererētur. Ea uerò uulgò à priuatis, & maximè potentibus ita contemnebatur, ut cædes, latrocinia, ac grauiſſima quæq; flagitia impunè ſe patrare poſſe confiderent. Cuius coercendi mali cauſſa prætorem peregrinum pleræq; aſciſcere, eiq; ſummum in ſe imperiū committere perrexerūt. eaq; una uia inuenta eſt ad eos puniendos, qui aduerſus rempublicam aut per libidinem, aut per ſcelus, aut per ſeditionem aliquid commiſiſſent. Sigonius lib. 15. regni Ital. Sic MEDIOLANENSES cùm ciuilibus diſcordiis patritiorum plebeiorumq; tumultuarētur, peregrini prætoris eligendi morē introduxere, qui nullā cognationis aut factionis contagio labefactatus, ſincerius ius diceret. Arlunus hiſt. Mediolanenſis ſectione I.

Carolus Philippi Hiſpaniarum regis F. Caroli V. Imp. nepos, puerili contentione amitæ reginę colaphum impegerat, ꝙ illius fauore & gratia lis contra quendam, ſuo nitentem patrocinio data fuiſſet. Cùm petulantia iſta uirgis coercenda uideretur, ferocem puerum aſtu circumueniunt. DISPENSATOR crebris ſuſpiriis ingentem ſimulat dolorē, eumq; uix multis minis precibuſq; adductus Carolo reuelat, patrem iniuria amitæ illata commotum, morti ipſum adiudicaſſe. Perturbatus eo nuncio puer, interceſſionem pro ſe fieri rogat. Simulato officio, id à ſe impetratum diſpēſator refert, Manus iacturam pro uitæ uſura. At quomodo rex, reſpondit puer, ſi mancus? Quid ſi manus iacturam uirgis redimamus? ſubintulit ille. Approbante Carolo, principum & epiſcoporum longa caterua ſtipatus, ut fidē eius rei puero faceret, regem ſe adire fingit, & multa demùm contentione, pollicitatione, precibus, hanc ſe gratiam obtinuiſſe profeſſus eſt. Ergo cardinalis cuiuſdam uirgis ſubiectus puer, metu mortis, eam animaduerſionem moderatè tulit, quam alioqui morte ipſa pręuenturus uidebatur. Hugonis Blotij I. C. acroama.

*Correctionem iniuſtam, nimiam, damnoſam, uitando.*

Poſt martem Leuctricum notatis ex legē omnibus, qui ex aciē fugerant, infamia, urbem cùm cernerēt EPHORI uiris deſolatam, notam in animo habebant antiquare, ac legiſlatorem creauerunt Ageſilaum. Qui progreſſus in concionem, leges ſanxit ex poſtero die fixas eſſe. Plut. in Apophthegm.

In Catilinæ coniuratione, quia L. Vectius eques ex propoſita impunitate liberiùs omnia diceret, ne innocentes pro noxiis, nimioq; plures in tabella deinceps nominaret: cenſitū eſt, ut quos in poſterum deferre uellet, hos palàm in SENATV nuncuparet, eorumq; nomina publicè ab eo ederētur: ne dum alij iuſto metu, alij conſcientia, alij falſa ſuſpicione ob tacitum indicium de uita ſua laborant, ex deſperatione tumultus, occaſio noua naſceretur. Is Vectius, cum etiā poſtea apud Nonium Nigrum Quæſtorem, Iulium Cæſarem Prætorem nominaſſet per calumniā, inductus à Catulo & Piſone, qui graues cū Cęſare inimicitias exercebant: pignorib. captis & direpta ſupellectile malè multatus eſt, atq; in carcerē coniectus: itē & Nonius Quęſtor, ꝙ cōpellari apud ſe maiorē poteſtatē paſſus eſſet. P. Acrodius ex Dione li. 37.

## PRVDENTIA EXTRA BELLVM, IN HABITIBVS MECHANICIS FOVENDIS, PROMOVENDIS, exercendis.

*Mechanicos prudentes libro primo propoſuimus, reſpectu habito Perſonæ, in quam prudentia cadit. At hîc Habitum mechanicum conſideramus, quem prudentia dirigit. Ex loco proinde Mechanicorum habituum ea afferri exempla poterunt, in quibus actiuus intelligentiæ habitus habitui famulatur factiuo.*

MYSON Chenæus, unus è ſeptem, ut quidam uolunt, uir bonus & bonus agricola, cùm hyeme uentilabrum pararet, tempore minimè oportuno cerealium ſeminũ euentationi: cauſam rogatus, ἐ γὰρ παρεσκευασμένας ποιεῖσθαι δεῖ, reſpondit, ἀ ποιοῦντας παρασκευάζεσθαι: Paratos enim facere oportet, non facientes parare. Plut. & Laërtius.

## PRVDENTIA EXTRA BELLVM, CIRCA PERTVRBATIONES ANIMI VERSANS. Huius ſunt loci

### AMOREM PRVDENTER CONCILIARE.

*Vide infrà, Prudentiam in Amicitia.*

### ANIMOSOS PRVDENTER REDDERE.

LACEDÆMONII, poſteaquam moderatè biberunt in conuiuiis publicis, diſcedunt abſq; tæda: non enim fas eſt illis ad lumen incedere, nec hac uia, nec illa, quò conſueſcãt in tenebris noctuq; confidenter & intrepidè ire. Id enim interdum in bellis uſuuenit, ut neceſſe ſit. Plutarchus in Laconicis, & Lycurgo.

Cùm Alcibiades adoleſcẽs admodum angeretur, & uehementer timeret in populi concionẽ prodire, SOCRATES confidentiorẽ eũ reddere & excitare uolens, An non, inquit, ſutorem illum (adiecto nomine) nihili pendis? Annuente Alcibiade, rurſum excipiens Socrates, Quid, inquit, an non etiam illum præconem, aut etiam coriarium illum? Fatente Alcibiade: Númne igitur concio, inquit, ex aliis quàm huiuſmodi conſtat? Quòd ſi ergo ſinguli contemnendi tibi ſunt, etiam quando unà ſunt congregati. Aelianus de Var. hiſtoria lib. 2.

### HILARITATEM REFRAENARE, COHIBERE.

AEGYPTII in conuiuiis modulationem adhibent, quam Linum uocant, ut & Græci. Linum autem Maneron fuiſſe aiunt, filium unicum primi ipſorum regis, qui cùm immatura morte deceſſiſſet, his lamentis ab Aegyptiis decoratus fuit. Et hæc cantilena prima ſolaq; apud ipſos inſtituta fuit, ad laſciuientes temeto animos in officio retinendos. Herodotus lib. 2.

Apud EOSDEM in conuiuiis locupletioribus, ubi à cœna diſceſſum eſt, circumfert aliquis in loculo mortuum è ligno factum, ſed pictura & opere uerũ cadauer maximè imitantem, longitudine cubitali omnino, aut bicubitali, oſtendẽſque ſingulis conuiuarum, ait: In hunc intuens, pota, & oblectare, talis poſt mortem futurus. Idem.

### POENITENTIAM PRVDENTER

*Præcauere.*

CHILON Lacedæmonius dicebat, Non committendũ ut lingua præcurreret animum, admonẽs, priùs cogitandũ quid loquaris, quàm lingua prorumpat in uerba. Neſcit enim uox miſſa reuerti. Cogitatio prior poteſt corrigi poſteriore: uox non item. Laertius.

*Introducere.*

IOSEPHVS apud Pharaonem in Aegypto primo loco habitus, fratres, à quibus uenditus fuerat, eò uenientes, ut frumenta emerent, ſe non agnoſcere fingit: obiectoq; quòd exploratores eſſent, in carcerem detrudit: deinde de carcere eductis iurat per ſalutem Pharaonis, non abituros inde, niſi minimum fratrum Beniamin, quem domi cum patre relictum dixerant, adducerent: quaſi hoc experimento deprehenſurus, utrum terram exploratum ueniſſent, an parandæ annonæ gratia à patre miſſi: & tamen omnes mox abire permiſit, præter unum, quem pro obſide tenuit ſecum. Poſtremò reuerſos unà cum Beniamin, ſcypho argẽteo in ſacco eius clã indito, furti inſimulauit. Quæritur, an illi tunc licuerit his ex induſtria confictis circumuentionibus uti? Et uidetur licuiſſe, cùm eò ſpectarit, ut pœnitentiam eliceret, per quam ipſi ſaluarentur, qui in fratrem peccauerant. Vnde toties uexati dicunt: Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem noſtrum. haud ita doluiſſent, ſi ſe ille repentè prodidiſſet. Qui poſtquam eos animo angi uidit, palàm facit ſe, iniuriam omnem remittit, ſingulos exoſculatur, & ut cum patre totaq; familia ad ſe in Aegyptum transmigrare maturent, perſuadet. Eos, cùm aduenïſſent, aluit, poſſeſſione terræ optimæ donauit, bonis multis affecit. Euacuata eſt igitur mendacij culpa, finis merito, dum per illam Ioſeph eis plurimùm prodeſſe nititur, à quibus grauiſſimè offenſus fuerat. Marulus lib. 4. cap. 4.

### SVSPICIONEM PRVDENTER

*Diluere.*

Henricus IV. Imp. equiti aurato ſuggeſſit, ut uxorem ſuam de ſtupro ſollicitaret, diuortij occaſionem quærens. Annuit ille, propoſita non modò impunitatis, ſed etiam præmiorũ ſpe. REGINA olfaciens dolum, iuſſit nocte intempeſta ad cubiculum uenire equitem. Dicto tempore adeſt ſimulato habitu Imperator. Quo clàm intromiſſo, oſtiũ repentè obſeratur: ancillæq; adulterum, ut putabant, pugnis, ſedilibus, & quibuſcunq; dabatur inſtrumentis percutiũt. Tandẽ exclamat ille, ſe Cæſarem eſſe. Verùm ſurdis canit fabulã: imò ſceleratum & impurum uocitat regina, uerberibuſque multatum extrudit foras, ſic ut per ſex hebdomadas lecto decumbere cogeretur, cauſa morbi diſſimulata. Ex Chronico Magdeburgenſi recitãt Seculares Hiſt. Eccleſiaſticæ ſcriptores, fabulam potiùs quàm hiſtoriam.

### IRAM PRVDENTER

*Præcauere, Auertere.*

Priamo ACHILLES, qui nõ eſſet placabilis nec manſuetus, ut ſilentium teneret, neq; iritaret ſe, præcepit hiſce uerbis:

Iritare ſenex noli me (reddere corpus
Hectoreum ſtatui tibi, ſic eſt ab Ioue iuſſum)
Ne te etiam caſtris expellam, ueneris etſi
Supplex: ſed mandata Iouis mihi ſunt ueneranda.

Atq; Hectorem lotum obuelatumq; rhedæ imponit, antequàm laceratus contumelioſè aſpiceretur à parente:

Ne natum hic cernens animo non comprimat iram
Triſti, atq; Aeacides grauiter commotus eundem
De medio tollat, Iouis & præcepta reſoluat.

Plut. de Audiendis poetis.

VLYSSES Odyſſ. π. cùm uideret Telemachum F. iracundum, & ægrè ferentem ignominias, quibus proci ſeſe afficiebant: ueritus, ne uindictæ cupiditate tumultum aliquẽ excitaret, & incautus Vlyſſem procis proderet, eum multo antè inſtruit, & iracundiam illius refrænat, inquiens:

εἰ δέ μ' ἀτιμήσουσι δόμον κάτα, σὸν δ' φίλον κῆρ
τετλάτω ἐν στήθεσι, κακῶς πάσχοντος ἐμεῖο.

COTYS Thracum rex, cùm natura eſſet in iram preceps, & acerbus titubantium in miniſteriis uindex: hoſpes autẽ quidam ei aliquãdo uaſa apportaſſet figulina fragilia & ſubtilia, quæ ſcitè & affabrè cælata & tornata erant: hoſpitem quidem eſt muneribus proſecutus, ſed uaſa confregit cuncta: Nequid, inquit, in eos, qui ea frangent, conſulam acerbius. Plut. in Apophthegmatibus.

Satyri Samij aures AMICI eius cera obſtruxerunt in cauſa agenda, ne omnia per iracundiam confunderet, auditis aduerſariorum conuitiis. Ariſtoteles, & Plutarchus de Non iraſcendo.

AVGVSTVS Imp. Vedij Pollionis uaſa omnia murrhina & cryſtallina, ob nimiam eius in ſeruos crudelitatem, ne occaſionem haberet iræ, confregit. Suetonius.

*Mitigare, Sedare.*

Non temerè intulit infortuniorum ſuorum PHOENIX mentionem, quòd parentem ſuum interimere ſit aggreſſus, cæterum ſtatim pœnituerit:

Percuſſor patris ne dicerer inter Achiuos.

Quo non caſtigare uideretur Achillem, quaſi bili ipſe non oportunus & planè inſons. Penetrant enim ea modeſtè, ceduntq; illi magis iis, quos paribus contactos morbis eſſe, neq; ipſos apparet faſtidire. Plut. de Diſcer. adul.

SOCRATES, quoties commoueri aduertebat ſe in amicum



aſperiùs, ueluti rupem obiiciens marino fluctui, remittebat uocem, arridebat uultu, & intuitu utebatur leni: itaq; uergendo alteram in partem, atq; in contrarium animi motũ ſe torquendo, ſtantem & infractum ſe conſeruabat. Plut. de Non iraſcendo.

ARISTOTELES Alexandrum excandeſcentem placare uolens, hæc ad eum ſcripſit: Excandeſcentia & ira non in pares, ſed in meliores exiſtere ſolet: tibi uerò nemo par eſt. Aelianus de Var. hiſt. lib. 12.

POLEMON, lacerante conuitiis eum quodam, qui gemmarum erat ſtudioſus, & in ſigilla precioſa permotus: reſpondit quidem nihil, ſed in unum ſigillum intentus erat & oculos defigebat. Eo iſte delectatus: Noli ita, inquit, Polemon, ſed id ad ſolem ſpecta, ac longè tibi præſtantius uidebitur. Plut. de Non iraſcendo.

HIPPOCRATIDAS, ad epiſtolam ſatrapæ Cariæ, quã ſcripſerat ciuem Lacedæmonium quibuſdã inſidias ipſi ſtruentibus eas ſilentio texiſſe, adieceratq;, quemadmodũ de eo ſtatueret: reſcripſit, Si magno beneficio eum affeciſti, trucida hominem: ſi minus, exige prouincia ignauum ad uirtutem. Plut. in Apophthegmatibus.

ATHENODORVS philoſophus in poſtremo congreſſu cũ Auguſto, loco xenij eum monuit, ut iratus nil priùs faceret, quàm uigintiquatuor Græcorum literas recitaſſet. Cælius Rhodiginus lib. 23. cap. 21.

VALENTINIANVS II. Imp. puer etiamnũ, Veronæ ad Flauium præfectum Illyrici atq; Italiæ de iuſſis exequendis in hũc modũ ſcripſit: Si uindicari in aliquot ſeueriùs cõtra noſtram conſuetudinem pro cauſſæ intuitu iuſſerimus, nolumus ſtatim eos aut ſubire pœnam, aut excipere ſentẽtiam, ſed per dies XXX ſuper ſtatu eorum ſors aut fortuna ſuſpẽſa ſit. Reos ſanè excipiat uinciatq; cuſtodia, & excubiis ſolertibus uigilantes obſeruet. Hoc, credo, ille matris Iuſtinæ impulſu edixit, uerentis, ne quid præcipitanter ætatis uitio in caput reorum decerneret. Sigonius lib. 8. Imp. occid.

Frotho, Danorum rex, ERICVM diſertum iactu ſicæ traiicere meditabatur. Conſcia fraternæ mentis Gunuata, ſponſum periculi præmonitura, Neminem, inquit, ſapientem fore, q̃ ſui prouiſor non ſit. Quo dicto Ericus propulſandę fraudis admonitus, ſuggeſtam ſibi cautelam argutus excepit. Continuò nanq; exiliens, Triumphalem, ait, fore gloriã, ſapientis dolum ſuimet ultorem exiſtere. Quem quum rex repentino cultri iactu declinantem occupare non poſſet, aduerſo parieti errabundum incidit ferrum. Tunc ſic Ericus: Porrigenda ſunt amicis munera, non iactanda: probabile feciſſes donum, ſi comitem ferro uaginam dediſſes. Quam rex continuò cingulo detractam petenti tradidit. Ita alienæ ſimulationis induſtria delinitus, emiſſum malignè telum, benignè poſſidendum conceſſit. Saxo lib. 5.

*Abolere.*

*Vide Tit. Prudentiæ in Reconciliandis inimicis.*

EVCLIDES, cùm frater ei ex iurgio diceret: Diſpeream, niſi te malè multem: Ego uerò diſpeream, inquit, niſi te reconciliem. Ita pudore iniecto eum repreſſit & immutauit confeſtim. Plut. de Non iraſcendo.

Florentini, Piſani belli tempore à Græcis equitibus malè habiti, edictum propoſuerũt, ne quis ex eis captiuus duceretur, ſed captus interficeretur. VENETI edici contrà iuſſere, idẽ ſui milites facerent, neq; ulli omnino ex hoſtium numero parcerent, ſed omnes peræquè interficerent. Florentini, edicto reſciſſo, ad morem belli priſtinum redierunt. Bembus libro 4. Venetæ hiſt.

### MISERICORDIAM PRVDENTER EXCITARE.

Theodoſius Imp. ad menſas habebat pueros muſicos. Qui cũ à FLAVIANO epiſcopo Antiocheno inſtructi, carmina q̃dam luctuoſa, & ad commiſerationem mouẽdam idonea, quibus in ſupplicationibus Antiocheni utebantur, ceciniſſent: ita fuit eis Imperator commotus, ut, cùm phialam manibus teneret, lacrymis abſtinere non potuerit. Eaq; ratione urbi, cui grauiſſimè ob negatum tributũ & per ſeditionem deiectam uxoris Placillæ ſtatuam ſuccenſebat, reconciliatus eſt. Nicephorus lib. 12. cap. 43.

VENCESLAVS IV. Boemorum rex, in puniendis delictis ſacro hoc carmine ſeipſum retinere ſolebat: Quum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis. Dubrauius lib. 18.

### LVCTVM, MOERORE M PRVDENTER

*Declinare, Præcauere.*

PERSÆ editum infantem, ante ſeptennium in conſpectũ parentum non adducunt. Alij, niſi poſt pubertatem filios à parentibus conſpici non ſinũt: qui mos apud HEDVOS, plurimaſq; Gallorum & Germanorum gentes frequens fuiſſe traditur: ſcilicet, ut ſi quid grauius accidiſſet, aut ſi qua calamitas & aduerſi caſus puero euenturi forent, illos parẽtes, qui ipſorum conſpectu tamdiu caruerant, faciliùs ferrent. Val. Max. lib. 2. c. 1. Strabo lib. 15. in fine. Herodotus.

*Mitigare.*

IOABVS, polemarchus Dauidis regis, cùm cæſo Abſalomo mirum in modum rex lugeret, ei interminatus eſt, niſi in publicum prodiret, ſe auctore omnes ante noctem ab eo defecturos. Ea uoce territus Dauid, in porta conſedit, & gratulantes ſibi de uictoria Iſraelitas admiſit. 2. Reg. 19.

LYCII, cùm luctus iis incidit, muliebrem ueſtem induunt, ut deformitate cultus commoniti, maturiùs ſtultum proiicere mœrorem uelint. Val. Max. lib. 2. c. 1. & Plut. in Orat. conſol.

Philoſophorum QVIDAM ad reginam Arſinoen ingreſſus, quæ filiũ lugebat, huiuſcemodi oratione uſus dicitur: Quo * tempore dilargiebatur dæmonibus Iupiter honores, abſentem fuiſſe Luctum. Illis iam diſtributis, ueniſſe eum ſerò. Iouem itaq;, cùm peteret, ut etiam ſibi honorem haberet, fluctuantem animo, quòd omnes iam effudiſſet in alios, hũc ei impertiſſe, qui in defunctorum funere fit, lacrymas & ægritudines animi. Sicut igitur cæteri dij, à quibus coluntur, hos diligunt: item Luctus, ſi eum contemſeris, mulier, non adibit te. Si uerò colatur à te, accuratè delatis ſibi honorib. mœroribus & lamentationibus: diliget, ſemperq; aliquid tibi ſuppeditabit eiuſcemodi, quo abs te aſſiduè colatur. Plut. idem.

SOLON cùm ex amicis quendam grauiter mœrentem uideret, in arcem perduxit, hortatuſque eſt, ut per omnes ſubiectorum ædificiorum partes oculos circunferret: &, Cogita nunc tecum (inquit) quàm multi luctus ſub his tectis & olim fuerint, hodieq; uerſentur, inſequentibuſq; ſeculis ſint habitaturi: ac mitte mortalium incommoda tanquam propria deflere. Qua conſolatione demonſtrauit, urbes eſſe humanarum cladium conſepta miſeranda. Val. Max. lib. 7. c. 2. Ita quoq; SER. Sulpitius lib. 4. Epiſt. 5. conſolatur Ciceronẽ de obitu Tulliolæ, exẽplo interitus clariſſimarũ urbium.

### INVIDIAM PRVDENTER

*Declinare, Auertere.*

PYTHON Aenius, qui interfecto Cotye Athenas uenit, cùm certarent preconiis eius ad populum concionatores: poſtquam ſenſit inuidere ſibi aliquos atq; offendi, in concionẽ progreſſus ita fatus eſt: Deus aliquis, Athenienſes, hæc patrauit, nos manus commodauimus. Plut. de Sui laude.

EPAMINONDAS, deridẽte aliquando eũ Meneclida, quòd maiores quã Agamemnon animos gereret: Nempe ꝓpter uos, inquit, Thebani: quibuſcum ſolis, Lacedæmoniorum imperium uno die diſſolui. Idem.

EVMENES Cardianus ab Antigono obſeſſus, liberatꝰ eſt ab illis; qui in Macedonia Antigoni incrementum metuebãt, & Olympiade orante accerſitus, ut paruum filium Alexandri ſuſciperet educerétq; inſidiis petitum: Polyperchonte autem & Philippo rege imperantibus, præeſſet exercitui, q̃ in Cappadocia erat, ac bellum cum Antigono gereret: utq; ex pecunia, quę erat Quindis, quingenta talenta ad res ſuas reparandas: ad bellum uerò, quanta pecunia uti liberet, eã acciperet. De his Antigeni quoq; & Teutamo Argyraſpidũ præfectis ſcripſerant. Qui acceptis literis Eumenem uerbis benignè exceperunt: ſed inuidia atq; ęmulatione prodiderunt ſe rumpi, dedignantes illi concedere. Inuidiam Eumenes pecunia, quaſi ea non indigeret, non accepta leniuit. At peruicaciæ eorum & ambitioni, qui neq; imperare ſcirent, neq; uellent ſequi, incuſſit ſuperſtitionem. Alexandrum ſibi ait per ſomnium oblatum fuiſſe, ac tabernaculum mõſtraſſe regaliter inſtructum, collocatumq; in eo ſolium: inde ſtatim, ſi illuc conuenirent & res tractarent, præſtò fore ſe & ſecundaturum omnia conſilia cœptaq; auſpiciis ſuſcepta ſuis. Facilè hæc perſuaſit Antigeni & Teutamo: qui nec adire illum ſuſtinebant, & ille dedignabatur aſſiſtere aliorum foribus uideri. Ita poſito regio tabernaculo & ſolio, quod Alexandro nuncupauerunt, eò cõueniebant de ſummis rerum conſultantes. Plut. in eius uita.

Militibus PYRRHVM, Epirotarum regem, Aquilam appellantibus: Quidni ſim, inquit, armis ueſtris ut pennis ſublatus? Plut. in Apophthegmatis.

SCIPIO Africanus diu ruſticatus eſt, quò & inuidiæ pondus detraheret, & iis, qui premi uidebantur ab ſua gloria, reſpirare concederet. Plut. in Politicis.

Deterſit L. SYLLA efferenda fortuna inuidiam. Deniq; Fauſtum ſe appellauit. Siquidem felicitate malunt homines q̃ uirtute uinci: quòd hoc proprium delictũ & ſua culpa contractum, illud bonum exiſtimant alienũ. Plut. de Sui laude.

### SVPERBIAM TOLLERE, HVMILITATEM PROMOVERE.

*De huius prudenti Moderatione ſuprà ſub Ambitionis habitu egimus.*

# PRVDENTIA EXTRÀ BELLVM IN EFFECTIONIBVS QVIBVSDAM, ANIMI MOTVM CONſequentibus, occupata.

*Politica hic tractamus exempla. Bellica alterius ſunt loci: inter quæ de literis occultè mittendis, ne hoſtes reſciſcant, agetur.*

## EXPLICARE, DETEGERE, INDICARE, NVNCIARE, ADMONERE; Hortari alterum prudenter. Putà

*Factum.*

Tereus, Martis & nymphæ Biſtonidis F. ductâ Progne, Pădionis Athenarum regis filia, precib. eius impulſus, ad ſocerũ contendit, rogauitq́;, ut ſecum PHILOMELAM ad uiſendam ſororem mitteret. In itinere ad Parnaſſi urbem Daulidem eam uitiauit: & ne illa facinus ſorori indicaret, linguã præcidit, mortuamq́; in itinere ſorori Progni nunciauit. Philomela rem clàm per nuncios ſuo ſanguine ſcriptam ad ſororem miſit, uel potius, ut ſenſit Nicocrates, & Ouid. lib. 6. Metam. acu pictam ad illam clàm deferendam curauit. Strabo lib. 9. Pauſanias in Phocicis. Natalis Comes Mythol. lib. 7. cap. 10.

Cùm Magi, qui regnum Perſarum per fraudem falſi Smerdis occupauerant, inito conſilio Prexaſpem accerſiuiſſent, ab eoq́; fidem ac iuſiurandum accepiſſent, ut palàm corã populo ex editiſſima turri aſſeueraret, ſuperſtitem adhuc eſſe Cyri filium Smerdem, nec à ſe ipſum, uti præceperat Cambyſes, interfectum eſſe: & Prexaſpes ſummæ apud Perſas auctoritatis id ſe facturum dixiſſet: Magi cõuocatis Perſis hominem in turrim perductum iubent habere orationẽ. PREXASPES ea, quæ ab iſtis oratus fuerat, ſpõte obliuiſcitur: exorſuſq́; ab Achæmene, ſeriem familiæ Cyri recẽſet: & tandem ad Cyrum deueniẽs, promſit ueritatem, cauſatus ideo ſe hactenus occultaſſe id, quod præter ſe & Magos hactenus nemo cognouiſſet, quòd ſibi tutum non fuiſſet proferre rem geſtam: ſed in præſentiarum neceſſitate coactũ proferre: dixitq́; ſe à Cambyſe adactum, Smerdem Cyri occidiſſe, & Magos eſſe, qui regnẽt. Multis quoq; uerbis Perſas deuouit, niſi rurſus imperium recuperarent, ac Magos ulciſcerentur. Hæc locutus ſeſe in caput è turri præcipitem dedit. Herodotus lib. 3.

Gormo III. Danorum rex, Haraldum & Canutum filios ad ſubigendam Hyberniã miſerat. Canutus in obſidione Duflinæ oppidi ſagitta peremtus occubuit. Gormo ſenex & cæcus quòd Canutũ ardentiſſimè diligeret, à quocunq; mortis eius nuncium accepiſſet, eum ſe interfecturum minabatur. Ergo cùm THIRA uxor haud dubiũ dè eiuſdem exitio nuncium accepiſſet, caſum, quem ore prodere timuit, opere explicauit. Maritum nanq; regio cultu exutum, atro circumdedit, aliaq́; doloris inſignia, per quæ cauſam luctus aperiret, admouit. Tunc Gormo: En mihi, inquit, Kanuti fatum indicas? Et Thira, Idipſum (ait) tu potiùs ſuſpicaris. Quo dicto Gormo repentè defecit. Saxo lib. 9.

*Conſilium.*

Cùm Pauſanias Lacedæmonius in Chalciœci templum confugiſſet, dubitantibus Lacedæmoniis, Num fas eſſet ſupplicem ab aris abſtractum depoſci ad ſuppliciũ? Pauſaniæ mater THEANO taciturna templum ingreſſa, latere in limine templi depoſito, abiit. Lacedæmonij quid facto opus eſſet admoniti, aditus templi omnes muro obſtruxêre, & illic fame proditorem patriæ necauêre. Diod. lib. 1.

THRASYBVLVS Mileſiorũ tyrannus, Periandro Corinthio cõſilium ſuum ingenioſè communicauit. Thraſybulũ multo pòſt imitatus eſt L. TARQVINIVS Priſcus Rom. rex. Sed utrunq; inter Aſtutiæ exempla reponendum.

THEMISTOCLES poſtquã profugit Athenis primùm, deinde ex Græcia quoq́;, cõtendit ad regem: ac dicere iuſſus, ſermonem ait inſtar eſſe ſtragulorũ pictorum: nam ut hæc, ita illum expanſum aperire imagines, cõtractum tegere ac deprauare. Poſtulauit autem ſpacium, quo percepta lingua Perſica ſuo arbitrio, nõ per interpretẽ, conſilia ſua regi aperiret. Plut. in Apophthegmatis.

DEMADES nolentibus Athenienſibus diuinos honores Alexandro decernere, Videte (inquit) ne dum cœlũ cuſtoditis, terram amittatis. Val. lib. 7. cap. 2.

M. ATTILIVS conſul bello contra Antiochum Zacynthum Achæis ademit, quam Romanis armis iam antea quæſitã, gens ipſa fraude interceperat: teſtatus, nihil Achæis expedire procul à domo aliquid poſſidere, quippe qui teſtudini eſſent perquàm ſimiles, quæ quum ſua contegitur teſta, tuta ab omni externa ui eſſet: eandem, qualibet ſui parte exerta, iniuriæ fieri obnoxiam. Sic gentem ipſam Peloponneſi finibus ſatis ualidam uideri: contrà procul euectam, externis armis infeſtiorem fieri. Sab. lib. 7. Enn. 5. At Plut. in Vitis hoc T. FLAMINIO tribuit, & idipſum in Apopht. repetit.

Cæſo Childerico II. Francorum rege, & Theoderico ei ſuccedente, EBROINVS magiſter equitum à Childerico monaſterio incluſus, illud egreditur, contraq; Theodericum caſtrametatur, conuenientib. ad eum iis, quorum ex ſententiã res nõ erant. Cùm uerò per literas clàm ueteres amicos cõſuleret, Quidnam conſilij capiendum uideretur? illi perplexè, ac his tantùm duob. uerbis reſponderũt: Memineris Fredegundis. Intellexit uir militaris, ueteranuſq́; dux, ex breuitate dicti, ſe hoſti contemtui eſſe: audendum, ac in celeritate poſitam uictoriam. Cum delectiſſimis igitur equitum & uelociſſimis peditum ſub noctem iter ingreſſus, Iſaram fl. cæſis cuſtodib. uado tranſmiſit, hoſteſq́; inopinãtes oppreſſit. Aemilius lib. 1.

Contra Carolum Magnum coniurarant proceres, & PIPINVM eius F. natu maximum in ſceleris ſocietatem pertraxerant. Detectis inſidiis, coniurati in uincula coniecti, Pipinus in cœnobium S. Galli deportatus. Poſt aliquot dies Carolus in cõiuratos animaduerſurus, mittit ad Pipinum, qui confeſſionem criminis ab eo exprimant, & ſociorũ improbitatem accuratè cognoſcant. Illi in horto inutiles herbas radicitùs euellentem reperiunt, & legatione obita nihil aliud ab eo reſponſi tulerunt, quàm ut abirent, & patri exercitationem ſuam renunciarẽt. Intellexit facilè prudẽs pater condemnationis ſententiã tacitè à filio latam, & de coniuratis ſumto ſupplicio, filium in Prumienſe monaſteriũ Treuerenſium, mitigandi exilij cauſa, relegauit. Auentin. lib. 4.

MATTHÆVS Magnus, Vicecomes, Mediolanenſe principatu nõ paucos annos cũ ſumma felicitate funct⁹, poſtmodũ à Martino Turriano pulſus, Veronam confugit, peneſq́; Scalanos principes non paucos menſes ſecurus egit. Poſtea uerò Benacum petẽs, quum interrogatus eſſet, Quidnam ageret in loco Turrianis tam propinquo, neq; ſatis tuto? reſpõdit, Piſcationi hîc uaco, dum, quem uolo, piſcẽ magnũ prehendam. Neq; multo pòſt, Henrici Imp. opera reſtitutus fuit. Egnat. lib. 7. cap. 2.

COSMVS Medices Florentia à Strozianis pulſus, à Pallantis Strozæ nuncio interrogatus, Quid ad lacum Benacum deſidêret tamdiu? reſpondit, Gallinæ incubanti frequens adſum, donec pulli excludantur. Mentis id emotæ ſignum eſſe nuncius arbitratus, riſit. At Coſmus Venetorum gratia conciliata, eorundẽ ope reditũ tandẽ conſecutus eſt. Idem.

*Sententiam, Voluntatem.*

Cambyſes Perſarum rex, cùm inceſtis nuptiis ſororem ſibi iungere decreuiſſet, conuocauit ſeptem Perſarum PRINCIPES, &, An lex aliqua eſſet, quæ cum ſorore matrimonium facere permitteret? interrogauit. Illi re deliberata, prudenter reſponderunt: Nulla quidem lex eſt, quæ matrimonium cum ſorore contrahere permittat: ſed eſt tamen conſuetudo quædam apud Perſas, quæ regi pro arbitrio omnia facere concedit. Videbant ſapientiſſimi uiri, non hoc regem agere, ut, quid iuris eſſet, cognoſceret: ſed potiùs ut eos, qui inceſtis nuptiis aduerſaturi eſſent, exploraret, & è medio tolleret. Quare prudenti reſponſo & ueritati ſunt patrocinati, & uitæ ſuæ conſuluerunt. Herod.

DARIVS Perſarum rex, cùm leges & conſuetudines pleraſq́; non natura, ſed opinione tantùm conſtare, uellet oſtendere, accerſiuit eos (qui in ſua ditione erant) Græcos, eoſque percontatus eſt, Quanta pecunia uellent defunctis parentibus ueſci? Illis negantibus, ullo ſe præmio hoc eſſe facturos: Darius dehinc Græcis præſentibus, & quæ dicebantur per interpretem diſcentibus, interrogauit eos Indos, q̃ Calatiæ nominantur, qui ueſcuntur parentibus, Quantam accipere pecuniam uellent, ut patres defunctos igne comburerent? Indi uehementer reclamantes, meliora illum ominari iubebant. Hoc faciebat Darius, ut mores ſuos cuique probari, peregrinos odio eſſe, oſtenderet. Herod. lib. 3.

CORDILLA Leyri Britannorum antiqui regis filia, natu minima, cui præcox natura ingeniũ dederat, interrogata à parente, An parentem multùm diligeret? reſpondit, Se patrem ferre in oculis, ſemperq́; laturam: licèt deinde cõtingeret, ut quempiam aliũ (de marito intelligebat) ardentiùs amaret. Quo reſponſo, tametſi ſapientię pleno, Leyrus indignatus, indotatã regulo Gallo puellæ forma capto collocauit. Sed haud multo pòſt à generis & filiabus ſuis natu maiorib. ingratiſſimis, eius mortẽ expectare longum cenſentib. regno ſpoliatus, ad Cordillã confugere coactus eſt, à qua in regnũ reſtitutus, interfectis generis, trienniũ regnauit. Polyd. lib. 1.

Lignum compactile, Teſſera, more Danico inter amicos ſigilli uim obtinet. Eo inſtructus nuncius, ore data mandata oretenus tradit. Saxo lib. 14.

*Præſtantiam ſuam aliorúmue.*



AGESILAVS rex, cùm fremere ſocios ob continua bella accepiſſet, qui paucorum Lacedæmoniorum, frequentes ipſi, ductum ſequerentur: quò detegeret eorum numerum, ſocios iuſſit omnes inter ſe promiſcuè conſidere, Lacedæmonios ſeorſum ſolos. Inde pronunciauit, ut figuli primi exurgerent. Vbi hi conſurrexere, mox excitauit fabros ærarios, hinc materiarios & ædificatores, reliquoſq́; per ſingula artificia. Ita cuncti propè ſocij ſurrexere, ex Lacedæmoniis nemo. Quippe his artem exercere & diſcere uilem, uetitumi erat. Itaq; arridens Ageſilaus: Videtis, inquit, ſocij, quanto nos quàm uos plures milites præbeamus? Plut. in Apopht.

THEMISTOCLES ad nonnullos duces, qui pòſt Athenis inclaruerant, eiq́; contendebant pręferri: Cum die feſto, inquit, ambigens poſterus, eſſe illum allegauit laborib. & negotiis plenum, in ſe paratis homines feriantes frui. Cui reſpondit dies feſtus: Rectè ais, ſed niſi ego ſim, ubi tu eſſes? Ego etiam, inquit, niſi bello Medico fuiſſem, quis iam ueſtri uſus foret? Plut. de Rom. fortuna.

DINOCRATES, architectus maximè nobilis, cùm aditũ ad Alexandrum impetrare per purpuratos ac familiares eius minimè poſſet, iudicaretq́; ab illis ſe irriſum iri, cõſilium & auxilium à ſeipſo mira aſtutia petiit. Cum eſſet igitur procera admodum ſtatura, nec quadratis tantùm membris, uerùm forma ac dignitate corporis totius inſignis, atq; aſpectu ipſo præcipuè Græcus: nactus oportunitatem, quo die Alexander præſidebat iuri dicundo, nudatis membris, oleoq́; peruncto corpore, ac populea fronde coronato capite, læuo humero leonis pelle ámicto, dextra clauã geſtans, ad tribunal prodiit. Qua nouitate commotus Alexãder, iuſſit aditum illi ad ſe dari: percunctantiq́;, Quidnam eſſet, aut quid eo habitu ſibi uellet? reſpõdit, Quęſiſſe eo ſe habitu ad illum aditum: ſine aſtutia enim illa ad regem peruenire nõ potuiſſe. Et ſic ab eodẽ Alexandro exceptus, illiuſq́; peregrinationum comes factus eſt. Pontanus lib. 5. c. 1. de Prudẽtia.

GVLIELMVS Normannorum dux, Ludouicum Franciæ regem Henrico I. Cæſari conciliaturus, Cęſari occurrerat cũ quingentis equis, reliquum exercitũ ſenſim iubens ſequi. Erant inter Saxones qui dicerent Cononi duci, Ea uerò eſt magnificentia, quam in cœlum tuliſti, quingentis accedere militibus? Gulielmus re diſſimulata, poſtera luce præmiſit in urbem militum ualidam manum, ut loca caperent uenturo exercitui. Illi tum ferociùs agebant, aſſueti portas conuellere, muros diruere, & inſolentiùs in captis urbibus agere. Præuenerat cæteros Henricus Cæſar: & exaudita per clamorem tumultuoſum Normannorum inſolentia, iubet egredi Cononem, & compeſcere uim atq; ferociam. Ille profectus ad Gulielmum, orat, iubeat conquieſcere uim militum, ne ad tumultum res perueniat. Vade, inquit Cononi, dic uerbis meis, ut modeſtiùs agant. Ille concitò, Iubet, inquit, Gulielmus, & ego rogo, ut moderatiùs agatis. At illi expellunt reſiſtentes, inſiliunt. Reuerſus ad Gulielmum Conon, Per Deum, inquit, & quicquid ſanctum eſt, oratus adſis: ne conuentus pacis gratia inſtitutus, in magnũ & cruentum bellum exurgat. Tum Gulielmus, miſſo per manũ Cononis gladio, iubet quieſcant. Illi enſe uiſo mox uultus deiiciunt, modeſtiùs agunt, militaremq́; diſciplinam ſeruant. Voluit Gulielmus Saxonibus oſtendere, contemtorib. ſuis, quales milites haberet. Cranzius lib. 2. Noruagiæ cap. 32.

## CAELARE, OCCVLTARE prudenter

*Conſultationem.*

Mos olim Rom. ſenatoribus fuit, in curiam cum prætextatis filiis introire. Cùm in ſenatu res maior quæpiam conſultaretur, eaq́; in diem poſterum prolata eſſet, placuit, ut hanc rem, ſuper qua tractauiſſent, ne quis enunciaret, priuſquã decreta eſſet. Mater PAPYRII pueri, qui cum parente ſuo in curia fuerat, percontatur filium, Quidnam in ſenatu egiſſent patres? Puer reſpondit, Tacendum eſſe, neq; id dici licere. Mulier fit audiendi cupidior ſecretum rei, & ſilentiũ pueri, animum eius ad exquirendum euerberat. Quærit igitur comprehenſiùs uiolentiuſq́;. Tum puer, urgente matre, lepidi atq; feſtiui mendacij conſilium capit. Actum in ſenatu dicit, Vtrum uideretur utilius, magiſque ex rep. eſſe: unúſne ut duas uxores haberet, an ut una apud duos nupta eſſet? Hoc ubi illa audiuit, animo compaueſcit: domo trepidans egreditur, ad cæteras matronas affert. Poſtridie ad ſenatũ copioſæ matrumfamiliâs cateruæ confluunt: lacrymantes, atq; obſecrantes orant, una potiùs ut duobus nupta fieret, q̃ uni duæ. Senatores ingredientes curiam, quæ illa mulierum intẽperies, & quid ſibi poſtulatio hæc uellet, mirabantur: & non ut paruæ rei prodigium, illam uerecundi ſexus impudicam inſaniam paueſcebant. Puer Papyrius publicũ metum demit. Nam in medium curiæ progreſſus, quid ipſi mater audire inſtitiſſet, quid matri ipſe ſimulaſſet, ſicuti fuerat, enarrat. Senatus fidem atq; ingeniũ pueri exoſculatur: conſultumq́; facit, uti poſthac pueri cum patrib. in curiam non introeãt, præter illum unum Papyrium: eiq́; puero poſtea cognomentum, honoris gratiâ, decreto inditum, Prætextatus: ob tacendi loquendiq́; in prætextata ætate prudẽtiam. Hoc cognomẽtum poſtea familiæ in nomẽ hæſit. Macrobius lib. 1. Saturn. c. 6. & Gellius lib. 1. c. 23.

Senatus Romanus ꝑ multos dies, remotis aliis, de re quapiã ſecreta deliberabat. Quod cùm multos ſuſpẽſos teneret cogitantes, quid rei ageretur: femina cætera modeſta, femina tamẽ, importunè VIRVM ſuum & magnoperè orabat, ut declararet ſibi illud arcani. Iam iuramẽta & deuotiones tacituram ſe offerebat, quiritabaturq́; cum lacrymis, non haberi ſibi fidem. Cuius ut Romanus hic detegeret ſtoliditatem: Expugnas, inquit, me mulier. Accipe rem atrocem & prodigioſam. Nunciatum nobis ab auguribus eſt, caſſitam cum galea aurea & haſta uiſam uolantem. Hoc portentum conſideramus, fauſtum an infauſtum ſit, augureſq́; conſulimus. Cæterùm tu tace. Sic fatus contulit ſe ad forum. Hæc ancillam, quæ prima ingrediebatur, appellans, pectus ſuũ tundebat, capillum uellebat, dicebatq́;: Heu uirum meũ & patriam: quid nobis fiet? uolens & docens ancillam dicere, quidnam rei eſt? Cui ut percunctatæ rem expoſuit, clauſulamq́; omnis garrulitatis adiecit communem: Caue hæc cuiquam dixeris, ſed ſile: uix ancilla ab ea eſt digreſſa, quin acturũ ei ex aliis ancillis, cui maximè uidebat otiũ eſſe, obiicit dictum: illa amatori, qui eam adiit, enũciat. Ita cùm in forum fabula dimanaſſet, ut præcurrerit rumoris auctorẽ: ex familiaribus quiſpiam factus ei obuiam: Modóne, inq̃t, domo ad forum uenis? Modò admodum, infit ille. Ergo nihil audiſti? Nunquid noui? Caſſita uiſa eſt uolans cum galea aurea & haſta. De hoc ſenatum conſules habituri ſunt. Tum ille arridens: Satis, inquit, ſtrenuè, mulier. Nempe tibi quod dixi, pergentem ad forum me præuertit. Ac conſules quidem appellans, diſcuſſit terrorem: cæterũ uxorem hoc modo ultus eſt. Vt domum eſt ingreſſus, Perdidiſti, inquit, me, mulier. Arcanum illud è domo mea compertum eſt elatum in uulgus fuiſſe. Quamobrem ex tua impotentia eundum eſt mihi in exilium. Quæ cùm ad inficiandum ſe conuerteret cauſareturq́;: An non hoc tu cum trecẽtis audiſti? Quibus, inquit, trecentis? te ut probarẽ hanc finxi fabulam. Hic quidem tutò & cautè quaſi in dolium carioſum, nõ uinum, non oleum, ſed diffundens aquam, uxoris periculũ fecit. Plut. de Garrulitate.

Gallica & Cæſarea factio inter Venetos patritios ultra q̃ libertas patrię ſineret, tam altas egerat radices, quo tempore calamitoſum illud cum Solymanno bellum geſſere, ut cũcta Senatus decreta, inexorabili antea ſilentio religioſè cuſtodita, non modò ad præſentes legatos Cæſaris & Galli, ſed in prouincias quoq; literis emanarẽt. Erant ex ordine Rogatorum, qui dicerẽt ſententiam, & in ſuffragium irent homines fermè ducenti. Hac multitudine offenſus MARCVS Foſcarus, ſenator prudentiſſ. ad quinquaginta uiros, qui uſu rerum, fide charitateq́; patriæ probarentur, grauiſſimi atq; maximè arcani conſilij ſummam reuocabat. Ita rebatur, multorum inſaniã paucorum ſapiẽtia ſuperari. Sed tanta mox Foſcarus inuidia deflagrauit apud multitudinem, quum ea ſe conſiliis excludi, notariq́; infamia leuitatis atq; imperitiæ minimè pateretur, ut uir ille inter ſummos ſenatores facilè excellẽs, Rogatorum ordine ſit eiectus. Verùm ei non multo pòſt, quod diuinè & ſapiẽtiſſimè prouidiſſet, magnæ gloriæ ceſſit, detectis his, qui reip. arcana prodiderant, non Chriſtianis modò, ſed & per illos ipſi Solymãno. Sabellici Supplem. lib. 23. ex Iouio.

Quum Franciſcus Carmaniola ſummo mane ad FRANCISCVM Foſcarum Venetorum ducẽ ueniſſet, cauſamq́; quęreret, Cur totam noctẽ Senatus habitus eſſet, qui paulo antè dimiſſus erat? Ecquis alius, reſpondit, quàm tu auctor fuiſti? Egimus de tuis laudibus, deq; tuo augẽdo ſtipẽdio, donandoq; tibi oppido, ubi malles. Ita igitur nihil amplius ſuſpicatus mali Carmaniola, carceri incluſus, nõ multo pòſt ſupremo ſupplicio propter tentatã proditionẽ affectus eſt. Egnatius lib. 7. cap. 2.

*Coniurationem.*

Sublato Hipparcho Athenienſium tyranno ab Ariſtogitone & Harmodio: Hippias LEÆNAM tyranni ſcortũ in quæſtionibus examinauit, ut coniurationis ſocios indicaret. Illa ꝓ uirili parte reſtitit: ſed tormentorum ui ſuperata, ſuam ipſa linguam abſcidit. Polyænus lib. 8. & Fulgoſus lib. 3. cap. 3. & Sabellicus lib. 5. cap. 8.

Cùm ZENO Eleates Agrigentum ueniſſet, & ſperaſſet & tyranno & Phalaridi uæſanæ mentis feritatem præceptis uirtutum eripere: ſed fruſtrà tentaſſet omnia: nobiliſſimos eius ciuitatis adoleſcentes cupiditate liberandæ patriæ in-

flammauit. Cuius rei fama cùm ad tyrannũ manaſſet, conuocato in forum populo, torquere eum uario cruciatus genere cœpit, ſubinde quærens, Quóſnam conſilij participes haberet? At ille nec eorum quempiam nominauit, & proximum quenque ac fidiſſimum tyranno ſuſpectum reddidit: increpitanſq; Agrigẽtinis ignauiam ac timiditatem, effecit ut ſubito mentis impulſu concitati, Phalarim lapidibus proſternerent. Val. Max. lib. 3. cap. 3.

EPICHARIS mima, conſpirationis Piſonianæ nomine aduerſus Neronem tormentis ſubiecta, nunquã eò adduci potuit, ut confeſſione ſua rem ullam aperiret: ſed potiùs ſoluta zona ſeipſam in lecto ſtrangulauit. Suetonius.

Io. BONETVS Veronenſis, cùm ab Eccelino Romano, Veronæ ac Taruiſinæ Marchiæ principe crudeliſſimo, Patauium ad prætorem Anſedinum ipſius crudelitatis miniſtrum miſſus eſſet: diu promiſſis allectus, deinde tormentis diſcruciatus, ut initæ in tyrannum coniurationis quoſdam nominaret, quos ipſe inſontes norat: ne fortè doloris magnitudo ad ea dicenda cogeret, quæ ipſe ſponte ſua nũnquam faſſurus erat, in ipſius prætoris conſpectu ſibiipſi dentibus linguam abſcidit: atq; haud multo pòſt inter tormenta defecit. Fulgoſus lib. 3. cap. 3.

*Factum.*

SAMVEL propheta, ne Saulus rex reſciſceret unctionem Dauidis in regem, ſimulauit ſe Bethlehemam ſacrificij cauſâ proficiſci. 1. Reg. 16.

THEMISTOCLES patriæ mœnia & portum Piræeum extructurus, cùm id Spartanos nõ laturos ſciret, omnibus ad opus paratis, miſit ad eos legatos, qui docerent, rebus Græciæ communibus maximè neceſſarium prorſus eſſe, uti portum quendam idoneum aduerſus Perſarum incurſationes ſibi præpararent. Qua re propoſita, dũ diu conſultatione implicaretur ambigua, ne ad extructionem portus prohibendam magnoperè intenderet, quod iam antè ſemel fecerãt, ille incredibili celeritate portum ampliſſimũ extruxit. Diodorus lib. 11.

Proditur memoriæ, PERICLEM Athenienſium principem, uim pecuniæ non paruã ſub proditionis conditione Cleandrio & Pliſtonacti Lacedæmoniorũ Ephoris erogaſſe. Mox quum adminiſtrationis rationem repeteret ciuitas, nolens uir prudentiſſimus ſe ſimul & Lacedæmonios deformare, adſcripſit, εἰς τὰ δέον ἀνήλωσα: quo utique ſignificabat, bono publico erogatam pecuniam. Cælius lib. 11. cap. 8. Antiquarum lectionum.

BARDILO Vicentinus, cùm aduerſæ factionis falſis accuſationibus premeretur, & propterea à magiſtratu diſquiſitione habita torqueretur: cùm tormentis putaretur adduci poſſe, ut falſa fateretur, & ita perdi poſſet: priùs uerbis ſe excuſauit, ne dolore uinci crederetur: deinde dentibus linguã abſcidit, ſanguineq; inde largiùs manante, periit. Fulgoſus lib. 3. cap. 3.

*Mortem.*

Othonis III. Imp. ueneficio, Creſcentis uxoris apud Paternũ Lombardiæ ſublati cadauer aromatibus refertum, & ueſtibus regiis ad occultandam mortem ornatum, ſimulq; ipſa Imperij inſignia MILITES tulerunt, eaq; quamuis infeſtis Italicorum incurſionibus appetiti, acriter armis defenſa tutò Auguſtam uſq; ſpecie alacres deportarunt. Sigonius lib. 7. regni Italici.

## EXPLORARE, EXPISCARI, ELICERE PRVDENTER.

☞ *Modus expiſcandi & deprehendendi, Prudentiæ in inueniendo eſt. Ipſa alioqui deprehenſio & cognitio, ad Prudentiam in iudicando quoq; referri queat.*

*Dei iram explorare.*

PALÆSTINI, cùm capta Dei Iſraelitarũ arca, & dyſenteria & muribus crudeliſſimè uexarentur, quamcunq; in ciuitatẽ arcam deportaſſent: conſilium ceperunt de arca Iſraelitis remittenda: quam ſi uaccæ duæ nullo adhibito cuſtode rectà Bethſamen in terram Iſraelitarum ueherent, indicio fore, ab eorum Deo ſe tantis malis affectos: ſin minùs, caſu hæc ſibi accidere, non Dei ira. Vaccæ igitur, inſequentibus Palæſtinorum proceribus, arcam rectà Bethſamen pertraxerunt. Inde Gabaam miſſa eſt. 1. Reg. 6.

DAVID rex, arcam Dei, quæ XX annis Gabaæ in domo Abinadabi manſerat, in urbem ſuam Hieroſolymam uehendã curauit. At cùm Oza Abinadabi F. propter tactam manu arcam (cùm propter boum, qui eam ducebant, agitationem nutaſſet) ſubitò mortuus cõcidiſſet: ueritus Dauid tantam numinis ſeueritatem, arcam ad ſe admittere nõ fuit auſus, ſed in ædes Obededomi Gethani intulit, ubi illa tres menſes fuit. Cæterùm cùm Dominus Obededomum eiuſq; domum propter arcæ hoſpitium diuitiis & fœtura beaſſet, Dauid animo recepto, eam cum ſolenni pompa Hieroſolymã intulit. 2. Regum 6.

*Ingenium.*

☞ *Conſule Tit. Indolis exploratio. Illic Subiecti habetur ratio: hic Prudentiæ circa Subiectum uerſantis.*

AEGYPTIORVM regem periclitandi gratia, cuiuſmodi foret in Pittaco prudentia, proditum memoriæ eſt, integri animalis carnes ad eum trãſmiſiſſe, petentem, ſecerneret inde, quod optimum cenſeret, rurſumq; quod peſſimum. At is unam modò linguam eximens ad eum referri iuſſit, ſymbolicè innuens atq; opertè, in ea corporis portione ingentium ſæpè bonorum latêre fomites: nec deeſſe tamen, ſi prodigá ſit & infrenis, maximarum cladium organum, ac ſcelerum quodammodo ineluibilium ſcenam. Cælius lib. 13. capite 5. Antiq. Lect.

CHILO hominum bonitatem ita auro probari, quemadmodum aurum lapide lydio, affirmauit. Plut. in Apopht.

ANACHARSIM autumãt, cùm ad œdes Solonis commeaſſet, fores pulſaſſe, atq; edidiſſe aduenam ſe eſſe, qui ad contrahendam cum eo amicitiam & ius hoſpitij eò acceſſiſſet. Reſponſum reddente Solone, Præſtat domi amicitias conciliare: Quin tu igitur, ſubieciſſe Anacharſim, qui domi es, iungis nobiſcum amicitiam & hoſpitium? Eam illius ſagacitatem cùm ſtuperet Solon, hominem excepiſſe benignè, atq; aliquandiu apud ſe detinuiſſe, cùm Rempublicam gereret, & leges conſcriberet. Plut. in Solone.

DIONYSIVS maior duos iuuenes acceperat multis probris ſe dominatumq; ſuum inter pocula aſperſiſſe. Hos inuitauit ambos ad cœnam: quorum cùm uideret alterum debacchantem, ac multas nugas per uinum euomentem, alterum non temerè ſed cautè poculis indulgentem: illũ noxæ exemit, ut natura debacchatum, atq; ex crapula in cõuitia effuſum: alterum ut infeſtum ſibi & hoſtem ex compoſito ſuſtulit. Plut. in Regum apoph.

Cùm inter alios legatos de redimendis captiuis ad Pyrrhum etiam ueniſſet C. Fabricius, eiuſq; paupertatem regi oſtendiſſet Cineas: PYRRHVS, cùm eum priuatim benignè haberet, contendit primò, ut aurum ab ſe acciperet: amicitiæ id & hoſpitij appellans pignus. Abnuente illo, tacuit in præſentia. Poſtero die quò eum exterreret, quòd nunquam uidiſſet elephantem: imperauit, ut maximam belluam colloquentibus ipſis à tergo admouerent poſt aulæam: quod factum eſt. Tum ſigno dato, remota eſt aulæa, & proboſcidẽ bellua repentè ſublatam ſuſpendit ſuper caput Fabricij, uocemq; emiſit horrendam & aſperam. Ille uerò ſenſim conuerſus arriſit, & ad Pyrrhum ait: Neq; heri aurum tuũ me, neq; bellua hodie commouit. Super cœnã deinde cùm incideret mentio Epicuri, & eius opinionẽ de uoluptatis ſummo bono Cineas approbaret: Fabricius: Papæ, inquit, Pyrrho hæc præcepta & Samnitibus, dum nobiſcum bellũ gerunt, cordi ſint. Vnde admiratus grauitatem eius Pyrrhus, & pacem cum Romanis facere uoluit, & Fabricium permouere, ut ſecum uiueret, offerens ei primum locum inter amicos ſuos & duces. Cui ſubmiſsè fertur reſpondiſſe: Atqui non fuerit id rex è re tua. Nam illi ipſi qui nunc uenerantur & ſuſpiciunt te, ſi me probauerint, me præoptent regem tibi. Plut. in Pyrrho.

Cùm ſuperiores Impp. Diocletianus & Maximinus omnes Chriſtianos è ſua aula expuliſsẽt, CONSTANTIVS Chlorus, pius princeps, uolẽs experiri, Ecquos haberet adhuc in aula ſincerè Chriſtianos? omnes tum aulæ miniſtros, tum, qui ſub præſidum erant poteſtate, in cœtum conuocat, optionem ſe eiuſmodi illis ferre ſimulans, ut qui dæmonib. ſacrificarent, in aula ſua manerent, ac conſuetis honoribus fungerentur: ſi qui uerò idem facere recuſarent, ex aula exirent, atque ab omni ſua conſuetudine & gratia ſe excluſos ſcirent. Ad hanc conditionem aulico omni cœtu in duas partes diuiſo, deprehendit Imperator, qui uerè & conſtanter pij, qui minùs eſſent: cùm alij ſe ſacrificaturos ultrò dicerent, alij palàm & confidenter negarent. Hîc iam Imperator eos qui ſacrificare uoluiſſent, duriter obiurgat, atq; ut proditores Dei & perfidos damnat, indignos eos eſſe adſerens, qui cùm in Deum perfidi ſint, cum Imperatore eſſent, ideoque ab imperatoria aula procul arcendos eſſe ſtatuit. Eorum uerò, qui ſacrificare detrectaſſent, conſciẽtiam, qua Deum confeſſi fuerant, ſummis effert laudibus: dignos eos ſolos eſſe pronuncians, qui apud Imperatorẽ eſſent: ſimul præcipiens, ut deinceps & regni & ſalutis ſuæ cuſtodes fidi permaneant. illud ſimul addens: Tales ſolos dignos eſſe, quos inter amicos Imperator numeret, ac in maiori honore & precio habeat, quàm magnorum theſaurorum æraria. Euſebius libro 1. de Vita Conſtantini: & Sozomenus libro 1. cap. 6.

Mos eſt apud illuſtriores GOTHOS, & SVEONES, procorum ingenia examinare in ludo Latrunculorum, ſeu Scharcorum. Eo enim ludo ira, amor, petulantia, auaritia, ſocordia, ignauia, aliæque plures dementiæ paſſiones, & animi motus,



motus, fortunæq; uires, & proprietates demonſtrari ſolent: ſcilicet an procus agreſtis animi ſit, quòd ſubito triumpho indiſcretè exultet, aut iniurias illatas cautiùs pati, uel modeſtiùs auertere norit. Olaus lib. 15. cap. 12.

In monte Varchio oppido HORTVLANVS prope Florentiã mulieris explorandæ cauſa, in terra mortuo ſimilis reſupinus procubuit. Vxor cùm domum onerata linteis ueniſſet, inuento mortuo, uti credebat, marito, hærebat animo, ſtatimne uiri mortem lamentaretur, an priùs comederet. Fame ergo urgente cibum cepit: & cùm ſitiret propter carnes ſalitas, uinum ex cellario hauſtura deſcendit. Superuenit ex improuiſo uicina ignis petendi gratia. Mulier abiecto urceolo exclamare cœpit, & mortem uiri multis uerbis plangere. Superuenêre ad ululatum ploratumq; uicinia omnis, uiri ac mulieres, ob mortem tam repentinam. Tandem cùm uiſum ei eſſet ſatis ludorum dediſſe, uociferante muliere ac dicente ſæpiùs, Mi uir, quomodo nunc faciam? Ille apertis oculis, Malè, inquit, uxor mea, niſi cibum potu diluas. Ex lacrymis ad riſum omnes conuerſi ſunt, audita præſertim fabula & cauſa ſitis. Poggius in Facetiis.

*Fraudem.*

OTANES Perſarum ſatrapa, cùm Smerdes regnum inuaſiſſet, neq; conſtaret Cyrine filius eſſet, an magus Smerdes, quia ſeſe in arce occultabat, neq; progrediebatur: Phædymam filiam ſubornat, ut quando cùm Smerde cubaret, caput illius clàm pertentaret, aures haberet néene. Paruit illa; quamuis non ſine periculo. Cumq; auribus carentem deprehendiſſet, rem patri indicauit. Ille cum ſex aliis coniurat contra Magum, & Perſas fœda Magorum tyrannide liberat. Herodotus lib. 3.

Vlyſſes inſania ſimulata, ne ad bellum Troianum proficiſceretur, ſalem ſeminabat, uariiſq; animalibus aratra iũgebat. Aſtum hominis explorauit PALAMEDES, qui aranti Telemachum filium obiecit. Quem ne læderet ipſe Vlyſſes pater, aratrum ſuſpendit. Cic. lib. 3. Officiorum.

AVGVSTVS Cæſar in Pſeudalexandro, qui ſe Herodis filium ſimularat, cognoſcendo, prudens extitit. Cùm enim is per cætera ſimilimus eſſet Alexandro Herodis filio à patre interfecto, fingebat ſe morti ſubtractum cuiuſdam beneficio, cui demandatum ſit eius interficiendi negocium. Eoq; nomine à quamplurimis Iudæis etiam Romæ ſuſceptus fuit. At Auguſtus cùm eum & manus opere duratas habere, & corporis illa gratia, quę bene natis & educatis adeſſe ſolet, carentem uideret, fraudem ſuſpicatus eſt. Sed impunitate fatenti promiſſa, ille totum commentum indicauit, quibus modis & à quo ſit compoſitum. Cæſar Pſeudalexandrum, ut pollicita ſeruaret, in remigum ordinem allegit, quòd eſſet ualido corpore: doctorem uerò eius affecit ſupplicio. Ioſephus lib. 17. cap. 14. Antiq.

Magnus ATHANASIVS, epiſcopus Alexandrinus, ab Arianis & Euſebianis in ſynodo Tyria accuſatus fuerat, quòd uirginem uitiaſſet. Producitur in medium impudens meretricula, quæ ab Athanaſio hoſpite noctu ſe uim paſſam fuiſſe profitetur. Sed TIMOTHEVS presbyter, comes Athanaſij, cùm Athanaſius accuſationi mulierculæ reſpondere iuſſus fuiſſet, & taceret, conſilium eius animaduertens, ipſe ad mulierem conuerſus: Mihíne, inquit, res tecum fuit unquam, aut hoſpitio tuo uſus ſum, mulier? Tum illa, quæ Athanaſium non cognoſcebat, impudentiore quàm antea uociferatione, Timotheum digito demonſtrans: Tu, inquit, mihi uim & uitium obtuliſti. Hac ratione per ſe detectum eſt mendacium, quòd cùm Athanaſium non cognoſceret, ſe ab eo ſtupratam eſſe aſſereret. Ergo muliercula dimiſſa eſt, quamuis repugnante Athanaſio, & eos à quibus ſubornata fuiſſet, indicari ſibi petente. Poſtea cùm eidem obieciſſent, Arſenium quendam Meletianorum epiſcopum ab Athanaſio interfectum eſſe, & dexteram eius ueneficiorum gratia reſectam (quam & in arcula oſtendebant) curauit Athanaſius Arſenium in Aegypto undique quæri. Non tamen inuentus fuit, ſed diuina prouidentia compulſus, Tyrum incognitus uenit, cupiditate uidendi quæ contra Athanaſium agerentur. Ibi ab Archelai uiri conſularis famulis agnitus & in ſynodum productus, Athanaſij innocentiam atteſtatus eſt. Theodoretus libro 1. capite 29. & Socrates libro 1. capite 27.

*Furtum.*

☞ *Vide Tit. Iudicum prudentum.*

Corinthi rex SISYPHVS, calliditate inſignis, pedibus animalium nomẽ ſuum μονογράμματον, id eſt, literis ſingulariis ſolitum ſuppingebat. Autylocus uerò eius temporis fur illuſtris, rapto quæſitorum interpolare formam aſſuetus, quum Siſyphi armenta rapuiſſet, nihilo ſeciùs argumento aliàs non audito eſt deprehenſus. Quo nomine conflata mox amicitia, Anticliam filiam Siſypho tradidit uſuariam, quæ pòſt utero grauis Laerti nupſit, unde Vlyſſes traditur natus.

Quod in Aiace maſtigophoro Sophoclis teſtantur interpretes: & inde mutuatus retulit Suidas. Cælius lib. 11. cap. 9. Antiq. Lect. Polyæ. lib. 6. cum plumbo ueſtigiis adaptato, & his literis inſcripto, Autolycus furatus eſt, uicinis agricolis furtum indicaſſe ſcribit.

Cùm Hiero Syracuſis aucta poteſtate auream coronam uotiuam aurifici ex puro auro locaſſet faciendam: is tantũdem argenti coronæ admiſcuit. Cæterùm cùm Hiero fucum deprehendere nõ poſſet, rogauit ARCHIMEDEM, uti in ſe ſibi ſumeret de eo cogitationem. Is ueniẽs in balneum, cùm in ſolium deſcenderet, animaduertit, quantum corporis ſui in eo conſideret, tantum aquæ extra ſolium effluere: gaudio motus exiliuit de ſolio, & nudus domum uerſus currens, clara uoce ingeminabat, εὕρηκα, εὕρηκα. Tum duas dicitur feciſſe maſſas æquo pondere, quo etiam fuerat corona; unam ex auro, alteram ex argento. Deinde uas amplum ad ſumma labra impleuit aqua, in quo demiſit argenteã maſſam. Cuius quanta magnitudo in uaſe depreſſa eſt, tantum aquæ effluxit. Ita exemta maſſa, quanto minus factum fuerat, refudit, ſextario menſus, ut eodem modo, quo priùs fuerat, ad labra æquaretur. Ita ex eo inuenit, quantum ad certum pondus argenti certa aquæ menſura reſpõderet. Cùm id expertus eſſet, tum auream maſſam ſimiliter pleno uaſe demiſit, & ea exemta, eadem ratione menſura addita, inuenit, ex aqua non tantum defluxiſſe, ſed tantum minus, quantum minus magno corpore eodem pondere auri maſſa eſſet quàm argenti. Poſtea uerò repleto uaſe in eadem aqua ipſa corona demiſſa, inuenit plus aquæ defluxiſſe in argenteam quàm in auream eodem põdere maſſam. Et ita ex eo, quòd plus defluxerat aquæ in corona, quàm in maſſa; ratiocinatus, deprehendit argenti in auro miſtionem, & manifeſtum furtum redemtoris. Vitruuius lib. 9. cap. 3. Quod tamen Proclus Geloni regi attribuit lib. 2. cap. 3.

Cùm quidam inter Turcas, penes amicum ſuum, nemine conſcio, pecuniam depoſuiſſet: & is, cùm ea repeteretur, quicquam accepiſſe negaret, fretus amicitia Imperatoris. res defertur ad Imperatorem. Is utrunq; interrogat, & deprehendit, penes quem pecunia eſſe dicebatur, non ut ingenuum decet atq; innocentem, turbulentè inficiari: alterum cõtrà non fictis lacrymis conſtanter affirmare. Rem tamen in alium diem protrahit, reumq; per alios monet, ut ſponte pecuniam reddat, ſuæq; famæ conſulat. Cùm uerò ille tum audaciùs denegaſſet, rurſus Imperator inopinantẽ ad ſe adduci iuſſit. Poſtulat, num proxima nocte cum uxore dormierit, & an cum ea rem habuerit, & qua hora. Cumq; utrunque ab eo didiciſſet: iuſſit alium adire uxorem, ueluti ſi à marito mitteretur, qui diceret, Virum eius mandare, ut quã ei cuſtodiendam pecuniam crediſſet, hanc per ſe nunciũ mitteret. Si loquẽti fidem non haberet, narrare ea quæ à marito acceperit. Vxor his uicta ſermonibus, pecuniam promit. Sic itaq; detecta perfidia, Imperator in eum capite animaduertit. P. Aerodius lib. 1. Decretorum.

*Proditionem.*

Pauſanias Lacedæmonius, uictis ad Platæas Perſis, ſucceſſu rerum elatus, clàm cum Xerxe ſentire cœpit, ſpe facta unius filiarum regis, ſi Græcos proderet. Vt res occulta foret, nuncij omnes, quicunque epiſtolas ad regem tuliſſent, necabantur, ne ullum occultæ indicium rei extaret. Quod quidam ex tabellariis animaduertẽs (Probus Argilium uocat) epiſtolas ſibi creditas aperit: certiorque inde fit legendo, de tabellariorũ nece iam ſuſpecta, ac ſtatim eas ad EPHOROS affert. Iis propter reſignatas literas poſtulãtibus rem certiori indicio ſibi probari: tabellarius profectus Tenarum, in templo Neptuni conſidens, duplici circum ſeſe tabernaculo ſepit, atque in altero ſe collocat, in altero Ephoros cum quibuſdam aliis Spartiatis occulit. Mox Pauſanias illuc ad eum properat, & percontanti, Quæ'nam cauſa eum ad deorum aras ſupplicem confugere compuliſſet? ille reſpondens, conqueri multa cœpit, & eum accuſare, quòd in epiſtola mandaſſet ſe à Perſis necari. Tum Pauſanias multa præfari, pœnituiſſe eius rei ſe, ueniamque orare: tum obſecrare obteſtarique, uti ea occulta eſſe ſinat: amplam ſpem immenſaque illi dona, ſi id fecerit, pollicetur. Ephori comperta palàm ueritate, rem ſilentio tegunt, ſatiùs putantes in urbe eum comprehendi. Quò quum eſſent profecti, & Pauſanias placato Argilio (ut putabat) Lacedæmonem reuerteretur: in itinere, cùm iam in eo eſſet ut comprehenderetur, cognitis inſidiis, in Chalciœci Mineruæ templum confugiens, ibi obſtructis foribus fame periit. Probus in Pauſania, & Diodorus lib. 1.

*Cædem.*

NELEVS Codri filius, cùm regno pulſus Athenas relinqueret, propterea quòd oraculum Apollinis Medonti (qui in coloniam ex urbe migrauerat) imperium deſtinaret, ad Naxum non uoluntate, ſed tempeſtate delatus appulit. Sol-

uere uerò inde uolentem contrarij uenti exorti prohibuerunt. Qui quum quid factu opus eſſet, ambigeret, uates reſponderunt: Oportere expiari & purgari exercitũ, eò quòd multi ſimul nauigarent, qui pollutis & contaminatis eſſent manibus. Itaq; ſimulauit etiam ipſe ſe puerum trucidaſſe, & purgationis indigere. Sic àliis quoq;, qui ſibi cædis conſcij eſſent, perſuaſit. Quod cùm factum eſſet, patefactis iam qui ſe cõtaminaſſent, eos reliquit. Illi Naxum inhabitarunt. Neleus peruenit in Ioniam. Aelianus lib. 8. de Varia hiſtoria.

Iacta in præceps Apronia Plautij Syluani prætoris, cùm in nullum aliũ ſuſpicio caderet, neq; eſſet ullus, qui de facto quicquam uel audiſſe uel uidiſſe ſe diceret: Syluanus ad TIBERIVM Imp. adductus eſt. Huic de morte uxoris interroganti, quia turbato animo & quaſi à ſomno rediens reſpondiſſe uiſus eſt, Vxorem ſponte ſibi mortem conſciuiſſe: quęſtionem exercens ipſe Tiberius, in cubiculum uenit, ex quo ſe Apronia præcipitem dediſſe, à marito dicebatur. Ibi cùm reluctantis & impulſæ ueſtigia, pedum, manuum, unguiumq; contactu feneſtris impreſſa uiderentur: ex mendacio conſcium eſſe iudicauit: ſed ob Prætoriam dignitatem hunc ab amicis ſententiæ ſuæ admoneri uoluit. Itaq; Plautius damnationem anteuertit. P. Aerodius ex Corn. Taciti lib. 4.

THEOPHILVS imperio potitus, nihil prius habuit, quàm ut eos, qui patri Michaeli Balbo Amorræo ad regnum obtinendum adiumento fuerant, Leonemq; Armenium Imp. interfecerant, ſuppliciis adficeret. Quorum ne quis lateret, toto Senatu in Regiam conuocato, ſe mandatum paternum uelle exequi, dixit. Nam quum is Imperij parti adiutores, inquit, magnis honoribus atque donis remunerari cuperet, morte præuentus, ne ingratus erga benemeritos uideretur, me ſucceſſorem ſuum eius debiti ſolutorem reliquit. Proinde amici paterni, ſecedentes ex multitudine, nobis ſeſe oſtendant, ut eis dignam mercedem rependamus. Hac oratione decepti miſeri, quotquot Leonis cædem adiuuerant, ſeipſos indicauerunt. At Theophilus urbis præfectum ciuiles exequi leges iuſſit: Iam nunc, inquiens, præfecte, iudicãdi poteſtatem Deo & me tibi mandantibus, dignam his mercedem factorum perſolue: qui non tantùm humano ſanguine manus contaminarunt, ſed & unctum Dei intra ſacrarium interfecerunt. Miſeri illi à præfecto arrepti, homicidarũ more ſuppliciis affecti ſunt. Cedrenus ex Zonara.

*Adulterium.*

Venus, VVLCANI uxor, cùm maritum ob deformitatem corporis & claudum, non magnoperè amaret, dum is eſſet fabrilibus operibus intentus, clàm cum Marte bellorum deo adulterium committebat. Gallum iuuenẽ ſecum Mars adducebat cuſtodem, quem relinquebat ad oſtium, ut aduentantes nunciaret, obſeruaretque: Solem præcipuè, quem maximè omnium deorum Mars metuebat, ne rem Vulcano indicaret, propter ſingularem inter illos amicitiam. At Gallo obdormiente Sol rem conſpexit, Vulcanoque indicauit. Mars Gallum in animal ſui nominis conuertit: quare nunc etiam ſolis exortum inſigni uociferatione indicat, quaſi Marti ſignificaturus, ut Solem caueat. Vulcanus tenuiſſimum rete ferreum confecit, & circa thorum ita tetendit, ut conſpici non poſſet. Mox utroſque nudos in illo reti implicatos, omnibus diis ridendos expoſuit. Ouid. libro 2. de Arte amandi. Homerus Odyſſ. θ. Natalis Comes Mythol. lib. 2. cap. 6.

*Inſidias.*

IOSEPHVS hiſtoricus, Galileæ præfectus, cùm populum à ſeditione cohiberet, omnibusque gratiſſimus eſſet, inuidorum calumniis circumuentus, à Ionatha miſſo à pontificibus Hieroſolymitanis, ſpecie colloquij euocabatur, reuerà autem ut militibus deſtitutus interficeretur. Ille militi, qui epiſtolam attulerat, XX. drachmas numerari iuſſit. Pro quibus cùm is gratias egiſſet, facilè deprehendit iuuenis ingenium turpi lucro deditum, & ad bibendum inuitauit, prò cyatho uini quolibet ſe drachmam numeraturum pollicitus. Qua ſpe illectus, mero copioſo hauſto, ſuapte ſponte inſidias aduerſum Ioſephum adornatas detexit. Ioſephus in ſua uita.

*Accuſationem falſam.*

☞ *Ex Tit. Defendere ſe prudenter, huc quædam.*

Syracuſæ Dionyſij tyrannide opprimebantur: quas Dion cùm parum aberat quin ſeruitute liberaſſet, Soſis concitato populo, Stultos & uæcordes Syracuſanos eſſe dicere incipit, qui non intelligerent, hoc agi à Dione, ut pro temulento & crudeli tyranno ac domino, uigilantem, ſobrium atque ſapientem experiri poſſint: non ut dominatus, ſed domini permutatio fiat. His ſanè concionibus quia ſe pro Dionis inimico & acerbiſſimo aduerſario haberi cognoſceret: poſtero die nudus & ſanguinolentus, uti aliquos fugiens, prodit ſub oculos ciuium, identidem clamitans, uix ſe Dionis ſatellites elapſum, ſed & in capite oſtentabat cruda ac recentia uulnera. Itaque ſumma inde excitata eſt erga Dionem populi Syracuſani indignatio. Accuſationi fidem faciebat heſterna Soſidis aduerſus eum habita libertatis fiduciæque plena oratio: à quo enim hæc potiùs iniuria, quàm ab inimico? Iſtud iam uerè tyrannidem uſurpantis, non opprimentis, uideri poſſe, & eius qui minùs tyrannidem, quàm Dionyſium, odio perſequatur. Quare citatur DION. Is cùm protinùs Soſidem fratrem unius eſſe è Dionyſij militibus indicaſſet, ideoque ueri ſimiliter ab eo ſummiſſum, qui nihil ampliùs ui & uirtute poſſit, ut hàs turbas atque ſeditiones cieret, poſtulauit, plagas & uulnera per medicos inſpici. At hi affirmarunt, uideri ſibi affectata eſſe uulnera: non uno ictu & impetu allata: neque alta, ſed ſuperficiaria, ueluti ſi unguibus, non gladio facta ſint, & ab eo qui ſæpiùs tentando atque recuſando ſanguinem ſibi elicuiſſet, non qui nolens & ingratus, unum aut alterum ab alio uulnus accepiſſet. Sed nondum hæc ſatis innocentiam Dionis arguere uidebantur, quia non tam certa ſint iſta indicia, Soſidem à Dione læſum non fuiſſe, quàm uix credibile, quenquam concitandi odij in aduerſarium, in ſe priùs ſæuire uelle. Verùm dum iſta quærebantur, poſtquam ex ipſius Soſidis amicis atque familiaribus aliqui manu nouaculam ferentes aduenêre, & id narrauerunt, dum per urbem ambularent, occurriſſe ſe Soſidi ea uociferanti quæ ſuprà dicta ſunt, ideoque ſe conuerſos retrò abiiſſe, num aliquos uiderent Dionis ſatellites, neque ullos offendiſſe ſe: imò uerò unde primùm Soſidem ad ſe fugientem aduentare conſpexerant, nouaculam hanc humi duntaxat eiectam reperiſſe: & poſteaquam Soſidis ſerui interrogati reſponderunt, Eum ſummo mane cum nouacula ſolum domo exiiſſe: tum uerò calumniam manifeſtam eſſe iudicarunt. Eum itaq; populus ſuis omnibus ſuffragiis necari uoluit, iuſſit. Aerodius ex Plut. Dione.

*Statuarum præſtantiam.*

Cùm PHRYNE, cuius Phidias ſtatuarius nobiliſſimus amator erat, ab eo ſibi depopoſciſſet, quod eſſet eius operum pulcerrimum, non ſanè renuit. Verùm, quod ipſe de ſuis operibus iudicium facere pertinaciter recuſarat, hoc aſtu mulier expreſſit. Eius ſeruus accurrens nunciat, Praxitelis officinam igni correptam flagrare, bonamque eius operum partem iam periiſſe, non tamen adhuc omnia exuſta. Exanimatus Praxiteles, foras exiluit, &, Actum eſt, inquit, de laboribus meis, ſi Satyro & Cupidini flammæ non pepercerunt. Tum Phryne eum bene ſperare iubet: nihil enim triſte accidiſſe, ſed illum dolo cogere uoluiſſe, ut quod pulcerrimum operum ſuorum eſſe iudicaret, confiteretur. Atq; ita ſibi illa Cupidinem elegit. Pauſanias in Atticis.

*Antiquitatem gentis.*

Aegyptij omnium hominum ſe primos extitiſſe arbitrabantur. Verùm PSAMMETICHVS regnum adeptus, ubi ſciſcitando, Quínam primi hominum extitiſſent, nullum exitum inuenire poſſet, huiuſcemodi rem machinatur. Pueros duos ex humilibus parentibus recèns natos tradidit paſtori inter pecora educandos, iubens neminem coram eis uocem ullam edere, ſolitaria in caſa ambos ſibiipſis relinqui, eiſdem in tempore capras admoueri: ubi lacte expleti forent, alia adminiſtrari: cupiens ex iis ubi inarticulatè uagire deſiſterent, audire, ſi qua uox prima erumperet. Vbi bimatus exactum eſt tempus, paſtori qui hæc adminiſtrabat aperienti ianuam, atque intranti, ambo infantes porrectis manibus procidentes, Beccus clamabant. Quod primò audiens paſtor, obticuit. Cùm uerò crebriùs adeunti, & obſeruanti, idem uerbum frequentaretur: ita demùm re domino indicata, iuſſus ab eo pueros attulit, exhibuitque: quos cùm & ipſe Pſammetichus audiſſet, percõtabatur, Quínam homines Beccus quippiam appellarent? Hæc percontans, comperit Phrygas ſic panem appellantes. Tali negotio argumentati, Phrygas ſe priores extitiſſe, Aegyptij conceſſerunt. Herodotus libro 2.

*Primogenituram.*

Ariſtodemus, qui Lacedæmonios in Laconicam duxit, ex Argina filia Auteſionis geminos ſuſtulit, & mox obiit. Mortuo rege, LACEDÆMONES primigenium ex lege regem creaturi erant. Verùm cùm pueri ſimiles eſſent, neque quis illorum prior ex utero prodiiſſet, diſcerni poſſet, percontati ſunt matrem. Eaq; negante ſe dignoſcere (diſſimulabat autem, quoniam magnoperè cupiebat ambos effici reges) miſerunt Lacedæmonij Delphos ſciſcitatum, Quid in ea re agerent? Pythia reſpondit, Vtrunque puerorum haberent pro rege, ſed primigenium magis honorarent. Hoc reſponſo à Pythia edito, Lacedęmonij nihilominus incerti quo pacto primigenium reperirent, admoniti fuêre à quodam Meſſenio, nomine Panite, ut obſeruarent, utrum puerorum mater priorem lauaret, cibaretq;: quam ſi deprehenderent eodẽ ſemper modo factitare, habituri eſſent id omne quod quærerent: ſin illa alternando erraret, palàm fore, ne ipſam quidem quippiam magis noſſe. Spartani igitur ex admonitu Panitis obſeruantes matrem puerorum, ignaram cur obſeruaretur: animaduertentesq; illam præferentem alteri primigenium, tum cibando, tum lauando: acceperunt eum puerum, qui magis honorabatur à matre, tanquàm primogenitum, publiceq; alendum curarũt, impoſito ei nomine Euryſthenis, iuniori autem Proclis. Herod. lib. 6.



*Sententiam, Opinionem, Iudicium.*

Micheas propheta Achabum regem expeditionem aduerſus Syros ſuſcipientem ſuamet confeſſione conuicit, ea ab illo per ſimulatam interrogationem extorquens, quæ apertè rogatus nunquam fateri uoluiſſet. 3. Regum 20.

AGESILAVS, ſortibus Olympię acceptis à Ioue ex uoto ſuo, cùm inde iuberent Ephori, ut de iiſdem Apollinem Pythiũ conſuleret: profectus Delphos, rogauit Apollinem, Eadem ne ei quæ patri uiderentur? Plut. in Apophthegmatib.

VETERES antequam literas recitarent, iubebant aduerſus quos facerẽt, ne perfugij aliquid poſtea haberent, dicerẽtq; fictas eſſe, cognoſcere ſignum. Id ſignificauit Cicero in II. concione in Catilinam: ait enim, Atq; ibi uehementiſſimè perturbatus Lentulus, tamen ſignum & manum ſuam cognouit. Sed etiam Salluſtius in eiſdem illis rebus narrandis: Igitur perlectis literis, cùm prius omnes ſua ſigna cognouiſſent, Senatus decreuit, & quæ ſequuntur. Plautus quoq; in Bacchidibus, ubi dolum Chryſali exponit, & quemadmodum fallacibus literis tetigerit imprudentem ſenem, oſtendit: Nunc haſce tabellas ferre me iuſſit tibi, orabat, quod iſtic eſt ſcriptum, fieret cedò. Sed noſce ſignum. Noui. Xenophon in 5. libro de rebus Græcorum narrat, cùm Tiribazus literas regis Perſarum lecturus eſſet, iis, qui audituri eſſent, priùs ſigna eadem de cauſa oſtendiſſe. Victorius libro 14. Var. Lect. capite 4.

Miecislaus III. Polonorum princeps, auarè & ſuperbè imperabat, & per præfectos ſuos populũ expilabat. GEDEON Cracouienſis epiſcopus blandè primùm & apertè principẽ redarguere: mox ubi contumacem eſſe uidet, pio aſtu rem aggreditur. Mulierem ſubornat, quæ ſordido & miſerabili habitu aſſumto, ubi in conſpectum principis uenit, lamentabili uoce, & eiulatu ementitò opem eius implorat. Motus eius lacrymis & importuno clamore Miecislaus, accitã Quid ſibi uelit? rogat. Ibi illa: Gregẽ ſe ouium numeroſum habuiſſe, & filio commendaſſe, illum porrò mediaſtinis paſcendum commiſiſſe, eorum negligentia gregem à lupis dilaniatum, ſeq; ad extremam inopiam inde redactam eſſe: rogare, ut cuius culpa damnum datum eſſet, ab eo præſtaretur. Citati mediaſtini qui pariter ſubornati uenerant, negãt ſua negligentia damnum datum eſſe: uerùm adoleſcentis, qui priuignus, non filius eſſet eius mulieris, culpa. Eũ enim uenationi deditum, feros canes alere: qui ſoluti, partim ipſi gregem laniarint, partim diſiectum ac diſſipatum, lupis in prædam dederint. Eum igitur damnum præſtare oportere: ſe neq; canes abigere, neq; diſperſis ouibus ſuccurrere potuiſſe. Aderat & adoleſcens, crimenq; in mediaſtinos referebat, ſe præſidio gregi canes alere. Neq; tamen ſatis illorum dicta refellebat. Cognita cauſa Miecislaus condemnat adolo[illegible]entem damni infecti. Approbant, qui tum aderant, ſenatores principis iudicium. Ibi tum Gedeon: Iuſtè, inquit, & ſapienter iudicaſti. Tu filius es huius ampliſſimæ & florentiſſimæ reipub. Sed tu te priuignum eius haberi mauis. Tu gregem tuum numariis iudicibus & magiſtratibus tradis: tu[illegible]os canes, hoc eſt, acerbos & crudeles exactores & præ[illegible] facultatibus & ſanguine innocentium hominum ſaginas: quorum cæca cupiditate & aſperitate fit, tenuiores u[illegible] potentioribus, perinde quaſi à lupis, impunè diripiantur [illegible] opprimantur. Incenſus hac oratione epiſcopi Miecislaus, fremens, è ſenatu ſeſe proripuit: multa Gedeoni, multa cæteris ſenatoribus, qui Gedeonis dicta approbare uidebantur, minitans. Proceres eius tyrannidem peroſi, dignitate eum priuarunt, & Caſimirum fratrẽ uel inuitum ad Reip. gubernacula pertraxerunt. Cromerus lib. 6.

LVDOVICVS Francorum rex ulturus mortem Caroli Simplicis patris ſui, quem Hubertus comes Veromanduus in arce Peroniana captiuum detinuerat, Lauduni conuentum principum habens, literas à rege Anglo ſibi miſſas fingit. Iis à ſcriba perlectis, alta uoce ſubintulit, Iocóne, an ſeriò Anglus ſapientiam noſtram explorare uelit, dubito. Sed tamen ſeria illum agere ponamus. Villicus agri dominum ad ſe blandè inuitatum occidit. Homicidij an parricidij ſupplicio dignus ſit? quæritur. Principes ſententiam rogati, & in his Hubertus quoque, Morte dignum eſſe uillicum ignominioſiſſima, ſuſpendio nimirum, unanimi conſenſu reſponderunt. Tum Rex ad Hubertum conuerſus, Ergo & tu, inquit, regis tui proditor, tuo ipſius iudicio damnatus, dignas perfidia tua pœnas luito. In crucem igitur actus, monti uicino nomen dedit. Aegidius Corrozetus de Dictis & factis memorab.

Prætoris taurus in RVSTICI cuiuſdam tenuis paſcua tranſiliens, uaccam eius cornibus occidit. Qui damnum acceperat, non uel hac in re rus ſapiens, prætorem adiit, & impunitate loquendi ex more data: Prætor (inquit) meus taurus tuam uaccam cornibus petiit, atque occidit: quid iuris? Ille incunctanter, Quid aliud (inquit) niſi ut uaccæ damnum mihi tauri nomine præſtes: aut taurum, ſi mauis, noxæ dedas? Imò (inquit ruſticus) ignoſces imperitiæ meæ: nam lingua lapſus ſum, præpoſterè cauſam propoſui. Nam tuus taurus meam interfecit uaccam. Tum prætor nimiùm impudens, Iſthæc (inquit) alia res eſt. Cognatus lib. 1. Narrat.

## ☞ APPROBARE ALTERIVS DICTVM FACTVM'VE.

DAMIS ad Alexandri ſcripta, ut deum ſe eſſe ſciſcerent: Permittimus, inquit, Alexandro, ſi uelit, deum appellari. Plut. in Apophthegmatibus.

LACEDÆMONIORVM magiſtratus, cùm ſententiam cuiuſpiam, qui fœdam uitam egiſſet, comprobaſſent, alteri iuſſerunt probatæ uitæ & morum, ut eam pronunciaret. Plut. de Audiendo.

MAXIMVS Planudes, monachus Conſtantinopolitanus, uir doctiſſimus, uehementisq; ingenij, abhinc annos ferè 150. Romanæ ab initio fidei fauit. Ob quam rem ab imperatore Conſtantinopolitano multa paſſus, in cuſtodiam tandem coniectus, contrà ſentire coactus eſt, tribus editis contrà Romanam eccleſiam argumentationibus: quas Beſſario cardinalis Nicenus prælegens, mirari ſolebat, uirum cæteris in ſcriptis excellentem, ſummumq; philoſophum, tam ineruditos infirmosque edidiſſe ſyllogiſmos. Haud ob aliam putabat cauſam, quàm quòd ea quæ metu perſcripſerat, animo improbarit, refellendaq; uel cuiuis facilè prębuerit. Volat. lib. 17. Anthrop.

Bernabos Princeps Mediolani, admodum mulieroſus, cùm aliquando ſolus in horto, ſemotis arbitris, cũm muliere quã amabat, laſciuus iocaretur: ſuperuenit de improuiſo CONFESSOR eius, cui propter ſapientiam & auctoritatem ſemper ad Principem patebant fores. Erubuit ſimul & indignatus eſt Princeps de inſperato illius aduentu, pauloq; commotior, ut cùm in reſponſo caperet: Quid, inquit, ageres, ſi tu quoq; cum eiuſmodi muliere in lecto eſſes? At ille, Quid me deceret (ait) ſcio: quid uerò facturus eſſem, neſcio. Hoc reſponſo iram Principis flexit, cùm ſe quoq; hominem eſſe & labi poſſe fateretur. Poggius in Facetiis.

## ☞ REFVTARE. ELENCHVS PRVDENS.

☞ *Refutationem alienæ Opinionis, Sentẽtiæ, Iudicii, hic Approbationi opponimus: ſiue illa ſit ſimplex, ſiue coniuncta cum confirmatione contrariæ ſententiæ & opinionis, qui Elenchus dicitur.*

*Conſilij.*

Cùm Branchidarum oraculum Pactyam Lydum, qui à Cyro Perſarum rege defecerat, & magnam uim auri ſecum habebat, Tabalo præfecto regio Sardis tradendum aſſeruiſſet: ARISTODICVS Cumæus Heraclidæ F. cùm graue putaret eſſe, ſupplices Barbaro regi ad certum exitium tradere, oraculi uanitatem refellere uolens, templum undique circumiit, & paſſeres aliaſq; auiculas, quę fortè in templo iſthic nidulabantur, è nidis exemit. Quæ cùm ille faceret, uox ex adyto audita fuit ad Ariſtodicum dicens: Hominum ſceleſtiſſime, quæ nam te libido inceſſit, ut audeas meos ſupplices è templo abripere? Ariſtodicus contrà, Et tu, inquit, rex, huiuſmodi auxilium fers ſupplicibus, quum Cumæos iubeas ſupplicem ſuum tradere Perſis? Cui deus reſpondens: Equidem, inquit, iubeo, ut impiè agentes malè pereatis, neque deinceps oraculum hoc de reddendis ueſtris ſupplicibus laceſſatis. Quod reſponſum ubi tulerunt Cumæi, neq; Pactyam Perſis tradere uoluerunt, neq; penes ſe detinendo Cyrum irritare: ſed ablegarunt Mitylenam, inde in Chium: Chij eum hoſtibus tradiderunt. Herod. lib. 1.

Poſtulanti, ut principatum popularem Lacedæmone conſtitueret, reſpõdit LYCVRGVS: Priùs tu erigas principatum domi popularem. Plut. in Apophthegmatibus.

Reipub. Proceres Imperat. BASILIO Macedoni ſuaſerant, ut in prouincias reditũ inſpectores mitteret. Imperator hãc probare ſe ſentẽtiam ſimulans, deligi ad hoc munus aptos homines iuſſit. Quorum nomina ſibi adferentem Generalem reprehendit Imperator, inquiens, Se quoq; ad hoc obeundum munus non ſatis eſſe idoneũ. Hoc idẽ detrectantibus duobus Reip. Magiſtris, iiſq;, ut hoc miniſterium aliis imponeretur, petentibus, inſpectionem huiuſmodi omittendam cenſuit. Præſtare enim, aliquos lucrum iniuſtum ex publi-

ex publico percipere, quàm malè metuere multam, quę eos opprimat, aliquam. Cedrenus.

*Iudicij, Sententiæ.*

Cùm profectus eſſet Miletum ad THALEM Solon, aiunt mirum ſibi eum dixiſſe uideri, quòd nuptias & ſobolis procreationem omnino negligeret. Thalem autem in præſentia quidem tacuiſſe, aliquot uerò dierum interuallo ſubornaſſe peregrinum quendam, qui modò decimo die ab Athenis profectum ſe diceret. Quęrente Solone, Nunquid Athenis noui? Hominem, quæ diceret, edoctum, nihil reſpondiſſe aliud, niſi quòd adoleſcens efferretur, & proſequeretur funus tota ciuitas, quòd ille foret clari uiri filius, & uirtute inter ciues primi, longo iam ſpacio peregrinantis Solonis. Tum Solon falſo metu exterritus, cœpit caput cædere, aliáque & facere & dicere, quæ mœrore oppreſſi aſſolent. Tum Thales repreſſo Solone ridens dixit: At hęc me Solon à connubio deterruerunt & à liberis tollendis, quæ te etiam infringunt uirum conſtantiſſimum. Te uerò nihil hic nuncius moueat: hæc enim ficta ſunt. Hæc Hermippus Patæcum, qui Aeſopi ſe ferebat animam habere, ſcribere refert. Plut. in Solone, ubi & Thaletis imprudentiam arguit.

Rex Artaxerxes, mortua cõcubina unicè dilecta, miſiſſe fertur ad DEMOCRITVM ſapientia celebrem legatos, petitum ut reſuſcitaret mortuam. Reſpõdit Democritus: Res eſt magna & difficilis, ſed quę fieri poſſit, ſi rex triginta nomina inſcribat, ſepulcro eorum, qui ad annum uſq; uigeſimum doloris expertes uixerint.

Fama eſt, cùm clarus foret mimus PARMENON, tùm in aliis tum uerò præſertim in ſuis uoce imitãda, ita ut in prouerb. abierit, æmulos alios ſpecimen ex aduerſo ſui dediſſe. Sed cùm præoccupati homines eſſent, dicerentq;: Præclarè quidem, ſed nihil ad Parmenontis ſuem: attuliſſe unum ſub ala ſua porcellum. Cùm autem illi, qui uocem audiebant germanam ſuis, ſucclamarent: Quid hic ad Parmenontis ſuem? dimiſiſſe hunc in medium porcellum, oſtẽdiſſeq;, ex opinione eos, non ex ueritate iudicaſſe. Plut. lib. 5. Conu. quæſt. 1.

Amicum quendam SOCRATES cùm audiret dicentem, Magno in urbe omnia uæneunt, mina uinum Chium, purpura tribus minis, mellis hemina drachmis quinq;: manu prehendens, abduxit eum ad farinam: ac, Obolo hemina, inquit, uęnit: uilis eſt hîc annona. Inde ad oleas: Duobus æreis ſeſquiſextarius. uilis hîc annona. Mox ad exomidas: Drachmis denis. uile ergo precium. Plut. de Animi trãquil.

Dolebat Diogeni humerus, ex uulnere credo, uel alia quadam cauſa. Cùm igitur uehementi dolore uideretur affici, quidã ex inimicis inſultabat ei dicens: Quin igitur mortem obis, ô DIOGENES, & te ipſum his malis liberas? At ille reſpondit: Eos qui ſcirent, quæ in uita fieri diciq; conueniret, in uita manere æquum eſſe: in quo genere hominum ſeipſum etiam numerabat. Verùm tibi, qui neq; quid agendum, neq; quid dicendum ſit, noueris, opportunum moriendi tempus eſt. Aelian. de Var. hiſtor. lib. 10.

DIONYSIVS tyrannus, cùm quidam ex eius aſſentatoribus Damocles commemoraret quàm eſſet beatus: Viſne igitur, reſpondit, eandem deguſtare & experiri fortunam mecum? Eo annuente, collocari iuſſit hominem in aureo lecto, ſtrato pulcerrimo, textili, magnificis operibus picto, abacoſq; quamplures ornauit argento, auroq; cælato: tum ad menſam eximia forma pueros delectos iuſſit conſiſtere, eoſq; ad nutum illius intuentis diligenter miniſtrare. Aderant unguenta, odores, epulæ. In hoc medio apparatu fulgentem gladium è lacunari ſeta equina appenſum demitti iuſſit, ut impenderet illius beati ceruicibus. Itaq; nec pulcros illos adminiſtratores aſpiciebat, nec plenum artis argentum, nec manum porrigebat in menſam, iam ipſæ deſluebant coronæ. Deniq; exorauit tyrannum ut abire liceret, quòd iam beatus eſſe nollet. Cicero libro 5. Tuſcul. quæſt. Attigit hiſtoriam Perſius Satyra tertia:

> Et magis auratis pendens laquearibus enſis
> Purpureas ſubter ceruices terruit. —

DIONYSIVS ſenior, cùm filium, quem relicturus erat dominatus ſucceſſorem, ſtuprum hominis ingenui uxori obtuliſſe reſciuiſſet: inflammatus rogauit eum, Ecquid in ſe tale cõperiſſet? Reſpondente adoleſcente: Nempe tu patrem non habuiſti tyrannum: Nec tu, inquit, niſi factis iſtis temperes, filium habebis. Plut. in Apophth.

Anno 22. Anaſtaſij Imp. cùm ALAMVNDARVS Saracenorũ princeps, Dei prouidentia baptizatus ab orthodoxis eſſet: impius Seuerus duos ad eum miſit epiſcopos, qui eum labe ſuæ hæreſeos inficerent. Quos ille admirabili commento refutauit. Dixit enim iis, eo ipſo die ſibi literas de morte Michaelis angelorũ principis eſſe allatas. Cũq; reſpõderẽt, Nullo eũ modo potuiſſe mori. Quomodo autẽ, ait, nudus Deus potuit crucifigi, qđ uos affirmatis? quomodo Chriſtꝰ nõ conſtitit ex duabus naturis, cùm ne angelus quidẽ moriatur? Ita cum dedecore Seueriani diſceſſerunt. Cedrenus.

*Accuſationis.*

In compotatione quadam BION tacens, cùm ut ſtolidus derideretur à garrulo: Quis uerò ualeat, inquit, fatuus qui ſit, in uino tacere? Plut. de Garrulitate.

PLATO cùm amicos nobiles inuitaſſet, tricliniumq; iuſſiſſet ornari non omnino ſordidè, irrupit Diogenes Cynicus, & ſpurcis illis ſuis cœnoſiſq; pedibus cœpit lectulos conculcare. Ingreſſus cum conuiuis Plato: Quid agis, inquit, Diogenes? Calco, inquit ille, Platonis faſtum. Calcas, reſpondit Plato, ſed alio faſtu maiore. uidelicet arrogantia & iactantia erat in Diogenis animo impotentior & intolerabilior, quòd inops eſſet, quàm in Platone, qui cultum illum amicorum oculis dabat, non ſibi.

Cùm ex Græcia & Macedonia adeſſent, qui Antipatrum accuſarent apud regem Alexandrum Magnum, atq; CASSANDER patris dignitatẽ acerbiùs tueretur: Alexander, Quid ais? inquit, an putãdum eſt uiolatos homines, tam longis itineribus, huc patrem tuũ falsò criminatum ueniſſe? Tum ille, Imò, ait, hoc ipſum calumniæ indicium eſt maximum, ut tam longis itineribus huc uenerint, ne quæ mentirentur redargui poſſent. Ridens Alexander, Hęc illa ſunt, dixit, Ariſtotelis ſophiſmata, quæ utriq; lacrymas excutient, ſi quenquam à uobis uiolatum comperero. Plut. in Alex.

THEODORVS, cùm rex ei obiiceret Lyſimachꝰ: Tua te iſtis moribus patria in exilium dedit. Verè, inquit, quòd me non ferret, ſicut Liberum patrem Semele. Plut. de Exilio.

*Obtrectationis.*

EVDAMIDAS Argiuo, qui Laconas peregrinando deteriores fieri dicebat, deſciſcentes à patriis legibus: Atqui uos, inquit, poſtquam Spartam ueniſtis, non prauiores, ſed euaditis meliores. Plut. in Apophthegmatis.

*Detractionis.*

LEONIDAS Anaxandridę, frater Cleomenis, dicenti, Nulla re nos, niſi quòd rex noſter ſis, excellis: Imò, inquit, niſi pręſtantior eſſem uobis, non regnarem. Plut. in Apophthegm.

Seriphio obiicienti THEMISTOCLI, Non per ſe illum, ſed urbis cauſa eſſe clarum: Rectè ais, inquit. Cæterùm neq; ego, Seriphius ſi ſim, euaſiſſem clarus: neq; tu, ſi Athenienſis. Plut. in Apophthegmatibus.

PLISTONAX Spartanus Pauſaniæ F. cùm orator quidam Athenienſis indoctos Lacedęmonios appellaret: Sanè quidem, inquit: ſoli enim Græcorum nihil mali à uobis didicimus. Plutarchus in Lycurgo.

*Iactantiæ.*

DIONYSIVS minor, Polyxeno dialectico redar uere iactante ſe eum: Nempe uerbis, inquit: ego uerò coarguo te factis, qui relictis tuis me & mea captas. Plut. in regũ Apoph.

Cùm Thebani fuſis ad Leuctra Laconibus acceſſiſſent ad Eurotam, ac quidam oſtentabundè iactaret, Vbi nunc ſunt Lacones? captus ab eis SPARTIATES: Non adſunt, inquit, neq; enim uos huc acceſſiſſetis. Plut. in Laconicis.

Cùm Perſes quidam aſſiduè muneribus ſolicitando amicum à DEMARATO retraxiſſet, dixiſſetq;: Cepi amaſium tuũ: Minimè uerò tu, inquit, ſed mercatus es. Plut. in Apophth.

ANTALCIDAS Athenienſi, qui ei dixit: Atqui nos à Cephiſo ſæpiùs uos ſumus conſectati: Nos uerò, inquit, ab Eurota uos nunquam. Plut. in Apophth.

P. SCIPIO Africanus, Appio Claudio, qui compe[illegible] rat in cenſura, iactante omnes ciues ſe nominatim ſalutare, cùm neminem penè cognoſcat Scipio: Verum, inquit, prædicas. Mihi namq; non noſſe multos, uerùm ne eſſem cuiquam ignotus, fuit curæ. Plut. in Apophthegmat.

C. MARIVS bello Italico circumuallari & obſideri ſe paſſus eſt, occaſionem ſuam expectans. Cùm diceret ei Silo [illegible] dius: Si magnus es Mari dux, deſcende in certamen: Imò tu, inquit, ſi magnus dux es, coge me dimicare uel inuitum. Plut. in Apophth.

*Scommatis.*

HIRCANVS II. etiamnum puer miſſus à Ioſepho patre Iudæorum principe Alexandriam ad Ptolemæum Epiphanẽ, propter natũ filium gratulaturus: cùm ad cõuiuiũ regis uocatus, & infimo loco accumbere iuſſus propter ætatem, relictum qui conuiuę oſſa ante Hircanum congererẽt, Tryphon quidam morio inſtinctu reliquorum ad regem ſe conuertens, Nempe ut hic oſſa nudauit carnibus, inquit, ſic pater eius Syriam ſpoliauit. Ridens rex, Hircanum rogat, Vnde illa oſſium congeries? Tum ille, Ego ut homo carnes comedi, oſſa abieci. Iſti uerò (reliquos denotans cõuiuas) canes tui ne oſſa quidem reliqua fecere. Ioſephus lib. 12. cap. 4. Antiquit.

Quod ipſum DANTES Aligerius Florentinus poeta, cùm apud Maſtinum Scaligerum Veronæ exularet, æmulis illum propter mordacitatem Cani aſſimilantibus, in conuiuio quoq; reſpondiſſe traditur.

Bonifacius VIII. peregrinum quendam BAVARVM, facie ſibi ſimillimum, aſtutè interrogarat, Nunquam'ne mater



plius Romam religionis cauſa ueniſſet? Reſpondit ille, Non certè: ſed pater meus perſæpe. Aegidius Corrozetus de Dictis memorab. Idipſum Auguſto Imp. iuuenem SABINVM reſpondiſſe tradit Suetonius.

SIGISMVNDVS Imp. iter faciens, torrentem equo traiiciebat. Equus conſiſtens, meiere cœpit. Tum quidam aulicorũ Cæſaris equum naturam Cæſaris habere palàm aſſeruit. Cauſam rogatus, Quoniam, inquit, equus torrenti aquam addit, Cæſar habentibus dat. Animaduertit Imp. perſtringi ſe modeſtè, quòd in aulicum iam ueteranum nihil beneficij contuliſſet. & ſubiecit: Nunquàm quidem ſibi bene merendi uoluntatem defuiſſe: ſed principum dona non illorum eſſe propriè, qui ea mererentur, ſed quibus ſint deſtinata. Et id re comprobaturum ſe dixit, quàm primùm otij & quietis occaſio tantiſper daretur. Poſtea otium nactus Cæſar, pyxides duas parari iuſſit, magnitudinis & formæ eiuſdem. In unam aurum, in alteram plumbum ponit, pondere eodem: & miniſtro aduocato præcipit, ut alteram pyxidem deligeret. Conſternatur miniſter, librando modò hanc modò alteram tollit, neſciens utram potiſſimùm debeat eligere. Tandem eã aufert pyxidem, quæ plumbum continebat. Quod ubi conſpexit ille, Iam recluſa pyxide, aiebat Cæſar, uideri palàm, non ſuam uoluntatem, ſed ipſius infortunium obſtitiſſe, quo minùs hactenus beneficium ſit conſequutus. Teſtatur ſanè hoc factum, prudenter conſideraſſe Cæſarem, felicem ſucceſſum rerum à Deo contingere. Carion libro 3. Chronici.

## REPREHENDERE, ACCVSARE PRVDENTER.

*Exempla plurima ex Tit. Libertatis in reprehendendo peti poſſunt: hic Prudentia, illic Libertas conſideratur.*

*Ignorantiam Theoricam.*

SOCRATIS ætate caſu accidit, ut ſophiſtarum in Græcia magnus prouentus eſſet: à quibus iuuentus magna mercede arrogantiam, ſapientiæ oſtentationem, & garriendi ſtudium hauriebat, cùm congreſſus & diſputationes ſteriles per rixas & concertationes agitaret: quod autem honeſtum eſſet & frugiferum, nihil. Socrates igitur, cuius fuit refellens oratio ſicut medicamentum purgans, magna cum auctoritate coarguebat alios, quòd affirmaret nihil, grauiuſq; pungebat, dum putabant in communi quærere cum uerum, nõ ſuæ opinioni ſeruire. Plut. in quæſt. Plat.

Cum Florentiæ eſſet Eugenius IIII. Pontifex, PVER quidam apud Angelottum Cardinalem Rom. eleganti ſupra ætatẽ oratione uſus fuerat. Cardinalis ad aſtantes conuerſus, Præcocia hæc ingenia cum ætate flacceſcunt. Tum puer, Ergo tu optimæ indolis puer fuiſti. Poggius in Facetiis.

*Elocutionem.*

Euripides obtulit SOCRATI librum ab Heraclito conſcriptum. Eo lecto, rogauit, Quid illi uideretur? Per Iouem, inquit, quæ intellexi, mihi præclara uidentur, qualia puto & ea, quæ non intellexi: ſed opus eſt Delio quopiam natatore, ne in iis ſuffocetur. Laertius.

MESSALA exactiſſimi uir ingenij, & Latini ſermonis obſeruantiſſimus, quum audiſſet M. Portium Latronem declamantem, dixit, Sua lingua diſertus eſt. Sic ingenium concedens, ſermonem obiicere illi uidebatur. Cælius lib. 11. cap. 13. Antiq. Lect.

*Improbitatem in genere.*

AGIS minor ad hominem improbum ſubinde quærentem, Qui optimus eſſet Spartiates? Tui diſſimilimus, inquit. Plutarchus in Apophthegmatibus.

*Aſtutiam.*

In concilio Mantuano de expeditione Turcica deliberabatur. Cùm Veneti propter initum cum Turcis fœdus palàm aduerſarentur, clàm tamẽ habita ratione, quantum eſſent collaturi, Summam belli naualis dari ſibi poſtularent, & claſſem inſuper triremium ſexaginta, & uiginti nauium roſtratarum, ac peditum delectorum octo millia, & annuas decimas, & præterea quindecies cẽtena millia ex publico, Hoc, inquit PIVS II. Pp. Veneti, eſt recuſare, non petere. Nos uerò adeò uobis moleſti non erimus, ut oneris tãtum feratis. Campanus in eius uita.

*Stultitiam.*

LYCVRGVS monenti ut rempub. in ciuitate efficeret popularem: Tu priùs, inquit, domi tuæ effice rempub. popularẽ. Plut. in Apophthegmatibus.

EVDAMIDAS audito philoſopho, qui ſolum ſapientem bonum imperatorem eſſe dicebat: Oratio quidem iſta, inquit, mirifica eſt: at qui dicit, tubarum ſonitum non audiuit. Plutarchus in Apophthegmatibus.

IPHICRATES in iudicium capitis uocatus, delatori, Quid, inquit, malum agis, qui circumſtante bello ſuades ciuitati, ut de me potius, quàm mecum deliberet. Idem.

ARCHIDAMVS Zeuxidami F. illi, qui laudibus citharœdum ferebat, ſtupebatq; eius artem: Qualem honorem quæſo, inquit, bonis uiris habebis tu, cùm citharœdum ita in cœlum feras? Idem.

AGIS Archidami filius differenti cuidam de Græcorum libertate, non leuia quidem, ſed effectu ardua: Deſiderat, inquit, hoſpes, uires & pecuniam iſta oratio. Idem.

ANTIOCHVS ephorus, poſtquam Philippum Meſſeniis agrum audiuit donaſſe, quæſiuit: Num uires quoq;, ut de agro dimicantes uincere poſſent, tribuiſſet. Idem.

Flagitantibus, cùm urbis deditionem feciſſet, Athenienſibus, Samum ipſis ſolum permitti, reſponderunt LACONES: Quando ueſtri iuris non eſtis, tunc habere & alios quæritis? Vnde eſt prouerbium natum, Qui ſeipſum non habet, Samum petit. Idem.

AGESILAVS cùm cognoſceret de lite quadam, accuſatorq; probè cauſam egiſſet, defenſor malè, qui ubiq; occinebat, Decet regem Ageſilae legibus ſubuenire: Et ædes tuas, reſpondit, ſiquis diſſiparet, aut expoliaret te pallio, num expectes, dum ædificator aut textor pallij tibi ſuccurrat? Idem.

IDEM cùm cerneret nonnullos ciues, quòd equos ad ſacra certamina alerent, celebres eſſe, & ſibi placere: quò ſubiiceret Græcorum oculis nullius ea uirtutis eſſe, ſed opum & ſumtus: ſororem impulit Cyniſcam, ut currum conſcenderet, & Olympiis certaret. Idem.

ARISTIDES quæſtor creatus, demonſtrauit non ſolùm ſui temporis quæſtores, ſed & ſuperiores magnam pecuniam auertiſſe, Themiſtoclem præ cæteris. Is magna coitione in Ariſtidem facta, negotium ei, cùm referret rationes, fecit, & peculatus eum damnauit. Quod cùm ferrent optimi quiq; indignè: litis æſtimatione liberatus, & quæſtor eſt iterum deſignatus. Hic cùm præ ſe ferret priorum conſiliorum pœnitere ſe, & molliorem ſe præberet, erat acceptus iis, qui expilabant ærarium, quòd non detegeret ipſos, nec exactè excuteret: unde ſatiati pecunia publica in cœlum ferebant Ariſtidem, ac populum pro eo prenſabant, laborabantq; ut denuò quæſtor crearetur. Is uerò populum, cùm ipſum deſignaturus eſſet, caſtigauit. Cùm enim, inquit, uerſatus in magiſtratu eſſem innocenter & rectè, labe aſperſus ſum: ubi multa de publico depeculatoribus condono, præclarus uideor ciuis. Me quidem magis huius pudet laudis, quàm damnationis prioris: ueſtri uerò miſeret me, apud quos obſequi honorabiliùs eſt improbis, quàm conſeruare commoda publica. Ita fatus, ubi furta patefecit, applaudentes ſibi & commendantes elingues reddidit: uerum autem & iuſtum tulit ab optimo quoq; præconium. Plut. in Ariſtide.

Delphis ſtatua uiſebatur aurea inter duces & reges Mneſaretes; quã Crates ait Græcorum laſciuiæ dedicatum eſſe trophæum. PRAXITELES amicę id beneficij contulit, quem ob id laudibus extollere Crates debebat, quòd aureis hiſce regibus meretricem amicam aſſociauerit: opulentiam, cui nihil præclari, nihil adeſt honeſti, eis improperans. Siquidẽ iuſtitiæ ornamenta, temperantiæq;, & magnanimitatis, decebat iuxta Apollinem reges & ſummos magiſtratus locare, non aurearũ & delicatarũ copiarũ: quarũ ſunt etiam illi, qui turpiſſimè uixerunt, conſortes. Plut. de Pythię oraculis.

Cùm Atticam depopularentur Macedones, eduxit iuuentutẽ PHOCION. Ibi multis accurrentibus, monentibuſq; ut illum tumulum occuparet, hinc inſtrueret aciem: Papæ, inquit, quàm multos duces, paucos uideo milites: ſed tamen ſignis collatis fudit occiditq; ductorem Macedonum Niciónem. Plut. in Apophth.

Vt ciuitatem Athenienſium Leoſthenes pręcipitem in bellum egit, ingenti ſpe ad libertatis & imperij nomen arrectam, orationem eius cupreſſis aſſimulauit PHOCION. Hæ nāq; infit, pulcræ ſunt & excelſæ, ſed nō ferunt fructum. Cùm primi ſucceſſus ex uotò eſſent, & ciuitas ob lætum nuncium diis honorem haberet: rogatus, An'ne hæc optaret ita fuiſſe geſta? Omnino, inquit, hæc geſta eſſe, ſed tamen conſilia capta illa. Ibidem.

ARISTIPPVS philoſophus uictus ab homine quodā audaci, ſed furioſo alioqui & amente, ubi eum exultantem iactātemq; ſe uidit: Ego, inquit, qui conuictus ſum, abeo iucundiùs, quàm tu, qui me uiciſti, dormiturus. Plutarchus de Virtutis prouectu.

IDEM, cùm rogaret eum quidam, Quid mercedis pro inſtituendo filio poſtularet? Drachmas, inquit, mille. Qui cùm dixiſſet: Papæ nimium petis: equidem mercari mancipium poſſem mille. Ergo duo, infit, habebis mancipia, filium natum, & ſeruum emtum. Plut. de Inſtit. liberis.

DIOGENES Cynicus, cùm aliquando de re ſeria diſſerens, nullum haberet auſcultatorem attendentem, cœpit ineptā cantionem canere, ueluti ſaltaturis. Vbi iam plurimi concurriſſent, obiurgauit illos, quòd ad ſtulta & inepta frequētes & alacres accurrerent: ad ſeria uerò & ad bene uiuendum utilia, nec alacriter conuenirent, nec diligenter auſcultarent. Huic ſimilimum eſt, quod Demoſtheni quidam adſcribunt, de umbra aſini. Laertius lib. 6.

IDEM uidens adoleſcentem furibundum & uęcordem: Parens, inquit, adoleſcens, te ſeminauit temulentus. Plutarchus de Inſtit. liberis.

ANTISTHENES, cùm Athenienſes admoneret, ut aſinos non minùs ad agriculturam eligerent, quàm equos: illi uerò, Animal ad arandum ineptum eſſe, reſponderent: Quid refert, inquit, quia in ueſtra Rep. duces ſunt, qui nunquam didicerunt adminiſtrandi rationem: ſed ſatis eſt, quòd à uobis eligantur. Laertius lib. 6.

Erat apud Pyrrhum CYNEAS Theſſalus, ingenio & eloquentia clarus, utpote qui Demoſtheni diutiſſimè operam dediſſet. Is ſæpè à Pyrrho miſſus ad ciuitatum Italiæ ſtudia ſibi concilianda, quum mira felicitate uerſaret populorum animos, fertur Pyrrhus in eum dicere ſolitus illud Euripidis, Omnia conficit oratio, uel quæ hoſtile etiam ferrum nequeat. Hic ubi regem ad expeditionem Italicam contra Rom. euocantibus Tarentinis, ſumma ope ſe parare uidit, ab eo familiariter quæſiuiſſe dicitur: Rogo, inquit, rex, ſi dij annuerint, ut Romanos bello ſuperes, quid his uictis poſtea agemus? Cætera Italia ſubigenda nobis eſt, inquit Pyrrhus. Italia uerò domita, quid? ille ait. Siciliam, Pyrrhus reſpondit, meis opibus adiiciam. Quid Sicilia uicta? Aphricam, & cæteras terras noſtræ ditioni ſubigam. Tum Cyneas, Quid quum totum orbem uiceris? Tum ridens Pyrrhus, Otium, inquit, agemus, perpetuaq; lętitia, epulis mutuoq; ſermone perfruemur. Tum ille, Quid attinet per labores & pericula ea quærere, quorum facultas abundè parata eſt, modò frui uelimus? Turbauit magis his uerbis regē Cyneas, quàm à propoſito auertit. Plut. in Pyrrho, & Sab. lib. 8. En. 4.

Antiochus rex, cùm traducto in Aſiam exercitu Romano legatos ad SCIPIONEM pacem petitum miſiſſet: Hoc oportuerat, inquit, ante factum, non nunc, poſtquam frenum & ſeſſorem accepiſti. Plut. in Apophthegmatibus.

CATO maior increpauit ciues, quòd ſemper eoſdem conſules deſignarent. Videbimini enim, inquit, aut non magni conſulatum, aut non multos conſulatu ducere dignos. Plutarchus in Apophthegmatibus.

AVGVSTVS Cæſar, audito annos natum duos & triginta Alexandrum maxima parte orbis ab ſe ſubiugata, quid deinceps acturus eſſet, hæſitaſſe: mirabatur, quòd non magis arduum arbitraretur, quàm quærere ſpacioſum imperium, id quod tenebat, componere. Ibidem.

Vlyſſipone, eodem anno, aut paulo pòſt, quàm Emanuel Portugalliæ rex Indiam ſubegit, HERMICVS Caiadus Luſitanus, Angeli Politiani auditor, Latinis carminibus commentus eſt Sibyllinam uaticinationem in columnis marmoreis tribus inciſam, quæ per ambages ſignificabat, Indos ſub imperium & ditionem Luſitanorum eſſe uenturos: eoſque lapides data opera detruncatos, ut aliqua ineſſent antiquitatis ueſtigia, obrui præcepit, conſcio rege, in extremitate promontorij Artabri, prope Syntram oppidum. Vbi uerò defoſſa marmora ex humore terreno uitium feciſſe iudicauit, anno MDV, die Auguſti nona, inuitat amicos in uillam, ei loco proximam. Cùm accubuiſſent omnes, ecce uillicus nunciat Hermico, mercenarias eius operas, dum in fundo foſſionibus incumberent, incidiſſe in lapides, indices magni cuiuſdam theſauri, eodem loco defoſſi. Accurrunt omnes & columnas intuentur, in quibus inciſa huiuſmodi erant carmina:

Sibyllæ uaticinium occiduis decretum.

Voluentur ſaxa literis & ordine rectis,
Cùm uideas occidens orientis opes.
Ganges, Indus, Tagus, erit mirabile uiſu,
Merces commutabit ſuas uterq; tibi.

Soli æterno ac Lunæ decretum.

Continuò ad regē rumor perfertur: qui commenti huius cōſcius, mirabundo ſimilis, optimatibus oſtendit. Illi deſcribēdum curant, & mercatorum cura Vlyſſiponenſium per uniuerſum orbem Chriſtianum euulgant. Sic Hermicus antiquitatis ſimulatiōe uniuerſo orbi impoſuit, ſeu potiùs ſtultos antiquitatis admiratores ſolerti aſtu reprehendit & illuſit. Caſpar Varrerius in cenſura Beroſi.

Alfonſus Aragonum rex, SCVRRAM in aula habebat, qui cēſoria uirgula ſingulorum dicta factaq; notabat, & tabellis deſcripta Principi ſtato tempore offerebat, ſuo aſcripto iudicio, quódnam ſibi ex omnibus ſtultiſſimum uideretur. Accidit, ut rex Maurum, ſeruum fideliſſimum, cum magna ui auri ablegaret, equorum comparandorum cauſa. Id factum ſcurra literis mandatum, nil minùs expectanti regi in hæc uerba recenſuiſſe fertur: Alfonſus rex Chriſtianus, Mahumetanum Pœnum, aliquot aureorum millibus onuſtum, ornatum, ad Mahumetanos dimiſit. Exitus acta probabit. Ego uerò, ſi bona fide reuertatur, Maurum ſtultiſſimum, Alfonſum ſapientiſſ. ſi non reuertatur, quod probabilius eſt, Alfonſum ſtultiſſimum, Maurum ſapientiſſimū, pro ea, qua polleo, cenſoria auctoritate, pronunciare non uerebor. Aegidius Corrozetus de Dictis & factis memorab.

NICOLAVS, morio Saxonię Ducum, cùm inter fratres de diuidenda regione ageretur, ueſte principali indutus in conſeſſum procerum uenit, &, Ecquid placeret? Fridericum ducem interrogauit. Laudante eum Duce, in cubiculum exiuit, & forfice ueſtem diſſecuit: mox alteram partem indutus Principi ſe obtulit, &, Nūquid placeret? rogauit. Principe uerò factum illius uirgis coercendum minitante: Vt libet, exclamauit, modò & te uiciſſim uirgis cædant, qui diuiſione cum fratre inita, pulcriorem hac ueſtem dilacerare conaris. Hieremiæ Mederi acroama.

*Temeritatem.*

LYSANDER, agenti ſecum ciui Megarenſi liberiùs in Græciæ cōcilio: Oratio tua, inquit, urbe indiget. Plut. in Apoph.

ARCHIDAMVS Zeuxidami F. contemplatus filium cæco impetu cum Athenienſibus confligentem: Aut uiribus, inquit, adiice, aut ſummitte animos. Plut. in Apophthegmat.

Thebanis de quibuſdā repugnantibus dixerunt LACONES: Aut minores animi uobis gerendi ſunt, [redacted]

*Mollitiem, Ignauiam.*

[redacted]

*Intemperantiam, Ebrietatem, Crapulam.*

Aſtyages Medorum rex cum Mandane F. & CYRO nepote cœnans, quòd puerum ſuauiſſima cœna excipere cuperet, quo minùs domeſtica deſideraret: paropſidas ei & omnis generis embammata ciboſq; appoſuit. Ibi tum Cyrus dixiſſe fertur: Quantum tibi, mi aue, negotiorum eſt in cœna: ſi quidem ad omnia iſthęc fercula manus extendas, neceſſe eſt, atq; omnis generis cibos hoſce deguſtes: atqui multo ſimplicior & rectior apud Perſas uia eſt exſatiandi ſe, quàm apud uos. Nos enim eò panis & caro deducunt: quū uos eandem nobiſcum ad metam contendentes, perq; uaria quædam itinera planè flexuoſa ſurſum deorſum errantes, uix tandem perueniatis, quò dudum nos ueneramus. Video quinetiam te ab hiſce cibis abhorrere. Nam quando panem tangis, manum non abſtergis: ſin autem horum aliquid attingas, continuò manum ad mantilia purgas, quaſi perquàm moleſtè feras plenam iis fuiſſe. Xenophon de inſtitut. Cyri, libro 1.





IDEM per iocum pincernæ fungens officio, uinum pro more guſtare noluit, quòd uenenum ineſſe diceret. Aſtyage cauſam rogante, reſpondit: Quum tu die natali tuo amicos exciperes, planiſſimè deprehendi, uenena Sacā pincernam uobis infudiſſe, cùm uos & animis & corporibus titubantes uiderim. Primùm enim quæ nos pueros facere prohibetis, ipſi cōmittebatis. Nimirum omnes clamabatis, quū uoſmet mutuò planè non intelligeretis. Quin & ridiculè admodū canebatis: ac quāuis canentem non audiretis, ſacramento tamen cōfirmabatis, optimè hominē canere. Præterea quū quiſq; ueſtrûm robur ſuum prædicaret, ut primùm tamē ſaltaturi aſſurgebatis, tantum abeſt, ut ſaltare poſſetis ad numerum, ut etiam erigi nequiretis. Neq; uel tu omninò regē eſſe te memineras, uel illi, quòd imperiū tibi in ipſos eſſet. Xenophon de inſtit. Cyri lib. 1.

LACON, audito quoſdam à cœna ad potandum compelli: Num, inquit, ad ueſcendū quoq; compellūtur? Plut. in Lac.

AMMONIVS, Plutarchi præceptor, in cōgreſſu pomeridiano, cùm reſciuiſſet nonnullos familiares non pranſos ſimplex prandium, filio proprio ut uerbera infligeret, iuſſit liberto: adiiciens, quòd prandere nō poſſet ſine aceto. ſimul in reliquos diſcipulos oculos cōuertit, ut affines culpæ pūgeret caſtigatio. Plut. de Diſcernendis adulatorib.

PETRVS Berenautus, morio facetiſſimus, Philippo Haſſiæ Lantgrauio de capitis dolore ex heſterno mero conquerenti, Præſentaneum ſe remedium communicare poſſe dixit. Data fandi copia, Heſternā hodierna pellito crapula. Tum princeps: At craſtino die grauiùs laborabo. Ingurgites ergo te denuò. Quid perendie? Iterum. Quid poſtridie? Idem. Et quis tandem finis? Vt mei ſimilis, inquit, euadas. Hieremiæ Mederi acroama.

*Libidinem.*

Cùm occurriſſet HIPPOCRATIDÆ aliquādo adoleſcens, quem affectabatur amator, erubeſcente illo: Cum talibus, inquit, eundum, quibuſcum conſpectus colorem nō mutabis. Plut. in Apophthegmatib.

HIERO Syracuſanus filium, quē relicturus erat dominatus ſucceſſorem, cùm ſtuprum hominis ingenui uxori obtuliſſe reſciuiſſet: inflammatus rogauit eum, Ecquid in ſe tale comperiſſet? Reſpondente adoleſcente: Nempe tu patrem non habuiſti tyrannum: Nec tu, inquit, niſi factis iſtis temperes, filium habebis. Plut. in Regum apoph.

MVLIER quæpiam Philippo regi, qui eam attrahebat nolentem: Mitte me, inquit: omnis mulier, amota lucerna, eadem eſt. Plut. in Præceptis connubialibus.

Cùm FRIDERICVS in epiſcopum Traiecti eſſet cōſecratus, & in prandio Ludouicus Pius Imp. ad dextram ei aſſidens, monuiſſet illum, ut recentis profeſſionis memor, ſine ullius perſonæ reſpectu, ius Dei in ſua uocatione adminiſtraret: reſpondit ille, Rectè me mones Imperator: ſed quæſo, tua maieſtas dicat, utrum piſcem hîc appoſitum honeſtius ſit à capite, an à cauda aggredi? Ille ſtatim inquit: Caput præſtantius membrum eſt, inde fiat initium. Epiſcopus ergo ait: Bene dixiſti. Ergo & tu renuncia inceſto matrimonio, quod cū Iuditha cōtraxiſti. Hoc ſermone Imperator motus, uxorem à ſe dimiſit. Re ad pontificem Romanum delata, alia pronūciatur ſententia: quòd nimirū pœnitentia præſtita, Imperator cum uxore deinceps, legitimo poſſit uti connubio. Iuditha indignè ferens epiſcopi libertatem in ueritate dicenda, per ſicarios eum in templo ad aram curauit interfici. Ranulphus lib. 5. cap. 29. & Chronicon Hirſaugienſe.

*Illiberalitatem, Sordes, Auaritiam.*

Pythes, qui regnante uixit Xerxe, cùm fortè reperiſſet auri metalla, totuſq; in opibus eſſet ex iis parandis, omni ſtudio alio relicto & opere, cunctos ciues pariter fodere, aut egerere purgaréue aurum compellebat. Vxor eius nonnullos ex artificibus accerſit: incluſis imperauit, ut aureos panes, bellaria uaria & poma, eſculentaq; ac poculenta, quib. maximè Pythen delectari ſciebat, facerent. Paratis omnibus, cœnam poſcenti marito, auream menſam uxor, atq; aurea omnia propoſuit. At ille ſatiatis oculis, cibū poſtulauit. Appoſuit illa rurſus aurum. Indignabundo & eſurire clamanti, illa, Atqui horum, inquit, nullius præterea nobis copiam paraſti. Semente, plantatione, & paſcendi cura neglecta, effodimus & quærimus ea, quæ nulli uſui ſunt, enecātes noſipſos & ciues. Quibus Pythes motus, metallorum opus non prorſus reliquit, ſed quintam partem ciuium incumbere ei uoluit, reliquos agriculturam & artificia tractare. Plut. de Virtutibus mulierum.

ARISTIPPVS Platoni obiurganti, quòd multos piſces emiſſet, reſpondit, Se illos emiſſe obolo. quumq; Plato dixiſſet, Tanti & ipſe empturus eram: Vides, inquit, igitur, ô Plato, me non eſſe obſoniorū auidum, ſed te pecuniæ amātem. Idem cùm aliquando perdicem quinquaginta drachmis iuſſiſſet emi, cuidam deteſtanti luxum in philoſopho: Et tu, inquit Ariſtippus, ſi obolo uenalis eſſet, non emeres? Quum is reſpondiſſet, Se empturum: Et mihi, inquit, tanti ſunt quinquaginta drachmæ. Laertius.

GRÆCVLVS quidam poëta Auguſto Cæſari deſcendenti à palatio aliquoties honorificum aliquod epigramma porrexerat: at ſemper fruſtra. Cæterùm uidens Auguſtus non deſtiturum poëtam: epigramma bene Græcum manu ſua deſcripſit, & Græculo ad ſe uenienti obuiam miſit, ueluti carmina carminibus penſaturus. Græcus acceptum legit, ac non ſolùm uoce, uerumetiam uultu geſtuq; corporis laudauit carmen, miratuſq; eſt. Deinde accedens ad lecticā, qua Cæſar uehebatur, demiſſa in pauperem crumenam manu, pauculos denarios protulit, Cæſarique obtulit, his uerbis: οὐ κατὰ τύχην τὴν σὴν σεβαστὲ, εἰ πλέον εἶχον, πλέον ἐδίδουν: Non iuxta fortunam tuā, Auguſte: ſi plus haberem, plus darem. Sequuto omnium riſu, diſpenſatorem Cæſar uocauit, & ſeſtertiûm centum millia Græculo numerari iuſſit. Suetonius in eius uita.

Sigiſmundus Imp. iter faciens, torrentem equo traiiciebat. Equus conſiſtens, meiere cœpit. Tum QVIDAM aulicorum Cæſaris equum, naturam Cæſaris habere palàm aſſeruit. Cauſam rogatus, Quoniam, inquit, equus torrenti aquam addit, Cæſar habentibus dat. Carion lib. 3. Chronici.

MAXIMILIANVS I. Imperator, cùm aliquot munera à Venetis accepiſſet, nēpe uarij generis pocula, magno quidem artificio & exquiſitè fabrefacta, ſed uitrea tamen omnia, & deaurata: primùm quidem pro his gratias egit Imperator. Vtq; porrò intelligerent legati Veneti, non moueri ipſum raritate muneris, quod uilitate precij ſorderet: inſtruxit clā qui id agerent, ut pocula omnia quaſi fortuitò de menſa, in qua erant poſita, deturbarentur. Hoc nimirum facto ſignificans, maiorem ea gratiam habitura fuiſſe uel aurea uel argentea potiùs, quæ corrumpi caſu non potuiſſent, & corrupta nihilominus profuiſſent, quàm uitrea, quæ deſtructa nihil proſunt. Conradus Bruno libro quinto, capite 21. de Legationibus.

*Luxum ædificiorum.*

AGESILAVS in Aſia contemplatus domū quadratis laqueatam trabibus, rogauit dominū ædium, Num materia naſceretur apud ipſos quadrata? Abnuenti, uerùm teres: Quid igitur, inquit, ſi eſſet quadrata, teretē efficeretis? Plut. in Apoph.

Rhodiorum STRATONICVS luſit luxum: qui ædificare dixit eos, ut immortales: opſonari, ut homines uitæ fugacis. Plut. de Cupiditate diuitiarum.

*Ambitionem, Superbiam, Iactantiam.*

CHILO ſapiens, cùm audiuiſſet quendā, qui inimicum iactabat habere ſe nullum, rogauit, An ne amicum quidem haberet? Plut. de Vtil. ex inimicis capienda.

ARCHIDAMVS, Ageſilai F. Philippo, qui à pugna ad Chęroneā ad ipſum ſcripſerat aſperiùs, reſcripſit: Si tuæ ipſius umbræ menſuram egeris, haud reperies eam, quàm ante uictoriam, ampliorem. Plut. in Apophthegmatib.

SIMONIDES cantilenarum conditor, cùm Lacedæmoniorum rex Pauſanias, qui perpetuò res ſuas geſtas iactabat, iuberet ioculariter, Vt ſibi præceptum aliquod ſapiens daret: poſtquam hominis inſolētiam aduertit, Vt meminiſſet, conſulebat, hominem ſe eſſe. Plut. in Oratione conſolatoria ad Apollonium.

THEOPOMPVS hoſpiti iactanti, dici ſe apud ciues ſuos Laconum cupidum: Præſtabat, inquit, ciuium te quàm Laconum cupidum uocari. Plut. in Apophthegmatib.

Cùm Megarenſis quidam iactaret apud AGESILAVM urbē ſuā: Oratio tua, inquit, adoleſcēs, magnas uires requirit. Idē.

TIMOTHEVS, duce quopiā feroce uulnus ſuum Athenienſibus monſtrante: Me uerò, inquit, puduit, quòd prope me, cùm dux ueſter in Samo eram, telum catapulticum decidiſſet. Plut in Apophtheg.

SOCRATES Alcibiadem intuitus, ob diuitias inflatum, & ſuperbientem opibus prædiiſq;, in quendam locum duxit, in quo ſuſpenſa erat coſmographica tabula, terræ circuitum complexa: iuſſitq; Alcibiadem, Atticā in ea inquirere. Quā ut inuenit, ſua etiam prædia inſpicere præcepit. Quæ cùm Alcibiades nuſquā eſſe picta diceret: Cur igitur, Socrates inquit, ob illa ſuperbis, quæ circa nullā terræ partem exiſtūt? Eraſmus in Apophthegmatis, ex Aeliani lib. 3.

*Iracundiam.*

TITVS Annius, nec probitate nec modeſtia commēdatus homo, ſed inter dicendum interrogationum & reſponſionum incomparabilibus præcellere argutiis habitus, prouocauit Tiberium Gracchum Tribunum (poſtquam magno cum nobilium ſtomacho legem agrariam pertulit, & M. Octauium collegam ſibi reſiſtentem magiſtratu priuauit) ad ſponſionem, ni ſacroſanctum legib. collegam uiolaſſet. Obſtrepente plebe exiliens Tiberius aduocauit concionem: & cùm iuſſiſſet Annium adduci, inſtituit eum poſtulare. Hic uerò &

& facundiâ & dignitate longè illi cõcedens, ad artes ſe recepit ſuas, petiuitq; à Tiberio, ut pauca ante diſceptationes requirere de eo liceret. Quo dante, ut interrogaret, & ſilentio facto, ait Annius: Si tu maculare me & dehoneſtare in animo habeas, ego autem aliquem ex collegis tuis appellem, atq; ille auxilio mihi fuerit, tu uerò ira ſis incenſus, extorquebis ne ei magiſtratum? Ad hanc quæſtionem referunt ita Tiberium hæſitaſſe, ut qui omnium eſſet ad dicẽdum expeditiſſimus, & proiectiſſimus ad audendum, obmutuerit. Ita dimiſit in præſenti concionem. Plut. in Tiberio.

Erat Patricius D. Auguſtini pater ſicut beneuolẽtia pręcipuus, ita ira feruidus. Sed nouerat MONICA uxor non reſiſtere irato uiro, non tantùm facto, ſed ne uerbo quidem. Iam uerò refracto & quieto, cùm opportunum uideret, rationem facti ſui reddebat, ſi fortè ille inconſideratiùs commotus fuiſſet. D. Auguſt. lib. 9. Confeſs. cap. 9.

*Facilitatem.*

Theodoſij iunioris nimiam in ſubſcribendis codicillis facilitatem, cùm etiam literis ſæpiùs non lectis ſubſcriberet, indignè ferens ſoror PVLCHERIA, curat conſcribi literas, in quibus uxor ipſius Eudocia (quam mirificè deamabat) petita in ſeruitutem tradebatur. Eas non lectas cùm ſubſcriptione confirmaſſet, paulo pòſt recitata ſcriptura, grauiobiurgatione fratris oſcitantiam correxit. Socrates libro ſeptimo, capite uigeſimoſecundo: Theodoretus libro quinto, capite triceſimoſexto: Nicephorus libro quarto, capite uiceſimotertio, & Suidas.

*Maledicentiam.*

NESTOR Sophocleus cõuitio proſciſſus ab Aiace reſpõdet:
Non culpo te, malè qui dicis, dum rectè agis.
Plutarchus in Politicis.

LYSANDER proſcindenti ipſum cuipiam conuitiis reſpondit: Perge ſedulò, hoſpitule, perge, nec quicquam omitte: quò mala, quibus uideris refertus, exhaurire ex animo ualeas. Plut. in Apophtheg.

HIERO Syracuſanus Xenophani Colophonio, qui dixit, Aegrè ſeruos ſe duos alere: At Homerus, inquit, quem tu uellicas, amplius decem millia alit extinctus. Ibidem.

*Loquacitatem.*

ALEXANDRIDAS illi, qui parum cõuenientia apud Ephoros & pluribus, quàm ſatis eſſet, uerbis dicebat: Hoſpes, inquit, congruo parum congruè uteris. Plut. in Apophtheg.

*Adulationem.*

Iuuenis quidam ex Anaximenis oratoris alumnis orationem meditatam cum apparatu in laudem ANTIGONI regis habuit. Ibi, ſimulans ſe aliquid non rectè percepiſſe, interrogauit eum. Obmuteſcente iuuene: Quid dubitas, inquit, an non hæc ſcripta ſunt in tabellis? Plut. in Apophtheg.

LYSANDER iactanti ipſum à ſe celebrari ac defendi: Boues habeo, inquit, ruri duos, quibus ambobus ſilentibus, rectè noui inertem & induſtrium. Idem.

*Nugacitatem.*

Cernens LACON quidam, Diogenem Cynicum per ingens frigus ſtatuam æream complectentem, rogauit, An rigeret? neganti: Quid igitur, inquit, magni facis. Plut. in Laconicis.

EVDAMIDAS in Academia conſpiciens grandem natu iam cum diſcipulis philoſophantem Xenocratem, accipienſque inueſtigare eum uirtutem: Quando tandem, inquit, eam in opus educet? Idem.

Peregrinus, qui Spartæ crepidatus altero pede rectus inſiſtebat, dixit ad LACONEM: Haud arbitror te, Lacon, tam diu pede quàm ego inſtiturum. Qui occurrens: Non ſanè, inquit, ego: uerùm ex anſeribus nullus non. Idem.

LACON de re quapiã interrogatus reſpõdit, Non. Vbi ſubiecit ille, qui requiſierat, Mentiris: Vidéſne igitur, inquit, uanum eſſe te, qui ea, quæ ſcis, exquiris? Idem.

LEON Eucratidæ Olympiæ curſores de emiſſione laborantes cernens: Quantò acriùs, inquit, curſores de pernicitate laborant, quàm de iuſtitia. Idem.

Cùm uetarent DEMOSTHENI aliquando Athenienſes uerba in concione ille facere: Pauca habere ſe, ait, quæ ipſis referret. Quibus conticeſcentibus: Adoleſcens, infit, ſub æſtatis tempus aſinum Athenis Megaram conduxit. Flagrante meridie ſole, uterque eorum aſini umbra quærebat ſe tegere, repellebatque alter alterum: atque hic locaſſe prætendebat ſe aſinum, non eius umbram: qui eum conduxerat, omnem eius uſum ſuum eſſe. Quæ poſtquam narrauit, recedebat. Retinentibus eum Athenienſibus, atque, ut abſolueret ſermonem, rogantibus: Itáne uerò de aſini umbra, inquit, uultis audire, dicentem de rebus ſeriis non uultis? Plutarchus in uita Demoſth.

CATO maior Poſthumio Labieno (alij, Albino) qui hiſtorias Græcè ſcriptitauerat, ueniam ab auditoribus petente, cauillatus eſt, gratiam faciendam fuiſſe, ſi Amphyctionum decreto coactus ſcripſiſſet. Plut in Apophtheg.

*Inciuilitatem, Inurbanitatem.*

Cùm Philippus Macedonum rex ſubhaſtationis quorundam captiuorum ſpectator, ueſte ſupra genua collecta ſederet: VNVS captiuorum rogabat, ut eum liberare uellet, quia amici eius eſſet filius. Petiit Philippus, ut nomen exprimeret. Cui cùm captiuus ipſi ſoli id ſe dicturum reſpondiſſet, uicinior factus, hoc unum dixit: Veſtem rex, quam ſupra genua collegiſti, demitte: neq; enim ita ſedendo decorum ſeruas. Quo uerbo audito, Philippus ueſtem demiſit, & captiuum ſtatim liberauit. Fulgoſus lib. 5. cap. 2.

Iſaacius Angelus Byzantinus Imp. Friderici Barbaroſſæ in Palæſtinam exercitũ ducturi legatos uix domũ paſſus reuerti, neque eos conſeſſu ullóue alio honore dignatus eſt, ſed æquè ut alios Græcos ſeruiliter aſtare permiſit. At FRIDERICVS poſteaquã legati Græci ad ſe uenerunt, nõ tantùm ipſos ſibi, ſed miniſtros, coquos & equiſones, uel inuitos dominis aſſidere iuſſit. hoc ipſo facto exprobrans Græcorum Imperatori inhumanitatem. Nicetas lib. 2.

GALLVS quidam regulus optimatibus cõuiuium æſtate media ſub opaca ulmo apparari iuſſerat, ubi muſcarum agmina in dapes ac uina prouoluebantur. Conuiuæ, quibus animantis fœditas ſtomachum moueret, mox ut muſca in poculum ceciderat, uinũ ſimul atq; animal effundebãt. Aegrè id cernere princeps, iacturamq; uini tacitus indignari. nam queri palàm inter magnos, qui aderant, proceres non eſt auſus. Sed quos arguere uerbo ueritus eſt, exemplo admonuit. Puerum qui flabello muſcas abigebat, ceſſare paululum iubet. Interea & in craterem ſuum muſca incidit. Tum duobus digitis dextrã alam inſecti apprehendit, & aliquandiu ſupra craterem excutiens, ne quid uini adhęreret, in terram proiecit. Exemplum conuiuæ omnes ſecuti. Aen. Syl. lib. 1. Com. in Panor.

*Superſtitionem.*

Phyſicus XENOPHANES, cùm cædentes ſe in ſolennibus & lamentantes conſpiceret Aegyptios, appoſitè admonuit eos, atq;: Hi, inquit, ſi dij ſunt, ne planxeritis eos: ſin homines, ne feceritis eis ſacrum. Plut. de Superſtit.

DIOGENES aduerſus hos Sophoclis uerſus:
Vt ſunt beati uerè illi mortalium,
Myſteria hæc qui contemplati, ad inferos
Pergunt. Licet nam his illis ſolis uiuere:
At cæteri experiuntur cuncta ibi mala.
Quid ais? infit. Meliórne erit à fato ſors furi Patæcioni, quã Epaminondæ, quòd initiatus ſit? Plut. de Aud. poëtis.

DIOGENES Lacedæmone cùm hoſpitem cerneret inſtruentem ſe ad feſtum quoddam, paratumq; magnificum facientem: Quid? nónne uir bonus, inquit, omnẽ diẽ ducit feſtum? Certè admodũ, ſi ſapimus, ſplendidũ. Plut. de Tranq. animi.

PORPHYRIVS, ad Anebuntẽ ſcribens Aegyptiũ, conſulenti ſimilis & quęrenti, ꝓdit artes magicas, & euertit. Et ibi quidem oẽs dæmones reprobat: quos dicit ob imprudentiam trahere humidũ uaporẽ: & ideo non in æthere, ſed in aëre eſſe ſub luna, atq; ipſo lunæ globo. Veruntamen non audet oẽs fallacias, & malitias, & ineptias, quib. meritò mouetur, omnibus dæmonib. dare. Quoſdã namq; benignos dæmones more appellat aliorũ, cùm oẽs generaliter imprudẽtes eſſe fateatur. Miratur, quòd nõ ſolũ dij alliciantur uictimis, ſed etiã cõpellantur atq; cogãtur facere quod homines uolunt. Quærit etiã ueluti dubitans, utrum in diuinantibus, & quædã mira facientib. animæ ſint potentiores: an aliqui ſpiritus extrinſecus ueniant, per quos hæc ualeãt? Et potiùs uenire extrinſecus cõiicit, eò ꝙ lapidibus, & herbis adhibitis, & alligent quoſdã, & aperiãt clauſa oſtia, uel aliquid eiuſmodi mirabiliter operentur. Quęrit item, cur tanquã meliorib. inuocatis, quaſi peioribus imperetur, ut iniuſta hominis præcepta exequãtur: cur attrectatũ re uenerea nõ exaudiant imprecantẽ, cũ tamẽ ipſi ad inceſtos quoſq; concubitus quoſlibet ducere non morentur: cur ab animantib. ſuos antiſtites oportere abſtinere denunciẽt, ne uaporib. corporeis polluantur, ipſi uerò & aliis uaporib. illiciantur, & nidorib. hoſtiarũ: cumq; à cadaueris contactu ꝓhibeatur inſpector, plerunq; illa cadaueribus celebrentur: quid ſit, ꝙ non dæmoni uel alicui animæ defuncti, ſed ipſi ſoli & lunæ aut cuicunq; cœleſtiũ, homo cuilibet uitio obnoxiùs intendit minas, eoſq; territat falsò, ut eis extorqueat ueritatẽ. nam & cœlũ ſe collidere cõminatur, & cætera ſimilia homini impoſſibilia, ut illi dij tanquã inſipientiſſimi pueri, falſis & ridiculis cõminationibus territi, quod imperatur efficiãt. Dicit etiã ſcripſiſſe Chæremonẽ quendã, talium ſacrorum uel potius ſacrilegiorũ peritũ, ea quæ apud Aegyptios ſunt celebrata rumorib. uel de Iſide, uel de Oſiride marito eius, maximã uim habere cogendi deos, ut faciant imperata, quando ille qui carminib. cogit, ea ſe prodere uel euertere cõminatur: ubi ſe etiã Oſiridis mẽbra diſſipaturũ terribiliter dicit, ſi facere iuſſa neglexerint. Eo nimirũ modò uoluit hominem Aegyptiũ, talibus errorib. deditum, & aliqua magna ſe ſcire opinantem, non ſuperba quaſi auctoritate doctoris offendere, nec apertè aduerſantis altercatione turbare, ſed quaſi quærentis, & diſcere cupientis humilitate ad ea cogitanda conuertere, & quã ſint contẽnenda uel etiã deuitanda, monſtrare. Deniq; propè ad epiſtolæ finẽ petit ſe ab eo doceri, quæ ſit ad beatitudinem uia ex Aegyptia ſapientia. Illa ipſa numina, cũ quib. uerſarentur, & ſi de cæteris reb. uera prædicerent, tamen quoniã de beatitudine nihil cautum nec ſatis idoneum monerent, nec deos illos eſſe, nec benignos dæmones, ſed aut illum, qui dicitur fallax, aut humanũ omne commentum. D. Auguſt. lib. 10. de Ciu. Dei, cap. 11.



*Iniuſtitiam in genere.*

ALEXANDRIDAS, Leontis filius, cuidam, quòd patria extorris eſſet, languenti: Noli quæſo, inquit, quòd urbem reliqueris, trepidare, ſed quòd iuſtitiam. Plut. in Apophtheg.

*Rebellionem.*

Conrado II. Cæſari frater Henricus rebellans profugit ad regem Hungariæ STEPHANVM. Is uenientem Chriſtiana pietate ſuſcepit, & in die Paraſceues carnes illi ꝓpoſuit edendas. Horrebat ille piaculum. Tum rex in illum conuerſus, Maioris, inquit, piaculi eſt bono fratri repugnare. Ille admonitus, rediit in gratiam fratris, & Nurembergam ſponte reliquit imperio. Crãzius lib. 4. Saxon. c. 36. & l. 4. Metr. c. 10.

*Teſtimonium falſum.*

Quum Silus teſtis læſiſſet Piſonem reum, cui M. CRASSVS aderat, prolato crimine, quod ſe in eum dictum audiſſe dicebat: Poteſt fieri Sile, inquit Craſſus, ut is, unde te audiſſe dicis, iratus dixerit? Annuit Silus. Poteſt etiam, inquit, fieri, ut tu non rectè intellexeris? Quum id quoque toto capite annuiſſet Silus, ut ſe Craſſo daret, ſubiecit Craſſus: Poteſt etiã fieri ut omnino quod te audiſſe dicis, nunquam audieris? Hoc adeò præter expectationem erat, ut Silum teſtem omnium riſus obrueret. Eraſm. lib. 6. Apoph.

*Accuſationem iniuſtam.*

ANTISTHENES adoleſcentes Socratem uidere cupientes, philoſophorum omnium ſapientiſſimũ, duxit ad Anyti domum: dicens, illum Socrate multò eſſe ſapientiorem, ut qui Socratem accuſaſſet. Et hoc dicto renouatum eſt ciuibus extincti Socratis deſiderium, & Anytum expulerunt. Laertius libro ſexto, capite primo.

*Condemnationem iniuſtam.*

Cùm Athenienſiũ crudelitatẽ, qui Socratem innocentẽ cicutam bibere coëgerant, palàm accuſare non auderet EVRIPIDES, actorẽ hæc de Palamede in tragœdia, quæ nomine eius inſcripta eſt, proferentem induxit, ἐκάνετε, ἐκάνετε τὸν ἰσλώνι ἀέλτον. Quo audito, omnes qui in theatro ſedebant, id ad Socratem pertinere ſentientes, collacrymauêre.

Philippus Macedo, MACHÆTÆ cuiuſdam pro tribunali ſedens cauſam cognouit, ſed dormitabundus, nec ſatis attentus ad iuris æquitatem: itaq; ſententiam tulit aduerſus Machætam. Verùm quum is exclamaſſet, ſe ab ea ſententia appellare: rex iratus, Ad quem? inquit (nam appellandi uerbũ monarchis eſt inuiſum) Hic Machæras: Ad teipſum, ô rex, inquit, ſi expergiſcaris, & attentiùs audias cauſam. Ac tum quidem ſurrexit rex. Cæterùm poſteaquam cauſam apud ſe meliùs perpendiſſet, intelligeretque Machætæ factam iniuriam, iudicata quidem non reſcidit, ſed pecuniam qua dãnatus fuerat Machætas, ipſe perſoluit. Plut. in Apoph. Regum.

MVLIER quædam à Philippo rege temulento condemnata, dum ad Philippum prouocat ſobrium, prudenter condemnationem effugit. Valer. lib. 6. cap. 2.

*Corruptelam munerum.*

NICOSTRATVS Argiuorum prætor ab Archidamo ſollicitatus, ut magnę ſummæ præmio & nuptiarum Lacęnæ, quã optaſſet extra regias, præſidium quoddam proderet: reſpõſum reddidit, Nõ eſſe ſtirpem Archidamum Herculis. Quippe luſtrantem terras coërcuiſſe improbos Herculem: Archidamum probos improbos facere Plut. in Apopht.

---

## DEFENDERE PRVDENTER INNOcentiam ſuam, aliorúmue. Crimen intentatum diluere.

*Amentiæ ſuſpicionem.*

M. Cicero in libello de Senectute inquit, cũ uocat⁹ eſſet in iudicium SOPHOCLES à filiis, ut ipſum quaſi deſipientẽ, remouerent à re familiari: recitaſſe illum eam fabulã, quam in manib. habebat, & proximè ſcripſerat, Oedipũ Coloneum, quæſiſſeq;, Num illud carmẽ deſipientis uideretur? At ſecundùm Plut. com. an Seni ſit tractãda reſp. neq; totã fabulam recitauit, neq; tẽpus illud ac locus hoc patiebatur, ſed tantùm πάροδον ipſius, ac primũ chori cantũ, quo mirificè commendatur ciuitas illa, & omnis ager Atticus fertur in cœlũ ſummis laudib. Nactus enim poeta occaſionẽ aliquã illius rei, eam nõ dimiſit è manibus, ſed plurimũ ſtudij poſuit, ut patriã clarã multis rebus, magis adhuc illuſtraret: egregieq; quod conatus eſt effecit. Cũ ergo cãtilena illa omnis mirificè placuiſſet, poëta è foro tũc tãquã è theatro uictor, magno cũ plauſu & clamore omnium, qui præſentes aderant domum perductus fuit. Victorius lib. 36. Var. lect. cap. 14.

*Impudicitiæ, Stupri, Adulterij ſuſpicionem.*

Cùm nauis, qua Mater deûm ex Peſſinunte Phrygię Romã aduehebatur, hæſiſſet in Tiberi, nec ui uirũ boũq; moueri poſſet, Q. CLAVDIA Veſtalis, quę aduerſo pudicitiæ rumore laborabat, ꝙ cultus eſſet ſtudioſior, diſcincta zona & naui alligata, precata deã, ut ſi caſtã ſe noſſet, uolens ſequeretur, nauem duxit: cui poſtea ſtatua eſt erecta ante ædem magnę Matris, quæ in ſua baſi ſemper ſtetit, cùm bis fanũ illud conflagrarit. Liuius ſecũdo de bello Punico. Ouidius in Faſtis, & Valerius Maximus. L. Viues in li. 10. Aug. de Ciu. Dei. c. 16.

SIMEONES monachus, accuſatus de ſtupro ancillæ ſui familiaris. Suſpicionẽ auxit ancillæ cõfeſſio, eiuſq; uox, ꝙ ſe hominem eſſe & carnis flãmas ſentire fateretur. Abiit poſtea in deſertum, & cùm tẽpus pariendi inſtaret, párere illa non potuit. Cùm aũt Simeon, qui dedita opera redierat, pro ea orare iuberetur: dixit eam non parituram, niſi priùs uerum patrem oſtendiſſet. Quod cùm ille feciſſet, mox peperit, & Simeones ſuſpicione liberatus eſt. Euagrius lib 5. cap. 24.

Henrico. VII. Imp. erat primogenitus Ioannes ephebus, cui deſponſauit Spiræ ELIZABETHAM puellam grandiuſculam, & proceræ ſtaturæ, Venceſlai ſenioris filij Ottocari, olim Regis Boëmiæ filiam, neptem Rodulphi regis Romanorum. Verùm quia annos uiginti ſuperabat, & corpore grandior erat quàm ſperabatur, ob fornicationis ſuſpicionẽ diu nuptiæ ſunt dilatæ. Puella innocens, moræ impatiens, ubi hanc falſam intelligit ſuſpicionem, regem adiit, ſtola ſimplici tecta: Virginitatem meam, inquit, ô Rex aſpectu corporis mei, & examine honeſtarum approbabo matronarum, nec hinc pedem mouebo, niſi ſiniſtram de me ſuſpicionem abiicias, acceiſitiſq; matronis meam integritatem, quam falsò uiolatam ſuſpicaris, ſinceram inuenias. Timore perculſus rex, inducere reginam uirginem non potuit, ut abiret, plurimùm ſeſe excuſans de concepta in illam ſuſpicione. Coactus itaq; mittere pro matronis & obſtetricibus, reperta eſt illæſa, & inuiolata uirgo. Maturatæ igitur ſunt nuptiæ, & ſolenniter celebratæ. Cuſpinianus.

*Taciturnitatem.*

DEMARATVS in conſilio quodam rogatus, Stultitiáne an inopia dicendi taceret? At ſtultus certè haud queat, inquit, tacere. Plut. in Apophthegmatib.

*Factum ludicrum.*

LACON, qui in clypeo inſigne habebat muſcam, eamq; non maiorẽ uera, cùm deridentes quidam dicerent, Hoc fecit, ut lateret: Imò, inquit, ut manifeſtus ſim. Siquidẽ ita propè hoſtibus admoueo me, ut inſigne, quantum ſit, ab iis conſpiciatur. Plut. in Laconicis.

AGESILAVS in liberos fuit multò indulgentiſſimus, ac memorant cũ paruulis liberis in arundine equitantẽ domi colludere ſolitũ. Conſpectus autẽ à quodam amico orauit, ne cui id priùs, quàm liberorum ipſe foret pater, enũciaret. Idẽ.

ANTONIVS eremita cum fratribus in eremo ludebat. Superuenit ex improuiſo uenator, qui offenſus uidebatur eo ſpectaculo Tum Antonius uenatori imperauit, uti intẽto arcu ſagittã emitteret. Cùm paruiſſet ille, alteram, item tertiam, quartam ſimiliter emittere iuſſit. Admirante illo, & nerui laxitatem cauſante, Sic quoq; fratres mei, ſubintulit, intermedia honeſti luſus quiete refocillandi ſunt, ut ad monaſticos labores redeant alacriores. Gil. Cogn. lib. 6. Narrat.

*Inconſtantiæ, Leuitatis ſuſpicionem.*

CICERO, cùm M. Craſſum pro Roſtris laudaſſet magno populi applauſu, & eundem pòſt ex eodẽ loco acribus conuiciis inceſſeret: Quid, inquit Craſſus, ánnon me nuper ex hoc

ipſo loco laudaſti? Laudaui,inquit,ſed exercendi gratia,argumentum infame declamans. Eraſmus lib.4.Apoph.

*Tyrannidis affectatæ ſuſpicionem.*

Aedificauerat Romæ ædes magnificas,in Velia, quam uocāt, foro imminentem, edito in loco P.Val.cui pòſt à publici ac popularis boni ſtudio inditum cognomen eſt POPLICOLA. Iis ex ædibus cùm deſcenderet in forum atq; in curiam (qui conſulum ac primorum urbis uirorũ mos erat)magno patrũ ac populi comitatu honoris gratiâ deducebatur, Hęc res regiæ pompæ ſimilitudinem præ ſe ferebat. Itaq; cùm ob hoc ipſum,quòdq; collegam minime ſuffeciſſet,in ſuſpicionem uenisset affectati regni, clamq; à quibuſdam etiam maledictis diſcerperetur: ab amicis admonitus,cõſilium ex ueſtigio cœpit diruendæ domus, quæ magna ex parte cauſam ſuſpicioni uidebatur afferre. Nocte igitur intempeſta, domum omnem à fundamentis dirui tanta feſtinatione iuſſit, ut illuceſcente iam die ædificium uniuerſum æquatum ſolo iaceret.Florus lib.1. capite 9. Epitomes. Valerius libro quarto,capite primo. Plutarchus in eius uita. Plinius de Viris illuſtribus.Pontanus lib.5.cap.1.

*Magiæ ſuſpicionem.*

C. FVRIVS Creſinus è ſeruitute liberatus, cùm in paruo admodũ agello largiores multo fructus perciperet, quàm ex latiſſimis & ampliſſimis tota uicinitas:à Spurio Albino, Aedile curuli accuſatus eſt. Nam quî poſſit,niſi aut incantationibus utatur, & fruges alienas pelliciat ueneficiis , aut aratro quæſitas,furtim noctu ex alieno in ſuũ transferat?quod utrunq; puberi lege XII tabularum capitale fuit. At Furius Creſinus cùm nõ perſuaderet, ideo ſe fertiliore agello frui, quòd præ cæteris eum bene araret, bene coleret , item crebrò ſtercoraret, iſtaque omnia tempeſtiuè ageret (nam cur idem non aliis & ditioribus accidat,qui nullis impẽſis,nullis ſumtibus,nulli pecuniæ parcũt? ) itaq; metuens damnatiõe , cùm in ſuffragium Tribus oporteret ire, inſtrumentum ruſticum omne in forum attulit, & adduxit filiam ualidam, bene curatam ac ueſtitam , ferramenta egregiè facta, graues ligones,uomeres põderoſos,boues ſaturos. Et, Veneficia mea, Quirites,hæc ſunt(inquit)nec poſſum uobis oſtendere, aut in forum adducere lucubrationes meas uigiliaſq; & ſudores. Id tum rectè uiſus eſt dicere,culturam non impenſa , ſed opera conſtare : ideoq; Liciniana illa ſeptena iugera maiores quæſtus antiquis retuliſſe,quam nunc præberent ampliſſima ueruacta. Quare & illud antiquum populus Romanus memoria repetens, Oculus domini fertiliſſimus in agro eſt : omnium ſententiis reum abſolui uoluit, iuſſit.P.Aerodius ex Plinij Secundi lib.18.cap.6.

*Latrocinij ſuſpicionem.*

Bormirius Verſouicenſis,in Poloniam fugiens,manum latronum prædatum ſecum in agros Boëmiæ , iuxta Glatium ſitos,adduxerat. Non carebat ſuſpicione CASIMIRVS rex Poloniæ , quaſi eo conſcio id fieret. Bretiſlaus Boëmorum princeps inſtare , ut exercitus in Poloniam ſcriberetur. Sed euicerunt ſeniores,priùs legati ad Caſimirum irent,qui dedi ſibi latrones ad ſupplicium poſtularent. Caſimirus legatos benignè tractauit,quoad Bormirius, cum aliis triginta anteſignanis, Cracouiam captiuus adductus eſt. Tũ ad legatos:Gras,inquit,ſuſpicionem de me conceptam reuincã: Luce orta captos omnes crucib. ſuffigi curauit, inter quos altiſſimus pependit Bormirius. Dubrauius lib.7.

*Peculatus ſuſpicionem.*

Phidias Mineruę ſimulacrum ex auro faciendũ conduxerat, idemq; propter amicitiam Periclis multos habebat infenſos. PERICLES Phidiam monuit, ut aurum ita fabricaretur,ac imagini circũponeret,ut omne detrahi, & trutina examinari poſſet,ne furti aliquando poſſet accuſari. Ea res Phidiæ ſaluti fuit. nam à Menone quodam operarum ſocio inuidiæ operũ cauſa accuſatus,& in carcerem coniectus , publicè condemnari nõ potuit (quod tamen inimici optabãt) ſed clàm tamen ueneno ſublatus eſt.Plut.in Pericle.

P.SCIPIO,cũ à L.Scipione ex Antiochenſi pecunia H-S quadragies ratio in curia repoſceretur:prolatoq; eo libro, quo acceptæ expenſæq; ſummæ continebantur, refelli inimicorum accuſatio poſſet:diſcerpſit,indignatus de ea re dubitari , quæ ſub ipſo legato adminiſtrata fuerat. Quinetiam in hunc modum egit:Non reddo P C. ærario ueſtro H S quadragies rationem,alieni imperij miniſter , quod meo ductu meiſq; auſpiciis bis millies H S uberius feci. Neq; enim adhuc puto eò malignitatis uentũ, ut de mea innocentia quærendum ſit.Nam cùm Africam totam poteſtati ueſtræ ſubiecerim,nihil ex ea, quod meum dicerem, præter cognomen Africani retuli. Non igitur me Punicæ , non fratrem meum Aſiaticæ gazæ auarum reddiderunt: ſed uterq; noſtrûm inuidia magis quàm pecunia locupletior eſt. Tam conſtantẽ defenſionem Scipionis uniuerſus Senatus comprobauit. Sicut & illud factum,quòd cùm ad neceſſarium Reip. uſum pecuniam ex ærario promi opus eſſet, idque Quæſtores, quia lex obſtare uideretur , aperire non auderent : priuatus claues popoſcit,pateſactoque ærario,legem utilitati cedere coëgit. Quam quidem fiduciam conſcientia illi dedit, qa meminerat,omnes leges à ſe eſſe ſeruatas. Valerius Maximus lib.3.cap.7.

Carolus IV.Imp.ad ſubigẽdos barones & nobiles regni Boëmiæ, uſus eſt opera & conſilio cuiuſdam fratris religioſi do ordine Ciſtercienſium: nomen illi Theoderico Kagelvuid, q in cœnobio Leuin fuerat educatus. Cuius quũ eſſet induſtria regi cõperta(ut qui curiã eius multis annis rexerat)inuenti ſunt qui eum calumniarentur apud regẽ , quòd regiã adminiſtrationem non ſatis fidè tractaret. Rex hominem iubet adeſſe,cunctis eius calumniatoribus in conſpectu aſtantibus. Præfinit illi diem rex, quò de ſua adminiſtratione calculum ponat. Tum ille, Idipſum uerò poſſum etiam hoc momento expedire. Nihilq; moratus ait, Ad te ueni, Rex, ſimplici religionis habitu , & pauculis in loculo denariis : eos mihi permittito:reliqua omnia tua ſunt,tibi habeto.Tũ Carolus , facetia ſimul & facilitate hominis delectatus, ait circumſtantibus, Quis ex uobis eſt, qui talem mihi ſuę adminiſtrationis rationem reddat ? Carior proinde cœpit eſſe regi: ad epiſcopatũ Mindenſem, inde ad Magdeburgenſem prouectus. Etſi utroq; relicto, ad regẽ rediit. Crãz.l.8.Vãd.c.32.

Innocentius VI. Auinione reſidens, AEGIDIVM epiſcopum Sabinenſem Cardinalẽ Hiſpanũ in Italiam miſerat,qui Pontificis partes contra tyrannos tueretur. Eo negotio feliciter confecto , Pontifex rationẽ ſumtuum in id bellum collatorum,æmulorum ſuaſu ab eo petiit. Aegidius paratum ſe fingens, militum magnam manum in campo Viterbienſi Pontifici exhibuit, & carris aliquot præmiſſis , inter quos unus erat claues urbium per deditionem receptarum uehens: Hi ſunt,inquit,in quos theſaurum Eccleſiæ diſtribui, hæc ſunt ſpolia auro redemta. Innocentius conſtantia Aegidij approbata , cariorem quàm unquam antea habuit. Hieronymus Garimbertus lib.3.de Vitis Pontificum.

CONSALVVS Magnus, apud regem ſuum Ferdinandũ, qui ex Hiſpania Neapolim nauigarat, ab inuidis grauiter delatus,quum ad Quæſtorũ menſam tanquam ad tribunal uocaretur, ut ſumtuum bellicorum & uectigalium rationes in aduerſariis codicibus ærarij & fiſci annotatas agnoſceret, quoniam expenſi acceptiq; ſummæ inter ſe comparatæ, magno exceſſu diſpares, ſupputationi minimè congruiſſent: tã ſeuerè quàm lepidè reſpondit , ſe priuatas tabulas publicis fideliores continuò prolaturum: quibus multo plus impendiſſe, quàm accepiſſe præclarè oſtenderet , teſtareturq; ſe id totum quod ex iuſta ratione ſupereſſet , tanquã iure debitũ ab ærario regio, uel ſi pertinaci lite opus foret , omnino repetiturum. Protulit autem ſequenti die libellum grauiſſimo titulo, ita ut Quæſtoribus ſilentium, pudorem regi, cunctis uerò , qui non eſſent impudentes , multum riſum exprimeret. Ante omnia Deo maximo , diuis deabuſq; omnibus ad parandam uictoriam propitiandis, erogata ſcilicet in egentes, cucullatos , pioſq; ſacerdotes & ſacratas uirgines, qui perpetuis ſupplicationibus uacarent, aureorũ numûm ducenta millia ſupra ſeptingentos & triginta ſex, & regales argenteos nouem, expenſa ad indicis caput appoſuit. Secundo autem loco ſubiecit ſexcenta millia, ſupra quadringentos & nonaginta quatuor, ſecreta manu ſpeculatoribus data, quorum beneficio exploratis hoſtium conſiliis, multas uictorias , & deniq; liberam tanti regni poſſeſſionem eſſet conſecutus. Intellexit argutiam Ferdinandus , infamiq; negotio ſilentium impoſuit. Iouius in Conſaluo.

*Teſtimonij dictionem.*

CICERO, cùm exprobraſſet ei Metellus Nepos , plures eum teſtimonio ſuo occidiſſe, quàm conſeruaſſe patrocinio: Nẽpe, inquit, plus mihi eſt fidei quã eloquẽtiæ. Plut.in Apoph.

*Iniuſti iudicij ſuſpicionem.*

Cùm CICERONI in prætura dies nõ plures duobus aut tribus ſupereſſent magiſtratus : Manilium Pompeij familiarẽ quidam de peculatu detulit. Ei poſtulanti diem, unam ſolam conceſſit Cicero inſequentem. Quæ res offendit populum : quòd reis conſueuiſſent prætores non minùs decem dies concedere. Tribunis plebis eum hac de cauſa in Roſtra uocantibus, poſtulata audientia ait: Cùm perpetuò in reos fuiſſet, quatenus per leges liceret, æquus & benignus: durũ arbitratum ſe, ſi idem denegaret Manilio. Quæ ergo dies eſſet in prætura ſui iuris ſola, eam de induſtria ſtatuiſſe. Neq; enim ad alium reiiciendam prætorem cauſam fuiſſe, opem ſi ferre ſtuderet. Hæc oratio mirum quantum populi animũ commutauit. Multis enim laudibus cumularunt eum rogaueruntq; , ut defenſionem ſuſciperet Manilij, quod ſubiit Cicero libenter, maximè Pompeij abſentis cauſa: habuitq; de integro concionem, in qua acriter factioſos & Pompeij æmulos perſtrinxit. Plut.in Ciceronis uita.

Perfi-



*Perfidiæ, Proditionis ſuſpicionem.*

☞ *Conſule ſub loco Bellicæ prudentiæ , Fidem ſuam declarare. quatenus ſuſpicionem perfidiæ & proditionis prudenter effugiunt.*

PERICLES Spartanis Atticã bello Peloponneſiaco inuadentibus, reliquit teſtatum apud populum Athenienſem, ſi agri ſui ab hoſte non uiolarentur ( quòd futurum ſuſpicabatur, ut ſe ciuitati ſuſpectum redderent) uelle ſe tum omnia, quęcunq; intacta eſſent, pro publicis haberi. Sab.lib.6.En.3.

IPHICRATES proditionis reus, accuſantibus Ariſtophonte & Charete, eam ob cauſam, quòd ad Embata , cùm hoſtes delere potuiſſet , nauale prælium non iniuerat : uidens iudicium in contrariam ſententiam ferri, deſiſtens à dicendo, enſem quodammodo iudicibus oſtendit. Ergo ne tota conſpiratione armata circumdaret iudicium , abſolutionem omnes ei decreuerunt. Poſt uictoriam decernente quodam, eum iudicib. uim adhibuiſſe: Amens eſſem, inquit, ſi pro Athenienſibus bella geram, pro me non item. Polyænus lib.3.

Cùm P.SCIPIO Africanus poſt egregia ſua facta , à duobus Petiliis, uel à M.Næuio Trib.pl. apud populum accuſatus eſſet, quòd à Rege Antiocho pecunia accepta pacis conditiones molliſſimas ei obtuliſſet: die dicto , pauca quædam præfatus, Hic eſt ille dies, Quirites, inquit, qua Hannibalem uici, Carthaginem tributariam feci , patriam maximo periculo liberaui. Eamus hinc in Capitoliũ, gratias diis immortalibus acturi. Excitatus his uerbis populus , relicto Tribuno, Scipionẽ in Capitolium comitata , atq; inde ad ædes eius cum gratulatione ſolenni proſecuta, memoriam factorum reuocauit. Mox urbe profectus eſt in uillam ſuam Linternum, ne ad cauſam dicẽdam adeſſet. Liuius lib.8. Dec. 4.

Alphonſus Aragonius rex, cùm Viracam Alphonſi VI. Caſtulonenſis regis filiam uxorem duxiſſet, cum ea, quòd parum pudicè uiueret, diuortium fecit. Ad eam Caſtulonenſis regni, per patris mortem, hæreditas obuenerat, & communi nomine eam cum uiro poſſederat. Cæterùm cùm dimiſſa in paternum regnum ſe recepiſſet, præfectos munitorum locorum, qui Caſtulonenſi regno fidem obſtrictam habebãt, ſibi ſoli tanquam patris hæredi , in poſterum parêre uoluit. PETRVS Aleres (Roderico Petrus Aſſurius) comes Caſtulonenſis, qui Aragonio Alphonſo multo antè fidẽ dederat, rationem iniuit, qua utrique fidem datam ſeruaret. Loca enim munita, & alia, quę in manu ſua habebat, Viracę dedit, cùm iure ei quæ patris erat hæres, deberentur. Vt uerò Aragonio quoq; Alphonſo pro fide, quam ei dederat, ſatisfaceret: inſigni Comitũ ueſte amictus , manè ad eum profectus eſt, cùm omnis purpuratorum numerus adeſſet : & reſte in collum accepta, regi dixit: Loca omnia quæ fidei meæ crédita erant, quia in Caſtulonenſi regno poſita , reginæ Viracæ, utpote quæ mihi domina eſt, hæreditario iure debebantur, ab ea iuſſus tradidi. Verùm, ut noſti, cùm eam duxiſti uxorem, tibi quoque fidem pro eis locis ſacramento obſtrinxi. Itaque pro ea tibi fide corpus meum, manuſq; illas, quæ iurauerunt, præſens aſſigno, ut pro æquitate ac iuſtitia tua de me ſtatuas. Quam rem cùm rex omneſq; , qui aſtabant, non ſine ingenti admiratione audiuiſſent, Petrus iuramento ſolutus eſt. Fulgoſus lib. 6. cap.6. Rodericus Toletanus lib.7.regum Hiſp.cap.1.

---

EXCVSARE PRVDENTER SE
alióſue quoad
ANIMI VITIVM, CRIMEN, ERratum, Dictum, Factúmue.
Nempè

*Stultitiam, Amentiam.*

ANTISTHENES frementes cùm uidiſſet in theatro Athenienſes:

Quid turpe,ni uideatur ita utentibus?

ſubiecit illicò:

Eſt turpe turpe,etſi uideatur quidlibet.

Plutarchus de Audiendis poëtis.

Cn.Pompeius Catoni, qui eum perſtrinxit acriter, quòd identidem denunciante ſe Cæſaris opes & incrementum non è repub. eſſe, ipſe eas auxiſſet, reſpondit: Tua maiorem diuinationem, mea amicitiam habuere. Plut.in Apophtheg.

Accuſatus IVVENIS quiſpiam , quòd in menſa intemperantiùs locutus eſſet aduerſus ſacerdotem , uocatuſq; ob id in ius, atq; interrogatus à iudicibus, Cur hæc dixiſſet? Si eodẽ, reſpondit, pacto, rurſus in cœna me inuitauerit , duodecim etiam Apoſtolos, ſi adeſſent, fuſtibus tractarem. Iudices igitur cognito uini uitio, hominem abſoluerunt : pœnamque irrogarunt ſacerdoti, ut quatriduũ à uino abſtineret. Adrianus Barlandus Cent.1. Simile huic Adoleſcentiũ Athenienſium, qui per temulentiam Piſiſtratum criminati fuerant.

*Timiditatem, Ignauiam.*

XENENETVS ad ciues, qui eum inſectabantur, ꝗ imperator fugiſſet: Nempe uobiſcum, ciues. Plut.in Politicis.

Conuenerant aliquando Dionyſius ſecundus, & Philippus Amynta natus. Proinde cùm in multos alios ſermones, ut aſſolet , delaberentur , tum in reliquis etiam incidebant illa. Philippus DIONYSIVM rogabat, Quomodo, cùm tãtum regnum accepiſſet à parente , non id defendiſſet & conſeruaſſet? Qui reſpondens: Non, inquit, mirum, quoniam cùm reliqua mihi pater omnia reliquiſſet, fortunam ſolam, qua ea parauerat & tutatus fuerat, non etiam tradidit. Aelianus de Var.hiſtor.lib.12.

FAVORINVS philoſophus, cùm in diſputatione quadã Hadriano (quem patrem appellare ſolebat) ceſſiſſet, admirantibus, proximis, Nonne cedam, inquit, ei, qui XX habet legiones? Aelianus de Var.hiſt.

*Libidinem; Nuptias repetitas.*

Cùm alteram uxorem inſiſteret ducere Piſiſtratus, filiis percũctantibus : Nunquid ipſis ſuccenſeret ? Minimè, inquit: imò probo uos, atque alios uolo mihi naſci tales. Plutarchus in Apophthegmatib. & de Pietate erga fratres.

PHILIPPVS Macedo, cùm audiſſet ſuccenſere ſibi, quòd ſobolem ex pluribus feminis quæreret, Alexandrum : Igitur, inquit, cùm multos de regno habeas aduerſarios , bonum te & fortẽ præſta, ne mei cauſã, ſed tuã ipſius, regnum conſequaris. Plut.in Regum apoph.

*Prodigalitatem.*

PERICLES accuſatus , quòd nimis magnam pecuniam profudiſſet in Propylæa, urgente Thucydide, conuerſus ad populum, in ſententiam ſuã traxit uniuerſum. Quando, inquiens, ſumtus hos ferre grauamini, ſit mihi ipſi expẽſum , non Athenienſi populo: meumque operibus nomen inſcribam. Quo dicto , populus noluit ciuem ad unum transferri eam magnificentiæ laudem, quæ totius eſſet ciuitatis: & uno cõſenſu ſucclamauit, Pergeret iam , neque ullis parceret ſumtibus. Plutarchus in eius uita.

*Luxum, Cultum.*

IVLIA Auguſti F. uenerat ad patrem licentiore habitu , & oculos offenderat patris tacentis. Mutauit cultus ſui poſtera die morem, & lætum patrem, affectatã ſeueritate , complexa eſt. At ille, qui pridie dolorem ſuum continuerat, gaudiũ continere non potuit. Et quantum, ait, in filia Auguſti probabilior hic eſt cultus ? Non defuit patrocinio ſuo Iulia , his uerbis : Hodie enim me patris oculis ornaui, heri, uiri. Macrob.lib.2.cap.5.Saturn.

*Ambitionem, Ambitum.*

Lucullus, cùm ipſe in balnea, cœnas, cõuiuia diurna, uariaſq; alias delicias, atq; inſanas ſubſtructiones, ſecundùm res domi belliq; geſtas ſe conieciſſet : Cn. POMPEIO honorum affectationes & ambitionem præter ætatem exprobrabat. Cui Pompeius , Intempeſtiuiùs eſt ſeni deliciis indulgere, quàm imperare. Plut. an ſeni tractanda reſp.

*Iracundiam.*

In palæſtrico manuũ nexu cùm colluctator curioſè collo prehẽderet & detraheret ad terram LACONEM: hic, qui cum illo congreſſus erat , minor corpore, momordit illius brachium. qui ait: Mordes Lacon ut feminæ. Imò, inquit hic, ut leones. Plutarchus in Laconicis.

Victis ad Zamam Carthaginenſibus à P.Scipione, decem legati auctore Annibale miſſi, cùm pacis conditiones Carthaginem retuliſſent, ferunt Giſgonem quendam, paci aduerſantem , ſententiam dixiſſe de renouando aduerſus Romanos bello. Quæ cũ à multis audiretur, indignatus ANNIBAL, dicentem adhuc hominem ex ſuperiore loco deturbauit. Mox cùm hoc tam audax facinus multitudini diſplicere animaduerteret, ſuggeſtũ aſcendens, Neminem, inquit, indignari oportere, ſi is, qui à prima pueritia à Carthagine ꝓfectus, in bello & armis ætatem egiſſet , urbanas conſuetudines ignoraret. Poſt hæc de conditionibus pacis ita pruden-

ter diſſeruit, ut extemplò Carthaginenſes commoti, accipiendas eas eſſe leges, quas uictor & neceſſitas daret, cenſerent. Auctor uitæ Annibalis.

*Mendacium.*

M. TVL. Cicero cùm emere uellet in palatio domum, & pecuniam in præſens non haberet, à P. Sylla, qui tum reus erat, mutuò H-S. uicies clàm accepit. Ea res tamē, priuſquā emeret, prodita eſt, & in uulgus exiuit: obiectumq; ei eſt, quòd pecuniam domus emendæ cauſa, à reo accepiſſet. Tū Cicero inopinata opprobratione permotus, accepiſſe ſe negauit, ac domum quoq; ſe empturum negauit. Atq; adeò, inquit, Verum ſit, accepiſſe me pecuniā, ſi domum emero. Sed cùm poſtea emiſſet, & hoc mendacium in Senatu ei ab inimicis obiiceretur, riſit ſatis: atq; inter ridendum, ἀκοινώνητοι, inquit, homines eſtis, cùm ignoretis, prudentis & cauti patrisfamiliās eſſe, quod emere uelit, empturum ſeſe negare, propter competitores emtionis. Gell. lib. 12. cap. 12.

*Impietatem, Hæreſim.*

DEMONAX philoſophus accuſatus, eò quòd Cereris Eleuſiniæ ſacra contempſiſſet, ſeipſum excuſauit, probans, quòd iure ea ſacra cōtemneret, quæ ſecreta eſſent, utpote ſuſpecta: omnino aūt ea manifeſtari oportere, ut ſi bona eſſent, alios inducerent: ſi mala, ut cauerent. Volater. lib. 15. Anthrop.

PHRYNE meretrix Theſpienſis, dum condemnationem iudicum uereretur, ſublatis tunicis corpus denudauit. Cuius pulcritudine permoti iudices, liberam abire permiſerunt. Quintil. & Pauſanias lib. 1. At Plut. Hyperidis eam defendētis hoc commentum fuiſſe, ſcribit.

*Iniuſtitiam.*

Celebratur IASONIS, qui apud Theſſalos dominatus eſt, ſententia, quam uſurpabat ſemper, cùm aliquos læderet uel premeret: Neceſſe eſſe, in paruis ut delinquerent, qui in magnis rectè agere uellent. Plut. in præceptis Polit.

POLYDORVM Alcamenis, ſigna inferentem Meſſenis, interrogauit quiſpiam, Fratréſne oppugnatum iret? negauit, ſed ad uacuam poſſeſſore partem agri pergere. Plut. in Apoph.

*Legum contemtum.*

EPAMINONDAS Thebanus reuerſus è Laconia, capitis arceſſebatur, quòd Bœotarchiā quatuor integros mēſes contra legem geſſiſſet. Collegam igitur Pelopidā iuſſit, ut in ipſum culpā deriuarent, quòd eos inuitos coëgiſſet. Ipſe uerò in curiam ingreſſus, non meliores rebus geſtis rationes habere ſe dicebat: & ſe quidē interfici poſtulabat, uerùm inſcribi columnæ, quòd nolentes repugnanteſq; Thebanos Epaminondas coëgerit, ut Laconicam, quingentis antè annis intactā, ab hoſtibus incendio ferroq; uaſtarent, & ut ædificaretiterum Meſſanam, trecentis atq; triginta annis deſolatā: quòd Arcades bellò in ſocietatem compulerit, & Græcis libertatem reſtituere coëgerit. His auditis, pudore affecti iudices, liberum pronunciarunt. Cumq; regrederetur è curia, & Melitenſis catellus blandiretur cauda, dixiſſe fertur ad præſentes: Hic mihi, inquiens, pro beneficio gratiam repoſuit: at Thebani, de quib. ſæpe multumq; ſum præclarè meritus, mortem mihi iudicio inferre uoluerūt. Aelianus de Varia hiſt. lib. 13. & Plut. de Sui laude.

*Perfidiam.*

SIGISMVNDVS Imp. Pragā reductus, Huſſitis ſimul & Catholicis ampliſs. quæq; pmiſerat. Cæterū cū Huſſitas clàm oppugnaret, eoq; nomine ſacramenti dati admoneretur, ita reſpondit: Si quis habens ſponſam, cum altera contrahat ſponſalia, per eandem, quam priùs, obligationem, utri illarum plus debebit? priori an poſteriori? nónne, ut omnia iura habent, priori? Priùs igitur ego Romanæ ſponſæ, quàm Boëmæ, fidem obligaui meam: & tamē in utraq; ita mihi à promiſſis conſto, ut neutra de me queri iure poſſit. Dubrauius librò uigeſimoſeptimo.

*Defectionem.*

Seuerus Alexandriam ingreſſus, inſcriptionem reperit in prima, Domini Nigri eſt urbs. Quod cùm ægrè tuliſſet, obuiā illi proceſſit Alexandrinus POPVLVS, uociferans: Nouimus dixiſſe nos, Domini Nigri eſſe urbem. Tu enim es Nigri dominus. Expedita igitur defenſionē probata, illis ignouit. Suidas.

*Proditionem.*

Belli Punici ſecundi anno X. M. Marcellus conſul per Daſium & Blactium (ſiue Blaſium) Salapiam recepit. Res primò per BLACTIVM mota. Qui cùm nil per ſe actum iri cerneret, niſi Daſium ſibi ſocium adiungeret, occultè hominem de proditione compellat. Erat Daſius Hannibalis amicus, & Blactij in repub. adminiſtranda æmulus, atque ob eam rem Blactij conſilium ad Pœnum detulit. Ita igitur accidit, ut quum accuſator & reus, ſubmota multitudine, ad Hannibalis tribunal ſtarent, atque interim ipſe Pœnus aliud quiddam ageret, de Blactio paulo pòſt cogniturus, reus collatis capitibus iterum Daſium proditionis appellat. Fremebat Daſius, altaque uoce teſtari, in Hannibalis conſpectu ſecum de proditione agi. Sed quò res audacior erat, eò minùs uero ſimilis uiſa: æmulationem ac mutuum odium in cauſa eſſe ratus Hannibal, haud credere potuit, Blactium rem tantam fuiſſe Daſio commiſſurum, præſertim quum uterque alterum mutuò odiſſet. Pro uana igitur res diſcuſſa eſt, & Blactius inſtando, eò Daſium perpulit, ut noctu Romanū præſidium in urbem induxerint. Sabellicus libro quarto, Ennea dis 5. ex Val. Max. lib. 4. cap. 1.

CORPVS. EXCVSARE

*Graueolentiam.*

Decamicho obiicienti ſibi oris graueolentiam, cùm taxare uellet eius garrulitatem, fertur reſpondiſſe EVRIPIDES: ὅτι πολλὰ ἐν αὐτῷ ἀπόρρητα ἐγκατεσάπη, quòd multa arcana in ore ſuo computruiſſent. Teſtis Stobæus oratione 39.

*Clauditatem.*

ANDROCLIDAS Lacon crure captus centuriauit ſe inter bellatores. Cùm reiicerent eum quidam, quòd mancus foret: Atqui non fugientem, inquit, ſed loco inſiſtentem, cum hoſtibus confligere oportet. Plut. in Apophtheg.

*Aetatem.*

PYTHEAS orator, cùm Alexandri honores impugnaret, iactante quodam: Num tu, qui es iuuenis, tantis de rebus uerba facere audes? Atqui Alexāder, infit, quem uos eſſe deum ſciſcitis, me minor eſt. Plut. in præceptis Politicis.

Adminiſtrationem Toletanam HISPANVS iuuenis ab Alphonſo octauo Caſtulonenſi rege poſcebat. Quem cùm propter iuuenilem ætatem rex reiiceret, audax liberque iuuenis reſpondit: Et tu princeps, cùm adhuc lacte infantem te nutrix aleret, iam rex eras: & quotidie permulti in magnis muneribus apud te conſpiciuntur, qui pueri tecum alea ludebant: me autem, quia tecum non luſi, exiſtimas ætate ingenioque parùm ualere. Quæ uerba à libero profecta animo, ita Alphonſum mouerunt, ut muneribus ornatum, ultrà deſiderare, quod optabat, nō pateretur. Fulg. lib. 6. c. 2.

FORTVNAS. EXCVSARE prudenter

*Amicitiam, Societatem.*

AGESILAVS illi, qui dixit, ſentire cū Medis Lacedæmonios, reſpōdit: Potiùs Medos cum Lacedæmoniis ſentire. Plutarchus in Apophthegmatibus.

Poſtquam in Seianum animaduerſum eſt, multi familiaritatis atq; amicitiæ cauſa, quam cum Seiano habuiſſent, rei poſtulati ſunt. Inter alios cauſam dixit in Senatu M. TERENTIVS Varro. Is amicitiam ut negaret, tantum certè quidem abfuit, ut etiam oſtenderet, eum ſe maximo ſtudio coluiſſe, quem ipſe Tyberius in tanto honore habuiſſet: qui ſi rectè fecit utens eius amicitia, neq; ſe quoq; in eo deliquiſſe. Cōtrà, ſi Imperator qui habet omnia certiſſima atq; exploratiſſima, deceptus eſt: quid mirum, ſi in eundem errorem inciderit (cùm unumquemq; maximè cōueniat, omnes eos, quos princeps in honore habet, ſectari, colere, amplecti, nihil anxium, quales ij eſſe poſſint: atq; ſolum hunc præfigendo amicitiæ ſuæ finem ac terminum, quòd Imperatori approbantur: ibi eſſe pœnam oportere, ubi & noxa eſt: neq; adſinitatem uel amicitiam hoc unico nefarium admittere. Senatus reum abſoluit, uerbiſq; etiam accuſatores ipſos increpuit. P. Aerodius ex Dione lib. 58.

Seuerus Imperator, poſteaquam Nigrum prælio uicit, eóſque damnare inciperet, qui illius partes ſecuti eſſent: CASSIVS Clera Senator accuſatus, id feciſſe ſe non negauit, imò liberrimè oſtendit, cùm caſu eueniſſet, ut partes Nigri ſuſtineret, neceſſariò, quod ei ſors obtuliſſet, ſe ſecutum eſſe: ipſum etiam Seuerum noluiſſe quenquam eorum qui cùm eo erāt, & ſuam cauſam defenderent, proditorem ad alios transfugere. Seuerus licentiam hominis admiratus, libertatemque loquendi, dimidiam ei partem bonorum conceſſit. Aerodius ex Dionis Seuero.

*Victoriam, Cladem.*

LACONI, ludis Olympicis ſuperato, ait quidam: Aduerſarius fuit, Lacon, te præſtantior: Minimè, inquit, ſed ad ſternendum dexterior. Plut. in Laconicis.

C. FABRICIVS fuſos à Pyrrho Romanos audiēs: Leuinum, infit, Pyrrhus, non Epirotæ Romanos ſuperauerunt. Plutarchus in Apohthegmatibus.

Alfonſus Aſturum & Caſtellæ rex bellicoſiſs. ſenio iam feſſus, contra Saracenos, Veleſium obſidentes, miſit GARSIAM Comitem cum Sancio unico filio, regni hærede, etiamnum puero. In conflictu, confoſſo equo Sancius procubuit. Comes deſcendens, inter ſe, & clypeum, puerum collocauit, & clypeo paruum tutabatur, & undique irruentes repellebat, donec pede ictu gladij amputato, incubuit ſuper puerum, ut ipſe priùs, quā puer, cęderetur. Cæteri magnates fuga elapſi, cùm Toletum deiectis uultibus ueniſſent, Rex dolore ineffabili turbatus dixit: Vbi eſt filius meus? Ad quod Comes Gometius: Nobis filiū non commiſiſti. Cui ille: At uos ego conſortes prælij & cuſtodiæ adiunxi: cur ergo relicto puero huc ueniſtis? Tunc Aluarus Fanun ſic dicitur reſpondiſſe: Memores laborum, quos ab adoleſcentia toleraſti, ciuitatum, & oppidorum, patriæ, & caſtrorum, pro quibus toties ſanguinem effudiſti, huc uenimus, ne cum filio tot annorum tuorum uictoriæ ſimul extinguerentur. Rodericus Toletanus lib. 6. rerum Hiſp. cap. 33.

*Ignobilitatem.*

ANTISTHENES ad eum, qui ipſi obiecit, Phrygia eſt genitrix tua: Sanè & deûm mater, inquit. Plut. de exilio.

VRBANVS IIII. Pp. humilitatem generis exprobrāti cuidā reſpondit: Magnos uiros non naſci, ſed uirtute fieri. Cranzius lib. 9. Metrop.

*Imperium in uiros.*

GORGO, Leonidæ uxor, cùm mulier quædam, ut arbitror, peregrina, ei diceret: Solæ uos Lacænæ imperium in uiros habetis: Nempe ſolæ, inquit, parimus uiros. Plut. in Apoph.

*Seruitutem.*

LACON quidam, captiuus, præcone in auctione ſubiiciente, Mancipium ſe uendere: Non dices, inquit, ſcelus, captiuum? Plutarchus in Laconicis.

PETERE PRVDENTER.

Cùm Pericles ANAXAGORAM Clazomeniū philoſophum in magno honore diu habuiſſet, occupatus poſtea in maximis reipublicæ negotiis, oblitus aliquantulū eſt doctoris, quo uſus erat, curamque illius ex animo dimiſit. Quare putans ſe negligi maximus phyſicus, decreuit mori, atq; inedia uitam finire. Quo audito, Pericles ſubitò eò profectus, reuocauit Anaxagoram à tam duro propoſito: nec tamen ille cauſam reticuit ſui doloris. Nam aperto capite, quod eo tempore tegebant, inquit: καὶ οἱ τοῦ λύχνου χρείαν ἔχοντες ἔλαιον ἐπιχέουσιν: ſignificās obſcurè, ſi opera ſtudioq; ipſius egebat, oportuiſſe Periclem aliquid ei auxilij ferre, ſuppeditareque, quo uitam tueri poſſet. Plut. in Pericle.

DEMOCEDES, Crotonienſis medicus, donatus à Dario Perſarum rege duobus aurearum compedum paribus; ob pedis luxati curationem; interrogauit regem: Nunquid ideo ſe duplici malo remunerādum putaret, quòd ab eo ſanatus eſſet? Hoc dictò Darius delectatus; ad ſuas uxores hominē miſit. Eunuchi, qui eò illum deduxerant, dicebant, Hunc eſſe qui reſtituiſſet animam regi. Tunc earum ſingulę auream phialæ thecam ſuffringentes, Democedem donauerūt tam amplo munere, ut excidentes ex percuſſione phialarum ſtateres famulus Sciton, qui ſequebatur, collegerit, non paruā auri ſummam. Herod. lib. 3.

P. VIRG. Maro, cùm in ueterinaria arte excelleret, Romę magiſtri ſtabuli equorum Auguſti amicitiam nactus, equos curabat, & in mercedem ſingulis diebus panes tanquam unus ex ſtabulariis accipiebat. Interea à Crotoniatis pullus miræ pulcritudinis Cæſari dono fuit miſſus, qui omnium iudicio ſpem portendebat uirtutis & celeritatis immenſæ. Maro uerò eum ex morboſa equa natum, nec robore, nec celeritate ualiturum reſpondit. Idq; reipſa uerum eſſe, compertum fuit. Quòd cùm magiſter ſtabuli Auguſto recitaſſet, duplicari ipſi in mercedem panes iuſſit. Cùm item ex Hiſpania Auguſto canes dono mitterentur, Virgilius parentes eorum dixit, & animum celeritatemq; habituros. Quo cognito, iterū duplicari panes Vergilio mandat. Dubitauit tandem Auguſtus, Octauij filius eſſet, nécne? & remotis arbitris Maronem ea de re conſuluit, Poſsétne idipſum ex phyſiognomia deprehendere? Maro ueniam pręfatus, quòd difficile foret, hominum æquè ac brutorum cæterorum natales agnoſcere, tandem tamen eum ſe piſtoris filium arbitrari aſſeruit. Admirante id Auguſto, ex munerib. panariis id ſe colligere dixit: quòd cùm prædixiſſet hactenus miranda quædam, tamen præter panes nulla tuliſſet munera. Facetiam boni conſuluit Auguſtus, eumque Pollioni commendauit. Donatus in eius uita.

GRÆCVLVS quidam, Auguſto Imp. deſcendenti à palatio, honorificum aliquod epigramma porrigebat. Id cùm fruſtrà ſæpè feciſſet, nec deſtiturum uideret Auguſtus, epigramma bene Græcum manu ſua deſcripſit, & Græculo ad ſe uenienti obuiam miſit, ueluti carmina carminibus pēſaturus. Græcus acceptum legit, ac non ſolùm uoce, uerùm etiā uultu geſtuq; corporis laudauit carmen, miratuſq; eſt. Deinde cū acceſſiſſet ad ſellā, qua Cæſar uehebatur, demiſſa in pauperem crumenam manu, pauculos denarios protulit, Cæſariq; obtulit his uerbis: οὐ κατὰ τύχην τὴν σήν, σεβαστέ· εἰ πλέον εἶχον, πλέον ἐδίδουν: Non iuxta fortunā tuam, Auguſte: ſi plus haberem, plus darem. Sequuto omnium riſu, diſpenſatorem Cæſar uocauit, & ſeſtertiûm centum millia Græculo numerari iuſſit. Suetonius.

ERICVS Noruegus pugil, ad Frothonem Danorum regē ueniens, repertum fortè glaciale fruſtum ueſte diligenter obuoluens, muneris loco regi offerre cogitabat. Vbi ad regiā peruentum eſt, prior ingrediens, fratrem Rollerum ponè conſequi iubet. Satellites regis ut ludibrio uenientem exciperent, lubricam limini ſubſtrauere pellem: quam cùm Ericus calcaſſet, celeri funis tractu eam attrahentes, Ericum labi coegiſſent, ni Rollerus ſubſequens labantem excepiſſet fratrem. Tum Ericus, Eum qui fratre careret, nudum habere tergum aſſerit. (Et hinc prouerb. Frater fratrem iuuit) At rex ſtoliditatis Ericum damnabat, qui inſidias non præcauiſſet. Ardebat intra ædem ignis: hinc rex, inde pugiles aſſedere, & accedēte Erico ululatum edidere. Rex ſtrepitum inhibere cœpit. Subiunxit Ericus; Canum hunc eſſe morem, ut uno inchoante, cæteri latratum edant. Interrogatus à Colone, qui delatorum regi munerū cuſtos erat, An ulla ſecum dona attuliſſet? glaciei fruſtū, quod ſinu occultauerat, illi trans foculum porrigēs, tanquam manu accipiētis elapſum, flammis de induſtria tradidit. Cunctis, qui aderāt, maſſam ſplendentem cernentibus, uiſum eſt igni liquidum incidiſſe metallum. Quod cùm Ericus receptoris incuria excuſſum eſſe contenderet, quid ſupplicij, muneris amiſſori deberetur, inquirit. Regina ex lege lata miſſorum munerū cuſtodem negligentem morte multandum cenſuit. Cæteri quoq; aſſenſere. Itaque rex Colonem laqueo ſtrāgulari iuſſit. Iam cùm in conuiuio rex Erico præbibiſſet, & poculum per Gunuaram ſororem uirginem offerendum curaret: ibi Ericus dexteram puellæ cum oblato cratere corripiens, An hoc, inquit, regum optime, munus tua mihi delegauit humanitas? Rex pateram tantùm poſtulari ratus, donum aſſerit. At Ericus uirginem ſibi ueluti cum patera datam applicat. Cumq; rex, intactam uirginum libertatem eſſe diceret: Ericus puellæ manum ſe amputaturum ſimulauit: Si totum tenere nequeo, inquiens, ſaltem parte potiar. Rex promiſſi errore recognito, puellam ei tradidit. Saxo lib. 5.

PLEBEIVS quidam Alfonſum Aragonium regem ſupplex accedens: Aere alieno, ô rex, inquit, opprimor, iam inde è parentibus in me deriuato. Creditoris rapaciſſimi & iniuſtiſſimi exactionibus quotidianis atteror. Deteſtante id factum rege, & uindictam pollicente, Venter hic meus eſt, reſpondit. Atque ut tu quoque, ô rex, eiuſdem tyrannidi obnoxius ſis: at cùm maior tibi ſit cenſus expenſa, pro magnificentia tua inopiam noſtram ſubleua. Rex ingenio hominis delectatus, non indonatum dimiſit. Aegid. Corrozetus De dictis & factis mem.

COMMENDARE PRVDENTER.

PLATO, cùm Heliconem Cyzicenum mathematicum Dionyſio datis literis commendaſſet, uti uirum probum ac modeſtum, adſcripſit in calce epiſtolæ, γράφω δέ σοι ταῦτα περὶ ἀνθρώπου, ζώου φύσει εὐμεταβόλου. id eſt: Hæc autem tibi ſcribo de homine, animante natura mutabili. Plutarchus de Nimia uerecundia.

LAVDARE.

PERICLES ad populum, Infenſi eſtis, inquit, mihi: qui, ni fallor, concedo nemini in iis, quæ ex uſu ſint, cognoſcendis & exponendis, amanſque ſum reip. & abſtinens. Quibus uerbis non ſolùm arrogantiam, inſolentiam, & ambitionem declinauit de ſeipſo dicendo præclarè: uerumetiam ſpiritus ſuos & granditatem ob oculos poſuit uirtutis ſuæ, quæ non ſuccumbendo ſuccumbere fecit & oppreſſit inuidiam. Plut. de Suiipſius laude.

DEMOSTHENES in orat. pro Corona ſcitiſſimè oppoſitionibus & criminū ſolutionibus ſuas laudes applicat. quinetiam ſuis præconiis auditorum laudes implicando, liberat ſe inuidia & inſolentiæ nota: quales ſe Athenienſes erga Euboenſes; quos erga Thebanos: quanta beneficia Byzantinis & Cherſoneſitis præſtitiſſent: ſe uerò iis rebus fuiſſe commemorans adminiſtrum. Ita enim, antequam animaduertat auditor, ſurrepentem cum ſuis propriis laudibus commendationem dicentis cupidè admittit: ac mulcetur ſuorum decorum commemoratione: cui comitatur titillatio, admiratio, & amor eorum, per quos ea eſt conſecutus. Plutarchus de Laude ſui.

AVGVSTVS Cæſar uenerat fortè in domum, in qua Cato habitauerat. Strabone autē in gratiam Cæſaris, Catonis peruicaciā perſtringente, ait, Quiſquis præſentem ſtatum ciuitatis commutari non uolet, & ciuis & uir bonus eſt. Satis ſeriò & Catonem laudans: & ſibi, ne quis affectaret res nouas, conſulens. Macrob. lib. 2. cap. 4. Saturn.

CONSOLARI PRVDENTER.

*Ex primi Voluminis Titulo, qui de Conſolatione eſt, huc exempla ingenioſa transferantur.*

### RIXARI, CONTENDERE PRVDENTER.

IASONIS, reſpondentis Medeæ, & extenuantis uel negantis etiam eius beneficia, uerba hæc ſunt apud Eurip. in Medea:

Δεῖ μ᾽, ὡς ἔοικε, μὴ κακὸν φῦναι λέγειν,
ἀλλ᾽ ὥς τε νηὸς κεδνὸν οἰακοστρόφον,
ἄκροισι λαίφους κρασπέδοις ὑπεκδραμεῖν
τὴν σὴν στόμαργον, ὦ γύναι, γλωσσαλγίαν.

Oportet me, ut apparet, non malum eſſe dicendo: ſed uelúti nauis prudentem gubernatorem, ſummis fimbriis ueli effugere tuam petulantem, ô mulier, garrulitatem.

### VLCISCI PRVDENTER.

*Vide Tit. Correctiuæ Iuſtitiæ prudenter exercitæ. Item Fures, Latrones, Seditioſos prudenter circumuenire.*

DIOGENES ad eum, qui de ulciſcendo inimico conſiliū petebat, Tu temet, inquit, uirum bonum & honeſtum præſtato. Plut. de Vtil. ex inimicis. & de Aud. poëtis.

TIMOCLEA Thebana, ſoror Theagenis, eius, qui in Cheronea cum Philippo prælium commiſit, quiq; exclamanti, Vſquequò perſequeris? reſpondit: Vſque in Macedoniam. Thebas Alexandro euertente, alij alias ciuitatis partes uaſtabant: Timocleæ uerò domum inuaſit Alexander quidam, alæ Thracum præfectus, qui poſt cœnam Timocleam in thalamum accerſiuit: neque hoc ſolùm, ſed aurum etiam & argentum, ſicubi reconditum haberet, confiteri eam cogebat. Illa ſe multum quidem ornatum auri argentiq; dicebat habuiſſe in monilibus, tibialibus, poculis & numis: capta autem ciuitate, ſe hæc in puteum aqua carentem proieciſſe. Macedo credidit. Illa duxit eum in hortum ędium. Qui cùm deſcenderet, deſuper cum famulis multos lapides & ſaxa in eum deuoluit, barbarumque obruit. Macedones eam comprehenſam ad Alexandrum regem adduxerunt. Confitentem autem ipſam, ſe barbari iniuriam ultam eſſe: admiratus Alexander, tum ipſam liberam dimiſit, tum omnes, qui eam generis coniunctione attingerent. Polyænus lib. 8. & Plutarchus de Virt. mul.

ORISGONTIS, Gallorum reguli uxor, cùm omnium ſuæ gentis eſſet pulcerrima, captiua aſſeruabatur in Ancyra urbe à Romano Centurione, cum multis millibus ſui ſexus. Cæterùm inſignis forma fecit, ut Centurionis libidini præter alias fuerit obnoxia: paſſaque ab eo ſtuprum, magna arte uim ſibi allatam ulta eſt. Occultè enim pacta ingens auri pondus pro ſe redimenda, Centurionem noctu extra urbem in ſecretum pertraxit, ſpe auri potiundi, quod ſerui à coniuge ex compoſito miſſi eò attuliſſent. Hic illa ſuos Gallica affatur lingua, hoſtemque iubet obtruncari. Opprimitur unus à pluribus: iacenti caput mulier adimit, ademtum ad Oriſgontem defert: fatetur ſe paſſam fuiſſe uim ab hoſte, ſed uoluntate à flagitio abfuiſſe: id argumento eſſe, quòd priùs, quàm ad maritum uenerit, id probrum fortiter uindicaſſet. Sabellicus lib. 10. cap. 6.

Inter Gallogræcorum regulos ampliſſimarum familiarum & propinquæ cognationis erant Sinatus & Sinorix. Sinatus uxorem uirginem duxit (CAMMÆ nomen fuit) forma & ætate florentem, clariorem tamen uirtute. Non ſolùm enim caſta fuit & uiri amans, uerùm cordata etiam, magnanimaque, & quòd placida eſſet atque comis, ciuibus maiorem in modum cara. Magis conſpicuam fecit ſacerdotium Dianæ, quam præcipuè Gallogræci uenerantur, cultuſque eius in pompis & ſacris magnificus. Huius amore Sinorix inflammatus, cùm neque pellicere eam, neque uim facere incolumi poſſet uiro, ad fœdum facinus animū adiicit: Sinatum per dolum interimit, breuique pòſt nuptias ambit Cammæ. Ea in templo commorabatur: nec demiſſo uel abiecto animo caſum, ſed prudenter ferens, opportunitatem expectabat ulciſcendi Sinorigis ſcelus. Ille ſummiſſis precibus agebat: nec facultas ei deerat ſua uerba colorandi: quòd aliàs excelleret Sinato, neque ulla alia maleuolentia, quàm Cammæ amore, illum ſuſtuliſſet: Mulier id primū negare non præfractè, pedetentim deinde uideri labaſcere. Siquidem neceſſarij quoque & amici id miſcendo precibus minas urgebant, uiri potentiſſimi obſeruantia & gratia Sinorigis. Tandem annuit, illumque ad ſe accerſit, uel, ut coram dea iniri ſponſalia & dari fidem cuperet. Venientem comiter excipit, adducitque ad aram: tum ex patera libat, ac partem ipſa bibit, reliquum illi porrigit, mulſum ueneno temperatum. Quem ut conſpexit hauſiſſe, ſigno lætitiæ magno plauſu edito, ante aram ſe proiiciens: Te teſtor, inquit, ſanctiſſima dea, huius me diei cauſa ſupereſſe poſt Sinati fata uoluiſſe, neque interea quicquam mihi in uita lætum fuiſſe præter ſpem ultionis, quam conſecuta deſcendo ad uirum meum. Tibi uerò, homo ſceleratiſſime, pro lecto geniali & nuptiis tumulum propinqui parent. Quo audito Gallus, ſentiēs iam uim & motum in corpore ueneni, conſcendit uehiculum, ut ſuccuſſu & motione agitaret corpus. Mox eo relicto, ingreſſus lecticā, ſub ueſperam animā egit. Camma fuit illa nocte ſuperſtes: pòſt allato illius exceſſu, hilari ac læto animo uitam cum morte commutauit. Plutarchus de Virtutib. mulierum.

Berengarius in Italia regnum inuadēs, iniquiſſimè omnes tractabat, qui ſuis cōſiliis & cupiditatibus quoquo modo aduerſari uidebantur. LVITPRANDVM quidem, Ticinenſis eccleſiæ diaconum, tam inhumaniter exagitauit ac perſecutus eſt, ut Italia excedere, atque in Germaniam confugere cogeretur. Venit autem Luitprandus Francofurtum uſque. Inde eſt, quòd librum ſuum, de hiſtoria ſui temporis compoſitum, appellauit Antapodoſin, hoc eſt, retributionem. Non enim alia ratione tyrannidem Berengarij, ſibi uindicandam cenſuit, quàm ſtylo graui, quò iſtius tyranni mores & crudelia facta poſteris quoq; nota efficeret. Teſtis ipſemet lib. 5. cap. 5.

BERCHTOLDVS V. dux Zeringenſis, cùm nobilium rapinas tolerare nollet, illi pharmacis filios eius duos ſuſtulerunt, eiuſq; uxori ſterilitatē induxerunt. Ergo perfidiam illorum deteſtatus, patris ſui exemplo (qui contra illorum inſultias populo Friburgū prope Aueticum extruxerat) Bernam urbem ædificare cepit, A. D. 1191. eamque Imperio dono dedit, cuius præſidio, donec adoleſceret, ꝓtegeretur: fore prępuidens, ut huius urbis auſpiciis nobilium efferata ſuperbia retunderetur, & filiorum manibus inferiæ exhiberentur. Obiit A. D. 1218. eiuſq; regio ſororibus ceſſit. Stumpfius.

## PRVDENTIA EXTRA BELLVM INVENTRIX EORVM quæ ad CORPORIS bona conferunt. HVIVS eſt loci

### VITAE SVAE PRVDENTER PROSPICERE. PERICVLA & Inſidias effugere.

*Duo hic conſideranda, Morbi intentio, & eiuſdem depulſio. Reſpectu prioris ſubdiuidi poſſet locus iſte, quo ad Efficiētem, quis, qualis, puta Iudex, Hoſtis, Latro: quo ad Inſtrumentum, per quod intentatur, per Aquam, Ignem, Gladium, Venenum. Reſpectu poſterioris, Modus ipſe tum materialiter, tum formaliter examinari poſſet. Materialiter quidem, ut qui ſaluti ſuæ conſulunt Auro, Medicamento, Habitu. Formaliter uerò, ut qui mortem effugiunt Simulatione mortis, religionis, inſaniæ: Prouocatione, Defenſione, Fuga, Lucta, Occultatione. Fontes ipſos ſubdiuiſionum indicaſſe ſat eſt.*

ABRAMVS, cùm fame pulſus, ex Chananæa in Aegyptum migraſſet, Saraim uxorem ſuam ſororem eſſe dixit: ne ſi maritum eius ſe eſſe profiteretur, à Pharaone rege interficeretur. Pharao igitur Saraim, pulcritudine illius allectus, in concubinam aſſumit, Abramum fratrē multis ornat muneribus. Tandem cùm Pharao magnis à Deo cladibus afficeretur, propterea quòd Saraim ſibi uſurpaſſet, Abramo petita uenia, uxorem cùm magnis donis reſtituit. Geneſis duodecimo. Licuit hoc Abramo, quoniam per ſpiritum nouerat, Saræ uxoris ſuæ pudicitiam, Domino protegente, quocunq; perrexiſſet, tutam fore, uitæ tamen ſuæ ob eius formam improbos homines inſidiaturos dubitabat. IDEM cùm Geraris peregrinaretur, Abimelechus rex Gerarorum Saram eius uxorem formoſiſſimam (quamuis iam nonagenaria eſſet) ad ſe accerſendam curauit: Inſidias igitur metuens Abrahamus, ſororem ſuam eſſe dixit, ne ſi coniugem eſſe diceret, interficeretur. Abimelechus re cògnita, ſimulationem hanc grauiter tulit. Tamen ne quid mali à Domino pateretur, Abrahamum magnis affectum muneribus à ſe dimiſit. Geneſ. 20.

Idem & ISAACVM illius filium de Rebecā coniuge ſua, pari imminente periculo Geraris à rege Palæſtinorum Abimelecho, ſimulaſſe, legimus Geneſ. 26. Ea ſimulatione occaſio uitabatur homicidij: & grauiùs deliquiſſent, ſi uerum cōfitentes, cauſam malis ſæuiendi dediſſent. A mendacio ſanè excuſantur, quoniam conſuetudo erat, ut quibus aliqua ſanguinis intercedebat cognatio, fratres & ſorores inter ſe quandoque uocarentur. Sara autem Abrahæ ex patre neptis erat, Rebecca Batuelis filia, qui Iſaaci frater patruelis fuit. Marulus libro quarto, cap. 4.

IACOBVS Meſopotamiam petiturus, ut iratum fratrem Eſaum ſibi ultionique imminentem declinaret, quia non niſi per Chananæorum terram patebat iter, cum quibus paternæ



næ ſibi intercedebant inimicitiæ, uitabundus per deſerta & deuia loca interdiu iter facere, noctu corpus diurno labore feſſum quieti dabat, atque ita magnis itineribus & alioqui infeſtis, ad Labanem incolumis peruenit auunculum. Sab. lib. 4. cap. 8.

DAVID Saulum regem perſequentem fugiens, ad Achim Gethæ regē confugit. At regij ſtipatores eum eſſe agnouerunt, qui Goliathum Gethæum proſtrauiſſet, quiq; Iudæorum regno potiturus eſſet. Dauid inſaniam ſimulauit, in portæ oſtio pingens, & ſaliuam in barbam ſuam deliquans. Achis ergo uerè inſanum eſſe iudicans, ut ablegaretur præcepit. Et ſic Dauid in Odallamam ſpeluncam euaſit. 1. Reg. 21.

IDEM inſidias Sauli regis fugiens, Nobam uenit ad Achimelechum pontificem: & ſimulauit, ſibi occulti quid à rege cōmiſſum, quod ſine comitatu perficiendum eſſet: famulos ſeſe in loco certo præſtolantes reliquiſſe: ſi quos haberet panes, ꝓferret. Achimelechus cùm profanos nullos haberet, ſacros appoſiticios è Iouæ conſpectu ſublatos ei dedit, hac lege, ut corpora famulorum à mulieribus caſta eſſent. Petiit præterea, ecquam haberet haſtam uel gladium. Cumq; nullus alius adeſſet, præterquam enſis Goliathi, quem eo in loco dedicarat Dauid, eum accepit, & ad Achim Gethæ regē ſe contulit. Eodem die aderat uoti cauſa Doegus Idumeus, Sauli regius paſtor, is Saulum ea de re certiorem fecit. Quo indicio Achimelechus cum tota ſua domo à Saulo fuit exciſus. 1. Regum 21.

HIEREMIAS conſultus à Sedecia rege Iudæorum, uoluntatem Domini ei indicauit, & Nabucodonoſoro ſeſe dedere iuſſit, alioqui futurum, ut urbs cum omni ſtirpe regia deleatur. Sedecias uetuit ei, ne hæc proceribus enunciaret, alioqui mortis periculum ei inſtare. Paruit Hieremias, & à proceribus interrogatus, Quid cum rege egiſſet? reſpondit, Precibus ſe ab eo contendiſſe, ne in cœnoſum carcerem remitteretur. Hieremiæ capite 38.

PAVLVS apoſtolus productus in conciliū Iudæorū, ubi Sadducęi & Phariſæi conuenerāt, ſe Phariſæū eſſe proclamauit, ſperatæ reſurrectionis mortuorum reum. Hoc eo locuto, orta eſt inter Phariſæos & Sadducæos contentio, Phariſæis eum tanquam aſſeclam ſuum defendentibus. Tribunus è medio illorum abreptum Paulum in caſtra duxit. Act. 23.

IDEM cùm audiſſet, quòd quidam Iudæi uouerant, ſe nihil guſtaturos, donec occidiſſent Paulum: curauit hoc nunciari Tribuno. Is ergo miſit eum cum multis militibus ad Felicem Syriæ præſidem. Iam uerò cùm uellet è Græcia nauigare in Syriam, & intelligeret ſibi à Iudæis eſſe paratas inſidias, reuerſus eſt per Macedoniam, nec recuſauit comitatum, quem fecerant ei fratres diuerſarum ciuitatum. Actorum cap. 20.

Cùm Feſtus præſes Syriæ, Iudæis intercedentibus, EVNDEM Hieroſolymā reducere uellet: aduertens eorum malitiam, Cæſarem appellauit. Act. 25.

VLYSSES, ne ad Troiam iret, boue & aſina iunctis, terram proſcindere & ſal ſerere cœpit. Sed Palamedes filium Telemachum quà ſulcus ducendus erat obiiciens, aſtutiam eius detexit. Cicero lib. 3. Officiorum.

Pygmalion à patre regnum Tyriorum per manus acceperat. Fuit huic ſoror ELISA, quæ Sichæo auunculo (erat is homo prædiues atq; Herculis ſacerdos) uirgo nupſit. Fuit id ſacerdotium ſecundus à rege honos. Sichęus, qui haud ignarus erat, ſolere diuitias eſſe exitio habentibus apud tyrannos, quicquid auri habuit, quicquid argenti, humi condidit. Pygmalion ſpe potiundi auri omnis humani iuris oblitus, Sichæum auunculum inſidiis exceptum obtruncat. Dido (nam & hoc illi poſtea nomen fuit) ubi ſe quoq; inter domeſticas inſidias deſtitutam nihilo tutiorem fore cernebat, ut tutior ſibi fuga contingeret, fratrem noua arte aggreditur. Conſilium ait ſe cepiſſe in fratris regiam migrādi, ut relictis Sichæi penatibus, ubi illius imagines & alia uiri monumenta ſæpiùs occurrerent, defuncti memoria animo faciliùs excideret. Audiit ille ſororis uerba non inuitus, cōfiſus aurum, quod Sichæus antea poſſediſſet, cum ea ad ſe uenturum. Eliſa miniſtros migrationis à fratre miſſos in naues cū ipſis opibus imponit, prouectaq; in altum, compellit eos grandiora quædam uelut pecuniæ inuolucra in mare deiicere. Tum plorans ipſa, uirumq; flebili uoce inuocans precatur, ut ſuas opes debitas haberet inferias, quæ exitij cauſa extitiſſent. Tum uerò miniſtros ſupplicij metu iniecto fugæ comites ſibi adiunxit, & in Libyam nauigans, Carthaginem condidit. Sabellicus libro nono, Ennead. primæ.

SESOSTRIM Aegyptiorum regem bellicoſiſſimū, poſt ſubactam Europam, poſteaquam ad Daphnas Peluſias ſe receperat, à fratre, quem Aegypto præfecerat, unà cum liberis inuitatum tradunt: & cùm ille domum exteriùs materia circunſtipaſſet, ſtruemque incendiſſet: re intellecta Seſoſtrim extemplò cum uxore deliberaſſe (nam & uxorem ſecum duxerat) & ea ſuadente, ut duos è ſex liberis ſuper ardentem pyram extendens pontem faceret, ſuper quos ipſi tranſeuntes euaderent, ita feciſſe: & duorum filiorum clade cæteros unà cum patre fuiſſe ſeruatos. Herod. lib. 2.

AEGYPTVS à Mauſolo ablegatus Miletum, ut eos, qui ciuitatem prodere inſtituerant, ſua ope iuuaret, cùm appuliſſet, & inſidias ſibi ſtrui præſenſiſſet, feſtinans ad nauem prior uenit. Inſidiatores propè mare latitabant. Hinc illis audientibus tanquam gubernator quendam è naui miſit, iubens, Aegyptum quærere, & eum adducere: iam enim ſoluendum eſſe. Inſidiatores ergo properè relicta naue Aegyptum per urbem quærebant. At ille ſine periculo abnauigauit. Polyænus libro ſexto.

Thucydides libro primo refert, è Græcia fugientem THEMISTOCLEM naue cōſcenſa à Pydna ad alterum mare prouectum, nec quenquam uectorum, qui eſſet, ſciuiſſe: quoad uentis nauem onerariam Naxum, quæ id temporis ab Athenienſibus circumſidebatur, rapientibus, exterritus, nauiculatori & gubernatori aperuerit ſe, & quà precibus, quà minis agentem denunciantemq;, apud Athenienſes ſe crimine & mendaciis ipſos preſſurum, non imprudentes, uerùm mercede inductos initiò ipſum recepiſſe: expreſſiſſe ut præteruecti tranſmitterent in Aſiam. Plutarchus in Themiſtocle, & Polyænus lib. 1.

IDEM cùm in Aetoliæ oppidum Aegas ueniſſet, à Nicogene hoſpitio clàm ſuſceptus (omnes enim inhiabant, ut Themiſtoclem in regis gratiam caperent) tandem rheda operta ad regem Perſarum perduci ſe curauit, comitibus ſe Græcam muliereulam ex Ionia regis cubiculario cuidam adducere affirmantibus. Plut. in Themiſtocle, & Diod. lib. 11.

Alexandro Macedoni, quum reddita ſors eſſet, eum, qui primus occurriſſet, interimeret: ubi EVTYCHVM quendam præ ſe agentem aſellum uidit, arripi hominem ex oraculo confeſtim imperauit. At is iamiam iugulandus, intellecta mortis cauſa, proclamauit: Anteambulonem ſuum, non ſe, peti ex reſponſo, quando is obuiam factus eſſet prior. Cælius libro 11. cap. 8. A. L. ex Plut. Alexandro.

CYLONIANI (qui Cyloni Theognis genero opem tulerant in occupanda arce Athenienſium, ut tyrannide potiretur) cùm arce iterum potiti eſſent Athenienſes, eoſq; ut ſeditioſos in iudicium adduxiſſent: filo ſtatuæ Mineruæ appenſo, manibuſq; prehenſo, ne ab aſylo ceſſiſſe uiderentur, uitam ſuam tueri uoluerunt. At cùm filum ſua ſponte ſolueretur, placuit, ex ueriſimili deorum uoluntate, in eos ſine fraude poſſe animaduerti. Thucydides lib. 1. & Plut. in Solone.

Quum in India res gereret Alexander Macedo, prope Bactrianam apud Sogdios, producti ſunt ad triginta captiui SOGDII, nobilitate & corporis robore præſtātes uiri. Quos cū rex ad ultimū duci iuſſiſſet ſupplicium, illiq; hoc intellexiſſent: maxima alacritate pæana patriū, adhibito & modulatiore corporis motu, more choreas ducentium, recinere adorti ſunt. Renunciatur id Alexandro, qui tam inopinatę & importunæ lætitiæ cauſam ab eis ſciſcitatus eſt. At illi, Non alia (inquiunt) ratione geſtimus, quàm quòd terrarum principis imperio fatalem deſtinatumque ſibi diem ſubituri eſſent. Quacunque occaſione alia morerentur, conſueta cæteris perturbatione ſortem oblatam fuiſſe laturos. Nunc ut fortes addecet, mortem eſſe ſibi in uotis: proindeque cantu lætitiaque laſciuire. Verſus in ſtuporem rex: Cupio, inquit, noſſe, an ſit uobis optabilis uita citra ullas inimicitias meas? At illi, Nunquam inimicos egimus, uerùm nos quum hoſtiliter inuaderes, urens uaſtanſque omnia, hoſtiliter occurrimus ulm i repreſſuri. Quòd ſi benignitate potiùs, quàm diuexatione certare nobiſcum perrexeris, dabimus operam, ne officiorum uiciſſitudine ſuperemur. At rex: Verùm quibus obſidibus pollicitationes obfirmatis? Vitam, inquiunt, quam contribueris beneficio tuo, fidei cōſtantiæq; pignori obiicimus, reddituri, quandocunq; reflagitaris. Hiſce itaque conditionibus emiſſi, quam dederant fidem egregiè præſtiterunt, populares ſuos ſinceriter Macedonibus cōciliantes. Cælius lib. 18. cap. 33. A. L.

Aceſtoride Corinthio, electo Syracuſis duce, AGATHOCLES uiſus affectare tyrannidem, euaſit periculum. Nam Aceſtorides ſeditionē euitās, atq; ob id nolens ipſum apertè de medio tollere, iuſſit urbe excedere, & emiſit qui noctu inter proficiſcendum eum interficerent. Agathocles ex pueris delegit eum, qui ſuiipſius formā maximè referret, & magnitudine corporis & uultu. Huic cùm tradidiſſet arma ſua & equū, præterea ueſtem, pannis opertus, per locum inuiū alterius partis iter fecit. Illi ex armis atq; aliis indiciis Agathoclem eſſe ſuſpicati, eum necarunt. Diod. lib. 19.

ARISTIPPVS philoſophus quodam tempore nauigans, ut intellexit nauim eſſe piraticam, depromſit aurum, ac numerare cœpit: moxque abiecit in mare, & grauiter ingemuit, fingens ſibi imprudenti & inuito excidiſſe. Hoc ingenio uitæ ſuæ conſuluit, ademta piratis occidendi uinciendiue materia. Sunt qui narrent, illum & hæc dixiſſe:

Satius eſt ut hæc per Ariſtippum, quàm propter hæc pereat Ariſtippus. Laërt. lib. 2. cap. 8.

DIONYSIVS, Siciliæ tyrannus, cùm mercenarij ad eum interficiendum impetum feciſſent, miſerabili ueſte amictus prodiit, comamq; puluere reſperſit, & poteſtati militũ ſuam uitam permiſit. Mercenarij eius miſerti, ſaluum & incolumem dimiſerunt. Dionyſius eos non ita multo pòſt in urbe Leontinorum circumuentos ſuis copiis, ad unum omnes trucidauit. Polyænus lib. 5.

CLEOMENES dux Athenienſiũ, inſaniam ſimulans, cùm ſe ciuibus inuiſum eſſe ſciret, baculum ferens ambulabat, quo propulſaret eos, à quibus impeteretur. Hinc prouerb. αὐδ ξύλυ μὴ βαδίζων, Sine baculo non ambulans. Suidas.

GELONI, Syracuſanorum tyranno, quidam tendebant inſidias. Ergo conuocata Syracuſiorum concione, armis indutus in ſuggeſtum aſcendit, & commemoratis ſuis erga illos meritis, inſidias detexit, deinde exutis armis, dixit ad uniuerſos: En ego amictus tunicula, nudus, aſto & dedo me uobis, ut pro uoluntate libitoq; mecum agatis. Syracuſij eius conſtantiam admirati, ſuppliciis afficiendos inſidiatores ei tradidere, & illum regnare iuſsêre. Quos tamen & ipſe puniendos reliquit populo. Proinde Syracuſij ſtatuam ei poſuerunt, in diſcincta tunica. Aelian lib. 13. de Varia hiſt.

METON Athenienſis aſtronomus, cùm infelicem euentum Siculæ expeditionis præuideret, mente ſe captum finxit, & domum incendit. Itaque inſanus iudicatus, liberè dimiſſus eſt. Aelianus lib. 13. de uaria hiſtoria. Quidam nulla demẽtiæ ſpecie à Metone aiunt adumbratam, ſed nocte eum domum inflammaſſe: mox progreſſum manè ad concionem oraſſe ſupplicem populum, ut ad tantæ alleuationem calamitatis, filium ſibi ab iſta expeditione relinquerent immunem. Ita ludificatus ille ciues, quod petebat, obtinuit. Plutarchus in Alcibiade.

L. IVNIVS Brutus, cùm à rege Tarquinio auunculo ſuo omnem nobilitatem, atque etiam fratrem ſuum, quòd uegetioris ingenij eſſet, interfectum animaduerteret, mente ſe captum eſſe ſimulauit, eaq; fallacia maximas uirtutes ſuas texit. Profectus deinde Delphos cum Tarquinij filiis, quos is ad Apollinem Pythium muneribus ſacrificiiſq; honorandũ miſerat, aurũ deo, loco doni clàm cauato baculo incluſum tulit: quia timebat ne ſibi cœleſte numen aperta liberalitate uenerari tutum non eſſet. Peractis deinde mandatis patris, Apollinem iuuenes conſuluerunt, quiſnam ex ipſis Romæ regnaturus uideretur: atq; is, penes eum ſummam urbis Romanæ poteſtatem futuram, reſpondit, qui ante omnes matri oſculum dediſſet. Tunc Brutus, perinde atq; caſu prolapſus, de induſtria ſe abiecit, terramq; communem omnium matrem exiſtimans, oſculatus eſt: quod tam uafrè telluri impreſſum oſculum, urbi libertatem, Bruto primum in Faſtis locum tribuit. Valerius Max. lib. 7. cap. 3. & Sabellicus lib. 6. Ennead. 2. ex Liuio.

Oppidulum Siciliæ eſt Enguium peruetuſtum, & dearum præſentia, Matres uocant, nobile, quod poſtea Maceram nuncuparunt. Huic ciuitati ſtudioſiſſimè partes Pœnorum fouenti auctor erat NICIAS, ut ad Romanos deficeret. Aduerſarij, opes eius ueriti, ſtatuerunt eum uinctum tradere Pœnis. Quod agi clàm cùm eſſet odoratus, irreligiosè locutus eſt in uulgus de Matribus, multaq; deſignauit, quaſi negaret & contemneret receptã opinionem de præſentia dearum. Cùm eum iamiam prehenſuri eſſent inimici in concione populi, Nicias cùm uerba ad populum de re quapiam deliberanda faceret, in media oratione abiecit ſe in terram: pauloque poſt, caput attollens & circumferens, ſubtremulam uocem grauemq; intendit, concitauitq; paulatim. Vbi conſpexit horrore & ſilentio defixum theatrũ, abiecto pallio, tunicaq; ſciſſa exiliit ſeminudus, curſumq; ad exitũ theatri tulit, Matrum ſe furiis uociferans agi. Cùm nemo iniicere manum homini præ religione neq; obſiſtere auderet, extulit ſe porta, lymphato & inſano ſimilis. Aſtus conſcia ſociaq; coniunx, aſſumtis liberis, primùm pro æde dearũ ſupplex abiecit ſe. Inde palantem illum præ ſe ferens quærere, nemine impediente oppido exceſſit incolumis, atque ea ratione Syracuſas ad M. Marcellũ euaſere. Plutarchus in Marcello, ex Poſidonio.

HANNIBAL in Hetruriã iter intendens, ubi capitales Gallorum inſidias cognouit (illorũ enim reguli ubi ſuam terram belli ſedem factam uiderunt, auerſo à Romanis in Pœnum odio, in ducem ipſum plures ſimul ac ſæpiùs coniurarũt) ſæpiùs ueſtem mutando, caputq; uariè tegendo, inſidiantium eſt conſilia fruſtratus. Sab. lib. 1. En. 5. Idem ab Antiocho fugiens in Cretam, ad Gortynios uenit. Videns aũt magno ſe fore periculo, niſi quid præuidiſſet, propter auariciam Cretenſium (magnã enim ſecum pecuniã portabat, de qua ſciebat exiſſe famam) amphoras complures complet plumbo, ſummas operit auro & argento. Has Gortyniis pręſentibus deponit in templo Dianæ, ſimulans ſe ſuas fortunas illorum fidei credere. His in errorem ductis: ſtatuas æneas, quas ſecum portabat, omnes ſua pecunia complet, eaſque in propatulo domi abiicit. Gortynij templum, magna cura cuſtodiunt, non tam à cæteris, quàm ab Annibale, ne quid ille inſcientibus his tolleret, ſecumque portaret. Sic conſeruatis ſuis rebus Pœnus, illuſis Cretenſibus omnibus, ad Pruſiam perfugit. Probus in Annibale, & Sabellicus libro ſeptimo, Enneadis 5.

MITHRIDATES Ponti rex, cum quo pop. Rom. bellum geſſit, admodum puer tutorum inſidiis petitus, fero equo impoſitus iaculari cogebatur. Qui conatus quum parum inſidiatoribus procederet, ueneno puerum aggreſſi, haud dubiè perdidiſſent ſæpiùs repetitum, niſi aduerſus eam iniuriam pluribus ſe antidotis muniuiſſet, ut aſſiduo remediorum uſu, ne mori quidem, quum morte opus fuit, ueneni hauſtu potuerit. Veritus præterea, ne ferro domi opprimeretur, uenandi ſtudium mentitus, quatuor annos ſaltus & nemora peruagatus eſt, nullibi locorum ſupra noctem unã diuerſatus. feras interim aut procul figere, aut cominus proſternere. Quibus & uitauit inſidias, & corpus ad omnẽ uirtutis patientiam firmauit. Sab. lib. 3. En. 6.

C. MARIVS filius, patre Roma pulſo Syllæ armis, ut in prædia Mutij ſoceri uenit, dum ſumit aliquid & componit, luce oppreſſus non in totum fefellit hoſtes: ſed aderant equites ſuſpicione illuc ducti: quibus præuiſis abdidit uillicus Marium in plauſtro fabis onuſto, iunctiſq; bobus plauſtrum ad urbem agens, equitibus occurrit. Ita ad uxorem domum deportatus Marius, acceptis neceſſariis uenit nocte ad mare, ac conſcenſa naui, quæ Africam petebat, tranſmiſit. Plut. in Mario.

ROMANORVM quidam à Mithridate rege in Aſia uno die oppreſſi ad XXX M. Pauci aut ad ſimulacra deorum confugiendo, aut quadratis ueſtibus abiectis (Romanorum ciuium inſignibus) ad pallia rediere, antiquas patrias iam relictas ab ipſis cognoſcendo. Athenæus lib. 5.

REGINVS habitu agaſonis, aſinum frondoſis faſcibus onuſtum agentis Trium uirorum proſcriptionẽ effugit. Appian.

Poſt Iulium Romæ in ſenatu crudeliter interfectum, cùm in populi ſeditione, ab iis, qui mortem Cæſaris uindicare conabantur, Helius Cinna tribunus, errore nominis pro alio Cinna coniurationis participe, interfectus eſſet: CASCA tribunus plebis timuit, ne ipſe quoque ſimili errore pro Seruilio Caſca occideretur. Itaque literis immutatis, uitæ ſuæ proſpexit. Xiphilinus Dionis abbreuiator, in Iulio.

Cùm Auguſti Cæſaris temporibus proſcripti, qui in Iulij mortem aut conſpirauerant, aut eius tantùm aliqua ex parte conſcij fuerant, crudeliter in urbe trucidarentur, ferrumque Lepidi atque Antonij in multos etiam innocẽtiſſimos ciues ſtringeretur: TERENTIVS Varro, quòd uni ex proſcriptis idem nomen eſſet, metuens, ne quod Cinnæ euenerat, ſibi quoque contingeret (erat enim Tribunus plebis) literam de ſuo nomine detraxit, & eam ob cauſam à multis deriſus eſt. Xiphilinus in Auguſto.

Pulcrum APVLEII atque ARVNTII proſcriptorum, ut imminentem mortem declinarent, commentum fuit. Nam cùm ipſi tribunorum militarium habitum ſumſiſſent, ſeruos ſuos ceu milites armarunt: urbemque egreſſi, tãquam ipſi proſcriptos inſequerentur, quacunque iter faciebant, liberatis captiuis, in quos inciderant, ſatis magna manu coacta, in Siciliam unà traiecerunt. Fulgo. lib. 7. cap. 3.

M. VOLVSIVS ædilis plebis proſcriptus, aſſumto Iſiaci habitu, per itinera uiaſque publicas ſtipem petens, quiſnam reuera eſſet, occurrentes dignoſcere paſſus non eſt, eoque fallaciæ genere tectus, in M. Bruti caſtra peruenit. Valerius libro 7. capite 3.

SATVRNINVS Vetulio (alij Sentium appellant) cùm à Triumuiris inter proſcriptos nomen ſuum propoſitum audiſſet, continuò præturæ inſignia inuaſit: præcedentibuſque in modum lictorum & apparitorum publicorum ſeruis ſubornatis, uehicula comprehendit, hoſpitia occupauit, obuios ſubmouit: ac tam audaci uſurpatione imperij, in maxima luce denſiſſimas hoſtium oculis tenebras offudit. Vt Puteolos uenit, perinde ac publicum miniſterium agens, ſumma cum licentia correptis nauibus, in Siciliam, certiſſimum tunc proſcriptorum profugium, penetrauit. Ibidem.

MARCIVS, prætorius uir, ſecutus Bruti partes, in conflictu Macedonico ab Antonianis uictoribus captus, ſeruum ſe ſimulauit: emtuſque ſub haſta à Barbula quodam minimè impigro homine, eam in ipſa ſeruitute ingenuitatem præ ſe tulit, ut præpoſitus primò ab hero ſeruitiis aliis fuerit, atque haud multo pòſt rei etiam pecuniariæ. Pontanus lib. 5. cap. 1. de Prudentia.

IOSEPHVS Iudæus hiſtoricus, Galileæ præfectus, cùm iuuenes quidam Ptolemæi procuratoris regij, qui à Romanis ſtabat, impedimẽta diripuiſſent, ea ipſe ſeruauit, ſpecie quidem muros Hieroſolymorum reficiendi, reuera autem Ptolemæo tribuli ſuo, cui per uim erepta fuerant, reſtituendi. Id iuuenes ęgrè ferre, & contra Ioſephũ, ut qui Romanis regionem prodere uellet, populum concitare. Ioſephus atratus in circum prodiens, in faciem proſtratus, terramq; rigãs lacrymis, populũ ad miſericordiam mouit: factoq; ſilentio, à crimine ſe non abeſſe ſimulauit, petere tamen ut ſibi tempus id explicandi ſinerent. Pecuniam igitur eam ſe ſeruaſſe dixit, ut Tarichenſibus & Tiberienſibus mœnia extrueret. Quo audito, conclamant omnes, eiuſq; factum laudant. At inimici ne tum quidem quieſcentes, armata manu Ioſephi domum circumſtant. Ille clauſis foribus poſtulat, ut ad ſe mitterent, qui pecuniam illam, ob quam tumultuarentur, acciperent. Elegerunt illi aliquos. Quorum omnium turbulentiſſimum uerberibus cæſum, & alteram manum abſciſſam ſuſpẽſamq; à collo gerentẽ, domo eiecit. Reliqui metu eiuſdem periculi, ſubitò diffugerunt. Ioſephus in ſua uita.

DIONICVS medicus Polyprepontem tibicinem phreneſi correptum curandi gratia uiſebat, ignarus hominem iam eo morbo teneri. At ille protinus ſurrexit: foribuſque occluſis, ac nudato gladio, tibias ei tradidit, iiſq; uti caneret, iuſſit. Deinde ubi id non poſſet, illum percuſſit, ſcuticam ſublata manu geſtans. Ipſe in tanto periculo ingenioſus, ad canendi certamen prouocauit hominem: idq; ea lege, ut uictus præſcriptum certumque plagarum numerum acciperet. Ipſe prior cecinit, prauè atque imperitè: deinde traditis illi tibiis, ſcuticam ab illo recepit, gladium extemplò per feneſtras in aream abiecit, & cum minore iam diſcrimine cum illo luctatus eſt, quoad uocati ſuperuenêre uicini. Lucianus in Conuiuio.

Iulius Tutor, qui Gallicæ defectionis ſub Veſpaſiano auctor fuit, inter alios multos ſocium eius cõſilij habuit IVLIVM Sabinum, adoleſcentem nobiliſs. Is detecto facinore, etſi facultatem habebat eripiẽdi ſe Romanis, & ad Barbaros confugiendi, uxorem tamen Epponinam (quod lingua gallica Heroidem ſignificat) cùm ſecum aſportare non poſſet, relinquere noluit. Ergo cùm in agro haberet ſpecus, condendis pecuniis ſub terra extructas, quas duo ſoli liberti cognitas habebant: reliqua omni familia à ſe remota, ut ueneno ſibi mortem allaturus: duobus tantùm fidis aſſumtis, in ſubterranea loca deſcendit: miſitq; Martalium libertum ad uxorem, qui nunciaret ipſum medicamentis interemtum, incenſa uilla, ut corpus illic crematum crederetur: uolebat enim uero luctu uxoris lamentationeq; uti, ad confirmandam famam de morte ſua. quod cõtigit. Illa proiecto humi corpore, cum gemitu & muliebri eiulatione ſpacio trium dierũ noctiumq; ſine cibo manſit. Sabinus ueritus ne illa penitùs ſe perditum iret, iuſſit clàm ſignificare ei Martalium, ipſum uiuere, atq; occultari, rogareq;, ut adhuc ad breue ſpacium in luctu perduret, omniaq; faciat, ne ſimulatus ille dolor deprehendatur. Interea cùm Sabinum & ueſtimento, & tonſura, & capitis tegumentis, ut cognoſci non poſſet, conformaſſet, ſecum ipſum Romam duxit. Cùm uerò irritum fuiſſet id inceptum, in Galliam rediit, & maiorem partem temporis cum eo ſub terra uixit. Quod uerò inprimis admirabile fuit, cùm prægnans eſſet, ac communibus balneis uteretur, non tamen uterum gerere cognita eſt. Medicamentum enim, quo comã mulieres reddunt flauã, rutilamq;, aptum etiam eſt carnem gignere, & eandem laxare & dilatare & tumefacere. Quo cùm illa copioſo unxiſſet reliquas corporis partes, tegere potuit tumorem uentris creſcentem. Appropinquante autem tẽpore partus, cùm ad uirum ſubiiſſet, ſicut lęna in cauernam, tolerauit ſola dolores illos, & natos pueros geminos, tanquã ſcymnos aluit. Interfecit tandem Epponinam Cæſar. Cùm ſupplicium de ea ſumeretur, ſpectantium ex animo ſuſtulit omnẽ miſericordiam fortitudo ipſius ac libertas: quo magis adhuc incendit Veſpaſianum. Poſtquã enim ueniã deſperauit, iuſſit, ut citò infra terrã mitteretur: uixiſſe enim ſe iucũdiùs ſub terra ac tenebricoſis locis, quã regnãte illo in luce ac ſiderũ aſpectu. Plut. lib. de Amore. & Tacitus lib. 20. Victorius lib. 18. Variarum c. 15.

Victo ad Tapas Decebalo Dacorum rege à Iuliano, Domitiani Imp. legato, VEZENAS Decebali legat⁹ mortuo aſſimilis iacuit, & ſequẽti nocte incolumis aufugit. Cuſpinianus.

CONSTANTINVS Conſtãtij F. à Galerio Maximino patris in imperio collega educatus, annum XXX natus, cùm inſidias ſibi parari argumentis non dubiis comperiſſet, opportunè fugam arripuit, & ad fruſtrandos inſequentes, publicis iumentis, quacunque iter egit, occiſis, ſumma celeritate ad patrem in Britanniam redire contendit. Diuino autem conſilio accidit, ut eadẽ hora, qua ille ſoluebat, acceſſerit, quò patri Imperatori propediem morituro ſuccederet, qui inſtitutam, in Occidente pacem Eccleſiæ ciuitatibus iuſtitiam, populis libertatem pręſtaret: ſi quidem Conſtantium, ſimulatque Eboracum peruenit, grauiſſimus repentè morbus inuaſit. Quo ſæuiente, ut ſenſit finem adeſſe uitæ, rogatus à præſentibus, cui Imperium relinqueret, Conſtantino reſpondit, ac mox VIII. Kal. Auguſti deceſſit, an. 306. Sigonius lib. 2. Imp. occid.

ATHANASIVS ille magnus, Alexandriæ epiſcopus, à Iuliano apoſtata proſcriptus, conſcenſa naui per Nilum Thebaidem petere uolebat. Miſſus ab Imper. Comes, ut eum tolleret, citato curſu inſequitur. Cùm ſpes nulla eſſet euadendi, in occurſum intrepidè percuſſori ſuo procedit. At Comes cùm redeuntem uideret nauiculam, nihil minùs arbitratus quàm Athanaſium illic eſſe, & neci apertæ ſeſe offerre, eos qui in Athanaſij naui erant, tanquam fortè prætereuntes, interrogari iubet, Anne audiſſent, ubi Athanaſius eſſet? Reſpondent illi, modò ſe uidiſſe eum non longè euntem. Inſequitur Comes aduerſo flumine. Athanaſius Alexandriam ſaluus Dei præſidio rediit, ibique uſque ad mortem Iuliani delituit. Ruffinus lib. 1. cap. 33. & 34.

Grimoaldus Gundibertum Longobardorum regno & uita exuerat per dolum: fratrem eius Pertharim, qui ad Cacanum Hunnorum regem in Pannoniam perfugerat, minis inde expulit. Pertharis nullibi tutum ſe fore uidens, ſupplex ad Grimoaldum ſororium uenit, eius clementiam implorans. Ille in genua procumbentem, leuauit ad oris oſculum, & iurauit coram omnibus, nihil illum mali paſſurum. Concurrêre ad illum Ticinenſes, plurimùm illi de reditu gratulantes, laudanteſque conſilium pacatum. Suſpectus inde Grimoaldo eſſe cepit. Itaque oblitus iuriſiurandi, ſepultum mero opprimere uoluit. Ad conuiuium inuitatum regij ſtipatores (de more gentis) ad pocula prouocabant: Pertharis in aurẽ dicit pincernæ fidiſſimo, ut pro uino ſibi aquam miſceret. Interea rex ſciſcitabatur, Quid ageret Pertharis? De uino, inquit unus, quod miſiſti, abundè potat, & hilareſcit. Tum rex, Bibat, inquit, ad uomitum: nam pro mero cruorẽ dabit. Interea Pertharis HVNVLFVM unũ ex fidiſſimis uocat, docet periculum ſuum, & requirit conſilium. Ille iubet unum ex ſeruis ſtratum ſuum deferre in cubiculum Pertharis, ut apud illum noctu cubaret. Hunulfus ingreſſus cũ Perthari cubiculũ, culcitrã ſuam cũ urſi pelle ſero crepuſculo Perthari imponit, & flagris in illũ, tanquã ſeruũ ſæuit, quaſi non rectam culcitrã intuliſſet. Sic eductum extra portam, Haſtam primò, inde Taurinum petere, & in Galliam euadere iuſſit. Mane mittit rex, qui Pertharim capiant. Cubicularius orat, permittant feſſo ex itinere longo ſomnum. At rex uel dormientem ad ſe pertrahi iubet, lõgo ſomno tradendum. Ergo perfractis foribus irrumpunt. Eo non inuento, raptus ad regem ianitor, rei geſtæ ſeriem receſuit. Rogante rege cõſiliarios, Quid mereretur homo iſte? Vna uoce, morte dignum proclamarunt. At rex non pœna, ſed præmio dignum aſſeruit, qui fidem domino ſuo ſeruaſſet. Mox Hunulſum, qui confugerat in eccleſiam, interpoſita publica fide euocauit. Is liquidò narrat, quid pro liberãdo amico fecerit. Omnibus reum læſæ maieſtatis clamantib. ſolus rex fidem honorandam, nõ culpandam eſſe dixit: adeoq; optionẽ dedit utriq;, ſecum eſſe mallent in palatio, an cum Perthari in exilio. Tum Hunulfus, Ego tibi uitã debeo, rex, quam quum poſſes auferre, donaſti. Cęterùm fides prima obſtricta eſt Perthari, cum quo malim exulare, quàm fidem uiolare. Idem famulus teſtatur. Rex utroq; collaudato, iumenta, famulos, & commeatum illis dedit, ut in Franciam ad Pertharim abirent. Cranzius lib. 3. Daniæ, cap. 26.

FENGO, Iutiæ præfectus, fratrem Horuendillum, uirum fortiſs. ſola uirtutis inuidia interfecerat, Gerutham Rorici Danorum regis F. eius uxorem (ex qua Amlethum ſuſtulerat) ſibi nubere coëgerat. AMLETHVS, ut patrui eiuſdemq; uitrici inſidias effugeret, amentiam ſimulare, ſordib. ſe proluere, ſtipites adũcos in paterni necis ultionem igni durare, equum à dextris cõſcendere, cauda loco fræni uti, lupo conſpecto, talibus equulis Fengonem carentem increpare: gubernaculum magnum cultrũ prægrandi pernæ conuenientem dicere: arenarum cumulos farinã marinis fluctib. dealbatam pronunciare: ea deniq; reſponſa dare, quę prima ſpecie mentis emota:, ſed intentiùs conſideranti ſummæ prudentiæ eſſe uiderentur. Placuit tandem Fengoni, uenere ſimulationem eius explorare. Amlethus deceptis cuſtodibus à quib. obſeruabatur, cum muliere clam concubuit. ſed educationis conſtantis memoria refricata, mulier ex compoſito concubitũ negauit, ipſe uerò affirmauit. Interrogatus rurſum, Quo loco cõcubuiſſet, quóue puluino uſus fuerit? Vngulæ iumenti, criſtæq; galli, laquearibus quoq; tecti innixũ ſe dixit. Horũ enim omniũ particulas, uitandi mendacij gratia, cùm tentandus proficiſceretur, collegerat. Fengo interea ſimulata abſentia matrẽ cum filio clam cõmiſſam, à quodã conſilij auctore obſeruari curat, qui ſub lecti ſtramentis deliteſceret. Amlethus ſolus ad matrẽ admiſſus, ſed exploratores ſuſpicans, galli more occentũ edidit, brachiiſq; alarum ritu concuſſis, conſcenſo ſtramento corpus crebris ſaltibus librare cœpit, ſi quid illic deliteſceret experturus. At

ubi

ubi ſubiectam pedibus molem perſenſit, gladio exploratorem confodit: corpus in partes cõnſciſſum, in lebete coxit, deuorandumq; porcis per os cloacę patentis effudit. Cumque mater mox defleret, ille ſimulatam amentiã prodere, & paternæ necis uindicandæ conſilium aperire cepit. Cùm explorator nuſquam cõpareret, Amlethus, An ullum ipſius ueſtigium deprehenderit? per iocum rogatus: In cloacam illũ delapſum, ac ſtercoris mole obrutum, à porcis eſſe abſumtum, reſpõdit. Quod dictũ, quia ſpecie ſtolidum uidebatur, auditoribus ludibrio fuit. Fengo tandem priuignum ad Britanniæ regẽ mittit. Diſcedens Amlethus, matri tacitè præcipit, ut textilibus aulam nodis inſtruat, ſuaſq; poſt annũ inferias falsò peragat, eoq; tempore reditum pollicetur. Proficiſcuntur cum eo bini Fengonis ſatellites, literas ligno inſculptas ſecum geſtantes, quibus Britannorum regi tranſmiſſi ſibi iuuenis cædem mandabat. Quorũ Amlethus quiete capientium loculos perſcrutatus, literas ſupponit de cę de ſatellitũ: preces inſuper adiicit, ut Britanniæ rex prudentiſſimo iuueni filiam in matrimonium daret. Vbi in Britanniam uentum, rex hoſpitali illos humanitate proſequitur. Tunc Amlethus omnem regiarum dapum apparatum aſpernatus eſt. Soluto conuiuio, rex quum amicos ad quietẽ dimitteret, per quendã cubiculo immiſſum, nocturna hoſpitum colloquia clàm explorare ſtuduit. Interrogatus igitur à ſociis Amlethus, Quid ita epulis abſtinuiſſet? Panem cruoris contagio reſperſum, potioni ferri ſaporem ineſſe, carnes humani cadaueris fœtorẽ referre, dixit. Addidit, regẽ ſeruilibus oculis eſſe: reginã tria ſeruilia officia præſtitiſſe. Sed à comitib. ob amentiã deriſus eſt. At rex his cognitis, Amlethũ ſupra mortalem habitũ, aut ſapere, aut deſipere teſtatus eſt. Scrutatus ſingula, è tritico, quod in agro mortuorũ oſſibus referto natum erat, panem factum deprehendit. Carnes uerò ſuillas ex porcis eſſe, qui non ita pridem latronis cadauer riri diſcerpſiſſent. Potum uerò cerealem ex aqua fontis uicini coctum, in cuius alueo gladij rubigine adeſi latebant: ſeu certè, ut aliis placet, ex melle factam mulſam, ab apibus, cadauere mortuo paſtis, collecto. Triplici hoc argumento Amlethi prudentiam admiratus, matre tormẽtorum minis adacta, ex adulterio aulici ſe natum eſſe cognouit. Reginam itidem ex ancilla natã & ſuppoſititiam eſſe ex Amlethi ſermone didicit, tres ſeruilis ingenij notas in ea detegentis: quòd ancillæ more pallio caput obduceret: quòd ueſtẽ ad greſſum ſuccingeret: quòd ciborum reliquias, dentibus inhærentes, feſtuca erutas deglutiret. Rex ergo diuinum illius ingeniũ ueneratus, filiam ei in matrimonium dedit: comites uerò ſuſpendio abſumſit. Amlethus ea uelu ti iniuria ſe uehementer offenſum ſimulans, aurum à rege compoſitionis nomine recepit, quod igni liquatum clàm cauatis baculis infudit. Poſt annũ patriã repetens, nihil ſecũ præter bacillos exportauit. Vt Iutiam attigit, cùm conclaue, in quo ſuæ ducebantur exequiæ, ſqualore obſitus intraſſet, maximum omnibus ſtuporem iniecit, quòd obitum eius falsò fama uulgauerat: & de comitibus interrogatus, oſtenſis, quos geſtabat, baculis, Hic, inquit, & unus & alius eſt. Pocillatorem inde agere cepit. Et ne greſſum laxior ueſtis offenderet, latus gladio cinxit, eumq; ſæpe diſtringens, ſupremos digitos cuſpide uulnerabat. Itaque aulici clauo gladiũ uaginæ affixere. Interea cùm merſos ſomno uinóq; proceres inſidiis oportunos animaduerteret, paratos iam olim ſtipites accipit, & tricliniũ, ubi proceres paſſim humi ſtrati iacebant, ingreſſus, factam à matre cortinam, quæ etiam interiores aulæ parietes ueſtiebat, reſcidit, eaque ſtertentes adhibitis ſtipitibus colligauit, ut nemo incluſorum elabi poſſet. Poſt hæc tectis igne iniecto, regiam cremauit. Petito Fengonis cubiculo, gladiũ lectulo adhærẽtem, ſuo in eius locum appenſo, arripuit, & regem ad Amlethi nomen territum, fruſtra ſe defendentem, interfecit. Indeq; populo in concionem aduocato, facinus ſuum detexit, & admiratione prudentiæ, tanto tempore diſſimulatæ, facilè ut ſe regem crearent, induxit. Saxo lib. 3.

Nicolaus, Danorum rex, profligato ad Roſchildiam Erico, regni æmulo, Haraldo, qui ab Erico fratre defecerat, permiſit de Saxonibus ſumere ſupplicium, quòd machinas commodaſſent Erico. Nares omnium præſcidit per contumeliam, rogitãs, An Haraldũ cõfeciſſent. Erat inter eos QVIDAM, qui ſe doctum aſſereret. Haraldus clericum eſſe credens, illũ ſeruauit, menſæque adhibitum, iuſſit ſacrã benedictionem præire. Ille ſe ſuendi, non conſecrandi doctum eſſe, reſpondit. Comitati dedit Haraldus impunitatem. Cranzius libro quinto Daniæ, capite 15.

Dum Vladiſlaus, Hungariæ & Boëmiæ rex, Ludouicum F. in regni conſortium Pragæ recipit, ſcorti cauſa grauis inter Boëmos & Hungaros ſeditio exorta eſt. Boëmi, trucidatis circiter XIIII Hungaris, cæteros in fugam uerſos, in ipſis diuerſoriis ſauciabant, & fœdè ſpoliabant ſine ullo diſcrimine. STEPHANVS Batori inter primos apud Hungaros dignitate conſpicuus, aureis nummis paſſim proiectis ſe inſequentes remoratus, in arcem penetrauit. Sedata turba, auctores tumultus comprehenſi, & uariis affecti ſuppliciis, quidam excoriati, ij potiſſimùm, qui ueſtium Hungaricarum precioſis exuuiis ſeſe exornarant. Dubrauius lib. 32.

LVDOVICVS Flandriæ Comes, cùm Gandauenſem urbem rebellem obſidione fameque premeret: & ciues per legatos pacem legitimam impetrare non poſſent: egreſſi cum quinque millibus, triginta hoſtiũ millia temporis momento fuderunt: eoſque perſequentes, cum ipſis Brugenſem urbem, ubi Ludouicus commorabatur, ingreſſi ſunt. Comes cùm ſe in furnarij lecto abdidiſſet, nocte urbem pedes egreſſus, ad Inſulam urbem euaſit. Aimoinus de geſtis Francorum lib. 4. cap. 71. & 72.

Cùm Acciolinus tyrannus ob indignationem amiſſæ urbis Patauij omnes Patauinos, quos Veronæ ſecum in caſtris habebat, comprehendi iuſſiſſet, numero circiter bis mille & triginta nouem, uel (ut alij ſcribunt) duodecim millia: LEONARDVS Malfattus comprehenſus, & morti ſimiliter cum aliis deſtinatus, è ripa Atheſis fluminis ſeſe præcipitãs, ſubtus in fundo amnis inſtar mergi perreptans, per ſeptem millia paſſuũ tandẽ enatauit, cũ omnino ſubmerſus crederetur, anno ſalutis humanæ MCCLVI. ſed paulo pòſt in patria obiit ex morbo inde contracto. Bern. Scardeonus libro tertio hiſtoriæ Patauinæ.

GVIDO Anoalius Patauinus, Acciolino tyranno propter generis nobilitatem ſuſpectus, cùm eſſet iam iam capiendus, nec exire clàm mœnia Vicetina poſſet: Giramontem, Acciolini fratrem nothum, cui equum ſciebat eſſe uænalem, adit, atq; hũc ſterni ſibi pro more petit. Mox ad experiendũ equi curſum extra portã urbis, uenditores cũ equo ſe conferunt. Eò ubi uentũ (hora erat quaſi ueſpertina) Guido equum inſiliens (ut erat equitandi peritus) uertens in gyrum equum, quatit calcibus, paulatim excitans eum ad curſum. Aliquanto longiùs prouectus, concitato demum equo, laxatiſque penitùs habenis, deluſo hoſte, tota illa nocte in tutũ ſeſe recepit, anno Domini MCCLI. Hęc ex Rolandini annalibus refert Bern. Scardeonus lib. 3. hiſt. Pat.

Auctores ſunt qui ſcribant, cùm Clemens V. ordinẽ Templariorum damnaſſet, munuſque, ſontes in Germania ex decreto ſententiaque lata plectendi, ac lege agi iubendi, archiepiſcopo Moguntino demandaſſet, hunc conuocaſſe patres ſacerdoteſque prouinciæ ſuæ. Frequenti illorum conſeſſu tunc HVGONEM clariſſimum uirum, cum uiginti ordinis ſui, tecto ueſtibus ferro, nemine arcere auſo, ingreſſum, clara intrepidaque uoce teſtatum, ſi quid grauius in ſacrum Templariorum ordinem ſtatutum eſſet, ſe Pontificem maximum, qui in Clementis locum ſufficeretur, appellare: abſterritos patres inermes imbelleſq;, ferocia nobiliſſimorũ militaris ordinis uirorum, iuſſiſſe illos bono animo eſſe: certiorem literis factum Clementem mitiùs reſpondiſſe, acius deintegrò quærendi ſtatuendique archiepiſcopo decreuiſſe: eum illos, quòd inſontes ſe edocerent, cauſa cognita crimine liberaſſe. Hominibus abſolutis, ordo tamen ipſe abrogatus. Aemilius lib. 8.

Barnabas Vicecomes, Mediolanenſis princeps, Io. GALEACIO, Galeacij II. fratris F. multò opulentioris imperij fortunam inuidens, ſimul etiam filios ærario ſuo graues, ex opulenta hæreditate, patruelis per uim acquiſita, beatos facere cupiens, Ioannem Galeacium quacunq; ratione è medio tollere ſtudebat. Galeacius uerò graui callidoque ingenio, audita explorataque diſſimulans, aduerſus inſidias ſeſe domi & foris præmuniuit, intimi officij miniſteria coarctauit: cuſtodiam uerò corporis ex fidis ueteranis adauxit: nec arcis limine pedem extulit, niſi explorato præeuntibus armatorum turmis, & prætoria cohorte circumfuſa. Ante omnia porrò ad ſtruendum ex longinquo dolum ſuburbana templa ſupplicabundus ſæpe inuiſit. Itaque communicato cum paucis conſilio, edicens ſe Mariæ uirginis templum in monte ſupra Vareſium oppidum, ſoluendi uoti cauſa, profecturum, è Ticino Mediolanum contendit. Huic cùm Barnabas honoris cauſa occurreret: Vercellenſi porta prodeuntem dato ſigno armati equites inermem & mula lectum cõprehenderunt, & ad proximam portæ Iouis arcem cum Marco atque Rodulpho filiis deduxerunt. Sicque Ioãnes & inſidias Barnabæ euaſit, & Mediolanenſi urbe potitus eſt. Iouius in uita Barnabæ.

Sergianus Caracciolus Ioannæ Neapolitanæ reginæ amator, quùm anxiè riuales timeret, ut Magnum SFORCIAM tolleret, à regina impetrauit, ut aduerſus Sanſeuerinæ familiæ proceres tumultuantes in Brutios mitteretur. Sforcia auctoritate ingenti potiùs, quàm belli metu, ſanatis Sanſeuerinorũ mentibus, ita celeriter negotium confecit, ut ei Sergianus regredienti non uno in loco percuſſores pararet. Id ubi reſciuit Sforcia, copiis ad Anchariam uicum ſubſiſtere iuſſis, obſoleta lacinia indutus, armatuſque tragula, & galeatus, ſtatis, ſtabulario ſimilis percuſſores fefellit. Quum enim in equi clunibus de more mantica cum ſtrigili geſtaretur, & cribrum ab ephippio dependeret, quis eum tanti nominis imperatorem putaſſet? Iouius in eius uita.

HOMO admodum pecunioſus erat in Piceno in oppido Cingulo. Audiuit hoc tyrannus loci, atq; ad eripiendos numos animum adiiciens, dixit illum crimine lęſæ maieſtatis reum teneri, quòd hoſtes ſuos ac rebelles domi abſconditos teneret. Sentiens is numis ſuis inſidias parari, malẽs uitæ quàm pecuniis parcere: Verum eſt, inquit, quod dicis, domine: ſed mitte mecum ſatellites tuos, ego illos tibi ſtatim comprehenſos dabo. Hunc in modum uitam ſuam auro redemit. Poggius in Facetiis.

SEDVLVS eques, Rotuillenſes A. D. 1335. priuatis inimicitiis grauiter afflixit, prædam abegit, uillas exuſſit, mirus in diſſimulando artifex. Cum nobile quodam monachi habitu urbem ingreſſus, à magiſtratu tanquam abbas honorificè exceptus, nec à quoquam cognitus eſt. Prædam agens, ab hoſtibus ſe incluſum ſentiens, molitoris habitu aſellum farina onuſtum agentis euaſit. Alio tempore in pago deprehẽſus, fœni faſciculum uertici imponens, laceris ueſtibus nudiſq; pedibus hoſtes decepit. Stumpſius.

Bello Gallico, quod inter Henricum II. regem, & Carolum V. circa annum 1540. geſtum eſt, Imperator capitalem pœnam in Germanos milites, qui Gallorum ſtipendia mererent, decreto promulgauit, & equites exploratores certis in locis, apud Sequanos potiſſimùm, conſtituit. Deprehendunt illi in agro MILITEM unum ex iis, qui animam auro uiliorẽ ducunt: hominem comprehendunt, uti deſertorem Enſiſemium abducunt. Sed quia æſtus erat ingens, tabernam meritoriam umbræ ſitiſq; cauſa ſubeuntes, captiuo quoq; (nihil in hoc genere Germanis humanius eſt) poculum porrigunt. Miles tergiuerſari primò: urgentibus autem illis, ſcutellam ligneam è ſinu depromere. Qui mos eſt eius regionis carnificum, ut ad communem menſam non admittantur, nec niſi priuis è uaſis cibum potum'ue capiant. Equites carnificis miniſtrum eſſe rati, multis proſecuti hominẽ maledictis, qui non primo ſtatim congreſſu quis eſſet, patefeciſſet, ad Gallum ire iuſſerunt, ut cum Gallo malè periret. Hoc aſtu à ſuſpendio ſemetipſum uerſutus miles liberauit.

## VITAE ALIORVM, IN AVERTENDIS aut detegendis inſidiis atq; periculis, prudenter proſpicere, in iudicio, uel extra iudicium.

*Exempla quædam pete ex Tit. Fidei ſeruorum erga dominos: item Fidei uxorum erga maritos.*

NOE multò Abrahamo antiquior, quanta fuerit prudentia, non ſolùm arca, quam tanto ante cataclyſmum cœpit intexere: ſed uetuſtas ipſa, quæ illum ſub Iani nomine bifrontem figurauit, planè demonſtrat: indubitato præteritorum ſcientiæ ac futurorum argumento. Sabell. lib. 4. cap. 8.

AEGYPTIÆ obſtetrices iuſſæ præfocare mulierum Hebræarum mares pueros, obtemperaturas ſe Pharaoni dicebãt, nec tamen obtemperauerunt. At cùm non morerentur fœtus, accuſatæ reſpondent, Ipſas Hebræas obſtetricandi artẽ callentes, antequam illas adiiſſent, párere ſolere. Maluerunt mendaciunculo iſto uti, quàm crudele regi præſtare obſequium. Quamobrem dicit Scriptura: Quia timuerunt obſtetrices Deum, ædificauit eis domos, per quas alij temporalia alij æterna bona illis repenſa [redacted] Marul. lib. 4. cap. 4. ex Exodi 1.

RAAB uel Rachaba meretrix, certa, Iſraelitas Ioſua duce urbem Hiericho funditùs euerſuros, exploratores eorum domi exceptos non prodidit: quinimò operuit lini ſtipula, & quærentibus, abiſſe dixit. Cumq; Hiericho ſolo æquata omnes paſſim trucidarentur, ipſam cum ſuis omnibus intactam reliquerunt. Inſuper in tribu Iuda recipi meruit, Salmoni uni ex principibus iuncta. [redacted] ut inter illas [redacted]retur, de quibus per ſucceſſionis lineam naſci uoluit Dei filius Ieſus Chriſtus. Ibidem.

MICHOL uxor Dauidis, eum prudẽter militum à Saulo miſſorum manibus eripuit, demittẽs eum per feneſtram: & lecto imponens laris ſimulacrum cum ceruicali caprino. 1. Regum 19.

Cùm Saulus rex Dauidem inſidiis circumuenire cuperet, & necare: IONATHANEM Sauli F. amicum ſuum ſummum de patris uoluntate expiſcanda (Saulus enim cùm Ionathanem Dauidi fauere intelligeret, diſſimulabat apud eum odium ſuum erga Dauidem) admonuit hoc pacto. Nouilunij die cum rege ad epulas accumbere ſolitus erat Dauid. Quòd ſi ergo, ſede Dauidis uocante, rex de eius abſentia benignè quæreret, ſpem ſalutis fore: ſin acerbè, exitij. Seſe autem ruri apud lapidẽ Oſelem latiturum. Ionathan id ſe obſeruaturum, & uoluntatem patris certis indiciis Dauidi declaraturum promiſit: nimirum ſeſe ad eum locum cum puero exercitij cauſa uenturum, & tres ſagittas ad latus eius lapidis iaculaturum. Quòd ſi puero eas petenti diceret, ſagittas eſſe contra lapidem, rem fore in portu, & Dauidi licere redire: ſin ultrà, fugiendum eſſe. His dictis, ſacramento interpoſito, fœdus amicitiæ æternum pro ſe ſuiſq; poſteris cum Dauide icit. Die conſtituto Dauidem ut fugeret, iactu ſagittæ admonuit. 1. Reg. 20.

Cùm Ionathan Abiatharis & Achimaas Sadoci pontificum filij, regem Dauidem à filio, regno pulſum, de conatibus Abſalomi certiorem facere uellent, & ut Iordanem traiiceret monituri: proditi ab adoleſcente quodam, Bahuris in puteum quendam deſcenderunt, quem MVLIER oppanſo uelo obduxit, & graneam inſuper expoſuit: & Abſalomi ſeruis perſequentibus eos paulo antè flumen traieciſſe dixit. Eo mendacio iuuenes illi ſeruati, digreſſis perſecutoribus ad Dauidem penetrarunt. 2. Reg. 17.

Cùm Babylone Seniores duo Iudæi Suſannam, ob denegatũ ſtuprum, falsò de adulterio accuſaſſent, falſumq; aduerſus eam teſtimonium dixiſſent, ut iam ad mortem condemnata eſſet: DANIEL, puer etiamnum, ſeuerè obiurgatis Iſraelitis, qui quæſtione nulla habita, inſontem morte plectere cogitarent, permiſſu illorum tribunal conſcendit, & ſingillatim de ſenioribus quæſtionem habuit. Cumq; alter ſub lentiſco, alter ſub ilice Suſannam ſe cum iuuene adulterantem conſpexiſſe dixiſſet, perfidia illorum cognita, populo lapidibus obruendos tradidit. Danielis 13.

Suppreſſit ueram Theſei originem AETHRA mater, quòd Aegei eſſet filius, metu Pallantidarum: Rumor autem fuit per Pithea uulgatus, eſſe eum ex Neptuno prognatum: ſiquidem colunt eximiè Trœzenij Neptunum, atq; eſt hic tutelaris iis deus, cui primitias frugum libant, & tridentẽ nummi habent notam. Plut. in Theſeo.

Cùm Cyrus iunior ob ſtructas fratri Artaxerxi Perſarum regi inſidias, in templo occidi deberet: PARYSATIS mater capillis ſuum collum Cyri filij collo colligans, uitam ei multis lamentis & obſecrationibus ſeruauit, effecitq;, ut remitteretur ad mare. Plut. in Artaxerxe.

Circa Olymp. 78. cùm terræmotus miſerè Spartanorum ingẽtem numerum oppreſſiſſet: ARCHIDAMVS Lacedæmoniorum rex, prudentia ſua ruinis terræmotus ciues eripuit, & bello inuadentibus hoſtibus generosè & impigrè occurrit. Nam cùm primùm terræmotus concuſſio ſæuire atq; urbem premere cepiſſet, primus omnium, ereptis omnium ex urbe generum armaturis, in campos ſub apertum cœlum properauit: reliquiſq; ciuibus mandauit, idem facerent, ac ſequerentur. Diod. lib. 11. & Polyænus lib. 1.

Virgines Mileſiæ, repentè ſine ulla euidenti cauſa, uoluntatem ceperant obeundæ mortis, plurimęq; iam ſuſpendio uitam amiſerant. In mortuas nõ uidebat Mileſiorum ſenatus quo iure animaduerteret: an bonis, an ſepultura priuaret. Non enim delicti conſcientia, ſed animi dolore & ęgritudine manus ſibi attuliſſe. Contrà, id frequentiùs accidere, quàm è re & commodo reip. diutiùs ferri atq; diſſimulari poſſet: igitur quod arte mederi non ualeret, in poſterum metu ac lege prohibendum. Quare Mileſij, ſuaſu cuiuſdam MATRONÆ (Plut. de Virt. mul. uiro prudenti tribuit) decreuerunt, ut quæ uirgines corporibus ſuſpenſis mortuæ deprehenderentur, hæ poſt hanc legem, cum eodem laqueo quo præuinctæ & alligatæ eſſent, nudæ tota uia publica ad ſepulturam efferrẽtur. (Plut. Nudas tantùm foro medio elatas ſcribit) Poſt quod decretum uirgines uoluntariam mortẽ non concupiſſe dicitur, pudore ſolo deterritas tam inhoneſti funeris. Nam ne quidem omni funere ſenatus eas priuare uoluit, atq; inſepultas abiici, quæ morbo, non turpis alicuius flagitij conſcientia ſibi mortem attuliſſent: ſed cogitatione funeris ignominioſi (cuius uiuis nobis maxima cura eſt) uitam retinuit amittere uolentibus. Quid enim? nam & à Diodoro narratur lib. 1. nihil tam in Aegypto reges ad uitam iuſtam & honeſtam adduxiſſe, quàm ſi ſecùs facerent, metum atq; formidinem denegatæ ſepulturæ. Gellius lib. 15. cap. 10. & Plut. περὶ ψυχῆς, & Polyænus lib. 8.

Phronime Etearchi regis filia, à nouerca impudicitiæ nomine apud parentem falsò accuſata fuit. Iſte ab uxore deceptus rem de filia nefariam commentus eſt. Theræum enim negociatorem quendam nomine THEMISONEM, in familiaritatem acceptum adiurat, ut quam rem oraretur, in ea ſe miniſtrum præberet. Deinde adductam ei tradidit filiam ſuam: iubens ut eam in mari demergeret. Themiſon ancipiti animo inter nefas operis & hoſpitij perfidiam, accepta puella mare ingreſſus, cùm in alto fuit, ut iureiurando Etearchi ſatisfaceret, reuinctam funibus puellam demiſit in pelagus: eã deniq; retractã, Theram perduxit, ubi à Polym-

neſto in concubinatum aſſumta fuit. Herodotus libro 4.

MATER infantem uidens pueriliter per feneſtram proreprentem, iamq; caſui proximum, ingenioſè eundem oſtenſa mãma retraxit. De hoc Antipater Theſſalus in 1. Epigrammatũ εἰς φιλοστοργίαν:

παῖδά σου ἀφ' ὑψηλῶν κεράμων ὑπὲρ ἄκρα μέτωπα
κύπτοντα μοίρης νηπιάχοις ἄφοβον,
μήτηρ ἐξόπιθεν μαζῷ μετέτρεψε νόημα.
δὶς τέκνῳ ζωὴν ἐγκεχάριστο γάλα.

ANTIGONVS Antipatrum, cùm in periculum ueniſſet, ut lapidaretur à Macedonibus, eripuit. Inter medium exercitum flumen erat rapidiſſimum, ponte coniunctum. Hinc ſua tabernacula Macedones habebant, inde Antigonus cum quibuſdam ſibi adhærentibus & conſentientibus equitibus. Illi magno cum tumultu & uociferatione ſtipendia petebãt, mortem minitantes, niſi accepiſſent. Antipater non habens quod numeraret, in ſummis difficultatibus uerſabatur. Cui Antigonus: At, inquit, ego tibi diſcedendi facultatem præſtabo. His dictis, cum ipſa armatura per pontem cucurrit, & medias phalanges diuidens, ſingulos adibat concionaturo ſimilis. Macedones uiro illuſtri cedebant, & deflectebant, omnesq; ſequebantur audituri quid dicere uellet. Poſtquã uerò circumſtitit multitudo, longam orationem habuit, defendens Antipatrum, promittẽdo, hortando, conciliando. Inter hanc prolixam concionem, Antipater tranſiens cum equitibus pontem, militum lapides effugit. Polyænus lib. 4.

Calliam tędiferum propinquum Ariſtidis, inimici rei capitalis poſtulauerunt. Qui cùm crimina obiecta tractaſſent defunctoriè, hæc extra cauſam ad iudices commemorauerunt: Ariſtidem, inquiunt, noſtis Lyſimachi filium, cuius magna apud Græcos exiſtimatio eſt, uirum uti iuſtiſſimum, ita pauperrimum. Eum Callias tamen conſobrinum ſuum, Athenienſium pecunioſiſſimus, negligit cum liberis & cõiuge premi penuria: quo multum uſus eſt, & ex cuius apud uos auctoritate frequenter cepit fructum. Hac oratione Callias uidens uehementiſſimè incenſos iudices in ſe exarſiſſe, excitauit ARISTIDEM, rogauitq; ut teſtimonium apud iudices perhiberet: cùm ſæpenumerò multa obtuliſſet ei, atq; ut acciperet, oraſſet, recuſaſſe ipſum ac reſpondiſſe: Plus gloriandum ſibi egeſtatis cauſa, quàm pecunia Callię. Quippe multos oſtendi poſſe, qui copiis benè & malè utantur: paupertatem qui egregiè ferret, eius rarum eſſe exemplum: erubeſcere autem paupertatem illos, qui inuiti egeant. Hoc teſtimonium cùm Calliæ dediſſet Ariſtides, nemo fuit auditorum quin ita diſcederet, cum Ariſtide ut præoptaret pauper eſſe, quàm diues cum Callia. Hoc Aeſchines Socraticus literis prodidit. Plut. in Ariſtide.

ANNICERIS Cyrenaicus, cùm Plato ab Aeginetis captus morti adiudicaretur, quòd ui tempeſtatis compulſus, quãuis inuitus in Aeginam deſcendiſſet (capitale enim erat uel Athenienſem Aeginam, uel Aeginetam Athenas accedere) ingenioſè Platonem liberauit, Legem hanc de hominibus tantùm latam eſſe dictitans, non aũt de philoſophis, qui mediæ cuiuſdam naturæ, ueluti heroes quidam, inter deos & homines eſſent. Hac uoce perſuaſi, accepto precio uiginti minarum, Platonẽ liberum abire permiſerunt. Laert. lib. 3.

Cloacarum opus in urbe Roma omnium maximum, & penè incredibile erat. Cùm eas rex Tarquinius Priſcus plebis manibus & opera faceret, eſſetq; labor incertum an longior an periculoſior, paſſim conſcita nece Quiritibus hoc tædiũ fugientibus: idem remedium inuenit TARQVINIVS, ut omnium ita defunctorum corpora crucibus figeret ſpectanda unicuiq;, ſimul & feris uolucribusq; laceranda. Itaq; pudor iſte proprius Romani nominis, quo ſæpe res in bello perditæ ſeruatæ ſunt, uiuos etiam, ne ſibi mortuis hæc ignominia contingeret, à ſcelere & iniuria propria cohibuit. Plinius libro 36. cap. 15.

Cæſo Tib. Graccho, Senatus ad leniendum dolorem plebis, agrorum diuiſionem impugnare deſtitit, facta illi poteſtate alterius in Gracchi locum eligendi, qui agros cum duobus aliis plebi aſſignaret. P. Craſſus eſt illi ſubſtitutus. Sed nec ſic quoq; plebs dolori ſuo temperare potuit: oderat infenſè ſenatum, ſed omnium maximè P. Scipionem Naſicam, cędis Tiberianæ auctorem, maledictis propalàm inceſſere, prætereuntem execrari, ut impium abominari, quòd tribunitio pollutus eſſet ſanguine. Et iam accuſatores illius ad populum parabantur, periiſſetq; ſub tam infenſo iudice, niſi SENATVS de eius ſalute ſolicitus, legationis prætextu in Aſiam ablegaſſet, ubi haud multò pòſt circa Pergamum fato deceſſit. Parum abfuit, quin & P. Scipio Aphricanus abſens, ſit eadem inuidia reſperſus, atq; fauore populi deſtitutus, quòd ad primam Gracchanæ cædis famam Homericum illud pronunciauerit, Sic pereant & qui moliri talia pergent. Sab. lib. 9. En. 5.

PACVVIVS Calanus, ſenatus Campani periculum, quod ei à plebe Hannibalis opibus poſt uictos ad Thraſymenum Rom. fauenti imminebat, ita diſcuſſit, ut & Senatum incolumem ſeruaret, & plebis gratiam retineret. Namq; plebi de perdendo Senatu morem ſe gerere uelle oſtendit, ut tamen antè de alio ſufficiendo Senatu paciſceretur. Cùm ergo ſenatorum damnatione incepta, ipſius plebis iudicio non inueniretur, qui honeſtè in Senatu legi poſſet, deteriorumq; electionis puderet, atq; res eò uergeret, ut nihilominus omnes in damnatorum locum ſuffici ſe cuperent: quia alia ratio tollendæ contentionis, meliorumq; habendorum non erat, de Senatus mutatione integra res relicta eſt. Quæ res in poſterum plebem Senatumque, ut meliùs conuenirent, magna Pacuuij apud utrunque ordinem gratia, effecit. Fulgoſus lib. 7. cap. 3.

Philippenſi acie uictis Bruti militibus, erat LVCILIVS quidã inter M. Bruti amicos uir bonus. Hic equitum cateruam barbarorum cernens in conſectando cæteros negligentes, in Brutum autem effuſis ſe ferentes habenis, ſtatuit periculo ſuo illos inhibere: paululumq; à tergo relictus, ipſe Brutum ſe eſſe indicauit. Et fidem faciebat: quia orauit, ad M. Antonium ut ducerent ſe: quaſi Cæſarem timeret, & fideret illi. Hi præda ſua ouantes, & mirificam fortunam rati ſuam, abduxerunt illum diei iam ſero, præmiſſis certis ex ſuis ad Antonium nunciis. Lætus ille proceſſit ducentibus obuiam: alijq; qui uiuum attrahi audierant Brutum, accurrerunt, partim eius miſerantes fortunam, partim illa gloria ducentes indignum, qui lucis cupiditate præda factus foret barbarorum. Cùm appropinquarent, ſubſtitit Antonius ſuſpenſus, quemadmodum Brutum exciperet. At Lucilius ad eum adductus fidẽti animo: M. Brutum, inquit, Antoni, nemo cepit neq; ceperit hoſtis. Dij meliora, quàm ut tantoperè uirtutẽ calcet fortuna. Verùm ille reperietur uiuus, uel certè, ut illo dignum eſt, mortuus. Ego uerò militibus tuis impoſui, atq; adſum, nihil huius rei cauſa ſufferre acerbi recuſans. Sic fato Lucilio, omnibusq; obſtupefactis, Antonius in illos, qui adduxerant eum, intuitus: Nempe iniquè, inquit, fertis commilitones, quòd errore iſto arbitremini uobis illuſum. Verùm habetote, cariorem uos, quàm quærebatis, reperiſſe prædam: quippe dum hoſtem quæritis, adduxiſtis nobis amicum. Nam ego Bruto, incertus ſum herclè quid facerem, uiuente. Tales uerò amicos malim adipiſci, quàm hoſtes. Ita locutus, & Lucilium complexus, commendauit eum tũc uni amicorum, eoq; deinceps fido & firmo ad omnia perpetuò uſus eſt. Plut. in Bruto.

Cùm Antius Reſtio proſcriptus à Triumuiris clàm ſe intempeſta nocte ſubducere uellet: eius furtiuum egreſſum obſeruauit SERVVS, ab eo uinculis coercitus, inexpiabiliq; literarum nota per oris contumeliam inuſtus: & nihil moratus iniuriam ſibi ab hero illatã, ut ſenſit cupidos ſanguinis milites ſuperuenire, amoto domino rogum extruxit, eiq; egentem à ſe comprehenſum & occiſum ſenem ſuperiecit. Interrogãtibus deinde militibus, Vbínam eſſet Antius? manum rogo intendens, Ibi illum datis ſibi crudelitatis piaculis uri, reſpondit. Quia ueriſimilia loquebatur, habita eſt uoci fides. Quo euenit, ut Antius ſtatim quærendæ incolumitatis occaſionem aſſequeretur. Val. Max. lib. 6. cap. 8. & Dio in Auguſto, & Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 11. & Appianus lib. 4. Bellorum ciuilium.

Perpenna, nefariè occiſo Q. Sertorio, à quo hæres fuerat ſcriptus, & à Cn. POMPEIO uictus, ut ſe ad Pompeium ducerent milites hortabatur, pollicitus fore, ut illi literas à pri[redacted]itatis ad Sertorium datas traderet, inſeq[redacted] cuite fauiſſent. Sed tantum abfuit, ut Pompeius pe[redacted] nouæ diſcordiæ cauſam quæſierit, quòd literas diligenter conquiſitas, nec ipſe legit, nec ab alio legi paſſus eſt, ſed in faſcẽ unum collectas fideliter concremauit, Perpennæ cæde, priuſquam ad ſe traheretur, imperata. Sab. lib. 4. En. 6.

Herodes Iudæorum rex, Alexandrum F. cui Glaphyra Archelai Cappadocię regis filia iuncta fuerat, propter ſtructas in[redacted]at. ARCHELAVS genero pro[redacted] ſe, ut de ſcel[redacted] facinoris conſcia deprehendatur, ſeuerè animaduerſurum: ſin minùs, at certè coniugium diremturum, ne parricidæ cõcubitu ulteriùs coinquinetur. Hac oratione Herodis animum, qui excuſatione criminum magis exacerbari quàm mitigari conſueuerat, ita flexit, ut Archelaum ipſum monuerit, patrem ſe eſſe recordaretur, nec quid grauius in filiam ſtatueret. Tum Archelaus Herodem uiciſſim liberè ſui ergà filium officij admonuit. Ioſephus in Antiq.

Cùm in theatro cõcluſus eſſet populus Romę, interfecto Caio Imp. & metu militũ Germanorũ progredi nõ auderet: ARCYON medicus correptus ut curaret quoſdã ſocios, prætextu parandorum remediorũ dimiſit proximos: reuera autẽ ut ſeſe præfecti periculo eximerent. Ioſephus lib. 19. cap. 1.



Interfecto Caio Imp. cùm Germani milites cædem eius uindicare cuperẽt, & ſtrictis gladiis theatrum inuaſiſſent, omnes interfecturi: ARVNTIVS, homo gratioſus, q uocalis erat, utpote præco rerum uenalium, theatrum ingreditur habitu quàm maximè ad luctum cõpoſito: nunciatq; Cæſaris mortem multitudini. Deinde cepit reuocare Germanorum impetum, ſimulq; tribuni iubebant gladios recondere, ſignificantes Imperatoris interitum. Quæ quidem certiſſima ſalus fuit conſtipatæ in theatro multitudinis; & eorum qui quomodocunq; inciderent in Germanos: qui ſi aliquam ſpem incolumitatis Imperatoris habuiſſent, à nullo abſtinuiſſent maleficio: adeò illum diligebant, ut ſuarum animarum iactura redemtam ſalutem eius cuperent, nullo reſpectu calamitatis Reip. Ioſephus lib. 19. cap. 1.

Imperator Michael Balbus, Thomam regni æmulum percunctaturus erat; An ex aulicis quoq; conſcios quoſdam ſuę ſeditionis & ſocios habuiſſet? Fuerat haud dubiè multos delaturus, niſi IOANNES Exabulius patricius monuiſſet Imperatorem, non conuenire, ſed prorſus rationi repugnare, inimicis fidem habere amicos accuſantibus. Qua ille uoce multis miſerorum ciuium amicorumq; Imperatoris ſupplicíis anſas præcidit. Cedrenus.

Anno 1168. quum Fridericus I. Imp. grauiſſima obſidione urgeret Mediolanum, ciues ad extremam famem perducti, deditionis fecere mentionem, promiſſa incolumitate ciuiũ. Cæſar unum excepit rebellionis auctorem. Id ubi comperit ABBATISSA loci, in quo manebant corpora trium Magorum, germana ſoror eius, pacta eſt cum Reinoldo archiepiſcopo Colonienſi uitam fratri (ſciebat enim, ciues extrema fame preſſos neceſſitati ceſſuros) & ꝓ munere pollicita eſt ſanctas illas reliquias. Sciens archiepiſcopus indignationẽ Cæſaris, honeſta fraude illum circumueniendum putauit, pro munere depoſcens, quod abbatiſſa exportaret. Cæſar indulſit. Illa fratrem humeris, ut potuit, euexit. Sic ille ſeruatus eſt, & epiſcopus ſanctas ex pacto reliqas accepit, & Coloniam miſit. De Parthia dudum uenerant Conſtantinopolim, & inde Mediolanum: ubi DCLXXI feruntur annis quieuiſſe. Cranzius lib. 6. Saxoniæ, cap. 24.

RICARDVM, Gulielmi Normannorum ducis F. puerum, Ludouicus Francorum rex, an. 943. Rotomago abductum ſub ſpecie tutelæ, per occaſionem è medio tollere decreuerat. Ex pædagogis quidam miſeratus puerum, ſuaſit ei ſimulare morbum, ut abducendi eius arriperet occaſionem. Puer proiicit ſe in lectum, capitis & totius corporis malam queſtus ualetudinem: nullum interdiu cibum accipit, fidem facit cuſtodibus ueri morbi. Illi proinde cuſtodiæ diligentiã intermittunt, ſecuri quòd per ægritudinem neq; abire neq; abduci poſſit. Quum rex cibum caperet, pædagogus congeſtis paleis puerum inuoluit, faſcemq; deportat, quaſi equo pabulum ferret. Stratum equum inſcendit, paleam ante ſe ferens: nec antè quieuit, donec inde per noctem Syluanectum uenit. Cranzius lib. 3. Noruegiæ, cap. 8.

Conradus III. rex Rom. contra ducẽ Bauariæ Vuelfonem tyrannidem affectantẽ bellum gerens, Sueuiæ oppidum Vin[redacted]um obſedit, in deditionem accepit, & ex gratia MA[redacted]ONIS cõceſſit, ut quæcunq; humeris portare poſſent, efferrent. Illæ neglecta ſupellectile, maritos ſuos ſingulę humeris extulerunt. At Fridericus frater Conradi contra pacta illas facere exclamabat, neq; dolo dandam ueniam. Imp. uerò & prudentia & pietate illarum collaudata, incolumes cũ [redacted] abire iuſſit. Abbas Spanheimenſis, Go[redacted]dus Viterbi[redacted] lib. 7. Facinus di[redacted] quo ſic [redacted]ectatus fertur Laurentius Medices Florẽtinus princeps, ut ex eius lectione à morbo grauiſſimo conualuerit. Ioan. Bodinus in Methodi hiſtoricæ proœmio. Simili aſtu CREMENSIVM mulieres uſæ perhibentur, cùm oppugnati à Friderico Barbaroſſa ob rebellionem, hac conditione in gratiam recepti fuerunt, ut non plura ſecum bona efferrẽt, quàm poſſent humeris aut manibus geſtare. Relictis enim bonis, filios, parentes, cognatos, cùm ægrotos tum ſanos, exportarunt. Hedio in Chron. Germ. Quinetiam eo bello, quod anno 1499. Sueui confœderati contra Heluetios Maxi[redacted]liani I. auſpiciis geſſere, Heluetij Blumenfeldam oppidũ [redacted]eggouiæ in poteſtatem redegere, uitam obſeſſis pacti, & quantum ſinguli humeris efferre poſſent. VXOR Roſeneckij, oppido præfecti, cùm ſciret eũ maximè peti, in humeros elatum extulit. Vrſtiſius lib. 6. hiſtor. Baſil. cap. 20.

Coniurauerant contra Petrum Medicẽ, qui Florentinorũ libertati grauis erat, ciuiũ nobiliſſimi quiq;, cumq; è Caregiano paterna uilla, ubi ex pedib. æger decubuerat, in urbẽ properantẽ, collocatis omnibus in locis cuſtodiis, intercipere & obtruncare conſtituerãt. In tã ancipiti periculo narrãt LAVRENTIVM Petri filiũ nuncio per exploratores, quos præmiſerat, de ea re accepto, ꝑ deuios atq; ignotos calles præire ſeruis iuſſis, qui patrẽ lectica deferebant: ipſum capto ab animi præſentia cõſilio, uia infeſta inimicorũ armis, iis ire obuiã perrexiſſe. Cùm in milites fortè incidiſſet, qui patris aduentũ obſeruabãt, rogatum, Quo illũ in loco reliquiſſet? Propè eſſe quidẽ, ac breui affuturum, reſpondiſſe. Ita tum filius ipſe abire iuſſus incolumis (ætate, ut uidetur, adoleſcẽtem à periculo ſeruante: à qua cùm nihil timendum coniurati cenſerẽt, ne ſuſpicio crudelitatis obeſſet, abſtinere ſuos uoluerant) tum pater, qui unus petebatur, ſolerti filij conſilio ſeruatus, inimicorum inſidiis eluſis, in urbem contẽdit, & coniuratos oppreſſit. Brutus lib. 3. hiſt. Flor.

Ioanna regina Neapolitana à Carolo Duratio Hungaro, quẽ regio titulo Vrbanus VI. ornarat, capta, capto item Othone Brunſuicenſe duce eius marito, Neapolitani cùm exitiali odio proſequerentur Germanos, petebant ab nouo rege, ut eos ſibi dederet ad ſupplicium. Durum erat permittere, durius id petentibus denegare. Permittit ergò arbitriũ MAGISTRO militiæ ſuæ. Ille ad arcem, in qua tenebantur captiui, ducit Neapolitanos: uinctos autem Germanos laxat, cuiq; ſua arma permittens, & iubet exire in aream. Et quia, inquit, Germanos poſcitis ad ſupplicium, permittit uobis rex. Numero longè ſuperatis: capite eos, & pro arbitrio punite. Cùm manus iniicere non auderent, popoſcerunt ſaltẽ ut extra prouinciam ablegarentur. Rex eos paratis nauib. iuſſit in tutum uehi. Cranzius lib. 10. Metrop. cap. 16.

FRANCISCVS Sforcia Mediolanenſium dux, quum adhortarentur eum familiares, ut Guelfam factionẽ omnino tolleret, quæ illi eiusq; imperio infeſta inprimis eſſet: Pudeat, inquit, uos me, principem recens Mediolanenſem totius populi conſenſu creatum, ad alterius partis internecionem adhortari, quæ hunc principatum uolens mihi tradiderit. Aſpicite canos in capite meo capillos, & nigreſcẽtes ex alia parte. Quos præferam, ut alteri alteris non inuideant? Et certè ut me eorum non pudet, ſic patiamini quæſo Guelfos & Gibellinos æquo iure ſub me principe agere, qui pudorem uerecundiamq; ſemel animo cœptam hanc animo exuere nõ poſſim, nec debeam: ſi modò uos me eum principem eſſe uelitis, quem ab initio tanto ſtudio elegiſtis. Egnat. li. 4. c. 5.

### SANITATI PRVDENTER CONSVLERE. MORBIS prudenter obſtare.

*Conſule Tit. Prudentia Medica, quatenus in morbis cõgnoſcendis uel abigendis, præter artis peritiam, prudentiam quoque adiungunt exotericam.*

#### IN GENERE.

BABYLONII conſuetudinẽ ſimul & legẽ habebant efferẽdi ægrotos in forũ (neq; enim medicis utuntur) ut de eorũ languore conſulant, qui eos adeunt, ſi quis & ipſe eundẽ paſſus eſt morbum, aut alium uidit patientẽ. Hæc uiri qui illos adeunt conſulunt, hortanturq; ad ea quę ipſi faciendo effugerint ſimilẽ morbum, aut alium nouerint effugiſſe. Nec fas eſt cuiquam languentes præterire ſilentio. Herodotus lib. 1.

SCOTI ueteres morbo comitiali, amentia, mania, aut ſimili tabe, quæ facilè in prolem transfunditur, laborantes, ne genus fœda contagione ab iis, qui ex illis prognati forent, læderetur, caſtrabant: mulieres uerò huiuſmodi morborum quauis tabe lepráue infectas procul à uirorum conſortio ablegabant. Quòd ſi harum aliqua concepiſſe inueniebatur, ſimul cum fœtu nondum edito defodiebatur uiua. Hector Boethius in Scotia.

#### IN SPECIE.

*Partum promouere.*

Thebis Prœtus filiam habuit GALINTHIADEM, ludi & uitæ ſodalitate iunctam uirginem Alcmenæ, filiæ Electryonis. Cùm parturiret Alcmena Herculem, Parcæ & Lucina in gratiam Iunonis eam in doloribus detinuerunt, manibus ſuis conſtrictis ſedentes. Ibi Galinthias uerita ne ex doloribus moreretur Alcmena, ad Parcas & Lucinam accurrit, nuncians Iouis uoluntate puerum ab Alcmena partu editum, actumq; eſſe de ipſarum honoribus. Ad hoc obſtupuerunt Parcæ, ſtatimq; manus dimiſerunt. Illicò etiam Alcmena ſoluta doloribus, Herculem eſt enixa. Ad hoc Parcæ luctum inſtituerunt: & Galinthiadi, quòd mortalis deas decepiſſet, uirginitatem ademerunt, inq; fraudulentam mutauerunt felem, uitamq; in penetralibus attribuerunt, fœdũque coitum; nam per aures concipit, & è collo eructatum fœtum edit. Hanc uultus mutationem miſerata Hecate, ſacram ſibi eam miniſtram conſtituit. Hercules quoq; adultus, memor beneficij, iuxta ædem ei ſacellum collocauit, remq; ſacram fecit, quæ etiamnum obſeruant Thebani: & ante ferias Herculis, prima Galinthiadi ſacrificant. Anton. Liberalis ex lib. 4. Nicandri Alterationum. Alij HISTORI Tireſiæ filiæ aſtum hunc tribuunt.

*Ad comedendum inducere.*

De Opimio per MEDICI prudentiam curato ſic ſcribit Horat. lib. 2. Sermonum, Satyra 3.

Pauper Opimius argenti poſiti intus & auri,
Qui Veientanum feſtis potare diebus
Campana ſolitus trulla, uappamq; profeſtis,
Quondam lethargo grandi eſt oppreſſus: ut hæres
Iam circum loculos & claueis lætus ouansq;
Curreret. Hunc medicus multùm celer atq; fidelis
Excitat hoc pacto: menſam poni iubet, atq;
Effundi ſaccos numorum: accedere plureis
Ad numerandum: hominem ſic erigit, addit & illud:
Ni tua cuſtodis, auidus iam hoc auferet hæres.
Mén uiuo? Vt uiuas igitur, uigila. hoc age. Quid uis?
Deficient inopem uenæ te, ni cibus, atq;
Ingens accedat ſtomacho fultura ruenti.
Tu ceſſas? age dum ſume hoc ptiſanarium orizæ.
Quanti emtæ? Paruo. Quanti ergo? Octuſſibus. Eheu
Quid refert, morbo, an furtis, peream ne rapinis?

MEDICVS quidam cùm ægroto daret operam, qui à phrenitide correptus, cibum nollet capere, quòd mortuum ſe eſſe diceret: ſummiſit qui ſub eiuſdem inſaniæ ſpecie, prope illum in lecto collocatus, diceret ſe quoq; mortuum, expoſceret tamen & cibum & potum dari ſibi. Qui cùm afferretur, & ipſe ſumeret: Phreneticus; Quid hoc, inquit, an mortui edunt? ſubdit alter, Etiam potant mortui. Atq; hoc dicto cupidiùs mandere cœpit. Quo exemplo ductus, qui ægrotabat: Ergo & nos more mortuorum prandeamus, inquit, & confeſtim cibum ſumere cœpit, nec multos poſt dies morbo liberatus eſt, magis prudenti hac ſolertia, quàm curandi arte. Pontanus de Prudentia lib. 4. cap. 11.

*Medicamentum propinare.*

GALENVS Romanam mulierem herpete in malleolo laborantem, ſed medicamenta omnia reſpuentem, ſerum lactis tantùm admittere paratam, iniecto clàm ſcammonio purgauit. Teſtis ipſe lib. 14. Meth. cap. 17.

MEDICVS quidam febricitantem immorigerum, nec niſi meracum bibere uolentem, ita deluſit. Ollam nouam candentem uino generoſiſſimo immergi præcepit, ut odore illius imbueretur. Eandem mox aqua medicata repletam, ægro propinari iuſſit. Qui cùm uini odore allectus eſſet, auidè medicamen bibit, & liberatus eſt. Chryſoſt. in fine primi libri de Sacerdotio.

*Mutilationem prohibere.*

Cùm Periander Cypſeli F. Sardis ad Halyattem caſtrandos mitteret trecentos primorum Corcyræorum (qui filium eius Lycophronem interfecerant) liberos: & Corinthij, qui illos ducebãt, Samum appuliſſent: audita SAMII cauſa, cur Sardis pueri ducerẽtur, primùm edocuere pueros, ut puluinar Dianæ contingerent. Deinde cùm eos, ne à puluinari abſtraherentur, obſeruarent Corinthij, præbebant illis alimenta Samij, diem ſolennem agentes, quem nunc quoq; per id tempus celebrant. Tunc autem choros exercentes, eſculenta fecerant ex ſeſamo ac melle, quæ diſtribuenda ferrent: ut ea Corcyræorum filij rapientes, alimenta haberent. Idque eouſque factum eſt, dum Corinthij pueris (quos aſſeruabant) omiſſis abierunt. Ita Samij pueros Corcyram reduxerunt. Herod. lib. 3.

Cùm Colomannus Vngariæ rex, excæcato Almo fratre, ſimul filium eius Belam & excæcare & uirilibus priuare ſatelliti iniunxiſſet: CARNIFEX catulo teſtes execuit, eosq; regi ſpectandos, quaſi Belæ eſſent, exhibens, & uiſum & uirilia eidem conſeruauit. Bonfin. lib. 6. Dec. 2.

Theobaldus, Camerinorum princeps, cùm Beneuentanis ſuppetias mitteret, & cum Græcis manus confereret, fugauit eos: & quotquot cepit, euiratos remiſit, addens ignominię riſum: Quandoquidem, inquit, imperator ueſter Conſtantinus eunuchis gaudet, quotquot emiſerit gallos, capos remittam. Erat autem in caſtris MVLIER, quæ uirum captũ ſequebatur magnis eiulatibus. Nouitate rei motus princeps, iuſſit adeſſe feminam propiùs, & quid peteret, quæſiuit. Tum illa fidentiùs: Quid eſt, inquit, quòd uiri fortiſſimi bellum feminis indixiſtis? quid in uos deliquit ſexus infirmior? Ad quam Camerinus: Et quis, malùm, feminis, niſi Amazonibus, bellum inferat? Tum mulier: Quando, inquit, ideo pugnatis, ut uictos emaſculetis, non cum aliis quàm cum feminis bellum geritis. Omnis ſubſtantia, & quicquid etiam undecunq; poſſident, auferatur, dummodo uiros relinquatis: habent unde conſolationem accipiant feminæ. Hac uerò parte truncatos ſi remittitis, non uiros, ſed feminas ſpoliatis. Promeruit libertas dicacis feminæ, ut uirum cum omni præda reciperet. Tum Camerinus, ubi uirum & omnia reddidit mulieri, uerſus in eam: Quid, inquit, uis ut faciam uiro tuo, ſi poſthac contra me pugnans capiatur? At illa: Oculos & aures cum naſo amittat, modò uir ad me redeat. Hac dicti ſui feſtiuitate, & ſibi & uiro profuit. Albertus Cranzius lib. 3. cap. 9. Metropoleos, & Luitprandus li. 4. ca. 4. rerum in Europa geſtarum, & Sigonius lib. 6. regni Ital.

*Venenum amoliri.*

HERACLEOTÆ in Ponto, cùm à Clearcho tyranno aconitum bibere cogerentur, quod illic propè in uico Aconis naſcitur: rutam domo egreſſuri præſumebant, ut tyranni uim eluderent. Eſt enim antidotum eius ueneni ruta. Athen. libi 3. cap. 5. ex Theopompi Chij lib. 38. Hiſt.

*Peſtilentiam arcere.*

Ob Aſtynomen, Chryſis ſacerdotis Sminthij filiam, patri ab Agamemnone non redditam, Græci Troiam obſidentes maxima affligebantur peſtilentia. Calchas augur reddita Chryſeide, finem mali futurum aſſerebat. Negabat ſeriò Agamẽnon. ACHILLES commotus rei indignatione, ſimul pernicie defeſſi exercitus anxius, defunctorum corpora miſerandum in modum confecta, undiq; in conuentu ante ora omnium proiici fecit. Quo ſpectaculo adeò cõmoti reges gentesq; omnes, uti aduerſus Agamemnonem pergerent, duce atq; auctore Achille, ut uel nolens reddere cogeretur. Dictys libro 2.

Anno quo Venetiis ſæuire peſtilentia cœperat 1489. Triumuiros ſananda ciuitate Senatus VENETVS creauit: iſq; poſtea magiſtratus nunquam eſt creari deſitus. Bembus libro primo Venetæ hiſtoriæ.

*Melancholiam abigere.*

Virgines apud Mileſios quondam animi motus corripuit ex cauſa neſcio qua occulta dirus & horrendus. Infectum aerẽ opinabantur, qui dementaret animum, mente eas mouiſſe, atq; ad inſaniam redegiſſe. Omnes enim ſubitum mortis deſiderium, & impetus ad ſuſpẽdium ueſanus inceſſit. Multæ clàm laqueo uitam finierunt, nec quicquam eas parentum monita mouebant uel lacrymæ, nec preces neceſſariorum: neq; cura ulla aut cautione ita illæ obſeruari ualebãt, quin conſciſcerent ſibi mortẽ: uidebaturq; malum ad deos referendum auctores, neq; ei occurri opę ulla humana poſſe: quouſq; ex VIRI prudentis ſententia decretum fuit, ut ſi quæ ſeipſæ ſtrangulaſſent, medio foro nudæ efferrentur. Id promulgatum non deterruit tantùm, ſed etiam planè ardorem omnem ademit uirginibus manus ſibi adferendi. Plut. de Virtutib. mulierum.

Romana quædam cùm in melancholiam incidiſſet, quòd ei, cui minimè uolebat, à parentibus nubere coacta fuiſſet, triſtiq; ſilentio furorem hunc ſuum foueret: M. ANT. Braſauola Ferrarienſis, medicus inſignis, cùm medicamẽtis parùm ſe proficere intelligeret, ad aſtum ſe conuertit. Re priùs cum marito compoſita, feſto die, quo ad uiſendam ęgram complures ex agnatis conuenerãt, conclaue ingreditur, lectum in quo decumbebat ægra accedit, blandè tã quam uxorem ſalutat, oſculum figere parat. Illa iuuenili robore medicum repellere, colluctãtiq; tegmina capitis multiplicia, quibus contra aeris iniuriam homo grandæuus utebatur, decutere. Quibus in terram delapſis, tantus adſtantibus riſus eſt coortus, ut etiam iuuencula, quæ per ebrietatem hæc in medico deſignari putabat, profusè ridere, & ab eo iam inde tempore, melancholiæ triſtitiam excutere ceperit. Andreæ Petri Peruſini medici hypomnema.

VERBERA PRVDENTER effugere.

PAVLVS Apoſtolus Hieroſolymis à Tribuno loris uinctus ut cæderetur uirgis, clamauit, Licétne urbis Romanæ ciuem indemnatum uerberare? Tribunus eo audito, ſoluit eum uinculis. Act. 22.

QVIETI ET SOMNO CONSVLERE. VIGILIAS prudenter amouere.

AEGYPTII paluſtres aduerſus magnam uim culicum hæc excogitarunt. Cùm enim his qui ſuprà paludes incolũt, munimento ſunt turres, quas dormituri aſcendunt (nã culices uentus prohibet in altum uolare) alia ſunt machinati qui intra paludes habitant. Singuli ſua obtinent retia, quibus diem piſces capiant, eiſdem noctu utãtur pro cubili, in quo requieſcunt. Circundatis illis, deinde operti ſomnum capiunt: qui ſi in ueſtimento inuoluti, aut in ſindone dormirẽt, eos per ipſa indumenta culices morderent, per retia uerò ne tantulùm quidem mordere conantur. Herod. lib. 2.

ANACREON Teius à Polycrate Samiorum tyrãno duobus talentis donatus, cùm duabus propterea noctibus inſomnis iacuiſſet, reddidit ea Polycrati, inquiens, οὐ τιμᾶσθαι ἀξίαν τῆς φροντίδος, Indigna ea eſſe tanta cura. Gyraldus in Poetarum Hiſtoria.

Fuerant SIGISMVNDO Cæſari ex Hungaria allata quadraginta millia numûm aureorum. Quæ ubi noctu aduentante, in quos conuerteret uſus, ſollicitè cogitaret, per cubicularios ocyùs conſiliarios omnes ac militum duces ad ſe uocauit: & aperta arca, Ecce (inquit) crudeliſſimi hi hoſtes ac carnifices (numos oſtendens) ſomnum mihi eripuerunt: accipite, ac inter uos diuidite, ut mihi tranquillè dormire liceat. Diſtributa itaque pecunia inter eos, cùm exirent, uiri à conſiliis: Recedit iam (ait) à me tortor ille, qui me flagellauit, ſecuriùs nũc quieſcam. Cuſpinianus, & Aeneas Syluius lib. 4. Com. in Alfonſum.

EXERCITIIS PRVDENTER CONSVLERE.

LYCVRGVS rogati, Cur corpora uirginũ curſu, lucta, diſcorum & iaculorum iactu ſubigeret? Vt, inquit, fœtuum radix ualidum in ualentibus corporibus exordium accipiens, bene germinet: & ipſæ ſtrenuè partus ſubeuntes, facilè ſimul & bene aduerſus puerperij decertent dolores: ac ſi qua incumbat neceſſitas, ualeant pro ſua, liberorum, & patriæ ſalute pugnare. Plut. in Apophthegmatibus.

IDEM certamina ſola permiſit ſuis ciuibus, in quibus manus nõ tollatur. Requirente quodam cauſam: Ne, inquit, ullus eorum in laborando fatiſcere conſueſcat. Idem.

# PRVDENTIA EXTRA BELLVM INVENTRIX EORVM, quæ ad FORTVITA bona pertinent.

FELICITATI PRVDENTER CONſulere. Infelicitatem amoliri, in genere.

IACOBVS, cùm fratrem Eſaum, rure redeuntem, laſſitudine & fame confectum uideret, & ipſe edulium ex lentibus coxiſſet: non priùs fratri famelico illud cõcedere uoluit, quàm prærogatiuam ætatis (erat enim primogenitus Eſaus) ſibi uendidiſſet. Prærogatiua autem illa omnium bonorum abundantiam continebat. Geneſ. 25.

REBECCA Iſaaci uxor, cùm Iſaacus Eſaum primogenitum rus miſiſſet uenatum, ut ferina ſatiatus ei bene precaretur, in Iacobum, quem magis amabat, eam felicitatem deriuatura, abſente Eſao pellibus hœdinis Iacobi manus & ceruicem munit: ut ſi à patre cæco attrectaretur, Eſaum eſſe crederet, qui hiſpidus erat toto corpore. Mox apparans eduliũ ex hœdis, Iacobum intromittit. Ei igitur Iſaacus, tanquam Eſaus eſſet, proſpera omnia precatus, dominum conſtituit fratrum ſuorum. Eſaus à felicitate ſua, quæ illi ob prærogatiuam ætatis debebatur, quam tamen priùs Iacobo uendiderat, excidit. Gen. 27. Quæ uerò fraus eſt, ſi hæc prudentia eſt? At myſterioſa ſunt hæc, & prouidentiæ diuinæ argumẽta, id quod ſuum eſt cuiq; tribuentis. Pellunt Chananæos Iſraelitæ finibus, quos priores illi occupauerant: nec qui poſſederint, ſed quàm iuſtè, querendum eſt. Marulus libro quarto, capite 4.

AMASIS rex Aegyptiorum, cùm Polycrati Samiorum tyranno omnia proſperè ſuccedere uideret, inſidias fortunæ in amico metuens, conſilium dedit, ut quandoquidem nimis proſpera uteretur fortuna, ipſe ſibiipſi ex abiectione rei cariſſimæ dolorem aliquem, ueluti remedium continuæ felicitatis, conciliaret. Tantam enim & tam diuturnam fortunę conſtantiam aliquid monſtri alere. Paruit Polycrates, & anulum ſignatorium in mare abiecit. Eundem tamen paulò pòſt in piſce reperit. Amaſis igitur amicitiæ Polycratis renunciauit, ne ex lege amicitiæ ob grauem aliquem illius caſum ſummo afficeretur aliquando dolore. Herod. lib. 3.

DIVITIAS PRVDENTER INVENIRE, acquirere, ſibi aliiſúe, publicè, priuatim.

TRIBVTO, VECTIGALIBVS.

CYPSELVS Corinthius uouit Ioui, ſi dominus ciuitatis fieret, quæ Corinthiorum eſſent, omnia ſe ei oblaturum. Potitus autem dominio, præcepit eos deſcribi. Cùm deſcripti fuiſſent, decimam partem à ſingulis accepit: at ex reliquis partibus præcepit ut operarentur. Exacto ſubinde anno, idem fecit. Quare euenit, ut in decem annis ille cuncta habuerit, quæcunq; ſacrificaturum ſe uouerat, Corinthij autem reliqua poſſederint. Ariſtot. in Oecon.

OPHELLAS Olynthius, conſtituens curatorem ſuper paſcuis Arthritidem, cùm acceſſiſſent ad eum principes loci illius, dixerunt ſe uelle illi multo plura dare: precabantur autem ut mutaret curatorem. Interrogauit eos, An contribuere poſſent quæ pollicebantur? Affirmantibus ipſis, curatorem dimiſit: quæ autem ipſi promiſerant tributa, exigi præcepit. Sic nec curatorem ſpernere uiſus eſt: nec illos ad maiora tributa, quàm ipſi ſtatuerant, ſoluenda coegit. Ariſtoteles in Oecon.

MENDEI, iis quæ à portubus & aliis uectigalibus prouenie bant, utebantur ad gubernationem ciuitatis. Ex tributis autem quæ ex terra & familiis prouenïebant, nihil accipiebãt, ſed annotabant tantùm eos qui illa haberent: & cùm neceſſitas pecuniarum ingrueret, exigebant. Lucrabantur igitur ex præterito tempore, pecuniis abſq; fœnore utentes. Ariſtoteles in Oecon.

MAVSOLVS Cariæ tyrannus, mittente rege ad eum pro tributo, congregans ditiſſimos regionis, dicebat regem poſcere tributum, ſe autem non eſſe ſoluendo. Quidam ex compoſito pollicebantur ei certam ſummam. Ditiores partim uerecundia, partim metu, multo plura quàm illi, promiſerunt atq; obtulerunt. Idem.

EPHESII, cùm pecuniis egerent, legem poſuêre, ut mulieres aurum non geſtarent: quantum uerò in præſentiarum haberent, mutuarent ciuitati Idem.

CHABRIAS Thamo Aegyptiorum regi pecuniis indigenti conſilium dedit, ut ditiores regionis incolas iuberet confeſtim, quantum unuſquiſq; poſſet, auri uel argenti contribuere: pro iis uerò quæ darent, annua tributa eis remitteret. Hoc pacto multas pecunias collegit, neq; tamen iniuriam cuiquam fecit: ſed omnes poſtea, quemadmodum dederãt, receperunt. Ibidem.

DARIVS Perſarum rex primus tributa gentibus impoſuit: Verùm ne moleſtè ferrent, non ipſe exegit, ſed ſatrapas conſtituere iuſſit. Quibus ingentia tributa deſcribentibus, ipſe dimidiam partem remiſit ſubditis. Qui libenter dimidium pependerunt, quaſi magno beneficio ab rege affecti. Polyęnus lib. 7. & Herodotus.

MERCIMONIIS, VENDITIONE, EMtione, Commutatione, Locatione.

*Huc omnes mercatorum methodi, ut ita loquar, hoc eſt, rationes acquirendi opes per commutationem, referri debent. Ipſa quidem Exercitatio mechanica eſt: at ingenii acumen, ſi honeſtatis limites non excedat, ad Prudentiam practicam pertinet.*

THALES Mileſius, cùm ex futuro Vergiliarum ortu, ſequentem annum oleis uberrimum fore perſpexiſſet, uenditores præoccupauit, diu antè olearum eius anni fructibus emtis, haud admodum grandi precio, quòd aliquot iam annis antè uber olearum fuerat prouentus. Itaq; cùm, ut ipſe præuiderat, eo anno copioſæ oleæ, ſequente uerò infœcundæ fuiſſent, ingens lucrum fecit, & apertè oſtendit, non facultatem, ſed uoluntatem opes congerendi, ſapientibus deeſſe. Cic. lib. 1. de Diuin. At Plin. lib. 18. cap. 28. DEMOCRITO hoc tribuit, & idem SEXTIVM Romanum Athenis feciſſe teſtatur. Ariſt. uerò lib. 1. Polit. ſub finẽ, non olearũ fructum coemtum (quod monopolium ingenti pecunia, quanta in philoſophũ non cadebat, opus habuiſſet) ſed olearias officinas (ἐλαιουργεῖα) leui precio à Thalete conductas fuiſſe aſſerit: ex quarum elocatione, cùm uberrimus oleæ prouentus ſumſiſſet, quæſtũ fecit maximum. Idipſum Laert. cõfirmat.

LAMPSACENI, cùm expectarent triremes multas ad ſe uenturas, & modius farinæ quatuor drachmis uæniret, præceperunt ut emtoribus uenderent modium ſex drachmis, & olei choem drachmis quatuor, ac tribus obolis: & uini & aliarum rerum precia ſimiliter poſuerunt. Antiquum ergo precium priuati recipiebant: at quod plus erat, ultraq; precium, ciuitas. Ariſt. in Oecon.

BYZANTII indigentes pecuniis, lucos publicos uendiderunt, & fructiferos aliquo tempore, infructiferos uerò perpetuò, & ea quæ ad ſocietates & ad patriam pertinebant, & quæcunq; in locis priuatis iacebant. Emebant enim carè quoq; diuites eas poſſeſſiones, quæcunq; ſocietatibus publicis inſeruiebant, aut circa gymnaſium, aut forum aut portum: piſcinas item & ſalinas, tabernas artificum, & uatum, & pharmaca uendentium, & conſimilium. Tertiam quoq; partem mercedis operarios contribuere ordinarunt. Numorum deniq; cõmutationem uni campſoriæ menſæ commiſerunt: & penes nullum alterum poteſtas erat aut dare, aut accipere. Idem.

IIDEM, cùm lex eſſet, ne quis admitteretur ciuis, qui non eſſet parente utroq; ciue natus, ſanxerunt, Quicunq; eſſet ſoluendo libras triginta, fore ciuem. Idem.

IIDEM in rei frumentariæ inopia, facti inopes pecuniarum, reduxerunt naues ex Ponto. Tempore autem facto, mercatoribus moleſtè ferentibus, tributum dederunt illis fœnus ſeſquidecimum: uendentibus etiam ſtatuerunt ultra preciū dare totius partem decimam. At uerò cùm nonnulli incolarum fœnerati fuiſſent ſuper poſſeſſionibus ſuis, decreto ſtatuerunt, ut quicunq; tertiam debiti partem afferre uellet, liberè poſſeſſionem ſuam haberet. Idem.

SELYBRIANI pecuniæ laborātes indigentia (lege apud eos poſita, cùm in fame conſtituti fuiſſent, non educendum eſſe triticum: apud eos autem uetus triticum abundaret) ſtatuerunt priuatos ciuitati dare triticum, determinato precio, unoquoq; retinente ad annui uictus ſufficientiam. Deinde ſtatuentes precium, quod illis rectè ſe habere uidebatur, unicuiq; educere uolenti uendiderunt. Idem.

EPHESII pro columnis quæ erant in templo, ſtatuerunt, argentum eſſe ſoluendum: eius autem qui ſoluiſſet, nomen eſſe ſcribendum, perinde ac ſi obtuliſſet. Idem.

ANTISSEVS, cùm ciuitas indigeret pecuniis, & ciues cōſueuiſſent ſplēdidè celebrare Dionyſia, in quibus uaria & multa conſumebāt quotannis, atq; præparabant: perſuaſit illis, ut Baccho uouerent, duplum ſequenti anno ſe daturos: illa autem congregantes, uicinis urbibus uenderēt. Quę cùm ita feciſſent, collectæ ſunt pecuniæ ad eorum uſum non modicæ. Idem.

PYTHOCLES Athenienſis, conſuluit Athenienſibus, plumbum ex Tyriis accipere, qui in ciuitate priuati eſſent, eo quo uendebant precio duarum drachmarum: deinde ſtatuit illis precium ſex drachmarum. Ibidem.

IPHICRATES in ſumma pecuniarum egeſtate ſuaſit Athenienſibus, ut ædificia quæ eminerent in publicas uias, reſcinderent, aut uenderent. Itaq; domini ædium multas pecunias contulerunt, ne mutilarentur, aut labefactarentur ædificia. Polyænus lib. 3.

Athenienſem quendam hominē aiunt, non admodū locupletē, cùm omnia diſtraxiſſet, & quod inde erat redactū ad centum ſtateras, offerret Alcibiadi, quem deperibat, ut acciperet, orans: arridens lætusq; uocauit ad cœnam ALCIBIADES. Benignè accepto aurū homini reddidit, iuſſitq; ut redimentes poſtero die uectigalia publica licitatione ſuperaret. Detrectanti, quòd multorū talentorū eſſet licitatio, denunciauit: ni faceret, ſe uerberibus eū multaturū. Erat nāq; priuata quędam ei cum publicanis offenſio. Manè igitur ad forum profectus incola, addidit licitationi talentum. Vbi collatis capitibus indignātes publicani laudare eū iuſſerūt prædem, tanquam reperturus neminem eſſet. Perculſo homine, & iam recedente, procul ſtans Alcibiades archontibus, Me, inquit, ſcribite, meus eſt amicus, ego pro eo ſpondeo. Quo audito, omne illorum abſciſſum conſilium fuit. Soliti enim ſecundis redemturis diſſoluere priores, non expediebant rei difficultatem. Precibus igitur hominem aggreſſi ſunt oblata pecunia: ſed non permiſit Alcibiades, ut minùs caperet talento. Quod ubi accepit, ea mercede iuſſit ei cauſam relinquere: atq; ea ratione homini ſubuenit. Plutarchus in Alcibiade.

M. CATO intentior ad quęſtum, agriculturam in oblectamēto potiùs numerabat, quàm in fructu. Emolumenta autem in rebus ſecuris & certis collocans, lacus parauit, aquas calidas, loca fullonibus idonea, prædia quæ paſcua haberēt, & ſyluas natiuas, unde magnum cōpendium faciebat, quibus nec Iupiter poſſet, ut ipſe ait, nocere. Plut. in eius uita.

Anno 1336. ANGLIS placuit prouidere, ne opes, quæ merciū uſu in dies ſingulos in inſulā inferebantur, aliquādo diſſiparentur. Itaq; lege exceptū eſt, ſub Edouardo III. ut nemini homini neq; Anglo neq; externo liceret, in poſterum tēpus aurum, argentum cælatum ſiue ſignatum, de regno in continentem exportare. Quo factū eſt, ut mercatores extranei mercium ſuarum precia coacti ſint in alias merces inſumere. Decretum iſtuc etiam nunc ſeruatur, perpetuatum uti regno utile ab aliis qui ſecuti ſunt regibus. Polyd. lib. 19.

Anno 1439. in ANGLIA ſtatutum, ut non ampliùs liceret mercatoribus externi generis ſuas merces in regnum importatas uendere aliis quibuſuis hominibus, niſi Anglis, ut ne monopolia inter ſe inſtituerent. Quæ lex ut Reipublicæ cōmoda, etiam nunc ſeruatur. Polyd. lib. 23.

RODOLPHVS Boemiæ rex, Alberti Cęſaris F. negotiationē in argentifodinis Cuthnenſibus exercebat, uinum, ſal, ordeum, triticum, ad panes & cereuiſiam coquendam ex Auſtria de horreis ſuis conuehendo, preciaq; rebus promercalibus ex arbitrio ſuo conſtituendo, atq; in eo genere mercaturæ monopolium ſibi uindicādo. Is ſe neceſſitate compulſum, huc deſcendiſſe dicebat, ut hoc modo ſummam ærarij inopiam ſubleuaret, & debita per utrumq; Venceslaum reges contracta, diſſolueret. Adeoq; duo millia aureorū in illis ipſis montibus hebdomadatim ęri alieno diſſoluendo tribuebat. Dubrauius lib. 19.

## MVTVO, FOENORE, EXERCENDO, DISſoluendo. AES alienum prudenter diſſolutum.

*Conſule Tit. Fœneratorum licentiam cohibere.*

Mulier quędam de uatum uxoribus, mortuo marito cùm urgeretur à creditorib. ELISÆVM implorabat, ne filij in ſeruitutē ducerentur. Quærentiq; Eliſæo, quid ſibi ab illo uellet fieri, & qd domi haberet? reſpondit, Nihil pręter ampullā olei. Tū ille iubet, ut uaſa foris corrogatū eat ab omnib. uicinis, eaq; uacua, nec pauca. Deinde ingreſſa domū, & ſe ſuiſq; filiis oſtio incluſis, transfundat in omnia illa uaſa, repletaq; ſummoueat. Quæ ubi feciſſet, negotium uati indicat. Cui ille iuſſit, ut oleum uenditū iret, atq; æs alienum diſſolueret, & ex reliquo uiueret ipſa, eiusq; filij. 4. Reg. 4.

Cùm Iudæi è captiuitate Babylonica in patriam rediiſſent, egeni ab opulentis ære alieno contracto ita urgebantur, ut omnes ſuas poſſeſſiones illis oppignorare, & filias emancipare cogerentur. NEHEMIAS igitur Hachaliæ F. qui Iudęos Babylone eduxerat, concione uocata, opulentis perſuaſit, ut pietatis ergò nomina omnia cognatis ſuis remitterent: néue quos ipſe, & ante eum Eſdras & Zorobabel è captiuitate Babylonica redemtos in libertatem uindicaſſent, ipſi iam redemtos emerent. 2. Eſdræ 5.

Cùm uehementer laboraretur ex ære alieno, legem hanc Aegyptiis promulgauit rex ASYCHIS, ut ita demùm quis pecuniam mutuò acciperet, ſi cadauer patris pignori traderet. Ad hanc etiam legem adiecit, ut penes creditorem eſſet poteſtas omnis ſepulcri debitoris: utq; hęc irrogaretur multa pignus deponenti. Quòd ſi diſſoluere æs alienum debitor recuſaret, fas non eſſet ſepeliri aut in paterno, aut ullo in alio ſepulcro: ac ne alium quidem ex ſeipſo progenitorū ſepulturæ mandare. Herod. lib. 2.

SOLON Athenienſis legislator Σεισάχθειαν legē ſcripſit, quaſi tu dicas oneris abiectionem Ea ſanxit, ut debita remitterentur, & ne quis fœneraret deinceps in corpus. Androtion non condonatione æris alieni, ſed uſurarum alleuatos moderatione acquieuiſſe pauperes, atq; hoc beneficiū Nouas tabulas nominaſſe, gratūq; fuiſſe ſcribit, quę ſimul huic adiuncta fuerunt, menſurarū augmentum & monetæ preciū. Quippe minā, quæ fuerat antè ſeptuaginta & trium, centū fecit drachmarum. Itaq; cùm numero parem ſummam, ualore minorem pręſtarēt, multum acceſſit commodi magnū æs diſſoluentibus, nihil creditoribus tamen detrimenti. Maxima pars nouis tabulis aiunt ſemel fuiſſe pacta conuenta uniuerſa circumducta: quibus conſonare uidentur carmina Solonis. Gloriatur enim in his, agri ſe antè pignori nexi fixos paſſim terminos remouiſſe: quæ pridē ſeruiebant, nunc libera eſſe: & ciuiū ob æs alienum in nexum abductorū, partim in patriā reduxiſſe, linguæ Atticæ iam, ut qui per uaria loca errauerint, oblitorum: partim dura ibidem oppreſſos ſeruituti in libertatem aſſeruiſſe. Plutarchus in Solone.

PERICLES Mineruæ mundum quadraginta talentū auri obryzi exemtilem fecit: ut eo, inquit, mutuo pro libidine uſus accepto, non minùs poſtea reſtituamus. Plut. de Non fœner.

GELO tyrannus, cùm poſtularet à ciuibus pecuniam, ubi fremuerunt illi, poſtulare oſtendit ſe, ut redditurum, reddiditque perpetrato bello. Plut. in Apophthegmatib.

ARATVS Sicyonius, eiecto Nicocle tyrāno, accepit dono à rege Ptolemæo uiginti quinq; talenta, accepta egenis ciuib. ſuis cùm in alia tū ad redimendos captiuos dilargitus eſt. Quia uerò placari nō poterāt exules, qui prædiorū ſuorum poſſeſſores fatigabat, uenit ciuitas in ꝑiculū extremum. Quare unicā ſpē uidēs Ptolemęi liberalitatē, perrexit nauigare & rogare regem, ut argēto ſibi ad cōciliandam ciuitatē ſuam ſubueniret. Magnis igitur periculis in Aegyptum nauigans, à rege dono accepit ciuitati ſuæ centum quinquaginta talenta, quæ in exules diſtribuit. Plutarchus in Arato.

C. IVL. Cęſar, in Luſitania rebus bello egregiè geſtis, nō ſegniùs pacis munia diſpenſauit, concordia in ciuitatibus conſtituenda, præſertim obæratorum & creditorū medendis controuerſiis. Statuit enim, ut ex debitoris prouentibus ferret quotannis creditor beſſem, reliquum rediret ad dominum, quoad æs alienum eſſet diſſolutum. Plut. in Cæſare.

M. CATO Cēſorius fœnore uſus eſt maximè improbato nautico, ad hunc modum. Volebat ut illi, quibus fœnerabatur pecuniā, multos aſſciſcerēt ſocios. Cùm quinquaginta eſſent, & totidem nauigia, unam partem habebat, Quintione inſtitore liberto, qui unà cum illis, qui mutuò acceperant pecuniam, negotiabatur & nauigabat. Itaq; non de toto periculum ſubibat, ſed de exigua portione, grandi lucro. Dabat mutuò etiam ſeruis. Hi pueros mercabantur: quos cùm exercuiſſent & docuiſſent Catonis impenſa, anno pòſt diſtrahebant. Multos etiam retinebat Cato, quanto maximo precio licitatus alius fuerat, acceptum referēs. Plut. in Catone.

GENVENSES poſt memorabile illud bellum, quod cum Venetis ad Foſſam Clodiam geſſerunt, magnum æs alienum contraxerant. Reſpublica igitur ut præclarè meritis ciuibus aliquo modo proſpiceret, portoria iis ac uectigalia publica, quoad illis ad aſſem eſſet perſolutum, aſſignauit: poteſtate facta, quib. uellent redemtorib. illa, & quanti uiſum eſſet, locanda. Nam quo res commodiùs ac maiore cum priuatorum auctoritate ageretur, publicas ædes ad urbis portas, quibus merces aliunde importatę, quoad pro portorio exigant, à ſcripturæ magiſtris aſſeruantur, conceſſit: quò ſtatis diebus conuenirent, ac communibus de reb. ſtatuerent. Centum delectorum conſilium conſtituerūt, ex quibus magiſtratū creari placuit, qui octo modò hominib. conſtaret. Eorum ſupremam auctoritatem in communi re adminiſtranda eſſe uoluerunt; inprimis ut quæ de conſilij ſententia acta conſtitutaq; eſſent, exequēda unus & tranſigenda curaret. Pecuniis quidem creditis in ſingulas partes diſtributis, quoniā certus cuiq; locus erat deſcriptus, quò facilius ſinguli agnoſcerent ſuos, Locos placuit appellari: ut pro creditæ pecuniæ ratione plures paucioreſq; locos ij habere dicantur, qui rem cum illa ſocietate contraxerunt. Iam quò honeſtiore ac ſanctiore titulo collegium augerēt, diui Georgij nomine (in cuius tutela & procuratione ciuitas eſt) denominandum collegium cenſuerunt. Tanta autē cura dicitur geſta res adminiſtrataq; eſſe, ut cùm nullo Reipub. incommodo priuati magnis aucti opibus ditarentur (quarta enim centeſimæ pars illis modò fœnoris nomine ſoluebatur) in omnibus Reip. temporibus compendio paruo admodum contenti, ingentē pecuniæ uim ciuitati commodarent. At cùm priuati uſq; eò credendo grandes pecunias prouecti eſſent, ut quę pro portoriis exigerentur, minimè latas pecunias expenſas exæquarent: iam oppida municipiaq; omnia, quæcunq; in ditione Reip. habentur, præter pauca admodum, addicta illis hoc nomine adiudicataque eſſe dicuntur. Ita autem huic collegio Reip. oppida ſunt attributa, ut & priuatorum opibus aduerſus uim externā defendantur, & eorum ſuffragiis, qui illa Reip. nomine adminiſtrent, mandentur: & leges & iura, ut alia iam Reſp. uideatur in Rep. eſſe incluſa, perſcribantur. Tam ſanctum autē & inuiolatum collegij illius ius ſemper extitit, ut ne perduellionis quidem rei, quiq; uel tyrannidem affectaſſent, uel impia contra patriam arma geſſiſſent, bonis licèt reliquis omnibus publicatis, eo priuarentur. Brutus lib. 8. hiſt. Flor.

## SALARIO, MVNERIBVS, DONIS.

*Vide ſuprà Tit. Petere prudenter.*

IACOBVS Labanis ſoceri pecus uerſicoloribus uirgis ſuum fecit. Geneſ. 27.

EPAMINONDAS amico iuſſit, ut adiret pecunioſum quendam, ac talentum ab eo peteret, adderetq; ſe iuſſiſſe. Hic ille, à quo flagitatum erat, cùm ad eum profectus cauſam requireret: Quia bonus hic, inquit, eſt uir. tu uerò circumfluis diuitiis, qui pecuniā publicā interuertiſti. Plut. in Politicis.

ARCESILAVS, cognita Apellis Chij ualetudine affecti inopia: iterum inuiſit eum, adferēs drachmas uiginti, aſſidénſque propè: Hîc nihil eſt, inqt, ꝑter elemēta hęc Empedoclis:

πῦρ καὶ ὕδωρ καὶ γαῖα καὶ ἠέρος ἤπιον ὕψος.

Ignem & aquam & terram & placidi faſtigia cœli.

At ne cabas quidem tu commodè. Simul uerſans illius ceruical, id argenti ſubiecit clanculùm. Vt igitur, quæ ei miniſtrabat, hoc reperit anus, admirataq; Apelli ſignificauit, ridens ille: Arceſilai eſt, inquit, hoc furtum. Plut. de Diſc. adul.

## PECVNIÆ ADVLTERIO.

LEVCON pecuniis indigens, promulgauit ſe aliam monetā percuſſurum. itaq; adferret quilibet ſuos numos, ut alia forma excuſi ualerēt. Quibus omne quicquid habebāt adferētibus, aliud ſignum impreſſit, dupliciq; precio eſſe unumquenq; numū iuſſit. Itaq; dimidiā partem eorū quę collegerat lucratus, neminē ciuium damno affecit. Polyæn. lib. 6.

## DIVITIAS, OPES QVALESCVNQVE, THESAVROS, prudenter conſeruare. Ne

## AVFERANTVR PER

*Vim & Iniuriam apertam.*

ABIGAIL Nabalis Ziphæi uxor prudentiſſima, cùm cognouiſſet Dauidem aduerſus ſe iam inſtruxiſſe ordinem, ob denegatum commeatum à marito: clàm marito ducentos panes, duos uini utres, quinq; oues apparatas, quinq; ſata polentæ, centum uuas paſſas & CC ficuū palathas aſinis impoſuit, iiſq; Dauidem iratum placauit. 1. Reg. 26.

CROESVS rex, quum uideret Cyri milites per urbem Sardis captam diſcurrentes, percontatus eſt Cyrum, quid agerent? Quumq; is reſpondiſſet: Diripiunt urbē tuam, opéſq; tuas populantur. Nequaquam, inquit, ô rex, nihil iam hîc meum eſt: tuum eſt quod diripiunt. Ea uox commouit Cyrum, ut ſuos à direptione reuocaret. Herodotus libro 1.

DEMOPHON ab Athenienſibus acceptū depoſiti loco Palladium cuſtodiebat, Agamemnone repetente: ac uerum



quidem tradidit ciui cuidam Athenieſi, nomine Rhuzygæ, Athenas deportandum. At æquale & ſimile aliud factum, in tabernaculo habuit. Agamemnone uerò cū magna manu aduentante, repugnabat, ut omnino opinionem hoſtib. faceret, ſe pro uero pugnare. Multis autē uulneratis, Demophontis milites ceſſerunt. Agamemnon fictum Palladiū rapuit, & deceptus diſceſſit. Polyænus lib. 1.

Mortuo Alexandro Babylone, propter regni contentionē triginta diebus inhumatus, carēſq; ſepulcro relictus fuit. Hoc uidēs ARISTANDER, ut uel inuitos ad ſepulturę honorē cogeret, in medios Macedones irruit, & omnes omniū ſeculorū reges Alexādrum felicitate ſuperaſſe, tam uiuū ꝙ mortuum aſſeruit. Etenim deos immortales ſibi notum feciſſe, in quacunq; terra requiem ipſius cadauer eſſet habiturum, eam felicitate abundātem, & ab omni hoſtili uaſtatione in perpetuum liberam fore. Hoc audiens Ptolemęus, maxima feſtinatione raptum, in urbem Alexandri in Aegypto ſitam deportauit. Et ne ipſi à Perdicca in itinere eriperetur, clàm facto ſimulacro, Alexādri effigiē referente, ueſte regia illud exornauit, & entaphiis honorificentiſſimis: deinde in Perſicum currum impoſuit, ac feretrum magnificè auro, argēto & ebore inſtruxit. Sed uerū Alexandri corpus apparatu tenui pręmiſit ꝑ uias occultas & inuias. Ael. li. 12. de Var. hiſt.

ANNIBAL ab Antiocho fugiens in Cretā, ad Gortynios uenit. Videns autē magno ſe fore in periculo, niſi quid præuidiſſet, propter auaritiam Cretenſium (magnam enim ſecū pecuniam portabat, de qua ſciebat exiſſe famam) amphoras complures complet plumbo, ſummas operit auro & argento. Has Gortyniis præſentibus deponit in templo Dianæ, ſimulās ſe ſuas fortunas illorum fidei credere. His in errorem ductis: ſtatuas æneas, quas ſecum portabat, omnes ſua pecunia complet, eaſq; in propatulo domi abiicit. Gortynij templum magna cura cuſtodiunt, non tam à cæteris, quàm ab Annibale, ne quid ille inſcientibus his tolleret, ſecumq; portaret. Sic conſeruatis ſuis reb. Pœnus, illuſis Cretenſibus omnibus, ad Pruſiam perfugit. Probus in Annibale, & Sabellicus lib. 7. Enneadis 5.

Cùm Titus Hieroſolymam obſideret, IVDÆORVM multi rebus cariſſimis exiguo precio uenundatis, aureos numos, ne à Zelotis deprehenderentur, deuorabāt: quumq; ad Romanos elapſi eſſent, exonerato uentre eos recipiebant. Ioſephus lib. 6. c. 11. Belli Iudaici.

ALEXIVS Protoſtrator, magni Domeſtici Ioannis Axuchi filius natu maximus, Anconā ab Imperatore Manuele Commeno miſſus, uel ad componendum bellum, uel conſcripto milite protrahendum: poſtquam pacificationis cum rege Alemānorum Friderico Barbaroſſa nuncium accepit, clàm ciuib. pecunia aliò tranſlata, capſas inanes obſignatas procerum fidei mādat: iubetq; caueri, ne quid inde auferatur, néue quæratur, quid in iis ſit, aut ſigna ante ſuum ab Imperatore reditum aperiantur. Nicetas lib. 2.

ALBERTVS dux Magnopolenſis, qui primus cum fratre intulit familiæ & domui ſuæ ducalem honorem, uillam Rodenſtorpe, ſubiectam Raceburgēſi epiſcopatui, impetebat. Vvibertus epiſcopus eam ſui iuris eſſe probare contendēs, ubi uidet omnes iuris & amicitiæ uias claudi, in cœtu multorum miniſterialium, Audite, inquit horrenda uoce, principes, & qui adſtatis uniuerſi, uerbum Domini. Deus ꝗ per merita ſerui ſui Ludolphi prædeceſſoris noſtri, cui maiores ueſtri impenderunt miſericordiam & conſolationem in afflictione ſua, exaltauit & glorificauit domum ueſtram, dux Alberte, ut præ aliis opibus, honore, ditione, creueritis: quandoquidem uos pro tantis beneficiis ingratos uideo: ſequar iudicium diuinæ pietatis, inferam pro benedictione maledictionem, & reſpiciet Deus preces ſeruorū iniuſtè afflictorū. Simulq; hæc dicēs, iuſſit afferri pontificalia indumēta. Dux, ab incepto deſtitit. Crāz. l. 9. Metrop. c. 47.

Tyrannus ad exhauriendum bona CVIVSDAM opulenti & iactabundi, ſub graui pœna præcepit, ut aſinum literas doceret. Ille impoſſibile ait fore, niſi multum temporis ſibi in erudiendo aſino concederetur. Petere quantum uellet iuſſus, decennium impetrauit. Deridebatur ab omnibus, quoniam rem impoſſibilem ſuſcepiſſet. Ille amicos ſolatus, Nil timeo, inquit: nam interim aut ego moriar, aut aſinus, aut dominus. Poggius in Facetiis.

Mortuo Frāciſco I. Gallorum rege, Henricus F. ab nobili MATRONA, quæ regi in deliciis uulgò formæ cauſa, ſeu potiùs, ut cordatiores iudicabāt, ingenij & morum gratia fuerat, profuſas donationes à patre factas per legatos repetiit. Illa cùm ea quæ occultari nō poterant nunciis benignè cōceſſiſſet: poſt aliquot dies ſponte κειμήλια omnia maximè precij ad regē miſit, cum hac uerborū præfatione: Siquidē regi paternæ donationes uiderētur reſcindēdæ, nullā in ſe fore morā. id unū ſibi ægrè accidere, ꝙ cuius fidei ſumma omnia pater cōcredidiſſet, de eius fide in auro, gēmis, monilibus reſtituēdis filius dubitare uideretur. Cęterū ea ſe regē

in præſens cura liberaturã: quęcunq; nunciorũ curã effugiſſent, iis tanquã à liberali profectis animo rex pro libito uteretur, frueretur. Ea magnitudine animi delectatus rex, ut famæ inſuper paternæ cõſuleret, etiam ea, quę per nuncios priùs acceperat, cum fœnore reſtituenda curauit. Huberti Langueti hypomnema.

*Dolum.*

Ancilla quędam pecuniã depoſiti nomine à duobus hoſpitib. acceperat, ea cõditione, ut illã ſimul utriſq; redderet: quorũ alter interiecto tẽpore, tanquã mortuo ſocio, ſqualore obſitus, deceptæ omnes numos abſtulit: ſuperuenit deinde alter, & depoſitum petere cœpit. Hærebat ita miſera, ut de laqueo & ſuſpẽdio cogitaret. Sed oportunè ei DEMOSTHENES patronus affuit, qui ut in aduocationẽ uenit, Mulier (inquit) parata eſt depoſiti fidẽ ſoluere: ſed niſi ſociũ adduxeris, id facere nõ poteſt: quoniã, ut ipſe uociferaris, hæc dicta eſt lex, ne pecunia alteri ſine altero numeretur. Iudices pro ea pronunciarunt, Demoſtheni prudenter monenti obtemperantes. Val. Max. lib. 7. cap. 3.

LVITPRANDVS Longobardorum rex, è Sardinia inſula D. Auguſtini corpus Papiã tranſtulit, ad D. Petri, & ne facilè reſciri poſſet, quo loco conditũ eſſet, tribus locis effoſſis, ſtructiſq; ſepulcris, & noctu clàm occluſis, alio loco corpus cõdi iuſſit, ut certo corporis loculo ignorato, minùs promta eius rapiendi occaſio foret. Conſtructum deinde eſt alio ſeculo D. Auguſtino ſacellũ iuxta templũ D. Petri, in quo tumulus honorarius uiſitur. Bern. Saccus lib. 9. Ticinẽſis hiſt.

Tres nebulones, interuerſis patroni mercibus, Senas confugerant, & trapezitæ ad octo millia aureorũ cõmiſerant, quos nõ niſi pręſentib. tribus, cùm uellẽt, numeraret. Vnus illorũ ſocios omni pecunia exuere ſtudens, trapezitã adit, & de emendo prædio conſiliũ ſuos cepiſſe ait. Hinc ſocios (quos animi cauſa rus profecturos ſummo mane ſciebat) monet, opus eſſe LXX aureis in cõmunes expẽſas. Illi cùm tẽpore urgerẽtur, mane trapezitã offendunt, & pecunias ſocio tertio depromere iubẽt, de LXX intelligentes: cùm trapezita de tota ſumma intelligeret. Accepta omni pecunia, ꝓfugit ille. Socij duo redeũt, in ius trahũt trapezitam, qui cõtra pacta ſocio tertio, ipſis nõ præſentibus, numeraſſet pecuniã. Pendebat ille miſer animi, & modò nõ deſperabat, duabus iam ſentẽtiis inferior: cùm ARLOTTVS plebanus Florentinus, homo facetiſſimus & ingenioſiſſimus, ſuperuenit, & librũ rationum corã iudicib. prælegi curauit: hinc ad iudices cõuerſus, Nulla, inquit, mora erit. Trapezita hic amicus meus ſummã quã petunt totã, quã tertio priùs numerauit, iterũ numerare paratus eſt, ſi modò tres ſimul cõpareant, quemadmodũ ex pacto cõparere debẽt. Hæc argutia & laudem Arlotto & trapezitæ liberationẽ peperit. Auctor uitæ.

### ☞ CORRVMPANTVR, PERDANTVR.

Demetrius Poliorcetes Rhodũ oppugnabat, & ædes quaſdã extra urbẽ publicas, igni abſumere parabat, in quibus erat memoratiſſima illa Ialyſſi tabula, Protogenis pictoris manu facta: cuius operis pulcritudinẽ præſtantiamq; ira percitus Rhodiis inuidebat. Mittũt RHODII legatos ad Demetrium cũ his uerbis: Quæ malum (inquiunt) ratio eſt, ut tu imaginem iſtam uelis incẽdio ædium facto diſperdere? Nã ſi nos omnes ſuperaueris, & oppidum hoc totum ceperis, imagine quoq; illa integra & incolumi per uictoriã potieris: ſin uerò nos uincere obſidendo nequiueris, petimus cõſideres, ne turpe tibi ſit, quia non potueris bello Rhodios uincere, bellum cum Protogene mortuo geſſiſſe. Hoc ubi ex legatis audiuit, ab oppugnatione deſtitit, & imagini & ciuitati pepercit. Gellius lib. 15. c. 31.

### ☞ AMITTANTVR VEL

*Naufragio.*

Cùm in Cypro Ptolemæus deceſſiſſet, CATO minor eam ꝓuinciam ſortitus, ex regio theſauro paulò minus ſeptẽ millia argenti talentũm coegit. Veritus autẽ longam nauigationem, multa uaſa parauit: quorũ capiebant ſingula bina talenta & drachmas quingenas. Singulis longum alligauit funiculum, cuius capiti corticem ſuberis prægrandem annexuit: quò ſi afflictum eſſet nauigium, alligatus ab imo locum commonſtraret. Argentum tamen omne, pauco excepto, proſperè tranſuectum eſt. Plut. in Catone.

*Incendio.*

AVGVSTVS Imp. delegit Romæ è libertinorum numero milites, qui aduerſus incendia ferrent opem. Cõtra ruinas uerò nouorum altitudines ædificiorum depoſuit: & ne quis ſupra pedes ſeptuaginta ſublimiùs ædificaret, inhibuit, in publicarum uicinitate uiarum. Strabo lib. 5. & Suetonius.

CLAVDIVS Cæſar Puteolis & Hoſtiæ ſingulas cohortes ad arcendos incendiorum caſus collocauit. Suetonius.

## ☞ DIVITIAS, OPES AMISSAS, EREPTAS RECIPERE.

ISRAELITÆ ex Aegypto egreſſuri, à uicinis ſuis Aegyptiis uaſa aurea & argẽtea, mundumq; muliebrẽ mutuò acceperunt, quòd iis ſe ad ſacrificium Deo ſuo in deſertis peragendum opus habere dicerent. Neq; difficulter obtinuerunt, cùm Dominus Aegyptiorum animos flecteret. Et ſic Aegyptios auro omni ſpoliauerunt, cùm priùs & primogenitos eorum angelus interfeciſſet, & uariis aliis plagis tota Aegyptus affecta fuiſſet, eo quòd populum Dei Pharao dimittere nollet. Fraus iſta fuit, ſi exteriorem corticem ſpectes, in mutuo. At reuerà non mutuum accipiebant, ſed iure repetundarũ ab Aegyptiis Iſraelitę id, quod ſuũ erat, recipiebãt, ut in pios uſus & cultum ueri Dei conuerteretur. Exod. 12.

Apud AEGYPTIOS lex in fures erat, quæ iubebat eos, q furari uolebãt, nomẽ ſuum apud principẽ ſacerdotum ſcribere, atq; eueſtigiò furtũ ad eum deferre: ſimiliter quibus res furto erepta erat, apud eundẽ rei ſublatæ tẽpus, diẽ & horã ſcribere. Hoc modo facilè inuẽto furto, qui rem amiſiſſet, quarta multabatur parte, quæ daretur furi. Diod. lib. 1. c. 6.

CHERSOBLEPTES, cùm eius cognati deſciſcẽtes, magnã pecuniarum uim clàm exportaſſent: facta pace, ciuitatũ eis præfecturas dedit, eoſq; ab ſe inuicẽ diſiũxit. Cùm aliquantum tẽporis interceſſiſſet, pecuniaſq; exigeret, cõprehẽſos eos ex urbib. eiecit, & pecunias ipſe poſſedit. Polyæn. lib. 7.

DIONYSIVS Syracuſiorum tyrannus, in Tyrrheniam nauigans centum triremibus, cùm nauis quæ equites uehebat tranſiſſet ad Leucotheæ fanum, acceptis ſeptuaginta talentis numiſmatis confeſtim nauigauit. Cumq; intellexiſſet, in occulto mille argenti talenta, aut amplius, milites ac nautas diripuiſſe, antequam eos in terrã exponeret: his qui pecunias haberent, imperauit, ut dimidium ſummæ ad ſe deferrent, dimidium uerò ſe ipſis relinquere: qui morẽ non gererent, eos ſe morte multaturum. Cùm ergo dimidiam partem ſinguli attuliſſent, reliqua etiam exegit, dono uiciſſim eis dedit ad menſem frumẽtarias pręfecturas. Polyęn. lib. 5.

C. IVLIVS Cæſar Nicomediã nauigans, iuxta Maleã à latronibus Cilicibus captus eſt. Qui cùm magnam mercedẽ pro eius liberatione peterẽt, ille duplicẽ ſummam promiſit. Appulerunt Miletum. Homines extra mœnia accurrebant. Cæſar Epicratẽ Mileſium ſeruum mittit ad Mileſios, rogans, ut ſibi pecunias mutuò darent. Qui eas confeſtim miſerunt. Epicrates mandatũ habebat à Cæſare, ut cum pecuniis magnum conuiuij apparatum apportarẽt, & hydriam plenam enſibus, uinumq; mandragora mixtũ. Cæſar duplicatam latronibus pecuniæ ſummã numerauit, eiſq; conuiuiũ appoſuit. Illi exultantes pecuniarum multitudine, largiter genio indulgebant: & uinum medicatum bibẽtes, in ſoporẽ incidebant. Cæſar dormiẽtes interficere iuſſit, ſtatimq; pecunias Mileſiis reddidit. Polyænus lib. 8.

HENRICVS III. Angloiũ rex, pecunię egẽs, ex conſilio Petri Vintoniẽſis antiſtitis populo aſſiduis tributis exhauſto parcẽs, poſſeſſiones quas ab initio ipſe adoleſcẽs parũ conſideratè ſuis donaſſet, ab illis recepit, ſimulq; rapaciſſimos quoſq;, qui ampliores præfecturas gerebant, priuauit, coëgitq; rationem reddere, illis pro ſpongiis uſus, quòd antea ſic eos perfudiſſet, ut nũc madidos poſſet exprimere: quod olim Veſpaſianus factitaſſe fertur. Polyd. lib. 16.

Alphõſi Aragonij tẽporibus, Agrigẽti (quæ Siciliæ ciuitas eſt) VIR cæcus fuit aſtutiſſimus, qui per inſulam proficiſcens, ſine ullo ductore, etiam uidẽtes interdum anteibat. Hic cũ haberet quingẽtos aureos numos, ueritus ne ſibi furto adimerentur, in agro eos defodit. Quod cùm fortè quidã uidiſſet, qui ei per baptiſmi ſacra coniunctus erat, & haud lõgè ab eo loco habitabat, ſequẽti die effoſſam inde pecuniam abſtulit. Cæcus poſt aliquot dies ad locũ rediit, ut pecuniã quæreret. Quã cùm nõ inueniſſet, coniectura aſſecutus eſt, ꝓpter uicinitatẽ nullum alium q̃ uicinum, de quo dictũ eſt, auertiſſe. Itaq; rem diſſimulat, atq; poſt aliquot dies uicinum conueniẽs, ſub iuriſiurandi fide, ut meliùs tegeretur aſtus, ceu amico cõmunicat, ſe aliàs pecuniã defodiſſe: & cũ tantundẽ nunc etiã haberet, petere ſe ab amico conſilium, Deberétne ſimul cum alia defodere, aut ſeorſim eam apud ſe retinere? Amicus, qui hanc quoq; cæci pecuniã, ut aliam, auferre cuperet, ſuaſit, ut cum alia defoderet: & ne cæcus, ſi primam abeſſe pecuniam inueniſſet, hanc, quam ſe habere nunc dicebat, illic deponere abſtineret, primam illic, ut antè erat, repoſuit. Cęcus illuc profectus, cùm pecuniam inueniſſet, arbitrareturq; id quod erat, ſcilicet amicũ haud longè ab eo loco abeſſe, exclamauit: Hac in re, amice, oculatior uidente cæcus fuit. Fulgoſus lib. 7. cap. 3.

Lippa expugnata à Chriſtianis, ductu Georgij monachi & Io. Baptiſtæ Caſtaldi, archiſtrategi regis Ferdinandi, anno Sal. MDLI. cùm defectores fortunis omnibus exuerentur: Mercatoris Lippenſis, q in oppugnatione occubuerat, VXOR ſpoliata bonis, quæ Georgius duobus centurionibus donauerat, forma eximia ad Caſtaldũ noctu uenit, ſuã calamitatem narrauit, miſericordiã illius implorauit, indignũ eſſe ſe ob mariti improbitatem ad mendicitatẽ redigi, & quod morte peiùs duceret ad impudicitiam: Chriſtianam ſe eſſe, eoq; dignam, erga quam Chriſtianus dux pietate moueretur. Caſtaldus generoſo mulieris animo perſpecto, donationem irritam habuit, mulieri bona reſtituit, centuriones aliis muneribus proſecutus eſt, quorũ alter hanc ipſam formæ & uirtutis nomine in uxorem duxit. Aſcanius Centorius lib. 3. Com. belli Tranſyluaniæ.



## ☞ VRBES, REGIONES, ARCES

### ☞ COMPARARE.

DIDO è Phœnice profuga, ab Hiarba Maſſylorum rege mercata ſolum, quantum ceruino poſſet circundare tergo, pellem in minutas diuiſit corrigias, iiſque circundedit tantum agri, quantum urbi æmulæ aliquando Romani futuræ imperij ædificandæ ſatis eſſet. Hanc ob cauſam arci Carthaginis, Byrſa nomen inditum. Aeneid. 4.

CLAZOMENIORVM & POLYCLEÆ exẽpla ſub Tit. Oracula prudenter confirmare, reperies.

Aeneanes cùm Cirrhæ ſaxis regem obruiſſent Oenoclũ, Apollinis præcepto in regionem Inacho adiectam deſcẽderũt, quam habebant Inachienſes & Achæi. Fuit editum oraculum his, ſi impertiti eſſent regionem, amiſſuros uniuerſam: illis, ſi à uolẽtibus accepiſſent, acqſituros. Igitur TEMON, uir inter Athenienſes cordatus, ueſte ſumta pannoſa & pera, mendici ſpecie, ad Inachienſes contulit ſe. Cui ad contumeliam & ludibrium cùm glebam rex dediſſet, acceptam in peram condidit, nihil ampliùs poſcens. Maiores natu regem adeuntes, ne rem uilipenderet, monuerunt, neq; hominem miſſum faceret. Temon centum bobus Apollini uotis effugit, & paulo pòſt Aeneanes regionem obtinuerunt. Plutarchus in Græcis quæſt.

Philippus Macedoniæ rex ARATVM Sicyonium Achæorum prætorem Meſſene è theatro duxerat Ithomatã, ad ſacra loui facienda, & contemplandum locum. Eſt enim non ſecùs atque Acrocorinthus munitus: ex quo ſi præſidio firmatus ſit, multum uexari accolæ poſſunt, atq; eſt inexpugnabilis. Sacrificans ibi, exta bouis, quę ei porrexit aruſpex, monſtrauit Arato & Phario Demetrio, quæſiuitq; quid uterq; in uiſceribus animaduerteret? teneret arcẽ ipſe, an redderet Meſſeniis? Ibi arridens Demetrius: Si aruſpicis, inquit, mentem habes, relinques hunc locum: ſin regis, tenebis ambobus cornibus bouem, ænigmate ſignificans, Peloponneſum, ſi Acrocorintho adieciſſet Ithomatam, fore ei obnoxiã & infractam. At rogante Philippo Aratum, Quid is ſentiret? cõtrarium ſuaſit, & potiùs fide & beneuolentia conciliandos ſubditos, quàm latronum inſtar in petris nidulandum docuit. Cui Philippus, poſthabito Demetrij conſilio longè commodiore, acquieuit, expugnatus quaſi ab illo, & oppido iſto ſpoliatus. Plut. in Arato.

IVARVS, Dacorum rex, ingenti claſſe Angliam inuaſit, anno DCCCLXIII. Sed ab Ethelredo rege fortiter repulſus, ut Saxo Grammaticus prodit, conciliata cum Anglo pace, tantum arui ab eo impetrauit, quantum equino poſſet circundare tergo, & illo in minutiſſimas corrigias ſecto amplum urbi cõdendæ locum occupauit. Qui deinde renouato bello, rerũ hoc pacto potitus eſt. Sed biẽnio pòſt, relicto Agnero inſulæ præſidio, domum ob rerũ nouarum motus redire, neceſſe habuit. Non ponit Saxo nomen urbis ab Iuaro ſubitò ædificatæ. Aſt ab iſto artificio uidetur traxiſſe nomẽ oppidum, quod Dongcaſtrum uocatur: nam thong, Anglicè corrigia dicitur, & th pro d Angli utuntur, ut inde Dongcaſtrum ſit nomen compoſitum. Polyd. lib. 5.

HENRICVS Etichtonis, uel Ethiconis, comitis ab Altorf & Rauenſpurg F. à ſororis marito Ludouico Francorũ & Boiorum rege, Ludouici Pij nepote (alij ſcribunt, à Carolo Magno, alij à Lodouico Pio) quicquid in ſuperiore Boiaria aureo uehiculo à prima luce ad meridiem ambiret, per ludũ popoſcit. Ludouicus ratus, fratrem coniugis pauperiorem eſſe, quàm ut aureum carrum poſſideret, poſtulatis annuit. Mox Henricus plauſtro ruſtico, in ſinu interim aureũ curriculum geſtans, unde cognomen ei adhæſit, circumuectus eſt à Lyco fluuio ad Ambronem flumen, à Gelono flumine ad Alpes Peninas. Arriſit Ludouicus dolo, & quæcunque hiſce finibus continentur, Henrico donauit. Huius poſteritas deinceps potita eſt Boiaria. Auentinus lib. 4. Annalium Boiorum, & Albertus Cranzius lib. 2. Saxonię cap. 26. & Munſterus in Coſmographia.

REGNERVS Danorum rex, ut Schoningiam (quæ in litorali parte Scãdiæ eſt, Daniæ uicina) ſuo regno adiũgeret, quando armis non poterat, Thoram Heroti Sueonum regis F. in uxorem petiit, & Langerthæ uxori ſuæ, ut in repudium conſentiret, perſuaſit. Eo tempore ex uetuſtiſſimo more obſeruabatur, ut quãto illuſtriori ſanguine uirgines natæ eſſent, tanto maiora pericula proci ſubire cogerentur. Aliis enim fortiſſimi gigantes, & pugiles duello ſuperandi opponebãtur: ab aliis exacta militaris diſciplinæ experientia, aut glorioſum aliquod facinus pro ſalute Reipub. peractum expetebatur. Thoræ thalamum duæ immanes belluæ tutabantur, quæ antè expugnandæ erant, quàm uiro traderetur. Ergo & Regnerus ferociſſimas belluas non minùs feliciter q̃ fortiter expugnauit. Quas Saxo Danicus ſcriptor ſerpẽtes fuiſſe aſſerit tantæ magnitudinis, ut integrum bouis cadauer quotidiano paſtu abſumerent: alij immanes urſos fuiſſe aiunt. Interim Herotus pugnam ex aula cõtemplatus, interrogat, quiſnam eſſet ille monſtrorum domitor uilloſis femoralibus indutus? deditq; ea quæſtio occaſionem, ut poſtea Regnerus Lodbroch, hoc eſt, uilloſarum bracharũ cognominaretur. Qui deinde ex hac coniuge complures liberos procreauit: quorum occaſione plurima & cruenta bella inter Suecos & Danos ſuborta fuerunt, enitentibus Danis, poſteritatem Thoræ inuitis Sueonibus obtrudere. Pręterea Regnerus per has nuptias quietam Schoningiæ poſſeſſionem aſſecutus eſt, donec eam Ericus Sueonum & Gothorum rex, cognomento Victorioſus, ad Gothici regni coronam uiribus & armis reuocauit. Io. Magnus lib. 17. c. 5.

### ☞ RECIPERE.

Vẽceſlao, III. Boemorũ rege mortuo, mors per AVLICOS, officia ei licet mortuo tanquã uiuo exhibentes, eatenus ſuppreſſa fuit, dum omnes, qui ære uili mutuo dato, opimas Regis arces pignoris loco poſſidebant, quaſi mandato Regis ad rationem reuocati, pecuniam creditam, certis nominibus deductis, recipere, & arces inuicem reſtituere cõpulſi ſunt. Ac tum demum mors diuulgata, funuſq; regiũ, quo decuit, honore celebratum. Dubrauius lib. 16.

### ☞ AEDIFICARE, RESTAVRARE.

SOLON in Cypro in ſumma gratia fuit apud quẽdam illius regionis regem Philocyprum. Habebat oppidũ hic exiguũ à Demophonte Theſei filio ad Clarium amnem conditum, munito quidem loco, ſed aſpero & ſterili. Ei Solon, cùm eſſet lætus campus ſubiectus, illuc ſuaſit ut urbem trãsferret, amœnioremq; & ampliorem excitaret. Atq; ipſe præſens, ut frequẽtaretur oppidum cultoribus, curam egit, ſociuſq; fuit regis in conſtituendo, eo cùm ad uitam, tum ad ſecuritatem commodiſſimè tuendam. Vnde frequentes incolæ confluxerũt ad Philocyprum, æmulatiq; hoc ſunt cæteri reges. Quare Soloni honorẽ habuit, nominata urbe, q̃ dicta antè Aepea fuerat, ab huius nomine Solis. Plut. in Solone.

ALEXANDER, cùm in Aegypto urbem ædificare decreuiſſet, eis, quos negotio præfecerat, iniunxit, inter paludem & mare, quem locum ipſe diligenter metatus, & ad regiones urbis ponendas partitus fuerat, eam extruerent, uoluitque Alexandriam de ſuo nomine appellari. Cuius poſitio commoda ualde electa eſt, ob uicinitatem portus Phari. Rectéque in uicis diſponendis illud fuit conſideratum, ut omnes flatu uentorũ, qui anniuerſarij dicuntur, inſpirarentur. Diodorus lib. 17.

ANNIBAL Pœnus, deuicto ab Romanis Antiocho contulit ſe ad Armenium Artaxam. Cui cùm alia multa utiliter ſuaſiſſet, etiam notata eius loci, qui iners negligebatur, eximia indole atq; amœnitate, formam ibi urbis delineauit, eamq; deducto eò Artaxæ oſtendit, hortatuſq; eſt ad eam condendam. Quod cùm regi placuiſſet, atq; ab eo contendiſſet, ipſe ut operis curam ſuſciperet: amplam excitauit & magnificam urbem, eamq; ab rege appellauit Artaxã, Tigranis poſtea regiam, atq; caput factam Armeniæ. Plut. in Lucullo.

Vrbs deformis ueterib. incendiis ac ruinis erat. VESPASIANVS uacuas areas, & dirutas domus, deformationi auxilium ferens, conceſſit unicuiq; occupanti, ſi eas ipſi domini ceſſarent aut detrectarent ædificare, reficere, exſtruere. Paucos enim re ſua priuari ſatiùs eſſe, quàm in urbe urbẽ quærere. Aerodius ex Suetonio.

### ☞ FREQVENTARE, POPVLOSAS reddere.

Epheſus olim à templo aliquot ſtadiis diſtabat, uſq; ad Crœſi tempora. Poſtea circa templum habitauêre, uſq; ad Alexandri tempora. LYSIMACHVS condita urbe, quæ nunc eſt, cùm homines non libenter inde commigrarent, uehementi imbre obſeruato foſſas & cannales obſtruxit: unde urbs ſubmerſa eſt, & illi perlibenter traducti tranſmigrauêre. Lyſimachus urbem de uxoris nomine Arſinoen appellauit, ueruntamen antiquum nomen obtinuit. Strabo lib. 14.

ROMVLVS, Romę conditor, ut urbem redderet populoſam, inter arcem & Capitolium (ipſi loco Intermontio nomen fuit) inter duo querceta, umbranti loco, Aſylum conſtituit. Huc ſerui, & qui domeſticis erãt iudiciis obnoxij, uelut ad unicum libertatis & uitæ portum, certumq; perfugium, ex circũiectis urbibus migrabant. Qui benignè accepti, & ad urbem colendam omnibus officiis inuitati, frequentiorem reddiderunt indies ciuitatem. Sabellicus lib. 2. Enneadis 2. At cùm coniugia Romanis deeſſent, per legatos à finitimis connubia petiit. Quib. negatis, ludos Conſualia ſimulauit.

Ad

Ad quos cum utriuſq; ſexus multitudo ueniſſet, dato ſuis ſigno uirgines raptæ ſunt: ut eſt apud Cæcilium.

Furius CAMILLVS quum cenſuram ageret, ut exhauſta ciuitate propter aſſiduas bellorum clades, ciues ſuppeterẽt, legem de maritandis ordinibus tulit: qua inter cætera pœnis coërcuit illos, qui uiduarum nuptias, quarum uiri bello ceciderant, deuitarent. Eos uerò qui ad ſenectutem celibes peruenerant, æra pœnæ nomine ad ærariũ ferre iuſſit. Quã legem Q. etiam Metellus Numidicus iterũ in cenſura promulgauit. Alex. ab Alex. lib. 3. c. 13.

C. IVLIVS Cæſar XXC ciuium millibus in tranſmarinas colonias diſtributis, ut exhauſtæ quoq; urbi frequentia ſuppeteret, ſanxit: Ne quis ciuis maior annis uiginti, minórue decem, qui ſacramento teneretur, plus triennio continuò Italia abeſſet: neu quis Senatoris filius, niſi contubernalis, aut comes magiſtratus, peregrè proficiſceretur: néue hi, q̃ pecuariam facerent, minus tertia parte puberum ingenuorum inter paſtores haberent: omnéſq; medicinam Romæ profeſſos, & liberalium artium doctores, quò libentiùs & ipſi urbem incolerent, & cæteri appeterent, ciuitate donauit. Suetonius in Iulio I.

THEODERICVS Oſtrogothorum in Italia rex, ad frequentandas urbes edicto iuſſit, toto anni tempore, præterquam tribus meſſiũ & autumni menſibus, ciuitates & oppida frequentare, obire munera, quibus antea quietiſſimis Reipublicæ temporibus conſueuiſſent. Non ſolùm enim agreſtes tunc, ſed etiam honeſto nati loco, motibus fatigati, quibus tamdiu Italia iactata fuerat, rura incolebant. Cranzius lib. 3. Succiæ, cap. 13.

Sub ipſam VENETÆ urbis originẽ cùm undiq; magnis pollicitationibus ad nouam urbem incolendam homines rei maritimæ naualiſq; fabricæ periti accerſerentur: neq; ſeruilis fortunæ quenquam, neq; ſicarium ſceleſtúmue aliquem in eam receptum affirmãt. Ex quo manifeſtè apparet, uiros illos optimos urbis conditores noluiſſe naſcentem ciuitatem praua ulla conuenarũ colluuione contaminari. Quod ipſum non modò non fecerunt illuſtrium urbium conditores quidam, ſed ultrò flagitioſiſſimũ quenq; aperto ad hoc ipſum aſylo in ciuitatem euocauerunt. Verùm illi frequentiæ, hi morum ſanctitati nobilitatiq; ſuæ conſultum uoluêre. Sabellicus lib. 1. Decad. 1.

ALFONSVS Albuquercius, Indię prętor, Goa expugnata, Luſitani imperij in India metropolim eſſe uoluit, eaq; ciuitatis fundamenta iecit, quibus nixa, non facilè de ſtatu cõuelli poſſet, ſic ut iuſti in ea exercitus conſcribi & claſſes magnæ ædificari poſſent. Cùm uerò Luſitanas mulieres nõ haberet, quod unum remedium inueniebat: eas, quas bello ceperat, Chriſtianis ſacris expiatas, Luſitanis militibus matrimonio collocabat, eiſq; poſſeſſiones in ea inſula, Saracenis ob perfidiam iure detractas, aſſignabat, eoſq; multis fauoribus atq; præmiis ad eas nuptias alliciebat. Sic factum eſt, ut inſtar Romuli, qui urbem Romam condidit, aut Theſei, qui ciues Atticos è pagis in urbem compulit, aut aliorũ, qui urbium fundatores extitêre, illius urbis, quam armis atque uirtute cepit, conditor appellari poſſet. Oſorius lib. 7. rerum Emmanuelis.

### LOCVPLETARE.

PSAMMETICHVS primus Aegyptiorũ regũ, cęteras nationes ad importanda, quę apud ſe erant, allexit, ſecuritate ſingulis adeuntibus præbita. Diod. lib. 1. c. 5.

### MVNIRE.

SESOSTRIS Aegyptiorum rex, cùm Scythas & Gręcos ſubégiſſet, maximam multitudinem gentium captiuarũ in Aegyptum ſecum duxit: earumq; opera uſus eſt ad lapides immenſæ magnitudinis in templum Vulcani pertrahendos, & ad diuortia aquarum effodienda, ut Aegyptũ priùs equis & plauſtris agendis idoneam cõtra uim hoſtium muniret. Ab eo enim tempore inequitabilis, & plauſtris inhabilis regio extitit, propter multiplices foſſas uniuerſa loca occupantes, in quas Nilus inundans reciperetur, ne loca arida ſiti laborarent. Herodotus lib. 2.

Ex Vindoniſſæ urbis excidio fratres duo Romani euaſerant. Quorum alter ad Argentinẽſem epiſcopatũ euectus, FRATREM pecunia ad ædificandam arcem propè Vindoniſsã impulit, quam Habſpurgum uocant, tot regum & Imperatorum progenie inclytam. Epiſcopus arcem abſolutam audiens, ad fratrem profectus, cùm ędificium rude & infirmũ eſſe uideret, primùm admirari hominis uæcordiam, mox etiam pecuniæ collatæ rationes exigere cœpit. Tum frater: At cras propugnacula & rationes meas uidebis. Noctu interea nobiles & ruſticos uicinos, quorũ uel agros uel operas ea pecunia redemerat, armatos adeſſe iubet, & manè tanquã oppugnaturos ad arcẽ aſcẽdere. Epiſcopus rei ignarus, multitudine ea territ⁹, quaſi hoſtiũ eſſet, à fratre admonitus eſt, Ferreos hoſce muros ſuos eſſe, pecunia redemtos, lapideis longè præſtantiores. Hac ratione epiſcopo ſatis fecit. Stumpſius.

Pragenſes ſub LVDOVICO rege, ſeriùs licèt, ſecũ reputãtes, quòd adunata quàm diuiſa uirtus & fortior & tutior eſſet: duas ciuitates ſuas in unam contraxere, unum magiſtratũ in utraq; ciuitate conſtituere, foſſas complanauere, portas reſeraucre, pœnamq; exilij perpetui contra eum ſanciuere, quiſquis conſtituta turbaret. Dubrauius lib. 33.

### CONSERVARE. AB EXCIDIO prohibere.

Bello uigente inter Tyndaridas & Theſeum ob raptam Helenam, cùm illi Aphidnas occupaſſent & ſororem recepiſſent, Athenienſibus trepidantibus ſuaſit MENESTHEVS, Petei F. ut admitterent in urbem & acciperent benignè Tyndaridas: ut uni Theſeo iniuriæ auctori arma inferrẽt, in cæteros mortales benefici eſſent & eorum ſeruatores. Hoc ipſum euentus comprobauit: nihil enim omnino uictores, quã ut initiarentur, poſtulauerunt: quòd non minus quàm Herculi propinquitas ipſis cũ ciuitate intercederet: quã obtinuerant ab Aphidno adoptati, ut à Pythio Hercules. Plutarch. in Theſeo.

Lampſacenis Alexãder Magnus infeſtis armis imminebat, ob id quòd ad Perſarum regem uel defeciſſent uel deficere cogitarent. Miſſus ad eum fuit ANAXIMENES legatus, qui Philippi & Alexandri res geſtas diligenter deſcripſit, deprecaturus pacem. Cùm Alexander conceptis uerbis iuraſſet, facturum ſe omnia contra quàm ille rogaſſet: Hoc ergo, inquit, abs te, rex, precibus contendo, ut Lampſacenorũ coniuges & liberos in ſeruitutem redigas, urbem totam excindas, & deorum templa exuras. His Alexander ambagibus circumuentus, Lampſacenis inuitus pepercit. Pauſan. lib. 6.

Sparta fœdè à terræmotu concuſſa, rex ARCHIDAMVS ſtatim ex præſenti inſequens proſpiciens diſcrimen, ciueſque cernens ex tectis, quæcunq; cariſſima erant, egerentes: claſſicum cani tanquam aduentantibus pręcepit hoſtibus, ut q̃ ocyſſimè armati ad ipſum concurrerent. Hoc fuit unũ Spartæ ea tempeſtate ſaluti. Ilotæ enim ſerui concurrerunt undique ex agris, ut Spartiatas, qui incolumes eſſent, opprimerent: quos ubi offenderunt armatos & inſtructos, in oppida ſua ſunt dilapſi, bellumq; ex profeſſo fecerunt, adſcitis non paucis finitimis, ac ſimul Spartiatas adorti ſunt Meſſenij. Plut. in Cimone.

---

## AMICITIAE POLITICAE PVBLICæ prudenter conſulere.

*Amicitia & Inimicitia ſibi inuicem ſuccedũt, eaq; propter eiuſdem uidẽtur eſſe conſiderationis. Iam quia Inimicitia omniũ euidentiſs. eſt, quando armis concurritur: fit ut in exemplis congerendis non rarò etiam bellica quædam, quorum locus inter Stratagemata proprius eſt, occurrant.*

### CONTRAHENDO.

*Conſule Tit. Prudentiæ in acquirendo Imperio.*

THALES Mileſius ciuibus ſuis diſſuaſit, ne fœdus cum Crœſo rege Lydorum facerent. Quod quidem cõſilium Mileto ſalutem peperit, cùm deuicto Crœſo Cyrus ſocios regis perſequeretur. Laertius in eius uita.

Cùm Cyrus iunior tribus & octoginta millibus militum conſcriptis, Ciliciam inuaſiſſet, fratrem Artoxerxẽ imperio exuiturus: SYENNESES Ciliciæ princeps accepta fide ad Cyrum acceſſit, unumq; ex filiis ad eum cum idonea Cilicum manu inſtructum miſit: filium alterum clàm ad regem Artoxerxem ire iuſſit, qui nunciaret illi fratris conatus, ſe haud ſponte quidem, ſed inuitum cum Cyro ſocietatem iunxiſſe, beneuolentia nihilominus priſtina, animoq; conſtanti perſeuerare, atque per occaſionem, Cyro relicto, ad partes regias tranſiturum. Diodorus lib. 14.

Quidam ALEXANDRVM commonefaciebant, ut Græcos pro amicis, Barbaros pro hoſtibus haberet. Reſpondit: Satius eſſe, hęc uirtute atq; uitio diuidi. Complures enim Gręcos malos eſſe, & Barbaros probos: ſicut Indos & Arianos, Romanos etiam & Carthaginenſes. Strabo lib. 1.

AGESILAVS, quum à rege Perſarũ eſſent allatæ literæ, quas Perſes unà cum Callia Lacedæmonem perferebat, de hoſpitio, deq; amicitia tractantes, non recepit, ſed iuſſit illos regi renunciare: Nihil eſſe neceſſe priuatim ad ipſum literas mittere: cæterùm ſi perſpicuum foret, illum bene uelle Lacedæmoniis & Græcis, ipſum quoq; illi pro uiribus futurum amicum. Quòd ſi deprehenderetur inſidias tendere, ne pu-, inquit, quòd me ſit habiturus amicũ, etiamſi uehementer multas ab eo recepero epiſtolas. Quid hoc animo ſublimius, cui in omnib. rebus gerendis hic unicus erat ſcopus, conſulere Reipublicæ commodis? Plut. in Lacon.

Cùm in conuentibus Amphictyonicis referrent Lacedęmonij ad conſilium, ut ab eo conſilio arcerentur ciuitates, quæ arma non conſociaſſent aduerſus Xerxem: timens THEMISTOCLES, ne ſummotis à conſeſſu Theſſalis, Argiuis, præterea Thebanis, illi haberent ſemel ad nutum ſuum ſuffragia, atq; ex eorum uoluntate omnia gererentur: patrocinatus eſt hiſce ciuitatibus, & ſententias Pylagorarum circumegit docẽs, quæ conſortes belli fuiſſent, unam & triginta ciuitates eſſe, atq; has magna ex parte planè exiles. Non eſſe igitur ferendum, ſi excluſa à fœdere reliqua Gręcia, cõſilium hoc ad duarum, uel trium ampliſſimarum arbitrium ciuitatum redigeretur. Ex eo incurrit potiſſimùm in Lacedæmonios. Quapropter Cimonẽ prouexerunt honoribus, quò Themiſtocli eum excitarent in rep. aduerſarium. Plut. in Themiſtocle.



CASSANDER ex Apollonia rediens, in ingentẽ Abderitarũ cœtum incidit, qui ranarum muriumq; multitudine patriũ ſolum relinquere coacti, nouas ſibi ſedes quærebant. Veritus ille, ne profuga manus, deſperatione rerũ, Macedoniæ quietem, ſi in eam terram irrupiſſet, ſubito acceſſu turbaret, in ſocios recepit, ictoq; in id fœdere, agrum illis in Macedoniæ finibus aſſignauit. Sab. lib. 7. Enn. 4.

Duo reguli fratres ex Thracia, cùm inteſtina diſcordia laborarent, alter cui Raſto fuit nomen, cum tribus milibus peditũ ad Octauium & M. Antonium ſe contulit, huius frater Raſtupolis pari equitum numero Caſſio & Bruto enixè fauit, in campis Philippicis: cui Raſtus, poſteaquã in Philippis eſt debellatũ, ueniam ab Antonio & Octauio impetrauit. Crediderunt multi ſimulatam fuiſſe eorum diſcordiam, atq; ex compoſito in utriſq; caſtris militaſſe, ut alterius crimini uictoris meritum obſtaret. Sab. lib. 8. Enn. 6.

Cùm Sylla tribunos plebis ſuſtuliſſet, CN. Pompeius reſtituere eos plebi in animo habebat. Nihil enim pop. Rom. inſaniore cupiditate proſecutus eſt, neq; ullum magiſtratũ recuperare, atq; eum, deſiderauit ardentiùs: ut Pompeius pro magna felicitate reputaret illius actionis occaſionẽ. quòd beneficium reperturũ non putaret ſe aliud, hoc ſi alius pręripuiſſet ſibi, quò ciuium repenſaret fauorem. Itaq; tribunos plebis populo reddidit, permiſitq; ut iudicia iterum lege transferrentur ad equites. Plut. in Pompeio.

Theodomiro Oſtrogothorũ regi mortuo filius Theodericus Amalus ſucceſſerat. Iuuenem ſumma uirtute, magniſq; opibus ad res in Illyrico nouãdas inſtructum, adeptus ZENO Imp. ad amicitiam ſuam alliciendum eſt arbitratus. Itaq; ad ſe uenire Conſtantinopolim iuſſum, omni genere honoris excoluit. nam & inter proceres ſui Palatij retulit, & magiſtrum præſentis militiæ fecit, & filium adoptatum inſuper ſtatua equeſtri ænea ante Palatium poſita decorauit. quinetiam Ripenſi Dacia, Mœſiæq; parte donatum, in poſterum annum conſulem deſignauit. Quadriennio pòſt, cùm Gothi ad extremã propter otium à bello inopiam eſſent redacti, Italiam eis occupandã Zeno permiſit, ab Odoacre Herulorum rege iam aliquot annis poſſeſſam. Sigonius libro 15. Imperij occidentalis.

Sub Carolo VII. Francorum rege, cùm Angli Galliæ magnã partem ſubegiſſent, HERCEMBALDVS Buziorum princeps, ut fidem ſuã utriq; regi probaret, è quatuor filiis duos, Ioannem & Vaſconem, quòd indole præſtanti ſpecimẽ uirtutis militaris præberent, ad Francum duxit, orauitq; ut utrum placeret deligeret, cuius fidem ſibi iureiurando deuinciret. Ioannem delegit, & is maximus ſtirpis erat. Ioannes Francicarum, Vaſco Anglicarum partium, acerrimi propugnatores extitêre. Aemilius lib. 10.

CAROLVS Magnus nulli plures ducatus præfecturaſq; aut ſacerdotia conceſſit, dictitans, ſibi & alios demerendos, beneficiiſq; oppignorandos eſſe. Auentinus lib. 4. Annalium Boiorum.

ALPHONSVS Aragonum rex, cùm in agro Matricienſi dubitaret, utrum Franciſcum Sfortiam, an Nicolaum Picininũ in amicitiam & ſocietatem admiſſurus eſſet (erat autem alterum duntaxat, propter illorum inter ſe ſimultates, admiſſurus) Matricienſibus legatis regem adeuntibus, & interrogantibus, utrum Sfortię an Picinino gratulari deberent? Vtroſq; tanquam amicos habendos eſſe, item ab utriſq; tanquam inimicis cauendum reſpondit. Antonius Panormita de rebus geſtis Alphonſi, & Aeneas Syluius de eius dictis.

### CONSERVANDO. SEDITIONES, DEfectiones ciuiles ne oriantur, prohibere.

*Conſule Tit. Leges malas prudenter abrogare. Item, Imperium prudenter conſeruare.*

Pax, harmonicæ rationi mirum in modum congruens, imperiorum ac rerumpublicarum pręſtantiſſimus atq; optimus finis eſt. Nec aliud efficere ſunt conati ueteres illi LEGVMLATORES, cùm ſuos ciues mutuis inter ſe conuiuiis conciliarent. Hinc Minos conuiuia Cretenſium, quæ ipſi *ἀνδρεῖα* uocarunt: Lycurgus *φειδίτια* uel *φιλίτια*: Plato *συμπόσια*: Moſes *σκηνοπηγία*, & magnũ Paſcha feſtis epulis coli iuſſit. Hinc Athenienſiũ *σιτήσεις* in Prytaneo, tum etiam epulæ in Panathenęis ac Theſmophoriis: huic Romanorum Cœnæ in Capitolio & in publicis ſacrificiis, ad idque creati Epulones, quorum exemplo Veneti quatuor publica cõuiuia inſtituerunt. Quinetiam legiſlatores Heluetiorũ, mutuas illas compotationes in Zunftis, hoc eſt, Tribuum atriis, uſurpari uoluerunt, ut non modò ciues agreſtes ac rudes ad humanitatem & honeſtatẽ: ſed etiam ab odio, uindicta, litibus, ad pacem, amorem ac beneuolentiam reuocarent. Quæ omnia pertinẽt ad eam, quæ de cœlo delapſa eſt, regulam, quæq; à Chriſto ſummo legiſlatore in ſacris epulis toties uſurpatũ, ut ſcilicet amemus inter nos. Io. Bodinus Methodi hiſt. c. 6.

Vellere aureo in Græciam aduecto, cogitantib. Argonautis in patriã abire, HERCVLEM ferunt hortatum eſſe ad res magnæ fortunæ obeundas: adegitq; ut iureiurãdo pollicerentur, alterum alteri, ſi opus eſſet, auxilio fore. Elegiſſe autem clariſſimum Gręcię locum ad ſtatuenda certamina, cõcurſuſq; hominum celebrandos: idq; certamen maximo deorum Ioui Olympio cõſecraſſe. Cùm Argonautæ omnes in fœdus cõmunis præſidij iuraſſent, inſtituendorũ cura Herculi demandata: Illum elegiſſe aiunt ad hominum conuentus Eleorum regionem iuxta Alpheum flumen. Vnde iuxta eum loca maximo deorum ſacrata, Olympia ab eo appellantur. Cùm equorum certamẽ palęſtramq; inſtituiſſet, modo certaminum ſtatuto, urbes propinquas ad deorum ſpectacula exciuit. Et gloria famaq; Herculis, expectatione certaminum Olympicorum uulgata, Græcorum omnium, qui clari eſſent, eò concurſus fuit. Diodorus lib. 4. c. 3.

DARIVS rex, quum tributum indixiſſet ſubditis, accerſitos prouinciarum præfectos percõtatus eſt cùm aliis de rebus, tum de tributis, eſſéntne grauia? Quum illi reſpondiſſent, eſſe mediocria: iuſſit ut ſinguli dimidium exigerent. Maluit ſuos beneficio ſibi cõciliare, quàm exarmatos ſubigere. Si dimidium imperaſſet, nec quicquam remiſiſſet, latuiſſet benignitas: nunc exacta dimidians, effecit ut omnes ſentirent beneficium. Plut. in regum Apoph.

CROESVS à Cyro captus, uictori ſuo conſilium dedit optimum, ut quandoquidẽ Perſę natura proterui eſſent, & inopes, ne aliquando opibus elati cõtra Cyrum res nouas molirentur, decimas Ioui omniũ eorum quæ in urbe Sardiorũ locupletiſſima eſſent, uoueret, & nihil ex urbe exportari ſineret. Paruit Cyrus: ſicq; factum, ut neq; odium ſuorũ incurreret, opes illis ui eripiendo, neque occaſionem rebellandi præberet. Herodotus lib. 1.

Chiorum concionator popularis ONOMADEMVS nõ permiſit, cũ in ſeditione fuiſſet ſuperior, ut omnes diuerſæ partis urbe pellerẽtur: Ne, inquit, ſi ſemel ab inimicis fuerimus expediti, certamen nobis exoriatur cum amicis. Plut. in Pręceptis polit. & de Vtil. ex inimicis, & Aelian. lib. 14. Var. hiſt.

PERICLES Athenis LX triremes ſingulis annis emittebat. magnus numerus in his ciuium nauigabat, octo menſes ęra merens, meditanſq; ſimul & diſcens naualem diſciplinã. Adhæc mille colonos Cherſonneſum miſit, Naxũ quingentos, Andrum eius dimidium. In Thraciã mille adſcripſit Byſaltis, in Italiam alios, cùm inſtauraretur Sybaris, quos appellauêre Thurios. eaq; agebat, quò otioſa & ex otio importuna turba urbem leuaret, & populi ſubueniret difficultatibus, timoremq; & præſidium, ne res nouas molirentur, adiungeret ſociis. Plut. in Pericle.

DEMADES, cũ uectigalia publica haberet in manũ ſua, & populus deficientib. ab Alexandro claſſem in auxiliũ mittere decreuiſſet, ſtipendiumq; iuberet ut ille præberet: Habet, inquit, pecuniam ærarium. Confeceram enim ad congiarium, unde capturi uos ſelibras eratis. Sin mauultis eam in hæc expendi, abſumite rem familiarem. Hac ratione, cùm miſſam faceret claſſem populus, offenſam aduerſus Alexãdrum eius reſtinxit. Plut. in Præceptis politicis.

Athenienſibus quibuſdam diuinos honores negantibus Alexandro: Videte, ait DAMOCLES, ne dum cœlum cuſtoditis, terram amittatis. Non minùs ſapiẽter dictum, quàm feſtiuè. Qui enim potenti minora negat, maiora permittit: & immodicus libertatis uſus, ſeruitutis occaſio eſt. Plut.

Cùm perueniſſent ad Suſianam qui ſequebãtur partes Eumenis Cardiani contra Antigonum, publicam concionem indixerunt, in qua multiplex ambitio ſuborta eſt de imperio militari. Peuceſtes enim & propter multitudinẽ ſociorum in pugnando, & propter pręrogatiuam, quam ab Alexãdro habebat, putabat ſeipſum eſſe præficiendum omnium imperio. At Antigenes dux Macedonũ Argyraſpidum declarauit deferendam eſſe poteſtatẽ electionis Macedonib. qui bello ſubegiſſent Alexandro Aſiam, & propter fortitudinẽ inuicti permanſiſſent. EVMENES autẽ formidans, ne propter mutuam diſcordiam facilè uicti ſubiicerentur Antigono, cõſilium dabat; ne unus dux conſtitueretur: ſed omnes ſatrapæ & imperatores è multitudine præpoſiti, in aulã regiam conuenientes, ſingulis diebus conſultarẽt publicè de iis quæ conducerẽt. Alexander enim defunctus conſtitutũ habebat

habebat tabernaculũ,& in eo ſolium, apud quod ſacra facientes conſueuerant conſeſſus habere de rebus urgentib. Omnibus ergo iudicantibus utilem eſſe ſententiam illam, conſeſſus conueniebat ſingulis diebus, tanquam ciuitatis cuiuſdam populari imperio adminiſtratæ. Diod.lib.19.

Cùm ſociorum diſceptatio quædam poſt Lyſandri exceſſum Spartæ eſſet, perrexit ad domum Lyſandri AGESILAVS, ad conſulenda, quæ de ea erant, ſcripta. hæc enim apud ſe aſſeruarat Lyſander. Ibi librum etiam inuenit, quem de repub. Lyſander ſcriptum habuerat, regnum Eurytiontidis & Agiadis eripiendum, & in medio eſſe ponendum, legendóſque reges ex optimis: ne Herculis nepotibus, ſed iis, qui qualis Hercules fuit uirtute, qua ille quoq; ad diuinos honores aſpirauit, eſſent cenſiti, prēmiũ illud deferretur. Hanc orationem inſtitit in lucem pro cõcione proferre, ac Lyſandrum aperire, qui in operto fuiſſet ciuis, ſimul ad traducendum Lyſandri amicos. Verùm Cratidem (in Vitis, Lacratidam appellat) ferunt principem ea tempeſtate ephororum, uerentem, ſi lecta eſſet oratio, ne impelleret ciues, retinuiſſe Ageſilaum, monuiſſéq;, ne refoderet Lyſandrum, ſed orationem etiam cum eo aſtutè & artificioſè concinnatam defoderet. Plut. in Apopht.

Fuit Romæ in Comitio foſſa, quam Mundum uocãt, in quam orbicularem, Vrbe condita, omnium primitias (quibus lege ut honeſtis, natura ut neceſſariis utebãtur) coniici iuſſit ROMVLVS. Mox item terræ portiunculam, unde quis eſſet profectus, conferri: credo ut ſic in ciuitatis unius ac patriæ populũ faciliùs coaleſcerent animi. Cæl. lib.1. c.6. A. L.

ROMANI, ſi quando Tribuni nouis factionibus Remp. turbarent, bello aliquo ſeu de induſtria ſeu caſu excitato, parabant uerſare ciues & diſtinere, ne domi reſides tribunorũ plebis intenderent concionibus & ſeditionibus. Quo remedio ferè ſemper utebantur medicorum more ad motus turbulentos ex ciuitate propellendos. Plut. in Camillo.

Præ cæteris NVMÆ inſtitutis commendatur populi per artificia centuriatio. Nam ciuitas cùm ex duabus conſtare gentibus uideretur, Romanorum ſcilicet & Sabinorum, neq; ullo modo coaleſcere in unum ſuſtineret, ſed aſſiduis partiũ contentionibus conflictaretur: reputans corpora rigida, & quæ per ſe commiſcentur ægrè, temperari mutuò comminuta & conciſa, atq; exiguis portionibus coire: intereſſe putauit, ut multitudinem in plures diſſecaret partes, utq; conjiceret eos ex his in alia diſcrimina, atq; ita primùm ingens illud diſſidium obliteraret diſtractum in minuta. Diuiſit autem ciuitatem per artes tibicinum, aurificum, fabrûm, tinctorum, ſutorum, coriariorum, ærariorum, ſigulorum. Reliquas artes in unum coegit, fecitq; ex omnibus corpus unũ: collegiaq; & concilia atq; ſacra cuiq; ſectæ decentia attribuit. Ita primùm ſuſtulit ex urbe factiones, ne hi Sabini, illi Romani, hi Tatij, illi haberentur & uocarentur Romuli ciues. Atq; hæc diſtractio conſenſus & temperamentum eſt cum omnibus omnium facta. Plut. in Numa.

Quos deos ui ſua ROMANI ueteres obeſſe ſunt arbitrati, in urbem diutiùs non admiſere. Hac de cauſa ædem Bellonæ & Martis extra Capenam, quarto ad urbe miliario conſtructam ferunt, ut à ciuium mentibus inteſtinas clades, ardorémq; cõferendæ manus à ciuili cruore ad hoſtiles pugnas auocarent: utq; domi iugi concordia quietè uiuerent, illos ueluti fomenta præliorum intra urbem eſſe noluêre. Alex. lib. 2. cap. 4.

TARQVINIVS Superbus, ne ſuum ducem Latini agnoſcerent, néue diſcreta inſignia haberent, ex Latinis Romaniſq; faſcibus manipulos miſcuit, ſinguloſq; ex binis fecit. Alex. lib.1. cap. 27.

Bello Africano, Carthagine arcta laborante annona, HIERO ex Sicilia frumentum & alia auxilia Carthaginenſib. miſit. Aegrè ferebat callidiſſimus rex, Punicum nomẽ extinctum iri, ratus Carthaginenſium opes Romanis ſuſpectas id præſtare, ut ipſe charior ſemper pop. Rom. eſſet, quàm ſi ſublato omni æmulationis ſtudio, inſulæ ſecuritas ſe & Syracuſanos Romanis contemtibiles redderet. Quin & Romani ipſi, ut Polybius ſcribit, nihil ad ſociam urbem ſubleuandã, per id tempus, ceſſauêre. Sab. lib.9. Enn.4.

Tarquinius cùm M. Craſſum hominem nobilem, maximis diuitiis, ſumma potentia inter ſocios coniurationis Catilinianæ nominaſſet, quia in tali tempore, tametſi uerũ eſſet indicium, tanta uis hominis magis lenienda erat, quàm exagitanda, ita à SENATV decretum eſt, Tarquinij indicium falſum uideri: eumq; placuit in uinculis retinendum, neq; ampliùs poteſtatem faciendam, niſi de eo indicaret, cuius conſilio tantam calumniam mentitus eſſet. P. Acrodius ex Cicerone, Salluſtio, Dione lib.37.

Perfecerant Cælij, Poſthumij, Sempronij, inter Patritios nobiliſſimi adoleſcentes, ne à Tribuniſplebis lex Agraria promulgaretur. Hoc adeò plebs indignè tulit, ut iis die dicta à Tribunis, ac lite bonis æſtimata, ſi iudicio Senatus obſtitiſſet, ui aliquid molitura uideretur. Itaq; quando capitis nõ agi quireretur, nec uitæ, ſed pecuniæ duntaxat detrimentum in iudicio uerſabatur: SENATVI uiſum eſt, permitti iudicium ſeditionis uitãdæ cauſa, ut paucorũ damnatione furor plebis cõponeretur. Ergo dãnati ſunt abſentes. Sed cùm reorũ bona ſub haſta ueniſſent, ea patres redemêre à licitatorib. damnatiſq; reſtituẽda eſſe cenſuerunt. Dion Halicar. lib.10.

M. CATO cùm populum à Cæſare animaduerteret in Catilinæ coniuratione ſolicitari, atq; ad nouandas res præcipitẽ eſſe: induxit Senatum, ut inopi plebi frumenti congiarium daret. Eo munere populares procellæ conquieuerunt, & fuerunt motus compreſſi. Plut. in Præcept. polit.

Regnum Aegypti uictor C. IVLIVS Cæſar, Ptolemæi Regis Aegypti uxori Cleopatræ fratriq; eius minori permiſit: ueritus prouinciam facere, ne quandoq; uiolentiorem præſidem nacta, nouarum rerum materia eſſet. Suetonius.

IDEM Dictator, occiſo Pompeio, cùm ſcrinia literarum offendiſſet, & dehinc in Africa Scipionis, ne legere quidẽ uoluit, ſed incendio tradidit non uiſas, ne maiora ſuſcitarentur ex literis lectis bella. Plutarchus.

CN. Pompeius, interfecto Sertorio, Perpennam ad ſe pertractum occidit, magna ratione, & ſalubri toti reipub. cõſilio. Siquidem Perpenna cùm literas Sertorij in poteſtate haberet, epiſtolas protulit potentiſſimorum in urbe uirorũ, qui præſentem rerum ſtatum mouere & uerſare rempub. cupientes, Sertorium acciebant in Italiam. Quæ timens Pompeius, ne maiora, quàm reſtincta erant, excitarent bella, Perpennam necauit, & literas ne inſpectas quidem concremauit. Plut. in Pompeio, & Apophtheg.

AVGVSTVS Cæſar, cùm quodam tempore tres partes populi, conſentiente Senatu, tria ei obtuliſſent nomina, Quirini, Cęſaris, & Auguſti, ne unum eligendo, alias offenderet partes, primò Quirinus eſt dictus, inde Cæſar, pòſt in nomine permanſit Auguſti, Vnde eum Vergilius omnibus iſtis appellat nominibus. Seruius in 3. Georg. ab initio.

TVISCO primus rex Germanorum, nulli certum modum agri, aut fines proprios habere permiſit. Sed magiſtratus ac principes in annos ſingulos gentibus cognationibuſq; hominum, qui unà coierunt, quantum eis, & quo loco uiſum erat, attribuebant agri, atque anno pòſt, aliò tranſire cogebant, ne latos fines parare ſtuderent, potentioréſque humiliores poſſeſſionibus expellerẽt: néue accuratiùs ad frigora atq; æſtus uitandos ædificarent, ne qua oriretur opũ cupiditas, qua ex re factiones, diſſenſiones naſcerentur, ut animi æquitate plebẽ continerẽt, cùm ſuas quiſq; opes cũ potentiſſimis æquari uideret. Auentinus lib 1. Annalium.

NEAPOLITANI reges ſingulis annis, ſtatis quibuſdã diebus, nobilibus epulum ad ædem D. Mariæ coronatæ parabant, inuitatis etiam nobiliſſimis matronis, ut animi ciuiũ inter ſe reconciliarentur. Pont. cap.1. de Continentia.

VENETI id maximè prouiderunt, ut princeps ipſe ab uniuerſa ciuitate inprimis amaretur. Inſtitutum igitur, ut quater in ſingulos annos patritios cõuiuio publico exciperet, apparatu minimè inuidioſo, intra palatium ſuũ. Primũ quarta menſis Aprilis luce diuo Iſidoro ſacra: alterum Aſcenſionis Dominicæ die, quo tempore nundinæ frequentes habẽtur, quum princeps Bucentauro naui, deſponſato per anulũ aureum mari, reuectus, eos qui illũ deduxerunt patritios conuiuio excipit. Iunio menſe tertium celebratur conuiuium, quo die Viti & Modeſti feſtus colitur dies. Quartum, diui Stephani luce ſacra, choreis & ſaltationibus exhibitis, & reliquis modeſtioribus ludis in præſentis temporis gratiam. Egnatius lib.2. cap.1.

Henricus Dandulus (qui poſtea dux in Aurei Maſtropetri locum ſuffectus eſt, & Byzantinum imperiũ cum Veneta claſſe & Francorum auxilio de Gręcorum manibus eripuit) potuit imperator propter ſingularem ſuam uirtutem Conſtãtinopolitanus creari, omnium ſentẽtiis in eum inclinantibus: niſi PANTALEO Barbus, unus ex iis qui aderant, patritius Venetus, idipſum fieri diſſuaſiſſet. Mouit, ut opinor, Pantaleonis fortaſſis animũ, quòd uereretur ne nimia hæc fortunæ felicitas Veneto nomini grauiùs in poſterum officeret, Græca gente, pluſquam credi poſſit in Latinum nomen infeſtiore. Egnatius lib.6. c.2.

Menſe Iunio anni MCCCCXCV. Carolus IIX. Rex Galliæ parto Neapolitano regno, domum repetiturus, certum hominem ad Senatum VENETVM miſit, qui ei diceret, ſuum regem nulli unquam homini ſupplicauiſſe: ſcire tantũ uelle, utrum ciuitas amico in ſe, an hoſtili animo eſſet. Ad ea princeps ita reſpondit: Prudentium eſſe hominum, planéque ſapientum, aliorum interdum uoluntati ſe permittere, aliorum opem poſcere, precari: illud in ipſo eſſe, amicúſne an inimicus reipublicę uelit eſſe. Bembus lib.2. Venetę hiſt.

Moriens Ludouicus XII Galliæ rex, ex Anna uxore, quę Franciſci citerioris Britãniæ reguli filia & unica hæres fuit, duas tantùm filias reliquit, Claudiam & Renatam. Claudia Franciſco regi nupſit. Renata autẽ ſalubri PROCERVM Gallorum conſilio extra Galliæ fines, in Italiaq; præſertim, longè ſplendidiſſimè collocanda cenſebatur, ne ſi alicui Gallię procerum potentiſſimo iungeretur, quòd dimidiã maternæ hæreditatis partem ſecum traheret, lis oriri poſſet, cùm aliis liberis Franciſci regis ex Claudia ſuſceptis, tum Gallię regno maximè damnoſa: timebant enim ne inde inteſtini belli ſemina prouenirent. Ea itaq; Herculi duci Ferrarienſi in matrimonium data eſt. Iouius in Alfonſi Ateſtini uita.



In ZOFALENSIVM Aethiopum regis aula, Regũ filij, quos habet ſtipendiarios, nutriuntur: tum ut ea educatione Regem debita fide & amore proſequi ſtudeãt, tum ut illis obſidibus, Rex eorum parentes in officio & fide contineat. Eſt maximo ſemper exercitu cõſtipatus, quamuis ſumma pax & otium cùm omnibus finitimis nationib. ſit illi firmo fœdere conſtitutum. Tunc enim cenſet, ſibi nullum à bello fore periculum, cùm in pace bellum ſemper Regum fortunis impendere ſuſpicatus fuerit. Oſorius lib.4. rerum Em.

FRIDERICVS III. Saxonię dux, Elector, Arces munire, pecunias congerere, ſuperſedit: ne his ceu calcaribus ſtimulatus, leues iniurias bello perſequi cogeretur. Ferendo & diſſimulando reſpublicas rectiùs, quàm inferendo & ulciſcendo adminiſtrari à Chriſtiano principe iudicans. Ioan. Agricola in prouerb. German. Gut macht müt.

## 58 RECONCILIANDO. SEDITIONES Politicas tollere.

☞ *Conſule Tit. Aes alienum prudenter diſſoluere.*

CRETENSES in crebris ſeceſſionibus & bellis ciuilibus, ſi quando ingruerunt hoſtes externi, iuncta inter ſe pace, arma ſociauerunt. Plut. de Pietate erga fratres.

SOLON inter cæteras leges, hanc quoq; ſcripſit: Si ob diſcordiam diſſenſionemq; ſeditio atq; diſceſſio populi in duas partes fieret, & ob eam cauſam irritatis animis utrinq; arma caperentur: tum qui in eo tempore non alterutri parti ſe adiunxerit, ſed ſolitarius ſeparatuſq; à communi malo ciuitatis ſeceſſerit: is domo, patria fortuniſq; omnibus careto, exul & extorris eſto. Legis ſcopus eſt, non augere ſeditionem, ſed bonorum uirorum interuentu, qui ſeſe alterutri parti adiunxerint, compeſcere ſeditionẽ. Quod non fieret, ſi nulli parti ſe adiungerent. Nam qui neutræ parti fauet, neutrius amicus, quin potiùs omniũ hoſtis iudicatur. Atq uni alicui parti ſe fauere ſimulat, hac ſimulatione poteſt ſuæ partis ciues ad mitiorem ſententiam traducere: & ſi ex alia quoq; parre uir aliquis bonus eiuſdem ſtudij reperiatur, facilè ſeditio ipſa componetur. Gellius lib. 2. cap.12. Noct. Att. & Plut. in Solone.

Poſtquam exules reuerſi è Piræo, duce Thraſybulo, urbem eiectis Tyrannis recuperarunt: id inprimis ATHENIENSIBVS curæ fuit, ut nocentiſſimi quiq; de medio tollerentur. In reliquos ſanè ſancita lex eſt περὶ ἀμνηστίας, ſiue περὶ τοῦ μὴ μνησικακεῖν. Deinde quantum ad eos attinet, quorum à Tyrannis pecuniæ publicatæ eſſent, iis ager publicè datus eſt. Sed & poſtremò de iis pecuniis (centum erant talẽta) quæri placuit, quas ij mutuati eſſent à Lacedæmoniis, qui dum ſeruire mallent, quàm ſua perdere, in urbe remanſerant. Ergo indicta concione de reddenda pecunia, cùm multis æquum eſſe uideretur, ut hi Lacedæmoniis ſatisfacerent, qui mutuò ſumſiſſent, non ut in communem utilitatem uterentur, ſed qui bellum gererent aduerſus Rempubl. quæ ſanè tum in Piræo fuit, non Athenis: populus tamen ſapientiſſimè ſciuit (cùm uitandæ nouę ſeditionis cauſa, tum quia certum eſſet, ſi non ab his aut illis, at profectò ab Athenienſib. atq; nomine publico ſumtam eſſe pecuniam) ut id æs omnium commune eſſet. Iſocrates in Areopagitico. Xenophõ lib.2. Aemilius Probus in Thraſybulo, & Iuſtinus lib.10.

HERACLITVS philoſophus in ſeditione rogatus, ut apud populum ſententiam diceret, quo pacto ciuitas redigi poſſet in concordiam? cõſcenſo ſuggeſtu, popoſcit calicem aquæ frigidæ, & paululum farinæ inſperſit, mox de glechone admiſcuit (id eſt, uel pulegij ſylueſtris, uel leguminis genus) dein epoto calice, diſceſſit, nec uerbum addidit. Hoc pacto innuens, ita demum ciuitatem carituram ſeditionib. ſi repudiatis deliciis, aſſueſcerent parào contenti eſſe. Et hîc Heraclitus ſuo reſpondit nomini. nam σκοτεινὸς dictus eſt, id eſt, tenebricoſus. Eraſmus lib. 8. Apoph.

Cùm ALEXANDER Amyntæ Macedonum regis F. Perſarũ legatos à Megabyzo Darij præfecto miſſos in conuiuio interfeciſſet, cumq; magna horum uirorũ inter Perſas inquiſitio fieret: Alexander illos prudenter occupauit, tum multa aliis pecunia, tum ſorore ſua, nomine Gygæa, Bubari data, uiro Perſæ, uni ex inquiſitoribus interfectorum. Ita horum Perſarum cædes deprehenſa, ſed ſilentio ſuppreſſa eſt. Herodotus libro 5.

MARDONIVS poſt rem malè geſtam à Xerxe apud Salaminem, ueritus ne plecteretur, quòd ad inferendũ Græcis bellum regem incitaſſet, ut Xerxẽ aliqua ratione placaret, ſuaſit illi, ut claſſe omiſſa, pedeſtri exercitu Peloponneſum inuaderet: aut ſi domum redire mallet, ſibi triginta myriades delectorum militum daret, quibus pollicebatur ſe ſubacturum Græciam. Neq; enim uires Perſarum in nauibus ſitas, ſed in exercitu terreſtri. Xerxes poſterius conſilium amplexus eſt: & Mardonius pro pœna, quã merebatur, ſummus imperator creatus eſt. Herod. lib.8.

Venit aliquando LEO Byzantius cum Athenienſibus in ciuili diſcordia acturus. Quem ut conſpexerunt puſillum, deriſeruntq;: Quid ſi uxorem meam, inquit, uideretis, quę uix ad genu meum pertingit? Indè maiore excitato riſu: Atqui nos, inquit, licèt ita breues, cùm inter nos rixamur, urbs Byzantinorum non capit. Plut. in Politicis.

ARATVS Sicyonius, eiecto Nicocle tyranno, accepit dono à rege Ptolemæo uiginti quinq; talenta: accepta egenis ciuibus ſuis cùm in alia, tum ad redimendos captiuos dilargitus eſt. Quia uerò placari non poterant exules, qui prædiorum ſuorum poſſeſſores fatigabant, uenit ciuitas in periculum extremum exitij. Quare unicam ſpem uidẽs Ptolemæi liberalitatem, perrexit nauigare & rogare regem, ut argento ſibi ad cõciliandam ciuitatem ſuam ſubueniret. Magnis igitur periculis in Aegyptum nauigans, à rege accepit dono ciuitati ſuæ centum quinquaginta talenta, ex quib. quadraginta ſtatim ſecum auferens, in Peloponneſum nauigauit. Reliqua per portiones diuiſa miſit deinceps ei rex minutatim. Erat igitur magnificum, uel tantum ciuibus argenti paraſſe, cuius exigua portione alij duces & concionatores accepta, redemti à regibus ius uiolabant, addicebant ſe obnoxios, patriaſq; ſuas propinabant. Enimuerò magnificentior hac pecunia fuit comparata pauperibus cum diuitibus reconciliatio concordiaque, populo autem uniuerſo ſalus & ſecuritas. Creatus ad exulum querelas componendas diſceptator, cum libera prorſus poteſtate & arbitrio, non ſuſcepit id ſolus, ſed allegit ſibi quindecim ciues, quibuſcum multo labore & ingenti negotio confecit ciuibus inter ſe concinnauitq; amicitiam atque concordiam. Plutarchus in Arato.

Galli, priuſquam Alpes ſuperaſſent, & inſiderent eam Italię oram, quàm nunc tenẽt, fœda agitati & acri ſeditione ad inteſtinum exarſerunt bellum. Hic FEMINÆ ſe inter infeſtas acies intulerunt, ac ſuſceptam controuerſiã tam æquabili diremerunt arbitrio, ut mirifico amicitiæ uinculo & publicè & priuatim omnes conglutinarentur. Hinc mos inoleuit, ut pacis & belli cum feminis conſilia inirent: ſi quæ cum ſociis quæſtiones inciderent, earum arbitrio has committerent. Atque in fœdere, quod cum Annibale icerunt, hoc inſeruerunt caput: Siquid de Carthaginenſibus querantur Galli, Carthaginenſium in Hiſpania præfecti & duces diſceptanto. Sin Carthaginenſes de Gallis, Gallorum coniuges. Plut. de Virtutibus mulierum.

HERSILIÆ conſilio, quæ Romulo nupſit, uel, ut alij aiunt, Hoſtilio, Sabinę pręlium diremerunt, & patres maritis conciliarunt. Eiuſq; conſilio inter Sabinas agitatum ferunt, uirorum permiſſu, ad Tatium regem & parentes, aliquot feminas ex ſuis popularibus mitterent, quæ ſuppliciter de pace cum his agerẽt. Miſſas itaq; triginta numero matronas, à quarum nominibus ſint totidem in urbe Curiæ nominatæ. Alij quingentas habent. Sabellicus libro tertio, Enneadis ſecundæ.

Romulus ad Capræ paludem ſacra obiens, orta tempeſtate, incertum qua ſorte, diſparuit. Plebe in concionem reuerſa, rex requiſitus & deſideratus eſt. At non permiſere principes, de eo ut inquirerent curioſiùs: ſed ut omnes colerent Romulum, iuſſere, ut ad ſuperos raptum, qui ex bono regẽ uolens propitiusq; ipſos ſoſpitaret. Vulgus eo audito, perfuſum gaudio & bona ſpe, cùm pacem precibus popoſciſſet, domum ſe recepit. Fuêre autem nonnulli, qui factum in diſquiſitionem uocarent acerbè & inuidioſè, patreſq; percellerent, & infamia aſpergerent, quaſi ridicula illi populo perſuaderent, cùm regem ipſi ſuſtuliſſent, exoſi eum ob regiam potentiam. Ibi uir inter patres nobiliſſimus & ſanctiſſimus, Romuloq; fidus ac familiaris, ex iis, qui ex Alba cũ eo commigrauerãt Romam, progreſſus in forum IVLIVS Proculus, & tactis ſacris in concione iuratus dixit, Romulum iter facienti ſibi auguſta ſpecie & humana maiore, armis fulgentibus & coruſcantibus ornatum, obuium ſe dediſſe. ad aſpectũ ſe eius, horrore perfuſum dixiſſe: Quo noſtro merito, rex, quáue de cauſa iniuſtis nos & grauibus calumniis ſubieciſti, totamq; ciuitatem in immenſo deſtituiſti luctu? Reſpondiſſe illum: Diis uiſum eſt, Procule, poſtquam tam diu inter mortales uiximus, atq; urbem ad ſummam ſpem condidimus imperij & glorię, ut inter cœleſtes, ex quib. eramus, reciperemur. Vale itaq;, & nuncia Romanis, ut temperantiam & rem militarẽ colãtes iis artib. futurã caput orbis Romam. Ego uobis propitius deus adero Quirinus.

rinus. Hæc nuncianti, propter uitę innocentiam & iuſiurandùm fides fuit. At enim ſimul diuinum quendam quaſi furorem animos uulgi ferunt corripuiſſe, neminem negaſſe: ſed ſuſpicione depoſita omni & calũniis, pacẽ Quirini precib. expoſciſſe, deumq́; eũ conſalutauiſſe. Plut. in Romulo.

Cùm plebs Romana ære alieno preſſa in montẽ Sacrum ſeceſſiſſet, iuxta ripam Anienis: patres ex maioribus natu moderatiſſimum quenq; & maximè popularem miſerunt ad plebem. Princeps legationis fuit MENENIVS Agrippa. Hic partim obſecrans, partim ſenatũ defendens, in extrema oratione ad figuram peruulgatam fabulæ delapſus eſt. Nam omnes hominis partes coniuraſſe ait contra uentrem, queſtas ſolũ ignauum in homine & immũnem quieſcere, omniaq́; illius quæri auiditati ingẽti ſuo labore & miniſterio: uentrẽ uerò ſtultitiam earum deriſiſſe, ignorantium recipere quidẽ alimentũ intra ſe omne, ſed reddere id ex ſe, & diſtribuere in alias. Eadem, inquit, ratio, Quirites, patrum eſt uobiſcum. nam rectè atq; ordine deliberata apud eos conſilia cœptaq́;, omnibus uobis adferunt & diſpertiunt utilitatem atq; fructum. In concordiã deinde conceſſum eſt, poſtulaueruntq́; à ſenatu, & obtinuerunt, ut quinq; uiri crearentur, quibus auxilij latio eſſet, qui nũc Tribuni plebis uocantur. Primos creauerũt, quos ſeditionis auctores habuerant, Iunium Brutum & Sicinium Vellutũ. Liuius habet C. Licinium & L. Albinum. Ciuitate reconciliata, plebs confeſtim arma cepit, & obnixè imperata ad bellum fecit. Plut. in Coriolano, & Val. Max. lib. 8. cap. 9.

M. Coriolano infeſtis Volſcorum ſignis Romam properante & legatos omnes, etiam pontifices pacem petẽtes auerſante, Mulieres præſenti periculo perculſæ templa agminibus complerant: deorúmq; ſimulacris cum lacrymis obuolutę, pacem precabantur. Ibi VALERIA Publicolæ ſoror, femina ſingulari prudentia, cæteras matronas hortata eſt, ut Veturiam Coriolani matrem, & Volumniam uxorem unà omnes adirent, eaſq́; precib. compellerent, ut in caſtra ad Martium contenderẽt, urbis excidiũ deprecaturę. Sab. l. 9. En. 2. VETVRIAM matrem, & uxorẽ Volumniam, cæteraſq́; matronas Romanas in caſtra egreſſas, ut uidit Martius, uictus animo properè illis occurrit, ac primùm matrẽ perdiu oſculatus, inde uxorem ac liberos, nullum modum lacrymandi & complectẽdi eos fecit. Mater ex precib. in iram uerſa, ait: Sine, ut priuſquã complexum accipiam, ſciam an ad hoſtẽ, an ad filiũ uenerim, captiuáne, an mater in caſtris tuis ſim? In hoc me longa uita & infelix ſenecta traxit, ut exulẽ, deinde hoſtem te uiderem? Potuiſti populari hanc terram, quæ te genuit atq; aluit? Niſi te peperiſſem, Roma nõ oppugnaretur: multaq́; inſuper addidit complorando, quib. & uxoris ac paruulorum fletibus motus, matrem complexus: Expugnaſti (inquit) & uiciſti iram meam patria: precibus huius admonitus, cuius utero conceptus, te uenia. Noctéque elapſa Volſcos reduxit. Val. Max. lib. 5. cap. 4. Liuius lib. 2. Dec. 1. Polyænus lib. 8. Plut. in Coriolano.

Captis Veiis dictator Fur. Camillus auctor fuit, ut decima Veientanæ prędæ, quam pro uictoria fouerat, Apollini perſolueretur. Pontificum decreto edictum, ut quicunq; ex ea prędà attigiſſet, ſe domumq́; ſuam ſolueret religione, decimã partem eorum, quæ bello capta eſſent, ad donum Apollini mittendum, in publicum conferret. Auertit ea res MVLTITVDINIS ſtudium à Camillo, materiamq́; poſtea prębuit inimicis illius ad populum criminandi. Ad quam inuidiam eximendam, Pontifices Camilli iuſſu & patrum adhibito, omnem Veientanam prædam cum muris & agro æſtimarunt, quanti ſcilicet incolumes adhuc Veij æſtimari potuiſſent: tantumq́; eſt pecuniarum ex publico depromtũ, ut decimam rerum omnium partem exæquaret. Sabellicus lib. 9. Enneadis 3.

Quum Romani grauiter ferrent TVSCVLANOS Volſcis in bello cõtra ſe fauiſſe, miſiſſeq́; aliquot milites publico conſilio: mandarunt Furio Camillo bellum, ut Tuſculanos tanquã fœdifragos expugnaret, puniretq́;. Accepto igitur exercitu Camillus, ac rectà Tuſculum pergens, quũ iam Tuſculanorum fines intraſſet, non demigratum ex propinquis itineri locis, non cultus agrorum intermiſſus: ac patentib. portis urbis, togati obuiam frequentes Imperatorib. Romanis præceſſere. commeatus exercitui comiter in caſtra ex urbe, & ex agris deuehitur. Camillus caſtris ante portam poſitis, eadémne forma pacis, quæ in agris oſtentaretur, etiam intra mœnia eſſet, ſcire cupiens, ingreſſus urbem, ubi patẽtes ianuas, & tabernis apertis propoſita omnia in medio uidit: intentoſq́; opifices ſuo quemq; operi, & ludos literarum ſtrepere diſcentium uocibus, ac repletas ſemitas inter uulgus aliud puerorum, & mulierum huc, atq; illuc euntiũ, quà quemq; ſuorum uſuum cauſæ ferrent: nihil uſquã non pauidis modò, ſed ne mirantibus quidem ſimile circumſpiciebat: omnia inquirẽs oculis, ubinam bellum fuiſſet. adeò nec amotæ rei uſquam, nec oblatæ ad tempus ueſtigiũ ullũ erat, ſed ita omnia cõſtanti tranquilla pace, ut eò uix fama belli perlata uideri poſſet. Victus igitur patientia hoſtium Camillus, ſenatum totum uocari iuſſit: Soli adhuc, inquit, Tuſculani, uera arma, ueraſq́; uires, quib. ab ira Romanorũ ueſtrà tutaremini, inueniſtis. Ite Romam ad ſenatũ, æſtimabunt patres, utrum plus antè pœnę, an nunc ueniæ meriti ſitis. non præripiam gratiam publici beneficij: deprecãdi poteſtatem à me habueritis, precibus euẽtum ueſtris ſenatus, qui uidebitur, dabit. Quum igitur Tuſculani Romam iuiſſent, inq; ſenatum admiſſi pauca quæ ad hoc pertinere uidebantur, dixiſſent, tum à ſenatu pacem, nec multo pòſt ciuitatem etiam impetrauerũt. Liuius Dec. 1. lib. 6.

Tib. Gracchus Tribunus plebis legem Agrariã protulerat, tanto populi aſſenſu, ut tolli lex ſine urbis & imperij cõcuſſione non poſſet. Prouidit in extremis caſibus SENATVS, & ipſum quidem tribunũ capitali ſupplicio affecit, & agrũ ſecundum legem pro uirilibus portionibus inter ciues diſtribui paſſus eſt. Sic auctore extincto, lege ſeruata, cauſam tumultus extinxit, diuerſiſq́; modis ciuili diſcordiæ & in præſens & in poſterum occurrit. Petrarcha.

HERODES Iudæorum rex, tertiam tributorum partem remiſit regni ſui ſubditis, prætextu quidem ut poſt ſterilitatem ſe reficerent, re autem uerą ut placaret eorum animos, offenſos regis operibus, qui templa Cæſari erigeret, & in gratiam Rom. omnia faceret, quæ uidebantur ad religionis & bonorum morum perniciem tendere. Ioſephus lib. 15. cap. 13. Antiq.

Necatis Catilinæ coniuratis, & C. Iul. Cęſare ob crimina & calumnias in ſenatu iactatas ad populum confugientẽ, multaq́; ægrotantia & putrida ciuitatis membra concientẽ atque ad ſe trahente: timens M. CATO auctor fuit ſenatui, ut inopem & turbulentam multitudinem frumenti congiario deliniret. In quam rem etſi impenderetur anno trecenties H-S, hac planè benignitate & munificentia tamen minæ ſunt illæ diſcuſſæ. Plut. in Catone minore.

AVGVSTVS, quum iuuenes nobiles ac dignitate claros inter ſe tumultuantes uellet compeſcere, nec auſcultarẽt illi, ſed tumultuari pergerent: Audite, inquit, iuuenes ſenem, quem iuuenem ſenes audierunt. Auguſtus enim adoleſcens ad Remp. peruenit, ſummaq́; fuit auctoritate. Hac ſola uoce illos coercuit, nec aliud ſupplicium ob concitatum tumultũ exegit. Plut. in Rom. Apoph.

Cùm ad EVNDEM delatus eſſet L. Cinna adoleſcẽs nobilis, ac Pompeij nepos, quaſi inſidias ipſi ſtrueret, conaretúrque eum ſacrificantem interficere: Auguſtus Liuiæ uxoris conſilio, nihil uiolenti in illum molitus, eum accerſit ad colloquium: uenienti alteram cathedram poni iuſſit. Dein allocutus eum, Hoc, inqt, Cinna, primùm abs te peto, ne me loquentem interpelles: dabitur tibi loquendi tempus. Et commemoratis pluribus in eum beneficiis quòd ſeruaſſet repertum in caſtris hoſtium, quòd patrimonium omne conceſſiſſet, quòd inſuper ornaſſet ſacerdotio: rogauit, Quare putarit ipſum occidendum? Perturbato Cinna, ſic finiit obiurgationem: Vitam tibi, Cinna, iterum do, priùs hoſti, nũc inſidiatori ac parricidæ. Ex hodierno die inter nos incipiat amicitia: contendamus, utrum ego meliori fide uitam tibi dederim, an tu mihi debeas. Et conſulatum obtulit. Hacq́; ratione impoſterum Cinnam habuit perpetuò amiciſſimũ: ſolus illi fuit hæres, nullis ampliùs inſidiis ab illo petitus eſt. Suetonius in eius uita.

Interfecto Caio Imp. cùm Germani milites cædem Imp. uindicare cuperent, & ſtrictis gladiis theatrum inuaſiſſent, omnes interfecturi: ARVNTIVS homo gratioſus, qui uocalis erat, utpote præco rerum uęnalium, parauerat q́; ſibi ex eo quæſtu diuitias ingentes cum pari potentia, theatrũ ingreditur habitu quàm maximè ad luctum cõpoſito. Quamuis enim infenſiſſimus eſſet Caio, tamen urgente præſentis diſcrimine ad diſſimulandam lætitiam, præferens inſignia mœroris omnia, quibus uti mos eſt in chariſſimorum deſiderio, nunciat eius mortem, non paſſus multitudinem diutiùs ignorare quæ acciderant. Deinde cœpit reuocare Germanorum impetum, ſimulq́; tribuni iubebant gladios recondere, ſignificantes imperatoris interitum. Quæ quidem certiſſima ſalus fuit conſtipatæ in theatro multitudinis, & eorum qui quomodocunq; inciderent in Germanos: qui ſi aliquam ſpem incolumitatis imperatoris habuiſſent, à nullo abſtinuiſſent maleficio: adeò illum diligebant, ut ſuarũ animarum iactura redemtam ſalutem eius cuperent, nullo reſpectu calamitatis reipublicæ. Interea ſenatus in curiam conuenit, populuſq́; in comitium confluens, trucidatores Caij quærebat, & is quidem ſerio: SENATVS uerò tantũ in ſpeciem. Cumq́; VALERIVS Aſiaticus uir conſularis progreſſus eſſet ad tumultuantes & indignantes latere interfectores Cæſaris, multis eum rogantibus, Quiſnam eſſet eius cædis auctor? Vtinam ego, inquit. Conſules autem edictum propoſuerunt, in quo continebatur Caij accuſatio, iubentes ut domum redirent, tam populus quàm milites, populo quidem magnam relaxationem pollicẽdo, militibus uerò prẽmia, ſi modò nihil turbarent & abſtinerent ab iniuriis. nã metus erat, ne exaſperati clade aliqua ciuitatẽ afficerẽt, néue ad rapinas uerterẽtur & ſacrilegia. Ioſeph. li. 19. c. 1.



CLAVDIVS Cęſar, imperio ſtabilito, nihil antiquius duxit, quàm id biduum, quo de mutando Reipublicæ ſtatu hæſitatum erat à Coſſ. & Senatu ueterem libertatem aſſerturis, memoriæ eximere. Omnium itaq; factorum dictorumq́; in eo ueniam & obliuionem in perpetuum ſanxit, ac præſtitit: Tribunis modò ac centurionibus paucis è coniuratorũ in Caium numero interemtis, exempli ſimul cauſa, & quòd ſuã quoq; cædem depopoſciſſe cognouerat. Suetonius.

Seditionem Romæ inter plebem ac milites excitatam, in quã permultum ſanguinis effuſum eſt, ſenior PVPIENVS Imperator, non oratione, non imperij maieſtate frenare potuit: quin ſaxis quoq; ipſemet petitus eſt. Quamprimùm aũt infantulum Gordianum ſeditioſis oſtendit, uirtutem, meritaq́; ac mortẽ aui & patris, ſupplex populo ac militib. commemorans, omnes ſtatim arma abiecerunt. Fulg. lib. 8. c. 10.

SCORIO, Dacorum dux, quum ſciret diſſociatum quidem armis ciuilibus populum Romanum, nõ tamen occaſione inde arrepta laceſſendum exſtimulandúmue arbitrabatur: quanquam imperita uulgi temeritas non deeſſet, multa & præclara ſubinde minantis: quoniam uelut ex ſpecula proſpectans, conciperet, poſſe obtingere, ut bello externo ingruente, domeſtica reſtinguerentur incendia; & uoluntatũ coalitu in idem tendentium, funeſtior peregrinis infligeretur clades. Popularium uerò animos lepidè repreſſit reprehenditq́;. Canes ſiquidem duos ipſis inſpectantib. commiſit, iiſq́; mox acriùs ac perinimiciter compugnantib. lupum ingeſſit: eum uerò illi, omiſſa protinùs inter ſe ira, ut cõmunem hoſtem alacriter inuadentes confecêre. Quo exemplo ingenij perſpicacis dux, & in coniectandis rebus ſolertiſſimi, ab impetu Romanis profuturo barbaros inhibuit. Quibus id propè ſolenne ſemper fuit, ut bellum externũ diſcordia excitaret inteſtina: rurſumq́; auerteretur hæc hoſtili malo ceruicibus imminente. Cælius lib. 17. c. 25. A. L.

In Niceno concilio cùm multi epiſcopi loco ſententiæ indignas finitimorum epiſcoporum criminationes deferrẽt, ac libellis prodendis cauſas ab eo cognoſci poſtularẽt, CONSTANTINVS Magnus libellis in ſinum ſine ulla lectione coniectis, inquit: Deus uos ſacerdotes conſtituit, & poteſtate de nobis iudicandi affecit. & ideo nos rectè iudicamur à uobis, uos autem nefas eſt ab hominibus iudicari. Quare Dei ſolius inter uos iudiciũ expectate, & ueſtra iurgia, quęcunq; ſunt, ad illud diuinum examen reſeruate. Ego enim, ſi epiſcopum delinquentem uiderem, non ſolum à iudicando abſtinerem, ſed ueſte etiam mea contegerẽ, quoad poſſem. Quod uerò inſtat, propoſitam ſanctæ Trinitatis cauſſam, ſine ulla animorum ſimultate, tranſigite. Atque his dictis ſimul omnes delationum commentarios iuſſit exuri. Sigonius lib. 3. Imp. occid.

Cùm Theodoſius Imp. ANTIOCHENIS grauiter ſuccenſeret, eò quòd tributum perſoluere nollent, & ſeditione mota ſtatuam Placillæ uxoris multis contumeliis affeciſſent: plebs furore in pœnitentiam conuerſo, publicis ſupplicationibus carmina quædam luctuoſa, & ad commiſerationem mouendam idonea, numeroſo concentu cantauit: ſuumq́; epiſcopum D. FLAVIANVM, qui pro eis deprecaretur, ad Imperatorem miſit. Is arte quadam adoleſcentulos, qui ad Imperatoris menſam canere ſolebant, aggreſſus, ut miſerabilia illa carmina, quibus in ſupplicationibus Antiocheni utebantur, canerent, effecit. Eis Imperator commotus, cùm phialam manibus teneret, lacrymis abſtinere non potuit, urbiq́; illi per libationem conciliatus eſt. Nicephorus lib. 12. cap. 43.

Orta Byzantij ſeditione, eaq́; adeò inualeſcẽte, ut ANASTASIVS Imp. impius nulla ui eam reprimere poſſet: mittit pręcones, qui uociferentur: Se quidem paratũ eſſe Imperij ſceptra deponere, uerùm impoſſibile eſſe, ut omnes illis potiantur: ſed ex omnibus unum futurum, qui poſt ipſum imperet. Populus hæc audiens, obſecrauit Anaſtaſium, ut coronam retineat, ac ſimul ſe quieturum pollicitus fuit. Euagrius lib. 3. cap. 44.

Ea nocte, quæ Alexij Branę, ob affectatum imperium ad Conſtantinopolim cum exercitu ſuo ab Iſaacio Angelo Imp. ceſſi, interitum eſt conſequuta, Græcus ignis ædificiis ad fretũ ſitis iniicitur. Poſtridie mane Latina cohors Conradi Cæſaris, Montisferrati Marchionis (qui eo in bello utilẽ Iſaacio nauauit operam) urbe egreſſa omnia diripuit. Ad quem tumultum cùm opifices Latinorum ædes direpturi concurrerent, cædes ingens opificum eſt facta: ac toto ueſpere uſq; ad crepuſculum malum illud durauit. Manè autem cùm Romani (hoc eſt Græci) maiore impetu ad ſecundum prælium ſe pararent, cùm clari uiri ab Imperatore miſſi eos repreſſerunt, tum LATINI ſolerti commento ſtultis fucũ fecerũt, ac multũ de feruore illo reſtinxerunt. Romanos enim quì in pugna ceciderant Latinis ueſtibus indutos, raſiſque barbis in ſuarum ædium ueſtibulis collocatos pro popularib. ſuis lamentati ſunt: & iis qui ab Imperatore aderant, illos monſtrando, rogarunt, ne denuò committi prælium, ſéue bis iiſdem cladibus quas cernerent, affici paterentur. Qui cùm illa ad opifices perferrent, & monerent, ut ea Latinorum calamitate exatiarentur, uix tamen pacem impetrare potuerunt. Nicetas lib. 5.

Ann. 1169. Genuæ gliſcentes indies tumultus inteſtini, egregiè noua CONSVLVM prudẽtia ſunt compreſſi. Quippe cùm in urbe ſeditio ſæuiret, in agro uerò cædes ac latrocinia ob conſularis deſpectum poteſtatis: impunè quotidie patrarẽtur, Conſules, ut huic morbum ſanarent, cohortem trecentorum hominum aſciuerunt, & cum ualida militũ manu in agrum egreſſi, quæſtiones de commiſſis maleficiis ſeueriſſimas habuerunt: quoſq́; admiſſi flagitij conuicerunt, uariis eos ſuppliciorum, multarumq́; generibus affecerunt. Inde ad urbana mala coercenda cõuerſi, ciues omnes ſacramento adegêre, ſe enixè præceptis ſuis obſequuturos. Cæterũ diſcordias componere ciuiles ingreſſis, magna eſt illa difficultas obiecta, quòd multi ſingulari ſe certamine prouocarant, neq; ſine pugnæ commiſſione in gratiam redire ſaluo honore ſuo ſe poſſe aſſeuerabant. Qua re cognita Cõſules huic incommodo ſic ſibi occurrendum putarunt. Quippe aream in platea epiſcopali parari ipſis in ſpeciem pugnatoribus præceperũt, neq; interim precib. propinquorũ rogantium, ne tantum effundi ciuilis ſanguinis paterentur, ſimulata obſtinatione ceſſerunt. Poſtridie uerò Conſilium uocauêre, atq; eò reliquias S. Io. Bapt. ex conſenſu archiepiſcopi pertulêre. Ibi cùm eſſent, tum archiepiſcopus & Cõſules certatim ipſos qui aderant principes factionum, ſummis orare precibus inſtiterunt, ut familias ſuas ſimultatibus, ciuitatem diſſidiis, urbem cædibus liberarent: condonarent autem iniurias ſuas Conſulibus, condonarent antiſtiti, qui totius nomine ciuitatis orarẽt. Quòd ſi ſe tanto indignos beneficio exiſtimarent, ſaltem beatiſſimi ipſius Ioannis rationem præſentis haberent, qui nobis Chriſtum ipſum humanæ pacis auctorem & largitorem digito demonſtraſſet: cuius ſanctiſſima præcepta uiderent, ne cum ipſius exitio corporis animæq; ſuæ deſpicerent. Quibus uocibus ipſi factionum principes uicti, uſq; adeò iras remiſerunt, ut extemplò lacrymãtes oſcula pacis obtulerint, ac ſe redire in gratiam ſucclamarint. Exinde Conſulibus debita eſt auctoritas attributa. Sigonius lib. 14. regni Ital.

Innocentius II. Pp. in Galliam fugerat Anacletum II. Antipapam. Ab epiſcopis & Ludouico rege obuiã progreſſis exceptus, inde à Gaufrido Carnotenſi epiſcopo Carnotum adductus, Henricum Anglorum regem cum maximo epiſcoporum principumq; ſuorum comitatu obuiam habuit. Eo uerò inuitis epiſcopis ſuis Innocentiũ recipere non audente, BERNARDVS Clareuallenſis abbas qui aderat, Quid hæſitas? inquit: an, ne Deo diſpliceas, & piaculum contrahas? cogita de aliis peccatis tuis quid ei reſpõdeas: iſtud uerò fac mihi relinquas. Atq; ita illum ad colendum impulit. Sigonius lib. 11. regni Ital.

Mortuo Anacleto II. Antipapa, Cardinales eius, ut, aliqua interpoſita mora, commodiùs ſeſe in gratiam Innocentij II. inſinuarent, Gregorium Romanum Cardinalem ſublegerunt, ac pro pontifice cultum, Victorem IIII appellauerunt. BERNARDVS aũt Clareuallenſis, quì Romæ erat, pernicioſo finem diſſidio pro eximia ipſius erga eccleſiam Romanam beneuolentia quærens, noctu ipſum adiit, & cũ eo collocutus, ad inſignia deponẽda, atq; ipſius Innocẽtij accipiendum imperium, pro ſumma, qua apud omnes ualebat, auctoritate, adduxit. Itaq; Victor ad Innocẽtium à Bernardo perductus, ueniã facilè, cũ poſceret, impetrauit. Idẽ.

ERICVS Gothorum ſimul & Danorũ rex, Algothi F. cùm conſpitationem quandam contra ſe factam comperiſſet, quos maiore ſuſpicione notatos habebat, eos maioribus beneficiis ſibi obnoxios fecit, maiorem tributorum partẽ relaxauit, præfatus ſe longè feliciorem ex fide, quàm ex pecunia ciuium fore: nec tantum ſibi lucra prodeſſe poſſe, quantum odia obeſſent. Io. Magnus lib. 4. c. 11.

OLAVS cognomẽto Tretelia, poſt infelicia patris Ingelli fata Gothiam & Sueoniam regebat. Biornus & Iuarus Regneri Danorũ regis FF. uniuerſam Gothorum & Sueonũ Remp. ſubuertiſſent, niſi Olaus procerum populorumq; animos, laxatis quàm pluirib. tributis & oneribus, quę priores reges impoſuerãt, prudenter & efficaciter ſibi recõciliaſſet. Quo facto, & domeſticam pacem penitùs labefactatam reſtituit, & uictoriam hoſtibus eripuit. Io. Magnus lib. 17. c. 9.

CONRADVS Znoymæ marchio, ob regni affectationẽ à Friderico rege Bohemorum ſæpe repulſus, ut ſibi omnẽ nouandarum rerum occaſionem adimeret, aſſumto habitu tabellarij,

larij, à Palatino principe ex Germania cũ tabellis ad Fridericum miſſi, & ſecretis præterea mandatis, ad regem perductus, arbitris omnib. remotis, in poteſtatem ſe patruelis tradidit cum ſuis fortunis omnibus. Hinc tandem offenſionũ omnium ſimultatumq; inter illos factus finis: Conrado ad officia exhibẽda parato, & Friderico ad referendam gratiã, ultroq; beneuolentiam oſtentandam promto. Ex ſacra deinceps expeditione reuertẽs, mortuo Friderico, rex Boemię omnium ordinum conſenſu declaratus: Nunc bene, inquit, nauigaui; poſtquam naufragium feci, unde ad principatũ uſq; emerſi. Atq; inde abſq; mora Pragam ad ineundũ honorem tranſijt. Non multò pòſt, Henricum VI. Imp. in Siculam expeditionem comitatus, in Neapolis obſidione peſte periit. Dubrauius lib. 14.

Cùm in Boemia turbata eſſent omnia, legati miſſi ab Vladiſlao rege Boemiæ & Hungariæ, partibus minimè ſuſpecti, quia à ſtudio illarum cõtentioneq; alieni, STANISLAVS Olomucenſis, & IOANNES Varadiẽſis epiſcopi. Frequentiſſimo omnium ordinum conuentu Pragę mandata Regis expoſuere. Mox iuſſit ante omnia Varadienſis literas cum ſignis exhiberi eas, quibus nomen quiſq; ſuum fidemq; in ſocietatem noui fœderis obligaſſet. Tacentibus primùm uniuerſis, mox tergiuerſantibus, & extare illas negantibus: inſtat Varadienſis, urgetq;, & ſe auctoritate regiâ uſurum minatur, niſi dicto mandatoq; regio audientes fuerint. Ergo afferunt literas. Ille explicata pelle longa lataq;, neq; quid in illa ſcriptum eſſet legit, neq; ſigna circumquaq; pendentia conſiderauit, ſed cultro per mediũ illam diſcidit, ſignáque amputauit, ac mox ea diſperſit, ne recolligi poſſent. Hilari inde uultu ordines affatus, ſpem illis dedit optimam, omnia ex uſu regni ſucceſſura: poſtquam liberè omnib. in medium conſulere liceret. Ergò communi intercedẽte conſilio, adhibitaq; ab utroque legato medicina, quæ uitioſas partes ſanaret; totum inde regni corpus bellè conualuit. Dubrauius lib. 32.

Ludouicus XI. CAROLI VII. Gallorum regis F. adoleſcẽs, cupidus ante tempus, ſui eſſe iuris, cum ſuis æqualibus aduerſus patrem coniurauit: exercituq; conſcripto, curam regni ſuſcipiendam, ſeq; rerum omnium non ad patris præſcriptum, ſed ſuo arbitrio moderatorem faciendum ſtatuit. Carolus principes conuocat. Bona pars ſentit, conſilio & lenitate id mali auertendum. Quapropter primùm literis ad ciuitates ſcriptis præcipitur, ut nemo ſit Ludouici dicto audiens: deinde coniuratis impunitas promittitur: ac poſtremò per principes uiros graues, cum Ludouico ac ducibus de reconcilianda pace agitur. Filius ergo poſitis armis, confeſtim in gratiam cum Carolo rediit. Atq; ita magna labes, quę Remp. obruitura uidebatur, priùs eſt reſtincta, quã fieri cœpiſſet. Polyd. lib. 23.

IOANNES Vicecomes, archiepiſcopus Mediolanẽſis, quum à Pontifice Benedicto XII. expetentib. Florentinis, Aueniomem ſub anathematis pœna citaretur: lætiſſima frõte reſpõdit, Se eò uti fidelem dictoq; parentẽ ſeruum deceret, inſtructa maturè profectione, uenturũ, ut pręſenti obſequio prouolutus ad pedes, ſacroſanctũ pontificẽ ueneraretur. Cæterùm legatos pręmiſit, qui per omnes urbis regiones ampliſſimas domos, perſoluta eius anni penſione conducerẽt, ingentemq; omnis generis cõmeatus copiam compararent, qua numeroſus comitatus aleretur. Porrò quæſtor multa onuſtus pecunia, adeò in id profuſè operam intendit, ut & mirũ in modũ annona in foro creſceret, & peregrini negotioſiq; homines ex omni Europa Auenionem ad pontificiã aulam confluentes nullum omnino tectum aut hoſpitium, Inſubre omnia occupante, uacuũ reperirent, & propalã populus & inquilini de annonæ caritate quererentur. Quibus uocib. permotus Pontifex, Mediolanenſes legatos cuncta prodigè coementes uocat, cauſam quærit cur tantũ cõmeatus accumulent, totq; paſſim ampliſſimarũ ędium hoſpitia inani ſumtu ad querelam publicam conducant? Legati, Ita parare ſe iuſſos à Ioanne præſule, reſpondent, qui ſeptẽ millia armatorũ equitum, totidemq; peditum, præſidii & comitatus cauſa ſit adducturus. Intellexit illicò pontifex, quo rerum ſuarum periculo Ioannes tantis inſtructus uirib. foret expectandus: leniterq; ſubridens, Tãti itineris laborem præſuli tanquam occupato & præclarè pontificij nominis ſtudioſo benignè ſe remittere dixit. Legati autem quum dimitterẽtur, honeſtiſſimis uiris uirtutis nomine, aut parũ ditibus cõductas domos gratuitò conceſſerunt, ita ut cõmeatum quoq; omnẽ aut ſacratis cœnobiis, aut è plebe miſeris & egẽtib. largirentur, tanta cũ laude, ut nemo eſſet qui Ioãnis cauſam nõ ſtudioſiſſimè tueretur. Iouius in uita Ioãnis.

## AMICITIAE POLITICAE PRIVATÆ prudenter conſulere,

### CONTRAHENDO.

ANACHARSIN Hermippus ſcribit, mox ut Athenas uenerat, adiſſe Solonis ædes. Percontanti famulo, Quis, & unde ueniſſe, renunciaret, adeſſe Anacharſidem: qui & Solonem uidere, & ſi fieri poſſet, etiam hoſpes fieri cuperet. Solon per puerum reſpondit, In patria ſolere fieri hoſpites: ſignificãs, inter Græcos & Scythas nõ eſſe ius hoſpitij. Ad hæc uerba, quib. abigebatur Anacharſis, perinde quaſi iuſſus eſſet introire, ingreſſus eſt ad Solonem: dicẽs, Se iam eſſe in patria, & æquum eſſe ut hoſpitio iungeretur. Huius reſponſi dexteritate delectatus Solon, lubens recepit hominem. Plut. in Græcorum Apoph. & Laertius.

CLEOBVLVS, unus è ſeptem Sapientibus, non tam amicos quàm inimicos beneficiis proſequi oportere docebat: hos ut amicos, illos ut amiciores reddamus. Diogenes in eius uita, & Suidas.

REGES (teſte Horatio de Arte poetica)

— dicuntur multis urgere culullis,
Et torquere mero, quem perſpexiſſe laborent,
An ſit amicitia dignus. —

AGESILAVS Spartanorum rex, aduerſarios ſuos in aperto quidem non lædebat: ſed efficiebat, ut ſemper illorũ aliqui duces & rectores mitterentur peregrè: quorum detegendo in poteſtate nequitiam & auaritiã, mox poſtulatus rurſus opem ferendo & patrocinando, ex alienis neceſſarios ſibi reddidit, atq; ad ſe traxit, ut infeſtum haberet neminẽ. Plut.

IDEM Ageſipolim regem alterum ſibi reddidit obnoxiũ. Epulantur reges, cùm ad urbem ſunt, eodẽ in triclinio. Qui autem teneri ſciret Ageſipolim ſicut ſe amoribus, ſermonem aſſiduè de formoſis adoleſcentibus inferebat, eodem illum impellebat, ſociuſq; erat ei in amore & adiutor. Sunt uerò amores Laconici nulla cùm turpitudine coniuncti: uerùm magno cum pudore, honoris ſtudio, & æmulatione uirtutis. Plut. in Ageſilao, & in Laconicis.

Athenæus initio V. libri conſuetudinem PRISCORVM laudat, qui largè hoſpites epuloq; ſumtuoſiore accipiebant: affirmans, multum adiuuare uinum initia amicitiæ: δοκεῖ γὰρ ἔχειν πρὸς φιλίαν τι ὁ οἶνος ἑλκυστικὸν, παραθερμαίνων τὴν ψυχὴν, καὶ διαχέων. Victorius lib. 12. Var. lect. c. 7.

PHILIPPVS Macedo, ingentem numerum captiuorum ſub haſta uendens, ſubducta ſedebat tunica parum honeſtè. Ibi unus ex iis, qui ueniebant, exclamauit: Parce mihi Philippe: amicus ſum tuus paternus. Requirente Philippo, Vnde cedò ſis, & quemadmodum? Exponam tibi, inquit, ex propinquo. Vt ad eum adductus eſt: Demitte, inquit, aliquantulũ chlamydem: parum enim decorè ita ſedes. Tum Philippus: Miſſum facite, inquit, eum. Nam uerè cupidum noſtri & amicum eſſe me latuit. Plut. in regum Apoph.

ALCIBIADES Athenis damnatus Spartam confugit: ubi auram popularem captauit, ac multitudinem dementauit ad uitam Laconicam accommodando ſe: ut corpore cùm uiderent cutetenus raſum, frigida lauantem, offa uictitantẽ, iure utentem nigro, haud crederent, mirarenturq;, ſi coquũ hic uir domi unquam habuiſſet, uel aſpexiſſet unguentarium, aut Mileſiam ſuſtinuiſſet. Habebat inter cæteras hanc unam artem & ad capiendos homines fabricam, ut aggregaret ſe & conuerteret ad ſtudia & mores aliorum, citioribus quàm chamæleon uariis mutationib. Veruntamen unum ille, ut aiunt, neſcit repræſentare colorem album: Alcibiades uerò iuxtà inter bonos uerſans & prauos, nihil non imitari, nihil non ualebat exprimere. Itaq; Spartæ exercitationibus intentus, frugalis, auſterus eſſe: in Ionia uoluptuarius, lętus, ſegnis: in Thracia uino & equitationi indulgere. Si cum Tiſſapherne ſatrapa ageret (ad quem ſe in Ionia contulit, Spartanorum inſidias ueritus) pompa & luxu Perſicũ ſuperare ſplendorem. Non quo ſeſe tam expeditè in alios ex aliis ritus deflecteret, aut omnem reciperet uiciſſitudinẽ moribus: ſed quòd ſi ingenium ſequeretur ſuũ, incurſurus eſſet in eos, quibus utebatur familiariter: figuram & ſpeciẽ ſemper arripiebat & induebat eam, quæ illis eſſet appoſita. Plut. in eius uita.

Cùm uoluptarius quidam contrahere cum M. CATONE cuperet conſuetudinem: abnuẽs negabat uiuere ſe poſſe cum homine, qui palatum quàm cor haberet acriore ſenſu præditum. Plut. in Catone.

Tribuni leges agrarias rogauerant. Eas M. CICERO conſul oppugnabat. Cùm autem fauerent huic legi cùm alij ex nobilitate, tum princeps collega Ciceronis C. Antonius, uniſperans ſe fore ex decemuiris: & uerò ille idem nõ uideretur coniurationem Catilinæ, cuius eſſet conſcius, moleſtè ferre, quòd oppreſſus eſſet multo ære alieno. Huic uulneri primùm medicinam faciens Cicero, prouinciã ei Macedoniam cõceſſit, Galliam ſibi decretam depoſuit. Hoc ſibi beneficio deuinxit Antonium, ut uelut mercenarius hiſtrio ſibi in tuenda patriæ ſalute ſecundas partes ageret. Plutarchus in Cicerone.

IOANNES Sepuſius Vngarorum rex, uirorum fortium clientelas perpetua hoſpitalitate & beneficentia partas, certos PRINCIPVM theſauros eſſe dicere erat ſolitus, quòd grati & memores, una ſæpe forti fideliq; opera omnes ſumtus cumulatè perſoluerent: ingrati uerò cum ignominia alienę uirtutis teſtimonium ferre uiderentur. Iouius lib. 39. Hiſt.



### CONSERVANDO.

Reuerſo Abraham ex Aegypto in locum unde uenerat: Lothus fratris filius ab illo in terram Sodomorum, ſalua charitate, diſceſſit. Diuites quippe facti erant, paſtoreſq; multos pecorum habere cœperant: quibus inter ſe rixantibus, eo modo familiarum ſuarum pugnacem diſcordiam uitauerunt. Poterat quippe hinc, ut ſunt humana, etiam inter ipſos aliqua rixa conſurgere. Hoc malum præcauẽtis ABRAHÆ uerba ſunt ad Loth Gen. 13. Non ſit rixa inter me & te, & inter paſtores meos & paſtores tuos, quia homines nos fratres ſumus. Nónne ecce tota terra ante te eſt? Diſcedite à me. Si tu in ſiniſtram, ego in dextram: uel ſi tu in dextram, ego in ſiniſtram. Hinc fortaſſis effecta eſt inter homines pacifica conſuetudo, ut quando terrenorum aliquid partiendum eſt, maior diuidat, minor eligat. D. Auguſtin. lib. 16. cap. 20. de Ciu. Dei.

AMASIS penè ultimus eorum, qui priſcis temporibus Aegypti regnum tenuêre, cùm omnia Polycrati Samiorum tyrãno proſperè fluerent, experireturq; in cunctis fortunam indulgentiſſimam: per literas (ut fertur) remiſit illi omne ius ueteris amicitiæ. Teſtatus, uidere ſe fortunã inſidiari huic, cui tam indulgenter obſequeretur. Præuidit rex prudentiſſimus Polycratis exitium, ſuumq; dolorem, quem ex amici aduerſa fortuna percepturus erat, abdicatione anteuertit. At illud quod ſuo regno imminebat, aut non uidit, aut certè uitare non potuit. Sabellicus libro 4. cap. 8. ex Herodot. libro tertio.

TYNDARVS ex Leda tres ſuſcepit filias, Phœben, Clytæmneſtram Agamemnonis coniugem, & Helenam omniũ formoſiſſimam. Quam cùm præſtantiſſimi Grecorum iuuenes ambirent, & quiſq; eam habere cuperet: ueritus Tyndarus, ne in mutuas cædes ruerent; iureiurando eos adſtrinxit, quemcunq; illa ſortita eſſet maritum, ei ſe contra omnem uim tam domeſticam quàm externã auxilio futuros. Mox filiæ poteſtatem fecit eligendi quem uellet ex procis ſponſum. Illa Menelaum accepit. Ergo poſteaquam Paris Priami F. Helenam rapuit: Menelaus iuriſiurandi Tyndaro dati Græcos admonuit, & pro repetẽda Helena mille nauiũ claſſem cõtra Troianos excluit. Euripides Iphigenia in Aulide.

PERSEVS, quum cuidam noto daret pecuniam, cautionem fecit in foro apud menſarium. Hanc diligẽtiam quum amicus admirans diceret: Adeóne legaliter Perſee? Scilicet, inquit, ut amanter recipiam, nec legaliter repoſcam. Fit enim ſæpenumerò, ut qui cum amico bona fide ſine teſtibus ac ſyngraphis agunt, pòſt cogantur cum eo legibus agere. Dicti nonnulla gratia eſt in Græcis, νομικῶς & φιλικῶς. Eraſm. lib. 6. Apophtegmatum.

LEOPREPEM Ceum, patrem Simonidis, cùm ſederet aliquando in palæſtra, duo adoleſcentes amici accedebant: & Quomodo durare maximè mutuo amore poſſent? interrogabant. Qui reſpondit, Si neq; mutua ira concitati, neq; diſſidentes animis, alter alterum irritarit. Aelianus lib. 4. de Var. hiſtoria.

BIAS, cuius ſapientia diuturnior inter homines eſt quàm patria Priene fuit (ſiquidem hic etiam nunc ſpirat, illius perinde atque extinctæ ueſtigia tantummodò extant) ita aiebat: Oportere homines in uſu amicitiæ uerſari, ut meminiſſent, eam ad grauiſſimas inimicitias poſſe conuerti. Quod quidem præceptum prima ſpecie nimis fortaſſe callidũ uideatur, inimicumq; ſimplicitati, qua præcipuè familiaritas gaudet: ſed ſi altioribus animis cogitatio demiſſa fuerit, perquam utile reperietur. Val. Max. lib. 7. cap. 3.

Cùm Nonius, homo Auguſto principi perneceſſarius, ueneficij cauſam diceret, dubitaſſe dicitur OCTAVIVS, quæ eſſent ſuæ partes: ueritus, ne ſi reo截 ſupereſſet ſua auctoritas, legibus reum eriperet: contrà, ne à ſe deſtitutum prædamnare uideretur. amicis ita conſentientibus, ſedit in ſubſelliis aliquot horas, uerùm tacitus, ne iudiciali quidem laudatione uſus: ne princeps plus uelle uideretur, quàm ciuitatis iura poſtularent. Sab. lib. 4. cap. 4. ex Suetonio.

ARIPERTVS II. Longobardorum rex, aduenientibus ad ſe gentium exterarum legatis, uilibus indutus ueſtibus occurrebat, quò minùs ipſis Italiæ deliciis caperentur. neq; apparatis epulis illos excipiebat, neque præſentibus illis magnificas ullas in aliis rebus impenſas edebat. Sigonius libro 2. regni Italici.

CANVTVS II. Danorum rex, parta pace, cùm milites in aula ſua, natione, linguis, ingeniis quàm maximè diſſidentes animaduerteret: Oponis Sialandici, cæteros prudentia atque auctoritate præſtantis, conſilio ſtatuit, ut in capeſſendo diſcubitu ordine, quo quiſq; militaris muneris aduocationẽ ſortitus fuerat, uteretur, locoq; antecelleret, qui prior obſequio foret. Eum uerò qui cœna inita, aliqua mora interpellante, tardior ſuperueniſſet, inter conſidentes excipi oportebat. Qui ſi tam arcto ſe conſeſſu iunxiſſent, ut qui ſuperuenerat recipi nequiret, qui eius loco inſederat exurgẽs proximum occupabat, eouſque inuicem ſe aſſurgendi officio uenerantib. donec, laxato totius cõſeſſionis ordine, legitimum recipiendo ſpacium patuiſſet, menſaq;, qui poſtremus reſidebat, abſcederet. Si qs uerò alieno diſcubitu uti per inſolẽtiam perſeueraſſet: teſtibus in concionem producti conuictus reus, ſtipendiis priuabatur. Ter tamen regi tali neceſſitatem pœnæ remittere fas erat. nec aliter, quàm ut tot gradibus quis diſcubitu indignior fieret, quot uicib. ſodalem dignæ ſedis negatione ſpreuiſſet. Quòd ſi quartùm peccaſſet, commilitonum nemini catino aut calice communicare poterat. Eodem pœnæ genere in minutos quoſque animaduertebatur exceſſus. Saxo lib. 10.

ARLOTTVS Plebanus Florentino cuidam, magni nominis uiro, rem abſurdam perſuadere conanti, fidem ſe adhibere ſimulauit. Subſannantibus quibuſdam, quòd qui alios capere ſoleret, ipſe deceptus eſſet: Vt boni eſt piſcatoris, reſpondit, piſciculi capiendi cauſa aſpergines non uereri: ita ei, qui potentum ambit amicitiam, nihil ſubterfugiendum, quo illos capiat. Auctor uitæ. Sed hoc ab ARISTIPPO Plutarchi mutuatus uidetur Auctor.

Victi erant Galli memorabili acie ab Hiſpanis, Conſaluo Ferdinando eorum duce: ueneratq; Hiſpanus orator ad LEONARDVM Lauretanum Venetorum principem, & patres, uictoriæ lauream nunciaturus: aderatque eodem tempore Gallorum regis legatus. Qui euocati in collegium, quũ triſtior alter, alter exultabundo ſimilis aſſediſſet: conuerſus Dux ad utrunque, Ego, inquit, penes uos Pauli apoſtoli uerbis in præſentia utar: ut quando diuinæ uolũtati nemo poſſit obſiſtere, fleam quoque ego cum flentibus, gaudeam cũ gaudentibus. Quo principis dicto adeò omnis inuidia leuata eſt, ut Galli & Hiſpani uiciſſim gratias illi agerent, indeq; diſcedentes, eius ſingularis uiri prudentiam inprimis admirarentur. Egnat. lib. 6. c. 2.

### RECONCILIANDO. SIMVLTATES PRIuatas prudenter tollere.

IACOBVS ex Meſopotamia pòſt aliquot annos domum repetens, ueteris in fratrem offenſæ non immemor, præmiſit qui Eſaum precibus & donis delinirent, ſi qua adhuc in eo ueteris iniuriæ ira inſideret. Per quæ facilè conſecutus eſt, ut quàm inuiſus patrium ſolum uerterat, tam iucundus ſit poſtliminiò reuerſus. Geneſ. 32.

Nabal Ziphæus, ex poſteris Calebi, homo diues, at ut nomine, ita & re ſtultus, inhuman9, ingratus, cui in Carmelo mõte paſcebant tria ouium millia, & mille capræ: nuncios Dauidis regis exulis propter Sauli inſidias, commeatum petẽtes placidiſſimis uerbis, inhumaniter reiecit, neq; ſibi quid negotij cum fugitiuis illis fore pronunciauit. Dauid ea re commotus, maximè quòd Nabal tam ingratus erga ſe ſuóſque eſſet, quorum tamen opera atq; fide pecora Nabalis in Carmelo conſeruata fuiſſent, cùm alióqui impunè in ſolitudine ea diripere potuiſſent: cum CCCC militibus ad excindendam Nabalis domũ aſcendebat. Verùm ABIGAIL uxor Nabalis formoſiſſima, caſtiſſima & prudentiſſima, re cõperta, clàm marito, ducẽtos panes, duos uini utres, quinque oues apparatas, quinq; ſata polentæ, centum uuas paſſas, & CC ficuum palathas aſinis impoſuit, iiſq; Dauidem iratum placauit. Domum reuerſa, Nabali poſtero die cùm crapulam heſternam exhalaſſet, rem omnem indicauit. Ille territus, tanta animi defectione & corporis ſaxeo quodam ſtupore diriguit, ut intra decem dies interierit. Dauid eius morte audita, Abigailem indignam ſe dicentẽ, quæ uel ſeruorum illius pedes lauaret, in matrimonium duxit, cùm etiam alteram haberet, Achinoamam Iezraelanam. Nam Michôlem Saulus pater exulãte Dauide locauerat Phalli Lais F. Gallimenſi. 1. Reg. 26.

TALTHYBIVS & EVRYBATES, Agamemnonis regis præcones & oratores, miſſi ab eodem ad Achillem, pro abducenda per uim Briſeide: cùm uiri boni eſſent, neq; uel regis ſui iuſſis auderẽt repugnare, uel audacter ab Achille id qđ iuſſi fuerant petere, quia iniuſtum erat, ab Homero introducuntur muti, quando ait:

τὼ μὲν ταρβήσαντε καὶ αἰδομένω βασιλῆα
στήτην, οὐδέ τί μιν προσεφώνεον, οὐδ᾽ ἐρέοντο.

Metu primùm conſternati, loqui non poſſunt: uoce deſtituti, geſtu reuerentiam exhibent. Et ſic prudenter admodum & regis ſui mandatis parent, & Achillem, quem uerbis magis exaſperaſſent, ſua humilitate flectunt. Solent enim generoſa ingenia nulla re magis moueri, quàm humilitate & deprecatione.

ACHILLES, cùm apud ſe Menelaũ & Antilochũ de certaminis equeſtris ſecundis cerneret ambigẽtes, ueritus ne in maiorem flammam & contentionem prorumperent, alteri ſtatuit

tuit præmium aſſignare: ac dum uerbis Menelaum (alij Eumelum) miſeratur celebratq́;, reipſa cauſam eorũ concertationis tollit. Plut. lib. 1. Quæſt. conuiualium 2.

Ferulam fruticis genus, quo non aliud leuius, utilem ad fulciendos uacillantes ætate ſenes, à BACCHO repertam eiq́ue ſacram affirmant, ut uino titubantes fulciat, nec oneret tamen. Cùm reperto uini uſu homines paſſim ebrij ligneis baculis plurimos uulnerarent, Dionyſius ut pro fuſtibus ferulas geſtarent edixit. Diodorus, & Plut. in Sympoſ. Idem apud Stobæum, maiores Baccho ſimul & ferulam & obliuionem conſecraſſe refert, nimirum hoc innuentes, nõ oportere meminiſſe, ſi quid in conuiuio peccatũ ſit, aut certè lenẽ admodũ ac puerilem reprehenſionẽ ſufficere. nam antiquitùs literatores diſcipulorũ manus ferula cædebãt.

ARCHIDAMVM Zeuxidami F. duo ceperũt arbitrum. Hos in Chalciœci templum duxit, ibiq́; iureiurando adegit, iudicatis ſtaturos. Adiuratis, Iudico, inquit, ne priùs templo pedem efferatis, quàm inter uos de controuerſia tranſigeritis. Plut. in Apophtheg.

PLATO in ſuſpicionibus & ſimultate, quam habuit cum Dionyſio, copiam poſtulauit eius conueniendi. Quam ille, expoſtulaturum & queſturum arbitrans de iniuriis ſibi illatis Platonem, dedit. At Plato ad hunc modum eum affatus eſt. Si quem ſenſeris, Dionyſi, infeſtum tibi nauigaſſe in Siciliã, ut tibi aliquid mali crearet, deficiatur autẽ occaſione, num hunc abnauigare prætermittas impunitum? Minimè, inqt, Plato, Dionyſius. Non enim facta tantùm, ſed & conſilia odio habenda & uindicanda inimicorum ſunt. Siquis ergo, infit Plato, amore tui huc ſe cõtulerit, ut apud te aliquid beneficij deponat: tu uerò locum ei non dederis: ecquid hunc debes proiicere inhumaniter & contemtim? Vbi, Quinam hic foret, percunctatus eſſet Dionyſius: Aeſchines, inquit, uir morib. modeſtis, cum quouis Socratis aſſectatorũ conferendus, & inſtructus facultate, ut per doctrinam polire ualeat eos, quibuſcum agit. Hic ingens ęquor emenſus, in philoſophia ut conſuetudinem tecum haberet, abs te deſpicitur. Hæc oratio uſq; adeò commouit Dionyſium, ut extemplò Platonem quidem cõplecteretur & deoſcularetur, placidum & excelſum animum eius admiratus: Aeſchinem uerò egregiè & magnificè proſecutus ſit. Plut. de Diſcernẽdis adulatoribus, & Laertius lib. 3.

ARISTIPPVS, cùm aliquid ſimultatis ei cum Aeſchine interceſſiſſet, ac dixiſſet quiſpiam: Vbi nunc ueſtra, Ariſtippe, conſuetudo? Dormit, inquit: cæterùm ego eam ſuſcitabo. ac profectus ad Aeſchinem: Itáne tibi prorſus, inquit, miſer uideor & deploratus, ut correptioni non ſit apud me locus? Tum ille: Non eſt, inquit, mirum: ſi, qui in omnibus natura me excellis, etiam hîc, quid rectũ ſit, prior uideris. Plut. de Non iraſcendo.

Arcadio paraſitus uoluntarium ſibi indixit exilium, ob odiũ, quo PHILIPPVM Macedonem proſequebatur. Delphos Philippus profectus, eo conſpecto, Quouſq; tandẽ fugies, inquit, Arcadio? Donec ad eos peruenero, reſpõdit, qui Philippum ignorent. Philarchus riſiſſe ait Philippum, Arcadionemq́; ad cœnam uocaſſe, atque ſic inimicitiam fuiſſe ſolutam. Athen. lib. 6. c. 6.

EVMENES Cardianus cum Ephæſtione uiuo ſubinde lites exercebat. Cæterùm defuncto Ephæſtione mœrens rex Alexander, omnibuſq́;, quos uiuo illi inuidiſſe arbitrabatur, atq; eius lætari morte, infeſtus & aſper, præ cæteris Eumenem in ſuſpicione habebat, memorauitq́; crebrò rixas illas & conuitia. Verùm uerſutus ille doctuſq́; accommodare ſe tempori, inſtitit ex eo, quo uulnerabatur, mutuari remediũ. Confugit enim ad Alexandri in decoranda memoria Ephęſtionis prolixitatẽ & ſtudium, ſuggeſſitq́; ei honores, quib. maximè ornare ualeret defunctum, atq; argentum ad excitandum Ephæſtioni tumulum largè & benignè præbuit. Plut. in Eumene.

M. CRASSVS ad bellum Parthicum profectus, maluit amicũ quàm inimicum CICERONEM relinquere. Quare amicè eum appellans, apud eum dixit uelle ſe cœnare. Inuitauit Cicero eum comiter. Paucis interpoſitis diebus, adierunt Ciceronem amici aliquot, rogatu Vatinij, de reconciliatione gratiæ: nam erat inter eos ſimultas. Ibi infit Cicero: Num & Vatinius apud me cœnare uult. Plutarchus in Cicerone.

Alfonſus VI. Hiſpaniæ rex, Toletum urbem deditione acceperat, incolumitatem pollicitus Saracenis, & in maiore baſilica religionis illorum exercitium. Interea Conſtantia regina cum Bernardo archiepiſcopo Toletano noctu Meſquitam intrant, purgant, aram erigunt, D. Mariæ conſecrant. Saraceni regis fidem accuſare, implorare. Rex ſumma celeritate in urbem uenit, certo conſilio de auctoribus ſupplicium ſumendi: & quia ſciebat multos interceſſuros, præſentibus Saracenorum legatis iurauit, nihil ſe eorum quæ pro regina & archiepiſcopo peterentur facturum. Ergo Regina & Archiepiſcopus, clerum & omnes religioſos cum Regia FILIA induta cilicio præmiſerunt. Quos cùm rex uidiſſet, deſcendit de equo, ut ſacris ſolitam reuerentiam exhiberet. At cùm filiam conſpexiſſet: Vah, inquit, matri comes eris in morte. Iuraui nil agere eorum quæ petitura es. Filia uerò, Peto ergo, inquit, ut Reginã tibi terreno Regi non parentem, ſed cœleſti Regi fidelem ſimul & Archiepiſcopum illicò interficias. Rex tam pia ſagacitate deuictus ad filiam ait: Liberaſti à morte matrem, ſed perpetuo maritali carebit conſortio. Vix uerba expleuerat, & uidit uniuerſos Saracenos utriuſque ſexus obuios ſupplicantes, ut Reginæ & Archiepiſcopo ueniam daret, aſſerentes, ex ueteris oraculi fide idipſum nutu diuino factum eſſe. Ergo Rex acquieuit precibus ſupplicantium, & lætus intrauit ciuitatem. Mox eccleſiam ex Meſquita conſecratam deuotè uiſitans, in medio portæ Reginam ſacco indutam, & Archiepiſcopũ pontificalibus ornatum inuenit, clamantes, Peccauimus in te, ô Rex, ſed oramus peccati cauſam, & finem reſpice. Rex igitur manus præſulis deoſculans, & Reginam amplectẽs, regale palatium petiit. Rodericus Toletanus lib. 6. rerum Hiſpan. c. 26. & Rod. Sancius parte 3. hiſt. Hiſpan. c. 29. & Marineus lib. 7. rerum Hiſpan.

ALFONSVS rex Aragonum, canibus iratis & oblatrantibus offulam obiiciendam affirmabat. Innuens, homines maleuolos beneuolentia reconciliandos eſſe. Pontanus cap. 30. de Liberalitate.

TIGVRINI duo fortunas ſuas litigando inuicẽ attriuerant. Alter eorum cordatior ſuam & aduerſarij dementiam ſerò tandem perſpiciens, armatus cum filio ad ædes aduerſarij deſcendit. Is ad uim repellendam accurrens cũ ſeruo, cauſam aduentus rogat. Tum ille, Et religione ſacroſancta, & priuatis incommodis adductus, contentionem tanto iam tempore, magno utriuſq; noſtræ cum diſcrimine, alitam & conſeruatam, depoſiturus adſum. Filium habeo animo pbum, manu ſtrenuum, ei filiam tuam bene moratam uirginem in connubium depoſco: ut his ueluti obſidibus beneuolentia mutua ſanciatur. Inexpectata aduerſarij manſuetudine obſtupeſcens alter, amicis conuocatis, filiam ſuam aduerſarij filio deſpondit. Ioan. Paulus in Iocoſeriis.

IACOBVS cognomento Grandis, primus fuit, qui ex Carrarienſi familia uniuerſi populi Patauiani conſenſu ciuitatẽ rexit: anno Salutis milleſimo trecẽteſimo decimooctauo. Hic ipſe antequam princeps fieret, cùm patrocinium laturus cuidam amico ad prætoris ueniſſet tribunal, ut amici cauſam iudici commendaret, & aduerſæ partis patronus omiſſa cauſa, quam agebat, liberiore lingua, & indignis in eum conuitiis inuehi cœpiſſet: ei illi ſumma modeſtia reſpondit, ut bene cauſam diceret, & deſineret de ſe maledicere. Cùm uerò inde uterq; diſcederet, Iacobus illi in aurẽ inſuſurrauit: Linguam tibi præcidam, maledice. At ille hoc uerbo audito ad iudicem conuerſus, in abſentem debacchatus eſt. Iacobus uerò, ubi primùm domum ſeſe recepit, iuſſit quantum frumẽti currui imponi poterat, & ſuem domeſticum magni ponderis ad illum deferri, ſuoq́; eidẽ nomine donari. Accepit ille lubẽs, & gratias agens dixit: Profſus ſanè dominus meus, placidè, ſine ferro, linguã mihi pręcidit, & contra ſe mutum reddidit. Bern. Scard. lib. 3. claſſe 13. hiſtoriæ Patauinæ.

Parum conueniebat inter DVOS quoſdam cognatos, de re diuidenda. Cumq́; neuter alteri uellet concedere, res eò ſpectabat, ut iretur in ius, & iudicum ſententiis cõtrouerſia finiretur. Adibantur aduocati, parabãtur dicæ, res erat cũ iureconſultis. Aditi iudices, cõteſtata lis, cœpit agi cauſa: hoc eſt bellum ſuſceptũ eſt. Ibi alter maturè reſipiſcens, aduerſarium priuatim accerſitũ his uerbis alloquitur: Principiò parum decorum eſt, ut quos natura copulauit, pecunia diſſociet. Deinde eſt incertus litis euẽtus, haud minus q̃ belli. Suſcipere nobis in manu eſt, finire non eſt. De centũ aureis tota lis eſt. Eius ſummæ duplũ in notarios, in promotores, in aduocatos, in iurecõſultos, in iudices, in iudicũ amicos expendetur, ſi legib. experiamur. His erit inſeruiendũ, adulandum, dandum: interim taceo curas ambiendi, curſitandiq́; labores. Deniq; ut maximè uincam, plus eſt tamẽ incõmodi, quàm commodi. Quin potiùs ipſi nobis ſapimus, quàm iſtis prædonibus: & in hos malè collocandam pecuniã inter nos partimur? Concede dimidium de tuo, ego tantundẽ de meo concedã. Ita & amicitiam noſtrã, alioqui perituræ, lucrifaciemus, & tantam moleſtiam effugiemus. Quòd ſi recuſas quicquã concedere, ego uel uniuerſum negotiũ tuo permittã arbitratui. Malo penes amicũ ſit hęc pecunia, quã penes inſatiabiles illos prædones. Abundè magnum fecero lucrũ, ſi & famæ pepercero, & amicum ſeruauero, & tantum effugero moleſtiarum. Mouit aduerſarium tum rei ueritas, tum cognati feſtiuitas. Rem tranſegerunt, iratis aduocatis & iudicibus, quos coruos deluſere hiantes. Eraſmus.



## AMICITIAE OECONOMICAE PRVdenter conſulere. RIXAS œconomicas tollere. Inter

### PARENTES ET LIBEROS.

Abſalomus propter cædem Amnonis fratris Geſſur profugerat ad auum paternum, ibiq́; triennio manſerat, patris Dauidis iram metuens. IOABVS ergo Saruiæ ſororis Dauidis F. Polemarchus, ſubornauit mulierem quandam prudẽtem, nomine THECVANAM, quæ luctum ſimulans, regẽ adiret, & duos filios ſe habuiſſe diceret, inter quos ruri orta contentione, unus alterum occidiſſet. nunc uniuerſos gentiles fratricidam poſcere ad necem. Rogare ſe regem, ne unicum hæredem ſuæq́; ſenectæ baculum interimi permitteret. Rex ſeſe interceſſurum ſanctè promiſit. Tum illa: Qua ergo de cauſa, ô rex, tanto iam tempore contra Abſalomũ filium iraſceris? Amnon periit, Abſalomus generis tui ſpes atq; decus etiamnum ſupereſt. Viuum ergo omnium Iſraelitarum cauſa in gratiam recipere, eiq́; hoc peccatum condonare uelis. Rex, qua erat prudentia, Ioabi hoc eſſe commentum facilè intellexit: & mulieris precibus annuens, Ioabum ad reuocandum filium miſit. Toto tamen biennio in regis conſpectum uenire non fuit auſus. 2. Reg. 14.

Herodes Iudæorum rex, Alexandrum F. cui Glaphyra Archelai Cappadocum regis filia iuncta erat, propter ſtructas inſidias in uincula coniecerat. ARCHELAVS genero proſpectum cupiens Hieroſolymam continuò aduolat, & ſeſe Alexandri facinus deteſtari clamat, & Herodi auctorem eſſe, ut de ſcelerato pœnas ſumat: ſeſe in filiam Glaphyram, ſi facinoris conſcia deprehendatur, ſeuerè animaduerſurum: ſin minus, at certè coniugium diremturum, ne parricidæ concubitu ulteriùs coinquinetur. Hac oratione Herodis animum, qui excuſatione criminum magis exacerbari quàm mitigari conſueuerat, ita flexit, ut Archelaum ipſum monuerit, patrem ſe eſſe recordaretur, nec quid grauius in filiam ſtatueret. Tum Archelaus Herodem uiciſſim liberè ſui erga filium officij admonuit. Ioſephus in Antiq.

PISISTRATVS cùm diſſidium inter ipſum & filios extitiſſet, eoq́; lętari aduertiſſet inimicos, aduocata cõcione, Cupiſſe ait filios ſe in ſuam adducere ſententiam: cæterùm, quia cõtumaces ſint, illis uelle obſecundare & obtemperare. Plut. lib. 1. quæſt. conuiualium, quæſt. 1.

Vetus olim Senatuſconſultum fuit, primùm à SOLONE ueteri lege ſancitum, inde ad Romanos deductũ, quo cautum fuit, Patre uiuente, filio qui ſub patris iure eſt, credi pecuniã non licere: & qui credidiſſet, petitionem non habere: ne filiusfamiliâs ære nexus alieno, ut creditum redderet, uel necem patri machinaretur, aut aliunde eam inhoneſtiùs quęreret. Ipſius ſenatuſconſulti uerba hæc ſunt: Placet, ne cui, qui filiofamiliâs mutuam pecuniam dediſſet, etiam poſt mortem parentis, cuius in poteſtate fuiſſet, actio petitioque detur. Vt ſcirent, qui peſſimo exemplo fœnerarent, nullius poſſe filijfamiliâs bonum nomen, inde expectata patris ſui morte, fieri. Alex. lib. 1. cap. 7. ubi locum illum ex Phormione Terentij explicat, Hui dixti pulcrè, ſi quidem quiſquam crederet Te uiuo.

AEDESIVS Cappadox, generis nobilitate inter ſuos facilè princeps, à patre mercaturæ cauſa in Græciam fuerat amandatus. At is ſuum ſecutus genium, philoſophiæ dare cepit operam. Reuertentem pater domo ut inutilem exegit, fugientemq́; perſecutus eſt, his uerbis: Ecquid tandem emolumenti affert philoſophia? tum ille conuerſus, Hoc ipſum, inquit. & ſupplex ad genua patri accidit. Qua re ſic motus eſt pater, ut illum in gratiam receperit, & Iamblichum in Syria audiendi libertatem conceſſerit. Eunapius.

GAVFREDVS Fulconis Andegauenſis comitis F. cùm uiuẽs à patre Comitatus honorem accepiſſet, ac tyrannicè imperaret, armis à patre pulſus, agnita culpa iumentaria ſella in tergum recepta, patris pedibus obuolutus ueniam petiit. Quem cùm pater pede ter calcaſſet, improperans, tandem uictum eſſe: ei filius intrepido animo reſpondit: A te pater, fateor me iure uictũ, cùm pater ſis: à nemine alio uincẽdus. Id quod patrem magnoperè ad ignoſcendum mouit. Fulgoſus lib. 5. cap. 9.

### CONIVGES. TVM

*Pacem conſeruare.*

HESTER puella Hebræa ob formæ elegantiam concubina primùm, mox iuſta uxor regis Perſarũ Aſſueri, natales ſuos diſſimulauit apud regem, iuſſu Mardochæi auunculi, ne cõtemtu gẽtis parum gratioſa eſſet. Conſule hiſtoriã ſacram.

CATHEORVM Indorum proprium eſſe dicit Oneſicritus, ut ſponſus & ſponſa ſe mutuò eligant. Item ut uxores cum uiris defunctis comburantur, ob hanc cauſam, quòd cùm aliquando adoleſcentulos adamarent, à uiris ſecedebant, uel eos ueneno interimebant. Vt ergo ueneficia tollerentur, hanc legem conditam fuiſſe. Strabo lib. 15.

LIVIA, Auguſti Cæſaris uxor, nulla alia re ſibi Auguſtum ſubieciſſe ferebat, quàm modeſtia & diſſimulatione: modeſtia quidem, quòd ea quæ placerent Auguſto, fecerit libenter: diſſimulatione uerò, quòd ſcire nollet, quibus ille rebus uenereis domi frueretur, etiamſi eſſent apertiſſima. Dion in Tiberio.

*Rixas tollere. Reconciliare.*

Iunonem aiunt iratam Ioui, incertum qua de cauſa, in Eubœã ſeceſſiſſe. Iouem cùm placare eam non potuiſſet, ad CITHÆRONEM, qui tunc Platæenſibus imperabat, ueniſſe: fuiſſe uerò Cithæronem nemini calliditate ſecundum. Eius monitu Iupiter ſimulacrum è ligno fabricauit, illudq́; plauſtro ueſtimentis uelatum impoſuit. In uulgus uerò prodidit, Platæam eam eſſe, Aſopi filiam, quæ ſibi eſſet deſponſata. Id ubi ad Iunonis aures peruaſit, accurrit illico, & ad plauſtrum accedens, ueſte conſciſſa, ligneam eſſe effigiem comperit, quam nouam eſſe nuptam putarat. Falſam ſe itaque lętanti animo ferens, facile in gratiam cum Ioue rediit. In eius rei memoriam Platæenſes Iunoni Taleæ, id eſt, adultæ templum ædificarunt, & feſtos celebrant dies, ſeptimo quoq; anno, Dædala quæ nuncupantur parua: quòd priſci lignea ſigna Dædala uocitabant. Bœoti reliqui Dædala magna dicta, ſexageſimo demùm anno. Pauſan. in Bœoticis.

Hipparete uxor Alcibiadis, cùm eſſet impatiens iniuriarum genialis tori, quòd conſuetudinem ille haberet cum meretricibus peregrinis & urbanis, diuertit ab eo, & contulit ſe ad fratrem. Non laborante id Alcibiade, ſed lætè agente, oportebat eam diuortij monumenta apud archontem deponere, non per alios, ſed ipſam præſentem. Quæ ubi adfuit, ut id ex lege ageret: irrumpens ALCIBIADES rapuit eam, medioq́; foro domum ferẽs abiit. nec fuit quiſquã, qui obſiſtere uel eam auferre ſuſtineret. Atq; ſic illa mãſit apud eum, quoad uixit. Plut. in Alcibiade.

MONICA, D. Auguſtini mater, ſocrum ſuam primò ſuſurriis malarum ancillarum aduerſus ſe irritatam, ſic uicit obſequiis, perſeuerans tolerantia & manſuetudine, ut illa ultrò filio ſuo Patricio medias linguas famularum proderet, quibus inter ſe & nurum pax domeſtica turbabatur, expeteretq́; uindictam. Poſteaquam ille & matri obtemperans, & curans familię diſciplinam, & concordię ſuorum conſulens, proditas ad prodentis arbitrium uerberibus coercuit, affirmauit illa, talia de ſe præmia ſperare debere, quęcunq; de nuru ſua ſibi, quo placeret, mali aliquid loqueretur. nullaq́; iam audente, memorabili inter ſe beneuolentiæ ſuauitate uixere. D. Auguſt. lib. 9. Confeſſ. cap. 9.

### FRATRES AMICITIAM COLEre, conſeruare.

IACOBVS patriarcha poſt multos annos ex Meſopotamia domum repetẽs, ueteris in fratrem offenſæ non immemor, præmiſit qui Eſaum precibus & donis delinirent, ſi qua adhuc ueteris in eo iniuriæ ira inſideret. Per quæ facilè conſecutus eſt, ut quàm inuiſus patrium ſolum uerterat, tam iucũdus ſit poſtliminiò reuerſus. Sab. lib. 4. ca. 8. ex Geneſ. ca. 32.

SCILVRVS octoginta filiorum pater, iam uicinus morti, faſciculum ex iaculis porrigens unicuiq́;, confringere iuſſit. Cùm autem omnes defeſſi nihil effeciſſent, ipſe ſingillatim extrahens, iacula omnia facilè fregit. Docens ipſos hoc argumento, quòd uniti & concordes, robuſti permanſuri eſſent: diſſoluti autem, imbelles futuri. Stobæus ſermone 82. Plut. in regum & Imp. Apoph.

EVCLIDES Socraticus in ſcholis celebratur: quòd cùm uocem audiſſet fratris ad ſe importunam & beluinã, cùm diceret: Diſperеam, niſi te malè accipiam: Ego uerò, inquit, niſi te inducam, ut iram deponas, amesq́; nos, ſicut antè amabas. Plut. de Pietate erga fratres.

CHANGIVS Cham, primus Tartarorum rex, iam morti proximus, XII filios conuocauit, & XII ſagittas uno faſce cõprehenſas natu maximo frangendas dedit. Quod cùm ille nequiret: ſecundo, inde tertio, & ſic cęteris. Verùm cùm nullus id poſſet, faſcem ſoluit, & minimo natu imperauit, ut ſagittas ſingulas confringeret. Quod cùm ille nullo negotio præſtitiſſet, conuerſus ad omnes: Neq; uos, filij cariſſimi, ſi concordes fueritis, à quoquam ſuperari poteritis: diſcordes facilè conficiemini. Haitonus Armenus in libro de Tartaris, & Sabellicus lib. 6. En. 9.

### DOMINOS AC SERVOS AMICItiam, fidem fouere.

ANTONIVS Leoninus, Genuenſis mercator, cùm æger grauiter laboraret, ſeruos ac ſeruas, qui ægro miniſtrabant, teſtamento, ſi ad priſtinam ſalutem reſtitueretur, omnes libertate donauit. Quòd ſi decedere eum contingeret, omnes in ſeruitute retineri iuſſit. Et ſic prudenter miniſtris deſiderium ſalutis ſuæ iniecit, propoſita eis libertatis ſpe, utq́; in eius curanda ualetudine diligentiores eſſent; cauſas auxit. Fulgoſus lib. 7. cap. 8.

GEORGIVS Coſta Cardinalis Luſitan⁹ uixit annos CII. Si

quando morbo corripiebatur, ampliſſima dona miniſtris ſuis, ſi conualeſceret, promittebat, eaq; magnificè præſtabat. Hac ratione effecit, ut incredibili ſtudio ea, quæ ad ſanitatem patroni facere poſſent, familiares omnes procurarent. Garimbertus lib. 5. de Vitis Pontificum.

AVCTORITATI, EXISTIMATIONI, HOnori ſuo alienóue prudenter conſulere, acquirendo, conſeruando, aſſerendo, uindicando: qui quidem debeatur

SAPIENTIÆ, ERVDITIONI.

ARISTEAS Proconneſius, philoſophus, cùm nullam ſapientiæ opinionem apud ſuos haberet, eo quòd in ea comparanda nullis magiſtris uſus uideretur: finxit animum ſuum relicto corpore in aëra ſubleuari, & per uniuerſum orbem uagari uſq; ad Hyperboreos & Indos, omniumq; gentium mores & reſpub. ex ſublimi loco contemplari ſolitum. Quo commento, accedentibus etiam magicis præſtigiis, auctoritatē apud ſuos ſibi peperit. Maximus Tyrius 22. ſermone.

PYTHAGORAS, quò plus uenerationis & auctoritatis ſibi ſuisque conciliaret, in diſſertationibus dicere ſolebat, αὐτὸς ἔφα, id eſt, Ipſe dixit: Deū intelligens. perinde quaſi non ſua referret, ſed ab oraculo quopiam accepta. Ea uox deinde in uulgi abiit ſermonem. Eraſmus in Adagiis ex Suida.

HERACLITVS Epheſius librum de Natura edidit, in tres partes diuiſum, de Vniuerſo (Phyſiologia) de Repub. (Ethica) & de Theologia (Metaphyſica) illumq; in templo Dianę depoſuit, adeò obſcurum, ut ſoli eruditi illum intelligere poſſent: ne ſi à uulgo paſſim legeretur, contemtui tandem haberetur. Laertius lib. 9.

MENANDER comicus, cùm ob ſummam doctrinam ſupra ætatem, apud ſuos inuidia laboraret, produxit in theatrum ſuem prægnantem, eiuſq; exectum uterum in euripum proiecit. Ibi cùm porcelli ductu naturę agerentur: Athenienſes, inquit, uiri, ſi in teneris annis ſcientiam meam miramini, iſtos natare quis docuit? Gyrald. Dial. 7. hiſt. poetarum, ex Priſciani lib. 4. de Phyſica ſcientia.

MECHANICÆ PERITIÆ.

PARRHASIVS pictor in Lindo Herculem pingebat. Atq; ut operi auctoritatem conciliaret, finxit ſibi deum in ſomnis apparuiſſe, ea ſpecie quam imitari deberet, idq; ipſum diſticho tabulæ inſcripſit. Athen. lib. 12. cap. 21.

SOSTRATVS Gnidius, cùm Ptolemæo regi turrem ſpecularem in Pharo Aegypti ædificaſſet, ſuum nomen in muri lapide incidit, calceque illita, regis nomen ſuperinduxit: fore auguratus, ut breui pòſt tempore decidente lorica, inſculptum nomen ſuum appareret.

ARTIFICES priſci uerbo Faciebat operibus ſuis inſcripto, nondum ſe ſupremam manum impoſuiſſe fatebantur: ut ſcilicet addendi ſemper, mutandique libertatem ſibi reſeruarent: & uel inuidiam uel reprehenſionem emollirent. Plin, in Præfatione hiſt. nat.

Cùm Alexandro Magno dictum eſſet, INDVM quendam, ſagitta arcu emiſſa, ſingulis ictibus medium anulum petere: ad ſe accerſitum iuſſit, ut ſe præſente id ageret. Is autem adeò obſtinatum, ne id ageret, ſe præbuit, ut iratus Alexāder morte eum damnarit. Cum ad ſupplicium duceretur, interrogatus, Quamobrem non ſagittaſſet? Vereri ſe, reſpondit, ne ſi aberraſſet, peritiæ opinionem longo iam tempore partam ſemel amitteret. Quam rem cùm Alexander accepiſſet, eum periculo liberauit, atq; inſuper ingentia munera addidit. ex Plutarcho.

VIRTVTI

*In Genere.*

Lacedæmone ſententiam, quam Demoſthenes quidam homo libidinoſus dixerat idoneam, populus reiecit. EPHORI autem ſorte uni ex ſenibus ducto iuſſerunt, ut eandem illam orationem haberet, uelut in uas mundum ex putido transfuſam, quò accepta eſſet plebi. Adeò magnum habent in repub. probati mores momentū. Plut. in præceptis Polit.

*Prudentiæ.*

*Conſule Titulum Prudentiæ in ponendis legibus. item Legiſlatorum.*

Tyrtæus Athenienſis ludimagiſter, ex oraculo dux datus ab Athenienſibus bello Meſſenico, ciuitate donatus eſt à LACEDÆMONIIS. Pauſanias Cleombroti interrogatus, Quid ita? Ne, inquit, nobis unquam peregrinus fuiſſe dux uideatur. Cælius lib. 18. cap. 5. A. L.

*Fortitudini bellicæ.*

Sociis Lacedæmonios accuſantibus, Nos magno numero pugnamus, Lacones exiguo: AGESILAVS mandauit, ut in planitie ſeorſim conſiderent Lacones, & ſeorſim in alio loco ſocij. Illis ſic ad iudicium ferendum ſedentibus, præco clamauit, Surgant figuli: ſurrexerunt à ſociorum parte non pauci. Secundò, Fabri ferrarij: ſurrexerunt multi. Tertiò, Fabri lignarij & lapicidæ: ſurrexerunt plures. & alios quæſtuarios & artifices ordine promulgauit, ita ut propemodum omnes ſocij conſurgerent, Lacedæmoniorum nemo. Vetitum enim erat eis, quæſtuariam artem exercere. Sic didicerunt ſocij, plures eſſe Laconum milites quàm ſuorum. Polyænus libro 2.

Pugna Mantineenſis in æquali momento Thebanis & Mantineenſibus habebatur. Voluerūt Mantineenſes legationem ad Thebanos mittere. CINEAS Athenienſis, cuius frater Demetrius occubuerat in prælio, ad Mantineenſes inquit: Se potiùs fratrem ſuum expertē ſepulcri relicturum, quàm hoſtibus uictoriam profiteri uellet. Etenim fratrem ob eam cauſam promto animo mortem oppetiuiſſe, ne trophæum contra ſe atque patriam ſtatueretur. Mantineenſes igitur à mittenda legatione deſtiterunt. Polyænus lib. 2.

*Clementiæ.*

Q. Gallius Prætor accuſatus eſt, quòd ſuadente M. Antonio in mortem Octauij Cæſaris conſpiraſſet. Conuictus, & dignitate à collegis ſpoliatus eſt, & domus à plebe direpta, & iudicante Senatu, morte damnatus eſt. Sed AVGVSTVS, qui, quò peruenit, aſpirabat, ut ſimul & ſecuritati ſuæ, & humanitatis opinioni conſuleret, iuſſit eum duntaxat ad M. Gallium fratrem, qui ab urbe aberat, proficiſci, neq; ab eo unquam diſcedere. Verùm in itinere curauit, ut ita de compoſito occideretur, ut de facto, quid ei accidiſſet, nihil unquam certi afferri poſſet. P. Aerodius ex Appiani lib. 3.

*Religioni, Pietati.*

Chaldæi deum ſuum, quem ſub ſpecie Ignis colebant, contra omnes alios deos euehere conabantur. AEGYPTII ex ſuggeſtione ſacerdotis Canopi hydriam fictilem ſeu Nili ſtatuam ingentem, foraminibus plenam, quæ tum cera obturabāt, aqua repleuerūt. Chaldæi ignē accendunt: cera liqueſcit. Hydria ſudante, & per foramina deſtillante aqua, ignis extinctus eſt. Suidas in uoce Canopus, & Ruffinus libro 2. hiſt. Eccleſiaſticæ.

*Legum obſeruantiæ.*

*Conſule Titulum Prudentiæ legiſlatorum.*

In prælio Leuctrico cùm multi Lacedæmonij terga dediſſent, tenerenturq; hi legitimis pœnis: Ephori, qui exhauſtam ciuibus urbem uidebant, quæ requirebat milites, uolebant illos ſoluere infamia, & leges conſeruare. Ita legiſlatorem AGESILAVM creant. Ille in concionem progreſſus: Lator ego, inquit, nolo aliarum legum eſſe. Neque enim præſentibus quicquam adiiciam uel detraham, uel eas corrigam: uerùm leges præſentes è repub. puto eſſe ut ex craſtino die uim ſuam recipiant. Plut. in Apophthegmatibus.

Bello Clodiano, pace inita inter Genuenſes & Venetos, cùm Ligures oratores Venetias ueniſſent, frequentesque ad CAROLI Zeni ædes uenirent, quaſi ad ciuitatis principem: deduxit illos uir prudentiſſimus ad Riualtinum pontem, ut æqualitatem & maieſtatem Venetæ reipub. euidenti argumento illis oſtenderet. Conuenerat autem cum Riualtino magiſtratu, dedita opera, ut obuium ad ſe ſuum ſatellitem mitteret: cui pugionem ipſe uel inuitus traderet, quem geſtare ſolitus erat, ſimulque ipſum euocaret ad pœnam, quaſi ſupra ciuem ſeſe gereret, qui ferrum per urbem ſecum deferret, quod lege iampridem prohibebatur. Tradito igitur pugione ſatelliti, à quo etiam ad magiſtratum euocabatur, conuerſus in legatos, ipſos rogare cœpit, ut ſecum proficiſcerentur. Quibus perbenignè pollicentibus, rectà tendit ad præſides. Qui uiſo Carolo, grauiùs & penè acerbiùs in illum inuecti, propter pugionem ipſum penes ſe retentum, multam etiam illi grauem indixêre. Qui mox à Carolo legatisque exorati ægrè conceſſerunt, ut Carolus tutus domum dimitteretur. Quibus ille reuertens, multa in eam ſententiam connumerauit, nihil in urbe ſupereſſe, in quod non omnes uno ordine conſpirarent. Egnatius libro 7. capite 3.

*Formæ.*

Scribit Tacitus Cornelius, POPPEÆ Sabinæ Neronis coniugis raros fuiſſe in publicum egreſſus, idq; uelata parte oris, ne ſatiaret aſpectum, uel quia ſic decebat.

DIGNITATE ET MAGISTRATV. Maieſtatem Reipub. & Imperij tueri.

Rex, quem Aegyptij Cetem, Gręci PROTEVM appellant, Iliaci belli tēpore extitit, artium peritus, & in uarias ſe formas uertere ſolitus, ut nunc animal, quandoq; arbor aut ignis, aut quid aliud uideretur. Occaſio fabulæ talis extitit. Aegyptiis mos erat regibus, aut leonis, aut tauri, aut draconis priorem partem in capite ferre, inſignia principatus: quandoq; uerò arborem, aliquando ignem, quandoq; redolentia ſupra caput unguenta: hæc tū ad decorem pertinebant, atq; ornatum: tum ſtuporem ac ſuperſtitionem quandam aſpicientibus iniiciebant. Diod. lib. 1. cap. 5.



INDORVM rex ubi uiſendum ſe publicè præbet, apparent argēteis thuribulis miniſtri perplures conſpicui. Iter uniuerſum, quo uectatur, odoribus uaporatur. Ipſe aurea geſtatur lectica, margaritis hinc inde propendentibus. Amictus auro interlucet, ac purpura lecticam obuniuiunt corporis cuſtodes, è ramis cantillantibus auiculis, quas ita de more imbuunt, ut inter ſeria inſtrepant cantu. Regiam auratæ ſuffulciunt columnæ, auro uite cælata obambiente. Inter hæc auium, quibus præcipuè oblectantur, argenteæ nitent effigies. Regia nulla non hora uolentibus pateſcit. Vbi capitis curæ ac ornamento incumbit, tunc admittuntur legationes, & redduntur populis iura. Odoribus perfluunt liti pedes. Si quando in uenationem prodire collibuit, ferè leporariis occluſæ inter pellicum uota & cantus transfixæ conficiuntur. Hic illis non contemnendus labor. Si longior incumbat expeditio, curru uectantur, quem inſtrati auro elephantes ducunt, aſſectantibus agminatim pellicum lecticis. Subſequitur & regina, ſed ſeorſum, nec minore luxu. Vbi ſomni tempus appetit, regem uino grauem dormitantemq; cubiculo inferunt pellices, noctium diis patrio ritu aduocatis cum cātu. Cælius lib. 8. cap. 2. A. L.

Perſis adoratio erat peculiare bonum: citra hanc nō facilè ad regem patebat aditus. Illum quinimò uidiſſe quandoq;, auguſtiſſimum cenſebatur: quoniam is ſub maieſtatis ſpecie ſemper ferè latebat. At magnus AGESILAVS Spartanorū rex, quod Xenophon ſcribit, ut ſemper ſpectaretur, gaudio exiliebat: quum turpiter agenti tenebras conuenire arbitraretur, honeſtæ autem uitæ lucem longè plus ornamenti afferre. Cælius lib. 8. cap. 2. A. L.

ISMENIAS Thebanus legationem ad regem Perſarum patriæ cauſa ſuſcepit. Tribunus itaque militum Tithrauſtes, cuius officium erat, res nunciatas ad regem deferre, & ſupplices introducere: O Thebane hoſpes, dicebat (hæc autem ioco loquebatur per interpretem) lex eſt uernacula Perſis, ut is qui in conſpectum regis uenit, non antè ſermonem cū eo conferat, quàm genua inclinauerit. Quòd ſi igitur uis ipſe eum adire, neceſſe eſt, ut quod lex iubet, peragas. Sin minùs, nos te cogemus, ſi non adoraueris. Iſmenias: Age ſis igitur, inquit, deduc me. Cùm in faciem regis uentum eſſet, anulum quem geſtabat, è digito detractum, clàm abiecit ad regis pedes: confeſtimque procumbens, tanquam adoraret, ſuſtulit eum iterum: & honorem quidem adorationis Perſarum regi præſtitit: nil tamen commiſit, quod ignominioſum aut indecorum foret Gręcis. Quicquid igitur petiit, impetrauit, neque quicquam à Perſa ei denegatum eſt. Aelianus lib. 1. de Var. hiſt.

NVMIDARVM reges plurimùm ob ſingularem prudentiam laudantur, qui more gentis ſuæ nulli mortalium oſculum ferebant, quamuis apud cæteros in uſu hoc ſemper fuiſſet. Nullam nimirum aliam ob cauſam, quàm ut docerent, in ſummo dignitatis gradu conſtitutos, non nimiam cum infimæ ſortis hominibus habere conſuetudinē oportere. Val. Max. lib. 2. cap. 1 de Inſtit. antiq.

DEIOCES, primus Medorum rex à popularibus ſuis iuſtitiæ nomine electus, cùm Ecbatana regiam ſedem ædificaſſet, neminem ad ſe ingredi permittebat, ſed per internuncios cuncta tranſigebat: neque regem à quoquam conſpici fas erat, ridere aut expuere coram rege non licebat. Hac ratione auctoritatem ſibi comparauit: & ne æquales ſui, qui cum eo educati erant, res nouas molirentur, eum præ oculis quotidie cernentes, ipſa abſentia maieſtatem fingere uoluit. Herodotus lib. 1.

ARTAXERXES Perſarum rex, legem tulit, ut nemo è domeſticis inuocatus eum accederet, tantiſper dum ſederet in regio ſolio: adhibitis in hoc etiam lictoribus cum ſecuribus, ut ſi quis contrà faceret, plecteretur capite. Rex interim uirgam tenebat auream, quam quoties aliquem ex inuocatis uenientibus ſeruare uellet, porrigebat ad eum: iſq; uirgæ contactu eximebatur periculo. Ioſeph. lib. 11. cap. 6. Sic Eſtheræ reginæ, quæ ob gentis ſuæ periculum inuocata ad regem uenerat, metuq; exanimata conciderat, rex porrecta uirga ſalutem ſpopondit.

PERICLES Athenienſis, ut maximè popularis eſſe ſtuderet, auctoritatis tamen & conciliandæ & conſeruandæ cauſa rarò in publicum prodibat, ſtudioſè tamē, ſi quando cogeretur: & ne conuiuia quidem ulla publica priuatáue adibat, quòd hanc συνουσίαν plurimum grauitati obeſſe iudicaret. Plutarchus in eius uita.

ALEXANDER, ſi in Macedonibus aut etiam Græcis iudicium exerceret, mediocre uulgareque forum probabat: ſin inter Barbaros, ſplendidum & militare, ut etiam fori figura metum Barbaris incuteret. Cùm igitur Bactrianis & Hyrcanis atque Indis iudicia daret, tabernaculum hoc ferè modo conſtructum habuit. Tabernaculum amplitudine tantū erat, ut centum menſas poſſet capere. Id fulciebatur aureis columnis quinquaginta. Cœli auro obducti, uariis ornamentis elaborati, ſupremum locum tegebant. Perſæ primò quinquaginta melophori, circum tabernaculum intus ſtabant, purpureis meliniſq; ueſtibus induti. Poſt hos melophoros pari numero iaculatores, qui ueſtibus uariabant. nam alij flammeis, alij cæruleis, alij coccineis amiciebantur. Ante hos ſtabant Macedones argentea ſcuta tenentes, quinquaginta immani magnitudine uiri. In medio tabernaculo aureus thronus poſitus erat, in quo reſidens ius dictabat. Vtrumq; latus regis iudicantis ſatellites cingebant. In circuitu tabernaculi diſperſum hinc inde elephantorum agmen aſtabat, & Macedones mille, ſtolis Macedonicis induti. Poſt hos quingenti Suſij purpurati: poſt quos circumcirca ambibant undiq; Perſæ, decem Perſarum millia, pulcerrimi maximiq;, ornati omni habitu Perſico, omnes acinacibus præditi. Eiuſmodi fuit Alexandri curia inter Barbaros. Polyænus lib. 4.

SOLON dicitur legibus ſcribendis implicatioribus & multū contortis uim amplificaſſe ſubſelliorum. Cùm enim decidi per leges non poſſent lites, euenit, ut nunquam non opus haberent iudicibus, ad quos ſicut legum quodam modo dominos controuerſias omnes deferrent. Plut. in Solone.

Q. SERTORIVS per aſperos Luſitaniæ colles ceruam albam trahebat. Ab ea ſe, quæ nam aut agenda, aut uitanda eſſent, admoneri dictitans, diuinitatis opinione apud Barbaros auctoritatem ſibi conciliauit. Valerius libro 1. capite 3. Exemplorum.

TIBERIVS Cæſar, uiuente Auguſto, Rhodum ſeceſſit. De facto quidem conſtat: de cauſis ambigitur. Alij impudicæ & procacis uxoris Iuliæ tædio, cuius mores nec ferre poſſet, nec corrigere: alij, ut Imperatoris filiis iam adultis cederet, & omni ſe inuidia ac ſuſpicione liberaret: alij autem, ut raritate uenerationem ſuiipſius aleret, & Reipublicæ deſiderium per abſentiam augeret, ſemperq; familiaritatis nimiæ comitem contemtum remoueret. Suetonius.

CN. POMPEIVS multitudinem declinabat, & deuitabat forum: paucis autem & ægrè petentibus aduocatum ſe præbebat, quò fauorem haberet uegetiorem, ubi pro ſe ageret. Plutarchus in Craſſo.

VENETI crucem auream pileo ducali (quem Cornu uocant) in fronte affigi curarunt, quando Laurentio Celſo duci pater eius aperto capite occurrere noluit, quòd turpe putaret, ſe patrem filio ſubmittere: ut in poſterum non perſonæ, ſed cruci aureæ honorem exhibere nemo dubitaret. Egnatius libro 9. capite 5.

MATTHÆVS Cardinalis Sedunenſis, qui Maximilianum Imperatorem in ducatu Mediolanenſi occupando per Heluetios, apud quos gētilitate & popularitate ualebat, adiuuit: cùm dubitaret ſe ab Heluetiis ſuis contemni, & propter ſolam largitionem ſuſpici: ſi quando ab illis conueniretur, tāquam aliis rebus, ut literis legendis, uel precibus abſoluendis intentus eſſet, ſeſe auertere conſueuerat: & clàm in nitidiſſimo ſpeculo linguas caninas & aures aſininas, quæ ei à ſimulatis clientibus intentabātur, aſpicere. Singillatim deinde unicuiq; eorum cōuitia & ſcommata iſta exprobrabat: ita ut magicis artibus tantùm hæc ab illo reſciri poſſe exiſtimarent, & magis formidine quàm ueneratione ducti, illum porrò obſeruarent atq; colerent.

REX Turcorum oratores ac legatos non audit: ſed Principes, qui Baſſæ dicuntur, tanquam interpretes ac interceſſores ad regem referunt, more regum Perſarum, familiaritatis uitandæ gratia, quæ contemtum parit. Cuſpin.

Cùm RODOLFVS Habſpurgenſis contra Ottocarum Boemiæ regem rebellē (qui Auſtriam à Margarita uxore dotis nomine obtinuerat, & eam repudiatam ueneno ſuſtulerat) bellum ſuſcepiſſet: Moguntinus, Salisburgenſis & Friſingēſis antiſtites cum Palatino, concordiam inter duos reges tractaturi, Ottocarum Viennam accerſunt, cum eoq; in hāc formam paciſcuntur: Vt relictis terris Auſtriæ, Stiriæ, ac aliis, quas Rodolfus iam occupauerat cis Danubium, Ottocarus contentus eſſet poſſidere partem illam transdanubianā ad Morauiam uergentem, quæ Marchiæ campus appellatur. Feudum deinceps de regno Boemiæ à rege Rodolfo acciperet. Filios inſuper Baronum, quos priùs obſides acceperat, liberos emitteret: literis quoque ac iuramento concordiam ratificaret. Conſenſit Ottocarus in omnia: unum rogauit ſibi condonari, ne ſcilicet in publico feudum accipere cogeretur. Erat enim ſuperbiſſimus, & uerebatur poplite flexo illū adorare, qui olim ei ſeruierat ut magiſter curiæ ſuæ. Annuit rex, ut ſub tentorio aut papilione id fieret. Erat aūt id tentoriū mira arte factū adeò ingenioſè, ut uno tractu in quatuor partes diſſolueretur. Dū itaq; flexis genibus accipit uexillum à rege, quidam fune tracto tentorium diſſoluit, ut ab omnibus palàm uideretur regē de more adorare. Id cùm uxori eius Kunegundi, filiæ Roſſuſlai Bulgariæ du-

riæ ducis, quam uiuenti Margaritæ ſuperduxerat impius, in notuiſſet, Vah (inquit) qui potentiſſimus es rex, coram ſeruo olim tuo (nam magiſter curiæ Ottocari fuerat) tam ſplẽdidè ornatus ceruicem ſubmittis, eumque adoras palàm cunctis uidentibus? Emaſculatus es, neq; teſticulos paternos, ut puto, habes, indignus regia corona. Verbis talibus maritum compulit, ut contra datam fidem cum ſua pernicie bellum regi Rodolfo indiceret. Cuſpinianus & Fulgoſ. lib. 6. cap. 4. & Bonfin. lib. 8. Decad. 2.

Rodolfi Imp. ſtratagema erga Ottocarum imitatus eſt CASIMIRVS III. Poloniæ rex, in fidem recipiens Stephanum Valachiæ Deſpotam, multorum regum uictorẽ: qui, quòd Mahometi Turcorum Imp. armis impar eſſet; Beſſarabia amiſſa, hac ratione ſe regnum ſuum tueri poſſe falsò ſperabat. Anno 1484. Ioach. Cureus in Sileſiæ Annalibus, & Cromerus libro 29.

VICTORIIS.

ALEXANDER Magnus cum Athenienſibus Thebanorum ſociis facilè rediit in gratiam, cùm Thebas ipſas tamen euertiſſet. Sperabat enim ex ea urbe tanquam ex ſpecula res ſuas geſtas æternitati conſecrandas literarum monumentis. Victis ad Granicum flumen Darij ducibus, miſit Athenienſibus trecentos clypeos de ſpoliis. Cæteris manubiis in communi glorioſiſſ. titulum inſcribi iuſſit: Alexander Philippi, & Græci præter Lacedæmonios de barbaris Aſiaticis. Cùm Hydaſpem fluuium contra Porum magno cum periculo traieciſſet, Oneſicritus teſtatur dixiſſe eum: Quis credat, Athenienſes, quanta pericula ueſtri præconij cauſa ſubeam? Plut. in Alexandro.

In Elide ad Harpinnam urbem ab Oenomao conditam præcelſus terræ agger eſt, & in eo omnium Procorum Hippodamiæ tumulus. Neq; uerò illos Oenomaus inſigni honeſtabat ſepultura, ſed ſatis habebat, ſi eorum cadauera humi defodienda proximis tumulis curaſſet. At PELOPS commune omnibus monimentum, operis magnificentia ſpectandum, erexit: cùm ut ipſis cum procis honorem haberet, tum ut Hippodamiæ ipſius nomen illuſtrius celebraretur. Mea uerò ſententia, non alia magis de cauſa, quàm ut argumento eſſet opus illud, quot, & qualium uirorum cæde exultantem Oenomaum ipſe licet aſtu uictor perculiſſet. Pauſanias libro 6.

Victis à C. Mario & Luctatio CATVLO Cimbris in Italia Ciſpadana, ſpolia, ſigna militaria, tubas in caſtra Catuli aiunt fuiſſe relata: quo potiſſimùm indicio penes ſe uictoriam fuiſſe, Catulum demonſtraſſe. Et uerò etiam concertatione inter milites orta, legati Parmenſium, qui aderant, arbitri ſunt: quos per hoſtium ſtragem ducentes milites Catuli; pilis ſuis oſtenderunt confoſſos. Cognoſcebantur pila literis, quòd Catuli nomẽ haſtili eorum incidiſſent. Plut. in Mario.

Cùm L. Paulo Aemilio de Perſeo rege triumphaturo milites, Capitolio obſeſſo, triumphum denegaſſent, Sergio Galba tribuno militum inſtigante, ægrè ferentes prædam regiam uiritim non fuiſſe à conſule diuiſam: M. SERVILIVS uir conſularis, qui tres & uiginti hoſtes ex prouocatione interemerat, conſcenſo ſuggeſtu, militarem reprehendit audaciam, populiq; erga uirum de repub. optimè meritum ingratitudinem. Simul ſe nudauit, oſtenditq; infinitas cicatrices aduerſo corpore exceptas. Inde conuerſus, adaperuit quædam, quæ ad populum uelanda erant: atque ad Sergium Galbam reſpiciens, Tu quidem hæc, inquit, derides: ego uerò apud ciues glorior iis, quæ pro his in equo dies noctesque perſedendo accepi. Sed age uoca hos ad ſuffragium: ego omnes aſſectabor, notaboque improbos & ingratos, eosque, qui ſibi in bello obſecutum magis quàm imperatum uolunt. Adeò perhibent hac oratione repreſſam & immutatam militarem turbam, ut omnes tribus ſciſcerent Paulo triumphum. Plut. in Aemilio.

C. IVL. Cæſar ad Dyrrachium Pompeij caſtra munitionibus circumuallauit, in tumulis, qui plurimi circumſtabant; caſtella militari opere erexit, circuitum quindecim milium paſſuum complexus, continuata munitione per tumulorũ interualla, nequa hoſtis eruptionem faceret. Siquidem Cęſar non ſolùm id belli compẽdium arbitrari, ſed ad famam etiam utriuſq; ducis pertinere, ſi totus Oriens, ubi celebre erat Pompeij nomen, audiret, ducem ipſum ab hoſte munitionibus incluſum, nec à principio auſum cum Cæſare congredi, nec poſſe iam, ſi uelit ampliùs. Eſt itaque opus ipſum haud modico certamine ad exitum perductum, eratq; nouum obſidionis genus, ut multò plures à paucioribus obſiderentur: obſeſſi commeatu abundarent (quando quolibet uentorum flatu, multitudine nauium, quæ dextra lęuaque aderant, in ea caſtra importarent) qui obſidebant, omnium rerum inopia premerentur, uel inprimis rei frumentariæ. Sab. lib. 7. En. 6.

IDEM Cn. Pompeij ſtatuas deiectas honorificè repoſuit. Eapropter inquit Cicero, Cęſar dum Pompeij ſtatuas reponit, ſuas ſtabilit. Sentiens, illum hoc non in Pompeij gratiam facere, ſed ut ſibi clementię ſimulatione fauorẽ apud ciues cõciliaret, atq; hoc pacto ſuum regnum conſtabiliret. Plut. in Rom. Apoph. & Polyænus lib. 8. & Suetonius.

VIRGO ueſtalis fratrem Claudium iniuſſu populi triumphãtem, aſcenſo ſimul curru, uſque in Capitolium proſecuta eſt, ne uetare aut interdicere fas cuiquam Tribunorum eſſet. Suetonius in Tiberio.

Proditum memoriæ eſt, MITHRIDATEM Ponti regẽ ſummis laudibus tuliſſe in cœlum L. Lucullum imperatorem, qui contra ipſum exercitum duxerat, & à quo non ſemel in bello magna incommoda acceperat. Ea enim uirtutis eximiæ uis eſt, ut cogat etiam aduerſarios ſe laudare, ſi præſertim magno animo prædıti ſunt. An id eo conſilio Mithridates faciebat, quia dum uirtutem aduerſarij, ſcientiamq; rei militaris celebrabat, culpam ſuam minuebat, qui ab eo uictus, regnoq; exutus fuerat? Ciceronis hæc uerba ſunt è proœmio Academic. quæſt. quo Lucullũ ualde ornauit. inquit enim: Vt rex ille poſt Alexandrum maximus, hunc à ſe maiorem ducem cognitum, quàm quemquam eorum, quos legiſſet, fateretur. Sic apud Homerum AGAMEMNON Hectorem acerrimum ſuum inimicum celebrat, ſe neminẽ unquam uidiſſe, neq; ab alio accepiſſe, qui id commemoraret, quempiam, tot magna & præclara facinora animo percepiſſe, quot Hector effeciſſet, & detrimenta Græcis attuliſſet. Victorius libro uigeſimoſexto Variarum lectionum, cap. 11. Verba autem ſunt Agamemnonis ad fratrem Menelaum Iliados κ.

ὀ γάρ πω ἰδόμην, ὀδ' ἔκλυον αὐδήσαντος,
ἄνδρ' ἕνα τοσσάδε μέρμερ' ἐπ' ἤματι μητίσασθαι,
ὅσσ' Ἕκτωρ ἔρρεξε Διῒ φίλος υἷας Ἀχαιῶν
αὔτως, οὔτε θεᾶς υἱὸς φίλος, οὔτε θεοῖο.
ἔργα δ' ἔρεξ', ὅσα φημὶ μελησέμεν Ἀργείοισι,
δηθά τε, καὶ δολιχὸν· τόσα γὰρ κακὰ μήσατ' Ἀχαιούς.

INFAMIAM, DEDECVS PRVdenter effugere, declinare, auertere:

IN GENERE.

Cani, quem habebat ALCIBIADES, inuſitata magnitudine & ſpecie, ſeptuaginta emtum minis (ſeptem millibus drachmarum) perquàm elegantem, caudam detruncauit. Obiurgantibus eum familiaribus, omneſq; dicentibus, canis cauſa pungi & inſectari ipſum, arridens: Ergo fit, inquit, quod uolo. Volo enim de eo loqui populum Athenienſem, ne quid de me dicat deterius. Plut. in Alcibiade, & in Apoph.

Quidam petulantioris linguæ, maledicta coniicere ſolebat in PHILIPPVM Macedonẽ. Amicis hortantibus, eiiceret eũ in exilium: negauit hoc facturum, ne oberrans inter plures latiùs ſuam ſpargeret uirulentiam. Quòd maledicum non egit in crucem, clementiæ erat: quòd ignouit, magnanimitatis: quòd contemſit, quòd noluit expellere, prudentiæ, plus enim nocuiſſet. Plut. in Apoph. regum & Impp.

IN SPECIE. INFAMIAM MALORVM

## Animi. Nempe

*Timiditatis.*

LVCTATIVS Catulus bello Cimbrico ad Atheſim amnem ſtatiua habebat. Cùm autem Romani, qui barbaros tranſmittere molientes cernebant, reciperent ſe, neq; ſuſtinere eos ualeret: ad primos contendit fugientium, ne cedere hoſtibus uiderentur, ſed ducem ſequi. Plut. in Apoph.

*Impudicitiæ.*

PERICLES Ariphroni patri, uolenti publico præconio quæri Alcibiadem, qui adoleſcens clàm domo egreſſus, ad amatorẽ Democratẽ ſe contulerat, obſtitit, ne infamaretur. Plut.

*Illiberalitatis.*

Deferente Nicanorem Smicytho, quod perpetuò obtrectaret PHILIPPO Macedoni, cenſentibusq; amicis eius euocandum & plectendum: Atqui non eſt, inquit, uiliſſimus Nicanor Macedonum. Videndum igitur, nunquid per nos admiſſum ſit. Itaq; ut Nicanorem comperit graui inopia premi, neque haberi eius ab ſe rationem, iuſſit donum quodpiam ei præberi. Pòſt referente iterum Smicytho, mirificè ipſum apud omnes aſſiduè prædicari à Nicanore: Cernitis iam, inquit, in manu noſtra poſitum eſſe, ut benè aut malè audiamus? Plut. in Apophthegm.

IOVIANVS Pontanus, cùm aliquando Narniam ueniſſet, hoſpitiumque publicum ingreſſus eſſet cum familiaribus, & his qui itineris comites fuerant: tubicen non malus hoſpitium quoque ingreſſus eſt. Inualuit enim mos, ut quum peregrinus quiſpiam, qui dignitatem præ ſe ferat, aliquod oppidum ingreditur, tibicines poſtquam tuba eum ſalutauerint, donari ſe expectẽt. Tubicinẽ igitur carleno donauit, atq; ut taceret, iuſſit. Cauſam requirenti cauponi, reſpondit: ſe, cum erga tibicinem liberalis eſſe nequaquam poſſet, ſi caneret, eo carleno redemiſſe, ne illiberalis diceretur, & ſilentium eo argento mercatum eſſe. Pontanus de ſeipſo refert lib. de Liberal. cap. 23. in fine.



*Impietatis.*

Innocentius IIII. Pontifex, ad Imperatorẽ Tartarorum quatuor ORATORES miſit è concilio Lugdunenſi, ex ſacro Prædicatorum cœtu lectos: ſi gens, quę domo, horrido cœli cardine, torpentisq; naturæ ſolo profecta, bellum uaga circumferens beatiores regiones urebat, imbui poſſet Chriſtiana pietate, ac ab inſita feritate manſuefieri, ne uaſtitatẽ orbi terrarum inferret. Tartarus illorum concionibus delinitus, miſſurum ſe ad Pontificem oratores oſtendebat. At illi etiam atq; etiam diſſuaſerunt, per cauſam quòd illis iter faciendum eſſet per gentes, quas Tartari ferro facibusq; euaſtaſſent: has à recenti memoria cladium minùs tutum iter daturas. Sed maior cogitatio pectori inſederat. Multa uidiſſent Tartari contrà atq; uiri ſancti uiſi fuerant collaudãdis noſtræ religionis hominibus iactaſſe, ſpopondiſſeq;: cõſpexiſſent bella inteſtina: Cæſarem in Pontificem uerſum: Guelphos in Gibellinos, ut nefarios, ut ſceleratos arma ueluti ſacra gerere: Gibellinos iura ſacri Imperij Auguſtamq; maieſtatem tutari ſe gloriantes: ſpecie partium ſuæ quenque cupiditati inſeruire: nulli nefario ſceleri non prætendi nomen pietatis: animi demiſſionem uerbis collaudari, re nullam eſſe: faſtum, ſuperbiam dominari: uirtuti nullum locum: diuitias in honore, in precio, admirationi eſſe. Aemilius libro ſeptimo.

*Iniuſti iudicij.*

Aricini atq; Ardeates de ambiguo agro cùm ſæpiùs bello certauiſſent, multis inuicem cladibus feſſi, iudicẽ POPVLVM Romanum acceperunt. Cùm ad cauſam orãdam ueniſſent, concilio populi à Magiſtratibus dato, magna contentione res acta eſt. Editi teſtes utrinq;: ac iam ineunda erant ſuffragia, cùm repentè denunciante Septitio quodam, aliisq; argumentis ueriſſimè apparuit, neq; Aricinorum, neq; Ardeatium agrum eſſe, quo de agitur: ſed finium Coriolanorum fuiſſe, captisque Coriolis, olim iure belli publicum Populi Romani factum. Itaq; uocatæ Tribus, iudicarunt omnes, agrum publicum Populi Romani eſſe. De iudicij iniquitate quærentibus Ardeatibus, reſpondit Senatus, Iudicium Populi Romani reſcindi non poſſe. Nihilominus tamen huius inuidiæ leuandæ cauſa, ita rem Senatus moderatus eſt, ut nec iudicium Populi reſcindere uideretur (quia res ſemel iudicata pro ueritate habenda eſt: itemq; uitanda erat Ordinum diſcordia) & ager tamen ad Ardeates rediret. Id Senatus adeptus eſt, titulo deducendæ coloniæ: in qua obſeruaretur ueluti ex tacito Senatuſconſulto, ut nullum alium agrum diuiderent, quàm qui ſupradicto iudicio populo Romano mancipatus eſſet: nec quid ulli priùs Romano ciui glebę aſſignaretur, quàm omnibus Rutulis ager diuiſus eſſet. Dion Halicarnaſſ. lib. 11. & Liuius lib. 3. & 4. Decadis 1. Sic & Iniuſtitiæ & Leuitatis crimen effugerunt.

*Perfidiæ.*

Fridericus I. Imp. Veſontionẽ progreſſus, ad Ludouicum Iuniorem Francorum regem miſit, rogans, ut ad ſe communis colloquij gratia ad Sagonam amnem (is olim Arar fuerat) non longè à Diuionis oppido ad feſtum Decollationis occurreret: ibi enim ſe ex communi conſilio ueterem eccleſiæ concordiam inter Alexandrum III. cui Gallus, & Victorem IV. cui ipſe fauebat, redintegrare uelle: eademq; ratione reges Daniæ, Hungariæ, Boemiæ, & omnes regnorum ſuorum epiſcopos atq; abbates, ut ad eam diem ſibi pręſtò eſſent, admonuit: quo facto ingens eſt celeberrimi omnium concilij expectatio concitata. Ludouicus ad diem uenturũ ſe oſtendit: uerùm iter ingreſſus, ubi accepit, Fridericum, contrà atq; pacto conuenerat, ad concilium armato cum exercitu conuenire, paululùm hæſitauit, & tamen ſeruandę fidei cauſſa ad amnem die conſtituto acceſſit, atq; in medio ponte ab hora diei tertia ad nonam uſq; permanſit: & cùm Fridericus nondum ueniſſet, manus in flumine lauit, ac ſe fidem liberaſſe ſuam teſtatus, eodẽ ipſo die ueſpere Diuionem reuertit. Sub noctem inde aduenit Fridericus, cognitoq; Ludouicum abiiſſe, qui eum reuocarent, honoratos homines miſit: uerùm ut rediret, non potuit impetrare. Sigonius lib. 13. regni Ital.

## Corporis. Vtputa

*Plagarum, Verberum ignominiam.*

IOANNES Meunius, primus poeta Gallorum ſub zelotypi perſona in muliebre genus grauiſſimè inuectus fuerat. Regina uindictæ cupida, in ſuam redactum poteſtatem, uerbis primùm, mox etiam uerberibus in gynæceo caſtigari iuſſit. Iamq; detractis ueſtimentis puellæ matronæq; nobiles uirgis infeſtis miſero inſtabant, cùm ille multis precibus & lamentis uix à regina obtinuit, ut ſibi auctoritate regia unum quiddam, libertate excepta, permitteretur. Petiit ergo, ut quæ impudiciſſima omnium foret, prima manus ſibi iniiceret. Eo dicto territæ omnes, ne proprio indicio ſeipſas uel accuſarent, uel accuſare uolentibus anſam præberent, ab incepto deſtitêre. Aegid. Corrozetus de Dictis & factis mem.

QVIDAM noſtra ætate, cùm ab inimico nemine ſpectante alapam accepiſſet, clàm dediſſe ſe ſimulauit. Ita dum uterq; & datam à ſe, & acceptam ab altero contendit, res eſt plauſibili riſu extincta. Qui dederat, contentus fuit conſcientia: qui acceperat, ſimulatione. Ludouicus Viues de Concordia & diſcordia lib. 3.

*Proteſtationis.*

Alexandro Magno prope Perſepolim caſtrametante, ad quatuor millia GRÆCORVM, qui diu in hoſtium poteſtate fuerant, corporibus miſerabili modo truncis, in conſpectum uenere. Aliis pes alter deerat, aliis manus, quibuſdam oculi eruti, nonnullis aut aures, aut nares præciſæ, inſcriptaque corpora figuris literarum, quibus Perſæ utebantur. Magna ibi miſericordia, & comploratio orta, ubi uoce agniti, forma ob acceptam cladem humanæ diſſimilis. Rex eos conſolatus iuſſit bene ſperare, fore, ut omnes in Gręciam reuerterentur uiatico & uectura adiuti. Illi haud ignari, nullam tam aptam infelicibus patriam eſſe, quàm ſolitudinem & malorum obliuionem: illud quoq; animo uolutantes, celeriter lacrymas in aliena calamitate exareſcere, nec fideliter diligi quenquam ab eo cui faſtidio ſit: etſi non deerant, qui patriæ deſiderio tenerentur, plures eò inclinarunt, ut ab Alexandro locum peterent, ubi procul à conſpectu Græciæ miſerabilem illam corporum calamitatem uelut in occulto haberent. Iam Macedo iuſſerat mille denariũm, & iumentum ſingulis aſſignari, ut domum abirent, quum interim ad illius pedes ſupplices iacuere, nullam præ pudore uocem emittere auſi. Quorum conſilium ubi rex exploratum habuit, aſſignato illis agro quem colerent, terna millia denariorum ſingulis & binas ueſtes dedit, addita his armenta cum pecoribus & frumento, ut coli ſerique poſſet attributus ager. Sab. lib. 5. En. 4.

## Fortuitorum. Qualis eſt

*Ignobilitas. Obſcuritatem familiæ tegere, excuſare prudenter.*

AMASIS, Aegypti rex, ignobili ortus loco, ut populum ad ſe colendum induceret, uaſa aurea ex iis, quibus abluuntur Aegyptij, in ſtatuam numinis conflari iuſſit. Quam cùm illi ut rem diuinam adorarent, & ſe quoq; ante principatum uas fuiſſe ignobile dixit, nunc uerò adepto imperio diuinitùs, regiis honoribus dignum fore. Herodotus.

THEMISTOCLES ad tegendam natalium obſcuritatem, auctor fuit ingenuis adoleſcentibus, ut etiam in Cynoſarges, ubi ſpurij tantùm ungebãtur, exercere ſe non erubeſcerent. Plutarchus in eius uita.

Pop. Romanus olim impigrè ſe laboribus & periculis militiæ offerendo, dabat operam, ne Imperatoribus capite cenſos ſacramento rogare eſſet neceſſe, quorum nimia inopia ſuſpecta erat, ideoq; his publica arma non committebantur. Sed hanc diutina uſurpatione firmatam conſuetudinem C. MARIVS capite cenſum legendo militem abrupit: ciuis alioqui magnificus, ſed nouitatis ſuæ conſcientia, uetuſtati non ſanè propitius: memorq;, ſi militaris ignauia humilitatem ſpernere perſeueraret, ſe à maligno uirtutum interprete uelut capite cenſum Imperatorem compellari poſſe. Itaque faſtidioſum delectus genus in exercitibus Romanis obliterandum dixit, ne talis notæ contagio, ad ipſius quoque gloriæ ſugillationem penetraret. Valerius Maximus libro ſecundo, capite 1.

*Locus parum honorificus.*

DAMONIDAS locatus ab eo, qui chorum docebat, nouiſſimo loco: Rectè ſanè, infit, commentus es, quemadmodum hic quoq; euadat honorificus. Plut. in Apophthegmatibus.

*Deiectio à dignitate.*

LVCIVS Maluetius Bononienſis, pręuidens fore, ut ſibi imperiũ Veneti exercitus abrogaretur, literas ad Patres dedit: ſenem ſe factum, minuſq; iam ad belli munera & labores obeundos idoneum, quàm antea fuerit: itaq; cupere artẽ deſinere, ſi per eos liceat, atq; ad requietem ſe uitamq; reliquã dare, petere, ut liceat. Quam quidem eius petitionẽ Patres oportunè oblatam libentes acceperunt, honorificoque reſponſo miſſum eum fecerunt. Bembus hiſt. Ven. lib. 11.

*Sepulturæ ignominia.*

Alexander Philippi & Olympiadis filius, cùm Babylone animam egiſſet, dum eius præfecti de regno contenderent, triginta diebus inhumatus, carensq; ſepulcro relictus fuit: donec Ariſtander Telmiſſenſis uates in medios Macedones irruit, & ad eos locutus: Omnes, inquit, omnium ſeculorũ reges A-

ges Alexandrum felicitate ſuperaſſe, tam uiuum quàm mortuum. Etenim deos immortales ſibi notum feciſſe, in quacunq; terra requiē ipſius corpus primùm eſſet habiturum, eam felicitate abundātem, & ab omni hoſtili uaſtatione in perpetuum liberam fore. Hæc cùm audiuiſſent, pro ſe quiſque ſummo ſtudio diligentiaq; annitebantur, ut in ſuum regnum ſinguli transferrent, & theſaurum poſſiderent, quaſi obſidem firmitudinis imperij & immobilitatis. Aelianus libro 14. Var. hiſtor.

*Vxoris, Filiorum impudicitia.*

In maledictis Antiphontis relatum eſt, puerum adhuc Alcibiadem domo profugiſſe ad unum ex amatoribus ſuis Democratem. Cùm Ariphron pater proclamare eum cōſtituiſſet, PERICLEM id impediuiſſe ac dixiſſe: Si fato functus eſt, uno die propter prçconium inuenietur citiùs: ſin eſt ſoſpes, reliqua uita eius erit infamis. Plut. in Alcibiade.

Cùm uxor DOMITIANI Imperatoris cum Paride ſaltatore adulterium commiſiſſet: Domitianus animo incertus, uxorem'ne lege Iulia condemnaret, an factum diſſimularet, ne in ore uulgi uerſaretur: ſententiam Vrſi ſecutus, eam duntaxat repudiauit: & ita factum eſt, ut ei adulteram retinuiſſe non poſſet imputari: an uerò etiam propter adulterium repudiaſſet, incertum haberetur (quam rationē & antea Philippus pater Alexandri Magni in cauſa Olympiadis ſeruauerat) Paridem autem quaſi ab alio, & ob aliam cauſam, curauit interfici. Xiphilinus in Domitiano, & Iuſtin. lib. 7. & 9.

Fuit olim Valentiæ Hiſpanus nobilis, CARROSVS nomine, qui uxorem habebat caſtam quidem illam, ſed parum ſecūda fama. Hanc amici & propinqui ſæpè apud maritum criminabantur. Is à primo rem non neglexit: ſed quum liquidò comperiſſet, uanis illos ſuſpicionibus agitari, nec finem tamen calumniandi facerent, & urgēdi eum quaſi iure ſuo, ut in eam grauiter animaduerteret: ille uxoris pudicitiam defendens, expoſuit, quæ ſibi eſſent comperta atque explorata. Quumq; illorum aures purgationi uideret obſtructas, emto equo generoſi ſeminij, rogauit illos, ut unà ſecum extra urbem prodirent, ad faciendum periculum in decurſorio, quod eſt inter regiam & diuæ Trinitatis. Ibi quum ſpacium illud ter aut quater curſu equi confeciſſet, cæteris attentè ſpectantibus, rogauit, Ecquid eis equus uideretur? Aliis eum in totum probantibus, aliis in eo nonnihil requirentibus, ferrum quod ad ſiniſtram geſtabat, diſtrinxit: Per Chriſtum, inquit, & diuos omnes iuro, me eum confoſſurum, quiſquis uel equum meum, uel uxorem meam accuſarit. Ita omnes in præſens cohibuit. Mox re paulatim patefacta, & innocentia uxoris omnibus approbata, habitus eſt uir magni & cordis & animi. Ludouicus Viues de Officio mariti.

## VICTORIAE PRVDENTER conſulere.

*Hic in genere de Conſiliis ad uictoriam pertinentibus, iiſq; politicis potiùs quàm bellicis. Ex loco Strategematum caſtrenſia petenda.*

SESOSTRIS Aegyptiorum rex, orbis imperium animo concipiens, quò faciliùs optata perficeret, ſibi omnium Aegyptiorum beneuolentiam conciliauit: ut & milites pro ducibus ſuis ad oppetendam mortem promtiores redderet, & qui in patria reliqui eſſent, nouis rebus abſtinerent. Omnes beneficiis affecit. Hos donauit pecuniis, alios agris, nonnullos remiſſione pœnæ, ſingulos oratione & humanitate deuinxit. Omnes qui in regem deliquerant, dimiſit impunitos. Ob æs alienum uinctos (magna hæc multitudo erat) ſoluit. Aegyptum omnem in ſex & triginta præfecturas diuiſit, & cuiq; prætorem, qui & tributa regia exigeret, & pro regionis uarietate commodoq; omnia exquireret, præfecit. Ex robuſto milite exercitum elegit, quò animi conſilia perficeret. Fuēre pedeſtres copiæ millia hominum ſexcenta, equitum millia quatuor & uiginti. Currus bello apti octo millia & uiginti. Deinde uarios duces ex iis qui unà ſecum nutriti erant, exercitui præpoſuit, uiros exercitatos bello, & à pueris uirtuti deditos. Hi erant numero ampliùs mille ſeptingenti, fraterna omnes mutuaque erga regem beneuolentia. Quibus diſtribuit agros fertiles, ut rebus neceſſariis fulti, nullaque ducti inopia, liberiùs militiæ uacarent. Diodorus lib. 1. cap. 4.

SOLON uictoriæ aduerſus Cirrhæos in Apollinem impios obtinendæ cauſa, agrum Cirrhçum ex Delphici oraculi monitu Apollini conſecrauit. Pauſanias in Phocicis.

Poſtquam petiit Græciam Medus, conſultantibus de imperatore Athenienſibus, fama eſt, cæteros periculi magnitudine deterritos, ultrò petitionem imperij abieciſſe: Epicydem uerò Euphemidis filium concionatorem, hominem diſertum quidē, ſed animo imbellem & uçnalē, competitorem imperij THEMISTOCLI fuiſſe, & omnium opinione obtenturum ſuffragiis. Themiſtoclē proinde ueritum, ne omnia perſum irent, ſi eſſet prætor iſte deſignatus, ut abſtineret à petendo, numis ab Epicyde redemiſſe. Plut. in Themiſtocle.

IDEM ad bellum Corcyreum gerendum prætor à populo factus, non ſolùm præſenti bellò, ſed etiam reliquo tempore, ferociorem reddidit ciuitatem. Nam cùm pecunia publica, quæ ex metallis redibat, largitione magiſtratuum quotannis interiret: ille perſuaſit populo, ut eâ pecunia claſſis centum nauium ædificaretur. Quæ celeriter effecta, primùm Corcyreos fregit: deinde maritimos prædones conſectando, mare tutum reddidit. In quo tum diuitiis ornauit, tum peritiſſimos belli naualis fecit Athenienſes. Id quantæ ſaluti fuerit uniuerſæ Græciæ, bello cognitum eſt Perſico. Probus in Themiſtocle.

LYSANDER, Athenas excindere uolentibus Lacedęmoniis & ſociis, diſſuaſit. Thebanorū enim urbem in propinquo ſitam, ualidiores & maiores contra ipſos uires collecturam. Sin per tyrannós Athenas in officio contineant, ex propinquo poſſe curam gerere Thebanorum. Polyænus lib. 1.

Memoranda eſt EPAMINONDÆ Thebani confidentia, qui à ciuibus ſuis aduerſus Lacedæmonios in Peloponneſum miſſus, quanquàm ſciret apud Thebanos capitale eſſe, prætura præfixo tempore non cedere: tamen perſpiciens eo bello Thebanos ſuperatum iri, ſi finito præturæ tempore expeditio aliis demandaretur: præteritorum facinorum ſuorum conſcientia fretus, collegis perſuaſit, ut adhuc quadrimeſtre tempus in imperio perſeuerarent. Quo tempore bello Lacedæmonios deuicit. Thebas reuerſus, & in iudicium uocatus, non negauit legem ſe tranſgreſſum eſſe, mortemq; mereri: illud ſolùm petebat, ut tumulo inſcriberent, Epaminondam morte multatum eſſe, quia Thebanos apud Leuctram ſuperare Spartiatas docuiſſet, quorum ora ante id tempus Thebanus nullus inſpicere auſus erat. Itaq; uotis omnium liberatus eſt. Plut. in eius uita.

IDEM poſt Leuctricam uictoriam Arcadibus auctor fuit, ut paruis oppidis, quæ facilè, cùm ſine munitionibus eſſent, expugnari poterant, deletis, in urbem unam, quæ eſt ab eo condita, & Megalopolis appellata, congregarentur. Pauſanias in Bœoticis.

Reipub. Achæorum conciliauit princeps PHILOPOEMENES dignationē & potentiam: qui abiectam & oppidatim diuulſam coegit, dignamq; Græcia reddidit atq; elegantē. Ac ſicut in aqua, ubi pauca corpora & minuta cœperūt ſubſidere, quæ exinde affluunt impacta primis & aggeſta, compaginem mutuam efficiunt firmam & ſolidam: ita cùm languida ea tempeſtate Græcia opprimi oppidatim poſſet facilè, primi conſpirauerunt Achæi, circumiectaſq; urbes partim ſubmittendis ad expellendos tyrannos auxiliis recipientes, partim concordia & bona diſciplina ſibi aſciſcentes, Peloponneſum in unum corpus cogere, & in unas inſtituebant uires. Plutarchus in Philopœmene.

SFORCIA Magnus dicere ſolebat, Nihil commodius ac utilius uideri, quàm tribus propoſitis hoſtibus, cum primo pacem paciſci, cum altero autem inducias parare, ut in tertiū maximè expedita & grauiora arma uerterentur. Idq; ſuo exemplo egregiè oſtendit. Multos inimicos connubiis & affinitate ſibi conciliauit, quorum auxilio reliquos opprimeret. Iouius in eius uita.

## MAGISTRATVI, IMPERIO, REGNO prudenter conſulere.

### ASSVMENDO, ELIGENDO.

*Huc etiam pertinet Electio magiſtratuum, quatenus ſingulari ſit prudentia.*

Pipinus Childerici regis curam ſuſcepit, magnaq; ſub eius nomine geſſit. Sunt qui dicunt Francorum proceres ZACHARIAM Papam conſuluiſſe, Ineptum'ne regem ultrà tolerarent, an Pipinum regia dignitate dignum aſſumerent? Cūq; reſpondiſſet Pontifex, Eum, qui regia meliùs obiret munera, præferendum: Francos publico totius gentis conſilio Pipinum regem declaraſſe, Childerico in clericum attonſo. Blondi Epitome.

Q. FABIVS filium ſuum ducē eligi cupiēs, ipſe iam ætate confectus, contēdebat à Romanis, ne imperiū ei traderēt, ne in extrema ſenectute cū ipſo ſimul ad bellum proficiſci cogeretur. Illi rem ciuitatis meliùs habituram arbitrati, ſi hic præſens omnibus rebus intereſſet, adoleſcentem imperatorem declarauerūt. At Fabius nō unà profectus eſt, ne imperatoriæ dignitatis ſplendorem filio detraheret. Polyænus lib. 8.

MICHAEL Zilagius Vngarus, mortuo rege Ladislao, indicto conuētu, Mathiam Coruinum ex ſorore nepotē regem declaraturus, quum quoſdam procerum, qui perennes Coruinis fuerant hoſtes, difficulter in ſuam ſententiam adduci poſſe uideret: in campo Rachon, ubi ad eligendum regem coeunt, edicto ſuo comitiorum libertatem promulgauit: & quando complures in comitiis dies iam acti erant, furcas laniariamque menſam propoſuit, omnibus iis qui Mathiæ ſuffragia reddere recuſarēt, prçſentaneā mortē interminat⁹. Quo quidē tetro ſpectaculo nō parū aduerſarij cōſternati, extinctā ſuffragiorū libertatē quamuis ægrè ferrent, queri tamē haudquaquā audebant: nē mox audire ac pati cogerētur, quę multò grauiora forēt. Qūū rogati eſſent proceres in cāpo dicere ſententiā. Michaël, qui conuentū uniuerſum inſtructa acie circūuenerat, in mediū prodiit, atq; Reip. ſalute propoſita, omniumq; iniuriarum obliuione, in ſuam traduxit aduerſarios ſententiā. Itaq; ſequēti die in ſenatu procerum cōmuni cōſenſu Mathias rex declaratur, nondū XVII annum natus, eiq; Michaël gubernator in quinquenniū adiungitur. Bonfinius lib. 9. Dec. 3.

ABISSINI, qui annos DCCC imperium totius Africæ maximū tenent, reges ab una & eadē gente ſemper quæſierūt: ac ne gens aliquādo deficiat, néue plures imperandi cupiditate populum in uarias partes diſtrahāt, ut apud Turcas & Perſas ſæpe contigit, aut parricidiis ſe polluant: gentiles regis (quos Iſraëlitarum filios uocant) ſimul educantur, in arce fortiſſima in excelſo monte Anga, ut Aluareſius tradit, quò niſi per abrupta & anguſtiſſima loca ꝑueniri nō poteſt, eaq; ualidiſſimo præſidio muniūtur. Mortuo rege nō ꝓximus agnatus, ſed qui magis idoneus optimatib. & cuſtodib. uidetur, eligi cōſueuit: qui mos etiā apud Danos, Suecos, & Hūgaros inoleuit, ut ex plurib. liberis, arbitratu ſuo, quēuis cooptent. Hunc igitur Abiſſini educētes ex arce, ueluti deū aliquē cœlo delapſum maximis honoribus & obſequiis proſequuntur. Ac tametſi ꝓuinciæ quinquaginta unius imperio gubernantur, nullæ tamen ſunt urbes mœnib. ſeptæ, nullæ arces: ne uel propugnaculis potiùs quàm populi beneuolētia confidere, uel ſeditioſis rebellandi occaſionem præbere uideantur. Ioan. Bodinus Methodi hiſt. c. 6.

Honorius III. electus eſt Peruſij, quum CARDINALES incluſi ſubtractione ciborum cogerentur honeſtiſſima, ui ad accelerandā electionē. Sic etiā Ioānes XXII. Lugduni poſt longā uiginti triū cardinaliū contentionē, creatus eſt Pontifex, quū duobus annis ſedes uacaſſet: & niſi Pictauiēſis comes, frater regis, incluſos cardinales coarctaſſet, diutiùs ſedes uacaſſet. Cranzius lib. 9. Metrop. c. 1.

Petro Aragonū rege mortuo, fuit inter Aragonenſes diſſenſio. Quia cū Ranimirus, Petri frater, eſſet monach⁹ & ſacerdos, neq; poſſet bella exercere, nec uxorē ducere: Petrum Taraſiæ uolebant Regi mortuo ſubrogare. Sed conſilium iſtud Petrus Titionis pro ſua erga ſtirpē regiā fide impediuit. Nā cùm apud Boriam Aragonenſium concilium eſſe indictum, uti Petrum Taraſiæ, qui ſpe magna ſpiritus regios iam alebat, eligerēt, & ex Nauarra aliqui magnatum adueniſſent, quos Aragonenſes minùs amicè exceperant, Petrus Titionis eos humaniſſimè excepit: cūq; ſciret Petrū Taraſię balneis uti, magnates duxit ad Petrum. Qui cùm à ianitoribus nō admitterētur, indignantes abierunt, & peracto prandio cū Petro Titionis, mutato propoſito receſſerunt. Cumq; in Montione iterū conueniſſent, Ranimirū monachū fratri mortuo ſubrogarunt. Rodericus Tolet. lib. 6. rerū Hiſp. c. 2.

FERDINANDVS, mortuo fratre rege Hiſpaniæ, & ſuperſtite in cunis filio, cùm proceres ad eum deferrent regni titulum atq; nomē, mira pietate puero prouidit. Cōuocatis enim ꝓceribus, cùm ſeipſum regem nominaturus uideretur, puerū repentè in medio conſeſſu procerum extulit: En regem ueſtrū, exclamans: hunc colamus & obſeruemus: primusq; adeò debitū honorē ei exhibēs, proceres ſuū exemplū ſequi, & fidē ſuam puero adſtringere fecit. Dignus ob hoc ipſum, qui pòſt Aragonū & Catalaniæ regna mira felicitate acquiſierit & propagarit. Pontanus lib. 2. de Magnanim.

### COMPARANDO.

*Conſule Tit. Aſtus in acquirendo regno. Eſt enim perdifficile in quibuſdam Prudentiam ab Aſtutia diſcernere, eamq; ob cauſam etſi non ſunt, reipſa uidentur tamen eſſe eadem utriuſque exempla.*

DAVID Iudæorū rex, cùm in animo haberet regnū Solomoni per manus tradere, quia apparebat in tanto filiorū grege nō defuturos, qui iniquo animo laturi eſſent, minorē natu fratrem ſibi prælatum iri: ad omnē domeſticæ diſcordię materiam è medio tollendā, non multo priùs, quàm uita ſit defunctus, regis appellatione in eū tranſlata, populo regē ſalutandū obtulit. Nam cùm Adonias inſcio Dauide patre, ſeſe regē feciſſet, Nathanis prophetę conſilio Bethſaba pro filio Salomone apud Dauidē interceſſit. Is ſtatim Salomonē mulæ ſuæ impoſitum, regem ungi & proclamari curauit. Adonias ad aram confugit. 3. Reg. 1. & Philo lib. 2.

DEIOCES Medus, cùm Medi ab Aſſyriis defeciſſent, & per uicos paſſim habitarēt, & in magna anarchia eſſent: ut naturâ erat æquitatis amans, inter ſuos contribules ortas lites atq; rixas ſumma iuſtitia cōponere cepit: atq; etiā tribunal, quāuis priuatus, cōſcendens, æquabiliter ius dicebat. Et tota iā Media iuſtitiā Deiocis prædicabat. Poſteaquā aūt ſatis ſibi uiſus eſt Medorum animos cepiſſe, propter rei familiaris damna, publicis rebus ſè uacare ampliùs non poſſe ſimulauit. Interea cùm & rapinę & latrocinia multo impunitiùs quàm priùs exercerentur, conſilio habito (idq; auctoritate Deiocis amicorum) de rege eligēdo Medi agitarūt: & quia Deiocis perſpectam habebant prudentiā & iuſtitiā, eum regē ſuū eſſe uoluerunt. Regnauit annos 53 in ſumma pace. Succeſſit ei filius Phraortes, Cyaxaris pater. Herod. lib. 1.

Cùm Tyriorum ſerui coniuratione facta ſuos quiq; dominos interfeciſſent, unicus STRATON cum filio, à ſeruo ſeruatus eſt. Iam cùm inter ſeruos conueniſſet, ut qui eorum poſtridie naſcentē ſolem primus conſpicatus eſſet, tanquā ſuperis gratiſſimus, rex conſalutaretur: Monuit hominem de ſe meritum Straton, ut cùm cæteri in ortum oculos intendiſſent, ipſe contrario ſtatu murorum faſtigia proſpiceret. Id ſenis conſilium ſecutus ille, primū ſolis radium repentè à tergo demonſtrauit. Sab. lib. 9. En. 1.

Dario expeditionē contra Græcos inſtituente, ingens inter eius liberos de principatu exorta eſt contentio. Artabazanes enim natu maximus erat ex Gobrys filia: Xerxes uerò inter quatuor alios, quos ex Atoſſa Cyri filia ſuſceperat, primus erat. DEMARATVS Ariſtonis F. Sparta exul, Xerxē admonuit, ut ad cætera, quę ꝑ ſe dicebat, hoc quoq; adderet, Se quidē genitū à Dario iam regē, Artabazanē aūt à Dario priuato. Sic enim Spartæ quoq; moris eſſe. Darius igitur Xerxē regem declarauit, Atoſſa maximè urgente. Herod. lib. 7.

ALEXANDER Magnus Gordiū urbē, quā Sangarius amnis interfluit, nō tam prædæ ſpē ullā quā oraculum ſecutus, inuaſit. Diſtat id oppidū parib. ſpaciis à Pontico & Cilicio mari, qua parte eſt anguſtiſſima. Aſiæ inter duo maria intercapedo, & ueluti Iſthmus quidam. In eo fuit Gordij Midæ patris iugum cū fatali nodo. Vetus erat oraculum, fore, ut qui eum nodū ſoluiſſet, is Aſiæ imperio potiretur. Vrbe capta, Alexander templū Iouis ingreſſus, ubi loramenta illa cū iugo aſſeruabantur, impatiens longioris moræ uictor ferociſſimus, nodū gladio circūcidit, quoad occultiora capita intrinſecus ſolubilia ſint facta: atq; ita uel eluſit oraculi ſortē, uel impleuit. Sab. lib. 4. En. 4.

GELO Syracuſanus, poſteaquā Carthaginenſes è Sicilia eiecit, militum promtos ad parendum animos excipere aliqua gratia confirmareq; ſtudens, comitia edicit, mādans omnibus, uti eò armati ueniant. Ipſe non ſolùm armis nudo corpore, uerùm abſq; tunica interiori, ſolo tectus pallio, in cōcionem prodit. Tum uitam ibi ſuam explicare omnem, ſingulaſq; res cepit à ſe geſtas erga Syracuſios accurata oratione, cauſis unicuiq; adiectis, declarare. Cumq; ſingula quęq; nutu ſigniſq; apertis tota cōcio comprobaret, mirarēturq; admodum, quòd nudum corpus armatis obtuliſſet, ut ſi cui libuiſſet eius interficiendi iam idonea facultas præberetur, tantum à tyrannidis ſuſpicione abfuit, tamq; indignus quē tyranni loco iraq; inſectaretur uiſus, ut ſublata in unū mox omnes uoce, lætis clamorib. benefactorē quiſq; ſuū liberatorē patrij ſoli, regē rerum unicum ſalutarent. Diod. lib. 11.

L. TARQVINIVS Priſcus, Demarati Corinthij filius, Romam profectus eſt, cùm ſeipſo fretus, tum opibus elatus: ſperans, ſe ob occaſiones quaſdā nemine in repub. inferiorē fore, cū uxorē Tanaquilem haberet ingenioſam adiutricē. Ciuitatē conſecutus, ad obſequium regis ſe accōmodauit: celeriterque magnam eſt conſecutus auctoritatē, uſqueadeò ut regnū cū rege adminiſtraret. In qua adminiſtratione cùm bono eſſet omnibus, ſimulq; liberalitate in loco uteretur, omnium beneuolentia parta, tandē regno potitus eſt. Suidas.

Ocriſia Tullio Corniculano regij generis uiro matrimonio locata fuerat. Is Corniculi excidio fortiter pro patria dimicās, mortē occubuerat. Vxor prægnans, cum cæteris popularib. Romā eſt in ſeruitutē abducta à L. Tarquinio rege. Quā ob elegantem formā, eximiamq; prudētiam TANAQVILIS regina liberaliter penes ſe habuit, puerū ex ea natū indulgēter alere inſtituit, cui patris erat nomen inditum. Accidit, ut mediis crepundiis dormiētis pueri uiſum ſit caput ardere, donec flamma cum ſomno remittente, infans ſponte eſt ſua experrectus. Tanaquilis regi prodigium interpretatur, puerum hunc, dubiis reb. domui afflictæ præſidium aliquando futurum. Ceptus eſt puer iam inde regio cultu educari: & ubi per ætatem adoleuit, filiam Tarquinius ei ultrò deſpondit. Angere id duos Anci Martij filios, qui futurū uidebant, uti Seruius ex ſerua natus, regnum occuparet. Itaq; ſubmiſſis percuſſoribus Tarquinium obtruncari curant. Tanaquil clauſa regia, uiuere regem ſimulat, & Seruio parendum aſſerit. Seruius, cum trabea & lictoribus in publicum proceſſit, regiaq; ſedens ſella, per ſpeciem alterius uicis fungēdæ, ſuas opes firmauit. Tum demùm morte regis palàm facta, firmo præſidio munitus, primus omnium iniuſſu populi, uoluntate patrū, regnauit. Mox populum quoq; largitionibus delinitum, ut frequentibus comitiis ſe regem declararet, impulit. Sab. lib. 4. & 5. En. 2.

OCTAVIVS ſororis Cæſaris nepos erat, quem tabulis filium

& hæredem nuncupauerat. Is Apolloniæ, cùm Cæſar eſt interfectus, uacabat literis, atq; illum expeditionẽ in Parthos molientem operiebatur. Simulatq; accepit illius necẽ, contulit ſe Romã: atq; ad fauoris popularis conciliandi auſpicium, ſumto Cæſaris nomine, pecuniaq; legata in ciues diſtributa, M. Antonium oppreſſit, & multos Cæſaris ueteranos largitione decuriauit contraxitq;. Plut. in Bruto.

Mors Claudij Cæſaris celata eſt, donec circa ſucceſſorem NERONEM omnia ordinarentur. Itaq; & quaſi pro ægro adhuc uota ſuſcepta ſunt, & inducti per ſimulationẽ comœdi, qui uelut deſidentem oblectarent. Suetonius.

Medicum familiæ potentia in Repub. Florentina per plebis & optimatum inteſtina diſſidia creuit. Primus SYLVESTER Medices, popularis homo & factioſus, Vexillifer (qui ſummus erat dignitatis gradus) creatus, deſerta cauſa optimatum, plebisq; ſuſcepto patrocinio, eius meriti ergò equeſtri dignitate cohoneſtatus fuit à populo. Cùm autem de ęquãdis ordinibus ac plebeis hominib. ad honores admittendis referret, magnoperè obſiſtẽtib. optimatibus, ſimulauit in comitio ſe magiſtratũ depoſiturũ, quem ex Reip. utilitate propter nobiliũ factionem gerere non liceret. Ea re accẽſus populus, uindicem & aſſertorem eum cõmunis libertatis clamans, legẽ ui pertulit: & mox armata manu ędes ſacras, nobiliumq;, ipſum quinetiam æratiũ expilauit, anno 1378. Sed non multo pòſt plebei homines potentia ſua & intẽperanter & imprudenter uſi, in ordinem denuò redacti ſunt. Interea IOANNES Medices, Bitij F. homo locupletiſs. magniſque uirtutib. inſtructus, in conciliandis cũ populo optimatib. aſſiduus, plebis fauorẽ & largitionib. captauit, & legis, quę ex cenſu tributa exigi præcipiebat, cùm ante eã diẽ ex capitũ recenſione cõficerentur, perferendæ, fremente atque aduerſante nobilitate, auctor extitit. Cæterùm cùm circa annũ 1422 bello ciuitatẽ implicare omni ratione ſtuderet, qua ſola ratione in ſumma ærarij inopia ſuis opib. ſibi ad ſummũ dignitatis gradũ uiã facturus uidebatur, inter has cogitatiões morbo periit, Coſino & Iuliano liberis relictis. COSMVS patrẽ æmulatus, dominandi cupiditatem egregiè diſſimulauit: ſic ut neptes ſuas priuatis ciuib. collocaret, & magnificis ædificiis non ciuiũ modò, ſed & exterorum cõmendationẽ captaret, doctosq; homines ſemper foueret, quib. ceu aulæis ſe illuſtriorẽ redderet, ſuaq; uitia illorũ ſplendore oblineret. Auctor igitur fuit belli Lucenſis ſuſcipiendi: eiusq; ducendi cauſa, cum Philippo Mediolanenſium duce egit ut Lucenſib. auxilia mitteret, ne bellũ breui conficeretur. Quo tandem poſt ingentẽ cladem & ignominiam Reip. compoſito, Coſmus tantæ calamitatis auctor, in exiliũ pulſus, ſed mox à ſtulta plebe reuocatus, uires opesq; recepit, aduerſarios in exiliũ eiecit, mutuiq; ſpecie largitiones ſuas texit, quib. populum ita ſibi obſtrictum tenuit, ut pauci eo mortuo ſint reperti, qui nõ in illius nominibus eſſent. Nam cùm æs alienum grande Reſpub. cõtraxiſſet, neq; alia ratione illud diſſoluere liceret, publica uectigalia & portoria omnia Coſmo addixerat. Hac ratione tantũ Coſmi opib. acceſſit, quantũ Reip. deceſſit, cũ ex illius nutu omnia gererẽtur. Poteſtate enim regia erat, cùm interim ueſtitu, comitatu, nihil à priuato ciue differret. Frãciſco Sforciæ principatũ Mediolanẽſem peperit, cuius opib. ſe ſuosq; aliquãdo ſuſtentari poſſe confidebat. Deceſſit an. 1464. relicto Petro filio. Qui cùm grande æs alienum patris diſſoluere uellet, à nominib. credita exigens, graue odiũ populi incurrit. Ea occaſione arrepta, inimici cõtra eũ coniurarunt, & ſi celeritate uſi eſſent, facilè imparatum Petrũ obruiſſent. At dum malo ſuo ſororẽ de die in diem trahunt: Petrus Sforzianis inſtructus auxiliis, priùs cõiuratis arma de manib. extorſit, quã Hercules Eſtẽſis iis opem ferret. Ergo inimicis ſuperior, Decẽuiros regia poteſtate de ſua factione creari curauit, quib. conſtituendæ Reip. datũ eſt negotium. Nullo non genere crudelitatis in coniuratos ſęuitum: quorum optimi quiq; ſolum exilio uerterunt, & Venetorũ ſimul atq; pontificis Pauli II. armis reditũ in patriã fruſtrà quæſiuerunt, Medicum partes Galeacio Sforcia Mediolanenſe & Ferdinando Aragonio tuentibus. Deceſſit ex arthritide, relicto Laurẽtio & Iuliano filiis. LAVRENTIVS præter relictas à patre opes omni uirtutũ genere inſtructus, Thomæ Soderini opera recõciliatis ciuiũ animis, Reip. adminiſtrationẽ ſuſcepit: Saluiatorum & Patiorũ cõiuratione interfecto Iuliano fratre, incredibili populi ſtudio cõiuratis ad unum necatis, nõ modò principem in ciuitate locum retinuit, ſed etiã, quaſi unius cæde numine placato, æris alieni ingentis, quo ſolo per ſe Medicum potẽtia collapſura breui uidebatur, ex publica pecunia diſſoluendi cõſenſu omniũ occaſionẽ habuit. Quo ipſo Medicum opes planè fuerunt confirmatę. At Xyſtus IV. pontifex & Ferdinãdus Aragonius, quod per inſidias non potuerat, aperta ui tentarunt, Laurentiũ de gradu deijcere. Pontifex diris Florẽtinos deuouit. Florentini præſidij cauſa certum numerũ militum Laurentio conceſſerunt (cùm priùs abſq; ſatellitibus ingrederetur) contra ſicarios à pontifice clàm immiſſos. Bello non ſatis proſperè adminiſtrato, Laurentius à Ferdinãdo pacẽ impetrauit. Stabiliendæ potentiæ cauſa filiam ſuã Frãciſco Cibo Genuenſi, Innocentij IIX. pontificis F. deſpondit. Mercaturam ad uitæ uſq; finẽ per ſuos exercuit, ad ſumtus, quos planè regios faciebat, ſubleuandos. Pace toti Italiæ parta deceſſit, anno Innocentij octauo. Eius filius PETRVS fortunæ non uirtutis paternæ hæres, cùm regnũ minimè obſcurum in libera ciuitate exerceret, magno id quidẽ Reip. incõmodo, ſed ſuo exitio & ruina, amiſit. Quod uix tãdẽ eius liberi, armis Cęſaris Caroli V. & Pontificis recuperarunt. Io. Michaël Brutus de Repub. Flor.

Iacobus Cypri rex, nothus, Catharinã Corneliam Venetã, à Senatu Veneto adoptione receptã, moriens grauidam reliquerat, regniq; cũ poſthumo hæredem. Prole extincta, ne inſula nobiliſſima fraude aliqua externa domeſticáue alienãretur, una in primis cura hærebat Venetorũ animis: eratq; nonnihil res in curia agitata, ut regina Venetias accerſeretur. Detulit ad id negotiũ obeundũ ultrò ſuam principi & patrib. operã GEORGIVS Cornelius, reginæ frater. Qui mari parum tractabili liburnica in Dalmatiam naui delatus, inde cũ Franciſco Priulo præfecto claſſis, & aliquot triremibus, Ioniũ mare, Creticum, Carpathium & Pamphyliũ demũ emẽſus, cum paucis inſulam adnauigauit. Ducentis circiter millibus paſſuũ tota claſſe & claſſis præfecto poſt ſe relictis, citra omnem inſulanorũ motum, reginam nihil inuitã, nihil reſtitantem, ſimulata ægritudine, in triremem ad ſe uiſendũ illectam, ſecum Venetias aduexit. Ea mortua, mortuo item poſthumo, Cyprus Venetis ceſſit. Sab. lib. 8. En. 10.

### RECVPERANDO.

CONSTANTINVS Imp. Leonis F. admodũ puer amiſit patrem. Datus eſt illi Romanus Lacapenus, ueluti tutor. Is ſecundo loco nõ cõtentus, filios quoq; ſuos Cõſtantino prætulit. Conſtantinus clàm filios contra patrem inſtigauit. Itaque Lacapeno à Stephano filio imperium abrogatur, raſusq; in monaſterium includitur. Mox obortis inter fratres ſimultatibus, mutuis odiis, imperio deiecti fuere. Cedrenus.

Hieronymo Riario Foroliuienſium præfecto, ob tyrannidẽ occupatã à Franciſco Vrſo ciue nobiliſs. interfecto: CATHARINA Hieronymi uxor cum liberis cuſtodiæ tradita, furenti multitudini ſubtrahitur, ut per eam recipi arcẽ liceret, ualido militum præſidio occupatam, qui negabant ſe arcẽ tradituros, ni ſibi ab ea imperatũ eſſet. Id illa ſe facturam recepit, ſi ſibi in arcem ingredi & cùm militib. colloqui liceret, liberis obſidum loco relictis. Qua re impetrata, iam è tuto loco coniuratos cõpellando, arma ponere iubet, & niſi pareant, grauiſſima ſupplicia illis denunciat. Coniurati expectatione ſua fruſtrati, ſe liberos excruciatos in eius conſpectu interfecturos minabantur. At illa, ut ſibi liberos haberẽt, reſpondit: ſibi à natura ita proſpectum eſſe, ut amiſſorum liberorum iacturam facilè reſartiret. Interea Ludouicus Sforcia Mediolanenſium princeps patruus illi auxilia miſit. Coniurati relicta urbe ſe in Tifernates receperunt. Catharina amiſſum uiri morte principatum conſilio & audacia recuperauit. Brutus lib. 8. hiſt. Flor.

### CONFIRMANDO, STABILIENDO.

Cùm Moſes in deſertis ad montẽ Sina populo ius redderet ſedens, eiq; populus à mane ad ueſperam aſtaret: IETHRO ſocer eius, Madianitarum põtifex, qui ad Moſem officij cauſa uenerat, eum monuit, ut cùm ſolus tot negotiis ſufficere nõ poſſet, eligeret ex omni populo uiros fortes, pios, fideles, auaritię inimicos, quos tribunos faceret, cẽturiones, decuriones, qui populo ius dicerent: res grauiores ad Moſem deferrent, qui Dei oraculis tantùm uacaret. Soceri conſiliũ ſecutus Moſes eſt, eumq; in patriam dimiſit. Exodi 18.

Cùm Aaroni ſacerdotiũ tumultuosè à populo abrogaretur, ut motus ille ſæuientis multitudinis, qui in horas gliſcebat, cohiberetur, nec frater temerè ſpoliaretur ſacerdotio: MOSES diſquiſitionem rei non ad multitudinis ſtudium, cuius proprium eſt nihil ſapere, ſed ad numinis uoluntatẽ relegauit. Cuius aſtipulatu dignitas eſt fratri ſtabilita, & cõpetitorum impietas grauiter eſt uindicata. Sab. lib. 4. c. 8.

SEMIRAMIS, defuncto Nino marito Aſſyriorum rege, cùm ſub muliebri imperio tot ferociſſimas gentes diutiùs quieturas haud crederet: filio autem Nino ſummam rei tradere, qui ne ſibi quidem per ætatem ſaperet, parum tutum arbitraretur: inauditum ad id tempus facinus commenta eſt: filium pro matre aſſimulat, ipſa filij perſonam mentita, adoleſcentem agit. Erant amborum lineamenta tam indiſcreta ſtatura, adhæc & uocis ſonus, cæteraq; ita ſibi reſpondentia, ut celato ſexu nullum eſſet inter matrem & filium diſcrimen. Vlnas igitur Semiramis ac cæterum corpus nouo occulit amictu, exornatq; caput tyara, propoſito edicto, ut eodem ueſtium cultu (ne qua inde ſuſpicio oriretur) uulgò Aſſyrij uterentur. Sab. lib. 1. En. 1.

NINIAS

NINIAS Aſſyriorũ rex, ad ſecuritatẽ imperij, ut à ſubditis timeretur, annuatim certũ militum indicebat numerũ, ac eorum ducẽ ſingulis prouinciis imperabat. Exercitus cùm extra urbẽ cõueniſſet, ducẽ cuiq; nationi prudentiſſimũ eorũ, qui ſecum erant conſtituebat. Acto anno copias, remiſſo domum priori milite, rurſus à prouinciis petebat. Quo fiebat, ut & ſubditi promtiùs imperata facerent, cùm ſemper timor militũ ſub dio agentium immineret: & ſi qui fortè deſciſcerent, timore pœnæ quãprimùm dicto parentes eſſent. Annuã uerò militũ mutationẽ ad id cõferre exiſtimauit, ut parua tẽporis conſuetudine nulla inter eos amicitia contracta, neq; duces neq; cæteri aduerſus regem conſpirarent. Diutina enim militia tum milites robuſtiores, tum duces prudentiores ſolet efficere: quæ res ſæpiùs magnas facultates ad deſciſcendũ à principibus præbuit. Ipſe recluſus in regia, cõſpectum hominum cõſultò uitabat. Vita enim principis exterioribus ignota, uoluptates eorum occultas reddit, & tanquã inuiſibilem Deum nè uerbo quidem quis blaſphemare principem pro timore audet. Diod. lib. 2. c. 6.

Poſteaquã Cyrus deuicto Aſtyage auo regnum Medorum ad Perſas tranſtulit, Artembares Perſa (cuius poſtea filius Artayctes ſub Xerxe prætor Cherſonneſi Thraciæ fuit) ſuadebat popularibus ſuis, ut ex Perſide, regione anguſta & aſpera, in fertiliorẽ & planiorẽ aliam migrarent. CYRVS eo audito, non impediuit, tantùm monuit, ut ſe poſthac præpararẽt nõ ad imperandum aliis ampliùs, ſed ad parendũ. Natura enim cõparatum eſſe, ut è mollib. regionibus molles uiri exiſtãt, néue ex eadẽ terra admirandæ fruges & egregij bello uiri gignantur. Hac Cyri ſententia Perſæ perſuaſi, præoptarunt exile ſolũ incolendo imperare aliis, quàm fertile & cãpeſtre aliis ſeruire. Herod. lib. 9.

OCHVS, Artoxerxe patre ſuo uita defuncto, cùm ſciret patrẽ ſuperſtitem adhuc formidabilem ſubditis extitiſſe, ſe uerò poſt eius obitum pro nihilo habitũ iri: cum eunuchis, catacomiſtis & chiliarcho pactum iniit, ac mortẽ ad decẽ mẽſes celauit. Interea temporis regium ſigillum circũmittens, nomine parentis edixit, ut Ochum regem ſalutarent, & obedientiam præſtarent, tum demum confeſſus eſt patris mortẽ. Polyænus lib. 7.

THEOPOMPVS Spartanorum rex paſſus eſt Ephororũ eligi magiſtratum aduerſus oligarchiam à Lycurgo conſtitutã. Cùm eam ob cauſam ab uxore accuſaretur, quòd regnum liberis eſſet multo imbecillius traditurus, quàm ipſe à maioribus accepiſſet: Sed ſtabilius, inquit, & magis diuturnũ. Plutarchus in Lycurgo.

Ephororum & ſenum in Spartana repub. ſumma erat auctoritas, ex quib. ſuperiorũ annuus tantùm magiſtratus eſt, ſenes perpetuò eo honore fruuntur, inſtituti ad licentiã refrænandam regum. Vnde contentionẽ ſemper cum iis & diſſenſionẽ iam inde antiquitùs reges cũ regno hæreditariam accipiebant. AGESILAVS uerò Archidami F. regnum aſſecutus, alia inceſſit uia, omiſſoq; cũ illis certamine & offenſione, obſeruabat eos, omnẽ ab his actionẽ auſpicans. Si accerſeretur, ocyùs quàm gradu properabat. Quoties in regio ſolio ſedebat, & reſpõſa dabat, ſuperueniẽtibus aſſurgebat ephoris. Vt quiſq; lectus in ſenatũ fuit, ſemper ei lænã & bouẽ donabat. Ex his, dum reuereri & extollere maieſtatẽ uidetur illorũ magiſtratus, clàm opes ſuas augebat, ac regno amplitudinẽ adiiciebat ex illorũ erga ſe beneuolẽtia ꝓmiſſam. Cũ reliquis ciuib. ita ſe geſſit, ut inculpatior inimicus quã amicus eſſet. Inimicos enim non lædebat iniuſtè, amicis erat præſtò in reb. etiã iniquis. Atq; inimicis, ſi quid rectè geſſiſſent, erubeſcebat honorẽ non habere: amicos corripere in peccatis nõ ſuſtinebat: imò uerò gloriabatur, his cũ ſuccurreret & opitularetur in delinquẽdo. Obſequiũ enim in amicos ducebat turpe nullũ. Aduerſariorũ rurſus uel offendentiũ primus uicẽ dolendo, & ſi rogaretur, enixè fouẽdo, alliciebat & demerebatur oẽs. Quod cùm ephori notarẽt, timẽtes illius potentiã, multã ei irrogauerunt, adiecta cauſa, ꝙ cõmunes ciues redderet proprios ſuos. Plut. in Ageſilao.

Fratrem Ptolemæus Philopator Magan, qui per matrem apud milites pollebat, formidans, CLEOMENEM Spartanum exulem aſciuit, atq; arcanis adhibuit conſiliis, deliberãs fratrem de medio tollere. Cæterùm Cleomenes, licèt aſſentientibus omnibus deterruit eum, plures ferens, ſi fieri poſſet, gignẽdos regi fratres eſſe, ad regni ſecuritatem & perpetuitatem. Plut. in Cleomene.

ALEXANDER Magnus Parthiam petẽs, cùm in otio ageret, primùm ueſtẽ barbaricam ſumſit: incertùm, ut accõmodaret ſe incolarũ moribus, multũ exiſtimans ualiturũ ad manſuefaciẽdos homines, ſi conſuetudinẽ & patrios mores eorũ uſurparet: an tentare hac re Macedonas, atq; ad adorandũ ſe traducere, morumq; patriorũ ferre conuerſionẽ & trãſitum in alienos uoluit aſſuefacere. Habitũ Medicum tamẽ, quòd prorſus barbaricus eſſet & alienus, repudiauit: nec anaxyridas uel candyn tiaram'ue ſumſit, ſed mediũ inter Perſicum & Medicũ ſcitè tẽperauit, minùs hoc tumidum & inſolentiorẽ illo. Vſurpauit eũ primùm ãgẽs cum barbaris ac ſub tectò cum amicis: deinde eo cultu prodiit in publicum: ac cùm uacaret poſtulationibus; conſpiciendũ ita dedit ſe omnibus. Erat acerbũ id Macedonibus ſpectaculũ: ſed miraculo ducti reliquæ eius uirtutis, quædã putabant libidini & gloriæ concedenda eius. Barbarorum mores cum inſtitutis cõmiſcuit Macedonicis, temperatura & cõmunione ſtabiliturũ firmiùs ſe per beneuolentiã imperiũ exiſtimans, quàm ui, cùm procul abſcederet. Itaq; triginta millia delectorũ puerorũ literis Græcis imbui, ac Macedonicis inſtitui armis curauit: quibus præpoſuit multos præceptores. Atq; Roxanes quidẽ nuptias conciliauit amore: cuius eum ſpecies & forma aliquando inter pocula cepit: non alienæ præſentib. negotiis habitæ ſunt tamẽ: quippe harum fœdere nuptiarum erexerunt ſe barbari, miroq; amore ſunt Alexandrum proſecuti: quòd qui eſſet in his continentiſſimus, ne eam quidẽ, cui ſuccubuit uni, attingere mulierem, niſi legitimè, ſuſtinuerit. Plut. in Alexandro.

SERVIVS Tullus Rom. rex, Amphictyonis filij Heleni exẽplũ ſecutus, qui in terra Græcia Amphictyonicũ conuentum inſtituit, legibus, præter proprias cuiuſq; urbis, conſtitutis, ꝙ omnib. cõmunes eſſent, ut his coniunctiùs inter ſe amicabiliusq; agerẽt (qui mos poſtea in Aſiã tranſlatus, cauſam Ionibus præbuit, Epheſiæ Dianæ templum magnificentiſſimo apparatu conſtruendi, & Doribus in Epitropio Apollinis) ut ſibi Romanoq; nomini, Latinorũ animos adiungeret, auctor extitit uniuerſo Latio, ut cum Romanis templum Dianæ in Auentino extruerent. Ea tacita erat confeſſio, ſummã & caput imperij Romæ eſſe. Nundinarũ celebritatisq; ad cũ locum habẽdæ, leges æneæ baſi inſcripſit. Dionyſius auctor eſt ad ætatem uſq; ſuam eam perduraſſe, literarũ figuris inſculptam, quibus uetus Græcia olim fuit uſa: manifeſto ueteris perſuaſionis argumento, Romanos à principio Gręcis fuiſſe literis uſos. Sab. lib. 5. En. 2.

L. Q. CINCINNATI utile conſiliũ ſemel datum ſæpe remp. Rom. in maximis periculis ſeruauit. Nã cùm plebs elata Tribunorũ numerũ duplicari uellet, eiq; Appius Conſul acerrimè reſiſteret: tum Cincinnatus conſilio cum paucis cõmunicato, Annue, inquit: nam quò plures erunt Tribuni, eò debilior futura eſt uniuſcuiuſq; poteſtas, cùm unius interceſſio potentiã omniũ frangeret ac retardaret. Plebs autẽ non intellexit ſe deceptam, ſed ueluti pro maximo beneficio Senatui gratias egit. Bodinus Methodi hiſtoricæ, c. 3.

Veiis à Camillo captis, legẽ ferebant Tribuni, ut plebs & ſenatus diuiderẽtur, pars Romæ remaneret, in captã urbẽ pars, cui obueniſſet ſorte, trãſmigraret. Ita fore opulentiores, qui magnis duabus & ornatis urbibus, ſimulq; agris eſſent & reliquis opibus fruituri. Plebs, quę admodũ iam aucta erat & locupletata, actiones eas approbabat tribunorũ, neq; deſiſtebat tumultuari in cõcionibus, poſtulans ut in ſuffragia mitteretur. At ſenatus cũ optimatib. nõ populi diuiſionẽ tribunos, ſed euerſionẽ moliri urbis Romę exiſtimãs, CAMILLI anxius implorat opẽ. Ille certamẽ formidans, moras plebi impedimentaq;, quib. de die in diem reijceret rogationẽ, nectebat. Atq; hac quidem re offendit uulgus, ſed imperij maieſtati conſuluit. Plut. in Camillo.

Primis imperij Rom. tẽporibus, ROMANI ſubactis bello gentibus, colonias in earũ agros deducebant, partim ut ueteranis pręmia tribuerẽt, partim ut pręſidium haberẽt, quò cùm uſus ferret, uel rebelliũ, uel finitimorũ impetus ꝓpulſarẽt: ꝗ iccirco militares coloniæ dicebãtur. Nã ſic quoq; Põponius Lætus ueterẽ conſuetudinẽ fuiſſe ſcribit, eãq; ab Imp. Conſtantino repetitã, ut Ducib. Præfectis, & Tribunis, qui ꝓ augẽdo imperio cõſenuerãt, darẽtur agri uillæq;, ut neceſſaria ſuppeterent, quoad uiuerent: quas parochias uocabant. Hotoman. diſp. de Feudis, c. 2. ex Plut. Appiano, Paterculo, Hygino, & Flacco.

M. Cato maior, cùm miſſus eſſet Carthaginẽ ad inſpiciẽdas inter eã urbẽ & Maſiniſſam Numidiæ regẽ belli cauſas: & uideret urbẽ Carthaginẽſem iuuentutis ſobole florentẽ, magna affluentẽ opulentia, omni genere armorũ & apparatu bellico refertã: properẽ domũ reuerſus, de periculo ipſi imminenti, ſenatũ docuit, & omnino Carthaginẽ delendã cenſuit. Nec n. ſuperiores clades & uulnera tãtũ Carthaginẽſib. uiriũ, quantũ imprudentiæ detraxiſſe: ac propè eſſe, ut non infirmiores eos, ſed expertiores ad bellũ faciendũ reddiderint. Contrà P. SCIPIO Naſica dictus, perpetuò pro ſententia dicebat: Cenſeo Carthaginẽ relinquendã. Multa enim cũ populũ procacitate uideret admittentẽ, & ob ſecundũ rerũ curſum atq; ferociã ſenatui minùs obſequentẽ, totãq; remp. ob nimiam potentiam, quò nutu uergeret, ſecum trahentẽ, uolebat hunc certè timorẽ pro freno moderatorẽ contumaciæ iniectum multitudinis: minùs cenſens pollere Carthaginenſes, quàm ut ſuperarent Romanos, & plùs, quàm ut cõtemnerentur. Sed uicit Catonis ſententia, qua tertium & ſu-

premium bellum Punicum ſuſcitauit. Plut. in Catone.

P. SCIPIO Africanus poſterior, Cẽſor, cùm luſtrũ conderet, inq; ſolito ſacrificio ſcriba ex publicis tabulis, ſolenni eius precationis carmine, prẹiret, quo dij immortales, ut P. R. res meliores amplioresq; facerẽt, rogabantur: Satis, inquit, bonæ ac magnæ ſunt. itaq; precor, ut eas perpetuò incolumes ſeruẹt. Ac protinus in publicis tabulis ad hunc modũ carmẽ emendari iuſſit. Qua uotorũ uerecũdia deinceps Cenſores in condendis luſtris uſi ſunt. Prudẽter enim ſenſit, tunc incrementũ Romano imperio petendũ fuiſſe, cùm intra ſeptimũ lapidem triumphi quærebantur. Maiorem autem totius terrarum orbis partem poſſidenti, ut auidum eſſet, quicquã ultrà appetere: ita abundè felix, ſi nihil ex eo, quod obtinebat, amitteret. Val. lib. 4. c. 1.

ALEXANDER Hieroſolymorũ rex, preſſus ægritudine, ſcelerũq; ſuorum conſcius, cùm ſe auarè crudeliterq; in populos graſſatũ eſſe ſciret, liberisq; Hircano & Ariſtobulo timeret, ne poſt ſuũ obitum regno à popularib. pelleretur: uocatam ad ſe Alexandrã uxorẽ monuit, uti animã cùm ipſe egiſſet, Phariſæorũ beneuolentia & cõſilio uſa, qui quiduis à populo propter ſanctitatẽ impetrare poterãt, confeſtim cadauer in publicum efferẽdum curaret: cõuocatisq; illicò ciuibus, in eũ priùs inuecta, quòd iniuſtus, rapax, impius, nefarius, perditiſſimus omniũ fuiſſet: inde quaſi illorũ faueret uindictæ, palàm diceret, ſe tradere Alexandrum iam defunctũ dilaniandum ciuibus, ut quam in uiuum nequiſſent, in mortuum ſaltem iram exercerent. Prudentiſſimum ſanè tyranni conſilium. Alexãdra enim cùm hoc egiſſet, & per Phariſẹos populo liberos cõmendaſſet, ut innocentes, impuberes, & nihil mali meritos: ita uniuerſæ multitudinis animũ mouit, ut non ſolùm liberis, regnoq; ſalubriter conſuluerit, uerùm mariti etiam funeribus. Siquidẽ ciues hac tanquã liberalitate iuſtoq; iudicio deliniti, Phariſæis etiã eum ſeuerum quidẽ, at iuſtum & fortem regẽ cõmendantibus, regio more iuſta Alexandro perſoluère. Pontanus lib. 5. c. 1. ex Ioſephi lib. 13. cap 23. & 24. Antiq.

AVGVSTVS, cùm multorum peteretur inſidiis, de omnibus ſe ille ſeuerè uindicauit: nec tamẽ pœnæ deterrebant alios: Animaduertit in Saluidenum, ſecutus eſt Lepidus Triumuiri filius. Hoc ſubmoto, extitit L. Murena, poſt Murenã Seruilius Cœpio, mox Ignatius: ut ſeruos & de plebe homines taceam idem auſos. Poſtremò Lucius Cinna ſacrificantem Cæſarẽ adoriri ſtatuerat, & ad aras ceu uictimã quandã immolare. Delatum eſt ad Cæſarẽ indicium. Qui mœſtus admodùm & anxius, quòd aduerſum ſe coniurationes nullis terminis cohiberẽtur, decreuit, quãdoquidẽ nihil hactenus ſeueritate profecerat, aliam uiam tentare. Cinnæ ad ſe uocato, quæ cõperiſſet, oſtẽdit, taçenti, & manifeſto ſuũ ſcelus fatenti. Ei ergo uitam, fortunas, dignitatẽ, & alia in ciuitate p̃clara dixit ſe donare, ut ex eo die inciperet inter eos amicitia. Cinnam deinde per totam uitã amiciſſimũ fideliſſimũq; ſemper eſt expertus, à quo & hæres eſt moriẽs relictus: nec ab ullo deinceps alio inſidiis appetitus eſt. Qua clementia, mirum dictu, quantoperè & ſtudia ſibi publica adiunxerit, & dicti audiẽtes habuerit, quotquot erant in tãto imperio, nec ullorũ erga ſe maiorẽ caritatẽ ſenſit, quàm eorũ, quos ſeruarat, quos fecerat ſibi ex hoſtibus amicos, Domitios, Meſſalas, Aſinios, Cicerones, Cocceios, Saluſtios, Duellios: denıq; quantũcunq; erat floris in tam florẽti ciuitate. Lud. Viues de Concordia & diſcor. lib. 3. Zonaras hoc conſilium Auguſto à LIVIA coniuge datum, auctor eſt.

Fuit Alexander Seuerus MOESÆ auiæ impulſu ab Heliogabalo adoptatus. Videbat prudẽs anus fœdiſſimum nepotis imperium diuturnum eſſe non poſſe. Ne igitur eo ſublato in priſtinum uitæ ſtatum relaberetur, cum eo egit, ut quando ſacris & prophanis curis impar unus eſſet, conſobrinũ fratrẽ adoptaret, qui per ætatẽ alterutri eſſet curæ iam propemodũ idoneus, aut certè non multo pòſt futurus. Eã prudẽs anus prætexuit cauſam, quum de imperio eſſet in primis ſolicita, ne in alios transferretur. Cæſar itaq; appellatus, continuò omnium fauorem & ſtudium in ſe uertit: quo contigit, ut poſt Heliogabali cædem confeſtim ſit in caſtris Imperator ſalutatus. Sab. lib. 6. En. 7.

ALEXANDER Seuerus Auguſtus, matre Mammæa parũ p̃bante, uxore etiã grauius ferente, quòd popularitate uel nimia uteretur, pręcipuè uerò quòd ab amicis ſe atq; familiaribus corrigi facilè pateretur: ac ſi quid parum pro dignitate ab eo factũ argueretur, illud cõfeſtim ad arguentis ſentẽtiam emendaret: qua ex re imperatoriam maieſtatẽ nõ imminueret modò, uerùm contemtibilẽ eam conceſſione illa ſua redderet: Quin mehercule, inquit, ſecuriorẽ, magisq; ac magis ſtabilem, ac longè ampliùs gẽtibus acceptam. Eraſ. in Apoph. ex Lampridio.

DIOCLETIANVS Imp. nuncio è Gallia accepto, Amãdum & Aelianũ ruſticos, intolerandis Carini Cæſaris iniuriis exacerbatos, ad arma ſollicitaſſe, ac Bacaudarum nomine eis impoſito effusè prouinciã populari: collegã ſibi imperij, tã quam publici laboris participẽ, qui rem in Occidente adminiſtrarẽt, ſciuit Aur. Maximianum, uirum ſtrenuum, ac uetẽrẽ ſibi militiæ ſocium, eoq; nomine præ cæteris ſibi probatum, apud Sirmium in Pannonia ortũ: eumq; Cẹſarẽ primũ, deinde Auguſtũ appellauit. Quo facto rem in primis memorabilẽ edidit: quippe Imperium cum eo, ſiue tanquã cũ altero cõmunicauit, ſiue tanquã cum fratre conſorte diuiſit, ac Maximiano prouincias ad Occidentem uergentes, Italiam, Africã, Galliam, Hiſpaniam, & Britanniam tradidit, reliquis ad Orientẽ pertinẽtibus ſibi retentis: ac Roma cõmuni ſedẽ relicta, ipſe ſibi Nicomediam in Bithynia depopoſcit. Ab iis maxima, memorabiliq; concordia, tanquam à duobus coniũctiſſimis fratribus, reſpublica domi, forisq; adminiſtrata: & imperium cum multis præclaris inſtitutis ac legibus temperatum, tum ab ſæuis ingruentium undiq; bellorũ ac ſeditionum tempeſtatibus, induſtriè fortiterq; per XX an. defenſum eſt. Sigonius lib. 1. Imp. occid.

ARCADIVS Orientis Imp. iam moriturus, quanquam aliàs minimè ingenioſus erat, ſalutare tamẽ conſilium iniit, quo filiũ pariter Theodoſium puellum & imperiũ ſeruauit (ſiue de procerum ſuorũ ſentẽtia, ſeu diuino impulſus ſpiritu) & teſtamentũ condidit, in quo hæredẽ filiũ inſtituit: tutorẽ uerò illius, Iſdigerdem Perſarũ regẽ. Iſdigerdes fidem Arcadij minimè ſpernens, & pacẽ cum Romæis ſeruauit, & imperiũ Theodoſio cuſtodiit, miſſo ad regis inſtitutionẽ Antiocho eunuchorum principe. Cuſpinianus.

Imperator MICHAEL Balbus, ſibi ſuisq; poſteris firmum & ſtabilẽ aſtu paraturus regnum, uxore mortua, ſimulans ſe uitam uiduam amplecti, occultè cum principibus ſenatus rẽ compoſuit, ut ij ſibi alterius uxoris ducẽdæ auctores eſſent: ac niſi pateretur perſuaderi ſibi, uim minarentur, hoc honeſto utentes prætextu, Non cõuenire, ut ipſis Imperatori ſubditis, uxores eorum domina atq; imperatrice carerent. Itaq; fictis eorũ ſermonibus cedẽs, ſubditos manu ſua ipſi ſe obligare mandauit, Imperatoris uxorẽ, & quos eſſet ea editura liberos, imperatoriis ſeſe honorib. affecturos. Cedrenus.

Conſtantinus Ducas Imp. moriẽs, relictis trib. filiis impuberibus, EVDOCIAM uxorẽ ſuam Auguſtam illis & imperio præfecit, iuramentũ tamẽ ab ea exegit, ad ſecundas nuptias non tranſituram. Quod Patriarcha ſua ſubſcriptione roborauit. Verùm quia Barbari Orientẽ infeſtabant, multis clamantibus, Imperatore opus eſſe ad hęc conficiẽda negotia: ne unà cũ pueris regno excideret, Romanũ Diogenẽ, ducẽ fortiſſimum, ob affectatã tyrannidẽ carceri incluſum, abſoluit, & in patriã Cappadociã ablegauit. Mox reuocatũ, magiſtrũ & prætorẽ conſtituit, Imperatorẽ potiùs appellandũ cẽſens, ut uirum ſe digniſſimũ. Sed obſtabat iuramentum & ſcriptio, quæ penes Patriarchã aſſeruabatur. Quã ut extorqueret, Eunucho internuncio, ſimulat apud Patriarcham, ſe amore Bardæ nepotis illius teneri. uerùm obſtare chirographum. Illum ſi reddat, & à iuramento abſoluat, ſtatim ſe nepoti eius traditurã Imperij poteſtatẽ. Patriarcha, deceptus muliebribus dolis, omnia pollicitus eſt. Accepto igitur chirographo, Regina Diogenẽ ſibi maritũ cõiunxit, præter omnium opinionẽ, eumq; Imperatorem ſalutauit. Cuſp.

Io. Orphanotrophus, Imp. Michaëlis Paphlagonis frater, pontificatus cupiditate flagrans, quoſdam ex primariis ſacerdotibus ſibi conciliauit, qui ei pollicebantur, ſe loco moturos ALEXIVM Patriarcham, ut qui non cõmunibus ſuffragiis, ſed Imperatoris auctoritate creatus eſſet. Ille uerò, Si, inquit, contra canones me Patriarchã eſſe factũ aſſeretis, ij etiam, qui à me electi ſunt, loco moueãtur. Id reſponſum effecit, ut Orphanotrophus impos uoti redderetur. Zonaras.

ODOACER Herulorum rex, Italiæ regno potitus, in primis Gothos, qui in Italiã erant iampridẽ à Valẽtiniano III. aduerſus terrores Hunnicos aduocati, ad ſtudiũ ſuũ conuertit, tertia agrorũ parte, quã promiſſam ab Oreſte (qui cæſo Nepote Imp. filium ſuũ Monyllum Auguſtum fecerat) obtinere non potuerãt, perſoluta. Italis noua tributa ad propulſandos externos hoſtes impoſita. Romanis ſenatus auctoritas, & Cõſulum dignitas ad feroces contundendos ſpiritus dempta: reliquis in rebus uetera reip. inſtituta, & magiſtratuũ iura, nominaq; retenta: eccleſiis atq; epiſcopis ſuus honos ſeruatus. Eurico Gothorum regi pars Galliæ ab Alpibus ad Rhodanũ, quæ hucuſq; Romanorũ in poteſtate fuerat, pacis habendæ cauſa remiſſa: & cum Gundobado rege Burgũdionum fœdus percuſſum. Iã ut opportunũ omniũ animis metũ incuteret, & populos inſigni aliquo ſeueritatis exẽplo promtiores ad obſequendũ efficeret, Brachilã Comitẽ imperiũ ſuũ ratione aliqua detrectantẽ interfecit. Quib. de reb. non ſolùm metui, ſed etiam coli ab Italicis atq; exteris cepit. Quare Genſericus rex Africæ in admirationẽ uirtutis & fortunę illius adductus, oratores ad eum de pace miſit, atq; illius impetrandæ gratia Siciliam ei tributario iure conceſſit. Sigonius lib. 15. Imp. occid.





THEODERICVS Oſtrogothorum rex, pacatum Italiæ regnum cum prouinciis Dalmatia, Sicilia, & Rhætia conſequutus, ad ſtabiliendas opes ſuas, uicinorum ſe regum prẹſidiis muniendũ, atq; affinitatib. obuallandũ putauit: haudquaquã dubitãs, quin, ſi Odoacer Herulus idẽ cõſilij habuiſſet, haud dubiè partã Italię poſſeſſionẽ retinuiſſet. Itaq; Anfledam Clodouei Francorũ Regis filiã duxit uxorẽ: ſororẽ uerò ſuã Amalafredam Honorico (Sigonius Tranſamundo) Vandalorũ, & filiarum unã Teudetuſam Alarici Veſtrogothorũ Regis filio Almarico deſpondit: alterã Gundibaldo Burgundionum, Amalabergã uerò neptẽ Herminfredo Turingorum regibus, in matrimonium coniunxit. Euthario etiã nobiliſſimo Gotho, ex Balthorũ proſapia oriundo, Veterici filio, tertiã filiã Amalaſuentã in uxorẽ tradidit: quo genero per aliquot (quib. ſuperuixit) annos, tanquã filio uſus fuit. Rauẽnæ imperij ſedẽ cõſtituit, uel quia Romanorũ ferociã horreret, deſperaretq; poſſe fieri, ut Roma diu Regem externũ ferret: uel ꝙ uidebat nunquã fore, ut Gothis Romanisq; cõueniret, quorũ diuerſi mores diuerſaq; ſacra eſſent (erãt. n. Gothi Ariani, Rom. orthodoxi) uel certè loci opportunitatẽ ſecutus. Vrbis adminiſtratiõe Senatui Rõ. ꝑmiſſa, Vrbis ruinas magna diligentia reparauit. Leges & inſtituta per manus tradita, moresq; (ſi quid à priſco uiuẽdi ritu degeneratũ eſſet) caſtigari mãdauit. Eſtq; ꝑ omnia uetus ciuitatis forma, quã prim⁹ Reip. oppreſſor Cæſar cũ libertate euerterat, in integrũ à Gotho rege reſtituta, excepta diſciplina militari, à qua Romani nõ ꝗdẽ inuiti paſſi ſunt ſe ſub tã diuturna & florẽtiſſima pace reuocari. Spectacula uetuſta in uſum reuocauit. Vetuit monetã cudi alia forma, ꝙ̃ ueteri, dũ Romana reſpub. floruiſſet. Cũ optimis Impp. cõferri potuit, & Pater Italiæ longè uerius dici, quàm alij Patres patriæ. Ciues toto anni tempore, præterquã tẽpore meſſis & uindemiæ, oppida frequẽtare uoluit, obireq; munera, quib. antea quietis Reip. tẽporib. cõſueuerãt. Nõ ſolùm enim agricolæ, ſed etiã honeſto loco nati, ob bellorũ mot⁹, quib. Italia diu afflictata fuerat, rura colebãt, uolẽtes potiùs ignobiliter uillicari, quàm in luce hominũ cũ uitæ periculo uerſari. Vt Italiam à Barbarorum incurſionibus muniret, omnia Alpium clauſtra à mari uſq; ad Tridentinum ſaltum Gothorũ principibus tribuit, & Tridentum muro cinxit. Io. Magnus lib. 9. & Sigonius lib. 16. Imp. occid.

Euerſo Longobardorũ regno, CAROLVS Magnus Pontifici dono dedit, ſeu potiùs dono datã à Pipino patre confirmauit Flaminiã, in qua Rauẽna eſt, tũc Exarchiæ caput: atq; ut oblita Grẹci nominis reuerẽtior urbis Romæ foret, Romãdiolam dici iuſſit, uelut illuſtriore nomine. Aemil. lib. 3.

Hugo, Italię rex, cùm ſe uulgò deſeri, & BERENGARIVM iuniorem, Berengarij I. regis nepotẽ, principũ factione celebrari uideret, de ſe actum exiſtimans, ac Lothario filio conſulere cupiens, ipſum Mediolanum ad Berengariũ & populũ Mediolanenſem mittit, captato tẽpore, quo Berengarius regio more dignitates Italicas præſente populo ipſis è factione ſua hominib. diuidebat. Lotharius cos S. Ambroſij in tẽplo nactus, ante Crucem Domini ad pedes eorũ ſe proſternit, ſupplexq; orat, ut ſi patrẽ repudiare ſua aliqua culpa uelint, ſaltẽ ſe omnis expertẽ noxæ retineãt. Hæc triſti ac flebili uoce orantẽ Mediolanẽſes tacti miſericordia excitarunt, ac bonũ animũ habere iuſſerunt. Quin etiã Hugonẽ Italia cedere ultrò parantẽ, pręmiſſis nunciis abire prohibuerunt. Id autem Berengarij potiſs. cõſilio factum, qui Hugonem remanere cupiebat: ne diſcedens, ingẽti, qua pollebat, pecunia Burgũdiones ad arma ſolicitaret, atq; aduerſus ſeipſum adduceret. Ita regnum cõmuni conſilio adminiſtrari eſt ceptum, ut nomen quidem regis penes Hugonem & Lotharium eſſet, ius autem imperij penes Berengarium reſideret. Sigonius lib. 6. regni Italici.

Ludouico Auguſto Lotharij Imp. F. defũcto, CAROLVS Caluus frater, Gallorũ rex, ut in Franciã Cæſarũ nomẽ reportaret, deiectis è iugis Alpiũ Ludouici Germanorũ regis patrui filiis ad intercludendum iter à patre miſſis, in Italia à Ioãne Pontifice Auguſtus dictus, coronatur anno Sal. 876. utq; Italiã in fide officioq; cõtineret, Boſſonẽ Iudithæ uxoris ſuę Auguſtæ fratrẽ Papienſib. ducẽ dat, Berengariumq; ac Vidonẽ, p̃ceres Romanę iuuentutis, per matres Francis, per auias Longobardis cognatione iunctos, factionumq;, quæ iam Italiam diſtrahebãt principes, & fœdere ipſos inter ſe, & honorib. muneribusq; Francis conciliat: alterumq; Foroiuliẽſium ducẽ, alterum Spoletinorum dicit, ut aduerſus Germanorum Imperij ſtudioſos Francicas partes tutarentur, ducatusq; nomine datos, armis uirtuteq; in ditionẽ ſuam, fidẽq; Francorum redigerent. Aemilius lib. 3.

VRBANVS IV. põtifex, è Siculo regno Manfredũ iniuſtũ poſſeſſorẽ exigere uolebat. Conradinum Sueuũ uiuere adoleſcereq; cõſtabat. Is Manfredo poterat obijci: ſed ſoboles Fridericorũ, indolesq; illa Sueuorũ ducũ, inuiſa ſuſpectaq; ac formidoloſa Romanis erat. Anglia Hiſpaniaq; de imperio contendebant. Nulla Pontifici aduerſus Manfredum niſi in Francis ſpes: & in eam pronior erat ipſe patria Francus. Euocatus ergo D. Ludouici Francorũ regis frater Carolus Andegauenſis. Vrbano ſuccedens CLEMENS IV. per legatum ſuum Carolum Romæ cũ uxore in regem Sicilię & Hierosolymorum inungi curauit, contra Manfredum regni uſurpatorẽ, pontificib. infeſtum. Impoſitũ uectigal quadragenûm in ſingulos annos millium aureorum Pontificib. deinceps Romanis numerandorũ. ſimul iureiurãdo adactus nouus rex (nullas in tãto munere leges detrectãs) ſe imperij nomẽ uel ultrò delatũ nõ accepturum. Alia præſcriptione, alia mẽte crediderim id cautũ. Prętexebatur, ne ſi contentiones de imperio ingraueſcerẽt, difficilius factu foret opes Mãfredi euertere. ſed Pontifices ſemper horruère nimias Siculorũ regũ opes: in quo ſimul & regni illius, & imperij ius foret; eum in officio fideq; ac poteſtate Pontificum minùs fore, p̃ opibus quẽq; animos gerere, ſpiritus tollere. Aemil. lib. 7.

BONIFACIVS nonus, anno 1389 primus omniũ uim omnẽ, poteſtatẽq; populi Rom. ad pontificẽ traxit. Adriani molem multa ope muniuit, quã in arcis modũ redactã, ꝑpetua murorũ acie Vaticano iunxit, omnes urbanos magiſtratus priuata auctoritate creauit. Annatarũ uſum eccleſiaſticis ſacerdotiis primus omnium adſcripſit, ut qui beneficiũ indipiſceretur, dimidiũ annui prouẽtus pontificio ſolueret fiſco. Probarunt id decretum omnes gentes præter Anglos, qui in minoribus ſacerdotiis id repudiarunt. Sab. lib. 9. En. 9.

Sub Paulo II. agebatur de Andegauenſiũ & Aragoniorũ concordia. Placebat quibuſdã Auſnionẽ dari à Põtifice Andegauenſibus, & ab Aragoniis uiciſſim Aquilam urbẽ accipere. IOANNES uerò Caruaialus Cardinalis ſummoperè reſtitit, Auenionẽ nunquã dimittendã aſſerens, tum ut Trãſalpini populi ex hac tanquã ſpecula in officio cõtinerentur, & Itali, metu ne Põtifex Auenionem migraret, Eccleſiæ minùs infeſti eſſent. Gatimbertus lib. 3. de Vitis Pontificum.

Cardinales à Põtifice IVLIO II. deficiẽtes, Conciliũ Piſis Mediolanũ reductum, poſt Rauennenſem pugnã, inflati uictoria, crimino ſiſſimè celebrarunt, & ſæpe Iuliũ Pontificem pro templi foribus ad dicendam cauſam citarunt. Ad labefactãdum eius concilij nomen fortè Iulius Medices ab Roma ſuperuenit, qui legato patrueli, Ioan. Medici, ibi captiuo, breues epiſtolas & diploma Pontificis deferebat, quib. p̃clara cõceſſa facultate, expiare milites ritè poſſet, q eo quòd in acie cõtra Pontificẽ ſtetiſſent, ſacris interdicti, & omnib. diris ad inferos deuocati erãt. Prolato euulgatoq; diplomate tãtus Gallorũ præfectorũ & ſigniferorum, militumq; omnis generis, qui certatim abſolui cupiebant, ad legatũ factus eſt concurſus, ut uix conficiẽdis tabulis ſcribarũ manus ſufficerent. Quæ res & familiarium egeſtatẽ mirificè ſubleuauit, & prædamnata concilij cauſa, Iulij II. Pontificis auctoritatẽ latiſſimè confirmauit. Iouius in Leone X. lib. 2.

IDEM, cùm ducẽ Ferrariẽſem Alfonſum bello perſequeretur, ut ſibi principum animos conciliaret, & ſe contra concilij minas doctis, peritis, & magnæ in Rom. curia auctoritatis, ſibiq; fidis hominib. armaret, octo Cardinales creauit: inter quos fuit archiepiſcopus Eboracẽſis, Angliæ regis legatus, & epiſcopus Sedunenſis: hunc tanquã uirum ad gentẽ Heluetiorum cõcitandam aptiſſimum, illum quia ab ipſius rege, quem iam in Gallos cõmouere non parum ſperabat, fuit rogatus: & ut Gurcenſi epiſcopo Matthęo Langio penè certum

tum eiuſdem dignitatis pignus exhiberet, eaq; ratione faciliorem eum ſibi redderet, ex Cardinalium conſenſu, unius præterea nominandi ſibi facultatem, quẽ animo incluſum haberet ſuo, reſeruauit. Guicciardinus lib. 9.

LEO X. Pontifex, detecta Cardinalium coniuratione, cùm ſontes ſenatu mouiſſet, & eã ſeueritatẽ Cardinales reliqui parũ æquo ferrent animo, ut inimicorum cõtunderet ſpiritus, & maiores & fideliores neceſſitudines ſibi & Mediceę familię cõpararet, unũ & triginta cardinales; una atq; eadẽ liberali pronunciatione in ſenatũ legit: egregio ædepol excellẽtiq; delectu, ſi in uniuerſum quiſq; à morum literarũq; cenſura ſpectaretur, nec immodicus numerus ſeuériorũ animos offenderet, qui eius ordinis dignitatem imminui & fœdari tãta multitudine prædicabant. Iouius in Hadriano VI.

[redacted]

FROTHONIS III. mortem Dani per integrum trienniũ cælauere, ne ab imperio deficerent populi. Cranzius lib. 1. Daniæ, cap. 32.

FRANCISCVS Sforcia, Mediolanenſis dux, cùm à patricio quodam admoneretur, ut depreſſa altera factione alteram extolleret, urbemq; purgaret, admota capiti manu reſpondit: Et albicantes & nigros crines ſuos eſſe, pariq; candentis nigriq; caſum capillamenti ſui iactura perlaturũ. Sunt enim in utraq; parte boni maliq; plures, quos non factionis prærogatiua, ſed merito uirtutis expẽdiſſe, par eſt. Arlunus Hiſt. Mediol. Sectione 1.

GVLIELMVS Normanię dux, occupato Anglorũ regno, perſpiciens Anglos grauatè imperio parére, & ob id tumultum metuẽs, magno ſtudio quatuor arces diuerſis in locis conſtruere cepit: unã ad Notyngamiã oppidũ, proximè Trentã flumen ſitũ, alterã Lincolniæ, tertiã Eboraci, quartã prope Haſtyngum uicũ: quò per hæc loca cuncti ab omni nouandarum rerum ſtudio deterrerentur. Item ut ferociã populi ad ociũ perduceret, omnib. arma ademit, ſtatuitq; ut quiſq; paterfamiliâs ueſperi circiter horam octauã, poſt meridiẽ, tecto cineribus igne, dormitũ iret: & ad id, ſignũ uicatim dari uoluit per campanas, id quod etiam nũc ſeruatur, & Normanicè uulgò dicitur Couerfeu. Polyd. lib. 9.

GEORGIVS Pogiebrachius, mortuo Ladiſlao, rex Boëmiæ creatus, ad declinandã procerũ inuidiã, qui opibus & nobilitate præſtabant, iis multum indulſit, miraq; in gubernãdo arte uſus eſt. Quanquã potentiorũ poſtulata nunquã irrita dimittere niteretur: oſtentata tamen potentia, ab omni ſeditione deterrebat. Quin & ſæpe illorum poſtulationib. occurrebat, ut promerendo magis ſibi animos conciliaret & obſtringeret. Populi gratiã diligẽter coluit, ut ſe tali fauore munitum, proceres formidarent. Bonfinius lib. 8. Dec. 3.

Barbara Cilienſis, Cæſaris Sigiſmundi coniux, ſuperſtite adhuc uiro, Boëmiæ & Hungariæ regnis, quæ in dote ſua numerabat, nõ ſucceſſorẽ modò, ſed ſibi etiam maritum, eũq; iuuenẽ, petulanter ambiebat, nempe Vladiſlaum Poloniæ Regem, quẽ tanta regnorũ dote perſuaſum iri ſperabat, ut cũ anu matrimonium iniret. Accendebant ſpem Vlricus Ciliæ Comes, Barbaræ frater, ſorori aſſentiens, & cõplures Boemi Huſſitarum factionis proceres, qui Polonum Germano præferebãt. Quod ubi SIGISMVNDVS intellexit, ſenſitq; tum Hungaros tum Boëmos magno cũ dolore accipere, id à matre agi, ut filiæ ſuæ Elizabethæ, Alberto Auſtriæ duci deſponſæ, ſpem regnorũ, in quæ adoleuerat, eriperet: uocatis ad ſe Hungaris, conſiliũ eis ſuũ de diſceſſu ex Boëmia aperit. Sparſo interim rumore, medicos loci mutationẽ ęgroto ſuadere, cùm iam arcẽ Pragenſem præſidio firmaſſet, capillum canũ, barbãq; promiſſam de induſtria comit, ſertoq; uiridi caput, quod crebrò hilaris facere ſolebat, adornat, & ita lectica aperta per mediã urbẽ deportatur, coniuge ipſa, & comite Ciliæ illũ comitãtib. uſq; ad Znoymã Morauiæ ciuitatẽ: in qua labore itineris, & morbo feſſus tãdẽ ſubſtitit. Ibi Barbaræ coniugi cuſtodes additi: Vlricus aũt Comes effugit. Adfuit mox Albertus gener, cũ quo multa ſecretò locutus ſocer, uocauit pòſt Morauos, Boëmos, Hungaros in conclaue ſuum, palàm indicans, mortem in forib. adeſſe, tẽpuſq; urgere, ut in medium tempeſtiuè conſulant, quemadmodum regna inter ſe pacata retineant: ſuadere præterea, ut Albertũ ſuſcipiant, utroq; regno, etiãſi gener non eſſet, digniſſimũ. Nunc uerò hac neceſſitudine accedente, planè nefas eſſe præterire eum, qui utriuſq; regni hæredem in matrimonio obtineat. Sic ſe ante quinquaginta annos regnum Hungariæ, ducta Maria hærede, aſſecutum fuiſſe. Sic item Ioannem auum ſuum, in regno Boëmiæ ſucceſſiſſe, iure uxoris ſuæ Elizabethæ. Annuentibus ultimæ uoluntati, qui circumſteterant, æquiſſimo inde animo uita exceſſit, ann. 1437. ætatis 70. Dubrauius lib. 27.

CLEMENS VII. pontifex, ut Mediceæ familiæ dignitatem & principatum ſtabiliret, Catharinam iuniore Laurentio Medice genitã, Henrico II. Franciſci regis Gallorũ filio deſpondit. Maximè decorum enim ſibi futurum rebatur, ſi qui Cæſaris Caroli V. notham filiam Alexandro nepoti Florentinorum duci nuptam, domi ſuæ tanquã nurum erat habiturus: regiæ quoq; & longè nobiliſſimæ ſtirpi ſuũ ſanguinẽ inſeruiſſet. Ea affinitas uti ambitioſiùs expetita, uehementer Cæſaris animũ cõmouit, adeò ut minores quoq; principes, & Italiæ totius populi magnoperè terrerentur, quaſi Pontifex renouandi belli cauſam eſſet præbiturus. Sed Clemens magno ſibi artificio & temperamento Cæſaris pariter & Franciſci regis amicitiã tuendam eſſe arbitrabatur. periculoſum enim eſſe prædicabat, unam tantùm amicitiam colere, quæ cùm alias excluderet, duriſſimæ ſeruituti proxima uideretur. Sab. ſupplem. lib. 15. ex Iouio.

☞ DEIICIENDO, PRIVANDO.

Deſcendente in Græciam ingenti claſſe Xerxe, metuens THEMISTOCLES, ne ſi Epicydes concionator homo uenalis & ignauus prætor creatus eſſet, perditum iret ciuitatem: auro eũ redemit, ut petitionẽ deponeret. Plut. in Regũ apoph.

AVGVSTVS Cæſar Senatorũ affluentem numerũ deformi & incondita turba (erant enim ſuper mille, & quidã indigniſſimi, & poſt necẽ Cęſaris per gratiam & præmiũ allecti, quos Abortiuos uulgus uocabat) ad modũ priſtinum & ſplendorẽ redegit duabus lectionibus: prima ipſorũ arbitratu, quo uir uirum legit: ſecunda ſuo & Agrippæ, quo tẽpore æſtimatur lorica ſub ueſte munitus, ferroq; cinctus præſediſſe, decẽ ualentiſſimis Senatorij ordinis amicis ſellam ſuam circumſtantibus. Cordus Cremutius ſcribit, ne admiſſum quidem tunc quenquam Senatorum, niſi ſolum, & prætentato ſinu. Quoſdam ad excuſandi ſe uerecundiam cõpulit: ſeruauitq; etiam excuſantibus inſigne ueſtis, & ſpectandi in orcheſtra epulandiq; publicè ius. Suetonius.

☞ LIBERTATEM PRAESENTEM prudenter

☞ SERVARE, TVERI.

**In genere.**

CRETENSES & LACONES ingenuos filios ſeruilia munia ſubire cogebant, ut ſeruitutis recordatione, libertatem magis amarent. Alex. lib. 2. c. 25.

INDORVM gentes nonnullæ pueris adoleſcentibus, etiamſi magnæ fortunæ, & amplis opibus forent, pro ſeruis utebantur: ut eam ſortem experti, quantum decus libertatis foret, agnoſcerent. Ibidem.

PHRYGIBVS familiare fuiſſe legimus, proprios uendere filios in eximio ætatis flore, ut ſi in ſeruili ſpecie multos labores perpeſſi eſſent, redemti ad omnia aptiores eſſent. Alex. libro 2. cap. 25.

BALEARES aureo numo aut argenteo non utuntur, & afferri ad inſulam prohibent: cauſam afferentes, Geryonẽ Chryſaori filium auro atq; argento opulentiſſimum, quondam ab Hercule bello expugnatum. Exiſtimant enim eo pacto, cùm auro atq; argento careant, ſeſe facilè omnes uitæ inſidias euaſuros. Hãc ob rem cùm olim cũ Carthaginenſibus militaſſent, ex ſtipendio impenſo mulieres ac uinum emtũ ſecum tulêre. Diod. lib. 5. c. 6.

**In ſpecie. Contra**

*Tyrannos.*

☞ *Vide Tit. Prudentiæ contra tyrannos.*

*Iudices. Damnationẽ effugere.*

MARDONIVS, poſt rem malè geſtam à Xerxe ad Salaminẽ, ueritus ne plecteretur, quòd ad inferendum Græcis bellum regem incitaſſet, ut Xerxem aliqua ratione placaret, ſuaſit illi, ut claſſe omiſſa, pedeſtri exercitu Peloponneſum inuaderet: aut ſi domum redire mallet, ſibi triginta myriades delectorum militum daret, quibus pollicebatur ſe ſubacturum Græciam. Neq; enim uires Perſarum in nauibus ſitas, ſed in exercitu terreſtri. Xerxes poſterius conſilium amplexus eſt, & Mardonius pro pœna, quam merebatur, ſummus imperator creatus eſt. Herod. lib. 8.

Miſſus à Thebanis EPAMINONDAS opẽ Arcadibus Meſſeniiſq; laturus aduerſus Lacedæmonios, ut eorũ pręſidia ex urbib. eiiceret, Arcadũ Meſſeniorũq; induceret: ex medio itinere ad cauſam dicendã atq; diluendã accuſationẽ euocatus nõ paruit: ei qui ſibi ex lege Prætor ſucceſſerat, exercitũ nõ tradidit: tãdiuq; cũ imperio manſit, hoc eſt, quatuor mẽſibus, quãdiu Arcades Meſſeniosq; à tyrannide ac ditione Lacedæmoniorum eruiſſet. Iam reuerſus ipſe, & Pelopidas, aliiq; omnes Præfecti ac Tribuni, capitis accuſati ſunt: Nominatim lege cõtineri, Qui ui & inuito populo alteriꝰ exercitũ retinuerit, ei capitale eſſe. Sed aliorũ quidem admiſſa defenſio atq; excuſatio eſt: recuſantes ſe, inuitos, & oratione perſuaſos, ut ſub Epaminõda militarẽt: teſtẽ in eo ipſum habere ducẽ. Itaq; eos abſolui placuit. Epaminondas, cũ & deliquiſſe ſe, & aduerſus reip. imperium, quos abſolui placuit, ſecũ detinuiſſe fateretur, nihil ſe animaduerſionẽ morari ac diffugere pronũciauit, minimè de uita ſolicitus, modò certè in memoriã aliorum, quę tanta & innumera beneficia reip. Thebanorũ cõtuliſſet, huius argumẽti epitaphiũ tumulo inſcribi uellẽt: Hic iacere, quẽ, ubi hoſtes Lacedæmonios ad Leuctras ingenti & memorabili prælio fudit fugauitq;: ciues ſuos, ne nõ ſuis legib. uterẽtur, ſeruitute liberauit: ipſi ſui ciues, dũ ſuis iam nimiũ legib. abutuntur, & dũ legitimè iudicant, iniquiſſimè occiderũt. Tanta ꝑinde cepit omniũ animos indignatio, perpetuæq; in poſteros metus ignominiæ, tanta etiã uiri admiratio, ut ius æquo & bono, lex gratiæ & honeſto ceſſerit. P. Aerodius ex Xenophonte lib. 7. rerum Græcarũ: Cicerone lib. 1. de Inuentione: Appiano in Syriaco: & Probo in Epaminonda. & Plut. in Apoph.

P. SCIPIONI Africano diẽ ad populũ M. Næuius trib. plebis, aut (ut quidã memorãt) duo Petilij dixerant. Is ingenti frequentia in forũ deductus, Roſtra cõſcendit, capitiq; ſuo corona triũphali impoſita: Hac ego (inquit) Quirites, die, Carthaginẽ, magna ſperantẽ, leges noſtras accipere iuſſi: proinde æquũ eſt, uos mecũ ire in Capitoliũ ſupplicatũ. Specioſiſſimã deinde eius uocẽ ęquè clarus euentus ſecutus eſt. Siquidẽ & Senatum totum, & uniuerſum equeſtrẽ ordinẽ, & cunctam plebẽ, Iouis opt. max. puluinaria petẽs, comitẽ habuit. Reſtabat, ut tribunus apud populum ſine populo ageret, deſertuſq; in foro cũ magno calumniæ ſuæ ludibrio ſolus moraretur: cuius deuitandi ruboris cauſa in Capitoliũ ꝓceſſit, deq; accuſatore Scipionis uenerator eſt factus. Val. Max. lib. 3. c. 7. & Plut. in Rom. apoph.

HANNIBAL à Duillio conſule nauali prælio uictus, timẽſq; claſſis amiſſæ pœnas dare, priuſquã cladis nuncius domum perueniret, quendã ex amicis cõpoſitum & ornatum, Carthaginem miſit, qui poſtquam ciuitatis eius curiã intrauit: Cõſulit (inquit) uos Hãnibal, cùm dux Romanorũ magnas ſecum maritimas trahens copias aduenerit, an cum eo confligere debeat? Acclamauit uniuerſus Senatus, Debere, oportere. Tum ille: Conflixit (inquit) & ſuperatus eſt. Ita liberum his non reliquit id factum damnare, quod ipſi fieri debuiſſe iudicauerant. Val. lib. 7. c. 3.

*Inſidiatores.*

LEPTINES Lacedęmone profectus, nauem ad Tarentũ ſubduxit. Expoſitis nautis, Tarentini nullam his quidem iniuriã aut uim attulerunt, ob eam cauſam quòd eſſent Lacedęmonij: Leptinem uerò inquirebant, ut eum comprehenderent. Ille, abiectis ſuis ueſtimentis, acceptis uaſis, & lignorum onere ſublato, conſcendit nauim, funeq; reſecto, nauigiũ deduxit, & nautis adnatantibus receptis, ad Dionyſium nauigauit. Polyænus lib. 5.

THEMISTOCLES Græcia pulſus, ad regem properans, ubi Cumam Aeoliæ uenit, multoſq; ſenſit rei maritimæ præfectos inſidias ad ſe capiendũ tendere, pręcipuè Ergotelem & Pythodorum (erat enim præda opima: quòd præmium rex in caput eius ducenta talenta pronunciaſſet) Aegas Aeolicũ oppidulũ refugit, nulli extra hoſpitem Nicogenẽ notus. Erat Aeolum hic locupletiſs. & principib. qui circa regẽ erãt, familiaris. Apud eum paucos delituit dies. Inde à cœna ſacrificio facto, magiſter liberorum Nicogenis Olbius, mente motus lymphatuſq;, exclamauit hunc uerſum:

Nocti conſilium, uocem da, uictoriamq;.

Hinc ſopitus Themiſtocles uidit in ſomnis dracouẽ uentrẽ ſuum circumiectum, & arrepentem collo: ubi faciem attigit uerſum in aquilam & cõplexum ſe alis ſuſtuliſſe, longamq; uiam auexiſſe: deniq; in aureo caduceo, quod ſe obtulit, ſecurè ſtatuiſſe, immenſo pauore & terrore exemtum. Mittitur igitur ab Nicogene, qui rẽ eſt huiuſcemodi fabricatus. Quia nationes barbaræ ferè & præter cæteras, Perſica æmulatione erga mulieres aſperæ natura ſunt & atroces: neq; enim uxores ſolùm, ſed ancillas quoq; emtitias & pellices anxia ſepiunt cuſtodia, ne à quo non domeſtico conſpiciantur, uerũ domi degant concluſæ: per uiam undiq; ſeptæ in tẽtorio uehuntur curribus. Tali Themiſtocles tectus uehiculo delatus eſt. Comites eius, obuiis & percunctantibus reſponderunt, Gręcã mulierem ſe ab Ionia ad quendam regis admiſſionalem agere. Plut. in Themiſt.

DEMETRIVS Phalereus, cùm ſe à Thraciæ rege interceptũ, captum iri cerneret, ſemetipſum in currum ſtramine onuſtũ abdens, in finitimam regionem ſaluus & incolumis peruenit. Polyænus lib. 3.

Hyperbolus homo ſeditioſiſſimus Athenis plebem concionibus ſuis ita dementabat, ut Niciã & Alcibiadem factionum principes, oſtraciſmi lege in exilium pulſurus, & ipſe alterutrius locum occupaturus uideretur. ALCIBIADES & NICIAS animaduerſa eius nequitia, utranq; factionem cõfuderunt in unum, itaq; effecerunt, ut neuter ipſorum, ſed Hyperbolus in exilium eiiceretur. Plut. in Nicia.

BOEMVNDVS Roberti Guiſcardi F. Antiochiæ Cœloſyriæ bello Sacro captæ princeps, rediturus in Italiã, ueritus ne in tranſitu ab Alexij Comneni Imp. præſidibus captiuus abduceretur, ſeipſum mortuum fingit, & præcipit famulis, uti ſe mortuũ prædicarent. Itaq; pax data funeri. Cuſp.

HENRICVS, Henrici Leonis Saxoniæ ducis F. ex ſacra expeditione per Græciã & Vngariã rediit incolumis, ſpecie monoculi, emplaſtro ſuper alterũ oculũ impoſito, quo ignotus tranſiret: & profuit illi dolus. Cranzius lib. 7. Metrop. c. 13.

FERDINANDVS II. Neapolitanorum rex, planè inclinatis rebus ſuis, ſuſpicatus Germanos, qui in arcis Neapolitanæ præſidio erant, de ſe capiendo cogitare: repentino conſilio eis ſuppellectilẽ, quę in arce aſſeruabatur, cõdonauit. Quã dum illi inter ſe partiũtur, rex è cuſtodia omnibus (Ruſſano principe, comiteq; Populẽſi exceptis) regni proceribus, qui è paterna auitaq; immanitate ſupereſſent, emiſſis, ex arce militari ſubſidiariáue porta egreſſus, triremes, à quib. in portu expectabatur, unà cum Federico patruo ſuo reginaq; olim aui Ferdinandi I. coniuge, & Ioanna filia, conſcendit: ac paucis è ſuis comitatus, ad inſulã Iſchiam, quę antiquis Aenaria fuit, quæq; ab urbe Neapoli triginta miliaria diſtat, nauigauit: identidẽ dum in conſpectu Neapolim haberet, Vatis uerſum clariſſima uoce pronuncians, cuius ea eſt ſententia: Fruſtra homines uigilare ad ciuitatis cuſtodiam, quæ à Deo non cuſtodiatur. Guicciard. lib. 1.

*Hoſtes.*

☞ *Horũ exempla ex Stratagematis ex profeſſo petenda.*

Xerxe contra Græcos exercitũ ducente, quicũq; libertatis ſtudioſi erãt GRÆCI, in unũ cõuenerunt, conſilioq; habito, uiſum eſt ante omnia miſſas faciendũ pecunias debitas, & inimicitias cùm priuatas tum publicas, auctore Themiſtocle. Erant autẽ cùm alia aliorum bella, tum uerò maximum inter Athenienſes & Aeginetas. Herod. lib. 7.

☞ ERIPERE. CAPERE, COMPREHENdere, in VINCVLA coniicere.

EPHORI Cinadonẽ inſidias Ageſilao atq; Reip. Lacedæmoniorũ ſtruentẽ ſic comprehendêre. Conuocatis omnib. ſenioribus, decreuerunt Cinadonẽ cũ quibuſdã ualidis iunioribus Aulonẽ mittere, ut Aulonitas quoſdã cũ Helotis in ſcytala deſcriptis cõprehenderet, & Lacedæmonẽ adduceret: itẽ & tres currus Cinadoni dari, ne cuſtodiæ pedib. iter facere cogerẽtur. Ita enim ſine ſuſpicione ac ſine tumultu, re cũ iis ipſis, quos ſecũ deduceret, ab Ephoris cõpoſita, extra urbẽ Cinadonẽ capi poſſe: deq; cõſciis inſidiarum interrogari. Itaq; Cinadon in itinere à ſuis ipſius comitibus comprehẽſus fuit, & conſcios indicauit. Quorũ nomina cùm in urbem ſtatim allata eſſent, iuſſi ſunt apprehendi. Et habita quæſtione is ſocijq; manib. poſt tergũ reuinctis, per ciuitatem undiq; traducti, atq; flagris cæſi, interfecti ſunt. P. Aerodius ex lib. 3. Xenophontis. Polyænus lib. 2.

Cùm belli Veiẽtis ſeptimo anno, æſtate media lacus Albanus mirũ in modũ intumuiſſet: eoq; miraculo Romani cõſternati eſſent: in ea obſidione quidã ROMANVS familiaritatem cõtraxit cũ Veiente quodã uate. Quẽ ubi uidit de lacus incremẽto exultantẽ, atq; obſidionẽ habentẽ ludibrio: Nõ id ſolum, inquit, prodigij hac tẽpeſtate, ſed lõgè fœdiora ſunt alia Romanis facta portẽta: de quib. ad ipſum ait ſe referre uelle, ut reb. ſuis cõſulere in cõmuni calamitate ualeat. Ille Romano promtè morẽ gerere, & ſedulò ſermones cũ eo miſcere, uelut res abditas auditurus. Dũ abducitur inter cõfabulandũ longiùs à porta, tũ hominẽ Rom. pręualens uirib. ſublimẽ arripit, pluribuſq; ex ſtatione accurrẽtib. capit, atq; in poteſtatẽ redactũ deducit ad Coſſ. Plut. in Themiſt.

☞ SERVITVTEM PRAESENtem prudenter depellere: tum

☞ OBSIDIONIS.

☞ *Conſule Tit. Ab obſidione liberati. Illic in genere, ſiue Dolis, ſiue Vi: hic Prudentia tantùm perpenditur.*

Tẽpore Michaëlis Comneni Palæologi Imperatoris, IOANNES, nothus Michaelis Epiri Deſpotæ, Sebaſtocrator, Nouis Patris obſidione cinctus à Ioãne Deſpota fratre, & iam penè captus, obſeruata nouilunij obſcuriſſima nocte, fune ſe de muro demiſit, & cũ alius trãſitus nõ patêret, clã in Gręcorũ caſtra laceris ueſtib. deſcẽdit: & ne agnoſceretur, magna uoce, & uerbis ex parte barbaris, ꝑ tota caſtra uelut amiſſum equũ quęritãs, clamitat. Turba militaris eũ deridebat, & dicteriis exagitabat. Cũ caſtra pertranſiſſet, ad monaſteriolum profectus extra fines, à prępoſito quoq; iumẽtis & totidẽ famulis acceptis, in Atticã peruenit: ubi cùm Athenarum duci magnam pecuniam, & ſplendidas filiarum ſuarum nuptias promiſiſſet, accipit 500. delectos Athenienſes, amplis ſtipẽdiis cõductos. Quorũ auxiliis Gręcos ſecurè de-

ſidentes, uenatumq́; excurrẽtes profligauit. Gregoras lib.4.

Ladiſlao Boëmorũ & Hungarorũ rege defuncto, lis erat inter patrueles Albertum & Sigiſmundum, de portione Ladiſlai in Auſtria, quam Fridericus Cæſar occupauerat. Obſidebatur Cæſar Viennæ in arce cum Leonora coniuge, & Maximiliano filio, à ciuibus & fratre ſuo Alberto. Ei GEORGIVS Podiebradius Boëmorum rex ſubſidia ad ſe tuendum ſubmiſit. Poſtquam uerò eum præualere uidit, milites ſuos reuocauit: ipſeq́; in Auſtriam cum octo millib. armatorũ profectus, arte magis, quàm uirib. negotiũ confecit. Sequeſtri enim perſonã inter partes ſuſcipiens, Cæſarẽ ad colloquium euocauit, atq; ita eũ cũ uxore & filio de manib. obſidentiũ eripuit, & in tuto collocauit. Huius operę preciũ quadraginta millia auri à Cæſare abſtulit, & pro auctario, Victorino, Henrico, Hinconi, filiis Georgij, honos principalis habitus, delatã ad eos principum dignitate. Dubrauius lib.30.

## OBSIDVM.

Romani cũ Tyrrhenis bellum gerentes, conſtituto fœdere, obſides eis dederunt nobiliſſimorum uirorum filias uirgines. Quæ obſidum loco datæ erant, acceſſerunt ad fluuium Tybrim loturæ. Ex his una CLOELIA reliquas omnes hortabatur, ut tunicas circum capita religarent, & fluuij curſum ob profundos gurgites difficilem tranſitu tranarent. Cùm tranaſſent, Romani uirtutẽ quidẽ earum & fortitudinẽ admirabantur, ſed tamen eas Tyrrhenis remiſerunt ut religionem fœderum inuiolatam conſeruarent. Porſenna rex ſciſcitabatur, quæ nã eſſet, quæ huius facinoris eis auctor extitiſſet? Clœlia reliquas præuertens, confitebatur. Porſenna uirilem admodũ uirginis animũ admiratus, equum ei ſplendidè ornatum dono dedit, omneſq́; uirgines collaudatas Romanis remiſit. Polyænus lib.8.

CONSTANTINVS Magnus etiamnum puer, cùm à Galęrio Imp. in urbe Roma religionis ſpecie obſes teneretur, fugam arripiens, ad fruſtrandos inſequentes, publica iumẽta, quacunq; iter ageret, interfecit, & tandem ad patrẽ in Britanniã peruenit: iiſdem fortè diebus, cùm Conſtantium parentẽ fata ultima perurgerent. Patre uerò mortuo, regnum Galliarum Hiſpaniarumq́; & Alpium ſibi teſtamento relictũ, accepit. Cuſpinianus ex Sexto Aurelio.

Erat apud Anglos LVDOVICVS Andegauenſium dux obſes pro Francis. Qui dum Caleti, quò ductus erat, à præfecto loci humaniter tractaretur, & aliquando animi cauſa uenatũ ire permitteretur, inter uenationem longiùs à ſociis digreſſus, Bononiam celeri curſu ſe proripuit. Polyd. lib.19.

Clemens VII. à Cæſarianis obſeſſus, longè cariſſimos atq; honeſtiſſimos ex familiaribus, qui ſecum erant, reprę ſentandæ pecuniæ obſides, fremẽtibus depoſcẽtibusq́; Germanis, tradere coactus eſt. Hi fuêre IOANNES Maria Montanus archiepiſcopus Sipontinus, & Onofrius Bartholinus Piſanus archiepiſcopus: epiſcopi uerò Antonius Puccius Piſtorienſis, & Ioannes Matthæus Gibertus Veronẽſis. Hi paulo pòſt in carcere, cuſtodibus ex inſtitutæ cœnę crapula, multoq́; falerno conſopitis, cathenas exuerunt, & per uaporarium foci tubum in ſumma Riariæ domus tecta extracti, funib. euaſerunt: tanta felicitate, ut pedibus egreſſi urbem, ad Vrbinatis caſtra, quæ tum erant in Vmbriæ finibus, confugerint. Sabellicus ſupplem. lib.10. ex Iouio.

## CARCERIS, VINCVLORVM. E Carceribus prudenter liberati.

MINYÆ à Pelaſgis è Lemno eiecti, Lacedæmonem nauigauerant. Spartani propter Argonautarum memoriam eos urbe & agro donarunt, illorumq́; opera contra Ilotas feliciter ſunt uſi. Ibi confeſtim repudiatis iis, quas in Lemno duxerant, uxoribus, cũ aliis matrimonia contraxerunt. Lõgo deinde interiecto tẽpore elati ſuperbia, cùm alia flagitioſa ꝑpetrarunt, tum regnum affectarunt. Quo nomine Lacedæmonij, cùm morte multandos cenſuiſſent, cõprehenſos in carcerẽ coniecerunt. Quoſcunq; Lacedæmonij morte plectendos cẽſent, eos noctu plectunt, interdiu neminem. Cùm ergo eſſent in illos animaduerſuri, exorati ſunt ab eorũ uxoribus, quæ ciues erant, & primorũ Spartanorũ filiæ, ueniam ingrediẽdi carcerẽ, & cum ſuo cuiuſq; uiro colloquẽdi, nullum in illis dolum eſſe ſuſpicantes. Magiſtratus igitur permiſſu ingreſſæ carcerem, omni ueſte, quã geſtabãt, uiris tradita, illorum ueſtẽ illæ ſumſerunt. Ita Minyæ muliebri ueſte amicti, è carcere prodierunt, rurſusq́; apud Taygetum cõſederũt. Hic cũ Ilotas caſtellanos cõcirẽt ad defectionẽ, & in agmen reciperẽt, ingẽti perculſi pauore Lacedæmonij, miſſis caduceatoribus hac lege cum eis fœdus fecerunt, ut receptis uxorib. pecuniaq́; accepta & nauib. faceſſerẽt, partoq́; alia regione agro & urbe, pro Lacedæmoniorũ colonis & propinquis haberẽtur. Herod. lib.4. Val. Max. lib.4. c.6. Sab. lib.8. En.2. Plut. de Virt. mul. Thuſcos, qui Lemnum & Imbrũ occuparant, ex feminis Atticis, quas Braurone rapuerant, Liberos ſuſcepiſſe ait, & hos ab Athenienſibus eiectos, à Lacedæmoniis ſuſceptos, ab uxoribus liberatos fuiſſe.

ANAXAGORAS, Codrus & Diodorus, cõpedib. uinctũ Hegeſiã, Epheſiorũ tyrannũ, interfecerant. Philoxenus ab Alexandro rege præfectus Ioniæ, uiros ab Epheſiis poſtulauit: cumq́; nõ impetraſſet, præſidium in urbẽ duxit, & hos tres uiros per uim rapuit, ferreisq́; cathenis ligatos in arcẽ Sardianorũ miſit. Qui diu multumq́; cruciati, ſeipſos liberauerũt, accerſita Philurina: cuius auxilio uſi, uincula diſſiparũt, & ſeruilibus ueſtimẽtis induti, ꝑ noctẽ quaſi ſerui è carcere egreſſi, fune & ueſtimẽtis ſecũdùm longitudinem diſſectis, ea connexuerunt, ſeſeq́; de mœnib. demiſerunt. Diodorus ſubitò decidens ex alto, claudusq́; factus, in eo loco remanſit: captusq́; à Lydis, ad Alexandrum miſſus eſt, ut ſuppliciũ penderet. Cùm aũt Alexander Babylone ſummũ diem obiiſſet, Epheſum ad Perdiccã miſſus eſt, ut legum iudiciũ ſubiret. Anaxagoras uerò & Codrus, Athenas peruenerunt: & audita morte Alexandri, reuertentes Epheſum, etiam fratrẽ ſuum Diodorum liberauerunt. Polyænus lib.6.

HEGESISTRATVS Elęus, captus à Lacedæmoniis, & in uincula coniectus, rem fecit uniuerſę poſteritati cõmendabilẽ. Nam quũ ferratis ſoleis uinctus eſſet, dimidiũ pedẽ præcidit, ut ſe cõpedibus illis eximeret: demùm ſubruto muro periculũ effugit, deceptis excubitoribus. Herod. in Calliope.

AMPHIRETVS Acanthius, captus à piratis, in Lemnũ deductus, in uinculis cõſeruatur, prædonib. magnã pecunię uim redemtitiam ſperantibus. Ille à cibo abſtinens, rubricam aqua ſalſa mixtam bibit. Cùm igitur aluum uacuaret, prędones exiſtimantes eũ in ſanguinis fluxum incidiſſe, uinculis ſoluerunt, ne ob morbum è uita diſcederet, atq; ita ipſis pecuniæ ſperatæ perirent. Ille ſolutus noctu aufugit, cõſcenſaq́; naui piſcatoria, Acanthum peruenit. Polyęnus lib.6.

ARISTOMENES Meſſenius captus à Lacedæmoniis, & in uincula coniectus, ad ignẽ ſe acclinauit: atq; cõbuſtis uinculis ſolutus, cuſtodes occidit. Clàm inde Spartã ingreſſus, eorũ ſcuta Chalciœci templo affigens, inſcripſit: Ariſtomenes illæſus à Lacedæmoniis euaſit. Polyænus lib.2.

IDEM, Amyclis direptis, rediens, in Lacedęmonios incidit, factoq́; cũ illis prælio, unà cum quinquaginta de eius prætoria cohorte captus, Spartam protractus eſt. Hos cùm in Ceadam altè dehiſcentẽ foueã, in quam maximis criminibus capite damnatos præcipites mittunt, abiiciendos cenſuiſſent, cæteri ſocij omnes perierunt: Ariſtomenis uerò ſcutũ ſua cõcauitate aërem concipiens, molliorẽ fecit caſum. Triduum in imo ſpecu cõmoratus, audito ſtrepitu quodam, per ſublustres tenebras uulpẽ uidit cadauerã appetentem. Cogitãs itaq; per oſtiolum omnino aliquod beſtiam illuc penetraſſe, eam propiùs accedentem manu altera apprehendit, altera quoties ſe illa conuertiſſet chlamydem mordicùs preſſandam obiiciebat. Et currentem quidem, quâ ſe uia dabat, curſu conſequebatur: trahendum uerò ſe belluæ per inuia præbebat. Vidit poſtremò cuniculũ nihilo ampliorẽ, quàm inde poſſet uulpes euadere, per quẽ luminis ſe aliquid oſtẽdebat. Per illũ quadrupes, ut primùm dimiſit eam, luſtrũ ſuũ repetiit. At Ariſtomenes anguſtam illã, ac minimè peruiam cauernulam manibus aperiens, in Eran ad ſuos tandè euaſit. Pauſanias in Meſſenicis, & Polyænus lib.2.

PYSTA uxor Seleuci, cũ Callinicus ad Ancyrã à Gallis uictus eſſet, capta ab hoſtib. abiecto regio ueſtitu, famulæ pauperrimæ pannis laceris induta, inter captiuos uęniit. Ducta in Rhodum cum cæteris mancipiis, confeſſa eſt, quę eſſet. Rhodij reddita emtori pecunia, ſplendidè eam ornatam, Antiochiam miſerunt. Polyænus lib.8.

Cleonymus, cũ TITVM cepiſſet, pro eo dimittẽdo duas ciuitates poſtulabat, Epidamnũ & Apolloniã. Titi pater eas nõ dedit, ſed eũ retinere iuſſit. Titus cõparato ſui dormiẽtis ſimulacro, in ędib. depoſuit, atq; ipſę cõſcenſo nauigio, clàm aufugit, cuſtodibus ſimulacrum cuſtodientibus. Idem.

Tulerat legem C. Cæſar, de agro Campano fermè toto pauperibus & tenuibus diuidendo: neq; obiecit ſe ei quiſquã, pręter Catonem iuniorem. Hunc igitur ex Roſtris traxit Cæſar atq; in carcerem duci iuſſit. At cùm SENATVS mœſtus Catonem ſecutus eſſet, & optimi quiq; ex populo, ſtomachantes tacitè & indignantes, nec id Cæſarem lateret: uictus pudore & infamia, ſummiſit unum ex tribunis, qui Catonẽ eximeret. Plut. in Catone.

Baſilius Macedo Imp. filiũ Leonẽ Cæſarẽ falſis criminibus à Theodoro Santabarino monacho circũuentũ, in tetrũ carcerẽ cõiecerat. Accidit, ut Baſilius diuerteret in ædes patricij cuiuſdã, cui erat loquaciſſimus pſittacus, qui ſępe Leonẽ in cuſtodia gementẽ plorãtẽq́; uiderat. Eius geſtus uocẽq́; repræſentans pſittacus, ſępiſſimè Leo Leo Leo inclamabat. Exciti CONVIVÆ ſurgunt è menſa: &, O Imperator, inquiunt, hæc auicula multo eſt nobis prudentior, quæ ſuum miſerata dominum, eius petit liberationem: nos uino indulgentes & crapulæ, illius obliuiſcimur. His dictis pater iram depoſuit, ac è cuſtodia liberato filio, regalẽ dignitatẽ reſtituit. Cuſpinianus.

ANDRO-



ANDRONICVS Cõnenus, Manuelis Cõneni Imp. patruelis propter Eudociã ex altero Imp. Manuelis fratre Andronico natã, cuius cõſuetudine utebatur, & regni affectati ſuſpicionẽ, ſępiùs in uincula cõiectus, toties propria ſeruatus induſtria. Animaduertit in turri carceris lateritia meatũ antiquiſſimũ: eumq́; ſubito, manibus pro ligonib. uſus, ad exitum parandũ, foramẽ ueſtib. obtegit. Sub prandij tẽpus, cùm neminem cuſtodes in carcere reperiſſent, dolo ereptum ſuſpicabantur. Vxor eius, ut fugę conſcia cõprehenſa, in eundem carcerẽ coniicitur. Andronicus è cauerna emergens, mulierẽ inopinato conſpectu territã alloquutus, & amplexus eſt, ſicut ex eo congreſſu filius ei Ioannes poſtea natus ſit, cui nomen imperatoriũ, factus ipſe per nefas Imperator, impertiit. Tandem è carcere elapſus eſt, cuſtodib. propter mulierẽ negligentiorib. factis. Quum ad Melangia ueniſſet, à milite quodã Niceæ captus, denuò in cuſtodiã priore acerbiorem coniicitur. Verùm ex illa quoq; per hanc rationem ſemet liberauit. Morbum fingit, ac puero peregrino, cuius opera in corporis miniſteriis uteretur, linguæ Græcæ nec ſatis gnaro, ſed cui ſoli ad cuſtodiã patebat aditus, mandat, ut claues turris clàm ſurripiat, quũ uigiles largiùs poti, meridianum ſomnũ caperẽt, eaſq́; cera exquiſitè exprimat. Seruulus iuſſa exequutus, clauium exemplum, Andronici iuſſu, Manueli filio eius oſtẽdit, ut quã primùm tales fabricarentur, & in amphoras, quibus potus ad prandiũ ferretur, lineos funes, glomos, & fila tenuia coniiceret. Eo cõſilio ad exitũ perducto, clauſtra noctu aperiuntur. Andronicus pueri miniſterio euadit, funiculos manib. geſtãs. Ea nocte in denſo & alto Palatij gramine, quò nemo adire ſolebat, in diẽ uſq; tertium delitelcit, Inquiſitorib. deceptis, funib. pro ſcalis uſus per mœnia ſe demittit, nauiculã conſcendit, quę ex cõpoſito in litore inter crepidines maritimo urbis muro ad frangẽdũ undarũ impetũ interiectas fluctuabat. Cũ nauta Chryſopolo technã cõponit, uti ille heri perſonã fingeret, ipſe famuli ex diuturnis uinculis elapſi. Orabat eos, à quib. cõprehẽſus erat, ut ſui miſereſcerẽt, & antè multas acerbitates ab hero Chryſopolo perpeſſi, & nũc ob fugã malè multãdi: de induſtria aũt barbarè loquebatur, ac Gręca multa ſe aſſeq diſſimulabat. Chryſopolus interim ꝓbè diſſimulãs omnia, munerib. impetrauit à ſpeculatoribus, ut Andronicus tanquã ſeruus fugitiuus ſibi redderetur. Ita pręter ſpẽ ædes ſuas ingreſſus, ſuis ſalutatis, ſolutisq́; cõpedibus, equo cõſcenſo, qui ad fugã paratus erat, rectã Anchialum cõtendit. Quo cùm ueniſſet, Pupaci ſe agnoſcendũ præbuit: ſumtoq́; ab eo uiatico, & uiæ ducibus, Galizã proficiſcitur. Cuius fines ingreſſus, quò tanquã in tutiſſimũ aſylum properabat, à Blachis, qui fugã eius ex fama cognorant, captus, ad Imperatorẽ reducitur. Ibi quum nullum aſſertorẽ, non amicum, non armigerũ, nõ miniſtrum ullum haberet, ſuapte induſtria rurſus euaſit. Simulato enim ad decipiendos lictores uentris profluuio, crebrò ex equo deſcẽdit, & ad requiſita naturæ ſeceſſit. Qđ dum & noctu & interdiu ſæpius facit, cuſtodes hac ratione decipit. Scipionẽ, quo ut æger innitebatur, in tenebris humi defigit, & chlamyde circũpoſita, & pileo impoſito, ut hominẽ inflexis genibus cacantẽ repræſentaret, cuſtodes ſimulacrum illud intueri ſiuit. Ipſe ſaltum condenſum ingreſſus, inſtar feræ è caſſibus elapſæ fugit. Cuſtodes uix tandẽ intellecto dolo confectam uiam repetunt, Andronicum eòdẽ fugere opinati. Verùm is conuerſo itinere alia uia Galizã peruenit. Nicetas lib.3. & 4.

THEODVLFVS abbas Floriacenſis, pontifex Aurelianenſis, cùm ob ſuſpicionẽ cõiurationis in Ludouicum Pium Imp. in carcerem coniectus eſſet, hymno ad ſacram Trinitatem in carcere cõpoſito & decantato, Imp. placauit, ut eum ſtatim liberari iuſſerit.

SOLDANVS à rege Frãcię Ludouico II. Capuã captiuus abductus, toto biẽnio nunquã ridere uiſus eſt. Itaq; rex ei, q effuſum Soldano riſum cõcitaſſet, aureũ munus ꝓmiſit. Cùm aũt quidã regi narrarẽt, uidiſſe ſe Soldanũ ridentẽ, teſtemq́; rei ꝓduxiſſet: uocauit ad ſe rex Soldanũ, cauſamq́; mutationis quæſiuit. Ibi Soldanus: Currũ, inquit, cõtẽplabar, eiusq́; rotas, ut earũ aliæ partes in imũ, aliæ in ſummũ obuerterentur: atq; hãc ego incertæ incõſtantisq́; hominũ felicitatis imaginẽ ſentiẽs, riſi: cùm quòd in mentẽ mihi ueniret, quàm inſtabili nos de re ſuperbiremus: tùm ſimul etiam hoc fieri poſſe iudicans, ut quomodo ex ſummo infimus ſum factus, ita ex humili rurſum loco ad prius attollar faſtigiũ. His auditis rex de ſuo quoq; ſtatu cogitans, Soldanum uirum iudicans ſapientem, liberè ſecum uerſari permiſit. Cedrenus.

PETRVS Valdemari III. Danorũ regis copiarũ ꝓfectus, bello Vandalico in portum Viſmarienſem miſſus, ut prædaretur, & inita pugna captus, ſingulari cõmento elapſus eſt è manibus eorũ. Nã cuſtodes ſuos ebrietate cõſopiuit: & effractis catenis, apprehenſum unũ ex ſociis, qui æger erat pedibus, in dorſo portauit, tendẽs in portũ. Nemo illũ ex captiuis eſſe coniectare poterat. Obuios uigiles, ſciſcitantes quò iret, quisúe eſſet, hoc reſpõſo deluſit, Ebrioſus, inquit, iſte meus (quem malè perdãt dæmonia) ita potu obruitur, ut ambulare nõ poſſit: illum itaq; in nauim deporto, ut ibi confrigeſcẽs edormiat cereuiſiã qua madet. Illi credẽtes dimiſerunt eũ elabi de manibus eorum. Cranzius lib.7. Daniæ, c.38.

Iacobus III. Scotorũ rex, dum placere omnib. cupit, ſine delẽctu nõnullos infimę plebis homines ad honores in aula maximos ꝓmouit. Quæ res procerũ illuſtriũq́; uirorũ animos in uniuerſo regno ualde cõmouit. Cõiurationis principes erãt duo regis fratres germani, Alexãder Albaniæ dux, & Ioannes natu minimus, Marię comes. Verùm hoc à ſicariis cæſo, illũ in arce Edinburgẽſi cuſtodia arctiſs. aliquot menſib. captiuũ habuit. ALEXANDER igitur uitæ metuẽs, è lodice cõſciſſo funẽ cõtexit, & explorãdæ tũ firmitatis tũ lõgitudinis cauſa puerũ, qui ſibi aderat unicus, ꝑ eũ demittit. Puer cùm neq; rupẽ poſſet attingere, neq; ſurſum retrahi, defatigatus tãdẽ, & in rupẽ delapſus crura ꝓfregit: herũ ſubmiſſa uoce monẽs, ut funi aliquantũ ſuperaddat. Quod ubi ex ſententia ſucceſſiſſet, puerũ grauiter ſauciũ per rupis crepidinẽ in conuallẽ promouit: inde elatũ in humeros ad Lethã portũ ad duo ferè milliaria geſtauit, & cymba in arcẽ Doumbar deuexit: inde in Galliam fugit. Appendix hiſt. Scotorum.

Vitoudus Lituaniæ dux, à Iagellone itidẽ Lituaniæ duce cõſobrino, ꝑ ſpeciẽ colloquij unà cũ patre Keiſtuto captus fuit. Et Keiſtutus quidẽ in carcere necatus: Vitoudus uerò VXORIS dolo liberatus eſt. Cùm enim ea liberã haberet ad uirũ Vilnæ captũ cõmeandi poteſtatem, nocte quadã cõmutato cum una de duabus pediſſequis habitu, ueſte muliebri indutum eduxit. Emiſſus ille, in Maſſouiam ad Ioannẽ ducem affinem ſuum, atq; inde in Pruſſiam ad Cruciferos confugit. Cronierus lib.14.

Mathias Coruinus Vngariæ rex, initio regni ſui à quibuſdam ꝓcerũ, qui Michaëlis Zilagij ſui auunculi & tutoris dignitatẽ ægrè ferebãt, inſtigatus, auunculũ colloquij gratia euocatũ, capi iuſſit, & Vilagoſuaro caſtello incluſit, nec multo pòſt de eo tollẽdo ꝓfectos duos literis admonuit. Illis ſuppoſititias literas eſſe metuẽtib. alter eorũ ad regẽ proficiſcitur, eius uoluntatẽ expiſcaturus. Interea COQVVS, quẽ illi cõceſſerant pręfecti, ex arce Turcas adeſſę clamitãs, pręſidiariã cohortẽ arma ſumere iubet. Ipſe nouiſſimus cũ tribus cõſeruis ſubſequi fingẽs, egreſſis à tergo portã obſtruit, & fracto carcere Michaëlẽ educit, caſtelliq́; dominũ facit. Is ruſtica manu & cõmeatibus oppidulũ cõpleuit. Mox accitis amicis, contra Turcos ſæpe excurſiones fecit: ad regẽ nunciũ ſalutis ſuæ miſit, ſe plùs coco quã nepoti, cui ipſe regnũ aſſeruiſſet, debere ſignificãs. Mathias erratũ agnouit, eundemq́; paulo pòſt in gratiam recepit. Bonfinius lib.1. Dec.3.

Philippi Comitis Hornẽſis, qui rebellionis prętextu à duce Albano Bruxellis ſecuri percuſſus eſt, fratrẽ, Montignij dominũ, ſub initia motuũ Antuerpienſiũ anno Sal. 1566. religionis cauſa excitatorũ, in Hiſpaniã cõtendiſſe ferunt, ſuã comprobaturũ regi innocentiã. Cæterũ cũ aures regias æmulorũ uoces penitùs obſediſſent, cuſtodię mancipatur. VXOR hãc rationẽ mariti liberãdi, ut nouã, ſic ingenioſiſs. excogitauit. Quatuor ablegãtur Belgæ, linguarũ periti, qui peregrinationis Cõpoſtellanæ prætextu in Hiſpaniã ꝓficiſcantur, ſtipis emẽdicandæ ſpecie muſica organa, quas Violas uulgò dicũt, ſecũ ferẽtes. In quorũ maximo, quẽ Baſſum nominãt, omnis generis ferramẽta, ad perfringẽdos carceres opportuna, affabrè cõcluſa erãt. Vbi ad arcẽ uentũ eſt, in ſubiecto uico ſpecimẽ artis edunt. Admirantur oẽs peregrinorũ ingeniũ. Pręfectus arcis Montignij exhilarandi cauſa eos adduci iubet. Vocati parent, & ſuauitatẽ cantus Gallicę, Italicæ, Hiſpanicæ linguæ alternationib. cõdunt, ad extremum etiã lingua Belgica, quã nemo cuſtodũ intelligebat, ſubiungunt: Veniſſe ſe eius liberãdi cauſa. Modũ hunc eſſe. Emerent inſtrumẽta muſica quantouis precio, repugnãtes cogi iuberet. In maximo organo reperturũ fabrilia, quib. carceris clathros perfringeret. Cæterũ malo quodã fato uerſum illum, quo modum aperiendi citra offenſam organi, & inſtrumenta reponendi (ne perfracto eo, fraus deprehenderetur) docere debuerant, omiſere. Montignius animum aduertens, ſed uultu probè diſſimulans, ad præfectum arcis conuerſus, Egregios mehерclè muſicos, inquit: contendere tamẽ auſim, uel te iudice, cantionis Belgicæ harmoniam præ cæteris lõgè ſuauiſſimam fuiſſe. Aſtipulante etiam præfecto, carmen de induſtria repeti iuſſit. Hic idem error, qui priùs contigit. Dimiſſis peregrinis, artem illorum laudare, organa uerò muſica in primis extollere cœpit: eiusq́; adeò precibus motus præfectus, ea tandem à peregrinis, diu multumq́; reluctari ſimulantibus, obtinuit. Peregrini, ut quẽ cõmiſerant errorẽ, nouo ſtratagemate emendarent: obſeruantes puerum à piſtore uicino panes in Comitis uſum petere, ſchedam, in qua reponendorum ſuo loco ferramẽtorum rationem perſcripſerant, pani inſerunt. Præfectus, qui comiti aderat prandenti, pueri incuria panem prægnãtem reperit,

De-

Deprehenſo dolo, arctiore porrò cuſtodia Montignius aſſeruatus, & poſt triennalem carcerem ſecuri tandem percuſſus eſt. Hęc hiſtoria, uti noua, ſic memoratu digna eſt uiſa: tãto admirabilior futura, ſi prudentiæ fortuna reſpõdiſſet.

### CVSTODIÆ LIBERÆ.

ERICVS Nicolaũ Danorũ regẽ fugiens, Magni Noruegiorũ regis fidei ſe crediderat. A quo cùm Nicolao proderetur, uino obrutis cuſtodibus, perinde ac uigiliæ tædio cubitũ ſeceſſit, ſacerdotẽq; exilij ſociũ aleæ pro ſe curatorẽ reliquit, & perrupto cubiculi pariete cũ clientib. ac coniuge clam ad mare peruenit, repertaq; in litore nauigia, quò tutiùs fugã caperet, perforanda curauit, & fugã proſperè arripuit, cùm multo uix demũ die Magnus abitũ eius cognouiſſet, & nauigiorũ perforatorum nullus foret uſus. Tandẽ cæſo à ciuibus Nicolao regnum obtinuit. Saxo lib. 13.

GREGORIVS XI. in Italiam rediturus, ne à Gallis impediretur, Auenione (ubi per LXX annos ſedes ponſiticia exularat) animi gratia nauẽ ſe conſcendere ſimulans, ſecũdo Rhodano mare triremi ingreſſus, Genuam, inde Romam peruenit. Garimbertus lib. 4. de Vitis pontificum.

Iacobus II. Scotorũ rex, ſexennis, in arce Edinburgenſi à Gulielmo Cricthon Cancellario ſeruabatur. Eius factioni Alexãder Leuyſton regni gubernator cũ IOANNA regina uidua Sterlingi inſidiabatur. Regina, quæ ortu Angla erat, comitis Somerſeti F. Edinburgum paucis comitata proficiſcitur: ſimulãs ſe hoc unũ cupere, ut filius, in quo uno reſtituẽdi Scotorum regni in priſtinã quietẽ, ſpes omnis ſita eſſet, honeſtè ac piè educetur. Quinetiã in id ſedulò incubuit, ut orta inter nobiles diſſidia dirimerentur. Cõfirmata in hunc modũ reginę fide, permiſſum eidem, ut cũ rege in arce noctu ac interdiu diuerſaretur. Tandem ſimulans ſeſe ſub aurorã, ut nũcupati uoti religione pro filij ſalute ſolueretur, ad diuę Virginis ędem (Album ſacellum uocant) profecturã: duo ueſtiũ reconditoria, quorum altero paruulum regem deceptis cuſtodibus noctu incluſerat, caſtello exportari, & onerario equo in eum uſum parato imponi, & Letham in proximum deferri portũ curat: naueq; conſcenſa Sterlingum rediit. H. Boëthius libro 18.

LVDOVICVS XI. pacẽ Confluentinã, deiecto à ducatu Normanniæ fratre Carolo duce Bituricẽſe, uiolauerat. Carolus Burgundus id nõ inultũ laturus erat. Ludouicus pace cõpoſita cum fratre, in colloquium cũ Burgundo Peronã inermi comitatu uenit. Interea certis auctorib. cõpertum eſt, ſolicitantib. oratoribus regiis, Eburones contra Burgundũ arma cepiſſe. Dux Peronæ portas claudi iubet, cuſtodiriq;, diſpoſitis præſidiis uigiliiſq; circa mœnia, ne quis emitteretur intromitteretúrue, tantùm cauſſatus amiſſum cum literis gẽmiſq; ſcrinium, quod conquiri oporteret. Per continens biduũ rex uelut in cuſtodia habitus aſſeruatuſq;, ignarus rerũ ſuarum, ac quæ nã ſe fortuna maneret, arbitrio ſui amiſſo, poteſtatis alienæ factus, uelut imaginẽ fati ſui horrebat, ꝙ locus ipſe memoriæ ueteris admoneret, & eſſet in cõſpectu turris, in qua Carolus Simplex rex, clauſus coactuſq; fuit ſe regno abdicare. Dux biduum de illo conſilium habuit. Tres dictæ ſententiæ: Vna, ut fides colloquij ſanctè ſeruaretur, modò rex ſe Eburonum hoſtem profiteretur, ad bellum duceret auxilia. Altera ſemel captum regẽ non dimittendũ: ꝙ ſi elabatur, atroci, ubi primũ queat, exemplo indignitatẽ ulturũ. Tertia, euocandum fratrẽ regis, ducẽ Bituricenſem, & quando Confluentina pax, quãuis ſanctiſſimo iureiurando interpoſito, irrita ceciderit, certiores conditiones his pignoribus ſanciendas, ut regi circumuenire deinceps liberũ nõn ſit. Rex interim, etſi procul aberat à fiſco ſuo, quindecim tamen millia ſcutatorum à ſuis coëgit, quę intimis amicis ducis diuiſit: nec ullis blandimẽtis pollicitationibuſq; artibúſue pepercit. Ita in primã eamq; mitiſſimam ſententiã itum, purgatioq; regis accepta, pactiſq; de nouo fœderib. incolumis dimiſſus. Aemilius lib. 10.

Iulius Cæſar Capuanus, indignè ferens, aulæ regiæ honores ab Iacobo (è Narbonẽſi Gallia regiis natalib. orto, & ab IOANNA Regina Neapol. Ladiſlai ſorore, ad tegẽda libidinis probra in coniugẽ accepto) Gallis conferri, Iacobũ è medio tollere cogitabat: atq; hoc conſiliũ Reginæ in cuſtodiã Gallorũ ab eodẽ Iacobo traditæ aperit. Quæ ut mariti ſibi animum arctiori nexu deuinciret, regi inſidias patefecit. Cõprehenſo itaq; ac cæſo Iulio Cæſare, & ob id facinus Regina in cõiugalem thorũ, cõmuneſq; epulas recepta, Iacobus nequaquam omnem animo ſuſpicionẽ deterſiſſe uidebatur, quũ ſpacianti Reginæ, arcis limine pedẽ efferre, aut nauicula deuehi non liceret. Duo Neapolitani, aſſerẽdæ in libertatẽ reginæ negotiũ ſuſceperunt, OTHINVS Caracciolus, & ANECHIMVS Moriminus. Diſceſſerat opportunè per eos dies Lordinus Gallus, equitũ Magiſter, cum copiis in Aquilanũ agrum profectus, & feſtus dies publico epulo & chorearum ludis in theatro celebrabatur. Ad id honoris cauſa Gallorum proceres inuitati, & quũ nouæ nuptæ omnes, matronæq; nobilitate & forma lectiſſimæ ad eã celebritatẽ ducerẽtur, magnis precibus à rege impetratum eſt, ut reginę etiã intereſſe liceret. Poſtquã ſaltationi finis eſt impoſitus, reginã ſimulanter in arcẽ Nouam redire parantẽ, à dextra ſiniſtraq; Othinus & Anechinus comprehẽdunt, & in Capuanam arcẽ perducunt. Extẽplò reginæ nomẽ inclamatur, inuaduntur Galli, totaq; urbe fugati in arcẽ cõpelluntur. Rex his conditionibus in deditionem eſt receptus, ut in poſterũ regiis titulis abſtineret, Tarentinus princeps appellaretur: Gallos uerò omnes, præter quadraginta, in Galliam remitteret. Iouius in uita Sfortiæ.

### EXILII, AB EXILIO PRVDENTER REVERTI.

Abſalomus propter cædẽ Amnonis fratris, Geſſur profugerat ad auum paternum, ibiq; triennio manſerat, patris Dauidis iram metuẽs. IOABVS ergo Saruiæ ſororis Dauidis F. polemarchus, ſubornauit mulierẽ quandã prudentẽ, nomine Thecuanã, quæ luctũ ſimulans, regẽ adiret, & duos filios ſe habuiſſe diceret, inter quos ruri orta concertatione, unus alterũ occidiſſet. Nunc uniuerſos gentiles fratricidã poſcere ad necẽ. Rogare ſe Regẽ, ne unicũ hæredẽ ſuæq; ſenectæ baculũ interimi permitteret. Rex ſeſe interceſſurũ ſanctè promiſit. Tum illa: Qua ergo de cauſa, ô rex, tanto tam tempore cõtra Abſalomũ filiũ iraſceris? Amnon periit, Abſalomus generis tui ſpes atq; decus, etiamnũ ſupereſt. Viuũ ergo omniũ Iſraëlitarum cauſa in gratiã recipere, eiq; hoc peccatũ condonare uelis. Rex, qua erat prudẽtia, Ioabi hoc eſſe cõmentum facilè intellexit: & mulieris precibus annuens, Ioabum ad reuocandũ filium miſit. Toto tamẽ biennio in regis conſpectum uenire non fuit auſus. 2. Reg. 14.

PHILOPOEMENES Megalopolitanus conciues ſuos, qui Meſſenã ꝓfugerãt, occupata Megalopoli à Cleomene Spartanorũ rege, per inſidias ſcalis urbẽ ingreſſo, hortatus eſt, ne quantũuis reuocante & libertatẽ proponẽte Cleomene, in patriã tunc redirẽt. Oſtẽdit enim Cleomenẽ ſine populo urbẽ diutiùs nõ retenturum. Itaq; ſi patria aliquod tẽpus carerent, neceſſariò eã cũ laude recuperaturos eſſe: ſin reditum accelerare uellẽt, & irrito conatu id moliri contigiſſet, ſeruitutem eos minimè incertam manſuram. Plut. in eius uita.

### PEREGRINATIONIS.

Quidam capta Troia nonnullos profugos, cùm naues eſſent nacti, ad Hetruriam ui uẽtorum expulſos, circa Tiberim anchoras ieciſſe tradunt: ubi uxoribus eorũ fatiſcẽtibus, pelagiq; pertæſis iactationis, unam quæ & genere clarior cæteris eſſe, & præcellere mente uidebatur, ROMAM nomine (Lycophron Sitæam uocat) ut claſſem incenderẽt, ſuggeſſiſſe. Id uiros primùm ægrè tuliſſe. Deinde cùm neceſſariò ſedes circa Palatiũ poſuiſſent, & breui ſupra ſpem ſuccederẽt omnia, quòd agri fertilitatẽ miram ſentirẽt, reciperent etiã ipſos accolæ: cùm alios Romæ honores habuiſſe, tum uerò eius, ut auctoris, urbi nomen indidiſſe. Inde poſteris quoq; morẽ perhibẽt traditum, ut propinquos feminæ & uiros ſuos ſalutẽt oſculo: quòd illæ poſt claſſem inflammatã deprecantes uiros, & iram eorũ mulcẽtes, ita eos ſalutauiſſent & amplexæ eſſent. Alij aliter: pleriq; à Romulo. Plut. in Romulo, & de Virt. mul. & Polyænus lib. 8.

### FAMVLITII, MINISTERII.

XENOCRATES Chalcedonius, Platonis diſcipulus, cùm ab Atheniẽſibus legatus eſſet miſſus ad Antipatrum regẽ, ut Atheniẽſes in bello Lamiaco captos redderet, à rege ad cœnã inuitatus, hoſce uerſus ex Odyſſ. κ. protulit:

ὦ κίρκη, τίς γάρ κεν ἀνὴρ, ὃς ἐναίσιμος εἴη,
πρὶν τλαίη πάσσασθαι ἐδητύος ἠδὲ ποτῆτος,
πρὶν λύσασθ' ἑτάρους, καὶ ἐν ὀφθαλμοῖσιν ἰδέσθαι;

Quibus uerbis innuebat, ſeſe nõ priùs cibũ guſtaturũ, quàm id quod petebat impetraſſet. Rex illius prudẽtiã admiratus, omnes captiuos ſtatim liberari curauit. Laërtius lib. 4.

ARISTÆVS ex intimis Ptolemæi Philadelphi amicis, uir humaniſſimus, ægrè ferẽs Iudæorũ ingentẽ multitudinẽ in Aegypto ſeruire, occaſione librorũ ſacrorũ in Græcam linguã transferendorum, ut 120 millia Iudæorum à Ptolemæo liberarentur, impetrauit. Ioſephus lib. 12. c. 2.

PAVLVS Nolanus antiſtes, poſteaquã omnia ſua Vandalicis tẽporibus impẽdit in Nolanis ciuibus ex Africa redimẽdis, ſeipſum (quãdo nil præterea reliquum erat) hoſtibus dedit, ut uiduæ filium redimeret. Hîc regij cultor horti tam fideliter dextreq; id obiuit munus, ut meritò eſſet omnibus cariſſimus. Tandẽ, cum ſuis popularibus libertate donatus, magnaq; frumenti copia, triumphãti ſimilis Nolam remeauit. Sabellicus lib. 8. c. 2.

LIBRI

# LIBRI TERTII TITVLORVM DISPOSITIO

PRVDENTIA bellica & στρατηγικὴ conſideratur reſpectu tẽporis tripliciter: uel

- Ante bellum,
  - An gerẽdum:
    - Ad bellum ſuſcipiendum incitare. Ad belli ſocietatem impellere.
    - A bello ſuſcipiendo dehortari ſuos, uel hoſtes.
  - Quando ſuſcipiendum. Vbi gerendum. Quomodo. Belli gerendi modus: Status belli.
- In bello. Hîc cùm hoſtis hoſti & corporis & animi uiribus reſiſtat, nõ ſimpliciter, ſed reſpectu perſonarũ prudentia στρατηγικὴ diſtinguenda erit. Etſi autem id quod nobis conducit, hoſtibus noſtris obeſt, & econtrà, ſic ut unũ idẽq; exemplũ ad diuerſos locos referri queat: in præſentia tamen excellentioris potiſſimùm rationẽ habemus, & Titulos Prudẽtiæ militaris diuidimus, quòd referantur uel ad
  - Amicorũ, hoc eſt, eorũ qui nobiſcum quomodolibet faciunt, ſalutem, utilitatem, conſeruationem. At ut & nos & noſtri cõſeruentur, & cõtra uim hoſtilem defendantur, concurrũt quædam uelut
    - Efficientia, Homines uidelicet. Horum alij
      - Imperãt, Dux ipſe, tanquam caput. Cuius ſumma cura eſt habenda, quo ad
        - Animum. PRVDENTIA circa Imperatoris animũ. quatenus
          - Prudens
            - Exploret
              - Hoſtium uires, conſilia.
              - Militum
                - Alacritatem uel timiditatem.
                - Scelus.
            - Suſpecta habeat hoſtium conſilia, inſidias.
            - Non ſit præceps.
            - Occultet ſua conſilia, facta, diſciplinam.
            - Communicet ea quæ communicanda ſunt amicis, ſociis. Habita ratione
              - Perſonarũ per quas ut per
                - Homines.
                - Bruta.
              - Rerũ, ſiue Inſtrumentorum, ꝑ quæ. Nempe per
                - Notas
                  - Ignis, Fumi.
                  - Geſtus, Actionis.
                  - Soni, Strepitus.
                  - Baculi.
                - Vocẽ uiuam
                  - Apertã, Clamore.
                  - Occultã, Ænigmate.
                - Scripturam.
                - Literas prudẽter
                  - Mandãdo.
                  - Occultando.
          - Fortis,
            - Toleret aduerſa.
            - Secundis non efferatur.
            - Declinet periculaut
              - Ne pugnæ interſit.
              - Cautè pugnæ interſit.
            - Propulſet ſecurè.
          - Clemens, Seuerus. Iuſtus.
        - Corpus. PRVDENTIA circa Imperatoris corpus. Quo ad illius
          - Salutẽ, Vitam.
          - Habitum, Ornatum.
        - Fortunas. PRVDENTIA circa Imperatoris fortunas. Nempe
          - Opes acquirere, conſeruare.
          - Infamiã, Suſpicionẽ auertere
            - Perfidiæ, Proditionis.
            - Deſertionis.
      - Parent, MILITES uidelicet, tanquam manus Ducis. Vide ſignum I.
    - Coadiuuantia, Organa ſcilicet & inſtrumenta. Vide in ſeq. ſignum III.
  - Inimicorum, hoc eſt, eorum qui nobis uel mediatè uel immediatè poſſunt officere atq; nocere, perniciem, damnum atq; interitum. Vide in ſequentibus ſignum IV.
- Poſt bellũ. Nimirũ ut &
  - Noſtros milites, cædibus & rapinis aſſuetos, rectè & abſq; tumultu dimittamus. MILITVM confecto bello dimiſſio.
  - Hoſtes deuictos in officio cõtineamus, ne amplius deficiãt. HOSTES uictos in officio & fide data retinere.

I. Du-

**I.** Ducis munus eſt, Militum rationē habere tū quo ad

- Δῆψιν. Conſiderāda hîc MILITVM prudens
  - DELECTVS. Nēpe
    - Qui, quales deligendi, in
      - Genere.
      - Specie, quo ad
        - Animum. Nempe
          - Periti rei bellicæ.
          - Fortes. Segregandi timidi.
          - Volentes, Nolentes.
          - In Fidem recipiendi.
          - Suſpecti, Perfidi, Rebelles ſegregandi.
        - Corpus. Reſpectu
          - Habitus corporis.
          - Comæ, Barbæ.
          - Ætatis. Amorum.
        - Fortunas. Reſpectu
          - Patriæ, Ciuitatis.
          - Coniugij.
          - Paupertatis, Exilij.
          - Libertatis, Seruitutis.
          - Condemnationis, Noxæ.
    - Quomodo. Puta
      - Supplicatione. Lectione.
      - Approbatione. Mercede.
      - Honore. Licentia. Alea.
  - RECENSIO.
  - DIMISSIO.
- Φυλακὴν, ut & ij, quos iā habemus, & qui auxilio nobis ueniunt, incolumes ſeruentur, beneq; habiti tum quo ad
  - Corpus. Proſpiciat igitur Imperator Militum ſuorum
    - Robori. MILITVM CORPORA firmare quacunq; ratione, ad perferendum
      - Vulnera, Plagas.
      - Labores, Exercitia.
      - Famem, Sitim.
      - Æſtum, Frigora.
    - Vitæ atq; ſaluti, in locis uel natura uel hoſtili manu infeſtis. Hoſtis loci opportunitate utplurimùm, ſæpe etiam abſq; ea, incōmodare ſtudet: frequenter etiam locus ipſe per ſe, quātumuis liber ab hoſte, infeſtus eſt. Declinanda ſunt igitur uel certè propulſanda omnia pericula, quæ exercitui imminent, ſiue ratio habeatur
      - Loci iniquioris. EXERCITVM, Copias, Auxiliarios, Milites ſuos, in locis uel per ſe uel propter hoſtes periculoſis, in procinctu, in acie, in fuga tueri, deducere, ducere, educere, introducere. Huc pertinet, Saluti ſuorum proſpicere in
        - Locorum munitorum, Vrbium oppugnatione.
        - Maris, Lacuum, Fluuiorum traiectu.
        - Foſſa ſuperanda.
        - Locis aridis & ſterilibus peragrādis.
        - Præcipitiis, Montibus ſuperandis.
        - Feris, Serpentibus euitandis.
      - Perſonarum, Hoſtium ſcilicet. EXERCITVM, Milites ſuos contra Hoſtium inſidiantium, inuadentium, reſiſtētiū, perſequētiū, uim tueri, partim
        - Deludendo ne inuadat, ne reſiſtat, ne perſequatur,
          - Quietis ſimulatione, uel caſtrametatione, uel præparatione ad pugnam.
          - Abitus uel regreſſus ſimulatione.
          - Diuiſione & diſtractione exercitus, nō ſimul ſed per partes tranſmittendo milites noſtros.
          - Metum proditionis, irruptionis, deſperationis, aut periculi cuiuſcunq;, aut auxiliorum nouorum inijciendo.
          - Victoriam ſimulando.
          - Pacis, fœderis, pactionis, ſocietatis ſimulatione.
          - Signi abſconſione, ſimulatione.
          - Effugij & libertatis prætextu.
          - Nebula, Fumo. Niue. Statuis.
        - Suſtinēdo inuadētē, reſiſtētem, perſequentem, ut porrò inſequi uel reſiſtere uel inuadere non
          - Poſsit. id conſequemur uel
            - Medio aliquo inter nos & hoſtes coniecto, utpote
              - Loci cōmoditate, ſiue natiua, ſiue artificiali (ut uallo, muro) ne ab illis circūueniamur & circumdemur.
              - Igni. Aqua.
            - Abſque medio interiecto, ſiue
              - Celeritate illum præueniamus, eamq; ut cōſequamur, impedimenta omnia abijciamus. Impedimenta fugæ & euaſionis gratia relinquere & abijcere.
              - Armis impreſſionē faciamus uel locis
                - Iiſdem, quibus expectarat hoſtis, & uel exercitu
                  - Coniuncto, per Aciei ingenioſam inſtructionem.
                  - Diuiſo, ſi parte una obiecta hoſti, altera incolumem educamus.
                - Diuerſis, hoſtem circumeundo, includendo, uariis locis ſimul tumultum excitando, è præſidio eliciendo, eijciendóue.
          - Velit, flexus uel
            - Religione aut Miſericordia ſuorū, ne illos lædat. Obijcere Captiuos, uel Deos.
            - Auaritia & Prædæ cupiditate, quam ei obijcimus tanquam remoram.
          - Sciat, deluſus uel
            - Tēpore. Viarum errore, cùm aliam ſimulemus, alia inſiſtamus.
            - Lumine. Tenebris.
  - Animum. Vide ſignum II.

II. Dux



**II.** Dux uirtutes militum exerceat, confirmet augeat, Virtutis inquam militares, ſiue illæ Habitus ſint, ſiue Diſpoſitiones, ſiue Affectiones & Perturbationes. Referuntur autē uel ad

- Prudentiam, ut ſcilicet
  - Cognoſcāt, ſiue dignoſcāt ſocios & hoſtes. PRVDENTIAE ſuorū conſulere, ut dignoſcant
    - Socios ab hoſtibus tum per
      - Bellicam TESSERAM.
      - Signa MILITARIA.
      - Arma, & Veſtes.
    - Hoſtiū impetū. Cuiuſmodi eſt SIGNVM
      - Pugnę. Receptus.
      - Pacis.
  - Præuideāt uigilādo & præcaueant hoſtiū inſidias, cōſilia. VIGILANTIAM ſuorum excitare.
- Fortitudinem & alacritatē animorum conuenientem. Ergo & alacritatem
  - Maiorem, à Temeritate prouenientem, cōhibeat. MILITVM alacritatem nimiam retundere. Intempeſtiuam pugnæ poſtulationem prohibere.
  - Minorē, à Puſillanimitate promanātē, excitet, atque augeat, tū
    - Per ſe. MILITES tardos & ignauos animare tum ad
      - LABOREM.
      - PVGNAM. Animorū martius uigor in genere quidem accenditur, & excitatur ijs, quæ confidentiam & ulciſcendi cupiditatem excitare poſſunt: in ſpecie uerò, uarijs modis. Quorum alij pertinent ad Militum
        - Animum. Cogere illos & animare
          - Auditu tū Soni, Muſicaitū Vocis, Adhortatione.
          - Aſpectu
            - Ducis. Liberorū, Coniugum.
            - Regionis.
          - Æmulatione
            - Ducis. Cōmilitonum.
            - Mulierum. Brutorum.
          - Hoſtium contemtu. Ira.
          - Spe, pſuaſione
            - Beatitudinis. Gloriæ.
            - Dignitatis conferendæ.
            - Victorię aſſequēdo. Libertatis.
            - Opulentiæ, Commeatus, Stipendiorum.
            - Auxilij
              - Diuini.
              - Humani.
            - Proditionis, Tranſitionis, Defectionis.
            - Loci uel Temporis fatalis.
          - Deſperatione.
          - Metu
            - Oppreſsionis. Mortis.
            - Direptiōis, Multæ, Dāni. Ignominię.
          - Pudore.
          - Gaudio
            - Honoris collati.
            - Dignitatis acceptæ.
            - Victorię, uel ueræ, uel fictæ.
        - Corpus:
          - Alimentis, Medicamentis.
          - Motu corporis, Impetu, Curſu. Labore.
          - Siti. Auxilio fugæ præcluſo, ablato.
    - Per accidens, è medio tollendo omnia impedimēta. METVM militib. eximere,
      - Religioſum, quē cōcepère milites ex
        - Oraculis contrarijs.
        - Signis diuinis, ominibus, auguriis, prodigiis, ſomniis.
        - Loco uel Tempore malè ominoſo.
      - Profanū, ex
        - Hoſtium
          - Prudentia, Virtute. Ferocia. Clamore. Perfidia.
          - Denunciatione, Minis. Multitudine. Armis.
        - Suorum
          - Perfidia, Defectione, Proditione.
          - Clade, Cæde, Periculo.
          - Vulneribus. Amiſsione opum, cōmeatus.
          - Incluſione.
- Continentiā promouere quo ad
  - Venerē. Alimenta. Balnea.
  - Opes. Auaritiæ, uel prodigalitati militari obſtare.
- Iuſtitiā erga eos, pro quibus & ſub quib. militant. Nempe, ut milites reſpectu eorum
  - Pro quibus militant fidi ſint, non perfidi. Ergo Proditionē
    - Ne oriatur præuideat. DEFECTIONEM & Proditionem prohibere ne fiat. Milites, Socios, Subditos in fide retinere,
      - Beneuolentia. Beneficentia. Ignorantia, Diſsimulatione.
      - Confidentiæ ſimulatione. Miſericordia.
      - Spe Impunitatis, & Auxiliorum.
      - Metu Supplicij: utputa Hoſtium crudelitatis, uel Multæ.
      - Iureiurando.
      - Obſeruatione per
        - Magiſtratus. Cuſtodes.
        - Exploratores.
      - Pignore
        - Coniugij. Obſidum.
        - Mutui, Crediti. Stipendiorum.
      - Occaſiōis ablatione, ſubſtractione. Puta
        - Diſciplinā mutare. Mœnia deijcere.
        - Arma adimere. Vrbes, Regiones occupare.
        - Abitum intercludere.
        - Colloquium prohibere. Signum auferre.
    - Ortam tum
      - Cognoſcat. PRODITORES & Defectores cognoſcere & comprehendere.
      - Corrigat, Emendet. PRODITIONEM iam cœptam corrigere. Siue iam Defectores, Deſertores, Proditores reddamus
        - Hoſtib.
          - Suſpectos. Inimicos.
          - Noxios, Damnoſos, Inutiles.
        - Nobis
          - Amicos, Reconciliando, Diſsimulatione perfidiæ, Religionis ſimulatione, Comitate.
          - Innoxios, ne nocere poſsint Dimittēdo, & Excludendo, Diſsimulādo illorum perfidiā.
      - Puniat, Tollat. PRODITORES & defectores circumuenire, punire.
  - Sub quibus militāt, ipſius ſcilicet ducis
    - Sint obedientes & diligentes. MILITES obedientes & diligentes reddere.
    - Nō ſint ſeditioſi. Ergo ſeditionem
      - Ne oriatur præuideat. SEDITIONEM militarē prohibere ne oriatur ob Stipendia non ſoluta: ob Quaſuis alias cauſas.
      - Ortam emendet. SEDITIOSOS uel reconciliare uel punire.

- **III. Inſtrumenta** bellica in genere appellamus ea, quibus homines ad bellum gerendum utuntur. Conferunt autem ad bellum conficiendum alia
  - Per ſe, tũ
    - Mobilia, eaq; uel tãquam pugnæ
      - Socij. Ducis igitur eſt, ut animata organa acquirat, acquiſita cõſeruet, animet; & ad oẽs uſus inſtruat. AVXILIA accerſere, comparare, inſtruere, tum
        - Naturalia
          - Solita
            - Equorum.
            - Elephantorum.
          - Inſolita
            - Taurorum, Armentorum.
            - Canum.
            - Serpentum.
            - Auium.
            - Apum.
        - Diuina, Angelorum.
      - Organa, tum
        - Propria. Vipuitã
          - Arma. ARMA militaria comparare, deligere, conſeruare, exercere. Conſideratur nãq; in his tum
            - Κτῆσις, hoc eſt
              - Ἀῦψις, ipſa ſcilicet Acquiſitio, tũ in
                - Genere. ARMORVM acquiſitio & apparatus.
                - Specie:
                  - Quæ. DELECTVS armorũ.
                  - Qualia. ORNATVS armorum.
              - Φυλακή. ARMORVM
                - Conſeruatio, Defenſio, uel inuitis hoſtibus.
                - Occultatio.
            - Χρῆσις. ARMORVM tractandorum peritia.
          - Veſtitus, Vaſa & Impedimenta. MILITARIS ueſtitus & impedimenta.
          - Machinæ. MACHINARVM obſeruetur
            - Apparatus & Delectus.
            - Conſeruatio.
          - Naues. CLASSEM
            - Parare.
            - Conſeruare.
            - Occultare.
        - Impropria. ADIVMENTA pugnæ exoterica,
          - Arbores.
          - Aqua, Flumina, Mare.
          - Statuæ.
    - Immobilia. Quæ ia unt propugnacula et loca munita, quorum uſus eſt
      - Extra bellum quoq; : ut puta Vrbes, Arces, &c. PROPVGNACVLA uel
        - Habentur. In his &
          - Extructio.
          - Cõſeruatio ſiue defenſio.
        - Non habentur, ſed negliguntur. Muri neglecti.
      - In bello tantum, Caſtra ſcilicet. Horum tum
        - Acquiſitio. CASTRAMETATIO.
        - Conſeruatio. CASTRORVM defenſio.
  - Per accidens, quatenus ſine his priora illa nec comparari nec cõſeruari rectè poſſunt. Sic duo ſunt præcipua organa. Alterum
    - Neceſſarium uitæ & hominum & brutorum. COMMEATVS ſcilicet & Alimenta. Horum ſpectanda
      - Acquiſitio.
      - Conſeruatio & introductio.
    - Vtile. PECVNIA nimirum, Belli neruus. Et quidem reſpectu
      - Noſtrorũ, STIPENDIIS proſpicere oportet, ea tum
        - Verè
          - Parando
            - Mercimoniis & uenundatione bonorum, honorum, dignitatum.
            - Ludo.
            - Mutuò.
            - Tributo tam politico quàm eccleſiaſtico, à quibuslibet exacto.
            - Theſauris uel ſacris uel profanis.
            - Frugalitate & Parſimonia.
            - Nomiſmate adulterino.
            - Præda, & captiuorum redemptione.
          - Conſeruando.
        - Simulando.
      - Hoſtium. OPES noſtræ, ne hoſti præda fiant, conſeruandæ: aut etiam direptæ recuperandæ.

IV. Inimi-



- **IV. Inimicos** duplici ratione ſuperamus, iisq; ſuperatis bellũ conficimus: uel
  - Abſq; uiolentia, amicè et benignè. HOSTES beneuolentia conciliare. Ex hoſtibus ſocios facere & amicos.
    - Per quos, ut per
      - Epiſcopos, Sacros homines.
      - Mulieres. Legatos. Captiuos.
    - Quomodo. In
      - Genere.
      - Specie. Nempe
        - Prudentia. Caſtitate. Liberalitate, Muneribus.
        - Clementia. Humilitate, Precibus, Supplicatione.
        - Humanitate. Religione. Iuſtitia, Fide.
        - Supplicio auctorum belli. Amore.
        - Suſpicione iniecta
          - Proditionis.
          - Defectionis.
        - Diſsimulatione
          - Victoriæ.
          - Inimicitiæ.
        - Fœdere. Deditione.
  - Violẽter, armis ſcilicet. Atqui & hîc duo conſideramus præcipua, ſub Inimicorũ ſiue Hoſtium appellatione: uidelicet
    - Efficientia, ipſos nimirum Homines, tum eos qui
      - Imperant, Imperatorem ſiue Ducem hoſtium. Quo tanquam capite deiecto, facilè etiã reliquus exercitus ſuperatur. Inſidiandum eſt ergo Imperatoris hoſtium
        - Corpori, ut uel occidatur, uel uiuus in noſtram ueniat poteſtatem. HOSTIVM Imperatorem capere aut occidere.
        - Animi uirtutibus: ut puta
          - Prudẽtiæ, ut ne ſecreta eius nos lateant, ſed &
            - Cõſilia atq; uires illius intelligamus. HOSTIVM cõſilia et inſidias detegere & præuidere:
              - Quid. Nempe Hoſtiũ
                - Inſidias poſitas.
                - Auxilia aduentantia.
                - Cuniculos.
                - Literas adulterinas.
              - Per quos. Puta per
                - Legatos.
                - Captiuos.
                - Exploratores.
              - Quõ. Nẽpe Simulatione
                - Legationis.
                - Defectionis.
                - Exilij.
                - Mendicitatis.
            - Exploratores hoſtium deprehendamus. HOSTIVM exploratores circumuenire.
          - Fortitudini.
          - Iuſtitiæ. FIDEM Imperatoris hoſtium uel
            - Tentare & corrumpere muneribus, gratia.
            - Eleuare & ſuſpectam reddere.
      - Parent, Milites tanquam manus Imperatoris. Vide ſignum V.
    - Coadiuuãtia tanquam organa. Quæ quidem diuidimus eadem ratione uti ſuprà: quòd hoſti conferant uel
      - Per ſe, tũ
        - Mobilia, uel
          - Animata. Incommodandum igitur hoſtium
            - Equis. EQVITATVM aut Currus hoſtium inutiles reddere, & in fugam uertere.
            - Elephantis. ELEPHANTOS hoſtiũ terrere, & fugare.
          - Inanimata. Vt ſunt
            - ARMA. Ea oportet
              - Auferre hoſtibus.
              - Inutilia reddere, & innoxia nobis.
            - Machinę. MACHINAS hoſtium uel deſtruere uel impedire.
            - MVNIMENTA corrumpere, euertere.
            - Naues. CLASSEM deſtruere uel impedire.
        - Immobilia. Quã lia sũt
          - Propugnacula. VRBES, Arces, Propugnacula, Portus, & quæuis alia loca arte uel natura munita, expugnare, occupare, apertaui, dolóue: tum
            - Muros deijciendo
              - Igne. Aqua. Machinis.
              - Cuniculis. Tormentis.
            - Per Portas irrumpendo. Per Alueos intrando.
            - Per Aquæductus, Rimas ſeſe inſinuando.
            - Per Muros. Aſcenſione murorum. Per Præcipitia.
            - Per Cuniculos intrando. Deos euocando.
            - Securũ hoſtem urbibus exuendo quã ſecuritatẽ cõcipit ex
              - Simulatione
                - Pacis. Colloquij.
                - Societatis, Auxilij. Trãsfugij.
                - Legationis. Mortis.
                - Abitus, Fugæ.
                - Armorũ, Signorũ, Habitus.
                - Literarum.
              - Diſsimulatione irruptionis.
              - Cõtemtu hoſtium
                - Imbecillitatis, quia Captiui, Mulieres.
                - Morbi.
              - Tempore.
            - Temeritatẽ hoſti cõciliando. Timidũ hoſtiũ reddendo uariis modis. Robur hoſtium impediẽdo, & debilitando.
          - Caſtra. CASTRIS hoſtem exuere, Caſtra delere.
      - Per accidẽs. Vt ſunt
        - Opes. Titulus eſto in genere, HOSTIVM opibus & fortunis incommodare, prædam agere, obſides recipere, tributum adulterare, &c.
        - Alimenta. COMMEATVM hoſtiũ perdere, inficere, corrumpere. Fame atq; ſiti hoſtes domare.



V. Incom-

V. Incōmodandum eſt militib. hoſtium tū quoad

- Αὔξιν, tum
  - Ante pugnam uel cladē. C O P I AE, Auxilia, Supplemēta hoſtibus
    - Ne mittantur prouidere.
    - Miſſa intercipere aut euertere, ne cōiungantur aut occultare, ne reſciſcant.
  - Poſt pugnam & cladem. H O S T E S poſt pugnam, cladem, circumuenire. Reliquias belli conficere:
    - Retinendo, ne fugiant.
    - Capiendo fugientes.
    - Diſsipando.
- Φυλακὴν reſpectu
  - Corporis. Robori hoſtium officimus uel
    - Per ſe, quatenus
      - Interni ſpiritus exhauriuntur. R O B V R hoſtium eneruare, tum
        - Labore aut uigilijs. Inedia & ſiti.
        - Frigore. Morbis.
        - Voluptatibus, Crapula, Venere.
      - Externa impedimenta afferuntur. R O B V R hoſtiū impedire: utputa
        - Splendore, Puluere, Vento, Grandine, hoſtibus officere.
        - Igni hoſtes auertere. Aqua.
        - Animalium impetu, auxilio.
        - Laqueis irretire, Peplis.
        - Lubricitate. Ad lapſum perducere, ne pedibus conſiſtere poſſint.
        - Scrobibus, Foſsis.
    - Per accidens ratione
      - Loci, tum
        - Suſtinendo. L O C I oportunitate hoſtes ſuſtinere, ne ab iis circumueniamur.
        - Includendo. H O S T I L E M exercitum Loci opportunitate includere.
        - Inuadendo. Hoſtem aggredi locis
          - Diuerſis.
          - Iniquis.
        - Diſtrahēdo. Vires copias hoſtiū diſtrahere
          - Inuadentiū. Obſidentiū.
          - Obſeſſorū. Pugnantiū.
          - Fugientium.
        - Retrahēdo. H O S T E S retrahere, reuocare aliò.
      - Tēporis tum
        - Quanti. H O S T E M
          - Celeritate ſumma opprimere.
          - Mora ſuſtinere, fatigare, frangere.
        - Qualis:
          - T E M P V S pugnæ opportunum, hoſti importunum eligere.
          - H O S T E S imparatos inuadere
            - Dormientes, Conuiuantes, Corpora curantes.
            - Ludos ſpectantes, Cōionantes.
      - Modi. Nimirum &
        - A C I E I inſtructione hoſtem ſuſtinere.
        - G E N E R E pugnæ, ſiue ſtatu belli opportuno, hoſtem debilitare.
  - Animi, ut uirtutes illorum debilitētur: uidelicet
    - Prudentia, ut ne ſint uigilantes, ſed ſecuri, negligētes. S E C V R I T A T E M hoſti inijcere, & ſecurum opprimere: utputa
      - Victoria parta tumidum. Victoriæ uel auxiliorum ſpe fretum.
      - Amicitia ſimulata per
        - Colloquium. Deditionem. Defectionem.
        - Amorem, Coniugium.
        - Habitū, Cultum, Arma, Inſignia, Vexilla
          - Hoſtiū mutata.
          - Sua occultata.
        - Signa quæuis imitata.
      - Loci ſecuritate fretum circumuenire.
      - Quietis ſimulatione in
        - Genere.
        - Specie. Ob
          - Mortem ducis. Corporis curā, quoad cibū, ſomnū.
          - Cadaueris curom. Deambulationem.
          - Monomachiam. Negotium aliud ſimulatum.
          - Copiarum hoſtilium defectum, abſentiam.
          - Tempeſtatem.
      - Religione ſimulata. Abitu ſimulato. Aduentu occultato.
      - Metu ſimulato. Loco irruptionis diſsimulato. Exercitu diſsimulato.
    - Fortitudo, ut relicto medio, quod uirtutis eſt, ad alterutrū extremum declinēt, uel audendo, uel timēdo, Audaciā hoſtium uel
      - Augendo. A V D A C E S reddere hoſtes, & ad pugnam uel eruptionē elicere quacunq; ratione, & in inſidias præcipitare, partim
        - Spe
          - Suorum Auxilij & Aduentus.
          - Hoſtiū
            - Defectionis, Proditionis.
            - Direptionis, Prædæ, Cōmeatus.
        - Cōfidētia ob hoſtium
          - Paucitatē. Imbecillitatem.
          - Ignauiā, Quietem, Securitatem.
          - Abitum. Fugam.
          - Metū ſimulatum. Seditionem.
        - Terrore proprij damni: ut Incendio: Cæde.
      - Minuendo. H O S T E S terrere, in fugā uertere, Bonorum uel Malorū occaſione tū
        - Suorū. Terrere Robore: Habitu, Veſtitu, Armorū genere: Clamore et ſtrepitu: Impetu, Progreſſu: Victoriæ nūcio uel uero uel ſimulato: Auxilij diuini ſimulatione, itē p Spectra: Copias ſiue exercitū noſtrū maiorē ſimulādo: Auxilij aduētantis ſimulatione: Copiarū ſuarū robore, multitudine: Auxilio belluarū: Vigilantia: Confidētia noſtra, Audacia: Inopiæ diſsimulatione, et Copiæ ſimulatiōe: Deſperatione ſalutis et Deuotiōe: Crudelitate.
        - Hoſtiliū. Videlicet Fugæ facilitate & ſpe effugij facta datáue, Hoſtē clauſum emittere, fugientē nō retinere: Religione: Periculi & inſidiarū & damni proprij ſuorūue metu: Perfidiæ ſuorū metu: Cladis et cædis nūcio, præcipuè ducū: Auxiliorū deſperatiōe: Deditiōe, Humiliatiōe, Submiſsiōe.
      - Declinando. C V M Deſperatis pugnare nolle.
    - Iuſtitia. Vt perfidi uel
      - Videantur eſſe. S V S P E C T O S ſibijnuicem reddere milites hoſtium.
      - Sint, aut fiāt, nimirū uel Seditioſi (S E D I T I O N E M inter hoſtes excitare atq; fouere) uel Proditores (A D Proditionē aut defectionē ſollicitate hoſtium milites.)



# Voluminis Septimi Liber III.

## De Prvdentia Inuentrice Bellica, ſiue de Stratagematis.

*VIRTVS Practica, in Urbanam & Bellicam, per accidens, ratione perſonarum, loci & temporis, diuidi poteſt. Bellica uirtus eaſdem ſpecies ſui ambitu comprehendit, quas & Urbana: atq; ut hæc Urbana Diſciplina, ſic illa Diſciplina Bellica uocari poſſet, Græcis* στρατηγηματικὴ τέχνη, *Frontino teſte, omniū reliquarū uirtutū miniſterio indigēs, maximè uerò duab. ueluti manib. omnia ſua opera perficiens, Ratione ſcilicet, & Robore. Ratio uim occultā, Robur apertā cōtinet: quarū hæc quidē tanto inferior eſt illa, quanto corpori antecellit animus. Nihil arma foris, niſi ſit conſiliū domi, inquit ille. Nihil arma foris, niſi ſit conſiliū foris. Non ineptè Maro,* —Dolus, an uirtus, quis in hoſte requirat *(imitatione Homerici illius,* ἢ δόλῳ, ἠὲ βίηφι. *& alibi,* ἢ ὁδὸν ἐλθέμεναι, ἢ ἀνδράσιν ἶφι μάχεσθαι) *utrāq; exercitationis bellicæ ſpeciē cōprehendit, quarū poſterior ad Fortitudinem pertinet, prior Stratagemata cōtinet, ſi abſq; iniuſtitia fiāt, laude digna per quàm maxima. Diſciplina igitur bellica, generis inſtar & Apertā uim & Occultā comprehēdit. De Aperta, quæ homini cū belluis cōmunis eſt, ſub Fortitudine agetur: de Occulta uerò, ſiue ſolis cōſilius, ſiue etiā armis nitatur, nunc diſſeremus, ſi priùs* τὴν τοῦ ὀνόματος *explicauerimus. Frontinus* στρατηγηματικὰ *uocat omnia ducum & imperatorū geſta, ad quodcunq; genus uirtutis referēda ſint, tam occulta, quā manifeſta: ita ut Diſciplinā totam militarē comprehendat.* στρατηγήματα *uerò ea, quæ ſimulata arte, prudētia atq; ſolertia ſingulari, uel in cauēdo, uel in opprimendo hoſte, excogitata & perfecta ſunt. Nā cùm homo per rationē homo eſſe dicatur,* κατ᾽ ἐξοχὴν *quoq; ea, quæ adminiculo rationis potiùs, quàm robore confecta ſunt,* στρατηγήματα *appellari merentur. Id ergo inter duo iſta uocabula intereſt, quod inter genus & ſpeciē. Quam quidē nominū rationem nos quoq; hîc ſequemur. neq; enim omnia* στρατηγηματικὰ, *ſed* στρατηγήματα *tantū, h. e. ſiue præmeditata ſiue* αὐτοσχέδια *cōſilia explicare conabimur. Frontinus ex belli temporib. & ex ipſa materia locos Titulorum deducit: Ante pugnam, In pugna, Poſt pugnam, & tandem in Obſidionibus urbium. Addit quarto & ultimo Libro exempla quædā, quorū pleraq; ad Diſciplinam militarē in genere ſumtam referenda ſunt. Polyænus ſecundùm perſonas libros ſuos* στρατηγηματικῶν *uerius quàm* στρατηγημάτων *concinnauit. Ego ut nec Frontini ordinem, nec Polyæni ſtudium & laborem reprehendo: ſic rei natura inuitante, dictante methodo, diuerſum ab utroque ordinem ſequar, cuius fontes ex ijs Tabulis, quas hîc ſubiungemus, petendi erunt.*

## AD BELLVM SVSCIPIENDVM INCITARE SVOS.

### Ad ſocietatem belli perducere.

Cum Nahas rex Ammonitarum Iabem urbem obſideret, neq; pacem facere uellet alia conditione, quàm ut dextros oculos eis effoderet: Iabenſes legatos mittũt ad SAVLVM regem nuper electum. Qui rure boues agens, cùm ploratũ populi eo nũcio territi audiuiſſet, diſſectis duobus bobus, fruſta per omnes Iſraëlis tribus partiens, ad bellum contra Ammonias accendit: cum edicto, ut qui Saulum & Samuelẽ ſecuti non eſſent, eorum bubus ita fieret. Ita Iouano timore correpti Iſraëlitę, apud Bezec recenſiti, CCCXXX millia cõuenere, & Ammonitas tripartitò de matutina uigilia adorti magna clade affecere. 1. Reg. 11.

LEVITA, ut ad ultionẽ Gabaenſium, qui uxorẽ ſuam conſtuprando necauerãt, Iſraëlitas excitaret, uxorẽ in XII partes diuiſam per tribus XII. Iſraëlitarum miſit. Iud. 20.

CYRVS Perſa ab Harpago Medo inuitatus, ut exercitum contra Aſtyagem auum duceret, & Perſas ad rebellandum induceret, ſimulat ſibi literas à rege miſſas. Quas in cõcilio cùm reſignaſſet, & legiſſet, ducẽ ſe Perſarum ab Aſtyage eſſe creatum aſſeruit, omnesq; cum falcibus adeſſe iuſſit. Cùm iam conueniſſent, imperat his, ut locum XX circiter ſtadiorũ, uepribus ſpinisq; obſitum, unius diei opera purgatũ ſibi redderẽt: inde diurno opere feſſis præcipit, ut poſtridie ſibi lauti adeſſent. Ipſe ex paternis interim gregibus uim pecorum ingentẽ occidit, & cùm his boues plurimos, ut opiparè tot hominum millia uno tẽpore pranderẽt. Tum epulis eò tẽpe ſtiuè congeſtis, quò manus illa ingẽs ex imperio coitura erat, larga uini copia, ciborumq; elegantia paſſim diſcumbẽtibus appoſita, multo luxu & hilaritate pars diei non parua acta eſt. Vbi uerò abundè epulati ſunt, in concionẽ Cyrus eos uocat, ac primùm omnium rogat, utra opera ſuauior animis fuiſſet, heſterna illa, quæ inter uepres & ſpinas, in arcta locorum feritate, ægrè conſumta eſſet: an recentior, quã uirenti prato, multa cum uoluptate paulo antè exegiſſent? Quum magnum eſſe inter utranq; diſcrimẽ, tota concio reclamaſſet, ut tantũ præſens hæc haberet uoluptatis, quantũ ærumnarum prior illa habuiſſet: Rectè inquit, Cyrus, iudicatis: ſed aduertite uiri Perſæ, quàm utraq; conditio ſit ueſtris rebus non diſſimilis. Siquidẽ uolentibus uobis honeſta ſequi, & mecum audere, quæ uiros fortes decẽt, eadẽ longeq; maiora cõmoda adſunt: ſin minus, ærumnæ nihilo heſternis illis inferiores nos poſterosq; noſtros perpetuò premẽt, Medorũ iniuriæ, ſuperbæq; dominationi obnoxios. Quum hęc ille peroraſſet, miro omnium conſenſu defectio ſecuta, bellumq; in Medos decretũ. Sab. lib. 5. En. 2. ex Herod. lib. 1. & Front. lib. 1. c. 11.

EGESTANORVM legati ſuppliciter opẽ petebant ab Atheniẽſibus contra Selenuntios, qui bellum eis ob finium diſcordiã intulerant, accitisq; in partes Syracuſanis, terra mariq; infeſtabant, ita ut parum à legitima obſidione diſtarẽt. Athenienſes legatos in Siciliam miſerunt, ad Egeſtanorum res inſpiciendas, uidendumq; an tantum illis pecuniarum ad bellum eſſet, quantum eorum oratores prædicarent. Egeſtani, ut legatos ingentis theſauri ſpecie fallerent, Erycinæ Veneris donaria primò illorum oculis ſubiecêre: inde à finitimis circà oppidis Phœnicum & Græcorum corrogata pocula argentea ſimul & aurea, in conuiuiis pro ſuis circũtulêre. Quo aſpectu decepti legati, ubi Athenas uenerunt, Egeſtanorum opes nihilo eorum prædicatione inferiores affirmare ſunt auſi. Itaq; permouerunt populum, ut Egeſtanis auxilia decerneret, Lamacho, Nicia & Alcibiade ducibus. Sabellicus lib. 7. En. 3.

Cùm Atheniẽſes diuturno bello & graui de Salaminiorũ inſula cum Megarẽſibus geſto fatiſcẽtes ſanxiſſent lege pœnam capitalẽ, ſiquis rogationẽ ferret uel referret iterum ad ciues de aſſerẽda Salamine: eam infamiã SOLON grauiter ferẽs, cùm uideret iuuentutẽ magna ex parte occaſionẽ quærere arma mouẽdi, neq; eos tamẽ metu legis audere id inceptare: ſimulauit demẽtiam, rumorq; per urbẽ ex domo eius pcrebuit, eſſe eum furore correptum. Compoſuerat aũt clàm elegos, quos meditatus, ut memoriter recitare eos poſſet, pileatus proſiliit repentè in forum. Ingẽti concurſu facto, ſuggeſtum præconis conſcẽdit, & cantu eos uerſus pronunciauit, quorum hoc eſt exordium:

Adſum præclaræ præco Salaminis ab ora,
In cœtum ueſtrum dulce poëma ferens.

Huius poëmatis inſcriptio Salamis eſt, & uerſus continet cẽtum ſanè quam uenuſtè ſcriptos. Quos ubi cantauit, & amici eius ceperunt laudare, præcipuè autẽ adhortatus Piſiſtratus ciues eſt & inflammauit ad parẽdum dicẽti, ſoluerunt legẽ, bellumq; deintegrò ſuſceperunt, rebus gerẽdis prefecto Solone. Plut. in Solone.

Cùm Darius rex Scythis bellũ inferret, & Geloni, Budini atq; Sauromatæ SCYTHIS ſe auxilio futuros polliciti eſſent: at Agathyrſi, Neuri, Androphagi, Tauri & Melanchlæni ſocietatẽ auerſarẽtur: ut illos uel inuitos ad arma contra Perſas ſumẽda cogerẽt, Perſas prælio laceſſitos fugiẽdo in eorum regiones deduxere, qui ſocietatẽ detrectarant. Quas cùm Perſę more ſuo uaſtarẽt, ad uim Perſarũ arcendam unanimi tandem conſenſu arma ceperunt. Herod. lib. 4.

GRÆCI, qui contra Perſas arma ceperunt, non eſſe, quę illi in Græcia concremaſſent deorum tẽpla reſtituẽda cenſuerunt, quo ſempiterna extarẽt inimicitiarũ monimẽta. Eamq; ob rem in Haliartiorũ finibus delubra multa, & apud Atheniẽſes Iunonis in Phalerica uia, Cereris in ipſo Phalero, ſemiuſta permanſerunt. Pauſanias in Phocicis.

SPARTANI, ut ad belli ſtudiũ excitarẽt ſuos, cùm domi diſciplinã ſeueriſſimè colerẽt, militiæ rigorẽ illum laxabant, nec prohibebãt excolere comam, armisq; ſe & palliis ornare: ac delectabantur iis uelut equis ad certamẽ exultãtibus & ferociẽtibus. Itaq; quãuis comam ubi adulti erant alerẽt, potiſſimùm imminẽte pugna concinnabant eã, ut nitida appareret & diſcriminata. Adducunt etiã Lycurgi de coma dictũ: Formoſos eam uenuſtiores reddere, deformes horridiores. Exercitationibus quoq; utebantur per bellum mollioribus, & reliquam quoq; uitam minus aſtrictam & obnoxiã dabant iuuentuti. Plut. in Lycurgo. Apud Xenophontem certè Clearchus Spartanorum, qui Cyro contra fratrem Artaxerxem Perſarum regem militarunt, dux ad pugnam ſeſe parans comam priùs pectine diſcriminaſſe ſcribitur.

Poſteaquam PELOPIDAS tyrannide & præſidio Spartanorum Thebas liberauit, magnis copiis Bœotiam Lacedæmonij inuaſerunt. Trepidantes Atheniẽſes renunciauerũt Thebanis ſocietatẽ: eosq;, qui cum Bœotis faciebãt, iudiciis afflixerunt, partimq; morte affecerunt, partim egerunt in exilium, nonnullos pecunia multauerunt. Pelopidas Bœotarches cum Gorgida id uidẽs, ut Atheniẽſes Thebanis iterum conciliaret, hoc ſtratagemate uſus eſt. Sphodrias Spartanus ad Theſpias fuit, ut perfugas Thebanorum reciperet, adiuuaretq;. Ad hunc Pelopidas priuatim mercatorẽ quẽdã ſibi familiarẽ, cum numis ablegat, clàm & cum hac inſtructione: Præſtare maiora aggredi, & capere ex improuiſo ſecuris Atheniẽſibus Piræeum. nihil enim perinde Lacedæmoniis expectatum fore, quàm tenere Athenas: neq; Thebanos iis infeſtos, qui eos proditorum loco habeant, laturos opẽ. Inductus Sphodrias nocte ſigna mouit in Atticam, atq; Eleuſina uſq; progreſſus eſt. Inde ignauia militum re infecta, cùm detectum conſilium eſſet, & bellum conciuiſſet Lacedæmoniis nõ mediocre, agmẽ Theſpias reduxit. Hinc ſociauerunt Thebanis arma Athenienſes promtiſſimè, mareque aſſeruerunt, ac circumuecti Græciam, receperunt & allexerunt eos, qui ſpectabant ad defectionem. Plutarchus in Pelopida.

DIONYSIVS Syracuſanus bellum illaturus Carthaginenſibus, Rheginos Meſſeniosq; contemplatus, quorum urbes ſitæ ad portum erant, magnas olim copias inſtruxiſſe, uerebatur ne Carthaginenſibus in Siciliam aduectis adiungerentur. Ergo magnam Meſſeniis agri finitimi partem tradidit, eoq; beneficio ſibi reddidit obnoxios. Legatis ad Rheginos miſſis, petiit ut ex uirginibus ciuibus unam deligerẽt, quam ſibi uxorem traderẽt, pollicitus ſe pro iis meritis magnam contermini partem comparaturum illis, urbemq; & opes in poſterum eius populi pro uiribus aucturum. Quib. tyranni amicitiam reſpuentibus, à Locrẽſibus hoc ipſum impetrauit. Diod lib. 14.

ELICO Heluetius, fabrilem operam Romæ exercens, Gallos ſuos populares, ficum ſiccam, uuam, oleumq; ac uinum in patriam uehẽs, ad Italicam expeditionẽ ſub Tarquinio Priſco primam ſubanimaſſe fertur. Teſtis eſt Plinius lib. 12. ca. 1. & Liuius.

BRENNVS rex Gallorum, uolens ſuis perſuadere, ut expeditionẽ in Græciã ſuſciperent, conuocatis in concionẽ uiris & mulieribus, produxit captiuos Græcos, uiliſſimis corporibus, & infirmiſſimis præditos capitibus, raſos, & ſordidis palliis amictos: iuxtaq; eos, maximos Gallorũ collocauit, & ſpecioſiſſimos, Gallicam armaturam indutos. Hoc facto: Nos, inquit, tanti ac tales, contra homines tam imbelles & paruos bellum geremus. Hoc modo Galli contemtis Græcis adducti ſunt, ut proficiſci cum exercitu in Græciam non dubitarent. Polyænus lib. 7.

In fœdere quod Romulus cum Albanis ſanxit, diſertè fuerat expreſſum, ut neutra ciuitatum bellum inchoaret: atq; utra ſe læſam aliquando quereretur, ab iniuriæ auctoribus iuſta reciperet. Quòd ſi non redderẽtur, tum neceſſariò ruptis fœderib. indiceretur bellũ. Regnabat Albæ C. CIVILIVS. Ferebat is iniquo animo, rẽ Romanam indies augeri: & diſcordiæ cauſam inter cognatas urbes quæritans, Albanorũ egẽtiſſimis auctor extitit, ut Romanos fines latrocinio infeſtarent, impunitatẽ facti pollicitus. Romani & ipſi tali iniuria inſtructi, inuicẽ ex Albano agro prædã agere, latronum etiã quibuſdã interfectis. Miſſi itaq; legati Romã res repetitum. Tullus Hoſtilius rex haud ignarus ad quid ueniſſent, cõfeſtim ire iubet Albã, qui & ipſi res priùs ibi, quàm Romę reſponſum ullum Albanis daretur, publicè repoſcerẽt. Ipſe interim comiter eos, qui ad ſe uenerant, cõplexus, regio cõuiuio adhibet. Qui Albam ire iuſſi fuerãt, interim mandata pagunt. Certum habuit Hoſtilius fore, ut Albani res nõ redderent: ſicq; præſentis belli culpam penes eos fore, qui priùs poſtulata non feciſſent. Sab. lib. 4. En. 2. ex Liuio.

Volſcorum dux Accius TVLLVS ad bellum inferendum Romanis maxima cupiditate accenſus, cùm aliquot aduerſis præliis contuſos animos ſuorũ, & ob id paci proniores animaduerteret, inſidioſa ratione quò uolebat cõpulit. Nã cũ ſpectandorum ludorũ gratia magna Volſcorũ multitudo Romam conueniſſet, Conſulibus dixit, Vehemẽter ſe timere, ne quid hoſtile ſubitò molirẽtur: monuitq;, ut eſſent cautiores: & protinus ipſe urbe egreſſus eſt. Quam rem Conſules ad Senatum retulerunt. Qui tametſi nulla ſuſpicio ſuberat, auctoritate tamẽ Tulli commotus, ut ante noctẽ Volſci abirẽt, decreuit. Qua contumelia irritati, facilè impelli potuerunt ad rebellandum. Ita mendaciũ uerſuti ducis, ſimulatione beneuolentiæ inuolutum, duos ſimul populos fefellit: Romanum, ut inſontes notaret: Volſcum, ut deceptis iraſceretur. Valerius lib. 7. c. 3.

Q. FABIVS Max. qui egregiè ſciebat & Romanos eius eſſe libertatis, quæ contumelia exaſperaretur, & à Pœnis nihil iuſtum aut moderatum expectabat, miſit legatos Carthaginẽ de conditionibus pacis. Quas cùm iniquitatis & inſolentiæ plenas attuliſſent, exercitus Romanorum ad pugnandũ cõcitatus eſt. Front. lib. 1. c. 11.

M. CATO maior Carthaginẽ & ad Maſiniſſam Numidię regẽ, qui bellum inter ſe gerebant, ad inſpiciẽdas armorum cauſas fuit miſſus. Fuerat hic à primo amicus populi Romani: illi ab Scipione bello uicti, pacẽ à populo Romano acceperant, imperijq; ademtione & graui uectigali fuerant refrenati. Qui cùm eam ciuitatẽ, non pro populi Romani opinione, offendiſſet afflictã uel infractam, uerùm magna iuuentutis ſobole florentẽ, magna affluentẽ opulentia, omni genere armorũ & apparatu bellico refertam: quæ res Pœnis non mediocres ſpiritus darẽt: tempus exiſtimabat eſſe, nõ ut res Numidiæ & Maſiniſſæ cõponerent & diſceptarent Romani, * ſed niſi ciuitatẽ oppreſſiſſent antiquitùs inimicã & exacerbatã, quæ ſupra quàm credi poſſet inualuerat, paria pericula ipſos incurſuros. Igitur properè reuerſus docuit ſenatũ, nõ tantùm ſuperiores clades & uulnera Carthaginẽſib. uirium quantũ imprudentiæ detraxiſſe: ac propè eſſe, ut nõ infirmiores eos, ſed expertiores ad bellum faciendũ reddiderint. Nunc uerò etiã præludia belli Romani agitare bellum Numidicum: pacẽ & fœdus prætexere belli more, dum opportunitatẽ expectant. Ad hæc fertur Cato ficos Africanos, togã excutiendo, in curia conſultò effudiſſe: quorũ cùm admirarentur magnitudinem & ſpeciẽ, dixiſſe eum, quæ hos ferat tellus, tridui nauigatione ab Roma diſtare. Illud uerò iã uiolentius, quòd quacunq; de re diceret ſententiã, ſemper hoc addiderit: Hoc cenſeo, & Carthaginẽ delendam. Cõtrà P. Scipio, Naſica dictus, perpetuò pro ſententia dicebat: Cẽſeo Carthaginem relinquendam. Multa enim cùm populũ procacitate uideret admittentẽ, & ob ſecundũ rerũ curſum atq; ferociam ſenatui minùs dicto audientem, totamq; rẽpub. ob nimiam potentiam, quò nutu uergeret, ſecum trahentem: uolebat hunc certè timorem, pro freno moderatorem contumaciæ iniectum multitudinis: minus cenſens pollere Carthaginẽſes, quàm ut ſuperarent Romanos, & plùs, quàm ut contemnerentur. Id ipſum Catoni anceps uiſum, laſciuienti populo, & crebrò ex licentia offendenti, urbem antiquitùs quidem magnã, tum uerò etiam, quòd fracta eſſet ærumnis, ſobriã imminere: quin potiùs metus externos imperij eſſe ſemel excindendos, & emerſiones ei ex inteſtinis erratis relinquendas. Ita ſuſcitaſſe Cato dicitur tertiũ & ſupremum bellum Punicum. Plut. in Catone.

Valentinianus II. Italia & Africa exutus à Maximo, ad Theodoſij Magni opem implorandam cum Iuſtina matre Theſſalonicam fugerat. Conſiliis de Maximo ulciſcendo habitis, & aliis quidem arma primo quoq; tempore inferenda cenſentibus, Theodoſius in eam ſententiam erat pronior, ut ad uitandum ciuile bellum res antè per legatos tranſigeretur: &, ſi Maximus Italia atq; Africa ultrò cederet, priore diuiſione (qua ei Britannia Gallia & Hiſpania permiſſa fuerat) ſtaretur: ſi eo contentus non eſſet, bello uindicaretur. Nemine autem aduerſus eum hiſcere audente, IVSTINA ad eũ acceſſit, atq;, adducta ſecum Galla filia, eximiæ pulcritudinis uirgine, ad genua procubuit, orans, ne Gratiani inultam cædem relinqueret, à quo tantum principatus faſtigium accepiſſet, néue ſe proſtratos, atq; omni alia ſpe deſtitutos iacere diutius fineret: atq; interea puellam lacrymantem, ac fortunam ſuam deplorantem ei obtulit. Theodoſius uerò puellæ ſpecie captus; eam in matrimonium poſtulauit (nam Placilla uxor diem ſuum obierat) eamq; à Iuſtina accepit, cum eo, ut nullam bello ſuſcipiendo moram afferret. Hæc Zoſimus: quem falſum eſſe oſtendit Marcellinus, qui biennio antè Gallam Theodoſio nupſiſſe notauit. Itaque placet magis, Theodoſium rei indignitate, & Valentiniani neceſſitate permotum, ultrò arma ſumſiſſe. Sigonius libro nono Imp. occid.

NARSES eunuchus Alboinum regem Lõgobardorum cum popularibus ſuis ad inuadendam & occupandam Italiam inuitauit, precioſis nonnullis frugibus, quæ in terra ſerũtur * Italia, muneris loco ad illiciendos imperitæ multitudinis animos miſſis: ut terram cùm cœli temperie ac ſitus amœnitate præſtantem, tum uerò rerum omnium copia ad incolendum optabilem eſſe oſtenderet. Sigonius libro primo regni Italiæ.

CLOTILDIS Clodouei F. & Childeberti, Clotharij atq; Theoderici regũ Francorum ſoror, ab Almarico rege Viſigothorũ Ariano, cui nupſerat ipſa pia, ignominioſè duriterq; tractabatur. Via euntem, cœno lapidibusq; inceſſebant. Sauciã imbutum cruore ſudarium ad fratres reges miſit: quib. uelu ti literis ſanguine exaratis perciti ira Frãci in Viſigothos ducunt. Cæſus Almaricus, reducta in Franciam Clotildis. nec ita multo pòſt Viſigothi bello repetiti, Cæſarauguſta obſeſſa, coactaq; ſinceram religionem profiteri. Tunica Vincentij martyris, ueluti ingentes exuuiæ, Lutetiam aſportata, eique diuo ædes ſuburbana extructa, quæ nunc Germani eſt, anno Salutis 525. Aemilius lib. 1.

KENNETHVS II. Scotorũ rex, cuius patrẽ Alpinũ Picti occiderant cum maxima parte nobilium & militum regni, principes regionum cõuocatos hoſpitio & conuiuio dignatus eſt. Sequenti nocte in ſingula illorum cubicula, dum omnia ſilerent, ſingulos immittit homines, baculum manu dextra ex putri ligno, quod facis inſtar ſplendet in tenebris, geſtantes, ueſte ex corio piſcium non deſquamato, quod leuiter illuſtratum noctu mirum in modum ſplendet, induti. Siniſtrà ori admouebant ingens bouis cornu, & per cornu boabant horrenda uoce, Parendum eſſe regi, Pictos daturos pœnas ſcelerum, ſe nuncios à Deo miſſos. Facile fuit ſomnolentis imponere, quum neq; uenientes nec abeuntes uidere poſſent: nam ueſtem inuoluebant, dum abirent, & baculũ abſcondebant. Manè ubi uentum eſt ad conſilium, quiſq; narrat quod uidiſſet audiſſetq;. Rex metuẽs ne fabula prodiret in publicum, docet id ſibi etiam uiſum, eosq; admonet ne profanando reuelationes, cœleſtè numen infenſum reddãt. Sic nemine fucum agnoſcente, in bellum conſentiunt, fuitq; euentus non minùs, quàm oraculo diuino reſpondens: ſi quidem uicti Picti ſemel, bis, terúe, ad extremum deleti ſunt à Scotis ad internecionẽ. Cardanus de Rerum uarietate lib. 15. c. 86. ex H. Boëthij lib. 10.

Sardiniam & Corſicam à Saracenis iam inde à Caroli Magni temporibus occupatas cùm PONTIFEX Romanus acerbiſſimè ferret, propoſito diplomate indulſerat, ut qui eas occupaſſet, ſibi haberet, dummodo Chriſtianos ſæuo Saracenorum imperio liberaſſet. Quo edicto incitati Piſani Sardiniam, Genuenſes Corſicam, ſub annum ſal. 1005. inuaſerunt. Sigonius lib. 8 regni Ital.

GREGORIVS IIX. Pp. ad ſacrum bellum an. 1187. euntibus, ſi in pœnitentia peccatorum, & fide recta deceſſerint, plenã criminum indulgentiam, & uitam æternam pollicitus eſt. Bona quoq;, ex quo Crucem aſſumſerint, ſub S. R. Eccleſiæ protectione erunt, epiſcoporum atq; abbatum in cuiuſque ciuitate fidei commendata: neq; ipſi ullam interim de iis, quæ in ſuſceptione Crucis poſſederint, donec redierint, cõtrouerſiã patientur. Monui uerò, ne eant in ueſtib. precioſis, cũ canibus, atq; auibus, aut aliis, quę oſtẽtationi potiùs, & laſciuiæ, quàm neceſſariis uideãtur uſib. inſeruire, ſed modeſto apparatu & habitu, in quo pœnitentiã potiùs agere, quã inanẽ affectare gloriam uideãtur. Sigonius lib. 15. regni Ital.

GREG. IX. cũ pop. Rom. inclinare ad Fridericũ II. Imp. cerneret, apoſtolorũ Petri & Pauli capita cepit, & lacrymabili uoce ſanctorũ reliquias populo cõmẽdãs, ita omniũ animos immutauit, ut qui antè rebelles atq; hoſtes erãt, cõtra Fridericũ arma caperẽt. Fulg. lib. 8. c. 10. & Egnat. lib. 8. c. 10.

EVGENIVS III. occupata à Saracenis Edeſſa, Vrbani exemplo Crucem iterum ſibi indicendam, ac totum Occidentem ad arma capienda concitandum putauit: atq; ita literas ad omnes Reges ſuper hac re miſit, omnia dona pollicitus, quæ ab Vrbano conceſſa eſſent, his uerbis: Bona, uxores, filios

lios eorum,qui Crucem ſuſceperint,in ſanctæ eccleſiæ, noſtra,archiepiſcoporum,epiſcoporum,& aliorum procerum eccleſiæ tutela manere decernimus. Præterea ne quis de bonis,quę in Crucis ſuſceptione habuerit,ullam,donec domũ redierit,ſubire controuerſiã poſſit, nec ſi ære merſus alieno fuerit,uſuras ſoluere teneatur, cauemus: qui pecunias mutuas à dominis feudi impetrare nequiuerint, eos poſſeſſiones hominib.Eccleſiaſticis oppignerare poſſe concedimus. Ne uerò ueſtibus induti precioſis,nec culto corpore,nec cũ canibus & accipitribus,aut aliis rebus luxuriem indicantibus eatis,monemus.Demum ex Vrbani inſtituto, omnipotentis Dei & S.Petri Apoſtolorum principis auctoritate nobis à Deo conceſſa freti, peccatorum remiſſionẽ ita cõcedimus,ut qui tam ſanctũ iter ſuſceperint, ſiue in eo perierint, omnium delictorum ſuorum,quæ ritè confeſſi fuerint,abſolutionem obtineant. Literis Eugenij in Franciã de ſacra expeditione perlatis,Bernardus Clareuallenſis abbas palàm Crucis ſuſceptionem flagranti animi ſtudio,& ſumma orationis grauitate prædicare inſtituit:ueniſſe tẽpus inclamãs, quo plenitudo gentium introire deberet,& ſic omnis Iſraël ſaluus fieret. Quę uerò dicebat,ea mirabiliũ ſignorũ magnitudine cumulabat:ſiquidẽ ſatis conſtat,nullum diem,fuiſſe, quo non ægros aut debiles,aut membris captos aliquos ſibi oblatos ſanauerit. Quib. rebus impulſus rex Ludouicus, in Syriam proficiſci conſtituit:atq; ita conuentu in Paſchate Viceliaci habito, Crucem ipſo præbente Bernardo cum pleraq; Franciæ nobilitate ſuſcepit:atq; inde itineri adornando ſe tradidit.Hoc idem pari animorum alacritate ac ſtudio uniuerſa fermè Francia fecit,uſq; adeò,ut ſcribens ad Eugenium de multitudine eorum,qui irẽt,Bernardus dixerit, Exhauriri urbes & oppida,nec temerè inueniri , quę ſeptẽ mulieres uirum unum prehenderẽt,quòd ubiq; uiuentibus uiris uiduæ remanerent.Mox etiam Spiram acceſſit , ac plurimum aduentu ſuo omnium in ſe ora conuertit. Mirabantur homines eloquentiam,ſuſpiciebant eruditionem : ſed præcipuè ſanctitatis opinione permouebantur , quam mirãdis operibus edẽdis ipſe de ſe excitauerat: facileq; adeò Conradum regem Germanorum in eam ſententiam & Pontificis literis,& Franciæ regis auctoritate propenſum adduxit , ut ſtatim Crucem acciperet. Cuius exemplo & uoluntate Fridericus quoq;, Friderici fratris filius,qui poſt ipſum imperauit,& maximus quiſq; Germaniæ princeps eandẽ,ipſomet omnibus miniſtrante Bernardo,ſuſcepit. Ratiſponam omnes,quæ Syriam petituræ erant, copię ex tota Germania pedeſtriſe queſtriſq; militiæ conuenêre, quæ ad ducenta millia acceſſiſſe dicuntur. Narrat Choniata ſcriptor Græcus, ac pro re in primis memorabili prodit,in eo exercitu mulieres multas fuiſſe,quæ uirtutem ueterum Amazonum imitatæ, uirili more equis, cruribus inter ſe diſcluſis inſederint , atq; haſtas & arma,ut cum Saracenis concurſuræ,geſtarint. Cęterùm nulla re memorabili geſta,exercitu maxima ex parte fame & peſtilentia & ueneno confecto,an.1149. domum reuerteret. Sigonius lib.11.regni Italici.

VRBANVS II. Pontifex, cùm in Italia nullibi quietis locum cerneret,in Gallias abiens,Concilio apud Clarum montem habito,ita principes Galliæ ad recuperandam Hieroſolymã à Saracenis iam diu occupatam animauit, ut anno Salutis 1084.trecenta millia hominum nomen in militiam Chriſti dederint, ſignũq; Crucis ſuſceperint. Quo facto,Romã ſtatim rediit,ut compoſitis in Italia rebus , Italos ad eã quoq; rem animaret. Platina.

BRETISLAVS Boëmorum princeps , cùm mortuo Meſcho Poloni principe carerent, miſit fœcialẽ, qui res Boleſlai aui ſui à Boleſlao rege in Polonia interceptas,repeteret. At illi arrogãter fœciali reſpondent, ſe non priùs , quàm reſtituta Polonis Praga , de reſtituendis Bretiſlao rebus cogitare uelle: nunc cogitandi otium non eſſe. Bretiſlaus , funem ex ſubere , in torquis modum intortum , circum uicos & pagos undiquaq; ferri iubet , cum hac ſeuera denunciatione. Suſpendio illum periturum,quiſquis idoneus militiæ repertus,illam obire detrectauerit. Maior etiã quàm uſus poſcebat militum numerus, hoc metu propoſito,infra breue tẽpus contractus fuit:domiq; ſunt relicti inhabiliores, & tantummodò ſelectiores ſtipendia facere iuſſi. Itaq; an.1038. Bretiſlaus Cracouiam occupauit, arcem Sydecã expugnauit,Gneſnam diripuit,Vratiſlauiam & Poſnaniam cepit. Dubrauius lib. 7.

Florentini , Philippi Vicecomitis Mediolanẽſis potẽtiam ueriti, qui Genua potitus,& Alfonſo rege ex Italia eiecto,ad imperiũ Italiæ aſpirabat , Venetos miſſis legatis non ſemel fruſtrà de mittẽdis auxiliis ſollicitarunt. Tandẽ NICOLAVS Vſanus,uir prudẽtiſ. ultrò Venetias profectus, enumeratis cladibus Florẽtini populi,cũ egeſtatẽ ærarij, alienatos à ſe uicinorum animos,quantoq; in periculo ſalus ciuitatis uerſaretur,omnes edocuiſſet,nouiſſimè addidit,Nos, quandoquidẽ à uobis repellimur, Philippum regẽ facimus. Vos poſtea Cæſarem uel inuiti facietis. Ea uerba cũ indignantis & præceps conſilium capientis eſſe uiderentur , inflexerunt tandem Venetorum animos,fœduſq; contra Philippum cũ Florentino populo ictum eſt,anno Sal. 1425. Bracellus lib.1. belli Hiſpani.

Cùm Ecelinus tyrannus,qui totã ferè Venetiã occuparat,Mantuam obſideret,ALEXANDER IV. Philippum Fontanenſium archiepiſcopũ Rauennatẽ Venetias properè miſit, qui prædicata Chriſti cruce,cõparatoq; exercitu,Anſelmũ,Ecelini ex uxore nepotẽ,è Patauio expulit.Eiuſdẽ iuſſu Theologi quidam ordinis Minorũ Brixiam miſſi, eò prædicando ciuitatem deduxêre,ut & Guelphos extorres reciperẽt, & partes Eccleſiæ ſequerentur. Platina.

Bello Liguſtico IV.periclitantibus tota continentis ora Venetis rebus,cùm non eſſet,unde cõmeatus, auxilia, ſtipendia, ad ſuſtinendum belli onus expedirẽtur : uiſum eſt VENETIS ad Leopoldum Auſtriæ ducẽ mittere , qui publico nomine Tauriſium illi cum ſuis finibus traderent:à quibus niſi Fr. Carrarienſis Patauinus poſtea abſtinuiſſet, quod haud facturus credebatur,non dubiũ erat,quin Auſtrius ſubitò in Italiã cũ quã maximis poſſet copiis eſſet uenturus ; ſicq; externis opibus ciuitatẽ magna terreſtris belli parte leuatũ iri, quæ maritimo ſatis ſuperq; eſſet occupata. Atq; in hũc modum Veneti Tauriſiũ amiſere,anno pòſt tertio ac quadrageſimo,quã Scalanis illud ademerãt.Sed ea fuit patrum conſtantia in cęlando tantæ cladis dolore , ut legatos etiam ad Leopoldum miſerint , qui illi felicem acceſſum nouumque Tauriſij principatum gratularentur. Sabellicus libro ſeptimo, Decadis 2.

CAROLVS Balbianus à Ludouico Sforcia miſſus ad Carolũ IIX. Gallorum regem contra Aragonios exciendum, non priùs regem adiit,quàm ſingulos,quos gratia atq; auctoritate potentes eſſe cognouerat,pollicendo præmia,atq; docendo quàm facilis ac expedita uictoria foret,ad capeſſendum bellum accendiſſet. Iouius lib.1.Hiſt.

## A' BELLO BELLI'VE SOCIETATE DEHORTARI.

Cùm Crœſus Lydorum rex Chios & Inſulanos Græcos inuadere tentaret , BIANTEM Prienæum , ſiue (ut alij uolunt) PITTACVM Mitylenæum, qui Sardis regem conuenerat, interrogauit:Ecquid nam in Græcia noui eſſet? Pittacus , ut à ſtolido incœpto regem dehortaretur , & Græcis inſuper conſuleret,ficta oratione reſpondit:Inſulanos decem millibus equorum comparatis in animo habere Crœſum inuadere. Tum ille:Vtinam uerò,exclamauit , dij hanc mentẽ inſulanis dent,contra Lydos in continente ex equis pugnandi. Tum Pittacus : Et tu, ô rex, quid aliud inſulanos optare cenſes,quàm ut Lydos claſſe inſtructos in mari capiant?Hac oratione delectatus Crœſus,ab expeditione deſtitit. Herodotus lib.1.& Polyænus lib.1.

Crœſo Lydorũ regi in expeditione cõtra Cyrum Perſarum regem Lydus quidam SANDANIS ſic conſuluit: Aduerſus tales uiros expeditionem paras,ô rex,qui coriacea ſubligacula,quiq; è corio reliquam ueſtem ferunt: qui non quibus uolunt cibis ueſcuntur,ſed quos habent , utpote regionem aſperam incolentes. Ad hæc potu non uini utuntur,ſed aquæ:non ficos ad comedendum,nec aliud quicquam boni habentes. Quibus cùm nihil ſit, quod eripias uictor:uictus animaduerte,quot bona amittes. Vbi enim guſtauerint illi noſtra bona,circumſiſtent nos, nec abigi poterunt. Equidẽ diis habeo gratiam,qui non induxerunt in animum Perſis, ut Lydos inuaderẽt. At Crœſus,ſic agentib. cum fatis, à Cyro captus,regnoq; exutus eſt. Herod.lib.1.

ARTABANVS Hyſtaſpis filius,Darij frater, nolebat Darium regẽ Perſarum ullo pacto Scythis inferre bellũ, cõmemorãs Scytharum inopiã,utilia ſuadẽs. Cùm tamẽ non perſuaderet illi, deſtitit à diſſuadendo. Herod.lib.4.

Thaſum oppugnabant Athenienſes. Legem iuſſerant Thaſij. Qui ſcripſerit,fœdus cùm Athenienſibus faciendũ eſſe,mortis reus eſto. HEGETORIDES Thaſius uidens multos ciues perire diuturno bello ac fame,laqueum iniiciens collo, uenit in concionem:&, Viri,inquit,ciues,me quidem,ut uobis libet,& quemadmodum uobis prodeſt, utimini. At reliquos & ſuperſtites ciues mea morte conſeruate, legẽq; antiquate. His auditis,Thaſij & legem abrogarunt, & Hegetoridem incolumem ſeruarunt. Polyænus lib.2.

Romani bellum faciebant Tarẽtinis:qui cùm pares illis armis non eſſent,neq; poſſent ea ob ferocitatẽ & prauitatẽ concionatorum ſuorum deponere, deliberabant accire Pyrrhum



Epirotarum regem & cũ ducẽ facere belli : quòd præ cæteris regib. maximè eſſet in otio, & magnã belli gerendi peritiam haberet. At maiores natu ciues & ſani,partim cũ huic cõſilio apertè reniterentur,clamore & impetũ plebis exploſi fuerunt:partim ubi hæc uidere,tẽperarunt cõcionibus. Vnus METON nomine,probus uir,illucẽte die,quo ſanciendũ decretũ erat,cũ populus cõſediſſet, ſumit ebriorũ more coronã marcidã & faculã,ac tibicina præeunte ludibundus eſt concionẽ ingreſſus. Ibi,ut fit in multitudine liberæ ciuitatis incõpoſita,alij ad id ſpectaculi applaudebant , ridebant alij,nemo interpellabat:imò hortabantur etiã,procederent in medium,& mulierem ut tibia,illum ut uoce caneret,idq; opinabantur facturum. Silentio facto:Bene facitis , inquit, Tarentini,qui ludere & ſaltare cuilibet, dum licet,permittitis. Quòd ſi ſapitis,uos item fruemini libertate:quando alia negotia, alia uita & uiuendi ratio erunt ſumenda , ubi urbem Pyrrhus ingreſſus erit. Mouerunt ea uerba plebem Tarentinam,ac murmur dictis aſſentientium peruaſit concionem. At qui timebant à Romanis,ne ſi pax conueniſſet , ipſi dederentur, increpitauerunt populum probris , quòd tam petulanter ludibrio haberi ſe & oſtentui ferret leniter, Metonemq; globo facto eiecerunt. Ita decreto facto legatos mittunt in Epirum,qui non ſuo tantùm,ſed Italicorum etiã nomine dona Pyrrho ferant,eumq; ducem ſibi dari petant. Venit ille. At dum ciues mollitiei aſſuetos ad militarem uictũ traducere conatur,multi illorum ſolum exilio uerterunt parendi inſolentia. Plut.in Pyrrho.

CINEAS Theſſalus,auditor Demoſthenis,legatus Pyrrhi, regem à Tarentinis uocatum contra Romanos cernens flagrare cupiditate Italicæ expeditionis , ſermones intulit per otium huiuſcemodi: Bellatores Pyrrhe feruntur Romani,& bellicoſis gentibus imperare multis : quos ſi deus ſuperare cõceſſerit nobis, quò utemur uictoria? Cui Pyrrhus, Illicò totam tenebimus Italiam. Tum Cineas:Occupata, inquit, Italia,rex,quid agemus ? Et Pyrrhus, Vicina,infit,Sicilia eſt, manus porrigit diues inſula & populoſa & captu facilis. Probabilia,inquit,narras, Cineas. Sed quid? num Sicilia occupata finis erit belli? Minimè uero, ait Pyrrhus. Quis enim Africa temperet & Carthagine,quæ tum erit ad nutum:quã profugus clàm ex Sicilia, cùm paucis nauibus traieciſſet,penè cepit Agathocles? Quibus ſuperatis, & Macedoniam recuperare,& Græciæ ſine dubio imperium occupare poterimus. Verùm ubi rerum potiti erimus, quid tum? Ridens Pyrrhus:In alto otio, inquit,uiuemus , bone uir, cõpotabimus quotidie,& mutuis inter nos ſermonib. oblectabimus. Huc Cineas Pyrrhum cùm deduxiſſet ſermone:Et nunc quid, inquit,obſtat,quò minus cõpotemus , atq; otiũ inter nos traducamus:cùm iam teneamus hęc,& citra negotiũ ad manũ ſint,quæ per ſanguinem,per multos ſudores,per diſcrimina petituri ſumus , multaſq; calamitates allaturi aliis & accepturi? His uerbis Pyrrhum Cineas fatigauit magis quàm deterruit. Plut.in Pyrrho.

EVDAMIDAS,Agidis frater,Archidami filius,cum quidam, cõmemorando laudem ac trophæa , quæ Lacedæmonij ex rebus cum Perſis præclarè geſtis retuliſſent , hortaretur ad bellum cum Macedonibus ſuſcipiendum: Ignorare mihi uideris,inquit,iſtuc idem eſſe, ac ſi quis deuictis mille ouibus pugnaret cũ quinquaginta lupis. Significans, Perſas, ut delitiis effeminatos , & ob id imbelles,non fuiſſe difficile uincere:ſed aliud eſſe cum Macedonibus,uiris fortiſſimis , pugnare. Plut.in apoph.Lacon.

Molientibus bellum in Bœotios Athenienſibus, PHOCION dux uel inuitus electus,primùm repugnauit,monentibuſq; amicis occiſuros ipſum Athenienſes , ſi eos pergeret offendere:Iniuriâ,inquit,ſi quod è repub. eſt,faciam:ſin ſecus, iure. Vbi eos uidet nihilo remiſſiores,ſed obſtrepẽtes ſibi , pronunciare iuſſit præconi,ut Athenienſes omnes,qui à pubertate intra ſexaginta annos eſſent, cũ quinq; dierum cibariis confeſtim ſe à concione ſequerentur. Ibi magna turba excitata,uociferantibuſque & exilientibus natu grandioribus: Quid hoc eſt,inquit? Ego dux annos natus octoginta uobiſcum ero. Ea oratione repreſſit & reflexit illos. Plut.in Phocione,& Politicis.

SCORYLO dux Dacorum , cùm ſciret diſſociatum armis ciuilibus populum Rom. neque tamen tentandum arbitraretur, quia externo bello poſſet concordia inter ciues coaleſcere:duos canes in conſpectu popularium commiſit: hiſq; acerrimè inter ſe pugnantibus, lupum oſtendit, quem protinus canes omiſſa inter ſe ira aggreſſi ſunt. Quo exemplo prohibuit Barbaros,ab impetu Romanis profuturo. Frontinus libro 1.cap.10. At Pontanus libro 5.cap.1. Cotionem uocat. Alij Scorium.

Conſultantibus Carthaginenſibus de bello Romanis inferendo, cùm in ſenatu Magon Annibalis frater clades tot Romanorum à Carthaginenſibus acceptas commemoraſſet : & quidã Barchinæ factionis percũctatus eſſet, An belli, quod in Italia gererent,adhuc pœniteret? HANNO ſenator nobilis ſubintuliſſe dicitur, Ecquis ex urbe Roma poſt tot clades acceptas ad Annibalem ueniſſet pacem petiturus? an Romę ulla pacis mentio facta diceretur? Cùm ille utrũq; negaſſet: Bellum, inquit Hanno , tam integrum & periculoſum hodie,quàm à principio , cum Romanis habemus. Variatum eſt diu circa Siciliam priore bello : uerùm qualis fuerit exitus,nemo eſt ueſtrûm,qui nõ aut uiderit,aut fando audiuerit:& nunc maximè uereor. Nam ſi(quod nolim) fortuna uariare ceperit, fruſtrà pacem imploremus , quam nobis uincentibus nemo detulit. Sab.lib.4.c.8.

Clemente VII. à Cæſarianis Romæ obſeſſo , Florentini iuuenes libertatis recuperandæ occaſionem ſecuti, occupata curia decretum perſcripſere,quo Medicei adoleſcentes Hippolytus & Alexander Reip. hoſtes declarati ſunt. In promulgãdo autem decreto, COSMVS Saxetus podagricus , nec inſulſus ſenator, uultu reſupino & ferè oſcitanti, ſublata uoce interpellans præconem interrogauit,An ipſe etiam Papa Clemens eadem,qua gentiles eius,exilij & capitis pœna damnaretur? Et id quum altiore uoce proboq; nutu præconis, par & æquum eſſe ſubderetur:Vos ergo, inquit,uideritis ciues,qui nihil libera patria carius habere uultis,an uobis,ab hac mox iniuria ſacris interdictis,familiari pane ueſtro ſatis piè ueſci liceat. Quod ſalsè dictum uniuerſæ concioni riſum commouit. At ut uerè dictum fuit,ita non multo pòſt temerarij cœpti ſeditioſa plebs pœnas dedit,libertate miſeris ciuibus prorſus erepta. Nam poſt annuam obſidionem, annona abſumta,ærario exhauſto,Clementi ſe dedidêre, & Cæſaris uoluntate Alexandrum Medicem, Clementis nepotem, Caroli V. generum, Ducis nomine ſuſcepêre, anno 1531. Sabellici ſupplem. libro decimo & ſequentibus, ex Iouio.

## BELLI SVSCIPIENDI GERENDIQVE TEMPVS.

*Ex Tit. Tempus pugnæ oportunum, quædam huc particularia exempla accommodari poſſent, niſi quòd hîc Tempus Belli gerendi, illic dum bellum geritur Tempus Pugnæ conſideratur.*

IVLIVS II. initio pontificatus omnibus in rebus tam moderatè ſe geſſit, ut admirationem minimè mediocrẽ in hominum mentibus excitarit: quòd is, qui Cardinalis cùm eſſet, ſemper uaſtis immoderatiſq; cogitationibus turgidus extitiſſet: Xyſti quoq;, Innocentij, & demùm Alexandri VI. Pontificis temporibus , ſæpiùs Italiæ turbandæ inſtrumentum fuerat: nunc ad pontificatum, promotus, hos tam ardentes ſpiritus poſuiſſet; & nullum ne iniuriarum quidem ulciſcendarum, ſignùm ederet. At in Iulio longè alia mens erat , & in hominum de ſe expectatione ſuperanda animo fixus, cõtra priſtinam magnanimitatis ſuæ conſuetudinem, ut ingentem pecuniæ uim cumularet, omni ſtudio operam dederat, dabatque, quo belli accendendi cupiditati , qua flagrabat, eius ſuſtinendi facultas & neruus accederet : cumque anno 1506. iam auro non parum abundaret, conſilia ſua res maximas ſpectantia aperuit , tanto quidem ſucceſſu , ut Venetis imperium & eripuerit, & reſtituerit, pro libito. Guicciardinus libro 7.

## BELLI GERENDI LOCVS.

*Sub Tit. Hoſtes auertere, reuocare, exempla ea, quæ ad Præſens bellum pertinent, recenſebuntur. At huc ea quæ Ante bellum.*

PERICLES pro ſuſcipiendo bello Peloponneſiaco ſententiam dixit, Atticam hoſtilem agrum eſſe ducendam, & permittendam, ut uaſtetur: Laconicam uerò claſſe inuadendã. unã pecuniæ parãdæ rationẽ putandã, naues quã plurimas habere: alias uerò extra illã rationes nullius momẽti exiſtimãdas: cuiuſmodi eſſet, pecunia q̃ in ſpectacula , in iudicia, & in cõciones inſumeretur. Suadebat igitur, ut oẽs ſumtus, qui in hec impenderentur, nauib. aſſignarentur. Suidas.

ARCHIDAMVS Ageſilai, bello, quod cũ Philippo geſſit, cõſulentib. procul domo conſerendam pugnam : Atqui non hoc, inquit, ſpectandum: cæterùm ubi ſtrenuè pugnãdo hoſtes ſuperemus. Plut.in Apophtheg.

BEL-

## BELLI GERENDI MODVS. STATVS BELLI Frontino dictus.

*Hîc in uniuerſum de Statu belli. Exempla pericularia in ſeq. paßim annotabuntur.*

LYCVRGVS roganti, Qua de cauſa uetuiſſet oppugnari turres? Ne, inquit, à femina, pueróue, aut ab alio quopiam homine puero ac feminæ non diſſimili, uiri præſtantiores occidantur. Non probauit prælij genus, in quo uirtuti locus non eſſet. E turribus uerò puer aut mulier deiectu ſaxorũ poteſt uirum quantumuis fortem interimere. Quis igitur locus uirtuti in belli, noſtris, in quibus præcipuas partes agunt bombardæ? Plutarchus.

THEMISTOCLES aduentante Xerxe, quia neq; prælio pedeſtri, neque finium tutelæ, neq; obſidioni credebat ſufficere Athenienſes, auctor fuit eis liberos & coniuges Trœzena & in alias urbes amandandi, relictoque oppido, ſtatum belli ad nauale prælium transferendi. Idem fecit in eadem ciuitate Pericles aduerſum Lacedæmonios. Frontinus libro primo, capite 3.

BYZANTII aduerſus Philippum omne præliandi diſcrimen uitantes, omiſſa etiam finium tutela, intra munitiones oppidi ſe receperunt: aſſecutique ſunt, ut Philippus obſidionalis moræ impatiens recederet. Frotinus lib. 1. c. 3.

ALEXANDER Macedo cùm haberet robuſtiſſimum exercitum, ſemper eum ſtatum belli elegit, ut acie confligeret. Frontinus.

Q. FAB. MAXIMVS aduerſus Hannibalem, ſucceſſibus præliorum inſolentem, recedere ab ancipiti diſcrimine, & tueri tantummodo Italiam conſtituit: Cunctatoriſq; nomen, & per hoc ſummi ducis meruit. Frontinus lib. 1. c. 3.

HASDRVBAL, Giſgonis filius, ſecundo Punico bello in Hiſpaniam ductum exercitum (cùm P. Scipio inſtaret) per urbes diuiſit. Itaque factum eſt, ut Scipio, ne oppugnatione plurium oppidorum diſtringeretur, in hyberna ſuos reduceret. Idem.

L. LVCVLLVS, profligato ad Rhyndacum amnem & Granicũ Mithridate, eiuſq; claſſe in Helleſpõto diſiecta, per Bithyniã & Galatiam in regnũ Mithridatis inuaſit, & excurſionibus omnẽ regionẽ uſq; Themiſcyras & circa Thermodontem uaſtauit. Militib. autẽ Mithridatẽ perſequi cogitãtibus, priuſquam uires recolligeret: Lucullus idipſum ſe expetere reſpondit, ut uiribus collectis, ad pugnam progreſſus caperetur, quàm in ſolitudines fugiens, Tigranem generum regem regum contra Rom. excitaret. Plut. in Lucullo.

EVNDEM quũ hortaretur Archelaus, ut relicto hoſte in Pontum traijceret (ſic enim fore, ut protinus omnium rerũ potiretur.) οὐκ ἔφη δειλότερος εἶναι κυνηγῶν, ὥστε τὰ θηρία παρελθών, ἐπὶ κενοὺς αὐτῶν φωλεοὺς βαδίζειν. id eſt, Negauit ſe timidiorem eſſe uenatoribus, ut præteritis feris, ad inania illarum luſtra uellet ire. Eraſmus in Adagiis ex Plut.

Q. SERTORIVS, ut efferatam multitudinem ad militarẽ diſciplinam traduceret, aduocata cõcione, equos duos in cõſpectũ omniũ produxit: ſtrigoſum quidem alterũ, macie aniſq; obſitum: at ualidiſſimo robore alterum, cuteq; nitidiſſima. Macilentum robuſtiſſimo dedit iuueni, ut caudæ pilos ſimul omnes unaq; euelleret: nitidũ autem ſeni imbelli obtulit, qui ſingulos pilos, alium ſcilicet poſt alium, euelleret. Hic igitur dum ſeorſim ſingulos euellit, cõpos uoti euaſit. At ille alter, quamuis brachiis niteretur robuſtiſſimis, uanũ tamẽ conatum eius eſſe, res ipſa docuit. Tandem Sertorius, Videtis, inquit, milites, quæ uiribus corporis minimè cedũt, illa ingenij uiribus cedere: quæq; uno impetu ſuperari nequeunt, eadem paulatim ſuperari, opera aſſidua ac pertinaci adhibita: quodq; corporis uires ingenij ſuperentur acumine. Vos quidem concordes & unanimes in præliũ progredientes, Romani nunquã ſuperabunt: palantes uerò & diſperſos, facili negotio uincent. Pontanus lib. 5. de Prudẽtia: & Frontinus lib. 4. c. 7.

C. IVL. Cæſar bello ciuili, cùm exercitum ueteranum haberet, hoſtium autem tyronem eſſe ſciret, acie ſemper decertare ſtuduit. Frontinus lib. 1. c. 3.

Quum M. Antonius claſſe cum Cæſare Octauio ad Actiũ confligere uellet, QVIDAM tribunus militum, uir fortis, & armis exercitatus, Antonio prætereunti, corpus ſuũ multis cicatricibus inſignitũ oſtendit, dicens: O Imperator, quur his uulneribus, aut huic gladio parũ fidis, inq; lignis fragilibus ſpem reponis? Sine Phœnices & Aegyptij claſſe pugnent: nobis Romanis terram da, in qua conſueuimus uel hoſtẽ uincere, uel mortem oppetere. Plut. in uita Antonij.

Expugnata Ptolemaide à Philippo Francorũ & Richardo Anglorum regibus, inter captos erat quidam CHARACVX nomine, prudentiæ fama nobiliſſimus. Hic à cuſtodiæ præfecto obſecratus conſilium bonum, quánam ratione Latini parare tueriq; perpetuò ſacrum regnum poſſent: ille continuò uelut inopinata re perculſus, ſublatiore uoce, Proh dolor, inquit, hic dies excidiũ afferet genti noſtræ. petebatq;, ut conſilij dandi religione ſolueretur. At Franco nihil remittẽte: Terram ergo, quæ nobis ſancta eſt, etiamſi nunc omnem in poteſtatem redigatis, nunquã iure ueſtram uocitari poſſe denuncio, niſi Aegypti imperio euerſo, Aegyptiorum ſpiritus ferociamq; coerceatis, Nilum frenetis: nec in equitatu peditatúue (ut hactenus) omnem uirtutis ſpem reponatis. Naualis gloria terreſtribus copiis addita, uictoriã incruentam dabit. Damiata arx domanda in primis, ut Hieroſolymitanum regnum quærere tuerique poſſitis. Hæc tunc ſurdis narrabat Characux, quibus ſi paruiſſent Latini, Oriens omnis Chriſti iugũ poſtliminiò magna cum Latinorũ gloria ſubiiſſet. Aemilius lib. 6.

GENVENSES appulerant claſſem Ioppen portum nobilem propinquumq;. Præerat Gulielmus Ebriacus. Claſſis Aegyptiorum, quæ ad Aſcalonem ſtabat, ſoluit, Genuenſium naues nequaquam numero uiribúſue pares aggreſſura. Illi neceſſaria rè coacti, raptis ex claſſe, quæ uſui Hieroſolymitanæ obſidioni futura, agi ferriq; poſſent, corruptis nauibus, in caſtra uniuerſi ſe contulêre. Periti erant omnis generis tormentorum machinarumque, & apparatus urbium oppugnandarum. Ab his nihil omiſſum quod in rem foret. Itaq; ex incommodo commodum exortum, & qui claſſe impares hoſti futuri erant, urbis ſanctæ expugnandæ auctores fuêre. Aemilius lib. 4.

FRANCISCVS Sforcia primus ueterem militiæ Rom. morem in militia pedeſtri reuocauit, cùm equitatu tantùm peregrino duces mercenarij quæſtus cauſa uterentur. Iouius lib. 3.

## PRVDENTIA BELLICA CIRCA IMPERATORIS ANIMVM. QVATENVS

### PRVDENS, SIC EXPLORET

*Hoſtium uires, conſilia.*

*Hic Imperatorem conſideramus, quatenus agit. At reſpectu hatientium poſtium, de Explorandis arcanis hoſtium, poſterius agetur.*

*Militum alacritatem, timiditatem.*

*Vide infrà, Militum delectus, Fortes, Timidi. Heic Exploratio, illic exploratorum Separatio perpenditur.*

Cùm GEDEON Ioæ F. Manaſſenſes, Aſerianos, Zabulonios & Nephthalenſes contra Madianitas & Amalechitas educeret, Domini iuſſu diuinitùs monetur, plures eum copias habere, quã ut ipſe eis Madianitas dedere uellet: ne cõtra Iouã gloriãtes Iſraëlitæ, iactarent ſe ſuo marte uictoriã adeptos. Proinde proclamaret in exercitu, ut timidi qui eſſent & meticuloſi, reuerterẽtur, & ex monte Galaado diſcederent. Itaque reuerſi ſunt 22. millia, relictis 10. millibus. Et Ioua Gedeonem monuit, ut, quoniã nimis multi tum quoq; eſſent homines, deduceret eos ad aquas: & quicũq; aquã lingua more canũ lambiſſent, hos ab eis ſecerneret, qui ad bibendum procubuiſſent in genua. Fuit aũt ducta ad os manu lambentiũ numerus, trecenti: reliqui omnes in genua ad aquã bibẽdam procubuerunt. Per illos trecentos, qui lamberãt, promiſit Ioua Gedeoni ſeſe ei uictoriam daturum contra Madianitas. Id quod ipſe euentus confirmauit. Iudicum c. 7.

THEAGENES Athenienſis cùm exercitum Megaram duceret, petentibus ordines, reſpondit ibi ſe daturũ: deinde clàm equites præmiſit, eosq; hoſtium ſpecie impetum in ſocios retorquere iuſſit. Quo facto, quos tum habebat, tãquam ad hoſtium occurſum prępararentur, permiſit ita ordinari aciem, ut quo quis uoluiſſet loco conſiſteret. Et cùm inertiſſimus quiſq; retrò ſe dediſſet, ſtrenui aũt in frõte proſiluiſſent, ut quemq; inuenerat ſtantẽ, ita ad ordines militiæ prouexit. Frontinus lib. 4. c. 1.

CHABRIAS Athenienſis ſi recèns collectum exercitum haberet, & pugnam initurus eſſet, per præconẽ iubebat, ut qui malè haberent, ſeorſim arma deponerent. Quotquot igitur



erant timidi, morbum ſimulantes, arma deponebant. His ad pugnam quidem non utebatur, ſed ad præoccupanda loca munita, ut ſaltem ipſorum multitudo apparens, metũ hoſtibus faceret: occaſione uerò datã, ſtatim eos ſtipendiis priuabat. Polyænus lib. 3.

IPHICRATES aduerſus Lacedæmonios aciẽ ordinare incipiebat. Cõplures ab eo petebant, hic ut ſe tribunum conſtitueret, ille ut ſe quingentis ducẽ præficeret: atq; alius cẽturio fieri, alius manipulum ducere conabatur. Ille petẽtes omnes ad tempus opportunum reiecit. Quod cùm ueniſſet, aciei collocatæ ſeorſim imperat, ut panicũ cieat, quaſi hoſtibus impetũ facientibus. Cùm magna eſſet omniũ perturbatio, timidi metu perculſi fugam arripiebant: fortes uerò progrediebantur, ut ſe hoſtib. opponerent. Iphicrates ridens cõfeſſus eſt, ſe panicum ciere iuſſiſſe, ut periculum faceret, quinam poſſent duces agere. His igitur, qui manſerant, milleno rum ac centenorum præfecturas dedit: ijs uerò, qui fugerãt, mandauit, ut hos ſequerentur. Idem.

EPAMINONDAS, cùm in Leuctris iam agmen inſtructum adduceret, Theſpienſes tergiuerſantes ſequebantur, nec id latebat Epaminondam: ſed ne confunderentur ordines, inter pugnandum proclamare iuſſit, Quicunque Bœotorum diſcedere uoluerit, ei licitum eſto. Theſpienſes cum ipſis armis abierunt. Epaminondas iis, qui manſerant, armatis, inſtructis & alacribus uſus, glorioſam uictoriam adeptus eſt. Lacedæmonij uerò cùm ſocios retinuiſſent, ab iis deſerti & proditi, cladem paſſi ſunt maximam. Polyænus lib. 2. & Pauſanias in Bœoticis.

AGATHOCLES tyrannus Carthaginẽ uerſus nauigationẽ inſtituens, delectum habuit, qui nam unà nauigare poſſent: & promulgauit concedens, ut qui uitæ conſultũ uellent, è nauibus cum ſupellectile ſua egrederentur. Exierunt multi, quos uniuerſos, quaſi timidos & infidos, morte affecit: eos uerò, qui manſerant, ob fortitudinẽ ac fidẽ laudib. euexit, & in Libyam cum ſexaginta nauibus traiecit. Polyænus lib. 5.

*Militum ſcelus.*

NELEVS filius Codri, cùm regno pulſus, Athenas relinqueret, propterea quòd oraculum Apollinis, Medonti, qui in coloniam ex urbe migrauerãt, imperium deſtinaret, ad Naxũ nõ uoluntate, ſed tẽpeſtate delatus appulit: ſoluere uerò in de uolentem, contrarij uenti exorti prohibuerunt. Qui cùm quid factu opus eſſet ambigeret, uates reſponderũt, oportere expiari & purgari exercitum, eo quòd multi ſimul nauigarent, qui pollutis & cõtaminatis eſſent manibus. Itaq; ſimulauit etiam ipſe ſe puerum trucidaſſe, & purgationis indigere. Sic alios, qui ſibi conſcij eſſent, etiam perſuaſit. Quod cũ factum eſſet, patefactis iam, qui ſe contaminaſſent, eos reliquit. Illi Naxum inhabitarunt. Neleus autem peruenit in Ioniam. Aelianus lib. 8. Variæ hiſt.

### SVSPECTA HABEAT HOSTIVM consilia, insidias.

*Vide Tit. Hoſtem mora frangere.*

AVGVSTVS ſuis ducib. imperabat, ut maximè ſecuritatis curã agerẽt: & continenter hoc adiiciebat, Feſtina lentè. Nam cautus dux cõfidenti longè eſt præferendus. Polyæn. lib. 8.

### NON PRÆCIPITET SVA DIcta, factáue.

IPHICRATES Athenienſis quanquam plures milites haberet, quàm hoſtes, & uates omnia fauſta & egregia promitterent, tamen non ſtatuit prælium committere. Quæ cunctatio, cùm præter opinionẽ hoſtibus accidiſſet: Sacra, inquit, in mea mente non permiſerunt pugnam committere. Nam cùm multi eſſent milites, neque impetum facere ſimul poterant, neque clamorem tollere: ſed cùm haſtam inclinare iuberem, maior dentium, quàm armorum fremitus exaudiebatur. Polyænus lib. 3.

Conflixit C. IVLIVS Cæſar dictator cum hoſte quinquagies collatis ſignis, quoties Rom. ducum nemo. Verùm exacta ætate, & iam ſeneſcere incipiens, cunctantior factus eſt ad ineunda prælia: ueritus, ut credere eſt, ne fortunam, quam toties ſecundam fuerat expertus, aduerſam ſemel experiretur. Sab. lib. 1. c. 6.

### OCCVLTET SVA CONSILIA, FActa, diſciplinam.

*Conſule Tit. Securum hoſtem Dißimulato irruptionis loco, aut Simulata quiete opprimere.*

IASON, cùm in animo haberet, urbem quandam Theſſalicã aggredi, iuſſit prorſus ignaros oppugnationis ad habendũ delectum, accipiendumq; ſalarium armatos cõuenire. Qui cùm omnes eſſent armati corporibus armiſq; ualentes, ſedentibus nuncij citato curſu superueniũt, & hoſtes in agros impreſſionem feciſſe nunciant: tantoq; ſpacio abeſſe, quanto diſtaret ciuitas, quam oppugnare inſtituerat. Milites ad pugnam parati, rogare, ne moram rebus iniiciat, ſed quàm primum ſe aduerſus hoſtes ducat. Iaſon ad urbem copiis adductis, & irruptione facta, præter omnium expectationẽ ea potitus eſt, nemine præſciente, neq; ex uictoribus neq; ex uictis. Polyænus lib. 6.

Ex trib. ſolis Rhetris, quas LYCVRGVS ſcripto edidit, una fuit, q̃ prohibet, ne bello eoſdẽ repetant hoſtes: ut ne ſæpius exercitati armis exiſtãt bellicoſi. Qua in re reprehẽderũt imprimis, poſtea Ageſilaũ, quòd excurſionib. crebris aſſiduiſq; in Bœotiã & expeditionibus, pares bellandi peritia Lacedæmoniis reddidiſſet Thebanos. Vnde cùm ſauciũ Antalcidas uidiſſet: Præclaram, inquit, refers à Thebanis mercedẽ, q̃ inuitos & imperitos dimicare docuiſti. Plut. in Lycurgo.

ANTIGONVS filio Philippo [illegible] percunctãti, Quãdo caſtra mouebimus? Quid tu, inquit, metuis ne ſolus tubam non exaudias? Plut. in Regum apoph.

PYRRHVS rex Cleonymi Spartiatæ pollicita ſecutus, Lacedæmonem occupare in animo habebat. [illegible] exercitus tamdiu inceſſit, quoad Spartiatarum ſint fines, [illegible] latè in prædam & populationem eſt diſcurſum. Quærentibus Lacedæmoniis, quòd ſe, bello haud indicto, contra ius gentium, hoſtiliter inuaſiſſet: Nec uobis curæ eſt, inquit Pyrrhus, uiri Spartiatæ, quod facturi eſtis aliis denunciare. Sabellicus lib. 8. En. 4.

ARATVS Sicyonius patriã à tyrannide Nicoclis liberare ſtatuerat, Argis exulãs. Inter hæc cùm ſpeculatores aliquot Argis Nicoclis comparerent, & circumcurſitare tectè dicerentur, atq; aſſeruare Aratũ, orta luce progreſſus, & oſtendẽs ſe, cũ amicis in foro deambulauit. Hinc unctus in gymnaſio, abductis ex palæſtra nõ nullis adoleſcẽtibus, qui potare ſecum & feriari ſolebant, domũ eſt digreſſus. Mox conſpecti ſunt ſerui eius per forum, hic coronas ferẽs, ille emẽs faces, alius cũ mulierculis in conuiuio pſallere & tibia canere ſolitis colloquẽs. Hæc cùm exploratores omnia contẽplarentur, ludificati ſunt, atq; inter ſe cachinnantes dixerunt, nihil meticuloſius tyranno eſſe: quando etiam Nicocles tãta ſuccinctus urbe & uiribus adoleſcentẽ paueat in delicias & cõpotationes diurnas exilij uiaticũ effundentẽ. At Aratus protinus à prandio egreſſus, ac militibus ad Polygnoti turrim coniunctus, mouit in Nemeam: ubi cepta ſua detexit multitudini, & nocte Sicyonem aggreſſus cepit, atq; tyrannũ eiecit. Plutarchus in Arato.

Q. METELLVS Pius, cùm proconſul bellum in Hiſpania aduerſus Celtiberos gereret, urbemq; Contrebiam caput eius gentis uiribus expugnare non poſſet, uiam reperit, qua propoſitum ad exitum perduceret. Itinera magno impetu ingrediebatur, deinde alias atque alias regiones petebat: modò hos obſidebat montes, paulo pòſt ad illos tranſgrediebatur, cùm interim tam ſuis omnibus, quàm ipſis hoſtib. ignota erat cauſa inopinatæ eius ac ſubitæ fluctuationis. Interrogatus quoq; à quodam amiciſſimo ſibi Tribuno, quid ita ſparſum & incertum militiæ genus ſequeretur? Abſiſte (inquit) iſtud quærere. nam ſi huius conſilij mei interiorem tunicã cõſciam eſſe ſenſero, cõtinuò eã cremari iubebo. Poſtquam uerò & exercitũ ſuum ignorantia, & totã Celtiberiã errore implicauit, cùm aliò curſum direxiſſet, ſubitò ad Cõtrebiam reflexit, eamq; inopinatã & attonitam oppreſſit. Ergo niſi mentem ſuam dolos ſcrutari coëgiſſet, ád ultimã eſt ſenectutem apud mœnia Contrebiæ armato ſedendũ fuiſſet. Val. Max. lib. 7. cap. 4. & Front. lib. 1. c. 1. & Plut. in Apoph. & de Garrulitate.

M. Licinius CRASSVS, percontanti, Quo tempore caſtra moturus eſſet? reſpondit: Vereris, ne tubam non exaudias? Frontinus lib. 1. c. 1.

Q. SERTORIVS uictus à Metello in Saguntinis campis, quò facilem ſuis fugam machinaretur, & moliretur ſibi nouum delectum, in oppidum refugit montanum & munitũ, eiuſq; muros obſepſit, & portas firmauit: quiduis potiùs tamen quàm obſidionem meditans ferre, eludebat modò hoſtes. Dum enim aſſident ei, urbemq; paruo negotio ſperant ſe capturos: cùm fugientium barbarorum ſecuri fuerunt, tum cõſcribi permiſerunt Sertorio alias copias, quæ conficiebantur à legatis illius, quos per oppida miſerat, præceperatq;, ubi iam magnum numerum contraxiſſent, ut ſe facerent certiorem. Quod poſtquam ei ſignificauêre, ex facili per medios elapſus hoſtes coniunxit ſe cum ſuis, rediitq; in illos uiribus auctus. Plut. in Sertorio.

Mortuo Nicolao, Martinus IV. pontifex Michaëlẽ Palæologũ unionis pacta nõ ſeruantẽ, inſtante Carolo Siciliæ rege, excõmunicauit. Palæologus Caroli potentiã ueritus, clàm fœdera cũ PETRO Aragoniæ rege iniit, qui regnũ Siciliæ, ob Conſtantiã uxorẽ Manfredi filiã, & Corradini neptẽ, ſuo iure repetebat. Cõmuni itaq; impẽſa magna claſſis ab utroq; parabatur. Pontifex legatum ad Petrum mittit ſciſcitatum, quid ſibi uellent tanti apparatus? Cui ille ita reſpondit, interiorẽ ſe tunicã laceraturũ, ſi illam arbitraretur ſuarũ cogitationum conſciam fieri poſſe. Abiit itaq; re infecta legatus.

Petrus

Petrus comparata iam claſſe in Africam contendens, Hipponenſium litora populatus, in Sardiniam rediit, expectans ut à Ioanne Prochyta res nouæ in Sicilia orirentur, quemadmodum inter eos conuenerat. Cæſis igitur Siculorum opera hora ueſpertina omnibus Gallis, Petrus à Siculis exceptus, Carolum cepit, & regnum occupauit. Platina in Martino IV. & Cuſpinianus.

### COMMVNICET SVA CONSILIA, RATIONE HABITA

## Perſonarum, Per Quos. Per

*Homines.*

CYRVS per interualla locorum tabellarios ita diſpoſuit, ut fatigatis recentes, & nocturni diurnis ſuccederent: adeò ut uolantes grues ſuperarent. Quod & XERXES feciſſe dicitur, ut curſores inuicem ſuccedentes haberet diſpoſitos, quos neque imber, neque noxa à curſu dimoueret. Alexan. lib. 1. cap. 27.

CONON in urbe Mitylenenſium concluſus, & obſeſſus à Lacedæmoniis, cũ Athenienſibus oppugnationẽ indicare ſummè cuperet, neq; poſſet clàm mittere, qui appellerent: contractis duabus celocibus, præſtantiſſimos ex ſupplementis remiges impoſuit, omnibus rebus neceſſariis comparatis, eosq; iuſſit in nauigiis ocium agere. Procedente ueſpera, cõſpicatus per terrã diſperſos cuſtodes, cùm alij corpora curarent, alij ignem incenderent, alij pyrã extruerent: tum uerò dimiſit nauigia, mandans, ut curſum ſibi mutuò cõtrarium tenerent, ut etiamſi alterum caperetur, alterum ſaltẽ euadere poſſet: utrumq; uerò ſeruaretur, hoſtibus per ocium & ignauiam perſequi cunctantibus. Polyænus lib. 1.

ROMANI obſeſſi in Capitolio, ad Camillum ab exilio reuocandum miſerunt Pontium Cominum: qui ut ſtationes Gallorum falleret, per ſaxa Tarpeia dimiſſus, tranſmiſſo Tyberi, Veios peruenit, & perpetrata legatione ſimiliter ad ſuos rediit. Frontinus lib. 3. c. 13.

ROMANI, quo celeriùs ac ſub manũ adnunciari cognoſciq; poſſet, quid in prouincia quaq; gereretur, Iuuenes primò modicis interuallis per uias militares, dehinc uehicula diſpoſuerunt. Commodiùs id uiſum eſt, quòd idem, qui in loco proferebat literas, ſi quid res exigat, interrogari poterat. Auentinus lib. 2. Annalium Boiorum.

L. LVCVLLVS Cyzicenos obſeſſos à Mithridate, ut certiores aduentus ſui faceret, cùm præſidiis hoſtium teneretur introitus urbis, qui unus & anguſtus ponte modico inſulam continenti iungit: militem è ſuis peritum nandi & nauticæ artis, iuſſit inſidentem duobus inflatis utribus, literas inſutas habentibus, quos ab inferiore parte duabus regulis inter ſe diſtantibus commiſerat, ire ſeptem millium paſſuum traiectum. Quod ita peritè gregalis fecit, ut cruribus uelut gubernaculis dimiſſis, curſum dirigeret, & procul uiſentes, qui in ſtatione erant, marinæ ſpecie beluæ deciperet. Frontinus lib. 3. c. 13.

IOSEPHVS Galilææ præfectus, in urbe Iotapata à Veſpaſiano obſidebatur. Noctu per uallem quandam deuiam nuncios mittebat, terga uelleribus tectos humiq; quadrupedes canum inſtar incedentes, ut excubias fallerent. Ioſephus libro 3. c. 8. belli Iudaici.

*Bruta.*

MARRHES Aegypti rex proditur cornicem habuiſſe, cui curſoris uice literas perferendas dabat. Alexander ab Alexandro lib. 1. c. 27.

CÆCINNA Volaterranus equeſtris ordinis quadrigarũ dominus, hirundines comprehenſas in urbem ſecum auferẽs, uictoriæ nuncias amicis mittebat, in eundem nidũ remeantes, illito uictoriæ colore. Plin. lib. 10. c. 24.

Cùm obſideretur præſidium ROMANVM à Liguſtinis, hirundinem à pullis ad ſe allatam ſcribit Fabius Pictor in ſuis annalibus, ut lino ad pedem eius alligato nodis ſignificaret, quoto die adueniente auxilio eruptio fieri deberet. Idem.

Vno eodemq; die uictoria Tauroſthenis ex Olympia Aeginã nunciata eſt ipſius parenti, ut alij affirmant per ſpectrum: alij uerò dicunt, TAVROSTHENEM columbam à ſuis pullis madidis adhuc & inuolucribus abſtractam ſecum deportaſſe: cumque uiciſſet, purpura amictam eam remiſiſſe: eamque ſumma cum feſtinatione ad pullos properantem, eodem die ex Piſa in Aeginam aduolaſſe. Aelianus lib. 9. de Varia hiſtoria.

HIRCIVS columbis (quas incluſas antè tenebris & fame affecerat) epiſtolas ſeta ad collum religabat, easq; à propinquo in quantum poterat mœnibus loco emittebat. Illæ lucis cibiq; auidæ, altiſſima ædificiorum petentes excipiebãtur Mutinæ D. Bruto, obſeſſo à M. Antonio, qui eo modo de omnibus rebus certior fiebat, utiq; poſtquã diſpoſito quibuſdã locis cibo columbas illuc deuolare inſtituerat. Frontinus lib. 3. c. 13.

Circumſedebant GALLI Venetiq; Ptolemaidem in ora Syriæ; & iam non procul aberant, quin urbe potirentur, cùm tabellariam ſunt columbam adepti, militari clamore ad terram cum literis depreſſam. Significabãt literæ, quas uolucris habuit, fore ut intra triduũ Sultanus cum ualidiſſimo exercitu adeſſet, ſuis diuturna obſidione feſſis auxilio. Hic Chriſtiani duces adulterinas pro interceptis alias affingunt literas, per quas regis nomine monebantur ciues, ut ſuis rebus conſulerent, quando maioribus curis impeditus eò accurrere non poſſet. Pertulit columba ficticiã ad ſuos epiſtolã, eſtq; confeſtim urbs dedita. Obſeruauit diem Barbarus rex, ſed cognita urbis alienatione, re infecta retrò abiit. Sab. lib. 6. c. 6. & Egnatius lib. 7. c. 4.

Obſidentib. Latinis Hieroſolymã, quam & uirtute Godofredi Bolionij ceperunt: caſus tulit, ut columba ſupra caſtra Latinorũ uolitans, accipitre opprimente ſe demittens, à Chriſtianis exciperetur. Sub alis eius inuenta eſt epiſtola Arabicis & uerbis & literis exarata. Ea per interpretẽ recitata, ſignificabat parari auxilia, quæ obſeſſis mitterẽtur. Idcirco magis impigrè noſtri anteuertendum cenſuerunt. Aemilius lib. 4.

Chriſtiani Latini Antiochiã Syriæ metropolim ceperãt. Haſarchi oppidi præfectus ab Halapiano tyrãno defecerat: uterq; Turca erat. Nõ erat dubiũ, quin Halapianus Haſarchũ copias admoturus eſſet, ad contumaciã uindicandã. Præfectus Edeſſam ad Balduinum de amicitia ſocietateq; miſerat: filioq; obſide dato, cùm iam obſideretur, peruicerat, ut Latini auxilio ſibi accurrerent, periculoq; eximerent. Ac ne animo interea deficeret, quia itinerib. interclusis alij nuncij mitti non poſſent: eius ORATORES epiſtolã caudæ colũbæ, quam cùm in legationem proficiſcerentur, domo ſecũ attulerant, alligauerunt: illamq; ex compoſito remiſere. Ita præfectus certior factus, egregiè ſe tutatus eſt, quoad noſtri appropinquare dicerentur. Aemilius lib. 4.

Feſſenſis rex Tingitanam urbem ex improuiſo adoriri ſtatuerat, cui Rodericus Caſtrenſis præerat. IOAN. Meneſius Arzilæ præfectus in Mauritania, ut id Caſtrẽſi ſignificaret, hãc rationem init. Ciuis quidam Tingitanus proximis illis diebus Arzilam uenerat, & catellam ibi per obliuionẽ reliquerat. Meneſius catellam ligari, literasq; cera circũlitas, quib. ea, quę acceperat de Regis aduentu, nunciabat, collo illius appendi iubet, eãq; ſub noctẽ acerrimè uerberatam in litore cõſtitui. At catella dolore uerberum grauiter affecta, tanta celeritate domum properauit, ut ante lucẽ ad Tingi portas aſſiſteret. Ibi lectis literis, Caſtrẽſis, ut omnes in armis parati eſſent, imperauit. Vix hæc facta fuerant, cùm rex ciuitati appropinquauit. Oſorius lib. 2. rerum Em.

## Rerum, ſiue Inſtrumentorum, Per Quæ. Indicare

*Igni, Fumo.*

Φρυκτοὶ, faces quædam è lignis cõfectę, quas geſtantes in mœnibus ſigna dabant finitimis, aut ſociis, cùm aliquos hoſtes aduentare uidebant, quòd cauendum eſſet. Neq; uerò in hoſtium aduentu ſolùm hoc faciebant, ſed etiam in amicorũ, cũ auxilia uenire uidebant, facibus id ſignificabant, ne terrerentur. Et cùm amicos indicabant, faces quietas geſtabant: cum hoſtes, agitabant. Suidas.

Ex Aeſchyli Agamemnone conſtat Speculatorem, qui poſitus erat, ut obſeruaret ignem editum (id enim ſignum conuenerat inter AGAMEMNONEM & Clytæmneſtram Ilij capti) eo ſublato, longeque à ſe uiſo, cognouiſſe expugnatam eſſe Troiam.

IMPERATORES Græci, Saracenorum in Romanas ditiones uolentes nequaquam ignorari incurſiones, ne ex improuiſo irruentes ij regiones euaſtarent, caſtellum quoddã Tarſo uiciniſſimum, excelſiſſimo & natura munitiſſimo in colle ędificauerant, Lulum nomine: in quo collocati cuſtodes, ubi Saracenos incurſionem moliri ſentiebant, igne ſuccenſo ſignum dabant: quo igne cõſpecto, ij qui in Argeo colle excubabant, idẽ faciebant. Eos excipiebãt, qui in Iſamo colle: poſt hos, qui ad Aegialũ, & ſecundùm hos, qui apud Mamantẽ, inde qui in Circo, atq; ab his, qui ad Mocillum, deniq; poſt hos, qui in D. Auxentij colle ſtationem habebant, igne edito Excubitorib. magni palatij, incurſionẽ hoſtium ſignificabant. Hoc igniũ ordine ſeſe inſequẽtium indicio & Imperator momento temporis de hoſtium conatu certior reddebatur, & ruſtici nuncio percepto, muris ſe claudebãt, & impetum hoſtium euitabant. Hac obtinente conſuetudine accidit aliquando, ut dum Michaelus Imp. equis ad fanum Mamantis agendis ſeſe parat, ignis à Pharo ederetur. Quem ut uidit Imperator, timens ne aurigatio ſua nõ ſpectaretur diligenter, animis ſpectatorum perculſis, in tãtum uenit metum, quantus in periculo de uita conſtitutos inuadere poſſet, tantum abfuit, ut eum in theatro ſeſe oſtentandi puderet. Atq; adeò, ne quo aduerſarum rerũ indicio animi hominum ad ſpectandum fierent languidiores, ignem ex ſpeculis urbi uicinis in poſterum edi uetuit. Cedrenus.



ARABES, cùm eſſet conſuetudo eorum, ut aduentum hoſtiũ interdiu fumo, noctu igne ſignificarent, ut ſine intermiſſione ea fierent, præceperunt: aduentantibus autem aduerſariis intermitterent. Sic hoſtes, cùm ceſſantibus luminibus exiſtimarent ignorari aduentum ſuum, auidiùs ingreſſi oppreſſiq; ſunt. Front. lib. 2. cap. 5.

Belli tempore, ANGLI, qui Oceanum accolunt, in uicinis tumulis lucernas pilis affixas locant, ac ubi ex hoſtium aduentu maior illuſtriorq; res accidit, ſubitò lucernas accendunt, clamoreq; per agros & regiones ſignificant: hinc alij deinceps excipiunt, proximiſq; eodem modo ſignum edunt, atque ſic celeriter ad omnes uicos & urbes fama perfertur, & agreſtes ciueſq; ſeſe aduerſus hoſtes armant. Polyd. lib. 25.

CARTHAGINENSES Siciliam uaſtantes, ut celeriter à Lybia ſibi commeatus reſq; neceſſariæ adferrentur, duas clepſydras æquales magnitudine fecerunt, & in utraq; circulos æquales deſcripſerunt, eandem habẽtes inſcriptionem. Inſcriptum autem erat, non opus eſſe nauibus, neq; turbinatis nauigiis, ſed alibi auro, alibi machinis, & rurſus frumẽto: iterumq; beſtiis, & iterum armis ac pedeſtribus equeſtribuſq; copiis. Ad eum modum omnibus circulis cõſcriptis, alterã clepſydram in Sicilia retinentes, alteram Carthaginẽ miſerunt, mandantes, ut cùm ignem apud ipſos ſublatũ uidiſſent, animaduerterẽt, quando ſecundus ignis oſtenderetur, quo in circulo hoc contingeret: eiuſq; inſcriptionem legentes, ſtatim id, quod literis eſſet ſignificatum, mitterent. Hac ratione Carthaginenſes celerrimam deuectionem habuerunt rerum ad bellum neceſſariarum. Polyæn. lib. 6.

*Geſtu, Actione.*

☞ *Modum hic perpẽdimus ingenioſum: etſi in cauſa parũ honeſta, cuius reſpectu ad Aſtum potiùs referri deberet.*

THRASYBVLVS Mileſiorum tyrannus occultè Periandrum certiorem fecit, quid ei faciendum eſſet. Poſteaquam enim nuncium ſibi miſſum à Periandro in meſſem maturam duxiſſet, ſummas ariſtas baculo decuſſit: & tacens nuncium dimiſit, ut Periandro uiſa referret. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 32.

TARQVINIVS Superbus, Rom. rex, cùm Gabios longo tempore oppugnatos capere non poſſet, minimum natũ filium Sextum plagis affectum trãsfugæ ſpecie miſit. Qui corpus acerbis uerberibus caſtigatum uidentes, eum receperunt. Ille contra patrem multa magnaq; pollicitus, cum pleraq; factis exequeretur, fidelis habebatur. Prædas ex Romanorum agris agebat, in fugam eos conuertebat, multas pugnas uincebat. Quã ob cauſam Gabij admirati uirtutẽ, eum imperatorem ac ſummum belli ducem creauerunt. Ille autem clàm nuncio ad patrem miſſo, eum interrogauit, Quid fieri uellet? Tarquinius (nam in horto colloquebãtur) ſumma papauerũ capita decutiens, inquit ad nuncium: Refer filio, me hoc facere quod uides. Sextus Gabiorum potẽtiſſimos de medio ſuſtulit: atq; ita ad ſolitudinem & imbecillitatem Gabios redigens, ciuitatem eorum prodidit. Polyænus lib. 8. Plinius lib. 19. c. 8. & Plinius iunior de Viris illuſtrib. Val. Max. & Frontinus lib. 1. cap. 1.

PIPINI exemplum ſimile, ſed Politicũ, ſub Loco communi, Indicare prudenter, ſuperiore libro poſuimus.

*Sono, Strepitu.*

IO. Meneſius ab Emmanuele rege Luſitanię Arzilæ in Mauritania præfectus, cùm intelligeret regem Feſſenſem Tingitanam urbem ex improuiſo adoriturum, cui Rodericus Caſtrenſis præerat, cùm non poſſet nuncium ad Caſtrenſem, antequam ille accederet, peruenire, maximè uerò cùm nulla eſſet uia, ubi hoſtes eo tempore non inſiderẽt: ignem tormentis æneis applicare iuſſit, ut globorum ſtrepitu poſſet Caſtrenſi ſignificare, quo in periculo uerſaretur. Oroſius lib. 2. rerum Emman.

*Baculo.*

Quoties hoſtes in litore maris, ſeu limitibus regnorum SEPTENTRIONALIVM apparent, tunc illicò iuſſu præfectorum prouincialium, baculus tripalmaris in ſummitate aduſtus, alligato funiculo inſignis, præconi ad hunc uel illum pagum, deferendus committitur, ut certo die ſinguli cum armis & commeatu X. uel XX. dierum, ſub pœna combuſtionis domorum (quæ uſto baculo) uel ſuſpendij (quod fune alligato ſignatur) incerto loco compareãt, cauſam uocationis audituri. Itaq; nuncius ille quouis ueredario celerior, peracta commiſſione lentè reuertitur, ſignum afferens, omnia ſe rectè feciſſe, continuoq; uicatim unus & itẽ alius curſor, qualiter agendum ſit, demonſtrat. Olaus lib. 7. c. 4.

*Sagitta.*

Apud DANOS olim ſolebat ſagitta lignea, ferreæ ſpeciem habens, nuncij loco uiritim per omnes regiones mitti, quoties repentina belli neceſſitas incidiſſet. Saxo lib. 5.

*Clamore.*

PEVCESTES Perſiæ ſatrapa in ſubſidium Eumenis Cardiani contra Antigonum conuocauit decem millia militum. Ac nonnulli Perſarum diſtantes iter triginta dierum, audierunt eo ipſo die quod denunciatũ fuerat, propter artificioſam ſolertiã in cuſtodiis. Nam cùm Perſia ſit interrupta uallibus & ſcopulis altis atq; crebris plena, in his ſtabant indigenarum uocaliſſimi quiq;. Diuiſis ergo ad uocis auditum locis, qui mandatum accipiebant, ſimiliter aliis tradebant: deinde illi rurſus aliis, donec uſq; ad finem ſatrapiæ perferretur. Diodorus libro 19.

*Aenigmate.*

HIPPODAMAS ab Arcadibus Praſiis oppugnabatur. Cùm fame premeretur, Spartiatæ præconem miſerunt, qui in urbem introiret. Arcadibus nõ permittentibus, Hippodamas à mœnibus præconi reſpondit: Ephoris nuncia, feminam prohibere, in æde Chalciœci ligatam. Arcades non intellexerunt. At Lacones animaduerterunt, quòd famem prohibere diceret. Erat enim in æde Chalciœci ſuſpẽſa Famis imago, femina picta ac pallens, tenuibus manibus in tergum reuinctis. Itaq; hoſtibus obſcurum, ciuibus uerò manifeſtũ fuit Hippodamantis dictum. Polyæ. lib. 2. Verùm Athenæus lib. 10. cap. 16. Hippodamum Chromni propè Megalopolim obſeſſum, præconi mandaſſe ſcribit, diceret matri, Mulierculam in Apollinis templo ligatam, eſſe ſoluendam intra decem dierum ſpacium. Eam autem Famem eſſe iuxta Apollinis ſedem pictam.

Cæſo Childerico II. Francorum rege, & Theoderico ei ſuccedente, EBROINVS magiſter equitum à Childerico monaſterio incluſus, illud egreditur, contraq; Theodericum caſtrametatur, conuenientib. ad eum iis, quorum ex ſententia res non erant. Cùm uerò per literas clàm ueteres amicos cõſuleret, Quidnam conſilij capiendum uideretur? Illi perplexè, ac his tantùm duob. uerbis reſponderũt: Memineris Fredegundis. Intellexit uir militaris, ueteranuſq; dux ex breuitate dicti, ſe hoſti contemtui eſſe: audendum, ac in celeritate poſitam uictoriam. Cum delectiſſimis igitur equitum & uelociſſimis peditum ſub noctem iter ingreſſus, Iſaram fl. cæſis cuſtodibus uado tranſmiſit, hoſteſque non inopinantes oppreſſit. Aemilius lib. 1.

*Literis mandandis prudenter.*

Poſt pugnam ad Salaminẽ, relicto in Græcia Mardonio à Xerxe, ARTABAZVS Pharnacis F. Perſa, 60. millibus præfectus, expugnata Olyntho, Potideæ obſidendæ impenſiùs incumbens, cum Timoxeno Scioneorum magiſtratu de facienda proditione tranſegit. Quoties autem ſecretò libellum aut Timoxenus ad Artabazum, aut Artabazus ad Timoxenum mittere uolebat, eum ſagittæ inuoluebat, & adaptatis deſuper pennis ad locum certũ ſagittam emittebat. Accidit autem, ut Artabazus ad conuentum locum ſagittã dirigens, fruſtrante iactu, humerum cuiuſdam Potideatæ percuteret. Ad quem ſaucium turba (ut aſſolet in bello fieri) cùm cucurriſſet, euulſa ſagitta, libellum detulit ad magiſtratus. Cognito proditionis auctore, non tamẽ cenſuerunt Timoxenum eſſe plectendum, Scioneæ ciuitatis gratia, ne in poſterum ſemper Scionei pro proditoribus haberentur. Herodotus lib. 8.

C. IVL. Cæſar audiens Ciceronem à Gallis obſeſſum oppugnationem ferre non poſſe, miſit militem cum præcepto, ut per noctem epiſtolam iaculo alligatam ſupra murum emitteret. Quam cùm cõieciſſet, mœniorum cuſtodes repertam ad Ciceronem attulerunt, in hæc uerba: Cæſar Ciceroni fiduciam optat. Expecta auxilium. Paulo pòſt fumus ac puluis cernebatur, Cæſare terram uaſtante. Itaq; repentè interciſa oppugnatione, non ſolùm Ciceronem liberauit, ſed etiam oppugnantes repulit. Polyænus lib. 8.

HIRCIVS Coſ. ad Decium Brutum, qui Mutinæ ab Antonio obſidebatur, literas ſubinde miſit plumbo ſcriptas, quib. ad brachium religatis, milites Scultellam amnem tranſnabant. Front. lib. 3. cap. 13.

Ioãnes Nouius, auſpiciis Emmanuelis, Luſitaniæ regis, in Indiam miſſus, poſtquã regionem Aequinoctiali circulo ſubiectam tranſmiſit, in inſulam incognitam delatus eſt, cui Conceptionis nomen indidit. Inde Mozambiquem petiit. Sed antequam eò perueniret, naues ad terram aquandi gra

tia conuertit, ad eum locum, quem S. Blaſij aquationem nominant. Ibi calceum uetuſtum è frondibus cuiuſdam arboris alligatum cernit. Non temerè uiſum eſt. Itaque calceum ſolui, & ad ſe deferri iubet. Erant in illo literæ, Petri Ataidæi præfecti nauis ex ea claſſe, cui Vincentius Soderius præerat, manu ſcriptæ, quibus admonebat omnes duces Luſitanos, qui eò deflecterent, ut Calecutij portum uitarent. Regem eſſe ſceleratum & immanem, & in Luſitanos peſtem primò inſidiis, deinde ſummis uiribus fuiſſe machinatum. Oſorius lib. 2. rerum Emmanuelis.

*Literis occultandis prudenter.*

Mileſij cum Naxiis bellum gerebant. Erythræi Mileſiis auxiliũ ferebant. Diognetus Erythræorum dux magnam prædam Naxiorum cœperat, mulieres etiam & uirgines plurimas, in quibus erat Polycrete. Eam cùm uehementer amaret, non ut cum captiua, ſed uelut cum uxore conſuetudinem habebat. Agebatur in caſtris Mileſiorum patrium & ſolenne feſtum: omneſque uino & lætitia proſtrati iacebant. POLYCRETE rogabat Diognetum, ut ſibi liceret bellariorũ aliquot portiones ad fratres tranſmittere. Quo permittente, plumbeum libellum in placentam coniecit: mandans ei qui ferebat, diceret fratribus, ut ipſi ſoli comederent ex ore ſororis profectas. Illi repertum plumbum aperientes, legũt, ut pernoctem adoriantur hoſtes, ob feſtum inebriatos, ac ſine cura dormientes. Quo cognito, duces noctu eruptionem in caſtra fecerunt, hoſteſq; ſuperarunt. Diognetum autem Polycrete à ciuibus impetrauit. Polyænus libro 8.

HARPAGVS, cui Aſtyages Medorum rex filium epulandum appoſuit, occultè Cyrum per literas moniturus, ut Medos bello inuaderet, literas, quibus iuuenem acceriebat, lepori exenterato inſeruit, quem nuncius ad Cyrum detulit. Sic literæ tutò in Perſidẽ perlatæ ſunt: & Cyrus bello illato, Medorum imperio potitus eſt. Sabellicus lib. 10. cap. 6. Polyænus lib. 7. Iuſtinus, & Herodotus lib. 1.

HISTIÆVS Mileſius, in Perſia agens apud Darium regem, Ioniam ad defectionem ſollicitare uolens, neq; audens literas mittere, propter cuſtodes uiarum, ſeruo fideli, capillis abraſis, ſtigmata capiti inſcripſit: Hiſtiæus Ariſtagoræ, Ioniam ad deficiendum ſollicita. Atq; ſuprà ſtigmata crines nutriuit. Hoc modo fallens cuſtodes ſtigmatophorus, deſcendit ad mare: & abraſis capillis, Ariſtagoræ Ioniæ tyranno ſtigmata mõſtrauit: qui cùm legiſſet, effecit, ut Ionia deſciſceret. Polyæn. lib. 1. Sab. lib. 10. cap. 6. Herod. lib. 5.

LACEDÆMONII ueteres, cùm diſſimulare & occultare literas publicè ad imperatores ſuos miſſas uellent, ne ſi ab hoſtibus exceptæ forent, conſilia ſua noſcerentur, epiſtolas id genus factas mittebant. Surculi duo erant teretes, Scytalas uocant, oblonguli, pari craſſamento, eiuſdemq; longitudinis, deraſi atq; ornati conſimiliter. Vnus Imperatori in bellum proficiſcenti dabatur, alterum domi magiſtratus cum iure atque cum ſigno habebant. Quando uſus uenerat literarum ſecretiorum, circum eum ſurculum lorum modicæ tenuitatis, longum autem quantum rei ſatis erat, complicabant, uolumine rotundo & ſimplici: ita ut oræ adiunctæ undique, & cohærentes lori, quod plicabatur, coirent. Literas deinde in eo loro per tranſuerſas iuncturarum oras, uerſibus à ſummo ad imum proficiſcentibus, inſcribebant. Id lorum literis ita perſcriptis reuolutum ex ſurculo, imperatori commenti illius conſcio mittebant. Reſolutio autem lori literas truncas atque mutilas reddebat, membraq; earum & apices in parteis diuerſiſſimas ſpargebat: propterea ſi id lorum in manus hoſtium inciderat, nihil quicquam coniectari ex eo loro quibãt. Sed ubi ille, ad quem erat miſſum, acceperat, ſurculo compari quẽ habebat capto, ad finem perinde, ut debere fieri ſciebat, circumplicabat: atque ita literæ per ambitum eundem ſurculi coaleſcentes, rurſum coibãt, integramque & incorruptam epiſtolam & facilem legi præſtabant. Hoc genus epiſtolæ Lacedæmonij σκυτάλην appellant. Gell. lib. 17. cap. 9 ex Plutarcho in Lyſandro. Textã Spartanam ſcriptam uocat Cyrbim Achæus, pro Spartana tabula. Quòd autem albo loro circumuoluentes tabulã, ea quæ uolebant, ſcribebant Lacedæmonij, apertè declarauit Apollonius Rhodius in libro de Archilocho. Athen. lib. 10. c. 17.

DEMARATVS exul literas mittens Spartiatis de exercitu Xerxis, in tabulam expertem ceræ ſcriptam epiſtolam cera obduxit, ut per cuſtodes quaſi ſine literis ferretur. Polyænus libro ſecundo.

In hiſtoria rerum Punicarum traditur, uirum quempiam illuſtrem (ſiue ille HASDRVBAL, ſiue quis alius eſt, non retineo) epiſtolam ſcriptam ſuper rebus arcanis, hoc modo abſcondiſſe: Pugillaria noua, nondum etiam cera illita, accepiſſe, literas in lignum inciſiſſe; poſtea tabulas (uti ſolitum eſt) cera colliniſſe, eaſque tabulas, tanquam non ſcriptas, cui futurum id prædixerat, miſiſſe. Eum deinde ceram deraſiſſe, literaſque incolumes ligno inciſas legiſſe. Gellius lib. 17. cap. 9.

CAMPANI diligenter Romanis, à quibus obſeſſi erãt, cuſtodias agentibus, quendam pro transfuga ſubornatum miſerunt, qui occultatam baltheo epiſtolam, inuenta effugiendi occaſione, ad Pœnos pertulit. Front. lib. 3. cap. 13.

NONNVLLI interiorã uaginarum inſcripſerunt. Idem.

C. IVL. Cæſaris ad C. Oppium & Balbum Cornelium, qui res eius abſentis curabant, epiſtolæ extant, in quib. literæ quædam ſine coagmentis ſyllabarum inſunt, commento inter eos clandeſtino, de commutando literarum ſitu. Gell. libro 17. capite 9. Sic ſtructus erat literarum ordo, ut nullum uerbum effici poſſet. At ſi quis inueſtigare & perſequi uellet, quartam elementorum literam, id eſt, d pro a, & perinde reliquas commutabat. Suetonius.

QVIDAM tithymalli lacte inſcribunt corpus: cumq; inaruerit, cinerem inſpergunt, ut literæ appareant. Atq; ita quoſdã adulteras alloqui maluiſſe quàm codicillis, refert Plinius libro 26 capite octauo.

ANDRONICVS ſenior Imp. literas ad Cralem Seruiæ & alios præfectos miſit: quæ ut perferrentur tutò, tenui linteo & albo inſcriptæ, tabellariorum ueſtibus ſolerter inſutę fuerant. Gregoras lib. 9.

SICVLI in Tranſſyluania ad explicandam animi ſui ſententiam ac uoluntatem quotidianam, pręter uſum papyri & atramenti aut characteris aliarum linguarum, notas quaſdã bacillis ligneis incidunt, aliquid inter ſe ſignificantes: quib. ita inciſis, apud amicos ac uicinos uice nuncij epiſtolæue utũtur. Nicolaus Olaus in Atila cap. 18.

Vladiſlaus Iagello Polonorum rex, Suitrigelloni fratri ſuo, homini ignauo Podolia ceſſurus erat. Aegerrimè id ferentes duo nobiles iuuenes, ANDREAS Tencinius, & Nicolaus Dreuicius, ducti amore patriæ, ſcripſere Michaeli Buciacio, qui Cameneciam obtinebat, Regem extrema neceſſitate adactum Podolia Suitrigelloni cedere: ſed ſi ipſe communi patriæ ſimul & honori ſuo conſultum uellet, non modò non pareret mandatis regiis, uerùm Zaclicam pariter & Babam legatos comprehenderet. Eas literas, quoniam palàm ferri nequibant, Suitrigellone omnes excutiente, conuolutas, ceraque contectas, ut ſpeciem cerei præ ſe ferrent, Zaclicæ puero omnium inſcio, paucula pecunia præ manu ei data, dedêre: ut is cùm primùm Cameneciam ueniſſet, cereum illum Buciacio præfecto redderet, atq; hæc uerba adderet, Vt ſi errare ille nollet, ex eo cereo unà cũ magiſtratu urbano lumen quæreret. Cùm autem puer bona fide omnia feciſſet, miratus Buciacius, quid ſibi cereus ille & ambigua mandata uellent, non de nihilo tamen omnia illa eſſe ſuſpicatus, refracta cera literas inuenit, Zaclicam & Babam in cuſtodia habuit. Cromerus lib. 20.

IVLIO Medici, mortuo patruele Leone X. Romæ pontificatum ambienti, conſilia hoſtium, qui mortuo pontifice, oppida ſua, quib. erant deiecti à Mediceis, recuperare nitebantur: per notas arbitrarias anguſtiſſimè conſcriptas, ſyngraphis inter fercula ſedulò occultatis, intra comitia & conclaue quotidie nunciata ſunt. Iouius in Hadriano VI.

Alfonſus à patre Ferdinando Neapolitanorum rege contra Innocentium VIII. Pontificem miſſus, à Roberto Sanſeuerinate prælio uictus, uix effugit. Ferdinandus de filij ſalute, omnibus inſeſſis ab hoſte itineribus, deſperabat. LAVRENTIVS Medices Florentinæ Reip. princeps, ut miſerum ſenem de filij incolumitate certiorem redderet, parua lamina è ſtanno codicillos inuolutos nondum coctio pani includit, atque uni ex neceſſariis, cùm tectos eo inuolucro aſſandos curaſſet, Neapolim ad regem tradit perferendos. Is literis acceptis, cùm ad confirmandum errorem ſe mendicum atque egentem effingeret, pannoſus ac ſitu & ſqualore obſitus, cùm ſæpe iter faciens in militum cuſtodias incidiſſet, diligenter excuſſus ac ſtipe donatus, præter ſe obſeruantium oculos incolumis Neapolim euaſit, ac mœſto Regi & filij caſum lugenti, literas reddidit. Brutus libro 8. hiſtoriæ Floren.

Apud CALECVTIOS nũciorum in bello hæc eſt ratio. Rem eſſe in magno diſcrimine, ſublato clamore ſignificant. Qui clamorem excipiunt, rurſus ut alios ad auxilium excitent, eadem ſignificatione clamoris utuntur: & ſic fit, ut partim nunciis ad eam rem miſſis, partim clamoris ſucceſſione continuata, intra breue tempus magnæ militum copiæ congregari ſoleant. Oſorius lib. 3. rerum Emmanuelis.

## FORTIS, SIC IMPERATOR TOLERET ADVERSA.

*Vide Tit. Animare milites cùm alias, tum præſertim diſſimulando res aduerſas. Item, Metum militibus eximere. Ipſa quidem fortitudo & animi conſtantia ad locum Fortitudinis pertinet: at quatenus hac ipſa militum quoq; animos confirmat, Prudentiæ inſeruire uidetur.*

SECVN-



## SECVNDIS NON EFFERATVR.

*Ex Tit. Securitatem militi eximere, huc quædam. Quatenus Imperator priùs ſeipſum, rebus proſperè geſtis, deinde milites refrænat.*

## DECLINET PERICVLA. PARtim ut

*Ne pugnæ ſe committat.*

Si, ut diſtinxit IPHICRATES, leuis armatura manibus ſimilis eſt, pedibus equitatus, pedites pectori & thoraci, capiti Imperator: non ſui curam periculò ſe exponens temerè & ferociens abiicere dicendus eſt, ſed omnium quorum ex ipſo dependet ſalus, & contrà. Plut. in Pelopida.

Dauid Iudęorum rex, in perſequendis Philiſtæis maximum diſcrimen uitæ adiit. ISRAELITÆ Dauidis periculo commoti, decretum tulerunt, ne, qui rex eſſet, ad bellum exiret ampliùs. Sabell. lib. 9. Ennead. 1.

XERXES cũ Græcis ad Salamina prælio nauali certaturus, ubi diluxit, in edito conſedit, claſſem & aciem ſpeculans, ut Phanodemus ait, ſupra fanũ Herculis, qua anguſtò freto dirimitur ab Attica inſula: ut Aceſtodorus teſtatur, in Megaridis confinio ſuper colles, quos Cerata appellant. Aureo ſedit ſolio multis adhibitis ſcribis, quorum erat munus, ut quæq; res in prælio gereretur, excipere. Plut. in Plutarcho.

CLEARCHVS Cyro dedit conſiliũ, ne ipſe ſe in periculũ offerret, ſed inſpectorem ſe pugnæ gereret. Pugnantem enim manibus nihil magnũ effecturũ. Si uerò quid dãni acciperet, omnia relicturum iis, quos ſecum haberet. Polyæn. l. 2.

Pyrrhus Epirotarum rex, Argos mouens, cùm Antigonũ iam conſediſſe accepiſſet in locis editis campo imminentibus, miſſo ad ANTIGONVM caduceatore, conſceleratum eũ appellauit, prouocauitq;, ut in planiciẽ deſcenderet, atq; de regno ſecũ decerneret. Ille uerò ductũ ſuum reſpondit non armorum magis quàm temporum eſſe: Pyrrho, ſi uitę pœniteret, multas patêre ad interitum uias. Plut. in Pyrrho.

Admiratione dignũ eſt, in tot cõflictibus, quot deficiat dies recenſentẽ, ne uulnus quidẽ accepiſſe ANNIBALEM. Nẽpe quàm in aliis circumueniendis catus, tàm in ſua ſalute cuſtodiẽda cautus. Plut. in Marcelli & Pelopidæ cõparatione.

P. SCIPIO Africanus fertur dixiſſe, cùm eum parum quidam pugnacem dicerent: Imperatorem me mater, non bellatorẽ peperit. Frontinus lib. 4. cap. 7.

C. MARIVS Teutoni, prouocanti eum, & poſtulanti ut prodiret, reſpondit: Si cupidus mortis eſſet, laqueo eum uitã poſſe finire. cumq; demonſtraret ei gladiatorem contemtæ ſtaturæ, & propè exactæ ætatis, obiecit ei, dixitq;: Si eum ſuperaſſet, tunc ſe cum uictore congreſſurum. Ibidem.

Byorix, Cimbrorum rex, citato agmine ad Romana caſtra cõtendens, C. Marium Coſſ. omnia ad uſum belli circumſpectantem ad pugnam prouocauit. Cui MARIVS, Romanorum (inquit) mos eſt, ſuo, non hoſtium arbitrio dimicare. Sabellicus lib. 2. Enneadis 6.

Bello Sociali, cùm Silo Popedius, cuius apud hoſtes maxima erat auctoritas & potentia, increparet C. MARIVM, dicẽs: Si magnus dux es, Mari, deſcende ad certamen, ille reſpondit, Imò tu, ſi magnus es dux, coge me dimicare inuitũ. Plutarchus in Mario, & in Apophtheg.

M. ANTONIVS ad Actium Cæſarem Octauium, quamuis ætate longè maior, ad ſingulare certamẽ prouocauit. Verùm Cæſar parêre noluit. Victus Antonius, cùm Peluſij obſideretur, prouocauit denuò per nuncios Cæſarem, ut ſolus ſecum certaret: qui reſpondit, Vias Antonio multas patere ad interitum. Plut. in Antonio, & Sab. lib. 9. En. 6.

Feruẽte inter Magnentiũ tyrannũ & Conſtantiũ Imp. ad Murſam Pannoniæ pugna, CONSTANTIVS tanto ſe cõmittere diſcrimini ueritus, in baſilica martyrum, extra oppidũ ſita, Valente Murſæ epiſcopo Ariano in ſocietatem aſſumto, uerſatus eſt. Valens aũt callidè per ſuos diſpoſuerat, ut quis prælij fuiſſet euentus, primus edoceretur: uel ut à rege gratiã iniret, ſi prior bonũ nunciũ detuliſſet, uel ut uitæ ſuæ cõſuleret, ſi quid ſecus accidiſſet. Ita paucis, qui circa Imperatorẽ erant, metu exterritis, ipſoq; Imperatore anxio, primus hoſtes fugere nunciauit. Cùm Conſtantius indicem intromitti iuberet, Valens, ut reuerentiam ſibi aſciſceret, angelum ſibi nunciaſſe reſpondit. Facilis ad credendũ Cõnſtãtius, palàm poſtea dicere eſt ſolitus, Se Valentis meritis, nõ uirtute exercitus, uictoriam retuliſſe. Hæc Zoſimus & Seuerus. Sigonius lib. 5. Imp. occid.

Ioannes Zimiſca Conſtantinopol. Imperator, cum Roſſis bellum gerens, tempus teri ægrè ferens, ſuorumq; ærumnas eius belli miſerans, ſingulari pugna decernendum cenſet. Itaq; SPENDOSTHLABVM Roſſorum principem per legatos prouocat, & oſtendit, præſtare unius hominis interitu rem decidi, quàm paulatim totas gentes perimi. Conditionem hanc repudians Barbarus, reſpondit: Melius ſe, quid ex re ſit, quàm hoſtem intelligere: ſi Rom. Imp. uiuere non placeat, infinitas eſſe mortis uias. Cedrenus.

CHAGANVS, Perſarum rex, à Tiberio Imp. uictus, dedecoris impatiens legem tulit, Ne rex Perſarum ullus poſthac in bellum proficiſcatur. Cedrenus.

LVCHINVS Vicecomes, Actij patruelis in imperio Mediolanenſi ſucceſſor, per legatos ferè ſemper bella geſſit, tametſi antea lõgè acerrimus bellator fuiſſet, utpote qui in omnib. ferè iuſtis p̃liis honeſta uulnera ſuſceperit. Iouius in Actio.

IOANNES GALEACIVS infauſtis ſuſceptæ militiæ initiis, cùm ſatis ſuperq; cùm uirtutis, tũ fortunæ ſuæ periculũ feciſſe uideretur: mortuo patre Galeacio II. per legatos bella gerere cõſtituit, quòd unicus patris hæres extra infeſti martis diſcrimina ſibi omninò parcendũ, alienaq; uirtute, quæ pecuniæ mercede pararetur, ſubeundam præliorum aleam exiſtimabat: rebaturq;, uti natura cautus exacteq; prudens, &, uti mox apparuit, conſilio quàm manu ualidior, ſe domi quàm foris feliciorem euaſurum, pollicentib. præſertim ex genitura Mathematicis maximas opes, adauctum imperiũ, hoſtium calamitates, ſummamq; gloriam, ſi armorum pericula deuitaret. Iouius in Ioanne Galeacio.

Heluetij ad Nouariam cum Gallis dimicaturi, MAXIMILIANVM Sforciam, qui inſultantibus Epirotis magno in diſcrimine uerſabatur, pugna excedere, & continuò in urbem reuerti iuſſere, ut belli caput acerbitati fortunæ expoſitũ ſperatæ uictoriæ conſeruaret. Eum uerò generoſè renitentem, & ut ſe communis ſortis caſum ſubire paterentur, conſtanti animo deprecantem: duo centuriones cum totidem manipulis freno arreptum, & detractis caſſide criſtis, inditaq; uili chlamyde, ut paludamentum tegeretur, ex acie ſubduxere, conglobatoq; equitũ agmine in urbẽ redire coegere, ut inde periculo uacuus, ipſorum uirtutis ſpectator, maturæ uictoriæ nuncium expectaret. Sab. ſupplem. lib. 1. ex Iou.

*Cautè pugnæ interſit.*

CONON nauale prælium initurus, nunciante transfuga, triremes optimas hoſtium ad Cononis nauem capiẽdam intendere, apparauit ſuæ ſimilẽ, & ducem ſuis ornamentis induit, atq; ad dextrũ cornu diſpoſuit: ab eaq; uniuerſæ claſſi ſignum dari iuſſit. Hoſtes cùm id uidiſſent, qui optimas naues habebant, repentè ad imperatoriam contendunt. At Conon in reliquam claſſem inuadens, alias ſubmerſit, alias in fugam conuertit. Polyænus lib. 1.

CVNIPERTVS, Longobardorũ rex, cõtra Alachin ducẽ Tridentinũ, regni æmulum, ad Abduam, in Campo Coronatæ pugnaturus, eum miſſo nuncio ad rem ſingulari dirimendã certamine prouocauit. Quod Alachis reſpuit, roboris Cuniperti atq; audacię recordatus. Cùm uerò iam propè eſſet, ut utrinq; concurreretur: Zeno diaconus uicem regis ſolicitus ipſum cõuenit, atq; ita dixit: Domine rex, omnis uita noſtra in ſalute tua conſiſtit. quia, ſi tu in acie cecideris, omnes nos tyrannus Alachis per ſummos cruciatus necabit. Quin tu igitur mihi ornatum regium tradis, & ego manum cũ illo conſerã? Nam, ſi ibi ego periero, tu facilè cauſam recuperabis tuã: ſi uicero, maior ex uictoria ſerui tui in te gloria redũdabit. Cunipertus amicorũ precibus & lacrymis uictus, uix demũ conceſſit: ac loricã, galeam, ocreas, cæteraq; ſua arma diacono tribuit, atq; eum pro ſe in prælium miſit. Cõmiſſo inde prælio, Alachis opimum decus expetens, acriter in eam ſe partẽ præcipuè intulit, in quã ſtare regẽ exiſtimauit: ac diaconum unum ſpecie armorum deceptus telo appetens interfecit, ac ſtatim iacenti caput præcidi, ac pilo ad terrorẽ hoſtibus incutiendũ iuſſit præfigi. Verùm ubi demta caſſide clericũ ſe pro rege uidit interemiſſe: ira furẽs, Malum clericis omnibus, inquit, ſi quando integrã uictoriam cõparauero. Cunipertus nudato capite ſe oſtentans, ſuos à fuga retinuit, ac bene ſperare de tota uictoria iuſſit. Poſt paucos inde dies, Cunipertus rurſus Alachin, num uiritim dimicare uellet, prouocauit: uerùm nihil obtinuit. Pugnatũ eſt inde maximo armorũ & animorum ardore: Alachis interemtus, & exercitus eius in fugam uerſus: & qui à ferro integri remanſerunt, dum fugam capeſſerent, cæcis amnis gurgitibus hauſti ſunt. Sigonius lib. 2. regni Italici.

GREZOMISLAVS ſiue Neclam, octauus dux Boëmorum à Vratiſlao patruo bello preſſus, Sclericum equitẽ forma ſibi ſimillimum, ſuas partes in prælio obire iuſſit. Is uti uictoriã Grezomiſlao ignauiſſimo, ita ſibi mortem peperit, in acie cæſus, inſigni uirtutis ſuę gloria poſteris relicta. Aeneas Syluius in hiſt. Boemiæ.

CAROLVS Andegauenſis, in prælio contra Conradinũ Sueuum, hoſtiũ inſidias, mutato habitu, detractis inſignib. regiis, calonis habitu ſumto, euitauit. Aemilius lib. 7. & Fulgoſus lib. 7. cap. 4. & Platina in Clemente 4.

LVDOVICVS Borbonius, qui à Gallis defecerat, in pugna ad Papiam in Parco commiſſa, quum à Gallis uindictæ auidis, omnib. pugnæ locis requireretur: ad tutiorẽ promtitudinẽ Pomperano familiari traditis inſignibus, tunicati & priuati equitis habitu depugnauit. Iouius in Piſcario lib. 5.

Mezethus Tranſſyluaniã prouinciã ab Turcarũ rege inuadere

 iuſſus

iuſſus, quum accepiſſet, IOANNEM Coruinum, prouinciȩ præfectum, cum exercitu occurrere, ſuis imperauit, ut inita ſtatim pugna, quibuſcunq; id negotij mandatum erat, Coruinum circumuenirent, ac trucidarent. Edoctus de conſilio hoſtis Vaiuoda, ſaluti ſuæ animum intendit. Erat ſibi miles quidam è Kemenia nobilitate editus, cui Simōn nomen erat, Coruino perſimilis. Cum hoc equum armaq; cōmutat. Nec Simō pro amico mori recuſat, ut fato ſuo liberatorem reipublicæ conſeruaret. Turcæ, Simonem Coruina arma ferentem circumueniunt, & trucidant unà cum filio. Coruinus inſigni potitur uictoria. Bonfinius lib. 5. Dec. 3.

CAROLVS V. Cæſar, anno 1555. Muleaſſem à Barbaruſſa eiectū in Tunetanū regnum reſtituturus, expugnata iam Guleta, iuſto prælio cū Barbaris, Alfonſi Vaſtij, penes quē eo die imperium militare erat, monitu, decertare ſtatuit. Tum Vaſtius ad Cæſarem, Ergo æquum eſt, inquit, ut qui toti propè terrarū orbi imperas, ei parēre cōdiſcas, quem graui cū onere pudoreq;, hoc die tanti exercitus ducem, abdicato imperatoris nomine eſſe uoluiſti. Itaq; iure meo, iam utor, iubeóque, ut hinc abſcedas ad mediam aciem ubi ſunt uexilla, ne fortuito incidentis pilæ caſu, uniuerſa communis fortunæ ſalus, unius hominis periculo, inexpiabile ſubeat diſcrimē. Ad id ſubridens Cæſar, & ne id timeret, ſubdens, quādo Auguſtorum Cęſarum nemo unquam tormenti uiolentia concidiſſet, confeſtim ad ſigna ſe contulit. Iouius lib. 34. Hiſt.

PROPVLSET SECVRE.

TRAIANVS Romanorum Imperator, licèt eſſet auidus belli: ita tamen ſibi in eo temperabat, ut hoſtes mora ſua frangeret, amicos augeret. Non enim ei unquam accidit, quod euenire in eiuſmodi rebus ſolet, ut milites feroces ſe & inſolentes præbuerint, uſq; adeò bene & cum ratione imperabat. Dion Nicæus atq; Xiphilinus in eius uita.

CAROLVS VII. Gallorū rex, cū aperto marte Anglis omnia feliciter ſuccedere uideret, cunctando & hoſtē obſeruando potiùs quàm pugnando, Gallorum animos, Angli pertęſos imperij, ad ſe pertraxit, & regnum patris ignauia & Philippi Burgundionis perfidia amiſſum recuperauit. Polyd. lib. 23.

CLEMENS, SEVERVS, IVSTVS.

*Exempla horum ſeq. locis, reſpectu Militum & Hoſtium, ponentur.*

## PRVDENTIA BELLICA QVO AD IMPERATORIS CORPVS. NEMPE QVO AD

SALVTEM, VITAM.

*Paulo antè Prudētiæ Imperatoris tribuimus, Nō pugnare, ne caput ſuum periculis obiiciat. Item ſub Tit. Exercitum per loca infeſta ducere, exempla quædam huc Tit. conuenire poſſunt, quatenus Dux ut exercitus totius, ſic ſuam quoq; uitam conſeruat.*

LACHARES, cùm Seſtum hoſtes cepiſſent, paucos dies in fouea delituit, uictū exiguū, & tantū habens, ut à morte ſe uindicare poſſet. Fortè aūt fortuna muliere ſuum mortuū efferente, in muliebri ſtola mulieribus luctum agētibus permixtus, nigram habens calyptram, euaſit extra mœnia. Deinde per noctem Lyſimachiam tranſiit. Polyęnus lib. 3.

IDEM captis Thebis in cloacam ſe abſcondens, poſt triduum ſeu quatriduum ſub ueſperam egreſſus, ad Delphos abiit. Et inde ad Lyſimachum. Polyænus lib. 3.

IDEM captis Athenis à Demetrio, ueſtē ſeruilem & ruſticam indutus, atramento faciem tingens, calathum ſterquilinió tectum portans, furtim egreſſus per exiguam portulā, conſcenſó equo, Daricos aureos in manibus tenēs, fugit. Equites Tarentini ſummo ſtudio perſequentes, nihil remittebāt. Qui ſigillatim Daricos in uiam ſparſit. Illi deſcendentes ex equis, aurum colligebant. Ipſe in Bœotiam peruenit. Idem, & Suidas.

EVMENES Gallos perſequentes fugiebat, imbecilla corporis ualetudine præditus, & in lectica decumbens. Cùm non ſatis celeriter fugā maturaret, & iam interciperetur, conſpicatus ſecus uiam collem, mandauit iis, qui lecticam portabant, ut in hoc eam deponerent. Barbari proximè ſequētes, arbitrati, nunquā hoc Eumenem facturū fuiſſe, niſi magnā aliquam manum in propinquo auxilij cauſa latitantem haberet, à perſequendo deſtiterunt. Polyæn. lib. 4.

SELEVCVS cùm è Cilicia fugiſſet è prælio, quod aduerſus Barbaros cōmiſerat: ut ne amici quidē intelligerent eū cum paucis ſe fugæ mandare, Amactyonis ducis regiæ iam armigerum ſe eſſe ſimulabat, ſumta ueſte ad habitū armigeri accōmodato. Poſtea cùm magna multitudo equitū peditūq; confluxiſſet, tum recepta ſtola regia ſeipſum militibus conſpiciendum agnoſcendumq; præbuit. Polyænus lib. 4.

NICOLAVS Picininus, qui in Brixiano agro Philippi Mediolanenſis ducis exercitui præerat, apud Gardā oppidum circa Benacum lacum, à Franciſco Sforcia Venetarum copiarum duce, uictus, quum ſe trepidè in oppidum recepiſſet, latuit per diem: ne ſi uictor hoſtis reſciuiſſet ſe Thenij eſſe, attētiſſima obſidione oppidū cingere perſeueraret, omnémque euadendi adimeret facultatem. Intempeſta autem nocte pannis obſitus, pro lacero uulneribuſq; confecto milite humeris extra oppidum delatus, auerſis itineribus Ripā oppidum peruenit, quò magna equitatus pars ſe ex fuga receperat. Sunt qui dicant, eum ſacco obuolutum, ac pro uili ſarcina à Todeſchino ſatellite, panem ſe ferre ſimulante, per medios hoſtes in tutum deportatum. Sabel lib. 4. Dec. 3. & Fulg. lib. 7. cap. 3. & Platina in Eugenio IIII.

HABITVM, ORNATVM.

XENOPHONTI tum alia honeſta bonaq; curæ fuerūt, tum ut haberet arma pulcra & expolita. Aiebat enim, ſi uiciſſet, elegantiſſ. quoq; ſe ſtola ab hoſtibus indutum iri: & ſi uitā amitteret in prælio, decorum eſſe iacere in armatura ſplendida. Dicitur igitur habuiſſe ſcutum Argolicum, thoracem Atticum, galeam Bœotico artificio factam, equum Epidaurium. Aelianus de Var. hiſt. lib. 3.

ALCIBIADES, cùm exercitus dux eſſet, ut pulcer eſſet ſtuduit: nā & ſcutū habebat ex auro eboreq; confectū, in quo erat inſigne, Amor, qui fulmen flexerat. Athen. lib. 12. cap. 16.

## PRVDENTIA QVO AD IMPERATORIS FORTVNAS.

OPES CONSERVARE, ACQVIRERE.

*De his infrà ſub Organorum bellicorum adminiſtratrice Prudentia.*

INFAMIAM, SVSPICIONEM EVITARE, ELVERE

*Perfidiæ, Proditionis.*

PERICLES multum terræ poſſidebat. Archidamus Laconū rex, cum quo uetus ei amicitia & hoſpitium intercedebat, populabūdus in Atticam impreſſionem fecit. Pericles proſpiciens, ac præſentiens, Archidamum hoſpitij religione ac honore ſuis agris parſurum, ne in ſuſpicionem Athenienſibus ueniret, ante uaſtationem in concionem progreſſus, omnem terram quam poſſidebat Reipublicæ donauit. Polyęnus lib. 1. Simili ſtratagemate cùm Q. Fabium Max. Dictatorem circumuenire Hannibal ſtuderet, FABIVS agros ſuos Reip. dedit. Val. lib. 7 cap. 3. & Front. lib. 1. cap. 8.

*Deſertionis.*

DOMINICVS Michael Venetorum dux, cùm audiret Hieroſolymitanum regnum grauiter laborare, Balduino II. Hieroſolymorum rege à Turcis capto, Calliſti Pontif. rogatu ualidiſſima claſſe Venetiis ſoluens, Saracenicam claſſem Ioppem obſidione prementem diſiecit, & ad Tyrum inſulā obſidendam conuerſus eſt. Cingebant eam ex altera parte terreſtri exercitu Varimundus Hieroſolymitanus antiſtes, reliquique Franci principes. Inter Francos ſeditio exorta eſt. Non ſine manifeſto periculo Tyrum ab ſe obſideri aſſerebant, Saracenorum ducem magnis aduentare copiis, Venetos interim omnis periculi & aleæ immunes fore. Ea re ad Dominicum ducem delata, id conſilium maximè placuit, ad confirmandos ſociorum animos, ut ex ſingulis nauium carinis integræ tabulæ abſcinderentur, earumq; claui & reliqua gubernacula ad Varimundum antiſtitem in caſtra deferrentur. Hoc factum omnium animos, qui aderant, ita flexit, ut exclamarent, omnes unam eſſe Venetorum fidem, unam conſtantiam, ducemque ipſum Michaelem unum omnibus rebus anteponendum. Maiori igitur ſtudio in obſidenda Tyro uerſis omnium animis, facilè id contigit, ut Tyrus tandem caperetur: tertiaque urbis parte Venetis tradita, priuam illis aream, priuum forum, priua deniq; omnia templa concederentur, id quod fœdere inter Varimundum & reliquos principes conuenerat. Quod Balduinus rex poſtea comprobauit. Egnat. lib. 2. cap. 2. & Aemilius lib. 5. de Francorum regibus.





## MILITVM PRVDENS DELECTVS.

QVI, QVALES DELIGENDI.

IN GENERE.

Apud ISRAELITAS talis fiebat delectus, Moſis inſtituto Prȩco per caſtra clamabat: Si quis nouam domum ædificauit, neq; dedicauit, is domum repedato: ne ſi occubuerit in prȩlio, alius eam dedicet. Itē ſi quis uineā conſeuit, neq; profanauit, domū repedato: ne ſi occubuerit in prælio, alius eam profanet. Itē ſi quis uxorē deſponſauit, neq; duxit, domum repedato: ne ſi in prælio occubuerit, alius eam ducat. Denique ſi quis timidus eſt & molli animo, domum repedató, ne animi ſui mollicie aliorum animos effeminet. Licebat in de uolenti ſecedere. Iis copiis, quæ manſerant, duces præficiebantur. Deuteron. 20.

IN SPECIE. QVO AD

Animum ſcilicet. Nempe

*Periti rei bellicæ.*

ALEXANDER Magnus, orbis terrarū imperiū bello ſibi paraturus, ad tā periculoſum bellū, exercitum legit non iuuenes, robuſtos, nec primo flore ætatis, ſed ueteranos, pleróſque etiam emeritæ militiæ, qui cum patre Philippo patruiſque militauerant, non tam milites, quā magiſtros militiȩ electos putares. Ordines quoq; nemo niſi ſexagenarius duxit: ut ſi principia caſtrorū cerneres, Senatum te alicuius priſcæ Reipub. uidere diceres. Illius amici eius uirtutis erāt, ac uenerationis, ut ſingulos reges putares. Quippe ea pulcritudo, & proceritas corporis, & uirtutum & ſapientiæ magnitudo in omnib. fuit, ut qui eos ignoraret, non ex una gēte, ſed ex toto terrarū orbe electos iudicaret: nec ulla gens unquam tam clarorum uirorum prouentu floruit, quos primū Philippus pater, mox Alexander tanta cura legerat, ut non tam ad ſocietatē belli, quàm in ſucceſſionē regni electi uiderētur. Auent. lib. 1. Annaliū Boiorum, & Alex. lib. 1. c. 20.

P. CORN. Scipio in Siciliam cum claſſe miſſus, cùm exercitū in ordines redigeret, eos præcipuè ſeligendos putauit, qui ſub M. Marcello multos annos meruerant, ſummamq; ſcientiam rei militaris habere exiſtimabantur. Plut. in Scipione.

C. MARIVS, cū facultatē eligendi exercitus haberet ex duobus, qui ſub Rutilio & qui ſub Metello, & poſtea ſub ſeipſo meruerant: Rutilianum, quamuis minorem cæteris, nullam aliam ob cauſam prætulit, quàm quòd certioris diſciplinæ eſſet. Frontinus lib. 4. cap. 2.

FRANCISCVS, Galliæ rex, ut ſe aduerſus Carolum V. Cæſarē muniret: nouo, aut certè à maioribus intermiſſo, & eo quidē nobili cōſilio, ſeptē legiones Romana diſciplina inſtituit, ne ſibi ſemper uel in repentinis belli caſibus, peditatus ab externis gentibus mercede foret cōducendus. Nam Galli perantiqua conſuetudine, in uno præcipuè equitatu ſtudium, ſpeſq; omnes, & nominis gloriā reponere erāt ſoliti. Sed ubi per frequētes ſclopetarios, Romanoq; more per pedites bella geri cœpta ſunt, in præliis nulli propè uſui equites eſſe compertū eſt, propter equorū grauiora uulnera, & denſatas haſtatorū phalanges, quas nulla uis equitū, uel æquato ferè numero, facilè perrumpat. Iouius lib. 34. Hiſt.

Anno 1506. quòd rumor increbuerat, Maximilianū Imp. Rom. in Italiam cogitare, ne reſpubl. VENETA ad eiuſmodi caſus imparatior oſtendi poſſet: Senaſcōſultum factum eſt, ut in Veronenſium finibus eorum, qui arma ferre poſſent, certus agreſtium hominum numerus cōſcriberetur, qui rei militari aſſuefierent, iiſq; immunitas reliquarum rerum daretur, quò paratiores ad obeunda belli munera eſſent, & cū uocarentur, ad ſigna eueſtigiò conuenirent. Ea militum ex agris deinceps inſtitutio ad reliquos reip. fines, ut eſt uſus omnium rerū magiſter, breui permanauit. Itaq; nunc quidē cuiuſq; oppidi, uici, pagiq; incolæ partem habēt ſuorū, qui ei rei ſtudent, ut armati paratiq; ſint, nullo ut interpoſito tēporis ſpacio ad bellum prodire, reiq; pub. celerē nauare operam poſſint: hoſq; omnes uno nomine Milites pro ordinibus appellauerunt. Bembus lib. 7. Hiſt. Ven.

*Fortes. Timidi ſegregandi.*

*Ex Tit. Explorare Militum alacritatem huc quædam. Illic Prudentia in explorando, hic in ſegregando habetur ratio.*

Echepolus Sicyonius diues & imbellis, AGAMEMNONI equam præſtantiſſimā Aetham dono offert, —ἵνα μὴ οἱ ἕποιθ' ὑπὸ ἴλιον ἠνεμόεσσαν. Agamemnon rex prudens equam generoſam & bellis utilem, homini ignauo & timido præferre non dubitans, donum accipit. Iliados ψ.

AGIS ſciſcitāte quodam, Quot ſunt Lacedæmonij? Satis, inquit, ad arcendum malos. Plut. in Apophthegmatib.

LEONIDAS Alexandridæ dicenti de barbaris: cum tam multis cōflicturus, Leonida, paucos ſub ſignis adduxiſti. Si multitudine me cenſetis fretū eſſe; ne uniuerſa quidem Græcia ſatis ſit (exiguā enim portionē illorum colluuiei adæquet) ſin uirtute, & hic numerus ſufficit. Plut. in Apophthegmat.

EIDEM inſtituenti iam hoſtes adoriri ad Thermopylas, Polemarchi dixerunt, operiendum cȩteros ſocios: Quid, nō adſunt, inquit, qui dimicaturi ſunt? an fugit uos, præliaturos cū hoſtib. ſolos, reges qui uerentur & timent? Militibus edixit, ut pranderent, uelut apud inferos cœnaturi. Idem.

MYRONIDES, Calliæ F. creatus dux exercitus aduerſus Bœotos, edixit, ut Athenienſes exirent. Quum aūt adeſſet congrediendi tēpus, duceſq; monerent, nondū omnes adeſſe: Adſunt, inquit, qui pugnaturi ſunt. Hos itaq; quum uideret promtos, hoſtē aggreſſus, memorabili illa pugna ad Tanagrā uicit. ſic interpretans, eos qui ob ignauiam non ſtuduiſſent tempeſtiuè adeſſe, ne in pugna quidem bonā operā nauaturos. Plut. in Græcorum Impp. apoph. & Diod. Sic. lib. 11.

IPHICRATES, cùm in hoſtes militum agmen produceret, quoſdam trepidos ac timidos, pallidoſq; ſequi cōſpicatus, progreſſus aliquantulum, cùm mox eſſet ineundum prȩliū; clamare præconem iuſſit: Si quis aliquid reliquit, reuertatur, & rectè inſtructus redeat. Hoc audito, timidiores lætabantur, & continuò reuerti cœperunt. At Iphicrates nullà mora facta, Nunc, inquit, uiri ſine mancipiis nos cum hoſtibus pedem conferemus, ut ſoli etiam fructum fortitudinis & uirtutis capiamus. Hac re multo confidentiores effecti ſunt milites, & ſine timidis pugnam facientes, uictoriā obtinuerunt. Polyænus lib. 3.

TIMOTHEVS præceptum ſuis dedit, ut quàm celerrimè ad pugnam exirent. Paucis militibus procedentibus, manipularis aiebat, reliquos etiam expectandos eſſe. Timotheus non expectauit, arbitratus ſe omnes habere, qui alacriter pugnam ſubire uellent: eos uerò, qui tardè exirent, inutiles fore, etiamſi præſtò eſſent. Polyæn. lib. 3.

Auguſtus VESPASIANVS, cùm quendam adoleſcentē honeſtè natum, militiæ inhabilem, anguſtiarum rei familiaris cauſa deductum ad longiorem ordinem reſciſſet, cenſu conſtituto, honeſta miſſione exauctorauit. Frontin. lib. 4. cap. 6.

*Volentes, Nolentes.*

TOLMIDES nauticis Athenienſium copiis præfectus, Myronidæ æmulatione ſtimulatus, qui ad Tanagram Bœotos ſuperauerat, quò aliquam ſibi præcipui nominis & gloriæ dignitatē pararet, cùm ante ea tempora Laconicū agrum nemo inuadere ac depopulari tētaſſet, id ipſum tentatu præclarum arbitratus, populum concitauit: atq; accendit ad diripiendā Spartiatarū regionē: pollicitus, ſi mille armati ſibi in nauib. adiicerentur, cum ea manu & Laconiam depopulaturū, & Spartiatarum gloriam depreſſurū. Aſſentiente populo Athenienſi, cùm plures cuperet callidè per artē educere ciues, huiuſmodi conſilium iniit. Erat omnium opinio, ad ſummā, quam poſtularat, copiarum, eum ętate & robore corporis præſtātiſſimos delecturum. At uerò Tolmidam mens alia agebat, nec mille ſolùm, qui permiſſi eſſent, ſed maiorem turbam ſibi conciliaturus, progreditur in exercitum: ac ſingulos quoſq; ætate & robore præſtantes adiens, unicuique priuatim denunciat ſe delecturum cum ad bellum, quod pararetur: longè præſtantiùs unicuique eſſe, ſeſe ſponte ad expeditionem paratum offerre, quàm delectus lege ueluti per extorſionem coactū ad arma expediendā trahi. Vbi ſupra tria millia hac arte eduxiſſe ſe uidet ultrò ad nomina danda, reliquoſq; cerneret haud iam ad id promtos: tunc mille ſibi permiſſos à populo ex reliqua multitudine delegit. Sic cum quinquaginta triremibus & quatuor armatorum millibus portu ſoluit, & Peloponneſum inuaſit. Diod. lib. 11. & Polyænus lib. 1.

VOLONES Romanis dicebantur, qui uolentes non coacti mererent. Vide infrà, Libertatis reſpectu.

*In Fidem recipiendi.*

*Sacramentum militare inter Fidei formulas referetur. Heic ſolius Prudentiæ in conciliando milite ratio habetur, illic Pollicitationis.*

In militiam ſemel apud ROM. adſcriptus, niſi propter demerita exauctoratus foret, ipſo nolente, deleri nequibat. In quo id ſedulò cauebatur, ut primum militiȩ uinculum putarent, ſacramenti religionem: ſecundum, ſingulorum amorem, uelut inexplicabilem nexum, cum his qui unà mererent: tertium, deſerendi nefas. Alex. lib. 1. cap. 20.

*Suſpecti, Perfidi, Rebelles ſegregandi.*

Palæſtini contra Iſraelitas in mōte Gelboe caſtra poſuerāt. Dauid in exiliū à Saulo rege actus, cū 200. ſequebatur Achim Gethæorū regem Palæſtinū. PROCERES Palæſtini ueriti, ne inter pugnandum Dauid ab ipſis ad Saulū deficeret, & Palæſtinorum terga cæderet: Achim uel inuitū coegerunt, ut Dauidem dimitteret, quoniam illis ſuſpectus erat, probē memoria tenentibus, Dauidem eum eſſe, qui cæſo Goliatho Gethæo, ſtrage maxima Palæſtinos affeciſſet. 1. Reg. 29.

POLYCRATES, Samiorum tyrannus, cùm rebelles, quos in ſuo regno habebat, cuperet expellere: Cambyſem Perſarum regem clàm per literas rogat, ut, quãdo quidem in Aegyptum expeditionem pararet, nunciis ad ſe in Samum miſſis, peteret auxilia. Paret Cambyſes. Itaque Polycrates delectis iis maximè, quos putabat ad rebellionem ſpectare, quadraginta triremes miſit Cambyſi, mandans, ne domum eos redire pateretur. Herod. lib. 3.

## Corpus. Reſpectu ſcilicet

### *Habitus corporis.*

LACEDÆMONII huiuſmodi legem habebant, ut nemo Lacedæmoniorum molliciem aliquam colore præ ſe ferret, aũt corporis impinguatione craſſiore, quàm quæ exercitiis conueniret, præditus eſſet. Nam hoc pigritiam, illud molliciem oſtendere uidebatur. Itaq; decimo quoq; die ephebos ad unum omnes publicè nudos Ephori aſpiciebant: ac ſi aliquod membrum inueniretur delicatius, ac mollius, ob ſuccreſcentem ex oſcitantia pinguedinem uerberabant, atque in ius trahebant, ut immodicæ uoluptatis, deſidiæque pœnas darẽt. Aelianus lib. 14. de Var. hiſt.

EPAMINONDAS armigerorũ eſſe corpus dictitabat oportere exercitatũ non athleticè modò, uerùm etiam militariter. Quocirca oderat habitiores: ac quempiam obeſo corpore exauctorauit, addens, Vix clypeis tribus uel quatuor tegi eius uentrem: qui obſtaret, quò minùs uidere pudenda ſua poſſet. Plut. in Apophthegmatib.

PYRRHVS, Epirotarum rex, cùm uideret delectorem ſuum grandes & robuſtos milites præcipuè eligere, dixiſſe fertur: Tu grãdes, ego fortes reddam. Indicare uoluit, diſciplinam plus ualere in bello, quàm militum procera corpora. Frontinus libro 4. capite 1.

ROMANI olim milites ex corporis habitudine, ſi apti militiæ, ſi lato pectore, ſi ceruice erecta, ſi fortes & ſtrenui, quæ ſpecies, qualiſq; uigor, & qđ robur uiriũ foret, internoſcebãtur, ut illorum forti fideliq; opera reſpublica uti poſſet. Nam nimis pinguem, deformem aut mancum, deſidem aut uæcordem, tanquam minùs utiles, militiæ nõ adſcribebãt. Cato Cenſorius pinguem militem, uelut reipublicæ incommodum, iure inceſſuit: cuius inter guttur & inguen, cuncta ſub uentris dominio forent. Alex. lib. 1. cap. 20.

### *Comæ, Barbæ.*

THESEI inſtitutò, milites anteriores capillos abradebãt, ne ab hoſtibus apprehendi poſſent. Polyænus lib. 1.

Apud Spartanos in uſu erat, ut quoties fortiter & magnis utrinq; uiribus decernendum foret, milites capita comerent, capillum barbamq; depecterent: quo argumẽto periculum ſe animæ adire, & hoſtiles ſpiritus gerere ſignificabant. Erant enim SPARTANI milites comati omnes, ſicut Mileſij, Thurij, & Tarentini, ac cæteri, quibus Laconica inſtituta placuerunt. Coma enim, ut Lycurgus aiebat, formoſorum decorem, deformium terrorem auget. Ideo quũ Perſarum duces, milites Leonidæ comatos, & multo pectine comtos uidiſſent, ferunt illos deſpectui habuiſſe, uelut deſides & ignauos: quũ uerò animi uigorem & fortitudinem fuiſſent in acie experti, animorũ præſtantiam admiratos, obſtupuiſſe. Alex. lib. 4. cap. 2. ex Herod. lib. 7. & Plut. in Lycurgo.

Omnibus ad conflictũ inſtructis contra Darium, requiſiuerũt duces, Nũquid præterea uellet? Nihil, reſpondit ALEXANDER, niſi ut Macedonum menta raderentur. Demirante Parmenione: Ignoras, inquit, nexum in pugna, nõ eſſe barba meliorem? Plut. in Apophtheg. & Polyænus lib. 4.

HYBERNORVM gens nouaculis comam extenuat, totum occipitij crinem abradit, ne fugiens capillitio teneatur. Saxo libro quinto.

### *Aetatis.*

ARISTOTELES lib. VIII. Politicorum uult, ut iuuenes in optima Rep. decimoſeptimo ætatis anno primùm bellicis exercitiis apud pædotribam aſſueſcere incipiant, mox uera prælia ſubituri. Quis autem bellandi terminus ſit, non expreſſit (neq; enim libros illos habemus integros) Septimo tamen libro, IIIXL anno liberis dare operã præcipit. Qui fortè annus militaris uitę finis, & politicæ principiũ cenſeri poteſt: niſi quando maiore ingruente ui, etiã ciues ipſi uxores relinquere, & pro patria pugnare coguntur. XXXVII igitur anno cũm corporis robur conſiſtat, bellicis laborib. non eſt imminuendũ, ſed liberorum procreationi impẽdendum: & qui hactenus patriam foris corporib. ſuis protexerunt, porrò eandem maturis conſiliis domi regere debent. Sed coniectura hæc potiùs eſt, quàm aſſertio.

Apud PERSAS iuuentus à uigeſimo ad quinquageſimũ annum militare cogitur: ultra uerò arma tractare uetitum eſt. Apud ALIOS aũt inoleuit mos, ut poſt annũ quadrageſimũ militiæ tyrocinio neminẽ aſcriberent, poſt quinquageſimum uerò, militare deſinerent: hiſq; uelut perfunctis militia, miſſio daretur. Alexan. ab Alex. lib. 1. cap. 20.

SCYTHARVM legibus cauebatur, ne hominem ſexagenarium in militiam admitterent. Ibidem.

CONON, ut exercitum ſuppleret, Athenienſium pueros immaturos annis, quibus uires non ſuppetebant, & ſenes legit. Plutarchus.

PHOCION, ut Athenienſes nimis bellicoſos à belli furore cohiberet, delectu acerbo lecta iuuentute, etiam octogenarios emeritis ſtipẽdiis dare nomina coẽgit. Plut. in eius uita.

OLYMPIODORVS Athenienſis, cùm ciues ſuos tyrannidis odium cepiſſet, delectu habito, in quo nec ſenibus nec pueris uacatio fuit, & militum alacritate potiùs quàm robore fiſus, Demetrij regis præſidium ex Piræeo eiecit, & Athenas liberauit. Pauſanias lib. 1.

Qui de militari diſciplina libros poſteris reliquêre, eos haud ferè quenquam minorem ſeptem & decem annis, aut ſex & quadraginta maiorem, militiæ & tyrocinio adſcribi uoluiſſe conſtat. idq; à SERVIO Tullio uetere cenſione cautum fuiſſe primùm, quod æuo ſubſequente à C. GRACCHO lege ſacrata ſancitum fuit. Cauſa autem hæc eſt, quòd citra eam ætatem aut ſuprà, uelut immaturos, aut prędutos & effœtos, militiæ rudimentis minimè idoneos putarunt. Ideo uetus conſtitutum erat, iuuenes niſi poſt pubertatem, & primo flore ætatis, dum per ætatẽ laborẽ militarem ferre poſſent, florẽtes uiribus, & eos ex urbana, ſæpiùs agreſti iuuentute ruſticis operib. duratos, militari ſacramento & muneri adigere, ſinguloſq; militiæ per numerum in iuniorum tabulis adſcribere, qui Catalogi dicti. Alex. lib. 1. cap. 20.

ROMANI bello Hetruſco, & ſæpe aliàs, ſeniorum cohortes poſt emerita ſtipẽdia, quinetiam libertinorum, ad militiam exciuêre. Idem.

### *Armorum.*

Itali duces olim peramplum equitatũ alere, eiq; uni rei impenſiùs ſtudere ſoliti erant, nec peditẽ magnifacere, quẽ expugnandis tantùm urbibus idoneum, apertis autẽ in præliis prorſus inutilem ducebant. Sforcia etenim & Braccius, Frãciſcus Carmagnlola & Nic. Picininus, qui militiã multis antè annis in Italia extinctam cum magna gloria ſuſcitarant, multa bella ſolo equitũ robore confecêre. Durauit ea opinio plurib. annis apud imperitos principes: quum prauis mercenariorũ ducum conſiliis decepti, neglecta peditũ cura, equites paſſim tota Italia ſibi & prouinciis graues inſtituiſſent. Siquidem callidi duces, qui crebris potiùs transfugiis quàm uera uirtute inſignes erant, cùm diſcordia principũ opulentiores euaderent, cõſultò inter eos alebant bella, neq; ea unquã, ſi iuſto prælio certandũ foret, ulla pleniore uictoria, finiebãt: adeò ut quæſtui potiùs quàm decori promercalẽ illã militiam habere uiderentur. Vnus tamẽ ante alios FRANCISCVS Sforcia, ſuperiorum inſcitiã occulta illa fraude commiſtam, multis ſuis aliorumq; periculis reprehendit, cepitq; peditatu fortiſſimum quemq; bello de pace pariter pręcipuo in honore habere. Vnde paucis annis effectum eſt, ut ille ueteranorum, maximè peditum uirtute, ſummã ſibi gloriam & peramplum imperium perpetua uictoriarum felicitate compararit. Iouius lib. 2. Hiſt.

## Fortunas. Reſpectu

### *Patriæ, Ciuitatis.*

Milites in caſtris, niſi ROMANOS ciues uel Latini nominis, leuiũ tamẽ armorũ auxiliares externos, ſacramẽto Romani adigere conſueuerãt. Cõtrà uerò CYRI conſiliũ fuit (ut teſtatur Xenophõ lib. 1. Pædię) nõ modò ex ciuib. ſuppleri milites, ſed uelut optimos equos è lõginquo quæri oportere. Idẽ apud ALEXANDRINOS uetuſto more ſeruatum eſt, ut nullos milites niſi peregrinos militiæ admittãt. Proditũque memorię eſt, in fœdere, quod cũ Romanis & Antiocho ictum eſt, caueri, ne milites ſub ditione populi Romani conducere, aut uoluntarios habere liceret. Alex. lib. 1. cap. 20.

Apud ROM. inter deſcriptos ſingulis legionib. milites, qui Romani uel Latini nominis erant, ſemper auxiliares ex ſociis ciuitatibus finitimis, aut externis, peregrinæ iuuentutis, ſub diſciplina & cultu Romano, & auctum uoluntariis agmen iungi conſueuêre. Id tamen ſeruatum, ne unquam amplior numerus auxiliariorum ex peregrinis copiis, quàm ciuium foret: tametſi à prima origine Romani ſemper ſuo milite, nullo externo adiuti, militarint. Præter milites peregrinę militiæ, inter auxilia Cretenſes ſæpe militaſſe accepimus. Hi enim terreſtri naualiq; prelio, ad inſidias, furta & rapinas, populando aſſueti, excurſiones maximas facere promtiſſimi ſunt, in prælio uerò ſegnes: Cydones uerò fortiſſimi. Alex. lib. 1. capite 5. & 20.

Belli Punici ſecundi anno ſeptimo in Hiſpania Celtiberorum iuuentus mercede eſt à SCIPIONIBVS conducta, quum ad id tempus Romani mercenarium militem nunquam habuiſſent. Sabellicus lib. 3. En. 5.

C. IVL. Cæſar bello Gallico ad legiones, quas à Republica acceperat, alias publico, alias priuato ſumtu addidit: unam etiam ex Tranſalpinis conſcriptam, uocabulo quoq; Gallico (Alauda enim appellabatur, nõ tam ab alauda auicula inſigni, quàm ꝙ ueteranorũ legio eſſet, Alle alte, ſiue belgica uoce aute, uti Becanus opinatur) quam diſciplina cultuque Romano inſtitutam & ornatam, poſtea uniuerſam ciuitate donauit. Suetonius.

Veterum ITALORVM mos erat non aſpernandus, ut quanquã in bello Barbarorũ equites adhiberentur, tamẽ totius exercitus robur Romano ciue, Italoq; homine conſtaret. In quo duplex erat utilitas: & quòd ſui generis homines armorum dediſcere uſum non permittebant, nec ſumma rerũ Barbarorũ arbitrio fideiq; credebatur: & cùm è ſuis maior pars exercitus conſtaret, ſoluendis ſtipendiis ad alienos pecuniam ſuam non transferebant. Pariter cùm claſſem ad bellum ornarent, ſorte ciues ſuos deligebant. Quæ conſuetudo cùm ætate noſtra exoleuerit, deſides atq; ignaui depoſitò armorum uſu omnium Italicarum urbium ciues facti ſunt: nec ulla tam potens ciuitas eſt, quę uel mediocris exercitus uim ſuſtinere diutiùs poſſit. Fulgoſ. lib. 2. cap. 1.

THEODOSIVS Magnus, decreto cõtra Maximum tyrannũ bello Theſſalonicæ, delectum omniũ gentiũ diligentiſſimè habuit. Primùm enim fidẽ regum, quib. Orientis limes ambiebatur, data atq; accepta dextęra confirmauit, quò foris ſecuriùs agitaret, ſi nihil ſollicitũ & ſuſpectũ domi reliquiſſet. Tum copias tripertitò diuiſit, ut hoſtis audaciã multiplicato terrore percelleret, & fugã eius circũfuſus ambiret. Poſtremò, barbaris ultrò operã pollicentibus, cõmilitij gratiã fecit, ut limiti manũ ſuſpectam detraheret, & militi auxiliatorẽ adiungeret. Qua illius benignitate pellectæ omnes Scythicæ gentes, tantis agminibus confluxerunt, ut quẽ remiſeſet ſuis, barbaris uideretur imperaſſe delectum. Itaq; ſub ducibus uexilliſq; Romanis ibat, & ad nomẽ reſpõdebat, Gothus, Hũnus, & Alanus: urbeſq; Pannoniæ, quas inimica populatione exhauſerat, miles implebat. Sigon. l. 9. Imp. occ.

### *Coniugij.*

OLAVS, Danorũ rex, moriẽs, Frothoni & Haraldo filiis cõſulturus, alterũ terris, alterũ mari præeſſe, annua uiciſſitudine uoluit. Prior FROTHO maritimarũ rerũ præfectura potitus, infeliciter rẽ geſſit, ignauia nautarum, domeſticas thori uoluptates externis militiæ laborib. præferentiũ. Natu minor Haraldus ei ſuccedens celibẽ militẽ legit. Nec fortuna ei defuit. Quæ res fraternã ei inuidiã atq; mortẽ peperit. Saxo lib. 7. At contra Helleſpontios militaturus, ut unuſquiſq; paterfamilâs ualentioris operę filium, aut probatioris fidei ſeruum armaret, edixit. Saxo lib. 9.

### *Paupertatis, Exilij.*

DAVID in Odollamã ſpeluncã fugiens, propter inſidias Saulis regis, ad ſe pertraxit omnes gentiles ſuos, omnes deniq; eos, quib. res anguſtæ erãt, ſeruos fugitiuos, obæratos, exules: coactaq; circiter 400. hominũ manu, Maſpham Moabitarũ ſe contulit. Variis tandem errorib. actus, ad Achim Gethæ regem ſeſe cõtulit, & impetrato ab eo oppido Siceleg, inde uarias excurſiones in agrum Gerzæorũ, Geſſuræorum & Amalechitarũ fecit, ſimulans ſe prædam illam ex terra Iudæorũ agere, interficiens homines utriuſq; ſexus, ne ullus cladis index ſupereſſet, uſq; ad mortẽ Sauli. 1. Reg. 22. & 27.

### *Libertatis, Seruitutis.*

BORYSTHENITÆ, oppugnante Zopyrione, ſeruis libertatis, dataq; ciuitate peregrinis, & factis tabulis nouis, hoſtẽ ſuſtinuere potuerunt. Macrob. lib. 1. cap. 11.

CLEOMENES Lacedæmonius, cùm mille & quingenti ſoli Lacedæmonij, qui arma ferre poſſent, ſuperfuiſſent: ex ſeruis manumiſſis bellatorũ nouẽ millia conſcripſit. Ibidem.

ATHENIENSES conſumtis publicis opibus, ſeruis libertatem dederunt. Ibidem.

Sẽper graue crimẽ habitũ eſt, dare ſe militẽ, cui nõ liceret: qđ augebatur (ut in cæteris delictis) dignitate, gradu, ſpecie militiæ. Itaq; SERVI apud Romanos, quemadmodũ nullius alterius ciuilis iuris fuêre participes, ita maximè ſunt ab omni militia prohibiti, & ſi quando inopia hominum adhiberẽtur, priùs manumittebantur: adeò ut & qui ſtatus controuerſiã paterentur, quamuis reuerà liberi eſſent, tamẽ per id tempus nomen eis militiæ dare non liceret. Dion lib. 48.

Aliquot aduerſis præliis ſecundo Punico bello exhauſta militari iuuentute ROMANA: Senatus, auctore Tib. Graccho conſule cẽſuit, uti publicè ſerui ad propulſandum hoſtium impetum emerentur. Eaq; de re per Tribunos plebis apud populum lata rogatione, tres creati ſunt uiri, qui quatuor & uiginti millia ſeruorum comparauerunt: adactoſq; iureiurando ſtrenuã ſe fortemq; operam daturos, quo ad Pœni eſſent in Italia, datis armis in caſtra miſerunt. Ex Apulia etiam, & à Fidiculis ſeptuaginta atq; ducenti ad ſupplementum equitatus ſunt emti. Val. lib. 7. cap. 6.

Serui pro dominis pugnaturos ſe polliciti, in ciuitatem recepti ſunt: & VOLONES (quia ſponte hoc uoluerunt) appellati. Quorum fideliſſima operã M. Marcellus cõtra Annibalem feliciſſimè uſus eſt. Macrob. lib. 1. cap. 11.

Ad Cannas uictis Romanis octo millia ſeruorum emta, ſed priùs manumiſſa militauerunt: cumq; minoris captiui redimi poſſent, maluit ſe Reſp. ſeruis committere, quàm ciuibus precio redemtis. Ibidem.

Poſt calamitatem apud Thraſymenum notę cladis acceptam; libertini quoq; in ſacramentum uocati ſunt. Ibidem.

Bello ſociali, cohortium duodecim ex libertinis conſcriptarũ opera memorabilis uirtutis apparuit. Ibidem.

C. IVL. Cæſarem cùm milites in amiſſorum locũ ſubſtitueret, ſeruos quoq; ab amicis accepiſſe, & eorum forti opera uſum eſſe tradunt. Ibidem.

AVGVSTVS Cæſar libertino milite, præterquam Romæ incẽdiorum cauſa, etſi tumultus in grauiore annona metuerentur, bis uſus eſt: ſemel ad præſidum coloniarum Illyricum contingentium: iterũ ad tutelam ripæ Rheni fluminis. eóſque ſeruos adhuc ac ſine mora manumiſſos, ſub priore uexillo habuit, neq; aut commiſtos cum ingenuis, aut eodem modo armatos. Suetonius, & Macrob. lib. 1 cap. 11.

C. MARIVS, bello Iugurthino conſul magno fauore renũciatus, illicò delectum contra legem & mores habuit, conſcripſitq; frequentes capite cenſos & ſeruos: cùm priores duces eos ſacramento non rogaſſent, ſed arma ſicut honores alios à cenſu committerent: uidebaturq; ſuas quiſq; facultates pignori opponere. Id factum alij inopia bonorum, alij per ambitionem conſulis memorabant, qui ab eo genere celebratus auctuſq; erat, & homini potentiam quærenti, egentiſſimus quiſq; opportuniſſimus. Gell. lib. 16. cap. 10. ex Salluſtio, & Plut. Mario. At Valer. Max. lib. 2. cap. 1. tegendæ cauſa ignobilitatis, capite cẽſos in militiam adſcriptos ait, ut nouus conſul ſui ſimiles haberet milites.

M. ANTONINVS Philoſophus contra Marcomannos ſeruitia armauit, maiorũ exemplũ ſecutus, qui ſecundo bello Punico id fecerant: ſeruos militiæ aſcitos, ut illi, Volones nominauit. Sunt & gladiatores inſtructi, quos Latrones dixit. In Illyrico & aliis gentibus, miles ad id bellum eſt quæſitus. Peperit eam militum inopiam tetra peſtilentia, quæ in urbe & agris ea tẽpeſtate fecerat uaſtitatem. Sab. lib. 4. En. 7.

LONGOBARDI, ut bellatorũ amplient numerũ, plures à ſeruili iugo ereptos, ad libertatis ſtatum perducunt: utq; rata poſſit haberi eorũ ingenuitas, ſanciunt more ſolito per ſagittã murmurãtes quædã patria uerba, Dij te hac ſagitta nobilitent, conficiantq;, ubi patriæ ac principi fueris infidelis. Olaus lib. 8. cap. 10. ex Pauli Diaconi lib. 1.

Tempore Michaelis Comneni Palæologi Imp. Aegypti & Arabiæ SVLTANVS, Romanorũ amicitiã expetit: unaq; petit, ut Aegyptiis mercatoribus, quos ipſe uellet, quotannis ſemel fretũ traiicere liceret. Qua re conceſſa, traiecerũt, quotannis ſingulis, interdũ etiam binis nauib. onerariis ad Europæos Scythas, Mæotidẽ paludem & Tanaim accolentes: ab eiſq; partim transfugas acceperũt, partim à dominis & parentibus emerunt: è quibus in Aegyptum, Babylonem & Alexandriam perductis, Scythicas legiones cõſtituebant. Neque enim bellicoſos eſſe Aegyptios, ſed timidos potiùs atqua effeminatos plerunq;, affirmabant: eaq; de cauſa neceſſariò ſibi peregrinum militem parandum, & ære emtis mancipiis propemodum ſeruiendum eſſe, omnis ſolicitudinis earum rerum, quibus humana uita eget, immunibus. Exiguo ſanè tempore tãtum per eam cauſam exercitum parauerunt Arabes Aegyptij, ut non occidentalib. tantùm, ſed iis etiam populis qui magis uerſus Orientem habitant, admodum eſſent formidabiles. Gregoras lib. 4.

AMVRATES II. primus omnium regum Turcicorum ordinem peditum, quos Ianizaros uocant, inſtituit: eoſque ex Chriſtianis, qui tamen Chriſtum abnegauerant, elegit: quorum uiribus & ipſe, & qui ipſi ſucceſſere, ex innumeris ferè præliis uictores euaſerunt, ac penè totum debellarunt Orientem. Iouius in uita Amurathis.

### *Condemnationis, Noxæ.*

VIRIATVS paſtor à teneris, Luſitanorum poſtea dux, ob robur corporis & fortitudinem animi, in bellum proficiſcens, latronum cateruam, quam circum ſe habebat, in hoſtes eduxit, bellumq; gerens cum Romanis, multis præliis ſuperior fuit. Diod. lib. 32.

HENRICVS I. Imp. quemcunq; uidebat furem aut latronem manu fortẽ, & bellis aptũ, à debita pœna ei parcens, collocabat eum in ſuburbano Meoſaburiorũ, datiſq; agris atq; armis, iubebat eum ciuib. parcere, in barbaros aũt, in quantum auderent, latrocinium exercere. Vitichindus.

Ne claſſi, quam Angelus Triuiſanus in Pado amiſerat, reintegrandæ, milites aut remiges deeſſent, lex eſt in SENATV Veneto lata, ut exules maritimis ab oppidis atq; inſulis reipublicę ab homicidium qui eſſent facti, ſi pace cum mortui propinquis intra menſes ſex in claſſe reipublicæ ſua impenſa operam nauauerint, aut ad id uicarium dederint, reſti-

tuerenter, exceptis iis qui hominem conſtitutò occidiſſent. Bembus lib.10. Hiſt. Ven.

### QVOMODO. PVTA

*Supplicatione.*

Apud SCYTHAS, pellis inſcenſio iuriſiurandi uicem habebat. Mos uerò ferè hic fuit. Vbi quis iniuria eſſet à quopiam affectus, nec repellendæ idoneū paremq; ſe intueretur, quū bouem immolaſſet, conciſas quidem carnes percoquebat aqua, pellem uerò extendens, in ea ipſa conſidebat, manib. retrò adductis, ut ex iis unus qui cubitis colligantur. Hic uerò modus illis gentibus eſt ſupplicandi maximus. Adiacentibus igitur iumēti carnibus, adeunt domeſtici familiareſq; primùm, mox & cui collibuerit: arrepta uerò carnis portione, dextròq; ſuper corium illato pede, pollicetur pro uirili unus equites ἀσίτȣς ϗ ἀμίσθȣς, nullis cibariis, nullaq; itē mercede: nonnulli, grauis armaturæ pedites: qui egentiſſimus eſt, offert ſeipſum, fitq; ad eum modum haud contemnenda in bouis corium aggregatio. eſtq; ea tum firmiſſima, tū hoſti prorſum inexpugnabilis, ut quæ ſit iureiurando obſtricta. Hinc ſæpe lectum in hiſtoria, exercitum à corio eſſe conflatum. Cælius lib.27. cap.14. ex Luciano.

*Lectione.*

ROMANI uidentur aliquando ſoliti in delectu habendo poteſtatē facere militibus, ut ſinguli ſingulos, notos ſibi, quorū uirtuti confiderent, legerent: atq; id potiſſimū cùm periculū aliquod maius inſtaret, atq; aliquis grauior caſus urgeret: & ut cùm domi exercitū cogerēt, ita fortaſſe etiā cū à parte copiarū pugna periculoſior cū hoſtib. erat cōmittenda, ut qui ad expeditionē illam proficiſcerētur, à ſemetipſis lecti forent, cōſcij inter ſe mutuæ uirtutis. Appellabant aūt hoc, Virū à uiro legi. Liuius in 9. lib. ab Vrbe condita: Et ad Vadimonis lacū Hetruſci lege ſacrata coacto exercitu, quū uir uirum legiſſet, quantis nunquā aliâs antea ſimul copiis, ſimul animis dimicarunt. Tacitus in 17. libro, ubi de conſilio Galbæ agit, qui audita rebellione legionum, adoptauit ſibi Piſonem, remedium eorum malorum fore id ratus, Apud frequētem militum concionem imperatoria breuitate adoptari à ſe Piſonem more diui Auguſti, & exemplo militari, quo uir uirum legeret, pronunciat. Victorius lib. 18. Var. Lectionum, capite 19.

Friderico I. Imp. quintū in Italiā irrūpente, MEDIOLANENSES, quibus prima ipſius imminere belli tempeſtas uidebatur, inuſitatos etiā ſibi adhibēdos apparatus putarūt. Quippe cohortes firmiſſimas duas ſcripsêre, unam nongentorū lectiſſimorū militū, qui à morte nomen inuenêre, quòd antè mori, quàm hoſti in acie cedere coniurarent: alteram trecentorum fortiſſimorum iuuenum, qui carrociū armati cuſtodirent, neq; hoſtes impunè inſultare permitterent. Decreuerunt etiam, ut omnes ciues in ſuas quiſq; tribus diuiſi, & ſubuerſicoloribus ſignis inſtructi exirēt afflictæ, patriæ aut extremum exitium, aut glorioſam uictoriam relaturi. Itaq; cùm ad Lignanū prælium iniretur, & Germani hoſtes præcipites ad carrocium uſq; cōpuliſſent, atq; ex eo uexilla detraxiſſent: ibi redintegrata per trecentos iuuenes pugna, utrinque fortiſſimè dimicatum. Nongenti autem annitentibus cæteris uires interim atq; animum collegére, ac ſeſe aperto, ut decreuerant, periculo deuouētes, ualida impreſſione facta Germanorum aciem impulêre, & ſignifero Imperatoris occiſo, uexillum Aquilæ in poteſtatem abduxêre. Sigonius lib.14. regni Ital.

*Approbatione.*

Apud ALEMANNOS quondam, arma ſumere non antè cuiquam moris erat, quàm ſolennibus diebus conuentibuſq; primores & populus illud comprobaſſent: tum ipſo concilio, uel principum aliquis, uel pater, uel propinquus ſcuto & framea iuuenem ornabant: hæc apud illos toga, hic primus iuuentæ honos erat. Auentinus lib.5. Annal. Boiorum ex Tacito recitat.

*Mercede.*

M. CATO Conſul cum Valerio Flacco amico ſuo & familiari factus, prouinciā eſt ſortitus Hiſpaniam citeriorē. Vbi cùm gentes partim armis in ditionem redigeret, partim beneuolentia conciliaret, ingruerunt magna manu Barbari, eratq; ne opprimeretur, periculum. Quare è Celtiberis, qui propinqui erant, aſſciuit auxilia. Quibus auxilij ferendi ducenta talenta mercedem poſtulantibus, cùm alij omnes fœdum dicerent eſſe, cum barbaris Romanos de opis ferendæ paciſci mercede, negauit quidquam incommodi eſſe Cato, quippe ſi uiciſſent, ſoluturos ab hoſtibus, non ab ſe: ſin eſſent uicti, non fore nec à quibus exigeretur, nec qui exigerent. Eâ pugna fudit fugauitq; hoſtes: reliqua quoq; magnificum ſucceſſum habuêre. Plut. in Catone, & Front. lib.4. cap.7.

*Honore.*

BORELLVS, Barcinonæ Comes, magno à Mauris prælio uictus, & equitibus quingentis amiſſis, fugiens Barcinonem reuerſus eſt. Mauri ſubſequuti, equitū capita, balliſtis impoſita proiecerunt in urbē. Cùm ſe diutiùs defendere non poſſet, ciuitate relicta, cum paucis equitibus in mōtes apud Minoreſſam ciuitatē ſe recepit. Huc Comites, Vicecomites, nobiles & equites omnes accitos, Quid agendū foret amiſſa ciuitate? cōſuluit. Hi primùm legatos ad regē Gallorū & ad ſummum Pontificē ſtatim mittendos eſſe dixerunt, imploraturos auxilium: deinde legatis iam Romā & in Galliā miſſis, ut Borellus Comes publicis præconiis denunciaret ac polliceretur militarē dignitatē & ordinis equeſtris titulos & honores omnibus qui cum armis & equis ad ſe uenirēt, aduerſus Mauros Chriſtiani nominis hoſtes, Barcinonæ principatum defenſuri. Hoc diuulgato, perpaucis diebus, pręter nobiles & equites, qui iā militarib. priuilegiis & honorib. gaudebant, alij quoq; numero circiter mille cōuenerunt, equis & armis præferoces. Quos Borellus, promiſſis honorib. inſignitos, Paratos cognominauit. Quorū genus adhuc & domus de Parata, quæ nunc Peralta dicitur, nomē habet. Cum his Mauros omnes è Barcinona totaq; prouincia Tarraconenſi, breui tempore exegit, & reliquum uitæ ſuæ tempus tranquilliſſimè uixit, & finem Maurorum bellis impoſuit. Marineus lib.9. rerum Hiſp.

*Licentia.*

Captus erat à Margarita Daniæ & Noruegiæ regina, Albertus Megalopolenſis dux, rex Sueciæ: neq; ulla libertatis ſpes erat. Roſtochienſes atque Viſmarienſes, publicis edictis euocarunt omnes ad prædam, ſuapte fortuna, ſuo lucro aut damno in tria regna militaturos: portus & urbes ſuas illis patére, ut prædā inde abſtractā ibi partirentur diſtraherētq; pro arbitrio. Confluxit tāta hominū colluuies, ut mare implerent orientale, & paſſim ſine diſcrimine prædarentur. Vitalianos ſeſe appellauere. Qui ut nulla auctoritate cohiberi potuere, ſic & Roſtochienſibus graues incubuere, & eoſdem uicinis omnibus exoſos fecere. Cranzius libro quinto Sueciæ, capite 33.

*Alea.*

BARCHINONÆ, Tarraconenſis Hiſpaniæ metropoli, cùm aliquando in magna remigum inopia oborta neceſſitate triremes parari eſſet neceſſe: ſubiecta ex publico mediocri pecunia, ea lege, ut ex duobus, qui illam alea lucraretur, liber deportaret: qui uerò amitteret, remex maneret: magnus remigum delectus breui tempore factus eſt. Paſcaſius Iuſtus lib.1. de Alea.

## MILITVM PRVDENS RECENSIO.

SCYTHARVM rex quidam, ut Scytharum multitudinem oſtenderet, recenſitos ſingulos certum in locum ſagittam unam emittere iuſſit. E ſagittis lebetem ferreum conflari fecit ſtupendæ magnitudinis. Herodotus.

CECROPS Athenienſium rex, populorum recenſione inſtituta, ſingulos in unum aceruum lapidem coniicere iuſſit. Manſit ex hoc more nomen ipſum, ut poſtmodum ἀπὸ τῶν λάων, à lapidibus, populi dicti ſint λαοί. Huc alluſere poetæ, quādo à Deucalione iactos poſt terga lapides, in homines tranſmutatos, fabulantur.

PERSÆ in bellum ituri, ante regem in throno ſedentem cum ducibus coeunt: ac ſinguli in cophinos ad id paratos ſagittam coniiciunt, qui mox ſigillo obſignantur regio. Demùm peracto bello ſingulis ſagittam ſuam repetentibus, deſideratorum initur ratio. Cælius lib. 18. capite 18. & Alexand. lib 1. capite 20.

XERXES Perſarum exercitum numeroſiſſimum apud Doriſcum Thraciæ hoc compendio recenſuit. Duces contraxerunt unum in locum myriadem, hoc eſt decem millia hominum: qua coarctata quàm maximè poterat, circulum extrinſecus deſcripſerunt loco circumſcripto: emiſſaq; illinc myriade, ſepem circumdederunt, umbilico tenus, & aliam ſubinde atq; aliam myriadem introduxerūt: donec omnes connumerauerunt: connumeratos autem rationatim digeſſerūnt. Et ſic recenſuerūt 170. myriades, hoc eſt, decies ſepties centena millia. Herod. lib.7.

LACEDÆMONII contra Meſſenios obſtinato animo bellū geſturi, Tyrtæo inflammante, nomina ſinguli phyllurlis inſcripta brachiis alligarūt, ut ſi in prælio cecidiſſent, ſua quique nota internoſci, & à familiaribus ſepeliri poſſent.

ROMANI in bellum profecturi, ſinguli in tabulis deſcribebantur, ut illorum, qui in prœlio cecidiſſent, nomina innoteſcerent. Primus ſemper miles fauſti ominis ergò, felici nomine legebatur. Alex. lib.1. cap.20.

MOSCOVITARVM magnus Dux hoc modo ſuos recenſere ſolet. In militiam deſcripti coram magno Duce ſinguli comparent, & numum unum, quem patrio nomine Denga uocant, æſtimatione unius groſſi Polonici, Principi dant, reuerſique ex bello eundem numum repetunt: occiſorum uerò numiſmata Princeps retinere ſolet, atque ita occiſorum numerum cognoſcit. Guagninus in deſcriptione Moſchouiæ cap.3.



## MILITVM PRVDENS DIMISSIO.

*Differt hæc Dimiſſio ab ea, qua poſt bellum confectum ad purgandam à colluuie militari regionem utimur. De qua in ſequentibus.*

EVMENES uictus ab Antigono, poſtquā fugiens in Nora arcē ad Lycaoniæ & Cappadociæ poſitam confiniū cū quingentis equitibus & ducentis peditib. refugit: quotquot amici eius miſſionem poſtulauerunt, quòd non ferrent aſperitatem loci, uel uictus anguſtias: omnes complexus atq; omni comitate eos proſecutus, miſſos fecit. Plut. in Eumene.

Legitima ROM. militia decenniū habuit, ſi non priùs debellari cū hoſte contigiſſet, aut miſſio aliqua intercidiſſet, quæ nomine & re nō una fuit. Præter Legitimā illā fuit & Cauſaria. Hæc ut priore illa minùs pulcra, ita reliqua honeſtior, quæ ab re ignominioſa dicta eſt. Sabel. lib.1. En.7.

AVGVSTVS his, qui maiores quinq; & quadraginta annis equum retinere nollent, reddendi equi gratiam fecit, illoſq; uelut emerita militia dimiſit. Alex. lib.2. cap.13.

## MILITVM CORPORA FIRMARE, EXERCERE, ROBVR illorum augere, tum actiuum, tum paſsiuum, ut ferre aſſueſcant

### VVLNERA, PLAGAS.

GOTHORVM pueri olim in balneis calidiſſimis ad ſanguinis uſq; effuſionē uirgis cædebantur: mox in aquam egelidā mergebantur, ut inſtar ferri ſolidiora acquirerent corpora, æſtus pariter & frigoris patientiſſima. Olaus lib.8. cap.7.

HVNNI, ut Iordanes Gothus hiſtoricus tradit, infantibus uix dū natis nouacula genas ſecant: ut priùs uulnera pati quā lactis dulcedine lætari condiſcant. Quare obductis cicatricibus imberbes conſeneſcunt. Bonfinius lib.2. Dec.1. ex Luitprandi lib.2. capite 1.

Vilmerus Gothus Ruſſos bello premebat. Ruſſi tribolos paſſim ſpargebant. GOTHI uerò ligneis ſoleis uſi, iritos hoſtium fecere conatus: edocti id genus tegminis à Starchatero heroe fortiſſimo. Io. Magnus lib.5 cap.13.

### LABORES QVOSCVNQVE.

GERMANORVM olim pueri, ut militiæ per ætatem patientes forent, non in munditiis, ne langueret animus, ſed in laborioſis exercitationibus, currendo, algendo, æſtuando, famem ſitimq; tolerando, arduaſq, & perdifficiles uias peragrando, exercebantur: ac pugnæ ſimulacris, in quibus uerbera & plagas dare & accipere cogebant. Alexand. libro ſecundo, capite 25.

CRETENSIVM pueri, ut armis ac laborib. ab ineunte pueritia aſſueſcerent, calorem & frigus, uiam aſperam accliuémque & arduam contemnerent, inq; gymnaſiis inſtructiſque pugnis plagas paruifacerēt: arcubus & inter arma ſaltibus exercebantur, quos à principio Curetem illis oſtendiſſe ferunt, deinde inſtruxiſſe ut ſaltationē, quā Pyrrhicham appellauit, ſaltarent, adeò ut ne ludus quidem bellicæ fuerit utilitatis expers. Similiter & rhythmis Cretenſibus modulationibus atq; concentibus uterentur, ad cantilenas à Thalete inuentas aptiſſimis. Strabo lib.10.

CALASIRIES, præcipui Aegyptiorum milites, ſuos pueros his diſciplinis exercēt, ut niſi cētum octoginta ſtadia priùs confecerint curſu, ueſci cibo nullo modo ſinerent: quos à pueritia & primis annis, nudis pedibus ingredi iubebant, ne delicatior cultus corpora emolliret, eneruaretque. Alexand. lib.2. cap.25.

PERSARVM reges, ne exercitus otio torpeſceret, cùm omnis res in tuto erat, nec hoſtes adeò timendi, interim curſus & pugnæ præmia militibus proponebant. CYRI profectò diſciplina fuit, ut milites ſemper opus facerēt, & nunquā exercita iuuentus, niſi ſudore pręuio, cibum ſumeret. Ipſe etiam neq; prandebat, neq; cœnabat unquam, niſi ſudaſſet priùs, & militaria obiuiſſet munera. Idem ſæpiſſimè caſtra ſua mutauit, ne loci aſſuetudine freti milites, ſegniùs bellica negotia expedirent. Quamuis nonnulli, caſtrorum crebram mutationem præ ſe ferre turpem fugam & exercitus alienationem putarint. Ex Xenophontis Pædia, Alex. lib.1. cap.20.

AGESILAVS in gymnaſio, ne otio ſeneſcerent milites, exercitationis & uirtutis cuiuſq; præmia propoſuit, leuibuſque præliis experiundo aſſuefecit. Alex. ab Alex. lib.1. cap.20.

PHILIPPVS exercebat Macedones, perinde ac ſi periculum immineret, ita ut aſſumtis armis trecenta ſæpe ſtadia conficerent, ferentes unà galeas, ſcuta, tibialia, ſariſſas, & cū his armis etiam commeatum, atq; omnia uaſa, quæ ad quotidianū uictum requirebantur. Polyæn. lib.4. Idem, cùm primùm exercitum conſtitueret, uehiculorum uſum omnibus interdixit: equitibus non ampliùs quàm ſingulos calones habere permiſit: peditibus autem denis ſingulos, qui molas & funes ferrent. In æſtiua exeuntibus, triginta dierum farinam collo portare imperauit. Frontinus lib.4. cap.1.

ALEXANDER Magnus laboris aſſuetudinem in re bellica perſuadens, ad militaria exercitia ſuos, Chiliarchiis præmij loco propoſitis, accendit. Alex. lib.1. cap.20.

In expeditionem ituri milites ROM. arma & uallum, nec non utrem, follem, ſcutum, gladium, tum ſi quid ad uſum uelint, interdum plus dimidiati menſis cibaria, abſq; ſeruorū aut iumentorum miniſterio humeris ferebant. In ipſis [illegible] actu diſci, curſu, ſaltu, iaculatione, & lucta inuicem contendere mos erat. Nandi quoq; poſt ſolitas exercitationes iuuentutis Romanæ ſummum ſtudium in militari rudimēto fuit, aliaq; opera iuſta militaria, quibus quaſi ſimulacris pugnę, animos corporaq;, tanquam ad uerum bellum acuebant. Ad palum quoq; exerceri, aut iaculis & ſagittis ferire, nonnunquam fundis & lapidibus, diſciplinæ militaris erat. Fuit enim palus cubitorum trium, quem tyrones ſcuto & clauo uelut hoſtem petere, in eumq; ictus & plagas inferre ſolebant. In quo id cauebatur in primis, ne dum ad palum ictus intendunt, ipſi hoſtium telis pateant: proinde oportebat animo eos & corpore intentos eſſe, nō magis ad inferēdos, quàm ad cauendos declinandoſq; ictus: cui ludo Palatia nomen. Alex. lib.1. cap.20.

Q. FAB. Maximus, & plerique Romanorum Imperatores & duces, exercitum itineribus & locorum mutatione crebrò fatigari potiùs, quàm uno in loco in caſtris ſedere, exiſtimabant eſſe cùm tutius, tum ad diſciplinam militarem nobilius. Alex. ab. Alex. lib.2. cap.12.

P. SCIPIO Naſica, quamuis in hybernis claſſis uſus non eſſet neceſſarius, ne tamen deſidia miles corrūperetur, aut per otij licentiā ſociis iniuriam inferret, naues ædificare inſtituit. Frontinus lib.4. cap.1. Idem ad Numantiam, corruptum ſuperiorum ducum ſocordia exercitum correxit, dimiſſo ingenti lixarum numero, redactis ad munus (quotidiana exercitatione) militibus. Quibus cùm frequens iniungeret iter, portare complurium dierum cibaria imperauit, ita ut frigora & imbres pati, uada fluminū pedibus traiicere aſſueſcerent, exprobrante ſubinde imperatore timiditatem & ignauiam, frangente delicatioris uſus ac parum neceſſaria expeditioni uaſa. Quod maximè nobiliter accidit C. Mæuio tribuno, cui dixiſſe traditur Scipio: Mihi pauliſper, tibi & Reipub. ſemper nequam eris. Ibidem. Crebro militem onere degrauatum inceſſens: Quū gladio rectè uallare didiceris, uallum ferre deſinito. Quendam ſcutum nimis aptè ferentem, aliud amplius grauiuſque iuſto ferre coëgit: reddita etiam cauſa cur id faceret, quando ſcuto meliùs quàm gladio uteretur. Sabell. lib.9. En.5.

DOMITIVS Corbulo dolabra, id eſt, operibus hoſtem uincendum eſſe dicebat. Frontinus lib.4. cap.7.

Q. METELLVS Conſul, quāuis nulla lege impediretur, quin filium contubernalem perpetuum haberet, maluit tamen eum ob militarium laborum communionem in ordine merere. Frontinus lib 4. cap.1.

C. MARIVS, poſteaquam Romæ de Iugurtha triumphauit, ad militarem diſciplinam conuerſus, curſu uariiſq; & implexis itineribus militem exercuit, qui graui onere preſſus, ſigna ſequi cogebatur. Quo factum, ut milites huiuſmodi laborib. aſſueti, Mariani poſtea ſint muli appellati. Alij Marij uocem, quum apud Numantiā ſub Scipione eſſet, auditā aiunt, eum optimum mulum quæſitū habere, ad impedimēta conuehenda, qui ualetudine corporis, & robore cæteros anteiret: Iam inde factum, ut qui robuſtus miles haberetur, hunc Marianum mulum uulgò nuncuparent. Ex Plut. Mario, Sab. lib.2. En.6. At Iulius Frontinus lib. Strategematum quarto, ſic inquit: Marius recidendorū impedimentorū gratia, quib. maximè exercitus agmen oneratur, uaſa & cibaria militum in faſciculos aptata furcis impoſuit, ſub quibus & habile onus & facilis requies eſſet: unde & in prouerbium tractum eſt, Muli Mariani, nimirum ob laborum tolerantiam, quòd Homerus ἡμιόνȣς πηλαέργȣς identidem appellat.

MAXIMINVS ſenior, priùs quàm ad imperium conſcenderet

dèret ſub Alexandro Seuero militans, quintò quoq; die in armis exercitum educebat, currendoq; & luctando exercebat. Ipſe quoq;, quanquam iam grandis natu, campeſtrium exercitationum labores cum eis ſubibat. Fulg. lib. 2. cap. 2. & Alex. lib. 1. cap. 20.

AVRELIANVS Cæſar præ cæteris nullum reliquit uacuum diem, quin ſe ſimul & ſuos pilo, ſagittis & militaribus armis exerceret. Ibidem.

ANTONINVS Baſſianus Caracalla, præterquā quòd ſe cum militibus exercebat, iter ſemper onuſtus armis pedes fecit. Alex. lib. 1. cap. 20. ex Spartiano.

ATILA Aquileiam per aliquot menſes, homo eius artificij rudis, obſidens, ad exercendum in tanto otio militem, non longè ab Aquileia montē Vtinum in modū aggeris ſtruxit. Sic enim ſuo quoq; tēpore Venetos prædicaſſe, Otho Friſingenſis, ſcriptor ſanè uetuſtus, retulit. Sigon. l. 13. Imp. occid.

MAGNVS Sforcia omni uitæ tempore in caſtris aleam peroſus, uti duci pariter ac militi maximè peſtilentē, ita otij tempora tranſigebat, ut in uſum militiæ ad palæſtram cunctos ordines exerceret. Tum enim mos erat multa arte luctari, ingentis ponderis ſaxum iactare, ferreum uectem iaculari, teretem palum in terga conuerſis manibus euibrare, ſaltúque & curſu plurimùm contēdere. Quibus in ludis ipſe multum lacertoſus & induſtrius facilè ualidiſſimum quemq; ſuperabat. Iouius in eius uita.

## FAMEM, SITIM.

LVCANI, liberos à prima infantia ſine ueſte aut miniſterio ſeruili, in duritie & parſimonia educabant in ſyluis, quibus præda uenatica erat cibus, potus uerò fontium aliquot. Alexan. lib. 2. cap. 25.

ALEXANDER Magnus Darium perſequens, per aridam uiā iter faciens, maxima ſiti laborabat. Macedones ſpeculatores regionis, cùm in cauo ſaxi pauxillum aquæ reperiſſent, eam galea exceptā Alexandro attulerūt. Ille oſtendens exercitui, ut apparente aqua bonū animum gererēt: nequaquā ipſe bibit, ſed in omnium oculis & conſpectu aquā effudit. Macedones clamore ſublato, iuſſerunt, ut ipſe uiam præcederet, fortiter ſiti reſiſtentes, ob regis continentiam atq; tolerantiam. Polyæn. lib. 4. & Front. lib. 1. cap. 7. Addūt alij, Macedonem potum Alexandro obtuliſſe: eumq; interrogaſſe, Quónam eam aquam ferret? & reſpondente eo, Filiis ſe illā attuliſſe: cæterū licèt illi morerentur, diu ſuperuiuente Alexandro, copiā liberorum ſibi nō defuturam: Alexandrum cùm iam manu teneret galeam ut biberet, dixiſſe: Nolle ſe bibendo aliorum augere ſitim. & aquam illi reſtituiſſe.

M. CATO Vticenſis, cùm per Libyæ feruidas arenas iter faceret, & propter ſolis ardores laboremque totus exercitus ſitiret, & grauiter laboraret, porrecta ei galea aquæ plena à milite, ut ad continentiam & tolerantiam ſuos inuitaret, in exercitus conſpectu aquam è galea effudit, ne ſolus ſitim ſedaſſe diceretur, cùm aqua deeſſet, qua alij ſitim extinguerent. Fulgoſus lib. 4. cap. 3.

M. ANTONIVS ad Mutinam uictus, ad Lepidum fugiens, ad legiones Tranſalpinas, erat notabile militibus exemplum, qui ex tantis delicijs & luxu facilè aquam putridam potabat, fructibus agreſtibus & radicibus ueſcebatur. Vorauerunt etiam, ut fama eſt, corticem: nec ab animalibus nunquam antea guſtatis in ſuperandis Alpibus abſtinuère. Plutarchus in Antonio.

RODOLPHVS, Romanorum Imperator, cùm Auſtriam, deficientibus ex genere ducum uirilis ſexus hæredibus ad imperium deuolutam, aſſereret, & in bello contra Ottocarum Boëmiæ regem ſiti laboraret exercitus: ferunt agreſti, qui meſſoribus potum ferret, ablatam hydriam ſicera plenam, Imperatori oblatā fuiſſe. Quam cùm ille uidiſſet: Reddite, inquit, nam ego exercitui, non mihi ſitiebam. Hac ſitis tolerantia ſitibundum exercitum refocillauit. Aeneas Syluius lib. 3. Commentariorum de geſtis Alphonſi.

ALPHONSVS, Siciliæ rex, cùm contra Antonium Caudolam exercitum paraſſet: eius inſidiis ieiuno & famelico exercitu occurrere coactus eſt. In quo periculo cùm miles panem cum raphano & caſeo, ingens in tali caſu munus, obtuliſſet, laudato militis animo, accipere noluit: parū conuenire dicens, ieiuno exercitu regem ulla re ueſci. Fulgoſus lib. 4. capite 3.

## AESTVM, FRIGVS.

GERMANIS uſurpatum fuit, ut pueri ab ineunte adoleſcentia calores & frigora pati aſſueſcerent, utq; uilibus tectiamiculis, hyeme pariter atque æſtu eodem cultu incederent. Alexan. lib. 2. cap. 25.

SPARTANOS Lycurgi legibus inſtitutos, infantes primùm editos, rigidiſſima aqua fouere, nudoſque in patientia laboris enutrire, nihilque ſomni cauſa ſternere, prodit Plutarchus.

AGESILAVS Lacedæmoniorū rex, iam ſenex, ſæpe per brumam uiſus eſt diſcalceatus, & ſine tunica: ut iuuenibus daret patientiæ exemplum. Aelianus.

IPHICRATES ſub hyemem & congelatam aciem uidens opportunum tempus hoſtes aggrediendi, producere milites uolebat. Quibus ob ueſtium tenuitatem & frigoris ſæuitiam difficulter obedientibus, ipſe quoque laceram ueſtem indutus, accedens ad tabernacula, ſingulos hortabatur, ut hoſtes inuaderent. Conſpicati igitur ducem abiectiſſima ueſte amictum, & calceis carentem, pro communi ſalute ſe uoluntario periculo offerre, cum libenter ſecuti ſunt. Polyænus lib. 3.

TIBERIVS Cæſar, in Germania trans Rhenum eum uitæ ordinem tenuit, ut ſedens in ceſpite nudus cibum caperet, ſæpe ſine tentorio pernoctaret. Suetonius.

SEVERVS Imp. hyeme ſæua, aperto capite per niues & pruinas, per montes ſyluaſque curſitabat, ut milites ſuo exemplo confirmaret. Spartianus.

HADRIANVS Imp. tabernacula militum è frondibus facta ad minuendam caloris uim penitùs ſubuertit: quòd parùm militare eſſe duceret, ſolem & imbres non poſſe tolerare. Fulgoſus libro 2. cap. 2.

# EXERCITVM, COPIAS, MILITES, SOCIOS, AVXILIA IN LOCIS tum PER SE, tum propter HOSTES periculoſis, in procinctu, in acie, in fuga tueri, defendere, ducere, educere, introducere.

*Defenſionem noſtrorum hîc ſpectamus reſpectu Loci, illis quomodolibet infeſti. Exempla eadem Hoſtibus quoq; accommodari poſſunt, quatenus conſeruando noſtros, Hoſtes opprimimus, impedimus, lædimus.*

## IN LOCORVM MVNITORVM, Vrbium, Arcium oppugnatione

*Hic ſolius Prouidentiæ in defendenda noſtrorum uita, ratio habetur. Quatenus uerò loca iſta Hoſtibus eripiuntur, in ſeq. exempla afferentur.*

LYCVRGVS exquirenti, Cur muros oppugnare uetuiſſet? Ne à femina, inquit, uel puero, uel ſimili homine oppriman tur præſtantiores. Plut. in Apophthegmatib.

## MARE, LACVS, FLVMINA prudenter ſuperare.

MOSES Iſraelitici dux exercitus, cùm Pharaonem cum L equitum millibus, peditum CC millibus inſequentem uideret: non per Arabicum dorſum, qua iter multo breuius Iudæis in Cananæam patuiſſet, ueritus, ne in deſerto ab Aegyptiis iamiam inſtantib. conficeretur, ſed ad mare Rubrū duxit ſuos. Illic mōtib. & mari incluſus, cùm unica nox moram internecioni præberet (præda enim onuſti exierāt Iſraelitæ, armis nudi) mari uirga percuſſo, fluctib. in diuerſa abeuntibus, patefecit repentè populo iter. Dux omniū primus uada ingreſſus, aquis hinc inde in murorū ſpeciē ſtantibus, omnē ſecum traxit multitudinē. Ante quartam noctis uigiliam Arabicum litus, quod contrà Aethiopico reſpondet, ſine aliquo maiore tumultu primum agmen occupat. Nec Iſraelitarum ad mare progreſſus, fefellit hoſtem: cæterùm uulgò credidere, Iudæos impetū cepiſſe ſeſe præcipitandi, ne capti ad ſupplicia & cruciatus traherētur. Verùm ubi aduerſum litus ab illis teneri eſt animaduerſum, miraculo rei nonnihil ſtupore defixi ſteterunt Aegyptij: inde dolore & ira præcipitante, qua cuiq; proximū fuit, cum fremitu & clamore ad mare decurrunt, ut extremū moratorum opprimerent agmen. Mox uerò nudū litus intuiti, ſequendi ſtudio temerè & ipſi uada ingrediuntur. Et iam currus equitib. mixti fugientium extrema carpere cœperāt ueſtigia: euaſiſſentq; hoſtes non ſine Hebræorum perturbatione & ſtrage ingēti in aduerſum litus: niſi fluctus, qui plures horas immoti ſteterāt, rege cum omnib. copiis obruto, in ſe reflui coiuiſſent. Inde Ioſephus, dum miraculo hæc facta probare contendit, inde argumentum ſumſit, ut diceret magni Alexandri militibus per Pamphyliū mare itidē terreſtre iter patuiſſe: Ita, inquit, Deus uoluit euenire, ut Macedones Perſarum regnum euerterent. Strabo cùm miraculi famam accepiſſet, pelagi naturæ aſcribere auſus eſt, quaſi æſtuarium ibi maris eſſet, ubi



numeroſi exercitus aquis ſubitò coeuntibus periclitari dicerentur. Sab. lib. 3. En. 1.

IOSVA, Iſraelitarum dux, ex Domini præcepto, ſacerdotibus præcepit, ut fœderis arcam portantes, populo præirent, populus ſequeretur, ad bis mille cubitos: futurum enim, ut quamprimùm ſacerdotes pedum ueſtigia in Iordanis aqua poſuiſſent, Iordanis diuideretur, & aqua ſupernè defluens in unum cumulum reſtaret: at inferior ab ea diuulſa, in mare mortuum dilaberetur. Id quod & factum eſt: & ſic omnes Iſraelitæ ſiccis pedibus Iordanem petiere, ſacerdotibus cū arca in medio Iordane fixis aſtantibus, donec gens tota tranſiit. Ioſua cap. 3.

Crœſus Halym pōte copias traiecit. Fama eſt, fuiſſe in illis caſtris THALETEM Mileſium, qui quum nuſquam fluuius foret uadabilis, nec ullus adhuc eſſet pontis uſus, quum ſiniſtrum amnem caſtra haberent, foſſam à fluuio militari opere in dexteram duxit, caſtra à tergo amplexus, in eamque fluuio repentè immiſſo, medium alueum inter aditum foueæ & exitum penitùs exaruiſſe. Alij adeò extenuatum ferunt, ut facilè citrò ultroq; uel à pedibus uadari potuerit. Sabel. lib. 6. En. 2. & Frontinus lib. 1. cap. 5.

DATAMES, Euphratem tranſgreſſus, Perſarum regem cum maximo exercitu aduentare audiens, ſupra fluuium magnam uiam contendit, & curribus binis coniunctis, binos alios impoſuit, eoſq; clauis inter ſe compegit, & iuxta canthos ab inferiori parte tabulas affixit, ut ne rotæ in limum fluminis deprimerentur. Viros autem ualentiſſimos, qui optima iumenta fune attraherent, tranare iuſſit. Poſtea currus compactos in fluuium immiſit. Hoc pacto cùm poſteriores impellerent, ij uerò qui traiecerant, ab anteriore parte traherēt magnis funibus ſuſpenſos, iniectis ſuperiùs ſarmentis atque lignis, fluuium cum ſuis copiis tranſmiſit, & decem dierum itinere, priùs quàm rex ad flumen perueniret, domum rediit. Polyæn. lib 7.

IDEM Autophradatem perſequentem fugiens, cùm ad flumen propè ueniſſet, tranſitum metuens, caſtra ſe poſiturum ſimulauit. Maximis autem & altiſſimis tabernaculis ab anteriore parte ædificatis, iumenta poſteriùs ſoluere non permiſit, neque militibus arma deponendi poteſtatem conceſſit. Hoſtes tabernacula conſpicati, etiam ipſi caſtra fixerunt. Interea Datames cum inſtructo exercitu fluuiū traiecit. Polyænus lib. 7.

DEMETRIVS Lycum fluuium rapidiſſimum tranſmittebat, peditibus nequaquam peruium, equitibus autem illis duntaxat, qui maximos & robuſtiſſimos equos haberent. Ergo equitum triplicem aciem fluctibus oppoſuit: qua rapiditas fluminis infracta tranſitum peditibus faciliorem præbuit Polyæn. lib. 4.

THRACES amnes gelatos lacuſque non niſi ad uulpis itum reditumq; tranſeunt. Obſeruatum, eam aure ad glaciem appoſita, coniectare craſſitudinem gelu. Plin. lib. 8. cap. 26.

ALEXANDER Magnus, prohibente rege Indorum Poro traiici exercitum per flumen Hydaſpem, aduerſus aquam aſſiduè procurrere iuſſit ſuos. Eo more exercitationis decepto hoſte, quia pro aduerſa ripa caueretur, per ſuperiorem partem ſubitò tranſmiſit exercitum. Polyæn. lib. 4.

IDEM Indi fluminis traiectu prohibitus ab hoſte, diuerſis locis in flumine equites inſtituit immittere, & tranſitum minari. Cumq; expectatione Barbaros teneret intentos, inſulam paulò remotiorē primùm exiguo, deinde maiore præſidio occupauit: atq; inde in ulteriorem ripam tranſmiſit. Ad quam manum opprimendam cùm uniuerſi ſe hoſtes effudiſſent, ipſe libero uado tranſgreſſus, omnes copias coniunxit. Frontinus lib. 1. cap. 4. & Polyæn. lib. 4.

IDEM Tigrim cum exercitu ſuperaturus (qui ſummum pectus attingens, multos uiolenter abripiebat) quò fluminis uiolentiæ obſiſteretur, monuit omnes, ut ſe mutuò manibus comprehenderent, corporumq; ueluti molem quandā confertiſſimam in unum conſtringerent. Itaq; tranſierunt, nō ſine magnis difficultatibus, ut in diſcrimine ſummo Macedonum ſalus fuerit. Diod. lib. 17.

ANTIPATER Sperchium tranſire uolebat: equitibus autem Theſſalis prohibentibus traiicere, copias abduxit in caſtra, & Macedonibus imperauit, ut in armis permanerent, neque iumenta ſoluerent. Theſſali Lamiam equitantes, prandium fecerunt in ſingulis ædibus. Antipater præuertens eos, per fluuium copias traduxit, priuſquam excurrerent ad repellendum Theſſali, & Lamiam irruptione facta cepit. Polyæn. lib. 4.

XENOPHON ulteriorem ripam Armeniis tenentibus, duos iuſſit quæri aditus: & cùm à citeriore repulſus eſſet, tranſiit ad ſuperiorem. Inde quoque prohibitus hoſtium occurſu, repetiit uadum inferius: iuſſitq; ibidem militum partē ſubſiſtere, qua, cum Armenij ad inferioris uadi tutelam rediiſſent, per ſuperius tranſgrederetur. Armenij credentes decurſuros omnes, decepti ſunt à remanentibus. Hi cùm, reſiſtente nullo, uadum ſuperaſſent, tranſeuntium ſuorum fuēre propugnatores. Front. lib. 1. cap. 4. & Polyæn. lib. 1.

CLEARCHVS magnum exercitum ducens, peruenit ad fluuium, alibi tranſitu facilem uſq; ad tibias, alibi profundum uſq; ad axillas. Primò conabatur ibi, ubi facilis tranſitus erat, traducere. At hoſtibus procul à fluuio fundas iacientibus & ſagittantibus, atq; tranſgredi prohibentibus: Clearchus per eam partem, quæ profundior erat, armatos duxit, ut maxima corporis pars ſub fluuio abſconderetur, quæ uerò emineret, ſcuto protegeretur. Armati ſine periculo tranſgreſſi, hoſtes repulerunt. Reliquus deinde exercitus, nemine impediente, faciliori parte fluuij tranſiit. Frontinus libro primo, capite 4.

PELOPIDAS Thebanus, cùm in Theſſalia flumen tranſire non poſſet, inſtantibus hoſtibus, caſtris ad fluuium poſitis, à fronte uallum circumdedit. Multis lignis exectis, quietem militibus concedens, media nocte uallum combuſſit. Igni uerò undique in altum ſublato, hoſtes ab inſequendo prohibebantur. Pelopidas cum ſuis abſque periculo traiecit. Frontinus lib. 1. cap. 4.

IDEM cùm à Theſſalis in fugam uerſus, flumen, in quo tumultuarium fecerat pontem, liberaſſet: ne ſequētibus hoſtibus idem tranſitus maneret, nouiſſimo agmini præcepit, incenderent pontem. Front. lib. 4. cap. 7.

HIERO Syracuſanus, cùm fluuium tranſire prohiberetur ab hoſtibus, armatos in tranſitu conſtituens, iuſſit equites iuxta fluuium aſcendere, tanquam ibi tranſituros & leuis armaturæ milites. Hoſtes uerò ſupra equites ſuas copias eduxerunt, ut eos ac leuis armaturæ milites tranſitu arcerent. Tum Hiero armatos traduxit, uim adhibens aduerſariis, qui pauci reliqui erant, & ſignum repentè inermibus militibus & equitibus ſuſtulit. Qui reuerſi traiecerunt, armatis, qui antè tranſgreſſi fuerant, redeuntes hoſtes ſuſtinentibus. Polyænus lib. 1.

ANNIBAL Rhodanum tranſiturus cum exercitu, cùm ex aduerſa ripa Volſcorum gens tranſitum prohiberet: Hannonem noctu cum parte exercitus occultè tranſmittit. Is caſtra Gallorum nil tale opinantium aggreſſus, eos in fugam uertit. Annibal interim cum reliquo exercitu fluuium ſuperauit. Liuius Dec. 3. lib. 1.

D. IVNIVS Brutus, cùm in Luſitania, ad Lethen amnem copias admouiſſet (id flumen Romani Obliuionē dicunt) miles ſubita religione adductus, quum imperio compelli non poſſet, ut id flumen uadaret, dux ſignum in ulteriorem proiecit ripam. In quo repetendo fluuius à paucis primò, mox ab uniuerſo exercitu ſuperatus eſt. Sab. lib. 9. En 5.

Q. LVCTATIVS Catulus, cùm à Cimbris pulſus unam ſpem ſalutis haberet, ſi flumen liberaſſet, cuius ripam hoſtes tenebant, in proximo monte copias oſtendit, tanquam ibi caſtra poſiturus: ac præcepit ſuis, ne ſarcinas ſoluerent, aut onera deponerent, ne quis ab ordinibus aut ſignis diſcederet: & quò magis perſuaſionem hoſtium confirmaret, pauca tabernacula in cōſpectu erigi iuſſit, igneſq; fieri, & quoſdam uallum ſtruere, quoſdam in lignationem, ut conſpicerentur, exire. Quod Cimbri uerè agi exiſtimantes, & ipſi caſtris delegerunt locum: diſperſiq; in proximos agros, ad cōparanda ea, quæ neceſſaria ſunt manſuris, occaſionem dederunt Catulo non ſolùm flumen traiiciendi, ſed etiam caſtra eorum infeſtandi. Front. lib. 1. cap. 5.

Q. SERTORIVS in Hiſpania, cùm à tergo inſtante hoſte flumen traiicere haberet, uallum in ripa eius in modum cauæ lunæ duxit, & oneratum materiis incendit: atq; ita excluſis hoſtibus fluuium liberè tranſgreſſus eſt. Front. lib. 1. cap. 5.

CN. POMPEIVS, cùm flumen tranſire propter oppoſitū exercitum hoſtium non poſſet, aſſiduè producere & reducere in caſtra inſtituit, deinde in eandem perſuaſionē hoſte perducto, ne ullam uiam ad progreſſum Romanorum teneret, repentè impetu facto tranſitum rapuit. Front. lib. 1. cap 4.

C. IVL. Cæſar in Britannia ingentem fluuium traiicere conabatur. Rex Britannorū Caſſouellaunus cum multis equitib. & eſſedis eum tranſitu arcebat. Cæſarem maximus elephas ſequebatur, animal Britannis inuiſum: eum ferreis ſquamis muniit, & altiſſimā in eo turrim extruxit, in qua ſagittarios & funditores conſtitutos iuſſit flumen ingredi. Britanni perterrebantur, inuiſum & grande ſupra modum animal conſpicati. Nam de equis quid attinet referre, cùm etiam apud Græcos equi, uiſo nudo elephante, fugiant? Itaq; Romani ſine periculo flumen tranſmiſerunt. Polyæn. lib. 8.

IDEM aduerſus Gergobiam, urbem totius Galliæ maximam, expeditionem ſuſcepit. Ei e regionè caſtra poſuit rex Gallorū Vercingetorix. Magnus eos in medio ſeparabat fluuius nauigabilis, tranſituq; difficillimus. Cæſar ad ripam multis diebus ſuos eduxit. Barbari eum contemtui habere ceperunt, quòd tranſmittere non auderet. Ille noctu duas legiones in profundis ſyluis occuluit: qui dum Galli Cæſarem obſeruarent, ipſi ad ſuperiorem fluminis partē, ponte olim inter-

interrupto, ſtrata compacta etiamnum habente, ſupremis duntaxat trabibus ademtis, ex nemore cõparatis lignis celeriter põtem refecerunt, & tranſierunt. Galli inſperato trãſitu perterriti, fugam capeſſebant: Cæſar cum reliquis per extemporalem pontem tranſiit. Idem.

IDEM ut Germanis ſuorum finium tuendorum curam iniiceret, qui tam licentioſè aliena inuadere conſueuerant, Rhenum copias traiicere conſtituit. Decem dierum ſpacio pontem Rheno impoſuit: cuius iungendi mira fuit ratio, propter ædificandi ſolertiam celeberrimam, cuius ipſe in Commentariis ad longum meminit.

ROMANI facilimè pontibus flumina ſternunt, ut in quo milites non ſecus atq; alia in re bellica ſubinde exercentur, cùm in Iſtro & Rheno, tum in Euphrate. Latæ naues ſunt, quibus iungitur fluuius. Recedunt autẽ ſurſum nonnihil ſupra eum locum, quem iuncturi ſunt: datoq; ſigno, unam primam nauem dimittunt, quæ ſecundo flumine iuxta ſuam ripam feratur. Quæ ubi ad locum ponte iungendum peruenerit, ſtoream ſaxis plenam in flumen coniiciunt, funi alligatam inſtar ancoræ: quo deuincta nauis in ripa conſiſtit, tabulis & iuncturis, quarum rerũ copiam uehit, ſubitò uſq; ad excenſum conſtrata. Deinde aliam paululum ab illa dimittunt, & mox aliam, donec in aduerſam ripam perduxerint iuncturam. Nauis uerò ea, quæ ad hoſtes accedit, etiam turres habet, & portam, & ſagittarios, & catapultam fert. Suidas in uoce Ζεῦγμα.

TRAIANVS, expeditione Parthica, cùm ea regio quæ ad Tigrim fluuium ſpectabat, materiam ad ædificandas naues non ferret, ea nauigia quæ in ſyluis apud Niſibin fecerat, plauſtris in flumen conuehi iuſſit (ſic enim comparata fuerant, ut diſſolui & coniungi poſſent) ægreq; ad radices Cardyni montis pontem fecit in flumine continuatis nauibus, quamuis hoſtes ex aduerſo collocati prohiberent. Dion & Xiphilinus.

CONSTANTINVS Magnus cũ ad Hadrianopolim in ripa Hebri fl. conſediſſet contra Liciniũ tyrannũ, pontẽ ſe tranſeundi fluminis cauſa facere uelle ſimulauit, qua in parte latiſſimus amnis erat. dumq; ei rei impediendæ hoſtes intentos uidet, quinq; millia ſagittariorum peditum cum equitibus octoginta in colle quodã ſyluis pleno in inſidiis collocat. Inde alia in parte flumine, qua arctiſſimum erat, ſuperato, repentè in hoſtes irrumpit, ac ſigno Crucis illato, eorum triginta millia ſtrauit, ac ſub noctem caſtra etiam cœpit. Sigonius lib.3. Imp. occid.

HVNNI Scythico bello deſperato, pellibus palea plenis pro ratibus uſi, cum uxoribus & liberis Iſtrum tranſierunt. Gregoras libro 2.

Quum Tartari ſub rege Hungariæ Bela IIII. Strigonium obſeſſuri aduentarent: in Danubio glacie conſtricto pedeſtre prælium ſæpe commiſſum eſt. At equitatum fluuio credere non audebant. Ergo multa in ripam armenta ducta, ibi ſine cuſtode triduo dimittunt. Strigonienſes hoſtem abiiſſe rati, traiecto amne pecora cuncta rapiunt, & in citeriorem ripã abigunt. Hoc ubi gens fera nouit, rata eodem exemplo, ſe tutò equitatum amni committere poſſe, Danubium ſicco pede traiecit, & uniuerſam ripam numeroſo equitatu occupauit. Bonfinius lib.8. Dec.2. & Fulg. lib.7. cap.4.

SCYTHÆ Græcis bellum facturi Danubium tranſierunt, corio ſubere expleto, itaq; compacto, ut nec minima guttula penetraret. Scytha enim ſubere conſcenſo, equinaq; cauda prehenſa, & ſella cæteriſq; belli inſtrumentis impoſitis, equo pro uelo, corio pro naue utens, Iſtri uaſtũ pelagus tranabat. Nicetas lib.2.

ATAPACVS Perſa, Clyzaſthlanis Iconij Sultani aduerſus Manuelem Comnenum Imp. dux, profligato ſuo ad Mæandrũ fl. exercitu, ſuæ ſaluti conſulturus, uadum quærit. Quia uerò flumen nuſquam tranſiri poterat, capto extemporè cõſilio, ſcuto pro lintre uſus, læua equum iuxtà natantem trahens, & dextra gladium pro gubernaculo ſuſtinens, tranauit. Cũ in ulteriorem ripã euaſiſſet, & tumulo conſcenſo quis eſſet prædicaret, quò Turcæ cò confluerent, ab Alano quodam ibi occiſus eſt. Nicetas lib.6.

Anno 1510. Maximiliani Imp. milites Verona egreſſi, ut in pagos pleroſq;, qui exercitum Venetorum receperant, rebúſque omnibus iuuerant, iracundiam exercerent ſuam, atque inde pabuli copiam aliquam in oppidum importarẽt, cùm quinque millia paſſuum proceſſiſſent, ad aquæ Martinianæ pontem ſubſtiterunt, ut Venetos excurrẽtes à fluminis tranſitu prohiberent. LEON. Apulus cùm expeditis militibus & equitibus à Veneto duce acceptis, equites Epirotas triginta ad ſuperiorem fluminis partem longo circuitu, ne ab hoſtibus conſpicerentur, miſit. Illi repertis in primo colle uadis, flumen tranſierunt: eodemq; & circuitu & celeritate uſi, magno clamore ſublata, repẽtè in hoſtes à tergo impetum fecerunt. Qui noua re perturbati, cùm reliquum adeſſe exercitum crederent, relicto ponte, in fugam ſe cõiecerunt. Bembus lib.10. hiſtoriæ Venetorum.

Cæſaris MAXIMILIANI copiæ ad Medoacum amnem in magnas anguſtias à Venetis redactæ, intempeſta nocte, ſilentio copiis eductis, & relicta leui tantùm armatura equeſtri, quæ frequentes excitaret ignes, & ſpeciem præſentis exercitus redderet, ad ſuperiora fluminis uada contendunt, ludificatiq; Barth. Liuianum Venetorum imp. flumen tranſmittunt. Equitatus omnis in unum agmen conglobatus, ſuperiore loco in amnem ſe coniecit, ut profluentis impetus ea obice frangeretur, leniorque aquarum uis & humiliora uada tranſeuntes cohortes exciperent. Iouius in Piſcario libro primo.

Eſt mons Mauritaniæ, Farrobus nomine, minoris Atlantis pars, uiginti paſſuum millibus Arzila (cui IO. Meneſius ſub Emmanuele Luſitaniæ rege præerat) diſtans. Secundùm illius radices amnis fluit, qui hyeme tantis aquis augetur, ut uado tranſiri non poſſit. Mauri ea re freti, ſecurè in pagis, qui ſunt in monte admodum frequentes, hyemabant, maximoſq; armentorum & pecudum greges alebant. At Meneſius in intimis ædibus, ne ea res in uulgus emanaret, duas quadratas ædificari iubet. Cuiuſlibet autem lintris magnitudo tanta erat, quanta poſſet unius ualidi iumenti tergo ſupportari. His perfectis, ſe tantiſper cõtinuit, dum noctem pluuiis & tempeſtate turbidam uideret. Eam nactus tempeſtatem, quam optabat, ſignum excurſionis properè faciendæ dari iubet. Vbi ad fluuium peruenêre, qui tunc ſuperripas effuſus, multò maiorem telluris partem, quàm ſuſpicati fuerant, inundabat: lintres, quas iumenta portabant, in ripa deponi præcepit. Tum uni è ſuis domeſticis, qui Fernandus Freitas appellabatur, imperauit, ut extremitate cuiuſdã funis mordicùs apprehenſa, fluuium nando traiiceret, uſq; eò dum modicæ terræ planiciem, quæ ultra aluei partem, qua fluuius maiore impetu ferebatur, in aquis eminebat, attingeret. Eo fune erat iam una ex lintribus alligata. Ergo poſtquàm is, qui fluminis alueum tranſierat, in locum peruenit, & inde contrariam ripam ſuperauit, lintrem ad ſe facillimè traxit. Similiter cùm funis alius, quo altera ex lintribus colligata fuerat, ex prima necteretur, minimo cum negotio traducta fuit. Cùm igitur utraque fuiſſet utrinque funib. altera ex parte laxatis, ex altera contentis munita, prout tranſmiſſionis illius uſus flagitabat, ut illæ ultrò citroq; facilè commearent: equites ephippia detrahunt equis, eaque lintribus imponunt, ipſiq; lintribus ita fluuiũ paulatim traiiciunt, ut equos habenis deductos tranſnare compellerẽt. Superato flumine in homines inopinatò inuadunt, multos capiunt, plures interimunt, magnamq; prædam faciunt, exercitumq; incolumen reducunt. Vbi ad fluuium uentũ eſt, abacti greges primùm fluuium nando traiicere compelluntur, deinde ipſi lintribus eadem ratione, qua nocte fuerant tranſuecti, & multò etiam faciliùs eundem fluuium tranſmiſerunt: Arzilãq;, cùm adueſperaſceret, ingreſſi ſunt, cum magna eorum, qui relicti fuerant, admiratione. Fieri enim non poſſe crediderant, ut in tam ſæua tempeſtate uel fluuiũ tranſire, uel, illo tranſmiſſo, hoſtium multitudinem armis exercitam euadere poſſent, maximè uerò, cùm regreſſus eſſet difficillimus, & poſſet facillimè reciſis lintrium funibus impediri. Oroſius lib.3. rerum Emmanuelis.

REX Calecutiẽſis, Cochimenſi regi, ob fœdus cum Luſitanis initũ, exitiũ minabatur. Regni utriuſq; fines æſtuario ingẽti erãt diuiſi. Locus autem, quò Calecutienſis Cochimum cõtendebat, erat eiuſmodi, ut æſtu decedente, uado tranſiri poſſet. Eò cùm Calecutienſis exercitum perduxiſſet, continuò anteſignanis uadum tentare præcipit. Sed ij nõ modò tranſitu prohibiti ſunt, uerùm multos è ſuis amiſerunt. Ergo ad fraudem conuerſus, Cochimenſem quæſtorem, qui ſingulis propè diebus de gentis more militibus ſtipendia perſoluebat, per internuncium magnis muneribus atque promiſſis allexit, ut milites ſtipendio fraudaret. Quæſtor pecunia corruptus, morbum ſimulauit, & in urbem ſe continuò recepit, edixitq; militibus, ut qui ſtipendium ſibi ſolui cuperet, in urbem ad illum tenderet. Quo facto multi ſe in urbem conferebant, quos Naramuhimus, Cochimenſis regis nepos, dux belli, continere non poterat. Quæſtor ſolutionem de die in diem differebat. Hoſtes interim uadum minimè tentabant, ut Cochimenſes negligentiores redderent. Poſtquam Calecutiẽſis ad hunc modum milites delapſos, & eos, qui remanebant, minùs ad defenſionem intentos animaduertit, repentè ſuas cõpias uadum cum celeritate tranſire iuſſit. Naramuhimus fortiſſimè dimicans, ſagittis confixus, occiditur. Oſorius lib.3. rerum Emmanuelis.

## FOSSAS SVPERARE.

SPARTACVS foſſam, qua erat à M. Craſſo circumdatus, cæſis captiuorum pecorumq; corporibus, noctu repleuit, & ſuper greſſus eſt. Front. lib.1. cap.5.

RE-



## REGIONES SQVALLIDAS, DESERTAS, ſiticuloſas ſuperare.

Cùm Cambyſes contra Aegyptios per deſerta Arabiæ expeditionem inſtituiſſet: REX Arabum rationem docuit, quomodo ſiccanea loca ſuperare poſſet. Namq; Camelos omnes, poſteaquam utribus camelinis aqua completis onerauit, egit ad loca humore carentia, ibiq; Cambyſis exercitũ præſtolabatur. Alij tamen aliter rem geſtam narrant. Eſt magnũ in Arabia flumẽ, nomine Cerys, exiens in mare rubrum. Ab hoc flumine fertur Arabum rex canalem ex bouinis, aliiſq; crudis coriis conſutum, tanta longitudine produxiſſe, ut ad loca arida per illam aquam produxerit: inq; ipſo arido ſolo ingentes ciſternas fodiſſe, quæ recepta aqua potum ſuppeditarent. Et cùm ſit à flumine ad terram aridam duodecim dierum uia, per tres aquæductus in totidem partes aquam deduxiſſe. Herod. lib.3.

ANTIGONVS rex Gadamartis in ciuitate Medorum hyberna agebat. Eumenes uiam uſq; ad mille ſtadia diſpoſitis undiq; præſidiis, præoccupauerat. Ea uia ducebat per inferiores montes. Subiectus erat campus æqualis, carens aqua, inhabitatus, nullo gramine præditus, non arbore, non planta. Sed cùm ſulphure, multaq; ſalſuginoſa materia ſcateret, neq; animalia neq; homines per eum iter habere poterant. Antigonus præſidia ſecus uiam collocata declinans, per medios duces elapſus, planiciem conficere ſtatuebat. Quam ob cauſam decem millia cadorum iuſſit conſui, eoſq; repleri aqua, commeatumq; decem dierum comportari. Sic per mediã inhabitabilẽ planiciẽ duxit exercitum noctu, ignes incẽdere uetãs, ne profectio cognoſceretur. Polyænus li.4.

IPHICRATES uiam aridam biduo profecturus, præcepit uaſa repleri aquis, & duxit exercitum per noctem. Facto die caſtrametatus eſt, & iuſſit cibum capere. Poſtquam quieuerũt interdiu, iterum noctu iter facere. Sic pro biduo duabus noctibus frigus captantes euaſerunt, & una dies atq; aqua ipſis ſuffecit. Polyænus lib.3.

CN. POMPEIVS contra Albanos profectus, cùm eum longa, arida, & aſpera uia exciperet, decem millia utrium aqua impleuit, atq; ita in hoſtem duxit. Plut. in Pompeio.

## REGIONES ASPERAS, MONTUOſas tranſmittere.

ALEXANDER Magnus per Oſſam montem gradibus per præcipitia inciſis, quam pòſt Scalam Alexandri uocarunt, exercitum in Theſſaliam duxit, Theſſalis anguſtias Tempe fruſtra cuſtodientibus. Polyænus lib.4.

HANNIBAL æternis damnatas niuibus Alpes incredibili auſu, pari ſucceſſu ſuperauit. Ad eas ubi peruenit, & editiſſimos tumulos à montanis inſideri uidit: Gallorum ſociorum exploratione edoctus, interdiu tantùm obſideri ſaltum, nocte in ſua quenq; dilabi tecta, luce prima ſubiit tumulos, ut ex aperto atq; interdiu uiã per anguſtias facturus. Die deinde, ſimulando aliud quàm quod parabatur, conſumto, cùm eodẽ, quo conſtiterat, loco caſtra communiſſet, ubi primùm digreſſos tumulis montanos, laxataſq; ſenſit cuſtodias, pluribus ignibus quàm pro numero manentium in ſpeciem factis, impedimentiſq; cum equite relictis, & maxima parte peditum, ipſe cum expeditis acerrimo quoq; uiro raptim anguſtias euaſit: iiſq; ipſis tumulis, quos hoſtes tenuerant, conſedit. Iam cùm in ſummas Alpes euaſiſſet, & conſpecta Italia animos milites recepiſſent, uentum eſt ad rupem anguſtiſſimam, ita rectis ſaxis, ut ægrè expeditus miles tentabundus, manibuſq; retinens uirgulta ac ſtirpes circà eminentes, demittere ſeſe poſſet. Natura locus iã antè præceps recenti terræ lapſu in pedum mille admodum altitudinem abruptus erat. Ea uerò uia inſuperabilis fuit. Nam cùm ſuper ueterem niuem intactã noua modicè altitudinis eſſet, molli, nec præaltæ niui facilè pedes ingredientium inſiſtebant. Vt uerò tot hominum iumentorumq; inceſſu dilapſa eſt, per nudum infra glaciem fluentemq; labem liqueſcentis niuis ingrediebantur. Tandem ne quicquam iumentis atq; hominibus fatigatis, caſtra in iugo poſita ægerrimè ad idipſum loco purgato. Tantum niuis fodiendum atq; egerendum fuit. Inde ad rupem minuendam, per quam uia una eſſe poterat, milites ducti, cùm cædendum eſſet ſaxum, arboribus circà immanibus deiectis detruncatiſq;, ſtruem ingentem lignorum faciunt: eamq; cùm & uis uenti apta faciendo igni coorta eſſet, ſuccendunt, ardentiaq; ſaxa infuſo aceto putrefaciunt. Ita torridam incendio rupem ferro pandunt, molliuntq; anfractibus modicis cliuos, ut non iumenta ſolùm, ſed elephanti etiã deduci poſſent. Quatriduũ circa rupem conſumtum. Inde ad planum deſcenſum eſt, etiã locis mollioribus & accolarum ingeniis. Liu. Dec.3. lib.1.

TVRCORVM XXX millia anno Sal.1476. in Forumiulij facta irruptione, inde per abrupta & confragoſa montium loca, uel ipſis Alpium incolis aditu difficillima, in Germaniã euaſere. Multa ſanè, & horrenda facinora, & quæ uix ſibi fidem uendicent, in ſuperanda Alpium aſperitate edidére, quorum illud ſilentio indignum mihi uidetur, quòd non uno loco, ubi ad rupes & aſperos montium anfractus peruenêre, equos reſtibus alligatos in ſubiectas crepidines demiſſos, accepimus, atq; deinde in alias, donec in profundiſſimas ualles ſit uentum. Interdum uniuerſus equitatus, uel certè maior illius pars (quod ex ipſis ueſtigiis poſtea intelligi potuit) per adeò ardua loca præceps datus eſt, ut per ducentos fermè paſſus non modò locis illis quiſquam pedibus uadere poſſit, ſed ne conſiſtere quidem, niſi uirgulto ſe aliquo applicuerit. Quid quòd ubi per iuga Alpium uſq; in montanæ Carniæ fines decurrêre, nunciatumq; interim eſſet, ab Alpium incolis iuga montis, qui Lanceæ dicitur, quà unicum eis iter in Germaniam patebat, inſeſſa, intrepidè ad locum progreſſi, neq; montis altitudine qui in immenſum aſſurgit, neq; aſcenſus arduitate deterriti, ſed ſcutis ſubnixi per aduerſam rupẽ ad hoſtem repſere potiùs quàm ſubiére. Quo audaci incœpto territi illi qui præſidio erãt, trepidare cœperunt: inde in fugã turpiter dilapſi, ingentis cladis inferendæ Barbaro materiam præbuére. Sab. lib.10. Dec.3.

FRANCISCVS I. Gallorum rex anno 1515 Mediolanenſe imperium recuperaturus, auctore duceq; Triuultio, qui aſſiduè omnes aditus per inacceſſas montium crepidines fuerat contemplatus, inuſitatum iter currulibus tormentis aperuit: ad dextram inter maritimas & Cottias alpes per imas ualles Argentarij fluminis inſinuando agmina, atq; euadẽdo in prærupros uertices excelſiſſimorum montium, adeò ut tormenta ſæpe ductariis prætentis funibus ſuſpenſa per trochleas legionum manibus traducerentur, quum profundiſſimæ ualles intercideren: nec tantæ molis apparatus iugis aut militum humeris educi poſſet. Quinq; dierum labore per hæc itinera plena rerum omnium difficultatibus, deceptis Heluetiis, in Italiam eſt peruentum, eo lætiore laboris atq; periculi exitu, quòd dum inacceſſos ſaltus uiis penſilibus ad latera cautium exaggeratis, ad iter patefaciunt, Palicia cum quatuor alis equitum ad diſtinendos fallendoſq; hoſtes, ſuperiora Peroſæ montis iuga, ductantibus alpinis agreſtibus, trãſgreſſus. Proſperũ Columnã pontificiũ ducem inopinato aduentu oppreſſit. Iou. in Leone X. lib.3.

## NIVES SVPERARE.

Cùm Saraceni hyemali tempore inuaderent Pampilonem, & Rex Nauarræ SANCIVS Garſiæ ultra Pyrenæum ageret, audito periculo, de crudis coriis fecit abarcas, quibus pro ſotularibus per medias niues tranſiuit illæſus. & ab hoc facto fuit exinde dictus Abarca (& aliqui, qui ex genere eius proceſſerunt, adhuc hodie cognomen retinent ab Abarca) Circa auroram adueniens, tanta ſtrage affecit hoſtes, ut uix ſupereſſet cladis nuncius. Rodericus Toletanus libro 5. rerum Hiſpan. cap.22.

## REGIONES FERIS INFEſtas tranſmittere.

MOSES Hebræus dux Aegyptiis ex oraculo datus, omnibus quæ ad bellũ neceſſaria erãt comparatis, in Aethiopas mouit: quib. ne ſuus acceſſus aliquo modo præſentiretur, à ripa fluminis diuerſus ducere conſtituit. Verùm quia per loca ſerpẽtibus infeſta ductandus erat exercitus, uim ibidũ ingentẽ papyraceis inſtrumentis in arcarum ſpeciem contextis incluſit, iiſq; præmiſſis, ſerpentes partim confecit, partim fugauit, incolumemq; ad Meroem uſq; exercitum perduxit. Sab. lib.2. En.1. & lib.4. cap.8. Exemplorum, & lib.10. cap.6.

# EXERCITVM, MILITES SVOS CONTRA HOSTIVM INſidiantium, inuadentium, reſiſtentium, perſequentium uim tueri. PARTIM

## DELVDENDO, NE HOSTIS INSTET, inuadat, inſequatur:

*Simulatione quietis Caſtrametationis. Præparationis ad pugnam.*

DARIVS Perſarum rex in Scythia circumuentus, conſilio Gobryæ uſus, ubi nox affuit, reliquit in caſtris uiros morbis affectos, & eos quorum amiſſio minimi facienda eſſet, nec non omnes aſinos alligatos: aſinos quidem, ut ruditũ ederent: infirmos autem homines hoc prætextu, ut dum ipſe cũ flore copiarum adoriretur hoſtem, iſti interea caſtra tutarẽtur. Hæc perſuadens his qui relinquebantur Darius, accenſis ignibus quàm maturrimè ad Iſtrum contendit. Aſini, quòd multitudine deſtituti eſſent, eò magis rudere. Quos

III audi-

audientes Scythæ, credebant omnino, Perſas in eiſdem permanere caſtris. Verùm ubi illuxit, ii qui relicti erant, cognito ſe proditos eſſe à Dario, manus extenderunt ad Scythas. Herod.lib.4. & Polyænus lib.7.

Poſt infelicem pugnam ad Salaminem XERXES rex ueritus, ne quis Ionum à Græcis ſubornatus, aut ſua ſponte, ad ſoluendos pontes in Helleſpontum nauigaret, unde ipſe in Europa deprehenſus de ſalute periclitaretur, de ſugiendo conſultabat: nolens tamen neque à Græcis neque a ſuis detegi, aggerem in Salamine tentabat educere, nauesque Phœnicum onerarias, ut pro rate ac muro eſſent, innectebat: & ſe, tanquam aliam pugnam naualem facturus, ad bellum inſtruebat. Quæ agentem uidentes cæteri, pro certo habebant, eum manendi animo atque bellandi illa apparare: ſed nihil eorum Mardonium latebat, ut probè gnarum ingenij illius. Herod.lib.8.

PHILIPPVS in Amphiſſenſium terram expeditionem parabat. Athenienſes & Thebani anguſtias maris (quæ Cyaneæ dicuntur) præoccupauerant: neque, quemadmodum tranſiri poſſet, ulla ratio poterat inueniri. Decipit hoſtes Philippus, fictis literis ad Antipatrum miſſis in Macedoniam, ſe expeditionem contra Amphiſſenſes ſuſceptam in aliud tempus reiicere, atque iam in Thraciam feſtinare: quòd eius regionis incolas nouis rebus ſtudere audiuiſſet. Tabellarius per anguſtias iter facit, quem duces Chares & Proxenus capiunt. Cumq; epiſtolam legiſſent, fidem habentes ſcriptis, anguſtiarum cuſtodiam relinquunt. Philippus ſine periculo tranſiit, & redeuntes duces ſuperauit, Amphiſſaq; potitus eſt. Polyænus lib.4. & Front.lib.4.

PHILIPPVS Demetrij filius, bellū gerens cum Attalo rege Pergameno & Rhodiis, & quemadmodum per mare effugere poſſet, deliberans, transfugam Aegyptium miſit, qui hoſtibus nunciaret, cum ad nauale prælium ſequenti die committendum præparari: noctuq; multos ignes fecit, ut manere exercitus uideretur. At cùm Attali milites ad naualem pugnam ſe inſtruerent, & ex eo loco, per quem exitus nauibus erat, præſidia deducerent: Philippus clàm omnibus abnauigauit. Polyæn.lib.4.

IDEM oppugnans longo tempore Carras oppidum, cùm nulla ratione capere poſſet, atq; diſcedere ſine periculo cuperet, noctem caliginoſam obſeruauit: iuſſitq; fabros diſſoluere machinas, ipſo tamen ſonitu fabricantium morem referre. Carrenſes audito ſonitu, portas intrinſecus firmiùs claudebant, & machinis contraria tormenta parabant. Interea Philippus clàm unà cum ipſis tormentis per noctem diſceſſit. Polyænus lib.4.

DATAMES Autophradatem perſequentem fugiens, cùm ad flumen propè ueniſſet, tranſitum metuens, caſtra ſe poſiturum ſimulauit. Maximis autem & altiſſimis tabernaculis ab anteriore parte ædificatis, iumenta poſteriùs ſoluere non permiſit, neq; militibus arma deponendi poteſtatem conceſſit. Hoſtes tabernacula conſpicati, etiam ipſi caſtra fixerunt. Interea Datames cum inſtructo exercitu fluuium traiecit. Polyænus lib.7.

CIMON Athenienſis in caſtris moriens monuit ſuos, ut extemplò diſcederent, & mortem ſuam tegerent. Contigit autem, ut nemine ſentiente neque hoſtium, neque ſociorum, illi reuerterentur incolumes ductu auſpiciiſque Cimonis, ut Phanedemus ait, dies iam triginta defuncti. Plutarchus in Cimone.

CHABRIAS cùm è Laconum terra multam prędam abegiſſet, exeuntibus ad ferendum ſuis auxilium Spartiatis, duce Ageſilao, milites in collem excelſum conduxit: iumentiſq; & captiuis in munitiſſimum locum impoſitis, caſtra circumca locauit. Lacones quinque ſtadiorum ſpacio eregionè caſtrametabantur. Imperauit Chabrias, ut ignes plurimi per noctem incenderentur: & ſecunda uigilia promulgauit, ut relictis iumentis & pecudibus ipſi per poſteriorem collis partem diſcederent. Quj mandato parentes, clàm diſceſſerunt. Lacones & ignem conſpicientes, & iumentorum uocem exaudientes, cùm Athenienſes remanere putant: ſub diluculum uaſis conclamatis, accepta ad ineundam pugnam teſſera, ad collem proceſſerunt. Poſtquam uerò appropinquaſſent, & inania caſtra inueniſſent, exclamauit Ageſilaus; Optimus equidem dux eſt Chabrias. Polyænus libro tertio.

IPHICRATES, clàm hoſtibus propè imminentibus, ut ſine periculo caſtra moueret, quotquot erāt arbores in eo loco reſecuit, & appendit illis ſcuta, galeas, haſtas. Hoſtes igitur ex his eos manere coniiciebant. Iphicrates uerò cum omnibus copiis tutò caſtra mouit. Polyænus lib.3.

IDEM in Thracia, cùm depreſſo loco caſtra poſuiſſet, exploraſſet autem, ab hoſte proximum teneri collem, ex quo unus ad opprimendum ipſos deſcenſus erat: nocte, paucis intra caſtra relictis, imperauit, ut multos ignes facerent: eductoque exercitu & diſpoſito circa latera prædicta uiæ, paſſus eſt tranſire Barbaros: locorumque iniquitate, in qua ipſe fuerat, in illos conuerſa, parte exercitus terga eorum cecìdit, parte caſtra fecit. Frontinus libro primo, capite quinto, & Polyænus libro tertio.

Milites CORINTHII, in ſupplementum Timoleonti, qui Syracuſas occuparat, miſſi, qui Thurij agebant, cùm formidarent Carthaginenſium claſſem, quæ cum Hannone aſſeruabat ipſos ad Meſſanam, & multos dies mare uentis ſæuiret, perrexerunt pedibus per Brutios proficiſci, Rhegiumq; quà barbarorum uoluntate, quà ui peruenêre. At claſſis Punicæ præfectus, cùm expectaret Corinthios, perſuadens ſibi acutum commentum ſe & perquàm callidum excogitauiſſe: coronas imperat nautis ſumere, naues clypeis Græcis & palmis ornat, atque ita uerſus Syracuſas contendit, prętectuſque arcem cum ſtrepitu, plauſu, & riſu, quo perculſos redderet obſeſſos in arce, Corinthios clamauit ſe modò traiicientes fudiſſe mari, & cepiſſe. Dum ille has nugas & præſtigias agit, Corinthij qui ex Brutiis peruenerant Rhegium, ubi nulla mari cuſtodia fuit, & uenti, qui prodigiosè ceciderant, tranquillum aſpectu & lenem præbuerunt tranſitum, properè conſcenderunt pontones & naues piſcatorias, quæ ad manum erant: atq; in Siciliam tam tutò, tantaq; tranſmiſerunt tranquillitate, ut equos iuxta nauigia nantes traherent habenis. Quj ut omnes iam traiecerunt, atque ad Timoleontem peruenerunt: extemplò is potitus eſt Meſſana, ac ſigna Syracuſas mouit, fortuna ſua rebusque geſtis plus quàm copiis fretus. neq; enim plus quatuor millibus militum habebat ſecum. Plut. in Timoleonte.

PYRRHVS Epirotarum rex, cùm Tarentinis contra Romanos ſuppetias tuliſſet, & interea à Carthaginenſibus nauali prælio uictus eſſet: de fuga tale cepit conſilium. E Sicilia poſt cladem acceptam reuerſus, legatos cum literis ad Aſię reges, & ad Antigonum Macedoniæ regem dimiſit: ab aliis pecuniam, ab aliis auxilia, ab Antigono uerò utrunque exposcens. Cùm legati diuerſi literas ei reddidiſſent, Epirotarum & Tarentinorum principes in concionem uocat. Ibi quas acceperat literas non ſanè recitauit, ſed propediem affutura auxilia affirmauit. Cùm percrebuiſſet igitur fama in Romanorum etiam exercitu, & è Macedonia, & ex Aſia magna Pyrrho auxilia aduentare, nihil illi noui moliri auſi ſunt. Pyrrhus uerò ea quæ conſecuta eſt nocte, ad Epiri montes (quæ Ceraunia uocant) claſſe tranſuectus eſt. Pauſanias in Atticis.

ANNON cum Carthaginenſibus Siciliam præterlegebat. Dionyſius tyrannus naues aduerſus eum non paucas numero miſit, quæ propemodum iam accedebāt. Annon ſuis nauibus uela detrahit: idem faciunt hoſtes. Annon ſuis mandat, ut celeriter explicent uela, & hoc pacto cunctantes & perturbatos effugit. Polyænus lib.5.

PHILOPOEMENES Megalopolitanus à Lacedæmoniis propemodum deprehenſus, cùm Eurotam fluuium traieciſſet, equitibus mandauit, ut equis frena detraherent, & ex aqua potum haurire ſinerent. Cùm autem locus ille multa ſylua abundaret, Lacedæmonij magnam fiduciam conſpicati equos effrenantium ac potum ducentium, ſuſpicabantur in nemore magnas aliquas copias ſociorum Philopœmenis latêre, neq; tranſmittere fluuium audentes reuertebantur. Polyænus lib.6.

Circumuenti à Romanis LIGVRES, per diuiſa loca bubalos laqueis ad arbores alligauerunt, qui deducti frequentiore mugitu ſpeciem remanentium præbebant hoſtium. Front.lib.1.cap.5.

CN.FONTEIVS Craſſus in Hiſpania cum tribus millibus hominum prædatum profectus ad Haſdrubalem, & ad primos tantùm ordines relato conſilio, incipiente nocte, quo tempore minimè expectabatur, per ſtationes hoſtium erupit. Front.lib.1.cap.7.

L.SYLLA bello ſociali apud Eſerniam inter anguſtias deprehenſus ad exercitum hoſtium, cui Duillius præerat, colloquio petito, de conditionibus pacis agitabat ſine effectu. Hoſtem tamen propter inducias negligentia reſolutum animaduertens: nocte profectus, relicto buccinatore, qui uigilias ad fidem remanentium diuideret, & quarta uigilia commiſſa eum ſequeretur, incolumes ſuos cum omnibus impedimentis tormentiſque in tuta perduxit. Frontinus libro 1. capite 5.

L. LVCVLLVS Syllæ iuſſu claſſe in Aegypto comparata, in Cyprum traiecit. Nunciato hoſtes ſub promontoriis ſtare, & ipſum captare: ſubduxit claſſem omnem, ciuitatibusque de hybernis ſcripſit & annona, quaſi illic uer expectaturus. Inde aſpirante aura, nauibus repentè deductis uela fecit. Interdiu uelis ſubductis & contractis nauigans, noctu in altū datis, Rhodum applicuit ſoſpes. Plut. in Lucullo.

SPARTACVS cùm à L. Varinio Procoſ. præcluſus eſſet, palis per modica interualla fixis ante portam, erecta cadauera (adornata ueſte atq; armis) alligauit, ut procul intuentibus ſtationis ſpecies eſſet, ignibus per tota caſtra factis. Imagine uana deluſo hoſte, copias ſilentio noctis eduxit. Front.lib.1.cap.5.

MITHRIDATES rex, circumuallante Pompeio, fugam in proximam diem moliens, huius conſilij obſcurandi cauſa, latiùs, & uſq; ad applicitas hoſti ualles, pabulatus eſt. Colloquia quoq; cum pluribus, auertendæ ſuſpicionis cauſa, in poſterum conſtituit. Ignes etiam frequentiores per tota caſtra fieri iuſſit. Secunda deinde uigilia præter ipſa caſtra hoſtium, agmen eduxit. Frontinus lib.1.cap.1.

CN. Pompeius Brunduſij, cùm excedere Italia, & transferre bellum propoſuiſſet, inſtante à tergo Cæſare, conſcenſurus claſſem, quaſdam obſtruxit uias; alias parietibus interſepſit, alias intercidit foſſis, caſq; ſudibus erectis præcluſas, operuit cratibus humo aggeſta: quoſdam aditus, qui ad portum ferebant, trabibus tranſmiſſis, & in denſum ordinem ſtructis, ingenti mole tutatus. Quibus confectis, ad ſpeciem retinendæ urbis raros pro mœnibus ſagittarios reliquit: cęteras copias ſine tumultu ad naues reduxit. Nauigantem eū mox ſagittarij quoq; per itinera nota digreſſi, paruis nauigiis conſecuti ſunt. Front.lib.1. cap.5.

AFRANIVS in Hiſpania ad Ilerdam, cùm Cæſarem fugeret, inſtante eo caſtra poſuit. Cùm idem Cæſar feciſſet, & pabulatum ſuos dimiſiſſet, ille ſignum repentè itineri dedit. Frontinus lib.2.cap.13.

M. ANTONIVS, cùm ex Parthis ſibi inſtantibus reciperet exercitum, & quoties prima luce moueret, toties urgentibus Barbarorum ſagittis infeſtaretur, abeuntium agmen in quintam horam continuit, ſuiſque fidem conſtantiorem fecit. Qua perſuaſione digreſſis inde Parthis, iuſtum iter reliquo die ſine interpellatione confecit. Frontinus libro 2. capite 13.

AVGVSTVS in bello contra Brutum & Caſſium, traiicere Adriam uolebat. Mutius nauarchus hoſtibus in inſulam appellentibus iuxta Brunduſium, prohibiturus eos manifeſtò uidebatur. Auguſtus decipit Mutium, ita ſe gerens, quaſi nauali prælio aduerſus ipſum decertaturus eſſet, & triremes ad dextram Adriæ uerſus Italiam nauigare iuſſit, tanquam ad inſulam adnauigaturas: Ipſe onerarias turribus implebat, & machinis. Mutius deceptus naualis pugnæ apparatu, in pelagus receſſit, ut in latiori potiùs quàm anguſto mari pugnam faceret. Auguſtus uerò prælium non commiſit, ſed in inſula naues ſubducebat. Mutius nullum alium portum habens, in Theſprotidem coactus eſt tranſmittere. Auguſtus Adriam ſine periculo tranſiens, in Macedoniam peruenit. Polyænus lib.8.

CESTIVS Syriæ præſes, malè re geſta Hieroſolymis, quam obſederat, fugiens, concluſus in urbe Bethoro à Iudæis, CCCC milites tectorum faſtigiis noctu impoſitos, excubiarum ſigna clamare iuſſit. Ipſe clàm cum ſuis abiit, arbitrantibus Iudæis exercitum omnem remanere. Mane cognito dolo, Iudæi CCCC illos interfecerunt. Ceſtus Antiochiā peruenit quinq; millibus peditum, mille equitibus amiſſis. Ioſephus lib.2.cap.24. belli Iud.

AIDANVS Scotorum rex à Pictis & Saxonibus in ualle Annandiæ incluſus erat. Reſtabat iter unum exercitui è ualle proficiſcendi, per infirmam arenam, & amnem raris locis uadoſum. Caſtra igitur erectis turribus, propugnatoribus ac ſtationibus, ueluti illic permanſurus, quàm citiſſimè firmauit, cuſtodias uigiliasq; circumeundo, laboriſque patientia & uigilantia cum militibus contendens, exemplo magis & pudore quàm uoce, quos ſub ſignis habuit ad uirtutem decuſque acuebat. Et cùm hoſtis minimè ſuſpicaretur, ſub noctem ignibus in caſtris ſtructis, & amne diuerſis uadis ſuperato, citato gradu per arenas, locorum gnaris quibuſdam ducibus, in Cumbriam, inde in Northumbriam abiit, ferro & igne fœdè omnia uaſtans. H. Boethius lib.9.

CAROLVS VIII. Galliæ rex, altera poſt Tarrenſem cum Venetis Sforcianiſque copiis pugnam, de ſecunda uigilia multis ad fallendos hoſtes ignibus excitatis, nullo tubæ aut tympanorum ſigno, ſed per occultam teſſeram profectione denunciata, caſtris expeditum agmen eduxit: & Aemilia uia rectum iter ad Trebiam intendit, tanto uſus ſilentio, ut priùs aliquot milia paſſuum ſit emenſus, quàm ab hoſtibus repentina eius profectio ſentiretur. Iouius lib.2. Hiſtor.

Bello Liguſtico quarto, GENVENSIVM claſſis Tarento digreſſa, confeſtim ubi ex aduerſo Venetum in ſe mouentem uidit, in altum declinato curſu ſeſe proripuit. Inſtat fugienti Venetus, quaſi protinus aſſecuturus, quum noua ab eo arte eſt eluſus. Aſſimulat hoſtis pugnam, tanquam in fuga omnino parum ſpei eſſet: continuoque in Venetum conuerſus, uelut acie dimicaturus, omnia quæ ad pugnam parari ſolent, in nauibus aſſimulari iubet. Quod Victor Piſanus Venetæ claſſis præfectus conſpicatus, & ipſe curſum ſiſtit, edicitque ut remiges ſocijque nauales ſimul corpora curarent, ſimul captis armis ſeſe ad pugnam expedirent. Ligur ubi Venetos inſtructos uidit, turmas armorum pondere grauatas, bellicis inſtrumentis triremes omnes impeditas, ſuis ad fugam dat ſignum. Vidiſſes tum utramque claſſem diſpari motu agi: illam quia expeditiſſimos remiges habebat, uelut alas habentem medio pelago uolitare, hanc tardam, & quaſi impedito remigio hærere. Et hac arte Ligur effugit. Sabell.lib.5. Decad.2.

Circumuentus ab Amurate IO. HVNIADES, ut cum lectiſſima copiarum parte ſaluus abiret, ſimulat apud duces, ſe in Ianizaros impetum facturum, & ut ipſi quoque dato ſigno id faciant, hortatur. Nocte media expectātibus aliis ſignū, ipſe deluſis & Turcis & ſuis, cum flore exercitus elapſus eſt. Chalcocondylas lib.7.

Franciſcus I. Gallorum rex florentiſſ. exercitu Belgicum infeſtabat, anno Salutis 1520. GEORGIVS Fronſpergius Caroli V. polemarchus, cùm tantis copiis ſeſe uideret imparem, ex deſperatione prælio ſe conflicturum ſimulat. Manè oborta nebula hoſtibus equitatum medium opponit, ipſe ſuos ad prælium animat, ſed ad euocandos extra munitiones ſuas Gallos inſtructa acie paululum retrocedere iubet. Vna igitur eademque opera & Gallos uana ſpe prælij decepit, & ſuos à tumultuario diſceſſu, ne hoſtium iniuriæ paterent, cohibuit. Vbi in tutum euaſit, tunc ſuos omnes ingeniculari & Deo opt. max. σώστρα perſoluere iuſſit. Hoc factum cæteris omnibus facinoribus ſuis bellicis, quantumuis inſignibus, anteferre ſolebat: quòd in reliquis hoſtes cæcidiſſet, hoc uerò & ciues & Belgicum Cæſari conſeruaſſet. Auctor uitæ eius.

*Abitus, Regreſſus ſimulatione.*

AVTOPHRADATES Perſa, cùm in Piſidiam exercitum duceret, & anguſtias quaſdam Piſidæ occuparent, ſimulata deſperatione traiiciendi, inſtituit reducere. Quod cùm Piſidæ credidiſſent, ille nocte ualidiſſimam manum ad eundem locum occupandum præmiſit: ac poſtero die totum traiecit exercitum. Front.lib.1.cap.4.

P. CLAVDIVS Coſ. primo bello Punico, cùm à Rhegio Meſſanam traiicere militem nequiret, cuſtodientibus fretum Pœnis, ſparſit rumorem, quaſi bellum iniuſſu populi inceptum gerere non poſſet, claſſemque Italiam uerſus ſe agere ſimulauit. Digreſſis deinde Pœnis, qui profectioni eius habuerant fidem, circumactas naues appulit Siciliæ. Frontinus libro 1. capite 4.

Gatta Mellita Venetarum copiarum ductor contra Nic. Picininum Philippi Vicecomitis ductorem, per iuga Alpium ducebat exercitum Veronam. In Penetrenſi ſaltu circumuentus erat ab hoſtibus, Benaco lacu, flumine, montibus incluſus. Tum PILOSVS Centurio hoſtem noua arte ludificatus dicitur. Nam quum ſaltus, per quē unicum patebat uia, hoſtium præſidio teneretur, atque ea eſſet locorum anguſtia, ut decem fortes uiri multa hominum millia facilè remorari poſſent, interdiuq; ac noctu obſeruaretur, arte inde hoſtem depulit. Fuit nemus iugo, quod hoſtis inſederat, admodum propinquum: in eo uiginti lectos pedites ſub noctem ille condidit, iuſſitque intentos expectare, ut ſi præſidium illud remiſiſſet, deceſſiſſetque hoſtis cuſtodia illa attentiſſima, continuò locum occuparent: ipſe quaſi deſperato tranſitu laternis per noctem accenſis, quas altis fuſtibus ſuſpenderat, facibuſque adhæc multis ardentibus digreſſus, ſimulauit longiùs abire. Præbuit ea res ſpeciem abeuntis Veneti. Quo factum eſt, ut neglecta cuſtodia uiginti illi ex proximo coorti iugum repentè occuparint. Affuit & ipſe centurio ſtatim cum reliquis militibus: qui ubi ſuperiore parte ſe hoſtibus cum clamore oſtenderunt, territi illi apertum Veneto ſaltum cum fluminis ripa reliquêre. Sab.lib.3. Dec.3. At Egnatius lib.2.cap.4. hoc tribuit ipſimet Gattæ.

*Diuiſione exercitus, eum per partes tranſmittendo.*

MEGACLIDAS, cùm in montem aſperum confugiſſet, obſeſſus exercitum diuiſit, & eam partem quæ inutilis erat atque grauior, per ſyluam fugam dare iuſſit: ſciens id hoſtibus perſpicuum fore. Quibus in fugientes impetum facientibus, ille cum meliore parte copiarum, ad contrariam ſyluæ uiam conuerſus, aufugit ſine periculo. Polyænus lib.2.

TIMOTHEVS apud Amphipolim caſtra ponebat. Nunciauit quidam ueſperi, hoſtes aduerſus ipſum coire, & cum magna multitudine poſtridiè aggreſſuros eſſe. At is militibus hoſtium multitudinem non prædixit, ne terrorem faceret: ſed quaſi aggreſſurus illos paucos, & confuſim agentes, inutilem multitudinem per inuia præmiſit, ubi minimè cuſtodiam hoſtes eſſent habituri. Ipſe phalangem mouit, in poſtremo leui armatura præditos conſtituens. Triremes uerò in Strymone fluuio cùm implere non poſſet, incendio conſumſit: & his omnibus una nocte perfectis, abſq; periculo diſceſſit. Polyænus lib.3.

HASDRVBAL à Cl. Nerone obſeſſus, pacis interiecta mentione,

tione, per anguſtos & neglectos tranſitus, per partes exercitum tranſmiſit. Front. lib. 1. cap. 5.

Q. SERTORIVS pulſus acie à Q. Metello Pio, ne fugam quidem ſibi tutam arbitratus, milites diſperſos abire iuſſit, admonitos in quem locum uellet conuenire. Frontinus libro 2. capite 13.

VIRIATVS dux Luſitanorum copias Romanas euaſit eadẽ ratione, ſparſo exercitu, deinde recollecto. Ibidem.

*Metu iniecto proditionis, irruptionis, periculi cuiuſcunque, uel auxiliorum nouorum.*

CLEANDRIDAS ad Terim ducens exercitum per uiam cauam, ex improuiſo Terenenſes obruere conabatur. Quod cùm illi ex transfugis antea percepiſſent, feſtinantes ad uiã, ſupra caput Cleandridæ euaſerunt. Ille militibus triſticia confectis, iuſſit bonum animum habere, & præconem per exercitum duxit: mandans, ut proclamaret, Qui Terenenſium propoſitam teſſeram proderet, eum ſe pro amico habiturum. Audientes hæc Terenenſes, in ſuſpicionem uenerunt, ut ex ſeipſis aliquos exiſtimarent eſſe proditores: uiſumq; eſt eis ſtatim diſcedere, & urbem cuſtodire. Hi decepti, receſſerunt. At Cleandridas ſine periculo ad excelſa duxit, atq; inſuper de copiis & regione eorum ſecurè præda acta diſceſſit. Front. lib. 1. cap. 4.

EPAMINONDAS uolens in Lacedæmonem irruptionem facere, cùm Onium Laconico præſidio obſeſſum teneretur, præ ſe ferens noctu adfuturum eſſe, ſub Onio exercitum quieſcere iuſſum refecit. Qui tranſitum cuſtodientes in armis, tota nocte uigiliis confecti ſunt. Poſtquàm autem affulſit aurora, copiis excitatis, Epaminõdas cuſtodes in ſomnum uerſos aggreſſus eſt: quibus ſubactis, nullo prohibente tranſiit. Polyænus lib. 2.

AGESILAVS Thebanos agros uaſtabat. Hoſtes collem ſupra uiam inacceſſum occupauerunt, qui dicitur Rheæ ſedes: ſic, ut & pugnare ſine ſummo damno nequiret, & tamen procedere alioquin non poſſet. Quare deflectens agmen, ſimulabat, ſe ad Thebanorũ urbem ducturum: etenim erat inanis, quia omnes excurrerant. Thebani ciuitati metuentes, collemq; deſerentes, ad urbem citato curſu ferebantur. Sic Ageſilaus, nullo impediente, collem tranſiit. Front. lib. 1. cap. 4.

CHARES exercitum è Thracia deducebat. Inſtantibus Thracibus, & poſtremum agmen carpentibus, cùm uellet abſtractis hoſtibus tutò locum ſuſpectum tranſire, impoſitis in equos tubicinibus, & miſſis unà paucis equitibus, iuſſit ut obequitantes ſtatim ad hoſtium terga penetrarent, & claſſicum canerent. Quibus canentibus, Thraces qui inſequebantur, inſidias eſſe ſuſpicati, perturbatis ordinibus, fugam capeſſerunt. Chares uerò ſecurè ac ſine detrimento diſceſſit. Polyænus lib. 3.

IPHICRATES ut per medios hoſtes euaderet, noctu tibicines miſit ad extremitates locorum occupatorum, mandans ut claſſicum canerent. Quibus canentibus, hoſtes ad tubicinum ſonitum accurrerunt. Iphicrates cùm hoſtes medium locum inanem reliquiſſent, ſine periculo tranſiit. Polyænus libro 3.

PHILOPOEMENES Megalopolitanus à Lacedæmoniis fugatus & propemodum deprehenſus, cùm Eurotam fluuium traieciſſet, equitibus mandauit, ut equis frena detraherent, & ex aqua potum haurire ſinerent. Cùm autem locus ille multa ſylua abundaret, Lacedæmonij magnam fiduciam conſpicati equos effrenantium ac potum ducentium, ſuſpicabantur in nemore magnas aliquas copias ſociorum Philopœmenis latere, neq; tranſmittere fluuium audentes reuertebantur. Polyænus lib. 6.

PHILIPPVS Demetrij F. cùm tranſitus Bœotiæ præſidiis tenerentur (erant autem anguſtæ montis fauces) non ad hunc iter direxit, ſed in oculis omnium agros urbeſque incendio & uaſtitate populabatur. Bœoti, cùm ciuitates ſuas uaſtari ob oculos uidere non ſuſtinerent, à monte deſcenderunt. Ita Philippus reuerſus per montem euaſit. Polyænus libro 4.

POENI claſſe ſuperati, quia inſtantem auertere Romanum ſtudebant, ſimulauerunt in uada naues ſuas incidiſſe, hærenteſque imitati, effecerunt, ut uictor eorum timens ſimilem caſum, ſpacium ad euadendum daret. Front. lib. 2. ca. 13.

HANNIBAL ſaltum Caſſinatem petere ſe putans, ut illic cõmeatus ac pabulationem copioſiùs haberet, per ducis errorem Caſilinum ſe deductum in campum Stellatem inuenit: ubi propter loci iniquitatem, ac ſimul ſterilitatem, infeſſis à Q. Fabio Max. montibus, breui cum exercitu periturus uidebatur: quia uallis depreſſa, atque altis montibus obſeſſa, in quibus Fabius cum exercitu conſederat, uno tantùm aditu, per Vulturni curſum ad mare patebat. Supra humanum ingenium euadendi inde, quam iniuit Hannibal, ratio fuit. Quis enim putaſſet, alligatis ſtramentis ad bis mille boum cornua, incenſiſque, Romanos milites, qui fauces eius uallis inſidebant, ita terreri poſſe, ut locum deſererent? atq; ipſum Fabium Hannibalis antè dolis inuictum, tunc hoc ludibrio capi, ita ut inde egrediundi libera Hannibali facultas relinqueretur? Hac igitur calliditate, qui ſpem amiſerat armis inde ſe emittendi, nullo effuſo ſanguine, ne tentata quidẽ pugna, liberè euaſit. Sab. lib. 4. ca. 6. & Front. lib. 1. cap. 5. & Plut. in Fabio,

T. DIDIVS paucitati ſuorum diffidens, cùm in aduentum earum legionum, quas expectabat, traheret bellum, & occurrere eis hoſtem comperiſſet: concione aduocata aptari iuſſit milites ad pugnam, ac deinde induſtria negligentiùs cuſtodiri captiuos: ex quibus pauci, qui profugêre, nunciauerunt ſuis pugnam imminere. Hoſtes ne uires diuiderent, omiſerunt occurrere eis, quibus inſidiabantur. Legiones tutiſſimè ad Didium peruenerunt. Front. lib. 3. cap. 8.

Obſeſſo à Gothis Beliſario Iuſtinianus Imper. auxilia & commeatũ mittebat. Veritus autem BELISARIVS, ne ſi hoſtis illorum ad Vrbem aduentum præſentiret, priuſquàm Romam ueniretur, ſubita ui interciperet, hoſtium caſtra adortus eſt, factaq; eſt eruptio per portam Flaminiam, quam à prima obſidione Beliſarius obſtruxerat. Equites leuis armaturæ iuſſi ſunt Gothorum caſtris adequitare, tumultuoſeque hoſtem ad pugnam elicere, mox conſerta pugna paulatim cedere, hoſtemque procul à caſtris diſtrahere. Quod cùm illi nauiter feciſſent, eſſetque iam propè ad Vrbem uentum, tum ſimul ab his qui per Flaminiam emiſſi fuerunt portam, à tergo oritur clamor: & equites qui fugam ſimulauerant, ſubito equorum circumactu ferociter in pugnam redeunt. Itaque Gothi ancipiti Marte perculſi, ad caſtra redierunt: ſimulque auxiliares copiæ, & commeatus in Vrbem tutò recepti fuerunt. Io. Magnus libro undecimo, capite uigeſimoſexto, ex Procopio.

Gothi duce Vitige BELISARIVM Romæ obſidebant, CL millium exercitu. Beliſarius facta eruptione in inſidias incidit, & per integrum diem fortiſſimè pugnans, tandem occidente Sole cum ſuis retrocedere cogitur. Romani, qui muris cuſtodiendis præerant, ueriti, ne cum ſuis unà & hoſtes inuecti intra Vrbem reciperentur; portam fugientibus aperire nolebant, uel Beliſario ipſo minaciter inclamante. In tanto periculo conſtitutus iuſſit eos qui circa ſe erant, agmine uno ſubitam irruptionem in hoſtes facere. Quod cùm Gothi uiderent, ſuſpicati nouas ex Vrbe copias his opitulatum ueniſſe, præſertim quia nox ingruebat, ab inſequendo deſtiterunt. Procopius.

THEOPHILVS Imper. cùm fugato ſuo exercitu in collem cum ſuis euaſiſſet, ab Agarenis grauiter premebatur. Nocte facta, Theophobus Perſa, ex legato regia ſtirpe orto natus, militibus mandauit, ut ſtreperent atque conclamarent; ſonitumq; cithararum & chordarum tubarumq; ederent, ueluti aduentãte ipſis aliunde ſubſidio. Saraceni hoc ipſum fieri ſuſpicantes, ne ab hoſtibus circumdarentur, ad VI millia paſſuum receſſerunt. Imperator cum ſuis ad exercitum, qui fugam è prælio fecerat, peruenit. Cedrenus.

Ricardus Burgundionum & Ebalus Pictauorum duces, exercitũ Rollonis Normanni obſidebant in monte, in quem ſe acie uicti receperant. Conſilio FRISII cuiuſdam nocte intempeſta pauci quidam Normanni per auia deſcendunt, & tubarum concentu noui exercitus aduẽtantis ſuſpicionem Gallis iniiciunt. Neque ſpe ſua decepti ſunt. Obſidentes inopinato correpti terrore, fugam magis quàm pugnam in nocte parauere. Normanni incolumes peruenerunt ad ſuos. Exorta iam luce, citatis agminibus hoſtes inſequuntur Ricardus atq; Ebalus. Sed Rollo iam caſtra firmarat, in circuitu cęſorum animantium cruentas pelles tendens, ut horrorem incuteret. Territi inſolita ſpecie, ſanguinolentos homines inſequi deſtitere. Cranzius lib. 2. Noruagiæ, cap. 26.

VALDEMARI Danorum regis claſſis in lacu Pomeraniæ ad Criſztotam inſulam à Cazimaro Pomeranorum duce incluſa fuerat. Cæterùm Abſalon epiſcopus Roskyldenſis, cæteris animo planè deiectis, regem expoſitis in continentem equitibus, protegendæ claſſis gratia ad ipſas fauces ſecedere iuſſit, eoque nauigia nonnulla loricatis remigibus inſtructa cęteris ſingillatim pręire, & in claſſem hoſtilem eis primùm frequentium comitatus affuiſſet irrumpere. Ridentibus cunctis &, An ipſe præcedere uellet, percontantibus, Volo, inquit, ne fortiùs dixiſſe uidear quàm feciſſe. Delectatus conſilio rex, Abſaloni naues remigeſque quos poſceret expediri præcepit, ac protinùs ripam ſtipatis equitibus petens ad amnis principium properauit. Quo Cazimarus eminus aduentare conſpecto, ad claſſem trepido curſu ſe retulit. Saxo lib. 14.

*Victoriæ ſimulatione.*

ARTABAZVS Pharnacis filius, fugiens à Platæis, in Theſſaliam uenit. Theſſalis interrogantibus de pugna, non audẽs confiteri calamitatem, reſpondebat: Se in Thraciam properare, & arcanum regis mandatum perficere uelle: Mardonius autem uictor ſequitur, & ipſe uictoriæ nuncium apportat. Polyænus libro 7.

P. CLAVDIVS nauali prælio ſuperatus à Pœnis, per hoſtium præſidia erepturus, reliquas uiginti naues tanquam uictrices iuſſit ornari: atque ita Pœnis exiſtimantibus, ſuperiores fuiſſe acie Romanos, terribilis exceſſit. Frontinus libro 2. capite 13.

*Pacis, Fœderis, Deditionis, Societatis ſimulatione.*

ALCIBIADES ad conficiendam pecuniam profectus in Helleſpontum, Selybriam ibi cepit: ubi intempeſtiuè in periculum coniecit ſe magnum. Nam qui dedere receperant ei oppidum; ſignum face conſtituerant media nocte dare. Id maturiùs facere metu unius ex coniuratis, qui mutabat conſilium, coacti fuêre. Igitur cùm eſſet fax ſublata, exercitu non dum parato, raptis ſecum militibus ad triginta; & reliquis properè ſequi iuſſis; curſu contendit ad mœnia. Porta ei patefacta; adiunctiſque ad XXX. ſuos cetratis uiginti, ſimul atque urbem irrupit, ſenſit Selybrianos ex diuerſo armatos inuehere ſe. Cùm uerò ſubſiſtenti nulla appareret ſalus, & ad fugam capeſſendam, in imperiis ſuis ſemper ad eam diẽ inuictus; eſſet ambitioſior: tuba ſilentio indicto, præcepit uni ex aſtantibus pronunciare, Ne Selybriani in Athenienſes arma ſumerent. Hoc edictum partim ſegniores fecit ad certamen, ratos omnes hoſtes intra mœnia eſſe, partim ſpe erecti ad pacificationem fuêre. Dum inter congreſſos ultrò citroque uerba fiunt, ſuperuenerunt copiæ Alcibiadis. Conii ciens autem id quod erat, non abhorrere à pace ciues, metuit ne urbem Thraces diriperent. frequentes enim erant, qui Alcibiadis gratia & beneuolentia adducti, ſtrenuam præſtabant in bello operam. Quare omnes eos emouit oppido, ſupplicesq; nihil uiolauit Selybrianos; ſed exacto ſtipendio, & præſidio impoſito, diſceſſit. Plut. in Alcibiade.

LACEDÆMONIORVM duces cùm Syracuſas nauigare deſtinaſſent, & Pœnorum claſſem timerent: decem Punicas naues; quas captiuas habebant, ueluti uictrices primas iuſſerunt agi, à latere iunctis ac puppe religatis aliis. Qua ſpecie, deceptis Pœnis, tranſierunt. Frontinus libro primo, capite quarto.

CLEARCHVS, mortuo in pugna Cyro, reuertens cùm Græcis, in uico quodam abundè commeatum habente, caſtra ponebat. Tiſſaphernes miſſis legatis; iuſſit Græcos traditis armis ibi manere. Clearchus fingebat ſe orationem admittere, ut Tiſſaphernes fretus ſpe fœderis, multitudinem Perſarum undique in uicos dimitteret. Qui ratus Clearchum ſe ſubmittere, dimiſit exercitum. At ille ſub noctem, profectione totum diem & noctem continuata; euaſit. Polyænus libro ſecundo.

PAMMENES cum exigua manu à pluribus interceptus, transfugam in hoſtium caſtra miſit: qui cognita pugnæ teſſera, reuerſus Pammeni nunciauit. Ille per noctem hoſtes aggreſſus, magnum eorum numerum interfecit, atque per medios dicta teſſera equitauit. Qui ad difficultatem maximam redigebantur; cùm in tenebris ſuos per teſſeram cognoſcere non poſſent. Polyænus lib. 5.

TIMOLEON Corinthiorum dux; ad Siculorum libertatem tuendam, Rhegium cum claſſe appulerat. Carthaginenſes, in gratiam Icetæ Leontiniorum tyranni, qui Dionyſium Syracuſis obſidebat, tranſitum ei negabant. Ille coram Rheginis Græcis ea de re ſe cùm Carthaginenſibus diſceptaturum ſimulat. Itaque aduocauerunt concionem, & ne ciues diuerterent aliò, portas clauſêre. Inde progreſſi in medium duxerunt in longum orationes, tradideruntque alter alteri idem argumentum: nihil aliud quærentes, niſi ut tempus, dum ſoluiſſent naues Corinthiorum, extraherent; detinerentque in concione nihil ſuſpicantes Pœnos: utpote Timoleonte præſente, quem expectabant iamiam exurrecturum ad dicendum & concionandum. Vt nunciatum ei à quodam clàm eſt, cæteras naues in altum prouectas ſolam ipſius relictam operiri, clapſus per turbam ſimul cum Rheginis, qui ſuggeſtum circumſiſtebant, eum tegentibus, cùm ad mare deſcendiſſet, properè ſoluit, & Tauromenium Siciliæ appulit. Plut. in Timoleonte, & Diod. Sic. lib. 16.

PHILIPPVS Macedonum rex Græciam petens, cùm Thermopylas occupatas audiret, & ad eum legati Aetolorum ueniſſent acturi de pace, retentis eis, ipſe magnis itineribus ad anguſtias pertendit: ſecuriſque cuſtodibus, & legatorum reditus expectantibus, inopinatus Thermopylas traiecit. Front. lib. 1. cap. 4.

IDEM, quia Cherroneſum, quæ iuris Athenienſium erat, occupare prohiberetur, tenentibus tranſitum non Byzantiorum tantùm, ſed Rhodiorum quoque & Chiorum nauibus, conciliauit animos eorum, reddendo naues quas ceperat, quaſi ſequeſtres futuros ordinandæ pacis inter ſe atque Byzantios, qui cauſa belli erant: tractaque per magnum tempus poſtulatione, cùm de induſtria ſubinde aliquid in conditionibus retexeret, claſſem per id tempus præparauit, eaque in anguſtias freti imparato hoſte ſubitò euaſit. Frontinus libro 1. capite 4.

NICIAS; cùm Gylippum Lacedæmonium in Sicilia perſequentem fugeret, interceptus, miſit præconem ad eum, dicens, Omnia facturum ſe quæ imperaret, modò aliquem mitteret ad dandum accipiendumq; iuſiurandum. Gylippus fidem habens præconi, caſtrametabatur: & à perſequẽdo deſiſtens, cùm præcone Niciæ miſit qui fœdus componeret. Interea Nicias, occupato firmiore ac tutiore loco, rurſus bellum gerebat. Polyænus lib. 1.

Dionyſius tyrannus Magonem Carthaginenſium regem ad Cabala Siciliæ magno prælio uictum interfecerat, nec aliam pacis conditionem admittebat, quàm ut CARTHAGINENSES, relictis Siciliæ urbibus, inde diſcederent, & omnem bello hactenùs inſumtam pecuniam reſtituerent. Carthaginenſes ſimulantes placere ſibi pactum, dicebant, Penes ſe non eſſe tradendarum urbium poteſtatem, ſed ut principes ea de re alloquantur, petere ſe paucorum dierum inducias. Quo à tyranno conceſſo; Carthaginenſes Magonem magnificè ſepelierunt: ſurrogato in locum eius filio, omnino quidem iuuene, prudentia tamen atque fortitudine ualdè conſpicuo. Hic uniuerſum induciarum tempus aciem inſtruendo ac milites exercendo conſumſit. Qua laborum aſſuetudine, nec non crebra tractandorum armorum exercitatione, agiles & robuſtos milites effecit. Induciarum autẽ tẽpore exacto, eductis utrinq; copiis, cõmiſſa acri pugna iuxta fanum Saturnium dictum, numen pro clade accepta Carthaginenſibus uictoriam dedit. Diod. lib. 15.

CARTHAGINENSES in locum aqua uacantem concluſi à Dionyſio tyranno, de conſtituenda pace legationem ad eũ miſerunt. Ille conditionem hanc tulit, ut ab omni Sicilia abſtinerent, ſumtuſque præſtarent, quos in poſtremum bellum impendiſſet. Conſiliarij Carthaginenſium ſe imperata facturos receperunt: uerùm ſe plenam poteſtatem ſine nauarcho non habere. Itaque rogabant, Vt ſibi ad eum caſtra transferre liceret. Conceſſit Dionyſius, quamuis repugnante Leptine. Carthaginenſes mutatis caſtris, Dionyſio legatos re infecta remiſerunt. Polyænus.

NICON Samius gubernator, ut hoſtium naues præteriret, eodem modo ſuam triremem tinxit, quemadmodum hoſtiles triremes tinctas intelligebat: fortiſſimiſq; & corporis robore ualidiſſimis uiris remos committens, proras hoſtilium nauium prælegendo tanquam amicus appropinquans, euaſit. Pol. lib. 5.

HASDRVBAL frater Annibalis, cùm ſaltum euadere non poſſet, faucibus eius obſeſſis, egit cum Cl. Nerone, recepitque, dimiſſum ſe, Hiſpania exceſſurum. Cauillatus deinde de conditionibus, dies aliquot extraxit. Quibus omnibus non omiſit per anguſtos tramites, & ob id neglectos dimittere per partes exercitum, ipſe deinde eum, reliquis expeditis, facilè effugit. Front. lib. 1. cap. 5.

L. SYLLA aduerſus Archelaum præfectum Mithridatis in Cappadocia, iniquitate locorum & multitudine hoſtium preſſus, fecit pacis mentionem: interpoſitoque tempore etiam induciarum, & per hoc auocata intentione, euaſit. Front. lib. 1. cap. 5.

Bello ciuili, cùm Ategua, urbs in Hiſpania, Pompeianarum partium, obſideretur: MAVRVS interrex, tanquam Cæſarianus tribuni cornicularius, uigiles quoſdam excitauit. E quibus aliquos euitans, conſtantia fallaciæ ſuæ per medias Cæſaris copias, præſidium Pompeij tranſduxit. Frontinus libro 3. capite 14.

PHILIPPVS Demetrij F. in Epiro uictus, ne fugientem eum Romani premerent, inducias ad ſepeliendum eos qui cæſi erant, impetrauit: & ob id remiſſioribus cuſtodibus, euaſit. Frontinus lib. 2. cap. 13.

MATTHIAS Coruinus Vngarorum rex, Pontificis inſtinctu Georgio Podiebradio ſocero ſuo Boemorum regi bellum intulerat. Georgius, cùm Matthiam intra montes, quos ferreos cognominant, ita concluſum ſtratis per uias à carbonariis arboribus haberet, ut euadere inde ſine magno periculo non poſſet: circumſcribi ſe ab eo, uaniſque de pace pollicitationibus circumueniri paſſus fuit, ut eum aggredi in locis anguſtis uincereq; ſuperſederet. Dubrauius lib. 30.

*Signi ſimulatione, abſconſione.*

CHABRIAS in Naxo aduerſus urbem nauale prælium geſturus, præcepit trierarchis, ut ſi in æquali & ancipiti periculo eſſent, ſuarum nauium ſignis abſconditis inſignitas hoſtiles eſſe ſcirent. Pollis Spartanorum dux, Athenienſium nauibus obuiam factus, cùm non haberent Atticum ſignum,

præternauigauit. Athenienſes uerò, quemadmodum præceptum erat, utrinque in inſignitas naues impreſſionem fecerunt. Polyænus.

ARTEMISIA longam nauem agens, non modò Barbarorũ, uerum etiam Græcorum ſignum habuit. Si ipſa Græcam nauem inſequeretur, Barbaricum ſignum ſuſtulit: ſin Græcam nauem perſequentem fugeret, Græcum: ut perſequentes quaſi à Græca naui abſtinerent. Polyænus lib. 8.

*Libertatis & Effugij ſimulatione.*

COMMINIVS Atrebas cùm uictus à Iulio Cæſare ex Gallia in Britanniam fugeret, & fortè ad Oceanum ſecundo uento quidem, ſed æſtu recedente, ueniſſet, quamuis naues in ſiccis litoribus hęrerent, pandi nihilominus uela iuſſit. Quę cùm perſequens eum Cæſar ex longinquo tumentia & flatu plena uidiſſet, ratus proſpero ſibi eripi curſu, receſſit. Frõtinus & Fulgoſus lib. 7. cap. 4.

*Nebula, Fumo.*

EPAMINONDAS ad pontem Sperchij, Theſſalis ex aduerſo oppoſitis, uidens circa aurorã à fluuio magnam profundamque nubem exurgere, præcepit ſingulis manipulis, ut duos portarent faſces lignorum, alterum uiridem, alterũ aridum. Media nocte aridum infernè, uiridem deſuper iniectum incendit. Cùm ſimul nox & nubes atque fumus coirent, Epaminondas per pontem traduxit milites. Qui cùm in media planicie eſſent, poſtquam fumus cum nube euanuiſſet, Theſſali primum tranſitum hoſtium ſenſerunt. Polyænus lib. 2. Pari ſtratagemate IPHICRATES eregionè caſtrametantibus hoſtibus, clàm progreſſus eſt trium dierum itinere. Idem lib. 3.

C. IVL. Cæſar, cùm in Gallia ad Alpes perueniſſet, Barbarorũ montanorum copiæ aditus obſidere nunciabantur. Ille naturam Alpium ſpeculabatur. Infra montem flumina multa labuntur, eximiam profunditatem habentia. Ab his magna oritur nubes prima luce ſub ortum auroræ. Circa id tempus Cæſar dimidias copias ducens, montem circumiit. Barbari, nube tenebras offundente, nihil uidentes, quietos ſe tenebant. Ille cùm ſupra caput hoſtium euaſiſſet, clamorem ſuſtulit: tum dimidia pars exercitus ab inferiore loco uociferationem excepit, monteſq; ab omnibus partibus reſonantes, inexplicabilem Barbaris terrorem iniecerunt: qui repentè fugam petentes, diſceſſerunt. Ita ſine pugna Cæſar Alpes ſuperauit. Polyænus lib. 8.

Franciſco I. Gallorum rege, exercitu Belgicùm infeſtante, anno 1520. GEORGIVS Frõſpergius Caroli V. polemarchus, cùm tantis copiis ſeſe uideret imparẽ, ex deſperatione prælio ſe conflicturum ſimulat. Manè oborta nebula hoſtibus equitatum medium opponit, ipſe ſuos ad prælium animat, ſed ad euocandos extra munitiones ſuas Gallos, inſtructa acie paululum retrocedere iubet. Vna igitur eademq; opera & Gallos uana ſpe plij decepit, & ſuos à tumultuario diſceſſu, ne hoſtiũ iniuriæ paterẽt, cohibuit. Auctor uitę eius.

*Niue.*

MATHILDIS, Henrici I. Anglorum regis F. poſt Henrici V. Imp. obitum Gaufredo Andegauenſi nupſit, & à fratre cum liberis ſuis regni hæres inſtituta, armis Stephanum Bleſenſem regni inuaſorem aggreſſa, ad Vintoniã clade accepta, ſimulata morte uelati cadauer Gloceſtriã delatũ eſt, reliqs ſuorum cæſis uel captis. Oxonij iterum obſeſſa, cùm fame oppidani deditionem facere cogerẽtur, media hyeme cùm nix omnem campum oppleret, adeò, ut milites, hoſtium frigore torpentes ſegniter uigilias agerent: Mathildis albis ueſtibus induta, ut ſpecie niuei coloris hoſtes falleret, noctis ſilentio egreſſa eſt oppido, & ſcapha per Thameſim uecta, ad arcem Vallinfordienſem profugit. Polydorus lib. 12.

*Statuis.*

Quidam de Aquileia ab Atila Hunnorum rege expugnata fabulantur, AQVILEIENSES fame fæta laborantes ex triennij obſidione, armatas per mœnia ſtatuas, quæ cuſtodũ ordinem mentirentur, diſpoſuiſſe: ipſos in proximam inſulam, quam Gradum dicunt, confugiſſe. Hunnum uix tandẽ ex ciconiis, quæ ſtatuis inſederant, dolum cognouiſſe. Bonfinius lib. 6. Decadis I.

## SVSTINENDO INSTANTEM, INuadentem, inſequentem, inſidiantem.

*Loci commoditate, natiua uel artificiali, ut Vallo, Muro, Foſſa & ſimilibus.*

Miſſus Aegyptiorũ regi Nectenabo ſuppetias AGESILAVS, cùm obſideretur cum eo ab hoſtibus, quorum numero nulla parte comparari ſui poterant, caſtraq; foſſa circumuallarentur: imperante rege, ut eruptione cum hoſtibus dimicaret: negauit inhibiturum hoſtibus ſe, qui pares ipſis ſe uellent reddere. Vt iam parum ſpacij ſuperfuit, quin cõmitteretur foſſa, in eo ipſo interſtitio instructa acie pares cum paribus certantes uictoriam retulere. Plutarchus in Apoph. & Polyænus libro I.

Eadem planè ratione BRASIDAS Spartanus obſeſſus iuxta Amphipolim, in difficili & aſpero colle euaſit. Polyænus li. I. & Frontinus lib. I. cap. 5.

CLEARCHVS prædam copioſam agẽs, in colle interceptus, cùm ab hoſtibus circumuallaretur, rogantibus ducibus, Vt periculum adirent, antequam totus collis circumdaretur, bonum animum eos gerere iuſſit, quoniam per uallum cũ paucis eſſet futura pugna. Veſpera autem accedente, relicta præda, in deficiente ualli parte, exegit obuios, & in anguſtia trucidauit. Front. lib. I. cap. 4.

LYSIMACHVS, cùm editum collem caſtris deſtinaſſet, imprudentia aũt ſuorum in inferiorem deductus, ueretetur ex ſuperiore hoſtium incurſum, triplices foſſas intra uallũ obiecit: deinde ſublimibus foſſis circa omnia tentoria ductis, tota caſtra confodit, & intercepto hoſtium aditu, ſimul humo quoq; & frondibus, quas foſſis ſuperiecerat, facto impetu, in ſuperiora euaſit. Front. lib. I. cap. 5.

C. CÆSAR bello ciuili cùm aduerſus Afranium copias educeret, & recipiendi ſe ſine periculo facultatem non haberet, ſicut conſtituerat, prima & ſecunda acie furtim à tergo ad opus applicata, quindecim pedum foſſam fecit intra quam ſub occaſum ſolis armati ſe milites eius receperunt. Front. lib. I. cap. 5.

Ad Dagincurtum HENRICVS V. Anglorum rex contra Carolum VI. Francorum regem aciem inſtruebat: cumq; hoſtis numero militum equitumq; præſtaret, ueritus ne non pariter in fronte atq; latere ſuorum pugnaretur, ad arcendam equitum uim & impetum, ut ne peditatus, in quo omne exercitus eius robur conſiſtebat, ordinem turbarent, néue frangerent, ſepta ad utrunq; latus fecit ex palis ſenis uel paulò plus pedibus oblongis utrinq; ferratis ac præacutis, quò ſi equi in eos incurrerent, ſubitò transfoderentur, deditq; negotium certis gregariis militibus, qui ut caſus & res poſceret, ipſos palos refigerent, rurſusque eo loci figerent, quò pedites ſe commouerent pugnando. His igitur palorum ſeptis ſiue uallo, acies peditum ſe continebat, equitatus uerò omnis ab lateribus extra palos ſtabat. Iſtum modum muniendi aciem Angli etiam nunc ſeruant, inuentis ad hæc aliis machinis, præcipuè pilis ferreis, quæ acutis undiq; munitæ clauis per terram ſparguntur, quibus equites procul à ſuo peditatu arceant: nam ſi temerè equi in ipſas machinas incurrerint, aut in ueſtigio confodientur palis, uel læſis pedibus cadere cogentur. Polyd. lib. 22.

BOEMI, apud quos multa plana, raras foſſas inuenias, equitatum peditatumq; omnem intra currus claudunt, in curribus uerò quaſi mœnibus armatos collocant, qui miſſilibus hoſtem arceant. Cùm prælium committitur, ex curribus quaſi duo cornua efficiũt, eaq; pro multitudine pugnatorum & loci neceſſitate explicant, retroq; & à lateribus tecti in fronte pugnant: interea paulatim aurigæ procedunt, hoſtiumq; acies circumuenire atq; includere conãtur. Quo facto haud dubiè uictoriam parant, cùm hoſtes undiq; feriantur. Eſt quoq; plauſtrorum compages ea arte compoſita, ut ad imperatoris iuſſum, quà uelit, & quando uelit, aperiatur, ſiue ad fugam, ſiue ad inſequendos hoſtes ratio poſtulauerit. Aen. Syl. lib. 4. Com. in Alfonſum.

SCYTHÆ in conflictu cum Ioanne Comneno Imp. Alexij F. in Thracia commiſſo, ipſa neceſſitate artium magiſtra edocti, rem huiuſmodi ſunt commenti. Omnes currus in urbẽ coniunxerunt, iiſq; non exigua ſuarum copiarum parte impoſita, pro uallo ſunt uſi: ac multos obliquos aditus platearum inſtar in iis reliquerunt. Quum igitur à Romanis urgebantur, tergis obuerſis intra currus tanquam munitam arcem nullo fugæ incommodo ſe recipiebant. Inde recuperatis uiribus, tanquam portis erumpentes fortia facinora edebant: neq; ea res aliud erat, quàm mœnium expugnatio, quæ in media planicie Scythę extẽporè ſtruxerant. Nicetas.

*Igni obiecto.*

CROESVS in Cappadocia uictus à Cyro, ut commodè fugam facere poſſet, militibus imperauit, ut magnam lignorum multitudinem comportarent. His uiam anguſtam & arctam ſtrauit: cumq; nox ingrueret, per eã copias abduxit ſumma celeritate. Equites uerò leuiſſimos & celerrimos reliquit: qui cùm primùm illuxiſſet, ſyluam incenderent. Hoc pacto Crœſus per fugam euaſit. Cyrum autem à perſequendo flamma prohibebat. Pol. lib. 7.

ALCIBIADES Tiribazũ præfectum Aſiæ fugiebat. Via erat una. Tiribazus cũ manente manum non conſerebat, fugienti inſtabat. Alcibiades noctu manẽs, & multa ligna ſecans, ea reliquit iniecto igni, atq; diſceſſit. Barbari cernẽtes ignis fulgorem, Græcos manere putabant. Poſtquam uerò rem cognouerunt, impetu facto, cùm uiam igni interſeptam penetrare non poſſent, à perſequendo deſtiterunt. Polyæn. l. I.





DEMETRIVS Phalereus per anguſtam uiam reuertebatur, cùm Spartiatæ extremum agmen adorti, plurimos uulnerarent: ille curruum multitudine coaceruata, in anguſtiſſimo difficillimoq; loco ignem ſubdidit. Hoſtes incenſum ignem tranſire non poterãt. Donec uerò currus omnes comburerentur, Demetrius adhibita feſtinatione, perſequentiũ uim effugit. Polyæn. lib. 4.

HANNO Carthaginenſis ab hoſtibus clauſus, locum eruptioni maximè aptum, aggeſtis leuibus materiis, incendit: tum hoſte ad certos exitus cuſtodiendos auocato, milites per ipſam flammam eduxit: admonens, ut ora ſcutis, crura ueſte contegerent. Frontinus libro I. c. 5.

ISCHOLAVS Spartanus in itinere ab altero latere præcipitia & periculoſa loca, ab altero montem habente, quem tenebant hoſtes, orto ingenti uento, ſyluam incendit. Itaque hoſtibus qui montem obſidebãt, fumo & igni deiectis, hac parte exercitum abſq; periculo duxit. Polyæn. lib. 2.

PELOPIDAS Thebanus, cùm in Theſſalia flumen tranſire non poſſet, inſtantibus hoſtibus, caſtris ad fluuium poſitis, à fronte uallum circumdedit. Multis lignis exectis, quietem militibus concedens, media nocte uallum combuſſit. Igni uerò undiq; in altum ſublato, hoſtes ab inſequendo prohibebantur. Pelopidas cum ſuis abſq; periculo traiecit. Frontinus lib. I. cap. 4.

BRASIDAS, cùm in anguſto loco ad caudam hoſtes inſtarent, iuſſit à colle ligna ſecare, & uiciſſim apportare. Materiam deinde iniiciens, ignem incendit, ita ut copioſa multaq; flamma ſublata, hoſtes ad caudam impreſſionem facere prohiberentur. Polyæn. lib. I.

AMILCAR iuxta Cronium aduerſus Dionyſij duces caſtra conſtituebat. Cùm ij qui Cronium inhabitabant, Carthaginenſes urbe recipere uellent, neque duces poteſtatem facerent: Amilcar hac re cognita, ſyluam omnem, quæ pro caſtris hoſtium erat ſanè magna, captato aduerſo hoſtib. uento, ſubiectis ignibus incendit. Fumus magna copia & turbine in uultus hoſtium ui uenti deferebatur. Interea temporis Amilcar clàm ad mœnia tranſiuit, eiq; portas aperuerũt ij qui recipere eum cupiebant, in urbemq; ducibus ignorãtibus ingreſſus eſt. Polyænus lib. 5.

Q. SERTORIVS in Hiſpania, cùm à tergo inſtante hoſte flumen traiicere haberet, uallum in ripa eius in modum cauæ lunæ duxit, & oneratum materiis incendit: atque ita excluſis hoſtibus, fluuium liberè tranſgreſſus eſt. Frontinus lib. I. capite quinto.

HERCVLEIVS legatus Sertorij, cùm in Hiſpanias inter duos montes abruptos longum & anguſtum iter ingreſſus, paucas duceret cohortes, comperiſſetq; ingentem manum hoſtium aduenire, foſſam tranſuerſam inter montes preſſit, uallumque materia extructum incendit, atque ita interclufo hoſte euaſit. Idem.

GALANVS Pictorum rex, infelici pugna contra Hengiſtum Saxonum ducem uſus, noctu impedimentis omnibus cum magna lignorum ſtrue incenſis, flammæ interiectu diſceſſum ſuorum cælauit. H. Boethius lib. 8.

Lubecenſes anno MCCCCIIX. ERICVM ducem Saxonię, qui oppidum Molne, ſibi impigneratum, ui receperat, obſederant. Ille ubi uidit oppidum ſe tutari non poſſe, ipſum incendit, ut reſtinguẽdo incendio occupati, fugientem ſequi omitterent. Cranzius libro decimo Vandal. cap. 14.

*Aquæ obiectu.*

SVLTANVS Aegyptius Darganus ab Almerico Hieroſolymorum rege uictus eſt tanta clade, ut deplorata ſpe armis Latinorum obſiſtendi, in ſuperiorem Aegyptum refugeret. Inſequi trepidos, & uictoria uti ardebat Rex, caſtraq; promouerat, cùm hoſtis locorum beneficio ſe texit. Aggeres Nili interrupit, campoſq; aqua immiſſa operuit. Aemil. li. 5.

*Celeritate hoſti elabi: eiusq; cauſa tum alia facere, tum Impedimenta & Prædam abiicere.*

Cùm Iacobi filij Sichemitas cum tota urbe deleuiſſent, ꝓpter ſtuprum Dinæ ſorori illatum: IACOBVS metu uicinorum ne contrà ſe coirent, fugam celerrimè adornauit. Et omnibus monilibus, inauribus, deorũ ſtatuis, ſub quercu ad Sichemam occultatis, cum ſuis omnib. Bethel profectus eſt, tanto finitimorum terrore, ut nemo illum perſequi cogitaret. Geneſ. 35.

EVMENES in Orcyniis Cappadociæ campis ab Antigono per proditionem fuſus, incidens in Antigoni impedimẽta, cùm capere ex facili ualeret multa libera capita & magnã uim ſeruitiorum opumque collectorum ex tot bellis & populationibus: ueritus eſt, ne repleti compẽdio & præda, ſui euaderent ad fugam ignaui, molliores q; ad ſuſtinendũ errores ac tempus, in quo potiſſimùm ſpem collocauerat belli, ut aliò auerſurus Antigonum. Sed quia prorſus operoſum erat opib. illis ſub manu poſitis retinere Macedonas: iuſſit, ut corpora curarẽt, & pabulum darent equis, inde hoſtes adorirentur. Mox in occulto ad Menandrum, qui hoſtium impedimentis præerat, mittit, quaſi de eo pro ueteri amicitia & conſuetudine eſſet ſolicitus, ut muniret ſe monens, maturaretq; quamprimùm ex locis equitabilibus & planis ſe ad proximi montis latus recipere inequitabile, ut cingi non poſſet. Vt periculum Menander aduertit, & uaſis collectis itineri ſe accinxit: miſit Eumenes propalàm ſpeculatores, militibuſq; tanquam ſigna moturus in hoſtem edixit, ut arma caperent, & equos haberent frænatos. Vbi uerò renunciauerunt exploratores, Menãdrum ad loca aſpera refugiſſe, neq; poſſe opprimi: fingẽs id moleſtè ferre, abduxit copias. Fama eſt, cùm hæc teſtaretur apud Antigonũ Menander, atq; Eumenem collaudarẽt Macedones, in partemq; humaniorem uerterent, quòd liberos ſuos in ſeruitutem redigere & cõſtuprare uxores cùm poſſet, abſtinuiſſet & prætermiſiſſet: Atqui ille, dixiſſe Antigonum, non ueſtri cauſa, boni uiri, abſtinuit iſtis: uerùm ne tot ſe pedicis fugientem intricaret. Hinc uagabundus Eumenes & fugitans magnam partem militum induxit, ut faceſſerent: uel quòd eorum gereret ſolicitudinem: uel quòd trahere eos ſecum nollet pauciores quã ad ſigna conferenda, & plures quàm ad regendam fugam ſuam. Plut. in Eumene.

Sclaui Sialandiam inuaſerãt. Primus RADVLFVS eques ad Suenonem III. regem Danorũ properabat, hoſtibus à tergo urgentibus. Quoties inculta camporum offenderat, ob armaturæ molem ægriùs fugam conficiebat: Sclauos ecõtra ſimili pondere uacuos liberior equorum pernicitas adiuuabat. Ergo plus uiribus equi quàm uelocitati confiſus, curſum per cultos agros de induſtria direxit, ut hoſtium caballi debiliores ſequi non poſſent. Interrogatus, Quis eſſet? Mercatorem ſe eſſe, reſpondit, arma equis commutare ſolitum. Sed & eum, cui inſideret, hoc ſibi mercimonio obueniſſe, ſubiunxit. Regem quoq; Roskildiæ eſſe, rogatus aſſeruit, uera omnia narrans, quòd ea in cõtrariam partem eos interpretaturos confideret. Saxo lib. 14.

FERDINANDVS Daualus Piſcarius, Cęſariani exercitus aduerſus Gallos dux, ab obſidione Maſſilienſi diſcedens, ac de regis Galliæ Franciſci profectione petendæq; Italiæ cõſilio ſuſpicatus, die noctuq; per aſpera ſaxa nihil intermiſſis itineribus in Albingaunos Ligures peruenit: atq; inde per Finarium & Carniſſarium ſaltum, diuiſo exercitu, ad Aquas Statiellas eſt peruentum. Inde ipſe ut de bello conſultaret, mutatis ad celeritatem iumentis, ad Lanoium totius exercitus imperatorem, Ticinum contendit. Alfonſus uerò Vaſtius, qui peditatus imperium habebat, cum exercitu à Statiellis profectus, tantam peditib. uel perpetuo uiginti triũ dierum itinere defeſſis, maturãdi neceſſitatem impoſuit, ut fluminib. uado ſuperatis, & ſublatis ferè omnib. naturæ deſideriis, quæ uel exiguam quietem requirerent, eodem die ſuperato Pado in ſpacio XLV milliarium ad urbem Ticinũ peruenerit, ſingulari herclè totius exercitus felicitate: ut cũ ſupra XII millia ſarcinariorum iumentorum traheret, nullum omnino militis impedimentum in tam longo inſeſtóque itinere reliquerit. Hic eſt ille receptus nequaquã fugæ perſimilis, ſupra omnem militarium operum laudem, maximorum ducum iudicio celebratus: quo uno facinore, uti ſummæ admirationis, Piſcariũ gloriari ſolitum ferunt: quũ alioquin de ſe loquendi parciſſimus, quæ laudem adferrẽt ſingulari modeſtia reticeret. Iouius in Piſcario lib. 3.

*Aciei inſtructione oportuna.*

*Hic Defenſionem noſtrorum per Aciei inſtructionem conſideramus. Ad Hoſtium uerò oppreſſionem de ea ipſa ſuo loco agetur.*

ARISTON una naui tres actuarias commeatum ferentes comitabatur. Oſtendebat ſe triremis hoſtilis. Cùm prorſus omnia deficerent, conductis in unum locũ actuariis, propter eas nauigabat, ut ſi hoſtiũ triremis in eos, qui frumentũ uehebant, impetum feciſſet, ab his, qui nauem obtinebant, innumeris telis premerentur. Sin in ipſas actuarias conarẽtur impreſſionem facere, ac uim adhibere, ipſe circumcirca nauigans, ab laterib. hoſtilem triremem incõmodo afficeret, eamq; inter ſuam & onerarias concluderet. Polyæn. lib. 5.

In acie Leuctrica Lacedæmoniorũ, ab Hercule genus ducẽtes conſtituti ſunt duces cornuũ exercitus, Cleombrotus rex, & Archidamus Ageſilai regis filius. Apud Bœotios uerò EPAMINONDAS, proprio quodam & inſolito ordine uſus, clariſſimam illam uictoriã eſt adeptus. Deligẽs enim ex uniuerſis copiis fortiſſimos, in altero latere collocauit, in quo etiã ipſe prӕliaturus erat. Imbecillos uerò in altero cornu conſtituit, mandatũq; eis dedit, ut fuga pugnarẽt, & ad incurſum hoſtiũ paulatim loco cederẽt. Itaq; cũ feciſſet agmen obliquũ, eo cornu, in quo ſtabãt delecti, prӕliũ decernere decreuit. Cũ igitur utrinq; tuba ſigna darentur, & primo impetu cõgrederent exercit⁹, Lacedæmonij utroq; cor

nu ſimul aggrediebãtur, acie falcata & incurua: Bœotij uerò, ab altero cornu ſubterfugiebãt, ab altero curſim in hoſtes irruebant. Et primò quidẽ utriſq; fortiter pugnantibus, dubium erat certamen. Poſtea uerò quàm Epaminõdæ milites & uirtute & agminis frequentia ſuperiores eſſent, rege Cleombroto interfecto, concurſu ad cadauer facto, Lacedæmonij corpus quidem obtinuerunt, uictoriam autem conſequi non potuerunt. Diodorus lib.15.

IPHICRATES circa Phliuntẽ iter faciebat, phalange ob locorum difficultatem in longum protenſa. Hoſtibus ad caudam inſtantibus, & multos uulnerantibus, multaq; rapientibus, ille cum his uiris, qui in latere ibant, conuerſus, phalangi mandauit, ut ocyùs procederet. Ex iis uerò qui à dextro læuoq; latere erant, aggregatis ducibus & præſtantiſſimis, eos ad extremum collocauit. Cùm iam prope caudam eſſet, impetum faciens in hoſtes, perſequendo fatigatos, & diſſipatos in ſarcinarũ rapinis, multos ex ipſis occidit: multò plures etiam captiuos abduxit. Polyænus lib.3. & Front.

TIMOTHEVS metuens decem naues Laconicas, quas præmiſerat nauarchus ad deducenda nauigia, quæ commeatũ uehebant, ne ab Athenienſib. interciperentur, præcepit trierarchis, ne priſtinum ordinem quærerent: ſed quem in pręſenti quilibet locum occupaſſet, eum teneret, ne dum in ſuos ordines ſcaphæ traducerentur, adnauigantes hoſtes impetum repentè facerent in diſſolutos. Deducens autem naues in falcatam figuram, roſtra nauium & circumferẽtiam in hoſtes direxit. Nauagiis uerò & captiuis nauium in concauitatem incluſis, ſecundùm puppim nauigauit. Polyænus libro 3.

IDEM uolens Olympiam tranſire, & Corinthiorum equitatum metuens, ab altera parte exercitus in longum quadratum agmen inſtruxit, ſarcinis & equitatu in medium coniecto, curriſq; frequentes agens & connexos, armatos circũ hos foris circumdedit: ita ut Olynthij equites equitatione non poſſent uti. Idem.

CHABRIAS per anguſta loca cum paucis diſcedens, inſtantibus multis hoſtibus, ipſe præcedens dux profectionis, robuſtiſſimos in externo collocauit, ut inſtantes propulſarẽt. Nemo igitur ex poſtremis fugam capeſſit, non audens ducem præterire, quippe prohibitus, uel etiam punitus. Hac profectionis conſtitutione tutò exercitum traduxit. Idem.

XENOPHON inſtantibus in itinere Barbaris, ancipiti acie inſtructa, omniq; neceſſario commeatu inter eam concluſo proficiſcebatur, collocatis in fine equitibus iaculatoribus, & ſcutatis, qui Barbarorum impetum propulſarẽt. Polyænus libro 1.

ALEXANDER (Pittaco, qui nepos erat Pori, inſidias iuxta uiam tendente, qua anguſtam conuallem habebat, longitudine ſatis protẽſam, latitudine uerò ad quatuor ſtadia contractam, tranſitumq; difficilem omnino & arctum) duplicẽ equitatus phalangem inſtruxit, & aduerſus hoſtes eduxit: dato præcepto, ut ad frenum motumq; quilibet antecedentem ſequeretur: & ſi hoſtes ad dextrum latus ueniſſent, conuerterent ſe ſecundùm haſtam, ac deinceps à freno impreſſionem facerẽt: cùm uerò dextram profectionem obtinuiſſent, ad extremum agmen contenderent. His mandatis, ipſe directè iter faciebat, ita ut Gnomoni figura non eſſet diſſimilis. Cùm igitur qui ſiniſtrum latus obtinebant, extremũ à dextera parte agmen conſpicati, clamore ſublato impetũ facerent, ſimiliterq; à dextro cornu laxatis frenis uiam ad Indos affectarent: illi metuentes ne concluderẽtur, omnes ſimul ad anguſtum exitum contenderunt. Itaq; nõnulli Macedonum manibus interfecti, plures uerò à ſeſe mutuò cõculcati, occubuère. Polyænus lib.4.

FVLVIVS Nobilior, cùm ex Samnio in Lucanos exercitũ duceret, & cognouiſſet à perfugis hoſtes nouiſſimum agmen eius aggreſſuros, fortiſſimam legionem primò ire, ultimò ſequi iuſſit impedimenta. Ita factum pro occaſione amplexi hoſtes, diripere ſarcinas cœperũt. Fuluius legionis quinque cohortes in dexteram partem uiæ direxit, quinq; ad ſiniſtram: atq; ita prædationi intentos hoſtes, explicato per utraq; latera milite, clauſit ceciditq;. Idem hoſtibus tergũ eius in itinere prementibus, dũ flumine interueniente, non ita magno, ut tranſitum prohiberet, moraretur tamen rapiditate, alteram legionem occulto citra flumen collocauit, ut hoſtes paucitate cõtemta, audaciùs ſequerentur. Quod ubi factum eſt, legio quæ ad hoc diſpoſita erat, ex inſidiis hoſtem aggreſſa uaſtauit. Frontinus lib.1. cap.6.

C. IVL. Cæſar reuertebatur cùm exercitu per anguſtam uiam, ad læuam paludem habens, ad dextram mare. Hoſtes extremum agmen carpentes, inſtabant. Hos propellebat incurſionibus & reflexionibus. E mari uerò Pompeiana claſſis adnauigans, iaculis ac telis miſſis, uulnera afferebat. Cæſar iuſſit milites ſcuta à ſiniſtra manu in dextram trãsferre. Ad hunc modum nihil proficere tela iaculantium è mari potuerunt. Polyænus lib.8.

*Obiectione. Quando una parte exercitus reſiſtimus, alteram educimus, uel introducimus.*

CORINTHII Syracuſanis auxilium mittentes, cùm intellexiſſent uiginti naues Atticas apud Naupactum appellere, quæ cuſtodias agerent ac ſpecularentur: impletis uiginti quinq; triremibus, eas in Panormo Achaiæ eregionè Atticarum nauium ſubduxerunt. Dum hæ ſe mutuò obſeruant, naues onerariæ plenæ Corinthiorum armatorũ è Peloponneſo ſoluerunt, ad opem Syracuſanis ferendam. Athenienſes uerò iis nauibus quę eregionè ſtationem habebant, animos intenderunt. Polyænus lib.6.

DIOTIMVS nauigia commeatum uehentia cùm decem triremibus deducens, deprehẽſus apud Chium à Lacedæmoniis, qui uiginti naues habebant, inſtantibus hoſtibus, quietè circum onerarias fugiens, & celeriores habens naues, nihil damni à perſequentibus paſſus eſt, ſemperq; puppibus in extremas impetu facto cum ſuis, decem demerſit: eratque admirabilis pugna, quà à fugientib. perſequentes uincebantur. Polyænus lib.5.

PHILIPPVS Demetrij, cùm eum Thraces inſequerentur, pręcepit, ut cùm tubicen fugam ceciniſſet, ij qui poſtremum agmen tenebant, obiectis armis manerent: ut hoſtes à perſequendo remoraretur, atq; ſuis uiam præoccupandi facultatem daret. Polænus lib.4.

HORATIVS Cocles, urgente Porſenæ exercitu, iuſſit ſuos ꝑ pontem redire in urbem: eamq; (ne caſu ſequeretur hoſtis) intercidere. Quod dum efficitur in capite eius, propugnator ipſe inſequentes detinuit. Audito deniq; fragore pontis abrupti, deiecit ſe in alueum, eumq; armis & uulneribus oneratus tranauit. Front. lib.2. cap.13.

*Circuitione aut incluſione hoſtis: diuerſis locis tumultum excitando, eliciendo.*

☞ *Hic Effugium noſtrum perpendimus. In ſeq. Hoſtis circumuentionem conſiderabimus.*

XERXES in Thermopylis, propter anguſtias montium multis Perſis amiſſis, Trachinio quodam homine Ephialte in montibus anguſtam uiam aliam monſtrante, miſit centum millia hominum. Qui circumeuntes, ad tergum Græcorum euaſerunt: omneſque occiderunt, quos Leonidas ducebat. Polyænus lib.7.

XENOPHON, cùm Barbari locum anguſtum intercepiſſẽt, quà tranſire Gręcos neceſſarium erat, conſpicatus à quodã monte inacceſſum collem, in quo Barbari præſidium impoſitum habebant: aſſumtis Græcis, quot ad eam rem ſufficere exiſtimauit, iter ad illum direxit, ut in ſummum cacumen ſupra ipſos euaderet. Barbari ſupra ſe hoſtes conſpicati, fugam dederunt. Xenophon autem Græcos ſine periculo traduxit. Polyænus lib.1.

DEMOSTHENES Acarnanas & Amphilochos ducens, ex aduerſo Peloponneſiis caſtra locabat, magno torrente interpoſito. Videns autem longè plures hoſtes eſſe, & exercitum includi poſſe, in cauum & inſidiis aptum locum abſcõdit armatos, & ſocios trecẽtos, ut, ſi includerent hoſtes exercitum numero, conſurgentes ipſi à tergo adorirentur. Hoſtes incluſerunt phalangem. At illi retrò conſurgentes, & repentino tumultu in hoſtes inuadentes, paruò negotio atq; labore pugnam uicerunt. Polyænus lib.3.

Thebanis in Laconiam irrumpere conantibus, cùm Lacedæmonij & reliqui ſocij Corinthum ueniſſent, non pauciores uiginti millibus, ut acceſſus præmunirent, & impetum Bœotiorum à Peloponneſo arcerent, facto initio à Cenchreis, uſq; ad Lechæum, uallis & profundiſſimis foſſis locum exædificarunt, priùs quã Bœotij accederent. EPAMINONDAS autem animaduertens eò loci commodiſſimũ introitum eſſe, quâ Lacedæmonij excubias agebant, primùm hoſtes in aciem prouocat, triplò ferè plures multitudine. Deinde cùm nemo progredi ex munitionibus auderet, ſed omnes de uallo pugnarent, uim hoſtibus admouet. In omnib. igitur locis irruptiones fieri, maximè uerò ubi Lacedæmonij erant, quòd is locus penetrabilis eſſet, & ad cuſtodiendum difficilis. Acri uerò certamine inter utroſq; coorto, Epaminondas cum præſtantiſſimis & fortiſſimis Thebanorum uix tandem perrupit per Lacedæmonios, ac ſuperatis pręſidiis, copias per medium duxit, & in Peloponneſum penetrauit. Quod eius factum iis, quæ ante præclarè fecerat, nequaquam poſterius fuit. Diodorus lib.15.

PHILIPPVS oppugnabat Phalcedonem urbem Theſſalicã. Phalcedonij ciuitatem tradebant. Cùm autẽ introirent mercenarij, in inſidias inciderũt. Multi enim è tectis & turribus lapides & iacula mittebant. Philippus aduerſus inſidias mox conſilium reperit. Poſterior urbis pars erat tranquilla, quippe ciues omnes ad inſidias concurrerant. In eo loco Macedones impreſſionem facere iuſſit, & ſcalas apponere. Qui cùm aſcendiſſent mœnia, Phalcedonij deſiſtentes à iaculandis mercenariis, incitato curſu ad eos repellendos ferebantur, qui muros tenebant. At illi, priuſquam ad manus ueniretur, urbe potiti ſunt. Polyænus lib.4.



Phraſaortes Darij cognatus cum magnis copiis Perſicis Suſidas portas cuſtodiebat. Hæ ſunt montes anguſti & excelſi. In hos impreſſionem facientibus Macedonibus, nullo negotio Barbari reſtiterunt, eoſq; repulerunt, fundarum, telorum, ſaxorumq; iactibus. Itaq; reuocatis iis à XXX ſtadiis, ALEXANDER uallum muniebat. Extabat oraculũ Apollinis, peregrinum Lycum itineris ei contra Perſas ducem futurum. Accedit ad Alexandrum bubulcus, meſſoriam ueſtẽ amictus, inquiens, Sibi Lyco nomen eſſe, in circuitu monti um occultam eſſe uiam, quòd ſylua continuis arboribus tegeretur: ſibi uerò ſoli propter boum paſcua notam eſſe. Recordatus Alexander uaticinij, bubulco fidem habet. Itaque omnem exercitum ſe caſtris iubet continere, & frequentes ignes incendere, qui ad Perſarum conſpectum pertingerẽt. Philotæ autem & Ephæſtioni mandatum dedit occultum, ut cùm in iugis montium conſpexiſſent apparere Macedones, ipſi inferiùs impetum in hoſtes ederent. Ipſe cum ſatellitibus & uno armatorum agmine, Scythiſq; ſagittariis omnibus, per occultam uiam progreſſus octoginta ſtadia, caſtrametatus, & in medio aſperrimæ ſyluæ. Circa mediam uerò noctem confecto itinere, non procul ab hoſtibus ſomno quietiq; deditis, conſtitit. Illuceſcente die, tubæ concinuerunt. A uertice montium Ephæſtion & Philotas, à uallo Macedones eduxerunt. Perſæ in medio ſuperiorum atquè infimorum hoſtium comprehẽſi, partim trucidati, partim à præcipitiis deuoluti, partim uiui ab hoſtib. capti. Polyænus libro quarto.

ALEXANDER Macedo, cùm hoſtis in ſaltu editiore caſtra communiſſet, inducta parte copiarum, præcepit his quos prælinquebat, ut ex more ignes excitarent, ſpeciemque præberent totius exercitus: ipſe per auias regiones, circumducta manu, hoſtem ſuperiore aggreſſus loco, depulit. Frontinus lib.2. cap.5.

Syracuſanis prope Gelam caſtrametantibus, cõtra exules duce Soſiſtrato in patriã redire uolentes, AGATHOCLES noctu cum mille militibus in urbem irrupit. Soſiſtratiani ingreſſos in fugam uertunt, & ad trecentos deiecerunt. Aliis uerò conantibus effugere per quendam anguſtum locum, præter expectationem Agathocles à periculis eos liberauit. Cùm ſeptem uulnera accepiſſet, & ex copia cruoris defluentis corpus elanguiſſet, denunciauit tubicinibus, ut progreſſi ad ambas partes muri, prælij ſignum darent. Cùm eueſtigiò mandatum hoc executi fuiſſent, qui ex Gela in auxilium accurrerant, propter caliginem ueritatẽ non poterant obſeruare: ſuſpicati enim alterum Syracuſanorũ exercitum per utraq; mœniorum latera ſubingreſſum eſſe, perſequi deinceps deſtiterunt, & diuiſo in duas partes exercitu, confeſtim auxiliabantur, ad ſonitum tubarum concurrentes. Interea qui Agathoclis partes ſequebantur, ſpaciũ nacti, tutiſſimè euaſerunt in uallum. Sic igitur Agathocles, non ſolùm ſuos, uerùm etiam auxiliarium ſeptingentos uiros inopinatò conſeruauit. Diod. lib.19.

Q. MINVTIVS Thermus Coſs. in Liguria motis caſtris in hoſticum iturus, mediis anguſtiis à fronte & à tergo Ligures eſſe ſenſit. Caudinæ cladis ſpecies admota erat militũ oculis, quum periculum extremo auxilio eſt diſcuſſum. Erat in caſtris Numidarum equitum ala. huius præfectus permiſſu & hortatu conſulis, hoſtium ſtationes ſine tumultu adequitauit. Erant interim ſpectantibus Numidę ludibrio, equi hominesq; pauxilli & graciles, diſcinctus & inermis eques, nihil præter iacula habens, equi infrenes, deformes, rigida ceruice, & capite in curſu extento. Vbi uerò hi ad iactum teli propinqui hoſtibus fuère, nunc procurſum ſimulantes, nunc recurſum, paulatim ſeſe inſinuarũt. Poſtremò concitatis uno tempore equis, clamoreq; ſublato, per medias hoſtium ſtationes, trepidantibus magis Liguribus, quàm tela expedientibus, in apertum euaſerunt. Ipſi paſſim in hoſtico incenſis uillis omnia igni & rapina fœdantes, hoſtem ad ſua tuenda ex præſidio retraxerunt, atq; ita conſul obſidione liberatus, in apertum copias eduxit. Sabellicus lib.6. Enneadis 5. & Frontinus lib.1. c.5.

C. Corn. Coſſus conſul duxerat incautè exercitum in ſaltũ caua ualle peruium, & ab hoſte undiq; iam antea inſeſſum, nec priùs Samnitem capiti imminentem aduertit, quàm eò uſq; proceſſum erat, ut in tutum ſigna ampliùs referri non poſſent. Dum Samnites conferunt inter ſe, qua ratione in ſubiectum hoſtem explicent aciem, P. DECIVS tribunus militum, ſaxoſum iugi uerticem intuitus hoſtium ſtationibus imminentem, præruptum & aditu difficilem armatis militibus, leuiter tamen inſtructis haud inacceſſum, per auerſa loca montis inſinuatus, priùs locum tenuit, quàm ab hoſte ſit conſpectus. Tum Samnitibus nouitate rei ſtupentibus, nec ſe interim mouere auſis, Conſul per otium copias in æquiorem locum, extra ſaltum eduxit, & media nocte per hoſtium ſtationes incolumis erupit. Sab. lib.3. En. 4.

Idem fecit ſub Attilio Calatino Cos. is cuius uariè traditur nomen: alij LABERIVM, nonnulli Q. CÆDITIVM, plurimi CALPHVRNIVM uocarunt. Hic cùm dimiſſum exercitum in eam uallem uideret, cuius latera omnia ſuperiora hoſtis inſederat; depopoſcit & accepit trecentos milites: quos adhortatus, ut uirtute ſua exercitum ſeruarent, in mediam uallem decurrit, & ad opprimendos eos undiq; deſcendit hoſtis, longoq; & aſpero prælio retentus, occaſionem conſuli ad extrahendum exercitum dedit. Frontinus libro 4. cap.5.

ACILIVS Glabrio Cos. aduerſus Antiochi regis aciem, quã is in Achaiam per anguſtias Thermopylarum direxerat, iniquitatibus loci non irritus tantùm, ſed cum iactura quoq; repulſus fuiſſet, niſi circummiſſus ab eo Portius Cato (qui tum tribunus militum à populo factus in exercitu erat) deiectis è iugo Callidromi montis Aetolis, qui præſidio tenebant, ſupra eminẽtem caſtris regiis collem, à tergo ſubitus apparuiſſet. Eo enim facto, perturbatis Antiochi copiis, utrinq; irrupère Romani: & fuſis fugatiſq;, caſtra ceperunt. Frontinus libro primo, capite ſexto. De hoc ipſo ſic ſcribit Plutarchus in Catone: Poſtquam ſaltum Thermopylarum obſepſit Antiochus Magnus copiis ſuis, locumque naturâ munitum uallo muroque firmauit, atque ibi conſedit, bellum excluſiſſe ratus, à fronte perrumpere prorſus deſperabant Romani. M. Cato uerò Tribunus militũ reuocata in mentem circuitione, & ambitu Perſarum, nocte cum parte copiarum profectus eſt ex caſtris, & ſumma difficultate callem ad caſtra hoſtium deducentem reperit. Inde ſtricto gladio ex rupibus in hoſtes inuectus, clariſſimæ uictoriæ anſam M. Attilio Coſs. ex inferiore loco munimenta oppugnante præbuit.

FRIDERICVS I. Imp. dum per Veronenſem agrum remeat in Germaniam, in itineribus anguſtis, quæ Veronenſibus clauſuræ Volerni dicuntur, locatas quingentorum militum inſidias, & pontem quendam dolo fabrefactum, aſtu ſuperauit. Corrupit enim pecunia ruſticos, ut in deuia loca, uix hominibus permeabilia, milites ſuos perducerent. Ibi inſidiatores, qui lapidibus exercitum Imperatoris erant obruituri, ſexcenti capti, & diris ſuppliciis affecti. Cuſpinianus.

Gatta Mellita Venetarum copiarum ductor contra Nic. Picininum Philippi Vicecomitis ductorem, per iuga Alpiũ ducebat exercitum Veronam. In Penetrenſi ſaltu circumuentus erat ab hoſtibus, Benaco lacu, flumine, montibus incluſus. Tum PILOSVS centurio hoſtem noua arte ludificatus dicitur. Nam quum ſaltus, per quem unicum patebat uia, hoſtium pręſidio teneretur, atq; ea eſſet locorum anguſtia, ut decem fortes uiri multa hominum millia facilè remorari poſſent, interdiuq; ac noctu obſeruaretur: quia aperta ui non potuit, arte inde hoſtem depulit. Fuit nemus iugo, quod hoſtis inſederat, admodum propinquum: in eo uiginti lectos pedites ſub noctem ille condidit, iuſſitq; intentos expectare, ut ſi præſidium illud remiſiſſet, deceſſiſſetq; hoſtis cuſtodia illa attentiſſima, continuò locum occuparent: ipſe quaſi deſperato tranſitu laternis per noctẽ accenſis, quas altis fuſtibus ſuſpenderat, facibuſq; ad hæc multis ardentibus digreſſus, ſimulauit longiùs abire. Præbuit ea res nõ ſolùm abeuntis ſpeciem, ſed fidem etiam fecit, Venetum quia illic ſedendo nihil proficeret, ceſſiſſe. Quo factum eſt, ut neglecta cuſtodia uiginti illi ex proximo coorti iugum repentè occuparint. Affuit & ipſe centurio ſtatim cum reliquis militibus: qui ubi ſuperiore parte ſe hoſtibus cum clamore oſtenderunt, territi illi apertum Veneto ſaltum cum fluminis ripa reliquère. Sabellicus libro 3. Dec.3. At Egnatius lib. 2. cap.4. hoc tribuit ipſimet Gattæ.

Ferdinandus Mauros ad Anticheram Granatę urbem magno prælio uicerat. Chriſtiani Antecheræ uicini ad tria millia prædam ex Saracenorum agris abigebant. Granatenſes ludibrio ſe uicinis eſſe, ægrè ferentes, facta manu palantes cędunt, & in montem arduum fuga actos obſident. Elapſi erant per medios hoſtes è monte trecenti numero cum tubicinibus: qui cùm longo ambitu montem circuiſſent, obuium habent adoleſcentem quendam PETRVM Mendozã, maioris quàm pro ætate conſilij & roboris. Hunc alij ſeu quòd parcerent, ſeu quòd diffiderent ætati, ſecum educere recuſarant. Eam contumeliã non tolerans adoleſcens, inſequenti nocte cum aliquot equitibus prædatũ domo egreſſus, affirmans ſe facturum periculum, an illa in ætate uir eſſet, cùm ad montem cladis ſuorum ignarus perueniſſet, trecentos illos habuit obuios, & de clade accepta certior factus, hortantes eoſdẽ, ut ſecum feſtinatò rediret, ipſe econtrariò ut ſecum potiùs irent ad ciues obſidione liberãdos perſuaſit. Itaq; diluculò cùm ad montem propiùs acceſſiſſent, & ſociis ſeſe oſtendiſſent: ſocij dolo percepto omnes ſtrictis gladiis decurrunt, & hoſtes ſemiſomnes inuadunt. Qui duplici clamore & clangore circumuenti, prędam quã manibus

manibus tenebant, amiſerunt. Mendozæ uirtuti honor habitus, ut quæcunq; uellet, ex præda eligeret, aut ſi mallet, omnia ſumeret. At is prædam diſtribui iuſſit, ſibi ſociiſq; ſuis trecentis tertiam partem; reliquas uirilibus partibus inter ſe diuidendas cenſuit, quando par periculum, labor, induſtria extitiſſet. Laur. Valla lib. 1. Hiſtoriarum.

*Deorum uel Captiuorum obiectu.*

IPHICRATES in Thracia multos Odryſiorum ceperat. Hoſtes uehementer iaculando & ſagittando inſtabant. Ipſe uerò iuxta ſingulos qui primam aciem tenebant, nudum aliquem captiuum manibus loro in tergum reuinctis, collocauit. Odryſienſes, ne ſuis uulnera infligerent, à iaciẽdo & iaculando deſtiterunt. Polyæn. lib. 3.

AGESILAVS Lacedæmonius, cùm præda onuſtus ex Phrygià rediret, inſequerenturq; hoſtes, & ad locorum opportunitatem laceſſerent agmen eius, ordinem captiuorũ ab utroque latere exercitus ſui applicuit. Quibus dum parcitur ab hoſte, ſpaciũ tranſeundi habuerunt Lacedæmonij. Frontinus lib. 1. cap. 4. & Polyænus lib. 2. qui in Aſia hoc factum ſcribit.

L. AEMILIVS Paulus Coſ. cùm in Lucanos iuxta litus anguſto itinere exercitum duceret; & Tarentini ei claſſe inſidiati, agmen eius ſcorpionibus aggreſſi eſſent, captiuis latera euntium pretexuit: quorum reſpectu hoſtes inhibuêre tela. Frontinus lib. 1. cap. 4.

CAMBYSES animalia quæ Aegyptij pro diis colunt, exercitui ſuo circumdedit, & Peluſio potitus eſt, Aegyptiis metu uiolandorum deorum hoſtes non prohibentibus. Polyænus libro ſeptimo.

CAROLVS Magnus ſimili ratione Budam ueterẽ, ſeu Sicambriam urbem Hungarorum cepit. Oppugnans enim eam à Danubio nauibus, ab altera parte aciem inſtruxit ex Vngaris iam captis. Cùm autem oppidani in ſuos uererentur tela mittere: Franci propiùs ad muros accedentes & conſcendentes, urbem cepere. Regino lib. 2. Sigebertus Bonfin. Decad. 1. lib. 9. Auent. lib. 4. Saxoniç c. 16. Cranzius lib. 2.

PETRVS Luna Catalanus, Auenione pontifex electus, & Benedictus XI. uocatus, à Franco milite regioq; Prætore obſideri oppugnariq; cepit: edictumq;, ne quis ſacra beneficia, expectationumq; munera ab eo peteret. Quj cum ſequerẽtur, iis interdictum iure uectigalium, redituumq; eccleſiaſticorum. Proinde ſeceſſio ab eo facta, & ſolitudo circa eũ. Quo metu ignominiaq; permotus, ne à quoquam uiolaretur, ſacroſanctum Domini corpus præ ſe ferens, in Cataloniam ad natales ſuos Tarraconenſeſq; conceſſit. Aemilius libro decimo.

*Prædæ, Pecuniarum, Impedimentorum obiectu.*

XENOPHON Græcos domum reducens, equitibus Tiſſaphernis in iumenta inuadentibus conſilium dedit, ut currus & ſuperfluum apparatum impedimentorum relinquerent: ne Græci pro his pugnantes mortẽ oppeterent, & progredi ulteriùs prohiberentur. Polyænus lib. 1.

PHILIPPVS, Abderitarum & Maronitarum occupata regione, reuertebatur cum nauium magno apparatu, & pedeſtribus copiis. Chares circa Neapolim inſidias nauales habebat, cum XX triremibus. Philippus delectis iuuenibus, in quatuor remiges impoſuit, arte atque robore præſtantiſſimos: & mandatum iis dedit, ut priores claſſem uniuerſam educerent, atq; Neapolim præterlegerent, neq; longè à terra recederent. Eas dum Chares cum ſuis inſequitur, Philippus tutò Neapolim præternauigauit. Polyænus lib. 1. & 4.

TRYPHON Syriæ rex uictus, per totum iter fugiens, pecuniam ſparſit: eumq; ſectantes Antiochi equites moratus, ef fugit. Frontinus lib. 2. cap. 12.

GALLI pugnaturi cum Attalo, aurum omne & argentum certis cuſtodibus tradiderunt: quibus, ſi acie fuſi eſſent, parceretur, quo faciliùs colligenda præda hoſtem impeditũ effugerent. Frontinus lib. 2. cap. 13.

MITHRIDATES ad Cabiras à Lucullo uictus, cùm nemo apud eum ne apparitor quidem uel equiſo remanſiſſet, in caterua ſe cæterorum extulit caſtris, ac ne equum quidẽ ex regiis ad manum habuit. Verùm cùm ſerò tãdem in fluctu fugæ illius cõſpexiſſet iactatum eunuchus Ptolemæus, cui equus erat: deſiliit præbuitq; equum regi. Iam enim premebant eum inſtantes Romani. Neq; defuit celeritas his ad eũ comprehendendum, ſed penè tenebant. At auaritia & ſordes militares multis certaminibus magniſq; periculis diu captatam prædam Romanis eripuêre, Lucullumq; uictoriç præmio fraudauêre. Iam enim propè in manibus inſtantiũ equus, qui Mithridatem auexit, erat: cùm interea mulus ex iis, qui gazam regis portabant, coniecit ſe inter regem & conſectantes: ſiue ſponte ſeſe obtulit, ſiue de induſtria rex obiecit eum inſequentibus. Ita illi rapiendo colligendoq; auro, atq; inter ſe digladiando ceſſauerunt illum corripere. Itaq; ad Tigranem generum in Armeniam euaſit. Plut. in Lucullo. Polyæn. uerò lib. 7. ſupellectilem regiam uniuerſam foras prolatam extra ædes in quibus habitabat, irrumpentibus Rom. ueluti eſcam obiectam ſcribit.

HABEIS Sultanus Aegypti, cùm interfecto Calipha Chairenſe, regiaq; occupata, gazã inuaſiſſet, eoq; nomine à ſubditis in regia obſideretur ſparſis nummis rebuſq; precioſiſſimis in turbam, effugit hoſtes obſidentes. Qui poſitis armis ad rapiendum undiq; concurrentes, parricidç effugiẽdi occaſionem dederunt. Aemilius lib. 5. ſub Lud. Iuniore.

FROTHO Danorum rex, Britanniam inuaſerat, prçdaq; multa coacta, à Scotis & Britannis petebatur. Ergo præda omni per agros ſparſa, Britannos, dum in ea colligenda occupantur, ab inſequendo cohibuit. Mox cum Scotis pace facta, Britannos ſecuros cecidit, prædamq; cum auctario recepit. Saxo lib. 2.

Verguſius Landa à Vicecomitum amicitia aduerſarum partium copiis ſe adiungens, Mediolanum tanta celeritate occupauit, ut Actius Vicecomes Galeacij F. breue ad fugã ſpacium nactus, ęgrè hoſtium manus euaſerit, adiuuante præſertim matre BEATRICE, quæ tam ſubito, quàm ſalutari conſilio, effuſis in limine domus aureæ monetæ ſacculis, intrantes, dum eam auidè colligerent, aliquandiu morata fuerat. Iouius in uita Actij.

Dum Venetus exercitus, duce Franciſco Gonzaga Mantuano principe, unà cum Sforciæ Ludouici copiis, confertã & inſtructam Caroli IIX. Galliæ regis, ex ſubacto regno Neapolitano patriam repetentis, aciem ad Tarrum fl. adoriuntur: Græci equites, qui primum agmen inuaſerant, quum à cataphractis nequicquam circumfuſi undiq; pellerentur, & Annonius atq; Buſichius eorum præfecti, uiri acres, uulnerati prælio exceſſiſſent, conuerſis repentè equis ad diripienda impedimenta conuolarunt: quæ monitu TRIVVLTII Gallici exercitus ducis de induſtria hoſtib. obiecta fuerant, ut illis præda occupatis, regi tranſitus expeditior atq; facilior redderetur. Ibi lixæ, calones, & feminæ, mulioneſq; inter iumenta cadenteſq; ſarcinas fœdè iactati, ac dum repugnant, uel rapientes impediũt, promiſcuè cæſi, impedimentaq; ferè omnia capta direptaq; ſunt. Is tumultus, quòd diſſonis tot gentium clamoribus cuncta perſtrepebant, è proximo peditum Italorum cohortes etiam exciuit, quæ prędç pariter auidæ, ordines nullo pudore deſerebant. Tum uerò inter ſocios cruentum admodum & miſerabile certamen exortum, quum regiam gazam alij in diuerſa traherent, alij à ualidioribus oppreſſi, in ipſis prædæ complexibus cæderentur. Ea res omnium conſenſu Gallis ſalutem peperit. Iouius lib. 2. Hiſtoriarum.

*Tempore.*

HANNIBAL ubi ad Alpes æternis damnatas niuibus peruenit, & editiſſimos tumulos à montanis inſideri uidit: Gallorum ſociorum exploratione edoctus, interdiu tantùm obſideri ſaltum, nocte in ſua quenq; dilabi tecta, luce prima ſubiit tumulos, ut ex aperto atq; interdiu uiam per anguſtias facturus. Die deinde, ſimulando aliud quàm quod parabatur, cõſumto, communitis caſtris, ubi primùm digreſſos tumulis montanos, laxataſq; ſenſit cuſtodias, pluribus ignib. quàm pro numero manentium in ſpeciẽ factis, impedimentiſq; cum equite relictis, & maxima parte peditũ, ipſe cum expeditis acerrimo quoq; uiro raptim anguſtias euaſit: illſque ipſis tumulis, quos hoſtes tenuerant, conſedit. Liuius Decadis 3. libro 1.

*Viæ errore: aliam ſimulare, alia inſiſtere.*

MOSES dux ſummus, dum Iſraelitas ſeruitio uindicat, ex Aegypto profecturus, uiarum diſpendio hoſtem ludificari conatus, cùm per Arabiam compendioſum iter patêret, ad effugium in Aethiopiam flexit iter, quæ maximè Chananeæ erat terræ, quç decreto petebatur, auerſa. Sed hoſtis falli nõ potuit: potuit tamen medio conatu extingui: & quem terrç cohibere non potuerũt, cohibuit mare, Iudæis alioqui peruium. Sabellicus lib. 6. cap. 6.

NICOSTRATVS, dux Aetolorum, aduerſus Epirotas, cùm aditus in fines eorum anguſti eſſent, per alterum locũ irrupturum ſe oſtendens, omni illuc ad prohibendũ occurrente Epirotarum multitudine, reliquit ſuos paucos, qui ſpeciẽ remanentis exercitus præberent: & ipſe cum cætera manu, quà non expectabatur aditus, intrauit. Frontin. lib. 1. c. 4.

PAMMENES per Phocidem Thebas uerſus exercitum ducebat. Hoſtes Philobœotum caſtellum occuparant, ad quod duæ uiæ ducebant: quarum cùm altera iam hoſtium præſidiis teneretur, Pammenes rectis ordinibus in profundũ diductis, exercitumq; ad proficiſcendum amplificatum ita inſtruxit in dextro latere, quaſi in eam partem ducturus. Illi relicta parte ſiniſtra, ad dextram deflectebant, ut profectionem impedirent. Ille ad ſiniſtrã incitato curſu cũ ſuis properans, copias ſine omni periculo traduxit. Polyæn. lib. 5.

AGESILAVS cùm audiſſet Thebanos ad Scholum tranſitũ obſidere,



omnes legationes à Græcis miſſas, Theſpiis remanere iuſſit: quinetiam commeatum exercitus eòdem comportare. Thebani his auditis, traduxerunt copias ad tranſitum contra Theſpias, atq; ibi uiam obſederunt. Ageſilaus duorum dierum itinere per biduum cõfecto, tranſitum ad Scholum inanem ac uacuum inueniens, ſine pugna tranſgreſſus eſt. Frontinus lib. 1. cap. 4.

IDEM in Thebanum agrum irruptionem fecit. Thebani campum foſſa circumducebant, & uallo muniebant. Vtrinque duo tranſitus anguſti. Volens Ageſilaus tranſire quadrato agmine, cauoq; proceſſit ad tranſitum ab læua ſitũ. Thebanis hic omnibus reſiſtentibus, ille à cauda duxit ad alterum trãſitum, ubi nemo erat qui arceret. Ingreſſus, regionemq; depopulatus nemine reſiſtente, iterum diſceſſit. Idem.

ARISTIDES Eleates, Dionyſio Cauloniam oppugnante, cũ XII triremibus adnauigabat. Qui cùm re intellecta cũ XV nauium implementis contrà ſolueret: Ariſtides reuertens diſcedebat, & ingruente nocte iuſſit faces tollere, quas Dionyſij naues ſequebantur. Paulatim his abſtractis facibus, alias in mare ſubmiſerunt magnis ſuberib. adaptatas, & à lumine in obliquum ſe conuertentes, ad Cauloniam adnauigauerunt, Dionyſio cum ſuis ad ſuberum ſplendorem curſum dirigentibus. Polyæn. lib. 6.

PERICLES Athenienſis, à Peloponnẽſibus in eum locũ compulſus, qui undiq; abruptis cinctus, duos tantũ exitus habebat: ab altera parte foſſam ingentis latitudinis duxit, uelut hoſtis excludendi cauſa: ab altera militem agere cœpit, tanquã per eum erupturus. Ii qui obſidebant, cùm per foſſam, quam ipſe fecerat, exercitum Periclis non crederent euaſurum, uniuerſi à limite obſtiterunt: Pericles pontibus, quos præparauerat, foſſæ iniectis, ſuos quà non reſiſtebatur, emiſit. Frontin. lib. 1. cap. 5.

PLATÆENSES à Lacedæmoniis & Thebanis oppugnabantur. Viri ducenti Platæenſium obſeruata nocte tenebricoſa & procelloſa, reliquis ciuibus præceperunt, ut in contrariã partem murorum aſcenderent, ibiq; pugnam facerẽt, quòd per eum locum extrinſecus Lacedæmonij irruptionem facerent. At ipſi in altera parte muros ſuperarunt: neq; uerò Athenas ducentem uiam ingrediebantur, ſed Thebas uerſus, quòd per eam hoſtes minimè inſecuturos putarent. Sic enim etiam accidit. Lacedæmonij per Cithærone perſequebantur. Platæenſes à uia Thebaica paulùm declinãtes, Thebas uenerunt, atque inde Athenas uſque euaſerunt. Polyænus libro ſexto.

IPHICRATES dux Athenienſium, aduerſus Anaxibium Lacedæmonium in Helleſponto circa Abydon, cùm tranſducendum exercitum haberet per loca, quæ ſtationibus hoſtium tenebantur, alterum autem latus eius tranſitus abſciſſi montes (montem ſanctum Polyænus uocat) premerent, alterum mare ablueret: aliquãdiu moratus, cùm incidiſſet frigidior ſolito dies, & ob hoc nemini ſuſpectus, delegit firmiſſimos: quibus oleo ac mero calefactis, præcepit, ut ipſam oram maris legerent, abruptiora tranarent: atq; ita cuſtodes anguſtiarum inopinatus oppreſſit à tergo. Frontin. lib. 1. cap. 4. & Polyæn. lib. 3.

IDEM uictus cum paucis, in locum aſperum & plenum arboribus cõfugit. In eo cùm obſideretur, præcepit noctu, ut ab altera parte tumultum ederent. Hoſtibus ad tumultuantẽ partem conuerſis, ipſe nemine prohibente per alteram exiuit. Polyænus lib. 3.

ALEXANDER Magnus, cùm Theſſali Tempe præſidiis impoſitis obtinerent, ſuffoſſis præcipitibus Oſſæ petris, & effectis exiguis gradibus, per eos ipſe & Macedones aſcendentes, in iuga euaſerunt: atq; Oſſam tranſgreſſi, Theſſaliam occupauerunt, Theſſalis Tempe anguſtias tenentibus. Etiamnum uidere eſt iis, qui Tempe perambulant, petras Oſſæ in ſcalarum modum ædificatas, quam ſcalam Alexandri appellant. Polyænus lib. 4.

Clodius prætor contra SPARTACVM in Campania ex urbe cum tribus millibus militum miſſus eſt. Obſidẽte illo ſeruos in monte, qui unum habebat aſperumq; & anguſtum aſcenſum, quem obſepſerat ſtatione, cæteris partibus abruptas rupes atque crepidines, frequenti autem labruſca erat in ſupercilio ueſtitus: ex ea palmites, qui eſſe uſui poſſent, ſecuerunt, ſcalaſq; complicauerunt ualidas & longas: ut ſupernè ex rupe ſuſpenſæ pertinerent ad planiciem. His ſine periculo deſcenderunt præter unum, qui armorũ cauſa remanſit. Vbi deſcenderunt, demiſit ea, inde omnium poſtremus euaſit ipſe quoq;. Hęc latuerũt Romanos. Quare adorti eos ſunt, ac repentino aduentu perculere, pulſiſq; his caſtra cepêre. Plut. in Craſſo, & Frontinus.

*Lumine.*

AMMIANVS Marcellinus, cùm noctu inſequentes Perſas fugeret, atq; latebrarum ſpes nulla maneret, in equo ſe lumẽ deligaſſe ait, eumq; ad dextrã, qua in parte planicies erat, direxit: ipſe autem cum aliis, qui cum eo erant, in læuã conuerſus, ad montes uim hoſtium, qui lumen ad dexteram ſequebantur, effugit. Fulg. lib. 7. c. 4.

Cùm urbe Genua ciuilibus bellis lacerata, Guelphos, qui in urbe rerum potiebantur, Gibellini exules infeſtarent: Aitonus Auria, XIV triremibus, FRIDERICVM Marabottum Guelfum, qui ſeptem tantùm habebat, uehementer inſectabatur. Cùm autem nox ſuperueniſſet, neq; iam longè à Tyro abeſſent, Marabottus, qui iam penè omnẽ ſalutis ſpem amiſerat, nouo aſtu ſalutem ſibi peperit. Nam cùm maritimus in claſſe mos eſſet, ut per noctẽ ſolus triremiũ primarius dux in puppi ſua lumẽ deferret apertum, ut aliæ naues eum aſſequi ſcirent: ipſe cùm antè ſuos cõmonuiſſet, ea nocte ſe ad Maraliã nauigaturũ eſſe, lumẽ in laterna clauſum, clypeo tanquã cimbç alligauit, atq; in mari defixit, triremiſque ſuæ conſuetum lumen extinxit. Cùm autẽ, ut maris natura eſt, undæ clypeũ cum laterna ad terram eieciſſent, hoſtes arbitrati Fridericũ deſperata ſalute in terrã triremes impegiſſe, mutata nauigatione, ab eo curſu, quem antè tenebant naues, ad lumẽ, quod in laterna clypeus habebat, direxerunt: atq; ita eluſi Fridericum amiſerunt. Idem.

*Tenebris.*

IVGVRTHAM regem Numidarum, conſtat memoriam uirtutis Romanorum, ſemper inclinato die committere prelia ſolitum, ut ſi fugarentur ſui, opportunam noctem haberent ad deliteſcendum. Front. lib. 2. cap. 1.

## PRVDENTIAE MILITVM CONSVLERE, VT HOSTES A SVIS, HOSTIVMQVE IMPETVM ET CONATVS cognoſcant & dignoſcant.

### TESSERA BELLICA.

*De Teſſera bellica egimus inter Fortuita. Hic quatenus Prudentia in ea uel excogitanda uel uſurpanda deprehenditur.*

ACVES Lacedæmoniis Tegeam per proditionem noctu occupantibus, ſuis militibus ſignum dedit, ut interficerẽt eos qui teſſeram requirerent. Arcades igitur non rogabãt: Spartiatæ uerò tanquam noctu ſuos non agnoſcentes, & idcirco quærentes ſignum, ab Arcadibus interfecti ſunt. Polyænus libro primo.

### SIGNIS MILITARIBVS.

Ferunt AEGYPTIOS ueteres, apud quos nulla eſſet militaris diſciplina, cùm à uicinis ſæpiùs bello ſuperarentur, excogitaſſe ferre aliquod inſigne, quod milites ſequerentur. Figuras igitur animalium in tabulis pictas, duces eorum in bello tuliſſe: eaq; ex re cognito ſeruatoq; ſub quo quiſque militaret ordine, uictoriam conſecutos. Igitur uiſum eſſe gratiam his animalibus tanquam uictoriæ auctoribus reddi, ſtatutumque, nefas eſſe quodpiam eorum, quorum imago delata fuerit, occidi: ſed coli potiùs debere, honoreque affici. Diodorus lib. 1. cap. 7.

### ARMIS, VESTIBVS.

Terra alba uſos VETERES in ſe armiſq; ſuis dealbãdis, cùm aggredi noctu hoſtes uolebant, ut ſuos ab aduerſariis dignoſcerent, teſtatur Herodotus in Vrania. Eandẽ rem commemorauit Pauſanias initio libri X. quo res Phocenſiũ tradit. Victorius lib. 20. Var. lect. c. 13.

### SIGNO PVGNAE, RECEPTVS, PACIS.

*De his alio reſpectu egimus ſub loco Inſignium & Signorum.*

## VIGILANTIAM SVORVM EXCITARE, VT OMNES INſidias hoſtis præueniant & auertant uigilando.

DIOCLES Athenienſium dux, in hoſtili ſolo militibus nullo ordine diſperſis, arma ferre nolentibus, teſſeram datam ſępe commutauit. Milites arbitrati non longè hoſtes abeſſe, receptis armis, inſtructa acie profectionem faciebant. Polyænus lib. 5.

ALCIBIADES Atheniẽſis, ciuitate ſua à Lacedæmoniis obſeſſa, ueritus negligentiam uigilum, denunciauit his qui in ſtationibus erant, ut obſeruarent lumen quod nocte oſtenſurus eſſet ex arce, & ad conſpectum eius ipſi quoq; lumina attollerẽt. In quo munere, qui ceſſaſſet, pœnã daturum.

Dum ſollicitè expectatur ſignum ducis, peruigilatum ab omnibus, & ſuſpectæ noctis periculum euitatum eſt. Front. lib. 3. cap. 12. & Polyænus lib. 1.

IPHICRATES, dux Athenienſium, cùm præſidio Corinthū teneret, & ſub aduentum hoſtium ipſe uigilias circumiret: uigilem, quem dormientē uiderat, transfixit cuſpide. Quod factum quibuſdam tanquam ſæuum increpantibus: Qualē inueni, inquit, talem reliqui. Eſt enim ſomnus mortis imago. Frontin. lib. 3. cap. 12.

LYCVRGVS Lacedæmoniorum legiſlator, cùm interrogaretur, Cur hoſtium interfectorum cadauera ſpoliare prohibuiſſet? Ne milites, inquit, diteſcant: & dum prædæ incumbunt, pugnam negligant. Metuit uir prudentiſſimus, nę diuitiis corrumperentur milites, quæ plerunq; inſolentiores & minùs fortes reddunt homines. Plut. in Laconicis.

CLEARCHVS, cùm ex Thracia prædam egiſſet, neq; redire Byzantium poſſet: caſtrametatus eſt prope montem Thracium. Coeuntibus autem Thracibus, ſciens eos latentes ex montibus noctu impetum facturos: mandauit ſuis, ut in armis perſeuerarent, & crebrò excitationes facerent. Ipſe uerò cùm nox eſſet tenebricoſa, aſſumta parte exercitus, apparebat ſuis, uerberans arma more Thracio. Qui tanquam hoſtibus apparentibus, ad pugnam erant inſtructi. Interea Thraces etiam apparebant, ut dormientes caperent. At illi uigilantes & armati, exceperunt incurrētes, & plurimos ex ipſis interfecerunt. Polyænus lib. 2.

EPAMINONDAS, cùm cuſtodias ſtationesq; ſuorum militum circumiret, ſopitum, & non uigilantem ex edicto militem, gladio confodit, aſſerens talem ſe reliquiſſe, qualē inuenerat. Alex. ab Alex. lib. 1. c. 12. ex Front. lib. 3. c. 12.

HERMOCRATES Syracuſanus, ſuperatis acie Carthaginēſibus, ueritus, ne captiui (quorum ingentem manum in poteſtatem redegerat) parum diligenter cuſtodirentur, quòd euentus dimicationis in epulas & ſecuritatem compellere uictores poterat, finxit proxima nocte equitatum hoſtilem uenturum. Qua expectatione aſſequutus eſt, ut ſolito attentiùs uigiliæ agerentur. Front. lib. 2. c. 9.

Militari apud ROMANOS præcepto obſeruatum erat, ut uigiliarum uices tubæ in caſtris per interualla ſignificarēt. Et ſi quando hoſtes in conſpectu eſſent, pro portis caſtrorum, ſingulæ ſtationes, & expeditę cohortes, diſpoſitis excubiis, inſtratis equis frenatiſq; pro uallo excubarēt: ut omnia militari cuſtodia uigiliiſq; tuta firmaq; eſſent, ne paratis inſidiis, & omni adito ſepto, nudata cuſtodiis ſtationibuſq; caſtra hoſtes adoriantur, & nec opinantes inuadant. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 12.

P. SCIPIO Aemilianus cùm quandam urbem obſideret, noluit circa mœnia eius ferreos murices ſpargi, nec tabulas plumbatas acutis clauis præditas ſterni (ne hoſtes in præſidia repentè impetum facere poſſent) quòd exiſtimaret, non eſſe eiuſdem & capere aliquos uelle, & timere. Animi fortitudinem ſic declarauit, hoſtibus timorem iniecit, ſuorumq; uigilantiam excitauit. Val. lib. 3. c. 7.

L. PAVLVS Aemilius bello Macedonico nocturnas ſtationes ſine lancea & gladio milites ſuos agere uoluit, quò magis eſſent intenti, & reſiſterent ſomno, quòd ingruentibus hoſtibus non ualerent reſiſtere. Plutarchus in Aemilio, & Apophthegmatibus.

C. IVLIVS Cæſar longinquo hoſte liberiora militibus diſciplinæ frena remittebat, ut poſtea propinquior factus, cùm ita militum animos recreaſſet, promtioribus diligentioribuſq; aduerſus hoſtem uteretur. Nunquam prælij aut expeditionis tempus militi prædixit, ut omnib. horis in prælium deſcendendum eſſe putarent. Sueton. & Polyæn. lib. 8.

VLPIVS Marcellus, dux Commodi Imp. contra Britannos, ut uigilantes faceret milites, XII tabulas, quales ex tilia fieri ſolent, quotidie perſcribebat ueſperi: mandabatque uni ex ſuis, ut alias aliis atq; aliis horis perferrent ad diuerſos milites, quò imperatorem ſuum uigilare ſemper rati, ipſi minus dormirent. Et quanquam ſomno alioqui reſiſteret natura: tamen quo magis id facere poſſet, inedia perfecerat. Nam ut ne pane repleretur, cùm Roma ad ſe iubebat exportari, ne paulò plus quàm eſſet neceſſe, poſſet propter uetuſtatem comedere. Dion Nicæus, & Xiphilinus in Commodo, & Suidas.

Cùm ſub LEONE V. Imp. Cōſtantinopolis inter ferociſſimas gentes plurib. eſſet periculis obnoxia: utpote quę tum Hungaros, Ruſſos, Bulgaros, Normannos, Armenos & Perſas haberet uicinos, in triuiis ac plateis urbis habebātur cuſtodiæ: quicunq; poſt crepuſculū deprehendebatur, cęſus uerberibus trudebatur in carcerem, donec illuceſceret. Imperator uigilum uolens experiri fidem, noctu ſolus è palatio habitu mutato ſeſe proripuit. A' primis deprehenſus cuſtodibus, quò proficiſcereť rogatus, Lupanar ſe petere reſpōdit: à quibus ſe duodecim aureis redemit, cùm carcerem & uerbera minitarentur. In ſecunda item cuſtodia deprehenſus, uiginti ſe liberat aureis. In tertiā cùm incidiſſet, pugnis flagriſq; cæſus, carceri traditur. Abeuntibus reliquis, cùm iam illuceſceret, cuſtodiarum magiſtro multis uix tandē ſignis confirmat Imp. ſe eſſe. Duabus illum auri libris donatū iubet dicere cuſtodibus, quem noctu cepiſſent, carcere effracto fugiſſe. Manè Imperator cuſtodes urbis euocat: nū quis nocte præterita ſit deprehenſus, interrogat. Qui precio erāt corrupti, nihil ſe aut uidiſſe, aut audiſſe aſſerunt. Qui uerò Leonem cæſum cuſtodiæ mancipauerant, ſeſe quempiam reperiſſe fatentur, & flagris onuſtum carceri tradidiſſe, ſed effracta cuſtodia aufugiſſe. Leo remotis familiaribus, dorſum ex flagris liuidum cuſtodibus oſtendit, eóſq; magnis muneribus donauit: perfidos uerò alios bonis multatos urbe expulit: ac urbem ſuam hoc aſtū tutiſſimam reddidit, cuſtodib. ſemper præſentiam Imperatoris expaueſcentibus. Eandem curam iniecit & prætorianis militibus. Solebant enim pręſidia duodecim militum poſt acceptum prandium ante eius palatium excubare, cùm Imperator quieſceret. Leo quondam aperto clàm palatij oſtio, uidit omnes in ſomnum reſolutos. Vnus contractis in faciē brachiis ſtertabundus, ſomnum ſimulabat. Imperator ſingulis dormitantibus auri libram apponens, clàm diſceſſit clauſo palatio. Abeunte Imperatore, duodecimus qui non dormiebat, aurum reliquorum aufert, & ſe quieti dat. Ab Imperatore uocati milites, interrogantur, An expergefacti hilariores ex ſomno redditi eſſent? Territi quòd dormiuiſſent, nihil quicquam tamen ſe uidiſſe aut reperiſſe iureiurādo affirmarūt. Imperator minas adiicit, ut uerū dicāt. Duodecimus itaq; Imperator, inquit, quid mei uiderint collegæ, planè neſcio. Videbar ego mihi uigilans dormire, cùm quidā ſimilis tui, ſingulis auri libram apponit clàm, & tacitus clauſo diſceſſit oſtio. Collegis tam pulcram non uidentibus uiſionem, ſurrexi, & undecim libras meæ duodecimæ coniunxi: arbitratus honeſtum, ut duodecim hæ libræ ob honorem duodecim Apoſtolorum ſimul eſſent, quos religioſè ueneror. Hinc me quoq; quieti dedi, & in ſomnis duodecim mihi aſtare Apoſtolos uidi, qui meam laudarunt ſolertiam. Expergefactus XII libras auri in marſupio reperi, & uiſionē ueram fuiſſe re ipſa didici. Leo in riſum ſolutus: Vigilandi (inquit) & auſpicandi officium exegiſti ſimul, dignus qui talē uiſionē habueris. Collegæ tui ſtultitię pœnas ſecū ferant, & dormiant hinc uſq; ad confuſionem. Cuſpin. ex Zonara.

## MILITVM ALACRITATEM NIMIAM COHIBERE IN OPPVGNANDO, IRRVMPENDO. INTEMPEſtiuam pugnæ poſtulationem prohibere.

LACEDÆMONII (ut etiam Phryges) pluribus concinentibus tibiis, acies inibāt, ut his modulis capti, cōpoſitè incederent, ferociamq; & immodicos animos cohiberent, néue, id quod in concurſu magnorum præliorum uſuuenit, hoſtem cupidè inſequuti, ſæuè & atrociter cōtra uictos inſultarent, ita ut longiùs effuſi, acies confunderent & perturbarent. Alex. lib. 3. cap. 2.

AGESILAVS Lacedæmonius, cùm aduerſus Thebanos caſtra ſuper ripam poſuiſſet, multoq; maiorem hoſtium manum intelligeret, & ideo ſuos arcere à cupiditate decertandi uellet, dixit: Reſponſo deûm ſe ex collibus pugnare iuſſum. Itaque exiguo præſidio ad ripam poſito, acceſſit ad colles. Quod Thebani pro metu interpretati, tranſierūt flumen: & cùm facilè depuliſſent præſidium, cæteros inſecuti auidiùs, iniquitate locorum à paucioribus uicti ſunt. Frontinus lib. 1. cap. 10.

IDEM, cùm Lacedæmonij incluſi in urbem à Thebanis, non ferrent ſe intra mœnia cum uxoribus teneri, ſed exeuntes aut uincere aut mori ſtatuerent, dehortatus eſt, *dicens*: Nos etiam Athenienſes aliquando intra mœnia concluſimus. at illi nolebant ad pugnam excundo ſe omnes periculo exponere, ſed conſtitutis urbis & mœniorum cuſtodibus, ſalutem ſibi pepererunt, defatigatis oppugnatoribus diuturnitate temporis, & tandem ultrò deſiſtentibus. *Polyænus* libro ſecundo.

IDEM prope Lampſacum caſtrametabatur. Veniebant quidā ex metallorum fodinis Græci, qui nunciabant, Lampſacenos omnes quærendis metallis deſtinare quoſcunq; caperent. Exercitus indignatus, ad mœnia incurſionem fecit, ciuitatem direpturus. Ageſilaus cùm reſiſtere non poſſet, & tamen urbem ſeruatam uellet, quaſi ſumma ira incitatus, iuſſit, ut currentes primas uites excinderent. Etenim eſſe optimatium Lampſacenorum. Quibus ad excindendas uites ſeſe conuertentibus, ipſe nactus occaſionem mittendi



ad Lampſacenos, indicauit, ut bene urbem cuſtodirent atque defenderent. Idem.

EVMENES Cardianus milites hoſtium impedimenta diripere paratos deterrebat, & non prodeſſe affirmabat. Cùm uerò perſuadere non poſſet, ipſe miſit ad hoſtes, pręmonuitq; ut impedimenta ſumma cura tuerentur. Milites conſpicati præſidia maiora, firmioraque, à propoſito deſtiterunt. Polyænus lib. 4. & Plut. in Eumene.

CLEANDRIDAS Thuriis numero paucioribus mandās, ne cum hoſtium multitudine congrederentur, inquit: Vbi non ſufficit pellis leonina, ibi uulpina adſuenda eſt. Polyęn. li. 2. Hoc alij tamen Lyſandro tribuunt.

IPHICRATES, ad Corinthum Athenienſium dux erat, bellum Thebanis inferentium. Athenienſes admodum feſtinabant egredi ad pugnam. Iphicrates uidens hoſtes numero plures recens parta in Leuctris uictoria confidere, ſuos nō produxit, ſed ad eos inquit: Ego uos ad tantam fortitudinem perduxi, ut etiam cōtemnere Bœotos poſſitis. Verùm ex iis ducibus, qui me ſunt præſtantiores, aliquis uos aſſumat, & producat. Hac ratione Athenienſes ab impetu cohibuit. Polyænus lib. 3.

PERICLES dubio Marte cum Samiis pugnans, Meliſſo prætore uicto, urbem ipſam obſedit, mora hoſtes ſe fracturum ſperans. Verùm cùm moræ pertæſos Athenienſes & pugnandi cupidos, non facilè eſſet reprimere: in octo parteis diſtributis copiis ſortem duxit. Cui obueniſſet alba faba, huic epulari feriarique, dum pugnarent reliqui, permittebat. Vnde albam diem, quo quis genio indulſit, aiunt ab alba faba nominari. Plutarchus in Pericle.

Q. FABIVS Max. bello Punico, quòd manum cum Hannibale non confereret, malè audiebat in ſenatu. Filio hortante, ut depelleret infamiam, oſtendit ei ſingulas agminis partes. Quibuſdam uerò non ſatis robuſta corpora habētibus: Vides, inquit, non eſſe commodùm inito prælio armis fortunam tentare? Neq; enim uniuerſum agmen certaminis periculum ſubit, ſed ſinguli. Præſtat igitur per montana ſequi, & urbes ad deiectionem perducere. Polyæn. lib. 8.

Q. SERTORIVS, quòd experimento didicerat, imparem ſe uniuerſo Romanorum exercitui, ut barbaros incōſultè pugnam expoſcentes doceret: adductis in conſpectum duob. equis, altero præualido, altero admodùm exili, duos admouit iuuenes ſimiliter affectos, robuſtum & gracilem: ac robuſtiori imperauit, equo exili uniuerſam cauſam abrumpere: gracili autem, ualentiorē per ſingulos uellere. Cúmq; gracilis feciſſet quod imperatum erat, ualidiſſimus cum infirmi equi cauda ſine effectu luctaretur: Sic etiā (inquit Sertorius) Romanæ cohortes inſuperabiles ſunt, uniuerſas aggredientibus: eaſdem lacerabit & carpet, qui per partes attentauerit. Frontinus lib. 1. capite 10. & Valerius Maximus libro 7. capite 3.

IDEM cùm uideret ſuos pugnæ ſignum inconſultè flagitantes, crederetq; rupturos imperium, niſi congrederētur: permiſit turmę equitum ad laceſſendos hoſtes ire, laborantiq; ſubmiſit alias, & ſic recepit omnes: tutiſq; & ſine noxa oſtendit, quis exitus flagitatam pugnā manſiſſet. Obſequentiſſimis inde eis uſus eſt. Front. lib. 1. c. 10.

## MILITVM ALACRITATEM EXCITARE, TARDOS & ignauos animare & accendere

### AD LABOREM.

☞ *Conſule Tit. Militum robur firmare labore.*

ARTOXERXES Perſarum rex, cum Caduſiis bellum gerēs, omnem demonſtrauit ignauiam & mollitiam non ex deliciis & luxu, ut uulgus arbitratur, oriundam: ſed ex improba & degenere, quæ prauas ſequatur opiniones, natura. Neq; enim aurum uel candys, uel XII millium talētorum regis corpus circumiectus mundus retinebat à laborib. cū & ærumnis, inſtar militum gregariorum ſubeundis: uerùm pendente ex humero pharetra parmam ferens, primus ipſe uias montoſas & arduas dimoto equo ſcandebat. Vnde cęteri illius alacritatem & robur conſpicientes, uolucres fiebant & expediti. Etenim ſtadiorum iter quotidie plus ducentorum conficiebat. Plut. in eius uita.

CYRVS Perſa ab Harpago Medo inuitatus, ut exercitum contra Aſtyagem auum duceret, ut Perſas ad rebellandum induceret, ſimulat ſibi literas à rege miſſas. Quas in concilio cùm reſignaſſet & legiſſet, ducem ſe Perſarum ab Aſtyage eſſe creatum aſſeruit, omneſq; cum falcib. adeſſe iuſſit. Cū iam conueniſſent, imperat his, ut locū XX circiter ſtadiorū uepribus ſpiniſq; obſitum, unius diei opera purgatum ſibi redderent: inde diurno opere feſſis præcipit, ut poſtridie ſibi lauti adeſſent. Ipſe ex paternis interim gregib. uim pecorum ingentem occidit, & cum his boues plurimos, ut opiparē tot hominum millia uno tempore pranderent. Tum epulis eò tempeſtiuè cōgeſtis, quò manus illa ingens ex imperio coitura erat, larga uini copia, ciborumq; elegātia paſſim diſcumbentib. appoſita, multo luxu & hilaritate pars diei nō parua acta eſt. Vbi uerò abundē epulati ſunt, in concionem Cyrus eos uocat, ac primùm omniū rogat: Vtra opera ſuauior animis fuiſſet: heſterna illa, quæ inter uepres & ſpinas in arcta locorum feritate, ægrè conſumta eſſet: an recentior, quam uirenti prato multa cum uoluptate paulo antè exegiſſent? His magnum eſſe inter utranq; diſcrimen reclamantib. Rectè, inquit Cyrus, iudicatis, ſed aduertite uiri Perſæ, quàm utraq; conditio ſit ueſtris rebus non diſſimilis. Siquidem uolentib. uobis honeſta ſequi, & mecum audere, quæ uiros fortes decent, eadem longeq; maiora commoda adſunt: ſin minus, ærumnæ nihilo heſternis illis inferiores nos poſteroſq; noſtros perpetuò premēt, Medorū iniuriæ, ſuperbæq; dominationi obnoxios. Quum hæc ille peroraſſet, miro omniū conſenſu defectio ſecuta, bellumq; in Medos decretum. Sabellicus lib. 5. Enneadis 2. ex Herod. lib. 1. & Frontinus lib. 1. cap. 11.

XENOPHON, cùm equo ueheretur, & pedites iugum quoddam occupare iuſſiſſet, unum ex eis obmurmurantē, quòd diceret, facilè tam laborioſa eum ſedentem imperare: deſiliit, & gregalem equo impoſuit, curſuq; ipſe pedeſtri ad deſtinatum iugum cōtendit. Cuius facti ruborem cùm perpeti miles non poſſet: irridentibus commilitonibus, ſpōte deſcendit. Xenophontem uix uniuerſi perpulerunt, ut cōſcenderēt equum, & laborem ſuum in neceſſaria duci munera reſeruaret. Front. lib. 4. cap. 6.

ALEXANDER Tyrum oppugnans, cùm amplā foſſam mœnibus Tyriorum adiectā ſuperare cuperet, primus ipſe corbem arena refertum apportauit. Macedones cùm regē ſuis manibus opus facere uiderent, confeſtim abiectis chlamydibus, celeriter loca æquarunt. Polyæn. lib. 4. Idem petram inacceſſam in India oppugnans, militem quendam Alexandrum nomine appellās, Te uerò, inquit, fortem eſſe, uel nominis cauſa decet. Idem iuuenis cùm fortiter pugnans ceciſſet, non mediocriter regem perturbauit. Plut. in Alex.

ARCHIDAMVS noctu milites duxit ad Carias per uiam aquoſam, aſperam ac longam. Militibus uerò labore defatigatis & indignātibus, conſolabatur eos Archidamus, quantum poterat, & ne deficerēt hortabatur. Poſtquam uerò repentè irruentes plurimis hoſtib. interfectis, oppidum exciſſent, cœnam parantes, atq; exultantes uictoria, rogauit Archidamus, Quādo ſibi urbem cepiſſe uiderentur? Reſpōdentibus aliis, cùm impreſſionem faceremus: aliis, cùm iacula mitteremus: Nequaquam, ait ille, ſed cùm uiam longā & paluſtrem contenderemus. Nam uoluntas ad laborē propenſa, cuncta uincere ac ſuperare conſueuit. Polyæn. lib. 1.

Sic etiam M. CATO ſuis militibus, qui quatridui iter biduo confecerant, & oppidum quoddam Hiſpaniæ ex improuiſo ceperant, reſpondiſſe fertur. Frontinus lib. 3. c. 2.

CHARES in Thracia, cùm uehementiſſima tempeſtas ingruiſſet, conſpicatus milites ueſtimentis parcere, & ſegniter imperata facere; mandauit ut ueſtes inuicem commutarent. Hoc facto, cùm ſinguli alienarum ueſtium nullam rationē haberent, promtiùs id, quod imperatum fuerat, exequebantur. Polyænus lib. 3.

AGESILAVS in Bœotiam impreſſione facta, regionē depopulari, & arbores deiicere ſocios iuſſit. Quibus per ignauiā eam rem negligēter adminiſtrātibus, mandauit ut abſtinerent à populatione. Verū caſtra ter aut quater quotidiè traduxit. Neceſſariò igitur ad extruenda tabernacula in ſuum uſum ligna ſecabant, non ut damnum hoſtibus inferrent. Attamen id pari detrimento hoſtes afficiebat. Polyęn. lib. 2.

Obſidebantur à Corbana Perſarū principe Chriſtiani Antiochiæ Syriæ metropoli; quā non multo antè ꝓditione ceperāt. Fame metuq; milites cōfecti, tectis ſe continebāt, in publicū non prodibāt, extrahi à ducib. uocéue præconis non poterāt; mortē (qđ mallēt) hoſtiū ferro, uel (qđ miſerrimū uiro forti) fame expectabāt. Cōſenſu procerū imperiū uniuerſum, ſummaq; rerū, quoad Antiochēſis res expediat iis quib. tenebatur difficultatibus, BOEMVNDO Tarentino committitur. Is ubi nullo pudore, nullo imperio, nullis minis, nullo ſolatio extrahi è tenebris in lucē milites ad munera quiſq; ſua poſſit, ignē paſſim tectis ſubiici iuſſit. ad duo millia domorū, adiuuante fortè coorto uento, cōflagrauēre. Ita milites neceſſariò ſui copiā fecēre. Aemilius lib. 4.

### AD PVGNAM. NEMPE

#### AVDITV

*Soni, Muſicæ caſtrenſis.*

☞ *Conſule Tit. Muſicæ uſus in bello. Hic mentio fit ipſius, quatenus id pugnam animos accendere ſolet.*

CYRVS, Perſarum rex bellicoſiſſimus, ne efferis hoſtium clamoribus milites perculſi, animum abiicerent, hymnum Polluci & Caſtori altiſſima uoce canere iuſſit. Quo concentu effecit, ut abiecta omni formidine, animoſè cum hoſtibus manus conſererent. Alex. ab Alex. lib. 4. c. 7.

SPARTANÆ ciuitatis exercitus non antè ad dimicandũ deſcendere ſolebat, quàm tibiæ concentu, & anapæſti pedis modulo cohortationis calorem animo traxiſſent, uegetò & crebro ictus ſono ſtrenuè hoſtem inuadere admoniti. Valerius Maximus lib. 2. cap. 1.

*Vocis. Adhortationis.*

EPAMINONDAS Thebanos ducebat, Lacedæmonios Cleombrotus: pugna fiebat in Leuctris. Res in dubio uertebatur. Epaminondas à Thebanis petiit, Vnum greſſum mihi donate, & uictoriam habebimus. Morem geſſerũt, & uictoriam adepti ſunt. Lacones ceſſere loco, & Cleombrotus rex in prælio cecidit. Polyd. lib. 2.

IDEM adhortatus Thebanos, ut confidenter in Lacedæmonios impetum darent, maximum ſerpentem cepit, & eius in conſpectu omnium attrito capite: Videtis, inquit, quòd reliquum corpus inutile ſit, ſi caput adimatur? Ita ſi hoſtiũ capita, nempe Laconicum hoc contriuerimus, reliquũ corpus ſociorum nullius erit uſus. Hoc exemplo perſuaſi Thebani, in Laconicum agmen incurrentes, id ſuperarunt. Sociorum uerò multitudo fugam ultrò capeſſit. Polyęn. lib. 2.

ALEXANDER Magnus in primo conflictu aduerſus Perſas, uidens iam cedere Macedones, obequitans clamabat: Adhuc ſemel accedamus, uiri Macedones, adhuc ſemel ſtrenuè. Cumq; ualida fieret impreſſio, Barbari terga uertere cogebantur. Adeò leui momento tunc uictoria conſtitit. Polyænus libro quarto.

IPHICRATES promittebat ſe militibus uictoriam daturũ, ſi poſtquam ipſe ſignum extuliſſet, animantes ſe mutuò, unum gradum procederent. Cùm pugna eſſet in inclinatione grauiſſima, dux ſignum tollebat. Milites acclamantes ſibi mutuò proceſſere, & hoſtes in fugam uertêre. Polyænus libro tertio.

Salluſtius de bello Iugurthino, induxit L. Syllam, cum paucis quos ſecum habebat, penè inſidiis circumuentũ, milites ad fortiter præliandũ adhortantem, atq; ita loquentem: Quantò ſibi in prælio minus pepercilſent, tantò tutiores fore. Interpretatus uidetur ſententiam illam Græcam, μαχέσθων ὡς τεθναξόμενοι, ὣ ὡς τεθναξόντες: quod memorię proditum eſt ſcripſiſſe SPARTIATAS, qui domi in magiſtratu erant, Leonidę fortiſſimo imperatori, qui cum parua manu cõtra infinitam multitudinem hoſtium pugnaturus erat. Et conſiliũ id L. Syllæ eo tempore uerum atq; utile fuit. Virgilius item fecit Aeneam, extremo patriæ tempore, magni animi iuuenibus dicentem: Vna ſalus uictis nullam ſperare ſalutem.

Bello ciuili contra Cęſarem, cùm ad conflictum quendã apud Dyrrhachium & ipſe exercitum Pompeius adhortaretur, & ducem quenq; alium incitare oratione aliqua imperaret: milites ſegniter eos & cum ſilentio fama eſt audiuiſſe cæteros: at ubi omniũ nouiſſimus M. CATO, quæ tempus ſuggerebat, ex philoſophia afferre, de libertate, uirtute, morte, gloria, magno animi ſui motu diſſeruit, atq; extremam orationem ad deorum implorationem quaſi præſentium & illud pro patria inſpectantium certamen conuertit, tantum ſublatum clamorem fuiſſe, tantumq; excitati motum exercitus, ut duces concitarentur ſpei pleni omnes ad diſcrimẽ. Plut. in Catone.

C. IVL. Cæſar inclinatam aciem ſolus ſæpè reſtituit, obſiſtens fugientibus, retinenſq; ſingulos, & contortis faucibus conuertens in hoſtem, Quorſum tu abis, inquiens: illic ſunt, cũ quibus dimicamus. & quidem adeò plerunq; trepidos, ut aquilifero moranti cuſpide ſit comminatus: alius in manu detinentis reliquerit ſignum. Suetonius, & Valerius Maximus lib. 3. cap. 2.

TITVS Cæſar milites ſuos ad Antoniæ arcis Hieroſolymitanæ munitiſſimæ expugnationem, uirtutis gloria & animorum immortalitate potiſſimùm accendit. Vide Ioſephum de excidio Iudaico.

IVLIANVS Apoſtata Imp. contra Perſas profectus, milites conuocauit, & pluribus exemplis à Ventidio ad Maximianum recenſitis (nam memoria plurimùm ualuit) docuit maiores ferè omnes laureatos rediiſſe, præter Gordianum & Carũ, quorum illum inſidiis mortalium, hunc ira deorum ſublatum dixit: pluribuſq; milites cohortatus, exercitum eduxit, Aſſyriam depopulatus, urbes & oppida partim ui cepit, partim deditione. Cuſpinianus.

LEO Armenus Imp. cùm Bulgari Gręcos ordinibus ſolutis effusè perſequerentur, cohortatus ſatellitium, quod circa ſe habebat, ut fortes ſe præberent, neq; Romanorum gloriã ad nihilum redigi paterentur, magno cum impetu hoſtes adortus, uictoriam obtinuit. Cedrenus.

ASPECTV
*Ducis.*

CLEARCHI uultum Xenophon in acie & præſenti diſcrimine, cùm conſpiceretur placidus & benignus, ait reddidiſſe animoſiores illos, qui dimicabant. Plut. in Dignoſ. adul.

EVROPVS Philippi filius, infans à patre relictus, à Macedonibus in aciem, quum adhuc in cunis eſſet, eſt delatus, cum Illyriis acie dimicaturis. Siquidem pugna una cum ea gente parum proſperè cõmiſſa, ut neceſſitas in acie permanendi omnibus imponeretur, puerũ mediis crepundiis in procinctu ſtatuerant. Perſuaſum ad id uulgo erat, Macedonas uincere non poſſe, niſi regiis auſpiciis dimicarent. Nec defuit opinioni euentus. Recentiore prælio, tanto Macedones animorum ardore certaſſe dicuntur, ut momento temporis Illyriis ſtrage afflictis, gloriati ſint, priori certamine non uirtutem ſibi bellicam, ſed ducem defuiſſe. Sabellicus lib. 5. Enneadis 2.

Gothorum reges in aciem lectica ſumtuoſiſſimè ornata deſcendere ſolebant, ut milites erepta regi fugæ commoditate, fortiſſimè dimicarent. Sic RODERICVS ultimus Veſtgothorum rex, in Hiſpania cõtra Saracenos progreſſus, urgente tandem hoſte, equo impoſitus, cùm fruſtra ſuos à fuga arcere conaretur, uix tandem ad Eremitam quendã in ſolitudinem aufugit. Annales Hiſpaniæ.

FREDEGVNDIS, Clotharij Frãcorum regis mater, animabat Francos honeſtate, aduerſus Childebertum Mediomatricum regem, qui in Sueſſionum finib. caſtra poſuerat. Circumibat ipſa ordines, circumferenſq; puerum filium regẽ, illum eorum fidei uirtutiq; commendabat: pueritiã eius hoſti contemtui eſſe, quaſi exercitus ſine ſuo rege, & rex ſine ſido milite foret: oſtenderent Burgũdionibus Auſtraſianiſq;, reges Francorum inuictos eſſe, non ætatis flore, roboréue ullo ſuo, ſed nominis ipſius maieſtate, ſuorũq; armis. Qua oratione tantum ardorem animis militum ſubdidit, ut collatis ſignis ad XX millia hoſtium Franci interemerint, paucis ſuorum deſideratis. Aemilius lib. 1.

*Liberorum, Coniugum, Amicorum.*

Cyro, quo duce ab Aſtyage rege & Medis defecerant Perſę, acie profligato, cùm hoſtes penè uno agmine cũm fugientibus Perſis in urbem irrumperent: occurrerunt eis ante urbẽ FEMINÆ, nudatiſq; pudendis: Quo ruitis, inquiunt, homines ignauiſſimi? Neq; enim huc, unde prodiſtis, uobis fugæ receptus eſſe poterit. Hæc ſpecies & uox ruborem Perſis incuſſit: qui ſeipſos increpantes ac cõuerſi, pugnam repetierunt, & hoſtes fuderunt fugaueruntq;. Vnde auctore Cyro lege cautum fuit, cùm rex in urbem iniret, ut ſingulis mulieribus aureus daretur. Ochum autem ferunt tetrum & ſordidiſſimum regem deflexiſſe ſemper & prætergreſſum urbem, ut munere mulieres fraudaret. Alexander & bis ingreſſus eſt, & prægnantibus geminauit donum. Plut. de Virtutibus mulierum, & Polyæn. lib. 7.

GERMANI olim pugnaturi, omnes ſuas neceſſitudines in proximo ſtatuebant, ut in ſuorum conſpectu aut glorioſè uincerent, aut cum laude caderent. Liberi, coniuges, parentes, ſanctiſſimi pugnæ teſtes adhibebantur. Ad matres & uxores accepta uulnera deferebant, nec illæ & numerare & exigere plagas formidabant. Eædem cibos hortationeſq; pugnantibus ſuggerebant. Proditum memorię eſt, inclinatam aciem aliquando illarum hortatu reſtitutam. Credũtur adhæc arbitrari aliquid ſancti prouidique eſſe in feminis, earumq; conſilia haud propterea aſpernari, reſponſáue negligere. Sabellicus lib. 2. Ennead. 6.

*Regionis.*

HANNIBAL per Alpes exercitum traducebat, uia aſperrima loci natura, & montanorũ inſidiis infeſtiſſima. Vbi in ſummas Alpes peruentum eſt, feſſis tædio tot malorum, niuis etiam caſus, occidente iam ſidere Vergiliarum, ingentẽ terrorem adiecit. Per omnia niuę oppleta cùm ſignis prima luce motis ſegniter agmen incederet, pigritiaq; & deſperatio in omnium uultu emineret: prægreſſus ſigna Hannibal in promõtorio quodam, unde longè ac latè proſpectus erat, conſiſtere iuſſis militibus, Italiam oſtentat, ſubiectoſq; Alpinis mõtibus circumpadanos campos: mœniaq; eos tum tranſcendere non Italiæ modò, ſed etiam urbis Romæ: cætera plana, procliuia fore: uno, aut ad ſummum altero prælio arcem & caput Italiæ in manu ac poteſtate habituros. Liuius Dec. 3. libr. 1.

AEMVLATIONE
*Ducis. Suo exemplo Militem accendere.*

Xenophon lib. 3. Pædiæ narrat, CYRVM maiorem, cùm ante alios ſtaret, uicinis iam hoſtibus, commotum animo, oblitumq; firmæ progreſſionis, currere cœpiſſe: ſimulq; inclamaſſe, τίς ἕψεται; τίς ἀγαθός; τίς πρῶτος ἄνδρα καταβαλεῖ; quas uoces ab ipſo acceptas, adiungit, qui propinqui erant, & ipſos, ad remotiores cohortandos, clamore repetiſſe. Victorius libro 35. Variarum lectionum, capite 19.



Xerxe contra Græcos exercitum ducente, SPARTANI Leonidem regẽ cum primorib. Spartiatarum trecentis ad Thermopylas miſerunt, ut horum exemplo ſocij quoq; eò alacriores ſequerentur, & minùs cum Medis ſentirent. Herod. libro ſeptimo.

Contra Dorylaum Mithridatis ducem pugnans ad Orchomenum L. SYLLA, cùm ab equitatu diſſipati Rom. fugerent: ipſe deſiliit ex equo, arreptoq; ſigno per medios fugientes ruit in hoſtes, clamãs: Mihi milites, hic alicubi decorum eſt occumbere. Vos rogantibus, ubi imperatorem ueſtrũ prodidiſtis, memineritis reſpondere, Orchomeni. Hæc uox conuertit eos, atq; ex dextero cornu duæ cohortes ſubuenêre, quarum ope auertit hoſtes. Plut. in Sylla. & Polyæn. lib. 8. & Front. lib. 2. cap. 8.

L. LVCVLLVS Cabyris contra Mithridatem caſtra poſuerat. Cùm neuter in animo haberet in præſentia pręlio decernere: ferunt, ceruum perſequentibus regiis intercepta uia occurriſſe Romanis. Hinc initium ortum certaminis, pluribus ſemper ad utroſq; affluentib. Poſtremò ſuperiores fuerunt regij. Fugam Romani ſuorum ex uallo deſpicientes fremuerunt: ac concurſu ad imperatorem facto rogauerunt, ut duceret in hoſtem, ſignumq; popoſcerunt pugnę. Qui quò eis oſtenderet, quanti ſit momẽti in ipſo certamine & diſcriminis articulo ducis præſentia & conſpectus prudentis: edixit illis, ne mouerent ſe, ipſe autem deſcẽdit in campum, & primis occurrens fugientium, cõſiſtere imperauit, & redire ſecum in hoſtem. His parentib. cæteri à fuga ſe reprimentes, globo facto hoſtes facilè fugant, conſectanturq; uſq; ad caſtra. Reuerſus Lucullus, eos, qui ceperant fugã, de more notauit, ac foſſam pedum XII diſcinctos aſſiſtente & ſpectante toto exercitu ducere iuſſit. Plut. in Lucullo.

C. IVL. Cæſar in Hiſpania contra Pompeij filios ad Mundam cum hoſte conflicturus erat. Cæſariani cunctatiores ad prælium facti, neq; precibus, neque minis priùs pugnam iniuerunt, quàm Cæſar primus omnium in aduerſam aciem moriendi conſilio irruens: Hic, clamitauit, milites, mihi uitæ finis, uobis militiæ terminus. Tum uerò mota eſt, ut illi aiũt, tota acies, metuq; aut pudore Imperatoris impetum ſecuta, in aduerſos hoſtes cum clamore iuit. Ferunt ſolius Cæſaris impreſſione decem pedes Pompeianã aciem loco ſubmotam, paruo temporis momento, CC. in eum tela concidiſſe, quorũ maior numerus ſit parma exceptus, audituúnque ex eo poſtea die, quo ad Mundam pugnatum eſt, ſe de morte ſibi conſciſcenda cogitaſſe, quum neq; minis neque precibus poſſent milites ad pugnam compelli: ſeq; de gloria & laude ſemper aliâs, ad Mundam de uita tantùm dimicaſſe. Sabellicus lib. 7. Ennead. 6. ex Polyæni lib. 8. & Front. lib. 2. cap. 8. Cùm innumerabili multitudine & feroci impetu Neruiorũ inclinari aciem ſuam uideret, timidiùs pugnãti militi, ſcutum detraxit, eoq; tectus, acerrimè præliari cœpit: quo facto fortitudinem per totum exercitum diffudit, labentemq; belli fortunam diuino animi ardorę reſtituit. Val. lib. 3. cap. 2.

Cato & Scipio poſt aciem Pharſalicam in Africam refugerãt, atq; ibi regis Iubæ ope magnas coegerãt copias. CÆSAR in illos, circa ſolſtitium brumale, traiecit in Siciliam. Vt autem omnem ſtatim ducib. ſuis ſpem præcideret cunctationis & moræ: ſtatuit tabernaculum ſuum in crepidine maris: ac uento oblato conſcendens cum tribus millibus peditum & paucis equitibus uela fecit. Quibus expoſitis repetiit clàm mare, de maiore exercitus parte ſolicitus. His iam uela facientibus occurrit, omneſq; in caſtra deduxit. Plutarchus in Cæſare.

Bello Iapides proſequèbatur AVGVSTVS, & Metulium oppugnabat. Bini aggeres ſunt mœnib. admoti, & ex his pontes ad muros extenſi. Tum Octauij iuſſu urbs ab omni parte oppugnari cœpta eſt, ut oppidanorum uires pluribus locis fatigaret. Aderat Imperator, ac circa pontes milites hortabatur, ut in urbem euaderent. Cęterùm quia ſegnior erat pugna, neq; miles ducis præſentia & hortatione ad irrumpendũ multò incitatior uideretur: arrepto clypeo per pontem Octauius curſu ferebatur. Sequuntur eum Agrippa & alij primores. Tum milites pudore ducti, certatim eò aduolant. Quorum pondere pons depreſſus, cum fragore & ſtrage hominum, ab imo corruit. Multi ruina pontis eliſi periêre. Octauius crus dextrum & utrunq; brachium conſauciatus, in pedes ſublatus, ex eminentiore loco ſeſe militibus oſtendit, ne eius morte temerè credita, prælium remitteretur. Sabellicus lib. 9. Ennead. 6.

ATILA Hunnorum rex, in oppugnandis urbibus, non ducis modò, ſed & militis munia obiuit. In Vincentiæ expugnatione cunctantibus ſuis ob aquæ profunditatem & oppidanorum acrem defenſionem, in foſſam urbis præcipiti ſaltu ſe demittẽs, per aquam mentotenus ad murũ euaſit, ſuóq; exemplo milites accendit. Nic. Olahus c. 15. uitæ Atilæ.

ALBERTVS Marchio Brandenburgenſis, eo bello quod aduerſus Nurenbergenſes eximiè geſſit, Grauenburgũ (id oppidum in ualle iacet, XX millibus paſſuum à Nurenberga, ad amnem Pegneſium) multa ui oppugnabat. Cunctantib. militibus, cùm eam ſibi oppidi partem elegiſſet, qua murus altior, & foſſa profundior erat, inſultu facto ab ea parte qua oppidum captum eſt, ſecũdus ex omnib. ipſe murum aſcendit, & in oppidum omnium primus euaſit. Circumuentus ab oppidanis, tam diu pugnam ſuſtinuit (quamuis in eum multi concurriſſent) donec alij pugnantes, decretis ſibi murorum partibus ſuperatis, ſuppetias tulerunt. Aeneas Syluius lib. 3. Comment. de Rebus geſtis Alphonſi.

ALPHONSVS Aragonum rex, audiẽs milites ſuos ex caſtello Boualengo, quò irruperant, expulſos eſſe, properè accurrens, ſcalaſq; ſuis manibus apprehendẽs, in foſſam oppidi deuoluit, equitibuſq; equo deſilire iuſſis, ſtatim oppidũ recepit atq; diripuit. Panorm. lib. 3. de Alphonſi rebus geſtis.

MAXIMILIANVS I. in obſidione Morini certior de aduentu Francorum factus, noctu retractis clàm bellicis apparatibus, ordines inſtruxit, & quadrato agmine obuiam proceſſit hoſtibus. Iuxta Bouini oppidum uenêre ſub mutuum aſpectum. At hora poſt meridiem ſecunda, extractũ eſt prælium ad quintam. Pertinaciter utrinq; pugnatur. Dux ubi conſpexit Francos non cedere, pedes cum peditibus cœpit inire pugnam, equitibus tamen in ſuo ordine manentibus. Vbi medium conſpexere ducem ſuum Alemanni, tum uerò in pectora uigor rediit. Vrgent ferociter Francos, cedereq; loco compellunt: primis fugam ineuntibus acriùs urgentur, miſcentur ſtrages, multa Francorũ millia perimuntur. Cranzius lib. 12. Saxoniæ, cap. 21.

*Commilitonum.*

CYRVS, Perſarum rex, mille Homotimis ex Perſarum nobiliſſimis delectis, XXX millia è plebe adiunxerat, & contra Aſſyrios Medorum regi Cyaxari auunculo ſuo auxiliaturus proficiſcebatur. Iam quia Aſſyrios numerò longè ſuperiores eſſe ſciebat, & ſi res eminùs ſagittis gereretur, uictores fore cognoſcebat: tres myriadas plebeias Homotimis dignitate adæquauit, iiſdem armis, ſecuri ſcilicet, & ſcuto, ad pugnam cominùs miſcendam oportunis, inſtruxit, eodem contubernio uti, eadem præmia expectare uoluit: fore ſperans, ut in liberorum ordinem adſciti, libertatis ſuæ fructus ederent præſtantiſſimos. Quinetiam ut ad uirtutis certamẽ pulcerrimum milites accenderet, præmiorum æqualitate ſublata, pro uirtutis cuiuſq; modulo præmia quoq; diſtribuenda eſſe, uniuerſo exercitu approbante, ſtatuit. Xenophon lib. 2. Pædiæ.

Triginta Perſarum millia Suſa ad ALEXANDRVM Magnũ uenerunt: qui omnes & iuniores & corporibus bene compactis robuſtiſq; electi, regis iuſſu ſimul ad idoneum tempus ſub magiſtris & præfectis omnia belli munia perdidicerant, ac Macedonica armatura pulcerrimè inſtructi fuerant. Hi caſtra ante urbem poſuerunt. Quumq; bellica uſi meditatione, ſe in armis regi oſtendiſſent, maximis ab eo muneribus ſunt affecti. Quòd enim Macedones Gangẽ flumen traiicere recuſauerant, & frequenter in concionib. reclamare ei nõ uerebantur, opinionemq; de patre Hammone paſſim eleuabãt: agmen hoc Perſarum, quorum unus & idem eſſet animus, ad Macedonicæ phalangis animos reprimendos comparauerat. Diod. lib. 17.

C. IVL. Cæſar, aduerſus Germanos & regem Arioniſtum pugnaturus, pro concione dixit, Nullius ſe eo die opera, niſi Decimę legionis, uſurum. Quo aſſecutus eſt, ut & decumani tanquam præcipuæ fortitudinis teſtimonio concitarentur: & cæteri pudore, ne penes alios gloria uirtutis eſſet. Front. lib. 4. c. 5. & lib. 1. c. 11.

IVLIANVS Domitiani legatus, aduerſus Decebalum Dacorum regem prælium commiſſurus, militum & centurionũ nomina haſtis inſcripſit, ex hoc cogniturus, qui hoſtem percuſſiſſet. Quare iuxta Tapas præclaram uictoriam conſecutus eſt. Cuſpinianus.

Gaſto FOISSEIVS, Galliæ regis Ludouici XII. exercitus, cõtra Iulium II. Pp. & Venetos in Italia, dux, anno MDXII. Rauennam oppugnaturus, ut occupandæ urbis difficultates uirtute & ordine ſuperaret, & ipſos milites mutua æmulatione inflammaret: Germanos, Italos, & Gallos in tria agmina diſtribuit: & ex ſingulis cataphractorum turmis decem fortiſſimis delectis, iiſdem armis quibus in equis pugnant tectos, pedibus milites præcedere iuſſit, qui mœnib. ſubeuntes, terribili impetu urbem inuaſerunt. Guicciardinus libro decimo.

*Mulierum.*

Pyrrhus Epirotes bellum Lacedæmoniis inferebat. Acri prælio pro urbe commiſſo, diſcedentes Lacedæmonij, conſiliũ inierunt, ut liberos atq; coniuges in Cretam exponerent: ipſi uerò periculum tantiſper ſubirẽt, donec aut uictoriam

aſſequerentur,aut uitam amitterent. ARDHIDAMIS regis filia hoc conſilium improbauit, inquiens, Pulcrum eſſe Lacænis, [illegible]um uiris unà mortem oppeterẽt, aut ſimul cũ eis uiuere[illegible] Itaq; opera bellica inter ſe partiebantur, foſſas ducebant,fodiebant, arma adferebant, haſtas acuebãt, uulneratos curabant.Qua re factum eſt,ut Lacones ad certamen audaciores euaderent, mulierum uirtutem conſpicati, Pyrrhumq; repellerent.Polyæn.lib.8.

*Brutorum.*

Athenienſes,poſt deuictos Perſas legẽ poſuerunt,ut galli gallinacei quotãnis uno die certamẽ in theatro inirent. Quod inde ortum eſt.THEMISTOCLES ciuium exercitum aduerſus barbaros cùm educeret,gallos gallinaceos uidit pugnantes: neq; ille ſpectatorem ſeſe oſcitantem eius pugnæ præbuit: ſed totum exercitum cohibens,inquit ad ipſos:At hi neq; pro patria,neq; pro diis familiaribus pugnant,neq; pro auitis heroibus periculum ſubeunt; neque pro gloria, neq; pro libertate,neq; pro liberis: ſed ne alter ab altero ſuperetur,aut alter alteri cedat.Quibus uerbis Athenienſium animos confirmauit. Quod ergo tunc eis incitamẽtum ad uirtutem fuit, uoluit ciuitas ad ſimilium rerum & factorũ memoriam ſempiternam conſecrari.Aelianus lib.3.de Var. hiſt.& Cælius lib.17.c.32. A.L.

Quum puer quidam,AGESILAO rege uidente murem captum è cauo protraheret, muſque conuerſus momordiſſet tenẽtis manum,atq; effugiſſet: Ageſilaus indicauit his qui aderant, dixitque: Poſteaquam minimum animalculum ſic ulciſcitur eos à quibus læditur,quid uiros oporteat facere, cogitate. Plut.in Lacon.Apoph.

CONTEMTV HOSTIVM.

Homerus in 2. libro Iliad. AGAMEMNONEM facit exercitum,quem imperio ſuo regebat,alloquentem,& quod dedecus ſubiiſſent, quia Troianos diuturno bello profligare non potuiſſent, quamuis pauciores illi forent, oſtendentẽ, addit: Si nanq; nos Græci ac Troiani, induciis factis, uelimus numerum utriuſq; gentis recenſere, Troianoſq; deligere ſine ſociis:nos uerò in decurias diuidamur,ſumamúſque ex eorum numero ſingulos,qui ſingulis centuriis uinũ miniſtrent: multæ centuriæ egerent miniſtro. Ex quo intelligere licet, quantò plures Achiui Troianis fuerint. Victor. lib.46.Var.lect.cap.4.

POLYPERCON Peloponneſiis aditum obſidentibus, milites ſuos ad periculum adeundum confirmauit. Pileum impoſuit,& tunicam duplicem indutus,acceptoq; baculo, dixit ad eos: Qui nos in periculum uocant,ô commilitones, eiuſmodi ſunt homines. Pòſt his depoſitis,& armatura recepta:Qui uerò cum iis manum conſerent(inquit)eiuſmodi,uſq; in hoc tempus multorum magnorumq; bellorũ uictores. Quo audito,milites obſecrabant,ne ampliùs morã aliquam interponeret, ſed rectà ad ineundam pugnam duceret. Polyæn.lib.4. Pari ſtratagemate BRENNVS Gallos ad Græcam expeditionem incitauit. Idem lib.7.

Pulſis in exilium Thebanis nobiliſſimis, à tribus tyrannis,Lacedæmoniorum potentia ſubnixis: EPAMINONDAS, q ob paupertatem & philoſophiæ ſtudium contemtus Thebis remanſerat,ad libertatem incendebat iuuentutem.Nanque præcipiebat,in gymnaſiis ut prehenderent Lacedæmonios,& cum eis luctarentur. Deinde ex uictoria & palma cùm ouantes uideret,caſtigabat eos:magis pudendum ipſis eſſe, ſi quibus tantum præſtarent robore, his per ſocordiam ſeruiſſent. Et hac ratione uiam tyrannidis tollendæ ſternebat Pelopidæ & exulibus. Plutarchus in Pelopida,& Polyænus lib.2.

ARCHIDAMVS Zeuxidami F. dum ſtatiua ad Corinthũ habet,cùm uideret ex quodam loco iuxta mœnia lepores exurgentes, Confidite, inquit: expugnatio hoſtium facilis erit. Plut.in Apophthegmatibus.

Cùm Corinthij deſciuiſſent, & accedens ad muros LYSANDER,Lacedęmonios ſegnes cerneret ad oppugnationem, lepus autem conſpectus eſſet foſſam tranſilire: Ecquid pudet uos,inquit, eos formidare hoſtes, quorum ob ignauiã mœnibus indormiunt lepores? Plutarchus in Lyſandro,& Apophthegmatis.

Cùm AGESILAI iuſſu captiui Phryges & Perſę detractis ueſtibus ſub corona uęnirent,ueſtium autem exiſterent complures emtores, corpora uerò ex umbratili uita candida & prorſus mollia deriderẽt,ubi nudata fuerunt, ut inutilia & uilia: aſſiſtens Ageſilaus: Hi ſunt,inquit,quibuſcum dimicatis:illa,pro quibus dimicatis.Plut.in Ageſilao,& Apoph. & Athen.lib.12.c.28.& Front.lib.1.c.11.

GELO Syracuſarum tyrannus,bello aduerſus Pœnos ſuſcepto,cùm multos cepiſſet, infirmiſſimum quenq;, præcipuè ex auxiliaribus, qui nigerrimi erant, nudatum in cõſpectu ſuorum produxit,ut perſuaderet contemnendos. Frontin. libr.1.cap.11.

MANLIVS Capitolinus ita populum ſtimulabat, addebatq; ipſi animum:Numerate ſaltem quot ipſi ſitis,quot aduerſarios habeatis,ſi ſinguli ſingulos aggreſſuri eſſetis,tamen acriùs crederem uos pro libertate , quàm illos pro dominatione certaturos. Quot enim clientes circa ſingulos fuiſtis patronos,tot nunc aduerſus unum hoſtes eritis. A multitudine igitur,numeroque,quo illi ualde nobiles ſuperabant, Quirites excitare uoluit, certamq; ipſis ſpem uictoriæ polliceri.Liuius lib.6.V.C.

HANNIBAL ante pugnam Cannenſem, cùm tumulũ aſcendiſſet paulò editiorem,è quo multitudinem intueretur Romanorum,& ordines:Giſcon quaſi obſtupefactus,cùm dixiſſet,mirari ſe tantam multitudinem : tum ipſe, qui obſtupefactum illũ intelligeret, ne qui adeſſent ſimili terrore caperentur,conuerſus ad illum : Quanto maius, inquit,mirũ tibi uideatur,Giſcon,in tanta hominũ multitudine,qui Giſcon appelletur, omnino eſſe neminem. Quod dictum cùm ſtatim inter acies emanaſſet, ad riſumq; conuerterentur omnes,eam uim habuit,ut ſinguli exiſtimarent iis dictis propterea iocari Hannibalem,quòd de Romano exercitu putaret iam actum.Probus in Hannibale,& Liuius.

Quum Antiochus rex,cùm numeroſo exercitu ueniſſet in Gręciam,omneſq; reddidiſſet attonitos & militum numerus, & armaturę uarietas:T.QVINTIVS hoc ſermone metum ademit Achæis : Quum, inquit,eſſem in Chalcide,cœnans apud hoſpitem meum,mirabar carnium copiam,quum eſſent omnia tecta niue. At hoſpes reſpondit,ea omnia nihil aliud eſſe quàm ſuis domeſticæ carnes,tantùm apparatu & conditura diuerſa. Ne uos igitur, inquit,admiremini regis copias,quum auditis haſtatos,cataphractos,pedites,equites & ſagittarios. Nam hi omnes Syri ſunt,armatura inter ſe differentes.Plut.in Rom.Apoph.

C. MARIVS Cimbris & Teutonibus in Italiam impreſſionẽ facientibus, qui homines erãt agreſtes,immani magnitudine,facie monſtroſa,& belluina uoce præditi, diu moratus, manus non conſeruit: ſed milites iuſſit ad uallum accedentes,intrò tela coniicere : proculq; conſiſtentes in hoſtes intuendo,aſſuefecit, ut eorum formam ſuſtinere, & uocẽ tolerare poſſent,faciemq; uſitatam redderent.Sic milites ſtuporem Barbarorum abiicientes, eos deſpexerunt: atq; ipſi Marium hortabantur, ut ſe ad ineundã pugnam educeret: commiſſoq; prælio cum centum millibus hoſtium, partim eos occiderunt,partim uiuos ceperunt. Polyæn.lib.8.

IRA.

M.FABIVS & Cn. MANLIVS Coſs.aduerſus Hetruſcos,propter ſeditiones detrectante prælium exercitu,ultrò ſimularunt cunctationem : donec milites probris hoſtium coactĩ pugnam depoſcerẽt,iurarentq; ſe ex ea uictores redituros. Frontinus lib.1.cap.11.

SPE, TVM

*Beatitudinis.*

*Conſule Tit. Expeditionum ſacrarum, quatenus ad eas ſpe conſequendæ æternæ felicitatis miſeri mortales animantur.*

CARDINALIS Hiſpanienſis bello,quod eo auctore geſtum eſt in Piceno aduerſus pontificis hoſtes,hortabatur milites ad pugnam,aſſerens eos qui eo prælio cecidiſſent, cũ Deo & angelis pranſuros.Tum unus ex militibus : Cur tu,inquit, non & ad hoc prandium unà nobiſcũ accedis?At ille,Tempus prandij nondum eſt mihi,quoniam nondũ eſurio.Poggius in Facetiis.

*Gloriæ,Dignitatis conferendæ.*

ANDREAS Contarenus Venetorũ dux, Clodienſi bello aduerſus Genuenſes,triginta familias plebeij ſanguinis in patricium ordinem cooptandas, decreto ſanxit, eorũ qui pręclariorem operam ad patriæ ſalutem comparandam attuliſſent.Quare incenſis omnium animis,uniuerſa penè ciuitas ita inflammata eſt,ut pleriq; priuato ſuo ſtipendio, nouas naues ipſi extruxerint,quibus ipſimet præeſſent,alij ingentem pecuniæ uim in publicum dono dederint. Nec defuère,qui ſeipſos cum liberis & reliqua familia grauiſſimis quibuſcũq; periculis obiecerint. Bello feliciſſimè cõfecto, triginta familias in ampliſſimum ordinem cum ſuis hæredibus aſciuit: reliquos publico ære annuo ex ſuo arbitrio donauit,ut non deſint tot iam annos , quibus idipſum publicè perſoluatur.Egnat.lib.6.c.5.& lib.7.c.6.

*Victoriæ aſſequendæ.*

PHERECYDES Syrus,cùm inter Epheſios & Magneſios uigeret bellum,cuperetq; Epheſios uincere,quendam ex prætereuntibus interrogauit,cuias eſſet. Is cùm ſe Epheſium eſſe reſpondiſſet,Arripe me,inquit,cruribus,& in agrum Magneſium pertrahe,mox ciuibus tuis nuncia,ut parta uictoria Pherecydem eo loco ſepeliant. Hæc ubi ille ciuibus ſuis renunciauit,magnam ſpem uictoriæ conceperũt. Poſtridie uerò commiſſo prelio,Magneſios fundunt,& Pherecydem è uita migraſſe comperiunt,eumq; honorificè ſepeliũt. Sic igitur & mortem ſuam , & uictoriam Epheſiorum cognouit,ſeu potiùs Epheſiorum animos felici iſto præſagio animauit.Laertius in eius uita.



ALEXANDER Magnus ad Arbela contra Darium pugnaturus,ob ingentem Perſici exercitus multitudinẽ,anxius mirificè de rerum exitu,noctem inſomnẽ duxit. Circa excubias matutinas ſomno tandem eſt correptus profundo adeò,ut iam die clara expergiſci nequiuerit.Quæ res initiò ualde eius amicis placebat,exiſtimantibus regem ita in prælio faciliùs labores omnes ſubiturum. Sed cùm iam multum temporis ſomnus ille continuaretur : Parmenio grandior natu cæteris amicis regiis,exercitui,ut ad certamen ſe expediret, imperauit. Cuius edicto cùm nulli parérent:ingreſſi ad Alexandrum amici,difficulter eum excitarunt.Admirantibuſq; cunctis eam regis ſecuritatẽ, cauſamq; reſcire cupientibus: Magna,inquit Alexander,animi moleſtia Darius me liberauit,cùm uires omnes ſuas in locũ unum conduxerit: quandoquidem die unica ſemel de rebus omnibus decernetur, ut deinceps laborum & diſcriminum, quę alioquin diuturna erant futura,finem habituri ſimus.Oratione aũt accommodata cùm duces omnes ſuos adhortat⁹ eſſet, ut animo fortiſſimo aduerſus imminentia pericula eſſe uellent,inſtructis copiis contra Barbaros eſt profectus.Diod.lib.17.

IPHICRATES cum Barbaris prælium collaturus , uolens ſuos milites audaciores reddere: Vereor,inquit,ne non intellexerint Barbari, quemadmodum hoſtes terrere ſoleam Iphicratis nomine.Sed ego curam adhibebo,ut nunc id intelligant,& aliis renuncient.Tantum uos etiam ſtudium diligentiamq; mecum intendite. Cùm autem congrederẽtur exercitus,dicente quodã,hoſtes eſſe formidabiles:Et quanto nos,inquit,ſumus formidabiliores? Polyæn. lib.2.

L.LVCVLLVS cum rege Tigrane conſerturus manum , cum parte equitatus ac duabus tantùm cohortibus tumulum quendam pedes aſcendit: ibiq; contemplatus loci ſitũ, hoſtiumq; ordines,exclamauit altiſſima uoce : Vicimus milites,uicimus. Plut.in eius uita.

C.IVL.Cæſar poſt attritos Tigurinos,ad urbem quandam ſociorum proficiſcens , quum audiuiſſet Heluetios in itinere occurrere,in locum quendam munitum ſe recepit: ibiq; copiis cõgregatis,& equo,cui inſidere ſolebat,adducto:Hoc, inquit,poſt uictoriam utar in perſequendis hoſtibus.Et pedes aggreſſus eſt Heluetios.Plut.in Rom.Apoph.

CANVTVS II. Anglorum rex,à Normannorũ duce Richardo,quòd ſororis ſuæ Eſtrithæ repudiũ egiſſet, pœnas ſumturus,in Normanniam magna claſſe traiecit. Aduerſa autẽ ualetudine preſſus, cùm ſe firmitate defectum animaduerteret:proceribus conuocatis certiſſimam uictoriam prædixit,ſi loculum ſuum humeris in aciem extuliſſent:iuſſitq; ſe fugato hoſte apud Rothomagum ſepulturæ mandari.

*Libertatis.*

RHODII obſeſſi à Demetrio Poliorcete, ſeruis,qui ſeſe uiros fortes in adeundis periculis præſtitiſſent, ſoluto dominis precio,libertatem ac ius ciuitatis decreuerunt. Etiam eorũ qui in bello occubuiſſent corpora ſepulturos ſe promulgarunt:item parentes & liberos, ſumtis de publico penu cibariis,alturos promiſerunt: uirgines publico ſumtu dotaturos:filios iam adultos in theatro coronaturos armis in Bacchanalibus. Diodorus lib.20.

T.SEMPRONIVS Gracchus, nauaturus egregiam aduerſus Hannonem ac Brutios & Lucanos operam , cùm legiones magna ex parte Volonum haberet , qui alterum iam annũ libertatem tacitè meruerant:pronunciat,tempus ueniſſe libertatis,quam diu ſperaſſent,potiundæ:poſtero die ſe collatis cum hoſte ſignis dimicaturũ , puro ac patenti campo, ubi ſine ullo metu inſidiarum , uera uirtute geri res poſſet. Qui caput hoſtis retuliſſet, eum ſe extemplò liberum iuſſurum eſſe. Itaq; acri coorta pugna, quartam poſt horam,renunciatur Graccho à tribunis militum,nullam rem aliã magis impedire , quàm capita hoſtium precia libertati factæ: nam ut quiſq; hoſtem impigrè occidiſſet,primùm caput ægrè inter turbam tumultumq; abſcindẽdo tereret tempus: deinde occupata dextra tenendo caput, fortiſſimus quiſq; pugnator eſſe deſiiſſet , ſegnibus ac timidis tradita pugna eſſet. Quo cognito, Sempronius ſignũ dari properè iuſſit, proiicerent capita, inuaderentq; hoſtem,nec dubiam libertatem futuram ſtrenuis uiris. Itaq; redintegrata acriter utrinq; pugna,ducibus hinc inde acerrimè annitentibus, poſtremò pronunciat, de libertate non ſperarent, niſi eo die fuſi fugatiq; hoſtes eſſent. Ea demùm uox ita animos accẽdit renouato clamore,ut hoſtes terga uerterint, cæſi,fugati,ac caſtris exuti,ducis prudentia. Liuius.

*Diuitiarum, Stipendiorum, Commeatus ſpe. Muneribus, Præda.*

Græci, qui ad Artemiſium ſe cum CCLXXI nauibus contulerant,contra Xerxem pugnaturi, perculſi metu, conſultabãt de facienda fuga ex Artemiſio in interiorem Græciã. Quorum conſultatione cognita,Eubœi obſecrabant Eurybiadẽ Laconem,claſſis pręfectum,ut aliquantulum temporis pręſtolaretur, uſq; dum ipſi liberos atq; domeſticos ſubducerent. Vbi non perſuadent,ad ducem Athenienſiũ THEMISTOCLEM tranſgreſſi, paciſcuntur cum eo triginta talentis,ut tamdiu ante Eubœam perſtaret, donec pugna nauali decerneretur.Themiſtocles igitur Eurybiadem ex hac, tanquam ex ſua ipſius pecunia, quinq; talentis impertiuit. Eo perſuaſo,Adimantium Ocyti Corinthiorum ducem,qui ſolus reluctabatur,iureiurãdo interpoſito,ut maneret, ſtatim tribus donauit argenti talentis. Quibus pecunia corruptis, cùm Eubœis gratificatus eſt Themiſtocles , tum reliquum pecuniæ, quam acceperat , lucrifecit. Ita in Eubœa Græci perſtitère,ac prælium fecère felici ſucceſſu. Herod.lib.7.

ALEXANDER Magnus, commiſſurus prælium ad Granicũ, hortatus eſt Macedonas, ut liberaliter cœnarent , omniaq; proferrent,tanquam poſtridie ex hoſtilibus cœnaturi. Plutarchus in Apophtheg.

AVTOPHRADATES mercenarios ad pugnam uolens educere,ſubmiſit qui rumorem ſererent, eum recenſendi cauſa expeditionem facere, ne præſentes aut armatos ullos iuſto ſtipendio priuaret.Milites ſumma alacritate omnes aptatis armis progrediebantur. Tum ipſa res declarauit, non eſſe recenſionem, ſed apparatum belli , multitudine hoſtes terrentem.Polyænus lib.7.

BRENNVS Gallos ducens in Græciam, cùm Delphis aureas ſtatuas conſpexiſſet,accerſiuit Delphos captiuos: eoſq; per interpretem interrogauit, An ſolidum eſſet aurum anathematum? Quibus affirmantibus,intus ferrum eſſe,foris autẽ aurum leuiter aſperſum: mortem omnib.minabatur,ſi hoc aliis enunciarent.imò contrariũ dicere iuſſit,nihil eſſe præter aurum fabricatum.Tum duces intrò uocauit,& ad eundem modum captiuos interrogauit. Quibus,ut imperatũ erat,reſpondentibus,aurum eſſe purum: iuſſit eos multitudini renunciare,ut ſperantes ſe maximos auri theſauros accepturos,alacriùs pugnam facerent. Polyænus.

ROMANI proprium nihil poſſidebant, quamdiu patres eorum in uita manerent : ſed & pecuniæ & corpora filiorum, parentum poteſtati arbitrioq; permiſſa erant. Verùm Imperatores,ut præmio aliquo adoleſcentes ad militiæ labores inuitarent:Caſtrenſe peculium iis pleno iure conceſſerunt. Quod Iuuenalis 16. Sat. ubi militiæ præmia enumerat, his uerſibus declarat :

Solis prætereà teſtandi militibus ius
Viuo patre datur: nam quæ ſunt parta labore
Militiæ,placuit non eſſe in corpore cenſus,
Omne tenet cuius regimen pater. Hotom.

C.IVL.Cæſar milites ſuos ſpe præmiorum animauit traiecto Rubicone. Nam in alloquendo exhortandoq;, ſæpiùs digitum lęuæ manus oſtentans,affirmabat, ſe ad ſatisfaciendũ omnibus,per quos dignitatem ſuam defenſurus eſſet, anulum quoq; æquo animo ſibi detracturum eſſe,militib. qui procul ſtabant,donatiui id ſignum eſſe coniectantib.Suet.

Gallus Imp.primus Rom.Scythis tributum pependit. At cùm Scythæ contenti precio non eſſent : AEMILIANVS limitĩ Sarmatico præfectus pro concione ſuis militibus id tributum pollicitus eſt,ſi hoſtes uiciſſent.Romani præmio accẽſi,ad conſerendas cũ Barbaris manus incitatiores facti, magna ſtrage hoſtes uicère.Reuerſus in Mœſiam,præmia militibus perſoluit.adeoque gratus exercitui fuit, ut ab eo ſit Imperator appellatus.Cuſpinianus.

Lampridius ALEXANDRVM Seuerum Imp.ait, ſola,quę de hoſtibus capta eſſent,limitaneis ducibus & militibus donauiſſe,ita ut eorum eſſent , ſi hæredes eorum militarent, nec unquam ad priuatos pertinerent: dicens,Attentiùs militaturos,ſi etiam ſua rura defenderent.

Cùm Brixia Venetis parens,Vicecomitum armis graui obſidione teneretur,uentumq; eſſet ad inopiam rerum omniũ: FRANCISCVS Barbarus præfectus urbis mulos harena onuſtos ſæpe in urbem induxit,porta hoſtib.auerſa,ut ſpeciem multitudini exhiberet leuãdæ famis nouo rei frumentariæ inuectu. Quæ ludificatio fecit,ut perſeueratum ſit in tolerãda obſidione,quoad breui pòſt uerum affuit à Venetis ſubſidium cum commeatu.Sab.lib.10.c.6.

*Auxilij diuini.*

Apud ISRAELITAS,ex præcepto Domini,quando pugnandum erat cum hoſte , pontifex priùs eos præſentib. animis eſſe iubebat,& in Deo omnem ſuam ſpem ponere,neq; hoſtes metuere. Mox delectus fiebat militum, & copiis duces præficiebantur. Deut.20.

IVDAS Machabæus cum paucis contra maximum exercitũ Antiochi Epiphanis,cui præerat Nicanor,pugnaturus,ſomnium ſuis narrauit militibus. Vidiſſe ſe per quietem Oniam pontificem ſanctiſſimum(qui nõ multo antè ab Apollonio

præfecto Antiochi, ſuaſu fratris Menelai ſceleratiſſimi, interfectus fuerat) paſſis manibus pro Iudæis orantē: & mox conuerſum, ſenem quendam auguſto aſpectu & habitu intuitum, Hic eſt ille fratrū amator, dixiſſe, qui multa pro populo ſanctaque urbe precatur, Hieremias Dei uates. Hieremiam inde porrecta dextera tradidiſſe ſibi enſem aureum, his uerbis: Accipe ſanctum enſem, munus à Deo, quo enſe frangas aduerſarios. Hac oratione Iudæ confirmati, caſtra facere noluerunt, ſed acie cum Nicanore cōgreſſi XXX millia hoſtium interfecerunt. 2. Machab. 15.

AGAMEMNON cùm à Ioue in ſomnis monitus eſſet Græcos ad pugnam educere, quòd eo die Ilium capturus eſſet: uideret autem milites partim ira accenſos, quòd Achillem fortiſſimum Græcorum iniuria affeciſſet, erepta illi Briſeide, partim timore correptos, Achille à bello quieſcente, ad pugnam uix prodituros: rationem excogitauit, qua & ſibi reconciliaret populum, & ad pugnam uel inuitos accenderet. Seniores in cōſilium uocat: iis ſomnium ſuum indicat, ſimul etiam conſilium explicat: ſeſe in concione Græcis ſuaſurum, ut fugiant in patriam: ipſi ecōtrà eoſdem uerbis retineant. Ingenioſum inuentū. Sciebat Græcos pertæſos diuturni belli, reditum uehementer cupere. Reditum ergo illis ſuadendo, eos ſibi reconciliare uoluit, Achillis cauſa infeſtos. At ne reconciliati abirent, à ducibus retineri, & ad pugnam excitari, cùm aliis uerbis, tum potiſſimū ſomnij narratione. Quòd ſi uerò pro ſuo erga Agamemnonem odio & ira ne hac quidem eius oratione reditum ſuadente recōciliarētur, tum certè regis odio uel inuitos pugnaturos. Sic igitur una eademq; opera & reconciliare ſibi populū, & ad pugnam animare ſtuduit. Hoc autem conſilium licèt ingenioſum, parum felicem tamen propè exitum habuit. Populus enim oratione regis reditū ſuadentis ita fuit excitatus, ut ferè nec uerbis nec uerberibus à Neſtore & Vlyſſe retineri potuerit. Hom. Iliad. β.

Cùm eſſet Xerxes ex ſuperiore Doridis regione in Phocidē digreſſus, oppidaq; Phocenſium flāmma deuaſtaret: non tulerunt Græci ſuppetias, licèt orarent Athenienſes, ut ad arcendum à terra Attica bellum in Bœotia occurrerent, ſicut ipſi obiecerant ſe ad Artemiſium. Verùm cùm audiret eos nemo, ſed reſpicerent Peloponneſum, omneſq; uires molirentur intra Iſthmum cōtrahere, & murum de uno mari in alterum ducerent: ibi Athenienſibus reſtabat neceſſariū, ut urbe relicta naues amplecterentur. Accipiebat id plebs moleſtè: quòd aris ſociſq; relictis neq; uictoriam deſiderarent, neq; uiderent ſalutē. Hìc THEMISTOCLES ad inducendam multitudinem humanis deſtitutus cōſiliis, ſicut in tragœdia machinam erigens, prodigia cœleſtia & oracula admouit iis. Oſtentū mutuatus eſt à dracone, qui per eos dies non fuit in adyto uiſus: & libaminibus, quę ei proponebantur quotidie, integris repertis, ſacerdotes enunciauerūt pro concione, dicendi poteſtate iis à Themiſtocle facta, dereliquiſſe Mineruam urbem, & ducem ſe ciuibus ad mare præbere. Iam oraculo populum tractauit, nihil aliud docēs muro ligneo quàm naues oſtendi, atq; idcirco nominari diuinam à deo, non miſeram neq; infelicem Salamina: ut à qua cognomen apud Græcos ingens eſſet palma tractura. Vbi ſententia eius comprobata eſt, ſcribit plebiſcitum, ut urbs fidei Mineruæ populi Athenienſis præſidis concrederetur, iuuentus naues conſcenderet: liberis, coniugibus, ſeruitiis incolumitatem, quā quiſq; poſſet, expediret. Iam cùm difficultate rei numariæ laborarent in publico Athenienſes, Ariſtoteles auctor eſt curiam Areopagi militibus in capita octonas drachmas diuiſiſſe, eamq; potiſſimam fuiſſe cauſam complendæ claſſis. Verùm Clidemus & hoc quoq; Themiſtoclis aſſignat conſilio. Nam deſcendentib. in Piræeū Athenienſibus in ſimulacro Mineruæ deſideratam ait fuiſſe ægidem. Themiſtoclem igitur, cùm ſpecie quærentis excuteret omnia, immenſam uim pecuniæ inueniſſe in impedimētis abditam, tanquam diuino munere conceſſam. Qua in medio poſita, abundaſſe claſſiarios milites uiatico. Plut.

Cùm populo ingruentibus Medis conſuleret Themiſtocles, ut relicta urbe & agro deſerto in freto iuxta Salamina dimicaret & claſſe certaret: omnibus fermè conſilium tam præceps ſtupentibus, cōſpectus CIMON Miltiadis F. princeps eſt per Ceramicon alacris comitantibus ſodalibus arcem ſcandere, ac frenum equi, quod manibus ferebat, Mineruæ conſecrare: quaſi non requireret ciuitas equeſtre robur in præſens, ſed milites præliorum naualium ſcientes. Sacrato fræno ſumtiſque clypeis ex illis, qui ex templo pendebant, adorauit deam, atq; ad mare deſcendit. Quare dedit non paucis animum. Plut. in Cimone.

Crotoniatæ bellum Locrenſibus inferebant. LOCRENSES, externis auxiliis opus eſſe rati, à Lacedæmoniis, cum quib. pacem iam antea pactam habebant, ſupplices opem implorant. Spartiatæ longinquam militiā detrectantes, à Caſtore & Polluce iubent legatos auxilium implorare. Id omen Locrenſes ſecuti, Caſtorum templū ingreſſi, rem ibi diuinā faciunt, puluinariaq; in naui ambobus cōponunt, uelùt propitiatos ſecum ueherent. Vbi uerò domū uentū eſt, XV. M. Locrenſium, cum Rheginorum appēdicibus, aduerſus centum & uiginti Crotoniatum millia, ad Sagram fluuiū congreſſa, non tam aliqua uincendi ſpe, quàm certo moriendi conſilio, ſi uincere nequiſſent, tanta animorum ardore conflixerunt, ut dum honeſtè mori cupiūt, egregiè uicerint: nec ulla æquè res ac deſperatio profuit ad uictoriam. Fertur aquila Locrenſium aciem, quā diu pugnatum eſt, circumuolaſſe: duoq; paludati iuuenes albis equis ſedentes, ab utroque cornu, pro Locrenſibus dimicare uiſi, qui parta uictoria confeſtim euanuerint. Auxit admirationē rei huius nuncij celeritas, quæ tanta fuit, ut eodem die, quo in Italia pugnatum eſt, tam inſignis uictoriæ fama Lacedæmonē, Corinthum, & Athenas peruenerit. Meminerunt miraculi huius Græci & Latini auctores. Diuq; geminę aræ Caſtoris & Pollucis in extrema fluminis ripa, geſtæ rei monumentum durauēre. Celebratum inde inter Græcos prouerbium, Verius rebus ad Sagram geſtis. Sab. lib. 9. Enn. 3.

ARCHIDAMVS cùm in Arcadia pugnam committere uellet, in poſterum diem Spartiatas cōfirmauit, noctu ſtatuēs aram, eamq; armis ſplendidiſſimis ornans, & equos duos circumagens. Cùm illuxiſſet, manipulares duces & centuriones, noua conſpicientes arma, & duorum equorum ueſtigia, atq; ſpontaneā aram, interpretati ſunt Dioſcuros auxilium laturos. Spartiatæ ſumtis animis, & religione cōmoti, ſtrenuè pugnarunt, atq; Arcadas uicerunt. Polyæn. lib. 1. & Frontinus lib. 1. cap. 11.

Athenienſes & Lacedæmonij ad Leucadem nauale prælium committebant, Timotheo Athenienſium ducem agente, Nicomacho Lacedæmoniorum. Erat feſtum Scira. TIMOTHEVS myrto coronans triremes, ſoluenſq; ſignum extulit, & nauibus uicit. Milites enim cum bona ſpe pugnam faciebant, numen ſe rati ſocium habere. Polyæn. lib. 3.

PLATÆENSES, ut feliciter à Græcis contra Xerxem in campis Eleuſinæ Cereris (ut oraculum pręceperat) pugnaretur, neq; tamen locus ille ad pugnandum aptus eſſet, quantū erat agri inter Atticam & urbem ſuam, id Eleuſinæ Cereri dono dederunt. Plut. in Ariſtide.

TIMOLEON Corinthius, pro ſocietatis iure Syracuſiis auxilium ferens, in collem aſcendens, cùm uidiſſet quinquaginta millia Carthaginenſium explicata, locum uerò procellis infeſtum, & uentum hoſtib. aduerſum ferri, congregata cōcione: Hoc tempore, inquit, hoſtes capi neceſſe eſt. Etenim oraculum extare, eos qui in illo loco aciē collocaſſent, interituros: comprobari autem oraculum tempeſtate repentina. Græci magnis animis ſumtis, pauci complures fuderunt. Polyænus lib. 5.

AGATHOCLES, ut milites ſuos in Africa contra numeroſum exercitum Athenienſiū animaret, dimiſit in caſtra complurib. locis ululas, quas iam antea præparauerat: quæ per agmen uolitantes, & ſcutis galeiſq; inſidentes, milites animabant, propterea quòd Mineruæ ſacrum creditur id animal. Itaq; cū multitudo animos ſumſiſſet, & rumores ſparſi eſſent, diuinitùs manifeſtè uictoriā illis pręſignificari, confidentiùs periculum ſubierunt. Diod. lib. 20.

EPAMINONDAS Thebanus aduerſus Lacedęmonios fiduciam ſuorum religione adiuuandam ratus, arma quæ ornamentis affixa in templis erant, nocte ſubtraxit: perſuaſitq; militibus, deos iter ſuum ſequi, ut præliantibus ipſis adeſſent. Frontinus lib. 1. c. 11.

IDEM Thebanos eduxit in Leuctra aduerſus XL millia Spartiatarum, atq; ſociorum. Ciuibus autem (ut fieri ſolet) pertimeſcentibus hoſtium multitudinem, animos eorum ſic excitauit. Erat Thebis ſtatua Palladis, haſtam in medio tenēs dextra manu, ſcutum uerò pro genibus poſitum habens. Ille noctu artificem adducens, aliam formam affinxit ſimulacro, & deam fecit manubrio ſcutum tenentem. Cùm uerò tempus expeditionis præſtò eſſet, omnia templa aperuit, quaſi rem diuinam pro exercitu facturus. Milites formam deæ mutatā uidentes, obſtupuerunt, quaſi ipſa Pallas aduerſus hoſtes arma ſumſiſſet. Eos multis uerbis Epaminondas hortabatur, ut bonum animum gererent, quippe dea contra hoſtes ſcutum protendente. Ita Thebani animos receperunt, & conſertis manibus egregiè pugnauerunt, multoq; plures hoſtes deuicerunt. Polyæn. lib. 2.

IDEM ſubornauit uirum ignotum progredientibus ex urbe coronatum, & uitta redimitum, qui primùm deciperet eos nunciando: Trophonius iuſſit, ut Thebanis renunciarem, ſe uictoriam dare iis, qui principes pugnam inirent. Thebanis confirmatis, & dei uatem adorantibus, Epaminondas iuſſit in Heracleum uenientes uota facere. Erat iam antè cū Herculis ſacerdote conſtitutum, ut noctu templū aperiret, & arma repoſita ſummoueret, atq; terſa deo rurſus apponeret, ipſeq; cum miniſtris ſuis de medio recederet, neminē



quicquam nunciantes. Poſtquam ergo milites cum ducibus templum ingreſſi uiderunt apertas ianuas, nullo miniſtrorum pręſente, atq; etiam arma uetuſta repurgata recèns & fulgentia conſpexerunt: coram deo clamorem ſuſtulerūt, diuina confidentia pleni, tāquam Herculem pugnæ ducem haberent. Sic accidit, ut ſumtis animis quadraginta millia contemnerent. Polyæn. lib. 2. & Diod. Sic. lib. 15.

Thebani ad Leuctra Lacedæmonios, diuino auxilio Ariſtomenis Meſſenij herois, ſuperaſſe feruntur. Nam cùm pugna inſtaret, EPAMINONDAS legatos miſit, qui & alia oracula, & Trophoniū, qui in Lebadea colitur, conſulerent. Accepto oraculo impetrauit à Xenocrate precibus Epaminondas, ut Ariſtomenis clypeum ſibi mitteret, illumq; ad trophæi, qđ erexerat eo loco, unde poſſet à Lacedæmoniis manifeſtè conſpici, inſignia addidit. Norant Lacedæmonij fixum in Lebadea ſcutum Ariſtomenis: nam & multi per otium ad Trophonij profecti illud fuerant cōſpicati, & planè omnes ita eſſe audierunt. Parta uerò uictoria ſuum Trophonio donum reſtituere. Pauſan. in Meſſenicis.

ALEXANDER Magnus, cùm ab aruſpicib. cognouiſſet, deos omnia fauſta portendere, circumferre hoſtias iuſſit, & militibus ob oculos demonſtrare: ut non ſolùm ex auditione, uerumetiam ex aſpectu ſpem bonam de uictoria haberent. Polyænus libro 4.

IDEM ſacrificaturus, inſcripſit medicamento aruſpicis manum, quam ille extis erat ſuppoſiturus: literæ ſignificabant, uictoriam Alexandro dari. Quas cùm iecur calidum rapuiſſet, & à rege militi eſſet oſtenſum, auxit animum, tanquam Deo ſpondente uictoriam. Idem fecit INNIDES aruſpex, prælium Eumene cum Gallis commiſſuro. Front. lib. 1. ca. 11.

ATTALVS Pergami rex, cum Gallis magnum numerum habentibus prælium commiſſurus, milites ſuos timore perculſos confirmare, atque alacres reddere uolens, ante conflictus periculum uictimam parauit, Sudino Chaldæo uate ſacrificium obeunte: ipſe deos precatus libauit, & uictimam diſſecuit. Rex cōtrito gummi inſcripſit in dextram manum, Regis uictoria: inſcriptionem efficiens, non à ſiniſtris ad dextra, ſed contrà à dextris ad ſiniſtra: & cùm uiſcera extraherentur, ſuppoſuit manum in calidiorem ac fungoſum locum, abſterſitque inſcriptionem. Vates percurrens fruſta reliqua, ac bilem, portaſque & menſam, atque omnia ſigna perſpiciens, conuertit particulam quæ inſcriptionem continebat, qua regis uictoria ſignificabatur. Itaq; alacribus animis in pugnam ruentes, Gallorum multitudinem ſuperarunt. Polyænus lib. 4.

AMASIS rex eo bello quod aduerſus Arabes habebat, à tergo Aegyptiorum conſtituit ſtatuas eorum deorum, qui apud ipſos ſummo honore & religione colebantur, ut hoc modo alacriùs pericula ſubirent: arbitrantes ſe deos habere ſpectatores, quos nequaquā hoſtibus prodere aut relinquere deberent. Polyæn. lib. 7.

A. POSTHVMIVS prælio, quo cum Latinis conflixit, oblata ſpecie duorum in equis iuuenum, animos ſuorum erexit, Pollucem & Caſtorem adeſſe dicens, ac ſic prælium reſtituit. Front. lib. 1. cap. 11.

Q. FAB. Max. contemtu ceremoniarum uictum ab Annibale Flaminium docens, ad pietatem milites hortatus, Verq; ſacrum uouens, alacritatem illorum reuocauit. Plut. in Fabio.

L. SYLLA, quò paratiorem militem ad pugnandum haberet, prædici ſibi à diis futura ſimulauit. Poſtremò in conſpectu exercitus, priuſquam in aciem deſcenderet, ſignum modicæ amplitudinis, quod Delphis ſuſtulerat, orabat, petebatque ut promiſſam uictoriam maturaret. Frontinus libro 1. capite 11.

C. MARIVS ſagam quādam Martham ex Syria habuit, à qua ſe dimicationum euentus prædiſcere ſimulabat. Ibidem, & Plut. in eius uita.

Q. SERTORIVS, cùm barbaro & rationis indocili milite uteretur, ceruam candidam inſignis formæ per Luſitaniam ducebat, & ab ea, quæ agenda aut uitanda eſſent, prænoſcere ſe aſſeuerabat: ut barbari ad omnia tanquam diuinitùs imperata obedirent. Front. lib. 1. cap. 11.

HENRICVS II. Imper. mouens exercitum in Vngaros, Varbergi, quà exercitum fortè ducebat, gladio S. Adriani, diu ibi pro reliquiis habito, accingitur: Domine, inquiens, iudica nocentes mihi, expugna expugnantes me, apprehende arma & ſcutum, & exurge in adiutorium mihi. Hiſtoria Bambergenſis.

Obſidebant Latini Arethuſam in Antiochenſium ſitam ditione. Saladinus ſperabat ſe uacuum milite Hieroſolymitanum regnum occupaturum, Balduino præſertim IIII. rege adoleſcente & leproſo imperante. At BALDVINVS numinis inſtinctu inſidias ſubodoratus, ſacroſanctæ crucis partem, quæ in urbe aſſeruabatur, ſub ſignis ferri imperauit, & hoſtem ad Aſcalonem obuium factum cum ſuorum paucis maxima ſtrage fudit. Aemilius lib. 5. de Regibus Frācorum. Malmesburienſis lib. 4. cap. 68. ſcribit, CYRVM ciuem Hieroſolymitanum hunc theſaurum, auita ſucceſſione domi ſeruatum, Chriſtianis obtuliſſe, quem illi exercitui prætulerunt.

Capta à CHRISTIANIS Antiochia Syriæ metropoli; Corbana Perſarum princeps (Platina Senſadolum Caſſiani regis F. habet) nouo exercitu ſuperueniens, uictores graui obſidione premebat. Iamq; militum animis & fame & metu hoſtili fractis, nobiles ſacerdotes prodiēre perſanctè aſſeuerantes, ſe nocturna ſpecie admonitos, irent, nunciarentque ducibus militibusq;, Deum opt. max. flagitiis noſtrorum iratum, quòd non humana ope fuſo fugatoq; ad Nicæam Solymanno, beneficij cœleſtis immemores, minus reuerentes ſuperûm extitiſſent: eos caſtra, quæ initio uelut templū fuiſſent, inceſtaſſe; impiæq; religionis mulieribus ſe immiſcuiſſe, diſcrimine ſublato cuncta promiſcua feciſſe. Idcirco numen pœnas fame, concluſione, ac metu propinquæ mortis expetere cœpiſſe. Niſi ad frugem uita, mēs ad ſanitatem redeat, ſecurim ceruicibus imminere, quæ poſſit lacrymis, ieiunio, ſacraq; confeſſione placato numine auerti. Petrus ſacerdos Maſſilienſis eadem ſibi quoq; pectore obuerſata dictitabat: & ad fidem faciendam addebat, per quietem ſibi diuinitùs in æde Petri demonſtratum locum, ubi altè obruta abditaq; lancea latitaret, quæ Domini latus in cruce confodiſſet, eam ſacroſancto ſanguine imbutam, de impiis triumphum uictoriamq; daturam. Productus in cōcionem hæc diſſeruit, à legato iureiurando adactus rem ita ſe habere, ut & uerbis concepiſſet. Myſteriis altaris peractis, itum reuerentiſſimè ad prædictum à numine locum. Refoſſa lancea, ſublatus eſt multitudinis clamor, approbationis religioniſq; plenus. Laus Deo, gratiæq; actæ: fides cœleſtis implorata. Indictum tridui ieiunium: idq; quod egeſtas neceſſarium fecerat, oraculo ſanctum effectum. Sacra confeſſione flagitia expiata. Quarto Calendas Iulias ſumma omniū alacritate arma capta. Lanceam ſanctam legatus ferebat, ſancta ſpe animos replens. Matutino quidem tempore, ſed ſummo fortè æſtu, uix portis exierant, cùm ros ſolito uberior cœlo lapſus eſt: & id pro diuino imbre à noſtris acceptum, non magis corporibus robur, quàm uires animo addidit, numen profectò huic aciei adeſſe. Plus centum millia hoſtium cecidēre, noſtrorum quatuor circiter millia ducenti. Ad quinq; millia camelorum cum oneribus, & magna commeatus uis capta, caſtraq; omnis fortunæ regiæq; opulentiæ plena. Poſtridie arx amiſſa ſpe ſubſidij dedita, pacta ut ſine fraude, qui in præſidio erant, dimitterentur. Aemilius lib. 4. & Platina in Paſchali II.

VORTIMERVS rex Britannorū cōtra Saxones deſignatus, regni recipiendi ſtudio, quò magis augeret copias, Chriſti crucifixi ſimulacro uſus pro uexillo, uocaliſſimos per præcones iubebat, cunctos, ueræ religionis amantes, ſe ſequi. Ad octoginta armatorum millia, ex ſacerdotibus aliiſque, ad ueræ pietatis cauſam tutandam, regi illicò affuere, qui prioribus Vortimeri militibus coniuncti, egregiam de Saxonibus uictoriam reportarunt. Saxonum millia decem prælio deſiderata. Cantium ad Britannos: regiones quædam trans Humbrum ad Scotos & Pictos, uti fœdere erat cautū, rediere. Hengiſtus Saxonum dux, qui ſe Cātij regem appellare auſus fuerat, fuga ſeruatus, cū reliquiis exercitus in Northumbriam, inuentis nauibus ad Humbri oſtia, cum nobilioribus Saxonicæ gentis, qui cladi ſuperfuerant, & Occa filio, in Saxoniam tranſmiſit. H. Boethius lib. 8.

Contra Othonem I. Cæſarem conſpirauerant Henricus frater, Giſelbertus dux Lotharingiæ ſororius, & Euerhardus comes, Conradi I. Cæſaris frater. Otho contra eos in Lotharingiam ducebat. Saxones cùm Rhenum audacter traieciſſent, ab hoſtibus ex improuiſo excipiuntur. Otho conſpicatus ab altera ripa ſuorum periculum, cùm ad traiiciendum nauigia non adeſſent (cauerat enim hoſtis) equo deſiliens, ſacram lanceam Conſtantinianā uenerabundus flexis genibus adorauit, de cœlo ſuis poſcens auxilium, quando humana deficerent præſidia. Saxones in altera ripa laceſſere potiùs hoſtem quàm pugnare poterant, pauci in multos. Itaque tenues quas habuere equitum copias diuiſere, ut medium hoſtem incertum facerent quò ſe uerteret. Erant inter Saxones qui gallicè ſonarent, Fuge, fuge. Hoc Lotharingi à ſociis proclamari arbitrati, fugæ præſidium quæſierunt. Henricus regis germanus graui uulnere accepto in brachio, quod anno uix integro potuit ſanari, & ipſe in fugam uertitur. Interea miſſo celerrimè nuncio in ditionem Henrici, huius uictoriæ famam iuſſit diuulgari, cecidiſſe Henricum. Omnes proinde urbes ſe regi dediderūt, pręter Mersborg & Schidingen. Hēricus ſolis nouē ex fuga recollectis, iterū tranſmiſſo Rheno, in Mersborg ſe recepit. Rex illam obſidione preſſit. Poſt duos menſes Henricus dedita urbe in Lotharingiam abiit. Cranzius libro tertio Saxoniæ, capite 17.

Vladiſlaus Boemorum princeps moriens, SOBIESLAVM fratrem natu minimum ſucceſſorem reliquerat. Id Otho indignè ferens, Lotharij Cæſaris auxilium impetrauit. Caſtra Cæſaris ad Chlumecum uicum poſita: à quo loco, millibus paſſuum non amplius octo, Sobieslaus cum ſuis copiis diſtabat, mirante audaciam eius Cæſare, quòd auderet ſe in campo opponere, quum uix intra mœnia hoſtem poſſet ſuſtinere. Dubiis Boemis an manus conferre deberent, prodiit in mediū Sobieslai SACELLANVS cū haſta diui Venceslai, quam ſecum attuliſſe ſomnio monitus dicebat, illaq; ſublata, ac manu dextra uibrata, præibat in aciem. Eū Boemi ſecuti, ſtragem Germanorum inſignem ediderunt, occiſis paulò minus quingentis ingenuis, cùm interim tres duntaxat Boemi equeſtris ordinis deſiderati ſint. Memoriam uictoriæ Sobieslaus, dedicata D. Venceslao corona auri duodecim, & argenti octoginta pondo, additoq; militi donatiuo, liberaliter celebrauit. Cæſar ad Sobieslaum miſit, qui ei pacem & beneuolentiam offerrent, ſi captiuos ſine precio remitteret: Quod ille extemplò præſtitit. Dubrauius libro undecimo.

Cùm Sigiſmundus Imp. Pragenſes tribus locis adortus eſſet: Miſnēſes cum Saxonibus collem Ziſconis forti impetu adorti ſunt, per foſſas & ſepes, uſque ad propugnacula tranſiliētes: ubi duas quoq; mulieres, pilis armatas obuias habuerunt, quæ mori, quàm loco cedere maluerunt. Ibidē Ziſco, Huſſitarum dux, ingens periculum adiit, penè ab equitibus oppreſſus, ſi non ruſtici ipſius cum flagellis præferratis illos ſubmouiſſent. Quo diſcrimine cognito SACRIFICVLVS quidam arripit corpus Chriſti, inſigne Thaboritarum belli, claſſicum campanula canit, ac mox turbam poſt ſe multam trahens, ad collem perducit. Illa uiſa Germani diutiùs retineri in oppugnando, quanquam Sigiſmundus ſubſidia laborantibus ſemper ſubmitteret, nō potuerunt, quin retrocederent cum magno malo ſuo, alij ex colle metu præcipitati, plures in fuga interfecti, inſultantibus Thaboritis perinde quaſi Antichriſti militibus, ac ſe continuò ad labores referentibus, ut ſi prælium redintegraretur, foſſas altiores, latioresq; & plures quàm priùs munitiones haberent. Dubrauius lib. 24.

CAROLVS V. Imper. Tunetana expeditione de Polemarcho ſollicitus, ubi neminem è ſuis ducibus ſatis idoneum eſſe uidit, uexillum, Chriſti crucifixi imaginem habens ſuſtulit: & Hic dux noſter erit, inquit, Rex regum, Dominus Deus exercituum. Aegidius Corrozetus de Dictis & factis memorabilibus.

*Auxilij humani, Proditionis, Tranſitionis, Defectionis, Proditionis ſpe.*

XERXES expeditione contra Græciam ſuſcepta, multas gentes conduxit, dimiſſis paſſim qui euulgarent, principes Grçcorum proditionem Græciæ moliri. Arbitrantes igitur ſe non ad pugnam, ſed ad manifeſtam uictoriā euocari, promtiùs congregabantur. Multi etiam Barbari ſua ſponte ſe ſocios adiunxerunt. Polyænus.

IPHICRATES, cùm paucos haberet milites, eoſq; triſtibus & abiectis animis præditos, uolens audaciam & confidentiam ipſis iniicere, inter cœnandum conuocat manipulorum duces ac centuriones: iubetq;, ut quantum quiſq; haberet, adferret, ſiue argentum, ſiue aurum, ſiue ornatū, quaſi prodirionem hoſtium facturus, & ad eam rē muneribus indigens. Poſtquam dediſſent, hoſtes aggredi ſtatuit. Qui attulerunt. Ille cùm accepiſſet, teſſeram dedit Mercurium Philium, quaſi de hoc ſibi cum proditoribus conueniſſet: & parua interpoſita mora, milites adduxit. Qui credentes fore ut ſibi aliqui aduerſarios proderent, audentiores ad faciendum prælium extiterunt. Polyæn. lib. 3.

PYRRHVS à Romanis prælio ſuperatus, amiſſis elephantis, ad Antigonum petendi auxilij cauſa legationem miſit. Cūque non impetraſſet, præcepit legatis, ut omnibus contraria nunciarent: Antigonum ſe cum magnis copiis auxilio uenturum promiſiſſe. Itaque Tarentini, omneſq; Siculi & Itali, qui deſerere Pyrrhum uolebant, remanſerunt ſpe Antigoni ſocietatis. Pyrrhus in Peloponneſum expeditione ſuſcepta, Spartiatis omnibus per Arcadiam legatos de pace mittentibus perhumaniter eos recepit, ſuoſq; filios ad Spartiatas miſſurum pollicebatur, ut Lycurgeis diſciplinis imbuerentur. Hæc legatis Spartam renunciantibus, Pyrrhus cum exercitu infeſto acceſſit. Incuſantibus Spartanis eum alia, quàm prædixerat, facere, ridens ait: Neque enim uos conſueuiſtis prædicere, ſi cui bellum uultis inferre. Itaq; ne malè uos habeat, ſi contra Lacones uſus ſum Laconico ſtratagemate. Polyæn. lib. 6.

FVLVIVS Nobilior, cùm aduerſus Samnitium numeroſum exercitum, & ſucceſſibus tumidum, paruis copiis neceſſe haberet decertare: ſimulauit unam legionem hoſtium à ſe corruptam ad proditionem, imperauitque (ad eius rei fidem) tribunis, & primis ordinibus, & centurionibus, quantum quiſque numeratæ pecuniæ, aut auri argentique haberet, conferret: ut repræſentari merces proditoribus poſſet: ſe autem his qui contuliſſent, pollicitus eſt, conſummata uictoria, ampla inſuper præmia daturum. Quæ perſuaſio Romanis alacritatem attulit, & fiduciam: unde etiam præclara uictoria, commiſſo ſtatim bello, parata eſt. Frontinus libro primo, capite 11.

M. CATO legatis Ilergetum auxilia petentibus, auxilia ſe miſſurum ſimulauit. At ne diducto exercitu uires minueret, tertiam partem militum cibaria parare, & naues aſcendere iuſſit: dato præcepto, ut ſimulata tantùm profectione, mox in caſtra redirent. Præcedens interim aduentantis auxilij rumor, ut Ilergetum excitauit animos, ita hoſtium conſilia diſcuſſit. Front. lib. 4. cap. 7.

Atila Hunnorum rex, Aurelianum obſidebat: caſtriſq; poſitis, omni ui miniſq; territabat. Ciues extrema metuentes, ANNIANVS ciuitatis Epiſcopus celeri ſpe ſubſidij, in fide officioq; continuit. Nec ipſe ſuos, nec eum ſanctitas, numiniſque fiducia fefellit. Cùm in mœnia hoſtis euaſurus uideretur, ingenti nube pulueris procul conſpecta, Annianus exclamauit: id quod prædicarat, urbis ſalutem cordi deo eſſe, auxilia aduentare. Theodericus rex Viſigothorum, quòd uicta hac Galliç parte, Aquitaniam, regnum ſuum, proximam Hunnico furori, prædæque expoſitam proſpiciebat, opem obſeſſis ferebat. Proinde reliquit obſidionem Hunnus, ſeque in Catalaunos campos recepit. Et eueſtigiò cōtraitum eſt. Aemilius libro 1.

*Loci uel Temporis fatalis.*

Scoti atque Picti contra Arthurum, Britannorum regem, pugnaturi, ad Humbri ripam, locum delegere ad pugnam, uoluti fatalem Britannis deuincendis. Commiſſa pugna, Arthurus cum XXX M ſuorum cæſus, Scotorum & Pictorum XX M. deſiderata. H. Boethius lib. 9.

DESPERATIONE.

PHILIPPVS Auguſtus Francorum rex, anno Salutis 1214 contra Othonem Imp. pugnaturus, in patera aurea buccellas panis uino prægnantes principibus ſuis propinans: Bibite ex hoc omnes, exclamauit. Commune hoc aut uictoriæ aut glorioſæ mortis poculum erit. Qua uoce animati Franci, hoſtes mira alacritate ſuperarunt. Aegidius Corrozetus de Dictis & factis memorabilibus.

HENRICVS Anglorum rex, circumuentus ab exercitu Gallorum regis, quæcunque obtinuiſſet in Gallia dimittere uoluit, ſi cum ſuis incolumis abire permitteretur. Negantibus Gallis, nocte ſubſecuta uocatis centurionibus, Neque fugere, inquit, commilitones, neque ex hoſtibus incolumitatem conſequi poſſumus, quamuis cedere regno Galliæ uoluerimus: ſola nos arma tueri poſſunt. Non eſt, cur numeroſum exercitum formidetis. Iuſtam cauſam iuſtus Deus adiuuabit. Ite, & alterum alteri peccata ueſtra confitemini, pauxillumque terræ ob memoriam ſacramenti Euchariſtiæ Saluatoris, alter alteri porrigite. Craſtina die liberabit nos Dominus ex manibus inimicorum. Sic dimiſſa concione, peractis quæ iuſſerat, curare milites corpora præcepit. Sequenti die ut primùm lux orta eſt, commiſſo prælio, incredibile dictu, octo millia Anglorum, ſexaginta millia hoſtium fudêre: cæſa ingens turba, nobilitas Galliæ propè omnis capta, paucos fuga ſeruauit. Eaque potiſſimùm dies Gallorum opes fregit. Aeneas Syluius libro tertio. Com. in Panorm.

METV SCILICET

*Oppreſſionis.*

AGESILAVS inſtructa acie cùm uideret ſocios dedita opera tergiuerſari, diſceſſit. Diſceſſio autem fuit per montes anguſtos, in quibus expectabat, donec Bœoti incurſionem facerent. Conſtituit igitur, ut Lacedæmonij præcederent, ſocij ſequerentur, ut hoſtibus ab tergo aggredientibus, neceſſitas eos cogeret uiriliter ac ſtrenuè pugnare. Polyænus libro 2.

Græcis claſſem ad Salaminam habentibus, ueriti Xerxis copias, Iſthmum ceperunt Peloponneſij reſpectare, frementes ſi quis aliud proponeret. Viſum eſt igitur nocte uela facere, atque edictum gubernatoribus, ut parati ad nauigandum eſſent. Hîc anxius THEMISTOCLES, quòd loci & anguſtiarum commoditate Græci amiſſa in ſuum quiſq; opidum dilaberentur, commentus eſt & ſtruxit talē per Sicinum ſiue Sicinium eunuchū aſtum. Erat natione Sicinus Perſes captiuus, ſed amans Themiſtoclis, & liberorum eius præceptor, quem occultè ad Perſam mittit nunciatum, Athenienſium ducem Themiſtoclem cum rege ſentientem ei primum enunciare, Græcos fugam circunſpectare, monereque, ne eis facultatem det fugiendi: ſed interea, dum tumultuantur, deſtituti terreſtribus legionibus,



legionibus, adoriatur & deleat copias nauales. Eum nuncium Xerxes quaſi à beneuolo animo profectum, amplexus eſt, gratumq; habuit: deniq; edixit nauium præfectis, cæteras naues ut ſilentio inſtruant: cum ducentis autem profecti totum tranſitum undiq; claudant, & circumueniant inſulas, ne quis elabatur hoſtium. Id agi Ariſtides Lyſimachi primus ſentiens, contendit tacitus ad tabernaculum Themiſtoclis: non quidem quòd gratia ei cum illo intercederet, imò fuerat illius opera exterminatus. Prodeunti ad ipſum declarat circumſeptos ſe. Qui cùm aliàs integritatem eius haberet perſpectam, lætus tūc eius præſentia, aperit ei quid per Sicinum egiſſet, hortatur Græcos ut retineat, ſecumq; in id incumbat, quia maior ei adhibeatur fides, ut in faucibus pugnam naualem committant. Igitur collaudato Themiſtocle, Ariſtides alios duces & trierarchos adit, & ad prælium accendit. Nondum adiungētibus tamen ei his fidem: ecce triremis una Tenedia, cui præerat Panætius, transfugit ad Græcos, quæ cinctos ipſos eſſe nunciauit. Ita iam ira quoq; præter neceſſitatem ſtimulauit Græcos ad confligendum, & libertatem Græciæ defendendam. Plut. in Themiſtocle. Herod. lib. 8. Polyæn. lib. 1. Front. lib. 2. cap. 2.

MYRONIDES Athenienſes duxit aduerſus Thebas: & progreſſus in campum, iuſſit eos arma ponere, atque undique circumſpicere. Quibus circumſpicientibus: Videtis, inquit, quantus ſit campus? in tanto campo, hoſtibus equos habentibus, ſi fugiamus, neceſſe eſt nos ab equitibus perſequentibus capi. Sin maneamus, multiplex uincendi ſpes eſt. Itaque ut manerent, perſuaſi ſunt: & Myronides uictor uſque ad Phocidem & Locros proceſſit. Polyænus libro 1. & Frontinus libro 4. capite 7.

ORONTES aduerſus Autophradatem pugnaturus, Græcos campi magnitudinem intueri iuſſit, demonſtrās, neminem, ordine diſſipato, equorum impetum poſſe effugere. Itaque uictores euaſere. Polyænus lib. 7.

TRAIANVS ubi cum toto exercitu in Parthos profectus eſt, ſubornatis quibuſdam clàm, qui falſos de hoſte rumores diſſiparent, renunciari falſa exploratoribus iuſſit: ut milites quæ imperaſſet, intrepidè ſingula facerent, & ad omnia belli momenta parati eſſent. Cuſpin.

*Mortis.*

SAVLVS rex electus, Iſraelitas ad expeditionem contra Ammonitas ſuſcipiendam minis excitauit. Cùm enim rure boues agens Iabenſium legationem & ploratum populi audiuiſſet: duos boues diſſectos, in omnes Iſraelitarū fines per nuncios dimiſit, cum edicto, ut qui Saulum & Samuelem ſecuti non eſſent, eorum bubus ita fieret. 1. Regum 11.

EPAMINONDAS, dux Thebanorum, aduerſus Lacedæmonios dimicaturus, ut non ſolum uiribus milites ſui, uerumetiam affectibus adiuuarentur: pronunciauit in concione, deſtinatum Lacedæmoniis, ſi uictoria potirentur, omnes uirilis ſexus interficere: uxoribus autem eorum & liberis in ſeruitutem abductis Thebas diruere. Qua denunciatione concitati primo impetu Thebani, Lacedæmonios expugnauerunt. Front. lib. 1. cap. 11.

LEVCON, Heracleotis ſibi bellum inferentibus cum magna nauium multitudine, & egredientibus in terram, ubicunq; libitum ipſis fuiſſet: cùm uideret ſuos milites pugnam detrectare, neq; eos egreſſu prohibere: in prima acie conſtituit armatos ad hoſtium egreſſionem arcendam. Poſt hos à tergo Scythas: & palàm Scythis præcepit, ſi armati rem ſegniter adminiſtrarent, hoſteſq; egredi paterentur, tum in ipſos tela mitterent, atq; occiderent. Quo cognito, armati fortiter, ne hoſtes egredi poſſent, reſtiterunt. Polyæn. lib. 6.

PHILIPPVS rex Macedonum ueritus, ne impetum Scytharum ſui non ſuſtinerent: fideliſſimos equitum à tergo poſuit: præcepitque, ne quem commilitonum ex acie fugere paterentur, perſeuerantiùs abeuntes trucidarent. Qua denunciatione cùm effeciſſet, ut etiam timidiſſimi mallent ab hoſtibus quàm à ſuis interfici, uictoriam acquiſiuit. Frontinus libro 2. capite 8.

Illyriis cum Macedonibus bellum gerentibus, cùm multi Macedones caperentur uiui, reliqui etiam redemtionis ſpe ad pugnas minùs alacres eſſent: legationem de redemtoriis muneribus miſſuri Macedones uidebantur. PERDICCAS ergo prçcepit legato, ut reuerſus nunciaret, redemtoria munera Illyriorum regem non accepturum, ſed condemnatos captiuos morte affecturum. Macedones deſperata ſalute redemtiua, audaciores ad pugnandum reddebantur, quippe quibus in ſola uictoria ſalus poſita eſſet. Polyæn. lib. 4.

M. ATTILIVS Regulus Cos. bello Samnitico ad Luceriā, ex acie refugientibus in caſtra militibus, aciem ſuorum oppoſuit: affirmans ſecum, & cum bonis ciuibus dimicaturos eos, niſi cum hoſtibus maluiſſent. Ea ratione uniuerſos in aciem reduxit. Frontinus libro ſecundo, capite octauo, & libro 4. capite 1.

Q. METELLVS, cùm apud Trebiam res gereretur, collocatas à ſe in quadam ſtatione quinq; cohortes, atq; ex ea uiribus hoſtium depulſas, repetere eandem ſtationem iuſſit: non quidem ut amiſſum locum recuperarent, ſed ut culpam præteritæ pugnæ, inſequentis certaminis periculo puniret. Edixit etiam, ut ſi quis fugam adornans caſtra peteret, pro hoſte ſtatim interficeretur. Qua diſciplina milites edocti, multitudinem hoſtium ſuperarunt. Val. Max. lib. 2. capite 2. Frontinus libro 4.

IDEM ab hoſtibus penè circumuentus, teſtamentum facere milites iuſſit, eoſq; ad locum recuperandum remiſit: minatus, non niſi poſt uictoriam recepturum. Quibus minis intellexerunt milites, niſi uincerent, ſe morti deſtinatos eſſe. Pulſis igitur magna animi fortitudine hoſtibus, locum amiſſum recuperarunt, hoſteſq; planè fugarunt. Front. lib. 4. cap. 1. Plin. cap. 61. de Viris illuſt.

P. SCIPIO apud Numantiam, cùm auerſum ſuum uideret exercitum, pronunciauit ſibi pro hoſte futurum, quiſquis in caſtra rediſſet. Front. lib. 4. cap. 1.

SIMILIVS (aliis Fuluius) Priſcus dictator, cùm ſigna legionum ferri in hoſtes Phaliſcos iuſſiſſet: ſigniferum cunctantem occidi imperauit. Quo exemplo perterriti, hoſtem inuaſerunt. Idem fecit Cor. COSSVS, magiſter equitum, aduerſus Fidenates. Front. lib. 2. cap. 8.

NASAR, claſſis contra Agarenos ab Imperatore Baſilio Macedone miſſus præfectus, quum ad Methonam hoſtes adoriretur, & haud pauci ſociorum naualium periculum formidantes, paulatim ſeſe ſubduxiſſent: Imperatorem de claſſiariorum perfidia admonuit. Imperator deſertores conquiſiuit, ac reliquorum terrendorum cauſa ſimulauit, ſe eos ſuppliciis afficere. Triginta quippe de captiuis; qui in prætorio aſſeruabantur, Saracenis, faciem fuligine oblitos in circum produci, ibiq; flagris ignominioſè cæſos in Peloponneſum emitti, tanquam ij fugæ auctores reliquis fuiſſent, atq; iſthic unde profugiſſent, interfici iuſſit. Ergo deſertorum loco in palos ſuffixis in Peloponneſo Saracenis, milites omnes ingens metus inceſſit: omniq; mollicie excuſſa ultrò ducem orabant, ut ſe in hoſtes duceret. Cedrenus.

LODOVICVS IIII. Imp. irrumpentibus paſſim Hungaris, ut populum à fuga, quam quiſque parabat, cohiberet: ingenioſa arte uniuerſos ſuæ ditionis populos dicto citiùs congregauit. Minatus eſt ſingulis qui fugam meditarentur, & arma detrectarent, laqueum. Quo commento, innumeram multitudinem circa Auguſtam Vindelicorum collegit. Cuſpinianus.

HELVETIORVM ſeueriſſimæ ſunt leges, ut ſub oculis ſpectantis exercitus, qui præ metu turpia atq; indigna uiro forti tentauerint, à proximis commilitonibus ſtatim obtruncentur. Ita maior metus minorem uincit: & metu fœdę mortis, decora mors non timetur. Iouius lib. 11. Hiſt.

*Vulnerum.*

ALEXANDER Magnus, ne fugerent milites, ſemithoraces eis pro thoracibus dedit: ut cùm terga nuda eſſent, illa in fuga hoſtibus obiicere uererentur. Polyænus lib. 4.

*Direptionis, Multæ, Damni.*

PERSÆ non pecuniam & gazas, ſed pellices, uelut cariſſima pignora, apud ſigna deponebant: ut pro his, quæ erant exoptatiſſimæ, & quas maximè diligerent, uelut coniugum & patriæ memores, forti & præſenti animo mortem oppetere non dubitarent. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 2.

IPHICRATES in Thraciam impreſſionem faciens, cùm ſui milites hoſtium metu, quaſi panico iniecto, in fugam uerterentur, promulgauit, ut quiſquis indicaret eum qui arma reliquiſſet, is ea poſſideret. Sic ad manendum alacriores reddidit. Polyænus lib. 3.

AGESILAVS, Lacedæmoniorum dux, cùm prope Orchomenum ſociam ciuitatem caſtra haberet, comperiſſetque pleroſque ex militibus precioſiſſima rerum deponere intra munimenta: præcepit oppidanis, ne quid ad exercitum ſuum pertinens reciperetur: quo ardentiùs dimicaret miles, qui ſciret ſibi pro omnibus ſuis pugnandum. Frontinus libro 1. capite 11.

Antiquitùs (inquit Vegetius) inſtitutum eſt à ROM. ut ex donatiuo quod milites conſequuntur, dimidia pars ſequeſtraretur apud ſigna, ibidemq; militibus ſeruaretur, ne à contubernalibus per luxum abſumi poſſet, inaniumque rerum comparationem. Sepoſitio autem ipſa pecuniæ primùm ipſis contubernalibus docebatur accommodata. nam cùm publica ſuſtententur annona, ex omnibus donatiuis augetur eorum pro media caſtrenſe peculium. Miles deinde qui ſumtus ſuos ſcit apud ſigna ſua depoſitos, de deſerendo nihil cogitat, magis diligit ſigna, pro illis acie fortiùs dimicat: more humani ingenij, ut pro illis habeat maximam curam, in quibus ſuam uidet eſſe poſitam ſubſtantiam. Deniq; decē folles per cohortes ſingulas exponebātur, in quibus hęc ratio cōdebatur. Addebatur etiā ſaccus undecimus

in quo tota legio particulam aliquam conferebat, ſepulturæ ſcilicet cauſſa. Et ideo ſigniferi, non ſolùm fideles, ſed etiam literati homines eligebantur, qui & ſeruarent depoſita, & ſcirẽt ſingulis reddere rationẽ. Hotom. de Verbis iur. Hinc librarij depoſitorum, qui præſcribebant, quid quiſq; apud ſigna depoſuiſſet. Licèt autem dimidia pars ſtipendij apud ſigna ſequeſtrari priùs ſoleret, tamen Domitianus, ne ultra mille nummos deponerentur à ſingulis, edicto prohibuit. Quod ab ASIATICIS Romanos ſumſiſſe crediderim: quibus fuit in more, ut militiam ſequuti, quæ precioſa haberent, & magni cenſus, ſecum in expeditionẽ ferrent: ut tuendi neceſſitate, quę illis erãt cariſſima, plurima & maxima prælia obirẽt, promtiuſq; dimicarent. Alex. lib. 4. cap. 2.

Habebant in campis Philippicis M. BRVTI milites omnes arma ex auro confecta: quibus non tãtùm cupidos gloriæ acui putabat pectora, ſed & auaros etiam reddi fortiores, ut arma ſicut poſſeſſiones retinerent. Plut. in Bruto.

PESCENNIVS Niger apud Spartianum uetuit, ne milites zonam ſecum deferrent in bellum: ſed ſi quid haberent pecuniæ, publicè commendarent, recepturi poſt prælium: ſimul & ipſis luxuriei materiam eripiens, & hoſti prædam, ſi quid aduerſi eueniſſet.

*Infamiæ.*

SERVIVS Tullius adoleſcens, prelio quo Tarquinius rex aduerſus Sabinos conflixit, ſigniferis ſegniùs dimicantibus, raptum ſignum in hoſtem miſit: cuius recipiendi gratia Romani ità ardenter pugnauerunt, ut ſignum & uictoriam retulerint. Similiter FVRIVS Agrippa Coſſ. cedente cornu, ſignum militare ereptum ſignifero, in hoſtes Hernicos & Equos miſit. Sic T. QVINTIVS Capitolinus Coſſ. contra Phaliſcos. Sic CAMILLVS TR. M. conſulari poteſtate, arreptum manu ſigniferum in hoſtes Volſcos & Latinos traxit: cæteros puduit non ſequi. SALVIVS Pelignus bello Perſico idem fecit. POSTHVMIVS conſularis cohortatus ſuos, militibus dixit, ut ſe imitarentur: & arrepto ſigno hoſtes primus inuaſit. Front. lib. 4. cap. 4. & lib. 2. cap. 8. Similiter IVLIANVS Cæſar contra Nodomarum Germanorum regem in Gallia. Auentin. lib. 2. Annalium.

In expeditione Hieroſolymitana, duce Petro Eremita, poſt occupatam à noſtris Nicæam, cùm Solymannus nouo exercitu Chriſtianis occurriſſet, & multitudine infeſtus eſſet: ROBERTVS Normanniæ dux aureum uexillum in frequentiſſimos hoſtes iecit: quod dum repetunt Normanni, antequam in poteſtatẽ hoſtium ueniret, impetus furentium factus hoſtes diſſipauit. Ad duo millia noſtrorum deſiderata. Hoſtiũ quadraginta circiter millia cecidêre. Aemilius lib. 4.

Conſueuẽre ITALI, imperantibus Othonibus ac Fridericis, magna ex parte in prælium militaria ſigna carris infixa deferre: fortaſſe ob eam cauſam, quòd in fuga difficiliùs ſeruari poſſent. In quibus cùm grauior militaris infamia, ſi amitterentur, conſiſteret, effugiendi dedecoris neceſſitas conſiſtere in prælio milites cogeret. Fulg. lib. 2. cap. 1.

☞ PVDORE.

☞ *Vide ſuprà, Aſpectu animare.*

CYRVS contra Aſtyagem auum cum Medis ſigna contulit, & ter uictus diſceſſit. Cùm autem Perſarum uxores & liberi Paſargadis eſſent, quartum prælium in eo loco commiſit. Rurſus in fugam Perſæ uertebantur: cumq; liberos & coniuges aſpicerent, eos miſerati, Medos ſine ordine perſequẽtes fugarunt: uictoria tanta, ut nullo in poſterum de ſumma rerum prælio indigerent. Polyænus lib. 7.

C. IVL. Cæſaris milites ad Dyrrhachium uicti, ſeipſos uictoribus tradiderunt. Cæſar non de ſupplicio eorum cogitabat, ſed eos confirmans, ad recuperandam uictoriam hortabatur. Illi pudore ducti, in cæteris pugnis ferè ſemper uictoriã reportarunt. Polyænus lib. 8.

☞ GAVDIO TVM

*Honoris collati.*

MAHVMETVS II. Imp. Turcarum præſidiariorum militum Sciabazij urbis ad Sauum conditæ pileis ſuis ipſe manibus pennas aſſuit, ut delectiſſimas copias eas eſſe ſignificaret. Bonſinius lib. 3. Decadis 4.

*Dignitatis acceptæ.*

Fratres duo Gerardus & Mauritius, Comites de Aldenborg, contendebant inter ſe de dominio Delmenhorſt. Mauricius ciuitatem Bremenſem, & Comites de Hoia in ſuas partes traxit. Gerardi partes Chriſtiernus Daniæ rex, amborum frater, fouit, & per Gulielmum ſeniorem Brunſuici ducem. Obſederat Mauricius Delmenhorſt: & iam fame penè expugnarat. GVLIELMVS interim magno apparatu commeatus importare conabatur. Mauricius, cùm eſſet numero militum ſuperior, obuiam contendit uenientibus. Gulielmus inſtructa ſuorum acie, fortiſſimos militaris generis iuuenes, gladio de more cædens, militari cingulo decorauit, ut eſſent aurati milites, in euentum uictoriæ. Erant ex maioribus natu, quibus conſideratione periculi lacrymæ manabant. Quorum unus interpellatus à proximo iuuene, Quid ſibi uellent lacrymæ illo tempore, quando audacia ſola pro muro eſſet? Non mei (inquit) mihi capitis periculum lacrymas extorquet, ſed tui, ſimiliumq; me commiſeratio tangit. Tamen audendum eſt, ut decus hodiernæ diei ſit noſtrum. Commiſſum eſt prelium duriſſimum. Ipſe dux penè captus, tãdem uictor fuit. Capti Comites de Hoia, cæſi Bremenſes. Mauricius uix effugit. Cranzius libro 11. Metrop. cap. 44.

*Victoriæ adeptæ, ſiue reuerà, ſiue fictè.*

LEONTYCHIDES Spartanus Athenienſibus circa Mycalẽ nauale prælium facientibus, & Barbarorum multitudinem pertimeſcentibus, atq; Ionibus Medorum partes ſequentibus, timore magis quàm certo conſilio mentes omnium mutauit: commentus nuncium adferri, quòd Perſæ à Græcis ad Platæas deuicti eſſent. Iones hoc audito reſpirarunt, & Græcis ſe coniunxerunt. Fortuna Leontychidæ ſtratagema uerum reddidit, prælij ad Platæas commiſſi uictoriam Græcis præbens. Polyænus lib. 1. & Front. lib. 2. cap. 7.

T. QVINTIVS Capitolinus Coſ. cedentibus Romanis, ementitus eſt, in altero cornu hoſtes fugatos: & ita confirmatis ſuis, uictoriam retulit. Front. lib. 2. cap. 7.

PAPYRIVS Curſor, filius conſulis, cùm æquo marte aduerſus obſtinatos Samnites concurreret, præcepit Spurio Nauccio, ut pauci calones & agaſones mulis inſidentes, ramoſque per terram trahentes à colle decurrerent. Quibus conſpectis, acclamauit ſuis uictorem adeſſe collegam, occuparent ipſi præſentis prælij gloriam. Quo facto, Romani fiducia concitati, hoſtes propulêre: propulſi terga uerterunt. Frontinus.

☞ MEDICAMENTIS VEL ALIMENTIS.

LEONIDES dux Byzantiorum in acerrima urbis oppugnatione, cùm hoſtes mœnia adorirentur, & illi relictis excubiis totos dies in conſuetis diuerſoriis tererent: mandauit, ut cauponæ ipſæ in mœnia transferrentur. Quo ſophiſmate ſerò tandem eis perſuaſit, ne aciem deſererent, cùm prætextus & cauſa, quamobrem abirent, non eſſet. Hæc affirmat de ipſis Damon. His aſtipulari uidetur Menander, cùm dicit: Vinolentos negotiatores facit Byzantium, totam noctem perpotant. Aelianus de Varia hiſtoria libro 3. & Cælius lib. 19. cap. 6.

Opij eſus TVRCIS, & multo magis PERSIS, tam eſt familiaris, ut nihil propè familiarius: quòd eo uorato ſe ualidiores eſſe, minusq; belli pericula timere, perſuaſum habeant. Quocirca ubi exercitum colligit Turca, opio uniuerſa ſpoliatur terra, licèt quotannis id incredibili colligatur copia ex papauere albo leuiter uulnerato, poſtquam capita protruſerit: unde lactis aliquot guttæ emanant, paulatim concreſcentes. Eius ſemine apud Turcas non minus terra conſeritur, quàm in his ditionibus tritico, præſertim Acharæ, Caracharæ, Spartadæ, Emetetindæ, & in aliis uicinis oppidis Paphlagoniæ, Cappadociæ, Ciliciæ. Vix Turcam inuenias, qui opium non redimat: etiamſi unius aſpri numiſmatis ualorem tantùm poſſideat, eius dimidietatem opio impendet, ſecum id tam toga quàm bello laturus. Quidam eius eſui aſſuetus, ſemel drachmam mediam innoxiè uorabat: poſtridie uerò drachmam integram idem ille deglutijt citra ullum aliud incommodum, quàm quod uelut ebrius appareret. Tritum Turcis in obiicienda calumnia prouerbium eſt, Opium comediſti: ac ſi alterius prouinciæ homini exprobrares ebrietatem. Maſchlach uulgò uocant, peritiores Aphion. Vierus lib. 2. cap. 35. de Præſtig. dæm. ex P. Bellonij lib. 2. Obſeruationum, cap. 15.

☞ MOTV CORPORIS, INCVRſione, Impetu.

Græcorum claſſis contra Xerxen ad Artemiſium Eubœæ in anchoris ſtabat. Dum autem inter Græcorum duces de certamine nauali diſceptaretur: cæteriſq; omnibus uideretur illic perſiſtendum, nec ullo pacto obuiam prodeundum, ſed aduentantem hoſtem conſtipata, uti erat in ſtatione, claſſe operiendum: ſolus THEMISTOCLES docebat in re maritima expedientiſſimum eſſe, ſemper claſſe inſtructa in hoſtem intentum ferri. Sic nanq; collectis uiribus, ordine compoſito nauigantibus, cuncta maris conſilia patere, ſubſidiaq; præſtò adeſſe: tum hoſtem ſparſis uiribus, acie pertumultum incompoſita, uagantem, ex diuerſis longè portubus, diuerſo tempore in altum euocatum, nil firmum poſſe aut conſtans habere, & diſſipatis ordinibus temerè prodeuntes uno incurſu cautè inſtructæq; inuadentis, ut res perturbatæ fortunæ caſibus obnoxiæ aguntur, facilè opprimi poſſe. Themiſtoclis ſententia ſuperante, Græci uniuerſa claſſe inſtructa nauigarunt in hoſtes, & eos maxima clade affecêre. Diodorus lib. 11.

ALEXANDER cùm Dario ſigna collaturus, præceptum dedit Macedonibus: Si in conſpectum ueneritis Perſarum, procidentes in genua, terram manibus conterite: ubi uerò tuba ſignum dederit, tum conſurgentes, ſtrenuè & fortiter impetum in hoſtes edite. Macedones ita fecerunt. Perſæ formam adorationis conſpicati, incitatum ad bellum impetum remiſerunt, animiſq; facti ſunt molliores. Darius gloriabatur ac gaudebat, ſe abſque prælio uictoriam obtinere. Macedones ad ſignum tubæ exilientes, uehementi impetu in hoſtes lati, & rupta phalange, in fugam conuerterunt. Polyænus lib. 4.



☞ LABORE.

L. SYLLA in Bœotia cõtra Mithridatis duces caſtra habebat. Cùm autem ob multitudinem & ſplendorem hoſtium Romani timerent: Sylla, ſub cuius oculis oppida euertebantur, id indignè patiens, anxiuſq;, non permiſit feriari milites, ſed admouit eos labori: Cephiſumq; deriuare, & foſſas cogebat ducere: neq; laxamentum indulgebat ulli, elangueſcentes ſtatim ſeueriſſimè plectebat: ut operum faciendorum confecti laboribus, certamen concupiſcerent. quod euenit. Nam tertio die quàm laborare cepiſſent, cùm præteriret Sylla, cum clamoribus rogauerunt eum, duceret ipſos in hoſtes. Ille non pugnare cupientium, ſed laborem defugientium eſſe belli deſiderium dixit. Quòd ſi dimicare auerent, iuſſit, ut extemplò armati illuc pergerent. Oſtendit his eam, quæ arx quondam Parapotamiorum fuerat, tũc uerò exciſo oppido collis reſtabat ſaxoſus & abruptus, ab Edylio monte tanto diremtus ſpacio, quantum Aſſus fluuius occupat. Quare ubi Chalcaſpidas eò uidit Sylla rapi, cupiebat locum prior occupare, & alacritate militum uſus occupauit. Plut. in Sylla, & Front. li. 1. ca. 11. & Sab. lib. 3. En. 6.

☞ SITI.

C. MARIO, cùm iam ſumma rei in aperto ſita eſſet diſcrimine, ad aquas Sextias, caſtris procul à flumine poſitis, & ſpes unica aquandi militi prætenderetur, ſi non ab hoſte aquatio inhibita eſſet, qui circa ripas latè uagabatur multitudine fretus (erant hi Teutones & Ambrones) ad ſitientes milites conuerſus: Cruore, inquit, à uobis potus hodie emẽdus eſt, ueſtro aut hoſtili: digitum ad flumen intendens. Illi Duceret conclamauerunt, dum liquidum ſanguinem haberẽt, neq; prorſus ex ſiti concretum. Ac cum his ſuos ad pugnam uerius, quàm ad undam dimiſit. Felici quidem euentu: nam & hoſtilis ſanguinis, & fluuialis aquæ Romanus uictor ad ſatietatẽ hauſit. Sab. lib. 6. cap. 6. ex Plut. Mario, & Apoph.

☞ AVXILIO FVGÆ ABLATO, præcluſo.

AGESILAVS in Bœotia caſtrametabatur. Sociis pugnam conſerere metuentibus, & clàm Orchomenum in ſociam atq; amicam ciuitatem diffluentibus, occultè miſſis ad Orchomenios legatis iuſſit, ut neminem ſociorum ſine ipſo reciperent. Cùm igitur non haberent quò ſe uerterent, non ampliùs de fuga, ſed de uictoria conſilium ceperunt. Polyænus libro 2.

CLITARCHVS aduentantibus hoſtibus, ne intra muros incluſus oppugnaretur, ex oppido copias eduxit, imperans, ut obfirmatis portis claues ſupra mœnia coniicerent. Quas etiam militibus oſtendit. Qui cùm intelligerent, nullam ſibi ſpem in urbem fugiendi ſupereſſe, fortiter pugnantes, cum uictoria diſceſſerunt. Polyænus lib. 5.

IPHICRATES in latiſſimo campo aciem inſtruebat. Hoſtes longè numero ſuperiores, incurſionem faciebant. At ille à tergo ſuorum militum foſſam effodit, ut ſpe fugæ præciſa manentes fortiùs & generoſiùs pugnarent. Polyæn. lib. 3.

PHILIPPVS Macedonum rex, Methonenſium mœnibus ſcalas admouebat, & per eas magnum numerum Macedonũ ad oppugnandum adducebat. Poſtquam uerò aſcendiſſent in muros, ſcalas amouit, ut omni ſpe deſcenſionis interciſa, fortiùs atq; animoſiùs muros obtinerent. Polyæn. lib. 4.

ALEXANDER Magnus uictis ad Granicum Darij ducibus, captaq; Mileto, quum nauales copias parum ſibi utiles eſſe, & maximo ſumtu indigere animaduerteret: claſſem omnem remiſit, pauculis nauibus retentis ad inſtrumenta oppugnationum deuehenda. Aliqui dicunt, ex uſu rei bellicæ, Alexandrum miſſionem eam excogitaſſe. Quòd enim Darium aduenturum, magnoq; prælio confligendum eſſe apparebat, exiſtimaſſe Macedones ardentiùs dimicaturos, ſi omnem fugiendi ſpem ablatam uiderent. Quod etiam in pugna ad Granicum commiſſa prouiderat. Ibi enim à tergo uti flumen haberent, curaſſe, quò nullus fugam tentare auderet, uidens cedentibus omnibus in ipſo fluminis alueo certiſſimam cædem paratam eſſe. Diod. lib. 17. & 18.

MENECRATES Salaminem in Cypro capere uolens, bis muros aggreſſus eſt, totiesq; militibus in naues fugientibus re infecta diſceſſit. Cùm tertiò oppugnationem inſtitueret, gubernatoribus ſignum dedit, ut ſolutas naues abducerent, & ſub ſuprapoſito promontorio occultarent. Milites adorti mœnia, rurſus ſe fugæ mandabant: cumq; nullibi uidere naues poſſent, nulla ſpe fugiendi relicta, reuerſi ex deſperatione pugnam fecerunt: & hoſtibus deuictis, Salamine potiti ſunt. Polyænus lib. 5.

AGATHOCLES Syracuſiorum tyrannus, bello è Sicilia in Africam ſummo aſtu & audacia translato, coronatus in cõcionem progreſſus, dixit ſe præſidibus Siciliæ deabus Cereri & Proſerpinæ, perſequentibus hoſtibus, uota nuncupaſſe, omnes naues accenſurum. Eſſe itaq; laudabile, ſalutem adeptos uota ſoluere, ac pro illis longè plures redditurum ſe promittebat, ſi ſeſe in pugnando ſtrenuos præſtitiſſent. Etenim deos per uictimas totius belli uictoriam portendere. Hæc eo dicente, famulorum quidam accenſam facem adfert. Quam poſtquam accepit, reliquis triremium præfectis ſimiliter dari iuſſit, deabusq; inuocatis, primus ad prætoriam triremem contendit: ac ſtans in prora, cæteris ut ſe imitentur iubet. Ibi cùm præfecti ignem inieciſſent, ſublata celeriter in auras flamma, tibicines claſſicum canere, milites iubilare, omnibus pro domum reditione precantibus. Hoc autem faciebat Agathocles eo maximè conſilio, ut cogeret milites in periculis omnino fugæ obliuiſci. Deinde cùm exiguas copias haberet, uidebat ad cuſtodiendas naues neceſſe fore, partiri exercitum, atq; ita minimè ſe parem fore: ſin autem deſtitutas relinqueret, in poteſtatem Carthaginenſium uenturas eſſe. Iam cùm Vrbem magnam & Tunetem expugnaſſet, & docuiſſet milites, quemadmodum non expediret perfugij locum relinqui, quandiu prelio Carthaginenſes non deuiciſſent, complanatis urbibus, ſub dio caſtra metatus eſt. Diod. lib. 20. & 17. & Polyænus lib. 5.

TIMARCHVS Aetolus, expoſitis militibus in Aſiæ locum multitudine hominum abundantem, ne milites multitudinem hoſtium metuentes, fugam capeſſerent, naues incendit. Illi omni ſpe fugæ interciſa, ſtrenuè prælium facientes, uictoria potiti ſunt. Polyænus lib. 5.

Q. FABIVS Maximus ueritus ne qua fiducia nauium, ad quas refugium erat, minus conſtanter pugnaret exercitus: incendi eas, priuſquam iniret prælium, iuſſit. Front. lib. 1. cap. 11.

Q. FVRIVS auerſo exercitui cùm occurriſſet, affirmauit, non recepturum ſe in caſtra quẽquam, niſi uictorem: reductiſq; in aciem, uictoria potitus eſt. Front. lib. 2. cap. 8.

CIMBRIS, contra Marium pugnaturis, ne ordines diſiicerentur, longis cathenis anteſignani per baltheos traiectis erant colligati. Plutarch. Mario.

TAVRI, gens Scythica, prælium commiſſuri, uias omnes à tergo ſubruunt, inuiasq; reddũt: & ſic pugnam ineunt, ut cùm fugere non poſſint, aut uincant, aut moriantur. Poliæn. li. 7.

C. IVLIVS Cæſar ancipiti prælio equos dimittebat, & in primis ſuum, quò maior permanendi neceſſitas imponeretur auxilio fugæ erepto. Suetonius.

CAROLVS Martellus contra Saracenorum CCCC millia, quibus Abdiramus rex præerat, ante urbem Turonum pugnaturus, ad Ligerim caſtra poſuit, eo conſilio, ut fluuius ad duas maximas in bello res uſui eſſet, & ad commeatus ſubuehendos, & ad prælij opportunitatem, ut uelut pro munimento obiectus hoſti, arceret eum, ne multitudine ſuperante circuire ea parte poſſet. Nam ſingulis Francorũ cõtra denos pugnandum erat. Quinetiam primùm omnium caſtra incendit, & ne ſui ea reſpicere ad fugam poſſent, & ut eo, quod conuenerat, ſigno, Eudo Aquitaniæ dux iam propinquus iter acceleraret. Inſtruit deinde aciem. Equitibus Martellus præfuit: pedites Childebrandus Martini filius regebat. Pręceptum datum, ne quis extra ordinem pugnaret, ab ſignis nemo dilaberetur: & à tergo poſiti erant, q, ſi quis retro cederet, ferro in hoſtẽ redigerent. Martellus & ita præconium circummiſit, & ipſe à quibus exaudiri in extendẽte iam ſe acie poterat, pronunciauit, iuſſu ſuo clauſas eſſe Turonũ portas, nec eas niſi uictorẽ recepturas. Hinc Ligerim, illinc hoſtes claudere: nullã ſpẽ niſi in uictoria ponerẽt: nullam alterã Galliam, nullã aliam patriam reſpicerent, quam uel ipſi tutarentur, uel qua ſe tegerent: in hac, quæ una foret, uel cadendum, uel illo die uincendum. Aemilius lib. 2.

GVLIELMVS Normãniæ dux, ab Eduardo Anglorũ rege hæres regni inſtitutus, Anglis parére nolentibus, ſed Haraldo Godouini F. regnare iuſſo, transmiſit in Angliã cum robore Normãnicæ Francicæq; nobilitatis: utq; neceſſitatẽ uincendi ſuis imponeret, in oculis omniũ claſſem, qua traiecerat, incendit. Cum hoſte conflixit. Vt ergo ſagitta ictus Haraldo rex cecidit, nõ ipſi homines, ſed cauſa defuncti uicta, extinctaq;: manus Gulielmo datæ, uno prælio regnum adeptos finis cruoris factus. Aemilius lib. 3. & Fulg. lib. 3. cap. 7.

HAQVINVS Haraldi IV. Danorum regis F. Sembos aggreſſus, ut omnem fugæ ſpem ſuis demeret, ignem ſubductæ claſſi ſubiecit. Potiti Sembia Dani, necatis maribus feminas ſibi nubere coegerunt, & depoſita redeundi cupiditate, barbariem pro patria coluerunt. Saxo libro 10.

# METVM EXIMERE MILITIBVS, QVEM VEL ANTE PVgnam, uel in pugna, propter aduerſa omina, aut hoſtium uim conceperunt. DISSIMVLARE aut certè emendare aduerſa. FORMIDINEM tollere ortam ex

## ORACVLIS.

EPAMINONDAS, cùm petentibus bello Thebanos Lacedęmoniis, oracula Thebanis referrentur, quæ partim cladem, partim uictoriam ſpondebant: præcepit, hæc ad dexteram ſuggeſtus, illa ad ſiniſtram locari. Omnibus ita poſitis exurgens: Si dicto, inquit, audientes imperatoribus eſſe, ac pedē conferre uelitis cum hoſtibus, hæc uobis edita ſunt oracula (monſtrans lætiora) Quòd ſi ingruente periculo locū deſerueritis, illà (innuens triſtiora) Plut. in Apoph.

PAPYRIVS Curſor Conſul, cùm Aquiloniam oppugnans prælium uellet committere, pullariusq; non proſperatibus auibus optimum ei auſpicium renunciaſſet, de fallacia illius factus certior, ſibi quidem & exercitui bonum omen datum credidit, ac pugnam iniit. Cæterùm mendacem ante ipſam aciem conſtituit, ut haberent dij, cuius capite, ſi quid iræ conceperant, expiarent. Directum eſt aūt ſiue caſu, ſiue cœleſtis numinis prouidētia, quod primum è contraria parte miſſum erat telum in ipſum pullarij pectus, eumq; exanimem proſtrauit. Id ut cognouit Conſul, fidenti animo inuaſit Aquiloniam, & cepit. Val. Max. lib. 7. cap. 2.

Bello ciuili uicto Pompeio, C. IVL. Cæſar in Africam traiecit, contra Scipionem, Pompeij ſocerum. Cęterùm quia percrebuerat opinio, inuictam eſſe Corneliorum gentem in terra Aphrica; deſpectiſſimum quendam ex Corneliorum familia ſecum aduexit, cui Salutioni erat cognomen. P. Scipio Africanus certè maior, Hannibale ſuperato tributariam fecit Carthaginem, minor eandem euertit. At hic uictus à Cæſare Scipio, cum paucis nauibus Hiſpaniam petens, à Sicciò ad Hipponem circumuentus, poſt nauale prælium, ubi omnia perdita uidit, ſeipſum ferro traiecit, abiensq; in uulnus in altos eſt fluctus præcipitatus. Sab. lib. 7. En. 6. ex Plut.

## SIGNIS DIVINIS.

CHABRIAS Athenienſis claſſe dimicaturus, excuſſo ante nauem ipſius fulmine, exterritis per tale prodigium militibus: Nunc (inquit) potiſſimùm ineunda pugna eſt, cùm deorum maximus Iupiter adeſſe numen ſuum claſſi noſtræ oſtēdit. Front. lib. 1. cap. 11.

TIMOTHEVS Athenienſis, claſſe dimicaturus aduerſus Corcyræos, gubernatori ſuo, qui proficiſcenti iam claſſi ſignū receptui cœperat dare, quia ex remigibus quendam ſternutantem audierat, Miraris (inquit) ex tot millibus unum perfrixiſſe? Polyænus lib. 3. & Front. lib. 1. cap. 11.

PERICLES, cùm in caſtra eius fulmen decidiſſet, terruiſſetq; milites: aduocata cōcione, lapidibus duobus in conſpectu omnium colliſis, ignem excuſſit: ſedauitq; turbationē, cùm docuiſſet, ſimiliter nubium attritu excuti fulmen. Suidas, Polyænus libro 3.

AGESILAVS circa Chæroneam caſtra metatus, ſimul ſolem deficere, lunatámq; formam conſpexit reddere: & Piſandri fatum accepit à Pharnabazo & Conone apud Gnidū naualí prælio uicti. Tulit ſanè id cùm illius, tum Reip. cauſa acerbè. Sed ne progredientibus ad pugnam militibus torpor & formido incefferet: illis, qui à mari uenerant, diuerſa iuſſit nunciare, uictoriam fuiſſe illo prælio nauali à Lacedæmoniis. Ipſe procedens coronatus, læti nuncij cauſa ſacrificauit, portionesq; ſacrificij miſit amicis. Plut. in Ageſilao.

Thebani duce EPAMINONDA cùm urbem egrederentur, iuxta portas præco exercitui obuiam factus eſt, cæcum hominem, qui aufugerat, reducens: ac quemadmodum mos erat, edicebat, ut nec Thebis educeretur, neq; de medio tolleretur, ſed abductus rurſus conſeruaretur. Epaminondas iis, qui auguria eſſe attendenda dicebant, Homericum illud protulit, εἷς οἰωνὸς ἄριστος, ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης; Vnum optimum augurium eſt, pugnare pro patria. Quo libero reſponſo, quum religioſiores magis perterruiſſet, aliud augurium priori horribilius conſpectum eſt. Scriba enim haſtam & ei adhærentem faſciam tenens præibat, ut quæ duces iuſſiſſent, omnibus ſignificaret. Ibi uento exorto, accidit ut auulſa ab haſta faſcia circum columnam illic in ſepulcro quodā erectam ferretur. Erant autem in loco eo ſepulti quidam Lacedæmonij & Peloponneſij, qui ſub Ageſilao militantes occubuerant (cùm Epaminondas, Lacedæmonis ſignificatur interitus, teſte Frōtino lib. 1. cap. 12.) Hoc uiſo ex ſenioribus quidam denuò accedentes, teſtabantur haudquaquam educendum eſſe exercitum, diis manifeſtè iratis. At ille nihil eis reſpondens, copias in Leuctra eduxit, maiorem honeſti & æqui rationem eſſe habendam, quàm horum ſignorum, exiſtimans, ſtudens interim ratione aliqua multitudinis animis metum eximere. Quapropter quibuſdam, qui recēs Thebis uenerant, perſuaſit, ut dicerent, circa Herculis templum ſubitò arma euanuiſſe, & communi Thebis fama ferri, quòd ueteres illi Heroes aſſumtis illis armis ad opē Bœotiis ferendam exiuerint. Subornauit & alium, qui tanquam ex Trophonij antro modò aſcendens diceret, Deum ipſis pręcepiſſe, ut ubi in Leuctris uictoria potiti eſſent, ludicrum certamen, quod Coronarium dixêre, Ioui regi inſtituerent. Vnde etiamnum Bœotij hunc in Lebadia conuentum celebrant. Adiuuit quoq; Epaminondæ conſilium Leandridas Spartanus, qui ex Lacedæmonia profugus, tum Thebanis commilitabat. Hic enim in concionem productus, uetus eſſe hoc Spartanis dictum aiebat, Quòd uidelicet tum ex ſuo ſint caſuri imperio, quando in Leuctris à Thebanis uicti fuerint. Acceſſerunt Epaminondæ fatidici quidam dicentes, Quòd circa Leuctri Scedaſiq; filiarum ſepulcrum neceſſe ſit magnam cladem Lacedæmonios ob eiuſmodi cauſas pati. Leuctrus fuit is, à quo campus ille nomen ſuum obtinuit. Huius & cuiuſdam Scedaſi nomine filias Lacedæmoniorū legati uitiauerant. Vitiatæ contumeliam non ferentes, patriam eam, unde miſſi uiciatores erant, deteſtatæ, manu ſua mortem ſibi conſciuêre. His atq; eiuſmodi multis aliis dictis, Epaminondas coacta concione milites ſuos apta oratione ad pugnam animauit, ſic ut collatis ſignis, pauci multos, deſpecti priùs fortiſſimos Græcorum inſigni illa Leuctrica clade affecerint. Diodorus Siculus lib. 15.

IDEM, cùm fax de cœlo nocte delapſa, eos, qui aduerterant, terruiſſet: Lumen (inquit) hoc numina oſtendunt. Frontinus libro 1. capite 12.

IDEM in Peloponneſum copias duxit. Hoſtes circa Onium ingreſſi, caſtra poſuerunt. Tonitru fit, & metus inuadit milites. Vates quidem quieſcendum dixit: Epaminondas uerò, Nequaquam, inquit: hoſtes enim, qui in eiuſmodi loco caſtrametati ſunt, tonitru exturbauit. Polyænus lib. 2.

EIDEM, inſtante aduerſus Lacedæmonios pugna, cùm ſedile, in quo reſederat, ſuccubuiſſet, & id uulgò pro triſti exciperetur ſignificatione, confuſiq; milites trepidarent: Imò (inquit) uetamur ſedere. Ibidem.

CLEARCHVS erat in Thracia. Nocturni terrores exercitum inuaſerant. At ille præcepit, ſi noctu tumultus oriretur, nemo rectus conſurgeret: qui uerò noctu conſurgeret, tanquā hoſtis interficeretur. Hoc præceptum milites docuit contemnere nocturnum terrorem. Polyænus lib. 2.

TIMOLEON in Sicilia copias eduxit ad pugnam ineūdam, Carthaginenſibus in inſulam expoſitis, obuiam factus eſt mulus portans apium. Milites omen perhorruerunt, quòd apud ipſos defunctorum monumenta coronabantur apio. Timoleon, Atqui, inquit, manifeſtiorem dij nobis uictoriam ſignificant. Nam eos qui Iſthmica certamina uicerunt, Corinthij ſertis ex apio factis coronant. His dictis, tum ipſe ſe àpio redimiuit, tum etiam duces ſuos coronauit. Ex quo accidit, ut reliqui milites à ſe mutuò apium ſumentes, audaciores ad pugnam redderentur. Polyænus libro 5. ex Plutarchi Timoleonte.

ALEXANDER Magnus ad fluuium Tigrim præuertere Darium feſtinabat. Panicum ab extrema acie peruaſit uniuerſum exercitum. Rex mandauit tubicini, ut ſecuritatis ſignum promulgaret: & anteſignanis militibus, ut ante pedes arma proiicerent, atque idem ſequentibus dicerent. Sic omnes ex ordine hoc facientes, cauſam terroris cognouerunt. Cùm panicum ceſſaſſet, milites ſublatis armis proceſſerunt. Polyænus lib. 4.

IDEM cùm Tigrim ſuperaſſet, accidit ut circa primam noctis uigiliam luna repentè defecerit, nitoreq; ſideris obtenebrato, uelut ſanguineis maculis ſit illius facies fœdata. Religio & metus ingens Macedonum animos inuaſit, uulgò fremere, ſtultè fieri, quòd tot millia fortiſſimorum hominū temerarij iuuenis conatus ſequerentur. Nec res procul à ſeditione aberat. Alexander eo motu turbatus, Aegyptiacos uates in concionem produxit, qui lunaris deliquij ratione patefacta affirmare ſunt auſi, id ſidus ſæpè aliàs Perſarum regibus cladem portendiſſe. Qua prædicatione priſtina militibus audacia reſtituta eſt. Sab. lib. 5. En. 4.

AGATHOCLES Syracuſanus aduerſus Pœnos pugnaturus, apparente ſolis eclipſi, qua ſub diem pugnæ ut prodigio milites ſui conſternati erant: ratione qua id accideret expoſita docuit, quicquid illud foret, ad rerum naturam, non ad ipſorum propoſitum pertinere. Frontinus libro 1. capite 11.





M. MARCELLVS contra Gallos ad Claſtidium pugnaturus, dum aciem in hoſtes dirigit, equus eius ululatu Gallorum expauefactus, retrò cedit, uiq; Marcellum auertit. Ille ueritus, ne ea res permoueret in omen uerſa milites, equū properè in ſiniſtram flectit, & ad hoſtes conuertit, ſolemq; ipſe adorat: ut ſi non caſu, ſed eius rei cauſa circumegiſſet equū. Solenne eſt enim Romanis, cùm adorant deos, in orbem ſe conuertere. Plutarchus in Marcello.

T. SEMPRONIVS Gracchus Coſ. acie aduerſus Picentes directa, cùm ſubitus terræmotus utraſq; partes confudiſſet, exhortatione confirmauit ſuos & impulit, ut conſternatum ſuperſtitione hoſtem inuaderent, adhortatuſque deuicit. Frontinus lib. 1. cap. 12.

P. SCIPIO ex Italia in Africam tranſportādo exercitum, cùm egrediēns nauem prolapſus eſſet, & ob hoc attonitos milites cerneret: id quod trepidationem afferebat, conſtantia & magnitudine animi, in hortationem conuertit. Et, Audite (inquit) milites, Aphricam oppreſſi. Front. lib. 1. cap. 12.

L. SVLPITIVS Gallus bello Macedonico in caſtris L. Aemilij Pauli defectum lunæ imminentem, ne pro oſtento exciperent milites, prædixit futurum, additis rationibus cauſiſque defectionis. Front. lib. 1. cap. 12.

Q. SERTORIVS cùm equitum ſcuta extrinſecus, equorúmq; pectora cruenta ſubito prodigio apparuiſſent, uictoriam portendi interpretatus eſt: quoniam illæ partes ſolerent hoſtili cruore reſpergi. Front. lib. 1. cap. 12.

C. IVL. Cæſar, cùm uates diceret, Inauſpicata eſſe ſacra: Atqui, inquit, meliora futura, ſi ipſe uelit: & ita hoſtibus milites immiſit. Victima ſine corde reperta: Et quid, inquit, mirum, ſi brutum animal cor non habet? Polyænus lib. 8.

IDEM cùm in Africam magna celeritate traieciſſet, è naui egrediens in terram, cecidit. Milites malum illud omen iudicantes, animis conciderunt. Cæſar porrecta manu, quaſi de induſtria cecidiſſet, terram apprehendit: eamq; oſculatus, Teneo te (inquit) Africa. Xiphilinus in Cæſare, & Frontinus libro 1. capite 11.

D. BRVTI milites amnem Lethen in Hiſpania, omē uocis deteſtati (quòd Lethe unus è quatuor Orci fluminibus eſſet, & uox ipſa Obliuionem ſignificaret) tranſire recuſabant. Brutus ſignum in ultiorem proiecit ripam. In quo repetendo fluuius à paucis primò, mox ab uniuerſo exercitu ſuperatus eſt. Sabel. lib. 9. En. 5.

Quum apud Pariſios Cęſar IVLIANVS, contra Conſtantium in Orientem properans, quatiens ſcutum, uariis exerceretur motibus in campo, aſſulas, quîs orbis erat compaginatus, excuſſit, ochana (quibus brachium inſerebatur) remanſerunt ſola, quæ retinens ualida manu ſtringebat: territiſque, ut omine diro, præſentibus: Nemo (inquit) uereatur, habeo firmiter quod tenebam. Cæl. lib. 10. cap. 4. A. L. ex Ammiano Marcellino.

## LOCO VEL TEMPORE MALE OMINOSO.

L. LVCVLLVS contra Tigranē ad Tigranocertam aciem inſtruxerat, Tranſmiſſurum flumen Lucullum, quidam duces admonuerunt, cauendam illam diem, quæ ex nefaſtis, quas atras uocant, erat una. Illa enim die exercitus Cepionis fuerat à Cimbris in conflictu oppreſſus. Hic uerò celebrato illo dicto occurrens, At ego, inquit, etiam fauſtam hanc Romanis diem efficiam. Fuit illa pridie Non. Octob. Ita fatus, cùm bono animo eos eſſe iuſſiſſet, amnem tranſmeauit, ac princeps duxit in hoſtem, eumq; magno prælio fudit. Plut. in Lucullo. & in Apophtheg.

## HOSTIVM VEL
### *Prudentia, Virtute.*

EVMENES cum infeſto exercitu Craterum adeſſe audiens, nulli id amicorum aperuit, ſed eſſe dixit Neoptolemū. Hunc enim milites nihil faciebant: illius ſuſpiciebant nomen, & uirtutem amplectebantur. Nec reſciuit id ullus alius, ſed cō miſſis ſignis uictores Craterum occiderunt neſcij, ac cadauer cognouerunt. Ita moderatum eſt prælio ſilentium, tantumq; aduerſarium texit: ut amici eum, quòd ipſos hac de re cęlaſſet, magis commendauerint, quàm incuſauerint. Plutarchus de Garrulitate.

LVDOVICVS XII Gallorum rex, bellum Venetis inferens, extollēte quodam Venetorum prudentiam: Ego uerò illis, inquit, tot ſtultos opponam, ut quò ſe uertant, ſint ignoraturi. Corrozetus de Dictis & factis mem.

### *Ferocia.*

Vt Argiui fuſi ſemel, iterum occurrerunt AGIDI Archidami filio ferociùs, perculſos cernēs pleroſq; ſocios: Bono animo, inquit, eſte, commilitones. Nam quando nos uictores trepidamus, quid facere cenſetis illos, qui à nobis uicti ſunt? Plutarchus in Apophthegmatibus.

C. MARIVS Coſſ. IIII. cùm ad Rhodanū caſtra haberet contra Cimbros, milites uallum conſcendere & ſpeculari iuſſit, ut uultum hoſtium ferre, & uocem tolerare planè abſonam feramq; aſſueſcerent, arma item & tractationem eorum cōdiſcerent. Ita temporis tractu horrenda in ſpeciem reddebat in animo ex aſpectu lenia. Atqui quotidianus hic aſpectus militibus non tantùm partem deterſit pauoris, ſed & ad barbarorum minas atq; intolerandam inſolentiam feruor eos ſubiens irritauit & inflammauit animos: cùm non modò proculcarent omnia circumquaq; hoſtes, ſed in uallum quoque magna procacitate & ferocia incurſarent. Plutarchus in Mario.

### *Clamore.*

CYRVS, Perſarum rex, ne hoſtium efferis clamoribus milites perculſi trepidarent, hymnum Polluci & Caſtori canere iuſſit. Quo concentu effecit, ne improuiſa formidine caperentur. Alex. lib. 4. cap. 7.

### *Perfidia.*

Cùm AGESILAVS in Aſiam tranſiret, & regis ditionem uaſtaret: Tiſaphernes inducias fecit. Induciæ uerò ad tres menſes erant conſtitutæ, ut interim rex ad ſuas partes alliceret, atque adiungeret, quotquot eſſent Græciæ ciuitates in Aſia, & liberas dimitteret. Græci præfinitum diem expectabant. At Perſa magna manu collecta, Græcos aggrediebatur. Oritur ſtupor & metus. Ageſilaus uerò lætitiam uultu præ ſe ferens, gaudio elatus, inquit: Gratiā habeo Tiſapherni pro periurio. Sibi enim deos hoſtes reddidit, nobis uerò ſocios. Eamus igitur confidentibus animis, quoniam cum tam potentibus ſociis pugnam ſumus facturi. Receperunt animos Græci oratione ducis, & collatis ſignis Barbaros fuderunt. Polyænus lib. 2.

### *Denunciatione, Minis, Diris.*

Regis Gallorum Ludouici XII. præco, Venetias anno 1507. uenit, ut bellū Reip. indiceret. Ab eo PATRES, ſemotis aliis, ne ciuitas re noua permoueretur, ſe adiri uoluerunt. Itaq; porta deuia in ueſtibulo curiæ admiſſus, legationem peregit. Bembus lib. 7. Hiſt. Ven.

PAVLINVS Suetonius, Neronis legatus, Britānia pacata, Monam inſulam, rebellium receptaculum, ſubigere parabat. Stabat pro litore mulierum fanaticum agmen, furiali habitu, crinibus deiectis, faces præferentium. Stabant & Druides deorum ſacerdotes, diras in Romanos fundentes execrationes, magnis cum clamoribus, manibus ad cœlum ſublatis. Media ſtabat cætera multitudo in armis. Perculit Romanos milites, inſolitum mulierū fanaticarum, Druidúmq; aſpectus: ut quaſi hærentibus membris, immobile corpus, uulneribus præberēt. Sed ducis adhortatione, illatis ſignis, hoſtes pugna adorti, facili negotio fuderūt. H. Boëth. lib. 4.

### *Multitudine.*

AGESILAVS, ut illos qui pręſtò ei in bello eſſe debebant, timentes imminētis diſcriminis ex hoſtiū multitudine uidit, qui erant ducenta millia, atq; ex ſua infrequentia: ante conflictū ſtatuit ſacrificium facere, aliiſq; inſciis ſiniſtræ manus palmæ uictoriam inſcripſit, atq; acceptum à uate iecur coniecit in inſcriptam manum, quod aliquantiſper tenens ſpeciem præ ſe ferebat hærentis & fluctuantis: dum exceptę iocinore & expreſſæ literarum figurę fuerunt: atq; tunc monſtrauit id commilitonibus, deos prædicans, illis literis ſignificare uictoriam. Argumentum ibiq; firmum rati palmæ habere ad conflictum ſe acuerunt. Plut. in Apophtheg.

HANNIBAL ad Cannas, cùm edixiſſet, ut arma caperent milites, cū paucis ipſe equo uectus hoſtes ex molli cliuo iam in ordines euntes ſpeculatur. Ibi cùm ex comitibus Giſcon, admirari ſe diceret tātas hoſtium copias (maiores enim nullo unquam antè bello habuêre Rom. octogintaquinq; millia fuiſſe ſcribuntur) fronte Hannibal cōtracta: Aliud, Giſco, inquit, fugit te, eo magis mirandum. Quidnam illud eſſet? requirente Giſcone: Quòd nimirū tanto in numero, inquit, ne unus quidem ſit, qui Giſco uocetur. Hoc dictum nec opinantibus oblatum, omnibus riſum mouit. Itaq; de cliuo digredientes, ut quiſq; occurrebat, illum narrarunt iocū: tantuſq; per multos motus riſus eſt, ut qui Hannibalē comitarentur, continere ſe non ualerent. Quod Pœnis cernētibus animum confirmauit, ex magno & inſigni contemtu motum arbitrantibus eum riſum, ut etiam ipſe inſtante dux diſcrimine iocos cieret. Plut. in Fabio.

Rege Antiocho cum ingentibus copiis Gręciam petente, omnibuſq; attonitis, huiuſcemodi orationem T. QVIN. Flaminius ad Achæos habuit. Chalcide commemorauit, cùm cœnaret apud hoſpitem, miratū ſe affluentiā carnium. Reſpondiſſe hoſpitem ſibi, eſſe ea omnia porcina, apparatu, condimentis, & confectionibus diſtincta. Quare nolite uos quoq;, inquit, ſtupere exercitum regium, cùm lancearios, cataphractos, pedites, ſagittarios deſultores auditis. Omnes enim hi Syri ſunt, armis inter ſe differētes. Plut. in Apopht.

Amorabecus Tartarorū princeps, ad LAZARVM Seruiæ De-

ſpotam legatos miſit,tranſitum in Hungariam petentes,minas etiam addens ni paréret:& ut magis permoueret, mulũ milio onuſtũ in Deſpotæ conſpectu produci, ſaccoſq; exonerari iuſſit,quaſi acerui grana faciliùs, quàm Tartarorũ illuuies numerari poſſet. Deſpotes in tertium diẽ reſponſum diſtulit,eoq; tempore gallos,capos,gallinas fame exerucia ri curauit. Euocatis inde legatis, gallos emitti iuſſit, qui paruo tẽporis ſpacio uniuerſum miliũ abſumſere. Tum ad legatos conuerſus:Renunciate igitur regi ueſtro, inquit, ut milij grana aduehat innumera, nobis edaces gallos nõ defuturos.Et certè euentus ita tulit, ut Tartari multitudine cõfiſi, à Seruiis magna ſint ſtrage affecti. Aegidius Corrozetus de Dictis & factis memor.

*Armis.*

L.LVCVLLVS adTigranocertam cum Tigrane dimicaturus, milites ſuos,cataphractos præcipuè,timentes,iuſſit bono animo eſſe. Plus enim fore laboris in his ſpoliandis ; quàm fundendis.Plut.in Apophtheg.

## SVORVM, MILITVM, SOCIORVM.
*Defectione,Proditione.*

Poſt pugnã Leuctricam,cùm apud Spartanos multi accolæ & Ilotæ,quos centuriauerant in ordines militares,ex urbe trãſfugerent ad hoſtes ( quod quidem conſternationis magnæ erat cauſa ) apparitoribus ſuis præcepit AGESILAVS , ut toros diluculò adirent,atq; arma eorum, qui transfugerãt, auferrent reconderentq;,quò numerus in occulto eſſet. Plutarchus in Ageſilao,& Polyænus lib.2.

DATAMES Car,dux Perſarum aduerſus Autophradatem in Cappadocia, cùm partẽ equitum ſuorũ trãsfugere cõperiſſet, cæteros omnes uenire ſecũ iuſſit : aſſecutuſq; trãsfugas collaudauit, ꝙ eũ alacriter præceſſiſſent : hortatuſq; eſt eos etiam,ut fortiter hoſtem adorirẽtur. Pudor transfugis attulit pœnitentiã,& cõſilium ſuum (quia non putabant depreheſum)mutauerunt.Front.lib.2.cap.7.& Polyæn.lib.7.

IDEM à Perſarũ rege deficiens , Paphlagoniã & Ciliciã occupauerat. Audiẽs Piſidas quaſdã copias aduerſus ſe parare: filium eò Arideum cũ exercitu mittit. Cadit in prælio adoleſcens:proficiſcitur eò pater non ita cũ magna manu,celans quantum uulnus accepiſſet, ꝙ priùs ad hoſtẽ peruenire cupiebat, quàm de malè re geſta,fama ad ſuos perueniret, ne cognita filij morte,animi debilitarentur militum. Quò contenderat peruenit,hiſq; locis caſtra ponit,ut neq; circumueniri multitudine aduerſariorum poſſet, neq; impediri,quò minùs ipſe ad dimicandum , manũ haberet expeditã. Erat cum eo Metrobarzanes ſocer eius, præfectus equitũ. Is deſperatis generi rebus,ad hoſtes trãsfugit. Id Datames ut audiuit , ſenſit ſi in turbã exiſſet , ab homine tam neceſſario ſe relictum,futurum,ut cæteri conſilium ſequerẽtur:in uulgus edit,ſuo iuſſu Metrobarzanẽ profectũ pro perfuga, quo faciliùs receptus,interficeret hoſtes. Quare relinqui eum non par eſſe,ſed omnes confeſtim ſequi: quòd ſi animo ſtrenuo feciſſent,futurũ ut aduerſarij non poſſent reſiſtere, quum & intra uallum , & foris cæderentur. Hac re probata,exercitũ eduxit,Metrobarzanẽ perſequitur,qui tum ad hoſtes peruenerat:Datames ſigna inferri iubet.Piſidæ in opinionem adducti,perfugas mala fide,compoſitoq; feciſſe,ut recepti,eſſent maiori calamitati : primùm eos adoriuntur. Ergo illi coacti fuêre,cum eis pugnare,ad quos tranſierant, ab hiſq; ſtare,quos reliquerant. Quibus cùm neutri parcerent,celeriter ſunt conciſi. Reliquos Piſidas reſiſtentes Datames inuadit,primo impetu pellit,fugiẽtes perſequitur, multos interficit,caſtra hoſtiũ capit.Tali conſilio, uno tẽpore & proditores perculit, & hoſtes profligauit,& quod ad ſuam perniciem fuerat cogitatum, id ad ſalutem conuertit. Quo neque acutius ullius Imperatoris cogitatum,neq; celerius factum uſquam legimus.Probus in eius uita.

TVLLVS Hoſtilius rex Romanorum,cõmiſſo aduerſus Veientes prælio,cùm Albani deſerto exercitu Romanorum, proximos peterent tumulos,eaq; res turbaſſet Romanorum animos:clarè pronunciauit , iuſſu ſuo Albanos idfeciſſe , ut hoſtẽ circumueniret. Quæ res & terrorẽ Veientibus, & Romanis fiduciam attulit , remq; inclinatam conſilio reſtituit. Front.lib.2.cap.7.& Polyæn.lib.8.& Val.lib.7.cap.4.

HANNIBALEM uenientem in Italiam tria millia Carpentariorũ reliquerunt. Quo exemplo ne & cæteri mouerentur, edixit à ſe eſſe dimiſſos: & inſuper in fidem eius rei, paucos leuiſſimæ operæ domos remiſit.Front.lib.2.cap.7.

P.SCIPIO , cùm claſſem in Sicilia haberet,ut in Africam traiiceret,oratores à Syphace rege Maſſeſſulorum miſſi denunciarũt ei, nouum ſibi fœdus cum Carthaginenſibus ictum, affinitatẽ cum Aſdrubale contractã , filiam eius ſibi matrimonio iunctam:propterea monere,ut ſi ſuæ Reipub.conſulere uelit,Aphrica abſtineat:eoſdem enim quos Pœni haberent,ſe amicos inimicoſq; habiturũ.Hos legatos Scipio, ne mandata regis efferrentur,extemplò ad Syphacẽ remiſit cũ literis,quibus poſtulabat , ut initæ ſocietatis iunctæq; dextræ memor,caueret,ne quid nomine Romano & regia fide indignum moliretur.Poſt hæc concione aduocata, legatos Syphacis ueniſſe in Siciliam dixit, ut ſicut antea Maſiniſſa rex Numidiæ,ſic etiam hi nimiam dilationem aduentus ſui quererentur:itaq; maturandum in Aphricam eſſe,atq; ideo cunctis militibus edicere , ut arma expediant , & ad profectionem neceſſaria comparent. Hoc edictum Romani ducis ubi per Siciliam uulgatum eſt , ſtatim multitudo ingens Lilybæum confluxit: non hominum ſolùm , qui in Aphricã traiecturi erant , ſed eorum etiam,qui ſpectatum uenerant Romanam claſſem: qua raro unquam inſtructior aut omni armorum genere ornatior uiſa fuerat. Auctor uitæ Scipionis,& Polyænus lib.8.& Front.lib.2.cap.7.

L. LVCVLLVS , cùm animaduertiſſet Macedonas equites, quos in auxilio habebat, ſubito conſenſu ad hoſtẽ transfugere,ſigna canere iuſſit:& turmas,quæ eos ſequerentur,immiſit.Hoſtis committi præliũ ratus, transfugientes telis excepit Macedones:qui cùm uiderent neq; recipi ſe ab aduerſariis,& premi ab his, quos deferebant , neceſſariò ad iuſtũ prælium conuerſi,hoſtem inuaſerunt.Front.lib.2.cap.7.

L.SYLLA,cùm præfectus eius comitante nõ exigua equitum manu, cõmiſſo iam prælio ad hoſtes transfugiſſet,pronunciauit iuſſu ſuo id factum: eaq; ratione militum animos nõ tantùm à confuſione retraxit, ſed quadam etiam ſpe utilitatis,quæ id conſilium ſecutura eſſet,confirmauit.Idem.

*Clade.*

XERXES rex,euerta uictoria ad Thermopylas parta ; cùm ad 20.millia amiſiſſet, & Græcorũ duo tantùm millia fuiſſent, mortuorum mille fermè relictis, cæteros depreſſa foſſa humauit:& ne à claſſiario exercitu,qui ad Hiſtiæam erat,cerni poſſent,humum exagitauit,foliiſq; cõſtrauit. Mox per præconem indicauit, ut qui uellent, cadauera hoſtium inſpicerent.Hæc denunciante præcone,omnes ferè profecti eò,nõ omnes Lacedæmonios ac Theſpienſes eſſe uidebant, cùm etiam ſeruos iacere cernerent. Itaq; Xerxis ſtratagema eos non latuit.Herod.lib.8.& Polyæn.lib.7.

AGESILAVS ad Coroneam , quantum nunquam antea , ad pugnã inſtruebatur. Venit quidam nuncians:Piſander Lacedæmoniorum nauarchus occubuit, ſuperatus à Pharnabazo.Ne igitur dolor &metus inceſſeret exercitum, Ageſilaus præcepit nunciis, ut contraria militibus nunciarent : Lacedæmonij uictoriam per mare in manibus habent. Sed & ipſe proceſſit coronatus, & euangelia ſacrificauit: miſitq; amicis portiones de uictimis.Milites his auditis & uiſis,plus audaciæ colligentes, maiori alacritate ac lætitia ad Coroneam prælium faciebant. Ageſilaus hoſtibus in fugam conuerſis,liberam fugam dare iuſſit.Polyænus.lib.2.

EPAMINONDAS cum Lacedæmoniis ſigna conferebat. Cùm pugna fieret acris,multis utrinq; cadentibus,ingruente nocte ante uictoriæ finẽ,utriq; ad caſtra reuerſi ſunt. Lacedæmonij manipulatim & ſecundam turmas atq; contubernia caſtrametantes , mortuorum multitudinem cognouerunt:atq; ita præ mœrore in ſomnum uerſi ſunt. Thebanis autem mandauit Epaminondas, ut quò caſus quenque ferret, ibi caſtrametarentur : neque manipulos aut ordines quærerent, ſed quàm celerrimè ſumta cœna quieti ſe dederent, atque alter alteri ex præſenti commeatum impertiret. Proinde ſumta cœna repentè ſomno indulſerunt:& hoc eis maximo bono fuit, quòd ignorabãt qui occubuiſſent, cùm non in ſuis contuberniis,ſed ſparſim cœnam feciſſent. Itaq; poſtero die Thebani in aciem educti, fortiùs pugnantes uictoriam reportarunt: Lacedæmonij uerò ſuorum cæde territi,uicti ſunt.Polyæn.lib.2.

ANTIGONVS & Eumenes pugnam conſeruêre. Ancipiti uictoria, de ſepultura cæſorum legatum Eumenes miſit. Antigonus,cùm ex ſuis maiorem numerum cecidiſſe uideret,ut id clàm haberet,legatum eò uſq; detinuit,donec eorum omnium corpora igni tradidiſſet. Cumq; iam ſepultura finẽ accepiſſet, præconem dimiſit , conceſſa ſepeliendi poteſtate.Polyænus lib.4.

ALCIBIADES Athenienſis , cùm ab Abydenis prælio urgeretur, ſubitoq; magno curſu triſtẽ aduertiſſet aduentare tabellarium,prohibuit palàm dicere quid afferret. Deinde ſecretò ſciſcitatus à Pharnabazo regio præfecto claſſem ſuã oppugnari , cælatis & hoſtibus & militibus prælium finiit: ac protinùs ad eripiendã claſſem ducto exercitu , opem tulit ſuis.Frontinus lib.2.cap.7.

ETEONICVM Laconem in urbe Mytilenenſium Conon Athenienſis oppugnabat. Celes expeditus uenit, nuncians, Callicratidem Lacedæmoniorum nauarchum ad Arginuſas uictoriam hoſtibus dediſſe. Eteonicus ſub noctem clàm egredi nuncios iuſſit, & interdiu Mitylenam coronatos, & gratulabundos uenire , ac uictoriam nunciare. Eteonicus quidem gratulatoria ſacrificia fecit: Conon, & Atticus exercitus conſternatus , quietum ſe tenuit. At non Eteonicus quieuit,ſed mox claſſem in Chium miſit. Pedeſtres uerò copias Methymnam,in ciuitatem ſociam, & amicam deduxit. Polyænus lib.1.



DAPHNÆVS , Syracuſiis & Italis aduerſus Carthaginenſes prælium committentibus,dextrum cornu tenentibus Syracuſiis,ſiniſtrum Italis, cùm audiſſet magnum clamorem ferri à læuo,accurrit:cõſpicatuſq; penè uictos Italos, reuerſus ad dextrum cornu,lætum nuncium Syracuſiis attulit,Italos in ſiniſtro cornu uictoriam adeptos. Syracuſij ducem uera dicere arbitrati,impetu facto, Barbaros in fugam uerterũt. Polyænus lib.5.

HANNIBALEM ferunt,cognita Haſdrubalis fratris cæde,ac totius clade exercitus,compoſuiſſe uultum, riſiſſeq; conditionem humanam magis , quàm ut dolorem præ ſe ferret, aut animi conſternationem. Ea uerſutia & ſagacitate animos militũ, ducumq; ſuorum confirmauit.Iouianus Pontanus lib.4.de Prudentia,cap.11.

Q.FAB.Max.Dictator,à diis orſus,cùm doceret populum,negligentia & cõtemtu ceremoniarum à conſule C.Flaminio ad Traſimenum peccatum eſſe,nõ ignauia militum, admonuit,ut ne hoſtes timerent, at deos placarent , colerentque: non ille quidem quò ſuperſtitione animos implicaret, imò ut uirtutem confirmaret pietate , & ſpe diuinæ opis formidinem eximeret & eleuaret hoſtilem. Eodem tempore libros conſuluit Sibyllinos,& conuocato populi cõſilio,uouit diis immortalibus,quòd eo anno uer attuliſſet ex caprino,ſuillo,ouillo,bouillo grege , intra fines Italiæ, campos, flumina,prata natum,id omne ſe immolaturum. (Liuius libro 22.cap.34.id Ver ſacrum uocat) Simul ludi magni uoti. Plutarchus in Fabio.

CN.MANLIVS aduerſus Hetruſcos , uulnerato collega Fabio, qui ſiniſtrum cornu ducebat,& ob id parte cedente, ꝙ etiam occiſum crederent conſulem : cum turmis equitum occurrit : clamitans,& collegam uiuere, & ſe dextro cornu uiciſſe. Qua conſtantia redintegratis animis ſuorum uicit. Frontinus lib.2.cap.7.

T.DIDIVS in Hiſpania , cùm acerrimo prælio conflixiſſet, quod nox diremerat,magno numero utrinq; cæſo,complura ſuorum corpora atra nocte ſepelienda curauit. Hiſpani poſtero die ad ſimile officiũ progreſſi,quia plures ex ipſorũ numero quàm ex Romanis cæſos repererant , uictos ſe eſſe ſecundum eam dinumerationem argumentati,ad conditiones imperatoris deſcenderunt. Front.lib.2.cap.20.

Q.SERTORIVS,cùm acie decertaret,Barbarum, qui ei nunciauerat Hirculeium periiſſe,pugione traiecit: ne & in aliorum id notitiam perferret,& ob hoc animi ſuorum infirmarentur.Front.lib.2.cap.7.

L.SYLLA , cùm auxiliares eius miſſi ab ipſo circumuenti ab hoſtibus & interfecti eſſent, uereretorq;,ne propter hoc dãnum uniuerſus trepidaret exercitus , pronunciauit auxiliares , qui ad defectionem conſpiraſſent , conſilio à ſe in loca iniqua deductos.Ita manifeſtiſſimam cladem ultionis ſimulatione uelauit, & militum animos hac perſuaſione confirmauit.Frontinus lib.2.cap.7.

T.LABIENVS poſt Pharſalicam pugnã , cùm uictis partibus Dyrrachium refugiſſet, miſcuit uera falſis:& non celato exitu pugnæ, æquatam partium fortunam graui uulnere Cæſaris finxit : & hac aſſimulatione reliquis Pompeianorum partium fiduciam fecit.Front.lib.2.cap.7.

SIGISMVNDVS Imp.à Pragẽſibus Huſſitis,Viceg'radum arcem obſidẽtibus, magna ſtrage affectus,ad metallifodinas Cuthnenſes euaſit: ubi ad diſſimulandum ex clade accepta dolorem,capiti ſertum uiride impoſuit, lætaq; facie conuiuium cum honoratioribus iniit.Dubrauius lib.26.

FRANCISCVS Foſcarus, dux Venetus , à Franciſco Sforcia Mediolanenſium duce apud Carauagium memorabili prelio uictus,ut penè nullus euaſerit:cõuocato ſenatu, magna ui auri & argenti profuſa, conuerſus ad patres ipſos : Nihil eſt,inquit,P.C.quòd ad unam pugnam, licèt calamitoſam, territi deſperetis,ut uel Philippi ipſius hoſtis exemplo bene ſperare de ſumma rerum debeatis,qui à nobis adMaclodiũ fuſus,captis ferè ducibus omnibus, exercitũ facilè reſtituit. Agite igitur meipſum ſecuti , pecuniam huc conferte , quò numeroſiorem ueſtrûm quiſq; poſſit: infra enim triduũ copias omnes noſtras reparandas polliceor. Quod certè mox ita ſubſecutum eſt, ut uictor ipſe Sforcia pacẽ ultrò petierit. Egnatius libro 2.cap.2.

*Vulneribus.*

LACEDÆMONII ad diſſimulandum & occultandum uulnerum ſuorum cruorem,puniceis tunicis in prælio utebantur,non ut ipſis aſpectus earum terrorem,ſed ne hoſtibus fiduciæ aliquid adferret. Val.Max.lib.2. cap.1.& Gell. lib.1. c. 11.& Alex.lib.4.cap.9.

*Incluſione.*

L. FVRIVS , exercitu perducto in locum iniquum, ne reliqui trepidarent, paulatim inflexit iter, tanquam circuitu maiore hoſtem aggreſſurus: conuerſoque agmine ignarum rei quæ agebatur,exercitum incolumen reduxit.Frontinus lib.1.capite 5.

## OPVM, COMMEATVS
amiſſione.

Cùm ad Cirinolam Neapol.regni oppidum Hiſpanorum tormentarius puluis ſiue caſu , ſiue alia quauis ratione accenſus eſſet : CONSALVVS Magnus dux , omen forti animo amplexus, Vicimus, Deus nobis apertè uictoriã pollicetur, exclamauit : hoc enim ſigno tormentis nihil iam opus fore demonſtrat.Guicciardinus lib.5.

# MILITVM CONTINENTIAM EXCITARE, PROMOVERE, TVM QVO AD

## VENEREM.

*Exempla aliqua pete ex Tit. Magiſtri rei militaris,quatenus caſtris meretrices ſubmouent.*

## ALIMENTA.

*Conſule Tit. Militum robur exercere, ut ferant Famem & ſitim.*

ALEXANDER Macedo , depulſis ab exercitu piſtoribus & cocis,ad prandium,itinera nocturna:ad cœnam,cibi uiniq; parcitatem ſe habere dixit.Plut.

Q. METELLVS, bello Iugurthino lapſam militum diſciplinam reſtituens,prohibuit alia carne,quàm aſſa elixáue, milites uti.Frontinus lib.4.cap.1.

CARTHAGINENSIVM legis meminit Plato 2. de Legib. ſub finem:Vt ne quis unquam in exercitu uinum guſtet,ſed illo omni tempore aquæ potu utatur.

Brixia à Philippo Vicecomite obſeſſa, in ſumma annonæ difficultate,traditur FRANCISCVM Barbarum Venetum præfectum nunquam niſi in aperto diſcubuiſſe , nec temerè alium panem uiſum in eius menſa , quàm hordeaceum. Sabellicus lib.4.Ennead.10.

Verona à Venetis & Gallis anno Sal.1516. arctiſſimè premebatur,defendente urbem Cæſaris nomine M.ANT.Columna. Iam peruentum erat ad ſummas rerum difficultates Frumẽti parua,caſei,& carnis ſalitæ, uel pecoris nulla copia in urbe reperiebatur : & quod in primis corpora atque animos Germanorũ infregerat,tanta uini penuria erat,ut quicquid in ipſa ſpe propinquæ uindemiæ ſupereſſet,id totum ſacrificio atq; ægris militibus ſeruaretur. Dux ipſe, quum primores exercitus quotidianis cœnis adhiberet , & quadraginta diebus nihil præter aquam bibiſſet , tanta comitate omnes abſtinentiæ & frugalitati inſuefecit , ut facilè atq; alacriter cæterarum etiam rerum inopiam tolerarent.Iouius.

## BALNEA.

Circa an.ſal.1079.Mauri magnis copiis inſtructi,è Carthagine per Hiſpaniam diſcurrentes omnia uaſtabant. Quibus obuiã miſſus INFANS cũ ſeptẽ Comitibus , apud oppidum, quod Alcazar de Conſuegra uulgò dicitur , omnes ad unũ interfecti fuêre. A quibus occiſis adhuc locus ille ſeptem Comitum nuncupatur. Calamitatis huius cauſam cùm Alfonſus VI. Caſtellæ rex ſuorum animis,nimia mollitie effeminatis,imputaret,balnea aliaſq; id genus illecebras,quas Mauri Toleti conſtituerant, ſuſtulit, populum ad priſtinam uirtutem & ſeueritatem reducere conatus. Tarapha de Regibus Hiſpan.

## OPES, AVARITIAE VEL PROdigalitati militum obſtare.

ALEXANDER Magnus in Indiam tranſiturus , ut uidit prædæ Perſicæ onere exercitum iam grauem & tardum : ſimul atq; diluxit plauſtris oneratis , ſua & amicorum prima ſuccendit. Inde Macedonum impedimentis imperauit ſubiici ignem. Apparuit autem re conſilium difficilius, magiſq; ſtupendum inceptum. Paucos enim torſit. Pleriq; uoce & plangore ſicut lymphati neceſſaria impertientes egenis , & quæ uſui ſupererant ibidem concremantes , impleuerunt alacritate & ardorẽ Alexandrum. Plut. in Alexandro & Aemilio, & Polyænus lib.4.

EVMENES in Orcyniis Cappadociæ cãpis ab Antigono per proditionem fuſus, incidẽs in Antigoni impedimenta, cùm capere ex facili ualeret multa libera capita & magnam uim ſeruitiorũ opumq; , ueritus eſt,ne repleti cõpendio & præda ſui, euaderent ad fugã ignaui, mollioreſq; ad ſuſtinendũ errores ac tempus, in quo potiſſimùm ſpẽ collocauerat belli,ut aliò auerſurus Antigonũ:iuſſitq; ſuis,ut corpora curarent & pabulum darent equis: inde hoſtes adorirẽtur. Mox

in occultò ad Menandrum, qui hoſtium impedimentis præerat, mittit, quaſi de eo pro ueteri amicitia eſſet ſollicitus, ut muniret ſe montens, maturaretq; quamprimùm ex locis equitabilibus & planis ſe ad proximi montis latus recipere inequitabile, ut cingi non poſſet. Menander ut periculū aduertit, & uaſis collectis itineri ſe accinxit: miſit Eumenes ſpeculatores propalàm, militibuſque tanquam ſigna moturus in hoſtem edixit, ut arma caperent, & equos haberent frænatos. Vbi uerò renunciauerunt exploratores, Menandrum ad loca aſpera refugiſſe, neq; poſſe opprimi: fingens id moleſtè ferre, abduxit copias. Plut. in Eumene.

ROMANI ad coercendam militum prodigalitatem, ne alea, ne luxu ſtipendia abſumerent, omnium congiariorū dimidium apud ſigna deponere cogebant. Fulg. lib. 2. cap. 1.

CN. POMPEIVS, ubi miſſus cum imperio à Sylla in Siciliam milites accepit excedentes agmine manus adferre prouincialibus: in eos, qui ſine cauſa uagabantur & palabantur animaduertit: illorum uerò, qui ab ſe mittebantur, gladiis ſigilla impreſſit. Plut. in Apophtheg.

M. SCAVRVS, cùm pro populi Rom. ſalute bellum gereret, adeò ſuos milites ſub diſciplina retinuit, ut dum caſtra moueret, in ipſo caſtrorum aggere arborem optimis & maturis fructibus onuſtam, intactam reliquerint. Fulgoſ. lib. 2. capite 2. & lib. 4. cap. 3.

AVRELIANVS Cæſar tam ſeueræ diſciplinæ fuiſſe dicitur, ut tribuno per epiſtolam mandarit, ut militum manus contineret, ne quis pullum aut ouem raperet, aut uuam ex uineis, aut ex ſegete ſpicas: ut arma terſa, calciamenta fortia, ueſtis noua, equus defricatus, & mulus centurionatus foret. Alex. lib. 6. cap. 18.

IOSEPHVS hiſtoricus, Galileæ præfectus, capta Sephoritarū urbe, quæ ad Romanos defecerat, ut milites à direptione cohiberet, rumorē ſpargi iuſſit, Romanos cum ualido exercitu diuerſa ex parte irruiſſe. Eo nuncio territi, Ioſephū fugæ ducem ſecuti, urbem reliquerunt. Ioſephus in ſua uita.

BELISARIVS Conſtantinopolitanus, ut penè antiquos Romanos omni uirtutis genere æquauit, ita militari uirtute ac diſciplina ſuperauit. Cùm ad recuperandam è Gothorum manibus Italiā à Iuſtiniano miſſus eſſet, adeò ab omni maleficio milites continuit, ut cùm iter facerēt, quanquā defeſſi, ad decerpendos fructus, qui in uia ab arborib. pendebāt, nunquā manum extenderint, neq; in opacum locū pabulatum frumentatumq; iuerint. Fulg. lib. 2. cap. 2. ex Procopio.

TAMBERLANES Scytha, innumerabilem exercitum ducēs; furta & rapinas militum ſeueriſſimè caſtigans, caſtra omni genere commeatus refertiſſima ſemper habuiſſe dicitur.

SFORCIÆ, Magno præcipua cura ſemper fuit, paganos agricolas ab auaritia militum defendere, hoſpites tueri, licentiam militarem in hybernis, & in agmine, indicta graui ac inexorabili pœna, cohibere, at demum deditis conſeruatiſque, quàm expugnatis atque deletis urbibus, lætati. Adeò ut cum Braccius Montonenſis in colloquio ad Saccomaniam ſyluam, quod utrique ſupremum fuit, poſt multa de bellicis artibus grauiſſimè diſputata percunctaretur: Cur nam tantoperè ſeueritatis ac abſtinentiæ laudem quærendam putaret, quando id prorſus à toto militaris conſilii propoſito alienum eſſe uideretur: quòd promereri ſtudia militum, uel cum iniuria generis humani oportere cenſeret, ſi ad ingentia imperia & opes, uti ipſi ab humili fortunæ loco proſperè creuiſſent, foret euolandum. Ad ea Sforciam reſpondiſſe feruut, nihil eſſe gratius diis immortalibus, æquitate atq; iuſtitia: qua una maximè, quæſitæ bello opes, poſitis demum armis, cum inſigni gloria firmaiētur. Iouius in uita Magni Sforciæ.

## DEFECTIONEM, DESERTIONEM, DEDITIONEM, PRODITIONEM uel noſtrorum militum, ſociorum, auxiliariorum, uel etiam hoſtium, quos deuicimus (ſic enim iam è noſtris eſſe uidentur) prohibere ne fiat. MILITES, Socios, Subditos, in fide retinere.

*Conſule Tit. Delectus militum, ſeparando iuſtos ab iniuſtis. item Tit. Milites animare metu periculi. Affinis eſt autem locus iſte ei Titulo, ubi de Hoſtibus in officio continendis agitur, ne rebellent.*

### BENEVOLENTIA.

PHILIPPVS Macedonum rex, cùm ſubactis Græcis, quidam auctores eſſent, ut ciuitates præſidiis cōtineret, ne deficerēt: Malo, inquit, diu bonus ac cōmodus, quàm breui tempore dominus appellari: ſentiens, regnum, quod beneficiis ac beneuolentia teneretur, eſſe perpetuum: quod ui metuq;, non eſſe diuturnum. Plut. in Apoph. regum & imperatorum.

ANTIGONVS Aſiæ rex, amicis ſuadentibus, ut ſi Athenas caperet, ualidis illam præſidiis communiret, ne quando deficerēt, ſummaq; cura ut totius Græciæ baſim cuſtodiret: reſpondit, Se ſemper in hac fuiſſe ſentētia, ut crederet nullum eſſe regni præſidium firmius, quàm ciuium beneuolētiam. Eraſmus lib. 1. Apophtheg.

### BENEFICENTIA.

PHILIPPVS, cùm audiſſet Pythiam quendam bonum pugnatorē, alienatū ſibi, quòd tres filias inops uix aleret, nec à rege adiuuaretur, monentib. quibuſdam uti eum caueret: Quid ſi, inquit, partem ægram corporis haberem, abſcindere potiùs quàm curarē? Familiariter ergo ad ſe uocatum Pythiam, cognitaq; difficultate neceſſitatum domeſticarum, pecunia inſtruxit, ac meliorem fidelioremq; habuit, quàm habuerat antequam offenderet. Front. lib. 4. cap. 7.

Nolæ M. MARCELLVS prætor, quum magis principum uoluntate quā plebis, urbem obtineret, pro magno habuit negotio, ſibi L. Bantium principem iuuentutis conciliare. Is inprimis rem ad Hannibalem trahebat, quòd Cannenſi ſtrage ex cæſorū cumulis ſeminecē extractum diligenter curaſſet, eoq; hoſtis beneficio iuuenem à Romanis alienatum, & ad res nouas ſpectantem Marcellus intuitus, beneficio magis quàm ſupplicio hoſti eximendum exiſtimauit, eumq; ad ſe uocatum benignè alloquitur, collaudatumq;, quòd Cannenſi acie fortiter pro re Romana ſtetiſſe diceretur, inſigni equo donauit, & quingentis bigatis numis. Inde maiora in futurum pollicitus, lictorib. imperat, ut quoties Bantius uellet, darent illi ad ſe aditum. Qua prætoris munificentia, ferox iuuenis animus adeò eſt mutatus, ut ſociorum nemo fideliorem operam Rom. eo bello deinceps exhibuerit. Sab. lib. 3. En. 5. Ex Frontino lib. 3. cap. 16. & Plut. Marcello.

Q. FABIVS Maximus, cuius non dimicare, uincere fuit, cùm præcipuæ fortitudinis Nolanum peditē (Frontinus l. 4. c. 7. equitē uocat Statiliū. Plin. de Viris illuſt. Manlium Statiū, Plutarch. Marſum fuiſſe ait) dubia fide ſuſpectum, & ſtrenuè opera Lucanū equitem amore ſcorti deperditum in caſtris haberet, ut utroq; potiùs bono milite uteretur, quam inutrumq; animaduerteret: alteri ſuſpicionem ſuam diſſimulauit, in alterum diſciplinam paululum à recto tenore deflexit. Namq; illum plenè pro tribunali laudando, omniq; genere honoris equo pecuniaq; donatum proſequendo, animum ſuum à Pœnis ad Romanos coegit reuocare: & hunc clàm meretricem redimere paſſus, paratiſſimum pro Ro. excurſorem reddidit. Val. lib. 7. cap. 3. & Plut. in eius uita.

P. SCIPIO, cùm Maſiniſſæ regis prōtiſſima & fideliſſima opera aduerſus Carthaginēſes uſus eſſet, eumq; in dilatādo regno auidiorē cerneret: legē ferri iuſſit, qua Maſiniſſæ ab imperio pop. Rom. ſolutā libertatē tribueret. Quo facto tū optimè meriti beneuolentiā retinuit, tū Mauritaniæ & Numidiæ, cæterarūq; illius tractus gentiū nunquā fida pace quieſcentem, feritatem à ualuis ſuis repulit. Val. Max. lib. 7. c. 2.

Bello Marſico, ob denegatū, quod à patrib. promiſſum fuerat, ius ciuitatis Rom. orto, cùm uicini populi omnes contra Romanos conſpiraſſent, & fama eſſet, Tyrrhenos quoq; & Vmbros defectionis cōſilia agitare: SENATVS reputās ſecū, quanta eſſet moles belli ſubeunda, ſi reliqua Italia à ſuo imperio defeciſſet, ut ſociorum animi beneficio aliquo occuparentur, cenſuit, ꝙ quicunq; Italorum adhuc in fide eſſent, uno tempore ciuitate donarentur. Populus id ſciuit, ualuitq; ea res non ſolùm ad cæteros in fide continendos, ſed qui iam antea defecerant, ſpe eius muneris demerendi, aliquanto ſunt pacatiores facti. Ii, qui tum primùm ſunt in ciuitatem allecti, ne numero in ſuffragiis præualerēt, decimati, & in cēturias redacti, ultimo ſunt loco aſcripti. Cæterùm quum nouiſſimè ſuffragium ferrent, ea ſuffragatio nullius fuit momenti: quæ fraus aliquanto poſtea animaduerſa, noui motus præbuit cauſam. Sab. lib. 2. En. 6.

Militum erga ſe amorem & alacritatem incredibile ipſe aluit & parauit C. IVL. Cæſar, primùm immenſa largitione & honorib. oſtendens nō ad priuatum luxum ſe opes neq; ullas ad delicias accumulare ex hoſtibus, ſed communia uirtutis præmia apud ſe ſeruata reponi: hactenus autem inde ſe diteſcere, quatenus in benemeritos profundat milites: deinde, quòd nullum non periculum ultrò ſubiret, neq; laboribus fatiſceret in ullis. Plut. in Cæſare.

CLAVDIVS Cęſar multas barbaras gentes ciuitate Rom. donauit, dicens: Nihil magis fuiſſe Lacedæmoniis & Athenienſibus exitio, quàm quòd in ſocietatem ciuitatis nunquam recepiſſent eos, quos armis uiciſſent.



THEODERICVS Oſtrogothus Italiæ regno potitus, Italis, qui conſtanter in fide manſerant Odoacris Heruli à ſe uicti, ita ignouit, ut aliquot etiam ad ſummos honorū gradus euexerit. Sic enim pòſt ad Senatū Rō. de Liberio ſcripſit: Liberius ſic Odoacris integerrimis parebat obſequiis, ut noſtra pòſt fuerit electione digniſſimus, contra quos multa feciſſe uidebatur inimicus. Non enim ad nos uiliſſima trāsfugæ conditione migrauit, nec proprij domini finxit odium, ut alterius ſibi procuraret affectum: expectauit integer diuina iudicia, nec paſſus eſt ſibi regē; niſi priuatus perdidiſſet. Vnde ſic factum eſt, ut ei libenter daremus præmiū, qui noſtrum fideliter iuuit inimicum. Eos uerò, qui turpi à ſe defectione ſemel adiuncti receſſerant, iuſtiſſimo odio perſequutus, teſtandi ac legandi more Romano iure priuauit. Sigonius lib. 16. Imp. Italici.

Sen. Venetus certior factus TAVRISANORVM ciuitatem præter paucos, qui Maximiliani I. Imp. partes ſequebantur, in officio cū rep. uelle eſſe: literas ad eos dedit, quib. immunitas uectigaliū per annos quindecim ciuitati dabatur, portoriumq; frumēto molendo remouebatur. Iis rebus cognitis, ciues plebſq; omnis in primis, magna uoluptate affecti, ad propugnandum ſummo ſe ſtudio confirmauerunt. quā eorū uoluntatē Petrus Duodus legatus, quē Senatus Veronæ Vicetiaq; abeuntē eò miſerat, magnoperè auxit, tabulis, in quibus fiſci rationes & ciuiū reliqua erant ſcripta, publicè abolitis, atq; in foro plebe aſpectante igni abſumtis: pauloq; pòſt milites quingēti ab exercitu, Senatus iuſſu ad eos præſidio miſſi, cupidiſſimis omnibus in oppidum recepti ſunt. Bembus lib. 8. Hiſt. Ven.

VENETI bello Gallico contra Ludouicū XII. S. C. decreuēre cuiuſcunq; rebus atq; fortunis damnū aliquod ab hoſtibus aut illatum iam ſit, aut deinceps inferatur, remp. ſpōdere ac polliceri ſeſe ei, bello confecto æquis factis æſtimationibus omne detrimentum ſarcituram. Cuius rei edictū publicè Patauij propoſitum ubi eſt ab hominibus auditū: Senatuſq; in ſuos ea pietas & liberalitas cognita, tantus ſubitò ciues plebemq; omnem atq; ipſum etiam exercitum beneuolentiæ in remp. ſenſus atq; lætitia tenuit, ut magna alacritas oppidi defendendi omniū ſit animis innata, omneſq; ad omnia pericula ſubeunda, multò audenciores & paratiores fierent. Bembus lib. 9. Hiſt. Ven.

### IGNORANTIA, DISSIMVLATIONE.

Mortuo Alexandro Babylone, apud Macedonas nomen erat ingens Crateri, eiuſq; deſiderio poſt Alexandri obitum flagrabat uulgus militū. Fauebat is Antipatri partibus, Eumenes uerò Perdiccæ. Cumq; Craterus ſocio Neoptolemo Eumenem ſeſe in Cappadocia nec opinantem oppreſſurū ſperaret: EVMENES non modò eius aduentū præſenſit, uerū etiam milites Macedones ignaros, qui cū conferrent ſigna, in Neoptolemū immiſit: Cratero duas externorum militū alas oppoſuit, neq; caduceatorē ullum hoſtiū admiſit, cùm uereretur, ne Crateri audito nomine ad eum tranſirēt. Itaq; peregrinus & hoſpes Macedonum armis ac uirib. Crateriū uirum Macedonib. poſt Alexandrum cariſs. ſimul & Neoptolemum magna ſtrage interfecit. Plut. in Eumene.

Vaſtante Italiā Hannibale, Sp. Carbilius; quum in curia de copiarum ſupplementis conſultatio inita eſſet: cenſuit ad Latinum nomen arctiùs in fide retinendum, binos ex ſingulis Latij ciuitatib. ſenatores legendos. Ea relatio, ut à præſenti ſtatu temporum aliena, cum fremitu & indignatione reiecta eſt à SENATV, cautūq;, ut ſilentio tegeretur, ac pro non dicta haberetur: ne res intempeſtiuè mota ſuſpenſos ſociorum animos ad defectionem ſolicitaret. Sab. lib. 3. En. 5.

### CONFIDENTIAE SIMVLATIONE.

EVMENES, cùm Antigoni opera in Eumenis exercitu ſparſæ eſſent literæ, quib. ingēs pecunia his proponebatur, qui Eumenē occidiſſent: exercitū ad concionē uocauit, egitq; gratias, ꝙ nemo inuentus eſſet, qui fidei pecuniam anteferre uellet, ſubiunxitq;, latere eos nolle, quòd ipſe eas finxerit literas, ut fidem militum ſuorum experiretur. Plutarchus.

### MISERICORDIA.

AGATHOCLE in Africa contra Carthaginenſes res præclarè gerente, Lyciſcus ducum unus ad cœnam uocatus, uino poſtquam incaluit, in Agathoclem maledicta coniiciebat. Sed Agathocles ob eius in rebus bellicis uſum, hominem ferens, iocis amarulētè dicta mitigabat. Archagathus autem ipſius filius, eum cum minis increpabat. Lyciſcus Archagatho nouercæ adulterium obiiciebat: credebatur enim clàm cum patris uxore Alcia conſuetudinem habere. Qua re grauiter offenſus Archagathus, pilo eius lat⁹ traiecit. Poſtridie cùm uniuerſus exercitus hac improbitate moueretur, milites Archagathum de medio tollendum cenſebant, ac ni filium Agathocles traderet, ipſum pro eo ad ſupplicium rapiendum. Carthaginenſes miſerūt quoſdam, qui eos ad defectionem ſollicitarent, ſtipendia ampliora & munera non uulgaria promittendo. Itaq; multi ducum ad eos ſeſe cum exercitu deſcituros pollicebantur. Agathocles exuta purpura indutaq; uili tenuiq; ueſte, in medium procedit. Facto ab omnib. ſilentio, commemoratis rebus ab ſe antea geſtis, paratum ſe eſſe ait mortem oppetere, ſi id milites expedire cenſerent. Mox enſem tanquam ſeipſum iugulaturus ſtringit. Cumq; iam uulnus inflicturus eſſet, exercitus ne faciat, exclamat, ac uulgò uoces eum abſoluentes exiſtunt. Multitudine autem, ut regiam ueſtem aſſumat, iubente: lacrymans, populoq; gratias agens, decentem ornatum induit, multitudine applauſu eius in integrum reſtitutionem approbante. Cæterùm Carthaginenſib. Gręcos quaſi iamiā ad ipſos defecturos expectātibus, Agathocles exercitum aduerſus eos educit. Barbari hoſtes ad ſe deſciſcere rati, nihil de eo, quod reipſa acciderat, cogitabant. Agathocles uerò iam hoſtib. proximus, claſſicum cani iubet, ac eos adortus, magnā ſtragem edit. Carthaginenſes inopinato caſu oppreſſi, multiſq; militib. amiſſis in caſtra ſe receperūt. Sic Agathocles ꝓpter filiū in ſumma pericula cùm ueniſſet, ſua uirtute non ſolùm malis exitū inuenit, uerū etiā hoſtes ſuperauit. Diod. lib. 20.

GREGORIO IX. diris & armis Fridericū II. Imp. perſequente, multæ ciuitates à Pontifice deſciuêre, tū in Vmbria, tum in Hetruria, præcipuè autem Viterbienſes. Defeciſſent etiā Romani ciues, ni Pontifex, delatis per urbem ſupplicando Apoſtolorum capitibus, populum ad cōmiſerationem mouiſſet, habita etiam in baſilica ſancti Petri oratione: qua tumultuantes in ſententiam ſuam traxit. Platina.

Cùm Barcinonenſes & Gothalani reliqui contra Ioannem Aragonię regē XVIII rebellaſſent, IOANNA regina Gerundam uenerat, ab iis euocata contra defectores. Cæterùm cū ciues ipſos fluctuantes & parùm cōſtantes eſſe animaduertiſſet; Ferdinandū filū etiamnum puerum manu trahens, illorum fidei commendauit. Quo facto Gerundenſium animos ita confirmauit, ut pro ea contra comitem Pallarienſem ſeditioſorū ducē fortiſſimè dimicarint, cumq; ab urbe repulerint. Marineus lib. 14. rerum Hiſpan.

### SPE TVM

*Impunitatis.*

PARMENION, poſt factum ad Iſſum prælium, ab Alexādro miſſus Damaſcum, ad impedimenta peditum conflixit cum lixis. Poſtquam uerò Barbari metuentes fugam capeſſerēt, cogitans Parmenion, ſe non poſſe conſeruare tantam impedimentorum multitudinem, ſi calones Barbari ſe fugæ traderent: miſſis ad eos tribus equitum turmis, promulgauit: Quicunq; non propriis manibus ſua iumenta apprehenderit, trucidabitur. Hanc promulgationem ueriti Barbari, ipſi ad iumenta acceſſerunt, & impedimenta tranſportarunt. Polyænus lib 4.

IOSEPHVS hiſtoricus, Galileæ præfectus, audiens Tiberienſes ad Agrippam regem defecturos: Tarichetas ſingulos nauem in lacum deducere iuſſit, eaq; cū gubernatore conſcenſa, ſequi. Tiberienſes ut cognouerunt nullas à rege uenire copias, lacum uerò totum refertum nauibus: attoniti, & ciuitati ſuæ timentes, ac ſi naues militem ueherent, mutauerunt priorem ſententiam. Itaq; poſitis armis, obuiam Ioſepho cum uxoribus & liberis prodeunt. Ille autem propiùs accedens, iuſſit gubernatores longè à terra ancoras iacere, ne appareret oppidanis nauigia eſſe inania: ipſe naui una aduectus proximè, cum eis expoſtulabat, quòd tam ſtultè ad uiolandum fidem datam eſſent faciles: deinde pollicebatur certam ueniam, ſi decem primates ad ſe mitterēt: quò ſine mora facto, in nauem impoſitos miſit Taricheas in cuſtodiam. Ioſephus in ſua uita.

*Auxiliorum.*

Incluſerant CONSALVVM Agidarium Magnum Galli intra Barulum. Tenuit ſeptem menſes obſidio, cum Hiſpanus miles inſeſſis omnibus locis, unde commeatus inuehi in oppidum poſſet, ne à muribus quidem, & herbarum omni genere abſtineret. In hac temporum difficultate nihil non excogitatum ab illo eſt, quo militum animos placaret, nunc monendo, nunc hortando: ſæpe ſeſe gregariis inſerendo; ſæpe ſpe uenturi commeatus & ſubſidij ſolando adeò affecit, ut qui de eo necando cogitarant, mutata ſententia in fide māſerint. Quo tempore conſtat, illum diui Benedicti oraculo uictoriam ſperare monitum. Ex quo mox ille uictoria potitus, eius familiæ Caſſinatem ſaltum cum uetuſtiſſimo cœnobio reſtituendum curauit. Sab. lib. 10. cap. 6.

EVMENES cùm in Perſide milites uideret à Peuceſte ſollicitari uino & largitionib. literas protulit quaſi ab Orōte Armeniæ ſatrapa Syriacis characteribus ſcriptas, in eam ſententiam: Olympiadem ex Epiro deſcendere, & Alexandrum

adducere, atq; ui Macedoniæ urbem Caſſandrum tenere. Macedones his auditis, Peuceſtem è memoria depoſuerũt: Alexandri uerò matrem, eiuſq; filium ſumma cum uoluptate & gaudio promulgarunt. Polyæn. lib. 4.

## METV SCILICET

*Supplicij.*

BASILIVS Imp. contra Agarenos claſſem habens, duce Aſaraco omnes belli deſertores iuſſit ligari, utq; fugientibus timorem incuteret, Agarenos ſuſpendio necauit habitu Chriſtianorum. Cedrenus.

*Hoſtium crudelitatis.*

Antigonus bellum gerens contra Eumenem Cardianum, miſit legatos ad ſatrapas & ad Macedones, poſtulãs ut Eumenem desererent, cum magnificis promiſſis. At cùm Macedones legatis minarentur, EVMENES ſuperueniẽs, laudauit ipſos, & fabulam retulit antiquam, Leonem amantem uirginis, contuliſſe cum patre puellæ de nuptiis. Patrem uerò dicere, quemadmodum paratus ſit quidem eam ipſi concedere, formidare autem ungues & dentes, ne quando cõtractis nuptiis, propter aliquam cauſam exacerbatus, ſeſe gerat belluinè cum uirgine. Cùm leo abieciſſet ungues & dentes, pater conſpicatus arma eũ abieciſſe, per quæ erat formidabilis, baculo feriens, facilè interfecit. Non abſimile facere Antigonum: eouſq; promiſſiones extendere; donec exercitu potiatur, atq; ita de ducibus pœnas ſumat. Diod. lib. 10.

HAMILCAR, dux Pœnorum, cùm frequenter auxiliarẽs Galli ad Romanos tranſirent, & iam ex conſuetudine ut ſocij exciperentur, ſibi fideliſſimos ſubornauit ad ſimulandam tranſitionem, qui Romanos excipiendorum eorum cauſa progreſſos cæciderũt. Quæ ſolertia Carthaginenſibus non tantùm ad præſentem profuit ſucceſſum, ſed in poſterum præſtitit, ut Romanis ueri quoque transfugæ forent ſuſpecti. Frontinus lib. 3. cap. 16.

Brixia à Philippo Viceecomite Mediolanenſi arctiſſimè obſidebatur. VENETI mira arte populum in officio continuere. Inter alia, ſunt literæ, tanquam ex caſtris hoſtium in urbem miſſæ ſagittarum iactu, pro concione recitatæ, quibus monebatur ciuitas, caueret ne deditionem faceret, nec crederet ducibus hoſtium, qui ueniam promitterent: ſtatutum his eſſe, Brixia recepta, non ætati, non ſexui parcere, omnem promiſcuè multitudinem tollere, urbem direptam & incenſam funditùs euertere. Sab. lib. 4. En. 10.

*Multæ, Direptionis bonorum.*

Quoniam magiſtratus regis Galliæ Ludouici XII. qui bellum Venetis faciebat, edictum Mediolani propoſuerant, ut cùm eius urbis ciues, tum uerò etiam Ligures, aut omnino Galli, qui in ditione Venetorum eo temporis moram traherẽt, uiginti dierum ſpacio domum reuerterentur: id qui non feciſſet, mors ei pœna eſſet, eiuſq; bona publicarentur (qua ex re fiebat, ut perplurimi, qui uel mercaturam faciebant, uel plebeias artes exercebant, domiciliaq; Venetiis habebant, emigrare cogerentur) legem cõtrà VENETI iuſſerunt, qui ea de cauſa urbem reliquiſſet, quiue illum nauicula euexiſſet, aut comes itineris fuiſſet, eius bona fiſco inferrentur, aliquando q; captus annum in carcere teterrimo conficeret. Ea pœna propoſita, omnes, quibus quidem aut inſulæ, aut fundi, aut omnino res aliqua familiaris eſſet, emigrare uériti, reſtiterunt. Bembus lib. 7. Hiſt. Ven.

## IVREIVRANDO.

Poſt Cannenſem cladẽ profugerant Canuſium Romani milites, erantq; ibi quatuor tribuni militũ, & in his P. SCIPIO, cui poſtea Aphricano cognomen fuit, ſed tunc admodum adoleſcens. Ad hunc & Appium Claudium, qui & ipſe tribunus erat, ſumma imperij ab iis, qui aderant, delata eſt. Aderãt ad X millia hominũ, conſultabantq; hi fortè inter ſe de ſumma rei, quum P. Furius Philus docuit. L. Cæciliũ Metellũ, & cum eo pleroſq; nobiles adoleſcentes iam mare & naues ſpectare, ut deſerta Italia, ad aliquẽ regũ transfugerent. Quum alij defixi ſtupore ſtarent: Scipio, Qui remp. ſaluam uult, inquit, me ſequatur. Atq; ipſe princeps paucis ſequentibus ad Metelli tabernaculum deuolat, ibiq; ſtricto gladio ſuper conſultantium capita, primus graui execratione interpoſita, in ſua ipſius uerba iurat: fore, ut nunquam Italiam & cum Italia patriam ipſam metu desereret. Inde in Metellum conuerſus, Tu quoq; ſic iures uolo, ſic & qui tecum hic adſunt: ſi quis id facere recuſauerit, hunc enſem in ſuũ caput à me nudatũ cõtinuò experietur. Metellus & alij ſubita re perculſi, nõ aliter attoniti ſtabãt, q̃ ſi tũ Pœnus ſuo capiti immineret. Ordine itaq; in Scipionis uerba iurant, ſeq; illi ab hoſte protegendos tradũt. Sab. lib. 1. En. 5. & Front. lib. 4. cap. 7.

## OBSERVATIONE PER

*Magiſtratum.*

Ludouico Auguſto, Lotharij Imp. F. defuncto, CAROLVS Caluus frater, Gallorum rex, ut in Franciam Cæſarum nomen reportaret, deiectis è iugis Alpium Ludouici Germanorum regis patrui filiis, ad intercludendum iter à patre miſſis, in Italia à Ioanne Pont. Max. Auguſtus dictus, coronatur anno Sal. 876. utq; Italiam in fide officioq; contineret, Boſſonem, Iudithæ uxoris ſuæ Auguſtę fratrem, Papienſibus ducem dat, Berengariumq; ac Vidonem, proceres Romanæ iuuentutis, per matres Francis, per auias Longobardis cognatione iunctos, factionumq; quæ iam Italiam diſtrahebant principes & fœdere ipſos inter ſe, & honotib. muneribuſq; Francis conciliat: alterumq; Foroiulienſium ducem, alterum Spoletinorum dicit: ut aduerſus Germanorũ Imperij ſtudioſos Frãcicas partes tutarentur, ducatuſq; nomine datos, animis uirtuteq; in ditionem ſuam fidemq; Francorum redigerent. Aemilius lib. 3.

ROBERTVS I. Scotorum rex moriens proceribus ſuis cõſuluit, ne deinceps unquam dominos Hebridum inſularum crearent, quibus liberæ poſſeſſionis iure facere abſq; regis arbitrio, quicquid liberet, liceret: ſed per ſingulos annos procuratores tantùm iuris dicundi gratia conſtituerent, & ad annuos prouentus quæſtores mitterent. Ea enim oppottunitate eæ inſulæ ſitæ ſunt, eaq; incolarum mobilitas ingeniorum, ut quamuis ob cauſam ad rebellionem impellantur, & haud facilè ſemel deficiẽtes ſub regis poteſtatem redigãtur: Mari enim cincti, fortiſſimis ſe mœnibus, ſiqua neceſſitas ingruat, includunt, tuenturq;. H. Boëth. lib. 1.

*Cuſtodes.*

ISCHOLAVS, obſidentibus Græcis, audiens aliquos ex cuſtodibus moliri proditionem, noctu uigilias adiens, unicuique cuſtodi mercenarium unum adiunxit. Hoc facto, ſine tumultu proditionis periculum effugit. Polyæn. lib. 2.

Vitige Romam obſidẽte, ſenatores quoſdam ut ſuſpectos, teſte Procopio, BELISARIVS eiecit: claues portarum, atq; cuſtodes earum in ſingulos menſes mutauit: & ſingulis noctibus alios alioſq; uigilibus ipſis præfecit: & milites ad foſſas excubituros canes ſecum habere uoluit, ut nemo uel è longinquo mœnia inuaſurus lateret. Sigon. lib. 18. Imp occ.

*Exploratores.*

SVENO Danorum rex, Angliæ rege Eldredo pulſo, ad Anglorum conſilia anteuertenda, domeſticatim Danicos exploratores conſtituit, qui cuncta geſta dictaq; ſibi enunciarent. Dictus eſt is explorator, dominus Danus, uulgo Lordain. Quod nomen & Scoti & Angli deinceps ita uſurpauerunt, ut quẽ uiderint otioſum ac inutilem nebulonem, otio deditum, alienis laboribus quæritantem uictum, omniq; demum aſperſum infamia, Lordain uel hac ætate appellitent. H. Boëthius lib. 11.

## PIGNORE

*Coniugij.*

ALFONSVS Aragonius, Iſchia ſubacta, inſulanis omnibus propter expectationem pepercit, & ut in officio eos retineret, coloniam Catalanorum eò duxit, qui cõnubia cum inſulanis contraherẽt, eoſq; Hiſpanis paulatim conciliarent. Panormitanus, & Dominicus libro 1. Var. hiſt.

*Obſidum.*

P. VALERIVS Epidauri timẽs oppidanorum perfidiam, quia parum pręſidij habebat, gymnicos ludos procul ab urbe apparauit. Quò cùm omnis ferè multitudo ſpectãdi cauſa exiſſet, clauſit portas, nec in eas antè admiſit Epidaurios, quàm obſides à principibus acciperet. Front. lib. 2. cap. 11.

Q. SERTORIVS ex parentibus ſibi gentibus nobiliſſimos Oſcam amplam urbem contraxit, iiſq; doctores præfecit literarum Græcarum & Latinarum. Ita illos reuera obſides habebat, uerbo erudiebat: oſtendens, ubi creuiſſent, ciuitate Romana eos donaturũ ſe, atq; ad honores prouecturũ. Quorum genitores delectabantur, quòd filios conſpicerẽt prætextatos, decorè ad ludum literarium commeantes, pendentem pro his ſalarium Sertorium, crebrò ſumentem ſpecimen, præmiaque meritis tribuentem, & aureas bullas donantem. Plutarchus in Sertorio.

AVGVSTVS Cæſar à quibuſdam captiuorum hoſtium nouũ genus obſidum feminas exigere tentauit: quòd negligi marium pignora ſentiebat. & tamen poteſtatem ſemper omnibus fecit, quoties uellent, obſides recipiendi. Suetonius.

SEVERVS, recepto imperio, ubi primum Romã ingreſſus eſt, pro magno habuit negotio omnium, qui exercitib. præeſſent, liberos in ſuam poteſtatẽ redigere, redactos cuſtodire, ut illorum cauſa animos haberet parentum ad obſequium magis obnoxios. Contrà ipſe Imperator ſalutatus primùm omnium dedit operã, ut filij occultè ex urbe ſubtraherẽtur, ne in eos Iulianus ſæuiret. Nullũ COMMODVS princeps dimiſit cum imperio in prouinciam, cuius liberos obſidum loco non Romæ penes ſe habuerit. M. Tullius parentum delicta idcirco more maiorum expiata filiorum ſuppliciô credidit, ut illorum charitate ciues ab omni ſcelere arcerentur. Sabell. lib. 5. Ennead. 7.



*Mutui, Crediti.*

EVMENES contra Antigonum bellum gerens, ut à ſatrapis & ducibus tanquam obſides caperet, ne ipſum derelinquerent; prætexuit pecuniæ penuriam, & cohortatus eſt unumquenq;, ut pro uirib. mutuò darent regibus. Cùm accepiſſet quadringenta talenta à ducibus, à quibus expedire uidebatur, eos quos priùs habebat ſuſpectos inſidiarum aut captiuitatis; habuit fideliſſimos cuſtodes & pugnæ ſocios. Itaq; cum Argyraſpidum eum præfecti è medio tollere uellent, inuidia eius gloriæ commoti: Eudamus elephantis præpoſitus & Phædimus, ne fraudarentur credito argẽto, inſidias ei detexerunt. Diod. lib. 19. & Plut. in eius uita.

*Stipendiorum,*

IPHICRATES maximis copiis imperabat, tum terreſtribus tum naualibus. In ſtipendiorum diſtributione ſingulis menſibus quartam partẽ ſubtrahens, quaſi arrhabonem uniuſcuiuſq; retinebat, ne exercitum deſererẽt. Ita & multos ſemper habuit milites, & diuites: quippe qui mercedis quartam partem in ſubſidio habebant. Polyæn. lib. 3.

ROMANI ut in milite fides augeretur, & iis quos alea uel aliud malum profuſiores faciebat, frenum poneretur, omniũ congiariorum dimidiam partem ponere apud ſigna militẽ cogebant: ubi decem ſaccis, pro numero cohortium, quib. legio cõſtabat, ſanctè in maiores militum ipſorum uſus cuſtodiebatur. Fulg. lib. 2 cap. 1.

## OCCASIONIS ABLATIONE, SVBSTRACTIONE, EO CONSILIO

*Diſciplina mutatur.*

PHILOPOEMENES Achæorũ prætor, uictor de Spartanis Lycurgi inſtitutionem ſoluit & peruertit, compulitq; pueros & adultos, quaſi ex Lycurgi legibus nunquam moderatos ſpiritus geſturi eſſent, patriam cum Achaica commutare diſciplina. Plutarchus in Philopœmene.

*Mœnia deijciuntur.*

M. PORTIVS Cato deuictas à ſe Hiſpaniæ ciuitates exiſtimabat in tempore rebellaturas fiducia murorum. Scripſit itaq; ſingulis, ut diruerent munimenta: minatus bellum, niſi confeſtim obtemperaſſent: epiſtolaſq; uniuerſis ciuitatibus eodem die reddi iuſſit. Vnaquæq; urbium ſibi ſoli credidit imperatum. Contumaces conſpiratio potuit facere, ſi omnib. idem denunciari notum fuiſſet. Front. lib. 1. cap. 1. & Polyænus lib. 8. & Plin. de Viris illuſtribus.

*Arma adimuntur.*

PALÆSTINI uictis Iſraelitis, interdixerãt, ne ullus faber ferrarius apud eos habitaret, ut hac ratione armis eos penitùs exuerent. Vomeres quinetiam, ligones, ſecures è Palæſtinorum ciuitatibus petere cogebantur: illi ut maximè obtuſa eſſent hæc inſtrumenta, omnia curabant. Itaq; cùm Saulus rex contra contra Palæſtinos exercitum duceret, nullus in totis caſtris fuit, qui gladium aut lanceam haberet, rege eiuſq; filio Ionathane exceptis, & nihilominus tamen maximis cladibus à Saulo ſunt affecti. 1. Reg. 13.

MAGAS, à Cyrena expeditionem faciens, reliquit ſocios qui urbem tuerentur: inſtrumenta uerò, tela ac machinas in arcem incluſit, & mœniorum propugnacula ſuſtulit: ut ſi quid nouarum rerum molirentur, apertum haberet per mœnia introitum. Polyænus lib. 2.

THEODERICVS, Oſtrogothorũ rex, Italia potitus, edicto uetuit, ne quis Romanus aut Italus ortu militaret, uel arma domi haberet: Saionibus (ut ipſe appellat) ex Oſtrogotha gente, per Vrbem, & regiones Italiæ conſtitutis, qui præfectorum centurionumq; uice fungentes, gentiles ſuos in pace & otio, à ciuium & prouincialium iniuria prohiberent, educerentq; in turmas & phalanges, quum belli aut tumultus ratio poſtularet. Cranzius lib. 3. Saxoniæ, cap. 13.

*Regiones, Vrbes occupantur.*

CN. POMPEIVS cùm ſuſpectos haberet Catinenſes, & uereretur, ne præſidium non reciperent: petiit ab eis, ut ægros interim apud ſe refici paterentur: fortiſſimis deinde habitu languentium miſſis, ciuitatem occupauit continuitq;. Frontinus lib. 2. cap. 11.

C. IVL. Cæſar, qui ſuſpectam habebat Aegyptiorũ fidem, per ſpeciem ſecuritatis, inſpectione urbis, atque operum, ac ſimul licentioribus conuiuiis deditus, uideri uoluit captum ſeſe gratia locorum, & ad mores Alexandrinos uitamq; deficere: atq; inter eam diſſimulationem præparatis ſubſidiis, occupauit Aegyptum. Front. lib. 1. cap. 1.

FRIDERICVS II. Imperator, ex Hetruria in Apuliam diſceſſurus, cùm Samminiatẽſem populũ ad rebellionẽ ſpectare arbitraretur: miſit ad eos, qui nunciarent, ſe captiuos quos habebat, atq; theſaurũ ſuum Samminiatũ mittere uellẽ, & propterea hortari, ut fideliter ea uſq; ad eius reditum cuſtodire uellent. Populus eo inſperato commodo lætus, miſit qui renunciarent ex fide Samminiatenſes ea obſeruaturos. Fridericus igitur armis pro pecunia onuſtis aliquot iumentis, item cathenis iniectis quibuſdam ex militum ſuorum numero fortibus uiris, atq; ante eos miſſis nonnullis captiuis, inter quos fuit Petrus Vinea (cui illic poſtea oculos effodit) Samminiatenſis populus arbitratus ueros eſſe captiuos, quia uincula inſpexerat, cum ſarcinis omnes in oppidum accepit. Illi autem poſtea arreptis armis, ſtatim occupato oppido, Friderico defectionis ſuſpicionem, quam metuebat, ademerunt. Fulg. lib. 7. cap. 4.

*Abitus intercluditur.*

AGESIPOLIS Mantineam oppugnabat cum ſociis. Illi bene erga Mantinenſes affecti, tamen Lacedæmonios Græcię imperium tenentes ſequebantur ad bellum: clam uerò Mantinenſibus ea mittebant, quibus opus haberent. Ageſipolis cùm didiciſſet quæ fierent, multos canes circũ caſtra dimiſit, plures autem ea parte, quæ ſpectabat ad urbem, ne quis tranſiret metu canum. Polyæn. lib. 2.

CONON, relictus à ſociis, transfugam miſit, qui diceret hoſtibus, eos fugã parare. Item ex quò loco, & quo tempore. Illi eos ex inſidiis obſeruabãt. Tum Conon ſociis permiſit, ut ſecurè diſcederent. Ergo cùm ſentirẽt inſidias, redierunt: Polyænus lib. 1.

Ptolemæus in Aegypto contra ANTIGONVM Magnum caſtra habens, miſit quoſdam cum mandatis, ut clamarẽt, daturum ſe, ſi ab Antigono deficere uellent, in ſingulos gregarios milites binas minas, & in ſingulos præfectos ſingula talenta. Cùm multi ad eum deſciſcerent, Antigonus in ripa fluminis ſagittarios, funditores, & multa miſſilium tormenta diſpoſuit, & in contrariis nauibus adnauigantes repulit, ac quoſdam ex transfugis comprehenſos, diris ſuppliciis affecit, ut eorum exemplo reliquos ab eodem inſtituto deterreret. Diodorus lib. 20.

*Suſpecti aliò mittuntur.*

PERSÆ, cùm circa Mycalẽ Samios & Mileſios ſuſpectos haberent, iuſſerunt eos montes & iuga Mycalæ occupare: uerbo quidem, quòd regionis peritiam haberent: re autem ne ſua præſentia reliquos etiam Græcos corrumperent. Polyænus lib. 1.

Ex Patauio à Venetis recepto ciues permulti, quorum fides atque animus ſuſpectus erat, VENETIS quaſi Maximiliano Imp. Rom. fauerent, Venetias nominatim euocati ſunt, iuſſique inde, quo ad de bello decerneretur, non recedere. Bembus lib. 9. Hiſt. Ven.

*Colloquia prohibentur.*

Maximiliani I. Rom. Imp. legato Lucæ Reginaldo Venetias miſſo, ſocij ſunt atq; cuſtodes dati, ne qs eũ alloqui poſſet, cui PATRES id non permiſiſſent. Bembus lib. 7. Hiſt. Ven.

*Signa auferuntur.*

Obſeſſa à Martino Roſſemio Antuerpia, CONSVLES ſeuero edicto cauerunt, ne quiſquam è cuſtodiæ ſtationiſq; loco, uel in fortuito incẽdij diſcrimine, uti mos erat, ad reſtinguẽdũ ignẽ diſcurreret: ut ne horę quidẽ nocturnis diurniſq; officiis ſpacia populo nunciãtes, ullo in loco pulſarẽtur, edictoq; ſublatꝰ eſſet in ſacris turrib. cãpani ęris ſonitus, ne cõiuratis ad patrandũ facinus ſignũ daretur. Sab. Suppl. lib. 25.

## PRODITIONEM ET DEFECTIONEM COGNOSCERE ET DEPREHENDERE.

IPHICRATES in Chio explorare uolens qui Laconũ partibus fauerent, mandauit quibuſdã trierarchis, ut ſoluentes per noctem, interdiu cum Laconico cultu habituq; appellerent. Eos aduenientes conſpicati, qui Lacedæmoniorũ partes tuebantur, magna cum lætitia in portum accurrebant. Quos ille circumdatos iis quos ex urbe eduxerat, comprehendit, & puniendos Athenienſibus miſit. Polyæn. lib. 3.

LYSANDER Thaſios cepit, apud quos erant multi, qui Athenienſium partes ſecuti fuerant. Ii ſe ab Lacone occultabãt: qui conuocatis Thaſiis in templum Herculis, humaniſſimã orationem habuit: oportere ueniam dare his qui latêrent in commutatione rerum, & eos bonum animum gerere iuſſit: quippe cùm eam orationem in templo haberet, idq; in ciuitate Herculis aui. Ergo fidem habentes orationis benignitati, prodierunt. Lyſander paucis pòſt diebus eos interfici iuſſit. Polyænus lib. 1.

ALEXANDER in Hyrcania cùm audiſſet malos de ſe iactari ſermones à Macedonibus & Græcis, conuocatis amicis, dixit rem poſtulare, ut domum mitteret, qui nunciarent eum reuerſurum intra triẽnium. Idem etiã amicos ſuos familia-

ribus per literas ſcribere iuſſit, qui omnes ad unum ſcripſerunt. Cùm uerò tabellarij tres ſtathmos abeſſent, reuocatis iis, literas reſignauit: & quam ſententiam & opinionem haberent ſinguli, cognouit. Polyæn. lib. 4.

DATAMES in Cilicia contra Andophradatem ducem Artoxerxis fortiſſimè & feliciſſimè pugnarat. Rex per inſidias eũ interficere ſtuduit, quas ille pleraſq; uitauit. Cùm nũciatum eſſet, quoſdam ſibi inſidiari, qui in amicorum erant numero: de quibus quod inimici detulerant, neq; credendum, neque negligendum putauit, experiri uoluit, uerùm falſũmne ſibi eſſet relatum. Itaq; eò profectus eſt, in quo itinere futuras inſidias euenire dixerant. Sed elegit corpore & ſtatura ſimillimum ſui, eiq; ueſtitum ſuum dedit, atq; eo loco ire, quo ipſe conſueuerat, iuſſit. Ipſe autem ornatus ueſtitu militari, inter corporis cuſtodes iter facere cepit. At inſidiatores, poſtquam in eum locum agmen peruenit, decepti ordine atq; ueſtitu, in eum faciũt impetum qui ſuppoſitus erat. Prædixerat autem his Datames, cum quibus iter faciebat, ut parati eſſent facere quod ipſum uidiſſent. Ipſe ut concurrentes inſidiatores animaduertit, tela in eos coniecit. Hoc idem cùm uniuerſi feciſſent, priùs quàm peruenirẽt ad eum quem aggredi uolebant, confixi ceciderunt. Probus in Datame, & Polyænus lib. 7.

DIONYSIVS per mare ciuitatem aggreſſurus, ut fidem trierarchorum perſpiceret, neq; quiſquam ſciret quò nauigaturus eſſet: libellum nullis literis ſcriptum, obſignatum tamẽ, cuilibet trierarcho dedit: mandans, ut poſtquam deductis nauibus ſignum tolleretur, libellos ſoluerent: iiſq; lectis, eò curſum tenerent, quò ſcripta iuberent. Qui cùm ſoluiſſent, ille priuſquam ſignum datum eſſet, expeditam nauem conſcendit: & circumnauigans, à ſingulis trierarchis libellum repetiit. Quos quidem deprehenderet reſignaſſe ſigillum, quaſi proditores ad mortis ſupplicium trahi iuſſit. Reliquis alios libellos dedit, in quibus reuera ſcriptũ erat, quam ad ciuitatem nauigaturus eſſet. Eaq; res ad hunc modum arcana habita, effecit, ut Amphipolim nihil tale ſperantem, & præſidiis deſtitutam caperet. Polyæn. lib. 5.

GLOS in Cypro bellum gerebat: cumq; Græci, quos apud ſe habebat, iis, qui in Ionia uerſabantur, literas contra ipſum mitterent: ut nocentes deprehenderet, triremem adduxit, remigibuſq; uiaticum præbuit, atq; in Ioniam nauigare iuſſit. Cùm gubernator nauigationẽ data opera protraheret, multi multas epiſtolas remigibus dederunt. Qui ſoluentes, non procul ſupra urbem appulerunt. Ille pedes in eum locũ profectus, ubi triremis ſtabat, præcepit remigibus, ut omnes ſibi epiſtolas adferrent. In quibus cùm inueniſſet eos, qui contra ſe ſcripſerant: non ſubitò, ſed quæſtionib. examinatos interfecit. Polyænus libro 7.

Lycij à M. BRVTO trans Xanthum amnem urbe excluſi, cùm ſubter aquam natando urbem repeterent, occultis retiis cum tintinnabulis hinc inde diſpoſitis, per flumen proditi ſunt & capti. Sabellicus libro ſexto, capite ſexto.

C. MARIVS Coſ. bello Cimbrico & Teutonico, ad excutiendam Gallorum & Ligurum fidem, literas eis miſit. Quarum pars prior præcipiebat, ne interiores, quæ præſignatæ erãt, ante tempus certum aperirentur. Eaſdem poſtea ante præſtitutum diem repetiit: & quia reſignatas repererat, intellexit hoſtilia agitari. Front. lib. 1. cap. 2.

ROBERTVS I. Scotorũ rex, firmato regno, indicto Perthum procerum conuentu, mandauit, ut cuncti inſtrumẽta poſſeſſionis iuſtæ prædiorum ſuorum ſecum adferrent, quæ quũ multi non haberent, arma ſecum ſua tulere. Itaq; poſcente rege ut inſtrumenta oſtenderent, arma protulere. Rex, diſſimulata ira, collaudauit eos, ut uiros fortes, qui poſſeſſiones ſuas armis tutarentur: attamen occultã animo fouebat irã. Proinde conſpirarũt inter ſe nõnulli de tradendo regno in manus Eduardi II. Anglorũ regis. Cæterũ die horaq; ab indice ad regẽ perlata, impoſito in uia præſidio, literæ ad Eduardum miſſæ intercipiuntur. Rex cõiuratos omnes ex literis cognitos ad ſe uocat, uti de reb. aliis aliquibus acturus: prolatis literis rogat eos rex, num ſigillum quiſq; ſuum agnoſceret? Quæ quũ taciti confiterentur, Perthũ ſunt ducti: conſilioq; illuc confeſtim uocato (quod exinde Parlamẽtum nigrũ uernacula lingua uocatum eſt) primũ omniũ Dauidẽ, ſuum ex ſorore nepotẽ quòd à coniuratis fruſtra licèt ſollicitatus, coniurationem tamen non detexiſſet, culpæ utcunq; affinem, liberari quidem cupiebat, ſi qui deprecatores interceſſiſſent: cęterùm nemine intercedẽte, capitali ſupplicio affecit. Poſtero die cæteris coniuratis ad tribunal perductis, ſimilem de illis ſententiam pronunciauit, ac inſuper ut proditorum more, religatis ad equorũ caudas pedibus, ad ſupplicij traherentur locum. Tum coniuratorum amici ſupplices ad Regem accurrere, pœnamq; deprecari. Verùm rex omnium auerſatus preces, Præterlapſum, inquit, indulgentiæ ac ueniæ heſterno die tempus eſt, quum innoxium penè præ his Dauidem meum ad mortem omnes ęquo animo duci contuebamini. H. Boëth. lib. 14.

HISPANI milites ex Maximiliani Imp. exercitu, qui Veronæ erat, cùm uiderent Venetos urbem obſeſſuros, ut quid quęque domus atque familia uoluntatis in remp. haberet, ſi poſſent, fallendo cognoſcerent: nocte intempeſta per oppidum cum magno armorum ſonitu incitati cucurrerunt, nomenque Marcum, quod eſt inſigne reip. ſæpè in curſu conclamauerunt. Quo exaudito, à pleriſq; illos eſſe Venetos credentibus, qui ſe in oppidum intuliſſent, eadem nominis acclamatione eſt reſponſum datum, ſalutatioq; ueluti mutua facta. Illi eas domos, unde uoces ueniebant, atramento ſignauerunt, poſteroq; die repetitis notis omnes ad unã diripuerũt. Quibus reb. conſequuti ſunt, ut & reliquis amicis reip. timor iniiceretur, ne quid ultrà facere aut dicere auderent, & ipſi præda illa pro ſtipendio, quod non perſoluebatur, ad ſe ſuſtinendos uterentur. Bembus lib. 10. Hiſt. Ven.

## DEFECTIONEM ET PRODITIONEM IAM COEPTAM corrigere. Nempe Defectores & Proditores

### HOSTIBVS REDDERE

*Suſpectos.*

Andronicus Lapardas Adrianopolitanus, legionum contrà Hũgariç regem Belam dux, ab ANDRONICO Comneno tyranno defecit. Andronicus cùm ſciret, quantum ille uir auctoritate poſſet, callido cõſilio epiſtolas dedit ad primarios Orientalium prouinciarum præſides, quibus aſſeuerabat, Lapardam à ſe in Aſiam miſſum eſſe: qui quicquid acturus eſſet, certis de cauſis aliter, quàm pleriq; ſuſpicarentur, pro ſtabiliendo ipſius imperio acturus eſſet. Quę eò pertinebãt, ut uulgi impetum reprimeret, ſuſpicantis ſubeſſe dolum, quod Lapardas ſe pro Andronici aduerſario gerens, manum faceret: Andronicus uerò deſertoris fidem prædicaret, atq; ut à ſe miſſum ſuſcipi iuberet. Nec multo pòſt Lapardas traiecturus Adramyti à quodã Cephala uiro potenti captus, Comneno traditur: à quo oculis effoſſis in Pantepopti monaſterium coniectus eſt. Nicetas lib. 1.

IPHICRATES, cùm duo mercenarij ad Lacedæmonios transfugiſſent, clandeſtinas literas ad duces eorum, qui defecerant, miſit: admonens, ut conſtituti temporis meminiſſent, quo etiam ex Athenis auxilium expectaret: ſciens epiſtolam ad cuſtodes uiarum peruenturam. Poſtquam autem uiarum cuſtodes literas attulerunt Lacedæmoniis, illi comprehendendos transfugas exiſtimauerunt. Quibus nihil optatius fuit, quàm ut effugere poſſent, cùm Athenienſibus perfidi extitiſſent, Lacedæmoniis tantummodo uiderentur. Polyænus libro tertio.

*Inimicos.*

Poſteaquam Pelopidas tyrannide & præſidio Spartanorum Thebas liberauit, magnis copiis Bœotiam Lacedæmonij inuaſerunt. Trepidantes Athenienſes renunciauerunt Thebanis ſocietatem: eoſque, qui cum Bœotis faciebant, iudiciis afflixerunt, partimque morte affecerunt, partim egerũt in exilium, nonnullos pecunia multauerunt. De Thebanis undique deſtitutis actum uidebatur. Erat id temporis PELOPIDAS cum Gorgida Bœotarches. Hi machinantes committere denuò Athenienſes cum Lacedæmoniis, ſtruũt rem huiuſcemodi. Sphodrias Spartanus magnis quidem rebus bello geſtis clarus & celebris, ſed uanior, & ſpe inani, ſtultaque inflatus ambitione, cum exercitu relictus ad Theſpias fuit, ut perfugas Thebanorum reciperet, adiuuaretque. Ad hunc Pelopidas priuatim mercatorem quendã, quo familiariter utebatur, cum numis ablegat clàm & cum uerbis, quæ efficaciùs, illum quàm pecunia impulerũt: Præſtare maiora aggredi, & capere ex improuiſo ſecuris Athenienſibus Piræeum. nihil enim perinde Lacedæmoniis expectatum fore, quàm tenere Athenas: neque Thebanos iis infeſtos, qui eos proditorum loco habeant, laturos opem. Inductus Sphodrias nocte ſigna mouit in Atticam, atq; Eleuſina uſque progreſſus eſt. Inde ignauia militum re infecta, cùm detectum conſilium eſſet, & bellum cõſciuiſſet Lacedæmoniis non mediocre nec leue, agmen Theſpias reduxit. Hinc ſociauerunt Thebanis arma Athenienſes promtiſſimè: mareque aſſeruerunt, ac circumuecti Græciam, receperunt & allexerunt eos, qui ſpectabant ad defectionem. Plutarchus in Pelopida.

*Inutiles, Damnoſos, Noxios.*

VENTIDIVS Parthico bello aduerſus Pacorum regem, non ignarus Phatneum quendam natione Cyrrheſten, ex his, qui ſocij uidebãtur, omnia, quæ apud ipſos agebãtur, nunciare Parthis: perfidiam barbari ad utilitates ſuas conuertit. Nã quæ maximè fieri cupiebat, ea uereri ſe, ne acciderent: quæ timebat, ea ut euenirẽt, optare ſe ſimulabat. Sollicitus itaque, ne Parthi antè tranſirent Euphratẽ, quàm ſibi ſuperuenirent legiones, quas in Cappadocia trans Taurũ habebat: ſtudioſè cum proditore egit, uti ſolẽni perfidia Parthis ſuaderet, per Zeugma traiicerent exercitũ: quà & breuiſſimũ iter eſt, & omiſſo alueo Euphrates decurrit. Namq; ſi illac uenirent, aſſeuerabat ſe opportunitate collium uſurum, ad eludendos ſagittarios. omnia aũt uereri, ſi ſe in patẽtes cãpos proieciſſent. Inducti hac affirmatione Barbari, inferiore itinere per circuitũ adduxerunt exercitũ: dumq; fuſiores ripas, & ob hoc operoſiores pontes iungunt, inſtrumentaq; moliũtur, quadraginta ampliùs dies impenderũt: quo ſpacio Ventidius ad contrahendas uſus eſt copias, eiſq; triduo antè, quàm Parthus adueniret, receptis, acie commiſſa, uicit Parthos, & interfecit. Front. lib. 1. cap. 1.



### NOBIS REDDERE AMICOS, RECONCILIARE. Videlicet

*Diſſimulatione perfidiæ.*

Caſtrametantibus Græcis ad Platæas contra Mardonium, Athenienſes quidam ex illuſtribus familiis, quorum opes bella euerterant, Platæis coiuerunt, & de euertenda populi auctoritate, aut certè de ſumma rerum Barbaris prodenda cõiurarunt. Ariſtides Athenienſium dux proditionem odoratus, & articulum ueritus, ſtatuit neq; negligere rem, neque totam excutere, incertus ad quàm multos ea quæſtio pertinere poſſet: maluitque iuſtitiæ quàm utilitati publicæ imponere modum. Igitur ex multis corripit octo tantùm. Quorum duo, quibus iudicium fuit primis dictatum, quiq; maximè ſontes erant, Aeſchines Lamprenſis & Ageſilas Acharnenſis ex caſtris profugêre. Cæteros dimiſit, animum recipiendi & pœnitentiæ locum dans iis, qui de ſe nondum cõpertum arbitrabantur: admonenſq; magnum ipſis propoſitum forum eſſe bellum, quo ſi rectè atque iuſtè conſulerent patriæ, diluere crimina ualerent. Plut. in Ariſtide.

Eo prelio, quo Poloni Cruciferos ad Gronewaldam magna affecerunt clade, Boëmi & Morawi mercenarij Polonorum cum uno uexillo, cuius ſignifer fuit Ioãnes Zarnouius Boëmus, ſiue metu, ſiue auro Cruciferorum corrupti, ſub initiũ pugnæ receſſerunt. Conſpicatus autem eos in ſylua NICOLAVS Tramba procancellarius, cùm ex acie iuſſu regis in caſtra cum cætera imbelli turba reuerteretur, accurrit ad eos, & grauiter obiurgatos, in aciem redire compulit. Reuerſi in aciem, ſpeciem noui exercitus hoſtibus præbuêre, terroremq; addidêre. Cromerus lib. 16.

*Religionis ſimulatione.*

DARIVS, Aegyptiis non ferentibus Oriandri ſatrapæ crudelitatem, ob eamq; cauſam deficientibus, ipſe per deſertum Arabiæ profectus, Memphin peruenit. Per id tempus Aegyptij Apim uita defunctum, communi luctu proſequebantur. Darius promulgauit, ſe ei qui Apim adduxiſſet, centum auri talenta daturum. Illi pietatem eius admirati, non ampliùs cum defectoribus ſtabant, ſed Dario ſeſe tradebant. Polyænus lib. 7.

*Comitate.*

PISISTRATVS, Athenienſium tyrannus, quum aliquot amici, qui ab ipſo defecerant, Phylen occupaſſent, uenit ad illos ſtragulas in ſarcinam colligatas ipſe portãs. Cæterùm illis, Quid ſibi uellet? percõtantibus: Vt, inquit, ſi perſuaſero, reducam uos: ſi non perſuaſero, maneam uobiſcum. ob hoc enim ueni cum ſarcinis. Plut. in Apophtheg.

### INNOXIOS, NE NOCERE poſſint: nempe uel

*Dimittendo.*

ANTIPATER, conſpecto priore Neciorum exercitu (qui audita morte Alexandri ad infeſtandum imperium eius confluxerant) diſſimulans, ſe ſcire, qua mente ueniſſent, gratias illis egit, quòd auxilium ferendum Alexandro aduerſus Lacedæmonios conueniſſent: adiecitq;, id ſe regi ſcripturum. Cæterùm ipſos (quia ſibi opera eorum in præſentia non eſſet neceſſaria) abirent domos, hortatus eſt: & hac aſſeueratione periculum, quod ex nouitatè rerum imminêbat, diſcuſſit. Frontinus lib. 3. cap. 11.

*Excludendo.*

DIODORVS, cùm præſidio Amphipolim tueretur, & duo millia Thracũ ſuſpecta haberet, quæ uidebantur urbem direptura, mentitus eſt paucas hoſtium naues proximo litori applicuiſſe, eaſq; diripi poſſe. Qua ſpe ſtimulatos Thracas emiſit, ac deinde clauſis portis non recepit. Front. lib. 3. c. 16.

*Diſſimulando illorum perfidiam.*

*Ex Tit. Metum eximere militibus ex Noſtrorum defectione ortum, huc quædam exempla quadrabunt.*

## PRODITORES, TRANSFVGAS, DEFECTORES circumuenire & punire.

*Pœna proditorum, transfugarum, & defectorum, per ſe ad διορθωτικὴν Iuſtitiam pertinet. Quatenus uerò aſtu circumueniuntur, ſic ad hunc locum referri debet. Etſi non pauca exempla, ad Aſtutiam potius quàm ad Prudentiam pertinebunt, ſi Iuſtitiam gnomonis loco adhibeamus.*

IPHICRATES dux Athenienſium, claſſem ſuam hoſtili habitu inſtruxit: & ad eos, quos ſuſpectos habebat, inuectus, cũ effuſo ſtudio exciperetur, deprehenſa eorum perfidia, oppidum diripuit. Frontin. lib. 4. cap. 7.

IDEM cùm eſſet Corinthi, audiens eos, qui cõtrariam factionem tuebantur, mercenarios ex Lacedæmone in urbem accepturos eſſe, ſuis militibus excitatis, alios reliquit intus præſidij cauſa, alios extra portas eductos in ordines redegit: & ad illam portam feſtinauit, quam patefecerunt, qui hoſtes acceptos introducebant. Poſtremis introeuntibus repentè incumbens ſecutus eſt, & in ciuitatem ſimul irruit. Cùm autem res in obſcuro nocturno tempore gereretur, multos ex ipſis trucidauit. Illuceſcente die multos ad aras perfugientes confecit. Polyæn. lib. 3.

IDEM Acæ, cùm audiſſet duos duces proditionem moliri, uocatis præſtantiſſimis, qui erant in exercitu, mãdauit, ut cùm aduerſarios proditionis cauſa accerſens rem peruestigaret, ipſi confeſtim arma illis & illorum manipulis eriperent. Iphicrates ergo probata ac demonſtrata proditione, duces quidem mortis ſupplicio affecit, milites uerò nudos è caſtris expulit. Ibidem.

CASSANDER Nicanorem præfectum Munychiæ, & iniquo animo erga ſe affectum, dolo cepit. Etenim ſe diſceſſurum ex Attica cum nauibus ſimulabat. Cui iam conſcenſuro nauim, tabellarius literas reddidit ab amicis: Macedones eum ad regnum capeſſendũ accerſere, propter ciuium in Polyperchontem odium. His lectis, Caſſander lætabundus atq; hilaris factus eſt: & Nicanorem comitantem cõplexus, gratulabatur, &, Nunc, aiebat, aliter nobis de rebus cõſultandum eſt, ac de communi ſententia imperium ordinandum. Hæc dicens, tacitè perduxit eum in uicinam quandam domum, hoc prætextu, ut cum eo ſolo de rebus arcanis diſſereret. Erat autem in domo manipulus ſatellitũ abſtruſus, qui comprehenſum Nicanorem cuſtodierunt. Caſſander extemplò concionem conuocauit, iiſq;, qui Nicanorem uellent accuſare, poteſtatem conceſſit. Interea dum in eum crimina conferuntur, Munychiam recepit. Nicanorem uerò, qui multa ſcelera contra ius & fas licenter patrarat, morti in concione adiudicarunt. Polyænus lib. 4.

CLEARCHVS, cùm defeciſſent Byzantij, multatus ab Ephoris, Lampſacum cum quatuor nauibus peruenit, atq; ibi uitam egit, temulentiã & efferatam petulantiam præ ſe ferẽs. Oppugnati à Thracibus Byzantini, miſerunt duces ad Clearchum petendi auxilij cauſa. Ipſe quaſi crapula impeditus, tertio demum die eos admiſit, & ſe precantium miſereri inquiẽs, opem addixit. Impletis igitur duabus nauibus præter illas quatuor, nauigauit Byzantium: & conuocata concione, ſuaſit, ut omnes equites & armati naues conſcenderent, aque tergo impetũ in Thraces facerent: gubernatores uerò oẽs ſoluentes in anchoris fluctuarent, ſi pugnæ ſignum ab ipſo tolleretur. Cùm ita ſoluiſſent omnes, Clearchus ſitire ſe dicens ad duces, & propè uidens cauponã, ingreſſus cũ ipſis, impoſito præſidio intus interfecit utroſq;: & claudens cauponam, præcepit cauponi, ut de interfectis ducibus ſileret. Ciuibus ſoluẽtibus, ipſe ſuis ducibus repentè introductis, Byzantium obtinuit. Polyæn. lib. 2.

PHOCENSES Phoxum ducem ſecuti, Mandroni Bebrycum regi, qui à finitimis Barbaris oppugnabatur, auxilium ferebant. Mandro Phocenſibus perſuaſit, ut partem aliquam regionis atque urbis delectam incolerent. Qui cùm ſæpenumerò uictores è pugnis reuerterentur, magnamque ſpoliorum copiam acquirerent, inuidiam Bebrycum erga ſe concitarunt: adeò ut Mandro de inquilinorum cæde conſilium iniret. Mandronis filia Lampſace uirgo, cognitis inſidiis, cùm eos deterrere à propoſito non poſſet, clàm Grecis conſilium contra eos initum enunciat. Qui ſacrificiũ ſplendidum extra mœnia parantes, Barbaros in ſuburbium ad epulas inuitant. Illi concluſi epulabantur. Phocẽſes in duas ſeſe

ſeſe partes diuiſerunt: quorum alteri muros occuparunt, alteri conuiuantes & uino indulgentes peremerunt, urbemq; ipſi obtinuerũt. Lampſacen autẽ honorificẽtiſſimis pręmiis affecerũt, & ciuitatẽ ab ea Lãpſacũ nominarũt. Polyæn.l.8.

MELII Cariam, duce Symphæo, inhabitare cœperunt. Cares, qui Chryaſum incolebant, inſidias eis ſtruebant. Vocãt eos ad publicum cõuiuium. Carena uirgo flagrans amore Symphæi, inſidias ei patefecit. Ille ad Cares inquit, legem eſſe Græcis, ut cum uxoribus ad cœnam ueniant. Cares igitur iuſſerunt, ut etiam uxores adducerent. Melij ipſi quidem ſine armis, ſolis tunicis induti, ueniunt. At mulieres ſingulæ enſem in ſinu ferunt, & quælibet iuxta ſuum maritum aſſidet. Cùm uerò inter cœnandum Carium ſignũ animaduertiſſent, mulieres ſimul omnes ſinus aperuerunt. Viri ſumtis enſibus, Barbaros aggrediebantur, & omnibus interfectis, urbem regionemq; ipſorum incoluerunt. Polyænus lib.8.

DEMETRIVS Poliorcetes, Diodoro phrurarcho Epheſum cuſtodiendam tradidit, & Cariam uerſus nauigauit. At ille cum Lyſimacho pactus eſt, ſe quinquaginta acceptis talentis urbem ei proditurum. Demetrius adiuncto Nicanore, in portum Epheſiorum adnauigans, in cauitate nauis occulebatur. Nicanor apertè Diodorum euocat, quaſi de militib. cum eo diſſerturus, ut eis tutò diſcedendi facultatem concederet. Ille Nicanorem ſolum uenire arbitratus, cõſcenſa celoce remigabili, fœdus icere paratus erat. Cùm autem appropinquaſſet, exiliẽs è caua naue Demetrius, celocem unà cum ipſis hominibus ſubmerſit. Polyæn. lib.4.

Demetrius rex, HERACLIDE Athenis pręſidij cauſſa relicto, in Lydia uerſabatur. Duces Athenienſium, Herculi Cari, mercenariorum duci perſuaſerunt, ut portas noctu patefaceret, & milites Atticos reciperet, qui Heraclidem interficerent. Heraclides re cognita fecit, ut aperta quadam parte dũtaxat portarũ, noctu reciperẽtur quadringẽti & uiginti uiri. Quibus duo millia militũ immiſit, eoſq; cõfecit. Polyæn.l.5.

ANTIGONVS rex, cùm audiſſet Pithonem Mediæ præfectũ peregrinum exercitum cõſcribere, & pecunias colligere, eo conſilio, ut defectionem faceret, ſimulabat ſe fidem nõ adhibere nunciantibus, inquiens: Ego uerò nequaqã crediderim hoc agere Pithonem, cui ego quinq; millia Macedonũ armatorum atq; Thracum, & mille præfecturæ cuſtodes paraui, quos ei mitterem. His auditis, Pithon credit humanitati: & confeſtim uenit ad recipiendum auxilia. Antigonus uerò Pithonem in medium Macedonum introductum cepit, & punitum morte mulctauit. Polyæn.lib.4.

IDEM in Cappadocia hybernabat. Defecerunt ab eo Macedonum armatorum tria millia. Hi collibus munitioribus occupatis, Lycaoniam populabantur, atq; iam etiam Phrygiam. Antigonus tot homines morte mulctare, crudele & inhumanum putabat. Metuebat autem, ne ſe cum hoſtibus, quorum Lacetas principatum tenebat, coniungerent. Itaq; miſit ad eos Leonidam, unum de ſuis ducibus, qui ſe participem defectionis præberet. Illi hominem libenter recęperũt, eumq; ducem crearunt. Leonidas primùm eis perſuaſit, ne cum aliquo ſe coniungerent. Poſtea deduxit eos à collibus in locum equitibus idoneum, cùm ipſi carerent equis. Hîc adequitans Antigonus, Holciam, atque duos auctores defectionis comprehendit. Illi pro ſalute impetranda ſupplices illi ſe abiecerunt: qui promiſit ſe eis diſcedendi facultatem permiſſurum, ſi quiete ac ſine turba reuerti in Macedoniã uellent. His cõditionib. domũ regreſſi ſunt. Polyæn.l.4.

ARSAMES, defectione à rege facta, potitus maiore Phrygia, cum iis qui contra eum ab rege miſſi fuerant, prælium conſerere inſtituit. Præfectus equitũ cũ hoſtib. paciſcebatur, ſe, cùm in aciem uentũ eſſet, ad eos tranſiturũ. Arſames proditione cognita, per noctem ad præfecti equitũ tabernaculũ adiens, eum in quæſtionib. examinauit. Qui cùm facinus confiteretur, equitum arma, ueſteſq; aliis induendas dedit, quibus ſummam fidem habebat: & equitũ præfecti armatura quendã alium Hipparchũ inſtruxit: eiſq; præcepit, ut cùm ſignum ab hoſtibus ſublatũ cernerent, ad eos tranſirent, & obequitantes prætereunteſq; eorum agmen, à tergo cõuerſi, impetum in eos darent. His ita conſtitutis, à tergo impreſſionem faciebant. Arſames autem à facie exercitum adduxit. Hoſtes ordinibus diſſolutis terga uerterunt, & cõplures ex eis inter fugiendum perierunt. Polyæn.lib.7.

Rex Artaxerxes Oronti mãdauit, ut Teribazum Aegypti ſatrapã uinctum ſibi mitteret. ORONTES (metuebat enim Teribazum) per inſidias hominẽ cepit, hoc ferè pacto. Domus erat, quæ ſpecum profundam habebat. Super ſpecu lectum collocauit, uariis tapetibus ornatum. Vocat Teribazũ, quaſi colloquium cum eo habiturus. Teribazus ingreſſus, conſedit, & per lectum in foſſam delatus atq; comprehenſus, ad regem uinctus mittitur. Polyæn.lib.7.

ARTAXERXES rex ad cõprehendendum Tiſſaphernẽ miſit Tithrauſtem, duas epiſtolas ferentẽ: unam ad ipſum, de bello contra Græcos, ſummã omnium rerũ ei permittens: alteram ad Ariæum, ut eum cum Tithrauſtẽ cõprehenderet. Ariæus lectis literis, in urbe Phrygię Coloſſis, Tiſſaphernẽ uocauit ad cõmunicanda conſilia cùm de reb. aliis, tum in primis de Græcis. Ille nihil ſuſpicatus mali, copias Sardis reliquit. Ipſe uerò cum trecentis delectis Arcadibus & Mileſiis profectus, apud Ariæũ diuertit: iamq; balneis operã dans, acinacẽ depoſuerat. Ariæus cum famulis eum cõprehendit, cõcluſumq;, in currum obductũ Tithrauſti agendum dedit. Qui Celęnas uſq; inſutũ duxit. Ibi abſciſſum eius caput regi tulit. Rex matri Pariſatidi miſit, quæ maximè pœnas ob Cyri mortẽ ab Tiſſapherne repetere cupiebat: Græcorumq; omnium ferè matres aut uxores ſuppliciũ Tiſſaphernis probarunt, eò quòd Græcos fraude circũuenerat. Polyæn.lib.7.

LEVCON bello contra Heracleotas, animaduertens aliquos ex trierarchis proditionẽ moliri, & tranſitionẽ ad hoſtes parare: cõprehendi eos iuſſit, & Ad ſe, inquit, parum honeſtos ſermones de ipſis deferri: uerùm ſe fidẽ iis non habere. Nõ igitur, ſi fortuna & caſus uictoriã hoſtib. dediſſet, ipſi in ſuſpicionẽ criminis uenirent, eos quieſcere iuſſit: alioſq; trierarchos in eorũ locũ ſuffecit. Familiaribus aũt ſuſpectorũ, magiſtratus uicorumq; principatus cõmiſit, quaſi amicò erga eos animo affectus. Cùm uerò bello finẽ impoſuiſſet, iuſtũ, inquit, eſſe, ut in ſuſpectos inquiſitio fieret, ne ſine ratione fidẽ illis non habuiſſe putaretur. Qui cùm in curiã ueniſſent unà cum familiaribus, incluſos armata militũ manu, omnes ad unum morte affici iuſſit. Polyæn.lib.6.

IDEM cùm intellexiſſet ſibi multos ciues inſidias parare, conuocatis mercatorib. omnibus, tantùm pecuniarũ à ſingulis mutuò accepit, quantũ habebant: inquiens, hoſtes ſibi per proditionẽ dedi. Mercatores promtis animis mutuò pecunias dederũt. Ille, cõductis ipſis in aulam, cõfeſſus eſt hoſtiũ inſidias: hortatuſq; eſt, ut ſui corporis eſſent cuſtodes. Etenim tũ demùm eos pecunias recuperaturos, ſi ſe incolumẽ & ſaluũ cõſeruaſſent. Quo factũ eſt, ut pecuniarũ cauſa mercatores armis ſumtis, alij corpus Leuconis ſtiparent, alij regiam tuerentur. Leucon horũ, atq; amiciſſimorũ, quos circa ſe habebat auxilio, participes coniurationis comprehenſos, trucidauit: imperioq; pacato, pecunias reddidit. Ibidẽ.

SEILES ut tria millia Perſarum, qui nouis reb. ſtudebãt, morti traderet, finxit Seleucum per literas ſibi grauiter minari: ſe uerò ipſorũ auxilio ad præuertendam eius irã uti ſtatuiſſe. Ad conſiliũ igitur agitandum conſtituit, ut omnes in uicũ quendã, nomine Rhaudam, conuenirent. Illi credẽtes eius ſermonibus, uenerũt. At ipſe (erat enim palus ſub uico profunda) in eo loco Macedoniam & Thracũ equitibus trecentis armatiſq; ter mille collocatis, præcepit, ut cùm peltã ferreã tolli uidiſſent, excurſione facta, omnes ibi collectos perimerent. Qui oſtenſa pelta excurrentes, tria millia Perſarum ad unum omnes conciderunt. Ibidem.

DATAMES Car dux Perſarũ, à Perſarũ rege deficiens, Paphlagoniam & Ciliciã occupauerat. Audiens Piſidas quaſdã copias aduerſus ſe parare, filiũ eò Arideum cũ exercitu mittit. Qui cùm in prælio cecidiſſet, ꝓficiſcitur eò pater parua manu. Erat aũt cum eo Metrobarzanes ſocer eius, præfectus equitũ. Is deſperatis reb. generi, ad hoſtes transfugit. Id Datames ubi audiuit, in uulgus edit Metrobarzanẽ ſuo iuſſu profectũ pro perfuga, quò receptus faciliùs hoſtes interficeret. Quare relinqui eũ nõ par eſſe, ſed oẽs cõfeſtim ſequi. Quod ſi animo ſtrenuo feciſſent, futurũ ut aduerſarij nõ poſſent reſiſtere, quũ & intra uallum & foris cæderentur. Hac re probata exercitũ educit, Metrobarzanẽ perſequitur, qui iã ad hoſtes peruenerat: Datames ſigna inferri iubet. Piſidę noua re cõmoti, exiſtimãtes ꝑfugas mala fide cõpoſitoq; feciſſe, ut recepti eſſent maiori calamitati: primùm eos adoriũtur. Illi cur id fieret cũ ignorarent, coacti ſunt cũ eis pugnare ad quos tranſierãt, ab hiſq; ſtare quos reliquerãt. Quibus cùm neutri parcerent, celeriter ſunt conciſi. Probus in eius uita.

ABORZVS cùm à tribus millibus hominum Perſidem incolentiũ ſibi inſidias parari ſenſiſſet, eos ablegauit, additis uiarũ ducibus, qui deduxerunt eos in locũ quendã Perſidis nomine Comaſtum. Ibi uicorum inſignis multitudo, hominumq; magna frequentia, multaq; diuerſoria. Cùm autem alius apud alium hoſpitem diuerteret, fortiſſimo præſidio uicos cingente, quilibet hoſpes ſuum hoſpitem inebriatum occidit. Corpora uerò trium millium terræ mandata per noctem, deq; medio ſublata ſunt. Polyd.lib.7.

AGATHOCLES cũ reſciſſet, à Tiſarcho, Anthropino & Diocle ſibi inſidias parari, accerſiuit eos, magnumque exercitum ipſis commiſit, ut egreſſi ſociæ cuidam ciuitati, quæ ab hoſtibus oppugnabatur, auxilio uenirẽt: Et cras, inquit, in Timoleontium conueniemus cum armis & equis, omnemque expeditionem ordinabimus. Illi lubentibus animis hæc receperunt, quòd etiam ſe militares copias ad aggrediendum regem habituros putabãt. Poſtridie cùm in Timoleontium conueniſſent, Agathocles ſignum ad eos comprehendendos dedit. Reliqui audito ſigno, Dioclem, Tiſarchium & Anthropinum cum uniuerſo ſatellitio ad ducentos confoderũt: omneſq;, quotquot his opẽ uellent adferre, ſimul neci dederunt, nõ minus ſexcentis. Polyęn.lib.5.



HERMOCRATES Syracuſiis factionem mouentibus, & magnam ſeruorum manum colligentibus, ad ducem ipſorum Soſiſtratum miſit legatum, unum ex pręfectis equitum Daimachũ, cum quo intercedebat ei uſus & amicitia: nunciantem, duces admirantes fortitudinem ipſius, in animo habere omnes liberos dimittere, omnibuſque arma & æqualem commeatum tribuere: ipſum uerò Soſiſtratum in ducum conſortium aſſumere. atque iam ueniret, conſilium cum ducibus de communibus rebus capturus. Soſiſtratus amicitia Daimachi fretus, aſſumtis uiginti ſeruis præſtantiſſimis, uenit ad ipſos. Quibus comprehenſis, & in uincula coniectis, Hermocrates cum ſexcentis armatis egreſſus, cùm ſeruos cepiſſet, eis iurauit per ſuam fidem, nihil ipſis periculi futurum, ſi quilibet ad ſuum dominum rediſſet. Perſuaſi redierunt. nam ferè trecenti ad Athenienſes transfugerant. Polyænus lib.1.

TVLLVS Hoſtilius, cognita Metij Suffetij Albanorum dictatoris proditione, eo pręlio, quod contra Veientes & Fidenates geſſit: cum patribus conſilium cepit Albæ diruendæ, quæ æmula eſſet Romæ. Ergo Albanis in caſtris exiſtẽtibus, miſit eò M. Horatium cum cohortibus, qui ciuitatem incenderet & euerteret. Sic urbs ciuib. exhauſta, ſolo æquata eſt, quadringẽteſimo fermè anno, ex quo ab Aſcanio eſt cõdita. Halicarnaſſeus Dionyſius quingentos minus tredecim ſtetiſſe annos, uno atque altero loco ſignificare uidetur, triginta in Latio coloniarum matrem. Albæ excidio Roma aucta eſt, duplicatuſque ciuium numerus: Cælius mons, quo laxiùs incoleretur, urbi additus, ubi Tullus ſibi regiam cepit. Albani genere & opibus illuſtres in patres leguntur, Iulij, Seruilij, Geganij, Curiatij, Clœlij, adduntur à nonnullis Metilij & Quintilij. Ipſum uerò Metium Dictatorem, diſſimulato proditionis crimine, in populi concionem productum, capitiſque damnatum, quadrigis dilacerandum obiecit. Sabellicus lib.4. En.2.

L. PINARIVS in Sicilia præſidio Hennæ præpoſitus, claues portarum, quas penes ſe habebat, repoſcentibus magiſtratibus Hennenſium, quòd ſuſpectos eos tanquam tranſitionem ad Pœnum pararent, habebat, petiit unius noctis ad deliberationem ſpacium: indicataq; militibus fraude Græcorum, cùm præcepiſſet, ut parati poſtera die ſignum expectarent, prima luce aſſiſtẽtibus militibus redditurum ſe claues dixit, ſi idem omnes Hẽnenſes cenſuiſſent. Ob eam cauſam uniuerſa multitudine conuocata in theatrum, & idem flagitante, manifeſta deficiendi uoluntate, ſigno militantibus dato, uniuerſos Hennenſes cecidit. Front. lib. 4. capite 7. & Polyænus lib.8.

HANNO, Carthaginenſium imperator in Sicilia, cùm comperiſſet Gallorum mercenariorum circiter quatuor millia cõſpiraſſe ad transfugiendum ad Romanos, quòd aliquot menſium mercedes non receperant, animaduertere autem in eos non auderet metu ſeditionis: promiſit dilationis iniuriam liberalitate penſaturum. Quo nomine gratias agentibus Gallis, per tempus idoneum datis pollicitis, fideliſſimum diſpenſatorem ad Otacilium Coſs. miſit: qui tãquam rationibus interuerſis tranſfugiſſet, nunciauit nocte proxima Gallorum quatuor millia, quæ prædatum forent miſſa, poſſe excipi. Otacilius nec ſtatim credidit transfugæ, nec tamen rem ſpernendam ratus, diſpoſuit in inſidiis lectiſſimam manũ ſuorum. Ab ea Galli excepti, dupliciter Hannonis conſilio ſatis fecerunt: & Romanos ceciderunt, & ipſi interfecti ſunt. Front.lib.3.cap.16.

HANNIBAL ſimili conſilio transfugas ultus eſt. Nam cùm aliquos ex militibus ſciret transfugiſſe proxima nocte, nec ignoraret exploratores hoſtiũ in caſtris ſuis eſſe, palàm pronunciauit: non debere transfugas uocari ſolertiſſimos milites, qui ipſius iuſſu exiiſſent ad excipienda hoſtium conſilia. Auditis quæ prænunciauerat, retulerunt exploratores ad ſuos. Comprehenſi à Romanis transfugæ, amputatis manibus remiſſi ſunt. Ibidem.

ELERICHVS, Bulgarorum princeps, intelligens à ſuis familiaribus ſe prodi, in hanc ſententiam Conſtantino Copronymo Imp. ſcribit: Conſtitui profugere & me ad te recipere. Itaque mihi omnia tuta fore, literis miſſis cõfirma: ac ſignifica quos hic habeas amicos, ut eorum fidei me credens, unà cum ipſis ad te perueniam. Qua fraude Bulgari Copronymus circumuentus, nomina amicorum perſcripſit: quos Elerichus omnes perdidit. Cedrenus.

Hugó, Lotharij regis ex Valdradã pellice filius, Lotharingiã occupata, ne à Germanis Franciſue illo regno pelleretur, omnia miſcere conatus, perſuaſit Godefredo Normãnorum regi, ſororis ſuæ Aegidiæ uiro, ut æs militare ex Auguſti CAROLI Craſſi fiſco petat: ſperans, ſiue eo negato hoſtes ex amicis ea repulſa futuros Germanis Normannos: ſiue cõceſſo, Auguſti milites factos, in medias Imperij prouincias ubi uideretur penetraturos. Et ut ſanctum fidei neceſſitudiniſq; pignus intercederet, ſimul Normanni ſua tutarentur, partem Lotharingiæ dotis ergò ſorori Godofredoq; attribuit. Senſit artem Carolus. Normannum regem æs militare ſibi ſuiſq; petentem, ad colloquium compoſito loco temporeq; euocatum, poſitis inſidiis aduenientem intercepit, & occidit: ac paulo pòſt Hugonem auxiliis deſtitutum, captum, luminibus priuauit. Aemilius lib.3.

Florentiſſimis ſuis ſuorumq; rebus Henricus 1. Francorũ rex decedens, filiis tutorem dedit BALDVINVM, comitem Flandriæ, uirum integerrimum, & fidei ſapientiæq; perſpectiſſimæ. Cæteri Franci proceres in rerum procuratione adminiſtrationeq; Flandrum uerſari, æquiſſimo animo ferebant. Vaſconum mens lababat, alieniores à Flandro erant: uereri ſe dicebant, ne tutelam pupilli ſui, ſuum regnum faceret, ſi uni omnia libera conceſſaq; ſint: quòd ſoror regis ei nupſerat, ne regnum appeteret. Sed cùm etiam regem in poteſtate haberet, eius nomine delectum religionis ſimulatione indixit, quòd à Saracenis barbaraq; religione Hiſpaniã magis quàm unquam antè euaſtari diceret, futurumq;, niſi quis anteuertat, ut edomita Hiſpania in Galliam tranſeant. Velut ad ſacrum bellum libenti animo in armis nobilitas præſtò affuit. In Vaſconiam ductæ copiæ quaſi Pyrenæum tranſmiſſuræ. Tunc fama euulgata eſt, Hiſpaniæ uniuerſæ, agros uſtos partim Saracenorum in Hiſpanos, partim horum in illos igne, nec eam commeatus inopem exercitus externos alere poſſe, uixq; domeſticas copias tutari. Depoſita igitur illarum rerum ſimulatione, uires conuerſæ ſunt in Vaſconum conſiliis opprimendis. Ad officium conuenẽre, iureiurando ſe tutori pupilloq; deuinxẽre. Procerum liberi per ſpeciem honorum aulicæq; gratiæ ac potentię pro obſidibus abducti. Exercitus ſacræ militiæ nomine auctoratus, re infecta, ac ne uiſo quidem hoſte dimiſſus. Hæc res conſilio arteque magis quàm armis ingentem maieſtatem Flandro conciliauit, & ad exemplũ cæteros incendit. Aemilius libro tertio.

LVDOVICVS XI. Francorum rex, conſpiratione procerum grauiter preſſus, auxilia externa implorare coactus fuit. Legatos miſit in Italiã ad Franciſcum Sforciã. Is quingentos equites cataphractos, & tria millia peditum conſcribebat, ſed multo magis interea conſilio iuuit, quò uſus rex propè ſedens uicit: Ne maieſtatem ſuã ludibriis fortunæ præliiſq; ultrà committeret. In diſſimili ſua cuiuſq; cauſa ſingulis eorum ſuam ſpem obiiceret, nihil denegaret: ita uniuerſam illorum rem retrò ituram. Hac arte diſiecto præſenti belli conatu, cętera procliuia rebus è ſententia componẽdis, ac maieſtatis regiæ ſanciendæ fore. Rex quoq; ſuopte ingenio uafer, ne præſcriptio publici, quod in ore ſemper hoſtes habebant, à ſe populares abalienaret, illis reconciliaret, ſecundũ pugnam Lethericam Coruolio Lutetiam reuerſus, in modum propè priuati hominis ſe demittens, neminem à latere ſuo arcebat: conuiuia ciuium ipſe inibat: cœtus frequentes habens, dictitabat ſentire ſe quàm magnum onus regnum ſit: nec ſe, nec quenquam unum illi ferendo eſſe: delectum ultrorum ſapientum ſanctorumque ac rerum peritorum ſibi habendum uideri, ad quod concilium de ſummis rebus referat, communiq; ſaluti amplitudiniq; proſpiciat. Hoc blandimento urbi Regiæ temporis gratia oſtentato, potiùs quã dato, relictoq; in ea præſidio, in Normanniam ad animos & ibi confirmandos, nobilitatemq; armandam profectus eſt. Aemilius libro decimo.

## MILITES OBEDIENTES ET DILIGENTES REDDERE, IN GENERE.

*Obedientia militum cùm ſe latiſſimè diffundat, in ſpecie quidem exempla ex Tit. Militum robur laboribus firmare: item, Animare milites ad pugnam, petantur: in genere uerò ex Tit. Magiſtri rei militaris.*

Thracia gentes habet Cerronias & Scæboas. Hi conſuetudinẽ habent, ut Iunonis ſacerdotibus in bello ducibus utantur. Erat eis ſacerdos & dux Coſingas. Thraces ei parêre recuſarunt. COSINGAS ſcalas plurimas ingenteſq; ligneas ædificauit: aliaſq; aliis impoſuit. Fama erat, eum in cœlum ad Iunonem aſcendere in animo habere, ac Thraces accuſare, q; obedientiam præſtare nollent. Thraces ſtupidi & inertes, metuentes ducis in cœlũ aſcenſum, ſuppliciter obſecrabãt, & iu-

& iuramento ſe obſtringebãt, imperata eius omnia ſe prõtè facturos. Polyænus lib. 7.

ALEXANDER Magnus æſtiuo tempore exercitum præter fluuium, incumbentibus hoſtibus, duxit. Conſpicatus autẽ milites ſitire, & in flumen oculos intendere, ne bibentes ordinem diſſoluerent, neq; profectionis celeritatem impedirẽt, præconem iuſſit proclamare: Contineamus nos ab hoc flumine, nam aquam habet mortiferam. Illi metu commoti, abſtinebant, & iter accelerabãt. Alexander perfecto itinere, & caſtris poſitis, ipſe cũ ducib. apertè de fluuio bibit. Ridentes milites, & cauſam doli animaduertentes, ſine metu è fluuio aquam hauſerunt. Polyæn. lib. 4.

EIDEM, uicta Aſia, Macedones moleſti erant, & graues, atque omnia per uim ab eo uolebant extorquere. Qui mandauit, ut armati Macedones ſeorſim à cęteris ſtarẽt, è regione uerò Perſæ. Qui cùm diſceſſiſſent: Deligite, inquit, Macedones ducem, quem uolueritis: ego uerò Perſis utar militibus. Si uiceritis, faciam omnia quæ uolueritis: ſin uicti fueritis, experti uos nihil per uoſmetipſos poſſe quidem, quietem agite. Hoc ſtratagema Macedones perterruit, atque in poſterum modeſtiores reddidit. Ibidem.

Nemini in ROMANA militia extra ordinem, etiam in prouocantem, contra imperium pugnare licuit. Idem MACEDONIBVS, quibus iniuſſu ducis, aut arma capere, aut in ordines ire uetabatur. Niſi militari ſacramento miles adſcriptus foret, hoſtẽ gladio petere, aut militare, minimè fas erat: perindeq; in eum militaris animaduerſio fuit, qui hoſtem militiæ ſacramẽto non adſcriptus occideret, aut qui claſſico reuocatus, tardiùs parêret, quàm qui ciuem aut ſocium iniuria occidiſſet. Ideo laudaſſe Cyrus dicitur militem, qui cùm hoſtem interfecturus, gladium eduxiſſet, claſſico receptu audito, ictum cohibuit, & hoſtem dimiſit. Alex. lib. 1. cap. 20.

Erat Romanæ militiæ uetus conſtitutum, ne miles ſine commeatu ab ſignis abeat, néue præſidio decedat, néue locum relinquat, aut è caſtris effugiat, neu diſcedat longiùs: ſed explorato, & ſub ſignis atque ſubſidiis poſitis non modò in aciem prodeat, ſed lignatum & pabulatum uadat: omnia denique uelut ſi coram hoſte cauta præuiſaq; ſint. Vtq; milites die ſimul ac noctu iuxtà parati inſtructique ad nutum imperiumq; præſtò ſint. Qui contra fecerat, aut ignominia notaq; afficiebatur, aut ſeuera correptione capite luebat. Alex. lib. 1. cap. 20.

Miles quidam Lucanus delatus erat apud Q. FABIVM Maximum, extra caſtra ſubinde amore mulieris pernoctare: cæterа uirum eſſe in armis eximium intelligens, comprehendi imperauit clàm amicam eius, atque ad ſe trahi. Vt attracta eſt, accito illi: Haud fefellit me, inquit, cõtra diſciplinam militarem extra caſtra te pernoctaſſe. Neque uerò etiam uirtutes antè ignoraui tuas. Igitur factis tuis ſtrenuis, quam commiſiſti, condono fraudem. Poſthac manebis nobiſcum: habeo enim expromiſſorem. productamque mulierem tradidit ei. Plut. in Apophthegmatibus.

CN. Pompeius à Sylla in Siciliam miſſus, milites cùm acciperet in itinere flagitia committere, gladios eorum obſignauit. Qui ſignum amouiſſet, in eum duriter conſuluit. Plutarchus in Pompeio.

## SEDITIONEM CASTRENSEM PROHIBERE NE ORIATVR.

### OB STIPENDIA NON SOLVTA.

IPHICRATES, quando non poterat dare ſtipendia, ducebat milites ad inhabitata loca & litora, ut quàm minimum abſumerent. Sin abundaret pecuniis, ducebat ipſos in ciuitates & loca florentia, ubi celerrimè conſumto ſtipendio, facere præclarum aliquid ob inopiam pecuniæ cogerentur. Non autem permiſit eos otium agere. Sed cùm bellum non eſſet, ſemper aliquid negotij dedit: & iuſſit aut cuniculos in terram agere, aut foſſas ducere, aut arbores ſecare, aut caſtra transferre, aut uaſa trãſmutare, quòd in otio nouas res moliri exiſtimaret. Polyænus lib. 3.

IDEM in inopia pecuniarum conſtitutus, tumultuantibus militibus, & communem concionem poſtulantibus, uiros peritos Perſicæ linguæ, ſtolis Perſicis indutos, iuſſit frequentiſſima concione ſuperuenire, & accedentes barbaricè nunciare: In propinquo ſunt qui pecunias adferunt: nos uerò præmiſſi ſumus, ut hoc ſignificaremus. Itaque milites concionem dimiſerunt. Ibidem.

TIMOTHEVS circa Corcyram bellum gerens, exiliter ſatiſfaciens militibus, petẽtibus quidem ſtipendium inobedientibus, & ad inimicos deficere ſe uelle aſſerentibus, cœtum congregauit: ac dixit, non poſſe propter hyemem ad ſe peruenire argentum, cùm tanta eſſet ſibi copia. Quapropter ſolutionem trium mẽſium, quam priùs ſoluerat, ſe illis dono dare. Illi ſuſpicantes nunquam Timotheum tanta munera eis daturum, niſi reuera ab eo expectarentur pecuniæ, quieuerunt à petendo ſtipendio, donec uoto potitus eſt. Ariſt. in Oeconomicis.

PHILIPPVS rex Macedonum & Menegetes pancratiaſtes in palæſtra uerſabantur. Milites interea circumſtantes, ingenti uociferatione ſtipendia flagitabant. Philippus cùm non haberet, acceſſit, ſudore diffluens, puluere reſperſus, atque arridens eis: Rectè, inquit, dicitis, ó commilitones: uerùm ego quoque nunc ob eam cauſam aduerſus Barbarum ungor, ut cumulatè uobis gratias rependam. His dictis, manibus plaudens, per medios eos cucurrit, atq; ſeipſum in piſcinam abiecit. Quam rem Macedones ridebant. Philippus uſquẽ eò ſe immergere contra pancratiaſtem, & faciẽ conſpergere non antè deſtitit, quàm milites defeſſi diſcederẽt. Huius ſtratagematis Philippus inter pocula perſæpe mentionem faciebat, quòd iucundiſſimo ludibrio inſtantes repuliſſet. Polyæn. lib. 4.

DATAMES, cùm à militibus ſtipendia plurium menſium flagitarentur, conuocauit eos in concionem, & ſe multas habere pecunias affirmauit in loco trium dierum itinere diſtanti: Quare ſumma contentione ad eum feſtinemus, inquit. Crediderunt milites, atque ſecuti ſunt. Cumque unius diei itinere abeſſent, iuſſit eos in iſto loco manere, & quietẽ capere. Aſſumtis autem ſecum camelis & mulis, cùm perueniſſet ad templum opulentum, accepit talenta argenti triginta. Hęc camelis & mulis impoſita deuexit ad exercitum, pauciſq; impletis uaſis, alia multa ad ſimilitudinem impletorum comparauit: cumque aliquot impleta militibus oſtenderet, in bonam ſpem adducebantur, & affatim ſuppetere pecunias exiſtimabant. At ille, Ameſum profectos numiſma cudere dicebat oportere. Ameſus autem aberat multorum dierum itinere, regionemque difficilem ad hybernandum habebat. Totam igitur hyemem milites ſalaria flagitare ceſſarunt. Polyænus libro ſeptimo. Ariſtoteles in Oeconomicis hoc DIDALI Perſæ tribuit.

DIONYSIVS milites ætate prouectiores priuare ſtipendiis uolebat. Ea re iuniorum etiam indignationem commouit. Ille cognito tumultu concionem conuocat, & in hanc ſententiam uerba facit: Iuniores in periculum pugnæ colloco, ſeniores ad præſidia munitionum, æquale ſalarium merentes. Experimentum autem fidei exhibebunt, munitioneſq; ſumma cura tuebuntur, atque minùs operis facient. Ea res ſummam omnibus læticiam attulit. Itaque omnes à ſe mutuò diſtrahebãtur. Poſtquam uerò multitudo in uarias partes diſceſſit, & in ſingula præſidia pauci diuiſi, tum ſingulis ueteranis ãdemit ſtipendia, cùm non ampliùs auxilium aliquod in multitudine paratum haberent. Polyænus lib. 5. & Frontinus lib. 1. cap. 8.

### OB QVASVIS ALIAS CAVSAS.

Socij Spartanorum, bello Bœotico, fremebant nulla premente neceſſitate ita enecari ſe, qui huc atque illuc ſingulis annis paucos tam multi ſequerentur. Hîc AGESILAVM regem memorant ad detegendum eorum numerum hoc machinatum. Omnes ſocios iuſſit promiſcuè conſidere, ſeorſum autem Lacedæmonios ſolos: inde pronunciari, ut figuli primi exurgerent. ubi hi conſurrexere, mox excitauit fabros ærarios, hinc materiarios, pòſt ædificatores, & reliquos per ſingula artificia. Ita cuncti propè ſocij ſurrexerũt: ex Lacedæmoniis nemo. quippe uetitum his fuit artem exercere & diſcere uilem. Ibi arridens Ageſilaus: Videtis, inquit, ſocij, quãto nos quàm uos plures milites prębeamus? Plut. in Ageſilao, & Polyæn. lib. 2.

EPHORI audientes, cum Partheniis ſignum eſſe compoſitũ, ut cùm uellẽt incipere tumultum, è medio foro lutum proiicerent, præconem iuſſerunt proclamare: Qui lutum tollere uultis, ex foro diſcedite. Hoc promulgato, continuerunt ſe qui conſilij participes erant, quòd rem præcognitam eſſe uiderent. Polyænus lib. 2.

CN. POMPEIVS, trucidato ab exercitu Mediolani ſenatu, ne tumultum moueret, ſi ſolos euocaſſet nocentes, mixtos eis, qui extra delictum erant, uenire iuſſit. Ita & noxij minore cum metu, quia non ſegregati, ideoque non ex cauſa culpæ uidebantur accerſiri, comparuerunt: & illi quibus integra erat conſcientia, cuſtodiendis quoq; nocentibus attenderunt, ne illorum fuga exercitus inquinaretur. Frontinus libro 1 capite 9.

SEDI-



## SEDITIONEM CASTRENSEM IAM ORTAM COMpeſcere. SEDITIOSOS Milites reconciliare, uel circumuenire.

THEOGNIS, Athenienſium dux, uidens milites de ducib. & ordinibus diſceptare: noctu quoſdã equites ac duces miſit, præcipiẽs, ut quaſi hoſtes in alio quodã loco ſe oſtenderẽt, in quo maximè cõſpici ab exercitu poſſent. Quib. apparentibus, Theognis cũ tumultu ac perturbatione milites ipſos, quaſi iam hoſtes in conſpectum ueniſſent, iuſta loca capere iuſſit. Illi metu hoſtiũ adducti, contentione depoſita, priſtinos ordines cõſtituerunt. Qui cùm ordines ſtruxiſſent, Theognis hoſtes amicos & ſocios eſſe fatebatur: Vos autẽ, inquit, in poſterum ordinib. abſq; ſeditione factis, eã ſtationẽ tenere, quam uobis ipſi dediſtis. Polyænus lib. 5.

EVDOCIMVS, uidens milites inter ſe tumultũ mouere, cùm ſedare diſcordiã nullo modo poſſet, iamq; etiã armis ſe mutuò peterent: currentib. nunciis mandauit, ut proclamarent hoſtes aduentare, ac uallum diſcerpere uelle. Qui metu hoſtiũ abſtracti, ſeditionẽ reliquerunt: inq; ſuũ locũ quiſq; recurrens, uallum tuebantur. Ibidem.

Epaminonda Spartam petente, cùm AGESILAVS rex mœnibus ſe contineret: Lacedæmone quidam iampridem peruerſi & tetri homines ad ducentos globo facto occupant Hiſſorion (Dianæ id templum eſt) munitum & firmum locum. In quos irruere cùm extemplò Lacedæmonij uellent: ueritus Ageſilaus ſeditionem, imperat reliquis, ut quieſcant. Ipſe pallio amictus, & uno comitatus ſeruo accedit, clamãs, Secus eos edictum accepiſſe. Neq; enim huc coire, neq; omnes ſe iuſſiſſe: ſed partim illuc, oſtendens aliũ locũ, partim aliam in partẽ urbis. Quo audito læti, fallere rati, ac diſtracti ad loca, quæ ille demonſtrauerat, diſcedunt. Hiſſorio (Polyęnus lib. 2. habet Eſorio) Ageſilaus illicò accitos alios impoſuit. Ex illis, qui conſpirauerant, ad quindecim corripuit, & nocte necauit. Maior inde detecta cõiuratio & conciliabulũ ciuium Spartiatarũ ad res nouandas clàm in certas ædes coëuntium: quos & iudicio perſequi tanto in motu, & conniuere inſidiantibus anceps erat. Quare deliberatione cum ephoris habita, Ageſilaus, & hos quoq; indicta cauſa occidit, cùm ſuppliciũ de Spartiate ante eam diẽ niſi audito nullo ſumtum fuiſſet. Plut. in Ageſilao.

Irrumpente in Gręciã Xerxe, & iam tenẽte Theſſaliã, THEMISTOCLES miſſus fuit cũ claſſe ad Artemiſiũ, ut fauces illas tueretur. Hîc Græcis Eurybiadi & Lacedæmoniis deferentib. imperiũ: Athenienſib. aũt, quòd nauiũ numero reliquos uincerẽt fermè uniuerſos, detrectantib. aliis parêre: perſpiciẽs Themiſtocles diſcrimen, cùm ipſe ceſſit Eurybiadi imperio, tum Athenienſes placauit: recipiens iis, ſi ſe uiros fortes præbuiſſent in bello, effecturũ ſe, ut Græci ultrò ſummã rerũ ipſis eſſent in poſterum delaturi. Qua re apparet potiſſimã cauſam eũ Græciæ fuiſſe ſalutis, & præcipuè ad gloriam Athenienſes prouexiſſe, ut qui uirtute hoſtibus, ſocius antecelluerint facilitate. Plut. in Themiſtocle.

ANTIGONVS rex mercenarios milites Gallos certo ſtipendio cõduxit, quib. Bedorius præerat, promittẽs unicuiq; Macedonicũ aureũ ſe numeraturũ, datis de ſtipẽdio uadib. uiris ac pueris nobiliſſimis. Pugna cõmiſſa, Galli ſalariũ repetebant. Antigonus ſingulis thyreaphoris mercedẽ perſoluit. Galli etiam inermibus & mulierib. ac liberis ſtipẽdia flagitare: hoc enim eſſe, Vnicuiq; Gallo. Sũma uerò pecuniæ, ſi bellatores tãtùm acciperẽt, triginta talentorũ erat: ſin cũ imbellibus, centum. Diſcedit Gallicus exercitus, & ſe uadib. mortẽ allaturũ minatur. Antigonus metuens uadibus, legatũ ad eos mittere, & quantaſcunq; pecunias peterent, ſe daturum polliceri: ſaltẽ mitterent aliquos, qui aurũ numeratũ capiãt. Qui ſummo gaudio affecti propter multitudinẽ pecuniæ, primates Gallorum, quib. adferẽdi auri negotiũ cõmitterẽt, miſerunt. Antigonus, cõprehenſis iis, qui uenerant, Non aliter, inquit, ſe eos uiros Gallis redditurũ, niſi ſuos priùs recepiſſet. Galli ſummo ſtudio ſuos redimere cupientes, redditis uadibus, tum deniq; legatos receperunt, atq; cum eis triginta talenta. Polyænus lib. 4.

Cãpani & Sueſſani à Rom. petierãt, ut præſidia aduerſus Samnitiũ excurſiones in ſuas urbes mitterent. Quod quũ facilè impetraſſent, agri amœnitas, & ciuitatis luxus, iam inde parũ diſciplinę militari utilis, milites deliniuit, ut cõiuratio inita ſit inter milites Capuæ ui occupãdæ: ut Campani ſuo ipſi exẽplo opprimerẽtur, quo ueteres inde colonos expuliſsẽt. Et iam atrox inſtabat facinus, quũ MARTIVS Rutilius conſul, cui Cãpana prouincia euenerat, poſtquã ad exercitũ uenit, cõperitq; per Tribunos militũ, quæ conſilia eſſent hybernorum tẽpore inter milites inita, nec rem procul à ſeditione abeſſe: facta ſpe futurorum in ſequentẽ annum hybernorũ, ex ſuis pſidiis milites in caſtra traduxit: inde ſeditioſam multitudinem exonerare adortus, alios alia de cauſa domũ ablegare cepit, & in primis coniurationis capita. Nec res ab initio animaduerſa. Verũ ubi, qui miſſi fuerant à patrib. & altero cõſule retinebãtur, nec in caſtra patêre illis reditũ uiderunt: perculſi milites, qui eius fuerãt conſilij conſcij, ne cauſam Romæ dicere cogerẽtur, atq; iudiciũ ſubire: ſeceſſione facta, ſub lõgę Albę iugo caſtra fecerũt, & T. Quintium; qui ob uulnus bello acceptũ inutilis factus, in Tuſculano agro uillicabatur, noctu oppreſſum in caſtra pertraxerũt: ibi capitalib. minis, niſi inictũum munus reciperet, perterritũ, ducẽ conſtituêre. Nec mora deinceps fuit, rapto agmine Romam tendũt, irrupiſſentq; primo acceſſu in urbẽ, ni Valeriũ Coruinũ in ſe dictatorẽ creatũ, cũ exercitu appropinquare audiuiſſent. Ad octauũ lapidẽ Appia uia cõſederũt; nec ita multo pòſt dictator affuit. Et iam ſtabant aduerſæ inter ſe acies, quũ ſignorũ aſpectus, & memoria patriæ; militũ irã permulſit. Hic Dictator tẽpeſtiua ad pacẽ uſus hortatione, iuſſis omnib. bono animo eſſe, citato equo Romã deuectus, patribus auctorib. in luco Petilini ad populũ tulit, ne cui ea noxa fraudi poſtea eſſet, ne ſerio iocóue ſeceſſio illa cuiquã poſtea exprobraretur, ne nomina ipſorũ militũ delerentur, niſi ipſis uolentibus. Sab. lib. 3. En. 4.

Expugnata Carthagine noua, P. SCIPIO ob bene nauatã operã collaudatis donatiſq; militibus, cũ ei, qui primus murũ aſcenderat, muralis corona danda eſſet, & contentio inter duos milites orta, omnem propè exercitum in certamen traxiſſet: extemplò concione aduocata, compertum ſe habere dixit, ambos pariter murum aſcendiſſe, atq; ambos coronis muralibus donandos eſſe. Quo factum eſt, ut omnis cõtentio, quæ iam ad ſummum peruenerat, tolleretur. Auctor uitæ Scipionis.

A. MANLIVS Coſ. cùm comperiſſet, coniuraſſe milites in hybernis Campaniæ, ut iugulatis hoſpitibus, ipſi res inuaderent eorum: rumorem ſparſit eodem loco hybernaturos: atque ita coniuratorum conſilio turbato, Campaniam periculo liberauit, & ex occaſione nocentes puniuit. Frontinus lib. 1. cap. 9.

L. SYLLA, cùm legiones ciuiũ Romanorũ pernicioſa ſeditione furerẽt, properè annũciari iuſſit, hoſtẽ adeſſe, & ad arma uocantiũ clamorẽ tolli, ſigna canere. Sic diſcuſſa ſeditio eſt, uniuerſis aduerſus hoſtem conſentientibus. Idem.

C. IVLII Cæſaris milites ſeditionem per decem annos Gallicis bellis nullam omnino mouerunt, ciuilibus aliquas: ſed ut celeriter ad officium redierint, nec tam indulgentia ducis, quàm auctoritate. Non enim ceſſit unquam tumultuantibus, atq; etiam obuiam ſemper iit: & nonam quidem legionem apud Placentiam, quanquam adhuc in armis Pompeius eſſet, totam cum ignominia miſſam fecit: ægreq; poſt multas & ſupplices preces, nec niſi exacta de ſontibus pœna, reſtituit. Decumanos Romæ cum ingentibus minis, ſummoq; etiam urbis periculo miſſionem & præmia flagitantes, ardente tunc in Africa bello, neque adire cunctatus eſt, quanquam deterrẽtibus amicis, neq; dimittere: ſed una uoce, qua Quirites eos pro militibus appellarat, tam facilè circumegit & flexit, ut ei milites eſſe confeſtim reſpõderint, & quamuis recuſantem, ultrò in Africam ſint ſecuti: ac ſi quoq; ſeditioſiſſimum quẽq;, & prædæ & agri deſtinati tertia parte multauit. Suetonius.

IDEM, ſi tumultuari uideret milites, expectari ab hoſtibus maiores copias non ſolùm non inficias ibat, ſed uehementioribus uerbis etiam augens & amplificans, eos confirmabat, ut aduerſus plures fortiùs dimicandum putarent. Polyænus lib. 8.

Sueno III. Danorum rex, bellũ cõtra SVERCHERVM Sueonum regem mouebat. Sueones Ioannem Suercheri F. belli auctorem trucidarant. Suercherus, ne præſentia ſua iritatos plebis animos magis exacerbaret, prudentiſſimo uſus conſilio, nequaquam ſeipſum ducẽ in eo bello præbuit, ſed (ut Saxo fatetur) totam belli ſummã agreſtium multitudini credidit, conſtitutiſq; ſuper eam præfectis, ipſe ſe intra arces continebat, futurum ratus, ut rex Danus ab agreſtibus magis, quàm à nobilibus ſuperaretur. Danus ergo, cùm uideret agricolas undiq; ad bellũ paratos, celeriùs quàm uenerat, in Daniam rediit, relicto poſt ſe exercitu, qui à Finuidianis deletus eſt, nobiliſſimi iuuenes à ruſticis ſub glaciẽ Niccæ amnis ſubmerſi. Io. Magnus lib. 18. c. 19.

# AVXILIA COMPARARE, CONSERVARE, INSTRVERE, EXERCERE. Puta

## DEI, ANGELORVM.

*Vide Tit. Bella diuino auxilio confecta. item, Preces exaudita: quatenus pietate & religione Dei fauor conciliatur.*

## EQVORVM. EQVITATVM COMPARARE. EQVOS DELIGERE, Animare, exercere, tueri.

ARABES camelis loco equorum utuntur perniciſſimis. Cùm Xerxes contra Græcos exercitum duceret, equitum habuit octoginta millia. Arabes in ultimo locauit, ne equitatus cõſternaretur. Equi enim camelos aſpicere non ſuſtinent. Herodotus lib. 7.

EVMENES ab Antigono obſeſſus in arce Nora Lycaoniæ, qa militib. eius per obſidionẽ præcipuè erat loci anguſtia infeſta, exiguis in tectis & loco in ambitu duo ſtadia patẽti uerſantibus: qui nulla ſubacti exercitatione cibum capiebant, pabulũq; obiiciebant equis otioſis: quo non ſolùm languorem illis abſtergerẽt otio marceſcẽtibus, uerùm etiam, ſi ad fugã offerretur opportunitas, planè expeditis uteretur: tectũ hominibus, quòd in caſtello erat ampliſſimũ, cubitos longũ quatuordecim, attribuit ad ambulationem, præſcribens gradũ ut ſenſim intenderent. Equos ſingulos magnis loris ad faſtigiũ tecti religatis ſuccinctos ex partib. anterioribus euehebat, & leniter per trochleã ſuſtollebat, ut poſteriorib. pedibus inſiſterent ſolo, anteriorũ ſummis ungulis attingerẽt id. Ita ſuſpẽſos aſſiſtentes equiſones ſtimulabãt clamorib. pariter & flagellis. Illi ardore & ira repleti poſterioribus ſubſiliebãt & tripudiabant pedibus, ſublimiorib. uerò prioribus affectantes inſiſtere, ac ſolũ pulſantes totũ contendebant corpus, ſudoreq; manabant & ſuſpiria mittebant. Ita non malè uel ad agilitatem, uel ad robur exercitabãtur. Hordeum obijciebat his elixum, ut & perficerent id citiùs, & cõcoquerent meliùs. Plut. in Eumene, & Frontinus lib. 4. c. 7. & Diodorus Sic. lib. 18.

IDEM à Perdicca contra Neoptolemũ in Armeniam miſſus, contra phalangem Macedonicam præſidiũ confecit manũ equeſtrem, prouincialibus, qui equis erant aſſueti, uectigalia remittens, & immunitatẽ dans. Equos etiam emit, quos diſtribuit iis, quib. ex comitatu ſuo maximè fidebat, largitionib. muneribusq; animos eorũ inflammans, corporaq; itinerib. faciendis exercẽs ac laboribus. Vnde illi Macedones obſtupuerunt, hi redditi ſunt alacres: ubi exiguo ſpacio uiderunt apud eum coactos equites non minùs ſex millia trecentos. Plut. in Eumene.

GALLI, duce Brenno, in Græcos expeditionẽ ſuſceperũt, peditũ centum & quinquaginta millia. Equites uicies mille, & quadringenti, omnes ad pugnã idonei. Nam uerior numerus fuêre ſupra ſexaginta equitum millia, ampliùs mille ac CC. Singulos enim equites famuli ſequebãtur duo in equis & ipſi, & equeſtriũ artium maximè gnari. Ii præliãtib. dominis, in extrema acie conſiſtentes, ei erant uſui, ut ſi fortè equus eſſet amiſſus, ſtatim ſuũ ſubmitterent: ſi uir cõcidiſſet, ſeruus in eius locũ ſuccederet. Quòd ſi utrunq; belli impetus euertiſſet, iam præſtò erat tertius, qui pro demortuis locum teneret. Iam uerò ſi uulnera primarius ille accepiſſet, è ſecundariis alter ex acie illũ ſubducebat, alter uerò ſaucij uicem obibat. Hæc, ut mea fert opinio, apud Gallos ad imitationẽ PERSARVM militiæ fuit inſtituta. Nã & illi ſelectos habẽt milites decies mille, quos Immortales uocãt. Tantũ intereſt, quòd cõmiſſo demũ prælio illi ſuccenturiant. Galli inter pugnandũ integros uel cæſis uel ſauciis ſupplemento eſſe iubent. Atq; hanc quidẽ equeſtris pugnæ inſtitutionem uoce patria Trimarciſiã nominant: equum enim Marcã appellant. Pauſanias in Phocicis.

AGESILAVS in Phrygia cõtra Tiſſaphernẽ bellum ducens, cùm eſſet ab equitatu inferior, & iecur eſſet ſine capite inuẽtum: recepit ſe Epheſum, atq; equitatũ ibi conſcripſit: edixitq; pecunioſis, ſi militiã detrectarẽt, ut pro ſe quiſq; equũ & uicarium darent. Multi id fecerunt. Ita factum breui, ut Ageſilaus pro uilibus peditibus frequentes haberet & fortes equites. Conduxerunt enim hi, qui abhorrebant à caſtris, cupidos belli, & qui nolebant equites eſſe, eos qui deſiderabãt. Quippe cõmendandũ dicebat ille Agamemnonẽ eſſe, q pro bona equa Aetha homini imbelli & diuiti militiæ uacationem dediſſet. Plut. in Ageſilao & Laconicis. Locus autem eſt apud Homerum Iliad. ψ.

*τὴν Ἀγαμέμνονι δῶκ' Ἀγχισιάδης Ἐχέπωλος*
*δῶρ', ἵνα μή οἱ ἕποιθ' ὑπὸ Ἴλιον ἠνεμόεσσαν,*
*ἀλλ' αὐτοῦ τέρποιτο μένων· μέγα γάρ οἱ ἔδωκε*
*Ζεὺς ἄφενος· ναῖεν δ' ὅ γ' ἐν εὐρυχόρῳ Σικυῶνι.*

TARQVINIVS aduerſus Sabinos, cunctantes equites, detractis frenis, concitatisq; equis procurrere & perrumpere aciẽ iuſſit. Frontinus lib. 2. c. 8.

P. SCIPIO maior, ex Sicilia petens Africã, cùm ex fortiſſimis peditib. Romanis trecentorum equitum numerum implere uellet, neq; tam ſubitò poſſet eos inſtruere, quod temporis anguſtię negabant: ſagacitate conſilij aſſecutus eſt. Nãq; ex iis iuuenibus, quos ſecum ex tota Sicilia nobiliſſimos & ditiſſimos, ſed inermes habebat, ad ſe uocatos trecentos, ſpecioſa arma & electos equos quã celerrimè expedire iuſſit, uelut eos cõtinuò ſecũ ad oppugnandum Carthaginẽ aducturus. Qui cùm imperio, ut celeriter, ita longinqui & periculoſi belli reſpectu ſolicitis animis paruiſſent, remittere ſeſe Scipio illam expeditionẽ, ſi arma & equos militib. ſuis tradere uoluiſſent, edixit. Rapuit conditionẽ imbellis ac timida iuuentus, inſtrumẽtoq; ſuo cupidè Rom. ceſſit. Ergo calliditas ducis prouidit, ut ſi quod protinus imperaretur, graue priùs: deinde remiſſo militiæ metu, maximũ beneficium fieret. Val. Max. lib. 7. c. 3.

ANDREAS Peruſinus (qui poſtea à cognomine familiæ Brachius fuit nuncupatus) cùm à Camerte urbe, depulſis Caroli Malateſtæ copiis, ipſe cum parte tantùm copiarum ſequeretur, reliquo pecorum præda captiuisq; atq; aliis reb. impedito exercitu: & in eo hoſtes bene gerendæ rei occaſionẽ uiderent, ſi ipſi Apennini iuga priores occupaſſent: cùm laſſos iam equos ultrà uel calcaribus, uel alia urgere ui non poſſet, ex captiuo pecore aliquot equas delegit, atq; eas agmen præcedere iuſſit. Quarum cupido equis adeò acres adegit ſtimulos, ut qui antè calcaribus nullis ſatis impelli poterant, tunc freno uix cohiberi ac retineri poſſent. Per eũ modũ cùm prior Brachius montẽ occupaſſet, hoſtes retro ceſſerunt. Fulg. lib. 7. c. 4.

Apud SEPTENTRIONALES, flante Auſtro, nix ſub equorũ pedibus conglobata, præſens exitiũ in cõflictu ſeſſorib. affert. Solent ergo ferreas ſoleas equis adimere, ut ne illis nix adhærere poſſit. Olaus lib. 11. c. 39.

Inter ueteres GOTHORVM princeps contrariæ erãt opiniones de equeſtri diſciplina. Quidã iuuenibus iuuenes & feroces equos cõuenire arbitrabãtur. Sed euentus eos redarguebat, quãdo nimia celeritate uſi, in præcipitia ruebant, & ruinam. Alij uerò ueteranis militib. iuuenes equos tribuebant, qui ſæpe uictorias reportarunt: uirtute enim ſeſſoris moderabatur furioſitas equi, ut non tam præcipitanter, quàm prudẽter hoſtẽ attentaret. Itaq; apud pleroſq; Principes diu hęc ratio ſeruata eſt, ut iuniores equis ſenibus, ſenesq; iuuenib. in præliis uterentur. Olaus lib. 8. c. 11.

GERMANIS equitibus, qui Maximilianũ I. Rom. Imp. in Italiam, cõtra Florentinos pro Piſanis euntẽ ſequebãtur decora erant arma, ſingulis cõmenſurata artibus, ac interciſis ad elegantiã ſagulis emicantia: ab haſtarum cuſpidibus, quod erat probatæ uirtutis argumentũ, uulpinæ caudæ dependebant. Equis uerò eorũ omnibus, caudę penitùs abſciſſę. Italis quidẽ ridendo, ſed ueteri probatoq; Germanorũ & Belgarum more, quòd ob id equi certa contractioris alimenti ratione pinguiores, & ſpinæ robore fortiores euadere exiſtimantur. Iouius lib. 4. Hiſt.

VALDEMARVS nocte, quam belli inſecutus eſt dies, quo Suenonem III. Danorum regem, & uita & regno exuit, frænatos ſtare equos, paſtuq; penitùs arceri præcepit, ne ſatietate graues, curſu hebetes forẽt. At Sueno ex ipſa agrorũ ſegete abundè equos refici iuſſit, ignarus ſtomachi ſarcinam curſui impedimẽto futurã. Et hoc ipſum magni ad uictoriã momenti fuit. Saxo lib. 14.

BRETISLAVS Boëmorum princeps primus fuit, qui in tertia ſua expeditione contra Hungaros equitatu præualentes ſuſcepta, equites ſibi ex Germania mercede conduxit, & ad oppidum Chrudim, paruo à Morauia interuallo diſtãte, ſecum adduxit: quos dum ibidem hilaris recenſet, ac poſtea liberaliùs cœnat, ſeque pluſculum inuitat, feruentiſſima per noctem febre correptus pedem referre coactus obiit. Dubrauius lib. 7.

## ELEPHANTOS COMPARARE, ANIMARE, CONſeruare.

SEMIRAMIS contra Indos ſuſcepta expeditione, inferior elephantorum apparatu, rem excogitauit, qua terreret Indos, cogitantes nequaquam extra Indiam elephantos eſſe. Occiſis trecentis boum millibus, carnes operariis conceſſit, coria inſui fecit elephantorum inſtar: quæ poſtmodum fœno referta, ueri elephanti ſpeciem præ ſe ferebant. Intus hominem camelumque, ſuper quo ſedens formam belluę duceret, incluſit. Hæc in loco ſemoto occluſoque acta, ne qua exteriùs emanare poſſent, utq; Indi improuiſa re perculſi, ueras beſtias exiſtimarẽt. Admirantibus Indis, unde tanta illi elephantorum copia ſuppeteret, quidam ex Semiramidis exercitu nocte capti rem prodidêre. Semiramis ſimulatis elephantis aduerſus equites præmiſſis, initoque certamine, regios equites fudit. Aſſueti enim ueris elephantis equi, noua forma olfactuque inſueto turbati ſunt. Diodorus libro ſecundo, cap. 5.

PERSEVS, Macedonũ rex, Romanis, elephantos ducentibus, partim ex Libya, partim Indos ab Antiocho, Syriæ rege, ne noua ac formidabilis equis bellua primo aſpectu exiſteret, præcepit opificibus, lignea ſimulacra fabricari elephantorũ figura atq; colore, & uirum cum tuba per os horribilẽ ſonũ emittere, ut equi Macedonum elephantorum fremitum & aſpectum ferre diſcerent. Polyænus lib. 4.

HANNIBAL, cùm in Rhodani tranſitum elephantos nõ poſſet pellere, neq; nauium aut materiarum, quibus rates conſternerentur, copiam haberet: iuſſit ferociſſimum elephantũ ſub aure uulnerari, & eum, qui uulneraſſet, tranſnatato ſtatim flumine, procurrere. Elephantus exaſperatus ad perſequẽdum doloris ſui auctorem, tranauit amnem, & reliquis idem audendi dedit exemplum. Frontinus libr. 1. cap. 7. & Liuius lib. 1. Dec. 3.

L. CÆCILIVS Metellus iunctis doliis elephantos per Siculum fretum tranſmiſit, cùm naues deeſſent. Frontinus libro 1. cap. 7.

Elephanti oſtenſò uuarum mororumq; ſanguine ad pręlium à VETERIBVS accendebantur. 1. Machab. 6.

## TAVROS, ARMENTA.

*Conſule Tit. Terrere hoſtes Belluarum auxilio. Item, Exercitum maiorem ſimulando.*

## CANES IN AVXILIVM ADHIBERE.

AGESIPOLIS Spartanus Mantineam oppugnans, canibus loco exploratorum in nocturnis transfugis deprehendẽdis uſus eſt. Polyænus lib. 2.

PHILIPPVS in Arbeliorum regionem irruptionẽ faciebat. Ea multas habet fauces, atq; aſpera eſt. Occultantibus ſeſe Barbaris in nemora & aſpreta, canes uenatorias permultas eduxit, quæ ueſtigia hoſtium perſequentes, plurimos ex ipſis ceperunt. Polyænus lib. 4.

COLOPHONII & CASTABALENSES propter bella cohortes canum habuêre, quæ primæ dimicabant in acie, nunquam detrectantes pugnam. Rauiſius.

HALYATTES, Lydorũ rex, Cimmeriis, inuſitata ac belluina corporum magnitudine præditis, ei bellum inferentibus, cũ reliquis copiis robuſtiſſimos etiam canes ad pugnam eduxit: qui Barbaros, quaſi belluas adorti, magnum eorũ numerum confecerunt, & reliquos turpiter ſe fugæ mandare coëgerunt. Polyænus lib. 7.

MAGNETES, accolæ Mæandri, cùm bellum Epheſiis inferrent, ſinguli equites cõmilitonem ſecum adduxerunt canẽ uenatorium, & ſeruum iaculatorem. Quum uerò iam in manus & in conſpectum uentum eſſet, proruentes canes, aciẽ terrore & ſæuitia, & implacabili impetu perturbabant: ſerui uerò iaculando, dominos propugnabant. Atq; poſt canum ferociam, pugnæ ſeruorum uidebantur. Tertiò demùm ipſi hoſtem aggrediebantur. Aelianus lib. 14.

ACHÆI, ductu Arati Sicyonij, expugnata Acrocorintho arce munitiſſima, & profligato Antigono, præſidium impoſuerunt CCCC armatorum, L canum, totidemq; uenatorum, qui in arce alebantur. Plut. in Arato.

Cimbrico bello pro dominis ſuis atrociter pugnauêre canes CIMBRORVM, & cadauera cuſtodientes, nunquã abigi potuerũt, ſed eadem mira ſedulitate cuſtodiebant: & ut tutius illa à feris alitibusque defenderent, plauſtris illic paſſim relictis inferebant: cuſtodiasque inter ſe partitas uiciſſim magna cum diligentia obſeruabant. Olaus libro decimoſeptimo, cap. 7.

FINNI Septentrionales contra hoſtes alunt maximos ac ferociſſimos canes: quos non minùs equi Moſcouitarum horrent & fugiunt, quàm Perſici equi camelos. Nam ſaltu & morſu naribus equorum inſidiantur. Ea formidine ſubitò ſe in poſteriores pedes equi erigunt, & equitem excutiunt: Olaus lib. 11. c. 13.

FRIDLEVO II. Danorum rege, contra Amundũ, Noruegiorum regem, prælio dimicante, cùm Biorno, qui Fridleuo militabat, aciem ſuorum inclinatam uideret, canem quam habebat, Offoti gigantis olim armentorum cuſtodem, quæ ſæpe duodecim uiros ſola oppreſſerat, in hoſtem concitauit, & cæſo Amundo uictoriam canis opera peperit. Saxo libro 6.

HISPANI in ſubigendo Nouo orbe canum auxiliis feliciter uſi perhibentur à P. Cieza de rebus Indicis, cùm Barbari & ſpecie & ferocia canum ſupra modum terrerentur, & ſolo odore ab iis dignoſcerentur.

Scribunt ueteres, REGEM Garamantum per ſeditionem regno expulſum, à ducentis canibus, quos uenationis gratia aluerat, fuiſſe reſtitutum: cùm mira ferocitate contra oppugnantes ſæuirent, iterque per hoſtium cuneos patefacerẽt. Olaus lib. 17. c. 6.

Rex Angliæ HENRICVS IIX. anno M D XLIIII. exercitum maximum Cæſari Carolo V, contra regem Galliarum in auxilium miſit, & quadringentos homines, totidemque canes more gentis torquibus ferreis armatos conſtituit: dubia relicta hominũ opinione, an ad uigiliã exercitus id fieret, an ad aliquod inſigne ſtratagema acquirendæ uictoriæ ſimularetur. Idem.

## SERPENTES.

HANNIBAL apud Pruſiam Bithyniæ regem exulabat. Diſſidebat ab eo Pergamenus rex Eumenes Romanis amiciſſimus, bellumque inter eos gerebatur & mari & terra: quò magis cupiebat eum Hannibal opprimi: ſed utrobique Eumenes plus ualebat, propter Romanorum ſocietatẽ. Claſſe paucis diebus erant decertaturi. Imperauit quampluri mas uenenatas ſerpentes uiuas colligi, easque in uaſa fictilia coniici. Die ipſo, quo facturus erat nauale prælium, claſſiarios conuocat, hisque præcipit, omnes, ut in unam Eumenis regis concurrant nauem, à cæteris tantùm ſatis habeant ſe defendere: id facilè illos ſerpentum multitudine conſecuturos. Rex autem, qua naue ueheretur, ut ſcirent, ſe facturũ: quem ſi aut cepiſſent, aut interfeciſſent, magno his pollicetur præmio fore. Tali cohortatione militum facta, claſſis ab utriſque in prælio deducitur. Quarum acie conſtituta, priuſquam ſignum pugnæ daretur, Hannibal, ut palàm faceret ſuis, quo loco Eumenes eſſet, tabellarium in ſcapha cum caduceo mittit. Qui ubi ad aduerſarios peruenit, epiſtolam oſtendens, ſe regem profeſſus eſt, quærere. Statim ad Eumenem deductus eſt, quòd nemo dubitabat aliquid de pace eſſe ſcriptum. Tabellarius, ducis naue declarata ſuis, eodem unde ierat ſe recepit. At Eumenes ſoluta epiſtola nihil in ea reperit, niſi quod ad irridendum eum pertineret. Prælio inito, Bithynij Hannibalis præcepto uniuerſi nauem Eumenis adoriuntur: quorum uim cùm rex ſuſtinere non poſſet, fuga ſalutem petiit. Reliquæ Pergamenæ naues cũ aduerſarios premerent acriùs, repentè in eas uaſa fictilia coniici cœpta ſunt. Quæ iacta, initio riſum pugnantibus excitarunt: neq; quare id fieret, poterat intelligi. Poſtquam autem naues cõpletas conſpexerunt ſerpentibus: noua re perterriti, cũ quid potiſſimùm uitarent, non uiderent, puppes auerterunt, ſeq; ad ſua caſtra nautica retulerunt. Sic Hannibal conſilio arma Pergamenorum ſuperauit. Probus in Hannibale, & Frontinus lib. 4. cap. 7.

## AVES.

Scribit Herodianus, in oppugnatione regiæ PARTHORVM oppidanos ollas uenenatis auiculis plenas deieciſſe: quibus confractis, auiculæ euolantes, infeſto laniatu ora Romanorum fœdarint.

Obſidentibus Gallis Capitolium, cùm de nocte illud occupare uellent, aſcendentes per locum præruptum, ut nec homo eos nec canis ſenſerit: ſacri ANSERES ad ædẽ Iunonis curſu & clangore delati ad Romanos, omnes excitauerũt: eaq; ratione effecerunt, ut Galli non tantùm à Capitolio, ſed & ex ipſa urbe fuerint profligati. Plut. in Camillo.

L. Fur. Camillo & Appio Cl. Craſſo Coſs. cũ Galli ex Albana arce Romanos infeſtarẽt, & unus Gallorũ ex Romanis aliquẽ alta uoce prouocaret: M. VALERIVS Coruinus adoleſcẽs corui auxilio, capiti ſuo inſidentis, & alis & roſtro hoſtẽ infeſtãtis, Gallum ex prouocatione interemit. Sab. lib. 3. En. 4. ex Gellij lib. 9. c. 11.

## APES, INSECTA.

IMMO Henrici Imp. dux, obſeſſus à Giſelberto Lotharingiæ duce, irrumpẽtes equites obiectis aluearib. apum inhibuit: quarum aculeis in furorem uerſi equi, ſeſſores uel excuſſeſe, uel ad pugnandum inutiles reddidere. Vitichindus lib. 2. geſtorum Saxon.

An. ſal. 1513. auſpiciis Emmanuelis Luſitaniæ regis, Lupus Barriga in Mauritaniæ oppidũ Xiatimenſe, quòd appellãt TANLI, impetũ fecit. Hoſtes cũ ſe in ultimum diſcrimẽ adductos cernerẽt, aluearia apũ innumerabilia, quib. abundabãt, incẽſa è mœnib. demiſere. Luſitani & aluearium flãmis ambuſti, & apum aculeis ſtimulati, oppugnationem deſerere coacti ſunt. Multi etiã uulnera ab hoſtibus accepère, ne apibus tantũ ea propugnatio aſcribi poſſet: ipſeq; Barriga grauiter uulneratus abſceſſit. Oſorius lib. 8. rerum Em.

Quum Amurates Turcarum rex Albam Græcam oppugnaret, OPPIDANI præter alia, etiam apum examina in Turcas miſere. Bonfinius lib. 4. Dec. 3.

# ARMA MILITARIA COMPARARE, DELIGERE, CONSERVARE, EXERCERE.

## ACQVISITIO, ET APPARATVS.

SOPHANES Athenienſis ad Plateas ferrea anchora in prælio utebatur: quam, quoties aduentantibus hoſtibus propinquus erat, obiiciebat, ne illi irruẽtes eum ex ordine ſummouere poſſent. Rurſus iiſdem in fugam uerſis reſumta ancora fugientes inſequebatur. Herod. lib. 9.

AGATHOCLES Syracuſiorũ tyrannus, in Africam traducto exercitu, cùm eos, qui clypeis carebant, inermes uideret, clypeorum tegumenta baculis affixit, & ſpecie circulum clypei imitatus, eis tradidit nequaquam ad uſum idonea, ſed quæ procul conſpecta, armorum ſpeciem referre poſſent iis, qui rei ueritatem ignorarent. Diod. lib. 20.

CANNENSIS clades adeò urbem Romanam contudit, ut opera M. Iunij Dictaturam Reip. adminiſtrantis, ſpolia hoſtiũ affixa templis, deorum numini conſecrata, inſtrumenta militiæ futura conuellerentur, ac prætextati pueri arma induerent: adiudicatorum etiam & capitali crimine damnatorũ ſex millia conſcriberentur. quæ ſi per ſe aſpiciantur, aliquid ruboris habeant: ſin autem admotis neceſſitatis uirib. ponderentur, ſæuitiæ temporis conuenientia præſidia uideantur. Valerius Max. lib. 7. c. 6.

M. ANTONIVS Triumuir Mutina profugus, cortices pro ſcutis militibus ſuis dedit.

SPARTACO copiiſq; eius, ſcuta ex uimine fuerunt, quæ coriis tegebantur. Frontinus lib. 1. c. 7.

Tertio bello Punico CARTHAGINENSES à Rom. obſeſſi, cùm iis iam antè arma tradidiſſent, ut alia conficerent, omni quod in priuato uſu erat ferramento, ad noua conflanda arma conſumto, alia inſuper ex auro argentoque, ubi ferrum deerat, confecêre: atq; ut in arcus funes compararent, cùm alia deeſſet ratio, feminæ comas ſuas in eum uſum tradiderunt. Plutarchus.

Maximinus Imp. ad Vrbem infeſtis armis tendens, A[illegible]ILEIAM, quòd Senatui Rom. parêret, obſeſſam in eã neceſſitatem redegit, ut cùm in arcus cordas non haberent, feminarum ſuarum comis ad illud opus uterentur.

Idem ROMANOS feciſſe legimus, cùm à Gallis in Capitolio obſiderentur: qui ob eam rem Venerem caluam poſtea conſecrarunt. Item MASSILIENSES aduerſus C. Cæſarem. Sabellicus lib. 6. En. 7.

HALDANVS Danorum rex, contra Ericum Sueonum regem pugnans, inclinatam ſuorum aciem conſpicatus, frequentẽ ſaxis rupem cum Thorone duce conſcendit, indeq; erutas moles in ſubiectum hoſtem deuoluit: quarum pondere & ruina aciem in occiduo conſtitutam oppreſſit. Quo euenit, ut uictoriam quam armis amiſerat, cautibus recuperaret. Ob cuius facti uirtutem Biargrammi cognomen accepit: quòd uocabulum ex montium efferitatis nuncupatione cõpactum uidetur. Igitur apud Sueones tantus haberi cepit, ut magni Thor filius exiſtimatus, diuinis à populo honoribus donaretur, ac publico dignus libamine cenſeretur. Saxo libro ſeptimo.

HVSSITÆ Boëmi flagellis ruſticis ferratis Germanorum hoſtium equitatum ſæpe profligarunt. Aeneas Syluius, & Dubrauius.

## DELECTVS.

DAVID Iſæi F. Goliathum Palæſtinũ gigantẽ ſingulari certamine aggreſſurus, arma Sauli regis, quib. eum induerat, depoſuit, negans ſe cum illis poſſe incedere, quoniam non aſſueuiſſet: & paſtoralia arma, pedum, fundam, ſaccum cum quinq; læuibus ſilicibus ſumpſit, & ante omnia Iouæ armipotentis nomine fretus, funda proſtratum Goliathum peremit. 1. Regum 17.

PATROCLVS, cùm Achillis armis eſſet indutus, ab haſta tamen abſtinebat, quòd ea grauior eſſet, quàm ut quiſquam Græcorum eam regere poſſet, præter unum Achillem. Homerus Iliad. π.

VETERES cominùs cũ hoſte congredi, non eminùs, honorificum ducebant. Eapropter Iliad. δ. reprehendens Agamemnon Grecos, ἰομώρους uocat, ὡς μεμορημένους περὶ τὰ βέλη, quòd ſagittis potiùs eminùs, quàm gladiis cominùs pugnare uellent. Vocat etiam ἐλεγχέας, ἀπὸ τοῦ ἐλᾶν ἔγχος, quòd cominùs ſtrenui nõ eſſent, ſed haſtas ſibi ab inimicis extorqueri paterentur. Sagittis certè nõ niſi ad impetendas uolucres, & feras, uictus cauſa, uſi ſunt olim: & hinc βίος, uita & uictus dici cepit, ὡς ἀπὸ τοῦ βιοῦ, quaſi arcu pararetur.

SAGARTII Perſæ, paſtoritiam agentes uitam, equitatu pollentes, armaturam neq; aeneã, neq; ferream aſſueti ferre, pter pugiones, utentes reſte è loris conſerta. Vbi cum hoſte congreſſi ſunt, reſtem laqueos habentes iniiciunt, & aut equum aut hominem ad ſe trahunt, illaqueatũq; conficiunt. Herodotus lib. 7.

CYRVS Perſarum rex, Cyaxari Medorum regi cõtra Aſſyrios ferens auxilium, cùm hoſtium exercitum dimidia parte ferè ampliorem eſſe cognouiſſet, ſed maiori ex parte ex ſagittariis, quorum uſus procul tantùm eſſe poteſt, conſtantem: auctor fuit Cyaxari, ut Perſas ad XXX millia, quos ſecum ducebat, Homotimorum armis indueret (ea autem erant, thorax circa pectus, in manu læua cratis, dextra copis uel ſecuris.) Sic futurum, ut cominùs rem gerere properarent, & celeriter emenſo ſpacio telorum iaciendorum, hoſtes huic certaminis generi non aſſuetos profligarẽt. Xenophon lib. 2. Pædiæ.

Cyrus uulgus LYDORVM funditores eſſe iuſſit, quòd id teli genus ſeruile admodum ſit. Nam illi quidem cum reliquis coniuncti copiis ſæpe multum proſunt: ſed per ſeſe, ne omnes quidem cum paucis armatis congredi audeant. Suidas σφενδόνη.

Rex AGIS, cùm Demades Athenienſis Laconicorum gladiorum breuitatẽ derideret, diceretq; circulatores facilè eos in theatris deuoraturos: Atqui, inquit, hiſce nos gladiolis hoſtes aſſequimur. Plut. in Lycurgo & in Apoph.

ANTALCIDAS quærenti, Quid gladiis breuibus Lacedæmonij in bello utantur? reſpondit: Quòd cominùs cum hoſtibus manus conferamus. Plut. in Apophtheg.

IPHICRATES Athenienſis, bello Perſico peditum arma mutauit, cùm ante illum imperatorem, maximis clypeis, breuibuſq; haſtis, minutis gladiis uterentur. Ille econtrariò peltam pro parma fecit, à quo poſtea Peltaſtæ pedites appellãtur, ut ad motus concurſuſq; eſſent leuiores. Haſtę modum duplicauit, gladios longiores fecit: idem genus loricarum mutauit, & pro ferreis atq; æneis, lineas dedit. Quo facto, expeditiores milites reddidit: nam pondere detracto, quod æquè corpus tegeret, & leue eſſet, curauit. Probus in eius uita. At Diodorus lib. 15. haſtam ſeſquiplò, gladium duplo lõgiorem ab eo factum ſcribit.

PHILOPOEMEN inſtruxit Achiuos, ut pro ſcuto & haſta, clypeum ſariſſamq; caperent, galeiſq; & loricis atq; tibialibus ſeſe munirent, ſtabilemq; & pedeſtrem pugnam exercerent, pro curſu & ſcutatorum iaculatione: omneſq; delicias & operoſitates ueſtium cœnarumq; de medio remouerẽt, & ſolis iis, quæ neceſſitas poſtularet ad uſum militarẽ, contenti uiuerent. His præceptis, Philopœmen in pleriſq; conflictibus ſtrenuos atq; præſtãtes milites habuit. Polyænus lib. 6. & Plut. in eius uita.

ALEXANDER Magnus ſemithoraces ſuis militibus pro thoracibus dedit, ut ſi manſiſſent, ſecuritatem ac munitionẽ haberent, anterioribus partibus occultatis: ſin fugiſſent, auerſa hoſtibus nuda parêrent. itaq; nemo fugam capeſſere uoluit, metuens, ne tergum hoſtibus nudaret, ſed manẽtes omni tempore uictoriam parabant. Polyænus lib. 3.

Galli, cùm duce Brẽno rege, per uim Romam occupaſſent, ſeptem menſibus eam tenuerunt. L. Fur. CAMILLVS Romanis, qui extra urbem erant, collectis, expulit Gallos, urbẽq; reſtituit. Rurſus Galli poſt annos tredecim Romanorum regionem inuadere auſi, ad Anienem fluuium, non procul ab urbe, caſtra metabantur. Camillus quintùm Dictator creatus, acceptis copiis, contra Gallorum gladios, quibus impetentes capita abſcindebant, iuſſit comparare galeas omnino ferreas ac læues, ut enſes retunderentur, aut confringerentur. Clypeis autem undique æneum tegumentum induxit, ligno ictus non ferente. Milites uerò longis haſtilib. cominùs uti docuit, & hoſtiũ gladiis ſeipſos opponere, ictuſque excipere. Gallorum enim ferrum cùm eſſet molle, maleq; fabricatum, repentè laborabat, eorumq; enſes recuruabantur, & ad pugnam erant inutiles. Polyænus lib. 8. & Plut. in Camillo.

M. MARCELLVS Procoſs. ad Nolam diſtribuerat lanceas peditibus oblongas, qualib. in prælio nauali uti mos eſt, docueratq; eminùs eas magna ui in hoſtes intorquere iaculãdi imperitos, qui breuibus ſpiculis cominùs utebantur. Quæ cauſa uidetur fuiſſe, cur ea in pugna terga dederint Pœni, quacunq; concurrerunt, ac fœdè fugerint. Plut. in Marcello.

C. MARIVS Coſs. V. contra Cimbros in Giſpadana Italia pugnaturus, pila nouauit. Quippe haſtile, qua iniunctũ ferro erat, antè fuerat fibulis duabus ferreis affixum. Tunc alterã non mouit Marius, altera amota clauum ligneum fragilem ſuffecit: machinans, ut impactũ hoſtis ſcuto pilũ non manẽret directũ, ſed fracto clauo ligneo ſecundũ ferrum intortũ redderetur: & haſtile recuruata cuſpide ex obliquo adhæreſcens dependeret. Plut. in Mario.

CONRADVS Cæſar, Montisferrati Marchio, ſub Imperatore Byzantino Iſaacio Angelo, aduerſus Alexium Branam, imperium affectantem, ad Conſtantinopolim (quam Branas obſidebat) pugnans, primus cum ſuis impetum in hoſtem fecit, ſine clypeo, textum lineum auſtero & ſalito uino probè maceratum, & ampliùs decies octies complicatũ, pro thorace indutus, ita firmum, ut nullum telum penetraret. Nicetas lib. 1.



Sichtrug9 Suecię rex, raptorẽ filiæ Gro regẽ Danię GRAMVM bello petens, ſe ferro inſuperabilẽ ex oraculo credebat. Nõ latebat hoſtem hoſtis confidentia, quòd diuûm ſuorum reſponſis niteretur. Fraudem ſtruere meditatur, auro ſuperaturus, quem ferro non poterat. Igitur clauæ, quam herculeo ritu pugiles gerebant in prælia, aurum ex cauatæ infudit, ut pondere præualeret, proque ferro auri nodos innexuit. Magnis utrinque animis, paribus odiis concurritur in prælium: fit anceps diu pugna. Rex deinde regem quærit in acie: ubi manus conſerunt. Daniæ rex recentibus exultans uiribus, uirũ ætate grauem, clauæ ſuæ põdere oppreſſit & extinxit, oraculum comprobans, ne ullo ferramento rex Sueciæ ſuccumberet. Cranzius lib. 1. Sueciæ, c. 12.

GOSTAVVS Ericſon contra Chriſtiernum II. Daniæ regem crudeliſſimum anno 1521. bellum gerens, XX haſtatorũ millibus, quorum haſtæ tribus pedibus Danicas haſtas ſuperabant, uictoriam obtinuit, & Chriſtierno eiecto regnum Sueciæ obtinuit. Olaus lib. 7. c. 5.

Eo tempore, quo Galli, duce rege ſuo Carolo IIX. regnũ Neapolitanum, exactis Aragoniis, bello uexarunt, utebãtur pleriq; HISPANORVM pro galea linteis tegumentis, ſcutiſque planis è cocto corio, & à ſummo in imum cuneatis: itẽ gladio breui, haſtaque ſubtili fraxinea, lato præfixa ferro, qua ad medium comprehenſa, erigendo ſeſe ab ephippiis, hemicycliſq; ferreis, quos pedibus induunt (hi ſtapedæ uulgò appellãtur) ueluti ex alto ictus inferebant, inermi quidẽ lethales, ſed armato penitùs contemnendos. Ipſi quoq; pedites Siculi & Hiſpani Brutijq;, pro haſtis denum pedum, & iis quidem craſſioribus atque fraxineis, quibus Heluetij utuntur, exiles & breues equeſtribus ſimiles, quas gianettas dicunt, geſtabant: uel haſtilibus latæ cuſpidis & ſcuto rotundo, cuius nullus apud Germanos uel Gallos eſt uſus, inſtruebantur. Quæ omnia demùm Italus & Hiſpanus miles, facto ſæpiùs infelici periculo, penitùs abiecit: & quæ ab Heluetiis atque Germanis mutuatus eſt aliqua ſoleiter addendo, in meliorem atque habiliorem formam coaptauit. Iouius lib. 3. Hiſtoriæ.

ALBERICVS Balbianus Cunij comes, cùm amiſſa militari diſciplina, artes quoq;, quæ ei coniunctæ ſunt, in deſuetudinem ueniſſent, decoctoque iuxtà primorum ſeculorum morem corio arma conficerentur, uſum reſtituit ferro ea conficiendi. Equitem cataphractum ea ſpecie, quã uidemus, formauit, adinuento hoc concluſæ duplicisque galeæ genere, quo nunc maximè utimur, & Gothico nomine Helmettum uocitamus. Impoſuit & tegumenta equis, quę Bardæ uocãtur, recocto è corio, ut Clibanarios equites à Perſis ad Gothos, priuſquam ad Italos, reiectis loricis, adductos imitaretur. Quibus nihil ualidius, ſi tormenta ænea tollerentur. Iouius in Magni Sforcię uita. Platina in Bonifacio IX.

VITELLOCIVS Vrſinus inter Sorianũ & Baſſanũ cũ Alexandri VI. Vrſinos excindere funditùs conantis, exercitu cõgreſſus, nobilẽ retulit uictoriam. Nam more Tranſalpinę militię pedites eius haſtis, cõmunem menſuram ad ſeſquipedẽ excedentibus, armati, ob haſtarum longitudinẽ illæſi, ipſi hoſtes uulnerarunt. Guicciardinus lib. 3.

Quum anno 1535. Cæſar CAROLVS V. contra Hariadenũ Barbaruſſam, qui expulſo Muleaſſe regnum Tunetanum occuparat, exercitum duxiſſet, quodam die parùm abfuit, quin grauem à Barbaris accepiſſet cladem. Tandem tamen & militum fortitudine, & ſua ipſius induſtria, hoſtes repreſſit. Dixit autem, ſe baliſtariorum equitum alam, magno proculdubiò uſui contra inermes hoſtes futuram, eo die plurimũ deſideraſſe, ut Numidæ, & equi eorum præſertim, quos magno parant precio, ideoq; ſecundùm uitam longè habent cariſſimos, uerutis configerentur: inſtauraturumq; propterea eius ſcorpionarij ordinis dudum intermiſſi, & ſenſim exoleſcentis, peculiarem alam, qua, ſi opus foret, aduerſus Barbaros uteretur: ſicuti ipſe paulo antè inter prætorianos cuſtodiæ corporis equites habere conſueuiſſet. Iouius libro 34. Hiſtoriarum.

## ORNATVS.

ROMANÆ militiæ fuit, leuis armaturæ milites atq; equites, loricas & galeas urſinis pellibus tectas, quò truculentiores uiſu forent, in aciem deferre: ſicut GRÆCORVM ueteres, pelles fluuiatilis canis pro capitis tegmento uice galeæ detulêre: equinaſq; iubas, & caudas in galeis, aut pennas ſtruthiocameli, nonnunquã leonis pellẽ pro conis apud Romanos fuiſſe conſtat, more AETHIOPVM, qui pelles equorũ capitum cum ipſis auribus & iubis deferentes, nonnunquã pardorum pellibus leonumq; amicti, acies ſubeunt & præliantur. Alex. lib. 1. c. 20.

AGESILAVS, rex alioqui frugaliſſimus, milites ſuos pulcris armis inſtructos eſſe uoluit. Ibidem.

Q. SERTORIVS argento affatim præbito, & auro galeas militum exornauit, & ſcuta uariis diſtinxit ornamentis, chlamydeſq; pictas & tunicas uſurpare eos docuit, atque in id ſuppeditans & ſeruiens illorum gloriæ, influxit in eorum animos. Plut. in Sertorio.

C. IVL. Cæſar militib. præcepit, ut arma haberent auro argentoq; ornata, maximè quidẽ ornamenti cauſa: deinde etiã, ut res precioſas acriùs defendendas ac propugnandas exiſtimarent. Polyænus lib. 8. & Suetonius.

Erant ex auro militibus M. BRVTI Cęſaris interfectoris in cãpis Philippicis pleraq; arma, & præbitum in ea fuerat profuſè argentum: quãuis alioqui aſſuefecerat uiuere Brutus duces moderatè & aſtrictè. At opes, quas in manibus & circà corpus ferunt milites, acuere nonnihil putabat gloriæ cupidis pectora, auaros uerò reddere etiã fortiores, quòd arma ſicut poſſeſſiones retinerent. Plut. in Bruto.

MAGNVS Sforcia erat in cultu ueſtituq; moderatus potiùs, quàm elegans, uel ſumtuoſus. Oderat ueſtis mundicias: ſagulorum autem & armorum nitorem ita exigebat, ut maculam & æruginem contumelia, & nonnunquam uerbere uindicaret. Equiti ex hybernis æruginoſa geſtanti arma, in conſpectu hoſtium ſeuerè imperauit, ut adaperta caſſide in aciẽ prodiret: ſcilicet, ut cum periculo noſceretur, ſi parum gnauiter dimicaſſet. Cæterùm in pompa, & cùm luſtraretur exercitus, ſaga ſerica, argento atque auro bracteata conſpiciebantur: auratæ item & egregiè perpictæ bardæ, quibus equi Perſico more tegebãtur. Is uerò eques ſibilo notabatur, qui decoras in caſſide criſtas nequaquam oſtentaſſet. Iouius in uita Magni Sforciæ.

## CONSERVATIO, DEFENSIO, uel INVITIS HOSTIBVS.

CHIIS aduerſus Erythræos bellum erat de Leuconia. Chij cũ uiderẽt, ſe nullo modo hoſtium impetum ferre poſſe, decreuerũt, facto fœdere exire, & ſinguli chlænam & tunicam aſſumere. Chię mulieres indignè ferebant, ſi proiectis armis nudi fugam peterẽt. Illis, ſe iuramentum ea de re interpoſuiſſe, dicentibus, mulieres conſilium dederunt, nequaquã arma deponerent: uerùm dicerent, ſibi moris eſſe chlænã appellare haſtam, & tunicam ſcutum. Chij mulieribus morem geſſerunt, armiſq; retentis, formidabiliores Erythræis extiterunt. Polyænus lib. 8.

Eximiæ opinionis gladiator Viſinnus apud Ruſciam, uicinas longinquaſq; prouincias omni iniurię genere uexauit. Hic omnem telorum aciem ſolo conſpectu hebetare ſolebat, illuſtrium uirorum coniuges maritis ſpectantibus raptas ad ſtuprum pertrahebat. Eum STARCATHERVS petitum ex prouocatione oppreſſit. Ferrum quippe, ne præſtigiatori conſpicuum foret, tenui admodum pelle contexit. Saxo lib. 6.

## OCCVLTATIO.

Hannibal in Iberia magnam ciuitatem Salmatidem oppugnabat. Pactum cum eis fecit, ut trecentis argenti talentis, & trecẽtis obſidibus acceptis, oppugnationem dimitteret. Cùm SALMATENSES non traderent, de quib. inter eos conuenerat, Hannibal reuerſus immiſit milites, quaſi direpturos urbem. Rogabant Barbari, ut ſibi liceret amictis una ueſte cum uxoribus exire: arma, pecunias & mancipia ſe relicturos. Vxores in ſinibus gladios occultantes, cum uiris exierunt. Annibalis milites urbem diripuerunt. Mulieres egreſſæ, maritis enſes tradiderunt. Quædam etiam ipſæ ſtrictis gladiis cum uiris ſimul in eos, qui ciuitatem uaſtabant, impetum fecerunt. Itaque alios cæperunt, alios in fugam coniecerunt, & confertim ex urbe excurrerunt. Annibal mulierum fortitudinem admiratus, non ſolùm illas ſuis maritis reddidit, uerumetiam patriam & pecunias eis reſtituit. Polyænus lib. 7.

## INSTITVTIO, PERITIA, VSVS, EXERCITATIO.

Apud BALEARES matres infantes pueros ab ipſis uitæ incunabulis his diſciplinis aſſuefaciunt, ut niſi oblatum cibum baculo aut funda petierint priùs, cibo ueſci prohibeãt. Quẽ uſum uetuſtiſſimum apud CADVRCOS, Acarnanes atq; Aethiopes inualuiſſe legimus, ut ſaxa ingentia fundis intorquere, aut ſagittas & iacula ingentis ponderis uibrare à teneris ediſcant. Alex. lib. 2. c. 25.

TARTARI pueros ſic ad ſagittandum inſtituunt, ut cibum ſumere non permittant, donec ſcopum arcu attigerint. Bonfinius lib. 8. Dec. 2.

uellent acciperent. Singulis remiſſionem militiæ petentib. dati ſunt uicarij CCC. Romani iuuenes, quos Scipio inermes ex Italia adduxerat, ea conſilio, ut Siculorum impenſa, ſicut euenit, armis equisq; inſtruerentur. Horum opera multis poſtea certaminibus fideli atq; utili in Africa uſus eſt. Auctor eius uitæ.

Capta à Latinis Conſtantinopoli, cùm Venetis ex fœdere dimidia pars imperij cederet, modò armis ſubigi poſſet: VENETI, ut omnia imperij loca, quæ ex fœdere cũ Gallis & reliquis ſociis icto Veneti nominis facta uideri poterant, cõmodiùs ſuo imperio adiungerent, publicum edictum propoſuêre: ut qui ciuium aut ſociorum priuatis auſpiciis inſulas Ionij Aegæiq; maris, cæteraq; loca illis circumiecta, quę Conſtantinopolitani antea fuiſſent imperij, occupaſſent (p̄ter paucas maiores inſulas, à quibus omnes abſtinere uolebant, quorum nomina expreſſa ſunt) eos in his locis ius qđ ſemel ſibi armis quæſiuiſſent, perpetuò habituros. In quo prima ſpecie parum reipub. conſultum apparuit: ſed rem altiùs inſpicientes: ita facto opus fuiſſe reperient: ciuitate nõ ſolùm maioribus Græciæ rebus occupata: ſed quia prædonum uires eouſque per id tempus, quo Veneti Thracio bello fuerant occupati, inualuerant, ut ualida iam claſſe opus eſſet ad eorum curſus opprimendos. Apparebat proinde, haud tutò publicas opes in tot partes diffundi poſſe. Satiùs igitur uiſum, ut qui prædiuites eſſent, ſingulas pluréſue triremes aliaque nauigiorum genera ad hoc ipſum ſinguli cõpararent: quod tanta ſpe præmij propoſita pleroſque ſtudio facturos haud dubium erat: atque ita fore, ut nauibus priuato ſumtu inſtructis, quum opus fuiſſet ſuo iure reſpub. uteretur. Cæterùm loca, quæ reciperentur, eorum quilibet ſuo erat præſidio defenſurus (quod reſpub. ſine magno diſpendio & labore præſtare non potuiſſet) atque in eas cum coniugibus, liberis, & fortunis omnibus migraturus. Sic tãquam ex urbe coloniis in inſulas miſſis, omnia in Venetorum fide permanſura. Sabellicus lib. 8. Decad. 1. & Platina in Innocentio III.

Similiter bello Ferrarienſi edictum propoſitum, qui prædam uellent in ALFONSI ducis Ferrarienſis finibus facere, per remp. licere, dum ab incendiis prorſus abſtineant. Quamob rem ducentæ ferè priuatorum hominum nauiculæ paulò pòſt ſe ad præfectos reipublicæ in Pado contulerunt. Bembus lib. 10. Hiſt. Venetæ.

Bello contra Philippum Vicecomitem, ut Brixia commeatu ſubleuaretur, Benacus, lacus aperiendus erat, quem Mantuani principis claſſis infeſtum reddebat, & Philippi Vicecomitis arma. Catta Mellita Venetorũ ductor claſſem inſtruere ſuadebat. Res ipſa in dubium ueniebat: ac id unum quærebatur, Qua ratione id fieri poſſet, ut claſſis in eo lacu pararetur, quum non ſyluæ eſſent, non flumina ulla, per quæ naues attrahi poſſent? Tenuerat ea conſultatio aliquot dies, quando Sorbolus quidam Cretenſis ad ſenatum acceſſit, docuitq;, neque animum neque conſilium ex urbe in Benacum naues traducendi ſibi deeſſe. Quod ipſum quia impoſſibile omnibus uidebatur, ut per ducenta & ampliùs millia paſſuum maiora nauigia attrahi poſſent, cœpit primò pro deliro haberi: ſed quum multis conſtaret, hominem nõ uulgari eſſe ingenio, perſtaretque interim ille in ſententia, conſtantique aſſeueratione affirmaret, id omnino fieri poſſe, ſi ea darentur, quæ ad rem tranſigẽdam eſſent neceſſaria: perſuaſus ſenatus, id illi negotium demandauit. Tractæ itaque naues aduerſo Atheſis fluuio Veronam uſque: inde aliquãto laborioſiùs binis quaternis'ue iugatis bobus ad Mauri pagum eas Sorbolus attraxit: hic ſubiectis triremi lapſibus, ingenti hominum boumque conatu in diui Andreæ lacum ſex paſſuum millia per plana fermè loca moles illa traducta eſt, reliqua minora nauigia curribus inuecta. Tertio menſe poſtquam Venetiis abductæ erant, Turbulas deſcendere. Ea autem ab hoſtibus deleta, Veneti continuò nouam claſſem decreuêre, diuerſa tamen ratione ab illa priore ad Benacum ſtatuendam: ut ſoluta uidelicet materia ſexcentis plauſtris Turbulas conueheretur: ubi uelut nauali quodam aquis proximo triremes octo texerentur, totidem galeones, ac celoces quatuor. Omnes Veneti naualis opifices ad opus ſubitò conficiendum deſtinati. Sab. lib. 3. & 4. Dec. 3. & En. 10. lib. 4. & Blondus.

## CONSERVATIO, EDVCTIO, DEFENSIO.

CHABRIAS aduerſus pelagias nauigationes, & marinas p̄cellas ſingulis nauibus duo gubernacula comparauit, atq; priſtinis in tranquillitate utebatur. Sin mare canum fieret, altera per parexereſiam iuxta ſeſſiles remos apponebat gubernacula ſupra cataſtroma, ut ſublata puppi nauem dirigeret. Polyænus lib. 3.

IDEM aduerſus impetus fluctuum ſub parexereſiam ex utroque latere pelles affixit, & ſeorſim æquales, cataſtromati in altitudine munitionem hanc cũ parexereſiis coniunxit. Id impedimento fuit, quo minùs patens fluctibus nauis ferretur, & nautæ minùs madeſcerent. Sic etiam cùm impetentes fluctus cernere non poſſent, propter obſtructionem non perterriti ſunt metu, neque nauim reliquerunt. Polyænus libro tertio.

ISCHOLAVS in Aeno uidẽs Athenienſes adnauigare multis nauibus, ueritus, ne ſub noctem appellẽtes, multa ex ſuis nauigiis abſtraherent, ad turrim, quæ in uallo erat, omnia perducta ligauerunt ex malis. Remotiora per funes ex nauigiis ſuſpenderunt, ut mutua eſſet connexio. Athenienſes noctu accedentes, abſtrahere conati nauigia, nihil abſtraxerunt. At illi ab Aeno nunciantibus cuſtodibus clàm egreſſi, inſecuti ſunt Athenienſes partim terra, partim nauibus. Polyænus lib. 2.

LYSANDER Lacedęmonius, cùm in portu Athenienſiũ cum tota claſſe obſidererur, obrutus hoſtium nauibus, ab ea parte, qua faucib. anguſtiſſimis influit mare, milites ſuos clàm in litus egredi iuſſit, & ſubiectis rotis naues ad p̄ximũ portum Munychiæ traiecit. Frontinus lib. 1. c. 5.

IPHICRATES regis Perſarum nomine bellum gerens, unà cũm Pharnabazo nauigans in Aegyptum, cùm regio eſſet importuoſa, mãdauit triremiũ præfectis, ut quilibet quadraginta ſaccos haberet. Cùm uerò appellerent, ſaccos arena cõplens, capita ex ſingulis nauibus ſuſpendit atq; ſic eas remigatas adduxit. Polyæn. lib. 3.

CN. DVELLIVS Coſ. in portu Syracuſano, quẽ temerè intrauerat, obiecta ad ingreſſum catena clauſus, uniuerſos in puppim retulit milites, atq; ita reſupina nauigia magna remigantiũ ui concitauit. Leuatæ proræ ſuper catenã proceſſerunt: qua parte ſuperata, tranſgreſſi rurſus milites proras preſſerunt, in quas uerſum pondus, decurſum ſuper catenã dedit nauibus. Frontinus lib. 1. c. 5.

Si iter ſit per ignota maria, plurimùm confert, ut dux uiæ una nauis præmittatur: nam ſi periclitatur, ſeruantur aliæ: ſi ſeruatur, aliæ non periclitantur: qui mos eſt equitibus flumina tranſeuntibus. Omnes igitur tanto interuallo ſigillatim alia poſt aliam ducem ſequuntur, ut allidere (quod noctu frequenter contingit) non poſſint, & ſuppetias afferre queant. Confert ob id noctu, ut ſolum unum lumen in naui ſit, atq; illud in malo, ne multitudo errorem pariat: noctu enim, & præſertim in mari, lumina magis diſtare uidentur, quòd maiora appareant. Proportio enim corporum & diſtantiarum ſeruari ſolet. Quòd ſi lumen uideri non poſſit, machinarum ſtrepitu uia ſignificetur. His, qui negligenter rem tractauerint exequantúrue, pœna pecuniaria, qua magis quàm corporea torquentur uiles homines, propoſita ſit. Inertes, ac oſcitanrer rem tractantes, nauium rectores maxima iniuria commurare decet: ut qui præcipere aſſueti ſunt, parére cogantur: hoc enim metu fiunt uigilantiores. Talibus præceptis LOPEZ Suarez Meneſeus Luſitanus, claſſis regiæ pręfectus, ſeruauit claſſem integram, rediitq; integro numero earum, quas deduxerat: cùm nemo ante illum uix dimidium claſſis ſeruare potuerit. Cardanus de rerum Varietate lib. 11. cap. 54.

Vitaliani milites ex portubus urbiũ Roſtokij & Viſmariæ naues octo grandes, frugib. & reliquo cõmeatu onuſtas, urbi Stoxholmiæ, quæ ſola ex omnibus Sueciæ urbibus in fide Alberti Suecorum regis à Danis capti permanebat, importare decreuerant: cæterùm aduerſis flatibus Sueciam attingere nõ potuere, quinimo uehemẽtiſs. gelu rigenti in mari naues conſtitere. HVGO claſſis præfectus ex ſuis per glaciem quoſdam per proxima nemora dimiſit, qui trabibus naues uallarent, & ſuperfuſa iugiter aqua, in glaciem mox duratas, inexpugnabiles reddeŕẽt: ut quantumuis Dani pedites eas oppugnarẽt, nihil tamẽ proficerent. Iam cùm machinas adhibere uellent (Cattos uocant, quorũ de ſummitate tela in naues coniicerentur) iuſſit in ueſperum diſcindi glaciem circumquaque: ſubnaſcenti glaciei nix ſupercecidit. Dani cùm admouere tentarent machinas, demerſi ſunt, de nauibus ſublato clamore, Cas, Cas, ad inſultationẽ pereuntium. Quumprimùm autem ſoluta eſt glacies, in portũ optatum naues peruenere. Cranzius lib. 5. Sueciæ, c. 34.

ABSALON Roſkyldenſis epiſcopus, claſſi Danorum contra Sclauorum piratas præfectus, reditum parabat. At cùm ex repẽtino frigore eximia glaciei moles portu egreſſuris obſiſteret, induſtria prouiſum eſt, ut unius nauis præceſſu cæterarum inſecutio expediretur. Sed nec unaquæuis præeundi officio diu fungi poterat, quòd partes carinarum extrinſecæ glacialium cruſtularum acumine perinde ac ferri impreſſione exederentur. Quam ob rem præceſſionis uices inter nauigia æquo ordine diuiſere, donec in apertum pelagus peruenere. Saxo lib. 14.

Rex Calecutienſis, contra ODOARDVM Paciecum Luſitanorum ducem ſæpiùs uictus bellum redintegrabat, claſſe uadum Cochimenſe penetraturus. Caſtella Saraceni cuiuſdam



dam ingenio, extructa ad hunc modum fuerant. Duo parones detractis armamẽtis tanto interuallo diſtabant, quantum eſſet unius haſtæ modicæ longitudo. Vtriuſque autem proram tignum iungebant. Alterum deinde tignum ab unius puppi in alterius puppim coniectum, utrumq; paronẽ, ne poſſet alter ab altero diſiungi, firmè retinebat. Super hęc autem duo tigna, alia tigna tranſuerſo ordine ſternebantur. Interuallum uerò, quod duobus iſtis tignis continebatur, aliis tignis adeò frequentibus explebant, ut contabulationis ſpeciem præberet. Erant autem tigna ſingula trib. locis ferro fortiſſimè reuincta. In quolibet autem huius quadratæ contignationis latere, alius ordo tignorum in uniuſcuiuſque lateris extremitate præfixus, altitudine pedũ XIV. muri ſimilitudinẽ referebat. Erant autem omnia cardinibus, comiſſuris aptiſſimè perfectis, ita firmata, & ferreis retinaculis coniuncta, & ſolidata, ut nulla ui conuelli poſſe uiderentur. Super ligna uerò trabes iniectæ totum opus multò firmius efficiebant. Cratibus deinde atq; longuriis conſternebantur. In hoc ſummo tabulato in maiore Caſtello quadraginta milites cõmodè conſiſteré, atq; depugnare poterant. Ad hãc formam octo Caſtella paulò minora ſuper ſedecim parones excitata ſunt. Fuerunt autem hæ machinationes ideo factæ, ut cùm æſtus dedeceret, nauibus à puppi uehementiùs impulſis, & nauibus Luſitanis applicatis, Caſtella illis imminerent, & milites è ſuperiore loco tela atq; flammas adiicerent. Paciecus hoc contrà præſidium comparauit. Malos octoginta pedum longitudine inter ſe ferreis uinculis arctiſſimè colligauit, & formam ex illis quadratã conſtituit. Tantundẽ enim in latitudinẽ, quantũ in longitudinẽ patebat. Hanc autẽ machinam ante nauium proras modico ab illis interuallo conſtitui iuſſit, & ſecundùm æſtus naturã ſex anchoris alligari: ut uidelicet tres anchoræ, cũ æſtus accederet, aliæ tres cùm decederet, illam firmiſſimè retinerẽt. Id autem hoc conſilio effecit, ut nauiũ carinæ, cùm appropinquare uellẽt, impedirẽtur, quò minùs Caſtella nauib. Luſitanis adiungerent. Petrus aũt Raphaël exciſis aliquot malis, ex illis columnas effecit, quas in nauium tabulato præfixit, & in ſummo earũ faſtigio capitella inſtituit, in quib. poſſent ſeni milites inſiſtere, & illis, qui erant in Caſtellis, repugnare. Altitudo enim cuiuſlibet capitelli, altitudinẽ Caſtellorum, quæ hoſtium nauibus ferebantur, adæquabat. Oſórius lib 3. rerum Em.

Eſt oppidum Mauritaniæ clarum, nomine Larache, quod uiginti millibus paſſuum Arzila diſtat. Flumine autem Zilia, quod in Oceanum influit, alluitur. Ceperant autem Mauri quinq; naues Portugalenſes, quæ tunc in Larachenſi portu conſiſtebant. Id cùm IO. Meneſius, ei orę ab Emmanuele rege præfectus, reſciuiſſet, in portum inuehi cogitauit, ut naues abduceret. Erat autem in ipſius fluminis oſtio turris, natura, & arte, & armis atq; tormentis egregiè munita, in qua milites per uices excubabant: receptus piratis omnibus, qui ex ea Mauritaniæ parte quotannis, ut prædas agerent, egrediebantur. Meneſius nocte Larachem petiit, & claſſem ante fluminis oſtium prima luce conſtituit. Accurrunt Mauri, ignem tormentis applicãt, & globos ingentes emittũt, ſummaq; ui contendunt, ut aditum noſtris intercludant. Meneſius uerò, æſtus oportunitatem expectabat: quem ubi uehementiùs incitari ſenſit, latera nauis unius culcitris laneis, & ſaccis, quos lana diligenter inferciri iuſſerat, fulcienda, & molibus obſtruenda iurauit, & turri opponi præcepit, ut tormentorũ ictus exciperet: naues reliquæ huius præſidio tectæ portũ ſubiêre. Mauri interim ſagittis, & iaculis, & plũbeis glandibus acerrimè decertabant. At Meneſius introrſus, illis fruſtra repugnantibus, cum integra claſſe penetrauit, naues quas potuit reduxit, reliquas incendit. Quinq; uerò biremes cum duabus nauibus longis, & una ex nauibus Portugalẽſibus (eas nãq; iam in terrã ſubduxerant) à Luſitanis in mare cõtinuò deductæ fuerunt. Reliquæ tres Portugalenſes naues deduci nõ potuerũt: & idcirco cũ triremeſimiliter incenſæ ſunt. Hac re ex animi ſententia geſta, cũ ingentem hoſtium multitudinem confluere uidiſſet, æſtu ſecundo (iam enim minui, & decedere incipiebat) ſe ſine ullo incommodo recepit. Oſorius lib. 3. rerum Em.

## OCCVLTATIO.

Incurſantibus in Daniam Sclauis, ERICVS Diſertus, Frothonis regis ſororius, cũ piratas ſeptenis nauib. eſſe cognoſceret, una tantũ è ſuis aduectus, reliquas ligneis propugnaculis cingi, tonſisq; arborum ramalibus obduci iuſſit: deinde cùm hoſticæ claſſis numerum pleniùs ſpeculaturus procederet, inſequentibus ſe Sclauis, ocyùs ad ſuos refugere cœpit. At hoſtes, ut inſidiarum ignari, ita fugientem comprehendere auidi, primùm inuſitata facie ſtupentes, nauigio nemus agi putabant: deinde fraudem frondibus ſubeſſe cognoſcentes dum puppes obuertere parant: Ericus ſubductis in litus nauib. funda procul in hoſtes ſaxa torſit. Igitur Sclauorum cæſi plerique, quadraginta capti fuêre. Saxo libro quinto.

# ADIVMENTA BELLI, PVGNÆ, EXOTERICA. Cuiuſmodi ſunt

## ARBORES.

*De Arborum uſu heic tanquam Armorum. At ut eædem occultationi inſeruiunt exercitus, ſic exempla ſub Titulo, Securum hoſtem opprimere Aduentu occultato, afferentur.*

GALLI Boij, in ſylua Litana, aſtu L. Poſthumium conſulem deſignatum cum omni exercitu interemerũt. Serra enim arborum magna parte in inferiori parte deſecta, ita tamen ut ſtare poſſent, poſteaquam uiderunt exercitum Romanũ totum in ſyluam eſſe ingreſſum: deturbatis extremis arboribus, in eas, quæ interius in ſylua erant arborum ipſarum caſu, nullo ab hoſte ſtricto gladio, exercitus totus detritus eſt. Liuius & Frontinus lib. 1. c. 6.

SEPTENTRIONALES populi per ſyluas ingreſſurum hoſtem obſeruantes, arbores ſerra ſuccisas in cacumine funibus colligant, ne ante tempus loco moueri poſſint. At ubi hoſtes ingreſſos ſentiunt, ſumma ui funibus tractis, arborum ruina incautos opprimunt. Olaus libro ſeptimo, capite duodecimo.

BRETISLAVS Boëmorum princeps, bello petitus ab Henrico II. Imp. ob direptam Poloniam, cæſis in Hercynia ſylua, quà tranſeundum erat exercitui, arboribus in eam difficultatem Germanos compulit, ut turpi fuga Cæſar ſibi conſulere cogeretur, uictus ab eo hoſte quem nondum uidiſſet. Dubrauius lib. 7.

Caſimirus II. Stephanum Valachorum Vaiuodam ſiue Palatinum à Petro fratre pulſum reducere conabatur. Superanda erat Polonis ſylua denſa & impedita, quæ Ploniny à ſoli ſterilitate uocatur. Eam Petrus cum ſuis inſedit: & quà Poloni iter facturi erant, arbores ſuccidit, ita ut truncis tamen utcunq; hærerent. Vbi indaginem illam ingreſſi ſunt, ibi coorti ex inſidiis VALACHI, arbores ſuccisas ui impellunt, ab extremis orſi, ita ut cæteræ mutuò ſeſe impellerent. Qua ruina Poloni ſic obruti ſunt, ut qui obtriti & extincti non ſunt, uiui tamen ferè debilitatis & colliſis membris in hoſtium poteſtatem uenirent. Pauci de extremo agmine ſalui euaſere. Cromerus lib. 12.

## IGNIS.

*Vide infrà, Hoſtem igni auertere. Illic Subiecti, heic Inſtrumenti habetur ratio.*

## AER, VENTVS.

Quod aduerſus Characitanos Q. SERTORIVS in Hiſpania geſſit, nulli conceſſit bellico eius facto. Populus eſt flumini Tago impoſitus. Non oppida incolunt, nec uicos, ſed ingẽs eſt collis & excelſus, antra ſpecusq; in petris Aquiloni obiecta obtinens. Subiectus ager omnis limum argilloſum & ſolum habet ob fungoſitatem friabile: quod nec ingrediẽtes ſuſtinere ualeat, & ſi paululum contrectetur, calcis uiuę uel cineris modo latè diſpergatur. Igitur quia barbari, quoties belli metu in illas ſpeluncas ſe abdentes prędа eò congeſta conquieſcerent, ab omni erant ui tuti: & Sertorium tunc à Metello ſemotum & conſidentem circa eum collem, ut uictum deſpiciebant: ſiue ira exarſit, ſiue ne fugere uideretur: primò diluculo aduectus eò & contemplatus eſt locũ. Qui cùm nulla parte præberet acceſſum: nequicquam huc illuc ſe ferens, animo languido, atq; inanib. utens minis, uim pulueris uidet à uento in illos ex terra ſuſtolli. Speluncæ enim in Septentrionem, ut dixi, ſunt obuerſæ. Qui uerò ex Septẽtrionibus ſpirat uentus, quem Cæciã aliqui nominant, dominatur maximè, & frequẽtiſſimus inter uentos illic eſt: qui ex uliginoſis campis & niuoſis collectus montibus afflat. Ac tunc adulta æſtate inualeſcẽs, Septentrionaliq; colliqueſcente coaleſcens glacie gratiſſimus aſpirabat, illosq; & armenta eorum interdiu refocillabat. Id Sertorius aduertens atq; ab incolis doctus, militibus imperat, ut ſpõgioſæ illius & cineritiæ telluris auellant fragmenta, cõportataq; ex oppoſito colli in tumulũ excitent: quẽ aggeris barbari eſſe in ſe molitionẽ rati irridebant eum. Ac tunc quidẽ, cùm ad noctẽ uſq; in opere perſeueraſsẽt milites, reduxit eos in caſtra. Vbi diluxit, primũ mollis aſpirauit aura, congeſtæ terræ leuiſſimum uelut ſcobem mouẽs diffundensq;. Mox acri cum ſole increbreſcẽte uento, cùm colles puluere implerẽtur: intenti milites cumulũ ab imo ſubruerunt, conciderúntq; limum. Aliqui equos ſurſum deorſum egerunt ad excitandã

raram

raram tellurem, atque in ſublime uento dandam. Qui exci-piens, quicquid cōminutum eſſet, & ferretur in aëra, in Barbarorum coniiciebat ædificia in Cæciam foribus obuerſa. Ita Barbarorum oculis (nempe ſpeluncæ unum illum ſpiritus ductum habebant, quâ accidebat uentus) citò offuſa caligo eſt, citò ſuffocante anhelatione correpti ſunt, aſperam multoque commiſtam puluere haurientes auram. Itaque cùm ægrè duos dies ſuſtinuiſſent, tertio deditionem fecêre, non tantum uiribus Sertorium, quantum gloria cumulantes: quòd armis inexpugnabilia, confeciſſet conſilio. Plutarchus in Sertorio. Videre hinc eſt, quanti interſit ducē belli philoſophum eſſe.

## AQVA, FLVMINA, MARE.

Anno Salutis 880. Normanni ſeu CIMBRI Germanicū exercitum ab Ludouico Francorum & Boiorum rege aduerſus ſe miſſum hac fraude penitùs deleuerunt. Eſt Danorum regio cauernoſa, mareq; interfluit, obicib. tamen arcetur. Hos cùm Cimbri diſiecêre, admiſereq; undiq; aquam, caſtra Germanorū aquis operta ſunt. Germani omnes à caluo ad caluum (ut dicitur) à minimo ad maximum undis obruti, extincti ſunt: ne unus quidem, qui cladem nunciarit, euaſit. Auentinus lib. 4. Annal. Boiorum.

Quum Andreas Vngariæ rex, & Chriſtianæ militiæ in Palæſtinam ab Europæ principibus ſuſceptæ Imperator, expugnata Damiata ad Nilum urbe, Cayrum & Babylonem, quò ſe Soldanus receperat, obſideret: SVLTANVS Melchechelchemel Nilum ſub Babylone & Cayro altioribus ſolitò ripis coërcet, & quum paucis pòſt diebus ille opinione citiùs intumuiſſet, extemplò defoſſis utrinq; ripis inundationem amnis in hoſtium caſtra deriuat. Effunditur diluuij more fluuius, & altiùs altitudine cubiti cuncta ſuperat, ex quo intolerabile Chriſtianis detrimentum infertur. Solus per aggeres Nili patebat exitus, & hunc hoſtis tam crebris & ualidis uſquequaq; præſidiis occuparat, ut nullo hinc modo deturbari poſſet. Ad extremas demùm anguſtias Chriſtiani iam redacti, cum fœdis conditionibus pacem orare coguntur. Miſſi ab Andrea rege oratores, his pacem conditionibus ab hoſte retulerunt: ut Damiatam Soldano reſtituerent, contrà ille crucis partem Andreæ redderet: liberarentur utrinq; captiui: Chriſtiani Tyrum & Adonem redirēt: quibus quidem urbibus annos octo pax conceſſa. Bonfinius lib. 7. Decad. 2. & Aemilius.

## COMMEATVS, ALIMENTA.

*Vide Tit. Cōmeatu hoſtem lædere. Heic Inſtrumentū Agentis, illic Patientis occaſio ſpectatur.*

## STATVAE.

*Conſule Tit. Exercitum maiorē ſimulare, quatenus inanimata ad animati exercitus ſpeciem effingendam adhibentur. Item Tit. Equitatum, Elephantos comparare.*

PRESBYTER Ioānes, Indorum rex, à Saracenorum equitatu circumdatus, ſtatuas hominum æneas equis impoſuit, intus concauas, materia ad ignem fouēdum apta plenas. Adhibuit ſingulis uirum, qui ubi ad hoſtes uentum eſſet, perforamē immiſſo folle, ignem fumumq; excitaret. Quo aſtu equi hoſtium turbati, & in fugam effuſi ſunt. Vincentius lib. 31. c. 10. Speculi hiſtor.

REGNERVM Daniæ regem ſcribit Olaus lib. 9. c. 4. Ruthenorum inuictum exercitum equeſtrē igniuomis ſtatuis, quas ſubiectis rotulis in hoſtes præcipites agere ſuos docuerat, diſſoluiſſe.

CYRVS rex Perſarum, incluſo Crœſo Sardibus, quâ præruptus mons nullum aditum præſtabat, ad mœnia malos exæquantes altitudinem iugi ſubrexit, iiſque noctu ſimulacra hominum armata Perſico habitu impoſuit. Tum prima luce ex altera parte muros aggreſſus eſt. Vbi orto ſole ſimulacra illa, armatorum referentia habitum, refulſerunt, oppidani captam urbem à tergo credentes, & ob hoc in fugam dilapſi, uictoriam hoſtibus conceſſerunt. Frontinus lib. 3. cap. 8. & Polyænus lib. 7.

Prælio uictus à Iuliano Domitiani legato DECEBALVS Dacus, & ueritus, ne Romani ex recenti uictoria regnum quoque ſuum inuaderent, arbores ſuccidit, eorumq; truncos armis inſtruxit, ut procul armatorum faciem redderēt. Quibus deterriti Romani, receſſerunt uicti. Tandem à Troiano uictus pacē impetrauit. Cuſpinianus.

AQVILEIENSES ſtatuis in murorum ambitu diſpoſitis ſpecie uigilum, Atilam diu ludificati ſunt, cùm ipſi in inſulam uicinam Gradum relicta urbe fugiſſent. Bonfinius fabulam eſſe credit.

# PROPVGNACVLORVM, VRBIVM MVRORVM PRVDENS CVRA.

## EXTRVCTIO, REPARATIO.

Cùm AMPHION & Zethus ſuſpectas haberēt uires Phlegyarū, ut ait Pherecydes, Thebas muris ac turribus munierunt, ut eſſent tutiores ab hoſtiū incurſionibus. Fabulati ſunt igitur ſaxa ſua ſpōte aſſiliiſſe, murūq; extrūctū fuiſſe, dum Amphion lyram ſuauiter pulſaret. Horatius in Arte:

Dictus & Amphion Thebanæ conditor urbis
Saxa mouere ſono teſtudinis, & prece blanda
Ducere quò uellet.--

Natalis Comes Mythol. lib. 8. c. 15.

NITOCRIS regina Aſſyriorū, quinq; ætatibus poſterior Semiramide, animaduertens imperium Medorum ingens, ac turbulentum, ſubactaq; ab his multa oppida, præ muniuit ſe omnibus quàm potuit maximè. Ante omnia fluuium Euphratem, qui priùs mediam Babyloniorum urbem interfluens, rectus erat, tortuoſum reddidit, foſſis ſuperiùs depreſſis, adeò ut quendam Aſſyriæ pagum, nomine Arderica, ter influat, & qui nunc è mari per Euphratem Babylonem uerſus ſubuehuntur, ter ad hunc eundem pagum applicent, idque triduò. Aggerem quoq; ex utroq; fluminis labro aggeſſit, mirandæ magnitudinis & ſublimitatis. Multò ſupra Babylonem, aliquantulum ſeorſum à flumine, effodit paludis eluuiem, profunditate quidem ad aquam ſemper ducta, latitudine uerò eius quoquò uerſus quadringentorum uiginti ſtadiorum. Hæc foſſitia humus ad fluminis ripas aggeſta eſt. Quem locum ubi depreſſit, crepidinem ambitus eius lapidibus induxit. Hæc duo, ut flumē flexuoſum; & lacuna tota foſſa eſſet, ideò fecit, ut & fluuius per multos anfractus retentus, ſedatior mearet: & nauigationes in Babylonem eſſent tortuoſæ, & ex ipſis nauigationibus lōgus ambitus lacunæ exciperetur. Ad hæc, quacunq; erat regio ad inuadendū opportuna, & cōpendiaria ex Medis uia, hāc interſepſit, ne Medi, commercio Aſſyriorum, ipſius negotia cognoſcerent. Herod. lib. 1.

SESOSTRIS rex Aegypti in omni ora, quæ à Memphi ad mare ſpectat, frequentes à Nilo duxit foſſas: quò fructibus breuiori itinere faciliusq; inuectis, maior rerum copia eſſet: ſimulq; muniit & ea loca, quibus ad Aegyptum patêre hoſtibus ingreſſus poſſet. Antea potior ferè Aegypti pars omnis aditu facilis, propter frequentes à fluuio ductas ab eo foſſas, munitior, difficiliorque acceſſu poſtmodum facta eſt. Diodorus lib. 1. c. 4.

Apud Thermopylas ſunt θερμὰ λουτρὰ, id eſt, calida lauacra, quę χύτρους, id eſt ollas, indigenæ uocant: & deſuper ara Herculi extructa. Ad hos ingreſſus murus eſt ædificatus, ſuper quē olim πύλαι, id eſt, portæ erant. Eū autē ædificauerant PHOCENSES metu Theſſalorum, ex quo illi ex Theſprotis terram Aeolidem iêre habitatum. Et quia Theſſali conabantur eos ſubigere, præſidio impoſito tutabantur: aquamq; calidam ingreſſui induxêre, ut eſſet lacunoſus locus: omnia excogitantes, ne in ſuam terram Theſſali incurſarent. Hic tamē murus quondā extructus, à Lacedæmoniis trecentis atque ſociis denuò excitatus fuit, ut illic Xerxem contra Græcos proficiſcentem arcerent. Herod. lib. 7.

Poſt uictoriam ad Platæas partam, Athenienſes ex Trœzene & Salamine liberos uxoreſque ſuas Athenas in patriam reuexêre: ſtatimque curam omnem ad cingendam mœnibus urbem contulerūt, quæ Xerxes diruerat. Lacedæmonij perculſi gloria Athenienſium, quam nautico adeptam certamine ad Salaminem fuerant, ſuſpectas eorum res incrementaque habentes ab extruendis eos mœnibus prohibere ſtatuerunt: confeſtimque legatos Athenas miſere, qui conſulant, minimè oportere ea tempeſtate mœnibus urbem munire: id enim communi Græcorum ſaluti maximè periculoſum eſſe. Si enim maioribus rurſus copiis Xerxes in Græciam traieciſſet, urbes occupaturum extra Peloponneſum ueluti ad rem ſuam munitas: ex quibus aſſidua eruptione reliquos ubique populos infeſtando, ac ſenſim debilitando, facilè poſſet Græcas res obterere. Cùm non audirentur legati in ſenatu, ad artifices ſe proripiunt, iubentque eueſtigiò, inde diſcedant, opuſque relinquant: tunc enim Lacedęmonij terra marique in Græcia potentiſſimi erant. THEMISTOCLES conſulit, rem ſilentio diſſimulent: nam ſi ui contendere perrexerint, Lacedæmonios cum Peloponneſiis exercitu inducto, facilè per uim munitiones opuſque impedituros. Legatis pollicetur, ſe propediem cum quibuſdam aliis Lacedæmonem uēturum. Tum primoribus clàm nunciat, legatos interea ex Lacedæmone exploratum miſſos detineant, donec ipſe Sparta redeat, & opus cœptum,



quanta poſſent celeritate, proſequantur. Mox Spartā ſpecie legationis profectus, conquerentib. Spartiatis, quòd muro circūdarent urbē, & ad criminandum Athenienſes ex cōpoſito Poliarcho ab Aegina miſſo, inficias iuit, & mittere eos iuſſit ad res inſpiciendas: ſimul ut ſpaciū ex mora excitando muro pararet, & legatos pro ſe obſides retinerent Athenienſes. Quod euenit. nam re cōperta nihil læſerūt eum Lacedęmonij, ſed diſſimulata ira ſua dimiſerunt. Diod. lib. 11. Plut. & Probus in Themiſtocle, Frontinus lib. 1. cap. 1. Polyænus lib. 1. Fulgoſus lib. 7. c. 3.

Eo loci, ubi Piræeum cernitur, cū nulla portus cōmoditas haberetur, ſed eo ſolùm pro nauium ſtatione Athenienſes uterentur, cui nomen tum Phalericum, anguſto admodum: excogitauit ibi portum Pirçeū extruere THEMISTOCLES, ut ampliſſimus omnium, qui in Græcia haberentur, portus efficeretur. Eo ſperabat Athenis maris imperiū ſibi facilè uēdicaturos. In concione ciuibus denunciat, Se res quaſdā magnas excogitaſſe, quæ ad ſtatum & incrementum Reipublicæ maximè pertinerent, quibus exequendis conſultorē pariter ac auctorem ſeſe offerret. Cæterùm diuulgari eas ſine periculo certo magnoq; detrimento non poſſe: eius generis eſſe, ut niſi quàm pauciſſimorum fidei commendari minimè expediret: proinde à populo poſtulare, uti duos quoſcunq; ſumma in republica fide uiros deligant, eis ſe rem omnem aperiturum. Multitudine rationibus iſtis adducta, duo, ueluti iuſſerat, à populo ad id delecti, Ariſtides & Xanthippus, æmuli ipſius. Cùm his priuatim Themiſtocles cuncta expoſuiſſet, populo referunt, Excogitata Themiſtoclis & præclare eſſe, & ad reipub. ſtatum magno momento accedere, tum admodum facilia. Accepta igitur à populo rei proſequendæ facultate, ſtatuit rurſus per aſtum fallere Lacedæmonios. Iam enim pro comperto habebat, ueluti in mœniū olim ædificatione obſtare, atq; obnixè impedire ſtuduiſſent Lacedæmonij, haud ſecus in portus cōſtructione moleſtos Athenienſibus fore. Ergo legatos miſit ad Lacedæmonios, qui doceant rebus Græciæ communibus maximè conducere, quin prorſus neceſſarium eſſe, uti portū quendā idoneū aduerſus futuras deinceps incurſationes tumultusq; Perſarum ſibi præparent. Hac re Lacedæmoniis per legatos propoſita, dum diu conſultatione implicarentur ambigua, nec ad extructionem portus prohibendam magnoperè intenderent, ille incredibili celeritate portum ampliſſimum extruxit. Diodorus lib. 11.

Cùm Iudæi tres aggeres, quos TITVS Hieroſolymam oppugnans extruxerat, incendiſſent, neq; materia ad nouos ædificandos ſuppeteret: muro totam urbem tridui ſpacio circūdedit, opere propter celeritatem admirando, ne quis Iudæorum effugere, uel cōmeatum in urbē importare poſſet, ſed concluſi omnes, & fame coacti, deditionem facere cogerētur. Ioſephus lib. 6. c. 14. belli Iud.

Quodam tempore Mediolani mœnia ſunt ab Alemannis (Friderico I. Imp.) diruta. CIVES iureiurādo adacti, ſe nunquā ea inſtauraturos, urbē principio profunda foſſa munierunt, ſe pacta & conuenta uiolare negantes. Deinde auxiliis imperatoris Græcorum Manuelis Cōmeni aucti, ipſa mœnia repoſuerunt. Nicetas lib. 7.

Bello Granatenſe, ſub Ferdinando & Iſabella regibus, ex Alama urbe munitiſſima ENICVS Lupides Comes Tendillanus uicinos Mauros miſerè infeſtabat, ut neque ſuburbana prædia excolendi tempus locumque daret, neq; ſaltem intra cubiculum ſomnos perpetes ducere liceret. Hyemis illa, quæ præceſſerat, fuit pluuioſa, murique putres ebibebant imbres ex ſtillicidiis cadentes, cùm ſubitò compagibus ſaxorum ſolutis corruerunt, magnamq; urbis partem nudam reliquere. Quòd ſi caſus tantæ calamitatis ad hoſtium aures perueniſſet, actum erat iterum de Alama, multoſq; per annos regni Granatenſis excidium remoratum fuiſſet. Ex illa murorum ruina tantus terror milites præſidiarios omnes inuaſit, ut ex deſperatione nihil iam niſi de fuga & de urbe deſerenda cogitarent. Iuſſit itaque Comes Tendillanus, qua parte murus ingentem feneſtram patefecerat, conſutis linteis prætendi muri ſpeciem, tam ſimilem uero, ut procul aſpicientibus nulla uideretur eſſe differentia inter uerum & aſſimulatum. Et ne quis transfuga proderet hoſtibus quid intra urbem accidiſſet, iuſſit diligentiùs portas & poſticos cuſtodiri, ne quiſpiam temerè intraret, & egrederetur, aut mœnia tranſiliret. Iuſſit interea partē muri lapſam ſubſtrui non opere tumultuario, ſed ex calce & cæmentitiis lapidib. multo firmiùs, quàm antea fuerat. Sæpe hoſtium exploratores uenerāt, captantes ex occulto, quid apud Hiſpanos ageretur: ſæpe etiam excurſores equites urbem obequitabant: nunquam tamen ſenſerunt quicquam in ea parte murorum fuiſſe immutatum, non colorem, non ſpeciem, non quicquam aliud, unde ruina illa poſſet percipi. Nebriſſenſis Dec. 2. lib. 2. c. ultimo.

GRADONICVS Venetorum in Tauriſanis legatus, de Laurentij Ceretani & Vitellij cōſilio, oppidū cōmuniit, muros refecit, è turribus, quæ in ijs erant, ueteri conſuetudine altiores, ſuperiorem partem detraxit, foſſas latiores & profundiores fecit, aggerem conſtruxit, extra oppidum per quingētos paſſus tecta diruit, arbores ſuccidit, ut nihil aut proſpectui, aut eiaculandis tormentorum pilis obeſſet. Aqua Silis fluminis, quod flumen oppidum interfluit, ut in oppido ſuſtineri poſſet, quę hoſtibus accedentibus effunderetur ad omnem circa oppidū regionem ſubmergendam, alueos è lateribus ſolidiſſimos cū oſtiis lapideis plurimis, ad quamuis uim aquæ breui euomendā: concamerationesq; ſub mœnibus, perq; aggerem firmiſſimas exædificauit. Quod opus magna impenſa poſtea perfectū expletumq; eiuſmodi nūc quidem eſt, ut neq; pulcrius & elegantius, neque aptius atque accommodatius quicquam ullum ad oppidum muniendum & tuendum aliis in locis ferè conſpiciatur. Bembus lib. 11. Hiſt. Ven.

Bello, quod Maximilianus Imp. contra Venetos geſſit, cùm ab omni latere urbis Patauinæ omneſque ad portas eſſent per oppida in agrum porrecta longo pleraque tractu longiſq; uiis, quorum partem Patauini Venetique ciues animi cauſa magno ſumtu exædificauerant, cum ſacris ædibus ac fanis: ea prooppida, ne hoſti receptacula munitionesq; præberent, dirui mandauerunt VENETI. Bello confecto, quia in templo Carthuſianorum Maximilianus uelut in propugnaculo caſtrametatus fuerat, & arbores ſæpe hoſtes occultauerant, ſæpe à tormentorum ictibus defenderant, legem ſciuit Senatus, ut à portis mœnibuſque mille & quingentos circa Patauium paſſus quoquouerſus ædificia omnia eorū domini ſolo æquarent, arboreſque cuiuſque generis ſucciderent, lateres, tegulas, marmora, ferramenta, materiam aridam uiridemque, quò uellent, aſportarent: qui id intra dies præſtitutos non feciſſet, illius eiuſmodi fiſco omnia ceſſura. Maximè enim uoluit, ea ut planities ſpaciumque ab omni re, quæ umbram faceret, eſſetque ſolida ac reſiſtens, nudum uacuumq; permaneret, ne Patauium ullo cū hoſtium cōmodo aut præſidio ampliùs obſideri poſſet. Eaq; poſtea lex ad hoc uſq; tempus ſancta inuiolataq; ſemper fuit. Bembus lib. 9. Hiſt. Ven.

FLORENTINI, cùm à Carolo V. Imp. obſidionem expectarent, proxima mœnibus ædificia, uel ſummę amœnitatis, diruerunt, ne uenturo hoſti munitam ſedem præberent. Iouius libro 27.

## CONSERVATIO, DEFENSIO.

*Exempla non pauca ex Tit. Hoſtes opprimere, petēda erunt: quatenus illi ipſi hoſtes oppugnatores ſunt urbium & murorum: quibus deiectis, conſeruantur urbes. Vide ſimiliter Tit. Conſilia hoſtium explorare, quatenus cuniculos agere deprehenduntur.*

CALLICRATIDES, cùm Magneſiæ oppugnarentur, hoſtibus arietes admouentibus, ipſe in eo loco, ubi mœnia oppugnari non poterant, diſtrahens partem ex turri, obſeruās tempus oppugnantium ſucceſſionis, circumiuit mœnia: & à tergo irruens, multos ex ipſis interfecit, non paucos etiā uiuos cepit. Poſt uictoriam autem, mœnia rurſus exædificauit. Polyænus lib. 2.

Perſæ ad Pheretimam reginam Cyrenæorum reducendam in regnum ab Aryande Aegypti præfecto miſſi, cùm menſes octo Barcem obſediſſent: nono menſe cuniculis actis ualida tormenta admouerunt. Sed cuniculos FABER quidam ærarius deprehendit æreo ſcuto hunc in modū. Circumferens illud intra murum, admouebat pauimento urbis: quod ubicunque admouebatur alibi, illinc è ſolo nihil ſoni reddebatur: ad locum autem, qui ſuffodiebatur, æs clypei reſonabat. E diuerſo igitur fodientes Barcæi, Perſas ſuffoſſores interemerunt. Herodotus libro quarto, & Sabellicus libro octauo, Enn. 2.

MILTIADES, cùm ingentem Perſarum multitudinem apud Marathonem fudiſſet, Athenienſes circa gratulationem morantes compulit, ut feſtinarent ad opem urbi ferendam, quā claſſis Perſarum petebat. Cumq; præcurriſſet, impleſſetque mœnia armatis, Perſæ rati ingentem eſſe numerum Athenienſium, & alio milite apud Marathonē pugnatum, aliū pro ſuis opponi, circumactis extēplò nauibus, Aſiā repetierunt. Frontinus lib. 4. c. 7.

ALEXANDER Tyrum oppugnans, ducto per mare aggere, eam peninſulam facere cogitauit. Iam aggere urbi proximo uentus Caurus uehemens obortus, operis partem euertit. Tunc Alexander uidens, etiam ſine hoſtium ui per ſe molem fatiſcere, multum animo eſt cōmotus: ut quid conſilij capiendum eſſet, non ſatis proſpiceret, atq; oppugnationis cœptæ iam eum pœniteret. Tandem laudis cupidine arrectus, arbores maximas in montibus concîdi, & ad mare cōportari fecit: demerſaſq; ſimul cū ramis, eas ad uim fluctuū frangendam obiecit. Diodorus lib. 17.

Ob-

Obſeſſi à Demetrio Poliorcete RHODII, ædificarunt intus murum alterum, ſecundùm longitudinem eius muri, qui in oppugnationibus laboraturus erat. Vtebantur aũt lapidib. diruentes theatri ambitum, & uicinas domos, pręterea fana quædam: diis polliciti, pulcriora ſe ædificaturos urbe conſeruata. Diodorus lib. 20.

TVLLIVS Criſpinus, poſt infauſtam aduerſus Pœnos dimicationem, qua collegam Marcellum amiſerat, cùm comperiſſet potitum anulo interfecti Hannibalem, literas circa municipia totius Italiæ dimiſit, ne crederent epiſtolis, ſi quæ Marcelli anulo obſignatæ perferrentur. Monitione conſecutus eſt, ut Salapia & aliæ urbes fruſtrà Hannibalis dolis tentarẽtur. Frontinus lib. 4. c. 7.

AMBRACIAM oppugnante Fuluio Nobiliore Coſs. Rom. quantum murorum conſul diſcutiebat, tãtum oppidani ab Aetolis adiuti, interiore parte reponebant. Eſtque interim penè in urbem penetratum cuniculo ad muros acto. Sed re animaduerſa, ſolũ Aetoli ex tranſuerſo effoderunt, atque ita obuiam hoſtibus iuerunt, dimicatumque eſt in cuniculo, nec ulla ui magis uicta fuit Romanorũ pertinacia, quàm nouo oppidanorum commento. Dolium pluma oppletum cùm tenuibus fiſtulis in cauerna oſtio obiecerunt: inde à tergo follibus adhibitis, nidore incenſæ plumæ, fumoque miles à propoſito eſt auerſus. Sabellicus lib. 7. Ennead. 5. & Polyænus lib. 6.

Cuniculis Rom. THEMISCYRAM oppugnarunt, bello Mithridatico. Quib. multiuariam itum eſt obuiam ab hoſte, apum examinibus, urſis, aliisq; ferarum generibus in operarios ex aduerſo immiſſis. Sab. lib. 4. En. 6.

Miraculum naturæ eſt, laricem non ſolùm ex ſucci amaritate uehementi à carie tineaq; non corrumpi, uerùm nec flãmã recipere, nec ardere per ſe, niſi ut ſaxum in fornace ad incoquendam calcem lignis uratur aliis: nec flammam ideo ſic quoq; recipit, nec carbonẽ remittit, ſed ſpacio longiore uix cõburitur, quòd ſit minima ignis & aëris temperatura. Cognitũ id ſumma C. IVL. Cæſaris admiratione apud Laringũ oppidum in Padi præripiis ſitũ, ex arboris copia nuncupatũ, quando ignibus obuallata turris ſuperfuit citra nocumẽtum. Cælius lib. 10. c. 10. A. L.

Veneti profligati à rege Galliæ Ludouico XII. cùm urbi quoque ipſi timendum putarẽt, docti à præſentibus rebus, quãtam reipub. diuturnitas & incrementum in ſe unos omniũ regnum inuidiam atq; odium concitaſſet: Decemuiri duodecim legerunt ciues dignitate præditos, qui uada urbana atq; litora, adhibitis eius rei peritis hominibus, diligenter inſpicerẽt, ut aditus, ſi qui eſſent apertiores, caſtellis munirẽtur. Tum auctus operarũ publicarũ numerus: iuſſumq; ut omnes inſulas & domos, uicorũ magiſtri perluſtrarẽt: quãtaq; eſſet in urbe aduenarũ multitudo, quanta armorũ priuatim ab his cõparatio, cognoſcerent: edictũq; pœna capitis propoſitũ, ne quis armatus incederet: uigilięq; noctu uicatim & præfecti cũ militib. diſpoſiti, ne quis temerè tumultus exoriri poſſet: etiã lex lata, ut triremes octo urbis præſidio armarentur: miſſusq; multò maximus frumenti numerus ab annonæ magiſtratu ad molas farinarias in Tauriſanos fines, domi molitus adſeruãdus, ne, ſi eę ab hoſtib. molæ interciperẽtur, ciuitas farinæ inopia laboraret: molęq; aliquot, quas naues ſuſtinebãt, è Pado Atheſiq; ad urbẽ perductę: cogitatũq; ut molæ alię, quas uertere uẽtus quiret, in ſuburbanis inſulis fabricarẽtur: puteiq; perplures in portus litore foderẽtur: ut ſi à fluminib. aqua propter hoſtes circũfuſos peti nõ poſſet, iis puteis ciuitas uteretur. Miſſi etiã publicè lecti ciues ad arborẽ in Medoaci ripis cædẽdã, atq; ad urbẽ deuehendã, ut materia ciuib. ad munitiones in propugnatione ſuppeteret, & hoſtib. ad oppugnandã uel obſidendam urbem deficeret. Bembus lib. 8. hiſt. Ven.

Amurathes Turcorũ Imp. Albã Gręcam cuniculis aggreſſus, per montem mediũ, contrariis CHRISTIANORVM cuniculis clàm actis, nõ modò ab incepto deſtitit, uerùm etiã XVII millia hominũ, quæ in cuniculos ſpe mox in urbẽ irrumpendi cùm equis & camelis deſcenderant, fumo & igni enectorum amiſit, amiſſis priùs in oppugnatione octo millib. hominũ. Itaq; ſeptimo menſe obſidionem turpiter ſoluit. Bonfinius lib. 4. Dec. 3.

Tẽpore Baſilij Imp. Eſman Tarſi Amiras, urbẽ Euripi oppugnaturus claſſem inſtruit. Strenuè uerò OPPIDANIS propugnantibus, ante uallum aſpidẽ magnã auro plenã ponit, atque hanc & centũ captiuarũ uirginũ lectiſſimas præmij loco ſe ei daturũ promittit, qui in murum primus euaſiſſet, ſuisq; uictoriæ auctor fuiſſet. Id cùm uiderent oppidani, teſſera data omnes portas aperuerunt, & in Barbaros acrem impetum dederunt. Primo concurſu Amiras lethali accepto uulnere cecidit, multiq; cum eo occiſi ſunt: reliqui in fugam conuerſi, inſtantibus Romanis, uſq; ad reliquas naues ingẽti cum clade ſuorum contenderunt. Cedrenus.

EXONIENSES ciues in Anglia anno 1498. obſeſſi à falſo Ricardo Eboracenſe, cùm is portis infringendis ſtuderet, & ignem ſubiiceret: ignem igne arcendum rati, ligna fractis iam portarum clauſtris ad incendium addunt, quò flamma utrinque erumpens, ac omnem aditum occupans, perinde hoſtem ingreſſu, atque ſuos exitu prohiberet: ipſi interim foſſas aliasque intus pro foribus munitiones fecerunt. Polydorus lib. 26.

Apud SEPTENTRIONALES, cùm hyeme flumina & lacus congelari ſoleant, ſic ut hoſtibus liberum dent ad arces & oppida, alioqui inuicta, acceſſum: inſtar foſſæ glaciem excindunt, & in aggerem coaceruant: mox aquæ copioſum adipem phocarum uel balenarum infundunt, cuius lubricitate glacies impeditur, aut certè infirma redditur. Olaus libro 11. cap. 23.

Pragenſes Huſſitæ arcem munitiſſimam, Caroli Lapidem dictam, obſidebant. Fons erat extra mœnia in medio pręruptę rupis, unde aquam oppidani neceſſariam hauriebant, & turris deſuper uetuſta, qua tuerentur aquantes. Hanc Pragenſes diruere machinis conabantur. Fama eſt in poteſtatem OBSESSORVM primarium quendam Pragenſem ciuem incidiſſe, eumque in turris culmine deligatum, dato per irriſionem in manu flabello, quo lapides baliſta miſſos quaſi muſcas abigeret, parſuros quippe conciui ſuo Pragenſes arbitrabantur. Illos nulla miſericordia flexos ſaxa ingentia quamplurima proieciſſe: hominem uerò, cùm diem integrã intactus perſeueraſſet, hoſtium magis miſericordia, quàm ciuium ſuorum humanitate ſeruatum. Aeneas Syluius, cap. 44. hiſt. Boëm.

Guintium oppidum NICOLIZZA præfectus ſtrenuè contra Turcas defendit. Cùm enim Habraimus Baſſarum Turcicorum princeps, ſub Solymanno iſtud anno ſalutis 1532. tribus in locis cuniculis oppugnaret: diſciſſo & proruente muro, Guintiani præſentibus animis introrſus munitiones extruxerunt, & feminæ præſertim cuniculis diligenter obuiã iuerunt. Iouius lib. 30. Hiſtoriæ.

Anno ſal. 1487. in oppugnatione Rouereti, milites Sigiſmundi Vngariæ regis pilas ferreas, non magnoperè cohærentes, picis atque bituminis plenas, igne incluſo tormentis muralibus impellebant. Eæ pilæ muro impactæ infringebantur, ac plures in partes diſpergebantur: quibus ex ſingulis ignis proſiliebat acri cum flamma, ſic ut quęque earum pars quantumuis parua hominem corriperet: pice autem illiſa retinebantur, ne excuti néue reiici poſſent: ita fiebat, ut neque in muro conſiſtendi, neque quæ opus eſſent adminiſtrandi, neque ſe defendendi militibus facultas daretur. Quod ubi ſemel atque iterum eſt à VENETIS animaduerſum, culcitras centonesque, quos habere poterãt, aquis immergebant, eosque pinnis & feneſtris, ex quibus propugnarent, interponebant: iis neque pix adhæreſcere, neque ignis nocere propter humorem poterat. Ita ſe tandem, compluribus ſuorum antè abſumtis, præmunire ac tueri didicerunt. Bembus lib. 1. hiſt. Ven.

Quum Solymannus Turcarũ Imp. anno 1529. Viennam obſideret, parumq; ob inopiam muralium tormentorum proficeret: labor totaque ſpes ſubruendi muri apud Turcas poſita erat in cuniculis, qui tribus in locis ſubter fundamenta mœnium ducebantur. Quorum operum ſonitum ſedulò auſcultantes GERMANI, & quò tenderent, telluris commotæ pulſu certis plenorum aqua peluium, & tympanorum militarium inſtrumentis deprehendentes, paribus cuniculis occurrebant: quando neceſſe eſſet tympana ſolo appoſita (piſis præſertim impoſitis) uel ex minimo terræ motu commota membrana palpitare, uaſa autem pariter concuſſa tellure criſpantem aquam oſtendere. Ad hæc ſuſpectis in partibus murum introrſus ingentium trabium tibicinibus effulciebant, ut caſura extrorſus mœnia proruerẽt. Iraque quum excitatis ab hoſte cuniculorum ignibus, ad Carinthiam portam magna pars muri tremefacta, incolumi tamen turre hiſceret, atque extrà prolaberetur: Turcæ præpediti ruina, & confertim ingredi conati, facilè ab armata Germanorum phalange repulſi fuêre. Iouius libro uigeſimooctauo Hiſt.

### NEGLECTVS. PROPVGNACVLA NVLLA. MVRI NVLLI, DEIECTI.

LACEDÆMONII cùm periclitarentur, ac de ciuitate mœnibus cingenda conſultarent, Homericum carmen recitauit Iſæus ſophiſta:

ἀσπὶς ἄρ᾽ ἀσπίδ᾽ ἔρειδε, κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ᾽ ἀνήρ,

Scutum hæſit ſcuto, galeæ galea, atq; uiro uir.

& adiecit: Sic mihi ſtate Lacedæmonij, & muris cincti ſumus. Philoſtratus in Sophiſtis.

PANTHOEDAN Spartanũ auctores produnt celeberrimi, cùm legationẽ obiret in Aſia, oſtentantibus nonnullis prææmunitum, latum ac ſublimem murũ, reſpondiſſe, νὴ τοὺς θεούς, ὦ ξένοι, καλὴ γυναικωνῖτις, Per deos pulcra, ô hoſpites, eſt gynæconitis, id eſt, mulierum domus. Ad eandem ferè ſentẽtiam uidetur LYCVRGVS præclarè dixiſſe, οὐκ εἶναι ἀτείχιστον πόλιν, ἥτις ἀνδράσι καὶ οὐ πλίνθοις ἐστεφάνωται: Nequaquam ſine mœnibus ciuitatem dici, quæ uiris, non lateribus præcincta foret. Nam & AGESILAVS ciues oſtendens armatos, ταῦτα ἐστὶν, εἶπε, τὰ Λακεδαιμονίων τείχη: Hæc ſunt, inquit, Spartæ mœnia. IDEM monſtranti cuidam murum egregiè ſtructum atque pręaltum, ſciſcitantiq;, An pulcrum ei munimentũ uideretur? Pulcrum (inquit) ſi mulieres, non uiri ſint inhabitaturi. Cæl. lib. 26. cap. 32. A. L. ex Plut. Lacon.

IDEM cùm à quodam percontaretur, quam ob cauſam Sparta non mœnibus cingeretur? Ciuitatem non ſaxis lignis' ue, ſed pro uallis ac mœnibus, incolentium uirtute muniri oportere, ait: quos ſi iungit concordia, nullus poteſt eſſe murus inexpugnabilior. Plut. in Lacon. Apoph.

CILIVS Arcas Lacedæmone degens, cognito quòd Spartiatæ de muniendo Iſthmo conſilium agitarent, Athenienſes autem extra Peloponneſum egrederentur, prædixit: Niſi Athenienſes cæterique Græci rem feliciter aduerſus Perſas geſſerint, multos aditus in Peloponneſum habebunt Barbari. Hoc ſermone perſuaſi Lacones, Iſthmo longum uale dixerunt, ſeq; omnibus Græcis belli ſocios adiunxerunt. Polyænus lib. 5.

DARIVS poſt reditum è Scythia, intelligens Nomadas aduerſus ſe tranſitum parare, ad ea ulciſcenda, quæ perpeſſi fuerant, ueritus, ne urbes Propontidis exercitui tranſitum præberent, eas exuſſit. Strabo lib. 13.

In gente SCYTHICA ex omnibus humanis negotiis unum maximum, quantum nos ſcimus, excogitatum eſt, ut neq; quiſpiam, qui ad eos ſe contulerit, aufugere: neq; ipſi capi poſſint, aut ne inueniri quidem, ſi nolint. Siquidem nullæ ſunt eis urbes, nulla mœnia extructa. Domos ſecum ferunt ſinguli: equeſtreſq; ſunt ſagittarij, non pane uictitantes, ſed ex pecoribus: pro domibus plauſtra habentes: imbelles alioqui futuri, & ad dimicandum inhabiles. Hæc ſunt ab eis inuenta, cùm opportunitate terræ, tum fluminum beneficio. Nam hæc terra cùm ſit campeſtris, ſua ſponte uliginoſa eſt & humida, eamq; interfluunt flumina non multo pauciora numero, quàm in Aegypto foſſæ. Herod. lib. 4.

SIMON Iudæorum dux & pontifex, expugnata Hieroſolymorum arce (quam ab Antiocho Epiphane munitam Macedones per 30 & amplius annos occupauerant, & tributũ à Iudæis exegerant) ſolo eam æquauit, ne poſthac eſſe poſſet hoſtibus receptaculum, néue inde urbi aliquod inferretur incommodũ. Quo facto uiſum eſt ei operæ precium, ſi mõs quoq; in quo ſita fuerat complanaretur, ut ſolum templum emineret: effecitq; id, commemoratis pro concione malis quæ à præſidiariis in eam diem Iudæi paſſi fuerant, quæq; etiam in poſterum ferre cogerentur, ſi externus aliquis princeps ei loco imponeret præſidium. Adeoq; permotus eſt eius exhortatione populus, ut non intermiſſo per triennium neq; die neq; noctu opere, tandem ad planiciem cum locũ indefeſſo labore, p uices ſibi ſuccedẽtes redegerint, atq; ita nihil reliquerint quod obſtaret, quò minus templũ omnib. in urbe locis eſſet longè celſius. Ioſephus lib. 13. cap. 12.

## CASTRORVM CVRA. NEMPE

### CASTRAMETATIO. CASTRIS LOCUM OPORTUNUM CAPERE.

ISRAELITIS caſtrametationem talem præſcripſit Dominus: ut cùm ex 12. tribubus quælibet ſuum ducem haberet: ab Oriente Iudæ uexillum figeretur, iunctis Iſſacharis & Zabulonis copiis: atq; hæ primæ omnium caſtra mouerent. Ad meridiẽ Rubenis uexillum, cum Simeone & Gado, qui ſecundi caſtra mouerent. Hos ſequeretur agmen Leuitarũ, cum tabernaculo oraculari. Ad occidentem Ephraimi uexillum, cum Manaſſis & Beniamini copiis, quæ tertio loco proficiſcerentur. A Septentrione uexillum Dani copiarum, iunctis Aſſere & Nephthalimo, quæ poſtremò caſtra mouerent. Et ſic ad ſua quiſq; uexilla caſtra & ponebant & moue bant, generatim per familias ordinati. Num. 2.

BACCHVS in India, cùm exercitus æſtum aeris tolerare nõ poſſet, occupauit Tricoryphum Indiæ montem, ſic appellatum à tribus cacuminibus, quorum unum uocatur Coraſibis, alterum Condasbe, tertio ipſe nomẽ impoſuit Merum. In eo loco monumenta ſunt natiuitatis eius, multi ſuauiſſimi & crebri fontes, ferarum abundans copia, fructuum ubertas, niues frigidiſſimæ. In his uitam agens exercitus, Barbaros in planicie uerſantes repentè adoriebatur: & à ſublimibus ac præcipitibus locis tela iaciens, nullo negotio in fugam hoſtes uertebat. Polyænus lib. 1.

LYCVRGVS interroganti, Quare transferre crebrò caſtra præciperet? Vt hoſtibus, inquit, plus incommodemus. Plut. in Apophthegmatibus.

EPAMINONDAS ad Tegeam periclitari contra Lacedæmonios uolens, ut clàm hoſtibus ſuperiorem locum & pręcipitem occuparet: mandauit equitum præfecto, ut cum equitibus mille ſexcentis ante agmen præcederet, & crebrò huc illuc obequitaret. Cùm puluerem copioſum excitaſſet, obſcuratis hoſtium oculis clàm ſuperiorem locum cepit. Spartiatæ uerò cùm deſiiſſet puluis, rem conſpicati, cauſam intellexerunt, quamobrem ante copias equitaſſent. Polyænus libro 2.

CLEARCHVS poſt Cyri mortem, Græcis regionem magnã & bonam obtinentibus (fluuius regionem circumdabat, minimo iſthmo prohibitus, ne inſula eſſet) uetans ne intus caſtrametarentur: cùm perſuadere non poſſet, fictum tranſfugam miſit nunciantem: Rex muro circumdaturum ſe Iſthmum minatur. Hoc audito Græci, morem Clearcho gerentes, extra Iſthmum caſtra poſuere. Polyænus lib. 2.

POMPISCVS Arcas in more habebat, ut quotieſcunque caſtra poneret, ſemper uias eas quæ ad caſtra ducerent, partim ſuffoderet, partim uallo munitas obrueret. Ipſe uerò nouas alias parabat, ut exploratores qui nocte aggredi exercitum uellent, per uias priſtinas profecti, in foſſas inciderent, nouarumq; periţiam non haberent. Polyæn. lib. 5.

IPHICRATES in ſociorum agro caſtrametatus, çùm uallũ extrueret, & foſſam pararet, obiicienti, Quid eſt, quod metuamus? dixit: Nulla deterior uox imperatoris eſſe poteſt, quàm Non putaram. Eraſ. lib 5. Apoph.

IDEM caſtra poſiturus, miſit aliquos qui locum munitum ab exercitu longiſſimè remotum occuparent. Mirantibus iis qui aderant, & interrogantibus: Cúr nam id facis? reſpondens Iphicrates, inquit: Ecquis hoc futurum ſperaſſet? docens, in bello etiam illa quæ nemo ſperaſſet, cuſtodiis eſſe munienda. Polyæn. lib. 3.

XANTHIPPVS Lacedæmonius, bello primo Punico, uictis iam à M. Attilio Regulo Carthaginenſibus auxilio uenit: & oſtendit ſuperiores clades non tam Romanorum uirtute quàm ducum ſuorum ſtultitia ipſis illatas eſſe. Siquidẽ parum utiliter fuiſſe caſtra in arduum tranſlata, quum per plana & aperta loca ob elephantes & equites, in hoſtem iri oportuiſſet. Itaq; ipſo exercitui præfecto, ubi apparuit quãtò tutior ſalubriorq; diſciplina ab eo quàm à prioribus ducibus adhiberetur, omnis militaris multitudo adeò reſtituta eſt, ut nihil magis optaret quàm prælium. Atq; cõmiſſo prælio Romani uicti, Attilius ipſe captus eſt, & uerum eſſe Euripidis illud oſtendit, Vnius rectum conſilium magnam uincere multitudinem. Sab. lib. 9. En. 4.

HANNIBAL, quum frequentibus præliis à M. Marcello ſuperaretur, nouiſſimè ſic caſtrametabatur, ut aut mõtibus, aut paludibus, aut ſimili locorum aliqua opportunitate adiutus, aciem eo modo collocaret, ut uincentibus quidem Romanis, penè indemnem recipere poſſet intra munimenta exercitum, cedentibus autem inſtandi liberum haberet arbitrium. Front. lib. 2. cap. 3.

PYRRHVS Epirotarum rex, in caſtrametandi ſcientia facilè princeps, primus totum exercitum ſub eodem uallo continere inſtituit. Romani deinde, eo deuicto, in campis Aruſinis, circa urbem Statuentum, caſtris eius potiti, & ordinatione notata, eum ſunt imitati. Frontinus lib. 4. cap. 1. & Alex. lib. 1. cap. 12.

GERMANI & Gallorum pleraq; gens, pro uallo diſpoſitos habebant currus mutuo nexu. ROMANI in magno diſcrimine, nouo munimenti genere, clitellas & coniectas ſarcinas pro aggere oppoſuêre. Sic etiam ATILA Hunnorũ rex, cùm in campis Catalaunicis contra Rom. pugnaret, clitellarum uallo ſeſe muniuit, ut ſi nulla foret ſpes euadendi, ſubiecto igne cremaretur, teſte Aemilio.

Erat uetus conſtitutum ROM. ut quoties duo ſimul conſules prætoréſue contra hoſtes, duos conſulares exercitus, multaſq; legiones ducerent: quò faciliùs tantæ multitudini pręeſſent, diuiſa caſtra, copias & præſidia haberent, & munia belli partirentur: ne confuſa imperia & decreta ambigua forent. At Domitianus geminari legionum caſtra prohibuit: ſub unius imperio & unius caſtris ſatiùs regi milites, arbitratus. Alex. lib. 1. cap. 12.

Q. FAB. Max. Dictator ut ab equitatu Hãnibalis tutus eſſet, ſemper locis montoſis & altis caſtra muniit, unde hoſti immineret: quietus, ſi caſtris ille ſe contineret: ſin moueret, ſummis montibus circumuolans undique, & ex tanto adhærens interuallo, ne pugnare inuitus cogeretur, & tamen terrorem hoſtibus ita cunctando tanquã pugnaturus præberet. Plutarchus in Pericle.

C. IVLII Cæſaris exercitus, id eſt inuicti ducis inuicta dextera, cùm armis Mundam clauſiſſet, aggerique extruendo materia deficeret: congerie hoſtium cadauerum, quam deſide-

rauerat altitudinem inſtruxit, camque tragulis & pilis,quia roboreæ ſudes deerant,magiſtra nouæ molitionis neceſſitate uſus,uallauit. Valerius libro ſeptimo, capite ſexto. IDEM ſuis & Aphricanis caſtris contrarias tenentibus planicies,cùm utriuſque partis plurimum intereſſet colles proximos occupare, idque propter ſaxorum aſperitatem eſſet difficile: tanquam Ilerdam repetiturum,retrò agmen ordinauit,faciẽte inopia fidem deſtinationi: intra breuiſſimum deinde ſpacium exiguo circuitu flexit repentè ad montes occupandos. Quo uiſu perturbati Africani, uelut captis caſtris,& ipſi effuſo curſu eoſdem montes petiére. Quod futurum cùm prædiuinaſſet Cæſar,partim peditatu,quem præmiſerat,partim à tergo ſubmiſſis equitibus,inordinatos eſt adortus. Frontinus.

Cùm C. IVL. Cæſar ad Ilerdam Afranium Pompeij ducem cognouiſſet prælium reſpuere, ab infimis radicibus montis, in quo ille conſtiterat,intermiſſis quadringentis circiter paſſibus caſtra,ponere conſtituit, & ne milites in opere faciendo impedirentur incurſionibus hoſtium, propugnacula in caſtris fieri prohibuit,quæ à procul cernerentur,ſed conſtitutis aciebus prima & ſecunda ante caſtra, foſſam latitudinis pedum quindecim fieri iuſſit. Adſtantibus itaque duabus aciebus ante caſtra,ne opus inceptum uideretur ab hoſtibus,tertia à tergo acies opus foſſæ perficiebat. Sic omne opus perfectum eſt,antequam ab Afranio perciperetur. Veſpere itaque facto Cæſar legiones intra hanc foſſam reduxit, & omne per circuitum opus à cæteris legionibus fieri iuſſit, & interim legiones expeditas contra hoſtes conſtituit. Io. Gerund. lib. 9. Paralip. Hiſp.

ATILA Hunnorum rex, miram caſtrametandi artem inuenit, miro quoque modo auguſtalia & tabernacula ſua inextricabili militarium tentoriorum ambitu muniebat. Priſcus hiſtoricus, Theodoſij iunioris ſeruus ab epiſtolis, quum legatus ad eum perueniſſet, Atilæ uicum ampliſſimæ ciuitatis inſtar fuiſſe ſcribit, cuius mœnia omnia ex uiridiſſimo ligno confecta,tantam in compage iuncturam præferebant, ut ex uno ſolidoque ligno facta uiderentur. Bonfinius libro 3. Decadis I.

Caſtra TAMBERLANIS Tartarorum principis ( qui XII. centena millia in exercitu ducebat ) in urbis modum erant ordinata, deſinito cuique artificio loco proprio , in partes ſuas diſtributis exercitiis , ut omnia uitæ uſuiq; neceſſaria in promtu eſſent: rerumq; omnium tanta ſemper copia in his inueniebatur,ut nullus eſſet latrociniis locus,tutoq; omnia afferri poſſent. Nihil enim unquam ſeueriùs quàm latrocinia uindicauit:ut ipſe unus eſſet,qui latrocinari impunè poſſet. Cuſpinianus.

Priuſquam TVRCARVM Imp. in caſtra deſcendit, Mechtheri, qui huic officio præſunt, locum aptiorem pro caſtris, qui ab impetu hoſtium tutus ſit, & ex quo hoſtes facilè poſſint expugnari, deligunt : ut uel monte, uel fluuio, uel palude munitior ſit. Hunc deſcripto ambitu caſtrorum, foſſis altiſſimis muniunt:inde cuneis acutiſſimis,in circuitu catenis deſuper colligatis. Sequitur dehinc ordo camelorum,qui cõmeatum & impedimenta pro uſu caſtrorum geſtant. Poſt quos minor altera foſſa foditur in ambitu, cum haſtis pro maiori tuitione in circuitu affixis. Quo in loco Sarahori, Iaya, & Muſelim milites agreſtes & uiliores habitationes ſuas habent. Poſt tot ualidas munitiones, pedites qui Ianizari dicuntur, per multiplices ambitus tentoria ſua figunt. In quorum medio Imperator ipſe cum pueris & miniſtris ornatiſſima tentoria habet. Eminent præterea duo maxima cornua contra hoſtes, quibus cum pugnandum eſt, adhærentia circulo caſtrorum: in quibus collocati ſunt equites cum ſuis præſidibus. In altero cornu ſunt milites Thimarci,qui agros poſſident in Natolia. In altero hi qui agros poſſident in Romania. In capite uerò cuiuslibet præſidet princeps præſidum Beglerbeg. At in medio horum cornuum locantur omnes cuſtodes corporis Imperatoris, hoc eſt, Sphaioglani, Soluphtari, Solacchi, & cæteri aulici. Poſt quos ſituata ſunt uaria genera tormentorum & machinarum. Cuſpinianus, & Iouius de rebus Turcorum.

Rex Aethiopum, qui ſupra Aegyptum ſunt, quem uulgò Preſbyterum Ioannem uocant, idem & pontifex & imperator, cum finitimis gentibus continenter bella gerit, & ideo urbes non incolit, ſed in caſtris perpetuò ætatem degit. Tanta autem eſt hominum & tabernaculorum multitudo, ut caſtra circiter duodecim millibus paſſuum in longitudinem pateant, & totidem in latitudinem. Eo autem ordine locantur, ut quamuis crebrò mutentur, facillimum ſit cuiuis, caſtrorum uias oculis deſignare, & in hominum, quos conuenire uelit, tentoria ſine ullo errore peruenire, & principes quos uelit adire, & tãquam in urbe notiſſima uerſari. In caſtris ſeptem parœciæ ſunt, & ſingulis parœciis ſacerdotes præfecti, qui ſacra peragunt, conciones habent, ſubditos diſciplinis inſtituunt, & rebelles pœnis à flagitio deterrent, & ad Chriſtianam moderationem frequenter erudiunt. Oſorius lib. 9. rerum Em.

### DEFENSIO, CONSERVATIO.

NICIAS, dum ad Syracuſas ſedet, cùm eſſet pro uallo pugnãdum, incendio machinarum, quibus caſtra uallauerat, hoſtium uim propulſauit. Plut.

CHARES dux Athenienſium, cùm expectaret auxilia, & uereretur, ne interea contemtu pręſentis paucitatis hoſtes caſtra eius oppugnarent: complures ex eis, quos habebat, per aduerſam partem nocte miſſos, iuſſit qua præcipuè conſpicui forent hoſtibus, redire in caſtra, & accedentium nouarum uirium ſpeciem præbere: atque ita ſimulatis auxiliis hoſtilem irruptionem impediuit. Frontinus libro ſecundo, capite duodecimo.

IPHICRATES Athenienſis, cùm campeſtribus locis caſtra haberet, exploraſſetq; Thraces ex collibus, per quos unus erat deſcenſus, nocte ad diripienda caſtra uenturos, clàm eduxit exercitum, & in utroq; uiæ latere (per quam tranſituri erant Thraces) diſtributum collocauit: hoſtemq; decurrẽtem in caſtra ( in quibus multi ignes per paucorum curam inſtituti, ſpeciem manentis ibi multitudinis ſeruabant) à lateribus adortus, oppreſſit. Idem.

T. QVINTIVS Coſſ. cùm Volſci caſtra eius aggreſſuri forent, cohortem tantummodo in ſtatione detinuit: reliquum exercitum ad quieſcendum dimiſit: æneatoribus præcepit, ut uallum inſidentes equis circumirent concinerentq;. Qua facie & ſimulatione cùm & propulſaſſet & detinuiſſet per totam noctem hoſtes, ad lucis exortum feſſos uigilia, repentè facta eruptione, facilè ſuperauit. Idem.

Q. SERTORIVS in Hiſpania hoſtium equitatui maximè impar, qui uſque ad ipſas munitiones nimia fiducia ſuccedebat, nocte ſcrobes aperuit, & ante eas aciem direxit. Cùm demum turmales ſecundum conſuetudinem redire uellent, pronunciauit, comperiſſe inſidias eſſe ab hoſtibus diſpoſitas: idcirco ne diſcederent à ſignis, ne'ue laxarent agmen. Quod cùm ſolum ex diſciplina feciſſet, exceptus fortè ueris inſidiis, quia prædixerat, interritos milites habuit. Ibidem.

CÆLIVS primipilaris, qui in Germania poſt Varianam cladem obſeſſis Rom. pro duce fuit, ueritus, ne Barbari ligna, quæ congeſta erant, uallo admouerent, & caſtra eius incenderent: ſimulata lignorum inopia, miſſis undique, qui ea furarentur, effecit, ut Germani uniuerſos truncos amolirentur. Frontinus lib. 4. cap. 7.

P. SCIPIO Aemilianus, cùm urbem præualidam obſideret, ſuadentibus quibuſdam, ut circa mœnia eius ferreos murices ſpargeret, omniaque uada tabulis plumbatis conſterneret, habentibus clauorum cacumina, ne ſubita eruptione hoſtes in præſidia Romana impetum facere poſſent: reſpondit, Non eſſe eiuſdem, & capere aliquos uelle, & timere. Valerius libro 3. cap. 7.

TVRCIS conſuetudo eſt, ut nocturno tempore caſtra nequaquam moueant, uerùm in eo loco, quem caſtris muniendis ceperunt, perſiſtant, ſiue fur ingreſſus ſit in caſtra, ſiue aliud quid noui ingruerit. Chalcocondylas lib. 9.

Vallum de GALLIS, Heluetiorum robore ad Nouariam profligatis, captum, Maximilianus Sforcia tanquam uictoriæ monumentum porticibus affixit. Huius ualli ſtructura hæc fuit. Dimenſo ad paruam caſtrorum effigiem quadrato paſſuum quinquagenũm ſpatio, quatuor ſolidi ſtipites in angulis defigebantur ad umbilicum ſolo extantes, latera minoribus aliquot tignis per interualla pariter defixis ſepiebantur: ad ea plicatiles cancellos ferreis anſis rectà conſibulatos applicabant. Intra hanc munitionem legio ita ſe inſtruebat, ut totius ambitus ſumma corona centum ferè muralibus ſclopettis aduerſus hoſtes undique muniretur. Hoc modò ingruentium hoſtium uim ſuſtineri, & planè refringi poſſe, Robert⁹ Sedanius dux egregius exiſtimarat: quòd Heluetios, priuſquam ad haſtas manuſque uenirent, inconſulti impetus pœnas daturos credebat, quum prætentis haſtis hiſpida phalanx, & ſuo tuta robore inſuperabilis, defenſura uallum, & demùm in perturbatos patefacta munitione, ad non dubiam uictoriam eruptura uideretur. Sed hæc militari ingenio excogitata, tantoque labore & ſumtu per Alpes aduecta, ſicuti ſpectantium oculos nouitate formæ & ſpe uictoriæ ſubnixos animos magnoperè delectabant, ita, ut plerunque ſolet, Fortuna ſubtilibus artificiis nihil arridens, tum maximè, quum oportebat, rationi atq; operi ſucceſſum eripuit. Iouius lib. II. Hiſtoriarum.

COMMEA-



## COMMEATVS CVRA: PVTA ALIMENTORVM, PABVLI, LIGNORVM, SALIS, IGNIS.

*Huc quoque aliquo modo referendus erit Titulus, Regiones ſteriles & aridas ſuperare.*

### ACQVISITIO, IMPORTATIO, INTRODVCTIO, Subuectio. PRÆDAM tutò agere.

DAVID rex exul, cum 600 comitibus ad Achim Gethæ regẽ Palæſtinum confugerat, & ab eo Siceleg oppidum habitandum acceperat. Quotidie igitur in uicinos agros Amalechitarum, Gerzæorum & Geſſuræorum excurſiones faciebat, prædam abigebat, & ne apud regem Achim deferretur, nulli ſexui aut ætati parcebat. Cùm autem nullus cladis nuncius ſupereſſet, apud Achim ſimulabat, ſe è Iudæis prædam illam agere. Et hoc fecit anni & 4. menſium ſpacio, quoad mortuo Saulo rex ſalutatus eſt. 1. Reg. 27.

ARTOXERXES Perſarum rex, contra Caduſios ſuſcepta expeditione, cùm ad diuerſorium quoddam regium deſcendiſſet, ubi eximij erant & magnificè inſtructi horti, uiuariaque ferarum: circumiecta autem regio nullis arboribus ueſtita & nuda rigeret gelu: conceſſit militibus, ut ex hortis atq; uiuariis arbores cæderent ac lignarentur, neque picea abſtinerent uel cupreſſo. Dubitantibus illis & temperantibus propter pulcritudinem & proceritatem arborum, correpta ipſe ſecuri maximam & præſtantiſſimam arborem deiecit. Hinc lignantes & frequentes pyras excitãtes commodam noctem tranſegere. Plut. in Artoxerxe.

CHABRIAS ex ſuis decem uelociſſimos in ſingulas naues impoſuit, & noctu in hoſtile ſolum emiſit, atq; prædam ex regione agere iuſſit. Ciues ex urbe ſuis rebus opem ferentes, capturi prædatores erant. Ille confeſtim ad urbem nauigando, eos de urbe tuenda cogitare coegit. Proinde naues ad terram appellens, acceptis ſcutatis, & præda, quam ceperant, diſceſſit. Polyænus lib. 3.

IDEM cùm electi ſufficerent ad implendas naues centum & uiginti, eſſet autem ei opus ſolùm ſexaginta nauibus: iuſſit eos, qui remanebant, iis, qui nauigaturi erant, ad bimeſtre annonam miniſtrare, aut ipſos nauigare. Ipſi ergo lubentes dederunt ea, quæ præcepit. Ariſtot. in Oeconom.

TIMOTHEVS, cùm quadraginta naues haberet, uolens ex his quinq; præmittere, complurium dierum commeatu inſtructas: cùm ſtipendia dare non poſſet, præceptum dedit, ut omnes naues ſoluerent, quæ triplum commeatum haberent. Cùm ad inſulam quandam appuliſſent, triremiũ præfectos iuſſit ex ſingulis nauibus duplum commeatum ad ſe adferre, eumq; in quinq; naues diſtribuit, ipſe cum triginta tribus ad priſtinam ſtationem rediit. Polyæn. lib. 3.

ANAXARCHVS, cùm irruente tempeſtate cognouiſſet antè, Alexandrum lignis uacuum locum caſtris capturum eſſe, omnibus uaſis & ſupellectili in ſtatiuis defoſſis, calones lignis onerauit. Cùm igitur ad eum locum uentum eſſet, & ligna deficerent: omnes Alexandri menſæ comburebantur, ut ſeſe calefacere poſſet. Quodam nunciante, apud Anaxarchum ignes extare, contulit ſe ad ipſum, & in Anaxarchi ſcena ſeſe calefecit: audienſq; prouidentiam, collaudauit: & quæ abiecerat, duplo reſtituit, tum uaſa, tum ueſtes, quoniã ipſius igni fuerat uſus. Aelianus de Var. hiſt. lib. 9.

HIRCIVS, Mutinenſibus obſeſſis ab Antonio, ſalem, quo maximè indigebant, cuppis conditum, per amnem Saturninum intromiſit. Idem pecora ſecunda aqua dimiſit, quæ excepta ſuſtentauerunt neceſſariorum inopiam. Frontinus libro 3. capite 14.

Cùm Tarentini à Romanis obſiderentur, periculumque eſſet, ne fame ad deditionem compellerentur: RHEGINI decimo quoque die ieiunium decernentes, uictum conceſſerunt Tarentinis. Proinde cùm decedentibus Romanis liberarentur, memores calamitatis Tarentini, feſtum conſtituerunt, quod Ieiunium appellabant. Aelianus de Varia hiſtoria libro 5.

Hannibale obſidente Caſilinum, ROMANI farinam doliis ſecunda aqua Vulturni fluminis dimittebant, ut ab obſeſſis exciperetur. Quibus cùm obiecta per medium amnem catena Hannibal obſtitiſſet: nuces ſparſere; quæ cùm aqua ferente ad oppidum defluerent, eo commeatu ſociorum neceſſitatem ſuſtentauerunt. Front. lib. 3. cap. 14.

L. PAVLVS Aemilius, cùm ad Olympum montem contra Perſeum caſtra haberet, & infeſtaretur potus penuria exercitus (exiguus enim & prauus ſcaturiebat iuxta mare) uidens excelſum & nemoroſum montem imminentem Olympum, ac coniiciens ſyluæ uirore habere eum laticum ſcaturigines, quæ in imo clàm fluerent: lacus iis & puteos frequentes aperuit in latere montis, qui mox riuis affluentibus impleti ſunt, tractu & impetu eius, quod aſtrictum antè fuerat, ad uacuum delato. Plut. in Paulo.

C. MARIVS Coſſ. IIII. ubi Cimbros propè eſſe intellexit, raptim ſuperauit Alpes, ac caſtris ad amnem Rhodanum cõmunitis, conuexit affatim eò commeatum: ne unquam niſi poſtulante uſu ex neceſſariorum inopia dimicare cogeretur. Subuectionem eorum, quæ eſſent exercitui opus, cùm antè longinqua & ſumtuoſa mari fuiſſet, expeditam effecit & celerem. Nam oſtia Rhodani, maris refluxu magna ui limi oppleta, arenaq; alto cœno à fluctibus aſtricta, periculoſum moroſumq; & anguſtum nauibus frumentariis eò redebãt decurſum. Huc exercitum otioſum conuertit, foſſamque grandem duxit: quò magna fluuij parte detorta, deduxit illam ad opportunum litus altam ac magnorum nauigiorum patientem, quæ planum haberet & tranquillum ad mare oſtium. Hæc nomen ab illo etiam hodie retinet. Plut. in Mario.

CN. POMPEIVS contra Mithridatem profectus, cùm is mõtem ualidum & munitum, in quo caſtra habuerat, quaſi aridum reliquiſſet: eum ipſe repentè occupauit, atque ex fruticum indole locorumque conuexitate coniiciens, ſubeſſe ibi fontes, imperauit puteos paſſim deprimi, fuitq; in caſtris ſtatim aquę affluentia: ut miraretur, tamdiu id Mithridatem fugiſſe. Plut. in Pompeio.

Metellus in Hiſpania contra Sertorium bellum gerebat. Aduertens ergo Lagobritas, qui non parum præſidij Sertorio ferebant, facilè capi ſiti poſſe (nam unicus in urbe erat puteus. Riuuli autem & fontes, qui in ſuburbiis extabant & ſub mœnibus, in poteſtate futuri erant obſidentis) ad oppidum mouit, biduo ſperans, ſe capturum aquæ penuria urbem. Quare edictum fuerat militibus, ut quinq; tantùm dierum cibaria ſecum ferrent. At SERTORIVS huic rei prouidere maturãs, bis mille utres aqua iubet impleri, magno præmio in ſingulos utręs pronunciato. Quod frequentes Hiſpani, frequentes item Mauri ſuſcipiunt: ex quibus delectos uiros ualentes pariter & pernices mittit per montana, edicitq; iis, ubi tradiderint utres illis, qui tenerent urbem, inutilem turbam ut educerent. Interea Metellus Aquinum cum ſex millibus militum frumentatum mittit. Sertorius in redeuntem Aquinum incurrens, eum profligauit. Itaq; Metellus Aquino recepto, qui cum armis equum amiſerat, fœdè ſoluit obſidionem, multis conuiciis ab Hiſpanis laceratus. Plut. in Sertorio.

ROMANI à Totila Gothorum rege obſeſſi, quicquid ſoli intra muros fuit uacuum ædificiis, inararunt ſparſeruntq; tritico. Quo contigit, ut priuſquam commeatus deficeret, matura ſit ſeges urbe defecta. Erantq; per hæc Romani diu laturi obſidionem, ſeruaſſentq; poſtremò urbem, ni Iſauricorum militum fraude fuiſſet Gothis tradita. Sab. lib. 4. En. 8. & Io. Magnus lib. 14. cap. 6.

Gothi duce Vitige Beliſarium Romæ obſidentes, aquæductus omnes interruperant. Erant hi quatuordecim, numero, mirabili arte erecti, per quos aqua in urbem labi conſueuit. Afficiebat ea aquarum interruptio Romanos & Græcos non paruo rerum incommodo: præcipuè tamen in neceſſario uſu piſtinorum, quæ ſine illis aquæductibus penitùs inutilia reddebantur. At BELISARIVS tot incommodis occurſurus, remedia excogitauit. Bini lembi paruo inter ſe diſtantes ſpacio tignis coniuncti, molas in medio cõtinebant, quæ rapido fluminis curſu uoluebantur: funes uerò ab utraq; ripa quã maximè intenti, lembos in flumine ſuſtentabant: huiuſmodi lẽbos ſecus pontem, qui trans Tyberim ducit, collocauit. Poſt eos lembos alios eodem ordine poſuit: quibus ne hoſtes mittendo de ſuperiore loco materiam & ignem officere ualerẽt, catenæ in flumine ad ipſum pontem obiectæ, omnem materiam excipiebant, exceptam autem homines ab utraq; ripa diſpoſiti auferebant. Itaque lembi piſtrinorum uſum largiſſimè (ut etiam hoc noſtro tẽpore fit) compenſabant: aquarum uerò defectum Tyberis abundè ſuſtentabat. Ioan. Magnus lib. II. & Sigonius lib. 18. Imp. occid. ex Procopio.

GOTHI & Sueci obſeſſi, penuria aquarum urgente, uelis cõcauis longa extenſione è ſuperioribus tectis ſuſpenſis, ac dilatatis, & funibus cuneato ſitu uerſus ima depreſſis, deſuper caſuras pluuias aut rores excipiunt. Imbres enim niuiũ reſolutione adeò copioſi torrente ſolo è montibus deſcendunt, ut cunctis tam hominibus quàm beſtiis ſufficiant ad neceſſitatem. Olaus lib. 9. cap. 40.

GOTHORVM & Sueonum uetuſtus mos eſt, ut ſinguli ſiligineæ farinæ quantitatem in ſaccis ad hoc diſpoſitis, retrò ſellas equitum, unà cum lamina ferrea alligent, cõfeſtimq;, ubi res poſtulat, igne ſtructo, laminæ ferreæ paſtas imponant panum, tanquam in clibano conficiendorum. Eadem lamina more clypei (in cuius modum formata eſt) corpora

ſua protegunt, geminam ac ſummè neceſſariam militaris induſtriæ opem ex una re prudentiſſimè mutuati. Olaus libro 9. capite 41.

Romam obſidebat Vitiges Gothus. Beliſarius cum ſuis ſumma premebatur annonæ inopia. Iuſtinianus Conſtantinopoli commeatum mittit. Qui ne ab hoſte interciperetur, BELISARIVS hoc ſtratagemate uſus eſt. Sub id tempus quò hi erant urbem intraturi, hoſtium caſtra adoritur, facitq; eruptionem per Flaminiam portam. Equites uerò leuis armaturæ iubet ad hoſtium caſtra equitare, illoſq; tumultuosè ad pugnam elicere: mox conſerta pugna paulatim cedere, hoſteq; procul à caſtris diſtrahere. Quod cùm illi grauiter facerent, eſſetq; iam prope urbem uētum, tum ſimul ab his qui per Flaminiam portam emiſſi fuerant, factus eſt clamor à tergo: & equites qui fugam ſimulauerant, ferociter ad pugnam reuertuntur. Sic Barbari ancipiti metu perculſi in medio cæduntur, ſimulq; auxiliares copię & commeatus in urbem tutò recepti ſunt. Sab. En. 8. lib. 3.

SPHENDOSTLABVS Roſſorum princeps, obſidione ab Imp. Ioanne Zimiſca Doroſtoli cinctus, cùm iam conſumtis alimentis penuria immineret: obſeruata nocte illuni, in quam imbres magni, & tonitrua horrenda inciderant, cum duobus uirorum millibus lintres conſcendens, ad quærenda uictui neceſſaria nauigauit, collectiſque neceſſariis rediit. Cedrenus.

ZISCHA Boemus, qui Thaboritarum ductauit exercitum, uillam quandam in Auſtria cùm diripuiſſet, neq; inueniſſet armenta (nam illa in inſulam Danubio cinctam tranſuecta fuerant) conquiſitis à proximis uillis duobus uitulis, totidemq; ſuibus, eos eregionè inſulæ tam diu uerberari iuſſit, donec mugitum grunnitumq; uaccæ ſuesq; exaudientes ad ripam ſuam tranarent. Qua prudentia cùm multa armēta intercepiſſet, & adduxiſſet, non modicam prædā ad ſuos portauit. Aen. Sylu. lib. 2. Commentariorum de rebus geſtis Alphonſi, & Bonfin. lib. 3. Dec. 3.

TAMBERLANES, quamuis ingētes duceret copias ad XII cētena millia, commeatu tamen ſemper abundauit. Caſtra enim in urbis modum erant ordinata, definito cuiq; artificio, loco proprio, ut omnia uitæ uſuiq; neceſſaria in promtu eſſent, neq; ullis latrociniis locus eſſet. Cuſpin.

Michaele Palçologo Byzantium obſidente, LATINI Balduino imperante ad tantam egeſtatē redacti ſunt, ut ob lignorum inopiam plurimas & pulcerrimas urbis ædes deſtruerent, ut neceſſariis ignibus materia ſuppeteret. Gregor. li. 4.

Eo bello quod Florentini contra Lucenſes geſſere, magnam ſibi gloriam LVCENSES & nomen apud populos Italiæ omnes compararunt. Preſſi enim graui ac diuturna obſidione, perpeſſi rerum omnium inopiam, lignandi copia nulla, ſorte ductis ciuium nominibus, quorum ædes in urbe haberentur, eas demoliti, tignis cæteraque materia lignorum uice uſi feruntur. Brutus lib. 1. hiſt. Flor.

Obſeſſo à Maximiliano Imp. Patauio, cùm metuerent VENETI, ne bina flumina, quæ Patauium inferuntur, hoſtes primo quoq; tempore auerterent: ne tanta hominum multitudo farina deficeretur, molas frumentarias, quas iumenta uerterent, omnibus in oppidi regionibus & uicis ædificari curarunt. Bembus lib. 9. Hiſt. Ven.

MAXIMILIANVS I. Cæſar, cùm ſtipendia militibus quos dimittebat, perſoluere non poſſet, primus eis poteſtatem feciſſe dicitur, paſſim in Germania uagandi, & à ruſticis alimenta abſq; ullo mendicitatis probro exigendi, ſiue à uolentibus ſiue ab inuitis. Genus hoc ſycophantiæ (quo miſeri ruſtici militum ignauiam fouere & ſuſtentare coguntur) Garten uulgò dicunt, fortè ab Italica uoce Guardar, quaſi obſeruatores nouorum motuum.

Hiſpani Venetiq; in obſidione Cephalleniæ, commeatus penuria haud mediocri affligebantur. Cùm ſupereſſet in caſtris & claſſibus aliqua frumēti copia, paruas truſatiles molas, quæ in unaquaq; trireme nexorum remigum manibus uoluerentur, & CONSALVVS Magnus inſtituit, & quum cribra deeſſent, lintea ad excernendos furfures, uela rara ſcortorum capitibus detraxit, furnoſq; ſubitaneos & clibanos paruos in litore ad percoquendos panes extruxit: quū reliqui cacabis contuſum triticum quanquam uentribus inimicum cum larido percoquerent. Quibus rebus non modò leuata eſt fames, ſed utraq; caſtra, noua ſpe uictorię ſunt completa. Iouius in Conſaluo.

GALLI Papiam obſidentes, cùm militum obſeſſorum induſtria ex rerum neceſſitate magis ac magis acueretur, in linteis & contabulatis tabernaculis focos cum uaporariis tubis ad excludendum fumum, elegantiſſimè fabricarunt. Iouius in Piſcario lib. 5.

Cùm grauiter à Carolo V. Landreſium obſideretur, FRANCISCVS I. ut commeatum inferret, leuem armaturam equeſtrem emiſit: quæ excitatis diuerſo in loco leuibus præliis, hoſtes diſtineret, uniuerſæq; pugnæ ſpem & ſpeciē præberet. Interim dextro cornu latè extento, præmiſſaq; peditum atq; equitum ualida manu, quos aduexerat commeatus in oppidum intromiſit, præſidiumq; labore atq; uigiliis confectum, recenti milite renouauit, ſumma tranquillitate. Huius ſtrenuè initi conſilij, feliciterq; ſuſceptæ expeditionis euentum, inter præclara fortiaq; regis facta numerant. Sabellici Supplem. lib. 27. ex Iouio.

## CONSERVATIO.

NABATHÆI Arabes, ſi quādo inuadit eos copioſus hoſtiū exercitus, fugiunt in ſolitudinem, huius ſe præſidio tutantes. Cùm ſit enim expers aquę, aliis eſt inacceſſa: at his, quia parata habēt uaſa humi defoſſa incruſtata, ſolis præbet præſidium. Cùm ſit enim terra partim argilloſa, partim rupē habens mollem, faciunt in ea ſcrobes ingentes, quarum oſtia admodū parua faciunt, eaſq; in profundo ſemper ampliùs dilatantes ad extremum tantam magnitudinē efficiunt, ut ſingula latera ſint unius iugeri. Hæc uaſa replent aqua cæleſti: deinde ora obſtruunt, & ea reliquo ſolo adæquantes, ſigna relinquunt, ſibi quidem nota, ſed quæ alij animaduertere nequeant. Adaquant autem etiam quæ abigunt pecora in triduū, ne, in locis aridis & fuga, egeant continuis aquis. Diod. lib. 19.

TIMOTHEVS oppugnans Samum, cùm multi peregrini appellentes, ea quæ oppugnabantur conſumerent, & idcirco caritas eſſet annonæ: præcepit ne uenderent farinam, neq; heminam olei, aut uini, ſed frumenti non minus modio: liquidorum uerò, ad minus metretam: nemoq; frumentiferas molas haberet, niſi in collibus. Sic accidit, ut cùm peregrinis forum non pateret rerum ad quotidianum uſum ſpectantium, ſecum ipſi ea apportarent, frumenti autem & ciborum apparatum ſoli milites conſumerent. Polyænus lib. 3. & Ariſt. in Oeconomicis diſpenſationibus.

IDEM urbem exercitu circumdans, militibus locum definiuit, unde prædam agerent: reliquam regionis partem intactam ſinerent, non domum non tuguriū deſtruerent, neq; inſititiam arborem excinderent, ſed ipſos duntaxat fructus caperent. Sic efficiebat, ut ſi uiciſſent, plura tributa colligere poſſent: ſin bellum diutiùs traheretur, uictum copioſum & diuerſoria haberent. Sed & hoc ipſo beneuolentiam hoſtium uenabatur. Polyæn. lib. 3.

ARIOBARZANES Adramytium tenens, ab Autophradate terra mariq; oppugnabatur. Cùm autem res neceſſarias ac milites in urbem cuperet introducere, & ab oppugnātibus impediretur: mandatum dat Preleunti, qui obiectam inſulam cum præſidio tenebat, ut ſimularet ſe eam Autophradati proditurum. Qui cùm præſidiis præfecto crederet, & claſſem ad accipiendam inſulam mitteret: Ariobarzanes interea, dum naues ad inſulam contendunt, eas præuertēs, magnam commeatuum ac militum copiam in urbem importauit. Polyænus lib. 7.

CYZICENI Mithridatico bello frumentum Chalcidica creta immixta conſeruarunt. Strabo lib. 12.

GOTHI ædificant domus lapideas, ſublimes, ac amplas, ligneasq;, quas tignis abietinis, & corticibus arboris betulæ exquiſita induſtria tegunt, ceſpites uirentes quadrata figura à campis exciſos ſuperimponentes: quos ſubmiſſo auenæ, uel hordei ſemine, firmioribus radicibus nectunt. Quo fit, ut tecta pratorum uirentium ſpeciem æmulentur. In hæc tecta obſidionum tempore pecora paſtum agunt, ne recentibus deſtituti carnibus, morbum Scorbutum dictum, ex ſalſis prouenientem carnibus, contrahant. Olaus lib. 9. cap. 38.

Lotharius Rom. Imp. LEMBVRGIVM caſtellum, monachorum templum, in Nemetum agro ſitum, obſidens, fame ad deditionem iam coegêrat: niſi quidam ſocios deditionem faciendam conſultantes confirmaſſent, ſatis ſuperq; annonæ ſuperare: nimirum ſatius eſſe dictitans, uentribus craſſis monachis paſci, quàm caſtrum tam turpiter in manus hoſtium tradere. Quod ubi monachi acceperunt, abundè cōmeatum præſidio militari largiti fuêre. Auent. lib. 6. Annal.

Otho dux de Leina in Saxonia urbem GOTTINGAM obſidebat. Ciues cùm magnam copiam mendicorum in urbe eſſe uiderent, edicunt in loco extra urbem, ad agendas Deo gratias de uictoria in deiiciendo Ducis propugnaculo, ſtipē largam diſtribuendam: qui eam depoſcat, ad horam adſit accepturus cum cæteris. Magna colluuies hominum concurrit ſtipem acceptura. Datur illa largè, ut erat edictū: ſed urbe à tergo clauſa, tum cunctis enunciatur, eant quò poſſint, panem quæſituri: non eſſe illis in obſeſſa urbe locū, ubi grauare poſſint, adiuuare non poſſint: ad meliora tempora reuerſuri. Hac ratione obſidionem diutiùs tolerarunt. Cranzius lib. 10. cap. 14. Saxoniæ.

LVSITANI in arce Cananorēſe, cui LAVR. Brittius pręerat, à rege Cananorenſe obſidebant. Spes omnis in aquatione è uicino puteo prohibenda. Luſitani ergo conſilio Thomæ Fernandi, præſtantis architecti, ab arce in puteum cuniculū egere: tanto ſilentio, ut nunquam id ab hoſte animaduerti potuerit. Tum paulò ſupra illud cuniculi oſtiū, quod ab arce ad puteum medium pertinebat, trabes immiſit, & ſuper eas alias tranſuerſas iniecit: & magnam materiæ uim ſuper eas trabes demiſit, quæ puteum tegeret, ne poſſent hoſtes uenenum in aquam infundere. Poſtremò ore ſummo putei diſturbato, terram omnem congeſſit, ne poſſet hoſtis materiam extrahere. Sic tutò hoſtibus inuitiſſimis aquabatur. Oſorius lib. 4. rerum Em.



# STIPENDIIS MILITVM PROSPICERE.

## COMPARANDO.

*Mercimonijs & Venundatione bonorum, honorum, dignitatum.*

HERACLEOTÆ mittentes naues quadraginta tyrānis, qui erant in Boſphoro, non habentes pecuniarum copiam, cōparauerunt à mercatoribus uniuerſum triticum, oleum, uinum, & alias merces: & tempus definierunt, in quo ipſi precium eſſent perſoluturi, & diſpenſatorem unum in unaquaque nauium conſtituerunt. Cumq; perueniſſent ad locū hoſtium, milites ab eis comparabant omnia. Itaq; cōgregato argento, dederunt ducibus nauium, duces autem militibus mercedē ſoluerunt. Quo factū eſt, ut argentū eos non defecerit, quouſq; ad propria remeaſſent. Ariſt. in Oeconom.

MNEDEI bellum ſuſcipientes aduerſus Olynthios, cùm illis pecuniæ deeſſent, adeſſent mancipia, ſtatuerunt, ut relictis cuilibet ciuium mare & femina, cætera ad uſum ciuitatis uenderent, tanquam in priuatorum exhibitione pecunias commodarent. Idem.

IPHICRATES Athenienſis, Coty Thracum rege parante exercitum, effecit hoc pacto ut compararet pecuniam. Præcepit hominibus quibus præerat, ſeminare ſibi tres modios tritici. Quo facto, collegit tritici ingentē multitudinē, quam ad emporia mittens uendidit, obtinuitq; pecuniam. Idem.

PEVTHES præfectus equitum Cerſobleptæ, in ſumma pecuniarum inopia, mandauit, ut quilibet agricola quinq; modiorum agrum ſibi ſereret. Qui ſeruerunt, magna ſcilicet colonorū multitudo. Cùm igitur ingens frumenti copia proueniſſet, deuectum illud ad mare uendidit, remittens aliquātum de precio. Ea ratione multas ſubitò pecunias Cerſobleptæ confecit. Polyæn. lib. 7.

TIMOTHEVS oppugnabat Samum, conſcriptis ſeptem millibus mercenariorum. Quibus cùm perſoluere ſtipendia nō poſſet: uidens plenam fructibus inſulam eſſe, loco ad prædandum capto, reliquos fructus uendidit, ſecuritate iis qui legerent præſtita: collectiſq; hinc affatim pecuniis, partem ſtipendiorum militibus diſpertiuit, atq; ſic uſus obſequentioribus & alacrioribus, Samiorum urbem per uim cepit. Polyæn. lib. 3. & Ariſt. in Oecon.

EVMENES Cardianus, cæſo Cratero & Neoptolemo, militibus intra triduum ſoluere ſtipendium pollicitus, fecit iis uillarum illius regionis caſtellorumq; hominibus & pecore refertorum auctionem. Qui mercatus aliqua fuerat ordinum ductor, uel mercenariorum militum præfectus, tormentis & machinis Eumene præbente acceptis, expugnabat ea, prædamq; in debitum ſtipēdium milites partiebantur. Plut. in Eumene.

M. ANT. Philoſophus Imp. Pannonias omni infeſtarum gentium metu liberauit. In conficiundo bello quum ærario exhauſto à pecuniis laboraretur, omnia aurea uaſa, argentea, cryſtallina, & myrrhina, cum omni principali ſupellectile, ornatuq; coniugis, publicè uendidit: ne tributa imperando ciuitatibus aut prouinciis eſſet grauis. Sab. lib. 4. En. 7.

BALDVINVS II. Conſtantinopolitanus Imp. cùm bello premeretur, quod Græci rebelles intulerant, atq; pecuniæ defectu laboraret: Venetis permultas ſanctorum reliquias uendidit. neq; eo contentus, filium Philippum, accepta pecunia à priuatis mercatoribus, pignori obligauit, atq; eum ad ipſos Venetias miſit. Ipſa quoq; templa plumbo, quo tecta erant, ſpoliauit ac uendidit. Fulg. lib. 7. cap. 6.

BEATRIX Comitiſſa, mundum omnem diſtraxit, ut Carolus Andegauenſis maritus haberet ſumtus ad bellum Siculū, aduerſus Manfredum Eccleſiæ Romanæ hoſtem, ut ille regno Siciliæ potiri poſſet. Aemilius lib. 7.

RICARDVS I. Anglorū rex, acceptis regni inſignibus, ſummo ſtudio claſſem ac omnia ad Hieroſolymitanum bellum gerendum neceſſaria parās, poſſeſſiones omnes, portoria, uectigalia, ac comitatus nonnullos cū præfecturis, partim uendidit, partim oppignorauit. Hugonem epiſcopum Dunelmenſem, pactus ingenti precio, Northumbriæ comitē fecit: inquiens, Magnus ego artifex, ueteranum enim epiſcopum feci nouitiū comitem. Ciues Londinenſes dederunt grandem pecuniam, & tum primùm conceſſu regis comitia habere cœperūt, & ſibi in ſingulos annos eligere binos ſuæ ciuitatis gubernatores, quos Balliuos appellarunt. Reuerſus uerò è bello ſacro, cùm Gallicis armis in Normania urgeretur: cœpit paulatim poſſeſſiones ac cætera omnia, quæ ante profectionem ſuam in Syriam uendidiſſet, pignorauiſſetue, blandè repetere: dum prædicaret ſe pro certo habere, ſuos principes, ciues, ac amicos nolle ſibi beneficium fœnerari, ſed contentos uectigalibus quæ hactenus cepiſſent, non omninò negaturos ea reddere, quæ ipſe eis non uenditionis, ſed tantummodo mutuationis aut pignoris nomine locaſſet: cùm præſertim cuncti certò ſcirent, ipſum non poſſe ſine poſſeſſionibus illis regio ritu uiuere uitam. Itaq; ſine precio, bona à redemtoribus maturè recepit, quanquā multi ne tertiam quidem partem ſortis ex fructibus poſſeſſionum acceperint. Polyd. lib. 14.

Capta à Ligurib. Clodia, XL triremes à VENETIS inſtructæ ſunt. Atq; ut tanta claſſis ali poſſet, priuſquam in hoſtem ſit itum, decreto Patrum propoſitum eſt publicum edictum, ut quicunq; è populo pecunia, commeatu, militéue, aut claſſem, aut litorales copias iuuiſſent: fore, ut ubi cum hoſte debellatum eſſet, ex eorum numero triginta, qui optimè omnium meriti crederentur, ad Patricium traducerentur ordinem: quæ dignitas illis eorumq; poſteris rata perpetuò maneret, daturos ad hæc Patres operam, ut quinq; aureorū numûm millia quotannis reliquis diuiderentur, qui dignitatem non eſſent conſecuti. Multi ſpe prætenſæ dignitatis, quidam etiam caritate patriæ, in medium proceſſerunt, alij alia pollicentes. Supra ſexaginta familiæ repertæ ſunt, quæ ſuum in rempublicam beneficium contulerunt: atq; ita ut ditiſſimus quiſq; fuit, ita optimè de illa meritus & uideri & eſſe uoluit. Sab. lib. 6. & 7. Dec. 2.

Cùm bello Maximiliani Imp. Rom. & Galliæ Regis premerentur VENETI, ne pecunia deficeret, propterea quòd rerum fiſco cedentium Triumuiri magnum ſuis in libris publicè debentium ciuium numerum habebant: Senatus legem ſciuit, ut iidem Triumuiri bona ciuium fiſco debentium omnia, quæ ſui iuris feciſſent facturíue eſſent, ipſi in foro licerentur: licentibus partem eorum bonorum tertiam fiſci nouiſſimi pecunia uel ſua, uel aliorū, cuius eſſent creditores, emere liceret, ſi pro reliquis duabus partibus numeratò perſoluiſſent: eaq; bona ita diſtracta ſi redimere priores domini uoluerint, intra dies octo eo modo, quo emta erunt, poſſint: ſi noluerint, eæ emtiones nullū poſtea præiudiciū patiantur, ſed firmæ ſolidæq; ſint tota tempora. Aliam etiā legem ſciuerunt: qui magiſtratus uel ſint, uel futuri ſint, afferant ſinguli reip. ſcribis fidem quatuor magiſtratuū ſcripto confirmatā, ſe, quod debeant, perſoluiſſe: qui non attulerit, is magiſtratū reipublicæ neq; obire, neq; adire ullū poſſit. Qui aūt ex iis magiſtratibus fidem fecerit, aliquem ciuem ſoluiſſe, qui non ſoluerit, is magiſtratus multæ nomine ciuis illius omne debitum reipublicæ perſoluat: ſcriba uerò qui tabellam confecerit, à ſuo munere obeundo expellatur. Neq; tamen ea lege ſatis eſſe factum Decemuiri exiſtimantes, pleniore coacto collegio ſanxerunt, ut fiſci debitores detinerentur, cuſtodiæq; traderentur, à qua nequirent liberari, quoad ſoluerent: tabellamq, cum centum eorum nominibus, ſuis miniſtris dederunt, iubentes, ut quemlibet eorum caperent. Bembus lib. 12. Hiſt. Ven.

CAROLVS VIII. rex Gallorum, iuuenili conſilio regnum Neapolitanum ſuſcipiens, in ſumma rei pecuniariæ difficultate, Marchioniſſæ Salutiorum mundo muliebri oppignorato, uel etiam uendito, aliquot aureorum millia corraſit. Iouius.

CLEMENS VII. Pp. à Germanis & Hiſpanis militibus in Adriani mole obſeſſus, propoſitis uenalibus ſenatoriis aliquot galeris, qui conſenſu militum non obſcura licitatione, amiciſſimis Cæſarianarum partium ad eum honorem aſpirantibus, præſenti pecunia uenderentur: breui tantam uim ſignati auri, uel infami collatione coactam collegit, ut milites in uniuerſum Hiſpani Germanique nequaquam ægerrimè pacarentur, & ſeſe ducum imperiis & dicto audientes futuros dicerent. Iouius.

*Ludo.*

Quum MATHIÆ Coruino Vng. regi in bello Boemico deeſſent pecuniæ: uerbis & pollicitationibus alebat exercitum. Cùm dies diſtribuendi ſtipendium præſtitutus inſtaret, quē promiſſis differre ultrò non poterat, è præfectis equitum & legatis legionum ad alearum ludum inuitabatur. Dena millia aureorum ea nocte ex ludo ſibi comparauit, quæ, antequam loco moueretur, militibus dedit, & ex aleæ lucro ſtipendium exoluit. Bonfin. lib. 8. Dec. 4.

*Mutuo.*

MEMNON Rhodius, qui Lampſaci dominabatur, pecuniis egens, ſcripſit ditiſſimis Lampſacenorum, ut magnā argenti ſum-

ti ſummam ei conficerent, quam recepturi eſſent ab aliis ciuibus, quibus commiſſum erat illam afferre. Atq; cùm illis alij ciues afferrent, iuſſit eandem ſibi mutuò dari, uſq; ad certum tempus, in quo eam illis redderet. Ariſt. in Oecon.

IDEM pecuniis indigens, precatus eſt ſuos, ut ſibi mutuò darent, quas ex prouentibus eius mox recepturi eſſent. Illi autem attulerunt, quis citò prouentuum receptio futura erat. At ubi ea, quæ prouentuum erant, miſſa ſunt, ſibi illis opus eſſe dixit: ſe uerò poſtea conflatum ęs diſſoluturum cum uſuris. Ariſt. in Oecon.

CHABRIAS illis qui ex regione debebant ſub eo militare, præcepit afferre, ſi quis aut auri aut argenti quippiam non ſignati haberet. Cùm uerò plurimi attuliſſent, illo ipſe utebatur. Mutuantes autem præfectis claſſium commiſit, ut de iis quę abundarent apud eos, illis redderēt. Ariſt. in Oecon.

CLAZOMENII in frumenti penuria pecunia indigentes, ſtatuerunt, ut ſi qui priuatorum haberent oleum, mutuarent ciuitati ad fœnus. Quibus mutuantibus, conducentes nauigia, miſerunt ad emporia unde ipſis ueniret triticum, habito pacto de precio olei. Inſuper debentes militibus ſtipendium uiginti talenta, & dare non ualentes, pendebant fœnus ducibus annuè quatuor talenta. Ibidem.

Bello Punico ſecundo ROMÆ pupillorum & uiduarum cenſus ſunt in publicum delati, ut in fide publica eſſent eorum bona; ſicque tutiora illis futura: & in ſumma ærarij inopia Reip. uſuaria: quin & patresfamiliâs, qui Volonum libertate donatorum precia accepturi erant, profeſſi ſunt, nō priùs ſe eam pecuniam exacturos, quàm in Italia eſſet cum hoſte debellatum. Manauit priuata hæc benignitas ex urbe in caſtra, ut non equites, non cēturiones, tali tempore ſtipendiū acciperent, mercenariuſq; haberetur, ſiquis accepiſſet. Sab. lib. 3. En. 5. Eodem tempore creati Romæ pecuniæ inopia Triumuiri menſarij, qui æs & argentum à priuatis conferendum publica fide interpoſita ſuſciperent. Dedicata eſt & à Duumuiris ad id creatis, ædes Concordiæ. Sab. lib. 3. En. 5. Eiuſdem belli anno X. cùm plebs aſſiduis tributis, cæteriſque incommodis exhauſta, publica onera ampliùs ferre nō poſſet, patres decretum tulerunt, ut qui in curuli ſella ſediſſent, equi ornamenta, & facti argenti pondo, ſalinum & patellam, ſacrorum cauſa, haberent: reliqui eius ordinis librā argenti, & quina milia ſignati æris. Cætera omnia quibus ipſi, uxores, liberi, uterentur, mundum, anulos, bullas in publicum conferrent. Hæcq; tanto ſtudio ad Triumuiros menſarios repræſentata, ut neq; triumuiri accipiendo, neq; ſcribæ referendo ſufficerent. Id patrum ſtudium equeſter ordo ſecutus, ac poſtremò plebs ipſa, ita ut ſine edicto reſp. ſtipēdio in præſentia abundaret, nec ullum tempus fuit, quo res Romanorum & Carthaginenſium magis inter ſpem & metum ſuſpenſæ fuerint, quum ad eam diem res Romana multis cladibus afflicta inferior fuiſſet, atq; tum demum, per uarios ſucceſſus, in eum locum redierat, ut nihil eſſet Punica inferior. Sab. lib. 4. En. 5.

Cùm P. CORN. SCIPIO Conſul creatus eſſet in Siciliam, ut cum omni exercitu in Aphricam traiiceret: & in rebus neceſſariis comparandis maxima difficultas proponeretur, ob ęrarij inopiam & iuuentutis penuriam: ille nihilominus ingenti ſtudio in apparatum belli intendit, & præter alia ex uariis ciuitatibus CCC iuuenes legit totius prouinciæ nobiliſſimos, ac eis præcepit, ut certa die cum armis equiſque adeſſent. Qui cùm ad conſtitutam diem præſtò fuiſſent, optionem detulit, qua uel ipſi in Aphrica ſecum militarent, uel totidem aliis ſubſtitutis equos armaq; largirentur: utrū uellent acciperēt. Singulis remiſſionem militię petentibus, dati ſunt uicarij CCC Romani iuuenes, quos Scipio ex Italia inermes adduxerat, eo conſilio ut Siculorum impenſa, ſicut euenit, armis equiſq; inſtruerentur. Horum opera multis poſtea certaminibus fideli atque utili in Aphrica uſus eſt. Auctor eius uitæ.

Bello contra Emanuelem Imp. exhauſto ærario VENETORVM, pecuniam ex depoſitis conflatam (quia ea temporum nouitate exhauſtum erat ęrarium) publico decreto placuit in diui Marci ſacrarium ad opportunos caſus reponi: ac tam diu ſub publica cuſtodia ſeruari, quoad reſp. in meliorem eſſet ſtatum reſtituta. Hodie uulgò Præſtita appellātur, quæ Vitali Michaele II. principe inſtituta traduntur: unde ingentem illi ortam inuidiam, primariamq; cædis cauſam, quidam crediderunt. Sab. lib. 7. Dec. 1.

RICARDVS I. Anglorum rex bello Gallico ingentem pecuniam à collegio mercatorū, qui Caleti ex lana potiſſimùm negotiantur, mutuam ſumſit: poſtea monachis Ciſtercienſibus expoſuit ſe inopia coactum, ac eorum beneuolentia fretum id feciſſe, & propterea rogare, ut uellent tantum lanæ ipſis mercatoribus pro acceptis ab ſe pecuniis dare ſummi beneficij loco, cuius ſe memorem fore pollicebatur. Monachi iis precibus uicti ad extremum regi morem geſſerunt. Polyd. lib. 14.

FRANCISCVS Foſcarus dux Venetus, clade ad Carauagiū accepta à Franciſco Sforcia Mediolanenſium duce, conuocato ſenatu, magna ui auri & argenti profuſa, conuerſus ad patres ipſos, Nihil eſt, inquit, P. C. quòd ad unam pugnam, licèt calamitoſam, territi deſperetis, ut uel Philippi ipſius hoſtis exemplo bene ſperare de ſumma rerum debeatis, qui à nobis ad Maclodium fuſus, captis ferè ducibus omnibus, exercitum facilè reſtituit. Agite igitur, meipſum ſecuti, pecuniam huc conferte, quo numeroſiorem ueſtrum quiſq; poſſit: infra enim triduum copias omnes noſtras reparandas polliceor. Quod certè mox ita ſubſecutum eſt, ut uictor ipſe Sforcia pacem ultrò petierit. Egnat. lib. 3. cap. 2.

Ad redintegrandas turmas magnoperè deminutas bello contra Iulium II. Pontif. atq; ſumtus, quo fiſci debitoribus facilior ſolutio fieret: Senatus VENETVS iuſſerat, ut qui ex iis aurum aut argentum cælatum, quod pleriq; ſibi comparāt, aut à maioribus comparatū domi habent, ad Duumuiros numis cudendis intra dies XXV attuliſſent: id eis aurum argentúmue cum lucro partis decimæ acceptum referretur: qui Duumuiris neq; aurum neq; argentum dediſſent, neq; pecuniam numeratam curauiſſent, eorum bona, etiamſi fideicommiſſa eſſent, uendi per magiſtratus oportere, iis exceptis bonis, quæ dotium nomine mulieribus deberentur. Eaſque uenditiones ratas & firmas haberi oportere, neque ullis poſſe legibus infirmari, Senatuſconſulto additum. Pauloque pòſt, quòd Patribus conſtabat, ciues pleroſque ex iis, quibus ampla res eſſet, adduci tamen non poſſe, ut in ærarium conferrent, quòd nulla ſuæ patriæ caritate, nullo reipub. amore tenerentur: Decemuiri ſuis miniſtris mandauerunt, ut illos priùs ea de re admonitos, ſi poſt dies octo nihil contuliſſent, captos in carcerem contruderent: quòd ſi ſe occultauiſſent, ab eorum domibus rem familiarem abriperent, magiſtratibuſq; traderent diſtrahendam. Quæ duæ quidē res uti publicè iuberentur, ante id tempus nunquam acciderat. Bembus lib. 7. & 10. hiſt. Ven.

ALFONSVS Ateſtinus Ferrariæ dux, quum graue ſibi periculum ab Iulio II. Pont. omnibus ferè Europæ principibus contra Galliæ regem Ludouicum XII, cuius auxiliis hactenus feliciter Pontificem ſuſtinuerat, arma induentibus, immineret, cogendæ pecuniæ ſtudium ea moderatione agitabat, ut priuatos potiùs minueret ſumtus, augeretq; rerum uenalium uectigal, quàm eam uiritim ciuibus imperaret. Ideoq; non paruam auri ſummam, oppignoratis maiorum ſuorum inſignibus gemmis, Lucretiæq; item uxoris unionibus, mutuam à fœneratoribus accepit. Parcendum enim ærario exiſtimabat. Itaq; abiectis abaci ornamētis, in uſum menſarum figulinis lancibus uſus eſt: quæ eò honeſtiora erant, quòd Principis manu atq; artificio fabrefacta ſpectabantur. Iouius in eius uita.

CONSALVVS Magnus, cum Gallis de regno Neapol. regis Hiſpaniæ Ferdinandi nomine decertans, matura ſtipendiorum ſolutione, aliunde mutuo accepta pecunia, quum auri eſſet egentiſſimus, magnam reconditæ pecuniæ uim habere credebatur. Quam opinionem inter milites alere erat ſolitus. Nam eos aliquando ſtipendia nimio plus, quàm ipſi ferre poſſent, differri conquerentes, allocutus, dicere erat ſolitus: Eſtote bono animo commilitones, nam obſignata integraque adhuc nobis ſupereſt illa ingens arca, ex qua, cùm pro matura uictoria opus erit, ad explendas omnium cupiditates immenſus ſignatæ pecuniæ theſaurus effundetur. Iouius in Conſaluo.

*Tributo, à quibuslibet exacto.*

CHABRIAS Athenienſis, Thamo Aegyptiorum regi gerenti bellum, & pecuniis indigenti, conſuluit, ut aliquis diceret ſacerdotibus, oportere & uirorum & mulierum multitudinem ſacris initiatorum ſubmouere, propter impenſam. Audientes autem ſacerdotes, & ſacerdotium penes ſe manere uolentes, ſinguli propriam dedêre pecuniam. Poſtquam autem à cunctis accepit, iuſſit illis præcipi, decimam partem expenſarum, quam priùs in templo faciebant, & reliquorum, regi mutuare, quouſque finem bello impoſuiſſet. Ariſtot. in Oecon.

IDEM ab unaquaq; colonia præcepit omnes quippiam determinatum afferre, & ab unoquoq; corpore ſimiliter. Ex frumento etiam quod uendebatur, à uendente & emente, præter precium, pro modio percipiebat obolum. Ab unaquaq; naue, & officina, & unoquoq; opus aliquod exercentium, decimam partem operis. Ibidem.

DIONYSIVS Syracuſanus uolens triremes extruere, agnoſcens ſibi opus eſſe pecunia, concionem uocans, inquit: Quandam ſibi ciuitatem prodi, ad quam opus erat pecuniis, precarique ciues, ut quiſque ſibi duos ſtateres mitteret. Intermittens autem duos aut tres dies, tanquam in tradenda ciuitate error contigiſſet, ciues laudans, reddidit unicuique quod miſerat, ut ciuium beneuolentiam conſeruaret.



Mox eoſdem à non inuitis repetens, tanquam de proditione certus eſſet, pecunias ad nauium extructionem conuertit. Ariſtot. in Oeconomicis.

DEMETRIVS Poliorcetes pecunias non habens, duplicauit militum numerum, quos deligebat: & quodam admirāte, Vnde ſtipendium tot militibus ſuppeteret, cùm ne paucioribus quidē ſufficeret? Quoniam, inquit, ſi potentiores fuerimus, imbecilliores habebimus aduerſarios, & eorum terra potiemur: atq; alij tributum pendent, coronaſq; mittēt, iam metuentes militum multitudinem. Polyæn. lib. 4.

ATHENIENSES in Potidæa habitātes, cùm pecuniis ad pāgendum bellum indigerent, inſtituerunt, ut omnium facultates deſcriberētur, quæ apud unumquenq; in populo confuſæ inordinatæq; erant: ſed & quo in loco unaquæq; poſſeſſio erat, ut pauperes poſſent erogare. Cui autem poſſeſſio deerat, corpore condemnabatur. Itaq; ab illis quod deſcriptum fuerat, unuſquiſq; ciuitati ſaluum afferebat. Ariſtoteles in Oeconomicis.

Penſionem pecuniæ collatæ à ROM. in bellum Macedonicū, priuatis ſolui placuerat. etenim ſatius eſſe, quanquam in ſumma ærarij penuria, fidem publicam unicuiq; ciui Reipublicæ mutuanti & opitulanti conſeruari, quàm hoſtem uincere. Igitur Q. Fabio Labeoni, & L. Aurelio Quæſtorib. urbanis uiſum eſt, ab omnibus Sacerdotibus hanc pecuniam exigi commodius eſſe, quòd ſtipendium nullum hoc toto ac tanto bello contuliſſent: quàm à cæteris, quorum iam pars maxima oneri ferendo eſſe deſiiſſet. Sic magna cū Curionibus, Flaminibus, Auguribus, Saliis, Fœcialibus, Pontificibus, aliiſq; hoc genus hominibus, contentio atq; altercatio fuit: dum hi antiqua ſua & ſacroſancta priuilegia atque immunitates uel à Numa ipſo, primiſque Conſulibus identidem repeterent: Quæſtores ex aduerſo, neceſſitatem eos iuberent accuſare, cæterum aut conferre, aut multā pati. Ergo Tribunos appellarunt. Pronunciatum eſt, ſacerdotes nequicquam Tribunos appellaſſe, omniumq; annorū, per quos non dederant, ab iis ſtipendium exactum eſt. Liuius libro 3. Decadis 4.

VENETI bello contra Fran. Sforciam Mediolanenſium principem ſuſcepto, ad bellorum ſumtus perferendos ſenatuſconſultum fecere, ut urbani peregriniq; magiſtratus, iudices, ſcribæ, cæteriq; inferiores ordines magiſtratibus ipſis ſubiecti; qui publicum aliquo modo ſalariū mererent, reipub. uectigales eſſent: & ut patricij magiſtratus poſt annuū munus (etenim ſuum cuiq; in id tempus eſt præmiū adſcriptum) gratuitam reipubl. operam in ſex proximos menſes impenderent. Sab. lib. 7. Dec. 3. Eandem tributi rationē bello contra Maximilianum Imp. in recuperanda Vicetia ſunt amplexi. Bembus lib. 7. & 9. Hiſt. Venet. Bello contra Ludouicum XII. ab iiſdem latum eſt, uti exules illatæ fortuitò mortis cauſa, qui unà cum quatuor bello idoneis hominibus militiam reipub. menſes quatuor ſua pecunia fecerint, ab exilio reuocentur. Bembus lib. 7. Hiſt. Venetæ.

Bello contra Baiazetem Turcorum regem omnium, quæ VENETI cum Turcis unquam geſſiſſent, maximum & formidoloſiſſimum, aucta urbis uectigalia ſunt parte ex tertia, uini, panis, carnis, portoriis tantūmodo exceptis: atq; uti magiſtratus omnes urbani prouincialeſq; mediam ſtipendiorum partem unius anni reip. remitterent, lex lata: cautū tamen, ne quadraginta uiralia iudicia ea lege tenerentur. Lecti etiam uiri, qui cenſum ciuibus omnibus pro cuiuſq; opibus decernerent, ea conditione, ut is quem decreuiſſent, reip. à quoq; ciue cenſus donaretur, ſi auri ſemunciam non excederet: ſupra id mutuò erogaretur: neq; tamen auri libras tres ullius ciuis cenſus poſſet excedere. Simul, quòd terreſtres etiam copias ex Gallorum regis fœdere Senatus contra Ludouicum Sforciam Mediolanenſem principē in Galliam mittere tenebatur, lex eſt lata, ut quæ ciuitates ſub reip. imperio in continenti eſſent, iis literæ darentur, uellēt pro ſuo in rempubl. ſtudio, tam difficili eius tempore ſubſidij nomine pecuniam publicè ad urbem mittere: ſua cuiq; ciuitati dicta & conſtituta ſumma: Patauinis auri libris centum, Vicetinis octoginta, Veronenſibus totidem, Brixianis centum uiginti, Bergomatibus quinquagintaquinq;, Taruiſanis quinquaginta, Cremenſibus uiginti. Alexander VI. Pont. Max. omnium prouentuum, quibus ſacerdotes in imperio reipubl. fruerentur, partem plus tertiam in id bellum aduerſus Baiazetem Venetis conceſſit: Cardinalium ſacerdotiis exceptis. Quinetiam pecuniam ſacram, quam homines in imperio Veneto, ut criminibus & maleficiis obnoxij, poſt mortem apud inferos pœna liberarentur, conferrent, inſumendam permiſit. Pecuniæ ſacræ ſumma (ut intelligi poſſit, quanta quamq; ardens eo tempore fuerit in hominum mentibus religionis exiſtimatio) fuit libræ ſepties centies & nouies, eoq; amplius. Bembus lib. 5. Hiſt. Venetæ.

VENETVS ſenatus bello cōtra Maximilianum, cùm uideret multò maximam eſſe in urbe copiam eorum ex plebe ciuium, qui aliquo reipublicæ munere fungerentur, quo in munere aut ſtipendij menſtrui, aut quotidiani quæſtus nomine lucrum facerent: ut ij quoq; aliquid, neq; id tamen ſine compendio, tam anguſta pecuniæ publicę procuratione in ærarium conferrent, rogationē iuſſit: qui è plebe ciuis munus perpetuum à republica obtineret, ſi decuplū ſtipis annuæ, aut ſi ea non ſit, lucri ſummam, de qua apud magiſtrātum conſtet, reipublicæ intra dies quindecim curauerit, id omnino munus ipſo mortuo aut filius, aut nepos, aut frater eius cōſequatur, aut is, quęcunq; ſibi ipſe eius muneris hæredem inſtituerit. Quibus autem ſua ſint ad tempus munera, iis octuplam ſtipem ærario inferentibus, ea uiuis munera eripi non poſſint. Eodem bello ſciuerunt, ut mediis domorum fructibus, qui ex locationibus proueniunt, æquam partem inquilini omnes in ærarium inferrent: exceptis iis, qui eo bello ab hoſtibus reipublicæ domo ſua pulſi, ſe ad urbem recepiſſent: atq; iis, quorum fructus decimam unciæ partem non excederent. Bembus libro 10. & 12. Hiſtorię Venetæ.

Quum anno MDXXXI. Solymannus Turcarum Imp. Pannoniam repeteret: exhauſto pontificij imperij ærario, in SEN. Cardinalium decretum eſt, ut quinq; decumæ ſacerdotiis imponerentur. Quæ res minores ſacerdotes, ſacrataſq; uirgines, & ſacras hoſpitales domus uehementer afflixit. Nam exactores cum imperio in prouincias emiſſi, dum priuato quæſtui ſtuderent, incredibili acerbitate, humana & diuina omnia perturbabant: adeò ut pleriq; ſacerdotes tēpla deſererent, & paſſim ſacrata uaſa & antiqua donaria conflarentur: erant & qui prædia dicata altaribus uenditarent, ut decumæ ſoluerentur. Neq; honeſtiſſimus ſacri belli prætextus, ac extrema propè neceſſitas inuidiam leniebat: quoniam Cardinales, qui opima ſacerdotia poſſiderēt, immunes euaſerant: quaſi illis ad tuendam Romanæ aulæ amplitudinem, de ſolito uitæ ſplendore nihil remittere moderariq; liceret, quum ex aduerſo pleriſq; egentibus ultima uitæ alimenta raperentur. Iouius lib. 30. Hiſt.

ALEXANDER VI. Pp. in uſum belli Gallici, pecuniam omnē, ſedis apoſtolicæ auctoritate in Hiſpania, belli ſacri, quam Cruciatam uocant, nomine coactā, Neapolitano regi conceſſit: quā pecuniam in alios uſus, quàm contra religionis Chriſtianæ hoſtes, nefas erat inſumere. Guicciard. lib. 3.

Franciſcus I. cum LEONE X. Florentiæ congreſſus eſt. Regi conceſſum, ut citeriore ac ulteriore in Gallia ſacerdotiorū redditus binis exactionibus decumaret, & contrà permittente rege Pragmatici iuris prærogatiua tolleretur: qua ſacerdotia, tota Gallia, collegiorum arbitrio adiudicari conſueuerunt. Sabel. Supplem. lib. 6. ex Iouio.

Bello Germanico, quod contra Proteſtantes CAROLVS V. anno MDXLVI geſſit: Paulus III. Pontifex Cæſari permiſit, eo anno dimidiam partem bonorum eccleſiæ per Hiſpaniam ſumere, & ex annuis prouentibus monaſteriorum Hiſpaniæ diuendere, donec ad aureorū millia quingenta conficeret: & hæc quidē omnia belli tantùm huius gerendi gratia, uerùm ea lege tamen, ut de ſuis bonis tantundem illis inuicem oppignoraret. Sleidanus lib. 17.

*Theſauris uel ſacris uel profanis.*

☞ *Conſule Tit. ſuperiorem, Mercimoniis comparare, quatenus theſauri uenduntur.*

ANTIMENIDES theſauros, qui per uias regias continebātur, iuſſit præfectos implere ſecundùm legem regionis. Cū uerò exercitus aut turba alia abſq; rege indiguiſſet, uendebat ea quæ erant ex theſauris, aliquem ad eos mittens. Ariſtoteles in Oeconom.

C. MARIO & Cn. Carbone Conſulibus, bello ciuili cum L. Sylla diſſidentibus, quo tempore non Reip. uictoria quærebatur, ſed præmium uictoriæ res erat publica: ſenatuſconſulto aurea atq; argentea templorū ornamenta, ne militib. ſtipendia deeſſent, conflata ſunt. Val. lib. 7. c. 6.

L. SYLLA Athenas oppugnans, pecuniæ indigus, ex omnib. illuſtribus templis & oraculis, quæ in ea terra erant, iuſſit ad ſe donaria ſacraſq; pecunias deferri, atque in Delphicis theſauris expilandis cauillo uſus. Nam quum inde ſignificaretur auditam eſſe in templo dei citharam, tantū abfuit, ut ex ea re ulla ſit religio homini incuſſa, quòd ad Caphim, quem ea de cauſa Delphos miſerat, quiq; ea per literas ſignificabat, reſcripſerit: mirari ſe, quid eſſet quòd Delphicā pecuniam non auderet attingere, ad quam tollendam ipſe deus hilaris, atq; citharæ concentu inuitaret. Sabellicus libro 3. Enneadis 6.

Bello ciuili C. IVL. Cæſar ærarium recluſit. Id ne fieret, L. Metellus Tribunus plebis nonnihil obſtitit, quoad iratus Cæſar, An ignoras, inquit, adoleſcens, difficilius eſſe mihi dicere quàm facere? Appianus auctor eſt, ſanctiores theſauros, & qui execratione interpoſita, ad tumultus & bella Gallica propulſanda intacti manſerāt, diripiēdos militi datos à Cę-


ſare,

ſare, identidem prædicante, uictis à ſe Gallis illam maiorũ execrationem non timere amplius. Sab. lib. 7. Enn. 6.

HERACLIVS Imp. contra Perſas pugnaturus, cùm neq; copias, quæ hoſtib. pares forent, neq; pecuniam haberet: Aurum & argentum ex magna eccleſia Conſtãtinopolitana & aliis ſacris ædibus mutuatus, ſignari pecuniam fecit: & nouo delectu facto, in expeditionem ex urbe cum ipſis egreſſus eſt, poſt celebrationem feſti Paſchæ. Cuſpinianus.

PETRVS Aragonum rex XI. eo bello quod aduerſus Petrũ Regem Caſtellanorum geſſit, Barcinonam uaſis omnib. aureis & argenteis aliiſq; precioſis rebus euacuauit: & argentea quidem uaſa cuncta conflauit in regales argenteos ſigno ciuitatis impreſſos: ex aureis uerò florenos percuſſit, cum ſigno lilij floris & imagine S. Ioannis, ut ſunt aurei Florentinorum. Quod monetæ genus primùm Barcinonæ cœptum, poſtea Valentiæ, Maioricis, & Perpignani fieri iuſſit. Marineus lib. II. rerum Hiſpan.

FERDINANDVS Aragonius, Neapolitanus rex, cùm templum S. Angeli in monte Gargano Apuliæ religione & opibus auguſtiſs. expugnaſſet, anno MCCCCLXI. aurũm & argentum omne à ſcribis notatum in ærarium retulit. Idq; omne parta uictoria in templum curauit referendũm, ſingulaq; reſtituit in ea qua fuerant antequam in numos conflarentur forma. Diripiendi cauſa fuit tum pecuniæ inopia, tum metus, ne Ioannes Renati Andegauenſis F. eo ſi superueniret potiretur. Pontanus lib. 2. Belli Neapolitani.

CLEMENS VII. Pont. quum expugnata ab exercitu Caroli V. Roma, etiam arcem conſumtò commeatu, in quam confugerat, Cæſarianis dedidiſſet, & ex pacto militi ſtipẽdium perſoluendum eſſet: conflauit argentum omne, & aurea uaſa ſacrificiis dicata, ut inde diuidenda militibus pecunia cuderetur. Quæ quum ſatis eſſe non poſſet Cæſarianis ducibus, purpurei galeri tres conceſſi, ut illis licitãtibus, qui fœda ambitione corrupti, ad ſenatoriam dignitatem aſpirabant, aurum proferrent. Eo modo ad haſtã propoſitis, emtores non defuére. Nec tamen miles expleri potuit, quum non menſtrua, ſed annorum aliquot ſtipendia flagitarent. Iouius in Pompeio Columna.

Obſeſſi grauiter à Cęſarianis FLORENTINI, ut militi ſtipẽdium expedirent, ſuaſu Franciſ. Carduccij dictatoris è fanis cuncta donaria ſublata ſunt & uendita: inter quę, pręter auream crucem prægrandibus gemmis ornatam, quæ erat in delubro diui Ioannis, etiam fuit mitra inſignis precioſiſſimis redimita gemmis, à Leone X. pontifice templi maximi altaribus dicata. Sed nemo ferè reperiebatur, qui ea ornamenta profanis manib. attrectare uellet: & Bernardus Baldinus gemmarum æſtimator peritiſſimus, id officiũ ſe præſtare poſſe pernegabat, niſi alienis manibus detractæ gemmæ ipſi æſtimaturo proferrentur. Sed in mora nõ fuit Leonardus Bartholinus, qui ſacrarij armaria, ſublatis auidè donariis, uel inhorreſcente trementeq; æditũo perfregit. Sunt etiam xenodochiorum, hoſpitaliumq; domorum, & templorum prædia confiſcanda uenundandaque propoſita, & non comparentibus emtoribus, ea locupletibus ſub pœna maieſtatis coemunda addicta. Idem Carduccius matronas nuptialibus ornamentis, ſingulaſq; familias uetere argenti atq; auri ſupellectile ſpoliandas cenſuit, ueterũ Romanorũ exemplo, quum extremis Punici belli caſibus matronæ dites generoſa propenſione omne aurum & argẽtum ex ſuo mundo, ut pecunia cuderetur, in ærarium detuliſſet. Iouius libro 27. Hiſtoriarum.

*Frugalitate & Parſimonia.*

LACEDÆMONII, Samiis rogitantibus pecuniam eis ad regreſſum dari, conſilio decreuerunt unam diem & ſe & ſeruos & iumentalia ieiunare: & quantum expendiſſet quiſque, tantum dare Samiis. Ariſtot. in Oecon.

*Agrorum locatione.*

Magnus MOSCORVM Dux ingentem exercitum longo tempore ſuſtentare poteſt. neq; enim militibus ſuis ſtipendia largitũr, ſed agros illis exiguo precio elocat, quo beneficio operam militũ demeretur. Guagninus c. 3. Moſcouiæ.

*Numiſmate adulterino.*

TIMOTHEVS bellum gerens aduerſus Chalcidenſes, unà cũ PERDICCA, Cypriũ æs Macedonico numiſmate permiſcens, inſigne percuſſit, quod priſtinas quinq; drachmas ualore exæquaret: eius quarta pars conſtabat argento; reliquum ære uitioſo. Ad hunc modum abundans ſtipendiis, perſuaſit mercatoribus, & eius regionis incolis, ut ære uenditiones emtioneſq; contraherent. Sic mutuò res commutantes, nihil ex illo numiſmate retinuerunt, ſed illud quaſi circuitu quodam in militare ſtipendium rediit. Polyænus lib. 3. & 4. & Ariſtot. in Oecon.

IDEM cùm in Atticis caſtris maxima eſſet numi raritas, ſuaſit mercatoribus, ut ipſius ſigillo pro numiſmate uterentur: diſcedentes uerò, ſigillum & argentum acciperent. Crediderunt mercatores, & forum militibus præbuerunt ob ducis ſigillum. Diſcedentibus ipſis, ad extremum abundans pecuniis Timotheus, conſtitutum precium perſoluit. Idem.

CLAZOMENII ære preſſi alieno, percuſſerunt numum ferreum, qui argenti haberet rationem, XX talentorum: deinde dantes ditiſſimis ciuitatis, cuilibet ſuo ordine, argẽtum ab illis receperũt ęquale. Quare priuati habuerunt ad quotidianos uſus impenſas, & ciuitas à debito fuit liberata. Secundum uerò ex prouentibus illis fœnus reſtituerunt, ſemper diuidentes unicuiq; in parte dabant, illi autem ferreos numos reportabant. Ariſtot. in Oecon.

ROMANI bello Punico primo, cùm impenſis Reſp. non ſufficeret, libræ æris pondere imminuto, quinq; partes lucrifecere, æſq; alienum diſſoluere. Poſtea Annibale urgente, Q. Fabio Maximo dictatore pondus iterum imminuit, & dimidium lucrata eſt Reſp. Plin. 33. c. 3.

Bello Granatẽſe, ENICVS Lupides Comes Tendillanus, dux inſignis, qui Alamæ urbi præerat, in ſumma rei pecuniariæ deſperatione, à rege Ferdinando & Iſabella decreta iam ſtipendia ſimulabat ſe in horas ſingulas ſpectare, & ut bono animo forent, hortabatur, pollicebaturq; ſe daturũ interea non ueras, ſed imaginarias pecunias, quibus inter ſe rerum uenalium commercia exercerent, fide ſua interpoſita, umbratiles illas pecunias ueris ſe redemturum. Ex charta igitur panucea fecit ſchedulas ſua manu atq; ſubſcriptione ſignatas, quibus impoſuit nomina, precium quantum quęq; ſit ualitura, quaſdam uocans numos aureos, quaſdã argenteos, quaſdam æreos, & in uno quoq; genere plures differẽtiæ, puta aſſis, ſemiſſis, trientis, quadrantis. Iuſſit ut nemo ſuppoſititias illas pecunias recuſaret. Ex illis fictitiis pecuniis ſtipẽdia militibus perſoluta ſunt, & per illas emtiones uẽditioneſq; factæ. tanta fuit Comitis auctoritas atq; reuerẽtia. Nebriſſenſis Dec. 2. lib. 3. c. ult.

Aſiatica expeditione ſacra, quum VENETORVM claſſis Tyrum obſidens procul domo eſſet, pecuniæq; defectu ſtipendium reddi nequiret remigibus & ſociis naualibus, ex loro pecuniam publica nota ſignaſſe DOMINICVS Michael dux traditur, quam pro aurea & argentea certis diſtinctam characteribus, in ſtipendium naualibus numerauit turmis, pollicitus fore, ut mox domi pro alutinis aurei & argentei pari numero habentibus repræſentarentur numi. Atq; ita poſt reditum publica eſt omnibus fides perſoluta. Quæ res ut monumentũ eſſet ad poſteros, aurei numi dicuntur gentilibus ſignis ab eo illati. Sabel. lib. 4. Ennead. 9. & lib. 6. c. 8. Exemplorum.

GALLI à Venetis & Sfortianis Nouariæ obſeſſi, quum ſumma pecuniæ inopia laborarent: æreos denarios pro argenteis à duce ſuo accipiebant, data fide, totidẽ argenteos perfecto bello accepturos. Iouius lib. 3. Hiſt. & Bembus libr. 2. Hiſtoriæ Venetæ.

*Præda, & Captiuorum λύτρεις.*

CIMON Miltiadis, rebus ſuis geſtis inter pocula commemoratis, hoc unum cõſilium ut ſolertiſſimum propoſuit. Cùm magnum numerum Barbarorum, qui capti Seſti & Byzantij fuerant, ſocij denunciaſſent Cimoni, ut diuideret: atq; illehinc captiuos, illinc quæ illi gerebant corporibus ornamenta poſuiſſet: iniquam partitionem queſti ſunt. Ibi iuſſit ille eis, alterã portionem ſumerent. Quam ipſi reliquiſſent, ea fore ait Athenienſes cõtentos. Auctore Samio Herophyto, ut res Perſarum præ Perſis deligerent, illi ornamenta cepêre: Athenienſibus reliquerunt captiuos. Atq; in pręſentia quidem ridiculus diuiſor habitus Cimon eſt: quòd ſocij aureas armillas, catellas, torques, candyas, & purpurã ferrent: Athenienſibus uerò nuda cederent corpora malè ad laborem comparata. Verùm breui pòſt captiuorũ amici & propinqui ex Phrygia & Lydiã uenientes, ſingulos grandi precio redemerunt. Vnde claſſem quatuor menſes aluit, inſuperq; non parum reipubl. ex redemtione illorum ſuperfuit auri. Plut. in Cimone, & Polyæn. lib. 1.

CYZICENIS ad inuicem diſſidentibus, ſuperior euaſit populus. Itaq; diuitibus captis, ij qui debebant pecuniam militibus, ſtatuerunt non interimere captos: ſed ubi pecuniã dediſſent, expellere. Ariſtot. in Oeconomicis.

PHILIPPVS rex Macedonum, quum Byzantina obſidio in longum traheret, nec haberet unde exercitum uni urbi aſſidentem aleret: maris latrocinio aliquãdiu ſtipendij inopiã leuauit, CLXX. nauibus merce onuſtis, aut hoſtiliter direptis, aut ne uexarentur, ad libitum expilatis. Sabellicus lib. 3. Enneadis 4.

AGESILAVS in Aſia contra Tiſaphernem militans, ſimulata in Cariam expeditione, iuſſiſq; urbibus commeatum comparare, quum omnes hoſtium uires callida belli ſimulatione eò deflexiſſet: ipſe in Phrygiam repẽtè impetum auertit, ſociorumq; copiis in itinere aſſumtis, multas hoſtiũ urbes improuiſo acceſſu ui cepit, captas diripuit. Ditatus eſt breui uniuerſus exercitus, multiplici hoſtium prædã, & equitatus



frequens quæſitus, quum ab initio nullus eſſet. Exercitu dein Epheſum reducto, omnes copias militari meditatione exercuit: forum interea armis equiſq; uenalibus plenum: Aerarij fabri, Coriarij, Fullones certatim bellica parabant arma: ita ut uerè à quibuſdã urbs ipſa per id tempus ſit Martis officina nuncupata. Sab. lib. 9. Enn. 3.

TIMOLEON Corinthius, diſſoluta Dionyſij tyrannide in Sicilia, cùm rei pecuniarię indigentia laboraret, ut militibus, quos conduxerat, ſtipendia minùs poſſet perſoluere: ducibus qui ad hoc idonei uidebantur, mille armatos dedit, iniunxitq;, ut in Carthaginenſium prouinciam excurſiones facerent. Hi latiſſimam terram populati, cum præda ingenti redierunt ad Timoleontem. Qui facta auctione, pecuniam magnam recepit, indeq; militibus, multi temporis ſtipẽdio dato, ſatisfecit. Diod. lib. 16.

COTYS Thrax petebat à Perinthiis ſibi mutuò dari pecunias, ut ſuum congregaret exercitum: Perinthij uerò illi dare recuſarunt. Tunc eos rogauit, ut uiros è ciuibus ſibi darent ad cuſtodiam quorundam locorum, ut militum opera, qui nunc illa cuſtodirent, uti poſſet. Hoc cùm illi feciſſent, arbitrantes ſe futuros locorum dominos, eos Cotys in cuſtodia tenuit, pręcepitq; eam pecuniam dari, quam ab illis mutuò petierat. Ariſtot. in Oeconomicis.

## CONSERVANDO.

*Vide Tit. Milites animare metu paupertatis.*

Obſeſſo Patauio ab Imp. Maximiliani exercitu, VENETI aurum in ſtipendia militum nauiculis miſêre ad Medoaci oſtium, quod eſt ad Foſſam Clodiam. Ibi equites Epirotę ex oppido noctu emiſſi trecenti, eam ſtipem acceperunt, atq; inter ſe ita diuiſerunt, ut qui uelocioribus equis uterentur, eorum quiſq; eius pecuniæ partem ferret, ut ſi hoſtes in reditu eos adorirentur, reliqui prælium committerent, impetumq; ſuſtinerent: ij ſe fuga hoſtibus eriperent, atq; in oppidum contendere perſeuerarent. Epirotas autem equites Lucius Maluetius Bononiẽſis cum equitibus grauioris armaturæ ducentis, paucis eſt pòſt horis ſubſequutus, ut cum illis reuertentibus ſe coniungeret. Atq; ut hoſtes, ſi ſe adorirentur, eluderet, duos magnoperè ualentes mulos ſacculis arenæ plenis, ad ſpeciem atq; ſimilitudinem pecunię dorſo impoſitis, medio in agmine ſecum duxit: qui quidem muli magno ei uſui fuerunt. Hoſtes enim per exploratores de ea equitum profectione certiores facti, medio ferè in itinere ingenti equitatu circunfuſo ita ſe undiq; in Venetos redeuntes intulerunt, ut iis, qui ſtipendium ferebant, facultas fugiendi non daretur, ſed omnes peræquè ſeſe defendere, manuſq; conſerere cogerentur. Verũenimuerò ubi illos in mulis ſacculos medio in prælio uiderunt, eam illam eſſe prædam, quam petebant, rati, magna ſe pars ad eos capiendos conuertit, ut reliquis minùs negotij ad ſe defendendos relinqueretur. Epirotæ autem qui cum mulis erant, neq; numos ferebant, ut hoſtes longiſſimè ab reliquis abducerent, quemadmodum Lucius initiò cõſtituerat, fugæ ſe ſiniſtrorſum per campos unà cum illis raptim dederunt. Quos quidem hoſtes plura paſſuum millia conſequuti, tanta celeritate uti tamen non potuerunt, ut eos aſſequerentur, quoad emiſſus oppido equitatus ſaluti atq; præſidio illis fuit. Bembus libro 9. Hiſtoriæ Venetæ.

Antonius Leua Cæſarianorum dux, quum à Franciſco Gallorum rege Papiæ obſideretur: ad magnas rei numariæ difficultates redactus, emiſſis crebrò nunciis pecuniam à Piſcario, qui Laudi Pompeiæ erat, uehementiſſimè flagitabat. Intromittendæ uerò pecuniæ quum nulla omnino uia, portis ab hoſtium cuſtodia præſeptis, oſtenderetur: modum FERDINANDVS Daualus Piſcarius inuenit, quo militum animos Antonius uel inclinatos ad deditionẽ opportunè confirmaret. Transfugerant ad regem ueterani duo milites Hiſpani, Ciſnerius atq; Romerius, ſupplicium ueriti, quoniã inimicum notum militem in caſtris interfeciſſent. Hos Piſcarius per idoneos homines perpulit, ut eius homicidij noxã inſigni facinore ad certum nauatæ operæ præmium expiarent. Credebat transfugis rex Gallus, quos liberaliter ſuſceperat, quum ex captiuis eos perpetrata cæde ſuppliciũ effugiſſe didiciſſet. Ergo illi accepta fide, Piſcario operam pollicentur: & ex nocturna excurſione ad præſtitutum locum à Piſcarianis aurum accipiunt, id tunicis inſutum occultant: & poſtridie, quum à Ticinenſibus porta egreſſis quotidiana exercitatione certaretur, ad pugnę locum procurrunt: ſe ſe ſigno dato Ticinenſibus permiſcẽt, & intra portam cum mutua lætitia recipiuntur. Horum beneficio Antonius ſingulos aureos numos ſingulis Germanis militib. diuiſit: addiditq; peramplis promiſſis, auxilia breui ex Germania in Italiam peruentura. Quibus nunciis quum falſa ueris abundè permiſceret, milites ſolito alacriores ad ferenda obſidionis incommoda redditi fuere. Iouius in Piſcario lib. 5.

## SIMVLANDO.

*Conſule Tit. Seditionem Caſtrenſem prohibere, ne oriatur, ob non ſoluta ſtipendia. Simulationis enim finis illic per ſe perpenditur: hic per accidens tantum.*

# OPES NOSTRÆ NOSTRORVM'VE NE AB HOSTE diripiantur prouidere, aut iam direptas recipere.

ABRAHAMVS, cùm Lothum fratris F. à quinq; regulis (qui regem Sodomorum prælio uicerant, & opimam prædã ceperant) abduci audiuiſſet: uernas XIIX domi ſuæ natos expedit, & noctu hoſtes aggreſſus, ſuperauit ad Danem, & ad Damaſcum uſq; perſecutus eſt. Geneſ. 14.

Cùm DAVID Achim regem Gethæorum, à quo exulans ciuitate Siceleg donatus fuerat, in expeditione cõtra Iſraelitas ſequeretur: interea Amalechitæ, qui excurſionibus Dauidicis mirum in modum infeſtabantur, captata occaſione, Siceleg urbem expugnant, igni comburunt, omnes omnium ætatum captiuos abducunt: & inter eos quoq; duas Dauidis uxores, Achinoaman Iezraelenſem, & Abigaelẽ uiduã Nabalis Carmelitæ. Dauid ab Achi dimiſſus, conſulto Domino per Abiatharẽ Pont. Amalechitas ſumma feſtinatione inſecutus, Aegyptij cuiuſdam ſerui ductu, hoſtes incautos adortus, ad internecionẽ eos cęcidit, exceptis CCCC, qui camelis inſidentes effugerunt: prædamq; omnem cum uxoribus recepit. 1. Reg. 30.

PTOLEMÆVS poſteaquã corpus Alexandri inſepultum adhuc, rapuiſſet, & in urbẽ Alexãdri, ſitam in Aegypto deportaſſet: ei uerò iſtud Perdiccas per uim eripere conaretur: ille clàm facto ſimulacro, Alexandri effigiem referente, ueſte regia eam exornauit & entaphiis honorificentiſſimis: deinde in Perſicum currum impoſuit, ac feretrum magnificẽ auro, argento & ebore inſtruxit. Sed uerũ Alexandri corpus apparatu tenui præmiſit per uias occultas & inuias. Perdiccas igitur, cũ currum tam inſtructum uidiſſet, ueri Alexãdri corpus ineſſe rat⁹, rapuit, nec diu pòſt, ſe fallaciis circũuentum eſſe, cognouit. Aelianus lib. 12. de Var. hiſt.

Crœſo Epheſum oppugnãte, cùm turris quæ proditrix appellabatur cecidiſſet, & periculum coràm ob oculos cerneretur: PINDARVS qui imperium in urbe tenebat, conſilium Epheſiis dedit, ut per funes portas mœniaq; Dianæ templi columnis connecterent, atq; urbem uniuerſam deæ conſecrarent. Crœſus in honorẽ numinis, urbi quaſi anathemati pepercit: & cum Epheſiis, permiſſa eis libertate, fœdus pepigit. Polyænus lib. 6.

CROESVS Lydorum rex, cùm uideret Cyri milites per urbẽ Sardis captam diſcurrentes, percontatus eſt Cyrum, Quid agerent? Quumq; is reſpondiſſet: Diripiunt urbem tuam, opeſque tuas populantur. Nequaquam, inquit, ô Rex, nihil iam hîc rerum meum eſt: tuum eſt, quod diripiunt. Ea uox commouit Cyrum, ut ſuos à direptione reuocaret. Herodotus libro 1.

# HOSTES BENEVOLENTIA CONCILIARE. EX inimicis ſocios facere & amicos.

## PER QVOS. NEMPE PER *Epiſcopos, Sacros homines.*

Henricus Probus Vratiſlauienſium dux, THOMAM ſecundũ epiſcopum ſede exturbauerat, & bona eccleſiæ uſurpauerat, ſacerdotes omnes eiecerat. Diris deuotus, Caſimirum ducem, qui exules ſuſceperat, Ratiboriæ arcta premebat obſidione. Thomas collocutus cum ſuis, indignum eſſe dicens, exulum cauſa ita rem periclitari, induit pontificales ueſtes, & cum ſacerdotibus urbe egreſſus, ad hoſtilia caſtra profectus eſt. Venientes à longè conſpicatus Henricus, attonitus, & quaſi numine afflatus de papilione exiliit: & obuiam procurrens, ad pedes epiſcopi ſeſe abiecit, & culpam ſupplex deprecatus eſt: auguſtius quiddam humana ſpecie in uultu epiſcopi contemplatus. Benignè eum humo epiſcopus attollit, amplexatur, & exoſculatur non ſine lacrymis: certamq; ueniam, ſi eum factorũ pœniteat, pollicetur.

Deinde

Deinde in proximam ædiculam, diuo Nicolao dedicatam, ingreſſi, ſemotis arbitris inter ſe in gratiam redierũt: & Henricus quæcunq; epiſcopo & eccleſiis ademerat, reddidit cũ fœnore. Cromerus lib. 10.

*Mulieres.*

Romulo contra Sabinos pugnante, Sabinorum FILIÆ quæ raptæ fuerant, ex diuerſis locis accurrere. Hæ per infeſta arma & cadauera cum clamore & ululatu tanquam fanaticæ ad uiros & patres intulerunt ſe, partim infantes in ulnis geſtantes, partim crinibus reſolutis: omnes tamen blandiſſimis nominibus, hinc Sabinos, hinc Romanos appellantes. Confeſtim ſedauerunt utroſq;, atq; inter utranq; aciem datus eſt iis locus. Iam eiulatus ab omnib. pariter perceptus eſt, ſpecieſq; commouit eos: multo maximè Herſiliæ oratio, quæ Hoſtilio nupſerat, in obſecrationem & precationẽ ex diſceptatione & querimonia deſinens. Itaq; induciis factis procedunt ad colloquium duces. Interea mulieres ad parentes & fratres adducere uiros liberoſq;, reficere cibo & potu eos qui quærerent, ſaucios domum deportatos curare, oſtendere domi ſe præeſſe, quanta uiri in ſe indulgentia eſſent, quantaq; charitate & honore proſequerentur. Ita pax fit, ut quæ uellent mulieres, manerent apud eos, à quibus tenebantur, ab omni opere & obſequio præterquã lanificio immunes: communem haberent Romani & Sabini urbem: Roma urbs à Romulo, Romani omnes Quirites à Tatij patria uocarentur: regnum ducibus domi militiæq; conſociaretur. Locus ubi fœdus ictum fuit, hodie quoq; à coeundo Comitium uocatur. Plut. in Romulo.

ROMANI ad auertendam obſidionem urbis à Volſcis intentatam, Coriolanum per matrem Volumniam, & uxorẽ Veturiam flexerũt. Val. Max. lib. 5. cap. 4. Liuius lib. 2. Dec. 1. Polyænus lib. 8. Plut. in Coriolano.

*Legatos.*

Cùm ad Lampſacenæ urbis excidium ſummo ſtudio Alexander ferretur, progreſſumq; extra mœnia ANAXIMENEM Lampſacenum præceptorem ſuum uidiſſet: quia manifeſtũ erat futurum, ut preces ſuas iræ eius opponeret, Non facturum ſe quod petiſſet, iurauit. Tunc Anaximenes: Peto (inquit) ut Lampſacum diruas. Hæc uelocitas ſagacitatis oppidum uetuſta nobilitate inclytum, exitio, cui deſtinatum erat, ſubtraxit. Valerius Maximus libro 7. cap. 3. Pauſanias, & Suidas.

LEO Byzantius, auditor Platonis, Philippo contra Byzantiũ uenienti occurrens: Dic age, inquit, Philippe, quæ te cauſa trahit oppugnatũ noſtra mœnia? At ille: Amor, inquit, tuæ patriæ, quã ut potiar ueni. Leo excipiens: Atqui, reſpondit, non inſtrumento bellico, ſed muſico amantibus eſt opus. Quo dicto ducẽ à bello Byzantino auertit: cùm Demoſthenes multa ſuper hoc apud Athenienſes, Leo uerò pauca apud Philippum uerba feciſſet. Philoſtratus.

MEGACLES Meſſenius, eius Meſſanæ quæ in Sicilia eſt, Agathocli Syracuſiorum tyrãno rebus omnibus aduerſabatur, multoſq; Sicilienſes contra eum concitabat, iis qui eum de medio ſuſtuliſſent, ampliſſima munera promittẽs. Agathocles irritatus, Meſſanam oppugnare parabat, miſſoq; præcone, Megaclem à ciuibus expoſcebat. Megacles ultrò ſe ad tradendum tyranno obtulit, ſi legatus mitteretur. Decernentibus hæc Meſſeniis, accedens in caſtra Agathoclis: Ego uerò, inquit, & legatus ciuitatis nomine uenio, & moriturus. Sed antè de legatione cum amicis audias. Cùm Agathocles amicos conuocaſſet, in horum conſeſſu Megacles patriæ iura percenſens, ad extremũ inquit: Si ad excindendas Syracuſas expeditionem Meſſenij ſuſcepiſſent, utrum pro Syracuſiis, an pro Meſſeniis omnia faceres? Cùm ad hanc interrogationem ſubrideret Agathocles: amici qui præſtò erant, eum hortabantur, legato uerba facienti parceret. Ille depoſito bello, Megaclem ſaluum & incolumem domum remiſit, amicitiamque cum Meſſeniis fecit. Polyænus libro quinto.

Anno Mauritij XIII, cùm Caianus Auarum & Hunnorum & Sclauinorum rex Thraciam infeſtaret: PRISCVS Mauritij dux, quum non poſſet armis frangere, oratione flexit Barbarum. Miſit enim Theodorum medicum, qui hac oratione eum compellauit: Audi Caiane. Seſoſtris rex Aegyptiorum illuſtris & felix, opibus clarus, & inexpugnabili potentia plurimas & ingentes nationes ſeruituti ſubigens, hoc encomio elatus, currum aureum precioſiſſimis gemmis ornatum ſibi conſtruxit: cui inſidens, à quatuor regibus deuictis plauſtra ſubeuntibus ſe trahi paſſus eſt. Hoc uerò cum ſepius fieret, & celebri quodam feſtoq; die, ex quatuor iſtis regibus unus oculis conuerſis continuè retroſpiceret, & rotæ uolubilitatem intueretur: Seſoſtriſq; eum, cuius rei gratia tam frequenter oculos in rotam conijceret, percontaretur? reſpondiſſe is fertur: Cum ſtupore admiror rotã, cùm eam inſtabili modo ferri, atq; aliàs aliter uolui, & nũc quidem ſublimia demittentem, rurſus demiſſa ſublimantem conſpicio. Seſoſtris porrò, ubi dictum id intellexit, ſtatuit, ne illi poſthac currum traherent. His auditis, Caianus ſubriſit, & reſpondit, ſe pacem facturũ. Paulus Diaconus de Rebus Romanorum lib. 17. Nicephorus lib. 18. c. 29. At Cedrenus Soldano, qui ab Imp. Ludouico captꝰ fuit Capuæ, hoc tribuit. Alio item loco Cyro Perſarum regi.

Ob Ferrariam occupatam Clemens V. Venetis aqua ignique interdixerat. Ciuitas pontificis interdicto, cui ad tẽpus fuerat obnoxia, unius ciuis opera ſoluta eſt. FRANCISCVS Dandulus qui in Galliam ad eam culpam deprecãdam publicè acceſſerat, etſi ſerò, ad pontificis tamen conſpectum admiſſus, illuſtri exemplo priuatæ pietatis in patriam, publicæ in religionẽ, catena ferrea collo iniecta, ad eius menſam tandiu proſtratus iacuit, donec expugnata Clementis ira, ignominioſam notam patriæ ademerit: atq; ex eo fuit illi poſtea Canis cognomẽ inter ſuos, quia ut canis ad pontificiam menſam proiectus iacuiſſet. Nec fuit ingrata ciuitas, ſed data ſedulò opera eſt, ut is qui non multo priùs in tam ignominioſo accubitu uulgi opinione conſpectus eſſet, cultus ſummi honoris inſignibus conſpiceretur. Sabell. lib. 7. Ennead. 9. & Egnat. lib. 7. c. 2. & lib. 3. c. 3. & libr. 6. c. 2. & 4. Exemplorum.

*Captiuos.*

GALEACIVS Vicecomes uictoriam de Turrianis, Ioannis XXII. Pp. & regis Neapolitani auxiliis inſtructis, adeptus, quòd inexhauſtis rediuiuiſq; potentiſſimorum hoſtium opibus ſe imparem cerneret, ſæpeq; dimicando uires experiri, atq; inſtabilem fortunam toties laceſſere periculoſum arbitraretur: pacem ſibi omnino parandam conſtituit. Erat in cuſtodia Raimundus Cardonius dux hoſtiũ, uir ſolerti grauiq; ingenio præditus. Hunc idoneum exiſtimãs per quem à Pontifice pacem impetraret, carcere emiſit, uſqueadeò egregiè ſimulata fuga, ut duo ex intimis familiaribus inſigni nobilitate iuuenes Becalcius Landrianus, & Phœbus Contes, elabentem comitati, prodidiſſe cuſtodiam putarẽtur. Itaq; Raimundi opera iratum Pontificem ſibi conciliauit. Iouius in eius uita.

## QVOMODO. TVM

### IN GENERE.

PYRRHVS Epirotarum rex ante bellum hoſtes in ſuam ſententiam adducere conabatur, metu, cupiditate, uoluptate, miſericordia, conditionib. iuſtis, legitimis, utilibus, & quas præſtare facilè poſſent. Polyænus lib. 6.

### PRVDENTIA.

*Vide paulo antè, Per Legatos.*

TAXILES rex perhibetur Indiæ portionem obtinuiſſe Aegypto non anguſtiorem, pabulo autem lætam, fœcundamq; fructibus in primis: ac uir ipſe ſapiens fuiſſe, atq; cũ ſalutaret Alexandrum, dixiſſe: Quid bellis inter nos & prælio Alexander opus eſt, cùm neq; aquam nobis ademtum neq; uictum neceſſarium ueneris? pro quibus ſolis neceſſe habent homines ſani decertare. Reliquis opibus & facultatibus, quas uocant, ſi ego abundantior ſum, impertiar tibi libens: ſin inferior, non recuſo accipere abs te grato animo beneficium. Delectatus ea oratione Alexander, illumque complexus: An tu, inquit, pugna arbitraris ex tali ſermone & comitate colloquium fore immune? At nihil proficis: quippe contendam tecum, & depugnabo beneficiis, ne me ſuperes benignitate. Ac muneribus acceptis multis, datiſq; pluribus, deniq; mille talentûm argenti ſignati ei propinauit. Qua re torſit amicos acriter, ſed barbaros multos ſibi reddidit manſuetiores. Plut. in Alex.

Mortuo Theophilo Imp. Rex Bulgarorum per legatos denunciauit THEODORÆ uiduæ bellum. Cùm autem illa reſpondiſſet, fore ipſi ignominioſum, ſiue uincat, ſiue uincatur, propterea quòd cum femina pugnaſſet: à bello abſtinuit, & paulo pòſt Chriſtianam fidem amplexus, regionem illam quæ Ferrea dicitur, ac priùs Romanos & Bulgaricos fines diſtinguebat, & Debeltum interiacet, accepit habitandam. Zonaras Tomo 3.

### CASTITATE.

ALEXANDRVM Magnum traditum eſt eximiæ pulcritudinis uirgini captiuæ, cùm finitimæ gentis principi fuiſſet deſponſata, ſumma abſtinentia ita peperciſſe, ut illam ne aſpexerit quidem. Qua mox ad ſponſum remiſſa, uniuerſæ gentis per hoc beneficium animos conciliauit ſibi. Frontinus libro 2. cap. 11.

P. SCIPIO Africanus, cùm ſubegiſſet in Iberia urbem Phœniciam, & captiuorum ductores uirginem inſigni formæ elegantia præditã adducerent: patrem requiſiuit, eiq; filiã donauit. Qui cũ adferret munera, ea dotẽ puellæ dedit. Quotquot autem etiam aliæ uel uxores hominum ſummo loco natorum, uel filiæ, uel pueri ætate florentes caperentur, his



duos Romanorum moderatiſſimos attribuit ex ſenib. qui curam eorum gererent, & ſumtum captiuis pro dignitate ſuppeditarent. Scipionis continentia multas urbes Ibericas ad amicitiam & ſocietatem Romanorũ uolentes perduxit. Idem, & Front. lib. 2. c. 11.

DIOCLETIANVS Imp. cum XX millibus militum, innumera Perſarum agmina aggreſſus, Narſeum regem turpi fuga ſalutem quærere coegit, uxore eius ac filiabus potitus, ſumma eas pudicitiæ cuſtodia reſeruauit. Quamobrem Perſa ad pacem illectus cum Romanis fœdus icit, Meſopotamiã cum quinq; populis trans Tigrim reddidit. Auentin. libr. 2. Annalium Boiorum.

### LIBERALITATE, MVNERIBVS.

*Vide Tit. Imperatoris hoſtium fidem ſollicitare, quatenus auro beneuolentia comparatur.*

ANTIOCHVS rex Aſiæ, cùm urbem obſideret Hieroſolymam, Iudæis ad maximum illud feſtum celebrandum VII dies petentibus, non ſolùm eos conceſſit, uerùm etiam tauros auratis cornibus adornatos, magnamq; thymiamatũ & aromatum uim uſq; ad portas urbis cum pompa ſolenni deduci iuſſit: traditaq; illorum ſacerdotibus hoſtia, ipſe in caſtra rediit. Iudæi uerò regis benignitatem admirati, protinus à feſto peracto, in fidem illius ſeſe dederunt. Plut. in Reg. apophtheg.

IPHICRATES Lacedæmonios & Thebanos bellum inter ſe mutuò gerentes, in gratiam reducere conabatur. Argiuis & Arcadibus ſociis Thebanorum reſiſtentibus, mandauit quibuſdam militibus, ut Argolidem deprædarentur. Argiuis de eo quærentibus, profugos ipſorum aiebat auctores eſſe, & mox, quaſi transfugis occiſis, prædam illis reddidit. Proinde Iphicratem, tanquam benefactorem & amicũ coluerunt, & Thebanis, ut pacem facerent, perſuaſerunt. Polyænus libro 3.

M. BRVTVS poſt interfectum Cæſarem, Patarenſium urbem ſibi cernens reluctari, cùm feminas eorum captiuas teneret, has miſſas fecit ſine precio. Quæ ubi uiris & parentib. ſuis illuſtribus hominibus expoſuerunt, uirum Brutum eſſe moderatiſſimum & iuſtiſſimum, perſuaſerunt eis, ut cederent & traderent ei oppidum. Inde cæteri quoq; omnes Lycij in poteſtatem uenêre, in fidem ſe eius permittentes. Quem benignum, & præter ſpem experti ſunt indulgentẽ. Plut. in Bruto.

Obſidebat Marcliam ſeu Gibelterram urbem Albarus dux Ioannis Hiſpaniæ regis. MAVRI fame coacti, XII mulos ficubus onuſtos (cuilibet autem ficui numum aureum inſeruerant) in Albari tẽtorium per agaſonem egerũt, cum his mandatis, Expediréne putaret, arborem tam ſpecioſos fructus proferentem excindere, an conſeruare? Albarus igitur urbis conſeruandæ auctor regi fuit: bonos imitandos uinitores aſſerens, qui luxuriem tantùm uitium ferro auferant, ut fertiliores reddantur. Chalcondylas lib. 5.

MATTHÆO Magno Vicecomiti inter ſæua arma nato atq; educato nihil potius unquam fuit, quàm augere factionis opes, aduerſarios perſequi, & latè imperium proferre, etiã ſi id non facilè ſine cędibus atq; incendiis patraretur. Plura tamen ſe tectis conſiliis & occulta largitione, quàm ui & cruenta manu confeciſſe: & plura deniq; auro quàm ferro feliciter expugnaſſe diſſerebat: ut ſcilicet prodigis atq; ad inanem ſumtũ facilè effuſis, & natura pugnaciſſimis filiorũ ingeniis, utiles frenos imponeret. Henricum Auſtriacũ Cæſaris Rodulphi fratrem, ab inimicis aduerſum ſe è Germania in Brixianum agrum cum ingẽtibus copiis euocatum, multo auro aggreſſus auertit: pariq; felicitate Philippũ Valeſium, qui poſtea Galliæ regnum tenuit, pontificis impulſu formidoloſum exercitum ad Vercellas adducẽtem, multis legationum artificiis, magnis deniq; muneribus peruicit, ut amicus quàm hoſtis eſſe mallet, in Galliamq; rediret: quum Galeacius filius, pugnæ quàm pacis auidior, XX peditum & VII galeatorum equitum millibus tranſituro hoſti obiectis, quin prælij aleam ſubiret, paternis monitis ægerrimè paruiſſet. Iouius in eius uita.

### CLEMENTIA.

ALEXANDER Magnus Cathæos Indiæ populum ex deſperatione pugnantem, ad puberem uſque ætatem occidit, urbemq; eorum Salgalatam munitiſſimam ſolo æquauit. Fama peruenit ad Indos mala, Alexandrum latronum ac Barbarorum more belligerare. Qui mutare opinionẽ de ſe conceptam uolens, aliam urbem Indię cepit, obſideſq; accepit. Vnde cùm ad Pętam ueniſſet, urbem maximam ac populoſam, obſides ante aciem collocauit ſenes, pueros, mulieres. Illi cùm ſuos conterraneos & gentiles agnouiſſent, & Alexandri humanitatem ex effectis conſpexiſſent: portas aperuerunt, & cum gentilibus eum receperunt. Ea fama ſtatim diſcurrens, Indis perſuaſit, ut ſua ſponte Alexandrum acciperent. Polyænus.

Graui obſidione à Demetrio Antigoni F. premebantur RHODII. Coacta concione ſuadebant quidam, Antigoni & Demetrij imagines eſſe deturbandas: indignum eſſe dicentes, ſi obſeſſores æquè ac bene meriti honorarentur. Quib. indignatus populus, eos ut peccantes obiurgauit, & Antigoni honorum nullum ſuſtulit. In quo quidem ſuæ & gloriæ & utilitati pulcrè conſuluit. Illa enim magnitudo animi & conſtantia popularis iudicij, apud alios laudem conciliabat, apud obſeſſores pœnitentiam. Nam cùm Græcię urbes liberarent, quæ nullam erga benemeritos beneuolentiam exhibuiſſent, eam ſeruam reddere uidebantur, quæ in referenda gratia conſtantiſſimã ſeipſam re ipſa præſtabat. Præterea (ut multa præter opinionem fortuna facit) ſi urbẽ capi contigiſſet, reſtabat eis ad orandum ueniam ſeruatæ ab ipſis amicitiæ commemoratio. Diod. lib. 20.

HERACLIENSES in Ponto, ab Athenienſibus armis petebantur, quòd poſt Medicum bellum tributum pendere recuſaſſent. Malachus Atticæ claſſis dux, quum in terrã egreſſus agrum popularur, claſſe ſubita tẽpeſtate diſiecta, in hoſtico uiribus & conſilio deſtitutus, ad extremam rerum inopiam redactus, caſurus hauddubiè erat. Heracleenſes beneficij occaſionem honeſtiorem rati quàm ultionis, totum exercitum cum ipſo duce, commeatibus & auxiliis adiutũ, incolumem miſere, ſatis bello adeptos arbitrati, ſi qui hoſtes uenerant, hoſpites ſuis finibus excederent. Sabellicus lib. 8. Enneadis 4.

CASSANDER eodem tempore Salaminem oppugnabat, & cum Athenienſibus nauali prelio confligebat. Parta uictoria, omnes, quotquot cum Athenienſibus uicerat, ad Salaminios ſine redemtoriis preciis miſit. Qua re audita, qui Salaminem habitabant, freti humanitate Caſſandri, ſe ei dediderunt. Polyænus lib. 4.

HANNIBAL, uictis ad Thraſimenum lacum Rom. captiuos Latini nominis, & alios Rõ. ſocios benignè appellatos ſine precio dimiſit, iuſſitq; eorum principes qui in pugna perierant ſepeliri, & ut ſaucij diligenter curarentur, dedit operã: teſtatus ueniſſe ſe, non ut Latinis & cæteris Italiæ populis bellum inferret, ſed ut ſuperbiſſimo Romanorum dominatu Italiam liberaret. & hæc Pœnus ad conciliandam clemẽtiæ famam, quum fero alioqui & immani eſſet ingenio. Sabellicus lib. j. Ennead. 5. ex Liuio.

P. SCIPIO, cùm Haſdrubalem Carthaginenſium ducem ſuperaſſet, Maſiniſſæ nepotem in bello captum auo remittendum curauit. Ex quo poſtea eundem ſibi perpetua deuinxit amicitia. Sabellicus lib. 1. cap. 4.

C. IVL. Cæſar in Iberia ad Ilerdam agebat. Factis induciis, hoſtes ex improuiſo multos milites adorti proſtrauerunt. Ipſe uerò quos illorum in ſuis caſtris inuenerat, ſaluos dimiſit, magnumq; fauorem hoc facto apud milites cõſecutus eſt. Polyænus lib. 8.

IDEM Pompeio bellum denunciante, cõtrà denunciauit, eos qui neutros ſequerẽtur, ſe amicorum numero habiturum: & his qui ſibi auxilium ferrẽt, periculum propulſaturũ. Idẽ.

Auſpiciis DOMITIANI Germanico bello, quod Iulius Ciuilis in Gallia mouerat, Lingonum opulentiſſima ciuitas, quæ ad Ciuilem deſciuerat, cùm aduenïente exercitu Cæſaris populationem timeret, quòd contra expectationem inuiolata nihil ex rebus ſuis amiſerat, ad obſequium redacta, LXX millia armatorum tradidit ei. Front. lib. 4. c. 3.

Claſſis Iuſtiniani contra Totilam miſſa, ubi Neapolim appropinquauit, uehemẽti ſuborto uento, ad litus eiecta eſt, in quo hoſtes ſtationem habebant. itaq;, irruentibus eis, omnes aut occiſi, aut capti, aut demerſi ſunt. Demetrius præfectus equitum inter cæteros in poteſtatem peruenit. TOTILAS rex Demetrium reſte collo implicita ad muros urbis adductum, monere Neapolitanos iuſſit, ne inani ſpe auxilij ſuſtentati obſidionem diutiùs paterentur, ſed ſtatim urbem dederent, & ſe tot ærumnis eriperent. neq; enim Imperatorem ulla poſthac ſubmittere ſubſidia poſſe, & cum hac claſſe uires eius omnes infractas eſſe. Neapolitani rerũ neceſſariarum inopia conflictati, ac Demetrium tam indigna patientem conſpicati: ſpe omni ſalutis abiecta, ſeſe ad luctum & complorationem uerterunt. Qua re animaduerſa, Totilas iis, qui erant in propugnaculis, euocatis dixit, Se ad eos ueniſſe, non ut crimẽ eorum aliquod uindicaret, ſed ut eos ſeruitute eximeret: ſe in eorum etiam gratiam Cononẽ præfectum urbis, & cæteros milites dimiſſurum, ſi, tradita ſibi urbe, diſceſſerint. Neapolitani XXX dierum ſpaciũ ad deditionem faciendam petierunt: quo tranſacto, neq; ullo ſubſidio miſſo, urbem ſe tradituros ſpoponderunt. Totilas, ut ſpem auxilij omnem prę̨cideret, trium menſium ſe daturum oſtendit, dum modò pactis ſtarent. quæ ſi fallerent, protinùs ſe muris oppugnationẽ, à qua adhuc temperauerat, admoturum. His pactis, Neapolitani, quòd famem tolerare non poſſent, non expectato ſpacio, Totilam cum Gothis in urbem receperunt. Sigon. lib. 19. Imp. occid.

Laurentius, Hungariæ Palatinus, cùm diceret, Imprudenter agere SIGISMVNDVM Imperatorem, qui uictis hoſtibus nō ſolùm uitam & opes relinqueret, ſed etiam eos inter amicos reciperet, extolleretq;: Tibi, inquit Sigiſmundus, uidetur utile, inimicum occidere, neq; enim mortuus bellum excitat: at ego inimicum occido, dum parco: & amicum facio, dum extollo. Aeneas Syluius lib.3. comment. de Rebus geſtis Alphonſi.

ALPHONSVS Aragonūm rex, cùm expugnatis urbibus humaniter hoſtes omnes dimitti mandaſſet, reprehēſus à ſuis ducibus, qui omnes interficiendos putabant, reſpondit: Nihil magis aduerſariorum animos flectere atq; conciliare, q̄ placabilitatis & manſuetudinis nomen. Panorm. lib.3. de Rebus geſtis Alphonſi.

### ☙ HVMILITATE, PRECIBVS, SVPplicatione.

L. ANTONIVS, Marci Antonij Triumuiri frater, circumſeſſus Peruſij ab Octauio, fruſtraq; non ſemel tentata eruptione, cùm fame iam conficeretur exercitus, communicato priùs conſilio cum primoribus, nulla impetrata fide publica, ad Octauium decreuit cum paucis admodum proficiſci. Quē proficiſcentem cùm intueretur Octauius, & ipſe obuiā profectus eſt uenienti. Ibi Antonius omnē in ſe conuertēns culpam, nihil pro ſe omnino deprecatus eſt, uerùm tantū pro exercitu: ut & pœnam à militibus auerteret, impetrata uenia, & ipſe amicè acceptus ab Octauio fuerit.

TRVDELVDIS, Hiſpani Deluis Delphorū ducis uxor, habēs filiam iam nubilem, ut intellexit aduerſum ſeſe cum exercitu pergere Baiazetem IV. Turcorum regem: cum filia, muneribuſq; quàm potuit acceptis maximis, regi obuiam proceſſit. qui filiam lubens aſſumſit, eamque ſimul cum matre ſuis moribus ritibuſq; uiuere permiſit. Chalcondylas lib.2.

Ludouicus II. Imp. Capuam, quæ ad Grecum Imp. defecerat, arcta obſidione premebat. CAPVANI deſperatis rebus, urbis epiſcopum adeunt, rogantq;, ut accepto diui Germani epiſcopi corpore in pheretro, ante caſtra Imperatoris, ſubſequente uniuerſa plebe, ueniam defectionis impetret. Delatum eſt itaq; inſigni pompa corpus S. Germani, cuius animam uenerabilis pater S. Benedictus in ignea ſphæra ab angelis in cœlum deferri olim uiderat, ad Ludouici Imperatoris tentorium. Fuſæ illic preces & lacrymæ ad pientiſſimum Imperatorē. Qui cùm eſſet naturâ pius clemēſq;, miſericordiam illis largitus, delictorum ueniam indulſit. Cuſpinianus.

### ☙ HVMANITATE.

Cùm Phraati Parthorum regi bellum Pompeius indiceret: hoſtis potentiam ueritus PHRAATES, Pompeium non contemſit, ſed literas humanitatis ac beneuolentiæ plenas reſcripſit: in quibus ſua in pop. Rom. beneficia enumerauit. Quibus lectis, Pompeius regis beneuolentia motus, non tantū à bello ſuſcepto deſtitit, ſed ne Tigrani quidem, cui Parthi bellum inferebant, auxiliatus eſt: atq; contra Phraatem nihil unquā hoſtiliter admiſit. Dion Nicęus in Pōpeio.

HENRICO I. Imp. parebāt principes Germaniæ omnes. Solus Arnoldus Malus Bauarię princeps, rebellis erat. Contra eum profectus eſt cum exercitu Henricus. Circa Ratiſponā ſtabant utrinq; milites accincti ad pugnam, & maxima ſanguinis Chriſtiani effuſio inſtabat. Henricus ſolus Arnoldū alloqui ſe uelle dixit. Et ille (licèt duellū ſibi putaret indici) haud renuit. Conuenientibus utriſq;, rex inquit Henricus, Deo omnium opt. ac maximo (cuius nutu mundus contremiſcit, à quo omnia in hoc orbe inferiore gubernantur) ſic ordinante, uniuerſus Saxonum, Thuringorum, Francorum ac Alemannorum populus me in regem, Conrado I. anteceſſore ſic ſuadente, elegit. Cui ordinationi temerè reſiſtis, & in præcipitium mittis tua. Ego, ſi Deus te regem uoluiſſet, obedientiam tibi promtus oſtenderem. His dictis, animum Arnoldi, alioqui malum, flexit. Cranzius lib.9. Saxoniæ, cap.2.

RODOLFVS Habſpurgenſis contra Abbatem S. Galli bellum gerens, cùm accreuiſſent interim duo ingentia bella alia, paucis comitatus & inermis, in monaſterium S. Galli ſponte (dum abbas cœnaret) uenit, menſæq; aſſedit: & inter cœnandum illi conciliatus eſt, adeò ut auxilia mutua contra hoſtes pollicerentur. Cuſpinianus.

CANVTVS, Erici Danorum regis filius, Nicolai Danorū regis auſpiciis Henricum Vandalorum principem fugabat in Lubecam ueterem: & (ut erat uir integerrimus & cordatiſſimus) ad Henricū adequitat, ſolis uiginti comitatus: & præmiſſo nuncio, eum ad amicum colloquium inuitat. Henricus adeſſe audiens Canutum, ad arma reſpicit, iam penè captum ſe putās: at dicto citiùs inermis Canutus ingreditur. Mox ruunt in amplexus mutuos (erant enim conſobrini: nā mater Henrici, ſoror fuerat Erici regis) miſcentur lacrymæ: & poſt mutuas uerborum querimonias, cauſam belli dirimunt: in eam ſententiam, ut Canutus Henrico argentū numerans, ab rege ſuæ partis acciperet hæreditariam portionem, Sleſuici dux factus. Cranzius lib.3. Vandaliæ, c.28.

STENO Sueonum rex opt. non paruum exercitum ad debellandum Iacobum archiepiſcopum Vpſalienſem, quòd Danis fauere uideretur, coegerat: nec minores copias archiepiſcopus habebat. Rex clàm ad archiepiſcopū in propinqua uilla Nees apud arcem Stecham commorantem acceſſit, & ſine arbitris cum eo in gratiam reuerſus eſt. Io. Magnus lib.23. cap.15.

ALMVS, regis Vngariæ Colomanni frater, intercedentibus ultrò citroque ſuſpicionibus, quas utrinque adulatores ſuſcitarant, in Poloniam aufugit. Ibiq; accitis Sarmatarum & Vngarorum, qui ſuas partes ſectabantur, auxiliis, in Pannoniam reuerſus, de regno cum fratre decertaturus, oppidum Caſtrum ferreum occuparat. Quod cùm rex oppugnare uellet, Almus humanitate potiùs, quàm ui fratrem uincere cupiens, ſolus in regia caſtra properauit: & ad fratris pedes procidens, ſuam inconſtantiam & credulitatem incuſat, ueniam & miſericordiam precatur. Vngaris & Polonis poſtulat ignoſci. Rex fraterna pietate motus, ueniam omnibus conceſſit, fratrem in regiam reuocauit. Bonfinius lib. 5. Decadis 2.

Alfonſus IIX. Hiſpaniæ Imp. filiis ſuis regnum etiamnum uiuens diuiſerat, Sācio quidē primogenito Caſtellā, FERDINANDO Legionē. Ferdinandus per initia regni Comites quoſdam falſis ſuſpicionibus ditione exuerat. Illi ad Sancium ſupplices confugêre. Qui ſuſcepta illorum cauſa exercitum conſcripſit. Ferdinandus re intellecta, paucis comitib. aſſumtis, properè ad fratrēm prandentem uenit. Sancius eū benignè recepit, & quia illotum & incultū eſſe uidebat, homo munditiei ſtudioſus, fecit ſtatim balneum præparari, & tandiu in menſa non comedēs expectauit, donec lotus corpus & caput, in cōuiuio cultu regio ſedit ornatus. Poſt epulas Sancius aduētus cauſam ſciſcitatur. Cui ille, Tanquam ad patrem & dominū ueni, iram tuam placaturus, & ſacramentum fidei, ſi iubeas præſtiturus. Tum Sancius, Neq; tibi iratus ſum, neq; fidem à te fratre meo tanti patris filio exigo. Id unū cupio, ut eos, quorū uirtute regnum auitū poſſidemus, bonis ſuis liberè frui permittas. Annuit ille poſtulatis, & amicè à fratre dimiſſus eſt. Rodericus Toletanus lib. 7. regum Hiſpan. c.13.

LAVRENTIVS Medices, Florentinę R.P. princeps, quū bellum ſibi ab Xyſto IV. Pp. & Aragonię rege Ferdinando illatum ſuſtinere non poſſet, ciuitas quoq; Florentina peſtilentia confliktaretur: induciis duorum menſium facilè per hyemem impetratis, cum paucis communicato conſilio, Thomæ Soderino Vexillifero Rempublicam commendat, filiū eius ſecum, uti obſidem fidei futurum, abducit, & Piſas per cauſam inuiſendi prædij profectus, inde mari triremib. duabus Neapolim peruehitur. Dum oram ſolueret, ad Senatū ſcripſit cauſam ſuæ profectionis. Ferdinandus integra fide, regioq; apparatu Laurentium excepit, admiſſumq; in ſecretiora colloquia, tacitus ipſe ſecum primò, ac demum palā, propter eximias uirtutes ita eſt admiratus, ut cūcta ea, quæ inſidioſè in eius perniciem ab inimicis excogitata fuerant, paucis diebus, ſuperata penitùs inuidia, ad amplitudinē eius & gloriam uerterentur. Pacē haud iniquis conditionib. dedit, fœduſq; cum Florētinis percuſſit. Iouius in Leone X. & Pontanus lib.5. de Prud. c.1.

Saxoniæ duces, FRIDERICVS & GVLIELMVS fratres, crudelia inter ſe bella exercuerunt, hæreditatis paternæ cauſa. Iam cùm uaſtatis agris, tota prouincia peſſum iret, Apollonius uerò Vicedominus, fraternarum incenſor diſcordiarum per annum Iubileum Romam petiſſet: rogauit Fridericus germanum ſuum, uti ad ſe Libercam ueniret, ſecū de pace acturus. Annuit Gulielmus. Iter ingreſſo dixere cōſiliarij, paratas inſidias eſſe, caueret, ne ſe perditū iret. Quibus ille: At ego, inquit, libens moriar, ſi uos priùs necatos uidero, qui fraternas contentiones alitis. Ita locutus, ſequi iuſſi, qui ſe amarent, urgenſque calcaribus equum, feſtino curſu fratrem adiit. Quo cum ſemotis arbitris eueſtigiò pacem compoſuit, fœduſq; pepigit. Aen. Sylu. c.32. Europæ.

### ☙ RELIGIONE.

Epheſo à Crœſo obſeſſa, turris quædam ſubuerſa cecidit, quę in poſterū Proditrix appellata eſt. Hoc damnū cùm præ oculis cerneret PINDARVS, Melanis F. Epheſiorū tyrānus, conſilium dedit Epheſiis, ut ex portis & turribus funes ad columnas templi Veneris alligarēt, ac urbem quaſi anathema Veneri conſecrarent: per hæc ſecuritatem Epheſo præſtans: & ſuaſit, ut ipſi Lydum adirent, ac pacem expeterent. Exponentibus igitur preces Epheſiis, riſiſſe Crœſum aiunt, & Epheſiis libertatem conceſſiſſe: ſed ea conditione, ut Pindarus ciuitate excederet. Qui nihil contradixit: ſed amicis, qui ſecum diſcedere uellent, aſſumtis, diſceſſit in Peloponneſum,



neſum, regium uiuendi ſplendorem cum ſpontaneo exilio commutans, ne patria ſub iugum Lydorum mitteretur. Aelianus de Varia hiſt. lib.3.

ROLLO Danus pirata, facta deſcenſione in Neuſtriam, quam hodie Normanniam dicunt, ſiue religione perfuſus, ſiue ut Francorum animos primo ſtatim aduentu ſibi conciliaret, diuæ uirginis Ameltrudis reliquias argenteis forulis inductas, à ſui nominis piratis aliunde ſublatas, ad quod primum in Normannia occurrit templum expoſuit, uimque ſacris locis, agricoliſque, & ſe dedentibus uicis, caſtellis, oppidis fieri uetuit: ut nihil minus quàm prædo uideretur. Opem quoque, Berengarij Bellouacorum Comitis filiam, ſibi toro iunxit, ut animos Neuſtriorum ſibi conciliaret, amareturq; magis quàm timeretur. His artibus captata hominum beneuolentia, Rotomagum cepit, ſacro quinetiam baptiſmate tinctus, Roberti nomen accepit, & aſſenſu regis Caroli Simplicis, primus dux Normanniæ extitit. Aemilius lib.2. & Polyd. lib.5.

### ☙ IVSTITIA, FIDE.

Fur. CAMILLVS cum Faleriis ſiue Phaliſcis bellum gerebat. Qui Faleriorum pueros inſtituebat, eductos eos extra urbem, quaſi exercitandi cauſa, Romanis tradidit. Camillus ludimagiſtri proditionem ſceleratam iudicās, manus eius in tergum religari iuſſit, pueroſq; hortabatur, ut proditorē ad ſuos parentes deducerent. Falerij ludimagiſtrum quidē uerberibus confectum necarunt, Camilli uerò pietatem & iuſtitiam admirati, ſeipſos ei abſq; prælio tradiderunt. Ita Camillus eos qui diuturna oppugnatione capi non poterant, pio quodam ſtratagemate ſubegit. Polyæn. lib.8.

HERODES Iudæorum rex, M. Antonio Triumuiro amiciſſimus fuit, eumq; Actiaco bello commeatu & pecunia iuuit. Victo Antonio, Auguſtum uictorem metuebat. Prudenter igitur rebus domi compoſitis, Cæſarem Rhodi conuenit, & poſito tantùm diademate, de cætero apparatu regio nihil mutauit. Faſſus eſt ingenuè, ſe pro amicitiæ ratione M. Antonio ſuppetias tuliſſe, non armis quidem coniunctis (quòd tum diſtineretur bello Arabico) ſed miſſo ad illū frumento ſimul atq; pecuniis. nec tamen ſe hac parte ſibiipſi ſatisfeciſſe. profeſſum enim amicum pro bene de ſe merito non opes ſolùm, ſed caput etiam & ſalutem debere obiectare periculis. Id quia non licuerit, certè hanc laudem ſuā eſſe, quòd ne poſt Actiacam quidem cladem illum deſeruerit, neq; fortunâ iam apertè mutatâ ad nouas ſpes ſe tranſtulerit. quo tempore ſi nō auxilio, at conſilio à ſe adiutum hominem, commonſtrando quo uno modo ſeruari poſſet, nec omnino in ordinem redigi, uidelicet ſi Cleopatram interficeret. At Antonium, ſpreto Herodis conſilio, Auguſto non ſibi conſuluiſſe. Ob quam dementiam cùm pœnas dederit, ſe quoq; amicitiæ uinculis ſolutum. Auguſto porrò, ſi ita uideatur, beneuolentiam ſuam comprobaturū, & mutato tantùm nomine amicum permanſurum. His uerbis Cęſarem ita permouit, ut præter omnium expectationem diadema ei reſtituerit, & in ſummo honore penes ſe habuerit. Ioſephus lib.15. cap.10. & Pontanus lib. 5. de Prud. c.1.

DRVSVS eo bello, quo uictis hoſtibus cognomen Germanici meruit, cùm in finibus Vbiorum caſtella poneret, pro fructibus eorum locorum, quæ uallo comprehendebat, precium ſolui iuſſit: atq; ea iuſtitiæ fama omnium fidem aſtrinxit. Frontinus lib.2. cap.11.

### ☙ SVPPLICIO AVCTORVM BELLI.

Cùm Achæi duce Diæo Megalopolitano Lacedæmoniis bellum illaturi eſſent (poſtquam Romani Perſeum Macedonię regem uicerant) occaſionem prætexentes, ſeſe otij & tranquillitatis publicæ hoſtibus, non Spartæ, bellum illaturos: & Diæus rogatus, Quinam illi eſſent? XXIV optimatū nomina edidiſſet: AGASISTHENES perſuaſit illis primoribus, quos Diæus Achæis dedi poſtularet, ut uoluntario exilio belli in patriam conflati incendium reſtinguerent. Futurum enim, ut primo quoq; tempore à Romanis reſtituerentur. Illi igitur exilij cauſa ſolum uerterunt, & abſentes capitis à Spartanis damnati, bellum à patria auerterunt. Pauſanias in Achaicis.

Aſdrubal & Carthalon duces CARTHAGINENSIVM damnati à ſuis fuêre, quòd etſi neq; temerè, nec parum laceſſiti bellum inchoaſſent aduerſus regem Maſiniſſam, ſocium Romanorum, tamen ne hinc belli Punici renouandi occaſionem ullam ſumerent Romani, uel ut ſumtā deponerent, iſtud non publico, ſed priuato conſilio ceptum eſſe, Romanis Imperatorum pœna & ſupplicio perſuadere uoluerūt. Sic miſeranda neceſſitate interdum periculo unius ciuis, aliorum omnium ſaluti conſulitur: ſic ruina integrarum ædium, ab aliis arcetur incendium: ſic denique ius priuatorum infringitur, res ſingulorum publicè occupantur, publicam metiendo utilitatem, & quod magis in uniuerſum atque in commune bonum eſt, quàm quod in ſingulos iuſtum & optimum. P. Aerodius ex Appiano in Lybico.

### ☙ AMORE.

Græci ſuperatis ad Thermodontem fluuium Amazonibus, tribus nauibus quaſcunq; capere potuêre abduxerunt. At illæ dormientes in mari interfecerunt omnes, & nauium regendarum ignaræ, ad Mæotidis paludis prærupta delatæ ſunt in Scythiam. Ibi cùm prædas agendo SCYTHAS excitaſſent, & illi primùm uiros eſſe exiſtimaſſent eiuſdem ætatis, mox cadauerū inſpectione feminas eſſe cognouiſſent, nullam ampliùs earum occidendam putarunt, ſed iuuenū quoſdam delegerunt, qui caſtra caſtris opponerent, earúmque ſtudia planè imitarentur. Itaq; Amazones quæ armis debellari non poterant, cum adoleſcentibus mixtis caſtris habitare cœperunt, eorumq; linguam didicerunt, perſuaſerunt etiam, ut relicta ea terra Tanaim tranſmitterent, & trium dierum itinere Orientem uerſus ſedes ſuas collocarent. Quem locum nunc incolunt Amazones. Herod. lib. 4.

Quidam Iones aduenę, Mileti ſeditione aduerſus Nelei filios mota, illinc Myunta petierunt. Ibi ſedibus poſitis multum uexabātur à Mileſiis, qui eos, quòd ab ipſis defeciſſent, bello perſequebantur. Non fuit adeò tamen inexpiabile bellū, quin haberent mutua quædam commercia: ſed certis feriis Miletum mulieres Myunte commeabant. Pythes nobilis inter Iones uir coniugem habebat Iapegiam ac PIERIAM filiam. Cùm inſtaret apud Mileſios feſtus dies ac ſacra Dianæ, quæ Neleida uocant, uxorem cum filia miſit petitum, ut ad ſolenne ire eis liceret. Inter Nelei filios maximæ opes erant Phrygij. Hic Pieriæ captus amore, qua re deuincere poſſet eius animum, rationem inibat. Illa ſuggeſſit: Si effeceris, ut ſæpiùs huc multis comitatæ ueniendi mihi copia ſit. Phrygius conſiderans amicitiam & pacem ab ea ciuib. poſci, bellum ſedauit. Vnde celebrata fuit & honorata utraque in ciuitate Pieria. Ac Mileſiæ feminæ etiam nunc, ut ita amentur, quomodo à Phrygio Pieria, uota faciunt. Plut. de Virtutibus mulierum.

### ☙ SVSPICIONE INIECTA

*Proditionis.*

Q. MVTIVS, cui poſtea Scæuolæ inditum fuit cognomen, quaſi relaturus Porſenæ regi gratiam, quòd humaniùs ab illo tractaretur, quodq; iuuentus etiam apud hoſtes uirtuti eſſet honos: Quod, inquit, ô rex nullo expugnatus ſupplicio tibi nunquam indicaſſem, id nunc ſponte indicaturus ſum, ne non aliqua ſaltem parte referendæ gratiæ memor tibi ac gratus uidear. Trecenti unà iuuenes coniurauimus, quibus idem eſt conſilium te interficiendi. Sors mihi patrandi negotij prima contigit, cæteri ſuo quiſque tempore rem aggreſſuri ſunt. His dictis Hetruſcus rex territus, pacē cum Romanis fecit. Liuius.

LAVRENTIVS Medices ut Innocentium IIX. Pontificem, qui contra Ferdinandum regem Neapolitanum bellum gerebat, ad pacem traduceret, per certum hominem literas pontifici tradendas curauit, ita perſcriptas, ut à Roberto Sanſeuerinate, Pontificis copiarum ductore, ad hoſtes de proditione miſſæ atq; interceptæ uiderentur. Pontifex lectis literis, cùm per ſe ſuſpicioſus eſſet & paci deditus, ne à Roberto deſertus iniquiſſima conditione bellum gerere, uel pacem amplecti quam hoſtes uellent cogeretur, pacem Ferdinando dedit. Brutus lib.8. Hiſt. Floren.

*Defectionis.*

Artoxerxes Mnemon Perſarum rex Caduſiis intulit bellum CCC millibus peditum, & decem equitum. Regio eorum eſt ſalebroſa & nebuloſa, ſementiſque & frugum infœcunda: pyris uerò ſylueſtribus, pomis, & aliis id genus fructibus homines bellicoſos feroceſq; alit. In hanc delatum graues difficultates & diſcrimina imprudentem excepêre. Nihil enim illic ſumere erat commeatuum, neque aliunde importare. Iumentis modò tolerabant ſe, ut caput aſini uix LX drachmis uenale eſſet. Deficiebant iam regem commeatus, pauci autem equi adhuc reliqui erant, cæteros in cibo conſumſerant. Ibi TIRIBAZVS, qui crebrò locum apud regem uirtutis cauſa obtinuerat primum, crebrò ob leuitatem eò deiectus, tunc uerò abiectus contemtuſq; erat, regem & exercitum ſeruauit. Nam apud Caduſios cùm eſſent duo reges, uterq; autem haberet ſeorſum caſtra: adiit Artoxerxem. cui poſtquàm, quid pararet, aperuit, ipſe ad alterum Caduſiorum regem eſt profectus, ad alterum clàm filium miſit. Vterque utrique impoſuit, alterum demonſtrans miſſis ad Artoxerxem legatis amicitiam & ſocietatem ſoli ſibi quærere. Quare ſi ſaperet, faciundum ei, ut præuertat: adiutorem ſe ei in omnibus fore. His ambo fidem habuêre: & quia inuidiam mutuam habebant ſuſpectam, alter cum Tiribazo legatos, cum Tiribazi filio alter miſit, & cum Artoxerxe pacem compoſuêre. Plutarchus in Artoxerxe.

### DISSIMVLATIONE

*Victoriæ.*

MACEDONVM reges, ne ſibi reditum in gratiam cum finitimis præciderent, nullum de hoſtibus uictis trophæum erexerunt. Pauſanias in Bœoticis.

*Inimicitiæ.*

GABAONITÆ Heuęi, cùm Ioſuę ſucceſſum in hoſtibus ſuis ſubigendis, & ex Dei pręcepto ad internecionem delendis, uiderent, uitæ ſuæ prudenter conſuluerunt. Simulata enim legatione, exoletos ſaccos aſinis imponunt, utreſque uinarios laceros & reſartos, calciamenta uetera pedibus induunt, penulis uetuſtis ſe tegunt, panem mucidum in cõmeatum ſumunt, & ad Ioſuam in caſtra Galgalenſia ſeſe conferunt, eiq́; nunciant, ſeſe ex finibus remotiſſimis (quod ex lacero illorum habitu, & uiæ lõgitudine attrito intelligi poſſet) fœderis paciſq; cauſa ad eum ueniſſe. Ictum eſt igitur cum illis fœdus, non conſulto Domino. Triduo pòſt intelligunt Iſraelitæ fraudem Gabaonitarum. Attamen quia Iouam Deum Iſraelitarum illis iurauerant, uiolari non poterant, quamuis plebs id moleſtè ferret. Vita igitur illis cõceſſa à Ioſua, ſed propter mendacium, ſerui publici conſtituti ſunt, ut lignatores eſſent & lixæ ipſius templi. Ioſuę 9.

Contra Tuſculanos, qui defecerant, Tribunum creauerãt Romani Furium Camillum. At TVSCVLANI errorem callidè auertentes, cùm eſſet iam in expeditione aduerſus ipſos Camillus: aratorib. paſtoribuſq; agros, ut in alta pace, compleuerant, patebant portæ, pueri in ludis operam literis dabant, ex uulgo opifices ſuo quiſq; operi intenti conſpiciebantur, ſpectatiores in foro obſeruabãtur togati, magiſtratus ſedulò circumibant ad deſignandum Romanis hoſpitia, tanquam remoti ab omni ſuſpicione eſſent mali, nec cuiuſquam ſibi commiſſi conſcij. Hæc res non exemit quidem eos apud Camillum proditionis opinione, ſed illorum pœnitentia, ex proditione flexit eum ad miſericordiam: ſenatũ adire iuſſit iis pœnam deprecatum. Deprecantibus adfuit Camillus, ut & crimine liberarentur, & ciuitatem impetrarent. Plut. in Camillo, & Val. Max. lib. 7. c. 3.

### AVCTORITATE.

Quum EMERICVS, mortuo patre Bela III. Vngariæ regnũ beneficio primogenituræ obiuiſſet: frater Andreas iniquo id ferens animo bellum ei indixit. Emericus rex cùm fratrẽ neq; literis neq; magnis internunciis ſibi conciliare poſſet, & utrinq; acies inſtructæ conſtitiſſent: depoſitis armis, & ſtipatoribus relictis, coronam ſceptrumq́; geſtans; per medias fratris acies inceſſit, & ſalutari cohortatione omnium animos uſque adeò mutauit, ut confeſtim arma poſuerint, certatim quiſq; ueniam implorarit, inſolentiſſimæ pertæſus audaciæ, quam pleriq; magnates deprauatis ſtudiis fouerant. Bonfin. lib. 7. Dec. 2.

### FOEDERE.

Gothis ex Illyrico profectis Hunni ſucceſſerunt, atq; inprimis Pannoniam tenuerunt. HONORIVS Imp. Gothorum armis in Italia preſſus, eos prohibere non potuit, ſed meliore conſilio, animo ad pacem conuerſo, fœdus cum eis, datis acceptiſq́; obſidibus, fecit. ex quibus qui dati ſunt, Aetius præcipuè memoratur. Sigonius lib. 11. Imp. occid.

### DEDITIONE.

THESSALI, Xerxe in Græciam deſcendẽte, cùm uiderent regionem ſuam imbecillẽ, ut quę obſtructo uno Penei alueo, in mare ſeſe exonerantis, tota aquis obrui poſſet, ſeſe Xerxi maturè dediderunt. Herodotus lib. 7.

## HOSTIVM IMPERATOREM CAPERE AVT OCCIDERE.

IVDITHA uidua, formam ſuam ornatu & comtu auxit, & ad Olofernem Cambyſis regis ducem profecta, qui Bethuliã arcta obſidione urgebat, ſimulauit ſeſe transfugam ueniſſe. Diuinitùs enim reuelatum ſibi, Bethuliam excindẽdam, propterea quòd fame urgente ciues à carnibus in lege uetitis non abſtinuiſſent. Commeatum autem ſumſerat, comite ancilla, ne immundo cibo uti cogeretur: & ab Oloferne obtinuit, ut ſibi nocte media in uallem progredi, deiq́; oraculum, quod Oloferni referret, cõſulere liceret. Quarto die ad cœnam inuitata ab Oloferne, lubens paruit: & uino etiã ad eum inebriandum liberaliùs uſa, in tabernaculo eodem permanſit. Olofernes eius amore ardens, uino tamen madidus, pudorem eius non læſit. Illa acinace caput eius amputans, nocte intempeſta tanquam ad preces egreſſa, ad ſuos rediit. Et ſic hoſtem ſuperbiſſimum prudentia ſua domuit, patriamq́; liberauit. Vide hiſtoriam ſacram.

Cùm bellum exortũ eſſet inter Athenienſes & Bœotos, XANTHIVS Bœotus Thymotem Athenienſium imperatorem ad ſingulare certamen prouocauit. Quo recuſante, Melanthus Meſſenius ſucceſſit, peregrinus, & à Periclymene Nelei oriundus. His igitur ſingulari certamine dimicantib. quidã à tergo Xanthij nigra pelle capræ indutus, apparuit. Tunc ille, Iniquè eum facere, inquit, quòd ad ſingulare certamen cum ſocio accederet. Ac dum reſpiciens conuertitur, ab aduerſario dolo cæditur. Cùm uerò Dionyſius creditus ſit, quem pelle capræ indutum appar uiſſe autumant, dies feſti fuerunt in eius honorem ab Athenienſibus menſe Octobri inſtituti, Apaturia dicti, ἀπὸ τῆς ἀπάτης. Natalis Comes Mythol. libro 5. cap. 13.

Eo bello, quod Mitylenęi de Achiliridis, ſeu Troadis, uti Strabo, ſiue Sigæi, ut Polyęnus habet, agro, cum Athenienſibus habuere PITTACVS Imp. factus, ſingulari certamine cum Phrynone Athenienſium duce congreſſus eſt. Erat is ualido corpore: quippe qui Pancratiaſtes & Olympionices fuit. Vicit tamen uires corporis animi prudentia. Rete habuiſſe fertur Pittacus ſub clypeo occultum, quo medio certamine hoſtem, minùs ad tales inſidias cautum, ſubitò iactu implicitum peremit. Ex ea pugna exemplum retiariæ pugnæ in arenam manaſſe memorant, rei uſque ad Romani ſenatus ſuggillationem theatralibus ſpectaculis uſurpatæ. Adminiſtrauit ille deinceps rempub. decem annos, quam pluribus inſtitutis ornatam ſponte reſtituit. Sabellicus lib. 5. Ennead. 2. ex Strabone lib. 13. & Polyæno lib. j.

STHENIPPVS Lacon, multatus pecuniis ab Ephoris fictè, ad Tegeatas transfugit. Quibus eum recipientibus, quaſi iuſtam iræ cauſam habentem: corruptis, qui principi ipſorum infenſi erant Ariſtocli, iis ſociis uſus, inter pompam ſacrificare eum uolentem adortus, interfecit. Polyęnus lib. 2.

AGESILAVS in pugna ad Mantineam monuit Lacedæmonios, ut aliis miſſis omnibus Epaminondam peterent: ſolos ferens eſſe prudentes fortes, auctoreſq́ue uictoriæ ſolos. Hunc igitur ſi ſuſtuliſſent, facilè fracturos alios: nempe inſipientes eſſe & diobolares. Quod ipſum euẽtus comprobauit. Nam cùm uictoria penes Epaminondam eſſet, & effuſi in fugã Lacedæmonij: ſigna conuertenti & receptui canenti, Lacedęmoniorum quiſpiam lethale uulnus dedit. Qui ut cecidit, uerſi à fuga in hoſtes qui cum Ageſilao erant, dubiam fecerunt uictoriam: quòd multo Thebani geſſiſſent ſe ignauiùs, & multo fortiùs Lacedæmonij. Plutarchus in Apophthegmatibus.

Phœbiades præfectus Cadmeæ arcis Thebanæ, amabat uxorem Epaminondæ. Illa marito rem aperuit. EPAMINONDAS ei mandauit, ut erga Phœbiadem amorem ſimularet, & noctem conſtitueret, quaſi etiam amicis eius alias fœminas adductura. Quibus conſtitutis, illæ uenerunt, & uſque ad ebrietatem cum Phœbiade & eius amicis biberũt: mox petierunt copiam exeundi pauliſper ad ſacrificium quoddam nocturnum, ſtatimq́; ſe reuerſuras pollicitæ ſunt. Qui permiſerunt, mandantes portitoribus, ut iterum eas intromitterent. Illæ exierunt. Apud portas uerò iuuenes imberbes, mulierũm ueſtibus permutatis, & unam ex eis aſſumẽtes interioris uiæ ducem, & quæ pauca cum portitoribus loqueretur: ita ingreſſi, tum Phœbiadem ipſum, tum omnes qui circa eum erant, interfecerunt, Cadmeam occuparunt, & à ceruicibus patriæ Lacedæmoniorum tyrannidis iugum excuſſerunt. Polyænus lib. 2. Sed Plutarchus de Socratis dæmonio longè aliter Thebas Archiæ tyrannide liberatas ſcribit.

DATAMEM exercitus ducem Artoxerxes contra Aſpim miſit, qui Cataoniam, gentem Cappadociæ confinẽ, tenebat. Datames cum paucis in Ciliciã profectus, Taurumq́; tranſgreſſus, eò quò ſtuduerat breui tẽpore uenit. Aſpis cognoſcit haud longè abeſſe, profectumq́; eum uenatum: quem dum ſpeculatur, aduentus eius cauſa cognoſcitur. Piſidas cum iis, quos ſecum habebat, ad reſiſtendum Aſpis comparat. Id audiens Datames arma capit, ſuos ſequi iubet: ipſe equo cõcitato ad hoſtem uehitur. Quem procul Aſpis conſpiciens ad ſe ferentem, à conatu reſiſtendi deterritus, ſeſe dedit. Eum Datames uinctum, ad regem ducendum Mithridati tradidit. Probus in Datame.

GELON Siculorum tyrannus, cum Himilcone Carthaginenſium duce, prælio decertare nõ audebat. Ergo Pediarchum ſagittariorum præfectum, ſibi forma & aſpectu ſimilem, tyrannica ueſte indutum, è caſtris progredi, ſacrificiumq́ue in aris facere iuſſit, & eum ſequi ſagittarios candidis ueſtibus amictos, myrtum ferentes, atq; ſub myrto arcus occultantes. Cùm autem uiderent Himilconem etiam ipſum ad eundem modum progredientem, & ſacrificantem, tela in eum coniecère. Itaq; Himilcon nihil tale ſuſpicatus, libans, ſacrificanſq́;, uitam finiuit. Polyæn. lib. j.

HANNI-



HANNIBAL primo Punico bello Corn. Aſinam Coſſ. ſpe pacis ad colloquium uocatum, interemit. Volater. lib. 13. cap. 3. Anthropologiæ.

CARTHAGINENSES, cùm in Sicilia cognouiſſent Romanos maiorem nauium copiam habere, ut eas diſtraherẽt ac diſſiparent, quibuſdam ſuis ciuibus perſuadent, ut tranſitionem faciãt. Qui cùm ad Romanum ducem Cn. Cornelium perueniſſent, promiſerunt ſe Liparam inſulam Siciliæ obiectam ei prodituros. Qui fidem eorum uerbis habens, in naues impoſitis militibus, Liparam uerſus nauigauit. Carthaginenſes contrà ſoluerunt, Romanis nauibus prætereuntibus, legatoſq́; ad Cornelium miſerunt: qui ſuppliciter conſulem deprecati de pace, eumq́; conſpicati, rogauerũt, ut in nauigium tranſcenderet, quòd Carthaginenſium dux graui morbo conflictaretur, ut iuſtis conditionibus de pace liquidiùs tranſigerent. Romanus perſuaſus, tranſcendit ad Carthaginęnſem. Libyci cùm ducem in ſua poteſtate haberent, cum uniuerſis nauibus impetu facto, facilè uictoriam conſecuti ſunt. Polyæn. lib. 6.

Bello ſociali erat Q. Cœpioni P. POMPEDIVS oppoſitus. Is capiendi hoſtis gratia huiuſcemodi eſt conſilio uſus. Duos impuberes ſeruos, liberali indole, purpuraq́; ornatos, ſecum pro filiis ad hoſtes traxit, obtulitq́; plumbi maſſas auro & argento oblitas, atq; tum ibi, Hęc, inquit, Cœpio, cum filiis certum meæ fidei pignus habeto, tu me ſequere: nam in fidem Romanorum rediturus, conſtitui non ſine magno merito redire. Caſtra, quibus præſui, & totum exercitum, uno tempore in tuam poteſtatem redigam. Cæterùm maturato opus eſt, ne qui in caſtris ſunt, meam abſentiam ſuſpectam habere incipiant. Cœpio hoſtem pro transfuga ſecutus, in inſidiaſq́; præcipitatus, cũ multis interceptus periit. Sabel. lib. 2. Ennead. 6.

SVRENAS, Parthorum dux, cùm M. Craſſus turpiter prælio fugatus diſcederet, & per montana iter facere conaretur, metuens, ne pugnam ex deſperatione redintegraret, legatũ ad eum miſit, qui in hunc modum referret: Componit tecũ amicitiam rex magnus: & cùm fortitudinem ſuam Romanis oſtenderit, nunc humanitatem etiam oſtendere conſtituit. Craſſus dolum ſuſpiciens, morem gerere nolebat. Milites, quorum animi eſſent fracti & defeſſi, coegerunt eum comploſis armis Barbaro credere. Craſſus inuitus pedibus iter faciebat. Surenas ſumma uſus humanitate, equum aureo freno præditũ ei tradidit, in quo eum ſedere iuſſit. Barbarus autem equorũ curator, admotis calcaribus, equi curſum accelerabat, ut Craſſum in mediam Parthorum multitudinem coniiceret. Octauius unus ex Craſſi legatis intellecta fallacia, frenũ apprehendit, & poſt eum unus tribunorũ Petronius. Sic Octauius extracto gladio equi curatorem interficit: Octauium alius quidam Parthorum: Craſſum uerò exiliens Parthus occidit, eiuſq́; caput & dextram abſciſſam ad regem magnum Parthorum Herodem deportauit. Polyænus lib. 7. & Plut. in Craſſo.

MILOES quidam ex militibus Eleazari, Tryballorum ducis, cui Amurates Turcorum Imp. bellum faciebat, ut transfuga ad Amuratem profectus, oſtendit regem ſtantem in acie, ad prælium accinctum. Haſtam igitur accipiens, nam ei uenientì rex cedere exercitum iuſſerat, Amuratẽ interfecit: nec non ipſe ibidem fortiter inter hoſtes prælians, occubuit. Chalcocondylas lib. j.

SVENO Danorum rex, qui oppreſſo patre Haraldo idololatriam reſtituerat, contra Iulinenſes piratas ad Moen inſulã claſſe uehebatur. SCLAVI matutino crepuſculo delectos remiges ſubornauerũt, qui ſimulato ab excubiis reditu, lintre ad prætoriam prouecti, eſſe aliquid dicerent, quod ſecretò regem noſſe oporteret. Rex noctu exploratæ rei nunciũ afferri ratus, detracto nauigij tegmine, caput exeruit. At ille ſubitò ceruicem eius uiolento amplexu corripuit, & apparitorum ope in myoparonem detraxit, & celeri curſu ſecum auexit. Saxo lib. 10. & Cranzius lib. 2. Vandaliæ, capite trigeſimotertio.

PETRVS Lauretanus aduerſus Genuenſes imperator à Venetis declaratus, claſſe inſtructa Liguſticam oram populabũdus, Genuenſes ipſos ad nauale prælium exciuit, ad Rapalitanum ſinum. Quum prælij gerendi tempus iam immineret, ſimulata fuga retrocedere cœpit. Inſequentibus Genuenſibus, ſecutus uentorum afflatum feliciorem, conuerſis nauium proris, partim uirtute ſuorũ, partim conſilio ſecundaq́; aura adiutus, iuſſit aliquot nauibus prætoriã Genuenſium primùm aggredi. Sic triremis ipſa prætoria oppreſſa, & Franciſcus Spinula dux captus eſt, reliqui Genuenſes in fugam conuerſi ſunt. Egnat. lib. 7. c. 4.

Raix Nordinus (qui regis Zeifadimi nomine Armuzienſe regnum adminiſtrabat) Zeifadimum ueneno ſuſtulit: & Zeifadimi liberis excluſis, Terunxam illius fratrem regẽ creauit, ut regni poteſtatem & iuriſdictionem ipſe perpetuò retineret. Cùm autem ſenio confectus eſſet, in nepotem ſuũ, Raixhamed nomine, quinq; & triginta annos natum, poteſtatem eam tranſtulit, ut ipſe regni procuratione liberatus, regni opibus alieno labore frueretur. Raixhamed locum illum apud regem tam firmis præſidiis obſeſſum tenuit, ut non modò regnum, ſed regẽ ipſum acerbo dominatu premeret. Omnia ſpeculatoribus erant plena, ita, ut rex hiſcere non auderet, ne ſi quid, quod Raixhamedium offenderet, enunciaret, oculis aut uita priuaretur. Hamedius interim clàm Luſitanis aduerſari, arcem, quam extruebant, impedire. Præterea ut regem à fide Emmanuelis auerteret, pileum cum Allis precationibus & inſtitutis ab Iſmaele Perſarum rege miſſum, ſumere coegerat: ut eo ſigno ſe Iſmaeli prorſus addictum oſtenderet. Hæc omnia cũ ALFONSVS Albuquercius, Luſitanorum prætor, explorata haberet, eũ occidere decreuit: ſed ne graue bellum & inteſtinum excitaretur, ſe egregiè in illum animatum ſimulans, regi ſibi illo opus eſſe conuento nunciauit, ut arcana quædam, quæ erant è republ. & ad regis Emmanuelis ſtatum pertinebant; cum illo & cum Hamedio communicaret. Locum ipſe deligeret, ubi id colloquium fieri poſſet. Aedes amplę arci, quę ædificabatur, coniunctæ, in quibus Simon Andradius habitabat, delectæ ſunt. Conſtitutum ab utraq; parte fuit, ut Albuquercius cum ſolis ducibus, ſine ullis armis conueniret, & rex ſimiliter cum certo nobilium uirorum inermium numero ſe in conuentum illum daret. Regi tantùm & Albuquercio permiſſum fuit, ut uterq; armigerum cum gladio duceret. Reliquis Luſitanis atque Perſis, qui in litore conſiſtebant, nec erant in ædes ingreſſuri, licebat armis accingi. Albuquercius ea nocte, quæ diem cædi deſtinatam præceſſit, ſecretò duces euocauit, quod in animo habebat, aperuit, & ut arma ueſtibus abderent, admonuit. Itaque ſequenti die cùm Hamedius armis tectus, Albuquercij, quem imparatum eò uenturum arbitrabatur, interficiẽdi ergò in ædes ſeſe contuliſſet: Albuquercius eum accuſare cœpit, quòd arma geſtaret, & ea ut deponeret, imperauit. Is ſuorum auxilio fretus gladium ſtrinxit. Albuquercius brachiũ illius arctè continuit. Duces accurrunt, hominemq́ue multis uulneribus concidũt. Rex cùm illum interfectum cerneret, metu propemodum exanimatus eſt. Albuquercius uerò illum hilari ſanè uultu complexus admonuit, ut timorem omitteret, Poſthac, inquit, & liber & rex eris, & tuo iure uti perpetuò poteris. Rex ab Albuquercio in ſuperiorem ædium partem, unde ab omnibus poſſet conſpici, deductus, omnes bono animo eſſe iuſſit: nullam ſibi à Luſitanis iniuriam allatam, ſed ſingulare beneficium tributum. Se tunc & libertate donatum, & in regni poſſeſſionem miſſum, ut ſuos æquitate & humanitate debita gubernaret. Oſorius lib. 10. rerum Emmanuelis.

## HOSTIVM CONSILIA ET INSIDIAS DETEGERE, PRAEVIDERE.

*Hic Titulus generalis eſt. In ſpecies uarias diuidi poteſt, quatenus conatus illorum reipſa inanes reddimus, eorumq́; conſilia eludimus, quacunq; tandem id ratione fiat.*

### QVID. NEMPE

### INSIDIAS poſitas.

TISAMENVS Oreſtis F. exercitum ducens, cùm uidiſſet multas aues ſupra eum locum uolitare, non autem in terra conſidere, intellexit eas hominum ibi latentium metu non conſidere: & locum perſcrutatus, aggreſſuſq́; Iones poſitos in inſidiis interfecit. Polyænus lib. 2.

ARCHELAIDAS Lacon cum exercitu per uiam ſuſpectam iter facere uolens, quod non præſciuit futurum, ſed cogitauit fieri poſſe, id quaſi præcognitum indicauit multitudini: & præcepit, ut inſtructi ad pugnam proficiſcerentur, quoniã hoſtes inſidias tenderẽt. Cũ forte fortuitò in maximas inſidias incidiſſent, non præuidentes, hoſtium apparata, ipſe prior impetum fecit, & facilè omnes occidit, qui poſiti in inſidiis fuerant, quoniam ſuos antè inſtrui ac parari iuſſerat. Ibidem.

IPHICRATES Sicyonem oppugnabat. Lacedæmonius prę fectus ex Lacedæmone auxilium accerſens, iuſſit miſſos in inſidiis collocari. Hinc uiam ad urbem dirigens, tranſiit inſidias. Aliqui feroces ex urbe minabantur audaciùs, Nunc uerò pœnas dabis. Iphicrates ſuſpicatus aliquos eſſe, in quibus illi ſpem haberent, ſtatim reuertitur per aliam uiam difficilem, & compendioſam: atque ipſe delectis robuſtiſſimis, continuò eos, qui in inſidiis latebant, obruit, & omnes

morte affecit, confeſſus ſe erraſſe, quòd non antè loca perſcrutatus fuiſſet: ſuſpicione uerò repentina optimè uſum eſſe, quòd extemplò inſidiantes adortus eſſet. Polyænus libro tertio.

L. AEMYLIVS Paulus Cos. bellò Hetruſcò apud oppidum Coloniam dimiſſurus exercitum in planiciem, contemplatus procul auium multitudinē citatiore uolatu è ſylua conſurrexiſſe, intellexit illic aliquid inſidiarum latere: quòd & turbatæ aues, & ſimul plures euolauerant. Præmiſſis igitur exploratoribus, comperit decem millia Boiorum, excipiendo ibi Romanorum agmini imminere: eaque, alio quàm expectabatur latere miſſis legionibus, circumfudit. Frontinus libro j. cap. 2.

AVXILIA.

HASDRVBAL frater Hannibalis, Liuij & Neronis exercitum (quanquā hoc illi non duplicatis caſtris diſſimularent) coniunctum intellexit: quòd ab itinere ſtrigoſiores notabat equos, & coloratiora hominum ex uia corpora. Frontinus libro j. capite 2.

CVNICVLOS.

*Conſule Tit. Vrbes defendere. ubi deprehendendorum cuniculorum exempla aliquot reperies.*

LITERAS adulterinas.

PYRRHVS Epirotarum rex bellum inferebat Antipatro Macedoni. Lyſimachus cùm ſtuderet Antipatro ſuccurrere, erat implicatus ipſe negotiis. Verùm quòd Pyrrhum omnia ſciret gratificaturum Ptolemęo, neq; quicquam denegaturum: miſit ad eum literas adulterinas, quaſi illam expeditionem peteret Ptolemæus, ut mercede accepta ab Antipatro trecentorum talentorū, omitteret. Soluta epiſtola, confeſtim odoratus Pyrrhus eſt Lyſimachi fraudem. Neq; enim ſcriptam habebat cōſuetam ſalutationem, Pater filio S. D. ſed, Rex Ptolemæus regi Pyrrho S. D. Plut. in Pyrrho.

M. Marcello Coſs. ex inſidiis cæſo, CRISPINVS ad uicinas ciuitates montium miſerat: quia collega interiiſſet, & anulo eius potitus eſſet hoſtis, à literis nomine Marcelli compoſitis ut cauerent. Salapiam iam Criſpini nuncius uenerat, cùm literę ab Annibale afferuntur, ſignificantes Marcelli nomine ſe eò proxima nocte uenturū. Salapitani cognita fallacia uiri, nuncioq; remiſſo, intentiſſima cura hoſtiū aduentum expectāt. Quarta uigilia Annibal ad urbem uenit. In primo agmine locati ex induſtria erant perfugæ Romanorum, ut Latinè loquentes fidem facerent, Marcellum adeſſe. Horum cùm ad ſexcētos oppidani introduxiſſent, clauſa porta reliquas copias telis repellunt, introductos ad internecionem cædunt. Auctor uitæ Annibalis.

PER QVOS. PER

DVCES ipſoſmet.

SALADINVS Aegypti Sultanus, audito Chriſtianorū principum apparatu ingenti, quo Hieroſolyma ipſa recipienda eſſet: nō dubitauit priuati habitu, poſthabito regio ſolio, Gallias ipſas, & Germaniā, adde etiam & Hiſpanias obire. Quę quum omnia accuratiùs luſtraſſet, ad ſuos incolumis rediit. Quod certè facinus nemo dicere poſſit non plenū temeritatis fuiſſe, ſi quis tamen Saladinum ipſum rectè ſatis æſtimet. Egnatius lib. 9. cap. 8.

Sedebat ad Carauagium Franciſcus Sforcia Mediolanenſium imperator contra Venetos, cùm ALBERTVS Brandolinus perſuadere nitebatur, Carauagio opem ferendā. A qua ſententia etſi omnes abhorrebant: ille coloni tandem habitu uuam ſecum uenalem ferens, in Sforciæ caſtra tranſiuit, omniaq; diligenter explorans, ad ſuos incolumis reuerſus, in ſuam ſententiam traxit omnes, ſed infelici euentu. Nam prælio Sforciæ congreſſi, memorabili pugna ſuperati fuēre Veneti. Egnat. lib. 9. cap. 8.

MATHIAS Coruinus Vngarię rex, cùm prope Turcos caſtrametatus eſſet: pagano amictu, cum uno tantùm comite ſe cum iumento inter eos, qui cōmeatus in hoſtilia caſtra ferrent, inſinuauit. Cùm eò perueniſſet, toto die pro tabernaculo Turci hordeum uendidit. Ingruēte nocte ſe incolumē in ſua caſtra recepit. Scripſit ad hoſtem, ſe pridie eius caſtra penitùs exploraſſe, uēdidiſſe ruſtici ſub perſona hordeum, ad tabernaculum eius: & quò maiorem dictis fidem faceret, ferculorum numerum & epularum cuncta genera retulit. Quæ cū hoſtis accepiſſet, timore perculſus, poſtero die caſtra ſoluit: ueritus Coruinum regem non modò ad uallum ſibi occurſurum, ſed & tabernaculum inuaſurum. Bonfinius lib. 8. Decad. 4.

CAPTIVOS.

In obſidione Veiorum, quæ integrum ferè decennium durauit, ROMANVS quidā familiaritatē contraxit cum Veiente quodam ueteris diſciplinæ homine, qui ſcientia diuinandi præſtare dicebatur. Romanus ubi hunc uidit de lacus Albani media æſtate exundatione gaudentem, atq; obſidionem habentem ludibrio: quaſi tractaturus cum eo de aliis quibuſdam rebus abditis, longiùs abductum hominem à porta, præualens uiribus ſublimem arripit, atq; in poteſtatem ſuam redactum deducit ad imperatores. Ita oppreſſus ille, cōſiderans fatum eſſe ineuitabile ſortes, patriæ ſuę occultas aperit, non antè expugnabilem eam, quàm lacum Albanum hoſtes effuſum retrò ab curſu ſuo deriuarent, atque auerterent à mari. Cui cùm conſentiret Delphicum etiam oraculum: ſacerdotes ſacrificare, & populus operi ſe ad auertendam aquam accingere ceperunt. Atque decimo tandem anno à Camillo Veij expugnati ſunt. Plutarchus in Themiſtocle.

M. CATO in Hiſpania, qui ad hoſtium conſilia alia uia peruenire non potuerat, iuſſit trecentos milites ſimul impetū facere in ſtationem hoſtium: raptumq; unum ex his in caſtra perferre incolumem. Tortus ille, omnia ſuorum arcana cōfeſſus eſt. Frontinus lib. j. c. 2.

EXPLORATORES.

POMPISCVS exploratum miſit uiros ſibi inuicem ignotos, ne conſpirationem facerent, & res falſas referrent: iiſq; interdixit, ne cum aliquo in caſtris ſermones miſcerēt, ne qui eius inuidentes, hoſtibus futurum illorum aduentum ſignificarent. Polyæn. lib. 7.

Q. FABIVS Maximus bello Hetruſco, cùm adhuc incognitæ forent Romanis ducibus ſagaciores explorandi uiæ, fratrē Fabium Cæſonem, peritum linguæ Hetruſcæ, iuſſit Hetruſco habitu penetrare Ciminiam ſyluam, antè militi Rom. intentatam. Quod is adeò prudenter atq; induſtriè fecit, ut tranſgreſſus ſyluam, Vmbros Camertes cùm animaduertiſſet non alienos nomini Romano, ad ſocietatem compulerit. Frontinus lib. j. cap. 2.

ATILA Hunnorum rex, ut quid cæteri in ſe molirentur, cautiùs experiretur, ad quatuor ferè Imperij ſui limites, exploratores, tanquam in ſpecula, collocaſſe fertur: item, è ſpeculatoribus quenq; continuatos curſores habuiſſe, qui celerrimè ad eum cuncta noua perferrent: alterum in Colonia Agrippina, qui Occidentis: ad Tanaim alterum, qui Orientis: cæteros partim ad Lituaniam, partim Iaderæ ſtatuiſſe, qui Septentrionis ac Meridiei res nouas explorarent. Bonfinius lib. 5. Dec. j.

Nulla fuit urbs Italię, aut etiam ab Italia remotior, in qua Gręcorum Imp. MANVEL Comnenus non unum coniuratū, & hominem ſibi fidelem haberet. Vnde quæ in conclauib. Romanorum aduerſarij clàm conſultabant, ea omnia reſciſcebat. Nicetas lib. 7.

FERDINANDVS Daualus Piſcarius affirmabat, Nuſquam à ſano duce utiliùs & meliùs poni ſumtum, quàm quo certi ſpeculatores pace & bello pararentur. Iouius in Piſcario, lib. 6. Similiter CONSALVVS Magnus in ſpeculatores immenſam uim pecuniæ, ad ſexcēta millia, ſupra quadringentos & nonaginta quatuor aureos, abſumſit. Paulus Iouius in Conſaluo.

QVOMODO. SIMVLATIONE *Legationis.*

CAMBYSES rex Perſarū, ad Aethiopes Macrobios, ſub ſpecie legatorum cum muneribus miſit Aethiopes quoſdam Ichthyophagos. Herodotus.

MEMNON inſidias Leuconi Boſphori tyranno ponens, cùm explorare uellet quanta hoſtium eſſet magnitudo, & incolentium in ea terra multitudo: Archibiadem Byzantium in triremi legatum ad Leuconem miſit, ut de amicitia & hoſpitio cum eo loqueretur. Miſit autem unà cum illo citharœdum Olynthium, nomine Ariſtonicum, propter artem celeberrimum, & in primis eo tēpore apud Græcos: ut in tranſitu, ſi appellerent, ſpecimen edente citharœdo, incoliſque in theatra ſummo ſtudio confluētibus, multitudo hominum nota legato fieret. Polyæn. lib. 5.

CARTHAGINENSES miſerunt, qui per ſpeciem legatorū longo tempore Romæ morarentur, exciperentq; conſilia Romanorum. Front. lib. j. cap. 2.

Rependit maior AFRICANVS Thraſymenam cladem Carthaginenſibus in Aphrica, cùm res hoſtium per legatos, qui citrò ultroq; induciarum prætextu mittebātur: ſpeculatus, nocte una bina hoſtium caſtra incendit, incenſa expugnauit, duoſq; ualidiſſimos deleuit exercitus. Sabel. lib. 10. c. 6.

IDEM capta occaſione mittēdæ ad Syphacem legationis, cū C. Lælio ſeruorum habitu tribunos & centuriones electiſſimos ire iuſſit, quibus curæ eſſet, proſpicere regias uires. Ex quibus L. Statorium, quia ſæpiùs in eiuſdem caſtris fuerat, quidam ex hoſtibus uidebantur agnoſcere. Occultandę ergo conditionis eius cauſa, baculo ut ſeruum caſtigauit. Hi, ut liberiùs caſtrorum poſitionem ſcrutarentur, equū de induſtria dimiſſum, tanquam fugientem perſecuti, maximam partem munimentorum circuierunt. Quę cùm nunciaſſent, incendio confectum eſt bellum. Front. lib. j. c. j. & 2.





*Defectionis.*

DAVID rex, regno pulſus à filio Abſalomo, cùm magnā partem populi defeciſſe uideret: Hieroſolymis exceſſit, negotio dato Sadoco & Abiathari pontificibus, ut ſeſe de omnibus Abſalomi conſiliis certiorem facerēt. Chuſæum quoq; Architam conſiliarium ſuum ſubornauit, ut defectione ſimulata, Abſalomo ſeſe inſinuaret, ſuaq; prudentia omnia conſilia Achitophelis Gilonij, qui apertè à Dauide defecerat, irrita faceret. Id quod & factum eſt. Nam cùm Achitophel cum XII millibus Dauidem ſtatim opprimendū cenſeret, antequam Iordanem traiiceret: Chuſæus id diſſuaſit, fortitudinem Dauidis eiuſq; comitū exaggerans, quin potiùs cogendum uniuerſum Iſraelitarum exercitum, & omnibus uiribus Dauidem ueteranum aggrediendum. Placuit Chuſæi conſilium Abſolomo: & interim per Achimaam Sadoci, & Ionathanem Abiatharis filios, certior factus de ea re Dauid, Iordanem traiecit incolumis, & ab Iſraelitis amicè ſuſceptus eſt. Achitophel ægrè ferens prælatum ſuo Chuſæi conſilium, laqueo ſibi guttur fregit. 2. Reg. 15. & 17.

ELERICHVS Bulgarorum princeps, à ſuis familiarib. prodi ſe intelligens, in hanc ſententiā Conſtantino Copronymo Imp. ſcribit: Conſtitui profugere, & me ad te recipere. Itaq; mihi omnia tuta fore, literis miſſis confirma: ac ſignifica quos hic habeas amicos, ut eorum fidei me credens, unà cum ipſis ad te perueniam. Hac fraude Bulgari Copronymus circumuentus, nomina amicorum perſcripſit: quos Elerichus omnes perdidit. Cedrenus.

*Exilij.*

CARTHAGINENSES, cùm animaduertiſſent Alexandri ita magnas opes, ut Aphricæ quoq; immineret: unum ex ciuibus uirum acrem, nomine Hamilcarem Rhodinum, iuſſerunt ſimulato exilio ire ad regem, omniq; ſtudio in amicitiam eius peruenire. Qua is potitus, conſilia eius nota ciuibus ſuis fecit. Frontinus lib. j. cap. 2.

*Mendicitatis.*

AMEDEVS Berengarij, ab Hugone rege Italia eiecti, comes, mendici habitu Italiam ingreſſus, cum principibus de recipiendo Berēgario egit. Hugo certior factus de Amedei ſtratagemate, eum ſtudioſè inquiri iubet. Amedeus barbā pice adeò defœdauit, capillos ſubaureos nigredine immutauit, faciem deturpauit, ut inter pauperes, regis in præſentia comedentes, ſe regi nudum oſtēderet, & ueſtem ab eo qua indueretur acciperet: & quicquid rex de Berengario & ſe loqueretur audiret. Hoc modo cunctis diligentiſſimè perſcrutatis, per inuia loca à nemine cuſtodita ad Berengariū rediit. Luitprandus lib. 5. cap. 8.

## HOSTIVM NVNCIOS, EXPLORATORES, DEprehendere, arcere, circumuenire.

*Conſule Tit. Hoſtem terrere confidentia. ubi exempla quædam exploratorum deprehenſorum reperies, qui non uiolenta, ſed blanda ratione circumueniuntur, ut ad ſuos reuerſi, terrorem illis incutiant.*

CHARES in exercitu ſuſpicatus exploratores uerſari, præſidium foris collocauit, mandauitque, ut unuſquiſque proximum apprehenderet: neque antè dimitteret, quàm dixiſſet quiſnam eſſet, & cuius ordinis. Ita factum eſt, ut caperentur exploratores, cùm neque ordinem, neque manipulum, neque contubernium, neque ſignum indicare poſſēt. Polyænus libro 3.

THEOGNIS exploratores in caſtris eſſe ſuſpicatus, extra uallum pręſidio conſtituto, mandauit, ut quilibet in ſuis armis permanerent: cumq; diuiſi ac diſtributi eſſent, facilè exploratores deprehendit. Polyænus lib. j.

POMPISCVS, quò citiùs exploratores hoſtium caperentur, paucas uias habebat, ad quas in excelſo loco caſtra ponebat: iiſque qui prædatum exirent, præcipiebat, ut uia trita inſiſterent. Exploratores haſce uias cauentes quaſi perſpicuas, celeriter capiebantur. Polyæn. lib. 5.

Chriſtiani Latini Antiochiam Syriæ metropolim oppugnabant. Sed cùm in caſtra confluerent Græci, Cappadoces, Armenij, Syri, & aliæ præterea gentes, quæ noſtræ religionis eſſent, nec excludi à noſtris ſacram profeſſi militiā uenientes piè poſſent: Turcæ, aut Turcicarum rerum ſtudioſi, periti linguarum earum inſtitutorumque, mutato cultu caſtra ingrediebantur: conſiliaq; Latinorum explorata perferebant ad ſuos: ut nihil iam arcanum foret. Cùm ea de re duces concilium haberent, cenſerentq; aliqui conſtituendum eſſe ſanctius ac magis arcanum pauciorum delectiſſimorumque concilium: BOEMVNDVS Tarentinus dux, Ego, inquit, uos hac cura leuabo. Proripienſque ſe è cœtu procerum, produci iuſſit, quos Turcarum captiuos in cuſtodiā tradiderat. Inſolens, ac neſcio an ferum inhumanumq; factum proditur, hos pro caſtris propalàm iugulatos ueribus figi, & ſubiectis prunis torreri eum iuſſiſſe, mirabundiſq; omnibus clara uoce dici, Id eſſe Boemundi obſoniū, pœnaſq; de ſpeculatoribus exploratoribuſq; ſumtas. Atrocitas ea, res Latinorum ignoratiores Barbaris ſecundùm eam diem fecit. Aemilius lib. 4.

CHRISTIANI Tyrum obſidētes tabellariam columbā clamore ſuo intercepere. Vid. Tit. ſeq. Auxilia miſſa occultare.

Magnus TAMBERLANES ſiue Temires, exercitum ſuum in decumas & manipulos cohorteſq; diuiſit, & ad nutum decurionum adeſſe curauit: peregrinos à certo homine hoſpitio ſuſcipi iuſſit. Veſpera appetente, accipientes milites ſignum à duce ſuo magno, ſinguli maturabant iter ad tentoria, & ad contubernales ſuos. Vigiles in caſtris oberrantes, ſi quem inuenirēt extra tentoria, ſupplicio capitali afficiebant. Si quis explorator in caſtra ueniſſet: is, ut cui nullus eſſet adſcriptus locus, extra tentoria cubare cogebatur, atq; ita à uigilibus opprimebatur. Chalcondylas lib. 3.

## IMPERATORIS HOSTIVM FIDEM SOLLICITARE, MVNERIBVS, GRATIA, ETC.

*Conſule Tit. Proditorum.*

Cùm Iones à rege Dario defeciſſent, Artaphernes præfectus Sardium cum nauibus ſexcentis Miletum obſedit. Iones CCCLXIII triremes habebant. Quibus cùm ſe impares fore metuerent PERSÆ, conuocarunt Ionū tyrannos exules, eoſq; hortati ſunt, ut cum popularib. ſuis collocuti, eos à reliquis ſociis abducerent, promiſſa impunitate: ſin minus parērent, ipſos prælio uictos in ſeruitutem rapiendos, pueros caſtrandos, uirgines in Bactra ad regem tranſportandas. Iones his uerbis perſuaſi, maiori ex parte diſceſſere, Samij ſcilicet, & Lesbij. At Chij, qui centū naues habebant, uirtutem ſuam & ſociis & hoſtibus teſtatam reliquerunt, multitudine tamen hoſtium circumuenti ſunt. Herodotus libro ſexto.

Megarēſes duce Spartanorum rege Pliſtonacte, Atticos fines ingreſſi populabantur. PERICLES manum cum multis & fortiſſimis militibus conſerere noluit. Sed cùm uideret Pliſtonactem admodum adoleſcentem eſſe, & conſilio præcipuè uti Cleandridæ, quem cuſtodem Ephori & conſultorē ei propter ætatem adiunxerant, ſolicitauit eum clàm, breuiq; delinitum muneribus induxit, ex Attica terra ut abduceret Peloponneſios. Exercitu reducto & per oppida dilapſo, offenſi Lacedæmonij, regi multam pecuniariam dixerunt: cuius ſummæ cùm ſoluendæ non eſſet, exilio ſolū uertit. Cleandridā, qui profugerat, rei capitalis damnauerunt. Pater hic fuit Gylippi, qui Athenienſes in Sicilia contudit. In rationes expeditionis huius ſumtum decem talētorum retulit Pericles utiliter expenſum, *ἐς τὸ δέον ἀνήλωσα*, inquiens: quod populus, non anxiè perſcrutato uel excuſſo arcano comprobauit. Sunt qui ſcriptum reliquerunt, inter quos eſt Theophraſtus philoſophus, dena talenta quotannis miſſitata à Pericle Spartam, quibus omneis qui in magiſtratu erant auctorans, bellum amolitus eſt: haud redimens pacē, ſed ſpacium, quo præparatis per otium omnibus, bellum erat commodum geſturus. Plutarchus in Pericle. Tranſiit hoc ipſum in prouerb. Sic Ariſtoph. in Nebulis: *ὥσπερ Περικλέης εἰς τὸ δέον ἀπώλεσα*, Ita ut Pericles perdidi in quod oportuit. Eraſmus in Adagiis.

PHILIPPVS oppido Samiorum excluſus, Apollonidi præfecto eorum ad proditionem corrupto perſuaſit, ut plauſtrū lapide quadrato oneratum in ipſo aditu portę ſiſteret: confeſtim deinde ſigno dato inſequutus, oppidanos circa impedita portæ clauſtra oppreſſit trepidantes. Frontinus lib. 3. capite tertio.

LYSIMACHVS rex Macedonum, cùm Epheſios oppugnaret, & in auxilio haberent Mandronem archipiratā, qui plerunq; oneratas præda naues Epheſum appellebat: corrupto ei ad proditionem, iunxit fortiſſimos Macedonū, quos ille reſtrictis manibus pro captiuis Epheſum introduceret. Hi poſtea raptis ex arce armis urbem Lyſimacho tradiderunt. Ibidem.

Brutiorum præſidiariorum præfectus, ſcorti, fratrem in Fabij caſtris habētis illecebris, Q. FABIO Max. Tarentum obſeſ-

ſum prodit. Sabellicus lib. 4. Enneadis 5. & Plutarchus in Fabio, & Liuius lib. 7. Dec. 3.

Sub Carolo VI. rege ſtulto, ob CAROLI Delphini (qui pòſt regno ſucceſſit, & VII. appellatus eſt) & Ioannis Burgundiæ ducis inimicitias, Gallia miſerè afflicta eſt. Ioannes Villarius Lutetiam cum rege obtinuit, & Burgundo tradidit. Armeniacus M. Eq. & Erix Marla Cancellarius interfecti, ægrè Carolus Delphinus euaſit. In conſpectu Delphini ad Monterigolum agere uolentis de pace, dux Burgundiç occiſus eſt. Philippus Burgundiæ dux, cum Henrico Angliæ rege iuncta ſocietate, in patris ſui ultionem, regem, reginam, Lutetiam, & quicquid ſuæ factionis habebat, in manus ei tradidit, & in Tricaſſibus Catharinam regis Caroli filiam nubere illi coëgit, ea lege, ut ij eorumque liberi Franciæ regno ſuccederent, & Henricus interea maritus rex Angliæ, & rector Franciæ cognominaretur. Delphinus exhæredatus & proſcriptus, cùm intelligeret nihil commodiùs ad uictoriam quàm coniunctos hoſtes diducere: Burgundionē Anglis minimè gratum, ab iis quæ affectabat repulſum, ad ſe pertraxit. Lutetia ab Anglis uindicata. Villarius quàm perfidioſum in ea capienda, tam ſtrenuum in ea recuperanda ſe præſtitit. Vniuerſam Normaniam poſt annos XXX, ex quo ab Anglis ſubacta fuerat, recuperauit. Tandem è Francia omnino expulſi, pręter Calitium & aliquot uicina loca nihil poſſederunt in Gallia.

Chronicon Francorum.

## IMPERATORIS HOSTIVM FIDEM ELEVARE, & ſuſpectam reddere.

ALEXANDER, cùm in Aſiam tranſiſſet, Memnonem hoſtiũ ducem Perſis ſuſpectum fecit. Imperabat enim egredientibus ad prædandũ Macedonibus, ut à Memnonis agris abſtinerent. Polyænus lib. 4.

CASSANDER Olympiadem concluſam in Pydnam Macedoniæ ciuitatem, bello oppugnabat. Polypercon noctu miſit pentecontorum proximè appellentem, Olympiademq; ut eum conſcenderet, per literas hortabatur. Tabellarius captus, & ad Caſſandrum adductus, confitebatur qua de cauſa miſſus eſſet. Ille literas obſignatas Polypercontis ſigillo, eum introferre iuſſit, neq; dicere quòd Caſſander eas legiſſet. Qui cùm introferret, Caſſander pentecontorum interceptũ de medio remouit. Olympias habita fide Polypercontis ſigillo & literis, ſub noctem ex urbe progreſſa, cùm pentecontorum non reperiret, inſigniter doluit, & ſe à Polyperconte quoq; deceptam exiſtimauit: atq; ſeipſam, urbemq; Pydnenſium Caſſandro tradidit. Polyæn. lib. 4.

DIONYSIVS tyrannus obſeſſus à Dione in arce Syracuſis, cùm in ſua poteſtate haberet Dionis filium Hipparinum, eius nomine ſcripſit epiſtolam ad Dionem. Quam non permittentibus ſolui publicè Syracuſanis, Dion inuitis illis ſoluit. Dionyſij erat, uerbis quidem Dionem, ſed re Syracuſanos alloquentis. Habebat illa quidem precum & cauſationis ſpeciem, ſed erat ad premendum compoſita Dionem. Commemorationes complectebatur eorũ, quæ pro tyrannide geſſiſſet ſtrenuè, minas aduerſus chariſſima pignora, ſororem, filium, coniugem, miſeraſq; admiſta lamentatione obteſtationes: & quod cõmouit eum maximè, petebat, ne euerteret, ſed ſuſciperet tyrannidem: neq; infeſtis ipſi hominibus & præteritarum iniuriarum memoribus reſtitueret libertatem, uerùm acciperet ipſe dominatũ, præſtaretq; amicis & neceſſariis ſecuritatem. His recitatis non ſubiit, ut par erat, Syracuſanis, infractum animum & celſum obſtupeſcere Dionis, qui pro honeſto & uirtute renitebatur aduerſus eiuſcemodi neceſſitudines: ſed ſuſpicionis & formidinis inde ſumentes exordium, quaſi arctis uinculis ille conſtringeretur ad parcendum tyranno, uerterunt ſe iam ad alios duces, ac potiſſimùm ad Heraclidem. Plut. in Dione, & Polyænus lib. 5.

HANNIBAL Q. Fabium Maximum, cui neq; uirtute neque artibus bellandi par erat, ut infamia diſtringeret, agris eius abſtinuit, cæteros populatus. Contrà ille, ne ſuſpecta ciuibus fides eſſet, magnitudine animi effecit, publicatis poſſeſſionibus ſuis. Val. lib. 7. c. 3. & Plut. in Fabio.

Ad Antiochum Syriæ regem bello uictus Hannibal confugerat, eratq; apud eum honorificentiſſimè particeps conſiliorum omnium: quoniam Romana bella meditanti, nullus magis idoneus conſultor occurrebat. Eò igitur, pendente belli apparatu, Romana legatio profecta eſt, in qua P. VILLIVM fuiſſe traditur. Is periculoſiſſimum ratus, ſi potentia regis, conſilio Hannibalis diutiùs fulta foret, penſata credulitate ac uanitate regia: & exiſtimans, id quod erat, Hannibalem ut externum hominem, inter aulicos inuidioſum ac ſuſpectum fore: ex eo gradu, quem ad regem obtinebat, improuiſum deiicere adortus eſt, fecitq; ex aſtu facili. Siquidē aſſiduè apud Hannibalem uerſatus, omne quamuis leuiſſimum uerbum auribus eius inſuſurrans, frequẽti nimiumq; domeſtico colloquio, & æmulis criminandi, & regi ſuſpicandi præbuit materiam. Ita factum eſt, ut Hannibal è concilio eijceretur: etſi poſtea in gratiam redierit: quia tamen id nimis ſerò accidit, & regi grauiorem caſum, & Romanis faciliorem peperit uictoriam. Front. Plut. in Flaminio.

## AVXILIA NE MITTANTVR HOSTIBVS, PRAECAVERE.

PLATÆENSES, cùm à Lacedæmoniis oppugnarentur, noctu uallum aggrediebãtur. Lacedæmonij, ſublatis ignibus hoſtilibus ad Thebas, auxilium uocabant. Platæenſes ex urbe contrà ignes amicos excitarunt, ut ignium ambiguitate decepti Thebani, ab ope ferenda deſiſterent. Sic ignib. contrariis in dubitationem coniecti Thebani, auxiliũ ferre intermiſerunt. Polyænus lib. 6.

ANTIGONVS Rhodum oppugnans, filium ſuum Demetriũ Poliorcetē oppugnationi præfecit, promulgans ipſos Rhodios ubiuis locorum extra Rhodũ ab omni periculo liberos. Omnibus etiam circa Syriam, Phœniciam, Ciliciã, Pamphyliam mercatoribus ſecuritatē per mare reliquum conceſſit, modò ne in Rhodum appellerent: ut ſic omnibus auxiliis deſtitutam Rhodum faciliùs excinderet, cùm miſſi eis à Ptolemæo ſocij non ſatis uirium haberent ad reſiſtendũ. Polyænus lib. 4.

DEMADES orator partibus Macedonum fauens, cùm eſſet quæſtor, populo Athenienſi perſuaſo, ut iis qui ab Alexandro deſciuerant, triremes auxiliares mitteret, iubentiq; ut illicò pecunias depromeret: Paratæ ſunt, inquit, pecuniæ, ô uiri Athenienſes, quas in congios depoſuerã, ut ſinguli minæ dimidium acciperetis. Verùm ſi has mauultis in hunc uſum erogari, per me quidem, ut ueſtris ſicubi lubet, utamini, licet. Hoc ſermone fregit impetum populi, nolentis illa diſtributione ſpoliari. Plut. in Apoph.

MAGO dux Carthaginenſium, uicto Cn. Piſone, & in quadã turri circumſepto, ſuſpicatus uentura ei ſubſidia, perfugam miſit, qui perſuaderet appropinquantibus, captum iam Piſonem. Qua ratione deterritis eis, reliqua uictoriæ conſummauit. Frontinus lib. 3. c. 6.

ATILA Hunnorum rex, à Genſerico Vandalo contra Theodericum Veſtgothũ euocatus, ſuapte natura aſtutiſſimus, cupiens & Romanum Imperium ſubuertere, & Gallias occupare: oratores Valentiniano Imp. mittit, qui benignè eum alloquentes nunciarent, ſe bello accingi contra Theodericum Veſtgothorum regem: inſtituiſſeq; delere gentem, publicæ pacis turbatricem: nihil ſibi cum Romanis eſſe, & uiros eos fortes ac bonos credere: quibus, ſi uellent, uires & conſilia ſe communicaturum. Similem legationem Theoderico in Gallias miſit, ſperans ſeparatim ſe utrunq; colliſurum. Aetius Patricius Valentiniani dux, hæc longè antē præuidens, miſſis legatis Theodericum regem certo fœdere Romanis coniunxit. Cuſpinianus ex Paulo Diacono.

## AVXILIA HOSTIBVS MISSA AVERTERE, PRIVSQVAM CONIVNGANTVR INTERCIPERE, Ne aduentantia reſciſcant occultare.

DEMETRIVS Poliorcetes Salaminem oppugnabat in Cypro, centum & ſeptuaginta triremibus. Ptolemæi dux Menelaus ſexaginta nauibus urbem tenebat ac tuebatur, atq; ipſum Ptolemæum cum centum & quadraginta nauibus uenturum expectabat. Demetrius nequaquam æqualis ad pugnandũ cum nauib. ducentis, terram ſupra Salaminē legens, ſub præcipitio ſtationē figēs, in inſidiis occultabatur. Cùm uerò Ptolemæus ignarus eorum qui poſt præcipitiũ latitabant, in portum ſubductionibus commodum & apertum adpelleret, atque milites iam exponeret, reuerſus exercitus Demetrij ſuperuenit, & ſine mora in naues Aegyptias modò ſubductas impetum facit. Itaq; mira celeritate uictoria parta eſt. Ptolemæus enim repentè ſe fugæ mandabat. Menelaus uerò cùm ſoluiſſet è Salamine, ad ſocios periculo liberandos, etiam ipſe ſe fugienti Ptolemæo comitem præbuit. Polyæn. lib. 4.



ANTALCIDAS in Abydo cum maiore claſſe deſidens, cùm Atticas triremes in Tenedo appellere cognouiſſet: metuentes Byzantium traiicere ad Iphicratem, nũciante quodam, Iphicratem oppugnare Chalcedonios, ſocios & amicos: præcepit ſuis, ut ad Chalcedonem naues dirigerent, ſoluenſq; ad Cyzicenam terram in inſidiis delituit. Qui uerò in Tenedo erant, audita ſolutione Antalcidæ, confeſtim ad Iphicratem nauigare inſtituerunt. Poſtquam autem ad hoſtium triremes occultatas uenerunt, Antalcidas repentinò impetu Atticas inuadens, aliquas ſubmerſit, plurimis uerò potitus eſt. Polyæn. lib. 2.

DEMARATI Spartani conſiliũ Xerxi datũ de Lacedęmoniis domeſtico bello uexandis è Cythera inſula, ne Græcis reliquis auxilium ferre poſſent, Herod. libro 7. deſcripſit. pariter ARTEMISIA Cariæ regina cõſiliũ de exercitu pedeſtri in Peloponeſum transferendo ſaluberrimũ dedit: cui ſi Xerxes relicta claſſe paruiſſet, nequaquam tantam cladem ad Salaminem paſſus fuiſſet. Herod. lib. 8.

Bello Punico ſecundo conſules facti duo peritiſſimi belli duces, M. LIVIVS & Cl. NERO, partitis inter ſe copiis in prouincias profecti ſunt: Claudius in Salentinos aduerſus Annibalem, Liuius in Galliam aduerſus Aſdrubalem Barchinum, qui ſuperatis Alpibus, ingentibus peditum equitumque copiis iungere ſe fratri properabat. Claudius non longè à Venuſia habebat caſtra, & interceptis hoſtium literis cùm Aſdrubalem appropinquare cognouiſſet: dies noctesque agitabat animo, quibus modis efficere poſſet, ne tantorum ducum copiæ ſimul iungerentur. Itaque omni ratione ſubducta, conſilium cepit, periculoſum, ut apparebat, futurum, ſed forſitan eo tempore neceſſarium. Nam ſub legati cuſtodia caſtris relictis, ipſe cum parte exercitus magnis itineribus in Picenum profectus, ſexto die Senam peruenit. Ibi conſules ambo iunctis copiis propter Metaurum flumē Aſdrubalem adorti, ſecundiſſimo prælio conflixerunt. Ad quinquaginta ſex hoſtium millia eo die cæſa dicuntur, paremq; propè aiunt acceptæ ad Cannas, redditam hoſti cladem. At Claudius Nero poſt hãc memorabilem uictoriam non minùs celeriter quàm profectus erat, Venuſiam repetens, caput Aſdrubalis propè ſtationes hoſtium poni, captiuoſq; dimitti iuſſit, qui tantæ calamitatis nuncium ad Pœnum deferrent. Nam cum ignorare compertum eſt, quæ parata primùm occultis conſiliis, quæ deinde acta proximis diebus fuerant. In quo mirari libet, callidiſſimi ducis Annibalis ſolertiam ſic deceptam fuiſſe à Claudio in tam modico caſtrorum interuallo, ut priùs cæſum cum omnibus copiis fratrem, quàm profectum reuerſumq; in caſtra conſulem Romanum ſciret. Auctor uitæ Annibalis, & Front. lib. 1. cap. 1. & Valer. Max. lib. 7. cap. 4.

Cùm Lauronem Hiſpaniæ urbem obſideret Q. SERTORIVS, mouit eò omnibus copiis Cn. Pompeius ad ferendam urbi opem. Inde Sertorius ad occupandum tumulum, qui erat aduerſus urbem opportunus, alter ad id prohibendum properabat. Cùm præueniſſet Sertorius, Pompeius admoto exercitu gauiſus eſt ita cecidiſſe, inter urbem & copias ſuas Sertorium ratus deprehenſum: miſſiſq; ad Lauronitas nunciis, bono animo eos eſſe iuſſit, atq; in muris conſidere ſpectantes Sertorium obſideri. Sertorius eo nunciato riſit: & ſe diſcipulum Syllæ (ita enim Pompeium per ludibrium appellabat) ait docturum, debere imperatorem plus reſpicere quàm proſpicere. Simul ut hæc dixit, oſtendit obſeſſis ſex millia peditum ab ſe relicta in prioribus caſtris, ex quib. egreſſus tumulum illum occupauerat, quo uerſum in ſe à tergo aggrederentur Pompeium. Quod admodum ſerò Põpeius animaduertens, cùm adoriri Sertorium non auderet, quòd metueret, ne circumueniretur, relinquere autem periclitantes ſocios uerecundia deterreretur: præſens & deſidens ſpectator eſſe cogebatur pereuntium. Deplorata enim re ſua, Barbari in deditionem ſe Sertorij permiſere: quorum uitæ pepercit, dimiſitq; cunctos. Vrbem uerò incendio nulla quidē ira aut crudelitate (quippe inter imperatores minimè indulſit hic uir irę) ſed ad pudorē & opprobriũ eorum, qui Pompeium in admiratione habebant: ut increbreſceret inter Barbaros fama, eum aſſidentem & tantùm non calefactum ſociorum incendio, non ſuccurriſſe. Plut. in Sertorio.

C. IVL. Cæſar in Sequanis Vercingentorigem Gallorum ducem magna ſtrage ſuperauit. Ex illis, qui ex acie refugerãt, pleriq; cum rege receperunt ſe in oppidum Alexiam. Hanc circumſidenti Cæſari, quam altitudine murorum & defenſorum multitudine apparebat eſſe inexpugnabilem, occurrit extrà maius quàm exprimi poſſit periculum. Nam fortiſſimi quiq; Galliæ ex omnibus collecti nationibus trecenta millia numero, Alexiam uenêre. Armati in urbe erant non intra centum ſeptuaginta millia. Itaq; in medio tanti belli Cæſar deprehenſus obſeſſusq;, duplicem murum obiicere neceſſe habuit: unum contra oppidum, alterum ex aduerſo illis, qui recèns aduenerant: quæ uires ſi coniungerentur, omninò de Cæſare putabatur actum. Hoc ad Alexiam diſcrimen multis de cauſis ei haud immeritò gloriam tulit, quòd uirtutis & conſilij exempla ibi, qualia certè nullo alio ediderit certamine. Mirificum fuit autē inprimis, quòd illos, qui in oppido erant, latuerit, conflixiſſe cum tot millibus Cæſarem, eoſq; ſuperaſſe: & uerò magis Romanos in ſtatiõe poſitos obuerſi oppido muri. Neq; enim uictoriam priùs ſenſere, quàm eiulatum ex oppido uirorum, mulierũque exaudirent planctum, contemplantium alius ex partib. multa auro & argento exornata ſcuta, multas ſanguine imbutas loricas, adhæc pocula & tentoria Gallica, quæ à Romanis deportabantur in caſtra. Tam breui momento adeò immenſa manus cæſis in acie pleriſq;, ſicut ſpectrũ uel ſomnium euanuit & diſſipata eſt. Qui Alexiam obtinebãt, poſtquam non parum negocij tam ſibi quàm Cæſari exhibuēre, tandem uenerunt in deditionem. Totius dux belli Vercingentorix, ſumtis ſpecioſiſſimis armis, cultoq; equo, exceſſit urbe, Cæſaremq; conſidentem in orbem circumuectus eſt. Ablato inde equo arma abiecit, atque ad pedes ſe Cæſaris reponens conticuit, dum in cuſtodiam ad triumphum eſt datus. Plut. in Cæſare.

IDEM ſumma uſus celeritate, ex Galliis Romam properauit, & imparatum adhuc Cn. Pompeium Italia expulit: LX dierum ſpacio ſine ſanguine Italia uniuerſa potitus, in Hiſpaniam traiecit, & copiis quæ illic erant, in fidem ſuam acceptis, Pompeium in campos Pharſalicos, ubi longè à mari eſſet, nec ſubſidium à claſſe habere poſſet, coniecit. Neque fuit peccatum Pompeij maius, neq; conſilium callidius Cęſaris, quàm quòd tam procul à ſubſidio nautico prælium retraxerit. Plut. in Pompeio.

Cùm FRANCISCVS Sforcia, Philippi Mediolanenſis copiarum dux, ſciret, in Pado Venetos plura habere eius generis nauigia, quæ in bellicum uſum inſtructa erant: ipſe noctu cum magno equitum numero in Philippi naues conſcēdit, & ne idem ab Carmaniola Venetorum imperatore ageretur, pro transfugis quoſdam è peditatu ſuo miſit, qui Carmaniolæ nunciarent, Sforcianos in armis eſſe, ut cum illo ipſo tempore adorirentur. Itaq; ne ſuos Carmaniola diuideret, opem nullam claſſi Venetæ miſit, & ob eam rem prælio uicta claſſis, ex magna parte incenſa atq; capta fuit. Fulgoſus lib. 7. cap. 4. & Egnatius lib. 7. cap. 4.

Varimundus Antiſtes Hieroſolymorũ terra, Veneti mari, Tyrũ obſidentes, columbã aduolantem animaduertunt. Eã cùm tabellariã eſſe cognoſcerēt, clamorē tantum & terreſtres & nauales Latinorũ copię ſuſtulerũt, ut ales in terrã delaberetur. Dēta epiſtola Barbarorũ literis ad Tyrios exarata. Breui auxilia occurſura, bono animo eſſent, paucos dies obſidionem tolerarent. CHRISTIANI contrà alteram epiſtolam curarunt ſcribendam manu linguaq; eorum Barbarorum, quos in fide habebant: uolucriſq; cum ſubditiis fallacibuſque literis remiſſa: Sibi ex uſu præſenti obſeſſi conſulerent: uirtutem eorum fidemq; ſatis perſpectam: fortunã deeſſe, ſpem propinquam auxilij nullam oſtendi poſſe, interclusis ab hoſte itineribus. Dolo ceſſere Tyrij. Aemilius lib. 5.

Henricus III. Rom. Imp. in Vngariam ſuſcepta expeditione, Danubianæ claſſi Gebhartum epiſcopum fratrem præfecit. ANDREAS Vngariæ rex ea parte qua hoſtis iter facturus erat, aceruos frumentarios ac pabula cũcta cõburit, incolas & pecora abducit, ne qua prędę commeatúſue copia foret hoſti. Imperator in omniũ rerum egeſtatē incidit. E Iaurino interea præfectus claſſis tabellariũ ad Imperatorem mittit, qui ab Andrea interceptus eſt. Mox ad Gebhardum, Henrici nomine adulterinæ literæ remittuntur, claſſem ſolueret, & celerrimè Ratiſponam rediret, ad incurſiones hoſtium reprimendas. Præfectus iis literis deceptus, mandata peragit. Imperator ergo & commeatu & auxiliis deſtitutus, pacem cum Andrea fecit, & nunquam ſe ſuóſue contra Pannonas militaturos promiſit. Bonfin. lib. 2. Dec. 2.

Barbaruſſa pirata nobilis, cõuocata ſociorũ claſſe, Gades expugnare parabat. ANDREAS Auria Genuēſis piratarũ hoſtis ſummus, cùm alterã claſſē Algerij eſſe cognouiſſet: ſumma celeritate ad eã opprimēdã, priuſquã cũ altera iungeretur; cõuerſus, eò deſperatiõis piratas redegit, ut ſuas ipſi triremes, ne iis potiretur hoſtis, demergerēt. Auria præterquã quòd liberauit captiuos Chriſtianos ſupra octingētos, hoc certè facinore ſalutē Gadibus attulit. Iouius lib. 27. Hiſtor.

## HOSTES POST PVGNAM, CLADEM, CIRCVMVENIRE. VEL

### RETINENDO, NE FVGIANT.

TARTARI cæſo ad internecionem Belæ IV. Hung. regis exercitu, inuentoq; ad ſecretarij cadauer, dum legerent exuuias, regio ſigillo: ne cæteri Hũgariæ populi elaberentur, quoſdam iuuenes, quos in bello ſeruarant, adulterinas literas regis nomine ſcribere cogunt: quibus uniuerſos populos hortantur, ne domos ullo pacto deſerant, Deum potiùs exorẽt pro uictoria. Has literas Belæ ſigillo obſignatas, per Hũgariam ſpargunt. Qui ſuperfuerant, quum literis credidiſſent, pari immanitate abſumti ſunt. Bonfin. lib. 8. Dec. 2.

### FVGIENTES CAPIENDO.

IEPHTHA Iſraelitarum iudex, Ephraimitas hoſtes, Galaaditas ſe ſimulantes, ex ipſa pronũciatione argutè internouit. Inſecutus enim eos ad Iordanem uſq; in ripa fluuii deprehenſos, tranſitumq; petentes iuſſit, ut pronũciarent Schiboleth. At cùm illi gentis uitio Sibolech dicerent, ſuo indicio tanquam ſorices detecti, trucidati fuere. Iudicum cap. 12.

PHILOPOEMEN fuſò Nabide Lacedæmoniorum tyrãno, cùm hoſtes non ad urbem uideret fugam intendentes, ſed per agrum alium aliò delabentes (erat autem ſaltuoſus, mõtoſus, & equitatui ob riuos & lacunas incommodus) cecinit receptui, caſtraq; luce adhuc metatus eſt. Quia uerò coniectura proſpiciebat, hoſtes ex fuga ſingulos uel binos per tenebras in urbem ſe ſubducturos, in riuis & collibus urbi uicinis frequentes Achæos cum gladiis condit: ubi contigit plurimos Nabidis milites cadere. Quippe non recipiebant ſe confertim, ſed ut quoſq; conglobauerat fuga, auium more in manus hoſtiles delabentes, circa urbem capiebantur. Plut. in Philopœmene.

M. BRVTVS, Cæſare interfecto, Lyciam petierat, pecuniam & milites poſcens. Lycios uehementer repugnantes, coactos intra muros Xanthi obſederat. Illi ſub amne urbẽ præterfluente tranantes fugam capiebant. Verùm exceptiretibus fuerunt tranſuerſo alueo in altum demiſſis, quorum in ſummo tintinnabula appenſa illicò irretitum nunciabant. Plutarchus in Bruto.

Poſt cladem Creſciacenſem (qua nulla funeſtior Francis contigit) cùm matutina caligo exorta in multùm diei lucem obſcuraret: ANGLI quæ ſigna de Francis ceperant, locis editiorib. propoſuêre. Ad quam illecebram, certiore tandem luce, qui ex Franco exercitu aut per errorem uagabantur, aut uulneribus aut ſimulata morte retenti fuerant, tãquam ad ſuos lati, ab hoſte ſunt oppreſſi. Aemilius lib. 9.

## ROBVR HOSTIVM ENERVARE.

*Hoſtis robur eneruamus uel Dolore uel Voluptate. Dolorum alij ſunt (ex Medicorum ſententia) Non naturales, qui in rebus non naturalibus ſpectantur: nempe in Aere, ex Calore & Frigore: in Cibo & Potu, ex Inedia: in Somno & Vigilia: in Motu & Quiete, ex Defatigatione. Alij uerò Contra naturam, ut qui ex Vulneribus, Morbis, & conſimilibus oriuntur. Iam uerò Voluptates in iiſdem rebus conſiſtunt, eædemq; non minus uirium reſoluendo, quàm dolores abſumendo, exhauriunt.*

### LABORE, VIGILIIS.

IPHICRATES Athenienſis, quia explorauerat, eodem aſſiduè tempore hoſtes cibum capere, maturiùs ueſci ſuos iuſſit, & eduxit in aciem: aggreſſuſq; hoſtem ita detinuit, ut ei nec confligendi nec abeundi daret facultatem. Inclinato deinde iam die, reduxit ſuos, & nihilominus in armis retinuit. Fatigati hoſtes non ſtatione magis quàm inedia, ſtatim ad corporis curam & cibum capiendum feſtinauerunt. Iphicrates rurſus incompoſiti hoſtis aggreſſus eſt caſtra. Front. li. 2. cap. 1. & Polyæn. lib. 3.

TIMOTHEVS dux Athenienſium, cum Cyrenſibus aliiſq; ſociis contra Lacedæmonios exercitum ducens, naues XX optimè nauigantes primo loco collocauit: iubens, ut inſtructo ordine reliquæ quietem agerent. Cùm priores nauale prælium facerent, planè defeſſis iam hoſtibus, ſignum quieſcentibus extulit. Qui recentes adhuc & integri, facto impetu defeſſos in fugam uerterunt. Iidem.

IDEM, naualem pugnam ad Leucadem initurus cum Nicolocho Spartiata, præcepit ut pleraq; nauium implementa ſupra terram iuxta mare requieſcerent: & cum uiginti optimè nauigantibus ſoluens, mandauit trierarchis, ne intra teli iactum cum hoſtium triremibus congrederentur, ſed declinarent & tergiuerſarentur de induſtria, ut hoſtium remiges defeſſos redderent. Cùm igitur hæ tergiuerſarentur, atq; illæ præ æſtu ac labore ſoluerentur: Timotheus receptui cecinit, & eos qui ſupra terram quietem egerant, remigibus egredi iuſſis, in naues impoſuit: atq; celeriter hoſtes defatigatos perſecutus, multas ipſorum triremes partim ſubmerſit, partim inutiles ad nauigandum reddidit. Polyænus lib. 3.

CHABRIAS in Laconicam faciens impreſſionem, noctu fluuium tranſgreſſus, multa præda capta, eam trans fluuium in amicam & ſociam terram miſit. Ipſe uerò cum reliquis militibus cibum ſumere iuſſis, remanſit uſque ad meridiem, hoc ipſum expectans, quod etiam contigit. Nam Lacedæmonij re cognita, ad prædam in fluuio recuperandam egreſſi ſunt: & cùm ſummo ſtudio ducenta ſtadia percurriſſent: defeſſi, inordinati, diſtractique, ad pugnam inutiles erant. At ille ſuos milites cœnatos, quiete refectos, atque ordinatos adducens, ſine negotio multos ex hoſtibus interfecit. Ibidem.

CRATERVS, Tyriis, Macedones in muniendo uallo occupatos adorientibus, mandauit, ut retrocederent. Poſtquã uerò Tyrij longa perſecutione uehementer eſſent defatigati, ſignum dedit ſuis, ut conuerſi in eos impetum darent: ſtatimq; factum eſt, ut perſequentes fugerent, & fugientes perſequerentur. Polyæn. lib. 4.

EPAMINONDAS Thebanus, cùm Lacedæmonij ad Athmon uallo ducto Peloponneſum tuerentur, paucorum opera leuis armaturæ, tota nocte inquietauit hoſtem: ac deinde prima luce uocatis ſuis, cùm Lacedæmonij ſe recepiſſent, ſubitò uniuerſum exercitum, quem quietum habuerat, admouit: & per ipſa munimenta deſtituta propugnatoribus irrupit. Front. lib. 2. cap. 5.

VIRGINIVS Coſſ. cùm procurrere Volſcos hoſtes effuſos ex longinquo uidiſſet: quieſcere ſuos ac defixa tenere pila iuſſit. Tunc anhelantes, integris uiribus exercitu ſuo aggreſſus, auertit. Front. lib. 2. cap. 1.

P. SCIPIO in Lydia, cùm die ac nocte imbre continuo uexatum exercitum Antiochi uideret, nec homines tantùm aut equos deficere, uerùm arcus quoq; madentibus neruis inhabiles factos: exhortatus eſt fratrem, ut poſtero, quamuis religioſo die, committeretur prælium. Quam ſententiam ſecuta uictoria eſt. Front. lib. 4. cap. 7.

L. AEMILIVS Paulus, uniuerſis Liguribus improuiſo adortis caſtra eius, ſimulato timore militem die continuit: deinde fatigato iam hoſte, à quatuor portis eruptione facta, ſtrauit cœpitq; Ligures. Front. lib. 3. cap. 7.

C. TIBERIVS Nero aduerſus Pannonios; cùm Barbari feroces in aciem oriente ſtatim die proceſſiſſent, continuit ſuos, paſſuſq; eſt hoſtem nebula & imbribus, qui fortè illo die crebri erant, uerberari: ac deinde, ubi feſſum ſtando & pluuia, non ſolùm animo, ſed & laſſitudine deficere animaduertit, ſigno dato adortus, ſuperauit. Front. lib. 2. cap. 1.

HANNIBAL aduerſus Iunium dictatorem, nocte intempeſta ſexcentis equitibus imperauit, ut in plures turmas ſegregati, per uices ſine intermiſſione circa caſtra hoſtium ſe oſtentarent. Ita tota nocte Romanis in uallo, ſtatione ac pluuia, quæ fortè continua fuerat, inquietatis confectiſq;, cùm receptui ſignum iam Iunius dediſſet, Hannibal ſuos quietos reduxit, & caſtra eius inuaſit. Front. lib. 2. cap. 5.

C. MARIVS, aduerſus Cimbros ac Teutones cõſtituta die pugnaturus, firmatum cibo militem ante caſtra collocauit: ut per aliquantũ ſpacij, quo aduerſarij dirimebãtur, exercitus hoſtium potiùs labore itineris profligaretur. *Polyæn. lib. 8.*

IDEM uictis prælio Teutonibus, reliquias eorum (quia nox circumuenerat) circumſedẽs, ſublatis ſubinde clamoribus, perpaucos ſuorum territauit, inſomnemq; hoſtem detinuit. Ex eo conſecutus eſt, ut poſtero die irrequietum faciliùs debellaret. Front. lib. 2. cap. 9.

Volſci tertia noctis uigilia Romana caſtra oppugnare adorti. P. QVINTIVS conſul ſedato tumultu, qui ſub primum hoſtium acceſſum inciderat, cohortem iubet antè uallum inſtructam ſtare, ibiq; cornicines tibicineſq; equis ſedentes, per reliquum noctis canere. Id tempus in caſtris quieti datum. Interim uerò equorum hinnitus concẽtuſq; tubarum & lituorum tanquam Rom. iamiam in prælium erupturo hoſtem ſollicitum habuit. Vbi autem illuxit, Quintius militem ſatiatum ſomno in prælium mittit: miſſus feſſum hoſtẽ ſtando, peruigilioq; noctis affectum, primo impetu fudit. Sabell. lib. 3. Ennead. 3.

HELVETII ad Nouariam cum Gallis dimicaturi, tympana tota nocte pulſari & circumferri per urbem iuſſere: ut ſpeculatoribus; ſi qui adeſſent, exeundi ſpeciẽ præberent: ideoq; hoſtes, quos tota die in armis fuiſſe conſtabat, etiam nocte eadem inſtructos in equis diſtinerent. Imperator interea omnibus cibo & ſomno corpora firmare, & lucem operiri edixit, ut Gallos uigiliis, inedia & labore confectos, faciliùs opprimerent. Iouius lib. 11.



Bello Florentinorum contra Piſanos, Franciſcus Siccus ad opprimendum LVCIVM Maluetium Piſanorum ducem noctu feſtinabat. Lucius intellecto eius conſilio, hoſtem ſuiſmet artibus circumuenturus, per totam noctem ei obuiam profectus, inalbeſcente demùm cœlo, ad Florentinos peruenit, tarditatem ſæpè militum caſtigans uerbis, & ſeipſum incuſans, quòd noctis breuitate deceptus, manifeſta iam in luce, rei benè gerendæ occaſionem amiſiſſe uideretur. Sed ut in bellicis rebus accidit, in quibus fortunam omni prudẽtia maiorem ſæpè experimur: ſecus ac ipſe putauerat, ſibi ſecunda omnia, hoſti uerò maximè aduerſa contigerunt. Siccus enim cùm paulo antè per ſpeculatores Lucium ſuos arma capere, paratoſq; eſſe ad profectionem iuſſiſſe cognouiſſet: inſtratis frenatiſq; equis totam noctem inſomnẽ duxerat, ne ab inquieto acerrimoq; hoſte imparatus opprimeretur. Oriente autem iam ſole, nihil de inſidiis ampliùs dubitando, milites corpora ſimul & equos curare permiſerat: ſic ut tum primùm Lucij antecurſores apparere inciperent, quum Sicciani ſemiſomnes, diſcincti inermeſq; ad primum uigilum clamorem turbati oppreſſiq; ſunt. Iouius lib. 2.

### INEDIA ET SITI.

*Conſule Tit. Commeatum hoſtium perdere: quatenus hac ratione uires illorum eneruamus. Illic commeatus per ſe habetur ratio.*

NABATHÆI Arabes ſunt libertatis ſupra modum amantes: & ſi quando inuadit hoſtium exercitus, fugiunt in ſolitudinẽ. Cùm ſit enim expers aquæ, aliis eſt inacceſſa: at his, quia parata habẽt uaſa humi defoſſa incruſtata, ſolis præbet præſidium. Cùm ſit enim terra partim argilloſa, partim rupem habens mollem, faciunt in ea ſcrobes ingẽtes, oſtiis admodum paruis, ſed in profundo ſemper dilatando tantę magnitudinis efficiunt, ut ſingula latera ſint unius iugeri. Hæc uaſa replent aqua cœleſti: deinde ora obſtruunt, & ea reliquo ſolo adæquantes, ſigna relinquunt ſibi equidem nota, ſed quæ alij animaduertere nequeant. Adaquant autem etiam quæ abigunt pecora in triduũ, ne in locis aridis & fuga egeant continuis aquis. Diod. lib. 19.

LYSANDER Lacedæmonius ut Athenas caperet, famem illis aſtutè inuexit. Victor enim ad Aegos flumẽ, urbes circũuectus, quoſcunq; offendit Athenienſes, his imperauit ut omnes Athenas concederent, nemini ſe parſurum denuncians, quem extra urbem deprehendiſſet. Quod ideo fecit, quò breui ingentem famem & arctam annonam ibi efficeret, ne affluente commeatu obſidionem ferentes, eam redderent ſibi laborioſam. Vtq; iam laborari Athenis intellexit fame, in Piræeũ decurrit, compulitq; urbem ad deditionem. Plut. in Lyſandro.

P. SCIPIO in Hiſpania, cùm comperiſſet Haſdrubalem ieiuno exercitu manè proceſſiſſe in aciem, continuit in horam ſeptimam ſuos: quibus præceperat, ut quieſcerẽt, & cibum caperent. Cumq; hoſtes inedia, ſiti, mora, ſub armis fatigati, repetere caſtra cœpiſſent, ſubitò copias eduxit, & cõmiſſo prælio, uicit. Polyæn. lib. 8. & Front. lib. 2. cap. 1.

Obſederant Damaſcum urbem tres reges Chriſtiani, Conradus III. Imper. Ludouicus Frãcorũ, & Balduinus Hieroſolymorum reges. Fõtibus, qui per cuniculos urbi inuehebantur, facilẽ interclufis, propè erat ut fame & ſiti caperentur obſeſſi: nam altiſſimi & ſpiſſi ſupra modum muri oppugnationem fecere irritam. Vnicus erat lacus, quem foris tenuere Chriſtiani, unde etiam non magno labore inciſos aquæductus in urbem poterant rumpere. Id ueriti DAMASCENI oppidani, hominem Aſſyrium, ad eum uſq; diẽ Balduino fidum, pecunia corruperunt, ut ſuaderet regibus, in altera ciuitatis parte oppugnationem tentare, quòd ibi captu facilior urbs uideretur. Exercitu proinde in aliam urbis partem traducto, egreſſi oppidani Chriſtianos aquatione intercluſerunt, ita ut potens ille exercitus re infecta diſcedere fuerit coactus. Cranzius lib. 6. Saxoniæ, cap. 13.

### FRIGORE, AESTV.

TEGEATÆ in ſacris Clarij Iouis occupati, cùm Lacedæmonios fines ſuos inuaſiſſe audirent, eoſq; frigore grauiter laborare, propter copioſam è cœlo niuem effuſam: clàm illis ignes accenderunt, iiſque foti, armis arreptis hoſtes frigore torpentes nullo negotio ſuperarunt. Pauſanias libro nono, in Arcadicis.

METELLVS in Hiſpania aduerſus Hirculeium, cùm ille oriente protinus die inſtructam aciem uallo eius admouiſſet, feruidiſſimo tunc tempore anni, intra caſtra ſuos continuit in horam diei ſextam: atq; ita fatigatos æſtu, facilè integris & recentibus uicit ſuorum uiribus. Front. lib. 2. cap. 1.

Cimbri à C. MARIO ad Vercellas magnâ ſunt affecti ſtrage. Sylla ſcribit, profuiſſe Romanis calores, ſolemq; Cimbrorũ oculis obiectum. Qui enim facillimè algores tolerabant in locis aliti opacis, & gelidis, ſuccumbebant ęſtui. Manabant multo ſudore corpora anhelantibus, ac ſcuta oculis prætendebant. quippe hæc pòſt ſolſtitium æſtiuum commiſſa eſt pugna, quem diem feſtum Romani tertio Cal. Aug. agunt. Vſui quoq; ad animum excitandum puluis, qui abſcondebat hoſtes, Romanis fuit: quippe non peruiderunt ex longinquo multitudinem eorum, ſed in aduerſos curſu quiſq; delatus, antè dimicauerunt cum hoſtibus cominus, quàm ulla fuiſſent trepidatione perculſi. Adeò autem obduruerant occallueruntq; horum corpora ad labores, ut tanto in æſtu & acri concurſu nec ſudare nec ſuſpirare quemquam cerneres Romanorum. Quod ipſum perhibent Catullum in laudem militum ſuorum ſcripſiſſe. Plut. in Mario.

GOTHI Teruingi, Valentem Imper. in Thracia magna clade affectum interfecerunt, cùm campis circumiacentibus ignem dedita opera intuliſſent, & militem Romanum calore æſtiuo debilitaſſent, & inedia, in multum diem dilata pugna. Sigonius lib. 8. Imp. occid.

AMVRATHES III. Turcorũ rex, Aſiæ præfectos rebelles in ordinem coacturus, cùm æſtatis eſſet tempus feruidiſſimũ, Eteſiæq; uenti ab occidente ſpirarent, ſuorum ordines ita diſpoſuit, ut uentum à tergo haberent pręliantes. Hinc princeps prælium inibat, ubi hoſtium acies erat confertiſſima irruens, & quàm fortiſſimè pugnans. Tandem poſt ancipitem martis aleam, fugatis hoſtibus, uictoriam obtinuit. Chalcocondylas lib. 1.

### MORBIS.

*Vide Tit. Commeatum hoſtium corrumpere.*

NAAS rex Ammonitarum, ut Iſraelitas ad pugnandum redderet inutiles, dextros oculos illis eruiere uoluit. 1. Regum 11. & Ioſephus Antiq. lib. 6. cap. 5.

Alberto I. Cæſare in Boemiam cõtra Venceslaum IV. regem ducente, antecurſores Germani, qui prædæ cauſa Cæſaris caſtra ſequebantur, ad argentifodinas Cuthnenſes prædatũ abierunt. At METALLARII, corrupto ſcoria & aliis purgamentis metallicis Pacho fluuio, magnam hominum & equorum ſtragem edidere. Dubrauius lib. 18.

### VOLVPTATIBVS, CRAPVLA, VENERE.

*Vide Tit. Hoſtem abitu ſimulato opprimere ſecurum. Vbi exempla eorum, qui caſtra alimentis referta hoſtibus eſcæ loco obiecere, reperies. Item Tit. Hoſtes ne rebellent in officio continere.*

## ROBVR HOSTIVM IMPEDIRE.

### SPLENDORE, PVLVERE, VENTO, GRANDINE hoſtibus officere.

TIMOLEON Corinthius uentum & grandinem Carthaginenſibus oppoſuit. Plut. in Timoleonte.

HANNIBAL apud Cannas, cùm comperiſſet Vulturnum amnem ultra reliquorum naturam fluminum ingentes auras manè perflare, quæ arenarum & pulueris uertices agerent: ſic direxit aciem, ut tota uis à tergo ſuis, Romanis in ora & oculos incideret. Quibus incommodis mirè hoſti aduerſantibus, illam memorabilem adeptus eſt uictoriam. Front. lib. 2. cap. 2. & Val. lib. 7. cap. 4.

L. PAVLVS Aemilius cum Perſeo dimicaturus, tantiſper moratus, dum ſol uergeret in occaſum circumactus, ne lumen ſolis, quod erat ſuis ex aduerſo matutino tempore, oculos eorum perſtringeret, ſedens in tabernaculo ſuo, quod campos & hoſtium caſtra ſpectabat, terebat tempus. Inclinato tandem in ueſperum die, cum hoſte congreſſus hora nona, ante decimam eum profligauit. Plut. in Aemilio.

CN. Pompeius contra Mithridatem noctu ſic cõſtituit aciem, ut Ponticorum quidem oculos aduerſa luna perſtringeret, ſuis autem illuſtrem & conſpicuum præberet hoſtem. Frontinus libro 2. cap. 1.

Cùm Q. SERTORIVS Characitanos Hiſpaniæ populos, in antris petrarum Aquiloni obiectis habitantibus, obſideret, nec uideret quo pacto eos expugnare poſſet, cùm nulla parte locus præberet acceſſum: uim pulueris uidet à uento Cæcia in illos ex argilloſo limo ſuſtolli, qui adulta æſtate inualeſcente, Septentrionalique colliqueſcente coaleſcens glacie, gratiſſimus aſpirabat, illoſque & armenta eorum interdiu refocillabat. Id Sertorius aduertens, militibus imperat, ut ſpongioſæ & cineritiæ telluris auellant

auellant fragmenta, comportataq; ex oppoſito colli in tumulum excitent: quem aggeris Barbari in ſe eſſe molitionem rati, irridebant eum. Ac tunc quidem, cùm ad noctem uſq, in opere perſeueraſſent milites, reduxit eos in caſtra. Vbi diluxit, primùm mollis aſpirauit aura congeſtæ terræ, leuiſſimum uelut ſcobem mouens diffundenſq;. Mox acri cum ſole increbreſcente uento, cùm colles puluere implerentur: intenti milites cumulum ab imo ſubruerunt, concideruntq; limum: aliqui equos ſurſum deorſum egerunt, ad excitandam raram tellurem, atq; in ſublime uento dãdam. Qui excipiens quicquid comminutum eſſet, & ferretur in aëra, in Barbarorum coniiciebat ædificia in Cæciam foribus obuerſa. Ita Barbarorum oculis citò offuſa caligo eſt, citò ſuffocante anhelatione correpti ſunt, aſperam multoq; commiſtam puluere haurientes aurã. Itaq; cùm ægrè duos dies ſuſtinuiſſent, tertio deditionem fecere, non tantum uiribus Sertorium, quantum gloria cumulantes: quòd armis inexpugnabilia, confeciſſet conſilio. Plut. in Sertorio.

C. MARIVS contra Cimbros ita ordinauit ſuorum aciem, ut aduerſo ſole, & uento & puluere barbarorum occuparetur exercitus. Sciebat enim eos glaciem ac niues perferre poſſe, æſtum & ſolem non item. Agebatur menſis Auguſtus. Ceciderunt itaq; Barbarorum centum & uiginti millia, uiuiq; capti ad ſexaginta millia. Polyænus lib. 8. & Front. lib. 2. ca. 2. & Plutarchus in Mario.

HENRICVS Vandaliæ princeps Chriſtianus, contra rebelles idololatras uiribus longè inferior prælium initurus, auxiliis Saxonum inſtructus, ſole iam occidente, & hoſtium oculos perſtringente, uictoriam obtinuit ampliſſ. Cranzius lib. 3. Vandaliæ cap. 20.

LVBECENSES Friderici II. Imp. auſpiciis Danorum iugum excuſſere. Ad Mericam in Bornehouede, die feſto diuę Magdalenæ prælio commiſſo, uicti Dani, cùm Teutonum induſtria ſolem aduerſum haberent, & radiis hebetati cæcutirent. Aiunt Germanis Magdalenam oppoſuiſſe nubẽ. Cranzius lib. 7. Vandaliæ cap. 8.

ANGLI Gallis ad Creſciacum ſolem obiecerunt, cuius ſplendore oculi Gallorum ſic perſtricti fuerunt, ut clade funeſtiſſima ab Anglis affecti ſint. Aemilius lib 9.

Naualibus præliis VENETI contra Genuenſes uiuæ calcis corbes ad obtenebrandum uiſum ſupernè deiecerunt in hoſtium naues. Sab. lib. 1. Dec. 3.

### IGNI HOSTES AVERTERE.

*Conſule Tit. Hoſtium manibus elabi, ignis interiecta. Illic Effugientis, hic eorum quos fugit habetur ratio.*

ALCIBIADES contra Syracuſios aciem inſtruebat. Erat inter exercitus filix arida copioſaq;. Vento ingruente procelloſo, qui Athenienſibus à tergo ſpirabat, hoſtibus à facie, incenſa filice, fumoq; & igni in Syracuſiorum oculos delato, magnam eorum fugam effecit. Front. lib. 2. cap. 1.

NICIAS Athenienſis muro Syracuſas circundare parabat. Cùm autem ex renibus grauiter decumberet, Lamachum collegam Niciæ equites Syracuſani circumuentum trucidauêre: & mox ad murum Athenienſium, in quo deſtitutus præſidio Nicias erat, citati perrexêre. Is neceſſitate tamen excitatus, cùm animaduerteret diſcrimen, iuſſit illis, qui circa ipſum erant, omnem materiam, quæ pro muro ad machinas excitandas iacebat cõparata, ipſasq; machinas ſubiecto igni incendere. Hoc repreſſit Syracuſanos, Niciam uerò & muros & ſtipendium Athenienſium protexit. Plut. in Nicia, & Polyæn. lib. 1.

DEMETRIVS aduerſus Lacedæmonios caſtrametabatur. Vtroſque in medio interpoſitus mons Arcadiæ Lycæus à ſe mutuò ſeparabat. Macedones non uacabant metu, quòd eius montis peritiam non haberent. Cùm Boreas ſecundo flatu in hoſtes ferretur, Demetrius ſubiectis ignibus ſyluam incendit. Flamma cum impetu & fumo in Lacedæmonios irruens, omnes auertebat. At Demetrij milites inſtantes, furore ac ferro Lacedæmonios ſuperarunt. Polyæn. lib. 4.

OXONIENSES Angli obſeſſi à falſo Ricardo Eboracenſe, anno 1498. cùm is portis infringendis ſtuderet, & ignem ſubiiceret, ignem igne arcendum rati, ligna fractis iam portarum clauſtris ad incendium addiderũt, quò flamma utrinq; erumpens, ac omnem aditum occupans perinde hoſtem ingreſſu, atque ſuos exitu prohiberet: ipſi interim foſſas aliaſque intus pro foribus munitiones fecerunt. Polydorus libro uigeſimoſexto.

### AQVA HOSTES CIRCVMVENIRE.

*Vide Tit. Caſtris hoſtem exuere.*

Quum Andreas Vngariæ rex, & Chriſtianæ militiæ in Palæſtinam imperator, expugnata Damiata ad Nilum urbe, Cayrũ & Babylonem, quò ſe Soldanus receperat, obſideret: SVLTANVS Melchechelchemel Nilum ſub Babylone & Cayro altioribus ſolito ripis coercuit, & quum paucis pòſt diebus ille opinione citiùs intumuiſſet, extẽplò defoſſis utrinque ripis, inundationem amnis in hoſtium caſtra deriuauit. Effunditur diluuij more fluuius, & altius altitudine cubiti cuncta ſuperat. ex quo intolerabile Chriſtianis detrimentũ illatum fuit, ut ad extremas redacti anguſtias, his conditionibus pacem ab hoſte retulerint: ut Damiatã Soldano reſtituerent, contrà ille Crucis partem Andreæ redderet: liberarentur utrinq; captiui, Chriſtiani: Tyrum & Adonẽ redirent. Bonſin. lib. 7. Dec. 2. & Aemilius, & Fulgoſus lib. 7. cap. 4.

AQVINVS quidam, paternæ necis iniuriam perſequens, bellum Ingoni Noruegiorum regi intulerat, auxilio & inſtinctu nepotum Ingonis, regnum ad ſe pertrahere cupiẽtium. Verùm plurimis præliis uictus, Sueciam petiit. Sub brumã rediens, leuibus ſæpè præliis hoſtem laceſſit, glaciali pugna Ingonis polemarcho profugos premente, illi paulatim cedentes in glaciem, quam proxima nocte inciderant, prouocant inſequentes: ibiq; pugnantes, armis & iumentis graues ſubſidente glacie periere. Rex hoſtes magno exercitu intercluſurus, gelato mari ſeſe auſus credere, proceſſit in pugnam. Ibi rurſus glacie armatorum pondere ſubſidente, rex periit, & omnis flos Noruagiæ, ut uix nobilitatis ueſtigia remanſerint. Cranz. li. 5. Norueg. ca. 9. ex Saxonis lib. 14.

EDVARDVS Baliolus Scotorum rex caſtellum in lacu Leuino obſidebat. Cæterùm quia parum proficiebat, os fluminis è lacu prodeuntis aggeribus obiectis obſtruxere, quò retenta tanta aquæ ui, inundatione caſtellum ſubmergeretur. Interea cùm exercitus dux Ioannes Stiruelein religionis gratia, aſſumta exercitus parte maiori, Dumfermilẽ profectus, tantummodo ad obſidendum, quantum ſatis eſſet, militum relinqueret: Alanus præſidij præfectus, aſſumtis aliquot ſociis, media nocte tribus ſcaphis ad aggerem appellens, quanto potuit ſilentio molem perfodit, dictoq; citiùs inde caſtellum repetiit. Senſim ex perfluẽte aqua foramine aucto, ſub auroram diſiectis aggeribus, omnis in circumiacentes campos, ubi caſtrametati erãt, aqua perfluxit, ac priùs quàm perruptos cognouiſſent aggeres, pars exercitus cum impedimentis ac equis, aliiſq; iumentis, aquæ impetu in mare rapta periit. Creditur ſanctus Seruanus, quòd templum nomini eius ſacrum fœdè paulo antè uiolaſſent, aquę uim impuliſſe, adiutaſſeq; ad ſumendum de hoſtibus tantorum ſupplicium flagitiorum. Alanus ubi cladem hoſtium uidit, ac ad iuſtam altitudinem alueus fluuij decreuiſſet: eruptione facta, cum reliquiis hoſtium manus conſeruit, cæſiſq; plurimis, ac reliquis in fugam actis, nonnullis quoq; captis, cum omni præda commeatuq;, quem in caſtris plurimum offenderat, ad caſtellum ſuum rediit. H. Boeth. lib. 15.

### ANIMALIVM IMPETV, AVXILIO, hoſtes domare.

NISIBENSES cùm obſiderentur à Sapore Perſarum rege, IACOBVS Niſibenſis epiſcopus, precibus à Deo ex turre quadam innumerabilem multitudinem crabronum & culicum impetrauit, quibus elephanti & iumenta in furorem acta, & totus exercitus hoſtium in turpem fugam coniectus eſt. Theodoretus lib. 1. cap. 7. & lib. 2. cap. 30.

### LAQVEIS IRRETIRE. PEPLIS IMPEDIRE.

Eo bello quod Mitylenei de Achiliridis, ſeu Troadis, ſeu Sigæi agro cum Athenienſibus habuere, PITTACVS Imp. factus ſingulari certamine cum Phiynone Athenienſium duce cõgreſſus eſt. Qui cùm eſſet ualido corpore, fertur habuiſſe Pittacus rete ſub clypeo occultum, quo, medio certamine, hoſtem minùs ad tales inſidias cautum, ſubito iactu implicitum peremit. Sabell. lib. 5. Ennead. 2. ex Strabone libro 13. & Polyæno lib. 1.

Hegeſippus ſcribit, ALANIS morem eſſe, in prælio iacere laqueos, atque ita hoſtem innectere. Bonfinius libro ſecundo, Decadis 1.

SAGARTII Perſæ, equitandi arte celebres, reſtes è loris ſecum uehunt, iiſque hoſtes illaqueant & conficiunt. Herodotus libro 7.

Apud FINNOS Septentrionales retiariorum ars contra Moſcouitarum latrocinia in uſu eſt frequenti. Namq; retiis in ſublime iactis, capita hoſtium uel equorum inuoluunt, & ad ſe pertrahunt. Sunt etiam qui reſti oblongo lapidem uel globulum plumbeum alligant, eoq; obliquè contorto, uel pedes uel brachia uel corpus hoſtis arreptum uiolenter ad ſe pertrahunt. Olaus lib. 11. cap. 13.

IO. Ziſca Boemorum, dux circumuentus ab hoſtium equitatu in locis aſperis, ubi non niſi certamen pedeſtre committi poterat: iuſſit mulieres proiicere peplos in terram, quibus impliciti per calcaria equites, priùs oppreſſi ſunt, quàm pedes expedire ualerent. Aeneas Sylu. cap. 40. hiſt. Boem.

LVBRI-



### LVBRICITATE HOSTES AD lapſum redigere.

IVDÆI in oppugnatione Iotapatæ Romanos per ſcalas aſcendentes, mucilagine fœnugræci & ſimiliũ uiſcoſarũ rerũ decoctis effuſis, præcipites ferri cogebãt. Ioſeph. de bell. Iud.

In portu Veneris, OPPIDANI ab Aragoniorum claſſe oppugnati, auctore Frandaia prædone inſigni, ſcopulos ſaxaque de induſtria, ad exiliendum in litore antiquitùs collocata, multo ſeuo conſperſerunt, ita ut milites ſaltu incitati deſilire properantes, labentibus extemplò ueſtigiis, in mare, interq; eminentes petras cum ſumma propugnantium uoluptate, & multo omnium riſu, præpedientibus armis laberentur. Iou. lib. 1. Hiſt.

Bellis naualibus inter GENVENSES & VENETOS, demittebantur olim ex ſummis propugnaculis in hoſtium naues teſtæ olei bitumine denſatæ: quibus fractis ita omnia loca redderentur lubrica, ut nemo ſuo ueſtigio poſſet conſiſtere. Sab. lib. 1. Dec. 3.

### SCROBIBVS, FOSSIS HOſtes impedire.

HVNNI Albi, cùm bello peterentur à Peroze Perſarum rege, profundam foſſam calamis conſtrauerunt: ſupernè, terra iniecta intra eam ſe continuerunt, paucis emiſſis, qui hoſti occurrerent, ac mox fuga facta per anguſtias ſibi notas euaderent. Perſæ eas inſecuti, uniuerſi cum rege Peroza & filiis in uoraginem incidentes perierunt. Cedrenus in uita Zenonis.

Henricum ducem Carolus Craſſus Auguſtus cum copiis ad tutandam Franciam Pariſios miſerat. NORMANNI Louanio, quód oppidum captum obtinebant, profecti, Lutetiam oppugnant, erumpentemq; Henricum de induſtria cedentes longiùs eliciuere. Imprudens in cæcas foſſas, quas leui materia terraq; ſuperſtratã contexerant, corruens, ſuperuentu hoſtium oppreſſus eſt. Aemilius libro tertio, & Auentinus libro 4.

Dornonem Curetum regem FROTHO Danorum rex fruſtrà obſidebat. Ad dolum igitur conuerſus, profundas foſſas intra caſtra fieri, latenterq; per corbes humum egeri, & in fluuium deiici iuſſit, & ſcrobes crebro ceſpite texit. Mox ſimulato metu caſtra deſerere cœpit. Fugientibus imminentes, oppidanos, paſſimq; eluſis ueſtigiis in foueas prouolutos, ingeſtis iaculis confixit. Saxo libro ſecundo.

## LOCI OPORTVNITATE HOSTES SVSTINERE: NE circumdare nos poſsint prouidere.

*Conſule Tit. Vallo arcere hoſtes. Illic Securitatis noſtræ habetur ratio, hîc Impetus hoſtilis, quem eludimus.*

Datis & Artaphernes Darij duces cum CM peditum, XM equitum in campum Marathona, qui abeſt Athenis circiter XM paſſuum deſcenderant. Hoc tumultu Athenienſes tam propinquo tamq; magno permoti, auxilium nuſquam niſi à Lacedæmoniis petiuerunt: Philippidemq; curſorem eius generis, qui Hemerodromi uocantur, Lacedæmonem miſerunt: ut nunciaret, quàm celeri opus eſſet auxilio. Domi autem creati decem Prætores, qui exercitui præeſſent: in eis MILTIADES Cimonis F. Inter quos magna fuit contentio, utrũ mœnibus defenderent, an obuiam irent hoſtibus. Vnus Miltiades maximè nitebatur, ut primo quoq; tempore caſtra fierent. Id ſi factum eſſet, & ciuibus animum acceſſurum, cùm uiderent de eorum uirtute non deſperari: & hoſtes eadem re fore tardiores, ſi animaduerterent, audere aduerſus ſe tam exiguis copiis dimicare. Hoc tempore nulla ciuitas Athenienſibus auxilio fuit, præter Platæenſium: ea mille miſit militum. Itaque horum aduentu, decem millia armatorum completa ſunt: quæ manus mirabili flagrabat pugnandi cupiditate. Quo factum eſt, ut plus quàm collegæ, Miltiades ualuerit. Eius enim auctoritate impulſi Athenienſes, copias ex urbe eduxerunt, locoque idoneo caſtra fecerunt. Deinde poſtero die ſub montis radicibus, acie è regione inſtructa, noua arte, ui ſumma prælium commiſerunt. Nanque arbores multis locis erant raræ, hoc conſilio, ut & montium tegerentur altitudine, & arborum tractu equitatus hoſtium impediretur, ne multitudine clauderentur. Datis, etſi non locum æquum uidebat ſuis: tamen fretus numero copiarum ſuarum, confligere cupiebat: eoque magis, quòd prius quàm Lacedæmonij ſubſidio uenirent, dimicare utile arbitrabatur. Cæterùm prælio commiſſo tanto plus uirtute ualuerunt Athenienſes, ut decuplicem numerum hoſtium profligarent, adeoq; perterruerunt, ut Perſæ non caſtra, ſed naues peterent. Qua pugna nihil adhuc eſt nobilius. Nulla enim unquam tam exigua manus, tantas opes proſtrauit. Probus in Miltiade.

LACEDÆMONII CCC (duce Leonida) contra innumerabilem multitudinem Perſarum Thermopylas occupauerant: quarum anguſtiæ non ampliùs quàm parem numerum cominus pugnaturum poterant admittere: eaq; ratione (quantum ad congreſſus facultatem) æquati numero Barbarorum, uirtute autem præſtantes, magnam eorũ partem occiderunt: nec ſuperati forent, niſi per proditorem Ephialtem Trachinium circumductus hoſtis, à tergo eos oppreſſiſſet. Front. lib. 2. cap. 2. & Polyæn. lib. 1.

Nectanabis rex Aegyptius, ab alio rege Mendeſio in quodam oppido obſidebatur. AGESILAVS cum ſuis merebat apud Nectanabim. Foſſam hoſtes foris altam circumducebant muro, ut undequaque eos includerent. Vbi foſſæ in ſe recurrentis & ambientis in orbem oppidum penè coniunctæ extremitates fuerunt, expectauit Ageſilaus tenebras: iuſſiſque arma capere Græcis profectus ad Aegyptium: Tempus adoleſcens, inquit, ſalutis hoc eſt: quod ego, ne corrumperem id, non antè declaraui, quàm ueniſſet. Quia uerò ipſi nobis hoſtes ſuis manibus ſecuritatem parauerunt, tanta ducta foſſa: cuius quod eſt abſolutum, illorum eſt multitudini obſtaculo, intermiſſum copiam faciet pari numero & iuſto modo cum iis dimicandi: Agè nunc, præſta te uirum fortem, noſq; curſu ſequens ſerua temetipſum & exercitum. Neque enim frons nos ſuſtinebit hoſtium, & cæteri impediti foſſa, non lædent. Nectanabis ſolertiam Ageſilai admiratus eſt: atque inter media Græcorum arma ſeſe collocans in hoſtes ruit, pepulitq; facilè eos qui ipſum exciperent. Vt ſemel fidem accepit apud Nectanabim Ageſilaus, eadem fallacia tanquam lucta hoſtes adortus eſt. Modò enim ſubterfugiens attrahenſq; illos, modò infeſtis ſignis huc illuc mouens, colluuiem eam coniecit in molem, quæ altas habebat inciles, quibus ex utraq; parte præterfluebat aqua. Huius obſtructo medio, & fronte aciei ſuæ occupato, æquauit numero hoſtes, qui manus erant conſerturi, ademitq; eis circumcurrendi & circunfundendi ſe facultatem. Itaq; cùm non diu reſtitiſſent, profligati ſunt. Multi cecidêre. Alij fuga diſperſi & dilapſi. Ex eo Aegyptij res in bono & ſtabili ad ſecuritatem ſtatu fuêre. Plut. in Ageſilao, & Apoph. & Diod. Sic. lib. 15.

ALEXANDER Magnus cùm Granicum tranſiiſſet, Perſis ex præcelſis & altiſſimis locis apparentibus, ipſe Macedonibus iuxta fluuium reductis, ſupra caput eorum euaſit. Phalanx autem hoſtes aggreſſa, in fugam conuertit. Polyænus libro quarto.

CLEANDRIDAS Thuriorum dux, ſuperatis prælio Leucanis, poſt uictoriam Thurios ad pugnæ locum duxit: oſtendens eos, quoniam in eodem loco perſtiterint, idcirco uictoria potitos eſſe. Hoſtibus uerò à ſe mutuò proſtratis, ob eam cauſam hoc accidiſſe, quòd non in ſuis locis permanſiſſent, ſed diſtracti fuiſſent. Hæc illo commemorante, apparuerunt Leucani longè maiorem exercitum habentes. Qui à planicie in arctum & anguſtum ſuas copias deduxit, ut multitudinem hoſtium inutilem reddens, pares & æquales milites in anguſtia loci ad periculum ſubeundum efficeret. Atque iterum de Leucanis uictoriam Thurij pepererunt. Polyænus lib. 2.

XANTHIPPVS Lacedæmonius, ſola loci commutatione, fortunam Punici belli conuertit. Nam cùm deſperantibus iam Carthaginenſibus, animaduertiſſet Afros, qui equitatu & elephantis præſtabant, colles ſectari: à Romanis autem, quorum robur in peditibus erat, campeſtria teneri: Pœnos in plana deduxit: ubi per elephantos diſſipatis ordinibus Romanorum, ſparſos milites per Numidas perſecutus, eorum exercitũ fudit, in illam diem terra mariq; uictorem. Frontinus lib. 2. cap. 2.

M. CVRIVS, qui phalangi regis Pyrrhi explicitæ reſiſti non poſſe animaduertebat, dedit operam, ut in anguſtiis confligeret, ubi conferta ſibiipſi eſſet impedimento. Frontinus libro 2. capite 2.

CN. POMPEIVS in Cappadocia elegit locũ caſtris editum: unde adiuuante procliui impetu militum, facilè ipſo decurſu Mithridatem ſuperauit. Idem.

C. CÆSAR, aduerſus Pharnacem Mithridatis filium dimicaturus, in colle inſtruxit aciẽ. Pila ex edito in ſubeuntes Barbaros emiſſa, protinùs eos auerterunt. Idem.

L. LVCVLLVS aduerſus Mithridatem & Tigranem, in Armenia maiore, apud Tigranocertam dimicaturus, collis proximi planum uerticem raptim cum copiarum parte adeptus, in ſubiectos hoſtes decurrit: & equitatum eorum à latere in-

tere inuaſit, auerſumq; , & eorundem partem perturbantē inſequutus, clariſſimam uictoriam retulit. Idem.

HANNIBAL, apud Numiſtronem contra M. Marcellum pugnaturus, cauas & præruptas uias obiecit à latere, ipſaque loci natura pro munimentis uſus, clariſſimum ducem uicit. Front. lib. 2. cap. 2.

FL. FIMBRIA, in Aſia apud Hildinacum aduerſus filium Mithridatis pugnaturus, brachiis à latere ductis, deinde foſſa in fronte percuſſa, quietum in uallo militem tenuit, donec hoſtilis equitatus intraret anguſtias munimentorum: tunc eruptione facta, ſex millia eorum cæcidit. Front. lib. 3. ca. 17.

IBERI in Africa, ingenti hoſtium multitudine excepti, timentesq; ne circumuenirentur, applicuerunt ſe flumini, quod altis in ea regione ripis profluebat. Qui ita à tergo amne defenſi, & ſubinde cùm perſtarent, incurſando in proximos, omnem hoſtium exercitum ſtrauerunt. Front. lib. 2. cap. 2.

CAROLVS Martellus contra CCCC millia Saracenorū pugnaturus ne multitudine Saracenorum circumueniretur, ad Ligerim fl. caſtra locauit. Aemilius lib. 2.

PAGANVS Auria Genuenſis claſſis præfectus, quo tempore cum Venetis bellum geſſerunt, ne ab hoſtium claſſe circumueniretur, & nō niſi à fronte pugnare cogeretur, in Boſphorum Thracium nauigauit, uictoriaq; illuſtri potitus eſt. Fulgoſus lib. 3. cap. 2.

## HOSTILEM EXERCITVM LOCO OPORTVNO includere, incluſos detinere.

*Vide Tit. Audaces reddere hoſtes Fuga ſimulata, quatenus fugiendo in loca iniqua hoſtes præcipitantur. Item Tit. Adiumenta pugnæ exoterica, Arbores, Aqua.*

SELEVCVS, Demetrio ſub collibus Tauri caſtrametante, metuens, ne clàm Syriam uerſus diſcederet, Lyſiam cū magna Macedonum manu in montes Amanidis anguſtiis impendentes miſit, quà profectionem erat facturus: mandans ut plurimos ignes incenderet. Demetrius cùm hæc loca pręoccupata eſſe uideret, à profectione deſtitit. Polyænus libro quarto.

Conſules Rom. T. Veturius, & Sp. Poſthumius Samnium prouinciam adepti, copias in hoſticum eduxerunt. SAMNITES & ipſi Herennij Pontij ductu arma induerant, qui ad Caudium non multò pòſt cum ualido exercitu conſedit. Mittit inde decem milites paſtorali habitu, qui pecus in conſpectum Romani præſidij darent, captiq; Samnitium legiones dicerent Luceriam in Apulia circumſedere. Romani cōſules caſtra ad Calatiam fecerant, apparebatq; ita futurum, ut Lucerina obſidione audita, continuò ad opem ſociis ferendam occurrerent. Milites pro paſtoribus in caſtra adducti, quum de ſtatu prouinciæ appellati idem omnes dicerent, facilè fidem fecére. Duæ uiæ erant, una per oram ſuperi maris, ſed quo tutior, eo magis prolixa: reliqua per Caudinas furcas. Saltus duo ſunt præalti, atq; ſyluestres, iugorū perpetuitate inter ſe iuncti, iacet inter eos ſatis patens clauſus in medio campus, herbidus, & aquis irriguus, per quem medium eſt iter. Huc adeuntibus intrandæ ſunt anguſtiæ: tum ſi retrò abire uelis, aut eadem qua te inſinuaueris, uia petenda eſt, aut per arctiorem impeditioremq; ſaltum euadendum. Huc Romani conſules temerè ingreſſi, quum ad ulteriores anguſtias occupandas citato agmine irent, multa mole arborumq; deiectu obſeptas inueniunt fauces. Tū demùm fraude hoſtium cognita, pręſidium quoque in ſummo iugo conſpiciunt. Conuertit inde retrò curſum miles, eadem qua uenerat, in apertum euaſurus. Hunc quoque aditum obice & armis occluſum conſpicatus, ſtupore defixus conſtitit. Romani interim poſt multos irritos ad erumpendum conatus, quia ſuper alia mala inopia rerum omnium premebantur, ad hoſtes mittunt, qui pacem peterent: quam ſi æquam impetrare nō poſſent, hoſtem ad pugnam prouocarent. Pontius debellatum eſſe reſpondit, inermes cum ſingulis ueſtimentis ſub iugum ſe Romanos miſſurum, conditiones pacis fore, ut Samnitium finibus Romanus decederet, colonias abduceret. Suis inde legibus Romani Samnitesque uiuerent. Si quid eorum diſpliceret, uetuit legatos ad ſe redire. Conſules in colloquium cùm Pontio uenêre. Ibi negantes fœdus ullum fieri poſſe iniuſſu populi Romani, ſponſione rem tranſegerunt fore, ut ſtaretur conuentis. Conſules ſpopondêre, Præfecti, Legati, Quæſtores, Tribuni militum. Sponſorum nomina monumentis literarum poſtea extiterunt. Sexcenti præterea equites obſides dati, qui capite luerent, ſi pacto non ſtaretur. Conſules lictoribus abire iuſſis, paludamentiſque exuti, ſeminudi ſub iugum miſſi. A' quo indigno ſpectaculo milites non aliter auerterunt oculos, quàm ab ſcelere aliquo atrociſſimo. Tū ut gradu quiſque proximus erat, ita fuit ignominiæ ſubiectus. Ipſæ deinceps legiones. Circumſtabant armati exprobrantes, conuitiumque facientes ſingulis, quibuſdam etiam ferrum intentatum, uulnerati etiam atque interfecti nonnulli, qui contumaciore uultu hoſtem reſpexiſſent. Atque in hunc modum Romanos exercitus ad Caudium locorum iniquitate, non uirtute hoſtium, ſubiugari contigit. Sabell. lib. 5. Ennead. 4.

Bello Punico ſecundo GALLI Boij, L. Poſthumium conſulem hoſtes per Litanam ſyluam ducturum, ſuccisis iuxta uiā utrinque arboribus, atque ita libratis, ut minimo impulſu ſubitam traherent ruinam, ubi ingreſſum uiderunt, impulſis arboribus miſerabili ſtrage cum omnibus copiis oppreſſerūt. Ex quinque & uiginti millibus hominum, uix decem numero, hoſtium manus effugerunt. Poſthumij caput præciſum Galli templo, quod ipſi ſanctiſſimum fuit genti, intulerunt: quo purgato, caluam auro cælarunt, idq; ſacrū uas illis fuit, quo ſolennibus ſacris libarent. Sabell, lib. 3. En. 5. ex Liuio, & Front. lib. 1. cap. 6.

M. Craſſo contra Parthos profecto, ARIAMNES Arabs Romanorum ſeſe ſtudioſum fingens, ſimulans ſeſe uia compendioſiſſima Seleuciam Craſſum perducturum, in cāpos uaſtiſſimos, ubi puluere & æſtu confecti, ab equitatu circūdari poſſent, à flumine & montuoſis locis deduxit, ubi à Surena duce Parthorum fœdè cæſus eſt. Plut. in Craſſo.

Cantabri quum Medulli montis iuga occupaſſent, quæ faciliter expugnari non poterant, AVGVSTVS Cæſar ipſum mōtem foſſa & uallo quindecim milliarium obſidione circundedit. Quum uerò obſeſſi extrema paterentur, dietimque ferè certarent, certi de ſuo interitu: quidam qui ferro cum hoſtibus agere non poterant, ueneno ſumto, quod ex arboribus taxeis exprimitur (quarum arborum in ipſo monte copia magna eſt) mortem ſibi conſciuerunt: ſicque illorum pars maxima obſeſſorum à captiuitate, quæ imminere uidebatur, ſubtracta eſt. Durauitque bellum hoc per annos quatuor, ut placet Oroſio, & Lucio Floro.

IVLIANVS Cæſar, Caſtellum oppidum, quod Moſa fluuius lambit, à Francis occupatum circunſedit, per Decembrem & Ianuarium menſem: ueritusq; ne hoſtes, obſeruata nocte illuni, conglaciatum amnem peruaderent, quotidie à ſole in ueſperam uerſo uſq; ad lucis principium luſoriis nauibus diſcurrentes flumen ultro citroq; milites diſpoſuit, qui cruſtas pruinarum diffringerent, ne quis erumperet. Atque ita inedia, uigiliis, & deſperatione ad deditionem adegit, eosq́, ad comitatum Conſtantini Auguſti miſit. Sigonius lib. 6. Imperij occid.

Dum Maximus Aquileiæ obſideretur, Frāci Genobaldo, Marcomere & Sunone ducibus, ſuperato Rheni limite, fertiles pagos depopulati, Agrippinæ etiam Coloniæ terrorē incuſſere. Nannienus & Quintinus militiæ magiſtri, quibus Maximus Victoris filij pueritiam & Galliarū defenſionem commiſerat, collatis apud Carbonariam ſignis, pleroſque deleuere. Conſiliis inde, num tranſeundum eſſet in Franciam, initis, Nannienus, ea re improbata, Maguntiacum rediit. Quintinus cum exercitu circa Niuiſium caſtellum Rhenum tranſgreſſus, ſecundis à fluuio caſtris caſas habitatoribus uacuas, atq; ingentes uicos deſtitutos offendit (FRANCI enim ſimulato metu ſe in remotiores ſaltus receperāt, caudicibus per extrema ſyluarum obiectis) atque uniuerſis domibus exuſtis, milites per noctem ſub armis tenuit: prima uerò luce ſaltum ingreſſus, uſque ad meridiem tramitum ſe erroribus implicans, totum perluſtrauit. Tandem cùm ingentibus ſeptis clauſa omnia reperiſſet, in paluſtres campos, qui ſyluis iungebantur, euaſit. Molientibus hoſtium rari apparuere: qui, coniunctis arborum truncis ſuperſtantes, uelut è faſtigiis turrium, ſagittas tormentorum more effudere, illitas herbarum uenenis, ut uulnera ſummæ cuti, & non lethalibus locis inflicta, haud dubias mortes adducerent. Inde maiore multitudine hoſtium circunfuſus exercitus, in apertos campos, quos liberos Franci reliquerant, auidè effuſus eſt: ac primi equites uoraginibus immerſi, permixtis hominum iumentorumque corporibus, ruina inuicem ſuorum oppreſſi ſunt. Pedites autem, quos nulla onera equorum calcauerant, impliciti limo, ægrè explicantes greſſum, rurſus ſe ſyluis trepidantes abdebant. Perturbatis ergo ordinibus cæſæ legionis, Heraclio Iouianorum tribuno, ac penè omnibus, qui militibus præerant, interfectis, paucis effugium tutum nox & ſyluarum latibula præſtitere. Sigonius lib. 9 Imp. occid.

Stilicho Honorij Imp. ſocer, cùm uideret, ſe Radagaiſo Scythæ ducenta ampliùs millia hominum ſecum trahenti impunè ac ſine ingentis cladis periculo obuiam ire in campis Venetiæ Aemiliæúe non poſſe, nullo loco ſe eis obiecit. Vbi uerò ipſum Hetruriam, quæ montibus altiſſimis & uallibus anguſtiſſimis impedita eſt, ingreſſum conſpexit, cùm ciuitatem Florentiæ ei oppoſuit, tum ipſe cum ſuis à tergo incubuit, ac loci iniquitate paucitatem eorum adiuuit. Habebat Stilicho præter Italos firmam Alanorum & Hūnorum manum, mercede militari aſcitam: quorum duces erant Sarus, & Hudin. Quare cùm Radagaiſum Florentiæ obſidione implicitum, ac mōtibus undiq; ſeptum, in ſaltibus Apennini teneri audiret, neq; copiam habere aciei explicandæ & dilatandi ad pugnam exercitus cerueret, continuò ad eum cum ſuis, licet longè numero inferioribus, aduolauit: ac ſtatim tanta felicitate, atq; adeò certa diuini numinis pręſentia, dimicauit, ut ſaluis omnibus ſuis, barbarorum ampliùs centum millia ſtrauerit. Radagaiſus tanta clade accepta pauidus, ſeſe cum reliquiis exercitus in collē Feſularum recepit: quem cùm incultum, & aridum, neq; ad tātam recipiendam multitudinē aptū reperiſſet, ſtatim in magnas rerum anguſtias lapſus eſt. Nam Stilicho ad obſidionem conuerſus, neque hominem quenquam inde euadere, neque aliquid eò importari commeatus eſt paſſus. Itaque ubi ſe neq; prælio confligere, neque diu ibi propter penuriam ſuſtinere, neq; aliunde uenire ſubſidium poſſe cognouit, clam fugam arripuit: & cùm in manus militum Stilichonis incidiſſet, captus & cū filiis obtruncatus eſt. Barbari omnes in deditionē ſe tradiderunt, &, tanquam pecudes, ſinguli greges pro multitudine capitum ſingulis aureis uenierūt. Verùm & hi, morbo ex inediæ diuturnitate, ciborumq; uitioſitate contracto, paucis pòſt diebus omnes extincti ſunt. Oroſius, & Proſper, Sigonius lib. 10. Imp. occid.

BATHVS, Tartarorum dux, exciſa Vacia oppidò, ad Sauum fluuium, conſpectis Belæ regis Hungarorum copiis, ſuas ex altera parte ripæ oppoſuit. Interea uerò clàm centum millia Tartarorum flumen (reperto uado, longiùs à caſtris ſemoto) traiecerunt, Hungaroſq; à tergo inuaſerunt. Bathus uiciſſim nube telorum pulſo præſidio, & pontibus tranſitis, à fronte quoq; ingruebat. Sed utrobiq; maiore corporis uiriumq; & animi robore Hungari cominus repugnabāt. Redibat Bathus ad arcum, atq; undiq; per latera quoq; denſis agminibus circumfuſus, obruere telis Hūgaros conabatur. At illi miſſa ſpicula, peltis ſuis, quibus præter haſtas armantur, excipiebant. Bathus ex deſperatione hanc tam obſtinatam ferociam Hungaris accidere ſentiens, quoniā concluſi mortem ſe euadere deſperarent, laxari ordines, dariq; erumpendi illis facultatem iuſſit. Eàm quicunq; nacti erant, omiſſa pugna, fugæ ſe mandarūt, inter quos Rex ipſe. Cæſi optimi quiq;. Dubrauius lib. 16.

Clyzaſthlanes Iconij Sultanus, quum Manuelem Comnenum Græcorum Imperatorem pactionibus in diruendo Doryleo oppido ſtare non uideret, Atabacum ducem cum delecta ex omni exercitu IIII. & XX millium manu ablegat, ut ad mare uſq; omnes urbes & prouincias uaſtet, ac nemini parcat: ſibiq; aquam marinam, remum & arenam oporret. Manuel IOANNEM Batazem nepotem ſuum ad reprimēdos Perſas miſit. Is ad Mæandrum fluuium, quem redeūtes Perſæ tranſire cogebantur, exercitu in duas diuiſo partes, maiorem in inſidiis collocat, quà hoſtes tranſituri erant: alteram ultra fluuium iuxta ueterem pontem diſperſàm expectare, & turmas Turcarum cum captiuis traiecturas inuadere iubet. Cùm uerò Turci ex ſuperiore loco telis petiti, in flumine mergerentur. Atapacus cùm fortiſſima cohorte cū Romanis congreſſus, ut etiam ultra flumen Romanos ſtare cognouit, in fugam uerſus occiditur. Nicetas lib. 6.

Anno Chriſti 1462, Cal. Iulij, Marchio Badenſis Carolus, Georgius epiſcopus Metenſis, Ioānes epiſcopus Spirenſis, & Huldricus comes Virtembergenſis, ingentem exercitum collegerant aduerſus FRIDERICVM Palatinum Rheni. Ille popularium manu coacta, Heidelberga cum equitatu in uicinam ſyluam diſceſſit, equorum omnium ſoleis priùs per fabros inuerſis, ut ueſtigia omnia ciuitatem uerſus ſpectarēt, nulla retrorſum. Hoſtes in urbe incluſum opprimi poſſe ſperabant, & in campum progreſſi Principes, de urbe oppugnāda conſilium inibant. Eos nihil minus timentes equitatu ſuo ex improuiſo circūdatos cepit: populares ex urbe procurrentes, undiq; diſcluſos hoſtes memorabili uictoria ſuperarūt. Captos principes, & magna pecuniæ ui redemtos, ſplendido excepit conuiuio. Obſonia regali luxu illata, panis ſolus deerat. Cauſam rogatus Princeps, Vaſtatis ueſtra incurſione ſegetibus, reſpondit, quam ruſticis meis, eam & mihi iniuriam intuliſtis. Diſcite nūc ſubditorum ſudoribus parcere, quorum laboribus uictum noſtrum conſtare uidetis: Hedio in Chronico, & Nauclerus.

Imp. Fridericus III. an. 1473. Chriſtierno Danorum regi gratificatus, Dhietmarſiam conceſſit, eūmq; extincto comitatus titulo Holſatię & Sturmarię, Holſatiæ & Dhietmarſiæ ducē creauit. Dhietmarſi miſēre legatū, qui doceret eam terram eſſe ſubiectam eccleſiæ Bremenſi, ſuos præfectos mittere ſolitæ: effecitq; nuncius; ut decerneretur citatio cum inhibitione ad regem, de non ſe intromittendo, priuſquam res iudicio decideretur. Sed ea citatione populus, qui exilem pecuniàm pro magno commodo effundere nolebat, non proſecutus eſt. Chriſtierno itaq; cùm ſucceſſiſſet Ioānes, maximis copiis ex Dania, Iutia, Friſia, Hollandia, & præſertim Guardiæ militibus Germanis (qui tunc inuicti habebantur) cōſcriptis, in Dhiethmarſos mouit, an. 1500. tam certa ſpe uictoriæ, ut pecuniam cōparandis rebus ex præda ſecū in zonis nonnulli portarent, unà cum ſigillis, ad dandas literas, ubi pecunias expendiſſent. Equites ſplendidi ex Holſatia Iutiaque & tota Dania tali luxu ibant in armis, quali ſolet ad nuptias properari: omne ſecum aurum in marſupiis ferentes. Dhietmarſi ceſſere in paluſtria ea ſecuritate, ut in uilla Vuintberg nuptias peragerent, quum primi agminis hoſtes aduentarent. Cùm ex Friſio captiuo cognouiſſent, quo itinere hoſtes ingreſſuri eſſent, nocte fodientes, uallum oppoſuere per lutoſiſſima itinera uenturis. Ibi aliquot hominum millia ſeruauere excubias. Præceſſere pedites Guardiæ ad tria penè millia, cum ciuibus & agricolis maiori numero. Sequitur agmen equitum, tam certam præſumētium uictoriam, ut carros quoque poſt ſe uenire iuberent. Lutoſum ac profundum iter, ex lateribus ſeptum grandibus foſſis uſq; ad genua, turbauit equites, in ſolidum & apertū euadere tentantes. Dies erat nebuloſa, pluuia grandine mixta, uentis ſæuientibus. Terra crebris foſſis interciſa nō ſinebat aciem extendere, aut excurſiones facere. Regia tormenta iam erant collocata: ſed pluuia cum uentis impediente emitti globi non poterant. Sed quū ambiri ſe ab hoſtib. cernerent Dhietmarſi, pauci egreſſi, nō plures trecentis (aut ad ſummum quadringentis) pugnam cōſeruere aduerſus tot millia, luto, frigore & anguſto loco conſtrictorum. Auxere aquam cataractis apertis, ut foſſarum nullum iam uideretur diſcrimen. Multis pereuntibus, primi ex Guardia pedites fugā iniuere. Tum aucti animis Dhietmarſi, in reliquā ſtantium manū, collectitiam ex urbibus & agris, ſæuiere ad internecionem. Equites à fronte peditibus cæſis, à tergo curribus concluſi, utrinque foſſis incluſi, ſtabant immobiles. Circumfuſi Dhietmarſi ex latere, lanceis ac ſagittis primùm equos uulnerauêre. Iumenta ex uulnere ſæuiunt, proculcāt, deiiciunt ſeſſores. Principes ipſi cum paucis, incertum quomodo elapſi ſunt. Incredibile eſt, quantam trium horarum ſpacio cędem Dhietmarſi peregerint. Sed maior pars inuenta eſt ſine uulnere: quæ res declarabat aquis demerſos quāpluriimos. Peditū aliquot millia contumulata à Dhietmarſis, ſed equitibus hoc negatum. Inter cæſos fuêre duo comites de Oldēborg, Adolphus & Otho, milites plurimi, militares ſine numero. Flos ipſe Holſatiæ militiæ periit. Cranzius lib. 12. cap. 12. & lib. 13. cap. 25. & ſeq.

## HOSTES DIVERSIS LOCIS AGGREDI.

*Ex Tit. Audaces reddere hoſtes fuga ſimulata, huc quædam, quatenus in inſidias deducti, & circumuenti, à fronte atque tergo pugnare coguntur.*

CHABRIAS ad hoſtilem urbem appellens, noctu ſcutatos egredi fecit. Ipſe uerò prima luce ad portum nauigabat, longè ab urbe diſſitum. Ciues excurrebant, ut è nauibus egredi prohiberent. Scutati uerò ex inſidiis impetentes à tergo, quoſdam ex iis occiderunt, & quibuſdam captis uiuis, iterum in naues ingreſſi ſoluerunt. Polyæn. lib. 3.

DIOTIMVS ſub noctem in hoſtilem terram nauigans, ab unaquaque naui plurimis uiris expoſitis, eos in inſidiis occultauit. Summo mane iuxta eos, qui in inſidiis latebāt, naues mouebat, mandans iis qui erant in cataſtromatis, ut ſe ad pugnam accingerent; remigibus uerò, ut uiciſſim nunc infimos, nunc medios, nunc ſummos remos agitarent: & quaſdam ſcaphas ad terram adducere conabatur. Hoſtes accurrentes, egredi prohibebant. Illo ſignum, de quo conuenerat, tollente, milites ex inſidiis cōſurgentes, multos hoſtium occiderunt, reliquos in fugam pepulerunt Hoc pacto Diotimus ſine periculo milites expoſuit. Polyæn. lib. 5.

NICIAS ſub noctem adnauigās Corinthiæ, ubi Solyges collis eſt, ibi egredi iuſſit Athenienſium armatos, & mille aliis alibi in inſidiis collocatis, abnauigauit. Rurſus altero die ſub primam lucem adnauigauit. Corinthij ſummo ſtudio excurrentes, prohibere uoluerunt ne egrederentur. At qui in inſidiis latebant conſurgentes, maximam partem ex illis occiderunt. Polyæn. lib. 1.

PERSÆ ad Thermopylas Leonidam regem cum CCC Spartanis cæcidere in anguſtiis: cùm illos etiam à tergo, mōſtrato per mōtium ſummitates calle ab Ephialte Trachinio proditore inuaſiſſent. Herodotus.

Q. FAB. Rutilius Maximus, quarto conſulatu in Samnio, omnimodo fruſtrà conatus aciem hoſtium perrumpere, nouiſſimè haſtatos ſubduxit ordinibus, & cum Scipione legato ſuo circummiſit, iuſſitque collem capere, ex quo decurri poterat in hoſtium terga. Quod ubi factum eſt, Romanis creuit animus, & Samnites perterriti, fugam molientes cæſi ſunt. Frontinus.

Bello Macedonico, quod T. QVINTIVS Flaminius contra Philippum geſſit, quia montes ad Apſum fluuium Philippus exercitu inſederat, & grando undique in latera Romanorum ingerebatur iaculorum: adierunt conſulem quidā, qui eo loco paſcebant. Hi circuitum quendam eſſe ab hoſtibus prædicarunt neglectum: quà copias oſtenduntſe ducturos atque in ſummos uertices, ut longiſſimè tertio die educturos. Fidei teſtem & ſponſorem Charopum Machatam laudant, principem Epirotarum, Romanorum amicum, & in occulto metu Philippi eo in bello fautorem. Eius fide Quintius tribunum cum quatuor millibus peditum & equitibus trecentis mittit. Duces erant paſtores illi uincti. Interdiu dabant ſe quieti ſub cauis & ſylueſtribus locis: nocte iter (& pernox luna erat) faciebant. Dimiſſis hiſce copiis, refecit per cæteros dies milites: tantùm leuibus præliis laceſſiuit hoſtem. Tertio die, ubi igne amico ſublato ſignum dedere Quintio, Macedonas tripertito agmine aggreſſus, Tribuno à tergo inſtante, regem faucibus expulit. Plutarchus in Quintio.

HANNIBAL directa acie ad Cannas DC equites Numidas iuſſit transfugere: qui ad fidem faciendam, gladios & ſcuta Rom. tradidere: & in ultimum agmen recepti, ubi primùm concurri cepit, ſtrictis minoribus (quos occultauerant) gladiis, ſcutis iacentium aſſumtis, Romanorum aciem ceciderunt. Front. lib. 2. cap. 5.

IAPYGES P. Licinio proconſuli pagos quoque ſub ſpecie deditionis obtulerunt. Qui recepti, & in poſtrema acie collocati, terga Romanorum ceciderunt. Ibidem.

CN. POMPEIVS circumſeſſos ad Dyrrhachium non tam obſidione liberauit ſuos, uerumetiam poſt eruptionem, quam oportuno loco & tempore fecerat, Cæſarem ad caſtellum, quod duplici munitione inſtructum erat, auidè erumpentem, exterior circumfuſus corona obligauit: ut ille inter eos quos obſidebat, & eos qui extrà circumuenerant medius, non leue periculum & detrimentum ſenſerit. Frontinus lib. 3. cap. 17.

C. MARIVS cum Teutonibus & Cimbris pugnam conſerturus in montium lateribus inæqualibus, Marcellum per noctem iuſſit cum tribus millibus armatorum per inuia montium circumire, & ad terga hoſtium euadere. Quod poſtquam accidit, militibus præceptum dedit, ut ex montanis paulatim ſe in campum reciperent, ut hoſtes fugere eos arbitrati, perſequi conarētur, & ſic in planiciem deſcenderēt. Qui cùm deſcendiſſent, à facie Marius, à tergo Marcellus irruptione facta, hoſtes conciderunt, uictoriamq; ſplendidiſſimam reportarunt. Polyæn. lib. 8.

GREGORIVS Scotorum rex, Hibernorum ducem Brenum, ad Banum flumē loco inacceſſo conſidentem, & mora Scotos frangere conantem, noctu per Futum montem circumducta exercitus parte, in hoſtium caſtra ex imminente colle molares deiici præcepit: ipſe prima luce caſtra aggreſſus, ancipiti periculo circumuentos Hiberos oppreſſit. Brenus dux lapidis ictu comminuto capite mortuus inuentus. H. Boëthius lib. 10.

ANGLI contra Scotorum regem Gulielmum pugnaturi, diuiſo exercitu, altera parte ſummo mane hoſtes prouocarunt: alteram in ualle propinqua latere iuſſerunt. Sole illuceſcente, Scoti hoſtium audaciam mirati, leui negotio eos fuderunt. Vbi uerò in uallem deuentum, ſolutis ordinibus Scoti fugientes ſecuti, ab Anglis oppreſſi ſunt, rex ipſe captus. H. Boëthius lib. 13.

Scoti & Picti cum Hengiſto Saxonum duce cōgreſſi, uictores erant. HENGISTVS tubæ ſono tria ſuorum millia in uicino tumulo ad omnem euentum collocatorum euocauit. Quibus à tergo irruentibus, circumuenti undiq; Scoti magnam cladem ſunt paſſi. H. Boëthius lib. 8.

## VIRES, COPIAS HOSTIVM DISTRAHERE, DISTRACTAS CONFICERE.

*Hoſtilis exercitus diſtractio triplex eſt. Aut ne coniungatur prouidendo (De qua ſub Tit. Auxilia miſſa intercipere) aut poſteaquam coniunctus eſt, partim auertendo aliò (De qua auerſione ſub Tit. Metum hoſti iniicere) partim opprimendo in partes diuiſum. Et de hac diſtractione hîc agemus. Conſule Tit. Audaces reddere hoſtes metu aut fuga ſimulata.*

### INVADENTIVM.

IVDAS Machabæus, cùm Antiochi Epiphanis tres duces, Ptolemæus, Nicanor & Gorgias cum 40 peditum millibus & ſeptem equitum Iudæam inuaſiſſent, iis cum paucis ſe oppoſuit. Gorgias noctu caſtra Iudæorum ex improuiſo aggreſſurus, mille equites & quinque peditum millia aſſumſerat. Eo cognito, Iudas caſtra ſua reliquit, & Gorgia uacua caſtra diripiente, ipſe Ptolemæum & Nicanorem repentè aggreſſus, tria millia occidit. Clade cognita, Gorgias fuga ſibi conſuluit. 1. Machabæorum 4.

Victo ad Salaminem Xerxe, THEMISTOCLES cùm eam ſibi maritimæ rei uictoriam uendicaret, ad copias pedeſtres ſtatim conſilia conuertit. Perterrefactis autem Græcis, nec audentibus aduerſus tot hominum millia pedeſtri acie dimicare, pædagogum filiorum ſuorum ad regem miſit, qui nunciet illi, properare Græcos ad fretū nauigare, pontemq; diſſoluere. Quo rex nuncio perturbatus, ne occupato à Gręcis mari, reditu in Aſiam intercluderetur, cum parte copiarum traiecit ex Europa in Aſiam, relicto ibi Mardonio cum robore equitum peditumq;, qui ad Platæas oppreſſus eſt. Diodorus lib. 11. cap. 1.

DIONYSIVS, Carthaginenſibus cum trecentorum millium exercitu aduentantibus, complures munitiones & caſtella ædificari curauit. Mox cum Carthaginenſibus egit, ut pacē facerent, atque caſtella reciperent. Id cùm illi libentiſſimè facerent, & multos ex militibus præſidij & cuſtodiæ cauſa in ſingulis relinquerent: tum demū reliquos aggreſſus profligauit. Polyænus lib. 5.

Q. FAB. Maximus quintò Coſ. cùm Gallorum, Vmbrorū, Hethruſcorum, Samnitumq; aduerſus P. R. exercitus coiſſent, contra quos & ipſe trans Apeninum montem caſtra cōmuniebat: ſcripſit Fuluio & Poſthumio, qui in præſidio urbi erant, copias ad Sitium mouerent: quibus aſſecutis, ad ſua defendenda Hethruſci Vmbriq; deſcenderūt: relictos Samnites Galloſq; Fabius & collega Decius aggreſſi, uicerunt. Frontinus lib. 1. cap 8.

HANNIBAL Imp. delectus, belli contra Saguntinos Rom. ſocios occaſionem quærens, populos trans Iberum deprędari cepit. Barbari coacta multitudine ingēti, ſupra CM Hānibalem redeuntē ex Vacceis prope flumen Tagū adoriuntur. Ad quorum conſpectum ſubitò conſtitēre Carthaginenſium ſigna, totoq; agmine pauor & trepidatio fuit. Nec ambigitur, quin Pœni eo die inſignē cladem accepturi eſſent, ſi repentino hoſtium aduentu commoti prædaq; onuſti, cū ferociſſimis gentibus conſeruiſſent manus. Sed Hannibal prælio ſuperſedere ſtatuit, atque ibi caſtra poſuit. Proxima deinde nocte quanto maximè ſilentio potuit, copiis amnē traductis, locum ea parte, qua tranſitus hoſti facillimus dabatur, ab omni præſidio uacuum reliquit, ut partim ſimulato metu, partim occaſione oblata, barbaros ad tranſeundum flumen alliceret. Barbari, dum Carthaginenſes perterritos eſſe arbitrantur, magno impetu ſe in aquam proiiciūt. Hos incompoſitos implicatoſq;, priùs quàm omnino flumen traiiciant, equitibus primùm, mox omnibus copiis aggrediuntur Pœni, magnoq; eorum numero interfecto, reliquos in fugam uertunt. Poſt uictoriam cuncti trans Iberum populi deditionem faciunt, præter Saguntinos. Quos cùm obſidere cepiſſet, bello ſecundo Punico occaſionem dedit. Plutarchus in Hannibale.

C. IVL. Cæſar cum Heluetiis bellum gerebat. Hi in Gallorum & Romanorum fines egrediebantur, circiter octoginta millia: quorum uiginti millia arma ferre poterant. Cæſar unum diem ſemper cedebat. Barbari maiori fiducia ob eam rem ſumta perſequebantur. Cùm autem Rhodanum fluuium tranſmittere uellent, Cæſar non multò antè caſtrametatus eſt. Cùm Barbari aſperū fluuium magno cum labore tranſiſſent, nondum omnes, ſed triginta millibus poſtridie traiicere uellent: qui tranſierant, defeſſi quietem captabant. Cæſar noctu eos adortus, omnes interfecit, reuertendi per flumen poteſtate interciſa. Polyæn. lib. 8.

BRITANNI Albionis incolæ, hinc Scotorum ex Hibernia, illinc Pictorum ex ſeptentrione aduectorum armis, affinitatis inſuper uinculo connexis, ſe impares fore metuentes: Pictos contra Scotos inſtigare, auxilia iis liberaliter polliceri

ceperunt



ceperunt: quòd cæſis Scotis, facilè ſe Pictis uictoribus ſuperiores fore ſperarent. Ferguſius primus Scotorum rex dolum ſubodoratus, cùm Pictis fœdere icto, Britānos magna ſtrage affecit. Hector Boëthius lib. 1.

Contra HENRICVM IV. Anglorum regem proceres conſpirauerāt. Rex contractis copiis ſuis ad Screuesberre hoſtib. occurrit. Volentem aūt eodem die decernere, Georgius Scotus Merchiarum comes exul prohibuit, conſilium dans ut poſceret dilationem conflictus in poſterum diem, ſimulando, ſi id primoribus regni uideretur, ne tanta ciuium ſanguinis profuſio fieret, regno ſe abdicaturum. Quę cùm iuratus ad hoſtium legatos dixiſſet, credidere: duceſq; hoſtium diuiſis copiis, ut commeatus facilior eſſet, in diuerſas partes exercitum metari caſtra iuſſerunt. Quæ quum uideret, eos repentè inuaſit, & complures coniuratorum principes occidit. H. Boëthius lib. 16.

GVIDO Montisferrati Cōmes, in urbe Foroliuio obſeſſus à Guidone Appia Romandiolæ comite, Martini IV. pontificis auſpicio, operam dedit, ut è ſuorum numero quidam cū hoſte de tradenda urbe paciſcerentur. Cùm autem hoſtium partē ingreſſam eſſe in urbem uideret: ipſe per auerſam portam ſilentio egreſſus, eos, qui foris manſerant, & uictoriam minimè dubiam eſſe rebantur, incautos oppreſſit. Mox in eos, qui in urbē erant ingreſſi, conuerſus, cùm palantes per urbem uni tantùm prædæ eſſent intenti, uel occidit, uel cepit omnes. Fulgoſus lib. 7. cap. 4.

Hugonem Magnum, ducem uti à tutela Ricardi pueri Normãnorum ducis abduceret Ludouicus IV. Franciæ rex, promiſit illi Normanniæ ducatum, ſola urbe Rotomago ſibi reſeruata. Ergo rex, & Hugo, diuiſis exercitibus, ferro & igni Normanniam inuadunt. Normanni ab armis imparati, mittunt legationem regi: Veniret Rotomagū, & ſuſciperet gentem deditiſſimam. Rex, ſtipatus magna ſuorum manu, Rotomagum ingreditur, regio apparatu excipitur. Ibi Bernardus quidam ex primoribus, Gratulamur, inquit, rex, tibi nobiſq;. Nam hodie cum utriſq; bene actum conſpicitur, quòd tu potentia, nos etiam honore aucti uidemur: qui hactenus duci paruimus, deinceps regi obſequuturi. Hugo hoc quærit, ut te paulatim uiribus exuat, nudatum inuadat. Rex Hugonis potentiam ueritus, miſit illicò, qui Hugoni diceret, quamprimum regione excederet, quæ iam regi pareret. Ille indignatus, quòd rex promiſſa non ſeruaret, exercitum reduxit. Et Normāni quidem in præſens regi ſe ſubmiſere, ſed non multo pòſt nouis ex Dania & Noruegia auxiliis inſtructi, Ludouico rege capto, Ricardum ducem recepere. Crantzius lib. 3. Noruegiæ, cap. 10.

### OBSIDENTIVM.

CARTHAGINENSES ab Agathoclis F. Archagathò graui obſidione preſſi, cùm infeliciter ſæpe pugnaſſent, & imperium ferè amiſiſſent: deinceps placuit tripartitò diuiſum exercitum emittere: unum ad oppida maritima, alterum in mediterranea loca, tertium in ulteriorem regionem. Nam ſi hoc facerent, ſperabant fore primùm, ut obſidione & penuria rei frumentariæ ſubleuarentur: nec erat cur urbi ab obſidione metuerent, cùm eſſet & propter mare, & propter murorum firmitatem inacceſſa. Deinde ſe ſocios lōgè faciliùs in amicitia retinere poſſe credebant, ſi plures exercitus foris eſſent, qui auxilium ferrent: & quod erat omnium maximum, hoſtes copias diuidere coactum iri ſperabant, & procul ab Carthagine diſtractum. Quæ omnia, quemadmodū opinati fuerant, euenerunt. Diod. lib. 20.

Franciſcus I. Gallorum rex Papiam graui obſidione urgebat, quæ Maximiliano Sforciæ Mediolanenſium principi parebat. Sforciæ partes ſequebatur IO. Iacobus Medices, qui arcem Mutiam ad lacum Comenſem tuebatur. Is ad diſtrahēda à regis exercitu ſex millia Rhetorum arcem Clauennæ Rheticæ capto præfecto ad deditionē compulit. Rheti ſuos domum reuocarunt: eaq; ratione exercitus Gallorum ſuo ueluti propugnaculo deſtitutus, magna clade affectus eſt. Franciſcus rex captus 24. Feb. anni 25. qui hoc uerſu literis numeralibus exprimitur, Captus erat Gallus, coeunt cum ture cohortes. Stumpfius.

### OBSESSORVM.

AGESILAVS dux Lacedæmoniorum, cùm Phocenſes obſideret, & intellexiſſet eos, qui tunc præſidio illis erant, iam grauari belli mora: caſtris motis tanquam ad alia quędam, liberam occaſionem recedendi illis dedit. Non multò pòſt reuerſus, deſtitutos præſidiariis Phocenſes ſuperauit. Frontinus lib. 3. cap. 11. & Polyæn. lib. 2.

PHILIPPVS Byzantios oppugnabat, non exigua ſociorum manu inſtructos. Eos ad defectionem ſolicitare machinabatur, miſſis transfugis qui nunciarent, ipſorum urbes oppugnari à Philippo, qui alias eò copias miſiſſet. Interea Philippus palàm exercitus partes alias in alia loca ſe mittere ſimulabat. Socij ergo, deſertis Byzantiis ad ſuam patriam ſinguli profecti ſunt. Polyænus lib. 4.

### PVGNANTIVM. ACIEM HOSTIVM perrumpere.

PAMMENES, magnum equitum numerum in exercitu ducens, hoſtibus ſcutatorum multitudinem habentibus, paucos quos in ſuo exercitu habebat ſcutatos & leuis armaturæ milites, ea parte ubi ualidiſſimus erat hoſtium exercitus, oppoſuit: iiſque præcepit, ut data opera ſe in fugā coniicerent, quo aduerſariorum ſcutatos à reliqua acie diſtraheret. Quod poſtquam contigit, aſſumtis equitibus, ab altero latere obequitans, in eos impetum fecit, & undiquaq; circūdatos ſuperauit, inſtantibus equitibus, iiſq; qui fugere exiſtimabantur, ſe conuertentibus. Polyæn. lib. 5.

Machanidas Lacedęmoniorum tyrannus Mantineorum fines inuaſerat. Cui occurrit PHILOPOEMENES Achæorum prætor. Milite igitur externo Machanidas iaculatores & Tarentinos, qui ante ſigna locati Achæorum fuerunt, pepulit: & dum conſectatur effuſos, præterlatus eſt aciem Achęorum, qui integris adhuc ordinibus conſiſtebant. Philopœmenes, eo diſſimulato, quaſi nihil incommodi accidiſſet, non occurrit neque obiecit ſe Machanidæ fugientes agenti, ſed permiſit eum præteruehi. Vbi iam magnum interuallum fecerunt, confeſtim ſigna intulit in pedites; quos nudos uidebat relictos: cornibuſque exporrectis ex latere incurrit in deſtitutos duce, nec pugnam expectantes. Hos ut multa cæde auertit (quippe ſupra quatuor millia occubuiſſe feruntur) contendit in reuertentem cum mercenariis ab hoſtium inſectatione Machanidam, cumque manu ſua occidit. Plutarchus in Philopœmene.

HANNIBAL Cannenſem P. Romani aciem ſpeculatus, priuſquam ad dimicandum deſcenderet, partem copiarum ſuarum inter ipſum prælij tempus de induſtria fugere iuſſit. Quam cùm à reliquo exercitu abruptam legio Romana ſequeretur, trucidandam eam ab iis, quos in inſidiis collocauerat, curauit. Valer. lib. 7. cap. 4.

REGNERVS, Danorum rex, Helleſpontiorum duorum fratrum Dian & Daxon immenſum animaduertēs exercitum, equos æneos ductilibus rotulis ſuperpoſitos, ac uerſatilibus curriculis circumductos, in confertiſſimos hoſtes maxima ui emiſit, & laxauit aduerſariorum aciem, altero ducum interfecto, altero fugato. Saxo lib. 9.

### INSEQVENTIVM. IN FVGA.

CONON Athenienſis Callicratidem duplo plures habentem triremes in mari fugiens, cùm iam propè Mitylenem eſſet, Laconicis nauibus inter inſequendum diſtractis, ſuſtulit phœnidem, quod erat pugnæ ſignum gubernatoribus. Qui cōuerſis proris, in Laconicas naues impreſſionem faciunt. At illæ inordinatę atque perturbatæ, inopinata conuerſione perculſæ, magna ex parte fractæ ſunt, multæ etiam ſubmerſæ. Polyænus lib. 1.

PHORMIONEM circa Naupactum per maritima nauigantem, duæ triremes perſequebantur. Stante autem in ſtatione naue oneraria, iam interceptus circa hanc ſe flexit, & in tardioris triremis puppim impetu facto, eam ſubmerſit: atque confeſtim ad alteram conuerſus, ſine negotio etiam illam perdidit. Polyænus libro tertio.

DOROTHEVS Leucadius inter nauale prælium in portum quendam confugit, hoſtibus non longè inſequentibus: & prætérlegens finem portus extremum, nauem conuertit. Prior hoſtium triremis perſequens Dorotheum, impetu delata in portum tendebat. Eam repentè Dorotheus irruptione facta ſubmerſit. Altera nauis uidens priorem ſubmergi, ſtatim fugam cepit. Polyæn. lib. 5.

Tegeatæ & Pheneatæ diutino bello conflictati, deliberauerunt trigeminos fratres ad dimicandum de uictoria mittere. Ac Tegeatæ quidem Reximachi filios, Pheneatæ Demoſtrati nominauerunt. Commiſſo certamine, duo de Reximachi filiis interfecti ſunt. Tertius, CRITOLAVS nomine, cōſilio ſuperauit aduerſarios duos. Quippe compoſitam fugam fingens, inſectantes ſingulatim obtruncauit. Reuertenti gratulantibus aliis, una non eſt ſoror gauiſa Demodice: interemerat enim ſponſum eius Demodicum. Quod moleſtè ferens Critolaus, peremit eam. Cùm autē homicidij poſtularetur à matre, fuit à crimine liberatus. Hoc apud Demaratum eſt libro ſecundo rerum Arcadicarum. Plutarchus de Græcorum & Rom. comparatione.

Romani & Albani inter ſe bellantes, trigeminos fratres, qui pro patria dimicarent, legere: Albani Curiatios, Horatios Romani. Commiſſo certamine, duos ex aduerſariis Curiatij oppreſſerunt. Qui reliquus erat HORATIVS, opem à ſimulata mutuatus fugā; inſequentes ſingulos occidit. Exultantibus cunctis, ſola ſoror non applauſit Horatia inter-

fectori ſponſi ſui Curiatij. Ille peremit ſororem: quod Ariſtides Mileſius in rebus Italicis memorat. Idem.

Rodericus Portundus, Hiſpanæ claſſis, quæ Carolum V. Cæſarem ex Hiſpania in Italiã uexerat, præfectus, Barchinonẽ reuerti iuſſus, ex itinere prædones ſe adepturum ratus, qui tum in Balearico mari uagabantur: quum ad Ebuſam inſulam perueniſſet, didicit ibi prædonum quindecim nauigia, quæ remis agerentur, ad Colubrariam inſulam conſediſſe. Itaque euectus in ſpem opprimẽdæ piraticæ claſſis, ex quindecim ſuis triremibus ualidiſſimas octo tantùm deligit. Et quamuis à filio ſuo Ioanne, ut cautiùs ageret, moneretur, nihilominus prætoriæ ſuæ claſſis curſum ita intendit, ut reliquas, quæ remigio minùs ualebant, anteiret. AIDINVS igitur Smyrnæus archipirata ubi inæqualem hoſtium curſum deprehendit, hoc conſilij ſuſcepit, ita diuiſis pugnæ muneribus, ut ualidiores biremes roſtris hoſtilem claſſem rectà ferirent, leuiores autem ſingulas binæ à lateribus aggrederentur. Fauit fortuna prædonibus. Nam Aſſanes Celebinus & Solymannus audaciſſimi omnium & pugnaciſſimi uno tempore, hic à latere, ille rectiſſimè à prora in prætoriã inuecti, priuſquam ſuccurri poſſet, Portundum, capta prætoria, cum ſuis omnibus propugnatoribus trucidarunt: parique celeritate reliquæ triremes captis omnibus in poteſtatem Turcarum uenère. Iouius libro uigeſimoſeptimo.

GAMALIS pirata Turca, cùm una tantùm biremi piraticam exerceret, ui uentorum per noctem ita acriter eſt actus, ut illuceſcente die Siciliam in conſpectu haberet. Illic fortè offendit Francinum Paruum Catelanum, duarum triremium præfectum. Earum altera ſtatim inſequi Gamalim cœpit. Quæ cùm magna ui remorum ageretur, ita ut ab altera amplius conſpici non poſſet: iam Gamalis biremem roſtro penè attingebat. Cùm igitur nautæ uela colligerent, Gamalis in triremem ingenti animo proſiliit, remigeſque ad libertatem uocauit. Dum ergo nauales ſocij in remiges, quos ad rebellandum libertatis ſpes inuitabat, arma mouent, ut eos uinctos ad remigationem continerent, Gamalis momento triremi potitus eſt. A biremi autem ſua, in triremem milites, quos habebat, cùm tranſtuliſſet, à puppi biremem tãquam captiuam trahebat: iuſſiſque tubicinibus ingenti clangore canere, ad aliam triremẽ dirigere curſum cœpit. Quæ cùm Turcenſem biremem cum Gamali captum arbitraretur: lætitiæ plena ceu uictoriam gratulatura, uenienti obuiam ſe præbebat. In quam Gamalis, ut in alteram, cum ſuis inſiluit, atque ipſam quoque cùm nihil hoſtile uerentem atque incautam oppreſſiſſet, in uinculis omnes ad remigatoriam ſeruitutem poſuit. Fulgoſ. lib. 7. cap. 4.

## HOSTES RETRAHERE, REVOCARE ALIO, BELLVM TRANSFERRE.

Artoxerxes, Perſarum rex, poſteaquam adductos à Cyro fratre Græcos, quos non minùs elaborauerat in poteſtatẽ ſuã redigere, quàm uincere Cyrum & regnum retinere, non potuit capere: ſed imperatore amiſſo Cyro, ducibuſq; ſuis, ex ipſa propè emerſerunt regia, detegentes & reuelantes Perſarũ & regis res, uim auri eſſe & luxum & mulieres, cætera faſtum ac minas: cùm tota ſe erexit Græcia & deſpexit barbaros, tum Lacedæmonij turpe duxerunt, niſi tunc certè incolentes Aſiam Græcos ſeruitute eximerẽt, atq; ab illorum aſſererent contumeliis. Ac primùm ubi duce Thymbrone, deinde Dercyllida, arma in Aſiam promouentes nihil memorabile geſſerunt, præfecère bello regem Ageſilaum, qui tranſportato protinus in Aſiam exercitu, reb. gerendis intentus, magnum nomen comparauit, Tiſſaphernem fudit fugauitq;, & ciuitates ad defectionem impulit. His actis aduertens ARTOXERXES, Cononis ſuaſu, quemadmodũ gerendum bellum eſſet: Tiſſapherni necato Tithrauſten ſucceſſorem dedit, & Rhodium Hermocratem (Pauſanias uocat Timocratem) magna ui auri inſtructum miſit in Græciam, mãdans, ut corrumperet illos, quorum ſumma eſſet in ciuitatibus auctoritas, bellumq; in Lacedæmonios totius Græciæ conciret. Id exequente Hermocrate, potentiſſimiſq; ciuitatibus conſpirantibus, atq; conturbata Peloponneſo, bello exorto Corinthiaco, Ageſilaum reuocauerũt ex Aſia magiſtratus Lacedæmoniorum. Quo quidem tempore ferunt decedentem apud amicos dixiſſe, tribus millibus ſagittariorum ex Aſia ſe à rege expelli. Sunt enim numi Perſici ſagittario ſignati. Qua quidẽ proditione & libertas Græcis, & Lacedæmoniis imperium maris ereptum eſt, uictis ad Cnidum nauali prælio à Pharnabazo & Conone Athenienſi. Qui pecuniam recepère, fuiſſe dicuntur, ex Argiuis Cylon & Sodamas: è Thebanis, Androclides, Iſmenias & Amphithemis. Eius etiam largitionis participes Athenis fuère Cephalus & Epicrates: ſimul è Corinthiis quotcunq; cum Argiuis faciebant, ſed ipſi inprimis eius factionis duces Polianthes & Timolaus. Bellum apertè geri cœptum eſt à Locris. Pauſanias in Laconicis, & Plutarchus in Artoxerxe, & Polyænus libro 1.

Bello Peloponneſiaco, Lacedęmonij infeſto exercitu Atticam uaſtabant. Populus Athenienſis coram impunè uaſtari omnia, exuriq; cernens, in aciẽ deſcendere, atq; occurrere hoſtium petulantiæ ſtatuerat. At PERICLES plebem reuocans, & pollicitus, ſe propediem ſine periculo ex Attica Lacedæmonios electurum: centum triremes inſtrui iubet, prętore Carcino, & confeſtim in Peloponẽſum traiicere iubet. Qui properè deuecti, totam propè maritimæ oræ partem depopulando uaſtandoq; agros, excurrunt, nonnullaq; caſtella ui capiunt, tumultu reliqua pauoreq; concutiũt. Quo metu perculſi Lacedæmonij, quãprimùm ex Attica copias reuocant ad muniendam contra uim hoſtium Peloponneſum. Hac arte liberauit Atticam Pericles. Et aliquot pòſt annis ſimili ratione iterum. Diod. lib. 12. & Polyænus lib. 1.

ALEXANDER Tigrim traiiciens, Perſis terram igni populantibus, ut commeatus defectu hoſtes circumuenirent, miſit, qui omni ui & contentione eos perſequerẽtur, ut ſuæ ſaluti conſulentes, regionem intactã relinquerent. Polyæn. lib. 4.

AGATHOCLES, Syracuſarum tyrãnus, cùm urbẽ eius Amilcar Carthaginenſis obſideret, exercitum ſuum clàm in Africam traiecit, ut metũ metu, uim ui diſcuteret. Neq; ſine effectu: nam repentino eius aduentu perculſi Pœni, libenter incolumitatem ſuam ſalute hoſtium redemerunt: pactique ſunt, ut eodem tempore & Africa Siculis, & Sicilia Punicis armis liberaretur. Valer. lib. 7. c. 4. & Diod. lib. 20. pro Amilcare Aſdrubalem habet.

M. CVRIVS aduerſus Sabinos, qui ingenti exercitu conſcripto, relictis finibus ſuis, Romanos agros occupauerant, occultis itineribus manum miſit, quæ deſolatos agros eorum uicoſque per diuerſa incendit. Sabini ad arcendam domeſticam uaſtitatem receſſerunt. Curio contigit & uacuos infeſtare hoſtium fines, & exercitum ſine prælio auertere, ſparſumq; cædere. Frontinus.

HANNIBAL, cùm uideret nullã ſibi facultatem relinqui, qua duces Romanos à Capua remoueret, pro ſociorũ periculo anxius, confugit ad iam multo antè agitatum, & ueluti ad extremum reſeruatum conſilium. Cunctis enim neceſſariis comparatis, caſtra mouet, & quãto maximè ſilentio poteſt, tranſmiſſo Vulturno amne, infeſtis ſignis Romam petit: ratus, aut hac uia aut nulla alia, ſolui tam pertinacem obſidionem poſſe. Quod ubi Romã certis auctoribus nunciatum eſt, tantus repentè terror inuaſit, ut rarò ſit unquã intra mœnia uehementiùs trepidatum. In tam trepida re placuit, ut Fuluius Flaccus alter ex ducibus Romanis à Capua acceſſitus, & conſules noui Sulpitius Galba, & Cornelius Centimalus extra urbem haberent caſtra, & C. Calphurnius prætor ualido præſidio Capitolium tueretur, & hi ciues, qui ſummos magiſtratus geſſiſſent, repentinos tumultus auctoritate imperioq; ſedarent. Auctor uitæ eius.

P. SCIPIO, urente Italiam Hannibale, ipſe in Africam cum exercitu profectus, Carthaginenſes eò redegit, ut Hannibalem reuocarent.

MAXIMIANVM Imp. Germanicis incurſionibus irritatum ſalutaris illa cogitatio ſubiit: haud incõmodè ſe facturum, ſi, quod nemo adhuc tentauerat, ultrò Rhenum tranſmitteret, atq; hoſtes, in ſuis quenq; agris, opprimeret: ſic enim demum deleri Germanos poſſe, ſi in propriis ſedibus peterentur: ut non prædam modò, quã cepiſſent, amitterent, ſed de ipſis etiã liberis, coniugibus, parẽtibus, & rebus ſuis cariſſimis dimicarẽt. ſatis ſe hoſtilium incurſionum hactenus pertuliſſe, nunc reddere eas barbaris magnis cumulatas incommodis oportere. Hoc igitur conſilio explicato, pontem in Rhenum cõfecit, exercituq; tranſmiſſo Alemaniam iniit. ac rege eorum inter ipſas, quas moliebatur, inſidias capto, ab ipſo ponte uſq; ad Danubij caput continenter Alemanos præliis proſperè factis edomuit, ac totam regionem ferro atq; igne uaſtatã, opibus prorſus exhauſit. uſq; adeò ut Mamertinus rhetor non minùs ad fidem, quàm ad laudem dixerit: Maximianum, primum omnium Imperatorum probaſſe, Romani Imperij nullum eſſe terminum, niſi qui ſuorũ eſſet armorum. Hæc uictoria ingentem Maximiano gloriã uel conſilij nouitate, uel cladis magnitudine, attulit. Nam trophæis in media Alemania conſtitutis, gentem illam ita debilitauit, ut pòſt per multos annos à Romanorum bello uacauerit. Sigonius lib. 1. occid. Imp.

Saraceni Siciliam inſigniter uaſtabant. Eorum impetum cùm neq; Michael Imperator, nec Lodouicus Pius à Paſchali põtifice per oratores ad id miſſos rogatus, ut Chriſtianæ reiopem ferret, repelleret, ad Michaelem dictitãs eam iniuriam pertinere, cuius Sicilia eſſet: unus ea tẽpeſtate repertus eſt, qui



qui audaciſſimos Barbarorum conatus maiore felicitate quàm conſilio fregit. BONIFACIVS Cyrni comes cum Betario fratre, & paucis Hetruriæ comitibus modica claſſe in Aphricam delatus, inter Vticam & Carthaginem in terram egreſſus, quatuor præliis tantam uim hoſtium cæcidit, ut ui coacti ſint Mauri, ſuos ex Sicilia reuocare. Atque per eum maximè modum Sicilia peſtifero bello leuata eſt: & Bonifacius ex Aphrica uictricem reduxit claſſem, multa præda onuſtam. Sab. lib. 9. Ennead. 8. & Platina.

Hadingus, Danorum rex, infeſtis armis Gothiam & Sueciam premebat. VFFO ergo rex, cuius patrem Aſmundum & auum Sibdagerum Hadingus interfecerat, claſſe in Daniam traiecit, ut hoſtem ad ſua defendenda reuocaret. Ioannes Magnus lib. 2. cap. 11. & Saxo lib 3.

ERICVS, Sueonum rex, ab Haldano in Suecia preſſus, ipſe uiciſſim bellum in Daniam tranſtulit. Ita dum iniuriam inferre quàm repellere maluit, Sueciam armis hoſtilibus liberauit. Quippe cùm Haldanus Haraldum Danorum regem fratrem ab eo tribus deuictũ præliis, quarto occiſum cognoſſet, amittendi imperij metu relictis Sueonum agris patriam repetere coactus fuit. Saxo lib. 7.

Anno 1473. Vladiſlaus, Caſimiri Poloniæ regis F. Boëmorum rex factus, ab Hungaris, qui à Mathia Coruino defecerant, accitus, Mathiam Vratiſlauiæ obſedit. MATHIAS cùm ſeſe hoſti uideret imparem, intra mœnia ſe continens, mora, fame, eruptionibus aſſiduis Polonos & Boëmos fatigauit: tandem miſſa copiarum parte expeditiſſ. in Poloniam, ferro ignique uaſtando omnia; ferociſſimum hoſtem obſidionem ſoluere, & fœdus ſecum inire coëgit. Bonfinius lib. 3. Decad. 4.

Quum BARNABAS Vicecomes Bononiam ab Olegiano, quem urbis iſtius præfectum Ioannes Vicecomes, archiepiſcopus Mediolan. conſtituerat, occupatam, & demùm Aegidio, Innocentij VI. Pp. legato traditam, recuperare niteretur: fœderatæ ciuitates, ingẽtes copias Vgolino Gonzaga Imperatore in agrum Inſubrum, miſerunt: rati Barnabam fratris Galeacij II. periculo adductum à Bononienſi agro trãs Padum reuocari poſſe. Sed Barnabas Vgolinum, traiecto Pado, & Nouaria capta, magnam perturbationem Galeacij rebus afferentem, paribus belli artibus auertit. Infeſto enim exercitu Mantuanorum fines ingreſſus, perruptoque Serrallio, quæ eſt munitio ab amne Pado ad Mutinam perpetuis aggeribus ſuburbanum agrum complectẽs, Mantuano duce præſidioque nudatos adeò perculit, ut Vgolinus uel in ipſo felici ſperatæ ingentis uictoriæ curſu, de imperio ſaluteque ciuium ſuorum magnoperè ſollicitus, pacem petere cogeretur, cognationemq; nouo fœdere confirmaret. Iouius in Galeacio.

Boleſlaus, Poloniæ rex, Iagail antè dictus, genere Lituanus, uocato in ſocietatem belli Alexandro fratruele ſuo, duce Lituaniæ, arma conuertit in Pruſſiam. Ferunt in exercitu eius fuiſſe ducenta millia pugnatorum. Fratres TEVTONICI uiribus & numero impares, ad communiendas urbes & arces ſuas conuertuntur. Rex omnem terram Culmenſem igne ac ferro uaſtauit. Interea fratres, exercitu octo millium expeditorum in Poloniam miſſo, immunita in regno (ut ſunt ferè) omnia oppida diripiunt, munitiora expugnant, ſatis ubique proſperè. Quinque urbes oppugnatione facta ceperunt. Crone monaſterium, quod rex ipſe incaſtellarat, expugnant, cæſo cum multis locis præfecto: ſolo munitionem æquant. Interea rex in Pruſſia Culmenſem urbem expugnat, firmatque ſuo præſidio impoſito: eccleſiam maiorem in caſtellum communit, per domos Canonicorum caſtra diſpartitur. Magiſter autem, quantas potuit uires contrahens; regem in ea obſedit urbe, multitudine ſua laborantem: inque eam neceſſitatem breui perduxit, ut prior pacis faceret mentionem. Cranzius lib. 10. Vandaliæ, cap. 39.

## CELERITATE SVMMA HOSTEM OPPRIMERE.

Cùm DAVID Achim regem Gethæorum, patronum ſuum & hoſpitem, à quo exulans ciuitate Siceleg donatus fuerat, in expeditione contra Iſraelitas ſequeretur: interea Amalechitæ, qui excurſionibus Dauidicis mirum in modum infeſtabantur, captata occaſione, Siceleg urbem expugnant, igni comburunt, omnes omnium ætatum captiuos abducunt, & inter eos quoque duas Dauidis uxores, Achinoaman Ieſraelenſem, & Abigailem uiduam Nabalis Carmelitæ. Dauid ab Achi dimiſſus, ubi urbem uaſtatam intellexit, tanto dolore cum ſuis fuit confectus, ut iam & uires & lacrymæ deficerent: parum quoque aberat, quin à militibus ſuis lapidaretur. At conſulto Domino per Abiatharem pontificem, Amalechitas ſumma feſtinatione inſecutus; Aegyptij cuiuſdam ſerui ductu, quem in deſerto ægrum ante triduum reliquerat quidã Amalechita, hoſtes incautos adortus, ad internecionem eos cecidit, exceptis CCCC, qui camelis inſidentes effugerunt: prædamque omnem cum uxoribus recepit. 1. Regum 30.

ANTIGONVS Attalum & Alcetam duces Macedonum, in Piſidicis anguſtiis caſtrametantes, clàm perſequebatur. Elephantis clangorem edentibus, atque horrentibus, Antigonum aduentare ſenſerunt. Solus enim hic eiuſmodi belluarum apparatum circum ſe habebat. Alcetas, aſſumtis ſecum ſcutatis, operam dabat, ut aſperam difficilemque per montana uiam occuparet. Antigonus omittens Alcetam, obliquatam aciem ſub latera montium ſumma cum celeritate aduerſus hoſtes ducens, eos de improuiſo obiuit, partim arma circumdantes, partim inermes: promiſſaq; ſalute ac uita, ſine prælio uictoriam adeptus eſt. Polyæn. lib. 4.

DEMETRIVS miſſo ad Bœotos fœciali, bellum eis denunciabat. Fœcialis quidem Orchomeni Bœotarchis epiſtolam belli nunciam reddidit. Poſtridie uerò Demetrius in Chæronea caſtra locauit. Perterruit Bœotos bellũ ſimul annunciatum & præſens. Polyæn. lib. 4.

ARISTONYMVM in Methymna Chares oppugnabat. Miſit ad eum Memnon legationem, petens ne quid per uim Ariſtonymo faciat. Etenim eſſe ſibi patrium amicum & hoſpitem, & ſequenti nocte ſe cum omnibus militibus ibi affuturum. Chares legatis hæc referentibus contemſit: quòd fieri non poſſe exiſtimaret, ut exercitus tanto numero atque onere ſequenti nocte in eum locum peruenire poſſet. Memnon quinque confectis itinere ſtadiis, milites ad mille & ducentos in naues impoſuit: iiſque præceptum dedit, ut cùm egreſſi ad arcem ueniſſent, ſublato igne ſignificationem facerent, & hoſtes aggrederentur. His factis; adortio in tenebris præter ſpem & expectationem accidit. Ignis uerò ſublatus, in fugam Charetem uertit. Polyænus.

AMAGE; uxor Medoſacci regis Sarmatarum, qui Ponticam maritimam attingunt, uidens maritum luxui deditum & crapulæ, ipſa plerunque iura dictabat, & præſidia regionis diſponebat, atque hoſtium incurſiones reprimebat, finitimiſque qui iniuria premerentur, auxilium ferebat: ſic ut eius fama ac gloria per uniuerſos Scythas celeberrima haberetur. Quo fiebat, ut etiam qui Tauricam incolebant Cherroneſitæ, multis damnis ab rege uicinorũ Scytharum acceptis; ſocietatem cum ea coniungere uellent. Illa primùm ſcripſit, mandans ut à Cherroneſo abſtineret. Cùm hæc Scytha contemneret, illa uiris centum & uiginti aſſumtis, & animi & corporis uiribus præſtantiſſimis, unicuique três equos attribuit, incitatoq; curſu una nocte & die mille & ducenta ſtadia confecit: & ex improuiſo regiam adorta, omnes in ianuis conſtitutos occidit. Scythis, ut in clandeſtino periculo perturbatis, & exiſtimantibus multò plures accedere: Amage, quo ceperat impetu, in regiam Scytharum irruens, cognatiſque & amicis, quos rex ſecum habebat, interfectis, Cherroneſitis regionem tradidit: filio autem occiſi regnum commiſit, mandans ut iuſtè imperaret, & parentis exitum intuens, & à finitimis Græcis ac Barbaris abſtineret. Polyænus lib. 8.

TIMOLEON, Corinthiorum dux, & Icetes, Leontinorum tyrannus, uno eodemque tempore ab Adranitis Siculis, cùm factiones haberent, accerſiti erant. Timoleon, qui MCC tantum milites habebat, cùm Icetem caſtra ponere conſpexiſſet: non refectis militibus hoſtes diſperſos aggreſſus fudit, caſtra illorum cepit. Adranitæ patefactis portis in Timoleontis partes conceſſere: cum honore & ſtupore nunciantes, fuiſſe ſacra ueſtibula templi in ipſo articulo prælij ſua ſponte patefacta, uiſam dei Adriani, quem tota Sicilia religioſiſſimè colit, haſtã, ſumma cuſpide uibrare, faciemque eius largo ſudore manare. Hæc profectò non eam tantùm uictoriam ſpoponderunt, uerùm etiam res conſequentes, quibus aperuit illud certamen fores. Etenim ciuitates miſſis extemplò legatis coniunxerunt ſe Timoleonti. Plutarchus in Timoleonte.

DATAMEM Pharnabazo ſubſtitutum Artoxerxes contra Aſpim miſit, qui Cataoniam tenebat, quæ gens iacet ſupra Ciliciam, confinis Cappadociæ. Datames etſi longè aberat ab his regionibus, & à maiore re abſtrahebatur: tamen regis uoluntati morem gerendum putauit. Itaque cùm paucis, ſed uiris fortibus, nauem conſcendit, exiſtimans, id quod accidit, faciliùs ſe imprudentem parua manu oppreſſurum, quàm paratum, quamuis magno exercitu. Huc delatus, in Ciliciam egreſſus, inde dies noctesque iter faciens, Taurum tranſit, eoque, quò ſtuduerat, uenit. Quærit quibus locis ſit: Aſpis cognoſcit haud longè abeſſe, profectumque eum uenatum: quem dum ſpeculatur, aduentus eius cauſa cognoſcitur. Piſidas cum iis, quos ſecum habebat, ad reſiſtendum Aſpis comparat. Id Datames ubi audiuit,

uit, arma capit, ſuos ſequi iubet: ipſe equo concitato, ad hoſtem uehitur: quem procul Aſpis conſpiciens ad ſe ferentem, pertimeſcit, atque à conatu reſiſtendi deterritus, ſeſe dedit. Hunc Datames uinctum, ad regem ducendum tradit Mithridati. Hæc dum geruntur, Artoxerxes reminiſcens à quanto bello, ad quam paruam rem principem ducum miſiſſet: ſeipſum reprehendit, & nuncium ad exercitum acrem miſit, quòd nondum Datamen profectum putabat, qui diceret, ne ab exercitu diſcederet. Hic priuſquam perueniret quò erat profectus, in itinere conuênit qui Aſpim ducebāt. Qua celeritate cùm magnam beneuolentiam regis Datames conſecutus eſſet, non minorem inuidiam aulicorum excepit, quòd illum pluris quàm ſe omnes fieri uidebant. Probus in Datame.

Certior factus ALCIBIADES, Mindarum Spartiatem pergere cum tota claſſe in Helleſpontum, & inſequi Athenienſes, maturauit ducibus Athenienſibus ſuppetias ire. Ac fortè fortuna in eo articulo aduenit octodecim nauibus, quò utrinque claſſes uniuerſæ concurrerant circa Abydum: & confligentes altèro cornu uictrices, uictæ altero, in ſerum uſque, acrem trahebant pugnam. Aduentu ſuo contrariam utriſque expectationem præbuit, ut erigerentur hoſtes, Athenienſes terrore percellerentur. Mox ſigno ex naue prætoria ſublato, amicum ſe eſſe, magno impetu in uictores & inſectantes eſt Peloponneſios inuectus: fugatos in terrā expulit, & tergis inhærens fugientium, naues eorùm concidit, peremitque multos ex iis qui conabantur enatare: quāuis Pharnabazus iis terra ſubueniret, naueſque eniteretur in litore ſeruare. Poſtremò captis de hoſte triginta nauibus, ſuis receptis, trophæum excitauêre. Plut. in Alcibiade.

ALEXANDER Philippi filius, ter decem ſtadiis continuo itinere confectis, antequam quietem caperet exercitus, cum hoſtibus conflixit, & eos uicit. Aelianus de Varia hiſtoria libro decimo.

Bello Punico ſecundo conſules facti ſunt. M. Liuius & CL. NERO. Hi partitis inter ſe copiis in prouincias proficiſcuntur. Claudius in Salentinos aduerſus Hannibalem, Liuius in Galliam contendit aduerſus Aſdrubalem, Barchinum, qui ſuperatis Alpibus, ingentibus equitum peditumque cōpiis iungere ſe fratri properabat. Claudius non longè à Venuſia habens caſtra, interceptis hoſtium literis, cùm Aſdrubalem appropinquare cognouiſſet: ſub legati cuſtodia caſtris relictis, ipſe cum parte exercitus magnis itineribus in Picenum profectus eſt, ſextoque die Senam peruenit. Ibi conſules ambo iunctis copiis propter Metaurum flumen Aſdrubalem adorti, ſecundiſſimo prælio conflixerunt. At poſt uictoriam tantam non minùs celeriter, quàm profectus erat, Venuſiam Claudius repetiit: ut Hannibal priùs cęſum cum omnibus copiis fratrem, quàm profectum reuerſumque in caſtra conſulem Romanum ſciret. Auctor uitæ Hannibalis, & Frontinus libro primo, capite primo, & Valerius Max. libro 7. capite 4.

M. CATO animaduertit in Hiſpania potiri ſe quodam oppido poſſe, ſi inopinantes inuaderet. Quatridui itaque iter biduo per confragoſa & deſerta emenſus, nihil tale metuentes oppreſſit hoſtes. Militibus deinde ſuis cauſam tam facilis euentus requirentibus, dixit: Tum illos uictoriam adeptos, cùm quatridui iter biduo arripuiſſent. Frontinus libro tertio, capite ſecundo. Idem reſpondit ſuis militibus Archidamus.

T. QVINTIVS Coſs. uictis acie Equis & Volſcis, cùm Antium oppidum expugnare ſtatuiſſet: ad concionem uocato exercitu, expoſuit quàm id neceſſariū & facile eſſet, ſi nō differretur. eoque impetu, quem exhortatio concitarat, aggreſſus eſt urbem. Frontinus lib. 3. cap. 1.

HANNIBAL Pœnus, ut Flaminium conſulem, qui in Hetruria erat, improuiſo acceſſu opprimeret: per ſtagnantia Arni loca tres dies ac totidem noctes peruigil egit exercitum: irrupitque repentè in hoſtilem terram, tanta hoſtium conſternatione, ut non magis Cortonenſis ſaltus & Thraſymeni obices iuuerint Punicam uictoriam, quamuis ea parte illata, qua minimè expectabatur. Sab. lib. 10. cap. 6.

L. LVCVLLVS aduerſus Mithridatem & Tigranem, in Armenia apud Tigranocertam pugnaturus, cùm ipſe non amplius quindecim millia armatorum haberet, hoſtis autem innumerabilem multitudinem, ſed inhabilem (Plut. X peditum M, mille equitum habuiſſe ait: Tigranem CLM) nondum ordinatam hoſtium aciem inuaſit, atque ita protinùs diſſipauit, ut ipſi quoque reges, abiectis inſignibus, fugerint. Frontinus lib. 2. cap. 1.

C. IVL. Cæſar Dictator, uicto Pompeio in Aſiam profectus, Domitium accepit à Pharnace Mithridatis filio fuſum, ex Ponto cum paucis fugam cepiſſe: Pharnacem uerò immodicè uictoria utentem Bithynia occupata & Cappadocia Armeniæ minori appellatæ imminere, omneſque illius oræ reges & tetrarchas concitauiſſe. Igitur prælio fugatum Ponto ſummouit, exercitumque eius internecione deleuit. Huius pernicitatem & celeritatem conflictus Romam ſignificans, ad amicum quendā Amintium ſcripſit tria uerba: Veni, uidi, uici. Plut. in Cæſare.

Scipio ſucceſſibus leuiorum præliorum elatus, in Africa, relicto ſeorſum Afranio, ſeorſum etiam Iuba, qui caſtra exiguo inde interuallo habebant, inſtitit ſuper lacum præſidium munire prope urbem Tapſagum, quò id omnibus ad pugnam arx & refugium foret. Dum in eo eſt, C. IVL. Cæſar loca ſaltuoſa & impedita, incredibili celeritate tranſmiſit: atque alios circumuaſit, alios in frontem eſt adortus, quibus fuſis fugatiſque, occaſione & impetu fortunæ uſus eſt: quo momento Afranij caſtra cepit, momento Iuba fugiente Numidarum caſtra diripuit. Ita diei unius exiguo ſpacio trinis potitus caſtris, cæſis hoſtium millibus quinquaginta, ne quinquaginta quidem deſiderauit de ſuis. Plutarchus in Cæſare.

MAXIMVS tyrannus Valentiniano II. bellum indixerat. Ea denūciatione Valentinianus exterritus, ſubitò Domninum ad eum Aquileia legauit, poſtulatum, ut fœdus ſecum redintegraret. Maximus aſtutè conſilium ſuum occultans, Domninum amicè cōplexus, inſignibus muneribus onerauit: atque, impertito fœdere, militarem etiam manum abeunti permiſit, qua Valentinianus contra barbaros uteretur, Pannoniæ finibus imminentes. Vbi uerò eum à ſe itinere aliquot dierum digreſſum ſenſit: relicto in Gallia Victore filio, quem Auguſti dignitate ornauerat, uniuerſis cum copiis in Italiam iter intendit, cuſtodibus præmiſſis, ne quis præuertens aduentum ſuum Italiæ nunciaret. Mox, poſtquam Domninum iam Alpes ſuperaſſe audiuit: tum, quanta maxima potuit celeritate, ad Alpes Cottias properauit, iiſque ſine impedimento traiectis, Aquileiam uerſus duxit, & fugiente Valentiniano, occupauit. Quo facto, confeſtim tota Italia ac ſubinde Africa in fidem eius ſe tradidit. Sigonius libro 9. Imp. occid.

Cùm tempore Baſilij Imp. Cretenſes Agareni Peloponneſum prædatoriis nauigiis infeſtarent: NICETAS Oryphas claſſis præfectus paucis diebus in Peloponneſum delatus, ne inſulam circumnauigare cogeretur, ea ipſa, qua primùm applicuit, nocte, per Corinthiacum Iſthmum, operarum uſus multitudine, naues per continentem in alterius lateris mare tranſportauit: impoſitiſque claſſiariis, hoſtes ſubitò adortus cæcidit. Cedrenus.

Orchanes Bithyniæ princeps Conſtantinopolim occupare cupiebat. ANDRONICVS Iunior Imp. ſubita irruptione audita, delectis uiginti nobilibus iuuenibus & XL gregariis militibus, adiunctoque Cantacuzeno Magno Domeſtico duce, hos terra mittit. Ipſe cum tribus inermibus triremibus contra Barbarorum claſſem abit: qui cum uigintiquatuor nauibus ex Aſiatico Propontidis ſinu prope Rhegium appulerant, & prædatum alij aliò excurrerant, priuſquam id agreſtes reſciſcerent. Diluculo iam ferè, Magnus Domeſticus cum equitibus ſeptuaginta Barbaros diſſipatos cęcidit, non ſecùs ac meſſores frumentum. Simul etiam Imperator quatuordecim naues hoſtiles cepit, cuſtodibus earum cæſis, reliquis fugatis. Sub auroram uerò, cùm & Imperator in terram egreſſus eſſet, propemodum mille eorùm interfecerunt, trecentos ceperunt, nullo Romanorum occiſo. Gregoras libro 10.

Cæſo Childerico II. Francorum rege, & Theoderico ei ſuccedente: EBROINVS, magiſter equitum, à Childerico monaſterio incluſus, illud egreditur, contraque Theodericum caſtrametatus, cùm per literas clàm ueteres amicos conſuleret, Quidnam conſilij capiendum uideretur? Illi perplexè duobus uerbis reſponderunt: Memineris Fredegundis. Intellexit ſe hoſti contemtui eſſe: ac in celeritate poſitam uictoriam Cum delectiſſimis igitur nocte iter ingreſſus, Iſaram fl. tranſmiſit, hoſteſque oppreſſit. Aemilius lib. 1.

Turci Claudiopolim obſidebant. Obſeſſi, niſi maturè auxilia mitterentur deditionem ſe facturos minitabantur. MANVEL Comnenus Imp. Græcorum, poſtridie ſumma celeritate ad eos contendit, incredibili patientia uigiliarum & laboris diurni nocturnique. Vt prope Claudiopolim uentum eſt, Barbari aduentu eius ex uexillis ſplendore armorum cognito, fugæ ſe mandarunt, illo quàm longiſſimè perſequente. Nicetas lib. 6.

BAIAZETHES I. Turcorum tyrānus ſolers in prouidendis ac patiens in expectandis rerum occaſionibus, in negotiis exequendis tanta celeritate utebatur, ut Hildrin, id eſt cœli fulgur cognominaretur. Iis naturæ dotibus adiutus, totam ferè Græciam ſubegit. Iouius in uita eius.

ABSALON, Lundenſis archiepiſcopus, Canuti Danorum regis auſpiciis contra numeroſiſs. Bogiſlai Sclauorum ſatrapæ claſſem miſſus, citiùs ad hoſtem peruenit, quàm exiiſſe crederetur. Itaque cùm Bogiſlaus occidentales Sclauos in auxilium ſibi aduentantes ſecurè crederet, à paucis Danorum nauibus tam fœdè uictus eſt, ut ex quingentis nauibus, quinque ac triginta fuga elapſis, XVIII depreſſis, reliquæ omnes in Danorum poteſtatem uenerint: tandem quoque Bogiſlaus ipſe clientelæ ſe Danicæ tradiderit. Saxo libro 16.



Adelbertus Lucæ Marchio, Hildebrando Comite in ſocietatem aſcito, occultè aduerſus LAMBERTVM Imp. exercicitum comparauit, ſcilicet ab uxore Berta, inquieti ingenij femina, regni cupiditate accenſus. Lambertus autem, cùm per aliquot dies aſſiduis uenationibus intentus, Adelbertum Bardonem montem cum diuerſis & infirmis copiis ſuperare cognouiſſet: ne tempus in acciendo maiore domo exercitu tereret, ſtrenuos centum, quos ſecum in armis habebat, milites ſumſit, ac properè aduerſus hoſtem eduxit. Illi ex monte in campos ad Burgum ſancti Domnini degreſſi, cibo ac potui largiùs indulſerunt, ac quieti tradiderunt. Lambertus Placentia ſilentio noctis profectus, ac raptim agmine acto, alios immobiles, alios ſemiſomnes, pleroſque ad arma trepidantes oppreſſit. Hildebrando fuga elapſo, Adelbertus in pręſepio, cùm ibi fortè latitaret, eſt captus. Cui, cùm ad ſe deductus eſſet, Lambertus dixit: Nimirum Berta uxor tua diuino tum afflata ſpiritu fuit, cùm ſe ſcientia ſua te ipſum aut regem, aut aſinum effecturam promiſit: nam quia regem non potuit, aſinum, ne mentiretur, effecit, dum te ad præſepe confugere compulit. Sigonius libro 6. regni Italici.

GASTO Foiſſeius, Galliæ regis Ludouici XII. exercitus contra Pontificis Iulij II. copias, Bononiam obſidentes, imperator: repreſſis Heluetiis, quos Pontifex exciuerat, nihil cunctandum ratus, ut Bononiam obſidione liberaret, nulla interpoſita quiete, quum nullam à milite uel duræ hyemis, uel difficilium itinerum, uel priſtinæ defatigationis excuſationem reciperet: eò magnis itineribus contendit, tanta celeritate incitatis ad feſtinandum omnibus copiis, ut neque uiæ militares admodum lutulentæ, neque inflati amnes, neque longiſſimæ noctes quicquam impedirent, quò minus tormenta ænea, non modò legionibus in curſu, ſed ipſis etiam equitibus æquarentur. Accidit autem id, quo nihil ætate noſtra admirabilius in re bellica fortaſſe contigit, ut nihil prorſus ſentientibus Hiſpanis interdiu, inſtructaque acie, uiginti ampliùs cohortes, & ſex mille equites, & magnum tormentorum & carrorum numerum trahens, Bononiam ſit ingreſſus: quum Fabricius Columna & Petrus Nauarrus, uigilantiſſimi homines, tot ſæpe equitum turmis per agrum Tranſrhenanum emiſſis, nihil de eius aduentu unquam præſenſiſſent. Etenim Foiſſeius nuncios omnes & literas & totam denique ſui famam incredibili celeritate præcurrerat. Iouius in Leone X. libro ſecundo.

Solymannus Turcarum Imp. anno 1534. Tauriſium regiam Perſarum urbem occupauit. Inde in Meſopotamiam reuerſurus, magnam à Perſis cladem accepit. Tammas Perſarum rex, comparatis copiis Tauriſium repetit, ratus hoſtem Turcam urbanis deliciis hærentem, repentina irruptione oppreſſum iri. Sed eò elapſo, ſtatuit eum omnino perſequi. Ibi præcipuus atque fortiſſimus ſatraparum DELIMENTHES ſe nouiſſimum agmen adepturum promiſit, ſi ſibi expeditorum & electorum ab ſe equitum tertia pars tribueretur. Erat is è Caramania oriundus, inter pugnaciſſimos tantam uirium & animi magnitudinem in præliis oſtendere ſolitus, ut non temerè inſanus ab inuſitata temeritate Delis uocaretur, quod nomen hodie apud Turcas ſtrenuiſſimis & uitæ contemtoribus imponitur. Nec mora, tenuit ille confeſtim nota indigenis uiarum compendia, incredibili feſtinandi celeritate adhibita. Quum non plus unius diei itinere ab hoſtibus abeſſet, certior factus Turcas ad Bethlim iuxta radices Tauri montis feſſos itinere timoreque omni uacuos, conſidere: deligit obſcuriſſimam noctem, multaque etiam pluuia impeditam, & hoſtes adoritur, cuſtodem Bethlinæ arcis monens, ut & ille ſigno accepto ab arce deſcendens, diuerſum in hoſtium caſtra impetum faceret. Tanta autem fuit atque adeò felix temeritas Delimenthis, ut ipſo ingruente conſopiti & nihil tale timentes Turcæ undique opprimerentur, ingenſque eorum cædes fieret, & ipſis penè Baſſis ad inſternendos & conſcendendos equos ſpacium eriperetur, nec in tenebris ſummique periculi tumultu prætoriani pedites ſclopettos expedirent, & curulia tormenta caperentur. Ferunt nuſquam Turcis maius incōmodum, uel cruentiſſima acie fuiſſe illatum: quandoquidem amiſſis tormentis atque tentoriis, omnibuſque ſpoliati caſtrēſibus uaſis & impedimentis, ſupra dimidiam partem equorum amiſerint. Incidit ea clades Turcis ad tertium Idus Octobris, qui dies ingenti Perſarum omnium lætitia poſtea celebratus eſt, quum Delimenthes onuſtus ſpoliis, & cruentam clauam, qua ea nocte mactandis hoſtibus plurimum uſus fuerat, elata dextra oſtentans, ad Tāmaſum rediiſſet. Iouius lib. 3. Hiſt.

Tanta fuit in CÆSARIANO milite duceque Borbonio ad occupandam Romam celeritas, in ſuperandis præaltis fluminibus conficiendoque itinere, uel per imbres maximè lutulento, ut aliquanto citiùs quàm opinione hominum expectari poſſent, ad mœnia Vaticana peruenerint. Iouius in Pomp. Columna.

CL. GVISIVS rigente hyeme, educto exercitu, ea ſpecie, quaſi ad Fanum Quintini paulo antè à Philippo Caroli Cæſaris F. captum recuperandum tenderet: de improuiſo conuerſis itineribus, Caletum uerſus iter arripuit. Acceperat enim per exploratores, non ſatis firmo præſidio Caletum ab Anglis teneri. Quamobrem obſeruata æſtus maris reciprocatione, terra marique oppugnationem aggreſſus, oppidum munitiſſimum, & per ducentos annos ab Anglis poſſeſſum & defenſum, cepit ac diripuit, anno à Chriſto nato MDLVIII, tertio Non. Ianuarij. Sabellicus ſupplemen. libro 29.

## MORA HOSTEM ATTERERE, FRANGERE.

IPHICRATES, ſi contra tyrones & inexercitatos aciem inſtrueret, habens exercitatos milites, non cōtinuò pugnam faciebat, ſed ſtando tempus conſumens, hoſtes laſſabat, minus ad laborem aſſuetos: atq; tum demum impetum faciebat. Sin cum præexercitatis conflicturus eſſet, habens tyrones, ſtatim pugnam inibat, & primum ſuorū impetum tempeſtiuè adhibebat. Polyænus lib. 3.

PHILIPPVS ad Chæroneam, memor ſibi eſſe militem longo uſu duratum, Athenienſibus acrem quidem, ſed inexercitatum, & impetu tantùm uiolentum, ex induſtria prælium traxit: moxq; languentibus iam Athenienſibus concitatiùs intulit ſigna, & ipſos cæcîdit. Front. lib. 2. cap. 1.

Q. FAB. MAXIMVS non ignarus Gallos & Samnites primo impetu pręualere, ſuorum autem infatigabiles ſpiritus, inter moras decertandi etiam incaleſcere: imperauit militibus, ut contenti eſſent primo congreſſu ſuſtinere, ut hoſtem mora fatigarent. Quod ubi ſucceſſit, admoto etiam ſubſidio ſuis, in prima acie uniuerſis uiribus oppreſſum fudit hoſtem. Ibidem.

L. LVCVLLVS mora Mithridatem, Ponti regem, attriuit. Plutarchus in Lucullo.

FRIDERICVS Aragonius, Siciliæ rex, cùm in ſingula momenta expectaret, ut Robertus Neapolitanus rex hoſtis in Siciliam deſcenderet, neq; plus exploratum haberet, quo in loco defenſionem eſſet facturus, quàm utrum uiribus ei par eſſe poſſet: Drepanitanos quoſdam ciues coëgit, clàm nuncios obſideſque ad Robertum mittere, hortantes eum, ut Drepanum primò deſcendere uellet, affirmantes, ſi ea potitus eſſet urbe, nullo eum labore inſula tota potiturum. Quibus cùm Robertus crederet, & diu eum uerbis Drepanitani traxiſſent, quia urbs natura manuque munita erat, & præterea præſidium in ea ualidum Fridericus impoſuerat: quanquam inuitus imminente hyeme Robertus pacem inire cum Friderico coactus eſt, atque obſides reddere: quia amiſſa æſtate, nihil erat quod per hyemem illic ſpetare poſſet. Fulgoſus libro ſeptimo, capite quarto.

PETRVS Tarraconenſis rex, Siciliæ regnum occuparat. Carolus Andegauenſis ad illud recuperandum ingentes adduxerat copias. Quibus cùm ſeſe imparem eſſe uideret Petrus, aſtu procellam procul auertit: & quamuis grauis eſſet ætate, Carolum, magno & ipſum natu, ad certamen per caduceatorem prouocauit: Si uir, ſi Dux, ſi Rex eſſet, congrederetur. immunem malorum par eſſe Siciliam præſtari: ut ea ſalua, florēs, incolumis, uictorem ſequeretur: neu euerteretur, de cuius integræ poſſeſſionę ageretur. Id uerò mirū in modum auditu iucundum Franco accidit. Placuit ut equitibus uterque centenis inter ſe decertarent: utri alæ Deus uictoriam daret, eius, res de qua agitur, præmium eſſet. De his conditionibus nulla controuerſia orta: de loco ambigitur, ubi dimicetur. In Siciliam, quæ tota præſidiis claſſibuſque Tarraconenſibus teneretur, non committent ſe centum equites Franci, rexque Carolus. Petrus Italiam continentem ſibi meritò ſuſpectam dicit, quòd in ea propè tota non minùs ualeat Carolus, quàm in ea parte Franciæ, quæ nullum agnoſcit Imperium Regémue, niſi Francum. Anglum utique neutri contra alterum affuturum: Burdegalam in Vaſconia eius Imperio contineri: illic decerni ſinē metu campis ante urbem eam patentibus poſſe. Die certamini conſtituta, Carolus cum ala centenaria præſtò affuit: Burdegalæ ſeſe ſuoſq; in armis oſtendit. Petrus nullus com

paruit, nullus Tarraconenſis ſeſe oſtendit. Conſecutus erat id quod animo propoſuerat: præſentem tempeſtatem deuitarat: auerterat Francorum uires ab ipſo freto, à ueſtibulo propè ingreſſuque ac limine Siciliæ. Dimiſſus ſemel exercitus, non facilè rurſus cogetur: nunquam idem impetus ardorque renaſcetur. Francus ad ſeram uſque noctem loco conſtituto in armis ſtetit. Sunt qui ſcribant, Petrum, ut ignauiæ periuriique notam effugeret: quia iurauerat, ſe uenturum, priuati hominis cultu uno omninò comite per diſpoſitos equos Prætorem adiuiſſe, ſeque illi confeſſum, ac excuſatione detracti certaminis ea uſum, quòd Francus Rex cum exercitu iuſto appropinquare diceretur: nec ſibi æqua conditione centum equitibus aduerſus omnes Francorum copias certamen futurum, propioraq; Carolo Francorum auxilia, quàm ſibi Tarraconenſium. Parique celeritate Tarraconem rediiſſe: cùm, id quod præterea captauerat, ſe abſente, eius Præfecti in Italia res geſſiſſent. Aemilius libro ſeptimo.

## TEMPVS PVGNÆ OPORTVNVM ELIGERE, quod hoſti ſit importunum.

*Conſule Tit. Securitatem hoſti iniicere ſimulatione abitus, quietis, loci, &c. quatenus actiones omnes in tempore fiunt.*

Thebani, duce Epaminunda, cùm ad urbem Spartam acceſſiſſent: Spartanos uel in acie pugnam facere hortabantur, uel confiteri, ſe inferiores eſſe hoſtibus. SPARTANI reſponſum dedere, Se de ſumma rerum bello decernere uelle, cùm tempus oportunum nacti fuiſſent. Hoſtes ergo uaſtata Laconia, collectaque ſpoliorum innumerabili copia, reuerſi ſunt in Arcadiam. Diod. lib. 15.

ROMANI, ſi ipſi bellum inferrent, pugnæ diem eligere poterant fauſtum aliquem. At cùm exciperent, nullus obſtabat dies, quo minus uel ſalutem ſuam, uel publicam defenderent dignitatem. Macrob. lib. 1. Satur. cap. 16. & Gellius libro quinto, capite 17.

Bœorix, Cimbrorum rex, cũ paucis ad caſtra prouectus, laceſſiuit C. MARIVM, ut die & loco præfinito prodiret, & de ſolo dimicaret. Cùm Marius reſpondiſſet, Non eſſe moris Romani, ut pugnę committendæ mutuarentur ab hoſtibus conſilium, id Cimbris tamen ſe largiturum: diem ſtatuerunt ab illo tertium, locum & campum apud Vercellas: qui Romanorũ equitatui oportunus erat, atq; ad illorum explicandam multitudinem accommodatus. Præſtitutam diem obierunt, acieſque infeſtas utrinq; inſtruxerunt. Plutarchus in Mario.

Ariouiſtus, Germanorum rex, cum magna manu in Galliam irruperat. Germanos uaticinia percellebant fatiloquarum mulierum, quæ amnium uorticibus inſpectis, riuorumque gyris & ſtrepitibus notatis, futura præcinebant. Hæc ſigna conferre antè, quàm illuxiſſet noua luna uetabant. Quibus nunciatis, C. IVL. Cæſar cùm quiſcere cerneret Germanos, optimum factu ratus eſt, ut cum torpentibus potiùs confligeret, quàm illorum expectans tempora, deſideret. Itaque munimentis eorum & tumulis oppugnandis, quibus conſederant, laceſſiuit irritauitque eos, ut cum furore ad dimicandum deſcenderent. Fuſos ingenti ſtrage triginta ſeptem millia quingentos paſſus uſque ad Rhenum inſecutus, campum cadaueribus & ſpoliis totum compleuit. Ariouiſtus percepta fuga Rhenum cum paucis traiecit. Cecidiſſe dicuntur octoginta millia. Plutarchus in Cæſare.

## HOSTES IMPARATOS AGGREDI.

*Ex Titulo Securitatem hoſti iniicere, huc non pauca exempla transferri poſſunt.*

### DORMIENTES, CORPORA CVRANTES, CONVIVANTES.

Rheſus haud alienus à Priami amicitia, pacta mercede cũ magnis Thracum copiis aduentabat. Is incidente iam ueſpere paulisper moratus apud Oen inſulam, quæ ante poſitam ciuitatem continenti eius adiungitur: ſecundam circiter uigiliam ingreſſus Troianos campos, explicitiſq; tentoriis, ibidem operiebatur. Quod ubi DIOMEDES atque VLYSSES, uigilias in ea parte curantes, procul animaduertere, rati Troianos à Priamo exploratũ miſſos, arreptis armis, mox preſſo gradu circumſpicientes omnia, pergunt ad eum locum. Tum fatigatis ex itinere cuſtodibus, & ob id ſomno preſſis, illi interiùs progreſſi, in ipſis tentoriis regem interfecerunt. Dein nihil ultrà audendum rati, currum eius & cum egregiis inſignibus equos ad naues duxerunt. Dictys.

Erythræi Mileſiorum ſocij, bello, quod Neæræ cauſa Mileſij cõtra NAXIOS geſſere, prætorem habebant Diognetum. Is cùm arcem, quæ eius fidei concredita erat, oppoſitam Naxiorum oppido teneret, natura & opere munitam, magnã prædam abegerat à Naxiis, feminaſque ingenuas & puellas ceperat. Vnam ex iis amabat Polycritam, eamque non pro captiua, ſed pro uxore habebat. In expeditione cùm ſolenne Mileſiis ſuperueniſſet, omnibus ad pocula & epulas conuerſis, rogauit Diognetum Polycrita, Liceretne partem bellariorum mittere fratribus? Annuente eo & iubentè, libellum plumbeum placentæ includit, mandatque per nuncium fratribus, quæ miſiſſet, ea ut ipſi per ſe comederent. Qui cùm plumbum reperiſſent, & ſcripturam legiſſent Polycritæ, ea nocte hoſtes ſomno uinoq; ſepultos oppreſſere. Plutarchus de Virt. mul.

M. FABIVS, ab Auſonibus capt⁹, in Sidicinorũ urbe Cales, ruptis uinculis ex muro hoſtiũ ſe reſte dimiſit. Is ad M. Valer. Coruini conſulis præſentiam conſtitutus, auctor illi fuit, ut Calenos uino & epulis feſto die ſopitos, repentè adoriretur. Quo facto, haud maiore eſt certamine oppidum captũ, quàm Caleni acie fuiſſent nuper uicti. Calibus captis ac direptis, conſul Romam rediit, Calenumq; triumphum egit. Sabellicus lib. 4. Ennead. 4.

M. MARCELLVS, cùm Syracuſanum quendam Soſiſtratum ad proditionem ſollicitaſſet: ex eo cognouit remiſſiores cuſtodias fore die feſto, quo Epicydes præbiturus eſſet epulum. Inſidiatus igitur hilaritati, & quæ eam ſequebatur ſocordiæ, munimenta conſcendit: uigilibuſque cæſis, aperuit exercitui Romano urbem nobilibus uictoriis claram. Frontinus libro tertio, capite tertio.

Gothi & Taifali, qui Iſtro tranſmiſſo, in Thraciam penetrauerant, occupatis oppidorum agris, tanta cum inſolentia uagabantur, ut nemo eis ex præſidiis occurrere auderet. Hos perdendi Theodoſio Magno, ad Imperij ſocietatem à Gratiano euecto, talis oblata occaſio eſt. Erat apud eum Modares, regio apud Scythas ſanguine ortus, ſed propter fidelem nauatam Romanis operam imperio ab eis militari ornatus. Hic cùm, imprudentibus Gothis, magnam militum manum in colle quodam haberet, atque hoſtes in campis temulentos ac propè ſecuros iacere per exploratores didiciſſet, ex improuiſo cum ſuis deſcendit, atque imparatos adortus, pleroſque aut uulneribus aut morte affecit. Viris autẽ deletis, in mulieres & pueros impetus factus. plauſtrorum quatuor millia capta. ex quo quantus aut captiuorum, aut cæſorum fuerit numerus, coniici poteſt. Ita Theodoſius eodem tempore Orientem & accepit, & conſeruauit. Sigonius lib. 8. Imp. occid.

Chriſtiani Ptolemaidem obſidentes, tanta famè preſſi ſunt, ut etiam ab hoſte annonam peterent. SALADINVS benegerendæ rei oportunitatem nactus, caſtra rerum omnium copia referta ſine ullo cuſtode dimiſit. Ad quæ diripiẽda cùm paſſim nullo ſeruato ordine Chriſtiani accurriſſent: Saladinus rediens, multos incautos & nil tale opinantes oppreſſit. Non deſeruêre tamen tam grauem & diutinam obſidionem Chriſtiani, licèt ad cætera mala, dyſenteria quoque in caſtris laboratum ſit. Platina.

Sub Scotorum rege Dauide nouẽni, regnum à gubernatorib. duobus regebatur. Eduardus Baliolus, Ioannis regis F. ope Eduardi III. Angli regnum repetebat, ſex millibus Anglorũ datis, etſi Eduardi ſoror Dauidi nupta eſſet. Ad Duplyn uicum, haud procul ab Erna fluuio, SCOTI conſederant, paucitatem hoſtium contemnentes. Eduardus intempeſta nocte caſtris milites educit, ac per occultiſſimos tramites ad terga hoſtium circũducit. nam ibi, cùm in aliis partibus negligentes ſtationes eſſent, nullas eſſe per ſpeculatores ſuos cognouerat. Ernam fluuiũ per uadum, quod Andreas quidam, Tulibart cognomento, infixo palo eis oſtenderat, tranſeunt in media caſtra, ad prætorium penetrant, Donaldum ducem dormientem confodiunt: cæteros in tenebris, ignaros à quibus cæderentur, niſi quòd faſcia alba brachiũ Angli induerant, ut à ſe inuicẽ internoſcerentur, ingenti clade affecerunt, cùm nec deditis nec ampliſſ. lytra afferentibus parcerent. Strages igitur maxima, ac qualis nunquam antea, cùm uulgo tum nobilibus, ſupra quàm dici poteſt, illata eſt. Pauci, qui manus feſſas euaſerant, conglobantes ſe ſine duce, ſine ordine, iterum fœdiſſimè ab hoſtibus ſanguine hoſtili conſperſis cędibuſque rabidis trucidati fuere. Pauci admodũ fuga ſeruati ſunt. Cæſa fuêre nobilium tria millia: reliqui ex plebe ſine numero. H. Boëthius lib. 15.



Fridericus II. Imp. Parmam biennio iam obſeſſam fame domare inſtituerat. Sagittarij Germani & Saraceni in magnũ coacti numerum, ad Parmæ portas foſſaſque conglobati, congredi auſos, aut ſtantes in propugnaculis quamplurimos uulnerabãt. Tum GREGORAS Montelongus Pontificis legatus, & Philippus Vicedominus Lombardorũ præſidio præfectus, ſtructis in urbe ordinibus, quanta maximè poſſunt celeritate erumpunt, urbem Victoriam ex improuiſo adoriuntur. Viam, quæ à caſtris in urbem recta lataque ducebat, otioſi milites Friderici inermes deambulando cõpleuerant. Fridericus ipſe, ſcortorum gregi per nemora colluſurus intererat. Ortus à ſagittariis ad prima eruptionis ſigna clamor, in uiam ſubitò portamque relatus: inermes uiſendi ſtudio ſe conculcantes, hoſtem aduentare conſpicati, dum arma arripere properant, portam reliquere hoſtibus apertam. Fridericus fugiẽs præter dedecus & ignominiam, aurea quoque & argentea, ac penè maiora quàm imperatoria perdidit ornamenta: in quîs corona fuit mirabilis precioſiſſimaque iaſpidum ornatu, quam pondere ac forma maiorem, quàm quæ capitis Imperatorij geſtamen ſit, ad diuitiarũ (quas maximas poſſedit) oſtentationem in cubili ſemper habebat. Victores, Victoriæ urbem ſolo æquarunt: nulla re magis alia damnandi, quàm quòd in humani ſanguinis, non magis barbari quàm Italici effuſione, modum exceſſere. Cranzius lib. 8. Saxoniæ, cap. 14.

Giſelbertus Lotharingiæ Dux & Eberhardus Comes contra Othonem I. Cæſarem conſpirauerant, eumque Briſacum obſidentem inuadere ſtatuerant: ſuperatoque Rheno prædas agebant. Superueniunt Vto Hermanni Sueuorum Ducis frater, & Conradus Sapiens, in auxilium regis: qui ueſtigia hoſtium legebant, occaſionem inſidiarum captantes. Obuius illis fit ſacerdos, cui Lotharingi iumentum, quod unicum habebat, abſtulerant: & interrogatus de Comite & Duce, eos dimiſſis trans Rhenũ cum præda militib. in uilla proxima corpora curare reſpondit. Vto hoc indicio illis improuiſus ſuperuenit. Eberhardus occiditur. Giſelbertus cum equo Rhenum tranare uolens, flumine abreptus periit. Sic minimo labore uictoria parta maxima. Otho dũ ſacra adit, nuncium de uictoria accipit: ſtatimq; equo deſiliens, in genua prouolutus, Deo gratias egit, & cum uniuerſo comitatu ſuo ad templum properauit. Cranzius libro 3. Saxoniæ, cap 19.

### LVDOS SPECTANTES, CONCIONANTES.

Feriantem aliquando Cæſaris equitatum in Africa (nam fortè Afer quidam ſaltationem oſtentabat, ſimulq; ad miraculũ uſque canebat tibia: quo oblectati milites, conſidebant, atque equos commiſerãt pueris) circunfuſi repentè POMPEIANI, duce Scipione, partim obtruncarunt, partim effuſè ad caſtra fugientibus Iulianis uno agmine irruperũt. Quòd ni Cæſar ipſe, unaque Aſinius Pollio ſuppetias ferentes extra uallum fugam repreſſiſſent, tranſactum erat bellum. Plutarchus in Cæſare.

CAROLI V. Cæſaris in regno Neapolitano copiæ contra Philippum Auriam, Andreæ Auriæ Gallicæ claſſis præfecti legatum, profecturæ, ad inſulam Capreas contenderũt, atque ibi iuxta fontes ex iucundiore mora largiùs epulati, Conſaluo etiam Barectæ Luſitano cucullato, qui religioſæ ſolitudinis cauſa illis in rupibus tugurium condiderat, concionanti aures præbuerunt. Dum prolixè atque inflammatè Barecta concionaretur, Biordus Agneſius Neapolitanus non tam Gallicæ factioni addictus, quàm Hiſpanorum arrogantiæ infenſus, in aduerſum inſulæ litus ſe demiſit, & uecti uectus nauicula ad Philippum aduolauit, primuſque certum nuncium tulit de numero apparatuque & ducibus Cæſarianæ claſſis. Qua occaſione Philippus uſus, nobilem à Cæſarianis uictoriam reportauit. Iouius lib. 25 Hiſt.

## ACIEI INSTRVCTIONE HOSTEM SVSTINERE.

*Confer cum hoc Titulum, Loci oportunitate hoſtem includere, uel ſuſtinere. Hîc Locati, illic Loci habetur ratio. Item Tit. Militum diſpoſitio & ordines, quatenus diſpoſitione apta hoſtes ſuperantur.*

NESTOR apud Homerum Iliad. β. debellandi cum Troianis modum enarraturus, συνταξίαν ſuadet Agamemnoni, ut delectu habito aciem inſtruat, & in ordines certos ſegreget, per nationes, tribus atq; claſſes.

> κρῖν' ἄνδρας κατὰ φῦλα, κατὰ φρήτρας, Ἀγάμεμνον,
> ὡς φρήτρη φρήτρηφιν ἀρήγῃ, φῦλα δὲ φύλοις.
> γνώσῃ ἔπειθ', ὅς θ' ἡγεμόνων κακός, ὅς τε καὶ ἐσθλός.

LACEDÆMONII patria diſciplina traditum habebant, ne hoſtes cupidiùs urgerent, & prouidentiùs curarent, ne turbarentur ordines, quàm ut fugientes cæderent. Pauſanias in Meſſenicis.

IIDEM, duce Agide Arcades bello aggreſſi, aciem ſuam dilatarunt, quò in hoſtilem aciem omni ex parte frontem obuerterent. Aratus Sicyonius, qui medium agmen Agidi oppoſitus tuebatur, re ita cum Arcadibus compoſita, cum ſua manu fugam ſimulat. Ea fugæ ſpecie acies in lunæ modum curuata eſt. Agis fugientes urget, & Spartani à cornibus utrinque imperatorem ſuum cupidiùs ſecuti, à Mantinenſibus denſa incinguntur corona, & nobili illa clade ad Mantineam affliguntur. Pauſanias in Arcadicis.

PAVSANIAS rex Spartanorum prudenti cornuum permutatione cũ Athenienſibus ad Platæas uicit Perſas. Plutarchus in Ariſtide.

PAMMENES Thebanus, conſpecta Perſarum acie, quæ robuſtiſſimas copias in dextro cornu collocatas habebat, ſimili ratione & ipſe ſuos ordinauit, omnemque equitatum, & fortiſſimum quemque peditum, in dextro cornu, infirmiſſimos autem contra fortiſſimos hoſtium poſuit: præcepítque ut ad primum impetum eorum ſibi fuga conſulerent, & in ſylueſtria confragoſaque loca ſe reciperent. Ita fruſtrato robore exercitus, ipſe optima parte uirium ſuarum, dextro cornu totam circuiuit aciem hoſtium, & euertit. Frontinus libro ſecundo, capite tertio.

PHORMIO cum nauibus triginta ſoluẽs aduerſus hoſtium naues quinquaginta, ſuas in quinarios ordines diſpoſuit, & in aciem aduerſariarum ipſas rectis ordinibus duxit. Aduerſariis uerò ob nimiam alacritatem diſperſis, ac uelociſſimis triremibus à longo cæteras relinquentibus, Phormio intellecta diſtractione ipſarum, conuertens ſuam Pentanaiam, in appropinquantes ſibi triremes impetum facit: atque his ſubmerſis aduerſus alias nauigauit. Cæteris triremium præfectis hæc eadem facientibus, hoſtes fugam dederunt. Polyænus lib. 3.

CASTRONIVS Lacedæmonius, cùm in auxilium Aegyptiis aduerſus Perſas ueniſſet, & ſciret firmiorem eſſe Græcum militem, magiſq; à Perſis timeri: commutatis armis Gręcos in prima poſuit acie. & cùm illi æquo marte pugnarent, ſubmiſit Aegyptiorum manum. Perſæ cùm Gręcis, quos Aegyptios opinabantur, reſtitiſſent: superueniente multitudine, quam ut Græcorum expauerant, ceſſerunt. Frontinus lib. 2. cap. 3. At Polyænus lib. 1. Gaſtronem uocat.

EPAMINONDAS aduerſus Lacedæmonios pugnaturus, cùm utraque acies ſolum expectaret confligendi ſignum, ipſe ante aciem magnum equorum numerum excurrere iuſſit, ita ut concitato ingenti puluere, hoſtium conſpectus adimeretur. Per id tempus in acie ſua, ordines immutauit, ita ut cùm poſtea cõfligeretur, ipſe à tergo in hoſtes, qui id minimè aduerterant, impetum faceret, quæ res ei uictoriam facillimè peperit. Plutarchus.

PHILIPPVS Macedonum rex aduerſus Illyrios gerens bellum, ut animaduertit frontem hoſtium ſtipatam electis à toto exercitu uiris, latera autem infirmiora: fortiſſimis ſuorum in dextro cornu collocatis, ſiniſtrum latus hoſtium inuaſit: turbataque acie tota, uictoriam obtinuit. Fulgoſus libro ſeptimo, capite tertio.

IDEM Chæroneę cùm ſciret Athenienſes eſſe celeres & inexercitatos, Macedones autem frequenti uſu exercitatos: in longum acie producta, continuò perturbauit Athenienſes, & faciles ad capiendum reddidit. Polyænus lib. 4.

ALEXANDER ad Arbela poſtremam pugnam cum Dario committebat. Non exiguus Perſarum numerus circumibat, & Macedonum iumenta diripiebat. Parmenion hortabatur Alexandrum, ut iumentis opem ferret. Qui, Nequaquam, inquit, phalanx eſt diſſoluenda, ſed cum hoſtibus ipſis prælium faciendum. Nam ſi uicti fuerimus, non indigebimus ampliùs iumentis: ſin euaſerimus uictores, non ſolùm noſtra, uerumetiam hoſtium obtinebimus. Polyænus libro quarto, & Frontinus libro ſecundo, capite tertio.

Eodem prælio Darius rex medium prælij faciendi ſpacium tribulis reſperſerat. Id conſpicatus Macedo, dextrum cornu ducens, rectà iuſſit ſequi, ut circumiret locum tribulis conſtratum. Perſa contrà ſuos educere ad læuam conatus, equitatum quem certis ordinibus continebat, diſtraxit, atq; cum diſtractis impreſſionem fecit. Alexãder ſimiliter & Parmenion à læuo cornu tribulos declinarũt, & hoſtes fugam dare coëgerunt. Polyænus.

IDEM

IDEM in pugna aduerſus Porum, partem equitatus in dextro cornu ſeparatim conſtituit, reliquum in campo reflexo. Phalangem autem & elephantos in cornu ſiniſtro collocauit. Porus multis elephantis oppoſitis, ipſe à parte ſiniſtra in principe fuit elephanto. Reliquos autem elephantos ex interuallo quinquagenûm pedum uſque ad cornu dexterum ordinauit. Spacium uerò relictum inter belluas, pedeſtribus militibus repleuit, ita ut ingētis cuiuſdam muri imaginem referrent elephanti turribus ſimiles, pedites uerò parietibus inter turres interiectis. Hic Alexander mandans, ut pedeſtres copiæ eos inuaderent: ipſe in equitatū uehementiorem impetum dedit, uolens ſuperare hoſtium capita. His animaduerſis, Porus contrà ſuis præceptum dedit. At beſtię non euadentes, multis in locis ordinem interrumpebant. Macedonibus laceras partes aggredientibus, cogebatur ſe conuertere, & cominus pugnam facere. Interim equites Alexandri circumuenientes à tergo, in unum Indos cogūt, perfectiſſimamque uictoriam conſequuntur. Polyænus libro quarto.

CARTHAGINENSES cum rotundis nauibus atque triremibus in Siciliam nauigabant. Dionyſius re cognita, infinitas naues eis obuiam duxit. Carthaginenſes claſſem conſpicati, turbinatas quidem naues in ambitu quodam & circuitu alteram ab altera ſatis magno interuallo conſtituerunt, & in harum medium triremes collegerunt: magnoq; uirorum numero in onerarias impoſito, ſe ab impetu hoſtium defenderunt, perq; relicta interualla cum triremibus enauigarūt: & in Dionyſij naues incurſione facta, partim eas ſubmerſerunt, partim armamenta earum planè contriuerunt, & ad nihilum redegerunt. Polyænus lib. 6.

ARTOXERXES aduerſus Græcos Cyro militantes, qui Perſidem intrauerant, cùm multitudine ſuperaret, latiùs quàm hoſtes acie inſtructa, in fronte equitem, leuemq; armaturā in cornibus collocauit: atq; ita ex induſtria lentiùs procedente media acie, copias hoſtium cinxit, ceciditq;. Frontinus libro ſecundo, capite tertio.

PYRRHVS rex pro Tarentinis apud Aſculum, ſecundùm Homericum uerſum, quo peſſimi in medium recipiuntur, dextro cornu Samnitas Epirotaſque, ſiniſtro Brutios atque Lucanos cùm Salentinis, in media acie Tarentinos collocauit, equitatum & elephantos ſubſidiis eſſe iuſſit. Contrà Coſs. aptiſſimè diuiſis in cornua equitibus, legiones in prima acie & in ſubſidiis collocarunt, & his immiſcuerunt auxilia. Vtrinque XL millia conſtat fuiſſe. Pyrrhi dimidia pars exercitus amiſſa, apud Rom. quinq; millia deſiderata ſunt. Frontinus.

HANNIBAL ad Cannas pugnaturus, quod roboris in exercitu eſſet, ac fortiſſimos quoſq; in cornib. locauit: mediam aciem turba repleuit ignauiſſimorum. Eo uſus eſt longè ante reliquam aciem prominente cuneo. Edictum præſtantiſſimis erat, ubi hos impuliſſent Romani, ac pedem referentibus inſtantes, uacuo medio & ſinum dante in mediam aciē irruiſſent, ut properè reductis alis tranſuerſos inuaderent, & circumfuſi clauderent à tergo. Id quod potiſſimùm tantæ fuit ſtragis cauſa. Vt enim media acies pedem retulit, atque incurrentes excepit Romanos, & figuram Hannibalis acies ad modum lunæ commutauit, delectorumq; ductores alis circunductis adorti auerſos ſunt, cunctos, qui antequam coirent hoſtium cornua non receperunt ſe, circumuentos cæciderunt, contrucidaueruntq;. Plut. in Fabio.

IDEM aduerſus Scipionem, in Africa, cùm haberet exercitū ex Pœnis & auxiliaribus, quorum pars non ſolùm ex diuerſis partibus, ſed etiam ex Italicis conſtabat: poſt elephantos LXXX, qui in prima fronte poſiti hoſtium turbarent aciem, auxiliares Gallos & Ligures & Baleares Mauroſque poſuit, ut non fugere poſſent, Pœnis à tergo ſtantibus: & hoſtem oppoſiti ſi non infeſtarent, at certè fatigarent. Tum ſuis & Macedonibus (qui iam feſſos Romanos integri exciperent) in ſumma acie collocatis, nouiſſimos Italicos eos conſtituit, quorum & timebat fidem, & ſegnitiem uerebatur: quoniam pleroſque eorum ab Italia inuitos extraxerat. P. SCIPIO Africanus aduerſus hanc formam robur legionis triplici acie in fronte ordinatum, per haſtatos & principes & triarios oppoſuit: nec continuas cōſtruxit cohortes, ſed manipulis inter ſe diſtantibus ſpacium dedit, per quod elephanti ab hoſtibus acti, facilè tranſmitti ſine perturbatione ordinum poſſent: ea ipſa interualla expeditis uelitibus impleuit, ne interluceret acies: dato eis præcepto, ut ad impedimentum elephantorum, uel retrò uel in latera concederent. Equitatum deinde in cornua diuiſit: & dextro Romanis equitibus Lælium, ſiniſtro Numidis Maſiniſſam præpoſuit. Quæ tam prudens ordinatiò, nō dubiæ cauſa uictoriæ fuit. Frontinus.

XANTHIPPVS Lacedæmonius in Africa aduerſus M. Attilium Regulum leuem armaturam in prima acie collocauit, in ſubſidio autem robur exercitus: præcepitq; auxiliaribus, ut emiſſis telis cederent hoſti: & cùm ſe intra ſuorum ordines recepiſſent, confeſtim in latera diſcurrerent, & à cornibus rurſus erumperent. exceptumq; iam hoſtem à robuſtioribus, & ipſi circumirent. Frontinus lib. 2. cap. 3.

SERTORIVS idem in Hiſpania aduerſus Pompeium fecit. Frontinus lib. 2. cap. 3.

CN. SCIPIO in Hiſpania aduerſus Hannonem ad oppidum Indibile, cùm animaduertiſſet Punicam aciem ita directam, ut in dextro cornu Hiſpani conſtituerentur, robuſtus quidē miles, ſed qui alienum negotium ageret, in ſiniſtro autem Afri minùs uiribus firmi, ſed animi conſtantioris: reducto ſiniſtro latere ſuorum, dextro cornu, quod ualidiſſimis militibus extruxerat, obliqua acie cum hoſte conflixit. Deinde fuſis fugatiſq; Afris, Hiſpanos (qui in receſſu ſpectantium more ſteterant) facilè in deditionem compulit. Frontinus libro ſecundo, capite tertio.

SCIPIO Aemilianus ad Numantiam, omnibus non cohortibus tantùm, ſed centuriis, ſagittarios & funditores interpoſuit. Frontinus lib. 4. cap. 7.

IDEM aduerſus Haſdrubalem ducem Pœnorum in Hiſpania bellum gerens, ita per continuos dies ordinatum produxit exercitū, ut media acies fortiſſimis fundaretur. Sed cùm hoſtes quoq; eadem ratione aſſiduè ordinati procederent: Scipio eo die quo ſtatuerat decernere, commutauit inſtructionis ordinem: & firmiſſimos, id eſt, legionarios in cornibus collocauit, ac leuem armaturam in media acie, ſed retractam. Ita cornibus, quibus ipſe pręualebat, infirmiſſimas hoſtium partes lunata acie aggreſſus, facilè fudit. Frontinus libro ſecundo, capite tertio.

METELLVS in Hiſpania, eo prælio, quo Hirculeium deuicit, cùm comperiſſet cohortes eius, quæ ualidiſſimæ uocabantur, in mediæ acie locatas: ipſe mediam ſuorum aciem reduxit, ne ea parte antè cum hoſte confligeret, quàm cornibus cōfligatis medios undique circumueniſſet. Frontinus libro ſecundo, capite tertio.

LIVIVS Salinator & CL. Nero, cùm Haſdrubal bello Punico ſecundo decertandi neceſſitatem euitans, in colle confragoſo poſt uineas aciem direxiſſet: ipſi deductis in latera uiribus, uacua fronte ex utraq; parte circumuenerunt eum: atque ita aggreſſi ſuperauerunt. Ibidem.

Eo prælio, quo de regno Macedonico Romani cū Perſeo decertarunt, uidens L. PAVLVS conſul Romanos in fugam pronos, quòd phalangem Macedonicam haſtarum ſtrue inſtar ualli ingruentem undiq; ſuſtinere & perfringere non poſſent, conſcidit paludamētum ſuum. Quia uerò loco inæquali non ſeruabat ob longitudinem ſuam acies confertam teſtudinem, aduertitq; Paulus multis locis interruptā Macedonum phalangem eſſe, ac multa aperuiſſe interualla: ut fieri in magnis exercitibus ſolet, uariis pugnantium impreſſionibus hinc impulſam, hinc inſtantem: properè aduolans diſſolutis ordinibus imperat, quà data interualla eſſent, & hiabat hoſtium acies, ut inſinuarent ſe, & pugnarent: nō uno loco cum cunctis, uerùm cateruatim multa prælia & confuſa ſererent. Ea ubi Paulus duces, duces docuerunt milites, ut primùm ſubierunt & penetrauerunt ordines illorum, hinc in nuda latera Macedonum incurrentes, illinc à tergo eos circumuenientes, uis & opus commune diuiſa phalange eſt diſſolutum, & Romani uictores extitère. Plutarchus in Aemilio.

Apud Vercellas cōtra Cimbros C. MARIVS & Luctatius CATVLVS dimicare parabant. Habebat Catulus ſub ſignis XX millia trecentos milites. Mario parebant XXXII millia: qui in cornua diſtributi, mediam aciem, quam obtinebat Catulus, complectebantur. Marium autem ferunt alis ſperantem ſe & cornibus in phalangem hoſtium incurſurum, quò propria ſuorum militum uictoria, atque exors Catulus prælij foret, neque congrederetur cum hoſtibus, ut in prominentibus ſolet frontibus & cornibus productis, media acie ſinum faciente, ad eum modum digeſſiſſe exercitus. Perinde Catulum quoque ipſum in his ſe aiunt defendiſſe, magnam inuidiam aduerſus ſe Marij inſectatum. Cæterùm immenſo excitato puluere, qui conſpectum obtexit utrinque exercituum, Marius, quò primus cum tulit impetus ad inſectandum, trahens ſecum copias ſuas, aberrauit ab hoſtibus, præuectuſque aciem eorum, diu in campo errauit: in Catulum uerò barbari fortè delati, præliumq; potiſſimùm conſtitit circa illum atq; illius legiones, in quibus ſe ait Sylla ſtetiſſe. Plut in Mario.

Archelaus Mithridatis dux aduerſus L. Syllam, in fronte ad perturbandum hoſtē falcatas quadrigas locauit: in ſecūda acie phalangem Macedonicam: in tertia, Romanorum more, armatos auxiliares, mixtis fugitiuis Italicæ gentis, quorum pernicitati plurimùm fidebat: leuem armaturam in ultimo ſtatuit: in utroque deinde latere equitatum, cuius amplum numerum habebat, circumeundi hoſtis cauſa poſuit. Contra hæc L. SYLLA foſſas amplæ latitudinis in utroque latere duxit, & capitibus earum caſtella communiuit: qua ratione, ne circumiretur ab hoſte, & peditū numero, & maximè equitatu ſuperante, conſecutus eſt. Triplicem deinde peditum aciem ordinauit relictis interuallis, per leuem armaturam, & equitem, quem in nouiſſimo collocauerat, ut, cùm res exegiſſet emitteret: tum proſignanis, qui in ſecunda acie erant, imperauit, ut denſos numeroſoſq; palos firmè in terram defigerent: intraq; eos, appropinquantibus quadrigis ante ſigna, ſuam aciem recepit: tum demùm ſublato uniuerſorum clamore, uelites & leuem armaturam ingerere tela iuſſit. Quibus factis, quadrigæ hoſtium aut implicitæ palis aut exteritæ clamore teliſq;, in ſuos conuerſæ ſunt, turbaueruntq; Macedonum ſtructuram. Qua cedente, cùm Sylla ſtaret, & Archelaus equitem oppoſuiſſet: Romani equites ſubitò emiſſi auerterunt eos, conſummaueruntque uictoriam. Frontinus.



Cn. Pompeius aduerſus C. Cæſarem paluſtri prælio Pharſaliæ triplicem inſtruxit aciem: quorum ſingulæ denos ordines habuerunt in latitudinem. Legiones ſecundùm uirtutem ſpaciuſq; firmiſſimas in cornibus & in medio collocauit: ſpacia his interpoſita tironibus ſuppleuit. Dextro latere DC equites propter flumen Empeum, quod & alueo ſuo & alluuie regionem impedierat: reliquum equitatum in ſiniſtro cornu cum auxiliis omnibus collocauit, quò Cæſarem impellerent, & conciderent legionem decimam, quæ habebatur longè fortiſſima, in qua conſiſtere Cæſar, cùm dimicaret, ſolebat. Aduerſus hanc ordinationem. C. IVLIVS Cæſar, & ipſe triplici acie, diſpoſitis in fronte legionibus, ſiniſtrum latus, ne circuiri poſſet, admouit paludibus. In dextro cornu poſuit equitem, cui uelociſſimos miſcuit peditum, & ad morem equeſtris pugnæ exercitatos: ſed deinde cohortes in ſubſidio retinuit, ad res ſubitas: ſed dextro latere conuerſas in obliquum, unde equitatum hoſtium expectabat, collocauit: nec ulla res ad uictoriam plus eo die Cæſari cōtulit. Effuſum namque Pompeij equitatum inopinato ſubiti delati excurſu auerterunt, cædendumq; tradiderunt. Frontinus & Plutarchus in Pompeio.

In ea ſtrage, qua Venetus exercitus in Foroiulij ad amnem Liſontium à TVRCIS circumuentus, & ferè ad internecionem cæſus eſt, anno Sal. 1476. manifeſtè perſpectum eſt, Turcas arte magis ac multitudine quàm uiribus ualere. Nam ſi Hieronymus Comes, legiones ſuas inimicorum legionibus non in directum, ſed per latum oppoſuiſſet, ipſe medius inter primam ac tertiam legiones ab utroque latere in ſimilitudinem Romanorum cornuum ſibi adhærentes extitiſſet: ſicq; exercitu uelut in unum corpus redacto. Turcæ tam facilè ipſum circundare, ac penetrare haud potuiſſent, ut fecerunt, ac toties facturi ſunt, quoties præpoſtero hoc ordine cum illis pugnabitur. Iouius in uita Mahometi II. Eadem ſanè lunata acie ad Nicopolim Gallos & Sigiſmundum Hungariæ regem ingenti clade affecerunt anno 1389. Iouius in Baiazete I.

Quum ad Papiam in Parco, Cæſaris CAROLI V. & Franciſci Galliæ regis copiæ congrederētur, Georgius Froniſpergus & Sithius admirabili peritia ad includendos hoſtes exporrecta utrinque acie legionem in medium ſinum exceptam duobus ſtatim expanſis & recuruatis cornibus præcinxère, eamque pertinaciſſimè reſiſtentem in medio totam contrucidauère: ita ut una tantùm tribus legionibus oppoſita, & ob id infelici uirtute repugnante, nemo penè Nigrorum Germanorum euaſerit Gallis militantium. Iouius libro ſexto, in Piſcario.

## GENERE PVGNAE HOSTEM SVSTINERE ET DEBILITARE.

CYRI Perſarum regis in bello ſemper conſilium fuit, ut ſi hoſtes tumultuoſiùs irruerent, taciti milites impetum exciperent: ſi autem taciturni eſſent, clamore & ſtrepitu acies inuaderent. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 7.

EPAMINONDAS dux Thebanorum, aduerſus Lacedæmonios directurus aciem, pro fronte eius decurrere equitibus iuſſis, cùm ingentem puluerem oculis hoſtium obieciſſet, expectationemq; equeſtris certaminis prætendiſſet: circumducto pedite ab ea parte, ex qua decurſus in aduerſam hoſtium aciem ferebat, inopinantium terga adortus cecîdit. Frontinus lib. 2. cap. 2.

AGESILAVS cum Thebanis prælium faciebat. Qui, ut Laconicam phalangem diſiicerent & perrumperent, fortiter pugnabant, & utrinque magna ſtrages edebatur. Ageſilaus promulgauit ſuis: Deſinentes à furioſa pugna, in diuerſas tantummodo partes diſiungamur. Quibus diſcedentibus, Thebani perrumpentes fugam capeſſebant. Ageſilaus in fine ipſis inſtabat, neque ampliùs metus ad utroſq;, ſed duntaxat ad fugientes pertinebat. Polyæn. lib. 2.

ANTIGONVS primus, ſi fortiorem ac ualidiorem manum haberet, tranquilliùs & moderatiùs bellum adminiſtrabat: ſin imbecilliorem, quàm ut uiolentum periculum ſuſtinere poſſet, impreſſiones faciebat: uiriliter obitam mortem, quàm turpem & ignauam uitam, magis expetendam arbitratus. Polyænus libro quarto.

C. IVL. in acie Pharſaliæ dimicaturus cum Pompeio, & animaduertēs magno ſeptum equitatu ſiniſtrum hoſtium cornu, metuenſq; armorum ſplendorem, ſex cohortes ex ſecunda acie detraxit, ac ponè decumanos collocauit: præcepitq;, quieti ut conſiſterent, ne perciperet eos hoſtis: ubi inueherent equites, per principia procurrerent, ne pila emitterent, ut ſolent fortiſſimi ad gladios ſtingendos properantes: uerùm ſuperiora peterent, hoſtiumque oculos & faciē ferirent conuulnerarentq;, haud ſubſtituros cum fuco ſuo pulchellos iſtos & floridos ſaltatores, neque facturos, ut contra appetens oculos ferrum intuerentur. Plut. in Pompeio, & Polyænus lib. 8.

L. LVCVLLVS contra Tigranem regem pugnaturus, conſpicatus cataphractos equites ſub tumulum collocatos, præcepit equitibus ſuis, ut in eos maximis incurrerent armis, nihil aliud curaturi, quàm ut gladiis illorum haſtas conciderent: quibus cōciſis, fore ut illi pugnæ inutiles omnino redderentur. Conuerſus ad milites alios: Non pilis hodie, aut lanceis opus eſt, inquit: gladiis tantùm res agenda. Itaque ſtrictis ſimul enſibus, ſuris, femoribuſq; figendis tantùm incumbendum eſt, qua parte cataphracti equites exarmati ſunt. Quod cùm ab equitibus peditibuſq;, ut præceptum erat, ſtrenuè fieret: in fugam hoſtes coniecti, paucis euadentibus trucidati ſunt. Pont. lib. 5 cap. 1. de Prudentia.

Imp. Cæſar GERMANICVS, cùm ſubinde Catti equeſtre prælium in ſyluas refugiendo ducerent: iuſſit ſuos equites, ſimulatque ad impedimenta uentum eſſet, equis deſilire, pedeſtrique pugna confligere. Quo genere conſecutus eſt, ne quis non locus eius uictoriam miraretur. Frontinus libro ſecundo, capite tertio.

SCYTHÆ patrio ritu pugnantes, conglobati hoſtes intrepidè excipiunt, & cùm accedunt, ſagittas in hoſtes coniiciunt, & haſtis congrediuntur. Paulo uerò pòſt impetu in fugam conuerſo, hoſtibus ad perſequendum irritatis, rurſus inſtar uolucrum ſubitò reuerſi, aduerſa fronte multò fortiùs dimicant. Quo ſæpe facto, cùm ſuperiores ſe eſſe uident, omiſſis illis anfractibus, gladios ſtringunt: & horribili clamore ſublato, dicto citiùs in hoſtes irruunt, & pugnātes & fugientes ex æquo occidunt. Nicetas lib. 2.

HYBERNI telorum cuſpides obuertunt inſtantibus, mucronumque acumina inſequentibus de induſtria opponere ſolent, ac plerunque poſt tergum lanceas iaculari, docti fuga ſuperare. Saxo lib. 5.

Bello ſacro Turci, hortorum aggeribus & foſſis, quæ crebræ ſunt iuxta Iconium occupatis, & maceriis pro muro obiectis, Alemannorum acceſſum facilè ſe prohibituros putabant, cùm omnes ſagittarij optimi eſſent, atque uno in loco expediti cum grauis armaturæ equitibus pugnaturi. ALEMANNORVM, duce Friderico Barbaroſſa, quiſque peditem armatum in equi ſui tergum recepit: ut ex eo tanquam ſcala maceria conſcenſa, comminus cum hoſte congrederetur: & ipſi, quà equis patebat iter, opitulabantur. Ita Turci plerique mali malè perierunt, nonnulli etiam diſperſi fuga ſalutem quæſiuère. Zonaras & Cedrenus.

## SECVRVM HOSTEM OPPRIMERE. SECVRITATEM HOSTI INIICERE. NEMPE

### VICTORIAE CONFIDENTIA. VICTORIÆ, AVXILIORVM'VE ſpe fretum.

ALEXANDER poſt commiſſam in Peparetho naualem pugnam, in ſpem adductus ſe Athenas capere poſſe ſine cuſtodia, uacuoſque cura poſt uictoriam agentes: mandauit iis qui in nauibus erant, ut celeriter in Piræeum ad Digma naues adpellerent, Athenienſes amicas naues eſſe rati, nullam earum rationem ducebant. Illi egreſſi, menſas diripuerunt. Polyænus libro ſexto.

ARTEMISIA Cariæ regina in urbe Halicarnaſſo, à Rhodiis obſeſſa, cùm Halicarnaſſus duos haberet portus, altero hoſtes ingredi, & partem urbis capere permiſit: altero autem portu per occultam foſſam in eum egreſſa, quem hoſtes ceperant,

perant, ubi claſſem nihil tale uerentes inanem reliquerant, ut omnes maiore compendiò prædæ operam dare in ùrbe poſſent, ipſa totàm cepit, atque palantes Rhódios, prædáque impeditos, omnes occidit. Tum Rhodia claſſe militib. ſuis inſtructa, Rhodum nauigàuit, nulloq; obſtante, cùm exercitum ac claſſem, quam Halicarnaſſum miſerant, redire arbitrarentur, in terram egreſſa, facilè Rhodum cepit atque diripuit. In cuius facti memoriā duo ſigna ænea in foro poſuit, ùnum urbis Rhodiæ, & alterum quo ipſius effigies for mata erat, manum extendens, qua frontem Rhodi ſtigmate nòtabat. Fulgòſus lib.7.cap.4.

ANTIGONVS naues habebat centū & triginta, quibus præerat Nicanor. His aduerſus Polychòſti claſſem nauale prælium committebat, quam ducebat Clitus. In Helleſponto pugna conſerebatur. Nicanor ſuis ob imperitiam in aduerſos fluctus coactis, ſeptuaginta naues perdidit. Cùm uictoriam palàm hoſtes in manibùs haberent, ſub ueſperam Antigonus aduenit, & eos qui in reliquis eſſent ſexaginta nauibus, paratos & inſtructos ad pugnam naualem ſub noctem eſſe iuſſit: dilùculo, hoſtes tum ſomno nondum ſolutos, tum recèns excitatos fudit. Polyæn.lib.4.

Sutrium bis eodem die captum eſt: euenitq;, ut Thuſci, qui oppidum ceperant, id amitterent: & qui amiſerant, opera id recùperarent CAMILLI: qui ſumma feſtinatione, uictis acie Latinis & Volſcis, Sutrium contendens, hoſtes ſecuros, uino ſomnoq; ſepultos cæcidit. Plut.in Camillo.

L. MARTIVS eques Romanus, qui reliquiis exercitus duorum Scipionum præfuit, cùm in propinquo bina caſtra Pœnorum paucis millibus paſſuum diſtarent, cohortatus milites, proxima caſtra intempeſta nocte adortus eſt: & cùm hoſtem uictoriæ fiducia incompòſitum àggreſſus, ne nuncios quidem cladis reliquiſſet, breuiſſimò tempore militi ad requiem dato, eadem nocte, ràptim famàm rei geſtę prægreſſus, altera eorundem caſtra inuaſit. Ita bis ſimili uſus euentū, deletis utrobiq; Pœnis, amiſſas pop.Rom. Hiſpanias reſtituit. Frontinus lib.2.cap.10.

Q. SERTORIVS, miſſus in Hiſpaniam, ſub Didio prætore, hybernauit in urbe Celtiberorum Caſtulone. Cùm uerò milites in abundantia rerum petulantes eſſent, Barbari auxilium implorauerunt à uicinis Gyriſęnis, factoq; per domos impetu interfecerunt eos. Ibi Sertorius cum paucis oppido elapſus, contractis iis qui euaſerant, circulauit mœnia: & qua porta fuerant Barbari furtim ingreſſi, cùm patentē eam reperiſſet, ſtatione appoſita, atq; occupata omni ex parte urbe, omnes puberes occidit. Quibus trucidatis, imperauit militibus, ut armis & ueſtibus ſuis poſitis, & Barbarorum ſumtis, pergerēt ad urbem illam, ex qua fuerant miſſi, qui nocte ipſos oppreſſerant. Ludificatis armorum ſpecie Barbaris, offendit portas patentes, & multos mortales cepit, qui amicis & ciuibus re bene geſta arbitrabantur procedere obuiā. Vnde multi ſunt à Romanis circa portas contrucidati. Reliqui deditione facta ſub corona uænìere. Plut.in Sertorio.

Michael Balbus Imp. claſſem contra Saracenos Cretam obtinentes emiſit, duce Cratero. A prima luce uſq; ad meridiem acerrimè dimicatum. Iam uergente ad ueſperam die ſuperati demùm Cretenſes fugam fecerunt. Romani cùm poſtri die nullo negotio ſe in ſuam poteſtatem redacturos ſperarent hoſtes, compotationibus ſomnoq; ſeſe dedêre. CRETENSES, qui excubitorum inopia, ipſi uigilū munere fungebantur, in Romana caſtra uino ſomnoq; capta media nocte irruerunt, & uniuerſos, ne nuncio quidem ſuperſtite, interfecerunt. Cedrenus.

ARDABVRES, Theodoſij Imp. dux cōtra Ioannem tyrannū Italiæ, cum Placidia & Valentiniano Cæſare Salonam in Dalmatiam uenit. Ipſe, conſcenſis cum magna copiarum parte nauibus, Rauennam uerſus, ut Ioannem ex improuiſo adoriretur, iter intendit: Aſparem uerò filium, Placidiam & Valentinianum, cùm altera, terreſtri itinere Aquileia iuſſit contendere. Proſpera nauigatione uſus, ad Italiam quidem appulſus eſt, uerùm ſub excenſionē ſæuo repentè ſuborto uento repulſus, licèt obluctans, in oram Rauennatem eiectus eſt: ubi à militibus Ioannis accurrentibus captus, ad illum continuò eſt deductus. Ioannes tanto duce præter omnem expectationem potitus, quoniam pacem optabat, ipſum humaniſſimè habuit, ac liberæ cuſtodiæ tradidit. Ardabures, cùm omnes, qui à Ioanne ſpoliati honoribus fuerant, malè erga illum animatos animaduerteret, per eos Aſparem admoneri filium iuſſit, quem ipſe caſum ſubiſſet, & ut propiùs accederet, cùm Ioannes quaſi confecta uictoria, omnia ſtudia militaria remiſiſſet. Aſpar ſolus Aquileia cùm equitatu in agrum Rauennatem tacitus prodiit. Inde, paſtore quodam duce, per paludem, quæ urbi adiacebat, antea quidem inuiam, ſed tum Dei beneficio peruiam, magno ſilentio ad urbem proceſſit: ac, portis patentibus, ut in ſumma pace, inuentis, nemine non ſolùm repugnante, ſed ne ſentiente quidem, intrauit. Ioannes à ſuis proditus & captus eſt. Sigonius libro undecimo, Imperij occidentalis.

Donaldi regis Scotorum ignauia & mollitie OSBRETVS Anglorum rex cum Britannis excitus, Pictorum exulib. gratificatus, arma contra Scotos induit. Primo prælio Osbretus uictus effugit. Donaldus cum uictore exercitu ad Tuedæ fl. oſtia naues Anglorū commeatu inſtructiſs. expugnat, prædām inter milites partitur. Conuerſo interim hoſte ad luxum, Osbretus reparatis uiribus ſecuros aggreditur, uino ſomnoq; ſepultos obruit, Donaldum regem ebrium capit. Pax uix tandem ſupplicib. Scotis data, magna agri parte, quam Pictis eripuerāt, multatis. Is inter Anglos & Britones diuiſus. H.Boëthius lib.10.

Aualaſſus Danorum dux, & Conſtantinus III. Scotorum rex, ingētem exercitum contra ATHELSTANVM Anglorum regem ducebāt, uirib. longe imparem. Angli ad pacem Dei quatriduano ieiunio impetrandam cōuerſi, ad Broningfeldum congreſſi, primo ſtatim inſultu uictis ſimilēs pugnę loco conſultò ceſſere. Dani & Scoti uictoribus ſimiles ad prędam conuertuntur. Angli ſenſim recollectis ordinibus reuerſi, ſtragem ingentem edidere: cæſa Scotorum nobilitas penè omnis. H.Boëthius lib.11.

Moſes tertius Baiazetis F. cùm ſuſciperet præliū aduerſus fratrem MVLSVMANEM, Aſianum exercitum in fugam compulit, fugientemq; perſecutus eſt. Mulſumanes ſe uictum ſimulans, retrò ferebat gradum, Byzantium feſtinans. Cùm autem ueniſſet ad urbem, habens ſecum uiros circiter quingentos, concurrentibus etiam aliis quibuſdam, urbis foſſam ingreſſus eſt. Fratre autem occupato perſecutione & cęde hoſtium, in eius caſtra irruere ſtatuit. Quod & fecit: caſtriſq; potitus eſt. A perſequutione hoſtium reuerſus Moſes, ubi caſtra cognouit capta eſſe, fuga ſibi conſuluit, exercitumq; deſeruit. Chalcondylas lib.4.

Cùm Methonenſes grauiſſimè à BAIAZETHE II. oppugnarentur, & in extremis anguſtiis conſtitutis quatuor Venetæ triremes, auxiliariis peditibus, atq; aliis neceſſariis rebus onuſtæ, aduenìſſent: ii qui in urbe erant ob præſens auxilium læti, omnes ad portum accurrerunt, ac mœnia ſine cuſtodiis & defenſoribus reliquere. Quod ubi Ianizari ſenſerūt, per ipſa mœnia in urbē ingreſſi, Venetos pedites ad unum trucidarunt, atq; ipſa demùm urbe potiti ſunt. Anno MD à Chriſto nato. Iouius in uita Baiazethis II.

CAROLVS Andegauenſis, Siculi regni occupator, aduerſus Conradinum Sueuum caſtra locarat ad Fucinum lacum. Loco ad pugnam delecto conſtitit: admonituque Alardi ueterani ordinum ductoris, qui ſub Germanis multos annos meruerat, quas in aciem copias in conſpectum hoſtium eduxit, eis Mareſcallum ſiue Magiſtrum militum præfecit. Hunc regiis inſignibus excultum rem gerere iuſſit: ipſe cum delecta manu colle propinquo tectus ſedit, ſe in tempore accurſurum dictitans. Apud Sueuum Longobardi, Vmbri, Hetruſci exules, ſimul Ligures Hiſpanique in prima ſtabant acie, Germani in ſubſidiis. Tres continenter horas pugnatum, ac ſemper acerrimè. Tandem Magiſter militum cadit: credunt hoſtes regem Carolum cecidiſſe, uictoriam cōclamant. Redintegrato impetu uelut recentes impreſſionē faciunt, fundunt, fugant, diſpalatos perſequuntur. Germani, qui ad id tempus quieti ſteterant, ne uictoriæ partæ gloria Italorum Hiſpanorumq; tota fieret, ut ea & ipſi perfruerentur, ne ſegne otium tererent, conſurgunt, perinde atq; nullo iam metu ſolutis ordinibus feruntur. Tunc Carolus è latebris repētinus ſuperuenit, omniaq; ſubitò mutata. Tanquā miraculo attoniti Germani opprimuntur. Cædes in uictores uertit. Ad duodecim eorum millia cecidêre. Finem cædis fecerunt Dux Auſtriæ & Henricus Caſtulonenſis capti, armaq; abiici cœpta. Conradinus detractis inſignibus regiis, calonis habitu ſumto, longinqua fuga ſibi conſulens captus, & ſecuri percuſſus eſt. Aemil.lib.7.& Fulg.lib.7.cap.4.& Platina in Clemente 4.

CADAN unus è Tartarorum regibus, qui ſub Bela IIII. Hungariæ rege Pannoniam uaſtarunt, inter Cumaniam & Ruteniam ueniens, per ſyluas trium dierum itinere facto, ad Rhodanam, in editiſſimis montibus ſitam, ubi fodinæ auri & argenti erant, tandem peruenit. Cui Teutones multi, qui montana loca incolebāt, lucri gratia, armati obuiam in ſyluis occurrère. Cadan ſimulata fuga ceſſit: Teutones, ueluti fugato hoſte, lætabundi rediêre, exutis armis conuiuia celebrarunt, multo ſeſe uino impleuerunt. Mox ex improuiſo reuerſus hoſtis, pagos munitionibus carentes occupauit. Bonfinius lib.8.Decad.2.

LVDOVICVS Germanorum rex, Berengario in Longobardia regnum moliente acie uicto, apud Veronam uoluptatibus indulgens, ab eodem ex inſidiis captus & excæcatus eſt. Cranzius lib.2.cap.23 Metropoleos.

Otho Vicecomes Mediolanenſis archiepiſcopus, patriciorum dux, NAPVM Turrianum tyrannum, popularis principem factionis, caſtrum Sepeium oppugnantem, facta eruptione magna affecit clade. Napus uerò collectis è fuga ſuis, nocte intempeſta ſecuros ob uictoriam Othonianos ita oppreſſit, ut Otho uix Comum effugerit cum equitatū. Iouius in Othone.

TVRCÆ Croiam Epiri urbem obſidentes, eruptione facta à Venetis, magna clade affecti, caſtris exuti ſunt. Hic dum ductores conſultant, deberént ne pulſis hoſtibus in eorum caſtris nocte illa, quæ inſtabat eſſe, an in ſua redire, nondum remiſſo prælio? ecce hoſtes in Venetū militem cū clamore coorti, uictores fœdiſſima cæde in oppidū uſq; perſecuti ſunt. Sabellicus lib. 10. Dec.3.

## AMICITIA SIMVLATA. Per

### COLLOQVIVM.

AVTOPHRADATES, Epheſiis e regione caſtra figentibus, uidens multitudinem otioſam obambulare: principes eorum ad colloquium de communibus rebus habendum euocauit. Qui progreſſi colloquebantur. Duces equitum & armatorum multo antè præceptum acceperant, ut colloquētibus principibus impetum facerent in Epheſios, ſine ordine diſperſos, & curis uacuos. Itaque magnus Epheſiorum numerus, partim occiſi, partim uiui capti ſunt. Polyænus libro 7.

DIONYSIVS contra Dionem arcem obtinens, legationem ad Syracuſios miſit, quæ de pace ageret. Illis reſpondentibus, Si dimittit imperium, accipimus petitionem: ſin minùs, inexpiabile bellum eſto: Dionyſius rurſus, miſſo præcone, iuſſit mittere legatos, quibus reſignaret imperium. Illi miſerunt, & præ nimio gaudio præſidia deduxerunt, quòd tyrānum iam imperium deponere arbitrarentur. At ille legatis retentis, & militibus eductis, Syracuſas recuperauit. Polyænus libro 5.

Olauus Noruagiæ rex, contra Canutum II. Danorum regem claſſem ducens, Sialandiam petens, populum ad deditionē ſollicitabat. A SENE quodam ſimulato plebis fauore excipitur. Inter uarios ſermones ſpeculatorum quidam grādia terris uela propinquare narrabat. At ſenex, conſuetam litoribus mercem aduehi ſimulauit. Verū ubi ſpeculator Canuti eam claſſem eſſe aſſeruit, Olauus ſenem mendacij accuſans colloquium ſoluit. Ille nihilominùs uera ſe omnia retuliſſe contendit, eos mercatores aduentare dicens, à quibus Daniam quis ferro comparare poſſet. Olauus uix fuga euaſit. Saxo lib.10.

### DEDITIONEM.

ANTIGONVS Hierax à Seleuco fratre defectione facta, profugit in Meſopotamiam. Itaq; eum Armeniorum montes tranſgreſſum, Arſabes, cū quo ei amicitia intercedebat, excepit. Duces Seleuci Achæus & Andromachus cum infinitis copiis perſequebantur, & magno quidem impetu manus conſerebant. Tandem Antiochus, accepto uulnere, profugit in montis colles ſuperiores, exercitu ſine ordine ſub lateribus montis caſtrametante: & famam diuulgauit, Antiochum in prælio cecidiſſe. Exercitus uerò non exiguam partem noctu colles montis occupare iuſſit. Sequenti die legatos miſerunt Antiochi milites, Philetærum Cretenſem, & Dionyſium Lyſimacheum, certiſq; conditionibus Antiochi corpus ad ſepeliendum poſtularunt, ſeipſos atque arma tradentes. Andromachus: Nondum, inquit, Antiochi corpus inuentum eſſe: quærerent interiùs in uinculis, ſe miſſurum, qui arma & milites acciperent. Venerunt quatuor millia uirorum, non ad pugnam faciendam parati, ſed ad accipiendos captiuos inſtructi. Qui poſtquam ad latera montis ueniſſent, hi qui colles occuparant, deſuper effuſi, magnam eorum ſtragem ediderunt. Antiochus uerò regio habitu recepto apparuit, & uiuentem & uincentem ſe oſtendens. Polyænus lib.4.

Victo ab Arabibus Romano Argyropylo Imp. Græco, Arabes GEORGIVM Maniacum, Teleuchę prouinciæ prefectum, uti ſe dederet, ſollicitarunt. Ille ſe eis obtemperare uelle ſimulans, cibi potusq; abundè eis ex urbe miſit, quiete ſe eos iubens reficere: & ſignificans, manè ſe cum ſuis diſceſſurū, ipſiſq; urbem Teleucham & omnia Romanorum bona traditurum. Arabes potationi ſe & ebrietati dederunt, noctēq; eam ſecuri abſque cura exegerunt. Media nocte ebrios barbaros & ſecurè dormientes adortus, ad internecionem deleuit. Cedrenus.

Eo bello, quod Magnus, Luneburgenſi ditione ob tyrannidē eiectus, ann. 1371. contra Albertum ſucceſſorem geſſit, feſta nocte XI millium Virginum, ſeptingenti milites Magni matutino crepuſculo, cùm ciues à peruigilio domū rediſſent Conſulum permiſſu, ſcalis mœnia ſuperauere. Conſternatis omnibus, & occupato iam ab hoſtibus foro, ſtipendiarius quidam miles primus ad hoſtes perueniēs, parcendū ait ſanguinis effuſioni: dicerent, quas uicti leges acciperent: oppidum iam eſſe in eorum poteſtate: nuncium ſe ad ciues iturum, ut ſine ſanguine faciant imperata. id potiſſimùm molitus, ut ſe colligendi tempus ciues haberent. Vbi iam ſatis armatos putauit, locuturum ſecum ciuibus pollicens, relaturumque quid in animo haberent, diſceſſit. Vbi ad ciues uenit, hortatur pro libertate pugnent; uictoriam indubiam habituros. Redit in forum, referēs ciues nullis conditionibus aſſentiri uelle. Inito conflictu, duo ex Burgimagiſtris procubuere (loca extant hodie inſignia) hoſtes capti, & in uincula coniecti. Cranzius lib.9.Saxoniæ, c.28.

### DEFECTIONEM.

Cùm Archagathus Agathoclis F. Lyciſcum exercitus ducē ob conuitia quædam in patrem coniecta, & inceſtum ſibi cum nouerca exprobratum, pilo traieciſſet: & uniuerſus exercitus Archagathum eo nomine de medio tollēdum cenſeret, ac ni filium Agathocles traderet, ipſum pro eo ad ſuppliciū rapiendum: Carthaginenſes occaſionem iſtam arripientes, quoſdam ad eos miſerunt, qui eos ad defectionem ſollicitarent, ſtipendia ampliora & munera non uulgaria promittendo. Itaq; multi ducum ad eos ſeſe cum exercitu deſcituros pollicebantur. AGATHOCLES autem cùm exuta regia purpura, uiliq; ueſte induta, oratione pathetica eos mitigaſſet: aduerſus Carthaginenſes defectionem Græcorum expectantes exercitum eduxit. Barbari hoſtes ad ſe deſciſcere rati, nihil de eo, quod reipſa acciderat, cogitabant. Agathocles uerò iam hoſtibus proximus claſſicū cani iuſſit, ac eos adortus magnam ſtragem edidit. Diod.lib.20.

### AMOREM. CONIVGIVM.

Aduerſus Romanos militabant Latini, eorumq; filias ad contrahendā cum iis matrimonia poſtulabant, quemadmodū ipſi Sabinorū uirgines rapuerant, ſi fœdus ac pacē conſtitui uellent. Romani bellum quidē metuebant, filias autem ſuas tradere nō ſuſtinebant. Tum PHILOTIS ſerua, facie liberali prædita, conſiliū dedit, ut ſe aliaſq; ſeruas, quæ decora forma eſſent, ornarent, ac hoſtibus quaſi filias mitterent: inito ſimul pacto, ſe, cùm hoſtes ipſis acceptis quieti ſe dediſſent, noctu igni ſignificationem daturam. Latini cum puellis cubabant. Illa ignē ſuſtulit. Romani reuerſi, Latinos dormientes interfecerunt. Polyænus lib.8.

### HABITVM, CVLTVM, ARMA, Inſignia, Vexilla. Vel *Aliena Mutuata, Imitata.*

DARIVS cum Saccis tripartitò diuiſis bellum gerebat. Cùm unā partē debellaſſet, Saccarum deuictorū ueſtib. & armis Perſas amicuit, eosq; ad alterum Saccarum exercitū duxit, amicorum ſpecie ſenſim ambulantes. Saccæ ueſtium & armorum habitu decepti, amicè accedentes, quaſi ſuos ſalutabant. At Perſæ (habebant enim hoc pręceptum) omnes occiderunt: & ad tertiam partem tranſeuntes Saccarū, eos abſque pugna uicerunt. Neq; enim reſtiterunt, binis copiis antè ſuperatis. Polyænus lib.7.

PISISTRATVS Athenienſis, cùm excepiſſet Megarenſium claſſem, qua illi ad Eleuſinem noctu applicuerant, ut operatas Cereris ſacro feminas Athenienſium raperent, magnaque edita cæde eorum, ultus eſſet ſuos: eadem, quæ ceperat, nauigia Athenienſi milite compleuit, quibuſdam matronis habitu captiuarum in conſpectu locatis. Qua facie decepti Megarenſes, tanquam ſuis & cum ſucceſſu reuertentibus, effusè obuij inermesq; rurſus oppreſſi ſunt. Frontinus lib.4.c.7.

CIMON Miltiadis cum ducentis quinquaginta nauibus aduerſus trecentas quadraginta Perſarum naues apud Cyprū pugnauit feliciter. Pleræq; hoſtium naues diſcerptæ periêre, ſupra centum cum uiris ipſis captæ: reliquæ incolumes in Cyprum ſe receperunt, ibiq; milites relictis in ſtatione nauigiis uacuis, in terram confugerunt: ita naues defenſorib. uacuæ, in manus hoſtium integræ omnes uenerunt. Cimon properè cum tota claſſe in copias hoſtium pedeſtres tendit, quæ ad Eurybantem fluuium in caſtris agebāt. Fortiſſimos quoſq; ex ſuis in naues Perſicas, quas ceperat, tiaris & reliquo ornatu Perſico impoſuit. Barbari figuris nauium & ornamentis ſuis decepti, triremes ſuas aduentare crediderūt. Cimonis milites pro amicis accepti, repentè in caſtra Barbarica irrumpentes, obuios quoſq; cecidêre, & poſtera die trophæū eius rei erexere, duabus uictoriis clariſs. altera pedeſtri, altera nauali certamine potiti. Ad hæc uſq; tempora eſt inauditum, res tantas una die terra mariq; ab iiſdem confectas. Trecentis triremibus, & nauibus quadraginta hoſtem pugnando Cimon ſpoliauit. Captiuos ſupra uiginti millia duxit, ingentem præterea pecuniam. Diod.lib.11. & Polyæn. lib.1.& Frontinus lib.4.c.7.

ARISTOMACHVS triremibus Cardianorum captis, impoſuit remiges, ſuarumq; nauium inſignibus eas ornauit, cum concentu ſuas naues ſub multam ueſperam appellens Cardianā

diani ad naues effundebantur ex urbe, quaſi ſuas & uictrices. Ariſtomachij è nauibus egreſſi, multos Cardianorũ occiderunt. Polyænus lib. 5.

M. Portius CATO impetu in claſſem hoſtiũ cũ trãſiliuiſſet, deturbatis ex ea Pœnis, eorumq; armis & inſignib. inter ſuos diſtributis, multas naues hoſtium, quos ſociali habitu fefellerat, merſit. Frontinus lib. 4. c. 7.

Miles Caroli Magni, atque adeò ipſe Carolus, cùm ad Viſurgim amnem contra Saxones caſtra mouiſſet, Teutonico ſermone & ornatu magna ex parte utebatur. SAXONES igitur eiuſdem cultus & linguæ, Francorum pabulatoribus hora diei nona in caſtra reuertentibus, quaſi commilitonibus ſuis ſeſe cõmiſcentes, in caſtra Francorum irrepſere, adeoque dormitantes ac ſemiſomnes adorti, plurimos trucidauere. Sed uigilantium fortitudine caſtris repulſi ſunt, in fugamque uerſi. Auentinus lib. 4. Annalium Boiorum, & Aemilius libro 2.

BARBAROSSA Tunetanus rex, Balearis minoris portum ita intrauit, ut Cæſarianæ claſſis ſpeciem, explicatis Chriſtianorum inſignium uexillis, præberet, & ab effuſis ad ſpectaculum oppidanis, multis de more tormentorum bombis ſalutaretur. Adiuuit aſtum doloſi hominis Luſitana nauis, quæ in eundem portum tẽpeſtate impulſa anchoras iecerat. Præfectus namq; eius Conſaluus Perelia, eadem captus imagine, pilas ferreas tormentis eximi, eaq; inani ſonitu ad lætitiæ ſignum honoris cauſa diſplodi iuſſerat. Sabellici ſupplem. lib. 19. ex Iouio.

*Sua occultata.*

CHABRIAS in Naxo aduerſus urbem nauale prælium geſturus, præcepit trierarchis, ut ſi in æquali & ancipiti periculo eſſent, ſuarum nauium ſignis abſconditis, inſignitas hoſtiles eſſe ſcirent. Hoc facto, Pollidis gubernatores Athenienſium nauibus obuiã facti, cùm non haberent, Atticũ ſignũ, dubij & ancipites prẹternauigarunt. Athenienſes uerò, quẽadmodũ præceptũ erat, utrinq; in inſignitas naues impreſſionem fecerunt. Polyænus.

Bello Iugurthino METELLVS cum legione una Vaccam magnis itineribus cõtendens, poſteaquam urbi appropinquare cœpit, militibus mandat, ut tectis armis in hoſtẽ ire pergant. Vaccenſes amicum id agmen rati, Iugurthamque adeſſe arbitrantes (erant enim in primo agmine Numidæ conſtituti) ex urbe certatim ſeſe effundunt, regi obuiam ituri. Ibi à Romanis incautè excepti, promiſcuè puberes impuberesque cæduntur. Vrbs capta ac direpta. Sabellicus libro ſecundo, Ennead. 2.

SIGNA.

QVI aduerſus Erythræos bellum gerebant, ſpeculatorẽ eorũ in loco edito deprehenſum occiderunt, & ueſtem eius ſuo militi dederunt, qui ex eodem iugo Erythræos ſigno dato in inſidias euocauit. Frontinus lib. 2. c. 5.

MAGAS, occupato Parætonio, compoſuit cum ſpeculatorib. ut facem amicam tollerent ſub ueſperam, atq; iterum ſummo mane eãdem. Facium dolo proceſſit in regione uſq; ad eum locum, qui Chitus dicitur. Polyænus lib. 2.

IPHICRATES in Corcyra Crinippo è Sicilia cũ ſupplementis undecim adnauigante, ſpeculatoribus eũ appellere iam ſignificantibus, cuidam mandans, ut in deſertis ignẽ amicũ accenderet: noctu adnauigans, omnia ſupplementa cepit, uno ſolùm effugiente. Polyænus lib. 3.

LOCI SECVRITATE FRETum circumuenire.

*Conſule Tit. Celeritate ſumma hoſtem opprimere: quatenus fretus loci diſtantia hoſtis, nihil minus quàm eruptionem timet.*

POMPISCVS urbem cingens caſtris, in maximam regionis partem hoſtes exire prohibuit. In unum uerò locum continenter uenire permiſit: iiſq;, qui ad agendam prædã mitterentur præcepit, ut ab eo ſolo loco abſtinerent. Qui in urbe erãt, ſine metu eò cõmeabant. Ille cùm multos uenire ex ſpeculatoribus cognouiſſet, facto in eos impetu, magnum numerum ſubegit. Polyænus lib. 5.

Q. SERTORIVS in Hiſpania cùm apud Lautonem oppidum uicina caſtra Pompeij caſtris haberet, & duę tantũmodo regiones eſſent, ex quibus pabulum peti poſſet, una in propinquo, altera longiùs ſita: eam quæ in propinquo erat, ſubinde à leui armatura infeſtari, ulteriorem autẽ uetuit ab ullo armato adiri, donec perſuaſit aduerſariis, tutiorem eſſe, quæ erat remotior. Quam cùm petiiſſent Pompeiani, Octauium Gręcinum cum decem cohortibus, in morem Romanorum armatis, & decem Hiſpanorum leuis armaturæ, & Tarquinium Priſcum cum duobus millibus equitum ire iuſſit ad inſidias tendendas pabulatoribus. Illi in uicina ſylua copias abſcondũt, ita ut in prima parte leues Hiſpanos, aptiſſimos ad furta bellorum, ponerent: paulò interiùs ſcutatos, in remotiſſimo equites, ne fremitu equorum cogitata proderentur. Quieſcere omnes, ſilentio ſeruato, in horam tertiã diei iubet. Cùm deinde Pompeiani ſecuri ſeruatoq; pabulo de reditu cogitarent, & hi quoq;, qui in ſtatione fuerant quietè inuitati ad pabulum colligendum dilaberentur: emiſſi primùm Hiſpani, uelocitate gentili in palantes effunduntur: & cùm uulnerant confodiuntq; nihil tale expectantes, priùs deinde quàm reſiſti his inciperet, ſcutati erumpunt è ſaltu, & redeuntes in ordinem conſternunt uertuntq;: fugientib. equites immiſſi, uſq; in caſtra ꝑſecuti ſunt. Equites præmiſſi, occurrerunt eis, qui primi fugerant. Ad cuius rei ſenſum, Pompeio emittẽte legionẽ cum Lælio in præſidiũ ſuorum, ſubducti in dextrũ latus ueluti ceſſerunt equites: mox cùm à fronte, qui pabulatores perſecuti erant, incurſarent: legio quoq; inter duas acies hoſtium cum legato ſuo eliſa eſt. Ad cuius præſidium Pompeio totum educente exercitũ, Sertorius quoq; è collibus ſuos inſtructos oſtendit: effecitque, ne Pompeio expediret. Ita præter duplex damnum, eadem ſolertia illatum, ſpectatorẽ quoq; eum cladis ſuorũ continuit. Hoc primũ prælium inter Sertorium & Pompeiũ fuit. X millia hominum de Pompeij exercitu amiſſa, & omnia impedimẽta. Liuius & Front. lib. 2. c. 5. & Plut.

C. IVLIVS Cæſar Germanos, qui trans Rhenum incolunt, fluminis uallo confiſos, primus Romanorum, ponte fabricato aggreſſus, maximis affecit cladibus. Suetonius.

DOMITIANVS, cùm Germani more ſuo è ſaltibus & obſcuris latebris ſubinde impugnarẽt Romanos, tutumq; regreſſum in profunda ſyluarum haberent: militibus per centum uiginti millia paſſuum actis, non mutauit tantùm ſtatũ belli, ſed & ſubiecit ditioni ſuæ hoſtes, quorum refugia nudauerat. Frontinus lib. 1. c. 3.

Magnentius tyrannus Murſam urbem, CONSTANTIO Imp. parentem oppugnabat. Vbi uerò Conſtantium ſenſit aduẽtare, inſidias ei hoc pacto parauit. Erat circus ante urbẽ ab omni parte ſyluis opacus: in eo quatuor Gallorum millia poſuit, præcepto dato, ut ubi pugnam cõmiſſam uidiſſent, hoſtes repentè inuaderent. Quod cùm ij, qui in muris hærebant, conſpexiſſent, certiorem fecẽre Conſtantium: atque ille, imprudente Magnentio, duces quoſdam cum ſelectiſſimis ex toto exercitu militibus ad eos delendos immiſit. Hi, cùm ualida manu omnes circi portas obſediſſent, in ſuperiorem partem cum ala euecti, tela in Magnentianos, qui in circo erant, iacere inſtiterunt. Quorum cùm nonnulli, ſublatis in capita ſcutis, ad portas erupturi aduolaſſent, iis, qui in ſtatione erant, prohibentibus, omnes ictibus telorũ ſupernè incidentium ad unum confecti ſunt. Sigonius libro 5. Imp. occid.

QVIETIS SIMVLATIONE.

IN GENERE.

PAMMENES, contrario modo tubarum lege uſus, hoſtes decepit, mandans ſuis militibus, ut cùm receptui caneretur, impreſſionem facerent: cùm uerò ad pugnam uocarentur, diſcederent. His utriſq; magnam cladem hoſtibus inflixit. Polyænus libro 5.

POMPISCVS, hoſtibus ex propinquo ſigna & promulgationes ipſius obſeruantibus, in occulto præcepit militibus, ut manifeſtò data præcepta & promulgationes ſemper in contrarium uerterent. Polyæn. lib. 7.

ATILA uaſtata Germania in Vngariã reuerſus, integro quinquennio uoluptatibus ſe dedidit, bellicis curis omnino diſſimulatis: ut hac otij ſimulatione non hoſtium modò conatus, ſed & ſuorum fidem exploraret. Bonfin. Dec. 1. lib. 5.

IN SPECIE. OB

*Morbum ducis.*

PHILIPPVS Macedo fortè uulneratus grauiter, ferè mortuus iacuit. Vbi iam conualuit, cùm nihil minùs ſuſpicarẽtur, diu diſſimulatũ bellum Athenienſibus intulit: Thebanis minimè auxiliantibus metu Philippi. Victi tandẽ ſuccubuẽre, ueterem libertatis gloriã amittentes. Philippus uerò lætitiã diſſimulans, ſolito luxu iociſq; abſtinuit, captiuoſq; reddidit, corpora ad ſepeliendum tradidit. Iuſtinus ex Trogo.

*Curam corporis, quo ad Cibum, Somnum.*

ARISTON Corinthius gubernator, Athenienſibus & Syracuſanis nauale prælium committentibus, & utriſq; manentibus, miſit ad principes, iuſſitque cibaria in mare transferre. Quæ cùm eſſent allata, uerſis nauibus in terram receſſerunt: egreſſiq;, celeriter prandium ſumſerunt. Athenienſes exiſtimantes eos uictos diſcedere, è nauibus egrediuntur, obambulanteſq; ad prandium ſeſe inſtruxerunt. Adnauigarunt repentè Syracuſij, & pranſi, minori negotio hoſtes famelicos profligarunt. Polyænus lib. 5.

MEMNON quinq; millia militum ducens, cùm quadraginta ſtadiis abeſſet à Magneſia, caſtra muro erecto cinxit. Parmenion & Attalus erant in Magneſia cum decem millibus. Munitis caſtris Memnon eduxit eos inſtructos ad pugnam ad decem ſtadia. Hoſtibus excurſionem facientibus, Memnon receptui ſigno dato, intra muros conceſſit. Similiter etiam hoſtes diſceſſerunt. Rurſus Memnon progreſſus, cùm hoſtes aciem inſtruere cerneret, diſceſſit, atq; etiam hoſtes, idq; ſæpiùs eodem die. Poſtremò cùm exutis armis in faciendo prandio diſtinerẽtur, eos inſtructis ordinibus aggreſſus eſt. Polyænus lib. 5.



TELESINICVS Corinthius in portu Syracuſiorum aduerſus Athenienſes nauali prælio cõfligebat. Cùm ad multum diem obita pugna defatigarentur: celocem in urbem Syracuſiorum miſit, ac cibaria in portum deportari iuſſit. Quæ cùm inſtructa uideret, ſublato ſigno, dũ anceps adhuc prælium eſſet, in portum ſe recepit. Athenienſes etiam ipſi in terram diſcedentes, prandium faciebant, alius aliò diſperſi. Ille militibus pręparato uictu refectis, ſoluens continuò cum ſagittariis & iaculatorib. in cataſtromatis repentinè ſuperueniens, Athenienſibus ſine ordine diſcurrentibus, & cũ tumultu egreſſis, in obuerſas triremium proras impetu facto, uictor diſceſſit. Idem.

IDEM, cùm iiſdem ſignis hoſtes prandiũ ſumerent, & reliqua ſimiliter facerent, mandauit triremium celerrimis, ut ante lucem ſumto cibo egreſſi quieſcerent. Cùm tempus inſtaret prandij, conſueto more ſignum dedit. Qui igitur in reliquis erant nauigiis, prandium faciebant. Reliqui Syracuſij progreſſi, cõſcenſis nauibus in hoſtes impetum dant, multaſq; triremes eorum perdiderunt, dum ipſi in capiendo cibo occuparentur. Idem.

CLEOMENES Lacedæmoniorum rex, Argiuis bellum inferebat. Argiui attentè obſeruabant, ac ſpeculabantur, quid rerum hoſtes gererent. Nam omnia, quæ uellet, per pręconẽ exercitui Cleomenes ſignificabat, atq; illi ſimilia facere ſemper ſtudebant. His ſe armantibus, contrà ſe armabant: exeũtibus, contrà exibant: requieſcentibus, ſe quieti dabant. Cleomenes tacitè & clàm præceptum dederat, ut cùm prandiũ ediceret præco, arma ſumerent. Illo igitur proclamante, Argiui ad prandendum ſe conferebant. At Cleomenes educẽs armatos, ſine negotio nudos & inermes Archiuos trucidauit. Polyænus lib. 1.

EPAMINONDAS exercitũ ſemper oriente ſole promouit, ſuſpicionem hoſtibus præbens, ſe ex aperto prælium facturum. At in Peloponneſo noctu conſurgens, inopinantes Lacedæmonios, & adhuc dormientes obruit. Polyæn. lib. 2.

SELEVCVS aduerſus Antigonum prælium commiſerat, æquali pugna. Ingruente nocte, uiſum eſt utriſq; conflictum in poſterum diem differre. Interea milites Antigoni armis exuti caſtrametabantur. At Seleucus ꝑcepit ſuis, ut in armis cœnam ſumerent, & ſomnum caperent, atq; aciei figuram conſeruarent. Sũmo mane Seleucij Antigoneos inermes & diſſipatos oppreſſere. Polyænus lib. 4.

Victo Mithridate, Amiſum Ponti urbem opulentiſſimam diu obſedit LVCVLLVS. In cauſa præfectus erat Callimachus, qui ſcientia apparatus machinalis & omnis ui uerſutiæ, cuius in obſidione uſus ſit, uehementiſſimè fatigauit Romanos. Hic tunc ſolertia & conſilio eſt uictus Luculli, qui qua diei hora abducere & reficere conſueuerat milites, ea adortus eſt mœnia. Quorum cùm modicam partem cœpiſſet: ille, uel quòd prædam inuideret Romanis, uel quò facultatem ſibi euadendi ſtrueret: deſeruit incenditque urbem. Plutarchus in Lucullo.

BARDAS Durus, Imperium orientis affectãs, Petrum ſpadonem, Baſilij Porphyrogeniti Imp. ducem, callidè ad Liparã eluſit. Multas inſtruxit cœnas, ueluti exercitui epulum daturus. Quo facto imperatorij decepti, eo die pugnam initurũ minimè opinantes, ipſi quoq; conuiuia agitarunt. At Durus, qui ſuos ad pugnam inſtruxiſſet, deprehenſo, quid apud hoſtes fieret, ſubitò tuba ſigno dato, prandentes hoſtes cæcidit. Cedrenus.

*Cadaueris curam.*

PHILIPPVS mortuos ab hoſtibus Illyriis ad ſepulturam poſtulauit. Quibus concedentibus, cùm extremi apportarẽtur, dato ſigno ex improuiſo eos obruit. Polyæn. lib. 4.

ALEXANDER Scoſſæorum terram uidebat aſperã eſſe, monteſq; præcelſos & inacceſſos habere. Nulla igitur capiendi ſpes offerri poterat. Accedit quidam nuncians, Ephæſtionẽ Babylone diem ſuum obijſſe. Ille communem luctum imperans, ad Ephæſtionis exequias properabat. Speculatores Scoſſæorum cùm id uidiſſent, loco mouentes, digredi cœperunt. Alexander miſſis per noctem equitibus tranſitũ occupauit: & ab itinere deflectens, cùm ſe coniunxiſſet equitibus, unà cum eis Scoſſæorum regionem ſubegit. Hanc rem geſtam aiunt Alexandro pro conſolatione fuiſſe mortis Ephæſtionis. Polyænus lib. 4.

*Deambulationem.*

IPHICRATES eregionè Lacedæmoniorum ſociis caſtra ponens, noctu ueſtitum exercitus tranſtulit, milites ſeruilibus ueſtibus induens, ſeruos uerò militaribus. Qui igitur militari habitu amicti erant, procul ab armis ibant, liberorum otium imitantes. At ſeruiliter inſtructi apud arma uerſabantur: quemadmodum moris erat ſeruientibus. Hæc uidentes hoſtes, æmulatione aduerſariorum, milites oſcitanter extra caſtra ſpaciantes otiũ agebant. Serui neceſſariis uſibus erãt occupati. Ibi tũ ſignũ tollitur. Iphicratij ſtatim ſumtis armis, ad hoſtiũ caſtra progreſſi, mancipiis à miniſterio fugientib. militibus armis deſtitutis, alios occiderunt, alios captiuos duxerunt. Polyænus lib. 3.

*Monomachiam.*

Cùm FRANCISCVS Carmaniola, Venetorum militiæ dux, aduerſus Mediolanenſis ducis Philippi Vicecomitis copias apud uicum Maclodium in Brixiano agro caſtra poſuiſſet: nec longè ab eo loco eſſent Philippi copiarum duces, Carolus Malateſta, Nicolaus Picininus, Franciſcus Sforcia, atque Angelus Pergulanus: accidit, ut Carmaniolæ eques quidã, cum uno hoſtium equitum cõtentionem haberet. Eam rem Carmaniola arbitratus eſt poſſe occaſionem rei bene gerendæ præbere. Itaq; eò uerbis eam reduxit, ut locum inter utraq; caſtra deligerent, in quo ſingulari certamine depugnaretur. Euenit autem, id quod Carmaniola fore præuiderat, ut è Philippi caſtris, maior militum pars inermis, cùm inſidias abeſſe putaret, decertantes perduelles ſpectatum prodiret. Itaq; ipſe potiorẽ exercitus partẽ armatam in tabernaculis manere iuſſit, & cùm hoſtes ſpectaculo intentos conſpexit, in equos conſcendere armatos milites ſuos iuſſit, atque pleno curſu in hoſtes tendere. Qui inermes inordinatique, priuſquam arma induere, aut in aciem ad ordines ſuos ire poſſent, fuſi fugatiq; ſunt. Fugientes autem ipſe inſecutus, quatuor inſignes Philippi duces ſuperauit. Fulg. lib. 7. c. 4. & Egnatius lib. 7. c. 4.

*Negotium aliud ſimulatum.*

IPHICRATES, cùm aduerſus Lacedæmonios pluribus diebus caſtra cominùs haberet, & utraque pars certis temporibus aſſiduè pabulatum lignatumq; procederet: quodam die militum habitu, ſeruos lixaſq; dimiſit ad munera, milites retinuit: & cùm hoſtes diſperſi obiſſent ſimilia munera, expugnauit caſtra eorum, inermeſq; cum faſciculis paſſim ad tumultum recurrentes, facilè aut occidit, aut cepit. Frontinus lib. 2. c. 1.

LYSANDER ad Aegos flumen cum Athenienſium ducibus imperitis pugnaturus, infeſtis prioris ſtantes & iam de nocte completas tenens naues, non eſt euectus in altum: ſed actuarias circummiſit ad eas naues, quæ in prima acie ſtabant, præcipiens ne mouerent ſe, tantùm inſtructæ conſiſterent, nec tumultuarentur uel irruerent in hoſtem. Ita recipientibus ſe ſub ueſperum Athenienſibus, non antè egredi è nauibus permiſit milites, quàm duę aut tres naues, quas miſerat ſpeculatum, rediſſent, cùm deſcendiſſe uidiſſent in terram hoſtes. Idem poſtero & tertio die uſq; ad quartum eſt actum. Qua re elati Athenienſes, cœperunt hoſtes quaſi pauefcentes deſpicere, quamuis Alcibiades exul duces moneret, ne hoſtem negligerẽt. Quinto die cùm euecti Athenienſes fuiſſent & redirẽt, ut ſoliti erant, ſolutè & contemtim: emiſit Lyſander nauigia ſpeculatoria, quorũ præfectus imperauit, ubi Atheniẽſes deſcenſionem uidiſſent feciſſe, properè, ut recurrerent: ac cùm ad mediũ perueniſſent curſum, ſuſtollerent ex prora clypeum æreum, quod ſignum incurrendi eſſet. Vt clypeus elatus è nauibus eſt, & tuba è naui prætoria claſſicum cecinit: incurrerunt naues, properauerunt copiæ terreſtres ſecundùm litus occupare promontorium. Conon prætor Athenienſis, conſpecto ex terra claſsis incurſu exclamauit protinus, conſcenderent: anxiuſque eo malo hos ciebat, illos orabat, alios cogebat naues complere. Verùm dilapſis militibus, cum octo nauibus in Cyprũ euaſit ad Euagoram. Et ſic horæ ſpacio, abſque ſudore, Athenienſes & claſſe & imperio exuit, pro quo tot annis multo cum ſanguine decertarant. Plutarchus in Lyſandro, & Polyænus lib. 1.

AGESILAVS in Acarnanum regionem impreſſionem fecit. Illis uerò in montes refugientibus, non repentinam incurſionem fecit, ſed ad obliquas regionis oras tranſmittens, iuſſit radicitùs arbores euellere. Acarnanes contemta eius tarditate, & circa arbores occupatione, deſcenderunt ex montibus in urbes, quæ ſitæ erant in planicie. At ille noctu centum ſexaginta ſtadiis raptim percurſis, ſummo manè, deprehendens in planicie Acarnanes, magnam hominum & pecorum aliarumq; rerum multitudinem abegit. Polyænus libro ſecundo.

POSTHVMIVS Coſs. in Sicilia, cùm caſtra eius à Punicis trium millium paſſuum ſpacio diſtarent, & dictatores Carthaginenſium quotidie ante ipſa munimenta Romanorum dirigerẽt aciem: exigua manu leuibus aſſiduè prælius pro ual-

lo reſiſtebat. Quam conſuetudinem contemnente iam Pœno, reliquis omnibus per quietem intra uallum præparatis, ex more priſtino, cùm paucis ſuſtinuit incurſum aduerſariorum, ac ſolito diutiùs detinuit. Quibus poſt ſextam horam etiam ſe recipientibus, cùm inedia quoq; laborarẽt, per recentes ſuos hoſtem fugauit. Front. lib. 2. c. 1.

*Copiarum hoſtilium defectũ, abſentiam.*

*Conſule Tit. Exercitum diſſimulando hoſtem animare: quatenus quietem ſimulamus ob exercitus inopiam, paucitatem. Item, Celeritate ſumma hoſtem opprimere.*

Dum Heraclius Imp. contra Perſas pugnat, Hunnorũ rex Chaganus fœdere uiolato in Byzantinum agrum intrauit: poſitisque ante Longum murum caſtris, exteriora omnia loca eſt populatus. Tum patriarcha ciuitatis SERGIVS, & patricius Bonus (quos Conſtantini filij, omniumq; rerum publicarum curatores diſcedens Heraclius reliquerat) coactam manum, contra Barbaros, ſub ea opinione, quòd nullus in proximo eſſet exercitus, negligenter rem agentes, miſerunt de improuiſo: atq; multis millibus interemtis, reliqui cum magna turpitudine intra ſuos fines ſe recipere ſunt compulſi. Cuſpinianus.

Dum Albertus dux Brunſuicenſis arcem Aſſeborg obſidet, Tidericus comes de Euerſteen, pertracto in armorum ſocietatem archiepiſcopo Moguntino, terram inuaſit Gottingenſem. Reliquerat dux in ea PRÆFECTVM cũ expedita manu. Is, quòd impar eſſet uiribus, collecta equitum ala, magnam ruſticæ plebis multitudinem ſecum traxit leui armatura, & clanculo ſequutus hoſtile agmen, obſeruabat ubi caſtra ponerent. Prima nocte ad cortem monaſterij caſtrametantibus hoſtib. Archiepiſcopus ipſe cortẽ ingreditur. Præfectus noctu irruens, capit Archiepiſcopum & Comitẽ: quorum ille anno integro captus, uix tandem à Ricardo Anglo imperium Rom. ambiente multo auro redemtus: hic uerò perfidiæ cauſa à Duce erecta trabe per pedes appenſus fuit. Crantzius lib. 8. Saxoniæ, c. 19. & 21.

MAVRICIVS Saxoniæ dux, Philippum Lantgrauium Haſſiæ ſocerum ſuum è duro carcere liberaturus, occultè copias cõſcripſit. At ut naſutiſſimo Cæſari fucum faceret, ſubornat tabellarium, qui literas à filiis Lantgrauij fictitias occultè ſe ferre ſimulans, deprehendatur: quibus illi patri in Belgium ſcribunt, nec exercitum clàm Cæſare conſcribi poſſe, nec pecuniã promtè adeſſe: itaq; ad meliora ſeſe referuet tẽpora: ſe precibus ſaltẽ, quando armis non liceat, pro ipſo apud Deum interceſſuros. Hiſce literis ita faſcinatus eſt Imp. ut quantumuis monente Granuellano clandeſtinũ conſcribi exercitum, credere priùs noluerit, quàm Œniponte Villacum fugere ſit coactus. Sleidanus.

*Tempeſtatem.*

CN. POMPEIO in Africam contra Domitium à Sylla miſſo, ſtabat cum infeſta acie Domitius, atq; conuallem prætentã habebat tranſitu arduam & aſperã. Ibi largus cum uento imber diluculò exorſus occupauit eos. Ita Domitius illo die nõ expectans præliũ, uaſa cõclamari iuſſit. Id ſuum tempus Pompeius ratus, raptim agmine facto trãſmiſit conuallem. Illi incõpoſiti & tumultuantes, neq; unà omnes, neq; pariter impreſſionẽ excepêre, uentusq; circumagẽs ſe, procellã incuſſit illis aduerſam. Turbauit autem tẽpeſtas Romanos quoq; non ſatis inter ſe conſpicientes, atq; ipſe non agnitus penè interiit Pompeius, quòd quærenti ſignum militi tardiùs reſponderit. Fuſis magna ſtrage hoſtibus (feruntur enim ex uiginti millibus effugiſſe ſolùm tria millia) Pompeium exercitus Imperatorem conſalutauit. Quo negante eũ honorem ſe agnoſcere, dum ſtarent hoſtium erecta caſtra: ſi ea ſe appellatione dignarentur, priùs illa conuellenda: igitur ruunt ad uallum. Pompeius prioris caſus metu ſine galea præliatur, caſtra expugnãtur, cadit Domitius: urbes partim extemplò in deditionem concedunt, partim expugnantur. Plut. in Pompeio.

NICEPHORVS Vranus, Occidentis præfectus, aduerſus Samuelum Bulgarorum regem à Baſilio Imp. miſſus, in ripa Sperchij amnis caſtra ponit, in oppoſita ripa Samuelo ſua caſtra habẽte. Ingentes imbres tum deciderant, & fluuius alueo turgente ſtagnabat: itaq; eo quidẽ tẽpore prælium nullum ſperabatur. Sed Vranus ſurſum deorſumq; tentato flumine, uadũ inuenit: eaq; intelligẽs ſe exercitum in oppoſitã ripam traducere poſſe, noctu cum ſuis amnem trãſit, Bulgaroſq; dormientes oppreſſit. Cedrenus.

## RELIGIONE SIMVLATA.

ATHENIENSES, cùm ſubinde à Lacedæmoniis infeſtarentur, diebus feſtis, quos ſacros Mineruæ extra urbem celebrabant, omnem quidẽ colentium imitationem expreſſerunt, armis tantùm & ueſte cælatis: Peracto ritu ſuo, non ſtatim Athenas reuerſi, ſed protinùs inde raptim acto Lacedæmonem uerſus agmine, eò tempore, quo minimè timebantur, agrum hoſtium, quibus ſubinde prædæ fuerant, ultrò depopulati ſunt. Front. lib. 4. c. 7.

ARISTOMENES Meſſenius, cũ Lacedæmonij uiritim ſacrificia Dioſcuris perſoluerent, cum quodã amico ambo candidos equos conſcenderũt, & capitibus aureas ſtellas addiderunt, atq; nocte iam ingruente mediocri interuallo, Lacedæmoniis extra urbem cum uxoribus & liberis feſtũ agentibus apparuerunt. Qui Dioſcurorum apparitionem eſſe rati, liberiùs uino & uoluptati indulſerunt. At illi deſcẽdẽtes ex equis, ſtrictis gladiis plurimos interſecerunt, atq; ſic incitatis equis diſceſſerunt. Polyænus lib. 2.

Adoleſcentuli duo coniunctiſſimi PANORMVS & GONIPPVS Andanienſes, in Laconiæ fines populandi cauſa ſimul excurrere ſoliti fuerant. Fortè Lacedæmonij per feſtos Caſtoris & Pollucis dies, poſt ſolenne epulum in ipſis caſtris compotationib. ſe ac luſibus oblectabant. Ibi Gonippus & Panormus in albis tunicis & purpureis lacernis, equis pulcerrimis inuehentes, haſtas manibus tenentes, de improuiſo ſe Lacedæmoniis oſtendêre. Illi Caſtores eſſe rati, qui ſacris intereſſe ſuis uoluiſſent, adorabundi occurrerunt, eorum ſibi numen precibus implorantes. At iuuenes ubi primùm in medio recepti ſunt, tumultum & ſtragem, modò hos, modò illos haſtis ferientes, ediderunt: atque inde, uiolatis per contemtum & contumeliam ſacris, Andaniam impunè reuerterunt. Hinc orta Caſtorum in Meſſenios ira. Pauſanias lib. 4.

PHILIPPVS Macedo, de Scythis ſubigendis capto conſilio, miſſis ad regem ipſorum Antheam legatis nuntiari fecit, ſe inter grauia diſcrimina belli Byzantini uouiſſe ſtatuam Herculi in oſtio Iſtri collocandam: idcirco ſe amico & pacato ingreſſu ad Scythas accedere uelle, publicæ religioni ſatiſfacturum. Antheas ſatis intelligens, quorſum hæc aſtuti hominis religio tenderet: iubet, ut ſi obligationem uoti ſoluere uelit, ſtatuam ſibi mittat: polliceturq; ſe curaturum, non modò ut ponatur, uerùm etiam ut inuiolata permaneat: exercitum autem fines ſuos ingredi uetat. Si uerò inuitis Getis ſtatuam poſuerit, eam ſe ſublaturum, uerſurumq; æs ſtatuæ in aculeos ſagittarum. His utrinq; irritatis animis prælium committitur: in quo cùm Getarum uirtute Philippus ſuperaretur: ad conſuetos dolos, & callida ſtratagemata reuerſus, uictor euaſit, abactis uiginti millibus puerorum & feminarum. Io. Magnus lib 3. c. 10.

## ABITV SIMVLATO.

IPHICRATES in Samo prædatus, in Delum nauigauit. Samij legati uenerunt, ea quæ capta fuiſſent, precio redemtũ. Qui promittens ſe eis redditurum, clàm expeditam nauem emiſit, & quaſi ab Athenis nauigare iuſſit, ac fictam epiſtolam ferre, tanquam Athenienſibus ipſum redire iubentibus. Ipſe cum Samiis amicè pace conſtituta, triremium præfectis ſoluere mandans, & abnauigans in deſertam inſulã noctes dieſq; contendit. Samij cùm audiuiſſent Iphicratem abnauigaſſe, ſummãq; legatis humanitatem præſtitiſſe, ſine metu in ciuitate uerſabantur, & abſq; metu in regione paſſim oberrabant. Quibus diſſolutè uagantibus, ille rurſus ad Samum appellens, prædam longè maiorem quàm antea diripuit. Polyænus lib. 3.

ALCIBIADES mouit in Byzantinos, qui defecerant, urbemq; eorum circumuallauit. Cùm uerò Anaxilaus & Lycurgus adiunctis quibuſdam aliis urbem recepiſſent ei pacta incolumitate tradere, ſermonẽ diſſipauit, reb. nouis ſe circa Ioniam exortis reuocari: ac de die omni cum claſſe diſceſſit. Nocte reuerſus, & cũ militib. armatis egreſſus in terrã, tenuit ſe ſilentio ſub mœnibus. Naues in portũ inuectæ, & impreſſionem ingenti edito clamore, tumultu & ſtrepitu facientes, ſimul re inopinata torpidos Byzantinos defixerunt, & ſentientib. cum Athenienſib. liberum ſpacium, quòd omnes eſſent in portum & claſſem intenti, Alcibiadem recipiendi dedêre. Plut. in Alcibiade.

IDEM ad Cherroneſum, cùm ſciret Lacedæmoniorum ducẽ Anaxibium, exercitum pedeſtri itinere ducere: firmiſſimam manum militum eduxit è nauibus, & in inſidiis collocauit: naues autem omnium, tanquam onuſtas milite, palàm trãſnauigare iuſſit. Ita ſecuros & nihil expectantes Lacedæmonios, à tergo ingreſſus, in itinere oppreſſit, fuditq;. Frontinus lib. 2. c. 5.

AVTOPHRADATES, uolens in Piſidas impreſſionem facere, aditum anguſtum & præſidiis munitum cernens, adduxit exercitum: Rurſusq; eum retrò ad ſex ſtadia reduxit. Impetente nocte Piſidæ, qui cuſtodiam adminiſtrabant, diſceſſerunt, exiſtimantes hoſtium exercitum abiiſſe. Ille leuis armaturæ militibus & armatis expeditiſſimis aſſumtis, citato curſu anguſtias penetrauit, & Piſidarum regionem uaſtauit. Polyænus lib. 7.





TISAPHERNES in Miletum irruptionem facere, & exules reducere cogitabat. Verùm imparatus cùm eſſet, rem in omnes homines diuulgauit, quaſi mox iam id facturus, ita ut Mileſij omnia ex agris in urbem deportarent. Paratus autẽ, ſe ab exercitu deceſſurum ſimulauit, eumque non longè dimiſit. Mileſij animis mutatis, cùm exercitum dimiſſum uiderent, in agros redierunt. Ille certo ſigno collectis copiis, celeriter omnes Mileſios extra ciuitatem diſperſos interfecit. Polyænus lib. 7.

VELVS præfectus Romanorum, arcem Tarentinorum tenẽs, miſit ad Haſdrubalem legatos, uti abire ſibi incolumi liceret. Ea ſimulatione ad ſecuritatẽ perductum hoſtem, eruptione facta, cæcidit. Front. lib. 3. c. 17.

C. IVL. Cæſar per exceptum quendam aquatorem cùm cõperiſſet, Afranium Petreiumq; caſtra noctu moturos: ut citra uexationẽ ſuorũ, hoſtilia impediret conſilia, in initio ſtatim noctis uaſa conclamare milites, & præter aduerſariorũ caſtra agi mulos cum fremitu & ſonitu iuſſit. Hoſtes arbitrati caſtra Cæſarem mouere, in eo quo conſederant loco remãſerunt. Frontinus lib. 1. c. 8.

MATHIAS Coruinus Vngariæ rex, Sciabazium ad Sauum amnem oppidũ obſidens, quum longa Turcas oppugnatione defatigaſſet, necdũ oppido potiretur, ab auerſa parte maximum agmen in cæca conualle reliquit: ipſe cum cætero exercitu à fronte, illuceſcente die, pugnã aggreditur: & tota ferè die, haud intento marte certatur. Paulo ante crepuſculũ certamẽ dirimit: & amotis caſtris, deſperata uictoria, ſe abire ſimulat. Oppidani aſſiduo bello defatigati, ſe relaxant: pars corpora curat, euagantur ſine timore alij, omnes hoſtẽ abiiſſe rati: ſi quid timebant, à fronte curabant, quæ ad proficiſcentem hoſtẽ ſpectare uidebatur: à tergo nihil mali formidabant. Ingruente iam nocte, qui in inſidiis reſederant, ex compoſito ab auerſa parte oppidum adorti, priùs mœnia conſcendêre, quàm oppidani animaduertiſſent. Bonfinius lib. 3. Dec. 4.

BENEDICTVS Piſaurus Venetæ claſſis præfectus, quia indicio cõperiſſet Turcorum claſſem in Ambracio ſinu ſedere, ad eam opprimendam animum adiecit. Cæterùm ut hoſtẽ ab omni eorum, quę parabantur, ſenſu auerteret, partẽ claſſis multò maximã Neritum miſit, quæ ſubito appulſu inſulanos tumultuosè inuaderet. Quum de Nerito hoſtes iam ſolliciti eſſent, ipſe cum octo triremib. ex omni numero lectis celeri curſu ad hoſtem contendit. Coëunt Ambraciæ & Epiri montes in arctũ, relinquũtq; anguſtias quatuor ſtadiorũ ſinũ intrantibus, quẽ Ambracium ueteres dixêre, nunc Lartę eſt. Huc ſecunda Venetus tẽpeſtate delatus, ſinus anguſtias ferociter inuadit, inde cũ tumultu & accolarum trepidatione latè lõgeq; per internos fluctus euagatus, hoſtilẽ adeptus claſſem, triremẽ unã incendit, igni ad hoſtiũ terrorem iniecto, undecim triremes armis & cõmeatu onuſtas à Venetarũ puppibus religat, frementibusq; circa litus Barbaris ac ſæuientibus, per denſa hoſtium tela, & crebros tormentorum ictus, in altum abductas, ouanti ſimilis Corcyram pertraxit. Sab. lib. 1. En. 11.

## ADVENTV OCCVLTATO.

Gallorum regina FREDEGVNDIS, uirũ Chilpericũ per adulterum Landricũ occidi curârat, atq; ſimul cũ adultero Galliarũ regnum adminiſtrabat. Ei bellum intulerat Childebertus Auſtraſiæ rex, ingenti Longobardorũ exercitu adiutus. Cui audax regina, cũ impubere filio Lothario, atq; adultero, cum magno exercitu obuiam prodiit. Cùm non longè à Bruniaco (id oppidum eſt in eo Galliæ parte, quã nunc uulgò Campaniã dicunt) hoſtilibus caſtris propinqua eſſet, ut improuiſa hoſtem adoriretur, calliditate mira uſa eſt. Nam arborum ramos haud paucos frondoſos præparari iuſſit, quos quadruplici ordine ante agmen præmiſit, atq; inter eos tintinnabula quædam immiſcuit: quæ cùm ſenſim procederent, ſpeciem armenti in ſylua depaſcentis præbuêre. Syluam in qua armenta agerent hoſtes rati eſſe (neq; enim, quia nõdum certa lux erat, diſcerni fraus poterat) caſtris eorum Fredegũdis, priuſquam hoſtes armarentur, atq; prodire in aciem poſſent, appropinquauit. Inermes igitur, atq; nihil tale uerentes adorta fudit, atq; in fugã cõpulit. Fulgoſus lib. 7. c. 4. & Aemilius.

Simili ſtratagemate MAGDVFFVS Machabeum Scotorũ regẽ oppreſſit, cùm milites ſyluã Birnen exciſam manib. geſtãtes, arcẽ Dounſinnã repentè inuaſiſſent. Vide Tit. Oracula mortis non rectè intellecta.

HAKO Hamundi filius, fratrum ſuorum à Sigaro Danorum rege cæſorum mortẽ ulturus, in portum, qui Heruvig, h. e. Exercituũ ſinus dicitur, militẽ exponit, & ſparſis trifariã copiis, geminã nauium partem, paucis remigio deſtinatis, ad Suſam amnẽ præmittit, quæ per obliquos aluei flexus ancipiti nauigatione progrediens, peditib. ſi res poſceret ſubſidiũ miniſtraret. Ipſe cũ reſiduis pedeſtri itinere facto, ſylueſtrib. maximè locis, ne cerneretur, inceſſit. Et ne progreſſis in planum arboreum deeſſet umbraculũ, ramalia ab eis incidi geſtariq; præcepit. Præterea ne quid properãtibus oneri foret, ueſtiũ partem ac uaginas abijci, nudoſq; gladios deferri iuſſit. Ob cuius facti memoriã æternum monti uadoq; cognomen reliquit. Ita binas uigilum ſtationes noctu fruſtratus, quum in tertiã incidiſſet, mox ſpeculator inſolitum factũ contemplatus, Sigaro regi dormienti ſtupendæ rei nuncium attulit, frondes humano more ambulare. Rex ex oraculo fatum ſibi imminere ſentiens, relicto oppido in planitiem deſcendit, prelio hoſtes excepturus. Itaq; apud locum, qui uulgo Vvalbrunna, h. e. Cadauerum uel ſtragis puteus appellatur, infelici pugna, occubuit. Saxo lib. 7.

Thietmarſi, an. 1317. Ioanni Largo Comiti Holſatiæ in Vvagria ſuppetias contra GERARDVM Magnum & Ioannem fratrem comites Stormariæ ferebant. Gerardus, primo diluculo iuſſit ſingulos ramum præ ſe ferre uirentem, ut latitarent ſub ſpecie nemoris. Sic nihil opinantibus Thietmarſis ſuperuenere Holſati, & cæſis ad quingẽtos, cæteros in riuo Brunſingo demerſere. Cranzius lib. 9. Saxoniæ, c. 9.

## FVGA, METV SIMVLATO.

*Confer ea, quæ paulo antè ſub Loci ſecuritate, in medium attulimus: quatenus ſimulando metum in loca iniqua perducitur hoſtis.*

Maior CYRVS, cùm trans Araxen fluuiũ feciſſet caſtra, timenti ſimilis, Maſſagetis in ſe irruentib. reliquit diripiẽda: quos cibo potuq; graues, ac ſomno deditos alta nocte adortus, cum ſuo rege trucidauit. Sab. lib. 6. c. 6.

IPHICRATES in Thracia, cùm hoſtes propè caſtra haberẽt, inter utroſq; noctu ſyluam incendit, & relictis ſarcinis, multiſq; quadrupedibus, fumo tenebrioſiorem noctem efficiẽte, diſceſſit in locum arboribus denſum, & umbroſum. Illuceſcente die, Thraces ad caſtra progreſſi, cùm neminẽ Græcorum inueniſſent, ad ſarcinarum & quadrupedum rapinã ſeſe uerterunt. Iphicrates diſtractis ſuperueniens ex eo loco cũ inſtructa acie, tum hoſtes profligauit, tum ſarcinas uindicauit. Polyænus lib. 3.

RHODII bellum gerẽtes cũ rege Ptolemæo, apud Epheſum erant. Chremonides Ptolemæi nauarchus ſoluit, ut naualẽ pugnã faceret. Agathoſtratus Rhodius eduxit ad Meliã naues, uiſusq; ab adnauigãtibus hoſtibus, retrò naues reduxit. Breui tempore interiecto, ad eundem portum reuerſus eſt. Hoſtes arbitrati eos non audere prælium committere, clamore ſublato, in portum redierunt. Agathoſtratus reuerſus, ex inſperato irruptione facta, uictoriam eſt conſecutus. Polyænus lib. 5.

TOMYRIS Cyro aduerſus ipſam expeditionem faciente, ſimulabat ſe hoſtes metuere. Cùm in fugã ſe Amazonũ exercitus conieciſſet, & ſequeretur Perſicũ agmen, deprehendit in Amazonũ caſtris magnã copiã uini, cõmeatus, uictimarũ: iis affatim & largiter fruebantur, per totã noctẽ, quaſi uictoriã conſecuti. Cùm multo uino luxuq; obruti iacerẽt, ſuperueniens Tomyris, Perſas unà cum rege trucidauit. Polyænus lib. 8. & Iuſtinus.

TIBERIVS Gracchus in Hiſpania certior factus, hoſtẽ inopẽ cõmeatu laborare, inſtructiſſima caſtra omnibus eſculentis deſeruit: quæ adeptum hoſtem, & repertis intemperãter repletum grauemq;, reducto exercitu ſubitò oppreſſit. Frontinus lib. 2. c. 5.

GRIMOALDVS dux Beneuentanus, cũ ingenti exercitu in Galliã Ciſalpinam mouens, Papia Perthāritem, Mediolano Gundibertum Ariperti filios expulit. Clodoueus Francorũ rex copias ſtatim in Italiam miſit, quæ adoleſcẽtes in regnũ paternum reſtituerent. In Tranſpadana regione caſtris poſitis, Longobardi ſimulata fuga, caſtra rerum omniũ copia, ac uini potiſſimùm plena relinquentes, haud longè in inſidiis conſtiterant. Galli uerò caſtra ingredientes, epulis & uino replentur. Superuenientibus hoſtibus, cùm ſomno etiã grauati paſſim iacerent, ab hoſtibus propè ad internecionẽ cęſi fuêre. Locus cladis prope Haſtã urbẽ adhuc hodie Francorum riuus dicitur. Platina in Eugenio 1. Paulus Diaconus, Sabellicus libro ſexto, capite ſexto. Bonfinius lib. 8. Decadis primę, & Aemilius.

CHRISTIANI Ptolemaida obſidebant, in ſumma rerum omnium difficultate. Milites famis impatientes, ad triginta millia conglobati, ibant, ut rabidi, ut furore perciti: uel in conatu emori, uel uictores ingredi caſtra hoſtium in animũ inducebant. Barbarus non auſus munimentis fidere, per auerſam caſtrorum portam ſuos eduxit, relictis tentoriis, publica priuataq; opulentia, &, quod maximè peti ſciebat, cõmeatu plenis: unum uenenum ad obruendum capiendumque improuidos deerat, uinum, quia Saraceni eo non utuntur. Vacua & aperta ingreſſi, cibo auidè replentur: uociferantibus ducibus, ſed fruſtra, cauendas callidiſſimi hoſtis inſi-

dias, ne repentè ſuperueniẽs incautos opprimat. Saladinus longo, ut falleret, circuitu, exercitum compoſitiſsimum inſtructiſsimumq; duxit in eum locum, unde in regredientes impetum facere poſſet. Nec uanum conſilium cecidit. Cecidêre hoſtium ferro, qui procerum ſuorum præceptis parére noluerant. Aemilius lib. 6.

### LOCO IRRVPTIONIS diſſimulato.

*Sic frequenter Vrbes capiuntur. De quib. infrà.*

Cùm Tiſaphernes primùm AGESILAI formidine pepigiſſet cum eo, urbes Græciæ ſe permiſſurũ, ut liberæ legibus ſuis ſub rege eſſent: mox euocatis à rege ingentibus copiis, indixiſſet ei bellum, niſi Aſia excederet; cupidè accepit uiolatum fœdus, ac uelut Cariã petiturus caſtra mouit. Poſtquã illic exercitum Tiſaphernes contraxit, in Phrygiam ſubitò conuertit agmen, complures urbes cepit, & magna pecuniæ ui potitus eſt. Plut. in Apophtheg. Front. lib. 1. c. 8. Polyæn. lib. 2. pro Phrygia Lydiam habent.

DOMITIANVS, cùm Germanos, qui in armis erant, uellet opprimere, nec ignoraret maiore bellum molitione inituros, ſi aduentum tanti ducis præſenſiſſent, profectionem ſuam ſenſu obtexuit Galliarum. Frontinus lib. 1. c. 1.

## AVDACES REDDERE HOSTES, ET AD PVGNAM, Eruptionem, Irruptionem, Oppugnationem quacunque ratione elicere. IN inſidias præcipitare hoſtem.

*Inſidias Latini ab inſidendo dixerunt, quoniam occultè loca ab hoſte inſidentur, ex quibus impetum faciat. Ad quod genus Stratagematis cùm ſyluæ ſint aptiſſimæ, Italis non ineptè Emboſchade dicuntur. Etſi autem Inſidiarum nomen generale eſt, huic tamen loco potiſſimùm conuenit, in quo de Eliciendis hoſtibus agitur, ut in inſidias incidant: quemadmodum & alteri, ubi de Securitate hoſtibus inijcienda tractauimus. Qui quidem Tituli inter ſe ſic ſunt affines, ut iiſdem ferè exemplis illuſtrari poſſint, diuerſo tantùm reſpectu: illic Prudentiæ, hîc Fortitudinis uitiatæ ratione habita, quarum illam Securitas in non prouidendo, hanc Temeritas in aggrediendo excipit.*

### SVORVM ADVENTVS, AVXILII SOCIORVM SPE.

SEVTHES Athenienſibus maritimas regiones per Cherroneſum populantibus, duo millia Getarum leuis armaturę conduxit, eosq; more hoſtium irruptionem facere, igniq; regionem uaſtare iuſſit, & in eos, qui in muris conſiſterẽt, tela cõiicere. Hæc Athenienſes conſpicati, & hoſtes eſſe Thracum ex his, quæ patrabantur coniicientes, audacter è nauibus egreſſi, ad mœnia contendebant. Seuthes extra muros obuiã Athenienſibus prodiit, & Getæ, quaſi cum illis ſe coniuncturi, poſtquam ad tergum euaſerũt, interclusis retrò hoſtibus, hinc Thraces, illinc Getæ magnum eorum numerũ occiderunt. Polyænus lib. 7.

ALEXANDER ex Epirotis aduerſus Illyrios collocata in inſidiis manu, quoſdam ex ſuis habitu Illyriorum inſtruxit, & iuſſit uaſtare ſuam, id eſt Epiroticam regionem. Quod cùm Illyrij uiderent fieri, ipſi paſſim prædari ceperunt, eò ſecuriùs, quòd præcedentes ueluti pro exploratoribus habebant: à quib. ex induſtria in loca iniqua deducti, cæſi fugati ſunt. Polyænus lib. 3.

LEPTINES Syracuſanus aduerſus Carthaginem uaſtari ſuos agros, & incendi uillas caſtellaq; quædã imperauit. Carthaginenſes à ſuis id fieri rati, & ipſi tãquam in adiutoriũ exierunt: exceptiq; ab inſidiatoribus fuſi ſunt. Idem.

Rugiani idololatræ Lubicam obſederant, HENRICVS Vandalorum princeps Chriſtianus præfecit populo uirum fortiſſimum, ut obſidionem paucis diebus tolerarent. Ipſe nocte media ſolis duobus comitibus egreſſus, conſtituit terminum quatridui, & deſignauit locum, in quo ſe uidendum cũ auxiliis præberet: ſin ſpes auxiliorum nulla eſſet ex Holſatia, tum ſibi quemq; conſulere iuſſit. Ex Holſatia igitur & uicinis locis equitum peditumq; auxiliis inſtructus ad pręfinitum tempus & locum ſeſe oſtentans, exhilarauit ſuos, qui uano rumore Henricum ab hoſtibus interceptum audierant. Inde quàm potuit occultiſſimè exercitum ſuum circumduxit: & à mari præmiſſis equitibus admouit agmen. Rugiani à uia maris equites conſpicati, gratulabundi prodierunt de caſtris obuiam, ut exciperent tanquam ſuos. Henricus quadrato agmine lentus incedens, ut pedites ſecũ traheret, repentè irruit in hoſtes. Seruat mons uictoriæ memoriam, Raneberg etiam nunc dictus (nam Rugiani tum Rani dicebantur) ubi cæſorum cadauera tumulata fuêre. Dies Kalendarum Auguſti ſacer proinde haberi cepit. Granzius lib. 3. Vandaliæ, c. 22.

### HOSTIVM DEFECTIONIS, PRODITIONIS SPE.

Grutungi Scythæ, cùm multitudine abundarent, & neceſſariis armis inſtructi eſſent, ac robore corporis excellerent, peragratis interiectorum barbarorum agris, ad ripam Iſtri uenerunt, ac tranſitum ſibi concedi poſtularunt. PROMOTVS autem, magiſter militum Theodoſij Magni, exercitum flumini admouit, ac tranſmiſsionem eorum morari inſtituit: mox adhibitos nonnullos, qui linguam eorum callebant, ad hoſtes ire præcepit, pollicitatum, ſi ſibi pręmium eſſet, ſe eis ducem Romanorum atque exercitum prodituros. Profecti rẽ ex ſententia tranſegerunt. Vbi tempus aduenit, barbari ex pacto nocte intempeſta meliorem ſuorum partem tranſmittere inceperunt, ac mox alios priorum auxilio ſummiſerũt. Promotus autem, nauium multitudine ad id inſtructa, eos flumen ſuperare conantes non ſolùm ex aduerſo prohibuit, ſed etiam ex tranſuerſo adortus, uiros propè omnes ſubmerſit: inde in mulieres ac pueros inuectus, prædam eximiam peperit. Theodoſius, qui non longè aberat, ad eam uictoriam inſpiciẽdam progreſſus, uinculis captiuos exemit, eorum opera ad bellum contra Maximũ, ſi opus eſſet, uſurus. Sigonius lib. 9. Imp. occid. ex Zoſimo.

Cùm Etruſcæ urbes, magno ſuo damno, per Guelſam atq; Gibellinam factiones ſe diuiſiſſent: Florentiæ rerum Guelfi potiebantur, Gibellini autem Senas habebant. Gibellini à Mãfredo Neapolitano rege, mille quingentorum equitum uſum, in tres menſes tantùm ſubſidio acceperãt. Quorum opera ut in tempore uterentur, PROVINCIANVS Syluanus, magnæ inter Senenſes exiſtimationis, cogitauit optimum fore, ſi cum hoſtibus prælio decertarent, quòd minimè dubia fore uictoria uidebatur. Ergo duos Senẽſes ciues clàm miſit Florentiam, qui magiſtratui Florentino nunciarent, atq; ſimul fictas quorundam ciuium Senenſium literas in eandem ſententiam perferrent: ſcilicet, Vrbi toti Senenſi graue bellum illud eſſe, quod cũ populo Florentino gereretur, cupereque ei finem imponi: cuius culpa penes Prouincianum eſſet. Itaq; ſi eo tempore, quo Germani equites Senas prædatum egreſſuri uidebantur, Florentini ciues Senis cum copiis ſuis appropinquare uellent, permultos Senenſes, Florentinarum copiarum præſidio tectos, arma in urbe ſumturos eſſe, atque eis Prouincianum uinctum tradituros. Florentini cum exercitu Senis appropinquãt, populi tumultum expectant: repentè Germani equites erumpunt, populus armatus ſequitur. Florentini inopinata re territi fugantur, Gibellina factio in urbem Florentiam reuertitur. Fulgoſus lib. 7. c. 4.

Contra Achomatum fratrem SELIMVS Turcorum tyrannus exercitum ducebat. Erant in Selimi caſtris, qui omnia conſilia Achomato clàm nunciabant. Selimus interceptis literis, necatis, qui literas conſcripſerant, gemma eorum ad obſignandas epiſtolas uſus, ſcribit interfectorum nomine ad Achomatem, maturaret proficiſci, peditatumque relinqueret: fore enim, ut ad datum ſignum excitato in caſtris tumultu Selimus interficeretur. Deceptus his literis Achomates, Selimum egregiè diſsimulantem omnia aggreſſus, cùm exercitu & imperio uitam amiſit. Sabellici ſupplementum lib. 4. ex Iouio.

### PRAEDAE, DIVITIARVM, THESAVRORVM, ALIMENTORVM SPE.

*Conſule Tit. Metu abitu'ue ſimulato hoſtem ſecurum reddere. quatenus hoſtis caſtra alimẽtis opibusq; referta eſcæ loco obiicit, quibus famelici uel guloſi hoſtes capiantur.*

ARCHEBIVS Heracleotes, hoſtibus continenter abeuntibus, piſcatoria nauigia contraxit, eaq; per carinas uinculis inſertis immobilia fecit, atque ipſe cum aliquibus hoſtium aduẽtum in inſidiis expectabat. Tubicen, qui in arbore ſpeculandi cauſa ſtabat, conſpicatus hoſtes adnauigare cũ naui longa, & duabus triconteris, & egreſſos partim prædam agere, partim nauigiorum uincula ſoluere, ſignum tuba dedit. Archebius iis quos in inſidiis poſuerat excitatis, hoſtes perdidit. Polyænus lib. 5.



HARRIDAS rex Moloſſorum, bello petitus ab Ardie Illyrio, maiorem aliquanto exercitum habente, imbellem multitudinem in Aetolię urbes abire iuſſit, tãquam urbes ac res ſuas Aetolis concederet. Ipſe cum his, qui arma ferre poterãt, inſidias in montibus & locis confragoſis diſtribuit. Illyrij timentes ne, quæ Moloſſorum erant, ab Aetoles occuparentur, uelut ad prædam feſtinantes, neglectis ordinibus, accelerare ceperunt. Quos Harridas ex inſidiis fudit fugauitq;. Frontinus lib. 2. c. 5.

Cùm Athenienſibus & Megarenſibus de Salamine bellum eſſet, SOLON nauigauit uerſus Coliadem, ubi mulieres Cereris feſtum obibant. In ipſo mari emittit Solon transfugam ad Megarenſes, qui nunciaret: Si in Coliadem nauigaueritis, Athenienſium uxores capietis, choreas ducentes: modò non cunctemini. Megarenſes dolo credunt, & eò naues dirigunt. Solon uerò mulieres decedere iubet: atque adoleſcentes impuberes, muliebribus ueſtimentis amictos, coronis ornatos, clandeſtinis enſibus armatos, ad litus ludere ac ſaltare iuſſit. Megarenſes imberbium uultu, & ueſtitu mulierum decepti, egredientes è nauibus, capere tanquam mulieres conabãtur. Qui ſtrictis repentè gladiis, pro mulieribus uiri apparuerunt, hoſtes occiderunt, naues conſcenderunt, & Salamine potiti ſunt. Polyænus libro 1. & Aelianus lib. 8.

LOCRI, cùm à Sempronio Graccho collatis ſignis urgerentur, uniuerſas copias cinxêre plauſtris, quæ impleuerant fortiſſimis uiris, muliebri ueſte tectis. Semproniũm quoq; tanquam aduerſus feminas audentiùs ad obſidendos hoſtes conſurgentem, hi qui in plauſtris erant aggreſſi fugauerunt. Frontinus lib. 4. c. 7.

L. PAVLO Aemilio, cum Perſeo dimicaturo, cùm læta portendiſſent exta, defendentibus ſe, non laceſſentibus hoſtem: inclinato in ueſperum die, ab ipſo Paulo quidã auctores ſunt, quò hoſtes pugnam primi laceſſerent, ſtruente, equum fuiſſe detracto freno expulſum, & nõnullos Romanos ad eum retrahendum emiſſos, atq; hinc, dum hi perſequuntur equũ, contractum certamen. Alij Thracas, quibus præerat Alexãder, in apportantia pabulum Romanorum iumenta impetum dediſſe: aduerſus hos, ſeptingentos Ligures acriter excurriſſe: atque cùm plures utriſq; ſubſidio uenirent, ita commiſſum prælium. Plut. in Aemilio.

Alexius Angelus Byzantinus Imperator, Ibancum rebellem, in ordinem coacturus, miſit aduerſus eum Protoſtratorem Manuelem Camyzem, ad montem Hæmum. IBANCVS plurimis pecoribus ex ſpeculis in campos agi, & à popularibus ſuis cum parte Græcorum captiuorum in Hæmum ad Ioannem Zogaræ principem, cum quo fœdus contra Græcos inierat, muneris loco & grati animi ergò duci iuſſis, Græcis inſidias collocauit. Illis enim prædam eripientibus inopinatus aduenit, & Protoſtratorem cepit. Nicetas libro tertio.

Namurcius Gallorum, qui Hiſpanos Baroli obſidebant, dux, in Apulia peramplo ſubnixus equitatu paſtoribus edixerat omne pecus in herbidos Cerignolæ campos paſcendi cauſa deducendum, quando ipſe eius tractus paſtiones ab iniuria hoſtium diſpoſitis præſidiis eſſet defenſurus. Ea res à ſpeculatoribus delata ad HISPANOS, multos eorum ad prędam exciuit: iêre autem eo agminis ordine, ut tertia pars expeditis armis inſtructa, pecora ſimul & paſtores inuaderet, reliquæ porrò duæ partes in inſidiis conſiſterent, & effuſum in prædatores Gallorum præſidium aggrederentur. Nec dolo compoſito euẽtus defuit. Galli enim, ubi primos hoſtium inuadentes turbantesque pecoris greges, & paſtores in fugam coniectos conſpexêre, in eos extemplò impetum fecerunt, tantaque ui eos refugere ſimulantes perſecuti ſunt, ut in inſidias inciderent, & plerique eorum caderent, ac multo plures caperentur. Sed id ex uoto maximè lætum facinus, Fortuna dolis libenter illudens, è manibus Hiſpanorum celeriter eripuit: cùm ualida Gallorum manus, quæ Canuſio ad incertam ſpem prædæ fortè exierat, hoſtibus feſſis: & in abigendo pecore occupatis occurriſſet. Improuiſo enim ſuperuentu hoſtium Hiſpani nequicquam expedire arma, componereq; ordines & repugnare conati, præda omni captiuisque relictis, in fugam ſe dederunt. Iouius in Camillo.

### PAVCITATE. AVXILIA, VIRES DISSIMVLANDO. EXERCITVM minorem ſimulando.

AGATHOCLES in Africa filio Archagatho ſuppetias ferre uolens, bellum quod in inſula gerebatur adminiſtrandũ ducibus Leptinenſib. cõmittit: ipſe adornatis nauibus XVII nauigandi oportunitatem expectat, Carthaginenſib. cũ 30 nauibus inſequentibus. Eodem ſanè tempore ex Tyrrhenia octodecim ei naues auxiliares appulerunt, ac noctu clàm Carthaginenſib. in portum Syracuſanum delatæ ſunt. Agathocles hanc rei gerendæ occaſionẽ nactus, ſocios ut ſe tãtiſper contineant monet, dum egreſſus Carthaginenſes ad perſequendum pelliciat. Ipſe, quemadmodũ conuenerat, ex portu cũ XIIX nauibus cõfeſtim ſoluit: hoſtes perſequuntur. Agathocles ubi Tyrrhenos portũ reliquiſſe uidet, extẽplò naues conuertit, & inſtructa acie cũ barbaris nauali pręlio dimicat. Carthaginenſes ob rei nouitatem, & quòd triremes eorũ in medio hoſtiũ deprehendebãtur, attoniti terga dant. Græci quinq; nauib. cũ ipſis hominib. potiuntur: ipſe hoſtiũ dux iamiam capienda prætoria naue ſibiipſi manus infert, mortem ſeruitute imminente potiorem ducens. Itaq; Agathocles nunquã ſe Carthaginenſib. in mari ſuperiorẽ fore ſperans, præter omniũ opinionem eos nauali pugna deuicit, ac in poſterũ imperium maris obtinens, mercatoribus ſecurum iter reddidit. Diod. lib. 20.

CHABRIAS, cùm naues Laconicæ ſpeculatrices duodecim appuliſſent, neque ampliùs auderent ſoluere: ſic eas, ut ſoluerent elicuit. Naues duodecim binas & binas coniunxit, duarum uela in unã contrahens. Hoſtes iis contemtis, quaſi aduerſus ſex, ipſi cum duodecim ſoluerunt. Quibus in mare progreſſis, Chabrias, uelis ſublatis, ſcaphas diſiunctas immiſit, & dimidias hoſtium naues unà cùm ipſis hominibus cepit. Polyænus lib. 3.

IPHICRATES, ſi plures hoſtibus milites haberet, & hoc ab hoſtibus ignorari uellet, ut eos paucitatem contemnentes ac nihili pendentes caperet: unum lectum duos milites iuſſit facere, & in eo uiciſſim requieſcere, atque arma altera alteris imponere. Sin paucos haberet, ne contemnerentur, unum militem duo ſtrata iuſſit facere, atque ſtatim in alium locum traduxit. Hoſtibus uerò ſtrata uidentibus, & multitudinem admirantibus tum demùm prælium committebat. Ibidem.

CLEANDRIDAS cũ Leucanis bellum gerens, cùm eos ſuperaret dimidia multitudine, ratus ſi hoſtibus innoteſceret tãta multitudo, eos receſſuros ex periculo, phalangem in profunditatem deduxit. Cùm autem Leucani (Lycaones uocat Frontinus) tanquã paucos contemnentes in longũ extenderent ordines, atq; includere eos conarentur, ſibiq; reditum intercluſiſſent, ad dextrum latus extenta phalange: mandauit ut epiſtatæ ad aſtitem tranſirent, & acie multo longiùs inſtructa circũdedit & incluſit Leucanos. Qui intercepti in medio, & undiq; proſtrati, omnes perierunt: exceptis paucis, qui fugam capeſſentes, turpiter euaſerunt. Polyæn. lib. 2. Front. lib. 2. c. 3.

ALCETAS Lacedæmonius, ut Thebanorum cõmeatum faciliùs ex inopinato aggrederetur, in occulto paratis nauibus tanquã unam omnino haberet triremem, uicibus in eam remigem exercebat. Quodam deinde tempore omnes naues Thebanos tranſnauigantes immiſit, & cõmeatib. eorum potitus eſt. Front. lib. 4. c. 7.

THRASYLLVS, ut paucas triremes habere hoſtibus uideretur, iuſſit, ut nautæ duas naues in unam redigerent, & alterius uela tollerent. Hinc ad iugum efficiendum, funiculis aſtringerent currenti eam, quæ iuxtà curreret, ne alterius uela in ſublimi eminerent. Hoc pacto dimidiam partem nauium occultauit. Polyænus lib. 1.

MEMNON Rhodius nauali prælio, cùm haberet CC nauium claſſem, & hoſtium naues elicere ad prælium uellet, ita ordinauit ſuos, ut paucarum nauium malos erigerent, easque primas agi iuberẽt. Hoſtes procul conſpicati numerum arborum, & ex eo nauium quoque coniectantes, obtulerunt ſe certamini, & à pluribus occupati ſuperatiq; ſunt. Frontinus lib. 2. c. 5.

DIOTIMVS, cũ decem nauibus obuiã ibat Lacedæmoniis, totidem naues habentibus. Hi non audebant confligere, peritiam Atticarum metuentes. Ille, remigio demto, binas inter ſe coniunxit: uniusq; ſolùm uelis ſublatis, in pelagus ſoluebat. Lacedæmonij quinq; uelis apparentib. quinq; duntaxat naues eſſe ſuſpicati, contemta paucitate, adnauigabant. Diotimus ſolutis uinculis: ſe conuertit, & in aduerſarios impetum cũ decem nauibus fecit: & uſus Attica ſciẽtia, ſex Lacedæmoniarum nauiũ ſubmerſit, reliquas quatuor unà cũ hominibus cepit. Polyæn. lib. 5.

ALCIBIADES, cõtra Mindarũ Spartanũ & Pharnabazũ, qui Cyzici conuenerant, claſſe pugnaturus, ueritus, ne conſpecta nauium ſuarũ multitudine refugerent in terrã: ducibus iuſſis, ut lentiùs nauigantes ſequerẽtur à tergo, oſtendit ſe cũ nauibus quadraginta, hoſtesq; laceſſiuit. Poſtquam ludificati contemta paucitate, quaſi cũ his ſolũ futurũ ſibi certamen eſſet, atq; ita infeſti in Alcibiadem iuerunt: cõfeſtim coorti in pugnã manus conſeruêre. At ut reliquę in dimicãtes iam intulerunt ſe, perculſi terga dederũt. Multis interfectis ſpoliatisq;, naues omnes ceperunt: Cyzico etiam capto, nõ

Helleſpontũ modò cõfirmauerunt ſibi, uerùm etiã mari ui expulère Lacedæmonios. Interceperunt ſcriptas Laconicè de hac clade ad Ephoros literas: Effluxerunt præclaræ res, Mindarus interiit, eſuriunt milites, hæremus, quid faciendũ ſit. Plut. in Alcibiade.

Cùm Galli ſecundò Romam petentes, XII anno poſt Romam captam, haud procul urbe conſediſſent ad fluuium Anienẽ, & eſſent caſtra grauia ac referta omnis generis præda: Camillus V. Dictator metatus eſt caſtra in molli tumulo, multisq; partibus cauo, ut maxima pars exercitus extra conſpectum eſſet: qui autem conſpiciebantur, ex trepidatione uiderentur in locum arduum ſe contraxiſſe. Eam Gallorum opinionem ut cõfirmaret Camillus, cùm ſub oculis ſuis agros uaſtarent, non arcebat, ſed caſtris munitis continebat ſe, dũ Gallos partim ad populãdum effuſos, partim, qui in caſtris remanſerant, epulis uinoq; largo diem noctibus continuantes, cernit. Ibi ante lucem præmiſſa leui armatura (quæ, ut ne inſtrui poſſet acies, impediret perturbaretq;, ſubitò impetu in eos facto) grauiorem armaturam deduxit ſummo mane, ac planis inſtruxit. Quorũ numerus & alacritas ubi Barbaris, qui eſſe paucos putabant & trepidos, præter expectationem conſpecta eſt: conciderunt animis ex eo primùm, quòd contemni ſe, cùm inuaderentur, exiſtimarent. Conſerta inde pugna clade affecti ſunt Galli maxima. Plut. in Camillo, & Polyænus lib. 1.

BARA (aliis Larta) dux Pœnorũ in Sicilia, Lilybæum Rom. terra mariq; obſidentibus, partem claſſis ſuæ procul armatam iuſſit oſtendi. Ad eius conſpectum cùm euolaſſent Romani, ipſe reliquis, quas in occulto tenuerat, nauibus, Lilybæi portum occupauit. Front. lib. 3. c. 10.

HANNIBAL (cùm inter Fabium dictatorẽ & Minutium magiſtrum equitum diuiſus eſſet exercitus, & Fabius occaſionibus immineret, Minutius pugnandi cupiditate flagraret) caſtra in campo, qui medius inter hoſtes erat, expoſuit. Et cùm partem peditum in confragoſis rupibus cælaſſet, ipſe ad euocandũ hoſtem miſit, qui proximum tumulum occuparẽt. Ad quos opprimendos cũ eduxiſſet copias Minutius, inſidiatores ab Hannibale diſpoſiti, ſubitò conſurrexerunt: & deleuiſſent Minutij exercitum, niſi Fabius periclitantib. ſubueniſſet. Frontinus lib. 2. c. 5.

IDEM, cùm exploraſſet negligenter caſtra Fuluij Rom. ducis munita, ipſum præterea multa temerè audere, prima luce, cùm denſiores nebulæ præſtarent obſcuritatem, paucos milites munitionum Rom. uigilibus oſtendit. Quo Fuluius repentè mouit exercitum. Hannibal per diuerſam partẽ caſtra eius occupauit: & ita in tergum Romanorum effuſus, octo millia fortiſſimorum militum cum ipſo duce trucidauit. Frontinus lib. 2. c. 5.

CAIVS Carthaginenſib. apud Tyndaridẽ appellentibus cum nauibus octoginta, ipſe ducẽtas habens triremes, cũ hoſtes multitudinẽ nauium ueriti, non ad pugnã ſoluerent, centũ triremiũ uelis collectis, reliqua ritè adaptauit, ac ſoluit. Carthaginenſes pares naues eſſe multitudini apparẽtium uelorum arbitrati, ſumta fiducia periculum adierunt. Caius cum multis aduerſus paucas conflictu facto, nullo negotio ſuperauit. Polyænus lib. 8.

Cùm alterum Italiæ latus Hannibal laceraret, alterũ inuaſiſſet Haſdrubal, ne duorũ fratrum iunctæ copiæ intolerabili onere feſſas ſimul res Romanas urgerent, hinc Cl. Neronis uegetum conſilium, illinc Liuij Salinatoris inclyta prouidentia effecit. NERO enim cõpreſſo à ſe in Lucanis Hannibale, præſentiam ſuam (quoniam ita ratio belli deſiderabat) mentitus hoſti, ad opem ferendã collegæ per longum iter celeritate mira tetendit. Salinator in Vmbria apud Metaurum flumen proximo die dimicaturus, ſumma cum diſſimulatione Neronem caſtris noctu recepit. Tribunos enim à tribunis, cẽturiones à cẽturionibus, equites ab equitibus, pedites à peditib. excipi iuſſit: ac ſine ulla tumultuatione, ſolo uix unum exercitum capiente, alterum inſeruit. Quo euenit, ne Haſdrubal cum duobus ſe conſulibus prçliaturũ priùs ſciret, quàm utriuſq; uirtute proſterneretur. Ita illa toto terrarũ orbe infamis Punica calliditas, Romana eluſa prudentia, Hannibalem Neroni, Haſdrubalem Salinatori decipiendum tradidit. Val. Max. lib. 7. c. 4.

ROMANI, qui in præſidio Panormitanorum erant, ueniente ad obſidionem Haſdrubale, raros ex induſtria in muris poſuerunt defenſores. Quorum paucitate contemta, cùm incautus muris ſuccederet Haſdrubal, eruptione facta cçciderunt eum. Front. lib. 3. c. 17.

C. IVL. Cæſar ſeptẽ millia ducens in exercitu, bellum Gallis inferebat. Is uolens opinionẽ hoſtibus facere, pauciores etiã ſe his habere, uallum anguſtiſſimè iuſſit muniri. Ipſe uerò cũ pluribus militibus, locum ſublimẽ aſperũq; interim occupauit, ibiq; latuit. Procedebant equites pauci extra uallum, & Barbaros laceſſebant. Illi, deſpecta paucitate equitũ, ad uallum accedebant. Alij foſſas obruere, alij aggeres reuellere. Interea cùm ſignum tuba ceciniſſet, ſimul eruptionem fecerunt è uallo integri pedites, eque ſuperiori loco cũ Cæſare equites à tergo, ut Barbari in medio intercepti, plurimos ex ſuis amitterent. Polyæn. lib. 8.

ERICVS Diſertus, Frothonis regis claſſem ramis arborũ occultans, Sclauos in inſidias pertraxit. Saxo lib. 5.

NICOLAVS Piſanus Venetus in Caralitano Sardiniæ inſulæ ſinu cũ Antonio Grimaldo, Genuẽſiũ imperatore cõgreſſus, die pugnæ dicto, Ioanni Sanuto mandauit, ut decẽ cũ nauibus de induſtria abſcedere uideretur longiùs (quod à Genuenſibus ipſis conſpici facilè potuit) cæterùm ut in occulto agens in ipſo pugnç ardore inſtructus prçſtò adeſſet. Pugna cõmiſſa, ſuperueniẽte ex improuiſo Sanuto, Genuenſes memorabili acie ſunt uicti, Grimaldus uix euaſit, uniuerſa ferè claſſe aut capta, aut ſubmerſa. Fuit ea pugna Genuẽſib. adeò infauſta, ut tunc primùm libertatẽ ſuam Vicecomiti præſuli Mediolanenſi tradiderint. Egnat. lib. 7. c. 4.

Mahometus II. capta Cõſtantinopoli, claſſem ingentẽ ad Callipolim cõparabat, in qua una ſpem unam inuadendç Italiæ repoſuerat. PETRVS Lauretanus Venetæ claſſis imperator eò profectus, cum paucis nauibus, ſæpiùs Callipolim inuiſens, ut Turcam ipſum in certamen traheret: tandem id aſſecutus eſt, ut inſtructiſſimus Turcarum prçfectus ad eum uenire propoſuerit. Petrus inſtructam reliquam claſſem prçcepit ſe ſequi: ita tamẽ, ut Turcç rem intelligere nõ poſſent. Prælio inito quum paulatim reliquæ naues adueniſſent, ueritus Turcarum præfectus, ne plures multo conuolarent, in fugam uertitur: uniuerſa claſſis Turcica tum primùm aut capta aut diſiecta eſt, abrupta ſpe Italiæ inuadendæ. Ob eã uictoriã Kalendç Iuliæ celebres & ſacræ Veneris in hunc uſq; diẽ habentur: tametſi & Carrariẽſis principis clade inſignis, & Andreæ Contareni ducis in urbẽ aduentu, poſt receptam Clodiam, grata memoria celebretur. Egnatius libro ſeptimo, capite 4.

MARTINVS Roſſemius, Gulielmi Geldrorum & Cliuiæ ducis copiarum ductor, imminebat Antuerpiæ. Renatus Aurantius, Antuerpienſibus opẽ laturus, domo profectus erat. Vtriſque ad Briſcotum arcem uia erat, ſeptem millium ſpacio Antuerpia diſtantem. Roſſemius ueterani exercitus robore prior eò uenit, & quia propter apertam planiciem Aurantio iuueni pugnandi cupido inſidias nectere non poterat, inepta ad id quod perfici poſſet regionis ſoliq; natura, cõmentum nouitate mirabile à ſolerti ingenio deſumit. Legiones enim toto campo pronis pectorib. procumbere iubet, & equitatum, cui præerat Longaualles ipſius Cliuienſis equitũ magiſter, ad aduerſam çaſtelli partẽ diligenter occultat: duabus tantùm turmis uia militari præmiſſis, ala que demùm una grauis armaturæ conſtituta inter raras ac humiles arbuſculas, quæ ſub oppido ad amœnitatẽ conſitç, otioſis tenuẽ umbrã parabant. Ductabat Belgas equites uir impiger, nomine Libertus. Haud magno ſpacio ante peditatũ prouectus, quũ raram & exiguã apud hoſtes equitũ manũ, ac inter arbuſculas nõ multos equites & pedites uerſari conſpiceret, antecurſores tantùm adueniſſe, grauioraq; agmina tardiùs ſequi ratus, & profligari poſſe paucos, & caſtellũ præoccupari facilè iudicauit. Nec mora, à plurib. res ipſa, uti conſpecta iudicataq; fuerat, ad Aurantiũ defertur. Is cohortes ad properandũ cohortationib. incitabat. Libertus extẽplò cũ galeatis equitib. ad inuadendos hoſtes procurrit. Roſſemiani primũ impetũ fortiter excipiũt. Sed mox, uti fuerat imperatũ, dant terga tanquã impares. Cæterũ in fugã coniectis, extẽplò fert opem ala grauis armaturæ, quæ inter arbores conſtiterat, editurq; inſignis pugna. Creſcentib. uerò Belgis, Roſſemiani partim conſilio, partim neceſſitate atque impetu urgentis hoſtis, laxatis habenis longiſſimè fugiunt, eodemq; curſu Belgæ intẽperanter terga cçdentes ad arbuſcula pertrahuntur: eas enim Roſſemius haſtatis hoſtiũ cataphractis magno impedimẽto futuras antè prouiderat. Feſtinabat Aurantius cũ peditatu, ut uictoriæ equitum intereſſet: quũ Roſſemio, legiones ueluti nouo miraculo terra editæ, repentè proſiliunt, attolluntur uexilla, tympana crepitant, & quo maximè terreri hoſtis potuit, erectarum haſtarum ingens ſylua conſpicitur, prodeuntq; ſimul cũ Longaualle equites ex inſidiis, & in terga lateraq; hoſtium alas recuruãt. Tum uerò Belgæ perterriti, ac indagine ueluti incluſi, neq; uirib. neq; animis pares, undiq; profligantur. Libertus temeritatis dat pœnas, & capitur: cohortes, ne tentato quidem certamine, ad terram arma proiiciunt. Aurantius ipſe, quum inter confertos hoſtes uerſaretur, erumpente equo fuga elapſus, certum ſuæ cladis nuncium Antuerpiam tulit. Sabel. ſupplementum lib. 25.

## IMBECILLITATE, IGNAVIA, QVIETE, SECVRITATE ſimulata.

BACCHVS, ſubactis Indis, ipſos Indos & Amazones in agmine auxilij cauſa ducens, impreſſionem in Bactriorum terrã fecit. Terminat autem Bactriam fluuius Saranges. Bactrij montes ſupra flumen poſitos occupabant, ut in Bacchũ, flumen traiicientem, deſuper impetum facerent. At ille, poſitis ad fluuium caſtris, Amazonas & Bacchas tranſire iuſſit, ut Bactrij, contemtis mulieribus, à montibus deſcenderent. Atque his traiicientibus illi deſcendebant, & appropinquantes flumini, prohibere eas conabantur. Quibus pedem referentibus, Bactrij uſq; ad ripam perſequebantur. Tum Bacchus eductis contra eos uiris, impeditos flumine Bactrios occidit, & ſine periculo traiecit. Polyænus lib. 1.

ALCIBIADES habens quendam Catanenſem ſibi fidelem, Syracuſiis notum, miſit eum Syracuſas, tanquam à Catanẽſibus miſſum, cum quibus amicitia ac ſocietas eis intercedebat, quorum nomina tenerent: & ſic nunciauit, Athenienſes relictis caſtris inermes Catanæ uerſari. Quòd ſi ipſi ſummo mane caſtra Athenienſium caperent, poſſe illos in urbe clauſos & inermes nullo negotio opprimi. Crediderunt Syracuſiorum duces, & præceperunt, ut uiritim Catanam uerſus exirent: atque appropinquantes ad Symæthium fluuium caſtra poſuerunt. Alcibiades cùm ſenſiſſet eos aduentare, triremibus inſtructis, ſummo ſtudio ad urbem Syracuſiorum contendit liberè & nemine prohibente, eorumque propugnaculum ab latere conuulſum diripuit. Polyænus libro primo.

NVMANTINI obſeſſi, ne pro uallo quidem inſtruxerunt aciem: adeoque ſe continuerunt, ut Popilio Lænati fiducia fieret ſcalis oppidum aggrediendi. Quo deinde ſuſpicante inſidias (quia ne tunc quidem obſiſtebatur) ac ſuos reuocãte, eruptione facta auerſos & decedentes adorti ſunt. Frontinus lib. 3. c. 17.

ASCVLANI oppugnaturi oppidum Pompeij, cùm paucos ſenes ægros in muris oſtendiſſent, ob id ſecuros Romanos eruptione facta fugauerunt. Idem.

Valdemari regis Danorum auſpiciis alterum Sclauiç latus Dani inuaſerant, alterum Saxones. Cumq; Saxonum pabulatores Sclaui per inſidias intere miſſent: EQVITES militiæ inſignibus occultatis, loricisq; familiari ac ſordida ueſte tectis, pabulantium more fruges metere aggreſſi, Sclauos Nucleto duce ad ſe opprimendum ex abdito prouolantes, ocyùs aſcenſis equis, falcesq; gladiis mutãtes, trucidauerũt. Caput Nucleti abſciſſum ac pilo ſuffixũ, ſicq; in caſtra perlatum, gratum utriuſq; exercitus oculis ſpectaculum præbuit. Quod cùm filio eius Priſzlauo (qui ad Danos, Chriſtiani ritus amore, tranſierat, & Valdemari ſororem duxerat) cœnitanti nunciatum fuiſſet, aliquantiſper manum ab eſcis retractam demiſſo capiti ſubiiciens, Dei contemtorem ſic interire par eſſe, dixit: reuocatoq; à cogitatione animo, conſuetam oris ac mentis hilaritatem exhibuit. Saxo lib. 14.

## METV SIMVLATO.

IPHICRATES, Abydenis bellum inferens, cùm eſſet in Cherroneſo, locum quendam occupatum muro cinxit, ſimulans ſe metuere Anaxibium Lacedæmonium. Abydeni uidentes eum ædificare murum, ut timidum contemſerunt: & è ciuitate progreſſi, regioni ſe committere audebant. Iphicrates conſpicatus diſſolutos, noctu partem exercitus in Abydenorum terram inducẽs, & agros ipſorum incurſionibus infeſtans, magno numero hominum & pecuniarum potitus eſt. Polyænus lib. 3.

TITVRIVS Sabinus aduerſus Gallorum amplum exercitum, continendo militem iuxta munimenta, præſtitit eis ſuſpicionem metuentis. Cuius augendæ cauſa perfugam miſit, qui affirmaret exercitum Romanum in deſperatione eſſe, ac fugam cogitare. Barbari oblata uictoriæ ſpe concitati, lignis ſarmentisque curſu caſtra Rom. in colle poſita petiuerunt. Vnde in eos Titurius uniuerſas immiſit copias, multiſque Gallorum cæſis plurimos in deditionem accepit. Frontinus lib. 3. c. 17.

C. IVL. Cæſar exercitum in Gallia in hyberna diuiſerat, & in Italiam diſceſſerat. Itaq; omnis de integro conflagrauit bello Gallia. Maxima manus & ualidiſſima rebellantium duce Ambiorige Cottam & Titurium cum exercitu deleuere. Legionem, cui Q. Cicero præerat, LX millibus militum arctẽ obſederunt oppugnaueruntq;, ſauciisq; omnibus atque animi alacritate magis quàm uiribus propugnantibus penè expugnauerunt. Cæſar contractis in totum ſeptem millibus militum accelerauit ad eximendum obſidione Ciceronem. Ludificans autem obſidentes, cedit perpetuò, dum loca idonea pugnanti paucis contra multos occupat. Ibi caſtra munit, ſuos omni pugna abſtinet. Vallum altius educi, portas obſtrui timoris ſimulatione imperat: id agens, ut contemnãtur ſui, quouſq; caſtra diſperſa ex ferocia ponentes infeſto exercitu adortus fudit, & magna ex parte deleuit. Plut. in Cçſare, & Front. lib. 3. c. 17.

IDEM & Pompeius in Theſſalia, hic quidem fugiendo pugnabat, ſummam copiam habens rerum neceſſariarum: ille cogitans loco mouere ad comparandum frumentũ, manipulos ſuperabat. Pompeiani quaſi metu fugientes inſecuti, magna ſunt affecti clade. Polyæn. lib. 8.

T. LABIENVS C. Cæſaris legatus aduerſus Gallos, ante aduentum Germanorum, quos auxilio his uenturos ſciebat, confligere cupiens, diffidentiam ſimulauit: poſitisq; in diuerſa ripa caſtris, profectionem edixit in poſterum diem. Galli credentes eum fugere, flumen, quod medium erat, inſtituerunt tranſmittere. Labienus circumacto exercitu, inter ipſas ſuperandi amnis difficultates, eos cçcidit. Frontinus lib. 2. cap. 5.

IOANNES Zimiſca Imperator, commiſſa cum Roſſis pugna, ſentiens loci anguſtiam uirtuti ſuorum obſtare: retrò in planiciem fugienti ſimilis ſenſim ceſſit, & hoſtem longè ab urbe auocatum, ſubitò equis conuerſis aggreſſus, magna affecit ſtrage. Cedrenus.

Bellò, quod geſſit HERACLIVS Imp. cum Coſrois Perſarum regis ducibus, duo Romani ad Perſas transfugientes, iis perſuadent, Romanis fugæ cauſam eſſe metum. Fidem transfugarum ſermoni haberes, in propinquo caſtra poſuerunt, ut prima luce manum conſererent. Heraclius motis ſub ueſperam caſtris, per totam noctem iter fecit: proculq; ab hoſtib. in campum uirentem progreſſus, ibi caſtra poſuit. Quẽ barbari præ metu fugiſſe rati, confuſo agmine perſequuti ſunt. Heraclius autem iis occurrit, pugnaq; commiſſa diuinitùs adiutus eos fudit: inſecutisq; per conualles magnam ſtragem hoſtium edidit. Idem.

Mahometes II. Turcorũ Imp. Belgradi muros deiecerat, & per ruinas Ianizaros immittebat. Io. HVNIADES muris ſimulato metu relictis, acie inſtructa clam eorum ingreſſum expectans, ubi ſecurè ingreſſos uidit, dato repentè ſigno eos diſperſos oppreſſit, anno Salut. 1456. Idibus Iunij. Chalcocondylas libro 8.

## ABITV SIMVLATO.

ALCIBIADES adnauigans hoſtili ſolo, noctu milites egredi iuſſit: & diẽ expectans, hoſtibus non exeuntibus, poſitis inſidiis, tabernacula incendit, & abnauigauit. Qui in urbe erãt, cũ eum ſoluiſſe cernerent, collectis animis procedebant, & per terram undiq; ſpargebantur. Inſidiatores conſurgentes ceperunt non paucos homines, prædamq; copioſam. Alcibiades cum nauib. reuerſus, aſſumtis tum captis, tum iis, qui ceperant, abnauigauit. Polyænus lib. 1.

## FVGA SIMVLATA.

IOSVE inſidiis poſitis iuxta ciuitatẽ Hai, & fugam ſimulans, hoſtes erumpentes cçcidit, & urbem cepit. Ioſue 8.

ISRAELITÆ pugnantes contra Beniamitas, fugam ſimulantes, eos à ciuitate extraxerunt, & deleuerunt. Iud. 20.

HERCVLES naui uectus ad Troiam, ipſe quidem egreſſus eſt, ut in terra pugnaret: gubernatoribus uerò mandauit, ut naues in altum traherent. Peditibus igitur fugam ſimulantibus, equites Troianorum ad naues curſum incitarunt, non tamen capere nauigia ſupra mare fluctuantia potuerunt. Eos Hercules inſecutus, ad unum omnes trucidauit in litore, cùm fugiendi per mare non eſſet poteſtas. Polyænus libro 1.

TOMYRIS Scytharum regina, Cyrum Perſarum ducẽ, æquo marte certantem, ſimulato metu elicuit ad notas militi ſuo anguſtias: atq; ibi repentè conuerſo agmine, natura loci adiuta, deuicit. Herodotus.

AEGYPTII conflicturi acie in iis campis quibus iunctæ paludes erant, alga eas contexerunt, commiſſoque prælio fugam ſimulantes, in inſidias hoſtes uocauerunt. Qui rapidius uecti per ignota loca, limo inhærentes, circumuenti ſunt. Polyænus.

GORGIAS equitatum ducens, pugnam cum Phœbida ſcutatos habente parabat. Locus erat anguſtus admodum. Gorgias ſimulans fugere ſcutatos, receſſit. Hoſtibus autem incumbentib. pertraxit eos in latam & explicatam planiciẽ. Ibi Gorgias galeam in haſta protendens, ſignum dedit ſuis reuertendi. Cùm uerò in latiore loco equitatus ſe conuertiſſet, impreſſionem equitum non ferentes ſcutati, conuerſim ad Theſpias fugam dederunt: unde factum eſt, ut illi inter fugiendum caderent. Phœbidas uerò confeſtim arrepta fuga, euaſit. Polyænus lib. 2.

ALCIBIADES dux Athenienſium in Helleſponto aduerſus Lacedæmonios, cùm amplum exercitũ & plures naues haberet: nocte expoſitis in terram quibuſdam militum ſuorũ, parte quoq; nauium poſt quædam promõtoria occultata, ipſe cum paucis profectus, ita ut contemtu ſui hoſtem inuitaret, eundem inſequentem fugit, donec in præparatas inſidias perduceret: auerſum deinde, & egredientem in terram, per eos quos ad hoc ipſum expoſuerat cçcidit. Frontinus libro 2. cap. 5.

AGE-

AGESILAVS, ex aduerſo ſedentibus Lacedæmoniis & Thebanis, medium intercipiente fluuio, cùm uideret Lacedæmonios Eurotam cupere tranſire: metuens plures Thebanos cum ſociis, nuncios emiſit, qui rumorem diuulgarent, oraculum prodidiſſe, eos, qui primi fluuium tranſiſſent occubituros. Ita prope fluuium retentis Lacedæmoniis, paucos relinquens ſocios, mandauit, ut Thebanis fluuium traiicientibus, ipſi celerrimè fugam arriperent: & alios quoſdam in locis concauis ad agendas inſidias abſcondit: ipſos uerò milites in munitum & aſperum locū ductos, collocauit. Thebani paucitatem eorum, qui relicti erant animaduertentes, animos ſumſerunt, ac traiecerunt: & dum fugientes inſequuntur, in inſidias incidunt, & interficiuntur ſexcenti. Polyænus lib. 2.

PHILIPPVS rex, in Chæronea commiſſo cum Athenienſibus prælio cedens, quaſi ad fugam inclinabat. Dux Athenienſium Stratocles exclamans: In Macedoniam uſque perſequendos, nihil à perſequendo remiſit. Philippus inquiens, Neſciunt Athenienſes uincere: contractam habens phalangem, pedetentim receſſit: & cùm excelſiora loca occupaſſet, militibus confirmatis reuerſus, Athenienſes cæcidit. Polyænus lib. 4.

ONOMARCHVS, cùm aciem aduerſus Macedones inſtrueret, montem obliquum poſt tergum occupans, & in cacuminibus utrinq; abſcondens ſaxa, ſaxorumq; iactores, produxit exercitum in ſubiectam planiciem. Cùm Macedones impetentes iacularentur, Phocenſes ſimulata fuga ad medium montem ſe recipiunt. Macedones incitati furore ac robore, inſequebantur. At illi de iugis ſaxa deiicientes, phalangem Macedonicam conterrebant. Tum Onomarchus Phocenſibus ſignum dat, ut reuertantur, & in hoſtes incurſionē faciant. At Macedones, poſterioribus in ſe impetum dantibus, ſuperioribus lapides proiicientibus, magno negotio uix fugientes diſceſſerunt. In ipſa fuga regem Macedonum Philippum dixiſſe ferunt: Non fugerunt, ſed receſſerūt, quēadmodum arietes, ut ſecundò uehementiorem impreſſionem facerent. Polyænus lib. 2.

Veientes latrocinantium more Rom. agrum uaſtabant, nec tamē congreſſum Romanorū expectabant. M. Fabius Conſul ad reprimēdos latrones cū quaternis millib. Fabiis ad Cremeram fluuiū proceſſit. Ibi creſcente aſſiduis ſucceſſibus Fabiorum audacia, VEIENTES ſæpiùs ſimulato metu ad urbem refugêre: eaq; ludificatione Fabiis perſuaſum fuit, nullo tēpore locóue ſua arma ab hoſte ſuſtineri poſſe ampliùs: peperitq; ea perſuaſio contemtum & negligētiam, adeò ut pecora de induſtria ex oppido, haud procul ab Cremera in pabulum propulſa intuiti, inexploratò uelut ad certam prędam decurrētes, in inſidias à Veientibus poſitas inciderint. Qui circumuenti ab hoſtibus, quum telis obruerentur, per medios hoſtes ſibi facta uia in collem difficulter euaſerunt. At cùm Veiens uerticem collis occuparet, & Fabios inferiori loco conſtitutos telis ſubinde impeteret, omnes ad unum cæſi fuerunt. Sab. lib. 1. En. 3.

HANNIBAL, cùm ad Trebiam in conſpectu haberet Sempronij Longi Coſs. caſtra, medio amne interfluente, ſæuiſſima hyeme Magonem & electos in inſidiis poſuit. Deinde Numidas equites, ad eliciendam Sempronij credulitatem, adequitare uallo eius iuſſit: quibus præceperat, ut ad primum Rom. incurſum per nota refugerent uada. Hos conſul adortus temerè, & ſecutus, ieiunum exercitum in maximo frigore tranſitu fluminis rigere fecit. Mox torpore & inedia affectis, Hannibal ſuum militem oppoſuit, quem ignibus, oleoque & cibo fouerat. Nec defuit partibus Mago, qui terga hoſtium in hoc ordinatus cæderet. Frontinus libro ſecundo, cap. 5.

IDEM ad Thraſimenum, cùm arcta quædam uia in radices montis & campos patentes duceret, ſimulata fuga per anguſtias ad patentia euaſit, ibique caſtra poſuit: ac nocte diſpoſitis militibus, & per collem, qui imminebat, & in lateribus anguſtiarum prima luce, nebula quoq; adiutus, aciem direxit. Flaminius uelut fugientem inſequens, cū anguſtias eſſet ingreſſus, non antè prouidit inſidias, quàm ſimul à frōte, lateribus, tergo circumfuſus, ad internecionem cum exercitu cæderetur. Ibidem.

IDEM, ut Saguntinos eliceret, rara acie ad muros accedēs, ad primam eruptionem oppidanorum ſimulata fuga ceſſit: interpoſito exercitu, ab oppido intercluſos hoſtes à ſuis in medio trucidauit. Frontinus lib. 3. c. 10.

HIMILCO ſiue Hamilcar Carthaginenſis, apud Agrigentum iuxta oppidum partem copiarum in inſidiis poſuit: præcepitq; his, ut cū proceſſiſſent oppidani, ligna humida incenderent: deinde cum reliqua parte exercitus luce ad eliciendos hoſtes progreſſus, ſimulata fuga, perſequentes oppidanos longiùs cedendo protraxit: inſidiatores prope mœnia imperatum ignem acerbum ſubiecerunt. Vnde obortū contemplati fumum Agrigentini, incenſam ciuitatem ſuam exiſtimauerunt: defendendæq; eius gratia, dum trepidè recurrunt, obuiis eis, qui inſidiati iuxta muros erant, & à tergo inſtantibus, quos perſecuti fuerant, in medio trucidati ſunt. Frontinus lib. 3. c. 10. & Polyænus lib. 5.

CARTHAGINENSES bellum cum Hierone gerentes, noctu adnauigauerunt Meſſanæ. Prope urbem Agrigentini in portu naues ſuas habebant. Magna triremium & turbinatarum nauium copia in oſtio ſubducta ſtabat, reliquæ cuſtodiam agebant. Dux Carthaginenſium trierarcho præcipit, ut ad oſtium portus appropinquet, & ſi hoſtiles ad eas perſequendas ſoluant, altum fuga petat. Trierarchus appropinquat oſtio. Agrigentini exploratorem eſſe rati, nauim ſumma contentione perſequuntur. Interea Carthaginēſes cum reliquis nauibus in portum adnauigantes, triremes uacuas incenderunt, onerariarum uerò magnam uim extraxerunt. Polyænus lib. 6.

Q. FABIVS Maximus Coſs. auxilio Sutrinis miſſus aduerſus Hetruſcos, omnes hoſtium copias in ſe conuertit: deinde ſimulato timore, in ſuperiora loca uelut fugiens receſſit, effuſeq; ſubeuntes aggreſſus, non aciem tantùm ſuperauit, ſed etiam caſtris exuit. Frontinus lib. 2. c. 5.

SEMPRONIVS Gracchus aduerſus Celtiberos metu ſimulato, continuit exercitum: emiſſa deinde armatura leui, quæ hoſtem laceſſeret, ac ſtatim pedem referret, euocauit hoſtē: deinde inordinatos aggreſſus, uſq; eo cecidit, ut etiā caſtra caperet. Ibidem.

M. CRASSVS bello fugitiuorum apud Catinā bina caſtra comminùs cum hoſtium caſtris uallauit: nocte deinde cōmunitis copiis, manente prætorio in maioribus caſtris, ut fallerētur hoſtes, ipſe omnes copias eduxit, & in radicibus prædicti montis conſtituit: diuiſoq; equitatu, præcepit L. Quintio partem Spartaco obiiceret, pugnaq; eum fruſtraretur: parte alia Gallos Germanoſque eliceret ad pugnam, & pugna ſimulata deduceret, ubi ipſe aciē inſtruxiſſet. Quos cùm Barbari inſequuti eſſent, equite recedente in cornua, ſubitò acies Romana ad aperta cum clamore cucurrit. XXXV millia armatorum eo prælio interfecta cum ipſis ducibus Liuius tradit, receptas quinq; Romanas aquilas, ſigna ſex & 20. multa ſpolia, inter quæ quinq; faſces cum ſecuribus. Frontinus lib. 2. c. 4. & 5.

C. CASSIVS in Syria aduerſus Parhos ducens aciem, equitē oſtendit à fronte, cùm à tergo peditē in confragoſo loco occultaſſet: dein cedente equitatu, & per nota ſe recipiente, in præparatas inſidias perduxit exercitum Parthorum, & cecidit. Frontinus.

VIRIATVS ex latrone dux Celtiberorum, cedere ſe Romanis equitibus ſimulans, uſq; ad locū uoraginoſum & præaltum eos perduxit. Et cùm ipſe per ſolidos ac notos ſibi trāſitus euaderet, Romanos ignaros locorum, immerſoſq; limo cecidit. Ibidem.

CN. POMPEIVS in Armenia contra Mithridatem, quia hoſtes & numero & equitatu præualebant, iuxta collem in anguſtiis tegere galeas (ne fulgore earum conſpicui fierent) iuſſit: equites deinde procedere, ac uelut prætendere peditibus: præcepitq; eis, ut ad primū impetū hoſtium refugerēt, & ſimulac ad pedites uentum eſſet, in latera diſcederēt. Hac ratione inuectos temerè hoſtes inopinato prælio cęcidit. Frontinus lib. 2. c. 3.

IDEM in Hiſpania, diſpoſitis antè, qui ex occulto aggrederentur, ſimulato metu, deduxit inſtantem hoſtem in loca infeſta: deinde ubi res poſtulauit, conuerſis & in fronte & utriſque lateribus ad internecionem cecidit, capto etiam duce Sertorianorum Perpenna. Frontinus libro tertio, capite decimoſeptimo.

Bello ciuili dum in Africa Curio tanquam fugientem SABORAM præfectum regis Iubæ perſequitur: deuectus in patentes campos, Numidarum circumuentus equitatu, cecidit. Frontinus lib. 2. c. 5.

VENTIDIVS, cùm Parthis fiduciam ex multitudine peditum uideret increſcere: ad latus caſtrorum XIIX. cohortes in obſcura ualle poſuit, equitatu poſt terga militum collocato. Tum paucos admodum milites in hoſtem miſit. Qui ubi ſimulata fuga hoſtem effusè ſequentem, ultra locum inſidiarum perduxêre, coorta à latere acie, præcipitatis in fugam his, Pharnaſtanem interfecit. Frontinus libro ſecundo, cap. 5.

Solent PERSÆ acie diſſoluta, fugaq; ſimulata, ſubitò conuerſi, eos, qui perſequuntur, cędere, & ſagittas à tergo emittere, mox in perſequentes inſurgere. Nicetas lib. 6.

IOANNES Comnenus Imp. Alexij F. Sozopolim Pamphyliæ urbē ſubacturus, quum & ob militū prȩſidium & ob loci naturā expugnatu difficilis uideretur: Pactiario cuidā, copiis equeſtribus traditis, mandat, ut ſubinde ad Sozopolis mœnia adequiter: hoſtibus egrediētibus, terga det, ad locū inſidiarum eliciat. Perſæ urbe effuſi, inſidiis non pręuiſis, dum inſtantiùs & longiùs, etiā inſidias temerè præteruecti perſequuntur, Romani ex inſidiis ſubitò conſurgunt, & fugiētes conuertuntur. Perſæ in medio circumuenti, quum nec ad urbē, ob Romanos ex inſidiis ad occupandos aditus progreſſos, accedere, neq; à tergo inſtātes effugere poſſent: partim capiuntur, partim occiduntur, pauci equorum celeritate euadunt. Sozopolis capitur. Nicetas.



Pertharitus Mediolani regno exutus à GRIMOALDO duce Beneuentano, in Franciam confugit. Eius miſericordia rex Francorum cōmotus, aduerſus Grimoaldum, maximum in Italiam militum numerum miſit. Aduerſus quos Grimoaldus progreſſus, commiſſo prælio fugam ſimulatā arripuit, ac quaſi trepidans caſtra omnibus rebus, ſed præcipuè uino, referta reliquit, ratus Francos opimæ prædæ intentos omnem rei militaris induſtriā remiſſuros. Neq; aliter, quàm putarat, euenit. Franci Grimoaldum uero metu ceſſiſſe arbitrati, caſtris opulentis potiti, ultrà hoſtem perſequuti non ſunt: uerùm per otium epulas inſtruxerunt, & cùm auidiùs cibo potuq; corpora ab omnibus hoſtium ſecuri inſidiis onerasſent, quieti ſe tradiderunt. Grimoaldus poſt ſecundam uigiliam, ſomno uinoque merſos adortus, tantam eorum ſtragem edidit, ut ne paucos tantùm reliquerit, qui nūcium cladis domum retulerint. Is locus non procul ab Haſta ab re ipſa Francorum eſt riuulus appellatus. Sigonius libro 2. regni Italici.

Anno Salutis 1476. TVRCÆ in Forum Iulij irruperant. Veneti ad Liſontium amnem duce Hieron. Nouello comite caſtra habebant. Homarbeius Boſſinæ Saniacus, Genuenſis apoſtata, intempeſta nocte ad mille lectos equites tacito agmine fluuium tranſnare iubet, atque intentos ſignum ad erūpendum expectare. Vbi illuxit, expeditiſſimam equitum alām ſuperato fluuio ad hoſtium caſtra mittit, & iniecto certamine cedendo ſenſim ad inſidiarum locum trahere iubet. Peragunt illi negotium impigrè. Dum hic totis uiribus Venetus hoſtem premit, ſtudetq; præſenti prælio defungi, dato repentè ſigno, Barbarorum manus ex inſidiis coorta, cū terrifico clamore & ſtrepitu in ſubiectam turmā effuſa, magna clade Venetos affecit. Sabellicus lib. 10. Dec. 3. & Iouius in uita Mahometi II.

### SEDITIONIS SIMVLATIONE.

MEMNON Rhodius rex, cùm equitatu pręualeret, & hoſtē in collibus ſe continentem in campos uellet deducere: quoſdam ex militibus ſuis ſub ſpecie perfugarum miſit in hoſtium caſtra, qui affirmarent, exercitum Memnonis iam perniciosa ſeditione furere, & ſubinde aliquam partem eius dilabi. Huic affirmationi ut fidem faceret, paſſim in conſpectu hoſtium iuſſit parua caſtella muniri, uelut in ea ſe recepturi eſſent, qui diffidebant. Hac perſuaſione ſollicitati, qui in montibus ſe continuerant, in plana deſcenderunt: & dum caſtella tentant, ab equitatu circumuēti ſunt. Frontinus lib. 2. c. 5. & Polyænus lib. 5.

Hannibalis partibus fauebant Nolani, & conſilium inierant, cùm feciſſent Romani eruptionem in hoſtes, impedimenta eorum diripiendi. Itaque in urbe cùm exercitum M. MARCELLVS inſtruxiſſet, impedimēta ſtatuit prope portas, uetuitq; edicto Nolanis muros adire. Nuſquam arma ex urbe apparebant, eaque re illexit Hannibalem, ut ad urbem, quaſi eſſent illic omnia tumultus plena, minùs compoſito agmine moueret. Ibi Marcellus proxima patefacta porta, uti prȩceperat, cum flore equitum in frontem irrumpens, confligit cum hoſtibus. Mox pedites ex altera porta cum clamore accurrunt. Et dum opponit his partē copiarum Hannibal, tertia reſeratur porta, ex quà reliqui erumpunt, atque omni ex parte inſtant trepidantibus re inopinata: nec ſatis ualidè reſiſtentibus his, quibuſcum manus conſeruerant, ob incurſum poſteriorum. Hic primùm milites Hannibalis ingenti pauore, multiſq; uulneribus ad caſtra uſq; impulſi, terga dederunt Romanis. Cecidiſſe dicuntur ampliùs quinq; millia: Ex Romanis non plùs quingentis deſiderati. Liuius lib. 23. & Plut. in Marcello.

### METVM PROPRII DAMNI EX

*Incendio.*

LEPTINES Carthaginenſibus ad ulteriorem Pachyni ripam nauigantibus, & in terram egredientibus, & prædam terra mariq; faciētibus, ſub noctem inſidiis collocatis, clàm equites aliquot præmiſſos iuſſit eorum ſtationes incendere. Carthaginenſes, igne conſpecto, accurrentes, ut quæ in ſtatione habebant, exportata conſeruarent: ab equitibus inſidiantibus fuſi fugatiq;, ad triremes uſq;, magnum ſuorum numerum amiſerunt. Polyænus lib. 5.

*Abigeatu.*

SCORDISCI equites (cùm Heracleæ duarum partium præſidio propoſitus eſſet Lucullus) pecora abigere ſimulantes, prouocarunt eruptionem: fugam deinde mentiti, ſequentem Lucullum in inſidias deduxerunt, & octingentos cum eo milites occiderunt. Frontinus libro tertio, capite decimo.

VIRIATVS, diſpoſito per occulta milite, paucos miſit, qui abigerent pecora Socobrigenſium. Ad quæ illi uindicanda cùm frequentes procurriſſent, ſimulanteſq; fugam prædatores perſequerentur: deducti in inſidias, cæſiq; ſunt. Frontinus.

## HOSTES COHIBERE, AVERTERE, TERRERE, in fugam VERTERE, OPPRIMERE.

*Timorem hoſtium, & per conſequens fugam, promouemus & augemus: & uiciſſim audaciam & alacritatem illorum minuimus, impedimus, reprimimus, modis uariis: qui ipſi tamen materialiter referuntur ad Bona atque Mala uel Noſtra uel Hoſtium. Ad Noſtra quidem Bona, uel Interna (ſic terremus hoſtes noſtra Vigilantia & Cōfidentia) uel Externa, & ſic Metum iniicimus partim Corporis Robore, Habitu, & armorū genere (Motu, Clamore & ſtrepitu: partim Fortunæ bonis, nempe Victoriæ nuncio uero ſimulatóue: item Auxilio tum Diuino) deorum fauore, ſpectris: tum Humano, ſeu Ficto (coq; uel Præſente, Copias maiores ſimulare: uel Aduentante, Auxilia noua ſimulare) ſeu Vero. Copiarum ſuarū robore, multitudine. Tum Belluino, Feris hoſtes terrere. Sic quoque Malis noſtris terremus hoſtes, partim Externis ea diſſimulando (Inopiam noſtram, in commeatu præſertim, diſſimulare: & econtrà, copiam ſimulare) partim Internis, ſi talia ſint, quibus hoſtis terreatur: utputa Deſperatione, Crudelitate. Iam reſpectu Hoſtilium Bonorum atque Malorum terrendi modi ſunt uarij: utputa Spe ſalutis & effugij facilis, ut fugere malint, quàm incluſi per deſperationem pugnare. (Hoſtem clauſum emittere. Fugæ locum hoſti dare:) Itidem cohibitione hoſtis, ut quantumuis uictor, ab inſequendo deſiſtat (Hoſtis impetum refrænare) ſimiliter Religione, Periculi & inſidiarum metu, Proprij damni, direptionis metu. Sociorum quoq; ſuorum Periculi & damni, aut Perſidiæ & defectionis. Item Deſperatione uictoriæ & auxilij: Nuncio deniq; acceptæ cladis, cædis præcipuè ducum, ſeu uero, ſeu ficto.*

### HABITV, ARMORVM GENERE.

*Vide Tit. Auxilij diuini ſimulatione terrere.*

CROESVS Græcorum auxiliis cunctantibus, robuſtiſſimos ac maximos Lydorum Græcanicis armis inſtruxit. Cyri milites inuſitatam armaturæ Græcanicæ ſpeciem extimuerunt: atque etiam haſtarum cum ſcutis colliſarum fremitus terrorem Perſis iniecit, & æneorum ſcutorum ſplendor Perſicorum equorum aciem perſtrinxit atque auertit. Itaque Cyrus ſuperatus, trium dierum inducias cum Crœſo fecit. Polyænus lib. 7.

ANTIPATER, in Tetrachoritarum regione militans, iuſſit in equorum ſtramen, quod circum tabernaculum erat, ignem iniicere. Quo inflammato, tubicen ſignū dedit, ac Macedones circa tabernaculum coibant, haſtas in altum tendentes. Quo uiſo, Tetrachoritæ perterriti, locum reliquerunt: atque ita ſine prælio Antipater uictoriam adeptus eſt. Polyænus lib. 4.

LACEDÆMONII comam alebant, & imminente pugna eā concinnabant & diſcriminabant. Lycurgus dicere ſolebat, Comam formoſos uenuſtiores, deformes horridiores reddere. Plutarchus in Lycurgo.

Cùm Lauronem Hiſpaniæ urbē obſideret Q. SERTORIVS, mouit eō omnibus copiis Cn. Pompeius ad ferendam urbi opem. Inde Sertorius ad occupandum tumulum aduerſus urbem properans, cùm eum occupaſſet: Pompeius admoto exercitu gauiſus eſt ita cecidiſſe: miſſiſque ad Lauronitás nunciis, bono animo eos eſſe iuſſit, atque in muris conſidere ſpectantes Sertorium obſideri. Sertorius eo nunciato riſit: & ſe diſcipulum Syllæ (Pompeium uidelicet) ait

ait doctum, debere imperatorem plus reſpicere, quàm ꝓſpicere: ſimulque oſtendit obſeſſis ſex millia peditum ab ſe relicta in prioribus caſtris, ex quibus egreſſus tumulum illum occupauerat, quò uerſum in ſe à tergo aggrederentur Pompeium. Quod admodum ſerò animaduertẽs Põpeius, cùm adoriri Sertorium non auderet, metuens, ne circumueniretur, relinquere autem periclitantes ſocios uerecundia deterreretur: præſens & deſidens ſpectator eſſe cogebatur pereuntium. Deplorata enim re ſua, Barbari in deditionem ſe Sertorij permiſere: quorum uitæ pepercit, dimiſitq; cunctos. Plut. in Sertorio.

BRITANNORVM conſuetudo uſq; ad Seueri Imperatoris tempora perdurauit, ut in prælium nudi proficiſcerentur, arcu tantùm aut ſcuto lanceaq; armati: herba glaſto ora corpuſq; infecti, ut hoſtibus trucior eorum eſſet aſpectus. Fulgoſus lib. 2. c. 1.

TITVS Imp. cùm iam duos Hieroſolymorum muros ſuperaſſet, quatriduo milites ſuos recenſuit, & in Iudæorum cõſpectu ſtipendia numerauit. Quo ſpectaculo nihil horribilius fuit Iudæis, cùm omnia armis aureis & argenteis plena eſſe uiderent. Ioſephus lib. 6. c. 11. belli Iud.

BELISARIVS, aduerſus Coſroẽm Perſarum regẽ ab Imperatore Iuſtiniano miſſus, ad Euphrati uicinam regionẽ peruenerat. Coſroës ſubito illius aduentu territus, Abandazem ſcribam ad eum mittit, qui exercitum ſpecularetur, ſub prætextu legationis. Beliſarius ſex millia uirorum ſtatura præſtantium delegit, eumq; his procul à caſtris uelùti uenatum proceſſit. Diogenem porrò ſtipatorem, & Adulium Armenũ cum mille equis amnẽ tranſire iuſſit, qui ſe uadum eius explorare ſimularent. Ipſe, ut appropinquare legatum uidit, papilion in ſolitudine fixit, ſignificans nullo cum apparatu eò ſe ueniſſe: militibuſq; præcepit, ut ab utraque tentorij parte eſſent Thraces & Illyrij, Gothi & Heruli, Vandali & Maurusij: neq; in campum protinus ueluti ad miniſteria deſcenderent, neq; confertim: ſed uagarentur hinc inde uelut otioſi, atq; uenantium ſpeciẽ exhiberent. Abandazes, ut in conſpectum Beliſarij uenit, indignari Coſroëm oſtendit, ꝙ Iuſtinianus legatos de pace non miſiſſet. Beliſarius cõtrà in Coſroëm belli culpam cõferre: qui ſi paci ſtuduiſſet, domi potiùs ſuæ legatos operiri, quàm in Romanorum ditionẽ irrumpendo eam quærere debuerit. Atq; hoc reſponſo legatum dimiſit. Is ad Coſroëm reuerſus, refert uiſum ſibi Beliſarium, ducẽ prudẽtia ac fortitudine ſingulari: milites quoq; mirabili decore uidiſſe, & compoſitione: ſuaſitq; regi, ne cũ eo acie congrederetur, ne uictus in Romanorum ditione, cùm fugæ locus non eſſet, regnum Perſicum euerteret. Huius monitu perſuaſus Coſroës, ſtatim ad ſua redire cogitauit. Cedrenus.

HVNNORVM arma, thorax & lorica, item arcus & pharetra: nonnulli ſcuto, lancea, enſeq; falcato utuntur. Maxima pars corio corpora muniunt, cæteri ferro, gladio longo accincti, & pugione. Hirſutis ad hæc ſe pellibus induunt: & demiſſæ barbæ, intonſique crines, uillorum inſtar, feroces toruoſque aſpectus augent, tantumque terroris adiiciunt, ut ſolo obtutu, nedum congreſſu hoſtes abſterreant. Bonfinius lib. 2. Dec. 1.

ARII, Germaniæ populus, ſuper uires, quib. reliquos antecedunt, truces, inuſitatę feritati arte ac tẽpore lenocinantur: nigra ſcuta, tincta corpora, atras ad pręlia noctes legũt, ipſaq; formidine atq; umbra feralis exercitus terrorẽ inferunt, nullo hoſtium ſuſtinẽte nouum ac uelut infernum aſpectum. nã primi in omnibus præliis oculi uincuntur. Tacitus de Moribus Germanorum.

## CLAMORE, STREPITV.

GEDEON, dux Iſraëlitarum trecẽtorum, contra Madianitarũ & Amalechitarum numeroſiſſimum exercitum iuſſu Domini, noctu explorandi cauſa cum famulo ſuo Phara in caſtra Madianitarum deſcẽdit. Cumq; propiùs acceſſiſſet, audiuit quendam militum alteri ſomnium ſuum narrantẽ, his uerbis: Viſus ſum mihi in ſomnis uidere, ſtrepentẽ panẽ hordaceum, qui ſeſe per caſtra Madianitarum prouoluẽs, peruaſit ad tabernaculum, quod impulſum & labefactatum à culmine deiecit. Tum alter: Nihil aliud iſtud eſt, niſi Gedeonis Iſraëlitæ, Ioæ filij, gladius, cui Deus uictoriam tradit in Madianitas atq; caſtra. Hac ſomnij relatione atq; interpretatione audita, Gedeon ueneratus Deum, & in Iſraëlitica caſtra reuerſus, hortatur, ut ſurgant: nam Iouam eis uictoriam de Madianitarum exercitu concedere. Tum trecentos illos partitus in claſſes tres, omnibus ſingulas in manum tubas dat, amphoraſq; uacuas, & in amphoris faces, & ut ſeſe imitarentur præcipit. Vbi igitur ipſe cum ſuis comitibus ad extremum caſtrorum, ineunte media uigilia, peruenit: ſigno dato, clangere omnes tubis, & quas manibus ferebãt amphoras confringere, & ſumtis manu ſiniſtra facibus, dextra tubis ad clangendum, ſic exclamare: Iouæ & Gedeonis gladius: ſuo quiſq; loco caſtra circumſtantes. At in caſtris omnes diſcurſare, perſtrepere, diffugere, deniq; clangentib. trecẽtis illis, hoſtes (id efficiente Ioua) alij in alios totis caſtris enſe graſſari. Cædes maxima hoſtium facta fuit. Reliqui fugêre. Iudicum 7.

Bacchi dux fuit PAN. Is primùm inuenit aciem, Phalãgem nominauit: cornu inſtituit dextrum & ſiniſtrum. Hac de cauſa ferentem cornua, Pana fingunt. Sed primus etiam hic cædẽ hoſtium mutuam excogitauit. Cùm Baccho in concauo ſaltu nunciaſſent ſpeculatores, infinitas hoſtium copias in ulteriori parte caſtrametari, metus Bacchum inceſſit. At Pan noctu exercitui ſignum dedit, ut maximum & inconditum clamorem tolleret. His uerò clamantibus, petræ ſonum exceptum referebant, & cauitas ſaltus longè maiorum copiarum fremitum hoſtibus reddebat. Quare metu perterriti hoſtes, ſe in fugam coniecerunt. Propter hoc ſtratagema, Echo Pani amicam poëtæ ſunt fabulati, atque uanos nocturnoſque terrores exercituum, Panicos appellarunt. Polyænus libro 1.

INDI tubæ loco flagella quatiebant, habebant & tympana horribilem quendam bombum edentia, quæ ſic confecta erant. In abietis ſtipitẽ excauatum nolas ex orichalco inſerebãt, & ore uaſis taurino corio tecto, tympanũ ſublime ferebant in pugnis. Ac tumultũ magnum excitaturi, aut aliquid denunciaturi, uas ligneũ in os inuerſum concutiebant. Tum quæ in eo erãt tintinnabula, & multa & magna, in opertoq; ſonantes, obſcurũ quendã intrinſecus edebant bombũ, qui ab ignaris nõ diiudicari facilè poterat, cuius eſſet inſtrumẽti aut belluæ: mugitui enim erat ſimilis. Suidas.

SYRI in primo hoſtium congreſſu ſolẽ uenerati, immodicis uocibus & cantu exultantes, curſu quàm citiſſimo in hoſtes irruunt. Alex. lib. 4. c. 7.

AETHIOPES belligerantes, cantu & clamoribus diſſonis tumultuantur, & ſui moris tripudiis exultant. Ibidem.

PARTHI non cornibus aut tubis claſſicum canũt, ſed clauas ex corio concauas ærramẽtis intentas reſonantibus pulſant undiq;. Hæ fuſcum clangorẽ & dirum edunt, uelut ululatu belluino & tonitrui aſperitate miſtũ. Ac rectè aduerterũt ab auditus ſenſu animum turbari maximè, eiuſq; ocyſſimè cieri affectus, ac potiſſimùm de ſtatu mentẽ deijci. Alex. lib. 4. c. 7. ex Plut. Craſſo.

GALLI & GERMANI olim cũ hoſte congreſſuri, diſſono & truci cantu, quẽ Barritum uocant, cum ululatu & tripudiis ſcuta quatientes, prælia inibant. Alex. lib. 4. c. 7.

AMBRONES inceſſu tardo arma pulſantes, rhythmis cũ congreſſu & pulſu armorum conſonantibus, ſuum nomẽ exprimentes in hoſtes irruunt. Ibidem.

VBII & Treueri, uirorum cantu, & feminarum ululatu hoſtẽ aggrediebantur. Ibidem.

CIMBRORVM uxores in ipſis certaminibus, extentas ad carrorum uelamina pelles, tantis pulſabant ictibus, ut ingenti cum horrore fragor efficeretur. Strabo lib. 7.

ABARI in conflictu ſonitum excitare confuſum & agreſtẽ, unaq; cum fremitu bellico pulſare tympana conſueuerãt, ut terrerent Romanos. Quod BONVS præcognitum militibus indicauit, ne re ſubita conſternarẽtur: eoſq; iuſſit, pulſatione tympanorum audita, uiciſſim ſcuta concutere, & bellicũ clamorẽ tollere, & pæana canere, & ligneas ſitulas collidere. Suidas in uoce ἐπιδοῦπῆσαι.

ROMANI, cùm ad hoſtẽ irent in conſpectu longinquo diſtãtem, gradu lento & ſilentio utebantur. At cùm propè ad manus uentum eſſet, ardentiſſimũ clamorẽ tollebant, ut & impetu hoſtis propulſaretur, & clamore terreretur. Gell. Noct. Atticarum lib. 1. c. 11.

Cn. POMPEIVS contra Mithridatẽ in Aſia pugnaturus, cum (quandoquidẽ pugnã detrectare conſueuerat) in ualle collibus circumdata, nocte obſcura inuaſit, exercitu in locis ſuperioribus collocato. Hîc tubicines ſimul omnes ſignũ canere ceperunt: mox milites cæteraq; multitudo ingentẽ clamorem edere, pars ſcuta haſtis, pars arma ex ære lapidibus percutere. Huiuſmodi ſonitum concaui montes recipere, receptumq; reddere multò horribiliorem, ut eo Barbari uehementer perterriti ſint. Romani primùm ſagittis teliſq; præliabantur: conſumtis telis omnibus, in eos irruerunt. Qui erant ad alas, cædebantur, iiſq;, quòd magna ex parte eſſent leuis armaturæ, unum ad necem uulnus ſatis erat. Qui in ipſa acie conſiſtebant, premebantur, propterea quòd ij, qui in alis erant, eò præ timore cõfugiebant. Et ſic Barbari neq; ſibi auxilio eſſe, neq; in hoſtes quicquam moliri poterant. Dion Nicæus in Pompeio.

TARSENSES Agareni ab Andrea Scytha, Baſilij Macedonis Imp. duce, ad exiguum reducti numerum, cùm à Styppiote oppugnarentur, & pugnæ ſuſtinendæ impares ſe cognoſcerent: multis cõductis equis, ab eorum caudis ſicca coria ſuſpenderunt, ſimulq; eos ad uarias caſtrorum Rom. partes dimiſerunt: ipſi à tergo eorum tubis ac tympanis ſonitum edentes, ſtrictis cum gladiis in media caſtra inſilierunt. Orta proinde in exercitu Romano trepidatione, & per tumultum uiris equiſq; in ſe concidentibus, Romani maximam cladem paſſi ſunt. Cedrenus.



BRITANNIS contra Angloſaxones pugnaturis, anno 492. Germanus Altiſiodorenſis epiſcopus (qui cum Lupo Trecẽſium epiſcopo ad extirpandam Pelagij hæreſim in inſulam tranſmiſerat) in ipſis Paſchæ ſolennibus, non armis, ſed fide, ſeſe agminis ducẽ profitetur. Poſtridie rem diuinã multo mane facit, poſcit à Deo uictoriam, idem etiam cũctis orantibus. Mox ſignum pugnæ dat, ter magna uoce Alleluia canens: eandem uocem toties exercitus repetit, tantumque clamoris edit, ut hoſtes ubi uident in ſe iri, repẽtè metu corruant, abiectiſq; armis, in pedes ſe perinde dent, ac ſi longo certamine uicti deſperata iam ſalute, aliud non ſit remediũ fuga oportunius. Ita diuina ope parta uictoria, nulla cędes, nullus captiuus. Polyd. lib. 3. & Bonfinius lib. 4. Dec. 1.

TVRCI in prælio non clamore, ſed fremitu utuntur, Bre, Bre, Bre, ſubinde ingeminantes, hoc eſt, Defende te. Cuſpin.

Apud Finnos in Sueonum regno ſpecus eſt SMELLEN uulgò dicta, prope litoralem urbem Viburgum Moſcouitis uicinam: in quã animali uiuo proiecto, tam horribilis ſonus excitatur, ut audientes inſtar uehementiſſimæ bombardæ interimat, uel debilitet in momento. Hoſtibus irruentibus præfectus terræ iubet omnium aures concludi cera, & in antris abſcondi uicturos. Ipſe poſtremus cera obturatis auribus animal aliquod uel haſta, uel fune præcipitat in os ſpeluncæ: unde tam horridus excitatur ſonus, ut hoſtes obſidentes in circuitu, quaſi mactanda pecora collabantur, & mortuis ſimiles in poteſtatem incolarum ueniant. Sic ſæpè Rutheni & Moſcouitæ multa ſuorum millia deſiderarunt. Cæterùm ſpecus ipſa ualidiſſimis muris ſepta à uiro prudẽte cuſtoditur perpetuo. Olaus lib. 11. cap. 4. & 5.

Quum anno 1532. Solymannus Turcarum Imp. numeroſo exercitu in Noricum irrũperet, Habraimus Baſſarum princeps, cui Solymannus, quod nemini unquam ab Othomãnis datum meminerant, ſupremi imperij poteſtatem communicarat, ad Guintium profectus, Nicolizzæ oppidi pręfecti fidẽ, promiſſis & minis pertentat. Sed quum Nicolizza nihil demiſſum reſponderet, aguntur tribus in locis cuniculi. Cæterùm quum diſciſſo & proruente muro, GVINTIANI præſentibus animis introrſus munitiones extruerent, & cuniculis diligenter uel à feminis obuiam iretur, duo inuſitatæ magnitudinis ꝓpugnacula ante foſſam erexit Habraimus, in ſummam educta altitudinem. Repleta foſſa, Turcæ in oppidum impetum fecerunt. Cùm iam propè intra murum peruaderent prætoriani, tantus ſublatus eſt clamor cum eiulatu ab imbelli multitudine, ut ſtupefacti potiùs quàm territi Turcæ retroceſſerint, cùm integri erumpentis ab arce præſidij ſtrepitum clamoremq; putaſſent, equitemq; diſtricto gladio ipſis ſubeuntibus comminantem in aere conſpexiſſent: eam extitiſſe diui Martini ſpeciem uulgò aiunt, qui Sabarienſes conſeruaſſet. Iouius lib. 30. Hiſtor.

## IMPETV.

*Conſule Tit. Milites animare Adhortatione.*

ORONTES contra Autophradatem pugnaturus, cùm Græci quos ſecum habebat pedites in acie condenſato agmine ſtarent, equitibus phalangem perfringere non ualentibus, ob eamq; cauſam auerſis, iuſſit, ſi rurſus impreſſionem facere conarentur equites, tribus paſſibus progrederentur. Quibus progredientibus, equites arbitrati ipſos irruptionem facere, declinantes fugam capeſſerunt. Polyæn. lib. 7.

THEMISTOCLES ad Artemiſium impetu in hoſtem incurrendum eſſe, docuit. Diod. lib. 11. Et C. Iul. Cęſar in acie Pharſalica Pompeium hoc ipſo peccaſſe dixit, quòd excipere ſuos, non inferre impetum uoluiſſet. Plut. in Pompeio.

## VICTORIAE NOSTRAE ET NOSTRORUM nuncio uel uero, uel ſimulato.

AGESILAVS aduerſus Bœotos præliabatur. Erat anceps uictoria. Nox prælium diremit. Ille media nocte fideliſſimos miſit, dato præcepto, ut quos Spartiatas mortuos agnoſcerent, puluere reſperſos occultarent. Hoſtes orto die, cùm ſuos omnes proſtratos cernerent; Spartiatarum uerò paucos, quaſi uictoriam Lacedæmoniis habentibus, cum eis cõgredi ampliùs non ſunt auſi. Polyænus lib. 2.

PELOPIDAS Thebanus Magnetum duo oppida ſimul oppugnaturus, non ita longo ſpacio diſtantia, quo tempore ad alterum eorum exercitum admouebat, præcepit, ut ex compoſito ab aliis caſtris quatuor equites coronati, notabili alacritate uelut uictoriam nunciantes uenirent: ad cuius ſimulationem curauit, ut ſylua quæ in medio erat incenderetur, præbitura ſpeciem urbis ardentis: præterea quoſdam captiuorum habitu eòdem iuſſit perduci. Qua aſſeueratione perterriti, qui obſidebantur, dum in parte iam ſe ſuperatos exiſtimarent, defecerunt. Frontinus lib. 3. cap. 8. & Polyænus lib. 2.

Athenienſes & Thebani ad pugnam inſtruebantur. MYRONIDES Athenienſibus præcepit, ut cùm ipſe ſignum dediſſet, excurrerent in hoſtes, initio facto à ſiniſtra. Quo ſignum dante, illi currebant. Cùm uerò aliquouſq; eſſent progreſſi, Myronides ad dextrum cornu feſtinãs, magna uoce clamauit: Vicimus in læuò. Athenienſes uictoriæ fama confirmati, promtiùs & alacriùs hoſtes aggrediuntur. Thebani nuncio ſuorum cladis perculſi, ad fugam inclinauerunt. Polyænus lib. 1. & Front. lib. 2. cap. 4.

ARISTOMENES Lacedæmonius, Dionyſio ferens auxiliũ, exigua inclinatione facta, uidens triremes permixtas, præcepit ſuis militibus, ut clamarent, Sine fugere. Hoſtes audita hac uoce, in fugam conuerſi ſunt, rati ſe omnino ſuperari. Polyæn. lib. 2.

ANNIBAL cùm Rom. Capuam obſidentibus ſigna conferens, cùm ſui caſtra Romanorum irrumpere conarentur, miſit quendam Latinæ peritum linguæ, qui iuſſu conſulum alta uoce denunciaret Romanis, ut caſtris iam propè amiſſis, in proximos montes confugerent. Vox inopinata facilè audientes mouiſſet, niſi Romani Punicis dolis aſſueti cognouiſſent fraudem. Itaq; celeriter ſe inuicem confirmantes, hoſtem pedem referre, ſeque in caſtra recipere coegerunt. Auctor uitæ eius.

LEOTYCHIDAS Spartanus ad Mycalem Ioniæ claſſem cõtra Perſas ducẽs, præconi, qui uocis amplitudine omnes ſuperabat, mandauit, uti litoribus hoſtium adnauigans, quãta poſſet uoce, intonaret: Ad Platæas debellatum eſſe, Perſas ibi profligatos, iam aduentare Græcam iuuentutem, ad reparandam Græcis in Aſia ciuitatibus libertatem. Perſas proinde falſo eo nũcio perculit, ut nec Græcis deinceps ſeruis amplius fiderent. Leotychidas exploratis locis, comparato exercitu copias exponit. Poſtera die cùm inſtrueretur acies, rumor uerus cœpit repentè increbreſcere, Perſas à Græcis ad Platæas profligatos. & compertum eſt, utraſque eadem die acies inſtructas, & ad Platæas, & ad Mycalen cõflixiſſe. Diod. lib. 11. cap. 1.

Ad Humbrum amnem pugnante Arthuro Britannorum regẽ contra PICTOS atq; Scotos, clamatum eſt per quendam uocaliſſimum Britannica lingua ad id à Pictis ſubornatum; Arthurum Britannicæq; gentis nobiliſſimos quoſq; cæſos. Vox ea Scotos ac Pictos ingenti affecit lætitia: Britannos autem tanto pauore, ut abiectis armis permulti ſe in fugam proripientes, nec ducum ſignis, nec æneatoribus receptui canentibus obtemperarent. Cæſus in eo prælio Arthurus cum XXX M ſuorum. H. Boethius lib. 9.

FRISONES ab Theoderico Flandrenſi, Arnulphi Gandauenſis filio, oppugnabãtur, ad necem patris (quẽ oppreſſerant) uindicandam. Imperator Henricus II. illi adiungit Gotfridum Lotharingiæ & Brabantiæ ducem. Quum congreſſi manus conſeruiſſent, uox inſonuit (incertum unde) Fugite, fugite. Ducales, qui ſe diuinitùs admoneri arbitrabantur, illico in fugam conuerſi, multi à paucis Friſonibus cædũtur, Dux captus Imperatorem illis reconciliauit. Cranzius lib. 4. Saxoniæ cap. 32.

GERARDVS Magnus Holſatiæ dux contra Chriſtophorum Danorum regem Holſatos candidis indutos ducebat, arcẽ Gottorp obſidentem. Id de longinquo Dani proſpicientes, mulieres in ſe duci per contemtum aſſerebant. Conſerto prælio acri, Holſati ſublatum clamorem tollunt, Fugiunt, fugiunt. Dani fictam fugam, in ueram concepta formidine uerterunt, ſolutaq; eſt obſidio eo ipſo die. Cranzius lib. 9. Saxoniæ cap. 10.

Poloni contra Tartaros ad Legniciam pugnabant æquo marte. Tum QVIDAM Tartarus eques ab latere ex improuiſo apparens, Polonica lingua, ut fugerent, identidem uociferatus, Polonos conturbauit, & in fugam conuertit, orto fugæ initio à Miecislao Oppolienſi, qui uocem illam amicĩ eſſe, ſaluti ſuorum conſulentis, quaſi iam reliqua agmina à barbaris deleta eſſent, crediderat. Cromerus lib. 8.

Mieſco, ſeu Miecislaus, Polonus, Boemorum ducem Boleſlaum oculis priuauit, comites eius obtruncauit, & Pragam biennio obſeſſam fame expugnauit. VLRICVS Boemi frater, ab Imperatore Henrico (huic enim pater eum educandum dederat) clam dimiſſus, Dieuizum natura & arte munitum occupat: raptimq; collecto milite Pragam tendens, per præconem ciuibus denunciari iubet, uictis & fugatis Polonis, adeſſe cum exercitu principem uictorem. Quo nuncio territi Poloni, fugam arripiunt: eaque ratione Vlricus urbem recepit. Aeneas Syluius cap. 17. & 18. Boemicæ hiſtoriæ, anno 1007.

Sigiſmundo Imp. ad Nicopolim cum Turcis ſigna collaturo, ILLYRII qui ab Hungaris defecerant, in iugis montium

quoſdam è ſuis occulûêre, qui in medio prælij ardore per decliue ruentes, uerſos in fugam Hungaros proclamarent. Vngari eo dolo territi, uictoriam è manibus elabi ſunt paſſi. Bonfinius lib. 3. Decadis 3.

## AVXILII DIVINI SIMVLATIONE, SPECTRIS.

TELLIAS uates Eleus, cùm Theſſali Phocenſibus bellum intuliſſent, ſexcentos uiros è Phocenſibus præſtantiſſimos gypſo illeuit, eoſque ſub noctem in Theſſalos dimiſit, dato præcepto, ut quemcunque albicantem non cernerent, eum obtruncarent. Hos primùm Theſſalorum excubitores ſpectrum eſſe arbitrati, deinde ipſe exercitus adeò exhorruerunt, ut tribus millibus cæſorum atque ſcutorum Phocenſes potiti ſint: quorum ſcutorum dimidium apud Abas, alterum dimidium apud Delphos dedicauerunt: & ex decima pecuniarum huius pugnæ factæ ſunt ſtatuæ grandes, quæ circa tripodem è regione delubri Delphis uiſuntur: & alteræ eiuſmodi, in Abis repoſitæ. Herodotus libro 8. & Pauſanias libro 10.

AETOLI Pellenam oppugnabant. Pro Pellena collis eſt excelſus, è regione arcis poſitus: in quem, concurſu facto, Pellenenſes arma expediebant. Palladis ſacerdos conſuetam illius diei armaturam habens, & galeam tricollem, pulcerrima maximaq; omnium uirginum, ab arce intuebatur in ciuium ſeſe armantium multitudinem. Aetoli uirginem armatam è templo Mineruæ procedere conſpicati, ipſam Mineruam auxilio Pellenenſibus uenire exiſtimantes, reuerterũt. Pellenenſes uerò perſecuti, non paruum Aetolorum numerum occiderunt. Polyæn. lib. 8.

PERICLES dux Athenienſium, initurus prælium, cùm animaduertiſſet lucum, ex quo utraque acies conſpici poterat, denſiſſimæ opacitatis uaſtum, alioqui & Diti patri ſacrum: ingentis illic ſtaturæ hominem, altiſſimis cothurnis, & ueſte purpurea, coma uenerabilem, in curru candidorum equorum ſublimem conſtituit: qui dato ſigno pugnæ proueheretur, & uoce Periclem nomine appellans, cohortaretur eum, diceretq;, Deos Athenienſib. adeſſe. Quo uiſo penè ante coniectum primi teli hoſtes terga uerterunt. Frontinus libro 1. capite 11.

PISISTRATVS, cùm ope Megaclis Athenienſis (qui ei filiam ſuam uxorem dare promiſerat) Athenas eſſet reductus, ut citra ſanguinem tyrannidem reciperet: mulierem quandam Phyam nomine, è tribu Pœaniæa, tribus digitis minus, ſtatura quatuor cubitorum, formoſiſſimam, Mineruæ habitu inſtructam, curruiq; impoſitam, ante exercitum in urbem duxerunt, præmiſſis præconibus, qui Palladem Piſiſtrato præſentem fauere aſſererent. Ea re audita, Athenienſes Piſiſtrato ſeſe dediderunt. Herod. lib. 1.

M. Fabium Ambuſtum conſulem FALISCI & Tarquinienſes prima pugna fuderunt, Romanis falſa ſpecie & uelut phanatica deceptis. Sacerdotes hoſtium cum facibus incenſis, furiali inceſſu, anguium nodos intendentes, militem ſpectaculo inſueto turbauerunt. Inde ubi à conſule & tribunis cœptum eſt in uanum illum metum reclamari, quòd puerorũ more talia expaueſcerent: pudore affecti milites, ferociter in hoſtes uertuntur, atq; in ea ipſa, quæ nuper extimuerunt, uelut amentes ruunt. Ibi hoſtili ludibrio cõfeſtim diſcuſſo, in armatos cuneos ſeſe inferunt. Fuitq; tantus Romanorũ in præliũ impetus, ut ne armato quidem non modò inermi hoſte ſuſtineri potuerint. Fuſa acie caſtris Romanus uictor cum multa præda potitus eſt. Sab. lib. 3. En. 4. Cornelius Tacitus lib. Hiſt. 14. & in uita Iulij Agricolæ, & Polyæn. lib. 2.

Idem VEIENTES & Fidenates facibus arreptis fecerunt. Front. lib. 2. cap. 4.

Sub Nerone obtinebat Britannos præſidio Paulinus Suetonius. Is MONAM inſulam expugnare adortus (erat hæc incolis ualida, & transfugarum receptaculum) in nouum pugnę incidit diſcrimen. Stabant mulieres in aduerſo litore, furiali habitu ac flammis inſtructæ: ſtabant & Druidæ ſacerdotes, dirasq; in Romanos fundebant preces, manibus ad cœlum ſublatis. Cætera multitudo pugnæ fuit inſtructa, quæ non tam terrori erat Romanis, quàm muliebre illud oculorum ludibrium. Sed miles ducis hortatione in litus egreſſus, confeſtim inſulanos diſpulit. Fuſi fugatiq; Barbari ad deditionem compelluntur. Præſidium deditis imponitur. Luci euerſi, in quibus Druidæ diro ritu humanas mactabant hoſtias. Sab. lib. 2. Ennead. 7. & H. Boethius lib. 4.

Luitprandus, præeunte lancea Dominica, cui artificioſè claui Chriſti crucifixi inſerti erant, ſemper hoſtes ſuos terruiſſe, ac in fugam conuertiſſe HENRICVM Imp. ſcribit lib. 4. ca. 12.

## COPIAS SIVE EXERCITVM NOſtrum maiorem ſimulando.

*Conſule Tit. Elephantos comparare.*

HELNES Arcadum rex, uaſtantibus Tegeam Lacedæmoniis, quotquot uigentem ac floridam ætatem haberent, ſupra caput hoſtium miſit, præcipiẽs, ut media nocte in eos impetũ facerent. Quotquot uerò ætate prouecti, aut nondum adulti eſſent, eos iuſſit eodem tempore ante ciuitatem ignem quàm maximum incendere. Hoſtes ad uiſum ignem obſtupefacti, in eum oculos coniiciebant. Qui uerò in cacumine erant, obruentes inopinatos, plurimos ex iis morte affecerunt, multos etiam captos in uincula coniecerunt. Et oraculum finem habuit:

δώσω τοὶ τεγέαν ποσσὶ κρότον ὀρχήσασθ.

Polyænus lib. 1.

Cùm Bœoti, qui Arnam incolunt, cum Theſſalis bellum gererent, THESSALVS noctem obſeruans tenebricoſam, mandauit militibus, ut diſperſi per campum, alius alibi in montium faſtigiis faces & tædas incenderent, atq; ſublimes ferrent, rurſusq; deprimerent. Bœoti conſpecto igne, quaſi fulmine circumdati, in metum ac terrorem inciderunt, & ad ſupplicandum Theſſalis & de pace rogandũ ſe conuerterunt. Polyænus lib. 1.

AGESILAVS per Macedoniam iter faciens, miſit ad Aeropum Macedonum regem legatos de tranſitu ac fœdere faciendo. Aeropus fœdus non accepit, inquiens, Se obuiam iturum. Cùm audiſſet paucos equites eſſe Laconi, ſuum equitatum inſtruxit: & ut plures, quàm reuerà eſſent, equites habere uideretur, copias pedeſtres in prima acie collocauit, in poſteriori equites quotquot habebat in duplicem phalangem diſtribuens, addiditque aſinos, mulos, & ex equis quotquot propter ſenectutem onera ferentes ſequerentur: His inſidentes uiri equeſtribus armis præditi, conſpectum præbuerunt magni equitatus. Aeropus igitur perterritus de tranſitu, fœdus admittebat. Polyæn. lib. 2.

MNASIPPIDAS exiguam multitudinem ducebat. Cùm autem hoſtes noctu impetum facerent, iuſſit leuis armaturæ milites, & tibicines in tenebris circuire, & à tergo impetentium claſſicum canere, ac iacula mittere. Illi igitur, tanquam incluſi à magna multitudine, confeſtim diſceſſerunt. Polyænus libro 2.

DIONYSIVS pactus cum iis, qui Naxum prodere inſtituerant, ipſe quidem ſerò ad muros cum ſeptem milibus acceſſit. Naxij intellecta proditione, in turres aſcenderunt. Proditores è turribus Dionyſium uocabant cum uniuerſis copiis. Ille uerò minabatur iis qui muros tuebantur, niſi traderent ſibi ciuitatem, ſe omnes eos morte affecturum. Sub idem tempus iuſſu Dionyſij in portum Naxiorum appulit Dionyſiaca pentecontorus, quæ fiſtulãtes tubicines & hortantes hortatores duxit. Naxij totidem triremes adnauigare putantes, quot hortatores uidebant, metu perterriti, ſpõte Dionyſio ciuitatem dedidêre. Polyæn. lib. 5.

ANTIPATER in Theſſalia uolens hoſtibus plurimorum equitum opinionem præbere: contractos multos aſinos atque mulos turmatim inſtruxit, in eoſq; uiros impoſuit equeſtri armatura præditos. Vnicuiq; uerò turmæ primum ordinem uerorum equitum addidit. Eos hoſtes conſpicati, & ſequentes etiam equites eſſe ſuſpicati, metu perculſi, ſe fugæ mandauerunt. Hoc ſtratagemate Ageſilaus etiam uſus eſt aduerſus Aeropum in Macedonia, & Eumenes aduerſus Antigonum in Aſia. Polyæn. lib. 4.

EVMENES Cardianus cum Argyraſpidibus in Gabenorum regione hybernabat. Quos cùm ſparſim caſtra poſuiſſe intelligeret Antigonus, eos ex improuiſo per montes uia cõpendioſa opprimere cogitauit. Quo nuncio territis militibus, cùm non longè abeſſet Antigonus, Eumenes inhibiturum ſe hoſtium celeritatem oſtẽdit, ut diebus tribus, quàm expectarentur, tardiùs eſſent adfuturi. Circummiſit enim nuncios imperans, ut copiæ ex hybernis & cæteri properè conuenirent: ſimulque cum aliis ducibus excurrens, & locum facientibus iter per deſertum ex edito conſpicuum amplexus, & dimenſus, crebras pyras per interualla præcepit extrui. Quos ignes ubi conſpexit Antigonus, exiſtimabat hoſtes explorato ſuo aduentu ſibi occurrere. Itaque relicta uia compendiaria per uicos duxit & oppida, reficiens per ocium exercitum. Plut. in Eumene, & Polyæn. lib. 4.

PTOLEMÆVS aduerſus Perdiccam exercitu præualentem ipſe inualidus, omne pecudum genus, religatis ad tergum quæ traherent carpentis, agendum per paucos curauit equites. Ipſe prægreſſus cum copiis quas habebat, effecit, ut puluis, quem pecora excitauerant, ſpeciem magni ſequentis exercitus præberent, cuius expectatione territum uicit hoſtẽ. Front. lib. 4. cap. 7. & Polyæn. lib. 4.

MINVTIVS Ruffus cùm à Sordiſcis Daciſq; premeretur, quibus impar erat numero, præmiſit fratrem & paucos equites, unà cum æneatoribus: præcepitq;, ut, cùm uidiſſet contractum prælium, ſubitus ex diuerſo ſe oſtẽderet, iuberetq; æneatores concinere. Sonantibus montium iugis, ſpecies ingentis multitudinis offuſa eſt hoſtibus: quia perterriti, dedêre terga. Front. lib. 2. cap. 4.

M. MAR-



M. MARCELLVS, cùm uereretur ne paucitatem ſuorum militum clamor detegeret: ſimul lixas caloneſq;, & omnis generis ſequelas, conclamare iuſſit: atq; ita hoſtem magni exercitus ſpecie exterruit. Ibidem.

C. MARIVS circa aquas Sextias, cùm in animo haberet poſtera die depugnare aduerſus Teutones: Marcellum cum parua manu equitum peditumq; noctu poſt terga hoſtium miſit, & ad implendam multitudinis ſpeciem agaſones lixaſq; armatos ſimul ire iuſſit: iumentorumq; magnam partem inſtructorũ cũ contunculis, ut per hoc facies equitatus obiiceretur: præcepitq;, ut, cùm animaduertiſſent committi prælium, ipſi in terga hoſtium deſcenderẽt. Qui apparatus tantum terroris intulit, ut aſperrimi hoſtes in fugam uerſi ſint. Frontinus lib. 2. cap. 4. & Poliæn. lib. 4.

C. IVL. Cæſar Alexiam urbem Galliæ oppugnabat. Gallorum ad eos congregabãtur ducenta quinque millia. Ille per noctem armatos ter mille, omneſq; equites ſeparans, ab obliqua parte utrinq; iuſſit reuertentes poſtero die circiter horam ſecundam à tergo hoſtium ſe oſtendere, & fortunam tentare. Ipſe ſub primam lucem exercitum ad pugnam eduxit: quos Barbari, multitudine freti, cum riſu excipiebant. Verùm cæteris à tergo apparentibus, & clamorem tollentibus, atque includentibus, deſperata fuga in maximum terrorem ac perturbationem inciderunt, & eo tempore maximam ſtragem Gallorum editam eſſe dicunt. Polyænus libro octauo.

IDEM Dyrrhachium occupatum à Pompeio capere uolens, paucos ipſe quidem equites habebat. At illi magna equitũ multitudine abundabant. Veruntamen multitudinem illã, uſus arte, in fugam uertit. Paucis enim equitibus cum incitatis equis impetum facere iuſſit: ante illos tres manipulos peditum conſtituit, pręcipiens, ut nihil aliud facerent, quàm pedibus excitarent puluerem, quantum maximum poſſent. Magna nebula ſublata, ingentis equitum multitudinis opinionem hoſtibus fecit. Itaque ſubitò perterriti, fugam cepêre. Ibidem.

IVLIANVS Apoſtata contra Conſtantium Imper. mouens, profecturus per maritimas ſyluas, uiaſque iunctas Iſtri fluminis ripis: ueritus, ne paucorum comitatu ſtipatus contemneretur ab inimicis: agmina ita diſtribuit, ut alios per itinera Italiæ nota Iouius & Iouinus ducerent, alij per mediterranea Rhetiarum magiſtro equitum Neuita contenderent: ut in uarias partes diuiſi, maioris numeri opinionem afferrent, atq; omnia tumultu ac trepidatione complerent. mandatumq; dedit, ut omnes tanquam cum hoſte protinùs occurſuro iter conficerent: cumque ad locum ueniſſet, ubi nauigari poſſe Danubium didicit: lembis, quàm occultiſſimè potuit, decucurrit: ob id latens, quòd paucis contentus extra oppida, ciuibus imprudentibus, tranſibat. Fama tamen præceſſit, Iulianum, dimiſſis regibus, cum ingenti exercitu aduentare. Sigonius lib. 6. Imp. occid.

Anno 560. Hunni ex Mœſia in Thraciam cùm tranſiſſent, capto prouinciæ præfecto, magnam cædem fecerunt. Itaque BELISARIVS, licèt iam effœtæ ætatis, miſſus eſt: qui, equis ciuium ſumtis, armata multitudine uenit ad Chiti pagum: foſſaq; facta, barbaros, quotquot cepit, occidit. palmites etiam arborum poſt ſe traxit, ut, excitato puluere, ingentis ſpeciem multitudinis Hunnis præberet. Qua opinione decepti, uſq; ad Arcadiopolim profugerunt, &, cùm naues parari uiderent, ut ſibi tutus receptus daretur, poſtularunt. Sigon. lib. 20. Imp. occid. ex Cedreno.

Hungari A. D. 938. Germaniam inuaſerant & uaſtauerant. Saconium urbem Rauracorum in Rheni inſula ſitam obſidebant diuiſo exercitu. HERMIGERVS Rauracus ducẽ ſuis ſe præbens, noctu cum paucis hoſtes ultra Rhenum aggreſſus, in montibus uicinis quoſdam faces efferre iuſſit, ut hoſtes ancipiti periculo territi, faciliùs in fugam uerterentur. Itaq; Hungari miſerè trucidati, cùm qui cis Rhenum erant auxilium illis ferre nõ poſſent. Hermigerus prędam ampliſſimam monaſterio Sacconienſi dicauit. Stumpfius.

GRIMOALDVS Longobardorum rex Cacanum Hunnorũ ducem contra Lupum Foroiulienſem regem exciuerat. Eo deuicto, Cacanus arma in Longobardorum quoq; caſtella circumtulit. Grimoaldus nunciis miſſis Cacanum monuit, ut Lupo uindicato Foroiulienſi regione decederet. Cui reſpondit Cacanus, Se haudquaquam terram eam relicturũ, quam ipſe armis, ac multo ſuorum ſanguine partam teneret. Quo reſponſo Grimoaldus incenſus, bellum aduerſus eum decreuit, ac copias quàm maximas potuit, comparauit, uerùm haudquaquam cum immenſo Cacani exercitu conferendas. Aderant fortè legati Cacani, cùm ipſe exercitum recenſebat. Ibi exiguitatem copiarum ſuarum occultare, ac maioris ſpeciem præbere exercitus uolens, legatoſq; decipere: eoſdem milites, diuerſo habitu atque armatu inſtructos, in præſentia legatorum per dies aliquot, quaſi nouum ſemper exercitum, decurrere iuſſit, atq; ad eos conuerſus, ita dixit: Cum hac, quam uidiſtis, multitudine Cacanũ inuadam, niſi protinus Foroiulij finibus ceſſerit. Quæ cum Cacano legati renunciaſſent, territus extemplò ſe in regnũ ſuum recepit. Sigon. lib. 2. regni Ital. & Sab. lib. 4. de uetuſt. Aquil. & Bonfin. lib. 8. Dec. 1.

Stypplotes, qui egregium ducem Andream Scytham, aduerſus Tarſenſes Agarenos uictorem, calumniis in odium apud Baſilium Macedonem Imp. adduxerat, in ipſius locum ſubſtitutus, Tarſo appropinquans, caſtra eo loco, qui Chryſobullum dicitur, ponit, neque foſſa ſatis ea, neq; excubiis muniẽs. Cuius incuriam cùm obſeruaſſent TARSENSES, per noctem eum adoriuntur, tali commento uſi. Quia accepta ab Andrea clade ad exiguum redacti numerum, pugnæ ſuſtinendæ pares non erant, multis conductis equis, ab eorum caudis ſicca coria ſuſpendunt, ſimulq; eos ad uarias caſtrorum Romanorum partes dimittunt: ipſi à tergo eorum tubis ac tympanis ſonitum edentes, ſtrictis cum gladiis in media caſtra inſiliunt. Orta proinde in exercitu Romano trepidatione, & per tumultum uiris equiſq; in ſe confusè incidentibus, factum eſt, ut barbari uincerẽt, immenſamq; Romanorum cædem peragerent, pleriſq; à ſuis ingloriè obtritis atq; ſuffocatis: Tarſenſes hac inopinata potiti uictoria, & conciſo Romano exercitu, barbarica conclamatione & ſtrepitu pæanem cecinerunt. Cedrenus.

FRIDLEVVS Danorum rex, apud Britanniam amiſſis bello militibus, cùm difficilem ad litus reditum habiturus uideretur: interfectorum cadaueribus erectis, & in acie collocatis, ita priſtinum multitudinis habitum repræſentauit, ut nihil illi ex tanto uulnere detractum uideretur. Saxo libro 4. & Olaus lib. 5. cap. 19.

Cùm Britanni, AMLETHVM Iutiæ regem inſecuti, maiore copiarum parte exuiſſent: Amlethus die poſtero, ad augendam multitudinis ſpeciem, cæſorum cadauera partim ſubiectis ſtipitibus fulta, partim propinquis lapidibus affixa, alia uiuẽtium more equis impoſita, in aciem digeſſit, ut ipſę extinctorum imagines laceſſentibus ſolis radiis immenſi agminis ſpeciem darent. Quo aſpectu territi Britanni, à mortuis ſuperati ſunt, quos uiuos oppreſſerant. Rex dum ſegniùs fugam intendit, ab imminentibus Danis occiſus fuit. Saxo libro 4.

BRVDVS Pictorum rex, contra Alpinum Scotorum regem pugnaturus, nocte quæ diem pugnæ præceſſit, clitellariis equis mulieres agaſoneſq;, partim arma, partim linum indutos, contos tenentes & ligna haſtarum æmula, inſidere iuſſit. Centum his admiſcet equites, duces futuros. Qui cùm in ipſo prælij ardore eſſent conſpecti: territi Scoti, ne hoſtilibus circumdarentur armis, omiſſa pugna præcipiti curſu fugientes abiere. Parua in prælio cædes edita, in fuga multo maxima: captus rex Alpinus, ſecuri percuſſus eſt. Hector Boethius libro 10.

Conradus I. Imp. Henricum Saxonum ducem imparatum in urbe Gruona, obſidere parabat. Præmiſſis tamen oratoribus obtulit Henrico pacem, ſi dederet arcem. Diethmarus orientalis Saxo, militaris rei ſcientiſſimus, ubi uidit adeſſe regis nuncios, clara uoce ducem ſciſcitatur, quánam parte uelit caſtra figi legionibus, quas ſe adduxiſſe ſimulabat. Dux rogat, Quot adduxerit? Triginta, inquit, millia in armis habeo. Nuncij dimiſſi regem falſa legionum fama ſic terruerunt, ut in Franciam ſuam redierit. Cranzius libro tertio Saxoniæ, capite 1.

ROBERTO Bruſio Scotorũ rege cũ XXX M contra trecenta M ab Eduardo II. Anglorum rege conducta pugnante, calones atque lixæ audendum aliquid rati, quoniam ferrei thoraces deerant, induſia lintea & candida ſupra ueſtimenta inducentes, ac mappas haſtis alligantes, ſumtis baculis longis, decumana porta egrediuntur, ac ſeſe paulum ad montem circunducunt. Mox de monte deſcendentes, terribiliorem hoſtibus aſpectum præbuere. Pars alium aduentare exercitum rati, alij angelos de cœlo Scotis ſubſidio ueniſſe arbitrati, terga uerterunt, initio fugæ à rege facto, quem primum metus perculit. H. Boethius lib. 14.

FRANCISCVS Sforcia in Piceno cùm manum cum Franciſco Nicolai Picinini filio conſereret, atq; omnibus ſuis equitum turmis in prælium miſſis, Picinino adhuc aliquot ſupereſſent: ueritus, ne iis in medio pugnæ ardore recentibus obrueretur: coegit omnes calones ac lixas, & in perrara ſylua ita condidit, ut inſpici quidem, ſed non ex toto diſcerni poſſent: atq; in eorum fronte galeatos ſtatuit, ut ſpeciem magni equitatus præberent. Picininus eas quæ ſupererant turmas in ſubſidiis retinens, prælio ſuperatus ac captus fuit. Fulg. lib. 7. cap. 4.

LADISLAVS rex Poloniæ, Cracouiam oppidum obſeſſum ad deditionem compulit, opinione caſtrenſis copiæ deceptum, quum montes farina integi mandaſſet. Rauiſius.

Benedictus Varadienſis epiſcopus, cum TARTARIS, ſub Bela IIII. Vngariæ rege Pannoniam uaſtantibus, ad Agriam,

quam incenderant, congreſſus, eos fudit, fugauitque. Illi continuò fugam ſimularunt, & quum equos paucos haberent, humana ſimulacra ex diſtentis ſaccis, impoſita equis, ut equites uiderentur, cum nonnullis ſub colle reliquêre. Ipſi in campis Hũgaros operiebantur. Pugna conſeritur. Tartari ex compoſito terga dant, uerſus collem fugiunt. Prodeunt inde ſocij cum ficto equitatu. Qui fugiebant, quaſi reſumtis animis, in Hũgaros uertuntur. Cæſi ſunt Hũgari ad internecionem. Epiſcopus cum paucis euaſit. Bonfinius libro 8. Decadis 2.

CAROLVS IIII. Imp. contra Philippum ducem Auſtriæ bellum gerens, multitudinem hoſtium ueritus, tres ex Philippi ducibus magna auri ui perſuaſit, ut Philippo renunciarent, Caroli exercitum multo maiorem eſſe, & in fuga omnem ſalutem reponendam. Philippus credulus cum exercitu diſceſſit. Proditores negotio ex ſententia confecto, à Carolo promiſſam accipiunt pecuniam, ſed adulterinam, quæ uiceſimam uix partem iuſtæ haberet monetæ. Id grauiter ferentes, cum rege expoſtulant. Carolus ira feruens, Abire hinc, perfidi proditores, exclamauit: adulterina fides adulterino auro recompẽſatur. Hieron. Zieglerus de Viris illuſt. Germ. ex Cranzio lib. 9. Saxoniæ cap. 37.

Quum anno 1532. Habraimus Baſſa Guintium Norici oppidũ cuniculis actis iam propè cepiſſet, ſed incredibili oppidanorum uirtute NICOLIZZA præfectus fortiter reſiſteret: Habraimus data fide euocatum ad ſe in caſtra præfectũ rogauit, ut fortunę periculum facere deſineret, oppidum in eius poteſtate ſe relicturum, ſi in uerba Solymanni iuraret, & in ſpeciem præſidij aliquot Turcæ ueluti tradito oppido reciperentur. Nicolizza, qui ex octingentis ſtrenuis defenſoribus uix tertiam partem, atq; eam confectam uigiliis, & uulneribus debilitatã, ſibi ſupereſſe meminerat, omnino tranſigendum exiſtimauit. Quum in colloquio nullum timorem præferret, & præſidij uires effusè mentiendo adaugeret Nicolizza, ut etiam callidiſſimo Barbaro imponeret, pollicitus eſt ſe Turcis omnibus, qui illac tranſirent, amicum fore, eiſq; quos poſſet commeatus præbiturum liberaliter, & Othomannicum uexillum in ſumma turre præfixurum: id uerò quod ad Turcas introducendos pertineret, ut dediti oppidi, acceptiq; præſidij ſpecies præberetur, ſe præſtare omnino cupere, ſed plurimum uereri, ne à Germanis ac Hiſpanis tumultu facto diſcerperentur: debere eum ſponte dediti, & in ueterem amicitiam recepti uoluntate & fide contentum eſſe. Ad extremum Habraimus uirtute atq; aſtu Nicolizzæ ſuperatus, id tantùm impetrauit, ut Ianizerorum decuriam intra portæ limen admitteret. Quibus introductis, & Illyrica lingua ad potandum uinum, cuius ea gens eſt auida, comiter inuitatis, & ſibi & Habraimo cumulatiſſimè ſatisfecit, cùm neq; Germanos neq; Hiſpanos in præſidio habuiſſet. Iouius lib. 30. Hiſtoriæ.

Quum in Myſiam imperante Sigiſmundo Hũgariæ rege Turcæ irrupiſſent: NICOLAVS Petri de Macedonia F. Myſiæ præfectus, qui Iſaacum regem Boſinæ ſingulari certamine uicit, cùm Turcis ſe uiribus imparem eſſe intelligeret, agreſtes omnes iumentis inſidere iubet, & cum armis tympana buccinaſq; ſumere, & ingenti clamore hoſtes aggreditur. Sequenti nocte, Turcas adoritur. Ipſe à fronte cum pauco exercitu, à lateribus ruſticana turba iumentis inſidens. Clamor ingens editur, tympana circumſonant. Turcæ ſe ab innumero Pannonum exercitu circumuentos rati, fugiunt. Nicolaus cum agmine quadrato ſe inferens, multum ſanguinis hauſit. Vt ſui ab hoſtibus intempeſta nocte dignoſcerentur, Chriſti ſanctiq; Michaelis ſymbolum edixerat. Turcæ caſtris pariter ac impedimẽtis exuti, magna clade affecti ſunt. Bonfinius. Cuſpinianus paulò aliter: Per exploratores, inquit, certior factus, Turcas in caſtris dormire, tympana multa equabus, quas uagabundas in campo ceperat, adalligauit, adiunctis ſuis militibus, qui fiſtulis canerent. Teſſeram dedit duobus uerbis uoce materna: quorum alterum Turcæ intelligebant, alterum ignorabant. Turcæ & nocturno tumultu & teſſeræ ambiguitate territi, quòd magnum adeſſe coniectarent exercitum, in fugam ſoluti ſunt.

## AVXILII ADVENTANTIS ſimulatione.

Cùm Sicyonij comparato exercitu agrum Hyperæſienſium in Achaia inuaſuri eſſent, intelligerentq; Hyperæſienſes nullo ſe pacto pares illis numero futuros: capras omnes quæ intra fines erant in unum coegerunt, adligataſq; ad cornua faces, intempeſta nocte accendêre. Hoſtes ignes eos eſſe ab auxiliaribus ſuſpicati, retrò agmẽ egére. A Capris itaq; mutato ueteri nomine Hyperæſia urbs Aegira eſt appellata. Quoq; loco ex illis una eximia ſpecie, quæq; cæteris dux erat procubuerat, ibi templum Dianę Agreſtis erexere, quòd illius propitio numine in mentem ſibi ueniſſe interpretati ſunt eo dolo hoſtem eludere. Pauſanias in Achaicis.

CYRVS ſuperatus à Medis, confugit ad Paſargadas. Multis Perſis ad hoſtes tranſeuntibus, inquit ad eos: Craſtino die nobis auxilio uenient centum millia, ab hoſtibus Medorũ. Vos igitur ad ſocios excipiendos ſinguli faſcem lignorum ferte. Quibus ferentibus, transfugæ Medis hæc enunciauerunt. Cùm nox appetiſſet, Cyrus imperat, ut quilibet ſuum faſcem incendat. Medi flammam lucentem conſpicati, putantes hoſtium copias aduentare, ſe in fugam coniecerunt. Polyænus libro 7.

ORONTES magno ſociorum numero amiſſo, quos Autophradates inſidiis peremerat, ſubornauit aliquos qui rumorem ſpargerent, ac nunciarent, mercenarios in propinquo eſſe: ſic ut etiam is ſermo ad Autophradatem perferretur. Nocte uerò ualentiſſimos Barbarorum armauit Græcanicis armis, eoſq; prima luce cum reliquis Græcis in acie collocauit, adhibitis interpretibus, qui utranq; linguam callerent, ut hi ea quæ præcepta Græcis eſſent, Barbaris enunciarent. Autophradates arma Græcanica conſpicatus, exiſtimans mercenarios uenire, de quibus audierat, congredi nõ auſus, aſſumtis copiis ſe fugæ mandauit. Polyæn. lib. 7.

ATHEAS rex Scytharum, cùm aduerſus ampliorem Triballorum exercitum confligeret, iuſſit à feminis & pueris, omnique imbelli turba, greges aſinorum ac boum ad poſtremã hoſtium aciem admoueri, & erectas haſtas præferri: famam deinde diffudit, tanquam auxilia ſibi ab ulterioribus Scythis aduentarent. Qua aſſeueratione auertit hoſtem. Front. lib. 2. cap. 4. & Polyæn. lib. 7.

PHOCENSES in Parnaſſo cum armis incluſi, ſub multã noctem deſcendentes, in hoſtes impetum fecerunt. Illi partim quaſi ſpectrum nouum & inuſitatum perhorreſcentes, partim etiam alios eſſe qui aggrederentur exiſtimantes, uictoriam hoſtibus dederunt, & ſtrages Theſſalica contigit ad quatuor millium uirorum. Polyæn. lib. 6.

AGIS Peloponneſiis aduerſus Lacedæmonios bellum gerentibus in Lemno, conſilium dedit, ut unam diem iumenta ſine paſcuis eſſent. Metum aũt hoſtibus inferre uolens, transfugas miſit, qui nunciarent, magnum auxilium Laconibus proxima nocte uenturum, & iumentorum ora per integrũ diem ligauit. Impetente uerò nocte, uincula ſoluit. Itaq; iumenta fame confecta, & uinculis ſoluta, cùm nacta fuiſſent herbas & paſcua, exilierunt & infremuerunt, magnumque ſtrepitum mouerunt, atq; ſimul clamorem exceptum ualles referebãt. Milites autem iuſſit, alium alibi diſperſos, duplices aut triplices ignes facere. Peloponneſij ſtrepitus magnitudine decepti, repentè fugam capeſſerunt. Polyæn. lib. 1.

ALCIBIADES nauali prælio decertaturus, conſtituit malos quoſdam in promontorio: pręcepitq; his quos ibi relinquebat, ut cùm prælium commiſſum ſenſiſſent, panderent uela. Quo facto conſequutus eſt, ut hoſtes aliam claſſem in auxilium ſuperuenire ei arbitrati, uerterentur. Frontinus libro ſecundo, capite 5.

ARGÆVS rex Macedonum, Taulantiorum Galaurus. Taulantij contra Macedones exercitum ducunt. Argæus (erat enim ei manus perexigua) iubet uirgines Macedonum, ſi hoſtes agmen ſuum adducerent, ipſas è monte ſeſe oſtendere. Appropinquantibus igitur hoſtibus, apparuerunt, & è mõtibus deſcendebant magno numero uirgines, thyrſoſque pro haſtis uibrabant, & fertis faciem obumbrabant. Galauro perterrito receptui ſignum dante, Taulantij abiectis armis terga uerterunt. Argæus templum ædificauit Baccho Fallaci, atq; ut uirgines, quas antea κλωδώνας Macedones appellabant, deinceps propter uirorum imitationem, μιμαλλόνας uocari iuſſit. Polyæn. lib. 4.

ANTIGONVS cum paucioribus militibus caſtrametabatur aduerſus hoſtes, qui Eumenem ſequebantur. Cùm autem continuis legationibus inter ſe uterentur, iuſſit militẽ quendam procurrere anhelantem, puluere reſperſum, atque nunciare: Socij præſtò ſunt. Antigonus hac audita uoce lætabundus exiliit, dimiſſiſq; legatis, poſtero die longitudinem acici duplicatam extendit, & è uallo deduxit. Hoſtes de aduentu ſociorum à legatis certiores facti diſceſſerunt. Polyænus libro 4.

IPHICRATES in Epidauro non multum ſupra mare aciem inſtruebat. Poſtquam uerò ad nemus profundum & umbroſum uentũ eſſet, eos, qui intus laterẽt, conſurgere iuſſit. Hoſtes magnas inſidias metuentes, reuerſi ſunt, & celeri fuga ſe in naues receperunt. Polyæn. lib. 3.

TYNNICHVS, cùm Theudoſia Ponti ciuitas à uicinis tyrannis oppugnaretur, ab Heraclea cum naui turbinata, & una trireme ueniens, aſſumtis tot militibus, quot poterat, & tribus tubicinibus, ſcaphiſq; ex uno ligno conſtantibus, quarum ſingulæ uirum unum capere poſſent, per noctem adnauigans, cùm ad ciuitatem appropinquaſſet, eximens ſcaphas, attribuit ſingulis buccinatorem unum, dato præcepto, ut mediocri interuallo à ſe mutuò diſtantes, poſtquam è triremi ſignum dediſſet, ipſi uiciſſim canerent per interualla temporum. Qui oppugnabant, maiorem aliquam claſſem adnauigare arbitrati, relictis excubiis, ſe fugæ tradiderunt. Tynnichus autem adductis nauibus, urbem oppugnatione liberauit. Polyæn. lib. 5.



C. SVLPITIVS Petreius Coſſ. contra Gallos dimicaturus, iuſſit muliones clàm in montes proximos cum mulis abire: & inde conſerto iam prælio, uelut equis inſidentibus oſtentare ſe pugnantibus. Quare Galli exiſtimantes aduentare auxilia Romanis, ceſſere, iam penè uictores. Frontinus libro 2. capite 4.

M. CATO, cùm Ambraciam eo tempore, quo ſociæ naues ab Aetolis oppugnabantur, imprudens uno lembo appuliſſet: quanquam nihil ſecum præſidij haberet, cœpit ſignum uoce geſtuq; dare, quo uideretur ſubſequentes ſuorum naues uocare: eaq; aſſeueratione hoſtem terruit, tanquam planè appropinquarent, qui quaſi è proximo citabantur. Aetoli, ne aduentu Romanę claſſis opprimerentur, reliquerunt oppugnationem. Front. lib. 2. cap. 7.

EVNDEM uaſtantem Hiſpaniam, legati Ilergetum, qui ſociorum populus erat, adierunt, oraueruntq; auxilia. Ille ne aut abnegato adiutorio ſocios alienaret, aut diducto exercitu uires minueret: tertiam partem militum cibaria parare, & naues aſcendere iuſſit: dato præcepto, ut ſimulata tantùm profectione, mox in caſtra redirent. Præcedens interim aduentantis auxilij rumor, ut Ilergetum excitauit animos, ita hoſtium conſilia diſcuſſit. Front. lib. 4. cap. 7.

ESBERNVS, Danorum regis Valdemari dux, apud Oldam inſulam XL piraticas Vandalorum naues aggreſſus, & penè circumuentus iuſſit, unum è ſuis accepto ſilice malum inſcendere, inq; ſummitate excuſſo igne oſtentare flammam. Vandali rati dari ſignum ſociis nauibus, à pugna deſtitere. Cranz. lib. 5. Vandaliæ cap. 26. ex Saxonis lib. 14.

CANIS Scaliger, qui Veronæ atq; Taruiſij principatum obtinebat, cùm diſcubiturus eſſet, atroci nuncio perculſus, Patauinos magno exercitu in prima Taruiſinorum tecta ingreſſos eſſe, ueſte mutata in ruſticanum iumentum conſcendit, unoq; ſolo ac fideli comite, magna celeritate Taruiſiũ peruenit. Illic arma induit, atque in bellatore equo antè ſe hoſtibus oſtendit, quàm uenturum eum ſuſpicarentur: fretus id fore, quod accidit: ut hoſtes ipſo conſpecto, ueniſſe maiorem numerum aut proditionem duplici fraude molitam arbitrarentur. Itaq; terrore perturbatis ordinibus, fuſi ſunt, eorumq; duces à Cane capti. Fulg. lib. 7. cap. 4.

In prælio, quo Poloni Cruciferos ad Groneualdam magna affecerunt clade: Boemi & Moraui mercenarij Polonorum, cum uno uexillo, cuius ſignifer fuit Ioannes Zarnouius Boemus, ſiue metu, ſiue auro Cruciferorum corrupti, ſub initium pugnæ ſeceſſerunt. Conſpicatus autem eos in ſylua NICOLAVS Tramba procancellarius, cùm ex acie iuſſu regis in caſtra cum cætera imbelli turba reuerteretur, accurrit ad eos: & grauiter obiurgatos, in aciem redire compulit, in ductorem ſuum Zarnouium culpam omnem referentes. Qui quidem ita deinceps infamis fuit ac deſperatus ob id factum, ut ne uxor quidem coniugali thoro eum dignaretur. Hi ergo reuertentes in aciem, ſpeciem noui exercitus hoſtibus præbuêre, terroremq; addidére. Cromer. lib. 16.

## AVXILIO BELLVARVM.

☞ *Vide Tit. Serpentum aut Canum auxilia adhibere.*

HISPANI contra Hamilcarem boues uehiculis adiunctos in prima fronte conſtituerunt: uehiculaq;, tedæ & ſepi & ſulphuris plena, ſigno pugnæ dato, incenderunt: actis deinde in hoſtem bobus conſternatam aciem perruperunt. Frontinus libro 2. capite 4.

Simili dolo HANNIBAL Caſſinatẽ ſaltum, imminẽte Fabio, euaſit. Vide Tit. Exercitum per loca infeſta ducere.

## COPIARVM SVARVM VERO, NON SImulato Robore, Firmitudine, Multitudine terrere.

REX Aethiopum Macrobiorum, cùm Cambyſes Perſarum rex exploratores ad eum miſiſſet Aethiopes Ichthyophagos: arcum eis dedit laxatum, & ſi Perſæ illũ intendere poſſent, tum contra Aethiopes bellum mouerent, monuit. Sin minùs, gratias diis agerent, qui Aethiopes à bello Perſis inferendo arcerent. Arcum illum ſolus Smerdes frater Cambyſis, Perſarum omnium robuſtiſſimus ad duos digitos trahere potuit. Herod. lib. 3.

XERXES rex ſpeculatores Athenienſium comprehenſos per caſtra circumduci iuſſit, eoſq; mox dimiſit. Polyæn. lib. 7.

P. SCIPIO poſtquam Africam attigit, ſpeculatores Hannibalis in caſtris deprehenſos, & ad ſe perductos, nec ſupplicio affecit, nec de conſiliis ac uiribus Pœnorum percõtatus eſt: ſed circa omnes manipulos ſeſe militaribus operibus exercentes diligentiſſimè deducendos curauit. Interrogatoſq;, An ſatis ea conſideraſſent, quæ ſpeculari iuſſi erant? prandio dato ipſis, iumentiſq; eorum, incolumes dimiſit. Quo tam pleno fiducia ſpiritu priùs animos hoſtium, quàm arma contudit. Val. lib. 3. cap. 7. Hoc ipſum ter à Scipione factitatum ſcribit Polyæn. lib. 8.

VAL. Leuinus Coſ. cùm intra caſtra ſua exploratorem hoſtiũ deprehendiſſet, magnamq; copiarum ſuarum fiduciam haberet: circumduci eum iuſſit, terrendiq; hoſtis cauſa, exercitus ſuos uiſendos ſpeculatoribus eorum, quoties uoluiſſent, patêre uoluit. Front. lib. 4. cap. 7.

IOANNES Zimiſces Imperator, claſſe inſigni contra Roxolanos egreſſus, legatos Tauroſcytharum (qui explorandi gratia regi occurrerant) circumductos per exercitum omnem ut ſingula contemplarentur, redire ad ſuos iuſſit. Cuſpin.

TARTARORVM princeps Amorabecus ad Lazarum Seruiæ Deſpotam legatos miſit, tranſitum in Hũgariam petentes, minas etiam addens ni pareret: & ut magis permoueret, mulum milio onuſtum in Deſpotæ conſpectu produci, ſaccoſq; exonerari iuſſit, quaſi acerui grana faciliùs, quàm Tartarorum illuuies numerari poſſet. Deſpotes in tertium diem reſponſum diſtulit, eoq; tempore gallos, capos, gallinas fame excruciari curauit. Euocatis inde legatis, gallos emitti iuſſit. Qui paruo temporis ſpacio uniuerſum milium abſumſere. Tum ad legatos conuerſus, Renunciate igitur regi ueſtro, inquit, ut milij grana aduehat innumera, nobis edaces gallos non defuturos. Et certè euentus ita tulit, ut Tartari multitudine confiſi, à Seruiis magnã ſint ſtrage affecti. Aegidius Corrozetus de Dictis & factis mem.

GVLIELMVS Normanniæ dux, cùm in Britanniam aduerſus Heraldum regem traieciſſet: captis hoſtium exploratoribus, deduci eos per tota caſtra iuſſit, & omnia eis oſtendi: deinde cibo recreatos, cum muneribus ad ſuos remitti. Non multo pòſt Britannos uicit, Heraldum occidit, & primus Normannorum, illius inſulæ regno potitus eſt. Fulgoſus libro 3. capite 7.

## VIGILANTIA.

EVMENES Cardianus cum Argyraſpidibus in Gabenorum regione hybernabat. Quos cùm ſparſim caſtra poſuiſſe intelligeret Antigonus, eos ex improuiſo uia compendioſa per montes opprimere cogitauit. Eo nuncio territis militibus, cum non longè abeſſet Antigonus, Eumenes timorem abſterſit, oſtendens inhibiturum ſe hoſtium celeritatem: ut diebus tribus, quàm expectarentur, tardiùs eſſent adfuturi. Circummiſit enim nuncios imperans, ut copiæ ex hybernis & cæteri properè conuenirent: ſimulq; cum aliis ducibus excurrens, & locum facientibus iter per deſertum ex edito conſpicuum amplexus & dimenſus, crebras pyras per interualla, ut in caſtris fieri ſolet, præcepit extrui. Quæ ubi adminiſtrata ſunt, ignibus ex regione montoſa Antigoni exercitui apparentibus, dolor Antigonum & mœror inuaſit, qui iamdudum exiſtimabat hoſtes explorato aduentu ſuo ſibi occurrere. Ne igitur fatigatus & confectus ex itinere, cùm militibus cogeretur alacribus, qui commodè hybernauerant, dimicare: uia relicta compendiaria per uicos duxit & oppida, reficiens per ocium exercitum. Plutarchus in Eumene & Polyæn. lib. 4.

SELEVCVS contra Demetrium caſtra figebat, qui rebus deſperatis ſub noctem ſtatuerat fortunam tractare. Demetrij duo milites cùm in primas Seleuci excubias incidiſſent, nocturni prælij apparatum nunciarunt. Metuens Seleucus, ne antè hoſtes præſtò eſſent, quàm ſuis armandi facultas daretur, tubicines claſſicum canere iuſſit: Milites uerò inter armandum maxima uociferatione exclamare, & unum quẽque ignem præſentibus ſarmentis iniicere. Demetrius cùm igni circumfulgere exercitum cerneret, exiſtimans apparatos ad pugnam eſſe, non auſus eſt eos aggredi. Polyænus libro quarto.

## CONFIDENTIA.

☞ *Huc etiam referri poteſt Tit. præcedens, Copiarum ſuarum robore hoſtes terrere. quatenus cum confidentia robur oſtentatur.*

Iones atq; Aeoles, cùm audiſſent Lydos citra negotium à Perſis uictos, legatos Sardis mittunt ad CYRVM, ultrò poſtulantes, ut iiſdem conditionibus eos admitteret, quibus & Crœſo ſubiecti fuerant. Verùm Cyrus ad eorum poſtulata per huiuſmodi ſimilitudinem atq; apologum reſpondit: Tibicen quidam ubi piſces in mari conſpexiſſet, canere tibia incipiebat, ratus nimirum eos ad cantus ſuauitatem in terram progreſſuros: at ſpe ſua fruſtratus, miſſo in mare uerriculo, ingentem piſcium uim complexus eſt, atq; extraxit. Et cùm palpitantes cerneret in ſicco, dixit ad piſces: Temperate nunc mihi quæſo à ſaltationibus, quando non libuit me canente, ſaliendo progredi. Quæ uerba Cyrus Ionibus Aeolibuſq; ideo dixit, quòd Iones, priùs ipſo Cyro per legatos ad amicitiam eos inuitante, flagitanteq; ut à Crœſo

rebellarent, conſtanter recuſauerant: ac iam demùm rebus non ex ſententia ſuccedentibus, parati eſſent Cyri imperata facere. Hoc reſponſo eos terrere uoluit. Iones his auditis moti, ad ſuas quiq; ciuitates reuerſi, mœnia communiuerunt. Herod. lib. 1.

In expeditione Scythica, cùm bellum traheretur, tandem Darij exercitus inopia rerum laborauit. Id REGES Scytharum tres numero, Scopaſis, Taxacis, & Indathyrſus intelligentes, miſerunt ad eum cum muneribus caduceatorem, aue, mure, rana, & quinq; ſagittis. Perſæ eum, qui munera ferebat, percontabantur, quid illa ſignificarent? Iſte negare ſibi aliud eſſe mandatum, niſi cùm illa tradidiſſet, celerrimè rediret. Iubere tamen ipſos Perſas, ſi ſolertes forent, interpretari, quid ſibi dona uellent. Darius opinabatur Scythas ſeipſos ei donare, & terram atq; aquam: quòd mus quidem in terra gignatur, & eodem quo homines uictitet: rana autem in aquis naſcatur: auis uerò ſit equo aſſimilis: ſagittis dandis, quòd ſeipſos tradere uideantur. At Gobryas unus è ſeptem, qui Magos ſuſtulerunt, hoc dicere dona coniectabat: O Perſæ, niſi ut aues ſubuoletis in cœlum, ut mures ſubeatis terrã, ut ranæ inſiliatis in paludes, non remeabitis eo unde ueniſtis, his ſagittis confecti. Et Gobryæ certè interpretationi euentus ipſe reſpondit. Omnium namque rerum inopia laborans Darius, turpi fuga ſibi conſulere fuit coactus: & niſi Iones pontem in Iſtro cuſtodiuiſſent, per quem effugeret, actum erat de toto illius exercitu. Herod. lib. 4.

Darius aduerſus SCYTHAS prælium committebat. Fortè accidit, ut lepus iuxta Scythicam phalangem decurreret. Scythæ leporem inſequebantur. Darius uerò: Operæprecium, inquit, eſt Scythas fugere, quibus adeò contemtui ſumus, ut relictis Perſis leporem perſequantur. Et receptui ſigno dato, de diſceſſu conſilium cepit. Iuſtinus, & Polyæn. lib. 7.

XERXES circa Abydum cum nauibus in inſidiis latebat. Frumentariæ naues Græcorum præternauigantes, capiuntur à Barbaris, quibus uiſum eſt ſubmergere naues onerarias unà cum ipſis hominibus. Xerxes contrà quærebat, Quò curſum tenerent? Quibus reſpondentibus, In Græciam: Etiam nos, inquit, eò nauigabimus. Itaque frumentum, quod Græcis aduehitur, noſtrum eſt. abite igitur. Illi Græcis hanc rem nunciantes, non exiguũ eis metum iniecerunt. Polyæn. li. 7.

IDEM Græcos ſpeculatores in caſtris ſuis prehenſos nihil læſit, ſed exercitum ut inſpicerent iuſſit, tum miſſos fecit. Plutarchus in Apophthegmatibus.

DIONYSIVS tyrannus, Himilcone adnauigante, atq; oſtium portus Homotylenſium muniente: copiis à Motia deductis, caſtra e regione conſtituit, nautaſque & milites, ut bonum animum gererent, nauibuſq; ſtationem pararent ſub promontorio quod portum continebat, hortatus eſt. Locus erat planus, & luto cœnoque plenus, latitudine uiginti ſtadiorum. Hoc milites lignis munito, ſubduxerunt octoginta triremes uno die. Himilcon ueritus, ne Dionyſius aſſumta claſſe ſupra promontorium adnauigaret, & Carthaginenſes in oſtio portus concluſos intus conficeret, ſpirante Borea, ſecundis uentis diſceſſit. Dionyſius uerò & portum & Homotylem & claſſem recuperauit. Polyæn. lib. 5.

ISCHOLAVS cùm in Drye oppugnaretur à Chabria, uolente arietes admouere, prior ipſe muri partem deiecit: utrumque ſecum reputans, ut ſui milites fortiùs pugnarent, cùm munitionem mœniorum non haberent: & hoſtes exiſtimarent, ſuas machinas oppugnatorias eſſe contemtui. Certè hoſtes ſpontaneam mœniorum deſtructionem metuentes, ingredi in urbem non audebant. Polyæn. lib. 2.

SENATVS Rom. poſt Cannenſem cladem ſupplementum exercitus in Hiſpaniam mittere auſus, fecit, ne hoſtilium locus caſtrorum, tum maximè Capenam portam armis Hannibale pulſante, minoris ueniret, quàm ſi illum Pœni non obtinerent. Val. Max. lib. 3. cap. 7.

ROMANI dum ab Hannibale obſiderentur, & ipſi obſiderẽt Capuam, decreuerunt, ne niſi capta ea reuocaretur inde exercitus. Front. lib. 3. cap. 18.

C. IVL. CÆSAR contra Pompeium in Epiro caſtra poſuerat. Ceperat Pompeius commodum caſtris locum, eique neceſſaria affatim terra marique ſubuehebantur: cùm ille non ageret in affluentibus commeatibus, pòſt etiam grauiter difficultate neceſſariorum premeretur, ac radicem quandam (Chara dictam) contunderent milites, eaq; lacte ſubacta ueſcerentur. Panes quoque ex ea confectos prouecti ad hoſtium ſtationes intrò miſerunt proieceruntq; cum hiſce uerbis: Quouſque eiuſcemodi tellus ferret radices, non deſituros ſe obſidere Pompeium. At Pompeius nec eos panes nec ſermones permiſit in uulgus militum efferri, ne flacceſcerent, immanitatem ac duriciem milites hoſtium quaſi ferarum horrẽtes. Plutarchus in Cæſare, & Sabellicus libro 7. Enneadis 6.

TIBERIVS Gracchus, Luſitanis dicentibus in decem annos cibaria ſe habere, & ideo obſidionem non expaueſcere: Vndecimo, inquit, anno uos capiam. Qua uoce perterriti quanquam inſtructi commeatibus, ſtatim ſe tradiderunt. Front. lib. 3. cap. 5.

A. TORQVATO Græcam urbem oppugnanti, cùm diceretur iuuentutem ibi ſtudioſè iaculis & ſagittis exerceri: Pluris eam, inquit, propediem uendam. Ibidem.

HELVETII Nouariæ à Gallis obſeſſi, muris ui tormentorum diſiectis, lodices ludibrij cauſa loco ualli obtenderunt, iis ſe pilas bombardarum excepturos dictitantes. Quinetiam fruſtra dehortante eos Maximiliano Sfortia duce, portis apertis, ut uia expedita potiùs quàm per ruinas intrarent, Gallos per præconem incredibili confidentia inuitabant. Iouius.

GENVENSES ac PISANI graui eo bello, quod inter ſe anno 1262. geſſerunt, cùm utrique in hoſtium urbem, ſub aliarum rerum prætextu, inſpecturos, qui apparatus fierent, exploratores miſiſſent: utrique liberè in urbe ſua iis permiſerunt omnia inſpicere, & ad ſuos inſpecta ſcribere. Adeò uterque populus uirtuti ſuæ fidebat. Egnatius libro 3. capite 6. & Fulg. lib. 3. cap. 7.

BLASIVS Axeretus, Genuẽſis claſſis præfectus, cũ ab Alphõſo Aragonum rege Caietam obſidẽte legatus eſſet miſſus, qui ſub prætextu indicendi Genuenſibus belli, claſſem Genuenſem diligenter inſpiceret: mandauit, ut regi ſuo omnes eas Genuenſis populi naues precioſis mercibus, quæ in Orientem mittebantur, onuſtas eſſe referret: & propterea ſi uictoria potiretur, ſciret prædam ſe ingentem de Genuenſibus acturum. Fulg. lib. 3. cap. 7.

## AVDACIA.

AGESILAVS Spartiates, non multò pòſt quàm regnum adeptus eſt, cùm Perſarum rex diceretur claſſem ornare & exercitum cogere contra Græciam, cupidus eius belli depellẽdi à finibus patriæ, pollicitus eſt, ſi ſibi modicas copias dediſſent ſui ciues, ſe liberaturum ipſos omni hoc timore ac malo: in Aſiam enim tranſiturum, bellumq; illic ipſi facturum. Quam ipſius uocem libenter Spartiatæ audiuerunt, ut narrat in ipſius laudatione Xenophon: mirificeque lætati ſunt, ueniſſe in mentem regi ſuo, quemadmodum Perſes olim in Græciam tranſiſſet, ita etiam ipſum in Aſiam exercitũ comportare. multum enim ualebat hoc ad Spartæ gloriam augendam, magnitudinemque animi illius reip. ſignificandam. Victorius lib. 36. Var. lect. cap. 7.

Tyrrheni cum Romanis bellum gerebant. Tyrrhenorum rex erat Porſenna, Romanorum imperator Publicola, tertiùm conſul. Q. MVTIVS Romanus, interficiendi Porſennæ cauſa in Tyrrhenorum caſtra uenit, habitu Tyrrheno, uocem etiam Tyrrhenorum imitatus. Qui accedẽs ad tribunal, cùm regem Porſennam non noſſet, quinam eſſet, ex aſſidẽtibus, quem maximè regi ſimilẽ eſſe putabat, eum ſtricto gladio interfecit. Comprehenſus fatebatur quinam eſſet. Porſenna ob datam ſalutem diis ſacrificabat. Mutius autem in focum igne plenum rectam manum iniecit: & dum manus cõbureretur, ſtans cum Porſenna loquebatur, hilari & intrepido uultu. Cùm Porſenna ſupra modum hominis uirtutem admiraretur, Mutius: Nequaquam, inquit, mireris. Trecenti Romani eadem tolerantia & uirtute præditi, qua ego, in caſtris oberrant, tempus captantes te interficiendi. Porſenna credens his uerbis, metuq; perterritus, bellum cum Romanis compoſuit. Polyæn. lib. 8. & Liuius.

C. IVL. CÆSAR cùm uideret Germanos tam facilè impelli ut in Galliam uenirent, ſuis quoq; rebus eos timere uoluit: cùm intelligerẽt & poſſe & audere populi Rom. exercitum Rhenum tranſire. Victorius lib. 36. Var. lection. cap. 7.

IVL. Agricola, Domitiani legatus in Britannia, Monam inſulam rebellantem in poteſtatem redigere, ne locus profugis ſupereſſet, contendit. Quumq; nauium copia ad traiectum deeſſet, militum alij biremibus, alij tranando, paruum nacti æſtum, ducis opera & conſtantia, repẽtè in inſulam ſunt immiſſi. Quorum audacia territi inſulani, qui Romanam claſſem expectabant, ſeſe Romanis dediderunt. Hector Boethius lib. 4.

MATTHIAS Coruinus Vngariæ rex, cùm prope Turcas caſtrametatus eſſet: pagano amictu, cum uno tantum comite, ſe cum iumento inter eos, qui commeatus in hoſtilia caſtra ferrent, inſinuauit. Cùm eò perueniſſet, toto die pro tabernaculo Turci hordeum uendidit. & nocte ingruente ſe incolumem in caſtra ſua recepit. Scripſit id ad hoſtẽ: & quò maiorem dictis fidem faceret, ferculorum numerum & epularum cuncta genera retulit. Quæ cùm hoſtis accepiſſet, timore perculſus, poſtero die caſtra ſoluit. Bonfin. li. 8. Decad. 4.

## INOPIAE DISSIMVLATIONE, ET Copiæ ſimulatione.

MYGDONIVS hoſtibus obſidentibus fame laborans, aceruos maximos terræ lapidumq; in foro extruxit: eoſq; compingens luto, in alios triticum, in alios hordeum iniecit, & mulos ingenti magnitudine, pinguiſſimoſque alens, extra mœnia dimiſit. Eos hoſtes comprehenderunt. Ille præcone miſſo iuſſit, ut mitterent qui de redemticio precio tranſigerent. Venerunt legati, quos Mygdonius in foro conuenit. Illi maximos aceruos tritici hordeiq; uidentes, & miniſtros alios alibi iubere metiri, reuerſi hæc hoſtibus nunciarunt. Qui pinguedinem mulorum conſpicati, fidemq; de ciborũ apparatu legatis habentes, longo tempore ſe ciuitatem capere non poſſe exiſtimarunt; & ob eam cauſam diſceſſerũt. Polyænus lib. 7.

THRASYBVLVS Mileſiorum tyrannus, cùm Halyattes rex Lydorum Miletum oppugnaret, eamq; confectam fame capere in animo haberet, miſiſſetq; legatum de induciis, donec templũ Arſiæ Mineruæ condidiſſet: mandauit ciuibus, ut pro ſe quiſq; frumentum omne quod haberet, in forum efferrent, ibiq; diſcumbentes conuiuiũ agitarent. Hæc preco nunciauit Halyatti. Is innumerabilem copiam ciborum Mileſios habere exiſtimans, oppugnationem remiſit. Polyænus libro ſexto, & Frontinus libro 3. capite 15. qui Thraſybium uocat.

BIAS, cùm ab Halyatte rege patria ipſius Priene obſideretur, duos mulos ſaginatos probeq; curatos, in caſtra regis agi curauit. Quorum habitu rex territus, quòd fame ciuitas capi non poſſet, in qua etiam muli tam nitidè haberentur, de ſoluenda obſidione cogitauit. Mulos tamẽ in urbem reduci per exploratorem iuſſit. Cui Bias ingentes arenæ cumulos tritico deſuper opertos oſtendit. Quam rem cùm explorator renunciaſſet, obſidionem ſoluit rex. Laertius in eius uita, & Suidas.

HARMOSTES Lacedæmonius (id dignitatis nomen eſt) ab Athenienſibus obſidebatur, duorum adhuc dierum cõmeatu inſtructus. Præco uenit Spartiata. Non permiſerunt Atheniẽſes, ut intra mœnia ueniret, ſed ante mœnia diceret, quæ uellet. Omnibus audientibus, præco inquit: Lacedæmonij bonum te animum habere iubent, & mox uenturum auxilium expectare. Harmoſtes: Ne, inquit, omnino feſtinetis opem ferendo. Commeatum enim adhuc quinq; menſium habemus. Athenienſes (nam hyems ingruebat) diuturnam & hyemalem oppugnationem dimittentes, abierunt. Polyænus libro 2.

THRACES in arduo monte obſeſſi, in quem hoſtibus acceſſus non erat, collato uiritim exiguo tritico aut caſeo pauerunt pecora, & in hoſtium præſidia dimiſerunt. Quibus exceptis, occiſiſq;, cùm frumenti ueſtigia in uiſceribus eorum apparuiſſent, opinatus hoſtis magnam uim tritici ſupereſſe eis, qui inde etiam pecora paſcerent, receſſit ab obſidione. Frontinus lib. 3. cap. 15.

Quo tempore Galli Capitolium obſidebant, Ioui Piſtori ara poſita fuit, quòd ROMANOS deus in quiete monuiſſet, ut ex omni frumento, quod haberent, panem facerent, & in hoſtium caſtra iactarent: eoq; facto, ſoluta eſt obſidio, deſperantibus Gallis inopia ſubigi poſſe Romanos. Lactantius libro j. Liuius. Frontinus lib. 3. cap. 15. & Val. Max. lib. 7. cap. 4. ATHENIENSES aduerſus Lacedæmonios idẽ feciſſe dicuntur. Frontinus lib. 3. c. 15.

Hi qui ab Hannibale CASILINI obſidebantur, cùm ad extremam famem perueniſſent, ita ut etiã herbas pro alimentis uorarẽt: arato loco, qui erat inter caſtra ipſius atq; mœnia, ſemina in præparatum locum iecerunt: & ſic ſunt conſecuti, ut habere uiderentur quo uictum ſuſtentarent, uſq; ad ſatorum prouentum.

RELIQVI ex Variana clade, cùm obſiderentur à Germanis, quia deſtitui frumento uidebantur, horrea tota nocte circumduxerunt: captiuos deinde præciſis manibus dimiſerunt. Hi circumſidentibus ſuis perſuaſerunt, ne ſpem maturæ expugnationis reponerent in fame Romanorum, quib. alimentorum ingens copia ſupereſſet. Idem.

Veſpaſianus bello Iudaico Iotapatam munitiſſimum Galileæ oppidum oppugnabat: obſeſſi aquæ penuria urgebantur. IOSEPHVS dux eorum aquam menſura ciuibus ſubminiſtrabat. Romani exhauſtis puteis deditionem non multo pòſt facturos ſperabant. At Ioſephus iuſſit ſuos per murorum ambitum ueſtes aqua madentes ſuſpendere. Copioſa ex illis deſtillante aqua, Romanorum ſpem irritã fecit, magnam aquæ copiam ſe habere ſimulans. Ioſephus lib. 3. capite 8. Belli Iud.

Bardas Sclerus qui à Baſilio II. Imp. defecerat, Bythiniæ metropolim Niceam, fame per obſidionem capere ſtudebat. Imperatoris CVBICVLARIVS, arenæ cumulos frumenti granis texit, ut maximi aceruí iudicarentur, eoſq; captiuis oſtendit. Cuſpinianus ex Cedreno.

LADISLAVS Vngariæ rex, quum Cracouiam Polonorũ regiam tertium iam menſem obſideret, magnaq; egeſtas utrinq; ingrueret: intempeſta nocte, regis edicto, quiſq; miles ocream galeámue effoſſa terra completam ante urbis mœnia conferre iubetur. Quod ubi factum eſt, cõgeſtæ terræ mox tumulus haud mediocris exurrexit, quem farina quamprimùm rex aſpergi iuſſit. Illuceſcente die, oppidani editiſſimum farinæ montem ante muros arcis aſpiciũt, hoſtium commeatibus inuident, ac pariter admirãtur. Quare ſequenti die ſeſe cum arce dediderunt. Bonfin. lib. 4. Dec. 2.

Pragenſes Huſſitæ, arcem in Boemia nobiliſſimam, in qua regia corona aſſeruatur, Caroloſteynã uocant, à Carolo IV. Imp. conditam, cum XXIV millibus armatorum circumſederant, quadrifariam copiis diſtributis, & ad ſingulas ſtationes ſagittariis atq; machinis diſpoſitis. Proiectis in arcẽ uaſis, cadauerũ & humanorũ excremẽtorũ plenis, obſeſſis præ grauitate odoris dentes uacillare cœperunt & excidere: præter id quòd fame grauiſs. premebantur. PRÆFECTVS arcis hircũ, qui unicus ſuperfuerat, exutũ pelle, medium diuiſit, cruoreq; perfuſum, inſperſis deſuper pilis damæ, ex tomento ſellæ detractis, ad Pragenſem præfectũ militum miſit, qui ſuo nomine diceret, ſe recens captam damulam libenter cũ illo partiri. Is hoc argumento ſuſpicatus habere obſeſſos meatum aliquem ſubterraneũ, qui illis uenandi quoq; facultatem præberet, hortantib. in primis ſellulariis opificibus, qui propter mollitiem animi neq; frigus diutiùs neq; laborem ferre poterant, obſidionẽ die Martini ſoluit. Dubrauius lib. 26.

## SEVERITATE.

☞ *Conſule Tit. Terrere hoſtes periculi proprij metu.*

ARNVLFVS Germanorum rex, cùm Berengarium Italiæ regem à Vidone pulſum reſtitueret, & Bergomo à ciuibus murorum munitione confiſis excluderetur, oppido capto Comitem eius Ambroſium, prodendi exempli cauſſa, ante portam urbis ſuſpendio ſtrangulauit. Quo terrore adacti Mediolanenſes, Papienſes & Placentini, confeſtim ei ſe præmiſſis nunciis tradiderunt. Sigonius lib. 6. reg. Ital.

## DESPERATIONE SALVTIS, DEVOTIONE.

CLEARCHVS Lacedæmonius exploratum habens, Thracas omnia uictui neceſſaria in montes comportaſſe, una quoque ope ſuſtentari, quod crederent eum cõmeatus inopia receſſurum: per id tempus quo legatos eorum uenturos opinabatur, aliquẽ ex captiuis in conſpectu iuſſit occidi, & membratim tanquam alimenti cauſa in contubernia diſtribui. Thraces nihil non facturum perſeuerantiæ cauſa eum credentes, qui tam deteſtabiles epulas ſuſtinuiſſet experiri, in deditionẽ uenerunt. Front. lib. 3. c. 5. & Polyæn. lib. 2.

TYRTÆVS, Lacedæmoniis uolentibus cum Meſſenlis ſigna conferre, cùm ſtatuiſſent aut uictoriam reportare, aut mortem in prælio obire: & ut quilibet à ſuis in mortuorũ ſepultura agnoſceretur: ſcytalis nomen inſcriberent, eaſq; circa læuam ferrent: uolens, hac re patefacta, terrorem incutere Meſſeniis, mandauit, ut Helotarum transfugientium nulla ratio duceretur. Nemine igitur obſeruante, ſenſim transfugientes, Meſſeniis deſperationem Laconicam nunciarunt. At illi perterriti, infirmiori robore pugnantes, uictoriã non exiguam Lacedæmoniis dederunt. Polyæn. lib. j.

Cùm Aegyptij à Perſarum rege Artoxerxe defeciſſent, & Athenienſium auxilia impetraſſent: Artabazus & Megabyzus, ſummi duces, prudenti cõſilio, nauibus Athenienſium procul ad inſulam Proſopitim coactis, fluuium circumfluentẽ foſſis in aduerſum erutis deduxêre, inſulamq; illam aqua ſubducta ſiccam undiq; continenti reſtituere. Aegyptij uidentes naues repentè ſolo inſediſſe, conſternatis animis ad Perſas transfugere. ATHENIENSES naues ſubiecto igne omnes concremarũt, ne carinis integris in manus hoſtium uenirent: paratiſq; animis aderãt ad manus cum hoſtib. conſerendas. Artabazus & Megabyzus conſpecta hac audacia, ueriti ne cum deſperatis pugnantes multa millia amitterent, fœdus cum Athenienſibus iniuere, uti incolumes Aegypto excederent. Diod. lib. 11.

## FVGAE FACILITATE, ET SPE EFfugij ad metum & fugam impellere. HOSTEM clauſum emittere, fugientem non retinere.

IPHICRATES hoſtibus in fugam uerſis, pedetentim agmẽ ducens ſequebatur, & præcipiens aiebat: Inſidias omni ſtudio cauete: reliquos autem ex fugientib. cædite, uſq; ad fluuiorum tranſitus, & locorum anguſtias atq; foſſas. Hîc maximè includi fugientes non oportet, ne cogantur ex deſperatione pugnare. Prope munitiones aut mœnia perſequi, nõ utile eſt. multi enim iam ſæpe parta uictoria, poſtquam intra teli iactum uenerunt, maximis cladibus affecti diſceſſerunt. Polyæn. lib. 3.

IDEM noctu capta urbe, hoſtib. in forũ concurrẽtibus, & cõglobatis, portas aperire iuſſit, fugiendi poteſtatem concedens, ut ipſe minori cum periculo ciuitatem obtineret. Idẽ.

Xerxes ingẽti prælio nauali ad Salamina à Græcis uictus, per aggeres meditabat̃ traducere in Græcos copias terreſtres, freto, quod erat interfuſum, obſepto. THEMISTOCLES aũt uerbis ARISTIDEM pertentãs, cẽſere ſimulauit ſe, ut claſſe in Helleſpontum profecti, pontem reſcinderent: Quo Aſiam, inquit, in Europa capiamus. Quod cùm improbaret Ariſtides, diceretq́; Hactenus quidem cum barbaro ludẽte contulimus arma: quem ſi in Græcia incluſerimus, & metu ad neceſſitatem adegerimus, uirum tam multis ſubnixũ legionibus, non ultra ſub umbraculo ſedens aureo pugnam ſolutè ſpectabit: ſed omnia audebit, & omnibus rebus ipſe metu urgente occurrens, quod titubatũ eſt, corriget, conſiliumq́; de ſumma rerum inibit ſanius. Non eſt igitur hic ſoluendus pons: uerùm etiam, ſi quà fieri queat, parandus alter, quo iſtũ ꝓperè ex Europa extrubemus. Aſſentiẽs Themiſtocles, quendam ex regiis eunuchis, quem inuenit inter captiuos, Arnacem nomine mittit, qui renunciet regi, decreuiſſe mari nunc uictores Græcos Helleſpontum claſſe petere, ad pontem, qui ibi conſtratus ſit, intercidendum: Themiſtoclem autem de rege laborantem monere, ut properato itinere ad mare ſuum contendat, & tranſmittat, dum moras aliquas ipſe ſociis nectit & cunctationes ad inſequendum. Hoc Barbarus nuncio expaueſcens properauit ſe recipere. Plut. in Themiſtocle, & Poliænus lib. j. Front. lib. 2. c. 6.

Edixit LYCVRGVS, ut prælio fuſos fugatosq́; hactenus, dũ confirmaſſent uictoriam, conſectarentur, mox receptui canerent, quòd trucidare terga dantes Græcis neq; dignum, neq; conducibile foret. Siquidem certos, quibus cum manus conſererent, occidere eos illos, ſi qui ſubſiſterent, terga uertentibus parcere: fugam capeſſere, quàm in acie manere, exiſtimaturos commodiùs. Plut. in Apopht.

BRASIDAS bello Peloponneſiaco cùm ad Amphipolim clã exercitum admouiſſet, cognita ciuium perturbatione, parũ tutam ratus ex deſperatione ſuſceptam pugnam: Athenienſibus ſecuritatem promulgauit, ut fœdere facto diſcederẽt, & ſua poſſiderent: Amphipolitanis uerò libertatem patriç, ſi cum Lacedæmoniis belli ſocietatem inirent. Obedientes promulgationi Athenienſes quidem diſcedunt: Amphipolitani uerò ſocietatem cum Lacedæmoniis fecerunt. Polyænus lib. j.

Cùm Lacedæmonij Erani montem, Meſſeniorum præſidium cepiſſent, & Ariſtomenes uxoribus & liberis in medios ordines receptis, eruptione effugium quæreret: SPARTANI, Hecatæo uate iubente, diuiſa acie fugientibus uiam dedêre, ad extremum iam deſperationis progreſſos, non eſſe ampliùs efferandos rati. Pauſan. in Meſſenicis.

Lacedæmonij uictis Argiuis circumuentos Arcadas occidione delere ſtatuerant: & Agis Lacedęmoniorum rex, primus dimicando cuncta obnixè moliri ac tentare, ſi qua rerũ eos difficultate caſúue aut periculo implicitos, omnes obruere poſſet. Verùm PHARAX Spartiata, unus ex decẽ regi additis conſultoribus, iuſſit Arcadibus incluſis exitum patefieri, neq; in uitæ deſperatione poſitos ullo pacto tentandos, aut in eam neceſſitudinem adducẽdos, ut uirtutis extremũ periclitantis, ultima præſidia quærere expeririq́; cogerẽtur. Agis ex Pharacis ſententia aperuit hoſtibus exitum, atque ita mille emiſſi, incolumes abiêre. Lacedæmonij ingenti uictoria læti, trophæo erecto, domum rediere. Diod. libro 12. Agidis dictum refert Plut. in Apoph. Quî, inquit, ſi cum terga uertentibus non pugnabimus, pugnabimus cum iis, qui ex ſtrenuitate locum tenent?

AGESILAVS Athenienſibus ad Coroneam ſuperatis, nunciante quodam, Hoſtes in templum confugiunt: iuſſit eos abire quocunq; uellent. Polyænus lib. 2.

IDEM aduerſus Thebanos cùm acie confligeret, intellexiſſetq́; hoſtes locorum conditione clauſos, ob deſperationẽ fortiùs dimicare: laxatis ſuorum ordinibus, apertaq́; Thebanis ad euadendum uia, rurſus in abeuntes contraxit aciem, & ſine iactura ſuorum cæcidit auerſos. Frontinus libro 2. capite 6.

EPAMINONDAS uictis ad Leuctra Lacedæmoniis, permiſit cæteris Peloponneſiis, uti domum quiſq; ſuam abirent, ſolos Lacedæmonios ad Leuctra intercluſos retinuit. At certior factus, Spartanos ſuis auxilium ferre, hoſtibus quò uellent, abeundi poteſtatem fecit. Pauſan. in Bœot.

ANTIGONVS rex Macedonum, Aetolis, qui in obſidionem ab eo compulſi, fame urgebantur, ſtatuerantq́; eruptione facta commori, uiam fugæ dedit: atq; ita infracto impetu eorum, inſecutus auerſos cæcidit. Polyæn.

PYRRHVS Epirotarum rex, cùm quandam ciuitatem cœpiſſet, clauſiſq́; portis ex ultima neceſſitate fortiter dimicãtes eos, qui incluſi erant, animaduertiſſet: locum illis ad fugã dedit. Idem inter cætera præcepta imperatoria memoriæ tradidit: non eſſe pertinaciter inſtandum hoſti fugienti, partim ne fortiùs ex neceſſitate reſiſtat, partim ut fugæ ſemel aſſuetus, faciliùs acie cedat. Idem.

Cn. Manlius Coſſ. cùm ex acie reuerſus capta ab Hetruſcis Romana caſtra inueniſſet: omnibus portis ſtatione circundatis, incluſos hoſtes in eam rabiem efferauit, ut ipſe in pręlio caderet. Quod ut animaduerterũt LEGATI eius, ab una parte remota ſtatione, exitum Hetruſcis dederunt, & effuſos perſecuti, occurrente altero conſule Fabio, cęciderũt. Ibidem.

Q. FABIVS Ambuſtus Anxur oppugnabat ab infima parte, qua in paludes uergit. Seruium Ahalam quatuor cum cohortibus circummiſit, qui parte ſuperiore mœnia ex improuiſo inuaderet. Muris ſuperatis diu anceps in urbe pręlium fuit. Hoc cognito, Fabius pronunciari iuſſit, Ne quis ex hoſtibus præter armatos uiolaretur. Quo edicto, proiectis ſtatim armis & cædes deſiit, & urbs in poteſtatem Fabij redacta eſt. Liuius.

M. LIVIVS Salinator, fuſo Haſdrubale, hortantibus eũ quibuſdam, ut hoſtem ad internecionem perſequerentur, reſpondit: Aliqui uiuant & ſuperſint, qui de uictoria noſtra hoſtibus nuncient. Frontinus libro 4. capite 7. & Valerius libro 3. capite 7.

P. SCIPIO Aphricanus dicere ſolitus eſt, hoſti nõ ſolùm dandam eſſe uiam fugiendi, ſed etiam muniendam. Idem.

L. MARTIVS eques Rom. cui duobus Scipionib. occiſis exercitus imperium detulit, cùm circũuenti ab eo Pœni, ne inulti morerentur, acriùs pugnarent: laxatis manipulis, & conceſſo fugæ ſpacio, diſſipatos ſine periculo ſuorum trucidauit. Frontinus lib. 2. c. 6.

HANNIBAL cùm ad Thraſymenum incluſi Romani acerrimè pugnarent, diductis ordinibus fecit eis abeundi poteſtatem: eunteſq́; ſine ſuorum ſanguine ſtrauit. Idem.

GALLOS, eo prælio quod Camilli ductu geſtum eſt, deſiderantes nauigia, quibus Tyberim tranſirent, Senatus cenſuit tranſuehendos, & commeatibus quoq; perſequendos.

IISDEM poſtea per Pontinum agrum fugientibus uia data eſt, quæ Gallica appellatur. Idem.

C. IVL. Cæſar Germanos incluſos, ex deſperatione fortiùs pugnantes, emitti iuſſit, fugienteſq́; aggreſſus eſt.

TOTILAS Romam ceperat. Paulus Cilix equitum alæ pręfectus circa Hadriani molem inſederat põtem. Inſigniter hic certatum eſt, Gothis indignantibus, quòd tam pauci uictoriam iam partam interpellantes, magnam ſtragem in uictores ędere nt. Totilas receptui cani iuſſit, teſtatus ſtulti & dementis ducis eſſe, à uicto quæ gratis fame cogente aſſequi poſſet, uelle ſuorum ſanguine redimere. Equites quadringenti fortiſſimi, ſuaſu Pauli, complexi ſeſe inuicem, & oſculati, in proximam Gothorum ſtationem impetum facere, ac cùm totum exercitum in ſe uertiſſent, fortiter dimicãdo occumbere ſtatuerant. Totilas ueritus, ne deſperatio paucorum maiorem Gothis cladem afferret, caduceatore ad eos miſſo conditionem obtulit, Vellént ne equis & armis relictis incolumes abire, an omnia retinentes ſecum militare? Læti eo nuncio equites (præter ipſum ducem, qui cum Mundo Iſaurico ad Iuſtinianum, ob coniugis & liberorum affectum, redire maluit) conditionem accepêre. Io. Magnus lib. 14. cap. 8. ex Procopio.

IO. Huniades ſuos ab inſequendis Turcis ad Belgradum uictis inhibuit, cùm ſciret Turcos ancipiti diſcrimine duplo ſeipſis fortiores reddi. Chalcocondylas lib. 8.

## RELIGIONE.

*Ex Tit. Oracula Victoriæ, huc quædam, quatenus his ipſis ut hoſtes terrentur, ſic noſtri animantur.*

CAMBYSES Peluſium oppugnabat, Aegyptij fortiter reſiſtentes, aditum Aegypti clauſerunt, multaſq́; machinas immiſerunt, catapultis acuta tela mittentes, ſaxa atq; ignem. Cambyſes, quotquot animalia Aegyptij deorum honore colunt, canes, oues, feles, ibides ante ſuum exercitum collocauit. Aegyptij iaculari deſtiterunt, metuentes, ne ſacrum aliquod animal lęderent. Ad hunc modum Cambyſes Peluſio capto, in Aegyptum peruenit. Polyænus lib. 7.

Phœnices, qui inſulam Rhodum incolunt, per multum temporis ſpacium cum IPHICLO Græcorũ duce pugnarunt. Erat his reſponſum, regionem ad id uſq; temporis habituros, quo albi corui fierent, piſceſq́; in crateribus apparuiſſent. Sperantes illi hoc nunquam futurum, res bellicas negligentiùs tractare cœperũt. Iphiclus autem cũ Larca quodam aquatum profecto conuenit, ut clàm aquæ piſces immitteret, eamq́; in urbem ferens in craterem effunderet, unde Phalantho Phœnicum duci uinũ adminiſtrabatur. Mox etiam coruos captos gypſo pinxit, & poſtea dimiſit. Quos cùm uidiſſet Phalanthus, ad crateres acceſſit. In quibus etiã cũ piſces uidiſſet, ad Iphiclũ præcones miſit, qui cũ eo agerẽt de fœdere, ut cũ ſuis militib. exire liceret. Athen. li. 8. c. 11.

C. IVL. Cæſar in Gallia, quia compererat Arioniſto Germanorum regi inſtitutum, & quaſi legem eſſe non pugnandi,

decre-



decreſcente luna; tum potiſſimũm acie cõmiſſa, impeditos religione hoſtes uicit. Polyæn. lib. 8. & Front. lib. 2. cap. j. & Plut. in Cæſare.

Iacobus II. Scotorum rex, contra Henricum VI. Anglum expeditionem inſtituerat. Angliam ingredienti, ſubornatus quidam ab Henrici fautoribus, natione Anglus, ſed qui ꝓbè linguam calleret Italicam, diplomatibus bulliſque affatim inſtructus, adiuncto quodam monacho, ingentem pietatem ſimulantes occurrens mandato ſummi Pontificis uetuit ne ultrà pergeret. Pontificem namque compoſitis totà Europa, qua Chriſti nomen colitur, inter principes bellis; communibus auxiliis Turcam communem hoſtem inuadere decreuiſſe. Venturos autem breuiſſimè ab eodem Pontifice legatos, qui iniurias Scotis ab Anglis illatas repararent. Iacobus mandato obſequutus, confeſtim exauctoratum dimiſit exercitum. Sed uix dum ſe receperat, quum technam fuiſſe ab hoſtibus ſtructam cognouit, ac facti pœnitens, nouas copias comparauit. H. Boeth. lib. 18.

Populus Romanus ab VRBANO VI. Pp. neſcio quid, quod negabatur, petens, armis palatium inuaſit, minatus dira, ni fierent, quæ poſcerent. Pontifex audiens aduentare tumultuantes, iuſſit parari cathedram pontificalem ad ingreſſũ atrij, reſerariq́; portas palatij. Sedet inſulatus, ingreſſoſque primos magna ſtipante & à tergo urgente turba, uultu truculento: Quem, inquit, quęritis? Illi muti & immobiles conſtitere, paucis eius uerbis & reuerentia pontificalis adſpectus conterriti. Cranzius lib. 10. Metrop. c. 14.

ADRIANVS Pontifex ad Deſiderium Longobardorum regem epiſcopos miſit, qui ei, ſi Romanorũ fines hoſtili manu ingrederetur, anathema intentarent. Ergo pudore rex confuſus, Ticinum ſe recepit. Bonfin. lib. 9. Decad. 9. rerum Vngaricarum.

## PERICVLI, DAMNI, CLADIS, INSIDIARVM IMMINENTIUM METU.

*Vide Tit. Hoſtem retrahere, auocare. Illic Loci à quo & ad quem auocatur. hic Perſonarum, quarum cauſa retrahitur, habenda ratio.*

THEMISTOCLES ut Xerxem poſt cladem Salaminã è Gręcia fugaret, quendam ex regiis eunuchis, Arnacem nomine, ad regem miſit, qui nunciaret illi, decreuiſſe mari nũc uictores Græcos Helleſpontum claſſe petere, ad pontẽ, qui ibi conſtratus ſit, intercidendum: Themiſtoclem autem de rege laborantem monere, ut properato itinere ad mare contendat, & tranſmittat, dum moras aliquas ipſe ſociis nectit ad inſequendum. Hoc Barbarus nuncio expaueſcens, properauit ſe recipere. Plut. in Themiſtocle.

AGESILAVS in Achæorum gratiam Acarnanas acie fudit. Inſtantibus Achæis, ut illic hybernans impediret, ne facere hoſtes ualerent ſementem: contrà ait ſe facturum. Impenſiùs enim formidaturos illos bellum, ſi conſitum agrum in æſtatem haberent. quod euenit. Nam mota iterum in eos expeditione, fecerunt cum Achęis pacem. Plut. in Ageſilao, & Polyænus lib. 2.

PLATÆENSES Thebanos aliquot in prælio ceperant. Cùm autem in Plateida impreſſionem Thebani facerent, legatũ Platæenſes miſerunt, & ſe captiuos eorum morte affecturos interminabantur, niſi è terra decederent. Idq́; reipſa pręſtiterunt. Polyænus lib. 6.

Thebani noctu obruere cogitabant Athenas. IPHICRATES, re cognita, præcepit Athenienſibus, ut noctu ſigno dato in forum conuenirent: ſibi enim proditum iri Thebanorum ciuitatem. Itaq; ſine tumultu egredi in animo habere, ac ſine pugna Thebas ex improuiſo obruere. Id cùm Thebanis nunciatum eſſet, ab opprimendis Athenis deſtiterũt. Polyænus lib. 3.

IDEM cùm eſſet Corinthi, Lacedæmonij ciuitatem aggreſſi ſunt. Ille non protinùs correptis copiis, in periculũ ſe obtulit: ſed cognito quòd eſſent circa urbem loca munitiſſima, clàm ea priùs occupauit, & his qui in ciuitate erant antè promulgauit, ut ad ſe uenirent. Exeuntibus autẽ omnibus, & in unum collectis, Lacedæmonij multitudinem timẽtes, & in munita loca factam fugam metuentes, ſine prælio fugientes diſceſſerunt. Idem.

Athenienſes duce Nicia in portu Syracuſano cõcluſi à Siculis & Gylippo Lacedæmonio, uicti nauali pugna, fugam meditabantur. Cernens autem Syracuſanos Gylippus ſacrificiis & poculis ob uictoriam & ſolẽne immerſos, deſperauit uel monendo & cogendo excitaturum ſe eos, ut abeuntes adorirentur hoſtes. At HERMOCRATES Syracuſanus dolũ ex ſemetipſo in Niciam commẽtus, miſit ad eum certos ex amicis ſuis, qui uenire ſimulabant ſe ab Leontinis, qui antè conſueuerant clàm cum eo colloqui. Hi monuerunt eum, ne ſe nocte moueret, quòd ipſis locaſſent Syracuſani inſidias, anguſtiasq́; quibus tranſeundum erat, inſediſſent. Ita circunſcriptus Nicias remanſit ſimpliciter: ac ueritus eſt, ne non uerè in hoſtium retia incideret. Siquidem prima luce præcurrerunt, ſaltus obſederunt; uada fluuiorũ munierunt muris; pontes reſciderunt, locis planis & campeſtrib. equites locauerunt, nullus ut eſſet relictus Athenienſibus locus ſine dimicatione progrediendi. Plut. in Nicia, & Polyænus lib. j. & Diodorus lib. 13.

Cùm PTOLEMÆVS Abubi F. imperandi libidine ſocerum Simonem ducem & pontificem Iudæorum interfeciſſet: uxorem eius cum duobus filiis uinctos abigens, recepit ſe in arcem quandam ſupra Hierichunta, Dagon nomine. Hanc cũ Ioãnes, qui & Hyrcanus dicebatur, Simonis F. oppugnaret exercitũ: Ptolemæus productam matrem cum filiis in mœnia flagris in conſpectu omnium cædebat, minitans ſe præcipitaturum eos, niſi frater ab oppugnando deſiſteret. Hyrcanus pietate erga matrem & fratres motus, quamuis uiribus longè ſuperior eſſet, ab oppugnando tamẽ deſtitit. Exiſtimabat enim tantum ſe gratificari ſuis chariſſimis, quantum ab oppugnatione deſiſteret. At nihilominùs eos Ptolemęus occidit, & ad Zenonem Philadelphienſem tyrannum profugit. 1. Maccab. 16. & Ioſephus lib. 13. c. 15. Antiq.

CENTOBRICENSES Hiſpani à Q. Metello oppugnati, machinis quibus muros diſiecturus erat obiecerũt transfugas Rhetogenis filios. Quibus ille humanitate potiùs quàm uictorię laude motus, ne pueri in cõſpectu patris crudeli mortis genere conſumerentur, ab obſidione diſceſſit. Quamuis hoc ipſo clementi facto id effecerit, ut omnes Celtiberi Romanorum ſe poteſtati ſubiecerint. Val. lib. 5. c. j.

NARSETE eunucho reliquias Gothici belli perſequente, pręſertim cùm Frãcorũ LXXII M. in Italiã miſiſſent, Lucẽſes obſidibus datis iureiurando promiſerunt, ſe dedituros, ſi intra triginta dierum ſpacium ſibi à Francis non fuiſſet ſubuentum. neq; tamen, illo exeunte tempore, licèt à Francis deſerti, fidem præſtiterunt. Itaq; iratus Narſes obſides eorum religatis manibus, & capite demiſſo produxit, ac ciuibus eorum oſtendit: denuncians, ſe in eorũ capita, ni ſe dederent, ſæuiturum. Vbi uerò imminenti ſuorum morte non permoueri, ſed in pertinacia permanere cognouit: cauens eos uiolare, à quibus nulla iniuria laceſſitus fuiſſet, crudelitatis eos ſpecie uoluit deterrere. Quippe tacito imperio iuſſit, ut carnifices ictum ſine illorũ pernicie ligno infligerent, quod collo eorum ſubmiſſum ueſte contexerat, ne Lucẽſes rationem perſpicere doli poſſent. Quo facto, illi tamen, ut edocti fuerant, ſpeciem morientium imitantes, proni ad terram de induſtria ceciderunt, ac pedibus, ut aſſolet, calcitrare cœperunt. Lucenſes, rei ueritate, ut ex longinquo, non exactè perſpecta, ſuos tanquam mortuos comploratũt (nam nobili loco nati erant) & Narſeti crudelitatem exprobrare cœperunt. Quibus inclamantibus, ita Narſes reſpondit, ut eos cauſſam dediſſe tanto facinori diceret, qui ſacramentum fidei neglexiſſent. quòd ſi uellent ad fidem redire, obſides ſe in uitam reuocaturum. Lucenſes ſe illudi putarunt, cùm illum loquentem de excitandis mortuis audierunt: ſed tamen, ut æquitatis laudem aucuparentur in eo, quod effici non poſſe credebant, ſe illius arbitrio permiſſuros, ſi illos ſuperſtites cernerent, promiſerunt. Tũ Narſes ſurgere omnes uno tempore iuſſit, atq; integros ualenteſque ſuis oſtendit. neque tamen propterea Lucenſes ad fidem præſtandam adduxit. Itaque tam uæcordi pertinacia cognita, à magnitudine animi conſilium petiit, ac ſine ulla mercede obſides eis remiſit. Illis autem mirantibus, & cauſſam facti quærentibus, Non eſſe conſuetudinis ſuæ dixit, ut uana quædam ad gloriam reuocaret, ſed ſine obſidibus ſe effecturum, ut armis in ditionem concederent. Obſides in urbem reuerſi, Narſetem eximiis laudibus extulerũt, & ſe ab eo comiter & liberaliter habitos eſſe dixerunt: cúmque uirum eſſe, qui ad ſummam æquitatem incredibilem animi magnitudinem adiunxiſſet, aſſeruerunt. neque tum tamen ciues perpellere ad eius amicitiam potuere. Vix tandem tertio poſt menſe ſe dedidere. Sigonius libro 20. Imperij occidentalis.

CAROLVS Magnus Budam Vngariæ oppugnans à Danubio nauibus, ab altera parte aciem inſtruxit ex Vngaris iam captis. Cùm autem oppidani in ſuos uererentur tela mittere, Franci propiùs ad muros accedentes, & conſcendentes, urbem cœpere. Regino lib. 2. Sigebertus, Bonfin. Dec. j. lib. 9. Auent. lib. 4. Cranzius lib. 2. Saxoniæ, c. 16.

Chagano Auarum duce cum infinita multitudine Thraciam ingreſſo, Romanorum dux Priſcus territus, in caſtello quodam ſe concluſit. MAVRICIVS Imp. Barbarum obſidionem parantem, tali ſolertia circumuenit. Literas ad Priſcũ ſcribit, monens, ut obſidionem toleret: nam Barbarum intra exiguũ tempus cum ignominia receſſurum. Miſſis enim in regionẽ eius triremibus, domib. eorũ direptis, uxores & liberos captiuos abduci. Eas literas cuidã tradit, ac mãdat, ut in itinere de induſtria ſe Barbaris offerat. Chaganus le-

ctis

ctis literis ſuis timens, pacē cum Priſco fecit, paucisq́; muneribus acceptis domū rediit. Zonaras, Cedrenus, Cuſpin.

Henricus III Imp. ſuſcepta in Vngariam expeditione, Danubianæ claſſi Gebhardum epiſcopum fratrem præfecit. ANDREAS rex intercepto legato, Gebhardi ad Imp. mox ad Gebhardum Henrici nomine adulterinas mittit literas, claſſem ſolueret, & celerrimè Ratiſponam rediret, ad incurſiones hoſtiū reprimendas. Præfectus iis literis deceptus, mandata peragit. Imperator ergo & commeatu & auxiliis deſtitutus, pacem cum Andrea fecit. Bonfin. lib. 2. Dec. 2.

BOEMI in arce Carloſtenij obſeſſi ab Huſſitis, Huſſitam captum in turris culmine ligarunt, dato per irriſionem in manū flabello, quo lapides baliſta miſſos quaſi muſcas abigeret, hoſtium oppugnationem hac ratione inhibituri. Parſuros enim concivi ſuo Pragenſes arbitrabantur. Diem integram cùm intactus ibi perſeueraſſet, hoſtium magis miſericordia quàm ciuium ſuorum humanitate ſeruatus eſt. Aen. Syluius cap. 44. hiſt.

PETRVS Rubrius Parmenſium princeps, à Maſtino Scaligero arcta preſſus obſidione, à Venetis, qui contra Maſtinū cum Florentinis conſpirarant, euocatus, per medios hoſtes elapſus, à Venetis accepto exercitu Patauium & Tauriſium cepit, & Maſtinum alienis inhiantem, pacem iniquiſſimā accipere coegit. Sabellicus lib. 2 Dec. 3.

### PERFIDIAE SVORVM METV.

*Vide Tit. Suſpectos facere hoſtes. Hic Terroris qui inicitur, illic Perfidiæ habetur ratio.*

Philippus Pulcer Gallorum rex, cùm grauem cladem à Belgis rebellibus illatam, ulciſci decreuiſſet: EDVARDVS I. Anglorum rex, Philippi incrementum ueritus, ſimulat apud uxorem, quæ Philippi ſoror erat, graui ſe moleſtia affici, ob periculū quod Philippo immineret. & uix tandem precibus illius & obteſtationib. ſe uictum fingens, certò ſibi conſtare ait, Gallos principes multos, in ipſo conflictu aduerſus rebelles, regem deſerere ſtatuiſſe. Philippus à ſorore monitus fidei ſuorum diffidens, re infecta ſeſe recepit. Fulg. lib. 7. c. 4.

ROMANI, qui Comneno Palæologo Deſpotæ parebant, cū propiùs Michaelem Angelum Aetoliæ & Epiri Deſpotam caſtra mouiſſent: quendam mittunt, qui noctu per ſpeciem transfugę ad hoſtes tranſiret, & clàm cum Michaele cōgreſſus, generos eius, Achaiæ principem & Siciliæ regem, clàm per legatos de pace cum Romanis agere diceret. Michael re paucis ſuorum clàm indicata, ante ſolis ortum fugit. Manè ſocij, fuga Michaelis cognita in fugam uertūtur, ſe ab eo proditos rati. Eos aggreſſi Romani, maxima ex parte ceciderunt: cæteros uiuos cœperunt: inter quos & Peloponneſi & Achaiæ princeps fuit. Siciliæ uerò rex cum paucis ſuorum clàm effugit. Gregoras lib. 3.

### CLADIS ET CAEDIS, DVCVM SOCIORVM'VE NVNCIO, INDICIO, ſimulatione.

Poſtero die à Leuctrica calamitate, cùm Lacedæmonij ſuorū cadauera ad ſepulturam, miſſo ad Thebanos caduceatore, poſcerent: EPAMINONDAS ſciens maximè in diſſimulandis calamitatibus ſuis callidos eſſe Spartanos, ſociis ſe priùs eorum cadauera tollendi facultatem daturum reſpōdit, ac deinde ſe facilè ſuos à Lacedæmoniis humari paſſurum: Quod cùm ita conſtitutum eſſet, ſociorum alij neminem: alij quàm pauciſſimos deſiderarunt. Lacedæmoniis confiteri neceſſe fuit, ſuorum illam ſtragem fuiſſe maximè. Pauſan. in Bœot. & Plut. in Græc. regum Apoph.

VAL. Leuinus aduerſus Pyrrhum, occiſo quodam gregali, tenens gladium cruentum, exercitui utriq; perſuaſit Pyrrhum interemtum. Quamobrem hoſtes, deſtitutos ſe ducis morte credentes, conſternati à mendacio, ſe pauidi in caſtra receperunt. Frontinus libro ſecundo, capite quarto.

MAGO, cùm Locri obſiderentur à Criſpino, claſſis Romanæ præfecto, diffudit ad Romana caſtra rumorem, Hannibalē cæſo Marcello ad liberandos obſidione Locros uenire: clā deinde equites emiſſos iuſſit à montibus, qui in conſpectu erant, ſe oſtendere. Quo facto effecit, ut Criſpinus Hannibalem adeſſe ratus, cōſcenderet naues ac fugeret. Frōt. l. 4. c. 7.

CL. Nero, uictis Pœnis, quos Aſdrubale duce in Italiam ex Hiſpania traiicie̅tes exceperat, caput Aſdrubalis in caſtra Hannibalis iecit. Quo factum eſt, ut Annibal luctu (nam frater occiſus erat) & exercitus deſperatione aduentantis pręſidij affligeretur. Front. lib. 2. cap. 4.

L. SYLLA his qui Præneſte obſidebant, occiſorum in prælio ducum capita haſtis præfixa oſtendit: atq; ita obſtinatorū peruicaciam fregit. Idem cap. 9.

ARMINIVS dux Germanorum, cæſis legionibus tribus Romanis, capita eorū quos occiderat ſimiliter præfixa, ad uallum Rom. admoueri iuſſit. Peterculus.

DOMITIVS Corbulo cùm Tigranocertam obſideret, & Armenij pertinaciter uiderentur toleraturi obſidionē, in quēdam ex Megiſtanis, quos ceperat, animaduertit: caputq; eius baliſta excuſſum in munimenta hoſtium miſit: id fortè decidit in medium concilium, quod tum habebant barbari. Ad cuius conſpectum conſternati, ad deditionem feſtinauerunt. Frontinus.

IVGVRTHA in Numidia aduerſus C. Marium, cùm Latinæ quoq; linguæ uſum ei cōuerſatio priſtina caſtrorum dediſſet: in primam aciem procurrit, & occiſum à ſe C. Marium tum Latinè clarè prædicauit, atq; ita multos Rom. auertit. Frontinus lib. 2. cap. 4.

Quum in edito loco ante urbem Albam Græcā SALOMON Vngarorum rex cum principibus accumberet, eo die quo cum Beſſis, qui Albenſibus auxilio uenerant, prælium conſertum eſt, milites parta uictoria, cęſorum capita, itē equos & hoſtium ſpolia, ante menſam regis traduxere, per diē integrū, ut hoc ſpectaculo oppidanos auxiliis deſtitutos ad deditionem traducerent. Bonfin. lib. 3. Dec. 2.

### AVXILIORVM DESPERATIONE.

*Conſule Tit. Hoſtium nuncios deprehendere. item, Propugnacula capere: quatenus fictis literis auxilia denegantur.*

### DEDITIONE, SVBMISSIONE, HVMILIATIONE.

*Hæc pleraq; exempla ex Tit. Milites periclitantes conſeruare, referantur. Illic Patientis qui Conſeruantur, hic Agentis qui Impediuntur ratio habetur.*

Ludouicus XII. Gallorum rex, & Maximilianus I. Imp. cū Iulio II. Venetos magna clade affecerāt. MATTHÆVS Priolus prudentiſſimè Venetis conſuluit. Quemadmodū gubernatores boni atq; induſtrij ſolent, qui cùm uim tempeſtatis ferre nequeūt, naufragiiq; periculum propter merciū, quas in naui habent, pondus grauitatemq; imminet, iacturā partis earum faciunt, ut naui è fluctibus emergente, ipſam reliquaſq; res, & uitam unà ſuam tueantur: ſic in reip. turbulentis temporibus faciendum, ut quando Venetorum exercitu fortunæ magis turbine quàm telis hominum diſiecto, populi municipiaq; omnia, quibus præſidia mitti non poterant, arma hoſtium timerent: dederent ipſi per ſe Patres, traderentq; ultrò hoſtibus ea, quæ captui eſſent propiora atq; oportuniora, ut ea re illorum curſum atq; impetum ſiſterēt potius quàm fruſtrà ſuas uires iam infractas opponentes, tamen illa ipſa unà cum libertate imperij amitterent. Bembus lib. 8. hiſtoriæ Venetæ.

## HOSTIVM AVDACIAM PRVDENTER DECLINARE.

### CVM deſperatis pugnare nolle.

*Conſule Tit. Terrere hoſtes deſperatione. item, Hoſti fugæ poteſtatem faciendo metum iniicere. Eatenus namq; noſtrorum quoq; ſaluti conſulimus.*

IORAS Iſraelitarum rex cum Ioſaphato Iudæorū rege, Moabitarum regiam urbem longa obſidione fatigabat. Quum haud procul ab eo eſſet, ut ui caperetur: tentauit Moabitanus Rex cum quingentis fortibus uiris per hoſtium ſtationes erumpere. Cæterùm ui hoſtium in urbem compulſus, deſperatione actus, filium maximum natu, qui ad regni ſucceſſionem alebatur, in faſtigio murorū, unde ab hoſte conſpici poſſet, pro hoſtia mactauit. Id ſpectaculum intuiti reges, miſeratione commoti, admonitiq; quàm incerta ſit omnis humanarum rerum conditio, confeſtim obſidionem ſoluunt. Credibile eſt Ioſaphatum animaduerſa hoſtis deſperatione, ſatiùs duxiſſe mitioribus conditionibus pace illi reddita bellum componere, quàm labore & periculo hoſtem ad mortem compellere. Sabel. lib. 5. Ennead. 2.

Memphis, ARIBÆO bellum inferente, ne intra mœnia cōcluderetur, omnia protulit extra murum, & pro ciuitate collocauit uxores, liberos, pecunias: portas autem ciuitatis deſtruxit. Aribæus apparatum eorum deſperationi ſimilē ueritus, metuenſq; ne ad mortem uſq; prælium facerent, exercitum abduxit. Polyænus lib. 7.

AGESILAVS Spartanorum rex, instructa acie aduerſus Bœotios profectus, poſtquam ad hoſtes appropinquaſſet, primùm quidem leuis armaturæ milites hoſtibus obiecit, periculum facturus, quàm eſſent ad pugnam hoſtes inſtructi. At cùm facilè Thebani hos è locis ſuperioribus deieciſſent, uniuerſum exercitum contra eos duxit. Ibi tum Chabrias Athenienſis mercenariorum dux militibus ſuis præcepit, ut hoſtes cum contemtu exciperent, in acie intrepidè perſiſterent, & demiſſis ad genua clypeis, ſtantibus lanceis manerent. Quibus iuſſum facientibus, Ageſilaus admiratus hoſtium & conſtantiam & contemtum, nō tutum exiſtimauit in iniquum locum niti & cogere aduerſarios ad uirtutē ſuā exerendum in præſenti periculo. cumq; expertus eſſet eos auſuros eſſe, ſi cogerentur certare pro uictoria, in planiciē eos prouocabat. Non deſcendentibus Thebanis, peditum ſuorum phalangem abduxit: equitibus uerò & leuis armaturæ militibus emiſſis, agrum eorū uaſtauit, & magna ſpoliorum copia potitus eſt. At Spartani qui cum Ageſilao erant, partim conſiliarij eius, partim duces, admirabantur, quod cùm tanto ſemper ſucceſſu uſus eſſet Ageſilaus, & exercitū multo maiorem potentioremq; haberet, non tamen præliū cum hoſte commiſiſſet. Quibus Ageſilaus reſpondit: Nunc quidem Lacedæmonios ſine periculo nimirum uiciſſe: non enim auſos fuiſſe Bœotios deuaſtatæ regioni ſuccurrere. Si autem hoſtibus uictoria cedentibus per uim eos periculū ſuſtinere coegiſſet, fieri propter fortunæ inconſtantiam potuiſſe, ut Lacedæmonij in periculum caderent. Tunc igitur propter ſolers illud iudicium uiſus eſt aptè conieciſſe, quid contingere poſſit. Poſtea autem propter effectus qui ſecuti ſunt, uiſus eſt non humanam uocem ſed diuinum oraculū protuliſſe. Lacedæmonij enim cum ingenti exercitu aduerſus Thebanos profecti, cùm eos certare pro libertate coegiſſent, magnam cladem paſſi ſunt. primū in Leuctris grauiter afflicti: poſtea ad Mantineam nauibus delati, prorſus perierunt, & imperio ſuo, cum minimè putaſſent, exciderunt. Diodorus lib. 15.



IDEM in Meſſeniam exercitum ducens, miſit exploratorem. Quo nunciante, non ſolùm ipſos Meſſenios ex urbe prodire, ſed etiam uxores ipſorum & liberos, atque ſeruos in libertatem uocatos, diſceſſit: quòd eos de uita deſperaſſe uideret, atque idcirco fortiùs pugnaturos. Polyæn. libro 2. & Frontin. lib. 2. cap. 5.

Onomarchus Phocenſis, cùm Elatia à Bœotis oppugnaretur, educto exercitu & portis clauſis, liberos & uxores; & matres atq; patres ordine conſtituit. Ante hos autem, armatos collocauit. PELOPIDAS, cùm apparatum deſperationis cognouiſſet, eos aut mortem obire, aut uictoriam auferre uelle, non commiſſo prælio diſceſſit. Polyænus libro 2.

SCYTHÆ in Aſia bellum gerebant. Interea Scythiades ex ſeruis liberos procreauerant. Serui reuerſos dominos recipere noluerunt, bellumq; conflatum eſt. Serui instructa acie dominis obuiam progrediebantur armati. Scytha quidam metuens ne ex deſperatione prælium cōmitterent: ſuis conſilium dedit, ut arma & arcus deponerēt, flagelliſq; protenſis obuiam ſeruis irent. Qui cùm extenſis flagellis impetū facerent, illi conſcientia ſeruitutis ſtimulati, repentè ſe fugæ mandarunt. Polyænus lib. 7. & Herod. lib. 4.

Thucydides in 7. lib. Hiſt. laudat conſilium SYRACVSANORVM, qui cominùs cum Athenie̅ſibus, profligatis iam, pugnare nollent, tantumq; iter eorum leuibus certaminibus morarentur: inutile enim periculoſumq; eſſe cum hominibus, uitam ſuam deſperantibus, congredi.

Cæſo Haſdrubale, à M. Liuio & Cl. Nerone Coſs. in Piceno, quum nunciatum eſſet Liuio, Gallos Ciſalpinos, Liguréſque, qui aut prælio non interfuiſſent, aut inter cædem effugiſſent, uno agmine abire ſine certo duce, ſine ſignis, ſine ordine ullo aut imperio, atq; poſſe omnes deleri, ſi una militum ala mitteretur. Sine (ait) ut ſuperſint aliqui nuncij & hoſtium cladis, & noſtræ uirtutis. Io. Gerund. lib. 5. Paralip. Hiſpaniæ.

METELLVS iunctis cum Pompeio caſtris aduerſus Sertoriū in Hiſpania, cùm ſæpe inſtruxiſſet aciem, hoſte (qui imparē ſe duobus credebat) pugnam detrectante, quodam deinde tempore Sertorianos milites animaduertiſſet magno impetu depoſcentes pugnam, humeroſq; exercentes, & lanceas uibrantes: exiſtimauit ardori cedendum in tempore, receptiq; exercitum, & Pompeio idem faciēdi auctor fuit. Frontinus lib. 2. cap. 5.

C. IVL. Cæſar bello ciuili cùm exercitum Afranij & Petreij circumuallatum ſiti angeret, iſq; ob hoc exaſperatus, interfectis omnibus impedimentis, ad pugnam deſcendiſſet, continuit ſuos: arbitratus alienum dimicationi tempus, quod aduerſarios & ira & deſperatio incenderat. Idem.

Capta à TOTILA Gothorum rege Roma iam ſecundū, Paulus Cilix cum Diogene cuſtos urbis à Beliſario conſtitutus, cum equitibus quadringentis ad molem Hadriani confugit, ponte, qui fert ad templum ſancti Petri, præoccupato. Poſtridie autem ſub lucem Gothi in ponte cum Romanis pugnam commiſerunt, & licèt, Romanis acriter præliantibus, ſuperiores erant, tamen propter anguſtias, cùm conferti preſſique pugnarent, multi cadebant. Qua re cognita, Totilas receptui cecinit, & ſuos quietem capere iuſſit, hoſtes ſe fame domiturum exiſtimans. Paulus inde cum quadringentis equitibus inedia laborans, eam noctem inſomnem traduxit: poſtridie equos interficere, atque eorum carne ſe ſuſtentare decreuit. ſed ſtatim inſoliti cibi nauſea affectus, rem in ſerum diei diſtulit. Pòſt autem, cùm uaria conſilia uolutaſſent, hoſtem inuadere ſtatuerunt, ferro potiùs mori, quàm fame, cupientes. Qua re percepta, Totilas ueritus, ne deſperatione adacti inſignem aliquam ſibi cladem afferrent, has conditiones obtulit, ut, relictis equis, armiſque, Conſtantinopolim incolumes irent, neque arma poſthac Gothis inferrent: aut, iiſdem retentis, ſibi unà cum Gothis ſtipendia facerent. Secunda conditio eſt accepta, quòd inſidias in itinere Conſtantinopolitano timerent. Paulus tantùm, & Mindus Iſaurus, uxorem, liberoſque ſe Conſtantinopoli habere affirmantes, uiatico à Totila commeatuque donati, abiere. Sigonius libro decimonono Imperij occidentalis, & Cranzius libro quarto Sueciæ, capite decimooctauo.

## SVSPECTOS SIBIINVICEM REDDERE HOSTES.

Cùm Græci ab Artemiſio, ubi claſſem habebant contra Xerxem, fugiſſent, poſteaquam Leonidam cum CCC Spartanis ad Thermopylas cecidiſſe cognouerunt: THEMISTOCLES Athenienſis ad aquas potabiles cū uelociſſimis nauium ſe conferens, in lapidibus literas incidit: quas poſterò die Iones ad Artemiſium uenientes legerunt in hæc uerba: Viri Iones, haud iuſtè facitis, militātes aduerſus patres, & Græciam redigentes in ſeruitutem. Sed quod præcipuū fuerit, ſtate à nobis. Sin hoc facere non poteſtis, ſaltem neutræ parti adhæreatis, & Cares ut idem faciant obſecrate. Quòd ſi horum neutrum agere licet, & maiori neceſſitate eſtis obſtricti, quàm ut poſſitis deſciſcere, dum pugnā conſerimus, ſponte agatis inſtrenue (id quod in pugna ad Salaminem Iones præſtiterūt) memores à nobis uos eſſe oriundos, & inimicitiarum nobis cum Barbaro principium à uobis extitiſſe. Hæc Themiſtocles ancipiti conſilio ſcripſit: ut ſi literæ regem laterent, Ionas induceret ab rege ad ſe deficiendum: ſin ad eum deferrentur, infidos eidem redderet Iones, ut à præliis naualibus ſummouerentur. Herod. lib. 8. & Plut. in Themiſtocle, & Polyæn. lib. 5.

Cùm ad Mycalem Ioniæ Græci cum Perſis prælio nauali decertaturi eſſent, LEVTYCHIDES Lacedæmoniorum dux Ionas cupiens à Perſis abducere, per præconem eos ſic affatus eſt: Viri Iones, ubi pugnam conſeruerimus, debetis ante omnia reminiſci libertatis: deinde teſſerę Hebes. Quibus uerbis efficere tentauit, ut ſi hæc uerba laterent Barbaros, induceret ad obſequendum Ionas: ſin delata eſſent ad Barbaros, redderent Iones ſuſpectos. Herod. lib. 9.

AGESILAVS ſpectatos, & multorum amicitiis præditos captiuos, ſine precio ſuis reddere ſolebat, ut ipſis fidem apud ſuos ciues derogaret. Polyæn. lib. 2.

IDEM in legationibus petebat ab hoſtibus, ut maximè potentes ad ſe mitterent, cum quibus de cōmuni utilitate ſermones conferret. Cum his plurimum habens conſuetudinis, & communicans focum ac cineres, ſeditiones in urbibus excitabat, propter uulgi ſuſpiciones. Idem.

IDEM cùm Mendam, quæ Atticorum partibus adhærebat, clàm noctu ueniſſet: munitiſſima urbis parte occupata, cū Mendenſes indignarentur, & in concionem ſummo ſtudio conuenirent, aſtans: Quid, inquit, tumultuamini? Dimidia enim pars ueſtrùm proditionis eſt particeps, qui mihi ciuitatem occupandam tradiderunt. Mendenſes cùm ſe mutuò ſuſpectos haberent, à tumultu deſtiterunt. Idem.

IPHICRATES Mitylenæ famam emiſit, breui multa ſcuta comparari oportere, quæ Chiorū ſeruis mitterētur. Hoc audito, Chij mancipiorum conatū metuentes, e ueſtigiò miſerunt ei pecunias, & ſocietatem fecerunt. Polyæn. lib. 3.

CLEANDRIDAS optimates Tegeatarum, Laconicis partibus fauere ſuſpectos, reddidit ſuſpectiores. Nam illorum agris duntaxat non uaſtatis, reliquorum omnē terram perdidit. Tegeatæ igitur magna cum ira homines proditionis reos in iudicium pertraxerūt: qui cùm damnationē metuerent, calculum præuertentes, urbem prodiderunt, falſam ſuſpicionem ueram efficere metu coacti. Polyæn. lib. 2.

ARCHIDAMVS Corinthum oppugnabat. Erat in urbe ſeditio inter diuites & pauperes: quòd illi oligarchiam, hi proditionem moliri uiderentur. His cognitis, Archidamus remiſit aliquantū de ui ac uehemētia oppugnationis: nō machinas ampliùs admouit, non ampliùs foſſas egit, non ampliùs terram uaſtabat. Diuites metuentes, ne pauperib. ciuitatem prodentib. gratificaretur, præuertentes legationem miſerunt, & urbem Archidamo dediderunt, in poſterum ſecurita-

ſecuritatis gratia fœdus cùm eo facientes. Polyæn. lib. j.

TIRIBAZVS Perſa Caduſiorum duos reges, cõtra quos Artoxerxes bellum gerebat, ſuſpectos ſibiinuicem reddidit. Ipſe enim ad alterum profectus eſt, ad alterum clàm filiũ miſit. Vterq; utriq; impoſuit, alterum demonſtrans miſſis ad Artoxerxem legatis amicitiam & ſocietatem ſoli ſibi quærere. quare, ſi ſaperet, faciundum ei, ut præuertat, adiutorẽ ſe ei in omnibus fore. His ambo fidem habuere: & ſic alter cum Tiribazo legatos, cum Tiribazi filio alter miſit, & cum Artoxerxe pacem compoſuere. Plut. in Artoxerxe.

DIONYSIVS bellum gerens cum Meſſeniis, apud quos aliqui in proditionis ſuſpicionem uenerãt, ut eis terrorem ac perturbationem iniiceret, cùm reliquorum omniũ fundos depopularetur, ab eorum prędiis abſtineri iuſſit, in quos calumnia & crimen conferebatur. Dionyſius uerò præter hęc militem etiam in urbem miſit, qui auri talẽtum iis, ad quos ſuſpicio pertinebãt, adferret. Hunc Meſſenij cum auro deprehenderunt: cùmq; cognouiſſent quibus illud ferret, indicatos proditores ſupplicio afficiendos cenſuerunt. ij uerò cum poteſtate erant, atq; Dionyſio uehementer reſiſtebãt. Itaq; ſeditione concitata, factum eſt ut Dionyſius Meſſana potiretur. Polyænus lib. 2.

IDEM Carthaginenſium captiuos magnã mercede redemtos reddidit, Græcos uerò ſine precio. Carthaginenſes tyrannum adductum humanitate ac beneuolentia hoc facere arbitrati, mercenarios Græcos, quos habebãt, dimiſerunt. Ibidem.

HIERON bellum cum Italis gerens, ſi quos cepiſſet, qui cognatione aut opibus florerent, poſtquã multos dies apud ſe retinuiſſet, & larem honoreſq; primarios eis communicaſſet, tum acceptis redẽtoriis muneribus, homines dimittebat. At illi in ſuſpicionem apud ſuos ciues uenerũt, quòd Hieronis amicitia uſi fuiſſent. Poliænus lib. j.

Q. METELLVS Iugurthæ miſſos ad ſe legatos corrupit, ut ſibi proderent regem. Cùm etiam alij ueniſſent, idem fecit. Eodem conſilio uſus eſt & aduerſus tertios. Sed de captiuitate Iugurthæ rès pãrũ proceſſit (uiuum enim tradi ſibi uolebat) plurimum tamen conſecutus eſt. Nam cùm interceptæ fuiſſent epiſtolæ eius ad regios amicos ſcriptæ, in omnes eos rex animaduertit: ſpoliatuſq; conſiliis, amicos poſtea parare non potuit. Frontinus lib. j. cap. 8.

Andronicus Lapardas Adrianopolitanus, legionum contra Hungariæ regem Belam dux, ab ANDRONICO Comneno tyrãno defecit. Andronicus cùm ſciret quantum ille uir auctoritate poſſet, callido cõſilio epiſtolas dedit ad primarios Orientalium prouinciarum præſides, quibus aſſeuerabat, Lapardam à ſe in Aſiam miſſum eſſe: qui quicquid acturus eſſet, certis de cauſis, aliter, quàm pleriq; ſuſpicarentur, pro ſtabiliendo ipſius imperio acturus eſſet. Quæ eò pertinebant, ut uulgi impetũ reprimeret, ſuſpicantis ſubeſſe dolum, quòd Lapardas ſe pro Andronici aduerſario gerens, manum faceret: Andronicus uerò deſertoris fidem prędicaret, atque ut à ſe miſſum ſuſcipi iuberet. Nec multo pòſt Lapardas traiecturus Adramyti, à quodam Cephala, uiro potenti captus, Andronico Comneno traditur: à quo oculis effoſſis in Pantepopti monaſterium coniectus eſt. Nicetas libro primo.

Maximilianus I. Imp. ad recuperandum Mediolanum ingenti exercitu in Italiam deſcenderat, eiq; Sedunenſis Cardinalis cum delecta Heluetiorũ manu ſeſe coniunxerat. TRIVVLTIVS, qui cum Carolo Borbonio Mediolanũ defendebat, uti Cæſarem ab Heluetiis, quorum ope inuictum fore certò ſciebat, alienaret, talem dolum commentus dicitur. Nactus clientem ſuum Heluetiæ peritũ linguæ, literas ſuo nomine perſcripſit ſua manu, ſuoq; ſigno notatas, ad Staphерum & Goldilum primores Heluetiorum duces, ut Cæſari in eo momento rerum ſuſpecti redderentur. His literis poſtulabat, ut quæ ſecum pepigiſſent, eo biduo perficere maturarent, ſe enim ad condictum inſtructa parataq; omnia habiturum. Nuncius præmiorum ſpe oneratus, Cæſarianis excubitoribus ultrò ſe capiendum obtulit. Quum interrogaretur, Cur ſine teſſera in eum locum ueniſſet? probè confeſſus eſt, ſe Triuultij literas, ſi ſibi parceretur, ad Heluetios duces deferendas prolaturum. Nec mora, ueniæ fide data, calceo inſutas literas promit, extemploq; eæ ad Cæſarem deferuntur. Eas anxiè perlectas, Sedunenſi Cæſar oſtendit. Neq; enim duces tantæ inter Heluetios auctoritatis, ſine perturbatione periculoq; rerum omnium, uel accuſari ex Triuultij literis, uel (uti oporteret) comprehendi poſſe cenſebat. Itaq; ſuſpicaci ingenio Heluetiorum inſidias ueritus, retrò caſtra repentè uertit, præſertim cùm aliam Heluetiorum manum contra Sedunenſem ab æmulis euocatam aduentare audiuiſſet: affirmans ſibi per quietem ea nocte apparuiſſe Leopoldum Auſtriæ archiducem, atauum, & Carolum ducem Burgundię, ſocerum ſuum, ea torui oris ſpecie, ac eo cruento armaturæ cultu, quo hic ad Nanceium, ille ad Sempacum trucidati fuiſſent, acri quidẽ ſermone & geſtu uetantes ipſum diutiùs morari, & ut ſe periculo ſtatim eriperet ſeuerè imperantes. Atq; ita motis caſtris, ad Abduã reuerſus, ad Alpes iter intendit, tanta omnium, Gallorumq; præſertim admiratione, ut qui dudũ inæſtimabili metuendoq; copiarum hoſtilium numero, apparatuq; tormentorum maximo territi, & propè amẽtes erant, inopinati euentus gaudium uix perciperent. Sab. Supplem. lib. 6. ex Iouio.

## SEDITIONEM INTER HOSTES EXCITARE, ATQVE FOVERE.

ERYTION rex Lacedæmoniorum, uidens bellum aduerſus Arcadas ſuſceptum protrahi, præconem miſit qui nũciaret: Lacedæmonij à bello deſiſtunt, ſi reos ac nocentes expuleritis. Eos autem eſſe, qui Aeginam cepiſſent. Rei cædis, ne à populo ob pacis cupiditatem ad ſupplicium raperentur, cum gladiis uenientes, quotquot potuerunt, interfecerunt: multos etiam ſocios adſciuerunt, promiſſa libertate. Qui pacem concupierant, uicti ad partem quandam mœniorũ confugientes, apertis portis Lacedæmonios recepere. Sic per factionem Mantineam obtinuerunt, quam bello nõ potuerant capere. Polyænus lib. 2.

CLEONYMVS Lacedæmoniorũ rex, Trœzenẽ oppugnans, ad multas urbis partes circumcirca expeditos iaculatores collocauit, & emittere iuſſit, iaculis inſcribens: Venio, ut ciuitatem in libertatem aſſeram. Trœzenios etiam, quos captiuos habebat, ſine redemtionis precio dimiſit. Captiui in urbem reuerſi, fauſtum nuncium adferebant. Eudamidas uerò dux ſumma diligentia cuſtodiens ciuitatem, cum his qui nouas res agitarent pugnabat. Cùm intus illi inter ſe dimicarent, Cleonymus appoſitis ſcalis, euertit ciuitatem, atq; diripuit, & Spartiatam præfectum cum præſidio impoſuit. Idem, & Front. lib. 3. c. 6.

PHILIPPVS, cùm Theſſaliam ſuæ ditionis facere cuperet, ipſe quidem nullũ apertè bellum Theſſalis intulit: ſed cùm Pellenenſes cum Pharſaliis bellum gererent, & Pherenſes cum Lariſſæis, aliiq; alterutrorum partibus adhærerẽt, ſemper auxilio ueniebat iis qui eius opem implorarent. Victoriam uerò nactus, exciſionem aut uaſtitatem nullam uictis inferebat, arma non eripiebat, muros non demoliri, factiones magis alere quàm diſſoluere, imbecilliorum curam gerere, potentiores affligere, atque de medio tollere, populis amicus eſſe, tribunos plebis & oratores colere. His ſtratagematis Theſſaliam ſubegit. Polyæn. lib. 4.

ARTOXERXES rex bellum inter Græcos ferens, uictorum partes ſemper fouebat. Semper enim eam partem quę deficeret, æqualem hoſtibus reddens, uictoris robur ac uires atterebat. Polyænus lib. 7.

C. MARTIVS Coriolanus exul cùm Volſcos contra Romanos excitaſſet, ipſe promtiſſimo quoque ſine delectu inducto, ut uoluntarij ſequerentur ſe, in fines Romanos repentè præter omnium expectationem inuaſit. Vnde tantũ prædæ actum, ut auferre eam & in caſtris non ualerent conſumere. Atqui nihil minus illa in expeditione, quàm prædam & agri uaſtationem morabatur: uerùm cuius gratia hæc agebat, id magni ducebat, nobilitatem ut committeret cum populo. Quippe fœdatis & proculcatis omnibus aliis, illorum prædia diligenter tutatus eſt, nec lædi uel attingi permiſit quicquam, quod eſſet eorum. Vnde querelæ inter eos & ſeditio exorta maior. Plebem criminata nobilitas eſt, quòd uirum tantum in exilium egiſſent iniquè. Contrà populus accuſauit illos, quòd odio inducti Marcium acceſiuiſſent: & dũ pars altera uexatur bello, ipſi ſpectatores deſiderent, qui opum & bonorum foris hoſtem ſuum habeant cuſtodem. Eo Martius patrato, cùm multum Volſcis momẽti ad audendum & deſpiciendum hoſtes feciſſet, ſaluum reduxit agmen. Mox omnes Volſcorũ uires magna alacritate coiẽre. Plut. in Coriolano, & Front. lib. j. c. 8.

Erant quædam contentiones de finibus imperij inter Maſiniſſam & Carthaginenſes exortæ, ad quas componendas P. SCIPIO Africanus, duoq; alij legati à ſenatu miſſi, cũ cauſam diſcordiæ cognouiſſent, rem totam integram ſuſpenſamq; reliquerunt. Atq; eo conſilio id factum dicũt, ut Pœni domeſticis contentionibus occupati tenerentur, néue aliis negotiis uacare, uel ad ſpem nouarũ rerum erigere animos poſſent. Vigebat enim cum rege Antiocho bellum, & Annibal Pœnus cum eo erat, qui nunquam ceſſabat in populum Rom. ueteres hoſtes concitare, nouos acquirere. Auctor uitæ eius.

Cùm VESPASIANVS Iudeæ & Galileæ oppida omnia occupaſſet & expugnaſſet, ad Hieroſolymã omnem belli impetum



petum transferre differebat, quoniam ſeditione ciuili eos confici utilius putabat, quàm hoſtilibus armis, præſertim cùm tanta rabie efferati eſſent, ut cum deſperatis bellũ non uideretur committendum. Ioſeph. lib. 5. c. 2. Belli Iud.

Cùm PETRVM Fulgoſum, Genuenſium ducem, eodem tempore premerẽt externæ uires Alphõſi regis Sicilię atq; Neapolis, & ciuium Genuẽſium pars aduerſa, ac Fliſca gens cũ ea coniuncta: cùm ſolus tantam hoſtium molem ſuſtinere non poſſet, arbitratus hoſtes, dum extra urbem manerent, concordes fore, eóſdemq;, ut deuictum eſſe Petrum inſpexiſſent, quòd unuſquiſq; urbis principatum uendicare ſibi niteretur, arma in ſeipſos conuerſuros: in Genuenſi arce uxorem cum liberis, fratremq; cum trecentis peditibus ac uiginti equitibus præſidio reliquit, & Genua apertis portis profectus eſt. Hoſtes, qui præ timore fugiſſe Petrum arbitrabantur, cùm ad priuati commodi ſpem ſtudia conuertiſſent, ſtatim orta inter ipſos diſcordia, decertare armis inter ſe cœperunt. Petrus tertio die, poſteaquam Genua abierat, ad urbem regreſſus, ac ſuis qui in arce erant cõiunctus, hoſtes, qui circiter decem millium numerũ excedere dicebantur, fudit. Fulgoſ. lib. 7. cap. 4.

Safin ciuitas Mauritaniæ Tingitanæ, extra fretum Gaditanũ, opulenta, ad quam undiq; mercatores quæſtus gratia commeabant. Fuit longo tempore in ditione Regis Marrochiẽſis. Sed tandem familia quædam nobilis, cognomento Farhomia, ab Imperatore deſciuit, & tyrannidem occupauit. Huius familiæ princeps Abdearus Rhamanus, ut ciuitati imperaret, patruo ſuo, Hameduci uitã eripuit. Deinde ſpecie liberalitatis & humanitatis plebis animos ſibi conciliauit, ita, ut ciuitatis imperium facillimè teneret. Erat ei filia eximia ſpecie, quam adoleſcens nobilis Haliadux amabat, & illius concubitu, matre puellæ non inuita, fruebatur. At Rhamanus necem adoleſcenti afferre conſtituit. Haliadux re cum iuuene ſibi amico, quem Iehabentafuſum appellabant, communicata, in templo Rhamanum confodit: & aduocata concione, cùm ſe hominem maleficum & parricidã de medio ſuſtuliſſe profiteretur, populi conſenſu cum Iehabentafuſo ciuitatis moderationi pręficitur. Poſt biduũ cùm cerneret cognatos Rhamani & amicos ſibi atq; ſociis perniciem moliri, Iacobum Azambugium qui uicinã urbi arcem ab Emmanuele Luſitaniæ rege ædificatam tenebat, aduocat: qui leges pacis ſcripſit, & fœdere Haliaducem & ſocios Regi Emmanueli deuinxit. Emmanuel Garſiæ Melio, qui cum claſſe fretum Gaditarum tenebat, negotium dedit uti ſeſe cum Azambugio coniungeret. Cæterùm Safinenſes fœderis obliti ad ingenium rediere. Viſum igitur ducibus diſcordiam inter duos illos tyrãnos artificio ſerere: ut uiribus utriuſq; diuiſis, faciliùs urbe potirẽtur. Garſias morbo laborans medicum Iudæum ex urbe arceſſiuit. Hunc pecunia facilè perſuaſerunt, ut literas ad utrumq; urbis pręfectum perferret, ita tamen, ut eorum neuter poſſet odorari, literas ad alterum ſcriptas eſſe. Literæ autem erant ſcriptæ nomine Garſiæ Melij, quibus Haliaducem admonebat, ut inſidias præcaueret. Sibi namq; exploratum & cognitũ eſſe, uitæ illius inſidias intendi. Ad eas autem propulſandas opem ſuam pollicebatur, ſeq; officio ſuo minimè defuturũ confirmabat. Interim uerò admonebat, nullas eſſe capitaliores inſidias illis, quas imperij communio comparabat. Idem ad Iehabentafuſum ſcribebat, & admonebat, ut uitã ſuam contra Haliaducis occultas fraudes & inſidias muniret. Quoties medicus Melium inuiſebat, manum intra ueſtem ſtragulam, quæ ſpondam cõtexerat, immittebat, quaſi tentaret, an febris aliqua ex parte quidquam de ſolita uehementia remiſiſſet. Et interim literas accipiebat, ne poſſet quiſpiam, quod gerebatur, aliqua ratione ſuſpicari. Vterq; igitur, altero imprudente, Azambugium & Melium admonet, ut ſe in urbem conferãt. Quinquaginta militibus ſtipati, in urbem ingrediuntur, & ædes, quæ Rhamani fuerant, quia amplæ & munitæ uidebantur, & erant propiùs mare ſitæ, ſibi ad habitandum delegêre. Clanculum uerò uaria armorum genera arcis & doliis incluſa domum comportari faciebant. Aucti interim ſubmiſſis ſubſidiis tyrannos admonent, ſe minimè paſſuros, ut ambo ſimul urbem gubernarent. Eos namq; animo inter ſe inimico & infeſto diſſidere, & utrumq; eorum de alterius exitio cogitare. Compararent igitur inter ſe, uter eorum eſſet ciuitatem illam Regis Emmanuelis nomine moderaturus. Illi cùm cernerent eam ſibi neceſſitatem impoſitam, uter eorum eam prouinciam ſuſciperet. Summa moderatione, quod uix credibile uideretur ei, qui utriuſq; mentem cognoſceret, uterq; eorum alteri imperium concedebat. Tandem peruicit Haliadux, ut Iehabentafuſus eam ciuitatem regendam ſuſciperet. Is autem Imperij æmulo amoto, multò liberiùs fraudes in Luſitanos concinnabat. Ergo ubi Azambugius Haliaducem, quem ſciebat ualde moderationis, qua regnum ſocio conceſſerat, pœnitere, admonuit, ut Iehabentafuſum ex improuiſo obtruncaret. Se opem, ubi opus eſſet, confeſtim allaturum. Iehabentafuſus in ædes Rhamani, in quib. arx extruebatur, ſe fuga proripiens à Iacobo Miranda, ipſius Azambugij nepote: qui ignorabat, eum aui conſilio in illud uitæ diſcrimen inductum, in fidem receptus, ab Azambugio in Luſitaniam uinctus miſſus, tandem ab Emmanuele uitã impetrauit, & prefecturam equitum, obtinuit. At Haliadux, urbis imperium adeptus, multò inſolentiùs, quàm Iehabentafuſus Luſitanis aduerſabatur. Azambugius interim ſe arcem extruere diſſimulans, ſed amplas ædes ædificare dicẽs; in quibus Chriſtiani mercatores merces imponerent: Feneſtras in quibus erant tormenta collocanda, luto atq; tenui materia tegebat, & tectorium calcis inducebat, ne ab hoſtibus, quod in animo habebat, animaduerti poſſet. Præterea nocte in muro portam aperuit, qua ex claſſe Luſitanis aditus in arcem facilè pateret. Portam autem utrinq; ſecundũ utriuſque uiæ latus, quæ in portam ferebat, uallo muniuit. Erat autem arx in tantam altitudinem excitata, ut facilè defendi poſſet. Sequenti die Azambugius expoſtulauit pro nuncium cum Haliaduce, quòd fidẽ uiolaret. Haliadux reſpondet, ſe ualde hominis dementiam admirari, qui nõ uideat, ſe neque unde cibum, neque aquam compararet, habere, niſi is eius copiam ſuppeditare uelit, & tamen adeò magnificè loqueretur, quaſi illi omnia, quæ ad uitam ſuſtentandam opus eſſent, abundè ſuppeterent. Ad ea Azambugius reſpondet, Luſitanis hoſtium carnibus famem, & eorundẽ ſanguine ſitim explere, facillimum fore. Hoc dicto Haliadux minabundus digitum momordit. Azambugius, uidẽs opus eſſe feſtinatione, ne fidem uiolare uideretur, ſi priùs iniuriam afferre putaretur, quàm eſſet hoſtis iniuria laceſſitus, hoc excogitauit. Maurus quidam lanio colaphum inflixerat in macello homini Luſitano, qui erat ex Regis familia. Eum Azambugius euocat, ut Maurum, à quo fuerat affectus iniuria, interficeret. Clamore confeſtim & ululatu orto: Saraceni undiq; ruunt, & Luſitanos adoriuntur, arcem maioribus tormentis admotis quatiunt per integram noctem ſed fruſtrà: Luſitanis ſe continentibus & metum ſimulantibus. Vbi diluxit, Azambugius animis religione expiatis, & corporibus cibo refectis, aciem magno ſilẽtio inſtruxit, & equum album ſibi ſoli afferri præcepit (Erat enim ualde ſenex, & claudus) Omnibusq; rebus ritè paratis, cùm eſſet meridies, erupit, & re inopinata magnum terrorem hoſtibus iniecit. Nec enim ſuſpicari poterãt, paucos homines, quos metu exanimatos eſſe crediderant, in tantam hoſtiũ multitudinem impetum facturos. Itaque ſeſe in fugam dederunt, & Haliadux in oppidum, nomine Targam, ſe recepit. Reliqui, qui in urbe manſerunt, pacem ab Azambugio poſtulârunt, quam ille conceſſit, & leges illis ſcripſit, & tributum, quod quotannis penderent, imperauit. Oſorius libro 5. rerum Emmanuelis.

## AD PRODITIONEM ET DEFECTIONEM SOLLICITARE ATQVE ELICERE HOſtium milites.

CYRVS Sardibus potitus, cùm arcem Crœſus teneret, pręſtolans auxilium è Græcia, neceſſarios ac familiares eorũ, qui arcem cum Crœſo obtinebant, uinculis affecit, & iis qui in oppugnatione erant, oſtendit: præcone iuſſo proclamare, Si traderẽt arcem, ſe quoq; familiares & conſanguineos ipſis redditurum: ſi dedere nollent, ſe omnes ſuſpendio necaturum. Illi ut domeſticos incolumes ſeruarent, arcẽ tradiderunt, nequaquam ſecuti uanas Crœſi ſpes de Græcorum auxilio. Polyænus lib. 7.

Bello Lamiaco cùm ad Peneum Græcos uiciſſet ANTIPATER, illis de pace agentibus reſpondit, ut ſingulę ciuitates legatos mitterent: nullo enim pacto ſe communem compoſitionem facturum. At Græcis compoſitionem ſingularum ciuitatum non admittentibus: Antipater & Craterus Theſſalicas urbes obſident, & ui capiunt, non ualentibus Græcis ferre ſuppetias. Itaq; perterritæ ciuitates, priuatim mittunt ſingulæ legatos de compoſitione. Quibus Antipater omnibus pacem concedens comiter utebatur: eamque ob cauſam commotis ciuitatibus ad quęrendam priuatim ſalutem, celeriter omnes pacem adeptæ ſunt. Aetoli & Athenienſes Macedonib. infenſiſſimi, cùm eſſent à ſociis deſtituti, cum ducib. de bello conſultabant. Antipater cũ hac arte diſſoluiſſet Græcorum conſpirationẽ, duxit uniuerſas uires aduerſus Athenienſes, eoſq; ſubegit. Diod. lib. 18.

CORCYRENSES nauali prælio uictores, Corinthios cuſtodiri iuſſere, reliquos ad unum obtruncauere: non tam ueteris neceſſitudinis rationem habentes, quàm ut eo exemplo Græciæ populos à Corinthiorum ſocietate alienarēt, ſi ſcirent, ſibi de uita dimicandum, quum interim ij, pro quibus bella adirentur, eſſent extra periculi ſortem. Sabellicus lib. 5. Enneadis 3.

MENTOR Rhodius contra Nectenabum Aegyptium pro Artoxerxe rege militans, Bubaſtum & complures alias urbes occupauit. Cùm in earum unaquaque præſidium mixtum Græcorum & Aegyptiorum militum eſſet, eiuſmodi uerba in caſtris ſuis palàm habuit: Artoxerxem ſtatuiſſe eos, qui ſibi ultrò urbes dederent, humaniſſimè tractare. Qui rurſus ui ſuperarentur, eos non mitiùs quam Sidonios tractare. Iniunxit poſt id cuſtodibus portarum, liberè permitterent egredi, qui à ſe uellent transfugere. Ita nullo impediente captiui Aegyptij, breui per omneis Aegypti urbes uerba illa diſſeminarunt. Indeq; inter mercenarium militem & indigenas diſſenſiones exortæ ſunt: & in omnibus urbibus ſeditiones cœperunt uigere. Vtriq; enim per quandam æmulationem ſtudebant ſeorſum prodere loca quibus præeſſent, ut ſoli aliquod emolumentum conſequerentur. Diodorus libro 16.

ANTIGONVS circa Gabienam prælium cum Eumene committebat. Erat campus tenui terra atq; arenoſa. In eo congredientibus maximis copiis, excitato puluere, tenebræ pugnantibus offundebantur. Antigonus cùm intelligeret Eumeniorum militum impedimenta remanſiſſe, in quibus uxores erant & liberi, ac pellices & ſerui: delectas turmas iuſſit ea in ſua caſtra compellere. Quinq; millia ceciderunt ab Antigoni partibus: ab Eumenis ſolum treccnti. Eumeniani magnos ſpiritus gerētes ob uictoriam, poſtquam abrepta uiderunt impedimenta, in mœrore & luctu eſſe cœperunt. Antigonus promulgauit ſe gratis redditurum ea quę rapuiſſet. Itaq; ad hanc promulgationem cōmunem tranſierūt nō ſolùm Macedones, ſed etiam Perſarum decē millia, quibus præerat Peuceſtes. Tanta deniq; mutatio animorum & fortunæ facta eſt, ut Argyraſpides comprehenſum Eumenē ac uinctū tradiderint: Antigonus uerò totius Aſiæ rex proclamatus fuerit. Polyænus lib. 4.

IDEM cùm nauali prælio in Helleſponto uiciſſet, naues Phœniciam uerſus nauigare iuſſit: nautas quidem coronis redimitos, puppes uerò ſpoliis & capriuarum nauium acroſtoliis ornatas. Gubernatoribus autem præcepit, ut omnibus portubus per mare, cunctiſq; ciuitatibus appropinquarent, ut uictoria per uniuerſam Aſiam moueretur. Phœnicum naues in Roſium Ciliciæ portum appellentes, & grandem Eumenis pecuniam uehentes, Soſigenem nauarchum elegerunt. Soſigenes in Orthomago tempus terebat, & æſtum pelagi ſpeculabatur. Phœniciæ uerò naues cùm uidiſſent uictrices ſplendidiſſimis ornamentis præditas, direptis pecuniis ad Antigonum defecerunt. Polyænus lib. 4.

ANTIOCHVS Antiochi filius oppugnabat Cypſela, Thraciæ urbem, multoſq; ſecum habebat Thraces nobili genere natos, quibus præerant Tiris & Dromichætes. Hos ornauit torquibus aureis, & armis argenteis, atq; ſic ad pugnā faciendam prodiit. Hoſtes cùm uiderēt ciues & propinquos ſuos ſic ornatos, Antiocho ſe dediderunt. Idem.

SELEVCVS Sardenſium arcem oppugnabat. In ea Theodotus præerat cuſtos theſaurorum Lyſimachi. Cùm arcem capere non poſſet, proclamari iuſſit, ſe centum talenta daturum ei qui Theodotum occidiſſet. Theodotus metu proditionis prodire non audebat: uulgus uerò moleſtè ferebat, ſibi fidem non haberi. Ergo Theodotus præuertens noctu portam aperuit, & introducto Seleuco, theſauros ei tradidit. Ibidem.

IDEM, cùm Demetrij milites admodum timidi eſſent, fortiſſimos ex ſatellitibus delegit, & elephātos octo in fronte præpoſuit, & per anguſtum receſſum ad latus hoſtium incedēs, abiecta galea, magna uoce exclamauit. Quouſq; tandē inſanitis, prædonumq; dominum fame confectum ſequimini? cùm apud regem diuitiis affluentēm ſtipendia merere poſſitis, & regno non in ſpe poſito, ſed præſenti perfrui. His auditis, pleriq; haſtas atq; enſes abiecerunt, comploſiſque manibus Seleuco acceſſerunt. Idem.

GELON Megaricum imperium tollere uolens, colonos uocabat, qui uellent, ex Dorienſibus. Diogneto uerò Megarēſium principi pecunias ſupra uires imperauit: ille ciuibus. Qui tributum recuſantes, in Syracuſanam coloniam conceſſerunt, & ſe Gelonis imperio ac ditioni ſubiecerunt. Polyænus libro 3.

PAPYRIVS Curſor Cos. apud Tarentum, Miloni, qui cum præſidio Epirotarum urbem obtinebat, ſalutem ipſi & popularibus, ſi per illum oppido potiretur, pollicitus eſt. Quibus præmiis ille corruptus, perſuaſit Tarentinis ut ſe legatum ad conſulem mitterent. A quo plena promiſſa ex pacto referens, in ſecuritatem oppidanos reſoluit. atq; ita incuſtoditam urbem Curſori tradidit. Frontinus libro tertio, capite tertio.

HANNIBAL poſt prælium, quo ingentem cladem ad Thraſymenum Romani acceperunt, cùm ſex millia hoſtium, interpoſita pactione, in poteſtatē ſuam redegiſſet: ſocios Latini nominis benignè in ciuitates ſuas dimiſit: dictitans, ſe Italiæ liberandæ cauſa bellum gerere. Eorumq; opera aliquot populos in deditionem accepit. Frontinus libro quarto, capite ſeptimo.

C. Corn. SYLLA quò corrumperet & ad tranſitionem pelliceret aliorum milites, prolixus & profuſus fuit in ſuos. Itaque cùm pariter alios ad proditionē, & ſuos peruerteret ad luxuriam; grandi pecunia opus habebat. Plut. in Sylla.

IDEM ex Aſia in Italiam reuerſus, bello ciuili urgente, multis exercitibus & ingentibus copiis hoſtium circumfuſum ſe uidens: omnibus impar uiribus, dolo intitauit alterum conſulem Scipionem ad pacem. Non aſpernante illo, congreſſus & colloquia crebra fiebant. Sed ſemper moram aliquā Sylla & cauſam iniiciendo militibus ſuis, ad omnem fraudem & pręſtigias, ſicut ipſe erat dux, compoſitis, exercitum Scipionis corrupit. Nam ingreſſi in hoſtium caſtra, iiſq; admiſſi, alios pecunia, pollicitis alios, nonnullos blandimentis & ſuaſionibus pellexère. Poſtremò Syllam uiginti cohortibus caſtris admotum ſalutarunt, ſeq; ei coniunxerūt. Scipionem, in tabernaculo deſertum cùm cepiſſet, dimiſit. Sylla cohortibus uiginti quaſi auibus cicuribus quadraginta in laqueum illectas aduerſarias abduxit omnes in caſtra ſua. Quo tempore Carbonem ferūt dixiſſe, bellum ſecum uulpe & leone in animo Syllæ habitantibus gerentem magis infeſtari à uulpe. Idem.

Cùm Eudo Aquitaniæ dux Saracenorum CCCC millia ex Hiſpania aduerſus Carolum Martellum Gallorum regē euocaſſet: MARTELLVS ad Eudonem miſit, qui admonerēt, quantùm in ſe ſuoſq; ac numen ſceleris conſciſceret: ſatius eſſe reconciliationem gratiæ fieri, ſimultatumq; memoriā patriæ Galliæ religioniq; condonare, quàm ſecum cūcta in omne tempus euerſum ire. His motus Eudo, cùm ad Turonum urbem ſigna contuliſſent, & iam æquo pugnarent marte, communis caſtra Saracenorum diripuit. Qua clade Saraceni territi, fugam effuſam fecerè, & ad CCCLXXV millia Barbarorum cecidère. Aemilius lib. 2.

Sub belli Anglici initia, IACOBVS Arteuilla, quem Flandri, pulſo Comite ſuo, ducem delegerant, cùm Anglis unicè faueret, neque ſuis ut apertè à Franco rebellarent, perſuadere poſſet: metuentibus ne fortè reconciliata inter reges pace, ipſi deſerti omnem iram Francorum exciperent: perſuaſit Eduardo III. ut rex non Angliæ modò, ſed & Franciæ ſcriberet: uexillis, pannis, ſignis liliatis etiam uteretur: ita fore, ut ſpem pacis cum Philippo Valeſio rege Francorum iungendæ reſpicere ultrà non poſſet, tantæ rei cōtrouerſia tam illuſtribus monumentis, gradibuſq; ac immortalibus teſtata: ſimul Flandris nullam pœnam, nullam ſponſionē commiſſum iri, ſi Franco regi uerbis detinecti Eduardo regi & Angliæ & Franciæ ſcribenti dicto audientes fierent. Hoc commento ab Iacobo fides eluſa. Anglus nullam dum terræ Salicæ partem nactus, rex Franciæ ab ſuis Flandriſq; ſalutatur. Atq; ita ſcribendi ſignandiq; initium fecit, ac in inſignia lilia tranſtulit. Aemilius lib. 8.

In obſidione Pragenſi, principes ciuitatis, qui SIGISMVNDVM Imp. odiſſent, populares, ut obſcena & petulantiſſima in eum uerba iactarent, aſtu atq; arte procurabant: ſic enim futurum arbitrabantur, ut irritatus hoſtis, crucem & quæuis duriora ſupplicia minaretur obſeſſis: illi uerò pœnæ metu, obſidionis incommoda conſtantiùs tolerarent. Quod cùm intelligeret Imperator, impunitatem omnium, quæ in ſe dicerentur, per præconem promiſit. Aeneas Sylu. cōm. de Alfonſo lib. 4.

Vix MATHIAS Coruinus regnū Hungariç inierat, cū Nicolaus Vilachus, Paumkircherus, Helderbonus, Sigiſmundus de S. Georgio cæteriq; Alemanicæ factionis ſectatores, à rége ad Fridericum III Imperatorē, cum tota ferè citeriore Hungaria defecere. Bello exorto, magna clade affectus eſt Mathias à Friderici exercitu. Sigiſmundus & Nicolaus pietate moti, cùm gentiles ſuos à Germanis trucidari uiderent, Mathiæ reconciliationis mentionem iniicienti aures præbuere. Nicolaum Mathiæ competitorē, genere opibúſque pollentem, ut à rege deficeret, ambitio impulit: Sigiſmundum Auſtriæ uicinitas, qua à Cæſarea uoluntate non ſine periculo diſſentire poſſe uidebat. Mathias Nicolai ambitionem, promiſſa Boſſonicēſis regni corona, accēdit: Sigiſmundum præfectura ſuperioris Pannoniæ ſibi conciliauit: Ioanni uerò fratri prouinciam Tranſſyluaniæ cum imperio promiſit. Detractis ita duobus præcipuis ducibus, reſtaurato exercitu, cū Cæſarianis congreſſus, eos profligauit. Bonfinius lib. 10. Decad. 3.

EQVES



EQVES Moldauus fugiens tyrannidem Stephani Vayuodæ Moldauiæ, Ferdinandi Imp. partes ſecutus, occidendi Moldaui conſilium promiſſis ampliſs. cepit. Quo detecto, in Poloniam aufugit. Inde Ioan. Baptiſtam Caſtaldum, Ferdinandi architrategū in Tranſſyluania, monet, ut literas ſcribat ad duos Vayuodę intimos, & ſimulanter hortetur, ut negotium ſumma fide & celeritate perficiāt, præmia ampliſſima expectent. Illi acceptis literis obſtupuere, & cùm inter ſe de ſtratagemate diſſererent: puer quidam Stephani cognatus id ad Vayuodā detulit. A quo uocati, literas oſtendunt. Vayuoda homo ſuſpicax dignitate illos priuat. Qua rei indignitate moti, ſuaſu equitis (id quod priùs in mentem nunquam uenerat) tyrannum in tentorio nihil tale metuentem confodiunt, & Moldauiæ imperium legitimo Vayuodæ, equitis illius cognato, tradunt, anno MDLII. Aſcanius Centorius lib. 5. Com. de Bellis Tranſſyluaniæ.

## EQVITATVM HOSTIVM INVTILEM REDDERE, in fugam uertere. EQVOS uel CVRRVS inhibere.

HERCVLES bellum aduerſus Minyas gerens (erant autē Minyæ ad equeſtres pugnas in planicie obeundas exercitatiſſimi) conſerere manus nō audens, fluuium immiſit Cephiſum, qui duos mōtes Parnaſſum & Hedyliū terminat: Bœotiam uerò mediam diſcludens, antequàm ſe in mare exoneret, in uaſtum hiatum euaneſcit. Eum hiatum Hercules magnis lapidibus obſtruens, flumen in campum auertit: eoq; ſtagnante, Minyis inutilis erat equitatus. Hercules parta uictoria rurſus aperuit hiatum. Poliænus lib. j.

CYRVS Harpagi Medi conſilio uſus, aduerſus Crœſi Lydum equitatum, cui Perſicus haud dubiè impar erat, uim camelorum ingentem in fronte collocauit, his peditem ſubiecit, poſt pedites equitatum omnem ſtare iuſſit. Conflixere utrinque acies, primoq; concurſu penè decretū eſt. Nam Lydorum equi, inſueto camelorū odore aſpectuq; territi, confeſtim in fugam uerſi ſunt. Sabellicus lib. 6. Ennead. 2. ex Herod. lib. j. & Polyæn. lib. 7.

Nullus in Scythia neq; aſinus neq; mulus gignitur, ac ne ullus quidem uiſitur, propter frigora. Itaque in expeditione DARII regis contra Scythas, rudentes aſini perturbabant Scytharum equos, & cū Scythæ ſæpenumerò Perſas adorirentur, eorum equi exaudita aſinorum uoce, conſternati auertebantur, arrectis auribus ſtupefacti: utpote inſolentia tum uocis, quam priùs non audiſſent, tum formę quam nunquā inſpexiſſent. Herod. lib. 4.

PHOCENSES ante Perſarum in Græciam irruptionem cum Theſſalis bellum gerebant. Ad Hyampolim igitur, quà intra ipſorum fines inuaſurum Theſſalorum equitatū exploratum habebant, ſuaſu Telliæ uatis urnas fictiles defodere, quas terra ſuperaggeſta operuerunt. Hoſtes, ut qui eas inſidias non prouiderant, citatis equis excurſione facta, incauti in eas urnas inciderunt. Ibi cùm eo caſu fracti & debilitati fuiſſent equorum pedes, uiri ex equis prolapſi paſſim cæſi ſunt. Pauſan. lib. 10. & Polyæn. lib. 6. & Herod. lib. 8.

CLEARCHVS armatos ducens in campo, incumbentib. hoſtiū equitibus, & equeſtri prælio uincentibus, inſtruxit exercitum, octonis in profunditatem diſpoſitis, & rariores quā pro figura plinthij collocauit; atq; præcepit, ut gladio demiſſo ſub ſcutum maximam foderent foueam. Qui cùm fodiſſent, ille armatos adduxit ſupra foueas in anteriorē campi partem. Hoſtium autem equitibus incidentibus, redire iterum iuſſit uſq; ad foueas. Hoſtes nihil proſpicientes, & admouentes equitatum, duriterq; impingentes in foueas, ſupra ſe mutuò ruebant. Clearchij uerò equos humi ſtratos occiderunt. Polyænus lib. 2.

IPHICRATES ex Odryſiade multam undiquaq; prędam egit. Perſequebantur Odryſenſes Thraces magna multitudine. Ille cùm paucos equites haberet, dedit eis ardentes faces, & in hoſtes inuadere iuſſit. Odryſiorum equi inſolitum aſpectum ignis non ferentes, in fugam agebantur. Polyænus libro tertio.

NICIAS, caſtrametantibus Athenienſibus circa Olympium, in planiciem quæ pro caſtris erat, tribolos iuſſit ſpargere. Cùm poſtridie dux equeſtris Syracuſiorū Ecphantus equites produceret, in turpem fugam conuerſi ſunt, tribolis in equorum pedibus infixis: ita ut multi ex ipſis ne progredi quidem poſſent, & à ſcutatis ſolidos calceos indutis interficerentur. Polyænus lib. j.

CLEOMENES Lacedæmonius aduerſus Hippiā Athenienſem, qui equitatu præualebat, planiciem, in qua dimicaturus erat, arboribus proſtratis impediuit, & inuiam equiti fecit. Frontinus libro 2. cap. 2.

In tantum deliciarum ſtudium deuenerāt Sybaritæ, ut equos etiam ad tibiā in ſympoſiis tripudiare aſſueſecerint. Quod cùm CROTONIATÆ cognouiſſent, ubi cum his pugnarunt, ſaltandi concinnitatem illis pararunt, ut aſſerit Ariſtoteles in eorum Republica. Aderant enim illis tibicines in acie militari, quorum cùm tibiarum ſonum equi audiuiſsēt, non exilierunt ſolùm, uerumetiā ſeſſores habentes ad Crotoniatas transfugerunt. Athen. lib. 12. c. 6.

Idem ſcribit Charon Lampſacenus BISALTAS contra Cardianos deſignaſſe. Onaris enim Biſaltarum dux tibicinam Cardianā Biſaltas in arte erudire fecit. Vbi ergo pugna fuit cœpta, tibias inflare, moduloſq; canere iuſſit cōſuetos. Eos ubi equi audiuerunt, in poſtremos pedes erecti in tripudiū ſunt conuerſi. Cardianorum uis omnis in equitatu poſita erat, atq; idcirco uicti ſuperatiq; fuerunt. Idem.

ALEXANDER Macedo, cū Thraces ita paratos eſſe didiciſſet, ut magnam uim curruum in Macedones immitterent: præcepit eis, ut quos poſſent deuitarent: ſin interciperētur, demiſſi ipſi in terram ſcuta proiicerent, ut ea currus incitati illiderent. Sic Thracibus inutilem curruum apparatum effecit. Polyænus lib. 4.

PYRRHVS Epirotarum rex pro Tarentinis aduerſus Romi. equitatum elephantis ad perturbandā aciem uſus eſt. POENI aduerſus Romanos idem fecerunt frequenter. Frontin. libro 2. capite 4.

Obſidente Capuam Ful. Flacco procoſ. Romano, bello Punico ſecundo, quum aſſiduis hoſtium eruptionib. crebra pręlia fierent, eſſentq; equeſtria certamina hoſtibus plurimùm ſecunda: conſules Q. NAVII centurionis inuento, ex omni militari iuuentute agillimum quenq; eligunt, qui ſeptenis iaculis atq; breuiore parma inſtructi, equorum clunib. poſt equites ſedentes in aciem deferrentur, utq; ubi ad iactū teli propè hoſtem euecti eſſent, equis protinùs deſilientes, in Campanum equitatum impetum facerēt. Primo itaq; congreſſu iidem pluribus telis aliis ſuper alia in aduerſum hoſtem coniectis, confeſtim prælio auertunt, auerſum Romani equites ad portas uſq; cum cæde & ſtrage perſequūtur. Atq; ita equeſtri pugna res Campana deterior facta. Milites ita inſtructi Velites ſunt dicti, & haſtæ, quib. illi uſi ſunt, Velitares, longitudine quaternum pedum, ut Liuius prodidit. Sabell. lib. 4. Ennead. 5. ex Liuio, & Val. lib. 2. c. j. Frontinus Q. Næuium uocat lib. 4. cap. 7.

C. IVL. Cæſar in Britannia ingentem fluuium traiicere conabatur. Rex Britannorum Caſſouellaunus cùm multis equitibus & eſſedis eum tranſitu arcebat. Cæſarem maximus elephas ſequebatur, animal Britannis priùs non uiſum. Itaq; & Britanni ſupra modum territi ſunt, & equi eorum fugam ceperunt: Romani ſine periculo flumen tranſmiſerunt. Polyænus libro 8.

IDEM Gallorum falcatas quadrigas palis defixis excepit, inhibuitq;. Frontinus lib. 2. c. 3.

CONSTANTINVS Magnus contra Maxentium tyrannum ducens, Seguſione in Alpibus capta, in campum Taurinorum deſcendit, ubi exercitum hoſtium ſpecie terribilem reperit. Hi erant clibanarij: nempe equi homineſq; pariter ferri operimento ſepti, quos supernè tectos, equorū pectorib. demiſſa lorica, & crurum tenus pendens, ſine impedimēto greſſus, à noxa uulneris uindicabat. Quibus cōtemtis Conſtantinus equites cataphractos maximi in prælio roboris oppoſuit. His diſciplina pugnādi erat, ut cùm aciem arctaſſent, tenorem impreſſionis ſeruarent, & tuti à uulnerib. occurrentia omnia ſine hæſitatione perrumperent: atq; indè auxilium ab induſtria ſumſit. Quippe aciem in hoſtes eduxit, eoſq; in ſe ruentes reductis repentè agminibus clauſit, atq; in medio interceptos, clauis inuaſit: quæ grauibus ferratiſq; nodis maximè capitibus inflictæ, quos ictu attigiſſent, ruere compellebant. Interfectis ad unum omnibus, ſaluis Romanis, horror armorum ad uictoriæ miraculum eſt tranſlatus, quòd qui inuulnerabiles habebantur, ſine hoſtium uulneribus interiſſent. Sigonius libro ſecundo Imperij occidentalis.

NORMANNI cùm Louanio digreſſi Pariſios obſiderēt, Henricus Caroli Craſſi dux caſtra eorū ſpeculaturus excurrens, incidit in foueas, quas hoſtis effoderat, & paleis compleuerat: itaq; trucidatus eſt, anno Domini DCCCLXXXVII. Sigebertus, & Regino lib. 2. & Aemilius lib. 3.

CATELANI à Theſſalis in Bœotiam traducti, cùm à principe Athenarum tranſitus illis negaretur, inſtructa acie hoſtium aduentum expectantes, omnem illam terrā aratro proſcidère, in qua pugnam cōmittere decreuerāt: deinde obducto uallo, & foſſis è fluuio ductis, totam planiciem ita irrigarunt, ut ſtagnaret. Dux Athenienſis cum equitibus con-

niſſet, acroaſim fecit, exemplūq; ꝑtulit muri, & ſupra id machinā in carcheſio uerſatili cōſtituit, quà Helepolim ad mœnia accedentē corripuit, & trāſtulit intra murū. Hoc exēplar Rhodij cùm uidiſsēt, admirati ademerūt Diogneto, qđ fuerat ei quotānis conſtitutū, & eum honorē ad Calliā tranſtulerunt. Interea rex Demetrius Poliorcetes cōtra Rhodū bellum cōparando, Epimachū Athenienſem nobilē architectū ſecū adduxit. Is aūt comparauit Helepolim ſumtib. immanibus, induſtria laboreq; ſummo, cuius altitudo fuerat pedum 125. latitudo pedū 60. ita eā ciliciis & coriis crudis confirmauit, ut poſſet pati plagā lapidis baliſta immiſſi pondo 360. Ipſa autē machina fuerat millia pondo 360. Cùm autē Callias rogaretur à Rhodiis, ut cōtra eā Helepolim machinam pararet, & illā, uti pollicitus erat, transferret intra murum, negauit poſſe. Nō enim omnia eiſdē rationib. agi poſſunt. Sed ſunt aliqua, quę exemplarib. non magnis, ſimiliter magna facta habent effectus. Alia aūt exemplaria non poſſunt habere, ſed per ſe conſtituuntur. Nonnulla uerò ſunt, q̄ in exemplarib. uidētur uériſimilia, cùm autem creſcere cœperunt, dilabuntur. Terebratur terebra foramen ſemidigitale, ſeſquidigitale: ſi eadem ratione uoluerimus palmare facere, non habet explicationē: ſemipedale autem, maiúſue, ne cogitandū quidem uidetur omnino. Sic itē quemadmodum in nonnullis paruis exemplarib. factum apparet, in nō ualde magnis fieri poſſe uidetur, nō tamen eodē modo maiorib. id conſequi poteſt. Hæc cū animaduertiſſent Rhodij, eadē ratione decepti, qui iniuriam cū contumelia Diogneto fecerant, poſteaquā uiderunt hoſtē pertinaciter infeſtū, & machinationē ad capiendā urbem comparatam, periculum ſeruitutis metuentes, & nil niſi ciuitatis uaſtitatē expectandam, procubuerūt, Diognetū rogantes, ut auxiliaretur patrię. Is primò negauit ſe facturū: ſed poſteaquā ingenuæ uirgines & ephebi cū ſacerdotib. uenerunt ad deprecandū, tūc eſt pollicitus his legibus, ut ſi eam machinā cepiſſet, ſua eſſet. His ita cōſtitutis, quà machina acceſſura erat, ea regione murū pertudit, & iuſſit omnes publicè & priuatim, qđ quiſq; habuiſſet aquæ, ſtercoris, luti per eā feneſtrā, per canales, effundere ante murū. Cū ibi magna uis aquę, luti, ſtercoris, nocte profuſa fuiſſet, poſtero die Helepolis accedēs, antequā appropinquaret ad murū, in humida uoragine acta conſedit, nec progredi nec regredi poſtea potuit. Itaq; Demetrius cū uidiſſet ſapiētia Diogneti ſe deceptū eſſe, cū claſſe ſua diſceſſit. Tunc Rhodij Diogneti ſolertia liberati bello, publicè gratias egerūt, honoribuſq́, omnib. eū & ornamētis exornarūt. Diognetus aūt eam Helepolim reduxit in urbē, & in publico collocauit & inſcripſit, Diognetus è manubiis id populo dedit munus. Vitruu. li. 17. c. 22. Archit.

Veſpaſiano Iotapatā Galileę urbem munitiſſimā oppugnāte, IOSEPHVS dux ut arietis impetū hebetaret, ſaccos palea cōfertos ex muro demiſit, ut iis arietis ictus exciperetur, & muro innoxius eſſet. Romani uiciſſim cōtis prelōgis falces affixere, quib. ſaccos abſcinderēt. Ioſeph. li. 3. c. 8. Belli Iud.

IDEM ſudibus in muro defixis, ex iis boum tergora recentia extendit, quæ tormentis miſſos lapides & tela exciperēt ſinuata, & ignes humiditate eluderent. Hoc tanquam uallo muniti fabri, die noctuq; murum ad XX cubitorum altitudinem erexerunt. Idem cap. 7.

IDEM, Romanis muro deiecto per ruinas ſubeūtibus, oleum feruens teſtudini hoſtiū confertiſſimæ infundi præcepit, ita ut Romani de pontibus deturbarentur plurimi. Quinetiam fœni græci decocto pontes perfudit, cuius lubricitate firma ponere ueſtigia prohiberentur. Idem cap. 10.

Vitiges Gothorum rex Romam obſidens, turres ligneas conſtruxit, quæ murorum altitudinem adęquabant, atq; eis ad angulos rotas ſubiecit, à bobus quocunq; ipſe uellet adducendas: ſcalas multas parauit, quæ ad pinnas uſq; pertinerent: arietes ingentes expediuit, quib. admotis muros uehementiùs uerberaret. ligna, arundines, & cętera eiuſmodi cōgeſſit, ut foſſas æquaret, & per eas ad muros machinatiōes adduceret. inde poſt uiginti dies has promouere machinas cœpit: ac Romanos conſpicantes ipſarum nouitate ac magnitudine obſtupefecit. BELISARIVS uerò inſtructā aciē cum machinis aduentantem proſpectās, in riſum prorupit, ac quieſcere milites, donec ſignum accepiſſent, præcepit. Poſtquam illi foſſæ appropinquarunt, ipſe primus in armatum quendam hoſtium ducem arcum intendit, ac, gutture iaculo traiecto, ad terram ſtrauit: inde in alterū iaculatus, pariter morte affecit. Ex quo animus Romanis, & ſpes futuræ uictoriæ ex tam felici principio acceſſit. Inde, ſigno dato, ſagittas iácere exercitum innuit uniuerſum. Itaq;, cadentibus repentè bubus, machinæ conſtiterunt. Ex quo Gothorum cōſilium ludibrio fuit, qui ſe boues impunè ad muros putarunt poſſe adducere. Sigon. lib. 18. Imp. occid.

Carolus Magnus Pompellonē urbē Hiſpaniæ SARACENIS parentē obſidēs, turres ex materia mobiles excitarat, duas ſubliniores urbis propugnaculis, non modò ut telis nudarent defenſorib. muros, ſed ut in mœnia tranſcenderetur. Quæ ubi primū diuerſis partib. propiùs agebantur, tūc miſſilem ignem ad primū earum conſpectū pręparatū tormentis iniiciebant, qui motu ipſo maiore flāma cōcepta, & oculos perſtringebat, & quocunq; incidiſſet, alibi incendiū, alibi inſanā trepidationē faciebat. Vna turriū propiùs admota, terrore micantis flāmæ eueſtigiò deſerta: altera nō ſatis munito itinere, ſimul ſuo ac ſuperſtantium pondere, pontiumq; mole, tumultuq; priorib. rotis depreſſiore in altū orbita ſedētib. hęſit, magno hoſtiū, uelut numini ſalus eorum cordi foret, miraculo, & Francorū cōſternatione. Aemil. l. 2.

Quum in expugnatione Romæ an. 1527. à CAROLI V. exercitu peracta, iam multi ingentis tormenti pila, è ſummis collibus in latera denſiſſimi agminis emiſſa, diſcerpti eſſent, rapraq́; in prænalta mœnium parte duo Hiſpanorum uexilla, ſigniferis è muro præcipitatis: repentè nebula craſſior paluſtri exorta campo, ita hoſtium aciem intexit, ut tormentorum uſus dirigendis ictibus fatali Romanorum incommodo penitùs eriperetur. Irrupēre itaq; facilè Hiſpani per coniūctas muro ignobiles caſas, ubi exercitus dux Borbonius amiſſa uoce inguina glande traiectus defecerat. Iouius in Pompeio Columna.

Obſeſſa à Gallis & Venetis Verona, an 1516. cui Cæſaris Maximiliani nomine M. ANT. Columna præerat, QVIDAM agricola Veronenſis, Columnæ pollicitis ineſcatus, cùm ſæpè res uęnales & hortenſia in primis in caſtra deferre conſueuiſſet: ſimulatione ſpectandi, ad tormentorum locū, ubi & omnis eorum erat apparatus, minimè id curantib. cuſtodibus, proceſſit: funiculumq; igne ſucenſum, ut antea edoctus fuerat, idonea in parte reliquit. Nec mora, ut primā ſtatim paleæ & proxima cadis ſtramenta flammā corripuere, tantus repentè incenſo puluere ignis obortus eſt, ut quicquid ſulphurei pulueris ad oppugnandā urbem magna impenſa, & multo labore paratum conuectumq; fuerat, id totum uno temporis puncto conflagrarit: tantaq; flammarū uiolentia atq; rapiditas fuit, ut omnia cōcurſantis & reſtinguere conantis exercitus remedia, una mali uelocitate pręuerteret. Id ſolū in graui atq; inſperata iactura ſolatio fuit: incēdiarius dū ſe reciperet, in ipſo ſtatim incēdij ſquiētis initio deprehēſus. Qui poſtea ad eruendā ueritatem tormētis excruciatus, & uiuus eodē igne cōcrematus, dignas ſcelere atq; audacia pœnas perſoluit. Sab. ſupplem. li. 8. ex Iouio.

## MVNIMENTA CORRVMPERE, EVERTERE.

GARSIA Cottignius arci Armuzij, nomine regis Luſitanorum Emmanuelis, præfectus, à rege Armuzienſe arcta obſidione premebatur. Is murum ædificauit, ea mēte, ut ad tantam altitudinem perduceret, ut arci immineret, eamq́; propugnatoribus nudaret. At Luſitani crebris duorū tormentorum ictibus murum quatiunt, eumq́; lata rima findunt, multiſq́; locis pertundunt: deinde galeas fuſtibus ſublatas inter pinnas ſtatuunt, ut armatorum ſpeciem præbeant, & choreas ducunt, maximamq́; recentis lętitiæ ſignificationē dant, ut hoſtes opinarentur recens auxilium aduenifſe. Ea uerò nocte, quæ ſequuta eſt, Cottignius Emmanuelem Vetulum, & Rodericum Varellam, cum uaſis puluere tormentario refertis, in murum immiſit. Hi magno ſilentio ad murum accedunt, & per rimas atq; foramina uaſa intra murū collocant: deinde ſparſum puluerem tenui quodam limite ab aduerſo muro ad arcem continuant. Poſtquam in arcē recepti ſunt, ignem deiiciunt. Flamma repentè in muri ruinas temporis momento diſcurrit, uaſa corripuit, incendiū cum horrendo quodam ſtrepitu concitauit, quod ſtationē, quæ intra murum erat, abſumſit: in ædes deinde regias impetu peruaſit. Ventus erat ea nocte uehemens, & ita euenit, ut cùm omnes accurrerent, nemo poſſet incendium reſtinguere. Neque ſolùm ædes regiæ, ſed magna etiam ciuitatis pars incendio illo conſumta fuit. Hoc facto regis ſpes inciſæ fuerunt. Oſorius libro duodecimo rerum Emmanuelis.

## CLASSEM DISIICERE, NAVES INVTILES REDDERE.

THESEVS è Creta uicto Minotauro, Ariadnæ ope, fugiens, catinas nauium Creticarum excidit, ne Minos inſequi poſſet. Plut. in Theſeo, ex Pherecyde.

Pugnaturus aduerſus Xerxis innumeras copias THEMISTOCLES, non ſecus tempus atq; loci anguſtiam animaduertit & captauit, neq; priùs aduerſam barbaris aciē explicuit, quàm



quàm conſueta hora adfuit, quà uentus ex mari increbreſcens fluctum per fretum impelleret: cuius impetus Græcorum nauibus non oberat compactis & humilioribus: barbaricas uerò editioribus puppibus foriſq́, excelſioribus & ob pondus minùs agiles retorquebat, ac Græcis acriter incurrentibus, & ad Themiſtoclis, ut qui maximè uideret, quid è re eſſet, iuſſa intentis, tranſuerſas obiiciebat. Plutarchus in Themiſtocle.

Aegyptij à Perſarum rege Artoxerxe defecerant, & Athenienſium auxilia impetrarant. ARTABAZVS & Megabyzus ſummi duces, non collatis ſignis, ſed arte debellare conabātur. Nauib. itaq; Athenienſium procul ad inſulam, quæ Proſopitis dicitur, coactis, ibiq́; in ſtatione poſitis, fluuium circumfluentem foſſis in aduerſum erutis deduxere, inſulāq́; illam aqua ſubducta ſiccam undiq; continenti reſtituere. Simulac naues repentè ſolo incidiſſe cōſpectæ ſunt, Aegyptij re penitùs deſperata, conſternatis animis deſtituerūt Athenienſes, & ad Perſas transfugierūt. Athenienſes præſidio ſociorum deſtituti, cùm naues ſuas ad bellicos uſus prorſus incōmodas cernerent, igne ſubiecto concremarunt omnes, ne carinis integris in hoſtium manus uenirent: tum nulla circumſtantis ſe periculi difficultate aut terrore perculſi, paratis aderant animis ad manus cum hoſtibus conſerendas. Artabazus & Megabyzus, conſpecta omnium incredibili audacia, ueriti, ne cum obſtinatis iam ſalute abiecta ad mortem pugnando uiris, multa nequicquam ſuorum millia amitterent, fœdus cum Athenienſibus certa conditione inierunt: permiſſumq́;, uti abſque periculo incolumes Aegypto excederent. Diod. lib. 11.

CALLIADES gubernator interceptus à naue celeriore, gubernaculum frequenter inhibuit, à quacunque parte eſſet incurſura, ut perſequens alliſis ad gubernaculum remis impreſſionem facere non poſſet, quæ ferè primis remis ſeſſilibus fieri conſueuit. Polyæn. lib 5.

Syracuſiis bellum gerentibus contra Athenienſes in Sicilia, ſuaſit ARISTON quidam Corinthius nauta, uti nauium proras & breuiores & depreſſiores facerent. Quod conſiliū in poſterioribus deinceps maris periculis magno præſidio extitit, ac perſæpè ea cauſa res à Syracuſis bene geſta eſt. Triremibus nanq; Atticis infirmiores ipſa figura, proræ compagibus excelſiùs ſuſpenſæ eminebāt. quam ob rem fiebat, ut earum roſtra in concurſu, eminentia tantùm ſuprà mare loca uulnerarent: inde leui damno premebant hoſtem. Syracuſiæ uerò compages ad prorā corroboratas depreſſaſq́; ferientes, incurſu roſtrorum una perſæpè inflictione triremes deprimebant Athenienſium. Diod. lib. 13.

HERACLIDES Tarentinus architectus Philippo Perſei patri promiſit, ſe ſolum Rhodiorum claſſem incenſurum. Atq; tum ficta arte progreſſus ex aula Philippi, ſigna iniuriæ ferebat, & ad aram ſupplex confugit, & à populo miſericordiam flagitabat. Erant nonnulli Macedones, quibus hæc indigna uiderentur. Ita conſcenſa cymba, Rhodum uenit, inquiens: Supplex uenio ad uos, iniuriis affectus, quoniam Philippum impediui ne uobis bellum inferret. Vt autem fidem his quæ dico adhibeatis, epiſtolam Philippi oſtendo, ſcriptam ad Cretas, qua bellum aduerſus Rhodios ſuſcipere inſtituit. Rhodij credentes literis, Heraclidem recipiunt, eūque ſibi uſui fore contra Philippum arbitrantur. Ille noctu animaduertens uentum procelloſum uauibus incumbere, naualia Rhodiorum incendit. Tredecim naualia perierunt, & quotquot triremes in iis fuerunt. Ille coniecto igne, mox ſcapham conſcendit, ac ſoluit: traiicienſq́; in Macedoniam, primum locum inter amicos Philippi Heraclides tenuit. Polyænus libro 5.

Carthaginenſes cum Xerxe confœderati, ad debellandos, uti inter eos & regem conuenerat, Græcos, qui Siciliam incolebant, ducem belli delegere Himilconem, admirabili ingenio, rerumq́ue peritia bellicarum præſtantem. Exercitum pedeſtrem ducebat, haud trecentis millibus pauciorem: naues longas ſupra duo millia, exceptis onerariis, & his quæ ad uectigalia portanda ſtatutæ erant, quarum multitudo plus tribus millibus habebatur. GELO dux Syracuſanorū peditum quinquaginta millia, equitum ad quinque millia habebat. Is cùm naues hoſtium incendio abſumere uellet (in eo nanque rerum ſumma belliq́ue fortuna uertebatur) accidit ut eodem tempore Amilcar res de more nauticas procuraturus Neptuno magnis hoſtiis peragere ſacra pararet: & ex agris nuncius quidam fortè interceptus, adduceretur, qui epiſtolas ab Amilcare ad Selinuntios gerebat, in quibus continebatur, uti ad quem diem ſcripſerat, ad eum ſine ulla mora equites procinctos mitterent. Cùm dies qua Amilcar erat ſacrificaturus illa eſſet, eadem miſit Gelo equites ſuos, iubetq́ue uti noctu per loca circumuecti proxima, ſimul ac dies illuceſceret, ad nauales hoſtium munitiones accedant, tanquam Selinuntiorum ſocij ſint, & ſimulac intra uallum fuerint admiſſi, cùm primùm obtruncare prope rent Amilcarēm, mox ad naues incendendas irrumpant: ſignum inde ſibi è ſpecula rei ex ſententia geſtæ edant. Succeſſit dolus ex uoto. Amilcar inter ſacra cæſus, naues omnes, XX exceptis, conflagrauere. Gelo facta irruptione, ſupra CL millia hoſtium cęcidit: non minor numerus captus. Viginti illæ, cùm ex profligata acie multi ad eas confugerent, quātum quęq; numerum capere poterat fugientium, repletæ uiris, in patriam reuehebantur. Has medio in curſu tempeſtas atrox irruens, diſcuſſit atq; hauſit omnes: ex quo naufragio pauci admodum, parua quadam ſcapha erepti tempeſtati, Carthaginem peruehuntur: ciuibus ſuis affatu breuiſſimo nunciant, copias, quæ in Siciliam traiecerant, funditùs periſſe omnes. Nullum ducem, memoria proditū eſt, ante eum unquam tam callido conſilio rem geſſiſſe, neque in una acie tantum hominum numerum cecidiſſe, tantumq́; eadem captum. Quapropter nonnulli ſcriptores hāc illi pugnæ haud imparem exiſtimarunt, quæ à Græcis eſt ad Plateas decertata, Geloniſq́; fallaciam conſiliis Themiſtoclis minimè poſthabendam. Diod. lib. 11.

LYSANDER, ad Aegos flumen cum Athenienſium ducibus imperitis pugnaturus, infeſtis proris ſtantes & iam de nocte completas tenens naues, non eſt euectus in altum, ſed quatuor diebus continuis actuarias circummiſit ad eas naues, quæ in prima acie ſtabant, præcipiens ne mouerent ſe, tantùm inſtructæ conſiſterent, nec tumultuarentur uel irruerent in hoſtem. Ita recipientibus ſe ſub ueſperam Athenienſib. non antè egredi è nauibus permiſit milites, quàm naues ſpeculatoriæ rediſſent, cùm uidiſſent deſcendiſſe in terram hoſtes. Qua re elati Athenienſes, cœperūt hoſtes quaſi exterritos deſpicere. Quinto demum die, cùm euecti Athenienſes fuiſſent & remearent ut erant ſoliti ſanè quàm ſolutè & contemtim: tum confeſtim iuſſu Lyſandri omnes incurrerunt naues, properauerūtq́; copię terreſtres ſecundùm litus occupare promontorium. Interuallum inter duas continentes quindecim ſtadiorum cito ſtudio & alacritate remigum eſt cōfectum. Milites partim dilapſi, partim cęſi. Sic horæ ſpacio, abſq; ſudore, Athenienſes & claſſe & imperio Lyſander exuit, pro quo tot annis multo cū ſanguine decertarant. Plut. in Lyſandro, & Polyænus lib. 1.

ALEXANDER Theſſalus nauale prælium initurus, multis conſcenſoribus magnum miſſilium lapidum numerum in cataſtromatis diſpertiuit, eiſque præcepit, ut cùm hoſtium nauis appropinquaſſet, his in nautas iaculis uterentur, ut plurimi eorum nullum uſum præſtare nauibus poſſent. Polydorus lib. 6.

CN. SCIPIO bello nauali amphoras pice & teda plenas in hoſtium claſſem iaculatus eſt: quarum iactus & pondere foret noxius, & diffundendo quæ continuerant, alimentum præſtarent incendio. Front. lib. 4. cap. 7.

CASSIVS onerarias naues, non magni ad alia uſus, accenſas, oportuno uento in claſſem hoſtium miſit, & incendio eam conſumſit. Ibidem.

Q. FABIVM ferūt, cùm à rege Antiocho, quem bello ſuperauerat, ex fœdere icto, dimidiam partem nauium accipere deberet, medias omnes ſecuiſſe, ut eum tota claſſe priuaret. Val. Max. lib. 7 cap. 3.

LIBVRNI cùm uadoſa loca obſediſſent, capitibus tantùm eminentibus, fidem fecerunt hoſti alti maris, ac triremem, quæ eos perſequebatur, implicatam uado ceperunt. Front. libro 2. capite 5.

C. DVILLIVS cùm uideret graues ſuas naues mobilitate Punicæ claſſis eludi, irritamque uirtutem militum fieri, excogitauit manus ferreas: quæ ubi hoſtilem apprehenderant nauem, ſuperiecto ponte, tranſgrediebatur Romanus, & in ipſorum ratibus cominùs eos trucidabat. Frontinus libro 2. capite 3.

Bello Punico primo cùm Rom. claſſem primùm extruxiſſent, erant Carthaginenſes in magna ſpe uictoriæ, quando cum eo hoſte res futura eſſet, qui nullam rei naualis calleret peritiam. Vt autem claſſes inter ſe propinquare cœperunt, Corui in ROMANORVM nauium proris cōſpecti, hoſtes nouitate rei perculſos, curſu inhibuere: mox quacunque ea ars eſſet contemta, facto impetu, pugnam capeſſunt. Romani machinarum iactu confeſtim, quæ primo loco congreſſæ fuerant, tenaciter innectunt, innexaſq́ue magno animo pontibus irrumpunt. Erant corui uelut pontes quidam ſex ulnarum in gradus ſua longitudine digeſti, ligneæq́; columnæ, qui circa nauium proras ſtabant, ſummoq; loco impoſiti, libramentis quibuſdam remiſſi, præcipiti rotæ uolubilitate, in aduerſam nauim cadentes, quacunq; parte incidiſſent, tenaci nexu alligatam, quaſi per gradus euntibus peruiam faciebant. Cæduntur itaq; Pœnorum pleriq; ferociſſimo Romanorum incurſu, ſed plures ſubito ſtupore depreſſi, ſeſe turpiter dedunt. Fuit id certamen terreſtri multò quàm nauali ſimilius. Triginta Carthaginenſium naues, quæ principio prælium inierunt, ad unam in hoſtiū poteſtatem

ſtatem uénere, & in his prætoria ſeptiremis, quæ Pyrrhi regis fuiſſe ferebatur. Sab. lib. 9. En. 4.

Rom. Carthaginem bello tertio Punico obſidentibus, & claſſe in apertum educta, quum uentus à terra ſpirare cœpiſſet, CARTHAGINENSES ſcaphas ſarmentis plenas, eaſque ex improuiſo incenſas, in Romanorum naues plenis uelis immiſere. Quo contigit, ut tota penè claſſis uno tempore deflagrarit. Sabell. lib. 9 En. 5.

Vitalianus Thrax inſtinctu populi inſurrexit in Imperatorem Anaſtaſium, propter Eurychianam hæreſim: & captis Anchialo & Odyſſopoli ciuitatibus, ipſam quoque Conſtantinopolim claſſe obſedit: ſed arte inde pulſus eſt nō ui aperta. PROCLVS enim philoſophus ſpecula ex ære uſtoria fabricaſſe fertur, eaq; de muro eregione hoſtilium nauium ſuſpendiſſe: in quæ cùm ſolares radij impegiſſent, ignem inde fulminis inſtar erumpentem, claſſiarios ipſaſque naues hoſtium combuſſiſſe. id quod olim Archimedem excogitaſſe, Romanis Syracuſas obſidentibus, Dion refert. Tandem Vitalianus Romanis exercitibus in duobus prœliis ſuperior, à Mariano Syro in fugam uertitur: ubi poſtea ſponte quieuit. Euagrius lib. 3. cap. 43. item Paulus Diaconus lib. 15. Zonaras tomo 2.

Ruſſi, duce Ingero, mille nauibus ingreſſi mare, Conſtantinopolim petierunt. Hos ROMANVS Imperator Conſtantinopolitanus, non multis nauibus inſtructus, arte uicit. Nam aliquot expeditis nauibus obuiam hoſtibus proceſſit. Iſti conſpicati tam paucas naues, uiuos putant ſe homines cōprehenſuros eſſe, ac propiùs accurrunt agminatim. Verùm Græco igne in naues Ruſſorum iniecto, periêre flammis miſerrimè, & plurimi capti ſunt. Luitprandus.

Pipinus Italiæ rex, iuſſu patris Caroli Magni, ut Obelerium & Valentinum Duces reduceret (quos Beatus frater Conſtantinopoli reuerſus, tanquam Francis amicos, urbe Ducatuque depulerat) naualibus terreſtribuſque copiis expeditis Rauenna profectus, in æſtuarium Venetiæ anno 810. uenit, ac ſtatim Brondulum, Clodiam, Peleſtrinam & Albiolam oppida, litoraque, quæ æſtuario prætenta ſunt, occupauit, atque inde rectà Metamaucum, quæ tum Ducum regia erat, perrexit. Qua re perculſi Metamaucēſes, coniuges, liberos, omnemq; precioſiorem ſupellectilem in lembos raptim impoſuerunt, atque in Riuum altum, & Oliuolam, cum Beato ipſo Duce ſe receperunt, rati eas inſulas ab hoſtili impreſſione, magno intercedente canali, fore ſecuriores: quorum exemplum ſequuti alij quoque ex aliis inſulis tribuni, populos & ipſi ſuos ad communem tuendam libertatem eò continuò traduxerunt. Pipinus cùm Metamauci nihil, niſi domos uacuas, reperiſſet, eas diruit, ac litore toto percurſo uſque ad Portum peruenit. Ibi cùm omnem belli ſummam ad Oliuolam & Riuoaltum conſtitiſſe, omneſq; VENETORVM copias ad eum locum tenendum collatas eſſe audiret, eum inuadere ſtatuit. Verùm maioribus nauigiis eò penetrari non poſſe à peritis regionis edoctus, ex proximis amnibus lintres omnes contraxit. Ad quos, quia ſatis multi non erant, rates ex trabibus compactas adiecit, ac caſtellorum in modum munitas affatim armis uiriſque repleuit: atque eas aduerſus hoſtes, Obelerio facilem uictoriam pollicente, immiſit. Rates partim acceſſu æſtus, partim remulco lintrium, partim longis militum pilis impulſæ, aliquanto ſpacio curſum proſperè confecerunt: ubi uerò in altiorem aquam ſunt prouectæ, neque contis ampliùs impelli, neque propter grauitatem ſuam remulco trahi longiùs potuerunt. Id cùm Veneti ſenſiſſent, atque æſtu decedente, iamque in contrarium rapiente Francos laborantes uidiſſent, continuò leuibus lintribus, quibus abundabant, ſe intulerunt, ac remulcis inciſis rates à lintribus ſepararūt. Quo facto lintres ipſos adorti, pleroſque aut fluctibus ſubmerſerunt, aut in poteſtatem adductos peſſimè habuerunt. Inde rates, quæ in paludes ab ipſo æſtus impetu abreptæ ſubſederant, uſque adeò urgere cœperunt, ut Franci tenui uado confiſi in aquam ſe demitterent, quò pedibus ad litus perfugerent. Verùm opinione ſua decepti, mox obruti limo, cæſi omnes, aut capti ſunt. Pipinus, qui cum paucis Metamaucum felicem rei exitum opperiens ſe retulerat, ubi tantam ſuorum cladem audiuit, mœſtus, Obelerio & Valentino ſecum ductis, Rauennam repetiit. Sigonius lib. 4. regni Ital.

HVGO Italiæ rex arma aduerſus Saracenos, qui Alpes omnes infeſtas è Fraxineto reddebant, conuertit: miſſiſque ad Imperatorem legatis, triremes ignemque Græcum ſibi dari poſtulauit: cuius ea uis erat, ut niſi liquore aceti infuſo nequiret extingui. Itaq; anno 941 nauibus Græco igne combuſtis Saraceni pleriq; Fraxinetum reliquerunt. Sigonius libro ſexto, regni Ital.

Quum Henricus III. Rom. Imp. Petri Hūgarorum regis ab Andrea excæcati mortem ulturus, Piſonium obſideret, uir quidam inter Hungaros nandi arte periti ſſimus, cui ZOTHMVNDO nomen erat, intempeſta nocte præfecti iuſſu nādo clàm hoſtium naues ſubit, ſenſim eas tenui terebro ſuffodit. Ergo non modò proprio onere, ſed machinis etiam onuſtæ, ſecunda ac tertia hora diei imo deſidere occepere. Hac igitur arte eluſæ Alemannorū uires, obſidioq; ſoluta, quando ex oppidanis & centurionib. pleriq; quotidie facta eruptione in hoſtiū caſtra ſæuiebant. Bonſin. lib. 2. Decad. 2.

In oppugnatione Damiatæ urbis Aegypti, cùm una Latinarū nauium conſtrata ripæ, quam hoſtes obtinebant, per tela uolantia ueſano impetu appelleretur, in eamq; ex turri lateritia Barbari ut intercepturi ſe demiſiſſent, ac Latinorum cædem facere cœpiſſent: VNVS ex propugnatoribus in imam partem iam captæ nauis carinæq; deſcendit, raptimq; fundū eius perforauit, aquaq; largo ingreſſu recepta, ſe, ſuos, atq; unà hoſtes ſubmerſit: continuoq; turrita Latinorum nauis magna fiducia admota turrim lateritiam Barbarorū occupauit, illis eo caſu uelut miraculo perculſis, exiſtimantibuſq; ſibi cum nouo atq; inuſitato efferatiſſimorum mortalium genere certamen eſſe. Aemilius lib. 6.

Vetus GENVENSIVM Venetorumque maritimis prœliis aſſuetorum inuentum, in prœliis naualibus. Demittuntur ex ſummis caueis propugnaculiſq; in aduerſas naues teſtæ olei bitumine denſati: quibus fractis ita omnia in nauibus lubrica redduntur, ut nemo ſuo ueſtigio poſſit conſiſtere. Viuæ calcis corbes ad obtenebrandum uiſum supernè deiiciuntur. Sab. lib. 1. Dec. 3.

ALOYSIVS Lauretanus, Venetæ claſſis contra Alfonſum regem Neapolitanum præfectus, claſſem hoſtium in Meſſanę portu perditurus, onerariam ſarmentis & ſulphureo puluere refertam cum triginta fortiſſimis uiris (quos magnis pollicitationibus ad id facinus audendum compulit) uento & fluctibus ſecundis in portum immiſit: uiolentiſſ. illa uentorum ſpiritu cathenæ ualloq; impacta, nihil obſtitit quò minus ſtupentibus nouitate rei hoſtibus ad internas naues peruenerit. Hic dum eam ſubita trepidatione Ligur & alij circumſiſtunt, qui intus erant, materia repentè incenſa in actuariam (quam ad hunc uſum eò pertraxerant) deſiliunt: remiſq; fortiter innixi, ad ſuos incolumes euaſere. Interim uerò uehemens flamma quæ ſubitò ex Veneta emicuit, proximas naues corripuerat: neq; ulla ope improuiſæ cladi occurri potuit. Abſumtæ itaq; incendio antè oculos ciuitatis, præter cæteras ingentes, aliæ multæ, quæ tum in portu naues fuêre: multi quoque mortales ſubito igne abſumti, qui ſiue opem nauibus ferre auſi ſint, ſiue aliis operibus intenti eſſent, improuiſam declinare flammam non potuerunt. Sabellicus lib. 7. Dec. 3.

A Syfrido Saxonum duce & Toſtone Iutienſium tyranno terreſtri prœlio ſuperatus HADINGVS Danorum rex, cùm uictoris claſſem inter fugiendum repertā perfoſſis lateribus nauigationi inutilem reddidiſſet, ſcapham in altum direxit. Quem Toſto occidiſſe ratus, cùm diu inter necatorum cadauera quæſitum reperire non poſſet: ad claſſem regreſſus, animaduertit eminùs myoparonem mediis maris æſtibus fluctuantem. Quem cùm adductis in altum nauigiis perſequi ſtatuiſſet: naufragio facto ægrè litus repetiit: conſcenſiſq; aliis inſequi perrexit. Hadingus occupari ſe uidens, percontari comitem cœpit, An nandi uſum calleret? negantéq; eo, fugæ diffidentia ſponte euerſi nauigij concauas partes amplexus, mortis fidem inſequentibus fecit. Securum deinde Toſtonem inopinatumq; & ſpoliorum reliquiis auidiùs incubantem adortus, in fugam egit. Saxo lib. 1.

FROTHO Danorum rex in Trannonem Rutenæ gentis tyrannum mouens, hoſtiles naues terebro perforauit, clauis ligneis foramina obturauit. At ubi foraminum copiam mergendæ claſſi ſufficere credidit: demtis obſtaculis, promtū aquis aditum patefecit, hoſtilemq; claſſem inuaſit, & ancipiti periculo, hinc aqua, illinc ferro confecit. Saxo lib. 2.

Noruegiani & Sueones cum Canuto Danorum & Anglorum rege bellum gerebant. VLPHO Sueonum dux accinxit ſe cum CD nauibus ad prœlium nauale, in oſtio Helgæ fluminis, non longè à Calmarnia. Et cùm præſentiret Danicarum nauium aduentum, aggerem præualidum aquarum curſui obiiciēs, eas prorſus à ſolito impetu cohibuit, donec ſubeunte ui fluminis oſtiū Danica claſſe, eaſdem rurſus rupto aggere relaxaret, ſimulq; rates uario ignium fomento accēſas dimitteret. Quo euenit, ut ferè tota Danorum claſſis, præter duas naues, quæ Dracones uocabantur, aqua & flamma penitùs ſubmerſæ ſint. Io. Magnus lib. 18. cap. 3.

Contra ODDONEM piratam Danum, cùm Ericus Sueciæ, & Rollerus, qui Noruegiæ rex poſtea fuit, fratres bellū gererent, & uiderent periculoſum eſſe pugnam cum eo conſerere, qui uentos arte magica commoueret & undas, per exploratores inſtructi, quo modo Oddo naues ſuas lapidibus ad iaciendum aptis oneraſſet: miſſis clàm iuuenibus, earum tabulas aquis uicinas, ſub medio noctis ſilētio, terebro perforari fecerunt. Sic paulatim Oddonis claſſem exceptæ rimatim aquæ depreſſerunt, nullo ſuperſtite, qui acceptam



cladem nunciaret. Io. Magnus lib. 4. cap. 19. ex Saxonis lib. 5.

ERICVS Noruegus, Frothonis Danorum regis inſidias metuens, noctù cum Gunuara ſponſa, regis ſorore, fugiens, claſſem regiam, diffiſſa laterum parte, nauigationi inhabilem reddidit, inſertiſq; rurſum aſſerculis ſarſit, quò minùs ab intuentibus læſio noſceretur. Deinde nauigium, quo ſe comiteſq; receperat, haud procul à litore depelli curat. Quem rex laceratis inſequi nauibus parans, mox fluctu foros æquante, quanquam armis admodum onuſtus exiſteret, enatare inter alios cœpit. Præcipitatis in altum proris, ſedibus ſuis rémiges ſtagnans introrſum æſtus excuſſit. Quo Rollerus Ericuſq; fratres conſpecto, natabundi fluctuantem excepere regem. Iamq; eum ſuperfuſa ter unda ſubruerat, quum Ericus cæſarie comprehenſum eripuit. Cætera naufragorū turba, aut aqs obruta, aut ægrè litori reſtituta eſt. Saxo li. 6.

LVBECENSES cum orientalibus urbibus contra Danū bellum gerebant, circa an. ſal. 1422. Rex Hollandinorū magnas naues, quæ ad anchoram ſtabant in portubus regni, armare conſtituerat, & ciuitatum claſſi opponere. Præuenientes Germani, anchoris, uelis & funalibus eas naues priuauere, ut inutiles regi eſſent. Cranzius lib. 10. Vandaliæ cap. 38.

Occupata Clodia, imminebant Venetis Genuenſes, & captis circumquaque caſtellis, ingredi urbem parabāt. Quos poſt longam pugnam IOANNES Barbadicus armatis lembis quibuſdam perfacilè repulit, cùm progredi ulteriùs in æſtuariis illis triremes Genuenſium non poſſent. Hac etiam arte Barbadicus uſus eſt. Inuenta tum primùm à quodam Teutonico bombarda fuit, à ſono & tonitru ſic dicta: nulla erat ſcapha Venetorum, nullus lembus, qui non duas bombardas & eò ampliùs haberet: quibus multi Genuenſes, ut à re inſolita, oppreſſi ſunt. Platina in Vrbano VI.

ANTONIVS Siculus cognomento (ex ea enim inſula oriundus erat) Venetiis ortus educatuſq;, maritimis artibus à primis annis imbutus, quum apud Chalcidem ageret, captus à Turcis, diu cum illis ſeruitutem paſſus erat, omniaq; eorum publica priuataq; munia diligentiùs explorarat. Liberatus igitur à tam graui iugo, lætus Mocenicum tunc claſſis Imperatorem adit, polliceturque illi, ſeſe paratum ad naualia incendenda, quæ Calipoli ampliſſima inſtructiſſimaque erant. Verſatum ſeſe in iis locis ad aliquot annos ea mente & animo, ut Chriſtianæ pietati, & Veneto nomini in primis prodeſſet: petere igitur ſe ab illo, ut paratis, quæ tātæ rei neceſſaria eſſēt, ſeſe dimitteret. Qua re cognita imperator ſtructo ſtatim nauigio uænalibuſque pomis referto (ſic enim illi placuerat) ſuperato facilè Helleſpōto Calipolim appulit: mercatoriſque perſonam ſimulans, qui ea poma uenderet, aliquot dies cuncta perluſtrans, tandem noctu perfracta naualis ipſius porta ignem ſecum & picem deferēs, magnam partem armamentarij eius incenderat, quum uigiles Turcæ tectorum fragore flammæq; ſonitu exciti, eò conuolant. Quod quum ille cognouiſſet, ſtatim correpta fuga ad nauigium rediit, in aduerſam Helleſponti ripam nauigaturus. Cæterùm imprudens correpto nauigio picis incendio, enatando euaſit, in proximaq; ſylua ſe abſcondit. Interim quū Turcæ incendij auctorem perquirerent, facilè è natantibus pomis nauigijq; reliquiis coniiciunt hunc unum fuiſſe, qui tantum facinus patraſſet. Quem ſtatim ſecuti per proximam ſyluam ueſtigiis extantibus, captum ad Subbaſſam adducunt Calipolim: quem ille ad Othomannum principem deducendum quamprimùm curat, ratus non muneris eſſe ſui, ut in hunc ipſum animaduerteret. Ad hunc igitur adductus, interrogatuſq;, Cur tantum facinus auſus eſſet? magna animi conſtantia reſpondit, Mirari ſeſe, qui ex Chriſtiano homine hoc quærat. An neſcis, inquit, te unum eſſe, quem Chriſtiani homines meritò ſummo odio perſequantur omnes? an uerò diſſimulare potes acerrimum tuum in nos odium? pietatem noſtram tot annos crudeliſſimè inſectere? qui tot regna, tot urbes nobis ademeris? qui tot populos, tot gentes interemeris? qui denique noſtræ pietatis finem unum tantùm cogitas? in tuos quoque ipſos ſumma immanitate. Princeps eius orationis uim iam non ferens, tantamq; indolem in uno iuuene admiratus, diſſectum medium interfici, in publicumq; proiici iuſſit. Hac re cognita ſenatus Venetus, & ſuperſtiti fratri annuum ſtipendium ſtatuit, & ſorori, quæ Venetiis agebat, dotem in primis honeſtam annumerari uoluit. Egnatius libro 3. capite 4. & libro 4. capite 8.

Angelus Triuiſanus, Venetæ claſſis contra Alfonſum Ateſtinum Ferrariæ ducem aduerſo Pado anno 1519. ſubuectæ Imperator, quum ad Puliſellam aſcendiſſet, propugnaculum in hoſtili ripa utrinque erexit, & tranſuerſa claſſe amnem ueluti perpetuo ponte iunxit, ut omnes copias in ſuburbanū agrum emitteret, magno Ferrarienſium metu periculoque. Ibi HIPPOLYTVS Cardinalis, qui omnis laboris atque periculi comes Alfonſo fratri operam nauabat, inuſitatum facinus ad parandam de hoſte uictoriam felici ingenio excogitauit. Perpetuum namq; Padi aggerem locis idoneis ad libramentum profluentis aquæ ea ratione terebrauit, ut feneſtellas perforato toto aggere paſſim aperiret, per quas maiora tormenta ſedulò collocata in aduerſam claſſem ineuitabili cum clade hoſtium diſploderentur. Arriſit dolo fortuna, punctoq; temporis nihil tale timente Veneto tanta uis ingentium pilarum contorta eſt, ut maiora minoraq; nauigia cum innumerabili nautarum & militum multitudine mergerentur: Padus cruentas undas traheret, Venetique miſerrimo caſu circumuenti oppreſſique in fugam uerterentur, & Triuiſanus præfectus claſſis ægrè ſeſe explicaret, uixque integra prætoria ſecundo amne elaberetur. Captæ ſunt triremes quindecim, biremium uerò, minorumque nauigiorum magnus numerus: & ingens multitudo omnis generis tormentorum cum toto nauali apparatu in poteſtatem Ateſtinorum deuenit. Relata ſunt uexilla ſupra quadraginta, quæ cum roſtris triremium & antennis in templo maximo ſuſpēſa ſunt: ut eius uictoriæ decus atq; triumphū poſteris teſtarentur. Triremes autem captiuę aduerſo Pado per alterum diuiſi amnis cornu Ferrariam perductæ ſunt, & in naualibus collocatę. Iouius in Alfonſo Ateſtino.

In Punicis litoribus BERNARDVS Ciconia eiuſdem generis nauibus, quæ ad mercaturam proficiſcuntur, à Venetis præfectus, Perucam piratam ingenio magis quàm uiribus expugnauit, anno ſalutis 1497. Erat uterque ad Tuneta in portu: atque ille nauem onerariam permagnam habens, ut exirent Veneti expectabat, illos in mari aggreſſurus, ſeque id conaturum palàm antea præ ſe tulerat, multa minaciter oblocutus. Interim Dalmatæ, qui ſub imperio Venetorum degebant, nauem non magnam eundem in portum adducunt. Id ut eſt Ciconiæ nunciatum, nocte ex ſuis nauibus homines complures in illam imponit, naueſque aptari ad pugnam imperat. Ea re, tametſi furtim fiebat, tamen à piratis animaduerſa, confeſtim Peruca relictis ob celeritatem anchoris è portu ſeſe eripit. Ciconia illum cum triremibus ſequitur: tranquillitateque oborta, remigum labore aſſecutus, oppugnanſque cominùs, ubi propter nauis altitudinem nihil fermè uirtute militum proficit, & ſuos facilè uulnerari de ſuperiore loco uidet, fabros in nauis ſcapham iubet deſcendere, eoſque ſuæ puppis pluteis armamentiſque contegens, ex piratæ naui ſtuppas inter tigna conſtipatas paulùm ſub aqua extrahere imperat. Ea re hoſtibus imprudentibus effecta, impletaq; naui aqua, Peruca illi deditur. Bembus lib. 4. Venetæ Hiſt.

Alfonſus Siciliæ & Aragonum rex, Bonifaciam urbem in Corſica inſula (quem olim Syracuſanum portum uocabant) Genuenſium coloniam arcta premebat obſidione. Genuenſes ſuis auxilia miſêre, anno MCCCCXXI. In portu ipſo acre prœlium nauale committitur. Alfonſi nauis una, Caput rotundum dicta, arcis inſtar, Genuenſibus plurimum negocij exhibebat. ANDREAS igitur Mergus, Genuenſis, cui profundum maris petere, & ſi quid peſſum cecidiſſet, ſurſum referre, ludus ac iocus erat, Ioannis Campofulgoſi ducis iuſſu, in medio pugnæ ardore, galea tectus, & breui cultro accinctus, clàm ſe in mare præcipitem dedit, & ima petens, illius maximæ regiarum nauium funes anchorarios nullo negocio præcidit. At uaſta illa moles, quam duæ hoſtiles naues ita urgebant, ut uix ſiſti anchoris poſſet, ubi omni retinaculo ſoluta eſt, fluitare primùm, deinde proram aliò uertere, poſtremò ſemel mota alias quoq; naues ſecum trahere cœpit, ita ut Alfonſus retrocederet, & Genuēſes Bonifaciam tutò ingrederentur. Iacobus Bracellus lib. 1. belli Hiſpanici, & Fulgoſus lib. 7. cap. 4.

## VRBES, PROPVGNACVLA, ARCES, ET QVÆVIS ALIA LOCA, SIVE ARTE, SIVE NATVRA MVNITA, EXpugnare, capere, occupare.

*Vrbes & Propugnacula tum per ſe, tum ratione propugnatorum hoſti officiunt. Et proinde etiam duplex eſt expugnandi ratio. Altera quidem reſpectu Loci, ipſius ſcilicet propugnaculi: altera reſpectu Perſonarum. Priore quidem modo muri, quibus arcemur, uel deiiciuntur (Muros quacunq; ratione deiicere, demoliri: putà Igne, Aqua, Machinis, Cuniculis, Tormentis) uel ſuperantur per aditum modò Vſitatum & conſuetum portarū (Portas aſtu aperire) modò Inuſitatum, ſi is priùs extiterit, utpote per Alueos, per Aquæductus, Rimas, Cloacas, per Muros, per Præcipitia & loca ardua, naturâ munita;*

*ra munita, quomodocunq; ſuperata. ſiue priùs nō extiterit, ſed nunc demùm fiat (Cuniculis uel ueris uel ſimulatis urbem capere) Poſteriore uerò modo Perſonas conſideramus eorum, qui urbem defendunt: ſiue Dij ſint, ſiue Homines. Ergo Dij tutelares euocantur. Homines autem uariis modis abducuntur & expugnantur, quo ad Animum ſimul, & quo ad Corpus. Quo ad Animum, aut per Securitatem, quam concipiunt, ex Amicitiæ, Fœderis ſimulatione, Imbecillitate Quietis, Abitus & fugæ ſimulatione: aut per Religionem, ſeu potiùs ſuperſtitionē. aut per Temeritatem, euocati uariis technis, ut urbs propugnatoribus uacua capiatur. aut per Timiditatem, territi Circumuentione, Auxiliorum deſperatione, Incendio. aut per Ignorantiam irruptionis, cùm ad aliam auertantur, aliâ irrumpant hoſtes. Quo ad Corpus uerò, Coacti per uaria incommoda, Corporis præcipuè (Propugnatorum robur impedire & debilitare.)*

## MVROS DEIICIENDO.

*Igne.*

ATILA Aquileiæ muros igne ex ephippiis equorum accenſis labefactatos, tormētis facilè deiecit. Nic. Olaus in Atila.

*Aqua.*

Lacedæmonij, duce AGESIPOLIDE, Pauſaniæ filio, Mantinenſium fines hoſtiliter ingreſſi, hoſtes prælio ſuperatos intra mœnia compulerunt: neque ita multo pòſt oppidum ceperunt. Ophin enim fluuium ad muros detorſerunt: quo factum, ut muri, cùm eſſent è crudo laterculo extructi, ea alluuie reſoluerentur. Vt enim ſtructura hæc tormentorum impetum debilitet (duriores enim lapides concuſſi infringuntur, & è ſuis diſſiliunt compagibus) ita tamen aquis diluitur, ut cera igne uel ſole liqueſcit. Hanc expugnandi artem non primus excogitauit Ageſipolis; ſed eam antè uſurparat CIMON Miltiadis filius; in Eione ad Strymonem amnem obſidenda, propugnante Boe Medo homine cum Perſarum præſidio. Hoc illius factum, cùm ex Pellenenſibus audiſſent, imitatus eſt Ageſipolis. Pauſanias in Achaicis. Suidas Agidi hoc tribuit in dictione πολιοϑ.

*Machinis.*

Equum ligneum Mineruæ ſacrum, armatis onuſtum, GRÆCI reditum ſimulantes Troianis in urbem ducendum reliquerant. Sinon Aeſimi Anticliæ fratris F. & inde Vlyſſis exadelphus, perfugæ habitu Troianis ut id facerent perſuaſit. Laocoon ſacerdos ſolus obſtitit, & haſtile ligneum in equum immiſit. Ob quod facinus Porcis & Charibæa, dracones duo, ab Calydnis inſulis, in quas coniecerant ſe Græci, enatantes, Laocoontem cum filiis peremere. Sinon ipſe, noctu face ſublata, urbem Græcis prodidit. Cælius libro 8. Antiq. Lect. cap. 13. ex Leſchete, & Dicty Cretenſi lib. 5. Homerus Odyſſ. θ. τὸν ἵππον ἐποίησεν σὺν Ἀθήνῃ. Aeneidos 2. Virgilius,

Inſtar montis equum diuina Palladis arte
Aedificant. —— ipſe doli fabricator Epeus.

De quo fuſiùs Calaber lib. 12. Equum, qui nunc aries appellatur, in muralibus machinis Epeum ad Troiam inueniſſe dicunt, inquit Plinius libr. 7. cap. 57. cum quibus diſceptat Vitruuius libr. 10. cap. 19. arietem à Carthaginenſibus excogitatum memorans, & Tertullianus in libello de Pallio. Nos Pauſaniæ in Atticis & Hygini auctoritate ſepti (nam Dictys & Palæphatus firmamenti non ſatis habent) equum Troianum, oppugnatorium machinamentū fuiſſe credimus, quo conquaſſatis perforatiſq; mœnibus, in urbem penetrarent Græcorum copiæ. Brodeus in 1. Epigramm.

Chriſtianis Hieroſolymā oppugnantibus, præcipua cura GENVENSIBVS fuit, procul à conſpectu hoſtium ingenti mole turris fabricandæ, quæ plicatilis eſſet, ac ſoluta per partes noctu cōportari in caſtra poſſet, ut cùm diluceſceret, ſuis coagmentata compagibus urbi admoueretur. Turris repentè excitata, ac ne igni corrumpi poſſet, à fronte coriis recentibus ac percrudis inducta agebatur, urbem deſpiciēs, multiplici tabulato, unde tormentis tela ingeri poſſent. Hoſtes aduerſus Genuenſium turrim malum in muro erexerant, trabemq; tranſuerſam ſuſpenderant, ut eius interiore capite reducto, ac mox magna ui remiſſo, exteriùs in appropinquantem machinam uelut aries incuteretur. Contrà Ligur ſe falcibus muralibus inſtruxerat, ac ex propinquitate retinaculum trabis cum horrendo ſonitu ingruentis abſcidit, & humi ſtratam in tabulatum ſuſtulit, in muroſq; hoſtiū porrexit. Fors, conſilium, ars iuuit. Frons turris ita ſcitè ſtructa fuerat, ut ſuperior eius pars paruo molimine inclinari, ac tanquam pons protendi, cùm res poſtularet, in hoſtem poſſet. Firmitudo trabis pondus illud ſuperimpoſitū facilè ſuſtinuit, ut auſus fuerit primus Godofredus in muros hoſtiū tranſcendere, miraculo uirtutis etiā cæteris noſtrorū attonitis. Inſecutus eius frater Euſtathius, ac deinde alij atque alij. Ita ea regione muri occupati, refractaque porta, & omnes intromiſſæ copiæ. Cædes barbarorum tota urbe facta. Aemilius libro 4.

*Cuniculis ſubruendo.*

Tormentarij pulueris in cuniculum poſiti ui in euertendis muris primi omnium in Italia GENVENSES uſi ſunt: quibus, ut quidam aiunt, tunc tanquam gregarius miles Petrus Nauarrus militabat, quum anno M CCCC LXXXVII. ad Sereſanelli arcem, quam Florentini poſſidebant, caſtra poſuerunt: ubi cuniculo ſimili ratione acto, muri partem aperuerunt. Sed arce, quia cuniculus quantum neceſſe fuiſſet muri fundamenta non ſubierat, minimè capta, tunc eius rei exemplum nemo eſt ſecutus. Guicciardinus lib. 6.

NARCISSVS Ethruſcus mirabilium operum machinator, & agendorum maximè cuniculorum artificio inſignis, ingenium ſuum proſternendis muris Cittadellæ Neapolitanæ arcis, quam Galli præſidij loco ab Carolo VIII. rege ſuo ibi relicti, tenebant, atque acriter defendebant, Ferdinando II. Neapolitano regi obtulit. Nec multò pòſt ſinuoſos cuniculos ſubter ima fundamenta, occulto multorum agreſtium labore per noctem excauauit, plurimoq; ſulphureo puluere repleuit. Quibus perfectis operibus, quum Aragonij quotidiana conſuetudine ad munitiones ſucceſſiſſent, & Gallos ad locum defendendum ſuo impetu procurrentes in ſummum murum elicuiſſent: Narciſſus opportunè cuniculis ignem intulit, extemploq; horribili fragore edito, totus ab radice murus cum miſerabili ſuperſtantium Gallorum clade reuulſus atq; diffractus, in interiorem partē procubuit. Tum uerò Aragonij per ruinas ſigna intulerunt, & Gallos tantæ atq; inopinatæ cladis miraculo perculſos, inſtando cædendoq; in fugam uerterunt: ſtatimq; omnibus in opere uerſantibus munitiones proferri cœptæ: ac tantū ſpacij intra hoſtium ſepta occupatum eſt, quantum temporario aggere, priuſquam Galli à timore ſe reciperent, tormēta q; dirigerent, complecti potuerunt. Iouius lib. 3. Hiſt.

PETRVS Nauarrus Hiſpanus dux, primus cuniculos tormentario puluere replere, & horrendo motu arces & propugnacula funditùs diſiicere docuit. Ob quā rem uulgò πολιορκητὴς dictus eſt. Turrium arciumq; euerſor. Sic arcē Oui Neapolitanam miſerabili Gallorum ſtrage euertit, anno 1503. ſic nouennio pòſt Bononiam oppugnans, ductu Iulij II. Pp. & regis Ferdinandi Neapolitani, eam muri partem, qua ſacellum eſt Baracanum appellatum, ſubdito igni cuniculo, unà cum ſacello adeò in altum ſuſtulit, ut per illud ſpaciū, quod inter ſolum murumq; ſublatum relinquebatur, ab iis qui foris erant, interior ciuitas, militeſq; ad propugnandum parati apertè conſpecti fuerint. Sed illicò ſubſidens integer murus, in eundem locum, unde ignis impetu diuulſus fuerat, recidit: itaq; coagmentatus iterum eſt, ac ſi nunquam motus fuiſſet. Quocirca cùm ab ea parte inuadi iam non poſſet: duces ab altera tantùm parte oppugnationem non adoriendam cenſuerunt. Bononienſes prodigio eam rem tribuerunt, fieri non poſſe exiſtimantes, ut penitùs iiſdem fundamentis ſine diuino numine coniungi iterum potuiſſet. Quamobrem ſacellum id pòſt magnificentius extructum fuit, nec parua populi religione frequentatum. Guicciardinus lib. 6. & 10. & Iouius in Leone X.

*Tormentis deiiciendo.*

NEAPOLITANA arce noua in poteſtatem redacta, Galli, quos ad ſubigendum Neapolitanū regnum Carolus VIII. Galliæ rex contra Aragonios duxerat, ad oppugnandam alteram arcem, quæ ab Ouo nomen ducit, omnem tormentorum apparatum conuerterunt. Ea eſt rupi impoſita, quam L. Lucullus quondā à continenti ac Pauſilypo monte, ut Euripum immitteret, multo ſeruorum labore abſcidit. Contra eam altera eſt rupes aliquanto excelſior, quæ à continenti in mare porrigitur, in cuius ſummitate terrenum erat propugnaculum, antiquitùs pro ſpecula ab Aragoniis regibus ædificatum, quod Piccifalconium appellatur. Ex eo loco in ſubiectam Oui arcem erat deſpectus modico intercedente maris tractu. Quod ubi à Gallis eſt animaduerſum, ſingulari celeritate in ſummum rupis uerticem maiora tormenta contulerunt, tantaq; ui oppugnare cœperunt, ut cùm à ſuperiore loco pilæ coniicerentur, nemo in muro conſiſtere auderet. Quibus adductus difficultatibus Antonellus Picciolus cuſtos, tametſi Aragonio nomini fidus habebatur, cùm nihil durius ſibi ſuſtinendum arbitraretur, arcem dedidit. Iouius lib. 2.

SOLYMANNVS Turcorum rex, Selymi F. quum poſt Belgradi Hungariæ propugnaculi expugnationem per integrum annū quieuiſſet, contra Rhodum arma ſumſit, Pyrrho ac pluribus Saniacis minimè id probantibus. Verùm Solymānus, qui ex parte audierat, uictorias, niſi Imperatoris manu parētur, non eſſe omnino integras: per ſeipſum tandem petere inſulam decreuit. Sicq; anno Salutis M D XXII. ſub Iunij



Iunij menſis finem cum quadringentis nauibus, ac ducentis Turcarum millibus illuc ſe contulit, æreaſq; quàm pluſimas machinas ſecū duxit: quibus deinde ſuper duos montes diſpoſitis, omnem defendendæ urbis commoditatem abſtulit. Hos autem montes (quod incredibile iis etiam, qui uiderunt, penè fuit) ipſi Turcæ conſtruxerant, terra per ſpacium duorum à ciuitate miliariorum ligonibus atq; eius generis inſtrumentis contra urbis foſſas proiecta, & in eam altitudinem coaceruata. Rhodij ſpe omni deſtituti, Philippo Villadamo militiæ magiſtro auctore, ſeſe Turcæ dediderunt: cum illo tamen priùs pacti, ut & uiuere, & res proprias poſſidere, demtis æreis machinis, unicuiq; concederet. Iouius in Solymanno.

ODETTVS Lotrechius Gallus Ticinum oppugnaturus, animaduerſo urbis ſitu, edoctuſq; de his munitionibus, quas Ticinenſes periculoſa in parte mœnium oppugnaturis Gallis oppoſuiſſent, incredibile oppugnationis conſilium ſuſcepit. Conuerſis ſiquidem ad ipſam arcem omnibus tormentis, tanta ui turrim quadratam quatere eſt adortus, ut ea cum adiuncto arcis muro adaperta, perforataq; undiq;, penè integra concideret. Balbianus arcis præfectus tantis ex improuiſo territus ruinis, auxilij atq; omnis conſilij inops, quum ſeruare urbem non poſſet: luctuoſa Ticinenſib. pactione ſe dedidit, eductuſq; per ruinas ad Lotrechium, ſeſe impetrata ſalute conſeruauit. Tum uerò Galli milites, facto impetu per eaſdem ruinas, nullibi àcriter reiecti, per arcem, quod nemo crediderat, in urbem irruperunt: miſerabilemq; in modum, cæſo magna ex parte præſidio, & ciuibus captis, uniuerſam diripuerunt, uſque adeò, ut nec templis, ſacratarumq; uirginum ſeptis parceretur. Sabell. ſupplem. lib. 10. ex Iouio.

## PER PORTAS INTRANDO.

MOSES, diuino reſponſo à Pharaone aduerſus Aethiopes creatus Aegyptij exercitus dux, urbem Sabā, quam poſtea Cābyſes à ſorore Meroen appellauit, obſidere cœpit. Cùm autem oppugnationi difficultas ingens ineſſet, Tharbis Aethiopis regis filia, ueluti alia Nyſi Scylla, à muris Moſem adhuc in iuuentæ flore pubeſcentem conſpicata, adeo eius amore incaluit, ut per ſecretos nuncios polliceretur, ſe urbē daturam, ſi ſe uxorē duxiſſet, neq; ultrà Aethiopem aliquē occideret. Aſſenſus Moſes, atq; urbem ingreſſus, in Aethiopes magna peracta cæde Tharbim poſtea in matrimonium duxit, neq; poſt deſponſationem factam ultra quenquam occidit: tempus quo cædes præfiniebatur, arbitratu ſuo interpretatus. Fulg. lib. 7. cap. 3.

DIÆTAS Achiuorum dux, cùm Heræenſium urbem aperta ui capere non poſſet, occultè cepit, quibuſdam Heræenſium grandi pecunia corruptis: qui ſæpe uenientes ad portas, cū his, quibus portarum claues erant commiſſæ, ſermones cōferebant, atq; conuiuia agitantes, clàm expreſſerunt claues, & effigiem Diætæ miſerunt. Qui ſimiles & æquales claues publicis comparans, miſit ad eos, ut noctem conſtituerent, quâ portas aperire uellent. Diætas cum paucis militibus intrauit, clauium ſtratagemate patefaciens ipſis introitum. Ingreſſus uerò, uſus eſt alio. Poſtquam enim Heræenſes re intellecta proſilierunt magno numero, locorum urbis periti: metuens eos Diætas, tubicines in multis urbis partibus iuſſit diſtantes claſſicum canere. Heræenſes ex omnibus locis multas tubas audientes, cùm circumſonarentur, omnia plena hoſtibus exiſtimantes, urbem deſeruerunt. Et interdiu legationem ad Diætam miſerunt, ſupplicantes, ut ſibi patriam recipere liceret, ſe in poſterum Achiuorum imperata facturos. Polyæn. lib. 2.

ALEXANDER Lyſimachi & Mecridæ filius, uolens clàm iis qui ſequebantur in Cotilium Phrygiæ caſtellum peruenire, noctu exercitum in cauum locum iuxta ciuitatem abdidit. Ipſe uerò prima luce diploidem Phrygiam aſperam, ſordidamq; indutus, pileo capiti impoſito, duobuſq; pueris adiunctis, utriq; lignorum onus impoſuit, enſemq; ſub axillā dedit. Introiuit per portam, agreſti & ruſtica ſpecie, deceptis hoſtibus Ingreſſus pileum depoſuit, cognoſcendumq; ſe prębens, omnium dextras prehenſabat, quaſi ad ſalutem ciuitatis uindicandam aduenisſet. Occultati uerò, quemadmodum conſtitutum erat, apertis portis irruentes, Cotiliū occuparunt. Polyænus lib. 6.

CHARIDEMVS, Ilienſibus urbem eius deprædantibus, ſeruum Ilienſem progreſſum ad prædam comprehendit, eūq; magnis propoſitis muneribus, ad prodendam urbem adduxit. Verùm quò maiorem ei fidem haberent portarum cuſtodes, multas oues mancipiaq; bis terue dedit, ut adduceret. Cuſtodes uerò partientes hæc, ſæpiùs illi per noctem exeundi poteſtatem fecerunt: cumq; eo homines complures, qui prædam agerent. Charidemus ſocios eius comprehenſos in uincula coniecit. Horum autem ueſtibus quoſdā ex ſuorum numero armatos induit, deditq; eis tum aliam prædam, tum equitatum quaſi captiuum. Cuſtodes ad recipiendum equitatum totam portam aperuerunt. Milites cū equitibus irruentes, cuſtodes trucidauerūt: reliquamq; manum recipientes, urbe potiti ſunt. Itaq; ſi quid ludendum eſt, ſecundò equi expugnatione captum eſt Ilium. Polyæn. lib. 3. Conſimili dolo ANNIBAL Tarentum cepit, cùm ciuis quidā noctu uenatiōis ſpecie egrederetur & ingrederetur.

EPAMINONDAS Thebanus in Arcadia, die feſto effuſè extra mœnia uagantibus hoſtium feminis, pleroſq; ex militibus ſuis muliebri ornatu immiſcuit. Qua ſimulatione illi intra portas ſub noctem recepti, ceperunt oppidum, & aperuerunt. Front. lib. 3. cap. 2.

EIVSDEM uxorem amabat Phœbidas, cuſtodiens Cadmeā arcem Thebanam. Illa marito rem aperuit. Epaminondas ei mandauit, ut erga Phœbidam amorem ſimularet, & noctē conſtitueret, quaſi etiam amicis eius alias feminas adductura. Quibus conſtitutis, illæ uenerunt, & uſq; ad ebrietatem cum Phœbide & eius amicis biberunt: atq; petierūt copiam exeundi pauliſper ad ſacrificium quoddam nocturnum, ſtatimq; ſe reuerſuras pollicitæ ſunt. Illi permiſerunt, mandantes portitoribus, ut iterum eas intromitterent. Expectabant apud portas iuuenes imberbes: iique mulierum ueſtibus permutatis, & unam ex eis aſſumentes interioris uiæ ducem, & quæ pauca cum portitoribus loqueretur, ingreſſi, tum Phœbidam ipſum, tum omnes qui circum eum erant interfecerunt, Cadmeam occuparunt, & à ceruicibus patriæ, tyrannidis Lacedæmoniorum iugum excuſſerunt. Polyæn. lib. 2.

NICON pirata, à Pheris Peloponneſi frequenter eruptione facta, multis iniuriis Meſſenios afflixit. Eum Agemachus Meſſeniorum dux per inſidias captum, produxit in concionem Meſſeniorum, ut ſupplicium de ipſo ſumeretur. At ille promiſit, ſe traditurum eis Pheras, ſi ſe incolumem ac ſaluum relinquerent. Morem gerentibus Meſſeniis, noctem expertem lunæ obſeruans, iuſſit multitudinem paruo interuallo ſequi: paucos uerò ſecum ire, & ingentia ſtipularum onera portare. Accedens autem ad murum ſecunda uigilia, uocauit cuſtodes, prodito ſigno. Quibus tum uocem eius, tum ſignum agnoſcentibus, & portas aperientibus, qui portabant onera, his abiectis, & euaginatis enſibus, portarum uigiles trucidarunt. Polyæn. lib. 2.

ARISTIPPVS Lacedæmonius, feſto die Tegeatarum, quò omnis multitudo ad celebrandum Mineruæ ſacrum urbe egreſſa erat, iumenta, ſaccis frumentariis palea refertis onuſta, Tegeam miſit, agentibus ea militibus: qui negociatorū ſpecie inobſeruati, portas aperuerunt ſuis. Front lib. 3. ca. 2.

HANNIBAL apud Tarentum, quæ à præſidio Romano duce Liuio tenebatur, Eoneum quendam Tarentinum, quem ad proditionem ſollicitauerat, eiuſmodi fallacia inſtruxit, ut ille per cauſam uenandi noctu egrederetur, quaſi id per hoſtem interdiu non liceret. Egreſſo ipſi apros ſubminiſtrabat, quos ille tanquam ex captura Liuio offerret. Idque cum ſæpiùs factum eſſet, & ideò minus obſeruaretur, quadam nocte Hannibal uenatorum habitu Pœnos comitibus eius immiſcuit. Qui cùm onuſti uenatione quam ferebant recepti eſſent à cuſtodibus, protinus eos adorti occiderunt. Tunc fracta porta admiſſus cum exercitu Hannibal, omnes Romanos interfecit, exceptis his qui in arcem perfugerant. Front. lib. 3. cap. 3.

ALARICVS Gothorum rex, cum Honorio Imp. pacem fecerat, ea conditione, ut ſocius Honorij eſſet, & in Gallia ſedes ſibi ſuiſq; locaret. Interea Sarus, Alarici propter Ataulfum hoſtis, captata occaſione Honorio ſeſe adiunxit, & Gothos improuiſo aggreſſus eſt. Ea perfidia Alaricus accenſus, diſſimulata iracundia, Romam eadem uia regreſſus, ſe in Galliam ex fœdere proficiſci nelle oſtendit, ac tanquam amicus trecentos robuſtiſſimos Gothicos iuuenes Romanis principibus dono dedit, diligenter, quid ipſos agere in tempore uellet, edoctos. Hi in urbem accepti, humile omne ac promtum dominis obſequium obtulerunt: inde certa, quæ conſtituta fuit, nocte, dum Romani ſomno merſi languerent, ad portam Aſinariam alacres prouolarunt, oppreſſiſq; repentino impetu ſtationibus, portam Alarico patefecerūt: qui ad urbem, alia atq; alia ſibi ad iter deeſſe quotidie cauſans, prædictam occaſionem attento animo expectabat. Ità Kal. Aprilis anno 410. cum toto exercitu urbem ingreſſus eſt. Sigonius lib. 10. Imp. occid.

TOTILAS, Gothorum rex, Romam obſidens, à quatuor Iſauris militibus inuitatus, primis tenebris uniuerſo exercitu armato ad portam Aſinariam prodiit: & quaternos Gothos præualidos uiros, Iſauris ducibus, per funem in muros iuſſit aſcendere. Hi, cùm eadem nocte, qua Iſauris ipſis cuſtodia obuenerat, euaſiſſent, dormitantibus cæteris, ad fores Aſinarias aperiendas deſcēderunt, &, ferreis clauſtris refractis, aditum patefecerunt, & patētibus portis Totilam cum uniuerſo exercitu in urbē receperunt, eo die, qui 16. Kal. Februarij

bruarij fuit; anno 546. ut Marcellinus adiecit. Sigonius libro 19. Imp. occid.

Sub Carolo VII. FRANCI ab Anglis Carnutas arte recepêre: nocte propè urbem abditis oportunò loco militibus; præmiſſoq; ſub lucem agitatore cum curru: qui tanquam in macellum piſces importans, cùm in porta per ſpeciem promendi donandiq; cuſtodi piſcis, conſiſteret: antequam cataracta demitti poſſet, aduolauêre inſidiatores, occupataq; porta, maioribusq; mox ex compoſito ſub ſignis accurrentibus copijs, urbe potiti ſunt. Aemilius lib. 10.

Arx Edimburgēſis huiuſmodi ſtratagemate à Gulielmo Douglas Dauidis Scotorũ regis duce, capta eſt. Vvalterum Turris, uirum opulentum admodum ſibi deuinctum Douglas habebat. Is naui ſua in Forthiam proficiſcitur, fingens mercatorem ſe, uinaque è Gallis adferre (& ex compoſito dolia quædam ſecum attulerat) ac poſtridie depromtis aliquot lagenis ad arcem Edinburgēſem pergit, œconomum prodire iubet, uenienti lagenas dat, uinumq; guſtandum. Quum non parum placuiſſet, poſtero die dubia etiamnum luce uaſa duo carpento adferuntur: portæ aperiuntur. In medio portarum; per fraudem ſoluto axe carpentum concidit, ac mox Douglas (qui haud procul iam inde à conticinio cum expedita militum manu illic conſederat) ſuperueniens, arcem occupauit, cæſisq; Anglis, Eduardo Baliolo regni æmulo electo, regnũ Dauidi reſtitutũ fuit. H. Boeth. li. 13.

HENRICVS, Magdeburgenſis archiepiſcopus plauſtris impoſitos armatos, quaſi fruges ueherentur, circa latera agnis & anſeribus appenſis uelauit, & in oppidum Schonenbeke, cui erat iuſtis de cauſis infeſtus, conuehi curauit. In media porta rota ab axe ſoluta, ruit plauſtrum, exiliunt armati, occupatur oppidum, & diripitur. Cranzius libro octauo Metropolis, capite 53.

Scampetta Ordelaphus Foroliuienſis, captus à Roberto rege in Caſtricari arce cuſtodiebatur, cùm Forumliuij quoque urbem idem rex obtineret. CICHVS Scampettæ fratris captiuitatem dolens, ut eum liberaret, uaſe uinario latens curru in urbem, bubulco rem ignorante deductus eſt, amicorumq; ope adiutus, per hunc modum urbe potitus, magno auri pondere fratrem redemit, atq; ei ſtatim urbis principatum reſtituit Fulg. lib. 5. cap. 5.

ANDREAS Grittus occupandi Patauij anno 1509. conſilio capto, cum exercitu propè oppidum ante lucem ſubſtitit. Interim carri aliquot frumento impoſito, quos legatus ad id præparauerat, cum bubulcis ante portam ſe contulerunt, atque, ut ſibi aperiretur, pauliſper expectauerunt. Apertis portis, quæ ad priorem Medoaci fluminis alueum ſunt, quo tum alueo naues permeabant, ac demiſſo ponte, & carris in tranſmiſſu commorantibus: legati pedites leuiſſimi adueniunt, portamq; capiunt, pauloq; poſt legatus cum reliquo agmine in oppidum irrumpit: profectuſq; ad interiorem oppidi portam, qua murus item alter poſtremo longè altior atque ſolidior, unà cum altero Medoaci alueo tanquam circino circumductus urbem reliquam tuebatur: ea refracta ad forum omnes magno cum clamore ac tubarum ſono rectà contendunt. Quibus obuiam progreſſa gens Parmenſis (id erat fratrum illorum ac Centurionis familiæ nomen, quæ ſe ad hoc ea nocte comparauerat) armata cum legato læta atq; hilaris ſe cõiunxit. Ita paruo temporis ſpacio Patauium recipitur eo ipſo die, quo primò de Carrarienſe captum fuerat, cùm binos & quadragenos dies in Maximiliani Imp. partibus fuiſſet. Bembus lib. 8. Hiſt. Ven.

CÆSAR Maxius Neapolitanus, Taurinum belli arcem Gallis eripere cupiens, & Carolo V. Cæſari tradere: quatuor agreſtes carros, per quos uenale fœnum in urbes conuehitur, adeò ſolerti ingenio concameratos fabricarat, ut quum exteriùs uirentis fœni ſpeciem præberent, interiùs ſeni loricati milites conderentur. Qui demum ingreſſis portam carris, in medio aditu laxatis machinæ fibulis repentè proſilirent, haſtiſq; hoſtium correptis, quæ ad parietem per raſtella diſpoſitæ ad manum eſſent, cuſtodes confoderent, & tamdiu anguſto in aditu carriſq; occupato locum tuerentur, donec inſtitura ad ſuccurrendum una atque altera ualidorum atq; pernicium ſociorum manus adcurreret. Cùm primus carrus ab ignaris doli bubulcis, feliciter eſſet introductus, erumpentibusque armatis inſidiæ nudarentur, cataracta à fabro ferrario, qui fortè aderat, oportunè demiſſa ſubſequentes excluſit. Ita primi fruſtrà ſocios expectantes, à Vaſconibus ſunt interemti. Sabellici ſupplementum libro 23. ex Iouio.

Erat in Benedicti Piſauri claſſis Venetæ contra Baiazetem Imperatoris trireme, miles ſignifer DEMETRIVS quidã Methonenſis. Is amicum Epirotam item militem in Pyli præſidio cùm haberet, ad eum bis terue amicitiæ nomine ubi uenit, hominem ſpe pollicitationibuſq; impulit, ſibi ut ſocius magni facinoris uellet eſſe. Re cõſtituta ad Piſaurum reuertitur. Piſaurus ei milites quinquaginta ex omni claſſe deligendi poteſtatem facit: eos ei milites attribuit. Ille cum iis trireme impoſitus Pylon noctu proficiſcitur: expoſituſque clàm in Epirotæ domum oppidi muro uicinam ſe atq; milites occuluit, quo ad die illuceſcente portæ oppidi aperirentur. Apertis portis Demetrius cum ſuis in oppidum irrumpit, & Turcas, qui in oppidi erant præſidio, imparatos obtruncat circiter quinquaginta; paucis elapſis, qui ſe muro deiecerunt. Bembus lib. 5. Hiſt. Ven.

Anno 1388. ANGLI cum Gallis in Aruernia bellum gerentes, cum expeditis equitibus noctu Montferandum accedunt: & quia oppidum à præſidio uacuum eſſe ſciebant, nihil cũctati, propè portas conſiſtunt. Hic oppidanum quendam caſu eo noctis tempore domum redeuntem capiũt, quem ad unam portarum accedere cogunt, admonentq;, ut cuſtodes excitet, illiſq; dicat, Secum eſſe aliquot mercatores, eoſque cum oneratis iumentis ad nundinas uenire, quæ illic breui futuræ erant, & propterea roget, ut ex itinere feſſis aperiant portas, quò in diuerſorium ſe recipere poſſint. Oppidanus cùm Angli mortem intentarent: uti doctus erat, cuſtodes excitauit. Sic Angli oppidum ingreſſi diripuere. Polydorus lib. 20.

## PER ALVEOS DERIVATOS, EXICCATOS.

NABVCODONOSOR cùm oppugnaret Tyrum, & arietes, machinas, uineaſq;, eò quòd cincta eſſet mari, muris non poſſet adiungere: infinitam exercitus multitudinem iuſſit ſaxa & aggeres comportare, & expleto medio mari, imò freto anguſtiſſimo, uicinum litus inſulæ fecit continuum. Tyrij, quicquid pretioſum in auro, argento, ueſtibuſq; & uaria ſupellectili habuere, impoſitũ nauibus ad inſulas aſportauere, ita ut capta urbe, nihil dignum labore ſuo inueniret Nabucodonoſor. Hieronymus lib. 9. in Ezechiel. cap. 29.

ALEXANDER apud Babylonē, quæ media flumine Euphrate diuidebatur, foſſam pariter & aggerem inſtituit, ut in uſum eius æſtimarent hoſtes egeri terram. Atq; ita ſubitò flumine auerſo, per alueum ueterem (qui ſiccatus ingreſſum præbebat) urbem intrauit. Front. lib. 3. cap. 7. SEMIRAMIS aduerſus eoſdem Babylonios eodem Euphrate auerſo, idē feciſſe dicitur. Front. lib. 3. cap. 7. Similiter CYRVS eandem urbem cepit. Herod. lib. 1. Polyæn. lib. 7.

P. SCIPIO Carthaginem nouam in Hiſpania, urbem munitiſſimam oppugnaturus, compertum habebat ſtagnum, quod haud procul abeſt à Carthaginis mœnibus, æſtu maritimo decreſcere, & uado ea parte tranſiri poſſe, unde ad murum facilior eſſet acceſſus. Tali occaſione, qua nulla maior ad capiendam Carthaginem dari poterat, utendum ratus, cùm tempus commodum uiſum eſt, expediri acies, & diſtributis copiis urbem uehementiùs quàm unquam antea oppugnari iubet. Ipſe interim fortiſſimorum uirorum manum deligit, quibus imperat, ut ſuperato ſtagno, in murum ab ea parte, quæ minimè ſuſpecta erat, euadant. At hi quibus negocium datum eſt, proſperè traiecto ſtagno cùm ex alia parte urbs acerrimè pugnaretur, locum quem petebant, neglectum inueniunt, celeriterq; ſcandentes murum hoſtes à tergo adoriuntur. Oppidani & externi præſidij milites, quibus tantum repentini periculi præter opinionem acciderat, extemplò mœnia deſerunt, ancipitiq; pauentes malo ſe in fugã coniiciunt. Inſtant tergis Romani, ſubitoq; urbem capiunt, diripiuntq;: ubi ingens præda, & omnium rerum quæ ad bellum uſui erant, ſumma eſt facultas inuenta. Sic ergo Scipio, ſecurus deum, ut dicebat, urbe potitus eſt. Auctor uitæ Scipionis, & Front. lib. 3. cap. 9.

Cùm mortuo Honorio occidentis Imp. Ioannes Amanuenſiũ Imperialium præfectus, dignitatis inſolentia per legatos à Theodoſio peteret, ut in Imperij conſortium reciperetur: Theodoſius Arcadij F. Ardeburium ducem in Occidentem ad reprimendam inſolentiam Ioannis miſit. Qui cùm infelici nauigatione in manus tyranni ueniſſet: Theodoſius ad orationem confugiens, miraculoſam eius à Deo liberationem eiuſmodi impetrauit, ut deductus ab angelo in paſtoris ſpecie ASPAR Ardeburij captiui F. cum exercitus parte per ſtagnum Rauennæ adiacens, in qua ciuitate Ioannes agens, ducem captum tenebat, inuium planè & à nemine unquam tranſitu ſuperatum, tyrannum uicerit & patrem liberarit. Socrates lib. 3. cap. 23. Paulus Diaconus lib. 14.

FROTHO Danorum rex, uictis Rutenis, ob legatos in Ruſciã exigendi tributi cauſa, incolarum perfidia cæſos urbem Rotalam arcta obſidione premebat. Cæterùm ne fluuij interſtitio prohibente tardiùs potiretur, uniuerſam aquæ molē noua riuorum diuerſitate partitus, ex ignotæ profunditatis alueo meabilia uada perfecit: & exercitum in nudatam aqueo propugnaculo urbem introduxit. Saxo lib. 2.

## PER AQVAEDVCTVS, Rimas, Cloacas.

Theodorus cuſtodiens Seſtum, amicus CLEONIS, rem cum





quadam muliere habens in ſuburbio, aquæductu per muros anguſto penetrante, lapidem unũ euellens, ſub noctem exibat, & intrans, lapidem reponebat, idq; clàm. Quam rem Cleoni faſſus eſt per iocum. At ille enuncians Abydenis arcanum, noctemq; expertem lunæ obſeruans, per aquæ ductum, cùm lapidem Theodorus reuelliſſet, & adulterio diſtrictus eſſet, milites clàm introduxit: qui cuſtodibus interfectis, & portis intus reſeratis, omnes copias acceperũt, atq; Seſtum facilè obtinuerunt. Polyænus lib. 2.

IVSTINIANVS II. ope Trebellij Bulgarorum regis, Conſtantinopolim per aquæductum noctu ingreſſus cepit.

Odeſillus à GVNDEBALDO Burgundionũ rege fratre Viennæ obſeſſus, ne commeatus deficeret, quoad Clodoueus rex, perſpecta Gundebaldi perfidia, occurrere poſſet, inermem turbam ex urbe eiicit: in qua erat aquæductus curator, qui ſe per iram ad Gundebaldum in caſtra contulit, pollicens ſe furto Viennam in eius poteſtatem redacturum. Fides ei habita eſt à cupidiſſimo uel cum periculo confeſtim debellandi rege. Erant in editiore urbis parte, quorum nũc quoq; ueſtigia extãt, ſpiracula, ſpecuſq; abditi, ac immiſſaria: quibus ex longinquis fontibus aqua operibus deriuata, intra mœnia recipi ſolita fuerat, hæcq; tunc ſuis obicib. clauſa obſtructaq; ac impèruia uiſa, niſi ars, ac indignatio, ingeniumq; omnia domans peruaderet. Aquæductus curator à Gundebaldo delectiſſimos Burgundionum accepit: eoſq;, ſilentio noctis occultum iter ingreſſus, paruo molimine amotis quæ interſepiebant, in urbem duxit: hiq; refractis portæ quæ proxima erat foribus, reliquas copias iam præparatas recepêre. Odeſillus, cùm in extrema ſpe ad tutelam templi confugiſſet, ipſe cum Epiſcopo occiſus eſt. Aemilius libro primo.

BELISARIVS Neapolim Gothorum firmatam præſidio obſidebat, & nulla expugnandi ſpe relicta abire parabat. Tum Iſauricus quidam miles, dùm intelligeret ducem deſperata urbis expugnatione obſidionem ſoluere uelle: decreuit ante diſceſſum conſiderare, qua arte aquæductus ille, quem antea Beliſarius obſeſſis interceperat, aquam ciuitati ſubminiſtraret, forſan ut ad ſuos reuerſus, ſimilem aquęductus commoditatem aliquando demonſtraret. Proinde aquæductum iam ob aquæ deriuationem arefactum ingreſſus, uſq; ad mœnia urbis penetrauit. Erat autem in ea parte, qua mœnibus inferebatur, petra quædam non arte, ſed natura poſita, per cuius foramen aqua in urbem influere conſueuerat. Hoc foramen prudens miles contemplatus, intellexit, ſi petra illa magis aperiretur, aditum in urbem haud difficulter accommodaturam. Hæc cùm Beliſarius intellexiſſet, curauit petram illam confeſtim latiùs aperiri, idq; adeò occultè, ne quiſquam hoſtium audiret. Quo facto, quadringentos ex omni exercitu delegit, qui per ſaxeum aquæductum in urbem noctu ingrederentur, clamque ad eam muri partem, quæ aquæductui ſupereminebat, ſcalas admoueri fecit. Ipſe interea cum reliquo exercitu diuerſa parte oppugnationem ſimulans: urbem, qua minimè parte putabatur, cepit. Procopius.

SVLAIMANES, Amuratis Turcorum Imp. frater, Hadrianopolim graui premebat obſidione. Adoleſcēs quidam clàm egredi ſolebat urbe per rimam quandam occultam, & per eandem frumento onuſtus reuertebatur. Obſeruauit id Turcus miles, locoq; explorato, cum ſociis in urbem penetrauit. Chalcocondylas lib. 6.

ALFONSVS, Aragonum & Siciliæ rex, Renatum Lotharingiæ ducem, regem Neapolitanũ, arctà obſidione Neapoli premebat, & fame paſſim in urbe laborabatur. Anellus faber quidam cementarius, quem fames Neapolim exire compulerat, ad Alphonſum profectus, urbem paruo militum periculo capi poſſe demõſtrauit. Sic Syluius. Bracellus uerò tradit, mulierculam ex infima plebe Renatum adiuiſſe, orantem ut ſibi paruuliſque filiis fame pereuntibus ſuccurreret: eã toruo ab rege uultu repulſam, ad Alfonſum miſiſſe, qui indicarent, eſſe ueterem aquæductũ, multorum ſeculorum uetuſtate adeò neglectum, ut cùm eum ſupercreſcens terra contexerit, non uiuentium modò, ſed auorum quoque memoriam effugerit: poſſe eum, ſi uelit, hoc ueluti cuniculo in urbem penetrare. Eſſe mulieri iuxta domum puteum, in quē is aquarum ductus exitum habeat. Polliceri, daturã ſe cum fide operam, ut quicũq; ea intromiſſi milites fuerint, in ſua domo ſine periculo lateant. Alfonſus oblatam ſpem haud contemnendam ratus, ubi monſtrato loco, effoſſaq; altiùs humo, cryptam inſpexit, paucis Centurionum rem aperit. Ità trecenti fermè milites (ſecundum Syluium CC) præmoniti ab rege quid fieri uellet, clàm ad mulierem peruenerunt. Syluius milites XL tantùm è puteo aſcendiſſe, & in ea domo uetulam cum filia deprehendiſſe; filium à ſtatione redeuntem cùm non poſſent comprehendere, deſperatione adactos, quòd deprehenſi eſſent, eruptione facta turrim negligenter cuſtoditam cepiſſe ſcribit. Bracellus uerò, Rex, inquit, orta luce, diuerſam urbis partem magno clamore aggreditur, ut conuerſis illuc omnium oculis, uacuam defenſoribus regionem, latebris egreſſi, faciliùs caperent. Oppugnatur interim acerrimè urbs, haud aliter quàm ſi ſubruendus murus, & per ruinam irrumpendum foret. Et iam extracta in aliquantum diei pugna, ſubindignari ſibi Alfonſus ceperat, quòd ignotæ mulierculæ nimis pueriliter fidem habuiſſet: quòd rex iam multa expertus, feminæ dolis circumuentus eſſet. Ferunt tanquam receptui cani iuberet, dixiſſe eum, Nolo ultrà homines cædi: cùm ecce in deſtinata parte murorum clamor tollitur, ſignaque Aragonia latè fulgentia cõſpiciuntur. Ita eò cunctis accurrentibus, reuulſa porta, exercitus omnis in urbem irrupit. Hoc maximè modo capta Neapolis eſt, anno à natiuitate Chriſti 1442 (at ſecundum Syluium 1440) octauo Idus Iunij, poſtquam in eam Renatus peruenerat, annò quarto. Renatus cum principibus Gallis in arcem nouam confugit, inde Maſſiliam abiit. Iacobus Bracellus lib. 5. belli Hiſp. Eodē planē modo, annis mille antè per Beliſarium è Gothorum manibus erepta fuerat: Aen. Syluius cap. 65. Europæ.

## PER MVROS. VEL CVSTODITOS.

*Vide paulo antè, Muros deiiciendo.*

Sub Alexio Angelo, IOANNES Myſiæ princeps capta Conſtantia, inſigni urbe Rhodopęi territorij, Varnam mœnibus dirutis ſexto die Paſſionis dominicæ oppugnabat. Sed cùm ij, qui urbem tenebant, pleriq; Latini generis ſumma ope reſiſterent: quadrilateram machinam fabricat, quæ longitudine latitudini foſſæ: & altitudine faſtigio mœnium reſponderet, & ea rotis ſubiectis proximè foſſam collocata, & deinde euerſa, utroſq; fines apprehendit: eademq; machina, & ad explendam foſſam, & ad conſcendenda mœnia pro ſcalis uſus, Varna potitus eſt. Nicetas lib. 3.

Rotis urbes capiebat TAMBERLANES Tartarorũ dux. Hæ erant circuli, & intrà ſcalas habebant, quibus aſcendebatur in muros. Et quando in foſſam dirigebantur, recipiebant uiros ducentos ſeparatim poſitos, donec ſinguli rotas intrarent. Poſtea ueniebant in alterã, quæ ex aduerſo erat, foſſæ partē, ſatis muniti & tecti à rotis. Quò cùm ueniſſent, ſcalas conſcendebant, & eo modo capiebant urbes. Deinde reliqui, qui erant in caſtris, urbē uallo cingebant, aggereſq; fundebant, qui facilè murum ſuperarent: ex quibus deinde muro facilè potiebatur. Præterea foſſores habuit circiter decē mille, qui ſuffoſſum murũ ſuſtentabant excelſis lignis, quæ deinde accendebant: quibus cõcrematis, muri, nemine impellente procidebant: per nudata inde muro loca milites ruebant in urbem. His tribus modis Temires in oppugnatione urbium utebatur. Chalcocondylas lib. 3.

## NEGLECTOS.

*Vide infrà, Stulta in diuerſum locum abſtractione.*

PHILOCLES Ptolemæi dux ad Caunum poſuit caſtra, & pecuniis annonæ præfectos corrupit, inſidiaſq; parauit. Qui promulgarunt in urbe, ſe frumentum militibus daturos. Illi relictis murorum cuſtodiis, frumentum metiebantur. Interea Philocles nudatam præſidiis urbem adortus, cepit. Polyænus lib. 3.

HIPPARINVS, cùm in Leontinorum urbe degens, Syracuſas audiret uacuas eſſe defenſoribus, quòd ciues in locum quendam cum Calippo profecti ex urbe dicerentur: ſtatuit ab Leontinis Syracuſas uerſus exercitum ducere: noctu per portas aliquot ciuitatis mercenarios introduxit, & ciuitatem occupauit. Polyæn. lib. 5.

Q. FABIVS Maximus, Cũctatoris filius, apud Arpos præſidio Hannibalis occupatos, conſiderato ſitu urbis, ſexcentos milites obſcura nocte miſit, qui per munitam eoq; minùs frequentem oppidi partem ſcalis euecti in murum, portas reuellerent. Hi adiuti decidentium aquarum ſono, qui operis ſtrepitum obſcurabat, iuſſa peragunt. Ipſe dato ſigno ab alia parte aggreſſus, cepit Arpos. Front. lib. 3. cap. 9.

M. MARCELLVS Syracuſas oppugnans, cùm ab Archimedis machinis uinceretur: aggredi mœnia nõ ampliùs audebat. Ad tempus autem oppugnationē omiſit, & longè poſt Damippum Spartiatam Syracuſis enauigantem cepit, ab eoq; cognouit, turrim quandam in muris eſſe, in qua negligenter cuſtodiæ adminiſtrarētur: eam multos homines caperē poſſe, murumq; in ea parte non difficilem aſcenſum habere. Qua re cognita, ſcalas ad altitudinem eius congruentes fabricauit: & Syracuſiis feſtum in honorem Dianæ obeuntibus, & uino indulgentibus, turrim occupauit, ac ſub auroram hexapylis effractis, urbe potitus eſt. Polyænus lib. 8. & Plutarchus in eius uita.

BAIAZETHES II. ad expugnandũ Methonem profectus, exercitu in tres partes diuiſo, machinis ęreis mœnia diutiùs impetiuit, propugnacula diruit, domoſq; quamplurimas in urbe mortariis (ut uocãt) perforatas deſtruxit. Methonenſibus

ſibus igitur ferè extrema patientibus quatuor Venetæ triremes auxiliariis peditibus atque aliis ad bellum neceſſariis rebus onuſtæ aduenerunt. Quo cognito ij, qui in urbe erant, ob præſens auxilium læti, omnes ad portum cucurrerunt, ac mœnia ſine cuſtodiis, & ſine defenſoribus reliquêre. Quod ubi Ianizari ſenſerunt, per ipſa mœnia in urbem ingreſſi, Venetos pedites ad unum trucidarũt, atq; ipſa demum urbe potiti ſunt. Et huiuſmodi quidẽ clades, quo die diui Laurentij feſtum celebramus, facta eſt, anno qui à Chriſto nato MD numeratur. Turcicus autem Imperator Methonenſem epiſcopum, alioſq; complures coram ſe decollari præcepit. Mox inde profectus, & Iuncum & alia multa Peloponneſi loca obtinuit. Iouius in uita Baiazethis II.

## PER PRAECIPITIA.

HERODES Antipatri F. rex à Rom. Senatu declaratus, contrà Antigonum Ariſtobuli F. regem pugnans, ſimul etiam contra latrones in ſpeluncis degentes duxit militem. Erant autem hæ ſpeluncæ ſitæ in præruptis montibus, anguſtis tramitibus acceſſibiles, & acutis cinctæ rupibus. In harum cauernis illi cum totis habitabant familiis. Rex autem arcas in hunc uſum compactas de uertice montis per machinas demittebat catenis ferreis: eo quòd nec infernè propter aſperitatem mõtis aſcendere daretur, nec supernè cõtra eos derepere. Hæ arcæ completæ erãt militibus haſtas falcatas geſtantibus, ad attrahendos repugnantes, & deturbandos per præceps. Hæc tamẽ arcarũ demiſſio periculoſa erat, propter immenſam altitudinem: & in ſpeluncis non deerant uictui neceſſaria. Vt uerò demiſſæ ſunt arcę ad earum oſtia, & nemo præ metu audebat progredi, quidam ſcutatus accinctus gladio, manu utraq; apprehenſa catena, qua arca ſuſtinebatur, demiſit ſe intra fauces. Moræ impatiens, illis exire cunctantibus, ad quandam cauernam accedens, primùm iaculis multos intùs confecit: deinde reſiſtere conatos falcata haſta attractos dabat in præceps: deinde penitiùs reconditos inuadens iugulauit multos, ac tum demum in arcam ſe recepit: cæteros uerò eiulatũ audientes pauor corripuit, & ſalutis deſperatio. Eos tamen conatus impediuit nox interueniens, multiq; rege per præconem pollicente ueniam, deditionem fecerunt. Sequenti uerò luce eodem uſi ſunt oppugnationis genere, magis etiam ex arcis exeundo & pugnando in foribus, & ſubiecto igne antra incendendo. inerat enim intus multa materies. Senex autem quidam deprehenſus intus cum uxore ac ſeptem filiis, rogatus ab eis, ut ſe fugere hoſtem permitteret, ſtans ante oſtium, primum quemque exeuntem iugulabat, donec ad unum omnes cõfecit, & uxorem ultimam. Deinde pręcipitatis cadaueribus, poſtremò ſeipſum ſuperiecit, mortem ſeruituti præferens. Primò tamen in obſcuritatem Herodis multa eiecit conuicia, licèt rex è ſpecula quadam dextram porrigeret, & polliceretur ueniam. Speluncæ igitur omnes hoc modo expugnatæ ſunt. Ioſephus lib. 14. cap. 27.

NINUS, rex Aſſyriorũ, Bactriam Zoroaſtris regiam obſidebat: Menon Syriæ præfectus, regem ſequens, protracta longiùs obſidione, SEMIRAMIDIS uxoris deſiderio flagrãs, uxorem acceſſit. Quæ perſpicax, magniq; ultra muliebrem ſexum animi, tempus nacta quo uirtutẽ oſtenderet, uiam multorum dierum ingreditur, induta eiuſmodi formæ ſtola, ut uir ne an mulier eſſet, nequiret perſpici. Tuebatur ea ab itineris æſtu corporis colorem, agilis ad omne opus. Cuius tanta erat commoditas, ut poſtmodum Medi, cum Aſię imperarent, Perſæq;, ſtola Semiramidis uterentur. Cùm ueniſſet in Bactriam, perſpecta obſidione, tum locis, urbiſq; ſitu, quaq; adoriri poſſet, animaduerſis, arcem, quia loco natura munito difficiliq; erat, & quem nullus antea tentarat acceſſu, cuſtodiis uacuam conſpexit, intentis omnibus, ueluti arce ab hoſte tuta, ut inferiori parti campeſtri ſubſidium ferrent. Sumtis igitur qui per loca petroſa abruptaq; aſcendere ſoliti erant, per aditum uallis præcipitem ſuperata loci aſperitate, partem arcis cepit: magnoq; ad terrorem excitato tumultu, ſignum captæ arcis obſidentibus dedit. Qui intra urbem erant, arce miſſa obſtupefacti, derelictis mœnibus fuga ſaluti conſuluerunt. Diod. lib. 2 cap. 2.

ALEXANDER Macedo in Sogdianorum regionem exercitum inferebat. Ea eſt uniuerſa aſpera & inuia. In medio petra ſurgit, & in altum tendit, ſolis uolucrum alis peruia. In ambitu ſylua dẽſa crebraq;, inacceſſos anfractus magis impenetrabiles reddebat. Petram Ariomazes cum magna ualidaq; Sogdianorum manu occupauit, intuſq; ſcaturientes aquæ fontes habuit, & commeatus non mediocrem copiã. Alexander obequitans, & naturam petræ, oportunitatemque perſpiciens, iuſſit trecentis delectis adoleſcentibus, quorum opera atque ars in ſcandendis præcipitiis erat poſita, ut inermes poſt petram per ſyluam denſam aſcenderẽt, tenuibuſque ſe funibus attraherent. Poſtquam uerò iuga ſuperaſſent, albis cingulis, quæ habebant ſolutis, contos bene longos implicarent, eoſq; ſupra ſyluam extenderẽt, ut confertim ſplendida cingula frequenter quaſſata, à ſuperioribus Barbaris, & ab inferioribus Macedonibus conſpicerentur. Præcipitiorum ſcanſores magno labore in iugis oriente ſole cingula uibrabant. Macedones magnum clarumque ex inferiore loco clamorem tollere. Ariomazes perterritus, quòd omnem exercitum aſcendere, & iam ſe in ſummitate captum exiſtimaret, ſe & petram Alexandro tradidit, diuinam ratus eius eſſe potentiam atque fortunam. Polyænus libro quarto.

Erant Corinthi fratres quatuor, origine Syri, quorum unus nomine Diocles in arce ſtipendia faciens degebat. Tres alij intercepta regia pecunia Sicyonem ſe ad argentarium contulerunt Aegiam, cuius opera utebatur in ſcriptura ARATVS Sicyonius, qui patriam à tyrannide liberandi occaſionem quærebat. Vnus eorum Erginus factus Aegiæ familiaris, atque ab eo in ſermonem deductus de arce, narrauit, dũ ad fratrem aſcendit, animaduertiſſe ſe obliquũ inciſum rupi undiq; abſciſſę callem, qui duceret ad certum locum, quà humillimus arcis murus inædificatus eſſet. Cùm deridens illum diceret Aegias: Et uos, homo præclare, ob modicum auri labefactatis regia negotia, cùm unam horam ualeatis ingenti pecunia uendere. An non furibus item ut proditoribus deprehenſis mors eſt ſemel propoſita? Arridens Erginus in præſentia, tentato priùs fratre Diocle, promiſit Aratum ſe ad murum ducturum, quà faſtigiũ eius pedes quindecim non excederet, atq; ad reliqua operam cum Diocle præſtiturũ. Aratus igitur omnibus paratis, reliquas copias iuſſit in armis excubare. Delectos quadringentos aſſumẽs, neq; hos, paucis demtis, quid pararetur, conſcios, duxit ad arcem, eamq; occupauit, & Macedonas eiecit. Plut. in Arato, & Polyænus lib. 6.

C. MARIVS bello Iugurthino apud flumen Mulucham, cùm oppugnaret caſtellum, in monte ſaxeo ſitum, quod una & anguſta ſemita adibatur, cætera parte uelut cum ſaltu præcipiti: nunciato per Ligurem quendam ex auxiliis gregalem militem, qui fortè aquatum progreſſus, per ſaxa montis cochleas legens, ad ſummum peruenerat, eripi poſſe caſtellum: paucos centuriones, quibus perfectiſſimos cum uelociſſimis militibus æneatores immiſcuerat, miſit, capite pedibuſque nudis, ut proſpectus uiſuſque per ſaxa facilior foret, ſcutis armiſque à tergo aptatis. Hi Ligure duce & telis & clauis, quibus in aſcenſu nitebantur, adiuti, cùm ad poſteriora, & ob id uacua defenſoribus caſtelli perueniſſent; concinere & tumultuari, ut præceptum erat, cœperunt. Ad quod conſtitutum, Marius conſtantiùs adhortatus ſuos, acriùs inſtare caſtellanis cœpit. Quos ab imbelli multitudine ſuorum reuocatos, tanquam capti à tergo eſſent, inſecutus, caſtellum cepit. Front. lib. 3. cap. 9.

C. IVL. Cæſar Gergobiam oppugnabat, urbem & mœnib. admodum firmam, & natura munitiſſimam. Sita enim urbs erat in colle munitiſſimo, uerticem æqualem habente. Ad ſiniſtrum latus ſyluæ humiles atq; denſæ collem attingebãt: ad dextram præceps erat, anguſtumq; aditum habebat, quẽ Gergobienſes cùm magna manu obſidebant. Cæſar promtiſſimos & tolerantiſſimos ex ſuis militibus armauit, eoſq; in ſyluis occuluit: mandans, ut breuia iacula, conuenienteſque gladios aſſumerent; ne per humiles ſyluas adhæreſcerent: ipſiq; non erecto corpore graderentur, & demiſſis poplitibus ſine tumultu peruaderent. Qui prima luce pernicius repentes; in collem à læua parte aſcenderunt. Cæſar reliquas copias à dextro latere adducebat, & exercitum in ipſos barbaros immittebat. Illi propulſare palàm aggredientes conabantur. Interim occulti è ſyluis aſcendentes colle potiti ſunt. Polyænus lib. 8.

## PER CVNICVLOS INTRANDO.

*Eos, qui muros deiiciunt, cuniculis actis, ſuperiùs poſuimus. Hic eos; qui citra murorum incommodum ſub muris in urbem intrant.*

DARIVS Carthaginem oppugnabat. Carthaginenſes murorum firmitudine, & ciborum apparatu freti, parum de oppugnatione ſolliciti erant. Darius exercitum quidem mœnibus non admouit, ſed reliquam omnem regionem populabatur: ſimulanſque ſe maiores copias auxiliares expectare, quietem agebat. Carthaginenſibus mœnia cuſtodientibus, à colle, nomine Aphaſio, qui abeſt ab urbe decem ſtadiis, ſubterraneum meatum Perſæ fodere cœperunt: cumque ad forum urbis opus produxiſſent, cõiectura ſumta de radicibus oliuarum, quæ in foro naſcebãtur, noctem expectantes, aperto meatu aſcenderunt in forum, & urbem ſine prælio per uim ceperunt, Carthaginenſibus in muris excubias agentibus. Polyænus lib. 7.

M. Furius CAMILLVS decimo obſidionis Veiorum anno Dictator dictus, ad obſidionem conuerſus Veiorum, cùm difficilem murorum oppugnationem cerneret & arduam, cuniculos egit. Quod ubi ex uoto ſucceſſit, ut ad muros eliceret hoſtem, urbem propalàm aggreditur. Alij per cæcos cuniculos clàm Iunonis ædem, quæ in arce erat, multò omnium ampliſſimam eius urbis celebratiſſimamque occupant. Quo tempore ferunt, rege Hetruſcorum ſacrificante, aruſpicem extis intentum exclamaſſe, qui hoſtiæ eius exta proſecuiſſet, ei uictoriam deos ſpondere: eamque uocem, qui in cuniculo erant, Romanos excepiſſe, ac proruto pauimento, cum clamore ac crepitu armorum proſiliſſe, hoſtibuſq; expaueſcẽtibus ac fugientibus corripuiſſe exta, & Camillo obtuliſſe. Plut. in Themiſtocle.

TAMBERLANES, Scytharum Imp. X millia foſſorum pro cuniculis habuit. Chalcocondylas lib. 3.

## DEOS EVOCANDO.

ROMANI cùm obſiderent urbem hoſtium, eamq; iam capi poſſe confiderent: certo carmine euocabãt tutelares deos: quòd aut aliter urbem capi poſſe non crederent: aut etiam ſi poſſet, nefas exiſtimarẽt, deos habere captiuos. Nam propterea ipſi Romani & deum, in cuius tutela urbs Roma eſt, & ipſius urbis Latinum nomen ignotum eſſe uoluerunt. Alij Iouem crediderunt, alij Lunam. Sunt qui Angeronam, quæ digito ad os admoto ſilentium denunciat. Alij autem, quorum mihi fides uidetur firmior, Opem Conſiuiam eſſe dixerunt. Ipſius uerò urbis nomen etiam doctiſſimis ignoratum eſt: cauentibus Romanis, ne quod ſæpe aduerſus urbes hoſtium feciſſe ſe nouerant, idem ipſi quoq; hoſtili euocatione paterentur, ſi tutelæ ſuæ nomen diuulgaretur. Macrob. lib. 3. cap. 9. Saturn. Arnobius uerò cõtra Gẽtes, caput hominis in fundamentis arcis inuẽtum, genij tutelaris fuiſſe ait, eumq; Tolum dictum. Vnde Capitolium pòſt quaſi caput Toli nomen habuit. Cæterùm id non niſi Auguribus notum erat. Proſtituto demum per Chriſtianã religionem ethnicismo, ſuperſtitioſum quoq; nomen euulgatum fuit.

## SECVRITATE HOSTEM, VRBIBVS, Propugnaculis exuere. Siue iam ſecurus fiat

### SIMVLATIONE

*Pacis.*

PHORMIO Athenienſis dux Chalcidenſes expugnauit, ſimulata pace noctu reuerſus, ut Polyæn. lib. 3. & Front. lib. 3. capite 11. teſtantur.

PHILIPPVS, cùm Amphipolim ab eo repeterent Athenienſes, eodem tempore bellum gerens cum Illyriis, non reddidit, ſed liberam dimiſit. Athenienſes hoc ipſo contenti fuerunt, quòd libertate eſſet confirmatã. Philippus ſuperatis Illyriis, maiores uires adeptus, rurſus Amphipolim, contemtis Athenienſibus occupauit. Polyæn. lib. 4.

*Colloquij.*

PHILIPPVS in hoſtiũ Thracum urbẽ legatos miſit. Conuocata concione; cùm omniũ animi eſſent intenti ad audiendum quid afferrent: Philippus nec opinantes adortus, urbem cepit. Polyæn. lib. 4.

ALCIBIADES, dux Athenienſium, cùm ciuitatem Agrigentinorum egregiè munitam obſideret: petito ab eis conſilio, diu, tanquam de rebus in commune pertinentibus diſſeruit in theatro, ubi ex more Gręcorum locus conſultationi prębebatur: dumq; conſilij ſpecie tenet multitudinẽ: Athenienſes, quos ad id præparauerat, incuſtoditam urbem ceperũt. Frontinus lib. 3. cap. 2.

IDEM, nauigans in Siciliam, cùm ueniſſet Corcyram, exercitũ in tres partes diuiſit, ut commeatus faciliùs ſuppeteret, ſi uiciſſim ad urbes aduentarent. Poſtquam uerò ad Catanam appropinquauit, non accipientibus eum Catanenſibus, legationem miſit: petens, ut ſibi ſoli accedere, & in commune conſulere liceret. Quibus permittentibus, & in concionem concurrentibus; præcepit ſuis, ut quotquot eſſent mœniorũ portæ minùs firmæ, per eas effractas irrumperent. Et ſimul accidit, ut Alcibiades concionari inciperet, & Athenienſes Cantanam tenerent. Polyæn. lib. 1.

*Societatis, Auxilij.*

ISIDAS Lacon poſt Leuctricam calamitatem, cùm Thebani in Gythio portu Lacedæmonis præſidium haberent: aſſumtis centum æqualibus, oleo iuſſit eos ungi, & oliuæ ſertis redimiri, atq; enſem ſub ala geſtantes ſequi. Ipſe nudus egrediebatur magno curſu. Aequales uerò nudi unà currebant. Thebanis aũt habitu deceptis, & nudos ludenteſq; recipientib. Lacones ſtrictis gladiis, alios ex ipſis occiderunt, alios eiecerunt, & ſic Gythium obtinuerunt. Polyæn. lib. 2.

CRATESIPOLIS Acrocorinthum Ptolemæo tradere uolens, quæ ſtipendiariorum præſidiis tenebatur, cùm perſæpè ei ſuaderent, eum locum eſſe cuſtodiendum, collaudatis iis tanquam fortibus & fidelibus uiris, à Sicyone quoque ſe inquit ſocios euocaturum, qui cum ipſis tutiùs eam tuerentur. Miſit palàm ad Sicyonios, clàm ad Ptolemæum: eiuſque milites per noctem uenientes, quaſi à Sicyone ſocios recepit, atque Acrocorinthum Ptolemæus, inuitis cuſtodiis, occupauit. Polyæn. lib. 8.

BARTHOL. Liuianus, cui ſenatus Venetus præfecturã equitum aduerſus Florentinos tradiderat, caſtris, quæ in Foroliuienſi erant, magno ſilentio profectus cum equitib. leuis armaturæ ducentis quinquaginta, militibus octingentis, per Ceſenæ agrum & Solliani fines noctu itinere confecto, ante lucem ad fanum Camaldulenſe, quod eſt in ualle anguſta magnis montibus circundata, dum ſacerdotes nocturnas preces facerent, peruenit: uocatiſq; qui portas aperirẽt, eſſe ſe reip. Florentinæ milites, qui ad imperatorem mitterentur, dixit. Patefactis portis, fano capto, &, quoniam arcis uicem turri præalta parietibuſq; ſolidis præbebat, præſidio in eo collocato, ac refectis cibo potuq; militibus Bibienam oppidum eadem uſus celeritate contendit: præmiſſiſq; paucis equitibus, Leonis nomen antiqua eorum appellatione clamantibus (ea eſt enim ſignificatio Florentinæ ciuitatis, quæ uoce accipitur, & redditur) magiſtratum itemq; arcis præfectum ad ſpeciem imperatoris iuſſu ad ſe uocatos retinuit, oppidumq; cepit. Bembus lib. 4. Hiſt. Ven.

*Transfugij.*

Cùm Darius Babylonem obſideret, quòd ea ciuitas ab ipſo deſciuerat, atq; eius potiundæ ratio difficillima eſſet: ZOPYRVS Megabyzi F. ſibiipſi naſum, aures atq; labra deſecuit, atq; noctu ad Darium ſe contulit, ac cõſilium aperuit, quo impulſus id egerit: ſtatimq; inde ad Babylonios proficiſcitur: eis ſermone ad id compoſito narrat, ita ſe à Dario affectum, quòd eum de ſoluenda obſidione admonuiſſet. Babylonij, quia Zopyrum ingentis uirtutis uirum norant eſſe, quarundam copiarum curam ei demandarunt. His copiis Zopyrus ſæpè cum Perſis manu conſerta, uictor è prælio excedebat. Tandem dux omnium copiarum ab eis creatus, noctu Darium in urbem recepit. Fulgoſus lib. 7. cap. 4. Polyænus lib. 3. Iuſtinus lib. 1. Front. lib. 3. cap. 3. Aelianus Riſacis equiſonis, qui Saccas à Perſis liberauit, imitatione hoc deſignaſſe Zopyrum ſcribit.

ANTIGONVS Caſſandriam oppugnabat, ut Caſſandrenſium tyrannum Apollodorum euerteret. Cùm ad decimum menſem oppugnatio produceretur, ipſe quidem diſceſſit. Amyniam uerò archiparatam ſubornauit, qui ſocietatem cum Apollodoro iniret: & miſſa legatione, ſibi curæ fore promitteret, ut Antigonus placaretur. Tyrannus Amynię ſocietate fidens, & abſentiam Antigoni contemnens, non exacta cura mœnia cuſtodiebat. Amynias ſcalis æquantibus muri altitudinem ædificatis, prima luce raros in muris diſpoſitos milites conſpicatus, muris potitus eſt. Antigonus properè reuerſus, occupata Caſſandria, tyrannidem Apollodori ſuſtulit. Polyæn. lib. 4.

SEXTVS Tarquinius, Superbi filius, indignè ferens quòd patris uiribus expugnari Gabij nequirent: ualentiorem armis excogitauit rationem, qua interceptum id oppidum Romano imperio adiiceret. Subitò nanq; ſe ad Gabios contulit, tanquam parentis ſæuitiam & uerbera, quæ uoluntate ſua perpeſſus erat, fugiens: ac paulatim uniuſcuiuſq; fictis & compoſitis blandiciis alliciendo beneuolentiam, ut apud omnes plurimum poſſet cõſeruare, familiarem ſuum ad patrem miſit, indicaturum quemadmodum cuncta in ſua manu haberet, & quæſiturum quidnam dari uellet. Iuuenili calliditati ſenilis aſtutia reſpondit. Siquidem re eximia delectatus Tarquinius, fidei autem nuncij parùm credens, nihil reſpondit: ſed ducto eo in hortum, maxima & altiſſima papauerum capita baculo decuſſit. Cognito adoleſcens ſilentio patris ſimul ac facto, cauſam altiùs argumenti peruidit: nec ignorauit præcipi ſibi, ut excellentiſſimum quenque Gabinorum aut auxilio ſubmoueret, aut morte conſumeret. Ergo ſpoliatam bonis propugnatoribus ciuitatem tantùm non uinctis manibus ei tradidit. Valer. Max. lib. 7. cap. 4. & Frontinus lib. 3. cap. 3.

MARCIANVS Cononis Græci ducis miles, cùm à Beliſario ad Totilã Gothorũ regẽ ſimulata defectione trãſiſſet, ab eo benignè acceptus, Spoletum cum aliis nõnullis eſt miſſus. Gothi, Spoletum ab Herodiano ſibi proditum cum cepiſſent, muros diruerant, atque amphitheatrum, quod erat in urbe, ita munierant, ut omnes aditus obſepirẽt, præſidiúmque ex Gothis Romaniſque perfugis impoſuerant. Marcianus autem, contracta cum nonnullis præſidiariis militibus amicitia, perſuaſit, ut illuſtre aliquod facinus aduerſus barbaros molirentur, atque, opera bene nauata, ad Romanos reuerterentur. Ita re compoſita, Peruſiam ad eius præſidij ducem Oldigam Hunnum mittunt, eoque de conſilij ſui ratione commonefacto, ut Spoletum milites mitteret, rogant. Profectos ubi Spoleto appropinquare Marcianus cognouit: cum militibus quindecim, quos ſibi adiunxerat, du-

cem præſidij occidit, atque, apertis portis, Romanos intra oppidum recepit. Sigonius lib. 19. Imp. occid.

Sigiſmundus Imp. Huſſitis arcem Pragenſem eripuerat, & in montibus Cuduis caſtra habens, parabat ducere in cęteros fidei deſertores. Venerat eò ad regem uir militaris Zeuchó, probatæ apud regem fortitudinis: qui, quòd Huſſitas ſecutus eſſet, à rege ueniam poſtulauit: receptuſque in gratiam, cum literis & mandatis mittitur à rege ad cuſtodiendam arcem Pragenſem, in qua multa erant congeſta eccleſiarum & monaſteriorum precioſa ornamenta, ſacræ ueſtes ac uaſa. Ille itinere medio magna manu perfidorum collecta exhibitis literis regis intromittitur, eiicit cuſtodes, ſanctorum reliquias igne concremat, aurea & argentea uaſa, ueſtes ſericas, & quicquid erat precioſum, inter ſuos diuidit: arcemque tuetur aduerſus regem, pro quo credebatur aduenisse. Sed fraus fraude compenſatur. Abierat aliquando Zeucho, relictis arcis cuſtodibus, quibus fidebat. IO. Polentz de Luſatia, arma, ueſtes, equos, ſigna eius militaria imitatus, pro rege recepit arcem. Cranzius lib. 10. Vandaliæ, cap. 31.

Ab Eugenio IIII. Pontifice, Baſilienſis concilij, nonnullorumque aliorum principum impulſu, ciues Rom. deſciuerant, atque is ſe clàm Florentiam contulerat, à Romanis Eugenij nepote magno Camerario capto, obſeſſaque ſancti Angeli arce, quæ in Adriani mole conſtructa eſt. Per id tempus Hiſpanus quidam, gregarius miles, nomine RICIVS, belli fama permotus, Romam cum aliquot comitibus eſt profectus. Vbi cùm conditionem è ſententia ſua non inueniſſet, magno atque nouo aſtu uti cogitauit. Perſuaſit quibuſdam è Romanorum primoribus, ſi tanquam transfuga in arcem recipere ſe poſſet, breui, quia in ea multorum amicitia uteretur, ſe curaturum, ut in poteſtatē Romani arcem redigerent: atque ſub hoc prætextu in arcem cum quatuor comitibus profugit. Illic quo conſilio ueniſſet, præfecto arcis Antonio Ridio ſtatim patefecit. atque ad conſtitutum tempus, clamore ſublato, tanquam qui in præſidio erant inter ſe pugnarent, haud multo pòſt, ceu uictor Hiſpanus diploidem ac caligas præfecti arcis ſtuppa repleuit, ita ut ueri præfecti ſimulacrum appareret: idem de quibuſdam aliis effecit: atque ut ex compoſito erat, ad murorum pinnas eos, ueluti arcis imperium adeptus, ſuſpendit. Romani impetu facto ad arcem, cùm enecato arcis præfecto fraudem abeſſe putarent, aditum in arcem quærebant: quos Ricius ſe non permiſſurum ingredi dixit, priuſquam promiſſa ſibi præſtarentur: aliquòt quidem ex primoribus interim acceptur um in arcem. Qui cùm ingreſſi eſſent, eos in carcere cōdi iuſſit, aliam multitudinem ab arce tormentis repulit: his, quos in arce ceperat, ꝓ Camerarij liberatione reſtitutis. Aſtuti conſilij ſui Ricius præmia ingentia ab Eugenio pontifice retulit. Fulgoſus libro 7. capite 3. At Platina in Eugenio ſic ſcribit: Romani cōtra Eugenium IIII. Pp. grauiter commoti, quòd incurſiones Nicolai Fortebrachij in agrū Rom. factas non curaret, ad arma & libertatem conclamarunt, & ſeptem Gubernatores inſtituerunt. Pontificem fugientem naui, lapidibus & ſagittis tamdiu diſtinere cupiebant, quoad arce S. Angeli potirentur. Præfectus arcis dolo agendum cum Romanis ratus, adiuuante BALDESARE Auſida, uiro ſagaciſſimo, qui inferiorem arcis partem tuebatur, uni ex militibus ſuis in certamen prodeuntibus negotium dat, ut captus de induſtria ab hoſte, Caſtellani ſæuitiā & auaritiam criminetur, polliceaturq́; eis, ſi uelint pactam mercedem præſtare, & mortem præfecti & arcis proditionem. Fecit ille mandata diligenter. Captus, nullo non genere maleficij in Antonium Ridium coniecto (ita enim arcis præfectus uocabatur) fidem dat, ſe cùm ſociis omnia transacturum. Dimiſſus itaq; arcem ingreditur, ueſtes Antonij ac caligas, addita etiam capitis forma, ſuſpendit: à longè idem uidebatur. Clamabat Baldeſar, de ſcelerato ſumtum eſſe ſupplicium, ingrederentur aliquot ex optimatibus, & enumerata pecunia iam pacta arcem reciperent. Credidere miſeri nullam ſubeſſe fraudem: ingreſſi aliquot, ſtatim capiuntur. Fit clamor exultantium in arce, coniiciuntur in populum Romanum miſſilia, bombardęque. Deriſi hoc modo Romani, de redimendis captiuis cogitantes, Camerarium Eugenij nepotem, quem in uinculis habebant, dimittunt, ſuos, qui in arce erant, recepturi, & demum in Eugenij poteſtatem ueniunt, quinto poſt libertatem adeptam menſe. Platina.

Mortuo Alberto Eſtenſi, Accius Eſtenſis exul, adiuuātibus Cunij comitibus, redire in patriam inſtituerat. Sed tutores Nicolai pueri, Alberti filij, ſumtis armis Accium Ferraria ſummouentes, Lucam & Concilicæ oppida IOANNI Cunio promiſere, ſi Accium interficeret. Ioannes uirum, Accio perſimilem, interfecit, & acceptis oppidis, uerum Accium in publicum produxit. Platina in Bonifacio IX.

DOMINGVELLVS Hiſpanus, mimus aſtutiſſimus, cùm ſciret Lupum Arenem equitem, Zorithæ arcem furtim Alphōſo octauo Caſtulonenſi regi eripuiſſe, atque eius loci præſidio regionem propinquam infeſtam facere, & ob eam rem Lupum regi uehementer eſſe inuiſum: ueluti alius Zopyrus Alphonſo clàm oſtendit, ſe rationem inueniſſe recipiendæ Zorithæ arcis, mòdò equitem inueniret, qui ficta contentione uulnus ſibi in os inferri pateretur. A rege requiſitus Petrus Didacus, coram Alphonſo cum Dominguello uerbis contendere cepit, ac Lupum proditionis infamia criminari. Dominguellus primò humanè tueri Lupū, atq; hominem excuſare: ſed cùm acerbiùs eū Petrus urgeret, Dominguellus ſtricto gladio os Petri percuſſit, ſtatimq́; ad Lupum Zoritham profugit. Homini narrat, quomodo Petrum coram Alphonſo famam eius lacerantem uulnerârit. Cùm etiam per alios de eo Petrus eſſet certior factus, adeò mimo blandiri, eum in deliciis habere cepit, ut unus ante alios arci præficeretur. Per hunc modum cùm ſe inſinuaſſet Dominguellus, per occaſionem Lupum occidit, atq; à muris ſe demiſit, ut cum eius rei nuncio ad Alphōſum aduolaret. Haud multo pòſt Lupi nepos ſecutus, Zorithæ arcem Alphonſo reſtituit. Fulgoſus lib. 7. cap. 4.

*Legationis.*

Anno VI. Michaelis Paphlagonis Imp. Parabatzem Iberum, Edeſſæ præfectum, accedunt ARABES primarij uiri XII cum equitibus D & totidem camelis, arcas portantibus, in quibus duo armatorum millia latebant, ſeq; ad Imp. munerum offerendorum cauſa ire aiunt. Statuerant uerò arcis in urbem illatis noctu milites promere, & urbem occupare. Parabatzes principes comiter accipit, & cōuiuium præbet: equites tamen & impedimenta in urbem non admittit. Fortè quidam Armenius mendicus cùm acceſſiſſet ubi Saraceni commorabantur, quendam eorum, qui in arcis latebant, audit, Vbínam eſſent? quærentem (nam eorum linguam norat) ſtatimq; ad urbis præfectum accurrens, id nunciat. Is in conuiuio relictis principibus, cum ſuis armatis exit, direptiſque árcis, inuentos Saracenos milites ad unum omnes unà cum equitibus & agaſonibus occidit. Inde in urbem reuerſus, de principib. unum præcipuum, reliquis interfectis, manibus, auribus ac naſo mutilat, domumq; rei geſtæ nūcium remittit. Cedrenus & Zonaras.

*Mortis.*

FROTHO, Danorum rex, urbem Ruthenorum Peltiſcam petens, paucis admodum conſciis ignotæ opacitatis latebras petiuit, extinctuq́; ſe, quò minùs hoſti terroris afferret, uulgo nunciari præcepit. Additæ in fidem exequiæ, tumuluſq; conſtructus. Sed & milites conſcio fraudis mœrore, ſimulatum ducis obitum proſequuntur. Qua fama rex urbis Veſpaſius perinde ac uictoria potitus, tam lāguidam ac remiſſam defenſionem egit, ut hoſtibus irrumpendi poteſtate facta, inter luſus ac otia necaretur. Saxo lib. 2.

## ABITVS, FVGAE.

*Exempla aliquot pete ex Tit. Hoſtem ſecurum opprimere Abitu ſimulato. quatenus hoſtem opprimendo etiam urbes ſimul occupantur.*

CYRVS induciis factis cum Crœſo, exercitum per id tempus abduxit. Ingruente uerò nocte, compendio reuerſus ad Sardes duxit: & adortus mœnia de improuiſo, ſcalis applicatis Sardes occupauit. Herod. lib. 1. & Polyæn. lib. 7.

IDEM Babylonem oppugnans, cùm ſuffoſſiones Euphratæ per urbem labētis effeciſſet, exercitum abduxit longiſſimè. Babylonij exiſtimantes eum de expugnatione deſperaſſe, multum de cuſtodum diligentia remiſerunt. Ille uerò auerſo flumine, copias inſtructas per alueum priſtinum adducens, clàm in urbem cum militibus peruenit, & Babylone potitus eſt. Iidem.

THRASYLLVS cum reliquis ducibus inſtabat Byzātiis. Duces Byzantiorum ueriti, ne per uim urbs caperetur, tempus conſtituerunt, intra quod Byzantium traderent: & in eam rem obſides dederunt. Thraſyllus poſthæc ſoluit uerſus Ioniam. Ipſa uerò nocte reuerſus, cepit urbem Byzantiorum improuiſam & incuſtoditam. Polyæn. lib. 1.

POMPISCVS ſimiliter urbem quandam cepit, miſſo transfuga, qui ciuibus eum diſcedere diceret, reuocatum ab Arcadibus. Polyæn. lib. 5.

ALCIBIADES Byzantium obſidens, ab Athenienſibus ſe reuocatū ſimulans, uela dedit. Noctu partem militum in terram expoſuit, qui occultis itineribus ad urbem penetrarūt. Ipſe manè reuerſus, cum claſſe urbem adortus eſt. Cui cùm Byzantini occurrerent, milites alij urbem ingreſſi ſunt à tergo. Front. lib. 3. cap. 11. & Diod. Sic. lib. 13. Antiq.

ALEXANDER, ad Tyrum obſidione relicta, in Arabiam proficiſcebatur. Tyrij contemta eius abſentia, progreſſi extra mœnia, cumq́; Macedonibus manus conferentes, perſæpe uincebant. Parmenion dux Alexandri reuocatur. Qui ſubitò reuerſus, cùm fugientes Macedones conſpiceret, non uictis



ctis auxilio uenit: ſed in urbem inanem uiris impetū faciēs, per uim Tyrum cepit. Tyrij captam urbem conſpicati, mox ſemetipſos & arma Macedonibus tradiderunt. Polyæn l. 4.

CASSANDER ab Illyride reuertens, cùm abeſſet unius diei itinere ab Epidāno, copias equeſtres pedeſtreſq; deſcripſit, iiſq; miſſis incendit uicos excelſos, poſitos in finibus Illyridis & Atintanidis. Illi diſceſſiſſe Caſſandrū arbitrati, progrediebantur ex urbe, colendoq; ruri operā dabant. At ille occultis copiis excitatis extra urbem non minus bis mille uiris, cepit: cumq; pórtas urbis patefactas reperiſſet, ingreſſus Epidamno potitus eſt. Polyæn. lib. 4.

DEMETRIVS Piræum obtinuit, non omnibus copiis naualibus adductis, ſed plurimis triremibus ad Sunium latitare iuſſis, uiginti optimè ad nauigandū inſtructas delegit, eaſq; incitatis remis non ad urbē, ſed quaſi Salaminem uerſus cōtendere iuſſit. Athenienſium dux Caſſandri partib. fauebat. Is cōſpicatus ab arce, uiginti naues hoſtiles eſſe ſuſpicabatur, atq; Corinthū uerſus curſum habere. At ij qui uiginti naues agebāt, rectà ad Piręū connitentes, eum obtinuerūt. Cōfeſtim aūt intellecta re, cæteri claſſem etiā uniuerſam appulerunt, ita ut multitudo expoſita turres occuparet, & portū. Præcones ꝓclamabāt: Demetrius Athenas liberat. Atheniēſes libertatis præconio, Demetriū acceperunt. Poliæn. lib. 4.

PYRRHVS, Epirotarum rex, aduerſus Illyricos, cùm ciuitatē, quæ caput gentis erat, redigere in poteſtatem ſuam uellet, eius ſimulata deſperatione cæteras urbes petere cœpit: conſecutuſq; eſt, ut hoſtes fiducia uelut ſatis munitæ urbis eius ad tutelam aliarum dilaberentur. Quo facto, ipſe rurſus reuocatis omnibus ſuis, uacuā eam defenſoribus cepit. Frontinus lib. 3. cap. 6.

CORNELIVS Ruffinus Coſ. cùm aliquanto tempore Crotonam oppidum fruſtra obſediſſet, quod inexpugnabile faciebat aſſumta in præſidium Lucanorum manus, ſimulauit ſe cœpto deſiſtere: captiuum deinde magno pręmio ſollicitatum miſit Crotonam, qui (tāquam ex cuſtodia effugiſſet) perſuaſit diſceſſiſſe Romanos. Id uerum Crotonenſes arbitrati, dimiſere auxilia, deſtitutiq; propugnatoribus, inopinati & inualidi capti ſunt. Front. lib. 3. cap. 6.

VIRIATVS Luſitanus, cùm tridui iter diſcedens confeciſſet, idem illud uno die remenſus, ſecuros Segobienſes, & ſacrificio tum maximè occupatos oppreſſit. Front. lib. 3. cap. 11.

*Armorum, Habitus, Signorum.*

ARTEMISIA Cariæ regina in urbe Halicarnaſſo à Rhodiis obſeſſa, cùm Halicarnaſſus duos haberet portus, altero hoſtes ingredi, & partē urbis capere permiſit: altero aūt portu per occultā foſſam in eum egreſſa quē hoſtes ceperant, ubi claſſem nihil tale uerentes inanem reliquerant, ut omnes commodius in urbe prædari poſſent, ipſa totam cepit, atq; palantes Rhodios prædaq; impeditos omnes occidit. Tum Rhodia claſſe militibus ſuis inſtructa, Rhodum nauigauit: nulloque obſtante, cùm claſſem ſuam redire arbitrarentur, in terram egreſſa, facilè Rhodum cepit atque diripuit. Fulgoſus lib. 7. cap. 4.

ANTIOCHVS in Cappadocia ex caſtello Suenda, quod obſidebat, iumenta frumentatum egreſſa intercepit: occiſiſq; calonibus, eorundem ueſtitu milites ſuos, tanquam frumentum reportantes, ſubmiſit. Quo errore illi, cuſtodibus deceptis, caſtellum intrauerunt, admiſeruntque milites Antiochi. Frontinus lib. 3. cap. 2.

TIMARCHVS Aetolus, occiſo Charmide, Ptolemæi regis præfecto, chlamyde interemti & galero ad Macedonicū ornatus eſt habitū. Per hunc errorē pro Charmide in Samniorum portum receptus, occupauit illum. Front. lib. 3. cap. 2.

MEMNON Cyzicenos aggrediēs, cauſiam Macedonicam capiti impoſuit, tum ipſe, tum qui eum ſequebātur. Duces Cyziceni eos accedentes cōſpicati è mœnibus, arbitrati Chalcum Macedonē amicum & ſocium auxilio uenire, portis apertis eos expectabant. Quem cùm propiùs accedentem cognouiſſent, portas clauſerūt. At Memnon agris uaſtatis reuertebatur. Polyæn. lib. 5.

Cùm Philippus, Amyntæ F. Eleorum proceres pecunia corrupiſſet, & altera factio regi, altera Lacedæmoniis faueret: MESSENII mille ſuorum Laconico habitu Elidem miſerunt. Qui ab iis, qui Lacedæmoniis fauebant, tanquam auxiliares recepti, urbem occuparunt. Pauſanias in Meſſen.

ARISTOCRATES Athenienſis Laconica naui ſumta, cum ea in urbem quandam ſocietate Lacedæmoniis deuinctam nauigauit, habens in naui plurimos uiros occultis enſibus armatos. Qui portui præerant, nauem quaſi ſociam & amicam receperunt. Illi autem egreſſi, ex improuiſo deambulantes adorti, decem ex eis trucidarunt, & uiginti quinque captiuos abduxerunt, quos Ariſtocles multis pecuniis redemit. Polyænus lib. 5.

PHARACIDAS Carthaginenſibus Syracuſas contendentibus, incidens inter nauigandum in Carthaginēſes, triremes cùm ex his nouem cepiſſet, induxit ſuos remiges & milites. Carthaginenſes ſua nauigia agnoſcentes, adnauigātes eos in Syracuſiorum portum non impedierunt. Polyæn. lib. 2.

ARCADES Meſſeniorum caſtellum obſidentes, factis quibuſdam armis ad ſimilitudinem hoſtilium, eo tempore quo ſucceſſura alia præſidia his explorauerant, inſtructi eorum qui expectabantur ornatu, admiſſique, per hunc errorem ut ſocij, poſſeſſionem loci ſtrage hoſtium adepti ſunt. Frontinus lib. 3. cap. 2.

HANNIBAL in Italia multas urbes cepit, cùm Romanorum habitu quoſdam ſuorum ex longo belli uſu Latinè quoque loquentes præmitteret. Front. lib. 3. cap. 2.

Q. SERTORIVS tribunus militum in Hiſpaniam ſub Didio prætore miſſus, hybernauit in urbe Celtiberorum Caſtulone. Cùm uerò milites in abundantia rerum petulantes & ferè mero profligatos contemnerent Barbari, auxilium implorauerunt à uicinis Gyriſænis, factoque per domos impetu interfecerunt eos. Ibi Sertorius cum paucis oppido elapſus, contractis iis, qui euaſerant, circulauit mœnia: & qua porta fuerant Barbari furtim ingreſſi, cùm patentem eam reperiſſet, non idem ac illi fecit: uerùm ſtatione appoſita, atq; occupata omni ex parte urbe omnes puberes occidit. Quibus contrucidatis imperat militibus, ut armis & ueſtibus ſuis poſitis, & Barbarorum ſumtis, pergant ad urbem illam, ex qua fuerant miſſi, qui nocte oppreſſerant ipſos. Ludificatis armorum ſpecie Barbaris offendit portas patentes, & multos mortales cepit, qui amicis & ciuibus re bene geſta arbitrabantur procedere obuiam. Vnde multi ſunt à Romanis circa portas contrucidati. Reliqui deditione facta ſub corona uæniêre. Hinc Sertorij ingens in Hiſpania nomen fuit. Plut. in Sertorio.

Angelus Pergulanus Piſanis graui obſidione preſſis auxilio ueniebat. SFORCIA Magnus Florentinorum ſtipēdia merens, incredibili celeritate Angelum circumuenit, fudit, fugauitq́;. Ad eam uictoriam memorabile facinus adiunxit, quum detracta hoſtibus ſaga equites ſuos induere, prælatiſque Pergulani uexillis ad proximi oppidi portam procedere felici dolo præcepiſſet. Id erat Caſtellionum, ab Aprili piſcoſo lacu Piſcarium appellatum, in ora maris ſaxeo tumulo impoſitum. Nec mora, oppidani eo terrore decepti, hoſtes pro ſociis gratulanter excepêre. Atque ita irrumpente occupatam à primis portam toto exercitu, oppidum captum direptumq; eſt. Ob eam rem à Pergulano malè geſtā, deſperatis rebus, Piſani Florentinis deditionem fecerunt. Sforciæ autem, dum uita maneret, Senatus uti de Republica bene merito, millenos quotannis aureos liliatos donatui nomine decreuit. Iouius in eius uita.

HARIADENVS Barbaruſſa à Carolo V. Cæſare regno Tunetano pulſus, ab Algerio, quò profugerat, oram ſoluēs, in Magonis, portum Minoris inſulæ Balearis (Barchini Magonis, ut credi par eſt, unde nomen acceperit, morte & tumulo nobilem) ſe intulit, Punicoque ad fallendum uſus dolo, ita intrauit, ut Cæſarianæ claſſis ſpeciem, explicatis Chriſtianorum inſignium uexillis, præberet, & ab effuſis ad ſpectaculum oppidanis, multis de more tormentorum bombis ſalutaretur. Magnum enim numerū huiuſmodi uexillorum, Barbari uariis caſibus, Portundoque præſertim Hiſpanicæ claſſis præfecto ſuper Sardiniam aliquot ante annos oppreſſo, Chriſtianis ademerant. Adiuuit etiam aſtum doloſi hominis Luſitana nauis, quæ in eundem portum tempeſtate impulſa ancoras iecerat. Præfectus nanq; eius Conſaluus Perelia, eadem captus imagine, pilas ferreas tormentis eximi, eaque inani ſonitu ad lætitiæ ſignum honoris cauſa diſplodi iuſſerat. Agnito tandem dolo, ſerò ſeſe atque nauigium ſtrenuè tutari conatus, à Barbaris cruento certamine expugnatus, trucidatuſque eſt, iniquiore etiam eius ſorte, quòd nauigium reticulato ex funibus uelamento contegi munirique ſolitum, tum fortè, tanquam tutiſſimo in portu minùs neceſſario, eo munimine careret. Capi enim non poſſe uidebatur, niſi certa cum pernicie inſilentium, quum inferiùs per caſtella & foros parata eſſent uenabula, quibus cōſcendere auſi transfoderentur, & ualidis colubrinarum ictibus roſtratas facilè perfringi demergique poſſe appareret, niſi Perelia earum globos pernicioſo adulationis officio incautus eximi iuſſiſſet. Eo modo Luſitanis ad unum interfectis, Barbaruſſa ad oppugnandum oppidum tormenta conuertit. Præfectus uxoris & liberorum pactus incolumitatem, oppidum dedidit. Iouius libro trigeſimoquarto Hiſtoriarum.

*Literarum.*

MENTOR Rhodius, Aſiæ maritimę pręfectus, expeditionem cepit contra Hermiam Atarnenſium tyrannum, qui ab Artoxerxe defecerat, & loca complura bene munita ac urbes tenebat. Huic pollicitus ſe inducturum regem ad remittendam culpam, perſuaſit, ut ſecum ueniret in colloquium. Ibi ex inſidiis facto impetu, eum prehendit: potituſq; ita eius anulo, ſcripſit literas ad urbes, tanquam Hermias diceret

ſibi pacificationem initam eſſe cum Artoxerxe, intercedente Mentore: ſignataſque rapto anulo literas miſit per quoſdam, qui oppida & arces pro rege acciperent. Populi, quibus literæ ſunt redditæ, fidem præſtantes, & quòd à pace non abhorrerent, facilè arces & urbes dediderunt. Diodorus lib.16. & Polyænus.

HANNIBAL M. Marcello interfecto ex inſidiis, eius anulo potitus, plurimas urbes fictis literis in ſuam redegiſſet poteſtatem, niſi à Romanis monitæ fuiſſent.

FRIDERICVS Montisferrati comes, Vrbini dux, cum Verruculæ arcem cõtra Sigiſmundum Malateſtam Ariminenſem principem obſideret, fictas literas, ita ut omni ex parte Sigiſmundi uiderentur eſſe, noctu ad præſidij præfectum in arcẽ miſit: monens ſe auxiliares copias mittere paratum, ſi ipſi opus eſſe uideretur. Cùm autem ipſe uerum Sigiſmundi nũcium ac literas arbitratus, reſpondiſſet, accepturum: Fridericus militibus ſuis hoſtili habitu ornatis, omniq; alia re neceſſaria compoſitis, ea nocte miſſis, arcem in poteſtatem ſuam redegit. Fulgoſus lib.7.cap.4.

DISSIMVLATIONE

*Irruptionis.*

TEMENVS cum cæteris Heraclidis Rheium capere uolẽs, miſit Locros transfugas, qui Peloponneſiis nunciarent, Heraclidas in Naupacto clàm naues habere: & præ ſe ferre quidem nauigatione ad Rheium, uerùm expeditionem eos in Iſthmum ſuſcepiſſe. Credentes id Peloponneſij, ad Iſthmũ copias traduxerunt. Temenus nullo negotio cum ſuis Rheium occupauit. Polyæn.lib.1.

EPAMINONDAS, obſidens Mantineam, cùm Lacedæmonios in ſubſidium hoſti ueniſſe animaduerteret, ratus poſſe Lacedæmonem occupari, ſi clàm illò profectus eſſet: nocte crebros ignes fieri iuſſit, ut ſpecie remanẽdi occultaret profectionem. Sed à transfuga proditus, ſubſecuto exercitu Lacedæmoniorum, ab itinere quidem quo Spartam petebat deſtitit: idem tamen conſilium conuertit ad Mantinenſes: æquè enim ignibus factis Lacedæmonios, quaſi maneret, fruſtratus, per 40. millia paſſuum Mantineã reuertitur, eámque auxilio deſtitutam occupauit. Front.lib.3.cap.11.

IPHICRATES, ad urbem accedens (fluuium enim ab regione per mediam urbem labentem tranſire neceſſum erat) ueſperi cum exercitu tranſiit, ut quod ex tranſitione multitudinis turbidum factum eſſet, noctu inſciis ciuibus dilueretur. Atque ſic ignoratus, poſtero die nihil tale expectantes adortus eſt. Polyænus lib.3.

ARCHIDAMVS noctu ex improuiſo oppidum Carras adortus cepit, magnis ſumma celeritate per uiam aſperam & aquoſam confectis itineribus. Polyænus lib.1.

CLEOMENES Spartanus intra Laconiam ab Antigono cõpulſus, Megalopolim urbem clariſs. & Achæorum ſimul atque Antigoni auxiliis munitam, diripere certus, quinque dierum cibaria ſecũ ferre iuſſas copias uerſus Selaſiam duxit, tãquam fines Argolicos incurſurus. Inde deſcẽdit in agrum Megalopolitanum, cœnatuſque apud Rhætion confeſtim perrexit per Helicona ad illam urbem. A qua cùm nõ longè abeſſet, præmiſit Pantea cum duabus Lacedęmoniorum cohortibus ad occupandum murum inter duas turres, quam partem eſſe Megalopolitanis intelligebat deſertiſſimam: cùm cæteris copiis lento agmine ſecutus eſt. Vt Panteus non illum modò locum, ſed & magnam illius muri partem offendit neglectam, cuius partim ſtatim diſſipauit, partim diruit: & uigiles, in quos incidit, omnes interfecit: maturauit Cleomenes irrumpere: ac priùs, quàm ſentirent Megalopolitani, fuit cum exercitu intra muros. Plutarchus in Cleomene.

IASON, cùm in animo haberet, urbem quandam Theſſalicã aggredi, iuſſit prorſus ignaros oppugnationis ad habendũ delectũ, accipiendumq; ſalariũ armatos conuenire. Qui cũ omnes armati adeſſent, nuncij citato curſu ſuperueniunt, & hoſtes in agros impreſſionẽ feciſſe nunciãt, tantoq; ſpacio abeſſe, quanto diſtaret ciuitas, quã oppugnare inſtituerat. Milites ad pugnam parati, rogare, ut ſine mora ſe aduerſus hoſtes ducat. Iaſon ad urbem copiis adductis, & irruptione facta, præter omniũ expectationẽ ea potit9 eſt, nemine præſciente, neq; ex uictoribus neq; ex uictis. Polyænus lib.6.

ANTIOCHVS Seleuci filius, uolens Damaſcum in ſuam poteſtatem redigere, quam Dinon Ptolemæi dux cum præſidio tenebat: præcepit exercitui atq; uniuerſæ regioni, ut conuiuium Perſicum ſumma celebritate obirent: mandauitque omnibus principibus, ut copioſum adferrent conuiuij apparatum. In quo celebrando cùm prorſus occuparetur Antiochus, cum omnibus ſuis: etiam Dinon audito celebritatis luxu, aliquãtum de excubiarum diligentia remiſit. Antiochus autem imperans, ut incoctum frumentum ad quatuor dies ſecum portarent, duxit exercitum per ſolitudinem, & uias obſcuras ac præcipites, atq; ex improuiſo irruptione facta, cepit Damaſcum. Polyæn.lib.4.

DEMETRIVS, ex improuiſo Sicyonem adoriri uolens, ſeceſſit in Cenchreas, atq; ibi plurimos dies in luxu atq; luxuria conſumſit. Cùm uerò iam omnẽ ſuſpicionem depoſuiſſent Sicyonij, mãdauit, ut mercenarij milites cum Diodoro ſub noctem impreſſionẽ facerent apud eas portas, quæ Pallenẽ uerſus ſpectabant: naualis autem exercitus in portu ſe oſtẽderet. Armatos ipſe in ciuitatem adduxit. Sic omnibus locis irruptione facta, ciuitate potitus eſt. Ibidem.

C. DVILLIVS Coſs. ſubinde exercendo milites remigeſq;, cõſecutus eſt, ut ſecuris Carthaginenſibus uſq; in id tempus innoxiæ conſuetudinis ſubitò admota claſſe murum occuparet. Frontinus lib.3.cap.2.

DOMITIVS Caluinus cùm obſideret Liucam oppidum Ligurum, ſitu non tantùm & operibus, uerùm etiam propugnatorum præſtantia tutum, circuire muros frequenter omnibus copiis inſtituit, eaſdemq; reducere in caſtra. Qua conſuetudine inductis ita oppidanis, ut crederent exercitationis id gratia facere Romanum, & ob hoc nil ab eo conatu cauentibus, morem illum obambulandi in ſubitum direxit impetum: occupatiſq; mœnibus ita oppreſſit, ut ſeipſos dederent & oppidum. Frontinus lib.3.cap.2.

Q. METELLVS Pius, cùm in Hiſpania aduerſus Celtiberos bellum gerens, metropolim Contrebiam uiribus expugnare non poſſet, aliam uiam inuenit. Itinera namq; magno impetu ingrediebatur, deinde alias atq; alias regiones petebat: modò hos inſidebat montes, paulo pòſt alios, cùm interim tam ſuis quàm hoſtib. ignota eſſet cauſa huius inopinatæ mutationis. Interrogatus quoq; à quodã ſibi amiciſſimo, Quid ita ſparſum & incertũ militiæ genus ſequeretur? Abſiſte (inquit) iſtud quærere: nam ſi huius conſilij mei interiorẽ tunicam conſciam eſſe ſenſero, cõtinuò eam cremari iubebo. Poſtquam uerò & exercitum ſuum ignorantia & totam Celtiberiam errore implicauit, cùm aliò curſum direxiſſet, ſubitò ad Contrebiam reflexit, eamq; inopinatã oppreſſit. Val.Max.lib.7.cap.4. & Frontinus lib.1.cap.1.

M. CATO animaduertit in Hiſpania potiri ſe quodam oppido poſſe, ſi inopinantes inuaderet. Quatridui itaq; iter biduo per confragoſa & deſerta emerſus, nihil tale metuẽtes oppreſſit hoſtes. Militibus deinde ſuis cauſam tam facilis euẽtus requirentibus, dixit, Tum illos uictoriã adeptos, cùm quatridui iter biduo arripuiſſent. Frontinus lib.3.cap.2.

CONSTANTINVS Magnus Maximianum tyrannum Maſſiliæ obſidebat. Milites eius urbem tanta fiducia inuaſerunt, ut muros ſtatim occupaturi fuerint, niſi parandis, quas admouerent, ſcalis coniecturam oculorum altitudo mœniũ fefelliſſet. Multi tamen breuitate ſcalarum decepti, quod ad aſcendendum ſupererat, extenſis conſequebantur corporibus, & ſuccedentium humeris ſubleuati iam interualla pinnarum inuaſerant, cùm Conſtantinus ſignum receptui dedit, ac pauliſper inde receſſit. Poſt noctem autem militibus ad urbem repẽtè reductis, hoſtes re inopinata ſic exterruit, ut ſe tueri poſſe diffiſi, urbem dediderint. Maximianus in poteſtatem Conſtantini adductus, iuſſu eius ſtrangulatus, pares merito pœnas inuenit. Sigonius lib.2.Imp.occid.

STEPHANVS V. rex Hungariæ, Bela patre mortuo, rupto fœdere an. 1276. bellum aduerſus Othogarum Boëmorum regem per incurſiones in Morauiam renouauit. Qua de iniuria quũ per caduceatorem egiſſet Othogarus, ac rogaſſet, ut prohiberet populationes à ſuis in Morauia fieri: reſponſum ab illo: Nondũ ſe conductũ ab Othogaro eſſe, ut curã tuẽdæ Morauiæ recipiẽdam putaret: ſibi rẽ ſuã curæ fore, uiciſſim ſuã curaret Boëmus. Ergo Othogarus, rumore parſo de ſua in Morauiã profectione, quaſi inde Stephano occurſurus, quocunq; in loco eũ inueniret, ſubitò agmen in Auſtriã cõuertit, terraq; & aqua Poſoniũ, in ripa Danubij poſitum, in cuius arce bona gazæ regiæ pars à Bela repoſita fuerat, deditione recepit. Dubrauius lib.16.

SOLYMANNVS, Turcorũ tyrãnus, maxima clade à Perſis affectus, arma in Myſiã, Bulgariam & Boſnã transferre cogitabat. Hungari ſub rege Ludouico iuuene in omnem licentiã effuſi, quaſi uno prælio tota Turcarum uirtus concidiſſet, ſecuri agebant. Intereà cùm Mariam Maximiliani Cæſaris neptem, ſpõſam, Ludouicus adduci curat, nihil minùs quã de hoſte cogitans, Solymannus copias paulatim colligit, ab omnibus excurſionibus abſtinet, expectans nuptiarum tempus, Bellegrado potiſſimum imminens, quòd id quoq; compertum haberet, arci præpoſitum eſſe adoleſcentem, Valentinum Turcam, quem Hungari in patris locum ſubſtituerant. Is per cauſam petendi ſtipendij Budam abiit, manſitque ibi uſq; ad nuptias, quæſtore tam diu illum fruſtrante, & ad extremum nihil adnumerante. Conſtat pleriſque, centum tantũmodo aureis pro ſtipendio adnumeratis Bellegradum retineri potuiſſe, ne in poteſtatem Turcę ueniret. Sed cùm præfectus abſque nummis regredi ad ſuos non auderet, & illi ſine duce inter ſe diuerſi ac diſcordes agerent, deditionem fecerunt. Ad hunc modum Bellegradum,



aliorum quoque regnorum præter Hungariam propugnaculum, ad confluentem Saui Danubiique ſitum, turpiſſimè eſt amiſſum, anno 1521.21. Auguſti. Dubrauius lib.33.

CL. GVISIVS, rigẽte hyeme, educto exercitu, ea ſpecie, quaſi ad Fanum Quintini paulo antè à Philippo Caroli Cæſaris F. captum, recuperandum tenderet: de improuiſo cõuerſis itineribus, Caletum uerſus iter arripuit. Acceperat enim per exploratores, non ſatis firmo præſidio Caletum ab Anglis teneri. Quamobrem obſeruata æſtus maris reciprocatione, terra mariq; oppugnationem aggreſſus, oppidũ munitiſſimum, & per CC annos ab Anglis poſſeſſum, cepit, anno MDLIIX. tertio Non. Ianuarij. Sabellicus ſupplementum libro 29.

*Mortis Ducis.*

Obſidebat Bauarum rebellem Rodolfus Boëmiæ rex in oppido Horaſditio, cùm repente dyſenteria correptus moritur. Ergo ſtatim illius anulo literis obſignatis, data fide, Bauarus ad colloquium inuitabatur. Qui nullam fraudem ſuſpectans, in tabernaculum regis uenit, aulęis ita obtentũ, ut præter lectuli, in quo Rex iacebat, modicã portionem nihil aliud uideri potuerit. Ibi HENRICVS Roſenſis, qui Zuicouã arcẽ oppugnare iuſſus erat, interpretem ſe Regis tanquam adhuc uiuentis aſſimulans, petit à Bauaro arcem Zuicouam: qua reddita, cætera pro uoto Bauari conuentura pollicetur. Accipit conditionem Bauarus, & ita arcem reſtituit. Dubrauius lib.19.

CONTEMTV HOSTIVM

*Imbecillitatis.*

LYCVS dux Lyſimachi, cùm Aenetus Demetrij dux Epheſum cuſtodiret, multiſque piratis finitimorum terram infeſtaret: archipiratam Andronem pecuniis corrupit, & Epheſum occupauit. Archipirata Lyci milites inermes, tunicis ac palliis amictos, uinctoſq; quaſi captiuos in urbem induxit: cumq; arci appropinquaſſet, iuſſit, ut enſibus uterentur, quos ſub axilla ferebant, abſconditos. Trucidatis ianitoribus & cuſtodibus, qui arcem tenebant: ſignum iis, qui cum Lyco erant, oſtenditur. Qui per uim ingreſſi, Aenetum ceperunt, & Epheſum obtinuerunt,irataſque, perſoluta eis mercede, ex urbe confeſtim emiſerunt, perfidiam eorum in prioribus amicis non tutam eſſe rati. Polyænus lib.5.

ANDREAS Brachius Peruſinus, turres inter Auerſam urbem ac Capuam poſitas aſtu occupauit, quo tempore aduerſus Martinum IV. pontificem, ac Sforciam eius militarem ducem, ipſe Ioannæ Neapolitanæ reginæ auſpiciis bellum gerebat. Audacem enim iuuenem femineo habitu ornauit, quem ad turres ipſas, ueluti deuium & errantem iter facere iuſſit. Ab iis, qui in turrium præſidio erant, captus, dum tanquam femina eſſet, non obſeruatur, in turrem conſcendit, ad ſeque ſublatis ſcalis, iis annuit, qui cum eo à Brachio miſſi, haud longè in inſidiis rei exitum morabantur. Per eum igitur Brachius turribus potitus, excurſione totam regionem infeſtam reddidit, magnamque inde prædam abegit. Fulgoſus lib.7.cap.4.

*Morbi.*

CALLICRATIDAS Cyrenenſis, ab eo qui arcem Magneſię cuſtodiebat, petiit, ut quatuor ex ſuis ægrotantes reciperet. Quo permittente, ſingulos thoracibus indutos reclinauit, enſeſque deſuper chlamyde tectos appoſuit. Cùm, qui lectos quatuor portabãt intra portas ueniſſent, uiginti ſimul iuuenes armati, cuſtodibus trucidatis, arcem obtinuerunt. Polyænus libro ſecundo.

TEMPORE.

Decimò anno belli Meſſenici, Emperani clari inter Spartanos hominis ſeruus paſtor, cùm quotidie boues ad Nedam fl. ageret, in Meſſenij cuiuſdam uxoris amorem, quæ eò etiam aquatum uenire ſolebat, incidit: feminamque cùm donis corrupiſſet, ad ſtuprum quoque pellexit. Accidit fortè, ut marito eius nocturna uigilia cum præſidiariis militibus eſſet obeunda: per effuſiſſimos uerò ea nocte imbres ſtationem deſerere cogerentur. Cùm ergo domum rediiſſet inopinatò, mulier occultato amatore percontatur uirum, Quãobrem ſpe ſua celeriùs domum ueniret. Hic ille, Tempeſtatis ui, reſpondit, non ſe magis, quàm ſocios omnes è præſidio pulſos. Paſtor hoc audiens, eueſtigiò in caſtra Lacedæmoniorum effugit, docetque appoſitum illud eſſe ad Eran capiendam tempus. Ergo ſeruum itineris ducem ſecuti Spartani, uia perdifficili per denſiſſimas tenebras, nihil imbre remittente, ad arcem peruenêre, & Era capta, ſecundo bello Meſſenio finẽ impoſuêre. Pauſanias in Meſſenicis.

C. IVL. Cæſar Gallicum quoddam caſtellum oppugnabat: cumque Barbari longo tempore reſtitiſſent, imber procelloſus ingruit, ita ut qui cuſtodiendis tuendiſque mœnibus præerant, cuſtodias & propugnacula relinquerent. Cæſar ſuis mandat, ut ſe armis accingant, eoſque confeſtim ad muros adduxit: ac defendentibus uacuos occupans, facilè ſuperauit, & caſtellum excidit. Polyænus libro octauo.

RELIGIONE VRBES CAPERE.

*Conſule Tit. Superſtitionis, qua tacti urbes non defendunt.*

CLISTHENES oppugnabat Cirrham. Oraculum habebant Cirrhenſes, inuictam urbem fore tantiſper, donec mare ſanctam terrã attingeret, quæ procul à mari diſſita erat, Cirrha ſacram terram attingente, & ad mare porrecta. Cliſthenes oraculo percepto, tum urbem tum regionem Cirrhenſem deo conſecrauit, ut uniuerſa ſancta facta, ſecundùm oraculum mare contingeret. Cùm id feciſſet, ſuperauit, terramq; deo dedicauit. Polyænus libro tertio.

Gaos, qui Perſarum claſſem duxerat in Cyprico bello, à rege Artaxerxe deficiens, ad bellum Perſis inferendum non tam Lacedæmonios, quàm Aegyptiorum regem cohortabatur. Dolo autem à quibuſdam occiſus, uoti ſui compos factus non eſt. Poſt mortem eius Tachos negotio eo ſuſcepto, urbem prope mare in loco quodam ſublimi ędificauit, quam Leucam nominauit, in qua templum fuit Apollini ſacrum. Paulo pòſt mortuo illo, Clazomenij & Cyllиræi de urbis eius poſſeſſione contendere. Et primò quidem bello dirimere litem eam conatæ ſunt: poſtea uerò, quodam admonente, oraculũ conſuluerũt, Vtra ex ciuitatibus iis Leucæ deinceps dominari deberet. Quibus reſpondiſſe oraculum fertur, Hanc Leucæ pręficiendam, quę prior in eo ſacrificaſſet: ſed ex ſuo cuiq; oppido proficiſcendum eſſe ſimul oriente ſole. Die igitur ad id præſcripto, Cumęi quidem uicturos ſe credebãt, eo quòd urbs eorum propior eſſet. CLAZOMENII autem, quia longiùs à loco diſtabãt, tali ad uincendũ dolo uſi ſunt: electis ſorte quibuſdam ex ſe colonis, oppidũ prope Leucam extruxerunt, ex quo ſimul oriente ſole profecti, ſacrificio ſuo Cumæos anteuerterunt. Hoc dolo Leucæ domini facti, nominis eius feſtum quotannis celebrandum inſtituerunt, nominantes id Præuentum. Diodorus libro decimoquinto.

CN. Pompeius Hieroſolyma potitus, templum oppugnabat muniтiſſimum. Erigebant Romani aggerem, ut foſſa completa templi murum machinis quaterent. Verùm Iudæi opus egregiè impediebant, & niſi patrius mos Iudæis fuiſſet, per otium ſeptimum quemque diem exigere, non potuiſſent abſoluere aggerem: prohibere enim uim inferentes lex permittit, ſed opus facientem hoſtem impedire non ſinit. Quod ubi animaduerterunt Romani, ſabbatis neque eminùs inceſſebant telis Iudæos, neque manus cum eis conſerebant: tantùm erigebant aggerem & turres, machinaſque admouebant, ut eis poſtridie aduerſus Iudæos uti poſſent. Sic tandem concuſſa turri maxima, machinis è Tyro aduectis, eaque collapſa, templum tertio menſe captum eſt, die ieiunij, 179. Olymp. C. Antonino, M. Tul. Cic. Coſs. Ioſephus lib.14 cap.8. Dion, Strabo.

VESPASIANVS Iudæos Saturni die (quo eis nefas eſt quicquam ſeriæ rei agere) adortus ſuperauit. Front. lib.2.cap.1.

CAMBYSES, Peluſium oppugnans, cùm Aegyptij fortiter reſiſterent, catapultis in hoſtes tela iacientes obiectis animalibus, quæ Aegyptij tanquam deos colunt, occupauit. Polyænus lib.7.

ARTEMISIA Cariæ regina, cùm Latmum oppugnaret, armatas copias occultauit: ipſa uerò cum eunuchis, mulieribus, tibicinibus ac tympaniſtis in lucum Matris deorum, qui ſeptem ſtadiis ab urbe diſtabat, ſacra peragens, acceſſit. Latmiis autem aduenientibus, & pietatem eius contemplantibus admirantibuſque, ij, qui latebant conſurgentes, urbem inuaſerunt, obtinentes eã fiſtulis ac tympanis, quam armis non poterant obtinere. Polyænus lib.7.

Arcem Vordenſtein principes Brunſuicenſes occuparant, Bremenſi archiepiſcopo ademtam. Præualuerat in eo oppido ſuperſtitio magna. Paſtor quidam Otbertus, uanam ſanctitatis ſpeciem præ ſe ferens, putabatur ſancta reddere quæcunque tangeret. Ingens hominum concurſus fit: felicem ſe reputabat, quiſquis Otberti audire murmura, aut contingere manus ſineretur. Hanc ſuperſtitionem aluit arcis præfectus, ꝙ oblationis nomine multa congererent, qui accurrebãt. Hac occaſione captata miniſtri archiepiſcopi, ſpecie peregrinorum, uiſendi hominis ſancti gratia uenientium, ab arcis cuſtodibus intromiſſi, arcem receperunt, & Otbertum ad ſtiuam redire cõpulerunt. Cranzius lib.7. Metr.c.49.

STVLTA IN DIVERSVM LOCVM abſtractione Vrbes capere.

THEBANI cùm portum Sicyoniorũ nulla ui redigere in poteſtatem ſuam poſſent: nauem ingẽtem armatis compleuerunt, expoſita ſuper merce, ut negociatorum ſpecie fallerẽt. Ab ea deinde parte murorum, quæ longiſſimè remota erat,

apparere paucos diſpoſuerunt: cum quibus è naue quidam egreſſi, inermes, ſimulata rixa, occurrerunt. Sicyoniis ad dirimendum id iurgium aduocatis, Thebanæ naues & portum uacantem & urbem occupauerunt. Front. lib. 3. cap. 2.

DEMOSTHENES, cùm Pylus Laconum præſidio teneretur, nauigauit ad Acram. Lacones Pylo relicto, ad Acram contenderunt, ſperantes ſe iam egrediētes deprehenſuros, cùm uia longa eſſet. Iam appropinquabāt hoſtes Acræ, cùm Demoſthenes reuerſus, Pylum inanem uirorum obtinuit. Polyænus libro tertio.

PERICLES Peloponneſiorum caſtellum oppugnaturus, in quod duo omnino erant acceſſus, alterum foſſa intercluſit, alterum munire inſtituit. Caſtellani ſecuriores ab altera parte facti, eam ſolam, quam muniri uidebant, cuſtodire ceperunt. Pericles præparatis pontibus, iniectiſq; ſuper foſſam, quà non cauebatur, ſubiit caſtellum. Front. lib. 3. cap. 9.

IDEM, Athenienſium dux, cùm oppugnaret quandam ciuitatē, magno conſenſu defendentiū tutam, nocte ab ea parte murorū quæ mari adiacebat, claſſicū cani, clamoremq; attolli iuſſit. Hoſtes penetrari illac in oppidum rati, reliquerūt portas, per quas Pericles deſtitutas præſidio irrupit. Idem.

ALCIBIADES, dux Athenienſium, Cyzicum oppugnandi cauſa nocte improuiſus acceſſit, & ex diuerſa parte mœnium cornicines canere iuſſit. Sufficere propugnationi murorum poterant ad id latus, à quo ſolo ſe tentari putabant. Verùm cùm feſtinarēt, quà non obſidebantur, muros tranſcendit. Idem.

THRASYBVLVS, dux Mileſiorum, ut portum Sicyoniorum occuparet, à terra ſubinde oppidanos tentauit: & illò quò laceſſebantur conuerſis hoſtibus, claſſe inexpectata portū cepit. Idem.

IPHICRATES, noctu locum quendam affectans, tubicines in diuerſas partes dimiſſos, claſſicum iuſſit canere. Hoſtibus ad ſonitum tubarum aliis aliò diſcurrentibus, ille paucis qui relicti fuerant interfectis, facilè loco potitus eſt. Polyænus libro tertio.

PHILIPPVS, in obſidione cuiuſdam maritimæ urbis, binas naues procul à conſpectu contabulauit, ſuperſtruxitq; eis turres. Aliis deinde turribus adortus à terra, domibus propugnatores diſtrinxit, turritas naues à mari applicuit, & quà non reſiſtebatur, ſubiit muros. Front. lib. 3. cap. 9.

ALEXANDER Thebas cepit, maxima copiarum occultata parte, quibus Antipatrum ducem præfecit. Ipſe apertè duxit ad loca munitiora. Thebani aduerſus Alexandrum non inſtrenuè pugnabant. Antipater in medio prælio circumueniens mœnia, qua maximè erant infima, ciuitatem occupauit, ſignumq; ſuſtulit. Thebani in fugam ſeſe coniecerunt. Polyænus libro quarto.

DEMETRIVS noctu Corinthum proditam ingrediebatur, proditoribus portas ad Coryphen patefacientibus. Metuēs autem, ne, qui erant in urbe, ex inſidiis irruptionem facerēt, abſtraxit eos, multaſq; copias portis ad Lechæum adduxit. Quæ cùm ingentem clamorem tollerent, Corinthij ad uociferationem uniuerſi concurrebant. Interim proditores apertis portis ad Coryphen, hoſtes receperunt. Idem.

ANTIOCHVS aduerſus Epheſios, Rhodiis, quos in auxilio habebat, præcepit, ut nocte portum cum magno ſtrepitu inuaderent: ad quam partem omni multitudine cum tumultu decurrente, nudatis defenſore reliquis partibus, ipſe aggreſſus ex aduerſo, ciuitatem cepit. Front. lib. 3. cap. 9.

AMILCAR in Libya urbem capere nitebatur, ad quam duæ uiæ difficiles & arduæ ferebant. Eas Libyes impoſitis præſidiis cuſtodiebant. Amilcar transfugam ad eos miſit, qui diceret hoſtes alteram uiam eſſe munituros aggere, ut eſſet ad ingrediendum idonea: alteram obſepturos, ne ab hoſtibus per eam uenientibus includerentur. Hæc fieri hoſtes conſpicati, & fidelem transfugam exiſtimātes, ad eam uiam quę muniebatur, concurſum fecerunt, ut hoſtium conatum & opus impedirent. At ille noctu, præparatis ad eam rem lignis, auerſam uiam ponte conſtrauit: per eumque copiis adductis dum hoſtes alteram ſumma cura tuerentur, urbem cepit. Polyænus lib. 5.

HANNIBAL, cùm obſideret ciuitatem Himeram, caſtra ſua capi de induſtria paſſus eſt, iuſſis recedere Pœnis, tanquam præualeret hoſtis. Quo euentu Himeræis ita deceptis, ut gaudio impulſi relicta urbe procurrerent ad Punicum uallum, Hannibal uacuam urbem per eos, quos in inſidiis ad hanc ipſam occaſionem poſuerat, cepit. Frontinus.

Q. FABIVS Max. Tarenti per proditionem recipiendi ratione inita, ut Hannibalē interea diſtineret, mandauit per literas militibus, qui Rhegij in præſidio erant, ut Brutiorum agrum depopularentur, & Calauniam obſiderent, ſummaq; ui oppugnarent. Erant octo millia hominum, perſugæ magna ex parte, & eorum, qui deportati ex Sicilia à Marcello fuerant ignominioſa militia notati, ignauiſſimi: quorum iactura minimè luctuoſa uel damnoſa Reipub. foret. Exiſtimauit enim hanc obiectam ſicut eſcam, à Tarento Annibalem, id quod euenit, abſtracturam. Quippe ſtatim captans eam Annibal, mouit eò cum copiis. Et ſexto die quàm obſidere Tarentum cœperat, noctu occupauit, hoc modo. Habebant Tarentini Brutiorum præſidium in urbe, cuius præfectus perditè amabat indigenam puellam, eratque puellæ frater in Fabianis caſtris. Qui à ſorore per literas factus certior de ſuo cum nobiliſſimo Brutiorum congreſſu, permiſſu conſulis ille pro perfuga in urbem tranſiit, ibiq; per ſororem præfecto inſinuatus, quum tempeſtiuo alloquio, tum ſororis illecebris eò hominem perpulit, ut de urbe conſuli tradenda nuncium in caſtra miſerit. Fabius ſilentio noctis cum parte copiarum haud procul ab ea murorū parte, quā Brutij præſidio obtinebant, quietus conſtitit: inde ab arce & à portu ex compoſito nocturnus eſt clamor ſublatus, uelut ea parte Romanus eſſet impetum facturus. Multitudine in eum tumultum auerſa, Romanus miles ſcalis diuerſa regione admotis, Brutiorum auxilio in urbē tranſcendit. Hannibal audita Tarenti expugnatione perculſus animo dixiſſe fertur, Habent & Romani ſuum Hannibalem. Amiſimus Tarentum ea arte qua cepimus. Sabell. lib. 4. Enn. 5. & Plutarch. in Fabio, & Liuius lib. 7. Decadis 3.

TOTILAS, Gothorum rex, Romam ſecundò obſidens, Iſaurorum militum, qui ad Capenam portam excubabant, proditione, huiuſcemodi dolum molitus eſt. Tiberim prima noctis uigilia naues duas longas immiſit, hiſq; uiros acres impoſuit, monitos, ut aduerſo flumine nauigarēt, & ubi quàm proximè muros ueniſſent, quanta ui poſſent, clangorē buccinis ederent. Ipſe interea hoſtem fruſtratus, ad portam Capenam paratum exercitum duxit, atq; alios in inſidiis collocauit, ad eos, qui noctis tenebris tuti euaderent, capiendos, quos iuſſit interfici. Qui in nauibus erant, poſtquam muro appropinquarunt, tubis canere cœperunt. Cuius rei nouitate Romani attoniti, & metu periculi maioris exterriti, temerè cuſtodiis relictis, omnes eò cōuolauere, eam muri partem ab hoſtibus inuadi arbitrati. Soli Iſauri in ſua ſtatione manſere, atq; hoſtibus portas aperuere. Sab. lib. 4. En. 8. & Sigonius lib. 19. Imp. occid. ex Procopio.

PAVLVS Exarchus ope Venetorum recipiendæ Rauennæ cōſilio capto, quaſi à Venetis repulſus, aliquot contractis copiis Imolam acceſſit, & quaſi eam urbē premere oppugnatione uellet, ibi exercitum quàm maximum potuit comparauit: ac die cum Venetis cōpoſita, caſtris inde Rauennam uerſus motis, urbem à terra repente inuaſit. Pridie uerò Veneti cùm ſimulata in Orientem nauigatione euecti è portu eſſent, nondum orto Sole in anchoris conſtiterunt, atque eadem propè, qua Paulus, hora claſſe ad litus appulſa, nauales urbi milites admouerunt. Dum ad muros pugnatur, Veneti porta, quę ad mare uergebat, effracta urbem intrarunt. Sigonius lib. 2. regni Ital.

KENNETHVS, Scotorum rex, Camelodunū, regiam Pictorum obſidebat. Picti extrema ſibi inſtare ſcientes, pertinaciter repugnabant. Scotus D C milites, in proxima ſylua latentes, dum ipſe manè urbem aggreditur, auerſa parte adoriri iuſſit. Et ſic urbe potitus eſt. H. Boëthius lib. 10.

HENRICVS Bauariæ dux, Lothario Imp. Innocētium II. Pp. reducente, Beneuentum Rogerio Siciliæ regis parens oppugnabat. Rogeriani milites ad triginta millia ſeſe ex oppido effudere, copiamq; pugnæ fecere: neq; Henricus præliū detrectauit. Signis collatis cùm Henricus Germanos in prima acie ſtantes, terga dare animaduerteret, reliquis imperat, ut traiecto amne collem, in quo ſitum eſt oppidum, occupent, urbemq; à porta Aurea adoriantur. Id ubi fieri uidere Beneuentani, actum de uictoria rati, ſtatim è pugna ſe ſubduxēre, & fuga ſibi præſidium parauēre. Quos Germani inſequuti, urbem ſimul cum eis effuſo agmine introiēre. Beneuentum receptum Innocentio eſt conceſſum. Henricus Campania in ditionem adducta, uictorem inde in Apuliam exercitum introduxit. Sigonius lib. 11. regni Italici.

### NECESSARIA IN DIVERSVM locum abſtractione.

HADINGVS, Danorum rex, Handuanum Helleſpōti regem in Duna urbe obſidens, diuerſi generis aues, loci illius domiciliis aſſuetas, capi iuſſit, earumq; pennis accenſos igne fungos ſuffigi curauit. Illæ propria nidorum hoſpitia repetentes, urbē incendio cōpleuerunt. Cuius extinguendi gratia concurrentibus oppidanis, uacuas defenſoribus portas reliquerūt. Itaq; Handuanum cepit, eiq; redemtionis nomine corpus ſuum auro rependendi poteſtatem fecit. Saxo l. 1.

FRIDLEVVS, Danorum rex, dum Dufflinum Hybernię oppidum obſideret, murorumq; firmitate expugnationis facultatem negari conſpiceret: hirundinum alis incluſum fungis ignem affigi præcepit: quibus propria nidificatione receptis, ſubitò flammis tecta luxerunt. Oppidanis concurrentibus, maioremq; ſopiendi ignis, quàm cauendi hoſtis curā præſtantibus, Dufflino potitur. Saxo libro quarto.



GEORGIVS Poggiebrachius, bellicis artibus clarus, ab Huſſitis Boëmis dux creatus, occupandæ Pragæ cōſilium iniit. Coniurati incendium in parte urbis admodum remota excitant, concurritur ad reſtinguendum ignem. Interea Georgius ex aduerſa parte cū copiis muros inuadit: proditores portas aperiunt: trucidantur paſſim reſiſtentes. Mainardus gubernator regni in eo tumultu captus, in carcerem coniectus, ibi tandē obiit, ſiue tædio diutini carceris, ſiue hauſto ueneno. Ex illo tempore Praga in poteſtate Georgij fuit, quoad mortuo Ladiſlao rex creatus eſt. Aeneas Syluius capite 58. hiſtoriæ Boëmorum.

### TEMERARIA EVOCATIONE VRBES OCCVPARE.

IOSVA, Haim urbem munitiſſimam Amorræorum ſic cepit. Noctu quinq; millia ab occidente in inſidiis collocat. Ipſe manè à ſeptentrione caſtra locat, in media ualle. Haienſes eruptione facta, Iſraëlitas dedita opera fugiētes perſequuntur, apertis portis relictis. Qui in inſidiis erant, urbem intrant, & incendunt. Mox conuerſi in Haienſes, eos utrinque concluſos ad internecionem ceciderunt. Ioſua cap. 8.

ISRAELITÆ, cùm duobus præliis 40. millia ſuorum contra Beniamitas amiſiſſent: conſulto Domino, inſidias circa urbem Gabaam poſuēre. Inde explicata acie aggreſſi, perſequentibus eos fugam ſimulantes Beniamitis, urbem præſidio deſtitutam qui ex inſidiis erant cepēre. Iud. 21.

POLYDORVS, Lacedæmoniis aduerſus Meſſenios uiginti annos bellum gerentibus, ſimultatem erga Theopompum alterius familiæ regem ſimulans, transfugā miſit, qui Meſſeniis nunciaret, inimicitiis ſeditione Spartanos laborare. Meſſeniis rem obſeruantibus, Theopompus caſtra mouit, & non procul inde copias occultauit. Hæc uidentes Meſſenij, Polydoro ſpreto confertim egredientes ex urbe, prælium inierunt. Theopompus ſignum edentibus ſpeculatoribus, ex inſidiis circumducens, urbem inanem ac uacuam cepit. Polyæn. lib. 1.

SOLON, cùm de recuperanda Salamine auctor fuiſſet Athenienſibus, ad Coliadem templum nauigauit cum Piſiſtrato. Ibi cùm omnes feminas offendiſſet ſolennia ſacra Cereri facientes, hominem fidum transfugæ ſpecie miſit Salaminā, qui moneret, ſi primarias Athenienſes matronas redigere cuperent in poteſtatē ſuam, ſecum ut quàm ocyſſimè nauigarent ad Coliada. Poſtquam pellecti Megarenſes uiros aliquot naui impoſitos miſerunt, ac Solon eam aduertit ex inſula aduehi: imperauit ut mulieres faceſcerent: adoleſcentes autem adhuc imberbes earum ſtolis, mitris, & calceis ornati, pugionibuſq; ſub ueſte abditis muniti luſitarent & ſaltarent in litore, dum hoſtis deſcendiſſet, & nauem ipſi haberent oportunam. Dum hæc ad eum modum aguntur: Megarenſes ea falſi ſpecie, cùm propè applicuiſſent, effuderūt certatim ſe, uelut feminas capturi. Ita nemo effugit, ſed occubuerunt omnes: & profecti Athenienſes in inſulam, ilicò ſunt ea potiti. Plut. in Solone.

CHARES dux Athenienſium, ciuitatem aggreſſurus litori appoſitam, poſt quædam promontoria occultè habita claſſe, è nauibus ueločiſſimam præter hoſtilia præſidia ire iuſſit. Qua uiſa, cùm omnia nauigia, quæ pro cuſtodia portus agebātur, ad perſequendam euolaſſent: Chares indefenſum portum cum reliqua claſſe inuectus, etiam ciuitatem occupauit. Frontinus lib. 3. cap. 10.

CIMON dux Athenienſium in Caria inſidiatus cuidam ciuitati, religioſum incolis templum Dianæ, lucumq; qui extra muros erat, noctu improuiſus incendit: effuſiſq; oppidanis ad opem aduerſus ignes ferendam, uacuam defenſoribus cepit urbem. Front. lib. 3. cap. 2.

GYLIPPVS ut præoccupatum ab Athenienſibus collem reciperet, ex multis triremibus implens uiginti, crebras exercitationes obibat. Conſcriptis ſupplementis, noctu eas in pelagus dimiſit, imperans, ut oriente die adnauigarent. Cùm hoſtes adnauigantes cernerent, contrà ſoluerunt. Illis uerò in fugam conuerſis, ſummo ſtudio Athenieſes inſequebantur. At Gylippus, reliquis nauibus impletis, ſoluebat. Interea temporis Athenienſibus in nauali certamine occupatis, pedites Gylippi inſtructa acie, deiectis Athenienſium cuſtodibus, nullo negotio collem obtinuerunt. Polyæn. lib. 1.

CHABRIAS Athenienſis, cùm adire portum Samiorum obſtante nauali hoſtium præſidio non poſſet, paucas è ſuis nauibus præter portum miſſas, iuſſit tranſire: arbitratus eos, qui in ſtatione erant, proſecuturos. Hiſq; per hoc conſilium euocatis, nullo obſtante, portum cum reliqua adeptus eſt claſſe. Frontinus lib. 1. cap. 4.

DIOGNETVS Athenienſis ciuitatem quandam capere uolens, clàm ſub noctem expoſitis militibus, inſidiiſque collocatis, interdiu palàm ipſe naues adpulit. Ciues undique prouentes, ex urbe ad naues decurrebant. Qui in inſidiis latebant, in urbem impetum faciunt, eamque ſine labore occupant. Diognetus adnauigans & appellens, expoſitis his, qui in nauibus erant, eos qui ad defendendum excurrerant domuit. Polyænus lib. 5.

NICIAS, Athenienſium prætor in Sicilia, claſſe Syracuſas inuaſurus, miſit perfugæ ſpecie certum hominem ex Catana, qui nunciaret Syracuſanis, ſi capere uacua militibus caſtra atque Athenienſium arma uellent, ut ſtata die Catanæ cum omnibus copiis adeſſent: & quia agerent ferè Athenienſes in oppido, ſtatuiſſe Syracuſanorum amicos, ubi aduentum eorum intellexiſſent, ſimul portus occupare, & claſſem incendere. Multos iam conſpiraſſe, atque illorum operiri acceſſum. Id unum ille in Sicilia rectè geſſit: quippe uires omnes elicuit hoſtium, deſolataq; penè uiris urbe, ſoluit ex Catana, potituſque eſt portubus, & locum cepit caſtris. Plut. in Nicia. Front. lib. 3. cap. 6. hoc aſtu occupatas ab Alcibiade Syracuſas ſcribit, memoria lapſus.

ROMVLVS ab urbe Fidenatum, circiter decem ſtadiis, caſtra fixit. Per noctem è uallo copias eduxit, dimidiiſque manipulis ad frontem explicatis, reliquos rectis ordinibus collocauit, & ducibus ſeorſim præcepit, quid fieri uellet. Ipſe paucos expeditos bipennibus armatos ducens, ad mœnia acceſſit, reliquis copiis in propinquo inſidias agere iuſſis. Aurora iam ſublucente, portas bipennibus effringere iuſſit. Fidenatibus improuiſa audacia perturbatis, portaſque aperientibus, & in hoſtes irruentibus nullo ordine, Romani paulatim retroceſſerunt. Fidenates eos, qui in fronte conſiſtebant uidentes, poſteriores non conſpicati, contemtis iis qui uidebantur, uehementer urgebant, eos ſe facilè uincere poſſe exiſtimantes. Cùm longiùs proceſſiſſent, duces rectos manipulos poſt eos, qui in fronte ſtabant collocarunt, eoſque unà ſedere iuſſerunt, ne ab hoſtibus conſpicerentur. His factis, qui in fronte erant tergiuerſantes, circumibant manipulos in profundum explicatos, & perſequentibus ex aduerſo obuiam ueniebant. Qui autem latebant cōſurgētes, cum uociferatione & tumultu in hoſtes inuadūt, perſequendo defatigatos, cumque his manus conſerunt: & qui fugere uidebantur, Fidenates in fugam conuerſos occidunt, eorumque urbe potiuntur. Polyænus libro octauo, & Frontinus libro ſecundo, capite 5.

L. CORNELIVS Coſ. complura Sardiniæ cepit oppida, dum fortiſſimas partes copiarum noctu exponit, quibus præcipiebat ut deliteſcerent; operirenturque tempus, quo ipſe appelleret: Occurrentibus deinde aduentanti hoſtibus, & ab ipſo per ſimulationem fugæ longiùs ad perſequendum auocatis, illi in relictas ab eis urbes impetum facerēt. Frontinus lib. 3. cap. 9.

P. SCIPIO, Hannibale in Africam reuerſo, cùm plura oppida, firmis præſidiis obtinerentur, ſubinde aliquam manum ſubmittebat ad infeſtanda ea, nouiſſimè etiam tanquam direpturus ciuitates aderat: deinde ſimulato metu refugiebat. Hannibal ratus ueram eſſe eius trepidationem, deductis undiq; præſidiis, tanquam de ſumma rerum dimicaturus, inſequi cepit. Ita conſecutus Scipio quod petierat, nudatas propugnatoribus urbes, per Maſiniſſam & Numidas cepit. Frontinus lib. 3. cap. 6.

L. SCIPIO, in Sardinia cuiuſdam ciuitatis per tumultum relicta oppugnatione, quam inſtruxerat, ſpeciem fugientis finxit: inſecutiſque temerè oppidanis, per eos, quos in proximo occultauerat, oppidum inuaſit. Frōtinus libro tertio, capite decimo.

M. CATO in conſpectu Lacetanorum, quos obſidebat, reliquis ſuorum ſubmotis, Sueſſanos quoſdā ex auxiliaribus, maximè imbelles, aggredi mœnia iuſſit. Hos cùm facta eruptione Lacetani facilè auertiſſent, & fugientes auidè inſequuti eſſent, illis, quas occultauerat, cohortibus oppidum cepit. Frontinus lib 3 cap. 10.

### TIMORE HOSTIBVS INIECTO Vrbes occupare. Metu ſcilicet

### CVNICVLORVM.

PHILIPPVS Demetrij filius, Rhodiorū urbem in Piræa Parnaſſum oppugnabat. Muros inſigni firmitudine præditos ſtatuit ſuffodere. Cùm autem inter ſuffodiendum ſolidiſſima petra ſe offerret, & foſſoriis inſtrumentis nequaquam cederet: Philippus interdiu ad foſſionem iuſſit deſcendere. Eos uerò qui opus faciebant, etiam tegumentis extenſis occultabat, ut putaretur uelle eos occultare. Hæc aūt omnia manifeſtò hoſtes intuebātur, ut nullo modo eos clàm eſſe poſſent. Noctu uerò imperauit, ut milites à ſtadiis octo ſeu decē ex profundo quodam ſpecu puluerem adferrēt, & pro fauce foſſionū coniicerent. Multo autē puluere aceruatim excitato interdiu, qui muros defenſabant, idipſum cōſpicati, ciuitatē infernè ſuffoſſam eſſe crediderunt. Is metus eos impulit, ut urbem Philippo dederent. Poſtea uerò cognito dolo

dolo, multis lacrymis ſuam amentiam deplorauerunt. Polyæn. lib. 4. Front. lib. 3. cap. 8. Triaſſum Caſtellum habet.

Anno Chriſti 1285. AEGYPTII Marmem urbem Phœnicum, defendentibus Hoſpitalariis, obſederunt, oppugnaruntq;. Armis, apertaq; ui capere non poterant: cuniculis ſuffodêre tam uaſtis ſpecubus, ut tota urbs penſilis eſſet, ruituraq; mox uideretur. Cuius rei ignari, clauſi muris ſe tutabantur. Hoſtis ultrò excluit: ac fide data oppidanorum aliquem prodire, & rē ad ſuos deferre iuſſit. Cognito certo periculo, urbem dediderunt, pacti, ut emigrarent. Aemil. lib. 8.

CAROLVS primus Neapolitanorum rex, aſtutè Matronium arcē munitiſſimā Piſanis ademit, ac Florentino populo tradidit. Nam cū impeditiſſimis paludibus circūſepta, adiri nō poſſet: finxit, ſe per cuniculos, quos effodere cœperat, ad arcis muros penetrare uelle. Et ut rei fidē faceret, à locis, quæ effodiebat, rudera tanquam diruti muri aliunde illuc aduecta, ut deductæ ex cuniculis materiæ ſpeciem præberent, in tumulo, ut ſpectari à longè poſſent, collocabat. Ea re, qui in arcis præſidio erant rudes homines, ignorantes, quòd paludibus ad arcem appropinquare Carolus prohiberetur, ceu iam eò penetraſſet, attoniti, quibus uoluit Carolus conditionibus, deditionem fecerunt. Fulg. lib. 7. cap. 4.

RICIVS impiger dux, cùm in agro Sorano, uicoq; Albo arcē natura & manu munitam obſediſſet: magnam uim lapidū ſub ipſius rupem noctu à militibus comportādam curauit. Interdiu interſtrepi feſtinariq; iuſſit, æquè ac magna manus effodiendo cuniculo occupata eſſet. Idem inſequēte etiam nocte faciendū curauit. Vbi uerò dies alter illuxit, magnis ſublatis clamoribus, omnem lapidum uim præcipitari per rupem imperauit: & ſic, incuſſa formidine aduerſariis, arcē occupauit. Pontanus lib. 1. cap. 10. de bellica Fortitudine.

### INCENDII.

RVSTICI Septentrionales in arcibus præfectorum crudeliū expugnandis, deſtituti machinis, hoc utuntur compendio. Faſces uirentes pice illitas, betulino cortice intermixto, in ſtruem altam turris inſtar congerunt, quam Veltam uocāt, centum uirorum uiribus promouendam, ſua denſitate tormenta omnia ſuſtinentem. Eam uento oportuno ingruente accendunt, & arcibus admouent. Flammarum itaq; globi in arcem delati, ad deditionem hoſtes cogunt, uel certè miſera morte interimunt. Olaus lib. 7. cap. 18.

### DESPERATI AVXILII.

CHRISTIANI, obſeſſa Ptolemaide, tabellariam columbam à Sultano obſeſſis miſſam, ſpe auxiliorum, interceperunt: & alias literas, quæ urbem dedere iuberent, effinxerunt, colūbamque dimiſerunt. Mox ciuitas Chriſtianis tradita eſt. Sabellicus lib. 6. cap. 6.

S. Deſiderij oppidum munitiſſimum Sanſerrius Gallus, cùm grauiſſ. oppugnationem diu pertuliſſet: FERD. Gonzagæ Caroli Cæſaris polemarcho dedidit, falſis deceptus literis Claudij Guiſij, quas Granuellius confecerat, & exemto ceræ ſigillo ex ueteribus Guiſij literis, uſqueadeò arguta falſarij manu exarârat, ut pro ueris agnoſcerentur. His ſiquidē literis Guiſius Sanſerrio reſpondere fingebatur, tanquā intempeſtiuè ferri ſibi opem poſtulanti, regem graui de cauſa alienum eſſe à cogitatione ferendæ opis: ne ſeſe, & liberos fortunaſq; omnes regni in unius pugnæ non neceſſarium diſcrimen adduceret. Proinde ipſum ſi urgeretur actiùs, nō indecorè facturum, ſi ſeſe atq; præſidium honeſta pactione conſeruandum exiſtimaret. Quibus literis à Gallo lixa præſenti pecunia corrupto in oppidum delatis, qui eas calceo inſutas ad ſimulandam periculi diligentiam afferebat, & in coronā à Sanſerrio perlectis, nemo militum fuit, qui à deditione diſſentiret. Sab. ſupplem. lib. 27. ex Iouio.

ALFONSVS Vaſtius Caroli V. nomine Monteuicum urbem Gallorum ſubalpinam fruſtra oppugnās, dolo cepit. Implorabat opem Carolus Droſius præfectus per literas à Buterio, qui ſummum rei gallicæ imperium apud urbem Taurinum obtinebat. Quibus interceptis, Vaſtius literas Buterij nomine, Gallica cōſcriptas lingua effingit, quibus gemmę eiuſdem ſigillum apponit, exemtum ex ueteribus literis: ut ſibi conſuleret, neque opem expectaret, quoniam rex Belgico bello occupatus, ſupplementa cohortium in Italiam ſubmittenda non putaret. Has literas Vaſtius reſignatas, tanquam ab ſe interceptas, Droſio mittit, hortaturque ut pertinaciæ finem faciat, ſe enim deditionem extemplò facienti ea omnia integra fide, quæ honeſta conditione tribui poſſent, conceſſurum. Droſius Buterij ſignum agnoſcens, multumque in Vaſtij hoſtis clementi ingenio reponens, deditionem fecit. Sabell. ſupplem. lib. 27.

### INIQVÆ CONDITIONIS.

FERDINANDVS II. Aragonius, in regnū Neapolitanum, quo ab Carolo VIII. Galliæ rege erat pulſus, receptus: ſupra cladem fuſi cæſiq; ad Sylarim amnem exercitus, ingenti ſuſpenſus cura magnoperè timebat, ne eius acceptæ cladis fama uictoriſq; ſimul exercitus aduentus, Gallis in Citadella arce Neapolitana obſeſſis, & iam de deditione uerba facientibus, animos adderet. Ob id omnem adeò urgētis metus diſſimulationem compoſitus, quod maturè facto opus erat, Mompenſerio arcis præfecto earum rerum penitùs ignaro denunciauit, ſi intra præſentis diei ſpacium, in eas quas obtuliſſet, conditiones de dedendis arcibus ex æquo paciſceretur, ſe cuncta, quæ obſignatis tabulis promitteret, regia fide præſtiturum. Porrò ſi ad extrahendum tēpus impudenter eludendo fallacibus colloquiis uteretur, nullam Gallos poſtea impetrandæ ueniæ facultatē habituros. Obſidibus datis, ſtatuitur colloquio locus in Aragonia trireme. Erant ſuſpenſi omnium animi expectatione tātæ rei: ipſeq; ante alios Ferdinandus maximis incertæ mentis fluctibus agitabatur, ut qui nec rem maximæ ſpei, feſtinatione ſua impedire ac conturbare uellet, nec ullam moram animus inquies omnino pateretur: quum Gallica caſtra non procul abeſſe putaret, eorumq; fremitum auribus propè percipere uideretur. Moræ impatiens, Franciſcum Capuanum aſtuto ingenio iuuenem ſcaphæ impoſitum ad ſuos duces mittit, ut regio nomine Proſperum Columnam ac cæteros coarguat, quòd ſe inanibus uerbis ac ambagibus diſtineri, ac longiùs abduci paterentur: ſimulq; imperet, niſi Galli intra horæ ſpacium de deditione pepigerint, tabuliſq; ſubſcripſerint, uti eos confeſtim abire iubeant, iiſq; omni ſpe uel colloquij, uel pacis in poſterum ſublata, perpetuò cuncta hoſtilia, & quàm maximè ſæua denunciēt. Quibus auditis Galli fortunæ ſuæ prorſus ignari, quum quiſq; de propria ſalute ſollicitus calamitoſum diuturnæ obſidionis exitū demiſſo animo formidaret, in has cōditiones de dedendis arcibus pepigerunt: ut intra certum diem, arces omnino dederent: ipſiq; per id tempus quotidianis cibariis impenſo precio iuuarentur. Interea datis decem obſidibus, quos Ferdinandus deligeret, terra ac mari manerēt induciæ, ne ullum omnino telum utrinq; mitteretur. Iouius lib. 3. Hiſtor.

### VVLNERVM.

BELISARIVS Iuſtiniani dux Siciliam ſubigebat. Panormus, quòd munitione, præſidioq; ualido teneretur, difficiliorem habuit expugnationem: ad extremum tamen & ipſa egregio ducis cōſilio uenit in ditionem. Nam claſſe intra portū inuecta, & muro à parte maris, qui propugnatoribus erat uacuus, oppugnato, cùm, iactis anchoris, naues firmaſſet, ſagittarios ad malorum faſtigium ſuſtulit, qui altitudine ſua urbis propugnacula ſuperabant. unde ex alto hoſtes ſagittis undiq; icti, atq; languidiores & timidiores deſperatione tuendæ urbis effecti, urbem, nulla mora interpoſita, dediderunt. Ita inſula breui in poteſtatem Iuſtiniani conceſſit. Sigonius lib. 17. Imp. occid.

### DAMNI, LÆSIONIS SVORVM.

CAROLVS Magnus Budam ueterē: quā Sicambriam priùs appellabant, ubi erat aula Chabæ regis Hungarorum, oppugnans à Danubio nauibus, ab altera parte aciem inſtruxit ex Hungaris iam captis. Cùm autem oppidani in ſuos uererentur tela mittere: Franci propiùs ad muros accedentes, & conſcendentes urbem cepêre. Chabas in uincula coniectus, ſibi mortem conſciuit. Regino lib. 2. Bonfinius lib. 9. Decadis 1.

## CASTRIS HOSTEM EXVERE.

THERON cum Chalcedonenſibus pugnabat. Hoſtibus autem terga uertentibus, Siculi irruentes in caſtra, quaſi direpturi tabernacula, ſuperuenientibus Iberis interfecti ſunt. Theron cùm magnam ſtragem uideret, miſit qui circumirent, præcipiens, ut à tergo ignem in tabernacula coniicerent. Magna uerò oriente flamma, hoſtes non habentes tabernacula, ad naues confugerunt. Quos Siculi perſecuti, plurimos ad ipſas naues morti dederunt. Polyæn. lib. 1.

DIEPHONTES cōſtituit cum Dorienſibus, ut Argiuos prouocarent ad pugnam. Ipſe uerò conſcenſis nauibus, ad collem quendam appulit, in quo ſpeculator conſtitutus nunciabat: Dorienſes prædam agunt. Argiui relictis caſtris, aduerſus eos egrediuntur. Diephontes cum ſociis è nauibus excurrentes, caſtra uacua & inania capiunt: Argiui parentibus, liberis & coniugibus captis, ut illos & regionem ſeruarent, urbes Dorienſibus tradiderunt. Polyæn. lib. 2.

Dictator tertiùm CAMILLVS dictus, nunciato legiones cum tribunis militum à Latinis & Volſcis obſideri, delectū habere nō iuniorum ſolùm, ſed maiorum natu quoq; coactus eſt: ac longo flexu Martium montē exercitu circumducto, caſtra à tergo hoſtiū clâm eſt metatus. Multis inde accēſis ignib. ſignificauit aduentū ſuū. Ea re cōfirmati, q obſidebātur, inuadere hoſtē & manus cōferre adoriūtur. Latini & Volſci recipiūt ſe intra uallū, cum multa materia ſepiunt, castraq;



caſtraq; undiq; muniunt ancipiti ab hoſtibus trepidatione: certi alteras copias ab domos expectare, ſimulq; auxilia reſpicientes Hetruſcorum. Hoc Camillus animaduerſo: ueritus, ne quod ipſe fecerat, qui hoſtes cinxerat, in ſe uerteret, præripere maturat occaſionem. Erat ſepes, qua ſe muniērant, lignea, & uis magna uenti deferebatur à montib. ſimul atq; dilucēſceret. Igitur multo igno parato, copias ſummo mane eductas diſtribuit, ut alij in hoſtem miſſilia iacularentur, & magnum clamorem ex altera parte tollerent: alios, qui flammam iniecturi erāt, qua potiſſimùm incumbere in uallum hoſtium ſolebat uentus, ducens, horam operiebatur. Vbi iam cōmiſſa pugna ſol exortus eſt, & increbuit uentus: ſigno aggrediendi dato, grandinem telorum ignitorū ingeſſit uallo. Flamma ut materiam contextam, & uallum illico amplexa, ligneum in proxima ſe undiq; diſſipauit: Latini qui nihil haberent ad manum; quo arcerent, reſtinguerentq; incendium, cùm tota caſtra iam depaſceretur ignis, anguſto conglobati loco, in armatos & inſtructos pro uallo hoſtes compulſi ſunt effundere ſe. Pauci horum euaſere. Qui in caſtris reſtiterunt, flamma omnes abſumti, dum igni reſtincto prædam Romani diripuerunt. Plut. in Camillo.

TARQVINIVS Rom. rex, bello Sabino priuſquam cum hoſte confligeret, arte aliqua opus eſſe ratus, ut hoſtem, quod numero militum erat inferior, ingenio ſuperaret, ad terrorem illi incutiendum, ingentem ui lignorum incenſam, ſecūdo fluuio, paulo ante lucem in ſcaphis & ratibus ad hunc uſum quæſitis dimiſit. Quæ ſublicis eius pontis impactæ, quem Sabini à tergo habebant, ut commeatum ex pacato acciperent, confeſtim ſuperimpoſitas phalangas corripuit. Miraculo fuit primò ante lucana illa flamma Sabinis. Mox ubi pontem deflagrare animaduerterūt, multi ex proximis caſtris ad reſtinguendum ignem temerè decurrunt. Inuaſit illicò Romanus ſtructa acie hoſtium uallum haud uno loco, ut qui in aduerſa erant caſtrorum parte, ſubita oppugnatione occupati, lateri, quod erat in flumē obuerſum, quodque magna fuit ex parte militibus nudatum, ob concurſum ad amnem factum opitulari nequirēt. Modico igitur negotio Tarquinius caſtris eſt potiùs, cædes & conſternatio ingens ſecuta, multi metu in flumen temerè ruētes, aquarum impetu ſuperati perierunt. Sab. lib. 4. En. 2.

Sæpe in quib. locis hoſtes caſtrametati fuerant, inibi Romani exercitus, eadem caſtra operibus ſepta habuere, tunc præcipuè, quū hoſtium ueſtigiis inhærendo, illos haud facilè aſſequi poterant. Quod ne fieret, ſalubri cōſilio prouiſum fuit, ut abituri MILITES uetera tabernacula & munitiones incendant, ne quando illa hoſtium receptus forent. Alexand. libro primo, capite 12.

P. SCIPIO Africanus, cùm aduerſus eum in Africa Aſdrubal & Syphax ingētes exercitus duxiſſent, ſub prætextu tractandæ pacis, ſæpiùs ad Syphacis caſtra oratores mittendo, pro ſeruis tribunos cum eis delegebat, ut Syphacis caſtra, atque eorum formā diligentiùs ſpecularentur. Quæ poſteaquam ut erant ſatis intellexit, Vticā ſe proficiſci ſimulans, noctè clàm in inſidiis aliquot cohortib. inter duo caſtra poſitis, curauit, ut ignis in Syphacis caſtris clàm iniiceretur. In quibus, quoniam tabernacula ſtramentis, frondibus atq; cānis confecta erant, quæ nimiis calorib. in ea regione facilè aruerant, paruo temporis ſpacio, incendiū caſtra penè tota peruaſit. Barbari autem cùm arbitrarentur non dolo, ſed fortè excitatum eſſe incendium, inordinatim inermeſq; ad extinguendum ignem concurrebant. Quo tempore adortus eos Scipio, in tanta perturbatione facilè deleuit. Ex aliis quoq; caſtris, Afri, qui conſpecto igne auditoq; clamore ad opem ferendam armati inermeſq; aduolabant, cùm in eos inciderent, quos inter utraq; caſtra Scipio in inſidiis poſuerat, aut occidebantur aut capiebantur. Et hoc aſtu duos Scipio prępotentes exercitus nocturno incendio deleuit. Fulg. lib. 7. cap. 4. & Sab. lib. 6. cap. 6. ex Plut. Scipione.

L. METELLVS in Hiſpania citeriore, in caſtra hoſtium in humili loco poſita, fluuium ex ſuperiore parte immiſit: & ſubita inundatione turbatos, per diſpoſitos in hoc ipſum inſidiatores cecidit. Front. lib. 3. cap. 7.

FVLVIVS Imp. Cimbrico bello collatis cū hoſte caſtris, equites ſuos iuſſit ſuccedere ad munitiones eorum, laceſſitiſq; Barbaris, ſimulata fuga regredi. Hoc cùm per aliquot dies feciſſet, auidè inſequentibus Cimbris, animaduertit caſtra eorum ſolita nudari. Itaq; per partem exercitus cuſtodita conſuetudine, ipſe cum expeditis poſt caſtra hoſtium conſedit occultus, effuſiſq; eis ex more repentè adortus, & deſertum proruit, & uallum ac caſtra cepit. Front. lib. 2. cap. 5.

C. IVLIVS Cæſar nullum unquam hoſtem fudit, quē non caſtris quoq; exueret: ita nullū ſpacii perterritis dabat. Suet.

Eſt Danorum regio cauernoſa, mareq; interfluit, obicibus tamen arcetur. Hos cùm CIMBRI reiecere, admiſereq; undique aquam, caſtra Germanorum aquis operta ſunt, & Germani undis obruti, ut ne unus quidem, qui cladem nunciaret, euaſerit. Auentinus lib. 4. Annal. Boiorum.

SCOTI atq; PICTI cum Saxonum duce Hengiſto decertare parati, cùm ille in caſtris ſe contineret, colles caſtris proximos occupant, ingentem uim faſciculorum cythiſi iis in locis abundantis incenſorum, ſecundo uento è monte in hoſtium caſtra demittunt. Facularum multitudo ſub conticinium è cœlo in caſtra delapſa, Hengiſtianos ingenti terrore percuſſit. Auxit terrorem, uirgulatum ac ſtramētorum, quæ ſuper ſolum quieſcendi gratia milites ſibi ſubſtrauerant, ab igne ſerpente incendium. Itaq; rem potiùs pugnæ committendā rati, ſi hoſtiles adeſſent copię, quàm miſerè à flamma perire, ruptis aggeribus, in proximū campū armati proſiliūt. Hengiſtus & ipſe, quum plura ad ſuos in caſtris continendos fruſtra attentaſſet, communi urgente periculo, ualida ſeptus Saxonum manu, in proximum tumulum abiens, ſignum dedit militibus, ſe ad ſigna recipiendi. Scoti & Picti in planitiem deſcendunt noctu, hoſtium caſtra adorituri. At ubi Hengiſti copias ritè inſtructas comperere, diem expectauere. Commiſſo prelio, cruēta uictoria potiti ſunt Saxones. H. Boëthius lib. 8.

ANDREÆ Hungariæ regis caſtra à Soldano Aegyptio Nili aquis deleta. Aemilius.

FLORENTINI per Auſeris fluminis effuſionem, quod prope urbis Lucæ mœnia alluit, poſſe ad deditionem impelli LVCENSES arbitrati, aggerem, quà amnis curſu ſecundo ferebatur, in altitudinem ingentem extruxêre, foſſamq; pari ferè altitudine, in quam deriuatum amnē auerterent, perduxêre. At Lucenſes aduerſo huic aggere extructo, ac per noctē eruptione facta, aggerem interſcidêre. Ita amnis aggere interrupto uim aquarum ingentem in ſubiectos campos, quâ Florentini caſtra habebant, effudit, & Florentinos à ciuitate auertit. Brutus lib. 1. hiſt. Florentinæ.

## COMMEATV HOSTEM LÆDERE.

*Commeatui hoſtium dupliciter obeſſe poſſumus, uel quo ad Quantitatem, ut nullum habeant, aut ut citò abſumant: uel quo ad Qualitatem, ut corrumpantur alimenta, tum per ſe, tum ueneficio.*

*Conſule locum, Hoſtium robur debilitare fame, ſiti.*

### CORRVMPENDO

### IN GENERE.

Celtæ expeditionem aduerſus Autariatas ſuſceperunt. Cùm diu bellum duceretur, CELTÆ cibaria & uinum herbis uenenoſis infecerunt: & ipſi noctu, relictis caſtris, abierūt. Autariatæ credentes eos metu profugiſſe, caſtra inuadunt, & uino cibariiſq; largiter fruuntur; ſtatimq; immoderato uentris profluuio corripiuntur. Celtæ ſuperuenientes proſtratos occiderunt. Polyænus.

### IN SPECIE. VIDELICET

### *Pabulum, Cibum, Commeatum.*

Affecturus SAMSON Philiſtæos, quos infensè oderat, clade ſubita & inopinata, & quæ uniuerſam gentem attingēret, eſſetq; interim omnis alieni auxilij expers: rem commētus eſt ſpecie ridiculam, ſed euentu hoſti calamitoſam. Multas enim numero uenatus uulpes, in Philiſtæorum agros matureſcentibus iam ſegetibus immiſit, igni ad caudam appenſo. Quarum ancipiti fuga adeò flamma diffuſa eſt, ut uniuerſa hoſtium regio uno tēpore cum ſegetibus deflagrarit. Sab. lib. 10. cap. 6.

PHALARIS tyrannus in eo bello, quo Sicanos Agrigentini oppugnabant, cùm eos excindere nulla ratione poſſet, multo frumento comportato, finem belli fecit: ad hæc frumentum, quod in caſtris habebat, eis reliquit ea conditione, ut eius loco reciperet, quod poſt meteretur. Gratis animis receperunt Sicani. Phalaris effecit, ut qui frumento præerant, pecuniis corrupti, tecta ædificiorum diſſiparent, quo faciliùs frumentum computreſceret. Quod uerò metebatur, ipſe ex pacto accepit. Itaque quum omnem à regione fructum dediſſent Phalaridi, eum uerò, qui in urbe tenebatur, corruptum inuenirent, neceſſitate compulſi, ob frumenti inopiam ei ſe dediderunt. Polyænus libro 5. & Frontinus libro tertio, capite quarto.

CNOPVS ex Codridarum genere oriundus, cum iis qui Erythram incolebant, cùm Ionica colonia in Aſiam deduceretur, bellum gerebat. Deus oraculo prodiderat, ut ducem itineris à Theſſalis ſumeret ſacerdotē Hecates. Miſſa ad Theſſalos legatione, ſententiā oraculi eis indicauit. Illi ſacerdotem ei deæ miſerunt Chryſamen. Ea cùm pharmacorū magnam peritiam haberet, taurum de grege ſumſit maximum & pulcerrimum, eiuſque cornua inaurauit, & corpus ornauit ſertis, auroque intertextis purpuris, atq; cum pabulo furio-

furioſum pharmacum miſcens, comedendum ei propoſuit. Pharmacum hoc cùm ipſum taurũ in furorem adegit, tum omnes qui eius carne ueſcerentur, in rabiem poterat conuertere. Hoſtes è regionè caſtra locabant. Illa in conſpectu & oculis hoſtium extructa ara, omnibuſq; rebus quæ ad ſacrificium pertinerent paratis, taurum iuſſit adducere. Ille propter pharmacum furens, & œſtro percitus, exiliit, magniſq; mugitibus editis, fugit. Hoſtes uidẽtes inauratis cornibus, & coronatum, ab hoſtium ſacrificiis in ſua caſtra ferri, quaſi bonum ſignum ac fauſtum omen ſuſcipiebant: cõprehenſumq; diis immolabant, ac de mortuo quilibet partem arripuit, ut numinis & diuini ſacrificij participes fierẽt. Continuoq; uniuerſus eorum exercitus furore & amentia corripiebatur. Omnes exiliebant, diſcurrebant, ſaltabant, cuſtodias relinquebant. Chryſame hæc cõſpicata, Cnopum ſumma celeritate iubet exercitum expedire, & cõtra hoſtes ducere, qui defendendi facultatem non haberent. Ita Cnopus omnibus interfectis, Erythrenſium urbe magna florentiſſimaq; potitus eſt. Polyænus lib. 8.

HANNIBAL, cùm ſciret ſua & Romanorum caſtra in eis locis eſſe, quæ lignis deficiebantur, ex induſtria regione deſerta plurimos armentorum greges inter uallum reliquit. Qua ueluit præda Romani potiti, in ſummis lignationis anguſtiis, inſalubribus ſe cibis onerarunt. Hannibal reducto noctu exercitu, ſecuros eos & in ſemicruda graues carne, maiorem in modum uexauit. Front. lib. 2. cap. 5.

Ioannes Hieroſolymorũ, item Andreas Hungariæ reges, cum permultis aliis Germanis atq; Gallis principibus in Aegyptum profecti, Cayrum urbem obſederant. MELCHECHELCHEMEL Sultanus, timorem ſimulãs, eouſq; rem traxit, donec adauctus amnis Nilus, totam regionem inundauit. Chriſtianus exercitus corruptis commeatibus, atq; omni pabulationis materia, pacem, quam Sultanus uoluit, accepit. Fulg. lib. 7. cap. 4. Bonfinius & Aemilius.

*Potum.*

AMPHICTYONES in oppugnatione Cirrhæ abſtruſum aquæductum inuenerunt copioſo latice è Pliſto amne fluentem, & de conſilio Eurylochi magnam ellebori multitudinem ab Anticyra collectam aquæ permiſcuerunt. Cirrhenſes aquam bibentes, uentris profluuio enecti iacebant. Amphictyones, ſine labore proſtratis hoſtibus, urbem ceperũt. Polyæn. lib. 4. Suidas SOLONIS inuentũ hoc fuiſſe ſcribit.

CLISTHENES Sicyonius ductum aquarũ in oppidum Criſſeorum ferentem rupit. Mox affectis ſiti reſtituit aquam elleboro corruptam, & dyſenteria laborantes ſibi ſubiecit. Frontinus lib. 3. cap. 7.

HAMILCAR Carthaginenſis (alij Maharbali tribuunt: Frontinus uerò lib. 2. ipſi Hannibali) non ignorans Libycorum in uino luxuriem, multa uini uaſa mandragora corrupit: iiſq; depoſitis in ſuburbiis, cùm illi accederẽt, in urbem rediit, quaſi uim adhibentibus reſiſtere cum ſuis copiis non poſſet. Illi gaudio elati, quòd Carthaginenſes intra mœnia concluſiſſent: inuentis uaſis, largiſſimè ſe uino ingurgitarunt, ſtatimq; in ſomnum grauiſſimum inciderunt. Polyæn. lib. 5. & Cælius lib. 17. cap. 24.

Scribit Strabo lib. 12. HEPTACOMETAS gentes feroces ſuper arboribus ac turribus habitare, ex carne ferina & arborum fructibus uiuentes. Ex arboribus deſilientes, peregrinos adoriuntur iter agentes. Tamq; potentes fuerunt, ut tres Pompeij cohortes armis & dolis obtruncarent, dum montana perrranſirent. Miſcentes enim crateras inſani mellis, quod rami arborum ferunt, potos & mente alienatos adorti, facillimè interemerunt.

Sueno, Noruegiorũ rex, DVNCANVM Scotorum regem in oppido Bertha obſidebat. Banquhonis conſilio Maccabeũ conſobrinum cum nouis copiis aduentantem ad Tulinam clàm ſubſidere iubet. Ipſe per fœcialẽ cum Suenone de deditione agit: & uictoris iræ mitigandæ cauſa ſe commeatũ libenter ſubminiſtraturum pollicetur. Grata ea fuit conditio Danis, extrema laborantibus inopia. Vinum igitur & ceruiſiam ſolatro maniaco infectam in caſtra deuehi curauit. Iis ſe ingurgitantes Dani, de deditione poſtero die facienda ſecuri, in ſoporẽ unà cum rege Suenone ſoluũtur. Interea Maccabeus exercitum traiecto Tao flumine per ligneum pontem ducit in Bertham, ac inde aduerſa porta egreſſus, ducente Banquhone ad caſtra hoſtium perueniunt. Tum maximo edito clamore ad terrorẽ, ſi qui fortaſſis adhuc uigiles ſupereſſent ac ſobrij, cædem ingentem edunt. Pauci quidam, decem numero, quòd dona hoſtium ſuſpecta habuiſſent, ſobrij regem ueluti exanimem ad Tai oſtia, ubi nauium ſtatio erat, ſcapha piſcaria deferunt: & unica naue conſcenſa, cum nautis in Noruegiam nauigarunt. Maxima ea Noruegis clades fuit: ut proinde quiſquis eques auratus deinceps fieret, ſacramento aſtringeretur, eam Scotorũ contumeliam, quantum in ſe eſſet, uindicaturum. Naues reliquæ in æſtuario uacuæ nautis relictæ, poſt triduum Euro uehementiùs flante, colliſæ, fractæ ac ſubmerſæ ſunt; fundoq; hærentes, affluente arena aggeribus accumulatis, refluente mari etiamnũ nonnihil extant: uulgò Drounlou, id eſt Montes mergentes, appellantur. H. Boëthius lib. 12.

PETRVS Roſcus, Venetarum copiarum dux, Venetorum auſpiciis, Boguolente in Parauino agro arma intulerat, unaq; erat Marſilius Carrarienſis. Cùm in eum Maſtinus Scaliger exercitum ingentem duxiſſet, Petroq; neceſſitas iniecta eſſet inde egrediundi, quòd eo in loco commeatum difficultate premebatur: cùm hoſtes ad eundem amnem, ſed inferiore parte tenderent, neq; aliunde aquationis facultatem haberent: glaſto herba amnem infecit, ita ut homines iumentaq; propter amaritudinem eius aquas guſtare nollẽt. Ea re coactis mutare caſtra hoſtibus, qui congredi & dimicare cum eis non audebat, aſtu inde, nullis armis uſus, ex rei ſuæ commoditate depulit. Fulgoſus lib. 7. cap. 4.

## CONSVMENDO, ABSVMENDO, Eripiendo

### IN GENERE.

DROMICHÆTES rex erat Thracum, Lyſimachus Macedonum. Macedo Thraciæ bellum inferebat. Thrax Macedonẽ dolo circumuenit. Dux eius Aethis transfugæ ſpecie ad Lyſimachum tranſire ſe uelle dicebat. Qui cùm fidelis eſſe crederetur, Macedones in locorum difficultates coniecit. Ibi conflictantes fame ſitique Dromichætes adortus, cùm ipſum Lyſimachum, tum omnes qui eum ſequebantur, interfecit. Erat Lyſimachiorum, qui ceciderunt, numerus ad centum millia. Polyd. lib. 7.

Cùm Darius, Perſarum rex, Scythiam inuaderet, SCYTHÆ aperto Marte cum illo congredi noluerunt, præſertim cùm Agathyrſi, Neuri, Androphagi, Tauri & Melanchlæni illis ſubſidia denegaſſent: ſed puteos & fontes obſtruxerunt, & pabulum omne regionis attriuerunt, & fugiendo Darium ita fatigarunt, ut nil potiùs habuerit quàm retrocedere. Herodotus lib. 4.

Darius aduerſus Saccas expeditionem ſuſcepit. Reges Saccarum Sacephares, Homarges, Thamyris, in loco deſerto de præſentibus rebus conſilium capiebant. Equiſo quidã, nomine RISACES, eos accerſit, promittens, ſe Perſarum copias ad nihilum redacturum, ſi iuramento confirmarent, ſe liberis & nepotibus ſuis equos ac pecunias daturos. Quibus iurantibus, ille ſtricto cultro nares & aures ſuas abſcidit, ac reliquum corpus mutilauit, transfugienſq; ad Dariũ, ſic à Saccarum regibus ſe tractatum clamabat, ſed non diu impunè laturos, modò ſibi utilia ſuadẽti parere Darius uellet, Saccas ſequẽti nocte caſtra moturos. Quòd ſi Perſæ per compendia uiarum ſe ducem ſequantur, Saccas imparatos debellari poſſe. Aſſumtis ergo ſeptem dierum commeatu, per uaſtas ſolitudines Riſacem comitantur. Tandem Chiliarchus Rhanosbates dolum ſubodoratus, Quamobrem, inquit, decipere regem magnum ſtatuiſti, & in locum omni aqua carentem Perſas deducere, unde neq; progrediendi, neq; reuertendi poteſtas conceditur? At ille, complosis manibus, in cachinum effuſus: Vt à Saccis ciuibus meis periculum depellerem, inquit, ſiti ac fame Perſas enecaui. Chiliarchus confeſtim Riſaci caput abſcidit. Darius autem aſcendens in excelſum quendam collem, ſceptrum candy ac tyara inuolutum, colligato adhæc diademate regio, in terram defixit: precatuſq; eſt Apollinem, ut aquam cœlitùs præberet. Audiuit preces Deus, imberq; copioſus decidit. Hunc excipientes pellibus ac uaſis Perſæ, ad Bactrum fluuium euaſerunt. Quemadmodum autem equiſonis dolo penè uniuerſus exercitus interiit, ſic in poſterum Zopyrus imitatus equiſonem, mutilata facie deceptos Babylonios ſubegit. Polyænus lib. 7. & Iuſtinus ex Trogo.

Cùm Iulianus Imperator apoſtata contra Perſas exercitũ duceret, & iam uſq; ad Cteſiphontem urbem perueniſſet, neq; tamen ſatis rebus ſuis fideret: à ſene quodam PERSA (qui ſe dedita opera capi permiſerat, & pro patria deuouerat) perſuaſus eſt, ut tridui uiatico aſſumto ſe ducẽ ſequeretur: eſſe enim compendioſam per montes & ſyluas quaſdam, arduam tamen & difficilem uiam, ſed à Perſarum inſidiis tutam. Iulianus paret. Et cùm iam tertio die in uaſta ſolitudine fame atq; ſiti exercitus conficeretur: ſenex dolum faſſus, ex edito colle ſplendidum Perſarum exercitum oſtẽdit. Romani animis & corporibus fracti, ab hoſtibus cæduntur. Iulianus ipſe à quodam ſuorũ militum (Chriſtiano nimirũ, quem Mercurium aliqui appellatum uolũt) in femore ictus ſceleratam euomuit animam. Nicephorus lib. 10. cap. 34.

### IN SPECIE. NEMPE

*Pabulum, Cibum.*

ALEXANDER Magnus oppugnaturus Leucadiam cõmeatibus abundantem: priùs caſtella quæ in confinio erant, cepit, omneſq; ex his Leucadiam paſſus eſt confugere, ut alimenta inter multos celeriùs abſumerentur. Front. lib. 3. c. 4. Eodem conſilio Iudæos ex tota regione Hieroſolymam fugientes VESPASIANVS, inde TITVS eius filius oppreſſere, teſte Ioſepho.

DIONYSIVS multis urbibus captis, cùm Rheginos aggredi uellet, qui copiis abundabant, ſimulauit pacem: petiitq; ab eis, ut commeatus exercitui ſuos ſubminiſtrarent. Quod cùm impetraſſet, exhauſto oppidanorum frumento, aggreſſus urbem alimẽtis deſtitutam ſuperauit. Idem & aduerſus Himereos feciſſe dicitur. Ibidem.

ANTIGONVS rex, ut Athenas caperet, ſub finem autumni pacem cum eis pepigit. Athenienſes frumentum hinc inde ſeminantes, ſperabant priùs abiturum, quàm fruges uigere cœpiſſent. Cùm ad maturitatem iam fruges perueniſſent, Antigonus cum exercitu impreſſionem in Atticam fecit. At illi cùm frumentum partim conſumſiſſent, partim conuehere prohiberentur, Antigonum intra mœnia receperunt, omnibuſque eius mandatis morigeros ſeſe præbuerunt. Polyænus libro quarto, & Frontinus libro tertio, capite octauo.

Numantia obſidione clauſa, quum famem hoſtes ſentire cœpiſſent, pabulatores in agris captos occidi P. SCIPIO uetuit, quin permiſit incolumes in urbem abire, ut aliquanto citiùs fames inualeſceret. Sabellicus libro nono, Enneadis quintæ.

Q. FABIVS Maximus, uaſtatis Campanorum agris, ne quid eis ad fiduciam obſidionis ſupereſſet, receſſit ſementis tempore, ut frumentum, quod reliquum habebat, in ſationes conferrent. Reuerſus deinde, renata protriuit, & ad famem redactis potitus eſt. Frontinus libro tertio, capite octauo.

C. IVLIVS Cæſar dicebat, idem eſſe ſibi conſilium aduerſus hoſtem, quod pleriſque medicis cõtra uitia corporum, fame potiùs quàm ferro ſuperandi. Frontinus libro quarto, capite 7.

ARVERNI, ſuaſu Vercingetorigis ducis, uno die XX urbes ſuas cum uicis, minùs munitas, incenderunt, ut Iulium Cæſarem pabulandi inopia fatigarent. Sabellicus libro ſexto, Enneadis 6.

ROMANI, duce Tito, Hieroſolymam obſidebant. Cumque fames crudeliſſima Iudæos uexaret, ut multi morerentur, iis, quos ferrum reliquos fecerat, Romani iuxta murũ ſtantes, alimentorum copiam Iudæis oſtentantes, famem illorum magis accendebant. Ioſephus libro ſexto, capite decimoquarto belli Iud.

BELISARIVS, cùm magnam uim frumenti Rauennæ, quam oppugnabat, in publicis horreis adhuc recondi cognouiſſet, ex incolis quempiam pecunia corrupit, ut horrea cũ frumento clam concremaret. Procopius.

Henricus III. Rom. Imp. in Vngariam ſuſcepta expeditione, Danubianæ claſſi Gebhardum epiſcopum fratrem præfecit. ANDREAS ea parte, qua hoſtis iter facturus erat, aceruos frumentarios ac pabula cuncta combuſſit, incolas & pecora abduxit, ne qua prædæ commeatus ue copia foret hoſti. Imperator in omnium rerum egeſtatem incidit. E Iaurino interea præfectus claſſis tabellarium ad Imperatorem miſit, qui ab Andrea interceptus eſt. Mox ad Gebhardum, Henrici nomine, adulterinæ literæ remittuntur, claſſem ſolueret, & celerrimè Ratiſponam rediret, ad incurſiones hoſtium reprimendas. Præfectus iis literis deceptus, mandata peragit. Imperator ergo & commeatu & auxiliis deſtitutus, pacem cum Andrea fecit, Sophiam filiam Philippo Henrici Gallorum regis F. deſponſatam matrimonio iunxit, & nunquã ſe ſuós ue contra Pannonas militaturos promiſit. Bonfinius lib. 2. Dec. 2.

STEPHANVS Palatinus Valachiæ XXX millibus ſuorum, CXX millia Turcarum, anno 1475 profligauit. Permagnum autem cùm ad uictoriam, tum ad maiorem hoſtium ſtragem momentum ipſi attulit, quòd omnem circumcirca regionem longè lateq; in primo Turcarum ingreſſu ipſe exuſſerat. Hinc enim factum eſt, ut in magna cõmeatus & pabuli penuria, Turcæ iuxtà ac equi ipſorum debilitarentur. Cromerus lib. 28.

FLORENTINI antequàm à Carolo V. obſiderentur, quæcunque in agris poterant uſui hoſtibus eſſe, omnis generis commeatus, pabulique præſertim, in urbem conuexerunt: quæ transferri nequibant, ultrò incendiis corruperunt. Iouius lib. 27. Hiſt.

ALDEFONSVS, Aſturum & Caſtellæ rex, Toletanam urbem populoſiſſimam oppugnaturus, quatuor annis continuis agros uaſtauit. Quinto demum obſidionem admouit, ſeptenis caſtris illam circumdans. Itaque fame coacti ciues, ſed & tyrannide & ignauia regis ſui Hiaie moti, urbem dedidere. Rodericus Toletanus libro ſexto rerum Hiſpanicarum, cap. 23.

*Potum.*

CYRVS Babylonem oppugnabat. Babylonij cùm frumentũ in multos annos haberent, oppugnationem deridebant. Cyrus Euphratem, qui per mediam urbem fluebat, interceptum in uicinam paludem deduxit. Babylonij, cùm aquę bibendæ copiam non haberent, confeſtim ſe Cyro dediderũt. Polyænus lib. 7.

P. SERVILIVS Iſauram oppidum, flumine (ex quo hoſtes aquabantur) auerſo, ad deditionem ſiti compulit. Frontinus libro 3. cap. 7.

C. CÆSAR in Gallia Cadurcorum ciuitatem amne cinctam, & fontibus abundantem ad inopiam aquæ redegit, cùm fontes cuniculis auertiſſet, & fluminis uſum per ſagittarios arcuiſſet. Frontinus libro tertio, cap. 7.

## HOSTIVM FORTVNIS INCOMMODARE. VIDELICET QVO AD

### PRAEDAM. TVM

*Agendo.*

*Conſule Tit. Commeatum comparare, introducere. quatenus noſtras fortunas ex hoſtium deprædatione augemus.*

IMMO, Henrici Imp. dux contra Giſelbertum Lotharingiæ ducem, cùm ſubulci hoſtium, gregem porcorum ante portas urbis ducerent, porcellum aperta porta ad grunnitum coëgit. Grex audito clamore repẽtè aduolat, & cum impetu intra portas irrumpit. Vitichindus Saxo lib. 2.

IO. ZISCHA, Huſſitarum dux, hoſtium armenta balatu uitulorum ex aduerſa ripa per medium fluuium ad Caſtra ſua tranare fecit. Dubrauius.

*Eripiendo.*

Habuit DAVID rex, cohortem unicam ex collectitiis ſuę gentis uiris, quamdiu extorris fuit patria, Sauli regis ſæuitiam declinans: ediditq; cum his præclara aliquot facinora. Sed illud præcipua memoria dignum, quòd Amalechitas, qui abſente ſe Sicilechum (erat is uicus, quem inhabitandum Dauid acceperat ab Achi Philiſteorum rege, cùm Getheorum agrum incurſarent) diripuerant, omnibus fortunis, cum duabus uxoribus, ſpoliatus, irrequieto curſu aſſecutus: improuiſo acceſſu incautos, cùm iam nihil minùs quã hoſtis expectaretur, adortus fudit, fugauitque, uniuerſaque preda exutos, à prima diei hora ad ueſperam cęcidit. Sabellicus lib. 6. cap. 7.

### PECVNIAM. EAM

*Eripiendo, Emungendo.*

TAMBERLANI Schytarum imperatori potentiſſimo prædæ oriens extitit. Emporia, frequenti mercatorum conuentu celebria, & pecuniis opulenta, aurum metu impendente defoderant, ne auaro tetroque hoſti expoſitum ad diripiendũ foret. Ea is nouo & inaudito ad eam diẽ aſtu circumuenit. Antequem aduentum eius remotæ urbes formidarent, in eas miſit, qui ſpecie commerciorum, partas direptione urbium magni precij merces, ingenti mole camelis inueherẽt, uiliſque, ſed præſenti pecunia diuenderent, quæ tenebris oculi, tellurẽue obrui æquè non poterant. Auro accepto, ueterem quoq; prædam repentè irruens recipiebat. Ea ratione ditiſſimę ciuitates, in quibus Damaſcus, & Caphata Ponti urbs, Genuenſium colonia, ludibrio, direptioni, cædi fuêre. Aemilius lib. 10. & Cuſpinianus.

*Adulterando.*

Cùm Lacedæmonij Samum graui obſidione premerent, POLYCRATES tyrannus monetam plumbeam auro induxit, camq; Lacedæmoniis dedit, ut obſidionem ſoluerent, quadrageſimo die poſt ceptam obſidionem. Herod. lib. 3.

### OBSIDES

*Recipiendo.*

*Vide Tit. Obſides recipere. Illic Noſtrorum receptionis, heic Hoſtium incommodi ratio habetur.*

## MILITVM NOSTRORVM DIMISSIO.

*Conſule Tit. Seditionem caſtrenſem ob non ſoluta ſtipendia ne oriatur prohibere, aut etiam iam ortam ſedare. Illic enim exempla quædam huic loco conuenientia reperies, quatenus confecto bello in dimittendis militibus prudentia opus eſt, ne tumultuentur. Differt hic Titulus ab eo, cuius ſuperiore loco mentionem fecimus. Illic enim Dimißionem Admißioni ſeu Receptioni oppoſuimus, ut modus Exauctorandi & Dimittendi conſtaret. Hîc uerò bello iam confecto militum ueluti onerum abijciendorum rationem tractamus.*

Carolus V. Francorū rex, facta cū Anglis pace, ut militū exauctoratorum excurſionibus & latrociniis, irrito præſertim & contemto Vrbani V. Pp. interdicto, liberaretur: expeditionē ſacram in Hiſpaniam cōtra Saracenos indixit. BERTRANDVS Gueſclinius polemarchus dictus, exercitū Auenionē duxit, ubi Pontifex id temporis reſidebat, & Cardinali cauſam aduentus quærenti, In numerū Chriſtianorum, inquit, à quo auctoritate pontificis excidimus, recipi: & aliquot aureorū millibus in ſacrū bellum adiuuari petimus. Vrbanus inſolentiā petitionis admiratus, Noua enimuerò hęc eſt & militaris pœnitentia, dixit. Abſolutionem alij pecunia redimunt. Hi uerò abſolutioni pecuniam corollarij loco adijci poſtulant. Aegid. Corrozetus de Dictis & factis mem.

MAXIMILIANVS I. Imp. exhauſto diuturnis iisq; grauiſſimis bellis ærario, milites dimittens, ruſticis eos immiſit, poteſtatemq; fecit, paſſim in Germania uagandi, & à ruſticis alimenta abſque ullo mendicitatis probro exigendi. Genus hoc ſycophantiæ Garten uulgò dicunt, fortè ab Italica uoce Guardar, quaſi obſeruatores nouorum motuum.

## HOSTES VICTOS IN OFFICIO ET FIDE RETInere, ne nouas res attentent.

*Conſule Tit. Defectionem & Proditionem noſtrorum ne fiat, prohibere. Illic ſanè Finem eundem ſpectauimus: heic Perſonarum diuerſitatem.*

### BENEVOLENTIA.

Puta ob

### BENIGNITATEM.

Priuerno capto, quū Priuernatium cauſa in curia cognoſceretur, legatorū unus à quodā infeſtiſſimo ſenatore rogat⁹, Ecquid'nam Priuernates meriti eſſent? reſpōdiſſe fertur, Quod & illi, qui ſe dignos libertate cenſerent. Tum à CONSVLE rogatus, Quòd ſi uobis pœnam remittimus, qualis à uobis pax expectanda eſt? Perpetua, inquit, & fidelis, ſi bonam dederitis: ſi malam, haud diuturna. Apparuit ut liberè, ita uerè id dictum, quando pax nuſquā fida, niſi ubi fuerit uoluntaria: ubi ſit ſeruitus, fidem ſperari nō oportere. Atq; ita ex auctoritate conſulis, latum eſt ad populum, ut ciuitas Priuernatibus daretur. Sab. lib. 4. En. 4.

CLOTHARIVS II. Francorum rex, è medio ſublatis hoſtibus, Theoderico & Theodeberto, uniuerſi regni potens, nihil antiquius duxit, quā ut affectis reb. quies ab omni motu metuq; daretur. Aut exatiato, aut depoſito in omnes odio, parentis uerius, quàm regis animum induit, obliuionemq; iniuriarum & præſtitit, & exegit. Auſtraſianis, qui Theodeberto paruerant, Magiſtrum equitum, rerumq; adminiſtratorem dedit Rhadonem uirum bello paceq; bonum: Burgundionibus Theoderico ſubiectis Varnarium, magni in eorum, cùm florerent regnarētq;, aula nominis: Transiuranis uerò Herpohem. Habitisq; harum trium ſeparatim gentium conciliis, quod è re dignitateq; cuiuſq; eſſe uideretur, conſtituit: nec quicquam quod dari honeſtè poſſet, petentibus denegauit: quouſq; Magiſtrum equitum illis præficiebat propalàm, perſancteq; iurauit eis ſe magiſterium illud non abrogaturum. Ea benignitas comitasque adeò Auſtraſianorum Burgundionumq; animos in illum confirmauit, ut nullus unquam rex maiori fide religioneque cultus obſeruatusque ne ab ſuis quidem fuerit, nec ultrà deſiderio regum ſuorum tenerentur, ſub regibus nati, regiamque domi habere ſoliti, quæ illos honoribus commodisque cumularet. Aemilius lib. 1.

### STVDIA PACIS.

Cn. POMPEIVS, ſummus Imperator à populo Romano, prę ter ſenatus auctoritatē, contra piratas electus, cùm eos magna uirtute ſuperaſſet, eorum poſt uictoriam magnam curā geſſit: & ne rurſum inopia coacti eiuſmodi ſcelera cōmitterent, loca deſerta eis diſtribuit, urbes dedit, & eam pręcipuè ciuitatem, quæ eò Pompeiopolis dicta eſt. Dion Nicæus.

### CIVITATEM DATAM.

ROMVLVS Ceninenſes, Cruſtuminos & Atennates, qui ex Sabinis hoſtiliter Rom. agrum inuaſerant, bello uictos, in urbem traductos, ciues ex hoſtibus fecit. Sabellicus libro ſexto, capite 4.

Id Romuli exemplum cæteri REGES Rom. ſecuti (præter Hoſtilium, qui Albam diruit) pro non paruo negotio habuêre, quos bello uiciſſent, Romam incolumes traducere, traductos eius ciuitatis participes facere, in quam infeſto & plùs quàm hoſtili nuper animo fuiſſent. Idem.

### PRIVILEGIA CONCESSA, reſtituta.

LVDOVICVS Pius Imp. coronatus eſt Aquiſgrani à Stephano Pontifice maximo, profecto in Galliam ad impetrandū exulibus Romanis in patriam reditum. Nec Romanis modò, ſed & Saxonibus, quos traduxerat in Galliam pater, redeundi domum ius dedit. Quoque ueterem patriam magis appeterent, nec ſtudio nouarum ſedium tenerentur, ſimul ut prouinciæ Francorum per belli mala ſolitudine uaſtę, frequentarentur: illis in patriam redeuntibus, teſtamenti factionem reſtituit, quam Carolus Magnus ademerat, & in Francia remanentibus nullum ſupremæ uoluntatis teſtandæ ius reliquerat. Saxones hanc noui Auguſti in ſe liberalitatem tam grato animo accepêre, ut magis pro Francorum gloria ex eo tēpore pugnauerint, quàm antè pro libertate ſua aduerſus eoſdem decertaſſent. Auctore Ludouico bellum Danicum confecêre, Harioldo Daniæ rege à popularibus pulſo, in patriam opesq; reſtituto. Aemilius lib. 3.

### NOMEN SERVATVM.

Victo Deſiderio rege, quidam CAROLO Magno ſuadebant, ut omnes Longobardos Italiâ expelleret. Verùm cùm id nequaquā tutum uideretur, quòd multis Italiæ populis ſanguine & affinitate coniuncti eſſent, cenſuêre ſimul & Carolus & Leo III. Longobardorum nomen ibi tantummodo remaneret, ubi ea gens præcipuè ſedem habuiſſet. Platina.

### VI, COACTIONE.

PER

*Securitatem iudicum.*

Victi à CAROLO Magno Saxones: Tranſalbiani in Franciam translati, Ciſalbianorum decimus quiſque migrare iuſſus. Relictis dati magiſtratus ad ius propalàm dicendum, unde prouocaretur ad Auguſtum. Sed & ſanctius arcanumq; delectiſſimorum integerrimorumque uirorum concilium ſine prouocatione inſtitutum, delectique pari ſanctitate ueluti ſpeculatores, qui cæteris omnibus ignaris, Veſtfaliæ & Saxoniæ oppida uicoſque ac conciliabula circumirent, moresque & dicta cuiuſque factaque notarent, ac quemcunq; periurij, perditæ'ue religionis reuerſi in concilio coarguiſſent: ſine interceſſione primo quoque tempore, ubicunque comprehendi poſſet, necaretur. Nemini ſua dignitas ſuffragabatur: ſummi infimique priùs laqueo ſuſpenſi conſpiciebantur, quàm rei fuiſſe audiebantur. Quem quiſque tam ignominioſo genere ſupplicij affectum uidebat, Hic fidei uiolatæ pœnas dat, dictitabat. Hic noui exempli metus eam gentem & numinis & Auguſti reuerentiorem effecit. Iudices ſpeculatoresque (quos Conſcios, die Wiſſenden uocabant) rem totam, notaſque, quibus reus coargueretur, tam ſanctè occuluêre, ut cùm Carolo Auguſto defuncto idem inſtitutum uiueret, nullis unquam minis, nullo malo adduci potuerint, ut enunciarent. Aemilius libro 2. & 3. & Auentinus lib. 4.

*Priuilegia ademta Armorum, Exercitiorum.*

Cauerunt PHILISTINI uictores, ne faber ferrarius inueniretur in terra Iſraëlitarum. 1. Reg. 13.

CYRVS, Lydis, & præcipuè Sardiis, poſt Crœſi captiuitatem iterum deficientibus, ipſe Babylonem uerſus profectus, Mazarem Medum cum præcepto miſit (ex Crœſi conſilio) ut cū regionem ſubegiſſet, arma pariter & equos adimeret, ueſtitumq; muliebrē geſtare eos cogeret, ac neq; ad iaculandū,



aut equitandum ampliùs exerceri permitteret, ſed omnes texere ac pſallere ac cauponā exercere cōpelleret, ut his nimirum ſtudiis eorum animi molleſcerent, & effeminarentur. Sic deinceps omnium Barbarorum inutiliſſimi ad bellū euaſerunt Lydi, cùm antea bellicoſiſſimi extitiſſent. Polyænus lib. 7. & Herod. lib. 1.

XERXES iratus Babyloniis, quòd à ſe defeciſſent, poſteaquam illos in poteſtatem ſuam redegerat, interdixit, ne ferrent arma, ſed pſalteriis tibiisque canerent, ſcorta alerent, cauponas haberent, ac ſinuoſis tunicis uterentur: quo uoluptatibus euirati, non molirentur denuò defectionem. Plutarchus in Regum apoph.

Leontinos Siciliæ populos quum expugnaſſet PHALARIS, ademtis armis ad compotationes & uoluptates eos reiecit, ne rebellionem pararent. Hinc adagium, Semper Leontini iuxta pocula. Eraſmus in Adagiis.

PHILOPOEMEN Megalopolitanus, Achæorum dux, Lacedæmoniis bellum ciuile molientibus, urbis muros demolitus eſt, & puberibus omnibus iis exercitationibus, in quibus ex Lycurgi lege uerſabantur, interdixit: contrà uerò, ut eas Achæorum puberes ſuſciperent, edixit. Sed poſtea patria inſtituta Spartanorū pueris Romani reſtituerunt. Pauſanias in Arcadicis.

THEODERICVS, Oſtrogothorum rex in Italia, edicto imperauit, ne Romanus quiſquam, nec paterno genere Italus, militaret, aut arma cuiuſquam generis domi haberet. Qua lege uidetur uoluiſſe euenire, quod certè euenit, ut quicquid Romanæ indolis, ueteriſq; diſciplinæ militaris adhuc reliquum erat, idipſum longo otio, deſuetudineq; armorū extingueretur. Cæterùm quia nouitates temporum crebrique terrores, multos Italici nominis ex urbibus in agros cōpulerant, ut ignobiliter uillicari mallent, quàm in luce hominum cum periculo uerſari: ut urbes frequentiùs colerentur, recentiore edicto uetuit, ne quis ingenuus in agris commoraretur, præterquam meſſium & uindemiarū cauſa. Quo contigit, ut tota ſit Italia in antiquum uelut ſtatum reſtituta. Sabellicus lib. 2. En. 8.

CAROLVS Magnus rebellantibus ſubinde Veſtfalis, & Saxonibus, concitatore Godefrido Danorum rege, ut paulatim extingueretur Saxonum nomen, ipſique ſponte ſua aliis æquiorum legum gentibus ſe adſcribendos curarent: graues genti illi leges impoſuit, ac teſtamēti factionem, iusque inteſtatis, præterquam inter agnatos, ſuccedendi, ademit. Honores magiſtratusque gentis alienigenis, & in primis Scotis, mandauit, quorum egregia fide, uirtuteque utebatur. Aemilius lib. 2. & 3.

*Translationem in alium locum.*

Eo, quod contra Fidenates & Veientes commiſſum eſt, prelio, perierant Albanorum defectione, niſi uirtute ſua ſe defendiſſent ROMANI. Poſt uictoriam de Albanæ perfidiæ ultione inter patres conſultatum, uariatumq; nonnihil opinionibus. Demùm in ſententiam Tulli regis frequenter itum: ut Alba dirueretur, parceretur ciuibus, ſupplicium de Metio ſumeretur. Ergo M. Horatium, qui Curiatios uicit, cum centuriis aliquot peditum, maiore tamen equitatu, Albam miſit, qui parte urbem ingreſſus, ubi ciues in poteſtatem redegiſſet, oppidum à fundamentis diruit, pepercit templis, multitudinem omnem Romam traduxit. Tullus inde conuocata concione, Albanis iuſſis propiùs tribunal accedere, extremam concionem armis ſepſit, ne quis tumultus oriretur, & Albanis ſtupentibus Albam euerſam indicauit, Romam migrare iuſſit, Metium Dictatorem quadrigis dilaniari curauit. Sabellicus lib. 4. En. 2.

Victi à CAROLO Magno Saxones & Veſtfali, cùm nec uenię facilitate reconciliari, nec armis uicti frangi, nec conſortione religionis placari, nec æquis legibus flecti, nec iniquis domari, nec obſidibus oppignorari poſſent: & in tot Francorum occupationibus fortuna nouas ſemper rebellandi occaſiones cupientibus præberet, ut uix XXXIV poſt ceptum bellum anno penitùs edomari potuerint. Tranſalbiani omnes in Franciam tranſlati ſunt. Citra Albim decimus quiſq; migrare iuſſus: in Germaniam X millia hinc inde diſperſa. Aemilius lib. 3.

*Regionis diuiſionem.*

Memoriæ proditum eſt, naturam ſitus munitionemq; Aegypti ALEXANDRVM admiratū, eam in plures præfecturas, nomos uocant, diuiſiſſe: haud tutum eſſe ratum, imperij curam uni modò iniungere. Ac mihi quidem uidentur (inquit Arrianus lib. 3.) Alexandri conſilium ROMANI eſſe imitati: nam eadem ducti ratione inſtituêre, ut nemini ordinis ſenatorij prouincia Aegyptus, ſed equeſtri tantùm uiro, decerneretur. Cælius lib. 16. c. 3. A. L.

*Munimentorum deiectionem.*

Nemo eſt TVRCARVM omnium, aut Chriſtianæ profeſſionis ueterum incolarum, qui uel oppida, uel arces, uel denique pagos more Perſarum poſſideat, aut paulò munitiores domos ædificet. Vetere enim edicto cauetur, ne quis uillam pinnato muro circumdet, nec ædificium ſupra primam cōtignationem, columbaria turricula altiùs, condat. Propterea Thraces, Græci, Macedones, Myſij, Epirotæ, Illyrij, cæteriq; populi barbarico ſubiecti iugo, neq; firmis opibus ualent, neque ſi Chriſtiana arma alicunde perſtrepant, ad oblatam excutiendæ ſeruitutis occaſionem ſeſe cōmouere poſſunt. Singulæ namq; præfecturæ ſuos equitatus eo ordine in æſtiuis atque hybernis pagatim diſpoſitos continent, ut ubique contra uim ſubitumque tumultum parati, inſtructique armis, præſtò adſint aduerſus exarmatos & inopes, qui oppreſſi, celeriter teterrimi ſupplicij pœnam ſubeant. Sabellici ſupplementum lib. 4. ex Iouio.

*Obſides.*

ALEXANDER domita Thracia petēs Aſiam, ueritus ne poſt ſuum diſceſſum ſumerent arma, regulos & præfectos, omneſque reliquos, quibus uidebatur ineſſe cura detractæ libertatis, ſecum uelut honoris cauſa traxit: ignobiles autem relictis, plebeioſque præfecit. Itaque principes beneficiis eius obſtricti nihil nouare conabantur: plebs uerò ne poterat quidem, ſpoliata principibus. Frontinus libro ſecundo, capite undecimo.

IDEM uictis Perſis Indiam petiturus, ex omnibus prouinciis triginta millia iuniorum legi imperauit, perducique ad ſe in caſtra iuſſit, uerius obſides, quàm milites, ne quid à tergo moueretur. Sabellicus libro 6. Enneadis 4.

# LIBRI QVARTI TITVLORVM DISPOSITIO

- PRVDENTIA Κριτικὴ duplex eſt. Altera
  - Καταφατικὴ, quæ iudicat de iis, quæ cognita habet et perſpecta, tum
    - Præſentibus ſiue etiã præteritis. Eſtq; duum generũ quædam
      - Actiua, quæ iudicando agit quodam modo in ea de quibus iudicat. Iudices rurſus uel ſunt
        - Principales, ſiue ex officio, ſiue ex arbitrio contendentium ad hoc munus delecti, in foro, publicè uel priuatim. Appellentur ergo IVDICES uel Arbitri forenſes prudentes. IVDICIA præclara prudentum.
        - Non principales, auctoritate priuata ad iudicandũ accedẽtes, tum in
          - Politicis. IVDICES prudentes extra bellum atq; forum. Vide ſignum A a.
          - Bellicis. De rebus
            - Suis. Vt de
              - Bello ſuſcipiendo, perſequendo, deponendo.
              - Societate bellica.
              - Ducis delectu, officio, præſtantia.
              - Exercitu, Militibus.
              - Iuſtitia & Pietate.
              - Proditiõe, Defectione, Deſertiõe.
              - Belli ſtatu. Victoria.
              - Vrbibus, Muris.
              - Caſtrametatione. Armis.
              - Pecunia, Stipendiis.
              - Commeatu.
            - Hoſtium. Vt de
              - Prudentia. Stultitia.
              - Confidentia. Robore.
              - Obſidione.
              - Acie, Congreſſu, Pugna.
              - Literis, Nunciis.
              - Ciuitatibus, Arcibus, Propugnaculis expugnandis, euertendis.
              - Spoliis.
      - Paſsiua, quæ iudicando patitur quodammodo ab iis cõſiliis, de quibus rectè iudicat, parẽdo bonis, non parendo malis. Ergo rectè iudicat, qui conſiliis
        - Bonis paret. BONIS conſiliis parere:
          - Qui quib. Puta
            - Probi Improbis.
            - Principes conſiliariis.
            - Duces Militibus.
            - Subditi Principibus. Collegis.
            - Æmulis. Amicis. Hoſtibus.
            - Parentes Filiis. Mariti Vxoribus.
            - Adulti Pueris. Sacris hominibus.
          - In Quorum
            - Extra bellum.
            - In bello.
        - Malis non paret. MALIS conſiliis non obedire.
    - Futuris. Id quod ſummæ prudentiæ eſſe uidetur. PRVDENS exploratio, præcognitio, prædictio, prouidẽtia futurorũ bonorũ malorũ'ue, ſuorum aut alienorum tum in
      - Genere.
      - Specie: ſiue pertineant ad
        - Animum.
        - Corpus.
        - Fortunas. Præuidere
          - Victoriam. Regni ſucceſsionẽ.
          - Tyrannidem.
          - Locorum celebritatem, Occaſionẽ felicem, uel infelicem.
          - Bella, Seditiones.
          - Excidium. Cladem.
  - Ἀποφατικὴ, quæ de incertis non iudicat, ſed iudicium ſuſpendit. IVDICII ſuſpenſio prudens. De incertis iudicare nolle, ſiue in iudicio, ſiue extra iudicium. Reſpectu
    - Materiæ. De quib. tũ
      - Rebus. Puta de
        - Probitate. Religione.
        - Poſſeſsionibus.
        - Hæreditate.
        - Abſolutione, Condemnatione.
      - Perſonis. V.G. de
        - Sacris hominibus, Pontificibus, Epiſcopis.
        - Ducibus belli.
        - Liberis.
    - Finis, Cur. Cauſa
      - Imperitiȩ, Ignorantiæ, quãdo non liquet.
      - Religioſæ pietatis. Venerationis.
      - Accuſationis deficientis.

A a. Iudic-



- A a. Iudicant autem prudenter partim de
  - Reb9, conſideratis tũ
    - Generatim. Vt de
      - Felicitate in genere.
      - Vtilitate. Difficultate.
    - Speciatim, ſiue pertineant ad
      - Animum, uel materialiter conſideratæ, ut ſunt, ſeu formaliter, reſpectu habitus. IVDICIVM de
        - Ingenio & Moribus. Doctrina & Sapientia.
        - Oratione. Inſtitutione. Artibus mechanicis.
        - Virtute in uniuerſum. Virtute Imperatoria. Prudentia.
        - Stultitia. Fortitudine. Temeritate. Vitæ cupiditate.
        - Voluptatibus. Lupanaribus. Auaritia.
        - Prodigalitate & Luxu in ædificiis. Magnanimitate.
        - Clementia. Iracundia. Minis. Reprehenſione, Caſtigatione.
        - Teſtimonio. Inuidia, Æmulatione. Calumnia.
        - Modeſtia. Impudentia. Scurrilitate. Nugacitate.
        - Loquacitate. Religione. Votis. Iuſtitia.
        - Legibus. Reipublicæ ſtudio. Suppliciis & Pœnis.
        - Perfidia. Iniuria. Periurio.
      - Corpus. IVDICIVM de
        - Partibus corporis. Forma. Morbis.
        - Vulneribus. Exercitatione corporis.
        - Fœcunditate, Procreatione. Alimentis. Conuiuiis.
        - Veſtitu, Cultu. Morte. Mortalitate.
      - Fortunas. De
        - Diuitiis & Opulentia, tum publicè tum priuatim. Vrbium ſitu.
        - Antiquis monumentis. Gloria & Honore in genere.
        - Laudibus & Præconiis. Titulis magnificis.
        - Statuis & Imaginibus. Dignitate. Republica.
        - Imperio, Regno, Magiſtratu. Victoria & Clade.
        - Patria, Regione, Finibus. Exilio. Libertate & Seruitute.
        - Amicitia & Inimicitia. Coniugio. Sobole.
  - Perſonis, quibus quæuis bona maláue inſunt. De
    - Hominibus. Puta de
      - Magiſtratibus ſacris.
      - Regibus, Principibus, Magiſtratibus profanis.
      - Suditis. Iudicibus. Conſiliariis. Legatis.
      - Pueris. Filiis. Matronis.
    - Brutis:
      - Equis.
      - Gallis.

# Voluminis Septimi Liber IV.

## De IVDICIO cùm Politico tum Bellico PRVDENTIA Κριτικὴ.

IS eſt Prudentiæ partium omnium inter ſe conſenſus, ea conſpiratio, ut Iudicium ueluti effectus quidam eſſe uideatur Inuentionis, & uicißim Inuentio Iudicij. Nam & qui inuenit, inter plura falſa id quod rectum eſt eligendo iudicat: & qui iudicat, is iudicij ſui firmamentum inuenit. Optimus ergo Conſultor, optimè iudicat: & Iudex optimus, optimè conſulit. Proinde pleraque exempla Inuentionis Iudicio quoq; accommodari poterunt, & econtrà.

### IVDICES VEL ARBITRI PRVDENTES IN FORO. IVDICIA forenſia prudentum.

*Forum hîc intelligimus non publicum tantùm, ſed & priuatum locum, in quo de iure inter ſe diſceptant homines: ſiue coram Magiſtratu & Iudicibus, ſiue coram delectis quibuſdam Arbitris (qui temporarij cuiuſdam magiſtratus perſonam ex contendentium uoluntate uidentur ſuſtinere) cauſa proponatur, diſceptetur, diiudicetur.*

*Huc confer Tit. Humano iudicio abſoluti, quatenus Prudentia in abſoluendo ſpectatur.*

IVDICES Iſraëlitarum, grauiores & difficiliores controuerſias ad ſacerdotes referebant: ut quibus cum Deo omnis iuſtitiæ fonte quotidie res eſſet, cuius oraculum capere poſſent. Deut. 18.

SOLOMON Iudæorum rex, XII annorum puer, cùm mulieres duæ, utraq; puerpera, ancipitem partũ ſibi uendicarent, pro tribunali interſatus, ceu res æquiùs decerni nõ poſſet: Dimidiatum, inquit, puerum habete. Aſſenſa eſt, quȩ calumniam de puero alteri intenderat. cõtrà, quæ conſcia ſibi erat ſui partus, Quin uiuat, inquit, potiùs puer, & illa totũ habe-

 to.

to. Quẽ mulieris affectũ ſecutus Solomõ, puerũ huic, cuius erat reſtituit. Sab. lib. 4. c. 4. ex 3. Reg. 3.

Babylone Seniores duo Iudæi Suſannam Ioacimi coniugem, ut pulcerrimam, ita caſtiſſimam ad ſtuprum ſollicitarãt. Ea repugnãte, interminati ſunt ei, clamore ſublato ſeſe eam in iudicium protracturos, tanquam in adulterio cum iuuene quodã deprehenſam. At illa ſatiùs ſibi eſſe reſpondit, in manus hominum, quàm Dei incidere. Protrahitur in iudicium: Seniores duo teſtes in eam inſurgunt: condemnatur. Tum DANIEL puer etiamnum, ſeuerè obiurgatis Iſraëlitis, qui quæſtione nulla habita, inſontem morte plectere cogitarẽt, permiſſu illorum tribunal conſcendit: & ſingillatim de ſenioribus quæſtionem habuit. Cumq; alter ſub lentiſco, alter ſub ilice Suſannam ſe cum iuuene adulterantem conſpexiſſe dixiſſet: perfidia illorùm cognita, populo lapidibus obruendos tradidit. Danielis 13.

Cùm eſſet controuerſia inter Calydonios & Eleos, utriq; rem ad arbitriũ BVNÆ cuiuſdã Athenienſis detulerunt. Conuenerat autem, à manibus temperarent, donec ille de negotio pronunciaſſet. Quod ubi ſenſiſſet Bunas, de induſtria audiebat quidem utranq; partem, cæterùm per fictas occaſiones rem in longum diſtulit, nec unquam de lite uoluit pronunciare. Hinc prouerb. Bunas iudex eſt. Mnaſeas apud Zenodotum. Eraſmus in Adagiis.

Cùm quidam meretricem Aegyptiam Thonidem amaret, popoſcit illa ingentem pecuniæ ſummam. Adoleſcens inde, cũ in ſomnis ſibi uiſus eſſet cum illa concumbere, liberatus eſt libidine. Ob id mercedem ab illo inſtitit Thonis iudicio exigere. Cognita cauſa, iuſſit BOCCHORIS illi, quantum poſtulauerat Thonis argenti, in uaſe numeratum huc atq; illuc manu iactare, ac meretricem umbra frui: quòd ueritatis opinio umbra ſit. Hanc ſententiam cenſuit Lamia, quam Demetrius Poliorcetes deperibat licèt uetulam, iniquam eſſe. Neque enim, inquit illa, ademit meretrici umbra pecuniæ cupiditatem: ſomnium uerò amore adoleſcentem expediuit. Plutarchus in Demetrio.

Apud PERSAS lex erat humanitatis plena, ut ſi quis de crimine aliquo cõuictus eſſet, non priùs cõdemnaretur, quàm tota eius reliqua uita probè à iudicibus expenſa eſſet. Nam ſi cætera probus, in hoc tantùm facinore peccaſſet, humanæ fragilitati ueniam dabant, & quamuis noxium abſoluebãt. Sin uerò multis aliis uitiis uita eius obnoxia foret: omnium calculo damnabatur, quòd non caſu, ſed habitu deditaque opera malus eſſe uideretur.

ARTAPHERNES patruus Darij filiorum, conſtitutus iudex inter Arthemenem & Xerxem Darij filios, Xerxi ob dona innata regnum adiudicauit. Herodotus lib. 7. & Plutarchus in Artoxerxe.

Satyrus, Eumelus & Prytamis, Patyſadæ Boſphori Cimmerij regis filij (horum enim nomina ſequenti ſeu hiſtoriæ ſeu fabulæ quidam ueluti laruas induxère) de regno contendebant, quod ſibi & uirtute & patris defuncti beneuolentia deberi pro ſe quiſq; aſſerebat. ARIOPHARNIS Thracũ regis conſilio uſi, patris cadauer ex ſepulcro eruunt, arbori alligant, arcu contendunt, ut qui parentis cor ſagitta transfixiſſet: uerus regni hæres iudicaretur. Maior mediusque natu, directis arcubus, ille quidem guttur, hic uerò pectus medium, illæſo adhuc corde, transfigit. Natu minimus Eumelus etſi ſpes adhuc ſcopum attingendi ſupereſſet: crudelitatem & impietatem tantam deteſtatus, regno ſe fratribus cedere malle dixit, quàm in patris cadauer impiè ſæuire. Hoc audito, rex ille Barbarus dignum eſſe iudicauit, qui ſolus patri in regno ſuccederet: cùm & uirtute & paterna beneuolentia cæteris duobus ſe ſuperiorem eſſe, hoc ipſo manifeſtè oſtendiſſet. Quinetiam fratribus duobus hoc iudicium reprehendentibus, Eumelum armis ſuis eo uſq; iuuit, quoad Satyro & Prytami interemtis, regno potitus eſt. Ne exemplum hoc ἀδιάπτωτον eſſet, nominibus ex Diodoro mutuatis cohoneſtauimus, qui de horum fratrum bellis lib. 20. fuſè tractat.

Apud Athenienſes, cùm puer laminam, quæ ex Dianæ corona deciderat, ſuſtuliſſet: in iudicium adductus eſt. AREOPAGITÆ igitur, crepundia, talos & laminam auream propoſuerunt puero. Qui cùm ad aurum inclinaret, plexus eſt, tanquam ſacrilegus: neque ætati ueniam dederunt, ſed flagitium & ſcelus uindicarunt. Aelianus lib. 5. de Varia hiſtoria.

IIDEM puerum, qui oculos omnib. cornicibus, quos habere poterat eruere ſolebat, indolis improbitatem deteſtati, è medio ſuſtulere. Quintilianus lib. 5. c. 9.

Eripuerant Athenienſes Megarenſibus Salaminem. Cæterùm Megarenſibus inſulæ obſeſſioni adhuc incumbẽtibus, poſt multas & uarias utriuſque ciuitatis clades, apud Spartiatas iudicio eſt utrinque certatum, in quo maior adhuc gloria SOLONI quæſita eſt. Fertur in Salamine uendicanda Homeri teſtimonio uſus. Poetę carmen fuit in Bœotia ſitu Catalogo nauium:

αἴας δ᾽ ἐκ σαλαμῖνος ἄγεν δυοκαίδεκα νῆας,
στῆσε δ᾽ ἄγων ἵν᾽ ἀθηναίων ἵσταντο φάλαγγες.
Biſſenis Salamine Aiax cum nauibus ibat,
Cecropidum quo caſtra loco poſuère phalanges.

Peleũ præterea & Euryſacem Aiacis filios ciuitate ab Athenienſib. donatos, & ab his inſulam dono acceptam: & illud additũ, quòd Salaminij Athenienſiũ morem ſecuti, defunctos, cùm humi conderent, ad occidentem, nõ ad orientẽ, ut Megarenſes ora uerterent. Pythium præter cætera oraculũ Athenienſiũ cauſam iuuiſſe fertur, cuius uoce Ionica Salamis appellata eſt. Sab. lib. 5. En.

Arrhachion Phigalenſis ex Arcadia, in pancratio Olympico, cùm uictis aliis aduerſariis, unus, quo cum de oleaſtro certaret, relictus eſſet: ille eodem impetu & pedibus Arrhachionem incinxit, & manibus collum obſtrinxit. Eius digitum Arrhachion pedis infregit, & dum ſtrangulatus iam animã ageret, præ digiti dolore aduerſarius eodem temporis momẽto corruit. ELEI itaq; Arrhachionis cadaueri uictoriam præconis uoce adiudicarunt. Statuam ei in foro Phigalẽſes poſuere. Pauſanias in Arcadicis.

Nemeis ludis, cùm Creugas & Damoxenus Syracuſanus diem pugilatu ad ueſperum exemiſſent: inter eos ita conuenerat, audiente tota corona, ut uiciſſim alter in quam iuſſus eſſet, corporis partem, ſingulas alterius plagas acciperet. Tunc quidem Creugas prior Damoxeno in caput plagã inflixit. Iuſſit hic illum manum immotam ſuſtinere. Quo facto, Damoxenus infeſtis digitis partem alui petiit, quę infrà coſtas eſt. Ea uerò fuit, cùm unguium duritia, tum incurſionis impetus, ut immiſſis utrinq; manibus uiſcera apprehenderit, eaq; dilaniata extraxerit. Expirauit ſtatim Creugas. At ARGIVI Damoxenum, quòd pactis non ſtetiſſet, quippe, qui non uno, ſed plurib. uulneribus aduerſariũ confeciſſet, exilio multarunt: Creugæ iam mortuo palmã detulerũt, eidẽq; ſtatuam Argis poſuerunt. Idem.

Erant Mileſiorum res domeſtica ſeditione concuſſę. Poſtremò malorum, quæ inuicem perpeſſi fuerant, ſatietate capti, PARIOS domeſticarum contentionum arbitros Mileſij fecerunt. Hi quum Miletum ueniſſent, omniaq; ruinis oppleta cernerent, campeſtrem regionem perluſtrare ſe uelle pronũciarunt. Ibi ſi qua prædia nitidiore cultu oculis occurrebãt, eorum, qui poſſiderent nomina perſcripſere: mox in urbem reuerſi, populoque ad concionem uocato, urbem his miniſtrãdam cõmiſere, quorum fundos optimè cultos inueniſſent: præfati, uideri ſibi eos ita publica, ut ſua curaturos. Cæteri quorum res incultæ repertæ ſunt, quia ſeditionum ſtudioſi propria neglexiſſent, melioribus parẽrent. Atq; in hũc modum Parij Mileſiorum ciuitatem, utili ad ciuilem uitam inſtituendam exemplo, compoſuiſſe dicuntur. Sab. lib. 8. En. 2. ex Herod. lib. 5.

Alexandridas roganti eum, quid cauſas capitales SENES pluribus diebus diſceptent: atque ut noxa quis liberatus ſit, nihilominùs maneat reus? Multis, infit, diebus diſceptãt: quòd ſi in re capitali titubent, non ſit ad pœnitentiam regreſſus, legibus autem obnoxium eſſe oportet, quòd hac ex lege liceat etiam rectius conſilium capere. Plut. in Apoph.

Cùm LACEDÆMONIIS lex eſſet, ut hoſtias niſi ad ſacrificium quoddam redemtor præbuiſſet, capitale eſſet: hoſtias, is qui redemerat, cùm ſacrificij dies inſtaret, in urbem ex agro cepit agere. Tum ſubitò magnis commotus tempeſtatibus fluuius Eurotas, is qui propter Lacedæmonem fluit, ita magnus & uehemẽs factus eſt, ut eò traduci uictimæ nullo modo poſſent. Redemtor, ſuæ uoluntatis oſtendẽdæ cauſa, hoſtias conſtituit omnes in litore, ut qui trans flumen eſſent, uidere poſſent. Cùm omnes ſtudio eius ſubitam fluminis magnitudinem ſcirent fuiſſe impedimento: tamen quidã eum capitis accerſierunt. nam utut ſit, quia factum non ſit, quod lex iubet, eum ſupplicio dignum eſſe. At quia crudele eſt, caſus, qui uel à ſapiente præuideri non poſſunt, hominibus imputari: mea quidem ſententia, reum abſolui placet. Sufficit enim Ciceroni genus controuerſiæ propoſuiſſe, nõ etiam quid in re certè non ficta placuerit, in medium adducere. P. Aerodius ex Cic. lib. 2. de Inuent.

Pſamini filio Pſammetichi apud Aegyptum regnante, nuncij Heliorum è Græcia dimittebantur, iactantes à ſe in Olympia iuſtiſſimum ac maximum inter mortales propoſitũ eſſe certamen, rati, ne Aegyptios quidem hominum ſapientiſſimos aliquid ultra hæc eſſe inuenturos. Iſti ubi in Aegyptũ peruenerunt, eaq; expoſuerunt, quorum gratia uenerãt: Rex conuocat ex AEGYPTIIS eos, qui ſapientiſſimi haberentur. Qui cùm conueniſſent, & Helios audiſſent omnia cõmemorantes, quæ par erat ab eis fieri in edendo certamine, & ſe ueniſſe dicẽtes ſciſcitatum, Nũquid poſſent Aegyptij reperire iuſtius. habito inter ſe conſilio, interrogabãt Helios, Nunquid apud eos certarent ciues? Et illis reſpondentibus, ſine diſcrimine & ſuorũ & cæterorum Græcorum cuicunq; uolenti certare fas eſſe: Atqui, inquiunt, illos, cùm tale certa-



men proponant, ab omni iure excedere. Nullo etenim pacto poſſe fieri, quin conciui pugnanti ciues fauerent, facientes iniuriam hoſpiti. Sed ſi uellent iuſtum proponere certamen, & ſi eius gratia ueniſſent in Aegyptum, iuberent hoſpitibus ponere certamen, nullo Heliorum certare permiſſo. Herodotus lib. 2.

Lex apud Rhodios fuit, ut ſi quã roſtrata in portu nauis deprẽhenſa eſſet, ea publicaretur. Cùm igitur magna in alto tẽpeſtas eſſet, uis uentorum, inuitis nautis Rhodiorum, in portũ nauim coẽgerat. Quæſtor nauim Populi uocauit. nam roſtratam in portu deprehẽſam eſſe. Nauis dominus negabat publicari oportere: quia ui maiore ac neceſſariò in portum coacti eſſent: itaq; non uideri contra legem, quid feciſſe, cuius ſi, ut in omnibus, uoluntatẽ ſpectari placet, mens ea certè nunquã fuiſſe dici poteſt, ut qui culpa careat, ſupplicio ac fraude nõ careat. nã hoc nihil indignius eſſe: niſi ex ſuo quoque nomine placeat cõmunem omnium hominũ infirmitatẽ condemnari. Quæſtor rurſus, nullam nõ relinqui peccandi poteſtatẽ, ſi ſemel inſtitutum ſit, ut non de facto, ſed de facti cauſa quęratur. Nauẽ τῇ δυνάμει in portum eijci, & ſi tum fortaſſe prohiberi non potuit, id tamẽ antea euitari ac multis rationibus præcaueri potuiſſe. Attamẽ ex ALFENI Vari ſententia, ad ſimilitudinẽ nauis onuſtæ cotibus, quæ ante Idus Martias ex portu Cretæ profecta, & à uento in portum relata, iterum poſt Idus Martias aduerſus legem profecta fuerat: nos quoq; à Rhodiis ita iudicandum eſſe interpretabimur, Nauim cõmiſſam eſſe non uideri, inquit P. Aerodius ex Cic. lib. 2. de Inuent.

Aeſtiuo tẽpore adoleſcentes urbani, cùm Hoſtiã ueniſſent, litus ingreſſi, piſcatores trahentes rete adierunt: pactique iactum retis quanti emerẽt, precium numerarunt. Hi cùm diu expectaſſent dũ retia extraherẽtur tandẽ nullus quidẽ piſcis apparuit, ſed ſporta auri obſuta. Hunc emtores bolum ſuũ dicere, piſcatores ſuũ. Hanc ſanè controuerſiã ex ueritate ac re, quæ recẽs accidiſſet (ut aliàs plerunque) è medio foro in ſcholam traductam eſſe, & ibi ſæpiùs agitatã, ſcribit Suetonius Trãquillus: ſed quid in ea aut uiſum aut iudicatum ſit, omnino prætermittit. Fuiſſe uerò iurgiũ hoc ambigui iuris atq; indifficilis, ex MILESIORVM decreto facilè cognoſci poteſt. Nam cùm antea genus idem cauſæ apud Coos accidiſſet: nẽpe ut cùm Ionici adoleſcẽtes iactum retis à piſcatoribus cõparaſſent, extracta magni ponderis aurea menſa ſiue tripode, Coi propter nouitatem rei & magnitudinẽ pecuniæ ad Miletum Ionũ metropolim negotium reieciſſent: uix quid in eo ſequerẽtur Mileſij habuerunt. Itaq; cõſuli placuit Apollinẽ Delphicũ. Reſpondit, neutri: ſed ei, qui in tota Græcia ſapiẽtia præſtaret, dandam eſſe. Ergo omnium conſenſu Thaleti conceſſa eſt: ille cõtrà ceſſit ea Bianti, Bias Pittaco, hicq; aliis, ſicut deinceps per ſeptem ſapientũ ordinẽ ad Solonem perueniret. Is rectè affirmans Deum ſolum ſapientẽ eſſe, Apollini conſecrauit. Suetonius de illuſt. Rhet. Val. Max. lib. 4. c. 1. Laërtius lib 1.

SENATVS Romanus Tiberium Gracchum tribunum plebis Agrariam legem promulgare auſum, morte multauit. Idem tamen, ut ſecundùm legem eius per Triumuiros ager populo uiritim diuideretur, egregiè cenſuit. Siquidem grauiſſimę ſeditionis eodem tempore & auctorem & cauſam ſuſtulit. Val. Max. lib. 7. c 2.

IDEM Senatus, cùm ob nimis aſperè actam cẽſuram à Cn. Bebio Tribuno plebis, Cl. Nero & L. Salinator Coſs. pro Roſtris agerẽtur rei, cauſæ dictione decreto ſuo liberauit, uacuum omnis iudicij metu eum honorẽ reddendo, qui exigere deberet rationem, non reddere. Ibidem.

C. Cælius iudex abſoluit iniuriarũ reum, qui Lucilium poëtã in ſcena nominatim læſerat: exiſtimauit enim inter eos quibus propria maledicentia & inuidia eſt, hanc nominationẽ non ad iniuriam, ſed ad æmulationẽ pertinere: denique qui ſolitus eſt maledicere, ut idem de ſe dicatur priùs, iure tolerare poſſe. At P. MVTIVS contrà, mimum, qui Lucium Accium Poëtam in ſcena nominauerat, cùm nihil aliud defenderet, niſi licere eum nominare. cuius nomine ſcripta dẽtur in uulgus: hoc ipſo condemnauit: habita uidelicet perſonæ, temporis atque loci conditione: quæ à mimo, & de ſcena atque in conſpectu totius Populi Romani, dum res non ſeria, ſed ludicra agitur, quenquam eximium uirum nomine compellari non patiuntur. Nam ſi plures in inſtrumentis legi ſua nomina moleſtè ferunt, quanto magis ea à mimo pronunciari? Paulus Aerodius ex auctore ad Herennium libro 1. & 2.

Ex paruulorum interrogatione, nedum minorũ uiginti annis, quos uel citari in teſtimonium prohibemus, certa nihilominus plerunq; probatio inducta eſt, quamuis nullis extrinſecus argumẽtis accuſatio impleretur: atq; (quod maius eſt) id ætatis uno teſte reum peragi aliquando accidit. M. CL. Marcellus, cùm ędilis curulis eſſet, filium habebat Marcum cùm forma in flore ætatis inſigni, tum moribus & eruditione rara, ut eum ciues admirarentur. Hunc laſciuus & audax homo amore deperiens, collega Marcelli Capitolinus attentauit. Cuius tentationem adoleſcẽs primùm per ſe reiicit. Vbi ille eum iterum appellat, defert rem ad patrẽ. Id iniquo animo ferẽs Marcellus, accuſat hominẽ in ſenatu. Qui appellatis tribuniſplebis, uaria diuerticula, uarias præſcriptiones molitur: neq; hic prouocationẽ recipiẽtibus, inficiatione reiicit crimẽ. Quia uerò tentatio Capitolini remotis arbitris fuerat, placuit ſenatui puerum accerſere. Cuius ruborem & lacrymas præſentis, mixtumq; flagrantiſſima ira pudorem cùm cernunt PATRES: nullo ultrà quæſito iudicio, damnant Capitolinum, litemq; pecunia æſtimant: ex qua menſam argentariam fecit Marcellus, quam diis dicauit. Plutarchus in Marcello.

ATTILII Calatini in lite de iure triumphandi dirimenda prudentiam inter Luctatium conſulẽ & Q. Valerium prætorẽ, pete ex Tit. Qui triumphare poſſint, aut debeant.

Liuia Auguſta, hærede Tiberio, H-S. QVIN. hac nota, Sergio Galbæ legauerat. Sergius petebat ex teſtamẽto H-S. quingẽties. Hæres ex aduerſo allegabat quinquaginta duntaxat legato contineri. nam ex notata atq; imperfecta ſumma non perſcripta, quod minus eſt, accipiendum eſſe. Pro Galba hoc afferebatur, quod dicimus, huiuſmodi legata ex modò facultatum quas teſtatrix reliquiſſet, ex legatarij dignitate, caritate & neceſſitudine conſiderari: quemadmodum & in dotis repromiſſione, non demonſtrata re & quantitate, quinetiam arbitrio detracto, & patre & marito dignã dos dicta eſſe intelligitur. Vicit TIBERII ſi non cauſa, certè auctoritas. ita enim mihi placet locum illum potiùs interpretari, quàm ut Tiberium pro hac nota L. hanc D. feciſſe arguamus. P. Aerodius ex Suetonio.

Cùm Nonius, homo Auguſto principi perneceſſarius, ueneficij cauſam diceret, dubitaſſe dicitur OCTAVIVS, quę eſſẽt ſuæ partes: ueritus, ne ſi reo ſupereſſet ſua auctoritas, legib. reum eriperet: contrà, ne à ſe deſtitutum prædamnare uideretur: amicis ita conſentiẽtibus, ſedit in ſubſelliis aliquot horas, uerùm tacitus, ne iudiciali quidem laudatione uſus: ne princeps plus uelle uideretur, quàm ciuitatis iura poſtularent. Sab. lib. 4. c. 4. ex Suetonio.

L. Clœlius Terracinenſis, cùm cœnatus cubitum in idem conclaue cum duobus adoleſcentibus filijs iſſet, inuẽtus eſt mane iugulatus. Cùm neq; ſeruus quiſquam reperiretur, neq; liber, ad quẽ ea ſuſpicio pertineret: id ætatis autem duo filij propter cubantes, ne ſenſiſſe quidẽ ſe dicerent: nomina filiorum de parricidio delata ſunt. Nuſquam uero ſimile uidebatur, auſum eſſe quenquam ſe in id conclaue committere eo potiſſimùm tempore, cùm ibidem eſſent duo filij, qui & ſentire & defendere facilè potuiſſent. Tamen cùm planum IVDICIBVS eſſet factum, aperto oſtio dormientes eos repertos eſſe: iudicio abſoluti adoleſcentes, & ſuſpicione omni (qua ſola iudicium agebatur) liberati ſunt. Nulli enim uiſum quenquam eſſe, qui cùm omnia diuina atq; humana iura ſcelere nefario polluiſſet, ſomnum ſtatim capere potuerit: propterea, quòd qui tantum facinus commiſerunt, non modò ſine cura quieſcere, ſed ne ſpirare quidem ſine metu poſſunt. Paulus Aerodius ex Cicerone pro Roſcio, & ex Valerio Maximo lib. 8. c. 1.

CLAVDIVS Cæſar feminam non agnoſcentẽ filium ſuũ, dubia utrinq; argumentorum fide ad confeſsionẽ compulit, indicto matrimonio iuuenis. Suetonius.

GALBA Africæ procoſs. in iure dicendo, cùm de proprietate iumenti quæreretur: leuibus utrinque argumentis & teſtibus, ideoq; difficili coniectura ueritatis, ita decreuit, ut ad lacum, ubi adaquari ſolebat, duceretur capite inuoluto: atque ibidem reuelatio eius eſſet, ad quẽ ſponte ſe à potu recepiſſet. Idem.

M. Syl. OTHO, qui poſtea imperauit, cùm adhuc priuatã ageret uitam à duobus de finibus arbiter electus, agrum emit, de quo orta erat controuerſia, & alteri contendentiũ dono dedit: atq; ita inter ipſos litem ſuſtulit. Idem.

Egnatius Marcellinus Quæſtor in Prouincia, ſcribã, qui ſorte obtigerat, ante legitimũ ſalarij tẽpus amiſit. De eo, quid acceperat ſcribæ daturus, cùm intelligeret ſubſidere apud ſe non oportere: in Senatu quæſitum eſt, quid fieri de ſalario uellet. Hæredes ſcribæ, id reſiduum ſibi: Præfecti, ærario populoq; uindicabant. Cælius STRABO ærario cenſuit inferẽdum: Bæbius Macer hęredibus dandum. Obtinuit Strabo. Sanè à Leone Imperatore tandẽ id ſolis fiſci aduocatis conceſſum eſt, ut totius anni cõmoda atq; ſtipendia ex quo hoc officium peragere ceperint, ſi moriantur, deferant hæredib. Plin. Nepos lib. 3. Epiſt.

Bithynæ ac Ponticæ ciuitates, apud C. Plinium Proconſulẽ alebant, in exigẽdis pecuniis, quæ ſibi uel ex locationibus, uel ex uenditionibus, aliisq; cauſis deberentur, priuilegium cõpetere: eo iure uſos eſſe ſe lõgiſſimo tempore, ſibiq; id nec alios antea Proconſules denegaſſe: quod ius πρωτοπραξίαν

appellare ſolent: & eſſe huiuſmodi, ut omnibus aliis chirographariis creditoribus anteponantur: hoc in omni ſua regione pro lege ualuiſſe. Creditores contrà, ſolum Principẽ aut Rempublicam Romanorum, eámue, quæ principũ inſtar, fiſcum, ærarium, publicam pecuniam habet, iſto uti priuilegio, quaſi ſuo quodam iure ob cõmunem utilitatem, uidelicet, ut chirographariis non etiam hypothecariis præferantur, alias omnes ciuitates eſſe loco priuatorum: ideoq; à cæteris creditoribus, qui perſonalem actionem habent, cauſam eorum ſeparari non oportere. Fruſtrà opponi à Bithynis & Ponticis ciuitatibus, eo ſe antea iure uti conſueuiſſe: quià tale ac tantum priuilegium nulla ciuitas aliis modis in bonis debitoris ſibi acquirere debeat, quàm ſi id nominatim à Principe non à Procõſulibus acceperit, aut ſpecialiter in unoquoque negotio ſibi fortè de eo iure proſpexerit. C. PLINIVS Secundus ex ſententia Traiani Imperatoris pronunciauit, uſum in his rebus atq; conſuetudinẽ citra legẽ totius Reipub. aut Principale beneficium, non ualere. P. Aerodius ex Plin. Nep. lib. 10. Epiſt.

Cùm de iurgio quodã Senatoris Equitisq; Romani, VESPASIANVS Auguſtus ipſe cognoſceret: ac pro Senatore diceretur, tanti ordinis homini quoquo modo factã iniuriã ferri nõ oportere, etſi ab eo ceperit, non ultrò Eques intulerit: ita pronũciauit, Nõ oportere maledici Senatoribus: remale dici, ciuile faſq; eſſe. P. Aerodius ex Suetonio.

Maritus quidam hæres uxoris ſuæ, petebat à Suro pecuniam, quam apud eum depoſuiſſe defunctam ſe tum marito abſente affirmabat: & in eam rem unum teſtem liberti ſui filiũ produxerat. Apud Procuratorem deſiderauerat & quæſtionem haberi de ancilla defunctæ. Surus negabat ſe accepiſſe, & teſtimonium nõ oportere unius hominis admitti: nec ſolere à quæſtionibus incipi, etſi aliena eſſet ancilla. Procurator quæſtionem de ancilla habuerat. Cùm ex appellatione cognouiſſet ALEXANDER Seuerus Imp. pronunciauit, quæſtione illicitè habita, unius teſtimonio non eſſe credendum: ideoq; rectè prouocatum. P. Aerodius ex Paulo libro 3. Decretorum.

Camelia Pia ab Hermogene appellauerat, quòd diceret iudicem de diuidenda hæreditate inter ſe & cohæredem, non tantùm res, ſed etiam libertos diuiſiſſe, & alimenta, quæ dari teſtator certis libertis iuſſiſſet: nullo enim iure id eum feciſſe, ut libertos quaſi mancipia quedã aut hæreditaria bona diuideret. Nam adeò quoq; libertorum omnium hæredes omnes æquè patronos eſſe, ut & ſi pater ipſe teſtamento per epiſtolam, aliíſue modis uni ex filiis libertum aſſignauerit, non deſinat alterius filij libertus eſſe: quare & aſſignationem, nec quaſi legatum, nec quaſi fideicommiſſum percipi. Ex diuerſo reſpondebatur, hæredes conſenſiſſe diuiſioni, & multis annis alimenta ſecundùm diuiſionem præſtitiſſe. Placuit ALEXANDRO Seuero Imp. nullam eſſe libertorũ diuiſionem: quia quod eſt natura indiuiſum, eius partitio facta nullis modis confirmari poſſit: ſed illud adiecit, ſtandum eſſe alimentorum præſtationi. Nam id fieri ſolet, ut quoties plures ſunt hæredes, ex cauſa alimentorum liberti diuidantur, ne à ſingulis hæredibus nominatim alimenta petentes, diſtringantur. Paulus lib. 1. Decretorum.

Quidam pupillum filium ſuum hæredem inſtituit, & ſi hæres non eſſet, aut intra pubertatem moreretur, quoſdam ſubſtituit. Pupillus hæres patri extitit: poſt itẽ alia bona ei obuenére: deinde uerò mortuus eſt antequã in tutelam ſuã ueniret. De hac hæreditate, quæ pupillo aliundè obtigit, inter eos, qui patris pupilli hæredes ſecundi ſunt, & inter agnatos pupilli controuerſia mota eſt apud CENTVMVIROS. At qui hæredum ſecundorum certè poſſeſſio fuit. Et quamuis duæ ſint quodammodo hæreditates, quia tamẽ ſeparari nõ poſſunt, propterea quòd unum ſit teſtamentum patris & filij, meritò arbitror ſecundũ hæredes pronunciatum eſſe. P. Aerodius lib. 1. Decret. ex Cic. lib. 2. de Inuent.

Manius Curius à Coponio hæres inſtitutus erat his uerbis, Si mihi poſt mortem meam in decem mẽſibus proximis filius natus erit, hæres eſto. Quòd ſi is antequam in tutelam ſuam ueniat, moriatur: tunc in locum partemq; eius M. Curius hæres eſto. Cùm neq; natus eſſet poſthumus, Curius ſecundus hæres, apud Centumuiros & iudicante Manilio, petebat hæreditatem. Q. Mutius Scæuola pro M. Coponio aguato, negabat niſi poſthumus & natus & antequam in ſuam tutelã ueniret, mortuus eſſet, hæredem eum eſſe poſſe, qui eſſet ſecundùm poſthumum & natum & mortuum hæres inſtitutus: itaq; M. Curium hæredem eſſe non poſſe, quia conditione deficitur. At contrà L. Craſſus dicebat, uoluntatem, nõ uerba ualere oportere. Hunc teſtatorem, qui ſub hac conditione Curium hæredem eiſe uoluerit, ſi poſthumus moriatur, hoc uoluiſſe, hoc ſenſiſſe, quoquo modo filius nõ eſſet, qui in ſuam tutelam ueniret, ſiue non natus, ſiue antè mortuus, Curius hæres, ut eſſet. Vicit L. CRASSVS, ac facilè ſententiam ſuam probauit omnibus. Quare ſecundùm Maniũ Curium pronunciatum eſt: & ideo Paulus libro ſingulari de de ſecundis tabulis reſpondit, cùm à poſthumo ita legetur, ſi hæres erit, & non nato poſthumo ſubſtituti adeant: legata eos debere, quæ ille, ſi uiueret, debiturus erat. P. Aerodius ex Cic. lib. 2. de Inuent. & lib. 1. & 2. de Orat. & in Bruto, in Topicis, & pro Cæcin.

Titianus Primus præpoſuerat ſeruum mutuis pecuniis dãdis, & pignoribus accipiendis. Is ſeruus, etiam negotiatoribus hordei, ſolebat pro emtore per interceſſionem ſuſcipere debitum & ſoluere. Cùm fugiſſet poſtea ſeruus, & is cui delegatus fuerat dare precium hordei, conueniret dominum nomine inſtitoris: negabat eo ſe nomine conueniri poſſe, quia non in eam rem præpoſitus fuiſſet. Cùm autem & alia quædam geſſiſſe, & horrea conduxiſſe, & multis ſoluiſſe idẽ probaretur: præfectus annonæ contra dominum dederat ſentẽtiam, & is ad Imperatorem ALEXANDRVM prouocauerat. Dicebãt, Vlpianus, Paulus, alijq; Iuriſconſulti, qui in cõſilio aderant, quaſi fideiuſſorẽ eum uideri, cùm pro alio ſolueret debitum: non ſolere autem ex ea cauſa in dominum dari actionem, nec uideri hoc dominum mandaſſe: & quòd alia quædam geſſiſſe probaretur, ne horum quidem gratia dominum, ſi nolit, obligari. Sed quia uidebatur, in omnib. quæ & ſoleret ipſe agere, quâle hoc unum fuit, ſeruum ſuo nomine ſubſtituiſſe: ſententiam conſeruauit Imperator. Paulus lib. 1. Decret.

Pudente & Pollione Conſulibus, in cognitione M. ANTONINI Auguſti hæc controuerſia mota eſt. Val. Nepos Viuium, Zenonem & Leonem heredes inſtituerat: iiſdem etiã multa prælegauerat: manumiſerat quoſdam, & aliis quoq; legata dederat. Poſtea cùm hæredum uniuſq; ſerui, quẽ liberũ eſſe iuſſerat, nomina induxiſſet, neq; eſſent, qui ab inteſtato hæredes eſſe poſsẽt, bona ut caduca, fiſci aduocati uindicabãt. Certè ab Imperatore pronunciatum eſt, hæreditatẽ ad eos, qui ſcripti fuerant, & quorum nomina Valerius induxiſſet, pertinere non poſſe: ceterùm ut eam aduocati fiſci apud ſuos iudices peterent, Procuratorem Fiſci aut Rationalem, ſi caducam eſſe intenderent. Sed de legatis dubitatum eſt, & maximè de iis legatis, quæ adſcripta erãt Zenoni & Leoni, quorũ inſtitutio fuerat inducta. Dicebat Calphurnius Longinus aduocatus fiſci, nõ poſſe ullũ teſtamẽtũ ualere, quod hæredem nõ haberet. Zeno contrà & Cornelianus Priſcianus aduocatus Leonis dicebãt, Valeriũ Nepotẽ nomina hæredũ tantùm induxiſſe. Id iure ipſo perimi duntaxat, quod inductũ ſit. Antoninus Cæſar, remotis omnibus cũ deliberaſſet, & admitti rurſus eoſdẽ iuſſiſſet, ita ſecundũ Marcelli ſententiã pronũciauit: Cauſa præſens admittere uidetur humaniorem interpretationẽ, ut ea duntaxat exiſtimemus Nepotem irrita eſſe uoluiſſe, quæ induxit. Cæterùm eũ nihilominùs liberum fore, cuius nomen induxerit. P. Aerodius lib. 1. Decret. ex Marcello lib. 29. Digeſtorum.

Referebatur de libertis Afranij Dextri Conſulis, incertum ſua, an ſuorũ manu, ſcelere an obſequio peremti. Hos alij poſt quæſtionem ſupplicio liberandos, alij in inſulam relegandos, alij morte puniendos arbitrabantur. Atq; in ea erãt cõditione ſententiæ, ut ſingularũ nulla pars alia maior eſſet. Itaq; in id iri quod mitius eſt, uidebatur oportere, eamq; numero ſententiã præualere, quæ abſoluendos eſſe cenſuiſſet. Cõtrà, puniendos eſſe dicebatur: etenim eorũ, qui uindicẽt, duas partes eſſe: unam duntaxat eorum, qui abſoluant: ſi in genere pœnæ differant, in eo certè conuenire, quòd ambæ animaduertant. Sed poſtquam ſumma æquitate in ſingulas ſententias iri placuit, ſingulaſq; ſeparatim conſiderari, in eã quiſq; partem eundo quã ſentiret: propterea, quòd nihil magis cõmune habet occidere & relegare, quã relegare & abſoluere: ideoq;, ut ij, qui puniunt, ab aliis diſcrepant: ſic illi inter ſe pugnent: imò uerò aliquanto propior ſit ſententiæ relegantis, ea quæ abſoluerit, quàm quæ occiderit. quare iungi ſententiæ non poſſunt tam diuerſa cenſentium: lex enim ait, Qui hæc ſentitis, in hanc partem: qui alia omnia, in illam partẽ ite qua ſentitis. ij qui occidebant omiſſa ſententia, relegationi acceſſerunt. Itaq; relegati ſunt liberti. P. Aerodius ex Plinio Nepote lib. 8. Epiſt.

Braſidas, quidam Lacedæmonius uir Prætorius, cùm filiis ſuis ab uxore diuortio ſeparata fideicommiſſum relictum eſſet, hoc modo, Si morte patris, ſui iuris facti eſſent: eos emãcipauerat. Filij poſt emancipationem, fideicommiſſum petebant. At conditio certè non extiterat: aut uerò uidebatur mors patris expectanda eſſe, nec heredes antè fideicommiſſi nomine conueniri poſſe. Tamen M. ANTONINVS Imp. in auditorio de hac ipſe cognoſcens, intellecta matris uoluntate, quæ quia non crediderat patrem filios emancipaturum, diſtulerat in mortem eius fideicommiſſum, dilatura id in mortalitatem, ſi eum emancipaturum ſperaſſet: decreuit fideicommiſſum eis repræſentandum. Aerodius ex Vlpiani lib. 5. Diſputat.

Fabius Antoninus impuberem filium Antoninum & filiam Honoratam relinquens, exhæredatis his, matrem eorum Iuliam Valerianam hæredẽ inſtituit: & ab ea trecenta & quaſdam res filiæ reliquit: reliquam omnem hæreditatem filio Antonino, cùm ad annum uiceſimum ætatis perueniſſet, uoluit reſtitui: quòd ſi ante annum uiceſimũ deceſſiſſet filius, eam hæreditatem Honoratæ reſtitui præcepit. Mater inteſtata deceſſit, utriſque liberis legitimis hæredibus relictis. Poſtea filius annum agẽs plenum nonumdecimum, & ingreſſus uiceſimum, necdum tamen eo expleto, deceſſit, filia hærede Flauia Valeriana ſua relicta: à qua amita fideicommiſſum, & ex teſtamento patris portionem hæreditatis petebat, & apud præſidem obtinuerat. Tutores Valerianæ filiæ Antonini, egeſtatem eius prætendebant, & recitabant diui Hadriani conſtitutionem, in qua quantum ad munera municipalia, iuſſerat eum annũ, quem quis ingreſſus eſſet, pro impleto numerari. Imperator autem ALEXANDER motus & æquitate rei, & uerbis teſtamenti, Si ad annum uiceſimum ætatis, quæ hanc interpretationem pati poſſunt, ut is ad annum uiceſimum ętatis perueniſſe dici poſſit, qui illum annum attigit, licèt propriè uiginti annorum natus non ſit: contra petitricem pronunciauit. P. Aerodius ex Pauli lib. 2. Decretorum.

In Italia cũ mulier defuncto marito ſecundas nuptias amatori ſpopondiſſet, & conditionẽ addidiſſet, filium domo eiecturam: queſtus eſt filius de matre apud THEODERICVM regem Gothorum. Negabat cõſtanter mulier, eum ſuum eſſe filium, ſuppoſitũ dicebat. Multis hinc atq; hinc argumentis contendebatur. Rex ingenio ſagax, Claudij Imp. imitatione, ut ueritatẽ erueret: Atqui, inquit, ô mulier, potes, ſi me audis, facilè iſta te moleſtia liberare: quin tu iuuenem iſtũ, qui filiũ tuũ ſe facit, maritum accipe: minor eſt ætate, & facie liberaliore. Mulier omnino cõmota, primùm ſubſtitit, q̃d reſponderet. Quũ aliquandiu ſe collegiſſet, multis cauillationibus eam rem ſubterfugere, neq; ſibi conſtare cepit, ſed omnia ambagibus inuoluere. Theoderico maior orta eſt ſuſpicio. Itaq; finxit ſe pœnam addere, niſi conſentiret. Tunc adacta mulier ſceleris horrore, ſuum eſſe filium confeſſa eſt. Io. Magnus lib. 9. c. 29. ex Iuſtiniano Veneto.

De commiſſo homicidio ſuſpectus erat pater, erat & filius: factum uterque negare, nec ullis tormentis fateri. CAROLVS Magnus ueritatis confitendæ cauſa utrunq; ad ſuſpendium condemnat. Tum pater amore filij motus, ſeſe reum, filium culpæ expertem pronunciauit. Barb. in cap. in præſentia de Probat.

Contendebant inter ſe fratres duo, Emanuel & Andronicus, uter eorum patri ſuccederet, qui Caloianes dictus, Byzantij tunc rerum potiebatur. Andronicus quidem ad certam imperij ſpem alendam Genuenſibus præcipuè fauebat, quibus Tenedum inſulam dono dari à patre omni ope ſtudebat: cõtrà Emanuel in Venetorum gratiam maximè adnitebatur, ut arcem à ſe conſtructam obtineret. Quum inter ſe in primis fratres diſſiderent: AYMONEM Sabaudiæ ducem ſupremum arbitrum delegêre. Qui prudẽter omnia agens, fratribus quum perſuadere nihil omnino poſſet: finem tandẽ ſuo arbitrio impoſuit, ita ut Veneti arce diruta domum recederent, nec Genuenſes inſulam ullo modo retinerent. Egnatius & Fulg. lib. 8. c. 2.

SIGISMVNDVS Imp. componendæ pacis cauſa inter Francos & Anglos, Lutetiam uenerat. In curia præſedit, cauſæ actæ, orationes habitæ. Ambigebatur in primis de præfectura Bellocarenſi. Erat inter duos contentio. Eorum alter cæteris omnib. ſuperior una re uincebatur, quòd equeſtri baltheo donatus non erat, quo inſigni alter decoratus, ea maximè fiducia nitebatut. Cauſa utrinque perorata, ne uirtute ſuperior, inſignium uirtutis expers, præfectura deiiceretur: uocatum eum ad ſe, enſe baltheoque Cæſar donauit. Conſtituebat etiam comitem Sabaudiæ, magna celebritate ducatus inſignib. exornare. Interceſſerũt regij magiſtratus, ne in regno Francico quicquam pro imperio agere decernereúe poſſe uiderentur Auguſti. Permodeſtè id tulit Cæſar. Aemilius lib. 10.

Ad FRIDERICVM III. Imperatorem cùm ruſticus ueniſſet, & indicaſſet, equorum alterum in caupona ex biga ſubtractum eſſe furto: Imperator reum indicari ſibi iuſſit. Ruſticus autem cùm hoc nequiret: Miror, inquit Fridericus, cur etiam alterum equum non amiſeris: multi enim ſunt hodie in hac urbe equites, qui equis indigent. Tum agricola, Equa eſt altera, ô Cæſar, quæ belligerantibus nulli eſt uſui. Tu ergo, ait Fridericus, equæ inſidito, atq; in omnes urbis uicos diſcurrito: ſubtractus equus in aliquo ſtabulo latitat, qui cùm iugalem equam ſenſerit, mox hinnitum dabit. Paruit homo, eoq; pacto furtum cõpertum eſt: ruſticus, quod ſuum erat recuperauit, & fur pœnas dedit. Aeneas Syluius lib. 2. Commentariorum de Rebus geſtis Alfonſi.

Mercator Germanus ad mercatum Francofordẽſem profectus circa annum Chriſti MCCCCVI, uino madidus hipposperam octingentis aureis onuſtam in itinere amiſit. Die feſto pro concione iacturam eam proclamari fecit, & indici centum aureos ſe daturum promiſit. Tum faber lignarius, pauper ille, ſed integræ uitæ, mercatorem adit, & à ſe repertam hippoperam affirmat. Lætus mercator, certis indiciis ſuã illam eſſe oſtendit. Cumq; ea coram teſtibus in medium prolata eſſet: mercator aſtu fabrum circumuenire ſtudens, octingentis aureis numeratis, quinq; honorarij cauſa ei obtulit, centũ ab illo clàm ſuppreſſos dictitans, cùm nongẽti in hippopera incluſi fuiſſent. Faber negare factũ: mercator inſtare. Re ad IVDICES delata, cũ mercatoris uerſutiam perſpicerent, iureiurando utriq; dato, cùm alter octingentos tantùm ſe reperiſſe, alter nongentos ſe amiſiſſe, Deo teſte aduocato profiteretur: decreuêre, uti faber octingentos illos ſeruaret, quo ad is, qui eos amiſiſſet, repeteret: nongentos uerò mercator ab eo peteret, qui ſe nongẽtos reperiſſe aliquãdo faſſurus eſſet. Io. Paulus in Iocoſeriis.

Accuſabat ſtupri per uim oblati adoleſcentem puella. Adoleſcens factum fatebatur: uim negabat. IVDEX ſtato die utrũq; redire iubet. Subornat interim famulum, qui puellam in itinere ad ſtuprum cogat. Illa manibus & clamore ſedulò repugnare. & iudicem de iniuria noua ſollicitare. Tum iudex, Si nunc repugnãdo euaſiſti, etiam priùs ſi uoluiſſes incorrupta manſiſſes. Ergo teipſam iudicaſti. Siue fabula eſt, fieri potuit: ſiue hiſtoria, digna eſt, quæ annotetur. Io. Paulus in Iocoſeriis.

ALFONSO adhuc adoleſcente, regnorum Sicilię & Hiſpanię gubernacula in Aragonia ſuſcipiente, accidit, ut cuiuſdam ſeruula ex domino prægnans facta, mox pariens, ad libertatem proclamaret, ex lege Hiſpanienſi ſiue Catalanenſi (quæ eſt, Serua, quæ ex domino liberos ſuſceperit, libera eſto.) Dominus autem ueritus ſeruam amittere, negabat ex ſe filium procreatum: ratus hoc pacto ſe ſeruam non amiſſurũ, & filium ſimul habiturum. At illa acriùs inſtante, & natũ ex domino conceptum aſſeuerante, cùm eius rei difficilis probatio & ueritatis periculoſa coniectura eſſet in ancipiti: Alfonſi prudentia iam inde ab adoleſcentia ſtatim reſplẽduit. Decreuit ergo, ut infans ſub licitato re uenundaretur. Cũq; uni, qui maius precium attuliſſet, infans traderetur: pater pietate uictus, à lacrymis temperare nequiuit, & ſuum eſſe filium faſſus eſt. Quare rex & patri filium & ſeruæ libertatem non cunctanter adiudicauit. Panormitanus lib. 2. de Rebus geſtis Alfonſi, & Fulg. lib. 7. c. 3.

ALFONSVM regem Neapolitanum legimus, cùm pater filiũ ſuum negaret eſſe, mandauiſſe, ut mercatori Afro uænũ daretur filius. Tum filium à patre receptum eſſe. Ita præſumtione lis fuit ſublata. Bodinus lib. 4. Dæm. c. 4.

ALEXANDER Medices dux Florentinus, cùm quidam amiſſa burſa cum XL aureis, promiſiſſet ſe duos aureos indici daturum: at ruſtico burſam afferenti, quicquam dare negaſſet, quòd duo coronati de ſumma deeſſent (XLII enim in burſa fuiſſe, nunc XL tantùm reperiri) improbitate hominis cognita, burſam cũ XL ruſtico reſtitui iuſſit, & alterum illum, qui amiſerat, expectare, donec ueniret, qui burſam cũ XLII illi offerret: hanc enim, quæ XL tantùm contineret, illius non eſſe.

IDEM, ſui cuiuſdam cõſiliarij fraudẽ in conductę domus precio perſoluẽdo intellecta, uiduam, cui iniuria fiebat, mane frequente ſen. adeſſe iubet, & de iniuria conqueri, ac ſupreſſo nomine ex Ducis tantùm familiaribus unum eſſe dicere. Ergo ubi poſtera die cauſam ſuam peregit, Dux prudẽtiam eius collaudare, quæ ſui reuerẽtiã ſummo iure contra ſuum conſiliariũ uti noluiſſet: uiciſſim uerò iubere, Huic tali, quiſquis tandem ille eſſet, ſuo nomine diceret, niſi ſolutionem maturaret, malè cũ illo actũ iri. Et metu & pudore adactus cõſiliarius, qui præſens huic intererat actioni, quãprimùm ad ſe rediit, uiduę cumulatè ſatiſfecit, id unum præfatus, Infelicem te, niſi nomen meum ſubticuiſſes.

Caupo cum peregrino, qui nidore carnis loco obſonij uſus fuerat, contendebat. Litem diſſoluit RVSTICVS, non Aegyptij illius Bocchyris imitatione, ſed naturæ ſolius inſtinctu. De qua re ſic Henricus Stephanus:

Nidorem ad carnis, quæ torrebatur, edebat
Quidam. opſonandi copia nulla fuit.
Cuius erant carnes, hunc flagitat improbus æra:
Hic autem multò denegat improbiùs.
Ad pugnos res ducta foret: ſed tranſiit illac
Ruſticus: in media eſt arbiter is platea.
Reſpondet, Si nil nidorem acceperit ultra,
Præter numorum det nihil ille ſonum.

Conſtantinopoli Iudæus Chriſtiano egenti certã auri ſummã mutuò dederat, uti conſtituto tempore & ſortem & uſuræ loco duas carnis eiuſdem Chriſtiani uncias reciperet. Chriſtianus ſortem reddit, uſurã negat. SOLYMANNVS Imp. Iudæi crudelitate, Chriſtiani neceſſitate animaduerſa, nouaculã afferri iubet, & ad Iudæũ conuerſus, Age uerò, inquit, ius

ius tum perſequere, quacunq; uoles parte carnẽ exime, nec plùs nec minùs duabus unciis. Erroris pœna capitalis erit. Iudæus periculo territus, fœnus ſponte remiſit. Aegidius Corrozetus de Dictis & factis mem.

Agricola quidam ex Marchiæ comitatu, armẽto numeroſo locuples, cuius uaccæ ſolito minùs lactis aliquantiſper reddidiſſent, ad ariolum confugit, capturus conſilium. Qui ſine mora ſe lamiam eius iacturæ auctorem oſtenſurum pollicetur. Hinc ad uillici huius ædes comitatus, filiam ex priori eius coniuge adhuc uirginem apprehendit, huic lactis maleficio imminuti crimen impingẽs. Hæc mox à dæmone inducta, uerum eſſe fatetur: ſed ſe non ſatis eſſe malefici j peritam ſubiungit, feminas ſedecim alias accuſans, quas ea in arte abſolutè doctas eſſe affirmabat. GVLIELMO principi Cliuenſi hæc illicò ſignificãtur à ſatrapa, qui eas omnes carceribus mancipari oportere conſuluit. Ne tamen alicui hic manus iniiceret, grauiter inhibuit princeps: ſtrictè etiã mandans, ut quocunq; modo aut inſidiis in uincula pertraheretur ariolus ille. Puellam uerò ab eccleſiæ miniſtro acciri uoluit, & in præcipuis fidei Chriſtianæ articulis examinari: deinde ab hac dæmonis illuſione doctrina ſaniori ad mentem reduci: eamque cautiorem ea ratione à ſatanæ ſtrophis redditam, fideiuſſoribus conſtitutis, ſi modò eos cõſequi poſſet (ut magis in officio contineretur) ſin minùs, tum propria fide interpoſita, cum bona gratia dimitti. Alias autem matronas hoc falſæ criminationis cauterio à corruptæ mentis uirgine inuſtas, nulla omnino re grauari permiſſum eſt. Ac prudentiſſimo hoc conſilio deſiit hic fabulæ actus, & lac uaccarum, qua ſolet, copia fluxit. Vierus lib. 5. cap. 13. de Præſtigiis dæmonum.

## IVDICIA ET SENTENTIÆ PRVDENTES DE ſuis aliorum'ue bonis malis'ue, extra forum.

*Ex loco Conſiliorum prudentium non pauca huc transferri poſſunt, præſertim ea, quæ in Veritatis enunciatione, Defendendo, Retorquendo, Reprehendendo collocauimus. Mutuas ſibi operas præſtant Inuentio & Iudicium. Qui Defendit ſe contra aliorum accuſationem, Inuenit primùm argumentum, quo ſe defendat: ſubinde tanquam rectum approbando Iudicat, iudicando Pronunciat. Idem de Reprehenſione ſentiendum.*

### DE REBVS. TVM IN GENERE.

*De Felicitate uniuerſim.*

Apud THRACES Trauſosq; ac CESIAS & Cauſianos, puero in lucem edito, cognati affinesq; puerum lamentabãtur, recenſentes calamitates & uitæ incõmoda futuræ. Iidem in funere iubilabãt, defunctoq; gratulabantur, cui ex hac luce & imminentibus malis, atq; omni ſæuitia fortunæ, tandem excedere datum eſſet. Gymnoſophiſtæ pariter & Brachmanes, caſtè & piè uiuentibus, mortis diem natalem uitæ ducebant. Herodotus lib. 5. Strabo lib. 7. Solinus cap. 17. Mela lib. 2. Val. Max. lib. 2. c. 1.

IIDEM calculos colore diſtinctos pro experimento cuiuſq; diei in urnam condunt, ac ſupremo die ſeparatos dinumerant, atque ita de cuiuſque uita pronunciant. Plinius libro 7. cap. 40. Athenæus ex Philarcho SCYTHIS hoc tribuit. Horatius eam conſuetudinem CRETENSIVM fuiſſe innuit, quando inquit,

Creſſa nec careat pulcra dies nota.

Hinc prouerbio receptũ olim, ut dicerent, Bonũ diẽ è pharetra eſſe, ſi quid ex animi ſententia accidiſſet. Eraſmus.

Cũ Gyges, occupato regno Lydiæ, armis & diuitiis abundantiſſimo, inflatus animo APOLLINEM Pythiũ ſciſcitatũ ueniſſet, An aliquis mortalium ſe eſſet felicior? deus ex abdito ſacrarij ſpecu uoce miſſa, Aglaum Pſophidium ei prætulit. Is erat Arcadum pauperrimus, ſed ętate iam ſenior, terminos agelli ſui nunquam exceſſerat, paruuli ruris fructib. ac uoluptatibus contentus. Verum profectò beatæ uitæ finem Apollo, non adumbratum, oraculi ſagacitate cõplexus eſt. Quocirca inſolenter fulgore fortunæ ſuæ glorianti reſpondit, Magis ſe probare ſecuritate ridens tugurium, quàm triſtem curis & ſolicitudinibus aulam: paucasq; glebas pauoris expertes, quàm pinguiſſima Lydiæ arua metu referta: & unum aut alterum iugum boum facilis tutelæ, quàm exercitus, & arma, & equitatum, uoracibus impenſis oneroſum: & uſus neceſſarij horreolum nulli nimis appetẽdum, quàm theſauros omnium inſidiis & cupiditatibus expoſitos. Ita Gyges, dum adſtipulatorem uanæ opinionis deum habere concupiſcit, ubi nam ſolida & ſincera eſſet felicitas, didicit. Val. lib. 7. c. 1.

PITTACVS Mitylenę templis ſcalam fecit, ad nullum alium uſum, quàm ut eſſet dedicatum donum, adumbrans fortunæ repentinos aſcenſus atque deſcenſus, aſcendentibus quodam modo his, quibus fortunas aſpirat, deſcendentibus uerò, qui miſeriis premuntur. Aelianus libro ſecundo de Varia hiſtoria.

SOLON aiebat, Si unum in locũ cuncti mala ſua cõtuliſſent, futurum, ut propria deportare domum, quàm ex omni miſeriarum aceruo portionem ſuam ferre mallent. quo colligebat, non oportere nos, quæ fortuitò patiamur, præcipuæ & intolerabilis amaritudinis iudicare. Valerius Maximus lib. 7. cap. 2.

Crœſus, Lydorum rex, cùm SOLONEM Sardibus cõmorantem ad ſe uocaſſet, & theſauros omnes oſtendiſſet, interrogauit, illum, An non meritò, in tanta bonorum omnium abundantia, felix & beatus diceretur? Solon Tellum, item Cleobin & Bitonem Cydippes filios multò beatiores fuiſſe reſpondit: quorum primus cùm ſuos uiciſſet hoſtes, in illa clara uictoria è uita migrarit: duo uerò poſteriores, dũ matrem grauiter decumbentem ad Iunonium duxiſſent fanum, precibus matris, bona filiis precantis, etiam continuò mortem obierint. Cauſam huius iudicij interroganti regi reſpondit: Neminem ante mortem beatum dici debere. Nec multo pòſt Cyrus Crœſum uictum pyræ impoſuit, ut cõbureretur. Ibi tunc, O Solon Solon, alta uoce Crœſus inclamauit. Cyrus admiratus ignotum nomen, quisúe deorum aut hominum eſſet, quẽ infelix rex in extremo diſcrimine inuocaret: poſteaquã cauſam didicit, Crœſi inconſtanti felicitate motus, eum liberari iuſſit, & in poſterũ honorificè apud ſe haberi uoluit. Herod. lib. 1.

CROESVS conſultus à Cyro de bello ſuſcipiendo contra Tomyrin reginam Maſſagetarũ: Si tibi, ait, eſſe uideris immortalis, nihil eſt opus, ut meam tibi ſententiam dicam. Si uerò te quoq; agnoſcis hominem, illud inprimis diſcito, talẽ humanarum rerum circum eſſe, qui rotatus, eoſdẽ ſemper fortunatos eſſe non ſinat. Cyrus imperandi libidine accenſus, Crœſo non paruit. Itaque in eo bello periit. Bruſonius lib. 2. c. 37. ex Herod. lib. 1.

Polycrates, Samiorum tyrãnus, cùm ſumma frueretur felicitate, admonitus ab AMASI Aegyptiorum rege, ut aliquo ſaltem, quamuis leui incommodo, tantam interrumperet fortunæ tranquillitatem: anulum in mare proiecit, quem habebat cariſſimum, eiusq; iactura uehementer ſe dolere ſimulabat: cùm piſcator quidam captum piſcẽ Polycrati dono obtulit. Quo exenterato, anulus in uiſceribus repertus eſt, quẽ Polycrates abiecerat. Ibi tunc Amaſis Polycrati amicitiam renunciaſſe dicitur, cùm uideret apertè, fortunam ad grauiores caſus eum reſeruare. Nec defuit euentus. Ab Orœte enim Darij regis præfecto, in ſummo Mycalenſis montis uertice, cruci affixus eſt. Herodotus.

PHILIPPVS Macedoniæ rex, cùm uno eodemq; tẽpore tria nuncia accepiſſet, equeſtri curſu quadrigas ſuas Olympia uiciſſe, Olympiam uxorem Alexandrum filium peperiſſe, Parmenionem deniq; ducem ſuũ Dardanos uiciſſe: ſublatis in cœlum oculis, At tu, inquit, Fortuna pro tot bonis leui aliquo nos affice malo.

ALEXANDER Magnus in dolio cubantem Diogenem Cynicum tantũ admiratus eſt, ut niſi Alexander eſſet, Diogenẽ ſe eſſe optaret. Hinc Iuuenalis Sat. 14.

Senſit Alexander, teſta cùm uidit in illa
Magnum habitatorem, quanto felicior hic, qui
Nil cuperet, quàm qui totum ſibi poſceret orbem.

THERAMENES, cùm è quadam domo egrederetur, & illa ſubitò corruiſſet, exclamauit: O Iupiter, cui me iam infortunio reſeruas? Nec multo pòſt à triginta tyrannis Athenienſium fuit interfectus. Aelian. lib. 9. Var. hiſt.

Olympicis ludis, cùm uictores Diagoras uidiſſet coronari filios, atq; ex filia filioq; nepotes, eaq; re multùm lætaretur, LACON quidam dixit: O Diagora, nunc pulcrum moriendi tempus eſſet. Plutarchus.

TIMOTHEVS, filius Cononis, dux Athenienſium, gloria & uictoriis clarus, in Platonem incidit extra mœnia, cum quibuſdam diſcipulis obambulantem: eumq; uidens grauem & corpulentum, cæterùm uultu benignum: differentem uerò audiens non de pecuniarum contributione, neque de triremibus aut nauticis rebus, neque de ſupplementis, aut quemadmodum auxilium eſſet ferendum, neque de tributo ſociorum, ſiue inſulanis, neque de ſimilibus nugis aut ineptiis: ſed de philoſophia, & rerum pulcerrimarum cognitione: exclamauit, O uitam, & uerè felicitatem. Aelianus de Varia hiſt. lib. 2.

LEO-



LEOTYCHIDAS primus quærenti, Qui retineatur præſens felicitas? Si non, inquit, undequaque fortunæ credas. Plutarchus in Apophtheg.

SOCRATES requirente ex eo, ni fallor, Gorgia, Quam exiſtimationem haberet de rege magno, & haberétne eum pro beato? Haud ſcio, inquit, quàm ſit uir bonus, quàm doctus. Plut. de Inſtit. liberis.

ANTISTHENES ait, Qui eſſe uelit ſaluus, ei opus eſſe uel ſinceris amicis, uel inimicis ardentibus. Hi enim lacerando, illi deterrent offenſantes caſtigando. Plut. de Vtil. ex inim.

DIOGENES ei, qui ſalutem deſideret, quærendum eſſe uel ſedulum amicum, uel flagrantem inimicum dicebat: quò increpatione uel curatione animi uitia exuat. Plutarchus de Virtutis prouectu.

P. SCIPIO quum Cenſor de more notum carmen, ſcriba ex publicis tabulis præeunte, pronunciaret, uentumq; eſſet illuc, Iupiter auge Rempublicam: nunquam ſic precari animum induxit, monente multum ſcriba atque hortante: ſed ſic, Iupiter conſerua Rempublicam: ſatis eſſe auctam dicẽs, modò conſeruaretur: ac protinùs in publicis tabulis adhũc modum carmen emendari iuſſit. Qua uotorum uerecundia deinceps Cenſores in cõdendis luſtris uſi ſunt. Valerius Maximus lib. 4. c. 1.

CATO maior mirari aiebat ſe, quemadmodũ ſalua poſſit eſſe ciuitas, in qua pluris piſcis ueneat, quã bos. Plut. in Apoph.

C. IVL. Cæſar Dictator, cum hoſte quinquagies collatis ſignis (quotiés Romanorum ducum nemo) conflixit. Verùm iam exacta ætate modum adhibere uoluit, ueritus (ut credere eſt) ne fortunam quam toties ſecundam habuiſſet, aduerſam ſemel experiretur. Sabellicus lib. 1. cap. 6. Ethnicorum exemplum de Senectute.

DEMONAX, Hadriani tempore ſummus philoſophus, uiros fortunatos ſæpe admonere ſolebat, ne obliuiſcerentur, quã citò deſituri eſſent.

AMBROSIVS epiſcopus Mediolanenſis, cùm apud diuitem quẽdam hoſpitandi gratia diuertiſſet, & ille ſe nihil unquã in uita aduerſi paſſum iactaret: eueſtigiò cum ſuis receſſit, dixitq;, ideo ſe inde fugere, ne unà cũ homine perpetuis proſperitatibus uſo ſimul pereat. Haud ita procul exceſſerant, & reſpicientes, uident ædes illas cum omnibus, qui ibi erãt, terræ hiatu iam abſorptas. Marul. lib. 5. c. 3.

Fuit SALADINVS princeps Aegyptius, dum uixit, longẽ clariſſimus. Namque imperij ſui fines in primis auxit, & feliciſſimè diu rerum potitus, Chriſtianorum quoque opes ita in Oriente oppreſſit, ut Hieroſolymis captis Chriſtianũm nomen in hunc uſq; diem ex Syria eiecerit. Ille moriens in ſumma rerum felicitate, teſtamento ſuo præcipuè cauit, ut interula tunica linea, quam geſtare ſolebat, prælongæ haſtæ affigeretur: proclamaretque is, qui lanceam gereret, hanc unam eſſe reliquam tunicam, quæ illi ex tantis opibus, tantoque imperio ſuperfuiſſet. Egnatius lib. 7. cap. 2. & Fulgoſus lib. 7. cap. 2.

Seſoſtris rex Aegyptiorum uictoriis illuſtris, currum aureũ precioſiſſimis gemmis ornatum ſibi conſtruxit: cui inſidens, à quatuor regibus deuictis plauſtra ſubeuntibus ſe trahi paſſus eſt. Cùm feſto quodam die, regum VNVS oculis conuerſis continuè retroſpiceret, rotæ uolubilitatem intuẽs: Seſoſtrisq; cauſam reſpectus percontaretur: reſpondiſſe fertur: Cum ſtupore admiror rotam, cùm eam inſtabili modo ferri, atq; aliàs aliter uolui, & nunc quidem ſublimia demittentem, rurſus demiſſa ſublimantem conſpicio. Seſoſtris ubi dictum id intellexit, ſtatuit, ne illi poſthac currum traherent. Paulus Diaconus de rebus Rom. lib. 17.

Cùm Hugolinus Girardeſcus, ciuis Piſanus, Guelfarum partiũ princeps, contraria factione partim pulſa, partim perculſa, eò potentiæ domi perueniſſet, ut pro nutu omnia adminiſtraret, patriæq; dominus & eſſet, & haberetur: in feſto natalis ſui celeberrimo conuiuio, ad quod ſuos omnes uocauerat, dum fortunam ſuam ipſe fando effert, quendam ex intimis amicis MARCVM, Quid tandẽ ſibi deeſſe arbitraretur, interrogauit. Ille, Sola, inquit, ira Numinis procul diuq; abeſſe à tam ſecundis rebus non poteſt. Nec multo pòſt Guelforum uiribus conſeneſcentib. Gibellini armis arreptis ędes eius expugnarunt: unum è filiis & nepotibus uim arcere conatos occiderunt: ipſum, cum duobus filiis & tribus nepotibus cõprehenſum, & in turrim concluſum, fame necarunt. Aemilius lib. 8. Platina in Nicolao III.

*Vtiliſſimo.*

NILOXENVS ille ſapiẽs rogatus, Quid eſſet utiliſſimum? reſpondit, Rex. Id eſſe propriũ ueri principis iudicans, ut quantum in ipſo ſit, nemini noceat, proſit omnibus, ſitque magis optimus, quàm maximus. Quanquam non alia ratione poteſt eſſe maximus, niſi ut ſit quàm optimus, hoc eſt, beneficentiſſimus in omnes. Eraſmus in Adagiis.

*Difficillimo.*

THALES philoſophus, ut auctor eſt Laërtius, interrogatus Quid nã eſſet difficillimũ? reſpõdit, γνῶναι σεαυτόν. id eſt, Noſſe ſeipſum. Quid facillimum, reſpõdit: ἄλλῳ ὑποτίθεσθαι, id eſt, Alteri conſilium dare. Eraſmus in Adagiis.

### DE IIS QVÆ AD ANIMI BONA MALáue pertinent. Vt de

*Ingenio & Moribus bonis malis'ue.*

*Heic Iudicii in præſens habetur ratio. At qui Indolẽ explorant aliorum, Tor io primo reſpectu Subiecti fuerunt enumerati: heic etiam, quatenus Prudenter iudicant, enumerandi. Qui uerò ingenij argumenta in futurum captant, inferiùs recenſebuntur, ſub Titulo, Prudentis præcognitionis futurorum.*

CYRVS apud Herod. lib. 9. dicit, natura ſic comparatum eſſe, ut è mollibus regionib. molles uiri exiſtant, néue ex eadem terra admirandæ fruges & egregij bello uiri gignantur.

PLISTARCHVS Leonidæ, quærenti cuidã, qua de cauſa nõ à primis regib. nomen mutuaretur? Quòd illi duces, inquit, eſſe, Quàm regere malebãt: poſteriores minimè. Plutarchus in Apophthegmatibus.

Rogatus SPARTIATES, Tutá ne uia Spartam foret? Qualis, inquit, acceſſeris. Nam ingredientes leones eiulant, lepores in cubilibus uenamur. Plut. in Laconicis.

SIM[illegible] quærenti: Quid ſolis non imponeret Theſſalis? [illegible] tardiores ſunt, quàm ut à me capiantur. Plut. de Audiendis poetis.

ISOCRATES rhetor de Athenienſium ciuitate dicere ſolebat, [illegible] ſimillimam eſſe. Etenim, qui illarũ uenuſtate caperentur, uelle quidẽ omnes rem cũ ipſis habere: neminem [illegible] ſuipſius contemtorem, qui matrimonium cũ illis iungere dignetur. Atq; Athenienſium ciuitate ad peregrinandum in ea iucundiſſimam eſſe, omnibusq; totius Græciæ ciuitatibus præſtantiorem: ad inhabitandũ uerò, non item ſecuram ac tutam. Innuebat his uerbis, domeſticos in ea ſycophantas, atque eorum, qui populares uideri uellent, inſidias. Aelianus de Var. hiſt. lib. 12.

Amabat rex Philippus mulierem Theſſalam, quæ ſuſpecta erat, quòd eum incantaret. Hanc ſtuduit OLYMPIAS in poteſtatem ſuam redigere. Quæ ut in conſpectum eius uenit, & liberali forma uiſa, ac ſermocinata cum ea eſt non ingenerosè neq; inſipidè: Valeant calumniæ, inquit, Olympias, uenena tu in teipſa habes. Plut. in Præceptis connubialibus

AGESILAVS ſeu Callicratidas, Aſię incolas memorauit liberos improbos, ſeruos eſſe bonos. Plut. in Apoph.

Celebrantibus nonnullis Antipatri frugalitatem, cuius eſſet durus uictus & auſterus: Foris, inquit ALEXANDER, eſt candidus Antipatri amictus, intus totus purpureus. Idem.

DEMOSTHENES iis, qui improbitatem depoſuiſſe exiſtimabant Demadem: Nunc enim, inquit, cernitis ſicut leonẽ ſaturum. Plut. de Cupiditate diuitiarum.

ETEOCLES Lacedęmonius dicebat, duos Lyſandros Spartã ferre non poſſe: & ARCHESTRATVS Athenienſis dicebat, duos Alcibiades in ciuitate Athenienſium tolerari nõ poſſe. Aelian. de Var. hiſt. lib. 11.

GYRTIAS, cùm Acrotatus eius ex filia nepos aliquando ex quadam puerorum pugna multis acceptis plagis pro exanimi domum relatus eſſet: plorantibus familiaribus & neceſſariis: Non tacebitis? inquit. demõſtrauit certè, cuius ſtirpis eſſet: neq; deplorari debent boni, ſed curari. Plut. in Lacænarum apophtheg.

LACÆNA, filiũ nunciato in acie fortiter pugnantem cecidiſſe: Erat uerò, inquit, meus. De alio audiens, ignauiter euaſiſſe ſaluum: Sanè, inſit, meus non erat. Idem.

LACÆNA ſupplicationẽ publicã celebrans, ubi filiũ in acie uiciſſe, ſed uulnerib. cõciſum intellexit expirare: nõ detracta corona, ſed exultans, proximis feminis ait: Multo præclarius eſt, amicę, in acie uincẽtem occumbere, quàm uiuere Olympiis uictorem. Idem.

Plinius lib. 7. refert CATONEM Cenſorium uelut ex oraculo prodidiſſe, Senilem iuuentã pręmaturæ mortis eſſe ſignum.

DIONYSIVS Syracuſanus ſenior, cùm intellexiſſet duos adoleſcẽtes multa de ſe ſuaq; tyrannide petulãter loquutos, ad cœnã utrũq; uocauit. Quorũ cùm alterum ad ebrietatẽ bibentem, alterũ in potu ſeſe moderatè continentem contemplaretur: illum quidẽ dimiſit, quòd natura contumelioſus eſſet, & ob ebrietatem maledixiſſet: hunc autem è medio ſuſtulit, qui dedita opera, ut maleuolus & hoſtis, idem perpetraſſet. Plut. & Cælius lib. 22. c. 17.

Cor. Ruffinus, uir bellicoſus, uerùm rapax, conſulatum opera C. FABRICII cõtra multos alios, uiros quidẽ probos, ſed belli imperitos, obtinuit: quia ſe rapinis imminui, quàm uenundari malle, Fabricius aſſerebat. Plut.

Quum Eumenes rex Romam ueniſſet, & à Senatu honorificè exceptus, clariſſimorũ ciuium frequentia ſtiparetur: M. CATO Cenſorius nõ diſſimulabat, tantum Romanorum erga illum ſtudium ſibi ſuſpectum eſſe, ipſe uitans regis cõſuetudinem,

dinē, Hoc quibuſdã admirantibus, ac dicentibus, Eumenem uirum eſſe probum, ac amico in populum Rom. animo: Sint iſta uera, inquit: attamē iſta bellua, natura ferox eſt. Sentiēs, omnes reges, utcunq; pro tempore ſimulent, naturâ Democratiæ infenſos eſſe. Eraſmus lib. 5. Apoph.

CATO plus ſibi prædicauit placere erubeſcentes, quàm expalleſcentes. rectè aſſuefaciens ac docens, probrum potiùs, quã reprehenſionem uereri, ac ſuſpicionem magis, quàm periculum. Plut. de Immodica uerecundia.

CICERO dicebat in aliis C. Iul. Cæſaris ceptis & actionib. cõſiderare ſe omnibus ingenium tyrannicum: ſed cùm comã eius, inquit, ita uideam compoſitam accuratè, ipſumq́; uno digito caput ſcabentem: contrà non uidetur iſte mihi tantum mali animo concepturus, ut Romanam Remp. euertat. Plut. in Cæſare.

C. IVL. Cæſar Antonium & Dolabellam ſuſpicientibus nonnullis, atq; ut caueret ſibi ab eis, monentibus: hos negauit timere ſe pingues & nitidos: uerùm macilentos illos & pallidos, Brutum & Caſſium deſignans. Plut. in Apoph.

MAVRICIVS Imp. ex inſomnio edoctus, Phocã percuſſorē fore, quærit ex Philippico, quónã is eſſet ingenio? Reſpõdit ille, Hominem eſſe timidum & ferocē. Tum Imp. Si, inquit, timidus, etiam homicida eſt. Cedrenus.

GIRO Oronius regulus, uti erat uir acuto, & hac in re diuino præditus iudicio, dixiſſe fertur, ſibi Conſaluũ Magnũ, ex regno Neapol. in Hiſpaniã ſplendido cũ comitatu uenientē, ingenti onerariæ naui perſimilem uideri, quæ præalto mari indigeat, ut æquora ſulcet: aliter neceſſe ſit, ut humilibus in uadis hæreat. quaſi diceret, tantæ moli ferendæ Hiſpaniam Ferdinando regnante minimè ſuffecturam. Hinc non multo pòſt percontante Girone à quodam, cũ Conſaluus ad regiã ueniſſet, ꝙ altè oneraria illa in Loxæ uadis ſubſideret? idq́; Conſaluo referretur: Oronio dic, inquit, nauem firmis lateribus æſtum maris expectare, ut attollatur, & uela det uentis, qui non ſemper aduerſiſſimi perflare conſueuerunt. Nec perurbano reſponſo euentus defuit: non toto enim uertente anno, quum Rauennatis cladis nuncius regem Hiſpaniæ Ferdinandum magnoperè perculiſſet, unus ante alios omnes Conſaluus, qui res perditas reſtitueret, uocatus eſt. Sed ea expeditione ad nihilum relapſa, fertur ſuſpēſo ore dixiſſe ad aſtantes, Ergo Gironus Oronius præclarus uates euadet: quando meam nauem ſecundo æſtu mirificè ſubleuatã, obortus oportunè uentus, qui iam uela inflabat, repentè concidens, ſulcantem mare deſtitit. Iouius in Conſaluo.

*Doctrina & Sapientia.*

PLATO eo differre doctum ab indocto dicebat, quo beneualentem ab ægro. Mentis enim ſanitatem ac lumen à doctrina perſæpe, ab ignorantia autem ægritudinem, manifeſtis rationibus proficiſci.

THEMISTOCLES rogatus, Achillés ne an Homerus eſſe mallet? Et tu, infit, ipſe uictor malles Olympiis, an proclamans uictores eſſe præco? Plut. in Regum apoph.

STILPON, philoſophus Megarenſis, cùm Megaram Demetrius bello captam ſolo æquaſſet, atq; Stilponem eſſet percunctatus, ecquid amiſiſſet. Ille, Nequaquam, inquit. Neque enim prædam facit bellum uirtutem. Plutarchus de Inſtit. liberis.

BIAS euerſa patria Priene ab hoſtibus, aliis alia efferentibus, nudus abſque impedimentis egreſſus eſt: Bona mea mecũ porto, reſpondens. pectore nimirum, non humeris, animo, non oculis uiſenda. Val. lib. 7. c. 2.

QVIDAM, cùm Diogenem Cynicum in dolio recumbentem uidiſſet, ὦ πῖθε μεστὲ φρενῶν dixit. Mox alius quidam ſubiecit: θέλω τύχης σταλαγμὸν, ἢ φρενῶν πίθον. Euſtathius in ω. Iliad.

*Oratione.*

Cùm quæſtionem Xenocrates explicaſſet, finēq́; dicendi faceret, aderat EVDAMIDAS. Vt dixit ex comitibus eius quidam: Poſtquam nos adſumus, abrupit ſermonem: Rectè, inquit: ſi quidem dixit iam ea, quæ uoluit. Illo ſubijciente: Operæprecium erat audiſſe. Num etiam, inquit, ad cœnatum ſi ueniremus, poſtularemus ut iterum cœnaret? Plutarchus in Apophthegmatibus.

ZENO Cittieus eleganter ac politè loquentium ſermones, aiebat eſſe ſimiles pecuniæ Alexandrinæ, oculis blandienti, ac undiq; ſcripturam habenti, more nomiſmatis, nihilo tamen eſſe meliorem. Ruſus, qui magis ſtuderent utilia dicere, quã nitida, ſimiles eſſe dicebat tetradrachmis, temerè ac ruditer percuſſis, quæ ſæpe picturatis illis numis præponderarent. In numo non ſpectatur elegantia ſcripturæ, ſed pondus ac materia: ita non refert, quàm ſit elegans oratio, ſed quàm grauis & utilis.

IDEM dicere ſolebat, Satiùs eſſe labi pedibus, quàm lingua: eoque conuiuia quantum poterat uitabat, quòd ibi ſolutus uino, & aliorum fabulis prouocatus, faciliùs labi poſſet. Eraſmus lib. 7. Apoph.

THEOPHRASTVS Ereſſius dicere ſolitus eſt, potiùs eſſe fidendum effreni equo, quàm uerbo incompoſito. Nemo nõ metuit inſidere equo infreni: at plus eſt periculi à lingua petulante & effreni. Laërtius.

*Puerorum inſtitutione.*

AGESILAVS requirente quopiã, Quæ addiſcenda ſint pueris? Hæc, inquit, quibus etiam, quando euaſerint uiri, utantur. Plut. in Apophtheg.

*Artibus mechanicis.*

GORGONI cùm præcepiſſet aliquando pater Cleomenes, rex Spartanorum, ut cuipiam pro mercede daret frumentũ, adiiceretq́;, Docuit me uinũ bonũ facere: Ergo pater, inquit, & plus uini exhaurietur, & qui bibent, delicatiores deterioresq́; euadent. Plut. in Lacænarum apoph.

ALEXANDRIDAS rogãti, Quid agros permitterent Ilotis, non ipſi eum colerent? Quia, inquit, maiorem noſtri, quàm agri curam habemus. Idem.

*Virtute in genere.*

M. CATO Cenſorius uocem ſæpenumero emittebat plenam fiduciæ ſui, Oportere aliis ueniam dari, ſi peccaſſent: ſibi nõ item. Nam in illis, quæ deliquiſſent, uel inſcitiæ, uel impotētiæ affectuum debere uideri imputanda, in quorum poteſtate adhuc eſſent: ſe uerò ſi peccaſſet, malitiæ eſſe, nõ ignorantiæ, aut animi concitati. Plut.

ASCLEPIODOTVM, memoriæ proditũ eſt, Athenis inita in Syriam peregrinatione, eo conſilio pleraſq; adiiſſe ciuitates, ut mores hominum perſpiceret. Cæterùm in tota periodo illa tres modò cõperiſſe, qui modeſtè ac planè ex formula uiuerent, Ilapium apud Antiochiã philoſophũ: Laodiceæ uerò Maren, omniũ eius ætatis iuſtiſſimum: itē philoſophũ Domninum, cognomento Ariſtidem. Cælius lib. 14. cap. 3. A. L. ex Suida.

ALBERTVS I. Imperator tria potiſſimùm genera hominum deamabat, ac uenerabatur: Feminas pudicitia illuſtres & claras: Clerum deuotum & religioſum: Milites ſtrenuos & fortes. Ioan. Cuſpinianus in eius uita.

ANTONIVS Panormita de lectione feſſus, in ueſtibulo Pliniani ſui ſedebat, quæ uilla eſt haud procul Neapoli. Cumq́; inter eos, qui aderant, eſſet de uirtute quæſtio, dixiſſetq́; Antonius, Splendidiſſimum eius lumen eſſe: prætereiēs uillicus, Neſcio quã, inquit, uirtus iſta, quã dicis, ſplendeat. Sed certè ſcio, me diutiùs illis contemplandæ deſiderio captum, intueri eam nunquam. Ad quem Antonius, Hæc quidem de aſello, quem per imprudentiam amiſſum nondum reperiſti, dicere poteras. Tu uerò dicas, quid putes eſſe in orbe ſplendidiſſimum? Solem, inquit ille. Atqui ſolem cæci nam uident? Non uident, reſpondit. Multo ergo ſplendidior eſt uirtus, quam etiam cæci quàm apertiſſimè uident. Pontanus de Principe.

*Virtute Imperatoria.*

L. PAVLVM Aemilium imperatorem perhibent, cùm deuicto Perſe magnificè apparatum præberet epulum, & cætero ordine mirificè digeſtum, dixiſſe, Eiuſdē eſſe aciem quàm horrendiſſimam inſtruere, & conuiuium quàm iucũdiſſimum. Vtrunq; enim in ordine ſeruãdo cõſiſtere. Et propterea optimos quoſq; & regno digniſſimos Inſtructores ab Homero populorum appellari. Plut. lib. 1. Quæſt. conuiuialium 2.

*Prudentia.*

Affirmabat CATO, inſanos de prudentibus longè meliùs mereri, quàm ecõtrà. Quippe ſapientes, ſtultorũ erratis inſpectis uitam in meliùs mutare. At amentes, cũ diſcendi capaces nõ ſint, ex ſapiētiũ benefactis fructũ ꝑcipere nullũ poſſe.

*Stultitia.*

Alfonſus Aragonius Neapolitanꝰ rex, SCVRRAM in aula habebat, qui cenſoria uirgula ſingulorum dicta factaq́; notabat, & tabellis deſcripta principi ſtato tēpore offerebat, iudicio ſuo aſcripto, quódnã ſibi ex omnib. ſtultiſſimũ uideretur. Accidit, ut Rex Maurũ ſeruũ fideliſſimũ cũ magna ui auri in Africã ablegaret, equorũ cõparandorum cauſa. Id factũ ſcurra literis mandatũ, nil minùs expectanti regi in hæc uerba recenſuiſſe dicitur: Alfonſus rex Chriſtianus Mahumetanũ Pœnum aliquot aureorum millibus onuſtum, ornatũ, ad Mahumetanos dimiſit. Exitus acta probabit. Ego uerò ſi bona fide reuertatur, Maurum ſtultiſſimum, Alfonſum ſapientiſſimum: ſi non reuertatur, quod probabilius eſt, Alfonſum ſtultiſſimum, Maurum ſapientiſſimum, pro ea, qua polleo, cenſoria auctoritate, pronunciare non uerebor. Aegid. Corrozetus de Dictis & factis mem. Auctor uitæ Plebani ARLOTTI Florentini, dicterium hoc Arlotto tribuit.



*Fortitudine.*

THEMISTOCLES rogatus, Achilles ne, an Homerus eſſe mallet? Et tu, infit, ipſe uictor malles Olympiis, an proclamans uictores eſſe præco? Plut. in Apophth.

LEONIDAS rogatus, Cur optimus quiſq; nobilem mortem ignobili uitæ præferat? Quoniam, inquit, illud naturæ proprium, hoc ſui ipſius putat eſſe. Idem.

ZEVXIDAMVS Aetolo, ꝗ dixerat iis, qui ſtudent eſſe uiri fortes, potius bellum pace eſſe: Bona uerba, inquit: uerùm potior his mors eſt uita. Idem.

AGESILAVS interrogatus, Vtra uirtus præſtaret, fortitudo an iuſtitia? Fortitudinis demonſtrauit, ubi abeſt iuſtitia, nullum eſſe uſum. Quòd ſi omnes iuſti eſſent, fore ut non requireretur fortitudo. Idem.

*Temeritate.*

AVGVSTVS eos, qui leuem ob cauſam periculis ſe exponerent, ſimiles aiebat eſſe, aureo hamo piſcantibus, qui plus damni amiſſo ſemel hamo acciperent, quàm multorum piſcium captura poſſet reparari. Polyæn. lib. 8.

Erat in aula MATTHIÆ regis Vngariæ Polonus miles, qui ſæpe Vngaros ad luctam, ad pugnam euocaret, multoſq́; ſæpe uicerat: ſed iactãtia nimia odioſus. Stabat in ferratis clauſtris immanis leo. Quis eſt, inquit Polonus, qui famelico leoni auſit carnem auferre, quam ore comprehēderit? Quum nemo auderet, Cernetis, inquit, quod dico. Illi fame per diem excruciant leonem: poſtera die ouem obiiciunt quadripartitam. Leo immurmurat, apprehenſæ carni incubans. Polonus ingreditur, & leonem iam uorantem, diuaricatis cruribus cõſtrictũ, pugno ferit in rictũ, dicens, Offam dimitte canis. Vocem intrepidam leo exhorruit, exeuntemq́; uiſu ſolo ſequutus eſt. Audax facinus quum ad regē perferretur, non probauit: euocatumq́; Polonum, pro more donatũ, domo ſua iuſſit excedere: eũ qui uenalē ita uitam circũferret, non neceſſariò ſed ad ſolam iactantiam obiiciens ſe periculo, nihil non auſurum propoſito præmio ratus. Phyſici tradunt leonem ad nullius niſi impauidi hominis uocem contremiſcere. Cranzius lib. 9. Saxoniæ cap. 24.

*Vitæ cupiditate.*

DIOGENES Cynicus Corinthi Dionyſium Syracuſanum intuitus, à Timoleonte Corinthio principatu deiectum, magiſq́; præſentium uoluptatum, quàm priſtinæ fortunæ memorem, Viuis, inquit, ô Dionyſi, tanquam multùm uitæ indigus. Sab. lib. 9. cap. 11.

TIBERIVS Cæſar dixit, Manum medico porrigere eum, qui annum exceſſit ſexageſimum, turpe eſſe. Plutarchus An ſeni tract. reſp.

*Voluptatibus.*

ARISTOTELIS eſt utiliſſimum præceptum, ut uoluptates abeuntes conſideremus, quàm turpes & abiectæ, quo minùs cupidè repetantur. Val. lib. 7. cap. 2.

*Lupanaribus.*

BOHVSLAVS Haſiſteynus, genere & doctrina præcellens, cùm Pragenſes audiret lupanar publicum incendiſſe, Hoc non eſt, inquit, tollere uitia ueneris, ſed totam urbem malo ueneris ardore implere, ex uno igne ſcintillis per ſingulas domos diſperſis. Dubrauius lib. 31.

*Auaritia.*

DIONYSIVS ſenior ad Dionyſium F. fortè ingreſſus, ubi conſpexit poculorum aureorum & argenteorum magnam uim, exclamauit: Nõ es ad dominatum natus, qui tam multis, quæ à me accipis, poculis amicum tibi nullum comparaſti. Plut. in Regum Apoph.

*Prodigalitate.*

Recitabatur ad menſam Matthiæ Pannonum regis hiſtoria de Alphonſo Rege Hiſpano & Neapolitano, auo Reginæ Beatricis, eiuſmodi. Viuebat Alphonſus Tyburi: Oeconomus autem regius ſubinde comeabat in forum Romanum: urbs inde milliaribus ſedecim Italicis non magnis diſtat. Quodam autem die orta eſt nobilis & ambitioſa altercatio inter Oeconomum Regis & Pontificis, qui ſimul ad forum conuenerant. Expoſita erat uenum in macello unica murena, eaque pro natura piſcis, qui quatuor libras nunquam excedit, ſatis grandis. Expetebat eam uterque Oeconomus. Piſcator anſam hanc arripiens, Auferat, inquit, murenam, qui plurimum nummorum offert. Pontificius obtulit aureos tres, Regius ſex: rurſus Pontificius decem, Regius uiginti. Creſcente altercatione, inquit piſcator: Tollat piſcem qui numerauerit triginta aureos. Obmutuit Pontificius: Regius uerò data pecunia, murenã abſtulit. Laudauit factum Oeconomi ſui Alphonſus, illiq́; munera dedit. MATTHIAS finita narratione ſubiecit: Noluiſſem ego Oeconomum, ſi meus fuiſſet, magnificentiam in tali re oſtendere: quòd ſi omnino feciſſet, laudaſſem, ſi murenã emptam donaſſet Põtifici: eaq́; re docuiſſet, Regem ſuum nec gulæ nec auaritiæ eſſe deditum. Ioach. Cureus in annalibus Sileſiæ.

*Luxu Aedificiorum.*

Megarenſes olim, cùm eam curiam, in qua Timalti tumulus fuit, inter mira & memoranda ducerent, tanquam quid uiſendum & mirificum, propter maximas ſubſtructiones, M. quoque ANTONIO oſtendiſſe dicuntur. Moxq́; ſciſcitantes, Quid de illa ſentiret? arbitrati miris illam laudibus eius teſtimonio celebrandam, futilem & nullius penſi eſſe indicauit. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 16.

Chij cùm ex Chio marmore uerſicoloribus maculis, urbis muros, tanquam quid mirum, CICERONI oſtentarent: Magis mirum futurũ, dixit, ſi ex Tiburtino marmore illos conſtruxiſſent. Plutarchus.

*Magnanimitate.*

Q. FABIVS Max. iam annis grauis ad filium conſulem pro tribunali ſedentem, aſſiſtente magna caterua, equo uehens accedebat. Cui cùm iuuenis miſſo lictore iuſſiſſet, ut deſcenderet ex equo: erubuerunt alij. At Fabius ex equo deſiliens præter ætatem, properauit ad filium, eumq́; complexus: Macte conſilio, inquit, fili. Sentis, quibus imperas, & quantæ maieſtatis imperium teneas. Plut. in Apoph.

*Clementia.*

Fratris filium Lycurgi Charillum uel Charilaum, qui Spartæ regnabat, mitem uirum ac lenem, cùm laudibus nonnulli ferrent, collega eius ARCHIDAMIDAS: Qui uerò, infit, probus ſit Charillus, qui ne peruerſis quidem eſt infeſtus? Plut. de Inuidia & odio.

Cùm Cæſar deiectas Pompeij ſtatuas reponi iuſſiſſet: CICERO, Dum Pompeij, inquit, ſtatuas erexiſti, tuas fixiſti. Plut. de Emolumento ex inimicis capiendo.

*Iracundia.*

CATO maior iraſcentem à furioſo putabat diuturnitate tantùm differre. Plut. in Apoph.

*Minis.*

POLYDORVS Alcamenis, cùm hoſtibus quidam multum minitaretur: Non intelligis, inquit, maximam partē exhauſiſſe te ſuppliciorum? Plut. in Apoph.

*Teſtimonio.*

Dicebat ADRIANVS Cæſar, credendum eſſe teſtibus, non teſtimoniis. Iudex enim exercitatus in ſuo munere, prudens & conſideratus, de teſtimonio iudicium faciet, conſpecto teſte, ex uultu, conſtitutione, & circunſtantiis aliis innumeris. Bodinus lib. 4. Dæmon. cap. 2.

*Reprehenſione, Caſtigatione.*

DEMARATVS, cùm aſperiùs egiſſet cum ipſo Orontes, dixiſſetq́; quidam, Tractauit te Orontes aſperè: Nihil, inquit, in me peccauit. Nam qui blandiuntur, lædunt: non qui agunt acerbè. Plut. in Apoph.

DIONYSIVS rex, cùm audiuiſſet duos adoleſcentes multa contumelioſè de ipſo & tyrannide eius inter compotandum dixiſſe, utrunq; uocauit ad cœnam. Cùm uideret autem alterum ex temulentia petulantem, & multa nugantē, alterum uerò modeſtè & cautè bibentem: illum ut natura ebrioſum & ſtolidum dimiſit: hunc uerò interfecit, tanquã ex animi propoſito maleuolum & inimicum. Antonius in Meliſſa, part. 1. Serm. 53. & Plut.

*Inuidia, Aemulatione.*

AGIS Archidami filius dictitãtibus, Certos cum eo ex altera familia regia æmulari: Igitur, reſpondit, torquebunt iſtos propria mala, atq; inſuper mea meorumq́; amicorum bona. Plut. in Apoph.

Iuuenis etiamnum THEMISTOCLES, Nihil agere dixit ſe præclari. nondum enim inuidia laborare. Plutarchus de Inuidia & odio.

*Mendacio.*

EPÆNETVS omnium ait mendaces noxarum & maleficiorum architectos eſſe. Plut. in Apoph.

*Impudentia.*

ALBERTVS dux ſuperioris Saxoniæ Lubecam uenerat. Placuere illi cuncta, præterquam laruatus ille diſcurſus feminarum. Senatum ergo commonefecit, ut abuſum illum antiquaret: qui ut multis alioqui pudicis feminis præſtaret audaciam, ſic impudicis ſtultitiæ incrementũ. Senatus proinde, interdixit illum laruatorum diſcurſum. Cranz. lib. 12. Saxoniæ cap. 23.

*Calumnia.*

Recipiēti cuidam calũnioſa probra: Deſine, inquit LACON, aures aduerſus me præbere. Plut. in Apoph.

THEARIDAS gladium acuminans, & An acutus eſſet? rogatus: reſpondit, Calumnia acutior. Plut. in Lacon.

*Modeſtia.*

CATO maior minimè eſſe inuidioſos, qui fortuna ciuiliter & modicè utantur, aſſerebat. Neq; enim nobis, ſed iis, quæ nobis adſunt, inuideri. Plut. in Apoph.

*Scurrilitate, Nugacitate.*

CATO maior eos, qui in ridiculis eſſent ſerij, in ſeriis dicebat eſſe ridiculos. Plut. in Apoph.

Scitum eſt SENIS cuiuſdam dictum: Non quòd filius ſludit meus, malè me habet: ſed quòd reparare damnum ſtudet, uehementer excruciat. Illud enim qui conantur & faciunt ſedulò, nunquã, dũ quid ſupereſt, deſiſtunt. Rectè Horatius:

Non luſiſſe pudet, ſed non incidere ludum.

plerunq; enim aleatores id, quod ſperant, non quod fieri poteſt, ſpectantes, captando capiuntur. Paſcaſius Iuſtus libro 1. de Alea.

*Loquacitate.*

PERSÆ nihil fide ſanctius, nihil pulcrius ſilentio, nihil loquacitate deformius eſſe arbitrabantur. Illud uel morte cuſtoditum, hanc morte caſtigari uoluerunt.

CHILO Lacedæmonius ſapiens dicebat, non committendũ ut lingua præcurreret animum: admonens priùs cogitandum, quid loquaris, quàm lingua prorumpat in uerba. Idẽ præcipiebat, linguam cùm aliàs ſemper, tum præcipuè in conuiuio continendam: quòd illic cibus ac potus inuitet ad intemperantiam. Porrò ubi plus eſt periculi, ibi maior adhibenda eſt ratio. Rogatus, quid eſſet difficile: Arcanum, inquit, reticere. Eraſ. lib. 2. Apoph.

ARCHIDAMIDAS carpenti ſophiſtem Hecatæum, quòd in eorum conuiuium admiſſus, nihil dixiſſet: Ignorare mihi uideris, inquit, qui dicere nouit, eum etiam tempus noſſe dicendi. Plut. in Apoph.

THEOPHRASTVS Ereſſius dicebat potiùs eſſe fidendum effreni equo, quàm uerbo incompoſito. Laertius.

ZENO dicere ſolebat, Satius eſſe labi pedibus quàm lingua, eoq; conuiuia quantum poterat uitabat, quòd ibi ſolutus uino, & aliorũ fabulis prouocatus, faciliùs labi poſſet. Idẽ.

HIERO Syracuſanorum tyrãnus, arcana qui enunciarẽt, hos iniuriã arbitrabatur inferre etiam illis, quibus ea proderẽt. Veniunt enim nobis odio non modò hi, qui enunciant, ſed & qui, quæ nolumus, audiuerunt. Plut. in Apoph.

*Taciturnitate.*

SIMONIDES poeta in conuiuio quopiam cùm hoſpitẽ recumbentem conſpexiſſet tacitum, neq; cum ullo fabulantem: Heus tu, inquit, ſi ſtolidus es, prudenter agis: ſin prudens, ſtolidè. Plut. lib. 3. Quæſt. conuiualium 1.

*Religione.*

Scribens ad Antipatrum ARISTOTELES: Gloriandum Alexandro, inquit, quòd in mortales imperium habeat: ſed nõ minus illis, de diis q ſentiunt rectè. Plut. de Tranquil. animi.

XENOPHANES Aegyptios monuit: Oſirim, ſi mortalem arbitrarentur, ne pro deo colerent: ſin deum, ne lugerent. Plutarchus Sermone amatorio.

TERTVLLIANVS in Apologetico dicit, ſatius fuiſſe deos fieri, ſapientiæ Socratem, iuſtitiæ Ariſtidem, militiæ Themiſtoclem, eloquentiæ Ciceronem, felicitatis Syllam, opum Craſſum, ſublimitatis Pompeium, grauitatis Catonem. Hi enim diis ipſis præſtabant hiſce rebus. L. Viues in lib. 1. Auguſtini de Ciuitate, Dei cap. 32.

*Votis.*

SOLOMON Iudæorum rex, cùm duodecim annorum eſſet, & in ſomnis à Deo quicquid uellet petere iuberetur: non opes, non uictoriam, non uitam longæuam, ſed ſapientiam populos regendi petiit. 1 Reg. 3. & Ioſephus.

SOCRATES nihil ultrà petendum à diis immortalibus arbitrabatur, quàm ut bona tribuerent: quia ij demum ſcirent, quid unicuiq; eſſet utile. Val. lib. 7. cap. 2.

Platonis conuerſatione cicuratus DIONYSIVS minor Syracuſanus, cùm in ſacrificio publico præco imperij æternitatẽ tyranno precaretur: An non tu deſines, inquit, nobis mala imprecari? Plut. in Dione.

P. SCIPIO quum cenſor ludum conderet, & præco carmen pronunciaret, uti Iupiter imperium P. R. augeret: ſatis amplum eſſe aſſeruit, nec ut augerent, ſed ut conſeruarent tantùm, deinceps petendum eſſe putauit, & tabulas publicas ad hunc modum emendari iuſſit. Val. Max. lib. 4. cap. 1.

*Iuſtitia.*

AGESILAVS de fortitudine & iuſtitia, Vtra præſtaret, rogatus: Nihil fortitudinẽ, inquit, requiramus, omnes ſi iuſti ſimus. Plut. in Apoph.

Quibuſdam Eleos hoc nomine laudantibus, quòd in certaminib. Olympiacis quouis quinquẽnio celebrari ſolitis eſſent iuſtiſſimi: Quid, inquit AGIS, magni mirũue faciũt, ſi intra quinq; annos uno tãtùm die ſe iuſtos præſtant? Nõ putabat, in eũ cõpetere iuſtitiæ laudẽ, niſi qui per omnẽ uitam in omnibus actionibus iuſtitiam coleret. Plut. in Laconicis.

AGESILAVS cùm de rege Perſarum, quem μέγαν βασιλέα uulgò appellabant, quæſtio incidiſſet, inquit, Quídnam me ille eſt maior, niſi etiam iuſtior? Plut. de Virtutis profectu.

*Legibus.*

PITTACVS Crœſo, Quod'nam imperiũ maximum eſſet, interroganti: ποικίλυ ξύλυ, ligni uarij, reſpondit: in quo ſcilicet inciſæ eſſent leges. Laertius.

PLATO leges quàm pauciſſimas promulgandas eſſe putauit. Magiſtratus enim ſi ſuo munere fungatur, multitudo legum ſuperuacanea erit: ſi non fungatur, moleſta & pernicioſa. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 14.

CLEONIS fuit opinio, ſatius eſſe malis legibus aſſuetam ciuitatẽ non facilè mutari, q̃ bonis inconſtanter uti. Thucyd.

Apud AEGINETAS cautum erat, ut qui nouæ condendæ legis cauſam daret, inuiſus omnib. & execrabilis foret. Alex.

Anacharſis eludens ſtudium Solonis in conſcribendis legib. (quemadmodum refert Plutarchus in uita Solonis) τὺς νόμυς τοῖς ἀραχνίοις ὁμόιυς ἔφασκεν. κὴ γδ ἐκείνυς, ἐαὼ μὲν ἐμπεσῇ τι κῦφον κὴ ἀσθενὲς, σέγειν. ἐαὼ ᾖ μεῖζον, διακόψαν οἴχεται, id eſt Leges aranearum telis adſimiles eſſe dixit, propterea quòd in illas ſi quid leuius aut imbecillum incurrerit, hæret: ſin maius aliquid, diſſecat ac fugit: Sic his humiles & pauperes cõſtringi, diuites & præpotentes non alligari. Val. lib. 7. cap. 2.

CHARILLVS rogatus, Quid leges Lycurgus adeò paucas tuliſſet? Quia pauca loquentibus, inquit, etiam paucis legib. eſt opus. Plut. in Apoph.

AGESILAVS interrogante quopiam, Quid cõtuliſſent Spartæ Lycurgi leges? Faſtidiũ, inquit, uoluptatũ. Plut. in Apoph.

*Reipublicæ ſtudio.*

Refert Macrobius, Cæſarem AVGVSTVM aliquando ueniſſe in ædes, in quibus habitauerat Cato. Hic quum Strabo in gratiam Auguſti incuſaret Catonis peruicaciam, quòd ſibi necem conſciſcere, quàm Iulio uictori ſe ſubmittere maluiſſet: Auguſtus reſpondit, Quiſquis præſentem ciuitatis ſtatum mutari non uult, is & ciuis & uir bonus eſt. Eodem dicto & Catonis memoriam tutatus eſt, & ſibi conſuluit, ne quis in poſterum affectaret res nouas. Eraſmus in Adagiis.

*Supplicijs & Pœnis.*

DAVID rex, propter numeratũ contra Dei mandatum populum, pœnam meruerat, quæ in totum populum redũdatura erat. Propoſito itaq; triplici genere ſupplicij, Fame, Bello & Peſte, poſtremum elegit: ſatius eſſe iudicans, in manus miſericordis Domini incidere, quàm inimicorũ. 2. Reg. ultimo.

*Perfidia.*

ASTYAGES Medorum rex, quum proditione Harpagi à Cyro ex filia nepote eſſet uictus, & ad uictorem nepotem adductus, Harpagum ibi uidiſſet crudelitatem ſibi exprobrantem: quæſiuit, An ipſe auctor fuiſſet Cyro ſuſcipiẽdi belli, & à Medis deſciſcendi? Quod quum Harpagus etiam gloriabundus aſſeueraſſet: Næ, inquit ſenex, aut ſtultum te eſſe hominem, aut impium oportet. Illud, quòd alterum quàm te malueris eſſe regem: hoc uerò, quòd Medos ciues & populares tuos, nihil de te malè meritos, regno priuatos ac libertate, Perſarum ſeruituti ſubieciſti. Lud. Viues de Concordia & diſcordia libro 3.

ANTIPATER, quum audiuiſſet Parmenionem ab Alexandro interfectum, dixit: Si Parmenio ſtruxit inſidias Alexandro, cui fidendum eſt? Si non ſtruxit, quid agendum? *Erat* Parmenio uelut alter Alexander, in rebus militaribus. *Si tantus* amicus fefellit, non eſt tutum cuiquam amico *fidere*: *ſi* Alexander nihil commeritum ſuſtulit, præſtat à regum negotiis abſtinere. Plut. in apoph. Regum & Impp.

Aetius Patricius Romanus à Valentiniano III occiſus eſt, imperium quaſi affectaſſet. MILES quidam interrogatus ab Imp. Vtrum iure cæſus ſibi uideretur? reſpondit: Hoc quidẽ neſcio, cæterùm id tibi affirmarim, tua te ſiniſtra manu dexteram tibi amputaſſe. Egnatius lib. 2. cap. 2.

*Iniuria.*

CATO maior iniuriam aiebat, quamuis non creet periculum facientibus, tamen omnibus creare. Plut. in Apoph.

SOCRATES, cùm affari uideretur accuſatores Anytũ & Melitum, ad iudices dixit, Vitam adimere ſibi Anytum & Melitum ualere, detrimento afficere non ualere. Plutarchus de Tranquil. animi.

*Periuria.*

AGESILAVS rex Spartanorum, cùm Tiſſaphernes contra datam fidem illi inſidias tenderet, lætari ſe dicebat illius perfidia, eo quòd peierãdo deos redderet infeſtiores. Aelianus lib. 14. Var. hiſt.

☞ DE IIS, QVÆ AD CORPORIS BONA maláſue pertinent. Nempe de

*Partibus corporis.*

PITTACVS, cùm uictimam ei rex Aegyptiorum miſiſſet, præcepiſſetque, ut optimam & peſſimam carnem auferret: uictimam exciſa remiſit lingua. quòd tam bonorum ea quàm malorum organum ſit ſummorum. Plutarchus de Garrulitate.

BIAS iuſſus Amaſidi uictimæ peſſimam ſimulque optimam carnem mittere, exectam linguam miſit: quòd fraudes & compendia afferret oratio ſumma. Idem de Audiendo.

*Forma.*

ARCHELAVS, complectente in conuiuio Euripide formoſum Agathonem, atque deoſculante iam pubeſcentem, ad amicos ait, Ne miremini: quippe pulcrorum etiam autumnus pulcer eſt. Plut. in Apoph.

*Morbis.*

SOCRATES, cùm decrepitam iam ætatem agens, in morbũ incidiſſet, & quidã interrogaret, Quomodo ſe haberet? Rectè inquit, utroque modo. Nam ſi fuero ſuperſtes, plures æmulatores habebo: ſin uitam exceſſero, plures laudatores. Aelian. lib. 2. de Var. hiſt.

*Vulneribus.*

Nicolaus Maltrauerſus, Lucij Comes, Patauinus, homo potens, qui DCC milites armatos quãdocunq; uellet habere poterat, comitatu militum & ſicariorum, uulnerib. præſertim in facie deformatorum, delectabatur quòd eos fortitudinis ſuæ ſigna circumferre diceret. Id cùm TONSORI ſuo obiter inter radendum iactitaret: is uerò contrarium ſibi uideri reſpondiſſet, quòd non qui pateretur, ſed qui aliis uulnera inferret, maiorem fortitudinis laudem mereretur: ſibi perſuaderi paſſus eſt, uti deinceps nullos cicatricoſos in ſuo comitatu ampliùs eſſe uellet. Hic Nicolaus cum Cane Scaligero conſpiratione inita, belli cruentiſſ. inter Patauinos & Veronenſes, in quo ſupra cẽtum millia periere, auctor fuit. Bern. Scardeonus lib. 3. claſſis 13.

*Exercitatione corporis.*

ALEXANDER Magnus cùm pedum pernicitate æqualibus omnibus iuuenibus præcelleret, atq; ſodales eum ad certamen Olympicum accenderent: quæſiuit, An reges certaturi eſſent? Negantibus illis, iniquam oſtendit concertationem eſſe, in qua palmam relaturus eſſet de priuatis, uincendus rex. Plut. orat. 1. de Alexandro.

AESCHYLVS, cùm apud Iſthmum ludos pugilum ſpectaret, ubi icto altero conclamatum eſt à theatro, pungens Ionem Chium: Vidén, inquit, quantum ualeat conſuetudo? pulſatus ſilet, ſpectatores uociferãtur. Plut. de Virtutis profectu.

PHILOPOEMENES Megalopolitanus dux clariſſ. fuit iam inde à puero ad rem militarem pronus, atq; eò quæ conducerent, aſſectabatur nauiter: in armis ſe exercens & equitãs. Cùm uerò luctari etiam ſcitè uideretur, ſuaderentq; ei aliqui amici & curatores, ut ſe ad exercitationem athleticam conferret: rogauit eos, Ecquid ea exercitatio militi adferret detrimenti? Qui cùm id, quod erat, athleticum corpus cum militari omnibus partibus referrent pugnare, præcipuè uiuendi rationem & exercitationem aliam eſſe: quòd illi multo ſomno, perpetua ſaturitate, ſtatis motionibus, & quiete augerent tuerenturq; habitum, qui ex quolibet momento & exceſſu conſuetudinis eſſet ad conuerſionem lubricus: hi omnem debeant uariationem callere & inæqualitatem, maximè uerò aſſuefacti eſſe, ut facilè inediam tolerent, facilè etiam uigilias. Quo intellecto, non ſolùm ipſe eam rem faſtidiuit & deriſit Philopœmenes, uerùm etiam diſciplinam omnem athleticam pòſt prætor, quantum in ipſo erat, omni exegit genere contumeliarum & probrorum, quòd appoſitiſſima corpora neceſſariis certaminibus redderet inhabilia. Plut. in Philopœmene.

De INDIS, in noſtrum orbem deductis, narrãt, cùm ſaltantes uidiſſent Hiſpanas feminas, territos fugiſſe, quòd illas dicerent nouo & inſolito ſibi furoris genere concitari. Lud. Viues de Chriſtiana femina lib. 1.

LEGATVS Turcæ ad Mathiam Regem Pannoniæ miſſus, de haſtiludiis hanc tulit ſententiam. Neq; feriò, neq; ludo ſatis cõſuluiſſe auctorẽ illius pugnæ: minus enim negotij quàm ſerium exigit, & plus periculi quàm luſus poſtulat, concurſionem illam haſtarum exhibere. Ad hæc Rex (nam & ipſe ſæpiùs in hanc arenam deſcendebat) Te, ait, tua tuoſque, nos noſtra delectant. Dubrauius lib. 11.

GEMES Othomannus, audiens Ferdinandum regem Neapolitanum commendari à corporis agilitate, ſaltando, currendo, equitando: At hæc, inquit, corporis exercitia brutorum imitatione apud Turcos ſeruorum ſunt propria: principum uerò, liberalitatis, iuſticiæ, prudentiæq; opera. Aegid. Corrozetus de Dictis & factis mem.

*Alimentis.*

Cambyſes Perſarum rex, Aethiopes quoſdam Ichthyophagos exploratum miſerat ad Aethiopes Macrobios cum muneribus. REX ſumto purpureo amiculo (quod unum ex muneribus erat) rogauit, Quídnam eſſet, & quomodo confectum? Et cùm Ichthyophagi ueritatem de purpura deq; tinctura dixiſſent: Doloſi, inquit, homines, doloſa ſunt ueſtimenta. Secundo loco ſciſcitatus de tortili monili atque armillis, ornatum eius rei exponentibus Ichthyophagis, riſit, atq; exiſtimans uincula eſſe, inquit, Robuſtiora apud ſe uincula eſſe. Tertiò ſciſcitatus unguentum, cùm illi de confectura, unguentiq; ratione dixiſſent, idem dixit, quod de ueſtimento. Vbi ad uinum peruenit, eiuſq; conficiendi rationem audiuit, maiorem in modum delectatus potu, percontatus eſt, Quibúſnam rebus ueſceretur rex, & quod longiſſimum tempus uitæ Perſis eſſet? reſponderunt, Veſci regem pane, exponentes tritici naturam: perfectiſſimumq; diu uiuendi ſpacium apud Perſas eſſe octoginta annos. Ad hæc Aethiops, Nihil ſe mirari, inquit, ſi ſtercore ueſcentes paucis uiuerent annis. Nam ne tot quidem annis uicturos, niſi hoc potui acceptum referrent. Herod. lib. 3.

ARCHIDAMVS, Zeuxidami F. pollicenti ſuaue uinũ: Quò, inquit? Siquidem & exhaurietur largiùs, & animos ſtrenuos labefactabit. Plut. in Apoph. Quod ipſum quoq; GORGONI Cleomenis F. tribuitur.

SOCRATES aiebat, Improbos comedendi & bibendi gratia uiuere: bonos uerò, ut uiuant, comedere & bibere. Plutarchus de Audiendis poetis.

*Conuiuiis.*

CHILO Lacedæmonius, uocatus ad cœnam, non antè cõdicebat, quàm unumquemq; inuitatorum intellexiſſet. Aiebat enim conuictorem & contubernalem, quibuſcum nauigandi & militandi neceſſitudo imponitur, ferendum eſſe importunum. At conuiuis ſeipſum commiſcere temerè, hominis eſſe amentis. Plut. in Conuiuio.

*Veſtitu.*

Xanthippe SOCRATIS, cùm nollet eius ueſtem induere, atque ſic ad ſpectandum pompã prodire: dixit ille, Vt quam nõ ut ſpectes, ſed ut ſpecteris, habeas. Ael. lib. 7. de Var. Hiſt.

*Cultu, Vnguentis, Fuco.*

PHILIPPVS Macedo quendam ex Antipatri neceſſariis in album iudicum retulerat: quem inde ubi barbam ſenſit & capillum inficere, expunxit eum: Infido, fatus, in crinibus nihil putare ſe fidendum in negotiis. Plut. in Regum apopht.

Aiebat SOCRATES inter unguenta nullum oleum meliùs olere, quàm quo ungebantur athletæ: Amaracinum & foliatum feminis eſſe relinquenda. Rogatus, Quid deceret olere ſenes? reſpondit, Probitatem. Dein rogatus, Vbi hoc unguentum ueneeretur? Theognidis hemiſtichio reſpondit,

Ἐσθλῶν μὲν γδ ἀπ' ἐσθλὰ διδάξεαι. id eſt,

Qui bonus eſt, ab eo bona diſcito.

Eraſmus in Adagiis, ex Xenophonte.

*Morte.*

EPAMINONDAS, Mortem, quæ obitetur in bello, eſſe dixit pulcerrimam. Plut. in Apoph.

C. IVL. CÆSAR, paulò antè quàm à coniuratis interficeretur, ſermone ſuper cœnam, Quænam mors [illegible] oto: In opinata, inquit. Plut. in Apoph.

*Mortalitate.*

PHILIPPVS cùm in palæſtra cecidiſſet, & conuerſus corporis [illegible] Papæ, inquit, quàm exiguã terræ portionem occupamus, qui appetimus orbem uniuerſum. Plut. de Exilio.

ALEXANDER Macedo, ſagitta eius crure icto, ut confertim concurrerunt, qui frequenter erant eum deum ſalutare ſoliti, geſtienti uultu: Hic ſanguis, inquit, eſt, non ichor

— Diis ut ſolitus manare beatis. Plut. in Apoph.

IDEM dicebat, Mortalem ſe eſſe, intelligere ſe potiſſimùm ex ſomno & concubitu: quòd ab eadem imbecillitate naturã inceſſat laſſitudo & uoluptas. Plut. in Alex. & de Diſc. adul.

EPICHARMVS ætate iam prouecta, cum quibuſdam æqualibus ſedens confabulabatur. Hic uno ex illis dicente, Mihi ſatis eſt quinq; annos uiuere: alio, Mihi tres: tertio, Mihi quatuor: ſuſcipiens ille, O optimi uiri, dixit, quid litigatis de paucis diebus? Quotquot hìc conuenimus, fati lege propinqui ſumus morti. Adeoq; tempus eſt nobis hinc ocyùs diſcedendi,

dendi, antequam ſenectutis moleſtias grauiores experiamur. Aelian. lib. 2. Var. hiſt.

ANTIGONVS rex paruo languore correptus, ut ex morbo aſſurrexit: Haud malè, inquit, actum eſt nobiſcum. commonuit enim morbus nos, ne ſpiritus, cùm mortales ſimus, ſuſtollamus. Plut. in Apoph.

HORMISDA Perſa Conſtantio Imp. urbis Romæ magnificentiam admiranti, & quid de ea ſentiret petenti, reſpondit: Ex iis quæ uidiſſet nihil ſibi tam mirum uideri, quàm illud uerum, in urbe quoq; Roma, nõ minùs quàm in cæteris orbis terrarum locis, homines mori. Platina.

MESSOLANVS uir ſpectatæ ſanctitatis, ac iam ſenio confectiſſimus, ad inſequentis diei conuiuiũ inuitatus, Quid (ait) me inuitatis? ego quidẽ à multis annis craſtinum nõ habui.

### DE FORTVITIS bonis malis'ue. De

### *Diuitiis & Opulentia, cùm publica, tum priuata.*

TIMANDRIDAS Lacedæmonius, cùm poſt longam peregrinationem domum reuerſus, rem familiarem longè auctiorem, quàm reliquerat, à filio factam uidiſſet: multos ab illo deos & homines iniuria affectos eſſe, & ex rapinis opes iſtas aggeſtas fuiſſe, dixit. Liberi enim ciuis eſſe, ea quibus domi abundes, in deorum cultum & hoſpitalitatem conferre: qui ſecus faciat, iniuſtum eſſe. Ael. lib. 14. Var. hiſt.

BIAS, cùm patriã eius Prienem hoſtes inuaſiſſent, omnibus, quos modò ſæuitia belli incolumes abire paſſa fuerat, precioſarum rerum pondere onuſtis fugientibus, interrogatus Quid ita nihil ex bonis ſuis ſecum ferret? Ego (inquit) uerò bona mea mecum porto. Pectore enim illa geſtabat, non humeris, non oculis uiſenda, ſed æſtimanda animo, quę domicilio mentis incluſa, nec mortalium, nec deorum manibus labefactari queunt: & ut manentibus præſtò ſunt, ita fugientes non deſerunt. Val. Max. lib. 7. cap. 2.

Potitus Megarenſium urbe Demetrius Poliorcetes, rogauit STILPONEM, Ecquid rerum ipſius in prædam uerſum eſſet? Cui Stilpo, Neminem, reſpondit, ſua ſe uidiſſe rapientem. Plut. de Tranquil. animi.

Cùm quiſpiam Lampen Aeginetam laudaret, quòd multa poſſideret nauigia: LACON quidam, οὐ προσδέχω, ἔφη, τῇ εὐδαιμονίᾳ ἐκ σχοινίων ἠρτημένῃ, id eſt, Nihil, inquit, moror felicitatem de funiculis pendentem. Plut. in Lacon.

CONSTANTIVS Imp. poſt ſuſceptum imperium, Romam cum triumpho uia Flaminia ingreſſus aureo carpẽto, ciues obuiam factos mira benignitate inſpexit & ueneratus eſt, dictitans illud Cineæ Pyrrhi legati uerum eſſe, tot ſe uidere reges in urbe Roma, quot ciues. Campum Martium cùm admiratione inſpiciens, ſepulcrum Auguſti Cæſaris tot ſimulacris marmoreis & æneis ornatum, forum Romanum, Iouis Tarpeij delubra, thermas, porticus in prouinciæ modum auctas, amphitheatrum Tiburtino lapide extructum tantæ altitudinis, ut eam uix humanus oculus aſſequi poſſet: Pantheon mira altitudine ſpacioſis molibus formatum, templum Pacis, Pompeij theatrum, Circum maximum, Septiſolium, tot arcus triumphales, tot aquæductus, tot ſtatuas per urbem ad ornatum poſitas: obſtupuit, ac tandem dixit, Naturam uires omnes in unam urbem effudiſſe. Stabat Traiani equus æneus in foro, cui ſimilẽ ſe facere poſſe Cõſtãtius affirmabat. HORMISDA Perſa, At ſtabulum priùs tale condas oportet, ſi uoles equum latè ſuccedere. Plat.

FRIDERICVS III. Cæſar cùm Romam profecturus Florentiam tranſiret, uideretq; Coſmi Medicis florẽtiſſimas opes, qui aliquãdo pauper fuiſſe dicebatur, exclamaſſe fertur: O quàm multa conuitia & contumelioſa uerba pertulit, ſurdaq; aure tranſiuit, donec ita locupletatus eſt. Ioannes Petrot. in Conuiu. quæſt.

*Vrbium ſitu.*

MEGABYZVS Perſa, Dariani exercitus præfectus in Europa, cùm apud Byzantium agens audiſſet Chalcedonios decem & ſeptem annis ante Byzantios urbem condidiſſe, Cæcos appellauit, quòd ſterili & importuno loco urbem cõdidiſſent, quum ante oculos opportuniſſimum habuiſſent, quẽ utiq; Byzantij poſt ſeptemdecim annos muniuêre. Sab. li. 8. En. 2. ex Herod. lib. 4. At Strabo li. 7. Delphico oraculo monitos ſcribit Spartanos, ut cõtra cęcos locarẽt ſedes, id eſt, Megarenſes, qui Chalcedonẽ ſterili ſolo, omiſſo locuplete litore, in quo Spartani Byzantium condiderunt, ædificarant.

*Antiquis monumentis.*

ALEXANDER Magnus tranſmiſſo Helleſpõto luſtrauit Troiam, geſta heroica animo reuoluens. Vbi cùm ex prouincialibus quiſpiam ei Paridis lyram, ſi uellet, oſtenderet ſe daturum: Nihil, inquit, illam requiro: quando Achillis teneo, ad quam ille recreabatur, &

— cantabat decora illa uirorum.

Plut. orat. 1. de Alexandri fortuna. Aelianus lib. 9. optaſſe illum Achillis lyram ſcribit.

*Gloria & Honore in genere.*

THEOPOMPVS, cùm Pylij maiores honores ei ſciuiſſent, reſcripſit: Moderatos dies alit, immodicos obliterat. Plut. in Apophthegmatibus.

AGESILAVS rogatus à quodam, Qua ratione magnum nomen ſibi parare poſſet? Si mortem, inqt, contempſeris. Idem.

SOCRATES expedita & compendiaria uia eos ad gloriam peruenire dicebat, qui id agerent, ut quales uideri uellent, tales etiam eſſent. Qua quidem prędicatione apertè monebat, ut homines ipſam potius uirtutem haurirent, quàm umbram eius conſectarentur. Val. lib. 7. cap. 2.

DEMOSTHENES oratione de Corona hoc luculentiſſimum & diſſertiſſimum fecit, quòd iuramento teſtatus eſt eos, qui in Marathone pro Græcia decertauerãt, quàm in ſcholis iuuentutem rudimenta docuerunt (atq; in his Iſocrates, Antiphontas, & Iſæos) de Repub. præclarius meritos eſſe. Plut. de gloria Athenienſium.

CATO maior eos, qui uirtutem ſpoliarent honore, ſpoliare uirtute iuuentutem dixit. Plut. in Apoph.

GALENVS de gloria populari & laude apud multos ita ſentiebat: nonnullis uiuentibus eam aliquando commodum ceu inſtrumentum eſſe, mortuis aũt nihil omnino prodeſſe: imò uerò nec uiuentium quibuſdam: quum eis, qui plurimum philoſophiæ indulgerent, non paruo impedimento eſſet apud uulgus fama, ipſos uidelicet à rebus pulcerrimis plus iuſto tranſuerſos auferens. Geſnerus in eius uita.

*Laudibus & Præconiis.*

AGESILAVS ſi quando uituperantes uel laudantes audiret, non ſecus exiſtimabat inſpiciendos dicentium, quàm corũ, de quibus dicerent, mores. Plut. in Apoph.

ARISTOTELES de ſemetipſo in neutram partem loqui debere prædicabat: quoniam laudare ſe, uani: uituperare, ſtulti eſſet. Val. lib. 7. cap. 2.

*Titulis magnificis.*

AGESILAVS Aſiæ cultoribus regem Perſarum de more Magnum nuncupantibus: Quid me ille eſt, inquit, maior, niſi ſit iuſtior & temperantior? Plut. in Apophthegmatis. Quod ipſum SOCRATI quoque tribuitur.

ALEXANDER in Ammonis delubro appellatus à uate Iouis filius, Non, ait, mirum eſſe: patrem enim eſſe natura Iouem omnium: adoptare autem ſibi optimum quemq;. Idem.

*Statuis & Imaginibus.*

AGESILAVS moriens amicis pręſcripſit, ne ullam ſui fictam uel pictam imaginem facerent. Nam ſi quod meum rectè factum extat, erit monimentum hoc meum: ſi nullum, ne ſi omnes quidem ſtatuæ. Plut. in Apoph.

Cùm C. Iul. Cæſar uictor deiectas Pompeij ſtatuas honorificè erexiſſet, loquens de illo CICERO: Cæſar, inquit, Pompeij ſtatuas erigendo ſuas ſtabilit. Idem.

CATO maior compluribus poſitas cernens ſtatuas: De me, inquit, præopto ut quærant homines, cur poſita ſtatua Catoni nulla ſit, quàm cur poſita. Idem.

*Dignitate.*

Georgius Fiſcellus iureconſ. à Sigiſmũdo Cæſare equeſtris militiæ inſignia ſuſcepit. Exin cùm Baſilienſem ſynodũ adiſſet, conſultãte de rebus arduis SIGISMVNDO, dubius erat, legúmne doctoribus in unum locũ coniunctis, an equitibus item in alium ſeparatis, ſeſe coniungeret. Cumq; tãdem ad equites inclinaret: Stultè agis, inquit Sigiſmundus, qui literis militiam præfers. Nã ego milites mille una die fecerim, doctorẽ unum in mille annis non fecerim. Doctrinã militię prætulit Imperator: quòd ut ipſe linguarũ ac literarum peritiam amauit, ita uiros eruditione præſtantes ſemper ornare & prouehere ſtuduit. Aeneas Syluius lib. 4. Comment. in res geſtas Alphonſi, & Dubrauius lib. 25.

*Republica.*

DEMOSTHENES urbe pulſus dicebat, Si mihi qs duas uias monſtraret, alteram ad infernum ducentem, alteram ad tribunal, multò libentiùs ingrederer eam quæ rectà ad infernum tenderet. Aelian. li. 9. de Var. hiſtor. & Plut.

MELAN-



MELANTHIVS, ſiue ioco ſiue feriò, ciuitatem Athenienſem ab oratorum ait diſſenſione & diſcordia conſeruari. Neq; enim inclinare in eundem parietẽ omnes, ſed fieri in remp. tractantium diſtractione aliquod momentum, quod prauum retrahat. Plut. de Audiendis poetis.

ARCHIDAMVS Zeuxidami filius, quęrẽti de ipſo, Qui Spartæ præſint? Leges, inquit, & iuxtà leges magiſtratus. Plutarchus in Apophthegmatibus.

THEOPOMPVS dicenti, Spartam per reges ſtare imperãdi artifices: Minimè, inqt, ſed p̃ ciues magiſtratib. audiẽtes. Idẽ.

LEON Eucratidæ interrogatus, Quali in urbe habitare queat quis ſecurè? Vbi, inqt neq; plura neq; pauciora poſſidebũt incolæ, atq; ubi iuſtitia uigebit, & languebit iniuſtitia. Idẽ.

CHARILLVS interrogatus, Quam rempub. optimam putaret? In qua, inquit, pleriq;, qui remp. tractant, de uirtute inter ſe ſine ſeditione certant. Idem.

LYSANDER Perſę interroganti, Quam potiſſimùm remp. cõmendaret? Quæ, inquit, uiros fortes & ignauos pro merito tractat. Idem.

MARIVS Maximus, Meliorem eſſe rempub. & propè tutiorem referebat, in qua princeps malus eſſet, quàm in qua amici principis praui exiſterent. Quãdoquidem unus malus poſſit à pluribus bonis corrigi: multi autem ab uno nequaquam. Cuſpinianus in Conſulibus.

*Imperio, Regno, Magiſtratu.*

Crœſo percontanti, Quod'nam maximum eſſet imperiũ? PITTACVS Mitilenæus reſpondit, ποικίλου ξύλου, id eſt, Varij ligni: leges innuẽns. Nam olim in tabulis ligneis leges inſcribebãtur. Vbi ſumma legum eſt auctoritas, ibi eſt minimum tyrannidis. Laertius.

DIONYSIVS iunior ſciſcitanti, Quî pater eius tenuis & unus de plebe, imperium Syracuſis quęſiuiſſet: & ipſe, cùm id teneret, & tyranni eſſet filius, perdidiſſet? Pater meus, inquit, diſplicente populari ditione rerum potitus eſt, ego tyrannide inuiſa. Ab alio interrogatus idem: Pater mihi, inquit, tyrannidem ſuam, non fortunam reliquit. Plutar. in regum Apoph. Aelianus lib. 12. Var. hiſt. poſterius reſponſum Philippo Amyntæ datum ſcribit.

ARISTOTELES ad Antipatrum ſcribens de Alexandro, Nõ modò illi par eſſe, ait, quia imperium in multos habeat, animos attollere: uerùm nõ minus, ſiquis de diis ſentiat rectè. Plut. de Virtutis prouectu.

THEOPOMPVS Lacedæmoniorum rex adiecit regnantibus Ephoros. Hinc cùm eum uxor inſectaretur, Quòd imperium filiis relicturus eſſet, quàm accepiſſet, anguſtius: Imò amplius, inquit, quanto firmius. Scilicet ubi uim eius immodicam remiſit, ſimul cum inuidia declinauit periculum. Plut. ad Principem indoctum.

IDEM quærenti, Qua ratione quis fidele ſeruaret regnum? Si amicis, inquit, iuſtam admonendi libertatem concedat: ac ſubditos, quatenus efficere poſſit, non negligat lædi. Plutarchus in Apophthegmatibus.

AGASICLES Lacedæmoniorum rex, quærenti, Quemadmodum quis ſine ſatellitio imperare tutò queat: Si ita, inquit, popularibus imperitet, ut liberis genitores. Idem.

Mortuo Philippo, ac perturbatis tumultuãtibuſq; prouinciis, cùm amici ſuaderent, Omittendas Græciæ res, quiq; deſciuiſſent barbari, comitate illos clementiaq; reconciliandos: At, inquit ALEXANDER, audacia potiùs regnum & animi magnitudine tutandum eſt. Idem.

REGEM quendam ferunt traditum ſibi diadema, priuſquàm capiti imponeret, retẽtum, diu conſideraſſe, ac dixiſſe: O nobilem magis quàm felicem pannum: quem ſi quis penitùs cognoſcat, quàm multis ſollicitudinibus & periculis & miſeriis ſit refertus, ne humi quidem iacentem tollere uellet. Val. Max. lib. 7. cap. 2.

CN. POMPEIVS, ut ab eo Parthorum rex per legatos poſtulauit Phraates, ut terminus ipſis Euphrates eſſet: Imò, inquit, utetur populus Romanus termino cum Parthis iuſtitia. Plut. in Apoph.

DIOCLETIANVS adhuc priuatus dicere ſolebat, Nihil eſſe difficilius, quàm imperare. Id Flauius Vopiſcus in Aureliano tradit ſe audiuiſſe à patre ſuo. Addit cauſam: Colligunt, inquit, ſe quatuor aut quinq;, ſimul conſilium ad decipiendum imperatorem capiunt, dicunt quid probandum ſit. Imperator qui domi clauſus eſt, uera non nouit: cogitur hoc tantùm ſcire, quod illi loquuntur: facit iudices, quos fieri non oportet: amouet à Rep. quos debet retinere. Itaq; bonus, cautus, optimus uenditur imperator. At uulgus ad imperatoris titulum ſatis eſſe putat naſci, aut eligi: naſci utcũque, eligi emtis ſuffragiis, ac ſolennibus cæremoniis confirmari. Eraſmus lib. 6. Apoph.

*Victoria & Clade.*

Cùm fudiſſent Athenienſes eorumq; ſocios Lacedæmonij, atque numerum intellexiſſet Corinthi hoſtium interfectorũ: Heu Gręciã, inqt AGESILAVS, quę tot ipſa perdidit, quot ad barbaros domandos ſatis ſint cũctos. Plut. in Apophth.

THEODOSIVS I. Imp. ubi de ſucceſſibus Maximi tyranni, qui orthodoxus erat, & de Valentiniani Imp. iunioris, qui Arianos ſequebatur, fuga cognouit, putauit non mirãdum eſſe, quòd in tanto metu Imperator is eſſet: tyranno autem tantum ſuppeteret uirium, ut Imperatorem in fugam uerteret. Ille enim, inquit, rectæ fidei opinioni ſubſidium fert: Imperator uerò, dum rectam ſentẽtiam oppugnat, contra Deũ bellum mouet. Et tu quidem cœleſti armatura nudatus, fugæ te commiſiſti: ille autem recta opinione munitus, ſuperior eſt, & herum ſuum uincit. Prorſùs enim ueræ pietati, auctor & legiſlator eius adeſſe ſolet. Atq; hæc quidem, cùm longè adhuc abeſſet, Theodoſius ad Valẽtinianum ſcripſit. Nicephorus lib. 12. cap. 21.

Bulgari, Abares ui ſubactos funditùs ſuſtulerunt. Captiuos autem ABARES Crem ità rogauit: Vnde cenſetis ducem ueſtrum, & totam gentem periiſſe? Illi ſic reſponderunt: Cauſa prima fuit, quòd pleriq; inter ſeſe accuſarunt, & fortiſſimos ac prudẽtiſſimos quoſq; occiderunt. Deinde homines iniurij & furor, ſocij iudicum euaſerunt. Deinde ebrietas: magno enim uini prouentu omnes facti ſunt ebrioſi. Deinde corruptela munerum. Deinde negociatio: facti enim omnes ſunt mercatores, & alios alij deceperunt. His auditis, Bulgaros omnes CREM conuocauit, legeſque huiuſmodi cõſtituit: Si quis aliquẽ accuſarit, non audiatur priùs, quàm uinctus examinatus fuerit: qui ſi calumniæ ac mendacij cõuictus fuerit, occidatur. Nemini liceat furi cibum impertiri: qui uerò id auſus fuerit, publicus eſto. Furi crura confringi, uineas omnes radicitùs extirpari iuſſit. Omni autem petenti non ſimpliciter dari, ſed quod ſatis eſſet, dari iuſſit, ne denuò egeret. Qui ſecus fecerit, publicus eſto. Suidas.

*Patria, Regione, Finibus.*

CYRVS rex, contendentibus Perſis montoſam ſuam & aſperam regionem campeſtri & molli commutare, non indulſit, dicens: Et plantarum ſemina & hominum mores ſolum æmulari. Plut. in Apoph.

EPAMINONDAS agrũ, qui campeſtris eſſet & laxus, belli orcheſtram nuncupauit: quòd tenere eum, niſi inſertam loro ſcuti haberent manum, non ualerent. Idem.

ARCHIDAMVS Ageſilai rogatus, Quantum agri Spartiatæ poſſideant? Quantum, inquit, lancea aſſequuntur. Idem.

AGESILAVS interrogatus, Quouſq; pertinerent Laconiæ fines? uibrata lancea: Quouſq;, inquit, hæc pertingit. Idem.

Vt Parthorum rex Phraates per legatos poſtulauit ab CN. Põpeio, ut terminus ipſis Euphrates eſſet: Imò, inquit, utetur populus Romanus termino cum Parthis iuſtitia. Idem.

*Exilio.*

Cùm Olympiis Alexander per præconem pronũciari iuſſiſſet, ut omnes exules, Thebanis exceptis, domum redirent: Miſerum, inquit EVDAMIDAS, Thebani, glorioſum tamẽ edictum. Solos enim formidat uos Alexander. Plut. in Apoph.

*Libertate & Seruitute.*

IDATHYRSVS Scytharum rex, in quem exercitum duxit Darius, cõſuluit Ionũ tyrannis, ut põte Iſtri diſſoluto reciperent ſe. abnuentes, ob fidem in Darium, frugi mancipia nec fugitiua appellauit. Plut. in Apoph.

AGIS interrogatus, Quemadmodum quis permaneat liber? Si mortem, inquit, contemnat. Plut. in Apoph.

CALLICRATIDAS (ſiue AGESILAVS) interrogatus, Qui homines Iones eſſent? Liberi, inquit, mali, ſerui boni. Plutarchus in Apoph.

PHILIPPVS rex Macedoniæ dixit Græcis, qui ab eo deficiebant, & aſſociabant ſe T. Quintio, quòd catenam priorem politiore quidem, ſed longiore commutarent. Plutarchus de Herodoti malignitate.

DIOGENES Cynicus de Ariſtotele, Alexandrum Philippi F. inſtituente, ſic loqui ſolebat: Ariſtoteles, quãdo uidetur Philippo, prandet: Diogenes, quando Diogeni. Plut. de Exilio.

*Amicitia & Inimicitia.*

CHILO Lacedæmonius, cùm audiret quendam iactantem, Nullum ſe inimicum habere: Ergò ne amicum quidem, intulit. neceſſariò amicitiam & inimicitiam ſe mutuò conſequi exiſtimans. Gell. lib. 1. cap. 3. Noctium Atticarum, & Plut. de Vtil. ex inimicis, & de Mult. amic.

Cùm ab AGESILAO quæſitum eſſet, Quî potiſſimùm hominibus ſe quis probaret: Si dicat, inquit, optima, & honeſtiſſima agat. Plut. in Apoph.

ANTALCIDAS cuidam rogitanti, Quî potiſſimùm hominibus placere poſſet? reſpondit: Si quàm iucundiſſimè cũ eis ſermocineris, & quàm plurimùm commodaueris. Idem.

THEMISTOCLES, Athenienſes ipſum referebat non habere in honore uel admiratione; ſed ſicut ſub platanum ſub ſe tempeſtate coorta & ingruẽtibus periculis refugere: cùm

differenuerit apud eos, caſtrare & reſcindere ramos ſuos. Plut. in Themiſtocle.

SOCRATES dixit, Malle Darium ſe habere amicum, quàm Daricum (ſcilicet numum) Plut. de Pietate erga fratres.

ALEXANDRVM Magnum monebant quidam, ut Græcis tanquam amicis, Barbaris uelut hoſtibus uteretur. Quibus ille: At non genere, ſed uirtute hominum ſunt ſtatuenda diſcrimina. Complures enim Gręcos improbos reperias, Barbaros econtra probos. Strabo lib. 1. ex Eratoſthene.

IDEM ex primis & ſummis amicis in præcipuo ſupra cæteros honore Craterum habere uidebatur, ſed diligere Hephæſtionem. Craterus enim, inquit, regis, Hephæſtion Alexandri eſt amans. Plut. in Apoph.

ANTIPATER dicebat, Ex amicis duobus, quos haberet Athenis, neq; Phocionem inducere ſe, ut quicquã acciperet, neq; Demadem dando explere potuiſſe. Idem.

ANTIGONVS II. Zenone Citieo defuncto, quem præ cæteris philoſophis ſuſpiciebat, theatrum dicebat actuum ſuorum ſublatum. Idem.

DEMONAX, nihil potius habuit inter mortales amicitia, atque mutua caritate, omnemq; ſibi hominem familiarem exiſtimando. Lucianus.

ALPHONSVM Aragonum regem quum quidã acceſſiſſet, & in laudem commendationemq; inimici ſui capitalis uerba ita feciſſet, ut iis maximè, qui ſimultatem eorum probè cognorant, admirationi eſſet: rex ad ſuos conuerſus, Hæc benedicentia, inquit, mihi credite, erumpet tandem in calamitatem inimici. Nec eum fefellit opinio. Sex enim continuos menſes benedicendo ille protraxit, ut è benedictis fidem adeptus, oportuniùs inimicum opprimeret. At eius malitia, regis prudentia detecta eſt, & inſons ille à calumnia ſeruatus. Panormita lib. 2. de rebus Alfonſi.

*Coniugio.*

DOLON rectè iudicat de coniugio ruſtici cum nobilioribus. Vide Tit. Mechanici prudentes.

OLYMPIAS, cùm adoleſcens quidam aulicus uxorem duxiſſet formoſam quidem, ſed famoſam: Hic, inſit, conſilio deſtitutus eſt: alioquin oculis uxorem nõ duxiſſet. Siquidẽ non oculis decet neq; digitis ducere: quomodo nonnulli ſupputant, quantum dotis afferat: at quemadmodum ſecum uictura ſit, non reputant. Plut. in Præcept. con.

Ex illis, qui filiæ ſuæ nuptias ambiebant, probum cùm pecunioſo prætuliſſet THEMISTOCLES, ait, Virum ſe quærere potiùs, pecunia qui egeret, quàm pecuniam, quæ uiro. Plut. in Apoph.

LACON, qui puſillam uxorem duxerat, Ex malis, ait, quàm minima eligenda. Plut. de Pietate erga fratres.

*Sobole.*

Senatum Perſarum (cui intererat Crœſus) aliquando interrogarat Cãbyſes, Qualis ipſe uideretur eſſe uir ad patrem Cyrum? reſponderunt illi, Eum patre eſſe prętantiorem: qui & omnia illius haberet, & Aegypti ac maris acceſſionẽ adieciſſet. Sed CROESVS, qui aderat, ad Cãbyſem inquit: Mihi tu quidẽ, Cyro genite, nõ uideris adæquãdus eſſe patri: quippe cui nondũ eſt filius, qualẽ ille te reliquit. Hoc audito Cãbyſes delectatus, Crœſi ſententiam approbauit. Herod. li. 3.

## DE PERSONIS, IN QVAS BONA MAláue cadunt, iudicium prudens. Prudenter iudicare de

*Magiſtratibus ſacris.*

CAROLVS Magnus quendã ob pontificatum collatum geſtientem, & ab humo in equum, abſq; adminiculo, uno impetu ſubſilientẽ, reuocauit: Vales, inquit, ut uideo, uiribus, & eques haud malus es: tua opera in bellis, ubi tua uirtus eniteſcat, indigeo. Proinde ignobili & imbecilli oues & gregem pecudum relinque. Auent. lib. 4. annalium Boiorum.

LAVRENTIVS Iuſtinianus, Patriarcha Venetus, dicere ſolebat: Tanto faciliùs eſſe munus imperatoris aut ducis quàm epiſcopi, quantò difficiliùs eſſet, quæ non uideas regere, quàm quæ uideas. Bern. Iuſtinianus in uita eius.

*Regibus, Principib. Magiſtratib. profanis.*

CLEOMENES ciue quodam ferente, Regem eſſe omnibus modis debere manſuetum: Nempè hactenus, inquit, dum ne ſit contemtui. Plut. in Apoph.

AGESILAVS, cùm Aſiæ cultores regem Perſarum magnum appellare in more haberent: Quo ille, inquit, me eſt maior, niſi iuſtior & temperantior? Idem.

IDEM perpetuo dicebat, Principem non mollitia & deliciis præſtare priuatis, ſed uirtute debere. Idem.

ARISTO (& ante illum SOCRATES) extollenti Cleomenis reſponſum, quòd interrogatus, Quódnam ſit boni regis officium? dixerit: Benè de amicis ut mereatur & malè de inimicis: Quanto uerò, inquit, homo præclare, præſtantiùs eſt benè mereri de amicis, & inimicos conciliare? Idem.

PLATO inter cõplures, qui Athenis magni habiti, & celebres fuêre, unum cẽſet Ariſtidem memorabilem. Themiſtoclem enim & Cimonẽ & Periclem porticibus, pecunia, multiſq; quiſquiliis referſiſſe ciuitatem: Ariſtidem uerò actiones ſuas ad uirtutem direxiſſe. Plut. in Ariſtide.

In duobus regibus præcipuam animi uirtutẽ ALEXANDER Macedo miratus dicitur, in Semiramide & Cyro, atque ob eã rẽ amborũ memoriã ſemper ueneratus eſt. Sab. li. 5. En. 4.

SELEVCVM dicere ſolitum ſcimus: Si ſatis norint homines, quàm operoſum, quamq; moleſtum, uel modò tantarum rerum adeò numeroſas epiſtolas aut ſcribere aut legere, diadema proiectum neminẽ excepturũ. Cæl. lib. 8. ca. 1. A. L.

ANTIGONVS rex cùm quidam dixiſſet, Eſſe honeſta & iuſta regibus omnia: Certè, inquit, barbarorum regibus. Nobis uerò honeſta ſola, quæ honeſta, & ſola iuſta, quę ſunt iuſta. Plut. in Regum Apoph.

AVGVSTVS Cæſar mirari ſolebat Alexandrum Macedonem non magis cogitaſſe, quemadmodum parta regna adminiſtraret, quàm quemadmodum noua alia partis adiũgeret. Lud. Viues de Concordia & diſcordia lib. 4.

LVCANVS libro X. Alexandrum Magnum, Pellæum iuuenẽ, felicem terrarum prædonem uocat: &

Terrarum fatale malum, fulmenq;, quod omnes
Percuteret populos pariterq;, & ſidus iniquum
Gentibus. —

RHODIVS quidam ad ducis Romani lictorem uociferantẽ & ferocientem: Non laboro, tu quid dicas, ſed quid ille taceat. Plut. de Non iraſcendo.

CATO maior, Peſſimum eſſe dicebat reip. rectorẽ, qui regere ſeipſe non poſſet. Plut. in Apoph.

HOMVLIVS ſenator Traiano dixit: Maiori ratione malum principem optari poſſe; qui permultos bonos haberet amicos, quàm bonum, qui malorum multorum amicitiis uteretur. Lampridius.

IOANNES Ducas Imp. Conſtantinopolitanus filium conſortem imperij uiuens facere noluit, dicẽs: Adoleſcentiam per ſe lubricam, in regibus etiam periculoſam, propter adulatorum uoces, & acclamationes: quibus dementati, idem paterentur quod homo ebrius, ſi ad magnæ gubernacula nauis adhibeatur. Gregoras lib. 3. Hiſtoriarum.

LAVRENTIVS Iuſtinianus Patriarcha Venetorum, cùm de rectoribus ciuitatum ſecularibus loqueretur, quaſi illorum laboribus condolens, non ſine clementia Dei fieri dicebat, ut Virtutis comes eſſet gloria, & quaſi laborum curarumq; delinimentum aliquod. Tantiſper autem gloriæ cupiditati ignoſcendum, dum uirtutem uelut ancillam ſequeretur, nõ autem quaſi domina præcederet. Bern. Iuſtin. in uita eius.

Tria eſſe p̃dicabat Leo X. Pont. uti à LAVRENTIO patre ſępiùs audiſſet, q̃ magno principi in gerẽdis rebus & laudẽ & felicitatẽ pererẽt. Cum amiciſſimis iudicij atq; prudẽtiæ opinione p̃ſtantib. diffuſè cõſultare, ſtatimq; ab ipſo animi decreto maturare ad perficiendũ: Nũquã obliuiſci abſentiũ amicorũ: & Nullã omnino ſuſpicionẽ ſuperfluã putare, quę uitæ principatuſq; ſalutẽ reſpiceret. Sũmæ uerò eſſe popularitatis, ad opulentiã urbis, annonæ cõmercia nullis præſcriptis preciis aut legibus uiolare, ſublatiſq; monopoliis omnia, ſicuti & ora hominũ, libera & uacua metu, priuatis negociatorum arbitriis relinquere. Iou. in uita eius lib. 4.

MAXIMILIANVS I. Rom. Imp. dicere ſolebat, Turpe quidẽ eſſe magno principi neſcire literas, ſed longè turpiſſimum, his eum moribus atq; uirtutibus omnino caruiſſe, quæ populis & gentibus imperantem, cum eximia pietatis atq; excellentiæ laude, contra ſuperbiam atq; libidinẽ, & reliquas immoderati animi cupiditates, inuictum penitùs & incorruptum præſtarent. Iouius in Hadriano VI.

*Subditis.*

Lacedęmoniorũ rex THEOPOMPVS ei, qui ſtare iactabat Spartam regibus imperandi ſcientibus: Imò, inquit, popularibus parendi ſcientibus. Hæc efficiuntur per ſe mutuò. Plutarchus in Præceptis politicis.

AGESILAVS Aſię cultores, liberos ferebat malos eſſe, ſeruos bonos. Idem in Apoph.

ATEAS ad Philippum ſcripſit: Tu regnum in uiros bellandi peritos obtines Macedonas: ẽgo in Scythas, qui cum fame & ſiti pugnare ualent. Ibidem.

*Iudicibus.*

Cùm commendarentur, quòd Olympia ritè celebrarent Elij: Quidnam, inquit AGIS rex, miri edunt, ſi quarto quoq; anno iuſtitiam exercent? Cùm pergerent eos laudare: Quid mũri, inquit, ſi re recta rectè utantur iuſtitia. Plut. in Apoph.

CATO maior poteſtatẽ aut iudicẽ debere negauit permittere, ut aut quis ipſum ad ius ſuum obtinendum precaretur, aut ad obtinendam iniuriam deprecaretur. Plut. in Apoph.

*Conſiliariis.*

Vt ciuitatem Athenienſium Leoſthenes præcipitem in bellum egit ingenti ſpe ad libertatis & imperij nomen arrectam, orationem eius PHOCION cupreſſis aſſimulauit. Hę nãq;, inſit, pulcræ ſunt & excelſæ, ſed non ferunt fructum. Idem.



HOMVLIVS ſenator Romanus, cùm à Traiano Imp. audiuiſſet, Domitianum peſſimum fuiſſe Imperatorem, amicos tamen optimos habuiſſe: dixiſſe fertur, Meliùs erat unum malum pati, quàm multos. Multi enim mali non poſſunt ab uno, quamuis bono, ulla ratione ſuperari. Lamprid. in Alex.

SIGISMVNDVS Imp. Beatos eſſe in terris dicebat reges, ſi excluſis ſuperbis, uiros manſuetudinis & miſericordiæ cultores, in curia aſſeſſores & conſiliarios haberent. Aen. Sylu. de Geſtis Sigiſm. Imp.

ALFONSVS Aragonum rex, interrogatus, Quibus conſiliariis maximè delectaretur? Libris, reſpondit: à quibus ſine metu, ſine gratia, quæ noſſe cuperet, fideliter audiret. Panorm. lib. 3. de Rebus geſtis Alfonſi.

Catalanis optimum factu fore cenſentibus, ſi Alfonſo Aragonum regi adhuc adoleſcentulo ſeptem uiri ad gubernandã Rempubl. adiungerentur, qui deum timerent, iuſtitiam colerent, cupiditates tenerent ſub freno, neq; donis neq; muneribus tangerentur: ALFONSVM laudaſſe conſiliũ, atq; ita reſpondiſſe ferunt: Si horum non dico ſeptem, ſed unũ tantùm dederitis, continuò illi & regimen & regnum ipſe facilè conceſſero. Pulcrè innuit, paucos bonos regum eſſe conſiliarios. Idem.

Cùm uocarentur in curiam ſenatores, FRIDERICVS III. Imp. Vtinam, inquit, duas res conſiliarij mei in palatij ueſtibulo deponant. Sic enim & ipſi rectè conſulerent, & mihi inter conſilia diiudicare facilimũ foret. Interrogatus, Quęnam res illæ eſſent? Simulatio & diſſimulatio, reſpondit. Aeneas Syluius libro 3. Com. in Panormitam.

*Legatis.*

ALFONSVS Aragonius ad Concilium Baſilienſe nobiles & magnificos legatos mittere noluit, ſed prudentes & eruditos, Ludouicũ Pontanũ I. C. clariſſ. & Nicolaum Siculũ Archiepiſcopum Panormitanum Canonici iuris peritiſſ. Illic enim iuris & religionis, non nobilitatis & ſplendoris certamen fore ſciebat. Panormita.

Agebatur de mittendo ad Venetos legato. Proponebatur quidam multis titulis illuſtris, epiſcopatus, abbatiarum, dominiorum. Tunc LVDOVICVS XI. Gallorum rex, Vt plurimum, inquit, titulorum copia literarum iunctam habet inopiam. Sed Gallicè melius, *La ou il y a tant de tiltres, Il y a peu de letres*, Corrozetus de Dictis & factis mem.

*Matronis.*

ARIGEVS (al. Argeus) commendantibus nonnullis nõ ſuas, ſed certas aliorum coniuges: Non debent ſanè, inquit, de bonis & honeſtis matronis temerè uerba fieri: imò, quæ ſint, niſi domeſticis, prorſus ignorari. Plut. in Apoph.

EVBOIDAS, cùm nonnullos audiret alienam uxorem commendantes, non probauit: de indole dicens muliebri nullũ omnino apud extraneos haberi ſermonem debere. Idem.

*Equis.*

Scitè ab EQVISONE quodam dictum, Nihil perinde ſaginare equum, atq; regis oculum. Plut. de Inſtit. libris. Quod ipſum M. CATO ad agrum tranſtulit.

*Gallis.*

CLEOMENES pollicenti gallos gallinaceos dare ſibi, qui in pugnando expirarent: Minimè uerò hos, inquit: cæterũ da mihi illos, qui in pugnando interficiunt. Plutarchus in Apophthegmatibus.

# IVDICIA BELLICA PRVDENTIA, PVBLICE, PRIVATIM.

*Conſule Tit. Prudentiæ bellicæ in explorandis hoſtium conſiliis. item, Deprehendendis proditoribus aut exploratoribus. Illic Modus inueniendi: hîc Iuditium de rebus aliorum conſideratur.*

## DE REBVS SVIS PRVDENTER iudicare. Nempe de

### BELLO SVSCIPIENDO, PERſequẽdo, deponẽdo.

Ob Pauſaniæ tyrãnidem Græci à Lacedæmoniis ad Athenienſes, duce Ariſtide Iuſto, defecerant. Eam rem ueluti maieſtatis diminutionem ægerrimè ferebant Spartani, & illud uetus oraculum eſſe putabant, quo deus iubebat eos cauere, ne claudum imperium gererent: at claudum tum maximè imperium geri, quòd duo imperandi iura terra mariq; cùm habere ſoliti eſſent, maris imperio iam priuati, ueluti membro mutilata maieſtate, reliquum ferrent claudicãdo. Cùm ab omnibus ferè in hanc ſentẽtiam iretur, ſenator quidam OETIMARIDES, ex genere Herculis, magna propter ſingularem uirtutem auctoritate, contrà conſulere ac ſuadere ingreſſus eſt: rei maritimę curam atq; imperium Athenienſibus permittendum, Spartanis nequaquã uſui eſſe. Cumq; in hanc, tametſi aliena principiò penitùs ab re & omnium opinione uideretur, multas atq; ipſam rem explicantes diſſerendo rationes attuliſſet, præterquam cuipiam credibile uideretur, ſenatui populoq; perſuaſit, ut cœptum de bello Athenienſibus mouendo conſilium relinquerent. Diodorus libro undecimo.

EVDAMIDAS interrogãti, Qua de cauſa cùm ciues eius decernerent aduerſus Macedonas bellum, ipſe quieſcendum decernat? Quòd nolim, inquit, eos arguere mendacij. Plut. in Apophthegmatibus.

EPAMINONDAS poſtremo certamine ad Mantineam uulneratus ac relatus in tabernaculum, acciuit Daiphantum, mox poſt illum Iollidã. Quos ut accepit cecidiſſe, cõponere Thebanos, quòd duce carerẽt, iuſſit cum hoſtib. bellum. Atq; res ipſa dicto eius aſtipulata eſt, quòd optimè perſpectos habuiſſet ciues. Idem.

Cùm rumor afflauiſſet incerto auctore de Alexandri obitu, proſilientibuſq; extemplò in ſuggeſtum oratoribus, neque cunctandum, ſed bellandũ iam ſuadentibus: PHOCION præſtolandum cenſuit, & certum cognoſcendũ. Nã hodie, inquit, ſi mortuus eſt, & cras erit & pòſt mortuus. Idem.

HANNO Carthaginenſis ſenator nobilis, Barchineq; factionis æmulus, ſecundi belli Punici euentum ſuæ ciuitati calamitoſum præuidit. Cũ Magone Annibalis Pœnorum ducis fratre in curia referente, cæſa intra biennium CC millia hoſtium, ab Annibale quatuor conſulares exercitus deletos, magnam Italiæ partẽ à Rom. ad Pœnos defeciſſe, & ut maior fides iis quæ dicerentur accederet, cùm treis anulorum modios in curiæ ueſtibulo effudiſſet: interrogatus Hanno ab homine Barchinæ factionis, An belli, quod in Italia gererent, adhuc pœniteret? percunctatus Magonem Hanno dicitur, Ecquis ex urbe Roma poſt tot clades acceptas ad Annibalem ueniſſet pacem petiturus? an Romæ ulla pacis mentio facta diceretur? Cùm ille utrumq; negaſſet: Bellum, inquit Hanno, tam integrum & periculoſum hodie, quàm à principio fuit, cum Romanis habemus. Variatũ diu eſt circa Siciliam priore bello: uerùm qualis fuerit exitus, nemo eſt ueſtrũm qui non aut uiderit, aut fando audiuerit: & nũc maximè uereor. Nam ſi (quod nollim) fortuna uariare cœperit, fruſtra pacem imploremus, quam nobis uincentibus nemo detulit. Sabellicus libro 4. capite 8. & Valerius libro ſeptimo, capite ſecundo.

APPIVS Claudius crebrò dicere ſolebat, Negotium populo Rom. melius quàm otium committi. Cælius lib. 11. cap. 7. Antiquarum Lectionum.

METELLVS deuicta Carthagine, Neſcire ſe, illa uictoria bonine plus, an mali Reipubl. attuliſſet aſſeuerauit. quoniam, ut pacem reſtituẽdo profuiſſet, ita Hannibalem ſubmouendo, nocuiſſet. Eius enim tranſitu in Italiam, dormientẽ populi Rom. uirtutem excitatam dicebat: metuique debere, ne acri æmulo liberata, in eundem ſomnum reuolueretur. In æquo igitur malorum poſuit uri tecta, uaſtari agros, exhauriri ærarium, & priſci roboris hebetari neruos. Valerius Maximus lib. 7. cap. 2.

AVGVSTVS prælium aut bellum ſuſcipiendum omnino negabat, niſi cùm maior emolumenti ſpes, quàm damni metus oſtenderetur. Nam minima commoda non minimo ſectantes diſcrimine, ſimiles aiebat eſſe aureo hamo piſcantibus, cuius abrupti damnum nulla captura penſari poſſet. Suetonius.

LVDOVICVS XI. Gallorum rex (cuius pòſt filius Carolus IIX. regnum Neapolitanum tam leuiter amiſit, quàm facilè acquiſiuit) à multis ſępe nec leuibus de cauſis ad res Neapolitanas impulſus, à Genuenſibus inſuper ad ſuæ patriæ, à patre ſuo Carolo poſſeſſæ, dominatum euocatus: ſemper Italicarum rerum curã recuſauit, ratus rem eſſe ſumtus infiniti, moleſtiarum plenam, ac deniq; regno Galliæ pernicioſam: affirmans ſemper, exercitus trans Alpes mittere, aliud eſſe nihil, quàm moleſtias & pericula infinito regni Galliæ auro & ſanguine comparare. Guicciard. lib. 1.

Rodolfus Saxonię dux CAROLVM IV. Imp. potentiſſ. & omnibus acceptiſſ. ad Hieroſolymam recipiendam hortabatur, maximè cùm peſtilentiæ ui Orientem propè hominib. exhauſtum eſſe conſtaret, Occidentis uerò uires illum unũ concordibus animis ſecuturæ uiderentur. Cui ille: Præclarum quidem inſtitutum hoc fore, ſed à multis ante ſe principibus infeliciter tentatum, ab aliis feliciter quidem, cæterũ propter ſucceſſorum ignauiam magno ſudore parta breui

ab impiis denuò recepta fuiſſe. Neq; ullam uel recuperādæ uel retinendæ Terræ ſanctæ rationem fore, niſi priùs id agatur, ut imperiū Orientale à perfido Græculo poſſeſſum, Occidentali iungatur. Dubrauius lib. 22.

SIGISMVNDVS I. Polonorū rex, cùm animaduerteret, cæteros principes feralibus odiis inter ſe digladiari, ac totum penè orbem Chriſtianum plùs quàm ciuilibus bellis ardere: omni honeſta ratione ſemper Turcicum bellum declinauit: & Ludouico, fratris Filio, Vngarorum & Boemorum regi ſedulò idem ſuaſit. Non quòd à pia contra barbaros ac deuotos Chriſtiani nominis hoſtes expeditione abhorreret: ſed quòd ſuas illorumq; uires iuſta lance metiretur. Sic enim iudicabat, neq; ſuum eſſe, neq; unius planè cuiuſquā principis, tam ualidum hoſtē, qui Aſiæ, Aphricæ, Europæq; magnam partem ditione teneret, florentiſſimum Græciæ imperium euertiſſet, Caramanos, Cilicas, Syros, Aegyptios, & neſcio quas prætérea gentes unà æſtate ſubiugaſſet, deniq; latiſſimè dominanti Perſarum regi grauis eſſet, rebellare. Coniungenda eſſe Chriſtianis principibus arma, ſi hoſtem illum à ceruicibus ſuis uellent depellere. Cromerus.

*Societate bellica.*

ARCHIDAMVS Ageſilai, cùm non audirent eum Græci, abnuerentq; initum cum Antigono & Cratero Macedonibus fœdus dirimere, ac ſe in libertatem uindicare, quaſi duriores futuri Lacedæmonij quàm Macedones eſſent: Ouis uocem, inquit, mittit ſemper eandem, multas homo & uarias, dum quod uiſum ſit, effecerit. Plut. in Apopht.

Succenſente Byzantiis populo Athenienſe, quòd non accepiſſent urbe Charetem, quem miſerant iis cum copiis aduerſus Philippum ſuppetias: oſtēdit PHOCION, non eſſe diffidentibus ſuccenſendū ſociis, ſed infidis ducibus. Ibi creatus dux, habita ei à Byzantiis fide, coegit Philippum re infecta ſe recipere. Idem.

M. CATONI maiori, res gerenti aduerſus Bæticam incolentes, terrorem incuſſit multitudo hoſtium. Ibi Celtiberis ſocietatis mercedem ducenta talenta poſtulantibus, Romanis uerò indignantibus mercedem barbaris promitti: errare oſtendit eos. Siquidem ſi uiciſſent, depenſuros ſe non de ſuis, ſed de hoſtium facultatibus: ſin eſſent uicti, non fore neq; qui exigerent, neq; à quibus exigeretur. Idem.

Bellis ciuilibus profecto in Hiſpaniam Cæſare, Cicero nauigauit extemplò ad Pompeium. Ac cæteri quidē gauiſi aduentu eius ſunt. M. CATO, ubi eum uidit, obiurgauit eum grauiter remotis arbitris, quòd eſſet Pompeium ſecutus. Sibi quidem parum honeſtum fore; ſi quas à principio probaſſet, eas reliquiſſet Reipub. parteis. Ipſum uerò, qui plus pro futurus patriæ & amicis eſſet, ſi domi manens medius reb. ad euentum moderaretur, temerè nunc nulla compulſum neceſſitate hoſtem factum Cæſari eſſe, & ad tanti diſcriminis illuc ueniſſe ſocietatem. Plut. in Cæſare.

Atila Hunnorum rex, orbis terror, Romanorum ditiones inuadere cogitans, Theodericum Oſtgothorum regē in Gallia, ſimulatis contra Valentinianum Imp. inimicitiis, in ſuas partes pertrahere ſtuduit. Verū AETIVS Patricius, dux Valentiniani clariſſ. aſtutia eius cognita, Theoderico fraudem detexit. Itaque coniunctis uiribus in Catalaunicis campis Atilam profligarunt, ut turpi fuga uix euaſerit. Paulus Diaconus.

LVDOVICVS Sforcia Mediolanenſis princeps, cùm quis ei ſuorum, conſenſuros cum rege Galliæ Venetos contra illū diceret: Bono es animo, inquiebat, nunquā id Senatus decernet: nunquam Veneti maiorem ſe finitimum ſibi regem ſtatuent eſſe. Itaq; in Rempublicam quos uolo, meo iure ludos facio, eius rei non dubius, quin me malit, ita ut ſum, q̄ regem Galliæ mei regni dominum. Bembus libro 4. Venetæ hiſtoriæ.

Obſidebat Nuſſiam urbem Carolus Burgundiæ dux. Ludouicus XI. Gallorum rex per legatos FRIDERICVM III. ad fœdus contra Burgundum ſollicitabat, his conditionibus, ut eo uicto Gallis Flandria, imperatori Burgundia cederet. Fridericus acceptis Galli mandatis: Fuit, non procul, inquit, à quadam urbe Germaniæ, ingens aliquando urſus, qui totam uicinam regionem multū infeſtabat. Eius oppidi tres quidam iuuenes ueniunt, ut conſueuerant, ad cauponem, rogant prandium ſibi præberi: fore, ut intra biduum perſoluant omne debitum, ſeſe capturos urſum illum uaſtatorē: eius pellem magno poſſe uendi, & futurum, ut aliquo præterea munere cohoneſtentur à ciuibus, ob interemtam belluam, quæ tantum dederit damni. Caupo conditionem accipit. Pranſi contendunt ad latibulum feræ. In quam quum opinione citiùs incidiſſent, perterrefacti ſubitò occurſu, in fugam abeunt. Ex ipſis in arborem unus conſcendit, alius ad urbem, quantum poteſt, fugit: tertium urſus comprehendit, & proſtratum pedibus conculcat, rictū deinde propiùs ad aurem admouet. Interea miſer ille mortui præbet ſpeciē & hominis exanimati. Ea enim eſt urſi natura, ut ſi, quod cepit animal, mortuum eſſe putet, non infeſtet ampliùs. Itaque cùm & iſtum crederet extinctum, relinquit, inq; ſpeluncam redit. Ille tandem ubi conſurrexit, urbem petit. Qui in arborem confugerat, incolumem illum eſſe uidens, accurrit, & ualde cupidè rogat, quid in aurē immurmuraſſet bellua. Hoc, inquit ille, mihi præceptum dedit, ne unquam urſi pellem deinceps uendam, niſi capta primùm fera. Præter hanc fabulam, nihil tum aliud legato reſpondit, obliquè ſignificans regi, ut cum exercitu, quem promiſerat, ueniret: atq; coniunctis uiribus hoſtem, ſi poſſent, caperent: ac ipſius deinde facultates inter ſe partirentur. Phil. Comineus libro 5. Commentariorum.

*Ducis delectu, officio, præſtantia.*

ARCHILOCHVS Iambograph⁹ de duce militiæ ſic ſcribit:

Non diligo magnum ducem,
Stupido nec animo præditum,
Nec gloriantem pendula
Cæſarie, & ad naſum undique:
Magis ſed incuruum probo,
Tutoque qui ponit gradum,
Et qui piloſus mente ſit,
Conducat ut quid cogitet.

Hæc Dion Chryſoſtomus in Tarſica priore.

PELOPIDAS, Epaminondæ collega, orante uxore ad prælium progredientem, Vt ſe ſeruaret: Id aliis, inquit, eſt ſubiiciendum: imperatori uerò & duci, ut ſeruet ciues. Plut. in Apophthegmatibus.

PAVSANIAS Pliſtonactis rogāti, Qui frangere ualerēt Thracas: Si optimum, inquit, deſignauerimus ducem. Idem.

AGESILAVS ducem uti dixit debere aduerſus hoſtes audacia, erga pacatos benignitate. Idem.

PAVSANIAS Cleombroti F. requirenti, Cur poetam Tyrtæū ciuitate donaſſent? Ne, inquit, peregrinus unquam uideatur eſſe dux noſter. Idem.

THEMISTOCLES ſe comparabat platanis, ſub quas tempeſtate coorta refugiant homines: ubi diſſerenuit, eas prætereuntes lacerant & uellicant. Idem. Sed Aelianus lib. 9. quercub. ſeſe comparaſſe ait.

LYSANDER, quemadmodum in eius uita memorat Plutarchus, irridere ſolitus eſt, qui uelut ab Hercule prognati, bellum apertis uiribus, citraq; dolum gerendū eſſe cenſebant: cùm ipſe magis exiſtimaret boni ducis officium eſſe, quò leonina non attingeret, eò aſſuere uulpinam.

CHABRIAS dicere ſolebat, Exercitum terribiliorem ceruōrum duce eſſe leone, quàm duce ceruo leonum. Plut. in Apophthegmatib. Quod ipſum Stobæus PHILIPPO quoque adſcribit.

IDEM ſummum eſſe dixit ducis officiū habere explorata hoſtium conſilia. Idem.

Cùm oratores Athenis cum Timotheo & Iphicrate Charetem Theocharis filium compararent corpore florentem & robuſtum, ac talem eſſe dicerent debere Athenienſium imperatorem: ibi TIMOTHEVS: Minimè gentium, inſit: ſed eiuſmodi eſſe eum, qui ſtragula imperatori eſt portaturus: imperatorem uerò eum, qui ſimul à fronte & à tergo negotia uideat, & cuius ſalubria conſilia nullo animi motu protelentur. Plut. An ſeni tract. reſp. & in Apopht.

PYRRHVS interrogatus, Python an Caphiſius tibicen melior foret? Polyſperches, reſpondit, dux. Plutarchus in Regum apophthegmatibus.

Claudius Quadrigarius annalium ſcriptor, Acilianos libros, ut Liuius ait, ſecutus, P. Scipionem in legatione Rom. ad Antiochum fuiſſe tradidit, in qua opinione & Plutarchus quoq; fuiſſe uidetur: ibiq; duces ipſos in colloquium ueniſſe, rogatumq; HANNIBALEM à Scipione, Ecquem omnium imperatorum maximum fuiſſe arbitraretur? prælatū ab eo cæteris ducibus Alexandrum Macedonem, qui cum modicis copiis immenſos uiciſſet exercitus. Mox Pyrrhum regem ſecundo loco nominatum, quòd optimè omniū caſtra fuiſſet metatus. Rogatus quem tertium exiſtimaret, Se ipſum reſpondit. Tum Scipio: Quid ſi me uiciſſes Hannibal? Prætuliſſem me, inquit, omnibus. Quibus uerbis lætatus Scipio, ita ſit hoſtis reſponſum interpretatus, tanquam tacita eius confeſſione ipſe omnium præſtantiſſimus iudicatus eſſet. Sabel. lib. 6. Ennead. 5.

P. SCIPIO Africanus turpe eſſe aiebat in re militari dicere, Non putaram: uidelicet, quia explorato & excuſſo cōſilio, quæ ferro agūtur, adminiſtrari oportere arbitrabatur ſumma ratione. Inemendabilis enim eſt error, qui uiolētiæ martis committitur. Val. lib. 7. c. 2.

L. PAVLVS Aemylius, deuicto Perſeo, cùm conuiuia exhiberet uictorialia, eiuſdem eſſe dixit peritiæ, aciem quàm horrendiſſimam hoſtibus, & conuiuiū inſtruere amicis quàm iucundiſſimum. Plut. in Apoph.

Apud Florum in libr. Titi Liuij 49. quum Scipio rem in Africa fortiter ac feliciter gereret, Cato in ſenatu reliquos, q̄ militarent in Africa, umbris militare dicebat, Scipionē uigore.



M. CATO, qui à Pompeio diſſenſerat in uiolētis eius cum Cæſare actionibus, ut exarſit inter eos bellum, auctor fuit, ut Pompeio imperium permitteretur: addens, Eorundem eſſe facere magna mala, & comprimere. Plut. in Politicis.

AVGVSTVS nil minus perfecto duci, quàm feſtinationem temeritatemq; conuenire arbitrabatur. Crebrò itaq; illa iactabat: Σπεῦδε βραδέως. ἀσφαλὴς γὰρ ἐς' ἀμείνων, ἢ θρασὺς ςρατηλάτης. Et: Sat celeriter fieri, quicquid fiat ſatis bene. Sueton.

Admiratione dignum eſt, quòd omnes quoſcunq; duces VALERIANVS Imp. fecerat, poſtea militū teſtimonio, dum Galienus popinatur, & balneis ac lenonibus reputat uitā, ad imperium peruenerunt, ſub XXX tyrannorum nomine. Vt appareat, ſenem imperatorem in deligendis Reipub. ducibus talem fuiſſe, qualem Romana felicitas, ſi continuari fataliter potuiſſet, ſub bono principe requirebat. Sed Galienum fortuna diutiùs, quàm oportebat, reſeruauit. Ad quintum decimum enim annum peruenit cum Valeriano patre, qui ſeptem, captus inde à Sapore Perſarum rege, ipſe uerò ſolus octo annos regnauit. Cuſpinianus.

Coram Eduardo III. Anglorum rege, uariè inter ſe diſceptantibus primoribus, quæſtionē inuidioſam ac difficilē PRINCIPI Heraldorum (ii ſunt emeriti milites, magno apud Anglos honore) rex propoſuit, ut uidelicet tres ea ætate præclariſſimos uirtute bellica nominaret. Is qui non ſolū eos, cum quibus ipſe uerſatus fuerat, nouerat, ſed etiam externa omnia bella, duceſq; diligēti cura peruestigatos memoria tenebat: primum ſe Henricum Imp. nominare aiebat, quòd cùm tria regna, treſq; reges ſubegiſſet, ad extremum uſq; uitæ perpetuo felicitatis curſu dignitatem ſuam tutatus fuerit. Secundo loco Aegidium Argentinenſem equitē auratum, qui tribus aciebus contiguis Saracenos (quod antea uiſum non fuerat) uiciſſet, duoſq; eorum duces occidiſſet. Tertium locum, ſi cum pace regis hoſtem laudare eſſet integrum, Roberto ſe Bruſio Scotorum regi concedere. In cachinnum tunc aſſidentes ſoluti, quòd non ueritus fuiſſet coram rege tanto hoſtem dignari honore. At is: Niſi tantus eſſet Robertus, quanta noſtra foret ignominia, qui ab illo toties uicti ſumus? Imò uerò ipſi Henrico Imp. præferendum cenſeo: cùm ille conſilio auxilioq; ſuorum inſtructus fuerit: hic autem externus & inops occupatum à potentiſſimo ac bellicoſiſſimo rege Euardo II regnum Scotorū, recuperarit & ſtabilirit. Ea ſi cui falsò dicta uiderentur, ſingulari ſe certamine confirmaturum, uir magni animi profeſſus eſt. H. Boethius lib. 14.

De Nicolai Picinini ducis bellici clariſs. rebus geſtis corā ALFONSO Aragonio diſſerebatur. Laudantibus pleriſq;, æmulorum unus mirari ſe dicebat, qui lanij filium tot præconiis extollere non erubeſcerent. Tum rex, Ego uerò malim lanij eſſe filius talis, qualis eſt Nicolaus, quàm regis potentiſſimi filius, ſimilis multis in orbe Chriſtiano regibus. Panorm. & Lud. Dominicus lib. j. Var. hiſt.

*Militibus, Exercitu.*

Venit AGAMEMNON in ſuſpicionem, q̄ largitione redemtus diuiti cuidam commeatum dediſſet:

Aethram qui dederat dono, ad Troiam ne ſequatur
Se excelſam, ſed ibi ſeſe oblectans reſideret:
Namq; huic diuitias donârat Iuppiter amplas.

Verùm rectè atq; ordine ſanè fecit, ut ait Ariſtot. qui bonā equam tali homine habuit potiorē. Plut. de Audiend. poet.

HECTOR expugnaturus caſtra Græcorum, cùm arduum opus illud eſſe intelligeret, deſiderioq; ipſius efficiendi arderet, ſecum duxit Cebrionem aurigam: cùm cognoſceret maiorem uirtutem in ipſo eſſe, quàm in proprio illius miniſterio requireretur. Illa igitur uti uoluit in re, quæ tunc premebat: alteriq; muneri deſtinauit alium uiliorem hominē. Victorius lib. 29. Var. lect. c. 10.

AGIS rex quodam ſciſcitante, Quot ſint Lacedæmonij? Tot, inquit, qui ad propulſandum ſufficiant malos. Idem quærenti alij: Multi tibi, inquit, eſſe uidebuntur, ſi eos pugnātes contempleris. Plut. in Apoph.

IDEM negauit quærere Lacedęmonios, quot ſint, ſed ubi ſint hoſtes. Idem.

ARISTO requirenti, Qui numerus Spartiatarū eſſet? Tantus, inquit, qui ſatis ſit ad ſummouendum hoſtes. Idem.

POLYDORVS Alcamenis interrogatus, Quid Spartiatæ in bello pericula forti animo capeſſerēt? Quòd uereri, inquit, didicerint duces, non timere. Idem.

ANTALCIDAS murum Spartæ iuuentutem eſſe: fines, lanceæ cuſpidem. Idem.

CYNEAS cognita Romanorum multitudine, idētidem poſt acceptam cladem copias inſtaurantium, dixit, Pyrrhum ſibi uideri aduerſus lernæam hydram pugnare. Eraſ. in Adag.

HANNIBAL profugiēs, apud Antiochum regem agebat. Is oſtendit illi ſuum exercitum barbarico apparatu magnificè inſtructum, ſed ad prædam magis quàm ad bellum. Hæc omnia quum diligenter eſſet contemplatus Hannibal, rogauit Antiochus, Num hæc omnia ſatis eſſent futura Romanis? Tum Hannibal: Planè ſatis arbitror, etiamſi auariſſimi ſint Romani. Luſit Pœnus ab inexpectato. Rex de prælio ſciſcitabatur: iſte reſpondit de præda. Quid enim aliud eſt miles imbellis, auro, argento, cæteriſq; rebus ad prædam inuitantibus inſtructus? Plut. & Gell lib. 5. c. 5.

P. SCIPIO Africanus, cū miles ſcutum ei egregiè exornatum oſtentaſſet: Scutum quidem, inquit, adoleſcens, bellū eſt: at decet militem Romanū ſpem in dextera potiùs quàm in ſiniſtra reponere. Qui uallum gerebat, cùm oppidò ſe diceret degrauari: Meritò, inſit: nam ligno huic plus quàm gladio fidis. Plut. in Apopht.

M. CATO in Hiſpania maximis minimiſq; rebus obeundis, in nullum acerbiùs quàm in ſeipſum exercebat imperium, parſimonia, uigiliis, & labore cum infimis militū certabat: ſæpiùs dicere ſolitus, non placere ſibi militem, qui magis ſtertendo audiretur, quàm hoſtibus inclamando: nec qui in itinere manus, in prælio pedes agitaret. Sabellicus lib. 6. Enneadis quintæ.

IDEM nolle militem ſe dicebat, qui inter eundum manus, in pugnando moueret pedes: qui ſterteret altiùs, quàm in prælio fremeret. Plut. in Catone.

MATHIAS Hungarorū rex ſuſpectus fuit, quaſi pecunia ſua coniurationes in Boemia aleret, contra Vladiſlaum regem, ut uel per illas regno Boemiæ potiretur: crebrò dicere ſolitus, hoc ſibi ad deterrendos quoſlibet in orbe hoſtes deeſſe, quòd Boemos Hungaris adiunctos ſub regno ſuo nō haberet. Vratiſlauiæ certè obſeſſus à Caſimiro Polonorum rege & Vladiſlao filio Boemorum rege, conſpecto Polonorū & Boemorū exercitu, fremebūdus dixit, Se totius orbis imperio potiturum, ſi tanti exercitus imperator eſſet. Dubrauius libro 31.

*Iuſtitia & Pietate.*

LYSANDER Argiuis, qui de controuerſo agro adferre uidebantur quàm Lacedæmonij æquiora, diſtricto gladio: Qui hoc, inquit, potiatur, hic de agri finibus dicet optimè. Plut. in Apophthegmatibus.

FERDINANDVS Daualus Piſcarius, dicere ſæpiùs ſolebat, Nihil iis, qui in bello uerſarentur, eſſe difficilius, quàm Martem ſimul & Chriſtum pari diſciplina coluiſſe. quando mos bellicus, in hac corruptela militiæ, à iuſtitia & religione penitùs auerſus eſſe uideretur. Iouius in Piſcario lib. 2.

*Proditione, Defectione, Deſertione.*

In eo bello, quod Cyrus minor aduerſus Artoxerxem fratrem ſuſceperat: Arbaces priùs, dum præualere Cyrum uirib. exiſtimaret, ab ARTAXERXE ad Cyrum defecerat: rurſusq; Cyri accepto interitu, ad regem ſe conuerterat. Accuſatus, pœna deſertionis, capite uidelicet, puniendus uidebatur. Sed cùm rex ipſe cognoſceret, religioſiſſimè iudicauit, hāc uariam & incertam partium in bellis contentionem & mutabile ſtudium, magis è puſillanimitate, mollitie & ignauia, dubioq; diſcernētis animo naſci, quàm prodere & machinari quid mala mente & dolo malo cupientis. Iuſſit igitur Arbacem notari duntaxat, humeriſq; nudam meretriculam (quæ ſumma apud Perſas ignominia fuit) in uia publicè tota die ferre. Plut. in Artoxerxe.

AGIS Archidami filius, cùm Ephori aliquando ei edixiſſent: Perge trahens tecum iuuentutem ad huius patriam: ducet te hic ipſe in arcem: Qui conueniat, inquit, tantam pubem ei, qui ſuam ipſius patriam prodit, credere? Plut. in Apopht.

AGIS minor, Ephoris, ut milites traderet proditori, præcipiētibus: negauit credere alienos ſe ei, qui proderet ſuos. Idē.

Cùm Darius rex contra Scythas expeditionem inſtituiſſet, & ponte ſublicio Boſphorum Thracium iunxiſſet, & iam trās Iſtrum exercitum tranſmiſiſſet per rates: cùm Iones ex præcepto regis pontem ex ratibus ſoluturi eſſent, COES Eryxandri F. Mitylenæorum præfectus diſſuaſit, & pontem integrum relinquere iuſſit: quoniam uerebatur, ne Scythæ more ſuo fugerent, & expeditio irrita fieret. Id quod & factum eſt. Herod. lib. 4.

DEMARATVS rogatus, Cur iis, qui clypeū proiicerēt, dedecus imprimeretur: illis, qui galeam uel thoracem, non itē? Quia hæc, inquit, ſuiipſorum cauſa ſumunt: clypeum communis aciei gratia. Plut. in Apoph.

*Belli ſtatu.*

Cū Tomyris Maſſagetarū regina Cyro Perſarū regi optionem dediſſet, ut uel ipſe tridui itinere in Maſſagetarū regionē progrederetur: uel ſe tā lōgè in Perſarū ditionē excurrere fineret, ut de ſumma rerū unico prælio decertare poſsēt: ceteris ſatrapis hortantib. ut Tomyrin cū exercitu in Perſidē progreſſam exciperet: ſolus CROESVS rex Lydorū cōtrariū ſuaſit, ut ſcilicet Cyrus in Maſſagetarū ditionē progrederetur, ne ſi in Perſide uictus eſſet, totū regnū amitteret: ſi uictor eſſet, facilius regnū Tomyridis ſubigeret. Quòd niſi Cyrus pa

tuiſſet

ruiſſet Crœſi conſilio, non modò uitam amiſiſſet, ut amiſit prælio uictus, uerumetiam regnum omne Maſſagetis occupandum dediſſet. Herod. lib. j.

XANTHIPPVS Lacedæmonius uir impiger, & in armis diu exercitatus, qui bello Punico primo Carthaginenſibus ſæpe iam à M. Attilio Regulo uictis, auxilio uenit: audito Carthaginenſium cum Romanis congreſſu, & quàm parum utiliter fuiſſent caſtra in arduum trãſlata, quum per plana & aperta loca ob elephantos & equites, quos tum Pœni habebant, in hoſtem iri oportuiſſet: nihil obſcurè iactabat, nõ Romanorum uirtute, ſed ſuorum ducum ſtultitia, Carthaginenſes calamitoſo prælio ſuperatos. Quæ hominis aſſeueratio in curiam delata, in cauſa fuit, ut in ſenatũ Xanthippo accerſito, quum eadem conſtanter affirmaret, ſpemq; faceret Punicæ rei breui tempore in integrum reſtituendæ, ſi conſilio & ratione bellum adminiſtraretur, totius rei ſummam patres decreuerint. Continuò cum ipſo duce mutati animi. Mox ubi apparuit quanto tutior ſalubriorq; diſciplina ab eo quàm à prioribus ducibus adhiberetur: omnis militaris multitudo adeò reſtituta eſt, ut nihil magis optaret, quàm prælium. Itaq; commiſſo prælio, Romani uicti, Attilius ipſe captus eſt, & uerum eſſe Euripidis illud oſtendit, Vnius rectum conſilium magnam uincere militum multitudinem. Superauit ille ſua prudẽtia exercitum ad eam diẽ inuictum, reſtituitq; Pœnis ciuitatem multis cladibus afflictam, collapſoſq; uirorum animos in ſpem priſtinã erexit. Ipſe optimè ſibi conſulens, Punica re in priſtinum ſtatũ reſtituta, priuſquam parta gloria in inuidiam uerteretur, in Peloponneſum abiit. Sab. lib. 9. Ennead. 4.

DEMOSTHENES Antipatro Lamiæ obſeſſo à Græcis, Athenienſibuſq; læti nuncij cauſa diis honorem habẽtibus, cuidam ex familiaribus Ageſiſtrato oſtendit, non eſſe in eadẽ ſententia ſe cum aliis, de iis quæ gererentur. Siquidem noui, inquit, ſtadio quidem Græcos bellum gerere & ſcire & ualere, dolicho uerò non item. Plut. in uita Demoſthenis.

MICHAEL Attendulus, Venetarum copiarum dux, Franciſco Sforcia Mediolanenſis populi militari duce, Carauagiũ obſidente, cùm Veneti Legati, ſiue, ut uulgò uocant, Prouiſores, cum ad ferendam obſeſſis opem hortarentur, eis reſpondit: Longè ſatiùs eſſe Carauagium amittere, quàm temerè cum hoſte manum conſerere. Itaq; cùm legati omninò urgerent, ut opem ferret: priùs ex ſcripto obteſtatus eſt, ſe id facturum, quia iubebatur, & non quòd ita agi debere ſentiret: rationeſq; attulit, propter quas, ſi prelium iniretur, neceſſariò Venetæ copiæ ſuperarentur: contrà autẽ, ſi cunctando abſtineretur à prælio, utiliùs Venetis conſultum iri. Itaq; cùm coactus eſſet dimicare cum hoſte, Venetus exercitus, ut prædixerat, ſuperatus fuit: ipſe autem Venetias profectus, ex iis quæ antè ex ſcripto prædixerat, eam cladẽ excuſauit. Fulgoſus lib. 8. cap. 13.

*Victoria.*

ARCHIDAMVS Ageſilai celebrãtibus ipſum, cùm Arcadas prælio uiciſſet: Præſtaret, inquit, ſi prudentia eos quàm lacertis uiciſſemus. Plut. in Apophthegmatibus.

PYRRHVS cùm ſignis collatis Romanos bis fudiſſet, multis deſideratis amicis & præfectis ſuis: Si una, inquit, adhuc pugna pepulerimus Romanos, actum de nobis fuerit. Idem.

Vicerat Hannibal Romanos ad Cannas. Ceterũ cùm uictoria parta frigidiùs uteret̃, uir nobilis BARCHA, Vincere ſcis, inquit, Hannibal, uictoria uti neſcis. Sabel. lib. 9. c. 11.

*Vrbe, Muris, Munitionibus.*

AGESILAVS quærenti, Cur muris careret Sparta? oſtendens armatos ciues: Hi, reſpondit, ſunt Lacedæmoniorum muri. Alij idem quærenti: Non lapidibus, inquit, ſepiendæ nec lignis urbes ſunt, uerùm incolarum uirtutibus. Plutarchus in Apophthegmatibus.

LICVRGVS requirentibus de muro, negauit expertem muri urbem eſſe, quam uirorum non laterum corona ambiret. Ibidem.

PANTHOEDAS in Aſiam legatus, mõſtrantibus ei murum munitum, ait: Pulcrum, inquit, hoſpites gynæceum. Idem.

THEOPOMPVS (al. quoq; AGESILAVS) in oppido quodam oſtendenti ſibi muros rogãtiq;, An'ne pulcri & excelſi uideantur? Pulcri ſanè, inquit: at non ut uiri, ſed ut eos incolant feminæ. Idem.

PERICLES Aeginam iuſſit Athenienſibus à Piræeo uelut lemam auellere. Idem.

Demetriadem in Theſſalia, Chalcidem in Eubœa, Corinthum in Achaia, PHILIPPVS, Macedonum rex, compedes Græciæ uocitare ſolebat. Sabel. lib. 6. Ennead. 5.

*Caſtrametatione.*

PHILIPPVS Macedo caſtra loco amœno metaturus, cùm acciperet non eſſe iumentis fœnum: Quę eſt, inquit, uita noſtra, eam ſi accõmodare & ad aſinorũ tempora debemus? Plut. in Apophthegmatibus.

*Armis.*

LYCHI & AMPHITRYONIS elegãs diſputatio apud Eurip. in Hercule furente: illo Herculis nudi arma, arcũ ſcilicet & clauũ, ut uiri ignaui & timidi, ſugillante, hoc uerò defendente, & armaturam grauem minùs utilem & honoratam eſſe oſtendente.

ARCHIDAMVS Ageſilai filius telo conſpecto catapultico, quod tunc allatum ex Sicilia primũ erat, exclamauit: Papæ periit uiri uirtus. Plut. in Apoph.

AGIS minor, cùm diceret Demades, Deuorari à præſtigiatoribus ob breuitatem gladios Laconicos: Atq; his enſib. inquit, hoſtes maximè attingunt Lacedæmonij. Idem.

*Pecunia, Stipendijs.*

DEMADES iubentibus aliquãdo deduci & compleri naues Athenienſibus, cùm inopia pecuniæ laborarent: Panis confectio, inquit, prior eſt proreta. Plut. in Cleomene.

ARCHIDAMVS Ageſilai, ſociis bello Pelopõneſiaco, quantum ſtipendij ſatis futurum eſſet, requirentibus, poſtulantibuſq; tributa definiri: Non habet, inquit, bellum definitum pabulum. Plut. ibidem, & in Apoph.

*Commeatu.*

RODOLFVS I. Imp. contra Biſuntinum ducem rebellem arma mouens, cum ſatrapis ceperat conſiliũ de finiendo manè conflictu: tum ex militib. quidam, Si uicerimus, unde nobis ueniet commeatus? Et Rodolphus: Si uicerimus, eorum commeatu utemur: ſi uicti fuerimus, ipſi nos alent. Cuſpin.

## DE REBVS HOSTIVM PRVDENTER IVDICARE. Putà de

*Prudentia.*

Apud Plut. in uita Syllæ CARBO dixiſſe memoratur, quũ Sylla non ſolũ aperto Marte, ſed dolis bellum gereret, ὡς ἀλώπεκι καὶ λέοντι πολεμῶν ἐν τῇ Σύλλα ψυχῇ κατοικοῦσιν, ὑπὸ τῆς ἀλώπεκος αὐτῷ τὸ μᾶλλον, id eſt, quòd bellum gerens cum uulpe ac leone, quorum utrumq; habitaret in animo Syllæ, à uulpe uehementiùs angeretur. Eraſmus in Adagiis.

Tradit Poſidonius, fuiſſe Q. Fabium Maximũ clypeũ, M. Marcellum enſem populi appellatum. Ipſe certè confitebatur ANNIBAL, timere ſe, ut pędagogũ Fabiũ, Marcellũ ut aduerſariũ: ab illo, ne quid mali inferret, prohiberi ſe: ab hoc etiam accipere. Plut. in Marcello.

*Stultitia.*

CÆSAR, ut ſignis collatis uictor Põpeius non inſtitit fugientibus, ſed receptui cecinit: Hodie, inquit, penes hoſtes uictoria fuit: uerũ non habent, qui uincere norit. Plut. in Apoph.

Hungaris ad Mugacium trucidatis, & rege ipſo Ludouico ad fœdum interitum paluſtri lacuna ſubmerſo, uictor SOLYMANNVS Budam rectà contendit. Vrbe, regiaq; potitus, ad Danubium poſuit caſtra, inuiſitq; regiam arcem: ita tamen, ut in ea minimè pernoctaret, quòd antiqua Othomãnorum lege cautum ſit, ut imperator nuſquã muris, ſed ſuæ tantùm cuſtodiæ munimentis confidat. Ibi ad eum delata ſunt occiſorum antiſtitum & procerum cruenta ſeptem capita, quum purpurati ea ſingula ligneo in gradu collocata, ſimulanter honoris cauſa, inclinata ceruice, & dextris ad pectus compoſitis nominatim ſalutarent, Papaſq; ſtrenuos per iocum appellarent. Sed Solymannus graui fronte, quũ ſingulorum nomina indicarentur, uehementer deteſtatus fuiſſe ferebatur, unum præ cæteris Ladiſlaum Salcanium, Strigonienſem antiſtitem potentiſſimum, obiecto fœdæ auaritiæ probro, quòd is regem ſuum in tanta urgentis belli difficultate aurum mutuo depoſcentem, quum multa pondera in eius theſauris laterent, adiuuare recuſaſſet. Paulũ Tomorçum Collocenſem archiepiſcopum ſtolidę temeritatis incuſauit, quòd uir conficiendis ſacris dicatus, alienæ functionis munus arroganter uſurpaſſet. Ex aduerſo Franciſcũ Perenum Varadienſem antiſtitem, feræ prudentiæ nomine laudauit, quòd imminentis publicæ cladis nequaquam falſus uates, in conſilio non inſulsè dixiſſet, quum Tomoræus de committenda pugna importunè decerneret, poſtquam eius fatali ſententiæ obſiſti nõ poſſet, ſe prouidere quid cucullatus imperator poſtridie eſſet facturus. Eum namq; tanto auſu nihil omnino aptiùs præſtiturum, quàm ut celeberrimum diem Chriſtiani Calẽdarij faſtis inſereret, à cæde triginta millium Hungarorum martyrum, pro tuenda religione à barbaris iniquiſſima prælij conditione conciſorũ. Reliquos, tyrones audaculos appellauit. Quũ uerò ei Ludouici, & Mariæ uxoris ſimulacra oſtenderentur, generoſo ore dixit, ſe adoleſcentis regis calamitatem miſereri, qui uſque adeò malè ſobrios in re grauiſſima conſiliarios nactus, pugnam abſurda ratione committere properaſſet: & ſe non ea de cauſa, ut ei adimeret regnum, ſed ut acceptas ab Hungaris contumelias ultore gladio uindicaret, in Pannoniam ueniſſe affirmauit. Iouius lib. 28. Hiſt.

Confi-



*Confidentia, Robore.*

Crœſo Lydorũ rege in expeditione contra Cyrum Perſarũ regem, Lydus quidam SANDANIS ſic conſuluit: Aduerſus tales uiros expeditionem paras, rex, qui coriacea ſubligacula, quiq; è corio reliquam ueſtem ferunt: qui non quib. uolunt cibis ueſcuntur, ſed quos habent, utpote regionẽ aſperam incolentes. Adhęc potu non uini utuntur, ſed aquę: nõ ficos ad comedendum, nec aliud quicquam boni habẽtes. Quibus cùm nihil ſit quod eripias uictor, uictus animaduerte quot bona amittes. Vbi enim guſtauerint illi noſtra bona, circumſiſtent nos, nec abigi poterunt. Equidem diis habeo gratiam, qui non induxerunt in animũ Perſis, ut Lydos inuaderent. Crœſus, ſic agentibus eum fatis, à Cyro captus regnoq; exutus eſt. Herod. lib. j.

Cùm quidam actos de Perſis triumphos cõmemoraret, acueretq; ad bellum contra Athenieſes: Ignorare mihi quidem, inquit EVDAMIDAS, uideris, idem eſſe, ac ſi mille uictor ouium cum quinquaginta lupis decertet. Plut. in Apopht.

Cùm Xerxes rex cum claſſe ad Hiſtiæã eſſet, ad eum Arcades quidam uictus inopes & operam ſuam præſtare cupientes perfugerunt: qui interrogati à quodã, Quidnam Græci agerent? reſponderũt eos agere Olympia, & ſpectare certamen gymnicũ atq; equeſtre. Rurſus eodem percõtante, Quódnã illis præmium eſſet propoſitũ, propter quod certarẽt? Oleaginam coronã, inquiunt, eſſe, qua donarentur. Ibi TIGRANES Artabani filius, audiens præmiũ illis coronã eſſe, non pecuniã, ſilentium tenere nõ potuit, quin corã omnib. diceret: Papæ, Mardoni, in quos uiros induxiſti nos ad pugnandum: qui nõ pecuniarum certamen agitent, ſed uirtutis? At Xerxes eius ſententiam pro timida habuit. Herod. lib. 8.

*Obſidione.*

P. SCIPIO Africanus cùm teneret muros, propugnantib. ex arce Carthaginenſibus, auctor fuit ei Polybius, ut in mare interiectum non admodum altum murices ferreos diſpergeret, aut taleas diſſeminaret aculeatas, ne illac tranſmeantes adorirentur hoſtes aggeres. Cui ille, Ridiculum ait eſſe, cùm teneant mœnia, & in urbe ſint, iam hoc agere, ne cum hoſtibus dimicent. Plut. in Apopht.

*Acie, Congreſſu, Pugna.*

P. SCIPIO Africanus negabat aliter cum hoſte confligi debere, quàm aut ſi occaſio obueniſſet, aut neceſſitas incidiſſet. æquè prudenter: nam & proſperam gerendæ rei facultatem omittere, maxima demẽtia eſt: & in anguſtias utiq; pugnandi compulſum abſtinere ſe prelio, peſtiferæ ignauię affert exitiũ: eorumq; qui iſta committũt, alter beneficio fortunæ uti, alter iniuriæ neſcit reſiſtere. Val. Max. lib. 7. c. 2.

Apud Pharſalum cũ aciei Cn. Pompeius digeſtæ, ne ſe moueret, ſed exciperet hoſtes, edixiſſet: C. IVL. Cæſar errare dixit eum, quod militum uim & impreſſionem, quę ex incurſu furioſo infertur, reſoluiſſet. Plut. in Apopht.

*Literis, Nunciis.*

IDANTHYRAS (Herodoto Indathyrſus) Scytharum rex, ad Darium Perſarũ regem, qui Iſtrum traiecerat, literas quidẽ, quibus ei minaretur, miſit nullas: ſed pro literis ſymbolum hoc, murẽ, ranam, auem, ſagittam, & aratrũ. Cumq; hæc in Darij caſtris alius aliter interpretaretur: Orõtopagas tribunus militum cenſuit ſignificari, eos omniũ rerum ditionem eſſe facturos, quæ ſymbolis hiſce exprimerentur: mure domos, rana aquas, aue aerem, ſagitta arma, aratro terram. At Xiphrodes lõgè alio modo interpretatus, multoq; ueriùs: Nos uerò, inquit, quantũ hęc ſymbola oſtendũt, niſi aut terram ſubeamus, ut mures: aut aquã, ut ranæ: aut euolemus, ut aues: non effugiemus ipſorũ tela: neq; enim terræ, quam ipſi arant, domini ſumus. Clemẽs Alexandrinus ex Pherecyde Syro. Herodotus tamẽ in Melpomene hanc hiſtoriã paulo aliter recenſet. Tres enim reges numerat Scopaſin, Taxacin & Indathyrſum. Deinde pro aratro & ſagitta, quinq; ſagittas ponit. Tertiò pro Orontopago tribuno militum, Darium ipſum: & pro Xiphrode, Gobryam unum è ſeptem, qui Magos ſuſtulerunt. Herod. lib. 4.

Patroclus Ptolemæi dux Antigono regi piſces & ficus per ænigma miſit, ut libr. 3. Hiſtoriarum narrat Plutarchus: admirantibuſq; omnib. huiuſmodi dona: ſubridẽs ANTIGONVS qui tum potabat, dixit ad amicos, ſe quid dona ſignificent cognouiſſe. Vel maris, ait Patroclus, oportere nos eſſe dominos, uel ficus comedere. Athen. lib. 8. c. 2.

*Ciuitatibus, Arcibus, Propugnaculis expugnandis, euertendis.*

PHILIPPVS Macedo arcem munitam capere uolens, ut renunciarunt ſpeculatores, aſperam undiq; eſſe atq; inexpugnabilem: Itáne, rogauit, aſpera foret, ut nec onuſtus auro aſinus eo poſſet accedere? Plut. in Regum apoph.

ALEXANDER rupem Aornũ appellatam apud Indos cùm acciperet præſidium inexpugnabile eſſe, ſed eum, qui teneret illam, hominem imbellem: Ergo nunc eſt, inquit, expugnabile præſidium. Plut. in Apoph.

AGESIPOLIS Cleombroti, cùm narraret quidam, Philippũ paucis diebus Olynthum deleuiſſe: Ille herclè, inquit, aliam talem urbem multò longiore ſpacio non excitauerit. Idem.

Lacedæmonij quandoq; quum ui urbem quandam cepiſſet, EPHORI qui ſcirent quantũ militari diſciplinæ conferret aſſidua exercitatio, dicere nõ dubitarũt, οἴχεται τὸ παλαισμα τῶν νέων, Periit luctatio iuuẽturis. neq; enim dehinc aduerſarios habebit. Rurſum pollicente rege, urbem quandam funditùs euerſurum (nam ea Lacedæmoniis negotia plurima exhibuerat) haudquaquam permiſerunt illi, quum dicerẽt, minimè ſubuertendam τὴν ἀκόνην τῶν νέων, id eſt, iuuentutis cotem. Cælius lib. 27. c. j. A. L. ex Plut. Lacon.

Agebatur Romę occultè inter patres de Carthagine funditùs delenda, exiitq; ea cõſultatio in longam & difficilem diſceptationem: maiore Portio Catone, cui antea Priſci fuit nomen, cenſente, Carthaginẽ delendam, ut Roma incolumis eſſet: multiq; pedib. iẽre in eam ſententiã. Tum P. SCIPIO Naſica identidem teſtatus, uiderent illi, qui tam cupidè uellent Carthaginem exciſam, ne pop. Rom. æmulę & inimicę urbis metu liberatus, in domeſticam laberetur diſcordiam. Quod malũ multo priùs proſpexit Naſica, ſed fatali neceſſitati ire obuiam non potuit. Sabel. lib. 4. c. 8. Florus lib. 49. & lib. 3. c. 15. Appianus in Libyco. Plut. in uita Catonis Cenſorij. Oroſius lib. 4. c. 22. Plinius cap. 18. de Vir. ill.

*Spolijs.*

LYCVRGVS roganti, Cur mortuos hoſtes interdixiſſet ſpoliare? Ne, inquit, detrahendis incumbentes ſpoliis negligãt pugnam: uerùm ut paupertatem quoq; cum loco in acie teneant. Plut. in Apophthegmatibus.

CLEOMENES quærẽti ex ipſo, Quare diis Spartiatæ hoſtiũ ſpolia non ſacrarent? Quòd detracta, inquit, ignauis ſint. Si quidem de poſſeſſoribus ob eorum ignauiam capta, neque iuuentutem uidere bonum eſt, neq; diis dicare. Idem.

PAVSANIAS Cleombroti F. demirantib. quibuſdam in manubiis barbarorũ ueſtes: Satius eſſe, ait, ut laudati ipſi ſint, quàm ut poſſideant laudata. Idem.

## CONSILIIS ALIORVM BONIS PARERE, TVM extra bellum, tum in bello.

QVI QVIBVS paruerint. Putà

*Probi Improbis.*

Deliberabant LACEDÆMONII de ſumma rerum. Exurgit quidam turpitudine uitæ defamatiſſimus, ſed facundia inſigni, & conſilium prudens proponit, omnibuſq; perſuadet. Tum unus Ephororum ſtomachabundus: Et quæ nam hęc dementia eſt, ô ciues, quæúe ſpes, remp. hanc diutiùs incolumem fore, ſi huiuſmodi conſiliariis utemur? Quòd ſi proba iſthæc & honeſta ſententia eſt, non ſinamus eandem dehoneſtari turpiſſimi auctoris contagione. Hoc ubi dixit, uiro forti atq; iuſto, ſed infacundo, præcepit eandem ſententiam quibus poſſet uerbis dicere. Sic bona ſententia manſit, turpis auctor mutatus eſt. Gell. lib. 18. c. 3. ex oratione Aeſchinis contra Timarchum recitat.

*Principes Conſiliarijs.*

TIBERIVS Cæſar de minimis quibuſq; rebus referebat ad Senatum, cum eoq; communicabat omnia, & conſiliarios admittebat, ut Auguſtus quoq; conſueuerat. Cũq; ipſe ſuã ſententiã dixiſſet, nõ modò dabat poteſtatem omnibus, ut contra ſe dicerent: ſed etiam, factis ſæpenumerò decretis in contrariũ, æquo animo ferebat. Interdum cõtrà diſſerebat: ſæpè ita dicebat, ne libertatẽ eis eripuiſſe uideretur. Dion.

NERVA Imp. nihil unquã de ſuo arbitrio ſtatuit, ſemper principes uiros cõſilio ſuo adhibẽs, dũ Reip. cõſuleret. Cuſpin.

M. ANTONINVS Pius nihil uel in bellicis, uel in ciuilib. negotiis agebat, de quo nõ priùs cõferret cũ grauib. uiris, dicens: Aequius eſt, ut ego tot taliumq; amicorũ conſiliũ ſequar, quàm ut tot taleſq; amici meam unius ſequãtur uoluntatem: Multum abhorrẽs à quorundã ingenio, qui cõſulto pileo ſuo, dicunt: Vos ſedulò conſulitis, ſed aliud mihi ſuadet pileũ meum. Iulius Capit. & Sab. lib. 4. Ennead. 7.

SIGISMVNDVS I. Polonorũ rex, cùm acri & ſolido eſſet cũ in iudicando, tũ in conſultando iudicio, & neq; gratia, neque odio facilè deduci ſe ab ęquo & bono pateretur: tamẽ nihil ferè maius unquam ſine conſilio ſenatus fecit, aut ſtatuit: ac nonnunquã de recta ſententia ſua conſenſu ſenatus adductus deceſſit, ne pertinax eſſe uideretur. Cromerus.

*Duces Militibus.*

SELIMVS Turcorum Imp. contra fratrem Achmatum in Bithynia pro imperio pugnaturus erat. Erat in caſtris Selimi Chriſtianus quidam miles, ex Germanis captiuus, Imp. ob ſingularem prudentiam charus: qui Selimo perſuaſit, ut

largiſſi-

largiſſimo donatiuo animos militum ſibi cōciliaret, ne uoluntate mutata, deficeret ad fratrem uictorem. Cui Selimus obſequutus, nunc XX millia, nunc XL millia nūmûm ſparſit inter milites, eoſq; ita ſibi deuinxit, ut Achmatus abſque prælio fuerit ſuperatus. Cuſpinianus.

*Subditi Principibus.*

Poſteaquam deuicto Aſtyage auo Cyrus regnum Medorū ad Perſas tranſtulit, Artembares Perſa ſuadebat popularibus ſuis, ut ex Perſide, regione anguſta & aſpera, in fertiliorem & planiorem aliam migrarent. Cyrus eo audito, non impediuit, ſed tantùm monuit, ut ſe poſthac præpararent nō ad imperandum aliis ampliùs, ſed ad parendum. Naturâ enim comparatum eſſe, ut è mollibus regionibus molles uiri exiſtant, néue ex eadem terra admirandæ fruges & egregij bello uiri gignantur. PERSÆ Cyro obtemperantes, maluerūt ſterile & exiguū ſolum incolendo imperare aliis, quàm fertile & ſpacioſum aliis ſeruire. Herodotus lib. 9.

*Collegis.*

Poſtquam ab Dario miſſus Datis, uerbo ad perſequendā à populo Athenienſe pœnam, quòd Sardeis inflammaſſent, reuera ad ſubigendam Græciam, appulit cum tota claſſe ad Marathonem, & agros uaſtauit: atque inter prætores, quos bello gerendo præfecerat populus Athenienſis, ſummæ auctoritatis erat Miltiades, dignitate uerò & potētia Ariſtides ſecundus. In ſententiam tunc de prælio committendo Miltiadis deſcendendo, non parum ARISTIDES momēti fecit. Cumque ad ſingulos prætores uiciſſim ſingulis diebus ſumma poteſtas circumferretur, ubi ad ipſum uices rediêre, tradidit imperium Miltiadi: collegas docens, nō eſſe audire & ſequi prudentes turpe, ſed amplum & ſalutare. Ita compreſſa contentione hortatus eos, ut uno in cōſilio acquieſcerent optimo, eoq; uterentur, confirmauit Miltiadē, qui perpetuo imperio pollens fuit. Quippe deſtiterunt tum ſinguli ſingulis diebus imperare, atq; illi dicto fuerunt audientes. Plut. in Ariſtide.

Poſt pugnam ad Salaminem, cùm Xerxis claſſis quę ſupererat fugam adornaret, THEMISTOCLES quidem inſequendam arbitrabatur, & pontes in Helleſponto ſoluendos, nè in Aſiam rex poſſet redire. At Eurybiades Spartanus claſſis imperator hoſti fugienti uiam nōn claudendā, ſed aperiendam potiùs cenſebat, ne ex deſperatione pugnam redintegraret. Eurybiadi aſſenſerunt omnes. Themiſtocles quoq; de ſua ſententia ceſſit: & ut regem magis ad fugam incitaret, miſit ad eum clàm Sicinum ſuum eunuchum, qui ſimulata beneuolentia Xerxi indicaret, Græcos ſtatuiſſe pontes in Helleſponto ſoluere: ſeq; id regi indicare ex beneuolentia. Xerxes eo nuncio audito, XLV dierum ſpacio ex Theſſalia in Helleſpontum fugit, relicto in Græcia Mardonio cū XXX myriadibus hominum. Herod. lib. 8.

*Aemulis.*

Græcis ad Salamina claſſem habētibus, cùm Themiſtocles omnino pugnandum cenſeret, & in concilio ducum diceret Themiſtocli Corinthius Cleocritus, nec Ariſtidi placere cōſilium ipſius, quòd præſens ſileret: occurrit ARISTIDES; Niſi optimam ſententiam Themiſtocles dixiſſet, non fuiſſe ſe taciturum: tacere autem nunc non hominis ſtudio, ſed quia comprobaret conſilium. Vox ſanè iuſtiſſimo Atheniēſium digna. Plut. in Ariſtide.

*Amicis.*

Commota ciuitate Epheſina, PAVLVS prudenter acquieuit conſilio amicorum, qui rogauerāt eum, ne prodiret in theatrum. Actorum 19.

*Hoſtibus.*

Crœſus poſtquam acie fuit à Cyro uictus, amiſſaque urbe uiuus uenit in poteſtatem eius, & cremandus fuit, uinctuſque pyræ extructæ, inſpectantibus Perſis omnibus, & aſſiſtente Cyro, eſt impoſitus: quantum intendere ualuit uocem, exclamauit: Solon, Solon, Solō. Id miratus Cyrus, miſit quęſitum ex eo, Quiſnam deorum uel hominum eſſet Solon ille, quem in rebus perditis unū inuocaret? Crœſus nihil diſſimulans: Hic uir, inquit, in ſapientibus Græciæ unus fuit. Quem ego accerſiui, non quidem ut quicquam audirem, aut, quibus habebam opus, diſcerem: uerùm ut præſens ſpectator eſſet, & illius tantæ meæ abiret teſtis felicitatis: cuius mihi amiſſio profectò plus attulit mali, quàm bōni adeptio. Nam uerbo fuit & opinione eius bonum pręſentis, ſed inclinatio in calamitates mihi reuerà euaſit graues & lugubres. Atq; uir ille ex ea fortuna præſentem augurās, finem monuit me ut uitæ ſpectarem, neque uolubili elatus fiducia ferocirem. Quibus ad CYRVM relatis, ut qui ſapiētior eſſet Crœſo, & exemplo uideret teſtatum ſermonē Solonis, non modò liberauit Crœſum, ſed &, dum uixit, honore eſt eum proſecutus. Retulit autem eam Solon laudem, q̃ duorum regum uno dicto alterum ſeruaſſet, alterum erudiuiſſet. Plut. in Solone.

Capta Roma Gothorum rex TOTILAS urbis partē tertiam diſturbauit: Pulcriora etiā & magnificentiora ędificia incēdio delere eū impetus cepit. Quod ut Beliſarius audiuit, ad eum literas miſit, & inter cætera etiā hæc: Ex his duob. alterū neceſſariò ſequetur, ut ipſe hoc bello aut uictus, aut uictor diſcedas. Si uiceris, & Romam deleueris, nō alterius urbē, ſed tuā exciderís. Si uictus eris, gratiā apud uictorē, eāq; nō mediocrē inieris. & q̃ in cæteros clemēs fueris, faciliùs clementiam cōſequeris, & iniquas illas hominum uoculas deuitabis, meritas tē pro tā egregia urbe deleta pœnas dediſſe, dicentium. His literis ſemel atq; iterum lectis, totaq; re diligenter ad rationem reuocata, demum Totilas urbi parcendum conſtituit, & remiſſis legatis, Beliſarij conſilio ſe pariturum reſpondit. Sigonius lib. 19. Imp. occid.

*Parentes Filijs.*

IACOB Patriarcha, licèt inuitus, permiſit tamen abduci Beniamin filium dilectum, propter neceſſitatem commeatus, ita ſuadentibus reliquis filiis. Gen. 43.

*Mariti Vxoribus.*

☞ *Ex Tit. Prudentes Mulieres huc quædam.*

Oroſius B. Hieronymi teſtimonio ſcribit, Barchilonenſem uirum nobilem narraſſe; quòd concupiuerit aliquando ATHAVLPHVS Viſigothorum rex, capta & euerſa Roma, alteram ædificare urbem, Gothiam dictā, & abrogato Auguſtorum nomine, poſteris imperij cognomen ex ſe relinquere. Sed intercedente Galla Placidia, Honorij Imp. ſorore, conſiderauit rem Romanam creuiſſe & ad ea tēpora ſtetiſſe legibus ac bonarum artiū diſciplinis, à quibus Gothica barbaries abhorreret. Ideoq; mutauit ſententiam, ut Romanæ dignitatis, cuius eſſe nequiret imitator, optaret eſſe reſtitutor. Cranzius lib. 2. Sueciæ, c. 32.

*Adulti Pueris.*

☞ *Vide Tit. Pueri prudentes; quatenus conſiliis illorum parent Seniores.*

Aſſyriorum regis F. ſub uenationis ſpecie Mediam depopulabatur. ASTYAGES Medorum rex illi cum equitatu occurrit: ſed peditatu deſtitutus, in depopulatores mouere uerebatur, ne ab equitatu Aſſyriorū in certo loco quieſcente interciperetur. Dum auxilia expectat, Cyrus adhuc puer iniuſſu aui armatus aduolat, & quia immotam utrinq; aciem ſtare uidebat, regionem interim ab inimicis uaſtari, conſilium dedit auo, ut emitteret turmam equitum in populatores: ipſe interea obſeruaret equitatum hoſtium, & ſi loco ſe moueret, impetum in illos faceret. Aſtyages pueri conſilio parêre non dubitans, Cyaxarem F. cum lectis equitibus in pręodam agentes emiſit. Cyrus inſigni alacritate præ cæteris euolans, populatores in fugam coniectos perſecutus, hoſtium quoq; equitatum tanta audacia obſtupentem perculit, & inſignem uictoriam equeſtrem retulit. Xenophon libro primo Pædiæ.

Cùm Ariſtagoras Mileti tyrannus, cupiens Spartanos ad ſocietatem contra Darium inducere, ſumto oleę ramo, ad domum Cleomenis ſe contuliſſet, eamq; ingreſſus, precabundus iuberet ad ſe audiendum dimitti illius filiam, quæ ipſi aſtiterat, octo aut nouem annos nata: CLEOMENES autem iuberet dicere quæ uellet (filiolæ enim tenellæ rationē nō eſſe habendā) Ariſtagoras incepit polliceri illi undecim talenta, ſi precib. ſuis annueret. Abnuente Cleomene, ſubinde adiiciendo eò peruenit, ut quinquaginta talenta pollicēretur. Tum Gorgo puella: Pater, inquit, hoſpes te corrūpet, niſi hinc abis. Conſilio puellæ delectatus Cleomenes, in aliud conclaue abiit: & Ariſtagoras è Sparta protinùs diſceſſit. Herodotus libro 5.

Alcibiades cùm adhuc puer ad PERICLEM auunculum ſuū ueniſſet, eumq; ſecretò triſtem ſedentem uidiſſet, interrogauit: Quid ita tantam in uultu confuſionem gereret? At illo dicente: Mandato ſe ciuitatis Propylæa Mineruæ, quæ ſunt ianuæ arcis, ædificaſſe: conſumtaq; in id opus ingenti pecunia, non inuenire quo pacto miniſterij rationem redderet, atq; ideo conflictari: Ergo (inquit) quære potiùs quemadmodum rationem nō reddas. Itaq; uir ampliſſimus, & prudentiſſimus, ſuo conſilio defectus, puerili uſus eſt: atq; id exegit, ut Athenienſes, finitimo implicati bello, rationibus exigendis non uacarent. Valerius libro 3. capite j. & Sabellicus libro j. capite 3.

*Sacris hominibus.*

Cùm Antiocheni ob tributum extraordinarium ſibi impoſitū ſtatuam æream Placillæ reginæ demoliti eſſent: Theodoſius Imp. & libertatem ciuitati eripuit, & cædes magnas cogitans, executores eò præfectos miſit. Quo cognito, MACEDONIVS eremita in media urbe præfectos Imper. ſuo nunciare iuſſit: Meminiſſet ſe hominem eſſe, & à Dei opt. max. nutu pendere, eius benignitatem imitaretur: neq; pro-

pter



pter æream ſtatuam, Dei imaginem hominem, crudeliſſimè interfici curaret: maximè cùm ſtatuæ multæ pro una reponi poſſent: at ne pilum quidem Imperator interfecto homine reſtituere poſſet. Præfecti Theodoſio rem indicant. Ille Macedonio paruit, & Antiochenis pepercit. Theod. libro quinto, cap. 26.

In grauiſs. Cōſtantinopolitanæ urbis terræmotu, qui an. Sal. 1509. 14. Sept. accidit, BAIAZETES Imp. monitus à quodā Caligero monacho Græco, ſene, quē familiarius diligebat, ſecūq; crebrò detinebat, in hortos deſcēdit, & à ruina ſeruatus eſt. Vaticinatus eſt hic ſenex, uenturum terræmotum, interituramq; Turcorum ſectam, propeq; eſſe illorum ruinā. Intrepideq; ſæpe Cæſari hoc dixit.

## IN QVO. PARERE

### EXTRA BELLVM.

Narrant poëtæ, & Prodicus ſophiſta, HERCVLI ex ephebis iam egreſſo, ac id ætatis agenti, quando de tota uita deliberatio ſumenda eſt, quum in ſolitudinē ſeceſſiſſet, dubitāſq; multum ac diu ſecum cogitaret (ut eſt ea ætas imbecilli iudicio conſilioq;, quam uiuendi uiam, uirtutis an uoluptatis ingrederetur, hoc eſt, cui potiſſimùm uitæ generi ſemet accommodaret: aſtitiſſe duas matronas, Virtutem ſcilicet & Voluptatem, comtamq; hanc nitido lætoq; ac hilari uultu: at ſubtriſtem illam, & ſordido habitu. Quumq; iocos illa & delicias, omnemq; bonorum affluentiam, ſi ſe præeligeret, polliceretur: hæc uerò famem & ſitim, æſtus & frigora, & quicquid triſte, durum horrendumq; excogitari poſſet: ſed horum tandem gloriam ac felicitatē finē eſſe futurū: altiore ipſe ſalubrioreque uſus conſilio, reiecta Voluptate, Virtutis uiam, licet duriorem aſperioremque, ſequutus eſt. Cognatus lib. 2. Narrat.

Defuncto Lyſandro, cùm factionem deprehendiſſet AGESILAVS frequentem, quam ille, ſimul atq; ex Aſia regreſſus fuerat, conflauerat in Ageſilaum: ſtuduit oſtendere, qualis ille in uita ciuis fuiſſet. Ac cùm orationem legiſſet in uolumine relictam, quam à Cleone Halicarnaſſeo ſcriptam habere memoriter ſtatuerat Lyſander in cōcione de rebus nouādis & Reip. mutatione: inſtituit eam in publicū proferre. Quam ubi legit quidā ex ſenibus, & ueritus orationis neruos, ſuaſit, ne Lyſandrum refoderet, ſed potiùs unà cum illo orationem defoderet, paruit acquieuitq;. Plutarchus in Ageſilao, & Lyſandro, & Apophthegmatis.

ALEXANDER Mammeæ in animo habebat omnibus officiis genus ueſtis proprium dare, & omnibus dignitatibus, ut ex ueſtitu dignoſcerentur, & omnibus ſeruis, ne ingenuis miſcerentur, néue ſeditioſi eſſent. Verùm Vlpianus & Iulius Paulus conſultores Principi diſſuaſerunt, plurimarum rixarum cauſam fore dicentes, ſi abiecti homines per ueſtitum proditi, iniuriis exponerentur. Sabellicus libro 6. Ennead. 7. ex Lampridio.

ARGADVS, Argatheliæ princeps Scotici regni gubernator, cōiecto in uincula Conaro rege ſceleratiſs. dictus, cū ſenſim auctoritate abuti, & Pictorum affinitate contracta ad maiores opes aſpirare uideretur: ſeuerè à proceribus correptus, ueniam ſupplex cum lacrymis petiit & impetrauit, ſuoq; deinceps officio cum laude & ſalute Reipub. functus eſt. H. Boëthius lib. 5.

### IN BELLO.

Cùm Darius rex, contra Scythas expeditionem inſtituiſſet, & ponte ſublicio Boſphorum Thracium iunxiſſet, & iam trans Iſtrum exercitum tranſmiſiſſet per rates: cùm Iones ex præcepto regis pontem ex ratibus ſoluturi eſſent, Coës Eryxandri F. Mitylenæorum præfectus, diſſuaſit, & pontem integrū relinquere iuſſit, quoniā uerebatur, ne Scythæ more ſuo fugerent, & expeditio irrita fieret. Id quod & factum eſt. DARIVS laudato Coë ob conſilium, ſexaginta nodis lorum innodauit, eumq; Ionum tyrannis dedit, iubens, ut pontem cuſtodirent, & ipſo in Scythiā profecto, ſingulis dieb. ſingulos nodos ſoluerent. Quòd ſi intra id tempus non rediiſſet, ipſi ſoluta rate domum nauigarent. Vtile fuit cōſilium illud Dario: nam ſexaginta diebus nondum elapſis, ſi Iones ratē ſoluiſſent, & abiiſſent, Darius cum ſuis ad internecionē fuiſſet cæſus. Herod. lib. 4.

Cùm ob Pauſaniæ tyrannidem Græci à Lacedæmoniis ad Athenienſes, duce Ariſtide Iuſto, defeciſſent: eam rem ueluti maieſtatis diminutionem ęgerrimè ferentes SPARTANI, bellum Athenienſibus inferre proponebant. At ſenator quidam Oetimarides, ex genere Herculis, propter ſingularem uirtutem magna apud eos auctoritate, contrà conſulere ingreſſus eſt: Rei maritimæ curam atque imperium Athenienſibus permittendum: Spartanis nequaquam uſui eſſe. Cumque in hanc partem multas rationes attuliſſet, ſenatui populoque perſuaſit, ut cœptum conſilium de bello relinquerēt. Diodorus lib. 11.

Cæſo Bambergæ Philippo rege æmulo, OTHO IV. iam adueniſſe tempus ratus, quo inimicos ulciſceretur, prohibitus eſt à principibus, pręſertim archiepiſcopo Magdeburgenſe, & Bernardo duce Saxoniæ, rectè rem coniectantibus, meliùs clementia, quàm ui rem firmandam. Nam ſi uiolentus inſtiteris, inquiunt, alium ſurrogabūt æmulum: ſin manſuetè ages, unus in te omnium aderit conſenſus. Sequutus rex iuſta pacis conſilia, Halberſtadij indixit regni cōuentum omnibus principibus, de communi pace acturus. Cranzius libro 7. Saxoniæ, c. 29.

## MALIS CONSILIIS NON PARERE.

*Conſule Tit. Non facere iniuſta. Neq; enim ſubiecto differunt, ſed habitudine tantùm. Illic Inæqualitatis, heic Imprudentiæ fuga in conſiderationem uenit.*

PHOCION iubentibus Athenienſibus, ut moueret in hoſtes: ubi renuit, timidum mollemq; appellantibus: Neq; uos, inquit, facere me audacem poteſtis, neq; uos ego timidos. Attamen nouimus nos inter nos. Plut. in Phocione.

Cùm Sopater Syrus, ſingularis eruditionis atque eloquentiæ uir, fana deorū toto orbe celebratiſſima iuſſu CONSTANTINI Magni uideret euerti, rem iniquo animo paſſus, ad aulam Imperatoris auctore Eunapio, uenit, ut ipſum à propoſita ratione deduceret. Verùm nihil profecit: à Conſtantino tamen eximiè prudentiæ opinione cultus, apud eū manſit. Sigonius lib. 4. Imp. occid.

Ladiſlaum, Hungariæ ac Boëmiæ regem, adhuc puerum, cùm FRIDERICVS III. Romanorum Imp. apud ſe educaret, ſanguine ſibi coniunctum: non defuerunt ex conſiliariis, qui puerum clàm perdendum Cæſari perſuaderent, cuius mors opes maximas plurimaque regna allatura eſſet. At Imperator: Quî fit (inquit) quòd me diuitē potiùs quàm piū erga meos eſſe cupitis? Ego ſanè diuitias non ita amo, ut impiis conſiliis perſuaſus, propter eas indignum facinus perpetrare uelim. Aeneas Syluius libro 3. Comment. de Rebus geſtis Alfonſi.

FRIDERICVS III. Saxoniæ Dux multis ab Erfordenſibus iniuriis affectus, comitiis populo indictis, de bello ſuſcipiendo deliberabat. Erat eques magnę auctoritatis, qui bellum ſummo ſtudio ſuadebat, & à dedecore & à facilitate uictoriæ ductis præcipuè argumentis. Ei Dux, Pręclarè tu quidem, Sigiſmunde Liſti, pro te ipſo, cuius intereſt bella ex bellis ſeri, concionatus es: pro me non item, cuius gloria & incolumitas ex ſubditorum commodis potiùs, quàm ex hoſtium ruina & interitu pendet. Concione in præſens dimiſſa, non multo pòſt, conuentu Vormacienſe, Erfordenſes coram Imp. Carolo V. grauiter accuſatos, inſperato ſuo dignatus patrocinio, ex inimicis amiciſſimos reddidit. Has artes ſi reliqui imitarentur, plures principes, quàm tyrānos haberemus. Ioan. Agricola in prou. German. Velox conſiliū uelox malum.

## PRVDENS EXPLORATIO, PRÆCOGNITIO, PROVIdentia, Prædictio futurorum bonorum uel malorum, tam ſuorum, quàm alienorum.

*Præcognitio duplex eſt: altera Theorica, tum naturalis (quales ſunt Phyſicæ & Medicæ προγνώσεις) tum diuina, (de quibus in Metaphyſicis egimus) altera Practica, quæ huius loci propria eſt, & experientia potiſſimùm nititur. Sic prudentis hominis eſſe dicimus, ex præſenti temporum conditione, tam priuatim quàm publicè, mutationes futuras coniicere & præuidere. Quæ quidem altera ſpecies eſt Iudicij prudentis.*

### IN GENERE.

Apud Aeſchylum PROMETHEVS ita loquitur:

Καί τοι τί φημι; πάντα προὐξεπίσταμαι
σκεθρῶς τὰ μέλλοντ', οὐδέ μοι ποταίνιον
πῆμ' οὐδὲν ἥξει. id eſt,

Quanquam quid aio? cuncta prænoui optimè
Futura, nec uentura calamitas mihi
Inopina quæquam eſt. Muretus lib. 5. Var. lect. c. 18.

YYY Virgi-

Virgilius AENEÆ ſuo, quem omnis uirtutis exemplar eſſe uoluit, ut cæteras laudes, ita prouidentiam quoq; tribuit: cùm eum his uerbis de ſe loquentem fecit:

--non ulla laborum,
O uirgo, noua mi facies, inopinaue ſurgit,
Omnia præcepi, atq; animo mecum antè peregi.

## IN SPECIE PRAECOGNITIO prudens eorum, quæ pertinent ad Bona Malaue

### ANIMI, AD VIRTVTES & VITIA.

*Conſule Tit. Indolis exploratio. Illic Subiecti ratio habetur: heic Habitus, circa ſubiectum uerſantis.*

Cùm Darius rex, ob ſeruatam in Iſtro ratem, Hiſtiæo Mileſiorũ tyranno locum quendam, nomine Myrcinũ, prope Strymonem fl. Thraciæ, dono dediſſet, ut in eo urbem cõderet: MEGABYZVS præfectus copiarum Darij in Europa, uidens loci commoditatem, & Hiſtiæi induſtriam, ne regnũ Thraciæ aliquando contrà Darium occuparet: ſuaſit Dario, ut eũ Suſa ad ſe uocaret, neq; unquam in Græciã reuerti ſineret. Darius paruit, & Hiſtiæum uocauit, quòd eius conſilio ſe opus habere diceret. Herod. lib. 4.

In ſeditione populari inter Pediæos, quorum dux erat Lycurgus, & Paraliorum, quibus pręerat Megacles, & Diacriorũ, quos ducebat Piſiſtratus, SOLON Athenas regreſſus, propter ſenectutem ad dicendum uel agendum nec aptus, nec alacris, Piſiſtrati tamen cognouit ingenium, fraudemq; primus introſpexit: non ſuſcepit tamen odium eius, uerùm demulcere nitebatur eum & corrigere. Cũ iam mouere Theſpis cepiſſet tragœdiam, & retineret rei nouitas multitudinem (necdum enim ad certaminis cõtentionẽ euaſerat res) quòd audiendi & diſcendi Solon ſtudio teneretur, magisq; in ſenectute in otium ludũq; ſe, & uerò etiam in cõuiuia atque muſicam remitteret: ipſum agentem, ut mos erat ueterum, ſpectauit Theſpin. Mox ſub ludis conuenit eum, quæſiuitq;, Ecquid ipſum puderet in tanta corona tanta proferre mendacia? Vbi reſpondit Theſpis, Non eſſe indignum ea per ludum uel dicere uel facere: Solon terra baculo grauiter pcuſſa: At breui, inquit, qui nunc probamus & amplectimur hunc ludum, reperiemus eũ in contractibus & negotiis. Vt uerò ſemetipſe Piſiſtratus conſauciauit, atq; ita rheda in forum delatus, populum, tanquam inſidiis inimicorum Reip. cauſa eſſet circumuentus, inflammauit, multiq; uicem eius indignarentur, fremerentq;: propiùs accedens Solon aſſiſtens ei, Parum rectè, inquit, agis, fili Hippocratis, Homericum Vlyſſem. Eadem enim deſignas ad fallendũ ciues, quibus hoſtes ille flagris à ſemetipſo multatus eluſit. Inde præſtò plebs fuit ad protegendum Piſiſtratum, & ad concionẽ uenit populus. Vbi cùm ferret Ariſto, ut quinquaginta ſtipatores ſtationarij ei aſſignarentur: ſurrexit Solon ad id diſſuadendum. At cùm inopes cerneret ſtudioſos Piſiſtrati, & tumultum cientes, locupletes uerò ob metum fugæ conſulentes: receſſit, dicens, His ſe fortiorem, illis eſſe prouidentiorẽ. Piſiſtratus occupauit arcem. Inde tumultuante ciuitate, cõfeſtim Megacles cũ Alcmæonidis cæteris profugit. Plut. in Solone. Elegi autem Solonis de tyrannide Piſiſtrati hi ſunt, quos Laertius lib. 1. recitat

ἐκ νεφέλης φέρεται χιόνος βία, ἠδὲ χαλάζης,
βροντὴ τ' ἐκ λαμπρῆς γίνεται ἀστεροπῆς.
ἀνδρῶν τ' ἐκ μεγάλων πόλις ὄλλυται, ἐς δὲ μονάρχου
δῆμος ἀϊδρείῃ δουλοσύνην ἔπεσεν.

L. Corn. SYLLA, depoſita Dictatura, aduertit quendã præter ſententiã ſuã audacem hominẽ & hoſtem ſuum conſulẽ deſignari M. Lepidum, non per ſe, ſed fauore populari, ob Cn. Pompeium eius ſtudioſum & pro eo prenſantem. Quare cũ exultantem uictoria uideret Pompeium Sylla, accerſiuit digredientẽ, dixitq;: Præclaram uerò rem adoleſcens geſſiſti, qui priorem Catulo Lepidum omniũ optimo ſtolidiſſimũ feciſti conſulem. At tu fac uigiles, cùm in te ipſum effeceris aduerſariũ tuũ ualentiorem. Sanè illud Sylla quaſi uaticinatus eſt. Breui enim oppugnauit in inſolentiã erumpens Lepidus Pompeium. Plut. in Sylla.

Cùm Pompeius & Craſſus, Cæſaris ſubnixi ſtudiis Coſs. creati, & fruſtra repugnãte Catone, prouincias partiti eſſent: cũque mox alia lex de Cæſaris prouinciis & legionib. in quinquennium promulgaretur: nõ iam ad populum M. CATO, ſed ad ipſum conuerſus Pompeiũ, teſtatò denunciauit, non intelligere ipſum nunc, recipere in humeros ſuos Cæſarem: ubi uerò grauari cœpiſſet & opprimi, nec deponere poſſet, nec ſuſtineret ferre, facturum ipſum, ut ſecum onus coniiceret in Rempub. ac tunc Catonis admonitionum memorem fore, nõ minùs Pompeio ſalutarium, quàm honeſtarũ atq; iuſtarũ. Ea Põpeius cũ crebrò audiret, felicitate tamẽ ſua & potentia fretus contemſit & tranſmiſit, non credens futurũ, ut ſe immutaret Cæſar. Plut. in Catone.

AVGVSTVS Germanicum Druſi F. pro cõcione palàm Reipublicę cauſa ſeſe adoptare iurauit, de eoq; ſępe illũ Ennij uerſiculũ pronunciauit: Vnus homo nobis uigilando reſtituet rẽ. Cæterùm Tiberij inſidiis ſublato Germanico, Auguſtus iam animã agens, digrediente Tiberio, cum quo longum & arcanum ſermonẽ habuerat, exclamauit: Miſerum P. R. qui ſub tam lentis maxillis edet. Suetonius.

TIBERIVS C. Caligulam habebat ſupra fidẽ obſequentẽ, omnia etiam aſpera & grauia æquanimiter tolerantẽ, adeò ut res in prouerbiũ uerſa ſit: Nullus ſeruus Caio melior, nullus peior dominus. & tamen ſæpè dicere ſolebat: Illum ſuo & omnium exitio uiuere: &, Venenoſum & mortiferũ mundo animal Romæ ali. Idem.

Dux Tridentinus Alahis, uictoria parta de Comite Baioariorũ inflatus, Perthari tum Longobardorum regem deſpiciẽs, ualidis ſe Tridenti aduerſus eum præſidiis cõmuniuit, urbeq; ſubitò egreſſus, caſtra regis inuaſit, atq; eum cum ſuis fugæ ſe mãdare coëgit. Cunipertus Perthariti F. iam inde ab adoleſcentia magna cum eo familiaritate coniunctus, ueteris neceſſitudinis memor, patrem precibus exorauit, ut eum in gratiam reciperet, licèt caſtris ab eo exutus, atq; in fugam compulſus eſſet. quinetiam eodem erga illum ſtudio incitatus, patrem pòſt ſæpe illi inſidias molientem ab incepto nõ ſolùm deterruit, ſed etiam fidelem ſperans fore, Ducem Brixiæ creandum curauit: PERTHARITO ſæpe monente, uideret, quid pararet. non enim ſibiipſi amicum beneficio deuincire: ſed inimicum in exitium ſuum præſidiis haud modicis confirmare: regnum illum nouo Brixianorum, quorũ maximæ ſemper inter Longobardos copiæ fuerunt, auxilio tentaturum. Nec uana fuit prædictio, cùm poſt mortem Perthariti regno Cunipertum exuerit. Sigonius libro ſecundo regni Italici.

ALFONSVS XI. Hiſpaniæ rex in obſidione Gibralterræ peſte moriens, non tam morte propria doluit, quàm, quòd Petrum filium dyſcolum ſucceſſorem relinqueret, cuius ingenium crudele perſpectũ habebat. Rodericus Santius parte 4. hiſt. Hiſpan. cap. 13.

Carolus princeps Vianę, Ioannis Aragonum regis F. cùm ad ſe prandẽtem FERDINANDVS Catholicus frater, puer annorum ferè quinq;, uenire nunciaretur, ei confeſtim ſurgens obuiam deſcendit: & ſuis quibuſdam dicentibus, Vt eum, quoniam puer erat, expectaret in menſa: At ego hunc puerum, inquit, proſpicio Principes omnes, quos Hiſpania noſtra peperit, omni genere uirtutum ſuperaturũ. Nec uana fuit coniectura. Marineus lib. 19. rerum Hiſpan.

FERDINANDO, Hiſpanię rege, in regnum Neapolitanũ ueniente, feſti dies acti Neapoli: remotis menſis choreæ à iuuenibus nobiliſs. ductæ. Eo in ludo Ferdinandus Daualus Piſcarius ſextum decimum ætatis annum tum agens, ante alios, tanta arte, omnes ſaltationis modos adimpleuit, ut rex ipſe palàm diceret ad proceres, Ille adoleſcens ex geſtu certaq; oris indole ſupra hos omnes, magnus quidam imperator eſſe uidetur: & ſi me opinio nequaquam fallit, omnium euadet longè præſtantiſſimus. Iouius in Piſcario libro primo.

HENRICVS VI. Anglorum rex, cùm Henricum Edmundi fratris uterini Richemondiæ comitis F. uidiſſet, aliquantum tacitus illius altam indolem contemplatus, principes, qui aderant, ſic affatus dicitur: Iſte nempe iſte eſt, cui nos ac noſtri aduerſarij rerum poſſeſſione cedemus. Ita uir ſanctus prædixit futurum, ut Henricus quandoq; regno potiretur. Cæſo namq; ab Edouardo IV. Henrico VI. & principibus omnibus interemtis, ſolus Henricus iſte euaſit ad Britannũ. Qui cùm auro Anglico expugnatus hoſpitem dedere pararet, Io. Chenletti Britanni principis conſilio ſeruatus eſt. Tandem cùm mortuo Edouardo Ricardus frater regnum inuaſiſſet, coniuratione principum reuocatus Henricus, Edouardi filiam uxorem duxit, & ad regnum peruenit. Polydorus libro 4.

Quum nunciatum eſſet ANDREÆ Gritto abſenti, Conſtantinum Cauaciam, unum ex quatuor ſcribis, à decemuirali cõſilio delectum, qui locus honeſtiſſimus in primis ſit, ſummæq; inter plebeios dignitatis: Vtinam, inquit, patres ipſi maturiùs Reip. conſuluiſſent. nam laqueum uideo Conſtantini collo hoc ipſo decreto appenſum eſſe. Quod ſanè illi contigiſſet, niſi exilio ſuo peſſimè de Venetis meritus, fugã arripuiſſet. Egnatius lib. 6. c. 4.

LAVRENTIVS Medices ſæpenumerò inter amicos ſuos de Petri F. imprudentia atq; arrogantia queſtus eſt, quã dicebat ſuæ domus ruinam aliquãdo parituram. Nec falſus fuit uates. Nam cùm Caroli IIX. arma in ſe imprudenter concitaſſet Petrus, & ſerò tãdem perſpecto periculo, iniquiſſimis conditionibus pacem peteret, à Florentinis urbe pulſus eſt. Guicciardinus lib. 1.

HIE-



HIEREMIAS Caldenacij comes Patauinus locupletiſſimus, filiorum ſuorum ingeniis diffidens, abbatiam Carcerũ conſtruxit, & multis reditibus dotauit, ea lege, ut ſi filij uel nepotes ſui aliquando egerent, de alimentis, ueſtimentis & equis, etiam ad militiam neceſſariis, illis proſpiceretur. Nec inanis fuit timor. Mortuo enim patre, Beltrandus & Theobaldus opibus ampliſsimis in ludos, aleam, atque ſcorta profuſis, ad egeſtatem redacti, ab Abbate armis & equis inſtructi, in militiam ad Dalmatas abiere. Bern. Scardeonus lib. 3. claſſis 13. hiſt. Pat.

## CORPORIS PROVIDENTIA

*Mortis.*

Cùm Maximo & Balbino iudicio Senatus delatum eſſet imperium, fertur MAXIMVS Balbino dixiſſe: Quid tu Balbine & ego merebimur, cùm hanc immanẽ belluam, hoc eſt Maximinũ, exitio dederimus? Cumq; Balbinus dixiſſet, Senatus Populiq; Romani feruentiſſimũ amorẽ, & orbis terrarũ: ſubiunxiſſe dicitur Maximus, Vereor ne militũ odiũ ſentiamus, & mortem. Et ita euenit. Nam cùm annum unum imperaſſent iuſtiſſimè & clementiſſimè, à prętorianis interfecti ſunt in Palatio. Cuſpinianus.

*Periculi.*

OTHO I. Cæſar, nunquam ſe diſcrimini præliorum cõmiſit, niſi priùs teſtamẽto legitimè facto de rebus omnibus, & de filiorum ſucceſſione. Cranzius lib. 3. Saxoniæ, c. 24.

## FORTVNAE PRAEVIDERE

*Victoriam.*

P. SCIPIO Africanus in Hiſpania oppidum & ſitu & defenſoribus munitiſſimũ obſidebat, nullaq; eius potiundi ſpes eſſe uidebatur. Quodã die in caſtris ius dicens, cùm à militib. litigantibus interrogaretur, in quẽ diem locumq; uadimoniũ promitti iuberet? Scipio manu ad arcẽ oppidi protenta, Perendie in illo loco uos ſiſtite. Die tertio, in quem uadari iuſſerat, oppidum captũ eſt. Eodẽ die in arce ius dixit. Gell. lib. 7. c. 1. ex Hygino & C. Oppio.

*Regni ſucceßionem.*

HENRICVS VI. Anglorum rex, Henricum VII. Edmundi fratris uterini filium, aliquantum tacitus illum contemplatus, ad principes ita, qui aderant, conuerſus dixit: Iſte nempe eſt, cui nos ac noſtri aduerſarij rerũ poſſeſſione cedemus. Id quod Edouardo mortuo, qui patrẽ eius interfecerat, ducta Edouardi filia, euentus comprobauit. Polyd. lib. 4.

*Tyrannidem.*

L. SYLLA depoſita dictatura, cùm domum rediret ab adoleſcentulo conuitiis exceptus, nemine interea reperto, qui illius intemperiem caſtigaret: tulit patienter ætatis intemperiẽ. Cæterùm ubi domum uentum eſt, ſiue coniectura ſiue diuinatione quadam futurorum, ad eos, qui propè aderãt, conuerſus, dixiſſe fertur, Intẽpeſtiuam illam inſectationẽ in cauſa fore, ut quicunq; poſt ſe dignitatem illam inuaderet, nunquam niſi cum morte deponeret. quod haud multis inde pòſt annis, in C. Iul. Cæſare euenit. Sabellicus libro tertio, Enneadis 6.

*Locorum celebritatem, Occaſionem felicem uel infelicem.*

EPIMENIDES Phęſtius, in numero Sapientum ſeptimus ponitur ab iis, qui Periandrum excludunt. Hic Athenas à Solone accerſitus, cùm Munychiam arcem inſpexiſſet, diuq; contemplatus fuiſſet, dixiſſe fertur. Quàm cæci ſunt homines in præuidendis rebus futuris? Si ſcirent Athenięſes, quanta hic locus mala eſt urbi olim daturus, dentibus profectò ſuis eũ eroderent, & unguibus demolirẽtur. Plutarchus in Solone, & Laërtius lib. 1.

CHILO Lacedæmonius de Cytheris inſula Laconiæ prædixit, Vtinã hęc nunquã fuiſſet: aut cęrtè, ſimul ac nata eſt, ſubmerſa eſſet. Demaratus enim Lacedæmone fugiens, Xerxi conſuluerat, ut in ea inſula naues ſubduceret. Cui conſilio ſi rex paruiſſet, Græciæ dominus fieri poterat. Nicias pariter Peloponneſiaco bello occupata inſula, Lacedæmonios grauiſſimis afflixit cladibus. Laërtius in eius uita.

In Dipnoſophiſtis Athenæus DEMADEM oratorem ſcribit ſolitum dicere, Aeginam eſſe Piræi lemam (quoniam maris imperio potita, cum Athenienſibus æmulatione certauit) Samum autem ciuitatis ἀπόρραγμα. Cælius libro 12. capite 6. Antiq. Lect.

PYRRHVS, cùm ſpe lapſus potiundæ Siciliæ inde ſolueret, reſpectans retrò ad amicos, Qualem, inquit, Romanis & Carthaginenſibus palæſtram relinquimus? Plutarchus in regum Apophtheg.

*Bella & Seditiones.*

ALEXANDER Macedo Babylone è uita diſcedens, in extremo halitu interrogatus ab amicis, cui nam regnũ relinqueret? dixit, Optimo. Præuideo enim ingens mihi futurum ſepulcrale certamen amicorum. Id quod re ipſa euenit. Cùm duces eius clariſſimi de primatu diſſidentes, bella ingentia excitarunt. Diodorus lib. 18.

[redacted]

*Inimicitias.*

Dionyſius tyrannus Platonem Syracuſas acciuerat, Archyta Tarentino ſponſore & interceſſore. Cæterùm cùm de Dionis reditu ſubinde ageret, & tyrãnus procraſtinaret omnia: ARISTIPPVS Cyrenæus ludens apud alios philoſophos inquit: Helicon Cyzicenus (qui Platonis erat familiaris) eclipſin prædixit: ego uerò non minùs admirabilem rem prænuncio, Platonem & Dionyſium breui inimicos fore. Plutarchus in Dione.

CICERO ab initio Cn. Pompeium monuit, ne coniungeret ſe cum Cæſare, & poſtea, ne ſe diſiungeret. Coniunctione frangi Senatus opes, diſiunctione ciuile bellũ excitari uidebat: atq; utebatur familiariſſimè Cæſare, Pompeium faciebat plurimi: ſed erat eius conſilium cùm fidele Pompeio, tum ſalutare utrique. Teſtis ipſemet libro 6. Epiſtolarum famil. ad Cæcinam.

Fridericus II. aduerſus Othonem IV. Imp. electus, reſuſcitauit antiquam de Italiæ prouinciis, deq; inueſtiendis epiſcopis, controuerſiam: de qua Henrici duo, IV. & V. pater & filius, inde Fridericus I. huius auus, & deinde Otho IV. grauiſſimè, ſed fruſtra, contra Pp. contenderunt. Papa anathemate perſequebatur Imperatorem: ille carnalem gladium diſtringebat in omnes, qui parerent pontifici, clericos, ſacerdotes, epiſcopos: Cardinales urbem petẽtes cepit: itinera obſedit, ne quis Romam peteret. Poſt longam duorum annorum ſedis apoſtolicæ uacationem: Sinibaldus, INNOCENTIVS IV. dictus, papatum accepit. Currebant, qui nunciarent Imperatori, Sinebaldum ei amiciſſimum eſſe factum pontificẽ. At Fridericus, qui noſſet hominem, fertur reſpondiſſe, Bonũ ſe amicum cardinalem cũ infeſtiſſimo pontifice permutaſſe. Nec eum fefellit opinio. Veritus enim pontifex, ne pacis cõditionibus à Friderico propoſitis aſſentiri cogeretur, Genua in Galliam profugit, Lugduni concilium indicturus. Ibi ſolenni quauis die ad populum uerba faciens, Fridericũ alta uoce inclamabat, ut ad indictũ Lugduni concilium ueniret, & de iure, quod in Eccleſiam ſibi uendicaret, reſponderet. Cranzius lib. 7. Vandal. c. 21.

*Calamitatem impendentem.*

Hugolinus Girardeſcus Comes, Piſanorum tyrannus, cùm die ſuo natali conuiuio excepiſſet numeroſam filiorum, nepotum, amicorum turbam, & MARCVM Lombardum, uirum prudentẽ, quo familiariter utebatur, interrogaret, Ecquid ſibi de hoc apparatu uideretur? liberè reſpondit, Tu uerò inter omnes Italię regulos mihi uideris ad miſeriam pulcerrimè paratus. Mirante Hugolino, Quoniam nihil tibi, præterquam iram & iudicium diuinum, deeſſe uideo. Neq; ita multo pòſt ab irato populo in turri cum filiis & nepotib. cõcluſus, fame ſublatus fuit. Io. Villanus lib. 7. c. 120.

Galeacio Maria Sforzia Mediolani à cõiuratis interfecto, Bona uidua, Ioannis Galeacij adhuc pueri mater, imperiũ adminiſtrabat, FRANCISCI Simonetæ Calabri hominis prudentiſſimi conſiliis. Hic cũ Ludouico Sforcia pueri patruo ſimultates exercens, Bonæ perſuaſit, ut ſenatus decreto interpoſito, illum extra urbem cum Octauiano fratre & Aſcanio, ablegandum curaret. Exules, cùm armis patriam atque adeò principatum repetere conarentur, Bona ancipiti perculſa metu, Antonij Taſſini Ferrarienſis cubicularij ſui, quẽ forma illi conciliatum quidam ſuſpicabantur, ſuaſu, Ludouicum cum fratribus reuocauit. Sperabat enim Taſſinus, deiecto Simoneta, facilè ſe principem locum apud Ludouicũ obtenturum. At Simoneta cùm impendentem ſibi calamitatem ab exulũ reditu proſpiceret, Taſſino prædixiſſe fertur, Ludouicũ & Aſcaniũ impetrato reditu ſibi quidẽ certũ exitium, ſed minimè dubiã ei ignominiã atq; exiliũ allaturos. Nec falſus fuit uates. Nã Simoneta ſecuri percuſſus eſt: Taſſinus ob recens beneficium uita donatus, ob uetus odium in exilium pulſus eſt. Brutus lib. 7. hiſt. Flor.

*Cladem.*

SOEBIDAS ante Leuctricũ certamen, cùm dicerent nonnulli, Oſtenſurum diem hodiernum uirum fortem: Magni, ait, faciundum diem, ſi uirum fortem monſtrare ualeret incolumem. Plut. in Apoph.

Q. FABIVS Maximus, qui cunctando fregit Punicos in Italia ſucceſſus, Varronis conſulis ferocia animaduerſa, multùm

diuq; precatus dicitur collegam eius L. Paulum Aemilium, ne temerè quippiam fieri ab eo pateretur: præuidere ſe, niſi illius conatibus iretur obuiam, breui fore, ut aliquis in Italia locus ſupra Trebiam & Thraſimenum Romana inſignitus clade. Sab. lib. 4. c. 8.

[redacted] lum eripuit. Quare Hanibal amicis: Nonne prædixi, inquit, uobis ego ſæpiùs, illam, quæ ſederet in montibus, nubem imbrem aliquando in nos daturam? Plutarchus in Apophthegmatibus.

Quum Vladiſlaus Vngariæ rex, uiolato fœdere Turcis bellum faciens, cum exercitu, haud longiùs quàm quatuor millibus paſſuum à Varna conſediſſet, in conſultatione, qua alij recedendum, alij progrediendũ cenſebant, inter SIMONEM Agrienſem epiſcopum, & Ioannem Coruinum oborta eſt altercatio. Nam quum Simon ad munitiora loca confugiendum eſſe cenſeret, & à Coruino deſidiæ & deliciarum argueretur: Ego uerò (inquit) non fugiam, & ſi uincere non dabitur, hîc moriar: te autem terga uerſurum ſcio, & ad meliora te tempora ſeruaturum. Augurium exitus cõfirmauit. Eo enim die inito prælio Simon cæſus eſt. Coruinus fuga elapſus, tãdem ad regni Vngarici gubernationem euectus eſt. Bonfinius lib. 6. Dec.

Rhodum inſulam Solymannus Turca oppugnabat, adeò obſurdeſcentibus cæteris Chriſtianis, ut ne per ſex quidẽ menſes exaudire uoces auxilium implorantium uoluerint. Tandem ope humana deſtituti milites Rhodij, concedere de inſula Turcis coacti ſunt, an. 1522. 25. Decembris. Ibi tunc QVIDAM ſtatim ex hoc Rhodiorum fumo incendium Hungaricũ diuinarunt. At Hungari animo torpentes, otio præſenti perfrui, quàm metu futurorũ torqueri maluerunt. Nec multo pòſt Ludouicus Hungariæ rex, ad Mohazium uicũ à Turcis fœda ſtrage cæſus eſt. Dubrauius lib. 33.

*Excidium.*

P. SCIPIO, ubi Carthaginẽ penitùs exciſam uidit, urbẽ olim præpotentem, quæ tantũ terræ, maris, inſularũ, imperio tenuiſſet, maritimis opibus, terreſtribusq; nulli antiquarũ urbium ſecunda, audacia & promtitudine longè cunctas ſuperaſſet, quæ demùm armis, præſidio, auxiliis deſtituta, uix trium annorum ſpacio, fame, flãma, ferro occubuiſſet: illacrymaſſe dicitur, rerumq; humanarum haud immemor, Homericum illud cum fletu protuliſſe:

> Iamq; dies aderit, quo concidat Ilion ingens,
> Et Priamus, Priamiq; ruat plebs armipotentis.

Aſtabat tum fortè illi Polybius, eius ſtudiorum comes ac præceptor, qui ab eo familiariter ſciſcitatus, Ecquid poëticum illud ſibi uellet? Romam, reſpondit, De qua, humanis rebus penſatis, non poſſum, inquit, non eſſe ſollicitus. Sabellicus lib. 9. En. 5.

Arconenſes Rugiani, ſancti Viti cultu, cum Chriſtiana religione, poſt Caroli Magni obitũ excuſſo, pro eo Suantouitum idolum quadriceps coluere. Eos cùm VALDEMARVS, Danorum rex obſideret, ſingulari quadam prudentia prædixit, S. Vitum redeũte ſolennis feſti tempore mœnia illorum, alioqui inſuperabilia, deiecturum, à quibus tam impiè deformatus eſſet. Nec uana fuit prædictio. Saxo libro decimoquarto.

## IVDICII SVSPENSIO PRVDENS. DE INCERTIS IUDICARE NOLLE, ſiue in iudicio, ſiue extra iudicium.

*ἐποχὴν Academici in diſputationibus philoſophicis adhibendam eſſe cenſebant, quãdoquidem in utranq; partem probabiliter de quauis re ferè diſſeri poſſet. Sunt etiam talia quædam in uita practica uſque adeò ambigua & incerta, ut in quamcunque partem te uerteris, ſit, quod aſſenſionem iudiciumq; tuum impediat. In quibus ipſis ἐποχὴν retinere, iudiciumq; ſuſpendere, Prudentis: liberè aſſentiri, Stulti hominis eſt, & Temerarij.*

### DE QVIBVS. Suſpendere iudicium de REBVS, PVTA DE

*Probitate.*

DEMARATVS Spartanus, cũ ab improbo quodam importuniùs interrogaretur, Quem'nam de Spartiatis optimũ iudicaret ciuem? idq; ſæpiùs ſe iudicaturum recuſaſſet, expugnatus tandem illius importuna improbitate: Illum, inquit, qui tui ſit, quàm diſſimillimus. Plut. in Lacon.

Multa incidunt, quę indeciſa & intrãſacta relinqui à iudicibus ſatiùs atq; utiliùs eſt, quàm iudicio terminari. Huiuſmodi eſt illa coram LICINIO Fimbria uiro conſulari à M. Luctatio equite Romano ſanè honeſto, Ni uir bonus eſſet, facta ſponſio cum aduerſario. Sapienter enim iudex pronunciauit, Se illam rem nunquam iudicaturum, ne aut ſpoliaret fama probatum hominẽ, ſi cõtrà iudicaſſet: aut ſtatuiſſe uideretur, uirũ bonũ aliquem eſſe, cùm ea res innumerabilib. officiis & laudibus cõtineretur. P. Acrodius ex Cicerone, lib. 3. Officiorum: & Valerio Maximo lib. 7. c. 2.

*Religione.*

M. VARRO de Romuli natalibus agens, & de uulgato illo Rheæ Syluiæ cum Marte concubitu, quum neq; factũ affirmaret, neq; de ſuæ urbis origine malè opinari uideri uellet, operæprecium id eſſe, ciuitatibusq; cõducibile teſtatus eſt, ſi etiam falſum ſit, ſuã originẽ ad deos referre, ut eo modo humanus animus, uelut diuinæ ſtirpis fiducia, res magnas audaciùs aggrederetur, fortiusq; gereret, ipſaq; ſecuritate transſigeret feliciùs. Sab. lib. 2. En. 2.

GALLIO Achaię proconſul, Paulum à Iudæis accùſatũ damnare noluit, quòd legis & religionis ipſorum iudex eſſe nõ poſſet, cùm ea non intelligeret. Actorum 18.

CL. Lyſias, tribunus militum Hieroſolymis, Paulũ à Iudæis de lege & religione accuſatum condemnare noluit, ſed eũ ad Felicem prætorem, Cæſaream miſit. Cui cùm Feſtus ſucceſſiſſet, is Romam ad Cæſarem miſit. Act. 23. & ſeq.

LODOVICVS Pius Imp. cùm quadraginta diebus ferro ac flamma Britanniam uaſtaſſet, acceptis obſidibus Rhotomagum petit. Vbi Michaëlis Conſtantinopolitani Imp. oratores audit, eum conſulentes, Quid de ſacris imaginibus faciendum cenſeret, abolendæ'ne, an reſtituendæ uiderentur? Hos Imp. ad Pontificem reiecit, cuius maximè intereſſet ea de re decernere. Platina.

ROMANI in conſtituendis religionibus, diisq; colendis, cautiſſimi fuêre. Itaq; cùm moueri terram ſenſerant, ferias eius rei cauſa edicto imperabant. Dei tamen nomen, ita uti ſolet, cui ſeruari ferias oporteret, non edicebant, ne alium pro alio nominando, falſa religione populum alligarent. Eas ferias ſi quis polluiſſet, hoſtiam immolabat. Idq; ita ex decretis pontificum obſeruatum M. Varro dicit, quoniam & qua ui, & per quem deorum dearúmue terra tremeret, incertum eſſet. Gellius lib. 2. c. 28. Noct. Att.

*Poſſeſſionibus.*

GEORGIVS, Neocæſarienſis epiſcopus, cùm de piſcoſo lacu, qui admodum fructuoſus erat, duo inter ſe contendentes fratres digladiarentur, multique iam in ea contentione homines eſſent interemti: fratrum ipſorum uoluntate iudex creatus, ad lacum, de quo erat contentio, cùm ambæ partes adeſſent, profectus eſt: & extenſis in orantis morem ad Deum manibus rogauit, ut eum lacum exiccaret, qui inter fratres tantarum contentionum materiam prębere't. Nõdum autem huius precationis uerba ex toto protulerat, cũ utraque inſpiciente parte, exiccatus lacus, & aquæ & liti ſimul finem impoſuit. Fulgoſus, & Egnatius libro octauo, capite ſecundo.

*Hæreditate.*

Cùm quidam de turba CHRISTVM rogaret, ut litem inter ſe & fratrem obortã hæreditatis cauſa dirimeret, Quis me conſtituit iudicem aut diuiſorem ſuper uos? reſpondit. Non quòd non poſſet, ſed quòd hoc officij genere uti nollet. Lucæ 12.

*Abſolutione, Condemnatione.*

Ptolemæus, cùm ad talos ſederet, & alea luderet, aſſiſtens quidam, condemnatorum ipſi nomina recitabat, & crimina in eos collata referebat, ut ille, Qui'nam mortis ſupplicium cõmeruiſſent, decerneret. BERENICE uerò uxor eius accepto libello è pueri manibus, non permiſit, ut ad finem uſq; legerentur: dicens, Non ſic obiter aduertendum eſſe, cũ de hominis ſalute diſceptatur: ſed diligenter cogitandum, & relinquẽda ludicra. Non enim ſimilem eſſe caſum talorum, & corporum. His auditis, delectatum Ptolemęũ ferunt, neq; poſtea unquam inter ludendum capitales cauſas audiuiſſe. Aelianus de Var. hiſt. lib. 14.

Apud M. POPILIVM Lænatem prætorem, quædã, quòd matrem percuſſam fuſte interemerat, cauſam dixit: de qua neutram



in partem latæ ſententiæ ſunt: quia abundè conſtabat, eandem ueneno necatorũ liberorum dolore cõmotã, quos auia filiæ infenſa ſuſtulerat, parricidiũ ultam parricidio eſſe: quorum alterum ultione, alterum abſolutione dignum iudicatum eſt. Val. Max. lib. 8. c. 1.

Materfamiliâs Smyrnæ uirum & filium interfecit, cùm ab iis optimæ indolis iuuenem, quem ex priore uiro enixa fuerat, occiſum eſſe comperiſſet. P. uel Cn. Dolabella Proconſul in Aſia, quia ut M. Popilius Lænas, neque liberare duabus cædibus contaminatã, neq; punire iuſto dolore impulſam facilè poſſet: hæſitans quid inter ultionem & ſcelus ſtatui oporteret: rem ad ſe delatam reiecit Athenas ad Areopagi cognitionem: quorum Senatorum æquitas, Deorum quoque iurgia dicitur terminaſſe. Sed Areopagitę quoq; non minùs ſapienter, quàm Dolabella manſuetè, inſpecta cauſa, & accuſatorem & ream in centum annos uadati ſunt: hac mora, & damnandi atq; abſoluendi dilatione, ablegantes à ſe, & ſequentibus iudicibus, extincta morte accuſatione, adimentes obſcurum ac difficile iudicium. P. Acrodius ex Valerio Maximo lib. 8. cap. 1. Aulo Gellio lib. 12. cap. 7. Ammiano Marcellino lib. 29.

A. GELLIVS Romæ à prætoribus in iudicem lectus, de cauſis priuatis in ambiguo caſu pronunciare noluit. Petebat quidam ſpectatæ fidei homo pecuniam datam numeratamq;: uerùm neque tabulas neque teſtes producere poterat. Alter, à quo petebatur, uir erat notæ improbitatis, qui debitum negabat, & apud iudicem priuatum de pecunia agi dicebat, non apud cenſorem de moribus. Hîc cùm nulla probatione allata cæteri abſoluendum eum, à quo petebatur, cenſerent: Gellius Phauorinum philoſophum amicum ſuum conſuluit. Is ex M. Catonis oratione ita moribus maiorum obſeruatum reſpondit, ut ſi quid inter duos actum eſt, neque tabulis neque teſtibus planum fieri poſſit: tum apud iudicem, qui de ea re cognoſceret, uter ex iis uir melior eſſet, quæreretur. Et ſi pares eſſent, tum illi unde petitur crederetur, ac ſecundùm eum iudicaretur. Gellius quamuis ei conſilio acquieſceret, tamen ne de moribus non de probationibus rei geſtæ condemnaſſe uideretur, iurauit ſibi non liquere, atq; ita iudicatu illo ſolutus eſt. Recenſet ipſemet libro 14. Noct. Att. cap. 2.

### PERSONIS. NEMPE DE

*Sacris hominibus, Pontificibus, Epiſcopis.*

CONSTANTINVS Magnus in Chalcedonenſi concilio libellos oblatos de mutuis epiſcoporum accuſationibus legere noluit: ſed intactum ſe Deo eorum iudicium reſeruare uelle, reſpondit. Idem ſi quid Epiſcopi in ſynodis pium & utile conſtituiſſent, id confirmauit, & infringi à præſidib. prouinciarum noluit: dicẽs, Sacerdotes Dei quouis iudice probatiores eſſe. Euſebius.

Sedit Carolus Magnus Gallorum rex in Barionæ baſilica, Leonis III. Pp. cauſam cogniturus, quem Campiſus & Paſchalis primicerius pulſatum in uincula coniecerant. Congerere duo illi multa in pontificem crimina, ad leuandã ſui ſceleris inuidiam. Placuit POPVLVM, qui circumfuſus ſtabat, rogare, quid de pontifice ſtatuendum cenſeret? Reclamatum eſt: nõ eſſe priuati cuiuſquam, de eo, qui ſacram teneret ſedem, iudicare: traditumque morem à maioribus, ut pontifex à nullo præterquam à ſeipſo iudicaretur. Qua uoce rex ſui officij admonitus, cauſam ampliauit, ac mox damnauit capite accuſatores. Sed Pontificis rogatu capitalis illis remiſſa eſt pœna, amboq; in Galliam relegati. Sabellicus libro 10. cap. 4. & Aemilius.

*Ducibus bellicis.*

EPAMINONDAS Thebanorũ dux interrogatus, Quẽ arbitraretur ducem præſtantiſſimum: ſeipſum'ne, an Chabriam, an Iphicratem? Id, inquit, iudicatu perdifficile eſt, donec uiuimus. Plutarchus in Græcorum Apophthegmatibus.

*Liberis aliorum.*

HERCVLES iudicium, contra Idæam reginam, Phinei regis Thraciæ uxorem ſecundam, quæ falſis accuſationib. duos priuignos, quaſi ſibi uim intuliſſent, eò redegerat, ut uiui à patre iuſſi fuerint defodi, ab Argonautis latum, ſuſpendit, & patri Scythæ, Scythię regi, delegauit. Ille eã morte condemnauit. Diod. lib. 4.

### CVR. SVSPENDERE IVDICIVM CAVSA

*Imperitiæ, Ignorantiæ: quia non liquet.*

*Exempla quædam præcedentia huc facere poſſunt.*

CONSTANTIVS Auguſtus Amphilochium tribunũ de inſidiis Imperatori factis accuſatum, cùm res nõn cõſtaret, diuino damnandum iudicio reliquit. Nec multo pòſt ruina ille in conſpectu Imperatoris obrutus eſt.

*Religioſæ pietatis.*

MOSES abbas in deſerto Scythi, cùm accerſeretur, ut ſententiam diceret in fratrem, qui peccauerat: uenit ſaccum arena plenum in tergo baiulans: & rogatus quid illud eſſet? Peccata ſua eſſe dixit, quæ uix ferre præualeret, nedum aliena iudicare poſſet. Quod præpoſiti monaſterij audientes, fratri pœnitenti ueniam indulgere, quàm pœnam infligere maluerunt, dum conſiderant, ne ſe quidem ſine peccato eſſe. Marulus lib. 5. c. 1.

Eiuſdem loci presbyter PASTOR, monacho, qui ſe de cœnobio diſceſſurum dixerat, quòd ſe cum fratre manere, de quo malè audiſſet, pigeret: Ne facilè malum credideris, inquit, quod audiſti. Cumque ille id ſibi à uiro fideli relatum aſſeueraret, reſpondit: Si fidelis eſſet, non tibi dixiſſet. Poſtremò propoſuit ei trabem & feſtucam ex Euangelio, ut ſemper aliena peccata feſtucam putaret, ſua trabem: ſe priùs condemnans, quàm alios iudicans. Quo tandem conſilio ipſe uſus, ibidem habitauit, unde recedere decreuerat: malè de altero obloquentibus credere deſtitit, malè agentes ſibi præferre cœpit, & ſi quis etiam manifeſtò deliquerat, non iam ei iudicandi occaſionem, ſed magis humiliandi præbebat. Ibidem.

D. IOANNES epiſcopus, illos etiam, qui publicè peccauerant, abſentes carpi prohibuit. Fieri enim poſſe, ut peccatum pœnitendo diluerint, & iniquum eſſe id ab homine petulanter exprobrari, quod à Deo clementer eſſet condonatum. Itaque domeſticos ſuos grauiter increpuit, cùm quendam uirginis raptorem morte dignũ dixiſſent. Et qui ſcitis, inquit, ſi ille iam peccare deſtitit, cùm uos fortaſſe nõ ceſſetis? Ibidem.

Beatus FRANCISCVS, cùm pauperculo quodam ſibi obuiã facto nuditatem eius dolens identidem ingemiſceret: & frater, quo cũ unà iter agebat, dixiſſet: Pater etſi ille rebus pauper eſt, fortaſſe rerum concupiſcentia diues eſt: continuò ipſum tunicam ſuam exuere, & pauperem operire iuſſit: ut quem lingua læſerat, ei beneficio ſatisfaceret. Ibidem.

*Accuſationis deficientis.*

P. SCIPIO Africanus poſterior, centurias recognoſcens equitum, poſtquam C. Licinium Sacerdotem citatum proceſſiſſe animaduertit: dixit, Illum ſe ſcire uerbis cõceptis peieraſſe: proinde ſi quis eum accuſare uellet, uſurũ teſtimonio ſuo. Sed nullo ad id negotium accedẽte, Traduc equum, inquit, Sacerdos, ac lucrifac cenſoriam notam, ne ego in tua perſona & accuſatoris, & teſtis, & cenſoris, & iudicis partes egiſſe uidear. Val. lib. 4. c. 1.

*Venerationis.*

*Vide Præcedentia, de Sacris hominibus.*

# LIBRI QVINTI TITVLORVM DISPOSITIO



- **Vitivm** in exceſſu, **Astvtiam** & Calliditatem uocant. quæ partim in inueniendo, partim in iudicando, ſpectatur. Cæterùm ut Stultitia in Iudicando, ſic Calliditas in Inueniendo potiſsimùm ſeſe exerit. Eſto igitur Calliditas alia
  - Εὑρετικὴ, cum Iniuſtitia perpetuo iuncta. Aſtus præſentis eſt loci: Iniuſtitia alterius. Aſtutiam autem cùm ex uitæ Practicæ genere in Oeconomicam, Politicã atq; Bellicã diſtinguere licuerit, & quãlibet rurſus in certos Titulos diuidere, quemadmodum in Prudentia fecimus: tamẽ uel uarietatis, uel etiam neceſsitatis cauſa (quando non omnibus Titulis ſua in promtu exempla forẽt) ex Subiecto ſiue Obiecto exemplorũ claſſes diuidantur. Perpendendæ igitur tum
    - Perſonæ. Astvtia conſiderata reſpectu Perſonarũ erga quas exercetur. Puta erga
      - Tyrannos.
      - Amaſios, Amaſias:
        - Concilando, Inſinuando.
        - Potiundo ijs uel
          - Inuitis.
          - Volentibus.
        - Occultando.
      - Diſcipulos.
      - Colluſores.
      - Caupones.
      - Mendicos.
      - Hoſtes.
        - Opprimendo.
        - Eludendo.
        - Terrendo.
      - Inſidiatores.
      - Defectores, Proditores.
    - Res iũ
      - Per ſe, ut ſunt aliquid. Astvtia conſiderata reſpectu Rerum circa quas occupatur. Puta circa
        - Religionem:
          - Aliorum religionem oppugnare, euertere.
          - Suam propagare.
        - Leges.
          - Sanciendo.
          - Interpretando.
        - Vota.
        - Liberos, aſtutè acquirẽdo, cùm aliàs, tum ſuppoſitione. Liberi ſuppoſititij.
        - Coniugium.
          - Contrahendo.
          - Diſſoluendo.
        - Contractus. Huc Dolus in
          - Emptione, Venditione.
          - Depoſito.
          - Locata opera.
          - Aere alieno.
          - Debito, Credito, Mercede, Stipendio.
          - Teſtamentis.
          - Fœdere, Induciis, Pactis, contrahendis, interpretandis, ſeruandis.
        - Hæreditatem.
        - Perſona, Familiam, Genus, Natales ementitos.
        - Theſauros.
          - Condendo.
          - Expilando.
      - Reſpectu hominum, quibus aſtutè accommodantur, ut illis commodent uel incommodent. Vide ſignum I.
  - Κριτικὴ, quæ aliorum conſilia, dicta, facta, acutè atque callidè iudicat & interpretatur. Quæ cùm ita ſe habeat erga Calliditatem εὑρετικὴν, uti prudens iudicium erga prudentem Inuentionem: non pauca exẽmpla utrique loco, diuerſo tamen reſpectu, inſeruiẽt, quandoquidem callidi iudices callidum iudicandi conſilium præſupponũt. Calliditatem ergo in iudicando ſtatuamus aliam
    - Actiuam. Callidi iudices.
    - Paſsiuam. Qui conſiliis fraudulentis paruêre.

I. Hominib⁹ autem commodãt uel incommodant tripliciter. Partim quo ad

- Animũ. Astvtia enim alia uidetur pertinere ad Animi
  - Habitvs, Bonos impediendo, Malos promouendo. In
    - Genere. Virtutem aſtutè
      - Promouere.
      - Impedire.
    - Specie:
      - Caſtitati inſidiari.
      - Prodigos reddere.
  - Affectiones.
  - Effectiones. Aſtutè
    - Explorare.
    - Occultare, Cælare ſua conſilia, dicta, facta. V. G.
      - Inſtitutum ſuum. Odium.
      - Magiam. Adulterium.
      - Tyrannidem. Perfidiam.
      - Sepulcrum. Theſauros.
    - Vlciſci. Vltio aſtuta ratione habita
      - Offenſæ quam ulciſcitur, Vltio
        - Cædis. Stupri.
        - Repulſæ amatoriæ.
        - Damnationis.
      - Modi, quo ulciſcitur. Puta
        - Conſilio malo.
        - Commiſeratione. Cæde.
        - Adulterio, Stupro.
    - Accuſare, Reprehendere, Calumniari
      - Quid:
        - Verbum inſolens. Hæreſin.
        - Tyrannidem. Inſidias. Stuprum.
        - Furtum. Veneficium.
      - Quomodo:
        - Literarum
          - Imitatione. Literis fictis.
          - Subiectione.
        - Scripti, Styli imitatione. Chirographo falſo.
        - Confeſsione culpæ. Teſtimonio falſo.
        - Laudatione ſimulata. Imaginibus.
      - Quando.
    - Defendere, Excuſare:
      - Quid. Vt
        - Adulterium.
        - Latrocinium. Hæreſin.
        - Bellum iniuſtum.
      - Quomodo:
        - Negatione.
        - Teſtimonio falſo.
        - Ioco.
- Corpus. Astvtia in Corporis bonis maliſue promouẽdis aut impediẽdis. Huc pertinet, Aſtutè
  - Vitae
    - Suæ conſulere, conſeruare:
      - Adulatione. Hæredis nuncupatione.
      - Pietatis ſimulatione.
      - Literis adulterinis.
    - Aliorum inſidiari, ratione
      - Loci, Temporis. In
        - Conuiuio. Balneo.
        - Cubiculo, Somno. Foro, Iudicio.
        - Venatione. Expeditione.
      - Modi. Nempe
        - Simulatione, Spe
          - Colloquij. Societatis.
          - Reconciliationis. Honoris.
          - Adorationis. Coniugij.
          - Stupri. Libertatis.
          - Ludi. Permutationis armorum.
        - Fœdere, Pacto, Promiſſo.
        - Religionis obiectu.
        - Sortitione.
        - Perſona diſsimulata.
        - Accuſatione falſa, Criminis falſo obiectu, Suſpicione mendaci.
        - Confeſsione falſi criminis.
        - Singulari certamine.
      - Perſonarum. Tollere per
        - Filias.
        - Amicos, Familiares.
        - Hoſtes. Hoſtibus obijciendo.
      - Inſtrumenta. Puta
        - Igne. Aqua.
        - Venere. Arca.
        - Lignea cathedra.
        - Belluis. Statuis.
  - Excæcare.
  - Mutilationem effugere.
- Fortunas. Vide in ſequentibus ſignum II.

- II. ASTVTIA uerſatur in bonis maliſq; fortuitis promouẽdis impediendiſue tum in
  - Genere. Felicitatem aliorum impedire.
  - Specie, in
    - Diuitiis. Vide ſignum III.
    - Amicitia contrahenda, fouenda, conſeruãda, tum
      - Politica,
        - Quorũ. Puta
          - Principum. Sociorum.
          - Subditorum.
        - Quomodo:
          - Libidine, Lenocinio. Largitione.
          - Blanditia. Patientia. Immunitate.
          - Abolitione tabularum. Impunitate.
      - Oeconomica. Puta
        - Coniugum.
        - Liberorum.
    - Inimicitia aſtutè
      - Contrahenda, fouenda. Tum
        - Qua, Quali. Impellere ad
          - Defectionem, Rebellionem.
          - Deſertionem. Seditionem.
        - Quomodo:
          - Honorum delatione. Hæreditate.
          - Oraculis falſis. Mendacio. Calumnia.
      - Tollenda. RECONCILIATIO aſtuta.
    - Auctoritate, Exiſtimatione: quatenus
      - Suam ſuorúmue aſtutè
        - Comparat. AVCTORITATEM, Exiſtimationem comparare tum
          - Diuinitatis.
          - Eruditionis. Potentiæ.
          - Rerum geſtarum.
          - Operum quorumcunq;.
          - Natalium, Familiæ, Generis.
        - Conſeruat. AVCTORITATEM aſſerere, conſeruare.
      - Aliorum labefactat. AVCTORITATI & exiſtimationi aliorum aſtutè obſiſtere, officere.
    - Infamia: quam
      - Effugit. INFAMIAM aſtutè effugere, declinare,
        - Cuius. Puta
          - Impudicitiæ.
          - Crudelitatis. Tyrannidis.
          - Illegitimorum natalium.
          - Ignobilitatis.
        - Qualem. Puta
          - Famæ, Obtrectationis.
          - Sepulcri.
      - Irrogat aliis. INFAMES reddere alios aſtutè. Calumniatores aſtuti.
    - Potentia. POTENTIAM
      - Suam ſtabilire.
      - Alienam minuere, infringere.
    - Magiſtratu, Dignitate, Regno, Imperio, Tyrãnide. MAGISTRATVM quemcunq;, ſacrum, profanúmue, ſibi aliiſue aſtutè
      - Comparare, Inuadere, Recuperare: eorum ſcilicet qui
        - Imperant, depulſione, deiectione, excluſione per
          - Cædem. Mutilationem.
          - Calumniam. Educationem uitioſam.
          - Oracula ementita. Nuptiarum ſpem.
          - Literas adulterinas. Nunciũ falſum.
        - Imperiũ dare uel adimere & impedire poſſunt,
          - Conciliatione, facta
            - Sapientiæ ſtudio. Prodigalitate.
            - Blanditia. Adulatione.
            - Iuſtitiæ ſimulatione.
            - Roboris oſtentatione.
            - Reconciliatione. Inſectatione.
            - Nobilitate ementita. Suffragiis.
            - Sortitione fraudulenta.
          - Oppreſſione, coactione, retardatione. Quod fit
            - Cæde. Potentia. Minis. Excluſione.
            - Diſtractione, Inimicitiis mutuis.
            - Armorum ademtione.
            - Arcium extructione, occupatione.
            - Diſſimulatione cupiditatis imperij.
            - Blanditiis. Reconciliatione ſimulata.
            - Religione.
      - Cõſeruare, Confirmare, Ampliare:
        - Cæde aduerſariorum. Depreſſione maiorum, nobilium, ingenuorum.
        - Ablegatione ſuſpectorum. Diſſociatione.
        - Conuerſatione interdicta. Metu hoſtili. Arcibus.
        - Religione. Blanditia. Coniugio. Prole ſuppoſititia.
        - Conciliatione inimicorum. Inopia. Mortis diſſimulatione.
    - Victoria. VICTORIAM aſtutè parare, conſeruare, ampliare.
    - Libertate uel
      - Sua
        - Cõparanda. LIBERTATEM aſtutè cõparare, uel recuperare: Seruitutem præſentem depellere. Per dolum
          - E carceribus elabi.
          - Ab exilio redire.
          - Obſides recipere.
          - Tyrannidem excutere.
        - Conſeruanda. SERVITVTEM imminentẽ aſtutè declinare, Libertatem conſeruare, tum
          - Captiuitatis.
          - Condemnationis, Iudicij.
          - Militiæ.
      - Aliena impugnanda. LIBERTATI aliorum aſtutè inſidiari, tũ
        - Capiẽdo, in carcerẽ cõijciendo.
        - In exilium eijciendo.

III. In



- III. In Diuitiis occupatur
  - Suis ſuorúmue
    - Mobilibꝰ, nempe Pecuniis
      - Comparandis. PECVNIAS aſtutè comparare uel
        - Tributo.
        - Multa, Exactione.
        - Rapina.
        - Lytro.
        - Muneribus.
        - Mercimoniis, Emtione & Venditione: Nundinationibus tam ſacris quàm profanis.
        - Artium occultarum uenditatione, oſtentatione.
        - Stipe. Mendici aſtuti.
        - Mutuo, Depoſito, Fideicommiſſo.
        - Monetæ adulterio.
        - Gemmarum adulterio.
        - Adulterio literarum.
        - Præda ab hoſtibus, aut Rapina à ſuis.
        - Furto. Fures uel Piratæ aſtuti.
        - Sacrilegio.
        - Partu ſimulato.
      - Conſeruandis. PECVNIAS aſtutè conſeruare.
    - Immobilibus. AGROS, Prædia, Ciuitates, Regiones, Arces, aſtutè
      - Comparare, Acquirere. Ratione habita
        - Modi:
          - Sortitione doloſa.
          - Pacto fraudulento.
          - Iudicio iniquo.
          - Amicitiæ ſimulatione.
          - Pacis ſimulatione.
          - Auxilij ſimulatione.
          - Venationis ſimulatione.
          - Legationis ſimulatione.
          - Abitus ſimulatione.
          - Proditione.
          - Excluſione.
          - Diſtractione.
        - Temporis:
          - Die feſto.
          - Noctu.
          - In Nuptijs.
      - Recuperare amiſſa.
      - Conſeruare.
  - Alienis affligendis, perdendis, peſſundandis. DIVITIIS & opibus aliorum aſtutè incommodare

# Voluminis Septimi Liber V.

## De Calliditate & Astutia in Inueniẽdo ſimul & Iudicando.

PRVDENTIAM ſequitur Vitium in exceſſu, eò periculoſius, quò Prudentiæ ſimilius exiſtit. An uerò poteſt quis nimium prudens eſſe? Poteſt certè, ſi iuſtitiæ limites egrediatur. Iuſtitia enim ea eſt, quæ ueram Prudentiam à ſimulata Prudẽtia, ſeu potius à Calliditate ſeparat. Quare ratio eadẽ eſt generatim in Prudente & in Callido: ſpecie differt, quòd ille iuſtitiæ terminos obſeruat, rectaq; ratione,

*ratione, quæ honeſtatem ſolam ſpectat, nititur: hic uerò peruerſa ratione inductus, lucrum, uoluptatem, honores, honeſtati præponit. Peruerſio autem iſta rationis non defectum arguit, ſed exceſſum: quoniam in illis ingenij ſui acumen excercet, quæ extra ueræ prudentiæ limites poſita ſunt, uidelicet extra honeſtatem. Ut enim uirtutes duæ ſunt omnium communiſſimæ, Prudentia & Juſtitia: ita quoq; mutuas operas ſibiinuicem tradunt, ut unam abſq; alia reperire non liceat: id quod Ariſtot. circa finem ſexti Ethicorum manifeſtè declarat. Porrò uitium hoc Calliditatem Latini nominant, Græcorum imitatione, qui* θερμὸν πρᾶγμα, *callidè factum dicunt. Caloris eſt, omnes actiones corporis humani promouere: atq; etiam, ſi uehementior fuerit, præcipitare. Hoc in calida cerebri temperatura uidere eſt, quæ teſte Philoſopho in ſecundo Rhetor. ingenia* εὐφυῆ *parit, hoc eſt, acuta & ſubtilia: & ſi magis intendatur, in* προπετῆ καὶ μανικὰ *degenerare facit. Prudentes ferè* στάσιμα *habent ingenia, aut* εὐφυῆ*: at Callidi,* μανικά, *quoniam conſilia ſua propter nimium calorem ſic præcipitant, ut iuſtitiæ limites egrediantur. Sed & à falſò Fallacia dicitur, ſuóque ambitu Mendacium comprehendit, quatenus mentiendo alios decipit. Quod ipſum propter ueritatis defectum ad locum Veritatis referendum eſt. Et ſanè pleraq; Mendacij exempla ad Calliditatem, & uiciſſim Calliditatis ad Mendacium referri poſſunt atq; debent, diuerſo reſpectu. Idem iudicium eſto de Suſpicione (quemadmodum in Stultitiæ proœmio oſtendemus) idem de Calumnia, Obtrectatione, Delatione, quatenus his ipſis alios circumuenire ſtudent callidè. Jam uerò hoc idem uitium Aſtutiam & Aſtum* ἀπὸ τοῦ ἄστεος *appellant, cùm apud urbanos ueteratores potiùs quã apud ſimplices agricolas reperiatur. Dolũ Græci ſimul & Latini nuncupant: illi tamen magis generali ſignificatione.* Δόλον *enim* ἀπὸ τοῦ δέλεαρ *ſeu* δελεάζειν, *ab ineſcando, dici opinantur: eumq; duplicem faciunt, alterum cum iuſtitia (qui* ἀγαθὸς δόλος *dicitur: quandoquidem, ſi prouerbio credimus,* ἀπάτης ἀγαθῆς οὐδὲ θεὸς ἀποστατεῖ. *Hoc doli genere Ulyſſem extollit Hom. & in omni bellica actione nõ referre inquit,* ἢ δόλῳ ἠὲ βίηφι, *armis an ſtratagemate uincantur hoſtes) alterum abſq; iuſtitia, quem Latini propriè Fraudem appellaſſe uidentur, & fortaſſe etiam Dolum* κατ᾽ ἐξοχήν. *Homerus* κακοὺς δόλους *frequenter appellat. Dolus bonus præſentis non eſt inſtituti, ſed malus, quo alij iniuſtè quocunq; genere fraudis circumueniuntur. Hunc in contractibus C. Aquilius, rogante Cicerone, eſſe definiuit, cùm aliud eſſet actum, aliud ſimulatum. Conſtet igitur Calliditatem, Aſtum, Fraudem, Dolum malum, Fallaciam, Fraudulentiam, ſeu quocunque tandem nomine appelletur, Prudentiæ exceſſum eſſe: eò deteriorem, quò longiùs à iuſtitia recedit. Jn exemplis acribologiam obſeruare difficile eſt. Nam propter perſonarum, loci, temporis uarietatem, actiones ſæpenumerò uſqueadeò perplexæ dantur, ut quam prudentiam alij ſtatuunt, alij calliditatem eſſe interpretentur. Proinde nemini mirum uideatur, ſub Prudentiæ loco, Calliditatis interdum exempla deſcripta fuiſſe.*

ASTV-



# ASTVTIA CONSIDERATA RESPECTV PERSONARVM ERGA QVAS. ERGA

## TYRANNOS.

*Exempla pete ex Tit. Tyrannicidarum. quatenus aſtutè cæduntur.*

## AMASIOS, AMASIAS,

### CONCILIANDO, INSINVANDO.

In amore conciliando magica deliria recenſet Vierus lib. 4. c. 8. de Præſtig. dæm.

Atalantam HIPPOMENES curſu ſuperauit, ſed arte, proiectis inter currendum malis aureis: in quibus ſublegendis dũ puella ſubinde remoratur, præceſſit ac uicit iuuenis, & ex pacto uictor illius nuptiis potitus eſt. Conſule Metamorphoſin Ouidij.

Oenomao narrant Piſæ regi filium fuiſſe, LEVCIPPVM nomine, qui puellæ amore captus, cùm eam ſi uxorem ſibi palàm peteret, operam ſe luſurum pro certo haberet, quòd illa omnino à marium conſuetudine abhorrebat: ad eam fallendam huiuſmodi excogitaſſe aſtum dicitur. Alebat adoleſcens Alpheo amni comam. Eam ille cũ quo uirgines more ſolent religaſſet, cũ muliebri ueſte ad Daphnen uenit, filiam ſe Oenomai ſimulans, quæ ſocia uenationis eſſe cuperet. Cùm itaque uirgo eſſe ex corporis habitu facilè crederetur, anteiret uerò cæteras comites generis dignitate, ac uenandi peritia, & in primis obſequentem ſe illis maximè præberet, miro ſibi Daphnen amore deuinxit. At qui de Apollinis amore fabulam uulgarunt, hoc ampliùs addunt. Apollinẽ grauiter ferentem Leucippi in amore felicitatem, effeciſſe, ut Daphne cum ſuo comitatu uirginum natãdi cauſa in Ladonem amnem deſcendens, ipſum etiam Leucippum recuſantem & inuitum illuc pertraheret. Ac mox ueſte detracta, cũ uirginis ementitum habitum deprehendiſſent, impetu facto, ipſę Daphnes comites illum iaculis & pugiunculis trãſfixum interemerint. Pauſanias in Arcadicis.

Cteſylla Iulide Cei inſulæ urbe nata fuit, filia Alcidamantis. Hanc cũ HERMOCHARES Athenienſis choream agere uidiſſet Pythiis ad aram Apollinis Carthææ (urbs ea eſt inſulæ eiuſdem) amore eius eſt correptus. Itaq; in malum inſcripſit iuramentum, quo per Dianam iuraret uirgo, ſe Hermochari Athenienſi nupturam. Id malum abiecit in fanũ Dianæ, ſublatumq; id Cteſylla legit, lectoq; iuramento, præ pudore abiecit, neq; æquiore tulit animo, quàm Cydippe ab Acontio decepta. Cæterùm Hermochari petenti nuptias pactus eſt Alcidamas, laurumque tangens Apollinem iurauit. Exacto autem Pythiorum tempore, oblitus iuramenti, filiã alteri deſpondit. Cùm autem Cteſylla rem ſacram faceret in fano Dianæ, repulſæ impatiens Hermochares eodem irrupit. Cteſylla cum nutrice compoſita, noctu clam patre Athenas nauigauit, nuptiæq; cum Hermochare ſunt perfectæ. In partu autem Cteſylla deceſſit, propter patris periurium. Cuius cadauer, cùm ad ſepulturã efferretur, columba è ſandapila euolauit, corpusq; mortuæ nuſquam apparuit. Conſulenti porrò oraculũ Hermochari, reſpõdit deus, Vt apud Iulitas templũ poneret, ſacrũ Veneri Cteſyllæ. Ceis etiã oraculum datum eſt: hiq; etiamnũ Veneri ſacrificãt, Creſyllam eã appellantes, alij Cteſyllam Hecaergã. Antoninus Liberalis ex Transfor. Nicandri lib. 3.

### POTIVNDO

*Inuitis.*

IONADABVS Semaæ fratris Dauidis regis F. Amnoni Dauidis F. qui efflictim Thamarem ſororem ſuam deperibat, conſilium dedit, uti morbum ſimularet, & à patre impetraret, Thamarem edulij parandi cauſa ad ſe mitti. Sic enim facilè ea potiturum. 2. Regum 13.

Apud Ilienſes in terra Troiana mos erat patrius, ut quæ uirgines eo anno nupturæ eſſent, hæ ad Scamandrum fluuium accederent, ibique lotæ, hæc uerba ueluti ſacra, ſolennia atque legitima pronunciarent, Cape ô Scamander meam tu uirginitatem. Ergo inter alias quædam uirgo, nomine Callirrhoë, illuſtri orta familia, ad fluuium uenerat lauandi cauſa. Sed interea CIMON, qui Callirrhoës pudicitiæ iamdudum inſidiabatur, ſe, clàm aliis omnibus, in frutice Scamandri occultauerat, caput arundinibus redimitus, ut fuco facto, deus eſſe uideretur. Itaq; cùm ex more, Callirrhoë uerba illa recitaſſet, hoc ornatu proſiliens è fruticibus Cimon, reſpondiſſe dicitur, En Scamander, accipio lubens, tibi Callirrhoë carus atq; amantiſſimus: eoq; dicto, puellam rapuiſſe & occultaſſe. Verùm quatriduò pòſt detegitur ſcelus. Nã cùm Veneris pompa duceretur, atq; recèns factæ mulieres, huic, pro inſtituto, intereſſent: Callirrhoë cũ nutrice ambulans, Cimonem itidem cùm aliis ſpectantem forte cùm uidiſſet, honorem ei, ut deo præbuit: nulliusque mali ſibi conſcia, Ecce, nutrix (inquit) hic Scamander, cui meam uirginitatem dono dedi. Nutrix itaque exclamauit. Hac ratione diuulgato facinore, cùm turba acceſſiſſet, ut Cimonem apprehenderet, is fuga ſupplicium eluſit. P. Aerodius, ex Aeſchine in epiſtolis.

VALENTINIANVS III. Imp. uxorem Petronij Maximi perditè deperibat. erat autem Maximus ſenator, idemq; Patricius, nepos illius Maximi, quem Theodoſius Magnus Gratiani ulciſcendi cauſa ſuſtulerat. Hanc igitur forma excellentem cũ miſerè amare cepiſſet, blanditiis primùm ad ſui obſequium allicere nixus eſt: ubi uerò pectus ejus munitũ pudicitia reperit, ad artem ſe contulit: quippe Maximum ad ſe accerſiuit, & de induſtria ludere cùm eo talis inſtituit, certoque auro propoſito, anulo ejus ludi uictor potitus eſt: quem ſtatim Maximi nomine clàm ad illius coniugem miſit, eamq; iuſſu mariti, ſigno accepto, properare in Palatium ad ſalutandam Eudoxiam Auguſtam præcepit. Mulier, anulò mariti conſpecto, nulla de re ſuſpicans adiit, ac ſtatim in gynæceum à paratis ad id mulieribus deducta eſt. Neq; ita multò poſt Valentinianus, Maximo relicto, libidine ardens, acceſſit, atque amorem teſtatus, caſtiſſimæ mulieri ſtuprum nefarium intulit. Dimiſſa inde mulier, ut iniuriam uiolatæ pudicitiæ uindicaret, uiro rem prodidit, ipſumq;, ut qui tanto probro occaſionem aperuiſſet, propè deteſtabunda increpuit: ac mox rei indignitate per ſe ſatis accẽſum, quibuſdam quaſi furiarum facibus ad tantam perſequendam contumeliam incitauit. Maximus inde, cùm ſe Valentiniano uitam eripere ſine certo periculo non poſſe, uiuente Aetio duce fortiſs. animaduerteret, ipſum antè de medio ſibi tollendum exiſtimauit. Itaq; rem aggreſſus, eunuchos regij corporis cuſtodes, ſpe præmiisq; corruptos, induxit, ut Valentiniano perſuaderent, Aetium rebus geſtis inflatum nouas res in Gallia meditari. Quod cùm princeps credidiſſet, continuò cogitare de illius delendi ratione inſtituit. Cùm autem in hanc curam animum intendiſſet, fortè ex amico quodam quæſiuit, Num Aetij mortem utilem fore reip. iudicaret? Cui ille, Minimè uerò, inquit: immò ſi illum ſuſtuleris, tu tibi dextrã manu altera deſecabis. Qua uoce haudquaquã deterritus, Aetium Romam acciuit, & ſatellitibus in Palatio collocatis, ubi acceſſit, per eos incautum unà cum Boetio amico fœdiſſimè trucidauit. Maximus inde Oſtilam & Tranſilam, fidos quõdam Aetij ſatellites, indignitate domini necis iniecta, ac muneribus & pecunia in præmium periculi oſtentata, impulit, ut Valentiniano Imperatori ingratiſſimo, parũ ab eis caùenti, manus afferrent. Illi hominem inermem, in campo Martio pro tribunali concionantẽ nacti, circumſteterunt, & per Ocillam Aetij bucellarium ex aduerſo uenientem gladio confoderunt, ac uita exuerũt. In eo tumultu Heraclius eunuchus cécidit, cùm pro domini ſalute ſuũ caput offerret, fidemque in extremo etiã caſu præſtare contenderet. Tota inde non ſolùm regia, ſed etiam urbe tanti facinoris magnitudine conſternata, nemo extitit, qui ſe Maximi conatibus aduerſarium exhibuerit. Sigonius libro decimotertio Imp. occid.

OTHINVS magus, cùm Baldetum F. Danorum regem, ab Hothero Suecorum rege cæſum cognouiſſet, diuinos & aruſpices, ad mortem filij perſequendam, ſolicitauit. Roſtiophus Phinnicus, alium ex Rinda Ruthenorum regis filia ſuſcitandum prædixit, qui fraternæ cladis pœnas exigeret. Othinus ergo diſſimulato habitu Ruthenorum regem accedit. A quo magiſter militum effectus, pulcerrimam ex hoſtibus uictoriam retulit. Quem rex, ob pugnam ſtrenuè editam, inter primos habuit. Non multo pòſt, ſolus hoſtium acies in fugam uertit, mirificæq; cladis idem auctor ac nuncius fuit. Hac ratione regi inſinuatus, eundẽ amoris ſui conſcium facit. Sed dum à puella oſculũ peteret, alapam recepit. Poſtero anno aurifabri Roſteri nomine & ueſte ſumta, regis cõtubernium repetit, mundum muliebrẽ inſignẽ explicat, armillã anuloſq; cõplures puellæ præbet. Eum Rinda baſium ſibi porrigere cupientem, colapho percuſſit. Ad tertiũ dolũ conuerſus, iuuenili habitu aſſumto, inter expeditiſſimos obequitare, & uariis curſuum ludicris puellæ animum ſibi conciliare tentabat. Inde cùm diſceſſurus oſculo petere uellet, ita ab ea repulſus eſt, ut mentum terræ nutabundus impingeret. Quam protinus cortice carminibus adnotato contingens, lymphanti ſimilem reddidit, receptam toties iniuriam modeſto ultionis genere inſequutus. Tandem muliebri ueſte ſumta, Vvecham ſe medendi peritam profitebatur: adeoque in reginæ famulitium adſcitus, puellæ pediſſequam egit, eiuſdemque pedes ueſpere abluere ſolebat.

Com-

Commodùm interea graui morbo puella corripitur, medicæq; artem implorat. Is ſupremo remedio utendum eſſe docet, ſed cuius uim niſi uinculis conſtricta perferre nequeat. Pater filiam uinctam ad omnia medicæ præcepta patientiã præſtare iuſſit. Ergo mutato curationis officio, pro medico maritum egit. Aiunt alij, cùm rex laborantem amore medicum tanto animi ac corporis impendio nihil profeciſſe cognoſceret, ne bene meritum debita mercede fraudaret, clandeſtino filiæ concubitu potiri permiſiſſe. Inde natus eſt Bous, qui Hotherum tandem acie uictum occidit. Saxo libro tertio.

*Volentibus.*

SMYRNA filia Theiantis, Beli F. & Orithyiæ nymphæ, diro amore patrem deperibat. Quem cùm pre uerecundia aliquãdiu diſſimulaſſet, uicta tandem, Hippolytæ nutrici remaperit. Hæc pollicita remedium ſe malo inuenturam Theianti ſignificat, puellam eſſe parentum fortunatorũ filiam, quæ in ipſius cubile clanculum uenire cupiat. Theias approbata re, domi ſuæ in lectum ſe in tennbris cõpoſuit. Nutrix Smyrnam ueſte occultatam ei adduxit. Is cũ ea rem habuit, donec uterum ferre cœpit. Cùm uerò Theiantem cupido inceſſiſſet cognoſcendi puellam, quæ'nam eſſet: in domo ignem abſcondit, & ueniente ad eum Smyrna ſubitò igne allato eam agnouit. Quæ abortum cùm feciſſet, & ſublatis manibus optaſſet, ut neque uiuis, neque mortuis intereſſe ſibi daretur, in arborem cognominem à Ioue conuerſa eſt: Theias autem ſibiipſi manus intulit. Antoninus Liberalis in Metamorph. & Natalis Comes Mythol. lib. 5. c. 16.

MATER Periandri Corinthij, filij amore capta, cum ualdè iuuenem adhuc allocuta fertur: eſſe feminam quãdam formoſam planè, quę eum immodicè amet: ſuadere ſe ne illam deſpiceret. Periander, ſi non eſſet coniuncta uiro, facturum recepit. Poſtquam nox ſtatuta ueniſſet, admonuit ipſum, ne lumen ad thalamum inferret, neq; cogeret eam ad colloquiũ, atq; id illius pudori condonaret. Qui cùm omnia ſe facturum pollicitus eſſet, pulcerrimè ornata, ad filium ingreditur: ac priùs quam aurora illuceſceret, clàm rurſus exit. Idq; multoties repetiit, donec etiam Periandum libido eam cognoſcendi inceſſeret. Quod cùm à matre impetrare nõ poſſet, ipſe aliquem ex miniſtris lumẽ in cubiculo occulere iuſſit: illudq;, cùm ea pro conſuetudine accederet, producens, matrem eſſe agnouit. Ex quo tempore mente perculſus inſaniuit, in crudelitatemque incidit. Mater ſeipſam interemit. Parthenius de Amat. c. 16.

P. CLODIVS fuit nobili genere ortus, diuitiis & facundia præcellens, ſed inſolentia & audacia nulli improbiſſimorum ſecundus. Hic uxorem Cæſaris Pompeiam amabat, neque inuitam. Verùm mulierem Cæſar acri ſepſerat cuſtodia, eiusque mater Aurelia, femina honeſta, perpetuò lateri adhærens Pompeiæ, arduum & periculoſum eis congreſſum efficiebat. Eſt apud Romanos dea, quam Bonam dicunt, ſicut Græci Muliebrem. Hanc Phryges ſibi aſſerentes peculiarem, Midæ regis autumant matrem eſſe, Romani nympham Dryada Fauno nuptam, Græci Liberi patris eam matrem, quam nefandum eſt nominare: unde pampinis tentoria feſtum diem agitantes mulieres contegunt, ac ſacer draco ex fabula ad pedes deæ iacet. Eò uirum fas non eſt accedere, neq; dum ſacra aguntur, in domo, ubi aguntur, eſſe. Solę feminę multa Orphicis germana memorantur in ſolenni peragere. Vbi feſtus dies inſtat, celebratur in ædibus conſulis uel prætoris: ipſe autem domo omnesque uiri cedunt. Vxor ſola domum parat, peragiturq; ferè nocte, per luſum peruigilio commiſtum, inter magnum concentum. Hunc feſtum diem id temporis agitante Pompeia, Clodius imberbis etiamnum, ideoq; fallere ſe exiſtimans poſſe cæteras, ueſtitu & cultu ſumto pſaltriæ, acceſſit eò, iuuenculam facie referens. Cùm fores offendiſſet patefactas, ab ancilla conſcia eſt citra impedimentum introductus. Dum autem illa properat, ut id Pompeiæ nunciet, mora interueniente, operiri ubi relictus erat non ſuſtinenti Clodio, laxisque in ædibus erranti, lumenque declinanti, occurrit pediſſequa Aureliæ, atque, ut femina feminam, prouocat ad luſum. Detrectantem in medium rapit: quæ ſit & unde, percunctatur. Cùm reſpondiſſet Clodius, Auram expectare ſe Pompeiæ ancillam (nam id nominis ei erat) uoce eſt detectus. Ibi repentè pediſſequa proſilit cum clamore ad lumen & cœtum, uirũ uociferans ſe deprehendiſſe. Obſtupefactis mulieribus, ſacra deæ Aurelia inhibet & obuelat. Mox iuſſo obſerari fores, ad faces domum luſtrat, Clodium quærens. Refugerat ille in ancillæ tabernaculum illius, cum qua congreſſus fuerat, atq; ibi deprehenditur. Cognitus à mulieribus, exigitur foras. Plut. in Cæſare.

DECIVS Mundus, antiquę nobilitatis adoleſcẽs, cũ Paulinæ matronæ honeſtiſſimæ atq; pudiciſſimæ, quã uxorẽ duxerat Saturninus, miſero amore caperetur: ac nihilum ſuis pollicitationibus, cæterisq; aliis amatoriis artibus, in adeò rara feminę caſtitate proficeret: de ſalute ſua deſperabat. At anus liberta (quam Idem appellabant) nimium de patroni ſui filio ſollicita, cùm certò ſciret, nunquam pecunia Paulinã expugnari poſſe: eandem autẽ præ cæteris diis omnibus Iiſdem colere, neq; alia ſacra, alióſue ſacerdotes frequẽtiùs adire, ſuſpicere: putauit libertina, ſibi ſacerdotum lenocinio utendum eſſe: qua ſciret eos eſſe auaritia, nullum nõ ius religionis ab iis uiolari poſſe. Nec opinione ſua decepta eſt. Itaq; ſacerdotes mercede adducti, ſeniori delegant facinus. Hic credulæ atq; religioſæ mulieri, ſuo faſtu atq; auctoritate ſua facilè perſuadet, deum Anubim forma illius captũ, eã ad cœnam & amplexum appellare: itaq; ut in tẽplo pernoctet, ei neceſſe eſſe. Paulina quid deo denegaret? id uerò in ſummo bono collocat. Igitur cùm & ea de re multos ſermones cum marito habuiſſet: Saturninus hoc tribuit tandem ſiue religioni, ſiue uxoris ſuę pudicitiæ, ut dei mandatis obtemperaret: in templo Iſidis una nocte obdormiret. Ergo Paulina in templum uenit: paratur ei lectus à ſacerdote: ſed deus ille fuit Decius. Res deniq; ita comparatur, ut Paulina ſeſe crederet à deo complexam, atq; id non celabat uel maritum, uel alias ſibi notas atq; fam[illegible]ares uicinorum matronas. Tenebat omnes ſumma admi[illegible]o: ſolaq; fidem faciebat eximia, probata & experta Pau[illegible] pudicitia. Itaq; magis credere, quod de Alcmena & Rhea Syluia narratur. Verùm triduo pòſt, cùm Decius Mundus inſultans mulieri, fucum factum obiiceret: res ad Tyberium defertur. Qui cognita ueritate, diuq; diſcuſſa, poſtremò conſcios omnes ſacerdotes cruci affixit, itemq; libertinam tantæ impietatis artificem: templum (quod maius eſt) ſubuerti ac dirui, atq; Iſidis imaginem in Tyberim proiici: cæterùm adoleſcentem relegari iuſſit, quẽ iudicabat ætate & amore impulſum magis, quàm certo animi iudicio, deliquiſſe. Acrodius ex Ioſephi Antiq. lib. 18. cap. 4.

MESSALINA cuiuſdam ſaltatoris amore capta, cùm ei perſuadere non poſſet, ut ſecum coiret, petiuit à Claudio Imp. uiro ſuo, ut illum ſibi obſequi iuberet, tanquam ipſi in quibuſdam aliis rebus opera eius neceſſaria foret. Is, poſteaquam ei Claudius præcepit, ut omnia, quæ Meſſalina imperaret, libenter faceret, cum illa rem habuit, tanquam id quoque ſibi imperatum fuiſſet. Id quod Meſſalina etiã in multis aliis fecit. Nam quaſi Claudio conſcio, ſinenteq; ei petulanter uiuere, mœchabatur. Xiphilinus. Zonaras Mneſterẽ uocat ſaltatorem hunc.

Alexandriæ ſacerdos Saturni, TYRANNVS nomine, quaſi ex reſponſo numinis, adorantibus in tẽplo nobilibus quibuſque & primariis uiris, quorum ſibi matronæ ad libidinem placuiſſent, dicebat Saturnum præcepiſſe, ut uxor huius uel illius pernoctaret in templo. Tum is, qui audierat, gaudens quòd uxor ſua dignatione numinis uocaretur, exornatã cõptius, inſuper & donariis onuſtam, ne uacua ſcilicet repudiaretur, coniugem mittebat ad templum, in conſpectu omnium concluſa intrinſecus matrona. Tyrãnus clauſis ianuis, & traditis clauibus, diſcedebat. Deinde facto ſilentio per occultos meatus & ſubterraneos aditus, intra ipſum Saturni ſimulacrum patulis irrepebat cauernis. Erat autem ſimulacrum illud à tergo cõcauum, & parieti diligenter annexũ: ardentibusq; intra ædem luminaribus, intentæ ſupplicãtiq; mulieri uocem ſubitò per ſimulacrum æris concaui intonabat, ita ut pauore & gaudio infelix mulier trepidaret, quòd dignam ſe tanti numinis putaret alloquio. Poſteaquam uerò, quæ libitum fuerat, uel ad conſternationẽ maiorem, uel ad libidinis incitamentum diſſeruiſſet numen impurum, arte quadam linteolis obductis, repentè lumina extinguebantur uniuerſa. Tum deſcendens, obſtupefactæ & conſternatæ mulierculæ adulterij fucum prophanis cõmentationibus inferebat. Hæc cùm abſque ſtultorum maritorum Zelotypia ſuſpicione gererentur, accidit quandã pudicæ mentis feminam horruiſſe facinus, & attentius auſcultantem cognouiſſe uocem Tyranni, ac domum regreſſam, uiro de fraude ſceleris indicaſſe. Ille de iniuria coniugis, immò gentis potiùs inflammatus, Tyrannum ad tormẽta deduxit. Quo cõuicto atq; confeſſo, latebrisq; fraudis reuelatis, pudor omnis & dedecus Paganorum peruaſit domos, adulteris matribus, inceſtis patribus, liberis ſpuriis deprehẽſis. Euſebius lib. 11. cap. 25. hiſt. eccleſ. & Vierus lib. 2. cap. 41. de Præſtig. dæm.

SNIO Danorũ rex, filiæ Holſtani Gothorum regis mutuo amore captus, conueniendæ eius copiam clandeſtinis nunciis tentauit. Illi intercepti ſuſpendioq; necati, improuidę legationis pœnas dederũt. Snio Gothiam hoſtiliter ingreſſus, duello per athletas uictor, Gothiæ regnum obtinuit. Cùm uerò puella interim Sueonum regi nupſiſſet, quendã mendicum ad eam tentandã miſit. Qui uiſa fortè regina, ſtipis prętextu exili uocula ſuccinens, Amat, inquit, te Snio. Illa uocẽ diſſimulanter excipiens, Amantẽ, inquit, me redamo. Idem die poſtera foribus rurſus aſſidens, Locum, ait, uoto ſuppetere conuenit. Illa Bocherot breui ſe peruenturam aſſerit, locum fugæ deſtinatum. Tertio tandem die oportunũ tempus cognoſcere ſtuduit. Illa quã breuiſſimè potuit hyemis initium deſignauit. Ergo Snio reginam lauandi ſimulatione cum magnis opibus egreſſam, loco & tempore conſtituto, auehendam curauit. Eaque de cauſa pòſt ſæpenumerò inter ipſum ac Sueciæ regem, ancipiti euentu, dimicatum eſt. Saxo lib. 8. & Cranzius lib. 2. Sueciæ, cap. 25.



REGNERVS, Danorum rex, cuiuſdam puellæ, quam deperibat, patrem omni genere honoris & beneuolẽtiæ proſequi cœperat. Is quũ ob amorẽ filiæ ſuæ hãc principis liberalitatẽ prouenire cognouiſſet: filiã tanto impẽſiùs obſeruandã curauit. Verùm Regnerus puellæ conſenſu uillam, in qua aſſeruabatur, acceſſit: & ruſticæ habitu fila ducentis eam adiens, nocte uirginem amplexatus eſt. Pater ſtupratorem ex ipſa cognoſcere uolebat. Illa ſe neminem præter pediſſequam lecti participem habuiſſe pertinaciùs affirmante, rem regi cognoſcendam mãdauit. Ille proprij ſceleris profeſſione, alienæ innocentiæ fidem facere non erubuit: natumque Vbbonem uocauit. Qui etiamnũ puer matris dilectionem, quòd excellẽti ſe toro m[illegible]ſcuiſſet, amplexus: uenerationem patris, quòd ad obſcu[illegible]rem iuſto copulam deſcendiſſet, abiecit, nec multo pòſ[illegible]egnũ patri eripere conatus, prælio uictus atque captus e[illegible] Saxo lib. 9.

[illegible] OCCVLTANDO.

Habebat HENRICVS dux Brunſuicenſis in matrimonio, Virtembergici ducis Huldrici ſororem Mariam. Huius erat in gynæceo puella quædam eleganti forma, genere nobilis, Eua Trottina. Cœpit hanc ille deperire, & cùm perſuaſiſſet, proles aliquot ex ea procreauit. Deinde, quò minus res deprehenderetur, & ut eius frueretur cõſuetudine diutiùs, cõſilium ei dat, ut domum ad parentes uelle redire ſimulet: currum, equos, & quicquid eſſet, ad profectionem neceſſarium, ipſe ſubminiſtrat. Abit illa, cùmq; domum ire putaretur, in quandam illius arcem abducitur. Huius arcis præfectus iam antè doctus erat ab eo, quid fieri oporteret: adhibentur etiam una & altera muliercula, quibus ipſe maximẽ fideret. Eua, paucis pòſt diebus, quàm eò ueniſſet, in lectulum ſeſe componit, & morbum ſimulat. Ille iam antè curauerat fieri ſimulacrum ligneum, quod hominis mortui caput, ceruicem atque pectus repræſentaret: reliquæ corporis partes erant expreſſæ linteo quodam. Id effarciebant mulierculæ cinere uel terra, ſic ut ſolidũ uideretur. Pòſt, ligneum caput atq; pectus ei linteo ſic effarto ſuperimponũt & accommodãt: linteum uerò ſic erat formatum, uti etiam obduceretur capiti. Compoſitum ergo corpus ad hunc modum & obuolutum, humi reponitur, ut in mortuis fieri conſueuit. Statim ex mulierculis altera uenit ante cœnaculum præfecti, nunciat Euam eſſe mortuam: mox ille iubet parari thecam ad reponendum corpus: deterrendi uerò cauſa, ne quis propiùs accederet, fingunt interiiſſe peſtilentia, & iuniperi granis aliiſq; rebus odoratis faciũt ſuffitum. Poſtea funus effertur, & cum pompa deducitur ad Franciſcanos; qui ſuo more per totum annum deinceps pro concione populum hortantur, ut pro mortua Deum deprecentur. Idem fit in arce primaria Vuolfebutelo, quæ non procul abeſt urbe Brunſuico. His exequiis aderat Ducis uxor cum pediſſequis & cœtu uirginum, omnes cultu lugubri. Interim Eua, cuius mortem adeò multi deplorauerãt, rectè ualet in arce Stauffeburgo, ubi ſubinde reuiſit ipſam Henricus, ab eoq; tempore proles ex ea ſuſtulit ad VII. uxori quoq; perſuadet, ut Euæ parentibus atque propinquis mortem illius nunciet. Cùm autem illam ſupereſſe, & Stauffeburgi detineri, fama deinde ſpargeretur: uxor uehementem ſuſpicionem concepit, & quoad uiueret, in animo defixam habuit, & ſubinde datis ad eum literis, miſeriam ſuam deplorauit. Hoc eius factũ inter alia fuit à Proteſtantib. principibus Cæſari in Spirenſibus Comitiis anno 1544. indicatum. Sleidanus lib. 15.

DISCIPVLOS.

ATHENIENSES olim Sophiſtæ non eloquẽtia tantùm, ſed & miris artib. ineſcabant & alliciebant auditores. Habebãt ſinguli ſuarum partium ſtudioſos naucleros, caupones, addo etiam meretrices: & è naui egreſſos ſtudioſos captabant ad hunc uel illum profeſſorem adducere. Sicuti Eunapius in uita Proæreſij & Vlpiani docet, Vlpianũ inſidiis Diophãti auditorum à ſchola Proæreſij abductum aſſerens.

COLLVSORES.

CARDINALIS quidam ampliſſimus ſingularum ludum exercebat (uulgus Primeram uocat, quòd inter omnes fortunæ ludos primas obtinere paſſim uideatur, cùm & ſolertiæ & audaciæ & temeritatis & ſtultitiæ, ubiq; autem ſpei locũ habeat) Qui colluſor erat, ordine prior, heptada monadáque primis quatuor tabellis, quæ ſeptem & triginta numeros complent, eiuſdem notæ ſortitus erat. Mox poſt primã ſponſionem, quę duabus porrectis tabellis fieri ſolet, ut fit, illam quinquaginta aureis adauxit. Quam quidem auctionem Cardinalis, heptada & ſenionem nactus, hoc eſt numeros triginta nouem, non ſolùm admiſit, uerùmetiam, iam tum aliis inſuper centum maiorem fecit. Quod cùm alter, quamuis dubius principiò, tamen admitteret, deiectis tum utrinq; binis chartulis, ac totidem ſortitis: protrahẽs ex more, prior, ſenionem ſuis tabellis acceſſiſſe conſpicit, eoq; maximum adimpleuiſſe ſe numerum. Itaq; uniuerſam quam habebat in ludo pecuniam, circiter trecentos aureos, omnes in medium protrudens, eos ſorti adiunxit. Quod cùm Antiſtes uideret, ſuas protrahens chartulas, & nunquid ſors ferret reſpiciens, quaternionem ſuis adiunctum eſſe chartulis comperit, numeroſq; quinquaginta & tres nactum eſſe. Valde tamen adhuc propter ingentem auctionem dubius, nihil ad auctionem factam reſpondens, prolatis tabellis, Eccum (inquit, ſubitaq; uoce, annuentis ſimili) numeros quinquaginta & tres. Cui mox alter, At eccum quinquaginta & quinq;: putans, quod adduxerat precium, omne ſe accipere. cui tum Antiſtes: Scilicet, bone uir, auctionẽ non admitto. Ille uerò inſtare, atq; ad arbitros rẽ deferre. Qui quidem omnes, quo iure qua iniuria, pro Antiſtite ſententiam tulerunt: nec defuerunt, qui ingenium laudarent. Paſcaſius Iuſtus lib. 1. de Alea.

DEFECTORES, PRODITORES.

Tradunt quidam, REGEM quendam Aegyptiorum priſcum animalium cultum, in ſingulis ferè urbibus peculiarem, lupi, crocodili, ichneumonis, accipitris, introduxiſſe: ut populum temerarium, & ad res nouandas promtum, diuerſitate religionis diſtraheret, & multitudini alioqui inuictæ occaſionem perpetui diſſidij daret. Siquidem cùm animantes illæ infeſtè ac hoſtiliter ſe mutuò peterent, earum cultores in factiones quoq; ſenſim diſtracti ſunt. Soli Aegyptiorum Lycopolitæ oueueſcuntur, quãdo & lupus, quem pro deo habent. Oxyrinchitæ, cùm oxyrinchum piſcem Cynopolitæ manderẽt, canes eorum captos & immolatos ut uictimam uorauerunt. Hinc bello commiſſi, cùm ſe inuicem cladibus affecerunt, tum poſtea ab Romanis malè multati, pacem cõpoſuere. Plutarchus de Iſide.

XERXES Babyloniis ob eorum defectionem infenſus, poſtquam eos recepit, ne arma ferrent, imperauit: ſed pſallerẽt, tibia canerent, lenocinia & cauponas exercerent, & tunicas ferrent ſinuoſas. Plut. in Apophthegmatib.

Leontini, ne res nouas molirentur, à PHALARIDE cõuiuiis & uinolentiæ relicti ſunt. CYRVS Lydis ſuperatis, cùm eſſent infidi & damnoſi, imperaſſe fertur, ut dimiſſis armis, iocis & nequitiæ uacarent, talareſq; tunicas ferrent. Ideo Lydius ornatus, mollis & parum uirilis habitus. ARISTODEMVS tyrannus Cumenſium optimatum filios, ne quid contra ſe moliri poſſent, calamiſtratos incedere, & tortis crinibus ornari, talares pictaſq; tunicas induere iuſſit.

LYSIMACHVS, cùm Antariatæ ſuis impedimentis ſpoliati eſſent in pugna aduerſus Demetrium Poliorcetẽ facta: metuẽs, ne quid nouarum rerum inciperent Barbari omnibus poſſeſſionibus exuti, productos ſexcẽtos extra uallum, tanquam ad frumenti diſtributionem, dato ſigno omnes ad unum interfecit. Polyænus lib. 4.

POLYCRATES Samiorum tyrannus, metuens, ne à ſuis ciuibus proditus, in exulũ poteſtatẽ ueniret: liberos & uxores ciuiũ inter naualia coactos tenebat: ut ſi cũ ciues exulib. prodidiſſent, unà cũ ipſis naualibus conflagrarẽt. Herod. lib. 3.

AGATHOCLES,cùm audiſſet,principes Syracuſiorum nouis reb. ſtudere:Carthaginenſib. deuictis, gratulatoria diis ſacrificia peragens,quingentos uiros,quos ſuſpectos habebat,ad conuiuium cõuocauit.Erat ſanè magnificentiſſimũ, & ſupra modum opiparũ conuiuiũ.Ipſe uerò tyrãnus, cùm omnes iam largiùs uinum hauſiſſent,in medium eorum ingreſſus,crocotumq; indutus & amictus,Tarẽtina fiſtula cecinit,citharaq; luſit atq; ſaltauit, ita ut è nimia uoluptate tumultus ſtrepituſq; conſequeretur. Interim dum omnes indulgẽt genio, ipſe è cõuiuio ſe ſubduxit,quaſi defatigatus, & ſe ueſtem mutaturum ſimulauit. Circumdederant eum locum,ubi conuiuium agitabatur, magnus armatorum numerus, & ex iis mille diſtrictis gladiis bini ſingulos aggreſſi,diſcumbentes ad unum omnes peremerũt. Polyæn.lib.5.

DIONYSIVS, cùm urbem cepiſſet,cuius ciues partim mortui,partim in exilium erant acti,& urbs amplior eſſet,quàm ut modicum præſidium ad eam tuendam ſufficeret:paucos quidem ibi in præſidio reliquit:captis uerò ſeruis,dominorum filias in matrimoniũ dedit: ut ſummas inimicitias aduerſus eos gerentes, fideliter ciuitatem cuſtodirent ac defenderent.Polyænus lib.5.

ANTIGONVS illi,qui præſidio obtinebat Munychiam,cùm eam muniuiſſet, ſcripſit præfecto , ne collare tantummodò ualidum , ſed ut canem etiam ſtrigoſum faceret , detrahendis populo Athenienſi facultatibus.Plut.Sermone amat.

TIBERIVS Cæſar hoſtiles motus per legatos compeſcuit, nec per eos quidem,niſi cunctanter,& neceſſariò.Reges infeſtos,ſuſpectoſq; comminationib.magis & querelis,quàm ui repreſſit. Quoſdam per blãditias atq; promiſſa extractos ad ſe,non remiſit:ut Maraboduum Germanum , Thraſypolim Thracem, Archelaum Cappadocem:cuius etiam regnũ in formam prouinciæ redegit.Suetonius.

EDVARDVS I. Anglorum rex ſubacta Scotia , omnes conſuetudines ueteres Scotorum abolere ſtatuit: ut unà cum moribus etiam animi cum Anglis coaleſcerent. Hiſtorias omnes Scotorum , omnia ſacrarum iuxtà & prophanarum rerum uolumina concremari ubique præcepit , magna decreta pœna,qui preceptum contemſiſſet.Libros ſacros Anglico ritu conſcribi iuſſit,eoſque ſolos haberi edixit.Quotquot uerò eruditionis erant uſquam nomine clari,quorum haud paucos tum Scotia alebat, Oxonium relegauit : ne illorum inſtitutione effecti ſapientiores , iugum reiicerent. Eregionè Cameloduni , quæ olim regia fuerat Pictorum, conſpecto Claudij Cæſaris Victoriæque peruetuſto templo,quod ad Caronam amnem à Veſpaſiano olim ædificatum adhuc ſtabat,uetuſtate conſpicuum,uel hoc boni Scotis inuidens , delere præcepit. Sed incolis antiquitates ſuas adamantibus , neque extemplò præceptum perficientibus, mutato ſtatim cõſilio, parietibus & tecto templi uitam dedit. Cæterùm monumenta Cæſaris omnia deleri uoluit , & ablato lapide,ubi Claudij Victoriæque inſculptum nomen erat, Arturi olim Anglorum regis nomen inſcribi iuſſit , atque illius uocari regiam , quod & in hanc uſque noſtram memoriam tenet uernacula Scotorum lingua , Arturi Hof appellantium. Iam in Angliam reuerſurus,ne ullum deletis hiſtoriis regni uſquam ueſtigium permaneret : cathedram lapideam,quibus inſidentes coronari Scotorum reges conſueuerant,è Scona Londinum ſecũ attulit,atque in Veſtmonaſterio , ubi etiam hodie uiſitur, collocauit. Hector Boëthius libro decimoquarto.

## CAVPONES.

VIATOR quidam eſuriens,cùm diuertiſſet ad cauponulam, uentrem cibo potuque farciuit. Petente pecuniam caupone, ait nullos ſibi eſſe numos , ſed cantilenis ſe ſatis eſſe facturum. Tabernarius non cantu,ſed precio ſibi opus eſſe reſpondit.Tum alter,Si eam cantionem dicam quæ placeat tibi,num ea pro pecunia contentus eris? Annuente caupone, cepit uiator canere,& an ea placeret interrogauit. Cùm abnuiſſet caupo,unam,& deinde alteram cecinit.Nullius cantu ſibi ſatisfieri ille teſtatus eſt. Hic uiator, Dicam ergo nũc, inquit, eam quæ tibi ſit placitura. Et arrepto marſupio,diſſoluenti ſimilis,cepit cantionem , qua uiatores uti conſueuerunt , *Metti mano alla borſa,& paga l'hoſte* , hoc eſt , Immitte manum burſæ,& ſatisfac hoſpiti.Hac dicta,Nunquid illa placeret?rogat.Placet hæc,inquit hoſpes.Tum uiator,Satiſfactũ eſt igitur tibi ex pacto.Ego abeo. Poggius in Facetiis.

## MENDICOS.

Cardinalis Barenſis,Neapolitanus genere, tenebat hoſpitale Vercellis in Gallia citeriori,ex quo parum percipiebat emolumenti,propter impenſas quæ in pauperes ibi fiebant.Miſit ergo de ſuis quendam PETRILLVM nomine , ad colligendum pecunias. Ille habitu medici hoſpitale ingreſſus, cùm omnes conuocaſſet. Ex pinguedine, inquit , hominis conficiendum eſt unguentum. Itaque inter uos hodie ſortẽ faciam, qui pro ſalute cæterorum uiuus in aqua elixari debeat. Illi his uerbis territi, clàm xenodochium reliquerunt. Poggius in Facetiis.

## HOSTES.

### OPPRIMENDO, INVADENDO.

*Vide Tit. Vlciſci aſtutè.*

Athenienſes cùm expeditionem aduerſus Corcyrenſes exules Iſtones montem tenentes ſuſcepiſſent, illi arma tradiderũt, deferentes Athenienſium populo de ſe ſtatuendi poteſtatẽ. Quòd ſi qui ipſorum fugam parare deprehenderentur, irritum eſſe fœdus debere.CORCYRENSES ueriti, ne nimis humaniter Athenienſium populus de eis ſtatueret, clàm ad Argiuos miſerunt,ſuadentes ut ſe in fugam conjicerent: nauemq; ſuppeditauerunt , ut ſi morem geſſiſſent ac fugiſſent fœdus diſſolueretur. Athenienſes eos quaſi fœderum ruptores Corcyrenſibus tradiderunt. Qui eos receptos,ad unum omnes morte multarũt. Polyæn.lib.6.

PYRRHVS in Peloponneſum expeditione ſuſcepta, Spartiatis omnibus per Arcadiam legatos de pace mittentibus per humaniter eos recepit,ſuoſq; filios ad Spartiatas miſſurum pollicebatur,ut Lycurgeis diſciplinis imbuerentur. Hæc legatis Spartam renunciantibus , Pyrrhus cum exercitu infeſto acceſſit.Incuſantibus Spartanis,cum alia, quàm prędixerat, [redacted]

MAXIMVS Romanorum legatus in Britannia , cum Pictis, quib.ſociis Scoti bellũ aduerſus Romanos gerebãt, fœdus icit,ut Scotorũ primò, deinde Pictorũ gentẽ perderet. Eugeniũ regem Scotorũ prelio uictũ occidit, eiuſq; gentẽ multis incommodis profligatam Albione expulit, totiuſq; inſulæ regnum occupauit. Pictos inde contra fidem ſacramenti in fœdiſſimam adegit ſeruitutem. H. Boëthius lib. 7.

### ELVDENDO.

*Vide Tit. Aſtus in Fœdere, Induciis, Pactis.*

ANDRONICVS Comnenus tyrannus Nicæam, quæ defecerat , oppugnabat. Cæterùm quia ciues duce Iſaacio Angelo,qui pòſt imperium occupauit, fortiter reſiſtebant: matrẽ Iſaaci Angeli Euphroſynam , Byzantio accerſitam, nunc ut propugnaculum machinis oppoſuit,nunc ea arieti impoſita mœnia ferijt. Ciues tela æquè ac priùs,ſed tãta cautione iaciebant,ut illæſa nobili muliere, quaſi illa nutibus & manibus iacula à ſe auerſa in hoſtium corda refigeret , hoſtes & ferirentur & terrerentur. Mox noctu machinas incenderunt,& mulierem fune in urbem attraxerunt. Nicetas lib. I.

### TERRENDO.

HVNGARI diem prælij auidiſſimè expectant: & ut magis hoſtibus terriculamento ſint,interfectorum ſanguinem bibũt. Luitprandus lib.2.cap.I.

Poloni TARTAROS anno 1240. ad Legniciam cõmiſſo prælio, grauiter urgebãt, & fugientibus inſtabant. Erat in extremo Tartarorum agmine inter alia ſigna uexillum inſigne, cuius pictura X literæ figuram præferebat : in cuſpide uerò imago erat tetra nigraq; capitis humani barbati. Id uexillũ cùm ſignifer uehementiùs quateret, fumũ atq; nebulã denſiſſimam & fœtidiſſimam exhalabat. Ea nebula non modò aſpectum barbarorum Polonis adimebat , uerumetiam odore teterrimo eos enecabat.Incantationibus id quibuſdã Tartari effecerant: quibus iuxtà ac ariolationibus atq; diuinationibus cęteris,cùm aliàs,tum in bello plurimùm utuntur,ex humanis etiã extis de futuris euentib. coniectare ſoliti.Barbari, ubi Polonos trepidare ſenſerunt , cohortati ſeſe inuicem, impreſſionem in eos faciunt,in qua Pompo magiſter Cruciferorum cũ fortiſſimis quibuſq; ſuorũ, occubuit. Tantus eo prælio interfectorum Chriſtianorum numerus fuit,ut ſingulis ſingulæ auriculæ à Tartaris præciſæ,nouem ingentes ſaccos explerent. Cromerus lib. 8.



TAMBERLANES Scytharum Imperator ſæuiſſimus,cùm urbes obſideret,prima die tentorio albo utebatur,ſecunda rubeo,tertia nigro: ut hac ratione ad deditionem hoſtes compelleret. ꝙ ſi prima die ſe dederent,clementẽ habituri eſſent hoſtẽ:ſi ad ſecundã uſq; pertinaces reſiſterent,ſanguine ſuo pœnas daturi eſſent:ſi ad tertiam quoq; perdurarẽt,ultimo excidio omnia fumo ac igni uaſtaturus eſſet. Cuſpinianus.

CAROLI VIII. Galliæ regis exercitus aduerſus Aragonios ductus,ad Montem ſancti Ioannis, Piſcariæ Marchionis oppidum,regno Neapolitano finitimum, & ſitu & arte munitiſſimum , neque defenſoribus minus inſtructum , progreſſus eo paucis horis tormentorum globis petito,tanta ui ac pertinacia, rege,qui Verulis eò ſe contulerat,ſpectante oppugnauit,ut omnibus difficultatibus ſuperatis , id ui eodẽ die expugnauerit:ubi cùm inſito à natura furore , tũ ut hòc exemplo alios à reſiſtendo deterrerent, ingentem ſtragem edidit. Cùm omni reliqua barbara feritate uſi eſſent Galli, flammis quoq; in ædificia ſæuierunt. qui belligerandi mos multis retrò ſeculis inauditus in Italia,totum regnum incredibili terrore compleuit , ut nemo deinceps auſus fuerit ſe Gallis opponere. Guicciardinus lib.I.

FERDINANDVS Neapolitanus rex, procerum Gallicæ factionis ſtudioſorum cadauera ſiccata & condita adſeruari & oſtentari uoluit,ut eo exemplo paria timerẽt qui ſeruire nollent. Iouius lib.I.

# ASTVTIA CONSIDERATA RESPECTV RERVM circa quas occupatur. Puta circa

## RELIGIONEM. ASTVTE Religionem

### ALIENAM IMPVGNARE, coërcere, euertere.

NERO Imp.ut Rom. populum concitatiorem in Chriſtianos redderet,tale facinus comminiſcitur.Seu deformitate ueterum ædificiorum offenſus;ſiue,uti quidam ferunt, cupidus Troiæ ardentis ſimulacrũ uidere,magnam urbis partem incendit. Sex continuos dies ac totidem noctes ignis per ædificia ſacra & profana peruadens , multas ciuium fortunas abſumſit. Ad leuandam igitur ſceleris atrocitatem ſubornauit,qui Chriſtianos eius incendii auctores criminarentur. Corn. Tacitus.

DIOCLETIANVS Imp. cùm uniuerſam Chriſtianã religionem ſimul extinguere ſibi propoſuiſſet:perſecutionem atrociſſimam in Oriente(uti Maximianus in Occidente)inſidioſè admodum & doloſè orſus eſt. Periculum enim primum in propriis fecit caſtris, in quibus luſtrator exercitus,ut Euſeb.ſcribit lib.8.cap.4. optionem militibus Chriſtianis eam obtulit,ut uel imperatorio mandato, quo iubebantur ſacrificare,obſequentes,dignitates retinerent , & ordines ducerent:uel recuſantes militiam deponerent. Seruis pietatem abiurantibus,præmium proponebatur libertas. Primo perſecutionis tempore, pauci tormentis & ſuppliciis tentati ſunt:paulatim deinde magis ac magis eò progreſſum eſt,ut ad enumeranda ſupplicia nullius ſermo ſufficere poſſit.

Sub Galerio Maximino Chriſtianorum perſecutore,erat Athenis THEOTECNVS quidam, incantator, & Chriſtianorũ hoſtis infenſiſſimus.Is omnem tum mouit lapidem,ut Chriſtiani apud Imperatorem deferrentur & accuſarentur. In quam fraudem idolum Iouis , incantationibus ac præſtigiis ſuis hæc uerba ſonare fecit: Edicere Iouem,ut Chriſtiani in exilium extra ciuitatem , ac ciuitatis agros , tanquam ſibi inimici,expellantur. Impij magi aſtus ſub impio principe effectum ſuum facilè obtinuit. Euſebius lib.8.

Sub DECIO & VALERIANO perſecutoribus, quo tempore Cornelius Romæ,Cyprianus Carthagine, damnati ſunt, multas apud Aegyptum & Thebaidem eccleſias,tempeſtas ſæua populata eſt.Voti tunc Chriſtianis erat,pro Chriſti nomine gladio percuti. Verùm hoſtis callidus tarda ad mortẽ ſupplicia conquirens,animas cupiebat iugulare non corpora:& ut Cyprianus ait, Volentibus mori, nõ permittebatur occidi.Perſeuerantem in fide martyrem, & inter eculeos laminaſq; uictorem,iuſſit melle perungi , & ſub ardentiſſimo ſole,ligatis manibus poſt tergum,reſupinari,ſcilicet ut muſcarum aculeis cederet,qui ignitas ſartagines antè ſuperaſſet.Alium iuuenili ætate florentem,in amœniſſimos hortulos præcepit abduci : ibiq; inter lilia candentia & rubentes roſas,cũ leni iuxtà murmure aquarũ ſerperet riuus, & molli ſibilo arborum folia uentus perſtringeret , ſuper extructũ plumis lectum reſupinari,& ne ſe inde poſſet excutere,blandis ſerico nexibus irretitum relinqui. Quò cùm,recedentib. cunctis, meretrix ſpecioſa ueniſſet , cepit delicatis ſtringere colla complexibus,& quod dictu quoq; ſcelus eſt,manibus attrectare uirilia, ut corpore in libidinẽ concitato,ſe uictrix impudica ſuperiaceret.Quid ageret miles Chriſti, & quò ſe uerteret,neſciebat. Quem tormenta nõ uicerant,ſuperabat uoluptas.Tandem cœlitùs inſpiratus, præciſam morſu linguam in oſculantis faciem expuit : ac ſic libidinis ſenſum ſuccedens doloris magnitudo ſuperauit. Hieronymus in uita Pauli Eremitæ.

Maximinus SACERDOTES idolorum & pontifices ſummos per ſingulas ciuitates conſtituit , ut nihil non contra Chriſtianos ad ſuam uoluntatem & gratiam facerẽt:ac nouis aduerſus eos excogitatis accuſationib. liberrimè quoſcunque poſſent , quouis modo interficerent. Illi igitur acta quædam Pilati & Seruatoris blaſphemiæ plena confinxêre, & in uniuerſum Maximini imperium miſere,literis mandantes,ut ubiuis illa locorũ proponerentur: ludimagiſtris denique exhiberentur , ut ad ea memoriæ mandanda pueros adigerent,uti teſtatur Nicephorus lib. 7. cap. 26. Eccleſ. hiſt. Præfectus quidam Caſtrorum,quem ducẽ Romani uocant, Damaſci Phœniciæ infames aliquot è foro raptas mulierculas,partim tormentis,partim minis eò adduxit,ut ſcripto tradito publicè dicerent,fuiſſe ſe aliquando Chriſtianas, ac noſſe, quas ſceleſtas & laſciuas actiones Chriſtiani dominicis diebus inter ſe exercere ſolerent. Præfectus ea uerba in acta relata Imperatori exhibuit:is publicari ea per ſingulas ciuitates mandauit. Euſebius lib.8.

Narrat Nicephorus libro ſeptimo capite 35. GRÆCOS idololatras Conſtantinum Magnum,quòd filium ſuũ manu propria occidiſſet, calumniatos eſſe : & Sozomenus lib.4.cap. 10.indicat , Ethnicos Athanaſiũ criminatos eſſe, ꝙ incantationibus uſus futura præſciret. Et Theodoretus lib.3. cap.5. Gentes ſcurrilitate & dicteriis in pios inuectos eſſe,neq; ullis in pompis ſibi à cõuitiis temperaſſe: uerùm Chriſtianos non conuitiis cũ illis certaſſe , ſed apertè errores eorum redarguiſſe,commemorat. Criminationes uerò has ferè contexebant. Chriſtianorum religionem nouam eſſe , & nuper admodum natã,quam maiores omnes ignorarint. Eius inuẽtores & aſſertores eſſe homines deſperatę factionis. Cœtus Chriſtianorũ eſſe collectos ex ultima fæce imperitorum & mulierum,qui nocturnis congregationib. & ieiuniis ſolennibus,& inhumanis cibis confœderarentur , in publico muti,in angulo garruli. Eos ſeſe occultis notis noſcere. Inter eos quandam libidinum religionem miſceri,& ſe promiſcuè fratres appellare & ſorores,& interceſſione ſacri nominis committere inceſtum. Vulgò ferri,eos aſini caput conſecratũ uenerari. Alios dicere,eos ſacerdotis colere genitalia, & quaſi parentis ſui adorare naturã. Hominem ſupplicio affectũ colere. Initiandis apponi fatre contectũ, quẽ occultis uulnerib. occidant,& ſitientes ſanguinem eius lambant. Ad epulas ſolenni die coire cum omnib. liberis,ſororibus,matribus,ſexus omnis homines, & omnis ætatis. Poſt multas epulas , canis,qui candelabro nexus eſt , iactu offulæ ultra ſpacium lineæ,qua uinctus eſt, ad impetũ & ſaltũ prouocatur. Extincto conſcio lumine,impudentibus tenebris , nexu infandæ cupiditatis inuolui per incertum ſortis,& ſi non omnes opera,tamen conſcientia pariter,cõmittere inceſtum. Religionẽ eorum obſcuram eſſe & nullas aras habere, nulla templa,nulla nota ſimulacra. Doctrinam eorũ planè mõſtroſam eſſe & abſurdã. Nam de Deo eos ſentire , ꝙ omniũ mores & actus,uerba deniq; & occultas cogitationes diligenter inquirat , & ubiq; diſcurrat & præſtò ſit:cùm id Deũ non deceat,ut moleſtias ſuſtineat,& inquietus ſit, & curioſus. De mundo eos docere , quòd incendio ſit conflagraturus. Culpam uel innocentiã eos Deo attribuere,ut qui ſpõtaneos non cupiat , ſed electos : eoq; Deum iniuſtum iudicem fingi,qui ſortem in hominibus puniat, & non uoluntatem. De reſurrectione aniles fabulas eos adſtruere, cùm tamen planè ſit abſurdum,aſtris denunciare interitum, & ſibi æternitatem repromittere:& cùm nulla ratione poſſit explicari, ſiue fingatur reſurrectio cum corpore, ſiue ſine corpore,ſiue alio corpore, ꝙ reſuſcitatio mortuorum fieri poſſit: & cùm in tot ſeculis quæ effluxerunt , nullus ab inferis remeauerit,ut exemplo credi poſſit. De uita æterna eos fabulari,quòd ipſi ſint bonis fruituri,aliis iniuſtis in æternas pœnas abiectis:cùm tamen neq; in hac uita bene habeant,ſed ſint omnium calamitoſiſſimi. Vnde conſtet,Deum ipſorum aut non poſſe iis opitulari,aut nõ uelle: atq; ita eum uel inualidum,uel iniquum eſſe. Sacrã ſcripturam eſſe perplexitatibus & cõtradictionibus plenã,ideoq; incerta omnia. Hac calumnia uſum Iulianum & Porphyrium, Socrates indicat: Chriſtianiſmum omnis generis calamitates publicas ſecũ

afferre. Deos enim eos punire, quòd hominem credant eſſe deum: cumque poſt crucis ſupplicium adhuc ſupereſſe dicant, & adorent. Euſebius, Sozomenus, Socrates. Has criminationes omnes Arnobius in libro cõtra Gentes præclarè diluit.

IVLIANVS Imp. Apoſtata, cùm crudelitate Chriſtianam religionem extirpari nõ poſſe uideret: blandis artibus eam oppugnare aggreſſus eſt. Primùm igitur Galilæorũ filiis (quo nomine Chriſtianos uocitabat) interdixit, ne poëtarum aut philoſophorum ſcripta legerent, in ore illud habens: Propriis pennis uulneramur: ex noſtris enim armati cõſcriptionibus, contra nos bella mouent. Ludos igitur literarum illis ſolis, qui deos deaſq; colerent, patére permiſit. Ruffinus libro primo, cap. 32. Deinde callidiſſimo commento, omnia quæ in paganiſmo eſſent, ad Chriſtianorum cultũ, mores, actiones, ritus, conſuetudines attemperauit: templa ſedib. & proceſſionibus ornauit: lectores, qui cœtus docerent & monerent, inſtituit: horas certas precationibus deſtinauit: mulierum pariter atq; uirorum in ſacris ſuis habere curam iuſſit: peregrinorũ diuerſoria & pauperum habitacula inſtruxit, collationes præcepit, peccantibus pœnitentiæ leges ordinauit: & poſt eam, mediocrem correptionẽ & receptionem. Notas deniq; & formas literarum, quas epiſcopi Chriſtianorum pauperibus & peregrinis dabant, ipſe quoq; imitabatur. perſuadens ſibi, his artibus & nouo fuco ſe effecturum, ut pagani breui omnes fierent. Eutropius lib. 11. Sozomenus lib. 5. cap. 16. Exornauit & imagines imperij ſui, deorum ſimulacris. In publica munerum & conſueta exhibitione, ad manus ſuas thus adolere, munera accepturos, inſtituit: non religionis nomine, ſed in gratiam Imperatoris munera benignè exhibentis. Eutropius, Theodoretus lib. 3. capite 16. & Sozomenus libro 5. cap. 17. A tormentis & atrocioribus coactionibus abſtinendum putauit, quòd ſuppliciis & tormentis Chriſtianorum res ante ſe magis fuiſſent amplificatæ, ipſiq; glorioſiores facti: qđ ex Diocletiani extrema perſecutione didicerat. Socrates lib. 3. c. 13. Theodoretus lib. 3. cap. 8. Iudæos Chriſtianorũ hoſtes pertinaciſſimos ad templũ Hieroſolymitanũ rurſus ædificandũ hortatus eſt, ut mendacij Chriſtum opt. max. argueret, qui lapidẽ ſupra lapidẽ non manſurũ aſſeruiſſet. Nicephorus lib. 10. c. 32. & 33.

HABDALLAS Saracenorũ Amiras Chriſtianos ſub ſuo principatu degẽtes, literas diſcere prohibuit. Paulus Diaconus libro uigeſimoſecundo.

Orthodoxi cõfeſſores, ab HVNERICO rege Vandalorũ Ariano crudeliſſimo, ad certum locũ uocati, iuſſi fuêre iurare in chartam inuolutam & complicatam: propoſito præmio reſtitutionis eccleſiarum, familiarum & opum ſuarum. Verùm uno ore & ſpiritu uniuerſi exclamabant: Et diximus, & dicimus, & Deo dante dicturi ſumus, eſſe nos Chriſtianos, eccleſiæ miniſtros, qui fidem Apoſtolicam unam & ſolam nouimus ueram, eamq; confitemur. Sed & Hortulanus & Florentinianus epiſcopi, reliquorũ omnium nomine addiderũt: Nunquid mentis uſq; adeò parum ſanę uidemur, ut in rem nobis ignotam iuremus temerè? Quibus uerò à rege negotium datum fuerat, cœtui fucum facere nolentes, partem eius ſcripti publicè recitarunt, eam nimirum, quæ minùs habebat offenſionis, quòd eſſet quiddam politicum: eam uerò quæ doctrinæ fidei inſidias parabat, occultabant. Hoc artificio nonnullis impoſuerunt, qui iurare uelle uiſi ſunt, pia quadam ſimplicitate decepti, ne in ipſis hæreret culpa, quò minus Eccleſiis ſuis redderentur paſtores: & ſatiùs eſſe arbitrantes, aliquam, quàm prorſus nullam eſſe eccleſiam. Nonnulli uerò, quòd fraudem ſubeſſe animaduerterent, iurare omnino recuſarunt. Victor.

Leo V. Imp. monacho cuidam, qui multo antè ſibi regnũ prędixerat, dona miſit regia. Nuncius qui detulit, alium quendam, locum illius iam defuncti occupantem, reperit, imaginum acerrimum hoſtem. Qui & dona ſpreuit, & nuncium abs ſe reiecit: Abi, inquiens, & regi tuo nuncia, niſi idola uenerari deſinat, & regno & uita mox priuatum iri. Rex ad religionem alioqui mobilis, Meliſeno THEODOTO, ſibi familiariſſimo, negotium communicat, qui & ipſe imagines perſequebatur. Is regi perſuadet, ut monachum quendam, uirum religioſum & ſanctum, habitu mutato, adeat atq; cõſulat. Monachus mox ut regem uidit, Noli, inquit, me ſimplicem uirum fallere, qui tuam regiam agnoſco dignitatem, licèt habitu eam celes. Idololatriam abs te dimoue: alioqui imperio decides ſumma cum ignominia, & gehennæ ſupplicio cruciaberis perpetuo. Rex quia ignorabat Theodoti commentum, & ſanctitatem monachi ſuſpiciebat: uerbis eius motus, ſtatim contra ſanctorum imagines edictum propoſuit, & abolitionem earundem decreuit. Cuſpinianus.

[redacted] SVAM PROPAGARE.

BALAAM docuit Balachum regem, quomodo per mulieres poſſet Iſraelitas ad idololatriæ peccatum trahere, & Dominum contra illos ad iram prouocare. Num. 23. & 24.

SACERDOTES Bethel, imò fanatici Bethauen, temporibus Paſchæ & Pentecoſtes, & Scenopegię, quando per Sichem, quæ hodie Neapolis appellatur, eundũ erat Hieroſolymã, ubi ſolùm licebat uictimas immolare, ponebant in itinere latrones, qui inſidiarentur peregrinantibus, ut potiùs uitulos aureos in Dan & in Bethauen, quàm Hieroſolymis in templo adorarent Deum. Hieronymus lib. 2. in Oſeæ c. 7.

Septuaginta Beli SACERDOTES ſub Cyro rege, cùm Belo idolo quotidie ſiliginis artabas 12, oues 40, uini metretas ſex proponerẽt: clauſo inde & obſignato tẽplo, per occultũ aditum ſub ara ingrediebantur, & omnia cum ſuis liberis & uxoribus abſumebant, deum ea comediſſe dicentes. At dolus ille per Danielem, qui pauimentum cinere cõſperſerat, in quo ueſtigia ſeniorum & iuniorum apparuerunt, detectus fuit. Daniel. 14.

Qui apud GRÆCOS, id eſt homines profanos & Chriſtianæ religionis ignaros, ſimulacra inſtituunt, quò terrorem hominibus incutiant: ſtatuas διοπετεῖς, id eſt, à Ioue miſſas eſſe, omni humano artificio & ſumtu præſtantiores dicunt: eamque famam ſpargunt ſtatuariis uel relegatis uel occiſis, ne eas manu factas dicant. Eadem ratione urbem Epheſiorum etiam eſſe deceptam, uel Alexandrinum ſimulacrum argumento eſſe poteſt. Ptolemæus etiam artificibus ad conficiẽdam Dianæ ſtatuam cõuocatis, opere perfecto, magna ſpelunca effoſſa, doloq; occultato, ibi eoſdem cœnare iuſſit. Qua in cœna ruina oppreſſi perierunt, dignam laboris ſui mercedem conſecuti. Suidas in uoce διοπετής.

Aeſculapium dicunt quidam non ex Nympha Coronide natum, ſed ex ouo corniculæ: quia κορώνις utrumque ſignificat, & Nympham ita uocatam, & corniculam, ut aſſerit Lucianus in dialogo de falſo Vate. Fertur QVIDAM ex antiquis ſacerdotibus ſerpẽtem perexiguum in ouum uacuum corniculæ incluſiſſe, ceraq; ſtudioſè oblitum luto in loco quodam occultaſſe, mox ara extructa populum in concionem ad eum locum aduocaſſe, cùm nunciaret omnibus palàm, ſe deum eſſe oſtẽſurum. Poſt concionẽ incognitis quibuſdam uocibus uſus, Apollinem & Aeſculapium inuocauit, ut dexter ac felix illi ciuitati accederet. Deinde phiala aquam hauriens in profundum demerſa, ouum illud unà cepit, quod præſentibus multis fregit, pullumq; recentem ſerpentis inueniens, cunctos homines in admirationem rei induxit. Poſtea uerò ſerpentem inſignis magnitudinis paucis diebus elapſis in loco ſubobſcuro oſtendens, artificioſè ſe mouentem, illum ita creuiſſe aiebat, ac deum eſſe Aeſculapium Apollinis filium. Inde uerò ſerpẽtes in eius tutela crediti ſunt, & eius geſtamen putatus fuit baculus ſerpente inuolutus, ut ſcripſit Dercylus, & Ouidius lib. 15. Metamorph. Natalis Comes Mythol. lib. 4. cap. 11.

NVMA Pompilius, ut populum Romanum ſacris obligaret, dicebat, Sibi cum dea Aegeria cõgreſſus eſſe nocturnos, eiuſq; inſtinctu & monitu ſe, quę accepta diis immortalibus eſſent, inſtituere. Liuius lib. 1. Dec. 1. Plutarchus in Numa. Cicer. lib. 1. de Leg. Ouid. lib. 3. Faſt. & 15. Metamorph. Lactant. libro 1. capite 22. Plinius capite 3. de Vir. illuſt. Val. Max. libro primo, capite tertio.

In templo Serapis apud AEGYPTIOS ſumtuoſiſſimo erant quædam, ad ſtuporem admirationemq; uidẽtium, dolis & arte compoſita. Feneſtra perexigua ab ortu ſolis ita erat aptata, ut die, qua fuerat inſtitutum ſimulacrum Solis ad Serapin ſalutandum introferri, diligenter temporibus obſeruatis, ingrediente ſimulacro, radius ſolis per eandem feneſtram directus, os & labra Serapis illuſtraret: ita ut inſpectante populo, oſculo ſalutatus Serapis uideretur à ſole. Erat & aliud fraudis genus huiuſmodi. Natura lapidis magnetis huius uirtutis eſſe perhibetur, ut ad ſe rapiat & attrahat ferrum. Signum Solis (quadriga ſcilicet ferrea) ad hoc ipſum ex ferro ſubtiliſſimo manu artificis fuerat fabricatũ, ut lapis, cuius naturam ferrum ad ſe trahere diximus, deſuper in laquearibus fixus, cùm temperatè ſub ipſo radio ad libram fuiſſet poſitum ſimulacrum, & ui naturali ad ſe raperet ferrum, aſſurrexiſſe populo ſimulacrũ, & in aëre pendere uideretur. Et ne hoc lapſu propero proderetur, miniſtri fallaciæ, Surrexit (aiebant) Sol, ut ualedicens Serapi diſcedat ad propria. Ruffinus lib. 2. c. 23. & Proſper in tertia parte Promiſſionum & prædictionum Dei, promiſs. 38. & Suidas in uoce, Magnes lapis.

IVLIANVS Apoſtata fontes omnes, quibus in ipſa Daphne & contigua Antiochia homines utebantur, ſacris ſuis abominandis inquinauit: ut ſic abominatio cum illis communicaretur, qui aquis eorum fontium uterentur. Quin & eò impietatis proceſſit, ut quæ eſui eſſent, & in macello uenderentur omnia, panes ſcilicet, carnes, fructus, olera, ac ſi quid ampliùs quotidiana uictus ratio exigit, luſtratione pollueret. Quod Chriſtiani magno cum dolore ſpectarũt, & ut facinus infinitis modis impium & nefandum execrati ſunt: uti tamen pollutis illis rebus non dubitabant, quia Paulus edere iuſſiſſet abſq; diſcrimine propter conſcientiam, quicquid in macello uænale eſſet. Theodoretus lib. 3. cap. 15.



HÆRETICI quò faciliùs utriuſq; ſexꝰ ſimplices homines in errorem ducerent, ſocias mulieres ſibi adiunxerũt, quarum conſiliis & oraculis ſeſe uti profitebantur. SIMON magus Helenam (quam Ennæam & Selenen aliàs uocabat) CARPOCRATES, Gnoſticorum princeps, Marcellinam, APELLES & SEVERVS Philumenam, atq; alij alias.

HÆRETICORVM diuerſæ fuerunt ſpecies, ſed ratio ferè una, ut ab eodem auctore diabolo omnes manaſſe uel hinc colligi poſſit. Nam cùm id ageret aſtutiſſimus dæmõ, ut ſub Chriſtianiſmi prætextu antichriſtianiſmum conſtitueret, id unum ſategit, ut quæcunq; ipſe ſuis inſtillaret diſcipulis impietatis & perfidiæ dogmata, ea à paracleto ſpiritu, quem Chriſtus ſe ſuis miſſurum promiſerat, uiderentur profecta omnia. Sic certè MONTANVS, teſte Euſebio lib. 5. Eccleſ. hiſt. cap. 18. Paracletum ſe profiteri non erubuit: eodemq; argumento MANES ſuis Manichæis hæreſim ſuam perſuaſit, quemadmodum Auguſtinus lib. 32. c. 6. contra Fauſtum docet. Horum furores pari audacia, maiore ſucceſſu imitatus MAHOMETVS, nõ modò ſe Moſaicæ & Chriſtianæ legis correctorem profeſſus eſt, ſed blaſphemiam quoq; mendacio addidit: in omnibus locis Euangelij, ubi Paracleti nomẽ legatur, quem à patre ſeſe impetraturum Chriſtus polliceatur, qui pios in omnem ueritatem deducturus ſit, ibi Mahometi nomen fuiſſe pronunciatum à Chriſto dictitans, & ab Euangeliſtis bona fide ſcriptum. Cæterùm Chriſtianos Græcos inuidentes tantam gloriam Arabibus, Mahometi nomine eraſo, paſſim Paracleti ſubſtituiſſe.

S. Cypriani martyris ſolet omne Epiſtolarum corpus in uno codice ſcribi. Huic corpori HÆRETICI quidã, qui in Spiritum ſanctum blaſphemant, Tertulliani libellum de Trinitate malè ſcriptum inſerentes, & quamplurimos codices exſcribentes, per totam Conſtantinopolim diſtrahi precio uiliori fecerũt, ut exiguitate precij homines allecti, ignotos & latentes dolos faciliùs compararent. Quidam tamen ex catholicis admiſſi ſceleris cõmiſſa retexerunt, & quos potuere, ab erroris huius laqueis reuocarunt. Etſi quamplurimi Cyprianum eius fidei, quæ à Tertulliano non rectè ſcripta eſt, aſſeclam fuiſſe crediderint. Ruffinus in Apologia pro Origene.

Damaſus Romanus epiſcopus, cũ de recipiẽdis Apollinariſtis deliberatio haberet: editionẽ eccleſiaſticę fidei, cui ſubſcribere deberẽt, conſcribendã pro more mandauit cuidã amico ſuo, presbytero. Neceſſariũ uiſum eſt dictanti, in ipſa editione de incarnatione Domini, Hominem dominicum dici. Offenſis hoc ſermone Apollinariſtis, & nouitatẽ ſermonis incuſantib. ille auctoritate ſcriptorum catholicorũ eos confutauit, præſertim libello Athanaſij epiſcopi. Tum aduerſariorum unus, quaſi perſuaſus iam, rogauit ſibi dari codicẽ, quò & aliis ignorantibus & contradicentibus ſatisfaceret. Accepto codice locũ ipſum, in quo ſermo iſte erat ſcriptus, raſit, & uerba reſcripſit quæ raſerat. Codex redditus ſimpliciter receptus eſt. Mouetur iterum pro eodẽ ſermone quæſtio. Ad probationem codex profertur: inuenitur ſermo, de quo erat quæſtio, ex litura in codice poſitus. Fides proinde codici derogata fuit, eò quòd litura illa corruptionis ac falſitatis uideretur indiciũ. Ruffinus in Apolog. pro Origene.

Cùm inter Græcos & Latinos Theologos in concilio Florentino diſceptatio ſuborta eſſet de proceſſione Spiritꝰ ſancti: & à Patre Filioq; eum procedere conuincendi eſſent Gręci, ſuiſipſorũ Theologis, Athanaſio, Cyrillo, Didymo, Chryſoſtomo, & inprimis Baſilio Magno: cùm à noſtris eorũ exemplaria proferrẽtur, Byzantio allata, ubi legebatur ab utroq; Spiritũ ſanctũ procedere: Græci exemplaria uitioſa eſſe dictitabãt. Sua ipſos noſtri promere iubebãt: aliquot propoſuere, ſed ea uarię lectionis: alia à patre filioq; procedere teſtabantur, alia à patre, nec præterea quicquam addebant. Cæſarq; Palæologus multa ſe in Græcia eiuſmodi habere dicebat. Aemilius lib. 10.

CONSTANTIA, Licinij uxor, cùm à fratre Conſtantino Magno morbo oppreſſa iterum ac ſæpiùs uiſeretur: Presbyterum illi quendã Arianũ, quo cũ ſibi magna familiaritas interceſſerat, inſignis pietatis & egregiæ fidei nomine cõmendauit, atq; inde uitã deſtituit. Presbyter Conſtantiæ cõmendatione Cõſtantini familiaritatẽ adeptus, Euſebij Nicomedienſis epiſcopi impulſu, ipſum monere Conſtantinum nõ dubitauit, Arium inſigni iniuria fuiſſe affectum, ꝙ, cùm rectè ſentiret, Eccleſiæ communione ſecretus eſſet. Mirãte autem Cõſtãtino, ac dicta eius nutu magis, quàm oratione, reiiciente, profeſſus eſt, ipſum, ſi ad colloquium eius admiſſus eſſet, planum facturum, quàm minimum à Nicenis decretis ac ſententiis diſcreparet. Quo audito Conſtantinus, Atqui, ſi Arius, inquit, cum Concilio ſentiet, nõ modò meũ illum in conſpectum admittam, uerùm etiam ad eccleſiam ſuam dimittã. atq; ita aduocari Arium iuſſit. Arius ad eum Conſtantinopolim uenit, ac ſecum Euzoium diaconum, quem eadem de cauſa Alexander epiſcopus Alexandrinus abdicarat, adduxit: rogatiq; ambo, ut formulam fidei ſuæ cum Nicena congruentem proferrent: Chriſtum Dei filium ex ipſo ante omnia ſecula genitum, uerbo Conſubſtantiali omiſſo, cõfeſſi ſunt. Qua profeſſione audita, Conſtantinus eos tanquam minimè à Concilij ſententia diſſidentes, Alexandriam iuſſit repetere. Sigonius lib. 4. Imp. occid.

ARIMINENSIS ſynodus ſub Conſtãtio Imp. Ariano ex 400 epiſcopis coacta, anno imperij Conſtantij 22. In qua Ariani Orientales ab Occidentalibus orthodoxis petierunt, concordię cauſa, ut ὁμοουσίου & ὁμοιουσίου uocabulo abolito, filium patri per omnia ſimilem eſſe dicerent: & οὐσίας nomen, utpote quod in Scripturis nuſpiã reperiretur, omnino abiiceretur. Conſenſere orthodoxi, pacis ſtudio, præſertim cùm Chriſti diuinitati nihil hoc detrahere uideretur. Omnes ergo tanquam Eccleſiæ concordia reſtituta, lęti in prouincias abeũt: ſed tandem Ariani malitiam detexerũt. Valens enim Murſorum epiſcopus, & Vrſacius, Ariani, ceperunt palmas ſuas iactitare, dicentes, ſe filium non creaturam negaſſe, ſed ſimilem cæteris creaturis. Eſſe itaq; filium creaturam (abolito οὐσίας uocabulo, quod ſoli Deo per ſe cõpetat) ſed ſimilẽ penitùs patri: & propterea Deum creatum, non autem per eſſentiam. Ingemuit totus orbis, & οὐσίας uocabulo abolito, Nicenam fidem damnatam doluit, ſeq; Arianum eſſe miratus eſt. Nec multo tamen pòſt ſub Damaſo Romana ſynodus indicta, in qua Nicena fides confirmata fuit. Socrates libro 2. cap. 37. & Theodoretus lib. 2. cap. 20. & 21.

In perſecutione Chriſtianorum ſub Hunerico Vandalorum rege, cùm epiſcopi celebres orthodoxi, Eugenius, Vindemialis & Longinus, uirtutibus & donis ſanationum clarerent: inuidens eorum famæ & auctoritati, quã uenerabantur omnes, CYROLA Arianorũ epiſcopus, ne nõ & ſe celebrem facto aliquo mirando redderet, hominem conduxit quinquaginta aureis, qui innatam ſe prætereunte cæcitatẽ ſimulans, opem eius in hanc ſententiam imploraret: Quæſo te, beatiſſime Cyrola, religionis noſtræ antiſtes, ut reſpiciens edas exemplum gloriæ ac uirtutis tuę, meoſq; adaperias oculos. Accedit ad eum Cyrola hæreticus, fucum ſibi ſucceſſurum confidens: & admotis manibus ad oculos cęcum ſeſe mentientis, Secundùm fidem, inquit, noſtram, qua rectè in Deum credimus, aperiantur oculi tui. Ad quæ uerba dolor tantus oculos illius inuaſit, ut digitis ui cõprimere eos, ne creparent, cogeretur. Prodita itaq; ad omnes Cyrolæ cõpoſita fraude, hæreſiq; damnata, precibus orthodoxorum Vindemialis, Longini & Eugenij, dolore liberatus fuit. Gregorius Turonenſis lib. 2. cap. 3.

Narrat Nauclerus generatione 14. duos rabinos Iudæorum, nimirum RABINAM & RABASSAM, cùm uidiſſent legem ſuam indies deficere, & fidem Chriſti proficere: conſenſu omnium Iudæorum, Talmud librum maiorem decem Bibliis, plenum inextricabilibus mendaciis, contra omnem legem diuinam, naturæ, & Scripturam ſacram, conſcripſiſſe: ac ſub pœna capitis edictum, ne quis neget quicquam eorum quæ in eo dicantur. Factum ſub Honorio, anno Domini 402. licèt Io. Picus Mirandulanus ad Commodi imperium, & annum Domini circiter 182. aut paulò ampliùs referat, in Annotationibus ſuis.

Quidam MONACHI Græci Romam uenientes, nocturno ſilentio iuxta Eccleſiam ſancti Pauli corpora mortuorum in campo iacentia effoderunt atq; eorum oſſa recondiderunt. Deprehenſi, confeſſi ſunt, quòd illa oſſa in Græciam fuerint tanquam ſanctorum reliquias portaturi. Gregorius Epiſtolarum lib. 3. cap. 30.

Heraclius Imp. imprudens Monotheletarum hæreſi eſt imbutus. Hierapoli agens, Athanaſium patriarcham, ut uocabãt, Iacobitarum, à quo conuentus erat, rogauit, ut Concilium Chalcedonenſe de duabus Chriſti naturis acciperet: pollicitus, ſi in officio fuiſſet, ſe illum patriarchã Antiochię creaturum. ATHANASIVS conditione accepta, dixit, Libẽter ſe in eius auctoritate futurum, ut duas in Chriſto naturas aſſereret: uerùm illud aſtutè de Imperatore quærere inſtitit, Num ut duæ naturæ, ſic duæ item uoluntates atq; actiones ineſſent? Heraclius quæſtionis nouitate permotus, ut reſpõſum, cuius ipſe incertus erat, eliceret, rem ad Sergiũ patriarcham Conſtantinopolis, & Cyrum epiſcopum Phaſidis retulit. &, cùm conſtans ab utroq; reſponſum accepiſſet, ut unam naturam, ſic unam in Chriſto uoluntatem hærere: imprudens eorũ opinionẽ ſuſcepit. Sigonius lib. 12. regni Ital.

MAHOMETVS, ut faciliùs incautos ſua lege decipiat, nunc

Chriſtianã probat legẽ,ſummiſq; præconiis effert,nũc Moſaicam. Atque ut his laudibus ineſcet Chriſtianos, in albo ueſtitos nominat, ac unumquemq; in ſua ſecta ſaluari planè aſſerit. Hæreticos quoſdam in componendis legibus imitatus, à ſacris codicibus & Euangelij multa excerpens, Alcoranum compoſuit. Simoneta libro quarto, capite 34. 38. Atq; eum duorum hæreticorũ profugorum, ſcilicet Sergij & Ioannis Antiocheni, & duorum Iudæorum apoſtatarum opera in Alcorani conſcriptione uſum eſſe, Bibliander in Apologia indicat. Vt autem plus auctoritatis Alcorano ſuo compararet,finxit cœlitùs eum eſſe ſibi datum. Iurat enim ſeſe in cœlum raptum,didiciſſe ſua myſteria,in Azoara 63. Per ſtellam ueſpertinam cliens noſter, nullatenus errãs, nil ex proprio uelle, niſi tantum diuinitùs ſibi mandatum, loquitur: qui ſubleuatus ad Orizontis celſitudinẽ, ad Deũ ipſum inſtruentem illum atq; docẽtem efficaciter, acceſſit: tanti tamen ſpacij interuallo, quantum ſagitta arcu miſſa bis tranſcurreret. Qui tunc præcepta Deum ſibi dicentem audiens, animum minimè dubitantem inde tulit, uti nec uos eum de diuina uiſione calumniemini. Et Azoara 27. fingit Deum teſtari, quòd Mahometum ad templum longinquum noctu tranſtulerit, & de uirtutibus & mirabilibus edocuerit. In legum promulgatione columba arte aſſuefacta aduolauit, & humeris eius inſidens, grana ex aure eius legit: qua re dementati homines, Spiritum ſanctum ei leges dictare nugati ſunt. Edictum promulgauit, quo ſub pœna capitis uetuit,ne quis de ſuis legibus diſputaret,ambigeret, aut contenderet: ac iuſſit omnes in auctoritate dictatoris acquieſcere. Vincentius lib.23. Creuit ſecta Saracenorum licentia uitiorum: placuit uxores ducere quot uellent, eaſdemq; dimittere cùm diſplicere cœpiſſent: habere concubinas quàmplures, & in omne libidinis genus poſſe prouolui: indulgere uentri cuncta quæ uellẽt, & ori, præter uinum: uniuerſis immergi uoluptatibus. Etſi enim aliqua ieiunia in lege Mahometi præcipiuntur, id etiam ad irritandam uoluptatem factum eſt: Nam Saraceni diem ieiunantes, nocte quàm longa eſt epulantur & bibunt. Nec aliam ob cauſam uini uſus interdictus eſt, niſi quia noceret in ardenti terra, qualis eſt Arabia, & maior eſſet in frigidis uoluptas poculis. Hoc unũ ergo Mahometi inuentũ fuit, ut legem propagaret ſuam, ea præcipiens quæ grata eſſent auditoribus, & maximè plebibus, quæ iumentis ſimiles exiſtunt. Nec fefellit eum opinio in hac parte. Placuit noua lex, & breui tẽpore ita coaluit, ut in multis populis, gentibus ac linguis reciperetur, cuius fundamenta in uoluptate iacta fuerunt. Verùm ſicut agricola non imprudens poſtquam uineam plantauit, foſſam circumducit & ſepem, ne deſtruatur à feris: ita & Mahometus ſuam legem cõſeruare ac munire ſtatuit. Animaduertit homo ſagax duobus modis ſuum dogma conuelli poſſe, atque confundi, auctoritate ſcilicet & ratione. Ergo auctoritati hoc axioma, Antiquam Moſis & nouam Chriſti legem deprauatam eſſe, nec quicquam ueri reſtare, niſi quòd Alcoranus haberet. Rationi arma obiecit, iubens ne quiſpiam de ſua lege diſputaret, néue rationem quæreret; in eum qui contra niteretur, ferro uindicandum eſſe. Atque huiuſmodi uallo ſuam legem callidus ueterator communiuit. Aeneas Syl. epiſt. 396. ad Mahometum tyrannum.

Cùm Huſſitæ in monte Tabor ad quintum à Praga lapidẽ ex uiris, mulieribuſq; & pueris turba miſcellanea, ad quadraginta millia hominũ ſeceſſiſſent, facta ibidem mẽtio Regis noui creandi, à ceremoniis ipſorum minimè diſſentientis. Sed illam mox CORANDA eiuſmodi uerbis diſcuſſit. Regem Venceſlaũ, inquit, habemus, & non habemus: uocabulo quidem Rex eſt, qui modò regnat, poteſtate autem tantidem ualet, quãti pictũ in pariete ſimulacrum. Idq; utrumque rationibus noſtris maximè cõducit, ſi modò confirmare ſectã noſtram cupimus. Primùm enim ex titulo Regis Romanorum magnum robur nobis accedit aduerſus factionẽ Romanam, quæ nihil cõtra Boëmos attentare audet, quoad uidet Regem ſtare à religione ipſius. Nobis autem quantulum obeſſe poteſt Rex, qui uiuens mortuus eſt? At ſi nobis ex priuatis Rex aliquis exiſtat, & interim aliquid uel domi, uel foris ingruat, talis neq; rebus ſuis, neq; noſtris, propter uirium imbecillitatem, conſulere poterit. Dubrauius lib. 23.

VLPHILAS Veſtgothorum in Thracia primus epiſcopus Arianus à Valente Imp. factus, ut ſuam impietatem ſtabiliret, primùm omnium diuinarum literarum theſaurũ in Gothicam linguam transfudit, immixto quod imbiberat perniciosõ ueneno. Serpſit hoc pernicioſum dogma in omnẽ Gothicam nationem. Enimuerò Veſtgothi Ariani effecti, Oſtrogothos & Gepidas congentiles ſuos fermento, quod exuxerant, corruperunt. Io. Magnus lib. 15. cap. 1.

In Perſidis regno tyrannus quidã ALAODIM, Senex de montanis dictus, Muletam regionem occupauit, & multos ſicarios (quos uulgò Aſſaſſinos dixere) ſibi adiũxit, eoſq; ad maxima facinora patranda obedientiſſimos reddidit, tali aſtu. In ualle quadam amœniſſima, & præruptis cincta montibus, paradiſum omni deliciarum genere (qualem impius Mahumedes ſuis ſectatoribus propoſuit) inſtruxit: in faucibus, per quas ſolas patebat aditus, arcem extruxit munitiſſimam, ne cui accedendi poteſtas eſſet, præterquam conſciis. Affirmabat interim, claues ſe Mahumedici paradiſi habere, & cùm libitum eſſet, potione ſoporifera quibus uellet clàm oblata, dormientes in eum locum deferendos curabat. Experrecti, cùm omnibus deliciis affatim fruerentur, reuera ſe in paradiſo eſſe credebant. At captata oportunitate, iterum medicato poculo ſopitos rurſus extra paradiſum efferebat. Cùm euigilaſſent, ſummo mœrore uoluptates, quas perceperant, ſecum repetebant, & earum deſiderio mortem exoprabant, uitam floccipendebant, & ad omnia quæ tyranno placebant, patranda paratiſſimos ſeſe offerebant, de paradiſi gaudiis, ſi principi obedirent, ſecuriſſimi. Cæterùm anno Domini MCCLXII. Allau rex Tartarorum Senem hunc in paradiſo triennali obſidione obſeſſum, inopia alimẽtorum deditionem facere coëgit, locum aboleuit, aſſeclas omnes interemit. Marcus Paulus Venetus lib. 1. c. 28. Orient. hiſt.

ANABAPTISTÆ, cùm ſcriptis uirorum doctorum manifeſtati in Germania, maiori numero uix poſſent coaleſcere, tãdem in Veſtphaliæ urbe Monaſterio, ualde munita, locum atq; ſedem occuparunt. Venit eò Ioannes Leidenſis Hollandus ſartor, Anabaptiſta uehemens, deinde Hermannus Stapreda, Bernardi Rotmanni, qui in ea urbe Euangelium docebat, collega: qui Rotmannũ occultè uenenum fouentem facilè ad noua induxêre conſilia. Primùm enim Pontificios Euangelici expulêre, mox hos Anabaptiſtę, tali aſtu. Quidã ipſorum uelut afflatus numine, per urbem diſcurrit, & Pœnitentiam, inquit, agite, & rebaptizamini: ſin minùs, iam ira Dei uos obruet. Hic ceptũ eſt uulgò tumultuari & quicunq; rebaptizabãtur, eadẽ quę ille, eodemq; modò declamabãt. Multi quòd irã Dei metuerent, ſimplicitate circumuenti, homines alioqui non mali, morem iis gerebãt: alij etiam, quò ſuas fortunas conſeruarent. Aduerſarios etiam Anabaptiſtæ malè multatos poſſeſſionib. deiiciebãt. Rotmannus interim & Bern. Cnipperdollingus, facilè primus eius factionis, occultè miſſis literis in oppida uicina, ſui generis homines monebãt, ut fortunis omnib. relictis, ad ſe quãprimùm aduolarẽt. Oppidani, ij præſertim, qui erant re lauta, cùm uiderent externis hominibus urbẽ cõpleri, ſubducũt ſe quàm poſſunt cõmodiſſimè, relictis Anabaptiſtis & promiſcua plebe. Ad hunc modum debilitatis alterius partis uiribus, Anabaptiſtæ nouum deligunt ſenatum, ſuæ factionis oẽs: creãt quoq; conſules, & in his Cnipperdollingum: tẽpla omnia diripiunt: per omnes uias cõfertim diſcurrunt: & primò quidem, Pœnitentiã, inquiunt, agite: mox uerò, Migrate hinc ſeueſtigiò impij, niſi uitæ diſcrimen ſubire uobis propoſitum eſt. Simulq; armati concurrunt, & quicunq; non eſſent ipſorum ſectæ, ſtatim ex urbe propellunt, nulla nec ætatis, nec ſexus habita ratione: continuò pòſt, eiectorum bona occupant. Sleidanus lib. 10.

## LEGES ASTVTE
### SANCIENDO.

*Ex Titulo, Legiſlatorum huc quædam.*

TIBERIVS, contra Libonem per ſeruorum quęſtiones ut inquireret, fraudem legi fecit, quòd illos emancipari, & deinde per tormenta inquiri iuſſit. Alex. lib. 3. cap. 20.

### INTERPRETANDO

Cùm Daniã grauiſſima fames inuaſiſſet, rex Snio conuiuiorũ uſum abrogauit, & ne qua ex fruge potio pararetur edixit. Tunc QVIDAM publicam continentiæ legem ridiculi operis acumine eluſit. Cereuiſiã enim pitiſſando & liguriendo, non bibendo, deſideriũ ebrietatis expleuit. A rege aũt non



modò bibere, uerumetiã pitiſſare prohibitus, conſuetudini tamen imperare non potuit. Madefactis enim potione cruſtulis ueſcebatur: non eſum, ſed potũ cereuiſiæ lege interdictũ aſſerens. Tum rex deos obteſtans, tale quid deinceps audentẽ ſe capitali ſupplicio affecturũ minatus eſt. Ille mortẽ temperãtia leuiorẽ ratus, cùm nullã ulteriùs excuſandæ cupiditatis defenſionẽ excogitare poſſet, palàm potioni indulſit. A rege uehemẽter obiurgatus, nõ hoc luxus, ſed pietatis cauſa à ſe factũ reſpondit: ſcilicet ut regi, quẽ primũ omniũ fame peritturũ ex inſolito iſto pauore colligeret, pro more lautiſſimo epulo parẽtaret. Rex acumine dicti ictus, ne grauius animos ſubditorũ offenderet, edictũ reuocauit. Saxo l. 8.

Fridericus III. Imper. cùm in Virtenbergenſi ducatu ex ſolennibus eccleſiarum conſecrationibus, ad quas tanquam ad prælium armati proficiſcebantur ruſtici, plurimas cædes oriri conſpiceret: edixit, ne quis arma in poſterum ſacra acceſſurus geſtaret. At RVSTICI rotulos horarios inuſitatæ magnitudinis, funibus non lineis exceptos, è collo demiſere: quibus gladiorum loco, orto tumultu utebantur. Plures itaque rotulis, quàm priùs enſibus interficiebantur. Ioannes Paulus in Iocoſeriis.

ANVS quùm uehementi febri conflictaretur, hoc uoto ſe Ioui obſtrinxit, ſi eius ope ab hoc morbo liberaretur, ſe per cẽtum ſoles, id eſt, dies, tantùm purã aquam biturã, & abſtemiam uicturã. Voti rea, ipſo die manu cribrum ſuſtulit, pérque eius foramina pluſquam cẽtum ſoles inſpexit, atq; hoc commento Ioui ſe ſatisfeciſſe putauit. Cognatus lib. 1. Narrat. ex 2. Græcor. Epigram. εἰς μεθύσους.

## SOBOLEM ASTVTE LIBEROS ACquirere, cùm aliàs, tùm per ſuppoſitionem. LIBERI ſuppoſititij.

*Conſule Tit. Liberorum acquirendorum cupiditas. Si Parentes, Aſtutia eſt ſupponentis, Stultitia eius cui ignoranti ſupponitur: ſi ſpectes Filios, Fortuita eſt parentum acquiſitio.*

THAMAR cùm uideret Selam iam adoleuiſſè, neq; tamen Iudã ſocerũ (cuius duos filios Erem & Onanim maritos habuerat) Selã filiũ ſibi iungere, qui fratribus defunctis ſemen excitaret, ꝙ uereretur, ne illi morerentur: habitu meretricio in uia, quæ itur Thamnã, ſedens, Iudæ prætereunti ſeſe proſtituit, & arrhabonis loco ab eo accepit anulum, uittã & baculũ, donec hircũ ei domũ mitteret. Tribus pòſt menſibus, cùm Iudæ nũciaretur, Thamarẽ eſſe prægnantẽ, Iudas igni cremandã præcipiebat. Arrhabonem illa oſtendens, præſenti ſe periculo liberauit, & perfidiã Iudę coarguit, qui ſibi Selam ex pacto non copulaſſet. Geneſ. 38.

PHILÆNIVM, ſtultum amatorem perſuadens, ſex dierum interſtitio feminam & maſculum peperit. De qua ſic Nicarchus in primo Græcorum Epigr. εἰς πόρνας:

> Τῇ μὲν γαστρὶ λαβοῦσα Φιλαίνιον, ἠλιθίῳ ἑῷ
> θήλειαν τίκτει παῖδ' ἀπὸ ταὐτομάτου,
> τοῦ δ' ἐπὶ θηλείῃ λυπουμένου, ἐξ ἀδελφείῃ
> ἤματα, ἔτικτεν ἄρσενα παῖδ' ἔφατο.
> οὕτω βεβαίωσις καταλύεται· εἰ γὰρ ἑκάστη
> τέξεται ὡς αὐτή, τίς θεοῦ ἔτι λόγος;

Ferunt VXOREM Philippi Macedoniæ regis Perſeum, qui à L. Paulo uictus eſt, poſt partum ſuſtuliſſe à matre ſartrice quadam Argolica, Gnathænia nomine, & clàm ſibi ſubieciſſe. Hinc potiſſimùm uidetur metu Demetrium fratrẽ peremiſſe, ne legitimum habens filium domus, ſuam aperiret ignobilitatem. Plut. in Aemilio.

Sic & EVTROPIA Syra, uxor Maximiani Herculij Imp. cùm mariti animum cuperet ſibi retinere deuinctum, ac ipſum enixè optare prolem intelligeret, ſimulauit ſe grauidam: uel cùm reuera grauida eſſet, ac filiã enixa, ſubiecit filiũ Maxentiũ: quo partus primus per ſe marito gratus, fieret ob prolẽ maſculum longè gratiſſimus. Sex. Aurelius, & Cuſpinianus.

HENRICVS F. Friderici Barbaroſſæ, rex Siciliæ inſtitutus fuit à Celeſtino III. Pont. & ut hæreditario iure illud uideretur obtinere, Conſtantiam F. Gulielmi II. regis (qui circa annũ 1107. obiit abſq; hærede) monialem iam ſexagenariam ei in uxorem dedit, medicorum conſilio, qui etiam uetulam párere poſſe aſſerebant. Intumuit paulo pòſt Conſtantiæ uterus: incertum quibus de cauſis. Creditum eſt à multis, prægnantem eſſe reginam: credidit etiam, cuius maximè intererat, Imperator. Ordinatum igitur eſt, ut in publico poneretur ad pariendum; auleis ad pudorem circumpendentibus. Prouiſum ferunt, ut in horam partus alienus ſupponeretur, quem enixa regina uideretur. Tres uno tempore mulierculæ non longè à reginæ domo pręgnantes, non longo interuallo omnes peperêre, phyſici, molendinarij, aucupis, uxores. Vnius ex tribus, incertum cuius, infantulus affertur & ſupponitur (ut aiunt) reginæ, ut ab illa progenitus à cæteris putaretur. Auito nomine pater illum uocare Fridericum, mater ſuo de nomine dici cupiebat Conſtantinum. Sed demùm uocatus eſt Fridericus: qui ad uirilem ætatem perueniens, orbis ſe Malleum eſſe prædicauit. Albertus Crãzius lib. 7. cap. 38. Metropoleos.

Cùm GVIDO Mõtis Ferrati Vrbinatium comes, grauiter ferret, ſe legitimos non habere liberos, ut in principatu ſucceſſorem inueniret, ſtabiliretq;: concubinæ, quam habebat, tanquam ex ſe ortum, ſuppoſuit Bernardini Vbaldini Cardæ filium, quem poſtea Fridericum nominauit. Sed ei haud multò pòſt ex uxore uerus natus eſt filius, cui Odoni Antonio nomen indidit. Eum ob ſceleſtam uitam cùm Vrbinates interemiſſent, Fridericus populi aſſenſu, tanquam naturalis filius Guidonis, ad principatum conſcendit. Atque ut Vrbinates Odonis ſcelus in ſe irritauerat, ita propter uirtutis magnitudinem Fridericum ueluti numen coluerunt: ſub eo quieta atq; æqua omnia, non minus quàm Romani ſub Numa, aſſequuti. Fulg. lib. 9. cap. 15.

## MATRIMONIVM, CONIVgium aſtutè
### CONTRAHERE, CONCILIARE.

*Conſule Tit. Raptorum.*

LABAN Bathuelis F. cùm pro ſeptennij ſeruitute Iacobo patriarchæ Rachelem promiſiſſet: eo exacto, noctu Liam ei ſuppoſuit clàm, hoc prętextu uſus, quòd non eſſet moris, iuniores antè collocare, quàm grandiores. Itaq; altero ſeptennio pro Rachele ſeruiuit. Gen. 29. Sex alios pro pecore. Cùm interea mercedem ei uel decies mutarit. Gen. 31.

AMASIS Aegyptiorum rex, cùm Cambyſi Perſarum regi filiam ſuam negare non auderet, propter illius potentiã, neque tamẽ dare uellet, quòd ſciret eum loco pellicis tantùm habiturum: Nitetim, filiam unicam Apriis ſuperioris regis à ſe interemti, grandem & ſpecioſam, ueſtibus & auro ornatam, Cambyſi miſit. At Nitetis dolum Cambyſi indicans, regem ad bellum Aegypto inferẽdum impulit. Herod. lib. 2.

CAMBYSES Perſarum rex ſororis nuptias ambiens, ne propter rei inſolentiã malè audiret, accerſit regios iudices, eoſque percontatur, Num qua lex ſit, quæ ſinat uolentem cum ſorore contrahere matrimonium. Iudices negant ullam eiuſmodi ſe legem inuenire: quandam tamen aliam inueniri, qua liceat regi Perſarũ facere quicquid libeat. Ergo Cambyſes eam duxit uxorem, & aliquanto pòſt etiam alteram natũ maiorem, Atoſſam nomine. Herod. lib. 3.

ARISTON Spartæ regnum obtinens, cùm è duabus uxorib. liberos non ſuſciperet, neq; in ſe culpã eius rei eſſe agnoſceret, tertiam duxit uxorem, hunc in modum. Erat ei amicus quidam intimus, Agetus Alcidis F. qui ſpecioſiſſimam habebat uxorem. Cuius amore illectus, cum Ageto ſic egit, dono ſeſe illi daturum unam è ſuis rebus, quamcunq; ille optaret: & uiciſſim iuſſit illum ſimile munus ſibi dare. Agetus nihil de re uxoria ſuſpicatus, cùm uideret Ariſtoni quoq; uxorem eſſe, accepit conditionem: & in eam rem iuſiurandum interpoſuit. Cui mox Ariſton è ſuis reb. precioſis donauit, quàm ille elegit. Ipſe uiciſſim, poſtulauit uxorẽ Ageti. Qui, licet inuitus, iureiurando tamen adactus, eam Ariſtoni conceſſit: quæ illi, repudiatã altera, ſeptimo mẽſe genuit Demaratum. Ariſton, cùm ei ſedenti in baſilica cum Ephoris quidam famulus nuncium nati filij attuliſſet, ſciens quo tempore duxiſſet uxorem, deductis in digitos menſibus, dixit iureiurando, Hic non eſt filius meus. Quod audiẽtes Ephori, haud magni fecêre in præſentia. Sed poſteaquam puer adoleuit, pœnituit Ariſtonem dicti, opinantem utique filium ſuum eſſe Demaratum: cui ideo nomen impoſitum eſt Demaratus, id eſt, à populo uotis petitus, quòd antè eũ natum omnis populus uota fecit, ut Ariſtoni omnium ante id tempus regum probatiſſimo filius gigneretur. Interiecto deinde tempore, Ariſtone uita functo, Demaratus obtinuit regnum. Herodotus lib. 6.

ANTIOCHVS, Seleuci F. regis Syriæ, amore deperiens Stratonices nouercæ, Demetrij Poliorcetis F. quæ puerum iam ex Seleuco patre ediderat, perpendens dira ſe libidine teneri, & ægritudine affligi deplorata, rationem quæſiuit uitæ deponendæ, corpuſq; inſtitit ſenſim curationis negligentia atque inedia conficere, morbum ſimulans. At medicus ERASISTRATVS facilè amorem eius deprehẽdit. Verùm, ut cuius amore flagraret, quod coniecta erat arduum, exploraret: agebat aſſiduè apud eum in cubiculo. Si quis formoſus adoleſcẽs uel femina ingrederetur, obſeruabat Antiochi uultum & membra, quæ potiſſimùm ſolẽt affectibus animi cõſentire, ac corporis inſpiciebat motus. Cùm igitur ad cæterorum ingreſſum nihil moueretur, Stratonice uerò & ſola & cum Seleuco ſubinde eum inuiſente, illa Sapphûs in eo omnia exiſterent, uocis compreſſio, rubor uultus igneus, tectus oculorum coniectus, ſudores præcipites, confuſio & perturbatio pulſus, deniq; ui uicto animo perplexitas, ſtupor & pallor: his ueriſimilibus cõiecturis reputans Eraſiſtratus, in nullam aliã exardeſcentem regis filium

in ſilentio ad mortem uſq; perſeuerare, graue hoc putauit enunciare & detegere. Attamē indulgentia fretus in filium Seleuci, tentauit aliquando aperire ei, amore adoleſcentem affligi, ſed deplorato amore incurabiliq;. Obſtupefacto & rogante rege, Quemadmodum incurabili? Quia herclè, inquit Eraſiſtratus, meā amat uxorem. Et tu, infit Seleucus, neges, Eraſiſtrate, qui amicus noſter es, haſce filio meo nuptias? idq; qui unū hunc cernis rerū noſtrarum ſacrā anchoram eſſe? Ne tu quidē, inquit ille, id facias pater, ſi Stratonicen Antiochus adamaret. Vtinā uerò, inquit, amice, deus aliquis uel homo eò traducat morbum. Nam equidem uel regnum, modò retineā Antiochum, cupiā dimittere. Ita commoto Antiocho multis cum lacrymis, dexterā Eraſiſtratus iniecit, &, Nihil eum Eraſiſtrato ait indigere: nā cū pater, uir, & rex eſſet, ipſum ſimul medicum domus ſuæ optimum fore. Hinc Seleucus concione militum aduocata, nuptias Antiochi & Stratonices promulgauit. Plut. in Demetrio.

ROMVLVS urbem cùm uideret refertam aduenis, quorum haberent pauci cōiuges, reliqui ex egenis conflati & obſcuris contēnerentur, neq; putaretur conſenſus eorum duraturus, niſi cum finitimis Sabinis, qui tamen exulum & perfugarū connubia auerſabantur, amicitiam contraxiſſent: primùm diuulgauit, dei cuiuſpiam defoſſam ſe ſub terra arā reperiſſe, Conſum uocabāt deum: ſiue conſiliorū ille præſes, à cōſilio uel cōſulibus dictus, ſiue Neptunus equeſtris fuit. Hæc ara in circo maximo eſt, aliàs operta, ludis Circēſibus aperitur. Alij dictitant, quia planè arcanū debeat eſſe & tectum conſilium, rectè deo aram, quæ ſub terra eſſet abdita, ſacratam fuiſſe. Ob eam inuentā, magnificum ſacrificium, ludos, & ſpectaculū ſolenne finitimis indixit & cōcelebrauit. Multi mortales conuenēre: ille cum principibus trabea amictus præſedit. Signum dederat adoriendi, cùm ipſe exurgens cōplicaſſet trabeā, rurſuſq; indueret. Multi gladiis accincti oculos tenebāt in eum intentos. Dato ſigno ſtringūt enſes, & magno clamore ad capiendas Sabinarum filias diſcurrunt. Fugientes omiſerunt Sabinos, neq; ſunt eos ſecuti. Raptas aiunt hi triginta tantùm, & ab eis nominatas curias: Valerias Antias quingentas uiginti ſeptem: Iuba, octoginta tres ſupra ſexcētas uirgines. Id Romulum ſubleuauit potiſſimùm, quòd matronam niſi unā non rapuiſſent Herſiliam, idq; imprudentes. Quippe quos non libido, non iniuria ad rapiendū inſtigauiſſet: ſed ut cōmiſcerent coniungerentq; utranq; gentem arctiſſimis uinculis. Inter uirginum raptores fuiſſe aiunt plebeiorum globum, qui puellā longè ante alias inſignem ſpecie & ſtatura ducebant: quā iis cùm quidam eripere ex primoribus conarentur: Talaſio ferri, illi clamitauerunt, iuueni claro proboq;. Quo audito gratulatione & plauſu eos collaudaſſe: fuiſſe etiam qui regreſſi comitarentur gratia & fauore Talaſij, Talaſio conclamantes. Inde Romanis in hunc uſq; diem uox nuptialis facta, ut Hymenæus Græcis. Nam proſperè Talaſio ceſſiſſe hoc matrimoniū, aiunt. Sextius Sylla Carthaginenſis retulit, eam uocem pro ſigno dediſſe Romulum ad raptū. Itaq; qui uirgines abducebant, conclamabant omnes Talaſio: atq; hinc relictum hunc morem nuptiis. Pleriq;, inter quos eſt Iuba, adhortationē & incitationem ad laboris ſedulitatem & lanificium, quod Græci ταλασίαν dicunt, cenſent: nondum id tēporis Italicis uerbis cum Grecis confuſis. In fœdere quod Sabini poſt bellum pepigerunt cum Romanis, conuenit, ne aliam operam uiris, quàm circa lanificium præſtarent uxores: qui mos ſecutis nuptiis permanſit, ut qui elocarēt puellas, uel deducerēt, uel præſentes eſſent, omnino Talaſio acclamarent per luſum: teſtantes ad nullum aliud quàm lanificium munus, ſponſam adduci. Seruatur hinc etiam hodie, ne limen ſponſa ipſa tranſcendat in domum, ſed ſublata inferatur, quòd ui tunc illatæ, non ingreſſæ eſſent. Addūt quidam, quando ſponſæ capillos haſtæ diſcriminent cuſpide, primas nuptias denotare ui & hoſtiliter contractas. Admiſſus hic raptus eſt octauo decimo die Sextilis, quē nunc uocant Auguſtum, quo Conſualia celebrant. Exorto inde bello, uictor Romulus uictos in ciuitatem tranſtulit, eaq; ratione Romam amplificauit. Plut. in Romulo.

Q. HORTENSIVS, magna uir auctoritate, & probatis moribus, M. Catonis geſtiens non familiaris modò & amicus eſſe, ſed omnem ſemel neceſſitudine & conſortio familiam & genus ſuum cum eo conſociare: non dubitauit cum eo agere, ut filiā Porciam, Bibulo nuptā, cui partus duos ediderat, ſibi inuicem uelut frugiferum agrum collocaret ad ferēdam ſtirpem. Nam eſſe hominum quidē illud opinione nouum, natura tamen pulcrum & ciuile, Mulierē in ætatis flore non uacare, uel fœcunditatem extinguere: neq; maiore quàm neceſſe eſſet, primogenita ſobole onerare, & obruere domum non requirentem. Communicationem autem inter probatos uiros inuicem mulierum, tum uirtutem prorogare, & dilatare ſtirpibus, tum ciuitatem mutuis neceſſitudinibus conglutinare. Quòd ſi retinere Bibulus omnino uellet coniugem: ſimul atq; peperiſſet, ubi arctiore communiū liberorum uinculo eſſet Bibulo & Catoni conglutinatus, reſtituturum ſe eam. Cùm reſpondiſſet Cato, Hortenſium ſe charum habere, probareq; neceſſitudinis ſocium, uerùm alienum arbitrari, ipſum de filiæ nuptiis uerba facere alteri collocatæ: mutato ille ſermone non dubitauit ei aperire, ipſius Catonis ſe petere uxorem, licèt iam prægnantem: quòd iuuenis etiamnum eſſet, & Catoni ſatis magna eſſet proles. Animaduertens ergo Cato Hortēſij deſiderium & ſtudiū, non pręſcidit ei: Sed oportere, reſpondit, Philippum quoq; hoc probare Martiæ parentem. Vt igitur appellatus Philippus concedere id cognouit Catonem, non aliter deſpondit ei Martiam, quàm præſente illo & ſponſalia comprobante. Plutarchus in Catone minore.

Alexij Gręcorum Imp. defuncti VIDVAM, principes & alij ad nouum hortabantur connubium: ut ex omni procerum nobilitate ſibi quem uellet, in maritum legeret. Tenebatur hęc interim cōſuetudine domeſtici cuiuſdam exoleti, Grifonis nomine, qui poſt occupatum imperium Emanuel dici uoluit. Huic clàm ad ſe uocato nefarium aperit conſilium: Eſt, inquit, mihi in animo, ne nouo matrimonio locata fructu noſtræ conſuetudinis careā, te, ſi uir uerè ſis, ad imperij faſtigium promouere: ſed intellige tu, qua id ratione cōfici poſſit. Audio te multos tuæ familiæ uiros habere, in agris omnino agentes: hos omnes tectis armis in urbem diuerſis itineribus diuerſoq; tempore inducas uolo: inde quum tempus aderit, in parte ædium ad cædem paratos eſſe oportebit. Tum procerib. Imperij uocatis, ſtipulari ab eis incipiā, uelint iubeantq; me nubere, cui uelim: ſint ne, cui nupſero, pro Græciæ Imperatore habituri. Si ſe id facturos (quod nō dubito) dixerint: tū ego te & meū coniugem & Imperatorē ſalutabo: in tua uerba cogā iurare omnes. Quod ſi facere recuſabūt: tum hominib. tuæ factionis ad unum trucidandos obiiciā. Probat ferox & amans iuuenis mulieris conſilium: atq; omnibus, ut inter eos cōuenerat, comparatis, auerſati principes tam ſordidas nuptias, ad unum ferro cæſi ſunt: atque ita eo die ab iis qui ex Conſtantino procreati erant, deſitum eſt in Græcia imperitari. Sab. lib. 7. Dec. 1.

EVDOCIA Conſtantini Ducæ Imp. uxor, iureiurando marito morituro promiſerat, à ſecundis nuptiis ſe temperaturā: ac in ſyngrapham iurauerat: quæ patriarchæ Ioanni Xiphilino cuſtodienda data eſt. Sed Romani Diogenis amore inflāmata, cùm eum & Imperatorem & maritū expeteret: callidè ſyngraphā à patriarcha recuperauit: Eunuchum quendam ſubornans, qui diceret, Imperatricē illius è fratre nepotis amore captam eſſe, nihilq; reſtare, quàm ut chirographū reddat, quo iureiurando ſoluatur. Annuit pontifex, & perſuaſis ſenatoribus, iuriſiurandi chirographum Imperatrici reſtituit. Quo illa accepto, nupſit Diogeni. Zonaras.

ANDRONICVS Comnenus, unà cum Alexio Porphyrogenito, Manuelis Imp. F. regnum adminiſtrās, filiam ſuam Irenen, ex conſobrina Theodora Comnena contra leges ſuſceptam, Alexio, Manuelis ex inceſto concubitu Theodoræ filio, deſpondere cùm uellet: breui ſcripto ad procerū concilium miſſo deliberandum proponit, An locū habere poſſet matrimonium, inſolens quidē, ſed quod ad Orientis & Occidentis coniunctionem & captiuorum redemtionem pertineret, ac plura alia commoda Reipub. allaturum eſſet? Homines auari, & res diuinas cauponari ſoliti, eas perſonas inter ſe cognatas eſſe negabāt: propterea quòd ex illicitis nuptiis procreatæ, nihil cum iure cognationis commune haberent. Alij uerò nuptias iſtas inceſtas deteſtabantur, pauci numero, patriarchæ Theodoſij ſtudio incitati: qui ubi ſe nihil proficere cerneret, è ſacro Palatio in inſulam Terebinthum, ubi ſibi diuerſorium & ſepulcrum ſtruxerat, diſceſſit. Andronic⁹ nuptias perfecit: Bulgarorū epiſcopo, qui tū fortè in urbe erat, ceremonias matrimonij peragente. Nicetas.

VLVO cognomento Sprochaleg, natione Suecus, Vrſi ſemiferi nepos, Thrugilli F. Canuti II. Danorū regis, tunc in Anglia commorantis, miles, Suecos in Scaniam aſſiduè irrumpentes reprimendi conſilio, à Canuto ad ſororem Eſtritam literas accipit, quibus, quicquid Vluo peteret, facere iubebatur. Perſuaſerat enim Canuto, ſe (acceptis ab eo militum copiis) bellum aduerſus Noruegianum regem S. Olaum, & eius confœderatum Amundum Sueonum regem geſturū. Cùm ad Eſtritā perueniſſet, Vluo eius nuptias facilè impetrauit, cùm ipſa crederet, fratris conſenſu fieri. Peractis nuptiis Canutum metuens, cum cōiuge in Sueciam rediit, deditq; Amundo & Olao conſilium Daniæ inuadendæ. Saxo lib. 10. & Io. Magnus lib. 17.

ROSSA ſerua, Solymanni Turcarū Imp. concubina, ut in matrimoniū Imperatoris ueniret, ſuiſq; liberis ex ipſo cōceptis imperiū aſtrueret, hoc dolo uſa eſt. Mupletū ſacrorum principem certiorē facit, conſtituiſſe ſe in honorē Dei & Mahometi prophetæ templū cum xenodochio extruere: dubitare, an Deo gratū hoc ipſo factura eſſet. Reſpondit ille, Gratum



quidē Deo id fore, non tamē in Roſſæ, ſed in Solymanni, cuius ſumtu ipſa utpote ſerua ædificaret, ſalutē ceſſurū. Hic illa ſortem ſuā deteſtari, cibo potuq; abſtinere, æternas pœnas metuere cepit. Solymannus cùm incredibili amore eam proſequeretur, diplomate miſſo liberā eſſe uoluit, iuſſit. Illa templū ædificat, & Solymannū ad ſe, ut antè, cōmeare cupientē, libertatis obiecto priuilegio deterret. Neq; enim cum libera Turcis extra coniugium rē habere licet. Amore ardens Imp. eam ſibi matrimonio iungit, quinq; aureorum ducatorum millibus annuis, dotis nomine, aſſignatis. Aſcanius Centorius lib. 6. com. bellorum Tranſyluanię.

Quidā nomine Martinus Guerre, relicta iuuene uxore, in militiā proficiſcitur. Elapſo demùm octauo poſt eius diſceſſum anno, quidam ARNALDVS Tillius (ſed ſibi illius Martini Guerre nomen aſſerens, quòd ei omnibus oris lineamentis aſſimilis eſſet) ad illā cùm ueniſſet, ab ea pro marito recipitur: quippe quē eſſe Martinum Guerre, non ipſa ſolùm, ſed quatuor ipſius Martini ſorores, aliiq; nonnulli propinqui, & cū his amici uiciniq; omnes, perſuaſiſſimū haberent. Nā præter illam oris ſimilitudinem, qua potiſſimùm fretus hoc facinus aggrediebatur, indicia omnia, quæ à uero marito afferri poterant, afferebat: & uaria ſuperioris tēporis facta dictaq; illi in memoriā reuocans, ad arcanos uſq; ſermones ab illa & marito habitos, dū prima in nuptiali thalamo ueſtigia ponerēt, & alia quorū nox conſcia ſola eſt, progrediebatur. Ea aūt partim ex uero marito reſciuiſſe, cū quo illi ex cōmilitio ſumma familiaritas interceſſerat, partim magicæ artis auxilio diuinaſſe, creditus fuit. Sed cùm per tres annos cū illa conſueuiſſet, duob. iam ſuſceptis ex ea liberis: quarto tandē ineunte anno, cùm eius impoſturæ ſuſpicio mulieri oborta eſſet, actionemq; in eum intendiſſet, in carcerē conIicitur. A iudice ſecundario dānatus, cùm ad curiam Toloſanam prouocaſſet, ſic ad infinitas propemodū eius interrogationes reſpondit, totq; probabilibus argumētis innocentiam ſuam tueri uiſus eſt (præterquam quòd tot eum teſtes, aut circiter, ſuo teſtimonio ſubleuabant, quot erant ij qui ſuo eundem teſtimonio premebant) ut uocatis ad calculum omnib. cōiecturis, nec dānare illū, nec abſoluere curia Toloſana auderet. Hæſitantib. in re tā perplexa iudicibus, uerus maritus Martinus Guerre aduenit: moxq; quā ſibi factā uidet iniuriam, iudicibus exponit, eorumq; opem implorat. Verùm ille alter ſuppoſititius maritus, poſtquam cum hoc uero commiſſus fuit, tot eum obiectionibus oppugnare cepit, ut aliquandiu ſuſpenſos, ſicut & antea, iudices tenuerit: donec tandem ille paulò poſt reditum, ab uxore ueniā poſcente agnitus, nec non ſororum aliorumq; multorum palinodiam canentium teſtimoniis comprobatus uerus maritus, ſuæ uxori ſuæq; domui redditur: alteri aūt ſuæ impoſturæ præmium, domiciliū in patibulo datur. Alij ſua fallacia in principū imperia aut in aliorū bona inuolarūnt: at hic in alienæ uxoris poſſeſſionem inuolauit, & fabuloſum Plauti Iouem non fabuloſè imitatus eſt, ut teſtatur ſententia, quā aduerſus eum curia Toloſana tulit, lite primùm apud eam intēdi cepta, anno MDLIX. unde hanc narrationem excerpſit Hen. Stephanus in Apologia pro Herodoto.

DISSOLVERE, ELVDERE.

EVBATES Cyrenſis Olympionites, Laidi, quæ nuptias eius uehementer expetebat, ſeſe aſſentiri ſimulauit, & finitis ludis eam ſe ducturū aſſeruit. Mox uictor, Laidis pictā imaginē ſecū auexit, ut pactis ſtaret, & à meretricis interim amore liberaretur. In alterutro peccauit, uel in promittēdo, uel in promiſſo aſtutè interpretando. Aelian. lib. 12. de Var. hiſt.

Lex erat à Pontificibus Romanis lata, ne uir eius feminæ uel uxoris potiretur concubitu, quæ baptizandæ ſobolis commater extitiſſet. FREDEGVNDIS pellex Chilperici Francorum regis, gnara huius decreti, exoſam cupiens marito reddere uxorem legitimam Audouerā, inſidioſè ei perſuadet, ut pro recèns nata filia baptizāda abſente marito, ipſa fideiuberet. Audouera nihil mali ſuſpicata, obtemperat, propriæq; filiæ teſtis in baptiſmo exiſtit. Fredegundis reuerſo regi mox negotium totum aperit. Rex iratus, uxorem repudiat: & epiſcopum, quòd baptizādæ filiæ matrem teſtem admiſerat, exilio damnat. Adon ætate quarta ſub Iuſtino iuniore: Robertus Guagninus lib. 2. de Chilperico.

Olaus Triggonis, primus apud Noruegianos Chriſtianus rex, ut iniurias, quas pridē Dani Noruegianis intulerant, uindicaret, Suenonemq; Danorum regē in ſuam redigeret poteſtatem: in ſocietatem belli Sueonum regem Olaum pertrahere ſtuduit. Ergo miſſis ad Olai matrē Sigrithā uel Syrithā, Sueciæ reginā, Erici Victorioſi uiduā, legatis, effecit, ut ipſa in ſuum coniugiū conſentiret. At SVENO Danorū rex ſibi metuens, implacabile odiū inter Suecię & Noruegiæ reges ſuſcitare cogitauit, ne ipſis pariter Daniā impugnantib. opprimeretur. Itaq; duos ſatellites ſubornauit, qui transfugarum ſpecie ad Olaum Noruegianū ſupplices peruenerunt. A quo benignè excepti, ceperunt Suenonē regem calumniari, & ſimul eius filiā Thyram eximia laude extollere. Olaus perſuaſus, filiā Suenonis per legatos ſibi deſpōſari impetrauit: Sigritham uerò ad ſe ſub colloquij ſimulatione in nauigium, quò uectus aduenerat, inuitauit. Quæ cùm nauē aſcēſura pedē penſili ligno, quod in eum uſum affixum erat, imponeret: præceps in mare decidēs, difficulter ſuorū auxilio à morte liberatur, & in litus ſemianimis reportatur. Poſteaquā ad ſe rediit, perfidiam hominis deteſtata, Suenoni Dano nupſit. Sueno filiam Thyram Olao deſponſatā denegauit. Ita Olaus duobus illuſtriſſimis cōiugiis deſtitutus, dum alterum ſtolidè contemnit, ab altero turpiter repulſus eſt. Cùm uerò armis iniuriā uindicare conaretur, bello nauali à Suenone Dano, & Olao Gotho ſuperat⁹, è puppi in mare ſeſe præcipitem dedit. Olaus Gothiæ regno Noruegiam adiunxit. Io. Magnus lib. 17. cap. 17. ex Saxonis lib. 10.

ERICVS Diſertus, Frothonis Danorum regis ſorore Gunuara in uxorē ducta, à Frothone ad Gotari Noruagiorū regis filię Aluildæ nuptias impetrādas ablegatur. Gotarus Gunuaræ amore captus, Erico ſuadet, ut Aluilda ducta ſibi Gunuarā relinquat. Ericus mente Gunuaræ erga ſe confirmata, Aluildæ quoq; clàm perſuadet, ne cuiquā alteri quàm Frothoni nubat. Dies proinde ſimulatis nuptiis indicitur. Sub eodē tecto, contiguis tricliniis, in altero Gotarus cum Gunuara, in altero Ericus cum Aluilda conuiuabatur: medium aūt parietem exemtili aſſere peruium fecerat Ericus. Gotarus ergo cùm poſt epulas Erici tricliniū peteret, Gunuara, ſicut antè iuſſa fuerat, peruium tranſgreſſa parietē, proxima Erico aſſedit. Gotarus, qualiter & quare eò ueniſſet, percontari impenſiùs cepit. Illa ſororem ſe Gunuaræ, regemq; formarū falli ſimilitudine memorabat. Cuius cùm rex cognoſcendi cauſa triclinium ſuum repetiuiſſet, Gunuara per eundem locum properè regreſſa, priſtino in loco cōſedit. Qua uiſa Gotarus parum ſibi credens, ad Ericum reuerſus, Gunuaram uidit. Ita quoties aularum aditus permutauit, toties utrobiq; quam quærebat offendit. Soluto tandē conuiuio, filiam & Ericum nuptiali in cubiculum uſq; comitate proſequitur. Ericus Aluildam Frothoni deſtinatam ſeorſum cubare permittit, Gunuaram ad ſe recipit. Gotarus noctu percuſſores Erico & Gunuaræ immittit. Quibus repulſis, Rolleri fratris ope Ericus regem fugat, direptaq; regia prædam nauibus impoſitam cum Aluilda ad Frothonem producit. Saxo libro quinto.

---

## CONTRACTVS. FRAVS in Contractibus.

*Conſule Tit. Perfidiæ in contractibus uoluntariis. Illic Fidei non ſeruatæ, hic Aſtutiæ ratio habetur. Subiecto quidem conueniunt, at conſideratione ſubiecti differunt.*

EMTIO, VENDITIO FRAVDVLENTA.

Extant Alexidis iocoſi uerſus, quibus negat meracum bibi, quòd uinū in ipſis, quib. aduehitur plauſtris, iam dilutū uendatur à CAVPONIBVS, non quòd ea ex re quæſtum captēt illi quidē, ſed ut emtorū capitibus conſulāt, quib. alioqui periculū eſſet à crapula. Eius uerba ſunt hæc: ——πωλῦσι γὰρ

*Ἐν ταῖς ἁμάξαις εὐθέως κεκραμένον,*
*Οὐχ ἵνα τι κερδαίνωσι, τῶν δ' ὠνουμένων*
*Προνοούμενοι, τὰς κεφαλὰς ὑγιεῖς ἔχειν*
*Ἐκ κραιπάλης.*

PYTHIVS quidam, cùm audiuiſſet, C. Cannium equitem Romanum Syracuſas otiandi cauſa, non negotiandi (ut ipſe dicere ſolebat) ſe cōtuliſſe, ut hortulos emeret, quò inuitare amicos, & ubi ſe oblectare ſine interpellatorib. poſſet: dixit, Se quidē hortos non habere uænales, ſed licere uti Cannio (ſi uellet) ut ſuis, & ſimul ad cœnā hominem in hortos inuitauit in poſterū diē. Cùm ille promiſiſſet, tum Pythius, qui eſſet, ut argentarius, apud omnes ordines gratioſus, piſcatores ad ſe conuocauit, & ab his petiuit, ut ante ſuos hortulos poſtera die piſcarētur: dixitq; quid eos facere uellet. Ad cœnam tēpore uenit Cannius. Erat opiparè à Pythio apparatum cōuiuium: cymbarū ante hortulos multitudo, pro ſe quiſq; quod ceperat, afferebat, ante pedes Pythij piſces abiiciebantur. Tum Cannius: Quæſo, inquit, quid hoc eſt Pythi? Et ille, Quid mirum, inquit, hoc loco eſt Syracuſis quicquid eſt piſcium: hìc aquatio, hac uilla iſti carere non poſſunt. Incenſus Cannius cupiditate, contendit à Pythio, ut uēderet. Emit homo cupidus & locuples tanti, quanti Pythius uoluit. Inuitat ſic Cannius poſtridie familiares ſuos. Venit ipſe maturè. At ſcalmum nullum uidens, à Pythio ſe fraude deceptum eſſe cognouit. Cicero lib. 3. Officiorum.

Romæ, cùm in arce auguriū Augures acturi eſſent, iuſſiſſentq; illi T. CL. Centimalum, qui ædes in Celio monte habebat, demoliri ea, quorum altitudo officeret auſpiciis: Claudius proſcripſit inſulam, uendidit: emit Publius Calphurnius Lanarius. Huic ab Auguribus illud idē denunciatum eſt,

eſt. Itaq; Calphurnius cùm demolitus eſſet, cognouiſſetq; Claudium ædes poſtea proſcripſiſſe, quàm eſſet ab Auguribus demoliri iuſſus, ad arbitrum illum adegit, quid ſibi de re ea facere oporteret, ex fide bona. M. Cato ſententiam dixit, Cùm in uenundando rem eam ſciſſet, & nō pronunciaſſet, emtori damnum præſtari oportere. Ibidem.

M. CRASSVS facultates ſuas maximas ex igne & bello ciuili conflauit. Siquidem cùm Sylla capta urbe bona ab ſe interemptorum ſubhaſtaret, prædam eam ſuā & cenſens & appellans, idq; agens, ut quàm plurimis ex potentiſſimis ciuibus illud inureret piaculū: nullum donū uel ſectionē repudiauit. Iam conſiderans ædificiorū, propter molem & frequentiam, incendia ac ſedimenta, ſeruos comparauit architectos & fabros. Quibus ad quingentos paratis emtitabat inflammata & uicina inflāmatis, quæ domini metu & incertitudine caſus, uili precio dimittebāt. Ita pars urbis maxima in illius recidit mancipiū. Qui cùm manū tantā haberet artificum, niſi propriam domū nihil ipſe ædificauit, cupidos dicens ædificandi à ſemetipſis euerti ſine aduerſariis. Ciuibus uerò, qui ædificare uellēt, operas ſeruorū locabat mercede, ac ſimul areæ ſpaciū cuiq; pro ſuo arbitrio ad ædificandū uendebat. Multas poſſidebat argentifodinas, agrum precioſum, multoſq;, qui eum exercerent. Plut. in Craſſo.

## SOCIETAS FRAVDVLENTA.

Cùm olim in ſacrificiis mos eſſet ſolidas hoſtias igne abſumere, nec poſſent ob ſumtus magnitudinem pauperes ſacrificare: PROMETHEVS Iapeti & Aſiæ F. egit cum Ioue, ut media tantùm hoſtiæ pars igni daretur ſacris, altera media cederet in uſus hominū. Ipſe ergo duos tauros Ioui immolauit, utriuſq; oſſa pingui operuit, & corio unius, carnes uerò corio alterius: deditq; Ioui optionē, ut quē illorū taurorū uellet, eligeret. Iupiter ſimplex deus, nihil ſuſpicatus ineſſe fraudis, quē primū habuit ad manū, cepit, oſſa uidelicet. Dolo deprehenſo ignem remouit ab hominibus, ne ſacrificare poſſent. Prometheus uerò ignem ferula ex illo Ioueo & cœleſti ſurripuit, communicauitq; cum mortalibus. Ideo Caucaſo affixus eſt, aquila eius iecur ſubinde renaſcens depaſcente. Hyginus.

## IN DEPOSITO FRAVS.

Apud AEGINENSES in Achaia, in foro conſpiciebantur olim duo ænea ſigna, in cella quadam Neptuno & Herculi dicatā, Argeos nuncupant: uel ꝙ (ut Argiui dicunt) Argis fabricata fuerint: uel (quod Aegienſes ipſi uulgarunt) depoſita illa apud ſe ab Argiuis aſſeruarint. Quibus cùm iuſſi eſſent quotidie ſacra facere, quò id ſine publica impenſa fieret, excogitaſſe, ut ea ipſa, quibus poſtea in epulationib. ueſcerentur, diſq; rem diuinā facerent, conſecrarent. Sed enim cùm depoſitum aliquādo repetiſſent Argiui, ſe quoq; repetiſſe, quam in ſacra erogaſſent pecuniam: illos cùm ſoluendo non eſſent, ſigna reliquiſſe. Pauſanias in Achaicis.

Ancilla quædā Athenienſis pecuniā depoſiti nomine à duob. HOSPITIBVS acceperat, ea cōditione, ut illā ſimul utriſque redderet. Horū alter interiecto tēpore, tanquā mortuo ſocio, ſqualore obſitus, deceptæ oēs numos abſtulit: ſuperuenit deinde alter, & depoſitū petere cepit. Hærebat miſera. At Demoſthenes, ut ei in aduocationē uenit: Mulier, inquit, parata eſt depoſiti fidē ſoluere: ſed niſi ſocium adduxeris, id facere non poteſt. quoniam, ut ipſe uociferaris, hæc dicta eſt lex, ne pecunia alteri ſine altero numeretur. Iudices pro rea prudenter pronunciarunt. Val. Max. lib. 7. cap. 3.

Emiſenorum eccleſia à Mamiano patricio ante multos annos hæres erat inſtituta. Priſcus Emiſenus, in alienis literis imitādis ſolertiſſ. cùm ciuiū opulentiſſ. annotaſſet, corū maioribus accuratè perueſtigatis, antiquas eorū literas nactus, libellos multos, quaſi ab illis ſcriptos, cōpoſuit, qui confiterentur, ſe Mamiano pecuniā magnam reddituros, quam ab eo depoſiti nomine accepiſſent. Ac pecunia fictitiis iſtis libellis cōprehenſa, non minus centū centenariis cōfecit. Eas literas procuratorib. Emiſenæ eccleſiæ tradidit, partem huius pecuniæ ipſis pollicitus. Cæterùm lex obſtabat, cauſas omnes ad annorū XXX præſcriptionē redigens, paucas uerò quaſdā & hypothecarias oēs XL annorum ſpacio excludens. Byzantium profecti, & Imperatori Iuſtiniano pecuniā largiti, impetrarunt, ut appellationum cauſæ C annorum ſpacio concluderentur. Suidas.

Syneſius in epiſtola ad fratrem, meminit EVTHALII cuiuſdā impoſtoris inſignis, qui binas crumenas concinnarat, adeò ſibi mutuo ſimiles, ut nō potuerit magis: earū alterā aureis numis impleuerat, alterā æreis: ac priorē quidem, abſtruſā altera, apud publicanos produxit, mox eius loco, adnumerata iam & ad bilancē appenſa pecunia: alteram ſuppoſuit clanculū, acceptis interim publicis tabellis cō ſignatis, quæ acceptū aurū teſtabantur. Similis impoſturæ rudimentum experta eſt noſtra regio, inquit Iunius, ubi pari arte fraus uſurario facta eſt, pro coriaceo inuolucro, quo pateræ argenteæ continebantur, ſuppoſito altero, quod ſtanneæ capiebat. Hadrianus Iunius centuria 8. Adagiorum.

IO. IACOBVS Schutz, à Troubach, Argentinæ hoſpiti cuidā cathenam orichalceā magni ponderis ſeruandā dedit pro aurea. Mox ab hoſpite mutuā pecuniam petiit. Hoſpes non grauatim dedit, pignore depoſito fretus. Schutzius cū locū, in quo cathenā hoſpes depoſuerat, obſeruaſſet, clàm eā abſtulit, & in cloacā proiecit. Depoſitū inde repetiit. Hoſpes nil de fide illius ſuſpicatus, à fure quodā ſublatā credebat. Cōmodùm interea falſi crimine cōuictus Schutzius, cū iā ceruicē carnifici ſecandā præberet, fraudē cōtra hoſpitē cōmiſſam faſſus eſt. Beatus Rhenanus lib. 3. rerum German.

HVLDRICVS Vagner, caupo Villiſſouienſis in Heluetia, Egidium Spilmannū, ciuem Bernēſem locupletē, hoſpitio exceperat. Ei loculos ſuos Egidius bona fide ſeruādos cōmittit. Caupo perfidus apertis loculis ſigillum reperit, eoq; chirographum Egidij nomine ſcriptū, magnam pecuniæ uim ſibi à caupone cōmiſſam, in trium teſtiū præſentia fatentis, obſignat. Aliquot annis pòſt, cū teſtes duos (nā tertius iam obierat) pecunia corrupiſſet, Egidium in ius uocat, depoſiti reddendi cauſa, literas profert, teſtes producit. Egidius cogentibus amicis, cum eo paciſcitur, & morā ſolutionis uix impetrat. Interea caupo Lucernæ Archigrāmatei ancillā, ipſo abſente, occidere aggreſſus, ut domum inde compilaret, ictu aberrans, ancillæ clamore proditus & captus, poſtquam perfidiam ſuam erga Egidium detexit, rotæ ſupplicio affectus eſt. Teſtes falſi Bernæ bullienti oleo immerſi perierunt. Stumpfius lib. 7. Heluetiæ.

## LOCATÆ OPERÆ FRAVS.

LATOMVS quidā apud Batauos ſtabula ingreſſus, lupi ſtercus clàm in præſepib. abſcondebat. Cuius odore, ut uoracis ſui hoſtis præſentia, ob antipathiā, ueluti malefico actu, territæ pecudes, ultrò citroq; exultare, & inſolito concitari furore uidebantur: unde turbati ruſtici incantamentū eſſe cōiicerent. Quocirca ad fabulæ actorē, uelut è ſpecula hæc obſeruantē, atq; ſanandi maleficij nomine celebrem concurrebatur: qui tecta faſcini materia, lupi nimirū excremento, occultè ablata, ocyùs malum amoliebatur. Sublata enim cauſa, tollitur effectus. Sic rem qualemcunq; ex hac profeſſione faciebat. Vierus lib. 4. cap. ult. de Præſtig. dæmon.

## IN AERE ALIENO FRAVDVLENTI.

Cùm apud Rom. calendarij poteſtas penes pontifices tantùm eſſet: ſæpe fraude SACERDOTVM, qui publicanis proferri uel imminui conſultò anni dies uolebant, modò auctio, modò retractio dierum proueniebat: & ſub ſpecie obſeruationis, emergebat maior cōfuſionis occaſio in calendario. Quam poſtea C. Iul. Cæſar magna ex parte ſuſtulit & correxit. Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 14.

## DEBITVM, CREDITVM, MERCEDEM uel Stipendium aſtutè differre aut negare.

MEMNON Rhodius à militantibus auferebat ſolutiones & ſtipendia ſex dierum in anno, quos dicebat exemtos: dicēs, his diebus neq; cuſtodiam illis ullam eſſe, neq; itineris expeditionem, neq; ſe impenſas facere. Ante id tempus dabat militibus ſtipendia, ſecunda die à nono menſe. A primo quidem menſe præteribant dies tres, à ſequenti quinque, & ita uſque ad triceſimum diem: ſicq; in anno menſem unum à militibus iterum auferebat. Ariſt. in Oecon.

Corax primus apud Syracuſas, mortuo Hierone, Rhetoricen inſtituit mercede profiteri. LYSIAS adoleſcens pactus eſt cum eo, ut dimidium iam tunc daret, reliquum dimidium tum ſolueret, quo primo die cauſam apud iudices oraſſet, & uiciſſet. Verùm ubi artifex iam factus, præmium cunctaretur, neq; cauſas reciperet, à præceptore in ius uocatur. Sed quum quæreretur, qui finis litis eſſet futurus? Lyſias ait: Si perſuaſero iudicibus, me nihil debere, non tradam ſapientiſſimo præceptori quicquā, quia iam uici: ſin non perſuaſero, etiā non dabo, quia artem perſuadendi à te non didici. Tum Corax: Imò, inquit, ſi perſuaſeris, dabis, quia artē calles: ſin minùs, dabis etiā, quia non uiciſti. Et tū iudices ſubiecerunt, κακοῦ κόρακος κακὸν ὠόν, id eſt, Mali corui malum eſſe ouum: cauſamq; in diem longiſſimam diſtulerunt. Vide Prolegomena in Hermogenis rhetoricen: & Gellium lib. 5. cap. 10. qui ſimile quiddā de Protagora Abderite ſophiſta, & huius diſcipulo Euathlo narrat: Bruſonium lib. 5. cap. 2. L. Apuleium in Floridorum libris: Eraſmum Roter. in prouerbio, Mali corui malum ouum.

CLEOMENES Spartanus appropinquante nouilunio, cùm ingrueret neceſſitas ſtipendia militibus perſoluere, nauigauit ex induſtria. Procedente autem menſe, ſtipendia perſoluit, ac reſumſit nauigationem. Poſtea nouo ineunte menſe, ſolutionem differebat uſq; ad lunam ſilentem: milites autem, quia nuper recepiſſent ſtipendia, quietè ſe habebant. Sic in anno menſem unum prorogans, ſemper menſis mercedem auferebat. Ariſtoteles in Oeconomicis.

STA-



STABELLIVS Miſon militibus ſtipendia debens, conuocās duces, dixit illis: Nullo pacto ſe priuatis indigere militibus, ſed ducibus. Cùm uerò ſibi opus eſſet, mitteret eos, dans eorum cuilibet argentum ad colligendos externos. Stipendia autem, quæ illis debebat, ducibus ipſis pollicebatur ſe dare. Præcepit igitur unumquemque dimittere extraneos è regione. Duces itaque arbitrantes pecuniam illam ſuam fore, remiſerunt milites, ut præceperat. Paruo autem exacto tempore, cùm mercedem poſcerent, eos conuocans, dixit, Neque tibicinem ſine chorea, neque duces ſine militibus ad quicquam utiles eſſe. Quare præcipiebat, ut è regione diſcederent. Ibidem.

HANNO Carthaginenſis, cùm ſciret quatuor millia Gallorū equitum, propter retenta aliquot menſium ſtipendia, decteuiſſe ad Romanos tranſire, quibus cum eo tempore Hanno in Sicilia bellum gerebat: pacatis miti oratione aliquantiſper Gallorum animis, repræſentata etiam pecuniæ parte, ordinauit, ut unus ex iis, qui ipſius pecuniam curabant, ueluti adminiſtratæ pecuniæ rationem reddere non poſſet, à ſe profugeret, atq; Octacilio conſuli Romano ſignificaret, Gallos, qui cum Hannone eſſent, in expeditionem profectos eſſe, tempuſq; ac locum, unde abiiſſent, & quot eſſent, indicaret. Eos igitur incautos ac nihil tale uerentes Romani inuaſerunt. Galli aūt etſi, dum ſe tuerentur, Romanorum permultos occiderunt, tamen à pluribus circūuenti, omnes ad unum interierunt. Hāc tantis Gallorū impedimentis pecuniam, quā ut eos placaret dederat, magno fœnore redemit, tria haud leuia ea calliditate conſecutus. Nam & permultos Romanos per Gallos interemit: & transfugas ad unum ultus eſt: & pecuniam quam malè apud eos, qui tranſitionem moliebantur, locauerat, recuperauit. Fulg. lib. 7. c. 4.

DIONYSIVS citharœdum accerſiuerat, ut ſibi caneret in nuptiis: atq; cum eo his pactus eſt legibus, ut quo doctiùs meliuſq; caneret, hoc copioſiorem ferret mercedem. Annixus eſt omni artificio citharœdus, uti quàm ſcitiſſimè caneret, ſperans ampliſſimum præmium. At poſtridie pactam mercedem repoſcenti muſico, qui conduxerat, ait, Iam perſoluiſſe ſeſe quod eſſet pollicitus: nempe par pari retuliſſe, proque uoluptate repoſuiſſe uoluptatē, ſpem lucri ſignificans: quæ quidem hòc maior fuerat, quò magis ex arte cantaſſet. Verùm negat Ariſt. lib. 9. Ethicorum par pari relatum: propterea quòd alter id, quod uolebat, accepit: alter eo, quod expetebat, fruſtratus eſt. Eraſ. in prouerb. Par pari.

AMATOR quidam Clodiam P. Clodii ſororē decepit, æreis quadrantibus loco argenteorum in loculos eius immiſſis. Vnde poſtea Quadrantula dicta fuit. Plut. in Cicerone.

## TESTAMENTA.

☞ *Conſule Tit. Perfidi in teſtamentis. item, Teſtamenta iuſtè reſciſſa. Illic Perfidia, hic Aſtutia notatur.*

Olim Charonitarum cognomen apud Romanos populari ioco tributum eſt iis, qui ex defuncti commentariis tuebantur quod perperam agebant. Hinc ortum. Quum M. ANTONIVS oratione funebri, prolataq; C. Cæſaris ueſte, populum in eius interfectores incitaſſet, arripuit Cæſaris Commentarios, in quibus acta illius continebantur, iiſque aſſcripſit quæ libuit. Atque horum auctoritate ſe facere ſimulabat quicquid agebat, aliis tribuens magiſtratus, alios ab exilio reuocans, alios è uinculis liberans. Hi omnes quoniam ſe defuncti commentariis excuſabant, uulgari ioco dicti ſunt *χαρωνῖται*, ut refert Plutarchus in uita M. Antonij. Simili artificio quidam abutuntur teſtamentis.

Serg. Galba obſeruauit ante omnes Liuiam Auguſtam, cuius & uiuæ gratia plurimùm ualuit, eiuſq; opera ex palatio proceſſit ad Conſulatum, & mortuæ teſtamento penè ditatus eſſet, ni fraude TIBERII fuiſſet impeditus. Cuſpinianus.

Obſcuræ mulieris non obſcura perfidia. Ab agricola decrepito marito bonorum omniū ex aſſe hæres relicta MVLIER, ea lege, ut bouem aratorem uenderet, & pecuniam pauperibus erogaret: altero die à funere bouem in forum producit, gallum gallinaceum eius tergo imponit: hunc 20, illum aureo uno licitantibus proponit, ut qui bouem emeret, gallum quoque emere cogeretur. Inuento emtore, precium bouis pauperibus impendit, galli uerò ſeruauit. Ioannes Paulus in Spudopædia.

## FOEDVS, INDVCIAS, PACTA, ASTVtè contrahere, ſeruare, interpretari.

☞ *Vide Tit. Perfidiæ erga hoſtes. Illic Fidei non ſeruatæ, hic Doli ratio habetur.*

Extorſit SENNACHERIBVS, Aſſyriorum rex, ingens auri & argenti pondus, tributi nomine, Ezechiæ Iudæorum regi, iureiurando interpoſito, fore, ut auro appenſo cōfeſtim Hieroſolyma obſidione ſolueret. Sed impius rex, ceu ſibi, non hoſti iuratus eſſet, ex ſua ſententia religionem interpretatus, ipſe cum parte una copiarum digreſſus, in alias potrò gentes conuertit bellum: parte tamen exercitus multò maxima ad obſidionem relicta, tanquam multum referret, per ſe, an per alium, ſuis armis hoſtis premeretur: eſtq; ſcelus id expiatum memorabili Aſſyriorum cæde, centum octoginta quinq; millibus hominum nocte una ab angelo interfectis. Sab. lib. 10. cap. 5. Exemplorum.

DARIVS, rex Perſarum conſtitutus, quum populo iureiurando affirmaſſet, Se nullum ex ſeptem principibus (qui coniurauerant aduerſus Magos) ueneno, ferro, aut inedia oppreſſurum, ut religione ſolutus uideretur, locum parietibus cinxit cineribus plenum: ſuperque ſuſpenſum impoſuit lignum, cui principes ipſos benignè cibo & potione exceptos inſidere iuſſit, ut ſomno ſopiti deciderent in inſidioſos illos cineres. Rauiſius.

Cùm octo menſes Perſæ Barcen urbem obſediſſent, & multi utrinque caderent, nec pauciores ex Perſis: AMASIS dux peditatus animaduertens Barcæos ui non poſſe ſuperari; latam foſſam per noctem depreſſit, eique fragilia ſuperſtrauit ligna, & ſuper ea humum induxit, reddens ſolum cætero æquabile. Simul atque illuxit, Barcæos in colloquium euocat. Illi libenter obtemperauere, quòd eis cordi erat ad pactionem deuenire. Pactionem autem in formulam ineunt, ferientes fœdus ſuper occultam foſſam. Quoad humus ea ita haberet, tandiu fœdus in ea regione ratum foret: Barcæis quod æquum foret ſe penſuros regi promittentibus, & Perſis ſe nihil rerum nouarum aduerſus Barcæos eſſe molituros. Barcæi dehinc fœderibus freti, & ipſi ex urbe prodibant, & ex hoſtibus cuicunque libebat intrandi urbem faciebant poteſtatem, patefactis omnibus portis. At Perſæ reſciſſo ponte occulto, in urbem proruperunt. Ideo autem pontem quem fecerant reſciderunt, ut fœdus ſoluerent, quod cum Barcæis percuſſerant, tandiu ratum fore fœdus, quamdiu maneret terra, ut tunc manebat. Refracto enim ponte, non manere fœdus in ea regione ampliùs. Herodotus lib. 4. Polyænus uerò lib. 7. hoc ſtratagema erga Barcæos tribuit Aryandi.

AGNON Atticam coloniam deduxit, ad inhabitandum eum locum ad Strymonem, qui nouem uiarum nomen habet. Ex oraculo uiros aliquot Troiā miſit, qui Rheſi monumento per noctem effoſſo, eius oſſa ſuſtulerunt, & in chlamydē purpuream coniecta, ad Strymonem deportarunt. Barbari flumen tranſire prohibebant. Agnon factis trium dierum induciis, noctu Strymonem cum exercitu traiecit, & oſſa defodit, locum foſſa ac uallo muniuit ad lunam: totaq; munitio tribus noctibus perfecta eſt. Barbari poſt triduum reuerſi, cùm murum ædificatum cernerent, Agnonem uiolati fœderis accuſarunt. At ille; Conueniſſe inter ipſos de tribus diebus, ſe uerò tribus noctibus murum erexiſſe reſpondit. Hoc pacto Agnon nouem uias condidit, urbemq; Amphipolin appellauit. Polyænus lib. 6.

Inter Lycurgi maiores clariſſimus SOVS fuit, ſub quo Ilotas Lacedæmonij in ſeruitutem redegerunt, latumque agrum ſummotis Arcadibus adiecerunt finibus ſuis. Fama eſt Soū, cùm in loco aſpero & arido circunſideretur à Clitoriis, pactum fuiſſe, Si ipſe totuſq; exercitus ſuus ex propinquo fonte bibiſſent, agrū ſe, quem iis ademerat, bello redditurum ipſis. Cùm eſſet id fœdus iureiurando ſancitum, cōcione aduocata ſuorum, pronunciaſſe, regnum ſe ei, qui nō bibiſſet, dare. Vbi nemo ſe tēperare potuit, ſed biberunt omnes; ipſum deſcendiſſe omnium poſtremum: atq; cùm cōſperſiſſet aqua ſe, hoſtibus adhuc præſentibus, diſceſſiſſe: itaq; agrū, quòd non potaſſent omnes, retinuiſſe. Quem etſi ea de re magno in honore haberent, non ab eo tamen familiam, uerùm à filio eius Eurytionidas appellauēre: quòd nimiū dominatum regni princeps Eurytion, ambitione & populari aura ductus, relaxaſſet. Plutarchus in Lycurgo.

CLEOMENES, Lacedæmoniorum rex, cùm ſeptem dierum cum Argiuis inducias feciſſet: tertia nocte, cùm Argiui ſecuri omnino agerent, incautos adortus, magnum eorum numerum cecidit, atq; cepit. Cùm autem perfidiæ Argiui eum arguerent, ſeptem dierum ſe inducias dixit pepigiſſe: noctium nullam prorſus feciſſe mentionem. Plut. in Apopht.

PERICLES Athenienſis ꝓclamauit, Incolumes futuros hoſtes, ſi deponerent ferrum. Eiſq; obſecutis conditionibus, uniuerſos, qui in ſagulis ferreas fibulas habuiſſent, interfici iuſſit. Frontinus lib. 4 cap. 7.

THYBRON in Aſia caſtellum oppugnans, præfecto cuſtodiæ perſuaſit, ut ad faciendum fœdus prodiret, iurās, etiam nō icto fœdere ſeſe illum in caſtellum reſtituturū. Ergo proceſſit, & in colloquium uenit: cuſtodes autem caſtelli, ſpe pacis diſſolutiùs agebant. Interea Thybronij impreſſionem facientes, ui munitionem ceperunt. Thybron uerò præfectum cuſtodiæ reductum in caſtellum, quemadmodum iuſiurandum habebat, iuſſit eum intùs morte affici. Polyænus libro ſecundo Stratagematum.

PACHES Notium oppugnans, Hippiam ducem poſtulauit,

ut

ut è munitione ad colloquium exiret: fide data, ſe illæſum & uiuum cum remiſſurum. Poſtquam uerò proceſſit, cuſtodia penes illum relicta, Notium ui cepit: atq; tum Hippiam uiuum in urbem induxit, quemadmodum in fœdere promiſerat, ſed mox iaculo peremit. Polyæn. lib. 3.

THRACES prælio cum Bœotis facto ad Copidem paludem uicti, in Heliconem confugerunt, & inducias cum Bœotis ad dies aliquot fecerunt: in quibus Bœoti inito conſilio diſcedunt, freti uictoria, & induciis confidẽtes, atque immortali Eteoniæ pro uictoria ſacrificantes, conuiuia celebrabant. Thraces per noctem in ſacrificantes & conuiuantes impetu cum armis facto, multos interfecerunt, multoſque uiuos ceperunt. Bœotis eos uiolati fœderis incuſantibus, reſponderũt Thraces, Se nullo modo fœdera eſſe transgreſſos. Dierum enim inducias certis conditionibus factas eſſe, de noctibus ſibi nullum fœdus cum eis interceſſiſſe. Polyænus libro 7. & Strabo lib. 9. ex Ephoro. Ea res prouerbio locum fecit, Θράκεια παρεύρεσις, id eſt, Thracia ſutela. Eraſm. in Adag. ex Zenodoto.

CHALCEDONII cum Byzantiis bellum gerentes, induciis aliquot dierum conſtitutis, utriq; uiros ad capiendum de pace conſilium miſerunt. Tres dies conſilium agitabant. Quarto Chalcedonij ſibi diſcedendum eſſe dicebant, ob incumbentia quædam negotia. Concedentibus Byzantiis, illi per noctem ex improuiſo Byzantios obruerunt. Polyænus libro ſexto.

DERCYLLIDAS iuſiurandum dedit urbis tyranno, ſi procederet ad colloquium, cum ſtatim iterum in urbem reuerſurum. Itaque proceſſit tyrannus. Dercyllidas portas aperire iuſſit: ſin minùs, ſe mortem ei allaturum. Poſtquam uerò metu impulſus aperuiſſet: Nunc, inquit, in urbem te dimitto (hoc enim iuraui) atque etiam ego cum exercitu meo ingredior. Polyænus libro 2.

ALEXANDER Magnus, caſtellum Indiæ ualde munitum obſidebat. Indi metu compulſi tranſegerunt, ut ſibi cum armis liceret egredi. Egreſſi collem alium occupauerunt, cuſtodiaſque effecerunt. Alexander exercitum adducens, Indis fœderis religionem implorantibus, De exitu duntaxat ſe fidem dediſſe, inquit, de dimiſſione nihil à ſe promiſſum fuiſſe. Polyænus libro 4.

CAVNITÆ cum hoſtibus iuſiurandum inierunt, & fœdus de pace conſtituerunt, ea conditione, ut nihil aliud quàm lapidem per uniuerſum murorum circuitum eximerent. Quibus eam rem tolerabilem exiſtimantibus, hoſtes infimos lapides è mœnibus eruerunt, ſic ut facilè moles uniuerſa collaberetur. Polyænus lib. 6.

LOCRI Italici fœdus cum Siculis facientes, alij capita ſub tunicis ſuper humeros impoſuerunt, & terram iniectam calceis ſub pedibus habentes, iurarunt, Se firmam ac ſolidam ipſis Rempub. conſeruaturos, donec eam terrã calcarent, & capita in humeris ferrent. Iureiurando fidẽ habentes, Siculos omnes poſtridiè Locri interfecerunt, quaſi iam non ampliùs in eadem terra ingredientes, neque capita in humeris ferentes. Polyænus lib. 6.

TIMOLEON oppugnabat Milarchum tyrãnum, qui multos dolis circũuenerat, & neglecta iuriſiurandi religione innumeros trucidauerat. Tyrannus ſimulabat ſe iudicium apud Syracuſios ſubiturum, ſi Timoleon non accuſaret. Ille iurauit, ſe non accuſaturum. His intercedentibus conditionib. Milarchus Syracuſas uenit. Timoleon, cùm eum in concionem protraxiſſet, Nequaquam, inquit, eum accuſabo: ſic enim pactus ſum: uerùm interfici celerrimè iubeo. Nam æquum eſt, qui multis uerba dedit, cum aliquando ſimili ratione circumueniri. Polyænus lib. 5.

IPHICRATES in Theſſalia, & Iaſon tyrannus prope fluuiũ fœdus componere uolentes, per internuncios ſeſe mutuò ſcrutabantur, & corpora armis nudabant: atq; ita ſub pontem conuenientes, colloquium inierũt. Poſtquam uerò per uictimas iuramentum eſſet ſanciendum: Iphicrates in pontem aſcẽdit. Iaſon pecudem abſenti paſtori ereptam immolare in fluuium cepit. Tum Iphicrates deſiliens, apprehendens gladium, à cæde quidem abſtinuit: in conditiones autem, quæ ſibi placerent, conſentire adegit. Polyæn. lib. 2.

Φοινίκων συνθῆκαι, Phœnicum fœdera, in prouerbium abiere. PHOENICES, qui Carthaginem condiderunt, cùm ad Libyam appuliſſent, rogarunt incolas loci, ut ſe reciperent noctem & diem. Hoc uerò impetrato, noluerunt diſcedere, quaſi pepigiſſent noctium & dierum manſionem. Similia Demon de METAPONTINIS narrat. Suidas.

Arci Romanæ præerat Sp. Tarpeius. Huius filiã Tarpeiam uirginem magnis promiſſis corrupit TATIVS, rex Sabinorũ, ut quum petitum aquam exiret, armatos in arcem admitteret. Ipſa ſe facturam promiſit, ſi quod in læuis omnes geſtarent, ſibi daretur. Accepit conditionem rex, & quum intus iam eſſent, uirginem ſcutis obrutam interemerunt. hæc enim in læuis geſtabãt. quum illa de aureis armillis ſenſiſſet, quas in ſiniſtris brachiis habebant. Plutarchus in Parallelis hoc Albanis, non Sabinis, contigiſſe ſcribit, ex Ariſtide Mileſio. Sed ego Latinis ſcriptoribus Liuio, Fabio, Piſoni, Cincio, etiam Dionyſio Græco magis accedo. L. Viues in lib. 3. Auguſt. de Ciuitate Dei, cap. 13.

ROMANI, Celtis robur ac uires ſumentibus, fœdus cum eis fecerunt, his conditionibus, ut tributa eis penderent, portamq; apertam omni tempore præberent, & terrã exercendam concederent. His factis, Celtæ caſtrametabantur. Romani, tanquam amici, multa hoſpitalia munera miſerunt, uiniq; magnam copiam. Barbari (naturâ autem Celtica gẽs ad uinum procliuis eſt) hauſto uino, præ nimia ebrietate proſtrati iacebant. Romani impetu facto, eos omnes occiderunt. Vt autem ex fœderum conditionibus omnia uiderentur agere, in ſaxo inacceſſo portam apertam ædificarũt. Polyænus libro octauo.

Bauarorum rex CACANVS, cùm in Carniam atque alia Venetiæ loca cum ingenti exercitu ueniſſet: primo prælio Giſulfum Longobardorum eius regionis ducem occidit, atq; urbem, ubi Giſulfi uxor erat, Romilda nomine, obſedit. Ea de muris hoſtes conſpicata, ut Cacanum ætatis flore conſpicuum formaque inſignem uidit, eius capta amore, pepigit, ſi ſe uxorem duceret, urbem ac Giulfi liberos daturam. Cacanus accepta conditione, ut fidem quam dederat præſtaret, prima nocte in lectũ ſuum eam admiſit: mox iis, qui adire eam uellent, poteſtate facta, adacto per muliebres locos palo, ſpectandam omnibus propoſuit, urbemq; Forumiulij euertit. Fulgoſus lib. 7. cap. 3. ex Paulo Diacono.

GREGORIVS, Romanus patricius, in Foroiulienſi regione inuitatos Caconem & Taſonem Longobardos fratres, Foroiulienſes duces, ut ad ponendam apud ſe primam barbã (quod priſcis Longobardis amicitiæ uinculum erat) Opitergium (quæ urbs Vderzum nunc appellatur) uenirent: ut eos in urbem accepit, clauſis portis interimi iuſſit: delatiſque ad ſe ipſorum capitibus, ut fidem præſtaret, utriſque manu ſua barbam abraſit, ita ne cultri raſorij moleſtiam ullam ſentirent. Ibidem.

EBROINVS, equitũ magiſter, ſuper corpora ſanctorum iuramentum facturus, quòd Martino Auſtraſianorum Duci non offuturus eſſet: ea priùs loculo eximi curauit, hoſtémque improuidum excipiens, interemit. Aemil. lib. 1.

CAPVANI, muneribus corrupti ab Alberico Marſorum epiſcopo, ut abbatem Caſſinenſem oculis priuarent, abbatem in urbem iuris dicundi cauſa inuitant. Is dolum ſentiens, uenire recuſabat. Inſtant illi, interpoſito iuramento, ſaluum & incolumem ſe ipſum ad S. Benedicti monaſterium (nõ Caſſinenſe ſed Capuarum intelligentes) perducturos. Itaq; abbas cum ipſis Capuam contendit. In monaſterium autem S. Benedicti, quod Capuæ erat, honorificè introducto abbati (ſic enim fidei ſuæ ſatisfactum putabant) uincula iniiciuntur, oculique effodiuntur: ij mox linteolo inuoluti per legatos ad Albericum ferri curantur. Chronicon Caſſinenſe libro ſecundo, capite 4.

Friderico I. Imp. tertiùm in Italiam deſcendente, ciuitates Italicæ Laude illum adiere, & tyrannidem præfectorum eius, dum abeſſet, miſerabili oratione ſunt proſecuti. At Fridericus in unum Alexandrum III. Pp. intentus, bellum ex omnium ſuorum ſententia aduerſus eum decreuit, legatos principeſq; ſuperbè repudiauit, & Paſchalem III. Pp. Romam duxit. Interea ITALICI indignum eſſe, Germanicam ultrà pati arrogãtiam, arbitrati, de uindicanda libertate & fœdere feriendo egerunt. Hi fuêre Veronenſes, Vicentini, Patauini & Taruiſini, itẽ Cremonenſes, Brixiani, Bergomates, Mantuani, Ferrarienſes, Bononienſes, Murinenſes, Regienſes, Parmenſes & Placentini. Inde ubi conſtituta inter eos dies uenit (ea uerò ante quintum Kalendas Maias fuit) omnes armati præſtò Mediolanenſibus affuerunt, eoſque ueterem in patriam, quanquam deſertam atq; deletam, reſtituerunt. Et quoniam, ut inquit Choniata, muris eam nunquam ſe munituros iurarant: foſſis, aggeribuſq; ingentibus confirmarunt, ita ut egregiè defendi aduerſus quemcunq; impetũ hoſtium poſſet. Addit idem Choniata, hæc omnia, pecunia à Manuele Imp. ſuppeditata eſſe cõfecta, qui Friderici potentiæ inuidebat, atq; Italicorum aduerſus eum animos irritare non deſinebat. Sigonius lib. 14. regni Italici.

HATTO, Moguntinus epiſcopus, cùm Ludouici III. Imperatoris nomine, Alberto Franconiæ comiti, quem Ludouicus in urbe Bamberga obſidebat, promiſiſſet, ſi ad colloquium cum Ludouico ab urbe deſcendiſſet, in Bambergam ſe eum incolumem reſtituiturum: poſteaquam urbe Albertus eſt egreſſus, Hatto, quia hora tardior uideretur, Satiùs eſſe prius prandere, dixit, moxq; ad Ludouicum ab arce deſcendere. Pranſi igitur, cùm ad Ludouicum deſcẽdiſſent, Albertus captus eſt, & ſecuri percuſſus, propter Conradi Ludouici patris mortem, qua eum Albertus affecerat. Cùm autem incuſaret Albertus, non ſeruari ſibi pactam fidem: Hatto reſpondit: Se eum incolumem reduxiſſe in urbem, cùm pranſum cum eo profectus eſſet: & quia ſemel tantùm promiſerat eum ſe reſtituturum, idq; ſeruaſſet, iniuſtè eum queri de uiolata fide. Fulg. lib. 7. c. 3.



RODERICVS Gutherius Comes, in prælio captus à Ferdinãdo Caſtulonenſi rege, hac conditione dimiſſus eſt, ut iuraret, ſe fratre Aluaro, qui in prælio ceciderat, ſepulto rediturum. Fratris itaq; corpus aromatibus conditum, atq; capſę plumbeæ incluſum, quocunq; proficiſceretur, ſecum tulit, neq; antè ſepeliuit, quàm Ferdinandum regem deceſſiſſe intellexit. Ea arte, ad Ferdinandum non redeundo, ſacramenti religione ſe ſolutum putauit. Idem.

Induciis inter Edoardum Anglorum, & Ioannem Francorum reges ſtantibus, Angli dolo urbem munitiſſimam occuparant. Conquerente Ioãne, EDOARDVS reſpondit, Armorum non mercimoniorum eas eſſe ferias. Armis urbes occupare non licere, pecunia proditoribus data licere. Aegid. Corrozetus de Dictis & factis mem.

BAIAZETHES II. inito clã fœdere cum Ludouico Mediolanenſi principe, bellum Venetis inferre decreuerat: conſilia tamen ſua tegens, Andream Zancanium Venetorum legatum benignè excepit, & cum eo etiam fœdus renouauit: ſed fœderis capita Latinis ſcripta literis ei dedit. Eſt autem in eorũ legibus, ut quæ ſuæ linguæ uerbis ſcripta non ſunt, ea præſtari non ſit neceſſe. Erat tum Byzantij ciuis Venetus Andreas Grittus, qui mercaturam ea in urbe annos cõplures exercuerat. Is quòd omnia Turcarum inſtituta callebat, ea de re Zancanium admonuit, atq; uti fœdus uerbis barbaris conſcriptum haberet, pro ſua in patriam charitate illum eſt hortatus. Zancanius re tentata, cũ nihil efficere potuiſſet, cum fœdere Latinis ſcripto literis ad urbem rediit: neue nihil uideretur attuliſſe, id quod ab Gritto ea de re Byzantij accepiſſet, Senatui reticuit. Grittus Senatum ea de re admonuit, ne imparati à tyranno obruerentur. Eam ob cauſam à Baiazethe in uincula coniectus, de uita etiam periclitatus eſt: ſed tandem liberatus, ſummam aliquot pòſt annis dignitatem in patria obtinuit. Bembus libro 4. Hiſtorię Venetæ.

## PERSONAM, ORTVM, FAMILIAM, GENVS, NATALES ASTVTE mentiri.

Magus quidam, nomine SMERDES, propter ſimilitudinem Smerdem, Cambyſis Aſſyriorum regis fratrem (quem Cambyſes metu, ne regno inſidiaretur, interfici iuſſerat) ſe finxit eſſe, atque aduerſus Cambyſem regnum occupauit: & niſi fraus detecta fuiſſet, quia deſectas habebat aures (id quod Othanis filia palàm fecit, dum cum eo cubans, caput pertractaſſet) acquiſitum fraude regnum quietè poſſediſſet. Sed eum poſtea Darius, fraude detecta, cum regno, uita etiã priuauit. Fulg. lib. 9. c. 16. ex Herod. lib. 3.

Cũ Antiocheni à Demetrio Sotere Seleuci filio rebellaſſent, à Ptolemæo Philometore, Aegypti rege adiuti, PROMPALVM Antiochi Epiphanis filium finxerunt eſſe, inditoq; Alexandri Baliatis nomine, ad regnum aduerſus Demetrium Soterem erexerunt, iuſtius quàm Demetrio regnum ei deberi aſſerentes. Prompalus ob populorum in Demetrium odij magnitudinem, rebellante reliqua Syriæ parte, quemadmodum antè Antiocheni fecerant, Demetrium prælio ſuperatum interemit. At cùm inſolenter nimis malè partum adminiſtraret regnum, poſt aliquot annos à Demetrio Nicatore, Soteris Demetrij filio, quẽ ipſe occiderat, Syria pulſus, in Arabiam effugit, ubi interemtus fuit. Idem.

Haud multo pòſt ſimili fraude, AEGYPTIVS iuuenis, mercatoris Protarchi filius, cùm ſe Alexandrum Zebennã appellaret, Antiochi Soteris Syrię regis adoptiuum filium, quem Parthi in prælio occiderant, à Ptolemæo Phyſcone Aegypti rege, aduerſus Demetrium Nicatorem Syriæ regem adiutus, tam multis, quas appoſitè fingebat, lacrymis Antiochi corpus ſepeliuit, fictaq; hac pietatis ſpecie populorum gratiam ſibi conciliauit, ut poſtea ad Demetrium Nicatorẽ ſuperandum, & ad parandum totius Syriæ regnum multum ei laborandum non fuerit. Verùm poſtea, uariante fortuna, regno depulſus eſt ab Antiocho Criſpo, ſiue (ut nõnulli uocant) Grypho, qui Demetrij Nicatoris filius fuit. Nam cùm Antiochię auream Iouis ſtatuam furtim rapere uellet, ea re detecta populus arma cepit. Inde mari fugiẽs, aduerſa tempeſtate actus, cùm in maritimos latrones incidiſſet, captus, atq; hoſti ſuo deditus, fraudis atque ficti nominis, in alieni regni occupatione, acerbas moriendo pœnas luit. Idem.

ARCHELAVS, Mithridatis ſe filium fingens, gener atq; idẽ ſucceſſor Ptolemæi Aegyptij regis factus, in Aſia quoq; magnis urbibus potitus eſt. Cæterùm tandem à Gabinio prælio ſuperatus, uitam ſimul ac malè partum regnum amiſit. Ibidem.

ANDRISCVS, homo obſcuro loco natus, ſe Perſeo rege ex pellice ortum prædicauit, ac ſub id tempus, quo pater cum Romanis bellare cœpit, Cyrtheſæ cuidam occultè alendũ datum, ut ſi aduerſa eſſet fortuna præſenti bello uſus, aliquod ueluti ſemen regiæ ſtirpis extaret: mox capto Perſeo & extincto, Adramiti Phrygiæ oppido, uſq; ad duodecimũ ætatis annum apud Cyrtheſam pro filio educatum, ob idq; exiſtimatum ſe illius eſſe filium, à quo tam clementer educaretur. Illum uerò, cùm è uita migraturus eſſet, ueram pueri originem coniugi aperuiſſe, tradidiſſeq; ei libellum, Perſei regis anulo ſignatum (quo ille filium alendum cõmendauerat) ſed ut illum in occulto uſq; ad pubertatis annos haberet, ultimis precibus fuiſſe obteſtatum. Itaq; tum demum ſe iam adultum libellum ſuæ originis indicem ab ea accepiſſe, duplicemq; à patre theſaurum ſibi relictũ ex codicillo didiciſſe: monitumq; ab anu, ut Adramito excederet, priuſquàm res ad Eumenem regem deferretur, qui fuerat Perſei inimicus, in Syriam ad Demetrium ueniſſe, ut ipſius auxilio ad paternum regnũ reſtitueretur. Hæc ille quũ uulgò prædicaret, tantum abfuit ut Demetrium ad aliquid in Romanos agendum impellere potuerit, ut ob hoc ipſũ, nequid ab eo moueri poſſet, Andriſcum captum Romã miſerit. Vnde quum poſtea ille profugiſſet, multis uanam nominis famam ſecutis, &, quia Philippo facie perquam ſimilis eſſet, Philippum appellantibus, breui totam Macedoniã occupauit. Obſcura hominis fortuna effecit, ut ſenatus M. Iuuencio prætori eam cum legione una prouinciam decreuerit, tanquam maiore imperio indignam. Ille, non Macedonicis modo, ſed Thracum etiam fretus auxiliis, Iuuenciũ prælio congreſſum cum tota legione trucidauit. Atque ita populus ille, qui ad id tempus ueros reges uicerat, dum alienas ſordes ſecuriùs contemnit, ab imaginario eſt & ſcenico rege uictus. Secutus inde Q. Cæcilius Metellus, qui tum cõſul erat, qui iuſto exercitu Andriſcum uicit. Septem & uiginti millibus ſuorũ amiſſis, Andriſcus in Thraciam fugiens, fidem cum fortuna mutatam inuenit: ab regulo enim, ad quem ſe contulerat, eſt Romanis traditus. Macedoniam inde receptam Metellus ſeruitute multauit, & ex ea uictoria Macedonici cognomen adeptus, de Pſeudophilippo triumphum egit. Sab. lib. 9. Enn. 5.

C. Iul. Cæſar barbarum quendam, ob eximiam ſimilitudinem Cappadociæ regnũ affectantem (tanquã ARIARATHES eſſet, quem à M. Antonio interemtũ luce clarius erat) quanquam penè totius Orientis ciuitatum & gentium credula ſuffragatione ſuffultum caput, imperio demẽter imminẽs, iuſtum dependere ſupplicium coegit. Val. Max. lib. 9. c. 16.

EQVITIVS, Firmo Piceno natus, Tiberij Gracchi filium ſe eſſe finxit, tanto populi applauſu, atq; etiam Tribunorum aſſenſu, ut niſi fraus hæc detecta fuiſſet, magnum Reſpub. uulnus accepiſſet. Idem.

HEROPHILVS equarius medicus, C. Marium ſepties Conſulem auum ſibi uendicando, ita ſe extulit, ut coloniæ ueteranorum complures, & municipia ſplendida, collegiaq; fere omnia, patronum adoptarent. Quinetiam cùm à C. Cæſare Cn. Pompeio adoleſcente in Hiſpania oppreſſo, populum in hortos ſuos admiſiſſet, proximo intercolumnio penè pari ſtudio frequentiæ ſalutatus eſt. Quòd niſi Cæſaris uires huic erubeſcendæ procellæ obſtitiſſent, ſimile uulnus Reſpub. excepiſſet, atq; in Equitio acceperat. Cæterùm decreto eius extra Italiam relegatus, poſtquàm Cæſar interfectus eſt, in urbem rediit, & conſilium interficiendi Senatus capere ſuſtinuit. Quo nomine iuſſu patrum necatus in carcere, ſeras prompti animi ad omne moliendum ſcelus pœnas pependit. Idem. Hunc uerò Liuius lib. 6. Dec. 12. & Florus CHAMACEN uocant.

L. Sylla Republ. potiente, QVIDAM in domum Cn. Aſſidionis irrupit, filiumq; eius patriis penatibus expulit, uociferando, non illum, ſed ſe, Aſſidione eſſe procreatum. Verùm

poſtquam à Syllana uiolentia Cæſariana æquitas reduxit gubernacula Romani imperij, iuſtiore principe obtinente Rempub. in publica cuſtodia ſpiritum poſuit. Valerius Maximus lib. 9. cap. 16.

C. Iul. Cæſare præſide Reipublicæ, cùm Mediolani ſe pro Rubria QVÆDAM, perinde ac falsò credita eſſet incendio periiſſe, nihil ad ſe pertinentibus bonis insereret, nec ei aut tractus eius ſplendidi teſtes, aut cohortis Auguſti fauor deeſſet: propter inexpugnabilem Cęſaris conſtantiam irrita nefarij propoſiti abiit. Idem.

Mortuo Herode Iudæorum rege, IVVENIS quidam Iudæus genere, educatus Sidone apud quendam Romani ciuis libertum, adoptauit ſemetipſum in Herodis familiam, per occaſionem ſimilitudinis, qua referebat Alexandri filij ab illo extincti effigiem, atteſtantibus omnium quotquot utrunq; uiderant oculis: atq; hac uia graſſari cœpit ad regium faſtigium. Itaq; aſcito tribuli quodam fraudis ſocio, qui totius regiæ rerum gnarus, alioquin etiam aſtutus erat, & natus ad excitandas turbas egregias, illius inſtitutione fingebat, ſe Alexandrum illum, Herodis filium, morti ſubtractum cuiuſdam beneficio, cui demãdatum ſit eius interficiendi negotium. Suppoſitis enim necis ipſorum uicariis, & ſe ereptum & fratrem Ariſtobulum. His nugis inflatus, aliis quoque non deſinebat fucum facere: cumque Cretam appuliſſet, quotquot Iudæorum uenerunt in eius colloquium, omnibus rem perſuaſit, & auctus ab eis pecunia, traiecit in Melum inſulam: ubi magnam pecuniæ uim quæſiuit prætextu regiæ proſapiæ. Et iam ſperans recepturum ſe paternũ principatum, remuneraturumq; beneficos, Romã properat ſuis hoſpitibus deducentibus. Cumq; adnauigaſſet Puteolos, ibi quoq; à deceptis Iudæis ſimul fauore exceptus eſt, concurrentibus tanquam ad regem qui Herodi uel hoſpitij iure coniuncti, uel aliquo erant obſtricti beneficio. Eodẽ applauſu à Iudæis etiam Romæ exceptus fuit. Verùm Auguſtus Cęſar cùm eum & manus opere duratas habere, & corporis illa gratia, quę bene natis & educatis adeſſe ſolet, carentem uideret, fraudem ſuſpicatus, ſeducto adoleſcente: Tibi, inquit, ſi non me quoq; coneris fallere, merces erit impunitas, quod ad tuam ſalutem attinet: nunc age dicito quiſnam ſis, & quis te ad hæc audenda impulerit? neque enim iſtius ætatis eſt tam inſidioſa malitia. Ibi ille, cùm non poſſet aliud, totum commentum indicat, quibus modis, & à quo ſit compoſitum. Cæſar autem Pſeudalexandrum, ut pollicita ſeruaret, in remigum ordinem allegit, quòd eſſet ualido corpore: doctorem uerò eius affecit ſupplicio. Cæterũ Meliis abundè magna multa fuit, quę in fictitiũ Alexãdrum fruſtra impenderant. Ioſephus lib. 17. c. 14. Antiq.

ADOLESCENS quidam in Græcia & Ionia ſe Druſum eſſe iactans, cupidè à ciuitatibus eſt ſuſceptus: ac in Syriam uſq; progreſſus, legiones etiam accepiſſet, niſi agnitus à quodã & captus, ad Tiberiũ Caij Caligulæ nuptias Antij celebrantem perductus eſſet. Zonaras.

Auguſti temporibus QVIDAM ſororis eius Octauiæ utero ſe genitum finxit: propter ſummam autem imbecillitatem corporis, ab eo, cui datus erat, perinde atq; ipſius filium retentum, ſubiecto in locum ſuum proprio filio dicens. Sed cùm plenis impudẽtiæ uelis ad ſummum audaciæ gradum fertur, imperio Auguſti remo publicæ triremis affixus eſt. Val. lib. 9. cap. 16.

Repertus eſt etiam, QVI ſe diceret eſſe Q. Sertorij filium: quẽ ut agnoſceret uxor eius, nulla ui compelli potuit. Idem.

TREBELLIVS Calca, aſſeueranter ſe Clodium tulit: & quidem dum de bonis eius contendit, in centumuirale iudiciũ adeò fauorabilis deſcendit, ut uix iuſtis & æquis ſententiis conſternatio populi ullum relinqueret locũ. Illa tamẽ quæſtione neq; calumniæ petitoris, neq; uiolentiæ plebis iudicantium religio ceſſit. Idem.

BARBARIVS Philippus, ſeruus fugitiuus, tanquã ciuis Romanus, Romæ præturam geſſit. Cuius præturæ adminiſtratione poſtea Iureconſulti uehementer laborarunt, dum de his, quæ in prætura Barbarius geſſerat, Ratáne eſſe deberẽt, ageretur. Illa tamen rata pronunciarũt eſſe ob fraudẽ haud à iure abſonam, qua nimis multi comprehendebantur. Fulgoſus lib. 9. cap. 16.

Imperante Othone Syluio, magni motus in Græcia atq; Aſia fuerunt, propter CITHAROEDVM, qui ſe Neronem fingebat. Is cùm uultu atq; uoce ei perſimilis eſſet, aiebat, quo tempore Romæ diſſeminatum fuit, Neronem ſibi uim attuliſſe, alium pro eo fuiſſe mortuum. Quamobrem, cùm ſeditioſis permultis eum proſequentibus, Syriam aut Aegyptũ petere contenderet: quò ſi perueniſſet, minimè dubiũ erat, quin Oriens totus tumultuaret: aduerſa tempeſtate ad Cythnum inſulã inter Cycladas delatus eſt. Vbi cùm ueluti uerus Nero, in milites, qui ab Oriente ueniebant, imperio uteretur, impulit ut parêrent, atq; Siſenna centurio à militibus deſertus, profugere ab inſula cogeretur. Qua re audita, cũ Aſia penè tota nutaret, miſſis ab Othone duabus triremib: nauis, qua is falſus Nero ferebatur, oppugnata eſt, atq; in eo prelio is interemtus fuit, corpuſq; eius Romam miſſum. ALIVS quoq; XX anno poſt Neronis mortem, cùm ſe Neronem fingeret, in Oriente tantũ nominis atq; exiſtimationis peperit, ut uix, niſi poſt aliquod tempus à Parthis pop. Rom. deditus fuiſſet, reprimi poſſe uideretur. Fulgoſus lib. 9. capite 16.

Nero, quemadmodum alios multos, ita etiam Scribonianum ſenatorem occiderat: & tamen imperante Vitellio inuẽtus eſt in Illyrico ſeruus, nomine GETA, qui ſe Scribonianũ eſſe fingeret. Qui magna ſeditioſorum atq; ſeruorum coacta manu, omnia in Illyrico turbabat, ubi olim Scribonianus in magna gratia fuerat. Sed breui Geta ad Vitellium perductus, atq; à patrono agnitus, ut fugitiuus mulctatus eſt. Fulgoſus libro 9. cap. 16.

NYMPHIDIVS Sabinus, ſub Galba prætorij præfectus, fortaſſe quia ad imperium aſpirabat, ſe Caligulæ filium eſſe dixit: matri enim meretricis notam inuſſit, ut ſe Cæſarum ſanguini insereret, quanquam id longè à uero abeſſet. Fulgoſ. libro 9. capite 16.

QVIDAM poſt mortem Commodi Romanorum imperatoris, Sextum Clodium Quintilium ſe eſſe dicebat (qui olim Commodi crudelitatem fugiens, multos annos in latebris ignotus hominib. latuiſſet, atq; iam diu [illegible] mortuus falsò iudicaretur) quem ſimilitudine formæ referebat. Recuperare autem cupiebat facultates Sexti, & omnem dignitatem, quã olim amiſiſſe ſe fingebat. Reſpõdebat interrogatus de omnib. ſcitè. Attamen poſtea [illegible] Græcè, cuius linguæ Sextus peritiſſimus fuerat, interrogauit, errauit maxime, dum non poſſet intelligere id quod à Pertinace quæreretur. Dion Niceus, & Xiphilinus in uita Commodi, & Suidas.

CHILDIBIVS, genere Antio (his populis uicinus, qui ſub Sclauonorum nomine, in Romanorum [illegible] regione trans Danubium incolebant) cum inter Antios & Sclauones [illegible] bello contenderetur, à Sclauone captus, quia corporis robori animi uigor reſpondebat, magnam audendo famam ſibi comparauit. Hunc Antius quidam à Sclauone redemit, Romani captiui hortatu, libertatis anſam quęrentis, & aſſerentis, hunc Childibium (quia & uirtus & nominis ſimilitudo fidem faciebat) eum eſſe, qui ad Danubium ſub Iuſtiniano Thraciam feliciter rexerat, prælioq; cum Sclauonibus edito, interiiſſe credebatur. At Childibius cùm id uerè negaret, Romanus conſtanter tamen hero perſuaſit, uerum certè illum eſſe Childibium, ſed præ timore diſſimulare. Childibius partim metu, partim ſpe amplioris fortunę, aliorum inſaniam ſua affirmatione fouere cœpit. Iam cùm Iuſtinianus Sclauonibus atq; Antiis ſpem feciſſet, Turrim urbẽ inhabitandi, quæ olim à Traiano condita, per id tempus continuis bellis à populo exhauſta ac deſerta erat: de ea incolenda utraq; gens conuenit, ſi eis Childibius præficeretur. Exiſtimabant enim, quemadmodum Thraciam olim uirtute defenderat, ita ipſos nunc quoq; defenſurũ. Miſſus proinde Childibius ab utraq; gente ad Iuſtinianum orator, cũ in Narſetem eunuchum incidiſſet (qui Childibium primum in pręlio mortuum norat) quanquam Latinè loqueretur, & multa primi Childibij ſigna daret, tamen is eſſe, qui uerè erat, cognitus, uinctus ad Imperatorem miſſus eſt. Fulgoſus lib. 9. cap. 16.

Anno à Virginis partu MCXXXVII. in Germania apud urbem Solum aureũ, ab eremo profectus QVIDAM, ſe Henricum IV. Imp. defunctũ eſſe palàm affirmabat. Cùm multi ad eum tranſirent, graues ortæ ſunt cõtentiones. Sed tandẽ re cognita, relegatus eſt in Cluniacenſe monaſteriũ. Fulgoſus lib. 9. cap. 16.

ALEXIVS quidam Conſtantinopolitanus adoleſcẽs, ſe Manuelis Comneni Imp. filium tanta dexteritate repræſentauit, ut & comam eius flaueſcentem, & linguæ balbutiẽ exprimeret. Aiebat, ſe quidẽ iuſſu Andronici Comneni tyranni in fundum maris abiiciendũ fuiſſe: ſed miſericordia miniſtrorum, qui patri ſuo iureiurando obſtricti fuiſſent, conſeruatum eſſe. Iconiũ profectus, ſenem Sultanũ Clizaſthlanem adit: & ut uerus filius Manuelis, ab amico patris ſimulati ſubſidia accipit, ſic ut Iſaacio Angelo Imp. terrori eſſet, nec paucas urbes Mæandrias occuparit. Tandem Pſeudalexius iſte uiribus auctus, poſt largiorem potationem dormiens, à ſacerdote quodam ſuo gladio iugulatus eſt. Nõ multis diebus pòſt, alius QVIDAM idem nomen, eundemque patrem ſibi uendicans, in Paphlagonia extitit. Sed eum Sebaſtus Theodorus prælio uictum occidit. Nicetas lib. 3.

Tempore Romani Lacapeni Imp. BASILIVS quidam Macedo ſe Conſtantinum Ducæ F. eſſe iactans, multos ſibi aſciuit: & hinc inde uagans, urbes ad defectionẽ mouit. Comprehenſum hunc quidam Elephãtinus turmæ præfectus ad Imperatorem perduxit: is eum altera truncatum manu dimiſit. Dimiſſus æream manum ſubſtituit abſciſſæ, ingentemq; accinctus enſem, Opſicium peragrat, ſimplicioribus perſuadens ſe eſſe Conſtantinum Ducam. Ita magna manu contracta, defectione facta, caſtellum occupauit: cui Latũ ſaxum eſt nomen. Imperator miſſo exercitu eum cepit, & in Amaſtriano cremauit. Cedrenus.



Philippo Flandriæ Comite ad Ptolemaidem ſine liberis defuncto, ſoror Margarita ſucceſſerat. Balduinus Margaritæ F. natu maximus, Flandrię & Annonię comitatum ſub Philippo Auguſto Francorum rege occuparat. Mox ſacra expeditione ſuſcepta, reducẽtibus Latinis Alexium Iſaacij F. & capta Conſtantinopoli, Græcorum Imp. à Latinis ſalutatus, nondum exacto annò, dum Adrianopolim oppugnat, inſidiis circumuentus exulum, atq; à ſuis pro mortuo deploratus eſt. Vigeſimo pòſt ann. Sal. MCCXXIV. cùm Auguſto Ludouicus F. ſucceſſiſſet, extitit repentè; qui ſe reducẽ Balduinum Cæſarem eſſe prædicaret: quem Fulgoſus BERNARDVM Remẽſem fuiſſe inquit. Femina rebus Flandricis Annoniciſq; prçerat Ioanna Ferdinandi uxor, Balduini ueri filia. In Annonia res iam mouerat, quòd id natale ſolum Balduini, ac paternus dominatus foret, tæderetq; feminei dominatus. Ipſe grauitatem aſpectu inſignem præ ſe ferebat. Ioãna eum in conſpectum admittere noluit: tantùm ei ſanctius concilium datum eſt. Cui qui prçerat, cùm uelut quęſitor eum grauibus fatigare percontationibus auderet: ille ingenti fiduciæ oſtentatione, non ut reſpondere iuſſus, ſed uelut caſtigans increpitanſq;, uel magnitudinem ſuam uel audaciam tegebat: & duodeuiginti annos ab hoſtibus in cuſtodia habitum, elapſum inde & uenundatum, ſerui habitũ à Germanis mercatoribus redemtum fuiſſe. Concilio dimiſſo, & indicio dubio exiſtente, non parua Flandricę nobilitatis manus hominem Comitem Auguſtumq; ſalutantes, iura ab eo petebant, quòd ille fidem maieſtatis ſuæ faciebat, nomina commemorans, nobilitatemq;, ac egregia facinora maiorum natu, ſtemmataq; familiarum, à quo quiſq; progenitus foret. Ioanna ſiue exploratum habens patrem Balduinum Auguſtum fato functum, ſiue imperio delectata, nec illud niſi morte depoſitura: ad regem Francum oratores ſupplices miſit, ut Balduini auunculi auguſtam ſanctamq; memoriam ab ignoti hominis audacia uindicaret: ſibiq; beneficiariæ & rex & amitimus, opem ferret. Dies igitur homini dicta. Præſtò fuit magno comitatu. Simul atque introductus eſt, cùm regem ſalutaſſet: Rex, Breuis percontatio, inquit, te eundem & teſtem & iudicem tanta in cauſa faciat. Interrogo, Téne pater meus Rex beneficiarium uocitarit, Flandriæq; iure ueſtierit? quo loco, tempore, ritu, teſte? Baltheóne te, militiæq; inſigni donarit? Tibi quæ nam femina ex Francica nobilitate, quo conciliante, quibus auſpicibus, quo loco, qua celebritate nupſerit? Hæc de ſe ignorare uerus Balduinus non poteſt. Tunc hærere uiſus, nec reſponſa explicare. Fide publica uenerat. Dimiſſus ab rege, cùm in Annoniam rediret, à Ioannæ miniſtris comprehenſus reſte ſuſpenſus fuit, fama ancipiti, iuréne, an iniuria. Aemil. lib. 7. & Fulgoſ. lib. 9. c. 16. Cranzius lib. 7. c. 41. Metrop. hæc addit: Venit Coloniam ad Engelbertum archiepiſcopum, auxiliũ rogaturus: ſed Leodienſis epiſcopus eũ ſuis literis inſectatus eſt, Trutanium & Ribaldum appellãs. Ille uerò ſe Comitem Flandrię & Imperatorem Conſtantinopolitanum affirmabat, habens ſigillum eodem titulo inſignitum. Rogauit ergo archiepiſcopum, ut Leodienſem uocaret. Vocatus uenit, & Miſſæ officium peregit. Ante perceptionem corporis & ſanguinis Dominici, acceſſit archiepiſcopus, & ait: Adiuro te, frater epiſcope, per myſterium Dominici corporis & ſanguinis, quod percepturus es, ſi ueritatem dixeris, ad ſalutem, ſi mendacium, ad damnationem: ut mihi dicas, quis ſit ille, quem tu dicis Trutanium & Ribaldum in Flandriam ueniſſe, & qui ſe Comitem dicat Balduinum. Epiſcopus ſtupefactus, fertur reſpondiſſe: Comes Flandrię Balduinus eſt. Tum archiepiſcopus Balduino cõſuluit, ut Romam iret, & Pontificis auxilium imploraret, teſtimoniis multorum Flãdriæ prælatorum & baronum inſtructus. At ſtudio comitiſſæ & Arnoldi de Aldenardi, cum quo comitiſſa dicebatur conſueſcere, captus apud Inſulam ciuitatẽ Flandriæ, ſuſpendio necatus eſt. Abbas ſancti Ioannis in Valentia, ſepeliuit eum in monaſterio: ſed iterum comitiſſa mortuum in furcam rapi iuſſit. Verus nécne fuerit, Flandri diu certarunt. Cranzius ibidem.

SVERVS quidã, fabro patre genitus, ſacerdotio, quod in Ferogia aliquandiu geſſerat, relicto, Noruagiam petens, religionis munus militia mutauit: Oſteni cuiuſdam, ab Erlingo uicti, occaſione adductus: cuius agmini per deſerta fugienti fortuitò obuius, ducẽ ſe prębuit, reſq; aduerſum uictores nauare cepit. Et ne generis titulo carere uideretur, originem mentitus, Haraldum Hybernienſem, regem Noruagiorum, auũ ſibi uendicando, Siuardo eius notho ſe procreatum confinxit, ſeq; Magnum appellauit. Quod mendacium totius Noruagiæ cruentiſſimæ uaſtationis occaſionẽ dedit. Saxo lib. 14.

Cùm Henricus IV. Ricardum II. fratrem patruelem, Britanniæ regem, in uincula conieciſſet, ac regnum occupaſſet: Saleſberitanus Comes, ex matre Ricardi frater, ut eum liberaret, aut ſaltem ulciſceretur, regia ueſte SACERDOTEM exornauit (qui olim in Ricardi muſicorum numero fuerat, atq; ei facie perſimilis erat) & Ricardum hunc eſſe, & effugiſſe è carcere, diſſeminauit. Ad eam famam cùm multi cõueniſſent, ſuppoſititiumq; regem ſequerentur: Henricus ualido exercitu cum eis conſerta manu, in fugam omnes conuertit, nec longè pòſt uerum quoque Ricardum in carcere ſuſtulit. Fulgoſus lib. 9. cap. 16.

Edouardus Comes Varuicenſis, Georgij Clarentiæ Comitis F. à Ricardo III. Anglorum rege patruo poſt cædẽ patris in carcerem coniectus, ab Henrico VII. qui Ricardum interfecit, ſimiliter aſſeruabatur. Interea Ricardus Simondus presbyter, humili loco natus, ſed aſtutus, procerũ quorundam inſtinctu, q Henrico regi inuidebant, LAMBERTVM Symenellum diſcipulum ſuũ Oxonij regaliter inſtituere cepit: tempus fore præuidens, quo puerum ſuum de regia ortum proſapia mentiri, & eos, qui Henrici succeſſibus inuidebant, in ſocietatem ſceleris pertrahere poſſet. Nõ multo pòſt cùm fama falsò paſſim diſſipaſſet, Edouardum in carcere interiiſſe, mutat adoleſcentulo nomẽ, uocat eum Edouardum, ac in Hyberniã traiicit, ibiq; ſecretò conuenit nonnullos Hybernorum principes: narrãt, Se ſeruaſſe filium ducis Clarentiæ à morte, ac duxiſſe in eam terram, quam audierat ſemper unicè amaſſe nomen & genus Edouardi regis. Thomas Gerardinus inſulæ cancellarius ſpecie ueri deceptus, puerũ ut regia ſtirpe procreatũ accepit hoſpitio. Hyberniæ ciuitates confeſtim in fidem pueri ueniunt: Principes dimittunt nuncios in Angliam ad eos, quos ſciebãt Ricardi III regis partes ſecutos eſſe, & in Flandriam ad Margaritam ſororem Edouardi IV. regis, quæ nupta fuerat Carolo duci Burgundiæ, rogatum auxilium. Quæ etſi non ignorabat domũ ſuam Eboracenſem à Ricardo fratre funditùs euerſam eſſe, tamen nõ ſaturata odiis, quibus omnis ferè Henrici VI. progenies extincta eſſet, nec memor affinitatis, quòd Henricus VII. neptem ſuam Edouardi filiam in uxorem duxiſſet: non ceſſabat omnia tentare, ut Henricum Lancaſtriæ factionis caput opprimeret. Henricus ut errorẽ hunc ex animis hominum euelleret: per mediam urbem ex turri educi iuſſit Edouardũ filium ducis Clarentiæ, ad templum diui Pauli. Hic adoleſcens, ſeſe omnibus oſtendẽs, interfuit in ſupplicatione, in cæteriſq; ſacris, ac ſimul collocutus eſt cum multis principib. & præſertim cum iis, qui coniurationis participes habebantur: quò illi faciliùs intelligerent, Hybernos ex re uana nouos dementer facere motus. Sed animis malè ſanis nihil hæc profuit medicina. Namq; Ioannes Comes Lincolnienſis, Ioãnis Polæ ducis Suthfolchiæ, & Elizabethæ Edouardi regis ſororis filius, Hybernorum corroborandorũ cauſa clàm in Flandriã ad Margaritã uenit, & accepto ab ea exercitu duorum circiter milliũ Germanorum, in Hyberniam traiicit, & Dublini Lambertũ puerum, perinde quaſi regia ſtirpe ortum, regem creandum curat. Poſt hæc, Hybernorum coacta ingenti multitudine, cũ nouo rege in Angliam nauigat. Henricus rex cùm exercitu illis obuiam profectus, pugnam commiſit, in qua hoſtium quatuor millia, & in his duces quinq;, in eo ipſo loco omnes interfecti ſunt, quem uiui pugnando ceperant, anno Salutis MCCCCXXCIX. Lambertus puer cum Ricardo prçceptore capitur, ſed uitæ utriuſq; parcitur, quòd ille innocens per ætatem uideretur, hic ſacerdos eſſet: qui æternis tenebris uinculiſq; demandatus eſt. Lambertus ex rege accipitrum domitor factus, poſtquam aliquantiſper in coquina regia ueru uerterat, aliaq; uiliora munera obiuerat. Margarita ut aliud quodpiam grauius negotium Henrico regi faceſſeret, iuuenem quendam Tornacenſem, forma nõ ineleganti, ingenio acuto, uafroq; (cui nomen erat Petrus Varbechus, ſed poſtea ob uæcordiam appellatus eſt ab Anglis Perychinus) Anglicam nonnullaſq; alias callentem linguas, à pueritia uagari per diuerſas nationes & gentes ſolitum, confinxit eſſe Edouardi IV. regis ſui fratris filium, ducem Eboracenſem, cui nomen fuit Ricardus (quem Ricardus III. rex patruus Londini in carcere necandum curarat) eumq; apud ſe aliquandiu occultè habitum, docuit ita diligenter de rebus Anglicis, deq; Eboracenſis domus inſtitutis, atq; genere, ut ille poſtea omnia memoria teneret, facilè narraret, mores repræſentaret, faceretque apud omnes fidem per ea, ſe in Eboracẽſi familia procreatum: quia hoc generi hominum natura quaſi datum eſt, ut qui ſunt eius ſtirpis, cupidè ſuorum maiorum laudes conſequi nitantur. Ergo ubi Henricus rex aduerſus Carolum IIX. Gallorum regem pro liberandis Britannis bellum comparabat, Margarita miſit Petrum clàm in Hyberniam, ut ibi inter Sylue-

ſtres homines nouæ factionis ſemina iáceret. Petrus breui tempore ſua aſtutia tantum gratiæ cum illis hominibus iniuit, ut bene multi principes eum, tanquam regis filium, ſequi cęperint. Fama eius rei ad Gallos perlata, Carolus uocauit ad ſe Petrum, ut illum armaret in Henricum, contra ſe uenientem. Petrus ſtatim ad Carolum ſe contulit. Verùm haud multo pòſt, facta cum Anglo pace, Carolus hominē ab ſe ablegauit: qui ita de tanta ſpe deiectus, ad Margaritā in Flandriam rediit. Margarita, ut fictum gaudium ſuum apud omnes notum faceret, congratulabatur palàm nepoti ſalutem, maximisque, hoc eſt, regiis afficiebat honoribus. Flandri principes eum omnibus proſequebantur officiis. Fama rei in Angliam diuulgata, principum quoque aliqui fidem commento dedêre, & ex populo improbiſſimi quiq; in Flandriam tranſmiſere. Henricus in Galliam legatos miſit, qui de ficti huius Ricardi natalibus diligenter inquirerent. Dum alij alia loca peragrant, quidam Tornacum perueniunt, ibiq; intelligunt, Ricardū patre tonſore natum, nomenq; à primo habere Petrum, cognomento Varbechum, idque multorum teſtimonio cōſtare. Henricus patefactam fraudem primo quoque tempore per omnes partes diuulgandam curauit, & propoſita impunitate, liberum iis, qui iam defeciſſent, reditum conceſſit. Itaque Ricardus in Scotiam confugit. Iacobus IV Scotorum rex, ut hoc prætextu belli Anglis inſerendi occaſionem haberet, affinem ſuam illi in uxorem dedit, Northumbriam latè uaſtauit. Ricardus uerò animaduertens nullos ad ſe fieri Anglorum concurſus, & ueritus, ne ob id dolus eluceret, fertur inclamaſſe: O me ferreum, qui meorum calamitate non moueor: atq; rogaſſe regem, ut ne ultrà ſuam patriā perderet, perinde quaſi patriæ amore uictus, iam miſereri cogeretur. & rex reſpondiſſe, Sibi uideri eum non ſuam, ſed alienam uicem dolere, qui appellaret Angliam ſuam patriam, ſuamq; gentē, ex qua tamen nemo omnium bellum eius cauſa & nomine ſuſceptum iuuaret. Tandem pace inter reges facta, Ricardus à Scoto deſtitutus & eiectus, ad Cornubienſes ſe contulit. At Henrico cum exercitu accedente, metu perculſus, in aſylum Belli loci confugit, & inde impunitate promiſſa Londinum ductus, & in liberiore cuſtodia ſeruatus, deceptis cuſtodibus, ſe fugæ mandauit. Sed inſequentium clamore territus, peruenit ad Bethleemenſe cœnobium monachorum Carthuſianorum, ac præfecti loci ſe fidei cōmiſit, ſuppliciter rogitans, ut à rege ſibi uitam deprecaretur. Præfectus à rege eius ſalutem multis precibus impetrat. Itaque Petrus in aulam ad Vveſtmonaſterium reductus, compedibus uinctus, in ipſius aulæ ueſtibulo integrum diem, nullo non ludibrio à turba petitus, exploditur: poſtridie eius diei Londinum per omnium oculos traducitur, aliquotq; horas in foro paribus probris exponitur, ac poſtremò in turrim coniicitur. Sed neq; hic turbarum finis. Namq; ut Petrū fato quodam turbandæ Angliæ natum ſcires, quando ipſe tetro concluſus carcere ſeditioni fomitem præſtare nequibat, illius ſaltem perſona ſimulata nouis motibus occaſionem dedit. Monachus quidam Auguſtinianus, nomine Patricius, DISCIPVLVM quem habebat ſubornare, eiuſque auribus inſtillare cœpit, ſe illi regnum facilè paratum, ſi ſuum uellet ſequi conſilium. Diſcipulus non modò id ſe facturum non renuit, ſed iterum atq; iterum rogauit, ut quod deſtinaſſet, maturè tentaret. Itaq; ſubtiliter communicato conſilio, confidenter etiam in Cantium ambo proficiſcuntur. Ibi adoleſcens primò clàm nōnullis indicat, ſe Edouardum Varuici comitem eſſe, & nuper ope & arte Patricij ex turri Londinenſi aufugiſſe: & quia dictis habita fides, dein palàm id ipſum prędicat, cunctorumq; auxilium implorat. Verùm re detecta, eueſtigiò præceptor cū diſcipulo in uincula raptus, & hic necatus, ille æternis tenebris mandatus, quòd monachus eſſet. Polyd. lib. 26. & Fulg. lib. 9. c. 16.

A Virginis partu MCCXLIII. in Aſia minore, quidā fuit nobili inter Turcas genere ortus, qui COTHERINVS nuncupabatur. Hic quorundam Turcenſium prefectorum opera, qui Baiothum Sultanum inuiſum habebant, cùm in publico cum matre ex compoſito contendens, minis cum ea ageret, ut quo patre eſſet ortus, declarare uellet, ipſaq; reluctaretur: arreptam capillis, grauiter calcibus pugniſq; multauit. Itaq; cùm filij uim ultrà ferre ſe non poſſe ſimularet, palàm affirmauit, Cotherinum Baiothi Sultani fratrem eſſe. Quam rem cùm populi ingēti gaudio accepiſſent, ad eū circiter uiginti millium hominum manus conuenit: atque urbs Iconium iam deditionem fecerat, cùm inde profectus, ut Candelorum occuparet, ubi regij theſauri cuſtodiebantur, per fraudem à quodam Turcenſi principe captus, unà cum fratre ſuſpendio uitam finiuit. Fulg. lib. 9. c. 16.

GONDEVALDVS quidam Burgūdus, cùm eius mater, quæ corpus uulgauerat, Clotharij Burgundiæ regis filium eſſe diceret, à Clothario atque Childerico eius fratre repulſus, ueluti declinandi dedecoris cauſa, Hieroſolymā profectus fuit. Mox audita Clotharij morte, cùm in Burgundiam rediiſſet, eumq; populi excepiſſent, à Gunthrano Clotharij filio ſuperatus, atq; occiſus fuit. Idem.

Sub Rodolfo Habſpurgenſe quidā FRIDERICVS Stuphius magus (Cranzio Holſtuch cognomine, aliis Tilekolup dicitur) Fridericum II Imp. ſe eſſe dicens, multas ad ſe urbes pellexit, in Vvezeſlaria copias habens. Erant enim qui Fridericum II Imperatorem in Apulia mortuum, nullo pacto mortuum crederent, ſed uiuere ſuſpicarentur, qui peracta geſtorum perperàm pœnitentia, nunc ſe redderet principibus. Fecerunt fidem aliquantū præter corporis lineamenta non abhorrentia, permulta quæ nouerat eius ſecreta: quippe ſeruierat diu Imperatori, & penitiora quædam intellexerat. Sed ubi detecta eſt eius fraus, Nuſſiæ captū, & tormētis conuictum, Rodolphus igne cremauit. Columbariēſes, qui eum fouerant, quatuor millibus marcarum argēti multati ſunt. Cuſpinianus, & Auentinus lib. 7. Cranzius lib. 8. cap. 16. Metropol. & lib. 7. Vandal. cap. 39. ſub ann. Sal. 1283.

Non longè pòſt alius QVIDAM nebulo uenit Lubecam, primùm quidem ſecretò, deinde palàm prędicans ſe eſſe Fridericum Imperatorem: ueniſſe in urbem, quam ipſe creaſſet Imperialem. Perſuaſit credulæ plebi, ita ut equo uectum ducerent per ciuitatem. Erat uir induſtrius inter proconſules, Henricus Steneken, qui in legationibus crebriùs alloquutus Imperatorem, multa de perſona, multa de ſtatu curię eius uiderat. Secretò cœpit ſuper multis compellare hominem: ille ad omnia uacillabat. Comperto mendacio euanuit, nemine ſciente quò abiſſet. Cranz. lib. 7. Vandal. c. 39.

Ludouicus Marchio Brandeburgenſis, Lodouici Bauari Imp. F. Carolum IV. regē Rom. agnoſcere nolebat. Rodolphus dux Saxoniæ (Boemo fortaſſe conſcio) MOLITOREM quendam ruſticum ſimilem inueniēs Valdemaro Marchioni Brandeburgenſi defuncto, ſine liberis mortuo (à quo Lodouicus Marchionatum ſortitus erat) perſuaſit illi, ut diceret, ſe olim cauſa pœnitentiæ peregrè abiiſſe, mortuumque ſimulaſſe: multaq; ſigna oſtendens, populum eò perduxit, ut Ludouico luxuriam uxoris & filiarum obiicerent, liberoſq; eius illegitimos indignoſque tanto principatu clamarent. Ob id multas ciuitates Marchiæ amiſit, quas Boemus occupauit. Sed mox Carolus Ludouicum principatu Brandeburgenſi, Bauariæ & Carinthiæ feudalia dando, Norimbergæ condecorauit, Marchionemq; fictum proſcriptione imperiali execratus eſt. Cuſpin. & Cranz. lib. 9. Metrop. c. 35.

Mortuo in prælio aduerſus Mauros in Hiſpania Aldephonſo rege, HISPANVS, qui ei facie perſimilis erat, ſe Aldephōſum eſſe finxit, oſtendens, propter acceptæ cladis dedecus, ignoto habitu, uelle orbem terrarum peragrare. Quibus rebus apud multos (nam præter ſimilem effigiē, multis quoque aliis ſignis, ſe uerum Aldephonſum oſtendere uidebatur) tantum profecit, ut magnus hominum numerus Aldephonſum eſſe eum putaret. Itaq; cùm ob eam rem multi hominem ſequerentur: ueritus Alphonſus, qui in regno ſucceſſerat, ne inde grauius ſibi negotium oriretur, cōprehendi eum, atq; ſuſpendi iuſſit. Fulg. lib. 9. c. 16.

THESAVROS

*Condendo.*

Maros amnis Hercyniis ſaltibus effuſus præcipiti curſu in Tybiſcum euoluitur. Hunc pleriq; Sergetiam antiquis uocatū aſſeuerant, in cuius auerſi & mox reducti uado, DECEBALVM Daciæ regem, urgente uictricibus armis Traiano Cæſare, theſauros condidiſſe ferunt, quum Barbarus in ea rerū deſperatione ſeipſo crudelior, ne latebræ ſecreta proderentur, artifices atque operas ad unum omnes in ueſtigio perfecti operis necauiſſet.

*Expilando.*

*Conſule Tit. Fures aſtuti. Illic Res per ſe, hic reſpectu hominis, cuius bonum eſt fortuitum, perpenditur.*

## ASTVTIA IN IIS, QVÆ AD ANIMVM PERtinent, occupata. Siue iam conſiderentur

HABITVS ANIMI. BONOS HABItus impedire, euertere: MALOS introducere. Putà

VIRTVTEM aſtutè promouere.

M. Varro utile eſſe REBVSPVBL. dicit, ut ſe uiri fortes, etiam ſi falſum ſit, ex diis genitos eſſe credant: ut eo modo animus humanus uelut diuinæ ſtirpis fiduciam gerens, res magnas aggrediendas præſumat audacius, agat uehemētiùs, & ob hoc impleat ipſa ſecuritate felicius. Auguſtin. lib. 3. de Ciuitate Dei, cap. 4.





CASTITATI ALIORVM ASTVTE' inſidiari.

*Huc pertinet Tit. Aſtutiæ erga Amaſios. item in Coniugiis conciliandis uel diſſoluendis, quatenus libidini hoc ipſo conſulitur.*

VALERIANVS Imp. in pietatē Chriſtianā (cui primū fauit) ſæuiens, adoleſcentem quendam Chriſtianum in amœniſſimis hortulis, ſuper lectum extructum plumis, reſupinū poni iuſſit: & ne ſe inde excuteret, blandis ſerico nexibus irretiri. Amotis omnibus arbitris, ſpecioſum ſcortum iuſſu prętoris aduenit, delicatis ſtringit colla complexibus, manibuſq;, quod dictu ſcelus eſt, in libidinem concitat iuuenem Chriſti. Miles Dei præciſam morſu linguam in oſculantis ſe faciem expuit: ac ſi uictor extitit. Auentinus lib. 2. Annal. Boiorum, ex D. Hieronymo.

FLORENTIVS monachus & presbyter, ſingularis oſor & perſecutor Benedicti erat. Itaq; aliquando meretriculas ſeptem de proſtibulo euocatas, in hortum monaſterij adduxit, quæ nudæ illic inter ſe ludendo & cantando monachos ad libidinem accenderent. Quas inſidias intelligens Benedictus, locum mutauit, & paucos fratres ſecum abduxit. Vincentius lib. 21. cap. 56. & Leo Hoſtienſis lib. j. cap. j. & Marulus lib. 5. cap. 2.

PRODIGOS REDDERE.

EVTRAPELVS quidā inimicis ſuis blanda quadam ratione nocebat. De eo ſic Horat. in 1. Epiſt. 18.

—Eutrapelus cuicunq; nocere uolebat
Veſtimenta dabat precioſa. Beatus enim iam
Cum pulcris tunicis ſumet noua conſilia & ſpes,
Dormiet in lucem, ſcorto poſtponet honeſtum
Officium, numos alienos poſcet: ad imum
Thrax erit, aut olitoris aget mercede caballum.

## EFFECTIONES. HVIVS SVNT loci, Aſtutè

EXPLORARE, EXPISCARI ALIORum Voluntatem, Conſilia, Dicta, Facta.

Samſon, deſcendens cum parentib. Thamnatam ad ducendā uxorem, in uinetis occurrentem leonem diſcerpſit, perinde ac ſi hœdum diſcerperet: neq; tamen id factum parentibus indicauit. Cæterùm cùm aliquanto pòſt iterum Thamnatā proficiſceretur, ad uiſendum leonis cadauer deflexit. Ibi cū animaduertiſſet in eius corpore examen apum cum melle: uola ſua mel exceptum, cœpit inter eundum comedere, ſuiſque de eo parentibus edendū dedit. At cùm ueniſſet Thamnatam, inſtructo pro more conuiuio, triginta SODALIBVS, qui ad ſe uenerant, hoc ænigma propoſuit, Ex edace cibus, & ex feroci exiit dulcedo. Vt iſtud, ſi intra ſeptem conuiuij dies explicaſſent, triginta lintea ab ſe acciperent, totidemq; ueſtes elegantes. Sin autem explicare nequiuerint, ipſi triginta lintea, totidemq; ſibi ueſtes elegantes darent. Quod ænigma, cùm illi per triduum explicare non poſſent, die ſeptimo petierunt à Samſonis uxore, ut à uiro ſuo ænigmatis ſententiam eblandiretur, quam eis indicaret: alioquin ſeſe & eam & eius domum paternā igni crematuros. Ergo Samſonis uxor apud eum flere, & ſeſe ei odio eſſe, nō amari, dicere, qui ænigma propoſitum popularibus ſibi nō patefaceret. Inſtititq; ſic apud eum flendo per ſeptem dies. Septima tandem die peruicit, ut declararet ænigma, idque ipſa popularibus expoſuit. Itaq; die ſeptima ante ſolis occaſum ſic illi dicunt: Quid melle dulcius, & quid leone fortius? Et ille: Niſi uitula mea arauiſſetis, meum ęnigma non perueſtigaſſetis. Iudicum 14.

Idem ubi deperiſſet Dalilam Gazenſem, PALÆSTINI, multis ab eo damnis affecti, ad eam ueniunt, perſuadentes, ut à Samſone per blāditias diſcat, in quo poſita ſit tāta eius fortitudo, & qua ratione poſſint eum uincere & ad ſubigendū conſtringere: eiq; M C argenteos ſinguli paciſcuntur. Illa apud Samſonem inſtat. Et, cùm tribus uicibus feſelliſſet, indignabunda petit, quo pacto cōſtringi ualeret. Tum ille improbitate mulieris tędio enectus, omnem ſuum animum ei aperit, & ſuo capiti nouaculam non admotam fuiſſe oſtendit, quoniam Deo à uentre matris ſit deuotus: quòd ſi tondeatur, abituras à ſe uires, ſeq; infirmum & cęterorum omnium ſimilem fore. Dalila, accerſitis Palæſtinorum optimatibus, Samſonem in genibus ſuis conſopit, detonſiſque de capite eius ſeptem cincinnis cepit eum uiribus deſtitutū urgere, & ei Palæſtinos inſtare, dicere. Ille à ſomno experrectus, neſciens à ſe Iouam diſceſſiſſe, cùm putaret ſe ſicuti ſolitus erat euaſurū, à Palæſtinis captus Gazamq; perductus, in ergaſtulū effoſſis oculis ad molēdū detruſus fuit. Iud. 16.

Narrant MIDAM, utpote tyrannum, corycæos ac ſubauſcultatores dimittere ſolitum, per quos quæcunq; per omnem regionem uel fierent, uel dicerentur, cognoſceret, nimirum illis utens aurium uice. Proinde cùm uulgus admiraretur, ab illo reſciri etiam ea, quæ clàm ac procul fierent, occaſionem fabulæ dederūt, ut Midas diceretur auriculas aſini habere. uel quòd nullum aliud animal acrius audiat quàm aſinus, excepto mure: uel quòd aures habeat omnium longiſſimas. Eraſmus.

Cùm LYSANDER Thaſios cepiſſet, & illi, qui Athenienſium partes ſecuti fuerant, ſeſe occultarent, euocatis ciuibus in templum Herculis, humaniſſimam orationem habuit: oportere ueniam dare his, qui laterent in commutatione rerum, & eos bonum animum gerere iuſſit: quippe cùm eam orationem in templo haberet, idq; in ciuitate Herculis aui. Ergo fidem habentes orationis benignitati, prodierunt. Lyſander paucis pòſt diebus eos interfici iuſſit. Polyæn. lib. j.

Pericles in Repub. Athenienſium potentiſſ. erat. INIMICI cū eum apud populum accuſare uellent: priùs periculum fecerunt, quale populus de ipſo iudicium laturus eſſet, & Phidiam ſtatuarium, Periclis intimū, falſo crimine furti accuſarunt. Phidias in carcerem coniicitur, & ueneno innocēs necatur. Pericles Phidiam defenderat, & iam infeſtiorē populū habebat. Sed bello cōtra Lacedęmonios gliſcēte, cū Periclis opera egeret Reſp. accuſatio fuit dilata. Plut. in Pericle.

AGATHOCLES Syracuſanorum tyrānus, Carthaginenſib. terra mariq; debellatis, diis ſacrificauit, amicoſq; opiparis conuiuiis excepit, depoſitoq; in comeſſationibus regio ornatu, cuiuſuis priuati hominis tenuitatem præ ſe ferebat. Qua uia hoc cōſequebatur, primùm ut multorum beneuolentiā ſibi conciliaret: deinde cuilibet inter pocula loquendi libertate conceſſa, quo quiſq; animo eſſet, uerè cognoſceret, uino ueritatem detegente. Diod. lib. 20.

DIONYSIVS maior, cùm pecuniam à Syracuſanis exigeret, mox eiulantes cerneret deprecāteſq;, ac nō eſſe ſibi allegantes: iuſſit iterum extorqueri, ac bis uel ter idē egit. Vt uerò plurib. indictis ridentes audiuit, ac dicteria inter deambulandum in foro iacientes, iuſſit deſiſtere: Nunc .n. nihil, inquit, habent, quando nos contemnunt. Plut. in Reg. apoph.

IDEM, ut cognoſceret, quid de ſe dicerent ſubditi, muſicas feminas & meretrices conuocari iuſſit. Quæ cùm magnis prēmiis ſe donatum iri putarent, ille nihil eis donauit: ſed meretrices ſingulas explorauit, adhibitis tormētis; quidnā ab amatorib. audirent de tyrannide. Ita cognitis obtrectatoribus, eos partim morte affecit, partim in exilium miſit. Polyænus libro 5.

IDEM expeditionem ſuſcipiens, Androni arcis ac pecuniarū cuſtodiam cōmendauit. Eum Hermocrates hortabatur, ut ſibi operam ſuam accommodaret, ad obtinendam arcem atq; pecunias. Poſtquam uerò ſaluus Dionyſius poſt paucos dies rediit, cùm nihil audiret ab Androne, dixit ſe ab aliis audiuiſſe omnia: uerùm ab ipſo quoq; ſe uelle cognoſcere, quiſnam potiſſimùm occaſionem arripere uoluerit. Andron deceptus, prodidit Hermocratē. Dionyſius Andronem quidem interficiendum curauit, quòd non confeſtim ſibi poſt reditum hoc indicaſſet: Hermocratē uerò in cuſtodiam dedit, quia ſororē eius in matrimonio habebat, in cuius gratiā eum poſtmodum in Peloponneſum dimiſit. Idē.

IDEM, cùm ſcire cuperet, quinam iniquo animo tyrannidem ferrent, nauigauit ab Italia in occultum nauale: famamque ſparſit, Dionyſium à propriis militibus interfectū eſſe. Qui ægrè imperium eius tulerant, concurrunt cum ſummo gaudio, ſibiq; mutuò caſum narrant. Ille comprehenſis iis quibus ea res lætitiæ erat, omnes trucidauit. Idem.

IDEM morbum ſimulans, rumorem diuulgauit, regem in extremo periculo uerſari. Cùm multis ea fama gaudium faceret, ipſe cum ſatellitib. progreſſus, omnib. conſpiciendū ſeſe præbuit, gaudenteſq; ad mortem rapi imperauit. Idem.

In AVGVSTO Cæſare adulteriorum conſuetudinē legimus. Hoc & inimici eius exprobrāt, nec amici factum negāt, ſed excuſant: multis periculis iactatū principem, inſidiiſq; tam domeſticis quàm externis, ad id non uoluptate turpi, ſed ſolerti conſilio ductum aſſerentes, quò facilius ſcilicet, familiaritate feminarum, quid eorum uiri aduerſarij ſui uel ſibi ſuſpecti, agerent molirenturq;, deprehenderet. Conſtat ſiue hinc ſiue aliunde, coniurationes cōtra eum omnes ferè ſurgentes oppreſſas eſſe. Petrarcha, ex Suetonio.

Cùm Tiberium, ut luxurioſum & homicidā criminaretur CALIGVLA, alij quoq; ſe illi gratū facturos rati, liberiùs ſunt in eum inuecti. Tum ille eundem laudauit & celebrauit, & pœnas de iis ſumſit, qui illi maledixerāt. Malè de eo loquētes uituperabat: laudantes oderat, ut amicos eius. Magnā turbam eorum, qui Tiberium contra patrem, matrē & fratres eius irritarant, occidit. Zonaras.

OCCVLTARE, CÆLARE, SVA ALIOrúmue Conſilia, Dicta, Facta. Nempe

*Inſtitutum.*

DATAMES bellum gerens cum Sinopenſibus claſſem habē-

tibus, cùm ipſe naues fabricare uellet, & fabri deeſſent, amicitiam cum eis fecit, promittens ſe Seſtum expugnatam eis traditurum, quam omnium infeſtiſſimam habebant. Crediderunt Sinopenſes, & hortabantur, ut quibuſcunq; rebus opus ad bellum haberet, ab ipſis acciperet. Ille ſe nulla re alia dixit indigere, cùm haberet ſummam facultatem pecuniarum, atq; hominum: uerùm qui machinas, arietes & teſtudines fabricarent, ſe nullos habere, quæ res maximũ uſum præſtarent oppugnantibus. Sinopenſes omnes ex urbe fabros & architectos ei miſerunt. Ille eorũ artificibus uſus, cùm magnam copiam nauium & tormentorum ædificaſſet, oppugnationem à Seſto ad Sinopem conuertit. Polyænus libro 7.

Auarum princeps CHAGANVS, à Tiberio II. Imp. fabros ſibi pro ſtruendo balneo mitti petiit. Quos, cùm ueniſſent, ui compulit, ut pontem ſuper Danubium ſtruerent, quò facilis ſibi eſſet aditus populandi agros Romanorum. Cuſp.

*Odium.*

PHILIPPVS Macedonum rex in Epiſt. ad Athenienſes, cùm in animo haberet nihil eorum facere, quæ legati ipſorũ poſtulabant: nec tamen nimis durus uideri uellet, affirmauit, ſe auditis oratorib. eorum aſſentiri omnibus rebus, quas illi petebant: ſeq; paratum eſſe inducias facere, ſi tamen Athenienſes miſſis ad ſe auctoribus malorum conſiliorũ, iuſto ſupplicio illos affici paſſi ſint. Literæ regis recitatæ à Demoſthene in actione pro Cteſiphonte, illic nunc incluſæ leguntur. Eodem etiam pacto M. ANTONIVS texit odium ſuum contra eos, quos Mutinæ obſidebat, docens ſe omni pœna eos liberaturum, ſi imperatorem ſuum prodidiſſent, quod illi commiſſuri nullo modo erant: in epiſtola enim quã miſit Herſio & Cæſari, inquit, At militibus incluſis opẽ ferts, nihil moror eos ſaluos eſſe, & ire quò lubet: ſi tantũmodo patiuntur perire eum, qui meruit. Victorius lib. 2. Variarum lectionum, cap. 13.

*Magiam.*

GVL. Luranus [redacted] ob crimen Magię Pictauij damnatus eſt, anno MCCCCLIII. die XII Decemb. teſtimoniis & confeſſione propria conuictus, quòd mutuo obligationis inſtrumento cum Satana confecto, penes eum deprehenſo, renuncians Deo & ſacrificans diabolo, promiſiſſet ſe prædicaturum (ut fecit) fabulas eſſe quicquid de Magis dicitur, crudele factum eſſe ad mortem damnari Magos. Bodinus in Confut. opin. Vieri.

*Adulterium.*

DAVID rex ſuſpicionem adulterij cum Bethſaba commiſſi aſtutè effugere conatus, nouo ſcelere homicidij idipsũ aggrauauit. Vocatũ enim è caſtris Vriam, ſimulato colloquio de negotiis bellicis, iuſſit eum domum ſuam deſcẽdere, eo conſilio, ut à coniuge blandè ſuſceptus, cum ea concumberet, & ſic adulterij ſuſpicio dilueretur. At Vria, licèt inebriato à rege, id recuſante, cùm uideret hoc pacto conſiliũ ſuũ non ſuccedere rex, Vriam cum literis amandat ad Ioabum, efficeret, ut Vrias ab hoſtibus in oppugnatione Rabę à ſuis deſertus, occideretur. Quod Ioabus diligẽter executus eſt. 2. Regum 11.

MVLIER prope Florentiam publici hoſpitis uxor, admodum liberalis, cum quodam, cuius uſu tenebatur, cubabat in lecto. Acceſſit interim de improuiſo & alter, idem quod prior facturus. Quem præſentiens ſcalas aſcendentem mulier, atq; obuiam facta, acriter eum obiurgare, & ulteriore aditu arcere cœpit, aſſerens non eſſe tẽpus quo ei ſatisfieri poſſet, rogansq; ut e ueſtigio abiret. Renitendo altercandoque cùm aliquandiu tempus tereretur, ſuperueniẽs uir, quid ſibi uellet ea concertatio, quæſiuit. Femina ad fallendum promta: Hic, inquit, irato animo in ædes noſtras irrupit, ſupplicem qui huc confugit perſequens. Alter qui latebat his auditis uerbis, proſiliit, ſe ulturum iniuriam clamãs. Vir de cauſa diſſenſionis interrogans, cum ambobus collocutus, pacem compoſuit, eiuſq; firmandæ cauſa ad communes epulas utrunq; admiſit. Poggius in Facetiis.

*Tyrannidem.*

TIBERIVS Cæſar C. Caligulæ ideo imperium reliquiſſe dicitur, quò memoriam ſcelerum ſuorum maioribus Caij ſceleribus obrueret: utq; maxima atq; nobiliſſima pars ſenatus poſt mortem ſuam necaretur. Dion Nicęus in eius uita, & Zonaras.

Abolendo rumori de incẽſa urbe NERO ſubdidit reos, & exquiſitiſſimis pœnis affecit, quos uulgus Chriſtianos appellabat. Auctor nominis eius Chriſtus, qui Tiberio imperitãte, per procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus erat. Igitur primò correpti, qui fatebantur: deinde indicio eorum multitudo ingens haud perinde in crimine incẽdij, quã odio humani generis conuicti ſunt: & pereuntib. addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi: aut ubi defeciſſet dies, in uſum nocturni luminis urerentur. Hortos ſuos ei ſpectaculo Nero obtulerat, & Circenſe ludicrum edebat, habitu aurigæ permiſtus plebi, uel circulo inſiſtenſ. Vnde, quãquam aduerſus ſontes, & nouiſſima exempla meritos, miſeratio oriebatur, tanquam non utilitate publica, ſed in ſæuitiam unius abſumerentur. Hæc Tacitus lib. 15.

*Perfidiam.*

ISRAELIS filij, cùm propter inuidiam fratrem Ioſephũ Madianitis mercatoribus uendidiſſent XX argenteis: ne Iacobus pater id reſciſceret, ſanguine hœdi uerſicolorẽ eius tunicam cruentarunt, & ad patrem miſerunt, ſimulantes ſeſe eam reperiſſe, & dubitare Ioſephi ea eſſet, nécne. Ille ea agnita, Ioſephi dixit eſſe tunicam, & filium ſuum tanquã ab agreſti fera dilaniatũ, multis lacrymis pſecutus eſt. Gen. 37.

ALCIBIADES ſalutatũ profectus Periclẽ, ut audiuit, ei non uacare, ſed quemadmodum Athenienſibus Propylæorum ædificatorum rationes daret, cogitare: Ergo, inquit, in id potiùs ne dare cogaris, incumbito. Plut. in Apopht.

Othocarus Boemorũ rex, dũ apud Morauia in domo priuata ſpaciaretur, nihil mali ueritus, obtruncatus eſt. Deprehenditur homo Turingus cruento gladio: & priuſquã de coniuratis, deq; modo rerum inſtitutarum ac omni ſcelere patefaceret, à populo laceratus eſt, cędẽ eius feſtinantib. conſciis, ne proderentur. Cranzius lib. 7. Vandal. c. 31.

LVDOVICVS Sforcia dux Mediolanenſis, poſtquam Carolum IIX Galliæ regem ad inferendũ Neapolitano regi Ferdinando bellum concitaſſet: rem arte tractare, ac tegere cupiens, ſubtiliſſimo artificio, nunc regis Gallię ad res Italicas propenſionem quaſi Italis omnibus periculoſam damnãs: nunc Genuæ, quam regis beneficio teneret, ueteriſq; cum Galliæ regibus fœderis neceſſitatem excuſans, qua illius regis (ut ipſe dicebat) poſtulata audire impulſus fuerat: iam Ferdinando, interdum Pontifici Alexandro VI. ſeparatim, Petroq; Medici pollicendo, ſe pro ſua uirili Caroli ardorem reſtinguere conaturum: eos in hac ſpe conſopitos retinere nitebatur: ne priuſquam res in Gallia bene compoſitæ ac ſtabilitæ forent, aliquis in ipſum motus excitaretur. Atque hæc quidem ei faciliùs credebantur, propterea quòd conſilium de rege in Italiã adducendo, erat uel ipſimet Ludouico tantoperè periculoſum, ut fieri haud poſſe uideretur, qui tandẽ (periculo diligentiùs expẽſo) ab incepto pedem eſſet relaturus. Totam æſtatem anni 1493. in huiuſcemodi negotiis conſumſit Ludouicus, ſine ulla regis ſuſpicione, ut nec Ferdinãdus, nec Põtifex, nec Florẽtini, de ipſius pmiſſis omnino deſperarẽt, nec eis planè confiderent. Guicciard. lib. 1.

HABRAYMVS Baſſarũ princeps apud Solymannũ Turcicũ Imp. occultè fauẽs Chriſtianis, Marcũ Nicolai Venetũ, ignobilẽ mercatorẽ, q ab Italia mutatis ad celeritatẽ iumẽtis, ad eũ Babylonię agentẽ cum ſecretis mãdatis ac literis percurriſſet, rediiſſetq;: enatis non temerè paulo pôſt his de ipſius pfidia ſuſpicionibus, Byzãtij pro ſpeculatore cõprehendi, noctuq; iugulari, & in mare proiici iuſſit. ſcilicet ut detegendo crimini certi⁹ indiciũ tolleretur: nec inde totius inſtitutę atq; obitę legatiõis cauſa iudicio noſceret. Iou⁹ li. 33. Hiſt.

*Sepulcrum.*

PERIANDER Corinthiorũ tyrannus, cũ uel diuinitatis affectatione, uel metu, ne qd grauius à ſuis poſt fata pateretur, ſepulcrum ſuum ignorari uellet: duos iuuenes intempeſta nocte per ſemitam quandam ingredi, obuium primũ necare, atq; clàm ſepelire iuſſit. Pôſt quatuor alios miſit, q duos illos interficerent & ſepelirent. Poſt quatuor octo. Inde ſexdecim. Sic effectũ ut cùm ipſe ſolus primis duobus obuius factus eſſet, & ab illis interfect⁹ atq; ſepult⁹, loco incerto, ſepulcrũ illi⁹ nemo unq̃ inuenire potuerit. Laert. in eius uita.

*Theſauros.*

☞ *Vide ſuprà, Theſauros aſtutè condere.*

☞ VLCISCI. VLTIO ASTVTA, RATIONE HABITA

## Offenſæ, quam ulciſcitur. Putà

*Cædis.*

Cũ Alboinus Longobardorũ rex Veronę in cõuiuio exhilaratus uxori porrexiſſet poculũ è Cunimundi ſoceri capite fabrefactũ, ut cũ patre biberet: ROSIMVNDA dolore correpta, Peredeũ uirum fortiſſimũ multis pollicitationib. in uirĩ cædẽ allicere nititur. Quod quũ aſſequi nõ poſſet, artib. eũ circũuenit. Peredeus ueſtiariã reginæ noctu adire ſolebat. Regina ſe in lecto Peredeo ſupponit. Mox ubi ſe patefecit, Peredee (inqt) aut te Alboinũ interficere, aut ab eo te interfici opus eſt, regalem quãdo thorũ inceſtaſti: ni parueris, paternãq; mortẽ ultus fueris, te adulterij poſtulatũ, dira morte ſcito moriturũ. Ille timore perculſus, ſe regẽ interfecturũ pollicetur: eumq; meridiantẽ, ope Elmichi cõiurationis auctoris adortus obtruncauit. Bonfinius lib. 8. Decad. 1.



Liuorum regis filius BICCO Iarmericum Danorum regem, à quo olim fratribus ſpoliatus fuerat, acceſſit, & ab eo benignè habitus, arcanorum omnium arbiter euaſit. Hunc ut ſuis per omnia monitis parere ſenſit, ad ſcelera flagitiaq; committenda compulit, præcipuè aduerſum ſanguine iunctos. Eiuſdẽ ſuaſu rex Sclauorũ rebellantiũ duces, traiectis fune tibiis, equis in diuerſa raptantibus præbuit lacerandos. Alio item tempore optimates eorum primò tibias loris traiectos, & taurorum cruribus alligatos, moloſſis inceſſentibus raptim in cœnum uoragineſque pertractos abſumſit. Broderum regis filium falſo crimine inceſtus cum nouerca inſimulatum, ſuſpendio necandum curauit. Suauildam nouercam calcibus equorum protriuit: mox Hellèſpontios fratres ad Suauildę ſororis uocem indignam ulciſcẽdã impulit, à qbus Iarmericus in arce munitiſſ. obſeſſus, ea tandem occupata, artub. detruncatis periit. Saxo lib. 8.

Frouini ducis Sleſuicenſis ab Atislo II. Suecorum regè cæſi filij duo KETO & VVIGO, in Sueciam profecti, perfugarũ ſpecie, inter milites admittũtur, & à rege interrogantur, An meminiſſent pugnæ ſuperioris anni, quando duo congreſſi de uita certaſſent? Meminiſſe fatentur, ducemq; ſuum tum proſtratum ab illo, qui rex gentis ferebatur. Hęc, inquit, dextera protriuit uirum alioqui fortiſſimum. Quęrit deinde, Filióſne ſuperſtites haberet dux ille? Reliquiſſe aiũt geminos, proceritate corporũ ferè, pares ſibi. Eſtne illis, inquit, paternæ necis aliquis dolor? Tum Keto, Quid prodeſt multa in uentum uerba fundere, ubi nullus eſt exigendæ ultionis locus? Conſueuerat rex ſine comitatu exire, apricandi gratia. Fratres illi uelut comitaturi ſequuntur: ac iam ſolum nacti, uerbis his agrediuntur: Nuper ſollicitè perquiſiſti de nece Frouini, iactabunduſq; dexteram extuliſti. Ecce aſtamus in conſpectu tuo gemini fratres, ut uindices in te paternæ necis ſimus, aut occumbamus. Interritus rex, Parcite, inqt, adoleſcẽtes ſanguini ueſtro, uita dignos iudico, quos dolor in uindictam paternæ necis armauit. Aeris non contemnẽdam ſummam accipite: & proprii lucrum ſanguinis, militia mea in reliquum uſuri, accepto ferte. Fruſtra, inquit Keto, iſta iactas: morituri uenimus, aut uindicaturi. Tum ille, Ergo iunctis uiribus concurrite. Indecorum eſt his annis atq; uiribus, utriq; ſeorſim concurrere. Abſit, inquiunt, dedecus & generis & patriæ, ut uni duo cõcurramus. Si quid tibi uirium eſt, ait Keto, exere, ſpectator frater aſſiſtat: aut ſi illum mauis excipere, me pugnæ ſpondeo ſpectatorem. Circo deſignato Keto regem inuadit. At ille ictus deuitans, ludificando magis pugnam extrahit, fratrem quoq; ad arma uocans, ut plenis uti uiribus poſſet in hoſtem. Vbi uerò Keto pertinaciùs regem urget, rex magno impetu galeam Ketonis decuſſit, uulnuſque capiti inflixit. Tum Vigo oblitus promiſſi, in pugnam ruit uiolentus, & unà cum fratre, regẽ occidit. Amputato inde capite illud ad proximam uillam perferunt & Ketonem atq; Vigonẽ, germanos fratres, Frouini patris, ab Atislo rege cæſi, mortẽ ultos eſſe apertè profitentur. Mox ad regem ſuum regreſſi Vermundum, præmia magna retulerunt: tum quòd patrios manes uindicaſſent, tum quòd acerrimum Danorum hoſtem ſuſtuliſſent. Cranzius lib. 1. Succiæ, cap. 23.

*Stupri.*

SIMEON & LEVI Iacobi FF. ut ulciſcerentur ſtuprũ à Sichemo illatum Dinæ ſorori, ſimulant ſeſe illi ſororem in matrimonium daturos: ea tamen lege, ſi priùs cum patre Hemore principe Sichemitarum & omnibus ciuibus circumcideretur. Sichem amore puellæ cõditionem accepit. Tertio die pôſt, cùm illi in dolore eſſent, oppidum inuadunt, mares omnes trucidant. Reliqui Iacobi filij ad cædem ſuperueniũt, & oppidum diripiunt. Geneſ. 34.

*Repulſæ amatoriæ.*

Bellerophontes propter occiſum Bellerum Argos exilio mutans, Tirynthem peruenit, Prœtiq; regis hoſpitio eſt uſus. Interim ANTEA regis uxor, adoleſcentis amore correpta, cœpit illius animum ad ſtuprum ſollicitare, & ſui copiam obtulit. Ille ubi flagitium recuſaſſet, uidelicet hoſpitij religione permotus, illa prior occupans, uerſoq; in odium amore muliebri, Bellerophontẽ apud maritũ occultè defert, tãquam ab illo fuiſſet de ſtupro interpellata. Quod ubi perſuaſiſſet, quoad poterat regis animum in perniciem iuuenis inſtigabat, ſemper ad aurem occinens illud Homericũ,

Τεθναίης ὦ Προῖτ᾽, ἢ κάκτανε Βελλεροφόντην. id eſt,

Aut morere Prœte, aut interfice Bellerophontem.

PHÆDRA Minois & Paſiphaes filia, Theſei uxor, ſpreta ab Hippolyto priuigno, laqueo ſe de trabe ſuſpendit, abſente peregrè Theſeo marito. Is reuerſus, cùm pendentem adhuc ſolueret: inuenit tabulam unà ſuſpenſam & obſignatam, in qua Phædra Hippolyti inſidias pudicitiæ ſuæ ſtructas accuſabat. Id autem ideo finxerat, ut honeſtam cauſam necis habuiſſe uideretur; & ut hoc pacto ulciſceretur Hippolytum, qui amori ipſius gratificari noluerat: Venus quoq;, quod pridem contra Hippolytum ſe ſpernentem conata fuerat, abſolueret. Fidem ergo Theſeus ſcriptis cõtra Hippolytum innocentem confictis cùm haberet, iubet eũ quamprimùm exulem; poſt multas grauiſſimas accuſationes, patria terra è conſpectu ſuo diſcedere: cùm eum diris & execrationib. deuouiſſet, ac patrem Neptunum rogaſſet, ut Hippolytum malè perderet. Eius preces exaudiuit Neptunus, & immiſſo terrore equis, à quibus in curru uehebatur, cùm per loca deuia ſtipites & ſaxa amentes & cæci currum raperent, Hippolytũ ſaxis alliſum, uulnerato & lacerato ipſius fœdè corpore, miſerè perdiderunt. Euripides in Hippolyto.

CLEOBOEA, Phobij Nelidæ Mileſiorũ principis uxor, cùm multa fruſtra machinata eſſet, quibus Antheũ regij generis ex Halicarnaſſo adoleſcentem, Phobio obſidem datum, ad ſtuprum alliceret: temporis progreſſu, amorem in ſe extinctum ſimulans, perdicem cicurem (alij uaſculum aureum) in profundum puteum demittens, Antheum rogauit, ut deſcendens extraheret illam. Mox ingentem ſuper eum deiecit petram, atq; occidit. Parthen. in Erot. cap. 14.

*Damnationes.*

THEODORVS epiſcopus Cęſarienſis, indignè ferens Origenem poſt fata damnatum eſſe, damnationem in Theodorũ Mopſueſtenũ epiſcopũ mortuũ, atq; à Catholicis Concilio Chalcedonẽſi laudatũ, hoc modo molitus eſt. Subſcribentè Iuſtiniano cõtra Acephalos pro Cõcilio Chalcedonẽſi, accedẽs Cæſarienſis dixit, Poſſe eũ Acephalos ad Eccleſiæ cõmunionẽ adducere, ſi Theodorũ Mopſueſtenũ, Theodoretũ Cyrenſem, & Ibã Edeſſenũ à Concilio Chalcedonenſi receptos damnaret: nam hoc pacto eos ſine detrectatione Chalcedonenſe Concilium tanquam purgatum approbaturos. Cui Iuſtinianus aſſenſus, libello edito, eos damnauit: atq; epiſcopos, qui tria capita Concilij Chalcedonenſis reſpuerent, omnibus muneribus affecit: qui diſſentirent, in exiliũ egit, ut Liberatus literis prodidit. Quæ res tantum in Eccleſiam tumultum inuexit, ut poſt aliquot annos generali diſquirenda Concilio fuerit. Sigonius lib. 19. Imp. occid.

## Modi, quo ulciſcitur. Nempe

*Conſilio malo.*

Reliquis Centauris expugnatis ac cõfectis ab Hercule, Neſſus unus omnium ſuffugerat. Is peruenit ad flumẽ Euenum, & in eius ripa uerſans, ſolitus erat adeuntes tranſmittere. Deinde euenit, ut Hercules in Trachinem ad Ceycem, unà cum Deianira proficiſceretur. Poſteaquam igitur ipſe iam fluuium tranſmiſiſſet: NESSO mandauit, ut Deianiram transferret. At is inter tranſuehendum uim cœpit adferre mulieri. Hercules, Neſſi præcordia iaculo perfodit. At is ſentiens lethale uulnus, ad mulierẽ inqt: Si uis tibi amatoriũ efficaciſſimum parare, quo poſſis Herculem inflammare in amorem tui, & ſi quando deperibit aliam, in tui cupidinem reuocare, fac illum meo ſanguine perungas. Atq; ea perſuaſa, Neſſi ſanguinem è uulnere fluentẽ apud ſeſe ſeruauit. Itaq; poſtquam Trachinem adiiſſet, ac rurſum inde profectus Oechaliam adortus ciuitatem cepiſſet: Iolen puellam captiuam ſecum abduxit. Immolaturus autem Ioui parenti uictimas ob res benè fortunatas, ad Deianiram mittit, iubens ut ſibi ueſtem aliquam magnificam mitteret. Illa certior facta de Ioles raptu, ueſtem Neſſi cruore tinctam imbutamq; mittit, philtrum ſe mittere rata. Hanc indutus Hercules, rem diuinam peregit. Cæterùm ubi calefacta ueſte, uenenum excitatum corpus grauiter adurere cœpiſſet, auellere conatus eſt: uerùm iam ita penitùs adhæſerat, ut non ſine carnibus ipſis reuelli poſſet. Ergo in monte Oeta rogum extruxit, eumq; conſcendit. Eraſmus, ex Zenodoto.

BICCO fratrum ſuorum mortem de Iarmerico interfectore peſſimis conſiliis ulciſcitur. Vide paulo antè.

Fridericus II. Imper. hoſtis Alexandri III. Pont. PETRVM de Vineis ſecretariũ certis de cauſis lumine priuauit. Deinde pœnitẽtia ductus, aſciuit eũ in ſecretius cõſiliũ. Cęterùm cùm Imp. anguſtia rei pecuniariæ Piſis premeretur, cõſuluit ei Petrus, uires Eccleſię ſuiſmet opib. conterẽdas: conflãda eſſe in uſum belli eccleſiarũ omniũ ornamẽta, aurea atq; argẽtea: inter q̃ Zona illa, quæ cingebat templũ, memorabilis erat. Placuit cõſiliũ Friderico, & ſpoliis eccleſiarũ exercitũ parauit. Tũ Petrus, Imperator (inquit) iniuriã abs te iniuſtè mihi illatã ultus ſum; tu tibi hominũ odia cõparaſti, ego tibi Deũ ex ſacrilegio reddidi inimicum. Poggius in Facetiis.

*Commiſeratione.*

Cæſaris funere in forum delato, laudauit eum de more M. ANTONIVS. Qui cùm moueri oratione ſua cerneret populum, flectique ad commiſerationem correptam Cæſaris ueſtem cruore oppletam explicauit, & ut dilacerata eſſet uulnerum multitudine, oſtendit. Ibi alij interficiendos homicidas uociferabantur: pars ſubſellia & menſas ex officinis corripientes & coaceruantes, grandem pyrã ſuccenderunt.

derunt,impoſitumq; in rogũ cadauer,in medio frequentiũ locorũ ſacrorum,frequentiũ etiam inuiolatorum atq; intactorum,combuſſere. Vt flãma eluxit,accurrẽtes alius aliundè, & titiones arripientes ſemiuſtos, ad tecta diſcurrerunt interfectorum Cæſaris inflammanda. Verùm illi obſepti antè,periculum propulſauerunt. Plut.in Bruto & Cicerone.

*Cæde.*

*Vide Tit.Vitæ aliorum aſtutè inſidiari.*

*Adulterio,Stupro.*

SEIANO, qui iniuriam acceptam à Druſo ulciſci cupiebat. cuncta tẽtanti,promtiſſimum uiſum ad uxorem eius Liuiã ſe conuertere, quæ ſoror Germanici,formę initio ętatis indecoræ, mox pulcritudine præcellebat. Hanc ut amore incenſus,adulterio pellexit:deinceps quoq; ad cõiugij ſpem, conſortium regni,& mortem mariti impulit. Victorius lib. 32. Var.lect.cap.15. ex Tacito.

## REPREHENSIO, ACCVSATIO, Calumnia Aſtuta.

### CVIVS REI. V. G.

*Verbi inſolentis.*

Cùm Rullus legem agrariã ornaret,utilitatemq; eius exponeret, Vrbanam plebem nimium in Rep.poſſe, dixerat, exhauriendamq; eſſe. Id uerbum, quamuis rei narrandæ, uel antè oculos potiùs ponendæ, ualdè aptum foret, notatum CICERO in concione illi exprobrauit, indeq; magnam inuidiam ipſi conflauit: de ſe enim tanquam de ſentina aliqua uerba feciſſe tribunum iniquo animo ferre debuit populus Rom. nam quin translatio elegans ſit,dubitari non poteſt. Ipſe certè Cicero ita poſtea locutus eſt in epiſtola quadam ad Atticum,cùm de eadẽ re ageret. Victor.li.2. Var.lect.c.11.

*Hæreſeos.*

Hilarius Pictauienſis epiſcopus, cùm ad emendationem eorũ qui Ariminenſi perfidiæ ſubſcripſerãt, librum inſtructionis pleniſſimę conſcripſiſſet:eum librum, corrupto notario, nacti æmuli, multis in locis corruperunt. Mox eum ad concilium epiſcoporum,ſecundùm ea,quæ ſe in libello ipſius nouerant corrupiſſe,uti hæreticum arguere cœperunt, & ex ipſo autographo,ſed adulterato,redarguerunt,& hæreſeos notam inceſſerunt. Ille uerò dolo cognito, aſſertionibus, ſatisfactionibus, & omnibus, quæ uiuentes pro ſe facere poſſunt,ſuam innocentiam tutatus eſt. Ruffinus in Apologia pro Origene.

*Tyrannidis.*

SOSIS quidam,homo improbitate & audacia apud Syracuſanos clarus,dum Dioni Dionyſiũ tyrannũ in arce obſidenti parat inſidias, primùm in concione ſurgẽs,multa probra ingeſſit Syracuſanis; qui non intelligerent uęcordi ſe & uinolenta explicatos tyrannide,Dionyſij uigilantem & ſobrium dominum Dionem accepiſſe. Inde cùm ita ſe hoſtem ex profeſſo declaraſſet Dioni,in præſenti ex foro digreſſus eſt. Poſtridie currens per urbem,conſpectus eſt nudus,capite & facie cruore fœdatis; quaſi aliquos profugeret conſectantes. Tali ſpecie in forum ſe coniiciens,ab externis militibus Dionis docuit inſidias ſibi ſtructas, & caput ſuum ſaucium oſtendit. Multi uicem eius dolebant,& cooriebãtur in Dionem,frementes eum rem indignam & tyrannicã agere, qui cædibus & periculis extorqueret ciuibus liberam uocem. Quanquam autem confuſa erat & turbulenta concio, perrexit eò tamen Dion ad ſe purgandum,Soſimq; demonſtrauit unius Dionyſij ſatellitum eſſe fratrem, atq; per eum impulſum,ut ſolicitaret & concitaret ciuitatem. Iam cùm præter alia indicia acceſſiſſent ſerui illius, teſtimonio eum prementes, multa nocte nouaculam tenẽtem egreſſum ſolum fuiſſe. Populus Soſim rei capitalis damnauit, & Dioni eſt placatus. Plut. in Dione.

Bonifacius Africæ Comes,uirtute & auctoritate florebat,ſub Honorio & Valentiniano III. AETIVS eius gloriæ inuidens,ut ipſum aulica machinatione ſubuerteret, apud Placidiam Valentiniani matrem accuſauit, quòd tyrannidem in Africa moliretur; eamq; ad euocandum illum ex Africa incitauit. contrà uerò literas ad Bonifacium, tanquam amici fungens officio,miſit,monens, ipſum apud Auguſtam fuiſſe perfidiæ poſtulatũ, atq;, ut Romam eo nomine euocetur,futurum:proinde caueret,ne accederet,ſi capiti ſuo cõſulere uellet. Igitur Placidia Bonifacium acceſſiuit. Ille uerò in timorem ſalutis adductus,licèt omnino innocens,fideli, ut putabat, Aetij conſilio parendum ſibi eſſe duxit, neq; Africa pedem extulit. Quãobrem Placidia eò magis fidem eius ſuſpectam habuit,& dignum hominem,qui bello uindicaretur, exiſtimauit. Guntharius & Genſericus, Gunderici Vandalorum regis in Hiſpania filij, à Bonifacio euocati cõtra Romanos, Vandalos & Alanos fretum Herculeum traiecerunt, ac nullo negotio Mauritaniam iuris ſui fecerunt, anno nonodecimo,poſtquam ex Scythia ceſſerant. Bonifacius aſſumtis ex Mauritania Vãdalis,Sigeuulti Comiti ſumma ui in ſe ruenti occurrit,atq; omni mole, ne Africa eiiceretur, contendit. Cùm aũt Bonifacij pernicioſa reip. uirtus aſſiduis hominũ maledictis laceraretur, Bonifacij amici ipſum in Placidiæ gratiã reſtituere ſunt anniſi. Quippe mirãtes, hominẽ alioqui officij pietatiſq; pleniſſimũ, de fide tã temerè deceſſiſſe,uolũtate Placidiæ Carthaginẽ adierũt, ac de re cũ eo colloquuti ſunt. Ille ſe excuſare, & iuſti doloris ſui teſtes ipſas Aetij literas ꝓferre. Quas ubi legerũt,rationẽ ſe recõciliandæ inueniſſe gratiæ rati, cõfeſtim cũ iis Romã ad Placidiã redierũt,ac Bonifaciũ non ſua, ſed Aetij culpa lapſum eſſe docuerũt. Illa animo ꝑturbata,dolore tamẽ ſuppreſſo,nihil cũ Aetio expoſtulauit,ne ſummũ ducẽ exercitũ habente, & rem ꝓclarè gerentẽ,alieno tẽpore irritaret: uerùm cum Bonifacij amicis omnia cõtulit,atq; Aetij fraudẽ deteſtata, iurauit, ſe æquã Bonifacio futurã, ſi ille pro re Romana ſtare in animũ induxiſſet, & barbaros, quos acciuerat, ex Africa dimiſiſſet. Bonifacius ab amicis de fraude Aetij,& animo Placidiæ erga ſe certior factus,ſumma uolũtate ſe facturũ,quod illa poſtulabat,promiſit,atq; ita ab armis reip.inferẽdis diſceſſit,animũq; ad Vandalos ex Africa dimittendos,ſed fruſtrà,cõuertit. Inde ex Africa Romã,Placidia uocatus,magiſtri militum dignitatem obtinuit. Mox Aetium ueterem ſuæ laudis obtrectatorem ſingulari certamine fidei ſuæ probandæ gratia prouocauit,commiſſoque Placidiæ permiſſu prælio ſuperauit. Quam ob cauſam Aetius dignitate nudatus in agrũ ſe contulit. Tertio inde pòſt mẽſe Bonifacio lethifero morbo tẽtatus, cùm ſe morti proximum cerneret, Pelagiam uxorem,mulierem locupletem, ut Aetio nuberet,obſecrauit. Sigonius lib.12. Imp.occid.

*Inſidiarum.*

THEODORVS Santabarinus monachus magus, cùm Leonem Cæſarẽ Baſilij Imp. F. ſciret uirũ eſſe probũ: ueritus ne apud patrem technę ſuæ detegerentur, Leoni ſimulata amicitia inſidiari cœpit, cumq; tanquã inſidiatorem clàm apud Baſilium accuſare. Idq;,inquit,ut credas,ecce cùm in uenationẽ prodibis,enſem ſub filij ueſte deprehendes. Mox ſeorſim ſuaſit imprudenti adoleſcenti, ut enchiridion ſub ueſte in uenationẽ geſtaret: Aut enim feram proſternens pater, tuo egebit auxilio:aut ſi quid inſidiarum ei paretur, genitorem defendes. Cùm itaq; pater in uenatione enſem ſub ueſte Leonis deprehẽdiſſet:carceri incluſit, & inſignia imperatoria ademit:effoſſurus eidẽ oculos,niſi à primorib. & patriarcha fuiſſet prohibitus. Cuſpin. ex Zonara & Cedreno.

*Stupri.*

Gregorius Agrigẽtinus epiſcopus ęmulos habuit SABINVM & CRESCENTIVM diaconos. Illi ut è medio eum tollerent, noctu inhoneſtam mulierculam in eius lecto occultarunt: qua poſtea producta in publicum,curarunt,ut Gregorius in uincula coniectus tranſmitteretur Romam. Verùm correpta muliercula à dæmone, prodidit dolum, quòd pecunia ab accuſatoribus fuiſſet corrupta, ut tantum crimen in uirum ſanctum confingeret. Abſolutus igitur ille, locoq; ſuo reſtitutus, accuſatores uerò in exilium acti. Metaphraſtes in eius uita.

*Furti.*

Dioxippus athleta fortiſſ. Corrhagum Macedonem militem ſingulari certamine congredi auſum ſuperauerat. MACEDONES eius glorię inuidẽtes, phiala aurea ſtragulis eius clàm inſerta,furti reum peregere. Ille doli infamiam non ferens,gladio ſuo incubuit. Curtius lib.8.

Cùm Paphnutius inter fratres Scythioticæ ſolitudinis perſanctè uerſaretur, QVIDAM inuidiæ ſtimulis agitatus excogitauit, quo pacto eũ delicti inſimularet: & captata occaſione, dum dominico die Paphnucius cùm cæteris ad eccleſiã conueniſſet, cellam eius clanculùm adiens, codicem ſuum inibi abſconditum reliquit. Cumq; mox & ipſe ingreſſus eſſet eccleſiam, precatione ſolenni peracta, queſtus eſt codicem ſibi eſſe furto ſublatum. Mirantibus cunctis, ipſe qui decem ſibi tulerat petiit,ne quis antè ab eccleſia diſcederet, quàm miſſis fidelibus uiris cellulæ ſingulorum excuterentur. Miſſi ſeniores, codicem inter palmeas Paphnucij fiſcellas inuẽtum referunt. Diu attonitus ſtetit Paphnucius,neq; auſus eſt negare,quod tã aperto affirmabatur indicio: & ut ſibi pœnã, qua ſatisfaceret,imponerẽt, rogauit. At demùm Dei iudicio factũ eſt,ut eius ignominiæ auctor à dæmone arreptus, nequiciã ſuã ac dolos cõfitendo proderet. Qui poſtea Paphnucij ſolius oratione iterũ curatus eſt. Marulus lib.5. cap.2.

*Veneficij.*

DRVSVS tribunus plebis traditur caprinum bibiſſe, cùm pallore & inuidia ueneni ſibi dati inſimulare Q. Cepionem inimicum uellet. Plin.lib.28. cap.9.

### QVOMODO,

*Literarum imitatione, literis falſis.*

Syluanus, cùm Galliæ à Germanis aſſiduis rapinis atq; incendiis uexarentur; peditum magiſter ad ea mala prohibenda miſſus, egregiè ſe gerere cùm cœpiſſet, multorum in ſe inuidiam concitauit. Ob eam rem DYNAMIVS præfectus, ut ipſum euerteret, inſidias ei parauit: quippè literas eius cõmendatitias ad amicos quoſdam nactus, eas incolumi ſubſcriptione deleuit,atque hanc ſententiam repoſuit: Rogare amicos agentes intra palatium,ut ſe altiora molientem, ac propediem ſolium principis aditurum iuuarent: literis uerò prolatis,idem Dynamius præfectus eſt,ut hæc pro Imperatore inquireret. Ita conſiſtorio habito, omnes, quos ille nominauit, comprehenduntur, & cum literis ad eum euocandum Apodemius mittitur; qui nullis redditis literis, in Gallia ſubſtitit. Interim Dynamius alias his conſentientes confinxit nomine Syluani, & Malarichi ad tribunũ fabricæ Cremonenſis:à quibus ut conſcius monebatur, parare properè cuncta: qui lectis literis non intelligens, quid id rei eſſet,literas ad Malarichum miſit,obſecrans, ut diceret apertè,quæ uellet. Malarichus ſuam & Syluani uicem ſolicitus, adhibitis Francis, quorum magna in Palatio multitudo florebat, erectiùs loqui in apertis inſidiis cœpit. Cùm autem Conſtantius Imp.rem cognoſci iuſſiſſet: Florentius agens pro magiſtro officiorum, animaduerſis in literis priorum uerborum lituris, rem aliter eſſe, quàm dictarat Syluanus, Conſtantium docuit. Ea de cauſa Dynamius in tormentis eſt habitus, ſed tamen abſolutus conſpiratione multorum. His rebus cognitis, Syluanus ueritus, ne propter mollem Conſtantij animum abſens damnaretur, Francis magna mercede ad ſe adductis,Agrippinę inſignia Auguſtalia ſumſit. Sigonius lib.6. Imp.occid.

Acriter dimicauit contra Leonem & Conſtantinum Impp. Ioannes Damaſcenus, ob defenſionem cultus imaginum, & cum epiſcopis Orientis Imperatorem excõmunicauit. LEO per falſarium literas ſcribi curat, tanquam ad ſe à Ioanne ſcriptas, quibus ſe urbem Græcis proditurum polliceretur. Eas literas Saracenorum regi Leo mittit,ut ſibi à Ioannè caueret. Ioannes patriarcha de uita Damaſceni. Auctor tamẽ ſermonis de Conuerſatione Damaſceni, hæc à pædagogo eius eſſe facta dicit. Saracenus itaque ei brachium præcidit, ſeu (ut alter narrat) digitum, quem imago Mariæ inuocata ipſi dicitur reſtituiſſe.

Io. IACOBVS Schutz, à Troubach, patre ſcriba natus, cùm Melchiori Engersheimio Conſuli Seleceſtadienſi infenſus eſſet, clàm nomine eius,manum & ſigillum eius egregiè imitatus, literas fingit ad Enſisheimenſem Senatum, quib. ſeſe paratum aiebat noctu præſidiũ in urbẽ accipere, & Seleceſtadium Rom.regi prodere. Literas illas non quidẽ Senatui tranſmiſit, ſed eas ciuib. quibuſdã ſeditioſis priuatim oſtẽdit, ſibi à Materno Bartio Enſisheimẽſi tabellario clàm tranſmiſſas dictitans. Hacq; ratione plebem ita concitauit, ut & Melchior Conſul & Maternus de uita ſint periclitati: donec pater Materni (à quo ſeſe literas Schutzius accepiſſe dixerat) conſultò in mediũ productus Colmariæ, & à Schutzio minimè agnitus, non obſcurum feciſſet indicium fraudis contra Melchiorem commiſſæ. Ob quam Argentinę capite plexus & in quatuor partes diſſectus fuit Schutzius: Melchior & honori & bonis reſtitutus. Beatus Rhenanus libro 3. rerum Germanicarum.

*Literarum ſubiectione.*

PHARNABAZVS Perſarum regis præfectus in Aſia, Lyſandrum apud Spartanos accuſauerat, quòd prouinciam ſuam uaſtaret. Ephori ſcytala miſſa eum reuocauerunt domum. Lyſander allata ad eum in Helleſpontum ſcytala perculſus, & Pharnabazi potiſſimùm formidans crimina, affectauit ad dirimendam controuerſiam cum eo congredi. In colloquio orauit eum,ut literas de ſe ad magiſtratus alteras, nulla ipſum iniuria affectum eſſe,neq; quicquã ſcriberet queri. Pharnabazus omnia recepit ſe facturum:atq; in propatulo quidem, qualem flagitabat Lyſander, epiſtolam cõſcripſit, clàm uerò alteram habebat iam exaratam, & inter ſignandum commutauit codicillos nihil inter ſe ſpecie diſcrepantes, tradiditq; Lyſandro illum occultè ſcriptum. Reuerſus Lacedæmonem Lyſander, atq;, ut moris eſt, ad curiam profectus, reddidit Ephoris Pharnabazi literas, pro certo habens maximum crimen ſuum eſſe ſopitum. Pharnabazum enim Lacedæmonij, quòd inter regios præfectos fuiſſet in bello promtiſſimus, carum habebant. Vt uerò lectas literas Ephori oſtenderunt Lyſandro, & hic animaduertit, Non unum Vlyſſem ſcilicet eſſe callidum: neceſſarium ſibi iter eſſe ad Ammonis delubrum, & ſacrificia, quæ ante prælium uouerat, reddenda, ſimulãs, ab Ephoris ægrè dimiſſus eſt. Plut. in Lyſandro, & Polyænus lib. 7.

*Scripti, Styli imitatione.*

ANAXIMENES Lampſacenus philoſophus, cùm ingenio uafro eſſet, & ſophiſtarum orationem aptiſſimè imitaretur, ſuſcepta cum Theopompo Damaſiſtrati filio ſimultate, hiſtoriam conſcripſit, maledictorum in Athenienſes, Lacedęmonios, & Thebanos pleniſſimam. Ad unguem uerò cùm Theopompi ſtylum expreſſiſſet, ſuppoſito eius nomine, per Græciæ ciuitates librum diuulgandum curauit. Quæ res Theopompo magnam apud omnes Græcos inuidiam concitauit. Pauſanias lib. 6.

*Chirographo falſo.*

THEOPHILVS Alexandrinus epiſcopus, cùm reſciſſet, nobilem matronã Alexandrinã Iſidoro presbytero mille aureos numeraſſe in pauperum uſus diſtribuendos: ſibi non traditos grauiter ferẽs, poſt duos menſes ſynodum cogit, & prolata charta fingit eam ſibi ab annis 18. à quodã cõtra Iſidorum oblatã: uerùm ſe multitudine negotiorum obrutum, actori iudicium dare neglexiſſe: nunc uerò conſcientiæ ſtimulis adactum, de ſodomiæ uitio Iſidoro crimen intentare. Subornat quinetiam puerum XV aureorum precio, qui coràm Iſidorum accuſaret. Qui tamen metu perculſus, aufugit. Iſidorus quamuis innocentiam ſuam declaraſſet, inuidia tamen Epiſcopi in exilium eiectus eſt. Antoninus Tit. 10. cap. 9. & Palladius.

*Confeßione culpæ.*

CHILPERICVS Francorum rex, Merouꝰeo filio, ob ductam Brunechildim patrui Sigeberti Mediomatricum regis uxorem, & regnum attentatum, in monachum attonſo, coacto Epiſcoporum concilio, Prætextatum Rotomagenſium epiſcopum accuſauit, crimini dans, ab eo omniũ gnaro iunctã Meroueo Brunechildim, largitioneq; ſolicitatos quoſdam, ut à patre deficerent, filiũq; regem ſalutarent. Dolo uictus eſt Prætextatus, ſubmiſſis qui uelut uicẽ eius ſoliciti, per ſpeciem amicitiæ monerent, è periculo per uera per falſa ſe eriperet. Regẽ animo pacatum, ac probè ſcire eum inſontem, ſed cauſa inuictum uideri uelle: fatendo culpam, ueniam ac gratiam inſuper regis promeriturum. Patribus iam cõpertã innocentiam, colluſionem futuram deinde, non iudiciũ. Igitur poſtridiè in patrum conſeſſu præſente rege, Merouecũ, inquit quòd è ſacro delubro eum exceperam, impuli ut regnum appeteret: quem etiam angelum cœleſtem facere optaſſem. Tunc rex teſtatus patres quid ipſi coràm audiſſent, poſtulabat, ne uoce ſua damnatum abſoluerẽt: & reum, ne quid ultrà effari poſſet, regij irrumpentes obuoluto capite abſtraxerunt. In inſulam Oceani Conſtantienſis diœceſis relegatus eſt. Aemilius lib. 1.

*Teſtimonio falſo.*

Methodius patriarcha Cõſtãtinopolitanu, ſob cultũ imaginũ ab ADVERSARIIS ſummo habebatˀ odio. Corruperunt hi publicũ ſcortũ multa pecunia, effecerũtq; ut hunc ſtupri accuſaret coram totius Senatus primoribus: q̃ omnia Methodius æquo animo tulit, donec eò impulerunt uirũ ſanctum, ut corã Manuele magiſtro, multiſq; primoribus Senatus, nulla alia purgatione uteretur, ſed paucis uerbis præfatus, limbo ueſtis ſubducto, mẽbrum uirile tabidũ & eneruatũ oſtenderet. Ibi cùm Manuel mulierculã acceſſit, & acriùs inſtat, ut uerũ fateatur. Scortũ ſceleris auctores indicat, & ſe pecuniis ac promiſſionibus illectam profitetur. Methodius accuſatores à pœna ſuis precibus liberauit. Cuſpinianus.

SABINVS & CRESCENTINVS, Gregorij Agrigentini epiſcopi ſanctiſſimi diaconi, quòd grauiùs ab eo eſſent reprehenſi ob facinora ſua mala: inito fœdere, in eius perniciem conſpirant: mulierẽ impudicam ſubornant, eamq; pecunia corruptam in eius thalamum clàm, ipſoq; inſcio, abdunt. At cùm ad eam eſſet ingreſſus epiſcopus, in cubile irruunt, omnia clamoribus ac tumultu implent, comprehẽſum per totam urbem trahunt; ac tandem cuſtodiæ, incluſis ligno pedibus, tradunt. Cùm autem per Eparchum, urgentibus accuſatoribus, cauſa non poſſet componi, Romam uinctus ad Pontificem deportatur, ibiq; ſimiliter carcere in tertium uſq; annũ excruciatur. Sed in Synodo innocentiã eius Deus patefecit. Meretrix etenim à dæmone correpta, accuſatorũ improbitatem detexit. Gregorius igitur abſolutus, illi in exilium acti ſunt. Simeon Metaphraſtes in eius uita.

*Laudatione ſimulata.*

ARISTOXENVS, cùm indoctum Socratẽ pariterq; rudem & laſciuum appellaſſet, ſubiecit: Cæterùm nullo ſcelere fuit contactus. Plut. de Herodoti malignitate.

*Imaginibus.*

QVIDAM Athanaſio patriarchæ Conſtãtinopolitano infenſi, cùm in Xerolophi cellis uerſaretur, è patriarchico ſolio ſcabellũ furati, Chriſti Seruatoris, & altera ex parte Imperatoris Andronici Palæologi imaginẽ frenos in ore gerentis, quos Arſenius alter patriarcha ut ſeſſor equi moderaretur, in eo depinxere, & in loco ſuo repoſuere. Quidã eam fabulam uulgarunt, & Patriarcham apud Imperatorem impietatis reum égerunt. Ille conuictos calumniatores duriſſimo mancipauit carceri. Gregoras lib. 7.

QVANDO.

Plinius in præfatione Hiſtoriæ mundi ſcribit, ASINIVM Pollionem paraſſe in Plancum orationes, quas poſt mortem eius eſſet editurus, ne reſpondere poſſet. Plancum ubi hoc reſciuiſſet, Cum mortuis nō niſi laruas luctari, dixiſſe. Quo dicto ita eſſe orationes illas repercuſſas, ut apud eruditos nihil impudentius haberetur. L. Viues in librū 5. Auguſt. de Ciuitate Dei, cap. 27.

## DEFENSIO, EXCVSATIO ASTVTA.

CVIVS. PVTA

*Adulterij.*

ISABELLA Fuſca, metū, ne adulteria, q̄ Venetiis cū Vgolino Gonzaga & Dandulo Veneto duce patrauerat, uindicarentur, Luchinum maritum Vicecomitem ueneno ſuſtulit. Iouius in Luchini uita.

*Perfidiæ.*

*Vide Tit. Iuſiurandum callidè interpretari.*

Pace Antalcidia, ab Antalcida Spartano proditæ ſunt Græcę urbes à Spartanis Artaxerxi Perſarum regi. Quod cùm quidam AGESILAO regi cum gemitu, obiiceret, dicēs: Miſeram Græciam, ubi Lacones nobis cum Medis ſentiunt: Minimè, inquit, ſed ſentiunt cum Laconibus Medi. Atqui maculam rei non deterſit illius dicti feſtiuitas: ſed imperium improſpera pugna apud Leuctra perdidere, gloriamq; inſuper Spartæ illo effudere fœdere. Plut. in Artoxerxe.

Scribit Thucydides, PHRYNICHVM ducem Athenienſium Sami, cùm milites Alcibiadem ab exilio reducturi eſſent, nauarcho Lacedæmoniorum nunciaſſe, Se uelle illi prodere exercitum. Cùm autem Alcibiades eas literas accepiſſet, & Athenienſibus miſiſſet: Phrynichus, qui penè interfectus fuerat, denuò ſcribit nauarcho, quid accidiſſet: expoſtulans; & denuò pollicens, Se proditurum illi exercitum, ſi aggrederetur. Quod cùm ſignificaſſet, prædixit militibus, Alterā uenturam eſſe epiſtolam contra ſe, ab Alcibiade: & monuit, ut hoſtium ſequentium impetum cauerēt. Quæ cùm ſic accidiſſent, tum literis allatis, tum facta impreſſione, milites omnia & nunc, & prius, contra Phrynichum ex odio ab Alcibiade facta eſſe crediderunt. Hinc prouerbium ortum, φεῦ νίχυ πάλαισμα. Suidas, & Polyæn. lib. 3.

*Latrocinij.*

Cleomenes PRÆDONI (qui populatus fines & comprehenſus dicebat: Cùm nō haberem unde militibus commeatus expedirem, ad eos, qui abundabant, nec ultrò præbebant, per uim rapturus, me conuerti) Conciſa, inquit, malitia. Plutarchus in Apophtheg.

*Furti.*

CÆCVM & pedibus captum accuſabat olitor ingreſſos fuiſſe hortum, & fructus eius comediſſe. Reſpondenti cæco, At nihil uideo, nec hortum, nec arbores: capto pedibus dicenti, Nō ſunt mihi pedes quibus iuerim. regeſſit Olitor, cęcus captum pedibus baiulauit, hic duxit illum. Sic coniuncti fecerant, quod nunquam ſeorſim potuiſſent.

*Hæreſeos.*

PETRVS Pomponatius Mantuanus monachus, de animæ mortalitate ex profeſſo ſcripſit, & miris ſophiſmatibus impietatis ſuæ patronum Ariſtotelē introducere conatus eſt. A' legato ergò Bononienſe ob impium dogma accitus, &, Vtrum immortalem eſſe animam crederet? interrogatus; Non credo, reſpondit. Ibi exclamantibus uniuerſis, renidēs ſubintulit, Immortalem eſſe non credo, ſed ſcio. Itaq; re in iocum uerſa, impunè dimiſſus eſt. Meminit illius quoq; Io. Vierus lib. 5. de Dæmonum præſtigiis.

*Belli iniuſti.*

Quum è ſociorum literis, uariiſq; rumoribus, Sigiſmundus Vngariæ rex accepiſſet, Turcos Myſiam inuaſiſſe, in diuina humanaq; ſæuire, omnia igni ferroq; uaſtare, ad BAIAZETHEM continuò legatum miſit: monens, ut & prouincia, in qua ius nullum ſe habere nouiſſe, & alienis rebus manū abſtineret, ſi quid fas, quid æquum foret, rectè ſciret. Diſtulit ille reſponſum, donec uniuerſam ferè prouinciam occupauit: deinde quum domos armis inſtruxiſſet, accito legato, Sat ſibi iuris eſſe, reſpondit, quando parietes etiam ſua iura præferrent. Bonfin. lib. 2. Dec. 3.

QVOMODO. Nempe

*Negatione.*

M. ANTONIVS orator, Idcirco ſe aiebat nullam orationem ſcripſiſſe, ut ſi quid ſuperiore iudicio actum, ei, quem poſteà defenſurus eſſet, nociturum foret, non dictum à ſe, affirmare poſſet. Qui facti uix prudētis, tolerabilem cauſam habuit. Pro periclitantium enim capite, non ſolùm eloquentia ſua uti, ſed etiam uerecundia abuti erat paratus. Valer. Max. lib. 7. cap. 3.

*Teſtimonio falſo.*

ADVOCATVS quidam cùm ſumma ui contenderet, Aſinum inter beſtias non haberi, neque tex ad hoc ſciret, allegauit commentitiam Rub. de aſinis & beſtiis, C. lib. 12. & hac mēdaci auctoritate Montanum iudicem decepit. Math. Matheſilanus ſing. ſuo 96.

*Ioco, Riſu.*

ANDREAS Mantinea, Patauinus, pictor excellētiſſimus, Innocentio VII. Pont. Max. auguſtiſſimum delubrum in palacio Vaticano pinxit: ubi quum ſacerdotiū aliquod dari uni ex filiis ſuis diu fruſtraq; ſperaſſet: iuſſus aliquādo à Pōt. ſeptem uitia capitalia pingere, de induſtria fecit, ut uacaret locus, in quo expreſſit Ingratitudinem. Interrogatus autem à Pont. Cur, cùm ſeptem ſint tātùm uitia, octauum addiderit? reſpondit, Et quia locus uacabat, & quia nullum uitium ingratitudine magis inuiſum eſt. Tum Pontifex ſubridens, Rectè tu ſanè, inquit. Sed quoniam ex hoc latere octo uitia apparent, quamuis ſeptem tantùm ſint: ita quoq; è regione in altero latere ſeptem illis uirtutibus, extra ordinem addes Patientiam. Bern. Scardeonus lib. 3. hiſt. Pat.

Maximilianus I. Imp. clementiſſimus in nobiles, qui decoxerant, cuidam iuueni opitulari uolens, mandauit illi ut à ciuitate quadam peteret centum millia florenorū. Quicquid impetratum eſſet dexteritate legati, pro lucro ducebatur. Legatus igitur millia quinquaginta extorſit, ac Cæſari triginta reddidit. Quæſtores olfecerunt plus acceptum fuiſſe, quàm exhibitum, & Cæſarē ad exigendam rationem nō ſemel hortati, nobili ſubinde tergiuerſante, ut ipſis tandem præſentibus rationē redderet, obtinuêre. Tum NOBILIS, Non, ut multi ſuſpicantur, peculatus conſcientia, ſed ignorantia impedior, quò minus acceptæ pecuniæ rationes iādudum reddiderim. Hi uerò, qui tibi aſſident, Cęſar, cùm uſu hæc ſibi familiaria reddiderint, tuo iuſſu exemplū edant: ut quàm in accipiendo facilem, tam quoq; in reddendo acutū imitatorem me eſſe reipſa intelligant. Cæſar ingenioſam libertatem iuuenis admiratus, rationes in aliud tempus ſe dilaturum ſimulauit. Ioan. Peregr. Petroſelinus.

## ASTVS IN CORPORIS BONIS AVT MALIS PROMOuendis uel impediendis. Nempe

VITAM SVAM ASTVTE' Conſeruare

*Adulatione.*

L. VITELLIVS, clarus propter Syriam, quam prouinciā obtinuerat, cùm cognouiſſet odium in ſe concitatum eſſe apud Caligulam Imp. propter præclara ſua in Syria & contra Artabanum facta: uocatus à Cæſare, ſimulare cœpit ſe longè minorem eſſe opinione. Ad pedes igitur ex mera aſſentatione prouolutus Caij, profundere magnam lacrymarum uim cœpit, diuinos honores tribuit, ſe ei ſacra facturū pollicitus eſt. Vnde Imperatoris iram adeò placauit, ut non ſolùm uiuere, ſed ex intimis amicis etiam haud poſtremum eſſe uellet. Xiphilinus ex Dione.

*Hæredis nuncupatione.*

Romani, duce Tito, templum Hieroſolymitanum obſidebant: Iudæi ignem porticibus iniecerunt, & Romanos exuſſerunt. Eorum autē, quos ignis obſederat, ARTORIVS quidam, calliditate ſeruatus eſt. Appellato enim clara uoce Lucio quodam, commilitone & contubernali ſuo: Hæredē te, inqt, relinquo totius patrimonij mei, ſi me exceperis. Cùm autem ille promto animo accurriſſet: ipſe quidem, qui ſe in eum proiecerat, uixit: Lucius uerò pondere oppreſſus, conſtratoque lapidibus ſolo alliſus, continuò periit. Ioſephus lib. 7. cap. 6. belli Iudaici.

*Pietatis ſimulatione.*

Narrat Theodoretus lib. 3. cap. 2. IVLIANVM in adoleſcentia ſua, metu tyrannidis Conſtantij, qui propinquos ſuos iugulari curabat; pietatem ſimulaſſe, & in Lectorum cœtum ſe abdidiſſe, & in eo ſacros libros populo recitaſſe, ac tandem ædem Maximæ martyris extruere cœpiſſe. Verùm fundamenta eius templi, antequam conſecraretur, imitata animi eius mutabilitatem, collapſa eſſe.

*Literis adulterinis.*

Cùm in pugna ad Salaminem ARTEMISIA Cariæ regina, quæ à partibus Xerxis pugnabat, uideret Atticam nauim, cuius trierarchus Aminias Palleneus, ſibi inſtantem, neque ullum effugium ſupereſſe: in nauem ſociam, quæ erat uirorum Calyndenſium, impegit, qua rex Calyndenſium Damaſithymus uehebatur (cū quo ſimultates iam inde ex



Helleſponto ei intercedebant) eamq; conſultò demerſit, proſpero caſu uſa, & duplex hinc bonum adepta. Nam trierarchus Atticæ nauis eam conſpicatus incurriſſe Barbarorum nauem, exiſtimans hanc aut Græcam eſſe nauem, aut è Barbaris profugiſſe, & à Græcis pugnare, ab hac ad alias ſe conuertit. Xerxes uerò conſpecto hoc facinore, & nauim demerſam Græcam ratus, præcipuè cùm nemo ex ea naui ſeruatus ſit, qui Artemiſiam accuſare poſſet, exclamauit: Viri quidem mulieres, mulieres uerò uiri mihi extiterunt. Herod. lib. 8. & Polyæn. lib. 8.

Quum Heraclius Imp. Coſroem Perſarum regem bello perſequeretur: quidam Perſa Coſroæ per calumniam ſignificat, SARBARVM ſiue Baram ducem ſuum rebus Romanis ſtudere. Rex collegæ eius Cardarichæ, qui tum apud Chalcedonem erat, mandat, ut Sarbarum occidat, exercituq; recepto in Perſidem contendat. Tabellarius in finibus Galatiæ à Romanis interceptus, Byzantium ad Imperatoris filium abductus eſt. Is Sarbaro accito, literas monſtrat. Sarbarus literis Coſroæ adulteratis, alios CCCC ſatrapas, principes ac tribunos militum inſcribit, quaſi eos ſecum interfici rex iuſſiſſet. Tum toto exercitu & Cardaricha conuocatis, epiſtolam recitat. Ergo Coſroæ regnum abrogant: & cum Heraclio pacem faciunt, ea conditione, uti abſq; maleficio domum diſcedat. Cedrenus. Zonaras uerò ſic ſcribit: Hormiſdas Perſarum rex, ut Baram ducē ſuum uictum eſſe cognouit, abrogato illi imperio ueſtem muliebrem miſit, ac legato per literas mandauit, ut eum occideret. Baras, literas ab Hormiſda ad ſe miſſas eſſe comminiſcitur, quibus toti exercitui minitaretur, eaſq; militibus omnibus prælegit. Subitò igitur Hormiſdam aggreſſi, captum in carcerem coniecerunt, oculis erutis, & Coſroem regem elegerunt. Is patri aliquandiu omnem cultum præſtitit. demū uerò, cùm nihil, quod à filio proficiſceretur, gratum haberet, eum latera fuſtibus tundendo occidi iuſſit.

Erat Aurelianus Imperator, quemadmodum cæteris in rebus uirtute admodū præſtans, ita humani ſanguinis plus quàm bono principi æquum eſſet, auidior. Is cùm ad Perſicam expeditionem iter facere cœpiſſet, & propter quædam errata, MNESTEO liberto, quē à manu habebat, non ſine intermi natione ſuccenſuiſſe uideretur: libertus qui optimè ſciret, principem leuiter nec comminari, nec parcere ſolere: ut eo ſe timore liberaret, literas tanquam Aureliani manu ſcriptas confinxit, atque in eis quorundam nomina notauit, quos aut parum gratos principi, aut eis non multò antè ipſum eſſe interminatum norat, inter ea nomina ſuum quoque ſcripſit. Cùm autem non ſine timoris ſignificatione, ad actis antè iuramento, rem in occulto ſeruaturos, has literas eorum quibuſdam, qui inſcripti erant, oſtendiſſet, à ſe caſu inuentas dixit, cùm principi excidiſſent, qui eas Tribunis daturus erat, ut nominati interimerētur. Illi ut Aureliani mortem ſuæ anteuerterent, eum poſtero die occiderunt. Ex Vopiſco & Eutropio, Sab. lib. 7. En. 7.

IO. Iacobus Medices, qui poſteà ad Marchionatus Marignani dignitatem peruenit, ſtipabat Hieronymi Moroni Mediolanenſis latus. Ab eo conductus ad necem illuſtris uiri Hectoris Vicecomitis, peracto facinore, amandatus eſt in arcem Muſi, eo conſilio, ut tegendi facinoris cauſa, ipſe cum aliis conſciis illic interficeretur. Cæterum ut ſuſpicioſa eſt improbitas, cùm neſciret literas, apertam epiſtolam à ſocio legi iubet. Inſidiis cognitis, ſublato ſigillo alias fieri curat, quibus imperatur, ut præfectus arce commiſſa ei, ſtatim ſe Mediolanum conferat. Qua fraude occupata arce, & præſidiariis in ſuas partes pertractis, eam aduerſus Noricos, Mediolani ducem, ipſius quinetiam Cæſaris præfectos ſic tutatus eſt, ut ſummi ducis, ſtrenuiſſimi militis, maximi imperatoris nomen & opinionem meruerit. Inde multis præclaris uictoriis Cæſari reconciliatus, Prorex in Boemia creatus eſt. Demum aliis expeditionibus interfuit, non ſine maxima auctoritate, & rerum geſtarum gloria: quæ in fratrem quoque ita redundauit, ut inter purpuratos primùm adlectus, tandem ad pontificatum aſcenderit ſub Pij IV. nomine. Hier. Cardanus Genitura ſexta, & Aſcanius Centorius uolum. 2. lib. 3. com. de bellis Europeis ſui temporis.

## VITAE ALIORVM ASTVTE INſidiari. RATIONE

LOCI, TEMPORIS. NEMPE

*In Conuiuio.*

ABSALON, ut Thamar ſororis ſtuprum ulciſceretur, Ammonem fratrem cum reliquis ad conuiuium uocatum, in ipſo conuiuio interfecit, ex conſilio Ionadabi filij Semnæ. 2. Regum decimotertio.

Apud Aegyptios olim mulierem regnaſſe aiunt, cui fuerit nomen idem quod reginæ Babylonicæ, NITOCRI: eamque ultam fuiſſe fratrem, ab Aegyptiis, apud quos regnabat, interemtum: qui, ubi hunc interemerant, regnum ad Nitocrim detulerant. Vlta autem fratrem eſt dolo, multis Aegyptiorum abſumtis. Extruxit enim magnum ædificiū ſubterraneum, & conuocatis ad conuiuium multis, quos præcipuè nouerat fraternæ cædis auctores, per occultum quendam ſpecum immiſit flumen diſcumbentibus. Vbi hoc feciſſet, conſperſit multo cinere ædificium, ne fluminis immiſſi ueſtigia apparerent. Herod. lib. 2.

Cùm uictis Thracibus à Perſis, Megabyzi ductu, legati Perſarum in Macedoniam ueniſſent, petitum ab Amynta rege aquam & terram: Amyntas regi ſe dedens, conuiuioq; liberali legatos excipiens, petentibus id ex ſuo more Perſis concubinas introduxit. Quas cùm illi attrectarent & oſcularentur, indignè eam rem ferens Amyntæ F. ALEXANDER, patrem dormitum ablegauit. Ipſe poſtea data optione Perſis cum quacunq; liberet concumbendi, iuuenculas dimiſit lotum: & mox ſub earum ſpecie introduxit adoleſcētes ephebos, iiſdem amictos ueſtimentis, & pugionibus clàm inſtructos. Quos ſimulac Perſæ attrectarunt, ipſi pugionibus eductis eos interfecerunt. Herod. lib. 4.

Mortuo Caſſandro, Antipater & Alexander FF. Macedonię reges, inter ſe diſſidere ceperunt. Et Alexander euocans ex Epiro Pyrrhum, ex Peloponneſo DEMETRIVM Poliorcetem, cùm hic unà cum exercitu aduenisſet, formidare eum cœpit adoleſcēs ob auctoritatem eius & dignitatem: eūq; ad cœnam inuitatum, inter pocula obtruncare conabatur. Huius rei certior factus Demetrius, comitibus & miniſtris, quotquot eum ſequebantur, ut in triclinium ſe comitarentur, ibiq; dum exurgeret remanerent, præcepit. Hos ueriti Alexandri miniſtri, non fuerunt auſi eum aggredi. Poſtridie orauit Alexandrum Demetrius, ut de maturiore abitu ſibi ignoſceret, aliâs, ubi uacaret, futurum ſecum eo diutiùs. Gauiſus Alexander ultrò ex ditione ſua illum digredi, in Theſſaliam uſq; eum proſecutus eſt. Dum Lariſſam uenit Demetrius, ad cœnam uocat Alexandrum: cœnaq; media ſurgentem Alexander trepidus unà ſequitur. Vt ergo peruenit Demetrius ad fores, ubi ſtipatores eius ſtabant, hoc ſolum locutus, Cæde ſequentem, egreſſus eſt. Alexander igitur ab iis trucidatus eſt, unaq; qui opem ferebant amici eius. Plutarchus in Demetrio.

AGATHOCLES Syracuſiorū tyrannus, Carthaginenſibus terra mariq; debellatis, diis ſacrificauit, amicoſq; opiparis conuiuiis excepit, depoſitoq; in comeſſationibus regio ornatu, cuiuſuis priuati hominis tenuitatem præ ſe ferebat. Qua uia hoc conſequebatur, primùm ut multorum beneuolentiam ſibi conciliaret: deinde cuilibet inter pocula loquendi libertate conceſſa, quo quiſq; animo eſſet, uerè cognoſceret, uino ueritatem detegente. Cùm per eam, quæ in conuiuiis exiſtere ſolet, urbanitatem eos, qui eius imperium alieno animo ferrent, deprehendiſſet, eoſdem aliquando priuatim ad conuiuium rurſus uocauit, adhibitis unà Syracuſanorum magnificentiſſimis, numero ad quingentos, quos omnes trucidauit. Vehementer enim metuebat, ne poſtquam in Africam profectus eſſet, eius imperium detrectarent. Diod. lib. 20.

PERPENNA cùm Q. Sertorij ducis ſui gloriæ inuideret, cum Aufidio, Antonio & Manlio, in medio cōuiuio ex compoſito iurgiis ſe inuicem laceſſere cœperunt. Ibi ille, uel quòd iſta licentia offenderetur, uel quòd mentem eorū ex loquendi tarditate & inſolita diſſolutione aduerteret: figura mutata accubitus, ſupinum ſe collocauit, quaſi non attenderet neq; exaudiret ea. Vt uerò phialā meri plenā inter bibendū è manibus demiſit, Perpēna unde ſtrepitus ortus eſt, quod illis pro ſigno fuit: Antonius, qui ſupra Sertorium recumbebat, ferit eum pugione. Cumq; ille ſe uellet defendere, nec poſſet, multis cū cędētibus, eſt trucidatus. Plut. in Sertorio.

PRIMISLAVS rex Boemiæ, ſimulans ſe iam confectum ſenio, admiratione uirtutis, regnum Valaſcæ Amazonū Boemorum reginæ traditurum, modò filium conſortem regni eſſe pateretur: uirgines duce Milada à Valaſca miſſas ad accipiendam arcem Viſſegradenſem in conuiuio obtruncauit: Valaſcam nihil tale metuentem repentè adortus, Dieuizo arce occupata, cum ſuis ad internecionem deleuit, & inſepultas abiecit. Aeneas Syluius in hiſtoria Boemica, & Dubrauius libro 2.

Scotorum Principes, DVRSTI regis tyrannidem peroſi, contra illum coniurauerant. Rex ſimulata pœnitentia, iureiurandoq; ſolenni interpoſito, pacem cum illis fecit: mox in arcem Berigonium ad conuiuium uocatos, ex inſidiis immiſſis percuſſoribus trucidauit. Obſeſſus inde à populo, eruptione facta, regnum ſimul cum uita amiſit. Hector Boethius libro ſecundo.

SVERTINGVS Saxones à Danorum regis Frothonis IV. iugo liberaturus, cùm conuiuij ſimulatione exceptum regem incendio conſumere ſtatuiſſet, ab eodem, etſi non inultus, occiſus eſt. Saxo lib. 6.

Vitſercus, Regneri Daniȩ regis F. Ruſſiam armis ſubegerat. DAXON Orientalium Ruſſorum princeps (quos Helleſpontios uocant) cùm Vitſercum armis ſuperare diffideret, ad dolos conuerſus, pacem cum eo fecit. A Vitſerco ad conuiuiū inuitatus, habitu mercatorum multos ſuorum ſecum introire iuſſit. Vbi ueſpertinum tempus aduenïſſet, confeſtim Daxon & ſui arma, quæ occultè inuexerant, corripiunt, Vitſercum adoriuntur. Vitſercus multis hoſtium proſtratis, & hoſtilium corporum cumulo circunfuſus, non niſi ſcalis supernè admotis comprehendi potuit: duodecim quoq; comites eius pariter ab hoſte capti, facta ſibi repetendæ patriæ poteſtate, regem deſerere noluere. Daxon egregia Vitſerci forma permotus, ei non tantùm ſalutem, ſed & filiam dimidio regni ſui dotatam in matrimonium obtulit. Ille uerò precariæ uitæ uſum floccipendens, beneficium reſpuit, & eligendæ tantùm mortis libertatem ſibi dari petiit & obtinuit: uinctumq; ſe cum ſociis cremari iuſſit. Saxo lib. 9. & Ioan. Magnus libro 17. cap. 10.

*In Balneo.*

Minos claſſe potens, cognita Dædali in Siciliam fuga, ſtatuit eum bello perſequi. Præparatis nauibus è Creta profectus, in Acragantinam appulit: quæ nunc ab eo Minoa uocatur. Expoſitis copiis, per nuncium à Cocalo rege tradi ſibi Dædalum ad pœnam popoſcit. COCALVS Minoe ad colloquium accito, quod poſtularet ſe facturum pollicitus, domi receptum, cùm in balneis lauaretur, adeò in longum tēpus in thermis detinuit, ut nimio æſtu ſuffocaretur. Eius deinde corpus Cretenſibus reddidit, prælata obitus cauſa, quòd in lauacro lapſus in aquam calidam periiſſet. Eius corpus milites magnificè ſepeliuerunt, ſepulcro ei duplici conſtructo: uno, in quo poſita ſunt occultè Minois oſſa: alio, palàm ædificato Veneri templo, quod multis ſeculis poſteri ut templū Veneris coluerunt. Poſtea cùm Acragantini regnante apud eos Therone urbem conderent, repertum ſepulcrum, oſſibus in Cretam miſſis, demoliti ſunt. Diod. lib. 4. cap. 13.

OLO Scaniæ præfectus Danorum regnum occupauerat. Ob crudelitatem conſpirauere in eum proceres, & CXX auri libris STARCATHERVM ei percuſſorem immiſerunt. Ille in balneo latiantem regem aggreſſus, acri ipſius uiſu luminumq; continua mobilitate uibrantium fulgore perſtrictus, pedem retulit, & qui tot ducum, tot pugilū arma protriuerat, unius inermis uiri aciem ferre non potuit. At Olo ultus ſui conſcius, obtecto ore accedere eum propiùs, & quid afferret edere iuſſit, quippe quem longa familiaritatis experiētia ab inſidiarum ſuſpicione alieniſſimum faciebat. At ille diſtricto mucrone transuerberauit regē, nitentiſq; aſſurgere iugulum ferit. Pœnitentia inde ac pudore perculſus, tanta animi acerbitate cōmiſſum facinus luxit, ut quandocunq; mentio eius incidiſſet, à lacrymis temperare non poſſet. Aliquot etiam ex his, quorum inſtinctu uſus fuerat, in ſceleris à ſe commiſſi uindictam occidit, præſertim uerò Lennonem. Tandem cùm præ ſenio & debilis & cæcus eſſet, hoc ipſo auro percuſſorem ſibi parauit Hatherum Lennonis F. quòd ignaua morte defungi parum uirile arbitraretur. Saxo libro 8.

*In Cubiculo, Lecto.*

IACOBI filij, Sichemitis perſuaſerunt, ut circumciderentur. Mox eos incautos adorti, uſque ad internecionem occiderunt. Geneſis 34.

HEIRGVSTVS, Pictorum rex, Scotorum regi Fethelmaco inimicus, quum Scotos, qui Picticas regiones hoſtiliter inuaſerant, aperto marte ſuperare diffideret, duos Pictos Scotico habitu, in regis cædem, mercede corruptos ſubornauit. Ii ſpiculi iaciendi periti (qua arte Fethelmacus frequenter ſeſe exercebat) ei familiares facti, oportunitatem quotidie ipſius regis trucidandi captabant. Erat forte Caractonij Fethelmacus, ea quæ ad inſtans bellū uſui forent, contra hoſtes, magnis impendiis comparans. Et quum in ſeram noctem, ſermonem publicis ſuper negotiis cum gentis ſuȩ maioribus qui tum aderant protraxiſſet, ſummotis omnibus in cubiculum ſeſe recipiens, citharœdum iubet (ut tum nobiliorum erat mos) citharam leniter pulſando, dulcem cantilenam edere, qua citiùs in ſomnum ſolueretur. Quumque altiori caperetur ſomno, ſubornati in cædem per citharœdum (ut conuenerat) in cubiculum admiſſi, dormientem regē iugularunt, ad inflictum uulnus altius gementem. Eū ſtrepitū moribūdi regis audiētes ſtationarij milites ante cubiculi fores, re comperta, fugientes percuſſores in proximū montem ocyùs ſunt inſecuti: qui timore illico in audaciam uerſo, ingentem ſaxorum uim in eos deiecerunt: unde plurimi ſauciati, in profundam uallem deſcendere præcipites cogebantur. Cōprehenſi tandē à militibus, montē magna ſuperantibus ui, ubi quæſtionibus adhibiti commentum omne fuiſſent confeſſi, equis alligati, illiſq; in diuerſum actis membris diſcerptis, ſceleratam exhalauerūt animam. Citharœdus quoque captus, admiſſi criminis conuictus, ſupplicium haud diſſimile ſubiuit. H. Boethius lib. 6.

*In Foro, Iudicio.*

Anci Martij Rom. regis FILII, ægrè ferentes ereptum ſibi à L. Tarquinio tutore regnum, ægerrimè uerò, quòd Tarquinio ſucceſſurus uideretur Seruius Tullius gener: duos ſuæ factionis uiros occultè ſubornarūt, qui agreſti habitu, ruſticanis ambo ferramentis accincti, tanquam ab intermiſſo opere nuper auerſi, in regem altercantes irrūperent, hîc mutuo ſe conuicio inceſſentes, fidemq; regis implorantes, multitudinis in ſe oculos uerterēt. Tum uerò ad regem uocati, iuſſiq; inuicem dicere, unus rem ex compoſito orditur. In quē dicētem quum totus rex auerſus eſſet, alter claram ſecurim in eius caput deiecit, teloq; in cadentis uulnere relicto, ambo ſeſe foras eiecerunt. Sab. lib. 4. En. 2.

*In Venatione.*

Attilus II. Suecorum rex, Frouinum Danici exercitus ducem ex prouocatione occiderat, & VEREMVNDVM Danorū regem tributarium fecerat. Veremundus Rethonem & Vigonem Frouini filios ſubornat, ut ſupplicum habitu ad Attilum confugiant. A quo benignè ſuſcepti, & de Frouini occiſore interrogati, Magnum illum & fortem uirum eſſe prædicarunt. Tum Attilus, Ego (inquit) ſum ille, qui in publico duello tam egregiam laudem hac mea dextra promerui. Moxq; de Frouini liberis, de eorum ætate, & animo in paternæ necis auctorem, multa percontatus eſt. Ad quȩ illi callidè reſpondentes, paucis pòſt diebus regem in uenatione ſolum circumueniunt, & ſe Frouini filios eſſe clamantes, cùm nullis muneribus flecti poſſent, perfidè occidunt. Ob quam infamem uictoriam Dani à Teutonibus ſugillati, Semiuiri dicebantur, quòd non auderet unus eorum uni congredi, niſi alterius præſidio munitus & ſuffultus. Hoc patrato facinore, ad regem Veremundum reuerſi, ſummis ab eo honoribus affecti fuere. Ioannes Magnus libro ſecundo, capite 30. ex Saxone.

Thomas dux Gloceſtriæ, ignauiam fratris ſui RICARDI II. Anglorum regis ægrè ferens, cuius culpa res Anglica in continente peſſum iret, iactarat ſe coniecturum Ricardum in aliquam arcē, ubi ſine reipublicæ iactura pro ſuo libito otiū traheret. Rex cum Thoma Mombraio, equitum magiſtro, conſilium opprimendi ducis capit, compoſitoq; dolo, ambo uenatum eūt. Mombraius in medio itinere ſe in ſyluam abſtruſit: rex uerò uenando ad ducem cum paucis uenit, ibiq; ſumto cibo, negotium ſimulat, quamobrem ſibi Londinum actutum redeundum ſit, eumq; rogat, ut feſtinandi cauſa, paucis contentus comitibus, ſecum Londinum eat. Vbi ad locum inſidiarum uentum eſt, rege de induſtria prȩcedente, dux inſidiis excipitur, & à Mombraio ad Thameſim trahitur, Caletum perducitur, quo loci poſtridie illius diei ſtrangulatus eſt. Polyd. lib. 20.

Findocus Scotorum rex Donaldum Hebridium rebellem in Ila inſula uicerat. DONALDVS Donaldi F. quod uirtute nō poterat, dolo aggreditur: Nobiles duos ſubornat, qui ſe transfugas ſimulent, regiq; familiares redditi, eum obtruncent. Parent illi, & Carantij, qui regis frater erat, gratia & auctoritate ad ſummos euehuntur dignitates. Cumque Carantium regno inhiare uiderent, ſua illi conſilia aperiūt. Ille negotium maturare iuſſit. Ergo tum Carantij pollicitationibus adducti, tum Donaldi mandato, qui ad id eos ſubornauerat, ac uindicandæ cædis in Hebridianos perpetratæ ſtudio incitati, cùm Findocus ad luporum uenationem cum paucis progreſſus, in monticulo quodam conſediſſet, unde uenatores, caneſque uenaticos, commodiùs ſpectaret: affuere illi ex more coniurati, uenabula geſtantes. Et ubi ad canum uenatorumq; clamorem, ſtipatores paulum ab rege abſceſſiſſent, ſpectaculi uidendi cupidi, coniuratorum alter, regi ſtationariis penè nudo, ex compoſito fabellam quandam de Hebridianorum in eum odio narrare eſt orſus. Dum intentus in eum ſe rex totum conuerteret: alter uenabulo regi pectus transfodit: relictoq; in uulnere telo, ambo ſeſe fuga eripere periculo conantur. Cæterùm comprehenſi, quæſtionibuſq; adhibiti, Donaldi Hebridiani, Carantijque conſilium patefacientes, capitali ſupplicio ſunt affecti. Carantius ſponte exulauit, & in Italiam cum militibus Romanis diſſimulata perſona abiit. Vbi ſub Aurelio Probo, Caro atque Diocletiano Imperatoribus merendo, percelebre rei militaris adeptus eſt nomen. H. Boeth. lib. 6.

*In Expeditione.*

CLEARCHVS Ponticus tyrannus, ciues de medio tollere cupiens, delegit eos, qui eſſent ab anno ſedecimo uſq; ad duodecimum, ad expeditionem ſub Caniculæ ardoribus, quaſi urbem Aſtacum oppugnaturus. Poſtquam uerò appropinquauit Aſtaco, ciues quidem in paluſtri loco & quieto, atq; pleno ſtantium aquarum, iuſſit caſtra ponere, & animaduertere, ne Thraces è regione apparerent. Ipſe uerò quaſi ſummam oppugnationis moleſtiam toleraturus, cum mercenariis excelſa loca & umbroſa, aquis affluentia, cepit, & in iis caſtra metatus, uſque oppugnationem extendit, donec ſuos ciues perdidiſſet: quia æſtiuo tempore paluſtria morboſa ſunt. Poſtquam autem omnes perierunt, tunc cum mercenariis etiam mouit, peſtiq; cauſam ciuium interitus aſſignauit. Polyæn. lib. 2. & Sab. lib. 8. En. 4.



MODI. VERBI GRATIA

*Colloquij ſimulatione.*

MITHRIDATES, Ariobarzanis præfecti Ioniæ filius, pollicitus eſt regi Artoxerxi, Se Datamen interfecturum, ſi ei rex promitteret, ut quodcunque uellet, liceret impunè facere, fidemq; de ea re, more Perſarum, dextram dediſſet. Hanc ut recepit à rege, copias parat, & abſens amicitiam cum Datame facit. Defecerat autem à rege Datames, & Paphlagonia occupata, omnibus præliis ſuperior fuerat. Ergo Mithridates regis prouinciam uexat, caſtella expugnat, magnas prȩdas agit: quarum partem ſuis diſpertit, partem ad Datamē mittit. Pari modo complura caſtella ei tradit. Hæc diu faciendo, perſuaſit homini, ſe ꝑpetuum aduerſus regem ſuſcepiſſe bellum. Interea quoque, ne quam ſuſcipionem illi prȩberet inſidiarum, neque colloquium eius petiuit, neque in conſpectum uenire ſtuduit. Sic abſens amicitiam gerebat, ut non beneficiis mutuis, ſed odio communi, quod ergà regem ſuſceperant, contineri uiderentur. Id cùm ſatis ſe confirmaſſe arbitratus eſt: certiorem fecit Datamen, tempus eſſe maiores exercitus parari, & bellum cum rege ſuſcipi: de qua re, ſi ei uideretur, quò uellet, in colloquiū ueniret. Probata re, colloquendi tempus ſumitur, locuſq; quo conueniretur. Huc Mithridates cum uno, cui maximam habebat fidem, ante aliquot dies uenit, cōpluribuſq; locis ſeparatim gladios obruit, eaq; loca diligenter notat. Ipſo autem colloquendi die utriq;, locum qui explorarent, atq; ipſos ſcrutarentur, mittunt: deinde ipſi ſunt congreſſi. Hic cùm aliquandiu in colloquio fuiſſent, & diuerſi diſceſſiſſent, iāq; procul Datames abeſſet: Mithridates, priuſquam ad ſuos perueniret, ne quam ſuſpicionem pararet, in eundem locū reuertitur, atq; ibi ubi telum erat impoſitū reſedit, ut ſi laſſitudine cuperet acquieſcere, Datamenq; reuocauit, ſimulans ſe quiddam in colloquio eſſe oblitum: interim telum quod latebat protulit, nudatumq; uagina, ueſte texit, ac Datami uenienti ait, digredientem ſe animaduertiſſe locum quendam, qui erat in conſpectu, ad caſtra ponenda eſſe idoneum. Quem cùm digito monſtraret, & ille conſpiceret, auerſum ferro transfixit: & priùs quàm quiſquam poſſet ſuccurrere, interfecit. Ita ille uir, qui multos conſilio, neminem perfidia ceperat, ſimulata captus eſt amicitia. Probus & Plutarchus in Datami. Polyæn. lib. 7.

MITHRIDATES Ponti rex, aduerſus Ariarathem nepotem, Cappadociæ regem bellum ſuſceperat. Sed cùm Ariarathis uires opinione maiores offendiſſet: ut in colloquium uenire uellet, ab Ariarathe petiit, miſſis utrinq;, qui explorarent, ne occultè in colloquium arma ferrent. Cùm is qui Mithridatis corpus prætentabat, manum ſub ueſte ad baltheum poneret, Mithridates ſubridens dixit: Caue, ne ſi inferiorem partem manu petieris, alium quàm quem quæris pugionē inuenias. Is uirilia dici arbitratus, quærere ultrà abſtinuit. Remanſit igitur in ea parte penes Mithridatem paruus pugio, quo nepotem, dum alloqueretur, interemit. Fulgoſus libro 7. capite 3.

RADAMISTVS, Pharſamanis Hyberiæ regis filius (quæ regio his tēporibus Georgiana appellatur) ſimulata cū patre diſcordia, quòd ei nouercam ſuperinduxerat, ad auunculū Mithridatem, Armeniæ regem profugit. Ab eo benignè exceptus, filiæ quoq; matrimonio dignus factus, clàm Mithridatis populos ſubornauit, ac fingens ſe cum patre in gratiā rediiſſe, ad eum profectus, omnia quæ egerat detexit. Itaq; paratis ingentibus copiis, ſub eo prætextu, ut in Albanos arma moueret, in Armeniam aduerſus auunculum ſigna ferri iuſſit, eumq; ab omnibus ſuis deſtitutum, in arce Gorneas obſedit. Sed cùm non omnia pro uoto ſuccederent, noua proditione primam cumulare uolens, data fide auunculum ad colloquium traxit. Hic cùm gentis more amborum pollices colligandi eſſent, ut hauſtum ex eis ſanguinē uterque guſtaret: is cui uinciendi munus erat iniunctum, fingens ad terram funes concidiſſe, illis Mithridatis pedes implicuit. Radamiſtus eum cū uxore ac liberis cepit: & quoniam neq; ferro, neq; ueneno eos ſe læſurum promiſerat, culcitris oppreſſos, præcluſa anima necauit. Fulgoſus libro 9. cap. 6.

MITHRIDATES Ponti rex à Lucullo frequenter ſuperatus, inſidiis eū appetiit, per Adathanem quendam. Receptus ille tanquam transfuga à Lucullo in gregem equitum, cùm frequentibus excurſionibus, promtam & enixam operam præſtaret, fide acquiſita, tempus elegit, quo miſſa principia quietem omnibus caſtrenſibus dabant, prætoriumq; ſecretius præſtabant. Caſus adiuuit Lucullum. Nam qui ad uigilantem uſq; admitti ſolebat, fatigatum nocturnis cogitationibus, illo tempore quieſcentem inuenit. Cùm deinde, tanquam nunciaturus aliquid ſubitum ac neceſſarium, intrare uellet, & pertinaciter à ſeruis ualetudini domini conſulentibus excluderetur: ueritus ne ſuſpectus eſſet, equis, quos ante portam paratos habebat, ad Mithridatem refugit irritus. Fron. lib. 2. cap. 5. & Plut. in Lucullo.

CONSTANTINVS Diogenes, à Conſtantino Imper. ad Sermonem Sirmij dominum legatus miſſus, interpoſito iureiurando affirmauit, cupere ſe ipſum conuenire, ac de rebus neceſſariis colloqui: quòd ſi ipſe inſidias uereretur, tribus tantùm famulis ſtipatum ſe ad ripam profluentis ibi amnis acceſſurum: idem ipſe quoque faceret. Obtemperat Sermo, atque hoc modo cum Diogene congreditur. Ibi cum iam collocuturi eſſent, Diogenes pugionem, quem in ſinu abditum geſtabat, ſubitò in latus Sermonis adegit, eumq; interfecit. Cedrenus.

Clothario III. Francorum rege mortuo, Magiſtri equitum, ſimulatione regiȩ maieſtatis regendæ, de adminiſtratione rerum pro opibus quiſq; ſuis maiore audacia decertarunt. EBROINVS mortuo Ercembaldo ualida factione ſubnixus, præterito Childerico Auſtraſiæ rege, Theodericum fratrem eius natu minorem, Franciæ regem ſalutat, ab illo Magiſter equitum dictus. At armis uictus à Childerico, cùm ſe in Burgundiam recepiſſet, deinde Childericus in uenatione occiſus eſſet, Theodericus quidem in ſolio reponitur, at pro Ebroino Franci Leudeſium Ercembaldi filium Magiſtrum equitum creauere. Ebroinus relicto monaſterio, cui incluſus erat, ſumma celeritate uſus regē cepit, atq; ab eo Magiſter equitum dictus, Leudeſiū ſimulato colloquio circumuentum occidit. Cumq; ab Auſtraſianis mortuo Vlfoaldo Martinus & Pipinus fratres patrueles, Duces ſalutarentur, uicti ſunt ab Ebroino in Laudunenſium finibus. Martinus euocatus ab Ebroino in colloquium, nullum pignus poſtulauit, niſi ſanctiſſimi iuriſiurādi ſupra Sanctorum corpora concepti. Nec ille conditionem aſpernatus, ad conditoria ſanctorū, priùs exemtis clàm corporib9, adiurauit, Se illi minimè offuturum: ſin fidem falleret, in caput ſuum deteſtatus terrores, perniciemq; ac exitium, inferorumq; pœnas. Sic diuos eludens, hoſtem improuidum excepit, interemitq;, donec ab Ermenfredo è Francica nobilitate etiam ipſe occideretur. Aemilius lib. 1.

CANVTVS Erici II. Danorum regis F. bellica uirtute clariſſ. Sclauis domitis, Nicolao Danorum regi patruo formidabilis, cùm ſe ſincerè purgaſſet, à Magno Nicolai F. quòd eo uiuo ſe patri nunquam ſucceſſurum putaret, cum coniuratis oppreſſus eſt Conſilij huius laqueos, humi decumbentes, nectebant, ut ſi rem caſu detegi contigiſſet, nunquam ſtandō, ſedēdóue ſaluti ipſius inſidiatos ſe eſſe, tutò iurare poſſent. Magnus inde contracta apud Sialandiam nobiliū frequentia, Canutoq; circa diuinum natalis ſolenne conuiuādi gratia Roskildiam uocato, Sacræ ſibi peregrinationis amorem inceſſiſſe dixit: coniugis ipſum ac liberorum tutorē cōſtituit, eiq; pleniſſimam rei familiaris ſuæ cuſtodiam mādat. Ingiburga Canuti uxor uirum, ut prȩparatas capiti ſuo uitaret inſidias, miſſis literis monuit. Ille ſe non minus fidei in Magni quàm uxoris præcordiis reponere dixit. Interea magnatibus apud Roskildiam quatuor ſolennium dies cōtinuò feriatis, Canutus ac Magnus, publico iam conuentu ſoluto, ſacri temporis reſiduum diuiduo peregēre contubernio. Nocte qua facinus peragendum erat, conſciis ſe ſequi iuſſis, iureiurando obſtrictos fidem facere compulit, ſilentio ſe cuncta tecturos. Inde Canutum apud oppidum Haralſtadium, per coniuratorum quendam, genere Saxonem, arte cātorem, ſine arbitris, ſibi obuium uenire iubet ad proximum uillæ nemus. Ille nihil doli ſuſpicatus, duobus tantùm militibus totidemq; equiſonibus in comitatum aſſumtis, inermis equum conſcendit & uix monitus gladium ſumſit. Tunc cantor, quòd Canutum Saxonici & ritus & nominis amantiſſimum ſciſſet, cùm iuriſiurandi religio, quò minùs eum apertè moneret, obſtaret, ſub inuolucro rem prodere conatus, Grimildæ erga fratres perfidiam memorare adorſus, famoſæ fraudis exemplo ſimilium ei metum inicere tentabat: quinetiam loricæ, quam ſub ueſte geſtabat, ſumma detexit. Sed ne eo quidem ſuſpicionis irritamento refertum fortitudine pectus mouere potuit. Canutus in primo ſyluæ aditu à Magno fictis oſculis excipitur. Quem ut loricatū agnouit, Quid hoc ſibi uellet? quærit. At ille, Se ruſtici cuiuſdā domū inuadere uelle, reſpōdit. Tum Canutus, Ne priuata ira ſolēne Epiphaniȩ feſtum macularet, orabat. Quo, neque ſe ultionem remiſſurum, neq; propoſito ceſſurum iurante, ipſe ſatisfactionis iuſta promittere, ſuamque pro eius correctione ſponſionem offerre cœpit. Obſtrepentibus deinde iis, qui in inſidiis latebant, quid ſibi militum

hæc manus uelit, interrogat. Cui Magnus, Iam de regni ſucceſſione & rerum ſumma agendum, reſpondit. Tum Canutus, patre eius uiuo actionem hanc & ſuperuacuam & impiam eſſe reſpondit. Hæc dicētis uerticem exiliens Magnus obiurgantis more corripuit. Canutus gladio manum admouens, capite à Magno ictus concidit, & à reliquis confoditur. Eo ipſo loco fons largiſſimus ſcaturire cepit. Cadauer eius rex Roskildiam inferri uetuit, ne populi animos, eius mortem indigniſſimè ferentis, contra filium magis accenderet. Itaque tenui funere Ringſtadium elatus eſt. Ibi concio populi Magnum Reip. hoſtem pronunciat, & regno excedere iubet. Quod cùm Nicolaus rex indignè ferret, eo etiam deſerto, Ericum Canuti fratrem regem deſignarunt. Is Lotharium Imp. contra Nicolaum exciuit, ſed inani conatu. Inde ad Magnum Noruagiorum regem confugit. Cuius inſidias fugiens, à Lalandenſibus ſuſceptus, reparatis uirib. Magnum Nicolai F. acie uictum occidit. Nicolaus fugiens Sleſuici populari tumultu oppreſſus eſt. Saxo lib. 13.

Eiecto Erico Pomerano rege, Suetici regni gubernator CAROLVS Canutus conſtituitur. Huius gloriæ Ericus Puke inuidebat. Venit res ab armis ad colloquium. Carolus in eo loco, ubi proceres regni conuenerant, clàm ingratos odores excitari curauit, eaq; occaſione domum illam utpote peſtiferam relinquendam monens, in arce uicina reliqua negotia expediri ſuaſit. In quam cùm peruentum eſſet, Carolus Ericum captum, & Stocholmiam miſſum, capite plecti curauit. Olaus autem Vpſalenſis, & Thomas Strengenenſis pontifices, qui fidem Erico pro Carolo dederant, tantum doluerunt ſe illis comitiis interfuiſſe, ut nunquam poſtea ſacra obire, aut comitiis regni intereſſe uoluerint. Io. Magnus lib. 22. cap. 14.

Herluimum quendã ex Franciæ proceribus, ARNVLPHVS, Flandriæ comes, bello premebat, arcē'q; Monſtreoli ei abſtulerat. Ille apud Hugonē magnum ducē implorat opem. Sed illo aures clauſas habente, Herluimus Normannorum ducem Gulielmum, patrem afflictorum, refugium oppreſſorum adit. Ille ſtatim pro Herluimi cauſa bellum indixit Flandriæ comiti, & arcem Monſtreoli expugnatam Herluimo reſtituit. Arnulfus ſimulata amicitia per legatum Ducis colloquium petit. Vbi dies aduenit, dux cum copiis in pagum proficiſcitur Ambiacenſem: ad Sumæ fluminis ripam caſtra collocat. Ex aduerſo Corbeiæ tetendit Arnulphus. Erat in Sumæ fluminis medio inſula. Hanc petit Arnulphus, quatuor ſolis comitatus: oratq; ducem, ut duodecim ſtipatus, dignetur adeſſe. Arnulfus Herluimo ignoſcit, in Gulielmi clientelam ſe committit, & quia liberis careret, eum ſibi ſucceſſorē optat. His atq; huiuſmodi in aliquot horas producto ſermone, amplexati diſceſſerunt. Arnulphum duo ex ſuis in nauiculam manibus deportabant, quia podagricus erat. Gulielmus duodecim comites ire iuſſit in unam, ipſe cum ſolo remige conceſſit in alteram ſcapham. Cùm iam medium amnem teneret, accurrunt quatuor Arnulphi milites, gladiis ſub ueſte contectis: acclamant à ripa, Quod præcipuum foret, id omiſſum eſſe: ab Arnulfo ſe miſſos indicatum. Credidit ille, & flexit in inſulã: duodecim militib. medium amnem tenentibus. Vbi propiùs dux acceſſit, eductis gladiis confodiunt uirum incomparabilem. Stabant agmina eius armata in ripa, ſed flumine diſcluſa, adeſſe principi non poterant. Latrones cum domino ad cohortes ſuas reuerſi ſunt, anno ſalutis 943. Cal. Ian. Cranzius libro ſecundo Noruegiæ, cap. 35.

*Societatis ſpe.*

OROETES Sardium præfectus, cùm in animo haberet Polycratem Samiorum tyrannum capere, & auarum eſſe sciret: ſimulat ſe à rege Cambyſe uelle deficere, & Polycrati ſeſe coniungere. Implet igitur octo ſcrinia lapidibus, ſuperficietenus aurum inſternit, & Mæandrio legato Polycratis oſtendit. Polycrates re comperta, quamuis multis eum dehortantibus & oraculis & ſomniis, ad Orœtem ſpe auri potiundi profectus, captus, & in crucem ſuffixus fuit. Herodotus libro tertio.

HALYATTES, Lydorum rex, ut Colophonios equitatu ſpoliaret, ſocietatem cum eis iniit, ſemperq; ex militibus equites maioribus muneribus affecit. Poſtremò Sardis ſplendidum eis commeatum & duplex ſtipendiũ pollicitus, cùm equites, extra ciuitatem caſtra habentes, equiſonibus equos traderent, & in urbem feſtinarent, ad duplicatum ſtipendium, Halyattes clauſis portis, eos ad unum interfecit, atque eorum equos ſuis armatis conceſſit. Polyæn. lib. 7.

AGATHOCLES cùm ſuperaſſet Leontinos, Dinocratem ducem ſuum miſit in urbem, qui diceret, Ei cum Dionyſio gloriæ contentionem eſſe, quòd uellet eos conſeruare, quemadmodum ille conſeruarit Italos ad Eleporum fluuium prælio deuictos. Crediderunt Leontini, pecuniaſque dederunt. Agathocles ingreſſus, iuſſit eos in concionem inermes cõuenire. Dux interrogabat, Cui uideretur idem, quod Agathocli, is manum tolleret. Agathocles igitur: Mihi, inquit, placet omnes occidere. Decem ergo millia militum, qui circumſiſtebant, omnes in concione trucidarunt. Polyænus libro 5.

MAINARDVS Nouæ domus princeps, cùm ſuis artibus abalienata nobilitate, Huſſitas memorabili prælio ſuperaſſet, multa millia cepiſſet: omnes eos perdere ſtatuit, qui ætate in caſtris exacta, cædibus & rapinis aſſueti, nunquam quieturi uiderentur. Sed metuens, ne ſimul quoq; innocentes interficeret, qui ex agris coacti ad pugnam uenerant: uoce præconis edici iubet, Nondum bellum peractum eſſe, fugiſſe Coapchonem, Thaboritarum equitum præfectum, Coloniam expugnari oportere, uicinaſque per circuitum gentes, quæ regnum popularentur, armis domandas. Ad eam rem neceſſarios, qui ſub Procopiis militaſſent, uiros fortes & in bello exercitatos: decretum eis ex publico ſtipendium donec regnum pacaretur. Proinde omnes qui ſtipendia facere uellent, in horrea ſeſe proxima reciperent, cauerent, ne rudes inexpertóſque belli ſecum admitterent: illos ſua rura, ſuaſq; lares repetere poſſe. Introiuerunt horrea (quæ apud Boemos in uillis ex maceria culmo tecta frequenter ſunt) Thaboritarum & Orphanorum aliquot milia, homines nigri, ad ſolem & uentum indurati, aſpectu tetri atq; horribiles, & qui circa fumum in caſtris uixiſſent, aquilinis oculis, impexo crine, promiſſa barba, corporibus proceris, membris hiſpidis, cute adeò dura, ut ferrum quaſi lorica repulſura uideretur. Clauſa ſunt confeſtim oſtia, & ignis immiſſus horreis, colluuiem illam hominum exuſſit. Aeneas Syl. cap. 51. hiſt. Boem.

Iacobus Picininus à FERDINANDO rege Neapolitanorum accerſitus, ceu magno ſtipendio inauctorandus, Franciſco Sforcia Mediolanenſium duce, qui illi filiam deſponderat, auctore, Neapolim magno comitatu proficiſcitur. Hic captus cuſtodiæq; traditus, quo genere ſit mortis ſublatus, parum conuenit. Fuēre qui crederent fuiſſe Franciſcum Sforciam eius conſilij haud ignarum, blanditumq; Picinino nouam affinitatem, ut magis obſequentem haberet. Horruere ambo (ut fertur) Picinini nomen, quum Mediolani, tum cætera Italia, ob patris memoriam, militarēq; ipſius gloriam populare, ob idque in eius mortem conſpiratum. Sab. lib. 7. En. 10.

*Reconciliationis ſimulatione.*

FERDINANDVS Neapolitanorum rex, confecto bello Neapolitano, exulibus ex fœdere reductis in præſentia ignouit: paulo pòſt autem de omnibus præter Salernitanũ principem & Biaſinianenſis liberos, qui uix aſtu euaſerant, uicta fœderis religione ſupplicium ſumſit. Ioannem Ant. Marcianum, qui trigeſimum iam & quartum annum in carcere aſſeruabatur, trucidauit, crudelis tyrannus & immanis. Brutus lib. 8. hiſt. Flor.

Cæſar BORGIA Valentinus Vrſinos, qui à ſe defecerant, ſimulata reconciliatione captos trucidauit. Sab. lib. 1. En. 10.

*Honoris, Adorationis ſimulatione.*

HERODES Iudæorum rex, cùm à Magis cognouiſſet, natum eſſe Iudæorum regem Bethlehemæ: præcepit illis, ut Bethlehemam profecti, diligenter de eo inquirerent, ſibiq; eum adoraturo id renunciarent. In animo enim habebat Chriſtũ è medio tollere. At cùm Magi angeli monitu alia uia domum profecti eſſent: ira percitus Herodes, pueros omnes intra bimatum conſtitutos Bethlehemæ interfici iuſſit, ſperans ſe hac ratione etiam regem natum extinguere poſſe. Verùm hanc quoque uerſutiam illius Angelus eluſit, admonito in ſomnis Ioſepho, ut cum Maria & puero in Aegyptum fugeret. Matthæi 2.

PERSA quidam, ſimulans ſe uelle adorare Haumar Amiram Saracenorum, infixo in uentrem eius gladio peremit eum. Sigebertus in Chronicis.

*Proditionis ſpe facta.*

Per eos dies, quibus Galli in arcem, ab Neapolitanis ciuibus recepto rege ſuo Ferdinando II. Aragonio, compulſi, continenti tormentorum ictu grauiter uexarentur, atq; obſeſſi magna rerum neceſſariarũ penuria premerentur: cùm AETHIOPS ſeruus, qui tum apud Gallos erat, ſe incenſurum Gallicam claſſem, & aditum Aragoniis in ſanctæ Crucis templum ſtatuta nocte præbiturum polliceretur: Ferdinandus Daualus Piſcarius, ſummæ uirtutis dux, in ipſo ætatis flore, eius nefarij hominis ſingulari perfidia crudeliter eſt interfectus. Nanque illi peregregius proditor, perfidia planè ſeruili & pluſquam Punica, quum doli ac inſidiarum ordinem Gallis detuliſſet, & ab his opimo præmio ditaretur, Piſcarium intempeſta nocte ad colloquium euocauit, euadentemq; militari ſcala in ſummam hortorum maceriem, & in caput exporrectum, ſagitta lunata repentè emiſſa iugulauit. Corruentem familiares, qui aderant, quum fruſtra erigere conati eſſent, ipſum iam exanimem ſcuto impoſitũ extulerunt.



extulerunt. Tantus uerò mox luctus eius uiri morte per urbem multorum planctu ac lacrymis enunciata, ciues æquè ac milites occupauit: ut ea nocte ſpes omnis partæ iam propè uictoriæ amiſſa eſſe, ac deinceps ipſa Neapolis ab hoſtib. capta uideretur. Iouius lib. 3. & Guicciardinus lib. 2.

*Coniugij ſpe.*

HECVBA mœſta, quòd duo filij fortiſſimi Hector & Troilus ab Achille interfecti eſſent: Alexandrum filium accerſit, hortatur ut ſe & ſuos fratres uindicaret, inſidias Achilli faceret, & eum nec opinantem occideret. Quoniam rogauerit ſibi Polyxenam dari in matrimonium, ſe ad eum miſſuram Priami uerbis, ut pacem fœdusq; inter ſe confirmarent. In fano Apollinis Tymbræi; ante portam, Achilli ſub ſpecie colloquij inſidias collocari poſſe. Noctu eliguntur de exercitu fortiſſimi, & in fanum Apollinis collocantur, ſignum accipiunt. Hecuba ad Achillem, ſicuti condixerat, nuncium mittit. Achilles lætus, Polyxenam amans, poſtera die cum Antilocho filio Neſtoris ad conſtitutum locum uenit. Ex inſidiis erumpit Paris. Achilles brachio ſiniſtro chlamyde inuoluto, multos occidit. Alexander Antilochũ interemit ipſumq; Achillem multis plagis confodit. Dares Phrygius.

ANTONINVS Caracalla Artabanũ Parthorum regem frequentibus literis & muneribus pellexit, ut ſibi filiam matrimonio locaret: ex ea affinitate futurum prædicans, ut duobus mundi imperiis Parthico & Romano, fœdere & neceſſitudine coniunctis, omnes gentes in terris quietem agerent, ac ſi quæ minus pacatæ eſſent, fore, ut non multo pòſt imperio ſubiugarentur. Abnuit primò Artabanus, cauſatus non licere Romano homini externarum gentium ſectari connubium. Verùm ſtudium & charitatem rei uxoriæ iureiurando Rom. Imperator pollicitus, eò regem perpulit, ut filiam ſe locaturum promiſerit. Hanc anſam ille nactus, Artabanum ſocerum, ſeq; generum uocat. Barbari eo connubio læti, tanquam ſempiternam cum Rom. Pop. pacem habituri, quàm maximò poterant rerum apparatu Romanum uenientem expectabant. Vbi igitur appropinquare dictus eſt, rex cum magno procerum comitatu extra regiam genero prodit obuiam: Parthiq; cum eo indigenis floribus coronati, auroq; & purpura ueſtiti, ad tibiarum tympanorumq; cantum choreas agentes, quibus gens ipſa ſupra modum delectatur, ac tum maximè quum ſeſe largiùs uino inuitarunt. Romani armis inſtructi, inermes Parthos ex compoſito inuadunt. Fœda ibi cædes edita: uix Artabanus à ſuis in equum ſublatus celeri fuga ſeruatus eſt. Ingens hominum multitudo in ueſtigio cæſa, ſed multò maior in fuga. Sunt inde Romana arma longe lateque per Parthicos fines cum uicorum & uillarum incendio, multaq; hominum cæde ad libitum euagata, multiplexq; præda parta. Nulla unquam expeditio maiorem ſuggillationem Romano nomini attulit, ut multo ſatius fuerit uinci, quàm perfidia pluſquam Punica Romanam indolem fœdare. Sab. lib. 5. Ennead. 7. ex Herodiano.

*Stupri ſpe.*

AGATHOCLES, Ophellam Cyrenenſem cum ingentibus copiis militantem, audiens amantem eſſe puerorum, obſidem ei proprium filium miſit Heraclidem, egregia forma præditum: præceptumq; dedit puero, ut paucos dies rem perferret. Venit puer. Cyrenenſis elegantia ac ſpecioſitate uictus, eum amplectebatur, omniq; ſtudio colebat. Agathocles repentè Syracuſis adductis, Ophellam occidit, omnemq; exercitum eius ad ſe traduxit; & filium nulla iniuria affectum aut corruptum recepit. Polyæn. lib. 5.

BOEMÆ Amazones, duce Valaſca, Boemiam tributariam ſibi reddiderant, & ut nobiles adoleſcentes amoris ſpecie circumuentos trucidarent, talem aſtum excogitunt. Fingunt ſe uirorum amore teneri, amatorias epiſtolas nobilibus adoleſcentibus mittunt; deteſtantur inſolentiam Valaſcæ, ſimulant fugam, rogant, ut in ſyluam potenti manu ueniant, ac ſeſe rapiant. Iuuenes qui puellarum facinora magis admirarentur quàm odiſſent, uicti blanditiis, captiq; nonnullarum ſpecie, impetrata faciunt. Sed ingreſſi ſyluas, inſidiis circumuenti trucidantur. Alij noua fraude in arcem Dieuizum uocantur, Valaſcam uelut per proditionē comprehenſuri. Qui mox intromiſſi, ad unum necantur. Sarca erat inter puellas admodum honeſta facie, ſed animo impuro, & ad omne ſcelus parato. Hanc in altiſſimo nemore ſtrictis pedibus ac manibus arbori alligant, tubamque uenatoriam, ac uaſculum medone plenum iuxtà ponunt. Ipſæ in inſidiis haud procul deliteſcunt. Siradus ſiue Stiradius nobilis eques, cùm ſyluam uenaturus intraſſet, puellamq; uinctam conſpicatus eſſet, miſerabundus, Quid ſibi ea res uellet percontatur. Sarca ſe de fuga ſuſpectam arbori à Valaſca alligatam, iam iamque telis configendam fuiſſe dixit, ſed ſtrepitu canum territas Amazones, ſe relicta aufugiſſe. Siradus eius miſertus Sarcam ſoluit, ea propinante medonem medicatum, quo mente alienaretur, bibit. Mox tubam inflans Sarca ſignum dat ſuis. Quæ properè accurrunt, Siradum, comitibus interfectis, inſpectantibus Boemis, qui arcem Viſſegradenſem tuebantur, rotæ ſupplicio afficiunt. Sed non multo pòſt Valaſca ſimili aſtu cum ſuis capta eſt. Aeneas Syl. in hiſt. Boem.

Alexander Medices Florentinorum dux, Caroli V. Cæſaris gener, leuitate iuuenili in uenerem uſqueadeò procax erat & præceps, ut Laurentij patris exemplo, nouis ſemper ſtupris ac adulteriis obnixè gauderet. Ea de cauſa noctu per urbem cùm armatis ſæpe ita uagabatur, ut nonnunquã contracto cum obuiis cruento certamine, ſummum uitæ diſcrimen adiret. In eius intimam familiaritatem ſenſim ſeſe miro aſtu inſinuarat LAVRENTIVS Medices, Mediceorum omnium Alexandro ſanguine maximè propinquus, ætate fermè æqualis, ipſiſq; paternæ domus cubiculis adeò coniunctus, ut ſecretiore oſtio ad commeandum committerentur, communicatis ſcilicet ſeræ clauibus: quibus, quum utrique luberet, ſine arbitro conueniendi facultas daretur. Nam unde facilè capi princeps poterat, amatoriarum cupiditatum, quibus ille inſatiabilis & uagus ſemper arderet, unus ipſe Laurentius & conſcius & arbiter erat effectus. Quibus illecebris ſe incautum facilè oppreſſurum, & patriam tyrannide liberaturum, aduerſæ factionis hominibus pollicebatur. Cumque per certos homines hæc eius uerba princeps reſciſſet, & Laurentio exprobraſſet: ad ea ille abſolutæ ſimulationis proditor, compoſito uultu ſubridens ita reſpondit, ut cuncta ea quæ Strozza dixiſſet, uera eſſe fateretur: uerùm non inepto artificio iampridem ab ſe inſtituta, ut hac ſubtili ſimulatione ſecreta omnia è præcordiis inimicorum eruantur, & ſaluti dignitatique proſpiciatur principis. Erat in uicinia matrona pernobilis, ſed inexpugnabilis pudicitiæ. Hanc ad tendendas inſidias idoneam ratus, conciliando eius amori operam ſuam atque ingenium amanti obtulit, eaque nocte, quæ Ianuarias nonas anni 1539. anteceſſit, poſtquàm cœnatum eſt, Laurentius in aurem Alexandri inſuſurrans, dicit in adamata muliere, expugnatum eſſe pudorem perſuaſionibus atque promiſſis, eademque nocte eam in complexum eius deuenturam: ea tamen conditione, ut totum id religioſo ſilentio contegat, & quæ eius nomine ex ſua fide præmia pepigerit, liberaliter præſtet. Annuit Alexander, ſtatimque cœnaculo exiens in domum attiguam ipſius Laurentij (uti ſæpe aliàs) deducitur, ablegareque ab ſe cubicularios duos qui aderant iubetur, ne illi quicquam ex re compoſita inſtantiq; ſubodorari poſſent. Siſtitur ergo incautus princeps in cubiculo, ipſoque etiam proditoris lecto, ut ibi tantiſper conquieſcat & expectet, donec intempeſta nox adſit. Tum uerò compoſitis è ſententia inſidiis, iuuenem Scoruncunculum nomine, ſibi à pedibus famulantem, cui ipſe homicidij reo uitam à principe impetrarat, introducit; & principem dormientem primus uulnerat, quem famulus planè confecit, & in eodem lecto repoſuit. Nec quiſquam ad tantæ rei ſtrepitum è familia accurrit, quòd Laurentius multum antea ad fallendos familiares, cum ſodalibus eo in cubiculo multa cum uociferatione ſcabellis & ſcutis, haſtiſque colluctari, ad imaginemque ioco ſæ exercitationis perſtrepere conſueſſet, ut in eam diem dolum pararet. Ipſe impetratis equis publicis, & aperiendæ urbis portæ teſſera, cum ſicariis ſuis Venetias profugit. Iouius.

*Libertatis ſpe euocando.*

MAHOMETVS II. Turcorum tyrannus capta Conſtantinopoli, ut omnem nobilitatem extingueret, iuſſit præconis uoce nunciari, Quiſquis ſe nobilis ære perſoluto uellet redimere, id ei liberum fore. Erupere de latibulis miſeri, ſperantes libertatem. Detecti principes ciuitatum, ſuo proditi indicio, omnes gladio cæſi fuere. Cranz. lib. 12. Vandaliæ, ca. 18.

*Ludi ſimulatione.*

OTHO de Vitlisbach, comes Palatinus, cùm intimos quoſdam regis amicos occidiſſet hocque ipſo à ſe Philippum regem Rom. auertiſſet, illiuſq; filiæ nuptiis deſperatis, filiam ducis Poloniæ depoſceret: inq; eam rem literas à rege commendatitias peteret, exemplar proferens, quo ſibi profuturas ſperaret literas: rex uerbo aſſenſus, quòd feroci uiro ut filiam, ſic cognatam, putabat eſſe negandam, literas alias ſubiecit. Otho dolum ueritus, reſignatas ſcribam iuſſit ſibi interpretari, cùm ipſe literas ignoraret. Scriba ſe excuſare, & ne ſe in uitæ apertum diſcrimen coniiceret obteſtari. Ergò pepercit precanti, & reperit alium qui literas interpretaretur. Mox ſtratis equis reuerſus in palatium, certis locis diſponens, qui abitum eius tuerentur, nudato gladio ludibũdus regij triclinij fores petēs intromittitur: ibi quoque ludens gladium uerſabat. Increpitus à rege, & neque locum neque tempus digladiandi eſſe dicente: reſpondet ille, Et locus & tempus enſem poſcunt. Hocque dicto regem confodit,

fodit, Bambergæ anno 1208. Dum ſtupent qui aderant, ille diſpoſitis per media cuſtodibus, gladium uerſans, eques abiuit. Otho IV. Philippi æmulus rerum potitus, & Philippi filia in uxorem ducta, proſcriptione publica damnauit homicidam: qui non longè pòſt ab Henrico Caladino, & Vlfonis filio (quem ille quoq; occiderat) obtruncatus eſt ad Danubium, deſectumque caput in profluentem proiectum. Cranzius lib. 7. Saxoniæ, cap. 28. & 29.

*Permutationis armorum ſimulatione.*

FROTHO Danorum rex Noruegiæ regem Frogertum, aliàs Frogerum, ad ſingulare certamen prouocarat. At cùm lege duelli cautum eſſet, ne alter alterum extra circum pugnæ deſtinatum impeteret, Frotho maiorem uitæ, quàm legis rationem habens, poſtulat, ut Frogertus ante ingreſſum pugnæ arma ſecum permutet. Quod cùm Frogertus annueret, atque à ſe gladium armaque permutandi cauſa abiiceret, à Frothone Dano doloſe tranſuerberatur. At Gotharus Gothorum & Sueonum rex, eius gener, acie uictum Frothonem interfecit, à robore corporis Virgetum dictum. Io. Magnus lib. 4. cap. 3.

*Fœdere.*

Claudio imperante, PHARASMENES Iberis imperabat: frater eius Mithridates Armeniis. Radamiſtus Pharaſmenis F. ſimulata aduerſus patrem diſcordia, tanquam nouercæ odiis impar, ad patruum fugiens, primò res Armeniorum ad res nouas excitauit: deinde ſpe reconciliationis ad patrem reuerſus, paratas inſidias aperuit. Pharaſmenes bellum Mithridati indixit, cauſas confingens, quòd ſibi aduerſus regem Albanorum & Romanos noluerit opem ferre, copiaſque filio tradidit. Qui ſubita irruptione Mithridatē campis exutum in caſtellum Gorgoneas compulit, militibus & loco tutum. Cælius Pollio, qui militibus præerat, obſidionis impatiens, milites corrupit, ut pacem flagitarent. Compulſus Mithridates diem locumq; fœderi accepit. Hic cùm gentis more amborum pollices colligandi eſſent, ut hauſtum ex eis ſanguinem uterq; guſtaret: is cui uinciendi munus erat iniunctum, fingens ad terram funes decidiſſe, illis Mithridatis pedes implicuit, atque ita eum cum uxore & liberis cepit: & quoniam neq; ferro neque ueneno eos ſe leſurum promiſerat, culcitris oppreſſos necauit. Fulgoſ. lib. 9. cap. 6. & Aeneas Syluius cap. 39. Aſiæ, ex Strabone.

*Pacto, Promiſſo.*

HERODIAS ægrè ferens Ioannis Baptiſtæ reprehenſionem, Herodem de eo tollendo inſtigare non dubitabat. At is cunctabatur, ſeditionem metuens, cùm populus omnis Ioannem ueluti prophetam coleret. Herodias die natali Herodis, cùm rex conuiuiis indulgeret, filiam Herodiadem ex compoſito in triclinium ingredi, & coram rege ſaltare cōpulit. Ea re delectatus Herodes, petere eam iuſſit, quicquid uellet, uel dimidium regni: ſe optata præſtiturum. Illa à matre inſtructa, caput Ioannis Baptiſtæ petiit. Rex igitur, quāuis pœnitentia ductus, quia tamen fidem ſuam in dubium uocari nollet, Ioannem in carcere ſecuri percuſſit, & caput ſaltatriculæ dedit. Sed ſceleratam hanc aſtutiam pòſt regni exilio uterq; luit. Matthæi 14. Marci 6.

Iouem ferunt amore Semeles Cadmi F. Thebis Bœotiis captum, cum ea ſæpius concubuiſſe. IVNONEM zelo & ira motam, ſumta unius ex Semeles ancillis forma, ad ulciſcendum iniuriam, ſuaſiſſe illi ab Ioue petere, ut ea maieſtate honoreque ſecum concumberet, quibus cum Iunone conſueſſet. Quod poſtulatum annuens Iupiter, cum tonitru ac fulmine ad Semelen deſcendit. Quæ inſolita re territa, & fulguris ſplendore oppreſſa, fulminis ardore afflata, expirans aborſa eſt. Editum ante tempus filium, Iupiter abſconditum in femore cùm tenuiſſet, partus tempore editum in Nyſam Arabiæ urbem tulit: ubi à Nymphis educatus infans, à patre locoq; appellatus à Græcis Dionyſius eſt. Diodorus lib. 3 cap. 5.

PARYSATIS Artoxerxis mater, indignè admodum ferens, Cyrum F. quem potius quàm Artoxerxem regnare cupiebat, in prælio cæſum, omnes eos, qui eius percuſſores fuerant, crudeliter perſecuta eſt. Mithridatem, qui ſecundùm tempora Cyrum uulnerauerat, Scaphæ ſupplicio affecit. Carem, qui poplitem iaculo confixerat, per dies decem excruciauit, inde oculis effoſſis in aures feruens æs inſtillauit, dum expiraret. Caput & manum Cyri præciderat Meſabates regis eunuchus ex more Perſarum, regis iuſſu. Hîc ubi anſam dedit ipſe aduerſus ſe nullam, hanc technam eſt in caput eius Paryſatis commenta. Fuit cætera ingenioſa ſua ſponte mulier, & alea ludendi artifex. Quare ante bellum crebrò cum rege ludebat alea, & poſt bellum reſtituta in gratiam, eam familiaritatem non declinabat regis: ut & cum eo luderet, atque armorum conſcia adminiſtraque in iis & adiutrix eſſet: ac planè minimam eius fruendi, & cum eo conſuetudinem habendi Statyræ faciebat copiam, cùm ſupra omnes illi infeſta, tum plurimùm ipſa affectans apud regem poſſe. Igitur cùm captaſſet aliquando languentem otio Artoxerxem, prouocauit eum ad aleam in mille Daricos ludendum: ac uincere iactu ei permiſit, repræſentauitque argentum. Simulans autem dolere ac pungi uictam ſe, petiuit, ut de integro aleam iácerent de eunucho. Geſſit ei morem ille. Pacti, ut quinos uterque reciperet fidiſſimos: ex reliquis, quem uictor legiſſet, ut daret uictus: hac lege luſerunt. Cùm intenta eſſet atque in ludum incubuiſſet, præterea cecidiſſet ei feliciter alea, uictrix Meſabatem ſumit (neque enim de exemtis erat) & priùs, quàm quid ageretur, odoraret rex, tradidit eum carnificibus, uiuumque præcepit excoriari, ac corpus tranſuerſum in tres ſuſtolli cruces, & pellem ſeorſum palo ſuffigi. His actis cùm accenſus rex in eam ſtomacharetur, illa cum riſu cauillata: Hominem iucundum, inquit, & egregium: qui ſenis improbi eunuchi excandeſcis gratia, ego mille alea perditis Daricis taceo & acquieſco. Ita rex impoſitum ſibi eſſe dolens obticuit. Plutarchus in Artoxerxe.

*Religionis obiectu.*

PERSARVM ſatrapæ de perdendo Daniele propheta aſtutum captarant conſilium ſub Dario, ne uidelicet quiſquam ſpacio aliquot dierum à quoquam deo quid peteret, quàm ab rege ipſo: qui ſecus feciſſet, capitalem ſubiret pœnam. Erant enim conſcij, Danielem quotidie tribus uicibus ad Deum ſuum orare cōſueuiſſe. Dan. 6. Quemadmodum ſub Nabucodonoſoro multo antè Medi ad perdendos eunuchos Iudæos tres, aureæ ſtatuæ erigendæ auctores fuerant. Danielis tertio.

*Sortitione.*

Othinus magus Noruagienſiū regi Vicaro tales inſidias molitus eſt. STARCATHERVM inuſitata grāditate cōſpicuū, non ſolùm animi fortitudine, ſed etiam condendorum carminum peritia illuſtrauit, quo promtiore eius opera uteretur, & ternis ætatis humanæ curriculis donauit, ut in his totidem execrabilium operum auctor euaderet. Qui mox Vicarum adiens, inque eius contubernio diuerſatus, inſidias obſequio texit, tandem piraticum cum eo opus ingreditur. Cumque quodam in loco tempeſtate uexaretur, ut maiorem anni partem quieſcere cogerentur: deos humano ſanguine propitiandos duxerunt. Itaque coniectis in urnam ſortibus, regiæ necis uictimam depoſci contigit. Tunc Starcatherus facto ex uiminibus laqueo regem inuaſit, pœnæ ſpeciem duntaxat exiguo tēporis momento daturum. Sed nodi rigor ſuum ius exequens, ſupremum pendentis halitum rapuit. Starcatherus adhuc palpitanti ferro ſpiritus reliquias exhauſit. Saxo lib. 6.

*Perſona diſsimulata.*

ANDRAGATHIVS præfectus claſſis, ſocius & dux Maximi, quem odio Gratiani milites crearant Imperatorem, lectica geſtatus, iuſſus eſt occurrere Gratiano ut eum iugularet. Interim rumor ſpargitur, aduentare uxorem Gratiani, quæ Lugduni Galliæ maritum operiebatur. Gratianus uerū eſſe rumorem arbitratus, inſidias minimè timuit, & ad uehiculum quaſi uxoris accurrit: è quo Andragathius proſiliens, armatus & callidus, Gratianum nihil tale timentem occidit, nouem & uiginti annos ætatis habentem. Maximus corpus Gratiani reddere Valentiniano noluit, ne exuuiarum redditu militibus dolor renouaretur: licet ſæpenumero per oratores id Valentinianus expoſceret. Cuſpin.

IOANNES Ruſſus, dux Ciartorienſis, & alij quidam Ruſſi & Lituani proceres, apud Trocos interfecerunt Sigiſmundum ducem Lituaniæ. Vrſam habebat Sigiſmundus cicurem, quam ad mēſam & ad cubiculum familiariter admittebat. Ea uel non uenerat illo eunte cubitum, uel de more emiſſa exiuerat, & à coniuratis alicubi concluſa erat. Eius igitur unguium ſcalptura ad oſtium cubiculi aſſimulata, coniurati intromiſſi, ducem nihil tale ſuſpicantem trucidarunt. Cromerus libro 21.

*Accuſatione falſa, Criminis falſo obiectu, ſuſpicione mendaci.*

SENIORES duo aſtutè Suſannam, quia libidini illorum parêre noluiſſet, condemnarunt, teſtimonium aduerſus eam ferentes, tanquam eam cum iuuene in adulterio deprehendiſſent. Qui tamen dolus à Daniele puero mirè detectus fuit. Daniel. 13.

Superbiſſimus AMAN, uidens quòd Mardochæus ipſum adorare nolebat, perſuaſit regi Artoxerxi per mendacia, ut totus Iudæorum populus deleretur. Cæterùm fraus in caput auctoris redundauit. Eſther 3.

VLYSSES Palamedem in iudicio Græcorum uicit, ſubiecto in eius tabernaculum auro barbarico. Ita ſapientiſſimus ille Græcorum proditionis damnatus eſt per dolum ac ſtrategema. Polyænus lib. 3.

Cùm aliqui ſacrificium Apollini offerrent, DELPHI per inſidias eos



circumuenerunt, & thuri placentiſque clàm iniecerunt ſanctas pecunias: atq; ſic comprehenſos eos, tanquam ſacrilegos abductos, è petra, iuxta legem Delphicā, præcipites dederunt. Aelian. lib. 11. de Var. hiſt. Quod etiam Aeſopo uolunt accidiſſe, qui ſacrilegii nomine præcipitatus eſt, aurea phiala in ſtragulis eius deprehenſa. Heraclides.

ANYTVS & MELITVS, Socratis neci inhiantes, cùm periculum eſſent facturi, quomodo accuſationem illius populus Athenienſis excepturus eſſet: Ariſtophanem, poetam petulantiſſimum, precibus & precio ad Νεφέλας in theatro exhibendas induxerunt, in quibus Socratis perſona, habitus, mores nominatim accuſabantur. Drama iſtud cùm Athenienſes ſummò cum applauſu excepiſſent, animos accuſatoribus addiderunt, ut uirum ſanctiſſimum falſis criminibus confictis cicutam bibere cogerent. Aelianus libro ſecundo Variæ hiſtoriæ.

Philippo Macedonum regi duo erant filij, Perſeus & Demetrius. PERSEVS cùm indies magis ac magis Demetrij fauorem atque dignitatem apud Macedonum multitudinem, gratiam atque potentiam erga Romanos amplificari animaduerteret: Demetrium apud patrem de proditione primò latenter inſimulat & accuſat, quaſi dum Romæ obſidis loco cōmoraretur, multa uerba de regno cum Tito Quintio habuiſſet. Deinde quòd noctu armatus ad ſuas ædes ueniſſet, interfecturus eum, ſi intromiſſus fuiſſet. Philippus ut prius expiſcaretur, ſub ſpecie legationis Romam mittit Philoclem & Apellem: ſed, quod eum latebat, erant hi legati Perſeæ fraudis miniſtri atque participes. Demetrius has inſidias ſibi à fratre parari animaduertens, fugam ad Romanos meditari cœpit. At interea legati redeunt. Qui cùm præmeditata in Macedoniam è Roma attuliſſent, ſed & falſas literas T. Quintij Philippo reddidiſſent, in quibus deprecabatur, ſi quid adoleſcens, regni cupiditate prolapſus, ſecum negotij habuiſſet: hæ literæ fidem perfidæ accuſationi attulerunt. Quamobrem à Dida, quem ei comitem Perſeus à patre dari antea curauerat, immiſſis percuſſoribus ſtrangulatus eſt. P. Aerodius, ex Liuij Dec. 4. lib. 10.

TARQVINIVS Superbus bellum Sabinis illaturus, ob ruptum fœdus cum Tullo Seruio percuſſum, cùm principibus Latini nominis conuentum deliberandi de bello ad lucum Ferentinæ in certum diem indixiſſet, ſed ipſe ad ſolis occaſum uſque eò non ueniſſet, expectantibus eum fruſtra proceribus, tandem ſuperueniens ſe purgauit, quòd tranſactione inter patrem & filium impeditus fuiſſet. Ibi Turnus Herdonius Aricinus indignabundus ſubiecit, Nullam eſſe breuiorem cognitionem, quàm quæ inter patrem uerteretur & filium, uno uerbo potuiſſe, parendum eſſe patri: quod ni fieret, infortunium eſſet filius habiturus. Quæ licèt tum æquiùs ferre uideretur, confeſtim tamen de nece Turni cogitauit. atque ſub noctem ex eius ſeruis unum per Aricinos homines aduerſæ factionis corrupit, ut magnam uim gladiorum in domum Herdonij occultè inferret. Qua illata, Tarquinius, priuſquam illuceſceret, Latinorum principibus ad ſe uocatis, Diuina ſe, ait, prouidentia heſterna luce domi retardatum. compertum ſe habere, ab Turno ſibi & principibus Latinorum capitales immiuere inſidias, ut Latinorum imperium ſolus teneat. Mittuntur, qui arma domi recondita ſcrutentur. Quibus inuentis, Turnus iniectis catenis in concione indicta cauſa damnatus, ad caput aquæ Ferētinę, crate supernè iniecta, ſaxiſque congeſtis, necatus eſt. Sabellicus lib. 6. En. 2.

Aſiaticus apud Claudium Imper. accuſatus, cùm negaret factum, ſeque neminem ex iis, qui contra ſe teſtimonium dixerant, noſſe, confirmaret: miles qui ſe unà cum eo dicebat fuiſſe, interrogatus, Quis eſſet Aſiaticus: caluum quendam, qui tum fortè aderat præſens, oſtendit. Nam id ſignum eius tantummodo didicerat. Quamobrem cùm magnus riſus concitatus eſſet, Claudiuſque eum liberare ſtatueret: VITELLIVS (quò Meſſalinæ rem gratam faceret) ſe ab Aſiatico rogatum eſſe dixit, ut ſibi mortis genus liceret eligere. Quod cùm Aſiaticus audiuiſſet, ratus ſe iam cōdemnatum eſſe, mortem ſibiipſi conſciuit. Xiphilin. in Claudio.

ANDRONICVS Comnenus tyrannus, ſumma rerum in ſe translata, matrem Imperatoris Alexij Porphyrogeniti, falſo proditionis crimine obiecto, quaſi cum Bela Hungariæ rege ſororis marito per literas egiſſet, in carcere ſuffocandam curauit. Nicetas.

Sub Conſtantio Gallo Imperatore, cùm motus exortus eſſet in Gallia: Syluanus Deuius pedeſtris militiæ rector, id imprimis ARTEBIONE magiſtro equitum atque præfecto cubiculi ſuadente ac procurante, in Galliam ab Imperatore cum imperio atque exercitu delegatus eſt. Aemulus enim & inuiſus Artebio, putauit ſe illo abſente faciliùs aliquid in perniciem eius poſſe comminiſci & exequi. Curauit igitur ut agente res in Gallia Syluano, illius actuarius quidam (Dynamium appellabant) Romam rediens, literas ab eo commendatitias impetraret. Id ei non negauit. Quare dum uenit in urbem Dynamius, interim Artebio per Lampadium Præfectum & Euſebium Excomitem rei priuatæ, atque Aedeſium Magiſtrum memoriæ, quorum opera ad calumniam utebatur, diſpargit hos ſermones de Saluiano, quòd imperium ſibi arrogaret, ſeque ab exercitu Imperatorem renunciari poſtulaſſet. Cæterùm rei confirmandæ cauſa, poſtquam in urbem Dynamius aduenîſſet, reſignatis literis iis quas ad plures ſummæ auctoritatis uiros à Saluiano attulerat, notis abſterſis, ſolaque incolumi relicta ſubſcriptione, ea tranſcribi iuſſit, quæ ad Imperium occupandum pertinerent. Poſtea recitantur in intimo conſiſtorio. Itaque iuſſit Imperator eos quorum nomina literis continerentur, ſi qui eſſent in prouincia, adduci: uocari item Syluanum. Sed cùm optimi quique, & Franci potiſſimùm, quorum iis temporibus in palatio magna erat frequentia & auctoritas, ægrè ferrent ea de Syluano aliiſque Tribunis tam incredibilia falsò accuſari, per eos maximè qui uirtuti ac fortunæ illorum inuiderent: ab Imperatore alioqui credulo, crudeli ac timido impetrarunt, ut de re ampliùs quæreretur, & Iudices daret. Itaque accidit ut Florentius iudex tum agens pro magiſtro officiorum, literas inter iudicandum diligentiùs inſpiciens, animaduerterit apices qui apparebant, non ei quæ tum legebatur, ſed alteri ac priori ſcripturæ conuenire. Quamobrem diſcuſſa nube falſitatis, quæſtionem haberi placuit. Lampadius itaque præfectura deſtitutus eſt. Euſebium confeſſum ea ſe conſcio facta, Florentius ſuſpendi iuſſit. Aedeſium demiſit, quia nihil non ſemper inficiatus eſt. Artebio non tam quòd ab aliis ſermones acceptos detuliſſe bona fide ſe diceret, nec ſua manu falſum commiſiſſet, quàm commendatione amicorum ipſiuſq; etiam Imperatoris abſolutus eſt. Cæterùm indignitate motus Syluanus ſe innocentem accuſari, neque calumniatorem ſupplicio affici, reuera ſe eius criminis conſcium poſtea præſtitit, de quo accuſabatur. P. Aerodius ex Ammiano Marcellino libro decimoquinto.

Rex Bintami regē Camparēſem Abedallam generū ſuū ob fœdus cū Luſitanis perditū uolebat. Abedallā Alfonſus Albuquercius Indiæ prætor anno 1515. Malacæ idololatris præfecerat. Cæterùm cùm eum nec ferro, nec ueneno tollere poſſet (erat enim propter æquitatem & manſuetudinem omnibus egregiè charus) ſuis negotium dedit, ut aliquot Malacenſium naues caperent, & in Bintamum adducerent. Illi impigrè quod imperatum fuerat exequuntur. Is tunc ſuos, qui iuſſa confecerant, aſperis uerbis accipit, quòd iniuriam ciuibus ſuis intuliſſent: An, inquit, ignoratis me Regem eſſe Malacæ, & hos, quos captiuos abduxiſtis, mihi ſubditos eſſe, neque ſecus a me diligi, quàm ſi eos omnes genuiſſem? Spero equidem Abedallam, quem ego non generum, ſed filium arbitror, propediem in meam poteſtatem, Malacam, ut conſtituit, redacturum, & tunc apparebit, quantum inter Luſitanorum tyrannidem, & mei imperij moderationem interſit. Captos inde cibo & potu benè acceptos, & muneribus affectos, miſſos fecit, omniaque illis bona reſtituit, ſuiſque ducibus atrociter minatus eſt, ſi quid ſimile in poſterum contra ciues urbis Malacæ deſignarent. Id homines uerum eſſe crediderunt: & ubi Malacam reuerſi fuêre, ſermo primùm occultus inter nonnullos haberi de eadem re cœpit. Deinde ſparſo latiùs rumore, res ad Georgium Albuquercium urbis præfectum delata. Is Abedallā accerſit, ſceleris inſimulat, teſtimonia, quæ hoſtes in illum dixerant, exponit. Abedalla fidem Albuquercij implorat, & obteſtatur, ne ſe hominem innocentem, ſummè in Luſitanos officioſum, regiſque Emanuelis ſtudio flagrantem, hoſtium crudelitati dedat. Tempus ſibi dari poſtulat, dum Regis Bintamenſis fraudem, & inimicorum calumniam, & ſuam innocentiam teſtibus & argumentis apertè demonſtret: ſe ex uinculis uelle cauſam dicere. Cæterùm uehementer urgente Bartholomeo Pereſtrello, quæſtore regio, in gratiam Ninachetuenſis filiorum (cui ab ea dignitate deiecto Abedalla ſucceſſerat) homo innocens, regio ſplendore præditus, in forum deductus, inſpectante populo, cum multorum luctu & querimonia ſecuri percuſſus fuit. Qui tamen dum ad ſupplicium ducebatur, manus in cœlum tendebat, & numen implorabat, ut in eos, quorum calumniis ipſe contra ius & fas interimebatur, animaduerteret. Poſt decimum & ſeptimum diem Pereſtrellus celeri morte abſumtus fuit: quod multi ad numinis uindictam retulêre. Abedallæ uerò ſupplicium tantam multis offenſionem attulit, ut multi mercatores & ciues Malaca excederent: atque paſſim, quacunque ſe conferebant, omnes homines à Luſitanorum commercio deterrerent. Oſorius lib. 10. rerum Em.

*Confeſſione falſi criminis.*

Cùm multa Auxitani populi quererentur in ſe auarè & crudeliter geſta eſſe, ſub adminiſtratione Bituricenſium DVCIS,

qui Caroli VI. Gallorum regis patruus erat: à regio Senatu capi iuſſus erat Bethiſachus, per quem dux ille omnia geſſiſſe uidebatur, quia ducem ipſum compellare non audebat. Bethiſachus omnem culpam in dominum reiiciebat, cuius imperio quæ fecerat geſſiſſe ſe oſtendebat. Iamque ut innocens habebatur, cùm per fraudem ei ſignificatum fuit, iudicio ipſum, ut uel ſtrangularetur, uel combureretur, damnatum iri. Ea re attonitus, ab iis QVI illud nunciarant, monitus eſt, ſi ſe hæreticum dixiſſet (nam ita aliud tribunal cauſa requirebat) fore, ut Auinionem ad Pontificem mitteretur, è cuius manu dux Bituricenſis facilè eum poſtea recepturus eſſet. Bethiſachus ergo hæreticum ſe, & qui iam multos annos in Chriſtum non crederet, faſſus, adeò ira atque indignatione omnem Senatum mouit, ut ſtatim, publico decreto cremaretur. Fulg. lib. 8. cap. 1.

*Singulari certamine.*

Sub initia regni Roberti III. Scotorum regis, anno 1396. duæ tribus montanæ Clankay & Clankquhete, ducibus Strat-berge & Chriſte Makian, diſſidio laborantes, agros inuicem ſuos hoſtili ſæpè modo deprædabantur. Thomas Do-umbar Morauiæ comes, & Dauid Lindeſayus Craufurdiæ comes creatus, cùm regiis ipſos uiribus propter locorum difficultatem conficere uix poſſent, aſtu ſunt eos aggreſſi. Conuenerunt enim factionũ duces, & ut tandẽ finẽ diſcordiis imponerent, hortati ſunt. Reſponderũt illi, Sibi pacem placere, ſi altera alteri trib⁹ ſubiici uellet. Tũ Thomas, Ergo ex utraque tribu triceni in campum inermes procedite, gladiis duntaxat accincti: & qui illic uictores extiterint, illi imperẽt. Conſtituunt diem quo de imperio duarum tribuum decernatur. Campũ aũt ad Aquilonarẽ Perthi oppidi partem elegerunt: Iudices editiore loco ſedẽt. Alterius tribuum unus duntaxat iuſto deerat numero, metu territus: cuius in locum immani corpore ruſticus quidam, ad quem res nihil prorſus attinebat, ne partium numero haud conueniente prætermitteretur, aut ſaltem intermitteretur pugna, exili mercede accepta, arrepto enſe ultrò pugnaturus ſubiit. Ordinantur utrinque acies non infeſtioribus animis, quàm ſi duorum populorum exercitus magnis acceptis iniuriis, ac uiciſſim illatis ſtarent, iamiam concurſuri. Signo à iudicibus dato impetum utrique faciunt. Neutri ſe tuentur dum modò hoſtem feriant: acre aliquandiu certamen eſt neutrò inclinante uictoria. Verùm à Clankay plures cadunt, ex aduerſa parte omnes uulnerantur: nec ceſſere pauciores pluribus, donec omnibus cæſis, unus ex Clankay duntaxat integer ſupereſſet, aduerſarij undecim, ſed grauiter uulnerati, ut uix ad gladium manu tenendum ſufficerẽt. Verùm tot ſuorum ante ſe occiſorum corporibus, ac numero hoſtium territus, ille fuga arrepta Taum amnem celerrimè nando traiecit. Ita quum ij, qui imperium affectarant periiſſent, ſeditiones finem inuenere. H. Boeth. lib. 16.

☞ PERSONARVM. TOLLERE PER

*Filias.*

Iaſon ſuaſu Peliæ Theſſalorum regis, patrui ſui, cum Argonautis ad uellus aureum profectus erat. Sperabat enim Pelias, illum in ea expeditione occubiturum. Diuulgata inde fama, omnes qui cum Iaſone in Pontum nauigarant, occidione occiſos: Pelias primò Aeſonem fratrem, Iaſonis patrem ſanguinem tauri bibere compulit. Fratrem Promachũ adhuc puerum occidit. Alcimede mater, cùm ad interiora regiæ confugiſſet, orans deos ut tantæ impietati merita prçmia darent, enſe pectus transfixit. Iaſon in Theſſaliam reuerſus, Argonautis ſuam operam ad tantum ſcelus ulciſcendum pollicentibus, urbem oppugnare uolebat. MEDEA pollicita eſt ſuis ſe Peliam necaturam dolis, regiamque ſe illis ſine periculo tradituram: ſimul quæ actura eſſet, ſingulatim cùm prædixiſſet, à regia maritimæ ſpeculæ cuſtodibus ſignum perfectæ rei ſe daturam aſſeruit, fumum die, noctu ignem. Parata igitur caua Dianæ imagine, uaria uenenorum genera in ea abſcondit. Deinde capillos ſuos quibuſdam medicamentis canos reddens, ita faciem corpuſque rugoſum effecit, ut aſpicientibus anus uideretur. Sumta deinde Dianæ ſtatua, in urbem profecta, omnes ad ſuperſtitionem commouit, tanquam ab Hyperboreis ueniſſet, & regis & ciuitatis bono. Cùm ſinguli deam ſacris uenerarentur, uniuerſus tãquam debacchatus populus, Medeã in regiam deduxit. Hæc res & Peliæ ſuperſtitionem iniecit, & filiæ in tantum ſtuporem, Medeæ præſtigiis, deductæ ſunt, ut perſuaderentur, præſentem deam felicitatem regiæ præbituram. Aſſerebat enim, Dianam à draconibus per aerem delatam, magnam orbis partem circumiſſe: ut autem perpetuò coleretur, elegiſſe omnium regum piiſſimum. Mandaſſe inſuper ſibi deam, ut ſenectam Peliæ quibuſdam pharmacis ablatam, in adoleſcentiam uerteret, multorumque annorum uitam beatam diiſque acceptam præberet. Ad quæ uerba cùm rex obſtupeſceret, iuſſit Medeam in ſeipſa, ut fides ei haberetur, quod dixerat, experiri. Illa petens, ut pura ab una ex filiabus afferretur equa, cùm ſe in thalamo incluſiſſet, unxiſſet corpus, herbarum uiribus in priorem ætatem reſtituta eſt. Feciſſe quoque aſſerunt eam quibuſdam incantationibus, ut draconum ſpecie dea per aerem ab Hyperboreis uecta, apud Peliam diuertere uideretur. Pelias plurimĩ Medeam faciens, diligenter filias obſequi eidem imperauit, quicquid circa ſui corporis curam mandaret. Sequente nocte cùm Pelias dormitum iſſet, aiunt dixiſſe Medeam, Neceſſe eſſe, ut Peliç corpus in uaſe çneo coqueretur. Quod cùm acturæ eſſent uirgines, una experimento aliquo fidem uerbis ſuis fieri poſtulauit. Aries aderat multis annis domi nutritus: quem uirginibus pollicita eſt, ſi illum priùs decoxiſſet, in agnum ſe poſtea reſtituturam. Cũm uirgines annuiſſent, ferunt Medeam arietis decoxiſſe corpus in fruſtra diuiſum, ac medicamentis quibuſdam ex lebete agni ſpeciem eduxiſſe. Quo facto, fide Medeæ habita, reliquæ omnes patrem pulſando occiderunt. Sola Alceſtis ob inſignem pietatem à genitore abſtinuit. Tum Medeam dicunt, ne Peliæ corpus aut inciderent, aut coquerent, edixiſſe. Simulans uerò priùs uotum Lunæ eſſe faciendum, uirgines ſupra culmen regiæ cum lãpadibus aſcendere ſecum iuſſit. Ibi Colchorum lingua longa ad terendum tempus oratione habita, ſignum dedit Argonautis, rei conficiendæ tempus adeſſe. Illi igne è ſpecula conſpecto, exiſtimantes regem defunctum, curſu urbem petentes, mœniaque ingreſſi, ſtrictis enſibus ad regiam profecti ſunt, uigilibus qui obſtiterant interfectis. Virgines, quæ antea ad decoquendum patrem è tecto deſcenderant, Iaſone cæteriſque Argonautis in regia præter ſpẽ conſpectis, cùm ſibi mortem conſciſcere uellent: Iaſon earũ miſertus, à propoſito reuocauit, ſolatus, non ſponte eas erraſſe, ſed errore deliquiſſe. Deinde Acaſto Peliæ filio patrium regnum tradidit: filiarum quoq; regis curam pro dignitate geſſit, & omnes primariis uiris nuptum dedit. Alceſtim natu maximam Admeto Phereti Theſſalo, Amphinomen Arobremoni Leontei fratri, Euadnen Oeneo Cephali tunc Phoceorum regis. Diod. lib. 4. cap. 3.

*Amicos, Familiares.*

Alboinus Longobardorum rex, quum Veronæ in conuiuio exhilaratus, uxori porrexiſſet poculum è Cunimundi ſoceri capite fabrefactum, ut cum patre biberet: ROSIMVNDA dolore correpta, Peredeum uirum fortiſſimum multis pollicitationibus in uiri cædẽ allicere nititur. Quod quum aſſequi non poſſet, artibus eum circumuenit. Peredeus ueſtiariam reginæ noctu adire ſolebat. Regina ſe in lecto Peredeo ſupponit. Mox ubi ſe patefecit, Peredee (inquit) aut te Alboinum interficere, aut ab eo te interfici opus eſt, regalem quando thorum inceſtaſti: ni parueris, paternamque mortem ultus fueris, te adulterij poſtulatum, dira morte ſcito moriturum. Ille timore perculſus, ſe regem interfecturum pollicetur: eumque meridiantem, ope Elmichi coniurationis auctoris, adoritur, & obtruncat. Elmiches cum Roſimunda & Albiſinda regis filia, regiaque gaza Rauennam ad Exarchum Longinum confugit. Longinus Roſimundæ perſuadet, Elmichum interficiat, ſeque uirum capiat, ut Rauennæ dominatu frui poſſit. Annuit inconſtantiſſima fœmina: Elmicho in balneis uenenum propinat: quod ille bibens, ubi ſe ueneno petitum intellexit, reliquum quod in poculo ſuperfuerat, diſtricto gladio uxorem haurire coegit. Quod quum illa ui adacta feciſſet, uenenum utrique uitam pariter intercepit. Bonfin. lib. 8. Decad. 1.

EQVES Moldauus, fugiens tyrannidem Stephani Vayuodæ Moldauiæ, Ferdinandi Imperatoris partes ſecutus, promiſſis ampliſſimis occidendi Moldaui conſilium cepit. Quo detecto, in Poloniam aufugit: & cùm non niſi domeſticæ perfidia Moldauum è medio tolli poſſe uideret, Ioannem Bapt. Caſtaldum Ferdinandi Archiſtrategum in Tranſyluania monet, ut literas ſcribat ad duos Vayuodæ intimos, quibus ſimulanter eos hortetur, ut negotium ceptum ſumma fide & celeritate perficiant, præmia ampliſſima expectent. Illi acceptis literis, omnium rerum ignari, obſtupuêre, & cùm inter ſe de hoc ſtratagemate diſſererent: puer quidam Stephani cognatus, ſermones illorum exceptos ad Vayuodam detulit. A' quo uocati, ſibique nullius ſceleris conſcij literas oſtendunt. Vayuoda homo ſuſpicax dignitate illos priuat. Qua rei indignitate moti, ſuaſu Equitis, id quod priùs in animum nunquam induxerant, tyranni opprimendi conſilium capiunt, eumque in tentorio nihil tale metuentem confodiunt, duo millia Turcarum corporis cuſtodum interficiunt, & Moldauiæ imperium legitimo Vayuodæ, equitis illius cognato, tradunt, anno Salutis 1552. Aſcanius Centorius lib. 5. Com. de bellis Tranſyluaniæ.

*Hoſtes, Hoſtibus obiiciendo.*

SAVLVS rex inuidens gloriæ Dauidis, qui Goliathum Palæ-





ſtinum ſingulari certamine interfecerat, cùm dæmone correptus per ædes baccharetur: & Dauid ſuo more fides pulſaret, haſtam in eum iaculatus eſt. Quam tamen Dauid bis declinauit. Eum quoq; tribunum militũ fecit, honoris ſpecie: at reuera, ut eum Palæſtinis interficiendũ obiiceret. Deniq; filiam ſuam Michol, quæ Dauidẽ amabat, ei ſe nuptui locaturum promiſit, ſi centum Palæſtinorum præputia reportaſſet. Dauid nil moratus, cum ſuis militibus Palçſtinos inuaſit, cæſiſq; ducentis, præputia eorum reportauit. Eaq; propter Michol regis filiam in matrimonium accepit. 1. Regum 18. At Ioſephus lib. 6. Antiq. cap. 11. ſexcenta capita Palæſtinorum eum reportaſſe, inquit.

DAVID rex Vriam, cuius uxorẽ conſtuprauerat, è medio tollere uolens, literis eum commendat polemarcho Ioabo, ut in prima acie locatum, deſertum de induſtria à ſubornatis militibus, hoſtibus trucidandum obiiciat.

PROETVS Tirynthiorum rex, falſa perſuaſione Anteæ uxoris (quæ Bellerophontem ad ſtuprum pellicere tentans, ab eo reiecta fuerat) quaſi & pudori ſuo & illius regno inſidiaretur: uelut officij cauſa Bellerophontem ad Iobaten hoſpitem mittit, additis literis, uelut in illius commendationem ſcriptis. In his mandabat Iobatæ, ut iuuenem quoquo pacto tolleret è medio. Bellerophon, ut eſt minimè ſuſpicax innocentia, literas acceptas reddit ut fuerant, obſignatas. Quas ubi perlegiſſet Iobates, quò Prœto gereret morẽ, aggreditur adoleſcentem honeſto titulo perimere. Nam hic fermè malorum principum mos. Animum iuuenis ſuapte ſponte ferocem, ad periclitandas uires, gloriamq; parandã inflammat. Ac primùm perſuadet, ut cum Chimçra congrediatur. Id erat monſtrum triforme:

> Prima leo, poſtrema draco, media ipſa Chimæra,
> id eſt, capra.

Hanc Bellerophontes equo inſidens alato Pegaſo, telo confixit confecitq;. Pòſt aliis atque aliis periculis obiecit iuuenem. A quibus omnibus quum ille uictor rediret: rex & uires admiratus, & ex euentu coniectans innocẽtiam, literas Prœti oſtendit, generum adſciuit, ac moriens eidem imperij ſucceſſionem tradidit. Eraſmus.

☞ INSTRVMENTI. TOLLERE

*Igne.*

Iaſon Corinthi commoratus Glaucam Creontis regis Corinthi filiam uxorem duxit, omnium beneficiorum, quæ à Medea acceperat, oblitus. Id grauiter ferens MEDEA, Glaucã poſtea & Creontem combuſſit, ac proprios filios Mormyrum & Pheretem, quos ex Iaſone ſuſceperat, ferro abſumſit. Alij dixerunt peplum fuiſſe uenenis infectũ à Medea ad nouam nuptam miſſum, quo ſtatim induta conflagrarit, ut ait Apollodorus lib. j. Bibliothecæ. Alij dixerunt ſcrinium perexiguum cum igne inextincto incluſo miſſum fuiſſe ad filias Creontis per paruulos Medeæ filios: quod cùm illæ aperuiſſent, tanta euolauit uis ignis, ut totum palatium conflagrarit, ut teſtatur Dailochus in Cizyci euerſione. Alij putarunt id non ſcrinium fuiſſe, ſed ueſtem & coronam aureã naphtha perunctas, quibus igne ex uicinæ ara concepto uniuerſa regia cõflagrarit. Nam quæ naphtha uncta fuerint, uel igni uel ſolis feruore concepto, omnia comburunt uicina. Huius pharmaci cùm auctor fuiſſet & inuentrix Medea, iure ignis Medeæ pharmacum illud dicitur, quod ardorem per membra epotum diffundit, ita ut nulla arte poſſit leniri: de quo meminit Nicander in Alexipharmacis. Plutarch. in Alexandro ait fieri pharmacũ id, quo pallium coronãq; Medea perunxit è bitumine præcipuè, cuius magna copia apud Babylonios naſcitur in Ecbatanis: cuius illa eſt natura, ut ignem longinquum attrahat, mediumq; aera inflammet. Fama eſt apud nonnullos Mormyrum ac Pheretẽ Medeæ filios, quòd illa munera attuliſſent, fuiſſe à Corinthiis lapidibus obrutos: quorum ſepulcrum apud Odeum uocatum oſtendebatur, ut ait Pauſan. in reb. Corinthiorum. Fuerunt tamen qui illos incolumes ad matrẽ reuertiſſe memorent, ſed Iaſonis odio, qui Glaucã duxiſſet, fuiſſe diſcerptos. Scriptum fuit à Staphylo, Iaſonem eiuſdem conſilio deniq; occidiſſe. Hæc enim illi neſcio quo pacto perſuaſit, ut ſub puppe nauis Argus dormiret, quam illa ſciebat breui ſolutum iri. Qua ſupra Iaſonem delapſa, ille occiſus eſt. Natalis Comes Mithol. lib. 6. c. 7. & 8.

GRAMENGIVS baiulus uinarius Bononiẽſis, à Ioſepho Giſelero Canonico leuem ob cauſam pugno percuſſus, diſſimulata in præſens iniuria, cùm facto tyrocinio Bononiam reuerſus eſſet, & uario inſidiarum genere Ioſephum hominem potentem & nobilem incaſſum tentaſſet: tandem re cum paucis cõmunicata, ſacculos tormentario puluere plenos in cellam uinariam Ioſephi noctu deiicit, feneſtrã obturat, fune incendiario per cannam tranſmiſſo, euentum rei è longinquo ſpectat: & quia mora omnis ſcelerato longa erat, dolum irritum fore metuens, duos è ſociis exploratum mittit. Qui cùm ueſtem feneſtræ obductã amouerent, flamma aëre concepto erumpente ſuffocati ſunt, totaq; domus ſimul in ueſtigio concidit, uicinis ædibus illæſis. Res admiranda uiſa. Indici impunitas & mille coronatorum prçmiũ promiſſum. Gramengius elapſus Mirandulam, literis prçtorem Bononienſem admonet, de uita ſibi ipſius decreto proſpectum, promiſſa impunitate: de honore uerò, ne in alium per ignorantiam conferatur, ſuum eſſe prouidere. Seſe igitur tam præclaræ uindictæ conſultorem, inceptorem, perfectorem fuiſſe. Sua opera prætori quando ubicunq; uolet licere uti, modò quàm in decreto facilis, tam in honore aſſerendo ſuo diligens eſſet.

Baſſiano Lando Placentino, Medico excellentiſſimo, Theoricam Medicinãm in gymnaſio Patauino profitenti, cũ multi inuiderent: inuenti etiam ſunt nebulones QVIDAM, qui uitæ illius inſidiarentur, anno Chriſti LXI. Vrnulam puluere incendiario replent, eamq; ſub cathedra, è qua ſingulis diebus publicè declamare ſolebat, clàm reponũt, funẽ longum, qui extra auditorium per occultas quaſdã rimas protenderetur, urnulæ adaptant, eo conſilio, ut fune extra auditorium accenſo, ignis ſenſim prorepens, puluerem in urnula contentum attingeret, & Baſſianum cum ſummo auditorum ſuorum atq; adeò extremo periculo collegæ ſui Iunij Pauli Craſſi, qui eadem hora in ſuperioris contignationis aula profitebatur, è medio tolleret. Et ſanè uoto ſuo potiebantur, niſi Baſſianus non emũctæ tantùm naris homo, ſed exquiſiti quoq; odoratus, ubi cathedram cõſcendit, fumoſum quendam halitum ſenſiſſet. Eum primò ex uicinis ædibus exurgentem ſuſpicatus, cùm nihil remitteret, famulo imperat, ut quid hoc rei eſſet, inueſtigaret. Reperitur igitur funis accenſus. cuius ductum ſecuti, urnulam ſub cathedra ſepoſitam uident, quæ cum puluere uitã ſimul & mortem Baſſiani poſt ſextãtem horæ clauſiſſet. Venetias Baſſianus proficiſcitur, de inſidiis conqueritur. Senatus illum bono animo eſſe iubet, & ut ad profeſſionem reuertatur, obſecrat. Indici duo millia librarũ, & unius exulis reuocãdi poteſtas, decreta fuerũt. Nec tamen, quamuis ampliſſimis propoſitis præmiis, auctor ſciri potuit. Gilb. Cogn. li. 8. Narrat.

*Aqua.*

NAVPLIVS Palamedis pater, dolens filium ſuũ factione interemtum, cùm uideret Græcos tempeſtate laborare, montem Caphareum, aut Zaraca uel Opheltam aſcendit, eleuataq; facula ſignum dedit uicini portus. Qua re decepti Græci, ad aſperrimos ſcopulos (quos γνεφὸς, γναφόλας, γυρὰιας πέτρας uocant) naufragium fecerunt.

*Veneno.*

☞ *Ex Tit. Veneno necatorum. item Veneficorum huc non pauca.*

Reliquis Centauris expugnatis ac confectis ab Hercule, NESSVS unus omnium ſuffugerat. Is peruenit ad flumen Aetoliæ Euenum, & in eius ripa uerſans, ſolebat adeuntes tranſmittere. Deinde euenit, ut Hercules in Trachinem ad Ceycem, unà cum Deianira proficiſceretur. Poſteaquam igitur ipſe iam fluuium tranſmiſiſſet, Neſſo mandauit, ut Deianiram Oenei regis F. transferret. At is inter tranſuehendum, uim cepit adferre mulieri. Quod ſimul ac Hercules intellexiſſet, uidelicet illa uociferante: Neſſi prçcordia iaculo perfodit. At is ſentiens lethale uulnus, neq; ſe poſſe mortẽ effugere, mulierem accerſit: Si uis, inquiens, tibi amatoriũ efficaciſſimum parare, quo poſſis Herculem inflãmare in amorem tui, & ſi quando deperibit aliam, in tui cupidinẽ reuocare, fac illũ meo ſanguine perungas. Atq; ea perſuaſa, Neſſi ſanguinem è uulnere fluentem apud ſeſe ſeruauit. Itaque poſtquam Trachinẽ adiiſſet, ac rurſum inde profectus Oechaliam adortus ciuitatẽ cepiſſet, reliqua populatus: Iolem puellam captiuam ſecũ abduxit. Immolaturus autem Ioui parenti uictimas ob res bene fortunatas, ad Deianirã mittit, iubens ut ſibi ueſtem aliquã magnificã mitteret. Illa certior facta de Ioles raptu, ueritaq; ne Hercules illam pluris ſeſe faceret, ut eſt zelotypũ mulierũ genus, ueſtẽ Neſſi cruore tinctam, imbutamq; mittit, philtrum ſe mittere rata. Hãc indutus Hercules, rem diuinam peregit. Cæterũ ubi calefacta ueſte, uenenum excitatũ corpus grauiter adurere cœpiſſet, auellere conatus eſt: uerùm iam ita penitùs adhæſerat, ut nõ ſine carnib. ipſis reuelli poſſet. Proinde in monte Oeta rogum extruxit, eumq; conſcendit. Porrò cùm illo iubente, nullus ex Herculis comitib. auderet ignem ſubdere, uidelicet metu contagij, paſtor quidam fortè repertus (Pœantẽ Apollodorus fuiſſe uult. Etſi alij Philoctetí dona data aſſerant) qui ignem immitteret, atq; huic officij præmium ſua tela dono dedit. Ardente iam rogo ferunt nubem non ſine tonitru obſepſiſſe Herculem, atq; ita ſublatum ad deorum conſortium. Eraſmus ex Zenodoto.

Arnulphus Imp. Guidonem Italiæ regem fugarat, & Firmum

urbem, ubi Guidonis VXOR degebat, obſidebat. Illa corrupto pecunia intimo Auguſtalis aulæ miniſtro, clàm ad ſe deducto, Cæſaris, inquit, animum in me immerita ira ſuccenſum placare cupio. Hæc potio (poculũ manu geſtabat) triſtitiam diſcutit: lætitiam, amores, feſtiuitatem, ludos, iocoſq; & omnia gaudia menti affert, eò uiri mei animum furentem ad ſanitatẽ reuocaui, & ut ſine noxa ſumi ſcias, experire. Simul ſeruo uel ægro, uel ægrum agenti introducto poculum porrigit. Quod cùm is ebibiſſet, intra horę ſpaciũ ualidus uigenſq; extitit. Illa Germano alteram & aliter medicatam potionem, uimq; auri tradidit. Arnulfus epoto ueneno, correptus lethargo graui, per triduum excitari inclamantibus ſuis uellentibuſq;, non potuit. Euigilans tandem ſoluta obſidione domum reuertit, ac aliquanto pòſt phthiriaſi deceſſit. Aemilius lib.3. & Cuſpinianus.

LADISLAVS Caroli F. rex Neapolitanus, pacem Florentinis anno MCCCCXVII dedit, ea lege, ut uirginem formoſiſſ. omnium indigenarum, in uxorem ſibi darent. Pater uirginis medicus inſignis, filiæ pudori metuens, pannum uenenatum, quo in geniali thoro regem abſtergeret, tradit. Quo illa parum cautè uſa, & regi & ſibi mortem acceſſiuit. Chalcocondylas lib.5. Tyrrhenos uocat, & regem Lantilaũ. Bonfinius lib.2. Dec.3. & Sabellicus lib.9. Ennead.9. & Collenucius, Florẽtinorum in gratiam uel precio inuitatum, uel ſpe præmij allectum patrem, id facinus in filiam, quam iuueni regi ſubſtrauerat, neſcientem, deſignaſſe ſcribunt.

Thomas Ranulfus, Scotici regni gubernator à Roberto I. rege inſtitutus, dum Dauid filius adoleſceret, uir belli paciſq; artibus clariſſ. Scotiam à furibus, latronib. hiſtrionib. purgauit, & florentiſſ. reddidit. EDVARDVS III. Anglorum rex, Scotiæ regno inhians, Thomam è medio tollere aggreditur. Monachum ſubornat medicinæ peritum, qui in Scotiam proficiſcens, quoſdam ſimulato calculi affectu laborantes potione exhibita curaret. Rumore ſparſo, Ranulfus hominem acceſſit, ſuamque illi ſalutem committit. Monachus ergo ueneno lento poculum mixtum Ranulfo propinat: & pertinaciam morbi prætexens, ualidiore remedio opus eſſe cauſatus, reditum in Angliam mox reuerſurus impetrat: Eduardum exercitum parare iubet, quòd non diu ſuperfuturus eſſet gubernator. Interea Ranulfus tormina quædam uentris, ſed leuiuſcula ſentiens, quum exercitũ in Anglia comparari audiuiſſet, nec monachus ad præſtitutũ diem rediret: ſuſpicari nonnihil cœpit cluſum ſe eſſe: morboque in dies graueſcente, uenenum tandem eſſe cognouit: exercitum tamen maximum parari, & quoniam equi quaſſationem ferre non poterat, lectica ſe deferri iubet. Prętextus belli illati Anglo erat, quòd qui finibus Angliæ Scoti adiacent, incurſione pacem uiolaſſe diceret. Sed ubi præter expectationem obuiam Scotos uenire uidet, fœcialẽ ad eos mittit, quaſi de pace tractaturum. Ranulfus ueſte ornatus precioſa, diſſimulataque ægritudine, in cathedra regia fœcialem audit, eique, ubi iniqua quædam poſtulaſſet, reſpondit, Se breui oſtenſurum quid iuris ad iniquas eas petitionẽs Angli haberent, niſi fœderi antiquo ſtaretur: ac ita fœcialem magnificentiſſimè eo ornatu, in quo tum conſederat, donatum dimiſit. Eduardus ubi præter expectationem ad pugnam alacrem gubernatorem intellexiſſet, diffidens copiis ſuis, in Angliam rediit, ac monachum, quem ſalſa aſſeruiſſe putabat, uiuum circundato igne cremauit. Ranulfus in itinere Muſſilburgi quatuor inde millibus paſſuũ, morbo eſt abſumtus. H. Boethius lib.15.

*Arca lignea.*

Oſiris Solis & Rheę F. Aegyptios ab anguſta & fera uita abduxit, fruges monſtrauit, leges ſanciuit, & deos docuit uenerari: pòſt agrum manſuefaciẽdo luſtrauit, nec armis habuit opus, ſed blandimentis pleroſq; facundiaque cum omnis generis cantilenis & modulatione permulſos induxit. Hinc Græci eundẽ Libero patri hunc eſſe autumant. TYPHON Saturni & Rheę F. cũ abſente eo nihil noui moliri poſſet, obſtante Iſide ſorore & uxore Oſiridis, quæ cauere & pręuidere potentia ſua ualebat: regreſſo dolũ nexuit, adſcitis duobus & ſeptuaginta coniuratis, cùm haberet etiam ſociã reginam Aethiopiæ præſentem, Azo dictam. Etenim clàm dimenſus ſtaturam Oſiridis, pro eius magnitudine affabrè factam & eleganter inſtructam arcam in conuiuium intulit. Eius ſpectaculo oblectatis ſtupentibuſq; cõuiuis, ludibundus oſtendit Typhon, quicunq; incluſus magnitudinẽ eius impleſſet, ei ſe dono arcam daturum. Tentãtibus ſigillatim omnibus, cùm nemini congrueret, ſubiens eam decubuit Oſiris. Ibi conſcij aduolãtes operculum iniecere, atq; hinc clauis eam extra obſepſere, hinc feruidum plumbum infudere, atque ita in amnem extulere, ac per oſtium Tanaiticũ in pelagus demiſere, quod propterea inuiſum nunc eſt, atque execrabile uocatur ab Aegyptiis. Hæc geſta regni Oſiridis anno XXIIX. Plutarchus de Iſide.

*Cathedra.*

SIMON Turcus, Lucenſis mercator, à Ioan. Baptiſta Deodato populari ſuo uulnus in facie acceperat. Simulata reconciliatione uindictam meditans, cathedram confici curat, quæ ſeſſorem arctiſſimè conſtringeret. Inuitatus in uiridarium Deodatus, & ſellæ affixus, multis uulneribus à Simone confoſſus eſt. Tandem deprehenſo ſcelere, miru caſu, Simon publicè in eadem cathedra, totidem uulneribus confectus eſt, ſub annum Chriſti MDLV. Cardanus libro II. capite j. de Var. rerum.

*Statuis.*

Cùm Chennethus II. Scotorum rex Cruthlinthum, Cruthnethi præfecti Anguſiæ ex Fenella F. nepotem, ob interfectum auum ſuum, occidiſſet, tum etiam Malcolmum Duffũm regem & affinem FENELLÆ: illa ſtatuam mira arte fabricari iuſſit, in cuius manu pomum aureum gemmis nobilioribus refertum erat, quod quicunque tetigiſſet, ſtatim multis iaculis confodiebatur. Eo regem poſt multos annos in arce Fetirca hoſpitaliter exceptum occidit, & in Hiberniam euaſit. H. Boethius lib.11.

EDRICVS Stratonius Anglus, conſilio & auctoritate pollens, occupata à Dacis Anglia, & exulante Ethelredo rege, cum Edmundo Ethelredi F. contra Canutum Suenonis F. miſſus pro recuperando regno, ad hoſtes defecit. Cùm uerò poſt ſingulare certamen inter reges commiſſum, Edmundus in regni ſocietatem Canutum admiſiſſet, miſerè Edrici inſidiis periit. Quidam tradunt, filium Edrici, impulſore parente, regem corpus purgantem furtim adortum, ac ferro uentrem & inguina perfodiſſe. Alij perhibent ipſum Edricum ita domi ſuæ aptaſſe in manu cuiuſdam imaginis mucronem, ut quoties uellet, accedentem ad eam feriret. Itaq; poſt cœnam, dum ille contemplaretur imaginem, eo mucrone Edmundum eſſe confoſſum. Ac ſtatim poſt interfectum eum, Edricum ſalutaſſe Canutum totius Anglię regẽ, caputq; interemti obtuliſſe. Quod tamen facinus Dacum deteſtatum, proditorem Edricum merito affeciſſe ſupplicio. Polydorus lib.7.

*Belluis.*

☞ *Ex Tit. A belluis interemtorum, hæc quædam.*

Narrat Ludouicus Guicciardinus in ſuis Iocis, NARBONENSEM quendam, uirum alioqui literatũ, uxoris, propter impudicitiam ſuſpectæ, è medio tollendæ tale conſilium cepiſſe. Mulum triduana ſiti excruciatum, ſummo mane rus profecturus, ruſticationis prætextu, uxori ſubiecit. Vbi ad Rhodanum uentum eſt, mulus concitato curſu in flumen ſeſe præcipitẽ dedit, ſimulq; & ſuam & domini ſui in adultera coniuge punienda ſitim extinxit.

## EXCAECARE FRAVDVLENTER.

HECVBA captiua à Græcis abducta, Polymeſtora Thraciæ regem, interfectorem Polydori F. ſub ſpecie occultos theſauros oſtendendi, introductum in gynæceum oculis priuauit. Euripides in Hecuba.

CAPVANI ciues, pecunia corrupti ab Alberico Marſorum epiſcopo, ut oculos Caſſinenſi abbati eruant, fraude eũ circumueniunt. Quidam enim ex eis abbatem, ut Capuam ueniret, ibiq; lites minuere dignetur, orant: interpoſito etiam iuramento, ſaluum & incolumem ad diui Benedicti monaſterium ſe eum reducturos. Credit abbas promiſſis, ac cum eis abit. Quem cùm Capuam ad cœnobium diui Benedicti (cui & Caſſinenſe & Capuanum ſacrum erat) ſaluum perduxiſſent, ſuæ fidei ſatisfactum putabãt Capuani: móxque manibus ei iniectis, oculos eruerunt. Leo Hoſtienſis libro 2. cap.16.

## MVTILATIONEM ASTVTE EFFVGERE.

QVIDAM nebulo furti & periurij damnatus, cùm lingua prędicenda ſibi iamiã foret, fori iudices orauit, ut pœnę ſupplicium mitigarẽt: nam ſe pro unica lingua, geminas aures malle amittere. Poſtquam exorauit, carnifex ad executionem accingitur. Sed dum detegit caput, auribus priuatum reperit. Corona populi ſpectantis riſum emiſit. Ipſe etiam ſceleſtus ſuis ridens dolis, impunis ex tanto euaſit periculo. Gilbertus Cognatus lib. j. Narrat.

## FORMAM ASTVTE CONSERVARE, COMMENDARE.

In FABVLLAM Martial. Epigr. lib.8. ſic ludit:

Omnes aut uetulas habes amicas,
Aut turpes, uetuliſq; fœdiores:
Has ducis comites, trahiſq; tecum
Per conuiuia, porticus, theatra.
Sic formoſa, Fabulla, ſic puella es.





# ASTVS IN BONIS MALIS'VE FORTVITIS PROmouendis aut impediendis. CVIVSMODI SVNT,

## FELICITATEM ALIORVM IMPEDIRE.

Cùm in Tarpeio fodientes delubro fundamenta, caput humanum inueniſſent, miſſis ob id à ſenatu legatis, Hetruriæ celeberrimus uates OLENVS Calenus præclarum id fortunatumq; cernens, interrogatione in ſuam gentem transferre tentauit, ſcipione prius determinata templi imagine in ſolo ante ſe: Hoc ergo dicitis, Romani, hìc templum Iouis optimi maximi futurum eſt? hìc caput inuenimus? conſtantiſſima annalium affirmatione, tranſiturum fuiſſe fatum in Hetruriam, ni præmoniti à filio uatis legati Romani reſpõdiſſent: Non planè hìc, ſed Romæ inuentũ caput dicimus. Iterum id accidiſſe tradunt, cùm in faſtigium eiuſdem delubri præparatæ quadrigæ fictiles in fornace creuiſſent: & iterum ſimili modo retentum augurium. Plin. lib.28. c.2.

Statua Romæ in Comitio poſita Horatij Coclitis de cœlo tacta eſt. Ob id fulgur piaculis luendũ ARVSPICES ex Hetruria acciti, inimico in pop. Rom. animo, inſtituerant eam rem contrariis regionibus procurare. Atq; illam ſtatuã ſuaſerunt in inferiorem locum perperam tranſponi, quem ſol oppoſitu circum undiq; aliarum ædium nunquam illuſtraret. Quòd cùm ita fieri perſuaſiſſent, delati ad populũ proditiq; ſunt. Et cùm de perfidia confeſſi eſſent, necati ſunt. Gellius libro 4. cap.5.

## PECVNIAS ET STIPENDIA ASTVTE COMPARARE, SIVE in bello, ſiue extra bellum, tam politicè quàm œconomicè.

### TRIBVTO.

☞ *Vide exempla aliquot ſub Tit. Auaritiæ in exigendis pecuniis. Item Titulum ſequentem, quatenus Venditione quodammodo tributum exigere uidentur.*

CONDALVS Mauſoli præfectus, ſciens Lycios comæ ſtudioſos, ſimulauit epiſtolas ueniſſe à rege, quæ iuberent, mittendas eſſe comas ad proſcomia, ſibiq; iniunctum eſſe à Mauſolo, ut detonderet eos: ueruntamen ſi uellent capitatim tributum aliquod dare, ſe è Græcia comas tranſmiſſurũ. Illi libenter dederunt. Sic plurimam pecuniam à numeroſa turba collegit. Ariſt. in Oecon.

DIONYSIVS tyrannus cùm ciues propter tributum pecora non nutrirent, dixit ſibi tot ſufficere: uolentes autem nunc acquirere, immunes fore à tributo. Multis ergo citò multa comparantibus armenta, tanquam habituri ea eſſent abſq; tributo, nouum impoſuit tributum. Hac igitur deceptione indignati ciues, illa iugulantes clàm uendebant: ille uerò contra id ſtatuit, ut interdiu tantùm occiderentur. At illi iterum in ſacrificiis immolabant. Ille uerò uetuit, ne feminam ſacris immolarent. Idem.

CHARIDEMVS Orites edixit in ciuitatibus, quibus dominabatur, neminem domi arma tenere, alioqui multari argento. Quod ſubinde negligere uiſus eſt, & nullam eius rei curam gerere. Homines autem arbitrati edictum illud nullum eſſe, habebant ſinguli per regionem arma quæ prius poſſederant. At ille repentè explorationem domorum faciens, apud quos arma reperiſſet, multam ab iis exegit. Ariſtoteles in Oeconomicis.

M. ANTONIO Athenas intranti, quum ciues urbis obuiam proceſſiſſent, dixiſſentq;, eſſe ſibi Mineruam nubilem, quã Libero patri (ita enim eum uocabant aſſentandi ſtudio) deſpondere uellẽt: arrepta occaſione, ducturum ſe reſpondit: ſed oportere futuræ nuptæ mille dari talenta nomine dotis. Plut. in Antonio.

C. Cæſar CALIGVLA uectigalibus indictis, neq; propoſitis, cùm per ignorantiam ſcripturæ multa commiſſa fierẽt, tandem flagitante pop. Rom. propoſuit quidẽ legem: ſed & minutiſſimis literis, & anguſtiſſimo loco, uti ne cui deſcribere liceret. Ac ne quod non manubiarum genus experiretur, lupanar in palatio conſtituit: diſtinctiſq; & inſtructis pro loci dignitate complurib. cellis, in quibus matronæ ingenuiq; ſtarent, miſit circũ fora & baſilicas nomenclatores ad inuitandos in libidinẽ iuuenes, ſeneſq;: præbita aduenientibus pecunia fœnebris, appoſitiq; qui nomina palàm ſubnotarent, quaſi adiuuantiũ Cæſaris reditus. Ac ne ex luſu quidẽ aleæ compendiũ ſpernens, plus mendacio atq; etiã periurio lucrabatur. Et quondã proximo colluſori, demãdata uice ſua, progreſſus in atriũ domus, cùm prætereuntes duos equites Rom. locupletes ſine mora corripi, confiſcariq; iuſſiſſet: exultans rediit, glorianſq; nunquã ſe proſperiore alea uſum: Vt uos, inqt, de paucis drachmis laboratis? Ego uerò interea centies quinquagies millies mille coegi. Hæc ſumma facit decies quinquies millies mille aureos. Suetonius, & Zonaras.

VESPASIANVS inſtituerat è lotio uectigal. Super hoc à filio monitus, diſſimulauit, donec prima penſio eſſet ſoluta. Eam pecuniã admouit ad filij nares: ſciſcitãs, Num ex odore offenderetur? negante illo: Atqui hæc, inquit, è lotio eſt. Suetonius.

BERENGARIVS Italiæ rex non ſua, ſed eccleſiarum & pauperum pecunia, XII numorum modiis à Taxi Vngarorum rege pacem redemit, non populi ſpectans ſalutem, ſed ſuæ auaritiæ conſulens. Omnes enim utriuſq; ſexus homines, ne lactentibus quidem exceptis, ſinguli numũ pendere cogebantur. Reliquam pecuniæ partem, quæ ſupererat ex tributo, & quicquid ex eccleſiis abſtulerat, ſibi retinuit. Luitprandus libro 5. cap.15.

HENRICVS IV. Imp. paſſim in omnibus collibus Thuringiæ arces extruxit. Cùm autem neceſſarius uictus deeſſet illis, quibus earum cuſtodiam demandabat, cum Sigfrido archiepiſcopo Moguntino egit, ut is decimationes Thuringiæ ſeuerius, quàm unquam antea, exigeret: ſeq; auctoritate & armis eum ſe adiuturum promiſit, prædæ partem ſtipulatus. Moguntinus ne occaſionem oblatam è manib. dimitteret, Synodum Erfordiæ indixit, in qua uix tandem qđ petierat impetrauit, anno Chriſti MLXXIII.

Anno XVI. GVLIELMVS Cõquæſtor in Anglia cenſum habuit, hoc eſt, quicquid gentium ſuo paréret imperio, cunctas ſimul urbes, oppida, uicos, pagos, epiſcopatus, cœnobia, item quantum quiſq; terræ poſſideret, quantũ quotannis uectigalium acciperet, milites inſuper qui ſtipendia facerent, ac ſingula iuga boum paſſim omnibus locis recenſeri, in nouaſq; tabulas referri iuſſit. Quod negotium ubi confectum eſt, facilè cognouit, aliquid adhuc Anglicis ouibus uelleris ſupereſſe, quod tonderi poſſet. Quocirca impoſito nouo tributo, per ſingula iuga boum, exegit ſenos Anglicos ſolidos. Polyd. lib.9.

CHRISTINA Vladiſlai II. Polonorum regis uxor, cùm alia quædam auarè & crudeliter inſtituit, tum uerò illud excogitauit, ut homines oppidani & ruſticani ſtatis & ſolennib. feriis honoraria quædam munera, nempe pullos & gallinaceos, anſeres, oua, mel, auenam, porcos, triticum in cellam principis inferrent. Quod cùm ſemel atq; iterum ac tertiũ in gratiam principis nõ inuiti feciſſent, lege regia, ut id perpetuum deinceps eſſet, ſanxit. Cromerus lib.6.

BONIFACIVS IX. Papa, Neapolitanus, è Tomacellorũ familia, uectigal prædiorum ſacerdotalium, quod Annatam uocant, inſtituit. Nonnulli uerò id tribuunt Ioanni XXII. Anno MCCCC. Volat. in Anthrop.

ALFONSVS Neapolitanus rex ut magnam auri ſummam à ſacerdotibus exigeret, traiecturum ſe cum exercitu in Græciam aduerſus Turcas ſolenni uoto, facta etiam re diuina, publicè profeſſus eſt. Pontanus c.9. de Liberal.

ANTONIVS Leua à Carolo V. Cæſare Mediolano præfectus, à Gallis, Venetis & Sforcianis in magnas difficultates rei numariæ redactus, ut militi neceſſaria perſoluto ſtipendio præſtaret, uectigal excogitauit Mediolani, quo omniũ pecunias abraderet, & ſingularum familiarũ fortunas euerteret. Seuero namq; edicto uir imperioſus & ſæuus, à quoquam ciue cererem coqui uetuerat, quum uenalis tantùm ederetur, cõſtitutis eius monopolij tabernis, unde eſurientes magno precio panem coemerent, tanta edicti atrocitate, ut pleriq; inopes laquei metu fame paſſim interirẽt. Molendi utiq; tritici percoquendiq; panis uetantes leges, pauidum uulgus perhorrebat, ita ut Antonius clariſſimam paulo antè atq; opulẽtiſſimam Italiæ ciuitatem, importato ingenti luctu, longè omnium miſerrimam redderet. Tanta ſcilicet acerbitate atq; ſæuitia crudeliſſimæ legis auctoritatẽ tuebatur, ut uel ab egentibus mulierculis, quę deſiderio panis ſubcinericias conficerent offulas, & in ſartagine placẽtas oleo ſuffrixiſſent, contuſoq; in pila tritico farinam exprimere conarentur, prægraues pœnas exigeret: ſic ut non infacetè, quanquam amariſſimè, M. Antonius Canicula, quæſtorij ordinis ciuis, in corona diceret, Peramplam, uti reor, ciuis hic noſter Antonius à Cæſare gratiã proculdubiò referet, quando ei ſupra tot clara cognomina ſummæ maieſtatis, nouæ nobilitatis ergô, Furnarij titulum adiecerit. Nã & tabernæ furnariæ & uenales panes Cæſareæ aquilæ nota ſignati, uulgò imperiales uocabantur. Verùm neque Antonius, neque Cæſar ipſe ab ea execrabili diuinarum atque humanarum rerum labe, fideliumq; Inſubrum miſeriis, ullam omnino infamiam ad ſe redituram putabant, modò opes ſuas aduerſus conſpirantium hoſtium potentiã confirmarent. Iouius lib.26. Hiſt.

❧ EXACTIONIBVS, MVLTIS.

MAVSOLVS Cariæ rex, ſimulans regem Perſarum ſibi infen ſum, equos in amicorum cõſpectu produxit, theſauros, aurum, argẽtum, ueſtem, aliaq; eius generis regi ſe miſſurum dictitans, ne patrio principatu ſpoliaretur. His Mauſoli uer bis amici fidem adhibentes, eodem die infinitam pecuniarum multitudinem ei miſerunt. Polyæn. lib. 7.

IDEM, in concionem uocatis Mylaſſenſibus, inquit, metropo lim ipſorum muris munitam non eſſe, regem autem aduerſus eos bellum decernere. Qua de cauſa iuſſit unumquenq; Mylaſſenſium afferre pecuniam, aſſerens ſe, & eos qui attuliſſent, & reliqua eorum bona ſeruaturum. Quæ ubi oblata fuêre, multam coaceruauit pecuniam, & inquit: Deo non uidetur in præſenti, mœnia ædificãda eſſe. Ariſt. in Oecon.

CONDALVS Mauſoli præfectus; quando ei per regionem proficiſcẽti offerebat quiſpiam aut ouem, aut porcum, aut uitulum: deſcribebat dantem, & tempus, præcipiebatq; ut domum reduceret, nutriretq; quouſq; reuerteretur. At uerò cùm ſatis temporis illi effluxiſſe uidebatur, computans & quod nutriendum dederat, & quicquid fructus inde prouenerat, repetebat. Idem.

IASON Theſſalus, cùm ſtipendium ab eo milites flagitarent, neq; eſſet ſoluendo: Cucurrit ad matrem intrò, quaſi perſequentibus militibus: quorum duo treſue ueluti perſequentes eum, ſimul irruebant. Mater, quæ multis pecuniis abundabat, lytron pro eo diſſoluit. Polyæn. lib. 6.

IDEM, capta urbe pecuniis affluente, multa ſplendidaq; ſpolia conſecutus, miſit ad matrem, omnes famulas mittere iubens, quotquot uariæ magnificæq; ueſtis experientiam & artem haberent, quæ ipſi pulcerrima quæq; deligerent. Illa famulas omnes quotquot habuit, ad ueſtes eligendas miſit. Iaſon iis comprehenſis, mercedem pro redimendis ipſis à matre poſtulauit. Idem.

IDEM ad matrem, in loco eo, ubi famulæ textoriam artẽ exercere conſueuerant, commorantẽ, ingreſſus cum uno ex fratribus; quaſi in conſilium eam de rebus imperij neceſſariis adhibiturus, eas remouere iuſſit. Satellitibus imperatum erat, ut omnes eas abducerent. Ipſe poſt longum colloquiũ egreſſus, ac ſubridens, matri præcepit, ut pro famulis argentum ſibi mitteret. Idem.

DIONYSIVS tyrannus, cognoſcens quòd nautæ quamplurima haberent, edixit, ut quiſq; dimidium eorum quæ haberet, deferret ad ſe, aliud dimidium ſeruaret: non afferenti autem, ſtatuit pro multa mortem. Credentes nautæ, ſi ferrent dimidia, reliqua ſe habituros, ſecurè attulêre. Poſteaquam uerò illa accepit, præcepit rurſus, ut alia afferrent dimidia. Ariſtot. in Oeconom.

CLEOMENES Alexandrinus, præfectus Aegypti, transfretans Nomon; ubi crocodilus pro deo habetur, cùm quendam puerorum crocodilus rapuiſſet, aduocãs ſacerdotes, dixit: ſe, ulturum pueri necem: Itaq; præcepit ab aquis extrahi crocodilum. Sacerdotes uerò, ne deus eorum haberetur contemtui, congregarunt quantum auri potuerunt, & illi dederunt. Idem.

Alexandro rege mandante CLEOMENI, ut conſtrueret urbem ad Pharon, & emporium quod priùs erat in Canopo, illuc transferret: ipſe nauigauit Canopum ad ſacerdotes, & eos qui diuitias haberent: atq; ſe ueniſſe dixit, ut eos deduceret colonos. Sacerdotes & accolæ offerentes pecuniã, dederunt illi, ut eos & emporium in regione relinqueret. Accipiens autem tunc quoq;, diſceſſit. Porrò transfretans, cùm eſſent ſibi parata quæcunq; erant neceſſaria ad ædificationem, petiit ab eis pecuniam maximam: quam cùm dicerent ſe dare non poſſe, transmigrare eos fecit. Idem.

IDEM ſimulans ſe ſacrificiorum multitudinem aboliturum, partim à ſacrificis, partim ab aliis pecunias accepit. Illi quidem ut ſua officia tuerentur: hi uerò, ut ſumtu ſuperfluo liberarentur. Idem.

PHILOXENVS quidam Macedo, præfectus Cariæ, pecuniis indigens, Dionyſia ſe celebraturum ſimulat, ſcribẽs ad eos qui maximè fructibus abundabant, ut feſti eſſent apparatores, præcipiens quæ eſſent apparanda. Videns autem eos id grauiter ferre, miſit aliquos, interrogans, quid dare uellẽt, ut abſoluerẽtur ab huiuſmodi miniſterio. At illi multò plura quàm ſe cenſebant expoſituros, uelle dare dixerunt, ne uexarentur, & à propriis abeſſe non cogerentur. Ab his igitur capiens quod dederant, ad alios rurſus ſcribebat, donec corraſit quantum uolebat ex iis, quæ apud illos erant. Ibidem.

ARISTOTELES Rhodius Phoreæ princeps, uidens duas eſſe factiones Phoreorum: alteram ſecretò allocutus, dixit, alios ſibi uelle pecuniam dare, ut illis negotia ciuitatis committeret, ſe autem malle ab ipſis accipere, atq; eis ciuitatis adminiſtrationem tradere. Qui audiẽtes, illicò pecuniam, quantam præcepit, dedêre. At uerò ille rurſus aliis oſtendit quæ ab his acceperat: qui dixerunt ſe non minus daturos. Sumens autem ab utriſq;, conciliauit eos inuicem. Idem.

IDEM conſpiciẽs ciues multas inter ſe agitare lites, magnáſque longo ex tempore iniurias, quæ per bellum illis obtigerant: iudicium ſtatuens edixit, quicunq; definito tempore ius ſuum non obtinuiſſent, lege lata non ampliùs aſſecuturos, neq; ulteriùs fore præteritorum delictorum iudicia. Multis itaq; offerentibus pecuniam propter breuitatẽ temporis, & obtinendam iuſtitiam, multis etiam ut produceretur tempus: à ſingulis ſuſcipiens, immodicam congeſſit pecuniam. Idem.

EVAGES Syrus, Aegyptiorũ præfectus, ſentiens Nomarchas, qui ſub ipſo erant, rebellare uelle: uocauit eos ad tribunalia, & omnes ſuſpendio necauit: præcepitq;, ut familiarib. eorum diceretur, eos in carcere detineri. Vnuſquiſq; igitur affinium pro unoquoque ſollicitus erat, ut captiuos pecuniis redimeret. Ille pro unoquoq; paciſcens, & quæ pacta erant accipiens, ſingulis mortuum reddidit. Idem.

Quidam è charis VESPASIANI miniſtris, apud ipſum pro quodam, quem fratrem eſſe ſuum ſimulabat, intercedebat, ut illi procuratio committeretur. Id ſentiens Cæſar, candidatum ſolum ad ſe uocauit, exegitq; pecuniam, quã ille ſuffragatori ſuo pepigerat: ea accepta, mox ordinauit. Huius rei miniſter ignarus, rurſum interpellauit pro fratre: cui Veſpaſianus: Alium, inquit, tibi fratrem quære, hic quem eſſe tuum putas, meus eſt. In itinere quodã mulio deſilijt, quaſi calceaturus mulas, ſed reuerà, ut adeundi litigatori ſpaciũ moramq; præberet. At Veſpaſianus dolum ſuſpicatus, interrogauit mulionem, quanti calceaſſet: pactuſq; eſt lucri partem. Hoc ſi fecit, ut ſuos corrigeret, ciuilitas fuit: ſin, ut eo emolumento fieret ditior, ſordidum erat. Legatis nunciantibus decretam illi publicè non mediocris ſummæ ſtatuam, iuſſit, ut eam continuò ponerent: & uacuã oſtendens manum: Ecce, inquit, parata baſis. ſignificans ut eam pecuniam, quam in ſtatuam decreuiſſent impendere mortuo, uiuo darent in manum. Eraſmus lib. 6. Apophtheg. ex Suetonio & Dione.

HENRICVS VII. Anglorum rex, cùm iam ſenilẽ agere inciperet ætatem, & ante id tempus domeſticarum ſeditionũ tumultuumq; periculis agitatus, morte magis bellum ciuile horreret: ut omnis talis futuri mali materia tolleretur, ſuos ciues, præſertim locupletiores, aliquantulum attenuare uoluit, optimè gnarus, homines ob rerum copiam facilè inſolentiores fieri, nihilq; opibus ferè charius habere: cũ eas uel amittendi metu, uel acquirendi ſpe adducti, plerunque ſoleant pacem aut bellum amplecti. Sed ut ne diceretur facere iniuriam, cuius ipſe eſſet publicus uindex, cogitationem ſuſcepit, quo id modo fieri poſſet honeſto. Cui talia cogitanti uenit in mentem, ſuos Anglos conſueſſe acceptas leges ſic negligere, ut ſi de ea re quæſtio haberetur, nõ dubium, quin permulti cumprimis magni uiri, item mercatores, artifices, oratores, pecuarij, illarum uiolatores deprehenderentur. Hoc capto conſilio, cœpit recognoſcere leges, & qui non obſeruaſſent, eos multare. Recognitio non tam mirabilis, quàm miſerabilis & iniuſta, talis erat. Vocat quis alterum interdum imprudentem, nec opinantem, inſcientem apud iudices in ius. Reus ſtatis diebus nominatim in foro à nomenclatore inclamatur. Qui demũ ſi non reſpondeat (quomodo reſpondere poteſt omnis negotij ignarus, & ſæpè procul à foro ampliùs centum ducentíſue paſſuum millibus) condemnatur, priuaturq; omnibus bonis, & ut patriæ hoſtis perpetuis demandatur uinculis. Cæterùm bona non actori, ſed principi cedunt. Qui ita condemnati ſunt, uulgò dicuntur Extra legem eſſe, hoc eſt, omni iure patriæ per legem homini dato priuati. His technis bene magnus mortalium numerus circumuentus eſt. Polydorus libro 26.

ROBERTVS Comes de Monsfelde, Magdeburgenſis archiepiſcopus creatus, profectus eſt Romam, ut pallium acciperet. Reuerſus quum ingentem impendiſſet pecuniam, Iudæoſq; cerneret per Magdeburgum & Hallenſem ciuitatẽ opibus floreſcere, captos inſigni ære multauit. Centum millia feruntur intuliſſe ærario eius, præter aurum & argentũ, quod in ueſtibus & poculis erat. Hallẽſes, ſe pro Iudæis opponentes, obſedit, & eò adegit, ut cogerentur ſibi Iudæos permittere: datã etiam pro contumacia & rebellione ſua non mediocri pecunia. Ita de iniquo Iudæorum mammona locupletatus, [redacted] Cranzius lib. 8. cap. 23. Metropol.

AVLICVS quidam ducis Mediolanenſis, cùm malis artibus plerofq; aulæ procerum diteſcere uideret: quamuis improbitatem primò exoſus, tandem tamen urgente fame, pro fideli ſeruitio à duce impetrauit, uti Paſtoris principalis titulo inſigniretur. Mox principis diplomate inſtructus, ſimulabat ſe cum regio pecore uicinorũ agros ingreſſurũ, & miſſis litteris paſcua purgari imperabat. Vicini ſuis metuentes pecudibus & armentis, precibus & precio eum deliniebãt. Hac arte breui tempore magnas corraſit opes. Dux repentinam eius opulentiam admiratus, rationem quæſiuit. Cui ille, Probitatem bona conſcientia, uerſutiam lucrum perpetuò ſequitur: nec ullum eſt tam uile officium, in quo non liceat, ſi uelis, cum aliorum damno, quæſtum facere. Io. Paulus in Spudopædia.

❧ RAPINA.

IEZABEL, Achabi uxor regis Iſraelitarum, crudeli aſtutia uſa eſt, ut uineam Nabothi acquireret. 3. Reg. 21.

MENTOR filius Hermiam capiens, & prædia eius obtinens, permiſit eoſdem curatores in regione, qui fuerant ab Hermia conſtituti. Cùm ergo ſecuri iam eſſent, quęcunq; abſcõderant, ſecum accepêre. Mentor uerò omnes capiens, diripuit uniuerſa quæ habebant. Ariſt. in Oecon.

CHARIDEMVS Orites habẽs quædam prædia in Aeolide, cùm aduerſus eum militaret Artabazus, pecuniis indigebat ad militares copias. Primùm quidem exhibuerunt illi, poſtmodum uerò ſe non ampliùs habere quod exhiberẽt, dixerunt. Charidemus autem coniiciens prædium eſſe opulentiſſimum, præcepit, ſi quid haberent pecuniæ, aut ſupellectilem precioſam, mitterent in aliud prædium cuſtodienda. Simul & ipſe hoc fecit. Obſequentibus igitur illi hominibus, poſtquam non procul ab urbe abfuerunt, excuſſit omnes, & bonis exutos in urbem remiſit. Idem.

IASON Theſſalus fratrem habuit Merionem, maximis opib. præditum, ſed tenacem. Is puero nato, ad imponendum ei nomen principibus Theſſalorum conuocatis, aduocauit etiam fratrem, ut primas in eo negotio partes ipſe ſuſciperet. Merione in his rebus occupato, Iaſon uenationis ſpecie ad Pagaſas uſque egreſſus eſt, ubi Meriones habitabat, uimq; diſpenſatoribus adhibuit: & abreptis uiginti argenti talentis, ſummo ſtudio ad cœnam rediit, ac fratri litationum principatum conceſſit, eiq; poteſtatem nomen puero indendi dedit. Meriones cùm domum uaſtatam eſſe à nunciis accepiſſet, nomen impoſuit infanti Porthaon, quod eſt uaſtator. Polyæn. lib. 6.

NABIS Lacedæmoniorum tyrannus T. Quinctio Flaminio pollicitus auxilia aduerſus Philippum. Lacedæmonem inde reuerſus, uxorem Argos miſit, ut quemadmodum ipſe uiros, ita illa matronas ſpoliaret. Egregia mulier Argiuarũ nobiliſſimam quamq; nunc blandè appellando, nũc inſtando minaciter, omni ornatu cultuque corporis auariſſimè ſpoliauit. Sabel. lib. 6. Enn. 5.

❧ LYTRO.

DIONYSIVS tyrannus cùm cepiſſet Rhegium, conuocato populo, expoſuit cauſam, quare ab eo iuſtè capti eſſent: tamen ſi impenſas belli, & uiritim minas tres darent, ſe illis libertatem conceſſurum. Rhegienſes quæcunq; abſconderant, in apertum produxerunt, & egeni à ditioribus & peregrinis mutuò accipientes, conflarunt ſummam quam præceperat. At ille nihilominus omnium corpora uendidit, & cunctam ſupellectilem, uniuerſaque bona diripuit. Ariſtot. in Oeconomicis.

ALEXANDER præfectus iis præſidiis, quæ oppida Aeolidis & munitiones tenebant, conductis ex Ionia ludionib. præſtantiſſimis, tibicinibus Theandro & Philoxeno, hiſtrionibus uerò Callipede & Nicoſtrato, ſpectaculum indixit. Ad famam & celebritatem ludionum omnis uicinarum urbiũ multitudo confluebat. Cùm plenum iam eſſet hominibus theatrum, immiſſis militibus ac Barbaris, cum quibus oppida tenebat, ſpectatores omnes unà cum liberis & uxoribus comprehendit: magnoq; accepto precio, eos liberos dimiſit. Polyænus lib. 6.

Magnus Ladalaos, Sueonum & Gothorum rex, Erici Danorũ regis ope fratrem Valdemarum regno expulerat, neque tamen promiſſa ſtipendia dabat. Vnde graue bellum exortũ eſt. Eo compoſito, ad Magnum quidam nobilis exul, PETRVS Porſe, perueniens, non ſolùm regiorum arcanorum particeps effectus eſt, ſed credita eſt illi arx fortiſſima. In quam inuitatus rex cum paucis ſe contulit. Tum Danus regem inter hoſpitalis menſæ ſacra cepit, nec eum inde egredi permiſit, donec argentum Danorum militibus ratione ſtipendij debitum, perſolueret: ſeq; iureiurãdo aſtringeret, nunquam ſeſe hoc factum uindicaturum. Rex libertatem à fugitiuo & perfido mancipio redimere coactus, arcem Lodoſienſem eidem cum omnibus regalibus prouentibus aſſignauit, nihilq; de ſolito erga ipſum fauore, ne iuſiurandũ uiolaret, imminuit. Ioannes Magnus libro 20. cap. 3.

Sub Ludouico Bauaro, Pontificis partes in Friderico Pulcro Auſtriæ duce ad imperium euehendo, ſequebantur quædã Germaniæ urbes. NOBILIS Bauaro addictus bello ceperat quendam Auſtriaco militantem, nec niſi datis uadibus domum pro λύτροις conficiendis redire paſſus eſt. Ille negligentibus ſalutem eius amicis, ſponſorem dedit Deum opt. max. menſtruo ſpacio ſe ſtiturum coram nobile, & pecuniã redemtionis ergò allaturum. Conſenſit ille: & menſe elapſo, cùm alter propter difficultatem æris contrahendi diutiùs abfuiſſet, fortè per agrum equitans, abbatem quatuor equis comitatum iter facere conſpicit. Aduolans cum ſuis, Nunquid Dei famulus eſſet, rogauit. Illo affirmante: Ergo cùm is, qui libertatem à me interpoſita fideiuſſione domini tui conſecutus eſt, nondum redierit, neq; fidem ſuam liberarit, tuum erit pro domino tuo ſatisfacere. Abbas maioris periculi metu mille aureos nobili numerauit. Non multo pòſt captiuus reuerſus, diuturniorem moram excuſans, pecuniã numerare parabat. At nobilis, Abi, inquit, & ſponſori tuo quod uidebitur numera: is mihi per abbatem quæſtorem ſuum multo cum fœnore ſatisfecit.

❧ MVNERIBVS.

Cùm Crœſus Lydorum rex Alcmæonem Athenienſem accerſiuiſſet, ad remunerandam ipſi beneficentiam, quam ſuis legatis Delphos ad oraculum proficiſcentib. exhibuerat: donauit eum tanto auro, quanto ſemel corpore ſuo ferre poſſet. ALCMÆON igitur pergrandem tunicam amictus, ingenti in ea ſinu relicto, cothurniſq; laxiſſimis calceatus, ad theſaurum, quo ducebatur, perrexit. Ibi in aceruum ramentorum procumbens, primò cothurnos auro referſit. Deinde omnem ſinum ſuũ, atq; etiam crines ramentis ſubigens, & parte in os deſumta, è theſauro proceſſit, ægrè trahẽs cothurnos. Videns hunc Crœſus, in cachinnũ erupit, omniaq; illi donauit. Herod. lib. 6.

❧ MERCIMONIIS, NVNDINATIONIBVS tam ſacris quàm profanis.

Iuxta mandata legis, auguſtiſſimo in toto orbe templo Domini Hieroſolymitano, & de cunctis penè regionibus Iudæorum illuc populo confluente: innumerabiles immolabantur hoſtiæ, feſtis maximè diebus, taurorum, arietum, hircorum: pauperibus, ne abſq; ſacrificio eſſent, pullos columbarum & turtures offerentibus: accidebat plerunq;, ut qui de longè uenerant, non haberent uictimas. Excogitauerũt igitur SACERDOTES, quomodo prædam de populo facerent, & omnia animalia, quibus opus erat ad ſacrificia, uendebant, ut & uenderent non habentibus, & ipſi rurſum emta ſuſciperent. Hãc ſtropham eorum crebra uenientium inopia diſſipabat, qui indigebant ſumtibus, & non ſolũ hoſtias non habebant, ſed ne unde emerent quidẽ aues & uilia munuſcula. Poſuerunt itaq; & numularios, qui mutuam ſub cautione darent pecuniam. Sed quia erat lege præceptũ, ut nemo uſuras acciperet, & prodeſſe nõ poterat pecunia fœnerata, quæ commodi nihil haberet, & interdum ſortẽ perderet: excogitauerunt & aliam technam, ut pro numulariis colybiſtas facerẽt. cuius uerbi proprietatem Latina lingua non exprimit. Colyba dicuntur apud eos, quæ nos appellamus tragemata, uel uilia munuſcula: uerbi gratia, frixi ciceris, uuarumq; paſſarum, & poma diuerſi generis. Igitur uſuras quia non poterant accipere colybiſtæ, qui pecuniã fœnerati erant, pro uſuris accipiebant uarias ſpecies, ut qđ non numo licebat, in his rebus exigerent quæ numis coemuntur. quaſi non hoc ipſum Ezechiel prædicauerit, dicẽs: Vſuram & ſuperabundantiam non accipietis. Hoſce autem ementes & uendentes & numularios Chriſtus diuina uirtute è templo eiecit. Diuus Hieronymus capite uigeſimoprimo in Matheum.

DIONYSIVS tyrannus tributum ciuibus imperauit. Qui cũ ſæpè iam ſe contuliſſe dicerent, uim eis adhibendam eſſe non exiſtimabat. Intermiſſis uerò paucis diebus, mandauit principibus, ut anathemata (quibus Aeſculapij templum erat exornatum, quę multa fuerunt ex auro & argento confecta) è fano deportata, quaſi profana in foro proſcriberent. Ea ſummo ſtudio coemebant Syracuſij, ita ut magna uis pecuniæ colligeretur: quibus potitus Dionyſius, edictum proponere iuſſit: Si quis anathema ad Aeſculapium pertinens emiſſet, mox in templum reportaret, deoq́ue reſtitueret, aut morte pœnam lueret, illi deo ſua reddiderunt: Dionyſius pecunias obtinuit. Polyænus libro 5. & Ariſtoteles in Oeconomicis.

CLEOMENES præfectus Aegypti Alexandrinus, cùm triticum uæniret decem drachmis: conuocatis agricolis, Quanti uendituri eſſent, rogauit. Illi cùm longè minoris quàm mercatoribus, ſe ei daturos reſpondiſſent, eodem tamẽ precio ſibi afferri iuſſit. & ipſe mox triginta duobus drachmis uendidit. Ibidem.

CONDALVS Mauſoli præfectus, arborum quæcunque porrigeren-

rigerentur aut deciderent in publicas regiaſq; uias, uſumfructum uendebat. Ariſtot. in Oeconom.

IDEM militum, ſi quis moriebatur, elationem corporis drachma uendebat: neq; eum fallere duces poterant, cùm quiſpiam militum è uita emigraret. Idem.

HIPPIAS Athenienſis eminentias ſuperiorum tabulatorum in uiis publicis, & aſcenſus & præſtructiones, & portas, quę aperiebantur foris, uendebat. Comparabant igitur ij quorum poſſeſſiones erant, ſicq; collectæ ſunt pecuniæ multæ. Quicunq; etiam nauis præfecturam habere, uel tribunatũ, uel impenſas ſuppeditare, aut aliquam aliam publicam curam gerere deberent: iis precium Hippias ponens moderatum, pręcipiebat, ut is qui uellet id precij perſoluere, deſcriberetur inter publicos adminiſtratores. IDEM ſacerdoti Palladis, quæ degebat in Acropoli, præcepit, pro quolibet mortuo menſuram afferre ordei, & alteram menſuram tritici, & obolum unum, atq; ſimili modo pro quolibet puerulo nato illud idem fieri iubebat. Idem.

IOANNES Giſcaleus, Giſcalæ patriæ ſuæ in Galilæa præfectus, latronum fautor, quæſtus cauſa talem fraudem excogitauit. Oleum omne, quod non à gentilibus Iudæis expreſſum eſſet, tanquam immundum extra fines exportari, & diuendi præcepit. Ipſe ſubornatis quibuſdam, numo Tyrio (q quatuor Atticos facit) quatuor amphoras emit, eodemque precio amphoræ dimidium Iudæis iterum uenundabat. Eo aſtu magnam pecuniæ uim corraſit. Ioſephus lib. 2. cap. 26. Belli Iudaici.

C. Graccho interfecto, eius caput à SEPTIMVLEIO L. Opimij coſs. amico relatum, ſeptendecim libras & ſemiſſem appendit: quòd fraude accidit, plumbo in caluam cerebro exinanitam infuſo. Tantundem namq; auri edicto conſulis propoſitum erat huic, qui Gracchi caput retuliſſet. Sab. lib. j. Enneadis 6.

Apud Plautum LENO quidam in Pſeudolo conſulit: Eme die cęca herclè oleum, id uendito oculata die: iam Hercule uel ducentæ fieri poſſunt præſentes minæ. Hoc eſt, eme nõ pręſente pecunia, ſed in diem pacta: reuẽde pecunia præſente.

HELII cuiuſdam aſtum, qui è loquacitate ſua quęſtum faciebat, detegit Martialis Epigram. lib. 1.

Quòd clamas ſemper, quòd agentibus obſtrepis, Heli,
Non facis hoc gratis, accipis ut taceas.

GVLIELMVS Conquæſtor Angliæ rex, ciuitates, epiſcopatus, cœnobia immunitatibus priuauit, ut eas pòſt ab ſe carius redimerent: ac inter cætera ſanxit, ut tempore belli, arbitrio principis, auxiliũ ferrent. Et quia per uim, & iure belli regnum ceperat, illius ſtatum idcirco deintegrò collocare ſuo iure uoluit. Itaq; legem tulit agrariam, qua ſe poſſeſſionum multarum ſimiliter urbanarum ac ruſticarũ dominum dixit, quò priores domini eas poſtea redimerent: quarum bonæ partis proprietatem retinuit, ſic, ut qui in poſterum tempus poſſiderẽt, uelut fructuarij in ſingulos annos; aliquid uectigalis ſibi & deinde ſucceſſoribus, dominij cauſa perſoluerent. Sed excepit præſcripto caſus aliquot, quib. eiuſmodi fundi ad ſe tanquam dominum redirent. Et id iuris uoluit alios dominos in ſuos habere fructuarios, quos Tenentes uocant. Ex hoc nempe fonte res agraria manauit, quæ adeò aucta eſt, ut paulatim magnam impoſuerit fundis ſeruitutem. Vnde fit, ut nihil hodie penè incertius ſit in Anglia ipſa agrorum poſſeſſione, nec aliunde plus litiũ exiſtat. Polydorus lib. 9.

Circiter annum Salutis humanæ MCCLXXIX. EDOVARDVS I. Anglorum rex pecuniæ egens, rem ex ſuo uſu nouam excogitauit. Nam quotquot poſſeſſiones urbanas ruſticaſúe Angli habent, aut coluñt, ex inſtituto à Gulielmo Normanno Angliæ rege introducto, perpetui uel ad tempus fructuarij cenſentur, qui uſumfructum capiant, quãdo ipſarum poſſeſſionum proprietas ad certos pertinet dominos, quibus in annos ſingulos poſſeſſores, ut proprietatis ſignum, neſcio quid aut ſoluunt, præſtántue, ſeu penſionẽ reddunt: ſic, ut poſſeſſiones aliæ ad tempus locatæ, uel in perpetuum datæ, nonnullis de cauſis, quæ municipalib. legibus excipiuntur, crebrò ad priſtinos dominos redeant, ac ab illis deinde uel aliis colonis locentur, uel uenditentur, ſeu priorib. poſſeſſoribus ſoluta redemtione confirmentur: quod prædiorum genus Anglicè Acopyholde dicitur. Si uerò poſſeſſiones liberæ ſint, ea ſeruitute carẽt, pro quib. penſio iure tantùm dominij debetur domino. Igitur rex cùm eſſet bene multarum poſſeſſionũ princeps dominus, & nõ ignoraret tabulas ſiue ſyngraphas, quas uulgò Euidentias aut Copias uocant, partim ob temporis longinquitatẽ, partim ob aſſiduas bellorum iniurias, aut conſumtas, aut amiſſas eſſe: publico edicto iuſſit, uti omnes prædiorũ urbanorum ſiue ruſticorum poſſeſſiones docerent, quo iure, quóue nomine illa retinerent: ut per hũc modum, poſſeſſiones ad ſe dominum pertinentes conſtituta auctione, aut uenderentur, aut redimerentur. Viſum eſt omnibus edictum eiuſmodi poſt homines natos longè acerbiſſimum. Nonnulli de plebe homines nequaquam cõtra regia iuſſa uenire audentes, quibus poterant rationibus ſuarum iura poſſeſſionum comprobabant: quæ eò minus admittebantur, quòd nulla ex tabella conſtarent. Eſt ita cum multis de tali negotio diſceptatum, donec Ioannes Varanius Comes Surræ, unus de multis homo popularis, uidens regem ad prædã faciendam iam expandere rete, & neminem unum eſſe, qui reclamaret, ſibi actioni tam acerbæ intercedendum ſtatuit. Itaq; citatus coram magiſtratibus, quos Iuſtitiarios dicunt, comparuit: interrogatuſq;, Ecquo iure poſſeſſiones retineret? educto repente gladio, Hoc inquit, iure prædia auita poſſideo, hoc quoq; eadem defendam. Nõ nemo, quod nõ abhorret à uero, tradit, cõmiſſa rixa, Comitẽ occidiſſe Alanum unum ex magiſtratibus. Cæterùm ubi id facinus rex reſciuit, ueritus ne ſeditio fieret, ab incepto deſtitit. Polydorus libro decimoſeptimo.

Nundinationum eccleſiaſticarum exempla aliquot Volaterranus lib. 22. Anthropologiæ recenſet.

### ARTIVM OCCVLTARVM VENDITAtione, oſtentatione, pollicitatione.

Eſt Magnetis genus quoddam, quo illita acus, citra omnem dolorem uulnus facit. Eius rei periculum in ſeipſo ſe feciſſe Cardanus teſtatur lib. 7. de Subtilitate. Addit & illud, ALEXANDRVM quendam Veronenſem circumforaneũ, pueros ſeruoſq; ſuos abſq; ſenſu gladiis hoc lapide perfrictis uulneratos noctu, mox coram populo oleo oliuarum, cui ſarcocollam permiſcuerat, uel thus, uel aloen, ne ſimplex oleum eſſe uideretur, infuſo, maximum feciſſe quæſtum, ꝙ plebs oleo tantas ineſſe uires crederet, cùm id tamen ex natura uulneris eſſet, quod hac ratione inflictum per ſe etiam coit, oleo nihil uel parum conferente.

Erneſtus Marchio Badenſis Chymicis magnoperè delectabatur: ſed impoſturis Chymiſtarum ſæpè circumuentus, artẽ uti uanam & ſophiſticam odiſſe cœperat: iuramento etiam interpoſito, nunquam ſeſe ampliùs utiq; Chryſopœo quicquam crediturum. CHYMISTÆ duo ſocietate inita ſic inter ſe paciſcuntur, ut alter auri conficiundi rationem ſe habere profiteretur: alter ſub circumforanei mercatoris ſpecie inter cętera exotica, ſcobem auri nigerrimam pro lunariæ cuiuſdam puluere uenderet. Prior Marchionem conuenit, promiſſis magnificis, licèt dira minitantem, ni uera proderet, circũuenit. Paratur fornax, carbones, crucibula, mercurius. Marchio præſens adeſt, circumit, circumſpicit, fraudem aliquam deprehendere ſatagit. Conſtitutis ritè omnibus, Chymiſta, inquit, Res nobis deeſt unica, quam niſi tu, princeps, in promtu habes, à pharmacopœo quouis, uel rhizotomo circumforaneo petas licet. Quid id eſſet, interrogante principe: Res, inquit, à doctoribus appellatur, uoce ut uidetur Arabica. Nihil hîc monſtri alo: ſi quis in uicinia ſit circumforaneus, non repugno, ab eo ſanè petatur. Commodũm interea ſocius ſub rhizotomi habitu ad portas arcis merces ſuas expoſuerat. Accurrit principis iuſſu puer, puluerem Res dictum petit. Expromit alter ex obſoleta pyxide puluerem pro uno ſolido, tanquam rem uiliſſimã, addito etiam ſuperpondio. Eum puluerem mercurio inſpergit Chymiſta. Princeps colorem admiratur, obſtupeſcit, prę gaudio exilit. Maſſa eximitur, auri momentum habere deprehenditur, quantum uidelicet pulueris impoſtor ille iniecerat. Princeps ſolus remotis arbitris ipſe ſuis manibus denuò facit periculum, necdum dolum deprehendit. Tandem Chymiſta dementato principi redire pollicitus, & non ſpernendo donatus munere, diſceſſit. Marchio ad ſuam reuerſus chryſopœiam, puluere propè abſumto, cùm eum fruſtrà in omnib. uicinis pharmacopoliis quæſiuiſſet, reſiduo ad ignem explorato, auri ſcobem eam eſſe, atq; adeò à callidiſſimo nebulone ſibi egregiè illuſum, nõ ſine rubore cognouit. Hieremiæ Mederi Acroama.

LATOMVS quidam Batauus lupi ſtercus clam in præſepibus abſcondebat. Pecudes eius odore territæ, ueluti in furorem agebantur. Ille, cùm ſe incantationum remouendarum artificem profiteretur: remoto clam ſtercore, malum amoliebatur, & quæſtum inde faciebat. Vierus lib. 4. c. ult. de Præſtigiis dæmonum.

### STIPE. MENDICI ASTVTI.

Exercuerat IVDÆVS quidam ſub Arcadio impoſtor eiuſmodi fraudem, ut cùm rebus neceſſariis indigeret, Chriſtianiſmum ſubitò ſimularet, & baptiſterium peteret: qua impoſtura pacunias multas à Chriſtianis extorquebat. Cumque hac arte pluribus impoſuiſſet hæreſibus, tandem etiam ad Paulum uenit, Nouatianorum epiſcopum Conſtantinopoli, obſecrans ut baptiſmatis lauacrũ ſibi impertiret. Paulus poſt traditam Iudæo doctrinam de fide, & completos ieiuniorum dies, in quibus omnibus præter animi ſui ſententiam epiſcopo Iudæus obſequebatur, paratis quæ ad baptiſmum



neceſſaria erant, coëmta etiam ſplendida ueſte, ad baptiſterium eum ducit, tanquam baptizaturus. Sed miraculoſo planè modo, aqua infuſa in colymbęthram ſubitò euanuit. Cumq; ad canalem inferiorem, per quem & aliàs aqua emitti ſolebat, deſcendiſſe ab epiſcopo & adſtantibus omnibus putaretur, iterum canali & meatibus diligenter obſtructis, infuſa aqua euanuit. Tum Paulus, Aut impoſturam, inquit, committis homo, aut baptiſmum iam antea cõſecutus es. Facto itaque miraculi gratia concurſu, Iudæum quiſpiam cognouit, & uidiſſe ſe eum baptizari ab Attico epiſcopo confirmauit. Socrates lib. 7. cap. 17. Meminit miraculi eius Sigebertus ſub anno Chriſti 416.

Ioannes Alexãdrinus patriarcha, Eleemoſynarius dictus, cùm aliquando mẽdico, ſibi obuiam facto, ſex numos diſpenſatorẽ dare iuſſiſſet: ILLE acceptis diuertit paululum de uia, & progredientium præuertens ueſtigia, geſtu habituq; alium mentitus, alios ſex accepit, quòd talem nactus eſſet datorem, qui etiam deprehenſa fraude manum poſcenti ſubtrahere neſciret. Et iam tertiò pari aſtu uſo, cùm patriarcha duplicatam pecuniam numerari præcepiſſet, ſucclamare diſpenſator in malitiam hominis cepit. Conuerſus uerò Ioannes, Tace, inquit, fili: nam fortaſſe hic dominus noſter eſt Ieſus Chriſtus, periculum noſtri faciens, an tãdem offenſi crebris repetitionibus, ceſſaturi ſimus miſereri. Simeon Metaphraſtes Tomo 5. in uita Ioannis.

Neomagi apud Geldros quidam mẽdicus, nomine IVSTVS, ut iuſta occaſione pecuniam emendicaret largiorem, ante templi fores decubuit, dæmonij in ſe dominium ſimulans. Nam perpetua inquietudine exiliebat, concidebatq; iacenti uẽter: interdum & fugam minacem, inſultum uiolẽtum, & toruam faciei inuerſionem fingebat. Cuſtodes latus utrinque claudebant, eius coniunx & ſcortum: quæ proſilienti renixæ, ferramentis appoſitis eum coërcendum mentiebantur: interea oratione mendicorum rhetorica oppidò inſtructæ, ſtrenuam nauabant operam, ut eleemoſynam à populo die Dominico elicerent uberiorem. Tandem in doloſi machinamenti opinionem uenit magiſtratus. Adhibiti lictores, qui à cœmiterio diſcedenti, ſub prandio, quo tempore ab hominum frequentia hic tutus eſt locus, manus iniicerent. In uinculis artem confeſſus eſt, qua uẽtrem, ut pro ſuo nutu exundaret ſubitò, relaberetur q; continuo uortice, coëgiſſet. Priùs obice altiùs podici indito, & multo butyro ſimul deuorato, quo antea obliniebantur præmuniebanturque uentriculus & inteſtina aduerſus uim hydrargyri deleteriam, argentum uiuum deglutiebat, quod ſuo põdere ex uentriculo per pylorũ in inteſtina ferebatur, ubi ob peſſum oſtio obditum, præciſa erat exitus uia. Quare quum uehementer id humidũ ſit, & tenuium ualde partium, ac cognita mobilitate inquietiſſimum, quanquam à calore naturali excitatum, non tamen ob inteſtinorum butyro inunctorũ anfractus euaporare (etiamſi ea fuiſſet caloris uehementia) potuit. Hinc ciebatur ualida illa uentris perturbatio, & iactus inæqualis, quam augebat uehemens & uoluntaria uentris ſucceſſatio, illæſis interim ob præſumtum butyri antidotũ partibus interioribus. Stipe autẽ collecta, & arbitris ſemotis, inquietum dęmonem, captiuum quippe Mercurium, extracto peſſulo liberabat. Decimo poſt editum hoc ſpectaculum die, propter latrocinium quater patratum, Germanica punitione rotæ impoſitus, horis duabus pòſt deſcendit, eodem tamen repoſitus die, ſtrangulatuſq;. Vierus lib. 3. cap. 24. de Præſtigiis dæmonum.

IOANNES, Pater nomine, Germanis Hans Vatter dictus, natus in pago Mellingen, medium miliare diſſito à Thuringorum Vimaria, bubulcus, triennium per celebres aliquot Germaniæ ciuitates uagatus eſt, ſimulans ſe ipſis diui Ioannis feriis hora matutina, quum boum curam gereret, à Nicolao Gottel, poſtea ob ſua flagitia Vimarię exuſto, incantatum, pane aſſumto cyaneo ex ſextuplici ſanguine confecto, nimirum infantis nondum baptiſmo initiati, ſerpentis, bufonis, echini, uulpis ac lupi, ut duodecim annis atrociter à diabolo diuexaretur. Hoc Nicolaum in carceribus confeſſum aſſeuerabat. Hinc dæmonem excruciaſſe ipſum multiuariam ait, ac tam ſtrictè mõmẽto colligare manus ſæpè in tergo uinculis ex pilis equinis & ſericeis laciniis intortis, ut niſi mox eorum inciſione laxaretur; ſanguinis ſubſequeretur eruptio. Coarctabatur enim ſingulari artificio ligaturæ nodus inexplicabilis. Ac antea præ angore ſanguinem è ſiniſtra aure atq; ore frequenter effluere querebatur: & inter reliqua, ſemel Mansfeldię in aëra euectum ſe, & ualido uento Halam ultra muros tranſlatum, ibiq; catenis argenteis colligatũ fuiſſe narrabat: item Bornæ, ubi in turre incluſus, ut nonnihil à diaboli torturis leniretur, atq; ab eius laqueis tutus conſeruaretur, per foramen anguſtum craſſi fornicis à diabolo perruptum, ſe induſio ſolummodò tectum, à dæmone extractum fuiſſe, atque in uaſtam traductum ſolitudinem: ſed quomodo, ſe neſcire: atque ibi tres noctes ſine ulla cibatione humana peregiſſe. Addidit quoque, ſe catenis ferreis crebrò à dæmone conſtrictum fuiſſe circum corpus, pedes & collum: ac ſemel ita in patibulo ad hoc ſpectaculũ à ſatana ex ingentibus lignis cõſtructo, in quodam horreo alligatum fuiſſe. Admiranda quoq; phantaſmata, apparitiones & ſpectra annexuit, nec omnia enarrare breuibus ſe poſſe inquit: ſed cuncta ordine, uelut ſeriem hiſtoricam, conſcripta eſſe, tandemq; per typographiam lucem uiſura, ut mundo innoteſceret, quãta crudelitate pluriuariam à dæmonio excrucietur, dilanieturq;. Nec prætermiſit ſuum in orando, concionibus ſacris audiẽdis, & communicatione ſacramenti corporis & ſanguinis Domini ſingulis quatuor ſeptimanis, ſtudium. Ad reſipiſcentiam quoq; ut populum hortaretur, ſe impelli affirmabat. Poſt diutinam huius tragœdiæ oſtentationem, Norimbergam tandem uenit: ubi iiſdem uſus technis, à Senatu obſeruari, ſemotis cuſtodiis ſolitis, iubebatur. Et licèt primùm abitionem urgeret; deſperationem deinde ſimularet, & neſcio quę non comminiſceretur ad artis ſuæ fucum: eò tamen ad extremũ redactus eſt, ut ſe nunquam à diabolo ligatum fuiſſe, ſed ſibiipſi laqueos à ſe paratos, celeriter ſemotis arbitris iniecisſe, ubi item eorum materiem ſuffuratus fuiſſet, fateretur. Vinciendi etiam ſpecimẽ oſtendebat liberè: & ſuctu ſanguinem ex gingiuis extractũ fuiſſe narrabat, quẽ quoq; manu quàm ocyſſimè in aurem ſeorſum inſtillabat. Reliqua item enarrata miracula, mera fuiſſe mendacia faſſus eſt: uniuerſamq; huc ſpectaſſe fabulam, ut inde rem faceret. Quapropter ob facilem, nec extortam confeſſionem, ſententiam Senatus mitigauit, reumque publico palo in ſpectaculum & irriſionem ad horæ dimidium alligatum, exilio puniuit, nono Maij, anno 1562. Vierus lib. 3. cap. 24. de Præſtig. dæm.

### MVTVO, DEPOSITO, FIDEICOMMISSO.

DIONYSIVS tyrãnus iuſſit apud ſe deſcribi pecunias, quotquot eſſent familię orphanorum. Deſcriptis autem cunctis, illorum bonis utebatur, quouſq; ad ętatem quiſq; perueniſſet. Ariſt. in Oeconomicis.

Solon cùm in animo haberet æs alienum tollere, ac tabulas nouas (ea enim ſpecioſa appellatio erat inciſi æris alieni) ferre, conſilium ſuum ad AMICOS retulit: qui rem iniquiſſimam perpetrarunt. Siquidem præuerterunt grande æs alienum conflare. Ita lege breui pòſt promulgata, palàm fuit, ſplendida hos ædificia & agros ex nominibus, quæ fecerant, comparaſſe. Interim malè audiuit Solon, quaſi circumueniret ciues, cùm eſſet ipſe circumuentus. Plut. in Præceptis politicis.

Cùm Alexander Magnus, uicta Aſia, uno die de ſuo æs alienũ exercitus creditoribus diſſoluiſſet: ANTIGENES luſcus obæratum ſe ſimulans, falsò nomen dederat, adducto que certo ad menſam, qui affirmaret, ſe ei dediſſe mutuò, repręſentauit ei pecuniam. Sed comperto mendacio rex exarſit, ſummouitq; eum aula, atq; præfecturam ademit. Plut. in Alexandro, & Diod. lib. 17.

GALLI neminem in ciuitates ſuas admittebant, niſi qui pecuniam mutuò dediſſet, quæ apud inferos redderetur. Valer. Max. lib. 2. cap. 1.

CHII, cùm illis eſſet lex, deſcribi debita in publico, & pecunia indigerent: ſtatuerunt, ut debitores quidem ciuitati debita aſſignarent, ciuitas uerò de reditibus uſuras fœneratoribus diſſolueret, quouſq; ad antiquum diteſceret morem. Ariſt. in Oeconomicis.

IASON Theſſalus fratrem Polydorum ad ciuitatem iam capiendam adduxit, ut ſpolia diuenderet: cumq; tempus eſſet balnei, fratrem monebat; ut uehementer ſibi corpus fricaret & exerceret. Qui cùm ritè & aptè fricare conaretur, Iaſon ſimulans anulum, quem frater digito geſtabat, ſibi moleſtum eſſe, cum inter fricãdum iuſſit deponere. Polydorus abſtractum è manu, uiro cuidã fido ex iis, qui fortè aderant, conſeruandum dedit. Huic autem iniunctũ erat, ut feſtinanter ad uxorem Polydori curreret, datoq; anulo, decem auri talenta ab ea poſtularet. Illa mariti anulo fidem habens, cõfeſtim aurum dedit: cùmq; is, qui anulum à Polydoro acceperat, rediiſſet, tùm demũ Iaſon fricari deſiit. Polyæn. lib. 6.

IDEM, cùm bellum dextrè confeciſſet, dixit ad matrem, Dioſcuros manifeſtiſſimum ſibi auxilium præſtitiſſe; & ob eam cauſam uouiſſe, ſe pòſt uictoriam deos hoſpitio recepturũ. Vocaſſe autem ad conuiuium duces exercitus, & manipularios, atq; tribunos militum, omneſq;, qui aliquam dignitatem gererent. Illa fidem habens eius uerbis, quicquid habebat ornatus, poculorum, craterum, menſarum ex argento & auro, omnia miſit. Ex iis ille ſalarium mercenariis perſoluit. Polyæn. lib. 6.

Licinius libertus AVGVSTI, operibus patroni pecuniam largiter in ſubſidium præſtare conſueuerat. Cœpto opere, certam pecuniam ſcripto ei promiſit, literis numeros repræſentantibus. Animaduertit Cæſar aliquantulum ſpacij uacan-

tis. Illud propria manu, ſimilib. additis literis, impleuit, duplicauitq; ſummã, tã ſolerter, ut nulla ſuſpicio ineſſet. Agnouit tamen libertus, & promiſſi duplum ſoluit, tacuitq;, miſſo tantũ chirographo, in quo ſcriptũ erat: Confero tibi Domine ad noui operis impenſam quod uidebitur. Petrarcha.

CASTRVCIVS Caſtracanis, tyrannus Lucenſis, cùm diſpenſatorem ſuum, Lippum nomine, de ſuo locupletatum noſceret: non paruam pecuniã ab eo per ludum exigere cupiens, ſubmiſit qui ad eum tunc abſentẽ pergeret, & domini uerbis pecuniam flagitaret. Stetit in dubio diſpenſator, literas Caſtrucij non uidens, quamuis id uarietate negotiorum, quod in illo uiro ueriſimillimũ erat, omiſſum diceretur. Statuit tandem inconſulto Domino nihil agere. Cuius uoluntatem cùm per literas exquireret, ille ſcripſit tam ambiguis tamq; ſupplicibus uerbis, ut licèt ſuperficie affirmationem claram continere uiderentur, introrſus tamẽ ad utrumlibet flecti poſſent. In fine uerborum addidit: Vt petitã antè pecuniam numeres, omnino uolumus. Hoc autem tanta primæ literæ confuſione ſcriptũ erat, ut non magis Nolumus, quã Volumus legi poſſet. Lippus literas domini iubentis, cum uerbis nuncij petentis conferens, pecuniam numerauit. Interiecto tempore cùm rationem redderet, negabat Caſtrucius iuſſu ſuo traditam pecuniam. Lippus literas manu eius ſcriptas proferebat. Caſtrucius illas relegens, ſuas quidem non negare, ſed omnia aduerſus illius ſententiam interpretari. Et cùm ad finem perueniſſet, ſine ulla hæſitatione Nolumus legit, & non Volumus. Intellexit ludum Lippus, & ſubridens ſiluit. Petrarcha.

Friburgenſes in Nuithlandia, Auſtriacorum ducum tyrannide oppreſſi, cum Bernẽſibus ſe coniunxerant, & iam ad fœdus Helueticum ſpectare uidebantur. NOBILES in urbem ingreſſi, ducem aduentare ſimulabant, eumq; ſe magnifico ſuſcepturos epulo profitebãtur. Mutuò igitur à ciuibus uaſa & pocula argentea ſumentes, ea clàm aſportarunt. Mox ducis aduentu nunciato, extra urbem egreſſi, & ab equitatu ſuorum excepti, cõuerſi ad ciues, Vos urbem Heluetiis pro arbitrio tradite, inquiunt, nos argentum ueſtrum duci. Qua iniuria irritati Friburgenſes, Heluetiorum fœderi ſeſe coniunxère A.D.1481. Stumpfius.

Tres nebulones, interuerſis patroni mercibus, Senas confugerant, & trapezitę ad octo millia aureorũ commiſerãt, quos non niſi præſentibus tribus, cùm uellent, numeraret. Vnus illorum ſocios pecunia omni exuere ſtudens, trapezitam adit, & de emendo prędio conſilium ſuos cepiſſe ait. Hinc ſocios monet (quos animi cauſa rus profecturos ſummo mane nouerat) opus eſſe LXX aureis in communes expenſas. Illi cùm tempore urgerentur, manè trapezitam pecunias ſocio tertio depromere iubent, de LXX intelligẽtes: cùm trapezita de tota ſumma intelligeret. Qua accepta, illicò ſe ſubduxit tertius. Reuerſi duo, trapezitam ipſum in ius uocant. At Arlotti Plebani Florentini ſolertia à iudicib. abſolùtus fuit, pronunciantib. ex pacto trapezitã non niſi trib. præſentib. pecuniã creditã reſtituere debere. Auctor uitę Arlot.

**☙ MONETÆ ADVLTERIO.**

HIPPIAS numum, qui Athenienſibus in uſu erat, fecit improbum: & precium ponens, iuſſit ad ſe ferri. Cùm autem conueniſſent ad ſignandam pecuniam nouo charactere, dedit idem argentum. Ariſt. in Oecon.

DIONYSIVS Syracuſanus, numum percuſſit è ſtanno, & cõcionem uocans, multa ſuper laudato numo dixit. Illi uerò decreuerunt, quamuis etiã nollent, ut quiſque haberet tanquam argentum, non autem tanquam ſtannum. Ibidem.

IDEM à ciuibus accipiens pecunias, ea lege ut illas reſtitueret, cùm ab eo repeterent, iuſſit ad ſe afferri, quantum quiſque poſſideret argenti, alioqui mortis multam indixit. Delato argento, numum percuſſit nouo charactere, deditque drachmam duarum drachmarum ualore: ſicq; debitum penes ipſum remanſit. Ibidem.

Κέρματα, Aera minutiſſima dicuntur à Græcis. Cùm argentarij ſtaterem aureum 210 obolis, quos pholles uocant, commutarent: IVSTINIANVS Imp. priuati emolumẽti ſtudio tantùm 180 iuſſit dari, ſexta ſtateris aurei parte ſubtracta. Suid.

An. Sal. 1451. GEDANENSIS quidam patria, uir ſpecie honeſtus, ciuis Lubecenſis, longè extra prouinciam, etiam ultra Rhenum, falſum curabat excudi numiſma, quod in Pruſſiã deuehebatur. Hoc in Hungarico auro, hoc in argento deprehenſum. Atroci periit ſupplicio, bullienti caldario immiſſus. Cranzius lib. 12. Vandaliæ, cap. 15.

ZOCOLINVS quidam Mediolanenſis tabellam ex uero lapide (ueluti pro carbunculo ex carbunculo, pro ſmaragdo ex ſmaragdo) nitidã ac uilem ob tenuitatem ac coloris diluti accipiebat, cui coæqualem ac craſſam ex cryſtallo ſubiiciebat, glutinoq; quàm tenuiſſimè iungebat, interpoſito colore proprio, ut rubro ſplendido pro carbunculo, uiridi pro ſmaragdo, cæruleo pro ſapphyro: & ut rima lateret, auro claudebat, quò etiã ſuſpicio doli tolleretur. Vetitũ enim eſt in urbibus nobiliorib. gemmam adulterinã auro claudere. In hac fraude nihil, præter uenditoris auctoritatem, deſiderabatur. Rima latebat auro abdita, & ob tenuitatem color illuſtrem faciebat: ſumma ſuperficies, cùm ex genere eſſet ueræ gemmæ, nitorem proprium reddebat. Ita mirificus hic artifex, gemmariis etiã ipſis imponebat. Donec agnita fraude, cùm fuga ſibi conſuleret, exilio ab omnibus nobilioribus urbib. damnatus fuit. Gemma trium aureorum coronatorum, trecentis, perſæpè etiam longè pluris uendebatur. Agnita fraude, cùm deeſſet lucri immoderati & abſq; labore modus, ad adulterinæ monetæ inuentionẽ ſe conuertit, eoq; pœnas dedit, fruſtra intercedentibus pro eo gemmariis & aurificibus, magno cum opificum Mediolanenſium dedecore. Cardanus de Subtilitate lib. 7. de Lapidibus.

**☙ ADVLTERIO LITERARVM.**

NOTARIVS quidam Florẽtinus, adoleſcentẽ quendã adiit, petẽs, Nunquid ei ſatisfactum eſſet de quingentis florenis, qui olim patri per quendã iam defunctũ mutui cauſa debebãtur? Inſcius ille, negauit id debitũ in nominib. patris eſſe. Notarius id inſtrumento conſtare ab ſe facto aſſerens, iuuenem perpulit, ut numis redemto inſtrumento, apud prætorem debitũ peteret. Citatus filius eius, qui debitor dicebatur, negauit parentẽ unquã mutuò quicquã ab alio ſumſiſſe, cùm nihil de ea re (ut mos eſt mercatoribus) libris ſuis cõſtaret. Statimq; ad notariũ profectus, ut falſum hominem arguere cepit, qui quod nunquam eſſet actũ ſcripſiſſet. Tum notarius: Neſcis, fili, tẽporis illius acta, inquit, cùm nõdum natus eſſes. Pater quondam tuus eam ſummam mutuò ſumſit, ſed poſt paucos reſtituit menſes. Eius rei ego cõtractum feci, quo liberatus eſt pater. Ille pecunia data inſtrumẽtum redemit, & ea moleſtia liberatus eſt. Ita ab utroq; numos bella fraude contraxit. Poggius in Facetiis.

**☙ PECVLATV, FVRTO. FVRES, PIRATæ, Prædones aſtuti.**

Scriptum reliquit Lucianus in dialogo Apollinis & Vulcani, MERCVRIVM inſignem fuiſſe furem. Nam cùm paruulus eſſet infans à Vulcano ſuſceptus, inſtrumẽta fabrilia illi ſurripuit ex officina. Cupidinem eodem die natus palęſtra ſuperauit. Veneri, quæ ipſum ob uictoriam complexa fuerat, cingulum furatus eſt. Ioui ſceptrum abſtulit, fulmen quoq; ſurrepturus, niſi uim timuiſſet flammarum. Aiunt præterea hunc eodem die natum boues Admeti regis, paſcenti Apollini ſurripuiſſe, & irato eidem ob furtum, ſagittaſq; in eum paranti, pharetram euacuaſſe, ut ait Homerus in his:

> ἠῷος γεγονὼς μέσῳ ἤματι ἐγκιθάριζεν,
> ἑσπέριος βοῦς κλέψεν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος.
> Editur hinc mane, hinc citharam pulſauit: & idem
> Surripuit Phœbo uaccas mox ſole cadente.

Fabulantur Batto paſtori cuidam Mercurium uaccam largitum eſſe, ut taceret, qui ſolus furtum illud cognouerat. Deinde cùm hominis fidem uellet experiri, mutatis ueſtibus, duplici prẹmio pro indicando furto propoſito, inconſtantiam ac perfidiam Batti cognouit: eumq; in ſaxum indicem conuertit, ut ait Ouid. lib. 2. Metam. Eum quia ſurripuiſſet armẽtum, tanquam paſtorem deum coluerunt antiqui, ut aſſerit Pauſanias in Corinthiacis, quem & greges ſeruare, & augere poſſe putabant. Homerus in Hymnis:

> τοῦτο γὰρ οὖν καὶ ἔπειτα μετ' ἀθανάτοις γέρας ἕξεις,
> ἀρχὸς φιλητέων κεκλήσεαι ἤματα πάντα.
> Hunc ſuperos inter poſthæc retinebis honorem,
> Latronum princeps dicèris tempus in omne.

Natalis Comes Mythol. lib. 5. cap. 5.

Memoriæ prodidit Zezes hiſt. 202. Chil. 8. AVTOLYCVM Laërtis patrem, qui fuit auus Vlyſſis, omnium mortalium pauperrimum, artem furandi à Mercurio didiciſſe: quare ditiſſimus poſtea euaſit. Cùm optimum equum furatus eſſet, aſinum ſcabie corroſum pro illo reſtituit, effecitq; ut eum recipientes minimè id ſentirent. Alteri pulcerrimam ſponſam rapiens, anum edentulam reſtituit. In cõmutandis mercibus eandem ſeruabat rationem. Natalis Comes Mythol. libro 5. capite 5.

BELESIS Babylonius ſacerdos, Arbaci Medo prædixerat, fore, ut Sardanapalum regno Aſſyriorum eiiceret. Id cùm ita eueniſſet, Arbaces præmij loco Beleſidem Babyloniæ præfecerat. Sed & quidã olim Sardanapali eunuchus, clàm ad eum ex regia magnã copiam auri argẽtiq; detulerat: quam ut auerteret, ac nauibus tranſportaret, quod ſine ſuſpicione facere non poterat, finxit dum res adhuc in incerto eſſet, uouiſſe ſe, ſi regia ſimul cum Sardanapalo conflagraſſet, cineres ex ea ſe Babyloniam delaturum, aggeremq; propter Beli templum erecturum, quò regni deleti Aſſyriorum perpetuum monumentum ab omnibus per Euphratem nauigantibus cõſpiceretur. Arbaces, qui putabat omnia ſimul cum Sardanapalo conſumta, facilè conceſſit Beleſidi, ut naues præpararet uehendis cineribus, atq; ut omni ad eam rem immunitate uteretur. Sed cùm hoc prætextu innumeram



auri argentiq; ſummam eum tranſuexiſſe, Arbaci denunciatum eſſet: iudices ei conſtituit, qui de hoc facto cognoſcerent. Beleſis nihil negare auſus eſt. Quare à iudicibus capite damnatus eſt. Vtiq; enim regiam prædam, ad regem pertinere: neq; ipſum Beleſidem, quòd eam furtim ſubduxit, aliter iudicaſſe. Babylonia præfectura abundantiùs ei ſatisfactum, quàm ut etiam per fraudem & machinationem aliis & tantis muneribus inhiaret, quibus ut neruis totum diu Imperium ſuſtineri potuit. Regem præterea circumuenire & fallere, ſacerdoti præſertim ac religioſo uiro, uel hoc ſolum capitale eſſe. Attamen rex magni uir animi, cupiens regni principia humanitate ac clemẽtia firmiora reddere, nõ modò Beleſidi pœnam remiſit, ſed & aſportatum aurum argentúmue dono dedit: Præfecturam, quam ei antea dederat, habere iuſſit, cùm diceret, Maiora illius eſſe erga ſe beneficia, quàm malefacta. ſed iuſtitia priùs, tum miſericordia uti uoluit. Aerodius ex Diod. lib. 2. cap. 7.

Rhampſinito II. Aegyptiorum regi poſt Proteum, narrant ingentẽ pecuniarum uim fuiſſe, quã nemo regũ, qui deinceps ſecuti ſunt, ſuperare potuerit, ac ne proximè quidẽ accedere. Et cùm in tuto eam pecuniã collocare uellet, ædificium extruxiſſe lapideum, cuius parietũ unus in exteriorem ædiũ partem pertingebat: ſed ſtructorẽ inſidiantem, unũ è lapidibus ita ſtruxiſſe, ut è pariete facilè tolli à duob. uiris, atq; adeò ab uno poſſet. Aedificio abſoluto, rex in eo pecuniam repoſuit. Interiecto tẽpore, ARCHITECTVS ille, cùm eſſet uita exceſſurus, uocauit ad ſe filios duos, eiſq; narrat, ſe illis proſpicientẽ, ut affluenter uitã degerent, aſtutè ædificaſſe regis ærariũ: deniq; omnia illis expoſuit planè, mẽſuráſq; ad lapidẽ amouendum docuit. Patre uita functo, filij rẽ aggreſſi, multas pecunias expilarũt. Rex cùm integra ſigna cerneret, & ærariũ obſeratũ, laqueos aptè diſpoſuit, ut ſi quis manus immitteret, caperetur. Fures redeunt, immiſſa manu capitur unus. Is alterũ rogat, ut caput ſibi abſcinderet, eoq; ablato, cadauer ſolum relinqueret. Paruit ille. Vbi dies illuxit, ingreſſus in ædificiũ rex, corpus furis in laqueo ſine capite inuenit, & ędificium incorruptum. Verùm ut cuiúſnam hoc cadauer eſſet cognoſceret, cadauer è muro ſuſpendi curauit: cuſtodeſq; illic appoſuit, ut ſi quem plorantem aut miſerantem animaduertiſſent, eum ad ſe perducerent. Suſpenſo cadauere, mater indignè tulit filij mortem: allocutaq; filium, qui ſupererat, impetrauit, ut quacunq; ratione machinari poſſet, corpus fratris ſolueret aſportaretq;. Id ſi negligeret, minabatur, ſe regẽ eſſe aditurã ad eum indicandum, quòd pecunias regias haberet. Filius aſinis utres uino plenos impoſuit, & eo loci, ubi cuſtodes agebant, dedita opera utres ſoluit, ita ut uinum in terram proflueret. Iratus ille aſinos cædebat. Cuſtodes accurrunt, & uinum excipiunt. Quod cùm ille ſeſe indignè ferre ſimularet, tandem tamen mitigatum ſeſe finxit, atq; adeò uino ex integris utribus illos donauit. Cuſtodibus uino ſomnoq; obrutis, nocte intẽpeſta fratris corpus matri ſuæ domum retulit. Rex interim ſpe ſua deluſus, cupiens quoquo modo inuenire, quíſnam eſſet iſta machinatus, filiã ſuã domi proſtituiſſe dicitur, iuſſam omnes indifferentes excipere: ſed priuſquã coirent, adigere ad ſibi dicendum, Quídnam in uita eſſet actum à ſe ſolertiſſimum & ſceleſtiſſimum? & quæ narraret quæ circa furem acta eſſent, eum comprehenderet, neq; exire permitteret. Cum itaq; filia patris imperia faceret, fur cupiens eludere uerſutiã regis, hoc egit: Recentis mortui amputatam ex humero manũ ſub pallio ferens, ingreſſus ad filiã regis, cũ interrogatus eſſet eadẽ, quæ cæteri, enarrauit, ſceleſtiſſimũ ſe perpetraſſe, quòd fratris in ærario regis laqueo capti caput amputaſſet: ſolertiſſimum aũt, ꝙ cadauer fratris ſuſpenſum reſoluiſſet, cuſtodibus priùs ebriis factis. Illa cùm hæc audiſſet, manum iniecit. At fur in tenebris manum mortui porrexit. Quam mulier cùm apprehendiſſet, manum ſe furis tenere rata, fur per fores ſe proripuit, muliere deluſa. Poſtquam & hæc renunciata ſunt regi, tum aſtutiam, tum audaciam hominis ſtupuit. Ad extremum dimiſſis per omnes urbes nunciis, edixit nõ modò ueniam, ſed etiam magna munera manere furem, ſi in conſpectum ipſius ueniret. Fur fide habita, ad eum uenit. Rhampſinitus igitur magnã uiri admiratione ductus, filiam ſuam ei locauit, tanquam ex omnibus mortalibus plurima ſcienti: quòd Aegyptij quidem cæteris, hic autem Aegyptiis omnibus calliditate ſuperior eſſet. Herodotus lib. 2.

Apud Ninum Aſſyriorum urbem FVRES quidam magnam uim pecunię Sardanapali, qui Nini rex erat, in theſauris ſubterraneis abſtruſam, compilare cùm conſtituiſſent, à ſuis domibus fodere exorſi ſunt, dimenſi uiam ſub terra ad regias ædes, eamq; humum è cuniculis effoſſam, ubi nox aderat, in flumen Tigrim (qui Ninum præterfluit) exportabant, donec id quod optabant, perfecère. Herod. lib. 2.

TROPHONIVS & AGAMEDES, Ergini Minyorum regis filij, ſolertia in deorum templis & hominũ regalibus tectis ædificandis præſtãtes, erexerant Delphis Apollini templũ & Hyrieo ærarium. In eius pariete lapidem unum ita collocarant, ut extrorſum eum, cùm uellent, adductum eximerẽt. Quoties itaq; libitum eſſet, clàm introeuntes, aliquid repoſitæ pecuniæ auferebant. Hiryeum ea res uehementer ſolicitum habebat: præſertim cùm & claues & ſigna cætera incorrupta cerneret, pecuniæ tamen numerum quotidie imminui animaduerteret. Ad uaſorum igitur ora, in quibus erat repoſita pecunia, laqueos diſpoſuit, uel aliud quid eiuſmodi, quo ſimulac pecuniam quis eſſet attingere conatus, captus teneretur. Ingreſſus itaq; Agamedes, in uinculis hæſit. Trophonius fratris caput ſtatim pręcîdit: ueritus nempe, ne cùm illuxiſſet, per tormenta quæſtione habita, & ipſe ab illo, quòd furti fuiſſet ſocius, indicaretur. Trophonius eo ipſo in loco terræ hauſtus eſt hiatu, quo extat in luco, qui eſt Lebadeæ, ſpecus, qui Agamedis dicitur, columna ſuperemi nente. Trophonio diuini honores propter diuinationẽ ſunt habiti. Pauſanias in Bœoticis.

Ferunt EVRYBATEM furem, dum in carcere cuſtodiretur, iuſſum à cuſtodibus compotantibus ſpecimen edere ſuæ ſolertiæ in ædibus conſcendendis: initiò recuſaſſe, ac uix tandem aſſenſum, ſpongiis & retinaculis ferreis expeditis, per muros curſim aſcendiſſe: dumq; illi mirabundi ſuſpiciunt, ſuperato tecto, priùs quàm illi circũdare ædes poſſent, deſiliſſe de ædibus. Suidas.

Corycus mons eſt Pamphyliæ præcelſus ac portuoſus, atq; ob id PIRATARVM inſidiis oportunus, quos ab eo monte Corycæos uocabant. Hi nouam inſidiandi rationem excogitarant. Siquidem diſperſi per portus Coryci montis, miſcebant ſeſe negotiatoribus, ut quiſq; fortè appulerat, ſubauſcultantes, & quid rerum portarent, & quò nauigare deſtinaſſent, deniq; quo tempore decreuiſſent ſoluere. Quę ſimul atq; cognouerant, renunciabant piratis, cum quibus ſocietatem maritimorum latrociniorum exercebant. Atq; ita per occaſionẽ ſimul adorti, nauigantes ſpoliabant. Quæ res ubi mercatoribus eſſet comperta, pleraq; occultabant, ac diſſimulabant, inſidiarum metu. Sed cùm ne ſic quidem laterent, ſubodorantibus omnia Corycæis, res in prouerbium abiit, τούτου κωρυκαῖος ἠκροάζετο, id eſt, Hunc Corycæus auſcultauit: de re uehemẽter diſſimulata, deprehenſa tamẽ. Suidas ait, Corycon Pamphyliæ promontoriũ eſſe, cui ſubiecta ſit urbs Atalea. Eius urbis ciues, ne uexarentur ipſi à prædonibus, qui ſeſe in promontorij arcem receptabant, per alios portus diſſipatos ſubauſcultauiſſe, quínam appuliſſent, & quò tenderent, eaque prædonibus renunciaſſe. Eraſmus in Chiliadibus.

Lyſander Lacedæmonius, captis Athenis, pecuniã ingentem coëgit. Xenophon quadringenta ſeptuaginta argenti talenta fuiſſe prodidit. Plutarchus auctor eſt, ante ſuum reditum per GYLIPPVM, qui in Sicilia paucis antè annis Athenienſes uicerat, domũ ab Lyſandro miſſam. Qui ſacculos haud reſignare auſus, ne confuſis ſignis manifeſti peculatus conuinceretur, latera diſſuit, atq; ex ſingulis parte aliqua ademta, multa diligentia reſarſit. Id furtum præter chirographũ, quo ſignificabatur, quantum pecuniarum in ſingulis eſſet, ſerui quoque indicio eſt proditum. Prædicabat ille, flagitij conſcius, ſub herili tecto plurimas noctuas cubare. Conſtituit ſibi ſceleris conſcius Gylippus uoluntarium exilium. Sabellicus lib. 9. En. 3.

Tres Germani MILITES hyeme iter facientes, Fuldenſis cœnobij procuratorẽ obuium de honorario munere, pro more ſuo, interpellabant. Ille ſanctè deierare, nullas ſe in tam breue iter pecunias domo extuliſſe. Illi hominem equo detrahunt, flexiſque genubus ſecum ad Deum orare compellunt, ut egenis militibus aliquid largiretur. Finitis ſimulatis precibus, hippoperam procuratoris aperiunt, & ex grandi pecunia illic inuenta, quartam partem procuratori, ſibi ipſis tres reliquas attribuunt: ut qui ſanctè affirmaſſet, nullas ſe pecunias habere, periurij pœnas daret, & ne eos tanquã prædones accuſare poſſet, urbano prętextu prohiberetur.

In

HISPANVS quidam Venetiis patricij cuiuſdam ſcortum amabiebat. Illa procax & ſuperba, ſexaginta coronatis noctem paciſcebatur. Accepit ille conditionem. Ad dominam cum loculis uenit, mercedem numerat. Nocte intempeſta ſurgit, & obſeruato loco, in quem meretrix margaritas (quibus uice monilium Venetæ uti ſolent) maximi precij repo-

 ſuerat,

ſuerat; eas ſingillatim deuorat, & in lectũ redit. Summo mane Thais margaritas non inuentas ab Hiſpano repetit, & ui etiam per ſuos lenones hominem excutit. Implorat ille popularium fidem, & uix tandem liberatur; hoc ſolo innocentiæ ſigno, quòd neque in ueſtibus neque in loculis eas uſpiam haberet. Sic auara meretrix ſuis artibus à callido Hiſpano deluſa, pro ſexaginta coronatis trecentos amiſit. Andreas Veſalius in Anatomia œſophagi & uentriculi.

SACRILEGIO.

*Vide Tit. Sacrilegorum. Illic Impietas, hic Aſtutia conſideratur.*

PHOCENSES non habentes, unde multam Amphictyonibus perſoluerent, hortatu Philomeli Delphicum fanum ſpoliarunt. Diod. lib. 16.

ARTAYCTES Perſa, prætor Cherſonneſi, cùm ſciret in Eleunte Cherſonneſi Proteſilai ſepulcrum eſſe, & ei fanum circũiectum, ubi inerat ingens uis pecuniæ, nec non phialæ aureę, argenteæq;, & æs, & ueſtis, aliaq; donaria: Xerxem regẽ contra Græcos proficiſcentem doloſis uerbis circumuenit, inquiens: Here, eſt hoc in loco domus uiri Græci: qui cum militum copiis terrã tuam adortus, meritas morte pœnas dedit. Eius mihi domum dato, ut diſcant alij non militare aduerſus regionem tuam. Enimuerò ſentiebat, Proteſilaum in prouinciam regis militaſſe, quòd uidelicet Perſę omnem Aſiam ſuam eſſe arbitrabãtur, & eius ſemper, qui potiretur regno. Itaque regem non intelligentem negotium facilè perſuaſit. Quibus poſtquam pecuniis donatus eſt, eas ab Eleunte ad Seſton exportauit, fanumq; ſeuit & coluit. Herodotus lib. 7. & 9.

DIONYSIVS concione indicta, dixit, apparuiſſe ſibi Cererẽ, iuſſiſſeq; ut mulierum ornatum in templum deferret. ſe uerò mulierum ſuarum ornatum obtuliſſe: atq; hoc idem facere cæteros hortabatur, ne qua fortè indignatio à dea exoriretur: qui autem negligeret, reum fore ſacrilegij. Afferentibus cunctis quæ habebant, metu ſimul & religione, deę ornatum abſtulit, tanquam à dea mutuans. Ariſt. in Oecon.

IDEM, cùm mulieres rurſus ornatum ferrent, præcepit, ut ea quæ uellet aurum ferre, munera quædam in templo offerret. Ibidem.

IDEM ſacella circuibat: ſicubi uideret poſitam ἀγαθοῦ δαίμονος menſam auream aut argenteam, eam auferri præcipiebat, bonitate illius ſe opus habere dicens: & quæcunque ſtatuæ quippiam prætendere uidebantur, auferebat, dicens: Quod ultro offerunt accipio. Veſtimenta aurea & coronas aureas ſtatuarum tollebat, dicẽs, Se & leuiora & accommodatiora daturum. & ſubinde illis laneos amictus, albiculaſq; circumponebat coronas, ne pondere grauarentur. Ibidem.

IDEM in Tyrrheniam centum nauibus nauigans, accepit è ſacello Leucotheæ aurum & argentum multum, aliumque apparatum. Ibidem.

GISELBERTVS quidã procerum ſub Arnulpho Imp. apud Othonem Galliæ occidentalis rectorem locupletiſſimus, ex cõpoſito ſacrilegij condemnatus, & de induſtria ad monaſterium D. Dionyſij prope Lutetiam deportatus, ibique à monachis receptus; ubi ſatis fidei ſibi haberi uidet, dubiã cœnam, monachis & contubernalibus omnibus monaſterij, regio luxu apparat, in noctem protrahit conuiuium: illiſq; omnib. uino ſomnoq; ſepultis, Dionyſium Gallorũ tutelarem cœlitem, & librum auratum atq; gemmatum, iuſſu Imp. Caroli Calui aureis literis ſcriptum, ſuffuratus eſt. Arnulphus hæc pietatis monumenta ab Othone accepta, Ratisbonæ in templo D. Heimerani tutelaris Boiorum numinis condidit. Auentinus lib. 4. annal. Boiorum.

Quum Florentini à Caroli V. Cæſaris, Mediceos in patriam armis reducturi, exercitu diuturna arctaque obſidione anno 1530. premerẽtur, quòd inſtantia ad certum diem ſtipendia, niſi ingratè, uiris fortibus & de rep. benemeritis protrahi nequirent: dictator RAPHAEL Hieronymus, ab inopia ærarij, & quòd iam eſculentarum rerum grauis penuria ſentiretur, perturbata mente, eliſaq; penitùs religionis & pietatis ratione, ad decretum inuidioſum atq; nefarium deſcendit, quo è fanis cuncta donaria tolli atq; diuendi iubebantur: inter quæ, præter auream crucem prægrãdibus gemmis ornatã, quæ erat in delubro diui Ioannis, etiam fuit mitra illa inſignis, precioſiſſimis redimita gemmis, à Leone X. pontifice pari liberalitate templi maximi altaribus dicata conſecrataque: ſed nemo ferè reperiebatur, qui ea ornamenta profanis manibus attrectare uellet: & Bernardus Baldinus, gemmarũ æſtimator peritiſſimus, id impij nominis officiũ ſe pręſtare poſſe pernegabat, niſi alienis manib. uiolato ſacrario detractæ gemmæ ipſi æſtimaturo proferrentur. Sed in mora non fuit Leonardus Bartholinus ad id à Raphaele miſſus, qui impia uoce, uti erat omnis religionis contemptor, ſacrarij armaria, ſublatis auidè donariis, uel inhorreſcẽte trementeq; æditiuo, perfregit. Iouius lib. 28. Hiſt.

PARTV SIMVLATO.

LEPIDA Romana facto diuortio partũ ſimulabat ex P. Quirinio marito diuite atque orbo, hæreditatis cauſa. P. Aerodius ex Corn. Tacito lib. 3. Annal.

PECVNIAS, VEL QVAEVIS alia, aſtutè conſeruare. RESPECTV

SVBIECTI. FRAVS IN

*Tributo.*

CARTHAGINENSES, quum argentum ſtipendij nomine imperatum Romam aduexiſſent, idq; probũ non eſſe, quæſtores retuliſſent, pars explorantibus decocta eſt. Ob eam rem pecuniam Romæ mutuò accipere ſunt coacti, ut intertrimentum explerent. Sab. lib. 6. En. 5.

*Vectigali.*

Agricola quiſpiam, nomine LEVCON, utres, melle plenos, ſtoreis obuoluens, rogatus ab exactoribus uectigaliũ, Ordeum exreportare, reſpõdebat, quo minus pecuniæ perſolueret. Sed cùm eueniſſet aliquando, ut lapſus in terram aſinus onus effudiſſet, accurrerũt exactores, in reponendis ſarcinis auxilio futuri. Verùm ubi interim cognouiſsẽt, mel in utribus eſſe, non ordeum, Leuconem obtorto collo abduxerunt: illud ridendo addentes, Alia Leucon, alia portat aſinus. Ea uox poſtea uerſa eſt in adagionem. Ex Zenodoto, & Diogeniano, Eraſmus.

Pharos inſula ab urbis Alexandrię litore mille paſſus diſtans, non alto mari, ſed ſtagnantibus undis cincta, Rhodiorum obnoxia erat uectigali. Quod cùm nimiũ importunè efflagitaſſent, CLEOPATRA M. Antonij, ſolennium ſpecie feriarum, publicanos ſecum ad ſuburbana perduxit. Interea ſeptem dierum ſpacio, irrequietis laboribus, ſtadia ſeptem continẽti iactis molibus coniunxit. Mox carpento Pharon ingreſſa, continentem eam eſſę, non inſulam affirmauit, adeoque à Rhodiorum uectigali, quod ab inſulanis exigere conſueuiſſent, liberam. Marcellinus lib. 22.

VENALITII, cùm Brunduſij gregem uenalium è naui educerent, ut formoſi pueri uectigal interuerterent, liberi habitu eum induerũt. P. Aerodius ex Suetonio, de Illuſtribus rhetoribus, & Quintiliano, Declam. 340.

*Multa.*

Poſtquam LACEDÆMONII pugna illa nobili Leuctrica à Thebanis deuicti ſunt, ab eiſdem, ut ingentem ſoluerent pecuniam, in Amphictyonum iudicio ſunt damnati, ob occupatam arcem Thebarum Cadmeam. Itidem & PHOCENSES, quòd magnam partem Cirrhæi agri, qui Apollini eſt ſacer, depopulati fuerant, multorum talentorum condemnationem ſubiuerunt. Sed neutris multam exoluentibus, agitatum eſt rurſus de eis inter Amphictyonas, & primò de Phocenſium peruicacia. Fuerunt qui cenſerent, ni deô pecunia iudicata perſolueretur, uti Phocenſium agri conſecrarentur, & iuris diuini fierent. Pariter dictum eſt, alios omneis Amphictyonum dicto audientes eſſe oportere (inde autem Lacedæmonij notabantur) qui minus id feciſſent, eos uniuerſæ Græciæ indignationem mereri. Hæc ſentẽtia cùm ab omnibus comprobata eſſet, uidereturque imminere, ut regio Phocenſis deo addiceretur: Philomelus Phocenſes ſuos longa oratione docuit, grauiſſimã multam haudquaquã perſolui poſſe. Rurſus omniũ ipſorũ agros conſecrari, non tantùm turpe, ſed etiã periculoſum eſſe: quũ unde uictum haberent, eis auferretur. Perſuaſis ciuib. ſtatim Spartã ſe cõtulit, ſecretóſque cum rege Archidamo ſermones habuit: non minùs ei, quàm ſibi laborandum eſſe, ut Amphictyonum iudicationes irritæ redderentur, cùm & in ipſos Lacedæmonios grauem & iniquam ſententiam ualde dixiſſent. Se Delphos inuadere decreuiſſe: quib. potitus, Amphictyonum decreta reſcinderet. Archidamus clanculum & ſtipendio & militibus eum iuuit. Philomelus igitur mercenarios milites conduxit, templum Delphicum occupauit, è columnis Amphictyonum decreta excidit, damnationum quæ conſcripta erant monumenta prorſus extinxit: palamque illud promulgauit, ſe nec Oraculi diripiendi, neque alicuius iniqui facinoris perpetrandi animum habere, ſed maiorum ſuorum iura uindicantem, iniquo Amphictyonum iudicio reſciſſo, patrias leges confirmare uoluiſſe. Bœotij interim, Locrenſes, aliiq; populi, templi uiolati iniuriam ulturi, Sacrum bellum excitarunt, quod per nouem integros annos durauit, Athenienſibus & Lacedæmoniis Phocenſium partes ſequentibus. Diod. lib. 16.

*Emtione.*

FLORENTINVS Romæ emturus equum, pactus eſt cum uenditore, qui XXV aureos ſupra conueniens precium poſtulabat, ſe XV daturum in præſentia, reliquorum uerò ſe debitorem eſſe uelle annuit. Venditor poſtridie cùm reſiduum peteret, ſolutionem recuſando, Serua conuenta, emtor inquit, Pepigimus quidem, ut debitor tuus ſim: ſi ſatisfecero, non ero ampliùs debitor. Poggius in Facetiis.



*Mutuo.*

In GELLIVM Martialis Epigram. lib. 9. ſic ſcribit:

Gellius ædificat ſemper, modò limina ponit,
Nunc foribus claues aptat, emitq; ſeras:
Nunc has, nunc illas mutat reficitq; feneſtras:
Dum tamen ædificet, quidlibet ille facit:
Oranti numos ut dicere poſſit amico
Vnum illud uerbum Gellius, Aedifico.

*Furto.*

FVR quidam abſtulerat piſcatori piſcẽ, & ſocio ſuo, qui prope ſtabat, dederat. A piſcatore comprehenſus iurauit, ſe neque piſcem habere, neq; alium, qui piſcem ſuſtuliſſet, noſſe. Socius econtrà, neq; ſe piſcem ſuſtuliſſe, neq; alium qui haberet noſſe. Sic uterq; euaſit. Euſtathius Odyſſeæ T.

TREMELLIVS Rom. cũ familia atq; liberis in uilla erat. Serui eius, cùm de uicino ſcropha erraret, ſurreptam confecerant Vicinus aduocatis cuſtodibus, omnia circumuenit, ne quâ hęc efferri poſſit: iſq; ad dominum appellat reſtitui ſibi pecudem. Tremellius qui ex uillico rem comperiſſet, ſcrophæ cadauer ſub centonibus collocat, ſuper quos uxor cubabat: quæſtionem uicino permittit. Cùm uentum eſt ad cubiculum, uerba iurationis concipit, nullam eſſe in uilla ſua ſcropham, niſi illam, inquit, quæ in centonibus iacet: lectulum monſtrat. Ea facetiſſima iuratio, Tremellio Scrophę cognomen dedit. Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 6.

MODI. VIDELICET

*Mentiendo.*

SAPPHYRA uxor & ANANIAS mẽtiti ſunt Petro agri precium: ſed illorum mendacium fuit per Petrum grauiſſimè punitum. Act. 5.

*Deponendo.*

Alcameni & Theopompo, regibus Spartanorum, datum erat oraculũ, ἁ φιλοχρηματία Σπάρταν ὀλεῖ. teſte Plut. in Laconicis. Itaq; cùm aurum & argentum in urbem inferre non auderent SPARTANI, illud apud uicinos Arcades depoſuere. Ea occaſione Arcades hoſtes illis ſunt facti, fraudandi depoſiti ergò. Athenæus lib. 5. Dipnoſoph.

*Occultando.*

Boſo Tuſciæ Marchio, quotidianis uxoris VILLÆ furiis inſtigatus, non bono eſſę aduerſus Hugonem fratrem Italiæ regem animo cepit. Qua re comperta Hugo utrumq; iuſſit cõprehendi, & ad ſe adduci, in primiſq; baltheum precioſiſſimum inter omnes mulieris theſauros exquiri. Re utraq; confecta, cùm baltheus excuſſis arcis omnibus non inueniretur, mulier iuſſa eſt ueſtibus exui. Quo facto ex dependente tænia apparuit, eam cupiditate gemmarum eius accenſam in occultiſſimis corporis partibus abdidiſſe. Vnus præ cæteris ut impudentior, ſic oculatior, ligula arrepta, O egregium obſtetricationis munus, exclamauit: Iuno Lucina fer opem, obſecro: duos ſi tales uxori meæ pueros dederis, beaueris me. Luitprandus lib. 3. cap. 5. rerum in Europa geſtarum. & Sigonius lib. 6. regni Italici.

*Terrendo.*

ZISCO (quod monoculum ſignificat) natus in Boëmia loco equeſtri, ſed re & cenſu tenui, cùm Pragæ in noua ciuitate apud hoſpitem diuertiſſet anxium & ſollicitum, cauſam præſentis curæ eius interrogat. Illo reſpondente, Iuſſi, inquit, ſumus, arma omnia in arcem ad Regem deferre. Si iuſſa facimus, prçſidio domeſtico nos nudamus: ſin imperium detrectamus, regem in nos concitamus. Ad hæc Ziſco, Bono eſto animo, inquit: ſi unuſquiſque ueſtrum arma induerit ſua, ſeque coram Rege in armis repræſentauerit, non audebit ille poſtulare ut arma exuatis, ſed ſatis ei erit, ut arma ti inde quàm primũ diſcedatis. Atq; ita res cecidit, eademq; Ziſconem Pragenſibus mirificè commendauit. Dubrauius libro uigeſimotertio.

REGIONES, AGROS, PRAEDIA, Ciuitates, Arces aſtutè

ACQVIRERE. RATIONE

## Modi.

*Sortitione doloſa.*

CRESPHONTES & Temenus atque Ariſtodemi filij cùm Peloponneſum partirentur, uiſum eſt in tres partes regionem diſtribuere, in Spartam, Argos, Meſſanam. Creſphontes Meſſanam aut Argos obtinere cupiens, ſententiã pronunciat: Cui prima ſors ceciderit, & cui ſecunda, Spartam accipiat, aut Argos: Meſſana tertij eſto. Paruerunt, ac ſortes dimiſerunt. Illi quidem calculum album in urnam plenam aqua, Creſphontes uerò glebam albam ſimilem lapidi. Gleba igitur ſtatim liqueſiebat. Lapidis uerò ſortes prodeuntes, dederunt Argos Temeno, Spartam Ariſtodemi filiis. Creſphontes dolo ſortitus, Meſſanam per fortunam accepiſſe uiſus eſt. Polyænus lib. 1. Vide ſub Tit. Iniuſti iudices, paulo aliter, ex Pauſania.

*Pacto fraudulento.*

LAMPSACENI & Pariani de agrorum finibus litem habentes, conſtituerunt ſub primum galli cantum uiros ex utraque ciuitate emittere: & ubicunque ſibi miſſi obuiam fierent, eum terminum regionis fore. Quod cùm omnium ſententiis eſſet approbatum, aliquos in iis locis per mare opus facientes perſuaſerunt, ut cùm Parianos uiderent præterire, maximam piſcium copiam in ignem imponerent, & circumcirca uinum libarent, quaſi Neptuno ſacra facientes, eoſque fauſtis auſpiciis uocarent ad honorandum deum. Illi piſcatoribus morem gerentes, ſimul epulabantur & bibebant, remittentes aliquantum ex itineris contentione. Itaque Lampſaceni ad Hermæum uſque uenerunt, quod à Pario ſeptuaginta ſtadiis diſtat, à Lampſaco autem ducentis. Tantumque ſoli per fallaciam ademerunt. Polyænus libro ſexto.

PHOENICIES, qui Carthagine potiti ſunt, cùm primùm ad eam appuliſſent regionem, poſtularũt ab iis, qui id temporis Lbyam incolebant, ut ſibi liceret diem & noctem hoſpitio terræ uti. Quod cùm impetraſſent, iamq; exacto conceſſi temporis ſpacio, iuberentur excedere finibus, recuſarunt, affirmantes ſe pactos ut ſibi fas eſſet illic noctéſque ac dies commorari: uidelicet ambiguitatem uocum ad ſuum commodum detorquẽtes. Vnde prouerbium eſſe natum aiunt, de pactis inſidioſis & aſtutis, Phœnicũ pacta. Auctores Suidas ac Diogenianus.

Cùm HVNNI ad inuadendam denuò repetendamque Pannoniam, quàm à morte Atilæ annis trecentis deſtituerant, impetum cepiſſent, legatos Veſperinum ad Suatoplucum Morauiæ regem, citra & ultra Danubium latiſſimè regnantem præmiſere, cum munere & precibus. Munus erat, equus candidus, freno, ſella, faleris auro radiantibus inſtratus. Preces uerò erant, ut Hunnis domo extorribus, aliquis in tam amplo regno angulus, quem incolerent, attribueretur. Rex multitudinis Hunnorum ignarus, ratuſque paſtores eſſe, qui ſibi locum aliquem ad paſcendum in Pannonia, campis ſpacioſiſſima, quærerent, accepto equo, precibus legatorum annuit. Petũt rurſum legati, ut pro tam precioſo equo ipſis liceat auulſum terræ Pannoniæ ceſpitem ſecum auferre, atque ad ſuos illum perferre. Ad hæc ſubridens Rex, Quidni liceat, inquit, uili ceſpite precioſum mutare equum? At Hunni ſeptem exercitibus (quos ſinguli XXX M. habebant) ingreſſi fines Pannoniæ, uniuerſam Pannoniæ terrã à Suatopluco repetere cepere, tanquam ab ipſis unius equi precio emtã: eiuſq; rei apud ſe extare pro arrabone ceſpitem iactabant. Suatoplucus maiore nobilioreq; parte regni ab Hunnis ſpoliatus, quanquã reliquã Pannoniam, inter Vagum & Danubium poſitam, adhuc retineret, apud Morauos tamen in oppido Velegrado, regiam ſibi & poſteris conſtituit. Dubrauius lib. 4.

Mortuo Alberto Eſtenſi, Marchione Ferrarienſi, Actius & ipſe Eſtenſis, ſed exul, ſpe principatus Nicolao Alberti filio impuberi bellum intulit, ope Ioannis Comitis Cunij adiutus. IOANNI tutores Nicolai promiſerunt, ſe Lugum atque Conſilicem oppida donaturos, ſi Actium interfeciſſet. Ioannes conditionem non abnuit, & cùm uirum mortuum Actio perſimilem, qui ex compoſito ob eam rem latebat, oſtendiſſet, oppida quæ promiſſa fuerant, accepit. Itaque ſeruata amico fide, pro ſcelere non patrato munus, tã quam ſi ſcelus patraſſet, aſſecutus eſt. Fulgoſus lib. 7. cap. 3.

HENGISTVS Angloſaxonum dux, à rege Vortigerno in Britanniã contra Pictos & Scotos uocatus, re bene geſta, magnam Londiſiæ regionis partem (eſt ea regio hodie pars Eboracenſis agri) ſimul cum arce & loci natura & arte munitiſſima, cui poſtea Tuuhancaſtriæ nomen fuit, obtinuit. Sunt qui ſcribant Hengiſtum, ubi obtinuiſſet agri quantum corrigia clauderet, ad arcem condendam: immenſum bouis tergus, in gracile duxiſſe inſtar fili pitacium: eoque in monticulo natura penè inexpugnabili circumducendo doloſè uſum, baſim tyrannidis conſtituiſſe. Munitionem poſtea ibi conditam, Tuuhancaſtell à corrigia nomen tenuiſſe. Addunt in rei fidem Tuuhancaſtell Saxonum lingua, Pitacij caſtrum ſignificare. Saxones certè ibi primas poſuiſſe ſedes in Britannia conſtat. H. Boëthius lib. 8.

CAROLVS VIII. Galliæ rex, Florentiam ad ſubigendum Neapolitanum regnũ tranſiturus, ut uictoris modo urbem ingredi uideretur, armatus ipſe equuſq; ipſius haſtã erectã femorique innixam geſtãs, in urbem eſt inuectus: unde Florentiæ dominatum ex eo, quòd armatus eſſet in urbem ingreſſus, militaribus regni Galliæ inſtitutis ſibi deberi affirmabat. Guicciardinus lib. 1.

*Iudicio iniquo.*

Q. FABIVS Labeo arbiter à ſenatu finium conſtituendorum inter Nolanos & Neapolitanos datus, cùm in rem præſentem ueniſſet, utroſque ſeparatim monuit, ut omiſſa cupiditate, regredi controuerſia, quàm progredi mallent. Idque cùm utraque pars auctoritate uiri mota feciſſet, aliquantulum uacui in medio agri relictum eſt. Conſtitutis deinde finibus, ut ipſi terminauerant, quicquid reliqui ſoli fuit, populo Romano adiudicauit. Ceterùm ſi circumuenti Nolani ac Neapolitani queri nihil potuerunt, ſecundùm ipſorum demonſtrationem dicta ſententia: improbo tamen præſtigiorum genere, nouum ciuitati Romanæ uectigal acceſſit. Valerius Maximus lib. 7. cap. 3.

*Amicitiæ ſimulatione.*

NEARCHVS Cretenſis Telmeſſum in ſuam poteſtatem redegit, cùm Antipatridas eam antea tenuiſſet. Nauigauit in portum Nearchus. Cùm Antipatridas pro ueteri amicitia ad eum ab arce deſcenderet, & eum, qua de cauſa ueniſſet, interrogaret: Cres inquit, ſe mulieres quaſdam & uinctos ſeruos apud eum uelle deponere. Conceſſit Antipatridas. Serui uincti uaſa mulierum muſicarum portabant. In tibiarum arculis exigui quidam inerãt enſes: in ciſtis uerò pila. Cùm in arcem uentum eſſet, ij qui mulieres ac pueros ducebant, gladiis arcem occuparunt. Polyænus lib. 5.

DIONYSIVS, ut Himeram ſuæ ditionis faceret, amicitiam cum Himerenſibus iunxit. Propinquis autem oppidis bellũ intulit, caſtriſq; non procul ab Himera poſitis, legationem amicitiæ petendæ cauſa miſit ad eos qui in caſtellis habitabant. Himerenſes per longum tempus militibus eius commeatum ſuppeditauêre. Poſtquam uerò procedente tempore nihil rerum gerere eum uiderent, ſuſpectũ habentes tantum exercitum in proximo caſtra habentem, res ad uictum neceſſarias mittere deſierũt. Dionyſius ab inopia commeatuum exordium ſumẽs inimicitiæ, ad Himeram copias adduxit, & ciuitatem per uim cepit. Polyænus.

CÆSAREM Borgiam Alexandri VI. Pp. filium augendi regni cupiditas magnum in ſcelus & proditionem impulit anno 1502. Nam cùm Guidi Vbaldi Metaurenſium ducis regnum, propter mirificum populorum in illum amorem, aggredi aperto bello non auderet, neq; Venetos ſibi permiſſuros, ut illum expelleret, arbitraretur, neque ullam haberet ſuſcipiendi belli cauſam (Guido Vbaldo omnibus in patrem ſuum obſequiis, in ſe officiis beneuolentiſſimi coniunctiſſimique hominis planè functo) uelle ſe bellum Camertibus inferre ſimulauit, ut ad fines Vrbinatium, quà iter erat ei faciendum, ſine Guidi Vbaldi ſuſpicione, tanquam aliò tendens, cum exercitu accederet. atque ut bono ſe in illũ eſſe animo fidem ei maiorem faceret, & ſuis eum opibus exueret, ne tueri ſeſe poſſet communitior: à Guido Vbaldo, ut auxiliares ad id bellum copias cum tormẽtis muralibus ad ſe mitteret, pro amicitiæ iure per legatos poſtulauit. Iis impetratis, atque miſſis, cùm ad fines regni ueniſſet, repentè in illos hoſtiliter irrupit: & magna celeritate adhibita, quòd neminem obuium habebat, Vrbinum contendit, parumque abfuit quin Guidum ipſum caperet. Bembus lib. 6. Hiſt. Ven. & Guicciard. lib. 5.

OLIVERETVS Firmanus, ſub Paulo Vitellio, eiuſque fratre Vitellocio ſtipendia meruit. Mox facinoroſorum ciuiũ conſpiratione inita, Ioanni Folliano patruo, uiro opt. ſcribit, ſeſe patriam animi gratia uidere cupere: atque ut ciuibus magnificentiam ſuam teſtatam faceret, cum centum equitibus comitatum ingredi uelle. Ioannes nihil mali ſuſpicatus, Firmanis ciuibus perſuadet, ut conciui ſuo atque nepoti tantum honoris exhibeant. Excipitur ergo ſplendidiſſimè ab uniuerſa ciuitate. Aliquot pòſt diebus primores urbis cum patruo ad conuiuium inuitatos, dato ſigno à militibus trucidari curauit, & Firmum occupauit. Anno tamen uixdum exacto, à Cæſare Borgia Alexandri VI. filio uita & imperio priuatus eſt. Auguſt. Niphus cap. 6. de Regnandi peritia.

*Pacis ſimulatione.*

ARSAMES Barcæos oppugnabat. Quibus legatos ad eum mittentibus de pace, conceſſit, dextramque eis miſit Perſica conſuetudine: & oppugnationem ſoluens, hortabatur Barcæos, ut cum rege ſe coniungerent, in expeditione aduerſus Græciam ſuſcipienda, eiq; curruum auxilia mitterẽt. Illi principes ſuos miſerunt, qui cum eo de ſocietate conſilium caperent. Arſames opiparo conuiuio parato, principes inuitauit, omnibuſque Barcæis forum abundans rebus omnibus aperuit. Quibus ad emendum progreſſis, ſignum dedit Perſis. Qui enſibus armati, portas occuparunt, & irruentes urbem diripuerunt, interfectis omnibus qui reſiſtere conarentur. Polyænus lib. 7.

DIONYSIVS Syracuſiorum tyrannus, miſſis ad Rheginos legatis, unam aliquam ex optimatum uirginibus uxorem ſibi dari poſtulauerat. Rhegini publicum legatis reſpõſum dedêre, Plebeium nõ niſi plebeij filiam ducere debere. Carthaginenſibus uictis, & Sicilia ferè tota potitus, exercitum contra eos duxit. Qui cùm ſe impares eſſe uiderent, per legatos de pace agunt. Dionyſius conſtituta multa trecentorum talentorum, & nauibus eorum omnibus ablatis, quæ numero erant ſeptuaginta, centum inſuper obſides dari ſibi iuſſit: non quòd tanti eorum ſocietatem & amicitiam faceret, ſed ut claſſe ſublata urbe faciliùs potiretur. Sequenti igitur anno deductis ad mare copiis, primùm quidẽ à Rheginis commeatum petebat: ſe enim quicquid dediſſent, prima quaque occaſione ex Syracuſis redditurum pollicebatur. Hoc propterea faciebat, ut ſi dare ei detrectaſſent, iuſtam eos obſidendi occaſionem habere uideretur. Sin darent, ut facilè eos deinceps propter penuriam obſidione expugnaret. Illi primùm quidem liberaliter quotidie alimentum ſuppeditabant. Quum uerò diutiùs illic moraretur, nunc aduerſam ualetudinem, nunc uerò alias res prætexẽs, tandem alimentum exercitui eius dare ampliùs noluerunt. Ob quam rem indignari ſe ſimulans Dionyſius, obſides cõfeſtim Rheginis reddit: urbem eorum obſidione cinxit. Illi Phytone duce fortiter reſtitêre. Dionyſio autẽ undecimum iam menſem obſidẽte, & omne eis auxilium commeatúmque intercipiente, graui rerum omnium neceſſariarum penuria preſſi, urbem Tyranno tandem dederunt. Diodorus libro 14.

*Nuptiarum ſimulatione.*

PHALARIS ad Teutum Veſſæ principem, quæ florentiſſima maximaq; inter omnes Sicanorum ciuitates habebatur, miſit, qui ſibi eius filiam in matrimonium peterent. Eo cõſentiente, Phalaris milites imberbes in curribus collocatos miſit cum habitu ueſtituq; muliebri, quaſi famulas, quæ puellæ munera ferrent. Qui cùm domum occupaſſent, gladios diſtrinxêre. Phalaris autem extemplò ſuperueniens, Veſſam in ſuam poteſtatem redegit. Polyæn. lib. 5.

*Auxilij ſimulatione.*

LYSIMACHVS Ariſtonem, Autoleontis filium, ad Pæonas in paternum regnum deduxit, ut cognito regio iuuene, beneuolè & amicè eum exciperent. Vbi uerò Ariſtonem regio lauacro in Ariſtibo fluuio lauiſſent, & mẽſam regiam more patrio appoſuiſſent: Lyſimachus ſignum ſuis dedit, ut ſeſe armarent Ariſton correpta fuga ad Sardenſes equo euaſit: Lyſimachus Pæoniam obtinuit. Polyænus lib. 4.

LYSANDER amicis ſuis, quos Mileti habebat, pollicitus ſe ad populum euertendum & opprimendum eis adiumento futurum, uenit Miletum: & in eos qui nouas res molirẽtur, acerbiſſimè uerbis inuectus, populo ſuam operam ad tuendam libertatem promiſit. Interea uerò dato ſigno, in plebem impetu facto, Miletum occupauit. Polyæn. lib. 1.

Anno 1541. Ferdinandus rex Budam oppugnabat, in qua tum erat Vayuodæ Ioannis uxor, uidua, cum filiolo Stephano. Tutores infantis & regni proceres Turcicum auxilium implorauerant. Legatum ergo SOLYMANNVS miſit cum copiis, ipſe cum reliquo exercitu non multo pòſt ſecutus eſt. Ita Ferdinandici reiecti, ingenti accepta clade, Peſto etiam amiſſo, oppido contra Budam. Turca ſub exitum Auguſti munera miſit infanti Stephano, ueſtes aurò textas, & equos ſpecioſos: ac matri nunciauit, cupere ſe puerum uidere, petiitque ut eum in caſtra ſibi mitteret. Mulier hortatu procerum eum miſit unà cum nutrice, comitatum turba nobilium. Eum ille perhumaniter excepit: ac deinde per ſuos reginæ conſiliariis oſtendit, uelle ſibi Budam tradi. nam ipſos non illam poſſe ab hoſte defendere, & ſibi ſubinde redeundum huc eſſe cum exercitu, quod ualde ſit & moleſtum & ſumtuoſum: itaque multò præſtare, ut ipſe teneat. & ſtatim Ianizarorum præfecto negotium dedit urbis occupandæ: tum demum ad matrem remiſſus eſt filius. Mox etiam arcem ſibi tradi poſtulauit, & reginam cum filio in Tranſſyluaniam ablegauit. Sleidanus libro decimo quarto.

*Venationis ſimulatione.*

HASDRVBAL ſubigendorum Numidarum cauſa ingreſſus fines eorum, affirmauit ad capiendos ſe ueniſſe elephantos, quibus ferax eſt Numidia: & ſi hoc permitterent, ſecuritatem promiſit. Ex ea perſuaſione auocatos adortus, ſub leges redegit. Frontinus libro quarto, capite ſeptimo.

*Legationis ſimulatione.*

Sub Michaele Paphlagone ARABES dolo Edeſſam aggreſſi ſunt. Duodecim primores quingentos camelos adducunt: quorũ ſinguli duab. arcis onerati duos armatos intus habebant: ſimulantes ſe ituros ad Michaelem cum munerib. Petunt itaque in urbem recipi. Interea mendicus Armenius Arabicæ linguæ peritus, ſtipem ab eis petẽs qui foris manebant, audiuit ex arca quendam interrogantẽ, Vbínam eſſet. & urbem ingreſſus, præfecto dolum aperuit. Qui mox duodecim primores ſplendido conuiuio accepit, ac in urbe detinuit. Ipſe cum ſuis urbem egreſſus arcas perrupit, omnéſque armatos occidit: primores gladio trucidauit: unius manus præcidens, naſumque cum auribus truncans, domum remiſit, ut cladis nuncius eſſet. Et ſic Edeſſa eſt liberata. Cuſpinianus.

*Sepulturæ ſimulatione.*

Anno Chriſti 857. Normãni Liguſticum mare ingreſſi, Lunam ciuitatem Italiæ primam habuere in conſpectu. Ibi quum Romam ſe uidere putaret Haddingus dux, incredibili deſiderio illius euertendæ ardens, in urbem miſit oratores, commeatum petentes & hoſpitium: ſimul etiam prætexentes principis ſui morbum, qui ante obitum Chriſtianis ſacris initiari cuperet. Nec mora, benignè à Lunenſibus ſuſcipiuntur. Paratis omnibus, aduenit princeps Haddingus, baculo innixus, morbũ ſimulãs. Magnus ordo præibat iuuenũ honeſta facie ac ueſte: maior ſtipabat numerus militũ & præfectorum. Ventum eſt ad baptiſterij locum. Ibi ſolenni ritu ſacris initiatus eſt. Speculatus urbem, redit ad naues, manibus deportatus famulorum. Proxima luce fama ſpargitur, morte functum principem, ſimulatur luctus in toto exercitu, locus poſcitur ſepulturæ in templo, uiro principi, qui præclara legata eccleſiis fecerit, arma & equum cum auro plurimo & gemmis. Parantur in urbe regio more funeralia. Feretro armatus imponitur: omnis excercitus principem ſuum ad tumulum conſequitur. Pontifex ſacris indutus, diuinum peragere parabat officium. Feretrum deponitur auro fulgens, operimentum detrahitur. Armatus exurgit Haddingus, dat ſignum militibus. Primus ipſe gladio ferit aſtantes. Direpta ciuitate, captiui in naues cum præda deferuntur: urbs incenditur. Haddingus præda onuſtus reuerſus eſt in Franciam: inito cum rege Francorum Carolo Caluo fœdere, Carnotum cum uicinis agris accepit habitandum, ut in reliquum regi militaret Chriſtianis ſacris initiatus, uſque ad tempora Rollonis: qui pòſt, omnem Neuſtriam de ſuo ac ſuorum nomine Normanniam appellauit. Cranzius lib. 2. Noruagiæ, cap. 4.

*Abitus ſimulatione.*

GRÆCI ſimulato diſceſſu, Mineruæ donum reliquêre Troianis δουράτεον ἵππον. Quem cùm religione tacti Troiani demolitis muris in arcem protraxiſſent, noctu ex eo Græcorum proceres proſilientes, urbem armis inuictam dolo cepêre. De eo Homerus Odyſſ. Θ.

—Αἶσα γὰρ ἦν ἀπολέσθαι, ἐπὴν πόλις ἀμφικαλύψῃ
Δουράτεον μέγαν ἵππον, ὅθ' εἵατο πάντες ἄριστοι
Ἀργείων, Τρώεσσι φόνον καὶ κῆρα φέροντες. *id eſt,*

Fatum enim erat perituram urbem, ſimul ingrederetur
Durateus præcelſus equus, qui clauſerat omneis
Primores Danaûm, luctumq; necemq; ferentes
Troianis.——

EDVARDVS I. Anglorum rex, Beruicium Scotiæ urbem obſidens, cùm parum proficeret, abitum ſimulat. Mox Scoticis uexillis ſublatis, & transfugis quibuſdam præmiſſis, Ioannem Baliolum Scotorum regem aduentare, cùm certatim per omnes portas ueluti regi ſuo obuiam procurrerent: ſerò tandem cognito dolo, unà cum fugientibus urbem intrauit. Horrenda ibi cædes ædita, nulli ſexui nec ætati parcitum, ſupra ſeptem hominum millia trucidata, ſic ut molæ, quæ priùs ob defectum aquæ otioſæ ſtabant, acceſſione ſanguinis circumagi inciperent. H. Boëthius lib. 14.

*Proditione.*

ALARICVS, Gothorum rex, cùm Romanam urbem diu obſeſſam expugnare ui non poſſet, ad dolum uertitur. Profectionem in Galliam ſimulat, trecentoſque iuuenes corporis & animi ui præſtantes deligit, quos Romanis principibus dono dat, inſtructos priùs, ut omni obſequio dominos ſuos promereri ſtudeant: & ad certam diem circa meridiem, cùm Romani principes ſomno uel otio uacarent, ad Aſinariam portam aduolent: interfectiſque improuiſo inſultu cuſtodibus, portã Gothis prẹſtò futuris aperiant. Interea Gothi cùm reditum alia atque alia deeſſe ſibi ſimulantes differrent, trecenti illi iuuenes occaſione egregiè uſi, portam ſtato die ſuis aperiunt. Intromiſſus Gothus maiore ignominia quàm damno, urbem omnẽ populatus eſt. Sunt qui Probæ illuſtris feminæ & opulentiſſimæ opera patefactam Gothis portam exiſtiment, cùm plebem Romanam paſſim fame & morbis, pecudum more cadentem, miſeraretur. Egnatius, ex Procopio.

DOMINGVELLVS Hiſpanus, mimus aſtutiſſimus, cùm ſciret Lupum Arenem equitem, Zorithæ arcem furtim Alfonſo octauo Caſtulonenſi regi eripuiſſe: ueluti alius Zopyrus oſtendit, clàm ſe rationem inueniſſe recipiendæ arcis, modò equitem inueniret, qui ficta contentione uulnus ſibi in os inferri pateretur. A rege perſuaſus Petrus Didacus, coram Alfonſo cum Dominguello uerbis contendere cepit: ac Lupũ proditionis infamia criminari. Dominguellus primò humanè tueri Lupum, atq; hominem excuſare: ſed cùm acerbiùs eum Petrus urgeret, tandẽ ſtricto gladio os Petri percuſſit, ſtatimq; ad Lupum Zoritham profugit. Lupus unum hunc arci præ aliis prẹficit, in deliciiſq; habere cepit. Dominguellus hoc modo inſinuatus, per occaſionem Lupum occidit, atq; à muris ſe demiſit, ut cum rei nuncio ad Alfonſum euolaret. Haud multo pòſt Lupi nepos ſecutus, Zorithæ arcem Alfonſo reſtituit. Fulg. lib. 7. cap. 4.

EDOVARDVS III. Anglorum rex, Guinas oppidum, non procul à Caleto ſitum, cum arce occupauit, proditione prẹfecti, induciarum tempore Ioanne rege Franco poſtea iniuriam expoſtulanti, Anglus reſpondit, De rerum emtione nihil induciarum religione eſſe exceptum. Polyd. lib. 19.

*Excluſione.*

MAVSOLVS, ut Latmium urbem munitam caperet, amicitia ſimulata, Latmiis obſides reddidit, & quotquot bello ceperat Hydriæus: ſed ſtipatores quoque corporis legit Latmios, quaſi ſolos fideles. Inſeruiebat eis promto animo quacunq; in re uellent: cumq; eos ſumma beneuolentia obſtrinxiſſet, petiit ab iis uiros trecentos ſtipandi corporis cauſa, ad Pygela iter habens, quaſi metuẽs Phytum Epheſium. Illi confeſtim delectos miſerunt. Mauſolus his acceptis, alias etiam copias habens Latmium tranſibat, proficiſcens ad Pygela. Ciues omnes egrediebantur, ad ſpectandas tranſeuntes copias. Interim magna militum multitudo per noctem in inſidiis collocata, occupauit urbem uacuam hominibus. Polyænus lib. 7.

ONESILVS, Gorgi Salaminiorum regis frater natu minor, cùm ſæpenumero antea Gorgũ ſollicitaſſet ad rebellandũ ab rege Dario, audiens Ionas duce Ariſtagora Mileti tyranno rebellaſſe, uehementiùs urgere Gorgum inſtitit. In quo quia nihil proficiebat, obſeruato tempore, cùm Gorgus oppidũ egrederetur, unà cum ſuis militib. eum portis excluſit. Gorgus oppido exutus, ad Medos trãsfugit. Eo potitus Oneſilus, omnib. Cypriis ut rebellarent ſuaſit. Herod. lib. 5.

Ericus dux inferioris Saxoniæ quinque filios reliquit, Ericum, Magnum, Othonem, Bernardum, & Ioannem. Maior natu Ericus patri in ditione ſuccedens, cùm uideret anguſtam eſſe terram multis alendis principibus, de amplificanda ea cogitauit. Pater eius arcem Bergerdorp, magna accepta pecunia, Lubecenſibus in pignus dederat. Illi eã fide militari cõmiſerant Othoni Ritzerovu, acceptis de more ab illo ſacramentis, uiro probatæ uirtutis, ſed ad aſtus militares non ſatis cauto. Ericus oppidum ingreſſus, Othonem arcis cuſtodem iuſſit euocari, percontatus quomodo ageret. Ille mediocriter ſibi omnia eſſe pro modulo reſpondit. Eamus, inquit dux, uiſum ubi habites. Ille nihil mali ſubeſſe ueritus, ut qui noſſet arcem non ui captam, ſed ære commodato oppignoratã, facilè paſſus eſt principem in arcem aſcendere. Tum ille, Bene, inquit, omnia communiſti: ſatis diu aſſeruaſti. Abſoluo te cura & labore iſto, uade quò libet: ego patrimoniũ deinceps meum aſſeruabo. Otho fidem eius obteſtatus, iam ſe deluſum ſentiens, Lubecam properat, & facilitatẽ ſuam accuſans, præ mœrore breui mortem obiit. Dux occupatam arcem quaqua fide tenuit. Cranzius lib. 10. Vandal. cap. 3. & lib. 10. Saxoniæ, cap. 19.

*Diſtractione.*

HIPPOCRATES ad occupandam Ergetinorum urbem animum intendens, quos quidem Ergetinos ſecum ſtipendiarios habebat, his ſemper maximam prædæ partem diſtribuit, amplioremq; mercedem dedit, ac ſummis eos laudibus tanquam ad ſubeunda pericula promtiſſimos affecit: in primiſq; operam dedit, ut plurimos ex hac urbe in exercitu ſuo haberet. Hæc ciuibus in urbem nunciabantur. Qui æmulantes militantium fortunam, omnes urbe relicta, ad ſtipendia ſub Hippocrate merenda exierunt. Hippocrates amicè ſuſceptis hominibus, eadem nocte copiis aſſumtis, per Læſtrygonium campum eas duxit, Egertiniſque ad mare collocatis, reliquo exercitu in cõtinente, præmiſſis equitibus, urbem eorum præſidiis nudatam occupauit: præconemque miſit, qui bellum ipſis indiceret: & Gelois atq; Camarinæis ſignum dedit, ut audacter Egertinos ad unum omnes conciderent. Polyæn. lib. 5.

Iuanus, ſiue IOANNES, magnus princeps Moſcouiẹ, optimates urbis Nouguardiæ metropolis Ruſſiæ, per ſpeciem conuiuij, quum nihil hoſtile timeretur, euocauit: egreſſos, quum nihil ſuſpicarentur, abduxit in Moſcouiam. Quumq; paratas haberet copias, & urbem euertere minaretur, niſi ſe dederent, ſe illius gratiæ permiſerunt. Ille primores, qui remanſerant, iam dedita ciuitate, cum familia miſit poſt alios in Moſcouiam: inde uerò tranſtulit alios, qui eius uice urbem pro ſe tuerentur. Cranzius lib. 13. Vandaliæ, cap. 15.

Peruanas prouincias HISPANI, commiſſis in pugnam de

principatu duobus potentiſſimis Regibus, Atabaliba & Guaſcare,fratribus: in ſuam poteſtatem, illis artificioſè de medio ſublatis,redegerunt.Io.Metellus.

### Temporis. Puta

*Die feſto.*

CYLON quidam, Athenienſis genere, qui duxerat Theagenis Megarenſium tyranni filiam uxorem, oraculo fretus, quo monitus erat, ut die,qui Ioui eſſet præcipuè feſtus, arcem ad tyrannidem ſibi comparandam occuparet, Olympiorum diem ſignificari interpretatus, tota Græcia celebri ſacro intenta,cum ea hominum manu, quam à ſocero acceperat,Athenarum occupauit arcem. Obſeſſus ibi, poſt longam famem,cum fratre,ſociis & hoſtibus deceptis, fugam fecit.Sabellicus lib.6.En.3.

*Noctu.*

AGNON Atticam coloniam deduxit ad inhabitandum eum locum ad Strymonem,qui Nouem uiarum nomẽ habet.Ex oraculo uiros aliquot Troiam miſit, qui Rheſi monumẽto per noctem effoſſo, eius oſſa ſuſtulerunt, & in chlamydem purpuream coniecta ad Strymonem deportarunt. Barbari flumen tranſire prohibebãt.Agnon factis trium dierum induciis,noctu Strymonem cum exercitu traiecit,& oſſa defodit, locum foſſa ac uallo muniuit ad lunã: totaq; munitio tribus noctibus perfecta eſt. Barbari poſt triduum reuerſi, cùm murum ædificatum cernerent,Agnonem uiolati fœderis accuſarunt.At ille, Conueniſſe inter ipſos de tribus diebus,ſe uerò tribus noctibus murum erexiſſe reſpondit.Hoc pacto Agnon Nouem uias condidit,urbemq; Amphipolim appellauit.Polyænus lib.6.

*In Nuptijs.*

ANTIGONVS Macedoniæ rex, cùm Acrocorinthum arcem munitiſſimam(quam Philippus Compedes Græciȩ ſolebat appellare)dolo adimere obtinentibus cuperet(nam tentare apertè uanũ erat)Alexandro,cuius in manu erat arx,ſublato ab eo, uti fama tenebat, uenenis, Nicæã uxorem eius, quæ res adminiſtrabat, & ſtationem in Acrocorintho habebat, illicò Demetriũ filium ad eam ſubmittendo, ac lætam ſpem oſtentãdo regiarum nuptiarum & cõnubij(nec ingratũ hoc erat mulieri ætatis prouectioris colloquium) cepit, filio in eam quaſi eſca aliqua adhibito. Cæterùm quia locũ illa non dimittebat,ſed acri ſepiebat cuſtodia, floccifacere hunc ſingens,nuptias Corinthi celebrauit,ludoſque edidit, & conuiuia agitauit quotidie. Vbi tempus fuit, ut cantaretur in theatro carmen Onœbæum, ipſe Nicæam ad ſpectaculum in lectica regaliter adornata deduxit, exultantem eo honore,& remotiſſimam ab eo,quod impendebat.Vt ad diuerticulum peruenit uiæ,quæ ad arcẽ fert: iuſſit illam præire ad theatrum. Ipſe Acrocorinthum præter ætatem connitens ſcandit.Vbi obſeratam offendit portã,baculo pulſans, aperiri præcepit eam.Statio obſtupeſcens aperuit. Ita loco potitus Antigonus,non potuit ſibi moderari, quin inter tibicinas in uiis & foro exultans præ gaudio potaret, coronaſq; in capite geſtans ſenex & tantis rerum uerſatus uoluminibus comeſſaretur, complecteretur que & ſalutaret obuios.Plutarchus in Arato,& Polyænus lib.4.

RECVPERARE.

Mortuo ad Neapolim ex peſtilentia Lotrechio Gallorum duce,CAPVANI,qui reliquias Gallici exercitus primùm amicè receperant,mox de Gallorum uictoria deſperantes,præſidiariis ſuis perſuaſere, ut delectis robuſtiſſimis quibuſq;, exire prædatum uellent, quòd nihil iam Capuæ pecoris ſupereſſet.Mox egreſſis, & non multò poſt redeuntibus, portas occluſere, & ad Cæſarianos defecére. Sabellici ſupplementum libro undecimo,ex Iouio.

CONSERVARE.

Fama eſt SOEBIDAM, cũ in loco aſpero & arido à Clitoriis obſideretur, pactum fuiſſe, ſi ipſe totuſq; exercitus ſuus ex propinquo fonte bibiſſent (nam ſeruabant eum hoſtes) agrum ſe bello partum eis redditurum. Cùm id fœdus iureiurando ſancitum eſſet,concione aduocata ſuorum,pronunciaſſe, regnum ei ſe, qui non bibiſſet,dare. Vbi nemo ſibi temperare potuit, ſed biberunt omnes, ipſum deſcendiſſe omnium poſtremum: cumque conſperſiſſet aqua ſe, hoſtibus adhuc præſentibus diſceſſiſſe: itaq; agrum, quòd non potaſſet,retinuiſſe.Plut.in Apophthegmatibus.

---

## DIVITIIS ET OPIBVS ALIORVM aſtutè incommodare.

*Conſule Tit. Forum aſtutorum, quatenus quæ ſibi comparant,aliis adimunt.*

IOANNES, Anglorum rex, ſubditis pariter exoſus & infenſus, cùm iam inſtaret meſſis,omnia ſepta,quib. cerui atque damæ inprimis continentur, ſepimentis nudari, atq; foſſas circunductas oppleri iuſſiſſe fertur, quo ipſæ feræ latè currentes,frugum dulcedine allectæ arua depaſcerentur.Polydorus libro 15.

Exules FLORENTINI,qui contra Petrum Medicem infeliciter conſpirarant,Romæ Medices ampla quidẽ negotia, ſed haud ſatis explicata habere ſcientes, ut eodem tempore nomina à creditoribus exigerentur curarũt: futurum ſperantes,ut quando ingens pecuniæ uis, cuius magnam partem in nominibus, perexiguam numeratam haberent, à Petri procuratoribus exigeretur, neq; eam ſubitò expedire poſſent: Petri fides & exiſtimatio Romæ tanquã in ſpecula labefactata, apud exteros quoq; malè audiret, & ita ſenſim opes illius corruerent. Et multum certè hoc aſtu effecerũt, ut Petrus ægerrimè tueri in ciuitate & apud exteros fidem potuerit.Brutus lib.3.Hiſtoriæ Florentinæ.

---

## AMICITIAM POLITICAM PVblicè uel priuatim aſtutè comparare, conſeruare.

QVORVM. NEMPE

*Principum.*

PIGRES & Maſtyes fratres duo Pæones,Darij regis gratiam uenãtes, obſeruato tẽpore,dum in ſuburbanis Lydorũ Darius præſideret,ſororẽ ſecum adductã, & quã optimè poterant exornatã, ad aquã mittunt, uas capite cõtinentem,equũ è brachio trahentẽ, linumq; nentem. Quã ut uidit Darius, miſit quoſdã ſuorum ſatellitũ iuſſos obſeruare in quã rem uteretur mulier equo. Quę cùm adaquare uidiſſent,renunciant regi.Is coràm adduci feminã iubet.Fratres qui nõ ꝓcul aberãt,interrogãti Dario,Cuias illa eſſet? aiũt ſe Pęones eſſe,& illam ſuã ſororem,ſeq; ueniſſe Sardis,ut ſeſe Dario donarent. Pæoniam aũt Teucrorum coloniã eſſe ad flumen Strymonem ſitam,non procul ab Helleſponto.Interroganti iterum Dario,Nunquid omnes illic feminæ tam laborioſæ eſſent?affirmarunt promtè. Itaq; Darius literas ad Megabyzum dat,quem in Thracia præfectũ reliquerat, iubens è ſedibus ſuis Pæones ad ſe transferri, cum liberis pariter & uxoribus.Herod.lib.5.

BARDAS Durus, Coſrois Saraceni principis carcere liberatus, quum audiret, Bardam Phocam hoſtem ſuum Imperatorem eſſe nominatum, contra Baſilium Porphyrogenitũ, dubitans utri ſe adiungeret, tandẽ ſtatuit ſibi utrumq; conciliandum,ut alterutro ſucçeſſu carente,apud alterũ locum haberet & auxilium.Ergo literis ad Phocam miſſis,ſocietatem cum eo Imperatoris Baſilij opprimendi, imperiiq; partitionem ſe cupere mirè ſignificat. Occultè autem Romanum filium, ſimulato eum transfugiſſe, ad Imperatorem mittit:callidiſſimè hoc meditatus,ut ſiue Phocas uiciſſet, filio ipſe ueniam impetraret:ſiue Imperatoris res præualuiſſent,filij deprecatione periculum euitaret.Idque ita factum eſt. Mortuo enim Phoca, reconciliatus Imp.Baſilio, benignè ab eo eſt habitus.Cedrenus.

*Sociorum.*

Theopõpus hiſtoricus, apud Theodorũ Metochitã, aculeata LACEDÆMONIOS oratione perſtringẽs, improbarum eos mulierum cauponam exercentium ſimiles eſſe dicebat, quę hoſpitib.ad ſe diuertentibus uinũ initio & guſtatu ſuaue, & uſu ſalubre prębent,callidè id aſtuteq; facientes,ut argentum ab eis eliciant: poſtea uerò aliud infundunt uile,& corruptum,& acidum,eoq; ipſos uti cogunt.Sic enim & Lacedæmonios initio eius belli, quod aduerſus Athenienſes geſſerunt, callidè feciſſe,ut cæteros Græcos, tanquam ſuauiſſimo poculo oblato,allicerent:cùm quaſi tabellis publicè propoſitis profiterentur,ac promulgarent,cupere ſe Gręciam à dominatu Athenienſium uindicare.Pòſt aũt eis amariſſima & inſuauiſſima pocula miſcuiſſe,refertæ undiq; moleſtiis uitæ,&negotiorũ acerbiſſimos dolores inurentium: cùm pręficerẽt ciuitatib. X uiros, & præſides importuniſſimos,qui eas tyrannico imperio premerẽt,agerẽtq; ea, quæ aſperrima perpeſſu, planeq; intolerabilia eſſent. Muretus lib.7.Var.lect.cap.17.

QVOMODO. PVTA

*Libidine,Lenocinio.*

L.LVCVLLVS cum M. Cotta Conſul,indignè tulit, ſibi Galliam ciſalpinam prouinciam obtigiſſe, quæ materiam non habebat rerum magnarum. Præcipuè uerò gloria eum Cn. Pompeij ex rebus in Hiſpania geſtis, ut nullius alterius, ſtimulabat:qui omnium opinione,ſi patratum bellum Hiſpanicum eſſet, dux deſignabatur contra Mithridatem. Quare cùm ſtipendiũ poſtularet,& ni mitteretur, relictis Hiſpania & Sertorio, deportaturum ſe in Italiam ſcriberet legiones: præſtò ei fuit promtiſſimè Lucullus, ut pecunia mitteretur, & ne ulla occaſione in ſuo conſulatu ille reuerteretur. totam enim rempublicam in manu eius, ſi cum tanto adeſſet exercitu, exiſtimabat fore. Medio temporis, Octauij, qui obtinebat Ciliciam, mors adfertur. Gliſcentibus compluribus eius prouinciæ cupiditate, & Cethegum, ut qui



eam conficere cui uellet poſſet,aſſectãtibus: ipſius quidem Ciliciæ Lucullus non magnam ducebat rationem : uerùm quòd exiſtimaret, ſi eam eſſet aſſecutus, quia adhærebat ei Cappadocia, neminem alium ad bellum cum Mithridate gerendum miſſum iri:omnem lapidem mouit, ne ad alium deuolueretur hæc prouincia. Cæterùm quia ſimultas ei intercedebat cum Cethego, qui illius deteſtabatur uitam,infamibus amoribus luſtriſq; atque omni improbitate delibutam, eum ſibi tali ratione conciliauit. Mulier quædam Præcia nomine erat,forma & facetiis in urbe nobilis, impudenti ſcorto cętera nihilo melior. uerùm quòd uteretur iis, qui cum ipſa conſuetudinem & rationes habebant, ad amicorum uoluntates & negotia, cum reliqua gratia hanc cõparauit exiſtimationem, ut amicorum ſtudioſa & negotioſa haberetur. Vnde plurimùm polluit. Ad quam (ut ea florentem auctoritate tunc & in ciuitate dominantem pellexit Cethegum, atq; cum eo uiuebat amante)opes reipub.ſemel omnes recidêre. Nihil enim gerebatur publicè, niſi interueniente Cethego, nec niſi ex Præciæ apud Cethegum auctoritate. In huius ergo gratiam ut donis ſe Lucullus & blandimentis inſinuauit, illicò Cethegum habuit laudatorem ambientemq; ei Ciliciam. Quam ubi ſemel eſt aſſecutus,nihil iam Pręciam uel Cethegum opus fuit adhibere patronum, ſed omnes ei pariter bellum Mithridaticum decreuerunt.Plutarchus in Lucullo.

OTHO, antequam ad imperium peruenit,libertinã aulicam gratioſam,quò efficaciùs coleret,etiam diligere ſimulauit, quamuis anum,ac penè decrepitã. Per hanc inſinuatus Neroni, facilè ſummum inter amicos locum tenuit congruentia morum : ut uerò quidam tradunt, & conſuetudine mutui ſtupri:ac tantum potentia ualuit, ut damnatum repetundis conſularem uirum, ingens præmium pactus, prius quàm planè reſtitutionem ei impetraſſet, non dubitaret in Senatum ad agendas gratias introducere.Suetonius.

*Largitione.*

Pleriq; aſſerunt,Athenienſem populum primũ ad agrarias diuiſiones, ad ſportulas theatrales, & mercenarias largitiones accipiendas à PERICLE deductum, eoq; prauo more profuſum, luxuque ſolutum iſtis actionibus redditum, frugi cùm fuiſſet antè, & operis tolerauiſſet ſe ſuis. Cauſa huius rei hæc fuit. Cùm offerret glorię ſe Cimonis aduerſariũ, prenſauit populum.Sed quòd ſuperaret ipſum Cimon diuitiis & pecunia,quibus fouebat inopes,ad cœnam quotidie egenos ciues inuitans,ſenes ueſtiens, ſepes amouens prædiorum, quò ſumerent quibus liberet poma: hac popularitate inferior, Demonidis conſilio Ienſis, ut tradit Ariſtoteles,cõuertit ſe Pericles ad publica dilargienda:breuiq; theatralibus & iudicialibus ſportulis,atq; aliis præmiationibus largitionibuſq; corrupta plebe,uſus eſt aduerſus Areopagi curiam,in qua ipſe non erat:quòd nec archon,nec theſmothetes, nec rex ſacrorũ, nec polemarchus ſorte cooptatus fuiſſet. hi enim magiſtratus ſortitò antiquitùs creabantur: quiq; in iis ſpecimen dediſſent ſui,aſpirabant ad curiam Areopagi. Quare cùm plus apud populum polleret Pericles, factione ſua oppreſſit hoc conſilium, eiq; opera Ephialtis pleraq; ademit iudicia:ac Cimonem,ut Lacedæmoniorum fautorem,infeſtumque populo,urbe pepulit,opibus & nobilitate nulli ſecundum: qui uictorias de barbaris pulcerrimas retulerat, opulentiaque grandi ac manubiis expleuerat ciuitatem. Tam ualidæ opes apud populum erant Periclis.Plutarchus in Pericle.

OTHO, ſpe ſibi facta imperij poſt Galbam à Seleuco mathematico, nullo officij aut ambitionis in quenquam genere omiſſo,quoties cœna principem acciperet,aureos excubanti cohorti uiritim diuidebat, nec minus alium alia uia militum demerebatur.Cuidam de parte finium cum uicino litiganti,adhibitus arbiter, totum agrum redemit, emancipauitq; : ut iam uix ullus eſſet,qui non & ſentiret, & prædicaret,ſolum ſucceſſionis Imperij dignum.Suetonius.

*Blanditia,Obſequio.*

Cicero pro Cælio dicens,de ingenio L. Sergij CATILINÆ, & quanto artificio ille captaret uoluntates hominum, diſputans,ait:Verſare ſuam naturã,& regere ad tempus, atq; huc & illuc torquere & flectere. cum triſtibus, ſeuerè: cum remiſſis,iucundè:cum ſenibus,grauiter:cum iuuentute,comiter:cum facinoroſis, audacter: cum libidinoſis,luxurioſè uiuere.

*Patientia.*

ARISTIPPVS à Dionyſio conſputus,patienter tulit.Eam autem iniuriam quum quidã ægrè ferrent: Piſcatores, inquit, ut gobium capiant, marinam patiuntur aſperginem. Laert. lib.2.capite 8.

*Immunitate.*

SMERDES Magus cùm Perſarum regnum occupaſſet,per ſeptem menſes (quibus regnauit) immunitatem tributorum ac uacationẽ militiæ omnib.gentibus tribuit : eaq; ratione effecit,ut grauiter illius mortem Aſia tulerit.Herodot.lib.3.

*Abolitione tabularum.*

ELEAZARVS Ananiæ pontificis F. Hieroſolymitanus, ſub initia Iudaici belli, ſeditioſorum dux, ignem archiuo urbis iniecit : ut nominibus omnibus abolitis, magnam eo beneficiò ære alieno oppreſſorum ſibi adiungeret multitudinem aduerſus locupletes. Ioſephus lib.2.c.17.belli Iud.

*Impunitate.*

HENRICVS VII. Anglorum rex, morti proximus, aliqua gratuita liberalitate ſui deſiderium apud populum relicturus,edicto toto regno diuulgato,omnibus pœnam remiſit, qui leges generatim uiolaſſent: in iis tamen eſſe noluit,neque homicidas, neque fures, quòd ea facinora non ipſum, ſed alterum læſiſſent.Propter acceptum munus,publicè ſupplicationes pro ſalute principis decretæ. Ille interim morbo iam conſumtus, è uita diſceſſit, anno Salutis M D IX. Ex teſtamento ipſius tota Anglia edictum propoſitum eſt, ut ſi quis eſſet uiolatus, boniſue priuatus per iudices fiſcales, accederet ad regem, reſque ſuas repeteret, qui omnibus de iniuriis ſatisfacere paratus foret. Itaque multis accurrentibus,& ſua repetentibus,ne populi fieret ſeditio,Iudices fiſcales duo iniuſtarum exactionum damnati, ſecuri percutiũtur.Accuſatores autem delatoreſq; ignominia per urbem notati,partim mœrore animi periêre, partim multati, uel uinculis æterniſq; tenebris mandati ſunt. Polydorus libro 26.& 27.

ASCANIVS Sforcia Cardinalis, cùm uideret Iuliani Cardinalis factione Ioannem Borgiam nepotem Alexandri VI. galero donatum iri: quem ab ea dignitate artibus ſuis prohibere non poterat, eum ficta beneuolentia ſibi conciliare ſtatuit: tantoq; ſtudio in Ioanne promouendo uſus eſt, ut maiorem ſe Aſcanio, quàm Iuliano gratiam debere, Ioannes fateretur. Garimbertus lib.4.de Vitis Pontificum.

---

## AMICITIAM OECONOMICAM aſtutè conciliare.

*De Coniugio aſtutè conciliando ſuprà actum.*

---

## INIMICITIAM, ODIVM, PVblicè uel priuatim aſtutè excitare, fouere.

*Ex Tit. Accuſationis aſtutæ huc pleraq; transferri poſſunt.*

AD QVAM, QVALEM. IMPELLEre,Permouere ad

*Defectionem,Rebellionem.*

Bello Africano, quo Carthaginenſium opes ſtipendiarij milites,Mathone Afro,Spendio Campano, &Autharico Gallo ducibus,grauiter afflixêre,Hamilcar Carthaginenſium dux manſuetudine & popularitate ſua etiam hoſtibus gratus erat. SPENDIVS ergo & AVTHARICVS ueriti, ne benignitas iſta ſuis rebus officeret:atrox facinus commenti,uelut literæ ex Sardinia & Tunete uno tempore ſignificarent, ut Spendius & Autharicus ſua corpora cuſtodirẽt compertum indicio eſſe, in caſtris uagari, qui à Carthaginenſibus ſubornati, ipſorum ducum capitibus inſidiarentur: multa pro concione queſti, eò militarem multitudinem perpulêre,ut Giſconi uiro clariſſimo,qui in cuſtodia erat, & ſeptingentis cum eo Carthaginenſibus captiuis,extra uallum deductis,manus præciderint, membraq; laniarint, poſtremò fractis cruribus,uiuos in ſcrobem ad id factam cõiecerint. Hoc illi ſcelus machinati,ut Hamilcar, ſuum exemplum ſecutus,in captiuos ſæuire cogeretur.Miſerunt Carthaginenſes legatos ad repetenda proiectorum cadauera. At non id tantùm negatum eſt, ſed reſponſum etiam, ne caduceator quiſquam aut orator ad ſe ex urbe ueniret ampliùs : futurum,ut ſi qui eò ueniſſent,pari ſupplicio affecti, ut illi,inſepulti abiicerentur. Hamilcar hoſtium crudelitate irritatus, quoſcunque captiuorum tunc habuit,aut poſtea cepit, beſtiis laniandos obiecit.Sabel.lib.9.Ennead.4.

PACVVIVS Calanus Capuanus, iam inde, ex quo Romani ad Traſimenũ uicti ſunt,ad Pœnorũ ſocietatem animum adiecerat.Ad quod facinus exequendum,ut totius ciuitatis ſtudia conciliata haberet,noua arte in reconciliandis ordinib.eſt uſus. Senatũ primò docuit quantũ illi periculi à plebe immineret, ſi nouandæ rei occaſio alicunde affulſiſſet: haud dubiè,niſi maturè obuiã iretur,fore, ut nõ multo pòſt pauci à pluribus ſubita ui obtruncarentur. Verùm habere ſe conſilium multitudinis recõciliandæ, ſi ſuæ fidei ſenatus negotium permittat. Omnes ad unum metu perculſi, Pacuuium orant,ut ex ſua fide uniuerſo ordini conſuleret.Senatu itaq; in curia clauſo, Pacuuius in concionem proceſſit;ubi multitudinem affatus,Multum diuque,inquit, opta-

ſtis,

ſtis,ciues Campani,ueſtros ſenatores tollere : at certò ſcio, quando optatæ cædis poteſtas fiet à me uobis (clauſi enim omnes in curia,ut oportuniores ad iniuriam haberetis)nolle uos ſine ſenatu eſſe,neque etiam expediret ciuitati,publico cõſilio carere.Legendi igitur uobis noui ſenatores erũt. Coniiciam proinde ſingulorum nomina in urnam, ac quotus quiſq; eorum fuerit ſorte ductus, de eius capite,ut libitum fuerit, ſtatuetis. ſed priuſquam de ſonte ſumatur ſupplicium,in damnati locum alius eſt uobis ſenator cooptandus.Atq; ita uno tempore inimicos ulciſcemini, & nouum ex ſententia ſenatorem habebitis.Aſſenſa eſt multitudo,nomenque unius ſorte eductum omnes deteſtati,dignum ſupplicio conclamabant.Video,inquit Pacuuius,quę ſit ueſtra de homine ſententia:agite nunc, & priuſquam ſupplicio afficiatur,unum aliquem in huius locum cooptate. Tum uerò quum unus atque alter nominari cœptus eſſet,eorumq; nomina uulgo ſorderent, nec quiſquam exiſteret, cui non ignauia aut obſcuritas generis aliúdue ſordidum obiiceretur,eſſentque pleriq; non tam ad dignitatem, quàm ad audienda probra nominati: ſenſim ex concione & cum rubore plebs dilapſa eſt, notiſſimum malum maximè tolerabile eſſe dictitans:remiſſoque odio ſenatum cuſtodia educi iuſſit.Senatores & ipſi iam inde obſequentiores in plebem facti, facilè eum ordinem ſibi beneuolentia deuinxêre. Fuit Pacuuius ob hæc in magna celebritate, ac ciuitatis longè princeps,ciueſq; mutuo inter ſe ſtudio deuincti,unà omnes à Romanis ad Pœnos inclinarunt.Facta defectione, ille idẽ fœderis cum Hannibale incundi auctor fuit,& tertiò Perollæ filij manibus,qui Hannibalem interfecturus fuerat, gladio excuſſo,Campanam perfidiam contra Romanos ſtabiliuit.Sabellicus lib.3.En.5.

SOLDANVS Agarenorum, Longobardiam infeſtantiũ dux, captus à Ludouico II. Imp.aſtutia ſua adduxit Capuanos, ut ab Imp.rebellarent.Eius enim fortẽ miſeratus, ꝙ eſſet uir cordatus & prudẽs, ſibi familiarẽ fecit, adeò ut ſæpe cũ illo cõſilia ſua cõmunicaret. Barbarus regi ſuaſit,ut ſi Capuam & Beneuentum firmiſſimo dominio poſſidere uellet,nobiliores urbis aliò migrari faceret, & ſic plebẽ ſine labore poſſe facilè domari. Rex conſiliũ ex animo ſuo arbitratus fore, clã uincula fabricari & cõpedes iuſſit. At Soldanus omnia nobilib.patefecit:& in maiorẽ rei fidẽ, cõpedes oſtendit & manicas ferreas. Populares regẽ in uenationẽ progredientem urbe excluſerunt:& Soldano precii loco libertatem donauerunt. Is egreſſus, nouo exercitu collecto, longa obſidione Capuã & Beneuentũ cinxit. Obſidione preſſi regem adeunt,facti ueniã petentes:cauſantur,Barbari ſe aſtu deceptos. Rex legatos non admittens,ſed pœnas interminans, effecit, ut à Baſilio Imp. Conſtantinopolitano opem peterent. Cuſpinianus,ex Zonara & Cedreno.

GOTRICVS, Danorum rex potẽtiſſimus & aſtutiſſimus,Reſonem quendam ( qui iuxta nominis ſui interpretationem aſtuta uulpecula erat)in Sueoniam ſub transfugæ titulo miſit,ut ſeminatis inter Sueonum & Gothorũ proceres odiis, uiam aperiret,qua ſeipſos perderent.Reſo in aula regis Sueonum Biorni indulgentiùs habitus, deinde regiorum ſecretorum particeps effectus, nobilibus perfidè omnia indicauit: & breui regem proceribus, proceres regi infenſiſſimos reddidiſſet, niſi quidam deprehenſis eius dolis,eum publico iudicio conuictum,ſuſpenſis ad collum lapidibus,in mari ſubmerſiſſent.Io.Magnus lib.17.cap.1.

CAROLVS IV.Imp.Ludouico Marchioni Brandeburgenſi, Ludouici Bauari Imp. defuncti F.indignũ iudicans, cũ quo ipſe contenderet, æmulũ excitauit, qui ſe Valdemarũ Marchionẽ Brãdeburgenſem diceret, rumoremq; de morte ſua an.1323. ſparſum, non ſolùm peregrinationis prætextu, ſed ætate,formaq; & ſtatura inſuper refelleret. Ei namq; ſine liberis mortuo Ludouicũ filiũ Cæſar ſucceſſorẽ dederat. Is à Brandeburgenſib.tanto fauore exceptus eſt,ut ei complura caſtella & municipia ſua ſponte aperuerint.Acceſſit mox frequens nobilitas,poſtquã Albertus & Ioannes,comites Megapolenſes,à Carolo ad principalem honorẽ euecti ſunt,unam hanc beneficij gratiã tacitè exigente,ut Valdemaro in aſſerenda Marchia adiutores ſe prębérent. Quod quidẽ Albertus ſedulò præſtitit, ut Ludouicus à Rege Daniæ affine ſuo auxiliũ cogeretur implorare. Carolus uiciſſim Alberto opẽ tulit. Iamq; magnis utrinq; uirib. præliũ inſtruebatur, cùm duces Ludouici,à Carolo,Chriſtiani ſanguinis effuſionẽ abhorrente,neq; tamẽ cauſam uel iniuſtam prodere uolente,munerib.corrupti, Ludouico auctores fuere,ne ſummã rerũ pręlio incerto committeret.Is ergo fratri ſuo Ludouico,Romano dicto,Marchia reſignata,in Bauariam rediit: nec multo pòſt Rodolfi iunioris Palatini opera Cæſari reconciliatus eſt. Conſueuerãt Cæſares inſignia Cæſarũ cum ſanctis quibuſdã reliquiis apud ſucceſſores deponere : quæ tunc omnia Ludouicus poſt obitũ patris ſui Ludouici Bauari in poteſtate habebat. Gladius magni Caroli erat, lancea Chriſti,dextra portio S.Crucis, cum uno clauo & mappa,qua ultima menſa Domini ſtrata fuit. Conſilio igitur Palatini Ludouicus reliquias has pro redimenda pace, quietaque Marchionatus Brandeburgenſis poſſeſſione,permutauit,ſeque Carolo comitem in Italiam adiunxit. Valdemarus tandem à rege Danorum Valdemaro omnibus fortunis exutus,in exilium pulſus fuit.Dubrauius lib.22.

*Deſertionem.*

ATILA Hunnorum rex, in Galliam irrupturus, ut Romanorum ac Gothorum opes atque auxilia ſepararet, legatos alios ad Valentinianum III. Imp. miſit, per quos ſe in Galliam aduerſus Gothos ( quod ſalua ipſius amicitia facere poſſet ) contendere uelle oſtendit: alios uerò ad Theodericum Gothorum regem in Aquitania, per quos ſe ſtatuiſſe Romanos adoriri ſignificauit. proinde ſe utrique magnoperè ſuadere, ut alter ab alterius auxilio abſtineret, neque alieni periculi cauſſa ſuas fortunas in dubium deuocaret. Valentinianus autem iampridem in omnem Atilæ actionem atque orationem intentus, fuco uerborum ſe decipi ueritus, ſubitò per fidos nuncios Theoderico legationem Atilæ, atque occultum, ut rebatur, eius conſilium demonſtrauit: eumque, ut in communi periculo communia arma ſuſciperet, inuitauit.Theodericus igitur fœdus aduerſus Atilam haud inuitus percuſſit. Sigon.lib. 13. Imp.occid.

BERNARDVS,Comes Bardulus,ut ſuorum animos à Francis alienaret,Bardulos quoſdam ſeruitute Saracenorum elapſos Francis obiecit necandos. Qua iniuria irritati, Francos ex inſidiis adorti,magna ſtrage affecerunt. Aemil.lib.3.

*Seditionem.*

Paulo Apoſtolo Epheſi multa miracula faciente, DEMETRIVS argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ, conuocatis artificibus, lymphatis ſimiles procurrere, & Magnam Dianam Epheſiorum inclamare iuſſit.Quo ipſo ſeditio in ciuitate ingens excitata fuit, & in magno periculo Paulus & ſocij eius fuerunt. Actorum capite 19.

QVOMODO. VIDELICET

*Honorum delatione.*

Primos honores,quos humanũ ſanè capiebat faſtigium, cùm Cicero C.Iul.Cæſari Dictatori in ſenatu decreuiſſet,alij immodicis certatim adiiciendis Cæſarem uel apud placidiſſimos inuidioſum reddidêre & odioſum, ob tumorem & nouitatem decretorum. in quibus non minus INIMICOS Cæſaris quàm adulatores putant elaboraſſe: quò pluribus ex occaſionibus & offenſionibus maximis in eum uiderentur inſurgere,quando cætera bellis explicatis ciuilibus pręſtitit ſeſe irreprehenſibilem.Plut.in Cæſare.

*Hæreditate.*

BERCHTHOLDVS,Dux Zeringię,ut ſereret inimicitias inter propinquos ſuos poſt mortem ſuam, moriẽs pecuniam omnem ſignatam & uaſa aurea & argentea in unam conflari maſſam iuſſit.Fulgoſus.

FRIDERICVS Tocenburgius Comes, Tigurinos & Suicenſes utriſq; cõfœderatus,pernicioſo bello inuoluit,cùm ſuis ſubditis permiſiſſet, utriuſuis gentis ſocietatem,poſt ſuum obitum, quando liberis careret, amplecti. Stumpſius lib. 13.Heluetiæ.

*Oraculis falſis.*

Cùm Athenis multa dira à ſacerdotibus aduerſus ſuſceptam expeditionem Siculam obnunciata eſſent:ALCIBIADES eius belli ſuaſor,ex uetuſtis quibuſdam uaticiniis magnum decus prænunciauit Athenienſes ex Sicilia deportaturos. Legatos quoq; ſubornauerat, qui ab Ioue Ammone reuerſi fuerãt cum ſortibus, quibus ſignificabatur capiendos ab Athenienſibus omnes Syracuſanos.Illud oraculum ſiue ſincerum fuit, ſiue fictum, cauillo anſam dedit.Nam profectis in Siciliam Atheniẽſibus,cùm cepiſſent nauem hoſtilem,ea portabat tabellas, in quas nomina ſua Syracuſani tributim perſcripſerant.Hæ procul urbe in æde Iouis Olympij fuerãt depoſitæ: tunc autem ad conquiſitionem & delectũ iuuentutis deportabantur. Quæ ut captæ ab Athenienſibus & ad duces ſunt delatæ, atque ingens numerus conſpectus eſt nominum : torſit res uates, ne fortè fatum hîc impletum eſſet oraculi, quod dicebat, Athenienſes capient omnes Syracuſanos. Verùm enimuerò alio id actu aiunt conſummatum Athenienſibus fuiſſe, quo tempore Calippus Athenienſis, poſtquam interfecit Dionem, tenuit Syracuſas.Plutarchus in Nicia.

Cùm Blachi ſeu Myſi à defectione ab Imperatore Iſaacio Angelo, ad quam à PETRO & ASANE fratribus inducebantur, rei difficultate territi,abhorrerent:fratres, ut popularibus ſuis eum metum adimerent, ædem nomine martyris Demetrij ædificarunt,in eamq; multos dæmoniacos utriuſque ſexus coëgerunt,qui cruentis & peruerſis pupillis,effuſiſq; crinib.cætera omnia exquiſitè exprimebant,quæ id genus hominum propria habet:eoſq; docebant in furore proloqui,



loqui, Deo uiſum eſſe, ut gens Bulgarorum & Blachorum, diuturno iugo excuſſo, libertatẽ cõſequatur : eaq; de cauſa Chriſti martyrem Demetrium, relicta metropoli Theſſalonica & æde,Romanorũq; cõſuetudine,ad ipſos perueniſſe, adiuturum id opus. Igitur uæcordes iſti homines paulùm morati,& ſubitò maiore ſpiritu collecto rurſus alienati exagitabantur, & clàm uoce quaſi numine afflati clamabant, Non ampliùs deſidiæ eſſe locum, ſed arreptis armis Romanos inuadendos eſſe: & qui in bello caperentur, non conſeruandos aut uendendos, ſed inclementer occidendos eſſe, & prece & precio repudiato, neque magis ulla obteſtatione moueri oportere,quàm adamantem. Tota igitur gẽs à talibus uatibus concitata, ad arma concurrit, & ut initia defectionis auſpicata fuerũt, magis etiam credidêre Deum libertati fauere.Nicetas lib.1.

*Mendacio.*

Nicias Atheniẽſis, uir opt.poſt pugnam ad Amphipolim Athenienſes & Lacedæmonios conciliauerat. ALCIBIADES uerò nec ad otium appoſitus,& infeſtus Lacedæmoniis, ꝙ adhærerent & attenderent Niciæ,ſe uerò deſpicerent, contẽnerentq;: mox à primo fuerat aduerſatus, & repugnauerat paci,uerùm nihil profecerat. Breui pòſt cernens non perinde iam ſatisfacere Athenienſibus Lacedæmonios, ſed facere uideri fraudẽ, quòd ſocietatem iunxiſſent cum Bœotiis, nec Panactum integrám tradidiſſent, nec Amphipolim:has arripuit cauſas, inflammauitq; ad ſingula populum. Tandem euocatis legatis Argiuorum, ſociare eos molitus eſt cùm Atheniẽſibus. Vt uerò legati Lacedæmoniorum cum libera poteſtate aduenerunt, ac primò in curia auditi,mandata uiſi ſunt æquiſſima habere: ueritus Alcibiades, ne eadẽ oratione in animũ populi influerẽt, circũuenit eos fallacia & iureiurando, oſtenditq; ſe præſtò ipſis futurũ, ſi diſſimularẽt & inficias irent liberam poteſtatẽ habere. Ita enim, quæ cuperent,facillimè obtenturos. Cum populo enim ſuperbo arroganter & diſſimulanter eſſe agendũ,ne humanitatem pro timiditate interpretetur. Legatos igitur ubi induxit,atq; ad ſe ab Nicia traduxit,producens eos in concionẽ quæſiuit primo loco,Haberéntne ſolutam de omnibus poteſtatem ? Quod cùm negarent,præter expectationem eorũ uarians,curiam dictorum teſtem aduocauit, monuitq; populum,ne tam apertè mentientibus,& modò hoc,modò illud eadem de re dicentibus,aures præberẽt, uel fidem adhiberent.His non immeritò attonitis,cùm non haberet Nicias quid diceret, ſed eſſet ſtupore & rei nouitate defixus: inſtitit cõfeſtim populus Argiuos accire, ſocietatemq; cum iis ſancire. Et ſic denuò ex pace in bellum præcipitata fuit Athenarum urbs.Plutarchus in Nicia.

Alexander Magnus ut Aſiaticũ bellum à patre inchoatum faciliùs exequeretur,in Triballos mouit,ne poſt ſe gentẽ ullam Macedonum rebus infeſtã relinqueret. Sedes habuit ea gẽs ad Iſtrum. Cuius regem Syrmium, quũ prælio uiciſſet, premeretq; eam terram armis:repentè ex Græcia affertur Thebanos, Athenienſes & Lacedæmonios ad Perſas defeciſſe. DEMOSTHENEM clarum Athenis oratorem, & qui Philippi patris rebus ſemper fuerat infeſtus, auro à Perſis corruptum, auctorem fuiſſe tam ſubitę defectionis. Qui præter eloquentiam,qua plurimum polleret,mendacio uſus diceretur, quòd in concione quendam produxiſſet, qui affirmaret,interfuiſſe ſe prœlio, quo Alexander in Triballis periiſſet, ſe quoque uulneratum diceret, eſſe Macedonum copias ibi occidione occiſas. Plutarchus nunc puerum, nunc adoleſcentem, inter agendum à Demoſthene in contemtum appellatum ſcribit.Sab.lib.4.En.4.

Saturninus Romæ factus tribunus,legem agrariã tulit, in qua erat hoc adiectũ,ut ſenatus iuraret in concione,ſe id, quod populus iuſſiſſet,comprobaturum,neq; ulla in re impugnaturum. Hoc legis caput in ſenatu improbare C. MARIVS Conſul VI.ſubdolè fingẽs, negauit,ſe in legem iuraturum, neq; arbitrari alium,qui ſaperet.Hoc ille nõ, quod ita ſentiret,dixit: uerùm ut impoſtura inuolueret Cecilium Metellũ collegam inexplicabili,quem uirum ſciebat conſtantem,ut cùm nollet iurare,in odium populi inexpiabile cõiiceretur. Cùm itaq; affirmaſſet non iuraturum ſe Metellus,mox ſenatus dimiſſus eſt. Paucis pòſt diebus compellebat uocatos in Roſtra patres Saturninus iurare in legem. Ibi procedens Marius,ſilentio facto,negauit,ſe hoc ſibi arrogare,ut ſemel tãta de re præiudicaret,iuraturumq; & legi pariturum,modò lex eſſet. Hanc enim cautionem pro impudentiæ colore adiecit. Lætus populus, quòd iuraſſet, excepit eum plauſu & lætis acclamationis. Principes uerò ingens pudor & odium cepit Marij uariationis. Itaque populi metu omnes ordine iurauerunt,quo uſq; uentum eſt ad Metellum. Qui, quamuis obſecrantibus & orantibus ut iuraret neceſſariis, ne in pœnas grauiſſimas incurreret, quas in detrectantes comprehenderat in lege Saturninus, non deceſſit de gradu ſuo, uerùm moribus ſuis ſeruiens, atque omnia acerba priùs pati, quàm ullam in ſe maculam admittere paratus, diſceſſit ex foro.Mox fert rogationem Saturninus,ut Metello aqua & igni interdicerent conſules,& ne quis tecto eum reciperet. Et fex plebis adhærebat eis,interficere Metellum parata. Cùm fieret optimatium uehementer anxiorum ad Metellum concurſus,uetans,ſeditionem ipſius cauſa mouere:ſapienti conſilio urbe ceſſit,& Rhodum profectus,philoſophiæ uacauit: Aut enim melioribus, inquit,rebus & populo ad pœnitentiam adducto,reuocabor domum,aut pręſtabit abeſſe hoc in ſtatu manentibus. Marius interim,cùm principes uereretur,& aſſentaretur plebi: facinus prorſus illiberale & ueteratoriũ admiſit. Nam cùm ſub noctem eum principes ciuitatis adiiſſent, inq; Saturninum concitarent, his inſciis admiſit illum altera ianua. Mox alui profluuium apud utroſq; cauſans,modò ad hos modò ad illum in ædibus tranſcurrit, eoſque inter ſe commiſit atq; inflammauit. Tandem ſenatu & ordine equeſtri conſpirantibus frendentibuſq;, impleuit forum armis, illoſq; in Capitolium compulſos ſiti cepit,quòd interſcidiſſet aquæductus.Itaque cõfecti euocauerunt illum,ac fide publica accepta,ſeſe ei permiſerunt. Qui,ut eos conſeruaret, cùm in omnem ſe uertiſſet ſpeciem, nihil profecit. Verùm ſimulatq; deſcenderunt in forum,necati ſunt.Plutarch.in Mario.

ALOYSIVS Soderinus,ciuis Florẽtinus, legatus Bononiam ad Pontificem Clementem VII. antequam ab Carolo V. Cæſare obſiderentur, miſſus, impudenti mendacio retulit, infirmiſſimas eſſe Cæſaris uires, atque adeò exhauſtũ Pontificis ærarium, ut non diu ali,contineriq; exercitus eorum poſſe,periti rerum homines exiſtimarent: conſternatos eſſe Germanos,nec procul abeſſe à ſeditione, fruſtra utique expectatis ſtipendiis : Hiſpanos autem ducibus nequaquam parentes,rapto uiuere, diuagariq; per Etruriam manipulatim. Quibus falſis euulgatis rumoribus populum ab omni concordiæ cõſilio deterreri,retardariq; poſſe ſperauit, propterea que Foianum cucullatum acerbiſſimas in templis habentem conciones, ut eadem populo nunciaret, hortatus fuit.Iouius lib.29.Hiſt.

*Calumnia.*

ACCIVS Tullius,Volſcorum rex,qui C.Martium Coriolanũ profugum excepit, deque communi conſilio Romam ſuos Volſcos ad ludos ire ſuaſit, clàm Conſules allocutus, monuit,ut Volſcos urbe eiicerent:dubitare enim ſe,ne ſicuti olim Sabini,in ſimilibus ludis tumultum excirent. Conſules ergo Accij conſilium ſecuti,Volſcos eo die urbe exire iuſſerunt. Volſci perfidiæ regis ſui ignari, indignabundi diſcedunt,ius hoſpitalitatis uiolatum uociferantes, quòd nulla cauſa eiicerentur. Accius ſuos magis contra Romanos accẽdit, donec ad manifeſtum bellũ,quod odio Romani nominis cupiuerat,res peruenit.Liuius lib.2.

Andronicus Ducas,in expeditione aduerſus Agarenos Himerio Logothetæ ſocius datus,à quodam familiarium,inſtinctu SAMONÆ perennis Ducicæ familiæ hoſtis, monitus fuit,ne cum Himerio proficiſceretur,qui ei (cùm tamen cõmentum id eſſet Samonæ)iuſſu Imp. Leonis oculos eſſet effoſſurus. Himerius ſolus hoſtẽ aggreſſus uicit. Andronicus autem caſtellum Cabalam occupauit.Hinc arrepta occaſione Samonas non deſiit Imp. aduerſus Andronicum concitare.Leo exercitum contra Andronicum mittit.Ille ad Agarenos profugit. Imperator reputans quantum ducem amiſiſſet, & qualem eſſet habiturus hoſtem, animi angebatur: tandem Andronicum promiſſa omnium impunitate per literas reuocat.Literæ cereo incluſæ,Saraceno cuidam è prętorianis captiuis in Syriam Andronico perferendæ traduntur. Diſcedentem Samonas ſeorſim compellans: Cera,quã geſtas,inquit,Syriæ eſt exitium: & tu, ſi qua tibi gentis tuæ cura eſt,eam Vzeti hoſpiti Andronici in manus trade. Promittentem ita facturum, donis precioſis ornauit. Dolo deprehenſo, Andronicus cum ſuis in carcerem coniectus, ibi poſt magnas miſerias tandem periit. Cedrenus.

CAMATHERVS Dromi Logotheta, quum fortunæ benignitatem erga Theodorum Styppiotam,& propẽſiſſimam Imperatoris Manuelis Comneni Ioannis F. uoluntatem ferro non poſſet,amicitiæ ſimulatione uirum circumuenit. Styppiotam apud Imper. ut impoſtorem & doloſum criminatur,& Siculæ proditionis accuſat. Cùm uerò Imperator adhuc in Cilicia agens,fidem ſibi fieri poſtularet, eum ſub uelo ſtare iubet : ipſe Styppiotam tanquam arcani aliquid dicturus,eò ſeducit,ubi Imperator occulebatur:& ab aliis rebus exorſus, tandem in Siciliæ mẽtionem fraudulenter delabitur:dataq; illi occaſione acta illa Imperatoris reprehendendi,magnam Imperatori ſuſpicionem iniecit.Nec multo pòſt literis adulterinis in Styppiotæ codices immiſſis, & coram Imperatore excuſſis, Styppiota perfidè circumuentus, ab Imperatore excæcatus eſt.Nicetas lib.3.

Stephanus II.Hungarorũ rex,adhuc iuuenis,ſuſcepat in Boëmos expeditione. Proceres deteſtati temerè motum bellum

lum, Boëmorum ducem, ad colloquium inuitant, ut abſq; ſanguine res trāſigeretur. Boëmus citò adfuit ad Orſonam amnem. Eum SOLTHA Hungarus ſequebatur exul: qui occaſionem communis exitij non prætermittendam ratus, ad regem Stephanum clàm ſcribit, Boëmos eum, in ermem ad colloquium uenientem, capturos. Contrà ducem Boëmum admonet, ne regem inermis adeat: paratas enim eſſe inſidias. Boëmi, ducis edicto, arma capiunt. Interea Soltha regem clàm edocet, ut ſagittariorum cohortem ad Boëmica caſtra præmittat, quę eorum aduentum intercipiat. Monitis rex facilè credens, cohortes aliquas præmiſit. Quibus conſpectis Boëmi, ueriſſima Solthæ dicta rati, eas in fugam uertunt. Rex ipſe quoq; fugit: Boëmi caſtra diripiunt. At Ianus, Broſæ F. Palatinus comes, cum cataphractorum equitatu Boëmos in caſtris adortus cęcidit, eo ſolo infelix, quòd Soltham huius cladis auctorem capere non potuit. Bonfinius libro ſexto, Decadis 2.

## INIMICITIAM ASTVTE TOLLERE.
### RECONCILIATIO ASTVTA.

Antigonus, Antipatri dux, cùm ob receptum Alcetam, Perdiccæ fratrem, PISIDAS bello peteret, Alcetamq; poſceret, ſenioribus ut dederetur cōſulentibus, coniurarunt iuniores, quos uariis beneficiis ineſcauerat, quodlibet ſubire periculum propter eius ſalutem. Seniores itaq; clàm facta conſpiratione, miſerunt noctu legatos ad Antigonum, pollicētes, ſe Alcetam aut uiuum tradituros, aut mortuum. Petebant autem, ut per dies aliquot urbem oppugnans, & paruulis præliis oppidanos eliciens, ſe tanquam fugiens inde reciperet. hoc enim dum fieret, & iuniores in pugna extra urbem occuparentur, capturos ſe occaſionem conata perficiendi. Antigonus illis obſequutus, uelitationibus iuuenes extra urbem prouocat. Seniores Alcetam deſertum, delectis ſeruorum fideliſſimis quibuſque, & uegetorum ciuium iis, qui cum Alcetā non militabant, conata perfecerunt abſentibus iuuenibus. Et cùm uiuum capere nō poſſent (ſeipſum enim interemerat, ne uiuus ueniret in manus hoſtium) corpus eius in lectulo poſitum, uiliq; lacerna cōtectum, inſciis uelitibus, Antigono tradiderunt. hocq; ſuo commento belli periculum à patria ſua depulerunt. Diod. lib. 18.

## EXISTIMATIONEM, AVCTORItatem aſtutè
### COMPARARE. TVM
### *Diuinitatis.*

*Ex Tit. Hæreticorum & Pſeudoprophetarum, huc quædam.*

IVPITER in Olympo monte plerunq; uerſabatur, omneſq; propoſitis præmiis, qui nouū aliquod inuentum humano generi utile excogitaſſent, inuitabat, ut ad ſe primùm deferrent: cuius ipſe inuentor poſtea creditus eſt: & idcirco huic, ut multis præterea rerum utilium inuentoribus, diuini honores ſunt tributi. Natalis Comes Mytholog. lib. 2. cap. 1.

ISIS, ſoror & uxor Oſiridis, Aegyptiorū regis, à Typhone fratre interemti & diſcerpti, partes omneis diſperſas (pręter pudenda: quæ cùm coniuratorum nullus habere uellet, in fluuium proiecta, inde poſtea exemta, & diuinis honoribus affecta fuêre) cùm inueniſſet, cupiens incertum eſſe uiri ſepulcrū, ab Aegyptiis autē ac ſingulis hominibus in honore haberi: ex aromatibus ac cera ſingulas eas partes in formam hominis, uiro ſimilem, cōpoſuit. Conuocatis deinceps Aegypti ſacerdotibus, ſingulis dedit Oſiridis imaginem: aſſerens, eis ſolis corpus illius creditum: atq; adiurans, ut nunquam apud ſe eſſe ſepulturam Oſiridis ulli panderent: utq; illum in abditis ſeruatum, ut deum colerent: eiq; animal ex ſuis, quod mallent, dicarent, quod & colerent ueluti Oſiridem, dùm uiueret, & poſt obitum ſimili ceremonia obſeruarent. Vt autem maiori beneficio ſacerdotes ad hęc ſibi prōtiores faceret, tertiam eis agrorum partem ad deorum cultum & ſacra cōceſſit. Hi tùm meritorum Oſiridis memores, tum beneficio Iſidis allecti, eius mandata perfecêre: qua ex re etiam nūc ſacerdos quiſq; teſtatur, penes ſe Oſiridem ſepultum eſſe. Animantia quoq; à principio ei dicata in honore habent: & cùm moriuntur, in eorum funere renouant Oſiridis luctum. Diod. lib. 1. cap. 2.

GLAVCVS, Anthedonius piſcator, natandi peritia longè omnium primus, quo magis eſſet miraculo, enatabat è portu ſpectantibus Anthedoniis, donec iam extra proſpectum eſſet. Ibi reuerſus in terram, in loco aliquo ſemoto dies complureis cōmorabatur. Deinde cùm uideretur, redibat nans in portum, ſpectantibus iis qui ſtabant in litore. Mirantibus autem amicis ac ſciſcitantibus, Vbinam gentium tam diu commoratus eſſet, adſimulabat in marinis fluctibus interim uerſatum eſſe ſeſe. Auxit miraculum altero commento. Hybernis menſibus, cùm cæteri piſcatores nihil piſcium capere poſſent, ille ciues rogabat, Quóſnam piſces adduci uellent? Quoſq; iuſſiſſent, aduehebat, uidelicet iam ante paratos in hunc uſum, atq; alibi cōcluſos. Tandem à bellua marina deuoratus, cùm non rediret ex more, populari fama iactatum eſt, eum guſtata herba factū immortalem, & in mari uitam agere. Eraſmus in prouerbio, Glaucus deus.

Narrant, in Libya fuiſſe quendam, nomine PSAPHONEM: qui diuinitatis opinionem affectans, quamplurimas aues cepit uocales, & humani ſermonis dociles, eas ſonare docuit hæc uerba, Μέγας θεὸς ψάφων, id eſt, Magnus deus Pſaphon: atque ita doctas emiſit in montes. At illæ quæ didicerant, canebant: ac reliquas item aues ſonare docebant. Porrò Libyes cùm ignorarent commentum, credentes id diuinitùs accidere, Pſaphoni rem diuinam facere inſtituerunt, ipſumq; in deorum numerum retulerunt. Prouerbium hinc in collectaneis Apoſtolij. Eraſmus & Cælius lib. 3. cap. 5. A. L. At uerò Aelianus hoc commentum ANNONI Carthaginenſi tribuit, & aues libertatem adeptas, & ad cōſuetum uictum reuerſas, naturalem quoq; cantum edidiſſe, & Annonem deluſiſſe ſcribit, lib. 14. de Var. hiſt.

Hermippus refert, PYTHAGORAM, cùm in Italiā ueniſſet, ſubterraneam feciſſe domum, matriq; Theano mandaſſe, ut quæcunq; contingeret, tabulis inſcriberet, tempuſq; adnotaret: deinde illuc deſcendiſſe, ac dum rediret, id matrem feciſſe. Anno autem exacto, aſcendiſſe Pythagoram ex ſpecu ſqualidum, ac macie confectum, aduocataq; concione dixiſſe, ex inferis ſe aſcendere: atq; ut fidem faceret, recitaſſe quicquid eueniſſet. Ciues igitur iis, quæ dicebantur, affecti, in lacrymas eiulatuſque proruperunt, Pythagoramque iam diuini quippiam habere exiſtimantes, uxores ſuas illi in diſciplinam commiſerunt, quæ poſtea Pythagoricæ fuerunt appellatæ. Laërtius lib. 8.

ALEXANDER Magnus, cùm Ammonis oraculo Iouis F. ſalutatus eſſet, omnino aduerſus barbaros inflatus erat, mirè præ ſe ferebat probatum ſibi ortum & ſtirpem ſuam diuinā. Ad Græcos uerò diuinitatem uſurpabat modicè & parciùs. Poſtea ſagitta ictus atq; ingenti preſſus dolore: Hic, amici, inquit, qui fluit, ſanguis eſt humanus, non talis, qualē Iliad. ε. ſcribit Hom. Diis ut ſolitus manare beatis. Cùm aliquando per magna tonitrua omnibus conſternatis ſophiſta Anaxarchus, qui apud eum erat, diceret ei: Num quid tu tale Iouis filius? Ridens ille, Nolo uerò, inquit, formidoloſus eſſe, ſicut tu me uis, amicis: qui cœnam faſtidis meam, quòd piſces uideas in mēſis, non ſatraparum capita appoſita. ſiquidem uera fama eſt, Anaxarchum miſſis à rege Epheſtioni piſciculis dictum illud iactaſſe: quaſi contemnentem deridentemq; eos, qui magnis laboribus & periculis uenantur ſpecioſa: cùm nihil aut parum in deliciis & uoluptatibus habeant præ aliis præcipui. Ex his ergo liquet, nihil ſibi illum perſuaſiſſe uani aut inflatum fuiſſe: uerùm intendiſſe diuinitatis opinione reddere ſibi obnoxios alios. Plut. in Alex.

EVNDEM ſcribit in hiſtoriis Zonaras, quum iaceret conclamatus planè, uoluiſſe clàm in Euphratem ſe demergere, uti opinionem poſt ſe relinqueret, quaſi integer ad deos abiiſſet. Cælius lib. 3. cap. 5. Antiq. Lect.

HERACLIDES Pōticus Tragœdias & Pyrrhichas cōpoſuit. Draconem aluit: quem, cùm ſibi mortē imminere ſentiret, iuſſit cuidam fidiſſimo pro ſe in lecto collocari, ut deus factus uideretur. Quod cùm propinquus ille feciſſet, ſerpens, dum iuſta agerentur, è lecto prorepſit, & præſentes perterrefecit: eiuſq; ambitio patefacta fuit. Laërtius.

Spanus Luſitanus, ruri degēs, incidens in ceruam, quę recens pepererat, & uenatorem fugiebat, non eſt illam aſſecutus: ſed hinnulum, coloris raritate obſtupefactus (totus enim erat candidus) inſecutus cepit. Agebat fortè illis in locis Q. SERTORIVS, exul Rom. à Luſitanis, qui defecerāt à Rom. dux creatus. Cui, cùm quicquid ſibi ex uenatione aut ex agri fœtibus offerretur muneris, exciperet comiter, & benignè remuneraret ſe colentes, donauit ille hinnulum: & accepit eum Sertorius. Fuit hic ei primùm modicè gratus: quē cùm tempore cicuraſſet & domaſſet adeò, ut audiret uocantem, & pergentem aliquò ſequeretur, turbamq; & ſtrepitū omnem ferret caſtrenſem: traxit rem paulatim in religionē, donum Dianæ ceruam ferens, multaq; arcana iactabat ab ea ſe edoceri. Quippe barbaros ſciebat natura in ſuperſtitionem eſſe procliues. Attexebat ille inſuper talia. Cùm incurriſſe hoſtes occultè reſciuiſſet aliquò in prouinciam ſuam, aut oppidum ad defectionem ſolicitaſſe: ceruam fingebat ſe in ſomnis allocutā monuiſſe, ut paratas haberet copias. Aliàs intellectā legatorum ſuorū uictoria nuncium abſcondebat, ac ceruam producebat ob fauſtum nuncium coronatam, gratulari iubens, & diis honorem habere, quòd breui aliquid eſſent audituri boni. Ita māſuefactis uſus eſt ubique obſequentioribus: quòd arbitrarētur non ab hominis ſe cōſiliis peregrini, ſed regi à deo. Quod cōfirmabant res ipſæ, ſtupendo uirium incremēto. Iam cū Cn. Pompeiū ad Sucronem fugaſſet, erat tamen maiorē in modū perculſus, quòd nuſquam compareret cerua. Mira enim aduerſus barbaros orbatus erat machina, qui tunc uel maximè confirmandi erant. Mox tamen nocte quidam fortè certantes offendunt eam, & à colore agnitam capiunt. Quibus Sertorius, ut ad eum delatum eſt, grandem ſummam, ſi id non uulgaſſent, oſtendit ſe daturum. Ceruam autem cùm paucis diebus occultaſſet, proceſſit in concionem uultu admodum remiſſo, barbarorum præfectis rem lætiſſimam in ſomnis ſibi à deo exponens prænunciatam. Hinc tribunal conſcendit. Dum adeuntibus uacat, cerua à cuſtodientib. eam in propinquo dimiſſa eſt. Quæ cernens Sertorium, curſu hilaris ad tribunal fertur, aſſiſtenſq; caput genibus eius imponit, dextrāq; ore (quod facere etiam antè ſolebat) attrectat. Quā demulcente uiciſſim in ſpeciem Sertorio, manantib. quoq; nonnihil lacrymis, ſtupor primū defixit ſpectatores: deinde plauſu & acclamatione, ut ſanctū uirum Sertorium & diis charum, ad tabernaculum eius proſecuti ſunt, & bona ſpe erecti. Plut. in Sertorio, Polyæn. lib. 8. & Gell. lib. 15. c. 22. Plinius lib. 7. c. 32. Eutropius lib. 6. Val. lib. j. c. 3.

MARICCVS quidam è plebe Boiorum ex deorū genere ſatum ſe eſſe mentiebatur. Vnde cū ſibi quoq; Dei nomen arrogaſſet, & non ſpernendam perditiſſimorum hominū manum adſciuiſſet, quos ingentibus promiſſis corruperat, ita ut in Romanos ferrent arma: poſtea captus & occiſus, falſi inditi nominis condignas pœnas dedit. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 11. ex Cornelio Tacito.

BARCHOCHABA Iudæus, aſtu euomēdi ab ore flammas, cùm præterea Stellā ſe à Deo miſſam nuncuparet: Hebręos ad tumultuandum exciuit, fretos, per eum ſe Romani imperij iugum excuſſuros. Cæterùm ab Adriano Cæſare domiti, ſeditioſo propheta occiſo, diuerſa omnia ab iis quæ ſperabant, retulerunt. Fulg. lib. 7. c. 3.

Seruus quidam Syrus in urbe Apamea natus, EVNVS nomine, magicis incantationibus & circulatoriis præſtigiis deditus, ſeruiebat apud Ennenſes in Sicilia. Hic ſe futura prædicere inſtinctu afflatuq; deorum ipſi in ſomnis apparentium ſimulabat. Mox etiam non ſolùm ex ſomniorum uiſis futura prænunciabat, ſed & uigil cernere ſe deos, & ex iis res futuras audire fingebat. Quum autem in multis uaticinationibus mendax comperiretur, interim tamen caſu euentus quarundam rerum uerè prædictionibus eius reſponderent: & falſā quidem eius uaticinia nemo coargueret, uera autē cum applauſu diligenter notarentur, hominum opinio de eo indies augebatur. Poſtremò artificium excogitauit, quo flammam ex ore cum quodam fanatico furore emittebat, & cum flamma ſimul uaticina uerba Phœbadum in morē fundebat. Ignem enim in nucem aut aliquid huiuſmodi utrinq; perforatum, ſimulq; materiam quæ illum alere poſſet, imponebat: deinde ori indens & afflans, modò ſcintillas, modò flammam accendebat. Hic ante defectionem iactare cōſueuerat, apparentem ſibi in ſomnis Syriam deam dignitatem regiam polliceri, & hoc non aliis ſolùm, ſed & ſuo ipſius domino Antigeni Ennēſi aſſiduè dictitabat. Quū autē riſu res hæc exciperetur, Antigenes ex hiſce prodigioſis mendaciis uoluptatem capiens, in conuiuiis Eunum aſſeclā habebat, eumq; ſibi ſuper regno interrogabat, & quo modo erga unumquemq; eorum qui in cœtu illo erant, gerere ſe decreuiſſet. Cùm autem ille ita iis reſponderet, ut in ſuis ſermonib. minimè uacillaret, polliceretúrq; fore, ut dominos ſuos leniter clementerq; acciperet, omnibus riſum mouebat. Hunc Eunum ſerui rebellionē molientes, adeuntes interrogant, an ſuum ipſorum inceptum à diis concederetur? Hic illis aſſentiens, ut primo quoq; tempore illud aggrediantur, perſuadet. Statim igitur coacta CCCC conſeruorum manu, in urbem Ennam irrumpunt, ducem habētes Eunum. Domos autem ingreſſi ſtragem magnam edūt, ne lactentibus quidem infantibus parcentes. Et hoc fuit initiū belli Seruilis per Siciliam crudeliſſimè graſſantis, uix tandē à Rutilio confecti. Diodorus lib. 34.

SELVRVS homo ignotus planè, ſe Aetnæ filium mentiens, cùm loca circa Aetnā cum perditiſſimis & facinoroſis prædaretur: à Romanis captus, in ludo gladiatorio ictibus beſtiarum occiſus eſt. Alex. ab Alex. lib. 2. c. 11.

IVLIANVS Imp. apoſtata, cùm lethali uulnere percuſſus, incerto auctore, in Perſide ad Euphratis ripam iaceret: conſilio cum ſacerdotibus inito, ſe clàm in fluuium præcipitare uoluit, ut diuinitùs raptus uideretur. Quidam tamen ex eunuchis impetū hunc inhibuit, & impius nebulo ſpe ſua fruſtratus eſt. Niceph. lib. 10. c. 37.

SAPOR Perſarum rex, ut à ſuis coleretur, ſe Solis & Lunæ fratrem eſſe dixit. Alex. ab Alex. lib. 2. c. 19.

MAHOMETES pſeudopropheta, quum ex uictus intemperantia, continuaq; ebrietate in morbū comitialem (quē epilepſiam medici uocant) incideret frequentiùs: uxore hanc ægritudinem ægrè ferente, Gabrielis nuncij Dei ſplendorē, à quo ſecretiora in ecſtaſi poſitus hauriat, ſeſe ferre minimè poſſe mentiebatur, morbumq; diſſimulabat. Diuulgatur fama, ac Propheta uulgò acclamatur: quam noua arte, nouoq; dolo, ductu præceptoris ſui Sergij monachi Conſtantinopolitani auxit. Columbam enim (quam Spiritum ſanctum calidiſſimus deceptor uocabat) aſſuefecit in aure ſua paſci. Hanc ſibi ſecretiſſima Dei conſilia nunciare iactitabat mendaciſſimus nebulo, quoties ad aures pro nutrimento auis ſimplex uolabat. Vt autem gentem uentri ac ſomno deditam, homo ſubdolus, quibus poſſet uerſutiis ac peſtiferis cogitatibus falleret: taurum quendam nutriuit, qui conſueuit è manibus ſolius Mahometis pabulum ſuſcipere. Huic intra cornua Alcoranum colligauit, & aſtante plebe miſera ac ſimplici, altiore quadam uoce ex abdito euocauit. Cùm igitur iam multa de his legibus diuinis homo loquaciſſimus declamaſſet: erupit inſperatò taurus, multos in itinere proſternens, uolumenq; legis intra cornua ferens, in manus Mahometis deponit, ueluti cœlitùs miſſum munus. Hoc commento ſe regem, Sergium prophetam fecit. Columba enim literis aureis ſchedam ſic inſcriptam attulit in collo ſuo: Quicunq; tauro iugum imponet, rex eſto. Sergius iugum afferens, Mahometi detulit, qui tauro impoſuit facilè, & mox rex à ſtulta plebe uocatus eſt. Et ut propheta conſeruator haberetur utriuſq; teſtamenti, blanditus eſt Chriſtianis, cùm ſe à Sergio monacho baptizari curaret, crebraſq; lotiones ſuis indiceret, pro delictorum expiatione: Iudæis uerò, cùm circumciſionem & abſtinentiā carnis porcinæ inſtitueret: cùm tamen ab utroq; manifeſtè deficeret. Nam circumciſio, quæ octaua fieri die pręcipitur, in adultam protenditur ætatem. Baptiſmus autem quum iterari non debeat, quum ſpirituales immundicias tollat, quotidie ab eis repetitur. Quum ergo utriuſq; teſtamenti ſe Apoſtolum aſſereret, utriuſq; fuit corruptor: ubiq; enim inſeruit corporis uoluptates, quibus miſeram plebeculam facilè allexit. Moriens prędixit ſe iturum in cœlum. Quod diu expectantes, tandem tetro coacti odore, ferrea arca, quam ſibi uiuus pro monumento extrui iuſſerat, ſepelierunt: cùm homines magnete lapide in tholo templi extructo fallere cogitaſſet, ut uidelicet ſepulcrum è ferro pendere in aëre uideretur. Cuſpinianus.

ANTONIVS quidam Picens, Eremitarum [redacted], XL dierum & noctium ieiuniis uniuerſo orbi impoſuit. Angelorum ſeſe colloquio & cibo frui fingebat, tanta dexteritate, ut uel oculatiſſimos cuſtodes, cellam diligentiſſimè perluſtrātes, & excutientes falleret. Cerei craſſiores interiùs pulpa phaſianorum & caponum ſaccharo conditorum refarcti erāt: cingulo fiſtulato aromaticum nectar continebatur. Phthiriaſi tandem correptus, impietati ſuæ laruā detraxit, & horrendo exemplo Deum blaſphemās, ſeipſum diris deuouēs, ſceleratam cum multo cruciatu euomuit animam. Alfonſus Aragonius, Neapolitanus rex dignam hypocriſi pœnā eſſe dicebat, ut qui deos homineſq; ſimulata religione luderet, ab utriſq; tandem reiiceretur. Panormita lib. 2. de Dictis & factis Alfonſi.

### *Eruditionis.*

CALLIPHANES dictus Parabrycontis, cùm poematū multorum principia exſcripſiſſet, eaq; ad tertium uſq;, uel quartum carmen memoriter didiciſſet: multæ ſcientiæ nomē ſibi uendicauit. Athen. lib. j. c. j. & Suidas.

DIONYSIVS iunior, tyrānus Syracuſanus dictitabat, Se multos quidem alere liberalium artium doctores, non quòd illos admiraretur: ſed quia per illos ipſe aliis admirationi eſſe uellet. Plut. in Apopht. regum. Simili arte hodie fortaſſis PRINCIPES quidā alūt in palatiis ſuis uiros eruditionis & ſanctitatis opinione uenerabiles, tanquā aulæa uiua, ut populus arbitretur horum conſiliis geri pleraq;. Sophocles in Aiace Locro rectè ait:

σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν ξυνουσίᾳ.

Quem uerſum Plato in Theæteto Euripidi tribuit.

ARCESILAVS auctor mediæ Academiæ, cùm contrarias rationes animo uideret, aſſenſiones cohibere cœpit: & nouā illam ſuam rationem, ne exploderetur, ueritus, fulcire etiā uoluit auctoritate ueterum philoſophorum: oſtenditq; priſcos illos phyſicos eodem pacto ſenſiſſe, ac ſæpe teſtatos eſſe obſcuritatem naturæ: appellabat autem grauiſſimos uiros, & quorum magnum fuiſſet ſapientiæ nomē in Gręcia: in quo tamen aduerſarij ipſum accuſabant, falſumq; id totum eſſe, quod ille aiebat, affirmabant: quòd neq; cōferenda eſſet ipſius calumnia cum Democriti uerecundia, & aliorum etiam, qui de rebus difficilibus obſcuriſq; timidè cauteq; loquerentur. Illi enim tantū raró, cùm hærent in aliquibus ſalebris, affirmant abſtruſa eſſe omnia, ac magnis tenebris inuoluta. Itaq; Cicero in Lucullo, cùm contra rationē illam diſſereret: Primū mihi uidemini, inquit, quum ueteres phyſicos nominatis facere idem, quod ſeditioſi ciues ſolēt, quum aliquos ex antiquis claros uiros proferunt, quos dicant fuiſſe populares, ut eorum ipſi ſimiles eſſe uideātur. &

infrà, Similiter uos, quum perturbare, ut illi Remp. ſic uos philoſophiam bene iam conſtitutam uelitis, Empedoclem, Anaxagoram, Democritum, Parmenidem & Xenophanē, Platonem etiam & Socratem profertis. Victorius libro 24. Var. lect. cap. 16.

MAGIA fraudulentiſſima artium, plurimū in toto terrarū orbe, plurimiſq; ſeculis ualuit. Auctoritatem ei maximā fuiſſe nemo miretur, quandoquidem ſola artium tres alias imperioſiſſimas humanæ mentis complexa in unam ſe redegit. Natam primū è medicina nemo dubitat, at ſpecie ſalutari irrepſiſſe uelut altiorem ſanctioremq; quā medicinam. Ita blandiſſimis deſideratiſſimiſq; promiſſis addidiſſe uires religionis: ad quas maximè etiamnum caligat humanum genus. Atq; ut hoc quoq; ſucceſſerit, miſcuiſſe artes Mathematicas, nullo non auido futura de ſeſe ſciendi, atq; ea è cœlo ueriſſimè peti credenti. Ita poſſeſſis hominum ſenſibus triplici uinculo, in tantū faſtigij adoleuit, ut hodieq; etiam in magna parte gentium præualeat, & in Oriente regum regibus imperet. Plin. lib. 30. cap. j. Nat. hiſt.

SENECA ut Neronem Imper. diſcipulum in ſui admiratione diutiùs detineret, à ueterum oratorum cognitione eum auertit. Suetonius.

BASILIDES hæreticus myſticum nomē ſuis diſcipulis commendabat, Ἀβραξας, quod græca ſupputatione CCCLXV numerum exprimeret: tot enim cœlos eſſe, non à Deo conditos, ſed à trecēteſimo ſexageſimoquinto cœlo. Vtebatur quinetiam barbaris uocibus Armagil, Barbelon, Balſamū, Leuſebora, ad imperitorum & mulierculàrum animos percellendos, ut quod non intelligerent, plus mirarentur. D. Auguſt. in lib. ad Quod uult Deum, & D. Hieron. in Epitaphio Luciani.

De quodam POETASTRO ſic ſcribit Henr. Stephanus:

Carmina quum ſua ſit ſibi conſcius haud bene nata,
Miſcet amicorum deteriora ſuis.
Sic malè formoſi mulier ſibi conſcia uultus,
Ancillam formæ deterioris habet.

*Potentiæ.*

THEMISTOCLES deſignatus à populo nauarchus, nulli rei publicè uel priuatim uacauit ſigillatim: uerùm quæcunque res eſſet ad ipſum delata, illam in eum reiecit diē, quo erat conſcenſurus: quo uno tempore multis rebus intentus & à diuerſis appellatus hominibus, magnus eſſe & ſummæ uideretur auctoritatis. Plut. in Themiſtocle.

*Rerum geſtarum.*

Peruenerat ALEXANDER Macedo continuo uictoriarū curſu ad Hypanim uſq;, & iam uictis Indis Gangaridum quoq; opib. inhiabat, cùm Macedones ulteriùs ſe profecturos negarunt. Alexander, quia nec caſtigare obſtinatos poterat, nec iratos mitigare, amenti ſimilis, ex cōcione ſe in regiam proripuit, eaq; clauſa, biduum mitigandæ iræ indulſit. Poſtremò in publicum egreſſus ex quadrato lapide XII erexit aras, monumentum ſuæ expeditionis in omne æuum, caſtrorumq; metas latiùs propagari iuſſit, ut uel molitiones ipſæ hoſtibus terrori eſſent, maiorq; ſuarum rerū in poſterum maneret fama. Quin & arma aliquanto ampliora q̃ milites geſtatent, relinqui iuſſit, & frena multo grandiora, ut maiorem ſui admirationem apud locorum indigenas relinqueret. Sab. lib. 6. Enn. 4. ex Diod. lib. 17.

*Operum quorumcunq.*

MEDICORVM impoſturam Mimnermus his uerbis taxat:

οἷα δὴ φιλᾶσιν οἱ ἰατροὶ λέγειν
τὰ φαῦλα μείζω, ἐ τὰ δεῖν' ὑπὲρ φόβον
πυργῶντες αὐτούς.

Sicut medici ſolent dicere leues affectus maiores & grauiores quàm timendum ſit, ut ſeipſos extollant, atq; muniant. Hip. in παραγγελίαις appellat ἀλγήθεσιν φθεγγώδεα, morbum qui uerbis magnus ſit, cùm reipſa ſit paruus. Niſi fortè illic morbos principum uirorum intelligit, quorum uel leuiſſimæ affectiones propter perſonæ dignitatem grauiſſimæ uidentur, & in omnium ore uerſantur.

C. IVLIVS Cæſar uenationes ludoſq; & cum collega M. Bibulo & ſeparatim edidit. Quo factum eſt, ut communium quoque impenſarum ſolus gratiam caperet. Nec diſſimulauit collega eius M. Bibulus eueniſſe ſibi, quod Polluci. Vt enim geminis fratribus ædes in foro conſtituta, tantùm Caſtoris uocaretur: ita ſuam Cæſariſq; munificentiam unius Cæſaris dici. Suetonius.

*Natalium, Familiæ, Generis.*

☞ *Paulo antè in Aſtutia circa Res occupata, eorum habita eſt ratio, qui Genus ſuum diſſimulando, alienum mentiuntur. Illic Generis per ſe, hic propter comitantem Gloriam uel Ignominiam conſideratio inſtituitur.*

ASSERERE, CONSERVARE.

ARISTOTELES Theodecti diſcipulo libros Rhetoricorum dono dedit, ut ſuo nomine publicaret. Ipſe interim, ut tacitè gloriolam hanc ſibi aſſereret, in 3. Rhetoricorū aſtutè fatetur, de iis rebus in Theodectiis pleniùs ſeſe diſputaſſe. Valerius lib. 8. cap. 15.

De Tiberio, uox Auguſti per cubicularios excepta eſt, Miſerū pop. Rom. qui ſub tam lentis maxillis erit. Aliqui tradidêre, AVGVSTVM palàm nec diſſimulanter morum eius diritatem adeò improbaſſe, ut nonnunquam remiſſiores, hilarioreſq; ſermones ſuperueniente eo abrumperet: ſed expugnatum precibus uxoris, adoptionem non abnuiſſe: uel etiam ambitione tractum, ut tali ſucceſſore deſiderabilior ipſe quandoq; fieret. Suetonius.

## EXISTIMATIONI ET HONORIBVS ALIORVM ASTVTE' obſiſtere.

M. VAL. P. Valerij conſulis frater, ægrè ferebat, non ab homine ſuæ familiæ dicari tam magnificum Capitolij templum. Nunciauit ergo M. Horatio Puluillo, cui dedicatio Capitolij ſortitò obtigit, filiū obiiſſe, ut funeſta familia Horatius à dedicatione abſiſteret. At is nuncium eum ita contemſit, ut eum etiam proiici inſepultū iuberet. Sic in eo orbitatis dolorem gloriæ cupiditas uicerat. D. Auguſt. lib. 5. de Ciuit. Dei, cap. 18.

CN. Pompeius cùm in comitio Catoni pro libertate imperij ſeſe imparem eſſe uideret: ne in ſuffragia iretur, tonitru ſibi auditum ſimulauit, & concio diſſoluta eſt. Nefas enim Romani putant, tonante Ioue aliquid agere priuati, nedū publici. Plut. in Catone minore.

## INFAMIAM ASTVTE' EFFVGERE, DECLINARE.

☞ *Ex Tit. Defenſio, Excuſatio aſtuta, huc quædam: quatenus defenſione Ignominiam criminis cuiuſcunq; amolitur.*

PROPTER QVID. Infamiam debitam

*Impudicitiæ.*

Theſei & Helenæ, Ioue natæ, filia fuit Iphigenia, quam ſoror Helenæ Clytęmneſtra Agamemnoni ſe dixit peperiſſe. nam HELENA uirginem ſe à Theſeo diſceſſiſſe aiebat. Antoninus Liberalis ex lib. 4. Alteratorum Nicandri.

VILLA, Berengarij regis Italiæ uxor impudiciſſima, Boſonis Thuſciæ marchionis F. Dominicum presbyterum amabat. Qui cùm nocte quadam ad conſuetum cubile ueniret, canum latratu proditus, laniatu retentus eſt & deprehenſus. Villa tegendi ſceleris cauſa acerbè hominem, quòd gynæceum ſuum attentaſſet, accuſare cœpit. Ille minoris criminis confeſſione, maius effugiendi uiam ſibi à Villa aſtutè oſtendi arbitratus, unius è pediſſequis amplexus ſe petiiſſe faſſus, teſtibus exectis, pœnā ſtupri loco adulterij luit. Luitprandus lib. 3. c. 5. rerum in Europa geſtarum, & Cuſpinianus in Othone Magno.

MATRONA quædam Auenionenſis, plures habens liberos, cùm moribūda in lecto eſſet, iis accerſitis, Filij, inquit, mei, priuſquam ex hac uita migrem ne animæ meæ iacturam patiar, ſum uobis quiddam relatura. Vnus ueſtrū eſt mihi non ex coniuge conceptus, & proinde rem mariti iniuſtè poſſidet. Eum uobis nuncupabo, niſi uos nolueritis. Tum filij, cùm quilibet de ſe metueret, Quin, inquiunt, mater ab hoc onere nos te abſoluimus, & mutuò nos liberamus. Hac ratione & filij nothi rebus conſuluit, & conſcientiæ ſcrupulo ſemetipſam liberauit. Alciatus lib. 9. Parerg. c. 12. dum Auenione doceret, rem geſtam ſcribit.

*Crudelitati.*

Aſtutus uir DIOCLETIANVS, & quum natura eſſet in ſæuitiem propenſus, animum ſuum explebat, reiecta in collegam inuidia. Maximianus barbarus, & ingenio inciuili, aſperitatem animi etiam uultu oſtendebat, miniſter ſæuitiæ Diocletiani.

*Tyrannidi.*

Incuſantibus DIONYSIVM maiorem quibuſdam, quòd improbum hominem & ciuibus inuiſum honoraret & proueheret: Ego uerò, inquit, eſſe uolo aliquem, qui plus me ſit inuiſus. Plut. in Apoph. regum.

TIBERIVS Cæſar C. Caligulæ ideo imperium reliquiſſe dicitur,



citur, quo memoriam ſcelerum ſuorum maioribus Caij ſceleribus obrueret: utq; maxima atque nobiliſſima pars ſenatus poſt mortem ſuam necaretur. Sæpe enim ſenarium illum fertur uſurpaſſe: ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί: Me mortuo, terra igni miſceatur. Dion Nicæus in eius uita, & Zonaras.

*Ignobilitati.*

☞ *Ex Tit. Aſtutiæ circa genus & natales, huc quædam, quatenus Infamiæ proprij generis ſplendorem alienæ inducunt.*

Cynoſarges Gymnaſium Athenis fuit extra urbem, Herculi dicatum (qui inter deos non legitimus eſt, mortali ſcilicet matre natus) in quo ſpurij tantùm conuenire ſolebant. THEMISTOCLES tum, qui ſpurius erat, etiam nobilibus adoleſcentibus perſuaſit, ut ibi ungerentur: eoque facto callidè diſcrimen ſpuriorum & legitimorum ſuſtulit. Plutarch. in eius uita.

*Illegitimis natalibus.*

Ignobilis Thraciæ uicus MAXIMINO Imp. fuit patria. Tam humili loco natus, omnes domeſticarum ſordium conſcios princeps fact⁹ occidit, ne obſcuritas generis parentūúe humilitas illorū indicio proderetur. Fuerat ab initio paſtor, mox prima ſtipēdia ſub Seuero fecerat. Sabellicus lib. 6. Enneadis 7.

QVAM. NEMPE

*Sepulcri.*

PSEVDOPROPHETA Bethelenſis ſepulcro ſuo Iadonem prophetam uerum intulit, ut confuſis oſſibus, cadauer ſuū à Ioſia rege erui, & igne comburi nequiret (id quod Iadon prædixerat) propter reuerentiam cadaueris Iadonis. 3. Regum 13. & Ioſephus lib. 8. cap. 9. Antiq.

ISIS Oſiridem maritum mortuum tuto loco ſepelitura, ne à Typhone hoſte raperetur, & contumelia afficeretur, uarios tumulos diuerſis in locis effodit, ut incertitudine ſepulcri hoſtiles conatus auerteret. Strabo lib. 17.

PERIANDER Corinthiorum tyrannus, cùm uel diuinitatis affectatione, uel metu, nè quid grauius à ſuis poſt fata pateretur, ſepulcrum ſuum ignorari uellet: duos iuuenes intempeſta nocte per ſemitam quandam ingredi, obuium primū necare, atque clàm ſepelire iuſſit. Pòſt quatuor alios miſit, qui duos illos interficerent & ſepelirent. Poſt quatuor, octo. Inde ſexdecim. Sic effectum, ut cùm ipſe ſolus primis duobus obuius factus eſſet, & ab illis interfectus atque ſepultus, loco incerto, ſepulcrum illius nemo unquam inuenire potuerit. Laertius, & Herod. lib. 5.

*Famæ, Obtrectationis.*

NERO Rom. Imperator, cùm poſt infinita crudelia facinora matrem quoque Agrippinam occidi feciſſet: à multis peſſimè audiuit, qui tamen priuatim magis quā publicè hominem damnabant. Nam culeum in quadam ipſius ſtatua de nocte ſuſpenderunt: ut ex eo ſignificarent, Neronem in culeum coniici oportere. expoſueruntque puerulum in foro, alligata ad eum tabella, in qua ſcriptum erat: Non te tollo, ne matrem occidas. Legebatur in pleriſq; locis ſcriptū, Nero, Oreſtes, Alcmæon matricidæ. Audire licebat eos qui ita dicerent: Nero matrem interfecit. Cuius tamen rei nullam pœnam Nero repoſcebat, ne fama magis omnium ſermone percrebreſceret, uel quòd ſermones habitos de iis rebus contemneret. Xiphilinus in eius uita.

## INFAMIAM ALIIS ASTVTE' IRROGARE.

☞ *Conſule Tit. Accuſatio aſtuta. Illic Accuſatio tanquam Effectus animi maleuoli, hic conſequens accuſationem Infamia perpenditur. Item Tit. Perſonam aſtutè ſimulare. Illic id quod ſimulatur, hic Finis ſimulationis perpenditur.*

## POTENTIAM ASTVTE' COMPARARE.

☞ *Ex Tit. Tyrannidem aſtutè comparare, exempla petantur. Hic Potentiæ, illic Regni habetur ratio.*

INFRINGERE, COERCERE.

C. Gracchus in ſecundo Tribunatu legem promulgauit de coloniis Tarentum & Capuam deducendis, & de adſciſcendis in ciuitatem Latinis. At ſenatus ueritus, ne prorſus euaderet inſuperabilis, uiam ad multitudinem auertendā molitus eſt nouam & inſolitam, malo exemplo blandimentis erga populum cum Caio & obſequiis certans. Erat enim ex collegis Caij unus LIVIVS Druſus, uir neque indole ulli Romano, neque tyrocinio ſecundus, adhæc eloquentia & diuitiis inter primos celebris atque pollentibus horum præſidio par. Ad hunc igitur uertunt ſe primores, hortanturque, ut Caium adoriatur, atque in eum conſpiret ſecum, non ui agendo neque incurrendo in plebem, ſed mulcendo in magiſtratu concedendoque tanta, quorum cauſa uel laceſſenda eſſet honeſtè. Itaque tribunatum ſuum Liuius ad ſenatus uoluntatem aggregans, leges promulgauit, nō ullam in rem honeſtam aut frugiferam, ſed id modò, ſuperare Caium ſicut in concordia blandimentis & popularitate enitens & certans. Quo apertiſſimè declarauit ſenatus, non actionibus offendi ſe Caij, ſed illum ipſum tollere aut conculcare modis omnibus in animo habere. Huic enim de duabus promulganti coloniis deducendis rogationem & honeſtiſſimos ciues in eas ſcribenti, lenocinari cum multitudini obiiciebāt: Liuio de duodecim coloniis deducendis legem ferenti, & de ternis millibus in ſingulas inopum ſcribendis erant auxilio. Illi, quòd agrum partiretur pauperibus, indicta ſingulis penſione, quam inferrent ærario, ſuc cenſebant ut plebis aſſentatori: Liuius, qui etiam penſione hac agrorum poſſeſſores leuabat, erat iis probatus. Adhæc ille, quòd Latinis ſuffragij ferendi ius faceret, cruciabat eos: huius, ne quem Latinum militem uirgis multare duci liceret, ferentis legi præſtò erant. Et quidem Liuius ipſe in concionando aſſiduè iactabat hęc ferre ſe ex ſenatus de plebe ſoliciti ſententia: quod ſanè in actionibus eius unum extitit utile. Placatior enim euaſit erga ſenatum populus: qui cùm principes antè ſuſpectos & inuiſos habuiſſet, diluit & molliuit hanc ſimultatem & iram Liuius: oſtendēs auſpicari ſe illis auctoribus popularis eſſe, & plebi indulgere. Summam uerò ſibi Druſus beneuolentiæ in populum & iuſtitiæ fidem eo quæſiuit, quòd nihil ſibi aut in uſum ſuū uideretur promulgare. Etenim triumuiros deducendis coloniis miſit alios, neque ad pecuniam tractandam acceſſit: cùm eiuſcemodi munera pleraque & maxima ſibi quæreret Caius. Cùm Carthaginem coloniam deduceret Caius, Druſus liberiorem campum deuinciēdæ ſibi plebis nactus eſt: tandem L. Opimius Coſs. leges eius antiquare aggreſſus, eum repugnantem occidit. Plut. in Caio.

AETIVS, Valentiniani III. Imp. equitum Magiſter, quum Atilam, exercitu uehementer attrito ad Aureliam in campo Mauriaco in caſtra compuliſſet: aſtutè Thuriſmundum, patris Theoderici regis Gothorum, qui in acie ceciderat, mortem ulturum, ac in caſtra Atilæ impetum facturum auertit. Gothos enim & Francos non minus, ſi ſublatis & exciſis Hunnis inualuiſſent, pernicioſos Reipub. Romanæ arbitratus, ſuaſit Thuriſmundo domum rediret, ne audita morte patris, fratres, quos domi reliquerat, regnum præriperent. Thuriſmundus hæc ex animo & ſyncerè dicta credēs, Tholoſam contendit, ibique rex à Veſtgothis appellatus eſt. Auentinus libro 2. Annalium Boiorum, & Bonfinius libro 4. Decadis primæ.

Poſt captam direptamque à Mahometo II. Conſtantinopolim, Albani & Peloponneſiaci funeſtis diſſidiis res Græcorum turbabant. Miſſus ad hos motus compeſcendos à Mahometo TVRACHANES, arte reges Græcorum tractans effecit, ut uires eorum magis magisque langueſcerēt. Dum enim ad concordiam principes cohortatur, & ut ſubditos colant monet, ſimul ad iuſtas pœnas infligendas, & benefactorum remunerationem incitat: eò rem deduxit, ut dum uterque Palæologorum, Lucanus Peloponneſiacus, & Emanuel Cantacuzenus, ad ſuos colendos, & beneficiis deuinciendos eſſet pronior, uſque diſcordias inter ſeſe fouerent. Hinc factum eſt, ut & duces uileſcerent, & ſubditi attererentur. Chalcocondylas lib. 8.

Cùm Brugenſes Francos pręſidiarios omnes una nocte interemiſſent, Philippus Pulcer Francorum rex, anno reparatæ Salutis milleſimo ducenteſimo nonageſimonono, eam ulturus iniuriam, ad octoginta bellatorum millia coegerat, ſuimet ductu bellum illud geſturus. EDVARDVS primus Anglorum rex, ita Franci regis amicus erat, ut tamen Flandros euerſos nollet. Proinde ſimulatione caritatis miſericordiæque, uxori, O mea, inquit, fratris tui incauti capiti peſtem propinquam metuo: à quo enim minimè ſuſpicatur, domeſticis inſidiis hoſti miſer prodetur. Credula anxiáque de fratre muliere, hoc celeriter Pulcro enunciatur. Ita rex, nemine nominatim à ſororis nunciis inſimulato, omnium æquè fide uiliore ſuſpectaque, cùm iam in Aduaticos perueniſſet, cauſatus hyemem appropinquare, ac beneficio temporis anni, cùm uirtute non poſſent, ſe hoſtes tutaturos: re infecta ipſe domum cum longè maxima exercitus parte rediit: præſidiis, ut quiſque poſtulabat locus, relictis, ne hoſtes excurſiones impunè in regiæ ditionis fines facerent, prædaſque abigerent. Aemilius libro octauo.

## MAGISTRATVM, DIGNITATEM QVAMCVNQVE, SACRAM PROfanámue, aſtutè Inuadere, Comparare, Recuperare.

## EORVM QVI IMPERANT Depulſione, Excluſione per *Cædem*.

Aiunt SEMIRAMIDEM initio uernæ cuiuſdam regij ancillam ac concubinam fuiſſe. In quam cùm aliquando incidiſſet rex Ninus, forma ipſius & lepore captus, amare cœpit. Obſecuta regi mulier, ita eum ſibi paulatim ſtupri conſuetudine adſtrinxit, ut nihil eſſet tantũ, quod aut à rege petere non auderet Semiramis, aut petenti rex auderet negare. Ergo cùm aliquando inieciſſet in ſermone, teneri ſe magno cuiuſdam rei deſiderio: rexq; eam, quicquid tandẽ illud eſſet, apertè ac liberè proferre iuſſiſſet: Cuperẽ, inquit, hoc mihi à te tribui, ut unum modò diem ſedere mihi liceret in ſolio tuo, & ius dicere: utq; omnes toto illo die, quẽadmodum tibi faciunt, ita mihi obtemperarent. Riſit rex: & quod petebatur, conceſſit. Nec mora edicitur, ut certo quodam die omnes Semiramidi dicto audiẽtes ſint: ita regi placere, eam illo die, regio imperio ac poteſtate præeſſe omnibus. Vbi ille aduenit dies: mulier regio cultu in ſolio aſſedit. Fit concurſus maximus. Illa de principio, experiẽdi cauſſa, quædam haud magni momẽti imperat. Vbi ſeriò omnes ſibi omnibus in rebus parere uidit, iubet ſatellitibus ac ſtipatoribus corporis regij, ut regem ipſum comprehendant. comprehenditur. ut uinciant, uincitur. ut interficiant, interficitur. ita imperium ex diurno diuturnũ efficitur. Hæc eſt, quæ Babylonem muris lateritiis cinxit: cuius horti illi penſiles tantam admirationem habuerunt: quæ cũ equo cõcubuiſſe dicitur: quæ poſtremò cùm filij quoq; ſui concubitũ petiiſſet, ab eo trucidata memorat͂. Muretus lib. 6. Var. lect. c. 17. Alij quinq; eam dies imperaſſe ſcribunt: adeoq; obſequio & munificentia ſe Aſſyriorum primoribus inſinuaſſe, ut uiro in cuſtodiam coniecto, bona omniũ uenia in regno perſeuerarit. Sabellicus lib. j. Ennead. j.

GYGES (uti traditum eſt à Platone in 2. de Repub.) cùm terra diſceſſiſſet magnis quibuſdam imbribus, in hiatum quendam deſcendit, æneumq; equum animaduertit, cuius in lateribus fores eſſent: quibus apertis, hominis mortui uidit corpus magnitudine inuſitata, anulumque aureum in digito: quem ut detraxit, atq; ipſi induit (erat autem regius paſtor) tum in concilium paſtorum ſe recepit: ibi cùm palam eius anuli ad palmam conuerterat, à nullo uidebatur, ipſe autem omnia uidebat: idem rurſus uidebatur, cùm in locum anulum inuerterat. Itaq; hac oportunitate anuli uſus, reginæ ſtuprum intulit: eaq; adiutrice regem dominum interemit, ſuſtulitque quos obſtare arbitrabatur. Nec in his quiſquam eum facinoribus potuit uidere. Sic repentè anuli beneficio rex exortus eſt Lydiæ. Cicero lib. 3. Offic.

ARTABANVS, qui plurimum apud regem Xerxem poterat, ſtipatorumq; eius princeps erat, iniit conſilium Xerxis necandi, regniq; in ſe transferẽdi. Rem hanc Mithridati eunucho & cubiculario regio communicat, in quo ſummam fidem habebat poſitam. Qui Artabani cognatus, alioquin etiam amicus, inſidiis eius aſſenſus eſt. Ab hoc itaq; Artabanus clàm intra cubiculum regium noctu admiſſus, Xerxem obtruncat: tum eodem animo fraude parata, regis filios petit, qui ea tempeſtate tres ſupererãt: Darius natu maior, & Artaxerxes, qui ambo in regia uerſabantur: tertius Hyſtaſpes, qui tunc abſens Satrapiam Bactrianorum gerebat. Artabanus noctu adhuc ad Artoxerxem properat: eiq; nũciat à Dario fratre parentem necatum, regnumque occupatum iri: hortari, antè quàm frater principatum adeat, rexq; declaretur, rei ſuæ maturè conſulat, fratris parricidæ ſcelus ulciſcatur: tum ſe ad id facinus perpetrandum regios ſtipatores pollicetur adhibiturum adiutores. His adductus Artoxerxes, cateruis ſatellitum ſtipantibus, fratrem repentè incautum adoritur, atq; interimit. Quod cernens Artabanus, per inſidias cœpta conſilia ubiq; ſibi ſuccedere, liberos ſuos ad ſe accerſit, docetq; iam tempus adeſſe, quo regnũ audendo ſibi uendicent: tum gladio ſtricto inuadens Artoxerxem, uulnerat. Ille percuſſus, cùm non lethale uulnus eſſet, ſeſe ocyùs fuga ſubripit: nec quicquam uulnere impeditus, re commutata, Artabanum inſectari, & meritis ſuppliciis affligere pergit: quem per oportunas torturas diſcerptum necat. Ita tantis præter ſpem omnium inſidiis liberatus Artoxerxes, ultuſq; parẽtis necem, parricida ſceleſtiſſimo crudeliſſimoque necato, Perſarum potitus eſt regno. Diod. lib. 11. At Trogus auctor eſt, Xerxem ob res in Græcia infeliciter geſtas, adeò inter ſuos euiluiſſe, ut Artabanus ſpem nactus occupandi regni, ſeptem filiis ſtipatus eum in regia trucidauerit, mox Artoxerxem armarit in Darij fratris interitum. Quo ſublato, etiam Artoxerxem dolo necare uolens, aſſumſit in conſilij ſocietatem Bacchabaſſum quendam, qui præſenti rerum ſtatu contentus, rem omnem ad Artoxerxẽ defert, docetque inſuper patrem ab Artabano & filiis interfectum, fratremq; falſa cædis ſuſpicione peremtum. Poſtremò quæ ab ipſo cædis auctore pararentur, ordine explicat. Artoxerxes natorum Artabani gregem ueritus, noui belli inferendi ſpecie ingentem contrahit exercitũ. Tum ibi, tanquam copias recogniturus, armis tectus in medium proceſſit, Artabanumq; familiariter compellans, ſeq; breuiorẽ habere loricã, quàm ut ſine tædio geſtari poſſet, queſtus, Vellem, inquit, tuam mecum commutare. Paruit Artabanus, confeſtimq; ſuam ibi coràm exuit. Rex hominem iniuriæ oportunum ferro transfigit, filioſq; ſimul uinciri imperat. Sabel. lib. 3. Enn. 3.

HANNO Hamilcaris Carthaginenſium ducis F. regnum affectans, ſceleſtum facinus excogitauit. Deſponderat filiam ſuam egregio iuueni: cuius inſignes nuptias celebraturus, ſub porticibus opiparum epulum populo præparari iuſſit: Senatum uerò omnem in domo propria excepit, infectaq; ueneno pocula conuiuij miniſtris tradidit: arbitratus, amoto Senatu, Remp. conſilio deſtitutam, occupari poſſe facillimè. Cùm autem Senatui res detecta eſſet, non reſpondit euentus propoſito. Hanno igitur impulſus acriori rabie, qđ ueneno nequiuerat, id agendum ferro propoſuit. Cuius au ſui temerario cùm exitus non ſatis reſponderet, à ciuib. captus, & uariis tormentorum generibus enecatus fuit cum omnibus filiis & cognatis. Guido Bituricenſis.

Philippus rex Macedonum duos filios habuit, PERSEVM & Demetrium. Perſeus cùm in dies magis ac magis Demetrij fauorem atq; dignitatem apud Macedonum multitudinẽ, gratiam atq; potentiam erga Romanos amplificari animaduerteret: ſibi ſpem nullam præterquam in ſcelere ſupereſſe, opinione ductus, Demetrium (quem alioqui Philippus non ignorabat, unde antea Romę pro obſide fuiſſet, cognita Romanorum uirtute, à bello contra Romanos ſuſcipiendo abhorrere) inprimis apud patrem de proditione latenter inſimulat, accuſat, eum multa uerba, cùm Romæ moraretur, de regno, cum Tito Quintio habuiſſe. Sed poſt ludicrum certamẽ (in quo pars ea, quæ à Demetrio ſteterat, longè ſuperior fuit, ideoq; ad cœnam uocatus Perſeus non uenit) Demetrius à cœna (in qua de certamine multa iocosè dicta erant in aduerſarios) ad fratrem noctu iuit, illius iræ, ſi quam ex prælio concepiſſet, leniendæ cauſa. Ignarus inter aliquot de ſuis ferrum abſcondiſſe, ut ſeſe defenderent, ſi qua uis eis afferretur (ob id quòd miſſum à fratre conuiuij ſermonumq; ſpeculatorem malè multauiſſent) Hoc argumento Perſeus arrepto, palàm falsò Demetrium accuſare incepit: noctu eum ueniſſe armatum eo conſilio & animo, ut ſe fratrem interficeret, neq; aliud quàm clauſis foribus ſe parietum pręſidium habuiſſe. Philippus Demetrium uocari iubet. Duobus filiis duntaxat in conſilio adhibitis, ſedet miſerrimus pater iudex inter liberos, accuſatorẽ parricidij, & reum, ſeu conficti ſeu confecti criminis labem apud ſuos inuenturus. Re cognita, ita pronunciauit, ut facilè appareret, uis nocturnę crimen reiectum ac remotum: ſuſpectam uerò eſſe Demetrij nimiã gratiam cum Senatu Populoq; Romano: nempe, Non uerbis, nec unius horæ diſceptatione cauſam eorum ſe diiudicaturum, ſed in utriuſque uitam inquirendo, mores dicta factaq; in magnis paruiſq; rebus obſeruando. Itaq; ſub ſpecie legationis Romam mittit Philoclem & Apellem, ſpectatum inquiſitumq; de iis ſermonibus, quos Perſeus frater cum Tito Quintio habuiſſe inſimulauerat. Sed, quod Philippum latebat, erant hi legati Perſeæ fraudis miniſtri atq; participes. Itaq; Demetrius cùm interim nullam ſpem haberet patrẽ ſibi placari poſſe, cuius obſideri aures à fratre cognoſceret, fugam ad Romanos meditari cœpit. Quod cùm Philippo nunciatum eſſet, Herodotum Demetrij perquàm familiarem apprehẽdi, Demetrium uerò obſeruari iuſſit, dum legati rediiſſent. Hi cùm præmeditata in Macedonia è Roma attuliſſent, ſed & falſas literas T. Quintij Philippo reddidiſſent, in quibus deprecabatur, ſi quid adoleſcens, regni cupiditate prolapſus, ſecum negotij habuiſſet: hæ literæ fidem perfidæ accuſationi attulerũt. Quamobrem Herodotus diu excruciatus, moritur. Aduerſus Demetrium nihil palàm pronũciari, ſed dolo interfici placuit, ne publica pœna cõſilia Philippi aduerſus Romanos aperiret. Itaq; à Dida, quem ei comitem Perſeus à patre dari antea curauerat, immiſſis percuſſoribus ſtrangulatus eſt. Tandem cùm legatorum fides cœpiſſet eſſe ſuſpecta, & uulgò in curia fremeretur, falſas ab iis literas allatas eſſe: Xychus legatorũ miniſter, rem omnem indicat: Apelles fuga ſibi conſulit: Philocles interficitur. Perſeum, quia tum nimiam potentiã adeptus erat, Philippus exhæredat, Antigonum inſtituit. P. Aerodius ex Liuij Dec. 4. lib 10.

Macrinus unus ex copiarum Antonini Caracallæ præfectis, quum faſcem literarũ, quæ ab urbe principi perferebantur, ipſius iuſſu perlegiſſet (nam ſub tabellarij acceſſum Imperator aurigatum properabat) incidiſſetq; in Materniani procuratoris literas, quibus ille ſignificabat, Mathematicorum reſpõſo comperiſſe ſe, Macrinum principis uitæ & imperio inſidiari, hortariq; proinde, ut primo tempore hominem è medio tolleret: rei periculo territus Macrinus, ſuppreſſit literas, quæ ſibi exitium afferebant, perpulitq; multis ſuaſionibus Martialem ad Imp. necandum. Quod ille, in cædis fraternæ ultionem, libens præſtitit. Sab. lib. 5. Enn. 7.

PHILIPPVS Arabs, cùm uiam ad imperium affectaret, primùm Miſitheum ſocerum Gordiani Imp. pharmaco à medicis curauit interficiendum. In cuius locum ipſe ſucceſſit, à Gordiano & præfectus & parẽs appellatus. Sed immemor omnis fortunæ ac pietatis, mox inſidias etiã Gordiano ſtruxit. Vt enim in odium militum eum duceret, naues frumentarias abduxit, quas Miſitheus priùs in exercitum aduexerat: dehinc exercitu in loca ſterilia deducto, artibus milites circumuenit, ut Philippum Imperatorem poſcerent, ꝙ iuuenis Gordianus nimium eſſet, nec regere tantũ exercitũ poſſet. Imperium igitur Philippo mandatum eſt, iuſſumq; à militibus, ut quaſi tutor eius Philippus cum Gordiano pariter imperaret. Suſcepto autem imperio, breui in eam ſuperbiã uenit, ut Gordianum nec in Imperatoris, nec in Cęſaris, nec in præfecti, nec in alicuius ducis loco habere uellet. Et cùm ſe uiuere tantũ precaretur, quod ei conceſſerat, tandem tantum amorem populi & Senatus circa Gordianum conſiderans, cùm iræ militum famis cauſa uehementes eſſent, clamantem ante conſpectum duci iuſſit, ac ſpoliari & occidi. Ita Philippus impiè imperium aſſequutus eſt, cùm Gordianus regnaſſet annis ſex, ætatis anno XX. Cuſpinianus.

Mortua Placidia matre, Valentinianus III. à MAXIMO ſenatore, tyrannidem affectante, cuius uxorẽ ſtuprauerat, eſt inductus, adiuuantib: ipſum eunuchis, ut Aetium imperij columen, quaſi nouis rebus ſtuderet, iugulari mandaret. Idẽ.

CLODOVEVS, Francorum rex, Veſtgothorum rege Alarico cęſo, regulis Francorum, qui ſecum Galliam obtinerent, remouendis animum, ut ſolus imperio potiretur, adiecit. atque ita ad Clodoricum Sigeberti Coloniæ reguli filiũ miſit, inquiens: Pater tuus ætate confectus, & pede captus eſt. (claudus enim erat ex uulnere) ſi ille uita ceſſerit, ego tibi regnum & amicitiam meam impertiam. Quibus uerbis iuuenis regni cupiditate incenſus, Sigebertum patrem Colonia egreſſum, ac, traiecto Rheno, Burconiam ſyluam ingreſsũ, ac ſomnum meridie in tentorio capientem, immiſſis ſatellitibus, interfecit: atq; ipſi nunciari Clodoueo iuſſit, patrem ſuum mortem oppetiiſſe, ſeque theſauros eius in poteſtate habere: ſi ad ſe miniſtros ſuos mitteret, ſe illi partẽ eſſe daturum. Cui Clodoueus reſpondit: Mitto nuncios meos. tu fac, ut illis omnia patefacias, & uniuerſa habebis. Paruit Clodoricus, & legatis uenientibus penetralia aperuit. atq; ita ibi, dum theſauros inclinatus erueret, ſecuri elata percuſſus interiit. Qua re accepta, Clodoueus populum eius ita eſt alloquutus. Dum ego per Scaldem fluuium nauigarem, Clodoricus patrem ſuum inſequebatur, uerbo prę ſe ferẽs, me illi eripere uitam uelle. cumq; ille per Burconiam ſyluã fugam arripuiſſet, immiſſis percuſſorib. interemit. neq; ita multò poſt ipſe quoq;, dum theſauros eius aperit, uitam amiſit. Quorum ego criminum inſons ſum: uobis autẽ ſuadeo, ut ad me tranſeatis, quò ſub meo patrocinio ſitis. Qua re audita, illi animis uocibuſq; plaudentes, Clodoueum ſuper clypeum extulerunt, ac regem ſibi eſſe iuſſerunt. Huius compos uoti factus Clodoueus, inde aduerſus Cararicum, qui bello contra Syagrium fidem ex fortuna ſuſpẽderat, caſtra mouit, ac dolo circumuentum unà cum filio in poteſtatem adduxit, atq; ambos uinctos totondit. Patre uerò dirã fortunæ ſuæ acerbitatem ſuppliciter conquerente, cum filius ferociùs aliquid procaciúſue loquutus eſſet, utrũq; plecti capite iuſſit, ac ditionem eorum ſibi uindicauit. Inde aduerſus Ragnacharium apud Camaracum agentem proceſſit, hominem libidine perditum: & proditoribus comparatis, qui hoſtilem exercitum aduentantem ſocialem eſſe perſuaderent, ad manum temerè conſerẽdam attraxit, ac ſummo prælio pulſum, in fugam coniecit. inde comprehẽſum, & ad ſe manib. poſt terga religatis cum Richario fratre adductum, ita rogauit: Cur hanc generi noſtro maculam attuliſti, ut te uinculis alligari permitteres? ſatius enim fuerat, mori. ac ſtatim percuti imperauit. Tum cõuerſus ad Richarium dixit: Si tu fratri tuo opem tuliſſes, in uinculis non hæreres. atq; ei ſimiliter caput amputari præcepit. Inde tertius frater Rignomeres apud Cœnomanorum ciuitatem, tanq̃ tertia uictima, eſt mactatus, regnumq; & theſauri eorũ adiuncti. Tum, regulis aliis propinquis ſuis, à quibus ſibi metuebat, deletis, regnum per omnem fermè Galliam prolatauit. Sigonius lib. 16. Imp. occid.

Aripertus rex Longobardorum, Perthàrito & Gundeberto filiis regnũ reliquerat, ut Perthàritus Mediolani, Gundebertus Papiæ conſideret. Gundebertus fratris regno inhians, Garibaldum Taurinatium ducem ad Grimoaldũ Beneuantanum petitum auxilium miſit, ſororemque ſe, ſi enixè ab eo iuuaretur, nuptui daturum ſpopondit. GARIBALDVS profectus, egregiè legationem eſt ementitus. ſiquidem Grimoaldum non ad opem, ut iuſſus erat, ferendam acuit, ſed ad regnum ſibi ex oportuna fratrum diſcordia uindicandum. Ergo Grimoaldus, Romualdo filio duce Beneuẽti inſtituto, Papiam uerſus profectus, ubi Placentiam uenit, Garibaldum miſit, qui præſentem ſuum regi aduentum prænunciaret. Is à Gundeberto de ratione Grimoaldi ex dignitate recipiendi conſultus, auctor ei fuit, ut honoris cauſa illum in regiam ſuam acciperet: quippe qui & auxilio ſui ueniret, & mox ſororem eius ſibi copulaturus matrimonio eſſet: quòd ſi de illius fortaſſe erga ſe animo dubitaret, lorica ſub ueſte indutus occurreret. Quod cũ Gundeberto probaſſet, tum ad Grimoaldum profectus, perfidè ipſum, ut ſibi à Gundeberto caueret, admonuit: nam ſe compertũ habere, illum occidendi ipſius cauſa cum lorica futurum. Credidit id Grimoaldus. Itaq;, cùm in regiam receptus per mutuam ſalutationem regis in amplexum ueniſſet, uereq; eũ, ut Garibaldus docuerat, lorica munitum eſſe ſentiret, id ad cædem ſui paratum criminatus, ipſum cõfeſtim gladio ſtricto confodit, ac ditionem eius inuaſit. Perthàritus ad Cacanum Hunnorum ſe recepit. Garibaldus pòſt Taurini ab amico Gundeberti in Paſchate interfectus eſt. Sigonius lib. 2. regni Ital.

Tempore Cindaſuindi regis ex Græcia uenit Ardauaſtus, ab Imperatore ſuo pulſus. Eum rex Cindaſuindus ſuſcepit, & conſobrinam ſuam ei matrimonio copulauit, ex qua ſuſcepit ERVIGIVM. Is mortuo Cindaſuindo regem Bambam medicata potione de mentis ſtatu deiecit. Cùm ergo Quiricus Epiſcopus Toletanus & optimates intelligerent, regem memoria deſtitutum, & cauſam penitus ignorarent: ne ſacramentis fidei fraudaretur, ſtatim confeſſionis & pœnitentiæ antidotum obtulerunt. Rex religionis habitum poſtulauit, & ad monaſterium conuolauit, in uilla quæ Panniſplica dicitur. Vixit in regno annis nouem, & in monaſterio annis ſeptem. Rodericus Toletanus lib. 3. rer. Hiſp. c. 11.

Obtruncato à ſicariis Conſtantino Britannorum rege, VORTIGERNVS magnæ inter Britannos auctoritatis Conſtãtium Conſtantini filium, maiorem natu (quem pater, quòd ad publicum regimẽ ineptus eſſet, monachum fecerat) cœnobio extractum, maioribus Britanniæ ſuffragantibus, regem fecit: ſcilicet ut monacho, rerum imperito, imperitante, ipſe domeſticas primùm augeret opes, regnum inde occuparet. Icto cum Scotis ac Pictis fœdere, centum Pictos, Scotoſq; totidem, muneribus amplis, maioribuſque longè pollicitationib. ad ſe accitos, Conſtantij regis corporis adhibuit cuſtodiæ: Eoſdem aliquot poſt annos, clàm in regis necem armauit, qui illũ noctu obtruncarunt. Vortigernus repentè percuſſores prehenſos, ne ſe inſidiarum auctorem proderent, ſtrangulari præcepit. Reliquos inde Pictos atq; Scotos, qui Londini negotia habebant, facinoris ignaros, gentilis odij nomine pro cõcione populi accuſatos, in crucem rapuit. Populo inde Ambroſium, Conſtantini F. impuberem pro regni hærede offert. Populus ætatem cauſatus, Vortigernum regem eſſe iubet. Scotorum & Pictorũ armis preſſus, Saxones ex Germania euocauit. Qui cùm non obſcurè regno inſidiarentur, à Britannis proceribus Vortigernus in ordinem redactus, Vortimerus filius ſubſtitutus. Cuius uirtute Saxones è Britannia pulſi. Cæterùm extincto Vortimero, Vortigernus è carcere eductus, & regnare iuſſus, à Saxonibus maiore cum exercitu reuerſis perfidè captus, regnoq; exutus, in Cambriam (quæ nunc Vualia eſt) ablegatus eſt. Illic ab Aurelio Ambroſio & Vtero Conſtantini regis filiis, Conſtantij (quem Vortigernus interfici curauerat) nepotib. ex Armorica regnum repetẽtibus, uictus, in arce ſubiecto igni crematus eſt. H. Boethius lib. 8.

Quum ALEXIVS, Iſaacij Gręci Imp. filius, contra Alexim patruum ſuum, regni inuaſorem, Francos in Syriã claſſe tranſmiſſuros, & Venetos exciuiſſet: Franci terra, & Veneti mari, Græcos magna cæde ſuperauere. Alexis Conſtantinopoli clàm aufugit. Conſtantinopolitani Iſaacium cuſtodia & uinculis liberarunt: qui reuocatus in ſoliũ, aeris repẽtinam mutationem non ferens, deceſſit. Alexis filius, ut fidẽ Francis & Venetis datam ſolueret, Conſtantinopolitanis tributum indicit. Ciues id indignè ferre, & ſeditionem excitare. Alexis Latinorum polemarcho Bonifacio Ferratẽſi urbem noctu prodere uoluit. Quod ubi ſenſit MYRTILVS, quem Murzuphlum alij appellant, Cæſareæ ſtirpis, & regni percupidus: populo Alexij conatum detexit, & ad uindicandam Græciæ libertatem animauit. Itaq; ab inſana plebe Cæſar ſalutatus, Alexio puero manu ſua in latebris, quò ſe receperat, ſpiritum oppreſſis faucibus interclusit. Aemilius lib. 6.

RODOLFVS Imp. creatus, principes omnes, & inter eos O-

thocarum Boemiæ regem indicto conuentu Norimbergã, ad exhibendum iuramentum, euocarat. Othocaro nõ comparente, Rudolphus de principum ſententia, primũ Auſtriã ab eo, tanquam Imperij prouinciam, quam Margarita uxor Othocari dotis titulo alienare non potuerit, repetit: Carinthiam quinetiam, atq; Stiriam, quas Vdalrico principi, ſine Cæſaris aſſenſu, uendere minimè licuerit: quum utraq; ad Imperij feudum pertineret. Inſuper, ut in uerba ſua more maiorum iuraret, admonet. Vehementiſſimè ad ſingula excanduit Othocarus: Ipſa re, inquiens, uerũ experior, de quo aliquando ſubdubitaui: inſolentius nihil eſſe humili cùm ſurgit in altũ. Hic Rudolphus, heri ſeruus noſter, hodie Germanorum Cæſar, ut ueteri domino ſuo inſultat? Sed prope diem ſentiet, uter magis ualeat, dominus an ſeruus. Iratus denique reſpondet: Nihil ſe Rudolpho debere, nihil etiam uelle ei reddere. Ita utrinq; exacerbati ab utraq; parte copias ingentes educunt. De pace agi cœptum, in inſula parua Danubij, quam Kambergam appellabant, iis modò, qui à conſiliis eſſent, admiſſis. Rudolphus ſimulata beneuolentia, prior ei cum ſalute & complexu occurrit, patrem & patronum ex ueteri fortuna conſalutat, cum Othocaro affinitatem contrahit, filia deſponſa filio eius Venceſlao octauũ annũ agenti, uiciſſimq; Rudolpho filio Othocari filia. Mox ut arrogantiam eius infringeret, & Auſtriam illi adimeret, ſpecioſiſſimis inuitat uerbis, ut ſi palàm pudeat, ſaltẽ ſecretò intra tentorium, paucis coram arbitris, Cæſari iuraret. Proceres, non minùs Cæſarem ob ueterem familiaritatem, quàm Regem ſuum reſpicientes, ut ſe fidei Cęſaris committat, hortantur. Paret ille: ſed dum quinq; uexilla Cæſari de manu ſua offert, reſtituit duo ille duntaxat, ac ſibi tria, Auſtriæ uidelicet, Carinthiæ & Stiriæ nomine retinuit, quę tutelæ interim titulo poſſideret, dum Venceſlaus gener adoleſceret. Tentorium ita concinnatum erat, ut laxatis funib. confeſtim decideret. Dum igitur ante tribunal Cæſaris procumbit, repentè tentorium diſſolutum eſt, atq; utriq; exercitui in ripa ſtanti Othocaro ſpectandum præbuit, Germanis applaudentibus, Boemis uerò factum deuouentib. Dubrauius lib. 17.

Carolus IV Imp. cùm armis GVNTHERO Schvuartzenburgenſe Comite, Rom. rege electo, inferior eſſet, dolo eũ opprimere tentauit. Gunthero igitur leuiter ægrotanti, cũ inſignis medicus Fridancus, comitib. de Naſſavu antiqua iunctus familiaritate, potionem, quam mirum in modum laudabat, porrigeret: Guntherus prægustare medicum iuſſit. Qui etſi inuitus faceret, guſtauit tamen, reliquum Guntherus ebibit. Medicus ſtatim faciem mutãs, in terram proſtratus cõcidit, ac tertio die moritur. Guntherus uomitu quantum potuit uenenum eiecit, ſed non totum: reliquiæ enim corpus eius inflabant, inutilemq; ad arma reddebant tractanda. Ferebatur autem famulus medici iuſſu Caroli uenenum potioni miſcuiſſe. Marchio interim Brandeburgenſis ſine exercitu ueniens, pro concordia tractanda, multa cum Carolo, plura etiam cum Gunthero loquutus eſt. A quibus arbiter conſtitutus, decreuit, uti Carolum Guntherus regem ſalutaret, ſeq; regno abdicaret. Viciſſim Carolus Gunthero, eiuſq; hęredibus, XXII millia marcarum argenti daret menſe proximo, ac duo Thuringiæ oppida imperialia, dum uiueret. Guntherus licèt indignatus, inualidum tamen ſe uidens & lethaliter ægrum, inuitus conſenſit tandẽ. Cuſpinianus, & Cranzius lib. 9. Metrop. c. 29.

Solymannus Turcarum Imp. ex Circaſſa ſerua primogenitum Muſtaffam ſuſcepit, omni uirtutum genere præditum iuuenem, quem prouinciæ Amaſiæ præfecit. Ex Roſſa uerò ſiue Roxolana ſerua quatuor filios, Mahometum, Baiazetẽ, Selimum, & Zeangirum gibboſum, filiam Chameriam, quam Roſtano Baſſæ primario elocauit. ROSSA ſuis liberis imperium aſtruere cupiens, mirabili dolo uſa eſt. Mupletũ ſacrorum principem apud Mahometanos certiorẽ facit, conſtituiſſe ſe in honorem Dei & Mahometi prophetæ templũ cum xenodochio extruere: dubitare, an Deo gratum hoc ipſo factura eſſet. Reſpondit ille, Gratum quidem Deo id fore, non tamen in Roſſæ, ſed in Solymanni, cuius ſumtu ipſa utpote ſerua ædificaret, ſalutem ceſſurum. Aſtuta mulier ſuam ſortem deteſtari, cibo potuq; abſtinere, æternas pœnas metuere cœpit. Solymannus cùm amore incredibili eã proſequeretur, diplomate miſſo liberam eſſe uoluit, iuſſit. Illa templum ædificat, & Solymannum ad ſe, ut antè, commeare cupientẽ, libertatis obiecto priuilegio deterret. Turcis enim cum ſerua licet, cum libera extra coniugiũ rem habere, piaculare eſt. Amore ardens Imp. (contra morẽ Othomannorum principum, qui ſocietatem imperij uitantes, uxores non ducunt, ſed ſeruas tantùm è toto orbe forma elegantiſſimas petitas, & in gynæceo Conſtantinopolitano, quod Serraglium Italis dicitur, educatas ſibi pro libito adſciſcunt) eam ſibi matrimonio iungit, quinq; aureorum ducatorum millibus annuis dotis nomine aſſignatis. Cõuertit inde animũ Roſſa ad Muſtaffam opprimendũ: quo uiuõ nunquam ad filios ſuos peruenturũ imperiũ ſuſpicabatur. Itaq; cùm ille in ſumma gratia apud Ianizaros eſſet, aſtuta nouerca de Solymãni uita ſe ſollicitã fingens, Selimi exemplum crebrò adducebat, qui Baiazetem Solymanni auũ regno pellere conatus eſſet. Iamq; & Roſtanus gener uirtutum Muſtaffæ elogio, ſeni ſuſpicioſo metum amittendi imperij iniicere nõ deſinebat. At cũ Solymãnus remiſſiùs ageret, Roſſa ueneno Muſtaffam tollere fruſtrà conata, adulterinas literas, Baſſæ Amaſienſis Muſtaffæ præceptoris nomine uſurpato, Solymanno oſtendit, quibus nunciabatur Muſtaffam Perſarũ regis filiã ambire. Solymannus id affectati imperij ſignũ euidentiſſimũ eſſe iudicans, Roſtanũ ſub ſpecie Perſas aggrediendi cũ exercitu in Amaſiã mittit, reuerà autẽ cõprehendendi Muſtaffæ cauſa. Is dolus quia nõ proceſſerat, propter Muſtaffæ potentiã, Solymãnus ipſemet eò proficiſcitur, & filiũ ad ſe uocat. Qui licèt Achmothi Baſſæ literis de inſidiis certior factus eſſet, innocentiæ tamen fiducia cũ exercitu ad patrẽ profectus eſt. Roſtanus Ianizaros honoris cauſa obuiam miſit. Qui cùm incredibili alacritate feſtiſq; plauſib. Muſtaffam excepiſſent: Roſtanus id iniuſſu ſuo factum dicens, Solymãni ſuſpicionem auxit. Triduo antè ſomniauerat Muſtaffa, ſe à propheta quodam in paradiſum primò deductum, locum uirtuti & pietati debitum conſpexiſſe: inde uerò ad læuam duo flumina pice nigriora, perpetuis flammis ebulliẽtia, in quib. impiorum regum animæ cruciarentur. Quod ſomnium non parum comites eius deterruit. Ipſe uerò magno animo patri obediendũ eſſe dictitans, præſertim ubi conſulto magiſtro ſuo mortẽ honeſtam uitæ æternæ portam, totius mundi imperio anteponendam audiuiſſet: ueſte candida indutus, ſolus ad patris tentorium acceſſit. Ibi priuſquã in patris conſpectum ueniſſet, à ſeptem mutis, quos uocant (qui throno Imperatoris ſemper aſſiſtunt, nutuſq; ſolos illius obſeruant) indicta cauſa comprehenſus, cùm ſe manibus fortiter defenderet, acclamante tandem per cortinas Solymanno, proditorem è medio tollendum, qui ſibi multarum noctium uigilias periſſet, corda arcus ſtrangulatus eſt. Solymãnus confeſtim Zeangirum F. euocat, & Muſtaffam fratrem in tentorio ſalutare per iocum iubet. Zeangirus ubi horrendũ ſpectaculum uidit, prouinciam & opes Muſtaffę ſibi à patre oblatas deteſtatus, diriſq; proſecutus, pugione ſemetipſum confodit. Solymannus mox theſauros Muſtaffæ fiſco inferendos curat. Quos cùm delegati homines per uim auferre uellẽt, cruento prælio Muſtaffiani, ſui domini, quem mortuũ ignorabant, opes defenderunt, ut ſupra duo millia ceciderint, & porrò cruentiſſimo prælio acies utrinq; concurriſſent, niſi Achmethi Baſſæ induſtria interceſſiſſet. Morte Muſtaffæ publicata, Ianizari furore perciti, ad tentorium Solymãni currunt, uindictam innoxij ſanguinis expoſcunt. Itaq; Roſtanus Baſſa dignitate priuat⁹ uix effugit. Imperator ipſe multa largitione uix impetrauit, uti Aleppũ deduceretur, quò cognitionem cauſæ reiecerat. Muſtaffæ & fratris cadauera Pruſiæ Othomannorum monumento illata. Solymãnus facti pœnitens, ſed & Roſſæ ſupplicium in aliud tempus differens, Mahometum puerum Muſtaffæ filium complecti cœpit, eiq; præfecturam Pruſienſem commiſit. Selimus Caramaniæ pręfectus, intellecta fratris morte, nuncium, euangelij loco, ſecuri percuſſit. Itaq; illi, quorum cauſa mater Roſſa priuignũ è medio tollendum curauerat, Muſtaffæ mortẽ ſceleratam fraterna pietate deplorarunt. Circa annum Sal. MDLIV. Aſcanius Centorius libro 6. Commen. bellorum Tranſſyluaniæ.

*Mutilationem.*

ANTIGONVS Antipatri F. Tetrarcha, in Iudæam à Pacorõ rege Parthorum reductus, Hyrcanum patruũ regem, & Phaſaelũ Ariſtobuli F. uinctos accepit. Veritus deinde, ne populi fauore Hyrcanus in regnũ reſtitueret, q à Parthis aſſeruabat, amputauit ei auriculas, ne ꝓpter hoc uitiũ ad recipiendum pontificatũ eſſet idoneus: quãdo lex hunc honorẽ nõ cõcedit, niſi ei, q integro ſit corpore. Ioſeph. l. 14. c. 25. Antiq.

*Calumniam.*

MENESTHEVS Petei (qui filius fuit Ornei, & nepos Erechthei) primus, ut fama eſt, inter mortales auram popularem captare aggreſſus, & blandiri plebi: hinc primores Athenienſium ſollicitauit, & incendit, iam pridem pertæſos Theſei (ob Helenam raptam bello à Tyndaridis petiti) atq; exiſtimantes illum, imperio & regno ſingulis ꝑ populos nobilitate præcellentibus extorto, in unam ipſos concluſos urbẽ ꝓ ſubiectis ꝓrſus & ſeruis habere. Hinc uulgus concitauit exprobrauitq; libertatis obiecto ſomnio, reuera patria & ſacris ſpoliatos eſſe, ut multorum bonorum loco & iuſtorum regum, unum reſpicerent aduenam & hoſpitem dominum. Sunt qui planè dicant, ab illo Tyndaridas inuitatos bellum mouiſſe. Itaque pulſo tandem Theſeo, & mortuo in Scyro



Scyro inſula; ipſe regnum obtinuit. Plutarchus in Theſeo.

Leutychides Demarato regi Spartanorum, Ariſtonis F. inimicus, ob hanc præcipuè cauſam, quòd cùm Percala filia Chilonis, filij Demarmeni, ſibi deſponſata eſſet, Demaratus inſidioſè hominem coniugio priuarit, uxoremq; tenerat: CLEOMENE itaq; urgente, Leutychides contra Demaratum iurauit, negans eum ritè Spartanorum eſſe regem; quòd Ariſtonis filius non eſſet: deindeq; eo diuinatum inſtitit confirmare: quòd Ariſton rex Spartiatarum aliquando, cùm ei nũciaſſet famulus ſuus, filium ei natum, & menſes conferens, iureiurando negaſſet, illum eſſe filium ſuum. Huic uerbo inſiſtens Leutychides, pronunciabat Demaratum neq; Ariſtonis filium eſſe, neq; ritè Spartæ regnare, eiſdem Ephoris adhibitis teſtibus, qui Ariſtoni aſſidentes tunc hæc ab illo audierant. Tandem re in contentionẽ deducta, uiſum eſt Spartiatis oraculum, quod Delphis eſt, conſulendum, An foret Demaratus Ariſtonis filius, necne. Ibi Cleomenes ſubornat Cobonem quendam Ariſtophãti F. maxima apud Delphos auctoritate, ut perſuadeat Periallam mu[redacted]cinantium antiſtitem, dicere ea quæ Cleomenes uolebat dici. Ita Pythia ſciſcitantibus iis, qui ad oraculum erant miſſi, negauit Ariſtonis filium eſſe Demaratum. Quæ tamen res ſequẽti tempore palàm facta eſt, & Cobon è Delphis profugit, & Perialla honore abdicata fuit. Demaratus nihilominus regno deiectus, & ſubſtitutus Cleomenes. Herod. lib. 6.

Cùm agrariæ legi, quã Agis Eudamidæ F. promulgauerat, Leonidas rex aduerſaretur, eamque abrogaſſet, nobilium ſtudio: LYSANDER Ephorus [redacted] Leonidam arceſſere lege quadam uetuſta, quæ Heraclidem liberos uetat ex muliere alienigena tollere: & in eum, qui aliò ex Sparta demigrauerit, pœnam ſancit capitalem. Hæc cùm obiicere alios docuiſſet Leonidæ, ipſe cum collegis ſignum obſeruauit. Id huiuſcemodi eſt: Nono quoq; anno, captata ephori ſerena nocte & intermeſtri luna, conſident ſilẽtio in cœlum intenti. Quòd ſi aliqua ex parte ſtella in aliam traiecerit, reges iudicant deos offendiſſe: iiſq; regnum eò uſq; abrogant, dũ fuerit Delphis uel Olympia oraculum allatum, quod damnatos ſubleuet reges. Hoc ſignum oblatum ſibi Lyſander iactans, iudicium dictauit Leonidæ, ac teſtes edidit, ex muliere eum Aſiatica, quam quidam Seleuci pręfectus ei collocauerat, duos filios tuliſſe, ingratum & inuiſum uxori domum inuitum reuertiſſe, & ſucceſſore orbum rapuiſſe regnum. Simul dum eum accuſat, impellit Cleombrotum ad regnum aſſerendum, generum Leonidæ, & ſtirpis regiæ. Trepidus igitur Leonidas ſupplex ad Chalciœcum refugit. Fuit unà cum parẽte in ſordibus filia, diuertitq; à Cleombroto. Citato ad iudicium, cùm non ſtetiſſet, regnum abrogantes contulerunt id Cleombroto. Plutarch. in Agide.

GYLIPPVS, ut imperator Syracuſij exercitus crearetur, congregatis Syracuſiorum ducibus, ait, Oportere collem quendam inter urbem & Athenienſium caſtra munire. Quibus morem gerentibus, noctu transfugam ad hoſtes mittit, qui hæc nunciaret. Illi re cognita, præuertentes collem occupauerunt. Gylippus autem indignabatur, tanquam arcanis proditis ac promulgatis. Igitur in poſterum ne fieret hoc ampliùs, principes Syracuſiorum ſummam belli Gylippo detulerunt. Polyænus.

Cùm Michael Curopalates Imp. in Thracia cum Bulgarorum rege Chrumno ſigna collaturus eſſet: LEO Orientalis exercitus dux, ad imperium aſpirans, nunc longa oratione exercitum, nunc conuiciis in odium Cæſaris commouit: eoque perduxit, ut ſi ſalui eſſe uelint, ſe ducem, dum hora conflictus ueniat, ſequantur. Pugna igitur inita, Leo primus turpiter fugit: quem totus exercitus ſequutus, præter omnem neceſſitatem caſtra Cæſaris ac tentoria reliquit. Chrumnus Romanorum fugam uidens, inſidias ſuſpicatus, ſuos continuit, quoad Romanorum fugam perdiſceret. Hac explorata, ſubſequutus cum ſuo exercitu, maximam cladem Romanis intulit: uix cum pauculis Imperator euaſit, ac Conſtantinopolim delatus eſt. Leo audacior hoc ſucceſſu factus, quoſdam ſubornat, qui inhabilem Imp. ad regendum corã plebe inſimulent: opus eſſe rege magnanimo, experto multarum rerũ, ac ſtrenuo, qualis eſſet Orientalis exercitus dux Leo. Excitata igitur ſeditione, Leo in caſtris Imperator appellatus, regium nomen, huiuſce conſpirationis uelut ignarus, detrectauit. Sed Michael Traulus cum cæteris quibuſdam, enſibus nudis ceu inuitum coegerunt, uel potiùs ſuaſerunt, regium nomen ferre. Cuſpin.

PIPINVS, Caroli Martelli F. magiſter Equitum, Saracenos iam tertiùm in Franciam redeuntes, obſecrationibus habitis, copiiſque contractis, ſummouit trans Pyrenæos ſaltus. Adeoq; formidabile impiis eſſe cœpit Pipini nomen, ut deinceps inter ſe Galliamq;, Pyrenæum limitem ſtatuerent ſanctum, quem transgredi nefas ducerent. Hinc regium nomen non diſſimulanter affectare cœpit. Childericus enim III. rex, mente ſtupens, uita ignauus & effeminatus, uidebatur regio nomine indignus, ſolijq; dehoneſtamentum. Vna ea res Pipinum deterrebat, quòd regiũ nomen in quocunque ac qualicunq; foret, ſanctum, auguſtumq; ſemper fuerat. Quémnam tantæ ceruicis tamque ſublimi uertice inueniri poſſe, qui de Regno transferendo à magni Clodouei ſtirpe, uerba facere audeat? Nimirum hanc tantam tamque noui exempli rem alibi tentandam eſſe, quàm in Francia, quæ ſacramento regi dicto deuincta, religione teneretur. Vbi autem meliùs, quàm in urbe Roma, tunc uirtutis ſanctitatiſque ſeminario, rationem uirtutis haberi poſſe? quam unam umbræ regis imaginarioque ſceptro ac ſtupido Childerico ſtatuebat opponendam: & beneficia patris erga Põtificem Romanum, ſedemque Petri à Longobardorum rege ſocio amicoque defenſam, non parùm ponderis habitura confidebat. Ergo Burcardum Viſiburgẽſium epiſcopum ad Zachariã Pontificem maximum oratorem miſit, ut Franci ſoluerentur iuriſiurãdi religione, qua ſe Childerico III. deuinxerant. Zacharias initio minimè audebat tam magni momenti cogitationem ſuſcipere. Deinde cùm Frãcos proceres mira conſenſione animorum Pipino adeſſe cupereq;, compertum exploratumque habuiſſet: unumque Childericum regem reliquam eſſe Magni Clodouei ſobolem, ſine liberis, ſine ingenio, cuiq; ingenuo dolori amiſſum regnum ipſi futurum non eſſet, nec uſquam eſſe qui eius uicem quererentur: Francos ſacramento regi Childerico dicto ſoluit. Qui conuentu habito Pipinum regem ſalutauere, anno 751. In decimum tamen ab inito magiſterio Equitum annum tantæ molis res protracta eſt. Stephanus, qui Zachariæ ſucceſſit, in Galliam, opis contra Aiſtulfum Longobardum implorandę cauſa profectus, Pipinum ad Dionyſij Pariſiorum coronauit, ſacraque unctione imbuit, Childericumque regem detonſum cœnobio ſacrauit, nulla cuiuſquam querela, ſed non ſine admiratione. Sigebertus ſcribit Pipinum à Bonifacio Moguntinorum epiſcopo ſacris regiis initiatum anno Salutis 701. eundem anno poſt à Stephano ipſum filioſque Carolum & Carolomannum inunctos, toti ſoboli eorum benedicente, omniaque fauſta feliciaque in omne tempus ſacris ceremoniis apprecante: ſimul diris deteſtationeq; inſectante, ſi quis quid contrà moliri auderet. Ita prius acceptum ius regnandi, tunc quaſi confirmatum, & immortale factum in ea familia uidebatur: ut in Pipino non magis inuictas uires formidarent mortales, quàm religionem reuererentur. Aemilius lib. 2.

*Educationem uitioſam.*

Cùm poſt obitum Marci, Commodus adhuc adoleſcens Imperator à patre relictus eſſet: is PERENNEM Italicum hominem, militaris alioqui diſciplinæ peritiſſimum, Prętorianis præfecerat. Hic ut ſibi omnem auctoritatem atq; Imperij uim aſſumeret, abutens Imperatoris adoleſcentia, deliciis ganeiſq; hunc corrumpi facilè patiebatur: quia dum uoluptatibus indulgeret, neceſſe eſſet imperij ſummam in alium reiici. Sed & antea nobiliſſimis, locupletiſſimis & Imperatori coniunctiſſimis omnibus per falſas accuſationes ſupplicio affectis, ubi qui facinus ſuum impediret, reliquum eſſe neminem exiſtimauit: tum de imperio cogitare cœpit. Itaque hoc inprimis Commodo perſuaſit, ut filium ſuum adoleſcentem Illyricis exercitibus pręficeret. Ipſe magnam uim pecuniæ contrahebat, qua cùm opus eſſet, corruptis Prætorianis, uteretur. Interea certè quidã philoſophi habitu cùm inſidias prodidiſſet, neque id aliis argumentis quàm aut ſorte quadam aut diuinandi ratione confirmare uideretur: Perennis ipſe comprehendi hominem, atque pro furioſo & uaniloquo, igne comburi iuſſit. Sed cùm poſtea clàm Perenni filio, atque ignaro etiam patre, quanquam erat præfectus, nonnulli milites aliquot numos de recenti ſub illius factos imagine, Commodo attuliſſent: omni denique inſidiarum ordine patefacto, illi quidem maximis muneribus affecti ſunt: cæterùm miſſi, qui noctu Prætorianorum præfecto nihil tale minùs cogitanti, & horum omnium inſcio, caput obtruncarent: deinde in Illyricum ita ad filium accurrerent, ut eorum diplomate famam, quę Romæ accidiſſent, anteuerterent. Hi Commodi literas perquàm familiariter ad eum ſcriptas afferunt: iubent ut magna propoſita ſpe Romam reuertatur. Is ut attigit oram Italiæ, ab iis quibus Imperator negotium dederat, occiditur. Poſtea Commodus duos Præfectos ſapientiſſimè conſtituit; quia tutius ſit omnino, tantam illam poteſtatem non uni committere, ſed diſſectam in partes, imbecilliorem eo pacto efficere, ſi quid aduerſus Principem nefariè ſuſcipitur. P. Aerodius ex Herodoti libro primo.

*Oracula ementita.*

Ex poſteritate Herculis, qui confuſi cum Doriis fuerunt, & in Peloponneſum remeauerunt, magna & clara gens floruit[redacted]regni ſucceſſio[redacted]

rytiontidæ & Agiadæ appellabantur. Cæteri ex generis dignitate prærogatiuam in republica nullam habebant. Virtutis uerò decora patebant omnibus, qui obtinere poterãt ea. LYSANDER, ut rebus geſtis inclytum nomen comparauit (nam captis Athenis patriæ imperium peperit, & bello Peloponneſiaco, quod 27 annos durauerat, finem impoſuit) iniquo ferebat animo, quòd illa in urbe, quam ipſe amplificauerat, alij, qui nihilo ſe eſſent natalibus illuſtrioribus, regnarent: cogitauitq; ex duabus familiis regnum traducere, & conferre in medium ad omnem Herculis progeniem: uel, ut quidam aiunt, non ad Herculis poſteros, ſed ad Spartiatas: ne præmium id ſtirpis Herculis eſſet, ſed eorum, qui ſimiles eſſent Herculi uirtute: quæ illum quoq; ad deorum honores euexiſſet. Sperabat autem fore, cùm de regno ita diſceptaretur, neminem præ ſe deſignatum iri Spartiatem. Ac primùm inducere ciues ipſe inſtitit & molitus eſt, atque orationem edidicit à Cleone Halicarnaſſeo compoſitam. Hinc ubi rei, quam nouabat, importunitatem & molem cõſilia uidit audaciora flagitare: quaſi in tragœdia machinam in ciues attollens, ſortes Delphicas atq; oracula contexuit concinnauitq;: nihil habiturum ſe ratus ex Cleonis artificio præſidij, ni metu aliquo dei & ſuperſtitione priùs ictos occupatoſq; ad orationem illam ciues ſubdolè deduxiſſet. Itaq; refert Ephorus eum, ubi Pythiam aggreſſus eſt peruertere, ac mox ſolicitauit per Phereclem Dodonidas, & reiectus ab his eſt, ad Ammonis templum profectum, oſtenſa magna mercede, cum ſacerdotibus egiſſe: quos ex indignatione Spartam certos ad accuſandum Lyſandrum legaſſe. Alius uerò, Pythiam precio delinitam cum illo feciſſe aſſerit, in hunc modum. Mulier erat in Ponto, quæ prægnantem ferebat ſe ex Apolline. Cùm filium peperiſſet, complures & nobiles magnam nutrimentorum eius atq; educationis egerunt curam. Nomen puero Sileno eſt inditum. Hoc ſumto Lyſander exordio, reliqua de ſuo aſſuit & attexuit. Aliũ præterea uulgauerunt & diſſipauerunt Spartæ Delphis petitum rumorem, oracula peruetuſta à ſacerdotibus in arcanis tabulis conſeruari, neq; attrectare has uel legere fas eſſe, niſi longo æuo natus ex Apolline ueniſſet: & generationis ſuæ indicio, quod notum cuſtodibus eſſet, edito iis, tabulas, quibus ſortes continebantur, accepiſſet. His præſtructis ueniendum ſicut Apollinis filio Sileno erat ad poſcenda oracula. Sacerdotes cõſcij ſingula ſedulò rimare de natalibus eius & percontari debebant. Poſtremò his adducti ſcilicet libellos tanquam Apollinis filio oſtendere, atq; hic in magna corona cùm alia recitare oracula, tum cuius cauſa hoc inſtitutum commentum fuerat, de regno: præſtare & ſatius eſſe Spartiatis, ut ex optimis ciuibus legerent reges. Vt iam adoleuit Silenus, atq; ad rem agendam ueniebat, ecce Lyſander à fabula excidit unius ignauia hiſtrionis & adminiſtri: qui cùm admouenda operi manus eſſet, obtorpuit & tergiuerſatus eſt. Nihil tamen, dum ſuperſtes Lyſander fuit, patefactum eſt, ſed poſt obitum eius. Deceſſit enim ante reditum ex Aſia Ageſilai, cùm in bellum Bœoticũ incidiſſet, uel potiùs Græciam conieciſſet. Eo mortuo, ait Ephorus, cùm diſceptatio quædam ſociorum Spartæ eſſet: & ſcripta, quæ apud ſe aſſeruauerat Lyſander, eſſent inſpicienda, domum eius Ageſilaum profectum. Quem, ut codicẽ reperit, in quo deſcripta illa de republ. oratio erat, regnum Eurytiontidis & Agiadis eripiendum, atq; in medio eſſe ponendum, legendoſq; reges ex optimis: inſtituiſſe orationẽ in lucem pro concione proferre, & Lyſandrum aperire, qui ciuis in operto fuiſſet. Verùm Lacratidam prudentem uirũ & principem Ephororum retinuiſſe Ageſilaum, monuiſſeque, ne refoderet Lyſandrum, ſed orationem cum eo defoderet ita artificioſè & aſtutè cõcinnatam. Plut. in Lyſandro, & Diodorus Siculus lib. 14.

Quum Cõſtãtinopoli imperaret Leo Magnus: TIMOTHEVS, cognomento Aelurus, magicis impoſturis utens, cellulas monachorum obiuit Alexandriæ noctu, nominatim quemque uocãs. Qui cùm reſponderent, ita dixit: Ego ſum angelus, in hoc miſſus, ut omnes iubeam abſtinere ſocietate Proterij & Chalcedonenſium rerum, Timotheo autem Aeluro epiſcopatum Alexandrinum tradere. Porrò cùm cateruam hominum turbulentorum mercede paraſſet, per tyrannidem ſolio epiſcopali potitus eſt. Cedrenus, & Theodorus lector lib. 1.

*Nuptiarum ſpem.*

Roluo Danorum rex Suecia ſubacta, Hiarthuarum quendam ſorore Sculda in matrimonium data, annuoq; uectigali impoſito, Sueciæ præfectum conſtituit, libertatis iacturam affinitatis beneficio leniturus. Sculda maritum atrociſſimis nouarum rerum conſiliis imbuit, plus unumquenq; libertati, quàm neceſſitudini debere teſtata. Igitur arma diuerſi generis tegminibus obuoluta, tributi more per Hiarthuarum in Daniam perferri iuſſit, ad Lethram oppidum, à Roluone conſtructum, eximiiſq; regni opibus illuſtratũ. Rex Hiarthuarum regio conuiuio excipit. Suecones nocte intempeſta cubiculis egreſſi, regem cum proceribus uino ſomnoque ſepultum obtruncant, nemine ex toto eius comitatu præter unicũ Viggonem ſuperſtite, qui poſtero die Hiarthuarum in triumphali conuiuio & uita & ephemero regno exuit. Saxo lib. 2. & Cranz. lib. 1. Sueciæ cap. 20.

Noruagiæ rex Olauus, Syritham Sueciæ regis uiduã coniugio ſibi ſociare uoluit: quò Sueciæ uires ſuis adiungeret. SVENO Danorum rex ſubornauit ex ſuis duos, qui ſpecie perfugarum Olauum peterent, multa mala in caput Suenonis congererent: cæterùm filiam eius Thiram, auiæ nomen referentem, inſigni laude celebrarent. Quorum uocibus Olauus accẽſus, miſſis ad Suenonem oratoribus, filiam eius coniugem depopoſcit. Cùm autem Sueno legatos ſpei plenos à ſe dimiſiſſet, Olauus Syritham, ut ætate diſparem, ludibrio habens, ſpecie colloquij accerſiuit, &(ut gens illa nauibus ferè omnia peragit) in ſuam nauim euocauit: re ita compoſita, ut pons cui inſcenderat ſolueretur, & regina cum comitibus in mare delapſa, non ſine periculo extraheretur. Cùm igitur Olauus à ſe Syritham tali indignatione repuliſſet, tum Sueno filiam ei dare negauit, & Syritham ipſe duxit. Olauus tantam ulturus iniuriam, expedita claſſe mouit in Danos. Sed Sueno accitis in opem Suecis, quibus priuignus eius præerat Iacobus, oppreſſoq; Olauo, Noruegiã ſubegit. Cranz. lib. 4. Daniæ, cap. 24.

*Literas adulterinas.*

Tryphon monachus, ea conditione ſede Conſtantinopolitana potitus, ut poſt certum tempus Theophylacto Romani Lacapeni Imperatoris filio, qui tum ob ætatem tanto muneri impar erat, ultrò ſede cederet: eo elapſo cedere noluit. Cæſarienſis PATRIARCHA, ut Imperatori gratificaretur, cum ſimulata amicitia compellat, ac quibus artibus ipſum Imperator oppugnare aggrediatur, indicat, deniq; ait: Hoc te ariete expugnatum iri confidunt aulici, quòd literarum rudem te eſſe iactitant. Quare ut hoc etiam te crimine purgare poſſis commodè, nolo tibi meo deeſſe conſilio. Scribas, inquit, multis præſentibus nomen tuum, & pontificatus dignitatem, eãq; chartam ad Imperatorem curato perferri. Paret Tryphon, dolum fraudulenti hominis non olfaciens, & aſſumta charta hæc ſcribit: Tryphon ex Dei miſericordia archiepiſcopus nouæ Romæ, & œcumenicus, & patriarcha. Eã chartã Cæſarienſis Imperatori offert: ac mox per aulicos Tryphonis nomine ſubiicitur, quaſi ſua ſe functione abdicarit. Hoc artificio ſede ſua eiecto Tryphone, Theophylactus Imperatoris F. deſignatus fuit põtifex. Zonaras.

*Nuncium falſum.*

Obſidebatur MANFREDVS Tarentinus dux à Pontifi-



cis Alexandri IIII. exercitu Nuceriæ. Prælio decertare non auſus, conſilio ſe obſidione eximit. Emiſſi clàm ex urbe nõnulli pari atque ille erat calliditate, cùm paulo longiùs proceſſiſſent, ſubornarunt quoſdam alios non minori audacia aſtuq;, qui lugentium habitu ex Sueuia cum literis, quas ipſi conſcripſerant, adulterinoq; anulo ſignarant, uenire ſe dicerent, ſimulatiſque cum lacrymis falſò nunciarent, Conradinum Sueuum Conradi Imp. F. obiuiſſe. Res & nunciata, & credita. Captus dolo Legatus Pontificis ultrò ſoluit obſidionem. Bauari tutores Conradini, perinde ac nullo pupillo, cuius tutelam gererent, procul è regno Siculo deluſi abière. Manfredus uelut pro defuncto rem diuinam magna religione ampliſſimeque faciendam atratus ipſe curauit, iuſtaq; perſoluit, gazaq; Panormo ad ſe transferri iuſſa, ac largitione ueteranis ſibi conciliatis, nouoq; ex Africa milite barbaro mercede conducto, quaſi nulla iam iuſta regiæ Siculæ ſtirpe, rex ſalutatur: priuſque regnum opeſque firmauit, quàm fieret fides à quoquam, uiuere Conradinum, animis hominum errore occupatis. C[illegible] Tarraconenſium affinitatem contraxit, collocata illi filia Conſtantia. Aemilius lib. 7.

EORVM QVI IMPERIVM DARE POSſunt Conciliationem. Siue ea fiat

*Sapientiæ ſtudio.*

BARDAS Theodoræ Auguſtæ, Theophili Imp. uiduæ, frater, cùm imperium affectaret, Michaeli Imperat. adhuc puero ſuaſit, ut regnum aſſumeret: Theoctiſtum patritium Michaelis præceptorem ex inſidiis obtruncari curauit, Theodorũ Palatio exegit, Michaelem aurigationibus & popinis detinuit. Ipſe interim in tanta regis deſidia, cùm neglecta eſſent penitùs philoſophiæ ſtudia, ut ſibi famam aucuparet, ſcholas ſcientiarum triuiales ubiq; inſtituit, ac publicum docendi locum, profeſſoribuſq; annua ſtipendia & publicam prouiſionem conſtituit: hiſque communem præceptorem Leonem conduxit, cui celebre in philoſophia nomen erat, quẽ Theophilus Imp. magnis muneribus affecerat, & pontificem Theſſalonicenſem creauerat: at quia nullum honorem imaginibus cenſebat exhibendum, eiectus urbe fuerat. Leges ciuiles reſtituit, cùm quotidie ipſe iudiciis præeſſet, ut leges amiſſæ & obliuioni datæ priſtinum uigorem reſumerent. His artibus aditum ſibi ad imperium iam fecerat, niſi à Baſilio Protoſtratore, per æmulationem, in conſpectu Cæſaris cæſus fuiſſet. Cuſpin.

*Prodigalitate, profuſione.*

Iaſon miſit per MENELAVM pecuniam Antiocho regi: Menelaus uerò ſibiipſi redemit ſummum ſacerdotium, interuertens Iaſoni talenta argenti trecenta. 2. Mach. 4.

Anno V. C. 313. Proculo Geganio Macerino, & L. Menenio Lanato Coſſ. annonæ caritas Romam inuaſit: dubium, deſerto agrorum cultu, an cœlo frugibus aduerſo. Tum Sp. MELIVS ex equeſtri ordine homo prædiues, rem ſpecie, utilẽ, ſed libertati præcipuè inimicam eſt aggreſſus. Emerat hic per clientes & hoſpites penè quicquid frumenti fuerat ex Hetruria aduectum, emtumq; multitudini gratis in grauiſſima annona diſtribuit. Conciliauit ea largitio homini tantũ fauoris, ut quacunque incederet, frequens circa illum ciuiũ multitudo conſpiceretur, futurum conſulatum haud dubio conſenſu repromittens. Quoniam autem conſulatus erat patribus non ſine certamine extorquendus, de regno agitare cœpit. Creantur interim conſules, T. Quintius Capitolinus, & Agrippa Menenius. Ad hos & patres Minutius detulit, ſe manifeſto indicio compertum habere, in Sp. Melij domo ſecreta conſilia agitari, ingentem uim armorum eò collatam, corruptos ex Tribunis quoſdam, qui ad prodendam libertatem cum Melio conſpirent. Tum quia à conſulibus prouocatio erat, uiſum eſt ad id malum opprimendum, Dictatore opus eſſe. Quintius Cincinnatus dictus eſt. Is Seruilium Halam magiſtrum equitum dixit. Qui Melium ad Dictatorem uenire nolentẽ, & populi fidem implorantem occidit. Placata inde Dictatoris oratione multitudine, Quæſtores iuſſi ſunt Spurij bona uendere, pecuniamq; inde exactã in publicum redigere. Domus diruta, monumẽtum nefariæ ſpei oppreſſæ ut eſſet area, Aequimelium appellatum. L. Minutius boue aurato, uel, ut alij tradunt, ſtatua extra portam Trigeminam eſt donatus. Sabellicus libro 5. Enneadis 3.

Cùm Galba defeciſſet à Nerone, primus OTHO legatus Luſitaniæ acceſſit ex ducibus ad partes Galbæ: & quantum auri argentiq; habebat in poculis, argentario id omne dedit, ut inde numi fierent, quos miniſtris Galbianis enumerauit, fecitq; iter multos dies cum Galba: eodemq; momento & ipſe ſpem imperij concepit, tum ex conditione temporum, quæ tumultuoſa erant, tum ex prædictione Seleuci mathematici, qui illi denunciabat, ut Tranquillus ſcribit (Plutarchus & Tacitus mathematicum Ptolemæum appellat, niſi idem ſit qui Ptolemæus Seleucus dicebatur.) Omni igitur officio atq; ambitione uſus, militum animos demerebatur, atq; beneficio deuinciebat: affabilitateq; ac militari promotione militibus ſeſe ita inſinuauit, ut palàm omnes prædicarent, hunc ſolum ſucceſſione imperij dignum. Sperabat autem adoptionem à Galba, ad quam T. Iunius, qui magnæ potentiæ apud Galbam erat, pro uiribus Galbam induxerat. Sed poſtquam Piſo prælatus ei eſt, ad uim conuerſus, conſpirationem iniit: ad quam & magnitudo æris alieni eum impulit, qui ſe niſi principem, uiuere non poſſe, aſſerebat. Cuſpinianus.

Cùm mortuo Anaſtaſio Imperatore Amantius ſpado palatij præfectus, ingentem pecuniarum uim ad IVSTINVM Comitem excubitorum detuliſſet, ut eam inter milites partiretur, ſeruata tamen quantum ipſe uellet pecunia, modò ductoribus exercitus perſuaderet, Theocretianum ſibi longè familiariſſimum ut legerent Imperatorem, maiuſq; promitteret per ſingula capita donatiuum, quàm priores unquam feciſſent: Iuſtinus quidem ſatis integrè pecuniam inter milites partitus ſuffragia pro ſe cautè emit. Itaq; ab uniuerſo Senatu totoq; exercitu, Iuſtinus electus ac pronũciatus eſt Princeps: ſellaq; curuli exceptus, ac diademate ornatus, ab omnibus ſalutatus Imperator, Amantium & cubicularios ob inſidias paratas è medio ſuſtulit. Cuſpin.

Comnenus MICHAEL Palæologus, accepta ab Arſenio patriarcha tractandæ regiæ pecuniæ poteſtate, totis modiis eam in manus nobilium & militum effudit, eorumq; etiã, qui eloquentia populum demulcere norant. Atq; ita paulatim animos omnium deliniuit, ut eum ſolum & prudentia & uſu rerum tantæ Imperij moli ſuſtinendæ parem iudicarent, dum Imperatoris Theodori Laſcaris filius Ioannes ad maturam ætatem perueniret. Hac uia primum ſibi ad imperatorium faſtigium gradum fecit, ex quo ſecundis uentis & plenis uelis in Imperij portum eſt inuectus. Gregoras lib. 3.

*Blanditia, Adulatione.*

ABSALOMVS Dauidis F. populum blandè alloquens, & manè ad portam ſtans, ſi quis ad regem ad ius petendum adibat, eius cauſam bonam iuſtamq; eſſe, at patrem ſuum malos habere conſiliarios, dictitabat: ſi ad ſe regnum perueniret, ſeſe ius æquabiliter omnibus eſſe redditurum. Quinetiam ſi quis ad eum uenerandum acceſſiſſet, ille eum porrecta manu prehenſum oſculabatur. Currus quoq;, equitatũ & L ſatellites ſibi comparauerat, ita ut omnes magnificentiam illius, adde etiam corporis pulcritudinem admirarentur. His igitur artibus per quatuor annos uſus, tandem ſimulatione uoti Hebronẽ profectus eſt, ibiq; à ſuis aſſeclis in regem creatus, per emiſſarios ſuos in tota Iudæa tubæ ſonitu ſignificandum curauit, Abſalomum Hebrone regẽ creatũ: atq; ita Dauidem patrem regno expulit, cumq; eius concubinis publicè concubuit Hieroſolymis. 2. Regum 15.

AGATHOCLES, Carcini Regini exulis F. Syracuſanorũ dux contra optimates, ſexcentos expulit. Poſt hæc concione cõuocata, criminatus ſexcentos & paucorum principatum, aſſerẽſq; ſe ciuitatem perpurgaſſe ab iis qui principatum affectarent, & ſinceram libertatem populo peperiſſe, ac cupere aliquando liberatum à laboribus priuatam uitam degere: ſuum paludamentum dilacerauit, pallioq; aſſumto abibat, ſe ſpectandum præbens tanquam unum è multis. Hæc agebat, ſe popularem ſimulans, & certò ſciens complures ex concione participes fuiſſe flagitiorum nefariorum, & ob id nunquam conſenſuros, ut cuipiam alteri imperatoris dignitas demandaretur. Confeſtim igitur qui oppreſſorum bona compilarant, uociferabantur, ne ſe deſereret, ſed omnium curam ſuſciperet. Is principiò obſiſtere: deinde multitudine uehementiùs urgente, dixit acquieturum ſe, ſi ſoli liceret imperare, abſq; collega. Concedente idipſum populo, denunciauit debitorum immunitates, & agrariam legẽ. Interea neq; diadema aſſumſit, neq; ſtipatores habebat, neque difficilem aditum ad ſe patere uoluit: quæ quidem omnes ferè tyranni ſibi parare ſolent. Curam uerò habuit redituum & præparandorum armorum atq; telorum. Sic ſenſim tyrannidem inuaſit. Diod. lib. 19.

A. VITELLIVS à Galba in Germaniam miſſus, tota uia caligatorum quoſque militum obuios exoſculabatur, perq; ſtabula ac diuerſoria, mulionibus ac uiatoribus præter modũ comis: ut manè ſingulos iámne ientaſſent ſciſcitaretur, ſeq; feciſſe

feciſſe ructu quoque oſtenderet. Caſtra ingreſſus nihil cuiquam poſcenti negauit: atq; etiam ultrò ignominioſis notas, reis ſordes, damnatis ſupplicia demſit. Quare uixdum menſe tranſacto, neq; diei, neq; temporis habita ratione, ac iam ueſpere, ſubitò à militibus è cubiculo raptus, ita ut erat in ueſte domeſtica, Imperator eſt conſalutatus: circumlatuſq; per celeberrimos uicos, ſtrictum diui Iulij gladium tenens, detractum delubro Matris, atq; in prima gratulatione porrectum ſibi à quodam: nec antè in prætorium rediit, quàm flagrante triclinio ex conceptu camini: tum quidem conſternatis, & quaſi omine aduerſo anxiis omnibus, inquit: Bono animo eſtote, nobis alluxit: nullo ſermone alio apud milites uſus. Conſentiente deinde etiam iam ſuperioris prouinciæ exercitu, qui priùs à Galba ad Senatum defecerat, cognomen Germanici delatum ab uniuerſis cupidè recepit: Auguſti diſtulit: Cæſaris in perpetuum recuſauit. Suetonius.

*Iuſtitiæ ſimulatione.*

DIOCLES Medus hoc pacto Medorum tyrannidem occupauit. Medi ſparſim habitabant, nullamq; ciuitatem habētes, ſine legibus ac iudiciis uitam agebant: & agebant, rapiebantq; ſeſe mutuò. Diocles uicinis iura dabat, eoſq; æqualitatem ſeruare docebat. Eo delectabantur iudice, cuius nomen ſtatim celebre apud Medos euaſit, factuſq; eſt ad eum concurſus, tanquam ad æquabilē ac iuſtum iudicem. Cùm omnium beneuolentiam ſibi fama & gloria conciliaſſet, præſidia comparauit: iiſq; uſus, per noctem lapidum ictib. domum ſuam oppugnari curauit: mane facto apud Medos de nocturnis inſidiis conqueſtus, quaſi eorum cauſa in mortis periculū adductus eſſet, quòd inter eos ius diceret. Multitudo indignabatur, & ad corporis ſecuritatem decernebat ei locum munitiſſimum inhabitandum, arcem Ecbatanorum, & corporis ſtipatores quos ipſe delegiſſet, eiq; uictum de ſacris pecuniis ſuppeditandum conſtituit. Hanc ille conſecutus ſtipatorum multitudinem, indies his plures adiecit, & pro iudice rex factus eſt. Polyæn. lib. 7.

GELON Dinomenis filius, Syracuſius, in bello aduerſus Himilconem Carthaginenſem ſuſcepto, creatus ſummus dux, cùm egregiè pugnaſſet uictor, prodiens in concionem, rationeſq; reddens imperatoriæ dignitatis, impenſarum, temporum, armorum, equorum, triremium: & ob hæc uniuerſa collaudatus, tandem exuit ueſtem, atque ſtans in medio nudus: Sic, inquit, ego uobis nudus ſto, uos autem armati. Itaque ſi quid à me geſtum eſt intolerabiliter, proferte contra me. Tum ferro, ignique & lapidibus populus auxilium tulit, tanquam optimum ducem collaudans. Quid reſpondens inquit: Et in poſterum igitur talem ducem eligite. Iterum populus: At alium talem non habemus. Ita creatus ſecundò dux belli, pro duce tyrannus Syracuſiorum euaſit. Polyænus libro primo.

TAMBERLANES Scytha paſtor, paſtoralibus ludis rex creatus, animum ad maiora adiiciens, paſtores, ut iureiurando imperata ſe facturos pollicerentur, impulit. Pecora igitur uenundare eos, atq; ut à tam inopi uita ſe uindicarent, arma equoſq; comparare iuſſit. Hoc numero (ad quingentos enim peruenerant) quaſdam mercatorum ſocietates, quæ per eas regiones magno numero præſidij gratia commeare ſolent, & uulgò Carauanæ dicuntur, armis deuicit: atq; in partienda præda adeò ſe inter comites iuſtum liberalemq; præſtitit, ut mutatæ conditionis paſtores non modò non pœniteret, ſed fide amoreq; enixius ei deuincirentur. Ad compeſcendam prædonum audaciam mille equitum dux in eius regionis fines, ubi hæc aduerſus mercatores geſta erant, à Perſarum rege miſſus: cùm à latronum duce in colloquium uocatus eſſet, latronis arte uerbiſq; delinitus, ex hoſte comes ei factus eſt. Interim inter Perſarum regem fratremq; eius orta controuerſia, fratris cauſam latronum duces ſuſceperunt: cui poſtquam regnum aſſeruere, maiori exercitus parte ab eo impetrata, illius auſpiciis fingunt ſeſe in exteras gētes imperiū ꝓpagare uelle, compulſis ad rebellandum populis, breui ſe, qui antè latronum princeps erat, Perſarum regem fecit. Quòd autem iſchia debilitatus erat, eius nomini Temir (quod Scytharum lingua femur ſignificat) lang Perſæ addiderunt, quod uerbum priſca lingua iſchia debilitatum oſtendit, coniunctiſq; ambobus uerbis Temirlang nuncupatus fuit. Hic Perſico regno Armeniam, Syriam, Babylonemq;, atque multas alias gentes addidit, urbemq; Samarcandam ambitu maximo in Perſis cōditam, innumerabili hominum multitudine repleuit. Egnatius lib. 3. cap. 4. & Fulgoſus eodem.

*Roboris oſtentatione.*

Erant PIGRES & MASTYES, Pæones, qui poſt quam Darius tranſmiſit ex Scythia in Aſiam, Sardis uenêre, cupidi tyrannidis apud Pæonas potiundæ, ducentes unà ſororem procera ſtatura atq; ſpecioſam. Hi obſeruato tempore, dum in ſuburbanis Lydorum Darius præſideret, talem rem ſibi agendam putarunt. Sororem quàm optimè poterant exornatam, ad aquam mittunt, uas capite continentem, equum è brachio trahentem, linumq; nentem. Eam prætereuntem Darius attentè conſiderans, quòd neq; Perſica erāt illa quæ ageret mulier, neque Lydica, neque ullarum ex Aſia feminarum, miſit quoſdā ſuorum ſatellitum, iuſſos obſeruare, in quam rem uteretur mulier equo. Iſtis obſequentibus, femina ubi peruenit ad flumen, equum adaquauit, uas aqua impleuit: eademq; uia regreſſa, aquam capite ferēs, equum è brachio trahens ac fuſum uerſans. Admiratus Darius, adduci corràm feminam iubet. Ea adducta, adoleſcentes fratres qui aderant, non procul rem ipſam ſpeculantes, interroganti Dario, Cuias illa eſſet, aiūt ſe Pæones eſſe, & illam ſuā ſororem, ſeq; ueniſſe Sardis, ut ſeſe Dario donarent. Pæoniam autem Teucrorum coloniam eſſe ad flumen Strymonē ſitam, non procul ab Helleſponto. Interroganti Dario, nunquid omnes illic feminæ tam laborioſæ eſſent? affirmarunt promtè, id ita habere. Itaque Darius literas ad Megabyzum dat, quem in Thracia præfectum reliquerat, iubens è ſedibus ſuis Pæones ad ipſum transferri, cum liberis pariter & uxoribus. Herod. lib 5.

*Reconciliatione.*

C. IVL. Cæſar ex Hiſpania reuerſus, quia triumphum poſtulantibus manendum extra urbem, & candidatis conſulatus petendus erat in urbe: his legibus conflictatus contrariis, cùm ad tempus comitiorum conſularium occurriſſet, contendit per amicos à ſenatu, ut abſentis ſui ratio haberetur. Contra cuius poſtulata inſiſtente legi Catone, mox ut multos aduertit à Cæſare delinitos, tempore rem excludente, ac diem dicendo eximente: conſtituit dimiſſo triumpho Cæſar incumbere conſulatui, ingreſſuſque illicò urbem ſuſcepit actionem. Conſiderans autem in M. Craſſi à Cn. Pompeio alienatione, ſi ad alterum ſe applicaſſet, alterum habiturum ſe inimicum, ad ambos reconciliandos conuertit animum, rem præclaram alioquin & ciuilem, ſed ex cauſa praua cauteque ab illo & inſidioſè commentatam. Quippe uires reipubl. quæ ſicut in naui propenſiones ad æquilibrium redigebant, ubi coiere, & unitæ ſunt (quod quidem eam oppreſſit & euertit funditùs) inexuperabile reddiderunt momentum. Vnde M. Cato eos, qui ab inſecuto Pompeij cum Cæſare diſſidio rempubl. prædicabant profligatam, errare dicebat, qui reprehenderent nouiſſima. Neque enim diſſenſionem uel ſimultatem, ſed coitionem eorum & conſenſionem primum reipubl. uulnus & maximū fuiſſe. Inito Coſſ. extemplò, leges nōn conſuli, ſed audaciſſimo tribuno plebis rogauit congruentes, in gratiam plebis legem de coloniis deducendis, & leges agrarias promulgans. Ibi cùm aduerſarentur ei in ſenatu optimates, quòd diu occaſionem quæſiſſet, uociferatus, teſtatuſq;, inuitum ſe tranſire ad populum, quem neceſſariò & iniuriis in ſe ſenatus adductus cogeretur obſeruare, proſiliit: cinctuſque hinc Craſſo, illinc Pompeio, rogauit eos, Ecquid leges ſuas probarent? Cum probare dicerent: orauit, ut contra aduerſarios, qui gladios minitarentur, eſſent ſibi auxilio. Id illi ſunt polliciti. Adiecit inſuper Pompeius, contra gladios cum gladio ſe uenturum, & ſcutum quoq; allaturum. Hæc uox optimatum aures offendit, indigna eius pudore, atque ab eius erga ſenatum obſeruantia abhorrens, imò inſana & temeraria: populus uerò exultauit. Cui cùm M. Bibulus conſul repugnaret, Pompeius urbem militibus compleuit, remq; publ. ui totam occupauit. Quippe conſulem Bibulum, qui cum Lucullo & Catone in forum deſcendebat, repentè adorti, faſces fregere. Quidam cophinum ſtercoris plenum in ipſius caput Bibuli effudit. Duo tribuni, qui Bibulum deducebant, uulnerati ſunt. Ita aduerſariis foro eiectis lex perlata agraria eſt. Plebe legibus agrariis delinita, ei prouincia Illyricum & tota Gallia, adhæc quatuor legiones in quinquennium decretæ ſunt: præcinente Catone, in arce ſuis ipſos decretis collocare tyrannum. Interea Cæſarem bella Gallica euexêre. Qui cùm remotiſſimè ab urbe abeſſe, & Belgis, Sueuis, Britanniſque putaretur implicatus: clàm aſtutia ſua medio in populo & præcipuis rebus Pompeij potentiam labefactabat: Siquidem aurum, argentum, reliquamque prædam & opes ex tot hoſtibus ſuperfluentia in urbem mittendo, labefactandoque largitionibus, & præbendo ædilibus, prætoribus, conſulibus, atq; horum coniugibus auctorabat ſibi complures. Itaq; ad eum, poſtquàm Alpes tranſmiſit, Lucæ hybernantem cùm ingens uirorum ſimul & mulierum certatim confluxit agmē: tum ſenatores, inter quos Pompeius & Craſſus fuêre, ducenti. Conſpecti fuerunt pro Cæſaris foribus proconſulum & prætorum centum uiginti faſces. Ille alios omnes ſpe & numis ſatiatos dimiſit. Craſſus uerò & Pompeius cum eo pacti ſunt, illi ut conſulatum peterent, Cæſar ad comitia frequentes milites ſuffragandi cauſa mitteret. Si deſignati eſſent, quamprimùm ut cura-

rent



rent prouincias & legiones ſibi decerni, Cæſari uerò ſuas prorogari in quinquennium. Cæſo à Parthis Craſſo, Pompeius Romæ rerum potiebatur ſolus, Cæſaris tamen legiones metuebat, exercitum dimittere nolentis, cùm Pompeio in quadriennium decretas prouincias audiuiſſet, ſui uerò abſentis nullam rationem habitam. Proinde in urbem milites aſſiduè mittebat ad comitia, multos ex magiſtratibus numis ſibi parabat & redimebat: in quibus conſul fuit Paulus, qui ad partes eius trecenties ſexagies H—S precio deſciuit: & Curio tribunus plebis immenſo ære alieno ab eo liberatus, ſimulq; M. Antonius ob Curionis amicitiam iiſdem obſtrictus nominibus. Compertum eſt unum ex miſſis à Cæſare centurionibus pro curia ſtantem, cùm audiret negari à ſenatu Cæſari prouinciæ prorogationem, gladium manu concuſſiſſe, ac dixiſſe: Atqui hic dabit. Plut. in Pōpeio, in Cæſare & Catone.

*Inſectatione.*

Ioannes Baluus Verdunenſis, humili loco natus, theſaurarius primùm, inde Ludouici XI. regis fauore epiſcopus Andegauenſis, Paulum II. acerrimè impugnando apud regem, effecit, ut Paulus eius conciliandi cauſa galerum illi offerret. Poſtea etiā præter eccleſiaſticas dignitates, Comitis & Baronis nomen aſſecutus eſt. Garimbertus libro quarto, de uitis Pontificum.

*Nobilitate ementita.*

*Conſule Tit. Natales ſimulare: quatenus claris ſeſe familiis per dolum inſerendo, principatum quoq; acquirere conantur.*

Paphlagonum reges Pylemenes dici conſueuere. Hinc per iocum NICOMEDES Bithyniæ rex, cùm ſubactam Paphlagoniam cum Mithridate diuiſiſſet, eam iuſſus in integrum reſtituere, ſuis uiribus diffiſus, Se iuſto regi reſtituere uelle, dixit, atque Philomenem filium, Pylemenem nuncupauit, regnoq; impoſuit. Sabel. lib. 3. En. 6.

NYMPHIDIVS Sabinus prætorio præfectus, qui Neronem prodidit, Galba Imp. electo, ad imperium & ipſe aſpirans, non detrectauit C. Cæſaris, qui poſt Tiberium imperauit, filius nuncupari. Conſueuerat enim, ut fama erat, admodum adoleſcens Caius genitrici eius, quæ erat forma non illiberali, ex ſartrice meritoria & Cæſaris liberto Calliſto genitę. Cæterùm fuit eius cum Caio conſuetudo Nymphidij ortu recentior, ac ſuſpicabantur ex Martiano gladiatore, cuius amore propter magnum nomen deperibat Nymphidia, quem potiùs uidebatur oris lineamentis referre, cum fuiſſe ſuſceptum. Plut. in Galba.

*Suffragiis.*

Venetiis inclinabant non paucorū ſtudia in FRANCISCVM Foſcarum, qui uniuerſæ Reipublicæ præeſſet: ſed eius ætas multorum uota retardabat (alterum enim & quinquageſimum ætatis nōdum agebat annum) quæ res maiorem quadragintauirûm partem ab hoc propoſito auocabat, multis longè ſenioribus, qui Mocenico principi ſuccederēt, adhuc extantibus. Effecit tamen Foſcarus, ut uoti ſui compos tandem eſſet. Nam quum in quadragintauirûm numero aliquot eſſent, qui illi uni præcipuè ſtuderent, effecit cum iis, ut in ſuffragando minimè ſibi fauerent, niſi quum ille annuiſſet. Quare conuerſus in alios omnes, hoc unum ſeſe ab illis petere agebat ſupplex, ut ſuo tantùm ſuffragio dignum illum cenſerent, qui ſummæ rei præeſſet, turpe enim & ignominiæ plenum ſibi uideri, ſi diui Marci procurator, ſemperque de Repub. optimè meritus uix tria aut quatuor ſuffragia referret, quum in nomen eius iretur. Quòd ſi ſemel ſupra dena numerare poſſet, ſeſe id æquiſſimo animo laturū. Quod quum illi ex animi ſui ſententia obtigiſſet (nemo enim rem tam æquam negare ei poterat) nactus oportunā, ut ſibi uidebatur, ocaſionem, annuit fautoribus ſuis, ne deeſſent, ſed omni opera ac ſtudio ſibi adeſſent. Euntibus igitur omnibus in Franciſci nomen, aſtu & arte id adeptus eſt, ut quinq; & uiginti ſuffragia ſortiretur, qui numerus tunc temporis in eligendo duce ſatis eſſet. Quapropter ſtupentibus omnibus dux ſalutatus fuit. Ibidem.

Fridericus Sueuiæ dux, uir religioſus, prudens & fortis, Henrici V. Imper. ex ſorore nepos, commendata habuit ab auunculo inſignia Imperij: & ideo multi præiudicio deceſſoris hunc eligendum regem putabant. Alij uerò, quòd imperij iura nimis imminuta uiderentur, fortem & acrem principē requirebant. Ita pro ſe quiſque recuſare, & ad alium potiùs transferre cōtendit. Id quum ex compoſito inter principes fieret, procurante ALBERTO Moguntino archiepiſcopo, qui domum Henrici non amabat, Saxones autem haberet in precio: Fridericus etiam ipſe, nihil ſubeſſe doli ueritus, & penè certus de ſe eligendo, ut moderationis ſuæ ſpecimen daret, & inſignia Imperij principibus reſtituit, &, ut cæteri, imparem ſe illi oneri faſſus eſt. Nec mora, qui cum Moguntino ſenſerant, Quādo quidē, inquiunt, recuſant Imperium, quibus uidebatur deferendum: Luderus ſiue Lotharius Saxoniæ dux implorandus, ne patiatur Imperij dignitatem iacere contemtam. Itaq; unanimi conſenſu illum elegere, nihil recuſantem. Cranz. lib. 6. Saxoniæ, cap. 1.

Poſt Rodolfi Habſpurgenſis obitum, anno Chriſti 1291. Adolphus comes Naſſauienſis Cæſar electus eſt Françofordiæ, aſtu GERLACI Moguntini archiepiſcopi, conſanguinei ſui. Gerlacus enim principum Electorum diſcordia inter ſe perſpecta, clàm ſingulos conuenit, & de eligendo Cæſare egit. Simulat igitur apud Venceslaum Boemiæ regem pleroſq; conſentire in electionem Alberti Auſtriæ ducis, cui infenſus erat Venceslaus. Rex uotum ſuum Gerlaco dat: eligeret quemcunque alium, quàm Auſtriæ ducem. Apud Saxonem ſimiliter fingit, principum uota in ducem Brunſuicenſem Saxonis hoſtem inclinare. Saxo ſuffragium ſuum Gerlaco committit, ea conditione, ne eligatur Brunſuicenſis. Apud Palatinum ſimulat, uota Electorum in Venceslaum hoſtem eius propendere. Palatinus ergo uocem ſuam Gerlaco dat, modò ne Boemorum rex creetur. Sic principum ferè omnium uota aſſecutus, præter omnem expectationem Adolphum regem Romanum electum nunciauit & proclamauit. Cuſpin. in Adolphi uita.

C. MARIVS Conſul III. exercitui contra Cimbros, qui aduētare dicebantur, præfectus, exacto tempore annuo, urgentibus comitiis, cùm defunctus collega eius eſſet, relicto ad exercitum M. Aquilio, contendit Romam. Ibi multis & inſignibus uiris conſulatum ambientibus, L. Saturninus (qui pręcipuè inter tribunos impellere ualebat plebem, & quem in ſe circumegerat Marius) monuit eam pro concione, ut conſulem illum crearent. Cumq; Marius in ſpeciem detrectare conſulatum nec cupere iactaret: proditorem eum patriæ Saturninus appellauit, qui periculo tanto impendente, bellum ſuſcipere gerendum abnueret. Populus uidens tempus requirere illius uirtutem & fortunam, conſulē quartum eum deſignauerūt, collegamq; ei Luctatium Catulum addiderunt. Plut. in Mario.

*Sortitione fraudulenta.*

Sordida magorum dominatione in Perſide oppreſſa, Darius rex adiutoribus eiuſdem dignitatis aſſumtis, pactum cum præclari operis conſortibus fecit, ut equis inſidentes, ſolis ortu, curſum in quendam locum dirigerent, isq; regno potiretur, cuius equus in eo primus hinniſſet. Cæterùm maximæ mercedis competitoribus fortunæ beneficium expectantibus, ſolus acumine equiſonis ſui OEBARIS proſperum exoptatæ rei effectum aſſecutus eſt, qui in equæ genitalem partem demiſſam manum, cum ad eum locum uentum eſſet, naribus equi admouit, quo odore irritatus antę omnes hinnitum edidit: auditoq; eo, ſex reliqui ſummæ poteſtatis continuò equis delapſi candidati (ut eſt mos Perſarum) humi proſtratis corporibus Darium regem ſalutauerunt. Quantum imperium quàm paruo interceptum eſt uafſramento? Val. Max. lib. 7. cap. 3. ex Herod. lib. 1. Polyæn. lib. 7. & Iuſtinus, paulo aliter narrant. Equum enim Darij in cōſtituto loco equæ admiſſum ab Oebare, poſtridie eodem in loco amoris deſiderio commotum primum hinniuiſſe. De modo ambigunt, de re conſtat.

TEMENI fraudem in Meſſeniæ regno Creſphonti adiudicando, pete ex Titulo, Regiones aſtutè comparare.

Syracuſis lex erat de ſacerdote Iouis in annos ſingulos ſortitò capiendo ex tribus generibus. Quòd ſi ſuffragiis tres crearentur, res reuocabatur ad ſortem, nimirum ut qui ſortę è tribus prodiiſſet, is ſacerdotio potiretur. VERRES autē Siciliæ prætor cùm Theomneſtum renunciari, & legem tamē retinere uideri uellet, tres ſortes in urnam coniici iuſſit, in quib. omnib. ſcriptū eſſet nomē Theomneſti. Cic. Verrina 4.

Poſtquam Acacius Conſtantinopolitanus epiſcopus à Romano Pont. excommunicatus eſt, & alius in eiuſdem locū ſubſtituendus eſſet: tum Zeno Imp. ut tolleret occaſiones turbarum, quæ in electionibus plerunq; oriri ſolebant, chartā puram obſignatā in altari repoſuit, & in alia ſcripta Deum orat, ut ipſe in mundā illam notis deſignaret, quémnā Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ præfectum uellet. Aſtutè igitur FLAVITAS presbyter, homo ſummæ audaciæ & impietatis, ædituo pecuniis corrupto, fecit ut ſuū nomen papyro inſcriberetur. Hac fraude epiſcopatū adeptus, quarto menſe periit. Nicephorus lib. 16. cap. 18.

Leſco primo Polonorum principe ſine liberis defuncto, placuit principibus, indicto ad certam diem maculoſorum equorū curſu, qui primus ad metā perueniſſet, eius dominus ut princeps eſſet totius Poloniæ. Figitur meta apud Prādnicū amnē in aperta planicie ad ſeptentrionalē plagam Cracouiæ. Ibi LESCVS quiſpiā, procerum & competitorū unus, cùm ſtadium uafro conſilio ſtratis clàm in ſabulo ferreis hexagonis, ſiue ſtylis cæcis, quibus currentium equorū pedes læderentur, impediuiſſet, ipſe obliquo & minimè impedito tramite primus, cæterorum equis in curſu offendentibus ac

ceſpi-

ceſpitantibus ad metam peruenit. Municrat etiam equi ſui calces ſoleis ferreis,ut ne offenderet in ſtylis, ſi fortè cum impetu currens in eos incidiſſet:cùm omnes omnium aliorum equi de more illius temporis ſoleas nullas haberent. Attonitis omnibus & iam uictorem atq; principem diuinitùs ſibi oblatum conclamantibus, techna deprehenditur: protrahitur Leſcus in medium,conuincitur,damnatur,concerpitur. Cromerus lib.2.

## EORVM, QVI IMPERIVM IMPEDIRE poſſunt,coactionem,oppreſſionem, retardationem

### *Cæde.*

MIDAS,ſimulans ſe diis magnis rem diuinam facturum, per noctem Phryges cum tibiis, tympanis ac cymbalis eduxit, quibus enſes occultè geſtandos dederat. Ciues è domibus egrediebantur ad ſpectaculum. Illi tympana cymbalaq; pulſantes,ſpectatores trucidauerunt,& in ędes apertas impetu facto, Midam tyrannum conſtituerunt. Polyæn.lib.7.

THERON,Selinuntiis prælium aduerſus Carthaginenſes cõmittentibus, cùm multi ex his qui occubuerant inſepulti iacerent,& hoſtes inſtarent,atq; illi ſepelire mortuos non audentes,neq; tamen inſepultos relinquere ſuſtinentes,conſilium, quid agendum foret, caperent:Theron recepit,Si triginta ſibi darentur ſerui, qui ligna ſecare poſſent, ſe cum ipſis acceſſurum,& cadauera igni traditurum,ac polyandriũ erecturum. Quòd ſi ab hoſtibus ipſi uincerentur; non inde magnum periculum ciuitati futurum, ſi unum ciuem amitteret,& triginta mancipiorum precium. Laudarunt Selinuntij ſententiam, eiq; conceſſerunt, ut ſeruos quos uellet,ſumeret. Qui robuſtos & florentes deligens,eduxit cum falcibus, bipennibus & aſciis:ut ad conbuſtionem mortuorum ligna ſecarent. Cùm exiuiſſent, perſuadens eis Theron,ut dominis inſidias ſtruerent, ſero ueſpere in urbem reuerſus eſt. Quos mœniorum cuſtodes agnoſcentes acceperunt. Theron ipſis cuſtodibus trucidatis,& plurimis ciuibus in lecto interfectis,ciuitatem occupauit,& Selinuntiorum tyrannus euaſit. Polyæn.lib.1.

DINIAS Teleſippo natus, Pherenſis,in urbe Theſſalię Cranone in paludibus & fluuiis auiculas aucupio uenabatur. Ab eiuſmodi uita aſcendit ad tyrannidem; talibus machinis. Cranonij cuſtodiam urbis precio locabant. Dinias eam cõditionem accepit,& uſq; ad triennium ſumma cura diligentiaq; excubias egit, ut noctes longè ſecuriores eſſent diebus,his qui intempeſtiuè ambularent. Eam ob rem laudatus,plures ſibi uigiles conduxit,ut maiorem laudem adipiſceretur,ſi cuſtodiam munitiorem efficeret. Cùm uerò ciuitas frumentorum decimas mercede locaret, fratrem ſuum iuniorem ab omnibus officiis immunem ſubornauit,ut eas conduceret,ſummè extollẽs & amplificans reditus. Sic,cùm fratrem ſuum decimarum collectorem in urbe conſtituiſſet, & multos ei iuuenes florenti ætate præditos tradidiſſet, iuxta agrorum numerum ad colligendos decimatos fructus, cùm feſtum celebraretur, quod Tænia nominatur; in quo omnes Cranonij ludunt: coniungens cum urbis cuſtodiis publicanos ab urbe,& cum ſobriis obruens temulẽtos,ampliùs mille ciuibus morte affectis, Cranoniorum tyrannus euaſit. Polyænus lib.2.

PHIDON quidam qui Peloponneſiorum imperium affectabat; quòd patriam ſuam Argos principatum tenere in reliquas urbes uellet,primùm Corinthiis inſidias ſtruebat. Depopoſcit ab eis per legatos mille ex eorum pube, qui flore ætatis & uirtute præcellerent. Illi mille miſerunt:quibus ducem dederunt Dexandrum. Quia uerò obruere illos Phidõ deliberatum habebat,quo Corinthiorum uires debilitaret, atque ciuitatem ſibi faceret obnoxiam (arcem enim opportuniſſimam hanc fore totius Peloponneſi) negotium tranſigendum amicis nonnullis delegauit: in quibus Abron erat Dexandri hoſpes. Illius indicio adoleſcentes, Corinthum incolumes profugêre. Sed & Abron tyrannũ metuẽs, in Meliſſo uico agri Corinthiorum conſedit: ubi natus eſt ei filius, quem impoſita ex loco appellatione Meliſſum appellauit. Plut.in Amatoriis.

Byzantini inteſtinis agitati ſeditionibus, à Spartanis decem uiros pro conſtituenda pace petiêre. Miſſus ergo CLEARCHVS. Qui ubi ſummam rerum imperijq; ad ſe delatam uidit, contracta mercenariorum manu, magiſtratus urbis ad quædam ſacra inuitatos necauit. Mox triginta uiros,qui Bœotæ appellabantur, corripuit, laqueiſq; guttura eorum perfregit. Inde ex reliqua turba opulentiſſimos quoſq; per falſa crimina circumuentos partim necauit, partim urbe fugauit. Magna inde contracta pecunia,ingentes mercenariorum cateruas conduxit, dominationemq; ſibi undiq; firmare ac munire non deſtitit. Lacedæmonij exercitum in eum mittunt duce Pantœda. A quo acie uictus, ad Cyrum Artoxerxis fratrem confugit. Diod.lib.14.

CHILDERICVS Merouei F. Francorum rex, cùm pudicitiam illuſtrium fœminarum attentare diceretur: coniuratione procerum ſibi longinqua fuga conſulere coactus,in Turingiam ad paternos amicos ſe contulit,expectaturus fortunã aliquam redeundi:datiſq; occultis mandatis amico VIDOMARO,acerrimi ingenij uiro,numumq; aureum cùm duas in partes diuiſiſſet, alteram ſibi retinuit, alterã illi dedit, ut nulli nuncio fides haberetur, niſi qui partem numi deferret. Franci Aegidium ciuem Romanum,Sueſſionum præfectum,regem ſuum ſalutant. Nec procerum ulli uidebatur cedere Vidomarus odio in Childericum: non maior ueriorq; amicus, quàm amicitiæ diſſimulator. Octo annos Frãcis iura dixit Aegidius:in amicorum cohortem recepto Vidomaro ob ſolertiæ famam,aſſiduitatemq;. Quo temporis ſpacio, eorum qui in Childericum coniurarant,alij fato obiuêre, aliorum iræ reſedere, alios Romani externiq; Imperij tædere cœpit: alios fictis criminibus falſiſq; ſuſpicionibus apud Aegidium largiter potens Vidomarus inſectatus, cùm tollendos curaſſet, ac paucos ſupereſſe uideret: tunc cum parte numi mittit nuncium omnium in Turingiam ad Childericum. Is à maxima ſuorum parte ſecundiſſimis animis receptus; congreſſum Aegidium fudit fugauitque. Aemilius.

### *Potentia.*

PHILOMEDVS Phocenſibus, qui à Thebanis ac Theſſalis bello petebantur, promittens,ſe bellum feliciter confecturum,cùm dux eſſet creatus,belli prætextu mercenarios collegit:affatimq; ſacris pecuniis ad eam rem abuſus, ductum belli in tyrannidem conuertit. Polyæn.lib.5.

THERON Agrigentinorum mercenarios in occulto paratos & inſtructos habens; cùm ei pecuniæ ad ſtipendia perſoluenda non ſuppeterent, & ciuitas Mineruæ templum magnificentiſſimum extrueret: ſuffuratus eas pecunias quas opificibus diſtribuere debuerat,ſuaſit, ut ſummatim operũ merces ad extremum ſolueretur,in eamq; rẽ uades dignos acciperent,certumq; tempus definirent,quo templi ædificationem abſoluere uellent. Viſus eſt non inutilem ſententiã adferre,& ei ciuitas aſſenſa,opus perficiendũ locauit. Poſtquàm igitur argentum ciuitatis Gorgus, Theronis filius acceperit:neq; architectos,neq; lapidicidas, neq; alios opifices conduxit: ſed ſatellitibus mercede conductis, & Agrigentinos ſuis pecuniis in tyrannidem redegit. Polyæn.li.6.

SOSISTRATVS Syracuſanis perſuaſit, ut eos quibus cum Agathocle neceſſitudo aliqua intercederet; quiq; ad tyrannidem aſſequendam ſuam operam ei præſtitiſſent, communi decreto cum omni familia in exilium mitterent. Qui cùm extra ciuitatem exiuiſſent,mille uiri comitantes eos interfecerunt. Soſiſtratus inde exulum bonis potitus, conductis militibus Græcis ac Barbaris, iiſq; qui in lithotomiis uincti tenebantur ſolutis, imperium in Syracuſios tenuit. Polyænus libro quinto.

PHALARIS,Agrigentinus publicanus, cùm ciues Iouis Gubernatoris templum ædificare decreuiſſent in arce, quòd ea firmiſſima exiſtimaretur, & alioquin etiã religioſum putarent,in celſiſſimo loco deum conſtituere: ipſe promiſit ſe operi curando præfuturum, & fabros optimi generis habiturum,materiamq; utiliter ſuppeditaturum,ac pecuniarum certos arbitros daturum. Credidit populus, quòd eum ob genus uitæ, qui eſſet publicanus, harum rerum experientiam habere putaret. Acceptis igitur publicis pecuniis, magnum numerum conduxit mercenariorum; multoſq; captiuos coemit; & materiam non paucam in arcem comportauit lapidum,lignorum atq; ferri. Cumq; iam ædificarentur fundamenta,ſubornauit quendam promulgantem: Quicũque ſignificarit eos qui lapides ac ferrum in arce ſubtrahũt, is tantundem argenti accipiet. Populus indignè ferebat materiam per furtum ſubduci. Ille igitur,inquit: Concedite mihi poteſtatem muniendi arcem. Permiſit ciuitas, ut eam muniret,ualloq; circumdaret. Ille captiuos uinculis liberauit, eoſq; lapidibus,bipennibus ac ſecuribus armauit. Cumq; Cereris feſtum celebraretur,ex inſperato ciues adortus,magnam uirorum ſtragem edidit: & ipſe mulierum ac puerorum dominus factus, tyrannidem in Agrigentinorum Rep. exercebat. Polyænus.

PISISTRATVS, ut ad principatum, quem animo conceperat,commodiorem ſibi faceret gradum:inopum cauſam aduerſus diuites,quorum princeps Megacles erat, ſuſcepit tuendam. Nouiſſimè quaſi ab hominibus aduerſæ factionis inſidiis exceptus,curru in publicũ delatus, uulnera populo oſtentat,quæ ipſe ſibi intulerat, ibiq; multa queſtus, quòd ob ſuum in plebe ſubleuanda ſtudiũ capitalibus petitus eſſet inſidiis: nec homines aduerſæ factionis inſidiari deſtituros, quandiu ipſe de multitudinis commodo cogitaret. Cõmendare igitur ſalutem ſuam populo, pro quo capitales ſubiiſſet ſimultates, certò ſcire ſe, niſi aliquo publico præſidio ſtaret, breui futurum, ut inimicorum fraude opprimeretur,



nihil minùs affirmans tutũ homini, quàm inter eos uiuere, qui & nocere poſſint,& uelint. His ille facilè obtinuit, ut circa ſe pręſidij cauſa L armatos haberet uiros. Hi ab ipſo armorum genere Corynephori ſunt nominati. Ea Piſiſtrato materia data eſt tyrãnidis ſibi ſtabiliendæ. Ferunt, Solonem diu multumq; obſtitiſſe,quanquã iam grandis natu,ne uiro dominandi cupido latus armis cõmunirent. Permiſſum Piſiſtrato eſt,ut non ſolùm Corynephoros publicè decretos haberet,ſed ſi maiore adhuc opus ei eſſet præſidio, ad libitum ſibi cõpararęt. Huiuſmodi ille occaſione fretus, arcẽ armis occupat,apertãq; exercet tyrannidẽ. Fit continuè ab Alcmeonidis fuga,qui diuerſæ erant factionis. Solon clarè uociferari,eſſe libertatẽ armis repetendã:faciliùs dictitans potuiſſe adoleſcentẽ tyrannidẽ opprimi, ſed multò pulcrius fore adultã reſtingui. Quũ his ille parum omnino proficeret, ex publico domũ reuerſus,in angiportu arma,quæcunq; domi habuit,ordine diſpoſuit,deos homineſq; teſtatus,nihil à ſe, quod ad ciuiũ libertatẽ attineret,pręteremiſſum. Monitus ab amicis fore,niſi urbe excederet,ut Piſiſtrati iuſſu interficeretur,in ea eſſe perſeuerauit:rogatuſq;, Qua fretus ui in ſentẽtia permaneret? Senectute,inquit,audacior fio. Cæterùm tãtũ abfuit,ut Piſiſtratus illi aliquo modo nocuerit,ut in ſummo etiã honore ſit ab eo habitus. Nec in ea re ſolùm popularem præ ſe animũ tulit tyrãnus,ſed & leges quas Solon tulerat,magna ex parte cuſtodiuit,nouas aliquot adiecit. Sab. lib.5.En.2. & Polyęnus lib.1.

DIONYSIVS Hermocratis F. Syracuſanus, humili loco ortus,tyrannidem affectãs,prætores Syracuſiorũ accuſare cœpit,quòd illorum culpa Agrigentum à Carthaginenſib. captum eſſet & euerſum:populoq; perſuaſit, uti non locupletiſſimos, ſed fortiſſimos crearet in poſterũ prætores. Paret populus, & inter alios etiã Dionyſium decernit, cuius uirtus erga Carthaginenſes ſpectata erat. Poſtquã magiſtratũ iniit,neq; uſquã cum collegis conſedit, neq; conſilia ſimul agitare uoluit,nec cõmune quicquã gerere. Ea arte ſibiipſe pollicebatur fore,ut collegis ſenſim poteſtas auctoritaſque adimeretur,ſibi uerò ius omne reipub. adminiſtrandæ committeretur. Poſthæc ſtudens exules omnes ſibi obnoxios reddere,nempe uiros rerum nouarum cupidos,& ad parandam ſibi dominationẽ aptos, quibus ſciebat fugã cædẽq; inimicorum,à quib. olim pulſi eſſent,iucundo ſpectaculo fore:auctor fuit populo exulum reducendorũ. Miſſus inde Gelam,milites omnes humanitate & liberalitate ſibi deuinxit, ſic ut Geloi legatis Syracuſas miſſis Dionyſium unicè laudarent. Reuerſus inde Syracuſas,collegas ſuos grauiter accuſare cœpit:Himilconem præconem ad ſe miſiſſe, ſimulata occaſione captiuos redimendi,per quem ſe,qui collegis ſuperior euaſerit,hortetur,ut eorum, quæ agãtur nihil curioſiùs inueſtiget,neq; impediat, poſtquã adiuuare non ſtatuerit. Itaq; ſe non ampliùs uelle eſſe ducem,ſed aduenisſe,ut ſe magiſtratu abdicet. Neq; enim tolerandum eſſe, cæteris patriã impunè uendentibus,ſe non ſolùm cum ciuibus in eodem excidij periculo uerſari, ſed etiã in proditionis culpam trahi. His dictis accẽſa plebe, ſermone per exercitũ diuulgato, nonnulli in concione,ut erant ad eã occaſionem intenti, proclamare cœperunt, ducẽ eum unicum dictatorẽq; dicendũ eſſe. Ad hanc uocem multitudine inclinata,Dionyſius imperator creatus,ubi rem ſibi uidet ex ſententia ſucceſſiſſe, per decretum militibus duplicatum ſtipendium conſtituit. Exinde meditari cœpit, quónam conſilio cuſtodes corporis per legitimas cauſas ſibi conſtitui poſceret. Hoc namq; impetrato,facilè ſibi patriæ uendicaturum dominationem. Igitur ſimulata ad Leontinos profectione,ſtatione noctu in agris poſita,inſidias ſibi factas ſimulans, repentè exclamare ad arma cœpit, & magnum cum domeſticis tumultum miſcere:mox trepidè in arcem confugit,ibiq; pernoctando facibus incenſis,ductaq; ad cuſtodiam uigilia,militum clariſſimos quoſq; ad ſe accerſit ſimul ac dies illuxit, cuncta iam ad Leontinos congregata multitudine, multa de inſidiis ſibi inſtructis conqueri,uariè diſceptando ſuadendoq; figmẽtis quibuſdã ad ſpeciem ueri compoſitis, turbã adduxit ad permittendum,ut cuſtodes ipſe ſibi, quos uellet,eligeret ex millibus ad ſexcentos (Ferũt hoc à Dionyſio factum Piſiſtrati Athenienſis exemplo) Illicò igitur quoſcunq; rerum inopia,aut ære alieno grauatos,alioquin audaces ac facinoroſos nactus fuiſſet, eos inprimis delegit, quorum coacta ſupra mille capita optimis armis munit, magnaq; ſpe implet. Tum mercenarios aduocatos perblandè humaneq; allocutus,ſibi obnoxios reddidit. Ordinum quoq; ratione habita, diſpoſitiones mutauit,ſubmotiſq; illis loco, quorum ambiguã fidem habebat,aduerſamq; uoluntatem fidiſſimũ quẽque ex ſuis in magiſtratũ conſtituit. Poſtremò ob quodcunque ſcelus aut facinus extorres profugoſq; excipit:quo flagitio impietateq; maiore quis notatus eſſet, eo inter cariores habuit. Stipatus enim huiuſmodi incertæ ſpei hominum cateruis,dominium ſibi munitiſſimum fore putabat. Hac itaq; turba circumuallante,Syracuſas regreſſus,intra nauale armamentarium apparatus maritimæ facultatis tentoria ſibi poſuit,ut eo primùm auſu ſeſe haud diſſimulãter iam dominum ciuibus oſtenderet. Interea Dionyſius, Hermocratis eius,qui debellauerat Athenienſes,filiam uxorem ducit, ſimul Polyxeno ſororẽ dat fratris uxoris Hermocratis, ut adiuncta ſibi per affinitatem clariſſima familia, dominationis ſtatũ firmiorem haberet. His peractis, conuentu habito, Daphnæum & Democratem, quos inprimis aduerſarios habebat,uiros inter primores urbis, è medio tollit. Ita Dionyſius uir penitùs indoctus & illiteratus,priuato præterea humilique loco progenitus,urbis Græcarum maximæ florentiſſimæq; dominium ſibi parauit,omnium,quæ ulla ſcripta memoriæ prodiderint,ampliſſimum,diuturniſſimumque, cum XXXIIX annis imperarit. Non multo pòſt direpta Gela Himilco præconem Syracuſas mittit, hortatum, uti ſe uictos confeſſi,pacem ſecum componere uellent. Quod lætabundo animo Dionyſius excipiens, confirmandæ tyrãnidis cauſa his conditionibus rem compoſuit: ſub Carthaginenſium ditione tenerentur priſci eorum coloni,præterea Sicani. Cæterùm Selinuntiis,Acragantinis,item Himerenſibus,ad hæc Gelois & Camarinis, urbes liceret ſuas cuiq;, modò nullis mœnibus munirentur,incolere, uectigaleſq; eſſent Carthaginenſium: Leontinis, Meſſanis & Siculis omnibus permiſſum eſſet,iure cuiq; loco, legibuſq; patriæ uti pro arbitrio. Syracuſios imperio Dionyſij ſubditos regi:prædam, captiuos,naueſq; redderent,qui haberent,his qui amiſiſſent. Carthaginenſes abiere. Dionyſius tyrãnidẽ firmatã habuit. Diodorus lib.13.& Polyænus lib.5.

STILICO Vandalus,præfectus militiæ Honorij Imp.& ſocer per utrãq; filiã,imperium in filium ſuum Eucherium transferre uolens,ut bella de bellis ſerendo, in perpetua omniũ admiratione & obſeruatione eſſet ob rei militaris peritiam: perſuadet Imperatori,uti Gothis ſtipendia denegentur. Sueuos quinetiã, Burgundos,Alanos & Vandalos magnis pręmiis ſollicitat,uti Rheni ripas occupent. Sic enim fore ſperabat,ut Honorij rebus in arctum coactis,facilè imperio potiretur. Rhadagaiſus Gothorũ rex, cùm CCM. ea iniuria excitatus,Thraciam, Illyricum, Noricum uaſtans, Italiam ingreditur. Cæterùm Feſulis à Romanis & Hunnis incluſi, fame uicti ſunt Gothi & ſubacti. Vixdum ea tempeſtas quieuerat,cùm Alaricus Veſtgothorum rex Conſtantinopoli relicta,in Italiam uenit,& Honorio legatos mittit:Daret ſibi ſuiſq; quantum ſatis eſſet agri ad habitandum, ſe à populationibus ceſſaturos. Honorius ergo Gallias & Hiſpanias, à Sueuis & Vandalis miſerè afflictas,illis conceſſit. Alaricus conditione accepta,Galliam petit. Stilico uerò,præter fœdus,exercitum Veſtgothorum inſequitur: ipſoq; Paſchatis die,quo religionis ergô ab armis ceſſabant Gothi,incautos aggreditur,duce Saulo Iudæo, magnamq; ſtragem edit. Ea perfidia excitus Alaricus,Italiã repetit, omnia cædib.& incendiis replet, Romam ipſam biennio obſeſſam fame tandem expugnat. Honorius cognita tandem Stiliconis perfidia, eum cum filio ab exercitu trucidari curauit. Oroſius, Paulus Diaconus. Geſta ſunt hæc circa annum Chriſti CCCCXII, ut Proſper annotauit. Bonfinius libro ſecundo,Decadis primæ.

### *Minis.*

IRENE Auguſta, Alexij uxor, conſuetudine Tryphonis (qui Manuel poſtea dictus eſt) uſa, cùm principes eam ad nouũ connubium hortarentur, ut ex omni procerum nobilitate, quem uellet,ſibi maritum deligeret:uocato ad ſe adultero, nefarium aperit conſilium. Audio,inquit,te multos familiæ tuæ uiros habere in agris agentes: hos omnes tectis armis in urbem diuerſo tempore inducas uolo. Inde cùm tempus aderit,in parte ædium ad cædem eſſe paratos oportebit. Tũ proceribus imperij uocatis ſtipulari ab eis incipiam, uelint iubeantq; me nubere cui uelim,ſint'ne cui nupſero pro Gręciæ Imperatore habituri? Si id ſe facturos (quod nõ dubito) dixerint, tum ego te & meum coniugem & Imperatorẽ ſalutabo,in tua uerba cogam iurare omnes. Quod ſi facere recuſabunt, tum hominibus tuæ factionis ad unum trucidandos obijciam. Probat iuuenis mulieris conſilium,atq; hominibus comparatis,auerſati principes tam ſordidas nuptias, ad unum omnes ferro cæſi ſunt. Cuſpinianus, quamuis fabulam eſſe putet.

### *Excluſione, Ablegatione.*

CYPSELVS, cùm clariſſimos ex Bacchiadũ familia Delphos miſiſſet,qui de communi ſalute Corinthiorum oraculũ conſulerent,interdixit eis,ne Corinthum ingrederentur: atque in poſterum nobiliſſimis eiectis,ſecurè tyrannidem obtinuit. Polyænus lib.5.

SOLYSON,Callitelis filius, popularis uiri opinionem apud Samios habens, in ducem electus eſt, cùm Samij aduerſus Aetolos bellum gererent, neque ſolenne feſtum celebrarẽt

in templo Iunonis longiùs ab urbe remoto, Solyſon inquit, Se in eo magiſtratu nequaquã commiſſurum, ut honor deæ negligeretur: quo ſtuporem etiã hoſtibus incutiens, eos ad patrium conuentum pelliceret. Samij collaudata ducis pietate & fortitudine, uenientes ad Iunonis templum, ſcenas, omniaq́;, quæ ad feſti celebritatem pertinerent, ſumma alacritate parabant. Solyſon per noctem in urbem ingreſſus, à triremibus nautas intrò uocauit, & Samiorum imperium occupauit. Polyænus lib. 6.

THERMVSA, Phraatis Parthorum regis concubina primùm, deinde uxor, cùm Phraataci filiò ſuo cogitaret regnum aſtruere, nihil uerò ſe effecturam intelligeret, niſi ablegarentur legitimi Phraatis filij: perſuaſit marito, ut Romã eos obſides mitteret. Quod illis ſine cunctatione faciendũ fuit, patre uoluntati Thermuſæ ob inſignem formam obnoxio. Interea Phraataces ſolus domi ad regnũ educabatur: qui tędioſum ratus expectare, dũ à patre decedẽte principatũ acciperet, cũ matre contra eum conſpirauit & interfecit. At priuſquã confirmaret opes ſuas, ob parricidiũ exoſus popularibus, per tumultũ pulſus interiit. Ioſephus lib. 18. c. 3. Antiq.

*Diſtractione, Inimicitiis mutuis.*

Cũ Thuſci, qui in regnũ Tarquinium Superbũ reponere uolebant, arma inferrẽt populo Romano: miſſus fuit ARISTODEMVS Cumanus ob bellicæ diſciplinę peritiam, ut eis opem ferret. Hac in expeditione, quæ longa fuit, ciuiũ militãtiũ licentiæ plurimũ indulgẽs, inſeruiensq́; eis magis quàm imperans, concitauit eos in ſenatum, ut principes & factioſiſſimos in exilium agerent. Hinc aſſumta tyrannide, uiolandis feminis & pueris ingenuis nihil reliqui fecit ad ſummã improbitatem. Siquidem pueris memoriæ proditum eſt eũ, ut comã ferrent, atq; auro redimerentur, imperaſſe: feminæ caput orbiculatim raderent, & amicirent ſe chlamydibus, qualibus ephebi uti ſolent, breuibusq́; ſupra crura tunicis. Plut. de Virtutib. mulierum.

Græcæ urbes mutuis inter ſe bellis exhauſtę dum adhuc in ſuũ exitium ruunt, Macedonica arma in ſua uiſcera adegerunt, quibus oppreſſæ, fœdũ ſeruitium ſeruire coactæ ſunt. PHILIPPVS Macedoniæ rex harũ libertati uelut ex proxima inſidiatus ſpecula, mutua populorũ certamina ab initio aluit, minùs potentibus auxiliando, mox uictos uictoresq́; unà adortus facilè ſubegit. Fueruntq́; Thebani malorum omniũ cauſa, qui rerum nouiſſimè in terra Græcia potiti, uictos armis Lacedæmonios & Phocenſes, uelut parua ſupplicia cędibus & rapinis luiſſent, in cõmuni Græcorum concilio ſuperbè accuſarunt. Lacedæmoniis crimini datum, quòd Thebanam arcem induciarum tempore occupaſſent: Phocenſibus, quòd eſſent Bœotiã depopulati. Vtriq; uictorum arbitrio tanta ſunt pecunia damnati, ut quum Phocenſes agris, liberis & coniugibus priuarentur, deſperatione adacti, Philomene quodã duce, Delphici Apollinis templum, tãquam deo irati, auro & pecunia ſpoliarint: mercenario deinde milite conducto, bellum Thebanis intulerint. Thebani de euentu belli ſoliciti, Philippum ex Macedonia cum exercitu accerſiuerũt: atq; ita ſe externo impio ſubiecẽre, q id in Grę cis tantoperè auerſabantur. Philippus uelut ſacrilegij non Thebanorum ultor, militem lauro coronatũ in aciem producit. Phocenſes Apollinis fronde territi, tanquam manifeſtum numen exaduerſo ſtaret, abiectis armis fugam capeſſunt, pœnasq́; uiolatæ religionis ſanguine & multa ſtrage uno tempore expendunt. Incredibile eſt, quantam ea uictoria Macedonibus, apud externas etiã gentes, uirtutis famã conciliauerit. Athenienſes audito pugnæ euentu, ueriti ne Macedonum arma in Græciam penetrarent, Thermopylarum anguſtias, ut olim aduerſus Perſas, occupant. Philippus interea nihilo in ſocios pacatiore fuit, quàm in eos, quos uicerat, animo. Ciuitates, quarum paulo antè dux fuerat, non ſolùm captas diripuit, ſed coniuges etiam & liberos omnium ſub corona uendidit, non deorum templa ueritus, non aras, non deos penates publicos priuatóſue, quos, ut hoſpes, non hoſtis, ab initio ſubierat: ut non tam pietatis ultor extitiſſe, quàm impiè delinquendi occaſionem quęſiuiſſe uideretur. Sab. lib. 3. En. 4.

SVATOPLVCVS, Othonis marchionis Olomucenſis F. principatũ Boëmiæ affectans, ſubmiſit Hyruinum quendam ad Boriuoriũ patruelem, Boëmiæ regem, qui carcere & uinculis ſe uix elapſum ſimularet, & propterea ſuã contra Suateplucum operam polliceretur, ſimulq́; occultæ proditionis metum ei incuteret. Boriuorius credulus, Verſouicẽſes iam antea ſuſpectos de falſis inſidiis accuſari audiens, dum illos comprehendi iubet, iis ad Vladiſlaũ Boriuorij fratrem confugiendi occaſionem dedit, & cũ Suatopluco coniurandi. Coniuratio tanta fuit, ut Boriuorius in Poloniam fugere cogeretur, nec quantumuis multum annitente Cæſare reduci potuerit. Itaque ſponte in Poloniam exul rediit. Dubrauius libro decimo.

*Armorum ademtione.*

Pri⁹ quàm tyrãnide potiretur POLYCRATES, lectos magnificos cõparauerat, poculaq́;, uel nuptias uel maiora aliqua conuiuia facientibus, ut uterentur, accommodabat. Athen. lib. 12. c. 19. Hunc in modum captata ciuium beneuolentia, cùm Samij publicum ſacrificium facere in templo Iunonis uellent, in quo cum armis pompã agebant, plurimis armis per cauſam ſolennitatis collectis, fratres Syloſontem & Pantagnoſtum unà pompam ducere iuſſit. Poſt pompam uerò cùm ſacrificium obire Samij inſtituerent, plurimi arma depoſuerunt ad altaria, partim occupati uotis, partim libationibus. At qui cũ Syloſonte & Pantagnoſto erant, arma tenẽtes, uir uirum adortus, omnes ordine trucidarunt. Polycrates in ciuitate congregatis ijs, qui inſidiarum participes eſſent, præccupabat oportuniſſima loca, accurrentibus è templo omni ſtudio fratribus cum armis, & auxiliũ ferentibus, & arcem muniebat, Aſtypalæam nomine, accerſitis à Lygdamide Naxiorum tyranno militibus. Sic Samiorum imperiũ obtinuit. Polyænus lib. 1.

PANAETIVS, cùm Leontini bellũ aduerſus Megarenſes gererent de finibus agrorũ, dux belli creatus, primùm egenos & pedites aduerſus mercatores atq; equites irritauit, quòd illi longè deterrima conditione in bello uterentur, hi uerò cõmodiſſima. Deinde pro portis armorũ numerũ atq; delectum habere inſtituit. Equos aurigis traditos pabulatũ ducere iuſſit. Sexcentos uerò ſcutatos habens, idoneos & expeditos, ad eruptionẽ horũ principi recenſionem armorum permiſit. Ipſe uerò ſub arbores capturus umbrã cõcedẽs, aurigis perſuaſit, ut impetum in dominos facerent. Illi conſcenſis equis incurſionẽ in eos fecerũt, atq; armis direptis, nudos & inermes trucidauerunt. Scutati in eam cædem conſentientes, citato curſu urbẽ occupauerunt, & Panætium tyrannum conſtituerunt. Polyænus lib. 5.

ARCHINVS, cùm Argiui arma cunctis ciuibus publico ſumtu fabricarent, procurator eius officij deſignatus, ſingulis ciuibus noua arma largiens, uetera quaſi diis ſuſpenſurus accipiebat. Etenim hoc decretum fecerãt Argiui. Poſtquam omnium uetera arma ſolus collegit, armatis mercenariis inquilinis, infamibus & egenis, Argiuorum tyrannidem occupauit. Polyænus lib. 3.

*Arcis extructione, Occupatione.*

CLEARCHVS Heracleotes arcem ædificare uolens, conſtituit, ut mercenarij noctu clàm exirent, raperent, agerent, iniuriã inferrent, uulnerarent. Ciues id indignè ferentes, Clearchi auxilium implorauerunt. Qui neminem aliter deſperationem eorũ cohibiturum, dixit, niſi quis ipſos mœnib. circũdaret. Permittentibus Heracleotis, locum ciuitatis muniuit. Arce facta, non illos arcuit, ſed potentiam ad iniuriã omnibus inferendam comparauit. Polyæn. lib. 2.

ARCHIAS, LEONTIDAS & PHILIPPVS. Thebani homines, paucorum ditionis cupidi, locupletes, ambitioſiq́;, egerunt apud Lacedæmoniũ Phœbidã, ut traducens illac exercitum, occuparet ex improuiſo Cadmiã, expulſiſq́; aduerſariis, remp. paucorum principatu Lacedæmoniorum iuri obnoxiã redderet. Qui impulſus, nec opinantes Thebanos, utpote ſocios, feſto Cereris adortus eſt, captaq́; arce, Iſmenias uinctus ac raptus Lacedæmonẽ, paulo pòſt eſt necatus. Pelopidæ, Pherenico, Androclidæ, qui multis cũ aliis fugæ cõſuluerant, indicitur exiliũ. Epaminondas uerò, quòd ob philoſophiæ ſtudium uelut quietus, & ob paupertatẽ contemneretur uelut inops, domi ſe continet. Poſtquã abrogauerũt Lacedæmonij Phœbidæ imperium, multamq́; dixerunt centum millium drachmarum, nihilo tamen minùs Cadmiã cũ præſidio tenuerunt: reliquis per Græciam omnibus, quid hoc monſtri eſſet, mirãtibus, quod auctorem punirẽt, factũ comprobarent. Plut. in Pelopida.

*Diſsimulatione cupiditatis imperandi.*

AGATHOCLES cũ Melea inducias fecit. Itaq; hic in Libyam diſceſſit. Ille uerò congregata Syracuſiorum concione: Hãc, inquit, horã ſemper omnib. uotis optaui, qua ciues uiderẽ libertate præditos. His dictis, depoſita chlamyde & enſe, ſeipſum priuatũ eſſe declarauit. At poſt diem ſextum, multis interfectis ciuibus, Syracuſiorum imperium obtinuit. Polyænus lib. 5.

Mortuo Romano III. Imp. regnoq́; ad filios deuoluto, NICEPHORVS Phocas Creta capta Conſtantinopolim triumphãs ingreditur. Metuebat hunc Ioſephus Bringas, & ſuſpectum habebat, ne inuaderet imperiũ. Sed Nicephorus eum callidè eluſit, hoc cõmẽto. Aſſumto uno ſuorum ſtipatorũ, ſub horam prandij, ad domum Ioſephi ſe confert: pulſatis foribus ianitori mãdat, ut ſe adeſſe domino indicet. Admiſſus, Ioſepho ſeorſim abducto induſium ex pilis contextum oſtendit, iuramẽtoq́; confirmat, ſe uitæ monaſticæ cupidũ iampridem fuiſſe: eam huius ſeculi curis repudiatis initurũ, niſi fuiſſet ſtudio & fide in Conſtantinum & Romanum ſua impeditus. Sed ſe paulo pòſt deſiderium ſuum impleturum. Submiſsè contendere ab ipſo, ne fruſtra de ſe alienum quid ſuſpicetur. Hoc uiſo, Bringas ſtatim Phocæ ad pedes accidit, & ueniam flagitauit: pollicitus, nemini ſe quicquam de eo deferenti crediturum. Poſteaquam uerò Phocæ in Cappadociam reuerſi aſtum intellexit, præproperè literas ad Ioannem Zimiſcen, qui exercitui præfuit in Oriente, miſit, & ad Romanum Curbicam Orientis prætorem, ut Nicephorum è medio tollerent: pro mercede accepturi honores maiores. Illi literas Phocæ oſtendunt, eumque hortantur, ut regnum arripiat. At Phocas uehementer hoc recuſabat, quòd impotens eſſet, & uiribus impar: ſiue id fingeret, ſiue ſeriò faceret. Illi ſtrictis enſibus comminati ſunt mortem, niſi imperium arripiat. Ita ui penè coactus, Imperatoris nomen accepit, ab uniuerſo Orientis exercitu Imperator conſalutatus. Cuſpinianus.



*Blanditiis.*

MAGNENTIVS comes Iouiorum & Herculiorum in Gallia, Conſtantis Imp. ignauia inductus, imperium inuaſit. Marcellinus fiſci præfectus, natalem filij ſui ſe celebrare uelle in urbe Auguſtoduni ſimulans, eo nomine primores ciuitatis, ac Magnentium etiam ipſum ad epulas inuitauit, quoſdã conſilij ſui participes, nonnullos etiã prorſus, quid animo moliretur, ignaros. Producto inde ad mediam noctem conuiuio, ex compoſito Magnentius, quaſi rei neceſſariæ cauſa ſurrexit, &, cùm in cubiculum ſeceſſiſſet, regium habitum induit, ac mox cũ ſatellitibus eorum ſe conſpectui reddidit: atq; oratione ad eos, quos animo conſternatos rei nouitate uidebat, ad tempus habita, alios uerbis, alios ui ad ſuas partes traduxit: atq; Imperator ab eis ſalutatus, eiſdem comitantibus regiã ingreſſus, pecuniã dilargitus eſt: ac cuſtodibus portis urbis appoſitis, ingredi omnes, exire neminem paſſus eſt. Sigonius lib. 5. Imp. occid.

*Reconciliatione ſimulata.*

Poſt Iulij Cæſaris mortem, cùm Romæ grauis orta eſſet ſeditio, in qua Lepidus armatis militibus forum, M. Brutus uerò & C. Caſſius Capitolium occupauerant: poſteaquam Cicero populum ad concordiã reuocaſſet, M. ANTONIVS huic reconciliationi operam & ſtudium ſuum nauauit, non ut pacis auctor eſſet, ſed quia per id tempus priuatus ciuis, & dominandi cupidus, nolebat in illa ſeditione & tumultu dominationem ab alio comparari. Xiphilinus Dionis abbreuiator in Iulio.

*Religione.*

PISISTRATVS ab Eubœa expeditionem fecit in Atticã, uerſus Pallenidem: & in primas copias hoſtium incidens, eas occidione occidit. Progreſſus, aliis pluribus obuiã factus, præcepit ſuis, ut ſertis coronentur, neq; aduentantes occidant, ſed affirment ſe cum primis fœdus iciſſe. Illi ergo pacem ineunt, & urbem Piſiſtrato concedunt. Conſcenſo curru, feminam magnam & uenuſtam propter conſtituit, nomine Phyam, armis Palladis ornatam: quaſi Minerua ducẽ Piſiſtratum ſine periculo immiſiſſet. Atque ſic Athenienſium tyrannidem occupauit. Polyænus libro 1. & Valerius libro primo, cap. 3.

---

## IMPERIVM, REGNVM, MAGIſtratum aſtutè CONFIRMARE, CONSERVARE, AMPLIARE.

*Cæde & interitu aduerſariorum.*

THRASYBVLVS Periandrum docuit confirmare tyrannidẽ, Conſule Tit. Tyrannorum.

AGATHOCLES Syracuſiorum tyrannus, cùm pecuniæ inopia laboraret, pupillorum facultates à tutoribus ablatas ad ſe recepit: longè ſatiùs eſſe dicens, ſe eorum tutorem eſſe, & fideliùs iam adultis reſtituiturum affirmans. Preterea à mercatoribus pecuniam mutuò ſumſit, & quædam templorum donaria abſtulit, ac mulieribus ornatum ademit. Quæ cùm locupletiſſimis quibuſq; diſplicere, & ab ſe eorum animos maximè abalienatos animaduerteret: concionem conuocat, in qua nuper acceptam cladem & imminentes calamitates deplorans, ſe quidem (utpote, qui eſſet in ferẽdis quibuſcunque laboribus iam exercitatus) facilè obſidionem ſuſtinere poſſe dicebat: ciuium autem miſereri, ſi concluſi obſidionem pati cogerentur. Hortatus eſt itaque eos, ut ſuæ ſaluti cum ſuis facultatibus conſulerent, quicunque dubiam belli fortunam experiri nollent. Cùm autem ex urbe diſcederent hi, qui opibus maximè pollebãt, & odio in principẽ flagrabãt: eos immiſſis quibuſdã mercenariis neci dedidit, & eorum facultates in fiſcum ſuum redegit. Ex quo tam ſcelerato facto pecuniã nactus, & ab iis, quibus ipſe inuiſus erat, urbe purgata, ſeruos ad militiã aptiſſimos libertate donauit. Diodorus lib. 20.

Lacedæmonij deuictis Athenienſibus TRIGINTA uiros impoſuere, qui remp. eorum regerent. Hi primò cœpere peſſimum quemq; & omnibus inuiſum indemnatum necare: ea re populus lætari, & meritò dicere fieri. Pòſt ubi paulatim licentia creuit, iuxtà bonos & malos libidinosè interficere, cæteros metu terrere. Ita ciuitas ſeruitute oppreſſa, ſtultę lætitiæ graues pœnas dedit. Petrus Victorius lib. 26. Var. lect. cap. 3. ex Salluſtio.

HERODES Iudæorum rex, ut ſibi regnum ſtabiliret, Antigonum Ariſtobuli F. regno exutum, ut à M. Antonio Antiochię ſecuri percuteretur effecit, ne unquam Iudæi eo uiuo res nouas moliri poſſent. Quinetiam Hircanum ſocerum ſuum, à Parthis captum, uerùm à Iudæis Babylone pro rege & pontifice habitum, blandis ad ſe literis, & aliis etiam ad Phraatem Parthorum regem ſcriptis euocauit, quaſi participẽ regni facturus. Dimiſſum à Partho, & ab Iudæis honorificè adiutum uiatico, cùm excepiſſet, in ſummo honore habuit: primumque in conuentibus locum ei tribuendo, & in conuiuiis ſemper honoratiorem cedendo, patremque appellitando, lactabat hominem, quo minùs ſuſpicaretur inſidias. Tandem cùm Romam ad Cæſarem proficiſceretur, ne Hircanus res nouas moliri poſſet, eum interfecit. Quinetiam cauens, ne quis illuſtrium crearetur pontifex, accito Babylone non obſcuri generis ſacerdote Ananelo, huic ſummũ ſacerdotium dedit. At Alexandra non tulit hanc contumeliam, Hyrcani filia, uxor olim Alexandri Ariſtobuli regis filij, ex quo liberos habebat, alterum formoſiſſimum, nomine Ariſtobulum, alteram Mariammen Herodis coniugem, inſigni pulcritudine feminam. Hæc iniquiſſimè ferebat contemtum filium, quòd eo ſuperſtite aliunde uocatus pontificatum uſurparet. Herodes ut domeſticas diſcordias ſedaret, Ariſtobulo iuueni pontificatum conceſſit, deiecto Ananelo, & eundem non diu pòſt in piſcina natantem à coæqualibus per luſum ſuffocari curauit. Ioſephus libro decimoquinto, cap. 13.

TIBERIVS mortuo Auguſto, ex Illyrico Romam reuerſus, ſenatum conuocauit iure tribunitiæ poteſtatis: perlectoque teſtamento Auguſti, maximos gemitus ac dolores ſimulauit, principatum pluribus recuſans, multis precantibus ſenatori[redacted]ue ad genua procumbẽtibus, onerosam ſibi iniungi ſeruitutem conquerens. Quod quidẽ (ut Aurelius Sextus cenſoit) aſtu fecerat, ut diſceret, quid ſinguli ſentirẽt: atrociter explorans animos omnium: quæ res bonos multos pellum dedit. Exiſtimantes enim ex animo eum longa oratione Imperialis moleſtiæ magnitudinem declinare, dum ſententias ad eius uoluntatem promunt, incidere in extrema poſtrema. Suetonius.

SEVERVS Imp. à Pannonicis legionibus dictus, ordinatis rebus in urbe, triginta circiter dies amicos Iuliani proſcribendo, cauſas plurimas audiendo, accuſatos à prouincialibus iudicando, rei frumentariæ prouidendo, ad Orientis ſtatum pacãdum profectus eſt, ut cunctantem Peſcennium Nigrũ, qui a Syriacis legionibus Imperator ſalutatus fuerat, & deliciis Antiochenis uacantem, imparatum opprimeret. Clodiũ uerò Albinum, qui ab exercitibus Britannicis Cęſar creatus erat, ſummis deliciis inutritum, leuem alioqui & ſimplicẽ, ſpe quadã honoris ineſcare ſtatuit, Ceſarem appellando, ne Romam ipſe, dum Orientis bello implicitus eſſet, cum exercitu ueniret. Inſtructo igitur exercitu, mira celeritate in Africam profectus eſt, cùm iam & in Senatu quaſi participẽ imperij Albinũ declaraſſet: cui ſtatuas erexit, aliiſq́; honorib. fidem gratiæ ſuæ fecit. timebat enim, ne Niger per Libya & Aegyptum Africam occuparet, & penuriam rei frumentariæ faceret. Nigro inde ad ſinum Iſſicũ uicto, & Antiochiæ cæſo, mox in Galliã mouit, & circa Lugdunum fuſo fugatoq́; Albini exercitu, direpto incenſoq; Lugduno, Albino caput abſcidit. Cuſpinianus.

Victo & interfecto à Mauris Roderico ultimo Gothorum rege in Hiſpania, rex primus Saracenorum Bellazis Muzæ F. dictus, non multo pòſt, à ſuis eſt interfectus. Poſt illum regnarunt in Hiſpania quindecim Reges intra uiginti annos. Tandem Acabat, filium Laget, Saraceni in Regem elegerũt, apud Hiſpalim. Hic ut imperium ſtabiliret, & præteritorum regum interfectores puniret: ea die, qua Rex electus fuit, proceres ſpectaculis occupauit: interea apparitorum & ſtipatorum & amicorum turba & precibus & precio perſuaſa, uti ſibi in uita tuenda adeſſe uellent, procerum ſingulos aut binos ad ſe euocatos, unius horæ ſpacio trecentos interfecit. Quo facto cæteri de regno perterriti fuẽre, nec in eum conſpirarunt. Regnauit autem longo tempore, & plurimas clades Chriſtianis intulit. Rodericus Santius parte 2. hiſt. Hiſpan. cap. 37.

POPIELLVS II. Polonorũ princeps, pupillus relictus ſub patruorum tutela, qui XX numero erant, uxoris Teutonicæ ſtimulis incitatus, ut liberè tyrannidem exercere poſſet, ſimulato morbo, eos ueluti moriturus acciuit, & ut unum ex fi-

liis ſuis ſibi ſuccedere paterentur rogauit. Interea regina poculum medicatum pro ſanitate regis circumtulit, & iis ſe præbibere ſimulauit. Illi ex ordine extremum uale in principis & nepotis gratiam bibentes, dimiſſi à tyranno, eadem nocte omnes interiêre. Cadauera illorum in lacum Goplo (quaſi regi inſidias ſtruentes diuinitùs extincti eſſent) inhumata proiici uxor imperauit. Ex quibus putrefactis enati mures inuſitatæ magnitudinis, impium parricidam cum ſcelerata uxore atq; liberis duobus fugientem, quoquò uerſus per aquam flammamq; perſequuntur, nec clauſtra proſunt, aut abigentium ſatellitum præſidia. Ad extremum diffugientibus omnibus, abſumtis priùs filiis, deinde uxore, poſtremus ipſe infelix miſerabiliter lenta morte cõſumitur in arce Cruſuicia. Ita non caſſæ ceciderunt patris eius Popielli maioris imprecationes. Fertur enim is ſubinde ſolitus eſſe murium deuorationem ſibi ſuisq; imprecari. Cromerus lib. 2. & Guagninus in uitis regum Poloniæ.

### *Depreſſione maiorum, nobilium, ingenuorum.*

Habuerunt certos annales Iudæi, quos Verba dierum appellabant, quibus ſingularum tribuum genealogiæ deſcribebãtur (ſicut ex 1. lib. Eſdræ c. 2. & tertij lib. 5. colligere eſt) quos rex HERODES nato Chriſto, ut uerum regiæ ſtirpis ordinem confunderet, ſuſtuliſſe creditur. Nicephorus lib. 1. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. 11.

DIONYSIVS iunior, expulſo in exilium Dione, poſteaquam audiuit eum in Poleponneſo manum cõparare, ſibiq; bellum facere conari: Areten Dionis uxorem alij nuptum dedit, filiumq; eius ſic educari iuſſit, ut indulgẽdo turpiſſimis imbueretur cupiditatibus. Nam puero priuſquam pubes eſſet, ſcorta adducebantur: uino epuliſq; obruebatur, neq; ullum tempus ſobrio relinquebatur. Is uſq; eò uitæ ſtatũ cõmutatum ferre non potuit, poſtquam in patriam rediit pater (namq; appoſiti erant cuſtodes, qui eum à priſtino uictu deducerent) ut ſe ſuperiore parte ædium deiecerit, atq; ita interierit. Probus in Dione.

HENRICVS Carinthius, Boëmorum rex, Anna Venceſlai V. regis ſorore in uxorem ducta, proceribus ob tyrannidẽ exoſus, ne Elizabetha uirgo, uxoris ſuę ſoror, legitima regni hęres, cuiquam externorum principum ſe potentiori elocaretur metuens, Hinconem à Quercu, iuuenem nobilitate & opibus clarum, ſponſum offert. At illa mori ſe malle, quã impares nuptias ſubire, & in carcerem arcis Vicegradenſis ire, quàm ab inſtituto dimoueri maluit. In ea arce frater uirginis, ſed nothus, præpoſitũ agebat. Huius cura & opera uirgo cuſtodes fruſtrata, inde Nymburgam auecta eſt. Procerum auxilio Ioanni, Henrici Lucemburgenſis Cæſaris F. nupſit. Is Praga occupata Henricum in Carinthiam redire compulit. Dubrauius.

TVRCORVM Imperator ità liberis hominibus dominatur, ut non aliis ferè quàm fortium ſeruorum conſilio & uiribus tanti imperij fortuna conſtet: quòd alienas occupanti terras nihil magis expediat, quàm ignobilium ſeruientiũq; uoluntates & ſtudia, propoſitis præmiis promereri: quoniã id unum ferè genus hominum, à ſpectata uirtute ad opes ampliſſimas ſummoſque honores ex tuto prouehi, extraque tumultum & inuidiam pro libidine plecti poſſit. Qua de cauſa homines Turcas, antiquæ ſtirpis nobilitatem referentes odit, quum eos tanquam imperij æmulos planè metuat. In his ſunt quatuor inſignes familiæ, uetuſtate originis Othomannorum domui pares, Michalogli, Ebrenes, Turacani, atque Malcoccij: è quibus uel ſummæ uirtutis homines, neque purpurati, neque magiſtri equitum unquam euadunt, ne immodica uirium freti potentia, ad imperium aſpirent. Sed magnos redditus ex antiqua agrorum diuiſione, ſuperioribuſque uictoriis conſecuti, quòd multo pecore & frumentariis poſſeſſionibus abundẽt, perpetuaq; ſtipendia percipiant, cæteris opulentiores exiſtimantur, ſecùs ac liceat Chriſtiano ſanguine progenitis, ſiue militiæ aſcripti ſerui ſint, ſiue incolæ liberi. nam non alios habent fundos, quã quos à principe agrorum domino ad annuum uectigal impetrarint. Magnus tamen his familiis habetur honos. Nam Michalogli peculiari prærogatiua uoluntariis equitib. præficiuntur, hos Acanzes, hoc eſt, antecurſores uocant: & plerumq; centum millium equitum numerum implent, quòd eis ad ſpem prædæ Tartari è Taurica, & Getæ ex Valachia gregatim miſceantur. Reliqui ex his familiis nobilioribus præfecturis ornantur, quæ nunc quadraginta octo ſunt, æqua ferè portione in Europa atque Aſia conſtitutæ. Verùm ex Aſiaticis digniores imperatoris filijs obueniunt, ſicuti Amaſiæ in Cappadocia, Iconij in Lycaonia, Magneſiæ in Ionia. In Europa autem ad parandum militiæ decus potiores conceduntur, Peloponneſiaca, quæ Morea dicitur, Turacanis: Boſnenſis in Illyrico Malcocciis: Ebrenibus Samandrica in Triballis. Nec ulla eſt tam exigua aut tenuis præfectura, quæ bina ſaltem millia equitum non alat, quum ampliores ſena & ſeptena contineant. Quibus omnibus ex deſcriptis regionum uectigalibus, ſtipendia argento & certis lignorum & pabuli ſupplementis, ſingulis quoque menſibus perſoluuntur. Huius generis equites ſcripti in alas Sanzachorum, Timarriotæ uocantur, à Timarro, quæ uox ſtipendium ab incolis contributũ ſonat. In hoc equitatu præcipuum Othomannorum robur conſiſtit: nam ad repentinum edictum pauciſſimis diebus ſeptuaginta ampliùs equitum millia in unum locum à præfectis adducuntur. Sabellici Supplem. lib. 4. ex Iouio.

### *Ablegatione ſuſpectarum.*

GELON Syracuſiorum tyrannus, cùm Megarenſes in Sicilia uiciſſet, locupletiſſimos quoſq;, qui bellum ei intulerant, & ob id ſe interfectum iri putarent, Syracuſas traduxit, ac ciuitate donauit. At plebẽ Megarenſem, quæ belli mouẽdi fuerat expers, quæq; nihil mali ſe paſſuram ſpectabat, Syracuſas adductã uenundedit, ex Sicilia aſportandã. Idem hoc fecit Eubœis, qui ſunt in Sicilia, proceres à plebe diſtinguens. Hoc ideo de utriſq; fecit, quòd arbitraretur cõtuberniũ plebis rem eſſe moleſtiſſimã. Ea ratione potens tyrannus effectus eſt Gelon. Herod. lib. 7.

Parthi priùs Romanorum amicitiam colebãt: poſtea M. Craſſum, qui belli initiũ fecit, ulti ſunt. M. Antonius Armenij regis conſilio proditus, malè pugnauit: at PHRAATES, qui Pacoro ſucceſſit, tantùm circa Cæſaris Auguſti amicitiã ſtuduit, ut etiam illi trophæa remitteret, quæ Parthi de Romanis erexerant. Et uocato in colloquium Tito, qui per id tempus Syriæ præerat, quatuor ei filios legitimos obſides tradidit, Saraſpadem, Ceropaſdem, Phraanem, & Boonẽ, & duas eorum uxores, & filios quatuor, ſeditionem metuens, & ne ſibi inſidiæ ſtruerentur. Intelligebat enim, neminem aduerſum ſe præualiturum, niſi, qui ex Arſacio genere eſſet, propterea quòd Parthi ualde Arſaciorum ſunt amantes. Filios itaq; eminùs ablegauit, ut omnem conſpirandi occaſionem ſuis adimeret. Strabo lib. 16.

### *Diſſociatione, Conuerſatione interdicta.*

SMERDES Magus, cùm regnum Perſarum inuaſiſſet, tanquam ſi Cyri filius eſſet, mortuo Cambyſe omnes illius uxores & concubinas obtinuit. Metuens autem, ne à mulierculis deprehenderetur, quòd falſus eſſet Smerdes, ſegregauit eas à ſe inuicem, ne conſilia poſſent conferre: maximè cùm in gynæceo eſſet quoq; Atoſſa Cyri F. ſoror ueri Smerdis, quæ fratrem ſuum proculdubiò cognoſcebat. Herodotus libro 3.

TYRANNI pueriles amores grauibus edictis prohibuerunt, non turpitudinem exoſi, ſed ſocietatem ipſam: exemplum ueriti Harmodij & Ariſtogitonis, qui Hipparchum ſuſtulêre: item Charitonis & Menalippi, qui Phalaridi inſidias tetenderint. Athen. lib. 13. c. 27.

Vt Theophraſtus ſcriptum reliquit, legem de otioſis non Solon, ſed PISISTRATVS tulit, qua agrum redderet cultiorem, & infrequentiorem urbem, ne ciues cõſpirare poſſent. Plut. in Solone.



DIONYSIVS maior atrociter in alios ſontes animaduertẽs, furibus ueſtiũ parcebat: ut deſinerent Syracuſani unà cœnare & conuerſari. Plut. in Regum apoph.

AGATHOCLES in Africam contra Carthaginenſes nauigaturus, ne Syracuſani ſe abſente nouis rebus ſtuderent, cognationes alias ab aliis ſegregauit: maximè autem fratres à fratribus, & parentes à natis, quos partim in urbe reliquit, partim ſecum abduxit. Certum enim erat, eos, qui Syracuſis relicti eſſent, etiamſi animo erga eum eſſent alieniſſimo, nihil tamen propter amorem erga natos grauius in Agathoclem auſuros. Diodorus lib. 20.

POLYCRATES Samiorum tyrannus gymnaſia & palæſtras omnes ſuſtulit, ne quam occaſionem ciues haberent coëundi, & familiaritatem inter ſe contrahendi. Athenæus libro decimotertio, capite 27.

HERODES Iudęorum rex, regni confirmandi cauſa iuſſit ſua quemque agere negotia, uetitis per urbem cõuenticulis & frequentioribus conuiuiis, appoſitiſq; etiã ſpeculatorib. & grauiſſimis pœnis, qui contrà facerent propoſitis. Diſpoſiti erant tam in urbe, quàm per itinera, qui obſeruarent conuenientes cuiuſcunque rei gratia. Sæpe etiam ipſe plebeio cultu noctu miſcebat ſe uulgo, ut experiretur, quid de ſe ſentiret populus: & quotcunque pertinaciter improbarent eius ſtudia, in omnes inclementer animaduertebat: reliquam uerò multitudinem ſacramento obſtringebat, iuſiurandum exigens, quòd non diſceſſuri eſſent à fide & officio. Ioſephus lib. 15. c. 13.

### *Metu hoſtili.*

NINVS, Nini & Semiramidis F. omni armorũ ſtudio abiecto, ad otium ſe & uoluptatem contulit. In eo ſi non fortiter, callidè tamen præſenti fortunæ conſuluit: ut ad populos in fide retinendos, quotannis ex toto regno accuratiorẽ haberet delectum, noua cõmuniret caſtra, quaſi ſubitũ aliquod moliretur bellũ. Sic iuuentutem ratus ad militaria munera obeunda promtiorem fieri, ſi frequenti delectu ad ſigna reuocaretur: & ſi qua defectionis conſilia occultè in populis mota eſſent, præſentium copiarum metu opprimi poſſe. Sabellicus lib. 1. En. 1.

Carthaginenſes, Syracuſas obſidentes, terra mariq; ſuperati, clàm legatos ad DIONYSIVM tyrannũ miſere, orabãtq; eum, ut ſuperſtites ſineret in Libyam deuehi, trecenta, quæ in caſtris habebant, talenta polliciti. Dionyſius omnes quidem nequaquã poſſe aufugere, reſpondit: cæterùm Carthaginenſes ciues ſolos clàm abire noctu permiſſurum. Intelligebat enim Syracuſanos ac ſocios minimè in id conſenſuros. Hęc agebat Dionyſius, ne, funditùs euerſis Carthaginẽſibus, Syracuſani otium ad capeſſendum libertatem nanciſcerentur. Itaque Himilco, aduecta noctu CCC in arcem talenta, diſpoſitis in inſula per tyrãnum, tradidit: ipſe triremes XL ciuib. expleuit, relictoq; omni exercitu fugere inſtituit. Emiſſa in meſſem Syracuſana plebe, ſingula cuiuſque domicilia iam uacua ſcrutabundus peruaſit. Inde arma quæque, quocunq; loco deprehenſa, abſentibus ignariſq; ſubtraxit. Diodorus lib. 14.

GENSERICVS Vandalus, Leonis Imp. Conſtantinopolitani arma formidans, Oſtrogothos ad utrumq; imperium inuadendum, magna ſpe præmiorum oſtentata, ſolicitauit. Quibus inductus Theodemirus, eorum rex in Pannonia, Glycerium tenuiſſimis opibus Italiæ regnum adeptum audiens, Vindemiro fratri negotium dedit, ut arma Italiæ inferret, ipſe Illyricum, ut ad expugnandum difficilius, ſibi aſſumſit. Vindemirus populabundus in Italiam uenit: uerùm, repentè morbo oppreſſus, interiit, filio ſibi cognomine Vindemiro relicto. Glycerius Imperator miſſis obuiam legatis, hominem donis peruicit, ut exercitum in Galliam abduceret. Paruit uoluntati eius Vindemirus, ac ſeſe Viſgothis adiunxit: ex quo mirè eorum in Gallia atque Hiſpania opes adauctæ. Theodemirus bellum Sarmatis Limigantibus intulit, neque ullum pręmetu obuium habuit. Theſſalonicam Clarianus Patricius cum exercitu obtinens, legatos ad regem cum muneribus miſit. Noua Gothis loca ad incolendum in Illyrico Orientali conceſſa. Sigonius libro decimoquarto Imp. occid.

### *Arcibus.*

HERODES, Iudęorum rex, cùm propter mutatos à ſe patrios ritus populum tumultuari, & à ſeditione & defectione non procul abeſſe cerneret: cùm duas arces munitas in urbe haberet, unam in qua ipſius erat regia, alteram uerò iuxta tẽplum Antoniam à ſe cõmunitam, uiſum eſt tertiam quoq; munire Samariam, mutato nomine Sebaſten, quæ foris totam gentem contineret in officio. Abeſt à Hieroſolymis itinere unius diei, ad urbanos etiam tumultus compeſcendos oportuna. Aliam etiam toti genti ſeu arcem impoſuit, olim Stratonis turrim dictam: ipſe Cæſaream appellari maluit. In magno etiam, quem uocant, campo, ſorte lectis equitibus, caſtellum condidit, & in Galilæa Gabalam, Eſthmonitim in Peræa. His arcibus ad tutelam regni per totam regionem oportunè diſpoſitis, ademta eſt uulgo, leuiſſimis quibuſque cauſis mobili, tumultuandi materia, parato ad quoſcunque clancularios conatus remedio, dum in propinquo ſemper ſunt, qui uel præcaueant, uel recèns ortos compeſcant. Imprimis autem Samariam cincturus mœnibus, dedit operam ut tam è milite auxiliari, quàm è finitimis gentibus plurimos in eius ciuitatis corpus congregaret, partim propter templum, quod ibi dedicare ſtatuerat, partim, quò illuſtriorem eam faceret, ſed maximè, quia prætextu magnificentiæ ſecuritatem rebus ſuis hoc pacto procurabat. Ita omnibus ordinatis ex ſententia, nullos ampliùs in regno ſuo motus timuit, duobus potiſſimùm modis ſubditos in officio continens: timore ſuppliciorum, quæ nemini remittebat, & liberalitate qua prouidebat publicis neceſſitatibus. Ioſephus libro 15. cap. 13.

### *Religione.*

HIEROBOAMVS à decem tribubus Iſraëlitarum in regem electus, deſerto Roboamo Solomonis F. metuens, ne Iſraëlitæ Hieroſolymam ſacrorum cauſa in feſto Vmbraculorum profecti, ad meliorem mentem redirent, & religionis cauſa ad Roboamum ſe conferrent: duos aureos uitulos conflauit, alterum Bethele, alterum Dane, eoſq; deos eſſe Iſraëlitarum dixit, à quibus eſſent educti ex Aegypto, manu ſua factos, non ſecus atq; templum, quod Hieroſolymis tantoperè coleretur, à Solomone eſſet extructum. Et hac religionis immutatione effecit, ut decem tribus in perpetuum à Iudęis & Beniamitis fuerint ſeparati. 3. Regum 12. & Suidas. & D. Aug. lib. 17. de Ciu. Dei, c. 22.

Sunt qui exiſtimant, AEGYPTIORVM reges, ad ſubditorum ingenia temeraria & ad res nouandas prona, in plures Nomos diuiſa regione, ſuperſtitionis diuerſitate diſtrahere uoluiſſe: ut quando animantes, quas alij alias colunt, infeſtæ inter ſe ſunt, earum quoque cultores in factiones diſtracti, minùs contra regẽ conſpirarent. Plutarchus de Iſide, & Diodorus lib. 1. cap. 7.

ROTHARIS rex Longobardorum, Romani pontificis & Exarchi & Orthodoxorum conſenſum, ad ſuæ gentis opes euertendas arbitratus pertinere, edicto publico iuſſit, in ſingulis Longobardorum eccleſiis duos eſſe Antiſtites, quorum alter Arianam, alter Orthodoxam traderet doctrinam. Effectum ergo eſt, ut penè in omnibus Italiæ oppidis duo diſſentientes eſſent antiſtites, & regia auctoritate muniti Ariani, ſuam hæreſin longè lateq; ſpargerent. Vnde totus orbis ea lue infectus eſt. Rotharis autem hoc pomo diſcordiæ conſultò Eccleſiam turbauit, ut eo minùs ad Longobardorum uires opprimendas otij Chriſtianis daretur principibus. Sab. Enn. 8. lib. 6.

In Perſidis regno tyrannus quidã ALAODIM, Senex de montanis dictus, Muletam regionem occupauit, & multos ſicarios (quos uulgò Aſſaſſinos dixêre) ſibi adiunxit, eoſque ad maxima facinora patranda obedientiſſimos reddidit, tali aſtu. In ualle quadam amœniſſima, & præruptis cincta mõtibus paradiſum omni deliciarum genere (qualem impius Mahumedes ſuis ſectatoribus propoſuit) inſtruxit, in faucibus per quas ſolas patebat aditus, arcem extruxit munitiſſimam, ne cui accedendi poteſtas eſſet, præterquam conſciis. Affirmabat interim, claues ſe Mahumedici paradiſi habere, & cùm libitum eſſet, potione ſoporifera, quibus uellet, clàm oblata, dormientes in eum locum deferendos curabat. Experrecti, cùm omnibus delitiis affatim fruerentur, reuerà ſe in paradiſo eſſe credebant. At præſtigiator ille captata oportunitate, medicato poculo ſopitos rurſus extra paradiſum efferebat. Cùm euigilaſſent, ſummo mœrore uoluptates, quas perceperant, ſecum repetebant: & carũ deſiderio mortem exoptabant, uitam flocci pendebant, & ad omnia, quæ tyranno placerent patranda ſeſe paratiſſimos offerebãt, de paradiſi gaudiis, ſi principi obedirent, ſecuriſſimi. Itaq; Chriſtianis contra Sultanos bellum gerentibus, multa intulêre mala, nec paucos Chriſtianorum principum inſidiis circũuentos trucidauêre, de ſalute ſua minimè curioſi, modò hoſtibus damnum inferrent. Hac demùm arte multas gentes ſibi tributarias fecit tyrannus iſte, cùm Aſſaſſinorum inſaniæ religioſæ nemo reſiſtere poſſet. Cæterùm anno Domini MCCLXII. Allau rex Tartarorum ſenem hunc in paradiſo triennali obſidione cinctum, inopia alimentorum, deditionem facere coëgit, locum aboleuit, aſſeclas omnes interemit. Marcus Paulus Venetus libro primo, capite 28. Orientalis hiſtoriæ.

### *Blanditia.*

Cùm AVGVSTVS perpetuum imperiũ ſtabilire uellet, uicto ad Actium M. Antonio, mirabiles artes excogitauit, oratio-

ni quam habuit in Senatu planè contrarias. Verbo quidem imperium pertinaciter recuſabat, uacationem à Repub. petebat: ad extremum uictus eorum precibus, quos ſubornarat, deos obteſtatus eſt, ſe poſt decennium pacatis rebus imperio ceſſurum. Hinc uota illa Decēnalia, quibus imperium in annos quadraginta quinque ſibi prorogauit. Bodinus Methodi hiſtoricæ cap. 3.

Occiſo Caracalla Imp. & electo Opilio MACRINO, cùm milites lugerēt Antoninum, Macrinus ueritus, ne in aliquē Antoninorum (qui multi ex affinibus Antonini Pij erant inter duces exercitus) inclinarent, filium mox ſuum, Diadumenū aliàs dictum, Antoninum iuſſit appellari. Erat enim eo tempore tam amabile nomen Antoninorum, ut qui eo nomine non niteretur, mereri non uideretur imperium. Mox Antoniniana in caſtris ſigna fecit, ſimulacra Baſſiani ex auro finxit, ipſum inter diuos retulit, corpus Romam remiſit ſepulcro maiorum inferendum: & munus inſtituit, ut honorificentiſſimè ſepeliretur. Tum militibus ſtipendium dedit ſolito uberius, ut pecunia imperium, cùm innocentia nō poſſet, ſeruaret. Cuſpinianus.

*Coniugio.*

LYBVSSA Crocci F. cùm Boëmos muliebre imperium auerſari uideret, Premiſlaum ruſticum in thori regniq; cōſortiū accepit. Cæterùm cùm magicis artibus uterque excelleret, iiſdem & marito auctoritatem & ſibi ſecuritatem conciliauit. Nam cùm in concione Premiſlaum nemo cognoſceret, illa decem legatos equo ſuo comites addi iuſſit, qui illum ſequerentur, donec ad agricolam in menſa ferrea prandentem perueniſſent, eumq; purpura & calceis indutum rectâ in arcem Viccgradenſem deducerēt. Legati parent. Cumq; paulo minùs quinquaginta millia paſſuum pedibus emenſi eſſent, ut uētum eſt ad ripam fluuij Belinæ (quo loco pagus Stadicius uiſitur) equus ſubitò ſe de uia in agrum conuertit recēs magna ex parte proſciſſum, pergitq; rectâ ad Premiſlaum aratorē, ac poplites ei unà cū ceruice, quaſi uenerabundus, ſubmittit. Sedebat immotus arator in ſtiua, atrumq; panē & caſeolum de uomere, menſæ uicem fungente, tollens rodebat, tantiſper, dum legati mandata Lybuſſæ exequerētur, eumq; Principem conſalutarent. Inde confeſtim exurgens, ſtimulū colurnū, qui iuxta aratrū iacebat, arripit, & boues ſuos, qui proximè paſcebātur ambo candidi, niſi quòd maculis fuluis aſperſi erant, ſtimulo illo agitat, Faceſſite hinc, dicens, ſudoris laborisq; ſocij, & eò unde ueniſtis redite. Atq; illi repentè ambo ex oculis euanuere. Mox ſtimulum ipſum plantę modo in terrā pangit, qui puncto item tēporis in corylum coaluit, ternis ramis frondentem, quorum duo illicò exaruerunt, at tertius nuces etiā auellanas oſtendit. Hinc ad legatos uerſus, Cedamus, inquit, pareamusque numinibus, ab aratro nos ad ſolium principale uocātibus. Mox ueſtitū ruſticanū deponit, ac ſe purpura & calceis à Lybuſſa miſſis induit, & equum conſcendit, Vicegradum iturus ad celebrādas nuptias, & ad capeſſendū in Boëmos imperium. Cùm paulùm proceſſiſſet, manticulā quoq;, in qua obſonium inerat, & carbatinas, quibus calceatus fuerat, ſibi afferri iuſſit, ut iis moniti ſucceſſores principes, minùs intumeſcerent. De bobus, ſtimuloq; rogatus: Illud, reſpondit, ad gloriam ſuā pertinere, quòd à bobus ad equos, ut dicitur, tranſcenderit: hoc ad filios, quos habiturus eſſet. Vt enim duo rami ex ſtimulo prognati ſtatim aruiſſent, ſic duos ſibi filios fore è Lybuſſa minimè uitales. Tertiū Nezamyſlium non ſolùm ad lætas frondes, uerùm etiam ad uberes fructus prouectum iri. Et niſi ueſtrò, inquit, interuentu aratio fuiſſet interrupta, ſtirps mea nunquā apud Boëmos defiſſet. Nunc multa quidem ſecula durabit, ad poſtremum tamen occidet, cùm nepos ultus fuerit auum. Dubrauius libro ſecundo.

HENRICVS Friderici Barbaroſſæ F. rex Siciliæ inſtitutus fuit à Celeſtino III. Pont. & ut hæreditario iure illud uideretur obtinere, Conſtantiā F. Gulielmi II. regis, monialem, iam ſexagenariam, in uxorem accepit, medicorū conſilio, qui etiā uetulam parere poſſe aſſerebant. Intumuit paulo pòſt Conſtantiæ uterus: incertum quib. de cauſis. Creditū eſt prægnātem eſſe reginā, idq; etiam ab Imperatore. Ordinatū igitur eſt, ut in publico poneretur ad pariendum, aulęis ad pudorē circumpendentibus. Prouiſum fetunt, ut in horā partus alienus ſupponeretur, quem enixa regina uideretur. Tres uno tempore mulierculæ non longè à reginę domo prægnātes breui pòſt peperere. Vnius ex tribus, incertum cuius, infantulus affertur, & ſupponitur reginæ. Auito nomnine pater illum Fridericum uocauit: qui ad uirilem ætatem perueniens, orbis ſe Malleum eſſe prædicabat. Albertus Cranzius lib. 7. c. 38. Metropoleos.

TVRCORVM Impp. ſocietatē imperij uitātes, uxores non ducunt, ſed ſeruas tantùm forma præſtantiſs. è toto orbe petitas aſſumūt. Aſcanius Centori⁹ lib. 6. com. bellorū Tranſſyl.

*Prole ſuppoſititia.*

GVIDO dux Vrbinas, grauiter ferens, ſe legitimos non habere liberos, ut in principatu ex ſe ſucceſſorem haberet, concubinę ſuæ ſupponi iuſſit Bernardini Vbaldini Cardę FILIVM, quem Fridericum nominauit: quem etiam populi aſſenſu, tanquam naturalem filium, ad principatum euexit. Fulgoſus lib. 9. c. 15.

*Conciliatione inimicorum.*

Cùm C. IVL. Cæſar largitione immodica cū M. Bibulo Coſs. creatus eſſet: ueriti potētiam & ambitionē illius PATRES, operam dedere, ut prouinciæ futuris cōſulibus, minimi negotij, id eſt, ſyluæ calleſq; decernerentur. Qua maximè iniuria inſtinctus Cæſar, omnibus officiis Cn. Pompeium aſſectatus eſt, offenſum patribus, quòd Mithridate rege uicto cunctantiùs confirmarentur acta ſua, Pompeioq; M. Craſſum reconciliauit, ueterē inimicum ex cōſulatu, quem ſumma diſcordia ſimul geſſerant. At ſocietatem cū utroq; iniit, ne quid ageretur in Rep. quod diſplicuiſſet ulli è tribus. Suetonius in Cæſare.

## REGNO, IMPERIO, DIGNITATE, MAGISTRATV QVOCVNQVE alios aſtutè priuare.

*Conſule Tit. præcedentē, Dignitatem aſtutè comparare. quatenus is, qui ſibi ſuiſ ue comparat magiſtratum, aliis eundem aſtutè extorquet.*

*Inopia.*

DIONYSIVS tyrānus non ſuas tantùm, ſed & alienas opes conſumendas cenſebat, ut adimeretur occaſio inſidiantib. Hanc ob cauſam REGES Aegyptiorum pyramides extruxere, CYPSELVS Corinthiorum tyrannus aureum coloſſum Scillunte Iunoni dedicauit. Suidas ex Theophraſti lib. 2. de Temporibus.

*Mortis diſſimulatione.*

Antiochus, qui Deus appellabatur, Laodicen uxorē duxit, ex qua natus eſt ei filius Seleucus. Secundam duxit Berenicen, Ptolemæi regis filiam, ex qua relicto filio infante mortem obiit, ſucceſſoremq; regni Seleucum deſignauit. Laodice operam dabat, ut is, qui ex Berenice genitus fuerat, circūuentus per dolum, è medio tolleretur. Berenice ſupplex ad multitudinem prodiit, miſericordiam & auxilium à ſubditis flagitans. Qui uerò interfecerant puerum, alium quendam interfecto ſimillimū produxerunt in populū, eūq; ut ille eſſe uideretur, regio ſatellitio ſtipauerunt: Berenicæ uerò pſidiū ſtipendiariorum Gallorum dederunt, locumq; ei regiæ firmiſſimum tradiderunt, & iuſiurandum atq; fœdus inierūt. Ariſtarcho medico, quem ſecum Berenice habebat, ſuadente, ut pacem cum eis faceret, credidit. At illi iuramēto quaſi ſtratagemate uſi, Berenicen ſtatim adorti iugularunt. Quæ uerò circa eam erant mulieres, defenſionem parantes, plurimæ ceciderunt. PANARISTE autem, Mania, & Gethoſyne, corpus Berenices obruentes terra, aliam quandam in lectum collocarunt, quaſi illam adhuc uiuentē, & uulneris curam accuratè ſimularunt: ac tantiſper ſubditis perſuaſerūt, donec accerſitus ab ipſis Ptolemæus interfectæ parens ueniret: & circummittēs occiſi filij & peremtæ Berenices quaſi ſuperſtitū adhuc nominibus inſcriptas literas, à Tauro uſq; ad Indiam abſq; bello populos in deditionē accepit, uſus Panariſtes ſtratagemate. Polyænus lib. 8.

## VICTORIAM ASTVTE PARARE, CONSERVARE, AMPLIARE.

Apud Lucianum ALEXANDER utile ſibi ad res gerendas dicit fuiſſe, quòd filius Iouis Ammonis ſit habitus. Timebatur enim, nec aliquis ipſi repugnare audebat, nēpe quē crederet deum: οἱ βάρβαροι, inquit, κατεπλάγησάν με, ὥς οὐδεὶς ἐπ' αὐθίζετο, οἰόμενοι θεῷ μάχεσθαι· ὥστε ῥᾷον ἐκράτησεν αὐτῶν.

Anno ſal. 1378. fratres Teutonici undecunque contractis auxiliis, duxerūt in Lituanorum regem ALLEGERTVM. Is dolo ſubmiſſis oratoribus inducias poſtulauit, oſtendēs inter alia, ſe non habere animū alienum à Chriſtianiſmo. Facilè credidere fratres Teutonici, quod uerum eſſe cupiebant: cōceſſere inducias. Eo tempore ſimulans rex, ſe de legibus pacis acturum, inuitat præcipuos, fide publica interpoſita, in tentoriū, ut apud ſe epularentur. Non detrectant illi, ſperantes ſine ſanguine rem omnem tranſigere. Dum illi ſedent ad menſam, rex iam ſubmiſſa ualida manu, intercepit omnē hoſtium cōmeatum. Venerat, qui ſedentibus ad menſam fratribus nunciaret, inducias eſſe ruptas à Lituanis. Rex iram in ſuos ſimulans, hoc ſe nec iuſſiſſe, nec ratum habere, exclamauit. At fratres illuſi, interceptis omnibus cōmeatibus, & eſculentis, cum rubore reduxere exercitum. Cranzius lib. 9. Vandaliæ, cap. 3.

LIBER-



## LIBERTATEM abſentem comparare, recuperare. SERVITVTEM præſentem depellere. Huc pertinet

## E CARCERIBVS ELABI.

CABADES Perſarū rex, Perocis F. ob tyrannidem, & quia legē tulerat, qua uxores omnib. iuberet eſſe cōmunes, regno deiectus uinctusq; à Perſis in carcerē cōiicitur. Vxor aūt Cabadi in carcere miniſtrans, amari à præfecto carceris cœpit. Cui cùm ſui corporis poteſtatē permiſſu mariti feciſſet, pòſt modū nemine prohibēte ad maritū commeauit, eiq; inſeruiit. Nocte igitur quadā Cabades uxori pſuadet, ut ſecū ueſtes mutet: Quo facto, uxore ſuo loco relicta, carcerē exit: equoq; à Seſoſe amico ad id præparato, ad Huanos Nephthalitas peruenit. Cedrenus in uita Zenonis Imp.

Captus erat ab Imp. Lodouico II. SOLDANVS Agarenorū Longobardiam infeſtantium, uir cordatus & prudens (Adalgiſum uocant) Eius ſortem Imp. miſeratus, ſibi familiarem fecit, adeò ut ſæpe cum illo conſilia ſua communicaret. Barbarus callidus inſidias regi moliri incipit: ſuadens, ut ſi Capuam ac Beneuentum firmiſſimo dominio poſſidere uelit, nobiliores urbis aliò migrare faciat, ut ſic plebs ſine labore poſſit facilè domari. Rex conſilium ex animo ſuo arbitratus fore, clàm uincula fabricari & compedes iubet. At Soldanus omnia nobilibus patefacit: & ut uerum illis dicere credatur, compedes oſtentat, & manicas ferreas. Populares regem in uenationem progredientem, urbe excludunt: & Soldano precium, libertatē ſcilicet captiuitatis, donant. Qui egreſſus, nouo exercitu collecto, longa obſidione Capuam & Beneuentum cinxit. Obſidione preſſi, ad regem redeunt, facti ueniam petentes: cauſantur, Barbari aſtu ſe deceptos. Rex legatos non admittens, eos ob delicta meritò pœnas luituros eſt proteſtatus. Baſilium itaque Imp. Conſtantinopolitanum adeunt, & opem petunt: qui auxilia promiſit. Cuſpinianus in Baſilio, ex Zonara & Cedreno. At Sigebertus narrat, Adalgiſum à Græcis ſeductum, Ludouico rebellaſſe, & multas Italiæ urbes ab eius fide abduxiſſe: quamobrem Imperatorem Beneuentum & Capuam cepiſſe: ſed dolis eius circumuētum, dimiſiſſe exercitum, & poſtea coactū iurare, quòd nunquam fines Beneuentanorum ingredi uellet: ideoque Senatum Romanum, eum maieſtatis reum & hoſtem publicum iudicaſſe. Verùm illum, cùm bellum contra ſe decretum cognouiſſet, in Corſicam aufugiſſe, anno Domini 873 Chronicon Caſſinenſe lib. 1. c. 38. Regino lib. 2.

Iacobus Borbonius, ducta in uxorē IOANNA Neapolitanorū regina, à Neapolitanis contemtus, Tarentinorū principatu ac geniali duntaxat Ioannæ thoro contentus, cæterarū rerū adminiſtratione regioq; nomine abſtinere iubebatur. Is ratus de uxoris ſententia hæc agi, Ioannā in ordinē redactā, in arcē incluſit. Illa per diſſimulationem doloris gratias etiā marito agit, quòd ſeditioſos coërceret, ſeq; cura rerum agendarū leuaret, quæ uirturē ſummi uiri poſtularent: ſibi tranquillitatē animi, quietēq; à fluctib. & externis & domeſticis præberet. Ita recondita indignatione muliebri, ſe aulicis luſibus ludisq;, ac deliciis & amplexui mariti dedit. Appellata etiam de coniuratione in Iacobū faciēda ab his, qui non ex uultu præſente, ſed ex fallaci eius ingenio non dubitabant illā ita flagrare, rem ad maritū detulit, auctorq; fuit, ſontes capite luerēt. Nulla iam uxor fidelior uiſa, liber quocunq; egreſſus illi permiſſus, libera cū quibuſuis colloquia. Tunc certiore ualidioreq; coniuratione facta, è cuſtodia eductus Sfortia, & Iacobus, quā in arcē uxorē clauſerat, in eā cōpulſus & obſeſſus, pòſt Tarentū emiſſus, nulla ſpe regni ſe oſtendente in Franciam rediit. Aemilius lib. 10.

HERALDVS Goduini F. Anglorū rex, quaſi nō eſſet, quod domi ageret, animi recreandi cauſa in Flandriā traiiciens, impetu uentorum in Normaniam eiectus, cui tunc imperabat Gulielmus Nothus, quem ipſe ob Alfredi nepotis cædem, à patre ſuo Goduino olim factā, pro hoſte habebat: caduceatore ad ducē præmiſſo, Rothomagū uenit: honorificentiſſimeq; exceptus, aiebat, Se nō uulgari regū more p caduceatores, ſed præſentē cū Duce agere uoluiſſe: filiā ſe eius in uxorē poſtulare, pacēq; perpetuam ac fœdus facere. Gulielmus nihil fraudis ſuſpicatus, ueraq;, quę narrabātur, arbitratus, lætus tanti regis affinitate, libenter, quæ peteret, facturū ſe reſpondit. Nec mora interpoſita, ſolenni ritu nuptiæ celebrantur, magno & Ducis & populi gaudio. Omnib. aūt peractis, aliquot poſt dies Heraldus cū noua nupta in Angliā, magna comitante nobiliū Normaniæ caterua, rediit. Vbi iā in tutū euaſiſſet, extēplò edictum dedit, ne quis Normanus poſt triduum in Anglia moraretur, pœnam alioqui ſubiturus capitis. Sponſam ſuam turpiſſimè agaſonibus ſuis proſtituit, ac naſo auribusq; præciſis, fœdiſſimè uiolatam piſcatoria naue in Normaniam remiſit. Sic ueteres. Alij non ultra ſponſalia progreſſum tradunt, illisq; Heraldum non ſtetiſſe. Gulielmus ira percitus, ob eam contumeliam Heraldum bello perſequitur, commiſſoq; prælio ad Tonniſorigum, regno eum uitaq; ſpoliauit, ac regium ſibi ipſe nomen uendicauit. H. Boëthius lib. 12.

Circa an. ſal. 1426. uenit Roma in Saxoniam MARCELLVS quidam hoſpitalis ſancti Ioannis, profeſſione Minorita: religioſa ueſte abiecta, literas præferens apoſtolicas, indulgētias plenarias pollicitus dantibus pro redemtione captiuorum pro rege Cypri. In diœceſi Zvverinenſe multum fecit quæſtum. Epiſcopus Lubecenſis diligēter illum examinās, & falſi accuſans, coëgit præſtare iuſiurandum, ne niſi re per Pontificem diſcuſſa abiret. Erat tum Cardinalis Anglicus in legatione cauſæ Boëmicæ per Germaniam, cum poteſtate de latere. Scribit illi Papa, ut falſarium examinet, & iure agat. At Marcellus interea clàm euaſerat Coloniam: qui Venetiis ob ſimilē cauſam è carcere aſtu elapſus fuerat. Simulans enim ſe uehementer ægrotare, ut erat medicæ artis peritus, iuſſit ſibi in apotheca ſomniferum uehemens parari: mox rogauit ad ſe mitti fratrem ordinis Minorum, ut corā Deo ſinceram faceret moriturus confeſſionem. Aduentantem ad ſe in carcerem fratrem blandè inuitat, ut de ſuo potu guſtare non detrectet. Simplex ille nihil ueritus mali, bibit: nec diu pòſt in ſomnum incidit grauiſſimū. Marcellus eius ueſtem indutus euadit, & in Germaniam uenit. Ibi à Cardinali, cui nota erat fabula, honorificè inuitatus, uincitur, & Coloniā perducitur. At ibi quoq; cuſtodes fefellit. Præmio centum aureorum propoſito indici, extrahitur ab ſatellite inter moniales laritans: & diligentiùs inde aſſeruatus, publico iudicio conuictus, damnatur ad ſcalam & carcerem perpetuum. Inſcalatus deducitur in Brule archiepiſcopi arcem. Quum uerò Theodericus archiepiſcopus, neſcio quid incōmodi pateretur, ſpecie cōparandæ eidem medicinæ elapſus eſt: & inde in regna perueniens Aquilonis, epiſcopatū ambiuit, incertum quo exitu. Cranzius lib. 11. Saxoniæ, c. 16.

Fernandus Roderici, à Caſtellanis ad Saracenos defectione facta, & in campis Gothorū pugnās contra Comites Caſtellanos, ſocerū ſuum Oſorium interfecit, cum multis aliis: Comitem NVNIVM & RODERICVM Guterrij captos hac lege dimiſit, ut Nunius ſtatuto tempore, Rodericus autem poſtquam ſepeliſſet Aluarum Roderici, ſe carceri reſtituerent. At Rodericus fratrem ſuum in ſarcophago poſuit, & tamdiu diſtulit ſepelire, donec Fernandus uitam finiuit. Nunius autem aſſumtis ſecum ſexcentis militibus, die condicto uenit Donias, & in præſentia omniū Ferdinando ſe obtulit, dicens, Ecce adſum, in carcerē me coniice. Sed cùm Fernando non eſſent tantæ uires, nemo manus in eū iniecit. Ergo proteſtatus corā omnibus fidei ſe datę ſatisfeciſſe, abiit. Rodericus Toletanus lib. 7. rerum Hiſp. c. 22.

## AB EXILIO REDIRE.

DEMOCEDES Crotonienſis medicus, ab Orœte præfecto Sardiū cū Polycrate Samiorū tyranno captus, & ad Darium regē miſſus, ob artis peritiā beatus erat, niſi quòd in Græciā reuerti non licebat. Ergo huiuſmodi aſtum excogitauit. Atoſſam Cyri F. Darij uxorem curabat in mamilla. Ab ea præmij loco petit, ut Dariū ad bellū Græciæ inferendū inſtiget. Vxori obſequitur rex, & cū delectis Perſis Democedē tāquā ductorem itineris exploratum mittit. Cùm Tarēti Perſæ detinerentur, tanquam exploratores, Democedes Crotonem abiit, & Milonis luctatoris celeberrimi filiam duxit, neq; ad regem redire uoluit. Herod. lib. 3.

Fugatis Græcis à Perſis apud Malenam regionis Atarnitidis, HISTIÆVS Mileſius, qui à rege Dario defecerat, fugiens, capiebatur à quodam Perſa, utq; ab eo erat transfodiēdus, ſeſe Mileſium Hiſtiæum eſſe lingua Perſica indicauit, ſperās hoc pacto ſe uitam redemturum. At ne id contingeret, néue fuga elapſus apud regē magnus exiſteret, Artaphernes Sardium prætor & Harpagus, Sardis perductum, in crucem ſuſtulerunt. Herod. lib. 6.

ANTISTIVS Soſianus in Neronem carmina componens, ea celebri conuiuio, apud Hoſtorium Scapulam, uulgauit, & poſt Piſonianam coniurationem in exilium miſſus eſt: malis tamen artibus rediit. Nam cùm Neronem facilè delatoribus aures præbere intelligeret, Parmenis Chaldęi genethliaci amicitiam iniit, ad quem Romanorum literæ de futurarum rerum euentu crebrò deferebantur. Itaque Antæi literas intercepit, ſimul etiam Parmenis libellos clàm furatus eſt, quibus dies genitalis eius & euentura occultabātur, atque Hoſtorij etiam Scapulæ. Neroni mox ſcripſit, habere ſe quæ ſaluti eius conducerent, ſi breuem exilij ueniam impetraſſet. Quam rem Nerò facilè conceſſit, eumq; per Liburnicas aduehi præcepit: eiusq; uerbis fidem habens, Anteum & Hoſtorium perdidit. Suetonius.

## OBSIDES RECIPERE.

Bello Punico quædam CIVITATES, quæ à Romanis deficere ad Pœnos deſtinauerāt, cùm obſides dediſſent, quos recipere antequā deſciſcerēt ſtudebant, ſimulauerunt ſeditionem inter finitimos ortam, quā Romanorum legati dirime-

re deberent: miſſosq; eos uelut contraria pignora retinuerunt: nec antè reddiderūt, quàm ipſi recuperarēt ſuos. Frontinus lib. 1. c. 8.

RAGNERIVS, qui Tarento præerat, cùm mortuo Totila Teiā factum regem, Francosque in ſocietatem uenturos audiuiſſet: pœnitentia ductus, quòd ad partes Iuſtiniani tranſiſſet, ad Gothos redire conſtituit. Vt uerò obſides reciperet ſuos, ab Macurio Hydrunti præfecto auxilium poſcit aduerſus Gothorum copias, quas contra ſe uenturas ſimulabat. Macurius, nihil fraudis ſuſpicans, quinquaginta milites miſit. Eos Ragnerius in poteſtatem redactos cuſtodiri iuſſit, miſitq; ad Macurium, ut ſibi ſuos obſides reſtitueret, ſi milites, quos Tarentum miſerat, cuperet eſſe incolumes. Senſit ille ſibi grauiter illuſum, ac ſimul ira accenſus, paucisque militibus in præſidio Hydrunti relictis, ipſe cum cæteris copiis aduerſus Ragnerium profectus eſt: quem etiam in pugnam deſcēdere auſum, in fugam conuertit. Milites tamen ſuos à periculis eripere nequiuit: omnes enim à Ragnerio ante cōgreſſum trucidati fuerunt. Ioannes Magnus libro decimoquarto, cap. 19.

TYRANNIDEM EXCVTERE.

Cùm remp. Sami ſecūdùm Demotelis cædem illiusq; oppreſſum dominatum Geomori tenerent: PERINTHIIS Samiorum colonis Megarenſes arma intulerūt: ac uincula, uti fama eſt, ad conſtringendos captiuos attulerunt. His Geomori maturè ſuppetias miſerunt. Itaque ſuperauerunt Megarēſes, & ſexcentos uiuos ceperūt. Hac elati uictoria Perinthij, Geomororum in ciuitate factionem obterere conſtituere. Materiam ſuggeſſerunt illi, qui præerant reip. dum ſcribunt iis, ut Megarenſium captiuos deportarent ſuis ipſorum uinculis conſtrictos. Eas literas Perinthij, clàm Megarenſiū captiuis oſtenderunt: eosq; adduxerunt, ut conſpiratione ſecum facta ciuitatem in libertatem aſſererent. Deliberantibus in commune de re agenda, uiſum uinculorum anulos diſſecare, atq; ita circumiectos Megarenſium cruribus deligare loris ad baltheos, ne defluerent, neq; eis ſe illi in progrediendo laxatis explicarent. Poſtquam ad eum modum iſtos adornarunt, & cuique gladium dederunt: Samum decurrerunt, atque exſcenſione facta duxerunt eos medio foro in curiam, ubi Geomori omnes ferè conſidebant. Mox ſigno dato adorti eos ſunt Megarenſes, contrucidauerūtq;. Ita liberata ciuitate, Megarenſes, quibus placuit, in ciuitatē aſſcripſerunt, atq; magnifica extructa domo uincula, quæ πέδας uocant Græci, conſecrarunt, atque inde domus illa eſt Pedetes appellata. Plutarchus in Quæſtionibus centuriatis Græcis.

LIBERTATEM aſtutè conſeruare: SERVITVTEM imminentem declinare. Tum

CAPTIVITATIS, CARCERVM.

Philippi regis Macedonum legati in Italiam ad Hannibalem, cùm Capuam iter intendiſſent, in media Romanorum præſidia inciderunt: deductiq; ad M. Valerium Leuinum prætorem, qui circa Nuceriam caſtra habebat, XENOPHANES legationis princeps, intrepidè prętorem affatus, ſe à Philippo rege in Italiam miſſum ad ſenatum & Pop. Rom. dicit, ut amicitiam & ſocietatem cum eo iungerent. Leuinus tanti regis amicitia lætus, legatos hoſpitaliter complexus, mittit qui eos per tuta loca in pacatum traducant. Cæterùm Macedo, qua proximum ſibi fuit, ducibus relictis, ad Hannibalē in caſtra contendit, cum quo fœdus percuſſit. Legati ad Lacinium redeunt, cum Boſtare & Giſgone, qui unà cùm his ad ſanciendum fœdus ab Hannibale ad Philippū mittebantur. In alto deprehenſi à Romanis, qui cum claſſe Calabriæ litoribus hærebant, ad Valerium Flaccum præfectum claſſis retracti. Xenophanes in ſuas artes uerſus, ſe à Philippo ait ad Romanos miſſum, ad Leuinum prætorem perueniſſe, inde Campaniæ oram hoſtibus infeſſam ſuperare nequiuiſſe: feſelliſſetq; fortaſſis aliquanto feliciore mēdacio Flaccum quàm Leuinum, niſi Punicus cultus inter comites conſpectus, continuò rem ſuſpectam feciſſet. Tùm comitibus ſeductis, ac metu territis, res ut acta erat, cognita eſt, & Hannibalis literæ ad Philippum deprehenſæ. Flaccus Xenophanem & cæteros Romam miſit ſub cuſtodia, ut nihil iam inde inter ſe colloqui poſſent. Sabellicus libro tertio, Enneadis quintæ.

PETRVS Luna, genere Catalanus, delectus papa Benedictus XI. Auenione poſt Clementem, præter fidem ac iuſiurandū quod dederat, ad tollendum ſchiſma nunquam animū applicuit: uerùm ut Franciæ duces infenſos ſibi reconciliaret, unius anni decumas illis conceſſit. Tandem in Tarraconenſium fines patriam ſuam ſe recepit, & quò tutior eſſet, primus Euchariſtiam ante ſe ad ſui cuſtodiam geſtari ſemper uoluit. Auctor Chronici Francorum.

IVDICII, CONDEMNATIONIS.

*Condemnationem qui effugit, Seruitutem iudicatam effugit. Quam comitatur, ut Vitæ conſeruatio, ſic etiam Opum. Quo reſpectu etiam ad alios Locos referri poterit.*

QVIDAM Athenis uniuerſo populo inuiſus, cauſam apud eū capitali crimine dicturus, maximum honorem ſubitò petere cepit: non quòd ſperaret ſe illum conſequi poſſe, ſed ut haberent homines, ubi procurſum iræ, qui acerrimus eſſe ſolet, effunderent. Neque eum tam callidi conſilij ratio fefellit. Comitij enim clamore infeſto, & crebris totius concionis ſibilis uexatus, nota etiam denegati honoris perſtrictus, eiuſdem plebis paulo pòſt in diſcrimine uitæ clementiſſima ſuffragia expertus eſt. Quòd ſi adhuc ei ultionem ſitienti, capitis ſui periculum obieciſſet, nullam partem defenſionis odio obſeratæ aures reciperēt. Val. Max. lib. 7. c. 3.

ALCIBIADES è Sicilia ſoluens, ad iudicium de Mercurialibus ſtatuis, & myſteriis, cùm in iudicio apparere nollet, & nonnulli eum monerent, debere ipſum patriæ fidere: reſpōdit, In his, quibus hominis uita continetur, ſe ne matri quidem crediturum: ne fortaſſe cùm ſuffragium ſuū datura eſſet, errore ducta, nigrum pro candido calculum porrigeret. Itaq; cuſtodibus deceptis, Lacedæmonem profugit, iisque ſuaſit, ut repentè Syracuſiis opem mitterent, & Deceliā munirent, alioquin non ampliùs ceſſuros ipſis neque terræ neque pecuniæ reditus. Athenienſes bello preſſi, re præſertim in Sicilia peſſimè adminiſtrata, Alcibiadi reditum ab exilio decreuerunt: quòd eius opera in bello, quod oriebatur, conficiendo, carere non poſſent. Polyænus lib. 8. Aliter tamen Plut. in eius uita.

Athenienſes ad maritimi imperij ſummam aſpirantes, per licētiam quandam depoſitam communi contributione Græcię in Delo pecuniam ad bellum contra Perſas perſequendi inde ablatam comportarunt Athenas, eamq; Periclis fidei & curæ cuſtodiendam crediderunt. Qui cùm magnā pecuniæ eius partem priuata auctoritate expendiſſet, peteretùrque deinde uti populo rationem redderet: mœrore animi incidit in morbum. Alcibiades ſororis filius, qui apud eum educabatur, conſpiciens auunculi mœrorem, percunctari cœpit, Quæ nam tantæ moleſtiæ cauſa accidiſſet? Retulit ille, Diem ſibi dictā, qua de pecunia accepta ſeſe defenderet: id nunc quærere atq; meditari ſe, qua uia rationem poſſet reddere. At ille, Ergo, non quò reddas rationem, ſed quò non reddas, eſt ineundum conſilium. Quam pueri uocem PERICLES complexus, exinde meditari cepit, atq; eniti ſumma ope, quo pacto populum Athenienſium aliqua graui implicaret expeditione. Sic namque opinabatur, curis ciuium à reliquis negotiis ad belli terrorem & trepidationem cōuerſis, ſe facilè ſubterfugiturum calculum rationemq; pecunię. Huic conſilio caſus quidam acceſſit, remq; prouexit ex ſententia, his cauſis. Sepulcrum Palladis conficiendum Phidiæ fabro locatum fuerat: cui tum operi exequendo curandoq; præfecere Periclem Xanthippi. Quidam uerò ex miniſtris & cooperariis Phidiæ ſubinſtructi, & ab inimicis Periclis adducti, ad aras deorum confugêre. Cumque propter rei nouitatem prouocarentur, dixerunt ſe oſtenſuros, ingens pecuniæ ſacratæ æs à Phidia ſacrilegio ſubreptum teneri, idque patratum adiutore tum locati operis præfecto Pericle. Conuentu itaque ob eam rem congregato, Periclis aduerſarij populo ſuadent, ut Phidiam comprehendi iubeat: tum ipſi Periclem ſacrilegij indicati inſimulant. Adhęc Anaxagoram, quòd Periclis præceptor eſſet, calumniis laceſſere ac criminari, quòd de diis impiè ſentiret. Quibus calumniis Periclem, eadem diſciplina imbutum, & eidem impietati obnoxium oſtendêre. Decretum iampridem Athenienſibus erat, foro, commeatibus & portubus arcere Megarenſes. Qui eius rei difficultate compulſi, ad Spartiatarum auxilia confugêre. Lacedæmonij legatos miſere, qui iuberent abrogari decretum, quod contra Megarenſes tuliſſent: ſin id recuſaretur, bellum detrectantibus indicerent denunciarentque. Pericles in concionem prodiens, populo ſuadet, decretum nullo pacto poſſe abrogari, re populi maieſtateque urbis ſeruata. Connumeratis etiam ordine uiribus & opibus Athenienſium, ad bellum Peloponneſiacum inſanā plebem animauit. Vt rectè Ariſtophanes ſcribat, Periclem ueritum, ne Phidiæ ſacrilegio inuolueretur, excuſſa Megarici decreti parua ſcintilla, tantum incendiſſe bellum, ut eius fumo Græci omnes illacrymarint. Diodorus libro 12. & Plutarchus in Pericle.

ANDOCYDES orator Athenienſis clarus, uinctus in cuſtodia tenebatur, quaſi & ipſe mutilatorum Hermarum ſocius fuiſſet Alcibiadi. Ei cōſulit amicus quidā Timęus, ſemetipſe cum paucis aliis ut deferat. Confitenti enim concedi ex plebiſcito impunitatem: exitum incertum iudicij, potentib. maximè terribile eſſe. Satius eſſe, ut per mendacia incolumis ſit, quàm eodem ex crimine pereat ignominioſè. Qui ſi cōmodum publicum ſpectet, conducere, ut paucis condonatis & dubiis, multos & bonos uiros eximat iræ populi. His Timæi uerbis & monitionibus inductus Andocides, cùm de ſemetipſo & cæteris confeſſus eſſet, ueniam habuit ex lege. Quos detulit, niſi, qui profugiſſent, necati omnes ſunt. Ac maioris fidei cauſa, adiecit ijs Andocides proprios ſeruos. Plut. in Alcibiade.

LICINIVS Iulij Cæſaris libertus, quem Auguſtus Gallis pręfecerat, homo nequiſſimus, cùm ex illicitis tributis atq; exactionibus nouis magnam pecuniam ſibi collegiſſet: à Gallis eo nomine accuſatus apud Auguſtum, cùm uitæ periculum ſibi ob tantam iniuſtitiam imminere non dubitaſſet: cogitauit, quibus artibus euadere, atque à mortis ſe periculo liberare poſſet. Auguſtum igitur Cæſarem in domum ſuam intr[redacted] moxque ait: Domi[redacted] quæ coràm uides, coaceruaui tua atque [redacted] & ne reb. abundantes deficerent. Sic ſe, eo [redacted] Auguſti & reipubl. gratiam Barb[redacted] liberauit ab omni uitæ periculo. [redacted]

GESSIVS Florus Iudeæ præſes, crudelitatibus & rapinis notiſſi[redacted], quibus potuit artibus Iudæos ad ſeditionem excitare [redacted] deſtitit, ut defectione facta, Iudæis eum apud Neronem accuſaturis locus nullus ſupereſſet. Tātumq; profecit, ut [redacted] arma coacti ceperint. Vnde malorum omniū ſemin[redacted] quibus adhuc hodie affliguntur. Vide Ioſephū lib. 2. belli Iudaici.

Nobil[redacted] QVIDAM Nouogrodienſis captiuus à Moſcho tenebatur. Cùm de tyrannide principis, quam in Nouogrodienſes [redacted] hoſpite ſuo inter pocula effu[redacted] Dei uindictam inuocaſſet: de uita ſua actum certò [redacted] Ioan. Baſiliadi tyranno indicarentur: ipſe li[redacted] ad principem hoſpiti ſuo deferendas tradit, quibus eundem falſò accuſat. Credulus tyrannus, multū ſe purgare con[redacted] Nouogrodienſem ſceleſtum libert[redacted] uxoribus & liberis donat. Alex. Guagninus in Moſcouia.

[redacted] MILITIÆ.

Apud Ariſtophanē tum in Pluto, tum in Eccleſiazuſis QVISPIAM inducitur, loquens in hunc modum, ut dicat ſe fingere mercatorem eſſe, quoties ad bellū ire iubetur, quòd negotiatores non cogerentur exire: quoniam expediebat illos relinqui, quò de commeatu proſpiciant. In Pluto ſic habet locus:

γεωργὸς εἶ; μελαγχολᾶν μ' οὕτως οἴει;
ἀλλ' ἔμπορος; ναί, σκήπτομαί γ' ὅταν τύχω. *id eſt:*
Num cultor agri es? Me ne ſic furere putas?
Negotiator? Simulo, ſi quando eſt opus.

Alter ſic habet:
ἀλλ' ἔμπορος εἶναι σκήπτομαι. *id eſt:*
Quaſi ſim negotiator, ita memet gero.

Eraſmus in Adagiis.

LIBERTATI ALIORVM Aſtutè inſidiari. Nempe

IN CARCERES CONIICERE, CAPERE.

VXOR Putipharis, cùm Ioſephum apprehēſa ueſte ad concubitū ſollicitaret, & ille relicta ueſte aufugiſſet, clamore ſublato, ſeſe ab Hebræo ſeruo ſollicitatā aſſeruit, eiusq; rei indicium ueſtem protulit. Eo indicio Putiphar cōmotus, innocentem carceri mancipauit. Gen. 39.

Cùm exercitus Græcorum magna lue afficeretur à Diana, ob transfixam iaculo capream ab Agamemnone, Aulide, ubi Græci conuenerāt ad Troiam nauigaturi: nec dea aliter placari poſſet, quàm ſi auctor tanti ſceleris filiam natu maximā uictimam immolaſſet: illud autem Agamemnon renueret: VLYSSES ſimulato reditu domū profectus, Mycenas, nullo conſilij participe, falſas literas tanquam ab Agamemnone ad Clytemneſtram pertulit, quarum ſententia hæc erat: Iphigeniam, deſponſam Achilli: eumq; non priùs ad Troiā profecturum, quàm promiſſi fides impleretur. Feſtinaret igitur, eamq; & quæ nuptiis uſui eſſent maturè mitteret. Clytæmneſtra tum propter Helenam, tum maximè propter tanti uiri connubium læta, Iphigeniam Vlyſſi committit. Is paucis diebus ad exercitum reuerſus, atq; ex improuiſò in luco Dianæ cum uirgine conſpectus eſt. Dictys lib. 1. & Euripides Iphigenia Aulide.

THESEVS in Pontum Euxinum nauigauit, ut Philochorus & nonnulli alij referunt, Herculem ad bellum aduerſus Amazonas ſecutus, & præmium uirtutis ergò accepit Antiopā. At maior pars, poſt Herculem aiunt cum propria claſſe nauigaſſe Theſea, & captiuam duxiſſe hanc Amazonem dolo captam. Quippe cupidas uirorum Amazonas, neq; refugiſſe delatum ad oram illam Theſea, imò & munera ei miſiſſe: illum uerò inuitaſſe eam, quæ hoſpitalia munera afferebat, ut nauigium conſcenderet: & poſtquam illa conſcendit, ſoluiſſe. Plut. in Theſeo.

PHILIPPVS petebat, ut ſibi in Sarnuſiorum concione uerba facere liceret. Clàm imperauerat militibus, ut lora ſub axillis ferrent: & dextra extenſa, quaſi concionaturus, id ſignum militibus dedit, ut omnes uinculis conſtringerent. Hoc modo Sarnuſij uincti, ducti fuere in Macedoniam, plus decem millibus. Polyænus lib. 4.

LEONIDAS regno Spartæ recepto, Agidem Eudamidæ F. è Chalciœco, quò confugerat, blanditiis elicere fruſtra nitēs, ſummiſit tandē, qui ficta beneuolentia eum inde extraherent. Amphares & Demochares, Arceſilausq; Agim ducebant ſecum extemplò ad balneū, lotūq; reducebant in templum. Amphares Ephorus ueſtes quoq; & pocula precioſa ab Ageſiſtrata Agidis matre acceperat cōmodato. quæ ut non redderet, prodere liberauit regem, & feminas eius parentes. Agidi à balneo reuertenti occurrerunt & ſalutauerūt eum, comitatiq; ſunt colloquentes & iocantes ſicut cum familiari & iuuene. Diuortium obliquum uia ad carcerem habebat: ad quod cùm perueniſſent, Amphares iure magiſtratus manibus Agidi iniectis: Duco te, inquit, Agi, ad Ephoros, ut rationem reip. geſtæ reddas. Demochares autem homo ualens & eminens ſtatura, obuoluens collum pallio traxit illum in carcerem, ubi indicta cauſa ſtrangulatus eſt cum matre & auia. Plut. in uita Agidis.

RHADAMISTVS regis Iberiæ filius, dum ſimulat cum Mithridate Armeniæ rege fœdus inire, & ob id (ut gentis mos erat) colligandi pollices forēt, lorum ad terram callido aſtu decidere ſimulauit, quo Mithridatis pedes uinculo inuaſit. Fulgoſius lib. 9. c. 6.

SAES à Coſroë Perſarum rege cum magno exercitu cōtra Romanos miſſus, Heraclium Imperatorem ſimulata pacificationis ſpe ad colloquiū de pactis inuitauit. Imperator Saïs fallacibus uerbis deceptus, mittit cum eo LXX de proceribus ſuis legatos ad Coſroëm: quos Saës uinctos cum cōtumelia in Perſidem adduxit. Sed Coſroës, Saï, quòd Heracliū uidiſſet, neq; cepiſſet, cutē detrahi, legatos Romanos in cuſtodiam dari maleq; tractari iuſſit. Cedrenus.

THEODORVS Santabarenus, monachus, magus, ueritus ne à Leone Cæſare Baſilij Macedonis F. technæ ſuæ apud patrem detegerentur, Leoni ſimulata amicitia inſidiari cœpit: Idque, inquit, ut credas, ecce cùm in uenationem prodibis, enſem ſub filij ueſte deprehendes. Atq; ſimul imprudenti adoleſcenti, ut enchiridion ſub ueſte in uenationem geſtaret: Aut enim feram proſternens pater, inquiebat, tuo egebit auxilio: aut ſi quid inſidiarum ei paretur, genitorem defendes. Cùm itaq; pater in uenatione enſem ſub ueſte Leonis, indicio monachi, deprehendiſſet, ſibi parari inſidias à filio certò credens, carceri incluſit, & omnia illi inſignia imperatoria ademit: effoſſurus eidem oculos, niſi à primoribus & patriarcha fuiſſet prohibitus. Cuſpinianus, ex Zonara & Cedreno.

Anno 1223. Valdemarus rex Danorū, uenationibus deditus, in ruſtica domo pnoctabat. Id obſeruauit HENRICVS Zvverinēſis comes, homo Saxonici generis, qui ob Ioānē Gantz arce Grabovv exactū, uiciſſim iuſſu regis ab Alberto de Orlemunde Comite quibuſdam arcibus exutus fuerat, ſed ſub publica fide ad placandum regem uenerat in Daniam. Ibi quum duras illi conditiones rex obtuliſſet, & omnes regis ſtipatores regem in tentorio cū uno uel altero reliquiſſent, noctu ingreſſus Henricus regem uinxit cū ſuis, & obturans ora captorum perduxit in nauim, & clàm in Saxoniā uectū in Dannenberge graui cuſtodię mancipauit. Poſt biennium tandem XLV millibus marcarum argenti ſeſe redimentem liberum amiſit. Cranzius lib. 7. Saxoniæ, cap. 38. & lib. 7. Daniæ, cap. 19.

Albertus comes de Bamberga, Henrici Othonis filij, ducis Saxoniæ ex ſorore nepos, Conradum Francorum ducem, fratrem Ludouici III. Imp. oppreſſerat. HATTO archiepiſcopus Moguntinus in gratiam Imp. ſuaſit Alberto, ut deſcēderet ad placandum Imperatorem, ſe mediatorem pollicitus ad reconciliationem ineundam: interpoſito iureiurando, ſe incolumem reducturum Albertum in arcē. Iam iter ingreſſis, Hatto, ut Albertum incolumē in arcem ex pacto reduceret, per dolum ad Albertum conuerſus, Non ſatis, inquit, nobis prudenter conſulimus, qui impranſi deſcendimus in caſtra: quin redimus ad ientandum? Albertus facilè aſſenſit, & rediit cum illo. Vbi uenirent in caſtra, abreptum iuſſit Imperator gladio feriri. Archiepiſcopus ubi proditionem perfecit, ſe ſubduxit ex oculis morituri. Cranzius libro ſecundo Metrop. cap. 25.

IDEM Henricum ducem Saxoniæ regi Conrado in manus traditurus, aurifici fertur familiari torquem ex argento inaurandum

randum commiſiſſe, & dum opus inſpicit, ingemuiſſe. Aurifice ſuſpirij cauſam interroganti, reſpondit Hatto, Formidare ſe, ne torques, qui nunc auro, paulo pòſt ſanguine tingeretur. Aurifex, ſecretò inde ſcrutatus, cũ cognouiſſet torquem hunc Henrico Saxonum duci muneris loco deſtinari, Ducẽ monuit, caueret ſibi à dono inauſpicato. Dux inuitanti ſe per ſolennem nuncium pontifici iuſſit reſpõderi: Vade, renuncia pontifici tuo, non habere Henricum Alberto ceruicem duriorem. domi de illius ſeruitio tractabo. Et reuerſus in Saxoniam, omnia, quæ Hattonis fuêre in Saxonia & in Thuringia, peruaſtauit. Cranzius libro 2. cap. 25. & lib. 3. cap. 4. Metropoleos.

Chriſtiani Edeſſæ captæ Balduinum Belgam præfecerant. BALAS Turca, de quo Sororgia urbs recepta fuit, dictitabat ſe ſuis inuiſum, quòd amicitiam Latinorum amplecteretur: periculumq́ue eſſe, ne popularium fraude ui'ue interimeretur: id ſe uno modo uitare poſſe, ſi arcem, quam reliquam haberet, fidei Latinorum committeret, ipſe cum coniuge liberiſq́ue Edeſſam traduceretur. Si uideretur, ueniret Balduinus ad arcem recipiendam, ſeq́ue ex inſidiis popularium eripiendum. Profectus Balduinus, cùm ingreſſurus arcem inuictam eſſet, abſterrentibus amicis, ne inexpertæ ſe fidei crederet, duodecim ſuorum nobiles intromiſit. Comprehenſi, ac continuò in uincula coniecti. Tam propè perniciẽ Balduinus fuit. Negabat Balas ſe Belgas redditurum, niſi reſtituta ſibi Sororgia. Fremens mœrensq́ue Edeſſam reuertit Balduinus. Sex inde Turcarũ nobilibus captis, permutatio cum pari numero eorum, quos Balas comprehenderat, facta. Cæteros ſex in cuſtodia barbarus retinuit. Ex his quatuor elapſi: qua ira incenſo Bala, duo reliqui ſecuri percuſſi. Aemilius lib. 4.

Ladiſlaus Huniadis F. Comitem Ciliæ Vlricũ in comitatu LADISLAI regis Albæ interfecerat. Eam iniuriã rex licèt grauiter ferens diſſimulauit, & Budam repetens ad oppidũ Huniadum peruenit. Ibi coniunx Huniadis obuiam facta eſt, ob mortem mariti lugubri ueſte induta, puellæq́; quæ circa eam erant, deiectis in terram uultibus, pullis amictibus mœrorem præ ſe ferebant. Rex matronam complexus, Indigna ſunt, inquit, hæc ueſtimenta, quæ ob mortẽ uiri tui deferas: Ioannes Huniades heros clariſs. de morte tranſiuit ad uitã. Ad Imperatorem ſuum perrexit fortis miles, cum Chriſto regnat, qui pro Chriſto tot periculis ſe obiecit. Diuinitate fruentem lugere indignum. Congaudere gaudenti æquius eſt. Abſit omnis mœror, atque inprimis lugubres habitus, pullasq́; ueſtes exuite. His dictis, purpureas tunicas auro diſtinctas afferri iuſſit, easq́; uiduæ ac filiis Ladiſlao & Mathię dono dedit. Puellas quoque ſua dignitate donatas, mutare habitum coëgit, totumq́ue diem lætitiæ dari. Conuiuia demùm ſplendidè apparata, inter epulas & uina ſaltatum cantatumq́ue, quaſi celebres nuptiæ per luſum & iocum actæ. His blandimentis allecti Huniadis filij, nihil iamdudum ex cæde comitis in caput ſuum uerti poſſe confidebant. Itaque poſito metu, regem Budam uſq; ſecuti ſunt. Rex deſignata hora, qua filij Huniadis ambo in regiam conceſſerant, armata manu portas claudi iubet, adoleſcentesq́ue captos in carcerem rapi: cum quibus & plerique alij comprehenſi ſunt, tanquam cædis Comitis & inſidiarum, quæ regi pararentur conſcij. Ladiſlaus quatuor & uiginti natus annos, flauis crinibus ſuper humeros paſſis, reuinctis poſt tergum manibus, talari atque aurea ueſte indutus, qua pauloantè à rege donatus fuerat, productus eſt. Vbi ad locum ſupplicij uentũ eſt, iuſſus genua flectere, pauca priùs pro ſua excuſatione locutus carnifici paruit. Præco cui damnatorũ crimina publicare mos eſt, imperato ſilentio, nihil aliud dixit, niſi eo modo corrigi, qui domino ſuo infideles eſſent. Carnifex religata Ladiſlai coma, ne collũ impediret, iuſſus percutere, nutãs libransq́;, uix tandem quatuor ictibus candidam ceruicem abſcidit. Aen. Syl. c. 68. hiſt. Boëm.

Iaropelcus Kiouienſiũ princeps Ruſſos ad defectionẽ à Boleſlao III. Polonorũ rege cõpulerat. PETRVS Vvloſtouicius Iaropelcum aſtu ſe comprehenſurum promittens, perfugã ſe ſimulans, & Boleſlaum ulciſcendi anſam quærens, in intimam Iaropelci familiaritatem ſeſe inſinuauit. Itaq; Iaropelcus cõmunicato cum cæteris principibus conſilio, maturare rebellionem ſtatuit. Rus fortè ſeceſſerat cũ paruo comitatu. Secutus illum Petrus, & obſeruata bene gerendæ rei occaſione, cum paucis ſecurè prandentem, ſigno dato comitibus ſuis, comprehenſum, ad Boleſlaum perduxit. Maximo auri & argenti pondere à Baſiliſco, ſiue Vaſilco, fratris ſui filio, redemtus, ad principatum ſuum, data Boleſlao fide, reuerſus eſt. Cromerus lib. 5.

Barnabas Vicecomes, Mediolanenſis princeps, IOANNI Galeacio, Galeacij II. fratris F. opulentioris imperij fortunam inuidens, quacunq; ratione eum è medio tollere ſtudebat. Galeacius uerò graui callidoq; ingenio, audita exploratáq; diſſimulans, aduerſus inſidias ſeſe domi foriſq́; præmuniuit: donec communicato cũ paucis conſilio, edicens, ſe Mariæ uirginis tẽplum in monte ſupra Vareſiũ oppidũ, ſoluendi uoti cauſa, profecturũ, è Ticino Mediolanum cõtenderet. Cui Barnabas honoris cauſa occurrit, quanquã improuiſo aduentu perturbatus. Vercellenſi porta prodeuntẽ Barnabã dato ſigno armati milites inermẽ & mulo uectũ cõprehenderunt, & in proximã portę Iouis arcẽ cũ Marco atq; Rodulpho filiis deduxerunt. Iouius in uita Barnabę.

Anno Sal. 1551. cùm nihil minus quàm bellũ Carolus V. Cæſar expectaret, ac ſuis, ut eſſent pacati, mandaſſet: Gallicũ ducẽ POLINVM in naues aliquot Belgicas ferunt incidiſſe, & quaſi reginã Scotiæ ueheret, nunciaſſe illis, ut honoris cauſa, pro more antiquo atq; recepto, ponerent antennas, uela demitterent, eamq́; tormentorũ tonitru ſalutarẽt. Id cùm feciſſent, inermes per fraudem circumuentæ, & abductæ fuêre. Quæ noui belli fuit occaſio. Sleid. lib. 22.

I

## IN EXILIVM EIICERE.

Erat Athenis Hyperbolus quidam Perithœdes, cuius Thucydides quoq; lib. 8. ut hominis tetri meminit, & materiam Comicis penè omnibus perpetuam dicteriorũ in theatris præbuit: homo perfrictæ frontis, & gloriæ incuria probri contemtor. Hic nemini quidem erat probatus, uerùm ad ſugillandos perſtringendosq́ue principes utebatur eo populus frequenter. Huius impulſu decennale exilium, quod uocãt Oſtraciſmon, erat populus irrogaturus uni alicui ex iis, qui tunc populi principes eſſe uidebantur: erant autem tres potentes, Alcibiades Cliniæ, Phæax Eraſiſtrati, & Nicias Nicerati. ALCIBIADES ergo conſociauit factiones in unum, ac re cum Nicia communicata, damnationem in ipſum uertit Hyperbolum. Vt alij uolunt, non cum Nicia, ſed collocutus cum Phæaco, illius adiuncta ſecta, Hyperbolum eiecit ciuitate, nihil minùs cogitantem. Atq; id tum quidem iocum & riſum excitauit in populo. Poſtmodum uerò tulerunt moleſtè, quòd eam rem per hominem fœdatam arbitrarentur indignum. Eſſe enim aliquam & huius dignitatem pœnæ. Imò uerò pœnam ducebant decennale exilium Thucydidi, Ariſtidi, & ſimilibus eſſe: Hyperbolo uerò honorem atque occaſionem iactantiæ: quòd eſſet ob improbitatẽ ſimiliter atq; ſummi uiri multatus, uti de eo Plato comicus quodam loco dixit:

Quamuis quidem ſit moribus dignum malis
Paſſus, tamen non digna ſe & notis ſuis.
Nam non repertum iſtius eſt cauſa oſtracum.

Tandẽ poſt Hyperbolum nemo omnino, ſed poſtremus ille hoc exilij genere eſt punitus. Primus fuit Hipparchus Cholargenſis propinquus tyranni. Plut. in Alcibiade, & Nicia.

THEOCLES Chalcidenſibus ab Eubœa adductis, Leontinorum ciuitatẽ inuaſit, obtinuitq́; cum Siculis, qui antea ſedes in ea habuerant. Cùm uerò Platæenſes ex Megaris coloniã deducere in Leontinorum ciuitatem uellent, ad eamq́; ueniſſent: ſe quidẽ iuramenti religione impediri dicebat, quò minùs inhabitantes Siculos expellere poſſet: ipſis uerò portas noctu patefacturum: itaq; ingreſſi, Siculos pro hoſtium conſuetudine tractarunt. Qui cùm portas aperuiſſet, Megarenſes occupato foro & arce, Siculos armati adoriebantur. Qui cùm inermes obrutos ſe uiderent, relicta ciuitate, fugã capeſſerunt. Megarenſes uerò pro Siculis ſocietatẽ cũ Chalcidenſibus inierunt. Polyænus lib. 5.

P. CLODIVS Trib. pl. cùm Ciceronis conſulatum ex ſententia affligere nõ poſſe ſperaret, præſente Catone: ut primùm iniit magiſtratum, accerſiuit Catonem, ac cum eo ſermocinatus eſt, Romanorum omnium putare ſe illum innocentiſſimum, id paratum eſſe facto probare. Cùm enim multi ſint, qui prouinciam Cyprum ambiant, eoq́; petant mitti, ſolum ipſum exiſtimare ſe dignum, atq; hoc beneficium ei libenter dare. Vociferante Catone, inſidias illas & ſuggillationem, non beneficium eſſe: arrogãter Clodius & ferociter: Igitur ſi gratum non eſt, inquit, ingratis ibis. Ac profectus extemplò in concionem, legem pertulit de Catonis legatione. Proficiſcenti non nauem, non militem, non miniſtrũ attribuit, extra quàm duos duntaxat ſcribas: quorũ fur & improbiſſimus alter, alter cliens erat Clodij. Quaſi autem leue munus ei Cyprum & Ptolemæum impoſuiſſet, inſuper Byzantinorum exules imperauit ei reducere, moliens ut in tribunatu ſuo abeſſet Cato quàm diutiſſimè. Ei implicatus neceſſitati, Ciceronem, qui iam exagitabatur, monuit, ne ſeditionem concitaret, neu ciuitatem coniiceret in bellũ & ſanguinem ciuilem, ſed cedens tempori, conſeruaret iterum patriam. Itaq; Cicero à Pompeio deſtitutus in exilium pulſus eſt. Plut. in Catone.

## CALLIDI IVDICES, SIVE PVBLICI, SIVE PRIVATI.

CRESPHONTES & Temenus, atq; Ariſtodemi filij, cum Peloponneſum partirentur, uiſum eſt in tres partes regionem diſtribuere, in Spartam, Argos, Meſſanam. Creſphõtes Meſſanam aut Argos obtinere cupiens, ſententiam pronunciat: Cui prima ſors ceciderit, & cui ſecunda, Spartam accipiat, aut Argos: Meſſana tertij eſto. Paruerunt, ac ſortes dimiſerunt: illi quidem calculum album in urnam plenam aqua, Creſphontes uerò glebam albam ſimilem lapidi. Gleba igitur ſtatim liquefiebat. Lapidis uerò ſortes prodeuntes, dederunt Argos Temeno, Spartã Ariſtodemi filiis. Creſphontes dolo ſortitus, Meſſanam per fortunã accepiſſe uiſus eſt. Polyænus lib. 1. ex Pauſania.

Q. FABIVS Labeo arbiter à ſenatu finium conſtituendorum inter Nolanos & Neapolitanos datus, cùm in rem præſentẽ ueniſſet, utroſq; ſeparatim monuit, ut omiſſa cupiditate, regredi controuerſia, quàm progredi mallent. Idq́ue cùm utraque pars auctoritate uiri mota feciſſet, aliquantulum uacui in medio agri relictum eſt. Conſtitutis deinde finibus, ut ipſi terminauerant, quicquid reliqui ſoli fuit, populo Romano adiudicauit. Cæterùm ſic circumuenti Nolani ac Neapolitani, queri nihil potuerunt, ſecundùm ipſorum demonſtrationem dicta ſententia: improbo tamen præſtigiarum genere, nouum ciuitati Romanæ uectigal acceſſit. Valerius Maximus lib. 7. c. 3.

## CALLIDIS ET FRAVDVLENTIS CONSILIIS QVI PARVERE.

*Fraudulentis conſiliis parent alij ſcientes mala & doloſa eſſe, quæ huius ſunt loci: alij, bona & ſalutaria eſſe credentes: & hi ad locum Stultitiæ in iudicando pertinent.*

Cn. Pompeius ex acie fugiens Pharſalica, in Aegyptum ad Ptolemæum confugit, cuius patrem Pompeius in regnum reſtituerat. Cùm autem Ptolemæum accepiſſet Peluſij cum exercitu ſedere, & bellum gerere cum ſorore ſua: eò decurrit. Præmittit certum, qui aduentum ſuum regi ſupplicibus uerbis nunciet. Erat admodum adoleſcens PTOLEMÆVS. Qui in regni procuratione erat Pothinus (Comment. Cæſaris Photinum habent) conſilium coëgit eorum, qui ſummam obtinebant auctoritatem: plurimùm autem poterant, quos ille uolebat. Hic iuſſit, ut ſuam quiſque exprom[...]eret ſententiam. Iam erat miſſum, de Pompeio Magno conſultare Pothinum eunuchum, Theodotum Chium mercenarium Rhetoricorum magiſtrum aſcitum, & Aegyptium Achillam. Hi enim inter cubicularios & nutritios alios erant principes conſilij. Iſtius decretum conſeſſus Pompeius in anchoris procul à terra ſtans operiebatur, quem incolumitatis gratiam Cæſari indignum erat debere. Aliorum eatenus diſcrepauerunt ſententiæ, quatenus hi reiiciendum, alij uocandum & recipiendum cenſebant. At Theodotus facundiam & declamandi oſtentans facultatem, neutrum eſſe oſtendit explicatum: ſed ſi recepiſſent eum, hoſtem Cæſarem ipſos habituros, & Pompeium dominum; ſin abegiſſent, in culpa futuros apud Pompeium, quòd ipſum repulerint: apud Cæſarem, quòd non ſint perſecuti. Optimum ergo factu eſſe, ut accitum interficiant: ſiquidem & illi rem gratam facturos, neque hunc formidaturos. Adieciſſe aiunt arridentem, Mortuum non mordere. Poſtquam in eam ſententiam itum eſt, rem exequendam delegauerunt Achillæ. Plutarchus in Pompeio.

LIBRI

# LIBRI SEXTI TITVLORVM DISPOSITIO.

- VTI Calliditas in inueniẽdo, ſic in iudicãdo STVLTITIA potiſſimùm occupatur. Eſt autem in uniuerſum alia
  - Εὑρετικὴ. STVLTITIA in inueniendo. Cõſilia, Cœpta, Inuenta ſtulta. Cõſiliarij ſtulti et inepti. ERROR conſilij
    - Extra bellum. Huius ſunt loci
      - Arcana euulgata. Inueſtigatio ſtulta. Imitatio ſtulta. Conſultatio ſtulta.
      - Legiſlatio ſtulta. Reip. adminiſtratio ſtulta. Nuptiæ ſtultè initæ.
      - Oeconomia ſtultè adminiſtrata. Vota ſtulta. Imprecatio, Deuotio ſtulta.
      - Petitio ſtulta. Promiſſa ſtulta. Munera, Dona ſtulta. Vltio ſtulta.
      - Accuſatio ſtulta. Defenſio ſtulta. Animaduerſio, Correctio, Condemnatio ſtulta.
      - Iniuria uæcors. Defectio ſtulta. Gloriæ affectatio. Electio ſtulta.
      - Imperij affectatio. Libertas repudiata. Extructio, Ædificatio ſtulta.
    - In bello. In
      - Genere:
        - Bellum ſtultè
          - Suadere. Suſcipere.
          - Gerere.
        - Pacem ſtultè
          - Suadere. Diſſuadere.
          - Repudiare.
      - Specie: Stultè, incõſideratè
        - Ducem deligendo.
        - Societatem
          - Reſpuendo.
          - Ineundo.
        - Auxilia
          - Accerſendo.
          - Repudiando. Demittendo.
        - Aciem inſtruendo. Exercitum diſtrahendo. Pugnando.
        - Inuadendo. Fugam ſuorum impediendo. Hoſtes non aggrediendo.
        - Hoſtes terrendo. Hoſtibus nimium inſtando. Hoſtib. non inſtando.
        - Vrbes oppugnando. Flumina deriuando. Pontes reſcindendo.
  - Κριτικὴ. Et hæc rurſus uel
    - Actiua, tum
      - Extra bellum. STVLTITIA in iudicãdo extra bellum, ſiue publicè ſiue priuatim, de bonis maliſue. SVSPICIO ſtulta. ERROR iudicij de bonis maliſue
        - Rerũ, conſideratarũ
          - Per ſe. Vt puta de
            - Litibus, Iudices ſtulti. Vrbium excidio.
            - Metallifodinis. Epiſtolis.
            - Linguis addiſcendis. Cædis cauſa.
            - Vitibus. Auium garritu.
          - Quo ad Hominis
            - Animum. De
              - Moribus, Ingenio.
              - Prudentia, Aſtutia, Stultitia.
              - Fortitudine, Audacia, Timiditate.
              - Caſtitate, Libidine.
              - Sobrietate, Ebrietate.
              - Cultu, Luxu. Pietate, Dei cultu.
              - Idololatria, Superſtitione. Hæreſi.
              - Perfidia qualicunq;.
            - Corpus. De
              - Forma.
              - Exercitio corporis.
            - Fortunas. De
              - Felicitate, Calamitate.
              - Opulentia, Diuitiis.
              - Dignitate ordinum.
              - Forma nominis. Amicitia.
        - Perſonarũ. Iudicium ſtultum. De
          - Deo. Diis. Populis. Principibus.
          - Piis hominibus. Sacerdotum ſanctimonia.
          - Legatis. Philoſophis. Mendicis.
          - Infantibus. Cadaueribus.
      - Bellica. IVDICIA bellica ſtulta de rebus
        - Suis ſuorũmue: Ducis, Militum, Sociorũ: Vtputa de
          - Victoria adipiſcenda. Confidentia uictoriæ nimia.
          - Pugnæ genere. Habitu & armis. Robore.
          - Perfidia. Clade. Fuga. Deditione.
          - Geſtibus, Signis. Vrbium amiſſione.
          - Locorum ignorantia. Temporis ignorantia.
        - Hoſtiũ. Vt de
          - Cauſa belli. Exercitu. Transfugis. Robore.
          - Irruptione, Aduentu. Terror panicus. Vigilantia.
          - Timiditate. Clamore. Geſtibus.
    - Paſſiua, tum
      - Conſiliis
        - Admittẽdis: ſic tamen ut cõſiliis aliorũ admiſſis et auditis, uel
          - Bonis non pareat. BONIS conſiliis non parére, ſiue extra bellum, ſiue in bello.
          - Malis pareat. CONSILIIS ſtultis parére, tum extra bellum, tum in bello.
        - Nõ admittendis omnino, ſed reſpuendis. CONSILIARIOS non admittere. In conſilium alios non adhibere. Monita, Indicia aliorum ſpernere, contemnere, differre.
      - Iuſsis percipiendis à quib. oportet. IVSSA aliorum ſiue publica, ſiue priuata non intelligere.



# Voluminis Septimi Liber VI.

## DE PRVDENTIAE defectu, hoc eſt, de STVLTITIA.

*CALLIDITATEM in exceſſu, Stultitia in defectu ſequitur, quæ nihil eſt aliud, quàm priuatio quædam prudentiæ: & propterea etiam minore digna reprehenſione. Euſtathius μῶρον, ὡς μὴ ὁρῶντα, dictum putat. Prudens omnia uidet atque nouit (quod Homerus ſub Neſtoris perſona, ὃς ἴδεν τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα: & Latini ſub bifrontis Iani imagine expreſſerũt) At ſtultus nec præterita obſeruat, ut ex illis conſequentia deducat, nec futura proſpicit; ſed in id, quod præſens eſt, tantùm fertur, nec tamen quid ſubſit intelligit. Reliqui Exemplorum ſcriptores Titulos hîc ponunt, de Suſpicione. item, Quantum ualeat Error. Nos SVSPICIONEM, quoniam opinatio eſt eius, de cuius ueritate nondum conſtat, inter mentis humanæ effectiones primo Volumine recepimus, quibuſcunq; habitibus inſeruiat, & qualiſcunq; ſit, Vera ſcilicet uel Falſa. Vera ſuſpicio, ſi Rem ſpectes, ad Veritatẽ: ſin Habitum coniectantem & conformantem ſe rebus, ad Iudicium in præuidendo & præcognoſcendo referenda erit: Prudens illud, quando iuſtitiæ coniungitur, Callidum, quando iniuſtitiæ. Licet enim uera prudenter, licet & callidè opinari: quam opinationem euentus confirmat. Falſa autem Suſpicio & mater & filia eſt ERRORIS. Mater quidem, ſi errorem pro facto ſiue reipſa ſumas: filia, ſi pro habitu interno errante uel circa finem, uel circa ea, quæ tendunt ad finem. Proinde reſpectu Rerum, de quibus falsò concipitur, ad Mendacij locum releganda eſt: at reſpectu Habitus uitioſi & diminutæ rationis, in inueniendo aut iudicando eo quod factum eſt, fieriúe debet, Stultitiæ propria erit. Iam uerò SIMPLICITAS quoq; huc aliquo modo pertinet. Quatenus enim per ſe conſideratur, id quod ſentit apertè & ingenuè profitendo, Veritatis propria eſt: quatenus uerò reſpectu alterius, hoc eſt, oportunitatis hæc profitendi perpẽditur, ſic uel ad Prudentiam releganda eſt, quãdo prudenter fit (& proinde Prudens ſimplicitas à Martiale commendatur) uel ad Stultitiã, quando ſtultè. Quemadmodum uerò in Prudentiæ ſpeciebus Inuentioni Iudicium, & uiciſſim Iudicio operam præſtabat Inuentio: ita quoq; Stultitia εὑρετικὴ & κριτικὴ ſæpè in unam eandemq; actionem cadunt: à præſtantiore tamen fit denominatio. Qui ſtultè inueniunt, ſtultè priùs iudicant: qui ſtultè iudicant, malè ſibi aliiſue conſulunt.*

# STVLTITIA IN INVENIENDO CONSILIA STVLTA.

## CONSILIARII ſtulti & inepti, publicè, priuatim: pace, uel bello. ERROR conſilij.

*Stultum conſilium à Malo differt: illud ex Imprudentia oritur: hoc ex Calliditate, quando ſcientes id quod malum eſt, pro bono obtrudunt, ut uel ſibi ſuiſue proſint, uel alteri noceant. Prudentiæ in Inueniendo campus eſt ampliſsimus: nec anguſtior Stultitiæ in Inueniendo: cùm ut illa in omni uirtutum genere, ſic hæc in omnibus uitiorum ſpeciebus conſpiciatur. In Fortitudinis ſtadio ſtultè declinat Timidus, ſtultè propulſat Temerarius. In Temperantia ſtultè amores ſequitur Libidinoſus, ſtultè à moderatis abſtinet is, qui propter raritatem nomine caret. Sic in Iuſtitia, ſtultitiæ ſpecies eſt Superſtitio, item Pœnitentia ſera, item Promiſsio eorum quæ uel præſtare omnino, uel ſine graui tuo tuorumúe damno nequeas. Ex locis igitur Vitiorum præſens locus mirum quantum illuſtrari poſsit. Poſſunt autem Conſilia ex ſubiecti uarietate diſtingui: id quod in loco Prudentiæ oſtendimus.*

### EXTRA BELLVM. HVIVS SVNT LOCI

#### ARCANORVM EXPLORATIO ſtulta. ARCANA euulgata imprudenter.

Ibyci PERCVSSORES conſidebant in theatro, apparentibusq; obiter gruibus ſuſurrabant cum riſu inter ſe, Ibyci adeſſe ultrices. Quod excipientes, qui iuxtà aſſidebant, cùm iã diu non comparuiſſet & requiſitus eſſet Ibycus, uocem illam arripuerunt, atq; ad magiſtratus detulerunt. Ita conuicti cùm eſſent, abrepti fuerunt: ac non à gruibus, ſed ab ſua ipſorum multati immodica lingua, ueluti furia, uel ultricibus diris coacti fuerunt cædem enunciare. Plutarchus de Garrulitate.

Cleomene Spartano Alexandriæ in uincula coniecto, à rege Philopatore, PTOLEMÆVS Chryſermi filius petentem adiit, lenique oratione ſuſpicionem eleuauit, & regem excuſauit. Digrediens rurſus ex ædibus, cùm proſequentem à tergo uſque ad oſtium Cleomenem non animaduertiſſet: caſtigauit acriter cuſtodes, quòd ſæuam feram captuq; difficilem ſeruarent ſegniter & ſocorditer. Hoc Cleomenes ipſe excepit, & prius, quàm ſentiret Ptolemæus, recepit ſe, & narrauit amicis Mox omnes, quam ante habuerant, ſpe in iram uerſa, deliberauerunt Ptolemæi iniuriã & contumliam ulciſcentes, ut dignum Spartiatis eſſet, mortem occumbere: neque operiri, donec ſicut uictimæ ſaginatæ mactarentur. Itaque facta eruptione, cùm populum nequicquam ad libertatem uocaſſent, ſuis ipſi manibus cecidêre. Plutarchus in Cleomene.

Obſidente L. Sylla Athenas, in Ceramico fama eſt uerba à quibuſdam excepta fuiſſe colloquentium SENVM, & tyrannũ Ariſtionem inſectantium, quòd acceſſum & aditum ad Heptachalcon, qui unus facilè hoſtibus ſuperabilis eſſet, non ſepſiſſet ſtatione: illos autem hæc Syllæ renunciaſſe. Qui nõ contemnens id, contulit ſe eò noctu, contemplatuſq; capi locum poſſe, rem aggreſſus eſt. Plut. in Sylla.

Dion lib. 55. refert de AVGVSTO, cum notatum fuiſſe, quòd impudicitiam filiæ ſuæ Iuliæ diuulgaſſet. nam eum ſibiipſi & infamiam & orbitatem attuliſſe: quia filiam relegare tum neceſſe habuit: quam alioqui, ſaluis hominum linguis, potuiſſet imperio domeſtico, cura ac diligentia priuata, compeſcere.

CHARARICVS magnæ cognationis uir, minus reuerens regis Francorum Clodouei, cum pubeſcẽte filio, monachum ſe profiteri coactus eſt Adoleſcens lanuginem ſuam, abraſumq; caput contrectans, Mi pater, inquit, hæ frondes in uirenti florenteque arbore ſtrictæ, ſua maturitate ſuccreſcẽt. Deus faxit, ut auctor putandæ comæ tam citò areſcat, ipſe, ſtirpsq;, quàm felici uere hæ reuiuiſcent. Cellularum arcana minimè ſurda mutáue fuêre. Gnarus ferocis dicti Clodoueus, patri filioq; mortem indixit. Aemilius lib. 1.

ALACHIS dux Tridentinus Iuniperto regi Longobardorum rebellauit, iunctis ſibi Aldone & Granſone de Brixia, eumq; intra lacum Larium compulit. Occupata tyrannide, ſocios etiam ſceleris ſuſpectos habere cepit. Accidit ut cùm manu pecunias teneret, tremiſſis in terram caderet. Eum filius Aldonis, qui fortè aderat, exceptum regi reddidit. Ille ad puerum ait, Pater tuus multos eius generis habet, quos breui reddet. Puer ad parentem rediens, apud regem in palatio ne fuiſſet, & quid ibi egerit, dixerítue, per iocũ interrogatur. Ille uerba regis de tremiſſibus repetit. Aldo igitur properè fratrem Granſonem docet, tyrannum inſidias meditari. Ergo Iunipertum reuocarunt. Alachis bellum inferens, in prælio cæſus eſt. Cranzius lib. 3. Daniæ, cap. 30.

Rodulfus Burgundiç & Italiæ rex, Burcardum ſocerum ſuum Ducem Sueuorum ad arma ſecum ſocianda exciuit, & cum eo, antequam Hugo Comes Arelatenſis, quem Italici principes anno 926. uocauerant, mouere ſe potuiſſet, in Italiam rediit. Eporædiam uſque cum exercitu progreſſus, Burcardum explorandæ urbis Mediolanenſis gratia legatum ad Lambertum Archiepiſcopum miſit. BVRCARDVS Mediolanum profectus, antequam urbem iniret, ad ædem ſancti Laurentij rei diuinæ cauſſa deflexit, locumque arci fabricandæ oculis deſtinauit, qua non ſolùm Mediolanẽſes, ſed omnes etiam Lombardiæ principes coerceret. Inde uerò egreſſus, cùm mœnia urbis obequitaret, Germanica lingua ad ſuos conuerſus dixit: Niſi effecero, ut Italici uno tantùm calcari utantur, & informibus equabus uehantur, non ſum Burcardus. Neque enim ego firmitatem altitudinemq; huius muri, quo confidunt, magni admodum facio. Erat fortè in turba homo pannoſus atque deſpectus, Germanicæ, quod ille non animaduerterat, linguæ gnarus: qui uerba eius audita extemplò ad Lambertum detulit. Lãbertus Burcardum comiter ac benignè accepit: uerùm interea Papienſes nonnulloſque alios Italiæ principes ad necem eius occultè inuitauit Ita eum, cùm Mediolano egreſſus Nouariam perueniſſet, ſummo mane Eporædiam properantem infeſti Italici inuaſerunt, atque in foſſa urbis Nouariæ, in quã ſub tumultum ab incitato metu equo abreptus fuerat, oppreſſum interemerunt. Comites eius, quia aliò non potuerunt, cùm in templum D. Gaudentij confugiſſent, diſiectis ædis foribus ſunt cõfoſſi. Qua re cognita, Rodulfus regno Italiæ ceſſit. Sigonius lib. 6. regni Ital.

Poſt uictoriam Mediolanenſem de Heluetiis partam, & Maximilianum Ducem captum, Galli cum Venetis Brixiam obſidebant, & cuniculis actis iam propè in urbem penetrarant: cùm MILES quidam, ut linguam iactantiamque Hiſpanorum, iniecta cuniculi ſuſpicione, reprimeret, Hiſpanicè loquutus, Commilitones, inquit, qui extremis etiam rebus ueſtris tam ſecurè iocamini, cauete, ne à uobis contumeliarum rationem repoſcamus, quum Gallina pede ſcalpere ac fodere humum aliquando deſierit. Ex iis uerbis Hiſpani, hoſtem ſpecus cuniculoſque moliri, ab ſuæ gentis milite per luſum cautè ſibi ſignificari iudicarũt. Nec mora, alij paſſim omnibus ſilentibus ſtrati, ut terræ motum notarent, aurem ſolo applicabant: alij tympana militaria ſolo depoſita, ſi cõcuſſis leuiter membranis, uel tenuiſſimè perſonarent, contemplabantur: alij capaciſſimas pelucs, uaſaque ænea omnis generis aqua repleta, ſi tremulis motibus agitarentur, intentiſſima cura omnibus locis obſeruabant. Quibus argumentis ſubterranei operis motiones deprehenſæ, & multorum dierum labores contrariis operibus diſſipati fuêre. Iouius.

PETRVS Crao, ampliſſimæ familiæ uir, Andium Britannorumq; proceribus propinqua cognatione iunctus, in aula Francica plurimum poterat, & inprimis apud Caroli VI. regis fratrem Ludouicum, mortuo Philippo Mediolanenſiũ duce, omiſſo Aurelianenſi ducatu, Mediolanenſem ducem creatum. Sed nihil incertius aura aulica: perleui momento ea gratia circumagitur. Aurelianenſis non contentus Mediolanenſi thoro, Pariſienſibus formis capiebatur. Non fefellerunt externi amores anxiam uxorem. Ea muliebriter indignante, nec quicquã diſſimulante, cognouit dux, Craonem extitiſſe indicem arcanarum deliciarum: adeoq; exarſit & iuuenis præpotens, & amator, ut eo apud regem item iuuenem agente, præconis uoce regia urbe aulaque interdiceretur Craoni. Is ignarus ſe à Valentina proditum, ratuſque hanc ſibi iniuriam ignominiamq; iniunctam ab Oliuerio Criſſono magiſtro equitum, cum quo nobilem ſimultatem exercuerat: receſſit in Andes, atque inde in Britanniam Vtrinque aliquot delectis ſummæ audaciæ hominibus, noctu Lutetiam ingreſſus, magiſtrum equitum ex aula redeuntem adortus, cùm ille ſe ſua ſuorumque uirtute tutaretur, grauibus tandem uulneribus affectũ pro mortuo reliquit, in Andeſque properè rediit. Vulneribus ægrè percuratis, magiſter equitum impleuit noua regem ira, non in Craonem modò, ſed & in Britannum ducem, quo auctore ſcelus perpetratũ exiſtimabat. Aedes, quas Lutetiæ Crao magnificas habebat, ſolo adæquatę. Cœmeterium diui Io-





annis in glarea eam aream uocitant. Aemilius libro 10.

Veneti, Sebaſtiani Ziani ducis auſpicio, ex Conſtantinopolitana urbe ARCHITECTVM inſignem accerſerant, ad extruendam auream D. Marci ædem. Præter ampliſſima munera etiam marmoream ſtatuam in auguſtiſſimo templi loco ſibi poni Græcus homo poſtulabat. Aſſenſerunt patres. Iam ferè abſoluto opere, nimia leuitate coram patribus imprudens faſſus eſt, ſe quidem multò celebrius templum ipſum fuiſſe extructurum, niſi inter ipſum opus occurriſſent plura, quæ illum prudentiorem feciſſent. Ad quem ſubridens dux: Ergo nos quoque de ſtatua ponenda prudentiores reddemur. Illi itaque in ueſtibuli fronte marmoream ſtatuam collocarunt, manu ad os obiecta, quaſi illum dicti ſui pœniteret. Egnat. lib. 6. cap. 5.

#### INVESTIGATIO, EXPLORATIO ſtulta.

Eumenes Cardianus, cùm ALEXANDRO Magno petẽti trecenta talenta, ipſe non niſi centum dediſſet, dixiſſetq;, ea ſe ęgrè & difficulter per procuratores coegiſſe: Alexander certis miniſtris occultè imperauit, ignem ut Eumenis tabernaculo ſubiicerent, ſcilicet ut in exportanda pecunia manifeſtè mendacem comperiret. Cæterùm flamma præualente, auri & argenti per ignem conflati erutum fuit plus mille talentis. Plut. in Eumene.

HELIOGABALVS Imp. eò ueſaniç interdum prouectus eſt, ut decem millia pondo aranearum colligeret, qua ex re dicebat magnitudinem urbis Romæ comprehendi poſſe. Exhibuit præterea decem millia murum, mille muſtelas, mille ſorices. Spartianus.

Eſt hoc, inquit Cæſar in Com. GALLICÆ conſuetudinis, ut & uiatores etiam inuitos conſiſtere cogant, & quid quiſq; eorum de qua re audierit aut cognouerit, quærant, & mercatores in oppidis uulgus circumſiſtat, quibus ex regionibus ueniant, quaſque res ibi cognouerint, pronunciare cogant: & his rumorib. atq; auditionibus permoti, de ſummis ſæpè rebus conſilia ineant: quorum eos e ueſtigiò pœnitere neceſſe eſt, cùm incertis rumoribus ſeruiant, & plerique ad uoluntatem eorum ficta reſpondeant.

Cn. Pompeio contra Domitium cum ſex legionibus in Africã à Sylla miſſo, prope Carthaginem aiunt rem accidiſſe ridiculam. Inciderant MILITES aliquot in theſaurum, ac magna ui argenti erant potiti. Re uulgata locum eum alij omnes exiſtimauerunt argenti plenum eſſe, per ſuperiores Pœnorum clades ibi reconditi. Nihil igitur uti Pompeius militibus potuit permultos dies theſauros ſcrutantibus, ſed obambulauit ridens, cùm contemplaretur tot millia in fodiendo & uertendo campum occupata, quo ad depoſita ſpe, dixerunt Pompeio, Duceret quò liberet, ſatis ſe pœnarum dediſſe ſtultitiæ ſuæ. Plut. in Pompeij uita.

HELIOGABALVS Imp. ut Rom. urbis magnitudinem inuſitato argumento declararet, aranearum telas magno impendio per omnes domos conquirẽdas curauit, & ad multa millia pondo collegit. Lampridius.

SCYTHÆ quoniam ab ingenio ſe deſeri ſentiunt, ſupra modum ſuſpicioſi euadunt. Aiunt in hoſpitiis publicis ſpeculatores & ὠτακουστὰς in Gothia latere. oritur enim ſuſpicio ab inopia conſilij. Itaque Sueci & Gothi non niſi ieiuni cũ Auſtralibus contrahunt: cumq; ſe deceptos ſentiunt, calculum reducunt, aut plerunq; decipiendo præoccupant, aut denique uim afferunt. Io. Bodinus Method. hiſt. cap. 5.

#### IMITATIO STVLTA.

HELIOGABALVS Canes quaternos ingentes iunxit ad currum, & ſic eſt uectatus intra domum regiam. idq; priuatus in agris ſuis fecit. Proceſſit in publicum & quatuor ceruis iunctis ingentibus. Iunxit ſibi & leones, Matrem magnam ſe appellans. Iunxit & tigres, Liberum ſeſe uocans, eodẽq; habitu agens, quo dij pinguntur quos imitabatur. Lampridius in Heliogabalo.

#### CONSVLTATIO STVLTA.

ATHENIENSES in tanta ſapientiæ optimarumq; rerum abundantia ob imperitiam uulgò traducebantur, ita ut inconſulta eorum temeritas in prouerbium abierit. Ariſtophanes in Nubibus inquit:

φασὶ γὰρ δυσβουλίαν τῇ δὲ πόλει προσεῖναι.

Læua conſilia ferunt huic adeſſe ciuitati. Et Demoſthenes ipſis exprobrat, quòd alij homines conſultare priùs, deinde rem aggredi ſoleant: Athenienſes uerò poſt rem factam cõſultare. Demades dicebat, Athenienſes nunquam niſi pullis indutos ueſtibus pacem decernere, iuuenes eos bellandi cupidos, non niſi accepta clade miteſcere, teſte Plutarcho. Poetæ uitium hoc excuſaturi, in Neptunum reiiciunt, quaſi is à Minerua uictus, cùm ea regione potiri non poſſet, iratus δυσβουλίαν immiſerit: neque id Mineruam immutaſſe, ſed quod ipſi malè ſtatuerent, in bonos ſemper euentus uertiſſe aiunt. Vnde illud Ariſtophanis repetitum à Suida:

Eſt ſermo quidam ductus à maioribus:
Fatua licet ſtatuamus ac uæcordia,
In melius attamen omnia nobis cedere.

Vnde ſemper in concionibus uota priùs concipiebant, uti populo bona conſilia ſuggererent dij. Cauſam huius rei in popularem ſtatum reiiciunt alij, quòd improbiſſimos ciues ad Remp. admitterent, qui aut per imperitiam ſtulta; aut per odium & inuidiam reip. pernicioſa conſulebant, Malum enim ingenium magnam poteſtatem adeptum, magnum eſt ciuitati malum. Sunt qui hoc maximè ipſorum leuitati tribuant. Nam Iſocrates, Ea, inquit, temeritate ſumus, ut eiuſdem de rebus, eodem die, non eadem decernamus: quæ domo egreſſi damnabamus, ea ipſa in concione probemus: & domũ regreſſi, quæ hîc decreta ſunt, cauillemur. Egregium eſt Antiſthenis illud apud Laertium libro 6. qui cùm Athenienſes admoneret, ut aſinos non minùs ad agriculturam eligerent, quàm equos, illi uerò animal ad arandum ineptum eſſe reſponderent: Quid refert? inquit. quia in ueſtra Repub. duces ſunt, qui nunquam didicerunt adminiſtrandi rationem, ſed ſatis eſt, quòd à uobis eligantur. Hanc illorum dementiam δημαγωγοὶ fouebant & incendebant. Propterea Macedonum rex Philippus tunc demùm ſe cum Athenienſibus in gratiam rediturum aiebat, ſi priùs decem oratores ſibi dederentur: ut Plutarchus teſtatur. Intelligebat enim, Athenienſes pro eorum uoluntate aut amicos, aut inimicos fore. Iac. Middendorpius de Academiis, & Eraſmus in Adagiis.

#### LEGISLATIO STVLTA.

SOLON, qui de rep. pronunciauit, æqualitatẽ non parere ſeditionem, more plus ſatis plebeio arithmeticam & popularem, loco elegantis geometricæ, inuexit proportionem. Plutarchus de Pietate erga fratres.

Cùm apud AMYCLEOS (eſt id oppidum Italiæ, inter Caietam & Terracinam) ſubinde nunciaretur hoſtium aduẽtus, idq; falsò, & ob eam rem ciuitas frequenter inani terrore quaſſaretur: lata lege cautum eſt, ne quis unquam hoſtis nunciaret aduentum. Atqui pòſt euenit, ut uerè iam aduenirent hoſtes. Quod cùm nemo nunciaret, propter legis interdictum, ciuitas de improuiſo capta eſt. Qui caſus, populari ioco dedit occaſionem ut dicerent, Amyclas ſilentio periiſſe, ſi cui ſua taciturnitas fuiſſet incommodo. Eraſmus in Adagiis.

HARALDVS V. Danorum rex creatus, aduerſum prouocationem reſtipulandi ius edidit, prioreſque defenſionis partes quàm accuſationis inſtrumenta conſtituit. Reo ſiquidem actoris ius in refellenda accuſationę conceſſit, quam antea teſtium fide ſubnixam defenſionis præſidio repellere non licebat. Quod ius uſurpatione firmatum, ut familiare libertati, ita religioni peſtiferum euaſit. Ipſa nanque defendendi poteſtas non armorum, non teſtium uſu, ſed ſola ſacramenti fide ſubnixa, multorum conatus uotorum cupiditate periurio polluit, ſed & funditùs ſingularium congreſſionum uſum euertit. Poſteris nanque ſuſceptas cauſarum controuerſias ſatius iureiurando uiſum eſt expedire, quàm ferro. Saxo libro 11.

#### REIP. ADMINISTRATIO STVLTA.

CLEON Athenienſis, ut primùm animum adiecit ad ſuſcipiendam rempub. amicos coegit, eiſque renunciauit amicitiam: ut quæ magnoperè rectum & uerum inſtitutum emolliat & peruertat in repub. tractanda. Rectiùs feciſſet, ſi auaritiam animo & peruicaciam eieciſſet, ſibique inuidiam & maleuolentiam detraxiſſet. Nunc amicos quidem abegit, ſed centum in orbem conſceleratorum adulatorum capita, ut oſtendunt comici, circa eum ligurierunt: aſperque ac durus aduerſus probos uiros, rurſus mancipauit ſeipſum plebi, ſenectutem ſuam ad gratiam eorum aucupandam componens, eamque uenalem faciens, fecemq; & ſentinam plebis in ſodalitium ſuum aduerſus optimatum capita decuriauit. Plut. in Præceptis politicis.

PYRRHVS Epirotarum rex egregius in acquirẽdo imperio, at in conſeruandis iis quæ acquiſiuiſſet imprudens fuiſſe dicitur. Auctor uitæ Annibalis.

GALLI, qui duce rege ſuo Carolo VIII. regnum Neapolitanum occuparant, Neapolitanis deliciis deliniti atq; eneruati, Aragonios ex paucis locis, quæ adhuc tenebantur, exigere minimè inſtiterunt. His de cauſis eorum exiſtimatio ac multo magis etiam gratia paulatim elanguit. Rex etſi populis ac ciuitatibus ſe facilem ac benignum priuilegiis atque immunitatibus per totum regnum concedendis, ex quibus quotannis aureorum numũm ultra ducenta milia percipere poterat, præberet: reliqua tamen regni negotia, eo ordine ac prudentia, quam poſcebant, nequaquam gerebantur. Nam à querelis & poſtulatis hominum audiendis alienus, negotiorum pondus omne in ſuos prorſus reiecerat: qui partim ignorantia, partim auaritia, omnia corruperunt: nobilitas nec humanitate nec præmiis delinita: adi-

tus ad regem, atque ad eius familiares, difficilis, hominum perſonarumue nulla diſtinctio, nulla meritorum, niſi caſu, gratia: animi eorum qui ab Aragoniis erant alieni natura, minimè confirmati: in reſtituendis in ſuum ſtatum regni proceribus, multæ difficultates ac dilationes interpoſitæ: Andiouinæ factionis atque aliorum primæ nobilitatis hominum, quos ſenior Ferdinandus eiecerat, bona iis qui ea donis, aliiſq; inuſitatis artibus ambirent, condonata: in alios temerè, in alios ſine cauſa multa profuſa: omnia ferè totius regni munera magiſtratúſue, & multorum fortunæ Gallis attributa: oppida & ciuitates, quæ nullum præter reges dominum agnoſcere conſueuerant, magno cum ciuiũ ſuorum dolore, maiorem partem Gallis dominis parere iuſſæ. Itaq; Neapolitani uerſo in amorem odio, Aragonios reuocandi occaſionem, reuertente in Galliam Carolo, auidè feliciterq; arripuerunt. Guicciard. lib. 2.

### SVBSCRIPTIO STVLTA.

THEODOSII iunioris nimiã in ſubſcribẽdis codicillis facilitatem, cùm etiam literis ſæpiùs non lectis ſubſcriberet, indignè ferẽs ſoror Pulcheria, curauit conſcribi literas, in quibus uxor ipſius Eudocia (quam mirificè deamabat) petita in ſeruitutem tradebatur. Eas non lectas cùm ſubſcriptione confirmaſſet: paulo pòſt recitata ſcriptura, graui obiurgatione fratris oſcitantiam correxit. Socrates libro 7. cap. 22. Theodoretus lib. 5. cap. 36. Nicephor. lib. 4 cap. 23. & Suidas.

### NVPTIÆ, CONIVGIA STVLTè inita.

Olympias, cùm ADOLESCENS quidam aulicus uxorem duxiſſet formoſam quidem, ſed famoſam: Hic, inſit, conſilio deſtitutus eſt: alioquin oculis uxorem non duxiſſet. Siquidem non oculis decet neque digitis ducere. quomodo nõnulli ſupputant, quantum dotis afferentem accipiant, nec quemadmodum ſecum uictura ſit reputant. Plutarchus in Præceptis connubialibus.

CAROLI Sapientis Francorum regis ſapientiam in re uxoria multi deſiderarunt: qui cùm initio optionem habuiſſet, utrum filiam ducis Borbonij formoſiſſimam, an Margaritam Flandram, pulcram quidem, ſed multo minoris uenuſtatis, uxorem duceret: amores affectuſque ſuos communi utilitati antetulerit: cùm Flandra Ludouici Comitis unica filia, nobiliſſimis Comitatibus dotalibus adeò adauxerit poſtea Philippum Audacem Caroli fratrem, maritum ſuum, ut ſoboles eius formidoloſa regibus, ac propè exitio extiterit: æmulatione rerum adminiſtrandarum, ac ingenio mortalium ita ferente, ut pro opibus quiſque ſpiritus gerat, animoſq;. Aemilius lib. 9.

### OECONOMIA STVLTE' adminiſtrata.

VLADISLAVS, Boemiæ & Hungariæ rex, ſenecta & ualetudine, qua ex podagra ſæpiùs, nonnunquam etiam ex apoplexia tentabatur, lentus, tarduſque, & rerum ſuarum incurioſus factus: ſumma importunitate eorum, qui iniuſtè petere non deſinebant, quod iuſtè eis negabatur, factus eſt ſine modo profuſus, ut uel per hæc modum ſe moleſtãtibus imponeret. Itaque res familiaris eius mirè afflicta fuit, in Hungaria ſimul atque Boemia, nunquam ſaturis, qui ſe annona regis ex montibus cenſibuſque aurea & argentea ſaturabant, tantamque auctoritatem ſibi aſſumebant, ut pro libidine ſua honores, magiſtratus, officia, inſcio plerunque & ignaro rege, quibuſcunq; placuiſſet, diſtribuerent, ut eò procliuius ærarium exhaurirent. In Hũgaria, tam diuite, & omni commeatu regio abundante, ad eam non ſemel penuriam peruenit, ut nihil in penu eſculenti, nihil in cella uini haberet, cogereturque aliunde ſibi prandium emendicare. Videram Budæ, inquit Dubrauius lib. 32. quando miniſtri aulici cum aliquot lagenis uacuis ad domum Georgij Epiſcopi Quinqueeccleſienſis currerent, uinum pro regis prandio impetrat. Interrogatũ Epiſcopus, An uinum in arce nõ haberent? Et uerò ne obſonium quidem, reſpondent. Indignitate rei ille concitus, ad regem properat: accerſitoque mox quæſtore, cum illo, rege coràm, grauiſſimis uerbis expoſtulat, quòd præ quæſtu officium ſuũ turpiſſimè deſerat, regnumque ad indignam tum infamiam, tum inuidiam adducat, quaſi non haberet unde regem ſuum aleret, cùm ipſius quæſtoris tam plena ſint promtuaria, ut ex hoc in illud quotidie eructent. iuſſitque protinus cõplura uini uaſa de domo ſua in arcem transferri.

### VOTA STVLTA.

MIDAS rex Phrygiæ, cùm à Baccho iuſſus eſſet petere quicquid uellet, mox accepturus: petiit, ut omnia quæ tangeret in aurum uerterentur. De eo Ouidius libro 11. Metamorphoſeôn, ſic ſcribit:

Huic deus optanti gratum, ſed inutile, fecit
Muneris arbitrium, gaudens altore recepto.
Ille malè uſurus donis, ait, Effice, quidquid
Corpore contigero fuluum uertatur in aurum.
Annuit optatis, nocituraq; munera ſoluit
Liber, & indoluit quòd non meliora petiſſet.
Lætus abit, gaudetq; malo Berecynthius heros,
Pollicitiq; fidem tangendo ſingula tentat.
Tum uerò ſiue illa ſua cerealia dextra
Munera contigerat, cerealia dona rigebant:
Siue dapes auidò conuellere dente parabat,
Lamina fulua dapes admoto dente rigebant.
Miſcuerat puris auctorem muneris undis,
Fuſile per rictus aurum fluitare uideres.
Attonitus nouitate mali, diueſq;, miſerq;
Effugere optat opes, & quæ modò uouerat, odit.
Copia nulla famem releuat, ſitis arida guttur
Vrit, & inuiſo meritus torquetur ab auro.

NERO Cæſar ſub exitũ uitæ palàm uouerat, ſi ſibi incolumis ſtatus permanſiſſet, proditurum ſe parta uictoria ludis, etiam hydraulam, & choraulam, & utricularium, ac nouiſſimo die hiſtrionem ſaltaturum Vergilij Turnum. Et ſunt qui tradant Paridem hiſtrionem occiſum ab eo, quaſi grauem aduerſarium. Suetonius.

### IMPRECATIO, DEVOtio ſtulta.

Cùm Chriſtus rex ſub Pilato eſt Hieroſolymis affixus cruci, & Rom. præſes cunctanter & religioſè de Chriſto ſtatueret, publicè teſtatus nihil infandum illud iudicium ad ſe pertinere: IVDÆI, ut propoſitum tenerent, uniuerſi acclamarunt: Super nos ſanguis eius, & filios noſtros. Nec impunè id ceſſit, pœna iuſti per omnem poſteritatem in hunc uſq; diem uiritim ſparſa. Sabell. lib. 4. cap. 9.

### PETITIO STVLTA.

*Vide Tit. Legati ſtulti.*

Fridericus I. Romam cum exercitu proficiſcebatur, ut Hadrianum IV. reduceret, & imperij coronam ſuſciperet. ROMANI, qui iam inde ſub Innocentio II. iugum pontificium reſpuerant, & Senatum, & Conſules, & Patricium creauerant, inſolentia plus iuſto euecti, ad tentandum Friderici animũ legatos miſerant cum abſurdis mãdatis, uel ſtolidæ potiùs ſuperbiæ plenis. Qui, cùm in conſpectum eius ueniſſent, copia dicendi facta ita exorſi ſunt: Senatus, populuſq; Romanus, Rex optime, felicem hunc tibi aduentum gratulatur, ſeque coronam Imperij tibi traditurum pollicetur, ſi pacem præſtiturus, & iura ſua conſeruaturus accedis. Cæterùm poſtulat à te duo: unum quidem, ut iniuſtum à ſe clericorum dominatum depellas, ac ciuitatem in antiquam reipublicæ formam reſtituas: neq; enim te fugit, quanta fuerit quondam huius Vrbis maieſtas, cùm ſenatorio atque equeſtri ordine uigente, ipſa per conſules, prætores ac tribunos plebis gubernabatur. Quod eò te ſtudioſius facere oportere exiſtimat, quò plus ab ea, quàm quiſquam alius, accepiſti: cùm tranſalpinus homo ad regnum Italiæ, Imperijque Romani culmen euectus ſis. Alterum uerò, ut ad ſeruandas antiquas conſuetudines magiſtratibus ſuis, à quibus tibi mox in Capitolio acclamabitur, uſque ad quinque millia librarum argenti dilargiaris, iniuriaſque à republica uſq; ad effuſionem ſanguinis arceas, & hæc priuilegiis munias, tuaq; manu corrobores. Ad quæ Fridericus reſpondit, ut magnifica illorum de uetere republica oratione irriſa, dixerit, Floruiſſe quondam in eis illam, quam ipſi tantoperè uerbis efferrent, uirtutis & reipublicæ indolem: nunc uerò ita exaruiſſe, ut ne ueſtigia quidem ulla prorſus extarent, à Carolo primùm, deinde ab Othone labefactatam. Qua uerò ipſi glorientur reipublicæ diſciplinam, iampridem ad Germanos cum Imperio eſſe translatam: nam apud ſe conſules, apud ſe ſenatum, apud ſe equites eſſe: procerum Germanorum conſilio rempublicam regi, iuuenum Germanorum robore eam defendi. Falli porrò eos, qui ſe Imperium à Romanis accepiſſe dicerent: non enim Romanorum beneficio datum, ſed Caroli & Othonis armis eſſe quæſitum, quos conſtaret à Romanis in Italiam fuiſſe non uoluntate, ſed neceſſitate uocatos, ut aduerſus Deſiderium & Berengarium, à quibus grauius premebantur, libertatem ſalutemq; defenderent. De iure autem, quod poſcerent, haud æquum eſſe, populum leges principi ſuo præſcribere, neq; eum de aliquibus, ſiue iuſta ſiue iniuſta ſint, admonere: exigere uerò aliquid ab eo tanquam à captiuo audere, id uerò non ſolùm indignum, ſed etiam intolerandum eſſe. Quamobrem ſe omnia iniuſtè poſtulantibus iure optimo denegare. Quibus dictis quidam ex aſtantibus legatos rogauit, Nunquid aliud dicere uellent. Quibus illi, Se hæc, quæ audiſſent, antè domum renunciaturos, deinde cum nouis mandatis reuerſuros. Helmoldus autem auctor eſt, reſpõdiſſe eos, Niſi morem ſenatui gereret, ad Vrbem adeunti clauſtra portarum obiectum iri. Fridericus ui in urbem irrupit. Sigonius libro duodecimo regni Italici.





### PROMISSA STVLTA.

SOL Phaethonti filio facturum ſe uouit, quicquid optaſſet. Optauit ut in currum patris tolleretur. Sublatus eſt, atque is, antè quàm conſtitit, ictu fulminis deflagrauit. Cicero libro tertio Officiorum.

THESEVS exegit promiſſum à Neptuno, cui tres optiones Neptunus dediſſet. Optauit ergo interitum Hippolyti filij ſui, cùm is patri ſuſpectus eſſet de nouerca. Quo impetrato, Theſeus in maximis fuit luctibus. Idem.

HERODES rex, Galileę Tetrarcha, cùm in natalitio cõuiuio Herodiadis filia, in conſpectu conuiuarum coram menſa ſatis lepidè ſaltaſſet, rex ei quodcunq; petiiſſet, daturum promiſit. At cùm ex matris ſuggeſtione caput Ioannis Baptiſtæ puella poſtulaſſet, ſtultus rex promiſſum retractare non auſus, uiri ſanctiſſimi ſanguine ſeſe contaminauit. Sabell. lib. 4. cap. 5. ex Marci 6.

Cùm ad Pharſalum Theſſaliæ Cn. Pompeius cum Cæſare dimicaturus eſſet, LABIENVS Pompeij potẽtiam laudibus ad cœlum ferre, & Cæſaris imbecillitatem oratione deprimere inſolenti cepit: & ne quid deeſſet inſaniæ, iurauit ſe niſi uictorem nunquam è prælio reuerſurum, cæteroſque ad id iuſiurandum uerbis incitauit: nec minùs exemplo Pompeius dictum laudans, iurauit ſimiliter: & ſic omnes pariter iurauerunt, ut neceſſe fuerit multos ibi fieri periuros. Ioan. Gerund. lib. 9. Paralip. Hiſp.

### MVNERA, DONA STVLTA.

ANTIOCHES Epiphanes erat, quod ad donatiua ſpectat, ſtulto ſimillimus: his ſiquidem aſtragalos dorcadeos, illis palmæ fructum, aliis aurum donabat: nonnullis, quos nunquam antea uiderat, obuius factus, improuiſa munera largiebatur. Athen. lib. 5. cap. 4.

Cùm ex Helmogaudo legato Caroli Magni audiuiſſet, NICEPHORVS Græcus Imp. in Germania eſſe pacata omnia, ſolos Saxones fines Francorum infeſtare: excepit Imperator: Cur filius meus contra hoſtes paucos numero, uirtute & fama ignobiles, fruſtrà tãto tẽpore laborat? Ego qui imperiũ orbis teneo, & cœleſti numine electus ſum rerũ dominus, te ducatu harũ gentiũ dono. Quod cùm Helmogaudus reuerſus domum in Franciam Imperatori Carolo renunciaret, is ſubridens ait: Melius tecum actum fuiſſet, ſi te feminalibus ſuis rex Græcus donaſſet. Auentinus lib. 4.

LEYRVS Britannorum rex uiuus hæreditatem diuiſit inter filias & generos. A' quibus, mortem eius longum expectare cenſentibus, regno ſpoliatus, & ad extremam paupertatem redactus eſt, donec à Cordilla minima natu filia interfectis generis in regnum reſtitueretur. Quam tamẽ antè indotatã reliquerat, quòd interrogata, An parentem multùm diligeret? reſpondiſſet: Se patrem ferre in oculis, ſemperque laturam: licet deinde contingeret, ut quempiam alium (de marito intelligebat) ardentius amaret. Polyd. lib. 1.

### VLTIO STVLTA.

Aedẽ Vulcani ROMVLVS extra mœnia ædificauit, ut quidã fabulãtur, quoniam ob fabuloſam cũ Marte Vulcani æmulationem Veneris cauſa, ille, qui filius Martis habitus eſt, non donare eum ciuitate, neque urbe recipere uoluit. Plutarchus in quæſt. Romanis.

CAROLVS VI. Francorum rex, cùm perſonatus in Ioannæ Borboniæ reginæ uiduæ ædibus ad D. Marcellum propè cõflagraſſet, domum funditus demoliendam curauit, ut locus regis ſtultitiam lueret. Corrozetus in Antiq. Pariſ.

Quidam FLORENTINVS cùm uxori grauiter iratus eſſet, pœnaſq; ab eà capere improbitatis ipſius uellet, ſe non ſolùm eunuchum fecit, uerumetiam acuto cultro membrum procreationi aptum abſcidit. Idem uidetur antiquitus alius ſimplicis ingenij homo, uel nullius potius, feciſſe: quem autem, ut ex tribus ipſius uerſibus perſpicitur, qui apud Nonium teſtimonij loco citantur, Lucilius in VI. lib. Satyrarũ contemſit, & ut ab aliis etiam irrideri poſſet, fecit. Victorius lib. 17. Var. lect. cap. 17.

### ACCVSATIO STVLTA.

AGIDE regnante, Alcibiades exul ex Sicilia uenit Lacedæmonem. Necdum in urbe diu hæſerat, cùm ſtupri cum regis uxore Timæa ſit ſuſpectus: & filiolum ab ea editum negauit Agis agnoſcere ſe, ſed eſſe ait ex Alcibiade ſuſceptum. Atq; reliquo tempore ſuſpectus Agidi fuit, neq; iuſti filij apud eũ habuit locum. Poſteaquam uerò morbo implicitus ex Arcadia domum reportaretur, apud Heream, teſtes fecit, qui cũ eo erant omnes, nihil ſe dubitare, Leotychidem ex ſe genitum eſſe, totamq; eam multitudinem multis cum precibus & lacrymis rogauit, ut hoc apud Lacedæmonios teſtimonium dicerent. Pauſanias in Lacon. & Plutar. in Ageſilao. Item Athen. lib. 12. cap. 16.

ARISTON Spartanorum rex, cùm ex Ageti uxore ſeptimo menſe filium ſuſcepiſſet Demaratum, deductis in digitos menſibus, dixit iureiurando, Hic non eſt filius meus. Quod audientes Ephori, haud magni fecere in præſentia. Sed poſteaquam puer adoleuit, pœnituit Ariſtonem dicti, opinantem utiq; filium ſuum eſſe Demaratum: cui ideo nomẽ impoſitum eſt Demarati, id eſt, à populo uotis petiti, quòd ante eum natum omnis populus uota fecit, ut Ariſtoni omnium ante id tempus regum probatiſſimo filius gigneretur. Herod. lib. 6.

### DEFENSIO, EXCVSATIO STVLTA.

Iaſon ingratitudinem & perfidiam ſuam erga Medeam ſtultè excuſati apud Eurip. in Medea: Si quid mihi boni feciſti, rependi tibi gratiam: ex barbara terra te in Græciam ducens, ubi ſapiens habita es.

——— Εἰ δὲ γῆς ἐπ' ἐσχάτοις
ὅροισιν ᾤκεις, οὐκ ἂν ἦν λόγος σέθεν.
εἴη δ' ἔμοιγε μήτε χρυσὸς ἐν δόμοις. Si in extremis terræ terminis habitares, non eſſet reſpectus tui: fuerit uerò mihi neque aurum domi.

AEPIVS arrogãter de pugilatione & inſolẽter locutus, ut obſtrepitum apertè eſt ei: An'ne ſatis eſt, inquit, quòd ad pugnam ſum ineptus? ridiculè ſatis oſtentationem athleticam ignauiæ & lãguoris molliens cõfeſſione. Plut. de Sui laude.

STILPO Megarenſis, in iudicio Areopagitarum ſe purgans, cùm argueretur, in diſputatiõe quadam negaſſe Mineruam Phidiæ deum eſſe, confeſſus eſt: dixitq; à ſe id rectè & ordine factum, cùm dea illa feminaq; eſſet. Tum Theodorus Cyrenus, Quomodo hoc tam certò aſſeuerat Stilpon? an tunica ſublata hortum ipſius conſpexit? ἢ ἀνασύρας αὐτῆς τὸν κῆπον ἐθεάσατο; Communi autem genere deos olim appellarĩ ſolitos notum eſt: unde magis eum irriſit Theodorus, ipſeque ille eo nomine ab Areopagitis ex oppido eiectus eſt: nam Athenis id protulit, ex Laertio. Victorius libro 25. Variarum lect. cap. 10.

Omnium populorum alioqui præſtantiſſimus is, qui ROM. Quiritium fuit, cùm ſæpe aliàs, tum Senonico tumultu parum ſapere uiſus eſt, qui tribunitiis actionibus temerè aſſenſus, Fabios à Gallis ad ſupplicium petitos, quòd contra ius gentium, cùm legati eſſent, in ſe arma induiſſent, nõ ſolùm non dedendos cenſuit, ſed exercitibus prẹfecit, aduerſus eã gentem, quàm illi læſerant. Per quæ ſupplicium paucorum ciuium in ſeipſum uertit, & fœda illa tempeſtas, quæ Cluſinis imminebat, in totius ciuitatis dedecus & cladem redundauit. Sab. lib. 4. cap. 9.

### ANIMADVERSIO, CORRECTIO, Condemnatio ſtulta.

ATHENIENSES aiebant ſe purgare ciuitatem; cùm ex illuſtribus uiris unum aliquem oſtraciſmo ex urbe eiiciebant. Cæterùm rogati ab Ariſtide, Quo ſuo merito ſe tali afficerent ignominia? reſponſum eſt, Quia ferre non poſſumus te ubiq; bonum prædicari. Stultum iudicium, ſed iudicij defenſio adhuc ſtultior. Vbi enim uirtutis laus grauis eſt & moleſta, uirtus illic grata eſſe non poteſt. Fuit illud non uitium eiicere, ſed alere, omni præmio laudis repudiato, quo in primis gaudet honeſtior uita. Sabel. lib. 4. cap. 9.

Ariſtidem Iuſtum Themiſtoclis factio in decennale exilium oſtraciſmo expulit. Dum autem in teſtulis ſinguli nomina inſcribunt, dicitur illiteratus QVIDAM & planè rudis, Ariſtidi, ut uni de plebe, teſtulam tradidiſſe, petiſſeq; ut inſcriberet Ariſtidem. Admirante eo ac rogante, Nunquid in eum Ariſtides admiſiſſet? Nihil, inquit, neq; eſt mihi ille notus: uerùm ſtomachor, quòd paſſim Iuſtũ dici audiã. Quo audito, nihil Ariſtidẽ ferunt reſpondiſſe, ſed inſcripſiſſe teſtulæ nomen ſuum, atq; ei illam reddidiſſe. Plut. in Ariſtide.

Quum ALEXANDER exhauſto ærario ab Eumene Cardiano poſtulaſſet trecenta talenta, nec ille niſi centum duntaxat dediſſet, eaq; aſſereret difficulter ſe per procuratores ſuos coegiſſe: rex certis miniſtris imperauit, ut ignem Eumenis tabernaculo ſubiicerent: quò in exportanda pecunia manifeſtè mendacem comperiret. At celeriùs, quàm potuit exportari, tabernaculum incendio hauſtum fuit: pœnituitque eius Alexandrum, quòd monumenta ſua fuiſſent abſumta. Auri uerò uel argenti per flammam conflati, erutum fuit plus mille talentis. Plut. in Eumene.

### INIVRIA STVLTA.

CORINTHII non ſtulti ſolùm, ſed dementes etiam habẽdi, qui non ſuã, non Romani populi uirtutẽ metientes, ſed præſentem animi affectum, Romanorum legatos ſtercoris iniectu, pro concione uiolarunt. Peperit itaq; iniuria illa Corinthiis excidium: iis uerò, in quos immiſſa eſt, laudis incrementum & imperij propagationem. Sab. lib. 4. cap. 9.

## DEFECTIO STVLTA.

Imprudenter admodum, & ſtolidè ſibi exitium pepererunt IVDÆI, non magis periculoſa defectione à Romanis, quàm non neceſſaria. Ea res opes gentis, & urbem Orientis clariſſimam funditùs euertit. Furiæ ſcelerum execrabilem ciuitatem in eam dementiam adduxerunt, ut urbs quæ caſura erat, aliquanto citiùs caderet: eſſetque eò atrocior lapſus, quò maior fuit delinquentium culpa in Chriſti proditione. Sab. lib. 4. cap. 9.

## GLORIÆ AFFECTATIO STVLTA.

*Conſule Tit. Aſtutè exiſtimationē comparare Diuinitatis. Modus aſtutus: Conatus ſtultus.*

C. CALIGVLA in Galliam profectus, primo acceſſu Bellini Britanniæ regis filium à patre pulſum in deditionē recepit: mox deficiēte belli materia, paucos de cuſtodia Germanos traiici, occuliq; trans Rhenum iuſſit, ac ſibi poſt prandium quàm tumultuoſiſſimè adeſſe hoſtem nunciari. Quo facto, proripuit ſe cum amicis & parte equitum prætorianorum in proximā ſyluam: truncatiſq; arboribus, & in modum tropæorum adornatis ad lumina reuerſus, eorum quidē, qui ſecuti non eſſent, timiditatem & ignauiam corripuit: comites autem & participes uictoriæ, nouo genere ac nomine coronarum donauit, quas diſtinctas ſolis ac lunæ ſiderūq; ſpecie, Exploratorias appellauit. Rurſus obſides quoſdam à literario ludo, clamq; præmiſſos, deſerto repentè conuiuio cum equitatu inſecutus, ueluti profugos ac reprehenſos in cathenis reduxit. Repetita cœna renunciantes coactū agmen, ſicut erant, loricatos ad diſcumbendum adhortatus eſt. Monuit etiam notiſſimo Vergilij uerſu, Durarent, ſecundiſq; ſe rebus ſeruarent. Atq; inter hæc abſentem Senatum populumque grauiſſimo obiurgauit edicto, quòd Cæſare præliante, & tantis diſcriminibus obiecto, intempeſtiua cōuiuia, circum, & theatra, & amœnos ſeceſſus celebrarent. Quaſi perpetraturus bellum directa acie in litore Oceani, ac baliſtis machiniſq; diſpoſitis, nemine gnaro ac opinante, quidnam cœpturus eſſet, repentè ut conchas legerent, galeasq; & ſinus replerent, imperauit: ſpolia Oceani uocans, Capitolio Palatioq; debita. Et in indicium uictoriæ altiſſimam turrem excitauit: ex qua, ut ex Pharo, noctibus, ad regendos nauium curſus, ignes emicarent: pronunciatoq; militi donatiuo, centenis uiritim denariis, quaſi omne exemplum liberalitatis ſupergreſſus: Abite, inquit, læti, abite locupletes. Suetonius.

## ELECTIO STVLTA.

Fuit CLAVDIO principi uelut ingenita ſtultitia. Sed nihil unquam ſtolidius fecit, nec tota uita inconſideratius aliquid, quàm quòd Domitium Neronem adoptauit, cùm Britannicum legitimo thoro natum haberet, quem imperij hæredem potuit inſtituere. Verùm pellectus oſculis Agrippinæ coniugis, facem illam adoptione accendit: qua non ſolùm propria ipſius domus, ſed Roma & totus orbis conflagrauit. Sab. lib. 4. cap. 9. ex Suetonio.

## IMPERII AFFECTATIO STVLTA.

OTHO, poſt cæſum Galbam, fecerat ſacrum, in quo exta inauſpicatos exitus portendebant. Itaq; pœnitens ſumtus & operæ fruſtrà inſumtæ, fertur dixiſſe: τί μ' ἔδει μακροῖς αὐλοῖς αὐλεῖν: quæ uerba deinde in uulgi fabulam abierunt. Quid longis tibiis uti uolui? à ſacris tranſlata metaphora ad ſacrum imperium. Olim in ſacris lōgis tibiis cani ſolitum eſt: qui mos poſtea ſublatus, auctore Plutarcho. Suetonius eū in augurando tempeſtate orta, grauiter prolapſum, identidem obmurmuraſſe ſcribit: τί γάρ μοι καὶ μακροῖς αὐλοῖς: id eſt, Quid mihi cum longis tibiis? An fortè pœnitebat eum imperij per uim parati?

## LIBERTAS STVLTE REPVDIATA.

Romanorum gens CAPPADOCIBVS amicitiæ cauſa libertatem beneuolè conceſſit: eam tamen recuſarunt Cappadoces, dicentes, Illam ſe ferre non poſſe, rogaruntq; ut ſibi rex daretur. Admirati Romani, quòd inuenirentur qui libertatem recuſarent, permiſerunt, ut quem uellent, regem eligerent. Illi ſtatim Ariobarzanem elegerunt.

## EXTRVCTIO, AEDIFICATIO STVLTA.

Memorabilis cataclyſmi clades, recenſq; memoria, diu mortales tenuit in montibus. Poſtea uerò quàm ad ima eſt deſcenſum, NEMBRODVS Chami nepos, uir facinoroſus, turrim eminentiſſimam eſt ædificare adortus: ut ſi ſubita uis aquarum iterum terram operuiſſet, paratum haberet cum ſuis profugium. Quum aliquot ſtadia opus in arduū creuiſſet, numeroſa illa operantium manus, quæ erigendæ moli fuerat adhibita, linguarum conuerſione facta, continuò diſſidium paſſa eſt: ſublato ſermonis commercio, non quod pręciperetur ſatis quiſquam intelligere, neq; ob id dicto obtēperare: atq; ab ea re nomen intermiſſo operi datum, ut Babel, quæ uox apud Chaldæos confuſio eſt, iam inde ſit turris nominata. Quidā exiſtimare uidentur, in Meſopotamia id fieri contigiſſe: ut nō omnino ineptum ſit credere, à memorabili illo tempore Babylonem, quæ his poſtea locis condita eſt, fuiſſe nomen adeptam. Sabel. lib. 1. En. 1.

Cùm Byzātij cōditores Spartani, duce Pauſania, poſt ædificatā à MEGARENSIBVS Chalcedonē, Apollinis oraculum cōſulerēt: reſponſum accepêre, ut è regione cæcorū urbem conderēt. Cæcos Chalcedonios uocauit, ꝙ omiſſo locupletiore litore Europęo, Aſiaticū ſterilius elegiſſent. Strab. li. 7.

Roma à ROMVLO & Remo loco incommodiſſimo contra hoſtiles impetus ædificata eſt, uel quia aliū non habebant cōmodiorem, uel quia fortitudini ſuę cōfiſi, ſe & cōditores & propugnatores mœniorū uideri uolebant. Colles uicini urbē primā incurſionibus hoſtiū opportunā reddebāt, adeò ut T. Tatius primo inſultu Quirinali fuerit potitus. Reges inde colles mœnibus includere ſategerunt. Strabo lib. 5.

## IN BELLO. TVM IN GENERE. VIDELICET

## Bellum ſtultè

### *Suadere.*

ATOSSA Cyri F. Darium regem & maritum ad bellum Græciæ inferendū hortata fuit, ſuaſu Democedis Crotonienſis medici, qui ulcus eius in mamilla curauerat, & hac ratione ſe in Græciam redire poſſe ſperabat. Atoſſæ Darius paruit, & non minus ſuas quàm Græciæ opes afflixit. Herod. lib. 3.

Cùm ARISTAGORAS Mileti tyrannus Lacedæmonios ad inuadendam Aſiam inducere uellet, & Cleomeni regi omnibus id rationibus perſuadere conaretur: Cleomenes in triduum reſponſionem diſtulit. Vbi uerò dies reſponſioni præſtituta affuit, & ad locum de quo conuenerant, uentum eſt, interrogauit Ariſtagoram Cleomenes, Quot dierum ab Ionio mari ad regem ſit iter? Ariſtagoras alioqui ſolers, & ualde illum antecellens prudentia, in hoc tamen lapſus eſt: qui cùm non deberet rem, ut ſe habebat, illi aperire, uolens Spartiatas in Aſiam educere, dixit trium menſium eſſe iter. Cleomenes reſpondit: Hoſpes Mileſie, abſcede è Sparta ante ſolem occidentem, qui Lacedæmonios trimeſtri itinere à mari abducere conaris. Herod. lib. 5.

FVLVIA ubi comperit M. Antonium Cleopatræ conſuetudine teneri, L. Antonium fratrem mariti impulit, ut otium urbis & Italiæ abrumperet: futurum rata, ut eius belli cauſa uir à ſe alienatus in Italiam reuocaretur. Sab. lib. 7. En. 6.

### *Suſcipere.*

Helena à Paride rapta, GRÆCI nō ſecùs, ac ſi tota Græcia uaſtata fuiſſet, indignati ſunt: & BARBARI ita ſuperbierunt, quaſi Græcos omnes ſuperaſſent. Neq; uerò obſcurum eſt, quibus animis utriq; fuerint. Nā cum antè multa inter eos crimina interceſſiſſent, propter alia nihil mouerunt: ſed ob hanc tantum bellum concitarunt, non ſolùm iræ magnitudine, ſed & longitudine tēporis, & multitudine apparatuū, quantum ad eum diem nullum fuerat unquā. Etſi aūt poteſtas dabatur, alteris Helenā reddita urgentibus [redacted] alteris, eā neglectā, omne deinceps tēpus [redacted] ſecure degere: neutri tamē hæc uoluerunt: ſed illi & urbes excindi, & agros uaſtari ſiuerunt, ne Græci ea potirentur: hi peregrè conſeneſcere, & ſuos nuſquā intueri, [redacted] domum reuerti maluerunt. Et hæc egerunt, non quòd uel Alexandrum, uel [redacted] Europa, alteri ꝓ Aſia dimicabāt: exiſtimātes, in utra corpus eius incoleret, eā regionē feliciorē fore. Iſocrat. in Helena.

Anno 1464. EPISCOPVS Cretenſis nūcius apoſtolicus, cum mandatis uenit in ciuitates Vandalicas, ut exciret populum in expeditionem, quam papa Pius II. inſtituerat, ſocietate inita cum duce Burgundiæ Philippo, & Venetis in Turcas. Inconſulto feruore multi ſuſcepere profectionem, ſine commeatu, ſine armis: ſtabant ad ædes ſacras, ſtipem publicam petentes. Feruebant in eam rem omnes, ſacrilegium ducebāt, ſi quis uerbo interpoſito conaretur quenquā auertere. Ipſi monitos ſe per uiſionē dicebant crucem ſumere: in ueſtibus, in cute impreſſam crucem ſe reperiſſe, mentiebantur. Deterrimi quiq;, deſperatione melioris fortunæ, eò contenderunt, quaſi aut locupletandi in terris, aut in cœlo locādi. Cùm Romam ueniſſent, miratus Papa colluuiem inermiū pauperum, riſit inſcitiam & ſimplicitatem: & ut urbem exoneraret, dedit illis remiſſionem peccatorum. Ancona itidē, quò iam ſe Papa deferri curarat ægrotantem, quum expectaret ducē Venetorum (nam Philippum Burgūdiæ iam ſeneſcētē fruſtra expectabat) armatos & inermes abire iuſſit benedictione accepta: nec multò pòſt, cùm in portu nauigātem ducem Venetorum uidiſſet, febre exanimatus, obiit. Ita magno molimine cœpta expeditio ceſſit in uanum. Alemani ridiculi fuere Italis, quòd pannoſi, inermes, pauperes, Turcum debellare ſtatuiſſent. Cranz. lib. 12. Vandaliæ, cap. 30.

Solymanno Turcorum tyranno poſt captam Rhodū, occupato Belgrado, Hungariæ imminente, anno 1526. HVNGARI proceres, cùm ſana externorum conſilia admittere nollēt, ipſi inter ſe de aliis quibuſlibet friuolis, quàm de regni arduis rebus conſultabant, nullo ferè conſultandi die prætermiſſo: & quocunq; die Turcæ incidiſſet mentio, ille dies aliquot miſſus de prandio Regis detrahebat, ſic ut ſublatis lancibus maioribus, modicis patellis cibū ſumere abſq; ullis conuiuis cogeretur: ut ita fucus populo fieret, tanta ſollicitudine tractari negotia regni, ut ne prandere quidem præ cura liceret: cùm nullus interim eiuſmodi curæ conatus appareret, non commeatus prouiſus, non ſtipendium promptum, non miles delectus, non tormenta comparata eſſent. Paulū Tomoreum, arcis olim Budenſis præfectum, qui habitum Franciſcanum aſſumſerat, è cœnobio extractum, archiepiſcopum Colocenſem crearunt, & ſummæ rerum pręfecerunt, odio Ioannis Trencinienſis, Tranſſyluanię Vayuodæ, cuius potentiam ferre non poterant, cùm unus XL. M. equitum in hoſtem ducere poſſet. Tomoreus ueriſſima excuſatione uſus, cur ducis partes aſſumere detrectaret, quoniam parere tantùm, & manu ſtrenuè facere ut miles didiciſſet, ſed nullas unquam legitimi ducis artes attigiſſet: cū excuſando nihil promoueret, conſiliū dedit, ut externa properè auxilia quærerentur, ex Boemia, Morauia, Sileſia. Milites interea ſeſe ad pocula inuitantes, hic pro cæde quinque Turcarum, ille alter pro decem alteri prębibebat: cùm nulli interim temulentorum in mentem ueniret, qua ratione hoſtes ſuperari deberent. Dubrauius lib. 33.

### *Gerere.*

In Boemos Martinus V Pp. indulgentiis cōceſſis, inuitauit omnes CHRISTIANOS. Conuenerāt frequētes principes: ſolus Sigiſmundus Romanorū rex expectabatur, morā excuſans in Hungaria erat. Dū in cōcilio deliberatur, de belli gerēdi ratione, tentoria principū arſere, incerta cauſa. Dum trepidant arma & equos educere, hoſtes ex uicino oppido Sachs ſuperuenere, & imparatos oppreſſere. Ita dum caput deſideratur, periere impēſæ & operæ plurimæ. Cranzius libro 10. Vandaliæ, cap. 36.

Cū Solymānus Hungariæ immineret uictore de Rhodiis exercitu, & Ludouicus rex de procerū ſententia PAVLVM Tomoræum archiepiſcopū Colocēſem polemarchū creaſſet, exercitu ſparſim ꝑ uias diuerſas proficiſcente, Turca iā Belegradi cū incredibilib. copiis comparente: uocatis raptim ad conciliū Hungaris, cōſulitur, expectandū ne ſit, dū auxiliares copiæ conuenirent, an occurrendū ſit in uia hoſti, ne ab illo uelut ignaui mœnib. Budę incluſi deprehēderentur? Conclamāt, Obuiā hoſtib. eundū eſſe, locūq; prælio futuro idoneū occupandū: hortāturq; regē ad celerē profectionē. Quē Pōtifices, Proceres, equites, ꝑ ſe quiſq; cū ſuis ſequebatur. Sic enim mos exigit, ut, Rege in caſtris degente, tota nobilitas capite ſuo militet. Qua neceſſitate Georgius quoq;, Ioānis Trencinij frater natu minor, adductus, Regē comitabatur uſq; ad uicū Mohaziū, iuxta quē locus pugnę deſtinatus fuit. Ibi fatis iam urgētib. de duce rurſus inter illos, deq; operiendis auxiliis certamē ortū fuit, Paulo nōnullis Georgiū pręferentib. Georgius adeò ſe bellorū eſſe inexpertū faſſus, ut nunquā gladium aduerſus hoſtē ſtrinxerit, nihilo ſecius Paulo adiūctus eſt, cū quo morib. & uolūtate diſſentiebat. Sed nec illi auditi ſunt, q dilationē maximè eſſe neceſſariam dicerēt, ut peditū atq; equitū grauioris armaturæ copiæ augerētur. Reiectū deniq; cōſiliū ſaluberrimū Ambroſij Sarcani, de prohibēdo traiectu Draui fluminis. Vbi ad locum pugnæ uentū eſt, duces aciē inſtruebāt promiſcuā confuſamq;, omnia uidelicet in unū permiſcētes, equites, pedites, lixas, calones. Cumq; Turca in tertio demū militū agmine à ſuis cōſtitueretur, iſti in prima acie, ad quintū equitum ordinē, Regē cum Pontificib. ſtare iuſſerunt. Tormentis primū res agi cœpta. Multi fumi beneficio, ante hoſtē uiſum, fugā arripuerūt. Fumo diſcuſſo, tam ingēs metus ex hac fuga alios inuaſit, ut & illi nondū tētato certamine paſſim diſſiparētur, extra mercenarios pedites ad unū cęſos. Pauli Tomorei caput à ceruice deſectum, ad Turcam eſt perlatum. Omnis nobilitas aut in fuga trucidata, aut ſua ſponte ſubmerſa. Georgius Trencinenſis, & Ladiſlaus Archiepiſcopus Strigonienſis à Danubio hauſti, Ludouicus rex in palude. Dubrauius lib. 33. Iouius in Solymāno Tomoreū monachū Franciſcanū, uirum manib. promtum, ac ingenio nimium audaci, cōſilia omnia pugnę auiditate interturbaſſe ſcribit: qui ſe iam poſſe belli ducē agere exiſtimaret, propterea ꝙ ſemel aut iterum cum Turcis, leuiorib. quibuſdā pugnis ac tumultuariis incurſionibus, feliciter congreſſus fuerat.

## Pacem ſtultè

### *Suadere.*

Epaminōdas habuit in Repub. aduerſariū MENECLIDEM quendā ſatis exercitatū in dicēdo, ut Thebanū ſcilicet: nāq; illi genti plus ineſt uirium quàm ingenij. Is quòd in re militari florere Epaminondam uidebat, hortari ſolebat Thebanos, ut pacē bello anteferrēt, ne illius Imperatoris opera deſideraretur. Huic ille: Fallis, inqt, uerbo ciues tuos, ꝙ hos à bello auocas. Ocij enim nomine ſeruitutē cōcilias: nam, Paritur pax bello. Itaq; qui ea diutina uolunt frui, bello exercitati eſſe debent. Quare, ſi principes Græciæ eſſe uultis, caſtris eſt uobis utendū, non palæſtra. Probus in Epaminōda.

### *Repudiare.*

BENADADVS Syrię rex Samariā oppugnabat. Achabus rex Iſraelitarū ſe ſuaq; omnia in eius poteſtate futura aſſeruit. At Benadadus eo nō contentus, poſtero die legatos miſit, qui regiam omnem & ſingulorum domos perſcrutarētur. Ea res indigna populo uiſa: & uates quidā Achabū animauit, ne timeret, ſed CCXXXII prætorum calones ſub meridiem contra Syros in umbraculis perpotantes educeret. Paruit: & diuinitùs fuſis Syris, Benadadus ipſe uix euaſit. Ineunte uere cùm nouum exercitum comparaſſet, iterum uictus, centum millia ſuorum in acie amiſit: XXVII M. ruina muri in Apheca urbe, quò confugerant, oppreſſa penêre. Benadadus ipſe captus eſt. 3. Reg. 20.

TROIANI totiam acceptis cladibus, uix decimo demū anno de reſtituēda Helena conſultare cœperunt: quā ſi ſtatim initio repoſcēti Menelao reddidiſsēt, innumerabilib. ſeſe calamitatib. ſubduxiſſent. Hinc Prouer. Serò ſapiunt Phryges.

Demades dicere ſolebat, ATHENIENSES nunquam decernere pacem, niſi pullis ueſtibus indutos. Innuens eos eſſe bellandi cupidiores, quàm ſat eſſet, nec niſi clade ſuorū admonitos, de pace cogitare. Plut.

Interfecto Stilichone Honorij Imp. iuſſu, cùm milites in barbarorum quoq; uxores & bona ſæuirent, propinqui eorū ad XXX M. ad Alaricum Gothū in Noricū ſe receperūt. Alaricus tamē pactas ſibi cū Stilichone inducias ſeruādas putauit, ac legatos de pace ad Honoriū miſit, pecuniæ ſummam quandā ac pacis obſides poſtulās, promittēſq;, ſe cōtrà nobiles quoq; ex ſuis quoſdā daturū, atq; ex Norico exercitū in Pannoniā reducturū. Quā conditionē HONORIVS ſtolidè à ſuis inflatus repudiauit, ita ut neq; pacis, neque belli ſtudiis, prout oportuit, inſeruierit. Nam uulgò ita cōſtitit, ſi paci ſtuderet, eā modica mercede redimere, ac bellum in aliud tēpus auertere potuiſſe: ſi bellū præoptaret, omnes, q ubiq; eſſent, exercitus in unū cogere, ac Sarum Alanū ducē belli deligere debuiſſe, q & rei militaris ſummè perit⁹ erat, & numerū ingentē barbarorū habebat. Quib. reb. omiſſis, equitatui Turpillionē, peditatui Varanē, Scholę domeſticorum Vigilantiū, homines artis bellicæ rudes prępoſuit, atq; hoc demū apparatu Alaricū, ſi irruptionem feciſſet, ſe excepturū conſtituit. Alaricus nemine reſiſtēte Rauennā uerſus ꝓgreſſus, legato ad Honoriū miſſo pacē, ſedeſq; ſibi ac ſuis in Italia poſtulauit: promtū fidei atq; operæ militaris obſequium offerēs, ſi eius ſibi uti beneficio licuiſſet. Honorius Rauennæ urbis munitione, & Orientaliū copiarū expectatione, cęteriſq; Italię pręſidiis, inprimiſq; urbis Romanę cōfiſus, magnificè reſpōdit, nihil eorū ſe, quę poſtulabat, dare poſſe, ipſumq;, ut prioris meminiſſe expeditionis uellet, & quē exitū habuiſſet, monere. Quo reſpōſo audito, Alaricus incēſus, ſubitò, caſtris motis, Ariminū, atq; inde in Picenū, & ex Piceno in Vmbriam tranſiit, oblata omnia oppida populans, ac miſerabili ſtrage uaſtās, & ad Romā oppugnandam ſe ire oſtēdens, ut terrore illo Honoriū ad aliquam pactorū æquitatē adduceret. Cùm aūt ne ita quidē Honorius cederet, Narniæ, quā in ſpeciē inſtituerat, obſidione relicta, Romā fame domitā ad pacē redimendā coegit. Ab Honorio Galliæ occupandæ poteſtate accepta, cū in itinere inſidiis exceptus eſſet, Romā proditione cepit, ſpoliauit: poſt triduum in Galliam abiit. Sigonius lib. 11. Imp. occid.

Irrumpentib. in Italiā Vngaris, rex Berēgarius, nunciis in omnes regni partes dimiſſis, ac ciuitatib. de imminenti periculo monitis, ingentē ex tota Italia ultrò nomina dantē exercitum conuocauit. Vngari triplo maiorib. ſe peti copiis, quàm quas ipſi adduxerāt, ex inſperato cernētes, cùm hęrentib. aſſiduè in tergo ITALICIS ad amnē Abduā effuſè fugiēdo eadē, qua uenerāt, uia perlati eſſent, atq; in eo feſtināter ac tumultuosè tranādo multos amiſiſſent: deſperatione debilitati petierūt ab Italis, ut ſe, uniuerſa præda recepta, uiuos abire permitterēt. Eā uerò petitionē Italici ſuperbè, uniuerſos depoſcētes in uincula, reſpuerūt. In campos Veronēſes delati, cùm primū Italicorū agmē extremū eſſet Vngarorū adeptū, leue pręliū eſt cōmiſſum. Quo cū ſuperiores fuiſſēt Vngari, mox uniuerſo ſuperueniēte Italicorū exercitu territi, rurſus cœptę ſe fugę mandarūt. Poſtquā ad Brentā amnē eſt uentū, equis curſum fugamq; præ laſſitudine denegātibus cōſiſtere coacti, trās amnē caſtra locarūt: ac nunciis ad Berengariū, q cis amnē cōſederat, miſſis poſtularūt, ut ſuppellectilē omnē ſuā, captiuos, arma, equos oēs, præter eos, quib. uterētur, acciperet, & ſe abire incolumes ſineret, iurātes, ſe datis in fidē obſidibus filiis ſuis, nunꝗ ampliùs prędę cauſa Italiā ingreſſuros. Ad hæc Italici reſpōderūt, ſtulti homi-

minis eſſe, muneris, aut conditionis aliquid à mortuo aut planè iam profligato accipere. Qua re audita Vngaros indignatio acris inceſſit. & qui antè fugere decreuerant, iam ſummo in quemcunq; caſum contendere prælio ſtatuunt: atq; ita inſidiis bifariam diſpoſitis, rectà amne traiecto, in hoſtes ſe medios inferunt. Italici reſponſo expectando defeſſi, interim ſe corporibus curandis, ut uictoriæ certi, tradiderant. Itaq; Vngari irruptione facta incautos adorti, partim epulantes interemerunt, partim equis ademtis fuga interclusos proſtrauerunt. Auxit etiam Italicorum cladem, ꝙ nonnulli non ſolùm non pugnauerunt, ſed proximos etiã, ut ſoli ſuperſtites dominarentur, à manu conſerenda deterruerunt: quoſq; in aliis caſus cum uoluptate ſpectarunt, in eos ipſi haud ita multo pòſt inciderunt. Hac uictoria elati, inde Taruiſium, Vicetiam & Patauium populati ſunt, cùm omnes munitis locis inſeſſis uictori ſe obiicere hoſti metuerent. Inde Venetos aggreſſi paratis lembis, à Petro duce naualibus cum copiis acriter reſiſtente repulſi, ſeſe ad mediterranea contulerunt: atq; ad Apenninum populãdo progreſſi, obuia omnia loca uaſtarunt, neq; eccleſiis aut monaſteriis temperarunt. Tandem, cùm ſe Italia non exceſſuros, niſi certa pecuniæ ſumma accepta, oſtenderent, Berengarius, ut primo quoq; tempore ea peſte Italiam liberaret, ſummo ſtudio eam collegit, atq;, ut quamprimùm abirent, effecit. Sigonius lib.6. regni Ital.

Sultanus Iconij Clizaſthlanes per legatos ab Imperatore MANVELE Comneno pacem petiit, iis conditionibus quas ipſe præſcriberet. Verùm ille, neglectis ſeniorũ conſiliis, cognatis ſuis in conſilium adhibitis, qui claſſicum nunquam audierant, forma tantùm & auro gemmiſq; conſpicui erãt, legatis ſe Iconij reſponſurũ dixit. Sultanus ergo in anguſtiis, per quas Romanis tranſeundum erat, ſuas phalanges abdit. In quas præcipitatus Imperator, maximam partẽ exercitus amiſit. Nicetas lib.6.

Obſidebat Eduardus III. rex Angliæ Caliſium, quod tum in Gallorum poteſtate erat. Legatos Philippus rex in Scotiam mittit ad DAVIDEM regẽ, ut ex fœdere cum exercitu Angliam ingrediatur, ac hoſtem ab obſidione reuocet. Eodẽ tẽpore legati Eduardi inducias petebant, reddituros ſe Beruicium cũ Eduardo Baliolo regni æmulo, cuius gratia tanta iam bella ſuſtinuiſſent, pollicentes. Dauid uerò prætextu fœderis Gallicani, reuera autem cupiditate uindictæ cõtra Eduardum inflammatus, bellũ Anglis indicit, ſacra & profana loca omnia cæde & incendiis uaſtat. Eduardus Comitem Northumbriæ obuium mittit. Anno 1348. pugna commiſſa, uicti Scoti, Dauid rex captus eſt. H. Boethius lib.15.

HENRICVS Galletus Patauinus, Frãciſco iuniori Carrarieſi principi fidiſſ. & multis legationib. clarus, cùm is Brixia capta, arcem XX millibus aureorũ ab ultro ſeſe dedentibus redimere poſſet, diſſuaſit eos pecunia comparare, quos armis cogere poſſet. Verùm non multo pòſt Pontificiis ſubſidiis firmati Brixienſes, iugum excuſſere, Veronenſes itẽ defecere: Patauium Veneti occupauere. Bern. Scard. lib.3. claſſe 13. Hiſt. Pat.

GERARDVS Magnus Holſatię Comes, an. 1322. in Thietmarſos auxilia undiq; cõtraxerat. Thietmarſi in medio regiõis his hoſtibus ceſſere primo prælio, cæſiq; ſunt ex illis mille ſeptingenti. Fugientes eccleſiam in Oldenvuorden, in morem caſtelli, communierunt. At quum ignẽ iniicere pararẽt hoſtes, Thietmarſi deditionem obtulerunt, ſubditos ſe Gerardo fore in reliquum pollicentes. Ille uerſutiã gentis ueritus, iuſſit propiùs ignẽ admoueri. Vbi iam ſtillante plumbeo tecto periculũ ſenſere, turmatim proruunt, obſidentes inuadunt (aderant etiam aliunde ſocij) & ad internecionẽ delent. Solus Gerardus Comes & Henricus de Magnopoli princeps, qui ad ſigna pro more militiæ agmen tenuerant, euaſere cum ſuis: reliqua nobilitas, ad numerum duorũ millium, cæſa. Cranzius lib.9. Saxoniæ, c.9.

IN SPECIE. STVLTE' SCILICET

*Ducem deligendo.*

Strabo in 7. lib. Geographię, TARENTINOS non rexiſſe ciuitatem ſuam ſapienter docens, affirmauit ſatis etiam certam notam eius eſſe, ꝙ uſi fuerant exercituũ ſuorum ductoribus, peregrinis uiris: quorũ etiam partim enumerat, Alexandrum Molottum acciuiſſe illos oſtendens contra Meſſapios & Lucanos: & ſuperioribus etiam temporib. Archidamum Ageſilai filium: poſteaq; Cleonymũ & Agathoclem: deinde Pyrrhum, cùm ſuſceperunt bellũ contra Romanos. Iſocrates quoq; ſubtiliter diſputat in libro de Pace, aduerſus milites mercenarios: uitiaq; eius militiæ monſtrat. Victorius lib.8. Var. lect. cap.17.

*Societatem reſpuendo.*

MESSENII, cùm cupidiſſimi pacis eſsẽt, uniuſq; rei inprimis ſtudioſi, in maxima ſæpè diſcrimina patriæ ſtatum adduxerunt. Quippe qui quũ inter Arcades & Lacedæmonios bellãtes ſe medios gererẽt, neutrius partis gratiã promeriti, alterutrius ciuitatis iniurias ſępius ſunt experti. Sab. l.2. En.5.

Anno 1512. Iulius II Pp. Hiſpaniç rex Ferdinãdus, & Veneti, de Galliç rege Ludouico XII Italia pellẽdo, fœdus inter ſe ꝑcuſſerant. FLORENTINI, ciuilib. diſcordiis à meliori parte eligẽnda impediti, neq; regi Galliæ, neq; aliis adhæſerũt: ſemperq; ambiguis interruptiſq; cõſiliis, neutros ſe ꝓfitentes, nunquã unà omnes deliberãtes, neq; utrũ in ea ſentẽtia perſeuerare uellẽt declarantes, Galliæ regis, qui ſibi ab initio multa de illis promittebat, animũ nõ mediocriter offenderunt, Pontificis odiũ non mitigarũt, & Aragoniæ regem nullo accepto præmio, ſuæ ambiguitatis fructu frui permiſerunt, cuius fruendi gratia cupidè cum ipſis cõueniſſet. Sic dum nullorũ ex profeſſo amici eſſe uolunt, omniũ inimici facti, reductis Mediceis libertatem amiſere. Guicciard. li.11.

*Societatem ineundo.*

Amurathes II Mahometis F. cùm regni æmulum haberet Muſtaffam, qui Baiazethis filius credebatur, ad Græcorum regem IOANNEM, adhuc iuuenem, miſit oratum, ut neutri ſuppetias ferret. Verùm ille contra patris uoluntatem Muſtaffæ ſe adiunxit, ac rem Græcorum in maximum diſcrimẽ adduxit. Chalcocondylas lib.5.

*Auxiliarios accerſendo.*

ARNVLFVS Imp. contra regẽ Morauiæ Zuentebaldum potentiſſimum ducens, cui tum paruere Boemi, Poloni, Sleſitæ, laxauit clauſtra Vngaris, quæ erant illis obiecta fortiſſima. Quibus laxatis, primam in ſubigendis Morauis Vngari Imperatori operam nauarunt. Sed ea magno pòſt conſtitit Chriſtiano orbi. Nam grauiſſimi incubuerũt Sueuis, Bauaris, Francis, & penetrarunt in ultima Saxoniæ, Bremam urbem & eccleſias eius incendio perdiderunt: nec quieuere, donec ab Henrico I. Cæſare cæſi, ſe in Pannoniis continerent. Cranzius lib.3. Saxoniæ, cap.3.

*Auxilia repudiando.*

Cùm Galli nefandum latrocinium PTOLEMÆI Cerauni Macedoniæ regis in duos Arſinoes ſororis, è Lyſimacho ſuſceptos filios, quos nuptiarũ prætextu cũ ſorore in matris gremio interficere curarat, uindicaturi eſsẽt: ut ſtultius periret, XX Dardanorũ millia per legatos in auxiliũ miſſa repudiauit, actum de Macedonia dicens, ſi quum totum Orientem eius terræ uiri domuiſſent, Dardanorum barbara ope ad ſe tuendos indigerẽt. Habere ſe filios eorum, qui cum Alexandro maiorem terrarũ partem armis ſubegiſſent. Venerunt interim à Belgio Gallorũ duce legati ad Ptolemæũ, pacem pollicentes, ſi eam certo auri pondere redimeret. Tum ille audientib. legatis teſtatus eſt, metu perculſos pacẽ à ſe petere: quã ſe Gallis haud quidẽ daturum reſpondit, niſi armis traditis ſuos ſibi regulos obſides dediſſent. Riſerunt Galli uanam hominis fiduciam, paucisq; interiectis diebus commiſſo prælio, Ptolemæus multis uulnerib. confoſſus uiuus capitur. Ipſius inde caput buſto ademtũ atq; haſtæ affixum Galli tota acie ad hoſtiũ terrorem circumtulerunt. Macedones & ipſi ad unum propemodum cæſi. Sab. lib.8. En.4.

*Auxiliarios dimittendo.*

AETIVS Valentiniani III Imp. dux, uicto in cãpis Catalaunicis Atila Hunnorum tyranno crudeliſſ. ueritus, ne, deletis, ut opinabatur, Hunnis, Gothi, quorum fido auxilio uſus erat, nimia inſolentia efferrentur: Thoriſmũdo Theoderici regis in acie cæſi F. ſuaſit, ut domum repetens, regnũ, quod fuerat patris, adiret, ne illud fortè minor natu frater arriperet. Ita ille, Hunnico bello relicto, rex à ſuis acclamatus, in Aquitaniam eſt reuerſus. Pariter etiam Sangibanus cũ Alanorum, & Meroueus cum Francorũ reliquiis domũ dimiſſi. Quod ubi Atila audiit, dolum parari putans, ſeſe per aliquot dies intra caſtra continuit. At uerò, poſtquã exploratam rem habuit, lætitia ſumma perfuſus, bene de ſe ſperare inſtituit, ac Romanum diſſolutum iam cernens exercitum, è caſtris exceſſit, Rhenum traiecit, atq; per Germaniã in Scythiam retrò incolumis abiit, non multo pòſt reparatis uiribus Italiam repetiturus. Sigonius lib.13. Imp. occid.

*Aciem inſtruendo.*

☞ *Ex Tit. Hoſtem Aciei inſtructione ſuſtinere, exempla huc transferantur. Illic Prudentiam eius qui inſtruit, hic Imprudentiam alterius, contra quem inſtruitur, conſideramus.*

FRANCISCVS Mantuanorum princeps, Venetorum imp. cùm Carolum IIX Franciæ regem inſtructa acie procedere cognouiſſet, copias omnes ita diſpoſuit, ut ex iis nouem acies efficeret: quarum quinq; equitum cataphractorum eſſent, tres militum, equitũ leuis armaturæ una. Quæ res impetum exercitus imminuit: nulla enim earum ſatis uiriũ ad hoſtem propellendum habuit. Bembus lib.j. Venetæ hiſt.

Prælio ad Cunaxa commiſſo, in quo Cyrus ab Artoxerxe Perſarum rege fratre uictus & cæſus eſt, uidetur Clearchus Lacedæmonius omnia perturbaſſe. Nam ſi Græcos XIII M. in media acie regi oppoſuiſſet, Græcorum impetum Barbari non ſuſtinuiſſent. At cùm, ut ſecurè dimicaret, dextrũ cornu flumini applicat, Barbaros quidem ſudit, at Cyrũ uictoriæ ſuæ fructu priuauit. Plut. in Artoxerxe.



*Vires diſtrahendo.*

☞ *Conſule locum Stratagematum, Hoſtium exercitum diſtrahere. Illic Agentis, hic Patientis habetur ratio.*

P. & CN. Scipiones in Hiſpania duos exercitus coniunxerant, ut Haſdrubalem, quem cenſebant in Italiam tranſiturũ, impedirent. Ad hoc credebatur ſatis uirium, quum ad eorum exercitum & potentias acceſſiſſent uiginti millia Celtiberorum, qui tranſacta hyeme ad arma fuerant concitati. Duces Pœnorum erant duo Haſdrubales, quorum alter maximus erat Pœnorum dux in Hiſpania, Amilcaris filius, & frater Hannibalis, alter Haſdrubal Giſconis filius, & Mago Amilcaris filius, qui etiam tres exercitus iungere ſtatuerant. Propior Romanis erat Haſdrubal Amilcaris, ad urbẽ Aſtorgum, quam imperatores Romani maximè obtinere cupiebant, & Haſdrubalis Amilcaris filij exercitum delere: rati, ſi illum frangere poſſent, facilè alterum Haſdrubalem & Magonem per deuia & ſaltus fugere compulſuros. Itaq; copias in duos exercitus diuiſere, ut ſcilicet P. Scipio duas Romani exercitus partes aſſumeret dimicaturus cum Magone & Haſdrubale Giſconis filio: Cn. uerò Scipio cum reliqua tertia parte adiunctis Celtiberis bellum aduerſus Haſdrubalem Amilcaris filium gereret. Haſdrubal quum conſpexiſſet imminutum exercitum Romanorũ, ſolamq; uim exercitus Cn. Scipionis conſiſtere in Celtiberis, quorũ duces ex diuturno bello atq; conſuetudine linguæ cognitos habebat, cum eis paciſcitur, ut in patriam reuerterentur, atque copias inde abducerent. Cn. quũ nec ibi tutus eſſe poſſet, nec etiam fratri ob diſtantiam ſe coniungere, retrò exercitum duxit. Interea Maſiniſſa rex Numidarum, ſocius Carthaginẽſium factus, ualido Numidarum exercitu, P. Scipionem diebus ac noctibus premebat. P. ergo cùm propemodum obſideretur, audax conſilium cœpit, & noctu hoſtem, ſed minimè imparatum, aggreſſus, dum ſtrenuè rem gerit, lancea traiectus occubuit. Nec mora, uictoriã proſecuti hoſtes, Haſdrubali Amilcaris ſe coniungunt, & Cn. triplici exercitu adoriuntur. Ferunt aliqui ipſum Cneũ in primo congreſſu ac impetu mortuum fuiſſe: quidam uerò, eũ in propinquam turrim cum paucis effugiſſe: quam circundatam quum nulla ui poſſent ſuperare, igne foribus ſuccẽſo, cum ipſo imperatore omnibuſq; qui intus erant, crematam dicunt. Sicq; Cn. triceſimo die poſt Publij fratris obitum interfectus eſt. Io. Gerund. lib.5. Paralip. Hiſpan.

*Pugnando, Inuadendo.*

CALLICRATIDAM regem Spartanorum cùm uates oraret, ut mortem declinaret, quam denunciarent exta: Non in unius anima, reſpondit, poſitam Spartam. ſtultè admodum. Siquidem cùm pugnaret, unus erat, & cùm nauigaret uel ſtipendia faceret Callicratidas: ſed cùm dux eſſet, uim erat in ſe complexus uniuerſorum. Ita unus iam non erat, qui cum tam multa ſimul corruerent. Plut. in Pelopida.

Gilimer rex Vandalorum, poſteaquam Beliſarius in Africam exercitum duxit, extemplò Ammatam fratrem, qui Carthagine erat, per literas monuit, ut Hildericum regem à ſe deiectum occideret, ac ſeſe cum Vandalis aduenienti Beliſario ad Decimum ſuburbanum obiiceret. Gibamundum uerò fratris filium cum alia manu à latere iuſſit adoriri. ipſe ſibi cum ſuis impreſſionẽ à tergo adſciuit. Itaq; Beliſarius, poſtquam ad Decimi anguſtias perueniſſet, facilè Gilimeris copiis intercipi, ac deleri conſilio potuit, niſi AMMATAS ante pugnandi horam, deteriore militum parte aſſumta, cum Ioanne Beliſarij duce præcedente immaturè cõgreſſus, partam uictoriam, ac propè præſentem interpellaſſet. Nam eius caſu perterriti milites, non ipſi ſolùm præcipiti ſe fugæ mandarunt, ſed reliquos etiam, qui ſubſequebantur, terga dare maioris mali timore perculſos compulerunt. Quam cladem Gibamundus etiam cumulauit. qui cum Hunnis cõgreſſus, omnib. ſuis amiſſis, aufugit. Cùm aũt eodẽ tempore Beliſarius & Gilimer cum ſuis uterq; copiis diuerſis è partib. ad Decimũ acceſſiſsẽt, Gilimer ubi in campũ degreſſus, Ammatæ fratris cadauer eſt cõſpicatus, ingenti dolore ictus, animũ ab hoſte ad ſepulturã auertit, ac, ſpacio Romanis ad ſe comparandũ conceſſo, pulcerrimã alterã rei bene gerẽdæ occaſionẽ amiſit. Inde cũ in campũ Bulæ Numidiã uerſus abiiſſet, Beliſarius Carthaginẽ occupauit. Prælio ad Tricarãnũ uictus, in monte extremo Numidiæ Puppua obſeſſus atq; captus eſt. Sigonius lib.17. Imp. occid.

PATEONVZIVS Iauæ maioris regulus 300 nauiũ claſſe Andradiũ Luſitanorũ ducẽ, 16 tantũ naues habentẽ, an. 1513. adortus, cõmiſſo prælio cũ claſſis ſuæ magnã partẽ diſſipatã cerneret, quatuor naues maximas ita cũ ſua cõiunxit, ut cũ binæ utrinq; conſiſterẽt, ipſe mediũ locum tueretur. In eas, quod roboris erat exercitus, traduci iuſſit. Reliquas deinde, quæ integræ reſtabant, in ordinem cogi, & inter ſe coniungi præcepit, ut ita faciliùs Luſitanorũ impetũ à ſe reprimerent. Statuit deinde, ut reliquæ naues eas quinq;, quæ in mari munitiſſimæ arcis inſtar habere uidebantur, circumirent, & quoties urgerẽtur, in illud firmiſſimum, ut exiſtimabat, pugnæ illius propugnaculũ ſe reciperent, unde rurſus poſſent in Luſitanos erũpere. Hoc tamẽ, quod Pateonuzius exiſtimauit ſibi ſalutẽ allaturum, exitio fuit. Primũ enim reliquæ naues fortiſſ hominum robore nudatæ, periculũ arcere minimè poterant. Præterea cùm ſe arctiſſimè coniunxiſſent, prælio naues hoſtiles partim depreſſę, partim uulneratæ & mutilatæ, partim in fugam conuerſæ ſunt. Oſorius lib.8. rerum Emmanuelis.

*Inuadendo.*

In acie Pharſalica ubi CN. Pompeius hoſtes uidit conſiſtẽtes, & ſignum in ordinib. ſuis expectantes: contrà ſuos maxima ex parte non tranquillos, ſed imperitia fluctantes tumultuanteſq;: timuit ne mox commiſſo prælio prorſus diſtraherentur. Itaq; imperauit anteſignanis, ut in procinctu atq; in ueſtigio ſtarent, atq; ſic exciperent hoſtem. Id conſilium reprehendit Cæſar: quippe cum ictum oſtendit ex incurſu uehementiam remiſiſſe: ac dum infeſtum aufert impetũ, qui inprimis milites in concurrendo cum hoſtibus ardore & alacritate implet, cum clamore & curſu incitat, languorem & teporem induxiſſe ſuis. Plut. in Pompeio.

CONSTANTINVS Scotorum rex contra Danorum ducem Hungarem pugnaturus, ſuis mandauit, ne ruerent præcipites in hoſtes, ſed hoſtem in ſe incurrere paterẽtur: ratus, eo Danorum uim citato gradu, ut ingentib. erant ſpiritibus, eſſ fractum iri, diſtractoſq; ita & laſſitudine confectos, diſperſoſq; adoriundos. Fregit id conſilium Scotorum alacritatẽ & impetum: cùm alioqui ingenti clamore & ſibi animos & hoſtibus terrorẽ iniicere conſueuerint. Dani in medio ſpacio curſum repreſsère, inde lento paſſu in hoſtem mouere. Captus Conſtãtinus rex, & ſecuri percuſſus: X. Scotorũ millia cæſa. H. Boethius lib.10.

*Fugam impediendo ſuorum.*

Expugnata ab Mahometo VII. Turcarum rege Conſtantinopoli, Græci fuga in portum ad Venetorum & Genuenſium naues ferebantur. Id cõſpicati urbis IANITORES, ut eos ad pugnam redintegrandam cogerent, claues de muro extra urbem proiecerunt. Hoc conſilij ſuggerebat oraculum quoddam in urbe decãtatum, fore uidelicet, ut cùm hoſtes ueniſſent uſq; ad ciuitatis locum Tauri dictum, oppidanos tum conuerſos, neceſſitate ſic urgente, hoſtem expulſuros. Viri, mulieres, liberiq; in magnum Sophiæ templum confluentes, miſerè ibi trucidati ſunt. Chalcocondylas lib.8.

Sigiſmundi Auſtriaci exercitu, ob non numerata ſtipendia dilapſo, Veneti occaſione utendum rati, Tridentum occupare cogitarãt. Tridentini adiuncto Georgio Petræplanę principe, illis maturè occurrũt, atq; ingẽti cæde utrinq; facta urgentib. Germanis, cũ ſuorum globo ducẽ Robertum Seuerinatem in flumen deiiciunt, perimuntq;: reliquos perterritos in fugam agunt, & ut pontem Atheſi fl. impoſitũ petãt, compellunt. Id conſpicatus ANDREAS Burgius, præfectus militũ, ſperans, ſi pons reſcindatur, fore ut milites equiteſq;, ablata fluminis tranſeũdi facultate, continerẽtur, ſeq; in hoſtes neceſſariò conuerterẽt, accurrens ſolutis retinaculis pontem propulit. Quæ res in contrarium, atq; ipſe exiſtimauerat, uertit. Qui enim ſemel fugæ ſe mandauerant, ea ſpe, ut ſi flumen tranſire poſſent, in tuto ſeſe crederent futuros, ubi pontem ſublatum uiderunt, pleriq; omnes ſe in flumen præcipitauerunt, & armis equiſq; depreſſi atq; implíciti perierunt. Bembus lib.j. Venetæ hiſt.

*Non aggrediendo.*

IVLIANVS Apoſtata, ſuadentibus proximis, ut aggrederetur ſæpè fallaces ac perfidos Gothos, Hoſtes ſe quærere meliores, dixit. Illis enim ſufficere mercatores Galatas, per quos ubiq; nullo conditionis diſcrimine uenderentur. Sigonius lib.6. Imp. occid.

*Terrendo hoſtem.*

XERXES ut terrorem ſui Græcis iniiceret, Helleſpontũ ponte iungi, Athon montem perfoſſum nauigari iuſſit: ut de natura rerum uictor, de hominibus mox triumphum ducturus uideretur. Diod. lib.11.

*Hoſtes non perſequendo.*

Apolloniæ in Epiro CN. Pompeius C. Iul. Cæſaris caſtra oppugnabat. Fugientibus Cæſarianis, adeò res deploratæ Cæſaris erant, ut cùm Pompeius ſiue ſuſpicione aliqua, ſiue fortuna non eſſet tam eximium actum proſecutus, ſed compulſis intra uallum iis, qui fugiebant, receptui ceciniſſet, diceret diſcedens Cæſar ad amicos: Hodie penes hoſtes uictoria erat, ſi haberent uincentem. Ergo mutato conſilio,

ſilio, inſtituit in Macedoniam contra Scipionem ducere, ut Pompeiũ quàm longiſſimè à mari traheret, ne à claſſi ſubſidium habere poſſet. Sic tandem in campis Pharſalicis uictor, bello finem impoſuit. Plut. in Cæſare.

*Hoſtibus nimiùm inſtando.*

*Huc etiam Tit. Pacem ſtultè repudiare, referri poteſt, quatenus hoſtis nimiùm urgetur.*

Contra Antigonum Aſiæ regem, & Demetrium Poliorcetem eius F. qui rebus maximis geſtis Græciam à Caſſandro liberauerant, & ſucceſſibus elati reliquos omnes prę ſe contemnebãt, conſpirarunt reges omnes Alexãdri ſucceſſores, Ptolemæus Aegypti, Seleucus Babyloniæ, Caſſander Macedonię, Lyſimachus Helleſponti. DEMETRIVS, qui plurimos & delectiſſimos equites ducebat, concurrit cum Antiocho Seleuci filio: atq; uſquedum profligauit hoſtem, præclarè certauit, ſed hoſtium tergis inſolenter & ambitioſè inſtando labefecit uictoriam. Neq; enim regreſſus coniungere ſe peditatui ualuit, elephantis interiectis. Cernens autem aciẽ Antigoni Seleucus nudatam equitatu, non irrupit in eam, ſed irruptionem minitans circumuectus eſt, ac poteſtatem militibus fecit tranſeundi ad ſe: quod euenit. Magna enim pars abrupta tranſitionem uoluntariam ad illũ fecêre. reliqui dederũt terga. Petente Antigonum ingenti hoſtium globo, cùm quidam ex iis, qui circa eum erant, diceret ei: In te hi rex: Quo uerò propoſito iſti, inquit, me petunt? at Demetrius ſuppetias ueniet. idq; uſq; ad extremum expectãs, & reſpectans filium, grandine in eum coniecta telorum, occubuit: aliiſq; comitibus & amicis eum relinquentibus, ſolus apud cadauer Lariſſæus Thorax remanſit. Ita prçlio decreto uictores reges totum imperium, quod Antigono & Demetrio parebat, ſicut magnum corpus diſcerptum, diuiſerunt inter ſe, illorumq; prouincias coniunxerũt ſuis, quas antè tenebant. Demetrius quinq; millibus peditum & quatuor equitum fugam cepit. Plut. in Demetrio.

*Vrbes oppugnando.*

PHILIPPVS rex Macedonum, cùm proditione ciuitatẽ Melitæorum occupaturus eſſet, dupliciter errauit. Nam & ſcalas non ſatis longas attulit, ſicut neceſſitas requirebat: deinde & tempus non ſeruauit. Cùm enim circa mediam noctẽ uenturum ſe conſtituiſſet, ante tempus exercitum è Lariſſa mouit, & in agrum Melitæorum maturiùs uenit: cumq; ſcalarum commenſurationem non haberet, nec per portã ingredi poſſet, quòd coniurati, quos in ciuitate habebat, tempore excluſi opem illi ferre nequirent, multis ſuorum amiſſis, cum dedecore reuerſus eſt. Polybius Hiſt. lib. 9.

*Flumina deriuando.*

HENRICVS Saxonum dux, Diminum Sclauorum oppidum obſidens, cùm expugnationem dubiam difficilemque animaduerteret, amnẽ, qui caſtra ſua à mœnib. diuidebat, trãſuerſo deduxit alueo. Quo facto hoſtium muris ſummã defenſionis opem conciliauit, præſidium eius longiore licèt curſu pro oppugnatione molitus. Ea re effectum eſt, ut actam æſtate obſidionem autumno inglorius ſolueret. Saxo libro 14.

*Pontem reſcindendò.*

ANDREAS Burgius pontem Atheſinum reſcindẽs, Venetos magna affecit clade imprudẽs. Vide Tit. prçcedentẽ, Stulti in fuga ſuorum militum impedienda.

## STVLTITIA IN IVDICANDO EXTRA BELLVA…

### IVDICES ſtulti, tam priuati quàm publici. SVSPICIO ſtulta. ERROR iudicij.

*Ex Tit. Suſpicionis huc ea, quæ falſum de alienis bonis maliſue iudicium continent.*

RESPECTV RERVM conſideratarum

PER SE. IVDICIVM STVLtum de

*Controuerſiis, Litibus, Sententiis.*

*Iudices ſtulti.*

*De Iudicibus ſtultis primo libro huius Voluminis egimus generatim. Hic ea tantùm, quæ ad Senatus uel Fori uel Concionis controuerſias pertinent.*

Apud Perſas pueri uarias inter ſe lites in Iuſtitiæ ſchola exercent. Acciderat tale quid. Puer grandis, cui tunica parua erat, puerum alium paruum, cui magna erat tunica, exuit: ac ſuam quidem illi circumdedit, illius autem ipſe ueſtem induit. Iudex his CYRVS etiamnum puer datus, utriq; melius eſſe pronunciauit, ſi quiſq; tunica ſibi conueniente uteretur. At hîc eum uerberibus magiſter cecîdit, quum diceret, ita cognoſcendum eſſe, ſi quãdo de eo, quod cuiq; conueniret, iudex conſtitueretur: quum uerò iudicandum foret, utrius ſit tunica, tum nimirum ſpectandũ eſſe, quæ poſſeſſio iuſta ſit, eúmne, qui ui rem abſtulit, an qui fecit emítue, æquum ſit poſſeſſorem eſſe. Deinde ſubiiciebat, id eſſe iuſtum, quod legibus conſentaneum foret: quod autem legibus aduerſaretur, uiolentum putari debere. Quare iudicem ſecundùm legem ſentẽtiam ferre iubebat. Xenophon de Inſtit. Cyri, lib. j.

Id ATHENIENSIBVS fato datum erat, ut abuſi ingenio, ſi quid publico concilio decernendum foret, in deteriorem partem plerunq; ſtatuerẽt, ſemperq́; quod in diſcrimen adduceret, conſiliũ ſequerẽtur. Quare uerbũ Anacharſis fuit, Sapientes in concionibus ſententiam dicere apud Græcos, ſtultos uerò diiudicare. Alex. lib. 4. c. 11.

*Vrbium excidio.*

Tam crudele fuit Conſtantinopolis excidium, ut Ilij ultionẽ, diruti Byzantij calamitatem multi crediderint, Græcis Barbarorum ui pereuntibus. ROMANI quidam conſtanter aſſeuerant, ultionem apprehendiſſe Græcos, propter ea, quæ Barbaris fecerunt in Ilij deſtructione. Chalcocondylas lib. 8. Abſurditatem uerò iudicij quis non miretur? Grammatico potiùs impio, quàm Chriſtiano hiſtorico conuenientis?

*Metallifodinis.*

Fama aliquando ſparſa eſt apud uulgus ATHENIENSE, in Hymetto multa ramenta auri conſpecta eſſe, quæ formicæ pugnaces cuſtodirent. Illi uerò arreptis armis, cõtra eas excurrerunt. Cùm uerò re infecta rediiſſent, fruſtraq; afflictati, alij alios deriſerunt, dicentes, σὺ δ᾽ ᾤου χρυσοχοήσειν, hoc eſt, Tu putabas ramentis multis collectis, te aurum fuſurum, ac euaſurum diuitem. Deriderentur itaq; à Comicis. Eubulus ait: Nos aliquando Atheniẽſibus perſuaſimus, ut armis arreptis in Hymettum exirent. Suidas.

*Epiſtolis.*

Fama eſt, cùm grauiſſimæ res de Catilinæ coniuratione, quæ penè Remp. euertit, tractarentur in ſenatu, diſſentientes ſententiis M. CATONEM & Cæſarem commiſſos fuiſſe: interea paruum epiſtolium foris allatum cùm Cæſar ſubmiſsè legeret, exclamaſſe Catonem, Indignam rem eſſe, quòd ab hoſtibus Cæſar nuncios & literas acciperet. Cùm multi obſtreperent ei, atque ideo tabellas Cæſar, ut acceperat, traderet Catoni: illum lectam ſororis Seruiliæ (quæ Bruto nupta erat) laſciuam epiſtolam abieciſſe ad Cæſarem, ac dixiſſe, Cape temulente: mox ad ſententiam & orationem deintegrò fuiſſe reuerſum. Vſque adeò Seruiliæ fuit in Cæſarem peruagatus amor, ut M. Brutum Cæſar Dictator chariſſimum habuerit, quòd eum ex ſe natum arbitraretur. Plutarchus in Bruto.

*Linguis addiſcendis.*

QVIDAM quum à parentibus miſſus eſſet in Galliam, ut Gallicè diſceret, quum illic egiſſet quatriduum, querebatur apud ſuos, quòd nondum loqueretur Gallicè: putans hanc uim habere ſolum ipſum, ut quiſquis adiſſet Galliam, illicò Gallicè loqueretur. Eraſmus in Adagiis.

*Cædis cauſa.*

Raguelis ANCILLA, Saram eius filiam ſepties uiduã, & adhuc uirginem, uirorum ſuorum interfectricem auſa eſt appellare. Quos tamen Deo uolente à dæmonio præfocatos tradit Scriptura, ut illa tandem Tobiæ Deum timenti integra inuiolataq; ſeruaretur. Marul. lib. 5. c. j.

Mirum in modum ſuperſtitioſus ſcriptor PAVSANIAS penè putat C. Caligulam, ſæuiſſimum principem, necatum, quòd Cupidinem illum fama celebrem, propter quem Theſbiæ uiſebantur, ſuſtulerit (Quæ res etiam exitium attulerit Neroni, qui in ſuas ſedes illum reportatum, iterum demolitus inde ſit) Etenim deum illum mentem dediſſe ſtultiſſimo imperatori, ut Caſſium Chæream tribunum contumelia irritaret, cùm ſemper ſignum illi petenti daret obſcenum, cum ludibrio quodam & contemtu. Vnde ille tantam contumeliam ferre non potens, ultus eſt iram ſuam nece Imperatoris. Victorius lib. 18. Var. lect. c. 21.

*Vitibus.*

LYCVRGVS Thracię rex, Dryantis F. cùm multos ex uino inſanientes uideret, circumiens uites ſecuri excidit. Quod eius factum Plato 6. de Legibus improbat. Neq; enim uites



excindere debebat, cum ex uino utilitas maxima percipi queat, ſed fontes potius propius ducere, ἐμμαινόμενον θεὸν ἑτέρῳ θεῷ νήφοντι κολαζόμενον σωφρονίζειν. Plutarchus in lib. de Audiendis poetis.

*Auium garritu.*

Pſaphon deſpectiſſimus & ultimæ notæ homo, quòd uocales aues hæc uerba eloqui docuiſſet, Magnus deus Pſaphõ, apud rudes POPVLOS in deorum numerum relatus eſt. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 4.

QVO AD HOMINIS Animum. De Hominum *Moribus, Ingenio.*

*Vide Tit. Indoles non cognita.*

A. Vitellius cùm uentri eſſet deditiſſimus, à GALBA inferiorem Germaniam prouinciam adeptus eſt, contra omnium opinionem. Cogitabat enim Galba, nullos minus metuendos, quàm qui de ſolo uictu cogitant: cùm epularum largitas minimè cum ſapientia copuletur. Et quemadmodũ aliena uirtus regibus eſt formidoloſa, ita deſidia minimè metuenda. Putabant pleriq; Vitellium à T. Iunio adiutum, qui ſub Galba potentiſſimus erat, adeò ut magis cõtemtu quã gratia eſſet electus. Cæterùm opinione longè falſus eſt. Suetonius.

Solymannus, Selimo patre mortuo, imperium ſuſcepit. Videbatur mitis agnus rabido leoni ſucceſſiſſe, quòd ipſe iuuenis rerum imperitus, ac natura (ut ferebatur) quietiſſimus eſſet: quæ tamen falſa opinio multos, atque inter eos GAZELLEM Syriæ præfectũ præcipuè fefellit: qui defuncto Selimo, cui ſe iuramento deuinxerat, ueluti iam liber, Syriam ſibi ſubiicere propoſuit. Iouius in Solymanno.

*Prudentia, Aſtutia, Stultitia.*

HERODES rex Iudæorum ſtultus, demens & delirus, pro ſtolido Chriſtum à ſe dimiſit, cuius uita abſolutiſſima fuit uirtutis idea, quiq; æterni patris ſapientia dictus eſt. Sed omnium temeritas & ſtultitia mala, regum uerò peſſima: uel quia impunè peccent, uel quòd ad exemplum multo efficacior ſit, quàm priuata. Sab. lib. 4. c. 9.

Eſt ſibiipſa exitialiter oblucinata ATTICA ciuitas, à Piſiſtrato decepta. Diuerberauit ſe ille domi, ut crederetur iniuria ab inimicis affectus. Quo aſtu tenuit, ut præſidio ſeptus in publicum prodiret. Sed dum priuatæ ſaluti ſtudioſè cauet credula multitudo, publicæ oblita eſt. Vſus conceſſis armis eſt Piſiſtratus, non ut ciuis, ſed ut hoſtis: non ut ſe tegeret, ſed ut patriam affligeret: dubium, maiórne fallendi artifex, an carnifex crudelior. Sab. lib. 4. c. 9.

M. Bruti inſaniam fictã TARQVINII diiudicare non potuêre: nec prius ſapientem illum cognouêre, quàm regno ab eodem fuêre exuti.

*Fortitudine, Audacia uel Timiditate.*

*Conſule Tit. Confidentiæ nimiæ, quatenus ſuis uiribus ſuoq; robori plus quàm deceat, aliorum minus quàm deceat, tribuunt.*

SYBARITA mollis homo, cùm Lacedæmonem ueniſſet, & in publicas illas cœnas uocatus eſſet, cùm & ipſe in robore accumberet (ἐπὶ τῶν ξύλων) ut reliqui, inquit, Se antea obſtupuiſſe, audita Lacedæmoniorum fortitudine: nunc uerò cũ inſtituta ipſorum uideret, nulla re aliis meliores iudicare. nam ignauiſſimus etiam quiſq; optaret mori potius, quàm uitam illam ducere, atq; in tot malis perdurare. Athen. lib. 12 Dipnoſoph. & Plut. in Pelopida.

Quantum ROMANA ciuitas in Q. Fabio Maximo oblucinata eſt, tantum nec minus in Minutio: in hoc temeritatẽ pro fortitudine complexa, in illo prudentiã pro timiditate gratuiter auerſata. Vna tamen hora docuit, multitudinis eſſe proprium nihil ſapere, temereq́; iudicare: ut ubi conſilio opus eſt, euentum requirat. Sab. lib. 10. c. 2.

*Caſtitate, Libidine.*

*Conſule Tit. Zelotypiæ, quatenus alienæ pudori improbè diffidit. Item Tit. Aſtus amatorii.*

Quis de Lupo Senonum epiſcopo non malè opinaretur, ſi eũ præceſſoris ſui filiam uirginem, iam adultam (quam iuxta ſe educabat) tenerrimè diligere conſpexiſſet, & quanta ille ſanctitate polleret, ignoraſſet? Sed profectò neq; nota ſanctitas obſtitit, quin aliquando DOMESTICI eius ipſum nimij in puellã amoris inter ſe taxarent. Quod ipſe reſciẽs, coram omnibus euocatam oſculo excepit, dicens: Non offendunt obloquentium uerba, quem propria non inquinat conſcientia. Quoniam autem uirginis animum in Dei amore propenſum cognouerat, eam ardenter quidem, ſed corde ſincero diligebat. Nihil prauum de ipſo coniicere debuerunt, quem irreprehenſibilem totius reliquæ uitæ inſtitutio teſtabatur. Marulus lib. 5. cap. j.

QVIDAM Alexandriæ Vitali monacho de proſtibulo egredienti obuiam factus, alapam incuſſit, quòd ab eo libidinis cauſa infamem locum frequentari diceret. Et ſtatim ille à dæmonio correptus malè torqueri cœpit. Aſſiduus quippe ibi erat Vitalis, nõ libidinis cauſa, ſed ut quæ ſe libidini proſtituerant, à tam turpi uitæ propoſito reuocaret. Ad ſingulas enim penetrans, oblata pecunia noctem paciſcebatur: neq; quicquam tota ea nocte aliud quàm dolenter ingemiſcere, & Deum pro ſalute perditæ mulieris deprecari. ita alias ad Deum conuertere, alias ſaltem eo tempore, ut à ſcelere ceſſarent, compellere. Quæ res tunc clarius patuit, cùm poſt uindictæ diuinæ in percuſſorem miraculum, illæ ipſæ mulieres, apud quas aliquando pernoctauerat, palàm confiterentur: atq; idem percuſſorem ſuum miſeratus, oratione ſanitati reſtituiſſet. Ioannes Alexandrinus epiſcopus delatoribus ita fidem adhibuit, ut ſanctum uirum ne in lupanaribus quidem impudicè uerſari crederet. Idẽ, & Sabellicus libro 10. cap. 2.

Claudia & Tutia Veſtales, parum ſanctè ſuam tueri uirginitatem uulgò creditæ. Verùm ubi & hæc nauim uado remolita eſt, cinguloq; aduerſo Tyberi pertraxit, illa aquam hauſit cribro, concidit fama mendax, & quàm ſtultè multi ex pop. ROM. iudicarunt, tam dolenter & afflictim ſuę temeritatis pœnitentiam egêre. Sabel. lib. 10. c. 2.

HERODES rex Iudæorum accerſitus à M. Antonio ad dicendam cauſam de obiecto necis Ariſtobuli ſummi pontificis crimine, quem per luſum in piſcina natantem ſubmergi curauerat: commiſſa regni cura Ioſepho patruo, clàm ei mandauit, ut ſi Antonius in ſe grauius aliquid ſtatuiſſet, confeſtim Mariammẽ interficeret. Sic enim ſe affectum erga uxorem, ut etiamſi poſt ipſius mortem aliquem potiri contingat illius pulcritudine, ad ſuam id iniuriam pertinere exiſtimet. Ioſephus id Mariammis detegit, hoc ipſo ſummum Herodis amorem ipſi commẽdaturus. Quod cùm Mariamme Herodi reuerſo inter cõplexus aperuiſſet, ſuſpicatus rex id ſecretum ſtupri conſuetudine proditum, ipſum Ioſephũ ne in conſpectum quidem ſuum admiſſum interfici iuſſit. Nec multò pòſt ipſam etiã Mariammen falſis criminibus adulterij & ueneficij circumuentam interemit. Ioſephus lib. 15. capite 4. & 11. Antiq.

DEVTERA Gallorum regina, ſuſpicione falſa inducta, propriam filiam interemit, quòd eam à Theodeberto marito amari ſuſpicaretur. Fulg. lib. 5. cap. 8.

FLORENTINVS ciuis peregrè profectus, cùm poſt annum, qua die domum rediit, uxorem parturientem deprehendiſſet, quęſiuit à uicina matrona, An filius ſibi duodecim menſium naſci poſſet? At illa ſtultitia hominis conſpecta, Certè, inquit. Nam ſi mater ipſo conceptus die aſinum fortè uiderit, more aſinæ per annum integrum geſtabit uterum. Poggius in Facetiis.

*Sobrietate, Ebrietate.*

Dominus noſter Ieſus Chriſtus IVDÆORVM in iudicando malitiam arguens: Venit, inquit, Ioannes Baptiſta, neque manducans panem, neq; bibens uinum: & dicitis, Dæmonium habet. Venit filius hominis manducans & bibens: & dicitis, Ecce homo deuorator, & bibens uinum, amicus publicanorum & peccatorum. Tales ſunt, qui de omnibus malè ſentiunt, & quicquid egeris, uitio uertunt. Marul. lib. 5. c. j.

GERMANA, monaſterij Thebaidis ſoror, ſorori Euphraxiæ per hebdomadam interdum perducta ieiunia, quæ admirari debuerat, uitio dedit: auſa dicere, iis ab illa nihil aliud quàm affectari, ut cæteris præeſſet, eo quòd hoc ieiunij genus nulla antea præter abbatiſſam attentaſſet. Tantam in iudicando temeritatem abbatiſſa nequaquam impunitam dimiſiſſet, niſi Euphraxia de ſe obloquẽti protinus ueniam ſuis precibus exoraſſet. Idem.

*Cultu, Luxu.*

EPHREM eremita columnam ignis ad cœlum uſq; porrectam uiderat, audieratque talem eſſe magnum Baſilium epiſcopum: & hac uiſione illectus, Cæſaream uenerat, ut tantæ exiſtimationis hominem oculis quoq; cõſideraret. Sed cùm ſolenni Epiphaniæ die pontificali pompa in magno clericorum cœtu fulgentem conſpexiſſet, ipſum elatæ ſuperbiæ columnam eſſe cenſuit, non ignitæ charitatis. Vocẽ poſtea è cœlo delapſam audiuit, Multo plus ipſum uoluptatis capere, felem, quam in cella ſua habebat, manu demulcendo, quàm Baſilium epiſcopũ ſacris ueſtibus ſeſe ornando. Mox à Baſilio accitus, cùm eiuſmodi cogitationis errorem ſibi obiici audiuiſſet, cognouit Deum in eo eſſe, qui aliorũ arcana ei reuelaret. Proſtrauit ergo ſe, & peccatum confitens, ueniam

ueniam petiit: atq; ita iam deinde, ut erat, de ipſo definire cœpit, quantò ſcilicet exteriori apparatu elatior uideretur, tantò interius humiliorem eſſe. Marulus lib.5.c.1.

Carthuſienſis cœnobij PRÆPOSITVS Bernardo Clareuallenſi abbati, cùm ille ad ipſum uiſendum equo uectus aduenisſet, ephippij nimis elegantis uſum exprobrauit. Attamē qui Deū magis quàm equi phaleras animo uoluebat, quale ephippium illud eſſet, cui inſidens à Clareualle iter egerat, penitùs ignorabat, & ab iis, qui ſecum uenerant, Quale eſſet, quærere cepit. Idem.

DIOGENES Cynicus ad philoſophicum Platonis conuiuiū ingreſſus, aulæa & periſtromata Mileſia in terram deiecta pedibus conculcans, Calco, inquit, Platonis faſtum. Tum ille, Calcas, reſpondit, ſed faſtu maiore. Laertius, & Plut.

*Pietate, Cultu Dei.*

Annam Helcanæ coniugem Domino in Silo ardentiùs deuotiusq; ſupplicantem, cùm conſideraſſet HELI ſacerdos, temulentam putauit: Vſq; quò ebria eris, inquit, digere pauliſper uinum, quo mades. At ipſa à Domino exaudita, ſterilitatis opprobrium fœcunditate deleuit. Marulus lib.5.c.1.

MICHOL uxor Dauidis, cùm regem Ephod lineo accinctū, & præ gaudio ſubſilientem coram arca Domini uidiſſet, deſpexit atq; contempſit: leuitati adſcribens, quod humilitatis erat, & magnæ in Deum pietatis. Ille ergo quantū ſe humiliauerat, tantum gloriæ adeptus eſt. Ipſa uerò perpetuæ ſterilitatis contumeliam tulit, ut ſe eius coniugio indignā cognoſceret, quem ſcurris comparandum exiſtimauit. Idem.

*Idololatria, Superſtitione.*

Rubenitæ, Gadini & dimidia tribus Manaſſis, cùm ſubacta iā terra ſancta cis Iordanem, à Ioſua domum dimitterētur in Galaatidem trans Iordanem (eam namq; terræ portionem ex Iouæ mandato à Moſe obtinuerant) poſteaquam ad ripam Iordanis, quæ eſt in Chananæa, peruenerunt, illic ingenti mole aram extruxerunt. Quod ubi reliqui ISRAELITÆ intellexerunt, rati eos ſacrificiorū cauſa eam aram extruxiſſe, contra Domini præceptum, Silunte conuenerunt, ut expeditione contra eos ſuſcepta, propter idololatriam eos excinderent. Præmiſere tamen legatos, Phineem Eleazari pontificis F. ſacerdotem, cum decem principibus ſingularum tribuum. Quibus cùm cauſam aræ erectæ Transiordanini expoſuiſſent, non ſacrificij, ſed memoriæ æternæ cauſa extructam, ne Ciſiordanini illis aliquando obiicerēt, nihil illis commercij eſſe cum religione Iſraelitarū: acquieuerunt huic reſponſo Iſraelitæ, & à bello inferendo abſtinuerunt. Itaque eam aram uocarunt Rubenitæ Ed, id eſt, Teſtem, quòd ea teſtis eſſet inter ipſos & Dominum. Ioſua capite uigeſimoſecundo.

CAMBYSES rex Perſarum, cùm contra Aethiopes Macrobios exercitu ducto, magnam partem militum inedia amiſiſſet, & Memphim reuerſus, omnes Aegyptios feſtum diem agere propter Apis apparitionem uidiſſet: ratus id in ſuam fieri contumeliam, quaſi inſultarēt ei ob rem malè geſtam, ſacerdotes flagellari, Aegyptios feriantes interfici curauit, ipſe gladio Apim lethaliter uulnerauit. Herod.lib.3.

*Hæreſi.*

Ioannes Huſſus Boemus, ob hæreſeos crimen iiſdem iudicib. & accuſatoribus in Conſtantienſi cōcilio ad flammas condemnatus, cùm RVSTICVM miſellum, faſcem lignorum magna contentione & ſtudio rogo iniicientem uideret, in hæc uerba prorupit, O ſancta ſimplicitas. Srumpſius.

*Perfidia.*

*Exempla plurima petantur ex Tit. Suſpectos ſibiinuicem reddere hoſtes: quatenus ſuſpicione iniecta decepti hoſtes ſuis diffidunt.*

HANNIBAL à Petilia Africam claſſe repetens, freto appulſus, dum tam paruo ſpacio Italiam Siciliamq; inter ſe diuiſas non credidit, ueluti inſidioſum curſus rectorem interemit. Poſteà diligentiùs inſpecta ueritate, tunc abſoluit, cùm eius innocentiæ nihil ultra ſepulcri honorem dari potuit. Igitur anguſti atq; æſtuoſi maris ex alto tumulo ſpectatrix ſtatua, tam memoriæ Pelori, quàm Punicæ temeritatis, ultra citraque nauigantium oculis collocata indicium eſt. Valerius lib.9.cap.8.

Ioannes Damaſcenus Hebræus, captus in litore maris à piratis Saracenis, & à THEODOSIO Imp. redemtus: cùm in ſuſpicionem proditionis ueniſſet, dextra ei ablata eſt. (receptus enim erat in epiſtolarum magiſtrum à Theodoſio) Verùm poſtquam deprehenſus fuit, qui literas proditorias ſtylo Damaſceni probè expreſſerat, in honore apud Imperatorem fuit. Volat.lib.16. Anthrop.

## Corpus. De

*Forma.*

PARIS Priami F. iudex formæ inter tres deas, Mineruam, Iunonem & Venerem, à Ioue conſtitutus, pomum aureū Veneri dedit, Helenæ formoſiſſimæ connubio pellectus. Quæ priuata ſeu ſtultitia ſeu iniuſtitia Troiano excidio anſam dedit. Sic Euripides in Hecuba:

*ἐκρίθη δ' ἔρις, ἂν ἐν Ἴδᾳ*
*κρίνει τρισσὰς μακάρων*
*παῖδας ἀνὴρ βούτας*
*ἐπὶ δορὶ καὶ φόνῳ καὶ ἐμῶν*
*μελάθρων λώβᾳ.*

*Exercitatione.*

VETTONES Hiſpaniæ pop. barbari, cùm primùm Romanorum caſtra intuentes, quoſdam centuriones deambulationis cauſa in uia progredientes reflecti cernerēt, inſanire homines ſuſpicati ſunt. Itaq; eis uiam ad tabernacula commonſtrabant, quaſi ſemper aut quieſcere aut pugnare neceſſarium arbitrarentur. Strabo lib.3.

INDI occidentales, ubi ſaltantes conſpexere Hiſpanos, attoniti eos tanquam furioſos inſpexere: multoq; ampliùs eos tam citò ad ſeſe redire ſunt mirati. P. Cieza.

## Fortunas. De

*Felicitate, Calamitate.*

CHVSSÆI ſimplicem illum & rectum, Deoq; probatum uirum Iobum, eo quòd calamitatibus opertus fuerat, iudicarunt iniuſtum. Ipſi Dominus inter aduerſa patientiæ meritum exaggerat, ſed falſi rerum exiſtimatores, non habentes in quo eum manifeſtò arguant, occulti criminis reum putant, quia in miſeriis uident. Marul.lib.5.c.1.

*Opulentia, Diuitiis.*

M. CRASSVS neminem cēſebat uel prædicabat diuitem, qui ſuis fructibus exercitum alere non poſſet. Atqui bellum, ut ait Archidamus, certum modum non habet pabuli. Itaque opes ad bellum definiri nequeunt. Sed diues ille, cui in ſuo uitæ genere neceſſaria ſuppetunt. Plut. in Craſſo.

*Dignitate ordinum.*

Sigiſmūdus Imp. dū cōcilio Baſilienſi præeſſet, habuit in aula ſua iureconſultum GEORGIVM Fiſcellinum, quem paulò antè ad ordinem equeſtrem prouexerat. Is cæteris, ut in conſilio fit, in partes deliberandi gratia per ordinem diſcedentibus, dubitabat, an ad doctores, an ad equites trāſiret. & tandē ad equites ſe contulit. Quod intuens Sigiſmūdus: Nę tu, inquit, Georgi, nimis ridiculus es, qui militiam literis anteponis, cùm ſcias, ex idiotis me uel ſexcētos uno die equites creare poſſe: at ex eodem genere, ne unum quidem per totam uitam meam doctorem. Dubrauius lib.25. & Aeneas Syluius lib.4. Com. in Res geſtas Alfonſi.

*Fama nominis.*

M. TVLLIVS Cicerò, cùm Romæ multos adoleſcentes nobiles, quòd ſe contra diſciplinam militarem geſſiſſent accuſatos, egregiè defendiſſet: elatus eo, è Sicilia Romam contendens, in Campania incidit in quendam ex primoribus, qui cum ſibi exiſtimabat intercedere gratiam: Quiq; ſermo eſſet inter ciues de rebus ſuis geſtis, & quid ſentirent? quærit. reſpondente illo: Tu uerò, Cicero, ubi hoc ſpacio fuiſti? Animo planè concidit, quòd mentio ſui in urbem tanquam in uaſtum incidens pelagus, nihilo ſe ad gloriam reddidiſſet conſpectiorem. Auebat enim ſupra modum celebrari, tenebatq; eum perpetuò cupiditas immenſæ gloriæ: quæ multa eius præclara conſilia frequenter interpellauit. Plutarchus in Cicerone.

*Amicitia.*

Cn. Pompeius, cùm in tractāda Rep. M. CATONEM ſibi aduerſum fore uideret: neptes eius ſibi & filio in matrimoniū dari petiit, quo mitigaret Catonis animū. Verùm Cato ſimpliciter hanc familiaritatem repudiauit, timens, ne ſi cōglutinatus cum Pompeio fuiſſet propinquitate, etiam in ambitionis ſuſpicionem ueniret, eaq; aſpergeretur. Sed ex euentu apparet in totum erraſſe Catonem, qui affinitatem hanc non inierit, ſed permiſerit illum deuolui ad Cæſarē, & conciliare nuptias, quæ Pompeij & Cæſaris opes in unum contrahentes penè euerterunt Romanum imperium, Rempub. certè extinxere: quorū fortaſſe accidiſſet nihil, niſi leuia ueritus Pompeij offenſa Cato, in maximis conniuiſſet, ut adiungeret ſe aliorum potentię. Plut. in Catone, & Pompeio.

## RESPECTV PERSONARVM. IVDICIVM STVLTVM DE

*Deo.*

SIMON Phariſæus, apud quem Ieſus O. M. diſcubuerat, eū non eſſe prophetam, inde ſuſpicabatur, quòd ſe à peccatrice muliere tangi permitteret. At miſericors Dominus ſecretas eius cogitationes in medium proferens, mulieri peccata palàm dimiſit, ut ſe nō ſolùm prophetam, ſed etiam Deū eſſe probaret.

Diis.



*Diis.*

Alexandro Magno Tyrum obſidente, quidam uiſum huiuſmodi ſibi apparuiſſe narrauit, tāquam Apollo dixiſſet, Tyriam urbem ſibi deſerendam eſſe. Id ipſum cùm ab eo homine in Alexandri gratiam confictū fuiſſe plebs ſuſpicaretur, iamq; lapidibus eum impetere iuniores quidam uellent: à magiſtratibus ſubtractus ille è medio, in Herculis templum confugit. Sed nihilo magis TYRII eius rei ſuperſtitiōe ſe exoluerunt, qui catenas aureas Apollinis ſigno iniecerunt: ita impeditum non ampliùs ex urbe poſſe eum demigrare cenſentes. Capta urbe, Apollini catenas aureas & compedes à Tyriis iniectas Alexander detraxit, atq; Philalexandrum appellari iuſſit. Herculi magnificentiſſimum ſacrificium peregit. Diod.lib.17. At Plut. in Alex. catenas ſtatuæ iniectas, & clauis baſi affixam fuiſſe, & per contumeliā Alexandri fautorem appellatam affirmat.

Decius Mundus adoleſcens Rom. PAVLINÆ matronę honeſtiſſimæ amore captus, per anum quandam ſacerdotes Iſidis corrupit, ut mulieri perſuaderet, deum Anubim forma eius captum, eā ad cœnā & amplexum appellare. Paulina, cùm ea de re multos ſermones cum marito habuiſſet, ab eo impetrauit læta, ut in templo Iſidis una nocte obdormiret. Venienti in templum paratur lectus à ſacerdote. Superuenit Decius. res deniq; ita cōparatur, ut Paulina ſeſe crederet à deo cōplexam: atq; id non celabat uel maritū, uel alias ſibi notas atq; familiares uicinorū matronas. Tenebat omnes ſumma admiratio: ſolaq; fidem faciebat eximia, probata & experta Paulinæ pudicitia: donec triduo pòſt Mundus inſultans mulieri, fucum factum obiiceret. Ioſephus Antiq. libro decimooctauo, capite 4.

Alexandriæ ſacerdos Saturni, Tyrannus nomine, quaſi ex reſponſo numinis, adorantibus in templo, nobilibus quibúſque & primariis uiris dicebat, Saturnum præcepiſſe, ut uxor huius uel illius pernoctaret in templo. Tum is qui audierat, gaudens quòd uxor ſua dignatione numinis uocaretur, exornatam & donariis onuſtam coniugem mittebat ad templum. Tyrannus clauſis ianuis & traditis clauibus, diſcedebat: mox per occultos meatus intra Saturni ſimulacrū irrepebat. Per hoc alloquebatur uariis modis mulierem ſupplicantem, & arte quadam repētè extinctis luminib. deſcendens, conſternatam muliercuIam comprimebat. Euſebius lib.11. capite 25. hiſt. Eccleſ.

*Populis.*

M. CATO ad filium ſic ſcribit: Dicam de iſtis Græcis ſuo loco, Marce fili, quid Athenis exquiſitum habeam, & quòd bonum ſit eorum literas inſpicere, non perdiſcere. Vincam nequiſſimum & indocile genus illorum, & hoc puta uatem dixiſſe: Quandocunque iſta gens ſuas literas dabit, omnia corrumpet. Tunc etiam magis, ſi medicos ſuos huc mittet. Cæterùm uanum hoc ipſius præſagium fuiſſe, euentus docuit. Nam tunc primùm Roma ad rerum culmen euaſit, cùm omni ſe Græcæ eruditioni dediſſet. Plutarchus in Catone, & Plin.lib.29.cap.1.

*Principibus.*

AGRIPPINA Neronem filiū deterruit à ſtudio philoſophię, quòd exiſtimaretur inutile geſturo principatū. Suetonius.

GOTHORVM fuit inſtitutum, ne literis imbuerentur reges, quòd illæ longo ab fortitudine interuallo abeſſent, ac magnanimitate: quin item effeminari potius animos, remollitoſque ad timiditatem dilabi. Cælius lib.8.cap.1. A. L. Eapropter Amalaſuentam reginam ſuam, Theoderici regis Italiæ F. feminam doctiſſimam, impensè oderant, quòd Atalaricum F. ſtudiis literarum effeminaret.

Mortuo Henrico VI. Imp. principum Germanorum alij Othonem IV. alij Philippum elegere. Otho in Pictauia militabat Ioanni regi Anglorum, auūculo ſuo. Euocatus per legatos Coloniā deducebatur. Tum PHILIPPVS Auguſtus Francorū rex fertur irriſiſſe tranſeūtem, & dixiſſe, Si mihi det deſignatus iſte ſuum quo uehitur gradarium, ego illi poſtquā regno potitus erit, tres ciuitates in Francia dabo, Pariſios, Stampes, Aurelios. Qui ſermo quum ad Othonē perueniſſet, regi miſit equū optimū, ceu arrhabonem promiſſi. Multis utrinq; præliis uaria fortuna geſtis, tandem cæſus Bambergæ per Othonem Vitliſpachium Philippus, Otho ſolus rerum potitus eſt. Cranzius lib.15. & 29.

Edixerat Henricus Leo, Saxoniæ dux, prouincialem in Ertenebòrg conuentum Vandalis, & uerba fecerat ad regulos ſuper Chriſtianiſmo ſuſcipiendo. Ad quem NICLOTVS regulus Obotritorū ait, Sit Deus (quē nos quoq; in cœlis regnare credimus) deus tuus: tu uerò eſto deus noſter, & ſufficit nobis. Cole tu illū quem uoles religioſiſſimè: nos te uenerabimur. Arridens corripuit eū dux de uerbo ſtultitiæ pleno. Etſi hoc uidebatur etiā Niclotus uelle, immanitatē tributorum relaxandam eſſe: iis relaxatis, facilè religioni ceruices ſubmiſſuros Vandalos. Cranz. lib.4. Vand. cap.24. & 25.

BAIAZETES Turcicus Imp. dicebat, Ferdinandum Hiſpanię regem, qui Chriſtianorum prudentiſſimus haberetur, minimè ſibi ſapientem poſſe exiſtimari, quòd Iudæos Chriſtianiſmū amplecti recuſantes, ſuis regnis expuliſſet, quos ipſe in Græcia cupidiſſimè reciperet: quando una hominum frequentia diteſcere amplificariq; regna uiderentur. Nec multum ad Rempub. referre, ſi coloni inter ſe religionib. diſſentirent, modò quiſq; ad commune æquiſſimi iuris honeſtiq; moris officium tuendum, colendamq; iuſtitiam ſummi Dei rerum omnium opificis numen adoraret: qua una in re ipſi Mahometani cum Iudæis & Chriſtianis præclarè conſentire crederentur. Iouius in Conſaluo.

*Piis hominibus.*

IVDAS Iſcariothes unguentum quo perfunditur Dominus, perditionem uocat. Vt quid perditio hæc facta eſt? inquit. Poterat unguentum iſtud uenundari plus quàm trecentis denariis, & dari pauperibus. Marulus lib.5.cap.1.

MELITENSES pendentē uidentes de manu Pauli ad ignem aſtantis uiperā, ſceleſtū hominē eſſe iudicarunt, quē ex mari ſeruatū fata uiuere non ſinerent. At cùm is excuſſa in ignē beſtia nihil mali paſſus eſſet, mutati protinus, Deum eſſe dicebant. Actor.28.

MACHETES abbas in Aegypto (ſicut à Ioanne Caſſiano traditū eſt) fratres incuſare ſolebat, quòd uuam in faucibus tumentem tolerare non poſſent, ſed præciderent: quòd in cellulis ſagum haberent: quòd ſecularibus hominibus oleum pro medicamento conſecrarent. Duo prima ad impatientiam referebat doloris & paupertatis: tertium quandam arrogantiā, uirtutiſq; oſtentationem præ ſe ferre, aiebat. At uerò quod in aliis reprehenderat, mox ipſe egit inuitus. Nam in morbū uuæ incidēs, præ dolore eam præcīdi non ſolùm paſſus eſt, ſed rogauit. Deinde corpore ex ualetudine frigeſcēte ſagū admiſit. Poſtremò ſecularium hominum moleſtiis uictus, oleum benedixit. Et confeſſus eſt, ſuopte iam exemplo ſe didiciſſe, monachum in quo alios labi iudicauerit, ipſum in eo lapſurum uel nolentem. Veram enim eſſe Domini ſententiam, dicentis: In quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini. Nā ſi noſmetipſos (ut Apoſtolus inquit) iudicaremus, non utiq; iudicaremur. Marul.lib.5.cap.1.

Per Fortunatū Tudertinæ ciuitatis epiſcopum dæmon ab homine expulſus, peregrini formā aſſumſit, & cū clamore incedens paſſim queri cepit, quòd Fortunatus epiſcopus (qui ab omnibus hoſpitalis ac pius exiſtimatur) ſe ab hoſpitio ſuo cum iniuria exturbaſſet. Hunc QVIDAM, malignis rumoribus nimis credulus, ac ſimul ut ſe munificentiorem epiſcopo oſtenderet, domi ſuæ accepit. Sed dum unà cum illo ad ignem ſedens (frigus enim erat) Fortunato licentiùs detraxiſſet, animaduertit confeſſorem ſuum nuſquā cōparere, & filium paruulū uertiginoſo uolutatu in prunas præcipitari uidit. Marulus lib.5.cap.1.

[redacted]

Apud MAHVMETANOS ſecta eſt eorū, qui Elauted, hoc eſt Trunci appellantur: & uiliſſimo habitu Africā circumeunt, ſtellas unū deum eſſe aſſerentes, & nullam legē, neq; fidem erroneā: cuiq; enim adorare licere, quod ſibi uideatur. Horum unū in foro Alcairi ſe palàm cū primaria femina è balneo egreſſa congredi uidiſſe Ioannes Leo lib.3.c.43. Africæ affirmat: omnes mox accurriſſe, & ueſtes mulieris tanquam ſacroſanctas manibus tetigiſſe. Maritum, cognito facinore, deum benedixiſſe, ſolenniq; conuiuio & eleemoſynis gaudium ſuum teſtatū, qui dignus habitus eſſet, cuius uxorem propheta ſimulato concubitu diuinis repleret chariſmatis.

*Legatis.*

Ammonitarū rex HANON, Dauidis regis legatis ad ſe de obitu patris ſui conſolandum miſſis: obiecto quòd terram ſuam exploratum ueniſſent, partem barbæ abradi fecit, ueſteſque ad nates uſq; ſuccidi, & hac ignominia affectos abire iuſſit. Peruerſa hac de amico ſuſpicione in ſuam abreptus perniciē, pro barbis raſis capitis diadema amiſit: pro ſucciſis ueſtibus, regnū. Marul.lib.5.c.1. & Sab. lib.10.c.2. ex 2.Sam.c.10.

*Philoſophis.*

Epicuri libro, cuius index erat, *περὶ κριτηρίου, ἢ κανών*, cuius Laertius quoq; meminit, cùm plurimū tribuerent EPICVREI, atq; eum inprimis ſuſpicerent: non humano ingenio, ſed diuino confectum, ac de cœlo delapſum oſtendere ipſum uolentes, *διοπετῆ* appellabant. Cicero in 1.lib. de Nat. deor. cœleſtem dixit. At Epicureorū aduerſarij contemnebant eos, qui tantoperè admirarentur id opus, tamq; grandi nomine appellarent, ut Plut. in com. aduerſus Coloten Epicureum. Victorius lib.19. Var. Lect. cap.16.

*Mendicis.*

D. Franciſcus dū iter ageret, incidit in hominē, cuius ueſtimenta diutino uſu detrita, uix pudenda corporis operuerant: & nuditatem eius dolens ſubſtitit, ſuſpirauit, ingemuit. FRATER uerò qui illum comitabatur: Quid, inquit, ita triſtaris,

 pater?

pater? etſi hic indumentis eget, forſan abundat cõcupiſcentiis. Tūc Frāciſcus iuſſit protinus, ut ille ſua ſe tunica exuẽs, pauperẽ tegeret: & quia de ipſo perperā opinatus fuerat, ab eodẽ ueniam rogaret: ac tandem diſceret, nefas eſſe, miſerorum mores ſuggillare, indigentiā negligere. Marul. lib. 1. c. 2.

*Infantibus.*

HENRICVS Goritiæ Comes, muliere corruptior, filios impuberes noctu uinum reſpuentes, ſpurios eſſe ſuſpicatus eſt. Aeneas Syluius de Europa, cap. 20.

*Cadauere.*

Non longè à Turonibus urbe Gallica, ſacellū erat, cuidā cadaueri dicatū. Cuius quanquā ignoraretur nomen, tamen uulgò homines Martyrem appellabant. Illic uota HOMINES ſuſcipiebant, atq; perſoluebant. Martinus Turonenſium epiſcopus ad ſacellum cum paucis profectus, orare Deum enixè cepit, ut ueritas detegeretur. Clarè ab omnibus audita uox fuit, affirmantis ipſum, qui eo in loco coleretur, latronem fuiſſe, qui propter grauia ſcelera ſuſpēſus fuerat. Quābrem ex eo ſacello corpus erutum fuit, propoſito poſteris eius dicti exemplo, quod apud Auguſtinum legitur, Multorum in terris corpora honorari, animas in inferno cruciari. Fulgoſus & Egnat. lib. 9. cap. 9.

## IVDICIA BELLICA STVLTA. | STVLTITIA IN IVDICANDO BELLICA.

*Qui Stratagematum locos euoluet, ſexcenta huius generis exempla reperiat. Stratagemate uti, prudentis eſt Imperatoris: eodem uinci, ſtulti, & aliter quàm deberet de hoſtium conatu iudicantis. Iphicrates certè, interrogatus, Cur abſente hoſte caſtra uallo cingeret? Turpiſsimam in Imperatore uocem eſſe, reſpondit, Non putaram: eoq; magis, quoniā in bello bis peccare non liceret. Qui uolet, locos illos percurrere poterit, ne eadem ſæpè repetere cogamur. Reliqui Exemplorum ſcriptores Titulum habent, Error in bello quantum poſsit, qui idem'eſt planè cum præſenti.*

### DE REBVS SVIS, ET SVORVM, Ducis, Militum, Sociorum, Auxiliariorum. Vtputa de

### VICTORIA ADIPISCENDA. CONFIDENTIA uictoriæ nimia.

*Conſule Tit. Confidentia uictoriæ. Illic Perturbatio, hic Rationis perturbatæ ratio habetur.*

PERSÆ Athenienſium opes contemnentes, cùm in Marathonem irrumperent, Parium marmor, ac ſi hoſtem iam uiciſſent, trophæi erigendi cauſa, Rhamnuntem uſque deportandum curarant. Cæterùm Nemeſeos ira, afflictis ad Marathonem Perſis, Phidias ex eo marmore Nemeſis ſignum fecit. Pauſanias in Atticis.

Heruli Italia pulſi ab Oſtrogothis, rege eorum Odoacre cum optimatibus Rauennę cæſo, in Pannonias reuerſi, antiquas ſedes repetiuere. Quas etſi Longobardi occuparant, remanſit tamen in latiſſima prouincia locus, qui reliquias caperet Herulorum. Venerat RODVLPHI Herulorum regis germanus negotij cauſa ad Tantonem regem Longobardorum, & ab illo perbenignè acceptus erat. Quum peracto negotio iam redire conſtituiſſet: à proceribus Longobardis deductus, iter agebat, quâ regis filia demorabatur. Procax puella, quum uideret peregrinum hominem honoris gratia à ſuis deduci proceribus, miſit ex ſuis, qui illum ad colloquium dominæ inuitaret. Ille non grauatus uenit. Salute accepta ac reddita, quum ſtaturam hominis puſillam inter ſuos petulans puella contemneret, & ille ferociùs militariterque neſcio quid reſponderet: orta (ut fit) rixa, à multis opprimitur. Herulorum rex, gentis ſuæ robur & exercitationem in armis ſciens, miſſis ducibus ſuis, copias illis commiſit: ipſe alea ludebat. Hominem in ſpecula conſtituit, qui pugnæ exitum & uictoriam renunciaret: capitis periculum denuncians, ſi fugientes Herulos ſignificaret. tam ſibi certus uidebatur de ſuorum uictoria. Sed congreſſi Heruli uincuntur. Speculator exclamat, Væ tibi infelix Herulia. Rex audiens, Quid eſt? inquit. fugiunt Heruli? At ille, Non hoc ego, ſed tu dixiſti, rex. Secuti Longobardi uictores, regem oppreſſere, & gentem ad internecionem cæcidere. Tanto uexillum & galeam Rodulfi deinceps ſemper in prælio ſibi præferri curauit. Cranzius lib. 3. Daniæ, cap. 2.

LITTORIVS Valentiniani III. dux, in ſpem Gothorum ex Gallia pellendorum erectus, exercitum ad urbem eorum Toloſam adduxit: tantumque Theoderico regi metum expugnationis iniecit, ut pacem ſupplex per epiſcopos poſtularit. Qua præ fiducia uirium denegata, ſummo illum prælio prouocauit, ſperans, ſe pulſis eo certamine hoſtibus urbe nullo negotio potiturum. Rapiebatur autem partim æmulatione gloriæ Aetij (nam cùm ſecundas ab illo partes teneret, rerum illum magnitudine uincere contendebat) partim etiam inſita quadam animi temeritate, quia aruſpicum reſponſis, & dæmonum ſignificationibus, non Dei ope fidebat. Itaq; pugna cupidè magis quàm prudenter commiſſa, infelicem exitum habuit: ſiquidem magna parte ſuorum amiſſa, ipſe etiam in poteſtatem hoſtis conceſſit: ac captiuus & uinctus in eam urbem ductus eſt, in quam ſe uictorem & triumphantem initurū ſperarat. Hoſtium tamen haud incruenta uictoria fuit, ut niſi captus dux fuiſſet, dubitandum fuerit, ab utra parte ſtatuta uictoria fuerit. Hanc cladem, ducis ac Romanorum ſuperbia Deum immiſiſſe contendit Saluianus Maſſilienſis per hoc tempus epiſcopus. Sigonius lib. 12. Imp. occid.

VITIGES Gothorū rex an. 537. cum uniuerſo exercitu equitū, peditumq; centum quinquaginta millibus iter Romam intendit, tāta urbis potiundę fiducia, ut obuios rogaret, Num Beliſarium Romæ deprehenſurus eſſet? neq; enim illum ſe expectaturum putabat. Cæterùm fruſtrà in annū integrum ducta obſidione, maiorib. acceptis quàm illatis cladibus, in timorem Rauennæ amittendæ adductus: caſtris omnib. (ſena enim fecerat) incenſis, abiit. Sigonius lib. 18. Imp. occid.

Contra Othonem I. Cæſarem conſpirauerant Henricus frater, Giſelbertus Lotharingiæ dux, ſororius, & EVERHARDVS Comes, Conradi I. Cæſaris frater. Vnuſquiſque horum ad regnum aſpirabat. Euerhardus cùm uxorem in gremio haberet, Gaude nūc, inquit, in ſinu comitis: mox gauiſura in complexu regis. Cæterùm non procul à Briſaco, ab Othonianis in taberna, dum corpus curat, interfectus eſt. Cranzius lib. 3. Saxoniæ, cap. 19.

Cùm Parmam urbem FRIDERICVS II. maximo exercitu obſideret, caſtra foſſa ualloque munitiſſima, in urbem ædificare conſtituit, ut Parma funditùs diruta, hæc in eius locum ſuccederet: nomenque nouæ urbi Victoriæ indidit, & tutelarem ſanctum martyrem Victorem in baſilica cathedrali conſtituit, Victorinoſque in ea urbe numos cudit. Geſtum eſt poſtea per duos fermè annos bellū atrox uariúmque, & Lombardiæ ac omnium Italiæ pernicioſiſſimum, omnibus, quos per Italiam partium Gibellinæ & Guelphæ labes infecerat, auxilia non magis militum quàm pecuniarum, contribuentibus. Et fuit urbs Victoria uario gentium & rerum inuſitatarum commercio ac multitudine frequentata, quòd per ſingulos ferè dies ex Africa, Aſia, Aegypto homines confluerent. Cæterùm cùm ſecuri urbem paulo pòſt fame dedendā obſideret Imp. ab obſeſſis ex improuiſo erumpentibus capta urbs, ſolo adæquata eſt. Imp. uix effugiens, ſupellectilem precioſiſs. amiſit. Cranzius libro octauo Saxoniæ, cap. 13. & 14.

Carolo IV. imperante, magna manus nobilium cum Bremenſibus cæſa eſt à Ruſtringis Friſonibus in Blexen. Mauricius adminiſtrator Bremenſis, Gerardus, Chriſtianus, Conradus, Comites de Aldenburg, cum ſeptingentis armatis ibi ceciderūt. Capitaneus terræ Blexen, pollicebatur ſe terram hoſtilem in eorum poteſtatem daturū, ſi modò ditioni ſuæ parceretur. At renuerunt NOBILES: & licèt in itinere auxilia plurima illis aduentarent, expectare noluerunt. Diuiſæ erant copiæ, medio flumine interfluente, ideò faciliùs oppreſſi fuere. Vix euaſit unus, qui factum nunciaret. Auro inſtructi erant nobiles illi, cùm precioſa quæque ex præda coëmere conſtituiſſent à gregariis militibus. Cranzius lib. 10. cap. 26. Metrop.

Hubba & Hungar, Gadani Danorum regis fratres, in Scotiam cum claſſe profecti erant, Pictorum excidium ulturi. SCOTI, Conſtantini regis auſpiciis, Hubban à fratre ſeiunctum prælio ſuperauerant. Eo ſucceſſu elati, duos inſequutos dies choreis & tripudiis conſumſerunt, tanta inſolentia, ut inter ſe palàm de præda diuidenda contenderent, ſortibuſque diſquirerent, An Danorum duces extemplò poſt partam uictoriam forent necandi, an uiui reſeruandi ad ludibrium? Super his tanta fuit controuerſia, aliis alia aſſerentibus, ut iuniores cum maioribus natu ad grauiſſimas contumelias deſcenderint: his ætatis prærogatiuam oſtentantibus, illis iactantibus labores & pericula in prçlio ſubeunda. De captiuis quinetiam, de pecunia, armis hoſtiū, exuuiiſque diuidundis, multi ac uarij ſermones habiti: at de inſtruenda acie, de hoſte ſuperando prorſus nulli. Prçlio iterum commiſſo, Hungar magna ſtrage Scotos uicit, Conſtantinum captum ſecuri percuſſit. H. Boëth. lib. 10.

EDVARDVS II. Anglorum rex, exercitu CCC M. triginta Scotorum millia, Roberto Bruſio duce, ad fl. Bannaſborn aggreſſurus, uictoriæ ſpe tumidus, cum proceribus conſultare cepit, quo ſupplicij genere Robertū eſſet affecturus: ſed & Carmelitanum monachum maximo ſtipendio conduxit, qui uictoriam Anglorum & Scotiæ excidium decantaret. Victus ingēti ſtrage, uix ſcapha effugit. Monachus cùm in manus uiuus ueniſſet, iuſſu Roberti, ſtylo conuerſo, Scotorum uictoriam carmine poſteritati prodidit, barbaro quidem illo, ſed illi ſeculo haudquaquam contemnendo. H. Boëthius lib. 14.



### ROBORE SVORVM.

XERXES à CCC Lacedæmoniis ad Thermopylas uexatus, cùm uix eos confeciſſet, hoc ſe deceptum aiebat, quòd multos quidem homines haberet, uiros autem diſciplinæ tenaces nullos. Front. lib. 4. cap. 2.

### PERFIDIA SVORVM.

Adelberto Eporediæ Marchione mortuo, duobus filiis Berengario & Anſcario relictis, Ermengarda ſecunda uxor, Adelberti Tuſciæ Marchionis & Bertæ filia, cùm mariti ditionem uidua adminiſtraret: fauore principum Italicorum muliebribus illecebris ſibi conciliato, tantas opes quæſiuerat, ut etiam RODVLFO Burgundo, Italiæ regnum eripere cogitarit. Neque cogitationem euentus fefellit. Siquidem anno 925. Papiam, firma cõtracta militum manu, quippe Hungarorum bello attritam, adorta occupauit. Ea re permotus Rodulfus Verona ſtatim accurrit, atque Lamberto archiepiſcopo adiuuante exercitum ad Papiam ex manibus hoſtium recuperandam adduxit, ac caſtra quinque millibus paſſuum ab urbe ad Padi & Ticini confluentem locauit. Dum urbs lenta obſidione urgetur, Ermengarda regem nuncio per fluuium miſſo admonuit, ſe, ſi perdere eum uoluiſſet, iampridem potuiſſe: in iis enim eum locis ſedere, in quibus captus iampridem eſſet, ſi amicorum eius conſiliis paruiſſet, qui eum deſerere & ad ſe tranſire diſcuperent. His Rodulfus uerbis exterritus, remiſſo nuncio gratias egit, & ſe acturum quod illa uellet oſtendit: ac concubia nocte, imprudentibus ſuis omnibus, lecto ſtrato in tentorio relicto, parato lintre ad eam ſe deuehi iuſſit. Prima luce principes, ut ſoliti erant, ad regis tabernaculum conuenerunt, quod magno ſilentio à militibus ſeruabatur: & cùm aliquantulum expectaſſent, mirati, quòd illa hora ſomnum caperet, conſultò ſtrepitum ad eum excitandū ediderunt. cumq; ne ita quidem quidquam proficerent, ipſum tentorium inierunt, & nemine ibi reperto, raptum alij, alij occiſum exiſtimarunt. Dum autem incerti ſententiæ fluctuant, allatus eſt nuncius, Rodulfum apud hoſtes uerſari, ac repentinam in ſuos impreſſionem moliri. Qua re perculſi principes, extemplò ſe inde proripuerunt, ac Mediolanum, ut tutum in locum ſe contulerunt, & Hugonem comitem Arelatenſem ad occupandam Italiam inuitarunt. Sigonius lib. 6. regni Italici.

### FVGA SVORVM.

BELISARIVS, ſubſidio Romanis à Torila obſeſſis ueniens, pontem Tiberi impoſitum à Gothis reſciderat. Ponte inflammato, iam aditus in urbem erat patefactus, cùm rumor ad Portus oppidum perfertur, Beliſarium Gothos ſuperaſſe, & cathenam in flumine recidiſſe, & pontem cum turri ſuccendiſſe. Quo permotus Iſaaces, ne tantæ expers uictoriæ eſſet, ſpreto Beliſarij imperio (qui eum illic conſiſtere iuſſerat, ut haberet quo ab hoſtibus fortè preſſus refugeret) in alteram ripam cum equitibus centum traiecit, & ad hoſtium caſtra profectus, Rodericum ducem & Gothos repentè adortus, ſic exterruit, ut caſtra relinquerent. Qui mox animo collecto reuerſi, Romanos prædæ colligendæ intentos inuaſerunt, ac pluribus cæſis, Iſaacem cum paucis uiuum ceperunt. Hac re audita Beliſarius confuſus, ac Portum unà cum uxore Antonina in poteſtatem ueniſſe hoſtium credens, tanto dolore affectus eſt, ut ne hiſcere quidem poſſet. Itaque exercitum protinus reduxit, atque ad Portum ire contendit, ut hoſtes imparatos opprimeret, & locum recuperaret, quem amiſſum putarat. Vbi uerò ſe opinione deceptum tantam uictoriæ amiſiſſe occaſionem cognouit, graui repentè febri oppreſſus eſt, quæ illum diuturnitate ſua uſqueadeò macerauit, ut ad mortis quoque diſcrimen adduxerit. Nec multo pòſt Totilas proditione Iſaurorum militum Romam cepit. Sigonius libro 19. Imp. occid. ex Procopio.

### DE REBVS HOSTIVM.

*Conſule Tit. Securitatem, Audaciam uel Timiditatem hoſti inicere. & ſimiles alios. Nam in his cùm duæ ſint perſonæ, Agens & Patiens: Agentis reſpectu ad Stratagemata, reſpectu Patientis, qui deluditur, ad hunc locum pertinent.*

### DE TRANSFVGIS.

GABINI in Italia ſe & ſua perdidêre, dum ſtultè nimis tyranni & hoſtis filio credunt. Nudauit Sextus Tarquinius, ut transfuga, & patri iratus, fœda uerberibus terga Gabinis, pro concione: ſed callidum conſilium preſſit, quod latebat ſub pectore. Ex hoſte igitur imperator eſt factus, & qui præſidio & ſaluti futurus credebatur, excidio fuit Gabinis & exitio. Sabellicus libro quarto, capite nono, & libro decimo, capite ſecundo.

### DE TIMIDITATE.

*Conſule Tit. Hoſtis contemtus. Item, Confidentia uictoriæ nimia.*

XERXES, cùm numeroſiſſimum contra Græcos exercitum duxiſſet, Demaratum Ariſtonis F. Spartanum exulem, interrogauit: Num quis Athenienſium aut Lacedæmoniorum contra ſe exercitum ducturus uideretur? Demarato autem id affirmante, à Xerxe irriſus fuit. Verùm non multo pòſt Xerxes contemti hoſtis pœnas dedit, turpi fuga ſibi conſulere coactus. Herodotus lib. 7.

CONRADVS I. Imp. contra Henricum Saxoniæ ducem mouens, cùm urbi Eresburg appropinquaret, id unum ſe uereri dixit, ne hoſtis ſui copiam aperto marte faceret, ſed in urbibus obſidionem expectaret. Vix dum uerbum protulerat, cùm Saxones ei occurrunt tanto cum impetu, ut uulgò admirabundi dicerent, Vbinam infernus ille eſſet, qui tantam hominum multitudinem recepturus eſſet. Crāzius lib. 3. Saxoniæ, cap. 1.

### DE CLAMORE.

ARNVLFVS, Germanorum rex, anno 896. ubi Romanos imperium ſuum detrectantes cognouit, ira percitus Vrbem oppugnare inſtituit: neque per aliquot dies Romanis ſtrenuè ſe tuentibus quidquam profecit. Cæterùm, dum Vrbs uariis fruſtrà perrumpendi conatibus ſumtis obſideretur, oblata eſt egregia, præter opinionem, ipſius occupandæ fortuna. Lepuſculus fortè inaudito exercitus clamore perterritus ad Vrbem fugit, eumque militaris quaſi ludi cauſſa militum manus auidè inſequi cepit. Quod ubi ſtationes uidere Romanæ, re ignota uniuerſis ſe peti uiribus arbitratæ, metu repentè de muris ſe proiecerunt. Hac re conſpecta Germani locum ſibi datum aggrediendæ Vrbis rati, ſubitò ſarcinas muris admouerunt, eiſque ad iuſtam altitudinem coaceruatis, extemplò alij muros conſcenderunt, alij portam ariete perfregerunt: atque Vrbem defenſorum inanem ingreſſi, ut Tranſtiberini ſeſe dederēt, effecerunt. Sic Arnulfus Vrbe primus per uim poſt Gothicam tempeſtatem potitus eſt. Sigonius libro ſexto regni Italici.

Holſatiæ comites, Henricus in Stormaria, & Ioannes in Vagria præſidentes, Dhiethmarſiam ſuo imperio, à quo ſubtracta eſſet, ſubiicere uolebant. Populus libertatem defendens, Bremenſis eccleſiæ archiepiſcopum inuocabat, cuius ſe ditioni ſubeſſe affirmabat. Accepit Giſelbertus archiepiſcopus populi confeſſionem: & miſit eò uiros belli gerendi peritos, qui populum in ordinem digererent. Comites terram hoſtilem pleni fiducia petentes, leporem uiderunt per uiam tranſuerſo itinere diſcurrere: & ſublato uenatico clamore, beſtiolam exagitarunt. HOLSATI, qui in poſtremo erant agmine, ab hoſtium incurſu excitum clamorem arbitrati, fugam primi inierunt. Hoſtes interim turbatum inuaſere exercitum. Cæſis captiſque plurimis, maior ſibi numerus fuga conſuluit, anno 1289. Cranzius libro octauo Saxoniæ, capite 33.

### DE GESTIBVS.

EDVARDVS II. Anglorum rex exercitum CLM. ad amnem Bannaſborn contra Robertum Bruſium Scotorum regem ducebat. Angli Scotorum paucitate contemta (nam XXX M. non excedebant) ſolo conſpectu ſe hoſtes in fugam uerſuros credebant. Quæ opinio ſorte quadam aucta eſt. Robertus etenim, quum omnes pariter pedites equiteſque relictis equis (ut æquato periculo inuicem magis fidentes cohærerent) pedes pugnare iuſſiſſet, procedens ante ſigna Mauricius Abbas, arrepta duabus manibus cruce, oſtentanſque eam militibus, ut in eius nomine bono animo patriam defenderent, in eoque ſolo confiderent, ad pugnam eduxit: ac ubi aliquantum adhuc acies utrinque abeſſent, Deo ſeſe cunctos in terram proſtratos commendare mandauit. Quod ubi hoſtes uidere, deditionē eos ſupplices facere clamauere uniuerſi. Sed mox ubi conſurgentes maximo impetu ſibi inſtare uidere, in fugam repentè ſunt uerſi. H. Boëthius lib. 4.

# BONIS CONSILIIS NON PARERE.

*Exempla aliquot Titulus Superbiæ ſuppeditabit, eorum, qui reprehenſiones & monita aliorum ægrè ferunt. Nam quatenus non intelligunt id, quod optimum eſt, Imprudentes habendi ſunt: quatenus uerò maiores ſibiipſis eſſe uidentur, quàm ut à quopiam admoneri debeant, Superbi. Itaq; non omnis ſuperbus eſt imprudens: ſæpe enim id, quod deterius eſt, ſciens agit, ne alteri obediendo, imprudentior extitiſſe uideatur: & ſic dum opinationem δοξαστικῶς conſeruat, ueritatem κριτικῶς Prudentiæ reſpuit, hoc eſt, uitium uitio celare nititur.*

## EXTRA BELLVM.

*Conſule Tit. Inobedientiæ, tum religioſæ, tum profanæ, quatenus Conſiliis bonis non obediunt. Illic Iniuſtitiæ, hic Imprudentiæ habetur ratio.*

Angeli Lotho ſuaſerant, ut exiens Sodomis, generos ſuos ſecum duceret, neque poſt tergum reſpiceret. At GENERI eius, quibus filias deſponſarat, eum ueluti delirum irridentes, cum Sodomitis periere. VXOR eiuſdem retrò reſpiciens, uerſa eſt in ſtatuam ſalis. Sed & ipſe Lothus, quia iuxta conſilium angeli noluit ſtatim in montem aſcendere, cum propriis filiabus concubuit. Geneſis 19.

ROBOAMVS Solomonis F. ex Naama Ammonitide, cùm patri in regno ſucceſſiſſet, & Iſraelitæ Sichemæ congregati poſtularent, ut impoſitum eis à patre ſeruitutis iugum leuaret: ſenes in cõſilium adhibuit. Qui populi precibus eum in præſentia obſecundare iuſſerunt: fore enim, ut eos in poſterum ſemper obedientes haberet. Mox uerò iuuenes, cum rege unà educati, ſuaſerunt ei, ut ita populo reſponderet: Meorum digitorum minimus craſſior eſt, quàm patris mei medius corporis truncus: ſi pater ſcuticis in uos animaduertit, ego ſcorpionibus in uos animaduertam. Placuit Roboamo iuuenum conſilium: populoq́ue eo modo reſpondit. Qua uoce tyrannica decem tribus à Roboamo deſciuerunt, & Ieroboamum Solomonis ſeruum, regem elegerunt. 3. Regum 12.

PILATVS uxori conſulenti, Ne quid negotij haberet cum iuſto illo, magis timens Cæſarem, quàm pietatem offendere, parare noluit. Matth. 27.

Iupiter iratus Prometheo, propter ignem furto ſublatũ è cœlo, ac mortalibus redditum, Vulcano negotium dedit, ut è luto puellæ ſimulacrum fingeret, eidemque ſingulos deos deaſq́ue ſuas quemque dotes adiungere iuſſit. Vnde & uirgini Pandoræ nomen datum. Hanc omnibus formę, cultus, ingenij, linguæq́ue dotibus cumulatam, Iupiter pyxide pulcerrima, ſed intus omne calamitatum genus occulente, ad Prometheum mittit. Is recuſato munere, fratrẽ admonuit, ut ſi quid muneris ſeſe abſente mitteretur, ne reciperet. Rediens Pandora, perſuaſo EPIMETHEO, pyxidẽ donauit:

Αὐτὰρ ὁ δεξάμενος, ὅτε δὴ κακὸν εἶχ' ἐνόησεν.

Accepit: tactuſq; malo, tum deniq; ſenſit, inquit Heſiodus. Quapropter idem in Theogonia,

—— προμηθέα
Ποικίλον αἰολομήτιν, ἁμαρτίνοόν τ' ἐπιμηθέα,

Prometheum uafrum nominat, ac uariis inſtructum conſiliis, Epimetheum poſt erratum ſapientem. Pindarus in Pythiis appellat ὀψίνοον, quaſi ſerò ſapientem.

Euſeiro, Neptuni & Eidotheæ nymphæ Othreidis F. TERAMBVS fuit filius, in Melinenſium terra domicilium habens, ad montis Othrys radices. Is pecus, quod ei obtigerat copioſiſſimum, paſcebat, adiuuantibus nymphis, quòd eas in montibus canendo oblectabat. Pana beneuolentia adductum, monuiſſe hominem aiunt, ut Othry relicto, greges in campo paſceret: inuſitatum enim & incredibile frigus inſtare. At Terambus Dei monita contemſit, & nymphas etiam ipſas conuitiis affecit. Paruo pòſt tẽpore ſubitum gelu incidit, & oues Terambi unà cum uiis ac arboribus perdidit. Nymphæ eum, iratæ ob maledictum, mutauerunt in cerambicem, quæ eſt auis ligniuora, curuis dentibus, malas ſemper mouens, nigra, oblonga, ſolidis alis, adſimilis magnorum cantharorum. Vocatur Bos ligniuorus, & apud Theſſalos Cerambix. Hunc pueri pro ludo habent, caputq; amputantes circumferunt: quod ſimul cum aliis ſimilitudinem gerit lyræ è teſtudine confectæ. Antoninus Liberalis, ex Nicandri libro de Immutatis 1.

CROESVS Lydorum rex, cùm à Solone audiuiſſet, neminem mortalium ante mortem beatum dici debere, Solonem tanquam ſtultum hominem, qui præſentem felicitatem parui faceret, à ſe dimiſit. Mox expeditione contra Cyrum, Perſarum regem, ſuſcepta, cùm ſe hominem non eſſe recordatur, captus: regnoq́ue exutus, & iam piræ ut cremaretur impoſitus, ſaluberrimum Solonis cõſilium fuiſſe, ſerò tandem agnouit. Rectiùs Cyrus, qui cùm Solonis hanc uocem ex Crœſo audiuiſſet, Crœſum ab incendio liberauit, & apud ſe toto uitæ tempore honorificentiſſimè habuit, humanæ inconſtantiæ memor. Herodotus libro primo.

Tyrannidem affectante Piſiſtrato, Solon, qui propter ætatem ad dicendum & agendum ineptus erat, monuit tamen ATHENIENSES conatus tyrannici. Interea cùm ſtipatoribus è publico acceptis Piſiſtratus tyrannidem inuaſiſſet: Solon etſi nullum haberet ſubſidium, in forum progreſſus, habuit ad ciues concionem, qua partim ſtultitiam eorum & ignauiam eſt inſectatus, partim accendit & incitauit eos, ne desererent libertatem. Quo tempore etiam hoc celebre dictum commemorauit: Fuiſſe antè ipſis exorientem reprimere tyrannidem expeditius: nunc grandius eſſe & illuſtrius, conſtitutam iam & adultam excindere & euertere. Vbi uerò nemo ob pauorem audiuit eum, domum diſceſſit, ſumtiſq́ue armis, atque pro foribus in publico poſitis: Ego quidem, inquit, quantum potui, patriæ & legibus ſuccurri. Ac deinceps tenuit ſe in otio, neque amicis, ut ſolum uerteret, monentibus audiens fuit, uerùm carminibus ſcriptis improperauit Athenienſibus:

εἰ δὲ πεπόνθατε λυγρὰ δι' ὑμετέρην κακότητα,
μή τι θεοῖς τούτων μοῖραν ἐπαμφέρετε.
αὐτοὶ γὰρ τούτους ηὐξήσατε ῥύσια δόντες,
καὶ διὰ ταῦτα κακὴν ἔσχετε δουλοσύνην.

Si ueſtra fletis culpa tot triſtia paſſi,
Ne uelis iraſci noxia turba dijs:
Hos auctos ipſi uos euexiſtis in arcem:
Nunc ergo domini uos iuga ferre decet.

Plutarchus in Solone. At Laërtius eum ait ſponte in exilium abiiſſe: ciuibus tamen ſuis iſta reſcripſiſſe, ſtultitiam illis exprobrando.

Ariſtoteles CALLISTHENEM auditorem ſuum ad Alexandrum mittens, monuit, ut cum eo aut quàm rariſſimè, aut quàm iucundiſſimè loqueretur: quò ſcilicet apud regias aures uel ſilentio tutior, uel ſermone eſſet acceptior. At ille dum Alexandrum Perſica ſalutatione gaudentem obiurgat, & ad Macedonios mores inuitum reuocare beneuolè perſeuerat, ſpiritu carere iuſſus, ſeram neglecti ſalubris conſilij pœnitentiam egit. Valerius Maximus libro 7. capite 2.

Cùm Dionyſius maior, SYRACVSANORVM prætor, ſimulans ſibi à collegis factas inſidias, cuſtodiam corporis à populo peteret: quidam ciuium aſtutiam illius animaduertens, metu tamen populi apertè non audens accuſare, ſuaſit, ut darent quidem, ſed tot numero, quot facilè rurſus in ordinem redigere poſſent. Cæterùm cùm prudenti huic conſilio populus non obtemperaſſet, Dionyſius mille ſicarios legit, eorundemq; opera tyrannidem occupauit. Ariſtoteles libro tertio Politic. capite 15. & Diodorus libro decimotertio.

Coierant fortè in ſympoſium idem Ceus Simonides lyricus, & Lacedæmonius PAVSANIAS. Inſtitit à Simonide is efflagitare, quippiam promeret graue, & quod omnino ſapientiam reſiperet: qui ridens, Μέμνησο, inquit, ἄνθρωπος ὤν: id eſt, Eſſe te hominem, ne exciderit tibi. Spreuit id eueſtigiò Pauſanias, eſſeq́ue prorſum nihil, eſt opinatus: tumidior iam ob partam de Perſis uictoriam Platæenſem, inq́ue Medicos procliuiter degenerans mores, ac ſibi nimiùm placens, & altiora meditans, quòd regi foret hoſpitio iunctus. Forſan & uino permulctus ſatis. Verùm poſtea quàm omnium inops in Chalciœco ſe occluſum animaduertit, fame (quod miſerrimum eſt) moriturus paulò mox, tũc demùm reſipiſcens, Simonidæ dictum perpendere ampliùs cepit: ſed ita, ut inter æſtuantis animi conuulſiones, ter in eam prorumperet uocem, ὦ ξένε Κεῖε, μέγα τι ἄρα ἦν χρῆμα ὁ λόγος σοῦ· ἐγὼ δὲ ὑπὸ ἀνοίας οὐδὲν αὐτὸν ᾤμην εἶναι. id eſt, O Cee hoſpes, magnum igitur quiddam oratio erat tua: ſed præ amentia, eſſe nil ipſe opinabar. Cælius lib. 13. cap. 10. Antiq. Lect. ex Aeliani lib. 9. Var. Hiſt.

HIERONYMVS Siciliæ tyrannus, patri Geloni ſucceſſit admodum puer. Cui pater metuẽs, relictis tutoribus ſedecim, mandauit moriens, ut fidem erga pop. Rom. annos 50. ab ſe cultam, inuiolatam ſeruaret. Hic uerò patri inobediens, abiecta tutela, contemtaq; patris diſciplina ac moderatione, luxurioſiùs ac arrogãtiùs agẽdo à Romanis deſciuit: cúmque ſuperbè nimis in ciues ſeſe haberet, ab eiſdem interfectus eſt. Liuius lib. 4. ſecundi belli Punici.

Andro-



Androcydes ſapientia clarus ad ALEXANDRVM Magnum ſcripſit, intemperantiam eius cohibens: Vinum potaturus rex, memento te bibere ſanguinem terræ: ſicut cicuta homini uenenum eſt, ſic cicutæ uinum. Quibus præceptis ſi ille obtemperaſſet, profectò amicos in temulentia non intereміſſet. Plin. lib. 14. cap. 5. Sed hoc alibi Anaxarcho tribuunt.

HARMONIDES à Timotheo Mileſio lyrico petiit, Quónam modo citò poſſet ex arte muſica innoteſcere? Ei Timotheus reſpondit, Si peritioribus & optimatibus placeret. Cùm uerò id conſilium ſpreuiſſet, & intentiſſimè tibias inflaſſet, ut ita omnibus innoteſceret, cum ſpiritu & uitam amiſit. Lucianus in Harmonide.

Hanno Carthaginenſis, uir apud ſuos ſpectatæ prouidentiæ, præferuidum Hannibalis ingenium ab infantia contemplatus, ſemper ſuaſit continendum domi ſub legibus docendumq́ue ex æquo cum ciuibus ſuis uiuere, abſtrahendum ab exercitibus, ne intempeſtiuo aſſuefactus imperio, poſtquam ciuẽ dedidiciſſet, tyrãnum ageret. Cui ſi CARTHAGINENSES paruiſſent, patriæ ſaluti optimè conſuluiſſent. Petrarcha.

Cùm Pyrrhus, Epirotarum rex, uouiſſet Palladi in Athenienſi arce rem ſacram facere, & Athenienſes liberè eum in urbem atq; arcem recepiſſent: urbe egreſſus, uehementer quidem eorũ fidem prędicauit: cęterùm ſuadere ſe, ſi ſaperent, in poſterum nulli regi portas aperirent. Cuius conſilium non ſecuti ATHENIENSES, cùm poſtea Caſſandrum quoq; in urbem accepiſſent, magna atq; innumerabilia mala ex eo tulerunt: re ipſa experti, à Pyrrho ſapiẽtiſſimè monitos fuiſſe. Fulgoſ. lib. 7. cap. 2. ex Plut. Pyrrho.

Antigonus rex, quum renunciatũ eſſet, filiũ ALCYONÆVM in acie cecidiſſe, demiſſo uultu cogitabundus, mox erupit in hãc uocem: O Alcyonæe, ſeriùs quàm oportuit uitã morte cõmutaſti, qui tam audacter in hoſtes inſilieris, neq; tuæ ſalutis, neq; meorum monitorum ullam habens rationem. Putauit non eſſe deflendum, qui ſua culpa periſſet, ſibiq́ue calamitatem accerſiſſet. Plutarchus.

Spurina aruſpex admonuit C. IVLIVM Cæſarem, caueret diſcrimen ingens, quod ultra Calendas Martias non proferretur. Eo die quum iret in ſenatum, Spurinæ fortè obuio, Quid ais? inquit, nónne uenêre Calendę Martiæ? Venêre, inquit, ſed nondum præteriêre. nam eodem die cæſus eſt Cæſar. Suetonius.

MAXIMVS Iuuauienſium epiſcopus, cùm S. Seuerini monitis non paruiſſet, qui eum duobus nũciis monuerat, ut urbe excederet cum omnibus quotquot ſalui eſſe cuperent, imminere enim urbi extremum fatum nocte ſequenti: urbe à Barbaris exciſa, in crucem actus ipſe, ſymmyſtæ eius numero LV è ſaxo præcipitati. Vide Tit. Doctorum Eccleſiaſticorum, ſub nomine Seuerini.

PTOLEMÆVS Aegypti rex ex certa offenſa cũ ciuibus ſuis Alexandria relicta Romam uenit, ut à Pompeio & Cæſare reduceretur. Eum Cato liberè reprehendit, quòd relicta tanta felicitate, ingentibus ſeſe ſubiiceret indignitatibus, laboribus, largitionibus, & auaritiæ principũ Romanorũ, quos redacta in argentum Aegyptus uix expletura eſſet: conſuluit autem, ut cùm ciuibus rediret in gratiam: comitem etiam ſe obtulit, & in reconciliando adiutorem. Et inſtituit quidem Ptolemæus illius uti conſiliis: cæterùm auerſus iterum ab amicis, ut primùm ad fores unius acceſſit, in magiſtratu poſiti, defleuit inconſulta ſua cœpta: ꝗ non uiri boni uerba, ſed dei faſtidiſſet oracula. Plutarchus in Catone.

Alaricus Gothus, Roma diſcedens, petebat ab HONORIO Imp. ut in annos ſingulos certa pecuniæ atq; annonę ſumma ſibi erogaretur, & ſuis ad habitandum Venetia, Noricum, & Dalmatia traderentur. Quæ poſtulata Iouius præfectus prætorio ad Honorium miſit, ſeparatim hortans illũ per literas, ut Alaricum magiſtrum militiæ conſtitueret, ut ille hoc honore lenitus, aliquid de conditionum aſperitate remitteret, & pacem legibus æquioribus faceret. Quibus acceptis, Honorius uehementer Iouij temeritate damnata, reſpondit, Auri & annonæ modum eum ſtatuere pro magiſtratu poſſe, ut qui præfectus prætorio eſſet, & publicorum tributorum poteſtatem haberet: illud uerò nunquam à ſe impetraturum, ut dignitatem aut præfecturam Alarico, aut genti eius impertiat. Hæc epiſtola à Iouio audiente Alarico temerè recitata iram eius accẽdit, ut ſtatim milites ſuos Romam iter expedire ad inſignem ulciſcendam iniuriam iuſſerit. Sigonius de Imp. occid.

D. Martinus AVRIGÆ petenti, An ea ueſpera Lutetiam peruenire poſſet? prudenter & propheticè reſpondit: Si feſtines, excluderis: ſin lento paſſu incedas, urbem hac ueſpera ingredieris. Auriga indignabundus, tanquam à ſancto uiro irrideretur, currum concitato impetu agere cepit. Rota igitur fracta impeditus, Lutetia excluditur, ac uerum Martini pręſagium fuiſſe reipſa cognouit.

CONSTANTINVS Scotorũ rex, impurus & ignauus, regni initio, cùm ad eum frequentes conuenirent Scotorum nobiles, ſuaderentq; Dongardi regis cædem ulciſceretur: Satis ſe ſcire, quid in publica adminiſtratione foret optimum factu, reſpondit: aliorum conſilio minimè indigere. eo ſe eſſe ingenio, ut cuncta agenda ſua exequi poſſet ſententia, alienis ſuaſionibus nihil. H. Boëthius lib. 8.

Duodeuiginti annis interregnum in Germania durauerat, cõtendentibus interim de Imperio, Henrico Thuringo & Guilielmo Batauo, qui in prælio apud Friſios cecidit: Alphonſo itẽ Caſtellæ Rege, & Richardo regis Anglię fratre. Ad OTHOCARVM tandem Boëmorum regem mittitur Conradus Conieñſis archiepiſcopus, qui ei imperium deferat. Conſultatione habita, Ioannes Pragenſis præſul Regem ultrò oblatam dignitatem utroq; brachio complecti iuſſit, honoris & gloriæ ſtudio: idem Georgius Draſitius, pater Præſulis, qui ſummam præfecturam arcis obtinebat, ſuaſit. At Andreas Ricianus, Camerarius regius, repudiandum potiùs quàm amplectendum munus, quod offerretur, cenſuit, tanquam nec regno utile, nec Regi ualde decorum. Ea namque fortuna & dignitate regem inſtructum eſſe, ut Cæſari inuidere non debeat, terrori certè eſſe queat. Qua oratione Othocarus inflatus, cùm ſe potentia Cęſarem anteire putaret, imperium ultrò delatũ repudiauit. Germani principes uiciſſim in contemtum eius Cæſarem ſibi delegerunt, Rudolphum Habesburgi Comitem, bellicis artibus clarum, qui paulò antè præfectus aulæ Othocari fuerat. Dubra. l. 17.

VIATOR à ſene ruſtico compendium itineris ſibi monſtrari petebat. Ruſticus duas ſemitas oſtendebat, alteram longiorem, ſed breuiorem: alteram breuiorem quidem, ſed longiorem eſſe dictitans. Viator ſtultitiam ſenis irridebat, donec homonymiam dicto ſubeſſe cognouit: & breuitatem partim ad itineris difficultatem, partim ad temporis quantitatem referri audiuit.

Io. Dubrauius Olomuzenſis epiſcopus Boëmus (qui Boëmię hiſtoriam ſcripſit) extruxerat in prædio ſuo ex recèns deſectis roboribus, & adhuc uirus ex crudelitate redolentibus, uiuariũ, in quo piſces uelut in penore reconderet, ac uetuerat, ne VILLICVS ullos piſces uiuario, niſi benè antè permadefacto, cõcrederet. Impatiens ille moræ, non paruũ Cyprinorum numerũ crudo uiuario credere audet: poſtridieq; Cyprinos ad unum omnes, ex aqua corrupta, mortuos eſſe uidit. Dubrauius de Piſcinis lib. 3. cap. 2.

## IN BELLO.

Poſt ſcelus perpetratum in uxorem Leuitæ, conuenerunt Iſraelitæ, & miſerunt nuncios ad BENIAMITAS, qui dedi ſibi poſtularẽt flagitij auctores. Illi cùm nollent obedire, ad internecionem propè ſunt cæſi. Iudicum 20.

Ex reliquiis Iudæorum, qui in Iudæa ſuperfuêre, reliquis Babylonem abductis, IOANNES Careæ F. princeps fuit. qui, interfecto Godolia præfecto Iudææ ab Iſmaële per dolum, Nabucodonoſoris iram metuens, cum omnibus reliquiis in Aegyptum migrare conſtituit, fruſtrà reuocante illos Hieremia propheta, quem etiam inuitum cum Baruch ſcriba ſecum abduxerunt. Prædixit autem illis Hieremias captiuitatem. Nam quinquẽnio pòſt Nabucodonoſor ſubacta Aegypto reliquas etiam Iudæorum omnes abduxit Babylonem. Ioſephus lib. 10. cap. 11. Antiq.

HOLOFERNES, cùm cõſilium Achioris contemneret, cum exercitu cæſus eſt. Iudith 6.

Profectus in Galaad Iudas Machabęus, reliquit IOSEPHVM & Azariã duces populi, & præcepit eis, dicens: Nolite prælium committere aduerſus gentes, donec reuertamur. Illi cùm uellent ſibi parare nomen, perdiderunt uitam cum nomine. 1. Machab. 5.

Ducebat IVDAS Machabæus octingentos uiros contra hoſtium uigintiduo millia. Monebant eum ſocij, ut auxilia expectaret: ſed cùm parêre nollet commiſſo prælio cæcidit. 1. Machabæorum 9.

TROIANI tot iã acceptis cladibus uix decimo demùm anno de reſtituenda Helena conſultare cœperunt. Quam ſi ſtatim initio repoſcenti Menelao reddidiſſent, & Antenori id ſuadente paruiſſent, innumerabilibus ſe calamitatibus ſubduxiſſent. Hinc prouerbium, Serò ſapiunt Phryges.

CROESO Lydorum in expeditione contra Cyrum Perſarum regem, Lydus quidam Sandanis ſic conſuluit: Aduerſus tales uiros expeditionem paras, rex, qui coriacea ſubligacula, quiq; è corio reliquam ueſtem ferunt: qui non quibus uolunt cibis ueſcuntur, ſed quos habent, utpote regionem aſperam colentes. Ad hæc potu non uini utuntur, ſed aquę: non ficos ad comedendum, nec aliud quicquam boni habentes. Quibus cùm nihil ſit quod eripias uictor, uictus animaduerte quot bona amittes. Vbi enim guſtauerint illi noſtra bona, circũſiſtent nos, nec abigi poterunt. Equidem diis habeo gratiam, qui non induxerunt in animum Perſis, ut Lydos inuaderent. Crœſus ſic agentibus eum fatis, à Cy-

[illegible] captus, regnoq; exutus eſt. Herodotus lib.1. & Sabellicus [illegible].6. Enneadis ſecundæ.

[illegible] conſultus à CYRO de bello ſuſcipiendo contra To[illegible] reginam Maſſagetarum: Si tibi, ait, eſſe uideris im[illegible]tali, nihil eſt opus, ut meam tibi ſententiam dicam. Si [illegible] quoq; agnoſcis hominem, illud in primis diſcito, ra[illegible] humanarum rerum circum eſſe, qui rotatus, eoſdē ſem[illegible] fortunatos eſſe non ſinit. Cyrus imperandi libidine ac[illegible] Crœſo non paruit. Itaq; in eo bello periit. Bruſonius [illegible] ap.37. ex Herod.lib.1.

[illegible] Hiſtiæi Mileſii, & Ariſtagoræ impulſu, MILESII à [illegible] Dario rebellare uellent, Hecatæus λογοποιὸς initiò diſſuadebat bellum aduerſus regem Perſarum, enumerãs cunctas nationes quibus Darius imperaret, omnemq; illius potentiam. Sed cùm hoc perſuadere non poſſet, ſecundo loco ſuadebat, ut claſſi mare occuparent, negans ſe uidere, qua alia ratione uictoriam eſſent conſecuturi. Scire enim ſe Mileſiorum uires eſſe imbecillas: ſi tamen pecuniæ ampliſſimè è templo, quod eſt in Branchidis, tollerentur, quas Crœſus Lydus repoſuiſſet, multum ſpei eſſe maris potiundi, atq; ita pecuniam & ipſos habituros ad utendum, nec hoſtes ſpoliaturos. Neutrum tamen perſuaſit. Herodot.lib.5.

Cùm XERXES Perſarum rex, contra Græcos expeditionem ſuſcepturus eſſet, Mardonius quidem Gobryſ F. adhuc iuuenis gloriæq; cupidus, omnibus modis id ſuadebat. Artabanus uerò Hyſtaſpis F. Xerxis patruus iam ſenex longaq; doctus experientia diſſuadebat. At Xerxes, ſic trahentibus fatis Mardonium ſecutus eſt. Herod lib.7.

[illegible] idem Artabanus in campis Abydenis conſpecto uniuerſo exercitu, cùm claſſis uno portu recipi nō poſſet, neq; terreſtribus copiis commeatus ſuppeditari, periculoſam expeditionem fore dicebat. REGE id negante, conſuluit, ne Iones contra Athenienſes (à quibus orti eſſent) duceret. At rex neque in hoc parére uoluit: ſed ut in conſultando nimis timidum, Suſa ad regni adminiſtrationem abire iuſſit. Herodotus lib.7.

Poſt funeſtam illam uictoriam ad Thermopylas, cùm Xerxes rex Demaratum Spartanum, qui apud ſe exulabat, conſuleret, quánam ratione reliquos Spartanos minimo cū negotio ſubigere poſſet? ſuaſit Demaratus, ut claſſe ſua inſulam Cytherā Laconiæ adiacentem, occuparet, & ex ea Spartanos territaret. Sic enim futurū, ut Lacones domeſtico bello occupati, reliquæ Græciæ ſubſidium ferre nō poſſent. Qua ſubacta, Lacones per ſe inualidos futuros. Præuidiſſe hoc Chilonem Lacedæmoniū, uirum ſapientiſſimum, qui cōducibilius eſſe Lacedæmoniis dixerit, eam inſulam obrui mari, quàm extare. At Xerxis frater Achæmenes claſſis præfectus, claſſem non diuidendam cenſuit, præſertim cùm illà eadem naufragio ad Chalcidē paſſo debilior eſſet, & timendum foret, ne diſtracta ſuperaretur. Cuius quidem ſententiæ XERXES acquieuit. Si Demarato paruiſſet, Græciam totam ſine negotio ſubegiſſet. Herod.lib.7.

Cùm XERXES ad Salaminem cum Græcis prælium nauale committere uellet, & cæteri omnes regis uoluntatem in id inclinare uidentes, pugnare iuberent: ſola Artemiſia Cariæ regina diſſuaſit, eo quòd in loco anguſto cum Græcis in re nautica exercitatiſſimis, quamuis numero inferiorib. certare, claſſe afflicta pedeſtrem quoq; exercitum in periculum coniicere, minimè cōſultum uideretur: quin potiùs claſſem in ſtatione continendam, & pedeſtri exercitū in Peloponneſum traiiciendum. Verùm XERXES conſilio feminæ ſaluberrimo non acquieſcens, turpiſſimè ad Salaminem ſuperatus fuit. Herod.lib.8.

MARDONIVS Perſa poſt Salaminiā pugnā à Xerxe rege in Græcia relictus erat, ut eam ſubigeret. Thebani, cum à regis partib. ſtarent, ſuadebant, in Theſſalia manendū, & miſſa pecunia Græcos ad factiones & ſeditiones ſollicitandos. At Mardonius faſtu tumens, ſummoq; deſiderio Athenas occupandi, aperta ui Græcos aggreſſus, uitam cum exercitu, qui ex 300 hominum millib. conſtabat, amiſit. Herod. lib.9.

IDEM cùm contra Græcos ad Platæas pugnaturus eſſet, & ſentētias ducum rogaret: Artabazus Pharnacis F. uir expertæ uirtutis inter Perſas, ſuadebat, ſatius eſſe Thebas Theſſaliæ cum exercitu petere, ubi multum pabuli & commeatus eſſet, & interim miſſis munerib. Græcorum animos corrumpendos, neq; aperta ui oppugnandos. At Mardonius, cùm eum ſua fata traherent, in propoſito pertinax, exercitū cum uita amiſit. Herodotus lib 9.

Præfecti, & duces Perſarum, cùm tardi fuiſſent ad prohibendum Macedonum tranſitum in Aſiam, conuenerūnt gratia conſultandi, qua ratione bellum contra Alexandrum Magnum gerendum eſſet. In iis Memnon Rhodius, qui militari prudentia ualde æſtimabatur, cēſuit rem initiò in diſcrimen deduci non oportere, ſed agros uaſtando, neceſſariorū inopia debere hoſtem prohiberi, ne ulteriùs progrederetur: ſimulq; in Macedoniā nauales & pedeſtres copias traduci, ut bellum totum in Europam transferretur. Optimè proriū uir ille conſulebat, ut ex rerum euentu poſtea cognitum eſt. Sed DVCES cæteri haudquaquam aſſentiri uoluerunt: tanquam diceret ea, quæ ingentes Perſarum animos parū decerent. Dimicatio placuit. Verùm acie uicti, Darium regem de ſumma rerum periclitari fecerunt. Diod.lib.17.

DARIVS rex Perſarum, Memnonis Rhodij, cui rerū ſummam commiſerat, morte audita, concilium amicorum habuit, retulitq; ad eos, Vtrùm duces cum exercitu ad res maritimas mittendos cenſerent: an magis expedire uideretur, regem, adductis omnib. copiis belli fortunā experiri? Tunc quibuſdam ſuadentibus ipſum in aciem prodire, quòd Perſæ omnes cupidiſſimo animo decertaturi eſſent: Charidemus Athenienſis, uirtute & omnib. artibus imperatoriis præſtantiſſimus, qui ſub Philippo rege meruerat, & in omnibus rebus obeundis princeps & conſilio optimus erat, Dariū admonuit, ne temerè imperium ſuum in aleam committeret: ſed illud ipſum, quòd longè & latè patebat, in officio contineret: ducem autem, cuius prudentia explorata haberetur, contra Macedones mitteret. Ad quam expeditionē centum millium peditatum ſufficere dicebat, ut eorum tertia pars eſſent Græci ſtipendio cōducti. Quò uerò dictorum magis fidem faceret, pollicebatur ſeſe bellum illud confecturum. Mouerant regem eiuſmodi Charidemi uerba: ſed regis amicis diuerſa, quæ plus dignitatis habere uidebantur, cenſentibus, atq; eam de Charidemo ſuſpicionem Dario iniicientibus, quod belli adminiſtrationem ſibi demandari cupiebat, uti res Perſarum Alexandro proderet: concitus ira Charidemus, Perſis ignauiam & timiditatem apertè cepit exprobrare. Rex offenſus, Charidemū zona cōprehenſum (quod eſt moris Perſarum) apparitoribus interficiendum tradidit. Qui quum ad ſupplicium traheretur, exclamauit, Breui regem pœnitentia affectum iri, atque iniuriæ ſibi factæ amiſſione regni pœnas daturum. Rex poſtmodum ſedata ira, quum mentem recepiſſet, grauiter ſeipſum facinoris impotenter commiſſi incuſauit. Itaque ſecum, quanta Macedonum fortitudo eſſet, coniectās, circumſpiciebat, quemnám idoneum ducem in Memnonis defuncti locum ſufficeret. Quumque nullum inuēniret, coactus eſt ipſe ad periclitandam regni ſui fortunam deſcendere. Diodorus lib.17. & Sabellicus lib.4. Ennead.4.

IDEM, ut Macedones intra Ciliciæ anguſtias opprimeret, quinque dierum ſpacio Euphrate ſuperato, in eam terram ire pergit. Erat in Perſicis transfuga quidam Macedo, nomine Amyntas: is ubi Alexandrum conualuiſſe allatum eſt, & iam ſeſe pugnæ cōparare, Darium monuit, ne ita ad hoſtem properaret, nec pergeret uelle in Ciliciæ anguſtiis dimicare, ubi locorum natura omnia hoſtibus meliora fierēt, camporum uaſtitate opus eſſe, ut hoſtis Perſicis uiribus uincerentur. Probabat id conſilium Darius, ſed uereri ſe dicebat, ne Alexander & hoſtes inde effugerent. Mitte, inquit Macedo, iſtud timere: Alexander, ſi rectè eum noui, non modò nō fugam molitur, ſed certum etiam habeo, ita fore, ut cunctanti tibi ſit haud multo pòſt cū omnib copiis affuturus. Darius Macedonis uerba aſpernatus, nihilo ſecius in Ciliciam ire pergit. Et iam Darius erat Ciliciā ingreſſus, quū Etymocles, qui à Pharnabazo Græcos milites acceperat, regem ut antea Amyntas monuit, ne inuictū alioqui exercitū in arctum coniiceret, quin retrò conuerſus in Meſopotamiæ campis hoſtem opperiretur, ubi Macedonum paucitas circumueniri à pluribus poſſet. Non tam regi quàm purpuratis ea ſententia diſplicebat, criminariq; Etymoclis & Græcorū qui cum eo erant, apud Darium fidem. Corruptos eos dicere ab Alexandro, ut Perſarum uictoriam quoquo modo poſſent remorarentur. Cenſebant proinde Græcorū phalangem cum ipſo duce ſtatuendam in medio, atq; ab uniuerſo exercitu telis configendam. Negat Darius ſe id ſcelus admiſſurum, ut milites ſuam fidē ſecutos tam fœdè trucidaret, neminem affirmans ſtolidum conſilium capite luere oportere. Sabel. lib.4. En.4. ex Plut. Alexandro.

Cùm cerneret Pericles TOLMIDEM Tolmæi ob ſuperiores uictorias, & laudem ex reb. bello geſtis inſignem, incurſionē alieno tempore moliri in Bœotiam, atq; induxiſſe fortiſſimos quoſq; ex iuuentute & animoſiſſimos, ut uoluntarij ad mille, præter reliquū delectum, nomina darent: retinere tentauit eum, & pro concione orauit, illud tritum dictū referens, Si non crederet Pericli, at nō erraturū tamen, ſi prudentiſſimum conſiliarium opperiretur, tempus. Atq; in præſentia quidem laudem ex hoc dicto conſecutus eſt mediocrē. Paucis pòſt diebus, cùm cecidiſſe nūciatum eſt Tolmidē ipſum apud Coroneam acie fuſum, multoſq; & fortes ciues occubuiſſe: tunc uerò magnam prudentiæ & amoris in ciues ex ea re cum beneuolentia retulit laudem. Plut. in Pericle.

Cineas philoſophus, PYRRHVM Epirotarū regē cū Italico bello imminere cerneret, ad ſecuriora cōſilia traducere fruſtrà conatus eſt. Conſule Tit. A bello inferendo dehortari.





Cùm Pyxodorus Cendyēſis Mauſoli F. Caribus, qui à rege Dario deſecerant, cōſuluiſſet, ut tranſmiſſo Mæandro flumen à tergo habētes, cū hoſte demùm congrederētur, ut ſublata ſpe retrogrediēdi, redderētur animoſiores: CARES nō obſecuti, ſed ut Perſis potiùs à tergo Mæāder eſſet, ne Perſæ fugam facientes euaderent, caſtra poſuere. Superato autem à Perſis Mæandro, ad amnem Marſyam Cares magna ſtrage uicti ſunt. Herod.lib.5.

Alcibiades Clazomenas nauigans, claſſem anchoris firmatā ad Epheſum Lyſandro Lacedæmonio oppoſitā, ANTIOCHO præfecto cōmiſit, ſeuerè interdicens, ne ante ſuū reditum manus cum hoſte quacunq; oblata occaſione conferat. Ipſe uerò Alcibiades aſſumtis militarib. nauigiis cum ſumma feſtinatione Clazomenas adnauigat, quā urbem in ſocietatem Athenienſiū perſtantē, nonnulli exules grauiter infeſtabant, cuncta præda, rapinis, depopulationibuſq; uaſtantes. At Antiochus gloriæ cupiditate ſuis auſpiciis aliquod præclarū facinus edere geſtiens, cōtemto Alcibiadis mandato, decem naues, quæ expeditiſſimæ robuſtiſſimæq; uiderentur, militib. complet, prætoribus mandat, expeditas omnes ſuam quiſq; teneat, ad pugnam intenti, ſi fortè neceſſitas aliqua conſerere cum hoſte manus contigerit. Lyſander per transfugas certior factus Alcibiadem abeſſe, uniuerſa claſſe inſtructa aduerſus hoſtem ire pergit, unāq; ante cæteras decem prouectam, qua uehebatur Antiochus, ipſo impetu ſuppreſſit: reliquas in fugam uerſas inſectari nō deſti[illegible], donec à reliquis Athenienſium prætoribus ac tumultuosè ſuis auxilio properantibus, reliquæ triremes militib. completæ è ſtatione educerentur. Eductis mox, priuſquam inſtrueretur acies, pugna per ſuccurrendi feſtinationem agmine incompoſito confuſis ordinibus accenſa, conſertis haud procul à terra nauibus, Athenienſes propter ordinum perturbationem uicti, duas & uiginti naues amiſere, in quibus pauci admodum uiui capti, reliqui in terram enatarūt. Diodorus lib.13.

Quum apud Aegos flumē PHILOCLES prætor Athenienſiū claſſem haberet, neque longè abeſſet Lyſander prætor Lacedæmoniorū, qui in eo erat occupatus, ut bellū quàm diutiſſimè duceret ꝙ ipſis pecunia à Rege ſuppeditabatur: contrà Athenienſib. exhauſtis, præter arma & naues nihil ſupereſſet. Alcibiades licet exul ad Athenienſium uenit exercitum, ibiq; præſente uulgo agere cepit, ſi uellent, ſe coacturū Lyſandrū dimicare, aut pacem petere. Etenim Lacedæmonios eò nolle confligere claſſe, ꝙ pedeſtribus copiis plus quàm nauibus ualerēt: ſibi aūt eſſe facile, Regem Thracū deducere, ut eos terra depelleret. quo facto, neceſſariò aut claſſe cōflicturos, aut bellum cōpoſituros. Id etſi uerè dictum Philocles animaduertebat, tamen poſtulata facere noluit, ꝙ ſentiebat ſe, Alcibiade recepto, nullius momenti apud exercitum futurū: & ſi quid ſecundi eueniſſet, nullam in ea re ſuā partem fore: contrà, ſi quid aduerſi accidiſſet, ſe unum eius delicti futurum reum. Ab hoc diſcedens Alcibiades, Quoniā, inquit, uictoriæ patriæ repugnas, illud moneo, iuxta hoſtes caſtra habeas nautica. periculum eſt enim, ne immodeſtia militum noſtrorum occaſio detur Lyſandro, noſtri opprimēdi exercitus. Neq; ea res illum fefellit. Nam Lyſander cùm per ſpeculatores comperiſſet, uulgus Athenienſium in terram prædatum exiſſe, naueſq; penè inanes relictas: tempus rei gerendæ non dimiſit, unoq; impetu totum bellum confecit. Probus in Alcibiade.

Cùm prætores TYDEVS, Menander & Adimantus, Alcibiadi falſis circumuento criminationib. ſurrogati, cunctas, quæ tunc Athenienſib. erant, naues, in Aegos flumine tenerent, atq; id haberēt inſtituti, ut quotidie infeſti peterent Lyſandrum, qui ſtationē habebat apud Lampſacū, ſub lucē laceſſentes eum, inde retrò redirent, diemq; ſolutè & ſupinè traducerent per contemtū hoſtium: Alcibiades, qui in propinquo agebat, quamuis noua iniuria ab ingrata eſſet affectus patria, haud flocci pependit id uel neglexit, ſed equo aduectus incommodā ſtationem docuit eos delegiſſe locis importuoſis, & oppido carentib. è longinquo autem neceſſaria Seſto petere, & ſinere ſocios nauales, cùm in terrā deſcēdiſſent, quo cuiuſq; animus ferret, uagos palari: cùm claſſis ipſis obiecta ſtaret ad unius iuſſum imperatoris omnia facere obſequenter aſſueta. Hæc monenti Alcibiadi & ad traducendam Seſtum claſſem hortanti, non auſcultauerunt prætores: Tydeus inſuper contumeliosè, ut faceſſeret, imperauit: neq; enim penes ipſum, ſed penes alios eſſe imperiū. Verùm non multo pòſt pœnas ſuæ imperitiæ dederunt. Siquidem cùm ſubitò eos adortus Lyſander eſſet, octo naues cum Conone ſolæ effugerunt: reliquæ paulominus ducentæ captæ atq; abſtractæ. Tria millia capitum cepit atq; trucidauit Lyſander. Athenas quoq; breui poſt in poteſtatem redegit, naues inflammauit, longos muros diruit. Plut. in Alcibiade, & Diod.lib.13.

SAMNITES incluſis duob. Coſs. Romanorum exercitib. ad Caudium, Herennij Pontij ſalutare conſilium neglexerunt, qui auctoritate & prudentia cæteris præſtans, ab exercitu & duce eius filio ſuo conſultus, Quidnā fieri de legionibus Romanis apud Furcas caudinas incluſis deberet? Inuiolatas dimittendas, reſpōdit. Poſtero die eadem de re interrogatus, Deleri eas oportere, dixit, ut aut maximo beneficio gratia hoſtiū emeretur, aut grauiſſima iactura uires confringerentur. Sed improuida temeritas uictorū, dum utranque partē ſpernit utilitatis, ſub iugum miſſas in perniciem ſuam accendit Val.lib.7.cap.2.

Victis ad Cannas Rom. Maharbal præfectus equitū HANNIBALEM monuit, ut nulla quiete militib. data, ex Cannis Romam contenderet, ut priùs perculſa ciuitas uideret hoſtem quàm uenturum putaret: ſic fore, ut quinto pòſt die in Capitolio epularetur. Laudaſſe id conſilium Hannibal dicitur, ſed uiam maiorē eſſe dixit, quàm animo facilè concipi poſſet. Tempore opus eſſe ad id deliberandum. Tum illud à Maharbale ſubiectum, Non omnia eidem dij dedére. Vincere ſcis Hannibal, ſed uictoria uti neſcis. Plut. Bilium quendam Barcham nomine fuiſſe ait, à quo ea ſint uerba in Hannibalem dicta. Sab.lib.1. En.5. & Plut. in Fabio.

Hannibal cùm deſperatis rebus, & ne Romanis dederetur ueritus, ad ANTIOCHVM in Aſiam profugiſſet, eum de bello in Italiā transferendo ſolicitare cepit. Cuius conſilia niſi regij adulatores euertiſſent, Romanis de Italia retinēda denuò timendū fuiſſet. Quod non multò pòſt, cùm rex bello Theſſalis illato, à Romanis uictus, ſerò tandē, Vnū Hannibalem quid facto opus fuiſſet, præuidiſſe, faſſus eſt. Plut. Liuius & Probus.

Cùm M. ANTONIVS in Cleopatræ gratiā claſſe cū Octauio ad Actium decernere pararet: quendā ordinum ductorem pedeſtrium certaminum ſcientem, qui complura prælia ſub Antonio decertauerat, corpuſq; cicatricibus habebat conciſum, Antonio præſenti ferunt eiulantem dixiſſe: Quid imperator hiſce diffiſus uulnerib. & gladiis, ſpem tuā profligatis in lignis reponis? Aegyptij & Phœnices in mari prælientur: nobis permitte terram, in qua aſſueuimus ſtantes occumbere uel uincere hoſtes. Ad ea nihil reſpondit: manu tantùm & uultu quaſi excitans eum, ut bono animo eſſet, præteriit omni bona ſpe depoſita Plut. in Antonio.

Bellis ciuilib. quod M. Cato antè Pompeio, idem Vticæ quoq; cōſulebat P. Scipioni, ne cū Cæſare homine bellatore & acri ſigna conferret: ſed traheret tēpus, quò omnis uiriditas, qua ualet tyrannis, emarceſcat. Hæc SCIPIO ex peruicacia flocciſecit: ac Catoni ſemel ignauiā improperās ſcripſit; Satiſne eſſet ei, quòd in urbe & intra mœnia Vticæ deſideret, niſi etiam prohiberet aliis conſilio pro tempore uti audacter? At euentus Catonis conſiliū bonū fuiſſe oſtendit. Nam citiùs, quàm expectabat, accurrit quidam, qui tertio die uenerat ex caſtris, annuncians, ingenti prælio ad Thapſum contracto omnia perdita eſſe, Cæſarem caſtris potitum, Scipionem & Iubam cum paucis effugiſſe, omnem cæſum reliquum exercitum. Plut. in Catone.

ALPHVS & Algerus, Danorum regis Sigari FF. cum Hagbarto, Amundo, Hachone & Heluino fratribus Amundi Sueconū regis filiis poſt atrox nauale prælium, fœdus ſimul percuſſerant. Quod cùm Boluefius quidā, munerib. corruptus, iterū diſſoluere conaretur, Biluiſius aulicus cōtrà cōſuluit, ut inuiolatū conſeruarent. At cùm ſpreto huius cōſilio, Bolueſio parerent, ſecuta eſt inprimis regiorum liberorum clades & occiſio, filiæ uiolatio & infamis exitus, ac tandē regis Sigari mors: omneſq; Daniæ nobiles unà cum omnib. regij ſanguinis reliquiis penitùs extincti fuerunt, necem fratrum perſequēte Hachone Suecorum rege, qui Sigarum occidit, & Daniam miſerè afflixit. Ioan. Magnus lib.7. c.5. & ſeq.

Nicolaus, Eugenij III. Pp. legatus, Suenonem III. Danorum regē, ob raptas à Ioanne Suerconis regis F. matronas quaſdam Sueticum bellum meditantem, à propoſito reuocare conatus, priùs ei cum immanibus ſcopulis, quàm cum hoſte certandum dicebat. At cùm regis peruicaciam ſuperare nequiret, Araneam eum æmulari dixit, quæ telarū figmentis cum diſcrimine uitæ & uiſcerum ſuorum egeſtione conſertis, nil niſi muſcas & uilia animalia uenaretur. At ille ſuam occupandæ Sueoniæ oportunitatem, tum ob ſenium imbelliamq; Suerconis regis, tùm ob factiones inter eundem & plebem recenter ortas (nam Ioannem filium concionantem occiderant) arbitrabatur: ſpe quoq; tam rata uictoriam complectebatur, ut ante militiæ exordium inter milites ſuos Sueticarum iura prouinciarum, tanquā belli præmia, partiretur. Cùm duo ex proceribus Sueticæ cuiuſdam uirginis æmulatione inter ſe contenderent, Rex beneficij ſui id fore dixit, capta Suecia fortiori cōnubium pollicitus. Suerco crebras ad eum de pace legationes miſit: ſed nullis conditionibus eam impetrare potuit. Igitur fruſtra fatigari ſe uidens, ignotos locorum receſſus quæſiuit, ſummamq; belli Sueonibus credidit. Sueno igitur media hyeme Suecia

ingreſſus, dum neq; decedentibus ſe parcit, frigoris uehementiam non ferentibus militibus, ab exercitus magna parte deſertus, infecta re diſcedere coactus fuit. Saxo lib. 14.

Ad compeſcẽdos Vandalos arcemq; Gnoſdecam muniendã, Vratiſlaus II. Boëmorum rex filium Bretiſlaum cum Alexio duce miſerat. Haud procul à Gnoſdeco uicus erat, Kylebus dictus, frequens habitatoribus, qui ante alios munitionem arcis impediebat. Hunc cùm duo iuuenes Boëmi equeſtri genere nati, ſine ullo maleficio præterequitarent, coorti in illos uicani, ambos crudeliter interfecere. Miſnenſes proinde Saxones, Luſaciis finitimi, clàm exercitu cõſcripto, obſeruabant Boëmorum itinera, ut ſecuros inuaderẽt, ad flumen, quod illi traiiciebant, præmiſſis curribus præda onuſtis, ſolutiſq; ordinibus, & interim Bretiſlao per æſtum in flumine natãte. At Alexius monuit illum, Non eſſe iſthic Boëmiam, ſed Luſaciam, in qua inermem apparere haud expediret. Ferociter ad hæc iuuenis, Se hoſtem non timere: Alexium ſenecta exanguem ſeniliter loqui, oblitum domeſtici prouerbij, Qui ſibi ab ſtrepitu timet, ab ingreſſu ſyluæ tẽperet. Vix hæc renunciata ſunt Alexio, cùm ecce tibi turma equitum hoſtilis à tergo irrumpẽs, metu ſimulato, Boëmos ad locum inſidiarum pertraxit. Ibi cędes magna, quoad Bretiſlaus cùm cæteris cohortibus ſubſidio uenit, interfecto iam Alexio. Dubrauius lib. 9.

Cùm SCOTI atq; PICTI Britanniam, uiris à Maximiano tyranno exhauſtam, à Romanis fruſtra implorato auxilio deſtitutam, inuaderent: Conanus Camber, ex regio Octauiorum genere ortus, pacem ſuaſit. Cæterùm fatis urgentibus, cùm populus bellum prætuliſſet: Conanus inſaniam hanc publicè deteſtatus, à circumſtantibus crudeliter interfectus eſt. Nec multo pòſt temeritatis pœnas dedére, fœdiſſima ſtrage à cõfœderatis regibus affecti, & tributarij Scotorum facti. H. Boëthius lib. 7.

Expugnata Ptolemaide à Philippo Francorum, & Richardo Anglorum regibus, inter captos erat quidam, Characux nomine, prudentiæ fama nobiliſſimus: cuius conſilio uſus Saladinus Sultanus ad tantas opes perueniſſe dicebatur, ſpecie deformis, uultu illiberali, corpore puſillo. Cuſtodię pręfectus ſubmotis arbitris per interpretem obteſtari obſecrareq; cepit, ut induceret in animum fidele conſilium dare ea de re ſuper qua illum conſulturus eſſet. Tunc ille, Nulla, inquit, obteſtatione opus erat: conſultoris nomen ſanctum eſt, ut eum magis fidem quàm prudentiam præſtare colereque conueniat. Cæterùm antè quã referas qua de re expromere me quid cenſeam uelis: ut omnia piè riteq; fiant, ſinas me, oro, operari. Cumq; aqua petita ſeſe purificaſſet, procũbenſq; cœlum ueneratus eſſet, tunc Francus, Pro ſapientia menteq; pectori tuo data, edoce quãnam ratione Latini parare tueriq; perpetuò ſacrum regnum poſſimus? Ille continuò uelut inopinata re perculſus, ſublatiore uoce, Proh dolor, inquit, hic dies excidium afferet genti noſtræ, perebatq; ut conſilij dandi religione ſolueretur. Francus nihil remittebat. Ille iuſſus ſententiam dicere. Terram ergo, quæ uobis ſancta eſt, etiam ut nunc omnem in poteſtatem redigatis, nunquam iure ueſtram uocitari poſſe denuncio, niſi Aegypti imperio euerſo, Aegyptiorum ſpiritus ferociamq; coerceatis, Nilum frenetis: nec in equitatu peditatúue (ut hactenus) omnem uirtutis ſpem reponatis. Naualis gloria terreſtribus copiis addita, uictoriam incruentam dabit. Damiata terra mariq; maximè oportuna arx, eſt domanda in primis, ut Hieroſolymitanum regnum, quando id maximè uobis cordi eſt, quærere tueriq; poſſitis. Hæc tunc Characux ſurdis narrabat, quibus ſi paruiſſent LATINI, Oriens omnis Chriſti iugum poſtliminiò magna cum Latinorum gloria ſubiiſſet. Aemilius lib. 6.

Conſtiterant aduerſus Anglos Franci ad Creſciacum. Ioannes Dux Luceburgenſis, Boëmiæ rex, Philippum Valeſium regem admonet, optimum factu eſſe, peditatum, qui ſubſequebatur, cuiuſq; pars non contemnenda Ligures ſagittarij erant, in prima acie opponi hoſti habenti maximã ſpem in ſagitta: & priùs quàm cum recenti integroq; hoſte dimicetur, ieiuna feſſaq; corpora reficere firmareq;. Pedites læti conſilio Luceburgenſis, ſolutis ordinibus ad cibum capiendum ſe expediunt. Qui EQVITVM in extremo agmine relicti erant, affirmant ſibi nullum uitæ finem antè futurum, quam poſteriores pedes ſuorum equorum prioribus anteſignanorum ueſtigiis inſtiterint. Qua alacritate cæteri moti, exortaq; æmulatione, & ipſum regẽ & duces permouent peruincuntq;, ut dum calerent animi, pugna cõmitteretur. Licèt igitur plurimus imber arcuum neruos laxaſſet, & repentè ex turbida minaciq; tempeſtate, nitidiſſimus ſol Francorum oculos perſtringeret: cæca tamen pugnandi cupiditate rabie, Franci pugna commiſſa, clade funeſtiſſima affecti ſunt. Aemil. lib. 9.

CAROLVS iunior Siciliæ rex contra Petrum Aragoniũ claſſe decertans, uictus eſt atq; captus, temeritatis pœnas luẽs, quòd Gerardo Parmenſi legato Apoſtolico, cum à certamine deterrente, non paruiſſet. Nam paulo pòſt pater Carolus cum ingenti claſſe ſuperuenit, qua etiam cum hoſte nondũ uictore decertare potuiſſet. Platina.

SIGISMVNDVS Imp. in Vicegradum arcem ab Huſſitis obſeſſam commeatum inuehere uolebat. Obiiciunt ſe Huſſitæ munitionibus extra portam excitatis, denſiſq; flagellantiũ ſtationibus inſtructis. Tũ Henricus à Crauar Morauiæ præfectus regem adit, à pugna illius diei eum dehortaturus, quando nulla ex arce Vicegradenſi ſubſidia adeſſe uideret, inquiens: Noui ego rex, flagelliferos iſtos ruſticos flagellis præferratis inſtructos, ac nimis metuo, ne multum uapulemus, ſi intempeſtiuam cum illis pugnam iniuerimus. Commotus hoc dicto rex: Et ego, inquit, noui, uos Morauos eſſe meticuloſos, non ideò tamen deterrebor, quo minus ruſticos illos cum fortibus uiris hodie aggrediar. Tum Henricus, & præterea duodecim inſignes Morauiæ proceres, equis deſilientes, Hic dies, inquiunt, teſtis erit cuiuſq; fortitudinis. & mox in primã aciẽ progreſſi, fortiſſimè dimicantes cecidere, cum CCCC aliis, cæteris omnibus fuga elapſis. Arce capta, prophanarunt Huſſitæ templa, uaſtauerunt altaria, polluerunt palatia, deniq; deſertam reliquerunt arcem in pomorum cuſtodiã, Rege cum Hungaris ad nouam arcem confugiente. Dubrauius libro 26.

VLADISLAO Hungariæ rege contra Amurathẽ Turcarum Imp. uiolato fœdere bellum gerentem, ad Nicopolim, Dracula Valachiæ princeps occurrit, & militum paucitate uiſa, cum continuò obteſtari cepit, ne ultrà contenderet: exploratas ſe Turcæ uires habere: quippe qui cum longè maiore ſeruorum manu uenatum prodire ſoleret, quàm Hungaricæ tunc forẽt copiæ: quærenda cum ſupplementis externorum auxilia. Verùm cùm Iulianus Cęſarinus Pontificius legatus quotidie magis iter urgeret, Dracula auxiliorum loco filium cum quatuor milibus equitum expeditiſſimorum cum eo miſit, item duos ſtrenuos iuuenes locorum peritiſſimos, & in digreſſu, ad belli uſum, duos miræ perniciatis equos dono dedit, quorum opera effugeret. Bonfinius libro 6. Decadis 3.

In prælio ad Nicopolim ſeu Varnam commiſſo, traditur Turcorum Imp. Amurathes in uno cornu Aſiæ, in altero Europæ Baſſam collocaſſe: in medio ipſe cum Ianizaris, & trib. equitum expeditiſſimorum milibus: ſuum agmen foſſa ualloq; pręmuniuiſſe, ut ſi quid aduerſi accideret, ueluti in tuta caſtra ſe reciperet: intra uallum onerarios camelos, & iumẽta, loco muri, ſimul perpetua catena coniunxiſſe. Contrà, apud Hungaros, dextro Io. Coruinũ, ſiniſtro cornu Michaelem Nigrum præfuiſſe, regem VLADISLAVM in medio conſtitiſſe. Antequam collatis ſignis congrederentur, in caſtris fuiſſe deliberatum, ut Coruinus & Michael cum duob. Baſſis eodem tempore prælium inirẽt, & regium cum regio agmen, ſi neceſſe foret, congrederetur. Ex cõpoſito pugna conſeritur. Michael Aſiaticũ, Europicum Baſſam Coruinus adorti fundũt. Rex gloriæ cupidus, ut ueluti duces cum ducibus, ſic rex cum rege congrederetur, moræ impatiẽs, quadrato in Amurathem agmine contendit, intra munitiones ac uallum cum Ianizaris ſe continentem, & Coruini monitorum immemor, uix cum equitibus ſeptuaginta per aditũ intra caſtra irrumpens, à Ianizaris equo ſuffoſſo captus, & interfectus, caput haſtæ præfixum uallo impoſitum. Quod ubi conſpexére ſui, animo cõſternati, terga uertére: quicunque cum eo caſtra inuaſerant, pari fato oppetierũt. Chalcocondylas lib. 7. & Bonfinius lib. 6. Dec. 3.

GENVENSES, claſſe Veneta ad Polam ingẽti clade uicta, ad Foſſam Clodiam expugnandam ſe cõuertêre. Quòd ſi Franciſci Carrarieſis Paduæ principis conſilio paruiſſent, & Clodia dimiſſa, mare Venetorum urbi clauſiſſent, & commeatus auertiſſent, de Venetis actũ fuiſſet. Blõdus lib. 10. Dec. 3. Iam uerò captà Clodia, eiuſdem ſuaſu Venetias inuadere negligentes, ſpacium recolligendi hoſtibus dedere. Platina in Vrbano VI.

Iulius II. Pontifex Venetorũ copiis & Neapolitani regis ſubnixus, contra Alfonſum Ferrarienſem ducem, cui Ludouicus XII. Gallorum rex duce Gaſtone Foiſſcio auxilia miſerat, tribus à Rauenna miliaribus ad Roncum amnem prælio commiſſo, anno 1512. 11. Aprilis tanta ſtrage uictus eſt, quantam uix aliam in Italia ſub ea tempora contigiſſe memorant, unius PETRI Nauarri ducis alioqui clariſſimi pertinacia. Nam cùm tranſeuntib. flumen Gallis, Fabricius Columna, octingentis equitibus præfectus Italicis, infeſtis eos ſignis adoriendos cenſeret, Nauarrus, qui ſe uel ſolum cum Hiſpanis ſuis peditibus hoſtes uincere poſſe ſuperbè gloriabatur, ne quod illis effugium pateret, tranſire permiſit. Iam cùm tormentorum ictibus à Ferrarienſi equitatus Columnæ grauiter affligeretur, neq; tamen Nauarrus ſignum pugnæ dare uellet, tum Fabricius clara uoce exclamãs, Eſt ne nobis omnib. unius Marrani pertinacia & peruerſitate turpiter moriendum? an Hiſpaniæ Italiæq; decus unius Nauarri gratia interire patiemur? nihilq; proregis Raymundi Cardoni uel ſignum uel imperium moratus, ſuos equites ultra foſſam impulit. Quem cùm reliquus equitatus ſequeretur, Nauarrus peditibus ſuis ſignum dare coactus fuit. Sed tormentorum iniuria diuulſo equitatu uictores Galli, Foiſſeium ducem amiſere, maiore quàm uicti detrimento, cum quo martius illius exercitus uigor planè cõcidiſſe uiſus eſt. Guicciardinus lib. 10.



Galliæ rex Ludouicus XII. capto Ludouico Sforcia, & penè ſine uulnere Inſubrum pricipatu potitus, eum tamen auctoritate Cæſaris corroborandum exiſtimauit. Igitur cum Maximiliano Cæſare numerata pecunia tranſactum eſt, procurante eius negotij tabulas GEORGIO Amboſio Rotomagenſi cardinale, in hanc formulam, ut Ludouicus, eiuſq; gener ex Claudia filia Franciſcus, Angoliſmorum regulus, liberiq; demũ eius poſteri ſucceſſores, beneficiario iure, Mediolani duces appellarentur. Verùm Germani Cæſaris conſiliarij in ipſo cõcepti diplomatis contextu, particulã trium uerborum inſerebant, quæ conceſſionem ſine præiudicio alieni iuris factam oſtenderet, quòd Cæſar, pudore incolumi, prioris diplomatis, ſeptennio antè Ludouico Sforciæ eiuſq; liberis conceſſi, penitùs obliuiſci non poſſet. Aderat tum Georgio cardinali Godofredus Carlius, ſenatus Mediolanenſis præſes, iuris intelligentia clarus. Is auertendas ſerendæ litis occaſiones egregiè cautus, eam triũ uerborum ſententiam nequaquam ex uſu regiæ petitionis eſſe differebat, quòd nõ extincta omnino, ſed rediuiua Sforcianorum iura non obſcurè denũciaret. Sed Georgius ut quoquo modo tranſigeretur, conſtantibus in id Cæſaris conſiliariis, ea uerba generoſè contemſit. Neq; Godofredus in pręſentienda lite falſus omnino uates fuit, quando ea demum ambigui ac ideo funeſti iuris particula non Italiã modò, ſed Europam omnem inuecto exitiali bello maximè conturbarit. Siquidẽ Ludouico XII. poſt ſubactos Ligures, Venetoſq; terreſtri imperio penitus exutos, ad cõuellendam Iulij pontificis auctoritatem conſilium Piſis indicente, non aliundè Iulius pontifex quàm ex his tribus uerbis tuendæ dignitatis occaſionem arripuit, ut Maximilianus Sforcia in paternum principatum reduceretur. Et Leo X. Pp. octo poſt annos, eandem belli cauſam ſecutus, ut Parmam Placentiámque recuperaret Mediolano Gallos depulit. Iouius in narratione Mediolanenſis hæreditatis.

Ludouicus XII. Galliæ rex, ducibus ſuis in regno Neapolitano per literas ſcripſerat, ut defenſioni incumbentes pugnam euitarent: mox enim uel pacis confirmationem, uel magna auxilia habituros. Sed cùm exercitus utrinque ualidi eſſent & propinqui, GALLORVM ardorem temperare, & ut bellum produci paterentur, efficere, difficile erat: imò fatis, ut de rerum ſumma nulla ampliùs interpoſita mora decerneretur, trahebantur. Itaq; cùm ad Gioiam Calabriæ oppidum Hiſpanos flumen ſuperantes, incompoſitè Galli adorirentur, uicti ſunt: multi duces capti, ipſe Obigninus dux exercitus, quamuis in Angitolæ arcem confugiſſet, in ea incluſus, ſeſe dedere fuit coactus, in iiſdem locis debellatus & captus, in quibus paucis annis antè tanta cum laude Ferdinandum regem & Conſaluum Magnum ſuperauerat: uſqueadeò mobilis eſt fortunæ blandientis aura. Nec ei uiro, qui fuit ex præſtantiſſimis ducibus, quos Carolus VIII. Galliæ rex in Italiam duxerit, liberoq; & nobili ingenio, aliud quidquam obfuit, quàm nimio impetu ad uictoriæ ſpẽ properare. Guicciardinus lib. 5.

ODETTVS Foiſſeius Lotrechij regulus, Gallorũ Neapolim obſidentium dux, natura obſtinatus & pertinax, ut qui ingenio ſuo indulgens errare mallet, quàm alienis uti conſiliis: ne quiſquam ipſo melior militiæq; peritior exiſtimari poſſet, peſtilentia ob caſtrorum inſalubritatem oborta uniuerſum exercitum abſumi, quàm Rentij Ceretis, qui in circumiectas urbes & oppida tranſportandum exercitum ſalubri conſilio cenſebat, ſententiam approbare maluit. Qua pertinacia & ſibi præſtantiſſimiſq; ducibus mortem accerſiuit, & iam propè partam uictoriam amiſit. Iouius lib. 26. Hiſtor.

Conſaluus Agidarius Magnus uoluiſſet expugnata Cephalenia, Chalcidem decreto petere, & Turcis trepidantibus circa Peloponneſum arma Veneta oſtentare: præmiſſis iam, qui ea loca diligentiùs explorarent, Iacobo Agidario itineris duce, uiro ſolertiſſimo. Sed Nic. PISAVRVS, Venetus imperator, certo quodam cõſilio obſtitit, maius id facinus ratus, quàm ut ex ſententia rem ceſſuram ſperaret. Sabellilicus lib. 10. cap. 13.

RODERICVS Portundus, Hiſpanicæ claſſis, quæ Carolum V. Cæſarem ex Hiſpania in Italiam uexerat, præfectus, Barchinonem reuerti iuſſus, ſummum fœdæ calamitatis infortunium ſubiit. Commiſſo namq; nauali prælio cum Turcis prædonibus, claſſe exutus eſt, atq; interfectus. Ex itinere enim prædones ſe adepturum ratus, qui tũ Balearico in mari uagabantur, quum ad Ebuſum inſulam perueniſſet, ibi didicit prædonum quindecim nauigia, quæ remis agerentur, ad Colubrariam inſulam conſediſſe. Itaq; euectus in ſpem opprimendæ piraticæ claſſis, ex quindecim ſuis triremibus ualidiſſimas octo deligit, eaſq; cęterarum remigibus & epibatis complet. Quum Ioãnes eius filius hoſtilium nauigiorum claſſem numeraſſet, ideoq; admoneret patrem, ne properaret congredi numero impar: uehemẽter eum acerbeq; ignauia increpita obiurgauit, uſqueadeò inſolenter, ut diceret, Eum non eſſe ipſius Portundi filium, qui hoſtẽ reformidaret, biremibus tantùm ex ſpeculatoriis myoparonibus inſtructum: quando ipſe uel ſua tantùm prætoria trireme, cuncta ea barbarorum leuiora nauigia eſſet demerſurus. Tum filius qui cùm uirtutis, tum prudentiæ præcellentis erat, Dij faxint pater, inquit, ut nos concepti timoris diſpudeat potiùs quàm doleat. Eo modo Portundus ſuæ prætoriæ ita curſum intendit, ut reliquas quæ remigio minùs ualebant, anteiret. Aidinus Smyrnæus archipirata, cui Cacciadiabolo cognomen fuit, ubi inæqualem hoſtiũ curſum deprehendit, quòd longa & interciſa ſerie nullam conſerturi frontem cum prætoria uidebantur, hoc conſilij ſuſcepit, ita diuiſis pugnæ muneribus, ut ualidiores biremes roſtris hoſtilem claſſem rectà ferirent, leuiores autem ſingulas binę à lateribus aggrederentur. Fauit fortuna prædonibus æqua, noſtris uerò infeſtiſſima. nam Aſſanes Celebinus, & Solymanus, audaciſſimi omnium & pugnaciſſimi, uno tẽpore, hic à latere, ille rectiſſimè à prora in prætoriam inuecti, priuſquã ſuccurri poſſet, Portundum, capta pręt oria, cum ſuis omnibus propugnatoribus trucidarunt, ita, ut uexillum repentè, quod magnopere cæterorũ animos imminuit, ſterneretur: pariq; celeritate reliquæ triremes, captis omnibus, in poteſtatem Turcarum uenêre. Iouius lib. 27.

FLORENTINI, Coſmo Saxeto ſenatori bellum contra Clementem VII. Pp. Romæ à Cæſarianis obſeſſum diſſuadenti, non parentes, nõ multo pòſt temerarij cepti pœnas dederunt, libertate ipſis erepta Siquidem poſt annuam obſidionẽ, annona abſumta, ærario exhauſto, Clementi ſe dedidere, & Cæſaris uoluntate Alexandrum Medicem, Clementis nepotem, Caroli V. generum, ducis nomine ſuſcepere, anno 1531. Sab. ſupplem. lib. 10. & ex Iouio.

SELIMVS Turcorum tyrannus contra Amurathem nepotem in Armeniam ducebat. Verùm ob itineris difficultatem & pericula Chendemus Baſſa ſummæ auctoritatis ſuadere cepit, ut in Cappadocia ſubſiſteret, exercitum ab labore uiæ reficeret, atq; illinc hoſtium aduentum opperiretur. Selimus, qui, ut erat aſperi atq; immitis ingenij, cuncta conſilio atq; auſpiciis ſuis adminiſtrari uolebat, prætorium dimiſit, teſtatus ſe iturum per pacata infeſtaq;, & uictoriam omnino relaturum, poſtquam ſenex tantoperè de uita ſolicitus, honeſtiſſimam mortem timeret. Hęc dicentem regem excepêre ſtatim alij duces, aſſentari ſoliti, qui propter æmulationẽ Chendemi gloriæ atq; opibus inuidebant, eiuſq; fidem ſuſpectam tyranno reddebant. Eum Selimus præpropera crudelitate præceps, inauditum, ac uera monentem interfici iuſſit, ut cęteros ab ſimili dicendi libertate deterreret, doceretq;, ea eſſe optima conſilia, quæ imperator diuina ueluti ratione reperiſſet. Sed euentus docuit, tutius fuiſſe Chendemi conſilium, & id tyranus ipſe facilè agnouit. Nam XXX. millibus ſuorum amiſſis, & tormentis bellicis relictis, quibus ſolis uictoriam licèt dubiam reportarat, fugienti ſimilis Perſarum finibus exceſſit. Sab. ſupplem. lib. 4.

LAVRENTIVS Almeida, Frãciſci Prætoris Luſitani apud Indos F. uictoriis clariſs. tandem in portu Chaulenſe contra claſſem Campſoris Aegyptij pugnans, ſagitta confixus fuit. Qui cum illo erant, eum hortabantur, quando æſtus aduerſus eſſet, & ideo minimè poſſet in hoſtium nauem inuehi, regrederetur. Quod conſilium ille, iuuenili audacia motus, accipere nolens, alia rurſus ſagitta uulneratus, à prælio tamen non deſtitit, donec quinq; hoſtium triremes cepit, reliquaſq; fugauit. Nauarchi cùm illum uiderent ſaucium, magnamq; militum partem uulnerib. impeditam, eum hortabãtur, ne cum hoſtium roſtrata naue congrederetur, ſed eã & alias tormentis eminus uſq; eò uerberaret, dum omnes deprimeret. Id conſilium Laurentius aſpernatus eſt, cùm diceret, Naues hoſtiles eſſe magnas, & omnibus rebus inſtructas, adeoq; melius eſſe eas omnes capi, quã demergi. Sequenti die cùm hoſtium claſſis ſe collegiſſet, Luſitani poſt mediam noctem clàm uela faciunt. Hoſtes inſequũtur, prætoriamq; nauem, quæ agmen cogebat, emiſſis telis remorantur, eamq; unam multæ circumueniunt. Tormenti præterea unius ictu perforata, aquæ magnam uim intra ſentinam admiſit: cuius põdere grauata, clauo dirigi haudquaquam poterat: atq; tandem in piſcatorum munitionẽ, quæ ſub aqua latebat, incidens impegit. Fuit Laurentius à ſuis admonitus, ut in paronem, ad eam rem paratũ, ſumma celeritate præditum deſiliret, ut poſſet ad ſuos cõfugere. Quo con-

conſilio grauiter offenſus, Minimè ſibi decorum fore, dixit, id periculum deuitare, in quo commilitones ſuos deſereret. Præterea confidere, tandiu ſe poſſe cum illo præſidio, quod ſibi fuerat reliquum, nauē tutari, dum æſtus reciprocatione poſſent rurſus reliquæ naues ad opem ferendā accedere. Erant tunc in naui ſeptuaginta homines uulnerati, & triginta tantùm ſani. Hoſtes cùm cernerent, quàm acri animo Luſitani ſe ad reſiſtendum pararent, eminus tantùm rem gerebant: crebris tormētorum ictibus omnia perſonabant. Laurentius hortator & ſpectator aderat, & omnibus rebus occurrebat, optimique imperatoris officio fungebatur. Tandem cùm femur illius pilæ ictu dilaceratum fuiſſet, ſe in cathedra ad nauis malum collocari præcepit, & indè animo maximo imperabat, eoſq; ut uirtutem factis egregiis oſtenderent, hortabatur. Hæc maximis uocibus admonentem alia pila in pectus emiſſa interemit. Nauis iam maxima ex parte armamentis nudata, atque multis in locis diſſoluta, & aquis oppleta, tandem capta eſt. Oſorius libro quinto rerum Emmanuelis.

## CONSILIIS STVLTIS, MALIGNIS, FRAVDVLENTIS PARERE.

*Superioris Tituli exempla quædam huic loco conuenient, quatenus conſiliis bonis non parentes, conſiliis malis parent. Verſatur itaq; locus uterq; in comparatione mutua bonorum & malorum conſiliorum. Ex Tit. Ignauorum & ſtultorum Principum quædam huic loco inſeruient.*

### EXTRA BELLVM.

ADAMVS ſiue illecebris Euæ perſuaſus ſciens, ſiue humana fragilitate interdicti diuini oblitus, ignorans de fructu uetito comedit, ſuaque culpa & iuſtitiæ Dei horrendæ, & miſericordiæ in æternū celebrandæ campum aperuit ampliſſimum. Geneſis tertio.

SEDECIAS Iudæorum rex, Hieremię prophetæ monitis non inuitus paruiſſet: ſed conſiliarij & principes eum corrumpebant: quibus ut morem gereret, Hieremiam in uincula coniici paſſus eſt. Ioſephus lib. 10. cap. 10. Antiq.

Paulus Apoſtolus Romam uinctus ducebatur. Diuinitùs autem periculoſam nauigationem fore cognoſcens, in Creta inſula ſubſiſtendum putabat. At cùm CENTVRIO plus nautis quàm Paulo crederet, tandem ad Melitam in Mari Adriatico grauiſſimum ſunt paſſi naufragium. Actorum 17.

Cùm cognouiſſet Iuno, Iouē cum SEMELE Cadmi F. ſæpius rem habere, zelo & ira mota, ſumta unius ex Semelæ ancillis forma, ſuaſit illi, à Ioue petere, ut ea maieſtate honoreq; ſecum concumberet, quibus cum Iunone conſueſſet. Quod poſtulatum annuens Iupiter, cum tonitru ac fulmine ad Semelem deſcendit. Quæ inſolita re territa, expirans aborſa eſt. Diodorus lib. 3. cap. 5.

ATHENIENSIBVS fato datum eſt, ut abuſi ingenio, ſi quid publico concilio decernēdum foret, in deteriorem partem plerumq; ſtatuant, ſemperq; quod in diſcrimē adducit, conſilium ſequantur. Quare uerbum Anacharſis fuit, Sapientes in concionibus ſententiam dicere apud Græcos, ſtultos uerò iudicare. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 11.

Poſt cladem à Pompeio ad Dyrrhachium acceptā C. IVL. Cæſar Apolloniam profectus eſt. Eum ſecutus Pompeius, ſolitis artibus bellum trahere cunctando erat intentus, ut ceperat: principes uerò ipſius ambitionem in prorogando bello arguebant. Tot uocibus conſiliiſq; ſuperatus, unus omnib. ceſſit inuitus, decreuitq; pugnare: adhuc tamen rem trahebat. Cæſar uerò dilationem oderat, neq; ſperabat Pompeium poſſe ullo ingenio ad pugnandum induci. Hac difficultate perplexus, ultimum belli genus elegit, ut motis caſtris in perpetuo motu eſſet, neq; unquam ampliùs quàm unum diem uno ageret in loco. Hoc ſibi conſilium una ratio ſuggerebat: nouerat enim exercitum ſuum fortem, duratumq; laboribus, Pompeianum uerò molliorem, uerſatum in urbibus, & diſcurſibus inſuetum: itaq; circunducendo illum poſſe fatigari. Præterea mutatione locorum, quòd frumenta iam in agris eſſent, uicturum uberiùs exercitum confidebat. Illa autem ſpe potiſſimùm mouebatur, ſi forſitan ſe uagante hoſtis etiam moueretur, & ſic inter eundum caſus aliquis atq; occurſus exoptatæ pugnæ tribueret facultatem. Ex his enim omnibus hoc ultimum euenit, ut ſine ampliore diſcurſu pugnæ daretur occaſio, quum ab Apollonia Cęſar caſtrametatus eſſet, in Theſſaliam regionē uicinam. Collatis aciebus, quantūuis numero lōgè maior, uictus eſt Pompeius. Io. Gerund. lib. 9. Paralip. Hiſpan.

CLAVDIVS Cæſar libertis uxoribuſq; addictus, non principem ſed miniſtrum egit. Compendio cuiuſq; horum, uel etiam ſtudio ac libidine honores, exercitus, impunitates, ſupplicia largitus eſt: & quidem inſciens plerunq;, & ignarus. Suetonius.

Sergius GALBA maiore fauore & auctoritate adeptus eſt, quàm geſſit Imperium: regebatur trium arbitrio, quos unà & intra palatium habitantes, nec unquam non adhęrentes, Pædagogos uulgò uocabant. Hi erant T. Iunius legatus eius in Hiſpania, cupiditatis immenſæ: Cornelius Laco, ex aſſeſſore præfectus prætorij, arrogantia ſocordiaq; intolerabilis: libertus Icellus paulo antè anulis aureis, & Martiani cognomine ornatus, ac iam ſummæ equeſtris gradus candidatus. His diuerſo uitiorum genere graſſantibus, adeò ſe abutendum permiſit & tradidit, ut uix ſibi ipſi cōſtaret: modò acerbior parciorq;: modò remiſſior ac neglıgētior, quā conueniret principi electo, atq; illius ætatis. Suetonius.

Miſſus contra Gothos, qui ſuperato Iſtro in Thraciam Mœſiamq; ſeſe effuderant, Sebaſtianus cum CCCM. peditum, Hadrianopoli eos profligauit. Sed & Gratianus Auguſtus exercitum, parta de Lentienſibus Germanis uictoria clarū adducebat: & Valentem Imp. qui illis obuiam proficiſcebatur, ut ſe expectaret, nec ſolum tanto ſe periculo obiiceret, obſecrabat. Sed uicit eorum ſententia, quibus Gratianū non expectandum eſſe placuit, ne uictoriæ iam penè partæ particeps adoleſcens Germanica uictoria glorioſus euaderet. Interea presbyter quidam Chriſtianus, à Fritigerno Gothorum duce legatus ad Valentem acceſſit, ac nomine Fritigerni petiit, ut ſibi ſuiſq; patria pulſis habitanda Thracia cum omni pecore traderetur, & pax cum Gothis perpetua firmaretur: proprio uerò, tanquā amicus, monuit, nūquam Gothorum populum ad has conditiones deſcenſurum, niſi armatum eis exercitum oſtentaret, & terrore Imperatorij nominis intentato, eos pernicioſo pugnandi ſtudio deterreret. Ergo Valens exercitū inſtruit. Gothi ſtrepitu armorum perterrefacti, iterum legatos de pace miſerunt. Quorum uilitatem Imperator aſpernatus, optimates ad ſe mitti poſtulauit, moras autem illi de induſtria iniiciebant, ut equites ſui ad tempus redirent, & miles Romanus calore debilitatus æſtiuo liqueſceret, ardētibus circùm campis, quibus dedita opera ignem intulerant. quod malum grauis etiam hominum iumentorumq; inedia onerabat. Prælio inito, uicti magna ſtrage Romani, ut uix tertia pars exercitus euaſerit. Cladi nox modum impoſuit. Valens primis tenebris lethali ſagittæ ictu ſaucius ex acie ceſſit, neq; poſtea apparuit. Fama obtinuit, eum cum candidatis & ſpadonibus paucis ad agreſtem quandam caſam eſſe delatum, ibiq; ab ignorantibus hoſtibus, quis eſſet, circunſeſſum, &, quòd introrumpere non poſſent, admotis ſarmentis, & ſubiecta flāma ipſum cum domo eſſe combuſtum. Sigonius lib. 8. Imp. occid.

ISAACIVS Angelus Imp. aliorum, & quidem ineptorum hominum conſiliis gubernandum ſe permiſit, ſumma rerum Theodoro Caſtamonitæ auunculo mandata. Eum Logothetam ſecretorum deſignauit, illiuſq; arbitratu huc atque illuc inſtar mancipij trahebatur, & quicquid ille uellet, agebat, nuſquam iudicio ſuo interpoſito. Hoc mortuo, Imperatoris beneuolentia in adoleſcentulum quendam, cui adhuc literatore & tabella opus erat, tranſlata eſt. Eo quoq; extincto, paruus puer, qui non ita pridem à calamo & atramēto diſceſſerat, propter facetias ſuas ſummā rerum adminiſtrauit, ita ut non Imperatorem duntaxat, ſed militares etiam catalogos tractaret. Nicetas lib. 3.

ALEXIVS Angelus Græcorū Imp. initio principatus proclamari iuſſit, ſe magiſtratus non uenditurum, ſed delectu ex optimis habito, gratuitò mandaturum. At cùm nimia facilitate amicis ſuis omnia concederet, Reſp. præfectorum auaritia peſſundata eſt. Nicetas lib. 2.

CAROLVS Canutus, rex Sueonum & Gothorū, auariſſimorum præfectorum culpa regno pulſus à Ioanne Vpſalenſi archiepiſcopo, ad Caſimirum regem Poloniæ fugere uolebat. Diſpoſitis nauibus, cùm iam ſola anchora leuanda reſtaret, quidam ex pręfectis regem interrogat, An quicquam in terra neglexiſſet? At is ſuſpirans reſpondit: Neglexi profectò ante plures annos te, & tui ſimiles, in furcam ſuſpendere: quod ſi tunc feciſſem, nunc quietus in tranquilla repub. remanerem. Io. Magnus lib. 23. cap. 7.

Miſtiuoius Vandalorum princeps, poſtulauerat in coniugem neptem quandam BERNARDI ducis Saxoniæ. Dux ſpem fecerat poſcenti. Inſtāte tum expeditione Henrici I. Imp. in Italiam, Miſtiuoius, ut futurum matrimonium aliquo in ducem obſequio demereretur, cū mille equitib. Ducem comitatus eſt: qui in prima ſemper pugnantes acie penè omnes perierunt. Reuerſus in patriam, puellam depoſcebat. Tum Theodericus marchio Brandeburgenſis conſanguineā ducis clamabat non eſſe dandam cani. Quo ille audito uehementer indignatus diſceſſit. Dux metuens rebellionem, Miſtiuoiū reuocauit, ut optatis nuptiis potiretur. At ille reſpōdit, Magna nobis gratia rependitur pro obſequio, ut iam canes, non homines iudicemur. At canis ferox magnos dabit latratus & morſus. Reuerſus in Vandaliam, ad rebellionem cōcitauit populares omnes, à quibus Saxonia miſerè diſcerpta eſt. Theodericus exutus à Vandalis omni ſuo principatu, præbendarius factus Magdeburgi, miſeram uitam in calamitate finiuit. Miſtiuoius tamen ſub finem uitæ ad ſe reuerſus, pulſus patria Bardeuicum conceſſit, ibiq; piè conſenuit. Cranzius lib. 2. Vandaliæ, c. 41. & 42.



DONEVALDVS Foreſſenſis arcis in Morauia præfectus, q Duffus Scotorum rex quoſdam adoleſcentes ſibi neceſſarios ob rebellionē extremo affeciſſet ſupplicio, uxoris ſuaſu & hortatu regem hoſpitio exceptum crudeliter necauit. H. Boëthius lib. 11.

### IN BELLO.

ADRASTVM regem Argiuorum obiurgat Theſeus apud Eurip. Supplicibus, quòd iuuenibus obſecutus, duxerit exercitum contra Thebanos,

Εἰς δὲ στρατείαν πάντας Ἀργείους ἄγων,
μάντεων λεγόντων θέσφατ', εἶτ' ἀτιμάσας,
βίᾳ παρελθὼν θεοὺς, ἀπώλεσας πόλιν,
νέοις παραχθείς· οἵτινες τιμώμενοι
χαίρουσι, πολέμους τ' αὐξάνουσ' ἄνευ δίκης
φθείροντες ἀστούς· ὁ μὲν, ὅπως στρατηλατῇ·
ὁ δ' ὡς ὑβρίζῃ, δύναμιν εἰς χεῖρας λαβών·
ἄλλος δὲ κέρδους οὕνεκ', οὐκ ἀποσκοπῶν
τὸ πλῆθος, εἴ τι βλάπτεται πάσχον τόδε.

In militiam omnes Argiuos ducens, uatibus interdicentibus, diuina tamen dicta negligens, ui, negligens deos, perdidiſti ciuitatem, à iuuenibus inductus: qui in honore poſiti gaudent, & bella promouent abſq; iuſtitia, perdentes ciues: hic quidem, ut imperator ſit: alter, ut ꝓ libidine imperio in manus ſuſcepto: alius propter lucrum, non reſpiciens populum. Sed & paulo antè dixerat ad eundem.

εὐψυχίαν ἔστερξας ἀντ' εὐβουλίας.
ὃ δή γε πολλοὺς ὤλεσε στρατηλάτας.

Alacritati nimirum ſtuduiſti potiùs quàm bonis conſiliis. Hoc ſanè multos perdidit Imperatores.

Cùm CARES à rege Dario defeciſſent, & ad Colūnas albas, ad amnem Marſyam conueniſſent, conſulturi quomodo Perſis repugnare poſſent: multæ ſunt à multis dictæ ſententiæ, ſed optima omniū à Pixodoro Mauſoli, uiro Cendyenſi: ut tranſmiſſo Mæandro Cares flumen à tergo habentes, ita demùm cum hoſte congrederentur, ut ſublata ſpe retrò fugiendi, redderentur animoſiores. Verùm hæc ſententia non peruicit, ſed illa, ut Perſis potiùs à tergo Męander eſſet, ne Perſæ fugā facientes euaderent. Superato à Perſis Mæandro, ad amnem Marſyam Cares pręlium conſeruère, uictiq; ſunt magna ſtrage. Herod. lib. 5.

PHOCENSES ob multam ipſis ab Amphictyonibus irrogatam, quòd Xerxis in Græciam irrumpentis partes, licèt neceſſitate coacti, ſecuti eſſent: Philomeli conſiliū de inuadendo Delphico fano amplexi, ſe ſuoſq; perdiderunt. Quandóquidem ob id factum omnes Phocidis urbes dirutæ & ad formam uicorum redactæ fuerunt à Philippo rege Macedonum. Pauſanias in Phocicis, & Diod. lib. 16.

Ariſtagoras Mileſius tyrannus, cùm inſtinctu Hiſtiæi Mileſij à Dario rege defeciſſet, & ſocietatē belli habere cuperet: primùm Spartam uenit, ut Cleomenem regem perſuaderet, propoſita facilitate Aſiæ potiundæ. At Cleomene id prudenter renuente, Athenas profectus, id quod Cleomeni ſoli non poterat, triginta millibus ATHENIENSIVM perſuaſit. Miſerunt igitur uiginti naues Ionibus auxilio. Quæ claſſis initium omnium malorum Græcis extitit & Barbaris; & Darium ad ſubigendos Græcos impulit. Herodotus libro quinto.

Nicias Nicerati F. Athenienſis, Alcibiadis ambitioni ſeſe acriter opponens, à bello Syracuſano populum dehortabatur. At cùm Alcibiadis rogationem ATHENIENSES approbaſſent, & Niciam Alcibiadi atq; Lamacho collegā adiunxiſſent: aduocata cōcione à ceptis eos reſtato deterruit. Inuitus inde ad bellum pertractus, cùm Syracuſanos extremè urgeret, Gylippo tandem Lacedæmonio ſuperueniente, in portu Syracuſano incluſus, claſſem amiſit: terra fugiens, ſe ſimul & exercitum hoſti uinciendum obiecit, ad amnem Aſinarum, non culpa ſua, ſed fatali neceſſitate: quam uti præuidit, ita Athenienſibus, ne in eam ruerent, perſuadere nequiuit. Plutarchus in Nicia.

ATHENIENSES à Syracuſanis magna clade affecti, & à ſociis bello Peloponneſiaco derelicti, imperium maris amiſerant. Alcibiadis tamen licèt exulis ope ſeſe paulùm recolligentes, Lacedæmonios in Helleſponto non paruis cladibus affecerant. Lacedæmonij Endium legatum Athenas miſere pacis cauſa. Modeſtiſſimi Athenienſium ad pacem inclinabant. Cæterùm qui bellis aſſueuerant, & popularibus tumultibus ſuas opes ſuſtentabant, bellum fremere omnes. Quam ſententiam ſecutus comprobauit Cleophon, cuius tum maxima erat apud populum auctoritas & gratia. Huius conſilij Athenienſes tū demùm fruſtrà pœnituit, quum nulli prorſus ipſum pœnituiſſe uſui eſſe potuit. Adulamentis enim & compoſitis ad gratiam ſermonibus pellecti, adeò ex ſummo propè rerum faſtigio corruêre, ut nunquam pòſt ampliùs afflictis reſumere uires, priſcamq; uendicare dignitatē licuerit: capta tandem urbe à Lyſandro, & XXX tyrannis impoſitis. Diodorus lib. 13.

Nero Romanorum Imp. natura crudelis, conſiliariorum inſuper ſuorum inſtinctu multa contra dignitatē fecit. cūm crebrò ab illis audiret: Tu hæc pateris? tu hos times? ignoras te Cæſarem eſſe? teq; illorum poteſtatem habere, nō illos tui? Xiphilinus in Nerone.

Victus ab Aetio Valentiniani III. Imper. duce & Theoderico Veſtgothorum rege, Atila, in campis Catalaunicis, niſi fuga elapſus, in plauſtrorum munimenta ſe conferens, uitæ ſuæ conſuluiſſet, de Hunnis actum erat. THORISMVNDVS enim Theoderici patris cædem capite Atilæ rependiſſet, niſi Aetius conſuluiſſet ei, expedire paternum regnum defendere, quàm hoſtē perſequi: ueritus, ne profligato Atila, imperium Gothi in Romanos uerterent. Atila, ubi retrò abiiſſe hoſtes intellexit, reparatis in Pannonia uiribus, inuaſit Italiam. Cuſpinianus.

ANDRONICO Palæologo Imp. conſiliarij auari ſuaſerunt, ut claſſis ſumtus, quibus fiſcum Imperatorium exhauriret, tolleret. Quo facto Romanorum maritima potentia imminuta eſt, & hoſtium firmata, adeò ut piraticæ triremes Byzantium uſq; per ludibrium acceſſerint. Gregoras lib. 6.

Petrus de Vineis Friderici II. Imperatoris ſecretarius fuit. Is cùm hoſtis eſſet Alexandri III. pontificis, Petrum certis de cauſis lumine priuauit. Deinde pœnitentia ductus adſciuit eum in ſecretius conſilium. Cùm Imperator anguſtia rei pecuniariæ Piſis premeretur, conſuluit Petrus: Vires eccleſiæ ſuiſmet opibus conterendas, conflanda eſſe ad uſum belli eccleſiarum omnia ornamenta, aurea atq; argentea, inter quæ zona illa, quæ cingebat templum, memorabilis erat. Placuit conſilium FRIDERICO, & ſpoliis eccleſiarum exercitum parauit. Tum Petrus, Imperator (inquit) iniuriam abs te iniuſtè mihi illatam ultus ſum: tu tibi hominum odia comparaſti, ego tibi Deum ex ſacrilegio reddidi inimicum. Poggius in Facetiis.

ALGERVS & Alphus Dani reges, contra fœdus cum Amundi Sueonum regis filiis pactum, Boluēſio aulico munerib. aduerſariorum corrupto, bellumq; ſuadenti, paruere. Victi proinde, cum tota familia exciſi fuerunt. Ioan. Magnus lib. 7. capite 5. & ſequent.

Frāciſcus Turrianus, Mediolani à fratre Napo, eius urbis principe, contra Othonianos patricios Mediolano eiectos exercitum ducente, ad res urbanas tutandas relictus, quum uictoriæ nuncium accepiſſet, rogatus ſententiam de captiuis: reſcripſit, Cuncta ſimul Hydræ capita enſe recidenda, ne renata uenenum rurſus effundant. NAPVS, licet multum diſſuadente Caſſono filio, ad Galaratum oppidum duo & uiginti inſignes patricios ſecuri percuſſit, ceruicib. ad plauſtri temonem appoſitis, atq; ibi repetitò ſæpe ictu ſæuiſſimè detruncatis. Sed id facinus nobiliſſimos quoſq; aduerſus Turrianos concitauit, adeò ut non toto planè exacto triennij ſpacio, parem omnino cladem Turrianis rependerint. Iouius in uita Othonis Vicecomitis.

CAROLVS VIII. Gallorum rex, à Ludouico Sforcia euocatus contra Aragonios, ad Neapolitanam expeditionem temerario acceſſit conſilio: cùm illum neq; ærarij inopia, neque procerum indignatio, neq; Ludouici inſidiæ propoſitę ab incœpto abducerent: Iuliani Rouerei Cardinalis Oſtienſis, fatalis calamitatū Italiæ inſtrumenti, auctoritate & conſiliis accenſum. Guicciardinus lib. 1.

FR. Almeida Indiæ prętor, rerū geſtarū gloria clariſs. domum reuocatus, cùm à promontorio Bonæ ſpei non procul abeſſet, aquationem facere conſtituit. Quidā è Luſitanis in oppidum, quod inde quatuor millibus paſſuum aberat, conceſſit. Hi hominem benè acceptum dimiſerunt, & ingenti ariete in amicitiæ ſignum donârūt. Almeida illum cum aliis XII hominibus in oppidum remiſit, ut oues & boues coëmerent. Incolæ eos ad epulas inuitârunt, & muneribus, quę tellus illa fundit, affectos, cum gregibus, quos emerant, dimiſerunt. In uia factus eſt illis obuiam homo quidam cum arietibus, ut eos cum muneribus commutaret. Hic quidam

ex Luſitanis, Hũc, inquit, per uim abducamus ad Almeidã, ut cùm ueſtibus excultus ad ſuos redierit, eos nobis arctiore familiaritate conglutinet. Is cùm impeteretur, clamorem ingentẽ ſuſtulit. Oppidani feſtinanter accurrunt, hominem è Luſitanorum manibus extorquent, eos ſaxis & lapidibus cædunt, maleq; multatos eiiciunt, & gregibus etiam ſpoliãt. Hi reuerſi, ne id eis fraudi eſſe poſſet, rẽ lõgè aliter atq; acciderat Almeidæ retulerunt, eoq; rem adduxerunt, ut Almeidam cum ea gente bellum ſuſcipere coëgerint. Itaq; de media nocte in ſcaphas deſiliens, in terram cum CL militibus nudis, quoniã gentem contẽſerãt, egreſſus, in oppidum ante lucem peruenit. Oppidani continuò opem ſublatis clamoribus implorãt. Accurrunt undiq; permulti cũ ſacculis è corio crudo confectis, in quibus uim lapidum congeſſerãt, ut Luſitanos, qui iam cum præda redibant, obruerent. Geſtabant præterea iacula innumerabilia non longa, quibus erant cuſpides hamatæ trium palmorum longitudine præfixæ. Cumq; eſſent ſumma celeritate præditi, facillimè poterant coniectis ſaxis & iaculis curſu ſeſe à clade proripere, & rurſus eadem celeritate in Luſitanos incurſare. quos æſtus adurebat, laſſitudo conficiebat, ita ut uix plantas in arena ardentiſſima altiùs impreſſas euellerent. Almeida iaculo guttur transfixus procubuit, genibus in terram flexis, & oculis ſublatis manus in cœlum tendens, uir probitate, & liberalitate, & rebus geſtis immortalitate dignis admirandus: memorabili uitæ exitu, quòd cuius in bello Granatenſi tam clara uirtus extiterat, qui maximos in India exercitus fuderat, qui Campſonis Aegypti Imperatoris opes fregerat, qui multis Regibus frænum iniecerat, temerario ſuaſu & auſu ſuorũ inductus, à paucis hominibus, inermibus & nudis, nõ multum à belluarum feritate diſtantibus occiſus & eorum pedibus proculcatus ſit. Quinque & ſexaginta Luſitani ſimul in ea pugna interfecti ſunt: in quibus erant Duces undecim, maximis in rebus cogniti. Creditum eſt illos, eò quòd ſeſe inſolentiùs in proſperis ſucceſſibus extuliſſent, & uictoria nimis crudeliter uſi fuiſſent, eas pœnas diuino iudicio pertuliſſe. Anno ſalutis 1510. Oſorius libro ſexto rerum Emmanuelis.

## CONSILIARIOS NON ADMITTERE. IN CONSILIVM alios non adhibere. MONITA, Conſilia, Indicia aliorum ſpernere.

*Si Confidentiam ſpectes horum, qui ſibiipſis per ſe ſatis uidentur ſapere, ut aliorum conſilio non opus habeant, ad locum Superbiæ pertinent: ſin Imprudentiam, qua occæcati quid expediat uidere nequeunt, aut ſaltem diutiùs quàm expediat negocium differunt, præſentis erunt loci.*

Monitus fuerat GODOLIAS præfectus Iudeæ à rege Babylonio, uti ſibi ab Iſmaele Nathaniæ F. caueret. At quia indici credere noluit, ſeptimo pòſt menſe ab eo oppreſſus eſt. Hieremiæ 40. & 4. Regum 25.

XERXES Perſarum rex, in cuius nomine ſuperbia & impotentia habitat, ſuo iure tam inſolenter uſus eſt, quòd Græciæ indicturus bellum, adhibitis Aſiæ principibus, Ne uiderer, inquit, meo tantummodò uſus conſilio, uos cõuocaui. Cęterùm mementote, parendum magis uobis eſſe, quàm ſuadendum. Arroganter etiam, ſi uictori ei petere regiam contigiſſet: tam deformiter ficti, neſcias utrum inſolentius dictum, an imprudentius. Val. Max. lib. 9. cap. 5.

Cùm eadem die, qua M. BRVTVS in cãpis Philippicis aduerſus Octauium uictoriã reportauit, eius etiam claſſis ingentes copias ex Italia miſſas oppreſſiſſet: uiginti diebus uictoria iſtã Brutum latuit. At pridie, quàm ſecundò cum Cæſare & Antonio dimicaturus erat, ad eũ transfugit Clodius, nũciauitq; Cæſaris claſſem ab illius claſſe ꝓfligatã: ideoq; properare ad certamen. At ipſi fides non fuit habita, neque in Bruti uenit cõſpectum, deſpectus prorſus, quaſi nihil certi audiuiſſet, aut uana fauoris conciliandi gratia adferret. Secundo igitur prælio commiſſo Brutus circumuentus ab hoſtibus, fuga uix elapſus eſt. Plutarchus in Bruto.

SIGIBERTVS Occidentalium Saxonum in Anglia rex, cùm ſuos non libenter audiret cõſiliarios, unum ex iis Cumbranum interfecit. Qua re indignati reliqui, facta cõiuratione, cum primo imperij anno regno deturbarunt. Tum Sigibertus ſeſe in loca ſylueſtria abdidit, & ibi à uiliſſimo Cũbrani ſeruo, qui porcos paſcebat, trucidatus eſt. Polyd. lib. 4.

ANDRONICVS iunior Imp. nullius conſilium admittebat, ſui unius ſententiæ & ſcientiæ inſiſtens. Gregoras lib. 11.

BAIAZETHES VI. Turcorũ rex adeò præfractus & temerarius erat, ut neminem monentem ſequeretur, ſed ſibi ſoli cõfideret, quando eundũ erat in hoſtes. Chalcocondylas lib. 3.

IVSTINIANVS II. Imp. ſexdecim natus annos, imperium adeptus, propriis conſiliis uſus, maxima incommoda Romano nomini attulit. Cuſpinianus.

IACOBVS III. Scotorum rex, homo acris ingenij, non facilè bene admonentes audiebat: & cùm nollet reprehendi, homines nouos ad conſilia capienda adhibebat. Nobiles tandem coniuratione facta, ne uiderentur contra patriam facere, filium eius nomine Iacobum, etſi nolentẽ, ſibi ducem cõſtituerunt: uociferantes paſſim, ſe malum regem, non regnum euerſuros. Patre in prælio interfecto, filius rex creatus eſt. Anno 1490. Polydorus lib. 24. & 26.

BOTVILDVS Sueonum rex, ob auaritiam, & ignauiam omnibus exoſus, urgentibus hinc Rutenis, illinc Danis, claſſe ad fugam ad Curetes comparata, priuſquam anchoris & uelis eleuatis uento ſe committeret, theſauri eius cuſtos, Storblindus, in aures eius ſuſurrans, quæſiuit, An alicuius rei in terra oblitus eſſet? Cui rex, Enimuerò, inquit, nimis diu oblitus ſum procerum meorum conſilia audire, cuius obliuionis pœnas nũc do. Io. Magnus lib. 2.

Campobachius poſt mortem Nicolai Calabriæ ducis egenus & exul à CAROLO Burgũdo Duce liberaliſſimè exceptus, & equitatui etiã Italico pręfectus, beneficiorum immemor, cum Renato Lotharingo & nonnullis ducibus, quos in Cãpania rex Ludouicus XI. habebat, conſilia cõmunicauit, & Caroli uel ex inſidiis trucidandi uel capiendi curam ſuſcepit, XX millium aureorũ & ditionis alicuius in Galliis idoneæ precio. Obſidebat tum Carolus Nanceium, & nobiles aliquot Lotharingos in oppidum ingredi conantes ceperat. Ex iis prouincialis quidã Cifronius coniurationis conſcius, cùm ad ſuſpendium duceretur, ſe quædam ad Caroli ſalutem pertinentia habere dicebat, petere ſe Ducis cõgreſſum. Carolus fatali obſtinatione, quid uellet, iubet ſibi per alios nunciari. Negante id Cifronio, Campobachius ſceleris proditionem metuens, Carolum in ſententia confirmat, Cifronij necem maturat. Atque ita Carolus proditionis contra ſe initæ cognoſcendæ occaſionem pulcerrimam neglexit. Sic enim & Gallorum inſidias pacis ſimulatione tectas, & Campobachij perfidiam intellexiſſet: atque adeò & uitæ & imperio ſuo conſuluiſſet. Nam ſuperuenientibus Heluetiis, Carolus in Nancei obſidione pertinax, cùm uicinis locis inſeſſis fame ad deditionem hoſtes compellere potuiſſet, temerè prælium commiſit: ubi deficiente Campobachio cum flore equitatus, Heluetiorum manibus cæſus eſt. Cominæus lib. 7. Com.

VOLVMINIS SEPTIMI
FINIS.